








MONARCHIÆ
S. ROMANI IMPERII,
SIVE
TRACTATVVM
DE IVRISDICTIONE IMPERIALI SEV REGIA,
& Pontificia seu Sacerdotali; deq; potestate Imperatoris ac Papæ, cum distinctione vtriusque Regiminis, Politici & Ecclesiastici,

TOMVS SECVNDVS.

PARTIM AB IPSIS PONTIFICIBVS ROMANIS, PARtim auctoritate ac concessione Imperatorum, tàm Occidentalium quàm Orientalium; Regum item & Principum Germaniæ, Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, Angliæ, Hiberniæ,

A VETERIBVS SANCTIS AC CATHOLICIS DOCTORIBVS, QVOTQVOT ante exortum Lutheri, ab A. D. CCC. vsque ad MD. vixerunt, conscripti; & nunc pars recenter, cætera auctius & emendatius simul recusa, ac opposita Tractatibus eorum, qui vtramq; potestatem in spiritualibus & temporalibus aut adulatoriè aut imperitè confundunt.

ACCESSERVNT OPERA OMNIA,

De Potestate Ecclesiastica & Politica,

MAGISTRI GVILHELMI OCKAM ORDINIS MINORVM, DOCTOris famosissimi, & auctoris Sectæ Philosophorum Scholasticorum, quos vocant Nominales; nunc primùm ex vetustis Codicibus expressa, & simul edita.

CVM INDICE RERVM ET VERBORVM ABSOLVTISSIMO SEORSIM accessuro in opus vniuersum Monarchia.

Ex singulari gratia & Priuilegio Imperiali, nec simul, nec separatim alibi imprimendi.



FRANCOFORDIÆ

Typis Nicolai Hoffmanni, impensis Conradi Biermanni, & Consortum.

ANNO M. DC. XIV.



ELENCHVS TRACTATVVM ANTIQVORVM IN HOC SECVNDO TOMO contentorum, iuxta seriem Auctorum, quo quisque tempore vixit aut scripsit.

)o(2 Anonymi







D. AMBROSII, EPISCOPI MEDIOLANENSIS EPISTOLÆ.

Anno Christi 370.

DE POTESTATE IMPERATORIS ET EPISCOPI.

Ex Lib. V. Epist. XXV.

Gratiani Augusti ad B. Ambrosium, vt ad se docendum venire festinet postulantis; & vt scripturis atq; argumentis Spiritum Sanctum Deum esse conuincat rogantis.



GRATIANVS Augustus Ambrosio Religioso Sacerdoti omnipotentis Dei. Cupio valde, vt quem recordor absentem, & cum quo mente sum, cum eodem corpore sim præsenti. Festina igitur ad me, Religiose Dei Sacerdos, vt doceas doctrinam veram credentem, non quo contentioni studeam, aut velim magis Deum verbis quam mente complecti, sed vt magis aperto pectori reuelatio Diuinitatis insideat. Docebit enim me ille, quem non nego, quem fateor Deum ac Dominum esse meum, non ei obiiciens, quam in me video, creaturam, qui Christo nihil me addere posse confiteor: velle tamen, vt etiam Patri me commendem Filium prædicando. Non ego in Deo verebor inuidiam; non me talem laudatorem putabo, qui Diuinitatem verbis augeam. Ego infirmus & fragilis, quantum possum, prædico; non quantum est ipsa Diuinitas. Rogo te, vt mihi des ipsum tractatum, quem dederas, augendo illic de Spiritu Sancto fidelem disputationem: scripturis atque argumentis Deum esse euince. Diuinitas te seruet per multos annos, parens & cultor Dei æterni, quem colimus, Iesu Christi.

EPISTOLA XXVI.

Diui Ambrosii ad Gratianum Augustum, epistolam ipsius plurimum commendantis, suæq; voluntati se satisfacturum pollicentis.

BEatissimo Augusto Gratiano, & Christianissimo Principi Ambrosius Episcopus. Non mihi affectus defuit, Christianissime Principum. Nihil enim habeo, quod hoc verius & gloriosius dicam. Non, inquam, mihi affectus defuit, sed effectum verecundia retardauit, quo minus Clementiæ tuæ occurrerem. Reuertenti tamen si non occurri vestigio, occurri animo, occurri voto, in quo maiora sunt officia Sacerdotis. Occurri, dico. Quando enim absui, quem toto sequebar affectu; cui sensu ac mentibus inhærebam? Et certe maior animorum præsentia est; tuum quotidianum iter legebam, nocte ac die in tuis castris cura & sensu locatus, orationum excubias prætendebam, etsi inualidus merito, sed affectu sedulus. Et hæc quidem cum pro tua salute deferebamus, pro nobis faciebamus. Nihil hic adulationis est, quam tu non requiris, ego alienam nostro duco officio; sed plurimum gratiæ, quam dedisti. Scit ipse nostri arbiter, quem fateris, & in quem pie credis, refici viscera mea tua fide, tua salute, tua gloria, meque non solum officio publico debitas pendere preces, sed etiam amore priuato. Reddidisti enim mihi quietem Ecclesiæ, perfidorum ora, atq; (quod vtinam) & corda clausisti, & hoc non minore fidei, quam potestatis authoritate fecisti. Nam quid de literis recentibus loquar? Scripsisti tua totam epistolam manu, vt ipsi apices fidem tuam pietatemq; loquerentur. Sic Abraham sua manu quondam vitulum occidit, vt hospitibus epulantibus ministraret, nec in ministerio religioso aliorum adiumenta quæsiuit. Sed ille priuatus aut Domino & Angelis aut Domino in Angelis deferebat: tu Imperator dignatione Regali honoras infirmum Sacerdotem. Sed Domino defertur, cum seruulus honoratur. Ipse enim dixit: *Quod vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.* At ego humilitatem tantummodo prædico in Imperatore sublimem, ac non amplius fidem, quam vero conscia meriti tui mente dixisti, quam docet te ille, quem non negas. Quis e-

nem alius docere te potuit, vt ei obiicias, quam in te vides, creaturam? Nihil mortalius, nihil expressius dici potuit. Creaturam enim Christum dicere, pro obiectu contumeliæ est, non pro confessione reuerentiæ. Deinde quid tam insolens, quam id eum existimare, quod nos sumus? Docuisti igitur me, à quo te discere velle profiteris: nihil tale adhuc legi, nihil audiui. Quam pium autem illud, quam admirabile, quod in Deo non vereris inuidiam? De Patre remunerationem pro Filii amore præsumis, & laudando filium, non ei te posse aliquid addere confiteris, sed velle vt etiam Patri te Filii prædicatione, commendes. Quod vtique solus te docuit ille, qui dixit: *Qui me diligit, diligetur à patre meo.* Addidisti ad hæc, quia tu infirmus & fragilis non te talem laudatorem putabis, vt diuinitatem verbis augeas, sed quantum possis, prædices, non quantum est ipsa diuinitas. Hæc infirmitas in Christo fortior est, sicut & Apostolus dixit: *Cum infirmor, tunc potens sum*, hæc humilitas excludit fragilitatem. Veniam plane, & festinabo, vt iubes, vt hæc præsens audiam, cum ex tuo ore procedunt. Misi autem duos libellos, quorum iam quia tuæ Clementiæ sunt probati, periculum non verebor. De Spiritu vero interim veniam scriptioni peto, quoniam quem iudicem mei sim sermonis habiturus agnoui. Interim tamen sententia & fides tua de Domino & Saluatore deprompta de Dei filio redundat ad assertionem vberrimam, per quam Sancti quoque Spiritus diuinitas sempiterna credatur, vt non ei obiicias, quam in te vides, creaturam, nec Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi Spiritu suo existimes inuidere. Quod enim creaturæ caret communione, diuinum est. Si Dominus fauerit, huic etiam Clementiæ tuæ satisfaciam voluntati, vt cuius accepisti gratiam, eum plane in Dei gloria præeminentem suo nomine existimes honorandum. Beatissimum te & florentissimum Deus omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, tueri ætate prolixa, & Regnum tuum in summa gloria & pace perpetua confirmare dignetur, Domine Imperator Auguste, diuino electe iudicio, Principum gloriosissime.

EPISTOLA XXVII.

Diui Ambrosii ad Valentinianum Imperatorem, Legationis suæ expositionem insinuantis.

VALENTINIANO Imperatori Augustissimo Ambrosius. Etsi superioris Legationis meæ fides ita approbata sit tibi, vt ratio eius à me non quæreretur. Satis enim claruit eo ipso, quod aliquot dies retentus sum intra Gallias, me violentiam à Maximo non recepisse, neque iis astipulatum quæ ad voluntatem eius magis, quam ad pacem protenderent, denique non commisisses secundam legationem, nisi primam probasses, quia tamen regredienti, mihi decernendi secum imposuit necessitatem, ideo hac epistola expositionem legationis meæ insinuandam putaui, ne cuiusquam sermo veris prius vana intexeret, quam reditus meus integra & syncera veritatis expressa signaculo manifestaret. Cum peruenissem Treuiros, postridie processi ad palatium. Egressus est ad me vir Gallicanus præpositus cubiculi, eunuchus regius. Poposci adeundi copiam, quæsiuit num rescriptum haberem clementiæ tuæ. Respondi, habere. Retulit, non posse me, nisi in consistorio videri. Dixi non esse hunc morem Sacerdotalem, certe esse aliqua de quibus serio deberem cum suo principe confabulari. Quid plura? Consuluit eum, sed eadem referenda credidit, vt liqueret etiam priora ex illius arbitrio deprompta. Dixi tamen alienum id quidem à nostro munere, sed me recepto officio non defuturum, gratam mihi esse humilitatem in tuo præsertim, & quod verum est, fraternæ pietatis negocio. Vbi sedit in consistorio, ingressus sum, assurrexit vt osculum daret. Ego inter consistorianos steti. Hortari cœperunt alii vt ascenderem, vocare ille. Respondi ego: Quid oscularis eum quem non agnoueris? Si enim me agnouisses, non hoc loco videres. Commotus es, inquit, episcope? Non, inquam, iniuria, sed verecundia: quod alieno consisto loco. Et prima, inquit, legatione ingressus es consistorium. Nec illud, inquam, mei erroris fuit: vocantis non ingredientis vitium est. Cur, inquit, ingressus es? Quia, inquam, tunc inferiori pacem petebam, tunc vt æquali. Cuius, inquit, beneficio æquali? Respondi, omnipotentis Dei, qui Valentiniano regnum quod dederat reseruauit. Ad postremum erupit, dicens: Quoniam me lusisti, & ille Bauto qui sibi regnum sub specie pueri vindicare voluit: qui etiam Barbaros mihi immisit, quasi ego non habeam quos possim adducere, cum mihi tot millia Barbarorum militent, & annonas à me accipiant. Quod si ego tunc temporis quando venisti non fuissem retentus, quis mihi obstitisset & virtuti meæ? Ad hæc ego leniter: Non opus est, inquam, vt commouearis, cum causa nulla sit commotionis, sed patienter audias quæ referantur istis. Propterea & ego veni, quia prima legatione dum mihi credis, per me deceptum te esse asserebas: Gloriosum mihi est hoc pro salute pupilli Imperatoris. Quos enim Episcopi magis, quam pupillos debemus tueri?

Scriptum

Scriptum est enim: *Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & eruite iniuriam accipientem.* Et alibi: *Iudices viduarum, & patres orphanorum.* Tamen non exprobrabo beneficium meum Valentiniano. Vt verum eloquar, vbi ego tuis legionibus obstiti, quo minus infunderes in Italiam? Quibus rupibus? qua acie? quibus numeris? An vero corpore meo clausi tibi Alpes? Vtinam hoc meum esset, obiectionem non timerem, non vererer criminationes tuas. Quibus promissis lusi te vt paci acquiesceres? Nonne intra Gallias iuxta vrbem Mogontiacum Comes Victor occurrit mihi quem direxisti vt pacem rogaret? In quo ergo te fefellit Valentinianus, qui prius pacem à te rogatus est, quàm postularet? In quo fefellit Bauto qui deuotionem Imperatori exhibuit suo? An quia principem suum non prodidit? In quo ego te circumscripsi? Qui vbi primum veni, cum diceres quod Valentinianus ad te quasi filius ad patrem venire deberet, responderim non esse æquum vt aspero hyemis tempore puer cum matre vidua penetraret Alpes: sine matre autem tanto itinere dubiis rebus committeretur. De pace nobis legationem commissam, non de aduentu eius promissionem: spondere nos id non potuisse, certum est, quod mandatum non erat, me certe nihil spopondisse, adeo vt diceres: Expectemus quid Victor responsi referat. Illud autem liquet me retento peruenisse Mediolanum, negatumque ei quod postulabat. De pace tantum conspirare studia, non de aduentu Imperatoris, quem moueri non oporteret. Præsens eram vbi Victor rediit. Quomodo ergo reuocaui Valentinianum? Legati iterum missi ad Gallias, qui eis aduentum negarent, apud Valentiam Gallorum me repererunt: milites vtriusq; partis qui custodirent iuga montium, offendi reuertens. Quos ergo tuos reuocaui exercitus? quas de Italia reflexi aquilas? quos immisit Barbaros Bauto Comes? Et quid mirum si hoc Bauto fecisset, Transrhenanus genere, cum tu miniteris Imperio Romano Barbarorum auxilia, & turmas translimitaneas, quibus commeatus prouincialium tributa soluebant. Vide autem quid intersit inter tuas minitationes, & Valentiniani Augusti pueri mansuetudinem. Tu flagitabas, quod Barbarorum stipatus agminibus Italiæ te infunderes, Valentinianus Hunnos atque Alanos appropinquantes Galliæ per Alemanniæ terras reflexit. Quid habet inuidiæ, si Bauto Barbaros cum Barbaris fecit decernere? Quoniam dum tu militem Romanum occupas, dum is aduersum se, vtrinq; prætendit, in medio Romani imperii sinu Iuthungi populabantur Rhetias. Et ideo aduersus Iuthungum Hunnus accitus est. Idem tamen, quia de finitimo proterebat Alemanniam, & iam vicinia mali vrgebat Gallias, coactus est triumphos suos deserere, ne tu timeres. Cõfer vtriusq; factum. Tu fecisti incursari Rhetias. Valentinianus suo tibi auro pacem redemit. Aspice illum quoque qui tibi ad dextram assistit, quem Valentinianus cum posset suum dolorem vlcisci, honoratum ad te redire fecit. Tenebat eum in suis terris, atque in ipso nuncio necis fraternæ frænauit impetus: nec tibi vicem etsi non paris dignitatis, eiusdem tamen necessitudinis retulit. Confer ergo te iudice vtriusque factum. Ille tibi fratrem tuum viuentem remisit, tu illi vel mortuum redde. Quid illi reliquias germani abnegas, qui tibi aduersum se auxilia non negauit? Sed vereris ne exuuiarum reditu renouetur militibus dolor. Hoc enim allegas: *Quem viuentem deseruerunt, eum defendent peremptum.* Quid eum mortuum times, quem occidisti cum posses seruare? *Hostem, inquis, meum peremi.* Non ille tuus hostis, sed tu illius. Ille iam non sentit defensionem. Tuam causam considera. Si quis aduersum te hodie imperium in his partibus vsurpandum putet, quæro vtrum te hostem illius dicas, an illum tibi? Nisi fallor, vsurpator bellum infert: Imperator ius suum tuetur. Ergo quem non debueras occidere, eius reliquias negas? Habeat Valentinianus Imperator vel fratris exuuias, pacis tuæ obsides. Et quomodo allegabas quod eum non mandaueris occidi, quem prohibes sepeliri? Poterit igitur credi quod ei non inuideris vitam, cui etiam sepulturam inuides? Sed ad me reuertar. Audio te queri quod se ad Theodosium Imperatorem potius contulerint qui sunt cum Valentiniano Imperatore. Quid igitur futurum sperabas, cum te refugientes eos ad pœnam posceres, captos necares, Theodosius autem muneribus ditaret, donaret honoribus? Quos, inquit, occidi? Respondi ei, Balionem. At quem virum? qualem bellatorem? Hæccine fuit iusta causa exitii, quod Imperatori suo fidem seruauit? Non ego, inquit, eum iussi occidi. Respondi. Hoc audiuimus quod occidi iussus sit. Sed, inquit, si ipse sibi vim non intulisset, iusseram eum deduci Cabillonem & ibi viuum exuri. Respondi: Ergo propterea & illud creditum est quod eum occideris. Quis autem sibi parcendum putaret, cum occisus sit bellator strenuus, miles fidelis, comes vtilis? Ita dum discessi, vt se tractaturum diceret. Postea cum videret me abstinere ab episcopis qui communicabant ei, vel qui aliquos deuios licet à fide, ad necem petebant, commotus ei iussit me sine mora regredi. Ego vero libenter, etsi me plerique insidias euasurum non crederent, ingressus sum iter, hoc solo dolore percitus, quod Hyginum episcopum senem in exilium duci comperi, cui nihil iam nisi extremus superesset spiritus. Cum de eo conuenirem comites eius, ne sine veste, sine plumario paterentur extrudi senem, extrusus ipse sum. Hæc est expositio legationis meæ. Vale Imperator, & esto tutior aduersus hominem, pacis inuolucro bellum tegentem.

Vale.

Epistola XXVIII.

Diui Ambrosii ad Theodosium Imperatorem, seipsum excusantis, & , vt ille facinoris sui pœnitentiam agat, rationibus atque exemplis suadentis, rogantis, hortantis, & admonentis.

AVGVSTISSIMO Imperatori Theodosio Ambrosius. Et veteris amicitiæ dulcis mihi recordatio est, & beneficiorum quæ crebris meis intercessionibus summa gratia in alios contulisti, gratiæ memini. Vnde colligi potest quod non ingrato aliquo affectu aduentum tuum semper mihi ante hac exoptatissimum declinare potuerim. Sed qua causa hoc fecerim, breuiter expediam. Soli mihi in tuo comitatu ius naturæ ereptum videbam audiendi, vt & loquendi priuarer munere. Motus enim frequenter es quod ad me peruenissent aliqua quæ in consistorio tuo statuta forent. Ego ergo expers communis vsum sum, cum dicat dominus Iesus *nihil esse occultum, quod non manifestetur?* Verecundia igitur quod potui, satisfeci imperiali arbitrio, & prospexi ne aut ipse causam commotionis habeas, cum id egerim, ne quid ad me de imperialibus deferatur statutis: aut ego cum fuero præsens, aut non audiam per metum omnium, & quasi conniuentis famam subibo: aut ita audiam vt mihi aures pateant, vox intercludatur, vt audita non possim eloqui, ne eos qui in suspicionem proditionis venerint, lædam in periculo. Quid igitur facerem? Non audirem? Sed aures non possum cera veterum fabularum claudere. Proderem? Sed quod in tuis iussis timerem, in meis verbis deberem cauere, ne quid cruentum committeretur. Tacerem? Sed quod miserrimum foret omnium, alligaretur conscientia, vox eriperetur. Et vbi illud: *Sed si Sacerdos non dixerit erranti, is qui errauerit, in sua culpa morietur, & Sacerdos reus erit pœna, quia non admonuit errantem?* Accipe illud Imperator Auguste. Quod habeas fidei studium, non possum negare: quod Dei timorem, non diffiteor. Sed habes naturæ impetum, quem si quis lenire velit, cito vertes ad misericordiam: si quis stimulet, in maius exsuscitas, vt eum reuocare vix possis. Vtinam si nemo mitigat, nullus accendat, libenter enim committo tibi: ipse te reuocas, & pietatis studio vincis impetum naturæ. Hunc ego impetum malui cogitationibus tuis secreto committere, quam meis factis publice fortassis mouere. Itaque malui officio meo aliquid deesse quam humilitati, & requiri in me ab aliis Sacerdotis authoritatem, quam à te desiderari in me, amantissimi honorificentiam, vt represso impetu integra esset consilii eligendi facultas. Prætendi ægritudinem corporis reuera grauem, & nisi à viris mitioribus vix leuandam: vel emori tamen maluissem quam aduentum tuum biduo aut triduo non expectarem. Sed quid facerem, non erat. Factum est in vrbe Thessalonicensium, quod nulla memoria habet, quod reuocare non potui ne fieret. Imo quod ante atrocissimum fore dixi, cum totiens rogarem: & quod ipse sero reuocando graue factum putasti; hoc factum extenuare non poteram. Quando primum auditum est, quum propter euentum Gallorum episcoporum synodus conuenerat, nemo non ingemuit, nullus mediocriter accepit, non erat facti tui absolutio in Ambrosii communione. In me etiam amplius commissi exaggeraretur inuidia, si nemo diceret Dei nostri reconciliationem fore necessariam. An pudet te Imperator hoc facere quod rex Propheta author Christi secundum carnem prosapiæ fecit Dauid? Illi dictum est, quia diues qui haberet plurimos greges, vnam pauperis ouem propter aduentum hospitis eripuit & occidit: & cognito quod in hoc ipse argueretur, quia ipse fecisset, ait: *Peccaui Domino.* Noli ergo impatienter ferre, Imperator, si dicatur tibi: *Tu fecisti istud*, quod Dauid regi dictum est à propheta. Si enim hoc sedulo audieris, & dixeris: *peccaui Domino*, si dixeris regale illud propheticum: *Venite adoremus, & procidamus ante eum, & ploremus ante Dominum nostrum qui fecit nos:* dicetur & tibi, *Quoniam pœnitet te, dimittit tibi Dominus peccatum tuum, & non morieris.* Iterum cum plebem numerari iussisset Dauid, percussus est corde, & dixit ad Dominum: *Peccaui vehementer quod fecerim hoc verbum, & nunc Domine aufer iniquitatem serui tui quod deliqui vehementer.* Et missus est iterum ad eum Nathan propheta, qui ei trium optionem conditionum offerret, & quam vellet eligeret, famem tribus annis in terra, aut tribus mensibus fugeret à facie inimicorum suorum, aut triduo mortem in terra. Et respondit Dauid: *Angustia sunt tria hæc vehementer, verumtamen incidam in manum Domini, quoniam multa misericordia eius nimis, & in manus hominis non incidam.* Culpa autem erat, quoniam voluit scire numerum totius plebis quæ secum erat: quod scire Deo soli debuit reseruare. Et cum, inquit, mors fieret in plebes, ipso primo die ad horam prandii cum vidisset Dauid percutientem angelum in plebem, ait Dauid: *Ego peccaui, & ego pastor malignum feci, & hic grex quid fecit? Fiat manus tua in me, & in domum patris mei.* Itaque pœnituit Dominum, & iussit angelo vt parceret plebi; sacrificium autem offerret Dauid. Erant enim tunc sacrificia pro delictis; hæc nunc sunt sacrificia pœnitentiæ. Itaque ea humilitate acceptior Deo factus est.

Non

Non enim mirandum peccare hominem, sed illud reprehensibile, si non se cognoscat errasse, non humiliet Deo. Iob sanctus & ipse potens in seculo, ait: *Peccatum meum non abscondi, sed coram plebe omni annunciaui.* Ipsi immani regi Saul dixit Ionathas filius suus: *Noli peccare in seruum tuum Dauid.* Et, *vt quid peccas in sanguinem innocentem, occidere Dauid sine causa?* Quia etsi rex erat, peccabat tamen si occiderit innocentem. Denique etiam Dauid cum iam regno potiretur, & audisset Abner innocentem occisum à Ioab duce militiæ suæ, ait; *Innocens sum ego & regnum meum amodo & vsq; in æternum à sanguine Abner filii Ner, & ieiunauit in dolore.* Hæc ideo scripsi, non vt te confundam, sed vt regum exempla prouocent, vt tollas hoc peccatum de regno tuo. Tolles autem humiliando Deo animam tuam. Homo es, & tibi venit tentatio, vince eam. Peccatum non tollitur nisi lachrymis & pœnitentia. Nec angelus potest, nec archangelus: Dominus ipse, qui solus potest dicere: *Ego vobiscum sum*, si peccauerimus, nisi pœnitentiam deferentibus non relaxat. Suadeo, rogo, hortor, admoneo, quia dolori est mihi, vt tu qui pietatis inauditæ exemplum eras, qui apicem clementiæ tenebas, qui singulos nocentes non patiebaris periclitari, tot periisse non doleas innocentes. Etsi in prœliis felicissime egeris, & si in aliis quoq; laudabilis, tamen apex tuorum operum pietatis semper fuit. Id tibi inuidit diabolus quod habebas præstantissimum. Vince eum dum habes adhuc vnde possis vincere. Noli peccato tuo aliud peccatũ addere, vt vsurpes q̃ vsurpasse multis officit. Ego certe in omnibus aliis licet debitor pietati tuę, cui ingratus esse non possum, q̃ pietatem multis Imperatoribus præferebam, vni adæquabam, ego, inquam, causam in te contumaciæ nullam habeo, sed habeo timoris: Offerre non audeo sacrificium, si volueris assistere. An quod in vnius innocentis sanguine non licet, in multorum licet? Non puto. Postremo scribo manu mea quod solus legas. Ita me Dominus ab omnibus tribulationibus liberet, quia non ab homine, neq; per hominem, sed aperte mihi interdictum aduerti. Cum enim essem solicitus, ipsa nocte qua proficisci parabam, venisse quidem visus es ad ecclesiam, sed mihi sacrificium offerre non licuit. Alia prætereo, vt potui cauere. Sed pertuli amore tuo, vt arbitror. Dominus faciat vt omnia cum tranquillitate cedant. Multifarie Deus noster admonet: signis cœlestibus, Prophetarum præceptis, visionibus etiam peccatorum vult nos intelligere, quo rogamus eum vt perturbationes auferat, pacem nobis imperantibus seruet, fides ecclesiæ & tranquillitas perseueret, cui prodest Christianos & pios esse Imperatores. Certe vis probari Deo, omnis rei tempus, vt scriptum est, *Tempus*, inquit, *faciendi domine: Et tempus beneplaciti Deus.* Tunc offerres, cum sacrificandi acceperis facultatem, quando hostia tua accepta sit Deo. Nonne me delectaret habere gratiam Imperatoris, vt secundum voluntatem tuam agerem, si causa pateretur? Et simplex oratio sacrificium est. Hæc veniam refert, illa offensionem: quia hæc humilitatem, illa contemptum. Dei enim vox est quod malit vt fiat mandatum eius, quàm deferatur sacrificium. Clamat istud Deus, ad populum Moyses annunciat, ad populos Paulus prædicat. Id facito quod intelligis in tempore plus placere. *Misericordiam*, inquit, *malo quàm sacrificium.* Quare non illi magis sint Christiani qui peccatum condemnant suum, quàm qui defendere putant? *Iustus enim in exordio sermonis accusator est sui.* Qui se accusat cum peccauerit, justus est, non ille qui laudauerit. Vtinam Imperator etiam ante mihi potius credidissem, quam consuetudini tuæ. Dum puto quod cito ignoscis, cito reuocas, ut sæpè fecisti: & tu præuentus es, & ego non declinaui quod cauere non debueram. Sed gratias Domino, qui vult seruulos suos castigare, ne perdat. Istud mihi commune est cum Prophetis, & tibi erit commune cum sanctis. An ego Gratiani patrem non oculis meis præferam? Debent veniam sancta alia pignora tua. Dulce mihi nomen antetali; quibus amorem communiter detuli. Amo, diligo, orationibus prosequor. Si credis sequere. Si inquam, credis, agnosce quod dico. Si non credis, ignosce quod facio, in quo Deum præfero. Beatissimus & florentissimus cum sanctis pignoribus fruaris tranquillitate perpetua Imperator Auguste.

EPISTOLA XXIX.

Diui Ambrosii ad Theodosium Imperatorem vindicari iubentem in Episcopum & Christianos qui Synagogam incenderunt, vehementer eum ob hoc argumentis, atque vt aliam Epistolam dictari iubeat, & quod prius iussum fuerat, emendet, exhortantis.

CLementissimo Principi ac beatissimo Imperatori Theodosio Augusto Ambrosius Episcopus. Exercitus iugibus fere curis sum Imperator beatissime, sed nunquam tanto in æstu fui, quanto nunc, cum video cauendum ne quid sit quod adscribatur mihi etiam de sacrilegii periculo. Itaque peto vt patienter sermonem meum audias. Nam si indignus sum, qui à te audiar, indignus sum qui pro te offeram, cui tua vota, cui tuas committas preces. Ipse ergo non audias eum quem pro te audiri velis? Non audies pro se agentem, quem pro aliis audisti? Nec vereris judicium tuum, ne cum indignum putaris quem audias, indignum feceris qui pro te audiatur? Sed neq; imperiale est libertatem dicendi denegare, sacerdotale quod sentiat, non dicere. Nihil enim in vobis Imperatoribus tam populare & tam amabile est, quam libertatem etiam in iis diligere qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Siquidem hoc interest inter bonos & malos principes, quod boni libertatem amant, seruitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homi-

nes, quam quod sentiat non libere pronunciare. Siquidem scriptum est: *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Et alibi: *Fili hominis, speculatorem te posui domui Israel, in eo, inquit, vt si auertatur iustus à iustitiis suis, & fecerit delictum, quia non destinxisti ei*, hoc est, non dixisti quid sit cauendum, *non retinebitur memoria iustitiæ eius, & sanguinem eius de manu tua exquiram. Tu autem si distinxeris iusto vt non peccet, & ipse non peccauerit, vita viuet, quia dixisti ei: & tu animam tuam liberabis.* Male igitur Imperator bonorum mihi esse tecum, quam malorum consortium, & ideo clementiæ tuæ displicere debet Sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentii mei periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris. Non ergo importunus indebitis me intersero, alienis ingero: Sed debitis obtempero mandatis Dei nostri obedio. Quod facio primum tui amore, tui gratia, tuæ studio conseruandæ salutis. Si id mihi vel non creditur, vel interdicitur, dico sane diuinæ offensæ metu. Nam si meum periculum te exueret, patienter me pro te offerrem, sed non libenter. Malo enim te sine meo acceptum Deo esse & gloriosum periculo. Sic autem silentii mei dissimulationisque culpa & me ingrauat, nec te liberat, malo importuniorem me, quam inutiliorem aut turpiorem iudices. Siquidem scriptum est, dicente sancto Apostolo Paulo, cuius non potes doctrinam refellere: *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Habemus ergo & nos cui displicere plus periculi sit, præsertim cum etiam Imperatoribus non displiceat, suo quemque fungi munere, & patienter audiatis vnumquemque pro suo suggerentem officio, imo corripiatis si non vtatur militiæ suæ ordine. Quod ergo in iis libenter accipitis qui vobis militant, num hoc in sacerdotibus potest molestum videri, cum id loquamur non quod volumus, sed quod iubemur? Scis enim lectum: *Cum stabitis ante reges & præsides, nolite cogitare quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Et tamen etsi in causis reipublicæ loquar, quamuis etiam illic iustitia seruanda sit, non tanto adstringar metu si non audiar. In causa vero Dei quem audies, si Sacerdotem non audias, cuius maiore peccatur periculo? Quis tibi verum audebit dicere si Sacerdos non audeat? Noui te pium, clementem, mitem atque tranquillum, fidem ac timorem Domini cordi habentem: sed plerunque aliqua nos fallunt. Habent aliqui *Zelum Dei, sed non secundum scientiam.* Ne igitur hoc etiam fidelibus animis obrepat, cauendum arbitror. Noui pietatem tuam erga Deum, lenitatem in homines, obligatus sum beneficiis tuarum indulgentiarum. Et ideo plus metuo, amplius sollicitor, ne etiam ipse tuo me postea iudicio condemnes, quod mea aut dissimulatione aut adulatione prolapsionem non euitaueris. Si in me peccari viderem, non deberem tacere: Scriptum est enim: *Si frater tuus in te peccauerit, corripe illum primo, deinde increpa duobus & tribus testibus. Si te non audierit, dic Ecclesiæ.* Causam ergo Dei tacebo? Quid igitur sit quod metuam, consideremus. Relatum est à Comite orientis militarium partium incensam esse Synagogam, idque authore factum episcopo. Iussisti vindicari in cæteros, Synagogam ab ipso exædificari Episcopo. Non adstruo expectandam fuisse assertionem Episcopi. Sacerdotes enim turbarum moderatores sunt, studiosi pacis, nisi cum & ipsi mouentur iniuria Dei, aut ecclesiæ contumelia. Sit aliquis iste episcopus feruentior in exustione Synagogæ, timidior in iudicio, non vereris Imperator ne acquiescat sententiæ tuæ, ne præuaricetur non times? Non etiam vereris quod futurum est, ne verbis resistat Comiti tuo? Necesse erit igitur vt aut præuaricatorem aut martyrem faciat. Vtrumque alienum temporibus tuis, vtrumque persecutionis instar: si aut præuaricari cogatur, aut subire martyrium. Vides quo inclinet causæ exitus, si fortem episcopum putas, caueto martyrium fortioris: si inconstantem, declina lapsum fragilioris. Plus enim adstringitur, qui labi infirmum coegerit. Hac proposita conditione puto dicturum episcopum quod ipse ignes sparserit, turbas compulerit, populos conduxerit, ne amittat occasionem martyrii, & pro inualidis subiiciat validiorem. O beatum mendacium, quo acquiritur sibi aliorum absolutio, sui gratia. Hoc est Imperator quod poposci & ego, vt in me magis vindicares: & hoc si crimen putares, mihi asscriberes. Quid mandas in absentes iudicium? Habes præsentem, habes confitentem reum. Proclamo quod ego Synagogam incenderim, quod ego illis mandauerim, ne esset locus in quo Christus negaretur. Si obiiciatur mihi, cur hic non incenderim? Diuino iam cremari cœpit iudicio: meum cessauit opus. Et si verum quæritur, ideo segnior fui, quia non putabam hoc vindicandum. Quid facerem, quod nullo vltore sine præmio foret? Tangunt hæc verecundiam, sed reuocant gratiam, ne fiat opus quo Dei summi contrahatur offensio. Esto tamen, nemo episcopum ad hoc munus conueniat. Rogaui enim clementiam tuam: & licet ipse hoc reuocatum adhuc non legerim, reuocatum tamen constituamus. Quid si alii timidiores dum mortem reformidant, offerant vt de suis facultatibus reparetur Synagoga, aut Comes vbi hoc compererit primo constitutum, ipse de Christianorum censu exædificari iubeat? Habebis Imperator Comitem præuaricatorem, & huic vexilla committes victricia, huic labarum, hoc est, Christi sacratum nomine signum qui Synagogam instauret, quæ Christum nesciat? Iube labarum Synagogæ inferri, videamus si non resistunt. Erit igitur locus Iudæorum perfidiæ factus de exuuiis ecclesiæ: & patrimonium quod fauore Christi acquisitum est Christianis, hoc transferetur ad donaria perfidorum? Legimus templa idolis antiquitus condita de manubiis Cimbrorum,

tum, de spoliis reliquorum hostium. Hunc tituli Iudæi in fronte synagogæ suæ scribent. Templum impietatis factum de manubiis Christianorum, sed disciplinæ te ratio Imperator moueat. Quid igitur est amplius, disciplinæ species, an causa religionis? cedat oportet censura deuotioni. Non audisti Imperator, quia cum iussisset Iulianus reparari templum Hierosolymis, quod diuino, qui faciebant repurgari, igne flagrarunt? Non caues ne etiam nunc fiat? Adeo à te non fuit iubendum, vt Iulianus hoc iusserit. Quid tamen mouet? Vtrum quia quodcunque ædificium publicum exustum est, an quia synagogæ locus? Si ædificio incenso moueris vilissimo (quid enim in tam ignobili castro esse potuit) non recordaris Imperator, quantorum Romæ domus præfectorum incensa fuit, & nemo vindicauit? Imo si quis Imperatorum voluit factum seuerius reprehendere, eius magis, qui tanto est percussus dispendio, causam grauauit. Quid igitur dignius vt Calinici castri in parte aliqua ædificiorum incendium, an vrbis Romæ vindicandum existimaretur, si oporteret tamen? Constantinopoli dudum domus episcopi incensa est, & filius clementiæ tuæ intercessit apud patrem, vt & suam, hoc est, & filii Imperatoris iniuriam, & domus sacerdotalis incendium non vindicares. Non consideras Imperator ne & hoc cum vindicari iusseris, ipse iterum interueniat ne vindicetur? Sed bene illud acquisitum est à patre filio. Dignum erat enim, vt suam iniuriam prius ipse donaret. Bene illud cum gratiæ distinctione diuisum est, vt & filius pro sua, & pater pro filii iniuria rogaretur. Hic nihil est quod filio reserues, & vide ne quid Deo deroges. Non est ergo causa tantæ commotioni idonea, vt propter ædificii exustionem in populum tam seuere vindicetur, multo autem minus, quia synagoga incensa est perfidiæ locus, impietatis domus, amentiæ receptaculum, quod Deus damnauit ipse. Sic enim legimus per os Hieremiæ dicente Domino Deo nostro: *Et faciam domui vbi inuocatum est nomen meum super ipsam, in qua confiditis vos, & loco quem dedi vobis & patribus vestris, sicut feci Sylo: & proiiciam vos à facie mea, sicut proieci fratres vestros omne semen Ephrem. Et tu noli orare pro populo isto, & noli postulare illis misericordiam, & neque accesseris ad me pro illis, quia non exaudiam te.* An non vides quid faciunt in ciuitatibus Iudæ? Deus se pro illis prohibet rogari, quos tu vindicandos putas. At certè si iure gentium agerem, dicerem quantas Ecclesiæ Basilicas Iudæi tempore Imperii Iuliani incenderint. Duas Damasci, quarum vna vix reparata est, sed Ecclesiæ, non Synagogæ impendiis, altera Basilica informibus horret ruinis. Incensæ sunt Basilicæ Gazis, Ascalonæ, Beryto, & illis fere locis omnibus, & vindictam nemo quæsiuit. Incensa est Basilica & Alexandriæ à Gentibus & Iudæis, quæ sola præstabat cæteris. Ecclesia non vindicata est, vindicabitur Synagoga? Vindicabitur etiam Valentinianorum phanum incensum? Quid est enim nisi phanum, in quo est conuentus Gentilium? Licet gentiles duodecim Deos appellent, isti triginta & duos æonas colant, quos appellant Deos. Nam & de ipsis comperi relatum & præceptum, vt in monachos vindicaretur, qui prohibentibus iter Valentinianis, quo Psalmos canentes ex consuetudine vsuque veteri pergebant ad celebritatem Machabæorum martyrum, moti insolentia incenderunt phanum eorum, in quodam rurali vico tumultuarie conditum. Quot se offerre habent tali opinioni, cum meminerint tempore Iuliani illum qui aram deiecit, & turbauit sacrificium, damnatum à iudice fecisse martyrium? Itaque nunquam alias ille iudex qui audiuit eum, nisi persecutor habitus est, nemo illum congressu, nemo illum vnquam osculo dignum putauit. Qui nisi iam esset defunctus, timerem Imperator ne in eum tu vindicares, quanquam vindictam cœlestem non euaserit suo superstes hæredi. Sed refertur, cognitionem mandatam iudici, scriptumque eo, quod non referre debuerit, sed vindicare. Requirenda quoque sublata donaria, vt omittam alia. Incensæ sunt à Iudæis Ecclesiarum Basilicæ, & nihil redditum est, nihil repetitum, nihil quæsitum. Quid autem habere potuit Synagoga in castro vltimo, cum totum quicquid illic est, non multum sit, nihil copiosum? Quid deinde de incendio potuit rapi Iudæis insidiantibus? Artes istæ sunt Iudæorum volentium calumniari, vt dum ista queruntur, mandetur extra ordinem militaris censura iudicii, mittatur miles fortasse dicturus, quod hic aliquando ante tuum Imperator dixit aduentum. Quomodo poterit nos Christus iuuare, qui pro Iudæis aduersus Christum militamus? Qui mittuntur ad vindictam Iudæorum, suos perdiderunt exercitus, nostros volunt perdere. In quas præterea non prosiliant calumnias, qui etiam Christo falsis testimoniis calumniati sunt? In quas non prosiliant calumnias homines & circa diuina mendaces? Quos non authores seditionis fuisse dicant? Quos non appetant, etiam quos non recognoscant, vt catenatorum ordines, innumeros spectent de Christiano populo, vt captiua videant colla plebis fidelis, vt condantur in tenebras Dei seruuli, vt feriantur securibus, dentur ignibus, mandantur metallis, ne pœna cito transeat? Hunc dabis triumphum Iudæis de Ecclesia Dei? Hoc trophæum de Christi populo? Hæc gaudia Imperator perfidis? Hanc celebritatem Synagogæ? Hos luctus Ecclesiæ? Referet Iudæorum populus hanc solennitatem in dies festos suos, & inter illos profecto numerabit, quibus aut de Amorrhæis, aut de Chananæis triumphauit, aut de Pharaone rege Aegypti, aut de Nabuchodonosor regis Babyloniæ manu liberari potuit. Addet hanc celebritatem significans se de Christi populo triumphum egisse. Et cum ipsi Romanis legibus teneri se negent, ita vt crimina leges putent, nunc velut Romanis legibus se vindicandos putent? Vbi erant istæ leges cum incenderent ipsi sacratarum Basilicarum culmina? Si Iulianus non est vltus Ecclesiam, quia præuaricator erat, tu Imperator vlcisceris Synago-

ga iniuriam quia Christianus es? Et quid tecum posthac Christus loquetur? Non recordaris quid Dauidi sancto per Nathan prophetam mandauerit? *Ego te de fratribus tuis minorem elegi, & de priuato Imperatorem feci.* Ego de fructu seminis tui in sede imperiali locaui. Ego tibi subieci nationes barbaras, ego tibi pacem dedi, ego tibi inimicum tuum in potestatem tuam captiuum deduxi. Frumentum non habebas ad exercitus alimoniam, ipsorum hostium manu patefeci tibi portas, aperui horrea, dederunt tibi hostes tui commeatus suos quos sibi parauerant. Ego perturbaui hostis tui consilia, vt se ipse nudaret. Ego ipsum vsurpatorem imperii ita vinxi, ac mentem eius ligaui, vt cum haberet adhuc fugiendi copiam, tamen cum omnibus suis tanquam metuens ne quis tibi periret, ipse se clauderet. Ego comitem eius atque exercitum ex altera parte naturæ, quos ante disperseram, ne ad belli societatem coirent, ad supplementum tibi victoriæ congregaui. Et exercitum tuum ex multis indomitis conuenam nationibus, quasi vnius gentis fidem & tranquillitatem & concordiam seruare præcepi. Ego cum periculum summum esset ne Alpes infida Barbarorum penetrarent consilia, intra ipsum Alpium vallum victoriam tibi contuli, vt sine damno vinceres. Ego te triumphare feci de inimico tuo, & tu de plebe meo das meis inimicis triumphum. Nonne propterea Maximus destitutus est, quia ante ipsos expeditionis dies cum audisset Romæ Synagogam incensam, edictum Romam miserat quasi vindex disciplinæ publicæ? Vnde populus Christianus ait: *Nihil boni huic imminet.* Rex iste Iudæus factus est: defensorem istum disciplinæ audiuimus, quem mox Christus probauit, qui pro peccatoribus mortuus est. Si de sermone hoc dictum est, quid de vltione dicetur? Ille igitur statim à Francis, à Saxonum gente, in Sicilia, Siciæ, Batauione, vbique denique terrarum victus est. Quid pio commune cum perfido? Abolenda cum impio sunt etiam impietatis exempla. Quod ille nocuit, & quo victus offendit, hoc non sequi debet, sed damnare qui vicit. Itaque illa tibi non quasi ingrato recensui, sed quasi iure collata enumeraui, vt his admonitus cui plus collatum est, plus diligas. Denique hoc respondenti Simoni dixit Dominus Iesus: *Recte iudicasti.* Statimque conuersus ad mulierem quæ pedes eius vnguento vnxit, typum Ecclesiæ gerens, ait Simoni: *Propter quod dico tibi: Remissa sunt peccata eius multa, Quoniam dilexit multum.* Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Hæc est mulier quæ domum Pharisæi intrauit, & eiecit Iudæum, Christum acquisiuit. Ecclesia enim Synagogam exclusit. Cur iterum tentatur vt apud Christi famulum, hoc est de pectore fidei, de domo Christi Synagoga excludat Ecclesiam? Hæc ego Imperator amore & studio tui in hunc sermonem contuli. Debeo enim beneficiis tuis, quibus me petente liberasti plurimos de exiliis, de carceribus, de vltimæ necis pœnis, vt malle debeam pro salute tua etiam offensionem tui animi non timere, (nemo maiore fiducia vtitur, quam qui ex affectu diligit: Nemo certe debet lædere qui sibi consulit.) tot annorum conceptam cuiuscunque sacerdotii gratiam vno momento amittam. Et tamen non damnum gratiæ deprecor, sed salutis periculum. Quanquam quantum est Imperator, vt quærendum aut vindicandum non putes, quod in hunc diem nemo vnquam vindicauit? Graue est fidem tuam pro Iudæis periclitari. Gedeon cum occidisset sacratum vitulum, dixerunt Gentiles: *Dii ipsi iniuriam suam vindicent.* Quis habet Synagogam vindicare? Christus quem occiderunt, quem negauerunt? An Deus pater vindicabit eos qui nec patrem recipiunt, qui filium non receperunt? Quis habet Valentinianorum hæresim vindicare? quam pietas tua quomodo vindicat, cum eos excludi iusserit, nec conueniendi vsurpare copiam? Si Iosiam tibi obiiciam regem Deo probatum, hoc in istis damnabis quod in illo probatum est. Certe si mihi parum fidei defertur, iube adesse quos putaueris episcopos, tractetur Imperator quid salua fide agi debeat. Si de causis pecuniariis comites tuos consulis, quanto magis in causa religionis Sacerdotes Domini æquum est cōsulas? Consideret clementia tua quantos insidiatores habeat Ecclesia, quantos exploratores. Leuem rimam si offenderint, figent aculeum. Secundum homines loquor. Cæterum plus hominibus Deus timetur, qui etiam Imperatoribus iure præfertur. Si amico suo aliquis, si parenti aut propinquo deferendum existimat, recte ego & deferendum Deo, & eum præferendum omnibus iudicaui. Consule tibi Imperator, aut patere me consulere mihi. Quid respondebo postea si compertum fuerit datahinc authoritate aliquos Christianorum aut gladio, aut fustibus, aut plumbis necatos? Quomodo hoc purgabo factum? Quomodo excusabo apud episcopos? qui nunc quia per triginta & innumeros annos presbyterii quidam gradu functi, vel ministri Ecclesiæ retrahuntur à munere sacro, & curiæ deputantur, grauiter gemunt. Nam cum ii qui vobis militant, certo militiæ tempore seruentur, quanto magis etiam nos considerare debetis, qui Deo militant? Quomodo, inquam, hoc excusabo apud episcopos, qui queruntur de clericis, & impressione graui vastari scribunt ecclesias? Hoc tamen in notitiam clementiæ tuæ peruenire volui, de hoc vt placet arbitrio tuo consulere, & temperare dignaberis. Illud autem quod me angit, & iure angit, exclude atque eiice: Ipse facis quicquid fieri iussisti. Aut si ille facturus non est, malo te magis esse clementem, quam illum non fecisse quod iussus est. Habes in quibus Domini adhuc debes circa imperium Romanum inuitare clementiam, habes quibus amplius quam tibi speres. Illorum gratia, illorum salus te in hoc sermone conueniat meo: ne causam tuam alieno committas iudicio. Integra adhuc tibi sunt omnia. In hoc me ego Deo nostro pro te obligo, nec verearis sacramentum. Nunquid Deo displicere poterit, quod pro eius emendatur honorificentia? Nihil mutaueris certe in illa epistola, siue missa, siue nondum missa est: dictari iube aliam, quæ plena fidei, plena pietatis sit. Tibi integrum sit emendare, mihi non est integrum dissimulare. Antiochenis tuam donasti iniuriam, inimici tui filias reuocasti, nutriendas apud affinē dedisti matri hostis tui, misisti de ærario tuo sumptus. Hæc tanta pietas, tanta erga Deum

fides

fides hoc facto obfuscabitur? Tu igitur qui armatis pepercisti hostibus, & seruasti inimicos tuos, ne quæso tanto studio putes vindicandum in Christianos. Nunc Imperator rogo vt non aspernanter acceperis me, & pro te & pro me timentem. Sancti enim vox est: Vt quid factus sum videre contritionem populi mei, vt offensam incurram Dei? Ego certe quod honorificentius fieri potuit, feci: vt me magis audires in regia, ne si necesse esset, audires in Ecclesia.

EPISTOLA XXX.

Diui Ambrosii ad Valentinianum, eundem rogantis atque conuenientis, ne ad petitionem Gentilium aras eorum Imperatoris decreto instaurari iubeat, ostendentisque ex tali decreto, primum Deo, deinde patri & fratri iniurias irrogari.

BEatissimo principi & Christianissimo Imperatori Valentiniano. Cum omnes homines qui sub ditione Romana sunt, vobis militent Imperatoribus terrarum atque principibus, tum ipsi vos omnipotenti Deo & sacræ fidei militatis. Aliter enim salus tuta esse non poterit, nisi vnusquisque Deum verum, hoc est Deum Christianorum, à quo cuncta reguntur (ipse enim solus verus est Deus) intima mente veneretur. *Dii enim gentium dæmonia*, sicut Scriptura dicit. Huic igitur Deo vero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non conuenientiam, sed fidei studium & deuotionis impendit. Postremo si non ista, consensum saltem aliquem non debet colendis idolis & prophanis cæremoniarum cultibus exhibere. Nemo enim Deum fallit, cui omnia etiam cordis occulta manifesta sunt. Ergo cum à te Imperator Christianissime fides Deo vero sit exhibenda, cum ipsius fidei studium, cautio atque deuotio, miror quomodo aliquibus in spem venerit, quod debeas aras Diis gentium tuo instaurare præcepto, ad vsus quoque sacrificiorum prophanorum præbere sumptum. Quod enim iam dudum vel fisco vel arcæ est vindicatum, de tuo magis conferre videbere, quam de suo reddere. Et de dispendiis queruntur, qui nunquam nostro sanguini pepercerunt, qui ipsa Ecclesiarum ædificia subruerunt. Petunt etiam vt illis priuilegia deferas, qui loquendi & docendi nostris communem vsum Iuliani lege proxima denegarunt: & priuilegia illa quibus sæpe decepti sunt etiam Christiani. Nonnullos enim illis priuilegiis partim per imprudentiam, partim propter publicarum necessitatum molestias declinandas irretire voluerunt, & quia non omnes fortes inueniuntur, etiam sub principibus Christianis plerique sunt lapsi. Sed hæc si iam sublata non essent, auferenda tuo imperio comprobarem. At cum per totum fere orbem à pluribus retro principibus inhibita interdictaque sint, Romæ autem à fratre clementiæ tuæ augustæ memoriæ Gratiano fidei veræ ratione sublata sint, & datis antiquata rescriptis: ne quæso vel fideliter statuta conuellas, vel fraterna præcepta rescindas. De negociis ciuilibus si quid statuitur, nemo putat esse temerandum, & præceptum de religione calcatur? Nullus obrepat iuniori ætati tuæ, siue ille Gentilis est qui ista deposcit, non debet mentem tuam vinculis suæ superstitionis innectere, sed proprio studio docere & admonere te debet, quemadmodum veræ fidei studere debeas, quando ille tanto motu veri fana defendit. Deferendum meritis clarorum virorum & ego suadeo, sed Deum certum est omnibus præferendum. Si de re militari est consulendum, debet exercitati in prœliis viri expectari sententia, consilium comprobari: quando de religione tractatus est, Deum cogita: Nullius iniuria est, cui Deus omnipotens antefertur. Habet ille sententiam suam. Inuitum non cogitis colere quod nolit, hoc idem vobis liceat Imperator, & vnusquisque patienter ferat si non extorqueatur Imperatori, quod moleste ferret, si ei extorquere cuperet Imperator. Ipsis gentilibus displicere consueuit præuaricantis affectus. Libere enim debet defendere vnusquisque fidelem mentis suæ & seruare propositum. Quod si aliqui nomine Christiani tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina cassa non fallant. Quisquis hoc suadet, sacrificat, & quisquis hoc statuit. Tolerabilius tamen est vnius sacrificium, quam lapsus omnium. Totus hic Christianorum periclitatur senatus. Si hodie gentilis aliquis Imperator, quod absit, aram statueret simulacris, & eo conuenire cogeret Christianos, vt sacrificantibus interessent, vt oppleret anhelitus & ora fidelium cinis ex ara, fauilla de sacrilegio, fumus ex busto, & in ea curia sententiam diceret, vbi iurati ad aram simulacri in sententiam cogerentur: (propterea enim interpretantur aram locatam, vt eius sacramento, vt ipsi putant, vnusquisque conuentus consuleret in medium, cum curia maiore iam Christianorum numero sit referta) persecutionem esse crederet Christianus, qui cogeretur tali optione ad senatum venire: quod fit plerumque nam etiam iniuriis conuenire coguntur. Te ergo Imperatore Christiani in aram iurare cogentur? Quid est iurare, nisi eius, quem testaris fidei tuæ præsulem, diuinam potentiam confiteri? Te Imperatore hoc petitur & postulatur, vt aram iubeas eleuari, sumptum sacrificiis prophanis dari? Sed hoc non potest sine sacrilegio decerni. Vnde rogo te ne id decernas, statuas, vel in eiusmodi decreta subscribas. Conuenio fidem tuam Christi sacerdos. Omnes conueniremus episcopi, nisi incredibile hoc & repentinum ad aures peruenisset hominum, quod tale aliquid esset vel in consistorio suggestum tuo, vel à senatu petitum: sed absit vt hoc senatus petisse dicatur. Pauci Gentiles communi vtuntur nomine. Nam & ante biennium ferme cum hoc petere

tere tentarent, misit ad me sanctus Damasus Romanæ Ecclesiæ Sacerdos, iudicio Dei electum libellum, quem Christiani senatores dederunt, & quidem innumeri, postulantes nihil se tale mandasse, non congruere Gentilium istiusmodi petitionibus, non præbere consensum, questi etiam publice priuatimque se non conuenturos ad curiam, si tale aliquid decerneretur. Dignum est temporibus vestris, hoc est Christianis temporibus, vt dignitas Christianis senatoribus abrogetur, quo Gentilibus senatoribus prophanæ deferatur voluntatis effectus? Hunc libellum ego fratri clementiæ vestræ direxi. Vnde constitit non senatum aliquid de superstitionis impensis mandasse legatis. Sed fortasse dicatur: Cur dudum non interfuerint senatui, cum ista peterentur? Satis loquuntur quid velint, qui non interfuerunt: satis locuti sunt, qui apud Imperatorem locuti sunt. Et miramur tamen, si priuatis resistendi Romæ eripiunt libertatem, qui nolunt esse liberum tibi non iubere quod non probas, non seruare quod non sentis. Et ideo memor legationis proxime mandatæ mihi, conuenio iterum fidem tuam, conuenio mentem tuam, ne vel respondendum secundum huiusmodi petitionem Gentilium censeas, vel in eiusmodi responsa sacrilegium subscriptionis adiungas. Certe refer ad parentem pietatis tuæ principem Theodosium, quem super omnibus fere maioribus causis consulere consuesti. Nihil maius est religione, nihil sublimius fide. Si ciuilis causa esset, diuersæ parti responsio seruaretur. Causa religionis est, Episcopus conuenio. Detur mihi exemplum missæ relationis, vt & ego plenius respondeam, & sic de omnibus consultus clementiæ tuæ parens respondere dignetur. Certe si aliud statuitur, episcopi hoc æquo animo pati & dissimulare non possumus. Licebit tibi ad Ecclesiam conuenire, sed illic non inuenies sacerdotem, aut inuenies resistentem. Quid respondebis sacerdoti dicenti tibi: Munera tua non quærit Ecclesia, quia templa Gentilium muneribus adornasti? Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti. Vox enim tua, manus tua, & subscriptio tua, opus est tuum. Obsequium tuum Dominus Iesus recusat & respuit, quoniam idolis obsecutus es. Dixit enim tibi: *Non potestis duobus Dominis seruire.* Priuilegia tua sacratæ Deo Virginis non habent, & vindicant virgines Vestæ? Cur sacerdotes Dei requiris, quibus petitiones prophanas Gentilium prætulisti? Alieni erroris societatem suscipere non possumus. Quid respondebis his verbis? Puerum esse te lapsum? Omnis ætas perfecta Christo est. Omnis Deo plena pueritia fidei comprobatur. Paruuli etiam Christum intrepido aduersus persecutores ore confessi sunt. Quid respondebis germano tuo? Nonne tibi dicit: Victum me esse non credidi, quia te Imperatorem reliqui: mori non dolui, quia te hæredem habebam: imperio me decedere non ingemui, quia imperia mea, præsertim de religione diuina, omnibus seculis mansura credebam. Hos ego titulos piæ virtutis erexeram, has de seculo manubias, hæc spolia de diabolo, has ego de aduersario omnium exuuias offerebam, in quibus æterna victoria est. Quid mihi plus potuit manus hostis auferre? Abrogasti decreta mea: quod adhuc ille, qui contra me leuauit arma, non fecit. Nunc grauius telum corpore recipio, quod à fratre mea statuta damnantur. Meliore parte mei apud te periclitor. Illa enim mors corporis, ista virtutis est. Nunc mihi abrogatur imperium, & quod est grauius, abrogatur à tuis, abrogatur à meis, & id abrogatur, quod in me etiam mei aduersarii prædicarunt. Si volens acquieuisti, damnasti fidem meam. Si inuitus cessisti, prodidisti tuam. Ergo, quod grauius est, & in te periclitor. Quid respondebis etiam patri? qui te maiore dolore conueniet, dicens: De me fili pessime iudicasti, qui putasti quod ego Gentilibus conuenientiam præstitissem. Nemo ad me detulit aram esse in illa Romana curia, nunquam tantum nefas credidi, quod in communi illo Christianorum Gentiliumque concilio sacrificarent Gentiles, hoc est, insultarent Gentiles præsentibus Christianis, & inuiti Christiani interesse sacrificiis cogerentur. Multa & diuersa crimina me imperante commissa sunt, vltus sum quæcunque sunt deprehensa: si quis tunc latuit, debet ergo dicere me probasse, quod ad me nemo detulerat? De me pessime iudicasti, si mihi superstitio aliena, non fides mea seruauit imperium. Vnde cum aduertas Imperator, Deo primum, deinde Patri & fratri iniurias irrogari, si quid tale decernas, peto vt id facias, quod saluti tuæ apud Deum intelligis profuturum.

EPISTOLA XXXII.

Diui Ambrosii ad Valentinianum Imperatorem, recusantis certare cum Auxentio Arriano in consistorio Imperatore iudicaturo, ex eo quod in causa fidei Episcopi de laicis in Ecclesia, & non laici de Episcopis in consistorio debeant iudicare.

CLementissimo Imperatori & beatissimo Augusto Valentiniano Ambrosius Episcopus. Dalmatius me tribunus & notarius mandato, vt allegauit, clementiæ conuenit tuæ, postulans vt & ipse iudices legerem, sicut elegisset Auxentius. Nec tamen expressit eorum nomina, qui fuerunt postulati; sed id addidit, quod in consistorio esset futura certatio, arbitrio pietatis iudicio

dicio tuæ. Cui rei respondeo, vt arbitror, conpetenter. Nec quisquam contumacem iudicare me debet, hoc cum asseram, quod augustæ memoriæ Pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, *in causa fidei vel Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis*: Hæc enim verba rescripti sunt: hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare.

Quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad episcopale iudicium pertinere. Quis igitur contumaciter respondit clementiæ tuæ? Ille qui te patri similem esse desiderat, an qui vult esse dissimilem? Nisi forte vilis quibusdam tanti Imperatoris existimatur sententia, cuius & fides confessionis constantia comprobata est, & sapientia melioratæ reipublicæ profectibus prædicatur. Quando audisti, clementissime Imperator, in causa fidei laicos de Episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse aliis putem esse credendum? Si docendus est Episcopus à laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à laico. At certe si vel Scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? Eris Deo fauente etiam senectutis maturitate prouectior, & tunc de hoc censebis, qualis ille Episcopus sit, qui laicis ius sacerdotale substernit. Pater tuus Deo fauente vir maturioris æui dicebat: *Non est meum iudicare inter Episcopos*, tua nunc dicit clementia, *Ego debeo iudicare*? Et ille baptizatus in Christo inhabilem se ponderi tanti putabat esse iudicii: Clementia tua, cui adhuc emerenda Baptismatis sacramenta seruantur, arrogat de fide iudicium, cum fidei ipsius sacramenta non nouerit? Quales autem elegerit iudices, possumus existimationi relinquere, quando eorum nomina timet prodere. Veniant plane, si qui sunt ad Ecclesiam, audiant cum populo: non vt quisquam iudex resideat, sed vnusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Agitur de istius Ecclesiæ sacerdote: Si audierit illum populus, & putauerit melius disputare, sequatur fidem eius: non inuidebo. Omitto, quia iam ipse populus vindicauit: taceo, quia eum quem habet, de patre tuæ clementiæ postulauit: taceo, quia pater pietatis tuæ quietem futuram spospondit, si electus susciperet sacerdotium. Hanc fidem secutus sum promissorum.

Quod si de aliquorum peregrinorum assentatione se iactat, ibi sit Episcopus, vnde sunt ii, qui episcopatus putant nomine esse donandum. Nam ego nec Episcopum noui, nec vnde sit scio. Vbi illud constituimus, Imperator, quod iam ipse tuum iudicium declarasti, imo etiam dedisti leges, ne cui esset liberum aliud iudicare? Quod cum præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi. Leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat. Visne igitur experiar, vt incipiant ii, qui iudices eliguntur, aut aduersus tuam venire sententiam, aut certe excusare, quod Imperatoris tam seuero, & tam districto imperio non potuerint obuiare? Sed hoc contumacis, non modesti est sacerdotis. Ecce Imperator legem tuam iam ex parte rescindis, sed vtinam non ex parte, sed in vniuersum. Legem enim tuam nollem esse supra Dei legem. Dei lex nos docuit quid sequamur, humanæ leges hoc docere non possunt.

Extorquere solent timidis commutationem, fidem inspirare non possunt. Quis erit igitur ille, qui cum legat per tot prouincias vno momento esse mandatum, vt *quicunque obuiauerit Imperatori, feriatur gladio: Quicunque Dei templum non tradiderit, protinus occidatur*? Quis, inquam, est qui possit vel vnus, vel inter paucos dicere Imperatori, lex tua mihi non probatur. Non permittitur hoc dicere sacerdotibus, permittitur laicis? Et iudicabit de fide, qui aut gratiam sperat, aut metuit offensam? Deinde ipse committam vt eligam iudices laicos, qui cum tenuerint fidei veritatem, aut proscribantur, aut necentur, quod lex de fide lata decernit? Ego igitur aut præuaricationi offeram homines, aut pœnæ? Non tanti est Ambrosius, vt propter se deiiciat Sacerdotium. Non tanti est vnius vita, quanti est dignitas omnium sacerdotum, quorum de consilio ista dictaui, intimantibus ne forte etiam Gentilis esset aliquis aut Iudæus, qui ab Auxentio esset electus, quibus traderemus de Christo triumphum, si de Christo iudicium committeremus. Quid illos aliud, nisi Christi iniuriam audire delectat? Quid illis aliud potest placere nisi (quod absit) vt Christi diuinitas denegetur? Cum iis plane bene conuenit Arriano, qui creaturam Christum dicit, quod etiam Gentiles ac Iudæi promptissime confitentur. Hoc scriptum est in Ariminensi Synodo: meritoque concilium illud exhorreo, sequens tractatum concilii Niceni, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare. Quam fidem etiam parens clementiæ tuæ Theodosius beatissimus Imperator & sequitur, & probauit. Hanc fidem Galliæ tenent, hanc Hispaniæ, & cum ipsa diuini Spiritus confessione custodiunt. Si tractandum est, tractare in Ecclesia didici: quod

maio-

maiores fecerunt mei. Si conferendum de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio, sicut factum est sub Constantino Augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit iudicium sacerdotibus. Factum est etiam sub Constantino Augustæ memoriæ Imperatore paternæ dignitatis hærede. Sed quod bene cœpit, aliter consummatum. Nam episcopi sinceram primo scripserant fidem: sed dum volunt quidam de fide intra palatium iudicare, id egerunt, vt circumscriptionibus illa episcoporum iudicia mutarentur. Qui tamen inflexam statim reuocauere sententiam. Et certe maior numerus Arimini, Niceni concilii fidem probauit, Arriana decreta damnauit. Si ad Synodum prouocat Auxentius, vt de fide disputet: licet non sit necesse propter vnum tot episcopos fatigari, qui etiam si Angelus de cœlo esset, paci ecclesiarum non deberet præferri: cum audiero synodum congregari, & ipse non deero. Tolle igitur legem; si vis esse certamen. Venissem Imperator ad consistorium clementiæ tuæ, vt hæc coram suggererem, si me vel episcopi vel populus permisissent, dicentes de fide in ecclesia coram populo debere tractari. Atque vtinam Imperator non denunciasset, vt quo vellem pergerem. Quotidie prodibam, nemo me asseruabat. Debuisti me quo volueras destinare, quem ipse omnibus offerebam. Nunc mihi à sacerdotibus dicitur: *Non multum interest, vtrum volens relinquas, an tradas altare Christi. Cum enim reliqueris, trades.* Atque vtinam liquido mihi pateret, quod Arrianis ecclesia minima traderetur: Sponte me offerrem tuæ pietatis arbitrio. Sed si ego solus interstrepo, cur etiam de aliis omnibus inuadendis ecclesiis est præceptum? Vtinam confirmetur, vt ecclesiis nullus molestus sit: opto vt de me, qualis videtur, sententia proferatur. Dignanter igitur Imperator accipe, quod ad consistorium venire non potui. Ego in consistorio nisi pro te stare non didici: & intra palatium certare non possum, qui palatii secreta nec quæro, nec noui. Ego Ambrosius Episcopus hunc libellum obtuli clementissimo Imperatori, & beatissimo Augusto Valentiniano.

ORATIO

Diui Ambrosii in Auxentium de Basilicis tradendis inuehentis, suosque ad constantiam atque tolerantiam exhortantis.

VIdeo vos præter solitum subito esse turbatos, atque asseruantes me. Miror quid hoc sit, nisi forte, quia tribunos me vidistis aut audiuistis Imperiali mandato esse conuentum, vt quo vellem abirem hinc, & si qui vellent, sequendi potestatem haberent. Metuistis ergo ne ecclesiam desererem, & dum saluti meæ timeo, vos relinquerem? Sed quid & ipse mandauerim, potuistis aduertere: deserendæ ecclesiæ mihi voluntatem subesse non posse, quia plus Dominum mundi, quam seculi huius Imperatorem timerem. Sane si me vis aliqua abduceret ab ecclesia, carnem meam exturbari posse non mentem. Paratum me esse vt si ille faceret, quod solet esse regiæ potestatis, ego subirem quod sacerdotis esse consueuit. Quid ergo turbamini? Volens nunquam vos deseram, coactus repugnare non noui. Dolere potero, potero flere, potero gemere: aduersus arma, milites, Gothos quoque lachrymæ meæ arma sunt. Talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere. Fugere autem & relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis grauioris pœnæ metu factum interpretetur. Scitis & vos ipsi quod Imperatoribus soleam deferre, non credere, suppliciis me libenter offerre, nec metuere quæ parantur. Vtinam essem securus, quod Ecclesia hæreticis minime traderetur: ad palatium Imperatoris irem libenter, si hoc congrueret sacerdotis officio, vt in palatio magis certarem, quam in Ecclesia. Sed in consistorio non reus solet Christus esse, sed iudex. Causam fidei in Ecclesia agendam quis abnuat? Si quis confidit, huc veniat. Inclinatum iam vel Imperatoris iudicium, quod lata lege patefecit, quo impugnat fidem, vel sperata ambientium quorundam studia non requirat. Non committo vt quisquam vendat iniuriam Christi. Circumfusi milites, armorum strepitus, quibus vallata est Ecclesia, fidem non terrent meam, sed mentem exagitant: ne dum me tenetis, perniciosum aliquid vestræ oboriatur saluti. Ego enim iam didici non timere, sed vobis timere plus cœpi. Sinite quæso vestrum sacerdotem congredi, habemus aduersarium qui lacessit. *Aduersarius* enim *noster diabolus, sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret*, vt Apostolus dixit. Accepit sine dubio, accepit (non fallimur, sed admonemur) tentandi huiusmodi potestatem, ne forte corporis mei vulneribus possim à fidei intentione reuocari. Legitis & vos, quia multis aliis tentauit sanctum Iob diabolus: ad postremum potestatem huiusmodi petiit & accepit, vt tentaret corpus eius: quod perfudit vlceribus. Cum esset propositum vt ecclesiæ vasa iam traderemus, hoc responsi reddidi: Me si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerre: templo Dei nihil posse decerpere: nec tradere illud, quod custodiendum non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi sacerdotis, si vult sibi esse consultum, recedat à Christi iniuria. Hæc plena humilitatis sunt, & (vt arbitror) plena affectus eius, quem Imperatori debet sacerdos. Sed quia *lucta nobis est non solum aduersus carnem & sanguinem, sed etiam* (quod grauius est) *aduersus spiritualia nequitia*, quæ sunt in cœlestibus, tentator ille diabolus per ministros suos certamen auget, vulneribus corporis mei experiendum arbitratur. Scio fratres vulnera hæc, quæ pro Christo excipimus, non esse vulnera quibus vita amittitur, sed propagatur. Sinite quæso esse certamen, spectatores vos esse decet. Considerate quia si quem habet ciui-

tas

tas vel athletam, vel alterius nobilis artis peritum, optat offerre certamini. Cur in maioribus rebus repudiatis, quod vel in minoribus velle consuestis? Non metuit arma, non Barbaros, qui mortem non timet, qui nulla carnis voluptate retinetur. Certe si Dominus huic vos certamini deputauit, frustra peruigiles tot noctibus & diebus custodias exhibetis. Implebitur Christi voluntas. Omnipotens enim noster est Dominus Iesus. hæc est fides nostra. Et ideo quod fieri mandat, implebitur: nec conuenit nos diuinæ obuiare sententiæ. Audistis quod hodie lectum sit: Pullum sibi asinæ Saluator per Apostolos iussit adduci, mandauitque vt si quis resisteret, diceretur: *Dominus operam eius desiderat.*. Quid si & nunc pullum istum asinæ, hoc est, eius animalis quod grauem sarcinam portare consueuit, sicut est humana conditio, cui dicitur: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. tollite iugum meum, quia leue est*; quid si, inquam, pullum istum ad se modo iussit adduci, missis Apostolis, illis qui iam exuti corpore incomprehensibilem oculis nostris Angelorum speciem gerunt? Nonne si ab aliquo resistatur, dicent: Dominus operam eius desiderat? Si resistat vel vitæ huius cupiditas, si resistat cor & sanguis, si resistat conuersatio corporalis, quia aliquibus forsitan grati videmur: sed qui vos hic diligit, multo amplius diliget si sinat fieri hostiam Christi: quia *dissolui, & cum Christo esse*, multo melius, etsi manere in carne, magis necessarium propter vos. Nihil est ergo quod vereamini fratrés dilectissimi. Scio enim, quia quicquid passus fuero, pro Christo patiar. Et legi quod eos timere non debeam, qui possunt carnem occidere. Et audiui dicentem: *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Ergo si vult Dominus, certum est quod nullus obsistat. Quod si adhuc nostra differt certamina, quid veremini? Seruum Christi non custodia corporalis, sed Domini prouidentia sepire consueuit. Turbati estis, quia apertas reperistis geminas fores, quas captus oculis quidam dum hospitium proprium repetit, patefecisse memoratur. In quo cognoscite, quod nihil suffragetur humana custodia. Ecce vnus, qui videndi munus amisit, soluit vestra vniuersa munimina, & custodias lusit. Dominus autem misericordiæ suæ custodiam non amisit. Nonne ante biduum, vt meministis, etiam illud repertum est, quod à parte læua Basilicæ ingressus quidam peruius fuit, quem putabitis clausum esse atque munitum? Sepserunt nempe armati Basilicam, explorabant hos atque illos aditus. Cæcitate perfusi sunt, vt quod apertum erat, videre non possent. Itaque per plurimas noctes quod apertum fuerit, non ignoratis. Desinite ergo sollicitari: quia hoc erit quod Christus iubet, & hoc esse expedit. Denique exempla vobis legis proferam. Helisæus quærebatur à rege Syriæ, missus erat exercitus qui eum caperet. Circumuallatus erat vndique. Cæpit timere eius seruulus, quia seruulus erat, hoc est, non erat liberæ mentis, & liberæ potestatis. Petiuit aperiri eius oculos sanctus Propheta, & ait: *Respice, & vide quanto plures sint pro nobis, quam contra eos. Et respexit, & vidit Angelorum millia.* Aduertitis igitur, quod seruulos Christi ii magis custodiant qui non videntur, quam qui videntur. Sed & illi si custodiunt, vestris custodiunt orationibus aduocati. Legistis nempe eos ipsos qui Helisæum quærebant, ingressos esse Samariam ad eum ipsum, quem capere gestiebant, cui non solum non potuerunt nocere, sed ipsius aduersus quem venerant, intercessione seruati sunt. Petrus quoque Apostolus vtriusque rei vobis edit exemplum. Nam vbi eum Herodes quæsiuit & cepit, recepit in carcerem. Non enim recesserat Dei seruulus, sed steterat timoris ignarus. Orabat pro eo Ecclesia, sed Apostolus in carcere quiescebat, quod est indicium non timentis. Missus est angelus, qui dormientem excitaret, per quem Petrus productus è carcere, mortem ad tempus euasit. Idem Petrus postea victo Simone cum præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos Gentilium: quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt vt paulisper cederet. Et quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim vt ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemque ingredi, ait: *Domine, quo vadis? Respondit Christus, Venio Romam iterum crucifigi.* Intellexit Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione susceptæ mortis exuerat. Quod enim mortuus est, *peccato mortuus est semel*: quod autem viuit, viuit Deo. Intellexit ergo Petrus quod iterum Christus crucifigendus esset in seruulo. Itaque sponte remeauit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimq; correptus, per crucem suam honorificauit Dominum Iesum. Videtis igitur quod in seruulis suis pati velit Christus. Quid si & huic seruulo dicit: *Illum volo sic manere*, tu autem *me sequere*: & de hac arbore gustare vult fructum? Nam si illius cibus erat vt faceret voluntatem patris, idem cibus illius est vt nostris passionibus epuletur? Nonne (vt de ipso Domino sumamus exemplum) quando voluit, passus est: & cum quæreretur, inuentus est? Quando autem hora non venerat passionis, per medium quærentium transibat, & videntes eum tenere non poterant. Quo vtique euidenter ostendit, quia quando Dominus vult, vnusquisque inuenitur & capitur. Quando autem differt, etiam si quærentium manibus occurrat & [illegible] non tenetur. Ego ipse non quotidie vel visitandi gratia prodibam, vel pergebam ad martyres? Non regiam palatii prætexebam eundo atque redeundo? Et tamen nemo me tenuit, cum exturbandi me haberent, vt prodiderunt postea, voluntatem, dicentes: Exi de ciuitate, & vade quo vis. Expectabam fateor magnum aliquid, vt gladium pro Christi nomine, aut incendium. At illi delicias mihi pro passionibus obtulerunt: sed athleta Christi non delicias, sed passiones suas exigit. Nemo ergo vos turbet quod aut carcerem præparauerant, aut dura, vt videbatur sibi, Auxentii ipsius qui se dicit Episcopum, ore iactata. Plerique narrabant percussores præmissos, pœnam mortis esse decretam: nec illa

timeo, & ista non desero. Quo enim abibo, vbi non omnia plena gemitus sint atque lachrymarum, quando per Ecclesias iubentur eiici Catholici sacerdotes, resistentes gladio feriri, curiales proscribi omnes, nisi mandatum impleuerint? Et hæc Episcopi manu scripta, & ore dictata: quis se vt probaret doctissimum, vetus non omisit exemplum. Legimus enim in Propheta quod viderit falcem volantem. Hanc imitatus Auxentius gladium volantem per omnes vrbes direxit. Et *Satanas transfigurat se in Angelum lucis*, & in malum imitatur eius potentiam. Tu Domine Iesu vno momento mundũ redemisti, Auxentius vno momento tot populos, quod in ipso est, trucidabat, alios gladio, alios sacrilegio. Meam Basilicam petit cruento ore, sanguinolentis manibus. Cui bene præsens respondit lectio: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas*? id est, non conuenit paci & furori, non conuenit Christo & Belial. Meministis etiam quod lectum est hodie, Nabuthe sanctum virum possessorem vineæ suæ interpellatum petitione regia vt vineam suam daret, vbi rex succisis vitibus olus vile sereret, eumq; respondisse: *Absit vt ego patrum meorum tradam hæreditatem*. Regemq, contristatum esse quod sibi esset alienum ius relatione iusta negatum, sed muliebri consilio deceptum Nabuthe, vites suas vel proprio cruore defendisse. Si ille vineam non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam Christi? Quid igitur à me responsum est contumaciter? Dixi enim conuentus: *Absit à me vt tradam Christi hæreditatem*. Si ille patrum hæreditatem non tradidit, ego tradam Christi hæreditatem? Sed & hoc addidi: *Absit vt tradam hæreditatem patrum*, hoc est, hæreditatem Dionysii qui in exilio in causa fidei defunctus est, hæreditatem Eustorgii confessoris, hæreditatem Myroclis, atq; omnium retro fidelium Episcoporum. Respondi ego quod sacerdotis est: quod Imperatoris est, faciat Imperator. Peius est vt animam mihi quã fidem auferat. At cui tradam? Præsens lectio Euangelii docere nos debet, quid petatur, à quib. petatur. Audistis nempe legi quod cum Christus super pullũ asinæ sederet, clamabant pueruli, & moleste ferebant Iudæi. Deniq; interpellauerunt Dominum Iesum dicentes vt faceret eos tacere, respondit: *Si hi tacebunt, lapides clamabunt*. Deinde ingressus templũ, eiecit nummularios, & cathedras, & columbas vendentes in templo Dei. Lectio nempe ista nulla nostra dispositione recitata est, sed casu, quæ præsentib. bene aptatur temporibus. Semper ergo Christi laudes, verbera pfidorum sunt. Et nunc cum laudatur Christus dicunt hæretici quia seditio commouetur: dicunt hæretici quia his mors paratur, & vere mortem habent in laudibus Christi. Quomodo enim laudes eius ferre possunt, cuius infirmitatẽ prædicant? Itaq; & hodie cum laudatur Christus, Arrianorum amentia verberatur. Gerasenii præsentiã Christi ferre nõ poterant, isti peiores Gerasenis nec laudationem Christi sustinere possunt: Vident pueros Christi gloriã concinentes, quia scriptũ est, *Ex ore infantiũ & lactantium perfecisti laudem*: Irrident istam ætatulam fidei plenam, cum dicunt: *Ecce quid clamant*? sed respondit iis Christus: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt*, hoc est, fortiores clamabunt, clamabunt & iuuenes, clamabunt & maturiores, clamabunt & senes, isti lapides ad illum iam solidati lapidem, de quo scriptum est: *lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. His igitur laudationibus inuitatus templum suum Christus ingreditur, & flagellum prehendit, & eiicit de templo nummularios. Non patitur enim in suo templo pecuniæ esse vernaculos, non patitur in suo templo esse, eos qui vendant cathedras. Quid sunt cathedræ? Nisi honores? Quid sunt columbæ nisi simplices mentes vel animæ fidem candidam & puram sequentes? Ego ergo inducam in templum quem Christus excludit? Iubetur enim exire qui dignitates vendit & honores. Iubetur enim exire qui vendere vult simplices mentes fidelium? Ergo Auxentius eiicitur, Mercurinus excluditur. Vnum portentum est, duo nomina. Etenim ne cognosceretur quis esset, mutauit sibi vocabulum: vt quia hic fuerat, Auxentius Episcopus Arrianus, ad decipiendam plebem, quam ille tenuerat, se vocaret Mercurinũ. Mutauit ergo vocabulum, sed perfidiam non mutauit. Exuit lupum, & induit lupum. Nihil prodest quod mutauit nomen, quid sit agnoscitur. Alius in Scythiæ partibus dicebatur, alius hic vocatur. Nomina pro regionib. habet. Habet ergo iam duo nomina: & si hinc alio perrexerit, habebit & tertium. Quomodo enim patietur vt maneat ei vocabulum ad tanti sceleris indicium? Minora fecit in Scythia, & ita erubuit vt mutaret vocabulum. Sceleratiora hic ausus est, & volet, quocunq; perrexerit, nomine suo prodi. Tantorum populorum sanguinem manu sua scribet & poterit consistere animo? Paucos excludebat Dominus Iesus de templo suo, Auxentius nullum reliquit. De templo suo Iesus flagello eiicit, Auxentius gladio. Iesus flagello, Mercurinus securi. Pius Dominus flagello exturbat sacrilegos, nequam persequitur pios ferro. De quo bene dixistis hodie: *Leges suas secum ferat. Feret, etiam si nolit. Feret conscientiam suam, & si non fert chartulam: feret sanguine inscriptam animam suam, etsi atramento inscriptam epistolam non feret*. Scripta est Iuda culpa tua graphio ferreo & vngue adamantino, & scripta in pectore tuo: hoc est, ibi scripta, vnde processit. Is mihi etiam audet mentionem facere retractandi, plenus sanguinis cruoris? Qui quos non potuerit sermone decipere, eos gladio putat esse feriendos, cruentas leges ore dictans, manu scribens, & putans quod lex fidem possit hominibus imperare. Non audiuit, & id quod hodie dictum est: Quoniam *non iustificatur homo ex operibus legis*? Aut, *per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam*? id est, per legem spiritualem interpretationi legis est mortuus corporali. Et nos per legem Domini nostri Iesu Christi moriamur huic legi, quæ sancit decreta perfidiæ. Non lex Ecclesiam congregauit, sed fides Christi. Lex enim non est ex fide, iustus autem ex fide viuit. Iustum ergo fides non lex facit, quia non est per legem iustitiarum, sed per fidem Christi. Qui autem fidem repudiat, & legis iura præscribit, ipse se testatur iniustum, quia iustus ex fide viuit. Hanc ergo legem quisquam sequatur, qua firmatur Ariminense concilium, in quo creatura dictus est Christus: sed aiunt: *Misit Deus filium suum factum ex muliere*

liere

liere; factum sub lege. Ergo *factum* legunt, hoc est creatum. Nonne hoc ipsum considerant quod proposuerunt, quia factus dicitur Christus, sed ex muliere, hoc est, secundum partum virginis factus est, qui secundum diuinam generationem ex patre natus est? Legerunt & hodie, quia *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Nunquid *maledictum* Christus secundum diuinitatem est? Sed quare *maledictum* dicatur, Apostolus te docet, dicens, *quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno*: Hoc est, qui in carne sua nostram carnem, in suo corpore nostras infirmitates & nostra maledicta suscepit, vt crucifigeret. Non enim maledictus, sed in te maledictus. Denique habes alibi: *Qui peccatum non cognouit, sed pro nobis peccatum factus est: qui nostra peccata suscepit, vt sacramento suæ passionis aboleret*. Hæc ergo fratres cotam ipso apud vos plenius disputarem, sed certus non ignaros vos esse fidei, vestrum refugit examen, & Gentiles quosdam quatuor aut quinque ferme homines elegit cognitores sibi, si tamen aliquos eligit: quos vellem adesse in cœtu omnium, non vt de Christo iudicent, sed vt maiestatem audiant Christi. Tamen illi iam de Auxentio pronunciauerunt, cui tractanti quotidie non crediderunt. Quæ maior eius condemnatio, quam quod sine aduersario apud iudices suos victus est? Ergo & ipsorum sententiam contra Auxentium iam tenemus: & quod Gentes elegit, iure damnandus est, quia Apostoli præcepta dimisit, cum Apostolus dicat: *Audet aliquis vestrum aduersus alterum habens negocium, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? Aut nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt?* Et infra ait: *Si non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratres, sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles?* Vides quia quod ille obtulit, contra authoritatem Apostoli fit? Vos eligite, vtrum Auxentium, aut Paulum sequi debeamus magistrum? Sed quid dicam de Apostolo, cum ipse Dominus clamet per prophetam: *Audite me populus meus, qui scitis iudicium, quorum in corde lex mea est*. Deus dicit: *Audite me populus meus, qui scitis iudicium*; Auxentius dicit: *Nescitis iudicium*. Videtis quia iam Deum contemnit in vobis, qui sententiam cœlestis refutat oraculi? *Audite me*, inquit, *populus meus*, dicit Dominus. Non dicit, audite gentes; non dicit, audite Iudæi. Iam enim populus Dei qui fuerat, populus erroris est factus. Et qui populus erroris erat, populus Dei esse cœpit, quia in Christum credidit. Iste ergo populus iudicat, cuius in corde lex diuina est, non humana: Lex non atramento scripta, sed spiritu Dei viui: non in charta operata, sed in corde signata: Lex gratiæ non cruoris. Quis igitur vobis iniuriam facit, qui recusat vestram, an qui eligit audiendam? Conclusus vndique ad versutiam patrum suorum confugit. De Imperatore vult inuidiam commouere, dicens iudicare debere adolescentem catechumenum sacræ lectionis ignarum, & in consistorio iudicare. Quasi vero superiore anno, quando ad palatium sum petitus, cum præsentibus primatibus ante consistorium tractaretur, cum Imperator Basilicam vellet eripere, ego tunc aulæ contemplatione regalis infractus sim, constantiam non tenuerim Sacerdotis, aut imminuto iure discesserim. Nonne meminerunt, quod vbi me cognouit populus palatium petiisse, ita irruit, vt vim eius ferre non possent, quando Comiti militari cum expeditis ad fugandam multitudinem egresso obtulerunt omnes se neci pro fide Christi? Non tunc rogatus sum, vt populum multo sermone mulcerem? sponderem fidem, quod Basilicam Ecclesiæ nullus inuaderet? Et cum pro beneficio meum sit officium postulatum, tamen quod populus ad palatium venisset, mihi inuidia commota est. In hanc igitur inuidiam me redire desiderant. Reuocaui populum, & tamen inuidiam non euasi: quam quidem inuidiam ego temperandam arbitror, non timendam. Quid enim timeamus pro Christi nomine? nisi forte illud mouere me debet quod aiunt, ergo non debet Imperator vnam Basilicam accipere ad quam procedat: & plus vult Ambrosius posse quam Imperator, vt Imperatori prodeundi facultatem neget? Quod cum dicunt, apprehendere sermones nostros gestiunt, sicut Iudæi qui Christum versuto sermone tentabant, dicentes: *Magister, licet tributum dare Cæsari aut non*? Sempérne de Cæsare seruulis Dei inuidia commouetur? Et hoc ad calumniam sibi arcessit impietas, vt imperiale nomen obtendat? Et isti possunt dicere, quod eorum non habeant sacrilegium, quorum imitantur magisterium? Et tamen videte, quanto priores Arriani sunt quam Iudæi. Illi quærebant vtrum soluendum putaret Cæsari ius tributi, isti Imperatori volunt dare ius Ecclesiæ. Sed vt perfidi suum sequuntur authorem, ita & nos, quæ nos Dominus & author noster docuit, respondeamus. Considerans enim Iesus dolum Iudæorum dixit ad eos: *Quid me tentatis? Ostendite mihi denarium. Et cum dedissent, dixit: cuius imaginem habet & inscriptionem? Respondentes dixerunt: Cæsaris. Et ait illis Iesus: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo*. Ergo & ego dico illis, qui mihi obiiciunt: *Ostendite mihi denarium*. Iesus Cæsaris denarium vidit, & ait: *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & quæ Dei sunt, Deo*. Nunquid de Ecclesiæ Basilicis occupandis possunt denarium offerre Cæsaris? Sed in Ecclesia vnam imaginem noui, hoc est, imaginem Dei visibilis, de qua dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Illam imaginem, de qua scriptum est: quia Christus *splendor gloriæ, & imago substantiæ eius*. In ista imagine patrem cerno; sicut dixit ipse Dominus Iesus: *Qui me vidit, vidit & Patrem*. Non enim hæc imago à patre est separata, quæ Vnitatem me docuit Trinitatis, dicens: *Ego & Pater vnum sumus*. Et infra: *Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt*. Et de Spiritu sancto, dicens: Quia spiritus Christi sit, & de Christo accepit, sicut scriptum est: *Ille de meo accipiet, & annunciabit vobis*. Quid igitur? non humiliter responsum à nobis est? Si tributum petit, non negamus. Agri Ecclesiæ sol-

uunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum, nemo nostrum interuenit. Potest pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de agris inuidiam, tollat eos si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego. Aurum quærunt, possum dicere: *Argentum & aurum non quæro.* Sed inuidiam faciunt, quia aurum erogatur. Nec ego hanc inuidiam perhorresco. Habeo ærarios: Aerarii mei, pauperes Christi sunt. Hunc noui congregare thesaurum. Vtinam hoc mihi semper crimen adscribam, quia aurum pauperibus erogatur. Quod si obiiciunt, quod defensionem ab iis requiram, non nego, sed etiam ambio. Habeo defensionem, sed in orationibus pauperum. Cæci illi, & claudi, debiles & senes, robustis bellatoribus fortiores sunt. Denique munera pauperum Deum obligant, quia scriptum est: *Qui largitur pauperi, Deo fœnerat.* Præsidia bellatorum diuinam sæpe gratiam non merentur. Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt. Plane nec hoc abnuo. Grande carmen istud est, & quo nihil potentius. Quid enim potentius quam confessio Trinitatis, quæ quotidie totius populi ore celebratur? Certatim omnes student fidem fateri, Patrem & Filium & Spiritum sanctum norunt versibus prædicare. Facti sunt igitur omnes magistri, qui vix poterant esse discipuli. Quid igitur obaudientius potest esse, quam vt Christi sequamur exemplum, qui *specie inuentus vt homo, humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem?* Denique omnes per obedientiam liberauit. *Sicut* enim *per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt plurimi, ita & per vnius obedientiam iusti constituentur multi.* Si ergo ille obediens, accipiant obedientiæ magisterium, cui nos inhæremus, dicentes iis, qui nobis de Imperatore inuidiam faciunt: Soluimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur. Ecclesia Dei est, Cæsari vtique non debet addici: quia ius Cæsaris esse non potest Dei templum. Quod cum honorificentia Imperatoris nemo dictum potest negare. Quid enim honorificentius, quam vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Quod cum dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat. Hæc vt humiliter dicimus, ita constanter exponimus. Sed incendia aliqui, gladium, deportationem minantur. Didicimus Christi seruuli non timere. Non timentibus nunquam est grauis terror. Denique scriptum est: *Sagittæ infantium factæ sunt plagæ eorum.* Satis igitur propositis responsum videtur. Nunc illos interrogo quod Saluator interrogauit: *Baptismus Ioannis de cœlo est, an ex hominibus?* Et non potuerunt respondere ei Iudæi. Si Baptismum Ioannis non soluerunt Iudæi, Auxentius soluit baptismum Christi? Non enim istud ex hominibus est baptisma, sed de cœlo, quod retulit consilii magni Angelus, vt iustificemur Deo. Cur igitur rebaptizandos Auxentius fideles populos putat, baptizatos in nomine Trinitatis, cum Apostolus dicat: *vna fides, vnum baptisma?* Et se hominum dicit aduersarium esse, non Christi, cum consilium Dei spernat, & condemnet baptisma, quod Christus nobis ad redimenda nostra peccata donauit.

EPISTOLA XXXIII.

Diui Ambrosii ad Marcellinam sororem suam, referentis illi quid in causa de Basilicis tradendis actum sit, & in quo statu res ipsa nunc consistat.

QVoniam omnibus epistolis fere sollicite quæris de Ecclesia, accipe quid agatur. Postridie quam accepi literas tuas, quibus significaueras quod te exagitarent somnia tua, moles inquietudinum grauium cœpit moueri. Nec iam Portiana, hoc est, extra murana Basilica petebatur, sed Basilica noua, hoc est, intra murana, quæ maior est: Conuenerunt me primo, viri comites consistoriani, vt & Basilicam traderem, & prouocarem ne quid populus turbarum moueret. Respondi quod erat ordinis: templum Dei tradi à Sacerdote non posse. Acclamatum est sequenti die in Ecclesia, etiam præfectus eo venit, cœpit suadere vt Basilica Portiana cederemus. Populus reclamauit. Ita tunc discessum est, vt intimaturum se Imperatori diceret. Sequenti die, erat autem Dominica, post lectiones atque tractatum dimissis Catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam Basilicæ. Illic nunciatum & mihi comperio, quod ad Portianam Basilicam de palatio decanos misissent, & vela suspenderent, populi partem eo pergere. ego tamen mansi in munere, missam facere cœpi. Dum offero, raptum cognoui à populo castulum quendam, quem presbyterum dicerent Arriani. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissime flere, & orare in ipsa oblatione Deum cœpi, vt subueniret, ne cuius sanguis in Ecclesia fieret, certe vt meus sanguis pro salute non solum populi, sed etiam pro ipsis impiis effunderetur. Quid multa? Missis presbyteris & diaconibus eripui iniuriæ virum. Condemnationes illico grauissimæ decernuntur. Primo in corpus omne mercatorum. Itaq; sanctis diebus hebdomadis vltimæ, quibus solebant debitorũ laxari vincula, stridũt catenæ, imponuntur collo innocentiũ, exiguntur ducenta pondo auri intra totum triduũ. Respõdent aliqui se tantum aut duplũ si peterentur daturos, dummodo seruarent fidẽ. Erãt pleni carceres negociatoribus. Palatina omnia officia, hoc est, memoriales, agẽtes in reb. apparitores diuersorũ comitũ temperare à processu iubẽtur, specie qua seditioni interesse prohibebãtur: honoratis multa minabantur grauissima nisi Basilicam traderent. Feruebat persecutio: ac si aperuisset portam, proruppturi in omne facinus videbantur. Conuenior ipse à comitibus & tribunis, vt Basilicæ fieret matura

tradi-

traditio, dicentibus Imperatorem iure suo vti, eo quod in potestate eius essent omnia. Respondi, si à me peteret quod meum esset, id est, fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum, me non refragaturum, quanquam omnia quæ mea sunt, essent pauperum, verum ea quæ diuina, imperatoriæ potestati non esse subiecta. Si patrimonium petitur, inuadite: si corpus occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati est mihi. Non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor. Horrebam quippe animo, cum armatos ad Basilicam Ecclesiæ occupandam missos cognoscerem, ne dum Basilicam vindicant, aliqua strages fieret, quæ in perniciem totius vergeret ciuitatis. Orabam ne tantæ vrbis vel totius Italiæ busto superuiuerem. Detestabar inuidiam fundendi cruoris, offerebam iugulum meum. Aderant Gothi tribuni, adoriebar eos dicens: Propterea vos possessio Romana suscepit, vt perturbationis publicæ vos præbeatis ministros? Quo transibitis si hæc deleta fuerint? Exigebatur à me vt compescerem populum. Referebam in meo iure esse vt non excitarem, in Dei manu vt mitigaret. Postremo si me incentorem putarent, iam in me vindicari oportere, vel abduci me in quas vellent terrarum solitudines. His dictis illi abierunt, ego in Basilica veteri totum exegi diem, inde domum cubitum me recepi, vt si quis abducere vellet, inueniret paratum. Ante lucem vbi pedem limine extuli, circumfuso milite occupatur Basilica. Idque à militibus Imperatori mandatum dicitur, vt si prodire vellet, haberet copiam, se tamen præsto futuros, si viderent eum cum Catholicis conuenire, alioquin se ad eum cœtum quem Ambrosius cogeret transituros. Prodire de Arianis nullus audebat, quia nec quisquam de ciuibus erat, pauci de familia regia, nonnulli etiam Gothi. Quibus vt olim plaustra sedes erat, ita nunc plaustrum Ecclesia est. Quocunque fœmina ista processerit, secum suos omnes cœtus vehit. Circumfusam Basilicam esse gemitu populi intellexi, sed dum leguntur lectiones, intimatur mihi plenam populi esse Basilicam etiam nouam, maiorem videri plebem, quam cum essent omnes liberi: lectorem efflagitari. Quid plura? Milites ipsi qui videbantur occupasse Basilicam, cognito quod præcepissem vt abstinerentur à communi consortio, ad conuentum hunc nostrum venire cœperunt. Quibus visis turbantur mulierum animi, proripit se vna. Ipsi tamen milites se ad orationem venisse, non ad prælium loquebantur. Clamauit aliqua populus, quam moderate, quam constanter, quam fideliter poscebat vt ad illam pergeremus Basilicam? In illa quoque Basilica fertur, quod populus præsentiam flagitabat meam. Tunc ego hunc adorsus sermonem sum: Audistis filii librum legi Iob, qui solenni munere est decursus, & tempore. Sciuit & vsu hunc librum etiam Diabolus intimandum, quo virtus omnis suæ tentationis aperitur & proditur, & ideo se hodie motu maiore concussit, sed gratias Deo nostro, qui nos ita firmauit fide & patientia. Vnum Iob miraturus ascenderam, omnes Iob quos mirarer inueni. In singulis vobis Iob reuixit, in singulis sancti illius patientia & virtus refulsit. Quid enim præsentius dici potuit à Christianis viris, quam id quod hodie in vobis Spiritus sanctus est locutus? Rogamus Auguste, non pugnamus. Non timemus, sed rogamus. Hoc Christianos decet, vt & tranquillitas pacis optetur, & fidei e veritatisque constantia, nec mortis reuocetur periculo. Est enim præsul Dominus, *qui saluos faciet sperantes in se*. Sed veniamus ad propositas lectiones. Videtis Diabolo tentandi licentiam dari, vt boni probentur. Inuidet inimicus bonis profectibus, tentat diuersis modis. Tentauit sanctum Iob in patrimonio, tentauit in filiis, tentauit in dolore corporis. Fortior in suo corpore tentatur, infirmior in alieno. Et mihi meas diuitias, quas in vobis habeo, volebat auferre, & hoc tranquillitatis vestræ patrimonium dissipare cupiebat. Vos quoque ipsos mihi bonos filios gestiebat eripere, pro quibus ego quotidie instauro sacrificium, vos ruinis quibusdam publicæ perturbationis conabatur inuoluere. Duo igitur iam genera tentationis excepi. Et fortasse quia infirmiorem me Dominus Deus nouit, adhuc in corpus meum non dedit potestatem. Et si ipse cupiam & si offeram, adhuc me fortasse huic certamini imparem iudicat, & diuersis exercet laboribus. Nec Iob ab isto cœpit certamine, sed in hoc consummauit. Tentatus est autem Iob nunciis coaceruatis malorum, tentatus est etiam per mulierem, quæ ait: *Dic aliquod verbum in Deum, & morere.* Videtis quanta subito moueantur Gothi, Gentiles, mulcta mercatorum, pœna sanctorum. Aduertitis quid iubeatur cum mandatur: Trade Basilicam, hoc est, dic aliquod verbum in Deum, & morere. Nec solum dic aduersus Deum, sed etiam fac aduersus Deum. Mandatur, Trade altaria Dei. Vrgemur igitur præceptis regalibus, sed confirmamur Scripturæ sermonibus: quæ respondit, *Tanquam vna ex insipientibus locuta es.* Non mediocris igitur ista tentatio. Namque asperiores tentationes has esse cognouimus, quæ fiunt per mulieres. Denique per Euam etiam Adam supplantatus est: eoque factum, vt à mandatis cœlestibus deuiaret. Quo errore cognito, præuaricatrices conscientiæ reus latere cupiebat, sed latere non poterat, & ideo ait ei Deus: *Adam vbi es?* Hoc est, quid eras ante? vbi nunc esse cœpisti? vbi te constitueram? quo ipse transgressus es? Agnoscis esse te nudum, quia bonæ indumenta fidei perdidisti. Folia sunt ista, quibus nunc velare te quæris. Repudiasti fructum, sub foliis legis latere cupis, sed proderis. Recedens à Domino Deo tuo propter vnam mulierem desiderasti, propterea fugis quem videre quærebas. Cum vna muliere te abscondere maluisti, relinquere speculum mundi, incolatum Paradisi, gratiam Christi. Quid dicam, quod etiam Heliam Iezabel cruenta persecuta est? Quod Ioannem Baptistam Herodias fecit occidi? Singulæ tamen singulos, mihi quo minora longe merita, eo

tentamenta grauiora. Virtus infirmior, sed plus periculi. Succedunt sibi mulierum vices, alternantur odia, commenta variantur, seniores conueniuntur, prætexitur regis iniuria. Quæ ratio igitur est aduersus hunc vermiculum moliri grauiores tentationes, nisi quia non me, sed Ecclesiam persequuntur? Mundatur denique, Trade Basilicam. Respondeo. Nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere Imperator expedit. Dominium priuati nullo potes iure temerare, domum Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo: Noli te grauare, Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: *Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari.* Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum. Iterum dicitur mandasse: Debeo & ego vnam Basilicam habere. Respondi: Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim, quæ non est legitimo Christi coniugio copulata. Dum hæc tracto, suggestum est mihi cortinas regias esse collectas: refertam autem populo Basilicam, præsentiam mei poscere: statimque eo conuerti sermonem meum, dicens: Quam alta & profunda oracula sunt Spiritus sancti. Matutinis horis lectum est, vt meministis fratres, quod summo animi dolore respondemus: *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Et reuera venerunt gentes, & plus etiam quam gentes venerunt. Venerunt enim Gothi, & diuersarum nationum viri, venerunt cum armis, & circumfusi occupauerunt Basilicam. Hoc nos ignari tuæ altitudinis dolebamus, sed nostra imprudentia aliud opinabatur. Venerunt gentes, sed vere in hæreditatem tuum venerunt. Qui enim gentes venerunt, facti sunt Christiani. Qui ad inuadendam hæreditatem venerunt, facti sunt cohæredes Dei. Defensores habeo, quos hostes putabam: socios teneo; quos aduersarios existimabam. Completum est illud, quod de Domino Iesu Dauid Propheta cecinit: *Quia factus est in pace locus eius, & confregit cornua arcuum, scutum, & gladium, & bellum.* Cuius enim hoc munus, cuius opus, nisi tuum Domine Iesu? Videbas ad templum tuum armatos venire, hinc gemere populum, & frequentem adesse, ne Basilica Dei traderetur: inde enim militibus, Imperatori: mortem ante oculos mihi: ne quid inter hæc furori liceret, inseruisti te Domine medium, & *fecisti vtraque vnum.* Compescuisti armatos dicens profecto: *Si ad arma concurritur, si in templo meo lis commouetur, quæ vtilitas in sanguine meo?* Gratias itaque tibi Christe: non legatus, neque nuncius, sed tu Domine saluum fecisti populum tuum, conscidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia. Hæc ego dicebam ratus Imperatoris animum studio militum, obsecratione comitum, precatu populi posse mitescere. Interea nunciatur mihi missum notarium, qui mandata deferret. Concessi paululum, mandatumque intimat. Quid tibi visum est, inquit, vt contra placitum faceres? Respondi: Quid placitum sit ignoro, quidue temere factum dicatur, incertum habeo. Ait: cur presbyteros ad Basilicam destinasti? Si tyrannus es, scire volo, vt sciam quemadmodum me aduersum te præparem. Retuli dicens me nihil in præiudicium fecisse Ecclesiæ: eo tempore quo audieram occupatam esse à militibus Basilicam, gemitum tantummodo liberiorem habuisse: multisque adhortantibus vt eo pergerem, dixisse: Tradere Basilicam non possum, sed pugnare non debeo. Postea vero quam cognoueram cortinas regias inde esse sublatas, cum me populus eo ire deposceret, direxisse presbyteros, me tamen noluisse ire, sed dixisse: Credo in Christo quod ipse nobiscum faciet Imperator. Si hæc tyrannis videtur, habeo arma, sed in Christi nomine, habeo offerendi mei corporis potestatem. Quid moraretur ferire, si tyrannum putaret? Veteri iure à sacerdotibus donata imperia, non vsurpata. Et vulgo dici, quod Imperatores sacerdotium magis optauerint, quam Imperium sacerdotes. Christus fugit, ne rex fieret. Habemus tyrannidem nostram. Tyrannis sacerdotis, infirmitas est. *Cum infirmor*, inquit, *tunc potens sum.* Cauere tamen ne ipse sibi tyrannum faceret, cui Deus aduersarium non excitauit. Non hoc Maximum dicere, quod tyrannus ego sim Valentiniani, qui si meæ legationis obiectu quæritur ad Italiam non potuisse transire. Addidi, quia nunquam sacerdotes tyranni fuerunt, sed tyrannos sæpe sunt passi. Exactus est totus ille dies in mœrore nostro, scissæ tamen ab illudentibus pueris cortinæ regiæ. Ego domum redire non potui, quia circumfusi erant milites, qui Basilicam custodiebant. Cum fratribus Psalmos in Ecclesiæ Basilica minore diximus. Sequenti die lectus est de more liber Ionæ, quo completo hunc sermonem adorsus sum. Liber lectus est fratres quo prophetatur quod peccatores in pœnitentiam reuertantur. Acceptum est ita, vt speraretur in præsenti futurum. Addidi quod vir iustus etiam offensam contrahere voluisset, ne vel spectaret, vel denunciaret excidium ciuitati. Et quod lugubre esset illud dictum, contristatus quoque sit, quod aruisset cucurbita. Deum quoque dixisse ad prophetam: *Si tristis es pro cucurbita?* Respondisse Ionam: *tristis.* Dixisse Dominum, *si illud doleret quod exusta esset cucurbita, quanto magis sibi curæ esse oportere tantæ plebis salutem?* Et ideo excidium quod paratum toti vrbi fuerat, remouisse: Nec mora, nunciatur Imperatorem iussisse vt recederent milites de Basilica, negociatoribus quoque, quod exacti de condemnatione fuerant redderetur. Quæ nunc plebis totius lætitia fuit? Qui totius populi plausus? quæ gratia? Erat autem dies quo sese Dominus pro nobis tradidit, quo in Ecclesia pœnitentia relaxatur. Certatim hoc nunciare milites, irruentes in altaria osculis significare pacis insigne. Tunc agnoui quod Deus vermem antelucanum percusserat, vt tota ciuitas seruaretur. Hæc gesta sunt, atque vtinam iam finita. Sed grauiores motus futuros, plena commotionis imperialia verba indicant. Ego tyrannus appellor, & plus etiam quam tyrannus. Nam cum Imperatorem comites obsecrarent, vti prodiret ad Ecclesiam, idq; petitu militum facere

se

Iudicaret, respondit: Si vobis iusserit Ambrosius, vinctum me tradetis. Quid post hanc vocem superfuit considera. Quam vocem omnes cohorruerunt. Sed habet à quibus exasperetur. Denique etiam speciali expressione Calligonus præpositus cubiculi mandare mihi ausus est: Me viuo tu contemnis Valentinianum? Caput tibi tollo. Respondi: Deus permittat tibi vt impleas quod minaris. Ego enim patiar quod Episcopi, tu facies spadonis. Atque vtinam Dominus auertat eos ab Ecclesia, & in me omnia sua tela conuertant, meo sanguine sitim suam expleant.

B. HIERONYMI STRIDONENSIS PRESBYTERI

Anno Christi 380.

EPISTOLA AD EVAGRIVM.

Qualiter Presbyter & Diaconus differant: in qua ostenditur, Presbyterum Diacono in honore longe præstare: & in primitiua Ecclesia eundem fuisse Episcopum & Presbyterum, sed in schismatis remedium vnum fuisse præpositum, & in hoc orbis potius quam Vrbis sequendam consuetudinem.

Legimus in Esaia, *fatuus fatua loquitur.* Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, vt Diaconos presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse presbyteros, quos Episcopos, quid patitur mensarum & viduarum minister, vt super eos tumidus se efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisq; conficitur? Quæris autoritatem, audi testimonium: *Paulus & Timotheus serui Christi Iesu omnibus Sanctis in Christo Iesu qui sunt in Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* Vis & aliud exemplum? in Actibus Apostolorum ad vnius Ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur: *Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, vt regeretis Ecclesiam Domini, quam acquisiuit sanguine suo.* Ac ne quis contentiose in vna Ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur eundem esse Episcopum atque Presbyterum: *Propter hoc reliqui te certe, vt quæ deerant corrigeres & constitueres presbyteros per ciuitates, sicut & ego tibi mandaui. Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos; oportet enim Episcopum sine crimine esse quasi Dei dispensatorem.* Et ad Timotheum: *Noli negligere gratiam, quæ tibi data est Prophetia per impositionem manuum presbyteri.* Sed & Petrus in prima epistola: *Presbyteros,* inquit, *in vobis precor conpresbyter & testis passionum Christi & futuræ gloriæ, quæ reuelanda est, particeps, regere gregem Christi, & inspicere non ex necessitate, sed voluntarie iuxta Deum.* Quod quidem Græce significantius dicitur ἐπισκοποῦντες, id est, *Superintendentes,* vnde & nomen Episcopi tractum est. Parua tibi videntur tantorum virorum testimonia? clangat tuba Euangelica, filius tonitrui, quem Iesus amauit plurimum, qui de pectore Saluatoris doctrinarum fluenta potauit: *Presbyter Electæ Dominæ & filiis eius, quos ego diligo in veritate.* Et in alia epistola: *Presbyter Caio carissimo, quem ego diligo in veritate.* Quod autem postea vnus electus est qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est; ne vnusquisq; ad se trahens, Christi Ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista vsque ad Heradam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper vnum de se electum, & in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat; aut Diaconi eligant de se quem industrium nouerint, & *Archidiaconum* vocent. Quid enim facit, excepta ordinatione, Episcopus, quod Pretbyter non facit? Nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis æstimanda est: & Galliæ, & Britaniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes vnum Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si autoritas quæritur, orbis maior est vrbe. Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubii, siue Constantinopoli, siue Regii, siue Alexandriæ, siue Thanis, eiusdem meriti, eiusdem & Sacerdotii. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum facit: cæterum omnes Apostolorum successores sunt. Sed dicis quomodo ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges Ecclesiæ vindicas? Omne, quod rarũ est, plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretiosius est: Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros turba contemptibiles facit. Cæterum etiã in Ecclesia Romæ Presbyteri sedent, & stant Diaconi, (licet paulatim increbrescentibus vitiis inter Presbyteros absente Episcopo sedere Diaconũ viderim,) & in domesticis conuiuiis benedictiones Presbyteris dare discãt. Qui hoc faciunt, nõ se recte facere sciant, & audiant Apostolos: *nõ est dignũ vt relinquentes verbũ Dei, ministremus mensis.* Sciant quare Diaconi cõstituti sunt, legant Acta Apostolorũ, recordẽtur cõditionis suę.

Presbyter & Episcopus aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen. Vnde quod ad Titum & ad Timotheum de ordinatione Diaconi & Episcopi dicitur, de Presbyteris omnino reticetur; quia in Episcopo & Presbyter continetur, qui prouehitur, de minori ad maius prouehitur. Aut igitur ex Presbytero ordinetur Diaconus, vt Presbyter minor Diacono comprobetur, in quem crescit ex paruo: aut si ex Diacono ordinetur Presbyter, nouerit se lucris minorem, Sacerdotio esse maiorem. Et vt sciamus traditiones Apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron & filii eius atq; Leuitæ in templo fuerint, hoc sibi Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Ecclesia.

B. HIERONYMI STRIDONENSIS PRESBYTERI, TRACTATVS

De correctione, vita & conuersatione Episcopi ac Clericorum: ad Rusticum Episcopum Narbonensem.

SVfficere quidem fidei tuæ arbitror conuersationem sanctam, quam habes in Christo Iesu ad Sacerdotalis ordinis dignitatem, arctam tibi & angustam intellectus viam in Domino reserare: quia præcedentibus meritis ac virtutis insignibus ad hoc officium electus à Deo es. Licet in multis gratia Christi sine operibus comprobetur, & cessante merito conuersationis ac vitæ sola Dei dona fructificent: tamen quia tu præ cæteris electus à Deo comprobaris, qui & legis opera impleuisti, & commoraris in gratia vsque ad supereminentem scientiæ caritatem, intellectu Dei tecum loquente festinanter existentibus cogitationibus insignibus hoc vis nosse quod futurus es, totius tibi Ecclesiæ, prout præcipis, Sacramenta reserabo, doctrinæ ordinem & locum custodiens, & quid qualiter obseruare debeas docens: si modo ad iniuriam non reuoces nouellæ exhortationis industriam, ac te non pudeat paulisper minorem esse dum discis; quia seposito, vt vides, priuilegio dignitatis, habes de nobis amplius quod quæras, & id quod iam pridem in consecratione constitutum te esse credis. Restat quod capias, ne minor inueniaris in Christo, quam in mundo interim nominaris: ac si falsi vocabuli inutilis pastor existas, cum hæc quæ in Domino latent Sacramenta nescires. Nos tamen tenentes in omni disputatione rationem, ac tecum simpliciter fabulantes, verum te Episcopum animarum debere esse monstrabimus, vt factus tibi ipse iudex, hoc quod loquimur implere festines: & nobis consentiens, verecundia & confusione reiecta, eligas abiectus esse in domo Dei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Sic enim Iesus ait: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent, domini vocantur; vos autem non sic: sed qui maior est vestrûm, fiat sic minor; & qui princeps est, fiat sicut minister, quis enim maior est, qui recumbit, aut qui ministrat? In gentibus quidem qui discumbit; inter vos autem non sic, sed qui ministrat. Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat, & vos quia estis mecum in tentationibus meis: ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum, vt edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, & sedeatis super sedes duodecim tribus Israel.* Et alibi: *Rectorem posuerunt te, noli extolli, sed esto tanquam vnus ex ipsis.* Et alibi: *Non vt domineris clero, sed vt forma sis ouibus.* Et alibi: *Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in secula. Vnus enim Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnia, & nos in ipso, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Sed non in omnibus est scientia. Cæcitas enim contigit ex parte Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. *Conclusit* ergo *Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur.* Ante omnia humilitatem dilige, quia superbia apostatare facit à Deo, & initium omnis peccati superbia est. Deus enim noster *formam serui accipiens humiliauit se vsque ad mortem; mortem autem crucis.* Omnes scripturas mente percurre, totum canonem lege, atque habens ante oculos exempla sanctorum, imitare quod bonum est, æmulare quod sanctum est, factusque tibi Hierosolyma cœlestis Deo vota restitue, domum in te & templum Salomonis ædifica, tabernaculum fabrica, & diligentius exornare festina, intra sancta sanctorum indeficiens lumen accende: perfectionem in omnibus tene, *pone custodiam ori tuo, & ostium circumstantiæ labris tuis.* Non des in tentationem animam tuam, & non obdormiet qui custodit. Exalta vocem tuam & dic: *omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos fœni,* aruit fœnum & flos decidit; *verbum* autem *Domini manet in æternum.* Sacerdos enim Domini, qui de ore suo profert iustitiam, & exquirentibus nunciat veritatem, angelus Dei omnipotentis est. In omnibus causis serua iustitiam, peregrinantem, & orphanum, & viduam, & pauperem, vel pupillum vacuo gremio non dimittas: ibique thesaurum tuum, vbi cor tuum est, conde, cum omnibus fratribus tuis, sicut scriptum est, *pacem habe.* Consilia fuge, ne, dum iudicas, condemneris, sic enim scriptum est: *beatus vir qui non abit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Potentum personas, diuitum notitias, salutantium obsequia ita accipe vt pauperem non contristes, nec vlli fastidium excusationis inducas. *Non recedat liber legis,* vt scriptum est, *de manu tua; sed medi-*

meditare in ea die ac nocte. Sic enim ſcriptum eſt: *ſine offenſione eſtote Iudæis & Græcis & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis vt ſalui fiant*. Prius quam audias ne iudices quenquam, atq; ante probationem accuſationis illatæ neminem à tua communione ſuſpendas: quia non ſtatim qui accuſatur reus eſt, ſed qui conuincitur criminoſus. Nec præſtandum odiis ſingulorum eſt, vt innocentum fratrum donetur iniuria: quinimo timorem Domini ante oculos ſemper habens, vt totum quod agitur Deo & Chriſto ſcias eſſe præſentandum: nam præterit figura huius mundi, *& Deo magis obedire conuenit, quam hominibus*. Qui ſcit præterita, de futuris æſtimat. Vno enim ſermone tota lex adimpletur, Omne quod tibi fieri nolueris, alii ne feceris. Domi, ſi fieri poteſt, poſtpoſita perſonæ tuæ cura officiique reuerentia, ſeruum ſeruis eſſe te conuenit, atque ita Iſrael in omnibus perdocere, vt, quicunq; audiunt, conuerſatione tua magis quam ſermone proficiant. Sic enim ſcriptum eſt; *in ſapientia ambulate ad eos qui foris ſunt*. Non te extollat ſalutatio plurimorum munera diuitum & obſequia te non vnicant, quia *munera*, vt ſcriptum eſt, *excæcant oculos iudicum*, nec plus ſit apud te matrona nobilis & diues, quam profeſſa pauper atq; mendica; aut vidua maritali auxilio deſtituta æqualis ei, quæ habet virum potentem in ſeculo, videatur. Alienum te à perſonis omnium reddendum iudica, ac propter iniuſtitiam in iudicio pauperem non defendas, nec propter gratiam diuiti indecenter aſſiſtas: aut ſi hoc non potes facere, cognitionem reſpue cauſarum. Sola eſto tibi lectione & oratione contentus. *Neminem* enim, vt ſcriptum eſt, *diligit Deus, niſi eum qui cum ſapientia habitat* ac nullum lædit. Iſta ſi feceris, Deo vtilis, in omnibus comprobatus, perfectum Sacerdotium in te retentabis. Expelle de templo Chriſti oues, & boues, & columbas vendentes, & numulariorum euerte menſas: quia domus patris noſtri domus negociationis eſſe non debet, ſed orationis. Et quod iudicio Dei proiicitur, deſiderari propter damnationis ſententiam non oportet, ne reprobi inueniamur in Chriſto: Sicque fiet vt in veritate conſiſtens ſeptiformis Eccleſiæ Sacramentum noſſe merearis, quod in omnipotentia Dei cum ſui veneratione conſiſtit, id eſt, in Patre, Filio, & Spiritu ſancto; in Archangelis, in Angelis, in ſapientia, in hominibus. Quæ omnia ſi diligenter inſpicias, totius in his diſpoſitionibus Eccleſiæ Catholicæ fundamenta cognoſces; & per hos gradus ſi obſeruaueris vniuerſa quæ ſcripta ſunt, *Deus erit in memoria tua, & tu in Dominum tuum reuerteris*.

B. GREGORII MAGNI, PAPÆ ROMANI EPISTOLÆ — Anno Domini 593.

DE OBEDIENTIA ERGA IMPERATOREM; ET DE NOMINE VNIVERSALIS PAPAE IN Eccleſia Catholica non vſurpando.

Regeſti Lib. II. Epiſt. LXII.

Conqueritur de Lege Imperatoris, qua prohibuit, ne Milites in monaſteriis ſuſciperentur.

MAVRITIO AVGVSTO. Omnipotenti Deo reus eſt, qui ſereniſſimis Dominis in omne quod agat & loquitur, purus non eſt. Ego autem indignus pietatis veſtræ famulus, in hac ſuggeſtione neq; vt Epiſcopus, neq; vt ſeruus iure reipublicæ, ſed iure priuato loquor: quia ſereniſſime Domine, & ex illo iam tẽpore Dominus meus fuiſti, quando adhuc Dominus omnium non eras. Longino viro Clariſſimo ſtratore veniente Dominorum legem ſuſcepi, ad quam fatigatus tunc ægritudine corporis, reſpondere nil valui. In qua Dominorum pietas ſanxit, vt *quiſquis publicis adminiſtrationibus fuerit implicatus, ei ad Eccleſiaſticum officium venire non liceat*. Quod valde laudaui, euidentiſſime ſciens, quia qui ſecularem habitum deſerens, ad Eccleſiaſtica officia venire feſtinat, mutare vult ſeculum, non relinquere. Quod vero in eadem lege dicitur, *vt ei in monaſterio conuerti non liceat*, omnino miratus ſum; dum & rationes eius poſſint per monaſterium fieri, & agi poteſt, vt ab eo loco in quo ſuſcipitur, eius quoque debita ſoluantur. Nam etſi quiſquam deuota mente conuerti voluiſſet, prius res male ablatas redderet, & de ſua anima tanto verius, quanto expeditior cogitaret. In qua lege ſubiunctum eſt, *vt nulli, qui in manu ſignatus eſt, conuerti liceat*. Quam conſtitutionem ego, fateor Dominis meis, vehementer expaui: quia per eam cœlorum via multis clauditur, & quod nuncuſq; licuit, ne liceat prohibetur. Multi enim ſunt, qui poſſunt religioſam vitam etiam cum ſeculari habitu ducere. Et pleriq; ſunt, qui niſi omnia reliquerint, ſaluari apud Deũ nullatenus poſſunt. Ego vero hæc Dominis meis loquens, quid ſum niſi puluis & vermis? Sed tamen quia contra auctorem omniũ Deum hanc intendere conſtitutionẽ ſentio, Dominis tacere non poſſum. Ad hoc enim poteſtas Dominorum meorum pietati cœlitus data eſt ſuper omnes homines, vt qui bona appetunt, adiuuẽtur, vt cœlorũ via largius pateat, & ter-

& terrestre regnum cœlesti regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur, *vt ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino Iesu Christo militare non liceat.* Ad hæc, ecce per me seruum vltimum suum & vestrum respondebit Christus dicens: Ego te de Notario Comitem Excubitorum, de Comite Excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem: nec solum hoc, sed etiam patrem Imperatorum feci; ego Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde rogo, piissime Domine, seruo tuo, quid venienti & hæc dicenti responsurus es in iudicio Domino tuo? sed fortasse creditur, quia nullus eorum puro animo conuertatur. Ego indignus famulus vester scio, quanta his diebus meis in monasterio milites conuersi miracula fecerunt, signa & virtutes operati sunt. Sed per hanc legem iam ne quisquam talium conuerti valeat, prohibetur. Requirat rogo Dominus meus piissimus quis prior Imperatorum talem legem dederit, & subtilius æstimet si debuit dari. Et quidem considerandum valde est: quia eo iam tempore prohibentur quisq; relinquere seculum, quo appropinquat finis ipse seculorum. Ecce enim mora non erit, & ardente cœlo, ardente terra, coruscantibus elementis, cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cum Principatibus & Potestatibus tremendus Iudex apparebit. Si omnia peccata dimiserit, & solam hanc legem contra se dixerit esse prolatam, quæ rogo erit excusatio? Vnde per eundem tremendum Iudicem deprecor, ne illæ tantæ lachrymæ: tantæ orationes, tanta ieiunia, tantæq; eleemosynæ Domini mei ex qualibet occasione apud omnipotentis Dei oculos fuscentur, sed aut temperando pietas vestra, aut immutando vigorem eiusdem legis inflectat: quia tunc magis Dominorum exercitus contra hostes crescit, quanto Dei exercitus ad orationem creuerit. Ego quidem iussioni subiectus, eandem legem per diuersas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis Dominis nunciaui. Vtrobique ergo quæ debui exsolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod sensi, minime tacui.

EPISTOLA XLV.

Conqueritur de Lege Imperatoris, ne Milites conuertantur in Monasteriis.

THEODORO MEDICO, &c. Quanta bona omnipotentis Dei & serenissimi Domini mei Imperatoris habeam, lingua mea non sufficit explere. Pro quibus bonis quid est meum retribuere, nisi eorum vestigia pure amare? Peccatis autem meis facientibus, ex quorum suggestione vel consilio, nescio an vestro, transacto anno talem in republica sua legem protulit, vt quisquis eam pure amat, flere vehementer debeat. Ad quam legem tunc respondere non potui, quia ægrotus fui. Modo autem eidem Domino aliqua suggessi. Præcipit enim, *vt nullus qui actionem publicam egit, nullus qui officio, vel manu signatus, vel inter milites fuit habitus, ei in monasterio conuerti liceat, nisi forte si militia eius fuerit expleta.* Quam legem primum, sicut ii dicunt qui leges veteres nouerunt, Iulianus protulit, de quo scimus omnes, quantum Deo aduersus fuerit. Quod si ideo serenissimus Dominus noster fecit, quia forte multi milites conuertebantur, & exercitus decrescebat; nunquid per virtutem militum subiugauit ei omnipotens Deus imperium Persarum? Nunquid non solæ lachrymæ illius auditæ sunt, & eo ordine quem ipse nesciuit, eius Imperio Persarum regnum subdidit? Valde autem mihi durum videtur, vt ab eius seruitio milites suos prohibeat, qui ei & omnia tribuit, & dominari eum non solum militibus, sed etiam Sacerdotibus concessit. Nunquid si intentio est seruandarum rerum, non poterant ea ipsa monasteria, quæ milites suscepissent, alienas res reddere, atq; ad conuersionem homines tantummodo habere? Hæc quia mihi valde dolent, eidem domino suggessi. Sed vestra gloria opportuno tempore secrete suggestionem meam ei offerat. Nolo eam à responsali meo publice dari, quia vos qui ei familiarius seruitis, loqui ei liberius & apertius potestis, quæ pro eius sunt anima: quoniam in multis est occupatus, & vix animus eius inuenitur à curis maioribus vacuus. Tu quidem gloriose fili pro Christo loquere. Si auditus fueris, lucrum operatus es animæ prædicti Domini tui, & tuæ. Si vero auditus non fueris, lucrum solummodo tuæ fecisti.

Regesti Lib. IV. Epist. XXXI.

Conqueritur, se fatuum ab Imperatore appellatum: Deinde Sacerdotes honorandos, exemplo Constantini confirmat, &c.

MAVRITIO AVGVSTO. In Serenissimis iussionibus suis Dominorum pietas me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minime pepercit. Nam in eis vrbane *simplicitatis* vocabulo me fatuum appellat. In scriptura etenim sacra cum in bona intelligentia ponitur simplicitas, vigilanti sæpe prudentiæ atque rectitudini sociatur. Vnde etiam de beato Iob scriptum est: *Erat vir simplex & rectus.* Et beatus Paulus Apostolus admonet dicens: *Estote simplices in malo, prudentes in bono.* Et per semetipsam admonet veritas, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Esse valde inutile indicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit. Vt ergo seruos suos ad cognita eruditos efficeret, esse eos & simplices sicut columbas, & prudentes vt serpẽtes voluit: quate-

quatenus in eis & serpentis astutia columbæ simplicitatem acueret, & columbæ simplicitas serpentis astutiam temperaret. Ego igitur, qui in serenissimorum Dominorum iussionibus & Arnulphi astutia deceptus non adiuncta prudentia simplex denuncior, constat proculdubio quia fatuus appellor: quod ita esse ego quoq; ipse confiteor. Nam si hoc vestra pietas taceat, causæ clamant. Ego enim si fatuus nō fuissem, ad ista toleranda, quæ intra Longobardorū gladios hoc in loco patior, minime venissem. In ea autem re, quā de Arnulpho perhibui, qa toto corde venire ad rempublicā paratus fuit, dum mihi nō creditur, etiā mentitus esse reprehendor. Sed etsi Sacerdos non sum: Scio grauem esse hanc iniuriam Sacerdoti, vt veritati seruiens, fallax credatur. Et dudum noui, quoniam Arnulpho plus est creditum quam mihi; Leoni amplius est creditum quā mihi: & nunc eis qui esse ad medium videntur, plus quā meis assertionibus credulitas impenditur. Et quidem si terræ meæ captiuitas p quotidiana momenta non excresceret, de despectione mea atq; irrisione lætus tacerem. Sed & hoc me vehementer affligit: quia ego vnde crimē falsitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur sub Longobardorū iugo captiua. Dumq; meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostiū immaniter excrescunt. Hoc tamē piissimo Domino suggero, vt de me mala omnia qlibet existimet, de vtilitate vero reipublicę & causa ereptionis Italiæ non qbuslibet facile pias aures præbeat, sed plus rebus quā verbis credat. *Sacerdotibus autē non ex terrena potestate Dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione, ppter eū cuius serui sunt, eis ita dominetur, vt etiā debitam reuerentiā impendat.* Nā in diuinis eloquiis aliquando Sacerdotes *Dii*, aliquando *Angeli* vocantur. Nam & p Mosen de eo qui ad iuramentū deducendus est, dicitur: *Applica illū ad Deos*, id est, ad Sacerdotes. Et rursum est: *Diis nō detrahes*, scilicet Sacerdotibus. Et Propheta ait: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiā, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituū est.* Quid ergo mirū, si illos vestra pietas dignatur honore, quibus in suo eloquio honorē tribuens, eos aut Angelos, aut Deos ipse etiā appellat Deus? Ecclesiastica quoq; testatur Historia, quia cū piæ memoriæ Constantino Principi scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidē accusationis accepit, & eosdem qui accusati fuerant Episcopos conuocans, in eorū conspectu libellos quos acceperat, incendit, dicēs: *Vos Dii estis, à vero Deo constituti. Ite & inter vos causas istas discutite, quia dignū non est vt nos iudicemus Deos.* In qua tamen sententia, pie Domine, sibi magis ex humilitate, quā illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa. Ante eū quippe pagani in republica principes fuerunt, qui verū Deum nescientes, Deos ligneos & lapideos colebant, & tamen eorū Sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum si Christianus Imperator veri Dei Sacerdotes dignetur honorare, dum pagani (vt pdiximus) principes honorē impendere Sacerdotibus nouerunt: qui Diis ligneis & lapideis seruiebant? Hæc ergo pietati Dominorū non pro me, sed pro cunctis Sacerdotibus suggero. Ego enim homo peccator sum. Et quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo, aliq mihi apud tremendum examen illius esse remedium suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior. Et credo quia eundem omnipotentem Dominum tanto vobis amplius placatis, quanto me ei male seruientem districtius affligitis. Multas enim iā plagas acceperam, & superuenientibus Dominorum iussionibus inueni consolationes, quas non sperabam. Si enim possum, has celeriter plagas enumero. Primum, qđ mihi pax subducta est, quam cum Lōgobardis in Tuscia positis sine vllo reipublicæ dispendio feceram. Deinde corrupta pace, de Romana ciuitate milites ablati sunt, & quidē alii ab hostibus occisi, alii vero Narniis, & Perusii positis, & vt Perusium teneretur, Roma relicta est. Post hoc plaga grauior fuit aduentus Agilulphi, ita vt oculis meis cernerem Romanos more canū in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Et quia nos qui intra ciuitatem fuimus, Deo ptegente manus eius euasimus: quæsitum est vnde culpabiles esse videremur, videlicet cur frumenta defuerint, quæ in hac vrbe diu multa seruari nullatenus possunt, sicut in alia suggestione plenius indicaui. Et quidē de me ipso in nullo turbatus sum, quia teste conscientia fateor, aduersa qlibet pati paratus sum, dummodo hæc omnia cum salute duntaxat animæ meæ euadā. Sed de gloriosis viris Gregorio Præfecto, & Castorio Magistro militū non mediocriter sum afflictus, qui & omnio quæ potuerunt fieri, nullo modo facere neglexerunt, & labores vigiliarū, & custodiæ ciuitatis, in eadē obsessione vehementissimos ptulerant, & posthæc omnia graui dominorū indignatione pcussi sunt. De quibus patenter intelligo: quia eos nō sua acta, sed mea persona grauat. Cū qua, quia pariter in tribulatione laborauerant, post laborē pariter tribulantur. Quod autē dominorum pietas illud mihi pauendū, & terribile omnipotentis Dei iudiciū intentat, rogo per eundē omnipotentem Dominū, ne hoc vlterius quidē faciat. Nam adhuc nescimus, quis ibi qualis sit. Et Paulus egregius prædicator ait: *Nolite iudicare ante tempus, donec veniat Dominus qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Hoc tamen breuiter dico, quoniā indignus & peccator plus de venientis Iesu misericordia, quā de vestræ pietatis iustitia præsumo. Et sunt multa quæ de iudicio illius homines ignorant, quia fortasse quæ vos laudatis, ille reprehendet; & quæ vos reprehenditis, ille laudabit. Inter hæc ergo omnia incerta, ad solas lachrymas redeo, petens vt idem omnipotens Deus piissimum Dominum nostrum, & sua hic manu regat, & in illo terribili iudicio liberum ab omnibus delictis inueniat. Et me ita placere, si necesse est, hominibus faciat, vt æternam eius gratiam non offendam.

EPISTOLA XXXII.

De Ioanne Episcopo Constantinopolitano, qui sibi VNIVERSALE nomen arripuit.

MAVRITIO AVGVSTO. Piissimus atque à Deo constitutus Dominus noster, inter ceto-

cæteras augustorum ponderum curas conseruandæ quoq; Sacerdotali caritati rectitudine studii spiritalis inuigilat: videlicet pie veraciterq; considerans, neminem posse recte terrena regere, nisi nouerit diuina tractare, pacemq; reipublicæ ex vniuersalis Ecclesiæ pace pendere. Quæ enim serenissime Domine virtus humana, quodq; carnei robur brachii contra vestri Christianissimi culmen imperii irreligiosas præsumeret manus erigere, si studeret concors Sacerdotum mẽs redemptorem suum lingua pro vobis atq; vt oportebat meritis exorare? Aut quis ferocissimæ gentis gladius in necem fidelium tãta crudelitate grassaretur, nisi nostra vita, qui Sacerdotes nominamur, & non sumus, à prauissimis grauaretur operibus? Sed dum nos per competentia nobis relinquimus, & nobis incompetentia cogitamus, peccata nostra barbaricis viribus sociamus, & culpa nostra hostium gladios exacuit, q̃ reipublicæ vires grauat. Quid autem dicturi sumus qui populum Dei, cui indigne præsumus, peccatorum nostrorum oneribus premimus? qui quod per linguam prędicamus, per exempla destruimus? qui iniqua docemus operibus, & sola voce ea quæ sunt iusta prætendimus? Ossa ieiuniis atteruntur, & mente turgemus. Corpus despectis vestibus tegitur, & elatione cordis purpuram superamus. Iacemus in cinere, & excelsa non despicimus. Doctores humilium, duces superbiæ, ouina facie Lupinos dentes abscondimus. Sed quis horum finis est, nisi quod hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus? Quamobrem prouidentissime piissimus Dominus noster ad compescendos bellicos motus pacem quærit Ecclesiæ, atq; ad huius compagem Sacerdotũ dignatur corda reducere. Quod quidem ego opto atq; quantum ad me attinet, serenissimis iussionibus obedientiam præbeo. Quia vero non causa mea, sed Dei est; & quia non solus ego, sed tota turbatur Ecclesia, quia piæ leges, quia venerandæ synodi, quia ipse Domini nostri Iesu Christi mandata superbi atq; pompatici cuiusdam sermonis inuentione turbantur: piissimus Dominus locum secet vulneris, atq; resistentem ægrum augustæ auctoritatis vinculis constringat. Adstringendo enim statum reipublicæ subleuatis: & dum talia reciditis, de regni vestri prolixitate tractatis. Cunctis ergo Euangelium scientibus liquet, quod voce Dominica sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo, totius Ecclesię cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: *Petre amas me? pasce oues meas.* Ipsi dicitur: *Ecce Sathanas expetiit cribrare vos sicut triticum, & ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Ipsi dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et, *Tibi do claues regni cælorum*; &, *Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cœlis.* Ecce claues regni cœlestis accipit, potestas ei ligandi ac soluendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur; & vir sanctissimus consacerdos meus Ioannes vocari Vniuersalis Episcopus conatur. Exclamare compellor ac dicere: *O tempora, ô mores.* Ecce cuncta in Europæ partibus Barbarorum iuri sunt tradita, destructæ vrbes, euersa castra, depopulatę prouinciæ, nullus terram cultor inhabitat: sæuiunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum, & tamen Sacerdotes, qui in pauimento & in cinere flentes iacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt; & nouis ac profanis vocabulis gloriantur. Nunquid ego hac in re piissime Domine propriam causam defendo? nunquid specialem iniuriam vindico? & non magis causam omnipotentis Dei, & causam vniuersalis Ecclesiæ? Quis est iste qui contra statuta Euangelica, contra Canonum decreta, nouum sibi vsurpare nomen præsumit? Vtinam vel sine aliorum imminutione vnus sit, qui vocari appetit vniuersalis. Et certe multos Constantinopolitanæ Ecclesiæ in hæreseos voraginem incidisse nouimus Sacerdotes, & non solum hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui mediatorem Dei & hominum Iesum Christum duas esse personas existimans: quia Deum fieri hominem potuisse non credidit, vsque ad Iudaicam perfidiam erupit. Inde Macedonius, qui consubstantialem Patri & Filio Spiritum sanctum Deum esse denegauit. Si igitur illud nomen in Ecclesia sibi quisquam arripuit, quod apud bonorum omnium iudicium fuit: vniuersa ergo Ecclesia, quod absit, à statu suo corruit, quando is qui appellatur vniuersalis cadit. Sed absit à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab vno sibi dementer arrogatur. Certe pro beati Petri Apostolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonensem synodum Romano Pontifici oblatum est. Sed nullus eorum vnquam hoc singularitatis nomen assumpsit, nec vocabulo vti consensit, nedum priuatum aliquod daretur vni, honore debito Sacerdotes priuarentur vniuersi. Quid est ergo quod nos huius vocabuli gloriam & oblatam non quærimus, & alter sibi hanc arripere etiam non oblatam præsumit? Ille ergo magis est piissimorum diuinorum præceptione flectendus, qui præceptis Canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coërcendus est, qui Sanctæ vniuersali Ecclesiæ iniuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honori quoque Imperii vestri se per priuatum vocabulum superponit. Ecce omnes hac de re scandalum patimur. Ad viam ergo rectam reuertatur auctor scandali, & omnia Sacerdotum iurgia cessabunt. Ego enim cunctorum Sacerdotum seruus sum, in quantum ipsi Sacerdotaliter viuunt. Nam qui contra omnipotentem Dominum per inanis gloriæ tumorem atq; contra statuta patrum suam ceruicem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam sibi nec cum gladiis flectit. Quid autem nuper in hac vrbe ex huius auditu vocabuli gestum sit, Sabiniano Diacono ac responsali meo subtilius indicaui. Cogitet ergo Dominorum pietas de me proprio suo, quem specialiter præ cæteris semper fouit atque continuit, qui & vobis obedientiam præbere desiderio, & tamen de mea negligentia reperiri reus in superno tremendoque iudicio pertimesco. Ac secundum petitionem prædicti Sabiniani Diaconi,

aut

aut piissimus Dominus ipsum dignetur indicare negotium, aut sæpe nominatum virum, vt ab hac tandem intentione cesset deflectere. Si ergo iudicio pietatis vestræ iustissimo vel clementibus admonitionibus cesserit, omnipotenti Deo gratias referimus, atq; de concessa per vos omni Ecclesiæ pace gaudemus. Sin autem in eadem diutius contentione persiiterit, hac de re iam veritatis sententiam certam tenemus, quæ ait: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Et rursus scriptum est: *Ante ruinam exaltabitur cor.* Ego autem Dominorum iussionibus obedientiam præbens, prædicto Consacerdoti meo & dulciter scripsi, & humiliter, vt ab hac inanis gloriæ appetitione sese emendet admonui. Si igitur me audire voluerit, habet deuotum fratrem: si vero in superbia persistit, iam quid assequatur, aspicio, quia illum sibi aduersarium inuenit, de quo scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

EPISTOLA XXXIV.

De superbia Ioannis Episcopi, & de Maximo præuaricatore.

CONSTANTINÆ AVGVSTÆ. Omnipotens Deus, qui pietatis vestræ cor sua dextera maiestatis tenet, & nos ex vobis protegit, & vobis pro temporalibus actibus æterna præmia remunerationis parat. Nam Sabiniano Diacono Responsali meo scribente cognoui in causis Beati Petri Apostolorum Principis contra quosdam superbos, humiles facietenus & blandos, quanta se iustitia vestra serenitas impendat. Et in Redemptoris nostri largitate confido, qui bonum hoc in serenissimo Domino & piissimis filiis in cœlestis quoq; patriæ retributione recipietis. Nec dubium est peccatorum vinculis solutis æterna vos bona recipere, qui in causis eius Ecclesiæ ipsum vobis, cui potestas ligandi & soluendi data est, debitorem fecistis. Vnde adhuc peto, vt nullius præualere contra veritatem hypocrisin permittatis: quia sunt quidam, qui iuxta egregii prædicatoris vocem, per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium, qui veste quidem despecti sunt, sed corde tument, & quasi in hoc mundo cuncta despiciunt, sed tamen ea quæ mundi sunt, simul cuncta adspici quærunt. Qui indignos se omnibus hominibus fatentur, sed priuatis vocabulis contenti esse non possunt: quia illud appetunt, vnde omnibus digniores esse videantur. Vestra itaq; pietas, quam omnipotens Deus cum serenissimo Domino vniuerso mundo præesse constituit, illi per fauorem iustitiæ famulatũ suum reddat: à quo ius tantæ potestatis accepit, vt quanto verius in executione veritatis auctori omnium seruit, tanto securius commisso sibi mundo dominetur. Præterea indico, quia Domini piissimi scripta suscepi, *vt cum fratre & consacerdote meo Ioanne debeã esse pacificus.* Et quidẽ sic religiosum Dominũ decuit, vt ista præciperet sacerdotib⁹. Sed cum se noua præsumptione atq; superbia idem frater meus vniuersalem Episcopum appellet, ita vt sanctæ memoriæ decessoris mei adscribi se in synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, quamuis cuncta acta illius synodi, sede contradicente Apostolica, soluta sint: triste mihi aliquid serenissimus Dominus innuit, quod non eum corripuit qui superbit, sed magis ab intentione mea declinare studuit, qui in hac caussa Euangelicorum & Canonum statuta, humilitatis atq; rectitudinis virtute defendo. Qua in re à prædicto fratre & consacerdote meo contra Euangelicam sententiam, contra Beatum quoq; Petrum Apostolum, & contra omnes Ecclesias, contraq; Canonum statuta agitur. Sed est omnipotens Dominus, in cuius manu sunt omnia, de quo scriptum est: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.* Et quidem sæpe fatus sanctissimus frater serenissimo Domino multa suadere conatur: sed bene noui, quia tantæ illæ orationes eius & lachrymæ, nil ei à quoquam contra rationem aut animam suam surripi permittunt. Triste tamen valde est, vt patienter feratur, quatenus despectis omnibus, prædictus frater & Coepiscopus meus solus conetur appellari Episcopus. Sed in hac eius superbia quid aliud nisi propinqua iam Antichristi esse tempora designatur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens: *super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis, & ascendam super altitudinem nubium, & ero similis Altissimo.* Vnde per omnipotentem Dominum rogo, ne pietatis vestræ tempora permittatis vnius hominis elatione maculari, neq; tam peruerso vocabulo vllum quoquo modo præbeatis assensum, atq; hac in caussa nequaquam me pietas vestra despiciat: quia etsi peccata Gregorii tanta sunt, vt pati talia debeat; Petri tamen Apostoli peccata nulla sunt, vt vestris temporibus pati ista mereretur. Vnde iterum atq; iterum per Omnipotentem Dominum rogo, vt sicut parentes priores vestri Principes, Sancti Petri Apostoli gratiam quæsierunt: ita vos quoq; & hanc vobis quærere, & conseruare curetis, & propter peccata nostra, qui ei indigne seruimus, eius apud vos honor nullatenus minuatur, qui & modo vobis adiutor esse in omnibus, & postmodum vestra valeat peccata dimittere. Viginti autem iam & septem annos ducimus, quod in hac vrbe inter Longobardorum gladios viuimus. Quibus quàm multa hac ab Ecclesia quotidianis diebus erogantur, vt inter eos viuere possimus, suggerenda non sunt. Sed breuiter indico, quia sicut in Rauennæ partibus Dominorũ pietas apud primum exercitum Italiæ sacellarium habet qui causis superuenientibus quotidianas expensas facit, ita & in hac vrbe in causis talibus eorum sacellarius ego sum. Et tamen hæc Ecclesia, quæ vno eodemq; tempore clericis, monasteriis, & pauperibus, populo atq; insuper Longobardis tam multa indesinenter expendit, Ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum premitur afflictione, quæ de hac vnius hominis superbia multum gemunt, etsi nihil dicere præsumunt. Salonitanæ vero ciuitatis Episcopus me ac responsali meo ne-

sciente ordinatus est, & facta res est, quæ sub nullis anterioribus Principibus euenit. Quod ego audiens, ad eundem præuaricatorem, qui inordinate ordinatus est, protinus misi, vt omnino missarum solennia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius à serenissimis Dominis cognoscerem, si hoc fieri ipsi iussissent, quod ei sub excommunicationis interpositione mandaui. Et contempto me atque despecto, in audaciam quorundam secularium hominum, quibus de nudata sua Ecclesia præmia multa præbere dicitur, nunc vsque missas facere præsumit, atq; ad me venire secundum iussionem Dominorum noluit. Ego autem præceptioni pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc quod in ordinatione sua me, vel Responsalem meum, prætermittere præsumsit, ita ex corde laxaui, ac si me auctore fuisset ordinatus. Alia vero peruersa illius, mala scilicet corporalia, quæ cognoui, vel quia cum pecunia est electus, vel quia excommunicatus missas facere præsumsit, propter Deum irrequisita præterire non possum. Sed opto, & Dominum deprecor, quatenus nihil in eo de his quæ dicta sunt, valeat inueniri, & sine periculo animæ meæ causa ipsius terminetur. Prius tamen quam hæc cognoscantur, serenissimus Dominus discurrente iussione præcepit, vt eum venientem cum honore suscipiam. Et valde graue est, vt vir de quo tanta & talia nunciantur, cum ante requiri & discuti debeat, honoretur. Et si Episcoporum caussæ mihi commissarum apud piissimos Dominos aliorum patrociniis disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed vt Episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad seculares iudices habeant, Omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breuiter suggero, quia aliquantulum expecto, & si ad me diu venire distulerit, in eo exercere districtionem canonicam nullo modo cessabo. In omnipotenti autem Domino confido, quia longam piissimis Dominis vitam tribuet, & nobis sub manu vestra non secundum peccata nostra, sed secundum gratiæ suæ dona disponet. Hæc ego tranquillissimæ Dominæ suggero: quia integerrima serenitas eius conscientia quanto moueatur zelo rectitudinis atq; iustitiæ, non ignoro.

EPISTOLA XXXVI.

Vt communiter insequantur superbiam Ioannis Episcopi, qui nomen Vniuersalis sibi arrogabat.

EVLOGIO Episcopo Alexandrino, & ANASTASIO Episcopo Antiocheno. Dum Prædicator egregius dicat: *Quamdiu quidem sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*; qui rursus alias dicens: *Facti sumus vt paruuli in medio vestrum*: Exemplum proculdubio nobis sequentibus ostendit, vt & humilitatem teneamus in mente, & tamen ordinis nostri dignitatem seruemus in honore, quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba. Ante hos siquidem annos octo sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii tempore, Frater & Coepiscopus noster Ioannes in Constantinopolitana vrbe ex caussa alia occasionem quærens Synodum fecit, in qua se Vniuersalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus vt agnouit, directis literis ex autoritate S. Petri Apostoli eiusdem synodi acta cassauit. Quarum videlicet Epistolarum sanctitati vestræ exemplaria studui destinare. Diaconum vero, qui iuxta morem pro Responsis Ecclesiæ faciendis piissimorum Dominorum vestigiis adhærebat, cum præfato consacerdote nostro missarum solennia celebrare prohibuit. Cuius ego quoque sententiam sequens, similia prædicto consacerdoti meo scripta transmisi, quorum exemplaria vestræ beatitudini censui transmittenda: hoc præcipue intendens, vt hac de re, qua ex noua superbia tota vniuersalis Ecclesiæ viscera perturbantur, prius sæpe fati fratris nostri animum modesta intentione pulsemus. Qui si nequaquam à suæ elationis rigore voluerit inclinari, tunc quid fieri debeat, cum omnipotentis Dei solatio subtilius pertractetur. Sicut enim veneranda mihi vestra sanctitas nouit, vni per sanctam Chalcedonensem synodum Pontifici sedis Apostolicæ, cui Deo disponente deseruio, hoc vniuersitatis nomen oblatum est. Sed nullus vnquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo vti consensit: quia videlicet si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit à Christiana mente, id sibi velle quempiam arripere, vnde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur. Cum ergo nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere; pensate quam ignominiosum sit hunc sibi quempiam violenter voluisse. Propterea sanctitas vestra in suis epistolis neminem vnquam Vniuersalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum. Nec hac in re de serenissimis Dominis animum vestrum mordeat sinistra suspicio, quia omnipotentem Dominum metuit, & contra statuta Euangelica, contra sacratissimos canones agere aliquid nullo modo consentit. Ego vero quamuis à vobis per longa terrarum atque maris spatia disiunctus sim, sum tamen omnino vobis corde coniunctus. Idque de vestra beatitudine erga me modis omnibus confido: quia cum me vicissim diligitis, à me non longe estis. Et magis gratias referimus *grano illi sinapis*, quia ex modici despicabilisque seminis specie, ita est ramis ex eadem radice surgentibus, atque se distendentibus vsquequaque diffusus, vt in eis volatilia cœli cuncta nidificent: Gratiaque sit fermento illi quo tribus farinæ satis totius humani generis massam in vnitate consperfit. Atque *paruo lapidi*, qui abscissus de monte sine manibus, occupauit vniuersam faciem orbis terræ. Qui ad hoc se vsquequaque distendit, vt ex omni humano genere in vnitatem redacto totius corpus perficeretur Ecclesiæ, atque ita ad totius compaginis pertineret commodum, membrorum

par-

partialis illa distinctio. Vnde nos quoque à vobis non longe sumus. Agamus ergo ei gratias, qui solutis inimicitiis in carne sua fecit, vt in orbe terrarum vnus esset grex, & vnum ouile sub se vno pastore; memores semper quid nos prædicator veritatis admoneat, dicens: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis*: & *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Qui aliis quoque discipulis dicit: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Vidit enim pacem bonos cum malis habere non posse: & idcirco sicut nostis præmisit, si fieri potest. Sed quia pax nisi in duabus partibus firmari non valet, cum hanc mali fugiunt, boni tenere medullitus debent. Vnde & mire dicitur, Quod ex vobis est: vt videlicet in nobis maneat, etiam cum à prauorum hominum mente repellitur. Quam videlicet pacem tunc veraciter tenemus, cum superborum culpas, charitate simul & iustitia insistente prosequimur, cum eos diligimus, & eorum vitia odio habemus. Opus quippe Dei homo est, sed opus hominis vitium. Nos ergo discernamus quid Deus, quid item homo fecerit: & neque propter errorem odio habeamus hominem, neque propter hominem diligamus errorem. Vnita ergo mente insequamur in homine malum superbiæ, vt ab hoste suo videlicet errore, prius ipse homo liberetur. Præstabit vires omnipotens Redemptor noster charitati atque iustitiæ; præstabit nobis longe à nobis positis vnitatem spiritus sui, ipse cuius artificio quasi in arcæ modum, quatuor mundi structura lateribus, atque imputribilium lignorum compagine, & bitumine charitatis adstricta, nullius aduersitate spiritus, nullius venientis extrinsecus tumore fluctus perturbetur Ecclesia. Sed quemadmodum illius gubernante gratia petendum est, vt nulla nos superueniens exterius vnda conturbet; ita ex totis orandum est visceribus fratres charissimi, vt suæ prouidentiæ dextera cumulum sentinæ in nobis interioris exhauriat. Aduersarius quippe Diabolus qui contra humiles sæuiens, *sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret*, non iam, vt cernimus, caulas circuit, sed ita valide in quibusdam Ecclesiæ necessariis membris dentes figit, vt nulli sit dubium, quin nisi vnanimiter fauente Domino cunctorum prouida pastorum turba concurrat, omne, quod absit, citius ouile dilaniet. Perpendite fratres charissimi, quid è vicino subsequitur, cuius & in sacerdotibus erumpunt tam peruersa primordia. Quia enim iuxta est ille de quo scriptum est: *Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ*, quod non sine graui dolore dicere compellor, frater & Coepiscopus noster Ioannes mandata Dominica, Apostolica præcepta, regulas patrum despiciens, eum per elationem præcurrere conatur in nomine. Vestræ autem beatitudini indicet omnipotens Deus, quam graui consideratonis huius gemitu torqueor, quod ille quondam mihi modestissimus, ille omnibus dilectus, ille qui in eleemosynis, orationibus atque ieiuniis videbatur occupatus, ex eo in quo sedebat cinere, ex ea quam prætendebat humilitate, iactantiam sumpsit, ita vt vniuersa sibi tentet adscribere, & omnia quæ soli vni capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem pompatici sermonis eiusdem Christi studeat sibi membra subiugare. Nec mirum, quod ille tentator, qui initium omnis peccati scit esse superbiam, & tunc ea in primo homine ante omnia vsus est, & nunc eam quibusdam hominibus ponit in fine virtutum, vt qui aliquatenus bonis vitæ studiis eius videbatur crudelissimas manus effugere, eis in ipsa meta boni operis, & in ipsa quodammodo opponat perfectionis conclusione tenticulum. Vnde magnopere orandum est, & omnipotens Deus assiduis precibus implorandus, vt hunc à mente illius auertat errorem, hoc ab vnitate atq; humilitate Ecclesiæ malum superbiæ, & confusionis amoueat. Et fauente Domino omnibus viribus concurrendum atq; prouidendum, ne in vnius veneno sermonis, viuentia in Christi corpore membra moriantur. Si enim hoc dici licenter permittitur, honor Patriarcharum omnium negatur. Et cum fortasse is in errore perit, qui Vniuersalis dicitur, nullus iam Episcopus remansisse in statu veritatis inuenitur. Obtestor ergo vt constanter & sine præiudicio seruetis sicut accepistis Ecclesias, & nihil sibi in vobis hæc tentatio Diabolicæ vsurpationis adscribat: State fortes, state securi, scriptaque cum Vniuersalis nominis falsitate nec dare vnquam, nec suscipere præsumatis. Omnes Episcopos curæ vestræ subiectos, ab huius elationis inquinatione prohibete, vt vniuersæ vos Ecclesiæ Patriarchas, non solum in bonis operibus, sed etiam in veritatis auctoritate cognoscant. Si qua autem forsan aduersa subsequantur, vnanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostendere, quia in damnando generalitatis nomine nostrum specialiter aliquid non amamus. Dicamus cum Paulo: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.* Audiamus quid primus omnium pastorum dicit: *Si quid patiamini propter iustitiam, beati eritis.* Mihi enim credite, quia honorem, quem pro prædicanda veritate suscepimus, si necessitatis caussa exigat, securius pro eadem veritate relinquimus, quam tenemus. Pro me autem, sicut vestram charissimam beatitudinem decet, orate: vt hoc quod vobis loqui audeo, operibus ostendam.

EPISTOLA XXXVIII.

De pace sanctæ Ecclesiæ ab eo per Vniuersale nomen turbata. De synodo per Pelagium Papam cassata. Exemplum proponit Diaboli contra Deum superbientis. Et de superbia eius nimia.

IOANNI Episcopo Constantinopolitano. Eo tempore quo fraternitas vestra in sacerdotalem honorem prouecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam inuenerit, recolit. Sed nescio, quo re tumore nescio, nouum sibi conata est nomen arripere, vnde omnium fratrum

corda potuissent ad scandalum peruenire: Quod valde vehementer admiror, quia ne ad Episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini. Quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio cucurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris, vt Episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, vt despectis fratribus, Episcopus appetas solus vocari. Et quidem hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii grauia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt. In quibus synodi, quæ apud vos de fratris quondam & consacerdotis nostri Gregorii causa congregata est: propter nefandum elationis vocabulum, acta dissoluit; & Archidiaconum, quem iuxta morem ad vestigia Dominorum transmiserat, missarum vobiscum solennia celebrare prohibuit. Post eius vero obitum, cum indignus ego ad Ecclesiæ regimen adductus sum, & ante per alios Responsales meos, & nunc per communem filium meum Sabinianum Diaconum alloqui fraternitatem vestram, vt à tali se præsumptione compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone curaui. Et si emendari nollet, eum missarum solennia cum fraternitate vestra celebrare prohibui, vt sanctitatem vestram prius sub quadam verecundiæ reuerentia pulsarem: quatenus si emendari nefandus ac profanus tumor verecunde non posset, tunc ad ea debuisset, quæ sunt districta atque canonica, peruenire. Et quia resecanda vulnera prius leui manu palpanda sunt: rogo, deprecor, & quanta possum dulcedine exposco, vt fraternitas vestra cunctis sibi adulantibus, atque erroris nomen deferentibus contradicat, ne stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat. Vere enim flens dico, atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis deputo, quod ille meus frater nuncusque ad humilitatem reduci non valuit; qui ad hoc in Episcopatus gradu constitutus est, vt aliorum animas ad humilitatem reducat, quod ille qui veritatem docet alios, semetipsum docere, nec me quoque deprecante, consensit. Perpende rogo, quia in hac præsumtione temeraria pax totius turbatur Ecclesiæ; & gratiæ contradicitur communiter omnibus effusæ. In qua nimirum ipse crescere tantum poteris, quantum penes temetipsum decreueris. Tantoq; maior efficieris, quanto te à superbi & stulti vocabuli vsurpatione restringis. Atq; in tantum proficis, in quantum tibi non studueris derogando fratribus arrogare. Humilitatem ergo frater charissime totis visceribus dilige, per quam cunctorum fratrum concordia, & sanctæ vniuersalis Ecclesiæ vnitas valeat custodiri. Certe Paulus Apostolus cum audiret quosdam dicere; *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ*: hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius aliis quodammodo se capitibus sociabant, vehementissime exhorrescens exclamauit, dicens: Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Sic ergo ille membra Dominici corporis certis extra Christum quasi capitibus, & ipsis quidem Apostolis subiici particulariter euitauit: tu quid Christo vniuersalis sanctæ Ecclesiæ capiti in extremi iudicii es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris vniuersalis appellatione supponere? Quis rogo in hoc tam peruerso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, vt & nihil subesse, & solus omnibus præesse videretur? Qui etiam dixit; *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum.* Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Quid enim fratres tui omnes vniuersalis Ecclesiæ Episcopi, nisi astra cœli sunt? quorum vita simul & lingua inter peccata erroresq; hominum quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elationis præponere, eorumq; nomen tui comparatione calcare; quid aliud dicis, nisi in cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum? An non vniuersi Episcopi nubes sunt, qui & verbis prædicationis pluunt, & bonorum operum luce & miraculis coruscant? quos dum vestra fraternitas despiciens, sub se premere conatur: quid aliud dicit nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur: *Ascendam super altitudinem nubium*? Quæ cuncta ego cum flens conspicio, & occulta Dei iudicia pertimesco, augentur lachrymæ, gemitus se in meo corde non capiunt, quod ille vir sanctissimus Dominus Ioannes, tantæ abstinentiæ atque humilitatis, suorum familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit, vt in appetitu peruersi nominis illi esse conetur similis, qui dum superbe esse similis Deo voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit, & veram beatitudinem perdidit, quia falsam gloriam quæsiuit. Certe Petrus Apostolus primum membrum Sanctæ & Vniuersalis Ecclesiæ est. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud quam singularium sunt plebium capita? & tamen sub vno capite omnes membra sunt Ecclesiæ. Atque vt cuncta breui cingulo orationis astringam: Sancti ante legem; sancti sub lege; sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, & nemo se vnquam vocare Vniuersalem voluit. Vestra autem sanctitas agnoscat quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit. Nunquid non, sicut vestra fraternitas nouit, per venerandum Chalcedonense Concilium huius Apostolicæ sedis Antistites, cui Deo auctore disponente deseruio, Vniuersales oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus vnquam tali vocabulo appellari voluit; nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit: ne si sibi in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur. Sed hæc scio, quia vestræ sanctitati ab illis oriuntur, qui vobis deceptiosa familiaritate deseruiunt, contra quos peto, vt vestra fraternitas solerter inuigilet, nec se eorum verbis fallendum præbeat. Tanto enim maiores hostes credendi sunt, quanto magis laudibus adulantur. Relinque tales, etsi omnino decepturi sunt, saltem terrenorum

hominum, & non sacerdotum corda decipiant. *Sine mortuos sepelire mortuos suos.* Vos autem cum Propheta dicite: *Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge.* Et rursus: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Vnde & bene quidam sapiens admonet: *Multi sint pacifici tui, consiliarius autem sit vnus tibi de mille. Corrumpunt* enim *bonos mores colloquia mala.* Antiquus enim hostis cum robusti cor irrumpere non valeat, subiectas & infirmas personas quærit, & quasi contra alta mœnia scalis appositis ascendit. Sic Adam per subiectam mulierem decepit. Sic beato Iob cum filios occidit, infirmam mulierem reliquit: vt qui eius cor per se minime poterat, saltem si posset per mulieris verba penetraret. Quicunque ergo iuxta vos infirmi, ac seculares sunt, in sua semper persuasione, atque adulatione frangantur: quia inde æternas Dei inimicitias pariunt, vnde ipsi peruersi amatores videntur. Certe olim clamabatur per Apostolum Ioannem: *Filioli, nouissima hora est, secundum quod veritas prædixit.* Pestilentia & gladius per mundum sæuit, gentes insurgunt in gentes, terra concutitur, orbis cum habitatoribus suis terra dehiscente sorbetur. Omnia enim quæ prædicta sunt, fiunt. Rex superbiæ prope est, & quod dici nefas est, sacerdotum est præparatus exitus, quia ceruici militant elationis, qui ab hoc positi fuerant, vt ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re, etiam si nostra lingua minime contradicat, illius virtus contra elationem, in vltionem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter aduersatur. Hinc enim scriptum est: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Hinc rursus dicitur: *Immundus est apud Deum, qui exaltat cor.* Hinc contra superbientem hominem scriptum est: *quid superbis terra & cinis?* Hinc per semetipsam veritas dicit: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Quæ vt nos ad viam vitæ per humilitatem reduceret, in semetipsa dignata est, quod nos admonet, demonstrare dicens: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Ad hoc namque vnigenitus Dei filius formam infirmitatis nostræ suscepit: ad hoc inuisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit, ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionum tormenta tolerauit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta igitur humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem mortis factus est paruus? Quia enim originem perditionis nostræ se præbuit superbia Diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas DEI. Hostis quippe noster inter omnia conditus, videri supra omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens supra omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus. Quid ergo nos Episcopi dicimus, qui honoris locum ex Redemptoris nostri humilitate suscepimus, & tamen superbiam hostis ipsius imitamur? Ecce nouimus creatorem nostrum de suæ celsitudinis culmine, vt humano generi daret gloriam, descendisse: & nos de infimis creati, de fratrum minoratione quærimus gloriam. Humiliauit se vsque ad nostrum puluerem DEVS, & *in cœlos ôs suum ponit,* & super terram lingua pertransit puluis humanus, & non erubescit: non metuit extolli homo putredo, & filius hominis vermis. Reducamus ad animum frater charissime hoc quod per sapientissimum Salomonem dicitur: *Ante tonitruum præibit coruscatio, & ante ruinam exaltabitur cor.* Vbi è diuerso subiungitur, *ante gloriam humiliabitur.* Humiliemur ergo in mente, si ad solidam conamur venire celsitudinem. Nequaquam per elationis fumum oculi cordis obscurentur: qui quanto magis excreuerit, tanto celerius euanescit. Pensemus quid nos præcepta admoneant Redemptoris nostri, dicentis: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hinc etiam per Prophetam dicit: *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Certe cum Dominus ad humilitatis viam adhuc infirmantium discipulorum corda reduceret, dixit: *Si quis vult inter vos primus esse, erit omnium minimus.* Qua in re aperte cognoscitur, quoniam ille veraciter sublimis est, qui in suis cogitationibus humiliatur. Formidemus ergo in illorum numerum adscribi, qui primas in synagogis cathedras quærunt, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Quo contra discipulis Dominus dicit: *vos autem nolite vocari Rabbi.* Vnus enim magister vester est, vos autem omnes fratres. Et patrem nolite vocare vobis super terram, vnus est enim pater vester. Quid ergo frater charissime in illo terribili examine venientis iudicis dicturus es, qui non solum pater, sed etiam generalis pater in mundo vocari appetis? Caueatur ergo malorum praua suggestio, fugiatur omnis instigatio scandali. *Oportet* quidem *vt veniant scandala; veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit.* Ecce ex hoc nefando elationis vocabulo Ecclesia scinditur, fratrum omnium corda ad scandalum prouocantur. Nunquid nam mente excidit, quod veritas dicit: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credit, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris?* Scriptum vero est: *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Ecce vestra fraternitas sibi arrogat etiam aliena. Rursum scriptum est: *Honore inuicem præuenietis.* Et tu conaris eum omnibus tollere, quem tibi illicite desideras singulariter vsurpare. Vbi est, frater charissime, quod scriptum est: *Pacem habete cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum?* Vbi est quod scriptum est: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur?* Considerare vos conuenit, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam coinquinantur multi. Quod tamen si considerare negligimus, contra tantæ elationis tumorem iudicia superna vigilabunt. Et nos quidem in quos talis tantaque per ausum nefarium culpa committitur, seruamus quod veri-

tas præcepit, dicens: *si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Ego itaque per Responsales meos semel & his verbis humilibus hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui: nunc per me ipsum scribo. Quicquid facere humiliter debui, omisi. Sed si in mea correptione despicior, restat vt Ecclesiam debeam adhibere. Hæc itaque dicens, omnipotens Deus fraternitati vestræ indicet, quanto circa vos amore constringor: quantumque in hac causa non contra vos, sed pro vobis lugeo. In qua tamen præceptis Euangelicis, institutionibus canonum, vtilitatibus fratrum personam præponere non possum, nec eius quem multum amo. Scripta autem sanctitatis vestræ dulcissima atque suauissima de caussa Presbyterorum Ioannis & Athanasii suscepi, de qua vobis in subsequentibus Domino adiuuante respondebo: quia sub tantis tribulationibus circumfusus Barbarorum gladiis premor, vt non dico multa tractare, sed mihi respirare vix liceat. Dat. Kalendas Ianuarii, Indict. XIII. Anno Dom. 594.

EPISTOLA XXXIX.

De superbia Ioannis Episcopi vitanda.

SABINIANO Diacono. De caussa fratris nostri viri reuerendissimi Ioannis Episcopi Constantinopolitani, duas Epistolas facere nolui. Sed vna breuiter facta est, quæ vtrumque habere videretur admixtum, id est, & rectitudinem & blandimentum. Tua itaque dilectio eam epistolam, quam nunc direxi, propter voluntatem Imperatoris dare studeat. Nam de subsequenti talis alia transmittitur, de qua eius superbia non lætetur. Ad hoc enim vsque peruenit, vt sub occasione Ioannis Presbyteri gesta huc transmitteret, in quibus se pene per omnem versum *vniuersalem* Patriarcham nominaret. Sed spero in omnipotentem Deum, quia hypocrismi illius superna maiestas soluet. Miror autem quomodo dilectionem tuam fallere potuit, vt permitteres Dominum Imperatori persuaderi, quatenus ad me sua scripta de hac causa transmitteret, in quibus admonerer, vt cum eo pacem habere debuissem. Qui si iustitiam tenere vult, illum debuit admonere, vt se à superbo vocabulo compesceret, & protinus inter nos pax fieret. Tamen qua id calliditate à prædicto fratre nostro Ioanne factum sit, minime suspicor, pensasti. Idcirco enim hoc ille fecit, vt audiretur Dominus Imperator, & ille in sua vanitate confirmatus esse videretur: aut non à me audiretur, & eius animus contra me irritaretur. Sed nos rectam vitam tenemus, nihil in hac causa aliud nisi omnipotentem Dominum metuentes. Vnde tua dilectio in nullo trepidet: omnia quæ in hoc seculo videt alta esse contra veritatem, despiciat, in omnipotentis Dei gratia, atque Beati Petri Apostoli adiutorio confidat. Vocem veritatis recolat dicentis: *Maior est qui in cœlis est, quam qui in mundo*, & in hac causa quicquid agendum est, cum summa auctoritate agat. Postquam enim defendi ab inimicorum gladiis nullo modo possumus: postquam pro vtilitate reipublicæ argentum, aurum, mancipia, vestes perdidimus; nimis ignominiosum est, vt per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quam fidem perdere. Vnde sicut tibi iam transactis epistolis scripsi, nunquam cum eo procedere præsumas.

REGESTI LIB. VI. EPIST. IV.

De custodienda charitate & vnitate sanctæ Ecclesiæ, de pastoralis muneris difficultatibus, & de Vniuersalis nomine reiiciendo.

CYRIACO Episcopo Constantinopolitano. Communes filios Georgium Presbyterum & Theodorum Diaconum vestrum, ea quæ decuit charitate suscepimus, vosque ab Ecclesiasticarum rerum cura ad animarum regimen venisse gaudemus: quia iuxta veritatis vocem, qui in modico fidelis est, & in maiori fidelis erit; & bene ministranti seruo dicitur: *quia in pauca fidelis fuisti, supra multa te constituam.* Cui etiam mox de æterna retributione subiungitur: *Intra in gaudium Domini tui.* In scriptis autem vestris vos magnopere requiem quæsisse narratis. Sed per hoc ad pastoralem sollicitudinem vos congrue venisse ostenditis: quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus est. Et sicut scriptum est: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Et rursus idem prædicator egregius dicit: *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt;* & vnus pro omnibus mortuus est Christus: superest vt & ei qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro eis mortuus est, & resurrexit. Et pastori sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas.* Ex quibus verbis colligitur; quia si is qui valet, omnipotentis Dei oues renuit pascere, ostendit se pastorem summum minime amare. Si enim vnigenitus patris pro explenda vtilitate omnium de secreto patris egressus est ad publicum nostrum, nos quid dicturi sumus, si secretum nostrum præponimus vtilitati proximorum? Quies itaque nobis & ex corde appetenda est, & tamen pro multorum lucro aliquando postponenda. Nam sicut toto desiderio debemus occupationē fugere, ita si desit qui prædicet, occupationis onus liberi

necesse

necesse est humero subire. Quod ex duorum Prophetarum opere docemur, quorum vnus prædicationis officium vitare conatus est, & alter appetiit. Nam mittenti se Domino Hieremias respondit dicens: *A, a, a, Domine Deus nescio loqui, quia puer ego sum.* Et cum omnipotens Deus personam ad prædicandum quæreret, dicens: *Quem mittam & quis ibit ex vobis?* vltro se Esaias obtulit dicens: *Ecce ego, mitte me.* En ab vtrisque exterius diuersa vox prodiit, sed non à diuerso fonte dilectionis emanauit. Duo quippe sunt præcepta caritatis, Dei videlicet amor, & proximi. Per actiuam igitur vitam prodesse proximis cupiens Esaias, officium prædicationis appetiit; per contemplatiuam vero Hieremias amori conditoris sui sedulò inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter vnus appetiit, hoc laudabiliter alter expauit. Iste ne tacitæ considerationis lucra loquendo perderet; ille damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in vtrisque est subtiliter intuendum; quia & is qui recusauit, plene non restitit, & is qui mitti voluit, ante se per altaris calculum purgatum vidit; ne aut non purgatus adire quisquam sacra ministeria audeat, aut quem superna gratia elegit, sub humilitatis specie superbe contradicat. Magno autem desiderio vos in epistolis vestris inuenio serenitatem mentis quærere, & repulsa perturbatione ad tranquillitatem cogitationis anhelare. Sed qua ratione ad hoc vestra fraternitas pertingere possit, ignoro. Qui enim regendam nauem suscipit, tanto amplius necesse est vigilet, quanto amplius littus relinquit; vt aliquando futuras procellas ex signis prævideat, aliquando venientes aut directo clauo si prauæ sint superet, aut si vehementer intumescunt, dato in obliquum latere irruentes declinet; & sæpe solus vigilet, cum cuncti illi quibus nulla nauis cura commissa est, quiescunt. Quomodo autem suscepto pastorali onere habere serenitatem cogitationum potestis, cum scriptum sit: *Ecce gigantes gemunt sub aquis?* Iuxta Ioannis etenim vocem, aquæ populi sunt. Et gigantes sub aquis gemere est, quia quisq; in hoc mundo quasi corporis mole, ordine potestatis excreuerit, tanto pondera maioris tribulationis sentit, quanto super se regendorum populorum curam susceperit. Si sancti Spiritus virtus afflictam mentem afflauerit, protinus hoc quod Israelitico populo corporaliter factum est, nobis spiritaliter contingit. Scriptum quippe est: *Filij Israel ambulauerunt per siccum & medium mare.* Et per Prophetam Dominus pollicetur dicens: *Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.* Illos enim flumina operiunt, quos actiones huius seculi mentis perturbatione confundunt. Nam qui sancti Spiritus gratiam tenet in mente, transit aquas, & tamen fluminibus non operitur; quia etiam inter medias populorum turmas sic peragit gressus sui itineris, vt non submittat actionibus seculi caput mentis. Ego quoq; qui indignus ad locum regiminis veni, infirmitatis meæ conscius, secretiora loca petere aliquando decreueram: sed superna mihi iudicia aduersarii conspiciens, iugo conditoris subdidi ceruicem cordis; hoc præcipue perpendens, quia quælibet occulta loca sine Dei gratia animam saluare non possunt; quod aliquando in ipsis quoq; conspicimus erratibus electorum. Nam Lot in ipsa peruersa ciuitate fuit iustus, in monte peccauit. Sed ista cur dicimus, cum maiora nouerimus? Quid enim Paradiso iucundius? Quid cœlo securius? & tamen homo ex Paradiso, & angelus de cœlo peccando cecidit. Illius ergo nobis virtus quærenda est, & gratia postulanda, sine quo nusquam à periculo & culpa, cum quo nusquam sine iustitia esse non possumus. Curandum ergo est vt pertubatio cogitationum non exuperet animum: nam repelli funditus nullatenus potest. Quisquis enim est in loco regiminis, aliquando necesse est habeat etiam terrena cogitare, & exteriorum quoque curam gerere, vt grex commissus valeat ad ea quæ sibi sunt explenda subsistere. Sed magnopere semper prouidendum est, ne hæc eadem cura modum transeat, vt cum cor licenter admittitur, nimis excrescere non permittatur. Vnde recte per Ezechielem Prophetam dicitur: *Sacerdotes caput suum non radant, neq; comam suam nutriant, sed tondentes attondeant capita sua.* Quid enim per significationem sunt capilli in capite, nisi cogitationes in mente? qui dum supra cerebrum insensibiliter oriuntur; curas vitæ præsentis designant, quæ ex sensu negligenti, quia importune aliquando prodeunt, quasi à nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui præsunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere; sacerdotes recte & caput prohibentur radere, & comam nutrire, vt cogitationes carnales de vita subditorum, nec à se funditus amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. Vbi & bene dicitur: *Tondentes tondeant capita sua*: vt videlicet curæ temporalis sollicitudines, & quantum necesse est prodeant, & tamen recidantur citius, ne immoderatius excrescant. Dum igitur & per administratam exteriorem prouidentiam corporum vita protegitur, & rursus per immoderatam cordis intentio non impeditur, capilli in capite sacerdotis & seruantur vt cutem cooperiant, & resecantur ne oculos claudant. Præterea epistolas vestras directas plenas fide suscepimus, atq; omnipotenti Deo gratias agimus, qui inconsutilem tunicam desuper contextam, videlicet Ecclesiam suam vicaria confessione fidelium in vnitate gratiæ ab omni erroris scissione custodit, & contra pereuntis mundi, vt ita dicam, tot culparum diluuium, ex multis lignis arcam construit, in qua omnipotentis Dei electi seruentur ad vitam. Nam cum vicissim nobis fidei nostræ confessionem transmittimus, & caritatem nostram erga nos ostendimus; quid aliud in sancta Ecclesia agimus, nisi arcam bitumine linimus, ne vnda erroris intret, & vel spiritales quosq; tanquam homines, vel carnales tanquam animalia occidat? Sed cum sapienter à vobis recta fides prolata sit; restat vt procul dubio debeatis pacem cordium prudentius custodire, propter hoc quod veritas dicit: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos:* Et Paulus Apostolus admonet dicens: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis:* qui rursus ait: *Pacem sequimini cum omnibus & san-*

Castimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Quam videlicet pacem tum vobiscum veraciter habebitis, si profani nominis superbiam declinetis, iuxta quod idem magister gentium dicit: *O Timothee depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates.* Nimis quippe inquum est, si hi qui prædicatores humilitatis facti sunt, de vani nominis elatione glorientur, cum verus prædicator dicat: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Ille ergo vere gloriosus est, qui non de temporali potentia, sed pro Christi nomine de sua passione gloriatur. In hoc itaque vos medullitus amplectimur. In hoc sacerdotes vos esse recognoscimus, si repulsa vanitate verborum, sanctitatis locum cum sancta humilitate teneatis. Ecce enim in nefandi appellatione nominis scandalizati sumus, & non minimas querelas seruamus in mente, & promimus in voce. Vestra autem fraternitas nouit, quia veritas dicit: *si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Qua in re pensandum est, quia cum omnis culpa oblato sacrificio deleatur, tantum est malum scandali alieno corde generati, vt ab eo qui peccauerit, nec ipsum sacrificium Dominus accipiat, quod delere peccatum solet. Curate ergo cordis vestri scandalum festine detegere, vt possit omnipotens Deus oblationis vestræ sacrificium acceptabile habere. Præterea cum recta à vobis fides veraciter & subtiliter sit prolata, inter eos, quos per sanctissimas generales Synodos damnandos esse censuistis, Eudoxium quendam vos damnasse reperimus: cuius nomen in Latina lingua neque in synodis, neq; in libris beatæ memoriæ Episcoporũ Epiphanii Augustini, & Philastrii, quos contra hæreticos præcipue disputasse nouimus, positum reperimus. Quod si quis eum veraciter de catholicis patribus damnat; eius procul dubio sententiam sequimur. Vos tamen si in synodica vestra Epistola eos quoque damnare nominatim voluistis, qui extra sanctas synodos per patrum scripta damnantur, multos scriptis suis vestra fraternitas minus posuit; si autem eos, quos generales synodi respuunt, hunc vnum amplius. Sed inter hæc sciendum est, quia vt nobis liceat rectam fidem libere fateri, & cuncta quæ agenda sunt, concorditer in pace disponere, pro serenissimorum Dominorum vita, propria quoq; sobole incessanter orandum est, vt omnipotens Deus eorum pedibus barbaras nationes subiiciat, longa eis & felicia tempora concedat, quatenus per Christianum Imperium ea quæ in Christo est fides, regnet.

EPISTOLA XXIV.

De Cyriaco Episcopo Constantinopolitano, & profano vocabulo Vniuersalis, quo temere vtebatur.

ANASTASIO Episcopo Antiocheno. Desideratam suauissimæ vestræ sanctitatis epistolam communi filio meo Sabiniano Diacono deferente suscepi, in qua non linguæ sed animæ verba profluebant. Et non mirum si bene loquitur, qui perfecte viuit. Quia enim per magistrum Spiritum in schola cordis per præcepta vitæ didicistis terrena cuncta despicere, ad cœlestem patriam festinare; quantum vos in bono profecistis, tantum bona etiam de aliis sentitis. Dum vero in scriptis vestræ beatitudinis multa de me dici laudabilia audirem, intellexi studium, quia commemorare voluistis non quid sum, sed quid esse debeam. Illud vero quod me dicitis mortuum meorum debere reminisci, & maligno spiritui quærenti animas cribrare pro nulla causa locum dare; ego quidem me semper malis moribus fuisse recolo, atque eosdem in me mores si possum vincere ac delere, summopere festino. Si tamen, vt vos creditis, aliquid boni habui in omnipotentis Dei adiutorio confido, quia oblitus non sum. Sed sanctitas vestra, vt video, in præmissis verbis dulcedinis, & subsequenti hoc verbo epistolam suam api esse similem voluit, quæ mel simul & aculeum portat, vt me & melle satiaret, & aculeo pungeret. Sed inter hæc ego ad meditandam Salomonis vocem redeo, quia *meliora sunt vulnera diligentis, quam inimici blandientis oscula.* Quod vero dicitis pro nulla caussa dare nos locum scandalo debere, hæc mihi & piissimus Dominus filius noster, pro cuius vita incessanter orandum est, iam sæpius scripsit, & quod ille ex potestate, scio quia hoc vos ex amore dicitis. Nec miratus sum vos in vestris epistolis imperialia verba posuisse, quia habent inter se maximam cognationem amor & potestas. Nam vtraque principaliter præsunt, vtraq; per auctoritatem semper loquuntur. Et quidem in suscipienda fratris & consacerdotis nostri Cyriaci synodica epistola dignum non fuit, vt pro caussa profani vocabuli moras facerem, ne vnitatem sanctæ Ecclesiæ perturbarem: Sed tamen de eodem superstitioso & superbo eum admonere studui, dicens: quia pacem habere nobiscum non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata inuenit. Vos tamen eandem caussam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, vniuersæ Ecclesiæ fidem corrumpimus. Scitis enim quanti non solum hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia sunt egressi. Et vt de honoris vestri iniuria taceam, si vnus Episcopus vocatur Vniuersalis, vniuersa Ecclesia corruit, si vnus vniuersus cadit. Sed absit hæc stultitia,

absit

absit hæc leuitas ab auribus meis. In omnipotenti autem Domino confido, quia quod promisit, citius impleturus est; *Omnis qui se exaltat, humiliabitur.* Hæc occupatus in multis ad Epistolarum vestrarum dicta in breuitate respondi. Nam quæ modo loqui per scripta non debeo, in animo signata maneat. Peto vt me beatitudo vestra in suis sanctis orationibus semper ad memoriam reducat, quatenus à malis me temporalibus & æternis vestræ intercessiones eripiant. Pro serenissimo autem Domino Imperatore studiose & feruenter orate, quia valde est eius vita mundo necessaria. Cesso autem amplius dicere, quia & vos non dubito scire.

EPISTOLA XXVIII.

De submouendo profano vocabulo, vt pax Ecclesia conseruetur, & scandala multorum auferantur.

CYRIACO Episcopo Constantinopolitano. Scripta beatitudinis vestræ suscepimus, quæ nobis non linguæ, sed animæ verba loquebantur. Aperiebant etenim mentem, quæ tamen mihi clausa non erat, quia per memetipsum suauitatis ipsius experimentum tenebam. Vnde omnipotenti Deo incessanter gratias refero, quia si erga nos in corde vestro virtutum mater charitas permanet, bonorum operum ramos nunquam amittitis, qui ipsam bonitatis radicem tenetis. Oportet ergo vt mihi atque omnibus fratribus vestris eiusdem charitatis pulchritudinem in hoc primum opere monstretis, vt verbum superbiæ, per quod graue scandalum in Ecclesiis generatur, auferre festinetis, hoc modis omnibus implentes, quod scriptum est: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Et rursus; *Nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia.* Tunc enim ostensa charitas vera est, si per typhum superbiæ inter nos schisma non fuerit. Ego enim Iesum testem inuoco in anima mea, quia à summo vsque ad vltimum nulli hominum dare scandali occasionem volo. Omnes magnos esse, & honorabiles cupio, quorum tamen honor, honori omnipotentis Dei non detrahat: nam quisquis se contra Deum honorari appetit, mihi honorabilis non est. Sed vt cognoscatis quam erga vestram beatitudinem habeam voluntatem, dilectissimum filium meum Anatholium Diaconum ad piissimorum Dominorum vestigia transmisi, qui eorum pietati ac vestræ fraternitati satisfaciat, quia nulli in hac caussa nocere appeto, sed humilitatem Deo placitam, & Sanctæ Ecclesiæ concordiam custodire. Et quia hostis omnipotentis Dei Antichristus iuxta est, studiose cupio ne proprium quid inueniat non solum in moribus, sed etiam nec in vocabulo sacerdotum. Ea ergo, quæ nouo modo introducta sunt, ipso ordine quo illata sunt, auferantur, & pax nobis illibata in Domino permanebit.

Nam quæ erit inter nos dulcedo, quæ caritas, si nosmetipsos voce refouemus, & rebus pungimur? Hoc ergo vestra Sanctitas agat, vt bona quæ dicitis, non in cordis medulla sentiamus, quatenus dum in vnanimitate corda fuerint sacerdotum, pro piissimorum Dominorum vita desperantes tanto citius exaudire mereamur, quanto & orationes vestras ante Dei oculos pax illuminat, & discordiæ macula non obscurat.

EPISTOLA XXX.

Defendit se temere indiscretum nominatum fuisse, quod Cyriacum Episcopum Constantinopolitanum, qui Vniuersalem se nominabat, reprehenderit.

MAVRITIO AVGVSTO. Dominorum pietas prouida ne quid fortasse scandali in vnitate sanctæ Ecclesiæ ex sacerdotum dissensione generari potuisset, semel ac bis me admonere dignata est, vt responsales fratris & Consacerdotis mei Cyriaci benigne susciperem, eosque ad remeandum citius relaxarem. Et licet piissime Domine apte & prouide cuncta præcipiatis, ego tamen inuenio quia eorum iudicio indiscretus esse ex hac tali admonitione reprehendor. Nunquid nam si ex profano ac superbo vocabulo meus non in modico est animus vulneratus, tantæ indiscretionis esse potui, vt nescirem quid vnitati fidei, quid concordiæ Ecclesiasticæ deberem, & fratris mei responsales & synodicam epistolam suscipere cuiuslibet causæ amaritudine interueniente recusarem? Absit hoc. Nimis mihi fuerat

desipuisse, sic sapere. Aliud namque est quod conseruandæ vnitate fidei, atque aliud quod debemus comprimendæ elationi. Distinguenda ergo erant tempora, ne prædicti fratris mei ex quolibet articulo charitatis turbaretur. Vnde & Responsales eius cum magno affectu suscepi, quicquid debui charitatis exhibui, meliusque eos quam consuetudo prisca fuerat honoraui, & mecum feci eos sacra missarum solennia celebrare, quia sicut meus Diaconus ad exhibenda sancta mysteria illi non debet ministrare, qui elationis culpam aut commisit aut commissam ab aliis ipse non corrigit, ita ministri illius in celebratione missarum mihi adesse debuerunt, qui custodiente Deo, in superbiæ errorem non cecidi. Eundem vero fratrem & consacerdotem meum studiose admonere curaui, vt si habere pacem omnium concordiamq; desiderat, ab stulti vocabuli se appellatione compescat. De qua re mihi in suis iussionibus Dominorum pietas præcepit dicens; *vt pro appellatione friuoli nominis inter nos scandalum generari non debeat.* Sed rogo vt Imperialis pietas penset, quia alia sunt friuola valde innoxia, atq; alia vehementer nociua. Nunquid non cum se Antichristus veniens Deum dixerit, friuolum valde erit, sed tamen nimis perniciosum? Si quantitatem sermonis attendimus, duæ sunt syllabæ; si vero pondus iniquitatis, vniuersa pernicies. Ego autem fidenter dico, quia quisquis se Vniuersalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur; quia sicut peruersus ille, Deus videri vult super omnes homines; ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, super cæteros sacerdotes se extollit. Sed quoniam veritas dicit: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur,* scio quia quælibet elatio tanto citius rumpitur, quanto amplius inflatur. Illis ergo pietas vestra præcipiat, ne quod per appellationem friuoli nominis scandalum gignant, qui in superbiæ typhum ceciderunt. Nam peccator ego, qui auctore Deo humilitatem teneo, admonendus ad humilitatem non sum. Omnipotens autem Deus serenissimi Domini nostri vitam & ad pacem Sanctæ Ecclesiæ, & ad vtilitatem reipublicæ Romanæ per tempora longa custodiat. Certi etenim sumus, quia si vos viuitis, qui cœli Dominum timetis, nulla contra veritatem superba præualere permittetis.

EPISTOLA XXXI.

De responsalibus Cyriaci Episcopi in causa fidei admissis. De suo Diacono cum eo non processerit. De damnatione Eudoxii sibi incognita. De historia Sozomeni ab Apostolica sede reprobata. De anima Ada, quod in peccato mortua est. Dicit quoq; eum per pœnitentiam saluatum. Et quod Diabolus cor hominis ingreditur.

EVLOGIO Episcopo Alexandrino, & Anastasio Episcopo Antiocheno. Charitas qua vobis valde constrictus sum, tacere me minimè permittit, vt sanctitas vestra quæcunq; apud nos aguntur, agnoscat, & falsis rumoribus non decepta, suæ iustitiæ atq; rectitudinis viam, sicut perfecte cæpit, perfectius teneat. Responsales siquidem fratris & Coepiscopi nostri Cyriaci venientes, eius ad me synodicam detulerunt epistolam. Et quidem inter nos & ipsum sicut vestra beatitudo nouit, propter appellationem profani nominis est grauis discordia, sed in caussa fidei transmissos responsales eius existimaui esse suscipiendos, ne culpa elationis quæ in Constantinopolitana Ecclesia pene contra omnes sacerdotes exorta est, dissensionem fidei & rixam Ecclesiasticæ faceret vnitati. Eosdem vero Responsales, quia hoc omnino humiliter precabantur, missarum solennia mecum celebrare feci, quia sicut & serenissimo Domino Imperatori nostro intimare studui, responsales fratris & consacerdotis nostri Cyriaci mihi communicare debuerunt; quia auctore Deo in elationis errorem non cecidi. Meus vero Diaconus cum prædicto fratre nostro Cyriaco missarum solennia celebrare non debet: quia per profanum vocabulum culpam superbiæ aut commisit, aut sequitur: ne si, quod absit, procedit ei in tali elatione posito, vanitatem stulti nominis confirmare videamur. Eundem vero fratrem admonere studui, vt se à tali elatione corrigat: quia si hanc non correxerit, pacem nobiscum nullo modo habebit. Præterea idem frater noster omnia in suis synodicis catholice, Deo auctore, locutus est. Quendam vero Eudoxium damnauit, quem neque in synodis damnatum inuenimus, neque à decessoribus eius in suis synodicis reprobatum. Et canones quidem Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones vel gesta synodi illius hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eandem synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. Reliquas vero hæreses quæ illic memoratæ sunt, ab aliis iam patribus damnatas reprobat. De Eudoxianis vero nihil hactenus agnouit. In historia autem Sozomeni de quodam Eudoxio, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur. Sed ipsam quoque historiam sedes Apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestiæ nimium

laudat

laudat, atque vsque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet. Restat ergo vt si quis illam historiam recipit, synodo, quæ piæ memoriæ Iustiniani temporibus de tribus capitulis facta est contradicat. Qui vero huic contradicere non valet, illam historiam necesse est vt repellat. In latina vero lingua de hoc Eudoxio nunc vsque neque in Philastro, neque in beato Augustino, qui multa de hæresibus conscripserunt, neque in aliis patribus aliquid inuenimus. Charitas igitur vestra, si quis apud Græcos probatorum patrum, de eo sermonem fecit, suis mihi Epistolis innotescat. Præterea ante triennium, cogente causa monachorum Isauriæ, qui hæretici accusabantur, satisfaciens mihi quondam frater & consacerdos meus Dominus Ioannes literas misit, quibus nitebatur ostendere eos Ephesinæ synodi diffinitionibus contradixisse, & velut ex eadem synodo certa nobis, quibus ipsi obsisterent, capitula destinauit. Inter alia autem scriptum illic continebatur *de Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod Diabolus in cor hominis non ingrediatur, & si quis hoc dixisset, anathema esset*. Quæ cum mihi relecta fuissent, valde contristatus sum. Si enim Adæ, qui primus peccauit, anima in peccato mortua non est, quomodo de ligno vetito illi dictum est: *In quacunq; die comederitis ex eo, morte moriemini?* Et certe comedit Adam & Eua de ligno vetito, & tamen in carne suo vltra nongentos annos postmodum vixerunt. Constat itaque quia in carne non est mortuus. Si ergo in anima mortuus nō est, quod dici nefas est, falsam sententiam de illo protulit Deus qui dixit, quia qua die comederet, moreretur. Sed absit hic error, absit à vera fide. Nos enim primum hominem, qua die peccauit, anima mortuum dicimus, atq; per hunc omne genus humanum in hac mortis & corruptionis pœna damnatum. Per secundum vero hominem & modo à morte animæ, & postmodum ab omni corruptione carnis in æterna resurrectione liberari nos posse confidimus. Sic autem & prædictis Responsalibus diximus: Adæ animam in peccatis mortuam dicimus, non à substantia viuendi, sed à qualitate viuendi. Quia enim aliud est substantia, atq; aliud qualitas, non est eius anima ita mortua, vt non esset; sed ita mortua vt beata non esset. Qui tamen Adam postmodum per pœnitentiam ad vitam rediit. Quod vero Diabolus cor hominis ingrediatur, si Euangelio creditur non negatur. Ibi enim scriptum est: *Et post buccellam introiuit in eum Sathanas.* Et rursus ibi dicitur: Cum Diabolus iam misisset in cor Iudæ, vt traderet eum Iudas. Hoc autem qui negat in Pelagianam hæresim cadit. Quia ergo perscrutantes Ephesinam synodum, nihil in ea tale inuenimus contineri, de Rauennati quoq; Ecclesia vetustum valde Codicem eiusdem synodi ad nos deferri fecimus, & synodo quam habemus, eum ita concordare inuenimus, vt in nullo discreparet, & nihil aliud contineret in definitione anathematis & reprobationis, nisi quod duodecim capitula beatæ memoriæ Cyrilli reprobant. Hanc autem totam rationem multo latius subtiliusq; prædictis Responsalibus eius in præsenti positis reddidimus, atque ei plenissime satisfecimus. Igitur ne vel hæc, vel alia similia illic surrepant, quæ sanctam Ecclesiam scandalizent, necesse nobis fuit hæc ipsi sanctitati vestræ indicare. Et quamuis fratrem & coepiscopum nostrum Cyriacum nouerimus othodoxum, tamen propter alios cauti esse debemus, vt antequam ad publicum prodeant, errorum semina conculcentur. Scripta autem vestræ sanctitatis communi filio Sabiniano Diacono veniente suscepi. Sed quia harum lator iam ad egrediendum paratus retineri non potuit, ad hæc responsali meo Diacono veniente respondebo.

REGESTI LIB. VII. EPIST. XI.

De lege Imperatoris, & quod ex militari habitu nullus nisi ante triennium probatus, suscipiendus sit.

EVSEBIO Thessalonicensi; Vrbitio Diracitano, Constantino Mediolanensi, Andreæ Nicopoli, Ioanni Corinthi, Ioanni primæ Iustinianæ, Ioanni Cretensi Scoritano, Ioanni Larissæ Mariano Rauennæ, Ioanni Caralitano Sardiniæ, & omnibus Episcopis Siciliæ. Legem, quam piissimus Imperator dedit, *ne fortasse hi qui militia vel rationibus sunt publicis obligati, dum caussarum suarum periculum fugiunt, ad Ecclesiasticum habitum veniant, vel in monasteriis conuertantur*, vestræ studui fraternitati transmittere: hoc maxime exhortans, quod hi qui seculi actionibus implicati sunt, in clero Ecclesiæ præpropere suscipiendi non sunt: quia dum in Ecclesiastico habitu non dissimiliter quàm vixerant, viuunt; nequaquam student seculum fugere, sed mutare. Quod si etiam tales quoque monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius rationibus publicis absoluti fuerint. Si qui vero ex militaribus numeribus in monasteriis conuerti festinant, non sunt temere suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita. Et iuxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum Deo auctore suscipere. Qui si ita sunt probati atque suscepti, & pro anima sua pœnitentiam de perpetratis culpis agere student, pro eorum vita & lucro cœlesti, non est eorum conuersio renuenda. Qua de re etiam serenissimus & Christianissimus Imperator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum conuersionem suscipit, quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit.

EPISTOLA LXX.

Iubet ob superbiam Ioannis Episcopi Constantinopolitani, & Cyriaci qui superbum Vniuersalis nomen vsurpabant, ne quisquam in illorum subscriptionibus hanc vocem, Vniuersalis, adiiciat.

EVSEBIO Thessalonicensi, VRBICO Dirachino, ANDREÆ Nicopolitano, IOANNI Corinthio, IOANNI primæ Iustinianæ, IOANNI Cretensi, IOANNI Larisseo & Excodritano, aliisq; compluribus Episcopis. Suscepti regiminis cura constringimur, officii nostri sollicitudinem vigilanter extendere, & fratrum nostrorum animos sermone admonitionis instruere, vt nec ignorantes præsumptio praua decipere, nec scientes dissimulatio quædam valeat excusare. Cognoscat siquidem fraternitas vestra, Ioannem quondam Constantinopolitanæ ciuitatis Antistitem contra Deum, contra pacem Ecclesiæ in omnium despectu & iniuria sacerdotum, modestiæ ac mensuræ suæ terminos excessisse, & illicite in synodo superbum ac pestiferum Oecumenicum, hoc est, Vniuersalis sibi vocabulum vsurpare. Quod beatæ recordationis Pelagius decessor meus agnoscens, omnia gesta eiusdem synodi, præter illa quæ illic de causa venerandæ memoriæ Gregorii Episcopi Antiocheni sunt habita, valida omnino districtione cassauit, districtissima illum increpatione corripiens, vt se à nouo & temerario superstitionis nomine cohiberet, adeo vt suum illi Diaconum nisi tantum nefas emendaret, procedere prohiberet. Cuius nos rectitudinis Zelo per omnia inhærentes, statuta ipsius sine refragatione Deo protegente seruamus: quia dignum est vt rectam decessoris sui viam gressibus inoffensis incedat, quem de eodem loco ad reddendam rationem æterni iudicis tribunal expectat. In qua re ne quid omittere, quod ad pacem Ecclesiæ pertinet videremur, nostris eundem sanctissimum Ioannem scriptis semel iterumq; conuenimus, vt amoto superbiæ vocabulo cordis sui elationem ad humilitatem quam Magister & Dominus noster docuit, inclinaret. Quem quoniam neglexisse comperimus, hæc eadem & beatissimum fratrem & Consacerdotem nostrum Cyriacum successorem ipsius concordiæ studio non destitimus admonere. Sed quia hoc iam vt videmus, mundi huius termino propinquante, in præcursione sua apparuit humani generis inimicus, vt ipsos qui ei contradicere bene atq; humiliter viuendo debuerunt, per hoc superbiæ vocabulum præcursores habeat sacerdotes; hortor atq; suadeo vt nullus vestrum hoc nomen aliquando recipiat, nullus consentiat, nullus scribat, nullus vbi fuerit scriptum admittat, vel subscriptionem suam adiiciat; sed sicut omnipotentis Dei ministros decet, integrum se ab huiuscemodi venenata infectione custodiat, & callido insidiatori in se locum non præbeat, quoniam & hoc in totius Ecclesiæ iniuriam ac discissionem, & sicut diximus, in omnium vestrum despectum fit. Nam si vnus, vt putat, vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis. Præterea peruenit ad nos, quod fraternitas vestra, ad vrbem Constantinopolim sit conuocata. Et quamuis piissimus noster Imperator agi illic illicita non permittat, tamen ne peruersi homines conuentus vestri occasione reperta, aut pro huius nominis superstitione locum surreptionis requirant, aut ob aliam rem facere synodum cogitent: quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducant, quamuis sine Apostolicæ sedis auctoritate atq; consensu nullas quæcunq; acta fuerint vires habeant: veruntamen coram omnipotenti Deo contestor & admoneo, vt nullius vestrum illic quibuslibet blandimentis, quibuslibet præmiis, quibuslibet terroribus teneatur assensus: sed pro æterni iudicii consideratione aduersus praua desideria salubriter atq; vnanimiter vos exhibete, & pastorali constantia atq; Apostolica auctoritate suffulti prædonem irruentemq; lupum excludite, & in discissionem Ecclesiæ sæuienti non cedite, nec de hac re quacunq; surreptione synodum patiamini, quæ ne legitima quidem, nec synodus dicenda est, celebrari. Hoc quoq; pariter admonemus, vt si fortè nil actum de huius peruersi nominis mentione fuerit, sed de alia re forte synodus colligitur, omnino sitis cauti, circumspecti, vigilantes atq; solliciti, ne quid illic contra locum aliquem vel personam præiudicialiter siue illicite, vel aduersus canones censeatur. Sed si quid incidentis vtilitatis causa tractandum est, sic causa de qua agitur formam accipiat, vt statuta vetera nulla conuellat. Vnde iterum, coram Deo & sanctis ipsius admonemus, vt hæc omnia summo studio, & tota mentis intentione seruetis. Nam si quis (quod non credimus) scripta præsentia aliqua in parte neglexerit, à Beati Petri Apostolorum Principis pace se nouerit segregatum. Ita ergo fraternitas vestra agat, vt cum pastor pastorum in iudicio venerit, de loco regiminis quem accepit, reatum habere non possit.

REGESTI LIB. XI. EPIST. XLVII.

De pace & vnitate sanctæ Ecclesiæ, & de Vniuersalis vocabulo fugiendo.

CYRIACO Patriarchæ Constantinopolitano. Quanta sit pacis virtus, carissime frater, ex voce Dominica diligentius intuentes, quæ ait: *Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis*; ita in eius nos decet dilectione persistere, vt locum præbere discordiæ nullo modo debeamus. Sed quia in radice ipsius viuere aliter non valeamus nisi mente & actu humilitatem, quam ipse auctor pacis docuit, teneamus; cum ea caritate qua dignum est suademus, vt profanam elationem quæ animabus semper aduersa est, cordis pede calcantes, peruersi superbiq; vocabuli scandalum Ecclesiæ auferre de medio festinetis: ne à pacis nostræ societate diuisi inueniri possitis. Sed vnus in nobis spiritus, vna mens, vna caritas, vna in Christo, qui sua membra esse nos voluit, sit compago concordiæ.

cordiæ. Nam quàm durum, quàm indecens, quam crudele, quamq; à sacerdotali proposito sit extraneum, pacem illum quam aliis prædicat non habere, sanctitas vestra consideret: & suos de superbia fratres scandalizare abstineat. Sed hæc magis studeat, vt vanæ aut superfluæ elationis auctorem, humilitatis queat ense prosternere: quatenus ex eiusmodi victoria, suum vos habitaculum sancti spiritus gratia sibi vendicet, & aperte impleatur in vobis quod scriptum est: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Præsentium vero portitorem dilectissimum communem filium Bonifacium Diaconum vobis in omnibus commendamus, vt quocunq; necesse fuerit, solatia vestræ sicut decet inueniat sanctitatis.

B. AGOBARDI LVGDVNENSIS ARCHIEPISCOPI, ET PRIMATIS AQVITANIÆ

Anno Domini 830.

TRACTATVS DE COMPARATIONE VTRIVSQVE REgiminis Ecclesiastici & Politici, & in quibus Ecclesiæ dignitas præfulgeat Imperiorum Maiestati: & de Monarchia Imperii Romani contra diuisionem Ludouici Pii Imperatoris.

Clementissimo Domino & Christianissimo ac per hoc omni laude dignissimo Imperatori LVDOVICO, Agobardus.

IVbet vestra prudentissima solertia *contra commotiones huius temporis paratum esse vtrumq; ordinem, Militarem videlicet, & Ecclesiasticum; id est, & eos qui seculari militia, & illos qui sacris ministeriis inseruiunt, & illos quidem, ad certandum ferro, istos autem ad disceptandum verbo; vt similes similibus obsistere valeant.* In qua re summopere sciendum est, quod in congressione armorum, plus expectanda est iustitia superni regiminis, quam robur brachiorum. In altercatione autem sermonum plus expectanda est veritas, quam copia verborum. Propter quod orandum est ab omnibus tota intentione mentis, vt ille; de quo vos dicitis; Dominus illuminatio mea, & salus mea; quia illuminatio vestra est, illustret faciem suam super vos; & quia salus vestra est, saluum vos faciat in sua misericordia, vt huic orationi congruenter vos subiugatis: *Domine, non confundar, quoniam inuocaui te*: Ego igitur seruulus vester cum cognouissem ex vestro sacro præcepto iussum mihi esse *ad vestram præsentiam properare ita paratum, vt cum cæteris Ecclesiasticis viris contra iniustos reprehensores iustæ reprehensionis oppositionem adhibere possemus*, visum mihi est vt in Dei & vestro seruitio, de anteriorum Patrum actibus & sensibus, hæc verba, quæ supter adnexa sunt, gloriosissimæ excellentiæ vestræ mitterem; Quatenus sancta Religio vestra pie perpendere dignetur, cuius reuerentiæ debitores estis ad vestrum quotidianum profectum erga sedem Apostolicam. Denique beatus Pelagius Papa cum quosdam redargueret Episcopos, eo quod nomen eius reticerent in actione sacri mysterii in solemniis Missarum, in principio scilicet vbi dicere solemus inprimis; *quas tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, vna cum famulo tuo Papa nostro*, ait ad eosdem Episcopos: *Diuisionem vestram à generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo. Cum enim beatissimus Augustinus dominicæ sententiæ memor, quæ fundamentum Ecclesiæ in Apostolicis sedibus collocauit, in Schismate esse dicat, quicunq; se à præsule earundem sedium auctoritate vel communione suspenderit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam; nisi quæ in pontificalibus Apostolicarum sedium est solidata radicibus, quomodo vos ab vniuersi orbis communione separatos esse non creditis, si mei inter sacra mysteria secundum consuetudinẽ nominis memoriam reticetis, in quo licet indigno, Apostolicæ sedis per successionem Episcopatus præsenti tempore videtis consistere firmitatem.* Beatissimus quoque Leo Papa ad vniuersos Viennensis Prouinciæ Episcopos, de auctoritate & priuilegio Apostolicæ sedis, ita scribit: *Diuinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omnesq; nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Iesus Christus humani generis Saluator instituit, vt veritas quæ antea Legis & Proophetarum præconio continebatur, post Apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret, sicut scriptum est; In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed huius muneris sacramentum, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso, quasi quodam capite, dona sua; velut in corpus*

omne diffunderet, vt exortem se mysterii intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in petri soliditate consisteret, hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verum hanc petræ istius sacratissimam firmitatem Deo, vt diximus, ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis eius potestatem attentat infringere, fauendo cupiditatibus suis, & id quod accepit à veteribus non sequendo. Hæc beatus Leo, sed & alii multi huiusmodi docentes, vt illius stabilis Petræ sempiterna soliditas, super quam Dominus saluator noster propriam fundauit Ecclesiam, à Solis ortu vsque ad occasum, Primatus sui apicem successorum suorum auctoritate, tam per se, quam per vicarios suos firmiter obtineret. Ex quibus beatus Anastasius Papa ad Imperatorem scribens, docet, *quod pro Christo fungatur legatione, qui pro pace precatur Ecclesiæ.* Et ipsum Imperatorem admonet, *vt constitutis Apostolicæ sedis obtemperet.* Certe, clementissime Domine, si nunc *Gregorius Papa irrationabiliter & ad pugnandum venit, merito & pugnatus & repulsus recedet*; si autem pro quiete & pace populi & vestra laborare nititur, bene & rationabiliter obtemperandum est illi, non repugnandum.

Si enim quod vestra voluntate & potestate, cum consensu totius Imperii vestri factum est, & postea in Apostolica sede roboratum, hoc vult in pristinum reducere statum, satis rationabilis & opportunus est eius aduentus. Quia nullatenus quod ita est constitutum à vobis, debetis mutare: nec enim sine graui periculo & reatu animæ fieri potest in his sacratissimis diebus Paschalibus. Perlatæ sunt ad me literæ istius Apostolici, præcipientes, vt ieiunia & orationes cum abstinentia faceremus; si forte omnipotens Dominus, effectum conatui eius præstare dignetur; quatenus apud vos obtineri possit; vt pax & concordia pristina domui & Regno vestro restituatur. Quod ego audiens, compunctus, faciem cordis mei quantum valui, ad Iesum Christum Dominum nostrum leuaui, vehementer exoptans, vt sine sanguinis effusione tam iniustus tumultus per benignissimam omnipotentiam eius sedaretur. Dignetur sublimis prudentia vestra pie perpendere, quod Apostolus dicit: *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa.* Quæ pericula beatus Papa Gregorius suo iam tempore, quando adhuc status idem multo & incomparabiliter melior erat quam nunc ita deplorat dicens: *Tantis quippe in hoc loco huius mundi fluctibus quatior, vt vetustam ac putrescentem nauem, quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad Portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex aduerso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt, nunc à tergo tempestas insequitur; interque hæc omnia turbatus cogor modo in ipsa clauum aduersitate dirigere, modo curuato nauis latere minas fluctuum ex obliquo declinare; ingemisco, quia sentio quod negligente me crescit sentina vitiorum, & tempestate fortiter obuiante, iam iamque putridæ naufragium tabulæ sonant.* Heu, heu, si tunc iam putrescebat nauis Ecclesiæ, & si eius tabulæ iam putridæ erant, quid nunc est! Hæc verba, piissime Domine, beatissimi Doctoris, propterea ad memoriam vestram reducere præsumpsi, vt quia nemo dubitat vos, multo ineffabiliter plus esse amatorem Regni cœlestis, quam terreni; permansuri, quam transituri, & iuxta vestram sanctam fidem, spem & charitatem de nullo alio opere potestis tam chare Deum placare, quam de sollicitudine & administratione Pacis, & vnitatis Ecclesiæ, vestra solertissima Religio elaboret; vt omnis anima fidelis proficiat in fide, & cognitione Dei, quæ res omnibus rebus Deo charior est, huius rei nisus merita vestra appropinquare faciat Apostolicis meritis.

RESCRIPTVM AD EPISTOLAM SYNODALEM EPISCOPORVM FRANCORVM EX GERMANIA ET GALLIA congregatorum, pro causa LVDOVICI PII Imperatoris.



ROMANO Pontifici scribentes contrariis eum in præfatione nominibus appellastis, *Fratrem* videlicet, & *Papam*, dum congruentius esset solam ei paternam reuerentiam exhibere, aduentu quoque eius comperto, lamentari vos dicitis, *credentes omnibus, Principi scilicet subiectis futurum, & optasse occursum vestrum nobis non negandum, nisi sacra iussio Imperialis præuenirct*; quæ verba reprehensibilia sunt vno quidem modo, quia iussio Apostolicæ sedis non minus vobis sacra videri debuerat, quam illa quam dicitis Imperialem; deinde quia veritate caret, quod dicitis illam præuenisse; non enim illa præuenit, sed nostra, id est, Pontificalis. Neque ignorare debueratis, maius esse Regimen animarum, quod est Pontificale, quam Imperiale, quod est temporale. Beatus Gregorius Nazianzenus nô hoc timuit coram Imperatoribus in Ecclesia prædicare. Sic enim ipsis Imperatoribus loquitur, dicens:

Suscipitis

suscipitis sine libertatem verbi, libenter accipitis quod lex sacri sacerdotali vos vestra subiicit potestati, atque istis tribunalibus subditis? dedit enim & nobis potestatem, dedit principatum multo perfectiorem principatibus vestris? aut nunquid iustum vobis videtur, si cedat spiritus carni, si à terrenis cælestia superentur, si diuinis præferantur humana? Quare igitur vos, sicut veri Sacerdotes, diuini videlicet cultus ministri, non humani, non respondetis Imperatori, cuius sacra vobis dicitis iussione præuentos, sicut iisdem beatus Gregorius alloquitur Imperatorem præsentem? dicens: *Patienter, quæso, accipe libertatem nostram, scio te ouem esse gregis mei à Christo mihi summo Pastore annumeratam, & à sancto Spiritu consignatam; scio te inter sacra altaria cum veneratione subiici manibus Sacerdotum; Scio te beatæ Trinitatis cultum, fidemque non tua, sed nostra prædicatione seruare.* Et post aliqua: *Memento semper quod vna tibi natura est, eademque substantia cum omnibus qui tibi subiecti sunt; tu tamen animo esto cum Deo, & non tam dominari te mundo, quam dominari tibi Christum gloriare.* Quare etiam nunc commorantes cum Imperatore, intermittentes stultissimas adulationes, non ei prædicatis cum beato Augustino? dicentes: *Felices dicimus Imperatores si iuste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium, non extolluntur; & se homines esse meminerint, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum maiestati eius famulam faciunt, si Deum timent, diligunt, colunt: Si plus amant illud regnum, vbi non timent habere consortes; si tardius vindicant, & cognoscunt; si tandem vindictam, pro necessitate regendæ tuendæque Republicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt; si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate compensant; si luxuria tanto eis castigatior, quanto posset esse liberior; si malunt cupiditatibus, quam quibuslibet gentibus imperare; & si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ; si pro suis peccatis humilitatis & miserationis & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt; tales Christianos Imperatores dicimus esse felices, interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod expectamus aduenerit.* Vos autem econtrario quia non vultis esse veri ædificatores, estis procul dubio veri deceptores, sicut scriptum est: *Popule qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.*

Deinde postquam dixistis *vos lætatos esse de aduentu nostro*, iterum intulistis, *quorundam relatione magno mœrore affectos*, quod vtique facit instabilitas mentis, verum est omnino: quoniam qui hæsitat similis est fluctui maris qui à vento mouetur. Sed inter has hæsitationes nimis stolide vos iudicatis immemores esse Pastoralis officii, & districtissimæ moderationis; deinde sicut scriptum est, *cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnata.* Adiungitis (quod omni verecundia dignum est) dicentes *nos venire propter quandam præsumptuosam & omni ratione carentem excommunicationem faciendam*, & admonetis nos nimis inuolutis & confusis sermonibus & sensibus, *vt neque nostra voluntate: neque alterius hortatu præsumptione prorumpamus*; *eo quod* (vt dicitis) *pertineat ad iniuriam ac dehonestationem Imperialis potestatis, & ad Domini vastationem & reprehensionem nostræ authoritatis*, dicite, quis, quæ sunt ista portenta verborum? & quid potius pertinet ad dehonestationem Imperialis potestatis opera digna excommunicatione, an ipsa excommunicatio? sed quia hæc verba vestra exaggerare laboriosum est; eo quod plena sint nauseæ tantum illud fligito, vt dicatis quomodo potest fieri, vt manente Apostolicæ sedis honore, mea tantum persona in causa reprehensionis & vituperationis remaneat? Nullo modo enim fieri potest, vt his qui locum beati Petri tenet, exhonoratur sine crimine, dum taxatur, cathedra eius honorata permaneat.

In tantum autem honoranda est Cathedra Pontificalis, & propter Cathedram sedens in illa, vt etiam de Caipha crudelitate & incredulitate impio dicat Euangelista: *Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente.* Vnde constat etiam impium Caipham propter Cathedram honoratum esse prophetia. Vos autem fidelem & cultorem pietatis Pontificem dehonestandum prædicatis absque iniuria Sedis, quod omnino falsum est. Bene autem subiungitis, *Memorem me esse debere iuris iurandi causa fidei factum Imperatori.* Quod si feci, in hoc volo vitare periurium; si annunciauero ei omnia quæ contra vnitatem & pacem Ecclesiæ & Regni committit; quod si non fecero, periurus ero, sicut & vos; (si tamen iuraui.) Vos tamen, quia procul dubio iurastis & reiurastis, promittentes ei erga illum omnia fideliter vos agere, & nunc videntes illum agere contra fidem, & præcipitari in perniciem, non reuocatis eum, quantum ex vobis est, periuri estis: quia pro eius salute, secundum fidem non laboratis.

Deinde *promittitis mihi venerabilem receptionem, si tamen ita ad illum venero, vt eius voluntas est.* Hæc non in libris diuinis, sed in vestris conscientiis legitis, qui omnia facitis propter temporalem retributionem, eo quod sitis harundines vento agitatæ & omnes auræ vos flectant. Pensate, pensate Fratres, quam longe est mens vestra ab illa petitione, quam in celebrationibus Missarum soletis dicere Deo non voluntate, sed voce, *da nobis pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla eius aduersa formidare.* Nam si ex corde hæc petieritis, iam dedisset ille qui dicit: *Petite & dabitur vobis.* Deinde dicitis illam primam diuisionem Regni, quam inter filios suos fecerat Imperator, nunc iuxta Regum opportunitatem esse mutatam: quod omnino dupliciter falsum est; vno quidem modo, quia non est opportunitas, eo quod sit causa & origo conturbationis & dissensionis;

commotionis & deprædationis, & omnium malorum, quæ per singula dicere longum est; extra periuria innumera, & fidei ac pacis expulsiones: alio vero modo, quia nec dum scitis vtrum sit commutata aut per verum Regem & Dominum maneat illibata. Ista enim commutatio, quam vos dicitis, iuxta rerum opportunitatem factam, inde cognoscitur, quia non fuerit per Deum, quia multorum peccatorum causa extitit. Illud namque quod per voluntatem Dei fit, plerumque causa est pressuræ, & persecutionis; sicut factum est aduersum sanctos Apostolos, & Martyres, qui non propter aliud passi sunt nisi propter defensionem & confirmationem Euangelicæ veritatis. Causa autem peccatorum & scelerum esse non potuit, sicut vestra diuisio est, quam dicitis fuisse opportunam.

Deinde quod grandi super alio dicitis, quia si reuerenter venerimus ad Imperatorem, per ipsum cognoscemus omnem rei veritatem, quare opportune & vtiliter mutatio sit diuisio: hoc loqui cogit vos magnitudo superbiæ, æstimantes solos suos posse rerum cognoscere causas. Vere dico vobis, quia non solum stultus, sed & infelix est, qui non intelligit quantos & quales fructus malorum protulit vestra commutatio, & de cuius thesauro maligni cordis processit, & pro qua re vos laudatores & defensores estis huius malignitatis. Deinde subiungitis, quia *nisi secundum voluntatem vestram venero, non habeo Ecclesias vestras consentaneas, sed in tantum contrarias, vt nihil mihi in vestris parochiis agere vel disponere liceat, nec quempiam excommunicare vobis obsistentibus.* Vere verum est quod veritas dicit; *malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala.* Quare mihi contrarii cum Ecclesiis vestris esse debetis in legatione pacis, & vnitatis, quod Christi donum & ministerium est? an ignoratis Angelorum cantu promissam esse *pacem in terra hominibus bonæ voluntatis?* per Apostolum autem *tribulationem & angustiam in omnem animam hominis operantis malum?* Hic apparet, quod congruat vobis illud quod Scriptura dicit: *Arma & gladii in via peruersi.* Vos conamini obsistere peruersitatibus vestris, nobis, qui legatione fungimur pacis: nam quicunque inter vos membra Christi sunt, non eum potestis abscindere à corpore capitis quod est Christus; nam & si vos datis operam separandi à corpore vos ipsos, tamen sicut semper fuit, est & erit; vt vnguentum illud, Spiritus videlicet sanctus, qui descendit à capite Christi in barbam, quæ est Apostolorum chorus: & de hac barba in ora vestimenti, quæ est capitium tunicæ, Ecclesiæ, scilicet Christi, quod capit caput, vt inhabitet Christus per fidem in corde eius, in omnibus vbique & videlicet seruet vnitatem spiritus in vinculo pacis. Hæc idcirco dicimus, vt noueritis non vos posse diuidere Ecclesiam Gallicanam & Germanicam ab vnitate tunicæ, quæ subiacet capicio, sublimioribus videlicet membris Ecclesiæ, qui proximiores sunt barbæ Apostoli, scilicet, ac per hoc Apostolicis sedibus; sicut barba non potest esse nisi in capite. Deinde dicitis, rem ridiculam subinferentes, & quod potius tacere, quam dicere maluimus: *si autem non egeritis, assensum consilio nostro non præbueritis, honoris vestri periculo subiacebitis*: si potius maluistis, id est magis voluistis tacere, quam dicere: quare non tacuistis? consuetudo est in vobis vt id quod minus est, vincat quod maius est: maior voluntas extitit in vobis tacere minor autem dicere, & tamen minor vicit maiorem; credendum est omnino, quoniam in discordiarum amatoribus victrix est cupiditas, victa continentia. Illud vero quod mirari nos cognoscimus, periculum grandius.

Quis explicare poterit quantum sit absurdum, quantumque inconueniens & stultum, cum vestra communicatio non sit propter crimen, homicidium scilicet, sacrilegium, aut furtum, vel aliquid huiusmodi, sed nisi ita venerimus, sicut ipsi vultis, cui rei in argumento adiungitis iuramentum, & non recordamini erubescentes, qui periuri peieratum degradare non possunt, etiam si essem? Deniq; vos non me scitis esse peieratum; de vobis autem nemo quis dubitat hoc esse? In hac re memor esse debuerat solertia vestra; quia quicunque cloacam commouet, quanto amplius commouerit; tanto ampliorem fœtorem exhalari facit. Quod autem *de sequentibus me fratribus, & Coepiscopis similiter promittitis agendum*, & additis *irretractabiliter*; miranda in hoc præsumptio vestra cognoscitur. Nunquid quod in parte agitur, retractari apud vniuersitatem non poterit? Numquid quod apud homines à rectitudine deuiantes agitur, apud meliores, recti videlicet tenaces, retractari non debet? aut quod in præsenti malitiose iudicatur, Dei iudicio retractandum non erit? quod vestræ minæ continent; nunquam adhuc ab initio Ecclesiæ factum est. Nam si etiam ego fuissem periurus; aptandum vobis erat illud Euangelium: *Neq; tu times Deum, cum in eadem damnatione sis!*

Audite hæc, omnes gentes, audiat terra & plenitudo eius à solis ortu & occasu ab Aquilone, & mari, & sciant, & recogitent pariter domini & Imperatoris LVDOVICI filios iuste fuisse, & esse indignatos, & bene sentire & intendere ad expurgandū paternum palatium à sordibus facinorum, & iniquis factionibus; & regnum ab amarissimis & tumultuosis inquietudinibus, tantum vt inter eos germana fides & fraterna synceritas Deo digna & omni fideli populo beneplacita perstat, & inuiolabiliter perseueret. Igitur cū prędictus Dominus & Imperator quietus esset in domo, & florens in palatio suo, cū adhuc iuuenem cōiugem sub sui reuerentia custodiret, & secundū Apostolum,

[illegible] illi persolueret; in processu vero dierum cum cœpissent hæc primum tepescere, deinde [illegible], ac per hoc & mulier resolui in lasciuiam, cessantibus licitis conuersa immo [illegible] ad illicita, adsciuit sibimet aptas personas ad perpetranda turpia, & primum [illegible], deinde impudenter. Cognouerunt autem hoc initio pauci, deinde plures, ad postremum autem multitudo palatii, & regni, ac finium terræ; quam rem irridebant minores, dolebant [illegible] clari viri intolerandum iudicantes: Concitati itaq; sunt spiritus filiorum [illegible] rationabili zelo, videntes maculatum stratum paternum, sordidatum Palatium, confusum regnum, & obscuratum nomen Francorum, quod hactenus clarum fuerat in toto orbe: & surgentes singuli vno & pio consensu in emendatione scelerum conuenerunt simul, & aliis comprehensis, aliis effugatis, auctrice vero malorum à Palatio exclusa, inclusaque in custodia [illegible] angeli, induto habitu sanctimoniali, reddiderunt Patrem quieti & aliquantulæ honestati. Cumque per nimiam filiorum remissionem bene acta dissoluerentur, per carnalium blandimenta, & [illegible] scelestos fauores, atque indecoras adulationes, iterum mulier tanquam legitima domina reuocata est in Palatium, & prælata Consiliis & Consiliariis, cuius instigationibus [illegible] Basiliscus [illegible], & cœpit duris cornibus ventilare filios & conturbare populos; Sicque [illegible] antea mortalibus, vt non tam persecuti, iniuste sustinerent persecutiones quam persecutores inuiti & coacti exercerent, & non solum exercerent, sed & sustinerent, dum violentissime in diuersa & contraria iuramenta compelluntur. Attendite & videte si factum est vnquam huiusmodi. Iuratum est ergo Imperatori iuniori; & iterum ipso faciente, aliqui ex ipsis iurauerunt Regi [illegible] & ad postremum pene omnes compulsi sunt iurare Puero, & ne ibi quidem remansit, sed quasi nihil horum fuisset, adhuc exorta sunt iuramenta. *Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus, & [illegible] remanebit despectio Dei, & pollutio nominis eius?* sicut scriptum est, *non peierabis nec pollues nomen Domini Dei tui?* Ecce patefactis abyssis stultitiarum, ad quid peruentum est. Cum enim deberent exercitus mitti aduersus exteras gentes, & ipse Imperator aduersus barbaras nationes dimicare, vt eas fidei subiugaret ad dilatandum terminũ Regni fidelium; (sic namq; orat vniuersalis Ecclesia in solemniis, illis orationibus, diebus passionis Dominicæ pro Imperatoribus, *vt Deus illis subiectas faciat barbaras nationes;*) nunc econtrario omne regnum cum extremitatibus suis con[illegible] in vnum in medio sui, diuersa tamen intentione, dum alii parantur ad intestina viscera disrumpenda, alii ad pacandam si fieri potest iniustissimam discordiam, qui omnes piâ mente perpendere debuerant, quod dicitur in prædictis orationibus, vbi Sacerdos admonet, dicens: *Oremus & pro Christianissimo Imperatore nostro, vt Deus & Dominus subditas illi faciat omnes barbaras nationes ad nostram perpetuam pacem.* Domus ergo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis, orat vt Christianissimo Imperatori, barbari subiiciantur, non vt subiecti conturbentur & barbarizentur. Neque enim Christianismi Imperatoris est subiectos exturbare, & vnitos diuidere. O Domine Deus, cœli ac terræ, cur permisisti fidelissimum & Christianissimum seruũ tuum Imperatorem nostrum in tantam deuenire negligentiam, vt videre nolit quibus malis circundatus sit? diligit enim odientes se & odit diligentes se. Quid si verum est, quod pleriq; qui subtilius intelligere videntur affirmant; quod scilicet sint aliqui in latere ei, qui inaniter expectant exterminium filiorum eius. Quod si viderint, collatum habent inter se, vt in Imperatorem mittant manum, & dispertiant sibi regnum; hoc vtrum verum sit ipsi norunt, multi tamen sunt, qui non ambigunt illos, de quibus dicitur, ita incumbere regno tanquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ. Vnde constat, quia nisi Deus subuenit, aut exteris dabitur regnum, aut in multos tyrannos dispertietur, aut forsitan Antichristo, qui præparabitur, quod in hoc assimilatur; quoniam Imperator qui aduersus barbarorum Reges bella iusta disponere debuerat, aduersus dilectiores sui filios iniusta agere parat. Dicunt etiam aliqui, quod Domina Palatii senioris, extra illa, quæ de eius occultis & non occultis dicuntur, ludat pueriliter, expectantibus etiam aliquibus de ordine sacerdotali, & plebisq; concludentibus, qui secundum formam, quam Apostolus scribit de eligendis Episcopis dicens; *Domui suæ bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate, quia si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Prædicare debuerant Dominæ ludenti; si qua Regina [illegible] non nouit, quomodo de honestate Palatii curam habebit? aut quomodo gubernacula regni diligenter exercebit? Reducere quoque ei ad memoriam debuerant, quod supra[illegible] congruenter aptari potest quantum tamen ad exteriorem sensum pertinet, quod [illegible] Scriptura dicit: *Mulier diligens, corona est viro suo; & putredo in ossibus eius, quæ confusione res dignas gerit.* Et iterum: *Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur: qui retinet eam, quasi qui ventum tenet, & oleum dexteræ suæ euacuet.* Sed forte dicturus est aliquis; hæc non est litigiosa, [illegible] & blanda. Quibus verbis respondendum est, non esse maius litigium, quam boni Patris bonos filios irritare, exacerbare, exhonorare, & penitus à Patre alienare velle, quæ quia propter solam pulchritudinem à viro inofficiose diligi fertur; inculcandum vtrique fuerat quod iterum eadem Scriptura dicit: *fallax gratia & vana est pulchritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Nunc igitur omnes timentes, & amantes Deum, Regem quoque & Regnum, pacata societate, rebus mundi vtentes, rebus diuinis fruentes, omni conamine dare operam debent, vt exprimatur vulnus iniquitatis, & obducatur cicatrix sanitatis, absque sanguinis effusione, absque strage interfectionis, absque amaritudine iurgiorum, absque

turbulenta & fœtida commixtione spirituum immundorum : vt vere dicatur de Ecclesia huius regni, *hæc est domus Dei, & porta Cœli. Portæ autem inferi non præualebunt aduersus eam.* Et iterum: *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse laudabit, gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione tua, & exultabit super te in laude: nugas quæ à lege recesserant congregabo quia ex te erant, vt non vltra habeas super eis opprobrium, & dicat omnis Apostolus, Amen, Amen, & hymnus Deo.*

Sicut veritas non est tantum in dictis, sed & in factis, sic enim Apostolus demonstrat dicens: *veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus.* Et alius Apostolus, *Filioli, non diligamus verbo nec lingua, sed opere & veritate.* Et iterum: *Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & non facimus veritatem.* Ita quoque mendacium non est tantummodo verborum, sed & factorum, sicut in Apocalypsi loquitur Dominus dicens: *Ne intrabit in ea, haud dubium, quin ciuitatem cœlestem aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium.* Et paulo post: *Omnis qui amat, & facit mendacium.* Et Dominus in Euangelio, de inuentore omnium malorum ait: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Si ergo illa veritas, de qua & in Psalmis cantamus: *Prope esto Domine & omnis via tua veritas*, omnium hominum mentes possideret, etiam sine Rectoribus & Principibus res mundi concordi societate pacatæ manerent: nunc autem quia ille, qui in veritate non stetit, contra veritatem agere numquam desistit, & dormientibus hominibus scandalorum zizania seminare non cessat, apta sibi corda satis inueniens, quæ foueant, & nutriant semina eius; redundat malum commotionis, quod quietem Pacis & vnitatis insano furore conturbet. Propter quod sollicite vigilandum est, & sagaciter agendum contra corruptores veritatis, & Pacis, lingua & manu vt aut cohibeantur, aut comprimantur. Commotio itaque huius temporis, & harum Regionum, quæ mira omnipotentis Dei suauitate & dulcedine, sine conflictu armorum sedata est, non segniter memoranda est, sed debet corda fidelium in laudibus Dei & gratiarum actione alacriter succendere, & ad solertiam cautelæ sollicite reddere. Quæ commotio & conturbatio quale habuerit initium, vel originem, non est penitus reticendum.

Igitur cum Christianissimus & piissimus Imperator Dominus Ludouicus, bonæ Coniugis fide & moribus sibi congruentis consortium amisisset, necesse fuit vt aliam sibi acciperet, quæ ei posset esse adiutrix in regimine & gubernatione Palatii regni, sed occulto Dei iudicio talis assumpta est; quæ licet in primis annis viri & domini sui virtute & potestate pressa, subdita fuerit, tamen in processu temporis talis inuenta est, quæ magnorum fluctuum commotionis & conturbationis largus thesaurus esse posset; quæ non solum plebes ac populos, siue Principes, verum etiam elegantissimos Filios Imperatoris etiam coniugatos, & gubernacula regnorum possidentes affligeret, contristaret, & conturbaret, & pene attereret & exterminaret. Cumq; talibus interuentis viderent, hi quibus curæ erat de statu & honore Regni, ac tranquillitate pacis, & quiete populi, dehonestari Palatium, obscurati claritatem regni, & ad ignominiam deduci nomen regnantium; cœperunt queri, & murmurare, ac dolere, & deplorare. Inter hæc concitati sunt spiritus virorum honoratorum, & filiorum regis, & crescente conludio, accedente etiam consilio, conuenerunt singuli de loco suo, & coniuncti ad Palatium, effugauerunt ministros sceleris, & Reginam, quæ totius mali causa erat, excluserunt de domo & honore regni, & constituerunt in retrusionem exilii: Ac deinceps quasi iam liberatum bonum Patrem de laqueo ruinæ, gaudebant se implesse quod inscriptum est: *eiice derisorem, & exibit cum eo iurgium, cessabuntq; causæ, & contumeliæ.* Hoc tam irreprehensibile factum & omni laude dignissimum cum complessent, filii redierunt ad sua, restituto Patre honori & gloriæ suæ. His ita transactis inimicus omnis boni, auctorq; omnis mali, qui non reliquerat corda possessa, sategit instaurare & redintegrare malum suum, & Regina, quæ mutato habitu regali putabatur perdurare in habitu sanctimoniali, sicut ordo poscebat, & rectitudo Iudicii docebat, reducta est in Palatium, & assumta in consortium quasi legitima coniunx, quod esse iam nullatenus poterat. Collocata itaq; turpiter & indecenter in fastigio regali, prius malum auxit, & multiplicauit; ad quod bonus filius, quid agere debuit, nunquid dissimulare? nunquid silere? nunquid quiescere? non ita placuit illi indormitabili oculo qui custodit Israel suum, sed suscitauit spiritus filiorum & conuenerunt iterum, ad succindendam recidiuam malorum stirpem. Timebant enim ne Patri eueniret illud, quod de quodam Rege Scriptura Sancta loquitur, dicens; *Igitur non fuit alter talis, vt habet, qui venundatus est vt faceret malum in conspectu Domini: concitauit enim eum Gezabel vxor sua, & abominabilis factus est.* Sed forte aliquis diuersæ voluntatis homo, amouere nitatur hæc verba Scripturæ sanctæ, tanquam inconuenientia, eo quod sequatur in tantum, vt sequetur idola Amorrheorum. Nouerit quisquis ille est, non posse euacuari congruentiam eorum in hoc loco, quoniam tempore legis in veteri populo idola & simulacra significabant omnes errores in nouo populo, tempore videlicet Gratiæ: Nam & ipse ordo horum verborum, ita intelligendus est; abominabilis factus est diuersis cupiditatibus & illecebris, vt etiam euidenter ad cultum rueret idolorum; quisquis autem aliter hic sentire vult, penset qualiter contradicat Apostolo dicenti: *Et auaritiam quæ est simulacrorum seruitus:* & videat quam veraciter dictum sit; *radix omnium est cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide.* Si ergo cupiditas errare facit à fide, & auaritia simulachrorum est seruitus; quod malum remanet, quod non de radice cupiditatis oriatur? Propter quod fideliter colligendum est, omnes appetitores diuitiarum gloriæ, & honoris secularis, atque primatus, quam non longe absint ab idolorum cultura: Hæc propterea

dicimus

dicimus, vt ostendamus mala & bona, antiquorum malis & bonis congruenter aptari, & his qui errant in nouo populo. Et quanquam Ahab concitante se vxore sua erraneri à fide, & ea auctrice perpetrauerit facinus illud de morte Naboth Iesraelitæ, correptus tamen ab Helia Propheta, non correctus, compulsus est agere pœnitentiam: qua actione pœnitentiæ mala sibi imminentia distulit, non abstulit. Hoc si recte perpendatur, liquido demonstrat, quantum noceant vxores malæ viris suis. Iehu autem, quem Dominus suscitauit in Regem, ad puniendam domum Ahab, & eius deceptricem vxorem, licet æternam vitam non promeruerit, eo quod à peccatis Hieroboam non recesserit, quia studiose exercuit vltiones Domini de Iezabel, & domum eius, quam illa concitauerat, concessum est ei, vt filii eius vsq; ad quartam generationem regnarent. Post eum beatus quoq; Ioiadas, & sanctus Pontifex, quia Athaliam impiissimam interfici iussit, & Ioas in solio Patris collocauit, & Hierusalem à sordibus & immunditiis purgauit, tali eum laude exornat Scriptura diuina, dicens; *Senuit autem Ioiada plenus dierum, & mortuus est cum centum triginta esset annorum, sepelieruntq; eum in ciuitate Dauid cum regibus, eo quod fecisset bonum cum Israel, & cum domo eius.* Ecce iste pius Sacerdos, & temporali & æterna retributione remuneratus est: Iehu autem tantum temporali. Videamus quoq; quid Samson contigerit, quem Apostolus in Catalogo virorum iustorum enumerat, amauit itaq; mulierem non amantem se; quæ plus obtemperauit inimicis eius, quam amico amantis se: & quia ille vir iustus credidit mulieri infideli, ideo & lumen oculorum amisit, & ducatum Israelitæ gentis perdidit. Cui licet postea restituta sit virtus pristina, & ignominiosam vitam gloriosa morte finierit; æterna quidem vita non caruit, tamen ducatum pristinum non recuperauit. Sic ergo dignetur Dominus dudum Imperator pie perpendere, vt cœleste & sempiternum regnum non perdat, qui deceptus à muliere, terrenum & temporale amisit: cedat diuinis Iudiciis, quia nihil in terra sine causa: Voueat & reddat Domino Deo terribili, & ei qui aufert spiritum Principum. Bonorum enim Regũ est dicere, semper, *quasi tumentes super me fluctus, timui Deum.* Hæc dixit beatus Iob, qui conanti se decipere vxori suæ non consensit, sed rigida increpatione redarguit, dicens, *quasi vna de stultis mulieribus locuta es;* qui & in alio loco de Deo dicit, *apud ipsum est fortitudo & sapientia, ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur, & Baltheum regum dissoluit & præcingit fune renes eorum:* Et iterum: *Qui immutat cor Principum populi terræ, & decipit eos vt frustrà incedant per inuium.* Quod & ipsi beato Iob contingeret, si suasionem vxoris suæ libenter audisset: Ideo ergo terribilis Dominus non tantum populis terræ, sed & ipsis Principibus populi, de quo quidem Rex superbus & humiliatus confitetur coactus dicens, *Altißimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui, quia potestas eius, potestas sempiterna, & Regnum eius in generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt; iuxta voluntatem enim suam facit, tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, & dicat ei, quare fecisti?* Et post pauca: *Nunc igitur ego Nebuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cœli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* Neq; vllo modo, hæc idcirco dicimus, vt Dominum quondam nostrum Imperatorem impiis & infidelibus Regibus comparemus, sed quia permisit se à Muliere iniqua decipi, contigit illi, quod scriptum est: *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos.* Per quam conturbationem & ventorum possessionem, perpetrata sunt innumerabilia periuria, & deprædationes immensæ cum homicidiis, adulteriis, & incestis, pro quibus omnibus pœnitentiis, necessariũ est religiosissimo quondam Imperatori, vt redeat ad cor suũ, agatq; pœnitentiã, humiliatus sub potenti manu Dei, cui non est impossibile tribuere illi exaltationem æternæ vitæ: quia exaltatio temporalis vitæ, iam non congruit illi, qui conturbata domo, & mente diuina dispensatione, & iudicio cessit alteri, & locum dedit non cuilibet inimico aut extraneo, sed charissimo filio, propter quod in iucunditate, & exultatione cordis sui, summas gratiarum actiones, summo omnipotenti Deo indesinenter persoluere debet, quia sicut semper optauit, non successit illi in regnum inimicus expugnator, sed filius amator. Nunc ergo audiant omnes in commune tumultuosi & quieti Prophetam dicentem, *sileat omnis terra à facie Domini.* Et Psalmistam, *Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem, quoniam ipse dixit & facta sunt, &c.*

B. PETRI DAMIANI, CARDINALIS ROMANI ET EPISCOPI OSTIENSIS,

Anno Domi. 1050.

TRACTATVS DE CORRECTIONE EPISCOPI ET PAPÆ.



ILlud quod dicitur; *Non licet cuilibet Ecclesiæ filium ad maiorem Ecclesiam proprii reatum Episcopi & quæcunq; sunt corrigenda deferre:* nimis absonum, & prorsus Ecclesiasticæ disciplinæ probatur aduersum. Nam cui melius dicitur quod delinquit, quam ei, qui magistri officio fungitur? & ideo inter reliquos fratres præeminet, vt quod aliis licet, ipse solus per

lus per propriæ sedis priuilegium errata corrigat sacerdotum? Quis est enim hic arrogantiæ tumor, qui elationis fastus, quæ denique tanta superbia, vt liceat Episcopum per fas & nefas ad propriæ voluntatis arbitrium viuere: & quod insolenter excessum est, à subiectis suis dedignetur audire? Præsertim cum illi non adierint tribunalia præsidum, nec forensium pulsauerint examina cognitorum: Sed Ecclesiam potius adeant, & sacerdotibus iudicabilia sui sacerdotis exponant, vt quod secularibus euenire poterat in derisum, grauiter & honeste per Sacerdotale corrigatur officium. Vbi profecto dignum est, vt is qui impetitur, vel ex ratione exhibeat innocentem, vel confiteatur humiliter peccatorem. Nec his allegationibus vtendum est, vt dicat, se non debere ab his qui sibi subiecti sunt, accusari; ne videatur excessibus suis velamen obtendere, & iudicium subterfugere, dum conatur in alium montem quæstionis iniuriam retorquere. Quis enim nesciat, quod Princeps Apostolorum Petrus potestatem regni cœlestis accepit? Virtutem ligandi siue soluendi quæ vellet in cœlis ac terris, obtinuit. Supra mare pedibus ambulauit; sola sui corporis vmbra ægrotantes erexit: mentientes, iaculo nudi sermonis occidit: Oratione mortuos suscitauit. Hic itaque tam sublimis meriti vir, cum ex admonitione Sancti Spiritus ad Cornelium, gentilem videlicet hominem, fuisset ingressus, aduersus eum quæstio facta est, ab his, qui erant ex circumcisione, cur ad alienigenas introiisset, atque cum eis manducare præsumpsisset, insuper & in baptismate recepisset? Hic, inquam, tot donorum cœlestium incomparabili virtute suffultus, tot miraculorum ostensione conspicuus, querela subiectorum non ex potestate restitit, sed rationem reddendo humiliter satisfecit, causamque per ordinem veridicus relator exposuit: quomodo videlicet vas quoddam vel ut lintheum, in quo quadrupedia terræ, reptilia atque volatilia inerant, de cœlo submitti viderit, vocem audierit: *Surge, Petre, macta & manduca.* Qualiter etiam tres viri venientes, eum ad Cornelium vocauerint, qualiter postremo Spiritus Sanctus eum cum illis ire præcepit. Et quemadmodum idem Spiritus Sanctus, qui superuenire iam baptizatis consueuerat, in gentiles ante baptismum venit. Si igitur iste, cum à discipulis culparetur, authoritatem, quam in sancta fuerat sortitus Ecclesia, voluisset obtendere, respondere potuerat, vt pastorem suum oues, qui sibi commissæ fuerant, reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium potestatis suæ titulum obiecisset, doctor profecto mansuetudinis non fuisset. Non ergo eos priuilegii sui authoritate repressit, sed humili potius satisfactione placauit: & tanquam solus ipse ad faciendam fidem non sufficeret etiam testes adhibuit: *Venerunt, inquit, mecum & sex fratres isti.*

Discat ergo, cum de suis actibus conuenitur Episcopus, rationem humiliter reddere, non de sui primatus eminentia superbire, nec sibi fieri credat iniuriam, cum à iuniore corripitur, sed consulentem potius, vel medicum sui vulneris arbitretur. Nunquid enim Nathan Propheta, cum Dauid tam austeræ seueritatis inuectione corripuit, indignationem Regii motus incurrit? Nunquid ille Regalis excellentiæ culmen opposuit, ac velut illatam à subiecto suo contumeliam suam propulsauit? Sed mox vt se cognouit ægrotum, suscepit libenter antidotum, detexit vulnus, & sectionis suæ non horruit ferramentum. Vide humilem languidum. *Peccaui,* inquit, *Domino.* Audi etiam velox medicinæ remedium: *Transtulit Dominus peccatum tuum, non morieris.* E contra Rex Achab, qui corripientem se Prophetam audire despexit, vltionis gladium, quem ille minatus est, non euasit. *Quia dimisisti,* inquit, *virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Dauid ergo culpam suam æquanimiter audiens, sententiam mortis, quam merebatur, euasit: Achab autem correptionis impatiens impiæ pietatis, quam indigno Regi contulerat, veniam non inuenit. Nunquid & mulieres illæ hospitæ videlicet Saluatoris, inuicem inter se litigauerunt, dum altera quereretur aduersus alteram, quia solam se ministrare compelleret? poterat enim Maria dicere nostrorum more Pontificum: Accusasti me, & torporis ac negligentiæ condemnasti. Non sane omnis querela protinus accusatio dicenda est. Nam aliud est querela compassionis, aliud accusatio simultatis & odii. Ista nimirum fit, vt offensio corrigatur: illa vero, vt is qui offenderat, condemnetur. Petrum plane in faciem resistens Paulus obiurgat, & coram omnibus reprehensibilem indicat. Quod ille in accusationis non tulit iniuriam, sed benigne & patienter accepit, quod non ex liuore, sed ex charitate procedere perspicue recognouit. Sed ecce dicitur: Ego sum Episcopus, ego sum pastor Ecclesiæ, non debeo à commissis ouibus accusationem pati: molestus & nisi in causa fidei, dignus sum etiam in prauis moribus æquanimiter ferri. Sed dic mihi quisquis es: Nunquid non legisti quod in Euangelio scriptum est; *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum duos vel tres testes, vt ore duorum vel trium testium, stet omne verbum: si autem eos non audierit, dic Ecclesiæ.* Si Ecclesiæ ergo referenda est causa quorumlibet fratrum, quomodo non etiam sacerdotum? Porro si sacerdos qui in Ecclesia peccat, dedignatur in Ecclesia discuti, quis iam ferat Ecclesiæ se legibus coerceri? Porro si Ecclesiæ tuæ filiis, vt asseris, aduersum te mutire non liceat, nunquid aliunde producendi sunt testes, qui te & facta tua per absentiam domesticæ cohabitationis ignorant? Beatus Iob dicit: *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo:* & tu dicis, absit vt digner ad examen venire cum clerico meo? Deus Omnipotens per Esaiam clamat: *Iudicate pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me.* Si is qui iudicat omnia, non dedignatur à seruis argui: tu superbis vtique, cum conseruo in iudicium venire fastidis? & cum sis terra & cinis, vermis & puluis, humiliare te despicis, ad imaginem conditoris? Præsertim cum scriptura dicat;

Ducem

Ducem te constituerunt, noli te extollere, sed esto in illis quasi vnus ex illis. Quis plane nesciat, quia Samueli Israelitica plebs præiudicium intulit, eumque de principatu iniuste deiecit? Et cum eos arguere merito potuisset, vltro se arguendum nullius accusationibus obtulit: & vtrum eos in aliquo violenter oppresserit, inquisiuit. *Ecce præsto sum*, inquit, *loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: Si quenquam calumniatus sum, si oppreßi aliquem, si de manu cuiusspiam munus accepi, & condemnam illud hodie, restituamque vobis.* Cum ergo tam incomparabiles, tam eminentes, atque sublimes viri, subiectis suis rationem reddere de propriis actibus non despiciant: quis arrogantiæ typus, quis est iste tantæ superbiæ fastus, quo sacerdos huius temporis intumescens, titulum sui præsulatus opponat, & Ecclesiæ suæ filiis qui se grauatos asserunt, æquo indicio non respondeat? Excludatur ergo ab Ecclesiastica disciplina perniciosæ consuetudinis regula, tollatur hæc subterfugii versuta calliditas, vt is qui tam peruersis audacis superbiæ allegationibus vtitur, immunitatem commissi piaculi non lucretur.

B. PETRI DAMIANI EPISCOPI OSTIENSIS, ET CARDINALIS ROMANI,

Disceptatio Synodalis:

DE ELECTIONE PONTIFICIS ROMANI, INTER REGIS Aduocatum, & Romanæ Ecclesiæ Defensorem, missa ad Synodum habitam super electione Honorii II. Papæ, qui vulgo Cadalous dicebatur.

SEd ad hæc gloriaris, *(alloquitur Cadaloum)* & iactas: Rex me & Imperatrix mater elegit ad hunc apicem, me Regia celsitudo prouexit: sed cum hinc aula regia suum tueatur electum, illinc Romana Ecclesia proprium defendat Antistitem, iam in solio constitutum, dignum est, vt sanctorum atque prudentium sacerdotum multitudo conueniat & hanc quæstionem ventilans, sub canonici iuris auctoritate discernat. Quoniam & in proximo, vt speramus, fiet hic Osboriense Concilium, hic iam eiusdem Concilii constituamus velut in quadam tabella picturæ præludium. Iuxta iussionem ergo Danielis, *Patrum throni sint positi, iudicium sedeat, libri aperiantur*, & solutionis indiga quæstio in medium deducatur. Hic itaque Romanæ Defensor Ecclesiæ suas allegationes inferat: illic Aduocatus Regius propriæ partis argumenta depromat. Taceat Parma cum suo hæresiarcha; aduocatio tantum regia, & Romana inuicem colloquatur Ecclesia: sanctorum vero sacerdotum erecti sint animi, vt & quæ vtique dicenda sunt, conferant, & peroratæ causæ iudicialiter sententiæ calculum ponant. Age igitur, Defensor Apostolicæ Sedis incipiat, deinde Regius Aduocatus, quæ sibi videbuntur, ostendat.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

CVM beatitudo vestra, venerabiles Patres, super Apostolicæ sedis negotio disputat, ad cunctas Ecclesias pertinere, quod versatur in manibus, non ignorat. Hac enim stante, reliquæ stant: sin autem hæc, quæ omnium fundamentum & basis, obruitur: cæterarum quoque status necesse est collabatur. Omnis autem siue Patriarchatus cuiuslibet apicem, siue Metropoleon primatus, aut Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum cuiuscunque ordinis dignitates, siue Rex, siue Imperator, siue cuiuslibet conditionis homo purus instituit & (prout voluntas, aut facultas tulit) spiritualium prærogatiuarum iura præfixit: Romanam autem Ecclesiam solus ille fundauit, & supra petram Fidei mox nascentis erexit, qui beato vitæ æternæ Clauigero terreni simul & cœlestis Imperii iura commisit. Non ergo qualibet terrena sententia, sed illud verbum, per quod constructum est cœlum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundauit Ecclesiam. Illius certe priuilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Vnde non dubium, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiã facit: qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur: & cum ille notatur iniustus; hic est dicendus hæreticus. Fidem quippe violat, qui aduersus illam agit, quæ mater est Fidei; & illa contumax inuenitur, qui eam cunctis Ecclesiis prætulisse cognoscitur. Cum hoc igitur vestra sanctitas indubitanter agnoscat, vos, qui non quilibet, sed nobiliores; & egregii estis filii Romanæ Ecclesiæ, pietatis viscera circa matrem vestram compatientes ostendite, & vtrum destrui debeat, sibimet eligendo Pontificem, iudicate. Mirum

quippe

quippe est, si, quod minoribus Ecclesiis canonicus vigor attribuit, illi soli, quæ caput est omnium, non permisit.

Regius Aduocatus.

Prolixa declamatio dedit attentionem, beneuolentiam, atque docilitatem, & hoc potius iuxta cósuetudinem fori iudicialis, quam secundum regulam Concilii Synodalis: vbi scilicet non magnopere curare debemus elucubratæ locutionis vrbanitatem, sed viuæ sententiæ puritatem. Ad querelam ergo coram sanctis sacerdotibus deponendam sufficiat nobis dicere, quoniam intronizastis Papam sine consensu Domini nostri Regis, ad iniuriam scilicet atq; contemptum regiæ maiestatis.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Ordinationem Papæ factam differri non possumus, nec debemus, Regis autem iniuriam modis omnibus propulsamus. Sed videamus primo si placet, vtrum Papa sine Rege potuerit fieri, & sic postmodum de Regis disputemus iniuria.

Regius Aduocatus.

Per te liquido nouimus, quia illi debent Pontificem cum ordinatur, eligere, quos sibi, postquam ordinatus fuerit, canonica decreuit auctoritas obedire: Papæ vero, quia vniuersalis est Pontifex, non modo Romanus populus, sed Romanus Imperator, qui caput est populi, obedientiam debet: censendumne ergo est vt Papam sine capite suo populus eligat, & ei, quem non elegit Imperator, obediat? Constat ergo, quod nisi Romani Regis assensus accesserit, Romani Pontificis electio non erit perfecta.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Perhibendum est itaq; iuxta vestræ disputationis articulum, quod neq; Stephanus, nec Xystus, neq; Cornelius; non deniq; Clemens, non Syluester, non ipse beatus Petrus Papali nomine digni sunt, qui ab Imperatoribus eorundem tempore electi non sunt.

Regius Aduocatus.

Gentiles Reges non sunt adhibendi ad huius, de qua loquimur, electionis exemplum: qui quoniam ignorabant Fidem Christianam, Christianorum non poterant ordinare Pontificem. Cæterum Christiani Principes semper Romanos elegere Pontifices.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Qui mentitur in communi colloquio, mendax dicitur; qui autem in præsentia venerabilium sacerdotum falsa protulerit, sacrilegii procul dubio crimen incurrit. Dixisti, Christianos Principes Romanos semper elegisse Pontifices: percurre mecum Ecclesiasticæ antiquitatis historias, Romanorum præsulum catalogum studiose disquire, & cum perpaucis inueneris in electione suæ regium accessisse consensum, confitere te perspicuum protulisse mendacium. Quis enim Rex Antonii filium Damasum Hispaniensem? quis Innocentium Innocentii filium Albanensem? quis deniq; Zosimum Græcum Ebramii filium elegit? Quis præterea Leonem Quintiani filium de Tuscia? Quis Hilaroim Crispini filium de Sardinia? quis Cœlestinum Prisci Romani ciuis filium? quis Bonifacium, quis Anastasium æque Romanos? Deniq; multos attexerem, nisi fastidium generarem. Sed ne me putes non habentem copiam, ab eorum enumeratione deficere: Quis Imperatorum elegit Simplicium Tiburtinum? Felicem natione Romanum? qui Gelasium Afrum Valerii filium? quis Symmachum Sardiniæ prouinciæ filium Fortunati? quis Hormisdam filium Iusti natione Campanum? Ioannem origine Tuscum, Felicem natione Samnitem, Bonifacium Cibaldi filium, Mercurium Proiecti, Agapitium Gordiani, natura Romanos. Quis enim Regum electioni cuiuslibet istorum suum legitur adhibuisse consensum? cum eorum temporibus Romanæ Reipublicæ Christiani Principis præfuisse legantur, id est, Valentinianus senior, Valens frater eius, qui occisus est in pugna Gothica prope Hadrianopolim, Gratianus, qui à Maximo tyranno peremptus est; Valentinianus Iunior, qui necatus est à Comite suo Viennæ; Deinde Arcadius, Honorius, Theodosius; Ioannes ille, qui apud Rauennam occisus est; Valentinianus Tertius, qui in campo Martio est peremptus; Martianus, Leo, Maiorianus, Seuerus, Anthemius, Olybrius, Glycerius, Zeno, Nepos ille, qui in villa sua occisus est iuxta Salonas, Augustulus, Anastasius, Iustinus, & cæteri Romani Imperatores; quos euitandi laciniosi styli causa prætereo. Da mihi ergo eorum, quos enumerauimus, aliquem vel Præsulem requirentem vel Principem assensum in electione præbentem, & ego do manum, ac te perhibeo laureandum: alioquin si dare non poteris in hoc te conuictum per omnia pernecesse est fatearis. Quod autem beato Gregorio legitur adhibuisse Mauritius Imperator assensum, & perpauci alii Principes aliis promouendis, hoc dictauit perturbatio temporum, & tempestas horrenda bellorum.

Regius Aduocatus.

Si mentiri est contra mentem loqui, temerarium est me mendacii tam procaciter argui, qui non vtiq; falsum, sed verum me dixisse putaui: tamen assentior, & in hoc superatum me esse non abnuo.

Defen-

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Vt autem id ipsum adhuc manifestius pateat, & te super hac dimicandi materia perdidisse, tibimet ipsi clarius innotescat, lege Constantini Imperatoris edictum, vbi sedis Apostolicæ constituit super omnes in orbe terrarum Ecclesias principatum. Nam postquam supra corpus beati Petri basilicam fundator erexit, postquam Patriarchium Lateranense in beati Saluatoris honore construxit, mox per Imperialis Rescripti seriem Romanæ Ecclesiæ constituit dignitatem. Vbi nimirum beato Siluestro, suisque successoribus obtulit, vt regali more, & aurea corona plectantur in capite, & cæteras regii cultus infulas vsurparent. Verum beatus Siluester ornamenta, quæ sacerdotali congruere iudicabat officio, in proprios vsus assumpsit; coronam vero vel cætera, quæ magis ambitiosa, quam mystica videbantur, omisit. Cui etiam Constantinus Lateranense palatium, quod eatenus aula regalis extiterat, perpetuo iure concessit; regnum Italiæ iudicandum tradidit. Nam & ipsius Regis hæc verba sunt: *Vnde*, inquit, *congruum inspeximus, nostrum Imperium & regni potestatem Orientalibus transferri & transmutari regionibus, & in Byzantia prouincia in optimo loco nomini nostro ciuitatem ædificari, & nostrum illic constitui Imperium. Quoniam, vbi principatus sacerdotum & Christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem.* Audisti, quia terrenus Imperator non habet in Romana Ecclesia potestatem: quomodo ergo sine illius arbitrio, qui potestatem ibi non habet, non licet eligi sacerdotem? Ipse vero Constantinopolim velut in secunda Roma perpetuo regnaturus abscessit. Longe vero post Theodosius Imperator beati Pauli basilicam cœpit; quo defuncto filius eius Honorius eandem basilicam ad calcem vsq; perduxit. Hi quoque Romanæ Ecclesiæ priuilegium nihilominus firmarunt. Quomodo ergo prærogatiuam sibi in Romani Pontificis electione relinquerent, qui Romanam Ecclesiam nequaquam sibi studuerunt subdere, sed præferre? non præcipere, sed parere? non præcellere, sed subesse?

Regius Aduocatus.

Assentior plane & ratum duco quod loqueris: sed esto, quod nunc regia celsitudo ex antiquorum consuetudine Principum hoc sibimet allegare non posset; veruntamen tu hoc negare non potes, quod pater Domini mei Regis piæ memoriæ HENRICVS Imperator *factus est Patricius Romanorum, à quibus accepit in electione super ordinando Pontifice principatum.* Huc accedit, quod præstantius est, quod Nicolaus Papa hoc Domino meo Regi priuilegium, quod ex paterno iam iure susceperat, præbuit, & per synodalis insuper decreti paginam confirmauit. Cum ergo priuatus quisque à suo decidere iure non debeat, donec ventilato negotio iudicialis in eum sententia promulgetur: quo pacto maiestas Regia prærogatiuam hanc suæ dignitatis amisit, quam & ex Apostolicæ Sedis liberalitate percepit, & ex paterno Imperialis fastigii iure suscepit? quo, inquam, modo in Romana Ecclesia dignitatis adeptæ locum sine iudicio perdidit, qui Romanam Ecclesiam non offendit?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Priuilegium inuictissimo Regi nostro ipsi quoq; defendimus, & vt superplenum, illibatumque possideat, optamus. Porro autem Romana Ecclesia multo nobilius atq; sublimius, quam mater carnis, mater est Regis: illa siquidem peperit, vt per eius traducem reuertatur in puluerem; ista genuit, vt Christi sine fine regnantis efficiat cohæredem. Et cuncti liquido nouimus, quia Rex licet egregiæ indolis, tamen adhuc puer est. Quid ergo mali fecit Romana Ecclesia, si filio suo, cum adhuc impubis esset, cum adhuc tutela egeret, ipsa tutoris officium subiit, & ius, quod illi competebat, impleuit? Quis nescit, quia sacerdotem eligere puer ignorat? Sæpe mater iudicis tribunal irrumpit, testes adsciscit, Notarios conuocat, sicque per astipulationes & rata, & insuper apicum monumenta omnia bonorum suorum filio iura delegat: interim tamen, vsque dum ille ad iuuenilis ætatis incrementum perueniat, & rationis capax fiat, illa cuncta dispensat, omnia ordinat, sicque quod iam alieni iuris est patrimonium, ad propriæ disponit prouisionis arbitrium. Nunquid ob hæc dicenda est mulier illa filio suo concessa subtrahere? immo verius perhibetur, vt puto, pietatis studio deseruire. Quia quæ rudis adhuc filius dilapidare ac prodigere poterat, hæc illa sibimet apte disposita, caute retenta, & rationabiliter ordinata conseruat. Carnalis ergo mater adiuuat filium in rebus terrenis, & mater Ecclesia filio suo Regi præbere non debet auxilium in spiritualibus donis? Obmutescat ergo plecta versutia, quæ scilicet hæc damnat, quod prædicare debuerat; illi crimen imponere nititur, quæ pro beneficiis gloriam promeretur. Huc accedit, quia nonnunquam ob varietatem temporum sæpe mutandus est ordo causarum. Tunc enim, quoniam Pontificem sibi Romana percepit Ecclesia, tantæ simultatis fomes in seditionis ciues accenderat, tantus liuor & odium tumultuantis populi corda turbauerat, vt de tam longinquis terrarum spatiis nequaquam regiæ clementiæ præstolari possemus oraculum. Nisi enim quantocyus ordinaretur Antistes, perniciosus in populo gladius mutuis vulneribus desæuiret, & non parua Romanorum ciuium strages fieret.

Regius Aduocatus.

Obten-

Obtende quod vis, argumentare quod placet, dummodo constet quia nullatenus debuit immutari, quod Papa concessit, quod decreto constituit, quod scriptione firmauit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Quid mirum, si hominis carnis adhuc fragilitate circumdati statuta mutentur, quoniam omnipotens Deus, qui videlicet omnia quæ futura sunt nouit, ea quoque quæ à semetipso constituuntur, immutat? Nam ex eo quod promittit, aliquando aliquid minuit, vel etiam totum subtrahit, aliquando mala minatur, & non infligit.

Regius Aduocatus.

Ea quæ proposuisti scripta declarentur exemplis. Quid est ergo quod Deus vnquam promisit, & minuit?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Si non excidit, reminisci potes, quod dixit Dominus ad Noe: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Sed cum Scriptura commemorat quingentorum tunc annorum extitisse Noe, quando hæc sibi Dominus loquebatur, sexcentorum tunc iam esse, cum cataclysmus erupit, liquido patet, viginti annos de præscripti numeri spacio fuisse subtractos, vitæque spacium, quod humano generi Deus promisit, imminuit, quia peruersitatis eorum reatus excreuit. Inde quoque per os Patriarchæ Iacob promisit Spiritus sanctus, dicens: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* Et tamen nec temporibus Iudicum legimus viros de tribu Iuda semper super Israel tenuisse ducatum, nec Reges ex eadem tribu principatum tenuisse vsque ad Christi reperiuntur aduentum. Constat ergo, quia Deus omnipotens sæpe, quod homini promisit, imminuit, quoniam homo, quod Deo debuerat, non impleuit.

Regius Aduocatus.

Doce & vbi Deus promittit bonum aliquod, & efficaciter non impleuit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Recordare quod dixit Dominus ad Iosiam Regem: *Pro eo,* inquit, *quod vidisti verba voluminis, & perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, & scidisti vestimenta tua, & fleuisti coram me: idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace.* Et tamen paulò post Scriptura dicit: *In diebus eius ascendit Pharao Necho Rex Ægypti contra Regem Assyriorum ad flumen Euphratem, & abiit Iosias in occursum eius, & occisus est in Magedo cum vidisset eum.* Ad Sedeciam quoque Regem Iuda per Ieremiam dicitur: *Audi verbum Domini, Sedecia Rex Iuda. Hæc dicit Dominus ad te: Non morieris in gladio, sed in pace morieris, & secundum combustionem patrum tuorum, Regum priorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te & va Domine, plangent te, quia verbum hoc ego locutus sum, dicit Dominus.* Quod nimirum quomodo potuit fieri, qui seriem scrutatur historiæ, nunquam poterit inuenire. Nam postquam à Rege Babylonis semel est captus, Babyloniamque translatus, nunquam legitur vlterius ab eius vinculis absolutus. Iusto ergo iudicio subtrahit Deus nonnunquam homini bona quæ promisit, cum rebellis homo illius seruare mandata contemnit.

Regius Aduocatus.

Prosequere etiam, quomodo Deus quod minatus est, non infligit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Nemo, qui limen Ecclesiæ terit, ignorat, quia Ionas ad Niniuen à Domino missus exclamauit, dicens: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Sed quia ciuitas illa ad Deum toto est corde conuersa, nequaquam iuxta minacem Domini sententiam excidii est euersione deleta. Cum ergo Deus omnipotens non modo verax, sed & ipsa sit veritas, inuiolato consilii sui manente proposito, exterioris iudicii sui sæpe variat ordinem, iuxta humani siue probi, siue improbi meriti qualitatem, quatenus & à prauitate correctus, quod Deus iuste minatur, euadat & prolapsus in culpam, nullatenus quæ pollicetur bona percipiat. Hinc est, quod per Ieremiam dicit: *Bonas facite vias vestras & studia vestra, & audite vocem Domini Dei vestri, & pœnitebit Dominum mali, quod locutus est aduersum vos.* Hinc est, quod ad Heli quoque per virum Dei Dominus ait: *Loquens locutus sum, vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. Nunc autem, dicit Dominus, absit hoc à me, sed quicunque glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Regius Aduocatus.

Recte plane cuncta proposueras, perspicuis roborasti testimoniis Scripturarum, attamen ad superiora paulisper reuertere, & iuxta tuæ sponsionis elogium de Domini mei Regis iniuria rationem redde.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Glorioſo Regi in eligendo Pontificem, abſit vt nos intulerimus iniuriam, cum ad hoc nos, ſicut ſuperius dictum eſt, neceſſitas impulerit, non rapina, adhoc, inquam, nos inuitos traxit imminens periculum ciuilis belli, non lædendi, vel minuendi huiuſmodi Imperii.

Regius Aduocatus.

Ciuile bellum obiicis, imminens periculum in tuæ allegationis defenſione prætendis; dicatur etiam, ſi placet quod cœlum rueret, terra ſubcicinium pateretur: perge adhuc addens, quod pontus areſceret, terram diluuium inundaret. Quid mihi omnia hæc dum conſtet, quia quidquid accideret, nullo modo ſancti Papæ ſententiam debuiſti infringere, nulla ratione ſynodalis decreti myſterium licuit violare? Sicut enim Scriptura perhibet, *melius eſt vt oriatur ſcandalum, quam vt veritas relinquatur.* Nam ſi hoc bellum timuiſſent beati Martyres, fierent proculdubio ſanctæ militiæ deſertores.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Non ignoras, quod inter omnes ſanctos Martyres Petrus & Paulus in Apoſtolici Senatus culmine poſſident principatum.

Regius Aduocatus.

Hoc ſicut negare ſacrilegium eſt, ita etiam affirmare ſuperfluum.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Eorum ſunt nobis tenenda veſtigia, eorum forma iuris eſt actibus imprimenda, ſub eorum magiſtra debemus viuere diſciplina.

Regius Aduocatus.

Hoc vtique clarum eſt, perſpicuum eſt, ſed quid à te portendi, quid præſtigii ſub hoc funiculo inductionis alatur ignoro.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Tolle præſtigium, intellige veritatem, times me tanquam tibi tendiculas ſubſtruentem: audi Paulum de capite ſuo Petro veraciter perhibentem: *Petrus, antequam venirent quidam à Iacobo, cum Gentilibus edebat; cum autem veniſſent, ſubtrahebat ſe & ſegregabat, timens eos qui ex circumciſione erant.* Cernimus ergo Petrum non rigidum, ſed diſcretum. Timebat enim Iudæos, ne per occaſionem Gentium à Fide recederent Chriſtianorum, & ne perderet gregem creditum, boni paſtoris eſt imitatus exemplum: factus eſt enim Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifaceret. Sicut Chriſtus apparuit in forma carnis peccati, vt à peccatis hominem liberaret: & cum legem Moyſi non ambigeret abolendam, conſulens tamen adhuc rudibus & infirmis fratribus, tenuit ad tempus vmbram legis, vt eos quoque proueheret ad perfecte noſcendam plenitudinem veritatis. In hoc ergo beatus Petrus diſcretionis nobis regulam dedit, quatenus aliquando, vbi tamen non plurimum noceat, declinemus aliquantulum à tramite rectitudinis, vt conſulere valeamus infirmis.

Regius Aduocatus.

Qui dicis, quod Petrus aliquando legem Iudaicam tenuit, cur non dicis quod in eadem Epiſtola legitur, nimirum quia Paulus in facie eum reprehendit: *In faciem*, inquit, *ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Eique dixit: *Si tu, cum ſis Iudæus, Gentiliter, & non Iudaice viuis, quomodo cogis Gentes Iudaizare?* Cum ergo illud permiſiſti, iſtud quare ſilentio ſuppreſſiſti.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Quod Petrus egit compaſſione miſericordiæ, hoc Paulus arguit pro magiſterio diſciplinæ: ille, quod fecit diſpenſatiue, vt infirmis tolleret ſcandalum; hoc iſte arripuit, ne indiſcretus quilibet paſſim adduceret in exemplum: in Petro diſcamus, vt periculo imminente diſcreti Pauli ſermonibus inſtruamur, vt ſanis rebus vita noſtra mere deſeruiat rectitudini.

Regius Aduocatus.

Laudo quidem redditam rationem, ſed cum duorum Apoſtolorum propoſueris magiſterium, mirum cur prætermiſſo Paulo, ſolum Petrum adduxeris in exemplum.

Defenſor Romanæ Eccleſiæ.

Noli, frater, pueriliter currere, imo noli volare, ſed perge; pro grauitate quippe negocii probatio eſt quoque moderanda ſermonis. Audi etiam conſequenter & Paulum, diſcretionis

aureæ lineam nostris oculis opponentem, eiusdemque dispensatiuæ compassionis auctorem. Sicut enim Apostolicorum Actuum testatur historia, perambulat Paulus Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias, peruenitque in Derben & Lystram: & ecce discipulus quidam erat nomine Timotheus, filius mulieris viduæ Fidelis, pater autem gentilis. Hunc ergo, vt ad compendium veniamus, Apostolus circumcidit, quoniam Iudæos, imo Iudæis, qui in illis erant regionibus, timuit. Cur itaque circumcidit Fidelem hominem, non Iudæum, qui videlicet incircumcisus erat, & natione gentilis, nisi vt discretionis studio deseruiret, ne Iudæi Fideles in scandalum corruentes à Fide recederent? Hoc etiam nunc ad memoriam redit, quoniam aliquando iuxta morem Nazaræorum comam ex voto nutriuit, & postquam nauigasset in Syriam, in Cenchris positus caput iuxta legis mandata totondit. Refert adhuc Lucas sacræ Scriptor historiæ: *Cum venissemus*, inquit, *Ierosolymam, libenter susceperunt nos fratres, & sequenti die Iacobus, & omnes seniores, qui cum eo erant, Euangelio illius comprobato dixerunt ei: Vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt in Christo, & omnes æmulatores sunt legis. Audierunt autem de te, quod discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt Iudæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, nec secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? vtique oportet conuenire multitudinem; audient enim te superuenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis quatuor viri votum habentes super se, his assumptis sanctifica te cum ipsis, & impende in illis, vt radant capita; & scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. Tunc Paulus assumptis viris, posteriori die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.* Cur itaque Paulus iuxta ceremonias Iudæorum caput rasit, nudipedalia exercuit, sacrificia obtulit, & legem destruens, legis præcepta seruauit? cur, inquam, hæc omnia nisi vt his qui ex Iudæis Fideles extiterant, scandalum tolleretur? formam suscepit ægritudinis, vt morbos auferret ægrotis; seruauit ceremonias legis, de quibus tamen in Epistola dicit: *Quæ mihi fuerunt lucra, facta sunt detrimenta, & propter Christum arbitror velut stercora.* Circumcidit hominem, & tamen hoc terribiliter clamat: *Dico*, inquit, *vobis, quia si circumcidamur, Christus nihil nobis proderit.* Quod, quæso, maius peccatum esse poterit, quam Christum perdere, Christianæ religionis regulam violare, Iudaicæ legis ritus inducere, nouam Euangelii gratiam impugnare? Et tamen hæc Apostolus Paulus in superficie fecisse conspicitur, ne in ipsis nouæ Fidei rudimentis mentes adhuc teneræ scandala paterentur. Quantum namque in exterioribus cernitur, Cherinthus, & Ebion nil pene peius inueniuntur egisse, quam Paulus, qui nimirum in Christum credentes, propter hoc solum à Patribus anathematizati sunt, quia legis ceremonias Christi Euangelio miscuerunt, & sic noua confessi sunt, vt vetera non mutarent. Sed ecce cum dicitur, quoniam Iacobus & omnes seniores hoc Paulo consilium dederunt: omnes ergo discipuli, quod Paulus fecit, pariter fecerunt; vnumque scilicet habent in hoc meritum, & qui fecit, & qui faciendi dedere consilium. Si ergo ipsi principes mundi, quorum legibus parent non modo regna terrarum, sed ipsa etiam celsitudo cœlorum, non dubitauere pro paucis, qui tunc erant hominibus, in tam periculoso negotio condescendere: cur nobis vtique paruulis, & infra eorum vestigia longe iacentibus non licuit innumerabili Romanæ vrbis multitudini subuenire? Sed quid Apostolos loquimur scandalum cauisse debilium, & nouiter conuersorum; cum & ipse illorum Magister & Dominus, cuius nimirum omnia secula substernuntur imperio, ad nostræ imitationis exemplum, scandalum præcauerit Iudæorum? *Simon*, inquit, *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis suis, an ab alienis*? quo respondente, ab alienis: Iesus subiungit: *Ergo liberi sunt filii. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascendet, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Ad molliendum ergo rigorem rectitudinis, ad tuendam virtutem discretionis, si tibi Petrus non sufficit ad exemplum, iunge & Paulum. Quod si procaci contumaciæ nequeunt vterque sufficere, pudeat te vltra Iudam per dicacitatis ineptiam prosilire: *Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti.*

Regius Aduocatus.

Discretionis virtutem tot Scripturarum testimoniis approbatam improbare non possumus; sed absit, vt vlla virtus sit tam sublimis, tamve præcipua, cuius tuendæ studio in anathematis barathrum corruere debeamus. Nam cum omne, quod nobis ex diuina lege præcipitur, ad hoc procul dubio tendat, vt nos Creatori nostro societate æterna coniungat; si nos ab eo, quod absit, per maledictionis sententiam contingat abscedere, quæ virtus, quæ discretio, quæ, sicut dicitur, pia compassio tam incomparabile damnum nobis poterit compensare? Sane si propter hoc solum virtus appetitur, vt omnipotentis Dei societas acquiratur, qualis iam illa virtus esset, quæ nos à diuini gubernii societate repellat?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Hæc cur prosequaris, quia nobis occulta sunt, euidenter expone.

Regius Aduocatus.

Synodalis enim decreti pagina, quam cum Concilii totius assensu beatus Nicolaus Papa consti-

constituit, cui quippe manus articulum indidit, quam tot Episcoporum venerandus celebrisque conuentus subscriptione firmauit, anathematis vinculo iuxta morem carere non potuit. Vnde vos pro compassione, vel condescensione, nescio quam dicitis furentis populi, nequaquam vosmetipsos deberetis tam inenodabiliter sententiæ nexibus irretire. Ridiculum quippe est, sic obrutum de voragine marini fluctus eruere, vt ipse compellatur ereptor vndosis procellarum spumantium cumulis subsidere.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Cum hæc inconsultius loqueris, Antabatarum aduersum me more confligis, qui nimirum dum clausis semper oculis pugnant, alios quidem vulnerant, sed quomodo seipsos à vulneribus tueantur, ignorant. Dicis, quia nequaquam debemus in anathema corruere, etiamsi per hoc valeamus infirmis fratribus subuenire. Huc vibrasti gladium, tentasti vulnus infligere, sed tibimet vbi clypeum opponeres, non vidisti. Nunquid tibi iam de memoria excidit, quod superius protuli, quoniam beatus Paulus in Epistola sua dicit, quia *si circumdamur, Christus nihil nobis proderit*? Et tamen quod tam districte præbuit, ipse pro charitate fratrum infirmantium, ne scandalum paterentur, impleuit. Quod enim maius siue deterius poterit quis anathema subire, quam cui negatum est, Christum pro sui reatus damnatione prodesse? Nam cui Christus non prodest, proculdubio anathema est: nihilque est aliud anathema aliquem fieri, nisi à Christi, in quo benedicuntur omnes Gentes, societate repelli. Si ergo Paulus hoc anathema pro charitate fratrum subuenire non timuit, imo prorsus euasit, cum non qualemcunque hominem, sed Christianum vtique discipulum circumcidit; tu, quæso, vbi cordis oculos amisisti, qui, quod Apostolus fecit, non faciendum esse testatis? ipse enim dicit: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.*

Regius Aduocatus.

Verisimile est, quod sicut Paulus Coapostolum suum Petrum de Iudaizandi rediuiua vsurpatione corripuit; ita nihilominus & in semetipsum, postquam discipulum circumciderat, reprehendat: nec mihi hoc aliter vnquam poterit persuaderi, nisi fortassis in eius verbis aliquatenus valeat inueniri.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Vt nullus ambiguitatis næuus in tua mente remaneat, vt nulla cor tuum super hoc negotio deinceps caligo confundat, audi quid idem Paulus ad Romanos dicat: *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente cõscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia est mihi magna & continuus dolor cordi meo: optabam enim ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Ecce Paulus cum non sit sicut nos, necessitate coactus, sponte ac voluntarie desiderat anathema esse pro fratribus; & tu mihi proponis anathema timendum, vbi me perspicis, & ineuitabili prorsus necessitate fuisse constrictum, & charitatis studio, ne tanta fratrum multitudo corrueret, inclinatum: Audi etiam quod Moyses pro populo Israelitico postulans dicat: *Obsecro Domine, peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi Deos aureos: & dimitte eis hanc noxam, aut si non facias, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Quod nimirum pleniter fiet, cum reprobis in Iudicio dicet: *Ite maledicti in ignem æternum.* Ecce hic Paulus optat anathema pro fratribus fieri: ecce illic Moyses postulat ex Dei libro pro populi, quem ducebat, charitate deleri: & sola Romana Ecclesia, quæ pietatem & charitatem toto terrarum orbe spiritualiter & principaliter docet, ex imminentibus vibratis vndique gladiis filios suos, quos quotidie per sacri baptismatis mysterium generat, liberare nõ auderet? *Maledictus vir,* ait Saul, *qui comederit panem vsque ad vesperam, donec vlciscar me de inimicis meis.* In hoc, sicut legitur, anathema Ionathas eccidit, sed eum ab imminenti mortis sententia, charitas, qua pro populo strenue dimicauerat, liberauit. Vis audire, quid etiam de ipso Iesu, totius benedictionis auctore, idem Apostolus dicat? *Christus*, inquit, *vt vos liberaret à maledicto legis, factus est maledictum.* Si ergo ipse auctor benedictionis æternæ, vt nos à vinculo maledictionis absolueret, maledictioni non dedignatus est subiacere: si sancti quique vel noui, vel Veteris Testamenti, dum sui capitis imitantur exemplum, vt infirmis subuenire fratribus in periculis concupiscunt, anathematis subire sententiam nullatenus perhorrescunt: cur vni mihi niteris imputare peccatum, & charitatem ad hoc me induxisse non perspicis, quæ operit multitudinem peccatorum? Quomodo autem me cuiuslibet hominis sententia ligat, quem charitas ipsa, quæ Deus est, liberat? Erubescat igitur humani anathematis imputator, cum per charitatis gratiam mecum sit æternæ benedictionis inductor.

Regius Aduocatus.

Cuicumque in disputatione certanti veritas ipsa defecerit, ineptum est adhuc per ambages, atque versutias pertinaciter niti; ridiculum est diutius verbis prolixioribus immorari: de vinculo siquidem anathematis, quo te hactenus arbitrabar astringi, ita te nauiter expedisti, vt nihil de cætero tibi valeat obiici, nihil super hoc capitulo rationabiliter possit opponi. Veruntamen adhuc video mihi materiam superesse, quam tibi valeam non sine causa reluctatori obiicere. Dicitis, quia necessitate constricti, & velut angusti temporis breui spacio coarctati nequaquam po-

tuistis in electione Pontificis expectare consensum regiæ maiestatis. Quod profecto friuolum esse perspicuum est. Constat enim tres plus minus menses interim decurrisse, ex quo sanctæ memoriæ Papa Nicolaus occubuit, vsque ad Kalend. Octobr. cum iste successit. Videamus ergo si per tam morosam longitudinem, trimestris videlicet spacii, non potuerit ab aula regia pragmaticæ sanctionis vobis apocha reportari.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Ecce compellis me vulgato sermone depromere, quod Imperialis palatii reuerentia decreueram silentio prætorire: sed iuxta vestræ scilicet exactionis instantiam iam proferatur in medium opus egregium vestrum, seculis omnibus inauditum. Rectores enim aulæ regiæ cum nonnullis Teutonici regni sanctis (vt ita loquar) Episcopis conspirantes contra Romanam Ecclesiam Concilium collegistis, quo Papam quasi per synodalem sententiam condemnastis, & omnia quæ ab eo fuerunt statuta, quassare incredibili prorsus audacia præsumpsistis. In quo nimirum non dicam iudicio, sed præiudicio idipsum quoque priuilegium, quod Regi prædictus Papa contulerat, si dicere liceat, vacuastis. Nam dum, quidquid ille constituit, vestra sententia decernente destruitur; consequenter etiam id, quod ab eo Regi præstitum fuerat, aboletur. Sed absit à nobis, vt propter cuiuslibet hominis insolentiam Rex, qui innocens erat, quantum ad nos, rem sui iuris amittat, & quem auctore Deo votis omnibus præstolamur ad Imperiale fastigium, non permittemus ob alienam culpam regiæ dignitatis incurrere detrimentum. Sed vt totam inauditæ calamitatis nostræ percurramus historiam, Stephanus Cardinalis presbyter Apostolicæ Sedis, vir videlicet tantæ grauitatis & honestatis nitore conspicuus, tantis denique, sicut non obscurum est, virtutum floribus insignitus, cum Apostolicis libris ad aulam regiam missus, ab aulicis administratoribus non est admissus, sed per quinque fere dies, ad beati Petri & Apostolicæ Sedis iniuriam, præ foribus mansit exclusus. Quod ille, vtpote vir grauis & patiens æquanimiter tulit: Legati tamen officium, quo fungebatur, implere non potuit. Clausum itaque signatumque mysterium Concilii, cuius erat gerulus retulit, quia regiis eum præsentari conspectibus Curialium plectenda temeritas non permisit. In qua nimirum inopinatæ præsumptionis audacia tanta disputandi videtur inesse materia, vt & Demosthenis eloquentiam vincat, & copiam Tullianæ facultatis excedat. Vnde si vellemus iniuriam nostram distinctius persequi, iure possemus obtendere, quia vos Romanæ Ecclesiæ vosmetipsos dono priuastis, qui scilicet ei præiudicii vestri gratis contumeliam intulistis. Ille quippe fœdus amicitiæ violat, qui gratis amicum per offensionis molestiam pulsat. Nam & Dominus Iudæis per Ieremiam ait: *Ecce feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, pactum quod irritum fecerunt.* Ille ergo irritum reddit beneficii pactum, qui prior violat amicitiæ sacramentum. Verumtamen Romana Ecclesia non vult exaggerare, quod pertulit, sed perseuerare cupit in munere, quod regio culmini liberaliter prorogauit.

Regius Aduocatus.

Quod Domino nostro Regi reuerenter adscribis innocentiam, digne facis: quod autem administratoribus aulæ publicæ deuoluis è diuerso calumniam, videtur iniustum. Quicquid enim circa vos in huiusmodi casibus actum est, ad hoc nos Regium munus impulit, Imperiale præceptum, non propriæ libertatis arbitrium.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Et ego tibi secundum cordis tui duritiem respondebo: dico enim quod Dei omnipotentis obtemperare sermonibus aliquando peccatum est.

Regius Aduocatus.

Ad hoc quod asseris, mens humana concutitur, & Christianæ pietatis ferre non valet auditus.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Quia hoc tantopere miraris, illud etiam consequenter adiicio, quia propter hoc, quod Deo quidam promptus obediuit, funditus periit: alius ob id, quod obtemperare contempsit, ad cumulum gratiæ plenioris ascendit.

Regius Aduocatus.

Incredibile est valde quod dicis, veruntamen si vales exemplis approbare quod loqueris, dic, quis vnquam Deo obediuit, ac propterea periit?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Non te latet quod Iudæ Ischarioti, qui iam accepto consilio eum traditurus erat, ait Dominus: *Quod facis, fac citius.* Postmodum quoque cum ad eius osculum accedere præsumpsisset, adiicit: *Amice, ad quid venisti?* subauditur, perfice. Sed quia miser hic sermonibus efficaciter obediuit, irreuocabiliter periit.

Regius Aduocatus.

Huius propositionis ratione reddita, redde consequenter alterius, quis scilicet Dei omnipotentis obedientiam spreuit, & propter hoc copiosiorem gratiam meruit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Si placet hoc in memoriam reuoca, quod Dominus ad Ieremiam dixit: *Vade ad domum Rechabitarum, & loquere eis, & introduces in domum Domini in vnam exhedram thesaurorum, & dabis eis bibere vinum.* Et paulo post Propheta subiungit: *Et posui coram filiis Rehabitarum, scyphos plenos vino & calices, & dixi ad eos, bibite vinum. Qui responderunt: Non bibemus vinum, quia Ionadab pater noster præcepit nobis dicens: non bibetis vinum vos & filii vestri vsque in sempiternum.* Vnde postmodum Ieremias ait eis: *Hæc dicit Dominus Deus exercituum: non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus.* At ecce ille male obediens, perfunctus obedientiæ munere cucurrit ad laqueum: isti feliciter inobedientes, perpetuum sui Conditoris meruere conspectum. Hoc etiam ad hoc valet, quod superius dictum est, quia cum Papam sine consensu regis eligimus, non debetis quod extrinsecus actum est, diiudicare, sed potius quo animo, & qua intentione sit factum, diligenter attendere.

Regius Aduocatus.

Hæc argumenta nobis domestica sunt, & nunquam deficiunt, quia de promptuariis proferuntur, semper enim possumus in praui operis exhibitione delinquere, sed quia occulta est, ad puræ mentis debemus patrocinium conuolare.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Censésne semper debere iuxta rerum, atque verborum superficiem iudicari? quid enim iuxta verborum strepitum magis est absonum, quam cum Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus mediatorem Dei & hominum, dicitur tradidisse? Ecce Christum tradidit Iudas, tradidit & Deus Pater: numquid non quasi similis casus videtur? ergo ne traditor est Iudas, & traditor Deus Pater?

Regius Aduocatus.

Vnde probas, quia Pater & Filius & Spiritus sanctus tradiderint Saluatorem?

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Audi Apostolum dicentem: *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum.* Cui & Salomon ait: *Cum sis iustus & omnia iuste disponas, ipsum qui non debet puniri, condemnas.* Quod autem se Filius tradidit, idem dicit Apostolus: *Qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me.* Quod autem & Spiritus sanctus tradidit Filium, Sapientia perhibet dicens: *Vnigenitus est enim spiritus Sapientia, & non liberauit maledictum à labiis suis.* *Maledicti* apud veteres dicebantur omnes, qui suspendebantur in ligno. Christus autem, vt Apostolus dicit, *vt nos liberaret à maledicto, factus est maledictum.* Spiritus ergo sanctus non liberauit maledictum à labiis suis, quia quæ per ora Prophetarum de Christi passione locutus est, non cohibuit, sed super eum sine dimissione compleri cuncta permisit. Ergo secundum te, qui non de cordis intentione, sed semper ex operum vis superficie iudicare: si Pater tradidit Filium, & ipse se tradidit Filius, & Spiritus sanctus, Iudas quid male fecit? Facta est traditio à Patre, facta est à Filio, necnon à Spiritu sancto, facta est à Iuda: vna res à pluribus facta est, sed eadem res in operatoribus decernenda est. Quod enim Deus omnipotens ex charitate; hoc Iudas fecit ex cupidine acquirendæ pecuniæ. Quod Deus fecit ad salutis nostræ remedium; hoc ille fecit ad explendum insatiabilis auaritiæ votum. Vides ergo, quia non quod homo faciat, debemus attendere; sed quo animo & voluntate faciat, diligenter examinare. Nam si sola duntaxat exteriora perpendimus, inuenimus ipsum Dominum Saluatorem & dixisse quod prohibet, & fecisse aliter quod iubet. *Quisquis*, ait, *dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis:* & tamen ipso Resurrectionis suæ die duobus de se dubitantibus loquentibus ait: *O stulti & tardi corde ad credendum!* dixerat etiam in monte Discipulis: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.* In passione vero positus percutienti se in maxillam puero sacerdotis non modo non alteram præbuit, sed insuper dixit: *Si male locutus sum, exprobra de malo: sin autem bene, cur me cædis?* Et quomodo iam verum est, quod de illo Lucas ait: *Quod cœpit facere & docere*, si quod docuit, non impleuit? Sed proculdubio intelligendum est, hoc eum præcepisse ad præparationem cordis, non autem ad ostensionem operis. Quomodo enim paratus corde non fuit in maxillam alteram cædi, qui pro hominum salute decreuerat toto corpore crucifigi? Paulus etiam palma percussus iussione Pontificis, ait: *Percutiet te Deus, paries dealbate.* Quod minus intelligentibus videtur in verbo conuicium, sed in sensu prophetici tenet oraculi sacramentum. *Paries* enim *dealbatus* hypocrisis est, sacerdotalem sub hoc nomine præferens dignitatem, sed occultans intrinsecus luteam malitiæ turpitudinem; nam quod humilitatis fuit, mirabiliter custodiuit. Cum enim illi diceretur: *Principi sacerdotum maledicis?* respondit, *Nesciui, frater, quia princeps esset sacerdotum. Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices.* Vbi patenter ostenditur, quanta idem tranquillitate dixisset, quod

iratus intulisse videbatur. Quibus Scripturarum testimoniis quid aliud edocemur, nisi quia non iuxta verba nuda semper debemus sententias iudicare, sed quo animo, qua mentis intentione proferantur, suspicere?

Regius Aduocatus.

Dubia quæ proponis, luculenter elucidas per exempla quæ subiicis: sed quæso te vt ad superiora paulisper redeas, & cur non calumnieris, vobis præiudicium intulisse, qui regiæ ditioni paruimus patenter exponas.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Recte plane, ordinabiliter & congruenter, postquam omnis vestræ partis obiectio non rhetoricis argumentis, vel coloribus oratoriis, non denique dialecticis syllogismis, sed viuæ potius atque perspicuæ veritatis est ratione purgata: versa vice iam dignum est, vt de vestris excessibus vel breuiter disseratur. Enimuero damnatio Papæ tam grauis & inexpiabilis, vt non humano, sed diuino duntaxat sit tractanda iudicio. Reges autem nostros tum ætatis infirmitas, tum fragilitas sexus excusat: quibus vtique non reatus adscribitur, sed eorum consiliariis, vt dignum est, imputatur. Omissis itaque peruersitatibus cæteris, vt quid ignorante Roma, reprobum Dominum in Romanum Pontificem eligere præsumpsistis?

Regius Aduocatus.

Electionem quidem, vt palam est fecimus, sed longe prius Gerardo comite, aliisque Romanis, vt videbatur, ciuibus infatigabiliter insistentibus ad hoc inducti sumus. Nam & Abbas Monasterii, quod dicitur, Cliuus Scauri, non defuit. Non ergo, vt asseris, ignorante Roma, sed præsente, atque petente, Romani Pontificis electio facta est.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

In hoc pro me facis, dum Gerardo sub anathemate constituto te communicasse testaris, nam vt de Abbate & alias interim sileamus, de Gerardo liceat tantummodo dicere, Ecclesiæ hominem non fuisse, & Christi nequaquam pertinuisse Fidelibus. Illud enim vnum caput anathemati, maledictionique subiacuit, omnium fere Pontificum, quicunque Romanæ Ecclesiæ eius temporibus præfuerunt: demum paulo antequam moreretur, propter Comitem Anglum & Archiepiscopum, quos à beati Petri Liminibus redeuntes inuasit, spoliauit, & vsque ad mille Papiensis monetæ libras appendentia rapuit. Propter hoc itaque in plenaria Synodo, Papa Nicolao præsidente, excommunicatus est, & extinctis luminaribus sub perpetuo fuit anathemate condemnatus. Perpendat igitur sancta Synodus, si illius, eiusque complicum rata iure videatur electio, qui tam terribiliter atque horribiliter est ab Ecclesiæ visceribus Euangelica atque canonica falce præcisus, vt ne in morte quidē de Christianitatis fuerit titulo reformatus; & si per eū ordinari Romanam Ecclesiam dignum fuit, qui eius semper cruentus extitit inimicus; qui eam semper est feraliter persecutus. Et quomodo summam debet Ecclesiam ordinare, cui cuiuscunque limen Ecclesiæ non licet attingere? Clamat Dominus ad Israel: *Anathema in medio tui Israel, nec poteris stare contra hostes tuos, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.* Et hoc quare? Quoniam Achan filius Charmi de anathemate Hiericho ducentos duntaxat argenti siclos, regulamq; auream quinquaginta siclorum, & coccineum abstulerat pallium. Et ob hanc vilem videlicet summam auctor sceleris non modo lapidatur, sed & lapidum aceruis obruitur. Si propter illum hominem, qui duntaxat vnum sacrilegium fraude commiserat, Israel ante suorum hostium faciem ruiturus erat: quomodo stabit Ecclesia, si per virum tot criminibus inuolutum fuerit ordinata? præsertim cum & talem elegerit, in quem, teste mundo, omnium vitiorum sentina confluxit. Pseudoepiscopi Apostolorum Antichristi aduersarium Christi, amici puellarum mangonem Ecclesiarum. Quis igitur istorum iusto videbitur examine præferendus? vtrum is quem elegit vnus vir perpetuæ maledictionis anathemate condemnatus; an ille potius, quem Cardinales Episcopi vnanimiter vocauerunt, quem Clerus elegit, quem populus expetiuit, non ab extremitate terrarum, sed intra mœnia Romanorum, & in ipsius Sedis Apostolicæ græmio.

Regius Aduocatus.

Tot àte rationibus redditis possemus fortassis adhibere consensum, si semel emissam deceret Regiam maiestatem mutare sententiam: principali quippe gloriæ velut inconstantiæ næuus imprimitur, si quodcunque suæ constitutionis edictum leuiter annulletur.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Quis nesciat Rege Deum esse maiorem, & tamen dicere non erubescit: *Pænitet me, quod constituerim Saul Regem.* Et per Samuelem ei denuntiat, dicens: *Proiecit te Dominus ne sis Rex super Israel.* Si pœnitere se Deus asseruit, qui futura cuncta cognouerat: cur homo suam mutare in melius sententiam erubescat, qui qualis & ipse quoque sit futurus ignorat? Ille de bono factus est malus; iste (*videlicet Cadolous*) dolosus de malo, vtique quod iam erat, fit quotidie diaboli more deterior.

Regius

Regius Aduocatus.

Quam inconsulte nunc loqueris, qui diabolum deteriorari posse testaris, qui certe tam malus est, vt deterior esse non possit.

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Mentior si quod proposui, Scripturæ testimoniis comprobare non valeo. Nam Isaia teste, dicebat superbus in mundi principio: *Ascendam super altitudinem nubium, similes ero Altissimo.* Paulus autem dicit, *in fine mundi veniens aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur.* Qui ergo tunc affectauit Deo se similem esse; in fine mundi iam deterior factus qui vult prior eminere. Per quod manifesto colligitur diabolum adhuc in deteriora posse corruere: & quia *Diabolus* interpretatur deorsum fluens, *Cadalous* à cadendo dictus ruinam populi sonat, ipsisq; nominibus aptissime inuicem concordant. Dic ergo: quomodo iste Pontifex esset, quem non populus Romanus, sed vnus homo cum suis complicibus, idemq; nō Romanus, sed suburbanus (*nempe Gerardus Galeriæ Dominus. Est Galerii oppidulum prope Vrbem situm, ideoque suburbanum appellatum*) & non Ecclesiæ filius, sed maledictus & anathematizatus elegit? Ille ne esset tuo iudicio Pontifex qui suam vendidit, vt Romanam Ecclesiam obtineret? qui Romanos occidit in ore gladii, vt Romanus Pontifex fieret? Dices me non debuisse Pontificem sine consensu Regis eligere, & magni pendendum mihi fuisse, vt populus non periret. Ecce hinc beatus Augustinus Hipponensi ecclesiæ, Valerio viuente, præficitur: ecce illinc Ambrosius octauo die postquam baptizatus est, perceptis cunctis ecclesiasticis gradibus Episcopus ordinatur. In quibus vtique ob nihil aliud canonicæ auctoritatis ordo deseritur, nisi duntaxat vt saluti populi consulatur. Et tu mihi dicis in seruando populo ipsi Regi me debuisse consulere, vt sibimet in dando consensu vnius epistolæ gloria proueniret. Nam vnde postmodum Romanus Imperator fieret, si tunc se Romanus populus mutuis vulneribus peremisset? Porro autem, quia in constituendo Pontifice Romana Ecclesia à charitate regia non recessit, hoc etiam indicio est, quia cum in Clero suo religiosis viris & sapientibus abundaret, non de propriis, sed eum, qui Regi tanquam domesticus & familiaris erat, elegit.

Regius Aduocatus.

Quisquis veritati, postquam patefacta claruit, obstinate renititur, Dei omnipotentis aduersarius non immerito iudicatur, cuius aduersum se iram extinguibiliter prouocat, si veritatem quæ ipse est, pertinaciter & arroganter impugnat. Nam vt ipse disputationis tuæ velut epilogum faciam, cum inter nos quæstio moueretur, vtrum sine Regis assensu Romani Pontificis fieri possit electio, recensitis historiarum catalogis, tantam Romanorum Imperatorum atque Pontificum copiam coacernasti, & velut nubem mihi testium opposuisti, vt his conspectis, ne multum quidem me aduersum te super hoc vlterius facere libuisset. De anathemate vero, quod Nicolaus Papa constituit, in quo etiam, vt verum fatear, totam victoriæ vim intentio nostra posuerat, tam inuictis Scripturarum testimoniis, tam lucidis certe modo beatorum Apostolorum, modo ipsius Domini Saluatoris tuæ disputationis assertiose purgauit exemplis, vt & nos eatenus ignota doceret, & vos ab illius sententiæ vinculo patenter absolueret. Deinde à Domini nostri Regis, quam dicebamus, iniuria, quæ scilicet nos aduersum vos acrius accendebat, tam strenue se purgauit oratio, vt euidenti clarescat iudicio, quia in eo, quod sibi Pontificem populus Romanus elegit, maiestati regiæ potissimum ministrauit; nec ei, sicut dicebatur, priuilegium tulit, sed potius roborauit, dum non de Romana Ecclesia, sed ex aula regia Sacerdotem ad Apostolicæ sedis culmen euexit. Postremo de electione Parmensis Episcopi quid dicimus? loquar, an sileam? Sed iuxta Scripturam conceptum sermonem tenere quis possit? Et certe vbi nuda veritas cernitur, temporis ignominia est, si commentæ fallaciæ deseruitur. Ipsi plane liquido nouimus anathematizatum esse Gerardum, nec ignoramus eius instinctu potissimum hunc Episcopum in hoc negocium fuisse pellectum; & vt ita loquar, arbor quæ de venenata radice anathematis oritur, antequam perniciosum prorumpat in fructum; modis omnibus ne noceat, euellatur, testante veritate, quæ dicit: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.*

Defensor Romanæ Ecclesiæ.

Ecce audiuit beatitudo vestra, venerabiles Patres, quoniam qui inspector est mentium, confœderat nos in concertatione verborum, videt enim nos non malitiæ causa confligere, sed inueniendæ veritatis studio deseruire; ideoq; dignatus est motam inter nos sopire querelam, & suam nobis inspirare concordiam. Pax enim nostra, quæ fecit vtrumque vnum conflauit, & in eodem sensu corda duorum. Agamus ei gratias, qui prius sagenam Petri periclitari permisit, & turbine ventorum, & procellis vndarum: sed ecce vt regrediens manum tetendit, Petrum erexit, ventis imperauit, & discrimina marina compescuit, confestim mare, quod in cumulos erigebatur, obruitur, tempestatis procella sedatur, ventorum turbo reprimitur, & aurea cœli facies serenatur.

Clausula dictionis.

A modo igitur, dilectissimi, illinc regalis aulæ Consiliarii, hinc sedis Apostolicæ comministri,

vtraque pars in hoc vno studio conspiremus laborantes, vt summum Sacerdotium & Romanum simul confœderetur Imperium, quatenus humanum genus, quod per hos duos apices in vtraque substantia regitur, nullis, quod absit, partibus, quod per Cadaloum nuper factum est, rescindatur, sicq; mundi vertices in perpetuæ charitatis vnione occurrant, vt inferiora membra per eorum discordiam non resiliant, & quatenus ab vno Mediatore Dei & hominum hæc duo, regnum scilicet, & Sacerdotium diuino sunt conflata mysterio; ita sublimes istæ duæ personæ tanta sibimet vnanimitate iungantur, vt quodam mutuæ charitatis glutino, & Rex in Romano Pontifice, & Romanus Pontifex inueniatur in Rege, saluo scilicet suo priuilegio Papæ, quod nemo præter eum vsurpare permittitur. Cæterum & ipse delinquentes, cum causa dictauerit, forensi lege coerceat, & Rex cum suis Episcopis super animarum statu prolata sacrorum canonum auctoritate, decernat. Ille tanquam parens paterno semper iure præemineat; iste velut vnicus ac singularis filius in amoris illius amplexibus requiescat. Attalus plene Rex Asiæ & Nicomedes Rex Bythiniæ in tantum Romanam Rempublicam dilexere, vt vterque moriens Romanum populum testamenti reliquerit hæredem. Sanctæ ergo Ecclesiæ Principes quam propensiori inuicem debent charitate congruere, quibus iniunctum est, charitatem præcipue Christiano populo prædicare; vt ex eorum, quæ procedat ex pietate, concordia, sancta vniuersalis gratuletur Ecclesia, ac gemino vtriusque studio Christianæ religionis refloreat disciplina. Verum nos piscatoris nostri nauiculam ex hiatu Scyllæ voraginis extrahentes, dum successorem Petri, fide labente vestigio mersum ad littora quieta deducimus, pium ereptori nostro coleusma cantemus: *Te Deum laudamus: De Dominum confitemur.*

Anno Christi 1136.

B. BERNHARDI ABBATIS CLAREVALLENSIS

EPISTOLA AD LOTHARIVM IMPERATOREM,

De recuperandis Imperii iuribus contra iniustos prouinciarum eius vsurpatores & detentores.



LOthario Dei gratia Romano Imperatori Augusto, Bernhardus Abbas de Claraualle, si quid potest peccatoris oratio. Benedictus Deus qui vos elegit, & erexit cornu salutis nobis, ad laudem & gloriam nominis sui, & reparandum Imperii decus, ad subueniendum Ecclesiæ suæ in tempore malo, postremo ad operandum etiam nunc salutem in medio terræ. Ipsius est enim opus, quod corona gloriæ vestræ ita indies ampliatur, & sublimatur mirabiliter, crescens ac proficiens in omni decore & magnificentia apud Deum & homines. Ipsius profecto nuper opus & virtus fuit, quod iter satis laboriosum & periculosum pro pace regni & Ecclesiæ liberatione susceptum, in tanta prosperitate peregistis: Romæ siquidem Imperialis culminis plenitudinem gloriosissime assecutus, idque, quod maius fuit, in manu non magna, vt animi fideique magnitudo clarius emineret. Quod si ante tantillum exercitum terra tremuit & quieuit, quantus putamus horror hostium corda inuadere habeat, cum cœperit Rex procedere in magnitudine brachii sui? Animabit insuper honestas causæ, imo duplex prouocabit necessitas. Non est meum hortari ad pugnam; est tamen (securus dico) aduocati Ecclesiæ, arcere ab Ecclesiæ infestatione schismaticorum rabiem: est Cæsaris proprium vendicare coronam ab vsurpatore Siculo. Vt enim constat Iudaicam Sobolem sedem Petri in Christi occupasse iniuriam: sic proculdubio omnis qui in Sicilia Regem se facit, contradicit Cæsari. Si autem vtrumq; incumbit Cæsari, restituere scilicet Cæsari quæ sunt Cæsaris; & quæ sunt Dei, Deo: cur apud Tullum res Dei minuitur, cum Cæsar nihil ibi lucretur? Verendum est ne minimorum neglectus, impedimentum sit maximorum. Hoc est quod dico Ecclesia sancti Gengulfi grauiter iniusteque vt dicitur, in illa ciuitate opprimitur: & aiunt vestræ prudentiæ, nescio qua fraude, subreptum; vt Domino Papæ per iustitiam subuenire paranti, vestræ interuentu precis obuiaretis. Obsecro & consulo consultius agi, noxiam reuocari precem, dari locum iustitiæ; antequam Ecclesia illa funditus destruatur. Pauper sum ego, fidelis tamen vester: & si videar importunus, fortasse inde est. Dominam Imperatricem in Christi caritate oppido salutamus.

B. BERN-

B. BERNHARDI ABBATIS CLAREVALLENSIS

EPISTOLA AD CONRADUM REGEM ROMANORUM.

Quod Papa Imperatori debeat esse subiectus in temporalibus; Imperator vero Papæ in spiritualibus.

SCripta vestra & salutationes tam deuotus suspicio, quam modicus sum ad illa: modicus dixerim dignitate, sed non deuotione. Querimoniæ Regis, nostræ sunt; & maxime illa quam dignanter exprimitis, de inuasione Imperii. Regis dedecus, regni diminutionem nunquam volui: volentes odit anima mea. Legi quippe: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: &, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Quam tamen sententiam cupio vos, & omnimodis moneo, custodire, in exhibenda reuerentia summæ & Apostolicæ sedi, & beati Petri Vicario: sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso seruari Imperio. Sunt quæ non putaui scribenda, præsens ea fortassis opportunius intimarem.

B. BERNHARDI ABBATIS CLAREVALLENSIS

EPISTOLA AD CONRADUM REGEM ROMANORUM.

De concordia Imperii & Sacerdotii: & potestate atque iure Romanorum Imperatoris.

NEc dulcius & amabilius, sed nec arctius omnino Regnum Sacerdotiumque coniungi seu complantari inuicem poterunt, quam vt in persona Domini ambo hæc pariter conuenirent, vtpote qui factus est nobis ex vtraque tribu secundum carnem summus & Sacerdos & Rex. Non solum autem sed & commiscuit ea nihilominus ac confœderauit in suo corpore, quod est populus Christianus, ipse caput illius: ita vt hoc genus hominum apostolica voce *genus electum, regale Sacerdotium* appelletur. In alia quoque scriptura: quotquot sunt prædestinati ad vitam, nonne omnes Reges & Sacerdotes nominantur? Ergo *quod Deus coniunxit, homo ne separet*. Magis autem quod diuina sanxit autoritas, humana studeat adimplere voluntas, & iungant se animis qui iuncti sunt institutis; inuicem se foueant, inuicem se defendant, inuicem onera sua portent. Ait sapiens, frater adiuuans fratrem ambo consolabuntur: quia si alterutrum se (quod absit) corroserint & momorderint, nonne ambo desolabuntur? Non veniat anima mea in consilium eorum qui dicunt vel imperio pacem & libertatem Ecclesiarum, vel Ecclesiis prosperitatem & exaltationem imperii nocituram. Non enim vtriusque institutor Deus in destructionem ea connexuit, sed in ædificationem. Si hoc scitis, quovsque vos communem contumeliam, communem dissimulatis iniuriam? nonne vt Apostolica sedes ita & caput Imperii Roma est? Vt ergo de Ecclesia taceam, num honor Regi est truncum in manibus tenere imperium? Et quidem ignoro quid vobis super hoc consulant sapientes vestri & principes regni: Sed ego insipientia mea loquens, quod sentio non tacebo. Ecclesia Dei ab exortu sui vsque ad hæc tempora pluries tribulata est, & pluries liberata est. Denique audite quid ipsa de se loquatur in Psalmo, ipsius enim vox est: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi: supra dorsum meum fabricauerunt peccatores prolongauerunt iniquitatem suam.* Certus esto, ô Rex, nec nunc quoque relinquet Deus *virgam peccatorum super sortem iustorum. Non est abbreuiata manus Domini, nec facta impotens ad saluandum.* Liberabit & hoc tempore absque dubio sponsam suam, quia suo sanguine redemit eam, suo spiritu dotauit, donis cœlestibus exornauit, ditauit nihilominus & terrenis. Liberabit, inquam, liberabit. Sed si in alterius

manus

manus viderint regni Principes, idne honor Regis regniue vtilitas sit? non est vtique. Quamobrem accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, & restituat sibi Cæsar quæ Cæsaris sunt, & quæ sunt Dei, Deo. Vtrumque interesse Cæsaris constat; & propriam tueri coronam, & Ecclesiam defensare: alterum Regi, alterum conuenit Ecclesiæ aduocato. Victoria, sicut in Deo confidimus præ manibus est. Superbia & arrogantia Romanorum plus quam fortitudo eorum. Quid enim? nunquid quispiam magnus vel potens, verbigratia, Imperator vel Rex fœdam rem istam in imperium pariter Sacerdotiumque præsumit? Sed populus hic maledicus & tumultuosus, qui suas nescit metiri vires, cogitare finem, considerare prouentum; insipientia sua, furore suo ausus est hoc grande sacrilegium attentare. Absit vt vel ad momentum stare possit ante faciem Regis popularis manus, vulgi temeritas. Factus sum insipiens: qui cum sim vilis ignobilisque persona, tanquam aliquis magnus consiliis, tantæ magnitudinis, tantæque sapientiæ me ingessi, & de re magna. At quo ignobilior atque abiector, tanto liberior sum ad loquendum quod caritas suggerit. Vnde adhuc addo in eadem insipientia mea. Si quis aliud quam locutus sum vobis, quod non credimus, suadere conabitur: is profecto aut non diligit Regem, aut parum intelligit quid Regiam deceat Maiestatem, aut certe quæ sua sunt quærit, & non valde quæ vel Dei, vel Regis sunt, curare conuincitur.

B. BERNHARDI ABBATIS CLAREVALLENSIS

LIBRI V.

DE CONSIDERATIONE AD EVGENIVM III. PAPAM.

Prologus.

SVbit animum dictare aliquid quod te, Papa Beatissime Eugeni, vel ædificet, vel delectet, vel consoletur. Sed nescio quomodo vult & non vult exire læta quidem, sed lenta oratio: dum certatim illi contraria imperare contendunt, maiestas atque amor; nempe vrget ille, inhibet illa. Sed interuenit tua dignatio, qua hoc ipsum non præcipis, sed petis cum præcipere magis te deceat. Maiestate igitur tam dignanter cedente, quidni cedat pudor? quid enim si cathedram ascendisti? nec si ambules super pennas ventorum subduceris affectui. Amor Dominum nescit, agnoscit filium & in infulis, per se satis subiectus est, obsequitur sponte, gratis obtemperat, libere reueretur. Non sic alii, non sic, sed aut timore ad aliqua impelluntur, aut cupiditate. Hi sunt qui *in facie benedicunt, mala autem in cordibus eorum*: blandiuntur coram, in necessitate deficiunt. *At caritas nunquam excidit.* Ego (vt verum fatear) matris sum liberatus officio, sed non deprædatus affectu. Olim mihi inuisceratus es, non tam facile erueris. Ascende in cœlos, descende in abyssos; non recedes à me, sequar te quocunque ieris. Amaui pauperem, & amabo pauperum & diuitum patrem. Non enim si bene te noui, quia pater pauperum factus, omnino non pauper spiritu es. In te hanc mutationem factam esse confido, non de te; nec priori statui tuo successisse promotionem, sed ascendisse. Monebo te proinde non vt magister, sed vt mater plane vt amans. Amens magis videar, sed ei qui non amat, ei qui vim non sentit amoris.

LIBER PRIMVS.

VNde iam ergo incipiam? libet ab occupationibus tuis, quia in his maxime condoleo tibi. Condoleo dixerim, si tamen doles & tu: alioquin doleo magis dixisse debuerã, quia non est condolere, vbi nemo qui doleat. Itaque si doles, condoleo: si non, doleo tamen maxime, sciens longius à salute abstinere membrum quod obstupuit, & ægrum sese non sentientem periculosius laborare. Absit autem de te id suspicer: noui quibus deliciis dulcis quietis tuæ non longe ante hac fruebare, non potes desueuisse tam cito, ita subito non dolere nuper subtractas: plaga recens dolore non caret. Neque enim iam occaluit vulnus, nec in tam breui versum in insensibile est. Quanquam, si non dissimules, non deest tibi iugis materia iusti doloris à quotidianis iacturis. Inuitus (ni fallor) auelleris à tuæ Rachelis amplexibus, & quotiens id pati contigerit, totiens dolor tunc renouetur necesse est. At quomodo non contingit? quotiens vis, & in cassum? quotiens moues, nec promoues? quotiens conaris, & non datur vltra? eniteris, & non paris; tentas, & abriperis; & vbi incipis, ibi deficis; & dum adhuc ordiris, succidunt te. *Venerunt filii vsque ad partum* (ait Propheta) *& vires non habet parturiens.* Nosti hoc: nemo te melius. *Attrita frontis es, & instar vitulæ Effraim doctus diligenter triturare*: Si (pace tua)

tua) sic se habent res tuæ. Absit, hæc est pars illius qui datus est in reprobum sensum: ab his sane cupio tibi pacem, non cum his. Nihil plus metuo tibi pace ista. Miraris si vnquam possit accidere? etiam dico tibi, si res, vt assolet, per consuetudinem in incuriam venerit.

Noli nimis credere affectui tuo, qui nunc est. Nil tam fixum animo, quod neglectu & tempore non obsolescat. Vulneri vetusto & neglecto callus obducitur, & in eo insanabile quo insensibile fit. Deniq; dolor continuus & acerbus, diuturnus esse non patitur: nam si non aliunde extunditur, necesse est cedat vel sibi. Enimuero cito aut de remedio consolationem recipiet, aut de assiduitate stuporem. Quid enim in inertat consuetudo, quod non assiduitate duretur? quid non vsui cedat? quantis quod præ amaritudine prius exhorrebant, vsu ipso male in dulce conuersum est? Audi iustum qui lamentetur super huiuscemodi: *Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis si assuescas iudicabis non adeo graue, paulo post & leue senties, paulo post neq; senties, paulo post etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiem itur, & ex illa in auersionem. Sic & grauis & continuus dolor, citum, vt dixi, habiturus est exitum, aut sanitatem profecto, aut insensibilitatem. Hinc prorsus, hinc tibi timui semper, & timeo ne dilato remedio dolorem non sustinens periculo te irreuocabiliter desperatus immergas. Vereor, inquam, ne in mediis occupationibus (quoniam multæ sunt) dum diffidis finem, frontem dures, & ita sensim teipsum quodammodo sensu priues, iusti vtilisque doloris. Multo prudentius te illis subtrahas vel ad tempus, quam patiare trahi ab ipsis, & duci certe paulatim quo tu non vis. Quæris quo? ad cor durum. Nec pergas quærere quid illud sit, si non expauisti, tuum hoc est. Solum est cor durum quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid me interrogas? interroga Pharaonem. Nemo duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus abstulit ab eo, iuxta Prophetam, cor lapideum, & dedit cor carneum. Quid ergo cor durũ? ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec monetur precibus, & minis non cedit, flagellis duratur: ingratum ad beneficia est, ad consilia inuidum, ad iudicia sæuum: inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina, præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, ad futura non prouidens. Ipsum est cui præteritorum, præter solas iniurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla, nisi forte ad vlciscendum, prospectio seu præparatio est. Et vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reueretur. En quo trahere te habent hæ occupationes maledictæ: si tamen pergis vt cœpisti ita dare te totum illis, nil tui tibi relinquens, perdis tempus; &, si licet nunc alterum me tibi exhibere Iethro, tu quoq; in his stulto labore consumeris, quæ non sunt nisi afflictio spiritus, euisceratio mentis, euacuatio gratiæ. Nam fructus horum quid nisi aranearum telæ? Quæso te, quæso te quid est illud de mane vsq; ad vesperam litigare, aut litigantes audire? Et vtinam sufficeret diei malitia sua, non sunt liberæ noctes. Vix relinquitur necessitati naturæ, quod corpusculi pausationi sufficiat, & rursum ad iurgia surgitur, dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam; vsq; adeo non est respirare in bonis, non est alternam capescere requiem, non vel rara interseri ocia. Non ambigo te quoq; ista deplorare, at frustra istud, si non & emendare studueris. Interim tamen sic semper facias hortor, nec te vnquam ad ista duraueris quolibet vsu vel assiduitate. *Percussi os & non doluerunt*, ait Deus: nihil tibi & illis. Iusti potius tibi aptare curato & affectionem & vocem, qui ait: *quæ est enim fortitudo mea vt sustineam? aut quis finis meus vt patienter agam? nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Magna virtus patientiæ, sed non hanc tibi ad ista optauerim: interdum impatientem esse probabilius. Tunc approbes illorum patientiam, quibus Paulus dicebat: *libenter suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes?* Ni fallor ironia erat, & non laus sed suggillatio quorundam mansuetudinis, quę quasi datis manibus pseudo Apostolis à quibus & seducti erant ad quęque ipsorum peregrina & praua dogmata trahi se patientissimę ferrent: Vnum & subdens, sustinetis enim, inquit, si quis vos in seruitutem redigit. Non bona patientia, cum possis esse liber, seruum te permittere fieri. Nolo dissimules seruitutem in quam certe indies, dum nescis, redigeris: hebetati cordis indicium est, propriam non sentire continuam vexationem. Vexatio dat intellectum auditui, ait quidam, verum est, sed si nimia non fuerit; nam si sit, non plane intellectum dat, sed contemptũ. Deniq; impius cum in profundum malorum venerit, contemnit. Expergiscere ergo, & pessimæ seruitutis iugum iam iamq; imminens, imo iam non modice premens, non tantum caue, sed horre. An omnino non seruus, quia non vni seruis, sed omnibus? nulla turpior seruitus grauiorve quam seruitus Iudæorum, quã quocunq; ierint post se trahunt, & vbiq; Dominos offendunt suos. Tu quoq; dic quæso vbi vnquam sis liber, vbi tutus, vbi tuus? vbiq; strepitus, vbiq; tumultus, vbiq; iugum tuæ seruitutis te premit. Nec mihi repones nunc Apostoli vocem, quæ ait: *cum essem liber ex omnibus, omnium seruum me feci.* Longe est istud à te. Nunquid hac ille seruitute hominibus inseruiebat, in acquisitione turpis quæstus? nunquid ad eum de toto orbe confluebant ambitiosi, auari, simoniaci, sacrilegi, cõcubinarii, incestuosi, & quęq; istiusmodi monstra hominum, vt ipsius Apostolica autoritate, vel obtinerent honores Ecclesiasticos, vel retinerent? Ergo seruum se fecit homo, cui viuere Christus erat & mori lucrũ, vt plures lucrifaceret Christo, non vt lucra augeret auaritiæ. Non est igitur quod de solertissima Pauli industria & charitate tam libera, q̃ liberali, seruili conuersationi tuæ patrocinium sumas. Quã tuo dignius apostolatu, quam salubrius tuæ conscientiæ, quam fructuosius Ecclesiæ Dei, audias potius ipsum dicentẽ: *precio empti estis, nolite effici serui hominũ.* Quid seruilius indigniusq; (præsertim summo Pontifici) quã non dico omni die, sed pene omni hora, insudare talibus rebus & pro tali-

talibus? Deniq; quomodo oramus, quomodo docemus populos, quomodo ædificamus Ecclesiam; quomodo meditamur in lege? & quidem quotidie perstrepunt in palatio leges, sed Iustiniani, non Domini. Iustene etiam istud? tu videris. Nam certe *lex Domini immaculata conuertens animas*: hæ autem non tam leges, quam lites sunt & cauillationes, subuertentes iudicium. Tu ergo Pastor & Episcopus animarum, qua mente, obsecro, sustines coram te semper silere illam, garrire istas? Fallor, si non mouet tibi scrupulum peruersitas hæc; puto quod & interdum compellat clamare ad Dominũ cum Propheta: *narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* I ergo & te aude liberum profiteri sub tam graui mole inconuenientiæ huius, & cui fas non sit ceruicem subducere. Nam si potes & nõ vis, multo magis seruus & huius ipsius tam peruersæ voluntatis tuę. An non seruus, cui dominatur iniquitas? & maxime: nisi tu forte indignius iudices hominem tibi quam vitium dominari. Quid interest volens seruias an inuitus? nam etsi coacta seruitus miserabilior, sed affectata miserior est.

Et quid vis me facere, inquis? vt tibi ab his occupationibus parcas, impossibile fortasse respondebis, facilius cathedræ valedicere posse. Recte hoc si rumpere & non magis interrumpere ista hortarer. Audi ergo quid redarguam, quid suadeam. Si quod viuis & sapis totum das actioni, considerationi nihil: laudo te, in hoc non laudo. Puto quod & nemo qui à Salamone audierit, *qui minoratur actu, percipiet sapientiam*: certe nec ipsi actioni expedit consideratione non præueniri. Si item totus vis esse omnium, instar illius qui *omnibus omnia factus est*, laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena te excluso? & tu homo es. Ergo vt integra sit & plena humanitas, colligat & te intra se sinus, qui omnes recipit: alioquin quid tibi prodest, iuxta verbum Domini, *si vniuersos lucreris, te vnum perdens*? Quamobrem cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus vnus: quid solus fraudaris munere tui? *vsq; quo vadens spiritus & non rediens?* vsque quo non recipiens te & ipse inter alios vice tua? Sapientibus & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? Stultus, & sapiens; seruus & liber; diues & pauper; vir & fœmina; senex & iuuenis; clericus & laicus; iustus & impius, omnes pariter participant te, omnes de fonte publico bibunt pectore tuo, & tu seorsim sitiens stabis? Si maledictus qui partem suam fecit deteriorem, quid ille qui se penitus reddit expertem? Sane deriuentur aquæ tuæ in plateas, homines, & iumenta, & pecora bibant ex eis, quando & camelis pueri Abrahæ potum tribuas: sed inter cæteros bibe tu de fonte putei tui: *alienus*, inquit, *non bibat ex eo.* Nunquid tu alienus? cui non alienus, si tibi es? denique qui sibi neque, cui bonus? Memento proinde non dico sæpe; sed vel interdum reddere teipsum tibi. Vtere tu quoq; te inter multos, aut certe post multos. Quid indulgentius? hoc enim dico secundum indulgentiam, non secundum iudicium. Puto & ipso Apostolo indulgentiorem me in hac parte. Ergo plusquam oportet inquis? non inficior: quid si ita oportet? nam tu, vt confido, nostra non eris meticulosa informatione contentus, sed abundabis magis. Sane sic decet te scilicet abundantiorem quam me audaciorum esse. Ego quoq; mihi tutius iudico apud maiestatem timiditate, quàm temeritate periclitari: & fortassis non secus monere sapientem oportuit, vt sit quod scriptum est: *da occasionem sapienti, & sapientior erit.* Audi tamen Apostolum quid de eiusmodi sentiat: *sic non est inter vos sapiens*, ait ille, *qui iudicet inter fratrem & fratrem.* Et infert: *ad ignominiam vobis dico, contemptibiliores qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Itaq; & secundum Apostolum indigne tibi vsurpas tu apostolicus officium vile, gradum contemptibilium. Vnde & dicebat Episcopus, Episcopum instruens: *nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Ego autem parco tibi, non enim fortia loquor; sed possibilia. Putasne hæc tempora sustinerent, si hominibus litigantibus pro terrena hæreditate, & flagitantibus abs te iudicium, voce Domini tui responderes: *ô homo, quis me constituit iudicem super vos?* in quale tu iudicium mox venires? Quid dixit homo rusticanus & imperitus ignorans primatum suum, inhonorans summam & præcellsam sedem, derogans apostolicæ dignitati? Et tamen non mõstrabunt puto qui hoc dicerent, vbi aliquando quispiã Apostolorũ iudex sederit hominũ, aut diuisor terminorum, aut distributor terrarũ: stetisse deniq; lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes nõ lego. Erit illud nõ fuit. Itane imminutus est dignitatis seruus, si nõ vult esse maior Domino suo, aut discipulus si nõ vult esse maior eo qui se misit; aut filius si nõ transgreditur terminos quos posuerunt patres sui? Quis me constituit iudicẽ, ait ille Dominus & magister; & erit iniuria seruo discipuloq;, nisi iudicet vniuersos? Mihi tamẽ nõ videtur bonus æstimator rerũ, qui indignũ putat Apostolis seu Apostolicis viris non iudicare de talibus, quibus datũ est iudiciũ in maiora. Quidni contemnant iudicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus & angelos iudicabunt? Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa, & non propter has, accepistis claues regni cœlorum: præuaricatores vtique exclusuri non possessores. *Vt sciatis*, ait, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, *&c.* Quænam tibi maior videtur & dignitas & potestas, dimittendi peccata, an prædia diuidendi? Sed non est comparatio. Habent hæc infima & terrena iudices suos, Reges & Principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis talibus insistere, quippe potioribus occupatis. Deniq; vbi necessitas exigit, audi quid censeat, non ego sed Apostolus: *si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis.* Sed aliud est incidenter excurrere in ista causa quidem vrgente, aliud vltro incumbere istis tanquam magnis dignisq; tali & talium intentione rebus. Itaque hæc & innumera talia dicerem, si fortia dicerem, si recta, si sincera. Nunc autem *quoniam dies mali sunt*, sufficit interim admonitum esse, non totum te nec semper dare actioni, sed considerationi aliquid tui, & cordis, & temporis sequestrare. Hoc autem dico necessitatem intuens, non æquitatem: quanquam non sit præter æquum necessitati cedere. Nam

re. Nam si liceret quod deceret absolute per omnia & in omnibus præferendam & vel solam, vel maxime colendam eam quæ ad omnia valet, id est, pietatem, prorsus irrefrigabalis ratio monstrat. Quid sit pietas quæris? Vacare considerationi. Dicas forsitan in hoc dissentire me ab illo, qui pietatem definiuit cultum Dei: non est ita, si bene consideras, illius sensum meis expressi verbis, etsi tantum ex parte. Quid tam pertinens ad cultum Dei, quam quod ipse hortatur in Psalmo: *vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Quod sane in partibus considerationis potissimum est. Quid deniq; tam ad omnia valens, quæq; ipsius quoq; actionis partes benigna quadam præsumtione suas facit; præagendo quodammodo & præordinando quæ agenda sunt? Necessario sane, ne forte quæ & præuisa & præmeditata poterant esse proficuo, præcipitata magis periculo fiant. Quod tibimet, si recordaris, in ipsis actionibus causarum, & in magnis quibusque negotiis, magnarumve consiliis rerum, frequenter accidisse non ambigo. Et primum quidem ipsum fontem suum, id est mentem de qua oritur, purificat consideratio: deniq; regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat; postremo diuinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert. Hęc est quæ confusa disterminat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat, Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente resideat aut incorrectum aut correctione egens. Hæc est quæ in prosperis aduersa præsentit, in aduersis quasi non sentit, quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ est. Ibi etiam aduertere tibi est suauissimum quendam concentum complexumq; virtutum, atq; alteram pendere ex altera: sicut hoc loco vides fortitudinis matrem esse prudentiam, nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum, quem non parturiuit prudentia. Hæc item est quæ inter voluptates & necessitates media quasi quædam arbitra sedens, vtrinque certis limitibus disterminat fines, istis assignans & præbens quod sat est; illis quod nimis est demens, & sic ex alterutro tertiam formans virtutem, quam dicunt temperantiam. Nempe intemperantem ipsa consideratio censet, tam eum qui necessariis pertinaciter demit, quam qui indulget superfluis. Non ergo est temperantia in solis resecandis superfluis, est & in admittendis necessariis. Huius sententiæ Apostolus non fautor tantum, sed auctor esse videtur, qui *curam carnis nostræ* docet *non perfici in desiderio*, dicens, siquidem, *curam carnis non perfici*, superflua cohibet, addens, *in desiderio* necessaria non excludit. Vnde mihi videtur non omnino absurde diffinire temperantiam, qui hanc nec præcidere necessitatem, nec excedere dicat: iuxta illud Philosophi, *ne quid nimis.* Iam de iustitia, quæ vna ex qua est, nonne constat consideratione mentem præueniri vt se formet in ea? se enim necesse est prius cogitet, vt ex se normam ducat iustitiæ, *nec factura vtiq, alteri, quod sibi fieri nolit*; nec quod sibi velit fieri, negatura. In his nempe duobus liquet integrum esse iustitiæ statum. Sed nec ipsa solitaria est: intuere etenim nunc mecum etiam huius pulchram connexionem & cohærentiam cum temperantia, & item ambarum cum duobus superioribus, id est, prudentia & fortitudine. Nam cum iustitiæ dicatur portio, *quod sibi non vult fieri quis, alii non facere:* porro, perfectio quod, ait Dominus, *quæcunq, vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis:* neutrum horum erit, nisi ipsa voluntas de qua tota ducitur forma, ita ordinata fuerit, vt nec velit aliquid superfluum; nec necessarium quid superstitiose nolit, quod quidem temperantiæ est. Deniq; & ipsi iustitiæ, vt iusta sit, temperantia modum imponit: *Noli nimium esse iustus*, ait sapiens; ostendens per hoc minime approbandam iustitiam, quæ temperantiæ moderamine non frenetur. Quid quod & ipsa sapientia hoc temperantiæ frenum non respuit, dicente Paulo, *secundum sapientiam à Deo sibi datam non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem?* Sed & è conuerso quod temperantiæ necessaria iustitia sit, ostendit Dominus arguens in Euangelio illorum temperantiam, qui abstinebant *vt viderentur hominibus ieiunantes.* Erat in cibo temperantia, sed non iustitia in animo; quia non Deo placere, sed hominibus intendebant. Quomodo rursum vel ista vel illa sine fortitudine? cum constet fortitudinis esse non mediocris, cohibere, velle & nolle suum inter angustias, parum & nimis, vt sit contenta voluntas modo illo medio, nudo, puro, solo; constante sibi, æquali vndique sui, vtpote ex omni parte pariter circumciso, quem solum constat esse virtutis. Dicito mihi, quæso, si potes, cuinam potissimum trium harum virtutum meditullium hoc dandum censeas, quod ita cunctis conterminum est, vt videatur esse proprium singularum, an ipsum virtus est & nihil aliud? Sed sic virtus non esset multiplex, sed essent omnes vna. An potius quia sine eo virtus non est, omnium quodammodo intima vis vna est & medulla virtutum, in qua sic vniuntur, vt perinde vna videantur omnes, præsertim quod non illud participando communicant; sed totum à singulis atque integrum possidetur? verbi causa, quid tam iustitiæ, quam modus? alioquin si quid extra modum reliquit, non plane cuique tribuit quod suum est, quod tamen suum ipsius est facere. Quid tam rursum temperantiæ? quæ non aliunde profecto temperantia est, nisi quod nil immoderatum admittit. Sed puto fatebere etiam non minus esse fortitudinis, cum vel maxime ipsa sit quæ ab irruentibus vitiis, & quasi hinc inde suffocare conantibus, purum illud potenter eruit & vendicat in quoddam stabile fundamentum boni, sedemq; virtutis. Ergo modum istum tenere iustitia est, temperantia est, fortitudo est. Sed vide ne in hoc differant, vt iustitiæ quidem affectu res sit, à fortitudine autem efficacia eius. Porro possessio eius atq; vsus apud temperantiam. Restat iam vt doceamus ab hac communione prudentiam non excludi. Nonne ipsa est qui modum diu animi neglectu posthabitum, vt vitiorum inuidia quasi in abditis reclusum & coopertum quadam vetustatis caligine, prior reperit & aduertit? Propterea dico tibi à paucis aduertitur, quia paucorum prudentia est: itaq; iustitia quærit, prudentia inuenit, vendicat fortitudo, temperantia possidet. Non mihi hoc loco propositum est de virtutibus

disputare, sed hoc dixerim hortans ad vacandum considerationi, cuius beneficio hæc & similia aduertuntur. Cui tam pio tamque vtili otio nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est? Quid tamen? si te Philosophiæ huic totum repente deuoueris, prædecessores tui non ita consueuerunt, eris molestus quam pluribus, quasi qui à patrum vestigiis subito deuiaueris: nempe id videberis agere in suggillationem illorum, sed & notabere vulgari prouerbio: *qui hoc facit quod nullus, mirantur omnes*; veluti qui cupias admirationi fore. Nec potes eorum omnia simul & subito vel errata corrigere, vel excessus redigere in modum: erit cum acceperis tempus, vt secundum sapientiam tibi à Deo datam, paulatim & oportune id studeas; interim sane malo alterius vtere in bonum quod potes. Quanquam si de bonis, & non de nouis sumamus exempla, non defuere Romani Pontifices qui sibi otia inter maxima negotia inuenirent. Obsidio vrbi, & barbaricus ensis ciuium ceruicibus imminebat, nunquid tamen istud terruit beatum Papam Gregorium, quo minus sapientiam scriberet in ocio? eo nempe temporis (quod ex eius præfatione liquet) obscurissimam & extremam partem Ezechielis tam diligenter, quam eleganter exposuit. Sed esto, alius inoleuit mos, dies alii sunt, & alii hominum mores, & tempora periculosa non instant iam, sed extant; fraus, & circumuentio, & violentia inualuere super terram, calumniatores multi, defensor rarus. Vbiq; potentiores pauperiores opprimunt, non possumus deesse oppressis, non negare iniuriam patientibus iudicium. Nisi agitentur causæ, audiantur partes iudicare quis potest? Agitentur causæ, sicut oportet: nam is modus qui frequentatur, execrabilis plane; & qui, non dico Ecclesiam, sed nec forum deceret. Miror namq; quemadmodum religiosæ aures tuæ, audire sustinent huiusmodi disputationes aduocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subuersionem, quam ad inuentionem proficiunt veritatis. Corrige prauum morem, & præcide linguas vaniloquas, & labia dolosa claude. Hi sunt loqui mendacium, diserti aduersus iustitiam, eruditi pro falsitate. *Sapientes sunt vt faciant malum*, eloquentes vt impugnēt verum. Hi sunt qui instruunt, à quibus fuerant instruendi, astruunt non comperta sed sua; struunt de proprio calumnias innocentiæ, destruunt simplicitatem veritatis, obstruunt iudicii vias. Nihil itaq; absque labore manifestam facit veritatem, vt breuis & pura narratio. Ergo illas quas ad te necesse erit intrare causas (neque enim omnes necesse erit) diligenter velim, sed breuiter decidere assuescas; frustratoriasque & venatorias præcidere dilationes. Causa viduæ intret ad te, causa pauperis, & eius qui non habet quod det. Aliis alias multas poteris committere terminandas, quam plures nec dignas audientia iudicare. Quid enim opus est admittere illos, quorum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium? Tanta est impudentia nonnullorum, vt cum manifestæ ambitionis prurigine scateat tota facies causæ eorum, non erubescant audientiam flagitare, publicantes semetipsos ad multorum conscientias, in quo vel sui solius poterant confundi iudicio. Non fuit qui retunderet attritas frontes, & ideo plures facti sunt, & magis induruerunt. Sed & nescio quomodo vitiosus conscientias vitiosorum non refugit; & vbi omnes sordent, vnius fœtor minime sentitur. Quis enim vnquam, verbi causa, auarum auarus, immundum immundus, luxuriosum luxuriosus erubuit? Plena est ambitiosis Ecclesia, non est iam quod exhorreat in studiis & molitionibus ambitionis; non plus quam spelunca latronum in spoliis viatorum. Si Christi discipulus es, ignescat zelus tuus, exsurgat auctoritas aduersus impudentiam hanc, & generalem pestem. Intuere magistrum sic facientem, & audi dicentem: *qui mihi ministrat, me sequatur*. Non parat aures vt audiat, sed flagellum quo feriat: verba nec facit, nec recipit; nec enim sedet iudicans, sed insequitur puniens. Causa tamen non tacet, quod videlicet domum orationis negotiationis fecissent. Ergo & tu fac similiter: erubescant vultum tuum istiusmodi negotiatores si fieri potest; si non timeant. Et te flagellum tenens timeant numularii, nec fidant in nummis, sed diffidant; abscondant æs suum à te, scientes effundere quam accipere paratiorem. Hoc studiose & constanter agendo multos lucrifacies turpium sectatores lucrorum; honestioribus officiis vendicando, multos ne vel audeant huiusmodi attentare, seruabis. Adiice illud quod non parum proficiet & ad ferias quas tibi suadeo: ita nempe non pauca tibi momenta temporum redimes, ad vacandum considerationi, quædam vt dixi negotia nec audiendo, quædam aliis committendo: quæ tua digna putaueris audientia, fideli quodam & accommodo ipsi causæ compendio terminando. De qua consideratione his addere aliqua cogito, sed sub alterius sane principio libri, atque hic sit finis istius, ne duplo te oneret minus suauis oratio, si & longa fuerit.

LIBER SECVNDVS.

MEmor promissi mei, quo ecce iam aliquandiu teneor apud te vir optime Papa Eugeni, volo ipso absoluere vel sero. Puderet dilationis, si mihi conscius forem incuriæ, aut contemptus. Non ita est, sed incidimus (vt ipse nôsti) tempus graue: quod & ipsi pene viuendi vsui videbatur indicere cessationem, nedum studiis. Cum Dominus scilicet prouocatus peccatis nostris, ante tempus quodammodo visus sit iudicasse orbē terræ, in æquitate quidem, sed misericordiæ suæ oblitus. Non pepercit populo suo, non suo nomini. Nonne dicunt in gentibus, *vbi est Deus eorum*? Nec mirū, Ecclesiæ filii & qui Christiano censentur nomine prostrati sunt in deserto, aut interfecti gladio, aut fame consumpti. Effusa est contentio super Principes, & Dominus errare fecit eos in inuio, & non in via. Contritio & infelicitas in viis eorum: pauor, & mœror, & confusio in penetralibus Regum ipsorum. Quare cōfusi pedes Euangelisantium pacem, annuntiantiū bona? Diximus pax, & non est pax, promisimus bona, & ecce turbatio. Quasi vero temeritate in opere isto, aut leuitate vsi simus. Cucurrimus plane in eo nō

quasi

quaſi in incertum; ſed te iubente, imo per te Deo. Quare ergo ieiunauimus, & non aſpexit; humiliauimus animas noſtras, & neſciuit? *Nam in his omnibus non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta*: quia patienter interim adhuc audit voces ſacrilegas, & Ægyptios blaſphemantes, quia callide eduxit eos vt occideret in deſerto. Et quidem *iudicia Dei vera quis neſciat?* at iudicium hoc abyſſus tanta, vt videar mihi non immerito pronunciare beatum, qui non fuerit ſcandalizatus in eo. Quomodo tamen humana temeritas audet reprehendere, quod minime comprehendere valet? Recordemur supernorum iudiciorum, quæ à ſeculo ſunt, ſi forte ſit conſolatio. Nam quidam ita dixit: *memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo Domine, & conſolatus ſum.* Rem dico ignotam nemini, & nunc nemini notam. Nempe ſic ſe habent mortalium corda, quod ſcimus cum neceſſe non eſt, in neceſſitate neſcimus. Moyſes educturus populum de terra Ægypti, meliorem illis pollicitus eſt terram: nam quando ipſum aliter ſequeretur populus ſolam ſapiens terram? eduxit, eductos tamen in terram quam promiſerat, non introduxit. Nec eſt quod ducis temeritati imputari queat triſtis & inopinatus euentus. Omnia faciebat Domino imperante, Domino cooperante, & opus confirmante ſequentibus ſignis. Sed populus ille, inquis, duræ ceruicis fuit, ſemper contentioſe agens contra Dominum, & Moyſem ſeruum eius. Bene illi increduli & rebelles: hi autem quid? ipſos interroga: quid me dicere opus eſt, quod fatentur ipſi? Dico ego vnum, quid poterant proficere qui ſemper reuertebantur cum ambularent? quando & iſti per totam viam non redierunt corde in Ægyptum? quia ſi illi ceciderunt & perierunt propter iniquitatem ſuam, miramur iſtos eadem facientes, eadem paſſos? ſed nunquid illorum caſus aduerſus promiſſa Dei? ergo nec iſtorum. Neque enim aliquando promiſſiones Dei, iuſtitiæ Dei præiudicant. Et audi aliud: peccauit Beniamin, accinguntur reliquæ tribus ad vltionem, nec ſine nutu Dei: deſignauit deniq; ipſe ducem præliaturis, itaque præliantur freti & manu validiori, & cauſa potiori; & quod his maius eſt, fauore diuino. *At quam terribilis Deus in conſiliis ſuper filios hominum!* terga dederunt ſceleratis vltores ſceleris, & paucioribus plures. Sed recurrunt ad Dominum, & Dominus ad eos: aſcendite inquit, aſcendunt denuo: denuoque fuſi & confuſi ſunt. Ita Deo primum quidem fauente, ſecundo & iubente, iuſti iuſtum certamen ineunt, & ſuccumbunt: ſed quo inferiores certamine, eo fide ſuperiores inuenti ſunt. Quid putas de me facerent iſti ſi meo hortatu iterato aſcenderent, iterato ſuccumberent? quoniam me audirent monentem tertio repetere iter, repetere opus in quo ſemel & iam ſecundo fruſtrati forent? Et tamen Iſraelitæ vnam & alteram non reputantes fruſtrationem, tertio parent & ſuperant. Sed dicunt forſitan iſti: vnde ſcimus quod à Domino ſermo egreſſus ſit? quæ ſigna tu facis vt credamus tibi? non eſt quod ad iſta ipſa reſpondeam, parcendum verecundiæ meæ. Reſponde tu pro me & pro te ipſo, ſecundum ea quæ audiſti & vidiſti, aut certe ſecundum quod tibi inſpirauit Deus. Sed forte miraris me proſequi iſta, qui aliud propoſueram: facio non oblitus propoſiti, ſed quod à propoſito non iudicem aliena; nempe de Conſideratione (vt nemini) ſermo mihi eſt ad tuam dignationem. Et ſane magna iſta res, & egens conſideratione non minima. Quia ſi res magnas à magnis conſiderari oportet, cui æque vt tibi id ſtudii competit, qui parem ſuper terram non habes? ſed tu ſecundum ſapientiam & poteſtatem datam tibi deſuper, facies de hoc: non eſt meæ humilitatis dictare tibi ſic, vel ſic fieri quicquam. Sufficit intimaſſe oportere aliquid fieri, vnde & Eccleſia conſoletur, & obſtruatur os loquentium iniqua. Hæc pauca vice Apologiæ dicta ſint, vt ipſa qualiacunq; habeat conſcientia tua ex me, vnde habeat me excuſatum & te pariter: & ſi non apud eos qui facta ex euentibus æſtimant, certe apud teipſum. Perfecta & abſoluta cuique excuſatio, teſtimonium conſcientiæ ſuæ: mihi pro minimo eſt vt ab illis iudicer, *qui dicunt bonum malum, & malum bonum; ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem.* Et ſi neceſſe ſit vnum fieri è duobus; malo in nos murmur hominum, quam in Deum eſſe. Bonũ mihi ſi dignetur me vti pro clypeo, libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata ſpicula blaſphemorum, vt non ad ipſum perueniant. Non recuſo inglorius fieri, vt non irruatur in Dei gloriam. Quis mihi det gloriari in voce illa, quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam. Gloria mihi eſt conſortem fieri Chriſti, cuius illa vox eſt: *opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* Nunc iam recurrat ſtilus ad ſuam materiam, & in ea quæ propoſueramus ſuo tramite gradiatur oratio. Et primo quidem ipſam conſiderationem quid dicam, conſidera. Non enim id per omnia quod contemplationem intelligi volo: quod hæc ad rerum certitudinem, illa ad inquiſitionem magis ſe habeat. Iuxta quem ſenſum poteſt contemplatio quidem definiri: verus certusq; intuitus animi de quacunq; re: ſiue apprehenſio veri non dubia. Conſideratio autem intenſa ad inueſtigandum cogitatio: vel intenſio animi veſtigantis verum: quanquam ſoleant ambæ pro inuicem indifferenter vſurpari. Iam quod ad conſiderationis attinet fructum, quattuor vt occurrunt tibi conſideranda reor: te, quæ ſub te, quæ circa te, quæ ſupra te ſunt. A te tua conſideratio inchoet, ne fruſtra extenderis in alia te neglecto. *Quid tibi prodeſt ſi vniuerſum mundum lucreris, te vnum perdens?* Et ſi ſapiens ſis, deeſt tibi ad ſapientiam, ſi tibi non fueris. Quantum vero? vt quidem ſenſerim ego, totum. Noueris licet omnia myſteria, noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris; ſi te neſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento, ruinam non ſtructuram faciens. Quicquid exſtruxeris extra te, erit inſtar congeſti pulueris ventis obnoxium. Non ergo ſapiens, qui ſibi non eſt: ſapiens ſibi ſapiens erit, & bibet de fonte putei ſui primus ipſe. A te proinde incipiat tua Conſideratio, non ſolum autem, ſed & in te finiatur: quocunque euagetur, ad te reuocaris eam cum ſalutis fructu; tu primus tibi, tu vltimus. Sume exemplum de ſummo omnium

patre, verbum suum & emittente & retinente. Verbum tuum, consideratio tua: quod si procedit, non recedat: sic progrediatur, vt non egrediatur: sic exeat, vt non deserat. In acquisitione salutis, nemo tibi germanior vnico matris tuæ: contra salutem propriam cogites nihil. Minus dixi contra, præter dixisse debueram. Quicquid se considerationi offerat quod non quoquomodo ad tuam ipsius salutem pertineat, respuendum. Et hæc tui consideratio in tria quædam diuiditur: si consideres quid, quis, aut qualis sis: quid in natura, quis in persona, qualis in moribus. Quid? verbi gratia, homo. Quis? Papa, vel summus Pontifex. Qualis? benignus, mansuetus, vel quicquid tale. Quanquam primum illud Propheticum sit magis, quam Apostolicum vestigare: attamen est in definitione hominis, quem dicunt animal rationale mortale: quod diligentius intueri si libet, licet. Non est quod tuæ in eo aut professioni obuiet, aut dignitati; est vero quod saluti afferre queat. Nam consideranti duo hæc simul, rationale mortaleque, is tibi exinde occurrit fructus, vt & mortale quod in te est rationale humiliet: & rursum rationale mortale confortet; quod neutrum neglectui erit homini circumspecto. Si quæ adhuc præsens consideranda requirit locus, tractabuntur infra, & forte vtilius ex partium collatione: Nunc quis sis, & de quo sis factus aduertendum. Quanquam, quod dixi, de quo id mihi prætereundum putem, tuæ potius relinquendum agnitioni illud dico indignum tibi citra perfectum agere de tanta assumto perfectione. Quidni erubescas minimus inueniri in magnis, qui te recordaris magnum in minimis extitisse? Non es oblitus primæ professionis, non excidit menti quæ subducta est manui, sed nec affectui quidem: ipsum ad singula tua imperia, iudicia instituta habere præ oculis, non erit inutile. Hæc te consideratio facit honoris contemptorem, in honore etiam ipso. Atq; id magnum. Non recedat à pectore, clypeus est tibi vel à sagitta illa, *homo cum in honore esset, non intellexit*. Loquere ergo tibi: abiectus eram in domo Dei mei. Quale est hoc de paupere & abiecto, leuari super gentes & regna? quis ego, aut quæ domus patris mei, vt sedeam excelsis sublimior? Sane qui dixit mihi, *amice ascende superius*, amicum fore fidit: si minus inueniar, non expedit quidem. Qui eleuauit, & deiicere potest. Sera querela, quoniam *eleuans allisisti me*. Non est quod blandiatur celsitudo, sollicitudo maior: illa discrimen intendit, hæc amicum probat. Huic accingamur, si nolumus tandem cum rubore nouissimum locum tenere. Factum superiorum dissimulare nequimus, sed enim ad quid omnibus modis attendendum. Non enim ad dominandum opinor: nam & Propheta cum similiter leuaretur audiuit; *vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes*. Quid horum faustum sonat? rusticam magis sudoris scemate quodam, labor spiritalis expressus est. Et nos igitur vt multum sentiamus de nobis, impositum senserimus ministerium; non Dominium datum. Non sum ego maior Propheta, & si forte potestate; sed meritorum non est comparatio. Hæc loquere tibi, & doce teipsum qui alios doces: puta te velut vnum aliquem de Prophetis. Annon satis ad te? & nimium: sed gratia Dei es id, quod es. Quid? esto quod Propheta. Numquid plus quam Propheta? Si sapis eris contentus mensura, quam tibi mensus est Deus: nam quod amplius est, à malo est. Disce exemplo Prophetico præsidere, non tam ad imperitandum, quam ad fatigandum quod tempus requirit: disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, vt opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus. Putasne & tu inuenias aliquid elaborandum in agro Domini tui? & plurimum. Non plane totum quiuere emundare Prophetæ, aliquid filius suis Apostolis quod agerent reliquerunt: aliquid ipsi parentes tui, tibi. Sed nec tu ad omne sufficies, aliquid profecto tuo relicturus es successori, & ille aliis; & alii aliis vsque in finem. Circa vndecimam denique horam operarii ocii arguuntur, & mittuntur in vineam. Antecessores tui Apostoli audierunt, quia *messis quidem multa, operarii vero pauci*. Paternam tibi vendicato hæreditatem: nam *si filius, & heres*, vt probes hæreditatem, euigila ad curam, & non ocio torpeas, ne & tibi dicatur: *quid hic stas toto die ociosus?* Multo minus inueniri oportet aut delitiis resolutum, aut resupinum pompis. Nil horum tibi tabulæ testatoris assignant: sed quid? Si illarum tenore contentus sis, curam potius hæreditabis & operam, quam gloriam & diuitias. Blanditur cathedra, specula est; inde denique superintendis, sonans tibi Episcopi nomine non Dominium, sed officium. Quidni loceris in eminenti vnde prospectes omnia, qui speculator super omnia constitueris? Enimuero prospectus iste procinctum parit, non ocium: quoniam libet gloriari, vbi ociari non licet? nec locus est ocio, vbi sedula vrget sollicitudo omnium Ecclesiarum. Nam quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? *quod habeo*, inquit, *hoc tibi do*. Quid illud? vnum scio, non est aurum neque argentum, cum ipse dicat: *argentum & aurum non est mihi*. Si habere contingat, vtere pro libitu, sed pro tempore: sic eris vtens illis, quasi non vtens. Ipsa quidem (quod ad animæ bonum spectat) nec bona sunt, nec mala: vsus tamen horum bonus, abusio mala; sollicitudo peior, quæstus turpior. Esto vt alia quacunque ratione hæc tibi vendices, sed non Apostolico iure: nec enim tibi ille dare quod non habuit, potuit: quod habuit hoc dedit; sollicitudinem, vt dixi, super Ecclesias. Nunquid dominationem? audi ipsum: *non dominantes*, ait, *in clero; sed forma facti gregis*. Et ne dictum sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Euangelio: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur*: & infert, *Vos autem non sic*. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus: i ergo tu & tibi vsurpare aude aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum; plane ab alterutro prohiberis: si vtrumq;

simili-

similiter habere voles, perdes vtrumq;. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus sic: *ipsi regnauerunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognoui eos.* Iam si regnare sine Deo iuuat, habes gloriam, sed non apud Deum: at si interdictum tenemus, audiamus edictum. *Qui maior est vestrum,* ait, *fiat sicut minor; & qui præcessor est, sicut qui ministrat.* Forma Apostolica hæc est: dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Quæ & commendatur ipsius exemplo legislatoris, qui secutus adiungit: *ego autem in medio vestrum sum tanquam qui ministrat.* Quis se iam titulo hoc inglorium putet, quo se prior Dominus gloriæ præsigniuit? Merito Paulus gloriatur in eo dicens: *ministri Christi sunt, & ego:* & addit, *vt minus sapiens dico, plus ego in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.* O præclarum ministerium! quo non id gloriosius principatu? Si gloriari oportet, forma tibi Sanctorum præfigitur, Apostolorum proponitur gloria. Parua ne tibi illa videtur? quis mihi tribuat similem fieri in gloria Sanctorum? clamat Propheta: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Clamat Apostolus: *mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Hoc glorieris opto semper optimo genere gloriæ, quod Apostoli, quod Prophetæ delegere sibi, reliquere tibi. Agnosce hæreditatem tuam in Christi cruce, in laboribus plurimis. Felix qui dicere potuit, *plus omnibus laboraui.* Gloria est, sed nil in ea inane, nil molle, nil resupinum. Si labor terret, merces inuitet: *vnusquisq; enim secundum suum laborem mercedem accipiet.* Et si ille plus omnibus laborauit, non tamen totum elaborauit, & adhuc locus est. Exi in agrum Domini tui, & considera diligenter quantis adhuc de veteri maledicto siluescat spinis ac tribulis: exi, inquam, in mundum (ager enim est mundus, idque creditus tibi,) exi in illum, non tanquam Dominus, sed tanquam villicus, videre & procurare vnde exigendus es rationem. Exi, dixerim, quibusdam tuæ passibus intentæ sollicitudinis, & sollicitæ intentionis: neque enim ipsi qui iussi sunt *ire in orbem*, circuierunt præsentia corporis, sed mentis prouidentia. Et tu leua oculos quosdam considerationis tuæ, & vide regiones si non sunt magis siccæ ad ignem, quam albæ ad messem. Quia multæ quas putaueras fruges, diligenter inspectæ vepres potius apparebunt: immo ne vepres quidem, annosæ & veternosæ arbores sunt; sed non fructiferæ, nisi forte glandium aut siliquarum, quas porci manducant. Quousque occupant terram? nonne si exis & cernis ista, pudebit ociosam iacere securim? pudebit sine causa falcem apostolicam accepisse? In hunc quondam agrum Isaac Patriarcha exierat, cum primo Rebecca occurrat ei, & vt Scriptura habet, *exierat ad meditandum.* Ille ad meditandum, tu ad extirpandum egrediaris necesse est. Tibi iam præcessisse meditatio debet, tempus faciendi præ manibus: si nunc hæsitare incipias; id quidem sero. Ante, iuxta consilium Saluatoris, sedisse debueras, ante æstimasse opus, metiri vires, ponderasse sapientiam, merita comparasse, sumtus computasse virtutum. Age ergo, puta tempus putationis adesse, si tamen meditationis præiuit: si cor mouisti, mouenda iam lingua, mouenda est manus. Accingere gladio tuo, gladio spiritus, quod est verbum Dei: glorifica manum & brachium dextrum in facienda vindicta in nationibus, increpationibus in populis, in alligando Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Si hæc facis, honorificas ministerium tuum, & ministrum te. Non mediocris iste principatus, exturbare est hoc malas bestias à terminis tuis, quo greges tui securi in pascua educantur. Domabis lupos, sed ouibus non dominaberis: pascendas vtique, non premendas suscepisti. Si bene considerasti quis sis, hæc te oportere facere non ignoras: porro *scienti & non facienti peccatum est tibi.* Non est oblitus vbi legeris: *seruus sciens voluntatem Domini, & non faciens digna, plagis vapulabit multis.* Sic Prophetæ, sic Apostoli factitabant: fortes fuere in bello, non molles in sericis. Si filius es Apostolorum & Prophetarum, & tu fac similiter. Vendica tibi nobile genus similibus moribus, quod non aliunde nobile, quam morum ingenuitate & fidei fortitudine fuit: per hanc vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Hoc chirographum paternæ tuæ hæreditatis quod tibi euoluimus, vbi inspicias portionem substantiæ quæ te contingit: induere fortitudinem & hæreditasti, posside fidem, posside pietatem, posside sapientiam (sed sapientia sanctorum ipsa est timor Domini) & habes quod tuum est. Habes sine defraudatione integrum paternum fundum: preciosissimus fundus virtus est, bonus fundus humilitas, in quo omne ædificium spirituale constructum crescit in templum sanctum in Domino. Per hanc nonnulli possedere etiam portas inimicorum: quæ enim virtutum æque potest dæmonum debellare superbiam, tyrannidem hominum? Cæterum cum omni indifferenter personæ hæc sit quædam turris fortitudinis à facie inimici, nescio quo pacto tamen vis eius maior in maioribus, & in clarioribus clarior comprobatur. Nulla splendidior gemma in omni præcipue ornatu summi Pontificis, quo enim celsior cæteris, eo humilitate apparet illustrior & se ipso. Arguar forsitan, quod non satis primis explicitis partibus, in secundas stilus nescio quomodo excurrerit, describere inchoans qualem te oporteat esse, cum necdum quis sis plenius expressissem. Credo erubescens in summo positum apice videri hominem nudum, festinauit induere insignibus suis: absque his nempe eo deformior, quo illustrior pares. Nunquid potest abscondi ciuitatis supra montem positæ desolatio? aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum? *Simia in tecto? Rex fatuus in solio sedens?* Et nunc audi canticum meum, & quidem minus suaue, sed salutare. Monstruosa res gradus summus, & animus infimus: sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus ociosa: sermo multus, & fructus nullus: vultus grauis, & actus leuis: ingens autoritas, & nutans stabilitas. Admoui speculum, fœdus se in eo vultus agnoscat: tu tuum gaude dissimilem inueniri. Inspice tamen

men & tu, ne forte etsi sit vnde merito placeas tibi, etiam in quo debeas displicere non sit. Volo glorieris testimonio conscientiæ; sed non minus vt eodem ipso humilieris. Rara vox, *nihil mihi conscius sum*: cautior in bonis ambulas, si & mala non lateant. Quamobrem, vt dixi, noueris te, vt inter angustias quæ non desunt fruaris conscientiæ bono: magis autem vt scias quid desit tibi. Nam cui non desit? omnia illi desunt, qui nil sibi deesse putat. Quid si summus Pontifex, sis? nunquid quia summus Pontifex, ideo summus? Infimum noris esse, si summum putas. Qui summus? cui addi non possit: grauiter erras si te illum existimas, absit. Non tu de illis es, qui dignitates virtutes putant: tibi ante experta virtus quam dignitas fuit. Augustis relinquito illam sententiam, aliisq; qui diuis coli honoribus non timuerunt: verbi gratia, Nabuchodonosor, Alexandro, Antiocho, Herodi. Tu verò considera non consummatione summum te dici, sed comparatione: nec me putes comparationem dicere meritorum, sed ministeriorum. Sic te existimet homo vt ministrum Christi, & quod absque præiudicio cuiuspiam sanctitatis dixerim, summum plane inter ministros. Alias niti te ad summum velim, non putari summum, aut velle putari antequam sis. Nam quomodo proficis, si iam sufficis tibi? non sit proinde tibi aut pigrum vestigare quod desit, aut fateri quod desit verecundum: loquere & tu voce antecessoris tui: *non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim*: & rursum, *ego me non arbitror comprehendisse*. Hæc scientia sanctorum, hæc longe ab illa quæ inflat: hanc qui apponit, apponit & dolorem; sed dolorem hunc nemo vnquam subterfugit. Est quippe medicinalis dolor, per quem stupor ille literalis animi duri & impœnitentis excluditur; & ideo sapiens qui dicere potuit: *& dolor meus in conspectu meo semper*. Nunc iam repetendæ reliquiæ, si quæ sunt loci illius à quo paulo ante diuertimus: age indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex: Tu princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt: sunt quidem & alii cœli ianitores, & gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modo ouium, sed & pastorum, tu vnus omnium pastor. Vnde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute & indiscrete totæ commissæ sunt oues? *Si me amas Petre, pasce oues meas.* Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certe regni? *Oues meas*, inquit, cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes: nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Et forte præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens vni, vnitatem omnibus commendaret, in vno grege & vno pastore secundum illud: *vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea*. Vbi vnitas, ibi perfectio; reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisionem recedentes ab vnitate: inde est quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Denique Iacobus, *qui videbatur columna Ecclesiæ*, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens: pulcre vero ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille; nam dictus est frater Domini. Porro cedente Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prærogatiuæ? ergo iuxta canones tuos, alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus: tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ potes? Stat ergo inconcussum priuilegium tuum tibi, tam in datis clauibus, quam in ouibus commendatis. Accipe aliud quod nihilo minus prærogatiuam confirmat tibi. Discipuli nauigabant & Dominus apparebat in littore, quodque iucundius erat, in corpore rediuiuo: sciens Petrus quia Dominus est in mare se misit, & sic venit ad ipsum, aliis nauigio peruenientibus. Quid istud? nempe signum singularis Pontificii Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique suam, sed seculum ipsum susceperat gubernandum. Mare enim seculum est, naues Ecclesiæ. Inde est quod altera vice instar Domini gradiens super aquas, vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet: siquidem *aquæ multæ, populi multi*. Ita cum quisque cæterorum habeat suam, tibi vna commissa est grandissima nauis, facta ex omnibus ipsa vniuersalis Ecclesia toto orbe diffusa. En quis es, sed noli obliuisci etiam quid: nam & ego non sum oblitus id me promisisse repetiturum in oportunitate; quia oportune cum eo quis es, etiam quod ante eras, consideras. Quid dico eras? & nunc es: quid desinas intueri, quod non desisti esse? vna sane consideratio quis fueris & quis sis: nam quis sis factus, altera. Non oportet vt ista extrudat illam in scrutinio tui, es enim, vt dixi, adhuc quod eras: & non minus hoc es, quam quod factus es post, forte & magis. Denique illud natus es, mutatus hoc, non in hoc mutatus: non relectum illud, sed istud adiectum. Tractemus vtrumque simul: nam, vt præfatum me memini, collatæ ex inuicem ambæ vtiliores fient. Dixi supra consideranti quid sis, naturam occurrere qua es homo, nam homo natus es: porro, percunctanti quis, personæ respondebit nomen, quod est Episcopus, quod quidem factus, non natus es. Quid tibi horum videtur ad purum esse tui, & ad te principalius pertinere, quod factus, an quod natus? nonne quod natus? Hoc ergo consulo consideres maxime, quod maxime es, hominem videlicet, quod

quod natus es. Nec modo quid natus, sed & qualis natus oportet attendas, si non vis tuæ considerationis fructu & vtilitate fraudari. Tolle proinde nunc hæreditaria hæc perizomata ab initio maledicta; dirumpe velamen foliorum celantium ignominiam, non plagam curantium; dele fucum fugacis honoris huius, & malæ coloratæ nitorem gloriæ: vt nude nudum consideres, quia *nudus egressus es de vtero matris tuæ*. Nunquid infulatus? nunquid micans gemmis, aut floridus sericis, aut coronatus pennis, aut suffarcinatus metallis? Si cuncta hæc veluti nubes quosdam matutinales velociter transeuntes, & cito pertransituras dissipes & exsuffles à facie considerationis tuæ; occurret tibi homo nudus, & pauper, & miser, & miserabilis, homo dolens quod homo sit, erubescens quod nudus sit, plorans quod natus sit, murmurans quod sit. Homo natus ad laborem, non ad honorem: homo natus de muliere, & ob hoc cum reatu, breui viuens tempore, ideoque cum metu repletus multis miseriis, & propterea cum fletu, & vere multis, quia corporis & animæ simul. Quid enim calamitate vacat nascenti in peccato, fragili corpore, & mente sterili? vere ergo repletus, cui infirmitas corporis, & fatuitas cordis cumulatur, traduce sordis, mortis addictione. Salubris copula, vt cogitans te summum Pontificem, attendas pariter vilissimum cinerem non fuisse, sed esse. Imitetur cogitatio naturam, imitetur & quod dignius est auctorem naturæ, summa imaque consocians. Nonne natura in persona hominis vili limo vitæ spiraculum colligauit? nonne auctor naturæ in sui persona verbum limumque contemperauit? Ita tibi sume formam, tam de nostræ correctione originis, quam de sacramento redemptionis; vt altus sedens, non alta sapiens sis, sed humilia de te sentiens, humilibusque consentiens. Proinde si consideras quantus es, cogita etiam qualis, & maxime. Hæc te sane consideratio tenet in te, nec à te auolare sinit, *nec ambulare in magnis, neque in mirabilibus super te*. In te consistito, non infra deiici, non attolli supra, non euadere in longius, non extendi in latius: tene medium si non vis perdere modum. Locus medius tutus est, medium sedes modi, & modus virtus. Omnem extra modum habitationem, sapiens exilium reputat. Propterea non est illi habitare in longo quod vltra modum sit, sed nec lato quidem quod extra sit; porro, nec in alto vel imo, quod alterum supra, alterum infra sit: denique & longitudo exterminium habere solet, & dilatatio scissuram, & altitudo ruinam, & profundum absorptionem. Dico hæc planius, ne putes ea loqui, quæ Apostolus comprehendere hortatur eum omnibus sanctis, *longitudinem, latitudinem, sublimitatem & profundum*; quod alterius erit & disputationis & temporis. Nunc autem longum dico, cum sibi homo longiorem promittit vitam: latum, cum in superfluas animus distenditur curas: altum, cum de se plus præsumit: profundum, cum se plus deiicit. Qui ergo longa sibi metitur tempora, nonne vere ingreditur iter exterminii, transiens vitæ terminos productiori sollicitudine? Inde est quod homines in præsenti à sese exules per obliuionem, in alia per inanem sollicitudinem migrant secula, non profutura, imo nec futura. Similiter animus distinctus in multa, multis laceretur curis necesse est: nempe immoderata extensio extenuationem, & extenuatio nimia scissionem facit. Iam vero alta præsumptio, quid nisi ruinosa præcipitatio est? Legisti namque, *ante ruinam exaltatur cor*. Quid è regione nimiæ pusillanimitatis deiectio, nisi desperata quædam absorptio est? in hanc fortis non deiicietur; prudens longioris vitæ non abducetur incerto; modestus moderabitur curas, temperabit à superfluis, non deerit necessariis. Porro iustus altiora se non præsumet, sed loquitur cum iusto: *Si iustus fuero, non leuabo caput*. Tu ergo in hac consideratione tui caute ambules, & tota æquitate verseris; vt nec plus vero tibi tribuas, nec plus iusto parcas. Porro plus vero tribuis, non modo arrogando tibi quod non habes bonum, sed & quod habes adscribendo: vigilanter discerne qualis ex te, & qualis sis dono Dei; & non sit in spiritu tuo dolus. Erit autem vbi fideliter partiens tua tibi, & quæ sunt Dei, Deo sine fraude resignes. Ex te mala, bona à Domino esse persuasum tibi non ambigo. Sane inter considerandum qualis sis, etiam qualis fueris ad memoriam reuocandum; conferenda posteriora prioribus: profecerisne in virtute, in sapientia, in intellectu, in suauitate morum; an ab his forte, quod absit, defeceris; patientior sis an impatientior solito; iracundior leniorve; insolentior an humilior; affabilior an austerior; exorabilior an difficilior; pusillior animo an magnanimior; serius magis an plusculum dissolutus; timoratior an fidentior quam oportet: quia latus tibi patet campus in hoc genere considerandi. Memoror ego pauca, veluti quædam seminaria proferens, non tamen ipse inserens, sed dans semen serenti. Oportet innotescat tibi zelus tuus, clementia tua, discretio quoque moderatrix earundem virtutum: qualis videlicet in donandis iniuriis, qualis sis in vlci[illegible] in vtroque prouidus: modi, loci, temporis obseruator. Prorsus consideranda tria hæc in [illegible] virtutum harum, ne non sint virtutes si præter hæc reperiantur. Nempe eiusmodi [illegible] virtutes, sed vsus facit: nam ex se indifferentes esse noscuntur. Tuum est aut abutendo & [illegible] facere vitia: aut bene ordinateque vtendo virtutes. Solent discretionis oculo caligan[illegible] præripere loca, terminos occupare. Porro caliginis duæ sunt causæ; ira, & mol[illegible] censuram eneruat, illa præcipitat. Quomodo enim ab altero non peri[illegible] clementiæ, aut zeli rectitudo? Turbatus præ ira oculus, clementer nil intuetur: suffusus [illegible] aut muliebri mollitie animi, rectum non videt. Non erit innocens, si aut punias [illegible] parcendum esset; aut parcas ei qui fuerat puniendus. In tribulationibus quoque qualem te inueneris, non dissimules: si constantem in tuis, condolentem in alienis, gau[illegible] hoc. È regione peruersissimi, si in propriis deprehendaris fortasse impa[illegible] in alienis tamen compatiens sentiaris. Quid in prosperis? nihil est quod conside[illegible]? est vtique, si diligenter attendas quam rarus semper extiterit, qui non

vel modice in prosperitate animum relaxauerit à sui custodia & disciplina: quoniam hoc incautis non fuit ad disciplinam, quod ignis ad ceram; quod solis radius ad niuem vel glaciem. Sapiens Dauid, sapiens Salomon fuit: sed blandientibus nimis secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Magnus qui incidens in aduersa, non excidit vel parum à sapientia: nec minor cui præsens felicitas si arrisit, non irrisit. Quanquam facilius inueneris, qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quam qui propitia non perdiderunt. Præferendus ille & magnus est, cui inter prospera saltem risus indecentior, aut sermo insolentior, aut immoderatior cura vestis vel corporis non irrepsit. Et si recte sapiens hortatur, *sapientiam scribi in ocio*: cauendum & in ocio ocium est. Fugienda proinde ociositas, mater nugarum, nouerca virtutum. Inter seculares nugæ, nugæ sunt: in ore sacerdotis, blasphemiæ: interdum tamen si incidant ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Magis interueniendum caute & prudenter nugacitati, prorumpendum sane in serium quid, quod non modo vtiliter, sed libenter audiant & supersedeant ociosis. Consecrasti os tuum Euangelio, talibus iam aperire illicitum, assuescere sacrilegum est. *Labia sacerdotis*, ait, *custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius*, non nugas profecto vel fabulas. Verbum scurrile, quod faceti vrbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore; procul & ab aure relegandum: fœde ad cachinnos moueris, fœdius moues. Porro detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit; non facile dixerim. De auaritia non est quod tuum fatigem intuitum, cum pecuniam tanquam paleam dicaris habere. Non prorsus, non est quod pro illa timeatur à iudiciis tuis: sed est quod non minus sæpe, nec noxie minus, insidiari iudicantibus solet: de quo maxime quid in tua lateat conscientia, latere te nolim. Quid illud sit quæris? acceptio personarum. Non parui te reum peccati existimes, si facies peccatorum sumis, & non potius causas iudicas meritorum. Est item vitium cuius si te immunem sentis, inter omnes quos noui ex his qui cathedras ascendunt, sedebis me iudice solitarius: quia veraciter singulariterque *leuasti te supra te*, iuxta Prophetam: Facilitas credulitatis hæc est, cuius callidissimæ vulpeculæ, magnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in absentens. Gratulor autem tibi, nec enim assentationis apud te vereor incurrere notam, gratulor, inquam, præsidere te vsque adhuc absque horum omnium querela multa, an & sine culpa tu videris. Nunc ad ea quæ sub te sunt consideratio intendenda, at alterius principii hoc: siquidem tuis occupationibus sermo breuior, competentior est.

LIBER TERTIVS.

Finis superioris libri huic principium ponit: itaque iuxta promissum illius, consideranda quæ sub te sunt. Quænam sint illa, non est quod à me quærendum putes Sacerdotum Optime Eugeni, rectius fortasse quæ non sint, quæras. Orbe excundum ei, qui forte volet explorare, quæ non ad tuam pertinent curam. Parentes tui destinati sunt non aliquas regiones, sed ipsum debellaturi orbem: *ite in orbem vniuersum*, dictum est illis. Ipsi vero videntes tunicas, emere gladios, ignitum eloquium, & spiritum vehementem, arma potentia Deo. Quo non peruenerunt victores incliti, filii excussorum? quo non *sagittæ potentium acutæ cum carbonibus desolatoriis*? Et quidem *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Penetrabant & incendebant verba illa incensa igni, quem Dominus misit in terram: occumbebant strenuissimi bellatores, sed non succumbebant, triumphabant & mortui. Nimis confortatus est principatus eorum, constituti sunt Principes super omnem terram: eis tu successisti in hæreditatem, ita tu hæres, & orbis hæreditas. At quatenus hæc portio te contingit, aut contigerit illos; id sobria consideratione pensandum. Non enim per omnem reor modum, sed sane quodam tenus: vt mihi videtur, dispensatio tibi super illum credita est, non data possessio: si pergis vsurpare & hanc, contradicit tibi qui dicit: *meus est orbis terræ & plenitudo eius*. Non tu ille de quo Propheta: & erit omnis terra possessio eius. Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat & iure creationis, & merito redemptionis, & dono patris. Cui enim alteri dictum est: *postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*? Possessionem & Dominium cede hinc, tu curam illius habe: pars tua hæc, vltra ne extendas manum. Quid inquis? non negas præesse, & dominari vetas? plane sic: quasi non bene præsit, qui præest in sollicitudine. Nunquid & villa, villico; & paruus Dominus subiectus est pædagogo? Nec tamen villæ ille, nec is Domini Dominus est: ita & tu præsis, vt prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues. Præsis vt prosis, præsis vt fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Ad quid? vt *des illis escam in tempore*, hoc est, vt dispenses, non imperes. Hoc fac, & dominari ne affectes hominem homo, vt non dominetur tui omnis iniustitia. At satis superque id intimandum supra, cum quis sis disputaretur: addo tamen & hoc, nam nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi. Certe vt multum tibi tribuas, si multum deceptus non es; nil te existimas plus accepisse à magnis Apostolis. Recordare nunc vocis illius: *sapientibus & insipientibus debitor sum*. Et si non indebitam tibi ipsam censes, hoc quoque simul memento; debitoris molestum nomen, seruienti potius, quam dominanti congruere. Seruus in Euangelio audit, quantum debes Domino meo? Ergo si te agnoscis sapientibus & insipientibus non dominatorem sed debitorem, curandum summopere tibi & tota vigilantia considerandum, quomodo & qui non sapiunt sapiant, & qui sapiunt non desipiant, & qui desipuere

puere resipiscant. At nullum genus insipientiæ, infidelitate (vt sic loquar) insipientius: ergo & infidelib. debitores, Iudæis, Græcis & Gentibus. Interest proinde tua dare operã quam possis, vt increduli conuertantur ad fidem, conuersi non auertantur, auersi reuertantur: porro peruersi ordinẽtur ad rectitudinem, subuersi ad veritatem reuocentur, subuersores inuictis rationibus conuincantur, vt vel emendentur ipsi si fieri potest, vel si non, perdant auctoritatẽ facultatemq; alios subuertendi. Non omnino & ab hoc insipientium genere pessimo, tibi dissimulandum: dico aũt hæreticos, schismaticosque; nam hi sunt subuersi & subuersores; canes ad scissionem, vulpes ad fraudem. Erunt, inquam, huiusmodi maxime tuo studio, aut corrigendi ne pereant, aut ne perimant coercendi. Esto de Iudæis excusat te Apostolus: *habent terminum suum, qui præueniri non poterit, plenitudinem gentium praire omnill.* Sed de ipsis Gentibus quid respondes? imo quid tua consideratio respondet tibi percunctanti sic? Quid visum est Patribus ponere metam Euangelio? verbum suspendere fidei donec infidelitas durat? qua ratione putamus substitit velociter currens sermo? quis primus inhibuit hũc salutarem cursum? & illis causa forte quam nescimus, aut necessitas potuit obstitisse. Nobis quæ dissimulandi ratio est? qua fiducia, qua conscientia Christum non vel offerimus eis, qui non habent? an veritatẽ Dei in iniustitia detinemus? & quidẽ quandocunq; perueniat *gentium plenitudo* necesse est, expectamus vt in eas incidat fides. Cui credere casu contigit? quomodo credent sine prædicatione? Petrus ad Cornelium, Philippus ad Eunuchum missi sunt: & si exemplum recentius quærimus, Augustinus à beato Gregorio destinatus est formam fidei tradere Anglis. Et de his tu ita tecum. Ego addo & de pertinacia Græcorum qui nobiscum sunt, & non sunt; iuncti fide, pace diuisi; (quanquam & in fide ipsa claudicauerint à semitis rectis) & item de hæresi, quæ clam pene vbiq; serpit, apud aliquos sæuit palam. Nam paruulos Ecclesiæ passim & publice deglutire festinant: quæris vbi sit hoc? Vestri qui terrã Austri tam sæpe visitant, ecce hi sciunt & possunt dicere tibi, eunt & redeunt per medium illorum, aut transeunt secus: sed quid boni adhuc cum illis egerint, necdum audiuimus. Et forsitan audiuissemus, nisi præ auro Hispaniæ, salus populi viluisset: tuum est & plagæ huic remedium prouidere. Sed est insipientia, quæ ipsam quoque iam prope modum stultam fecit sapientiam fidei: Quomodo & ipsam catholicam pene totam hoc virus infecit. Nam dum & ipsi quique, quæ nostra sunt quærimus, fit vt inuicem inuidentes, inuicem procreantes exerceamur ad odia, animemur ad iniurias, armemur ad lites, cauillemus ad dolos, feriemur ad detractiones, prorumpamus ad maledicta, opprimamur à fortibus, opprimamus inferiores. Quia digne & laudabiliter occupatur meditatio cordis tui aduersus tam pestilens insipientiæ genus, quod corpus ipsum Christi (quæ est multitudo credentium) occupasse consideras. O ambitio ambitientium crux, quomodo omnes torquens omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negociis eius. An non limina Apostolorum plus iam ambitio, quam deuotio terit? Annon vocibus eius vestrum tota die resultat palatium? Annon quæstibus eius tota legum canonumque disciplina insudat? Annon spoliis eius omnis Italica inhiat inexplebili auiditate rapacitas? Quid ita tua ipsius spiritualia studia non saltem intercidit, sed abscidit? quotiens sancta ac fœcunda tua abortiri ocia fecit inquietum & inquietans malum? Aliud est quod ab oppressis appellatur ad te, aliud autem quod ambitio in Ecclesia per te regnare molitur. Nec deesse illis, nec huic aliquatenus assentire oportet; quia vero inique fouetur illa, spernuntur illi: vtrisque debitor es, illis vt erigas, istis vt reprimas.

Et quoniam incidit de appellationibus, prosequi aliquatenus non erit ab re. Magno in his & pio opus intuitu est, ne quod magna fuit necessitate prouisum, male vtendo reddatur inutile. Mihi videtur & in multam posse eas deuenire perniciem, si non summo moderamine actitentur. Appellatur de toto mundo ad te, id quidem in testimonium singularis primatus tui: at tu si sapis non primatu gaudebis, sed fructu. Apostolis dictum est: *in hoc nolite gaudere, quod spiritus subiiciuntur vobis.* Appellatur ad te, vt dixi, & vtinam tam fructuose, quam necessarie: vtinam cum oppressus clamat, sentiat oppressor; & non superbiat impius vnde incenditur pauper. Quid tam decorum vt ad inuocationem tui nominis oppressi effugiant, versuti non refugiant? Quid è regione tam peruersum, tam recti alienum, vt lætetur qui malum fecit, & qui tulit inaniter fatigetur: Inhumanissime non moueris erga hominem, cui illæ iniuriæ cumulauere dolorem; & labor itineris, & damna expensarum. Sed nihilominus ignauissime in illud non moueris; qui huic, tot calamitatum partim auctor, partim extitit causa: euigila, homo Dei, cum contingunt; moueatur miseratio, moueatur & indignatio tua. Alteram læso, alteram lædenti debes; consoletur ille damnorum resarcitu suorum, satisfactione iniuriarum, fine calumniarum: cum isto ita agatur vt pœniteat fecisse, quod non timuit facere, & non de pœnis innocentis rideat. Arbitror idem debere pati illum qui sine causa forte appellauit. Formulam hanc iustitiæ præfigit tibi & diuinæ incommutabilis ratio æquitatis, & ni fallor, ipsa appellationum lex: vt illicite vsurpata appellatio, nec prosit appellanti, nec appellato obsit. Vt quid enim frustra fatigatus sit homo? Quia plenum iustitiæ, vt sese potius læserit, qui voluit proximum: appellasse inique, iniquum est; inique & impune iniquarum appellationum fomes. Iniqua autem omnis appellatio, ad quam iustitiæ inopia non coëgit: appellare non vt graues, sed si graueris, licet. Appellandum à sententia, ante sententiam improbe omnino: nisi ob manifestum grauamen præsumitur appellatio. Quid igitur non grauatus appellat, liquet quia aut grauare intendit, aut tempus redimere: non est autem suffugium appellatio, sed refugium. Quantos nouimus appellasse pulsatos, quo interim liceret, quod nunquam licet? Nonnullis etiam, quoad vixerunt, licuisse appellationis suf-

fragio

fragio nefaria, scimus: verbi gratia, incestum, adulterium. Quale est hoc turpitudini patrocinari, quod vel maxime formidari à turpibus oportebat? Quovsque murmur vniuersæ terræ, aut dissimulas, aut non aduertis? quovsque dormitas? quovsque non euigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem atque abusionem? Præter ius & fas, præter morem & ordinem fiunt: non locus, non modus, non tempus, non causa discernitur, aut persona. Præsumuntur leuiter passim, plerumque & nequiter. Volentes malignari nonne his potissimum terreri solebant? nunc terrori ipsi ex his magis fiunt, atque id bonis. Antidotum versum in venenum, non mutatio dexteræ excelsi hæc. Appellantur boni à malis, vt non faciant bona: & supersedent à voce tonitrui tui formidantes. Denique appellantur Episcopi, ne illicita audeant matrimonia soluere, vel prohibere: appellantur ne rapinas, ne furta, ne sacrilegia, & quæ eiusmodi sunt, punire vllatenus vel cohibere præsumant. Appellantur ne indignas & infames personas à sacris officiis beneficiisque repellere seu amouere queant. Quod tu inuenis remedium morbo huic, ne quod repertum ad remedium fuit, reperiatur ad mortem? Zelatus est Dominus domum orationis factam speluncam latronum. Tu eius minister dissimulas miserorum refugium, datum arma iniquitati? Videas præripi passim partes oppressorum, & prorumpere ad appellandum non tam grauatos, quam grauare volentes. Quid hoc mysterii? tuum est considerare, non meum commentari istud. Et cur, inquis male appellati non veniunt ostensuri suam innocentiam, malitiam conuicturi? Dico quod dicere ad hoc solent: nolumus vexari frustrà, in curia esse qui procliuius faueant appellationibus, foueât appellationes; cessuris Romæ, domi cedere satius. Fateor me non omnino decredere his. Quem das mihi in tam crebris appellationibus quæ hodie fiunt, qui pro expensis itineris vel nummum restituerit illi, quem forte appellarit? Mirum vero si ità omnes, & appellantes iusti, & appellati rei vestro examini inuenti sunt. *Diligite*, inquit, *iustitiam qui iudicatis terram*: parum est iustitiam tenere, nisi & diligas. Qui tenent, tenent; qui diligunt zelantur: amator iustitiæ inquirit iustitiam, & prosequitur eam; porro omnem iustitiam persequitur. Nihil tibi & illis qui appellationes venationes putant: pudet elogii, quod apud Ethnicos iam vertitur in parabolam: duos nouimus ceruos pingues; vt mitius loquar, *plus facetia, quam iustitia hic.* Tu si amas iustitiam, appellationes non affectas, sed sustines. Veruntamen quid emolumenti affert Ecclesiis Dei, tua vnius hominis iustitia, vbi sententia præualet aliter affectorum? at istud loci illius erit, cum cœperint versari quæ circa te sunt. Nunc vero non te existimes ociose vacare considerationi hinc, qua appellationes ad legitimum si fieri potest reuoces vsum: & si hinc mea quæratur vel potius curetur sententia, dico appellationes vt non contemnêdas, sic nec vsurpandas omnino. Porro horum quid insolentius censeam haud facile dixerim, nisi quod vsurpatio quandam videtur inducere contemptus necessitatem, ac per hoc forte acrius insectanda, quàm amplius nocet: aut non vere nocentior est mala in se, in partu peior. Nonne ipsa est, quæ ipsum ius quoq; naturæ aut extenuat, aut exterminat? Nam sæpe rebus etiam preciosissimis, precii gratia non modo demit, sed adimit. Quid Sacramentis acceptius, vsurpata tamen ab indignis, indigneve tractata, minime acceptatur: magis habent damnationem, quia debitam venerationem non habent. Fateor grande & generale mundo bonum esse appellationes, idq; tam necessarium, quã solem mortalibus. Reuera quidẽ Sol iustitiæ est, prodens ac redarguens opera tenebrarum: prorsus fauendæ & manutenendæ sunt, sed quas extorsit necessitas, nõ calliditas adinuenit. Vsurpatoriæ sunt huiusmodi omnes, non subuenientes in necessitate, sed opitulantes iniquitati, quid ni veniant in cõceptum? quanti vt talib. quoq; deferent, etiã de proprio cessere iure, ne longo & casso itinere fatigarentur? Plures tamen sua amittere non ferentes, appellationes minus oportunas, & celsa nomina importunius contempserũt. Dico aliquid quod ad rẽ pertinet, exempli causa: quidã sibi publice despõsauerat vxorẽ, adest dies celebris nuptiarum, parata omnia, inuitati multi: & ecce homo concupiscẽs vxorem proximi sui, in vocem appellationis inopinate prorumpit, affirmans sibi traditã prius, suam potius esse debere. Stupet sponsus, hęrent omnes, sacerdos non audet progredi, frustratur omnis apparatus ille, descendit quisq; in domum suam, suã cœnam manducaturus: sponsa à mensa & thalamo sponsi suspenditur, quousq; Romæ reditum est. Parisiis contigit hoc, nobili Galliarum ciuitate, sede Regia. Rursum in ciuitate eadem quidã sibi desponsata vxore diẽ constituit nuptiarũ; interim emergit calumnia dicentib. quibusdam non deberet coniungi. Ad iudicium Ecclesiæ causa delata est, sed non expectata sententia appellatũ est sine causa, sine grauamine, solo frustratoriæ dilationis intuitu. At ille siue perdere qui pararat, siue dilectę tamdiu frustrari consortio nolens, nihilominus quod proposuerat, contempta siue dissimulata appellatione, peregit. Quid illud ꝙ in Antisiodorensi Ecclesia nuper à quodã adolescentulo præsumptũ est? nempe defuncto sancto Episcopo, volentib. clericis aliũ, vt moris est, eligere sibi: interuenit ille appellans & vetans ne fieret, quousq; isset & redisset ab vrbe; cui tñ appellationi nec ipse detulit. Nã cum videret se contemni, tanꝗ qui irrationabiliter appellasset, accitis quos potuit sibi, tertia die post factã ab aliis electionem, fecit suã. Cum itaq; ex his & innumeris talib. liqueat, non ex contemptu gigni vsurpationẽ, sed ex vsurpatione cõtemptum, videris tu quid sibi velit, quod zelus vester assidue pene vindicat illã, istam dissimulat. Vis perfectius coercere contemptũ? cura in ipso vtero pessimæ matris germẽ nequã, quod ita fiet, si vsurpatio digna animaduersione mulctetur. Tolle vsurpationẽ, & contemptus excusationẽ non habet: porro inexcusabilitas ausum explodet. Non sit proinde vsurpator, & contemptor nullus erit, aut admodum rarus. Bene facis tu quod appellationũ negato suffragio, imo suffugio, multa remittis negocia ad cognoscẽtes, vel qui noscere citius possunt: vbi n. certior ac facilior notio, ibi decisio tutior expeditorq; esse potest, quia

quia plenum gratiæ, ꝙ multorum quoq; per hoc & laborib. parcis & sumptibus: at quibus sic credas, tibi omnimodis attendẽdum. Poterã multa de eodem vtiliter addere his, sed memor propositi mei, contentus interim occasionẽ dedisse, ad alia transeo. Et primum quod occurrit minime transeundũ reor: præes & singulariter; ad quid? eget tibi dico consideratione. Nunquid vt de subditis crescas? nequaquã: sed vt ipsi de te? Principẽ te cõstituerunt; sed sibi, nõ tibi, alioquin quo pacto reputas te superiorem his, à quib. beneficium mendicas? audi Dominum: *qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.* At istud de his qui foris sunt, quid ad nos? Tu id mendaciter diceris, si non tam beneficus esse, quã beneficis præesse intendas. Parui deiectiq; animi est, de subditis non profectum quærere subditorũ; sed quæstum proprium: in Summo præsertim omniũ nihil turpius. Quã pulcre magister gentium parentes filiis, non filios debere censuit thesaurizare parẽtibus. Non mediocris gloria vox illa identidẽ ipsius, *non requiro datũ, sed fructum.* At iam transeamus & hinc, ne quis morã in his meam, auaritię in te notã interpretetur: quæ q̃ longe à te sit in libro secundo testatus sum, sciens quanta & in quanta tua necessitate resipueris. Ad te proinde scripserim ista, non propter te: nẽpe ꝙ tibi scribitur, soli prodesse non decet. Hic locus auaritiã carpit, à quo vitio immunis satis tua opinio est; an & opus, tu videris. Vidimus tñ (vt oblata à pauperib. taceam, quę tangere nõ acquiescis) germanicos detumuisse saccos: sed precio, non massa. Argentum reputatũ est fœnum, summarii nõ leuati sarcinis, onusti nihilominus repatriant vel inuiti. Noua res; qñ hactenus auiũ Roma refudit? & nunc Romanorum cõsilio id vsurpatum non credimus. Duo venerunt, ambo locupletes; & ambo rei: siquidẽ vnus Moguntinus, Coloniensis alter: alteri gratia gratis reddita est; alter, indignus credo, cui gratia redderetur, audiuit: cũ quali veste etrasti, cum tali egrediaris. O vocem magnificã; vocem prorsus Apostolicæ libertatis! Quid minus ab illa hæc habuit; *pecunia tua tecũ sit in perditione?* nisi ꝙ in illa plus zeli, in ista plus modestiæ sonuit. Quid ille de transmarinis partib. pene à finibus terræ, terra & mari currens ꝓ Episcopatu, suis & alienis facultatib. rursus emendo? iam n. emerat prius: tulit multa, sed retulit; non omnia tamẽ. Incidit miser in manus alias, accipere q̃ dare potentiores. Benefecisti tuas in vtroq; seruans innoxias, nec imponere scil. ambitioso, nec supponere iniquo Mammone acquiescens. Non sic, à paupere Episcopo cõtinuisti, dans quod daret ne immunificus notaretur. Accepit clam ꝙ palam dedit: sic de tuo sacculo consultũ est verecundiæ viri; sic quoq; curiæ morem gerens, tuo beneficio inuidiã declinauit eorũ qui diligunt munera. Non putes abscondere, & factum nouimus, & personã. Audire grauat? & ego eo libentius prædico, quo tu id molestius audis: si tibi sic expedit, & mihi sic. Tã non oportet Christi gloriã me silere; quã nec te quærere tuam: & si pergis murmurare adhuc, respondebitur tibi ex Euangelio: *quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant dicentes, bene omnia fecit.* Audi aliud, si tñ aliud; ad idem n. fortassis pertinere quis dicat: tua consideratio viderit hoc. Mihi videtur non longe à vero dissentire, qui id forte inter auaritiæ species locandum putauerit: ego vero illius aut speciem esse, aut speciem habere nõ negauerim. Sane interest tuæ perfectionis & malas res, & malas pariter species deuitare: in altero conscientiæ, in altero famæ cõsulis. Puta tibi non licere (etsi alias fortasse liceat) quicquid male fuerat coloratum. Deniq; *interroga maiores tuos, & dicent tibi; Ab omni specie mali abstinete vos.* Sane minister Domini, Dominum imitetur, quia ipse ait: *qui mihi ministrat, me sequatur.* Et habes de illo: *Dominus regnauit, decorem induit; induit Dominus fortitudinem.* Tu quoq; esto fortis in fide, decorus in gloria: & probasti te imitatorẽ Dei. Fortitudo tua fiducia fidelis conscientię, decor tuus splendor bonæ opinionis: ita, quæso, induere fortitudinem, etenim gaudium Domini fortitudo tua. Porro specie tua & pulcritudine tua nihilominus tanquã propria similitudine delectatur: *induere vestimentũ gloriæ tuæ, vestire duplicibus,* quib. domesticos suos fortis illa mulier induere consueuit. Non sit in conscientia nutans infirmitas modicæ fidei, non sit in fama nęuus malæ speciei, & vestris duplicibus, & gaudebit sponsus super spõsam animam tuã, & gaudebit super te Deus vnus. Miraris quorsum hæc, ignarus vsque adhuc quid dicere velim? non te tollo diutius; murmur loquor & quęrimoniã Ecclesiarum: truncari se clamitant, ac demembrari. Vel nullæ vel paucæ admodum sunt quæ plagã istam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quã? subtrahuntur Abbates Episcopis; Episcopi Archiepiscopis; Archiepiscopi Patriarchis siue Primatibus. Bonane species hæc? mirũ si excusari queat vel opus. Si factitando probaris vos habere plenitudinẽ potestatis; sed iustitiæ forte non ita: facitis hoc quia potestis, sed vtrũ & debeatis quæstio est. Honorũ & dignitatum gradus & ordines quibusq; suos seruare positi estis, non inuidere, vt quidã vestrorum ait: *Cui honorẽ, honorem. Spiritualis homo,* ille qui *omnia diiudicat,* vt *ipse à nemine diiudicetur,* omne opus suum trina quadã consideratione pręueniet. Primum quidẽ an liceat, deinde an deceat, postremo an expediat. Nam etsi constet in Christiana vtiq; philosophia non decere nisi ꝙ licet, non expedire nisi quod decet & licet: non continuo tamẽ omne quod licet, deceret aut expedire cõsequens erit. Age aptemus tria ista, si possumus, operi huic: at quomodo non indecens tibi voluntate pro lege vti, & quia nõ est ad quẽ appelleris, potestatem exercere, negligere rationẽ. Tune maior Domino tuo, qui ait: *non veni facere voluntatẽ meam.* Quanquã non minus deiecti, q̃ elati animi est veluti rationis expertẽ, non pro ratione, sed ꝓ libitu agere: nec iudicio agi, sed appetitu. Quid tã bestiale? Et si indignũ cuiuis vtenti ratione viuere vt pecus, quis in te rectore omnium tantã cõtumeliam naturæ, honoris iniuriã ferat? sic degenerando, ꝙ absit, generale opprobrium fecisti ꝓprium tibi. *Homo cum in honore esset nõ intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Quid item tam indignum tibi, q̃ vt totum tenens non sis contentus toto, nisi minutias quasdam atq; exiguas portiones ipsius tibi creditę vniuersitatis, tanquã nõ sint tuę, satagas nescio quomodo adhuc facere tuas? Vbi etiã meminisse te volo parabolę Nathã de homine q̃ multas oues habẽs, vnã quę erat paupe-

pauperis concupiuit. Huc quoq; veniat factum, imo facinus Regis Achab, qui rerum summam tenebat, & vnam vineam affectauit. Auertat Deus à te quod ille audiuit: *occidisti & possedisti*. Nolo autem prætendas mihi fructum emãcipationis ipsius, nullus est enim: nisi quod inde Episcopi insolentiores Monachi etiã dissolutiores fiunt: quid quod & pauperiores? Inspice diligentius talium vbiq; libertorum & facultates & vitas, si non pudenda admodũ tenuitas in his, & in illis secularitas inuenitur? Matris noxiæ libertatis, genuina soboles hæc. Quidni peccet licentius vagum, & malum liberum vulgus, cum non sit qui arguat? Quidni licentius quoq; spolietur ac deprædetur inermis religio, cum non sit qui defendat? quo n. refugium illis? nunquid ad Episcopos dolentes iniuriã? Ridentib. profecto aspiciunt oculis; siue quæ faciũt mala, siue quæ patiuntur. Quæ demũ vtilitas in sanguine isto? Vereor ne illa q̃ in Propheta cõminatus est Deus: *ille*, inquiẽs, *in iniquitate sua morietur, sanguinem aũt eius de manu tua requirã*. Si n. extollitur qui subtrahitur, & cui subtrahitur vritur, qui subtrahit quomodo innocẽs? Parum est, inuoluimus ignẽ: audi apertius. Si is qui murmurat secũdum animã mortuus est; qui instigat quomodo viuit? quomodo non reus mortis amborũ & suæ pariter, qui gladium dedit vnde ambo morerentur? Hoc est quod dixerã, *occidisti & possedisti*. Adde quod qui audiunt scandalizantur, indignantur, detrahunt & blasphemant, hoc est, vulnerantur ad mortem. Non est bona arbor faciens fructus tales, insolentias, dissolutiones, dilapidationes, simulationes, scandala, odia, quodque magis dolendũ inter Ecclesias inimicitias graues, perpetuasq; discordias. Vides q̃ verus sit sermo ille, *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*? Quid si forte non licet? Ignosce mihi non facile adducor licitum consentire, quod tot illicita parturit. Tune deniq; tibi licitum censeas, suis Ecclesias mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos quos posuerunt patres tui? Si iustitiæ est ius cuiq; seruare suum: auferre cuiquã sua, iusto quomodo poterit cõuenire? Erras si vt summã ita & solam institutam à Deo vestram Apostolicam potestatem existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo qui ait: *non est potestas nisi à Deo*. Proinde quod sequitur: *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*: & si principaliter ꝓ te facit, non tamen singulariter. Deniq; idem ait: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: nõ ait sublimiori, tanquam in vno; sed *sublimioribus*, tanquam in multis. Non ergo tua sola potestas à Domino; sunt mediocres, sunt & inferiores. Et quomodo *quos Deus coniunxit non sunt separandi*: sic nos quos subiunxit comparandi. Monstrum facis si manu submouens digitum, facis pendere de capite superiorem manui, brachio collateralem. Tale est si in Christi corpore membra aliter locas, quã disposuit ipse: nisi tu putas alium esse qui posuit in Ecclesia *quosdam quidem Apostolos, quosdam aũt Prophetas, alios vero Euangelistas, alios Doctores & Pastores ad consumationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*. Atq; hoc corpus quod tibi ipse Paulus suo vere Apostolico figurans eloquio, & capiti conuenientissime aptans totum ex eo compactum perhibet & connexum per omnem iacturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusq; membri, augmentum corporis faciens in ædificationem sui, in caritate. Nec vilem repùtes formam hanc quia in terra est, exemplar habet è cœlo, *Neq; enim filius potest facere quicquam, nisi quæ viderit patrem facientem*, præsertim cum ei sub Moysi nomine dictum sit: *vide omnia facias secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est*. Viderat hoc qui dicebat: *vidi ciuitatem sanctam Hierusalem, nouam, descendentem de cœlo, à Deo paratam*. Ego enim propter similitudinem dictum reor, quod sicut illic Seraphin & Cherubin ac cæteri quiq; vsq; ad Angelos & Archangelos, ordinantur sub vno capite Deo: ita hic quoq; sub vno summo Pontifice Primates vel Patriarchę, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non est paruipendendũ quod & Deum habet autorem, & de cœlo ducit originem: quia si dicat Episcopus, nolo esse sub Archiepiscopo; aut Abbas, nolo obedire Episcopo; hoc de cœlo non est. Nisi tu forte Angelorũ quempiam dicentẽ audisti, nolo sub Archangelis esse: aut ex alio quolibet inferorum ordinum aliquẽ non ferentem subesse cuiq̃ nisi Deo. Quid inquis? prohibes dispensare? non, sed dissipare. Nõ sum tã rudis vt ignorẽ positos vos dispensatores; sed in ædificationẽ, non in destructionẽ. Deinde quæritur inter dispensatores, *vt fidelis quis inueniatur*; vbi necessitas vrget, excusabilis dispẽsatio est. Vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis est: vtilitas, dico, cõmunis, non propria. Nam cum nihil horũ est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Nonnulla tñ monasteria sita in diuersis Episcopatibus, ꝙ specialius pertinuerint, ab ipsa sui fundatione, ad sedẽ Apostolicam ꝓ voluntate fundatorũ, quis nesciat? sed aliud est quod largitur deuotio, aliud ꝙ molitur ambitio impatiens subiectionis. Superest vt generaliter sup vniuersum Ecclesiæ statum intendat consideratio tua: si plebes, clericis; si clerici sacerdotibus, si sacerdotes Deo in ea qua oportet humilitate subiecti sint: si in monasteriis & religiosis locis seruetur ordo, vigilet disciplina: si super praua opera & dogmata cẽsura Ecclesiastica vigeat: si floreant veneę honestate & sanctimonia sacerdotum: si flores fructus parturiãt obedientia fideliũ populorum: si deniq; vestra ipsorum Apostolica mandata & instituta ea qua dignũ est sollicitudine obseruentur, ne quid in agro Domini tui aut neglectu incultũ; aut fraude surreptum inueniatur: posse inueniri ne dubites. Mihi in prõptu est (vt multa & innumera prętermittã quę passim neglecta iacent) nonnulla etiã ex his quæ plantauit dextra tua, cõuulsa monstrare. Nonne os tuum in Remensi Concilio subiecta capitula promulgauit? Quis ea tenet? falleris, si teneri putas. Si nõ putas, ipse peccasti aut statuens quæ non tenerentur; aut quod non tenentur dissimulans. *Præcipimus*, aisti, *vt tam Episcopi quam clerici neq; in superfluitate, seu inhonesta varietate colorum, aut fissura vestium, neq; in tonsura intuentium (quorũ forma & exemplũ esse debent) offendant aspectum; sed potius ita in suis actib. errata condemnẽt & amore innocẽtia conuersatione demõstrent, sicut dignitas exigit ordinis clericorũ. Quia si moniti ab Episcopis suis infra quadraginta dies non obtemperauerint, Ecclesiasticis beneficiis eorundem Pontificum autoritate priuentur.*

Episco-

Episcopi vero si præfixam pœnam irrogare neglexerint; quia inferiorum culpa ad nullos magis referenda sunt, quam ad desides negligentesque rectores, tamdiu ab officio Pontificiali abstineant, donec pœnam à nobis constitutā clericis sibi subiectis imponant. Illud etiam diximus annectendum, vt nullus in Archidiaconum, vel Decanum nisi Diaconus & Presbyter ordinetur. Archidiaconi vero Decani & Præpositi qui infra ordines prænominatos sunt, si inobedientes ordinare contempserint, honore suscepto priuentur. Probibemus autem ne adolescentibus, vel infra sacros ordines constitutis, sed qui prudentia & vitæ merito clarescunt, prædicti concedantur honores. Verba tua hæc, tu sanxisti, quid affectui mancipatum? Adhuc adolescentes, adhuc qui infra sacros ordines sunt, in Ecclesia promouentur. Quod ad primum capitulum pertinet, luxus vestium interdictus; sed non restrictus: pœna dictata, sed minime secuta est. Iam quartus annus est, ex quo datum mandatum audiuimus, & neminem adhuc clericorum priuatum beneficio, neminem Episcoporum suspensum ab officio luximus, ac luctu amarissimo dignum quod secutum est. Quid hoc? impunitas incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix. Et beatus si omni satagas cura malorum, omnium primam parentem cauere incuriam: sed adhoc tu operam dabis. Et nunc leua oculos tuos & vide, si non æque vt prius pellicula discolor sacrum ordinem decolorat, si non æque vt prius fissura enormis pene inguina nudat. Solent dicere, num de vestibus cura est Deo, & non magis de moribus? At forma hæc vestium, deformitatis mentium & morum indicium est. Quid sibi vult quod clerici aliud esse, aliud videri volunt? Id quidem minus castum, minusq; sincerum: nempe habitu milites, quæstu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque vt milites pugnant, neque vt clerici Euangelizant. Cuius ordinis sunt? cum vtriusque esse cupiunt, vtrumque deserunt, vtrumque confundunt. *Vnusquisque* inquit, *in suo ordine resurget*: isti in quo? an qui sine ordine peccauerunt, sine ordine peribunt? aut si summe sapiens Deus, veraciter creditur à summo neque deorsum nihil inordinatum relinquere; vereor non alibi ordinandos, quam vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitet. O miserandam sponsam talibus creditam paranimphis, qui assignata cultui eius, proprio retinere quæstui non verentur: Non amici profecto sponsi, sed æmuli sunt. Et de his satis quæ sub te sunt, & si non ad materiæ copiam quæ est multa nimis, certe ad id quod proposui ego. Visenda iam quæ circa te sunt; sed ad ea ostium nobis quartus liber aperiet.

LIBER QVARTVS.

SI mihi plenius innotuisset amantissime Eugeni, priora qualiter acceptaris, secundum hoc vel fidentius in reliquum processissem, vel cautius, aut certe substitissem omnino. Nunc vero quia ob locorum distantiam id minime datur, non mireris si prodit exilior sermo anceps, verecunde fateor ad medium veniens. Primis itaque considerationis partibus libris prioribus pertractatis, in manibus est de his addere, quæ circa te sunt. Et ipsa quidem sub te; sed quo priora, eo importuniora tibi: nempe coram posita incuriam non admittunt, non dissimulationē, non obliuionem: vehementius vrgent, turbulentius irruunt, verendum ne obruant. Circa eiusmodi quam sobria & intentata consideratione opus sit, proprio te experimento edoctum satis non ambigo, alioquin si non cauta opportunaque interueniat consideratio, occupatio continuabitur & vexationis non erit modus, & sollicitudinis non erit finis: non tempus vacuum, non liberum cor, plus laboris, & minus vtilitatis. Dico autem instantia illa tua quotidiana ab vrbe, à curia, à domestica Ecclesia tua. Hæc inquam circa te sunt, Clerus & populus tuus cui specialiter Episcoparis, ac per hoc specialis Curæ teneris debitor. Hi quoque qui tibi quotidie assistunt seniores populi, orbis iudices & qui item de domo & mensa tua sunt, Capellani, Cubicularii, ministri, quiq; diuersis deputati officiis in obsequiū tui, hi te familiarius visitant, frequentius pulsant, molestius sollicitant. Hi sunt qui non verentur suscitare dilectam, & antequam ipsa velit. Et primum quidem clerum illum ordinatissimum esse decet, ex quo præcipue in omnem Ecclesiam cleri forma processit. Deinde omne quod perperam agitur te præsente, id tibi turpius. Interest gloriæ Sanctitatis tuæ vt non quos præ oculis habes ita ordinati, ita sint informati: quatenus totius honestatis & ordinis, ipsi speculum, ipsi sint forma. Inueniantur præ cæteris oportet expediti ad officia, idonei ad Sacramenta, ad plebes erudiendas solliciti, circumspecti ad sese custodiendos in omni castitate. Quid de populo loquar? Populus Romanus est: nec breuius potui, nec expressius tamen aperire de tuis parrochianis quod sentio. Quid tam notum seculis, quam proteruia & fastus Romanorum? Gens insueta paci, tumultui assueta: gens immitis & intractabilis, vsque adhuc subdi nescia, nisi cum non valet resistere. En plaga, tibi incumbit cura hæc, dissimulare non licet. Rides me forsitan, fore incurabilem persuasus; noli diffidere, curam exigeris, non curationem. Deniq; audisti, *curam illius habe*, & non cura vel sana illum. Verum dixit quidam:

Non est in Medico semper releuetur vt æger.

Non ait, plus omnibus profui: aut plus omnibus fructificaui; verbum insolens religiosissime vitans. Alias autem nouerat homo quem docuit Deus, quia *vnusquisque secundum suum laborem accipiet*, non secundum prouentum. Et ob hoc in laboribus potius, quam in profectibus gloriandum putauit: sicut alibi quoque habes ipsum dicentem; *in laboribus plurimis*. Ita quæso fac tu, quod tuum est: nam Deus quod suum est satis absque tua sollicitudine & anxietate curabit. Planta, riga, fer curam, & tuas explicuisti partes: sane *incrementum* vbi voluerit *dabit Deus*, non tu. Vbi forte noluerit tibi deperit nihil, dicente Scriptura: *reddet Deus mercedem laborum sanctorum suorum*. Securus labor

quem nullus valet euacuare defectus: & hoc dixerim absque præiudicio diuinæ potentiæ & bonitatis. Scio induratum cor populi huius, sed potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. *Quis scit si reuertatur & ignoscat, conuertat & sanet eos?* sed non est propositi mei dictare Deo, quod facere debeat; tibi vtinam possim quod oportet & prout oportet, suadere. At locus dubius, & scrupulosa incidit disputatio: nam vbi adoriar dicere quod sentio, video satis quod imminet. Clamabitur insuetum; nam iustum negari non poterit. Ego vero nec insuetum quidem assenserim, nempe assuetum fuisse scio, ac per hoc in dissuetum potuisse venire, sed non redire in insuetum.

An vero assuetum quis neget, quod constat non modo aliquando factu, sed aliquandiu factitatum? Quid illud sit dicam, & non proderit. Cur? quia non placebit satrapis, plus maiestati quam veritati fauentibus. Fuerunt ante te; qui se totos ouibus pascendis exponerent, pastoris nomine & opere gloriantes, nil sibi reputantes indignum, nisi quod saluti ouium obuiare putaretur: non quærentes quæ sua sunt, sed impendentes. Impendere curam, impendere substantiam, impendere & seipsos: vnde vnus illorum; *& ego*, ait *super impendar pro animabus vestris*. Et tanquam dicerent, *non venimus ministrari, sed ministrare*: ponebant quotiens oportuisset sine sumptu Euangelium. Vnus erat de subditis quæstus, vna pompa, vnaq; voluptas: si quomodo eos possent *parare Domino plebem perfectam*. Id omnimodo satagebant, etiam in multa contritione cordis, & corporis; *in labore & ærumna, in fame & siti, in frigore & nuditate*. Vbi nunc quæso consuetudo hæc? Subiit dissimilis valde, longe in aliud mutata sunt studia, & vtinam non in peius. Cura tamen & anxietas, & æmulatio & sollicitudo fateor perseuerant; translata hæc, non imminuta. Testimonium vobis perhibeo, quod nec substantiæ parcitis, non magis quam ante. Diuersa autem locatio, dissimilitudinem facit: magna abusio, pauci ad os legislatoris, ad manus omnes respiciunt. Nec immerito tamen omne Papale negotium illi agunt. Quæ dabis mihi de tota maxima vrbe, qui te in Papam receperit, precio seu spe precii non interueniente? Et tunc potissimum volunt dominari, cum professi fuerint seruitutem: fideles se spondent, vt opportunius fidentibus noceant. Ex hoc non erit consilium tibi à quo se arcendos putent, non secretum quo se non ingerant. Si stante præ foribus quoquam illorum, moram vel modicam fecerit ostiarius; ego tunc pro illo esse nolo. Et nunc experire paucis nouerim ne & ego aliquatenus mores gentis: *ante omnia sapientes sunt vt faciant mala, bonum autem facere nesciunt*. Hi inuisi terræ & cœlo, vtrique iniecere manus: impii in Deum, temerarii in sancta, seditiosi in inuicem, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos, quos neminem amantes amat nemo, & cum timeri affectant ab omnibus, omnes timeant necesse est. Hi sunt qui subesse non sustinent, præesse non norunt; superioribus infideles, inferioribus importabiles: hi inuerecundi ad petendum, ad negandum frontosi: hi importuni vt accipiant, inquieti donec accipiant, ingrati vbi acceperint. Docuerunt linguam suam grandia loqui, cum operentur exigua: largissimi promissores, & parcissimi exhibitores: blandissimi adulatores, & mordacissimi detrectatores: simplicissimi dissimulatores & maligni proditores. Excurrimus vsque huc, plenius te atque expressius admonendum putantes, horumque circa te sunt in hac parte. Iam ad ordinem recurramus; quale est quod de spoliis Ecclesiarum emuntur, qui dicunt tibi euge, euge? Pauperum vita in plateis diuitum seminatur, argentum micat in luto, accurritur vndique, tollit illud non pauperior, sed fortior, aut qui forte citius præcurrit. A te tamen mos iste, vel potius mors ista non cœpit, in te vtinam desinat: sed reliqua persequamur. Inter hæc tu Pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate; oues quid capiunt? si auderem dicere dæmonum magis quam ouium pascua hæc. Scilicet sic factitabat Petrus, sic Paulus ludebat? Vides omnē Ecclesiasticum Zelum feruere sola pro dignitate tuenda? honori totum datur, sanctitati nihil aut parum. Si causa requirente paulo summissius agere ac socialius te habere tentaueris; absit, inquiunt, non decet, tempori non congruit, maiestati non conuenit, quam geras personam attendito. De placito Dei vltima mentio est, pro iactura salutis nulla cunctatio: nisi quod sublime est, hoc salutare dicamus, & quod gloriam redolet, id iustum. Ita omne humile probro ducitur inter palatinos, vt facilius qui esse, quam qui apparere humilis velit, inuenias. Timor Domini simplicitas reputatur; ne dicam fatuitas: virum circumspectum & amicum propriæ conscientiæ, calumniantur hypocritam. Porro amatorem quietis, & sibi interdum vacantem, inutilem dicunt. Quid ergo tu? Euigilas ne adhuc ad istos qui circumdederunt te laqueis mortis? quæso sustine paulisper & supporta me; Imo da veniam non tam temere quam timide hæc loquenti: æmulor de æmulatione bona, & vtinam quam vehementi, tam vtili.

Scio vbi habitas, *increduli & subuersores sunt tecum*: lupi non oues sunt, talium tamen tu pastor. Vtilis consideratio, qua forte inueniris quomodo si fieri possit conuertas eos, ne ipsi subuertant te. Quid diffidimus posse reuerti in oues, è quibus verti in lupos potuerunt: hic, hic non parco tibi, vt parcat Deus. Pastorem te populo huic certe aut nega, aut exhibe: Non negabis, ne cuius sedem tenes, te neget hæredem. Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non rectus auro, non vectus æquo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris: absq; his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum; *si amas me*,

pasce

pasce oues meas. In his successisti non Petro, sed Constantino. Consulo toleranda pro tempore, non affectanda pro debito: ad ea te potius incito, quorum te scio debitorem. Et si purpuratus, & si deauratus incedens; non est tamen quod horreas operam, curamve pastoralem, pastoris heres; non est quod erubescas Euangelium. Quanquam si volens Euangelizes inter Apostolos quidem, etiam gloria tibi est: Euangelizare pascere est. Fac opus Euangelistæ, & pastoris opus implesti. Dracones inquis, me mones pascere & Scorpiones, non oues: propter hoc, inquam, magis aggredere eos; sed verbo, non ferro. Quid te denuo vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic, *conuerte gladium tuum in vaginam.* Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus: alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis: *ecce gladii duo hic*; non respondisset Dominus, *satis est*; sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritalis scilicet gladius, & materialis; sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercendus: ille sacerdotis, is militis manu: sed sane ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris, & de hoc alias. Nunc vero arripe illum, qui tibi ad feriendum creditus est, & vulnera ad salutem, si non omnes, si non vel multos; certe quos possis. Non sum, inquis, melior quam patres mei; quem illorum domus exasperans, non dico audiuit, sed non irrisit? Ideo tu insiste magis, si forte audiant & quiescant; insiste & resistentibus. Dicendo hæc, forte nimius dicar: num nostra illa vox, *insta opportune, importune*? Hunc, si audes, nimium appellato. Prophetæ præcipitur: *clama ne cesses.* Ad quos nisi ad sceleratos & peccatores? *annuncia*, inquit, *populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Prudenter aduerte, & sceleratos perhiberi, & populum Domini. Puta de his idem: & si scelerati & si iniqui, vide ne audias, *quod vni ex his meis non fecisti, nec mihi fecisti.* Fateor populum istum extitisse vsque adhuc dura fronte, & indomito corde; sed vtrum etiam indomabili, nescio vnde liquido scire possis. Potest fore, quod nec dum fuit; si diffidis tu: *Sed apud Deum non erit impossibile omne verbum.* Si dura fronte sunt, durato & tu è contra tuam: nil tam durum, quod duriori non cedat. Dominus ad Prophetam: *dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Vnum est quod te absoluit, se egisti, cum populo illo, vt possis dicere: popule meus quid tibi debui facere & non feci? sic, sic fecisti nec profecisti; est demum quod facias & quod dicas: *exi de Hur Chaldæorum*, & dicito quia *oportet me & aliis ciuitatibus euangelizare*, puto nec pœnitebit exilii orbe pro vrbe commutato. Veniamus ad collaterales & coadiutores tuos; hi seduli tibi, hi intimi sunt, tibi potissimum sunt, si mali æque plus tibi. Nec te dixeris sanum dolentem latera, hoc est, ne te dixeris bonum malis innitentem: aut si bonus sis, bonitas tui solius quem fructum afferre potest? sicut in superiore libro dixisse me memini. Quid inquam emolumenti affert Ecclesiis Dei, tua vnius hominis iustitia, vbi sententia præualet aliter affectorum? Sed nec tuta tibi tua bonitas obsessa malis, non magis quam sanitas vicino serpente. Non est quo te subducas malo intestino, & è regione bonum domesticum, eo amplius quo sæpius iuuat: sed siue leuent siue grauent cui rectius imputandum quam tibi, qui tales aut elegisti, aut admisisti? Non de omnibus dico, nam sunt quos non elegisti; sed ipsi te: at potestatem non habent, nisi quam tu eis aut tribueris, aut permiseris. Ad idem ergo reuertimur; tibi imputa quicquid patieris ab eo, qui sine te potest facere nihil. His exceptis, decœtero non inconsiderate vt vides eligendi quoque seu colligendi sunt in opus ministerii huius: tuum est vndecunq; vocare & adsciscere tibi (exemplo Moysi) senes non iuuenes; sed senes non tam ætate quam moribus, quos tu nosti, quia senes populi sunt. Annon eligendi de toto orbe, orbem iudicaturi? Sane huic negotio, non se ingerat rogans: consilio, non prece agendum est. Sunt quæ necessario à nobis rogantium aut extorquet importunitas, aut necessitas meretur: at istud in his quæ nostra sunt. Vbi autem non licet quod volo facere, quis locus roganti? nisi forte qui me rogat, hic rogat vt quod vult hoc liceat mihi, & non magis vt velim. Alius pro alio; alius forte & pro se rogat: pro quo rogaris sit suspectus; qui ipse rogat pro se iam iudicatus est, nec interest per se an per alium quis roget. Clericum curiam frequentantem qui non sit de curia, ad idem noris pertinere ambientium genus adulantem & ad placitum cuiusque loquentem, vnum de rogantibus puta, etiam si nihil rogauerit. Scorpioni non est in facie quod formides, sed pungit in cauda: si ad talium blanditias cor tuum, vt assolet, molliri senseris, memineris scriptum: *Omnis homo primo bonum vinum ponit, cum autem inebriati fuerit, tunc id quod deterius est.* Pari pondere æstimaueris eius humilitatem, qui timet, & eius qui sperat: viri callidi & dolosi proprium esse solet tunc prætendere humilitatem, cum aliquid obtinere voluerit, de qualibus dicit Scriptura: *est qui se humiliat nequiter, & interiora eius plena sunt dolo.* De vobis ipsis sume sententiæ huius euidens ac familiare exemplum: quantos quos supplices admisistis, postmodum sustinuistis graues insolentes, contumaces, rebelles? quod quidem interius malum tegunt principia, posterio[illegible]nt. Verbosulum adolescentem & studentem eloquentiæ cum sapientiæ sit inanis, non ali[illegible]n iustitiæ hostem repures. Pro huiusmodi falsis fratribus dicit tibi magister: *manus cito nemini* [illegible] Exclusis igitur vniuerso hoc pestilenti genere hominum; curæ tibi maximæ sit introduce[illegible] quos postmodum introduxisse pœniteat: turpe est tibi sæpius retractare quod feceris, & iudicium tuum frequenter periclitari non decet. Diligenter proinde omne quod faciendum erit tracta apud te, & cum his qui te diligunt: tracta autem ante factum, quia post factum sera retractatio est. Sapientis consilium est: *omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* Et hoc tibi persuade, qui admittendi sunt difficile in curia posse probari; & ideo si fieri potest viros probatos oportere deligi, non probandos. Nos in monasteriis omnes recipimus, spe meliorandi: at curia bonos facilius

lius recipere, magis quam facere consueuit. Quia si plures in ea defecisse bonos, quam malos profecisse probauimus; quærendi sane quibus nec defectus timeatur, nec profectus optetur, vtpote iam perfectis. Itaque non volentes, neq; currentes assumito; sed cunctantes, sed renuentes: etiam *coge illos & compelle intrare*. In talibus vt opinior requiescet spiritus tuus, qui non sunt attritæ frontis; sed verecundi, sed timorati, præter Dominum timeant nihil, nihil sperent nisi à Deo: qui aduentantium non manus attendant, sed necessitates; qui stent viriliter pro afflictis, & iudicent in æquitate pro mansuetis terræ; qui sint compositi ad mores, probati ad sanctimoniam, parati ad obedientiam, mansueti ad patientiam, subiecti ad disciplinam, rigidi ad censuram, catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordes ad pacem, conformes ad vnitatem: qui sint in iudicio recti, in consilio prouidi, in iubendo discreti, in disponendo industrii, in agendo strenui, in loquendo modesti, in aduersitate securi, in prosperitate deuoti, in zelo sobrii, in misericordia non remissi, in ocio non ociosi, in hospitio non dissoluti, in conuiuio non effusi, in cura rei familiaris non anxii, alienæ non cupidi, suæ non prodigi, vbique & in omnibus circumspecti. Qui legatione pro Christo fungi quotiens opus erit, nec iussi renuant, nec iniussi affectent: qui quod verecunde excusant obstinatius non renuant: qui missi post aurum, non eant; sed Christum sequantur: qui quæstum legationis non existiment, nec *requirant datum, sed fructum*. Qui Regibus Ioannem exhibeant, Ægyptiis Moysen, fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Heliseum auaris, Petrum mentientibus, Paulū blasphemantibus, negociantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant; diuites non palpent, sed terreant; pauperes non grauent, sed foueant; minas principum non paueant, sed contemnant. Qui non cum turba intrent, nec cum ira exeant: qui Ecclesias non spolient, sed emendent: qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant, famæ prouideant suæ, nec inuideant alienæ. Qui orandi studiū gerant, & vsum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quam suæ industriæ & labori: quorum ingressus pacificus, non molestus exitus sit: quorum sermo ædificatio, quorum vita iustitia, quorū præsentia grata, quorū memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant, non verbo sed opere; reuerendos exhibeant, sed actu, non fastu: qui humiles cū humilibus, & cū innocentibus innocentes; duros dure redarguāt, malignantes coerceant, reddant retributionem superbis. Qui non de dote viduæ, & patrimonio crucifixi se vel suos ditare festinent; *gratis dantes, quod gratis acceperunt, gratis facientes iudicium iniuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis.* Qui de tuo deniq; spiritu illorum instar septuaginta Moysi accepisse cernantur, per quem siue absentes siue præsentes, contendant placere tibi, placere Deo: qui ad te redeant fatigati quidem, sed non suffarcinati; simul & gloriantes non quod curiosa seu preciosa quæq; terrarum attulerunt, sed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, Ecclesiis ordinem, clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem sectatorem bonorum operum. Dignum nunc ad medium venire factum dulcis memoriæ Martini nostri; nosti hoc, sed an memineris ignoro; is Cardinalis Presbyter, functus aliquando legatione in Datia, tam pauper remeauit, vt pene expensis & equis deficientibus vix perueniret Florentiam ibi Episcopus loci donauit ei equum quo Pisas vsque, vbi eramus tunc, peruectus est. Postridie credo secutus Episcopus (erat enim illi causa cum aduersario, & agendi aderat dies) cœpit requirere suffragia amicorum: cumq; per singulos sollicitaretur, ventum est ad Martinum; fiducia erat maior in illo, qui non posset immemor esse recentis beneficii, tum Martinus: decepisti me, inquit, nesciebam tibi imminere negotium, tolle equum tuum, ecce in stabulo est, & hora eadem resignauit illi. Quid dicis mi Eugeni? nonne alterius seculi res est, rediisse legatum de terra auri sine auro, transisse per terram argenti & argentum nescisse, donum insuper quod poterat esse suspectum ilico reiecisse? Sed ô mihi locum suauem vbi incidit occasio memorandi & nominandi suauissimi odoris virum, Episcopum loquor Gaufridum Carnotensem, qui legationem in partibus Aquitaniæ propriis sumtibus strenue administrauit, idque annos plures. Rem loquar quam vidi ipse, eram cum eo in terra illa, cum à quodam Presbytero præsentatus illi est piscis quem vulgo vocant sturgionem: percunctatus legatus quanti venierit, non accipio, inquit, nisi receperis precium, & resignauit, solidos quinque inuito & verecundo. Item cum essemus in quodam oppido, Domina illius oppidi obtulit ei pro deuotione cum manutergio duas vel tres parapsides pulcras, ligneas tamen: quas aliquandiu intuens; homo scrupulosæ conscientiæ; laudauit eas; sed non acquieuit accipere. Quādo argenteas recepisset, qui ligneas refutauit? Nō fuerunt qui possent legato dicere, ditauimus Abraham. Ipse vero cum Samuele libere concionabatur ad omnes: *loquimini de me corā Domino & corām Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim aut asinum, si quempiā calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, vobis restituam.* O si talium daretur virorum copia, quales perstrinximus nunc? quid te felicius, quid illo iucundius seculo? Nonne secunda ab æternitate illorum tibi temporum beatitudo videretur, cum te quaqua versum procedens, stipatum videres tam inclito agmine beatorum? si te noui hæres, & altum trahens suspirium tecum loqueris; putas fore posse quod dicitur? putas hic sumus quousque hæc fiant? quis det viuere, vt videre contingat? O si viderem in vita mea Ecclesiam Dei talibus innixam columnis! O si Domini mei sponsam cernere tantæ commissam fidei, tantæ creditam puritati? quid me beatius, quid me securius? cum eiusmodi circa me vitæ meæ & custodes spectarem, simul & testes? quibus omnia mea secreta secure committerem, communicarem consilia, quibus me totum refunderem tanquā alteri mihi: qui si vellē aliquatenus deuiare nō sinerent, frenarent præcipitē, dormientem suscitarent,

suscitarent; quorū me reuerentia & libertas extollentē reprimeret, excedentē corrigeret; quorū me constantia & fortitudo nutantē firmaret, erigeret diffidentem: quorū me fides & sanctitas ad quæq; sancta, ad quæque honesta, ad quæque pudica, ad quæque amabilia & bonæ famæ prouocaret. Et nunc reduc oculos mi Eugeni, ad eum qui nunc est curiæ siue Ecclesiæ statum, & studia prælatorum, eorum præsertim qui sunt in circuitu tuo. Sed de his hactenus ego: palpaui non fodi parietem, tibi licet fodere & videre, vtpote Prophetæ filio, mihi progredi non est fas. Vnum dico quod in facie est; ridicule ministri vestri, vestris se compresbyteris anteferre conantur: non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non consentit autoritas. Et si de sua consuetudine calumnia struitur, melius profecto illa quam summus ordo contemnitur: friuolum tamen satis, vnde maxime obtinere id volunt. Nos sumus, inquiunt, qui in omni celebritate Domino Papæ coniunctiores assistimus, sedenti propiores assidemus, præcedentem posteriores præcedimus: hoc totum non dignitatis priuilegium, sed sedulitatis debitum est, Diaconi nomen solenni ipsa administratione interpretans. Denique Presbyteris ordinata confessione ambientibus maiestatem, vos ad pedes sedentis, propiores assistitis, vt habeat paratiores. In Euangeliis legimus, quia *acta est contentio inter discipulos, quis eorum videretur esse maior*: beatus esses si sic circa te cætera tenerentur. Tædet iam curiæ, exeundum palatio, domi expectant nos: hi non modo circa, sed quodam modo intra te sunt. Non est superuacua consideratio, qua intendis disponere domui tuæ, prouidere his qui in sinu tuo & in gremio tuo sunt: ego dico & necessaria. Paulum audi: *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Item, *Si quis suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Et hæc dicens, non te moneo summis occupatum intendere infimis, & quasi minutum fieri; in minimis impendere quod maximis debes. Quid te intrices, vnde te eripuit Deus? *Hæc*, inquit, *omnia adiicientur vobis*. Veruntamen & hoc oportet facere, & illa non omittere: at illa per te agens, per te etiam oportet prouideas, qui pro te de his prouideant. Nam si vnus è seruis per se non sufficit simul & custodiæ, & iumentorum, & curæ mensarum; tu per te quomodo intendere valeas & tuæ domui & Domini pariter de qua scriptum est: *O Israel quam magna est domus Domini?* vacuum prorsus à sollicitudine rerum minorum & vilium oportet esse animum, tam magnis & tam multis intentum rebus; oportet liberum, quem nulla sibi vendicet violenta occupatio: oportet ingenuum, quem nulla deorsum trahat indigna affectio: oportet rectum, quem nulla seorsum auertat sinistra intentio: oportet cautum, quem nulla subeat furtiua suspicio: oportet vigilem, quem nulla concutiat repentina turbatio; oportet inuictum, quem nulla fatiget vel continua tribulatio: oportet amplum, quem nulla coarctet rei temporalis amissio. His te non dubites & bonis priuandum, & feriendum malis; si animum diuidens & Dei rebus, & tuis pariter reiculis volueris impartiri: procurandus quem implices, qui pro te dico, non tecum. Quædam per temet facies, quædam per te & alios simul, quædam per alios & absque te. Quis sapiens & intelliget hæc? non quod inter ista dormitet consideratio tua: ego vero agenda domus tuæ, sub eo genere, quod nouissimum posui, locanda censuerim; per alium, vt dixi, illa facies. At is si fidelis non fuerit, fraudabit; si non fuerit prudens, fraudabitur. Quærendus proinde fidelis & prudens, quem constituas supra familiam tuam, adhuc inutilis est, si tertium deest: quæris quid hoc? auctoritas. Quid enim prodest ei velle & scire quoque disponere prout necesse est, si quod scit, & vult, non potest? Danda ergo facultas agendi pro libitu: si in præiudicium rationis putas hoc fieri, memento fidelem qui agere nihilominus pro ratione volet, attende prudentem; qui agere nihilominus pro ratione sciet. Sed fidelis solersque voluntas tunc prodit, cum ei affatim suppetet, vnde tota facilitate mancipetur affectui, cunctis sine cunctatione parentibus. Subdendi igitur omnes, nullum patiatur contradictorem; nemo qui dicat, cur fecisti sic? potestatem habeat excludere, & admittere quos voluerit, mutare ministros, transferre ministeria ad quos & quando voluerit. Ita timori sit omnibus, vt sit & vtilitati: præsit omnibus, vt omnibus prosit, & de omnibus. Clandestinas & susurratas delationes non recipias aduersus eum; magis detractiones censueris. Et hanc velim generalem tibi, constituas regulam, vt omnem qui palam veretur dicere quod in aure locutus est, suspectum habeas. Quod si te iudicante dicendum coram ille renuerit, delatorem iudices, non accusatorem: itaque vnus omnibus facienda iniungat, & vni omnes respondeant. Tu illi habeas fidem, vacans tibi & Ecclesiæ Dei: si quo minus aut fidelis inueniatur, aut prudens; fideli potius committendum; sanè duobus tutius hoc: quanquam si idoneus non reperitur, etsi minus fidelem sustinere potius consulo; quam te immergere labyrintho huic. Memento Saluatorem Iudam Oeconomum habuisse. Quid Episcopo turpius quam incumbere suppellectili & substantiolæ suæ, scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspitionibus, moueri ad quæque perdita vel neglecta? Ad verecundiam dico, [illegible] eiusmodi scrutantium quotidie vnam substantiam suam, numerantium singula, de minu[illegible] exigentium rationem. Non ita ille Ægyptius, qui Ioseph omnibus traditis, [illegible] quod habebat in domo sua. Erubescat Christianus, Christiano sua non credens: homo [illegible] tamen habuit seruo, super omnia bona sua constituens eum; & hic erat alienigena. [illegible] Episcopi ad manum habent quibus, animas credant, & cui suas committant [illegible] non inueniunt. Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, [illegible] de maximis curam gerant. Sed vt liquido datur intelligi, patientius ferimus [illegible], quam nostram: quotidianas expensas, quotidiano reciprocamus scrutinio, & [illegible] Dominici gregis detrimenta nescimus. De precio escarum, & numero panum, cum mi-

nistris quotidiana discussio est: raro admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit asina, & est qui subleuet eam: perit anima, & nemo qui reputet. Nec mirum cum nec nostros quidem assiduos sentiamus defectus; nonne ad singulas supputationes ista irascimur, vrimur, anxiamur? quam tolerabilius rerum, quam mentium sustineremus iacturam. *Quare,* inquit, *magis fraudem patimini?* Quæso tu qui alios doces, doce teipsum; si tamen iam non docuisti, pluris te habere, quam tua. Transitoria ista quæ stare tibi nullo pacto queunt; fac vt à te transeant non per te. Riuus qua fluit cauat terram: sic discursus temporalium conscientiam rodit. Si potest torrens in agros excurrere sine læsione satorum, & tu te ista sine læsione satorum, & tu te ista sine vulnere mentis posse tractare confidito. Omnimodis consulo studeas auertere à te concursum horum, multa nescias, plurima dissimules, nonnulla obliuiscaris. Sunt tamen quæ ignorare te nolim, mores quorumque & studia: non oportet vt vicia domus tuæ vltimus scias, quod quamplurimis nouimus contigisse. Quapropter vt dixi alius alia dispenset, de disciplina tu prouide. Istud nemini credas, si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit: manus tua super eiusmodi, tu vlciscere iniuriam tuam. Impunitas ausum parit, ausus excessum. Domum Episcopi decet sanctitudo, decet modestia, decet honestas; horum disciplina custos. Sacerdotes domestici, aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt: in vultu, in habitu, in incessu, illorũ qui circa te sunt; nihil residere impudicum nil indecens patiaris. Discant à te Coepiscopi tui comatulos pueros & comptos adolescentes secum non habere: certe inter mitratos discurrere calamistratos non decet. & memento quod sapiens admonet: *filiæ tibi sunt, noli faciem tuam hilarem ad eas ostendere.* Nec austeritatem tamen suadeo tibi, sed grauitatem: illa infirmiores fugat, hæc reprimit leuiores: illa si adsit odibilem, hæc si desit contemptibilem reddit; in omnibus tamen modus melior. Ego nec seuerius velim, nec dissolutius. Quid hac mediocritate gratius, vt non de seueritate sis oneri, nec de familiaritate contemptui? In palatio Papam, domi te patremfamilias exhibe: ament te domestici tui, si non, facito vt timeant. Vtilis semper custodia oris, quæ tamen affabilitatis gratiam non excludat. Ergo vbique frenanda est lingua præceps, maxime autem in conuiuio: ille conuenientior habitus si tu actu quidem seuerus sis; vultu serenus, verbo serius. Capellani & qui iugiter diuinis intersunt officiis, non sint sine honore: tuum est tales tibi prouidere, qui digni sunt; seruiatur eis ab omnibus tanquam tibi. Necessaria de manu tua accipiant; his contenti sicut quæ tu prouideris illis, tu vide ne egeant. Super hoc quem forte ab aduentantibus petere deprehendes, iudica Gizitam. Id de hostiariis, id de cæteris officialibus discernendum. Verum hoc ex abundanti, nam formam istam iam olim à te positam recordamur. Quid tuo dignius apostolatu? quid salubrius ad conscientiam, honestius ad famam, vtilius ad exemplum? Optimus canon qui proiicit auaritiam ex calumnia, hoc est, non à conscientia tantum. Libet iam & hunc claudere librum, sed in calce aliqua velim vel antedicta quasi epilogando repetere, vel addere prætermissa. Consideres ante omnia sanctam Romanam Ecclesiam, cui Deo auctore præes, Ecclesiarum matrem esse non Dominam; te vero non Dominum Episcoporum, sed vnum ex ipsis: porro fratrem diligentium Deum & participem timentium eum. De cætero oportere te esse considera, formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranimphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum; linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis. Intellige quæ dico, dabit tibi Dominus intellectum. Vbi malitiæ iuncta potentia est, aliquid tibi supra hominem præsumendum: vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat: timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum non hominem putet: qui te non audierit, auditurum Deum, & contra se paueat. Quod reliquum est, de his quæ supra te sunt, incumbit iam disputatio: quam vno libro Deo iuuante soluere spero, & me pariter absoluere promissione mea.

LIBER QVINTVS.

Libri superiores etsi de consideratione inscribantur, plurimum tamen habent actionis admixtũ; dum res aliquas non considerandas tantum, sed agendas docent vel monent: at qui in manibus modo est, sola in consideratione versabitur. Quæ enim supra sunt, id quod constat, actu non indigent, sed inspectu: non est quod in eis actites, quæ vno modo semper sunt & in æternum. Porro aliqua & ab æterno. Et hoc velim solerter aduertas, vir sagacissime Eugeni, quia totiens peregrinatur consideratio tua; quotiens ab illis rebus ad ista deflectitur inferiora & visibilia, siue intuenda ad notitiam, siue appetenda ad vsum, siue pro officio disponenda vel actitanda. Si tamen ita versatur in his vt per hæc illa requirat, haud procul exulat: sic considerare, repatriare est. Sublimior iste præsentium ac dignior vsus erit, cum iuxta sapientiam Pauli *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur:* sane hac scala ciues non egent,

sed

sed exules. Quod vidit ipse huius sententiæ auctor, qui cum diceret inuisibilia per visibilia conspici, signanter posuit creatura mundi. Et vere quid opus scalis tenenti iam solium? creatura cœli illa est, præsto habens per quod potius ista intueatur. Videt Verbum & in Verbo facta per verbum: Nec opus habet ex his quæ facta sunt, factoris notitiam vendicare. Neque enim vt vel ipsa nouerit ad ipsa descendit, quæ ibi illa videt vbi longe melius sunt quam in seipsis: vnde nec medium requirit ad ea corporis sensum, sensus ipsa sibi, seipsa sentiens. Optimum videndi genus, si nullius egueris, ad omne quod nosse libuerit te contentus: alioquin iuuari aliunde, obnoxium fieri est. Minus à perfecto istud, & minus liberum. Quid quod & inferioribus eges? nonne præposterum hoc & indignum? Plane superiorum quædam iniuria est inferiorum operam desiderare, à qua iniuria nemo hominum perfecte vindicabitur; nisi cum quisquam euaserit in libertatem filiorum Dei. Nempe *erunt hi omnes docibiles Dei* & nulla interueniente creatura solo beati Deo. Repatriasse erit hoc, exisse de patria corporum in regione Spirituum. Ipsa est Deus noster maximus spiritus, maxima mansio spirituum beatorum; & ne quid hic vsurpet carnis sensus, seu imaginatio: veritas est, sapientia est, virtus, æternitas, summum bonum. Vnde interim absumus, & vbi sumus vallis est, & vallis lacrymarum: in qua sensualitas regnat, & consideratio exulat: in qua libere quidem & potestatiue se exerit sensus corporeus; sed intricatus caligat oculus spiritalis. Quid igitur mirum si ope indigenæ aduena indiget? Et felix secundum tempus viator, qui ciuium beneficium, sine quo transire non potest, in obsequium conuertere potuit: vtens non fruens, vrgens non petens, exactor non supplex. Magnus ille qui vsum sensuum quasdam veluti ciuium opes expendere satagit, dispensando in suam & multorum salutem. Nec ille minor, qui hunc sibi gradum ad illa inuisibilia philosophando constituit: nisi quod hoc dulcius, illud vtilius; hoc felicius, illud fortius esse constat. At omnium maximus, qui spreto ipso vsu rerum & sensuum, quantum quidem humanæ fragilitati fas est: non ascensoriis gradibus, sed inopinatis excessibus auolare interdum contemplando ad illa sublimia consueuit. Ad hoc vltimum genus illos pertinere reor excessus Pauli: excessus, non ascensus. Nam raptum potius fuisse, quam ascendisse ipse se perhibet. Inde est quod dicebat: *siue mente excedimus Deo.* Porro hæc tria ita contingunt, cum consideratio etsi in loco peregrinationis suæ, virtutis studio & adiutorio gratiæ facta superior sensualitatem aut premit ne insolescat, aut cogit ne euagetur, aut fugit ne inquinet: in primo potentior, in secundo liberior, in tertio purior. Puritatis siquidem & alacritatis pariter alis, fit ille volatus. Vis tibi has considerationis species propriis distingui nominibus? Dicamus si placet primam dispensatiuam, secundam æstimatiuam, tertiam speculatiuam. Horum nominum rationes, diffinitiones declarabunt: dispensatiua est consideratio, sensibus sensibilibusque rebus ordinate & socialiter vtens ad promerendum Deum. Æstimatiua est consideratio prudenter ac diligenter quæque scrutans & ponderans ad vestigandum Deum. Speculatiua est consideratio, se in se colligens & quantum diuinitus adiuuatur rebus humanis eximens ad contemplandum Deum. Puto vigilanter aduertis aliarum hanc esse fructum, cæteras si non referantur ad istam, quod dicuntur videri posse, sed non esse. Et prior quidem absque intuitu huius, multa serit, & nihil metit: sequens vero nisi ad istam se dirigat, vadit sed non euadit. Ergo quod prima aptat, secunda adorat, tertia gustat: ad quem tamen gustum perducunt & cæteræ etsi tardius, nisi quod prima laboriosius, secunda quietius peruenitur. Dixisti inquis satis qua ascendatur, & iam quo dicere habes: falleris si id speras, ineffabile est. Tu me existimas loqui quod oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non ascendit? *nobis*, inquit, *reuelauit Deus per spiritum suum*: ergo quæ supra sunt non verbo docentur, sed spiritu reuelantur. Verum quod sermo non explicat, consideratio quærat, oratio expetat, mereatur vita, puritas assequatur. Sane eorum admonitus quę supra sunt, non te existimes mitti à me suspicere solem, lunam, stellas, non ipsum firmamentum, non aquas quæ super cœlos sunt: ista siquidem omnia etsi supra loco, precio infra sunt & dignitate naturæ; sunt enim corpora. Tui portio spiritus est, quo superius quippiam frustra quęris quod non sit spiritus. Porro spiritus est Deus, sunt & Angeli sancti, & hi supra te: sed Deus natura, Angeli gratia superiores sunt. Vnum siquidem tui & Angeli optima, ratio est: Deus vero non sui aliquod optimū habet, vnum optimum totus. Is & qui cum eo sunt beati Spiritus, tribus modus veluti viis totidem, nostra sunt consideratione vestigandi, opinione, fide, intellectu. Quorum intellectus rationi innititur, fides auctoritati; opinio sola veri similitudine se tuetur. Habent illa duo certam veritatem, sed fides clausam & inuolutam, intelligentia nudam & manifestam: cæterum opinio certi nil habens, verum per verisimilia quærit potius quam apprehendit: Omnino in his cauenda confusio, ne aut incertum opinionis fides figat; aut quid firmum fixumque est fidei, opinio reuocet in quæstionem. Et hoc sciendum, quia opinio si habet assertionem, temeraria est; fides si habet hæsitationem infirma est. Item intellectus si signata fidei tentet irrumpere, reputatur effractor, scrutator maiestatis. Multi suam opinionem intellectum putauerunt, & errauerunt: & quidem opinio potest putari intellectus, intellectus non opinio potest. Vnde hoc accidit? profecto quia hæc falli & fallere potest: aut si falli potuit, intellectus non fuit, sed opinio. Verus nempe intellectus certam habet non modo veritatem, sed notitiam veritatis intellectus est rei. Possimus hæc singula hic ita diffinire; fides est voluntaria quædam & certa prælibatio nec dum propalatæ veritatis. Intellectus est rei cuiuscunque inuisibilis certa ac manifesta notitia. Opinio est

quasi pro vero habere aliqd, q̄ falsum esse nescias. Ergo vt dixi fides ambiguũ non habet, aut si habet fides nõ est, sed opinio. Quid igitur distat ab intellectu? nempe q̄ etsi non habet incertum nõ magis quam intellectus, habet tamen inuolutũ, quod non intellectus. Deniq; quod intellexisti, non est de eo quod vltra quæras: aut si est, nõ intellexisti. Nil autẽ malumus scire, quam quæ fide iam scimus nil supererit ad beatitudinẽ, cum quæ iam certa sunt nobis, erũt æque & nuda. His ita expeditis, age iam dirigatur consideratio in ea quæ sursum est Hierusalẽ mater nostra, ac totis tribus memoratis viis caute & vigilãter inuestigemus inuestigabilia, quatenus tamẽ licet, vel magis quatenus nobis donabitur. Et primo quidẽ ciues spiritus esse illic, potentes, gloriosos, beatos, distinctos in p̄sonas, dispositos in dignitates, ab initio stantes in ordine suo, perfectos in genere suo, corpore æthereos, immortalitate p̄petuos, impassibiles non creatos, sed factos, id est gratia non natura, mente puros, affectu benignos, religione pios, castimonia integros, vnanimitate indiuiduos: pace securos, à Deo conditos, Dei laudibus & obsequiis deditos. Hęc omnia legendo cõperimus fide tenemus: quanquã de corporibus horũ non modo vnde sint, sed an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorũ. Vnde si quis inter opinabilia magis id ponendũ censuerit, non contendo. Porro intellectu præditos, non fide, nõ opinione, sed intellectu capimus, quia non possunt huius expertes, & Dei simul participes esse. Sunt & nomina quædã nota nobis similiter ex auditu, p̄ quæ harum beatitudinũ (etiam quæ non liquido mortaliũ percepit auditus) officia, merita, gradus, ordines, vtcunq; à nobis coniici & discerni queunt. Sed enim quod ex auditu non est, iam nõ ex fide: nam *fides ex auditu*. Itaq; opinando ista dixerimus; ad quod enim cœlestia nomina innotuerunt, si ne opinari quidã salua fide aliquid licet, de rebus quarum nomina sunt? Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubin, Seraphin: hæc nomina; quæ significatio eorũ? nulla ne inter illos spiritus simpliciter Angeli, & eos q̄ Archangeli nuncupantur distantia? quid ergo sibi vult gradalis distinctio hæc? Putemus Angelos dici (nisi tu conuenientius aliquid considerasti) q̄ singuli singulis hominibus dati creduntur, missi in ministeriũ secundum Pauli doctrinã; propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. De quibus Saluator: *Angeli eorũ semper vident faciem Patris*. Putemus his præesse Archangelos, qui conscii mysteriorum diuinorũ non nisi ob præcipuas & maximas causas mittuntur: è quibus magnus ille Archangelus Gabriel missus legitur ad Mariam, ob causam vtiq; quæ maior esse non potuit. Putemus super istos virtutes esse, quorũ nutu vel opere signa & p̄digia in elementis siue ex elementis facta apparent, ad cõmonitionẽ mortaliũ. Inde est fortassis q̄ cum in Euangeliis legas: *erunt signa in Sole & Luna, & stellis*; paulò post habes; *nam virtutes cœlorũ mouebuntur*. Hi nimirũ spiritus per quos signa fiunt. Putemus potestates superiores istis, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, & coercetur malignitas aeris huius, ne quantũ vult noceat, ne malignari nisi vt prosit possit. Putemus principatus his quoq; prælatos, quorum moderamine & sapientia omnis in terris principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, mutilatur, mutatur. Putemus dominationes adeo cunctis supereminere præfatis ordinibus, vt respectu horũ cæteri videantur omnes administratorii spiritus, & ad istos tanquã ad Dominos referri regimina principatuũ, tutamina potestatum, operationes virtutum, reuelationes Archangelorum, curam & prouidentiã Angelorum. Putemus thronos alto etiam ab his euolasse recessu, qui ex eo quod sedent throni dicuntur: & ex eo sedent, q̄ sedet in eis Deus: Neq; enim sedere in eis, qui non sederent possit. Quæris quid illam sentiam sessionẽ? Summam tranquillitatem, placidissimam serenitatẽ, pacem quæ exuperat omnẽ intellectũ. Talis est qui sedet in thronis Dominus Sabaoth, iudicans omnia cum tranquillitate: placidissimus, serenissimus, pacatissimus. Et tales sibi cõstituit thronos simillimos sibi. Putemus Cherubin ex ipso sapientiæ fonte ore altissimi, haurientes & refundẽtes fluenta scientię vniuersis ciuib' suis. Et vide ne is sit quẽ Propheta loquebatur, *fluminis impetus lætificans ciuitatẽ Dei*. Putemus Seraphin, spiritus totos diuino igne succensos, succẽdere vniuersa, vt singuli ciues, singulę sint lucernæ ardentes & lucentes: ardentes charitate, lucentes cognitione. O Eugeni quã bonum est hic esse, quã fore melius; si quando tamen toti sequamur quo ex parte præcessimus. Præcedimus animo, & ne ipso quidẽ toto, sed parte; & parte modica nimis. Affectus iacent mole corporea prægrauati, & luto hærentibus desideriis; sola interim arida & tenuis consideratio præuolat: & tamen ex tantillo q̄ iam datur, libet exclamare: *Domine dilexi decorẽ Domus tuæ, & locũ habitationis gloriæ tuæ*. Quid si totam se colligat anima, & reductis affectibus è cunctis locis quibus captiui tenentur, timendo quæ nõ obsunt, amando quæ non decet, dolendo vane, gaudendo vanius, cũ his ineat tota libertate volatũ, pulset cũ impetu spiritus; & in pinguedine gratiæ illabatur? Nõne cum cœperit circuire lucidas mansiones & sinũ illum etiã Abrahæ curiosius perscrutari, & sub altari quodcunq; illud est martyrũ reuisere animas, in prima stola secundam patientissime expectantes, multo magis tunc instabit loquens cum propheta: *vnã petii à Domino, hanc requirã, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Quidni ibi videatur Dei? quidni ibi p̄betur quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta? bona in se, placens in effectibus, bñe placens fruenti bus, p̄fecta perfectis & nihil vltra quærẽtibus. Patent viscera misericordiæ patent cogitationes pacis, diuitiæ salutis, mysteria bonæ voluntatis, benignitatis arcana, quę clausa mortalibus etiam ipsis electis suspecta sunt. Id quidem salubriter ne desinant timere, dum necdũ digne amare idonei inueniuntur. Cernere est in his q̄ Seraphin appellatur quomodo amet, q̄ vnde amet, non habet: sed est, & qui nihil horum quæ fecerit odit; quos saluandos fecit, quomodo foueat, quomodo p̄uehat, quomodo amplexetur, quomodo delicta electæ iuuentutis & paleas ignorantiarum eius ignis ille consumens, ipsam sibi purgatissimã & suo amore dignissimam reddat. Cernere est in Cherubin, qui plenitudo scientię dicitur, Deum scientiarum Dominum esse, qui solus

solā nesciat ignorantiā, qui *totus sit lux, & tenebræ in eo nō sint vllæ*, totus sit oculus, & q minime aliquādo fallitur, quia minime clauditur; q extra se non quærat lumē cui admoueatur vt videat, ipse qui videt, ipse vnde videt. Cernere est in thronis quā non suspectus omni innocentiæ iudex, sedeat in his q circumueniri nolit circumueniri nō possit, quippe sit amans & videns: nec vacat sessio, tranquillitas insigne est. De vultu tali iudiciū meū pdeat opto; cui insit amor, error absit, absit & perturbatio. Cernere est in Dominationibus, quantæ sit Dominus maiestatis, cuius nutu imperiū constat & imperio vniuersitas atq; æternitas termini sunt. Cernere est in Principatibus, principiū ex quo omnia, & quomodo à cardine ostiū; sic ab ipso regi vniuersitatē. Cernere est in Potestatibus, quam potestatiue idē Princeps quos regit, protegit; contrarias potestates arcens & ppulsans. Cernere est in Virtutibus, vnā vbiq; æqualiter presto esse virtutē, p quam omnia, viuificam efficacem, inuisibilē, immobilemq;, omnia tamen mouentē vtiliter, tenentem fortiter: Quæ cum in minus vsitata effecta apud mortales eruperit, miracula siue prodigia vocant. Cernere postremo & mirari est in Angelis & Archangelis veritatem atq; experientiā vocis illius, quoniam ipsi cura est de nobis, qui talium nos & tantorū non desinit iocundare visitationibus, instruere reuelationibus, suggestionibus commonere, sedulitate solatiari. Hæc omnia contulit illis spiritibus ipse qui condidit illos, vnus atq; idē summus spiritus, diuidens singulis prout voluit, hæc operatur in illis, hæc dedit operari & illis, sed aliter. Ardent Seraphin, sed igne Dei, vel potius igne Deo: quod præcipuū est in eis, amant; sed non quantum Deus, nec quomodo. Lucent Cherubin & scientia eminent, sed participio veritatis; ac per hoc non vt veritas, nec quantū. Sed throni, sed insidentes beneficio: iudicant & ipsi cum tranquillitate, sed non ad mensurā modumve pacis pacantis, pacis quæ exsuperat omnem sensum. Dominantur Dominationes, sed sub Domino dominantur, sed seruiunt pariter: quid hoc ad summum, sempiternum, singulareq; Dominiū? Præsunt Principatus & regunt, sed reguntur & ipsi, ita vt regere iam non norint, si regi desierint. Præcellit in Potestatibus fortitudo, sed cui debent q fortes sunt; & aliter est fortis & plus: nec tā fortis quam ipsa fortitudo. Virtutes pro suo ministerio & potentatu satagunt excitare corda torpentia hominum, innouatione signorum: virtus vero in eo manens ipsa facit opera; faciunt & illæ, sed in cōparatione eius non faciunt. Deniq; tantū interest, vt quasi singulariter Propheta dicat ad eum: *Tu es Deus qui facis mirabilia.* Et idem de eo: *qui facit mirabilia magna solus.* Adsunt Angeli & Archangeli, sed ille germanior nobis, qui non modo adest, sed inest: quia si dicas posse inesse & Angelum, nō inficior; memini scriptum: *& Angelus qui loquebatur in me.* At qui differentia & in hoc. Inest Angelus suggerens bona, nōn ingerens: idem hortans ad bonū, non bonū creans. Deus sic inest vt efficiat, vt infundat, vel potius vt infundatur & participetur: ita vt vnum perinde cū nostro spiritum esse dicere quis nōn timuerit, etsi nōn vnā personam, vnamve substantiā. Habes enim, qui adhæret Deo vnus spiritus est: Angelus ergo cū anima, Deus in anima: ille contubernalis animæ inest, Deus vt vita. Itaq; sicut anima videt in oculis, audit in auribus, odorat in naribus, in faucibus gustat, tangit in toto reliquo corpore: sic Deus diuersa in diuersis spiritibus operatur: verbi gratia, in aliis amantē se exhibens, in aliis agnoscentē, in aliis alia facientē; sicut *vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad vtilitatē.* Quis est iste tā communis in vocibus, tam longe in rebus? quomodo quē nostris loquimur verbis in sua reconditus maiestate nostros penitus & aspectus effugit, & affectus? Audi ipsum qui loquatur hominibus: *sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Dicimur amare, & Deus: dicimur nosse, & Deus: & multa in hunc modum. Sed Deus amat vt charitas, nouit vt veritas, sedet vt æquitas, dominatur vt maiestas, regit vt principium, tuetur vt salus, operatur vt virtus, reuelat vt lux, assistit vt pietas: quæ omnia faciunt & Angeli, faciamus & nos, sed longe inferiori modo, non vtiq; bono quod sumus, sed quod participamus. Nunc iam transi spiritus istos, si forte cum sponsa dicere possis & tu: *paululū cum pertransissem eos inueni quem diligit anima mea.* Quis est? non sane occurrit melius, quam qui est: hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit dicente Moyse ad populum ipso quidē iniungente: *qui est misit me ad vos.* Merito quidem, nil competentius æternitati, quæ Deus est: si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quicquid tale de eo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, est. Nempe hoc est ei esse, quod hec omnia esse: si & centum talia reddas, non recessisti ab esse; si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti. Iam si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse; nonne in comparatione huius quicquid hoc non est, iudicas potius nō esse, quam esse? Quid item Deus? sine quo nihil. Tam nihil esse sine ipso, quā nec ipsi sine se potest: ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodo solus est ipse, qui suū ipsius est & omniū esse. Quid est Deus? *principium.* Et hoc ipse de se responsum dedit: multa in rebus dicuntur principia, sed respecta posteriorū; alioquin si ad aliquid præcedens respicias, ipsum potius principiū dabis. Quamobrē si quæras verū simplexq; principium, inuenias oportet quod principiū non habuerit; ex quo vniuer[illegible] pfecto minimo cœpit. Nā si cœpit, aliunde cœperit necesse est; à se enim cœpit ni[illegible] putauerit, quod non erat dare sibi potuisse vt esse inciperet, aut fuisse aliquid, än[illegible]od vtrumq;, quia ratio non consentit, constat nihil sibimet extitisse principiū: quod [illegible] habuit, primum non fuit; verum ergo principium nequaquā cœpit, sed totum [illegible] Quid est Deus? cui secula nec accesserunt, nec decesserunt, nec coæterna tamē. Quid est Deus? *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*: ex quo omnia creabiliter, non seminabiliter: per quem omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute: ex quo omnia, tanquam vno principio auctore omnium. Per quem omnia, ne alterum inducatur principium, artifex: in quo omnia, ne tertium inducatur, locus: ex quo omnia, nō de quo; quia non est materia Deus; efficiens causa est, nō materialis: Frustra Philosophi materiā quærunt; non eguit materia Deus, non enim officinam quæsiuit; non artificem

tificem: ipse per se omnia fecit: vnde? de nihilo. Nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nõ omnia. Absit vt de sua incorrupta incorruptibiliq; substantia tam multa fecerit, & si bona, corruptibilia tamẽ. Quæris si in ipso omnia, vbi ipse? nihil non minus inuenio: quis capiat locus? quæris vbi non sit? ne hoc quidem dixerim, quis sine Deo locus? Incomprehensibilis est Deus, sed nõ parum apprehendisti, si hoc tibi de eo compertũ est, ꝙ nusquam sit, qui non clauditur loco: & nusquam tamẽ non sit, q non excluditur loco. Suo autem sublimi atq; incomprehẽsibili modo, sicut omnia in ipso, sic ipse in omnibus est. Deniq; sicut ait Euangelista, *in mundo erat*: alias vero vbi erat antequam mundus fieret, ibi est. Non est ꝙ quæras vltra vbi erat: propter ipsum nihil erat, ergo in se ipso erat. Quid est Deus? quo nihil melius cogitari potest. Si approbas, non oportet assentiaris esse aliquid quod Deus sit, & ꝙ Deus non sit; hoc enim sine dubio melius. Quomodo non melius Deo, si Deus non est, ꝙ dat Deo vt sit? at melius illam diuinitatẽ qua dicunt Deum esse, non aliud quam Deũ esse fatemur. Non est ergo in Deo, nisi Deus. Quid, inquiunt, negas Deum habere diuinitatẽ? non, sed quod habet, hoc est. Negas diuinitatẽ Deum esse? non, sed non alia quam quæ ipse est: aut si tu aliã inuenisti, adiuuet me Trinitas Deus, aduersus illam tota me contumacia erigo. Quaternitas orbẽ disterminat, non signat Deitatẽ. Deus Trinitas est, Deus triũ singula personarum: si quartam diuinitatem adiicere placet, interim ego hanc quæ Deus non est, persuasi mihi minime adorandũ; puto quod & tu: nempe *Dominum DEum tuum adorabis, & illi soli seruies*. Gloriosa vero diuinitas, quæ sibi honorem non audeat arrogare diuinum: at melius quartũ hoc omnino respuimus, quã sine honore recipimus. Multa dicũtur esse in Deo, & quidem sane catholiceq; ; sed multa vnũ: alioquin si diuersa putemus nõ quaternitatem habueris, sed centenitatem. Verbi causa, dicimus magnũ, bonum, iustum, & innumera talia: sed nisi omnia vnũ in Deo, & cum Deo, consideres, habebis multiplicem Deum. Mihi vero non deest, quod cogitẽ melius eiusmodi Deo tuo: quæris quid? mera simplicitas. Vero iudicio, natura simplex multiplici antefertur: scio quod ad id respondere solent; non multa, inquiunt, sed vnam tantũ diuinitatem, quæ omnia illa sunt, Deo vt sit conferre asserimus. Asseritis ergo, etsi non multiplicem, duplicem Deum: & non ad merum simplex peruenistis, neq; ad id, quo melius cogitari non potest. Tam non est simplex, quod vel vni fuerit obnoxium formæ; quã nec virgo, vel vni cognita viro. Securus loquor, ne is quidem qui vel duplex est erit meus: habeo enim meliorẽ. Esto quod hunc numeroso & multiplici anteponam, sed plane præ simplici sperno. Meus Deus ipse catholice est, tã non habet hoc & illud; quam non hæc & illa: est qui est, non quæ est; purus, simplex, integer, perfectus cõstans sibi, nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se, nihil ex se deponens in eis, non habens quod ad numerum diuidat, non quæ colligat ad vnum; vnum quippe est, sed non vnitum. Non partibus constat vt corpus, non affectibus distat vt anima, non formis substat vt omne ꝙ factum est. Sed neq; formæ, vt istis visum est; magna laus videlicet Deo, vt se ab informitate vendicet, forma vna esse contentum: hoc est dicere, cætera pluribus, Deum non nisi vni debere quod est: Quid? cuius beneficio sunt quæ sunt, ipse pro suo esse alterius beneficio inclinabit? Laus ista, vt vulgo dicitur, blasphemiam valet. An non pluris est nullo indigere, quam vno? Habe reuerentiam Deo, vt quod pluris est illi tribuas: si cor tuum vsq; huc ascendere potuit, Deum tuũ infra quomodo collocabit? Ipse sibi forma, ipse sibi essentia est. In hoc interim gradu suspicio illum, & si aliter potior appareret, illum potius darem. Nunquid verendum ne cogitatio transuolet illum? Quantumcunq; in altum proficiat, vltra est: infra quod cogitare possit, altissimũ quærere, ridiculum est; statuere impium. Vltra non citra quærendus est, ascende si adhuc potes ad cor altius, & exaltabitur Deus: non est formatus Deus, forma est: non est affectus Deus, affectio est: non est compositus Deus, merum simplex est. Et vt liquido noueris quid simplex dicã, idem quod vnum: tam simplex Deus, quam vnus est: est autem vnus & quomodo aliud nihil; si dici possit, vnissimus est. Vnus est Sol, quod non sit alter, vna Luna, quod æque altera non sit: atq; id quidẽ Deus, sed solus. Quid plus? vnus est etiam sibi. Et hoc vis tibi declarari? idem est semper & vno modo. Non sic vnus Sol, non sic vna Luna; clamat vterque non esse se vnum sibi: ille motibus, illa & defectibus suis. Deus autem non modo vnus sibi, & in se vnus est: nihil in se, nisi se habet; non ex tempore alterationem habet, non in substantia alteritatem. Hinc de eo Boetius, *hoc vere vnum in quo nullus est numerus, nullum in eo aliud præter id quod est*: neq; enim subiectũ fieri potest, forma enim est. Compara huic vni omne quod vnum dici potest; & vnum non erit: Trinitas est tamen Deus. Quid ergo destruimus quod dictũ est de vnitate, quia inducimus Trinitatẽ? Non, sed statuimus vnitatẽ: dicimus Patrem, dicimus Filiũ, dicimus Spiritum sanctum; non tamen tres Deos, sed vnum. Qui sibi vult iste, vt sic loquar, absq; numero, numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si vnum, vbi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerẽ, & quid non numerem: substantia vna est, Personæ tres sunt. Quid mirum, quid vel obscurum in hoc? nihil si personæ seorsum à substantia cogitentur: nunc vero cum tres personæ illa substantia sint, & illa vna substantia tres illæ personæ, quis numerum neget? nam vere tres sunt. Quis numerat tamen? nam vere vnum sunt. Aut si tu facile explicatu id putas dicendo tres: dicito quid numerasti? Naturas? vna est. Essentias? vna est. Substantias? vna est. Deitates? vna est. Non hæc, sed personas numero, inquis, quæ non sint illa vna natura, illa vna essentia, illa vna substantia, illa vna diuinitas? Catholicus es, minime hoc dabis. Personarum proprietas, non aliud quam personas; ipsasq; non aliud quam vnum Deum, vnam diuinam substantiã, vnam diuinam naturam, vnam diuinam & summã maiestatem, catholica confitetur. Numera ergo, si potes, aut sine substantia personas, quæ ipsa sunt; aut sine personis proprietates, quę ipsæ sunt. Aut si diuidere quis conetur vel personas à substantia, vel proprietates à personis; nescio quomodo Trinitatis se profiteri cultorem possit, quia in tantam rerum numerositatem excesserit.

Dica-

Dicamus itaq; tres, sed non ad præiudicium vnitatis: dicamus vnum, sed non ad confusionem Trinitatis. Neq; enim nomina vacua sunt, nec absq; significantia cassæ voces, Sabellianum hoc. Quærit quis, quomodo hoc ꝙ Catholice esse dicimus, possit esse? sufficiat ei tenere sic esse. Atq; hoc non rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguũ; sed fidei persuasum. Sacramentum hoc magnũ est, & quidem venerandum, non scrutandũ: quomodo pluralitas in vnitate; aut ipsa in pluralitate? scrutari hoc teneritatis est, credere pietas est, nosse vita, & vita æterna est. Vnde si operæ precium censes ô Eugeni, percurrat iã consideratio multa vna, quo eminentia huius singularis vnius, fiat euidentior. Est vnitas quæ collectiua potest dici, cũ, verbi causa, multi lapides faciunt aceruũ vnum: & est vnitas constitutiua, cũ multa membra vnum corpus, vel multæ partes vnum quodcunq; totũ constituunt. Est & coniugatiua, qua fit vt duo iã non duo sint, sed vna caro. Et est natiua, qua anima & caro vnus nascitur homo. Est vnitas potestatiua, qua homo virtutis, non instabilis, non dissimilis, sed vnus sibimet semper nititur inueniri. Est consentanea, cum per charitatẽ multorum hominũ est cor vnum & anima vna. Est & votiua, cũ anima votis omnibus adhærẽs Deo vnus spiritus est. Est & dignatiua vnitas, qua limus noster à Dei verbo in vnã assumptus est personam. Verũ hæc omnia quid ad illum summum, atq; (vt ita dicam) vnice vnum, vbi vnitatem consubstantialitas facit? huic vni quoduis illorũ si assimiles, erit quoq; modo vnum: si compares, nullo. Igitur inter omnia quæ recte vnum dicuntur, arcem tenet vnita trinitatis, qua tres personæ vna substantia sunt. Secundo loco illa præcellit, qua è conuerso tres substantiæ vna in Christo persona sunt. Porro hæc & quæcunq; alia dici vna possunt, summæ illius vnitatis imitatione (non cõparatione) vna appellari vera sobriaq; probat consideratio. Nec abducimur ab hac vnitatis professione assertione trium, cum in hac trinitate non recipiamus multiplicationem, sicut nec solitudinẽ in vnitate. Quamobrẽ cum dico vnũ, non me trinitatis turbat numerus, qui essentiã non multiplicat, nõ variat, nec partiatur. Rursum cũ dico tria, nõ me arguit intuitus vnitatis, q illa quæcunq; tria, seu illos tres, nec in confusionem cogit, nec in singularitatẽ redigit. Idem me sentire fateor & de illa vnitate, cui secundam ab ista inter cætera vna honorẽ dedi: dico in Christo verbum, animã, & carnem sine confusione essentiarum vnam esse personam, & item absq; præiudicio personalis vnitatis in sua numerositate manere. Nec negauerim hanc ad illud quoq; genus vnitatis pertinere, qua anima & caro vnus est homo. Decuit quippe familiarius similiusq; cũ hominis conuenire constitutione, quod pro homine constitutum est Sacramentũ: decuit & cum summa quæ in Deo est, & Deus est, vnitate congruere, vt quomodo ibi tres personæ vna essentia; ita hic cõuenientissima quadã contrarietate tres essentiæ sint vna persona. Videsne pulcre inter vtramq; vnitatẽ hanc collocari, in eo vtiq; q constitutus est mediator Dei hominisq;, homo Christus Iesus? Pulcherrima, inquã, conuenientia, vt salutare sacramentum congrua quadam similitudine ambobus respondeant, & saluanti videlicet & saluato. Ita hæc vnitas duarũ consistens media vnitatũ, alteri succumbere, alteri præeminere cognoscitur, quantũ superiore inferior, tantũ inferiore superior. Tãtam deniq; tamq; expressam vnionis vim in se præfert ea persona, in qua Deus & homo vnus est Christus, vt si duo illa de se inuicẽ prædices; nõ erraueris, Deũ videlicet hominẽ, & hominem Deum, vere Catholiceq; ꝓnuncians. Non autẽ similiter vel carnem de anima vel animam de carne, nisi absurdissimo prędicas: etsi similiter anima & caro sit homo. Nec mirum si non æque potis anima sit sua illa vitali, etsi non parũ valida intentione connectere atq; suis affectibus astringere sibi carnẽ; vt sibi diuinitas hominẽ, illum qui prædestinatus est, filius Dei in virtute. Longa cathena & fortis ad stringendum diuina prædestinatio, ab æterno est enim. Quid longius æternitate? qd diuinitate potentius? inde est ꝙ nec morte incidente vllaten' interdici vnitas hæc potuit, etsi carne & anima ab inuicẽ separatis. Et fortassis hoc sensit ille, qui se *indignũ* professus est *soluere corrigiã calceamenti huius*. Sed & illa tria sata de Euangelio mixta & fermentata in panem vnum, si quis ad hæc tria dixerit pertinere, nõ incongrue id mihi facere videbitur. Quã bene illa mulier fermentauit, vt nec diuisione quidẽ facta carnis & animæ, à carne vel anima verbũ diuidetur. Mansit & in separatione inseparabilis vnitas: nec enim quæ ex parte cõtigit separatio potuit vnitati præscribere, permanenti in totis tribus. Siue coniunctis siue disiunctis duobus, nihilominus perseuerauit in tribus vnitas personalis; æque vnus Christus, vnaq; ꝑsona, verbum, anima, & caro, etiam mortuo homine perdurauit. In vtero virginis (vt sentio ego) commixtio hæc fermentatio facta est, & ipsa mulier quæ miscuit & fermentauit. Nam fermentum non immerito fortasse dixerim fidem Mariæ: plane beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea, quæ dicta sunt ei à Domino. Perfecta autem non essent, si quominus iuxta verbum Domini esset fermentatum totum, & perpetuo fermentatum; seruans nobis in morte, quam in vita pariter vnum atq; integrum mediatorem Dei & hominum cum sua Deitate hominem Iesum Christum. Aduertere est in hoc admirabili sacramento iuxta numerum satorum, miræ & decentissimæ distinctionis gradus: nouum, antiquum, æternum. Nouum, animam quæ de nihilo tunc creata creditur, cum infusa: antiquum, carnem quæ à primo vsq; hominum, id est ex Adam, traducta cognoscitur: æternum, Verbum quod ab æterno Patre, coæternum illi, genitum indubitata veritate asseritur. Et in his triplex, si diligenter aduertas, diuinæ potentiæ genus: quod factum sit de nihilo aliquid, de vetusto nouum, æternum beatumq; de damnato & mortuo. Quid hoc ad nostram salutem? multum per omnem modum. Primum quidem quod peccato redacti in nihil, ꝑ hoc quodammodo iterato creati sumus, vt simus initiũ aliquod creaturæ eius. Deinde ꝙ ex vetusta seruitute, in libertatẽ filiorũ Dei translati, in nouitate spiritus ambulamus. Postremo ꝙ de potestate tenebrarũ vocati, ad regnũ claritatis æternæ, in quo iã & sedere nos fecit in Christo. Alieni sint à nobis, qui Christi à nobis carnẽ alienare conantur; nouã creatã in virgine, & nõ de virgine sumtam impie asserentes. Pulchre Propheticus spiritus lõge ante occurrit huic sentẽtiæ, imo blasphemiæ impiorũ: *egredietur*, inquiens,

virga

virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Dixisse poterat, & flos de virga, sed maluit *de radice*, vt vnde virgam, inde florem duxisse originem demonstraret: inde igitur sumpta caro vnde & tota virgo; nec noua virgine, quæ prodiit ex radice. Forte substomacharis, si adhuc pergimus quærere quid est Deus; tum quia totiens iam quæsitū est, tum quia difficilis inuentū iri. Dico tibi Pater Eugeni, solus est Deus qui frustra nunquā quæri potest, nec cum inueniri nō potest. Doceat te hoc experimentum tuū, aut si non, experto credito, non mihi, sed sancto qui ait: *bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te*. Quid ergo est Deus? Quod ad vniuersum spectat, finis: quod ad electionē, salus: quod ad se, ipse nouit. Quid est Deus? Voluntas omnipotens beneuolentissima virtus, lumen æternū, incommutabilis ratio, summa beatitudo, creans mentes ad se participandū, viuificans ad sentiendum, afficiens ad appetendū, dilatans ad capiendū, iustificans ad ꝓmerendum, accendens ad Zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatē, formans ad beneuolentiā, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutē, visitans ad consolationē, illuminans ad cognitionē, ꝑpetuans ad immortalitatē, implens ad felicitatē, circumdans ad securitatē. Quid est Deus? non minus pœna peruersorū, quam humiliū gloria. Etenim rationabilis quædam æquitatis directio incōuertibilis atq; indeclinabilis, quippe attingens vbiq;, cui illisa omnis prauitas, conturbetur necesse est. Quidni in hanc omne timidū vel distortum impingat & cōquassetur? Væ vniuerso quod obuiū forte offenderit, cedere nescia rectitudo; nā & fortitudo est. Quid inquã voluntatibus tam contrariū & aduersum, quam semper conari, impingere semper, & frustra? Væ oppositis voluntatibus, solā suæ ꝓfecto auersionis referentibus pœnam. Quid tam pœnale, quā semper velle ꝙ nunquam erit; & semper nolle, ꝙ nunquam non erit? Quid tam damnatū quam voluntas addicta huic necessitati volendi nolendiq;, vt ad vtrumlibet iā sicut non nisi peruerse, ita non nisi misere moueatur? In æternū non obtinebit ꝙ vult, & quod non vult in æternū nihilominus sustinebit: digne omnino vt qui ad nihil afficitur vnquā ꝙ deceat, ad nihil vnquam quod libeat euadat. Quis hoc facit? rectus Dominus Deus noster, qui & cum ꝑuerso peruertitur, nunquam recto prauoq; conueniet. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, etsi non inuicem lædant: læsio alterius est, absit vt Dei: *durum tibi est*, inquit, *contra stimulū calcitrare*, h.e. non stimulo durū, sed calcitranti. Est & turpium pœna Deus: Lux est enim. Et quid tā inuisum obscœnis flagitiosisq; mentibus? Profecto *omnis qui male agit, odit lucē*. Sed dico, nunquid non poterunt declinare? minime omnino: lucet vbiq; etsi non omnibus. Deniq; *in tenebris lucet, & tenebræ eam non cōprehenderunt*: videt tenebras lux, cui hoc est videre ꝙ lucere, sed non vicissim à tenebris ipsa videtur quia tenebræ eam non cōprehenderunt. Et videntur ergo vt confundantur, & non vident ne consolentur: nec modo à luce, & in luce videntur. A quo, vel à quibus? ab omni vidente, vt ꝓ multitudine intuentiū sit confusio multa. At nullus de tanta numerositate spectantiū molestior oculus, suo cuiusq;: non est aspectus siue in cœlo siue in terra, quē tenebrosa conscientia effugere magis velit, minus possit. Non latent tenebræ vel seipsas, sed vident, quæ aliud nō vident: opera tenebrarū sequuntur illas, nec est quo se abscondant ab illis ne in tenebris quidē. Hic est *vermis qui non moritur*, memoria præteritorū, semel iniectus vel potius innatus ꝑ peccatum hæsit firmiter nequaquā deinceps auellendus: nec cessat rodere conscientiā, eaq; pastus, esca vtiq; inconsumptibili, ꝑpetuat vitam. Horreo vermem mordacē, & mortem viuacē: horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ nunquā perimit, sed semper occidit. Quis det illis semel mori, & nō moriantur in æternū? *qui dicunt montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos*: quid nisi mortē mortis beneficio aut finire, aut euadere volunt? Deniq, *inuocabunt mortē*, ait, *& non veniet*. Intuere id clarius, constat immortalē animā esse nec aliquādo absq; sua memoria viuere, ne non animā aliquando esse contingat: itaq; durante anima, durat & memoria. Sed qualis? fœda flagitiis, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hispida & neglecta. Quæ priora, transierunt & non transierunt; transierunt à manu, sed non mente: ꝙ factum est, factū non esse non potest. Proinde etsi facere in tempore fuit, sed fecisse in sempiternū manet: non transibit cum tempore, ꝙ tempore transit. Internū ergo necesse est cruciet, ꝙ perperam te egisse in æternum memineris. Experiri erit hoc veritatē vocis illius: *arguam te, & statuā contra faciem tuā*. Dominus locutus est, cui omne aduersum, & sibi aduersari necesse est, vt sit sera querela: *O custos quare posuisti me contrariū tibi, & factus sum mihi ipsi grauis?* Ita est ô Eugeni, nō potest Deo esse contrariū quid, & sibimet cohærere: sed qui arguetur à Deo, arguetur & à seipso. Non est sane iam tunc ꝙ aut veritatē dissimulet ratio, aut rationis intuitū anima declinet abrupta membris corporis in sese collecta. Quo enim id valeat, sopitis conclusisq; in morte sensibus, per quos itaq; curiosius exire, & à se ire solebat in eam quæ præterit mundi istius figuram? Vides turpibus nihil deesse ad confusionē; cum ꝓducentur spectaculum fieri, Deo, Angelis, hominibus, sibi ipsis. O quam male mali omnes locati sunt, vtiq; oppositi torrenti huic directæ æquitatis, & huic lumini ꝓpalatæ veritatis expositi. Nonne hoc est ꝑpetuo tūdi, perpetuoq; confundi? *Duplici contritione*, ait ille, *contere eos Domine Deus noster*. Quid est Deus? lōgitudo, latitudo, sublimitas, & ꝓfundum. Quid inquis? tenemus te quaternitatis (quā abominatus est) ꝓfessorem? minime. Abominatus sum, & abominor. Visus sum ꝓtulisse plura, sed vnū est: vnus Deus signatus est ꝓ captu nostro, nō pro suo statu. Diuisus est hic, non ille: voces diuersæ, sed semitæ multæ: sed vnū per eas significatur, vnus quæritur. Non diuisiones substantiæ in quaternario isto expressæ sunt, non diuersiones quales in corporibus intuemur, nō distinctio ꝑsonalis qualē in trinitate adoramus, non numerus ꝓprietatū qualem ꝑsonis ipsis inesse fatemur, etsi nō aliud à personis. Alioquin hoc singulū horum video ꝙ quatuor simul, hæc quatuor ipsa ꝙ singulum est. Nobis autem quia non possumus cū Deo simplicitate contendere, dū contendimus apprehendere vnū, occurrit veluti

quadru-

quadruplicatum. Facit hoc speculum & ænigma per quod solum interim videre datur: cum autem videbimus facie ad faciem, videbimus sicuti est. Nec enim iam tunc fragilis acies mentis nostræ quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus resiliet, dissilietve in suam pluralitatem: colliget se magis, adiuuabit, conformabitq; vnitati illius, vel potius vnitati illi, vt vna vni facies respondeat faciei: nempe similes ei erimus, quia *videbimus eum sicuti est.* Beata visio ad quam merito suspirabit qui ait: *exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Et quia adhuc in quærendo res est, interim ascendamus quadrigam istam, vtpote infirmi & imbecilles indigentes tali vehiculo, si forte vel sic apprehendamus in quo apprehensi sumus, id est, huius ipsius vehiculi rationem. Nam hoc monitum habemus ab ipso auriga, & primo currus huius exhibitore, vel studeamus *comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum. Comprehendere* dixit, non cognoscere; vt non curiositate contenti scientię, tota cura fructui inhiemus. Non in cognitione est fructus, sed in comprehensione: alioquin *scienti bonum & non facienti* (vt ait quidã) *peccatum est ei.* Et ipse Paulus alio loco: *sic currite,* inquit, *vt comprehendatis.* Quid sit *comprehendere* inferius declarabo. Quid igitur est Deus? longitudo, inquam. Quid ipsa? æternitas. Hæc tam longa vt non habeat terminum, non magis loci, quam temporis. Est & latitudo, & ipsa quid? charitas. Quibus & ista terminis angustetur in Deo, qui *nihil odit horum quæ fecerit?* Deniq; *solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos:* ergo & inimicos concludit sinus ille. Ne hoc quoq; contentus, euadit in infinitum: omnem non modo affectionem, sed & cognitionem excedit, adiiciente Apostolo & dicente: *scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Quid plus dicam? æterna est, nisi quod hoc plus forsitan est, quia æternitas est. Vides tantam esse latitudinem quantam & longitudinem? vtinam sic videas non tantam esse, sed ipsam id esse vnam quod alteram; non minus vnam quam duas, nec plus duas quam vnam. Deus æternitas, Deus charitas est; longitudo sine protensione, latitudo sine distensione: in vtroq; pariter locales quidem excepit temporalesq; angustias, sed libertate naturę, non enormitate substantiæ. Tali modo immensus est qui omnia fecit in mensura, & quamuis immensus, hic tamen modus & ipsius immensitatis. Quid item Deus? Sublimitas, & profundum; in altero supra omnia, in altero intra omnia. Liquet in Deitate nusquam claudicare æqualitatem, stare eam vndiq; firmiter, constare immobiliter sibi. Sublime, potentiam; profundum sapientiam eius considera. Ex æquo & ista respondent sibi, dum & sublimitas inattingibilis, & profunditas æque inscrutabilis cognoscatur, Paulo admirante & exclamante: *ô altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ illius?* Libet & nos exclamare cum Paulo, horum vtrumq; intuentes in Deo & cum Deo simplicissimam vnitatem: *ô sapientia potens, attingens vtiq; fortiter: ô potentia sapiens disponens omnia suauiter. Res vna, effectus multiplex, operationesq; diuersæ:* & illa vna res est longitudo propter æternitatem; latitudo, propter charitatem; sublimitas propter maiestatem; profunditas propter sapientiam. Nouimus hæc: num ideo & arbitramur nos comprehendisse? non ea disputatio comprehendit, sed sanctitas, si quo modo tamen comprehendi potest, quod incomprehensibile est. At nisi posset non dixisset Apostolus: vt comprehendamus cum omnibus sanctis. Sancti igitur comprehendunt, quæris quomodo? Si sanctus es comprehendisti & nosti: si non, esto, & tuo experimento scies. Sanctum facit affectio sancta, & ipsa gemina; timor Domini sanctus, & sanctus amor. His perfecte affecta anima, velut quibusdam duobus brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet, & ait, *Tenui eum nec dimittam,* & timor quidem sublimi & profundo, amor lato longoq; respondet. Quid tam timendum quam potestas cui non potes resistere, quam sapientia cui abscondi non potes? Poterat minus timeri Deus, alterutro carens: nunc autem perfecte oportet timeas illum, cui nec oculus deest omnia videns, nec manus potens omnia. Quid item tam amabile quam amor ipse quo amas, & quo amaris? Amabiliorem tamen iuncta æternitas facit, quæ dum non excidit foras mittit suspicionem. Ama igitur perseueranter & longanimiter, & habes longitudinem: dilata amorem tuum vsq; ad inimicos, & latitudinem tenes: esto etiam in omni sollicitudine timoratus, & sublime profundumq; apprehendisti. Aut si mauis quatuor æque tuis diuinis quatuor respodere, facis hoc, si stupes, si paues, si serues, si sustines. Stupenda plane sublimitas maiestatis, pauenda abyssus iudiciorum: feruorem exigit charitas, æternitas perseuerantiam sustinendi. Quis stupet, nisi qui contemplatur gloriam Dei? quis pauet, nisi qui scrutatur profundum sapientiæ? quis feruet, nisi qui meditatur charitatem Dei? quis sustinet & perseuerat in amore, nisi qui æmulatur æternitatem charitatis? nempe æternitatis quandam imaginem perseuerantia præfert. Deniq; sola est cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino: *qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.* Et nunc aduerte in quatuor istis, contemplationis species quatuor: prima & maxima contemplatio est, admiratio maiestatis: hæc requirit cor purgatum, vt à vitiis liberum atq; exoneratum peccatis, facile ad superna leuet; interdum quoq; vel per aliquas morulas, stupore & extasi suspensum, teneat admirantem. Secunda autem necessaria est huic, est enim intuens iudicia Dei; quo sane pauido aspectu dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad sapientiam, humilitatem seruat. Virtutum siquidem bonum quoddam ac stabile fundamentum humilitas: nempe si nutat illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est. Tertia contemplatio occupatur, vel potius otiatur, circa memoriam beneficiorum, & ne dimittat ingratum, sollicitat memorantem ad amorem benefactoris. De talibus dicit Propheta loquens ad Dominum: *memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt.* Eructatio gratiarum actio est. Quarta quæ retro sunt obliuiscens, in sola requiescit expectatione promissorum: quæ cum sit meditatio æternitatis (siquidem quæ promittuntur æterna sunt) longanimitatem alit, & perseue-

H rantia

rantiæ dat vigorem. Puto iam [illegible] est quatuor nostra hæc, quatuor illis Apostoli assignare; dum longitudinem comprehendit meditatio promissorum; latitudinem recordatio beneficiorum; sublimitatem contemplatio maiestatis; profundum inspectio iudiciorum. Quærendus adhuc fuerat qui nec satis adhuc inuentus est, nec quæri nimis potest: at orando forte quam disputando dignius quæritur, & inuenitur facilius. Proinde is sit finis libri, sed non finis quærendi.

Anno Christi. 1206.

EPISTOLA DECRETALIS INNOCENTII III. SVMMI PONTIFICIS ROMANI, EXSCRIPTA EX ANTIQVIS Collectionibus Decretalium publicatis ab ANTONIO AVGVSTINO Episcopo Ilerdensi editis Ilerdæ in Hispania apud Rob. & Ioannem à Villanoua Anno Christi M. DLXXVI. & Lutetiæ apud Sebastianum Cramoisi M. DCIX.

EX *Collectione III. lib. 4. t. 11. tit: Qui filii sunt legitimi, quod in Decretalibus Gregorii IX Papæ est 13. eodem titulo.*

In hac epistola Innocentius Papa *tria dicit maxime notanda pro* Rege, *& Regno FRANCORVM.*

Primo, *quod REX FRANCORVM superiorem in* temporalibus *minime recognoscit, ne ipsum quidem Summum Pontificem.*

Secundo, *quod ipse PONTIFEX declarauit per affinitatem quæ allegabatur inter* Philippum Regem *FRANCORVM, &* Reginam *quam duxerat in matrimonium,* Reginam *illam non REGIS ipsius coniugem* (affinitate p obata) *& per consequens aliam sibi videri legitime copulatam (quod quidem erat notionis Pontificiæ Ecclesiasticæ Christianæ.)*

Tertio, *quod cum* Rex *ipse* Francorum *superiorem in temporalibus minime recognoscat, sine iuris alterius læsione in eo quod ad notionem Pontificiam & Ecclesiasticam pertinebat, submittere se potuerat, in quo forsitan videretur aliquibus quod per se ipsum non tanquam Pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subditis poterat dispensare.*

His tribus nihil simile propositum sibi fuisse testatur Innocentius *PONTIFEX in supplicatione* W. *Montispessulani ab Archiepiscopo Arelatensi oblata, quæ recitatur in illa Decretali Epist.*

Imo valde notandum quod ipse W. *terræ suæ partem ab Ecclesia Magalonensi possidere dicebatur, quam ipse per Sedem Apostolicam temporaliter agnoscebat, vt ex Archiepiscopi assertione dicit PONTIFEX: qui quidem Archiepiscopos fassus fuerat illa Magalonensi Ecclesia mediante* W. *illius Montispessulani terram, aut partem ipsius Pontifici temporaliter subiacere.*

Quod vtrum verum esset, atque ita ab Archiepiscopo pro Nobili Viro W. *supplicante agnosci debuerit, haud liquet aliunde quam ex iis quæ recitat Pontifex in illa Decretali.*

Verum, quidquid in ea scriptum sit, ex declaratione Pontificis ibi expressa constat aliam longe conditionem fuisse, vt adhuc hodie est Regis ac Regni Francorum, *quam illius* W. *& partis terræ quam à Magalonensi Ecclesia tenere dicebatur, vel id fatente Pontifice, qui maximum agnoscit discrimen, dicitque nominatim* Regem Francorum in spiritualibus tantum, W. *autem M.* & in spiritualibus, & in temporalibus *Pontificem & Sedem Apostolicam recognoscere, quod nullus vnquam REX FRANCORVM fecit* in temporalibus, *in quibus DEVM solum habet atque agnoscit superiorem, quippe cuius solius gratia REX est.*

Hæc tria in Epistola ista Decretali declarata faciunt pro veritate Regii status, ac suprema & sacra Maiestate Regis Francorum: *& ideo Galli omnes pii & veri Franci debent istam Epistolam memoriæ commendare.*

EX

EX ANTIQVA DECRETALIVM COLLECTIONE III. LIB. 4. TIT. 12. QVI FILII ſunt legitimi. Cap. 2. quod in vulgatis editionibus eſt 13. c. tit. 17.

INNOCENTIVS III. NOBILI VIRO VV. MONTISPESSVLANI.

PER venerabilem fratrem noſtrum Arelatenſem Archiepiſcopum ad ſedem Apoſtolicam accedentem nobis tua humilitas ſupplicauit, vt filios tuos titulo legitimationis decorare dignaremur, quatenus eis quò minus tibi ſuccederent natalium obiectio non noceret. Quod autem ſuper hoc Apoſtolica ſedes plenam habeat poteſtatem, ex illo videtur, quod cum diuerſis cauſis inſpectis, cum quibuſdam minus legitime genitis, non naturalibus tantum, ſed adulterinis etiam diſpenſauit, ſic ad actus ſpirituales illos legitimans, vti poſſint in Epiſcopos promoueri: ſimilius creditur, & probabilius reputatur, vt eos ad actus legitimare valeat ſeculares: præſertim, ſi præter Romanum Pontificem inter homines ſuperiorem alium non cognoſcant qui legitimandi habeat poteſtatem: Quia cum maior in ſpiritualibus tam prouidentia, quam auctoritas, & idoneitas requiratur, quod in maiori conceditur, licitum eſſe videtur etiam in minori.

Perſimile quoque id videtur poſſe probari cum eo ipſo quod aliquis ad apicem Epiſcopalis dignitatis attollitur, eximitur à paterna poteſtate.

Præterea ſi etiam ſimplex Epiſcopus ſcienter ſeruum alterius in Epiſcopum ordinaret, licet ordinatori ſatisfacere domino iuxta formam canonicam teneretur, ordinatus tamen iugum euaderet ſeruitutis. Videtur ſiquidem monſtruoſum, vt qui legitimus ad ſpirituales fieret actiones, circa ſeculares actus illegitimus remaneret. Vnde cum quo in ſpiritualibus diſpenſatur, conſequenter intelligitur in temporalibus diſpenſatum.

Id autem *in patrimonio Beati Petri libere poteſt Apoſtolica ſedes, in quo & ſummi Principis exequitur poteſtatem.* Cum ergo videtur ex his legitimandi auctoritas non tantum in temporalibus, ſed in ſpiritualibus & penes Romanam Eccleſiam reſidere, vt ſuper hoc filiis tuis gratiam faceremus ob tua, & progenitorum tuorum merita, qui ſemper in protectione Sedis Apoſtolicæ perſtitiſti, humiliter ex parte tua idem Archiepiſcopus requirebat. Videbatur autem ex eo trahere maiorem audaciam poſtulandi; quod non longe petere cogebatur exemplum: Sed in fauorem petitionis huiuſmodi quod nos in cauſa ſimili feciſſe dicebat, poterat allegare. Cum *enim Chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum Illuſtris Chariſſimam in Chriſto filiam noſtram I. Francorum Reginam illuſtrem dimiſerit, & ex alia poſtmodum ſuperducta puerum ſuſcepit, & puellam:* & tu ſimiliter excluſa legitima ſuperduxeris aliam, ex qua filios ſuſcepiſti, ſicut cum filiis *Regis*, eiuſdem, ſic cum tuis credebatur de benignitate ſedis Apoſtolicæ diſpenſandum: *Præſertim cum maior id neceſſitas ſuaderet, & tu nobis ſpecialius ſis ſubiectus:* Siquidem *Rex Francorum* ex inclytæ recordationis *Regina Francorum* olim legitimum ſuſcepit hæredem, *qui ei optatur, & creditur in Regni ſolio ſucceſſurus:* Tu vero ex legitima coniuge maſculum non habens hæredem, qui tibi in deuotione noſtra, & propria hæreditate ſuccedat. Inſuper *cum Rex ipſe in ſpiritualibus nobis ſubiaceat, tu nobis & in ſpiritualibus & temporalibus es ſubiectus,* cum partem terræ tuæ ab Eccleſia Magalonenſi poſſideas, quam ipſam per ſedem Apoſtolicam temporaliter recognoſcit, *quia Magalonenſi Eccleſia mediante nobis idem Archiepiſcopus aſſerebat te temporaliter ſubiacere.* Verum, ſi veritas diligenter inſpicitur, non ſimiles res, ſed valde diſſimilis inuenitur. Nam *Rex* ipſe à prædicta *Regina* per bonæ memoriæ Remenſem Archiepiſcopum Apoſtolicæ ſedis Legatum fuit per ſententiam ſeparatus: Tu vero vxorem tuam à te, ſicut dicitur, temeritate propria ſeparaſti: ipſe quoque prius quam ad eum prohibitio de non contrahendo cum altera perueniſſet, aliam ſuperduxit, ex qua prolem geminam noſcitur ſuſcepiſſe. Sed tu in contemptum Eccleſiæ aliam ſuperinducere attentaſti: Propter quod ipſa in te gladium exercuit Eccleſiaſticæ vltionis. *Præterea Rex ipſe prædictæ Reginæ contra matrimonium impedimentum affinitatis obiecit,* & coram præfato Archiepiſcopo teſtes induxit, cuius ſententia, quia caſſata fuit ſolummodo propter iudiciarium ordinem non ſeruatum, nos ei poſt reſtitutionem *Reginæ* ſuper hoc Venerabilem Fratrem Epiſcopum, & dilectum filium I. titulo ſanctæ Priſcæ Presbyterum Cardinalem cognitores duximus deputandos. Tu vero vxori tuæ nihil, quod diuortium induceret, ſicut aſſeritur, obieciſti: cum etſi fides tua ſit vnum de tribus bonis coniugii, non tamen ipſius violatio coniugale vinculum violaſſet. De filiis ergo *Regis* eiuſdem, vtrum legitimi, vel illegitimi fuerint, quamdiu pendet quæſtio affinitatis obiectæ, poteſt non immerito dubitari. *Nam ſi affinitas fuerit comprobata, prædictam Reginam non eſſe Regis coniugem apparebit*; & per conſequens alia videtur ſibi legitime copulata, & filios ei legitimos perperiſſe. De tuis vero quod ſint legitimi nati, nec tu ipſe proponis, nec vlla præſumitur ratione. *Inſuper cum Rex ipſe ſuperiorem in temporalibus minime recognoſcat, ſine iuris alterius læſione, in eo ſe iuriſdictioni noſtræ ſubiicere potuit & ſubiecit, in quo forſitan videretur aliquibus quod per ſe ipſum, non tanquam pater cum filiis, ſed tanquam Princeps cum ſubditis potuit diſpenſare.* Tu autem *aliis noſceris ſubiacere,* vnde ſine ipſorum forſan iniuria, niſi præſtarent aſſenſum, nobis in hoc ſubdere te non poſſes: *nec eius auctoritatis exiſtis, vt diſpenſandi ſuper his liberam habeas facultatem.* Rationibus his inducti *Regi* gratiam fecimus requiſiti, cauſam tam ex veteri quam ex Nouo Teſtamento trahentes; quod non ſolum in Eccleſiæ patrimo-

niô, ſuper quo plenam in temporalibus gerimus poteſtatem, verum etiam in aliis Regionibus certis cauſis inſpectis temporalem iuriſdictionem carnaliter exercemus: Non quod alieno iuri præiudicare velimus, vel poteſtatem nobis indebitam vſurpare, cum non ignoremus Chriſtum in Euangelio reſpondiſſe; *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*: propter quod poſtulatus, vt hæreditatem diuideret inter duos, *quis*, inquit, *conſtituit me ſuper vos iudicem?* ſed quia ſic in Deuteronomio continetur; *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicium inter portas tuas videris variari, ſurge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniensq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuit illo tempore, quærensq; ab eis qui iudicabunt tibi iudicii veritatem: & facies quæcumq; dixerint, qui præſunt loco, quem elegerint, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſq; eorum ſententiam, nec declinabis ad dexteram vel ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur, & auferes malum de Iſrael.* Sane cum Deuteronomium lex ſecunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur in hoc quod ibi decernitur, vt in Nouo Teſtamento debeat obſeruari. Locus enim quem elegit Dominus, *Apoſtolica ſedes* eſſe cognoſcitur ſic, quod eam Dominus in ſe ipſo lapide angulari fundauit. Cum enim *Petrus* vrbem fugiens exiſſet, volens eum *Dominus* ad locum quem elegerat reuocare, interrogatus ab eo, *Domine* quo vadis? reſpondit, venio Romam iterum crucifigi: quod intelligens pro ſe dictum, ad locum ipſum protinus eſt reuerſus. Sunt autem *Sacerdotes* Leuitici generis fratres noſtri, *qui nobis iure Leuitico in executione Sacerdotalis officii coadiutores exiſtunt*. Is vero ſuper eos Sacerdos ſiue Iudex exiſtit, cui *Dominus*, inquit, in *Petro, quodcumq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*: eius Vicarius, qui eſt Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech conſtitutus à Deo Iudex viuorum, & mortuorum. Tria quippe diſtinguunt iudicia, primum inter ſanguinem, & ſanguinem, per quod *criminale* intelligitur, & *ciuile*. *Vltimum* inter lepram & lepram, per quod Eccleſiaſticum & criminale notatur. *Medium* inter cauſam, & cauſam: quod ad vtrumq;, tam Eccleſiaſticum, quam ciuile: in quibus cum aliquid fuerit difficile, vel ambiguum, ad iudicium eſt *Sedis Apoſtolicæ* recurrendum, cuius ſententiam qui ſuperbiens contempſerit obſeruare, mori præcipitur, & auferri malum de Iſrael, per excommunicationis ſententiam, velut mortuus à communione fidelium ſeparari. Paulus etiam vt plenitudinem poteſtatis exponeret, ad Corinthios ſcribens, ait, *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis ſecularia?* Porro ſecularis officium poteſtatis interdum, & in quibuſdam per ſe, nonnunquam autem & in nonnullis per alios exequi conſueuit. Licet igitur cum filiis ſæpe dicti *Regis Francorum*, de quibus an fuerint legitimi, ab initio dubitabatur, duximus diſpenſandum: quia tamen tam lex Moſaica quam canonica ſobolem ſuſceptã ex adulterio deteſtatur, teſtante Domino, Mamzer & ſpurius vſque in decimam generationem in Eccleſiam non intrabunt. Canone vero vetante tales ad ſacros ordines promoueri: ſecularibus quoq; legibus non ſolum repellentibus eos à ſucceſſione paterna, ſed negantibus ipſis etiam alimenta: ſuperſedendum adhuc duximus petitioni prædictæ, nec ad præſens ſuper hoc tuis precibus annuendum, *donec ſi fieri poterit*, & culpa leuior, & iuriſdictio liberior oſtendatur: licet perſonam tuam ſpecialis dilectionis brachio amplexemur, & in quibus cum Deo & honeſtate poſſumus, ſpecialem tibi velimus gratiam exhiberi.

Anno Christi. 1260.

RADVLPHI DE COLVMNA, CANONICI CARNOTENSIS,

TRACTATVS DE TRANSLATIONE IMPERII.



MVltæ venerationis & ſapientiæ viro, Domino Lamberto de Caſtello, Legum honorabili Profeſſori, ac ſuo Patri chariſſimo; RADVLPHVS de COLVMNA Canonicus Carnotenſis, ſalutem & eius, cui ſeruire regnare eſt, iugiter obſequiis inhærere.

Veſtra nuper dilectio poſtulauit, vt de ſtatu & mutatione Romani Imperii aliqua ſub compendio ſcriberem, per quæ plena de ipſo notitia haberi ſub breuitate ſcripturæ poſſet. Sed, Chariſſime, rem difficilem poſtulaſti; cum non poſſint maria ſine mora luſtrari, nec facile ſit prouinciarum longitudinem in momento tranſcurrere. Sed magna res quidem ſuccinctè à ſapiente interdum proponitur: ſed raro, vel nunquam perfectè ſub anguſtia ſermonis nimia explanatur. Quid autem maius Romano Imperio, ab eo ipſo eius exordio? cuius Imperii geſta magnifica vix multorum ſcriptorum præclara ingenia diſſerere ad plenum potuerunt. Sed quia negare nequeo, quicquid iniungitur, ſincera veſtra dilectione deuinctus: prout rei natura ferre poterit, & ingenii mei ruditas patitur, faciam quod veſtra ſincera charitas cohortatur. Statum enim Romani Impe-

Imperii, Deo dante, ea breuitate describam, vt multiloquium fastidium minime pariat: & nimia breuitas quæ describitur, intelligentiam non excludat. Grate itaq; suscipite præsens meæ dilectioni opusculum: & si quid videritis in ipso corrigendum, prout videbitur vestræ prudentiæ, corrigatis. Valete.

CAP. I.

Romanum Imperium sub duplici significatione scriptores historiarum assumunt. Vno modo, vt sub appellatione Romani Imperii intelligamus ipsius Romanæ vrbis initium, ipsiusque primi dominii licet exigui fundamentum. Vnde sæpius inuenitur, quod Æneas post excidium magnæ Troiæ profugus, per mare Italiam petiit, & in ea Romanum fundauit imperium, in loco vbi nunc est Roma. Qui locus sibi placuit, sementemque Romani generis seminauit. Semenque processu temporis in arborem excellentissimam crescens, per vniuersa mundi climata ramos suæ viriditatis extendit. Creuit siquidem id granum sinapis, & super omnia olera extitit mirabiliter exaltatum: sub cuius vmbra omnia volatilia cœli, omnes reges humani seculi in pacis pulchritudine quiescebant. Romani enim, qui ab Ænea descenderunt, armorum exercitio, disciplina castrorum, vsu militiæ, quiete libertatis, iustitiæ cultu, reuerentia legum, finitimarum gentium amicitia, maturitate consiliorum, grauitate verborum & operum obtinuerunt, vt vniuersum orbem suæ subiicerent ditioni. Romanus enim populus à rege Romulo in Cæsarem Augustum per septingentos annos ita per vniuersum orbem virtuose & potenter arma circuntulit, ita omnia regna mundi propria virtute contriuit, vt qui eius magnifica gesta legunt, non vnius populi, sed totius humani generis facta intelligere arbitrentur. Totque laboribus, tot periculis, fortunaque varia iactatus est, vt constituendo eius Imperium, contendisse simul Romana virtus & fortuna videantur. Alio quidem modo *Romanum Imperium* pro quodam singulari & vniuersali dominio vrbis & orbis assumitur, quod vniuersale dominium dicitur *Monarchia*. Quam Monarchiam cum primus Octauianus Augustus, deinde successores eius præferrent, non vniformiter tenuerunt. Et sub hac appellatione de statu Romani Imperii tractare propono. Imperium Romanum à Iulio Cæsare secundum quosdam, sed verius ab Octauiano Augusto primo Romanorum Imperatore inchoatur. Nam secundum historiæ veritatem, Iulius Cæsar, licet primus fuerit qui arripuit singulare dominium: non tamen fuit Imperator, sed metator Imperii: & idcirco non ponitur in catalogo principum Romanorum. Et vsque ad Constantinum magnum, triginta tres Imperatores & quatuor Cæsares numerantur, qui Romani sedem tenuere imperii. Constantinus magnus septimo anno regni sui imperii, sedem mutauit imperii, ipsam in Orientem transferens, ad Byzantium ciuitatem, quæ nunc Constantinopolis est vocata, & secundum imperialia iura Romæ veteris prærogatiua lætatur. Et ibi sedem imperialem constituit, contentus dominio Orientis. Occidentem vero, scilicet Romam & totam Italiam, & omnia occidentalia regna cum omnibus dignitatibus imperialibus, beato Syluestro tunc Romano Pontifici, eiusque successoribus libere disponere concessit: indignum iudicans religiosus Imperator, ibi terrenum Imperatorem dignitatem & potestatem habere, vbi cœlestis Imperatoris vicarius morabatur. Hoc plane legitur *1. q. distinct. 1. Constantinus*. Clericis vero Romanæ Ecclesiæ tunc seruientibus, ad instantiam beati Syluestri concessit illam dignitatem prærogatiuam atque honorem, quem tunc amplissimi ordo senatus habebat. Hi quoque qui tunc *clerici Romani* vocabantur, vocantur hodie *Cardinales*: sed ante Syluestrum simpliciter *clerici* seu *sacerdotes Romanæ Ecclesiæ* vocabantur, qui quantum ad decorem & dignitatem *titulos* non habebant: sed quantum ad onus, videlicet quantum ad officium prædicandi, martyres sepeliendi, baptizandi, pœnitentias iniungendi, intitulati erant. Hæc enim longe ante Syluestrum à temporibus Cleti & Anacleti, Dionysii, Marcelli, fuerant instituta. Sed tempore Syluestri cœperunt habere titulum dignitatis, & illam prærogatiuam atque decorem, quem Senatus habuit tempore Constantini. Et est aliquantulum aduertendum. Nam Martinus Polonus *in suis Chronicis* dicit: quod sunt quinquaginta duo, videlicet sex Episcopi, viginti octo Presbyteri, & decem & octo Diaconi. Quorum quidam sunt assidentes summo Pontifici, vt Episcopi: qui episcopi, Papæ in solennitatibus assident, & cathedris vtuntur. Quidam sunt assistentes, vt Presbyteri. Quidam vero sunt insistentes, vt Diaconi: insistunt enim ministeriis, ipsi enim Papam induunt, & ei circa altare seruiunt. Sed secundum assignationem titulorum, factam primo per Cletum, postea per Anacletum, & deinde per Marcellum, plures inueniuntur. Sed non est finis faciendi. Nam hoc est & fuit ad initium summi Pontificis. Quod autem beatus Syluester primo instituerit seu nominauerit Cardinales centum, scriptores historiarum dicunt probari per *c. præsul. 2. q. 3.* Ante enim, vt superius dictum, vocabantur *Presbyteri vrbis Romanæ*, vt patet ex *Ecclesiastica historia* Eusebii. Patet etiam per id quod legitur de Nouatiano hæretico, *Presbytero Romanæ Ecclesiæ*, qui aspirans ad summum Pontificatum, promotionem Cornelii Papæ visus est impedire.

CAP. II.

Tenuit quoque Constantinus, eiusque successores Imperatores Romani, pacifice dominium Orientis, vsque ad vigesimum annum Imperatoris Heraclii, tunc omnes populi orientales à dominio Latinorum vniuersaliter recesserunt. Sed quæ causa, propter quam recesserunt, & modus

per quem, communiter ignoratur. Idcirco vtile credidi, & delectabile iudicaui, causam & modum describere, quomodo dicti orientales, se à Græcis & Latinis in dominio & cultu omnino diuiserunt. Causa siquidem, quare orientales iam dicti à dominio Imperii recesserunt, fuit tyrannicus principatus huius Heraclii; Nam post magnam victoriam habitam de Persis, Heraclius Persas & alias orientales nationes nimis crudeli dominatu premebat: propter quod occasionem rebellandi concorditer assumpserunt, & sic ab obedientia prædicta recesserunt. Et quod nunquam ad obedientiam traherentur, contentionem Mahumetis, tunc inter Persas diuitis & potentis, occasionem diuersæ credulitatis & fidei (si fides dici debeat) assumentes, vt ad primum dominium de cætero non redirent: forte à Ieroboam sumentes exemplum, qui decem tribubus ipsum sequentibus diuersum cultum tradidit, ne ad pristinum & debitum Dominium in perpetuum redirent. Idem fecerunt Græci. Cupientes enim ab obedientia Romanæ Ecclesiæ separari: cœperunt secundum diuersum ritum, in Ecclesia ministrare: & sic in tres diuersos errores scienter prolapsi sunt. Omnes enim eorum collegæ, qui conseruant & nutriunt schismata, aut sunt Nestoriani, aut Eutycheti, aut Ariani, aut Iacobitæ, aut Hebraici. Sic factum est de illis populis & nationibus illarum regionum, in quibus præcedens inobedientia & rebellio contigerunt. Exturbato enim Romano Imperio, vt rebellio perseueraret, fecerunt schismata: vt non solum recederent ab Imperio, sed etiam à Christianismo, accipientes quædam communia Moysi & Euangelii, vt patet *in Alcorano*. Et est aduertendum, quod quædam sectæ hæreticorum multum fuerunt familiares Mahumeto Legis Sarracenorum authori, vt sunt Nestoriani, quos Mahumetus commendat & honorat. Vnde Richardus *in Chronicis* narrat, quod quidam Monachus Græcus Nestorianus, cui nomen Sergius, longo tempore instruxerit Mahumetum. Et hinc est, quod Nestoriani in Dominio Sarracenorum habent magna Monasteria. Causa igitur & modo descriptis, quibus dicti Orientales à dominio Græcorum & Latinorum vnanimiter recesserunt, videamus, qui fuerunt principales populi, qui seditionem huiusmodi occasionibus excitarunt. Quia non solum rebellionis & inobedientiæ audaciam prætenderunt, imo regiones Romani Imperii & Imperatoris vicinias hostiliter inuaserunt. Circa hæc, Annonius in *gestis Francorum lib. 8* Richardus *in suis Chronicis*, Martinus, Isidorus concorditer dicunt, quod principalis gens, quæ in prædictam superbiam eleuata, de Arabia, de radice montis Caucasi est progressa. Quæ gens secundum Hieronymum *in Chronicis*, Nabathea vocabatur, à Nabaioth primogenito Ismaelis. Vnde non Sarraceni, sed Agareni, siue Ismaelitæ dici deberent. Hæc natio maledicta, deuastans regiones Imperii, peruenit vsque in Syriam & Iudæam, cui obuiam venit militia Heraclii Imperatoris innumera, quæ tota ab hostibus cæsa est. Nam centum quinquaginta millia de exercitu Imperatoris, Domino permittente, prostrati sunt. Sed hanc humanitatem hostes fecisse dicuntur, quod per Legatos etiam spolia remiserunt. Heraclius autem spoliis huiusmodi, seu manubiis recusatis, in adiutorium asciscens populos qui dicuntur de montibus Caspiis exiuisse, secundum historias, vbi per Alexandrum inclusi: exercitum reparauit, & infinitam pugnatorum multitudinem congregauit. Sarracenis quoque duo duces præerant, qui ducenta millia pugnatorum in bellum instruxerunt, cum vterque exercitus non procul existeret paratus & instructus ad pugnam: nocteque belli præcedente diem, subito in castris Græcorum, quinquaginta duo millia exanimata in castris suis stratisque reperta sunt. Quo terrore ac metu perculsa reliqua exercitus multitudo, in diuersa loca fugerunt, totum imperium hostibus relinquentes. Heraclius quoque accepto nuncio tantæ cladis diffidens se posse resistere, præ tristitia in morbum incidit: & quasi desperans, in ægritudinem prolabitur animæ. Nam vt historiæ tradunt, Eutychetis maculabatur errore: & cum filia sororis suæ Martina nomine, matrimonio se coniunxit. Aliæ quoque historiæ dicunt, quod ante prædictum conflictum, prædicto erat maculatus errore, propter quem Deus eum puniuit. His peractis multiplicatur exercitus Arabum & Nabatheorum, ex diuersis prouinciis ipsis affinibus, & coniunctis, Chaldæis, Ammonitis & Moabitis: quibus Mahumetus adiungitur, qui tenuit in Arabia principatum, vt Richardus *in suis Chronicis* scribit. Hic Mahumetus artibus magicis instructus, prætextu contemptus Imperii, persuadet eisdem de modo viuendi & ad agendum, Dominicum populum multipliciter sua arte deludit & auertit à fide: dicens ipsos non posse tenere principatum, nisi à Christianorum fide diuerterent, & sua documenta seruarent. Simulans quoque aliquid diuini numinis in se habere: & quibusdam præsagiis per ipsum ostensis homines decipiens, tanquam Propheta communiter in dicto populo habebatur ab omnibus. Quibus magicis artibus quandam nobilem & potentem Dominam, Chadigam nomine, Corazaniæ prouinciæ, sic delusit, vt eam sibi matrimonialiter copularet, per quam illius regionis obtinuit principatum. Iudæos etiam multos decepit, vt ipsum crederent suum esse Messiam. His ergo versutiis, sua potentia & ampliatione Legis circa venerea, & promissionibus largis circa futura, populos seducebat, & armorum potentia ad suam præfecturam compellebat. Lege enim data per Mahumetum, populi qui arma sumpserunt contra imperium, si quas regiones occupabant, eas legem Moysi suscipere compellebant, nolentes obedire neci tradebant. Vnde de Arabia intrarunt Ægyptum, & sic populum subuertebant. Deinde transierunt in Africam, & ibidem similiter fecerunt. Postmodum venerunt in Hispaniam, & illam ex parte in fidem suam directe coegerunt Et sic multiplicati per numerum, plus violentia belli, quam prædicatione sermonis.

CAP.

CAP. III.

HEraclio igitur mortuo, & imperii sic difformata potentia, quantum ad dominium Orientis, remansit Imperialis sedes in Græcia apud Constantinopolim, vsque ad tempora Constantini sexti, & Leonis filii sui, per triginta tres Imperatores: computato Magno Constantino, per quadringentos quinquaginta vnum annos, & vndecim menses: computatis viginti tribus annis, de imperio Constantini, quos post translatam seu mutatam sedem de Roma in Græciam superuixit. Tunc Leo Papa tertius, imperium de Græcis in Francos transtulit, in persona magnifici principis Caroli, magni Franciæ ac Germaniæ regis. Sed quia hæc historia propter scriptorum varietatem communiter est ignota, ipsam pro viribus declarabo. Dum itaque vniuscuiusque rei præcipua pars principium sit; quo incognito, raro in cognitionem medii & finis deuenitur, prout mihi videtur, translationem Imperii de Græcis in Francos, & de Francis in Germanos veraciter & sine contradictione describam. Attendendum est igitur diligenter: & principium & causa huius translationis fuit, discordia inter sacram Romanam Ecclesiam & Imperatorem Leonem, propter venerationem sanctarũ imaginum. Leo enim tertius Imperator hæreticis hoc suadentibus acquiescens, dixit Christi & Sanctorum imagines minime venerandas, quia species idololatriæ videbatur. Gregorius vero tertius, qui tunc Romanæ Ecclesiæ præsidebat, cum catholicis affirmabat, Christi & sanctorum imagines venerandas, & cum veneratione colendas. Imago enim fert intellectum humanum in illum, cuius imago foris dignoscitur, intusque latet. Imploramus enim illius auxilium, cuius est imago, ac debita veneratione recolimus, & imaginem ipsius imaginato reddimus. Nec est eadem ratio de imaginibus & sculptilibus idolorũ, quia idolis Spiritus malignus iungebatur, qui in ipsis deceptorie respondebat, & ideo his nulla reuerentia debetur. Et ideo veneratio imaginum non idololatria, sed latria, id est, diuinus cultus dici potest propriè. In hoc siquidem errore damnabili sic contumaciter Leo prædictus perseuerauit: & de Constantinopoli Romam veniens, omnes sanctorum imagines quas Romæ reperit, violenter abstulit, & secum Constantinopolim asportauit, easque damnabiliter igne cremauit. Propter quod dictus Gregorius Pontifex tertius, ipsum Imperatorem solenniter anathemate condemnauit, Apuliam ei abstulit, tuncq; Italiam ab eius dominio & obedientia recedere fecit, eique vectigalia solennia interdixit, Romæque congregans Synodum, venerationem sanctarum imaginum confirmauit, & violatores generali sententia anathematis condemnauit. Et demum prædictus Leo, in hoc damnabili errore moritur: Et successit ei in Imperio Constantinus quintus magis impius, non solum in errore prædicto, sed etiam in omnibus vitiis & peccatis, in maleficis quidem actibus, & luxuria abominabili, in quibus longo tempore superuixit. Vnde de ipso dici potest *De radice enim colubri regulus prodit*: & *De patre nequitiæ, filius iniquitatis exiuit*. Et quia hic pessimus Imperator, in nullo iuuabat ecclesiam, imo tanquam hæreticus potius offendebat, Papa Stephanus secundus, vltimo anno sui Pontificatus, Imperium transtulit de Græcis in Francos: sicut habetur *Extr. de elect. c. venerabilem*. Omnia tunc ita ordinata, vt fieret translatio viuente Pipino in Francos: quorum fauores & beneficia in ecclesiam Romanam multipliciter sentiebat, eidem per Pipinum in multis necessitatibus reuerenter exhibita.

CAP. IV.

IS siquidem Pipinus Caroli Martelli filius, vir in rebus bellicis strenuus, religione catholicus, & vniuersa morum honestate præclarus, à Zacharia Papa ad Maioris domus Francorum excellentiam extitit sublimatus. Qui quidem Zacharias, regem Francorum Hildericum non tam pro suis iniquitatibus quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis, à regno deposuit, & prædictum Pipinum Caroli magni patrem in eius loco substituit: omnesque Francigenas à iuramento fidelitatis, quo dicto Hilderico tenebantur, absoluit, vt *15. q. 6. alius*. Sed Annonius *in gestis Francorum* scribit, Pipinum per Francos legitime fuisse electum in Regem & protectorem eleuatum, & per Bonifacium archiepiscopum Remensem vnctum Suessioni, id est, in tali loco, in monasterio sancti Medardi. Hildericus vero, qui tunc sub nomine regio, in deliciis marcebat ocio in monachum consecratus est. Hic ergo verbum *Deposuit*, positum in dicto capitulo, alius glossauit, id est, *Deponentibus consensit*. Sed qualitercunque dicatur, siue vt prædicta Francorum narrat historia, siue vt alius supra allegatus, salua semper in omnibus veritate: credo authoritatem Papæ in talibus omnibus negociis præsupponi, ex eo quod omnis potestas ex eo in hoc dependet, vt Papam Gelasium Imperatori Anastasio legimus rescripsisse, & vt clarius patebit. Qua re, & ex qua causa, & qualiter facta extitit in Francos imperii translatio memorata Pipini prædicti Franciæ & Germaniæ regis historiam breuiter prosequamur. In Chronicis dicit Annonius, scribens historiam regis Franciæ, quod anno natiuitatis Christi septingentesimo decimo quinto, Pipinus filius Ansegisili principabatur in Austria Alemanica, & ex Alpaide pellice siue concubina genuit Carolum Martellum, alias Tutidem, de quo natus est hic Pipinus, de quo postea natus Carolus Magnus, sic cognominatus à magnitudine virtutum & corporis.

Nam & pectore & fortitudine & virtutibus excedebat omnes. Hic Pipinus factus est rex Franciæ anno Domini 701. consilio & adiutorio Zachariæ Papæ; Hilderico rege inutili repudiato, & habitu monachali palliato. Demum quia defendit ecclesiam & dictum Papam ab oppressionibus Astulphi, & reduxit Papam in Romam, factusque est *Patricius vrbis*. Filius vero Carolus Magnus successit Pipino in regno, & fit *Imperator*; causa simili scilicet adiuuando Papam. Et nota hunc Pipinum, in cuius filium conflatum est imperium Germanum, licet regem Francorum etiamsi ex pellice descendisset.

CAP. V.

MOrtuo igitur Zacharia Papa, qui Pipinum regem sublimauit, vt superius declaratur: Stephanus secundus, natione Romanus, ex Patre Constantino, anno Domini septingentesimo quinquagesimo, ab vrbe condita M. D XXX. in summum Pontificem sublimatur. Hic, vt Annonius scribit *in gestis Francorum lib. V.* grauatus à rege Lombardorum Astulpho, venit in Franciam ad Pipinum regem, anno septingentesimo quinquagesimo tertio, pro iustitia sancti Petri recuperanda, qua ipsum spoliauerat Astulphus, cui Pipinus rex catholicus dum ad tertium miliare ciuitatis appropinquaret, occurrit: & de equo descendens, eidem summo Pontifici cum magna reuerentia & deuotione sincera exhibuit seruitoris officium, & vsque ad palatium suum regio honore deduxit. Tunc prædictus Pontifex causam sui aduentus diligenter exposuit, & iniurias dicti Astulphi plenius enarrauit. Rex quoque deuotus, volens Ecclesiæ Dei & dicti Pontificis satisfacere voluntati, exercitum magnum parat, & cum ipso Pontifice in Italiam vadit pro iustitia sancti Petri recuperanda. Astulphusque totis viribus prædicto Regi obuiat, & iura sancti Petri restituere contradicit. Pugna igitur magna inter ipsos committitur, in qua Astulphus rex superatur, & Pipinus cum Francis victor efficitur. Compulsus sic fuit Astulphus ad restituendum talia. Qui datis quadraginta obsidibus de melioribus regni sui, iura ipsa sub iuramento restituere promisit. Rege Pipino in Franciam redeunte, etiam Stephanus Papa Romam ad suam sedem rediit. Astulphus prædictus, iuramenti sui violator, de his quæ Pipino cum iuramento promisit, nihil obseruat. Ob quam causam iterum Pipinus in Italiam contra Astulphum vadit, ipsumque in Papia obsedit, coegitque reddere eum quod promisit. Vadit deinde Pipinus Rauennam, ipsamq; cæpit, totamque Pentapolim, Romandiolam cum Marchia & Bononia victoriose subegit: quæ omnia beato Petro studuit reuerenter offerre. Quæ beneficia Papa diligenter attendens, ordinauit translationem Romani imperii fieri de Græcis in Francos. Et sic omnes scripturæ, quæ dicunt quod hic Papa Stephanus secundus, Imperium de Græcis in Francos transtulit: debent intelligi, vt glossemus: *Transtulit, id est, translationem fieri ordinauit.* Alius enim Pontifex, scilicet Leo tertius, re ipsa imperium transtulit, sicut euidenter in sequentibus apparebit.

CAP. VI.

HOc itaque Pontifice, scilicet Stephano secundo, mortuo sub magno ecclesiæ protectore Pipino, atque ipso Pipino post decimum octauum annum regni sui, viam vniuersæ carnis ingresso, filioque eius Carolo, qui à virtutum magnitudine dictus est *Magnus*, magnifice pro patre regnante, tribus Pontificibus intermediis, quorum electionem & vitam causa breuitatis omitto: videlicet Paulo primo, Constantino secundo, Stephano tertio, Adrianus primus, natione Romanus, ex patre Theodoro de regione Vialatæ, Anno Domini septingentesimo, septuagesimo primo, ab vrbe condita M. D LI. in summum Pontificem eligitur, ecclesiamque Romanam annis XXIII. mensibus decem, & diebus XVIII. prudenter & magnifice gubernauit. Hic præclarus Pontifex Adrianus magnificum principem Carolum Magnum, qui tunc, vt dictum est, Franciæ & Germaniæ regna tenebat, in auxilium vocauit contra Lombardos, qui ecclesiam tunc vexabant. Mortuo enim Astulpho Lombardorum rege in regno successit Desiderius filius eius, qui patris sequens nequitias, ecclesiam Dei totis viribus opprimebat, villas, ciuitates & castra, & alias possessiones ecclesiæ violenter vsurpans, & Romanos tyrannico more premens vectigalibus & tributis. Ob quam causam, misit Adrianus Legatum in Franciam, Petrum presbyterum Cardinalem ad Carolum Magnum, petens ab eo auxilium contra Desiderium memoratum. Qui gratiose dictum legatum recipiens, congregansque parlamentum Parium & prælatorum omnium, Pontificis petitioni annuit, dicto legato cum fauore remisso. Parat exercitum copiosum, ipsumque per mare, & iuga montium in Lombardiam, cum non modica difficultate deducit. Veniens igitur in Liguriam & Æmiliam (quæ nunc Lombardia plana dicitur) in circuitu Papiæ sua tabernacula figit, & castris prudenter circum circa dispositis, in quibus, vt fidem sequamur historiæ, natalem diem celebrauit: relicto exercitu, Romam causa deuotionis accessit, ibique cum summo Pontifice Paschalem diem celebrauit. Facta solennitate Paschali, ad sua castra reuertitur, continuataque obsidione ciuitatem strenue oppugnabat, atque anno septingentesimo septuagesimo quarto domat Desiderium Lombardorum Regem, & eius vxorem Ansam nomine, & filios cepit. Qui Rex amissis filiis suis, Carolo subiicitur, ibique venientes omnes Italici, & de singulis Italiæ ciuitatibus Ambasiatores solennes Nuncii, Caroli ditioni se submittunt. Sicque omnibus fœliciter expeditis, Regnum Italiæ Pipino filio suo tradidit, & Romam accedens cum curia,

iura beato Petro restituit, simulque Ducatum Spoletanum & Beneuentanum eidem sua liberalitate donauit. Tunc dictus summus Pontifex Adrianus, mature considerans beneficia tanti principis, ecclesiæ Romanæ collata, centum quinquaginta trium Episcoporum & Abbatum Romæ Concilium congregauit, ibique Adrianus cum vniuersa Synodo, glorioso Carolo hanc tribuit dignitatem: videlicet, ius & potestatem eligendi Romanum Pontificem, & Apostolicam sedem ordinandi: Dignitatem Patriciatus quoque ecclesiæ concessit, qui olim quasi patres Principis videbantur: vt *Institution. libr. primo Titulo duodecimo quibus modis ius patr. potest. soluitur.* § *fil. insuper.* Episcopos & Archiepiscopos per singulas prouincias ab eo inuestituras accipere diffiniuit: vt nisi à rege laudaretur & inuestiretur Episcopus, à nemine consecraretur, omnesque contra facientes, anathemate condemnauit: vt hæc omnia plenius habentur in *sexagesim. distinctione cap. Adrianus.* Prima siquidem concessione, scilicet potestate eligendi summum Pontificem, & sedem Apostolicam ordinandi, non fuit vsus Carolus memoratus: quod ideo fuit, quia pauci summi Pontifices fuerunt tempore sui regiminis à concessione prædicta, quod fuit spacio sexaginta annorum. Solus enim prædictus Adrianus & Leo tertius, prædicti temporis spacio Romani pontifices extiterunt, qui quadraginta & nouem annis Romanæ ecclesiæ præfuerunt: sed nec ipsum Carolum iure sibi competenti, circa prædicta, expressione memorata, cessisse seu renunciasse reperio. De secunda vero concessione, videlicet de installationibus Episcoporum, bene se aliquando intromisit, vt ex gestis suis, in pluribus locis euidenter apparet. Sed his omnibus iuribus, occasione primæ & secundæ concessionis competentibus, cessit, & renunciauit Ludouicus Imperator expresse, vt habetur in *sexagesim. distinctione cap. Ludouicus,* cum pluribus capitulis sequentibus. Sed vt ad propositum facilius & citius venire possimus, multa magna & magnifica de gestis Caroli omittimus, & propositum translationis semper breuiter prosequar.

CAP. VII.

MOrtuo quoque Adriano Papa, prædicto regnante Carolo Magno Ecclesiæ defensore, Leo tertius, natione Romanus ex patre Astulpho, in Romanum Pontificem sublimatur, anno Domini octingentesimo, & ab Vrbe condita M.D LXXII. Hic Pontifex in Lætania maiore Romæ captus, exoculatus est, & lingua detruncatur, qui in custodia positus nocte per murum euasit, & ad legatos prædicti regis Caroli, scilicet Vvirundum Abbatem, & Vuinigisum Spoletanum Ducem confugit cum fiducia. Hic gloriosus Pontifex, vt Richardus *in suis Chronicis* scribit, & aliæ historiæ veridicæ asserunt, restitutis sibi plenarie membris, scilicet oculis & lingua, diuina virtute, ad prædictum Carolum Padenbornum, ad præcipuum ecclesiæ protectorem venit in Franciam: qui eum, vt decuit cum omni reuerentia & honore suscepit. Et cum ipso Romam accedens, iniuriam dicti Pontificis & ecclesiæ vltus est, iustitia mediante. Annonius quoque *in Gestis Francorum*, magis copiose scribens, dicit: Quod postquam rex appropinquaret Beneuentum, duodecimo lapide ab vrbe Roma, Leo Papa, qui regem præcesserat, cum magno equitatu occurrit eidem: ipsumque cum esset Vrbis Patricius, cum summa humilitate & honore suscepit, prandensque cum ipso in loco prædicto, vt verbis vtar historiæ, dominus Papa ipsum cum sua societate præcessit ad vrbem. In crastinum quoque in gradibus beati Petri stans, amicis obuiam venientibus, conclamarunt laudes, ipse vero cum clero & Episcopis equo descendentem regem, ad gradus ecclesiæ ascendentem, dictaque oratione basilica beati Petri, psallentibus cunctis, introduxit. Et post septem dies, cur Romam venisset, omnibus patefecit.

Exinde, ad ea propter quæ venerat facienda, quotidie operam dedit. Et quamuis grauia crimina opponerentur summo Pontifici, tamen quia nullus extitit probator legitimus, idem summus Pontifex, coram omni populo, & annuente Rege in basilica beati Petri Apostoli, Euangelicam portans absolutionem conscendit: inuocatoque sanctæ Trinitatis nomine, iureiurando obiectis sibi criminibus canonice se purgauit. Aliæ historiæ addunt, quod tres Cardinales, supra sancta Dei Euangelia ponentes manus, affirmantes ostenderint, esse falsa ipsi opposita, quæ quidem purgatio à toto clero & populo fuit solenniter approbata, & à dicto Principe legitimè confirmata.

Eadem die, vt scribit Annonius in gestis Francorum, quidam Abbas nomine Zacharias, cum duobus monachis, vno de monte Olíueti, alio de sancto Saba in Oriente, Romam venit, quem Patriarcha Hierosolymitanus transmisit. Qui sepulchri Domini claues, Caluariæ loci, & ciuitatis Hierusalem cum vexillo detulerunt. Quos benigne suscipiens, per aliquot dies secum cum honore magno detinuit, humaneque valde tractauit. Deinde post aliquot dies, cum muneribus magnis, & donis regiam maiestatem decentibus, eos in Palæstinam remisit.

Tradunt

Tradunt eædem historiæ, quod ex illa legatione commotus Rex ad petitionem Constantini sexti, tunc Imperatoris, cum magno exercitu transfretauit, totamque terram Sanctam recuperauit: rege Persarum assentiente, qui tenebat tunc in Palæstina & tota Syria principatum. Iamque per totum Orientem fama celebris nomenque gloriosi Caroli percurrebat. Vnde dictus rex Persarum, qui monarchiam in Oriente tenebat, eius habere gratiam & beneuolentiam affectabat: & per solennes nuncios & legatos preciosa munera ei destinauit. Prædictus rex Carolus, vbique virtuosus, terra Sancta recuperata, per Constantinopolim Romam rediit, ibique natiuitatem Domini solenniter celebrauit cum Leone, ipsa die celeberrima natiuitatis Domini. Cum rex Carolus in missa, ante confessionem Petri surgeret ab oratione deuota, Leo Papa solenniter ordinatis omnibus ad tantam solennitatem necessariis, coronam imperialem capiti eius imposuit, & à cuncto populo Romano acclamatum est: CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI, VITA ET VICTORIA DE COELO SIBI MINISTRETVR. Hanc siquidem orationem, per Leonem Papam, & imperalium laudum exclamationem, per plurimum omnes historiæ canunt. Sed post prædicta, more antiquorum principum, fuit ab omnibus vniuersaliter adoratus. Et ablato *Patricii* nomine IMPERATOR AVGVSTVS est ab omnibus appellatus. Rex autem prædictus Carolus, Romanum imperium XXXIIII. annis tenuit. Post dictam imperialem coronam, ipsum Imperatorem Augustum, omnes annales omnia gesta, omnesque historiæ, quæ de ipso faciunt mentionem, sine aliqua varietate describunt.

CAP. VIII.

QVantum autem roboris habuerit, aut firmitatis, quidve tunc per Romanam ecclesiam factum fuerit de Imperio, patet, & patere potest omnibus euidenter. Prædicta enim Imperii translatio facta per Ecclesiam, de Græcis in Francos, ex causis & rationibus antedictis, adeo valida est, quod per septem generationes, per septem scilicet Imperatores, annis centum tribus durauit, & amplius, nec defecisset in ipsis monarchia Imperii, nisi virtus & deuotio erga sanctam Romanam ecclesiam defecisset. Sed virtute ac deuotione deficiente, defecit Imperium. Imperator autem Arnulphus, vltimus de dicto genere, effœminatus & vilis fuit, & in defensionem Ecclesiæ non solum remissus & tepidus contra Berengarium tyrannum, qui tunc in Italia ecclesiam Dei impugnabat, & alios qui ipsam in multis partibus molestabant: sed ipsemet erat Ecclesiæ ipsius persecutor, vt Martinus Polonus episcopus Consentinus scribit. In filiis enim Arnulphi prædicti genus Caroli omnino defecit ex imperio. Et cœpit dicit Berengarius in Italia dominari, & Dei Ecclesiam persecutionibus ingentibus lacerare: quia dictus Berengarius ecclesiam molestabat, tum quia ecclesiæ non verus pastor, sed mercenarius præerat, scilicet Iohannes filius Alberti. Tunc, vt tradit Richardus Cremonensis episcopus magnus historiarum scriptor, Cardinales de communi concordia, anno natiuitatis Domini DCCCCL. scripserunt Ottoni Duci Saxoniæ, qui fuit vir magnæ potentiæ. Nam in tota Germania dominabitur. Erat enim vir religiosus, fide catholicus, in consilio prouidus, in iudicio iustus, in commisso fidelis, in rebus bellicis strenuus, & vniuersa morum honestate præclarus, erga Romanam Ecclesiam cum omni veneratione deuotus, vt Ecclesiam Dei, quæ procellis impellentibus vacillabat, etiam adiuuaret. Qui deuotione promptissimus, signo crucis se muniens, magnum exercitum sedulo studio præparauit: & in Italiam transiens, cum Berengario tyranno pugnauit: eiusdemque Berengarii exercitu victoriose deuicto, ipsum tyrannum occidit: & Romam pergens concilium Cardinalium congregauit, & de ipso Concilio Papam videns incorrigibilem, monuit vt Papatui renunciaret. Quem induratum in castro sancti Angeli violenter inclusit, ipsumque renunciare coegit. Factus tunc est Pastor vniuersalis ecclesiæ Leo octauus, qui mature considerans beneficium collatum ecclesiæ, per prædictum Ottonem ducem Saxoniæ, easdem dignitates Ottoni concessit, quas Carolo contulerat Adrianus, facta Synodo, clero & populo congregatis, vt patet *61. dist. c. in synodo.* Insuper ipsum Imperatorem constituit, nulla præcedente electione, quæ postea à XLI. annis instituta fuit. Et sic facta est translatio de Gallicis in Germanos. Patet ergo quod circa ordinationem imperii, habet Papa maximam potestatem, vt habuit. Siquidem hic Otto primus, ex ordinatione ecclesiæ pacifice imperium habuit etiam successiue filius & nepos, qui etiam erga ecclesiam deuotissimi extiterunt, vt de Ottone prædicto patet *LXIII. dist. c. Tibi Domine.* Patet igitur dispositionem & ordinationem summi Pontificis circa prædictos Imperatores fuisse legitimam: quia pro bono pacis, & statu fidei, & vniuersalis ecclesiæ, ad quæ summus Pontifex præcipue debet intendere: quia sua interest, non tantum ex collatione imperialium iurium, quantum ex præeminentia status, quæ declaratur manifeste in *c. Solitæ. de maio. & obe.*

CAP. IX.

POst hoc mortuo Ottone tertio sine filiis, Gregorius quintus, natione Theutonicus, de parentela Ottonis, in summum pontificem assumitur. Cuius Pontificis tempore, Electores Imperatoris instituuntur septem, scilicet Principes Alemaniæ, tres prælati, & quatuor laici, vt Martinus

tus scribit. Quia igitur prædicti tres Ottones successiue, & quasi hæreditario iure obtinuerunt imperium, per Gregorium Papam quintum est prouisum, & vtiliter ordinatum, vt tantæ sublimitatis ordinatio, quæ non debetur sanguini, sed virtuti, non per viam successionis, sed electionem procederet: vt eligeretur dignus, & non nobili tantum, sed dignissimo donaretur. Fuit igitur per dictum Pontificem institutum, vt septem proceres officiales, Imperatorem regem Romanum eligerent, & per summum Pontificem confirmandum, & imperiali diademate coronandum. Quorum sunt tres Prælati, qui sunt Imperii Cancellarii: scilicet Archiepiscopus Coloniensis, qui est Italiæ: Archiepiscopus Treuerensis, qui est Galliæ: & Archiepiscopus Moguntinensis, qui est Germaniæ. Et quatuor Barones, qui imperialib. seruiunt, Marchio Brandenburgensis, qui est camerarius Imperatoris: Comes Palatinus, qui est dapifer: Dux Saxoniæ, qui est portitor ensis: & Rex Bohemiæ, qui est Pincerna Imperatoris. Quæ ordinatio facta fuit anno Domini M. IIII. vt gesta Germanorum manifeste declarant.

CAP. X.

EX prædictis igitur euidenter apparet, per Stephanum Papam secundum, tempore Pipini Regis ordinationem prædictam de translatione de Græcis in Francos, ex causis & probationibus supra declaratis factam, vt notatur *de elect. Venerabilem*. Et primum Carolum Magnum dispositorem Romanæ ecclesiæ, & Romani Pontificis electorem, & Romanæ vrbis Patricium ordinatum, vt *LXIII. dist. Adrianus*. Sed per Leonem tertium translationem realiter factam, de principibus Græcis in Francos, vt notatur *de elect. Venerabilem*. Vbi expresse scribitur, quod à Leone tertio Carolus magnus Imperator extitit coronatus: & postmodum processu temporis, per multas reuolutiones annorum, translationem imperii iusta de causa factam esse per Leonem octauum de Gallicis in Germanos, ac postmodum per Gregorium Quintum, electionem Romani Imperii Septem Principibus Alemaniæ prædictis fuisse concessam, qui vsque ad moderna tempora Regem Romanorum eligunt, per Romanum Pontificem coronandum. Sic ergo Regnum mundi translatum est ad Germanos vel Theutonicos, qui & regimen hactenus habuerunt, *de consecr. dist. 5. c. in die*. Nec est Imperium iam modo apud Græcos, licet largo vocabulo Imperator vocetur, *de Maior. c. solitæ*. Sed nec regimen, nec Imperium habere possunt; nunc præcipue, ex quo extra gremium sanctæ matris Ecclesiæ positi sunt, vt *24. q. 1. c. illud*. Imperator siquidem iste Romanus super omnes Reges est, vt *7. q. 1. in apibus*. His Regibus exceptis duntaxat, qui per Priuilegia & consuetudinem sunt exempti. Omnes siquidem nationes subiectæ sunt, vt *11. q. 1. si quis, & 8. dist. c. quo iure*. Ipse Dominus mundi est, *ff. ad L. Rhod. de iact. l. deprecatio*.

LITTERA, SIVE BVLLA BONIFACII PAPÆ.

Anno Christi 1304.

Et ex ea

Quæstio disputata in vtramq; partem, pro & contra Pontificiam Potestatem.

Per

ÆGIDIVM DE ROMA, ARCHIEPISCOPVM Bituricensem.

LITTERA,

Siue

BVLLA MISSA PER BONIFACIVM S. REGI PHILIPPO PVLCHRO.



BOnifacius Episcopus, seruus seruorum Dei, Philippo Francorum Regi. Deum time & mandata eius obserua. Scire te volumus quod in spiritualibus nobis subes. Beneficiorum & Præbendarum ad te collatio nulla spectat. Et si aliquorum vacantium custodiam habeas, vsumfructum eorum successoribus reserues. Et si quæ contulisti, collationem huiusmodi irritam decreuimus. Et quan-

Et quantum de facto processerit, reuocamus. Aliud autem credentes, hæreticos reputamus. Datum Lateran. Non. Decembris Pontificatus nostri, Anno septimo.

RESPONSIO

Regis PHILIPPI PVLCHRI ad Bonifacium, siue Bullam præcedentem.

PHilippus Dei gratia Francorum Rex, Bonifacio gerenti se pro summo Pontifice, salutem modicam siue nullam. Sciat tua maxima Fatuitas in temporalibus nos alicui non subesse. Aliquarum Ecclesiarum & Præbendarum vacantium collationem ad nos Iure Regio pertinere, & fructus earum nostros facere. Collationes à nobis factas & faciendas, fore validas in præteritum & futurum. Et earum possessores, contrà omnes viriliter nos tueri. Secus autem credentes fatuos reputamus & dementes. Datum &c. Anno 1303.

QVÆSTIO

Bene Disputata ad Argumenta, super Debato præcedentium Literarum.

QVæstio est, vtrum dignitas Pontificalis & Imperialis, siue Regalis, sint duæ Potestates distinctæ ad inuicem. Et hoc est quærere, Vtrum summus Pontifex plenam Iurisdictionem & ordinariam Potestatem habeat tam in temporalibus quam in spiritualibus, ita quod omnes Principes temporales subsint ei quantum ad temporalia? Quod sint Potestates distinctæ, & quod Papa non habeat Dominium omnium temporalium, probatur; Primo per rationes Physicas. Secundo, per rationes Theologicas. Tertio, per Iura Canonica. Quarto per Iura Ciuilia.

Primo sic arguitur. Philosophus 2. *de Anima*, dicit quod *Potentiæ distinguuntur per Actus.* Vbi igitur sunt actiones disparatæ, ibi sunt necessario potestates disparatæ. Sed Regimen temporalium & Spiritualium sunt actiones omnino disparatæ; Quæ autem sunt disparata, vnum non subest alteri. Ergo potestas temporalis non subest spirituali. Item secundum eundem Philosophum *Potestates distinguuntur penes obiecta.* Quia enim sonus, quod est obiectum auditus, differt à colore, quod est obiectum visus; Ideo audientia & visiua sunt duæ potestates distinctæ. Sic temporalia & spiritualia sunt omnino distincta, nec sub eodem genere continentur, nec communicant in materia. Ergo temporalis & spiritualis potestates sunt distinctæ nec dependentes ab inuicem. Item secundum eundem, *Actiones & Potentiæ distinguuntur penes finem.* Quia enim ad alium finem ordinantur Intellectus & Sensus; ideo sunt potentiæ in Anima disparatæ. Sed ad alium finem ordinatur potestas spiritualis & ad alium temporalis, sicut patet de se, & declarabitur infra in corpore Quæstionis. Ergo &c.

Item probatur hoc idem per rationes Theologicas sic; *In principio creauit Deus Cælum & Terram*, Genesis 1. Id est, *Spiritualem & corporalem creaturam*, secundum Beatum Augustinum. Hæc est prima & maxima differentia quæ possit esse inter creaturas, nec communicant in materia, & diuersa requirunt regimina, quia aliam & aliam ordinationem habent. Ergo Potestates regendi necessario sunt distinctæ. Item primo die creationis Mundi, creauit Deus Lucem, *& diuisit lucem à tenebris.* Scilicet, sicut exponunt Augustinus & alii Sancti, per *lucem* significantur Spiritualia, & per *tenebras* temporalia. Ergo sic distinguuntur & differunt Spiritualia à temporalibus, sicut differt lumen à tenebris. Ergo & Potestates vtriusque Regiminis omnino distinctæ sunt. Nam ait Apostolus, quod *participatio lucis à tenebris*, est quasi nulla. Itē quarta die *fecit duo Luminaria magna* ad decorē & regimen vniuersi, videlicet Solem & Lunam, quorum vtraque officia sunt distincta & diuersa; quia Solem ordinauit vt præesset diei, & Lunam vt præesset nocti. Sic per ista duo luminaria, significantur istæ duæ Potestates, vt per *Solem* intelligatur Papa, qui præest Spiritualibus, & per *Lunam* Imperator, qui præest in temporalibus, sicut habetur *Ext. de ma. & obe. c. solitæ*, vbi sic dicitur: *Ad firmamentū visibilis Ecclesiæ fecit Deus duo Luminaria magna, quæ sunt Pontificalis autoritas, & Regalis dignitas.* Sicut ergo Sol & Luna immediate sunt producta à Deo, nec vnum processit ex alio, licet multum differant claritate: sic vtraque potestas Pontificalis & Regalis immediate sunt à Deo, licet differant dignitate. Item in Lege veteri, istæ duæ Potestates fuerunt distinctæ, vnde & in ea fuit duplex vnctio, Pontificalis & Regia, & habebant officia distincta, ita quod vnus non debebat, nec impune poterat officium alterius vsurpare. Nec Regalis dignitas suberat Pontificali in temporalibus. Ergo multo magis in Lege noua istæ duæ Potestates sunt distinctæ, ita quod vna non subest alteri quantum ad temporalia: Item Lex gratiæ maiorem spiritualitatem requirit in Pontificali dignitate, quam Lex vetus. Sic, ne ministri veteris Legis impedirentur à cultu Diuino, noluit Deus habere eos Dominium terenorum. Vnde tribus Leui non habuit partem & hæreditatem inter alios tribus in diuisione Terræ promissionis, sicut in Leui & Iosue; Ergo multo minus Pontifices & alii ministri nouæ legis, non deberent habere nec quærere Dominum terrenorum. Item, sicut ait Saluator, *non est discipulus super Magistrum, nec seruus maior Domino suo; nec vicarius maiorem potestatem habet, quam ille (cuius vices gerit)* sibi duxerit committendam.

Sed

Sed Christus, quamuis hæreditario iure Dominus esset omnium, tamen hac potestate vti noluit, sed etiam oblatam penitus recusauit, sicut legitur Ioannis 5. Cum hinc *quæreret eum populus vt facerent Regem, fugit*, tanquam contemnens, & contemnendam docens insatiabilem voracitatem auaritiæ & ambitionis inexplebilem vanitatem. Spiritualiter suo vicario dans exemplum, non ambiendi & multo fortius non vsurpandi sibi Imperatoriam vel Regiam dignitatem. Item Lucæ 12 scribitur, Quod cum Christo Domino diceret quidam, *Domine dic fratri meo vt diuidat meam hæreditatem*, respondit, *Homo quis me constituit Iudicem & diuidere super vos?* Ecce Dei filius super Dominium temporalium recusauit iudicium, qui tamen constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum. Ergo vicarius eius de iurisdictione temporali non debet se intromitteret. Item successor Petri non habet maiorem potestatem in temporalibus, quam habuit Petrus, primus de Christi vicariis. Sed nec Petro nec cæteris aliis permisit Deus habere Dominium terrenorum. Imo potius eximiam humilitatem præcepit eis tenere & inuiolabiliter obseruare, sicut patet in Euangelio. Ergo successor Petri nullam habet in temporalibus iurisdictionem. Item Dominus interrogatus à Iudæis, vtrum liceret censum dare Cæsari, visa imagine numismatis, respondit; *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ergo quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, sunt distincta. Item in commissione, facta vicario Petro, non legitur potestas temporalis, sed tantum spiritualis, ei fuisse commissa: *Tibi, inquit, dabo claues regni cælorum.* Non dicit, & Dominium terrenorum; Vnde statim subiungit, (quasi semetipsum exponens, de spirituali tantum potestate dixisse) *quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo, & quodcunque solueris, &c.* Et post resurrectionem suis dixit Apostolis; *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.*

Item per iura Canonica probatur hoc idem multipliciter. Primo sic, *extr. distinct. quoniam idem, &c.* vbi ista quodammodo disputantur in glossa. Dicitur sic in textu: *Idem mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque propria discreuit.* Glossa dicit ibi, *quod Christus officia potestatis vtriusque exercuit, vt ostenderet quod vtraq; potestas ab eodem processit, non quod vna persona illa duo officia exerceat, vel gerere debeat. Hæc enim duo dona, imperium & sacerdotium, ab eodem principio sunt; vt in auth. quomodo oporteat Episcopos, &c. in princ. collat.* 3. Item ibidem super verbo, *discreuit: Cum ergo istæ potestates sunt distinctæ, est hoc argumentum quod imperium non habetur à Papa, & quod Papa non habeat vtrumque gladium, & quod imperium à Deo solo habetur. vt 24. q. 3. c. quæsitum. Alioquin si ab ipso haberetur, licite appellaretur in temporalibus ad ipsum; Quod prohibet Alexander. Et dicit, quod illa non contingunt suam iurisdictionem, vt apparet, extra de appell. cap. si duobus, & extr. qui fil. sunt legit. cap. causam & c. lator.* Item, quicunque soluit tributum alicui, non videtur præesse in temporalibus, sed magis subesse: Sed soluit Papa tributum Imperatori, *vt 11. q. 1. cap. magnum & 23. q. 8. cap. tributum*, vbi sic dicitur. *Tributum in ore piscis, piscante Petro, inuentum est. Quia de exterioribus suis, quæ palam cunctis apparent, tributum Ecclesia reddit.* Et infra de exterioribus Ecclesiæ. *Quidem consuetum est antiquitus, pro pace & quiete, quæ nos tueri, & defensare debent, Imperatoribus persoluendum est.* Item *supra dist. quo iure*, ait Augustinus; *Diuinum ius in diuinis scripturis habemus, humanum ius in scriptis legibus. Vnde, quisquis possidet, quod possidet: nonne iure humano? Nam iure diuino, Domini est terra & plenitudo eius; &c. Pauperes & diuites Deus de vno limo fecit, & vna terra supportat. Iure igitur humano dicitur, hæc villa mea est; Iura autem humana, iura Imperatoris sunt. Quare ipsa iura humana, per Imperatores & Reges seculi, Deus distribuit humano generi. Tolle iura Imperatoris; Et quis audet dicere, hæc villa mea est, meus est iste seruus, mea est hæc domus? Et ideo Apostolus voluit seruire omnibus Regibus, voluit honorare Reges & dixit; Regem reueremini. Noli igitur dicere, quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per iura Regum possidentur possessiones. Si autem dicis, quid mihi & Regi? Noli ergo possessiones tuas, dicere tuas; quia ipsa iura renunciasti humana, quibus possessiones possidetur.* Istud Decretum S. Bn. attendatur. *Magnum terrorem debent memorare, volentibus resistere Regi Franciæ.* Item qui confirmat electionem alterius, ei subesse non debet de iure. Sed Regi Franciæ Carolo data fuit potestas à Papa in Synodo, confirmandi Papam & ordinandi sedem Apostolicam. Igitur Rex Franciæ, ei subesse non debet de iure. Probatur 63. *dist. c. Adrianus, &c.* Vbi sic dicitur de Carolo post debellationem aduersariorum Romanæ Ecclesiæ: *Demum Romam reuersus constituit ibi synodum cum Adriano Papa in Patriarchio Lateranensi, in Ecclesia sancti Saluatoris; Quæ Synodus celebrata est, cum centum quinquaginta tribus Episcopis, Religiosis & Abbatibus. Adrianus autem Papa cum vniuersa synodo, tradidit Carolo ius & potestatem eligendi Pontificem, ordinandi sedem Apostolicam: Et dignitatem patriciatus ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas prouincias, inuestituram accipere diffinierunt. Et vt (nisi à Rege laudetur & inuestietur Episcopus) à nemine consecretur. Et quicunque contra hoc Decretum ageret anathematis vinculo eum innodauit, & nisi resipisceret, bona eius publicare præcepit.* Hoc idem ostenditur de Carolo & Othone filio eius Imperatore Theutonicorum, 12. *dist. c. in synodo: In synodo congregata Romæ in Ecclesia sancti Saluatoris, ad exemplum B. Adriani, Apostolicæ sedis & inuestituram Episcoporum concesserunt. Ego quoque Leo, seruus seruorum Dei Episcopus, cum cuncto clero & Romano populo, constituimus, confirmamus, & corroboramus. Et per nostram autoritatem Apostolicam, concedimus atque largimur Domino Othoni I. Regi Theutonicorum, eiusque successoribus, huius regni Italiæ sibi facultatem eligendi successorem, atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiscopos siue Episcopos, vt ipsi inuestituram accipiant & consecrationem.* Et infra: *Quod si à clero & populo quis eligatur Episcopus, nisi à supradicto Rege laudetur & inuestiatur, non consecretur. Si quis contra hanc autoritatem Apostolicam moliatur, hunc excommunicationi subiacere decreuimus. Et si non resipuerit, irreuocabili exilio puniri, vel vltimis suppliciis feriri. Ext. de elect. c. venerabilem;* super verbo *Caroli* glossa dicit; *Cui ius Patriciatus siue dignitas collata est, ergo est patronus Romanæ Ecclesiæ,*

non ergo ei subiicitur. Si dicas quod Ludouicus Imperator, & primus Henricus, & primus Otho, renunciauerunt huic Priuilegio confirmandi Papam, & sedem Apostolicam ordinandi, sicut habetur *63 distinct. per totum.* Dicimus econtra, quod non propter hoc subiecerant se Papæ, vel sedi Apostolicæ, quantum ad temporalia. Imo sicut prius, erant non subiecti. Item *extra de mai. & obed. cap. solita*, dicit Papa; *Non negamus quin præcellat Imperator in temporalibus illos duntaxat, qui ab eo receperunt temporalia.* Sed Papa & Romana Ecclesia, quidquid habent in temporalibus, pro maiori parte perceperunt ab Imperatoribus. Similiter aliæ Ecclesiæ temporalia bona quæ possident, receperunt à Regibus & Principibus. Ergo, &c. Item *extra de foro competent. cap. licet*; dicitur; *Mandamus si quando laicis Vercellensibus literas super rebus præcipue quæ forum sæculare contingunt, à sede Apostolica contigerit impetrari, sublato appellationis obstaculo, decernas auctoritate nostra, irritas & inanes. Dummodo consules & communitas de se conquerentibus in iudicio sæculari, exhibeant iustitia complementum.* Ergo nec quo ad Regem Franciæ.

Item hoc idem probatur per iura ciuilia. *In Authentica, Quomodo oporteat Episcopos, &c.* in principio collatione prima dicitur: *Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei, & à superna collata clementia, sacerdotium & imperium; Illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens & diligentiam exhibens, ex vno eodemque principio vtraq; procedentia, humanam exornant vitam. Et ita, si sacerdotium inculpabile sit vndique & apud Deum fiducia plenum, imperium autem recte & competenter exornet traditam sibi Rempublicam; erit consonantia quadam bona, omne quidquid vtile est humano conferens generi.* Glossa super verbo *Maxima*: *Vere maxima, quia his duobus totus regitur mundus. Vnde illud; Ecce gladii duo hic.* Item Glossa super verbo, *conferens*: *Apparet ergo quod nec Papa in temporalibus, nec Imperator in spiritualibus, se debent immiscere.* Si dicas quod rationes & autoritates præmissæ videntur facere magis pro Imperatore quam pro Rege Franciæ. Et si quæras quare sunt hîc inductæ? Respondeo, ad probandum iurisdictiones esse distinctas, quarum vna est penes Papam & Iudices Ecclesiasticos, & alia penes Imperatorem & Reges. Omnia enim quæ pro Imperatore faciunt, valent nihilominus pro Rege Franciæ, qui Imperator est in regno suo. Specialiter ostendo, quod Rex Franciæ non subsit Papæ in temporalibus, *extra de iudic. cap. nouit.* Vbi dicit sic Innocentius Papa: *Non putet aliquis, quod iurisdictionem Illustris Francorum Regis perturbare & minuere intendamus, cum ipse iurisdictionem nostram, nec velit, nec debeat impedire.* Gloss. per hoc dicit; *Patet quod Ecclesia vel Papa non habet vtrumque gladium.* Et infra: *Non intendimus iudicare de Feudo, cuius ad ipsum spectat Iudicium.* Gloss. *Iudicium Feudi spectat ad Regem directe, ad Papam ratione Petri.* Ex prima Authentica concluditur quod Rex Franciæ, non est subiectus Papæ in temporalibus. Ex secunda probatur quod subest Papæ primo & principaliter quoad spiritualia, quo ad temporalia vero, non nisi incidenter. Item, non debet de iure dici superior, nisi ille ad quem licet appellare, sed à Iudice sæculari non licet appellare ad Papam in temporalibus. Ergo Iudex sæcularis, non subest Papæ, nec Papa est eius superior in temporalibus, igitur multo minus Regis. Probatur *extra de appellat. cap. si duobus: Denique quod quæris si à ciuili Iudice, non ante iudicium vel post, ad nostram audientiam fuerit appellatum, an huiusmodi teneat appellatio.* Respondet Papa; *Tenet quidem in his quæ sunt nostræ temporalitatis iurisdictioni subiecti; in aliis vero etsi de consuetudine Ecclesia teneat, secundum iuris rigorem credimus non tenere.* Gloss. *Et ita patet, quod iurisdictio temporalis non pertinet ad Ecclesiam, nec de ea se debeat intromittere in præiudicium sæcularis iudicis. supra de iudic. cap. nouit. & 1. qui fil. sunt legit. cap. lator. & 1. de priuilegiis cap. 20.*

Item videtur quod Rex Franciæ sit par Imperatori quantum ad libertatem suæ iurisdictionis, quia regnum Francorum prius habuit imperium, quam regnum Theutonicorum. *63. distinct. Ego Ludouicus.* Ibi dicitur in fine, quod cum Papa fuerit consecratus, legati mittuntur ad Imperatores & Reges Francorum, qui inter ipsos amicitiam charitatem & pacem socient. Igitur videtur, quod Imperator & Rex Francorum sunt pares. Glossa ibidem notat *imperium prius Francorum fuisse, sed postea Theutonici, virtutibus promeruerunt imperium 28. quæst. 1. cap. omnis. Et hoc ideo quia Romani in eos imperium transtulerunt.*

Item extra qui filii sunt legit. cap. tantum enim: *Nos attendentes quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus iudicare, ne videamur Regi Anglorum detrahere, qui ipsorum iudicium ad se asserit pertinere, F. V. mandamus quatenus Regi possessionum iudicium relinquentes, de causa principali plenius cognoscatis.* Si hoc dicitur de Rege Angliæ, qui Romanæ Ecclesiæ feudalis est, & censualis, multo magis de Rege Franciæ verum erit, qui in nullo prædictorum penitus est subiectus. Et dicit ibi Glossa; *Sic patet quod iurisdictio temporalis & spiritualis distincta est & diuisa. Et sic Papa non habet vtramque iurisdictionem.* Item *extra qui fil. sunt legit. cap. per venerabilem*, dixit Papa expresse, quod *Rex Francorum in temporalibus superiorem minime recognoscit.* Si dicas, prout dicit Glossa, *verum est de facto, sed non de iure: Quia de iure debet recognoscere Imperatorem, vt patet 4. quæst. 1. cap. in apibus, & extra de elect. cap. venerabilem.* Respondeo, illud factum versum esse in consuetudinem, quæ dat iurisdictionem, vt dicit Innocentius *extra de iudic. cap. nouit*, super verbo, *consuetudinem*: *Nota*, inquit, *consuetudinem dare iurisdictionem supra de arbitr. delect.* Et ibi præmittitur in Glossa: *Nota iurisdictionem pacificari iuri & priuilegio 10. quæst. 3. cap. conquestus.* Quia ista etiam consuetudo est approbata & hactenus obseruata pacifice; nec à Papa nec ab Imperatore impugnata, imo iuramentis & pactionibus fœderata; & ex longissimis temporibus iam præscripta.

Ad intelligentiam pleniorem, & clariorem euidentiam propositæ quæstionis; consideranda sunt quinque, per ordinem & per articulos distinguenda.

Primo

Primo videndum est, quod vtraque potestas spiritualis & temporalis, à Deo est instituente & ordinante.

Secundo, quod istæ duæ potestates distinctæ sunt & diuisæ.

Tertio, quod Deus spiritualem potestatem instituens, nullum contulit ei Dominium terrenorum.

Quarto declarabitur, in quibus terrena potestas sit subiecta spirituali potestati, & in quibus non.

Quinto specialiter ostendetur, libertas & exemptio Regis Franciæ, quare & qualiter nullum superiorem in temporalibus recognoscit.

ARTICVLVS I.

QVOD autem istæ duæ potestates sint à Deo, de potestate spirituali, quam CHRISTVS Beato Petro successori eius contulit, habetur Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* De temporali potestate dicitur in Auth. 5. collat. sexta. De instrumentorum cautela. §. *quia igitur imperium de cœlo Deus instituit.* Item Prouerb. 6. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Et distinct. quarta, *transfert regna Deus & constituit.* Et Apostolus ad Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* De vtraque simul, dicitur *distinct. 96. cap. in scripturis, & cap. duo.* Vbi dicitur: *Duo sunt imperia augusta, de quibus principaliter hic mundus regitur, Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas.* Et in Authent. *Quomodo oporteat Episcopos, &c.* in principio collatione prima. *maxima quidem in omnibus, &c.* Require *supra 21. argumento.* Glossa super verbo *imperium: Imo à populo Romano videtur imperium esse, vt Institut. de iure naturali, §. sed & quod Principi.* Illud Dei dispositione factum fuit, sine quo factum est nihil. Nec obstat quod primo Exodi legitur, quod contra voluntatem Domini videtur populus petiisse sibi Regem, quia nolebat Dominus populum, quem singulariter præ cunctis elegerat, quodam spirituali modo, regere per duces & iudices, viros scilicet mediocres; nec volebat quod alius ex regali, magisterium, per superbiæ fastum, super populum efferret. Tamen quando populus, non assentiens dispositioni diuinæ, omnino voluit Regem habere, Deus (eius precibus condescendens) indicauit ei, quis regnaturus esset, & populus illum elegit quem Deus indicauit. Hæc de primo articulo sufficiant.

ARTICVLVS II.

SECVNDO declarandum est, quod istæ duæ potestates sunt distinctæ & ab inuicem separatæ. Cum enim homo constet ex duobus, scilicet corpore & anima, & duplex sit vita, corporalis, & spiritualis. Propter corporalem vitam obseruandam homo temporalibus indiget; propter spiritualem, spiritualibus opus habet. Imperatores & Reges potestatem habent super corpora & res corporales, ad vitam corpoream pertinentes. Possunt enim, & debent, corporali pœna punire reos, & legum imperialium transgressores. Habent etiam Rempub. ordinare, populos sibi subiectos, in pace & tranquillitate seruare; defensare patriam & aduersarios debellare. Pontifices autem spiritualem iurisdictionem habent, quæ ad regimen & salutem animarum pertinet.

Rursus, cum duplex sit ciuilitas, humana videlicet & diuina, terrena & cœlestis, temporalis & spiritualis, ciuilem mundanam & temporalem ordinat & disponit imperialis potestas: Spiritualem vero cœlestem & diuinam in terris regit Pontificalis autoritas. Ad cuius regimen summus Pontifex habet plenitudinem potestatis. Inferiores autem Prælati, in partem sollicitudinis sunt vocati. Ad vtriusque ciuilitatis regimen Deus duos gladios ordinauit, duas iurisdictiones distinctas & differentes ad inuicem, sicut exponunt illud Lucæ 22. *Ecce gladii duo hic.* Et respondit Dominus, *satis est.* Materiali gladio vtuntur Principes, sicut ait Apostolus Roman. 13. *Princeps non sine causa gladium portat, Dei enim est minister, & vindex in iram eius qui malum faciunt.* De spirituali gladio dicit idem Apostolus Ephes. 5. *Galeam assumite & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Gladio spirituali vtebantur Apostoli, materiali vero nunquam vsi esse leguntur; nisi dicatur, quod imminente Christi passione, Petrus cum haberet gladium, exemit, & vnius auriculam amputauit.

Distinctæ sunt igitur hæ potestates, nec debent se mutuo perturbare. Quia sicut Princeps non debet de spiritualibus intromittere se; Ita nec Pontifex debet in temporalibus se immiscere, nec iurisdictionem temporalem assumere, nisi in certis casibus determinatis à iure, sicut dicetur. Quod autem nec Princeps Pontificis, nec Pontifex Principis officium debeat vsurpare, dicitur expresse *distinct. 96. cap. cum ad verum:* Vbi dicitur; *Cum ad verum ventum fuerit, vltra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium sibi vsurpauit*; quasi diceret, quidquid disputando vel litigando dicatur, tamen cum ad veritatem diffiniendam ventum fuerit, debent duæ potestates remanere distinctæ, sicut sunt diuinitus institutæ. Sequitur in Decreto, primò allegato; *Quoniam idem mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusque discreuit, volens homines medicinali humilitate efferri, non humana superbia rursus ad inferna demergi, vt & Imperatores pro æterna vita, Pontificibus indigerent, & Pontifices tantummodo pro cursu temporalium rerum, Imperatorum legibus vterentur, quatenus & spiritualis actio carnalibus instaret incursibus. Et Deo militans, non se negotiis secularibus implicaret; ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus.* Glossa super verbo *discreuit*, dixit, quod *vtrumque officium*

cium gessit per se, vt notaretur quod ex eodem fonte processerunt. Sed melius dici potest, quod CHRISTVS, quam diu fuit viator, temporalem iurisdictionem nunquam exercuit. Nam quod ementes & vendentes eiecit de templo, magis fuit officium Pontificis, cuius est templum mundare, omnes spurcitias eiicere, mercationes & negotiationes terrenas, ab eo prorsus expellere. Et hoc satis patet ex verbis eius, cum dixit; *Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei; domum negotiationis, scriptum est enim, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Item Glossa super verbo, *sursum efferri; Si haberent aliqui omnia officia, superbirent ita, quod iterum demergerentur in inferno.* Ex his euidenter apparet & distinctio dignitatum, & ratio distinctionis earum.

ARTICVLVS III.

Tertio declarandum est, quod Christus in institutione spiritualis potestatis, nullum commisit, vel potius promisit Dominium terrenorum. Nam *Matth.* 16. Vbi Christus vicarium suum instituit, videlicet Beatum Petrum & successores eius ait; *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et, tibi dabo claues regni cœlorum*; non dixit, & Dominium terrenorum. Reuolue cuncta sacræ scripturæ volumina nunquam inuenies Apostolos sedisse vt de temporalibus iudicarent, nec petiisse vt Reges & Principes eis in temporalibus subiacerent, aut de huiusmodi respondere deberent. Item, sicut supra dicebatur; *Non est discipulus super magistrum, nec seruus maior Domino suo: Nec vicarius maiorem potestatem habet, quam ille cuius vices gerit.* Cum igitur Christus Dominus hac potestate vti noluerit, sed oblatam refugerit, exemplo suo euidenter ostendit, & euidentia facti docuit vicarium suum, talem potestatem refugere, non ambire, nec sibi Imperatoriam Maiestatem, aut dignitatem Regiam vendicare. Ecce Christus Iesus Rex Regum, Dominus dominantium, regale fugit Dominium, & fastuosum fastigium recusauit. Igitur qua ratione vel autoritate, vicarius eius vendicabit sibi culmen vel nomen Regiæ dignitatis?

Item, successor Petri non plus habet potestatis, quam Petrus primus Dei vicarius. Sed Christus tam Petro quam cæteris Apostolis, Dominium, potestatem, & iurisdictionem in temporalibus interdixit, cum eis eximiam paupertatem indixit, dicens: *Nolite possidere aurum & argentum, &c.* Propter quod ipsi Domini sui præcepta inuiolabiliter obseruare volentes, ac magistri documenta sine fictione tenentes, tantum gloriabantur de eximiæ paupertatis obseruantia, quum solent cupidi, de terrenorum opulentia gloriari. Vnde Petrus iocundanter dicebat, *argentum & aurum non est mihi.* Omnino elongationem à possessione terrena & Dominio temporali præcepit Christus ipsis, volens eos spirituales esse, & à terrenis, quantum fragilitas humana patitur, elongatos; vacare spiritualibus & æternis, ac saluti animarum intendere. Quibus omnium Ecclesiarum sollicitudinem committebat. Sciebat enim quod temporalia perturbant, animum distrahunt, intellectum & mentem ad inferiora demergunt, sicut expresse dicitur *distinct. 96. cap. cum ad verum.* vide supra.

Est autem intelligendum, quod cum Christus triplicem habuerit potestatem, videlicet rerum corporalium, animarum, & temporalium facultatum; prima potestate vsus est, secunda vsus est & commisit, tertia nec vti voluit nec commisit. Prima quidem vsus est, infirmitates corporales curando, mortuos suscitando, ac in cunctis rebus corporalibus multimoda miracula faciendo. Secunda vsus est, & commisit, videlicet spiritualem quantum est necessarium & expediens ad salutem animarum. Tertia, nec vsus est, sicut patet per exempla præmissa, nec commisit, quin potius eam Petro quam cæteris Apostolis, interdixit, vt dictum est. Attende quid Beatus Bernardus, scribens ad Eugenium Papam, dicat: *Et nos,* inquit, *vt vere sentiamus de nobis, impositum nouimus ministerium, non Dominium datum. Si sapiens es, contentus esto mensura, qua mensura est Deus; quod enim amplius est, à malo est. Disce exemplo Prophetico præsidere, non tam ad imperandum, quam ad faciendum. Disce sarculo opus tibi esse, non regio sceptro, vt opus facias Prophetæ, id est, vt euellas & destruas, disperdas & dissipes, & ædifices & plantes; & hac quidem ille. Auditum est hoc supra, ideo non regnaturus ascendit, sed extirpaturus. Putasne & tu inuenies ad elaborandum in agro Domini tui? vtique plurimum.* Et infra; *Quid tibi dimisit sanctus Apostolus? Quod habeo, inquit, hoc tibi do. Quid illud? Argentum, inquit, & aurum non est mihi, quod autem non habuit, dare non potuit. Esto vt alia quacunque ratione hoc tibi vendices, sed non Apostolico iure. Quod habuit hoc dedit, sollicitudinem videlicet super omnes Ecclesias. Numquid dominationem? Ipsum audi; Non dominantes (ait) in clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum ex sola humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini est in Euangelio; Reges gentium dominantur eorum & qui potestatem habent super eos benefici vocantur, vos autem non sic. Planum est quod Apostolis interdicitur Dominatus, igitur & tu tibi vsurpare audes, aut dominans Apostolatum; aut Apostolatus Dominatum? Plane ab alterutro prohiberis. Si vtramque simul habere voles, perdes vtramque. Alioquin non te exceptum ex illorum numero putes, de quibus conqueritur Dominus, dicens; Ipsi regnauerunt & non ex me, Principes exstiterunt & ego non noui eos.* Et sic declaratum est quod summo Pontifici, successori Beati Petri, non est collatum à Deo Dominium terrenorum, nec iurisdictio temporalis. Quæ igitur est dignitas aut potestas collata summo Pontifici? Quæ authoritas Beato Petro vicario IESV Christi concessa? Profecto, nobilior, sublimior & vtilior quam imperialis. Nam quantum distat Oriens ab Occidente, corpus ab anima, corporalia à spiritualibus,

bus, terrena à cœlestibus, tantum distat authoritas summi Pontificis à culmine imperialis aut Regiæ dignitatis. Audi Dominum, vicarium suum instrumentum in Euangelio: *Tu es*, inquit, *Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Ecce, quod, quidquid maius, quidquid sublimius excogitari potuit in hac vita, summo Pontifici diuinitus est collatum. Quid igitur quærit amplius? Nunquid non oculum habere ad hæc inferiora corruptibilia, videtur eius Celsitudini denegare? Patet igitur ex prædictis, quod Pontificalis autoritas, & regalis dignitas, sunt duæ potestates distinctæ, diuinitus institutæ. Et hoc declaratum est *in primo articulo.* Item quod sunt distinctæ diuisæ & separatæ, ita quod vni non licet iurisdictionem alterius vsurpare; & hoc declaratum est *in articulo secundo.* Item quod iurisdictio siue Dominium temporalium non est concessa summo Pontifici; Propter quod non se debet intromittere de iurisdictione temporali nisi casualiter. Quia in temporalibus non habet ordinariam potestatem, sicut expresse habetur. *extra qui filii sunt legit. cap. per venerabilem*, vbi sic Papa dicit: Non solum in Ecclesiæ patrimonio, super quo in temporalibus, plenam gerimus potestatem, verum etiam in aliis Regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus. Non quod alieno iuri præiudicare velimus; sed quia (sicut in Deutronomio continetur) *si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & iudicum inter se verba videris variari, veniens ad sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem.* Vbi sic dicit Glossa; *Quod Papa de temporalibus iudicare potest, cum requiritur, videlicet quando iudicium ambiguum est inter iudices sæculares.* Et sic declaratus est tertius articulus.

ARTICVLVS IV.

QVarto declarandum est, in quibus & quomodo potestas temporalis, subiecta est spirituali potestati, & in quibus non. Ad cuius euidentiam notandum est, quod quædam sunt causæ mere spirituales, sicut causæ matrimoniales *extra de offic. delegat. cap. causam matrimonii.* Item causæ decimarum, *extra de Decimis, per totum.* Item causæ Simoniæ, *extra de Simonia, per totum.* Item causæ hæresis, *extra de hæreticis cap. ad abolendam, & cap. vergentem, & cap. excom.* Item causa Diuortii, *extra de procur.* Et omnes aliæ causæ matrimoniales sunt spirituales. De quibus dicit Innocentius, *extra de iudiciis*, super illam Decretalem, *Nouit*, super verbo *Iurament. Nota crimen pacis fractæ & periurii directe pertinet ad Iudicium Ecclesiæ, vt hic in crimine Simoniæ, sacrilegii, vsurarum, hæresis, separationis matrimonii, quantum ad thorum propter adulterium.* Causæ mere temporales, sunt causæ feudales, & causæ sanguinis, & huiusmodi. Istas commisit Deus immediate & principaliter Imperatoribus & Regibus, de quibus nec Papa, nec alii Prælati debuerunt se intromittere in Ecclesia primitiua, licet modo consuetudine, de causis personalibus quibusdam & temporalibus ad vtrumque Iudicem recurratur. Sed de Feudalibus, in propriis Feudis, non nisi ad Imperatorem, Reges & alios Principes. Vnde in illa Decretali dicit Papa: *Non negamus quin Imperator præcellat in temporalibus.* Et vt *extra de iudiciis, cap. nouit*, dicit Papa: *Non putes quod iurisdictionem Illustris Regis Francorum perturbare aut minuere intendamus.* Et infra *qui filii sunt legit.* Dicit Papa; *Ad Regem non ad Ecclesiam pertinet de talibus possessionibus iudicare.* Item *extra de foro competent. cap. vero*, super verbo *de Feudis*, dicit Innocentius; *Quilibet Dominus quantumcunque villicus vel etiam rusticus, super Feudalibus rebus iurisdictionem habet.* Causæ mixtæ, sunt causæ temporales, quæ connexionem quandam habent cum spiritualibus. Sicut causa feudalis quæ de se temporalis est, connexionem potest habere cum iuramento vel pacto. Sicut patet de dissensione mota inter Reges Franciæ & Angliæ, super Comitatu Pictauiensi. Papa quia non poterat directe cognoscere de causa feudali, indirecte ratione iuramenti vel pacti, intromisit se de illa. *extra de iudiciis, cap. nouit.* Vbi dicit Hostiensis in glossa super verbo, *de feudo*; *Non intendimus cognoscere de feudo, sed tantum ratione peccati, inducendo illum ad pœnitentiam, quia illam non potest agere nisi satisfaciat.*

Item causa Dotis per se temporalis est, & ad sæcularem Iudicem pertinet, si de ipsa tantum agatur; tamen quando Iudex Ecclesiasticus cognoscit principaliter de matrimonio, si incidat causa Dotis, tanquam accessoria, cognoscet de illa, sicut de principali cui est annexa, vt patet *extra de donat. inter virum & vxorem, cap. de prudentia:* Vbi dicit glossa; *Quia si non est matrimonium, neque dos. Et ita dos accedet matrimonio. Ideo qui cognoscit de principali, debet cognoscere de accessorio, vt habetur extra de officio delegati cap. præterea, & cap. prudentiam.* Sic etiam de hæreditate cognoscit Iudex Ecclesiasticus, ratione incidentis *extra qui filii sunt legit. cap. per tuas, & cap. ex tenore.* Alii sunt plures casus speciales in quibus Iudex Ecclesiasticus, cognoscit de temporalibus, quos enumerat Hostiensis in glossa *extra de iudiciis, cap. nouit.* Sic ergo regulariter verum est, quod de causis mere spiritualibus solus Papa & alii Iudices Ecclesiastici, habent cognoscere. De causis vero mere temporalibus, habent cognoscere Reges, Imperatores & alii Iudices seculares. Et sic Rex Franciæ secundum iura non subest summo Pontifici, nec ei tenetur respondere de feudo regni sui; posset tamen ei subiacere incidenter & casualiter, ratione connexionis alicuius causæ spiritualis, sicut habetur *extra de iudiciis, cap. nouit. & extra qui filii sunt legit. cap. per venerabilem.* Et sic declaratus est quartus articulus.

ARTICVLVS V.

QVINTO declarandum est, à quo Rex Franciæ teneat regnum suum. Vtrum scilicet ab homine, vel à DEO. Et si à DEO, vtrum necesse habeat recognoscere ab eius vicario? Ad quod breuiter respondemus, quod à solo DEO immediate tenet & possidet regnum suum, ita quod non ab homine quoquam. A vicario vero CHRISTI non tenet, nec in quantum homo, nec in quantum Christi vicarius. Ad hoc sumamus testimonium summi Pontificis ipsius, videlicet Innocentii, *extra qui fil. sunt legit. c. per venerabilem*, de Rege Francorum sic loquentis: *Rex Francorum superiorem in temporalibus minime recognoscit.* Si dicas, quia etsi non recognoscit, tamen de iure deberet. Respõdemus per interemptionem quod non debet. Quia Franci nulli vnquam fuerunt subditi, nec Imperatori, nec aliis, sicut probatur ex antiquis historiis, quod post euersionem Troiæ XII. M. Troianorum ad partes Pannoniæ peruenerunt, vbi ciuitatem Sicambriam construentes, manserunt ibi vsq; ad tempora Valentiniani Imperatoris, semper infesti Romano Imperio. Expulsi vero inde ab Imperatore prædicto, pro eo quod tributa Romanis soluere recusarent, iuxta morem aliarum nationum, habitauerunt iuxta Rhenum in confinio Germaniæ & Allemanniæ. Quos cum multis præliis post, Idem Valentinianus sibi subiugare tentasset, nec aliquatenus potuisset, appellauit eos Francorum. Et Galliam habitantes, deniq, Franciam appellantes, nec Romanis nec aliis quibuscunq; voluerunt esse subditi. Et dato (quod nõ credo) quod Imperatori vel Papæ fuerunt aliquando subditi; tamen ex tanto tempore præscripserunt, & regnum pacifice possederunt, quod amplius non tenentur alicui respondere. Nam etiam contra Romanam Ecclesiam currit præscriptio centenaria, sicut habetur *extra de præscript. c. ad audientiam. in fin.* vbi sic dicitur; *Contra quam* (videl. Romanam Ecclesiam) *non nisi centenaria præscriptio currit.* Præterea iustæ possessionis & liberæ, iustum titulum, sine recognitione cuiuscunq; superioris, quo dictus Rex nunc possidet regnum suum, & prædecessores eius hactenus possederunt, ac eius successores, omnipotentis Dei dextra protegente, perpetuo possidebunt, rationibus irrefragabilibus declaramus.

Primo quidem, possessionis huius iustum titulum, probat vnctio sacra, missa diuinitus, qua Reges Franciæ semper, opportunis temporibus, inunguntur. Nonne regnum euidenter approbatur à Deo, cuius Reges diuino munere consecrantur? Secundo, hoc idem probant aperta miracula, vniuerso Orbi manifeste notoria, & notorie manifesta. Vnde Dominus Rex de iusto titulo suo respondens, dicere potest illud in Euangelio, quod respondit Dominus Iesus contra calumnias Iudæorum; *Si mihi non vultis credere, operib. credite.* Sicut n. hæreditario iure succedit patri filius in adoptionem regni: sic quasi hæreditario iure succedendi, facultatem Deo tradente, alter alteri in simili potestate miracula faciendi. Tertio hoc idem probat bonitas vitæ, claritas famæ, deuotionis feruor, synceritas fidei Christianæ, quæ semper in Regib. nostris viguit & in regno, præ cæteris regnis & Regib. huius mundi. Diximus ergo quod Dominus noster Rex eodem titulo & eodem iure tenet regnum suum & possidet, quo tenuit Beatus Ludouic. quem dieb. nostris sedes apostolica, sanctitatis eius eminentia, promerente, & miraculorum euidentia proclamãte, cathalogo sanctorum adscripsit. Ad quæstionem ergo propositam, pro nobis respondeat Beatus Ludouicus, respondeat eius vita sanctissima, quam crebra miracula protestantur.

Contra præmissa arguitur multipliciter, tam per rationes, quam per iura Canonica & ciuilia, probando quod Rex Franciæ, & vniuersaliter omnes Reges, subsint & subesse debeant summo Pontifici, quantum ad temporalia. Primo sic, secundum beatum Dionysium: *Militans Ecclesia exempta est, ad similitudinem Ecclesiæ triumphantis, secundum illud Exodi, Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Sed in Ecclesia triumphante non est nisi vnus solus & summus Hierarcha, cui omnes, tam angeli, quam homines in omnibus obediunt & intendunt, ergo & in Ecclesia militante est vnus solus & summus Hierarcha, cui omnes, tam clerici quam laici, & tam Reges quam alii, tenentur in omnib. spiritualibus & temporalib. obedire. Non est aliquis talis, nisi Papa. Ergo, &c. Respondeo, non est simile de Hierarchia cœlesti & terrena. Quia ille per suam summam perfectionem sufficit per seipsum regere totam illam monarchiam cœlestem: Terrenus autem Hierarcha, propter suam imperfectionem, non sufficit per seipsum similiter regere spiritualia. Et propter hoc dicit Apostolus; *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularib.* Et beatus Ambrosius ait; *Qui terrenis occupantur, scire diuina non possunt.* Quia videl. terrena distrahunt, & à cœlestium contemplatione perturbant. Et hoc probat Beatus Bernardus satis diffuse ad Eugenium Papam. Cum igitur summum Pontificem oporteat & expediat, summe & præcipue, spiritualibus & diuinis intendere, non debet eius animus incuruari ad temporale regimen. Vnde, licet Moyses veteris legislator, fuerit eleuatissimus in contemplatione, & diuinis colloquiis assuetus (loquebatur ei enim Deus, *facie ad faciem*, sicut dicitur *numero. 12.*) tamen non fuit sufficiens terrenis intendere, sicut dixit Iettro ei; *Stulto labore consumeris, vltra vires tuas est hoc negotium, esto populo in his quæ ad Deum pertinent, &c.* Propter quod Moyses constituit principes, qui temporales causas populi iudicarent. Præterea in illa Hierarchia cœlesti, est summa pax, concordia & vniformitas voluntatum: hîc autem sunt dissensiones, lites & discordiæ innumerabiles & fraudes. Ideo non est simile de hac, & illa.

Item secundum eundem Dionysium, *omnis multitudo ad vnitatem reducitur, sicut ab vnitate procedit.* Ergo omnis multitudo Prælatorum & Principum reducitur ad vnum summum, qui est super omnes

omnes Principes & Prælatos. Nullus autem talis est nisi Papa. Ergo, &c. Respondeo dicendum, quod sicut temporalia sunt propter corpus, & corpus propter animam: ita quod hæc omnia inferiora debent ad bonum animæ ordinari. Aliter non recte vteretur homo temporalibus, sed potius abuteretur. Sic potestas temporalis quodammodo ordinatur ad spiritualem, in his quæ ad ipsam spiritualitatem pertinent, id est in spiritualibus. Per istum modum multitudo reducitur.

Item sicut vnus solus est creator spiritualium omnium & temporalium, à quo omnia procedunt in esse, & vnus finis ad quem omnia (sicut ad finalem terminum) ordinantur, sicut ipse testatur 1. Apocal. *Ego sum α, & ω.* Id est, Principium & Finis: Sic vnus est omnium gubernator & rector, tam temporalium quam spiritualium. Sed in hoc est differentia, quia in creatione non potest Deus habere vicarium. Ergo vnus solus sub Deo vicarius eius, habens regimen totius vniuersi, & quantum ad temporalia, & quantum ad spiritualia. Respondeo, quando arguitur, vnus est creator, ergo & vnus rector; Dicendum est quod non est simile. Quia creatio est productio de non esse in esse, vbi est infinita distantia. Ideo in creatione requiritur infinita Potentia, quæ non potest esse nisi in vno solo principio simplicissimo & potentissimo: in gubernatione autem istorum inferiorum non requiritur infinita potentia, quia omnia sunt finita, tam spiritualia quam temporalia, tamen valde sunt inter se diuersa. Ideo diuersis egent rectoribus, spirituali videl. & terreno. Vel si dicas, quod nec creatio nec vltima perfectio, quæ est per beatitudinem, sunt communicabiles creaturæ, quia vnam requirit & infinitam potentiam ad infinitam bonitatem; gubernatio autem fuit communicabilis. Ideo licet ipse Deus sit principalis rector totius vniuersi, tamen & per angelos suos sanctos, & per homines voluit mundum regi.

Item, in vno corpore naturali tantum est vnum caput, in quo vigent omnes sensus, & omnia membra regit, ergo in corpore Mystico, quod est Ecclesia, vnum tantum erit caput, alioqui monstruosum esset Ecclesiam habere duo capita, sicut esset monstruosum in vno corpore naturali. Respondeo, dicendum, quod totius Ecclesiæ vnum solum est caput, sicut vna est columba Ecclesia. Sed istud caput dicimus esse CHRISTVM, qui solus est proprie caput Ecclesiæ, à quo deriuata est vtraque potestas, sicut ait Apostolus, Ephes. 2. *Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quod est corpus ipsius.* Potest nihilominus Papa dici caput Ecclesiæ, in quantum est principalis inter ministros Ecclesiæ, à quo dependet tota spiritualis ordinatio, sicut à CHRISTI vicario spirituali principali; Sicut etiam Romana Ecclesia dicitur *caput omnium Ecclesiarum*, non est autem caput quantum ad regimen temporalium, sed quilibet Rex est caput regni, & Imperator [illegible]

Item secundum Philosophum, in omni genere rerum ordinatarum, ad inuicem ponere est vnum minimum ad quod omnia reducuntur; Ergo in Ecclesia, quæ maxime debet esse ordinata, oportet esse vnum ad quem & per quem omnes alii ordinentur, hoc autem non potest esse nisi Papa. Ergo, &c. Respondeo, illud à quo vniuersitas tota fidelium reducitur reductione vltima, consummatione, & finali, est solus Deus, qui solus potest omnem appetitum humanum terminare, & desiderium adimplere; tamen sub Deo, illud minimum vnitum & indiuisibile, ad quod omnes fideles adspiciunt & intendunt, quantum ad ea quæ sunt necessaria vel expedientia ad salutem, est Papa, videlicet quantum ad spiritualia, sicut Rex in regno quantum ad temporalia.

Item ab exordio mundi humanum genus non nisi vnum rectorem Principem legitur habuisse, sicut patet in diuersis statibus huius mundi. Ergo & modo debet esse vnus Princeps rector. Probatur assumptum; In statu innocentiæ Adam præfuit omnibus, & semper præfuisset, si semper in innocentia perstitisset. Post peccatum vero, in statu legis naturæ, Noë super omnes, suo tempore, præfuit. Postmodum vero Abraham, Isaac & Iacob, quilibet eorum præfuit populo DEI. Fueruntque Sacerdotes hostias Domino offerentes. Similiter Melchisedech Sacerdos Hierosolymis fuit DEI summi. Vnde & ipse CHRISTVS dicitur esse Sacerdos secundum ordinem Mechisedech. Cui etiam Abraham Patriarcha decimas obtulit, sicut dicitur *Genes.* 14. in signum quod ei suberat quantum ad temporalia. Similiter in lege Moysaica, Moyses habuit vtramque potestatem, & vtroque gladio vsus est. Ergo multo fortius in statu legis Euangelicæ debet esse vnus vtramque Potestatem habens. Respondeo, quod istud argumentum multas habet particulas ad sui declarationem; Et propter hoc ad singulas illarum opus speciales responsiones dare.

Ad primum quod dicitur de Adam in statu innocentiæ; dicendum est quod in illo statu, omnia fuissent communia, nec quisquam dixisset, aliquid esse suum. Fuisset etiam ibi pax & concordia; non fraus, furtum, rapina, iniuria vel iniquitas. Et ideo cum omnes homines essent spirituales, nulla fuisset ibi iurisdictio temporalis. Post peccatum, non fuit ita, nec modo est; cum multæ fiant iniustitiæ, fraudes & iniquitates abundant. Ideo non est simile. Ibi tamen bene fuisset spiritualis Prælatio, sicut est in angelis sanctis, & fuissent ibi gradus diuersi honoris secundum gradus & ordinationem dignitatis. Quia quantum alius alios præcelluisset in bonitate & sapientia, tantum fuisset amplius honoratus. Ad id quod arguebatur de Noë, dicendum quod DEVS ante diluuium fecit omnia per seipsum, & homini, quem formauerat, præcepta dedit, & transgredienti pœnam imposuit, sicut legimus *Genes. secundo & tertio.* Postmodum alios delinquentes, per seipsum puniuit, vsque ad tempus Noë, sicut patet in Caijm & Lamech. In tempore vero Noë & citra, cepit creaturas suas regere per ministros, quorum primus fuit Noë,

quod ex eo apparet, quia DEVS commisit ei gubernationem Archæ, per quam figuratur Ecclesia, sicut dicit Beatus Petrus. Deus etiam Noë & filiis eius legem rectoriam commisit *Genes.* 9. In hac autem rectoria successerunt, Patriarchæ, Duces & Iudices, Reges & Sacerdotes, & alii qui pro tempore fuerunt Rectores populi Iudæorum. Tamen vsque ad Moysen, proprie loquendo, non fuit verum sacerdotium. Nam Aaron iussu diuino, primus summus Sacerdos legitur institutus, & alii inferiores Sacerdotes, institutione diuina instituti sunt in lege Moysi. Noë vero, Abraham, Isaac & Iacob, Sacerdotes non fuerunt, licet iubente Deo, altaria construxisse, & Deo hostias obtulisse legantur. Abel, Gedeon, Iephte, Manue, Dauid, & multi alii hostias obtulerunt; de quibus constat quod Sacerdotes non fuerint. De Moyse, nulli est dubium quin frequenter hostias Deo immolauit, & tamen Sacerdos non fuit.

Nec obstat quod in Psalmo dicitur; *Moyses & Aaron in Sacerdotibus eius.* Dicit enim ibi Glossa; *Moyses in Dei Sacerdotibus nuncupatur, non quia Sacerdos fuerit, sed quia vota sua Deo obtulit, & pro populo supplicauit.* Igitur Noë, Abraham, Isaac & Iacob etsi dicantur in populo Dei Principes extitisse, non tamen fuerunt Sacerdotes, vt dictum est, nisi valde large dicatur Sacerdos quicunque offert Deo sacrificium laudis, & spiritus contribulati in altari cordis sui; quod faciunt omnes iusti. Isto modo cunctis fidelibus dicit Beatus Petrus, *vos estis genus electum, regale Sacerdotium.* Omnes enim Christi fideles in quantum sunt vnum cum CHRISTO capite, qui est summus Sacerdos, sunt in ipso Reges & Sacerdotes. Quod autem dicitur de Melchisedech, quod videlicet fuit Rex & Sacerdos; Dico quod verum est, sicut scriptura sacra testatur; Non tamen fuit Monarcha totius mundi, sed solum Rex Salem. Hunc autem præmisit Deus ad præfigurandum CHRISTVM, non solum quantum ad vtramque dignitatem, Sacerdotalem & Regiam, sed etiam quantum ad alia multa, sicut ostendit Apostolus *Hebræorum quarto*, Quia videlicet interpretatur Rex iustitiæ & Rex pacis. Describitur etiam sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium neque finem vitæ habens, præfigurans CHRISTVM, qui est Rex Regum & per quem Reges regnant. Cui dicitur in Psalmo; *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.*

Isti autem Melchisedech, dedit Abraham decimas; non necessitate censionis, sed ex donatione propriæ voluntatis, cum in nullo legatur fuisse subiectus. Sed forte illuminatus à DEO adorabat CHRISTVM quem intelligebat præfigurari per illum. Ad illud quod arguebatur de Moyse, quod vtramque iurisdictionem habuit, & vtroque gladio vsus est. Dicendum quod vere fuit populi Dux & Princeps, sed non fuit Sacerdos, vt dictum est. Nam antequam vellet à DEO recipere Principatum, adiunctus est ei Aaron in solatium & iuuamen, qui postmodum ex præcepto DEI institutus est summus Sacerdos; vnde habuerunt discreta officia, & distinctas ad inuicem potestates, ita quod vnus non vsurpabat officium alterius. Quia vero carnalis erat populus Iudæorum, carnalibus vtens sacrificiis & non nisi carnalia seu temporalia sapiebat; Ideo principatus temporalis superior sacerdotio videbatur. Vnde Aaron obediebat Moysi, & Moyses ipsum in subditum arguebat. Sed in populo Christiano, qui legem non carnaliter, sed spiritualiter intelligit, potestas spiritualis debet iudicari dignior & sublimior temporali.

Item Christus qui est caput Ecclesiæ de tribu sacerdotali & Regia fuit ortus vtramque dignitatem in se vniens. Ergo eius vicarius vtramque dignitatem habebit, ita quod omnes Reges erunt ei subiecti sicut omnes Pontifices.

Item Christus vtraque potestate vsus est; Temporali, quando vendentes & ementes eiecit de templo, *Iohan.* 20. Spirituali seu Pontificali, quando semetipsum obtulit hostiam Deo, sicut ait Apostolus Hæb. 2. *Cum Christus assistens Pontifex, &c.* Ergo & vicarius eius vtraque potestate fungetur.

Respondeo; Dicendum quod Christus ex vtraque tribu nasci voluit, quia hæreditario iure Rex erat & Sacerdos, & ab ipso tanquam à capite, deriuanda erat vtraque potestas. Sed ea quæ sunt vnita in capite, non est necesse vnita esse in membris, imo potius ea quæ sunt vnita in capite, & in membris distinguuntur, & perfectiones omnes, quę similiter sunt à Deo. Imo sunt idem, quia Deus per creaturas singulas distribuit, participante ab eis particulariter, & in diuersis diuersimode distinguit.

Ad id quod dicebatur, quod Christus vtraque potestate vsus est; Dicendum, quod ideo hoc fuit, vt ipso facto ostenderet, quod vtraque potestas ab eodem fonte procedit. Vel aliter dici potest, quod Sacerdotale quidem officium voluit exercere, & Sacerdotalem instituere dignitatem. Sed temporali vsus non est. Quia illa euictio vendentium & ementium in templo, magis fuit Sacerdotalis officii quam regalis. Ad purgandum scilicet templum à negotiatione rerum venalium, vt dictum est. Vnde quando quærebatur à populo, vt facerent eum Regem, fugiens, regale fastigium recusauit. Vt aperte monstraret exemplo, quod eius vicarius, & omnes successores eius, simili modo contemnerent. Non ergo voluit eos Reges esse, nec sibi dignitatem Regiam vendicare.

Hoc autem prætermittendum non est, cum Christus in infantia sua, se Regem credi, & vt regem quæri permisit, sicut habetur Matth. 20. *vbi est qui natus est rex Iudæorum*, & à regib. adorari ibidē; & ꝓximus passioni, voluit rex ꝓclamari, & sicut vere rex à populis honorari. Et deniq; pendens in cruce, regię dignitatis titulo insigniri Iesus Nazarenus Rex Iudęorum. Volens quidē credi Rex esse secun-

secundum fidei veritatem, licet vti noluerit, sed oblatam renuerit Regiam dignitatem. Vnde & in passione sua interrogatus specialiter à Pilato, *si esset Rex*? Sed tamen vt patenter ostenderet, quod etiam in articulo mortis, vti tali potestate nolebat, Respondit, *Regnum meum non est de hoc mundo. Si de hoc mundo esset Regnum meum, ministri vtique mei decertarent vt non traderer Iudæis.*

Item, vtramque potestatem videtur Christus commisisse Petro, quando dicit, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quia, sicut in ædificatione materiali, est vnus lapis primarius & fundamentalis: Sic in Ecclesia debet esse, vnus Princeps principalis, totius Ecclesiæ fundamentum. Respondeo: Dicendum quod hæc Petri firmitas, super quam fundata erat Ecclesia, non est dominatio temporalis, sed immobilis & inuiolabilis stabilitas fidei Christianæ, sicut insinuat CHRISTVS dicens: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.* De potestate enim temporali nullam fecit mentionem, quando dicit, *tu es Petrus*; sed solum de potestate spirituali, quæ solum in ligando & absoluendo à peccatis in foro conscientiæ, consistit.

Item tempore Passionis discipuli Christi duos gladios ostenderunt, dicentes; *Ecce gladii duo hic.&c.* & respondit, *satis est.* Per quos gladios secundum doctrinam Sanctorum significantur duæ potestates, quæ sunt in Ecclesia penes summum Pontificem principaliter residentes. Qua vtraque, contra quoscunque, quando necessitas imminet, potest vti, etiam contra Reges & Imperatores. Ergo.&c. Respondeo, si concedamus duos gladios significare duas in Ecclesia potestates; Dicemus quod reuera duæ sunt. Sed vnam habent terreni Principes & aliam habet summus Pontifex. Non enim dicuntur duo gladii fuisse Petro, sed vnus tantum. Sicut insinuat Dominus dicens ei, *Conuerte gladium tuum in vaginam.* Reprehensus est autem Petrus, non quia euaginandus non esset tempore oportuno, quando necessitas imminet; Sed quia euaginauit eum modo & tempore non congruo. Quia non debet Iudex Ecclesiasticus vti eo nisi cum causa, & multa deliberatione, & in magna necessitate.

Item quia Binarius est numerus infamis, quia principium diuisionis. Diuisio autem fons & origo dissensionis, & diuisio causa confusionis. Ergo si essent in Ecclesia duæ potestates distinctæ in duas personas, quarum vna non penderet ab altera, esset in Ecclesia maxima confusio. Respondeo, dicendum quod Binarius, sicut secundum vnam acceptionem, pro eo quod est principium diuisionis, est infamis; Sic secundum aliam, est numerus sacratus, propter duas tabulas Decalogi, in quarum prima continentur præcepta ordinantia ad Deum, in secunda præcepta ordinantia ad proximum. Vel propter duo præcepta charitatis, sicut ait Beatus Gregorius, super illud Lucæ 10. *Misit illos binos ante faciem suam: Duo,* inquit, *sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, & proximi.* Si autem istæ duæ potestates essent omnino distinctæ, ita quod vna non dependeret ex altera; Ista diuersitas esset occasio diuisionis. Sed inter eas est mutua dependentia; quia temporalis indiget spirituali, propter animam; Spiritualis vero indiget temporali, propter temporalium rerum vsum Et hoc expresse habetur 96. *dist. c. cum ad verum.*

Item hoc idem probatur multipliciter per iura Canonica. Primo sic, 22. *distinct. cap. omnes*; dicitur; *Sic Romanam Ecclesiam solus ille fundauit sub petra fidei, mox nascentem erexit, qui Beato Petro, æternæ vitæ clauigero, terreni simul & cœlestis Imperii iura commisit; & illius Priuilegio fungitur, cuius authoritate fulcitur. Vnde non dubium est, quod quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit; Qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur, & cum ille vocetur iniustus, dicendus est hæreticus.* Responsio: Vbi quæritur de potestate summi Pontificis in temporalibus, efficax est testimonium Imperatorum pro Papa, sed non est multum efficax testimonium Papæ pro seipso, nisi demum fulciatur ratione vel authoritate scripturæ, maxime quando Imperator dicit contrarium, & etiam alii summi Pontifices, sicut est in proposito. Ideo,&c. Potest tamen verbum prædicti Canonis, sane intelligi, pro eo quod Dominus Petro, terreni simul & cœlestis Imperii iura commisit, in quantum dedit ei potestatem soluendi & ligandi in terra. Cuius sententia ligationis seu absolutionis, approbatur in cœlo; Et ita exponunt gloss. illud verbum sibi dictum, in traditione clauium, *Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, &c.* Aliter potest dici, quod cum sermones inquirendi sint secundum materiam, sicut ait Apostolus; Et intentio in tota illa Dist. sit, ostendere præeminentiam sedis Apostolicæ ad sedes Patriarchales. Quia sedes Apostolica illas & instituit & autoritatem dedit. Vnde sedes Patriarchales, quidquid potestatis & authoritatis habent, dubium non est, à sede Apostolica emanare. Item Patriarcha authoritatem habet limitatam in aliqua mundi parte; Sedes autem Apostolica, in toto Orbe. Vnde quantum potest se extendere in longum & latum temporalis potestas Imperii: tantum se extendit amplitudo spiritualis potestatis, videlicet Apostolicæ; Et quicunque istud singulare Priuilegium conaretur auferre, asserendo, quod sedes Patriarchales potestatem & autoritatem suam à sede Apostolica non haberent & spiritualem potestatem, iste merito dicendus esset hæreticus.

Item, *extra de elect. cap. fundamenta*, dicit Bonifacius Papa; *Constantinus Imperator quarto die sui Baptismatis, vna cum omnibus satrapis, & vniuerso senatu, optimatibusque, & cuncto populo in personam Beati Syluestri, Romanam concedendam vrbem, relinquens ab eo & successoribus eius, per pragmaticum*

ticum

ticum statutum disponendam, *esse decernens in ipsa vrbe vtriusque potestatis. Monarchiam Romanis Pontificibus declararet non iustum arbitrans, vt vbi sacerdotii principatum & Christianæ religionis caput Imperator cælestis instituit, illic Imperator terrenus habeat potestatem.* Responsio: Si ex institutione diuina Papa dicit se esse Dominum omnium temporalium, necessitas est dicere quod ex donatione Constantini, sit Monarcha vtriusque potestatis, in vrbe. Si dicat quod hanc Monarchiam Constantinus declarauit (& inde caute dictum est, *declararet.*) Respondeo, quod ex constitutione diuina, Monarchia totius mundi, quantum ad vtramque potestatem, non fuit concessa Petro, nec successoribus eius, sicut est superius declaratum. Sed ex dono Constantini potest ibi esse Monarchia, sic intelligendo; Quod cum Papa spiritualem potestatem haberet in vrbe & orbe, Constantinus ipse temporalem illam potestatem quam habebat in vrbe, transtulit in Papam, vt in ipsa vrbe vtraque potestas (quæ in duabus personis erat) esset in solo Papa. Sicut dicimus, quod aliquis Episcopus est Dominus temporalis & spiritualis in sua ciuitate, & sic est ibi Monarcha vtrumque obtinens Principatum. Sic ergo concedimus quod Papa habet Monarchiam vtriusque potestatis in vrbe, non tamen in orbe.

Item 96. *distinct. cap. Constantinus*, dicitur sic: *Constantinus Imperator coronam, & omnem dignitatem in vrbe Romana & in Italia, & in partibus occidentalibus vicario Apostolico concessit.* Item cap. sequenti, vnde sumitur quod dictum est in illa decretali, *Fundamenta*, dicitur sic; *Decernentes sancimus vt principatum teneat Syluester*, (videlicet Papa) *& successores eius, tam super quatuor sedes, quam super omnes in vniuerso orbe Dei Ecclesias. Et Pontifex, qui per tempora, ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & Princeps cunctis Sacerdotibus, & totius mundi existat.* Et infra: *Ecce Palatium nostrum & Romanam vrbem, & omnes Italiæ, siue occidentalium Regionum Prouincias Beatissimo Pontifici Syluestro concedimus atque relinquimus; & ab eo & successoribus eius decernimus disponendum. Itaque iuri Romanæ Ecclesiæ concedimus permanendum.* Et infra: *Quoniam vbi Principatus sacerdotiis & Christianæ religionis caput, ab Imperatore nostro cælesti constitutum est, iustum non est vt illic Imperator terrenus habeat potestatem.* Responsio; De ista donatione Constantini dicunt Iuristæ communiter, quod non valuit multiplici ratione.

Primo quidem, quia ideo dicitur Imperator *semper Augustus*, quia eius propositum debet esse, semper augere Imperium, non minuere; Et ideo dicta donatio non videtur valuisse, maxime cum nimis excessiua fuerit & immensa.

Secundo, quia Imperator est administrator imperii & Reipublicæ, vt dicunt iura.

Tertio, quia non potuit præiudicare successoribus, quando eam reuocare possent, quia non habet imperium par in parem.

Quarto, quia qua ratione potuit dare vnam partem, possent successores eius aliam partem dare, & detruncaretur Imperium. Hæc habentur in *Authent. Quomodo oportet Episcopos. in princip. collat. 1. in gloss.* Dico quod si dicta donatio valuerit, tamen Ecclesia non fuit in possessione, nisi illius portionis terræ, quæ dicitur patrimonium Beati Petri.

Item, non potuit valere quantum ad illos qui non erant subiecti imperio. Quia non potuit dare quod suum non erat; Franci autem non erant ei subiecti vt dictum est supra. Vel dato quod essent subiecti (quod non concedimus) tamen præscriptio longissimi temporis erit contra Imperatorem & Papam, sicut dictum est supra.

Item, Papa potest absoluere vasallos à iuramento fidelitatis debito, Domino temporali; quod non esset, nisi haberet potestatem in temporalibus. Ergo, &c. Responsio: In casu, in quo potest agere contra Principem, potest etiam absoluere vasallos à iuramento fidelitatis, vel absolutos potius declarare; vtpote ratione hæresis vel scismatis, vel contumaciæ contra Romanam Ecclesiam.

Item, Zacharias Papa deposuit Regem Franciæ, sicut habetur 15. *quæst. 6. cap. alius.* Ergo, &c. Respondeo, nusquam legitur quod Regem Franciæ deposuerit, sed deponendum consuluit, vt dicunt quidam. Interrogatus enim, quis potius regnare deberet, an ille qui agebat regni negotia, an ille qui non agebat? Respondit, quod primus. Quo facto Rex Yldericus depositus fuit à Baronibus, & Pipinus ordinatus & inunctus in Regem. Vel, sicut alii dicunt, Rex Yldericus non fuit depositus, sed sponte ingressus monasterium, monachicam vitam assumpsit. Barones autem Regni super electionem Pipini & institutione prædicta hæsitantes, an licitum eis esset, consulunt Papam, quod tamen sine Papa facere potuissent.

Item, extra lib. sexto de immunitate Ecclesiæ, cap. primo. *Non licet his qui iurisdictionem obtinent temporalem, vel iustitiam exercent, ipsas Ecclesias vel personas, ad distrahendum vel alienandum, aut extra manum suam ponendum acquisita, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus coarctare.* Sed hoc non posset Papa statuere, nisi Dominus esset omnium temporalium. Ergo, &c. Responsio: Ista Constitutio noua est, nondum à Principibus approbata; quam cum ad discussionem peruenient, nunquam forsitan approbabunt. Quia per istum modum, personæ Ecclesiasticæ tantas possessiones acquirere possent, quod in damnum & præiudicium intolerabile Principibus & Reipub. proueniret.

Item Papa CHRISTI vicarius, DEI locum tenens in terra, dicitur habere plenitudinem potestatis. Sed non haberet plenitudinem, nisi esset dominus temporalium & spiritualium, vt eo ipso vere dicatur: *Domini est terra & plenitudo Orbis terrarum.* Responsio. Patet per dicta *in*

corpore

corpore quæstionis; quod Christus (triplicem potestatem habens, videlicet corporum, animarum, & rerum temporalium) prima vsus est, sed non commisit, tertia nec vti voluit, nec commisit. Ergo Papa nec super humana corpora, nec super res corporales potestatem habet; sed solummodo ligandi animas & soluendi. Nec quantum ad animas dicendus est habere plenitudinem potestatis nisi in ligando & soluendo, claue tamen non errante. Non enim potest animas creare, nec in eas gratiam infundere, nec saluare, nec damnare, nec peccata remittere, nisi ministerialiter. Dicitur igitur plenitudinem habere tantum in spiritualibus, & non absolute, sed in comparatione inferiorum Prælatorum, qui ad partem sollicitudinis sunt vocati.

Item, qui potest in maius, potest in minus. Sed spiritualia sunt temporalibus digniora. Ergo, &c. Respondeo, illa maior propositio, *qui potest in maius, &c.* veritatem habet in rebus eiusdem generis. Vt si potest Rex expugnare ciuitatem, ergo & castrum. Sed non habet veritatem diuersorum generum. Non sequitur, qui potest generare hominum, potest generare muscam. Cum igitur spiritualia & temporalia sint res diuersorum generum, non sequitur: Quod qui habet potestatem in spiritualibus, habeat eam in temporalibus. Rursus dicta propositio non tenet in illis, quæ ex sola commissione vel delegatione habentur. Videmus enim quod in curiis Principum, confessoribus commissa est cura & regimen animarum, & medicis cura corporum; nec sequitur; confessor potest in maius, id est, in animas; ergo potest in minus, id est, in corpora. Ergo, &c.

Item prima Corinth. sexto. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia*; Quasi diceret, si possumus spiritualia iudicare, multo magis sæcularia possumus & debemus. Ergo, &c. Respondeo, Nuper conuersos ad fidem, reprehendit Apostolus, quia pro negotiis vel controuersiis, quas inter se habebant, super rebus temporalibus; relictis vel contemptis Iudicibus Christianis, remeabant ad Iudices infidelium, quasi non haberent Christianos Iudices, sufficientes de huiusmodi iudicare. Ideo ipsos arguendo, dicit Apostolus: *Si habetis viros spirituales industrios, sufficientes ad iudicandum maiora & difficiliora, quanto magis sufficient iudicare minora.*

Omnia præmissa & singula, dicta sunt sine præiudicio sententiæ melioris, opinando tantum, non sententiando. Licet autem multæ rationes, ad primam partem adductæ, sunt solubiles, & necessario non concludant, quia ad istam materiam non possunt demonstrationes adduci, tamen causa breuitatis, eas non soluimus.

Explicit Quæstio prædicta edita per bon. memoria EGIDIVM DE ROMA *Ord. Fratrum Heremitarum Sancti Augustini, Sacræ Theologiæ eximium Professorem ac Archiepiscopum Bituricens. secundum quod fertur.*

FRA-

FRATRIS IOHANNIS DE PARISIIS, DOCTORIS THEOLOGI, ORDINIS FRATRVM PRÆDICATORVM, Tractatus,

De Potestate Regia & Papali.

PROOEMIVM.

Anno Christi 1305.

INTERDVM contingit, quod vitare volens aliquem errorem, delabitur in errorem contrarium. Sic enim legimus 16. q. 1. nonnullos asserentes quod monachi, quia mundo mortui sunt, non possunt (quia eis repugnat ratione quâ monachi sunt) pœnitentias dare, nec Christianitatem largiri. Quem errorem aliqui vitare volentes, vel forte ipsum præuenientes, dixerunt: Quod monachis debetur ratione qua perfectionis statum elegerunt, confessiones audire, absoluere, ac pœnitentias iniungere salutares. Inter quos duos errores doctrina sana mediat, ponens quod nec monachis repugnat, nec debetur ratione status. Sed eis conuenire potest, si eis à suis ordinariis committatur: quibus de iure debetur. Sic enim in libro *de duabus naturis & vna persona Christi*, dicit Augustinus, quod *fides medium tenet inter duos errores contrarios, scilicet Nestorii & Eutychetis.* Modo consimili circa potestatem Ecclesiasticorum pontificum veritas medium ponit inter duos errores. Nam error Vualdensium fuit, successoribus Apostolorum, scilicet Papæ & Prælatis Ecclesiasticis, dominium in temporalibus repugnare, nec eis licere habere diuitias temporales. Vnde Ecclesiam Dei, & successores Apostolorum & veros prælatos Ecclesiæ Dei, durasse dicunt tantum vsq; ad Syluestrum papam: à quo donatione facta Ecclesiæ per Constantinum Imperatorem, dicunt incepisse Romanam Ecclesiam, quæ modo secundum ipsos non est Dei Ecclesia. Sed Dei Ecclesiam iam defecisse. dicunt nisi quod in ipsis est continuata, & per ipsos reparata. Ad hoc inducunt inter cætera, illud Matthæi sexto: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Et illud prima Timoth. 6. *Habentes alimenta, & quib. tegamur, his contenti simus.* Et illud: *Qui volunt diuites fieri*, & cætera. Et iterum Matth. 6. *Non potestis Deo seruire, & mammona.* Et ibid. *Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis, neq; corpori, &c.* Et illud: *Respicite volatilia cæli.* Et illud Matth. 5. *Nolite possidere aurum*, & cætera. Et illud Lucæ 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet*, & cætera. Et illud Actuum tertio: *Argentum & aurum non est mihi*, & cætera. Ex his dicunt, prælatos Ecclesiæ Dei, successores Apostolorum, non debere habere dominium in diuitiis temporalibus & terrenis.

Alius vero fuit error Herodis, qui audiens Christum regem natum, credidit ipsum esse regẽ terrenum. Ex quo deriuari videtur opinio quorundam modernorum, qui intantum supradictum errorẽ Vualdensium declinant, ad oppositum totaliter deflexi, ita vt asserant, dominum Papam, in quantum est loco Christi, in terris habere dominium in temporalib. bonis Principũ & Baronum, & cognitionem seu iurisdictionem. Dicunt ẽt, quod hanc potestatem in temporalib. habet Papa excellentius, quam princeps secularis: quia Papa habet eam secundum primariam auctoritatem, vt a Deo immediate princeps, aut habet eam a Papa mediate. Et iterum dicunt, quod Papa non habet executionem immediatam, nisi in aliquib. casib. notatis, *extra, qui filii sunt legitimi. per venerabilem.* princeps autem habet regulariter immediatam executionem. Et qui aliter notauerunt, locuti sunt in fauorem principum, quod verum est deserentes. Et si Papa dicit, se aliquando iurisdictionem temporalem non habere: intelligendum est, quantum ad regularem & immediatam executionem, vel quia vul[illegible]cem principum & Ecclesiæ custodire: vel ne pręlati sint nimis proni ad intromittendum se de temporalib. bonis & secularib. negociis. Dicunt etiam, quod aliter se habet Papa ad bona temporalia, quam principes & prælati: & solus papa est verus Dominus temporalium, ita quod potest pro libito absoluere vsurarium a debito vsuræ, & auferre ab alio quod alias suum est. Et tenet factum eius, licet peccet, nec debeat hoc facere nisi pro causa rationabili; id est pro defensione Ecclesiæ, & aliis huiusmodi. Sed prælati cæteri & principes non sunt domini, sed tutores, procuratores & dispensatores. Hæc autem opinio quantum ad dominium in rebus, nõ solum ex errore Herodis nascitur: sed videtur intrare Vigilantii errorem. Nam hoc tenent omnes, & tenendum est, quod domino papæ non repugnat ratione status sui, id quod est perfectionis Euangelicæ. Constat autem, quod si papa ratione sui status, in quantum scil. papa, & Christi vicarius, est dominus omnium, abdicatio proprietatis & abiectio dominii in temporalib. ei repugnat ratione sui status, cum oppositum per se cõueniat. Paupertas ergo & priuatio dominii in reb. temporalib. siue exteriorib. non est perfectionis Euangelicæ, vt dicit Vigilantius: de quo dicit Augustin. in lib. *de Agone Christiano*, quod sunt qui quæ sua sunt quærunt, quamuis catholici: aut ex ipso Christi nomine gloriam quærentes hæretici. Ex quorum numero olim Vigilantius surrexit in Gallia, quæ antea errorum monstris caruerat, paupertati diuitum status æquare præsumens, sicut olim Iouinianus in Italia matrimonium castitati. Videtur etiam hæc opinio aliquid habere de supercilio Pharisæorum, qui populum decimas & sacrificia Deo offerentem, non teneri ad censum reddendum Cæsari prædicabant, *vt ab ipsis ditiorib. effecti, pinguiores reciperent portiones*, vt dicit Hieron. Hæc ẽt

opinio

opinio in hoc periculosa videtur, quod à conuersis ad fidem, dominium rerum, quod prius habebant, transfert in summum pontificem. Ex quo fides ipsis minus reddetur gratiosa, & ipsi fidei detrahitur, cum per eam turbantur iura conditionis Christianæ, vt dicit glossa, *1. Petri 2.* Ex hac etiam opinione timendum est, ne dum in domo Domini sic negotiatio ingrediatur, vt *Iesus iratus & rigidus non aliter mundet templum suum, nisi flagello adhibito, & de spelunca latronum faciat domum orationis*: vt dicit Chrysostomus super Matthæum.

Inter has autem opiniones tam contrarias, quarum primam erroneam omnes putant: puto ego quod veritas medium ponit, scilicet quod prælatis Ecclesiæ non repugnat habere dominium in temporalibus, & iurisdictionem, contra primam opinionem. Nec debetur eis per se ratione sui status, & ratione qua sunt vicarii Iesu Christi & Apostolorum successores: sed eis conuenire potest, habere talia ex concessione & permissione principum, si ab eis ex deuotione aliquid fuerit collatum eis, vel si habuerint aliunde. Protestor autem, quod nihil intendo dicere cum assertione aliqua contra fidem: nec contra bonos mores, vel sanam doctrinam personæ, vel status summi pontificis reuerentiam. Et si aliquid huiusmodi occurrerit inter dicta vel dicenda principaliter vel incidenter, volo pro non dicto haberi, volens hanc protestationem valere & currere, ac si eam specialiter resumerem super quodlibet dicendorum.

In hac autem materia ad declarationem prædictorum, sic proceditur. Primo ostendetur quid sit regnum, & vnde habuerit ortum. Secundo ostendetur de sacerdotio. Tertio, de ordine ministrorum ad vnum supremum. Quarto, quod sit prius tempore regnum vel sacerdotium. Quinto, quod eorum sit prius dignitate. Sexto, quod sacerdotium non est prius causalitate. Et ibi primo declarabitur, quomodo Papa se habet ad bona exteriora Ecclesiastica, quoad dominium. Septimo, quomodo ipse se habet ad bona laicorum. Octauo, quod ipse non habet iurisdictionẽ à Christo in bonis laicorum, & quod Christus eam non habuit. Nono, ponentur rationes ad contrarium, & solutiones earũ. Decimo ostendetur, quod dato quod Christus habuit eam, tamen ipsam Petro non dedit. Vndecimo ponentur quadraginta duæ rationes, dicentiũ quod Papa habet iurisdictionem in bonis tẽporalibus laicorum. Duodecimo, præmittentur aliqua ad solutionem prædictorum, & ad intelligẽdum quam iurisdictionem vel auctoritatem habet Papa in temporalib. bonis, & ibi ponentur auctoritates Petro & aliis Apostolis commissæ à Christo. Decimotertio ostẽdetur, quod illis auctoritatibus præmissis non habeant prælati Ecclesiasticã iurisdictionem in temporalibus, nec ob illas principes eis in temporalibus sunt subiecti. Decimoquarto, ponentur rationes ad primũ senarium rationum præmissarum. Decimoquinto, ad secundum senarium. Decimosexto, ad tertium senarium. Decimoseptimo, ad quartum. Decimooctauo, ad quintum. Decimonono, ad sextum. Vicesimo, ad septimum. Vicesimoprimo habebitur de donatione Constantini, & quid Papa propter eam possit. Vicesimosecundo ostendetur, an licitum sit de huiusmodi pertinentibus disputare & iudicare. Vicesimotertio ponentur rationes aliorum, quod Papa non possit resignare. Vicesimoquarto ostendetur, quod potest. Vicesimoquinto, soluentur rationes prædictæ.

CAP. I.

Quid regnum, & vnde habuit ortum.

CIrca primum igitur sciendum, quod regnum proprie acceptum, sic potest diffiniri. *Regnum est regimen multitudinis perfectæ, ad commune bonum ordinatum ab vno.* In qua descriptione, *regimen* ponitur pro genere: *multitudinis* vero, ponitur ad differentiam regiminis, quo quilibet se ipsum regit, vel naturali instinctu, vt contingit in brutis: vel sua ratione, vt in solitariam vitam ducentibus contingit. *Perfectæ* ponitur, ad differentiam multitudinis domesticæ, quæ non est perfecta: quia sibi non sufficit, nisi ad modicum tempus, & non ad totam vitam, sicut ciuitas, secundum Philosophum *in primo Politicorum. Ad commune bonum ordinatum*, ponitur ad differentiam Tyrannidis, Oligarchiæ & Democratiæ: vbi rector solum intendit bonũ suum, & præcipue in tyrannide. *Ab vno* vero, ponitur ad differentiam Aristocratię, id est principatus optimorũ, seu optimatum, vbi scilicet pauci dominãtur secundum virtutem. Quod regimen vocant aliqui Responsa prudentum, vel Senatus consulta: ad differentiam Polycratiæ, vel Politiæ, vbi populus denominatur, vel plebiscita. Non est enim rex, nisi qui solus dominatur, dicente Domino per Ezechiel. cap. 37. *Seruus meus Dauid rex super omnes erit.* Est autem tale regimen à iure naturali, & à iure gentium deriuatum. Nam cum *homo sit animal naturaliter politicum seu ciuile*, vt dicitur in *primo Politicorum*, quod secundum Philosophum oritur ex victu, vestitu, defensione, in quibus sibi solus non sufficit: & etiam ex sermone qui est ad alterum, quæ homini debentur: necesse est homini, vt in multitudine viuat, & tali multitudine quæ sibi sufficiat ad vitam. Huiusmodi autem non est communitas domus vel vici, sed ciuitatis vel regni. Nam in sola domo vel vico non inueniuntur omnia ad victum, vestitum, vel defensionem necessaria ad totam vitam, sicut in ciuitate vel regno. Omnis autem multitudo, quolibet quærente quod suum est, dissipatur, & in diuersa dispergitur: nisi ad bonum commune ordinetur per aliquem virum, qui curam habeat de bono communi: sicut corpus hominis deflueret, nisi esset aliqua vis communis in corpore, quæ ad bonum commune omnium membrorum intenderet. Propter quod Prouerbiorum 11. dicitur, quod *vbi non est gubernator, populus corruet.* Hoc autem est necessarium, nam non est idem, quod proprium est, & quod commune est. Secundum proprium qui-

dem differunt homines: per commune autem vtuntur, diuersorum aut diuersæ sunt causæ. Et ideo oportet, præter id quod mouet ad proprium bonum vniuscuiusque, esse aliquid quod moueat ad bonum commune multorum.

Est autem vtilius regnum multitudinis, per vnum qui præest secundum virtutem, quam per plures, vel paucos virtuosos, quod patet tum ex potentia: nam in vno principante virtus est magis vnica, quam in pluribus, & ideo fortior. Tum ex vnitate & pace, quæ intendi debet in regimine multitudinis, nam plures principantes non seruant pacem multitudinis, nisi fuerint vniti & concordes. Si ergo *propter vnumquodque tale, & illud magis*, vt dicit Philosophus: vnus princeps seu principans secundum virtutem magis poterit seruare pacem, quam plures, & non tam de facili poterit turbari pax omnium. Tum etiam, quia princeps vnus intendens ad bonum commune, habet oculum ad magis commune, quam si plures dominentur, etiam secundum virtutem. Et quanto plures excipiuntur, tanto residuum est minus commune: & quanto pauciores, tanto residuum est magis commune. Propter quod dicit Philosophus, quod inter principaliter intendentes suum bonum proprium, tyrannus est peior: quia magis proprium intendit, & contemnit magis commune. Tum quia in naturali regimine videmus totum ad vnum reduci, vt in mixto corpore vnum elementum dominatur: in humano corpore heterogeneo, vnum est principale membrum in toto homine, & anima continet omnia elementa: animalia etiam gregalia, vt apes, & grues, quibus naturale est in societate viuere, & obediunt naturaliter vni regi.

Ex quibus patet, homini necessarium esse, & vtile, in multitudine viuere: & maxime tali quæ sufficere potest ad totam vitam: vt est ciuitas & regnum, & regio, & præcipue sub vno principante: propter bonum commune, qui rex dicitur. Et patet etiam, quod hoc regimen deriuatur non solum à iure naturali, ex eo scilicet quod homo naturaliter est animal ciuile vel politicum, & sociale in tantum, quod ante Belum & Ninum, qui primitus regnauerunt, homines non naturaliter, nec vt homines, sed more bestiarum sine regimine viuebant: vt narrat quosdam vixisse Orosius *primo suo libro contra Paganos*. Et Tullius consimilia dicit *in principio Veteris rhetoricæ*. Et Philosophus dicit de talibus *in Politicis*, quod non viuunt vt homines, sed vt dii vel bestiæ. Et cum per verba communia ad vitam communem naturaliter eis conuenientem (vt visum est) à vita bestiali non possent huiusmodi homines reuocari, homines magis ratione vtentes, eorum compatientes errori, ad vitam communem sub vno aliquo ordinatum, rationibus persuasoriis reuocare conati sunt, vt dicit Tullius: & ita reuocatos certis legibus ad viuendum communiter ligauerunt: quæ quidem leges hic ius gentium dici possunt. Et sic patet, quod huiusmodi regimen à iure naturali & gentium deriuatur.

CAP. II.

Quid sit Sacerdotium, & vnde habuit ortum.

CÆterum est considerandum, quod homo non solum ordinatur ad bonum tale, quod per naturam potest acquiri, quod est viuere tantum secundum virtutem: sed vlterius ordinatur ad finem supernaturalem, quæ est vita æterna, ad quam tota hominum multitudo viuentium secundum virtutem, ordinabilis est: secundum quod patet in *Symbolo fidei* nostræ, & ideo oportet vnum aliquem esse, qui multitudinem fidelium dirigat ad hunc finem. Et si quidem ad hunc finem posset perueniri virtute naturæ humanæ, necessarium esset, vt ad officium regis humani pertineret, dirigere homines in hunc finem: quia hunc regem humanum dicimus, cui commissa est cura summa regiminis in rebus humanis. Sed quia vitam æternam non consequetur homo per virtutem naturæ humanæ, sed diuinæ, secundum illud Apostoli Romanorum 6. *Gratia Dei vita æterna*: Ideo perducere ad istum finem, non est humani regiminis, sed diuini.

Ad illum igitur regem pertinet hoc regimen, qui non solum est homo, sed etiam Deus: scilicet Christus Iesus, qui homines filios Dei faciens, introducit in vitam æternam, propter quod *Rex* appellatur, dicente Hieremia: *Regnabit rex, & sapiens erit*, hoc autem regnum à Deo patre est ei creditum, quod non corrumpetur. Et quia ad curam regis pertinet, remouere impedimenta pertingendi ad finem, & conferre remedia & adiutoria perueniendi: ideo Christus seipsum offerens Deo patri, vt sacerdos simul & sacrificium, impedimentum vniuersale per mortem suam remouit, offensam scilicet Dei patris pro communi peccato generis humani. Et propter hoc sacerdos verus dictus est, *pro hominib. ex hominibus assumptus*, Hebræorum 5. Verum quia causam vniuersalem oportet coniungi particularibus effectibus, necessarium fuit quædam habere remedia, per quæ illud beneficium generale nobis aliquo modo iungeretur.

Et illa sunt Ecclesiæ Sacramenta, in quibus specialis virtus passionis Christi continetur, sicut virtus agentis in instrumento. Et ideo ipsa esse sensibilia conueniebat, vt homini prouideretur secundum eius conditionem, quæ est, ad spiritualia & intelligibilia capienda deduci per sensibilia, secundum illud Romanorum 1. *Insensibilia Dei per ea quæ facta sunt*, &c. Et vt instrumenta ista verbo incarnato (cuius vt principalis agentis virtutem continent) proportionata essent, dum spiritualem virtutem continent sensibilibus signis.

Cæterum quia Christus præsentiam suam carnalem erat Ecclesiæ substracturus, necessarium fuit vt alios ministros institueret, qui huiusmodi sacramenta hominibus ministrarent: qui ideo *sacerdotes* dicuntur, quasi sacra dantes, vel sacra docentes homines.

Hos

Hos autem ministros ideo oportuit non angelos esse, sed homines, spiritualem virtutem sibi collatam habentes. Vnde Apostolus Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus est*, &c. Et hoc, vt minister & ministerium conuenirent, in quo est virtus spirituali sub sensibili elemento, & causa principali salutis hominum, Verbo scilicet incarnato secundum nostram salutem, virtute & auctoritate operatur, in quantum Deus est, & homo.

Ex his patet, quod sacerdotium definiri potest in hunc modum: *Sacerdotium est spiritualis potestas Ecclesiæ, ministris Ecclesiæ à Christo collata, ad dispensandum fidelibus sacramenta.*

CAP. III.

De ordine Ministrorum ad vnum summum: quod non est necesse omnes principes ad vnum reduci, sicut ministros Ecclesiæ ad vnum supremum.

CÆterum quia secundum Apostolum 2. *Corinth.* 3. hæc potestas data est Ecclesiæ ad ædificationem: oportet hanc potestatem tamdiu durare in Ecclesia, quamdiu ecclesia ædificatione indiget, scilicet vsque ad finem mundi. Et ideo sic fuit data primo Christi discipulis, vt per eos deriuari posset ad alios. Inter quos oportet esse aliquos ministros superiores & perfectos, qui huiusmodi sacerdotium aliis conferant ordinando & consecrando.

Et hi sunt *episcopi* superintendentes: qui licet non excedant simplices sacerdotes, quantum ad verum corpus Christi consecrandum: excedunt tamen in iis quæ sunt ad fidem, vel fideles. Nam episcopi sunt sacerdotes magni, & perfecti: quia possunt alios facere sacerdotes, quod non possunt simplices & inferiores. Et quidquid arduum circa fidelem populum est agendum, episcopis reseruatur: quorum auctoritate, etiam sacerdotes possunt id quod illis committitur. Et in his quæ sacerdotes agunt, vtuntur rebus ab episcopis consecratis: vt calice, altari & palliis, vt dicit Dionysius *de Ecclesiastica hierar. cap. de Sacerdotalibus perfectionibus.* Manifestum est autem, quod licet populi distinguantur per diuersas diœceses & ciuitates, in quibus præsunt episcopi diuersi in spiritualibus: tamen vna est omnium fidelium Ecclesia, & vnus populus Christianus. Et ideo, sicut in qualibet diœcesi est vnus episcopus, qui est caput Ecclesiæ in illo loco vel populo: ita in tota Ecclesia, & in toto populo Christiano, est vnus summus episcopus, Papa scilicet Romanus, Petri successor: vt sic Ecclesia militans per similitudinem à triumphante deriuetur, vbi vnus præsidet, qui præsidet toti vniuerso, Apoc. 21. *Ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* & Ioelis 1. *Congregabuntur filii Iuda, & filii Israel pariter, vt ponant sibi caput vnum.* Iohan. 10. *Fiet vnum ouile, & vnus pastor.* quod quidem de Christo intelligi non potest, sed de aliquo alio ministro qui præsit loco eius. Nam post corporalem subtractionem præsentiæ corporalis Christi, conuenit interdum circa ea quæ sunt fidei, quæstiones moueri, in quibus propter diuersitatem opinionum vel sententiarum diuideretur Ecclesia: quæ ad sui vnitatem requirit fidei vnitatem, nisi per vnius sententiam Ecclesiæ vnitas seruaretur. Hic autem principatum huiusmodi habens, est Petrus, successorque eius: non quidem synodali ordinatione, sed ex ore Domini qui Ecclesiæ suæ noluit deficere in necessariis ad salutem, ipso dicente Iohannis vltimo, ante ascensionem, Petro singulariter: *Pasce oues meas*, & Lucæ 22. ante passionem: *Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Hunc autem ordinem ad vnum supremum magis inuenimus inter ministros Ecclesiæ, quam inter principes seculares: quia ministri Ecclesiastici diuino cultui specialiter deputati sunt Domino, tanquam populus peculiaris. Et ideo ex diuino statuto est ordo omnium ministrorum ad vnum. Non sic autem fideles laici sic habent ex iure diuino, quod subsint in temporalibus vni monarchæ supremo: sed ex naturali instinctu, qui ex Deo est, habent, quod ciuiliter & in communitate viuant: & per consequens, vt ad bene viuendum in communi rectores eligant diuersos quidem, secundum diuersitates communitatum. Quod autem ad vnam supremam hierarchiam in temporalibus reducantur, nec ex inclinatione naturali, nec ex iure diuino habent: nec eis conuenit ita, sicut ministris Ecclesiasticis.

Primo quidem, quia sicut in hominibus est diuersitas magna ex parte corporum, non autem ex parte animarum, cum omnes sint in eodem gradu essentiali constitutæ, propter vnitatem speciei humanæ: ita secularis potestas plus habet diuersitatis secundum secularitatem, & complexionum diuersitatem, quam spiritualis, quæ minus in talibus variatur. Vnde non oportet esse tantam vniuersitatem in vna, sicut in alia.

Secundo, quia non tantum sufficit vnus ad dominandum toti mundo in temporalibus, sicut vnus sufficit in spiritualibus: quia potestas spiritualis censuram suam transmutare potest faciliter ad omnes, tam propinquos quam remotos, cum sit verbalis, non potestas secularis, gladium suum cum effectu transmittere tam faciliter potest ad remotos, cum sit manualis; facilius enim est verbum extendere, quam manum.

Tertio, quia temporalia laicorum non sunt communitatis, sed quilibet est dominus suæ rei, tanquam per suam industriam acquisitæ, vt infra patebit: & ideo non indigent dispensatore communi, sed quilibet suæ rei sit ad libitum dispensator. Bona vero Ecclesiastica communitati sunt collata, vt videbitur infra: & ideo oportet quod sit aliquis vnus qui communitati præsit, vt bonorum omni-

um communis dispensator, non ergo tantum conuenit quod præsit aliquis vnus toti mundo in temporalibus laicorum, sicut in temporalibus clericorum.

Quarto, quia omnes fideles conueniunt in vna fide catholica, sine qua non est salus: & sæpe conuenit multas quæstiones oriri de pertinentibus ad salutem seu fidem in diuersis regionibus, sicut regnis. Et ideo ne propter diuersitatem controuersiarum vnitas fidei destruatur, necesse est (vt dictum est) vnum esse superiorem in spiritualibus, per cuius sententiam controuersiæ terminentur. Sic autem non est necesse omnes fideles vniri, in aliqua re publica communi: sed possunt secundũ diuersitatem climatum, regionum & conditionum hominum, esse diuersi modi viuendi, & diuersæ Politiæ: & quod est virtuosum in vna gente, non est virtuosum in alia. Sicut de singulis personis dicit Philosophus *in secundo Ethicorum*, quod aliquid est vni parum, quod alii est nimium. Sicut quod est nimium magistro gymnasiorum, scilicet comedere decem minas seu vncias, esset parum Miloni, qui scilicet *vno ictu de pugno, taurum victimam faciebat*, vt dicit Commentator. Non est ergo sic necesse mundum regi per vnum in temporalibus, sicut necesse est quod regatur per vnum in spiritualibus: nec ita trahitur à iure naturali, vel diuino. Vnde Philosophus *in Politicis* dicit, generationem regni esse naturalem in singulis ciuitatibus vel regionibus, non autem imperii vel monarchiæ.

Augustinus etiam quarto *de Ciuitate Dei* dicit, quod melius & magis pacifice regebatur respublica, cum vniuscuiusque, vel vnumquodque regimen suæ patriæ terminis finiebatur. Et ibidem etiam dicit, quod causa destructionis imperii Romani fuit ambitio propria dominandi, vel prouocans alienas iniurias: & sic non ita trahitur à iure naturali, quod in temporalibus sit vnus monarcha, sicut in spiritualibus. Nec huic obuiat, quod *7. quæst. 1. In apibus*, vbi dicitur quod vnus debet præesse, & non plures: quia ibi loquitur de re vna, vbi non expedit plures ex indistincto dominari: sicut ostendit de Remo & Romulo, qui simul & ex indistincto dominabantur: & ideo vnus in alium fratricidium commisit. Similiter ibidem ostenditur per alia exempla.

Cap. IV.

Quid sit prius, Regnum vel Sacerdotium:

NVnc videndum est, quid prius fuit tempore, regnum vel sacerdotium. Ad quod sciendum est, quod de regno loquendo proprie, prout nominant regimen non solum domus, vel vici ciuitatis, sed prouinciæ, in qua inuenitur maxime sufficientia eorum, quæ pertinent ad totam vitam. Et loquendo de sacerdotio proprie, prius fuit tempore regnum sacerdotio. Nam vt ait Aug. *16. de Ciuitate, cap. 17.* primum regnorum fuit regnum Assyriorum, quod longe ante datam legem incepit: quia in Assyria primo regnauit Belus, scilicet 65. annis, quo defuncto, filius eius Ninus regnum amplians per totam Asiam maiorem, etiam in India regnauit 52. annis, 43. annos habens in regno, quando natus est Abraham, anno qui erat circiter 1200. ante Vrbem conditam. Simul ergo cum isto regno incœpit regnum Sicyoniorum in Græcia, quod in sui principio non fuit tantum: cuius primus rex fuit Egyaleus, cuius filius fuit Europs.

Eodem tempore inuenitur de Deum verum colentibus, rex Salem Melchisedech: quem Hebræi dicunt Sem, filium Noe: & dicunt eum vixisse vsq; ad Isaac.

His autem temporibus iamdudum ante veris regibus existentibus, nondum erat sacerdotium, nec fuit vsq; ad Mediatorem Dei & hominum Christum Iesum. Quod ex hoc patet. Nam apud gentiles si qui sacerdotes dicebantur, non erant veri sacerdotes: quia nec sacrificia offerebant vero Deo, sed æstimato. Deut. 32. *Immolauerunt dæmoniis, & non Deo.*

Si vero aliqui Leuitici generis sub lege in Dei populo dicebantur sacerdotes, non erant veri sacerdotes, sed figura verorum sacerdotum, & eorum sacrificium tantummodo figurale: & sacramenta eorum non erant vera, sed figuralia: eo quod à peccato non mundabant: nec cœlum aperiebant, sed figurabant, mundando quasdam irregularitates, & aperiendo templum manufactum, per quod apertio templi non manufacti per Iesum Christum figurabatur, nec promittebant spiritualia, nisi sub specie temporalium: secundum quod dicit Apostolus Hebræorum 11. *Vmbram habet lex futurorum bonorum.*

Ante regem vero inuenitur Melchisedech, sacerdos Dei summi: cuius sacerdotium licet perfectius & præstantius esset sacerdotio Leuitico, tamen solum fuit figurale, & non verum. Erat enim perfectius, quia Christi repræsentabat sacerdotium: quantum ad illud, in quo excellebat sacerdotium Christi, sacerdotium Aaron: & sacerdotium Aaron in significando deficiebat à sacerdotio Christi, scilicet quantum ad perpetuitatem: quia non legitur in Scriptura, Melchisedech habere initium vel finem, sicut nec Christus habuit. Et quantum ad multa quæ ponit Apostolus *Hebræorum 5.* sed tamen tantum erat figurale, & non verum sicut nec sacerdotium Leuiticum.

Accipiendo ergo verum sacerdotium, non fuit sacerdotium vsque ad mediatorem Dei & hominum Christum Iesum, cuius sacerdotii participes nos effecit.

Ab æuo igitur Abraham, ante cuius natiuitatem fuerunt reges Assyriorum, Sicyoniorum, Ægyptiorum, & alii quidam, fluxerunt vsque ad Christum, secundum Methodium, duo millia annorum: vel secundum alios, 1150.

Ma-

Manifestum est, ante verum sacerdotium, regnum duratione temporis fuisse: & reges veri erant (licet cum hoc illi qui vngebantur in proposito Dei Christum figurarent) cum officium eorum esset ad vitæ humanæ ciuilis necessitatem, sicut modo.

Est tamen sciendum, quod si sacerdotium acciperetur large & improprie, prout legalis sacerdos, vel quilibet alius figuralis vel æstimatiuus sacerdos dicebatur, simul currit & cadit sacerdotium cum regno. Nam in numero Deum colentium Melchisedech simul fuit rex Salem, & sacerdos Dei summi: & ab ipso secundum Hebræos, & secundum Magistrum *in historiis*, per primogenitos continuatum est sacerdotium vsque ad Aaron.

Iste autem Melchisedech secundum Hebræos genuit Arphaxat, duobus annis post diluuium, & fluxerunt à diluuio vsque ad septuagesimum annum vitæ Abrahæ, quando prima promissio ei facta est (vt habetur *Genesis 12.* secundum planum literæ) anni 470. vel secundum alios, 430.

Apud alios vero, imo simpliciter, primum regnum olim fuit regnum Assyriorum, vt supra dictum est: cuius primus rex fuit Belus. Ninus autem filius eius, ei succedens in regno, patre defuncto idolum fecit nominatum Bel: à quo denominata sunt idola cætera prouinciarum, vt Beelphegor, Beelsebut, & alia huiusmodi: instituitque sacerdotes siue flamines, per quos sacrificia eis offerebantur.

Ex his satis patet, regnum concurrisse cum sacerdotio, sic accepto, scilicet æstimato, vel figurali: diu tamen regnum præcessisse sacerdotium verum.

CAP. V.

Quid sit prius dignitate, regnum vel sacerdotium.

EX prædictis patere potest de facili, quid sit prius dignitate, regnum vel sacerdotium. Nam quod posterius est tempore, solet prius esse dignitate, vt perfectum imperfecto, & finis eo quod est ad finem. Et ideo dicimus, potestatem sacerdotalem maiorem esse potestate regali, & ipsam præcellere dignitate: quia hoc semper reperimus, quod illud ad quod pertinet vltimus finis, perfectius est & melius, & dirigit illud ad quod pertinet interior finis. Regnum vero ad hoc ordinatum est, vt multitudo congregata viuat secundum virtutem, vt supra dictum est. Et cum hoc vlterius sacerdotium ordinatur ad altiorem finem, qui est Dei fruitio, cuius directionis cura credita est Christo, cuius vicarii & ministri sunt sacerdotes: & ideo dignior est potestas sacerdotalis regali potestate. Et hoc conceditur communiter, 96. distinction. capitulo, *duo quippe sunt: Non tam preciosius est aurum plumbo, quam regia potestate ordo sacerdotalis est altior.* Et extra. *de maioritate & obedientia, capit. Solitæ*, dicitur: quia *praferuntur spiritualia temporalibus, sicut sol luna*, sic & cætera. Et Hugo de sancto Victore, libro secundo de Sacramentis, parte secunda, capitulo quarto, ait sic: *Quantum vita spiritualis dignior est quam terrena, & spiritus quam corpus: ita potestas secularis terrenam potestatem honore & dignitate præcellit.* Et Bernardus ad Eugenium Papam, capitulo primo: *Quæ nam tibi videtur dignitas & potestas, dimittendi peccata, aut prædia diuidendi: sed non est comparatio*; quasi dicat: Maior est potestas spiritualis, ea ergo dignitate præcellit. Nec tamen si principe maior est sacerdos dignitate, & simpliciter oportet quod eo sit maior in omnibus. Non enim sic se habet potestas secularis minor ad potestatem spiritualem maiorem, quod ex ea oriatur vel deriuetur: sicut se habet potestas proconsulis ad Imperatorem, qui eo maior est in omnibus, quia potestas sua ab eo deriuatur. Sed se habet sicut potestas patrisfamiliâs ad potestatem magistri militum, quarum vna non est deriuata ab alia, sed ambæ à quadam superiori potestate. Et ideo in aliquibus potestas secularis maior est potestate spirituali, scilicet in temporalibus: nec quo ad ista, est ei subiecta in aliquo, quia ab illa non oritur: sed ambæ oriuntur ab vna suprema potestate, scilicet diuina immediate: propter quod inferior non est omnino subiecta superiori, sed in his solum in quibus suprema subiecit eam maiori.

Quis enim diceret, quod quia doctor literarum, vel instructor morum, ordinat omnes de domo ad nobiliorem finem, scilicet ad cognitionem veritatis: ideo & medicus, qui respicit inferiorem finem, scilicet corporum sanitatem, sit ei subiectus, in suis medicinalibus propinandis. Hoc enim non oportet, cum paterfamilias, qui vtrumque in domo constituit, eum, quo ad hoc, non supposuerit ei.

Est ergo sacerdos in spiritualibus maior principe, & econuerso in temporalibus princeps maior sacerdote: licet simpliciter sacerdos maior sit, quantum spirituale maius est temporali.

Et hoc etiam ostendunt exempla prædictarum auctoritatum. Nam licet aurum sit preciosius plumbo, tamen plumbum non est ex auro causaliter. Hoc etiam expresse dicitur *secunda, quæstione septima: nos si incompetenter.* Est tamen considerandum, quod illud quod dictum est, intelligamus de vero sacerdotio Christi. Nam sacerdotium gentilium, & totus diuinus cultus eorum erat propter temporalia bona, quæ ordinantur ad bonum commune multitudinis, cuius cura regi incumbit. Et ideo sacerdotes gentilium regibus subdebantur, & maius erat sacerdotio regnum: sicut superior est potestas cui incumbit cura de communi bono, quam potestas cui solum incumbit cura de particulari. Similiter in veteri lege sacerdotium solum bona temporalia promittebat immediate, licet non à dæmonibus, sed à vero Deo exhibenda. Ideo etiam in veteri lege sacerdotium indignius erat potestate regia, & ei subiectum: quia per sacerdotem non dirigebatur rex ad

aliquid alicuius bono multitudinis, cuius cura sibi incumbebat, è conuerso autem est in noua lege. Est autem considerandum, quod mirabiliter ex diuina prouidentia factum est, quod in vrbe Romana, quam Deus præuiderat fore principalem Christiani sacerdotii sedem, iste mos paulatim inualuit: vt ciuitatis rectores (etsi non ex debito iustitiæ, cum simpliciter essent maiores sacerdotibus) plusquam in cæteris locis voluntarie se subdebant: dicente Valerio, *Omnia post religiones ponenda semper nostra ciuitas duxit, etiam in quibus summæ maiestatis conspici decus voluit, quapropter non dubitauerunt sacris imperia seruire: ita se futura humanarum rerum regimen æstimantia, si diuinæ potentiæ bene atque constanter fuissent famulata.* Quod, quia futurum erat vt in Francia plurimum vigeret religio sacerdotii Christiani, diuinitus est prouisum, quod etiam apud Gallos, gentiles sacerdotes (quos Druydes nominabant) totum Gallicum bellum definirent, vt scripsit Iulius Cæsar *de Gallico bello.* Est igitur Christi sacerdotium dignius regia potestate.

CAP. VI.

Quod sacerdotium non est prius regno causalitate: & quomodo se habet Papa ad exteriora bona Ecclesiastica, quoad dominium.

ET quia aliqui præeminentiam sacerdotii super regiam potestatem vel dignitatem in tantum extollere volunt, vt dicant sacerdotium non prius solum dignitate, sed etiam causalitate: & potestatem secularem in sacerdotali contineri, & ab ea institui: restat ostendendum, quomodo Papa, qui supremum locum tenet inter Christi sacerdotes, habeat vel non habeat potestatem. Vbi primo ostendetur, quomodo se habeat ad bona exteriora, quoad diuinis in rebus. Secundo, dato quod non sit verus dominus exteriorum bonorum, sed dispensator simpliciter, vel in casu: an saltem habeat radicalem primariam auctoritatem, vt superior, & vt iurisdictionem exercens.

Circa primum igitur, sciendum est primo, quomodo se habeat ad bona temporalia Ecclesiasticarum personarum, vt Ecclesiasticæ sunt. Ad quod sciendum, quod bona Ecclesiastica, vt Ecclesiastica sunt, collata sunt communitatibus ecclesiarum, seu ipsis ecclesiis, & non personæ singulari: ita quod in bonis Ecclesiasticis nulla persona singularis habet proprietatem & dominium, sed sola communitas: vt Ecclesia Carnotensis, vel alia huiusmodi est, habens dominium & potestatem in ipsis bonis, vt sibi propriis. Persona autem singularis, non vt singularis, sed vt pars & membrum communitatis, habet in ipsis ius vtendi ad sustentationē, secundum exigentiam & decentiam personæ suæ, & status: in quo tamen est differentia, quia est aliq; membrum simplex vt simplex canonicus: & illud non habet nisi vsum. Et est aliquod membrum, quod est principale & caput totius communitatis, vt episcopus, nam non esset congregatio vna, nec ordinata, nisi esset vnum caput & membrum principale, & illud non solum habet vsum in bonis communitatis secundum exigentiam sui status, modo prædicto: sed habet administrationem & dispensationem generalem omnium bonorum communitatis, appropriãs cuilibet quod ei debetur, secundum debitam iustitiæ proportionem: dispensans etiam pro communi bono collegii bona fide, vt sibi videtur expedire, & ita est in qualibet Ecclesia cathedrali. Verum quia non solum quælibet congregatio Ecclesiasticorum virorum est vna in spirituali vnitate, imo omnes Ecclesiasticæ congregationes habent quandam generalem vnitatem, in quantum sunt vna Ecclesia, habens connexionem ad vnum principale membrum cui incumbit Ecclesiæ cura generalis, scilicet dominum Papam: ideo ipse tanquã principale caput, & principale membrum, & supremum vniuersalis Ecclesiæ, est generalis dispensator omnium generaliter bonorum Ecclesiasticorum, spiritualium & temporalium. Non quidem quod sit dominus eorum: sed sola cõmunitas vniuersalis Ecclesiæ est domina & proprietaria illorum bonorũ generaliter, & singulæ communitates & Ecclesiæ dominium habent in bonis sibi competentibus. Similiter personæ singulares qualitercunq; acceptæ, dominium non habent: licet principalia membra dispositionem habeant non solum respectu inferiorum, sed etiam quantum faciunt fructus suos ex seruitio pinguiores, secundum exigentiam personæ vel status: vel forsan aliquid eis vltra appropriatur ab vniuersali dispensatore sic ordinante, vel discernente seu determinante bona fide, prout iura à papatu condita distinguunt bona Ecclesiastica quadrifariam, *12. q. 2.* Ex his patet, quod male dicunt, qui dicunt, quod nulla persona singularis, alia à Papa, nec collegium vel communitas habet ius & dominium in bonis Ecclesiasticis: sed solus Papa, qui non solum est administrator & dispensator vniuersalis, sed verus dominus & proprietarius bonorum Ecclesiæ: & de eis ordinare, & ea distrahere potest, prout vult, & tenet factum suum (licet peccet, nisi faciat ex causa rationabili.) Et cæteri prælati, vel etiam principes & communitates non habent dominium: sed solum sunt talium bonorum procuratores, tutores & dispensatores. Hoc patet esse falsum, ex prædictis. Cum dictum sit, quod Papa non sit dominus ecclesiasticorum bonorum generaliter, nec prælati inferiores bonorum sui collegii. Sed Papa est dispositor & dispensator vniuersalis bonorum Ecclesiasticorum: etiam amplius, facit sibi fructus suos de bonis communibus pinguiores, secundum exigentiam sui status, quam prælati inferiores, qui vocati sunt in partem solicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Vnde Augustinus ad Bonifacium, de Prælatis loquens, omnes generaliter includens dicit: *Si priuatum vel priuatim possidemus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed illorum quorum procurationem gerimus:*

non

non ergo proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicemus. Et Apostolus 1. ad Corinth. 4. non excludens Petrum seu Papam; *Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei.* Et Bernhardus, loquens de bonis temporalibus, dicit ad Eugenium Papam libro 2. *Esto vt alia quacunque ratione hoc tibi vendices, non tamen Apostolico iure: nec illud tibi dare, quod non habuit Petrus, potuit. Argentum, inquit, non est mihi, quod habuit, hoc dedit, scilicet solicitudinem super ecclesias, non* (inquit) *dominationem. audi ipsum: Non vt dominantes, inquit, in clero: sed forma sancti gregis.* Hæc Bernardus. Quod etiam ex hoc euidens est, quia clericis, vt clerici sunt, & monachis, vt monachi sunt, non repugnat habere dominium bonorum exteriorum, saltem in communi: quia ex voto non sunt incapaces, sicut aliqui religiosi. Cum ergo fundatores ecclesiarum intenderunt dominium, & proprietatem bonorum, quæ dabant, transferre primo & directe in communitatem collegii, scilicet talis ecclesiæ, ad vsum Deo seruientium, & non in dominum Papam: manifestum est, quod communitas ipsa habet immediatum & verum dominium in bonis ipsis, & non Papa vel prælatus alius inferior.

Aliter enim, quoad talia bona, non differret modus viuendi clericorum & monachorum, à modo viuendi fratrum Minorum, qui ex voto suo sunt incapaces dominii talium bonorum in proprio & in communi. *Habent enim tantum vsumfructum*, vt dicit Nicolaus Papa Quartus. Et ne bona eis collata (quæ ex eo quod conferuntur personis ecclesiasticis, sunt facta ecclesiastica) sint vaga & incerta, dominus Papa suscepit in se ius & dominium eorum.

Sed quæro, per quem potest hoc dominium Papa suscipere, cum non habeat potestatem in temporalibus, nec bona ecclesiæ sua sunt, sed communitatis? Absit autem quod ad bona exteriora non aliter se habeant clerici seculares, & alii religiosi: cum etiam dicat Papa Nicolaus *in eadem decretali*, quod monachus monasterio, & seruus domino acquirit ius & dominium in re aliqua. Non ergo solus Papa dominus est, imo nec dominus, sed dispensator generalis: & Episcopus vel Abbas dispensator spiritualis, & immediatus. Communitas autem dominium verum habet in bonis Ecclesiasticis: amplius non potest dici, quod Papa ius & dominium in talibus bonis habeat, non vt est persona priuata, sed vt est persona publica, & vicarius Christi, cuius sunt omnia talia bona, vt domini principalis: & proprie, vt eius vicarii generalis. Hoc enim dicere non valet, quia Christus secundum quod Deus, est dominus non solum bonorum ecclesiasticorum, sed etiam omnium aliorum: vt autem homo, non habet communitatem & couersationem corporalem cum iis qui sunt in Ecclesia. Nec illi qui conferunt bona ecclesiæ, intendunt ius & dominium transferre in Christum, siue secundum quod Deus: quia sic omnia sua sunt: siue secundum quod homo, quia illis nunc non indiget: sed in ministros Christi. & ideo talia bona sunt Ecclesiæ, quantum ad proprietatem: sed prælatorum, quantum ad dispensationem, vt dictum est. Ex quo etiam patet, quod Papa non potest ad libitum detrahere seu distrahere bona ecclesiarum, ita quod quicquid ordinet, de ipsis teneat. Hoc enim verum esset, si esset dominus: sed cum sit dispensator bonorum communitatis, in quo requiritur bona fides: non habet sibi collatam potestatem super ipsis, nisi ad necessitatem vel vtilitatem ecclesiæ communis. Vnde Apostolus 2. Corinth. 13. *Agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem.* propter quod si aliter pro libito distrahat Papa, & non bona fide, de iure non tenet: & non solum tenetur ad pœnitentiam de peccato, quasi propter abusum rei non suæ, sed infideliter agit, & ad restitutionem tenetur, scilicet aliunde de patrimonio, si haberet aliquid, vel acquireret (cum sit fundator rei non suæ) Et etiam sicut monasterium posset agere ad depositionem abbatis, vel ecclesia particularis ad depositionem episcopi, si appareret quod dissiparet bona monasterii vel ecclesiæ: & quod infideliter non pro bono communi, sed pro priuato ea detraheret seu distraheret. Ita si appareret quod Papa bona ecclesiarum infideliter distraheret seu detraheret, scilicet non ad bonum commune, cui superintendere tenetur, cum sit summus episcopus: deponi posset, si admonitus non corrigeretur, *distinct. 40. can. Si Papa*, vbi dicitur: *Cunctos iudicaturus, à nemine iudicandus est, nisi deprehendatur à fide deuius.* vbi dicit glossa: *Quod si comprehendetur in quocunque alio vitio, & admonitus non corrigatur, sed scandalizet, vel scandalizaret ecclesiam, idem posset fieri.* Sed forte secundum alios hoc fieri posset per solum concilium generale, argumentum *20. i. distinct. can. nunc autem.* Et si quidem sciat Papa alios viros Ecclesiasticos vel seculares contra se ob indebitam dispensationem clamantes, eo modo quo possunt & debent, non potest eos de iure mouere, vel deponere ab eis quod ipsorum est qualitercunque, cum ad hoc non habeat auctoritatem à Deo. Et sic dicentes, os ponunt in cœlum, & iniuriam faciunt summo Pontifici patri nostro, qui voluntatem suam prædicant sic esse inordinatam (cum præsupponi debeat, voluntatem tanti patris non contrariam iuri) vt scilicet sine causa rationabili vellet auferre alicui quod suum est, cum aliter non possit de iure. Siquidem Deus non vult auferre, vel auferri ab aliquo quod ei dedit, nisi culpa exigente: quia, vt dicitur Roman. 11. *sine pœnitentia non sunt dona Dei.* Propter peccata etiam hominum dixit: *Pœnitet me fecisse hominem.* Propter peccatum Ægyptiorum spolium fecit Hebræorum. Nihil enim vult auferre vel auferri à viro iusto. Vnde Iob 36. *iudicium pauperibus tribuit: & non aufert à iusto oculos suos, & reges in solio suo solicitat imperpetuum.* Et ideo cum Deus dederit Petro vel Papæ dispensationem exequendam bona fide, contra Dei voluntatem expressam non potest Papa de iure pro libito, non interueniente culpa manifesta, auferre ius administrationis, quod quis debite & rite recepit & habet. hæc ergo potestas est, quam habet Papa in bonis Ecclesiasticis.

Cap. VII.

Quomodo Papa se habet ad bona laicorum.

EX prædictis patet satis, quomodo Papa se habet ad bona laicorum: quia infirmius habet dominium in bonis exterioribus laicorum, quam clericorum: imo nec in illis est dispensator, nisi forte in vltima necessitate ecclesiæ, in qua etiam non est dispensator, sed iuris declarator. Ad quod declarandum, considerandum est, quod exteriora bona laicorum non sunt collata communitati, sicut bona Ecclesiastica: sed sunt acquisita à singulis personis arte, labore & industria propria. Et personæ singulares, vt singulares sunt, habent in ipsis ius & potestatem, & verum dominium: & potest quilibet de suo ordinare, disponere, dispensare, retinere, alienare pro libito sine alterius iniuria, cum sit dominus: & ideo talia bona non habent ordinem nec connexionem inter se, nec ad vnum commune caput, quod habeat ea dispensare & ordinare vel disponere, cum quilibet rei suæ sit ordinator pro libito. Et ideo nec princeps nec Papa habet dominium vel dispensationem in talibus: verum quia ob talia bona cõtingit interdum pacem communem turbari, dum aliquis quod est alterius vsurpat: quia etiam homines interdum quę sua nimis amantes, ea non communicant prout necessitati vel vtilitati patriæ expedit: ideo positus est princeps à populo, qui in talibus præest vt iudex, discernens iustum & iniustum, & vt vindex iniuriarum, & vt mensura in accipiendo bona à singulis secundum iustam proportionem pro necessitate vel vtilitate communi. Papa vero quia est supremum caput non solum clericorum, sed generaliter omnium fidelium, vt fideles sunt, tanquam generalis informator fidei & morum in casu summæ necessitatis, fidei & morum: in quo casu omnia bona fidelium sunt communicanda, & calices ecclesiarum: habet bona fidelium dispensare, & exponenda decernere, prout expedit necessitati communi fidei: quæ alias subuerteretur, propter irruptionem paganorum, aut aliud huiusmodi. & posset esse tanta necessitas, & tam euidens, quod posset exigere decimas vel decimatas portiones à singulis fidelibus, secundum tamen debitam proportionẽ, ne aliqui plus debito grauarentur quam alii, ad subueniendum communi necessitati fidei, & huius Papæ ordinatio non est nisi iuris declaratio. Et posset etiam rebelles & contradictores per censuram Ecclesiasticam compellere: & per talem modum, etiam si de parochia aliqua essent fideles, de nouo multiplicati in tantum, quod curato parrochiali non possent sufficere antiqui redditus, ad quos fideles parrochiæ tenebantur, eo quod ad curam parrochiæ oporteret sacerdotem de nouo tenere capellanos coadiutores: Papa posset ordinare, quod fideles illius parrochiæ de bonis suis superaddãt vsq; ad debitam sufficientiam: in quo casu, talis ordinatio esset iuris declaratio. Extra vero casus huius necessitatis, pro communi bono spirituali non habet Papa dispositionem bonorum quæ terreni tenent, quæ scilicet quilibet disponit de suo prout vult, & princeps in casu necessitatis pro communi bono temporali. In casibus vero necessitatis, sed alicuius vtilitatis specialis, vel vbi non constat quod conferant bona exteriora laicorum, tali vtilitati vel necessitati non habet Papa compellere quenquam: sed super hoc posset dare indulgentias pro auxilio ferendo fidelibus, & non est aliud ei collatum, prout puto.

Cap. VIII.

Quod Papa non habet iurisdictionem à Christo in bonis laicorum, quia Christus non habuit eam.

ET quia non est idem habere proprietatem & dominium in bonis exterioribus, & habere iurisdictionem, id est ius decernendi quid sit iustum vel iniustum in ipsis: sicut habent principes potestatem iudicandi & decernendi seu discernendi in bonis subditorum, licet non habeant dominium in re ipsa: ideo nunc restat videndum, vtrum Papa à Christo habeat iurisdictionem & potestatem huiusmodi, vt aliqui dicunt. Et ad ostendendum, quod non habeat eam à Christo, primo ostendetur, quod Christus vt homo eam non habuit. Secundo ostendetur, quod dato, quod Christus eam habuerit, tamen Petro eam non commisit. Ad primum ergo intelligendum, sciendum est, quod Christus tripliciter potest intelligi. vno modo secundum quod Deus est vnus cum patre, & sic fuit verus Rex non solum hominum, sed etiam omnium creaturarum: quia ei omnes subditæ sunt Ecclesiæ, id est, Vnus est creator omnium altissimus, omnipotens rex, & hoc regnum seu hanc potestatem non contulit alicui creaturæ. Non enim contulit Petro, quod esset creator. Alio modo potest considerari vt homo Deus: & sic etiam dicitur Rex hominum, in quantum per ea quæ in carne egit, nos perduxit ad participationem regni, non quidem mundi, sed altioris, scilicet cœli. & sic non solum sacerdos, sed Rex vocatus est, Heremiæ 23. *Regnabit rex, & sapiens erit*: & sic est ab eo regale sacerdotium deriuatum, secundum illud 1. Petri 2. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* & quod amplius est, omnes fideles in quantum sunt membra eius, quasi vnum cum capite Christo, per fidem & charitatem reges & sacerdotes dicuntur, vt innuit glossa ibi. & Apocal. 1. dicitur: *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes in sanguine tuo*, id est, per fidem passionis tuæ: in tantum aut amplius, quam alii ministri ecclesiastici huius regalis sacerdotii participes efficiuntur, in quantum non solum sacrificium spiritus contribulati & contriti motus Deo offeruntur, sicut omnes iusti: sed

etiam

etiam exteriora sacrificia, in quibus diuina virtus spirituali modo continetur, offerunt pro se & pro populo, vt dictum est, supra cæteros. Etiam ad participationem regni dirigunt non solum ex charitatis zelo, sed ex officio docendo, & sacramenta ministrando. Si vero tertio modo accipiatur, quod Christus rex fuerit secundum quod homo, rex dico temporalis regni: quasi dominium iurisdictionis, alias directiuum, vel vtile, vel vniuersale habens in temporalibus bonis, omnino falsum est. Accepit enim paupertatem nostram, sicut & cæteros defectus inde contrahiles, vt dicit Iohan. Damascenus *lib. 3.* vnde Iohan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* August. in gloss. q. d. *Audite gentes & Iudæi, non impedio dominationem vestram in hoc mundo.* Chrysostomus etiam dicit: quoniam *non tenet regnum, vt hic reges principatum, qui non est humanus, sed multo maior & clarior.* Et Leo Papa in festo Epiphaniæ, *magi humano sensu æstimauerunt regem in ciuitate regia esse quærendum: sed qui formam serui acceperat, & qui ministrare venerat, non ministrari, praelegit sibi Bethleem natiuitati, Hierosolymam passioni.* Vnde deceptus Herodes, audiens Regem natum, timuit ne rex esset, qui sibi dominium temporalium vsurparet. Ideo Chrysostomus super Matth. *Non considerauit Herodes prophetiam Michea: Et tu Bethleem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exibit dux, qui regat populum meum Israel, & dies eius à diebus seculi.* Si ergo integram Prophetiam contulisset, considerans quod non erat rex terrenus, cuius dies à diebus seculi erant, in tantum errorem non exarsisset. Propter quod etiam Eusebius dicit, quod *errant Herodiani, dicentes Christum, quia vnctus, esse regem temporalium bonorum.* quia non est vnctus materiali vnguento, vt reges huius mundi: sed spirituali oleo lætitiæ præ participibus suis. & ideo non est rex huius seculi, sed illius seculi, de quo dicit propheta Daniel: *Potestas eius, potestas æterna, &c. & regnum eius, quod non corrumpetur.* Et Lucæ 1. *Regni eius non est finis.* Amplius Lucæ 12. ait quidam de turba: *Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dicit ei: Homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* videte & cauete ab omni auaritia. Et sic patet per sanctos expositores, quod Christus non habuit in temporalibus auctoritatem vel iudicium: sed dare voluit, & dare habuit virtutis documentum. Vnde Bernardus dictam auctoritatem exponens ad Eugenium lib. 2. de Consideratione: *Non monstrabitur*, inquit, *vbi aliquando quispiam Apostolorum sederit iudex hominum, aut diuersorum terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego: erit illud, non fuit.* Et infra: *Vt sciatis*, inquit, *quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, &c. Amplius super illud Matthæi 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ*, &c. dicit Hieronymus, quod *soluit tributum pro se & Petro: & Deo reddidit quæ Dei sunt, patris faciens voluntatem.* Et Hilarius ibidem dicit: *Diuitias nostras dare Cæsari, Deo autem conscientiæ puritatem vel innocentiam seruare iussit.* Si dicatur, quod soluere non tenebatur, sed soluit vitare volens scandalum, sicut dicitur de didrachmate census, *Matthæi 17.* euasio non valet. Illud enim didrachma non soluebatur Cæsari, sed templo à primogenitis Israel, propter mortem primogenitorum Ægypti. Et quia putabant Iesum esse primogenitum Ioseph, & Petrum videbant principalem & primum quasi inter Apostolos & Christi discipulos: ideo ab vtroque didrachma petebatur. Sed nec Christus tenebatur, cum non esset filius Ioseph: nec Petrus, cum non esset patris sui primogenitus. Ex eo ergo quod principalis discipulus illud didrachma soluit, solum propter vitandum scandalum: secus autem est de tributo soluendo Cæsari, quod Christus totiens iussit solui. Vrbanus etiam Papa adducit istam auctoritatem de didrachmate inuento in ore piscis, ad ostendendum, quod omnes clerici & Ecclesiæ tenentur soluere tributum Imperatorum, de exterioribus bonis. *23. q. vltra tribu.* Ex quibus patet, quod cum Christus, vt homo, non habuerit dominium in temporalibus, quod sacerdos quicunque, vt Christi vicarius, non habet in eis potestatem à Christo, cum eis non contulerit, quod ipse non habuit in se ipso, dicente in Iohan. *Amen amen dico vobis, non est seruus maior domino suo, neque Apostolus maior eo qui misit illum.* Et Matthæi 10. dicitur: *Non est discipulus super magistrum, neque seruus super dominum.*

CAP. IX.

Rationes, quod Christus habuit iurisdictionem in bonis laicorum. Et responsiones ad eas.

SVnt autem forsan contrarium dicentes, ex hoc sumentes argumentum, quod *Matthæi 21.* legitur, ipsum cum funiculo eiecisse vendentes & ementes de templo: hoc enim non fecisset, nisi auctoritatem habuisset. Vnde dicitur *1. q. 3. ex multis*, quod ibi auctoritatem sui præcepti denuncians dixit: *Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.* Item ipse misit discipulos suos vt tollerent asinam & pullum, & adducerent ad eum, dicentes: *Quia Dominus his opus habet.* Item *Matthæi 8.* legitur, quod misit dæmones in porcos, qui statim se præcipitauerunt in mare: sed nec Dominum porcorum requisiuit. Item Matthæi vltimo dicitur, quod post resurrectionem dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Glossa: *Qui prius fuerat mortuus, & crucifixus.* Amplius assumunt illud Psalmi, vt sit verbum Patris ad filium: *Postula, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, reges eos, &c.* Ex his accipiunt, quod Christus, secundum quod homo, habuit potestatem in rebus temporalibus. Quæ omnia de facili soluuntur, si consideretur, quod aliquid debetur Christo vt Deus est, quod ei non conuenit vt est homo: quamuis per singula dici possit. Quod enim primo dicitur de eiectione venditorum: respondetur secundum illud quod dicitur

tur in Glossa, vbi dicitur, quod *Christus quaedam fecit vt Imperator, quaedam vero alia vt sacerdos. de Consecra. distinct. 2. sacerdos:* non quia vna eademque persona illa duo exerceat, vel gerere debeat: sed hoc ideo fecit, vt ostenderet quod vtraque potestas ab eo processit, vt scilicet Deus erat. Haec enim duo, imperium & sacerdotium, ab vno sunt: vt in *authent. quomodo oportet episcopos, in principio, collatione 2.* Chrysostomus vero super Matthaeum dicit, quod *hoc fecit Christus quasi auctoritatem habens in quantum Deus: significans, quod in templo Dei non debent esse ministri nisi spirituales, qui Dei portant imaginem: non qui portant imaginem hominis terreni, vt non sit in domo Domini negociatio, vel donorum cupiditas, ne ingrediatur Iesus iratus & rigidus, & non aliter mundet templum suum nisi flagello adhibito, & de spelunca latronum faciat domum orationis.* Similiter quod dicitur de asina, respondetur: quod auctoritatem habuit vt Deus. Vnde glossa super illud, *Dominus his opus habet*, dicit: *Dominus dicitur absolute & simpliciter, ad insinuandum, quod non solum erat Dominus iumentorum, sed & hominum: cui iumenta omnia sunt subiecta.* Similiter dici potest ad illud, quod dicitur de porcis, quamuis forte porci syluestres erant, non habentes dominum, pro eo quod de porcis nihil veniebat ad vsum hominum: quia carnes porcinas Iudaei non comedebant. Quod vero dicitur, *Data est mihi omnis potestas*: respondetur secundum Hieronymum, quod *cum dicitur, Omnis potestas, intelligenda est non temporalis, sed spiritualis.* Vnde Hieronymus: *In caelo & in terra data est ei omnis potestas, vt qui ante regnauit in caelis, per fidem credentium regnet in terris.* Quomodo autem regnet per fidem credentium, dicetur in sequenti argumento. Vel dicendum, secundum Remigium, quod *illi, qui mortuus fuerat, data erat in incarnatione omnis potestas, scilicet quod Deus esset, qui est omnipotens. & hoc quidem euidens erat in caelo angelis: sed non fuit euidens in terra, nisi post resurrectionem, quando misit praedicatores verbi Dei, annunciantes Christum, & ipsum esse Deum omnipotentem praedicantes. Et ideo tunc fuit sibi data per communicationem idiomatum, omnis potestas in caelo & in terra: non quidem quoad existentiam, quia hanc habuit à principio, sed quoad euidentiam seu innotescentiam.* Quod dicitur, *Postula à me*, &c. respondeo: Loquitur de regno, quod per fidem dirigit nos in caelum. Vnde illud, *Dabo tibi gentes*, &c. exponitur, id est, *Gentes per fidem tibi adhaerentes.* Similiter illud, *Reges eos in virga ferrea:* Glossa, *Inflexibili iustitia, sc. quae est per fidem*, nam *iustus ex fide viuit.* Et illud, *Tanquam vas figuli confringes eos:* Glossa, *à luto carnalitatis & peccati mundando eos.* Sic enim à Christo in membris suis excutitur iugum legis & peccati, secundum glossam. Nec est intelligendum, quod Christus regnet per fidem in hominibus, quasi ex eo, quod aliquis conuertitur ad fidem, fit subditus Christo, vel eius vicario, in temporalibus bonis, sicut solent homines suis regibus subdi: sic enim Christus regnum mutaret aeternum; vt timuit Herodes: sed pro tanto dicitur regnare per fidem, quia id quod in hominibus est supremum & principale, scilicet intellectum, Christo subiiciunt, ipsum in fidei obsequium captiuantes, & iste est intellectus sanctorum. Vnde Christus per fidem non dicitur regnare in possessionibus, sed in cordibus.

Cap. X.

Quod Christus non contulit omnem potestatem suam Petro, quam etiam in quantum homo habuit.

Dato etiam, quod Christus praedictam auctoritatem & potestatem habuerit, eam tamen Petro non commisit. Et ideo Papae, ratione qua est successor Petri, praedicta potestas non debetur, imo sunt potestates distinctae, episcopalis & regalis vel temporalis, non solum re, sed etiam subiecto. Et regalis maior est in temporalibus, non habens super se superiorem, sicut nec Papa in spiritualibus. Quod quidem declarari potest ex comparatione Ecclesiae ad Christum. nam *Christus caput est Ecclesiae*, Ephes. 5. & secundum Ambros. intelligitur *Ecclesiae caput, non solum secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem:* quae autem sunt indistincta in capite, interdum subiecto distinguuntur in membris. sicut patet, quod omnes sensus sunt in capite, non sic autẽ in aliquo alio membro. Et hoc quasi regulariter verum est, quod aliqua sunt magis distincta in principiatis, quam in principio: & in effectibus, quam in causa: & in inferioribus, quam in superiore. Et ideo non sequitur, Si Christus secundum quod homo vtranque potestatem habuerit, quod vtranque Petro contulerit: sed spiritualem tantum Petro contulit, & temporalem vel corporalem Caesari dimisit, quam à Deo accepit. Et hoc à maiori ostenditur. Nam Christus secundum quod homo, aliquam potestatem habuit in spiritualibus, quam conferre potuit Petro & caeteris ministris Ecclesiae: & tamen non dedit illam, quam potestatem Theologi vocant *potestatem excellentiae*, quae in solo homine Christo fuit: vt est, effectum sacramenti conferre sine sacramento, sine verbo vocali, vel quod in nomine eius sacramenta conferrentur, vel quod noua sacramenta poterat instituere. Hanc enim potestatem in spiritualibus conferre potuit Petro, & tamen non contulit: vt dicunt omnes Theologi. Et Richardus de sancto Victore, *in 6. libro de Remissione peccatorum*, dicit, quod *Christus potuit peccata dimittere, nos vero non, sed remittere.* Igitur multo minus est necesse, si potestatem habuit Christus in temporalibus, quod eam Petro contulerit: & praecipue hoc non est affirmandum, cum hoc non inueniatur expressum: sed de potestate spirituali, qua solum potest soluere à peccatis. Vnde omnia argumenta, quae ideo Petro aliquid attribuunt, quia Christus hoc potuit etiam in quantum homo, nullius momenti sunt, nisi inueniatur expressum. Hoc etiam patet

ex

et perfectione sacrificii Noui Testamenti. nam quanto aliquid habet esse perfectius, tanto magis habet esse distinctum. Sic enim videmus in naturalibus, quod in plantis non est sexus ita perfectus, sicut in animalibus; ideo in eadem planta possunt esse mas & fœmina; & nō distinguuntur subiecto, sicut in animalibus, in quib. habent esse distinctum subiecto (nisi sit error naturæ, vt in hermaphroditis.) In Veteri vero Testamento, in quo erat sacerdotium minus perfectum, erant potestates sacerdotales & regales distinctæ re & subiecto; ergo multo magis Deus voluit eas distinctas esse subiecto in Nouo Testamento. Hoc etiam apparet ex comparatione Ecclesiæ, quæ à Deo est instituta ad opera artis. Videtur enim domus esse imperfecta, & habere penuriam rerum, & non sufficiens sibi in vita, si vna persona ad ministeria diuersa deputetur. Vnde Philosophus dicit *sexto Politicorum*, quod *pauperes, quia non habent copiam seruorum, nec abundant in iis qua requiruntur ad perfectionem domus, vtuntur filiis vt seruis, & vxoribus vt ancillis*. Ecclesia autem sancta Christi domus dicitur, quæ perfecta est, secundum illud Baruch capite quarto: *O Israel, quam magna est domus Dei?* Et in Matthæo dicitur: *Domus mea, domus orationis vocabitur*. Cum igitur à Deo sit sufficienter instituta, & inconueniens est in ea, tam diuersa mysteria vni committi, sacerdotale scilicet officium, & regale dominium: in quo etiam reges Deo ministrant, secundum illud Romanorum decimo tertio: *Non sine causa gladium portat, minister enim Dei est*. Absit enim, vt in his quæ à Deo instituta sunt, aliud tale ponamus, quale indecens est ponere in operibus artis & naturæ. Dicit enim Philosophus in priori Politicorum: quod *natura nihil facit, quale faciebant fabri, facientes Delphicum gladium, id est, ad duo officia seruientem*. Apud Delphos enim fiebant gladii propter pauperes, qui eis ad duo officia seruiebant: Natura autem nihil tale facit, multo minus auctor naturæ. Vnde Philosophus dicit, quod *vnumquodque organorum optime perficiet opus suum, si non multis operibus sit seruiens*. Hoc etiam apparet, si consideremus, quare conferens noluit illas duas potestates esse penes vnum. Nam propter duo, voluit istas potestates esse distinctas re & subiecto, vt non essent in vna eademque persona secundum primariam auctoritatem. Vnum est, vt propter mutuam indigentiam & subministrationem membrorum Ecclesiæ, dilectio & charitas seruentur, sine qua membra Ecclesiæ non viuunt: dum princeps indiget sacerdote in spiritualibus, & econuerso sacerdos principe in temporalibus, quod non esset, si vnus vtrunque haberet. Et hoc insinuat Apostolus Romanorum duodecimo dicens: *Omnes vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra habentes, & donationes differentes. Si enim totum est oculus, vbi est manus: & si totum est manus, vbi est oculus?* Aliud est, ne natura temporalis auctoritatis ipsum reddat minus solicitum circa regimen spiritualis. Et hoc tangit Apostolus secundo ad Timotheum secund. dicens: *Nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus*, &c. Vtranque autem rationem tangit Gratianus *decima distinctione cap. quoniam idem*. Et Nicolaus Papa idem omnino dicit, *trigesima distinctione ad vnicum*. Item, eandem potestatem acceperunt omnes Apostoli cum Petro, *Matthæi decimo octauo*. Et habetur *vigesima prima distinctione in nouo*, vbi dicitur, quod ligandi soluendique potestatem Petrus primus accepit, cæteri vero cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt. In collatione huiusmodi Christus non posuit aliquam restrinctionem respectu aliorum à Petro: licet ex modo loquendi appareat, quod vellet Petrum Ecclesiæ principaliorem, & caput Ecclesiæ, & hoc propter vnitatem Ecclesiæ conseruandam. Et sic intelligendum est, sic se habere, quod sicut in Apostolis tunc quidquid potuit vnus, sicut Petrus, potuit alius: ita & nunc de iure communi, quidquid potest Papa, potest quilibet episcopus. nisi quod Papa potest vbique, alii vero episcopi in suis diœcesibus tantum. Sed nullus dicit, quod cæteri episcopi, in quantum sunt vicarii Christi, & successores aliorum Apostolorum, habeant auctoritatem & dominium in bonis temporalibus laicorum. Et quod appellari possit à principe in causa temporali ad episcopum illius loci, vel ad presbyterum parrochiæ, quem dicunt aliqui eandem potestatem habere in parrochia sua, quam habet episcopus in diœcesi: sic igitur nullus debet hoc dicere de Papa generaliter. Item, petentibus discipulis quis maior esset futurus in regno Christi (regnum eius, regnum huius mundi intelligentes) respondit, *Reges gentium dominantur eorum*, &c. *Vos autem non sic*. Quod verbum exponens Bernardus, ad Eugenium Papam libro secundo, dicit: *Planum est, quod Apostolis interdicitur dominatus: ergo & tu tibi vsurpare caue aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum: planum est, quia ab vtroque prohiberis. Si vtrunque similiter habere voles, perdes vtrunque. Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus conqueritur Dominus, dicens: Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui*. Et infra: *Forma Apostolica hac est, dominatio interdicitur, indicitur ministratio*. Et infra adhuc: *Exi ô Eugeni, exi inquam in mundum. Ager enim mundus est: isque tibi creditus est. Exi in illum non tanquam dominus, sed tanquam villicus, videre & procurare, vnde exigendus es reddere rationem. Non à Christo, vel eius vicario Petro, habes summus Pontifex dominatum*. Item idem eodem libro: *In criminibus, non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, non propter istas, accepistis claues regni cælorum*. Et infra: *Habent hac infima & terrena iudices suos, reges & principes terra. Quid ergo fines alienos inuaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos, sed quia indignum vos talibus insistere, quippe potioribus occupati*. Amplius summi Pontifices dicunt, dictas potestates subiecto esse distinctas, scilicet temporalem & spiritualem. *distinctione decima quoniam idem, octog. d. cum ad verum, & cap. duo*. Et sic sunt distinctæ, quod vna in aliam non reducitur: scilicet sicut spiritualis immediate est à Deo, ita & secularis. Vnde imperium à solo Deo est, vt habetur *vigesima tertia quæstione quarta quæsiuit*. Et quia Papa non habet gladium ab Imperatore, nec Imperator habet gladium à Papa. *distinct. octog. 6. si Imperator*. Nam exercitus facit Imperatorem.

rem. *distinction. 23. legimus*. Et quod à principe in temporalibus non appellatur licite ad Papam. Et quod temporalia non tangunt suam iurisdictionem, vt dixit Alexander *extr. de appellationibus, si duobus. & extra, qui filii sunt legitim. causam*. Et ab Episcopo appellatur in temporalibus ad principem: *extra, de foro competent. verum*. Et cognoscitur de his Episcopus tanquam iudex secularis: *extra, de iudic. caterum. & Authent. quomodo oport. Episcop. in princ. col. 1.* Et ecclesia soluit tributum Imperatori. *11. quaestion. 1. magnum*. vbi Ambrosius allegat exemplum de Christo, qui soluit tributum. Et allegat etiam illud Apostoli Romanor. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subiecta*. & illud 2. Petri 2. *Estote subditi dominis vestris, siue regi quasi praecellenti*, &c. Et id eadem *quaest. 100. tributum*. Et multa consimilia possent adduci, ad ostendendum, dominum Papam non habere vtrunque gladium, nec iurisdictionem in temporalibus, nisi sibi concedatur à principe ex deuotione. Et hoc dicunt expositores iuris Canonici, qui statum in ecclesia habuerunt, etiam in casu in quo minus videtur. Quaerit enim Hostien. *extr. de haeretic. ca. vergentis*, vbi mandat dominus Papa haereticorum confiscari bona, *Quid ad Papam de temporalibus?* Et respondet cum domino suo Innocentio, *Quod reuera nihil ad eum. Sed hoc fecit de assensu Imperatoris, qui tunc Paduae praesens concessit*. Mirum etiam videtur, quod Constantinus Imperator dedisse dicitur imperium Italicum ecclesiae, & totam iurisdictionem temporalem: & quod ecclesia illud tanquam datum, si hoc habuit, de iure recepit. tunc enim non fuisset facta beato Siluestro donatio: sed redditio eius quod suum erat, cuius contrarium sentit Ecclesia. *distinct. 96. Constantinus*.

Cap. XI.

Euasiones quorundam, dicentium potestatem secularem esse à Papa, & in Papa, cum eorum reprobatione.

SVnt aliqui credentes euadere aliqua praedictorum per breuem distinctionem. Dicunt enim, quod potestas secularis est penes Papam immediate, & secundum primariam auctoritatem. sed non habet Papa executionem immediate, sed eam dat principi. Ita quod secularis princeps, quantum ad ipsam potestatem, recognoscere debet à Papa: sed quantum ad executionem, Papa recognoscit à principe seculari. Et haec sunt verba eorum, per quae soluere nituntur aliqua praedictorum. Sunt vero aliqui sentientes, quod Papa habet à Deo iurisdictionem temporalem secundum primam auctoritatem, sed executionem non habet: sed Imperator executionem habet, non quidem à Papa, sed à Deo. & per hoc volunt soluere aliqua praedictorum. Sed ista euasio est omnino absurda. Nec etiam conuenit dictis ipsorum: quia si ecclesia recognosceret executionem à principe seculari, tunc princeps secularis haberet iudicare de debita executione Papae, & ab eo posset auferre executionem: quod ipsi negant, quia dicunt ipsum à nemine iudicari. Item, si Deus dedit Papae potestatem secularem, secundū primam auctoritatem: sed non executionem, quia ei nō conuenit: quomodo accipit à principe, quod Deus iudicat ei non conuenire? Et quomodo dat ei, quod ab eo reaccipiat? Item, si Papa habet à Deo potestatem secularem immediate, & princeps habet executionem à Papa immediate: ergo princeps est minister Papae, sicut Papa minister Dei vel Christi: quod videtur inconueniens, & contra scripturam Canonicam. dicitur enim *Roman. 13.* de rege & principe: *Si malefeceris, time, non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, & vindex malorum in ira, &c. & ideo praestatis tributa: minister enim Dei est.* non dicit Papae, sed Dei. *In hoc enim Christo seruitis.* Glossa, *sed Deo*. Item prius fuit potestas regia secundum se, & quantum ad executionem, quam Papalis: & prius fuerunt reges Franciae in Francia, quam Christiani: ergo potestas regia nec secundum se, nec quantum ad executionem, est à Papa: sed est à Deo. & à populo regem eligente in persona vel in domo: & sic, sicut ante. Dicere enim quod potestas regia prius esset à Deo immediate, & postea à Papa, est valde ridiculosum. Non enim potest hoc esse, nisi Christus Petro dederit potestatem conferendi regiam potestatem: quod non est verum, vt supra dictum est. Indubitanter ergo est à Deo, sicut ante. vnde glo. super illud 2. Petri 2. *Subditi estote omni creaturae*, &c. dicit: *Fides & religio non turbant iura conditionis*. Et Ambrosius in glossa super illud Rom. 13. *Omnis anima*, &c. dicit: *Licet omnes fideles vnum sint in Christo, differunt tamen in conuersatione*. Amplius etiam, potestas inferiorum Pontificum & curatorum magis videtur esse à Deo mediante Papa, quam regia potestas, eo quod immediatius dependent praelati Ecclesiastici à Papa, quam principes seculares: sed potestas praelatorum inferiorum non est à Deo mediante Papa, sed immediate à Deo, & à populo eligente vel consentiente. Non enim Petrus (cuius successor est Papa) misit alios Apostolos, quorum successores sunt alii episcopi: nec 72. discipulos, quorum successores sunt presbyteri Curati: sed eos Christus immediate misit. *Ioan. 20. & Lucae 10.* Nec Petrus insufflauit in alios Apostolos, dans eis Spiritum sanctum & potestatem dimittendi peccata, sed Christus. *Ioan. 20. & deinde 21.* In nouo, dicitur quod *omnes à Christo simul eandem & aequalem acceperunt potestatem*. Paulus etiam dicit, suum Apostolatum non accepisse à Petro, sed à Christo, seu à Deo immediate. ad Gal. 1. *Paulus*, inquit, *Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem.* & infra: *Neque ab homine illud accepi, nec didici*. Et infra dicit, quod post vocationem suam ad euangelizandum mundum non viderat Petrum vsque post annos tres, quando venit Hierosolymam videre Petrum. Potestas ergo regia multo minus est à Papa, qualitercunque. Amplius, quia contingit quandoque, quod aliquis habeat potestatem aliquid faciendi,

ciendi, & non actum propter impedimenta: verbi gratia, aliquis habet potentiam conficiendi, cui non conuenit actus propter defectum materiæ, quia non habet panem: vel propter suspensionem, vel propter defectum corporalem, quia mutus est, non petens proferre verba ista. Ista tamen sunt impedimenta, superuenientia collationi potestatis. nam nullus sapiens conferret alicui ordinem sacerdotii, dum sciret ipsum habere aliquod impedimentorum prædictorum regulariter. Non ergo videtur dicendum, quod Papa habeat immediate à Deo potestatem gladii secularis, cuius executio ei regulariter non conuenit. Sic enim Deus magis superflueret in suis operibus quam natura, quæ nulli dat virtutem sine actu: quia *cuius est potentia, eius est actus*, vt dicitur in lib. *de Somno & vigilia*: & insipientior esset Deus homine. De nullo etiam loco Scripturæ canonicæ possunt accipere prædictam districtionem: nisi forte velint accipere dictum Bernardi, ponentis quod Papa habet *gladium materialem in nutu*. Sed dictum hoc, quod non est magnæ auctoritatis, magis est contra eos, quam pro ipsis. Et signanter dicit Bernhardus, quod Papa *materialem gladium* habet *in nutu*: quia vbi innuit Papa propter necessitatem boni spiritualis, Imperator debet exercere iurisdictionem secularis potestatis. Si tamen nolit, vel non videtur sibi expedire, Papa non habet aliud facere: quia non habet ipsum in iussu, sed Imperator tantum: sicut ipsemet dicit, & infra dicetur magis. Possem etiam ad hoc trahere illud 1. Corinth. 6. *Secularia iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum*. Ex quo videtur trahi, quod clerici habeant constituere contemptibiles, id est laicos in causis secularibus. Sed istud in nullo est pro ipsis: quia Apostolus non loquitur clericis specialiter, sed loquitur generaliter fidelibus, ipsos scilicet reprehendendo: quia in causis secularibus constituebant personas contemptibiles, id est ignaras ad iudicandum, vnde compellebantur fideles recurrere ad iudicium infidelium: quasi inter fideles non esset sapiens aliquis, qui iudicare posset. Vnde illud *Constituite*, exposuit Glossa non hortatiue dictum, sed ironice q.d. Ita facitis: constituitis enim tales contemptibiles & ignaros, & ita compellitis fideles recurrere ad iudicium infidelium. Vnde subdit Apostolus: *Ad verecundiam vestram dico, quia non sit inter vos sapiens*. Et certe ita vult Apostolus, quod fideles etiam laici constituant in causis secularibus industrias personas ad iudicandum, & ita nihil est ad propositum. Vel dato, quod loquatur viris Ecclesiasticis: adhuc non est ad propositum. quia non intendit, quia viri Ecclesiastici constituere habeant iudices in secularibus iudiciis indistincte, sed solum vbi data est eis iurisdictio à principe in temporalibus bonis. tunc enim debent instituere in talib. contemptibiles, id est laicos, qui iudicent de talibus: & non debent de talibus immediate se intromittere: sicut etiam hodie obseruatur, quia ponunt balliuos seculares. Vnde Apostolus non dicit, Cum habueritis secularia iudicia, &c. sed dicit, *Si habueritis*: insinuans, quod talia iudicia eis non debentur, nisi eis fuerit concessum vel permissum à principe: & tunc debent iudicare per contemptibiles personas, id est laicos, secundum tenorem legum, & debitum terreni iuris, vt dicit expresse Hugo *de Sacramentis, libro 2. parte 2. capite 7.* cuius verba sunt hæc: *Notandum tamen, quod principes terrenis possessionibus, quas in subiectos vel suis subiectis possident, aliquando concedunt ipsi ecclesiæ solam vtilitatem, aliquando vtilitatem & potestatem. Vtilitatem sine potestate concedunt, quando fructum possessionum ad vsum Ecclesiæ transferri decernunt: sed potestatem iustitiæ exercendæ, in ipsa possessione, ad eius iurisdictionem transire non permittunt. Aliquando autem vtilitatem & potestatem simul tribuunt: potestatem tamen exercendæ iustitiæ, iudicia autem secularia per Ecclesiasticas personas exercere non sinunt: possunt tamen habere ministros laicos personas, per quos, vel per quas iura & iudicia ad terrenam potestatem pertinentia, secundum tenorem legum & debitum iuris terreni exerceant.* Quod vero alii dicebant, quod princeps habet executionem sine potestate à Deo, non à Papa, non videtur rationabile. Non enim videtur rationabile, quod Deus det alicui potestatem sine actu per se vel per alium: & alii executionem sine potestate & auctoritate. Non etiam esset contra nos hæc opinio: quia ad minus secundum eum non appellabitur à principe ad Papam.

CAP. XII.

Rationes dicentium, Papam habere iurisdictionem in temporalibus bonis exterioribus.

NVnc videndum est, quibus innituntur fundamentis, qui dicunt sacerdotes, & præcipue Papam, habere potestatem primariam in temporalibus, & ipsam à summo Pontifice deriuari ad principem secularem. Allegant enim illud Hieremiæ 1. & habetur *Extra, de magist. & obedientia, cap. solitæ*: quod dictum est Hieremiæ sacerdoti de prosapia sacerdotali, non regali, quia de sacerdotib. erat, qui erant in Anathot: *Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas & disperdas, & destruas & dissipes, & ædifices & plantes*. Ex quo dicunt, Papam, qui supremus est in gradibus ecclesiarum sacerdotum, potestatem habere amouendi reges terræ, & constituendi. Item dictum est Petro Matth. 16. & 18. *Quodcunque solueris super terram*, &c. quod dictum est indistincte, vt dicunt. Item 2. Corinth. 6. dicitur: *Nescitis quoniam angelos vos iudicabitis?* Glossa: *quanto magis secularia?* Item, Genes. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna, solem* (scil. Papam) *vt præesset diei, vel in spiritualibus & lunam*, scil. Imperatorem vel regem, *vt præesset nocti*, quæ non habet nisi lumen mutuatum à sole. Ergo quod Imperator vel rex præsit in temporalibus, hoc habet per potestatem quam accipit à Papa. Item, Zacharias Papa deposuit regem Francorum, & loco eius substituit Pipinum fratrem eius. *15. q. 6. alius*. Item 22. d. c. 1. dicit Nicolaus Papa,

quod *Christus Petro tam cœlestis, quam terreni imperii iura concessit.* Item Imperator iurat Papæ, vt habetur *d.63. tibi domino.* Et Papa deponit Imperatorem. *15. qu. 6. alius.* Item Papa transtulit imperium de Oriente in Occidens: *extra, de electione, cap. venerabilem.* Item, à iudice seculari interdum appellatur ad Papam: *extra, de foro competenti, licet.* Item, Papa absoluit milites à iuramento, quod fecerunt domino temporali. Et quandoque omnes Francigenas à iuramento fidelitatis absoluit. *15. q. 6. alius. & 1. q. quia postulatus.* Item, Papa habet cognoscere de omnium delicto. Constat autem, quod delictum committi potest in temporalibus: vt cum aliquis indebite sibi vendicat alienum, ergo, &c. Item, cum vnus princeps iniuriatur alteri de feudo, potest iniuriam passus hoc denunciare summo Pontifici, in quo casu Papa cognoscere habet: *extra, de iudiciis ca. nouit.* ergo cognoscere habet de temporalibus. Item, Matt. 18. dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, vade,* &c. & infra: *Quod si te non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ecclesia ergo iudicare habet indistincte, vbi iniuria sibi denunciatur. Item, Theodosius Imperator statuit, & Carolus innouauit, quod quicunque litem habens, si in iudicio elegerit sacrosanctæ sedis antistitem, illico sine vlla dubitatione, etiamsi pars altera refragetur, ad episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur: *extra, de iudiciis. cap. nouit.* Item, *in Deutero.* dicitur, & habetur *extra, qui filii sunt legitimi. per venerabilem.* quod *si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & iudicium inter personas videris varium, venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, qui iudicabit tibi iudicii veritatem: & facies quæcunque dixerint, qui ibi sunt in loco, quem elegit Deus: sequerisque eorum sententiam, qualiter,* &c. Item, Qui potest maius, potest & minus: cum ergo Papa possit in spiritualibus, poterit in temporalibus. Item, temporalia ordinantur ad spiritualia, & interdum eis conferunt: Papa ergo, qui curam gerit de spiritualibus, habet etiam de temporalibus iudicare, & ordinare, saltem in quantum ad spiritualia valent. Item, Papa mutat & transfert legata indistincta. Et etiam ad Papam pertinet, restitutiones facere de bonis defunctorum, quando personæ ignotæ sunt quibus debentur. & ita ad eum oportet ordinare de temporalibus. Amplius, arguunt aliqui sic: Corporalia reguntur per spiritualia, & ab ipsis dependent. quod ostendunt ex multis. nam corpora cœlestia per angelos administrantur, & in homine anima regit corpus & mouet: quare similiter spiritualis potestas causalitatem habet super temporalem: & temporalis à spirituali, vt à causa dependet, cum talis potestas sit magis propter regimen vitæ temporalis. Et rationem hanc videtur tangere Hugo *de sacramentis libro secundo, parte 2. capite 4.* dicens sic: *quanto vita spiritualis dignior est quam terrena, & anima quam corpus: tanto spiritualis potestas terrenam siue secularem potestatem honore ac dignitate præcellit.* Nam spiritualis potestas terrenam potestatem & instituere vt sit, & iudicare habet si bona non fuerit, ipsa vero à Deo primum instituta est: & si deuiat à solo Deo iudicari potest. Sic enim scriptum est, *spiritualis homo omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur:* & ita spiritualis potestas secularem instituit & iudicat. Item, idem arguunt ex ordine finium. In artibus enim ordinatis ars, ad quam pertinet vltimus & principalis finis, imperat aliis, ad quos pertinent fines secundarii. Sed secularis potestas intendit bonum multitudinis, quod est viuere secundum virtutem: ad quod potest venire virtute naturæ, per ea quæ huic adminiculantur. Potestas autem spiritualis intendit bonum multitudinis supernaturale, scilicet æternam vitam vel beatitudinem, & in ipsam dirigit. Finis vero supernaturalis potior est & principalior quolibet alio fine: ergo spiritualis potestas, quæ ministris Ecclesiæ collata est, superior est non solum dignitate, sed etiam causalitate, potestate seculari: & ei habet præcipere, qualiter debeat operari. Vlterius ex isto medio concludunt, quod Papa tradit leges Principibus, secundum quas secularem iurisdictionem exequi & exercere debeant: nec possunt seculares principes aliunde accipere leges, nisi à Papa fuerint approbatæ. Dicunt etiam, quod ideo spiritualis potestas dicitur regale sacerdotium: quia Christus rex & sacerdos, & eius vicarius potestatem habet regalem & sacerdotalem: quia per ipsum regalis potestas instituitur, ordinatur, sanctificatur & benedicitur. Propter hoc enim dicunt, quod *in Veteri Testamento,* vt dicit Hugo, *primum à Deo institutum est sacerdotium: postea vero per sacerdotium institutum potestas regalis iubente Domino est ordinata.* Et adhuc sacerdotalis dignitas regalem potestatem significat per benedictionem, & format per institutionem. Ostendunt etiam per Augustinum *de Ciuitate Dei libro secundo capite vigesimo primo.* vbi dicit: quod *sine vera iustitia non potest regi respublica*: vera autem iustitia non est, vbi Christus non est rector: & sic non est respublica recta & vera, nisi populi Christiani: in qua non spectat de iure gubernatio, nisi ad Papam, qui est Christi vicarius. Et sic dicunt, Papam vtramque habere iurisdictionem à Deo immediate. Amplius dicunt sic: *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Roman. 8. Vtraque potestas à Deo est: ergo ordine quodam, scilicet secularis mediante spirituali, & non immediate à Deo. Amplius dicunt, & videtur esse rationabile, cum vna sit Ecclesia, & vnus populus Christianus, & vnum corpus mysticum, quod sit vnum caput, à quo spiritualiter & temporaliter membra dependeant. Et ideo dicit, quod potestas in Ecclesia siue secularis siue temporalis dependet ex vno, apud quem vtraque residet: & iste est Papa, successor Petri, & vicarius Christi. Item adducunt pro se Bernhardum ad Eugenium Papam, libro quarto dicentem sic: *Quid tibi denuo gladium vsurpare tentas? quem semel iussus es reponere in vaginam: quem tamen qui tuum negat, non satis videtur attendere verbum Domini, sic dicentis: Conuerte gladium tuum in vaginam. tuus est ergo, & forsitan ipse tuo nutu, etsi non tua manu euaginandus. alioqui si ad te nullo modo pertineret: & is Apostolis dicentibus, Ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus, Satis est: sed, Nimis est: vterque ergo Ecclesiæ est, & temporalis & spiritualis.*

Sed

Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero & ab Ecclesia exercendus: ille sacerdotis ore, iste militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris. Ex quibus patet, Papam immediate habere vtramque iurisdictionem, quam ad primariam auctoritatem; licet executio gladii materialis ad Imperatorem pertineat. Amplius præter prædicta, arguit quidam Dominus Ioann. de Cremona doctor, vt dicitur, in Decreto, quod *Dominus à principio rexit mundum per se: & Euam, Adam, Chaim puniuit, & hoc vsque ad diluuium. Ex tunc vero rexit per Noe, cui præcepit facere arcam, & regere eam: & hic Noe sacerdos erat*, vt ipse dixit: *quia ædificauit altare Domino, & sacrificium obtulit. Postea autem rexit per Abraham & alios patriarchas, qui fuerunt sacerdotes, Deo sacrificia offerentes. vnde Abraham bis Domino ædificauit altare, & fuit presbyter, vt notatur octog. 4. capite 3. Deinde rexit per Moysem & Aaron, qui punierunt Pharaonem, rexerunt populum Israel & in deserto in temporalibus & spiritualibus, & ii sacerdotes erant, vt in psalmo: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, &c. Videtur ergo, quod sacerdotes nouæ legis, cum non sint minoris auctoritatis, habeant regere in vtrisque.* Item arguitur sic: Habens dominium super finem, habet etiam in his, quæ ordinantur ad finem: sed temporalia ordinantur ad spiritualia vt ad finem, Papa vero habet dominium in spiritualibus, ergo, &c. Item sic: Christus dedit animas Petro: sed corpus est propter animam, & ei subiectum: bona vero exteriora & temporalia sunt propter corpus, & ei sunt subiecta: ergo, de primo ad vltimum omnia exteriora sunt Papæ subiecta. Et hoc etiam videtur dicere Apostolus 1. ad Corinth. 3. *Nostra sunt omnia, nos autem Christi, Christus autem Dei.* Exemplo autem Dei (vt dicit Glossa: quam tamen iste pro se non allegat) *omnia quotquot sunt in mundo, nostra sunt.* Item dicit iste, quod Imperatores à principio aliquod ius habuerunt in imperio: ipsi tamen propter peccata, quæ commiserunt in sanctos, ipsos occidendo, & præcipue summos pontifices, priuati sunt iure imperii, & ius imperii ad Ecclesiam translatum est: quia *priuilegium meretur amittere, qui commissa sibi abutitur potestate*; vndecima quæstione tertio capite *priuilegium*. Item dicit iste, quod dominium quod nunc habet Ecclesia, & olim ipsum non habebat: significatum fuit *Lucæ decimoquarto*, vbi dicitur, quod pater familias parato conuiuio misit filium suum in vicos & plateas, dicere inuitatis vt venirent: & cum hoc factum esset, dixit iterum paterfamilias seruo, vt exiret in vicos & sepes, & compelleret omnes intrare, vt impleretur domus tota. In primo significatur Ecclesia, quantum ad statum suum primum, quando non habebat auctoritatem compellendi, quia erat subiecta. Sed in secundo significatur status Ecclesiæ modernus, in quo habet auctoritatem plenariam compellendi & imperandi in omnibus: vt exponit Augustinus, & habetur *vigesima tertia quæstione quarta cap. displicet.* Et consimilia adducunt quidam de illo Psalmo: *Quare fremuerunt gentes.* fremuisse dicuntur primo gentes & Iudæi contra Christum: in quo significatur primus status Ecclesiæ. Postea dicitur, *Dirumpamus vincula eorum*, &c. & infra, *Et nunc reges intelligite*: vsque, *Apprehendite disciplinam*, &c. in quo signatur status Ecclesiæ modernus, in quo Papa Christi vicarius habet dominium super reges terræ, qui ei debent totaliter esse subiecti, licet à principio hanc potestatem non habuerit. Adiungunt etiam aliqui, quod Dominus à principio Petrum & Andream vocando conuertit: sed vltimum Apostolorum, scilicet Paulum, conuertit ad terram prosternendo: & hoc adaptant modo consimili, sicut & præcedentia. Item adiungunt aliqui ad diminutionem regiæ potestatis, & ad exaltationem Papalis dignitatis, quod Dominus populo Israel à principio instituit sacerdotes: sed non instituit eis regem, sed solum permisit eorum arbitrio, dicens Deuteronomio decimoseptimo, *Constituam mihi regem super me*, &c. Et hoc permisit Dominus, indignatus ad petitionem ipsorum; vt patet per hoc, quod dicit ad Samuelem primo Regum octauo: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Ex quo patet, regnum siue regimen regale non esse acceptum à Deo, sed ipsum solum permisit indignatus; & magis esset Deo acceptum, quod per solum Pontificem mundus in omnibus regeretur. Vnde Oseæ octauo dicitur de regibus: *regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui eos.* Item vt diminuant regiam potestatem, & trahant eam ad Papam, assumunt illud *Genes. quadragesimo septimo*, quod cum tempore famis cunctorum Ægyptiorum triticum emeret sibi Pharao, atque sub eadem fame suæ seruituti subiiceret; sacerdotibus tamen ista necessaria subministrauit, vt nec possessionibus, nec libertatibus nudarentur; quasi Domino ex tunc pronunciante, vel prænunciante, sacerdotes in omni gente liberos esse oportere. Quod verbum sic dictum accipitur ab Vrbano Papa, *24. qu. vltim. cap. tribuunt*, ad probandum, quod temporalia clericorum non videntur imperialibus exactionibus subiicienda. Item, si Papa citet episcopos alicuius regionis ad curiam, & rex, à quo tenent feudalia, dicat se eis indigere, & eos retinere velit, tenentur obedire Papæ. *23. quæst. 7. in cap. reprehensibilem.* & sic saltem in tali casu non tenentur principi, sed Papa videtur eos eximere. Item dicunt, quod Papa potest à regibus auferre collationem præbendarum, quæ sibi competere dicuntur de iure patronatus, & de consuetudine. Quod probant, tum quia collatio beneficiorum est spirituale quoddam, vel spirituali annexum, sicut ius decimarum; & ita non cadit in laicum. tum quia dos Ecclesiæ non debet esse onerosa. tum quia consuetudo non præiudicat iuri priuato: de iure vero priuato competit ordinario beneficiorum Ecclesiasticorum, & non laicæ personæ. tum quia consuetudo vel conditio inhonesta, & contraria substantiæ contractus, pro non adiecta habetur; & sic cum dicta conditio sit inhonesta, pro non adiecta haberi debet. tum quia Ecclesia gaudet iure minorum; & ideo cum reputet se grauatam de talibus conuentionibus & dissimulationibus, petere potest restitutionem in integrum; & sic Papa loco Ecclesiæ potest repetere prædicta, & inhibere ne amodo reges dicta beneficia conferant. Et ad confirmationem suæ sententiæ, dicunt isti, quod

Papa debet esse perfectus in vtraque vita, actiua scilicet & contemplatiua, multo plus quam quilibet alius prælatus. perfectus autem esse non potest in actiua vita, nisi habeat dominium in temporalibus directum & vniuersale: quia ad vitam actiuam pertinet administratio temporalium. Item dicunt, quod clerici plus vigent ratione & intellectu, quam laici: & tales debeant regere in vtrisque. Item dicunt, quod contrarium loquentes, dicunt in fauorem principum spe vel timore, & non secundum conscientiam. Item dicit ille de Cremona, quod quasi hæretici vitari debent, & etiam iudicari, dicentes Papam non habere potestatem in temporalibus, quia hoc dicunt, vt ecclesia non possit hæreticos coercere per brachium seculare. Hæc sunt quæ audire vel colligere potui in hanc partem.

Cap. XII.

AD horum vero solutionis euidentiam præmittenda sunt, scil. qualem potestatem acceperunt à Christo, Apostoli & discipuli Domini: & in ipsis episcopi & sacerdotes alii. Nam vt dicit glossa Luc. 10. *Sicut in Apostolis forma est episcoporum, sic in LXXII. discipulis forma est presbyterorum secundi ordinis.* & omnis potestas sacerdotalis ad hos duos ordines reducitur. Est ergo sciēdum, quod sicut patuit ex prædictis *in 2. ca.* Sacerdotium non est aliud quam potestas spiritualis, Ecclesiæ collata ad dispensandum fidelibus sacramenta gratiam continentia, qua ordinant tibi vitam æternam. Sicut autem natura, quæ non deficit in necessariis, ideo non dat alicui potētiam, nisi det sufficientia adiutoria, per quæ potentia illa modo conuenienti possit exire in suam operationem (vnde Philosophus habet pro inconuenienti, quod natura det alicui potentiam aliquam animæ, & non det ei organa, per quæ operatio animæ impleatur) ita Deus, cum minus deficiat quam natura, cum prædicta potestate dat sacerdotibus illa, sine quib. illi prædictam potestatem exercere non possint. Sunt autem quinq; talia. Vnū est ex parte sacramētorum, materiæ corporalis sanctificatio, vel consecratio. Nam secundum Hugonem & Magistrum Sententiarum, *sacramentum est sensibile elementum, sanctificatū & consecratum per verbum Dei.* Duo aūt sunt ex parte fidelium, quib. sacramenta ministrentur: quorum vnum est, debita informatio seu eruditio eorum per doctrinā, vt sciant quomodo viuere debeant, vt digne recipiant sacramenta: quia non conferunt, nisi dispositis. Aliud est, contemnentium coercio: vt qui propter turpe quod est in peccato, vel propter monitiones, & eruditiones salutares non discedunt à turpi, ipsi per pœnas iudicum terreantur. Ex parte vero ministrorum sacramēta ministrantium, similiter duo requirūtur, vnum est, ipsorum distinctio, & ordinatio debita. Nam si multitudo debita ministrorum non esset ordinata & distincta per vnum. in hoc habentē auctoritatem, esset confusio: & negligeretur cōmunis vtilitas, si quilibet ministrorum posset exercere iurisdictionem suā vbique. Nam homines non consueuerunt ita esse solliciti de cōmuni, sicut de sibi appropriato: esset etiam dissensionis materia in populo, & inter ministros, si omnes ministri curam haberent indistincte de omni populo, sicut in primatiua ecclesia erat, vbi vnus dicebat, *Ego sum Pauli*, alius vero dicebat, *Ego sum Apollo.* 1. Cor. 1. Et ideo necessaria est dictincta ministrorū ordinatio, per aliquem vnum habentem auctoritatē in hoc. Aliud vero est, quo ad necessitatem vitæ, vel sustentationem. Et secundum ista in Euāgelio accepimus sex potestates collatas Apostolis & discipulis Domini, & in ipsis successoribus eorum, ministris sc. ecclesiasticis. Prima est potestas consecrationis, quæ interdum dicitur character vel potestas ordinis, quam contulit Dominus in cœna, quando tradens corpus suum sub specie panis, eis dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* 1. Cor. 11. Alia est potestas administrationis sacramentorum, & præcipue sacramenti pœnitentiæ, quæ est potestas clauium vel spiritualis iurisdictionis in foro conscientiæ: & consistit in auctoritate discernendi lepram & non lepram, & in potentia absoluendi à culpa, & commutandi reatum pœnæ æternæ in reatum pœnæ temporalis. Et hæc potestas in spirituali foro promissa fuit Petro Matth. 16. vbi dicitur: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* & Matth. 18. promissa fuit omnibus, cum dicitur: *Quæcunque alligaueritis*, &c. Collata vero fuit eis, cum dictum est eis Iohan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et cum hoc dixisset, insufflauit dicens: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. Et hæc potestas secundum aliquos cum potestate consecrationis, est vna secundum essentiam potestatis, differens secundum diuersos actus corporis mystici: & est complementum sacerdotalis dignitatis, vel potestatis. Vnde in ordinatione simplicium sacerdotum, & in ordinatione episcoporum, qui sunt magni sacerdotes, eadem verba proferuntur: scilicet: *Accipite Spiritum sanctum, quorum*, &c. Tertia est, scilicet potestas siue auctoritas apostolatus siue prædicationis, quam tradit eis Dominus, dicens Matth. vlt. *Euntes prædicate*, &c. & Marci vlt. *Euntes docete omnes gentes*, &c. Quarta potestas est iudiciaria potestas, scil. correctionis in foro exteriori, per quam timore pœnæ peccata corriguntur, præcipue quæ sunt in scandalo Ecclesiæ. Et hæc potestas data est Mat. 18. vbi dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. vsq; ibi: *Quod si te non audierit, dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam nō audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* vbi dicit Glossa: *Obiurgatio plurimorum ipsum corrigat.* Et sequitur: *Amen dico vobis, quodcunq; alligaueritis*, &c. vbi notatur auctoritas discernēdi in dicto, data Ecclesiæ, cum dicitur, *Dic Ecclesiæ*: sc. vt cognoscat. & auctoritas coercendi seu puniendi per ecclesiasticam censurā, cum dicitur, *Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus*, &c. Cuius confirmationē subiūgit dicens: *Amen dico vobis, quacunq;* (vel, *quodcunq;*) *alligaueritis*, &c. Gloss. *Vinculo anathematis.* Et est signanter considerandum, quod in istis tribus actibus sacerdotes habent perfectam potestatē hierarchisandi populum fidelium: scilicet illuminandi per doctrinam, purgandi per correctionem, & perficiendi

di

di per sacramentorum administrationem. Potestas quinta est, sc. dispositionis ministrorum secūdum quosdam, quo ad determinationem iurisdictionis Ecclesiasticæ, vt vitetur confusio. Et hæc collata est Petro & successoribus eius, Iohan. 21. vbi dictum est ei: *Pasce oues meas*. Potestas enim clauium, & iurisdictionis potestas, collata erat omnibus æqualiter, & sine determinatione, & poterat quilibet vti ea in quemlibet peccatorem cum effectu: cum peccator sit debita materia, super quam habet cadere iurisdictionis actus: sicut absolutio siue panis triticeus sine determinatione est materia, super quam cadit actus potestatis ordinis. Vnde & B. Paulus vbiq; sine determinatione populum hierarchisabat: vt patet in suis Epistolis. Et quia confusio, vt dictum est, inde sequi poterat: ideo Dominus hæc præuidens, contulit Petro & successoribus eius auctoritatem disponendi ministros Ecclesiæ, & determinandi iurisdictionem, dicens, *Pasce oues meas*: vt scil. pastor generalis, ad quem dispositio & regimen generale ouium & ouilis pertineret. hoc enim nulli alii dictum est. Quidam tamen rationabiliter dicunt, quod non quilibet peccator est materia, super quam debet vel potest cadere cum effectu actus clauium, & potestas iurisdictionis: sed peccator subditus, & ideo prædicta potestas non habet effectū in peccatore, nisi supposita subiectione, quę facit hominem esse debitam materiam, super quā clauis potest habere actum suum cum effectu: sicut potestas ordinis non habet effectum, nisi super panem triticeum. Et hæc iurisdictio siue prælatio data est Petro super totam Ecclesiam, cum dictum est ei, *Pasce oues meas*: id est, sis pastor & prælatus, & Ecclesiam tibi vt pastori cōmitto & subdo. Vnde Theophilus, *finito prandio commissionem ouium Petro commendat, & nulli alii*. Idem dicit Greg. etiam simile. Et sic, licet vel quamuis omnes Apostoli eandem habuissent à Christo & æqualem potestatem clauium & iurisdictionis: tamen iurisdictionem siue materiam subiectam non habuit nisi Petrus, & cui committere voluit. Et secundum hanc viam per illud verbum, Pasce oues meas, non est data Petro potestas determinandi iurisdictionem prius ab omnibus habitam: sed iurisdictio soli Petro data est. quam tamen postea diuisim Dominus aliis dedit, vocans alios in partem sollicitudinis. Secundum vero primam opinionem, quod quilibet Episcopus non absoluit extra suam diœcesim, est ex ordinatione Petri seu Ecclesiæ determinantis & prohibentis: quia sine prohibitione alias posset: & adhuc si faceret, teneret factum, cum habeat potestatem ex sua ordinatione, & materiam debitam, scilicet peccatorem: sed male faceret, transgrediendo Ecclesiæ ordinationem. Sicut Latinus sacerdos, verba sacramentalia proferens super panem fermentatum, conficeret: sed peccaret transgrediendo Ecclesiæ suæ ordinationem, determinantis sibi panem triticeum azymum. Concordat autem dicta positio dominio rerum temporalium, vt sicut appropriatio rerum temporalium est solum per positionem hominum, qua remota non possum dicere, Hoc est meum: sed, Omnia sunt communia. ita amota ordinatione Ecclesiæ, hic populus non plus est istius episcopi quam alterius: sed est cuiuslibet sacerdotis, & indifferenter à quolibet potest absolui. Appropriatio autem facta est per Ecclesiam, ex auctoritate data Petro, ibi, *Pasce oues meas*. Secundum vero opinionem aliam, quod quilibet episcopus non absoluat extra diœcesim, non est ex Ecclesiæ ordinatione tantum, sed propter defectum materiæ: quia extra diœcesim non habet populum subiectum. vnde intendens absoluere extra diœcesim suam, & verba proferens super peccatorem, non absoluit: sicut nec sacerdos conficeret prosequendo verba consecrationis super lapidem, vel panem non triticeum. Sunt vero tertii, dicentes quod per illud verbum, *Pasce oues meas*, data est Petro auctoritas solum docendi & ædificandi, & prælatis conuenit executio. Executio autem est eis præcepta, cum dictum est: *Ite docete*, &c. Vnde gloss. *Pasce oues meas, verbo & exemplo: non corporali cibo, vel pabulo*. Alia vero potestas, quæ sexta est, conuenit eis ex debito præcedentium: scilic. potestas accipiendi necessaria ad congruentem vitæ sustentationem, ab iis quibus spiritualia ministrant: & hæc potestas data est, imo deberi declarata Petro & aliis Apostolis, Matth. 10. vbi postquam dixerat, *Euntes prædicate*, &c. subiunxit, qualiter ad temporalia se haberent, dicens: *Gratis accepistis, gratis date*. Glossa: *Sicut ego vobis sine precio do talem potestatem, & vos gratis date, ne Euangelii gratia corrumpatur*. Et sequitur: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*. Glossa: *Qui alios ad contemptum hortamini diuitiarum*. sequitur, *Neque peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam*. Glossa: *Auxilium baculi prope necessitatis amputat, ne curent de crastino, qui docent omnia regi à Deo*. Et subditur potestas eis data, cum dicitur: *Dignus enim est operarius cibo suo*. Glossa: *Ecce quare præcepit eis nil ferre, quia omnia debentur eis*. & alia Glossa ibi dicit: *Tantum necessaria accipite, quantum ad necessitatem sufficit, vt inde securi melius æternis vacetis*. De hac etiam potestate accipiendi necessaria ad suffragationem vitæ, habetur *Marci 6.* & *Lucæ 10.* Hæ igitur sunt potestates, quas acceperunt Apostoli à Christo. Aliam autem potestatem non acceperunt ab eo, vt puto, nisi miracula faciendi ad confirmationem fidei: in qua non necessario succedunt eis episcopi & sacerdotes, propter fidei confirmationem sic manifestam, vt iam non indigeat miraculis confirmari.

Cap. XIV.

His declaratis, videndum est quid possint in temporalibus, & super principes; episcopi & sacerdotes ex prædictis potestatibus eis commissis. Et videtur quod de nulla dictarum potestatum habent directe potestatem in temporalibus: neque iurisdictionem temporalem super principes, nisi quod possunt accipere necessaria ad vitæ sustentationem. Quod quidem videndum est per singulas potestates. De prima quidem potestate, quæ est potestas consecrationis, euidens est hoc, cum

ipsa sit totaliter spiritualis, & æqualiter in omnibus episcopis & sacerdotibus, & degradatis & suspẽsis. Quod patet ex hoc, quod reconciliati iterum non ordinantur. Ex quo manifestum est, quod per talem potestatem nihil habent iurisdictionis vel dominii in temporalibus. Secunda vero potestas, scilicet clauium in foro conscientiæ, est spiritualis. vnde Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum,* &c. Glossa Chrys. dicit. *Collata fuit potestas spiritualis tantum dimittendi peccata: nec potest aliquid in temporalibus, nisi cum in foro conscientia, cum ad satisfactionem inducit, sicut & cæteras potestates corporales.* Ex quo patet, quod nullus est ei subiectus simpliciter, sed sub multiplici conditione: scilicet si peccauerit, & si pœnitere noluerit: & si quidem obedire noluerit, non potest eum coercere ex prædicta potestate, sicut iudex secularis potest imponere pœnam pecuniariam vel emendam etiam nolenti, & ipsum ad hoc compellere. Tertia vero potestas seu auctoritas, scilicet prædicationis, omnino est spiritualis: nec omnino habet dominium, cum non sit potestas dominii, sed auctoritas magisterii: sicut Apostolus dicit 2. Timoth. 1. *Positus sum ego prædicator & apostolus & magister gentium.* Bernardus ad Eugenium libro tertio. *Apostolis seu viris Apostolicis interdicitur dominatus.* & ibidem: *Domabis lupos, & non dominaberis ouibus. esto vt alia quacunque ratione hac tibi vendices:* (loquitur de temporalibus) *sed non Apostolico iure: neque enim tibi ille dare potuit, quod non habuit: quod habuit, hoc dedit, solicitudinem scilicet super ecclesias. Audi ipsum apostolum Petrum: Non sicut dominantes in clero, sed forma facti gregis.* Per hanc tamen auctoritatem docendi indirecte, possunt in temporalibus, in quantum inducunt homines ad pœnitentiam, & restitutionem æris alieni, & ad erogationem temporalium, secundum quod exigit ordo charitatis. De quarta vero potestate, in foro iudiciali exteriori est tota difficultas. propter quod intelligendum est, quod illa duo importat, scilicet auctoritatem discernendi seu corrigendi: quæ significatur, cum dicitur, *Dic ecclesiæ:* & potestatem coercendi, cum dicitur, *Sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* hæc enim sunt duæ claues in foro exteriori. De prima ergo sciendum, quod iudex ecclesiasticus, vt ecclesiasticus est in foro exteriori, non cognoscit regulariter nisi de spiritualibus causis, quæ ecclesiasticæ vocantur: & non de temporalibus, nisi ratione delicti. quod tamen sic intelligitur, quod sit delictum: nec oportet de hoc fieri exceptionem, cum de nullo delicto cognoscat Ecclesia, nisi secundum quod reducitur ad spirituale & Ecclesiasticum. Dupliciter enim peccatur in temporalibus: vno quidem modo, peccato oppositionis seu erroris: vt cum tenetur, quod vsura non est peccatum mortale: vel tenetur, quod possumus alienum vendicare quocunque titulo: vel cum circa talia aliquis dubitat, an sit licitum vel illicitum secundum Deum. & cum omnia talia determinentur per diuinam legem, secundum quam habet iudicare iudex Ecclesiasticus: non est dubium, quod ad solum iudicem Ecclesiasticum pertinet cognitio talium. Alio modo, peccato venditionis detinendo, siue impendendo alienum vt suum: & talium cognitio ad iudicem secularem pertinet solum, qui secundum leges humanas iudicat seu ciuiliter, secundum quas fiunt approbationes rerum, & vendicationes, ne res humanis vsibus necessariæ negligantur, si omnibus & singulis essent communes: & ne, si communes essent ex indistincto, non seruaretur pax de facili inter homines. Vnde propter hoc facta est rerum huiusmodi approbatio per Imperatores, vt dicit Augustin. *super Ioan.* vt habetur distinct. 8. cap. quo iure: *Tolle,* inquit, *iura Imperatorum: & non potes dicere, Hæc res mea est. De iure enim naturali est vna omnium libertas, & communis omnium possessio.* Et ita de peccato in temporalibus non iudicat vel cognoscit iudex Ecclesiasticus, sed secularis tantum: nisi forte aliunde quam à Christo concessum ei fuerit, vel permissum. Et hoc notauit Bernardus ad Eugenium dicens: *Non in possessionibus, sed in criminibus potestas vestra est:* vt supra *cap. 10.* Et super illud Matthæi 18. *Et in ore duorum vel trium stet omne testimonium.* dicit Glossa, *Vt probent illud esse peccatum, si negauerit esse peccatum.* sic enim, si non acquiescit, dicendum est Ecclesiæ, & non aliter, quæ iudicat de peccato. Et *26. distinctione cap. duo.* vbi Papa loquitur Imperatori, *dignosci inter hoc, te ex illorum pendere iudicio;* scilicet sacerdotum. Glossa, *Quoad spiritualia.* & hoc etiam notauerunt summi pontifices. *extra, qui sunt filii legitimi cap. lator.* vbi dicitur, *Iudex secularis siue dominus quæstionem de hæreditate debet decidere.* Et cap. causam debet: *Et si attendentes, quod ad regem pertinet, non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus iudicare, ne videamur iuri regis Anglorum detrahere, qui ipsorum iudicium ad se asserit pertinere.* Extra, de iudiciis, cap. nouit, dicit Papa; *Non intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum regem spectat iudicium, nisi forte iure communi,* &c. Et extra, de appellation. si duobus, dicitur, quod *ad Papam non est appellandum à iudice seculari, nisi in terra Ecclesiæ subiecta, vel concessa.* Dicere vero quod talia dicunt summi Pontifices ex humilitate, est omnino perniciosum: & hoc est ponere os in cœlum. quia Philosophus hoc attribuit in *quarto Ethicorum,* peccato ironiæ, quæ opponitur virtuti. Dicit etiam tales humiles non esse virtuosos, sed timidos & blanditores. Et Augustinus in libro *de verbis Apostoli,* dicit sic: *Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentieris, mentiendo peccator efficieris.* Et super Iohannem: *Non ita timeatur arrogantia, vt veritas relinquatur.* Et Gregorius dicit; *Incauti sunt humiles, qui se mentiendo illaqueant.* De potestate vero correctionis seu censuræ Ecclesiasticæ sciendum, quod non est nisi spiritualis directe: quia nullam pœnam in foro exteriori potest imponere nisi spiritualem, nisi sub conditione & per accidens. Licet enim iudex Ecclesiasticus habeat homines in Deum reducere, & à peccato retrahere & corrigere: hoc tamen non habet nisi secundum viam à Deo sibi datam, quæ est separando à sacramentis, & participatione fidelium. & huiusmodi ad censuram Ecclesiasticam pertinent. & dicitur, *Nisi sub conditione,* scil. si quis pœnitere velit, & pœnitentiam pecuniariam acceptare. non enim potest iudex Ecclesiasticus ratione delicti imponere pœnam corporalem vel pecu-

pecuniariam, sicut facit iudex secularis: sed solum, si ille velit eam acceptare. Si enim non vult eam acceptare, compellet eum iudex Ecclesiasticus per excommunicationem, vel aliam pœnam spiritualem, quæ est vltima quam potest inferre: nec vltra potest aliquid facere, nisi dico per accidens, quia si esset hæreticus & incorrigibilis, & contemptor Ecclesiasticæ censuræ, posset Papa aliquid facere in populo vnde priuaretur ille seculari honore, & deponitur à populo. Et hoc faceret Papa in crimine Ecclesiastico, cuius cognitio ad ipsum pertinet excommunicando, sc. omnes qui ei vt domino obedirent: & sic populus ipsum deponeret, & Papa per accidens. Sic etiam econuerso, si Papa esset criminosus, & scandalisaret Ecclesiam, & incorrigibilis esset, princeps posset ipsum excommunicare indirecte, & deponere ipsum per accidens, mouendo sc. ipsum per se & per cardinales. Et si quidem Papa acquiescere nolet, posset aliquid facere in populo, vnde compelleretur cedere, vel deponeretur à populo: quia Imperator posset sub hypotheca rerum, vel pœna corporum inhibere omnibus & singulis, vt nullus ei obediret vel seruiret Papæ, & hoc quidem potest vterq; in alterum. Nam vterq;, sc. papa & Imperator, vniuersalem & vbiq; habent iurisdictionem: sed iste spiritualem, & ille temporalem, & tamen in hoc distinctio est adhibenda, quia vbi rex delinqueret in spiritualibus, sc. in fide, matrimonio, & aliis huiusmodi, quorum iurisdictio ad iudicem Ecclesiasticum pertinet, papa habet ipsum monere: & si ipse inueniatur pertinax & incorrigibilis, potest ipsum excommunicare, & vltra non potest plus nisi per accidens: quia si fuerit contemptor, potest facere in populo, vt dictum est. Vbi vero rex peccaret in temporalibus, quorum cognitio ad Ecclesiasticum non pertinet, tunc non habet ipsum corrigere primo, sed Barones & Pares de regno: qui si non possunt, vel non audent, possunt inuocare auxilium Ecclesiæ: quæ requisita à Paribus in iuris subsidium potest monere principem, & procedere contra ipsum modo prædicto. Similiter vero, vbi papa delinqueret in temporalibus, quorum cognitio ad principem secularem pertinent, vt si mutuaret ad vsuram, vel mutuantibus faueret, & præcipue in iis quæ per leges ciuiles sunt prohibita: Imperator si esset, haberet ipsum primo corrigere immediate monendo, & postea puniendo, nam ad principem pertinet omnes malefactores corrigere primo iure. Roman. 13. *Non enim sine causa gladium portat, minister enim Dei est, vindex malorum in iram.* Glossa super illud Rom. 13. *Ideoque tributa præstabis*: dicit, quod *ad hoc instituti sunt, vt boni laudentur, mali vero puniantur.* Et Hieronymus super Hieremiam, & habetur 23. q. 7. *Regum officium proprium est facere iudicium & iustitiam, & liberare de manu calumniantium vi oppreßos & peregrinos & pupillos & viduas, qui facilius opprimuntur à potentibus.* Vnde commendabiliter Henricus Imperator duos de papatu altercantes, non solum Canonica censura, sed imperiali auctoritate deposuit: vt legitur *in Chronicis Romanorum.* Et dicitur, quod primo iure habet Imperator ratione delicti præcipue ciuilis, papam immediate corrigere: quia de priuilegio à principibus indulto, clerici non nisi per suos episcopos iudicantur, quod priuilegium primo impetrauit Iulius papa, qui secundus fuit post Syluestrum, adhuc Constantino viuente, vt dicitur *in Chronicis.* Quidam tamen dicunt hoc eis deberi iure diuino, & non priuilegio principum iuxta istud psalmi: *Nolite tangere Christos meos*, quod ipsi exponunt de sacerdotibus. Alii tamen exposuerunt de regibus, qui tunc vngebantur. Et sic legitur *2. Reg. 2.* Dauid interfecit Doec Idumæum, quia dicebat se interfecisse *Christum Domini*, id est Saulem. Si vero in spiritualibus delinquat papa, conferendo beneficia Ecclesiastica simoniace, ecclesias dissipando, priuando personas Ecclesiasticas & capitula iuribus suis, vel etiam male docendo & sentiendo circa ea, quæ ad fidem & bonos mores pertinent: tunc primo monendus esset à cardinalibus, q̃ sunt loco totius cleri: & si incorrigibilis esset, nec possent per se amouere scandalum de ecclesia, tunc in subsidium iuris haberent supplicando inuocare brachium seculare: & tunc Imperator requisitus à cardinalibus, cum sit membrum ecclesiæ, deberet procedere contra papam, ex quo ecclesia non habet gladiũ secularem. Alio modo, *non quidem manu, nec iussu, sed nutu & supplicatione*, vt dicit Bernardus ad Eugenium: sic etiam duo gladii mutuo se iuuare tenentur ex communi charitate, quæ membra ecclesiæ vnit. Colligitur hoc *26. distinct. ad verum. & 24. q. 5. principes. & capitulis sequentibus.* Et sic legimus *in Chronicis*, quod Constantinus secundus, qui post ambitionem papatus cum fecisset multa ecclesiæ scandala, per principes est depositus, & zelo fideliũ oculis est priuatus. Similiter Iohãnes XII. cum esset venator, & lubricus, frequenter de sua correctione admonitus, nec correctus, per Imperatorem & clerum de papatu depositus est: cui adhuc viuenti successit Leo papa. Sic etiam *4. Regum* legitur, quod cum sacerdotes reciperent oblationes à populo, pro reparatione sartatectorum templi, nec ea repararent: rex Osias prohibuit populo, ne vltra offerrent, & posuit famulos ex parte sua, qui oblata reciperent: & sic de pecunia reparauit sartatecta templi, & pecuniam distribuit operariis. Ex his patet, quod tota censura Ecclesiastica est spiritualis, scilicet excommunicando, suspendendo, interdicendo: nec aliquid vltra potest, nisi indirecte, & per accidens, vt dictum est. Et quod tota censura Ecclesiastica sit spiritualis, patet etiam per hoc quod dicitur Matthæi 18. *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus*, &c. Glossa: *vt obiurgatio plurimorum ipsum corrigat.* Et sequitur: *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis*, &c. Glossa: *vinculo anathematis.* Chrysostomus ibi dicit: *Vide qualiter incorrigibilem duplicem duplicibus alligauit necessitatibus, pœna sc. quæ est hæc, scilicet proiectione ab ecclesia, quam notauit cum dicit, Sit tibi quasi ethnicus & publicanus: & supplicio futuro, quod est, ligatum esse in cœlo, vt multitudine iudiciorum corrigatur culpa fratris*, hæc est sententia Apostoli, 1. Corinth. 5. dicentis: *Is qui frater nominatur inter vos, & est fornicarius, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumite.* Ecce quod vltra excommunicationem non procedit Apostolus, etiam in culpis grauibus, & instruens omnes episcopos 1. Timoth. 3. dicit: *Hominem hæreticum*

post vnam & secundam correctionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est. Vbi nota, quod non dicit, *Combure*: sed, *Deuita*. Ex quibus patet, quod prædicta potestas est spiritualis: nec principes ratione huius sunt Papæ subiecti, nisi vt supra dictum est. Similiter de potestate Petro tradita, per illud verbum, *Pasce oues meas*: patet, quod est spiritualis tantum, & nihil ad principes de ea qualitercunque exponatur, scilicet primo vel secundo vel tertio modo. Sexta vero potestas, sc. accipiendi necessaria ad debitam vitæ sustentationem, est temporalis: & magis debet dici ius, quod eis debetur in stipendium vitæ, in quo non sunt principes subiecti, sed debitores, sicut cæteri fideles, qui ab eis spiritualia recipiunt. Et licet hoc sit eis debitum, tamen hoc ius non petebant Apostoli per modum auctoritatis, sed per modum supplicationis: hoc tamen potest Papa decernere debitum eis esse, & ipsi possunt hoc petere secundum debitam facultati possessionem. Et etiam per censuram Ecclesiasticam, potest Papa rebelles compellere ad reddendum.

CAP. XV.

Quo ponuntur solutiones ad primum senarium rationum præmissarum.

QVod ergo primo dicitur de Hieremia, *Ecce constitui te super gentes & regna*: respondetur, Dupliciter exponitur. Aliqui dicunt hoc fuisse dictum in persona Christi, eo quod *Hieremias* interpretatur *excelsus Domini*. Sic enim de Salomone multa dicuntur, quæ verificata tamen fuerunt in Christo per Salomonem significato, vt dicit Aug. *18. de Ciuitate Dei*, ipse ergo Christus per Hieremiam significatus, positus est super gentes & super regna mundi & diaboli, dum in excelso montis positus, ea sibi oblata contempsit, vel super ea positus est in membris suis, qui fide sibi adhærentibus regum & regnorum sæuitiam vicerunt patiendo, fidei constantia armati, iuxta illud: *Sancti per fidem vicerunt regna*, & illud Salomonis, *Melior est patiens viro forti*, vel si de persona Hieremiæ intelligatur, constat quod nullum regem ex quacunque causa de solio deposuit. Sed intelligitur positus super gentes & regna: quasi habens auctoritatem super ea, in annunciando & prædicando vera, sicut dictum est de Dauid & Christo in Psalmis: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super montem*, sc. eius, prædicans præceptum eius. Licet etiam positus fuerit super gentes & regna vincendo per patientiam, cum in manu acceperit calicem plenum vini meri, & propinare iussus sit omnibus nationibus. Vnde sequitur, *Vt euellas*. Glossa: *Mala*. & *destruas & disperdas & dissipes*, intelligitur regna diaboli, & *ædifices*, intellige Ecclesiam: non scandalizes, & *plantes*, intellige bona, sic exponitur à sanctis, non de euulsione & destructione regum mundi, & subrogatione aliorum: sed de destructione vitiorum, & plantatione fidei & morum. Sicut accipitur illud 1. Corinth. 3. *Dei ædificatio estis, Dei agricultura estis*. Et etiam dicitur fuisse de sacerdotibus qui fuerunt in *Anathoth*, quod interpretatur *responsio*: quia hoc magis faciunt sacerdotes de fide & moribus respondendo, quam de potentia seculari dominando: ideo etiam ibi præmittitur, quod tetigit Dominus os suum, & dedit verba in ore eius: quia prædicta magis habent facere sacerdotes verbo & doctrina vt magistri, quam manu & potentia vt domini.

Et confirmatur hæc expositio per Bernhardum ad Eugenium Papam secundo libro, vbi exponit qualis est papalis principatus. *Accingere*, inquit, *gladio tuo: gladio scilicet spiritus, quod est verbum Dei*, & infra: *Sic enim domabis lupos, & non dominaberis ouibus.*

Quod dicitur secundo, *Quodcunque solueritis*, &c. respondeo secundum Chrysostomum & Rabanum, *per hoc non intelligitur aliqua potestas data, nisi spiritualis, absoluendi scilicet à vinculo peccatorum.* Stultum autem esset intelligere, quod per hoc datur potestas absoluendi à vinculo debitorum. Amplius, secundum Hieronymum non est intelligendum, hanc potestatem habere effectum, claue errante. Vnde dicit, quod *presbyteri & episcopi potestatem habent*: non intelligentes de Pharisæorum supercilio quod assumpserunt, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Et hoc declarat ibidem Hier. per exemplum, quod ponit de sacerdotibus legis, qui non mundabant vel mundos faciebant: sed ex officio suo mundos & immundos iudicabant. Richardus etiam de sancto Victore in *lib. de Remissione peccatorum, cap. 8.* expedit illud dicens: *Non dicit Dominus, Quodcunque volueris & soluere & ligare: sed, Quodcunque ligaueris & solueris, ligat autem & absoluit sacerdos sententia iusta, non iniusta.*

Quod autem tertio dicitur, *Nescitis quoniam angelos iudicabitis*, &c. Responsio, secundum Ambrosium & alios sanctos expositores: Apostolus loquitur non clericis specialiter, sed generaliter fidelibus: qui eligebant in causis secularibus iudices infideles in scandalum fidei nostræ, & quasi inter fideles non esset sapiens ad iudicandum: & hoc merito reprehendit.

Quod vero dicitur quarto, *Fecit Dominus duo luminaria* &c. mystica est expositio secundum Dionysium: mystica autem Theologia non est argumentatiua, nisi accipiatur eius probatio ex alia Scriptura. Amplius, proprie dicta mystica expositio à sanctis non inuenitur, sed forte contraria. Vnde dicit Isidorus super Genesim in Glossa, quod *per solem intelligitur regnum, & per lunam intelligitur sacerdotium.* Vnde dicit, *Splendor quidem solis significat excellentiam, plebem obtemperantem regi: luna splendor ostendit tanquam synagogam ecclesiæ: principes eius & omnia fundata sunt in regni stabilitate, tanquam in fundamento firmata.* Dato etiam quod ita sit, sicut assumitur, pro nobis est, nam licet luna non illuminet

minet noctem nisi lumine quod accipit à sole, tamen luna habet virtutem propriam à Deo sibi datam, quam à sole non habet: vt quod infrigidet & humectet, cuius contrarium facit sol: & in proposito modo, nam princeps illuminationem & informationem de fide habet à Papa & ecclesia: tamen potestatem habet sibi propriam & distinctam, quam non habet à Papa, sed à Deo immediate.

Quod autem dicitur quintò, quod *Zacharias Papa deposuit regem Francorum*, & instituit loco eius Pipinum, &c. Glossa ordinaria exponit: *Deponentibus consensit.* Non enim legitur, quod Zacharias regem Franciæ deposuerit. Sed legitur *in Chronicis*, quod Hildericus regnabat in Francia totus deses & remissus: Pipinus vero solus gubernabat Franciæ principatum, & Maior domus dicebatur, Carolo fratre suo existente monacho. Miserunt ergo Barones ad Zachariam Papam, vt discerneret de eorum dubio, quis scilicet potius deberet esse rex: an ille qui ocio deditus, solo nomine regebat: an ille, qui omne pondus regni sustinebat? Quibus cum respondisset Papa, quod ille qui regni gubernacula vtilius regeret: Franci mox incluso rege Hilderico & vxore sua in monasterio, sibi Pipinum regem constituerunt: & ipsum sanctus Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus vnxit in regem, sicut habent *Chronica* Martini. Aliorum autem *Chronica* habent, quod postquam Hildericus quatuor annis regnauit, ex deuotione in monachum est tonsuratus: & tunc Pipinus princeps in regem est inunctus electione Baronum, & auctoritate Papæ decernentis super dubio procerum: quod etiam facere potuissent sine Papæ assensu ex causa rationabili. Ex quibus patet, quod Papa nunquam regem Franciæ deposuit: nisi exponatur, id est, *deponentibus consensit*, sicut exponit Glossa. Nec oportet ex talibus factis singularibus, quæ interdum ex deuotione ad Ecclesiam, vel personam, vel ex fauore, vel ex causa alia, & non ex debito iuris fiunt, argumenta sumere: cum legatur in eisdem *historiis*, quod Bonifacius Romanæ ecclesiæ misertus, præsidens obtinuit apud Phocam Imperatorem, vt *ecclesia Romana esset caput omnium ecclesiarum*: quia ecclesia Constantinopolitana scribebat se esse primam omnium. Ex quo posset modo consimili sumi argumentum, quod ad Imperatorem pertinet primatum Ecclesiæ transferre, & de ecclesiis ordinare. Legitur etiam à Sozomeno scriptum *in Tripartita historia*, quod Constantinus Imperator consilio clericorum intererat: quod etiam Eusebius narrat *in Ecclesiastica historia*, vbi etiam dicit, quod *cum ex omnibus fere locis episcopi congregati essent diuersis ex causis, & iurgia inter se quadam detulissent, frequenter appellabatur, & à singulis libelli offerebantur. At ille videns, quod per huiusmodi iurgia causa summi negocii frustraretur, diem certum statuit, qua vnusquisque episcoporum, si quam querimoniarum habere videretur, deferret: & hoc facto cum recessissent, suscepit à singulis libellos: quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad episcopos: Deus vos sacerdotes constituit, ac potestatem vobis dedit de nobis iudicandi, & nos recte à vobis iudicamur, vos autem, qui nobis à Deo dati estis dii, non potestis ab hominibus iudicari: quia non est conueniens, quod homo de Deo iudicet: sed Dei inter vos exspectare iudicium. De quo scriptum est: Deus stetit in synagoga deorum, &c. Hi ergo omissis iurgiis, ea quæ adhuc sunt distinguite. Cumq; hoc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri.* Nunquid ergo propter hoc ad principem pertinet, interesse consiliis episcoporum, & dissensiones & causas eorum modo consimili determinare, an non? Hugo etiam Floriacens. *libro quinto* dicit, quod *Constantinus sanxit & instituit in Testamento suo, vt omnia quæ ad Ecclesiasticum pertinent ordinem, Romani episcopi iudicio dispositionem recipiant.* Et in epistola Constantini ad omnes Catholicos episcopos, quam inscribit beatus Isidorus, dixit Constantinus Imperator: *Decernentes sancimus, vt Romana sedes principatum obtineat super quatuor sedes præcipuas, Antiochiam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, Hierosolymitanam*, & in Testamento eiusdem Constantini, quod ecclesia sancta tam gratanter amplectitur, & in corpore decretorum inseritur, dicit & ordinat, quod *pontifex Romanus pro tempore quicunque fuerit, excelsior cunctis mundi sacerdotibus existat: & quæcunque ad cultum Dei vel Christianorum, fideiq; stabilitatem procuranda sunt, disponat.* Nunquid dicimus propter talia, quod ecclesia Romana habeat ab Imperatoribus primatum ecclesiarum, vel super Ecclesias, & dispositionem earum? Absit. Amplius, in primo concilio Hierosolymitano, quæstione legalium legitur, quod post multam disceptationem hinc inde, postquam Petrus surgens ratione ostendit, iugum legis fidelibus non esse imponendum: Iacobus auctoritate pontificali protulit diffinitiuam sententiam, quia quæstio illa mota erat in Ecclesia Hierosolymitana, cuius erat episcopus: nec poterat ad alterum transferri, nisi per appellationem, & ita inquit Iacobus, *Iudico*, &c. Dicemus ergo, quod licet Romana ecclesia sit caput, quod non habet talem exercere iurisdictionem, nisi in casu appellationis in ecclesiis episcoporum? Legitur etiam, quod tempore Henrici Imperatoris, *Romani iurauerunt, non se Papam electuros sine Imperatoris assensu.* Est igitur hoc obseruandum? constat quod non. Hæc autem induxi, vt appareat, quia non oportet ex talibus factis singularibus, quæ variis causis fieri possunt, argumenta iuris sumere.

Quod vero sexto arguitur de Nicolao Papa, dicente quod *Christus Petro cœlestis terreniq; imperii iura concessit*: Respondeo, Vbi quæritur de potestate Papæ in temporalibus, efficax est testimonium Imperatoris pro Papa: & non est multum efficax testimonium Papæ pro se ipso, nisi dictum Papæ fulciatur auctoritate Scripturæ sacræ, vel scripturæ Canonicæ. Et in materia vbi Imperator dicit contrarium manifeste, etiam cæteri pontifices, vt in proposito, non recipitur tale dictum. Potest tamen verbum Domini Nicolai Papæ habere inclusiuam veram multipliciter. Vno modo, quia pro communi vtilitate boni spiritualis, modo superius dicto,

posset

posset indicere collectam à fidelibus faciendam, non solum de bonis clericorum, sed etiam de bonis laicorum. Secundo modo potest accipi vel intelligi, quod Dominus Petro dedit iura cœlestis terrenique, &c. si in quantum dedit ei potestatem absoluendi & ligandi, cuius sententia, absolutio, ligatio, claue non errante appropriatur in cœlis: sicut exponitur illud verbum sibi dictum in traditione clauium, *Quodcunque ligaueris super terram*, &c. Et ita exponunt glossæ *Matthæi 18.* Nec videtur, quod Dominus Papa aliunde dictum verbum acceperit, nisi ab illo verbo Domini ad Petrum: *Et tibi dabo claues regni cœlorum*: præcipue cum dicat dominus Papa, *Quod beato Petro clauigero regni* &c. Quasi alludens verbis, quibus Petro commissa est potestas. Et ideo cum sancti per illud verbum non dent Petro potestatem aliam, quam (vt dictum est) potestatem scilicet spiritualem, vt dicit vniuersitas expositorum ibidem, & *Matthæi decimo*: non est tenendum, quod dominus Papa aliud intendat. Posset etiam aliter tertio verificari dictum domini Papæ, quod ideo dicitur Christus dedisse Petro iura cœlestis terrenique, & cætera: quia dedit spiritualem potestatem coniungendi ciues terreni regni, ciuibus regni cœlestis, sub quo sensu loquitur de Christo Maximinus in Sermone Epiphaniæ, dicēs: *Hic est rex ille magnus, qui venit cœlesti imperio sociare terrenum.* Inueniuntur etiam quidam Iuristæ, verbum Nicolai Papæ exponere sic: Petro concessit Christus iura cœlestis & terreni imperii: id est, ius imperandi cœlestibus & terrenis, clericis & laicis, qui sunt etiam duo parietes ecclesiæ, quibus ambobus summus Pontifex in spiritualibus noscitur imperare.

Cap. XVI.

Quod autem dicitur septimo, quod Imperator iurat Papæ: respondeo, Imperator Otho non iurauit Papæ, nisi de regno Italiæ, quod ab ipso seu ab ecclesia suscepit in feudum. Iurauit etiam reddere terram sancti Petri, si quam tenebat. Sed nihil facit ad cæteras partes mundi, vel quæ non sunt de imperio, vel quæ non cadunt sub dominatione Constantini.

Quod dicitur octauo, quod Papa deponit Imperatorem: respondeo, Verum est, illum quem ipse posuit, qui ab ipso accepit feudum, & ex causa rationabili: tamen ista argumenta sunt de facto, & dicunt quid factum, non tamen quid fieri debeat. E contrario autem multa argumenta possunt fieri de facto, vt dictum est in solutione 5. argumenti. Quod vero dicitur, quod Papa transtulit imperium, posset solui sicut prius. Potest nihilominus dici, quod Constantinus nunquam dedit imperium Ecclesiæ simpliciter: sed dedit vrbem, & quasdam prouincias occidentales, & signa imperialia, vt de ipsis prouinciis disponeret: sedemque suam transtulit Constantinopolim, cum tota dignitate imperii.

Quod vero decimo dicitur, quod postea Papa imperium de Græcis transtulit ad Germanos: responsio. Non transtulit veritatem, sed nomen: quia indignabantur Romani quod imperium vel imperii nomen ab eis Constantinopolim erat translatum: & ideo Carolo, quem pro sua defensione vocauerant, victoriis habitis laudes acclamauerunt, & Imperatoris ei nomen dederunt. Et ex nunc fuit quasi diuisum imperium, dum duo dicerentur Imperatores. Amplius, non fuit factum per solum Papam, sed populo acclamante & faciente, cuius est se subiicere cui vult sine alterius præiudicio. Ideo hoc fuit factum ex causa necessaria pro sui defensione, contra infideles & paganos, vbi per alium non videbantur posse defendi, quod de iure poterant, nam populus facit regem, & exercitus Imperatorem. Et quid plura? hoc factum est speciali Dei consilio, pro Ecclesiæ defensione, vt monstratum fuit, & persuasum Constantinopolitano Imperatori per angelum in specie militis armati sibi apparentem, quæ autem lege priuata dicuntur, nulla ratio est vt lege publica construantur, hæc vero omnia ad factum pertinentia declarantur in lib. *de Cosmographia*, & in *Chronicis* Hugonis Floracen. *lib. quinto*, & in *Chronicis* Sigeberti. Quicquid autem de hoc factum sit, Papa non ordinauit, nisi de eo quod sibi à Constantino collatum fuerat: quod concedo fieri posse de iure.

Quod autem dicitur decimo, quod Papa legitimauit in temporalibus: respondeo. Dispensare potest in temporalibus in terra propria, vbi habet iurisdictionem: alibi vero non, nisi per consequentiam, vt notat Ioannes Andreæ. Vel melius, quod nec etiam per consequentiam potest, in terra non subiecta sibi. Et ponit Richardus, quod *dispensando in spiritualibus dispensat per consequentiam: & indirecte in temporalibus, in terra subiecta*, vbi concedendo maius, intelligitur concedere minus, quando vtrumque potest: sed extra non potest, nisi in spiritualibus legitimare. Et sic notat Glossa ordinaria ibidem. Teneo tamen, quod si aliqui sunt illegitimati, quia nati ex matrimonio personarum illegitimarum, ad contrahendum matrimonium ex prohibitione Ecclesiæ: Papa potest cum talibus vbiq; dispensare, & eos legitimare in spiritualib. & temporalibus, in quantum potest illud matrimonium ratificare, & personas legitimas facere ad contrahendum. Si vero fuerint illegitimi, ex matrimonio personarum illegitimarum ad contrahendum ex iure naturali vel diuino, non potest dispensare vbique cum eis in temporalib. legitimando.

Quod vero dicitur vndecimo, quod Papa aliquando absoluit milites à iuramento fidelitatis, dicitur quod ad hoc est argumentum de facto, quod tantum introducitur de Francigenis. Respondeo, quod illud fuit magis declaratio iuris, quod sc. iuramentum in tali casu non ligabat: quam absolutio à iuramento fidelitatis. Hoc enim fuit factum de consensu regis, qui forte conscius de sua ineptitudine, volens omnino vacare, monachicam seu monasticam vitam elegit. In quo casu Barones potuerunt ad alterius electionem procedere, prout fuit per Papam declaratum & consultum. Considerandum

dicendum tamen est, quod vasallus duplici vinculo obligatus est Domino, naturali scil. ratione rei, quam accipit à Domino, cum honore vasiliæ, & sub determinata conditione, & vinculo iuratorio: à naturali vero vinculo non potest absoluere papa, licet posset declarare quod in tali casu, sc. vbi princeps esset hæreticus, non tenetur vasallus dominium sequi: sed debet se obligare, & reddere feudum, sed de obligatione iuratoria potest ex causa rationabili, & euidenti, & bona fide, & non aliter tenet obligatio apud Deum: quia papæ, vt dictum est supra, non est collata potestas in destructionem, sed ad ædificationem. Quicquid tamen sit, de iuramento semper manet obligatio naturalis, quæ rem sequitur, nisi reddatur feudum.

Quod dicitur duodecimo, quod papa habet cognoscere de omni delicto: respondetur, Patet ex prædictis, *cap. nono, in principio*: quia verum est, vbi quæstio mouetur de peccato, an scilicet hoc sit peccatum, vel non peccatum, licitum, an illicitum, hoc enim determinatur ex naturali vel diuino iure, & sic cognoscit vt Ecclesiasticus. Si autem cognoscat de peccato venditionis, quæ determinatur secundum leges humanas: vel intelligitur papa cognoscere in foro conscientiæ, vbi debet credere confitenti.

Cap. XVII.

QVod vero dicitur XIII. de denunciatione: ideo respondetur, denunciatio etiam non dat papæ iurisdictionem: quia sic ex toto posset annihilari iurisdictio principum, cum omnis causa papæ posset denunciari aperte: sed vt dicit papa ibidem, non intendit iudicare de feudo, cuius ad ipsum regem Francorum spectat iudicium, nisi forte iuri communi per speciale priuilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum. Sed decernere de peccato, cuius ad ipsum papam pertinet sine dubitatione censura, sicut ipse dicit: & ad hoc vadunt probationes, quas adducit.

Quod vero dicitur decimoquarto, *Si peccauerit in te*, &c. *dic Ecclesiæ*: responsio, Chrysostomus exponit *Ecclesiæ, id est iis qui ecclesiæ præsident.* Si vero Ecclesia accipiatur non solum pro congregatione clericorum, sed generaliter vocetur Ecclesia communitas fidelium: sic Ecclesiæ præsunt, & Ecclesiasticus iudex in spiritualibus, & secularis in temporalib. Vel potest dici, quod loquitur, quando est quæstio de peccato. Vnde dicit Glossa super illud, *Vt in ore duorum vel trium*, &c. *Si dixerit non esse peccatum, vt probent illud esse peccatum*, sic etiam, si non acquieuerit, dicendum est Ecclesiæ: quæ iudicat de peccato.

Quod dicitur decimoquinto, de Theodosio: respondeo, sicut notant Iuristæ, lex illa Theodosiana abrogata est, quia ratio legis viget: cuius rationis notitia vtilis est, vt sciatur quantam deuotionem habuit legislator erga Ecclesiam: & ad hoc ostendendum, inseritur in corpore Decretorum, *vndecima, quæstione prima, quicunque.* Amplius etiam possumus attendere, quod ex statuto principum contingere potest, quod iudex Ecclesiasticus de talibus cognoscat: sed si de statuto principum ei contingit, non potest concludi, quod ei conueniat secundum se, vt est Christi vicarius: sed magis contrarium posset concludi, & posset dici, quod principes possent, licet non deberent ab Ecclesiasticis iudicibus sua priuilegia & gratias antecessorum suorum reuocare: sicut econuerso pontifices reuocant, vel reuocare possunt gratias suas à principibus.

Quod autem dicitur decimosexto, de illo verbo Deut. *Si difficile*, &c. vnus casus est specialis, in quo recurri potest à seculari iudice ad Ecclesiasticum: scilicet seculari dubitante, præcipue vbi est quæstio de peccato: vel dicendum, quod non remittitur ad sacerdotem tantum, sed etiam ad iudicem qui fuerit pro illo tempore, per quem intelligitur iudex secularis: vt vnus iudicet in causis spiritualibus, alius vero in temporalibus. Vnde signanter dicit, *ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem*, &c. Et ita exponit Glossa.

Quod vero decimoseptimo dicitur, papa potest maius, &c. istud est verum in maiori & minori ordinatis per se: vt si episcopus potest ordinare sacerdotem, ergo & diaconum: non autem tenet in iis quæ sunt diuersi ordinis vel generis: vt si pater meus potuit generare hominem, ergo & canem: vel si sacerdos possit aliquem absoluere à peccato, quod possit eum absoluere à debito pecuniæ.

Quod autem dicitur decimooctauo, quod temporalia ordinantur ad spiritualia, &c. responsio patet ex prædictis supra *cap.* 7.

Cap. XVIII.

QVod vero dicitur decimonono, de legatis & restitutionibus: respondeo, legata in quantum sunt ad pias causas, ad ius Ecclesiasticum pertinent: & hoc est spirituale speciale, vt dicunt Ecclesiastici viri, & præcipue quando sunt totaliter indistincta, tunc enim possunt per Ecclesiasticum determinari, iuxta voluntatem expressam testatoris. Quod autem transferri possint, vt si testator leget centum libras pauperibus infra ciuitatem, vel diœcesim Parisiorum, quod possit ratione talis indistinctionis dare pauperibus in Carnotensi diœcesi, non video quod possit de iure voluntatem testatoris mutare. Principi tamen qui vtrique diœcesi præest, ex causa rationabili posset transferri & dari: quia est aliquis diœcesis nominatæ. De restitutionibus autem faciendis, non video quin possint fieri per prouidentiam seu prudentiam quorumlibet virorum bonorum in pios vsus, pro vtilitate terræ, si necessitas immineat, vel vtilitas exposcat: & præcipue per prouidentiam principis, quæ vtilitati communi inuigilat, ex quo pro communi vtilitate vel necessitate erogantur, propter hoc quod personæ sunt ignotæ. Tamen quia licet de culpa vsuræ iudex Ecclesiasticus cognoscat, ratione

ratione qua culpa est,& quod restitui debet iudicare habeat: tamen ratione forte facti imponere restitutionem & emendam, ad principem pertinet, qui est iustitia animata, & custos iustitiæ: & idem in aliis contractibus, sicut in quo minus videtur conuincere hæreticos iudicem, ad Ecclesiasticũ pertinet, extra, de hæreticis, ad abolendam, & cap. sequenti, vergentis, licet principes de negligentia exequendi, à Papa reprehendantur & puniantur: quia, vt notat Innocentius, factum est de Imperatoris præsentis consensu. Tum etiam quia episcopus ciuitatis habet ab Imperatore facultatem exigendi, & consequendi bona executionis, & exequendi cum testator personam ad exequendum non designauit. C. *de sacrosanctis episcopis, nulli licere*: ita tamen, quod cum episcopus huiusmodi pecunias fuerit cõsecutus, quantitatem & tempus quo eas receperit, apud rectorem prouinciæ publicare debebit, vt ibidem dicitur. Tum quia lex *de petenda hæreditate, l. hæreditas*, ad quam Canonistæ per se remittunt, defensionem & executionem piarum voluntatum vltimarum, sicut, &c. quæ ad pias causas pertinent, non solum ad pontificem, sed ad principalem pertinere oportet, in fine dicens, quod *principali & pontificali*, id est principis & pontificis auctoritate compelluntur hæredes ad executionem extremæ voluntatis. Tum quia in tali casu, cum sit restitutio æris alieni, magis videtur pertinere ad iustas caussas, quam ad pias. Et ideo puto, quod non oportet quod per solum Ecclesiasticum iudicem talis restitutio fiat: sed magis ad principem pertinet, licet etiam posset fieri per prouidentiam quorumlibet bonorum virorum.

Quod autem arguitur vigesimo, quod corporalia reguntur per spiritualia, & ab ipsis dependent vt à causa. Responsio. Argumentum, vt sic factum, multipliciter deficit. Primo, quia supponit, quod potestas regalis sit corporalis, & non spiritualis, & habeat curam corporum, & non animarũ: quod falsum est, vt patet ex supradictis, cum ordinetur ad bonum commune ciuium non quodcunque, sed quod est viuere secundum virtutem, vnde dicit Philosophus in Ethicis, quod *intentio legislatoris est homines bonos facere, & inducere ad virtutem*, & etiam in Politicis dicit, quod *sicut anima melior est corpore, sic legislator melior est medico*: quia legislator habet curam animarum, medicus corporum. Secundo deficit argumentum, quia non quælibet potestas secularis à qualibet spirituali instituitur, mouetur & dirigitur, nam in domo ordinata doctor literarum, & instructor morum, cuius potestas est spiritualis, non instituit medicum: sed ambo à patrefamilias instituuntur, nec etiã dirigit medicum, in quantum medicus est: sed solum per accidens, in quantum accidit medicum velle castum vel literatum fieri. Sic Papa non instituit regem, sed vterq; est à Deo institutus suo modo: nec eum dirigit per se vt rex est, sed per accidens, in quantum conuenit regem fidelem esse, in quo instruitur à Papa de fide, & non de regimine. Vnde subiicitur Papæ in iis, in quibus subiicit eum potestas suprema, sc. in spiritualibus tantum. Patet etiam, argumentum deficere, & magis esse pro nobis, quam contra nos, si consideremus exemplum: quia licet corpora cœlestia moueantur in suum finem, & administrentur per angelos: tamen non sunt producta per angelos, sed immediate à Deo, & ita debet concludi, quod potestas terrena est à Deo immediate, licet ipsa ad beatam vitam dirigatur per potestatem spiritualem.

Quod vero vigesimoprimo dicitur de Hugone, dicente, quod *spiritualis potestas instituit temporalem*: dici potest, quod dicta Hugonis non sunt autentica, & modicum roboris afferunt. Dici tamen potest, vt dicit Augustinus 1. de Ciuitate Dei: *Mos sacræ Scripturæ est, dicere rem fieri, quando manifestatur*, pro tanto ergo dicit Hugo, quod potestas spiritualis regiam instituit, non quidem ipsam efficiendo vt sit, cum sit à Deo, & Apostolo consentiente & eligente: sed quia in vngendo ipsum institutum & electum manifestat.

Quod autem dicitur 22. quod *spiritualis homo omnia diiudicat, & ipse à nemine iudicatur*, &c. licet illa auctoritas frequenter assumatur, & in diuersis casibus pro auctoritate domini Papæ: tamen non est ad propositum, quia non accipitur ibi homo spiritualis à potestate spirituali, quam habet Ecclesiasticus iudex: cum habens interdum hanc potestatem spiritualem, sit animalis, vt ibi accipitur: sed dicitur animalis homo vita vel sensu. Vita autem animalis dicitur, cum vita alicuius fertur per animæ lasciuiam, & non continetur rectore spiritu. Scientia quidem animalis homo est, qui secundum phantasiam corporum, vel legis literam, vel rationem physicam de Deo iudicat. Spiritualis vero dicitur vita & scientia. Vita quidem dicitur spiritualis, qui secundum Deum habens rationem, animam suã regit. Spiritualis autem scientia est, qui non secundum humanum sensum, sed Spiritui sancto subiectus per fidem, de Deo iudicat certissime & fideliter. Vnde talis iudicat omnia. Glossa: *Certa fide occultorum. Et ipse à nemine iudicatur.* Glossa: *intelligitur, an bene vel male intelligat, vel à nemine iudicatur, i. reprehenditur*, & sic exponunt Hieronymus & Augustin. & litera Apostoli hoc ostendit.

Quod vero dicitur 23. de ordine finium: respondeo: Multipliciter deficit argumentum. Primo quidem, quia ars ad quam pertinet superior finis, mouet & imperat arti, ad quam pertinet finis inferior, non quidem simpliciter, sed quantum ei competit ad necessitatem sui finis vltimi, & hoc aliqualiter est concessum superius in proposito. Item plus deficit, quia ars illa superior non semper imperat necessario inferiori, mouendo per modum necessitatis, & instituendo eam, sed solum ei imperat per modum dirigentis, & sicut medicus pigmentarium informat, & iudicat de ipso an bene conficiat pigmenta, & debite, sed ipsum non instituit, nec destituit: sed est aliquis superior vtrobiq;, apud quem est totus ordo ciuitatis, vt rex vel dominus ciuitatis: & iste, si pigmentarius non conficiat pigmenta prout medico competit, habet ipsum destituere, sicut & constituere. Et ita est in proposito. Totus mundus est quasi vna ciuitas, in qua Deus est suprema potestas, quæ Papam & Imperatorem

ratorem instituit: quare, &c. Tertiò deficit argumentum: quia licet aliquid coloris habeat, vbi illud quod pertinet ad artem inferiorem, non habet rationem boni vel appetibilis secundum se: sed solum vt ordinatur ad finem superiorem, quem respicit ars superior. Sicut se habet confectio medicinarum, quam facit pigmentarius, ad sanitatem, quam intendit medicus: tamen dicta ratio nihil coloris habet, vbi illud quod ad inferiorem artem pertinet, habet in se rationem boni & appetibilis secundum se, cuiusmodi est viuere secundum virtutem. Nam multa sunt bona & appetibilia secundum se, quæ tamen ad aliud ordinabilia sunt: vt dicitur in 8. *Ethicorum, de amicitia*: & in 10. dicitur idem *de scire & videre*, & aliis huiusmodi. Quartò deficit dicta ratio, quia dato quod valeat in aliquibus partibus ordinatis, vbi inferior finis non ducit in superiorem, nisi determinato modo. Et ideo deficere secundum illum determinatum modum, est deficere simpliciter, & inutile remanere respectu illius finis: tamen vbi finis inferior habet diuersos ordines ad superiorem, non oportet, quod si deficiat secundum vnum ordinem, quod potestas constituta in illo, destituatur tanquam inutilis: quia est alius ordo eius ad finem, qui forte, solum notus est supremæ potestati: propter quem ordinem vult infer re potestatem manere tanquam vtilem, & sic est de potestate regia: quia secundum eam populus nō solum dirigitur in Deum, secundum quod rex ea vtitur vt rex est: sed etiam ea vtitur vt tyrannus, in quantum scilicet tyrannia principium est in vltionem peccatorum: vt dicit Iob, quod regnare facit Dominus hypocritam propter peccata, vel in probationem patientiæ subditorum, vel in compulsionem eorum, vt ad Deum refugiant, qui solus potest corda regum immutare in melius, dicente Salomone: *Cor regis in manu Domini est, & quocunque voluerit inclinabit illud*, qui etiam & tyrannos, quos reputat conuersione indignos, potest auferre, secundum illud Salomonis: *Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Et per Ezechielem dicit: *Liberabo gregem meum de ore eorum, qui pascunt semetipsos.*

Quod autem dicitur 24. quod papa habet facere leges, eo quod princeps non potest facere leges, vel eis vti quousq; fuerint per papam approbatæ: Dico quod falsum est, vt dicit expresse Leo papa, scribens Lothario Augusto distinct. 10. de capitulis di. *Sic de capitulis & præceptis imperialibus vestris & prædecessorum vestrorum irrefragabiliter custodiendis & conseruandis, quantum valuimus & valemus, Christo propitio & nunc & in æternum conseruaturos modis omnibus profitemur: & si forte quilibet vobis aliter dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis ipsum pro certo mendacem*, nec per Canones semper legibus derogatur, nisi quo ad casus spirituales. Nec papa posset leges tollere, nisi quoad suum forum, vt dicit Ioan. & alii. Dicere autem, vt isti magistri dicunt, quod papa tradit leges principibus & quod princeps non potest legem aliunde sumere, nisi per papam fuerint approbatæ: est omnino destruere regimen regale & politicum, & incidere in errorem Herodis, timentis & putantis Christum regem destruere terrenum, quia secundum Philosophum in 1. Politicorum, *principatus tunc solum dicitur regalis, quando quis præest secundum leges quas ipse instituit. Cum vero præest non secundum arbitrium suum, sed secundum leges, quas ciues vel alii instituerunt, dicitur principatus ciuilis vel politicus, & non regalis.* Si ergo nullus princeps regeret, nisi secundum leges à papa traditas, vel ab eo primo approbatas: nullus principaretur principatu regali vel politico, sed solum papali: quod est regnum destruere, & omnem principatum antiquum euacuare.

CAP. XIX.

Quod autem dicitur XXV. quod sacerdotium dicitur regale, quia sacerdotes sunt reges: dicendum, quod sacerdotium, vt patet ex prædictis, dicitur regale à regno, non quidem mundi, sed cœli, ad quod ordinat & dirigit, vel secundum intentionem beati Petri, hoc dicitur omnibus fidelibus iustis: qui in quantum sunt vnum cum Christo capite, in ipso sunt reges & sacerdotes, *attribuendo membris quod est capitis*, secundum regulam Tyconii. Vel ideo dicuntur regnum, quia in ipsis regnat rex eorum Christus: & sacerdotes dicuntur, quia offerunt Deo sacrificia laudis & spiritus contribulati: quod etiam conferunt omnes iusti.

Quod autem dicitur vicesimosexto de veteri lege, in qua rex inungebatur per sacerdotem: respondeo, Non est de necessitate potestatis secularis, quod inungatur, cum ante reges inunctos in populo illo fuerint duces, vt Moyses & Iosua, & successores eorum, de quibus Dominus prouidebat. Non est etiam de necessitate regis, qui perfectiorem habet auctoritatem, quod vngatur: cum aliæ gentes reges habeant, qui non inunguntur. In populo autem illo reges inungebantur in mysterium & repræsentationē regis Christi, de populo nascituri, qui *vnctus oleo gratiæ præ participibus suis*: oleo (i. dicto) significato per oleum quo reges de populo vngebantur: quod etiam apud reges Christianos, qui se membra Christi profitentur, obseruatur. Non enim est inconueniens, quod reges in populo Iudæorum veri reges, & tamen sint figura altioris regis. Augustinus: *Hæc vero vnctio regia fieri præcipitur [illegible], vt significaretur, quod de populo illo erat nasciturus, qui simul foret rex & sacerdos, scilicet [illegible]*. Hæc autem quæ instituta erant in populo illo, cum pleraque eorum essent figuralia, non sunt [illegible] ad populum Christianum. Vnde & in nouo Testamento non legimus, quod sacerdotes inungere debeant reges: nec etiam obseruatur in omnibus regibus Hispaniæ. Et ideo argumentum nihil est ad propositum. Augustin. *Illa inunctio erat consecratio regum.* Consecrare autem secundum papam, est Deo dare. Ex quo patet, quod per hoc non concluditur, quod sacerdotium sit maius temporalibus & causis seculi, quam regia potestas, sed solum in causis Dei: sicut per hoc, quod

regum peccata oblatione sacerdotis expiabantur, non probatur quod sacerdotium sit maius regia potestate, nisi solum in iis quæ à Deo sunt: vt 2.q.6. nos. Quod etiam istud argumentum non concludat, patet: quia in veteri lege sacerdotes qui reges inungebant, indubitanter regibus subdebantur.

Quod autem dicitur XXVII. quod sine Christi iustitia non potest esse respub. dicendum est, quod virtutes morales acquisitæ, possunt esse perfectæ sine theologicis, nec ab ipsis perficiuntur, nisi quadam accidentali perfectione, vt innuit Augu st. in *lib. Sententiarum Prosperi*: & ideo sine rectore Christo est perfecta & vera iustitia, quæ ad regnum requiritur, cum regnum ordinetur ad viuere secundum virtutem moralem acquisitam, cui accidit quod perficiatur per interiores virtutes quascunque. Vel ideo, dicit August. quod *non est vera iustitia, vbi non est Christus rector*: non quia esse non possit, sed quia non erat iustitia etiam moralis acquisita apud illos qui iustitiam seruare credebant, dæmonib. & idolis seruientes, contra quos dicit August. quod veram iustitiam non seruabant. Potest etiam esse, quod non regeretur Respub. populi Christiani recte, nisi rector sit papa, qui est Christi vicarius in spiritualib. nec taliter iustitia seruaretur, nisi ei sicut iustum est in spiritualib. obediretur.

Quod vero dicitur XXVIII. quod oportet illas potestates esse à Deo ordine quodam: respondeo, Ordinem habent, vt dictum est, dignitatis, non causalitatis, cum vna non sit ab alia, sicut omnes angeli à Deo sunt producti ordine quodam dignitatis, in quantum vnus in naturalibus semper est nobilior altero: sed non est ibi ordo causalitatis, quo vnus sit ab alio, cum omnes sint à Deo immediate creati. Intentio tamen Apostoli videtur esse de ordine cuiuslibet ad finem suum proprium, & non de ordine cuiuslibet ad alterum. Quod patet ex hoc, quod subiungit de principe, quod *minister Dei est in vindictam, &c.*

Quod autem dicitur XXIX. de vero capite dici potest, quod vna est Ecclesia, vnus populus Christianus, vnum corpus mysticum: non quidem in Petro, vel Lino, sed in Christo, qui solus proprie & maxime est caput Ecclesiæ, à quo distributa est vtraq; potestas dicta, quoad diuersos gradus secundũ Psal. *Omnia subiecit sub pedibus eius.* Et Ephes. 2. *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* vbi dicit Ambrosius, quod *Christus est caput Ecclesiæ.* Potest nihilominus summus pontifex, quantum ad exteriorem ministrorum exhibitionem, dici caput Ecclesiæ, quantum ipse est principalis inter ministros, à quo vt à principali Christi vicario in spiritualibus totus ordo ministrorum dependet, vt ab hierarcha & architecto: sicut Romana ecclesia indubitanter est caput omnium ecclesiarum. Non est autem caput, quantum ad regimen in temporalibus, seu dispositionem temporalium: sed quilibet rex est in hoc caput regni sui: & Imperator monarcha si fuerit, est caput mundi. Est etiam hic considerandum, quod ex Ecclesiastica hierarchia, qua oportet habere vnum monarcham summum pontificem, nituntur aliqui ostendere, reges & principes esse subditos papæ in temporalibus: ita quod in papa sit vtraque potestas, spiritualis sc. & temporalis, quod ipsi prosequuntur diffuse. Sed in veritate, ex ipsa Ecclesiastica hierarchia secundum beatum Dionysium in infimo gradu sunt laici cum suis regibus, quasi imperfecti; perfectibiles tamen: supra quos sunt perfectiores, vt viri Ecclesiastici: & in supremo est summus monarcha, omnium scilicet dominus papa. Constat autem secundum doctrinam eiusdem Dionysii, quod infimi nõ reducuntur ad supremos, nisi per medios: nec supremi perficiunt hierarchicæ infimos immediate, sed mediantibus mediis. Summus ergo pontifex non habet potestatem generalem & immediatam super laicos, nisi quam habent medii de hierarchia immediatam, & magis contractam, vt episcopi vel abbates. Quamuis enim in angelica hierarchia supremus monarcha, qui est Deus, aliquid possit circa infinitum angelorum, quod circa ipsum nõ potest aliquis mediorum, vt creare, & in nihilum redigere: tamen hoc non potest in quantum hierarcha, sed in quantum Deus creator. Cum ergo in istis mediis perfectionibus non ponant aliqui vtramq; potestatem, spiritualem sc. & temporalem, sed spiritualem tantum: clarum est ex ista ordinatione Ecclesiasticæ hierarchiæ, quod summus pontifex vt hierarcha est, non habebit potestatem nisi spiritualem, licet generaliorem, quia vbiq; potentem. Et propter hoc Bernhardus *ad Eugenium lib. 4.* prædictum ordinem hierarchiacum attendens, nullam potestatem ponit in papa, quam non poterat in prælatis inferioribus, licet in papa ponat summam. Vnde dicit sic: *Erras, si vt summam, ita & solam à Deo institutam, vestram Apostolicam dignitatem existimas * si nullo. sanctis * dissentis ab eo qui ait: Non est potestas nisi à Deo. Proinde quod sequitur, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: et si principaliter pro te facit, non tamen simpliciter.* Deinde idem ait, *Omnis anima potestatib. sublimiorib. subdita sit: non ait, Sublimiori, tanquam in vno: sed, Sublimiorib. tanquam in multis. Non tua ergo sola à Domino sunt: & mediocres sunt, & inferiores.* Ecce manifeste in isto ordine hierarchico nullam potestatem dat papæ, quam non det mediis prælatis, licet eam in papa ponat summam. Ex quo patet, quod cum dicti medii prælati non habeant potestatem nisi à Christo spiritualem, non potest esse quod papa singulariter habeat temporalem, per hoc quod est totius Ecclesiæ summus seu supremus hierarcha. Et hoc dicunt sancti *Matt. 16.* quod Christus *non dedit aliquam potestatem Petro, quam non dederit cæteris apostolis, & episcopis, & sacerdotibus ecclesiæ: licet Petrus dicatur specialiter claues ecclesiæ accepisse propter principalitatem, quam à Christo accepit*, vt dicit Rabanus. Ex Glossa, *propter hoc etiam quod dictum est Petro soli Matt. 16. dictum est etiam per eadem verba omnibus, Matth. 18. Quodcunq; ligaueris*, &c. Et Iohan. 20. dicendum est omnibus: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. vbi dicit Chrys. quod *collata fuit potestas spiritualis tantum.* Hanc autem digressionẽ hic feci propter aliquos magnos, qui ꝑpter vnitatẽ Ecclesiasticæ hierarchiæ nituntur ostendere, papam habere vtrumq; gladium. Est etiam considerandum, ꝙ ex dicto ordine hierarchi-

Bern-

Bernardus vbi supra reprehendit Papam: quia dictum ordinem Ecclesiasticum perturbat, dum abbates & inferiores episcoporum eximit, eos immediate sibi subdens quod in cœlesti hierarchia, ad quam extrahitur ecclesiastica, non inuenitur: Quod etiam non possit de iure fieri, sentire videtur, cũ Papæ in Moyse dictum sit à Domino: *Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi à Domino in monte ostensum est*: hoc enim dispensationem, non dissipationem indicat: cum tamen papæ non sit credita dissipatio, sed dispensatio. Sed Bernardo sic sentienti, non consentio ex toto.

Quod vero XXX. dicitur de duobus gladiis: respondeo, Non est hic nisi quædam allegatio allegorica, ex qua non potest sumi argumentum: quia secundum Dionysium, *mystica Theologia non est argumentatiua*. Et Aug. dicit in epistola ad Vincentium, quod *allegoria non sufficit ad probationem alicuius, nisi tum eius habeatur aliunde auctoritas manifesta*. Possum etiam dicere, quod per illos duos gladios intelligunt omnes mystice verbum Dei, iuxta illud Apost. Ephes. 6. *Accipe loricam fidei, & gladium spiritus, quod est verbum Dei*. Quod autem dicitur, *Duo gladii*, propter nouum & vetus Testamentum: & per duos gladios intelligunt gladium verbi, & gladium instantis persecutionis. De quo dicitur Lucæ 2. beatæ Virgini, *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Et 2. Regum 12. *Non recedet gladius de domo tua*: & ii sufficere tunc dicebant. Et horum vnus erat Apostolorum passiue, qui ab eis sustinendus, scilicet gladius persecutionis: alius autem erat eorum proprie, quia ab eis pro tempore competenti euaginandus, scilicet gladius verbi Dei. Dato autem quod per illos duos gladios, quos habebant Apostoli, intelligantur duæ potestates, scilicet spiritualis & temporalis: quæ licet dicantur ibi esse, tamen non dicuntur ambæ esse Petri vel alterius Apostoli, nam vnum eorum non tetigit Petrus, sc. secularem, qui suus non erat. Alium vero tetigit, scilicet spiritualem, quem solus Dominus dixit esse suum, & tamen non statim euaginandum à Petro, vnde dictum est ei: *Pone gladium tuum in vaginam*, quia certe non debet statim, sed cum magna deliberatione, & in necessitate magna, iudex Ecclesiasticus vti suo mucrone spirituali, ne contemnatur. Posito igitur quod per illos duos gladios mysticæ illæ duæ potestates intelligantur, pro nobis est: quia cum essent duo, Petrus non habuit suum nisi vnum, propter quod etiam dicit Deus Matth. 10. *Non veni pacem mittere, sed gladium*, vel signanter dicit *Gladium*, non *gladios*, & in persona Christi dictum est in Psalmo: *Accingere gladio tuo super*, &c. Et Apoc. 1. de filio sedente in medio candelabrorum, & 19. de illo qui dicitur verbum Dei: dicitur quod *ex ore eius exibat gladius, ex vtraq; parte acutus*. Ecce ergo quod à Christo non habet nisi vnum. Potest nihilominus dici: quod duo gladii ibi dicuntur fuisse, & ad Apostolos pertinere quia vnus apostolis & eorum successoribus conuenit per se, quem à Christo habent: alius vero suus est aptitudine, quia eis non repugnat: & ex commissione & permissione principum suus erat futurus. Potest etiam dici, quod dicta auctoritas Bernardi pro nobis est, quia dicit quod *vtrunque est Ecclesiæ: sed materialis pro ecclesia, spiritualis vero ab ecclesia exercendus: iste sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis & iussum Imperatoris*, vbi signanter dicit, *Ad nutum sacerdotis*, & non per manum, vel ad iussum eius: quia in hoc non habet auctoritatem iubendi vel compellendi, sed solum innuendi, si voluerit Imperator.

Cap. XX.

AD XXXI. quod arguit Iohannes de Cremona, respondeo: Quamuis multa iactet se dicturum, tamen absque dubio tam rudia sunt dicta sua, quod mihi non videntur repetitione digna: sed discurramus per singula. Quod ergo primo dicit, quod Dominus principio rexit mundum per semetipsum vsq; ad diluuiũ, & postea per sacerdotes Noe, Abraham, Moysem, & alios huiusmodi: dico quod deficit multipliciter. Primo, quia supponit prædictos fuisse sacerdotes: ꝙ quidem de Noe falsum est manifeste, cum nec sacerdos fuerit, nec officium aliquod sacerdotis legatur fecisse, non obstante quod legatur quod erexit altare Domino: quia erigere altare Domino, vel orare, seu inuocare Dominum, non sunt actus proprii sacerdotum, cum etiam non sacerdotibus conueniant. Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt saluemini*. Et si etiam fuisset Noe sacerdos, non ideo dici potest quod mundũ rexerit Deus per sacerdotem: quia non legitur Noe ædificasse altare Domino, nisi postquam ædificauerat & rexerat arcam. De Abraham vero & Moyse constat quod nõ fuerunt sacerdotes veri, cum nullum sacrificium oblatum fuerit ante veram Christi hostiam, qui primus fuit verus sacerdos, vt supra *capit. quarto*. patuit: nec etiam fuerunt sacerdotes regales & singulares dignitate & officio, sicut Aaron, cum nondum essent inuncti: nec sacrificia adhuc erant instituta, licet in necessitate, & propter defectum sacerdotum, prædicti aliquos actus sacerdotum fecerint: vt quod Moyses inunxit Aaron, vel aliquid huiusmodi, propter quod Moyses sacerdos dicitur in Psalmo: *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*. Quod vero Abraham dicitur presbyter, non est ad propositum: quia, sicut dicitur *distinct. 94. capit. 3.* presbyter vocatur non tantum ætate, sed sapientia. Secundo deficit dicta ratio: quia dato quod fuissent sacerdotes, tamen erant à Deo constituti vt principes: & ideo in temporalibus regebant populum, non vt sacerdotes, sed vt principes. Nec oportet, quod si tunc potestates diuisæ erant simul indistincte in subiecto, quod ita nunc esse debeant in vno: quia hoc erat propter imperfectionem illius sacerdotii, quod tamen voluit Dominus postea magis ac magis esse distinctum à potestate seculari, quanto magis accessit ad perfectum. Vnde temporibus regum & iudicum duæ potestates erant subiecto distinctæ, & multo magis nunc esse debent, vt supra dictum est *Capitulo decimo*.

Quod autem dicitur tricesimo secundo, de habente dominium super finem, & super ea quæ sunt ad fi-

ad finem: patet quod argumentum nullum est, idem enim est modus arguendi, ac si diceretur: Iste est dominus omnium equorum, ergo & omnium frenorum qui fiunt propter equos: quod non sequitur, sicut cuilibet patet. Peccat etiam argumentum in materia, quia non est verum quod papa sit dominus spiritualiũ, quia minister est tantũ, 1. Cor. 2. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores*, scilicet Ecclesiæ. Nõ opottet autem, quod si spiritualium & temporalium vnus est dominus, quod eorũ sit tantum vnus minister: sed erunt plures, 1. Cor. 12. *Diuisiones administrationum sunt, vnus autẽ Dominus: & oẽs diuisiones operationum sunt, idem autẽ Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Adhæc etiã adaptari possunt rationes, ad argumentum de finibus datæ supra. Quod vero additur, quod Deus animas Petro dedit, friuolum est, neque enim ei dedit vt esset dominus earũ, sed instructor & defensor contra spirituales lupos. Vnde Bernardus ad Eugenium: Domabis lupos, & non dominaberis ouibus. Et Petrus dicit: *Non vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.* Quod vero subiungit de Apostolo dicente, *Vestra sunt omnia*: non est ad propositum, quia non loquitur Petro vel papæ singulariter, sed omnibus fidelibus, præcipue iustis: quorum sunt omnia, quantum ad aliquam vtilitatem vel operationem in bonum, eo modo quo omnia sunt iustorum, *33. q. 6. cap. 1.* vel ideo dicit, quia vt dicit Glo. super illud 1. Corinth. 12. *Charitas non quærit quæ sua sunt, quærit omnia communia: vt quod aliquis non habet in se, habeat tamen in alio, cui vnum est per charitatem.*

Quod autem dicitur XXXIII. de peccato Imperatorum, quod propter peccata eorum translatum est ius imperii ad papam: respondeo, hoc totum ridiculosum est, primo, quia vt ostendit Aug. *4. de Ciuitate*, regna & imperia vult Deus esse communia bonis & malis, felicitatem non nisi bonis: & ita non est de iure diuino, quod Imperatores propter peccata sua iure imperii priuentur. Secundo, quia non omnes Imperatores prædicta flagitia commiserunt, nec eorum peccata aliis obfuisse debuerunt: & præcipue quia in imperio non succedunt hæredes, sed ab exercitu vel populo rite eliguntur. Tertio etiam, quia aliqui papæ inuenti sunt flagitiosi & hæretici, & iuste depositi: nec tamen malitia eorum obfuit aliis successoribus eorum vere & debite electis. Quarto, quia dato quod Imperator culpa sua priuetur iure suo, tamen nihil iuris ex culpa eius papæ in imperio accrescit. Nam vt dicit August. *Homo peccando iuste diabolo subditur, non tamen iuste diabolus dominabitur eidem.* Et præcipue tenet hoc in proposito, quia dominatio sacerdotibus interdicta est, vt supra paruit. Quinto, quia falsum est quod in fine argumenti insinuatur, sc. quod Imperatorib. debeatur ex priuilegio, hoc enim priuilegium Imperatorib. datum à clericis nusquam audiuimus: sed de iure eis debebatur imperium, populo seu exercitu faciente, vt *d. 23.* legimus: & Deo inspirante, quia à Deo est, *23. q. 4. quæsitum*: & Commentator 8. Eth. c. 10. dicit, quod *rex est à populi voluntate: sed cum est rex, quod dominetur est naturale.*

Quod XXXIV. dicitur de maiori potestate quam habet nunc ecclesia, quam haberet in principio: respondeo, quantum ad hoc quod argumentum innititur allegoriæ: patet quod nullius est efficaciæ, quia vt dicit August. in Epistola ad Vincentium: *Allegoria non sufficit ad probationem, nisi cum de hoc habeatur auctoritas manifesta.* Et ideo dicit, quod *mystica theologia non est argumentatiua.* Amplius super illud *Luc. 14.* de parabola conuiuii: & Psalmus, *Quare fremuerunt gentes*, &c. magis videtur secundum moralem sensum accipi Christi persecutio, quam nunc sustinet in membris suis à malis, & eius dominatores in membris suis in futuro, quando in cœlo omnia ei subiecta erunt, secundum Apost. *Heb. 2.* quam illud quod isti accipiunt. Si tamen totum accipiatur pro statu militantis Ecclesiæ ad diuersa tempora, vt isti accipiunt, adhuc non est pro eis: quia sicut dicit Aug. de Ver. do. *non loquitur Dominus quasi nunc possit Ecclesia compellere Iudæos & gentiles ad fidem: vel quod nunc non sit Ecclesia subiecta in temporalib. regibus & principib. de iure, sicut olim: sed loquitur de hæreticis, qui per sepes intelliguntur.* Nam qui sepes construunt, diuisiones quærunt, ii enim de iure sunt ab ecclesia compellendi redire. Sed hoc non faciebat Ecclesia in principio propter defectum potentiæ, eo quod reges & principes non sic erant fauorabiles Ecclesiæ, sicut nunc sunt: & ideo cum fauore principum non possunt. Et sic tractatur ista materia *24. q. & 6.*

Quod vero obiicitur XXXV. de regis permissione, & Dei indignatione: respondeo, Argumentũ deficit, Dominus enim cum sacerdotio vel ante instituit regẽ in populo illo, licet non cum plena potestate: vt patet in Moyse & Iosue, & successoribus eorum, qui toti illi populo præerant. Vnde dicebat Moyses Num. 27. *Prouideat Dominus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc.* Et de singulis iudicibus, qui post Iosue fuerunt, legitur quod Deus suscitauit saluatorem, & quod spiritus Dei erat in illis: vt patet *Iudic. 2.* Erant igitur à Deo instituti, & non iudicio Iudæorum commissi: & erant reges alio modo, in quantum toti populo illi præerant singulariter, vel specialiter, quod est species regni: non erant tantum regimen regium purum, eo quod commiscebatur aristocratiæ, in qua plures dominantur secundum virtutem: & democratiæ, id est principatui populi, vt videbitur, cum etiam postea ad eorum petitionem eis dedit habere regem cum plenitudine potestatis. Adhuc electionem eis non commisit, sed reseruauit: vt patet Deutero. 17. vbi dicitur: *Constitues regem, quem Dominus Deus elegerit.* Non est etiam contra regiam dignitatem, quod ad petitionem eorum, quasi indignatus, regem concessit, *1. Reg. 7.* quia similiter argui posset de sacerdote: quia cum Moyses Domino diceret Exod. 4. *Obsecro Domine, mitte quem missurus es*: Dominus iratus in Moysem ait: *Aaron frater tuus Leuites scit quod eloquens sit, ipse erit tibi in occursum*, &c. Sed quare ergo indignatus concessit eis regem? Dicendum, quod non ideo, quia regale regimen ei displiceret simpliciter vt malum: sed ideo, quia illum populum sibi elegerat vt peculiarem,

Deuterono.

Deutero. 6. & instruxerat eis regimen melius puro regali, saltem illi populo propter duo. Primum est, quia licet regimen regium, in quo vnus simpliciter principatur secundum virtutem, sit melius quolibet alio regimine simplici, vt ostendit Philosophus *in 3. Politicorum*: tamen si fiat mixtum cum aristocratia & democratia, melius est puro, in quantum in regimine mixto omnes aliquam partem habent in principatu. Per hoc enim seruatur pax populi, & omnes talem dominationem amant & custodiunt, vt dicitur *in 2. Politicorum*, & tale erat regimen à Deo optime institutum in populo: quia erat regale, in quantum vnus præerat simpliciter omnibus singulariter, vt Moyses vel Iosué. Erat etiam aliquis de aristocratia, qui est principatus aliquorum optimorum principantium secundum virtutem, in quantum sub illo viro eligebantur 72. seniores: *Deutero. 5.* Erant etiam ibi aliqui de democratia, i. principatu populi, in quantum 72. eligebantur à populo, & de toto populo, vt dicitur ibidẽ: & sic erat optime mixtum, in quantum omni in regimine illo aliquid habebãt, siue aliquam partem. Et sic certe esset optimum regimen Ecclesiæ, si sub vno papa eligerentur plures ab omni prouincia, & de omni prouincia, vt sic in regimine ecclesiæ omnes haberent partẽ suam. Aliud etiam erat, propter quod tale regimen erat melius illi populo, quam purũ regale: quia licet regimen regale sit optimum in se, si non corrumpatur, cum propter magnam potestatem, quæ regi conceditur, de facili regnum degeneret in tyrannidem, nisi sit perfecta virtus eius cui talis potestas conceditur. Nam, vt dicitur decimo Ethicorum, *Viri virtuosi est beneferre bonas fortunas.* Hæc autem perfecta virtus in paucis reperitur, & præcipue in populo illo, eo quod Iudæi crudeles essent, & ad auaritiam proni, per quæ vitia maxime deceditur in tyrannidem. Et ideo Dominus à principio non instituit eis regem cum tanta plenitudine potestatis, sed iudicem & gubernatorem in eorum custodiam modo prædicto: quia sic eis magis competebat. Et ideo, postea ad petitionem eorum regem instituit, quasi indignatus: quia scilicet regimen aliud aliquod eis vtilius abiiciebant. Quod autem in eodem argumento subiungitur de regibus, Osee 8. *Regnauerunt, & non ex me*: non est ad propositum, quia loquitur de malis prælatis Ecclesiasticis: Qui non intrant per ostium in ouile ouium, vel qui abutuntur accepta auctoritate. Et amplius dici posset, quod dicta auctoritas pro nobis est: quia Bernardus ad Eugenium lib. 2. eam exponit de papa & prælatis Ecclesiasticis, quærentib. dominatum, dicens: *Planum est, Apostolis interdicitur dominatus: ergo tu tibi audes vsurpare aut apostolatus dominatum, aut dominatus apostolatum? plane ab vtroq; vel ab altero probiberis, alioquin non te exemptum putes illorum numero, de quibus Dominus conqueritur, sic dicens: Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui eos.*

Quod vero XXXVI. dicitur de terra sacerdotis, quæ sub Pharaone libera erat à tributo & censu: dicendum est, quod per hoc denunciabatur, sacerdotes debere esse liberos, quoad onera principalia, & quoad mansionem siue mansum Ecclesiæ, & quoad ea quæ eis donantur vt sacerdotes sunt, & ministri Dei pro redemptione animarum: & non quoad ea quæ titulo emptionis vel aliter acquiruntur Ecclesiæ, quæ cum onere suo transeunt ad eos, vt notatur *33. q. vltim. tributum.* & alio ca. secundum Canonicam: & hoc est ecclesiis indultum ab Imperatoribus & principibus, vt ibidem dicitur.

Cap. XXI.

QVod autem XXXVII. opponitur de episcopis vocatis à papa, qui remanserunt de mandato Imperatoris, & super hoc reprehenduntur à papa: dicendum, quod sicut notauit Iohannes ibidẽ, & infra, *eadem q. quo ausu*, istud intelligitur de illis tantum episcopis qui Leuitica portione sunt contenti: de aliis autem regalia tenentibus, vel possessiones alias, cum talia transeant cum suo onere, nõ intelligitur, imo tales dominis suis obedire tenentur, sicut cæteri, & hanc distinctionem ponit expresse capitulum sequens. Sed notandum, quod hoc etiam videtur persimile, quod monachus translatus ad episcopatum, magis subiectus est archiepiscopo, quam abbati suo, & ei plus debet obedire. Similiter monachus transiens ad curam parrochiæ alicuius, in iis quæ ad curam illius parrochiæ pertinent, magis obedire tenentur episcopo illius loci, quam abbati: & potest episcopus ipsum visitare & corrigere. Sic episcopus accipiens feudalia, præcipue sciente & permittente summo pontifice, magis tenetur obedire temporali domino, quam summo pontifici: imo in casu vbi iam præcipit ei princeps aliquid de pertinentibus ad onera feudorum, videtur exemptus à papa, sicut monachus ab abbate. Ita etiam determinat Hugo de sancto Victore, *de sacramen. parte 2. c. 7.* dicens, quod principes dotantes ecclesiam non possunt in ipsam totaliter transferre dominium sic, quod nihil de dominio retineant, cuius verba sunt hæc: *Potest ecclesia ministros habere laicas parrochias, per quas iura & iudicia ad terrenam potestatem pertinentia, secundum tenorem legum, & debitum iuris humani exerceat: qui, si ratio postulauerit, & necessitas, & illis ipsa potestas debeat patrocinium, & illi ipsa possessiones debeant in necessitate obsequium. Sicut enim potestas regia patrocinium quod debet alteri, non potest dare: sic ipsa possessio etiam ab Ecclesiasticis personis obtenta, obsequium quod regia potestati pro patrocinio debetur, iure negare non potest, sicut scriptum est: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* Sed forte dicetur, quod sunt aliqui qui merentur isto iure priuari, quia impedient spirituale donum, sc. impediendo ne episcopi vadant ad curiam, quando illi sunt vocati pro aliquo negocio spirituali: vel quando oportet eos vel alios ibi ire pro dispensatione super irregularitate, vel pro alia causa huiusmodi, constat enim quod impedire huiusmodi transitum, est impedire bonum spirituale. Amplius, per tales arctationes passuum, & tales leges ne aliqui portent extra regnum pecunias, infertur damnum curiæ Romanæ: & sic potest papa conqueri legitime, & talia prohibere, & reputare principem talem hostem suum, qui talia facit.

Responsio, prohibere simpliciter, & vniuersaliter impedire, ne quacunq; ex causa aliquis transeat, esset impedire spirituale bonum in casu. Sed si prohibeatur cum exceptione, sc. nisi ex causa rationabili de licentia principis, qui causam audiat, non est impedire bonum spirituale. Si etiam per tales arctationes damnificetur curia Romana, quia non accipit consueta seruitia: non ideo debet reputari princeps iniuste agere, & nocere ecclesiæ, nisi faciat sola intentione nocendi: quia si faciat hoc pro suo, vel terræ suæ commodo, licet inde per consequentiam damnum aliis contingat, sibi est licitum: quia cuilibet licitum est vti iure suo. Argumentum habetur ad hoc: aliquis habet fontem orientem in fundo suo, qui diuersos per riuos rigat hortos vicinorum suorum, iste facit aquam descendere vel currere per diuersa loca domus suæ, & sic impeditur ne currat ad hortos vicinorum, nunquid hoc est ei licitum? Dicit lex quod sic: licet aliis incommodum eueniat, quia vtitur iure suo. Esto etiam, quod faciat hoc princeps intentione nocendi, adhuc in casu est ei licitum, sc. si præsentibus probabilib. vel euidentibus argumentis appareat, quod papa ad hoc vocaret prælatos, vt cum ipsis aliquid machinari intenderet contra ipsum, vel contra regnum suum. Est enim licitum principi, abusum gladii spiritualis repellere, eo modo quo potest, etiam per gladium materialem: præcipue vbi abusus gladii spiritualis vergit in malum Reipublicæ, cuius cura regi incumbit, aliter enim sine causa gladium portaret.

Quod vero dicitur XXXVIII. de collatione beneficiorum: dicendum, quod collatio ista competere potest laico ex consuetudine, sicut præsentatio de iure scripto, nam non plus repugnat laico vnum, quam aliud, & potest competere de iure patronatus, si hoc fuerit in consuetudine habitum, vel concessum ab ecclesiis. Sicut enim dicitur 8. Ethicorum: *Benefacienti, etsi non ex debito iustitiæ, ex quo actiones nascuntur inter homines: tamen ex debito honestatis debetur superabundanti honor, indigenti vero retributio lucri*, & inde est, quod fundatoribus ecclesiarum, & patronis ratione beneficii accepti, ecclesiæ à principio à debito iustitiæ non erant obligatæ: tamen ex debito honestatis eis voluerunt concedere aliquid honoris, & aliquid vtilitatis. Honoris quidem, præsentando ad beneficia, quod inuenit vt concessum patronis in iure scripto expresse & generaliter, tamen quibusdam excellentioribus patronis, vt magis foueretur eorum deuotio ad ecclesias fundandas, est per dissimulationem concessum rationabiliter: & quia illud quod rationabiliter est concessum, licet ex gratia, & non ex debito iustitiæ, in longam & præscriptam consuetudinem tractum conuertitur in ius commune, eo quod (vt dicit Plato in Timæo) *Quod semel rationabiliter est institutum, non est diuinæ voluntatis immutari debere*. Ideo dicta præsentatio ad beneficia Ecclesiastica omnibus patronis debetur generaliter: & collatio quibusdam excellentibus, qui hoc ex consuetudine habuerunt, debetur specialiter, & de iure, vt eis auferri non possit sine iniuria: imo si quis auferre vellet eis sine causa euidenti & rationabili, indubitanter non posset, sed semper teneret patroni collatio, quicquid ageretur contra hoc à quocunque. Nam vt dictum est supra, Deus non dedit potestatem Petro vel ministris Ecclesiasticis in bonis ecclesiæ, ad ordinandum pro libito: sed pro bona fide, & ad ædificationem, & non ad destructionem, vt dicitur *1. Corinth.* Deus enim non vult, quod rite alicui est collatum, ei auferri, nisi culpa interueniente, nam secundum Apostolum Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei*, & Iob 33. dicitur: *Non aufert à viro iusto oculos suos, & reges in solio suo constituit in sempiternum*, propter peccata enim fecit vasa Ægyptiorum spolia Hebræorum. Et ideo ex quo fuit principio patronis concessum expresse vel interpretatiue per longam dissimulationem, & ex causa rationabili: quia ex debito quo benefacienti excellenti honor debetur, etiam vt potentes proniores efficerentur ad dotandas ecclesias, non est dubium, non esse proprie à Christo commissum quod talia reuocari possint sine euidenti & magna culpa: super quam princeps monitus, inueniretur incorrigibilis, & præcipue cum ex hoc ecclesiæ sumpserunt magnum emolumentum. Quod ergo arguitur, quod collatio non cadit in laicum, cum sit idem quod spirituale: respondeo, dicendum quod spirituale non dicitur proprie, nisi in habitudine ad spiritum diuinum, per causalitatem, seu per concomitantiam: vnde sacramenta Ecclesiastica sic spiritualia sunt, vt administratio sacramentorum: quia gratiam spiritualem contingunt & causant: spirituali vero annexum dicitur, quod habet ordinem ad dictum spirituale, vel per consequentiam, vt ius decimarum: vel per antecedentiam, vt ius patronatus, & collatio præbendarum. Primum ergo quod est spirituale, proprie non cadit in laicum aliquo modo, nec secundum quod est annexum ei per consequentiam, quia tale dependet ex spirituali officio. Nam ratione spiritualium officiorum competit alicui ius decimarum, & ideo sicut spirituale officium non competit laico: ita nec ius prædictum, licet fructus corporales qui nomine decimarum appellantur, laico competere possunt de concessione ecclesiæ. Sed tertium quod annexum est spiritualibus officiis per antecedentiam, vt præsentatio, vel collatio, seu ius conferendi, quia non sic dependet à spirituali, sed e conuerso potest competere laico præcipue, & ex concessione ecclesiæ, vel ex promissione, & ex longa cõsuetudine p̄scripta, potest rex sibi ius acquirere, cum sibi non repugnet: quia si ei repugnaret, ei non posset conuenire ex cõcessione cuiuscunq;, sicut nec administratio sacramentorum, vel ius decimarũ potest cõpetere laico auctoritate cuiuscunq;: nec sit onerosa ecclesiis, sed interdũ fructuosa, & præcipue ecclesia sciente & permittente. Quod autẽ dicitur, quod dos non debet esse onerosa: respondeo, ꝙ ex hoc non sit onerosa, nisi patrono, cui incumbit onus defensionis ecclesiæ: nunc vero non est onerosa, cũ plus ex hoc habeat commodi, q̃ incommodi. Et quod dicitur, ꝙ consuetudo non p̄iudicat iuri: respondeo, Dicta cõsuetudo cũ non sit damnosa in ministris ecclesiæ, sed in plurib. fructuosa, nõ p̄iudicat iuri publico in genere, licet videatur p̄iudicare in specie. Nam licet videatur p̄iudicare epi-

scopis

scopis, qui priuantur collatione beneficiorum, quæ de iure communi eis debetur: tamen ecclesiæ aliunde ex hoc emolumentum accipiunt præponderans, ratione defensionis & donationis & fundationis, & ideo non præiudicat simpliciter. Vel vt dicit Philosophus *8. Ethicorum*, hoc facimus, quod per amicos facimus: & ideo Ecclesiasticus conferre dicitur, licet non per se, sed per patronum laicum, cui ab eo concessum est rationabiliter: quæ concessio non est reuocabilis, nisi sicut dixi. Et quod opponitur de consuetudine contraria substantiæ contractus, & inhonesta: respondeo, Dicitur quod hic nullus est contractus, nec conditio, quia patroni non dant sub conditione vel modo, sed simpliciter, licet obligatio sequatur collationem iam factam: nec est hic aliquid inhonestum, cum per violentiam non sit ab ecclesiis extortum, sed ab ecclesia sit patronis liberaliter concessum, licet ex debito honestatis, quo cuiusque beneficio excellenti debetur honor, & indigenti retributio lucri, vt dicitur *8. Ethicorum.* Si etiam esset contraria substantiæ contractus, vel doni, vt dicit argumentum, non ideo sequitur intentum, quod sic pro nunc non adiecta habeatur, & quod donum non maneat. Hoc enim conuenit in conditione inhonesta, quæ non est contraria substantiæ contractui: vt, contraho tecum, si occideris hominem. Sed vbi est conditio opposita contraria substantiæ doni, donum vel contractus non tenet: vt si dicatur, Contraho tecum, si venenum aut sterilitatem procures, vel aliud huiusmodi: & ideo secundum illud donatio facta ecclesiis non tenuisset, sed rediret totum ad donatores. Quod vero dicitur, quod ecclesia gaudeat iure minorum, & reputat se deceptam: respondeo, Non sufficit ad restitutionem, quod sit minor, nisi ostendat se læsum. Hoc certe ecclesia facere non posset, cum appareat euidenter, quod ex dicta promissione facta est locupletior. Amplius, secundum magnos Iuristas, Ecclesia ponitur in vltimo momento 25. annorum à tempore læsionis factæ, vt sic infra quadriennium, quod vocatur tempus vtile, tantum restituatur, & non vltra, nisi fraus probetur interuenisse. Alii vero dicunt, quod restituenda sit vsque ad 15. annos, ponentes eam in anno 14 Alii autem vsque ad 30. ponentes eam in primo die minoris. Amplius, dicit Goffredus, quod *ecclesia à minore differt in hoc, quod ecclesia præscribit, & præscribitur contra eam: sed minor semper seruatur illæsus, præterquam in longissima præscriptione, quæ quidem contra minorem currit, sed restituitur: contra ecclesiam vero erit præscriptio 40. annorum, nec est restituenda.*

Quod autem dicitur tricesimo nono, quod Papa debet esse perfectus in vita actiua: respondeo, Ex hoc solum sibi conuenit de rebus suis, & non de rebus alienis: & prædicare aliis, res eorum esse distribuendas, secundum quod exigit ordo charitatis.

Quod XL. opponitur de clericis, qui magis pollent ratione: respondeo, Si sic est, non ideo præcipue debent regere in omnibus, sed in maioribus & in melioribus, scilicet in spiritualibus.

Quod autem dicitur XLI quod aliter loquentes loquuntur in fauorem principum: respondeo, Quamuis in casu aliquo veritas sit subticenda, sicut Moyses reticuit veritatem de repudio vxoris, *Matth. 19.* tamen nulli licitum est in casu quocunque, contra conscientiam docere, vel scribere in doctrina religionis: & ideo dicere quod tanti viri, inter quos aliqui fuerunt summi Pontifices, scripserunt contra conscientiam suam in fauorem principum, vel ob timorem eorum, est ponere os in cœlum. Magis autem probabiliter posset econtrario dici, quod tales doctores qui sic indebite ampliãt auctoritatem Papæ, loquuntur timore vel fauore ipsius, cum sint personæ Ecclesiasticæ, qui magis possunt per ipsum promoueri. Et præcipue cum ipsi dicant, licet male, quod summus Pontifex gratiose amplectitur suam potestatem extendentes, & reprimit obloquentes, quod nunc faciunt reges & principes.

Quod autem vltimo dicit ille de Cremona, tales pro hæreticis habendos, qui dicunt Papam non habere, &c. Dicendum, quod iste est temerarius in iudicando, cum dicit, nos ita dicere, vt ecclesia nõ possit coercere hæreticos. hoc enim falsum apparet, cum ecclesia possit inuocare brachium seculare contra hæreticos, *extra, de hæreticis. ad abolendam,* & *vergentem.* Magis autem posset dici, quod iste anathema esset, & non longe ab hæresi, scilicet cum pertinacia suum dictum assereret. Nam Papam habere vtrumque gladium, non continetur in sacra Scriptura, quæ est regula fidei. & Deuter. 4. dicit Dominus, *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ab eo.* Et in congestis primæ Nicenæ synodi dicitur, quod *perlecto symbolo Nicenæ synodi decreuit sancta synodus, aliam fidem nulli licere proferre, vel conscribere, vel componere, præter diffinitam à sanctis Patribus, qui in Nicena synodo congregati sunt à Spiritu sancto.* Et subditur anathematis pœna. Et idem recitatur *in gestis concilii Chalcedonensis.* Amplius, cum fides Christiana sit catholica & vniuersalis, non potest summus Pontifex hoc ponere sub fide sine concilio generali: quia Papa non potest discernere statuta concilii. *distinctione 19. Anastasius.* nam licet concilium non possit proprie legem imponere, *extra, de electione, significasti. & 35. quæstione 6. veniam*: tamen non intelligitur in iis quæ fidei sunt, eo quod orbis maior est vrbe & Papa, concilium maius est Papa solo.

Cap. XXII.

De Donatione Constantini.

Viso, quid possint viri Ecclesiastici, eo quod sunt Christi vicarii: videndum est quid possint summi Pontifices ex dono Constantini Imperatoris magni. Dicunt enim, quod Syluestro successoribusq; dederit imperium Occidentale, & imperialia signa: vt palatium suum, & coronã, & alia

huiusmodi. Et ideo volunt aliqui, quod ratione huius doni, summus Pontifex Imperator est, & dominus mundi: & quod potest reges constituere & destituere, sicut Imperator, & præcipue imperio vacante. Vt autem ista melius pateant, præmittenda sunt aliqua ad factum pertinentia, quæ in Chronicis & Ecclesiasticis historiis, de hac translatione & donatione leguntur: vt melius videatur, quid per donationem illam possit dominus Papa, præcipue super regem Franciæ.

Est quidem sciendum de donatione prædicta, quod sicut accipitur *ex Chronicis* Hugonis Floriacensis, & in libro *de Cosmographia*, & ex *epistola Constantini ad episcopos*: & ex *Testamento* eiusdem, ipse Constantinus non dedit nisi certam prouinciam, scil. Italiam cum quibusdam aliis, vbi Francia non includitur: & imperium transtulit ad Græcos, vbi nouam Romam ædificauit. Cæterum de translatione à Græcis ad Germanos facta per Romanos, & Papam in persona Caroli Magni, vt dicunt: sciẽdum est ex Chronicis supradictis, quod non fuit translatio facta, quin remaneret imperium apud Græcos secundum rem, & apud Occidentales secundum nomen: vel quod fuit facta diuisio imperii, vt duo Imperatores dicerentur, Romanus scilicet, & Constantinopolitanus. Eo quod Romani legũtur ex triplici causa ab imperio Græcorum recessisse, scil. propter defensionem Reipublicæ, quam acceperant à Carolo Magno, Constantino Imperatore negligente: & ex odio Irenæ Imperatricis, quæ filium suum Constantinum & filios filii exoculauit, vt sola imperaret, prouocati, & ex translatione Imperii ad Græcos ab eis per Constantinum Imperatorem facta indignati, & grauiter ferentes imperium Græcorum, laudes imperii Carolo Magno victori declamauerunt. Ex quibus ergo suppositis apparet, quod ex dicta donatione & translatione, Papa nihil potest super regem Franciæ, propter quatuor.

Primo quidem, quia dicta donatio non fuit nisi de portione determinata, in qua Francia non includebatur, nec translatio fuit facta totius imperii siue monarchiæ mundi ad Germanos, cum etiam post translationem prædictam quæ magis fuit diuisio Imperii, vel noua imperii appellatio, quam translatio, remanserunt adhuc Imperatores apud Græcos.

Secundo, quia dicta donatio nihil valuit propter quatuor, quæ in Glossa iuris ciuilis ponuntur: & vt Iurisperiti communiter dicunt, quia Imperator ideo dicitur *semper Augustus, quia eius est augere Rempublicam & non minuere.* & ita dicta donatio non videtur tenuisse, præcipue quia excessiua & immensa, licet alias in remuneratione facta & cum moderatione tenuisset. *9. distinct. tutum, cum plures*, & infra *primis*. Nec obstat quod dicit lex, quod mensura donationis ecclesię est vniuersalis, vt in *authent. de rebus ecclesiæ non alienandis. finimus.* Illud enim intelligitur, quando donatur de patrimonio Cæsaris, & non quando donatur de patrimonio fisci. quia pro statu Reipublicæ constituendo institutum est, & ab vniuersitate, quæ semper debet manere: de quo non potest largiri, nisi cum moderamine, & ex certis causis, in *Authentica. quomodo oportet episcopos & clericos. col. 2.* Vel intelligitur in principe non donante ecclesiæ, sed permutante cum re Ecclesiastica: vbi non est periculum, si res principis sit maior, & non commensurata ab ecclesia acceptæ.

Secundo, quia Imperator est administrator Imperii & Reipublicæ, vt dicunt iura, per legem regiam ab Hortensio latam: vt *de constit. principum l. 1.* Si non imperii administrator, est imperii diminutor, non valet. & *in tit. proœm. Instit.*

Tertio, quia si donare lex est, C. *de donatione inter virum & vxorem. L. donationes.* Lex enim facta per vnum, seu ab vno, reuocari potest per successorem: quia par in parem non habet imperium, vt *ff. de arbitris. leg. nam & magistratus.* Dicta ergo donatio firma non fuit.

Quarto, quia eadem ratione qua vnam partem potest dare, & successor potest & aliam, & sic imperium diminueretur & spoliaretur donis suis, quod est inconueniens: quia expedit quod imperiũ sit locuples. *L. legatus. ff. de off. præsidis, & in Auth. vt iudices sine quoquo suffrag. collatione secunda.* Ex quibus dicunt Iuristæ, quod donatio non valuit.

Quod vero Deo displicuerit, ex hoc sumitur argumentum, quod legitur in vita B. Syluestri Papæ, quod in donatione illa audita est vox angelorum, dicentium in aere: *Hodie in Ecclesia venenum effusum est.* Item B. Hieron. dicit de isto Constantino, quod *ab ipso vsque in præsens tempus, ecclesiarum rapina & totius orbis discordia secuta est.* Dicit etiam Hieron. de eodem, quod *in tantam crudelitatem postea versus est, vt filium suum Crispum interficeret, & vxorem suam Faustam: extremo etiam tempore vitæ suæ ab Eusebio Nicomedia baptizatus est*: & sic bis baptizatus fuit, & amplius in Arrianum dogma declinauit. & hoc idẽ dictum in *Chronicis* suis multi alii Cronicorum veraces scriptores, & fide digni imitantur. Quod aũt aliqui defendere volunt, quod illud de filio suo intelligi debet, patet esse falsum: tum quia B. Hieron. satis postea loquitur de ipso Constantino. Constat autem, quod ab illo Constantino non incepit rapina ecclesiarum, cum ipsius tempore fuerit ecclesiæ magna persecutio. Constat etiam ex *Chronicis*, quod solus Constantinus, & non filius eius, vxorem habuit Faustam nomine. Non inuenitur etiam iste Constantinus familiaris fuisse Eusebio Nicomediæ episcopo: sed alius Constantinus, qui mortuus in sua ecclesia est sepultus. & ideo illa scelerosa dicunt Hieronymus & alii de Constantino Magno, quamuis affectus pietatis suæ reddiderit eum bonæ memoriæ apud beatum Greg. *in Registro.* Græci etiam ad eum deuotionem conceperunt ex eo, quod ad ipsos Imperium transtulit, & Constantinopolim apud eos fundauit.

Tertio apparet, quod ex dicta donatione nihil habet Papa super regem Franciæ, dato etiam quod valuisset, & generalis de toto imperio fuisset: quia licet Gallici inueniãtur tempore Octauiani Augusti imperio Romano fuisse subiecti, tamen Franci nunquam. Hoc enim legitur in diuersis historiis, quod

quod post excidium duodecim millia Troianorum duce Antenore, à quo primo dicti sunt Antenoridæ, ad partes Pannoniæ iuxta Mæotidas paludes peruenerunt, vbi ciuitatem Sicambriam ædificauerunt, semper Imperio Romano infesti ibiq; mãserunt vsq; ad tempora Valentiniani Imperatoris. à quo inde expulsi, pro eo quod tributa Romanis iuxta morem cæterarum gentium soluere recusauerunt: egressi aũt inde cum suis ducibus Marcomiro, Symone & Genebaudo, venerunt & habitauerunt iuxta ripam Rheni in confinio Germaniæ & Alemaniæ: quos cum multis præliis idem Valentinianus postmodum deuincere non potuisset, proprio nomine eos *Francos*, id est feroces appellauit. Et ab illo tempore virtus Francorum in tantum excreuit, vt totam Germaniam & Galliam vsque ad iuga Pyrenæi, & vltra subiugarent: & Galliam habitantes, eamque Franciam nominantes, nullis Romanis, nec aliis quibuscunque fuerunt subiecti.

Quarto, ex dicta donatione dato quod valuerit, & toto imperio facta fuerit, & dato quod Franci tunc fuissent imperio subiecti, quod non dicimus: adhuc Papa nihil potest super regnum Franciæ, cum non sit Imperator. Et amplius, dato quod esset. Franci præscripserunt contra Imperatorem vsq; ad dies istos. Tenuerunt n. sic regnum Franciæ reges sancti, & tam longo tempore & bona fide, vt patet de B. Ludouico per Ecclesiam meritis suis euidentib. canonizato: qui ita tenuit, & ecclesia canonizando approbauit, quicquid dicant aliqui Theologi: cum *iure humano sit appropriatio rerum, & subiectio hominum*, secundum Augustinum, iura humana possunt facere cõmune vel alienum, quod meum est, ex causa rationabili non esse meum, & transferre dominium. Ex quo n. iura imperialia statuerunt, quod aliquid post tñ tempus in præscriptione transferatur, dominium transfertur. Et hoc pro communi vtilitate, vel in odiũ negligentis, & in fauorem bonæ fidei possessoris, & ne lites in infinitum protendantur & multiplicentur: nec in hoc aliquis tenet alienum, sed suum, quod suum factum est præscriptione legitima. Et ideo, dato quod regnum Franciæ alias fuisset subiectũ Romano imperio: tñ præscripta est subiectio. Quod etiam patet ex *Chronicis* Sigisberti & aliorum. Ibi n. legitur: quod Carolus M. totam Italiam sub iure regni Francorum subegit. Legitur etiã in *historiis Romanor.* quod olim Imperium fuit apud Francos. Et tamen constat, quod Italia nunc non est subiecta Francis: quod non est nisi propter aliquam temporis præscriptionem, quæ in talibus locum habet. Ex prædictis etiam apparet, non valere quod dicunt aliqui Iuristæ de præscriptione iurisdictionis & subiectionis, quod subiectio quæ Imperatori debetur, præscribi non potest: sed illa tantum quæ debetur baronibus inferioribus: ita tamen, quod subiectio remaneat ad superiorem. Cuius rationem allegant, quia cum plures dissentiant faciliter, non expedit vt plures regimen habeant, sed quod vnus toti mundo principetur: & ideo ista vtilitas præscriptione tolli non debet. Sed parum valet ista ratio, vt patet ex dictis super 3. ca. quia verũ est, quod plures dissentiunt faciliter in re vna: & ideo melius est regimen regũ, quàm Aristocraticũ: vt supra dictum est *ca. 1.* Melius autem est, plures pluribus regnis dominari, quam vnum toti mundo.

Quod ex hoc etiam apparet, quod tempore Imperatorum nunquam fuit mundus in tanta pace, quanta fuit postea, & ante: sed frater fratrem, & mater filium occidebat, & econuerso, & cætera horribilia scelera per mundum currebant, & dissensiones permaximæ, de quibus non oportet modo narrare per singula. Mirum etiam est, si præscribi non possit contra imperium Romanorum, vt dicunt illi, cum ante regnum Romanorum fuerint regna & imperia, scilicet Babyloniorum, quod incepit à Nino, tempore Abrahæ: Carthaginense, tempore Iudith, Macedonum siue Græcorum ab Alexandro tempore Machabæorum: & quodlibet prædictorum est æque à Deo, sicut imperium Romanorum.

Si igitur, non obstante quod Græci habuerunt imperium à Deo, Romani præscribunt & præscripserunt contra Græcos, & vsurpare tentauerunt Græcos expellendo: quare non possunt alii homines præscribere contra imperium Romanorum, etiam eorum dominium à se abiiciendo: præcipue cum eis se non subiecerunt voluntarie, sed violentia Romanorum? Sicut de Gallicis legitur, quod nunquam, antequam venirent Franci, voluntarie se subiecerunt Romanis; sed semper rebelles fuerunt, prout potuerunt, modo quidem Romanos vincendo, modo econuerso. Si ergo Romani per violentiam acceperunt, nunquid iuste per violentiam etiam abiici potuit dominium eorum, vel etiam contra eos præscribi?

Si vero aliquis dicat, quod Deo ordinante cessare debuit imperium aliorum, & crescere debuit imperium Romanorum: quare non sic potest dici de Romano imperio, quod cessare debeat Deo ordinante, vt illi qui ante Romanis qualitercunque fuerunt subiecti, amplius non debeant subiici, si discedere velint & possint? imo expressius videtur haberi in Scriptura de imperio Romanorum, quod deficere voluerit, quam de alio. Dicitur enim Num. 24. in prophetia Balaam: *Venient in triremibus de Italia, & superabunt Assyrios, vastabunt Hebraeos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.* vbi dicit Magister in historiis: *Sicut monarchiam prædixit Romanorum hic, & sic in fine temporum destructionem eorum.* Similiter in Danielem, vbi agitur de imagine quadriforma, percussa in pedibus, dicit Glossa: quod *regno Romanorum nihil fortius fuit, & nihil in fine debilius aut fragilius erit.*

CAP. XXIII.

An licitum sit de pertinentibus huiusmodi disputare & iudicare.

NVnc vero inquirendum videtur, si sit reprehensibile iudicare de factis Papæ: & quod aliqui

qui dicunt, quod hoc est tangere montem, & ponere os in cœlum. Dicunt etiam, Dioscorum perpetuo condemnatum per concilium generale, quia Papam Leonem reprehendit, & iudicare voluit.

Sed circa hoc est considerandum, quod contra Papam potest intelligi, esse quadrupliciter discussio & iudicium, scil. de statu, de potestate, de potestatis abusu, & personali defectu. De statu quidem Papæ, scil. an sit Papa, vel non: dico quod discutere licet, cum possit venire in dubium propter defectum electionis: cuius tamen forma est certa, in qua potest error incidere, sicut circa electionem cuiuslibet alterius prælati Ecclesiastici. Et iterum Papa propter defectum personæ, cum interdum possit aliquis esse, quod esset à sede repellendus, vt si esset fœmina vel hæreticus, sicut fuerunt aliqui, qui ob hoc non enumerentur in Catalogo Paparum: & tanto magis est necessarium veritatem istorum requirere, quanto magis periculosum esset in hoc veritatem non agnoscere. Hoc tamen est obseruandum, vt exceptiones in talibus frustratorie & supine non admittantur, quod ex tempore exceptionum factarum, & ex personis excipientibus maxime obseruetur. Si vero contra personam, vel electionem summi Pontificis, post discussionẽ diligentem à literatis & ab illis, quorum interest factã, inueniretur aliquid illegitimum contra statuta, non esset dissimulandum, sed monendus cedere: & si nollet, posset excipi, & generale concilium peti, & ad ipsum concilium appellari: imo in tali casu deberet, si pertinax inueniretur cum violentia, aduocato brachio seculari à sede remoueri, ne prophanarentur Ecclesiæ sacramenta.

Sic enim legitur in *Chronicis Romanorum Pontificum* de Benedicto Nono, & Cadelo Portuensi Episcopo, Constantino Secundo, & aliis quibusdam propter intrusionem per brachium seculare cõmendabiliter à sede depositis: sed quis iudicabit eum hæreticum? Responsio: Si dixerit, & affirmando tenuerit aliquid, quod est contra id, quod est in Symbolo fidei per ecclesiam alias approbato, iam dicitur iudicatus. nam qui non credit, iam iudicatus est. De potestate vero domini Papæ, quid possit, vel quid non possit, credo quod non sit reprehensibile inquirere veritatem, cum ignorantia sit periculosa, & non sit certum in quibusdam: vt, vtrum possit dispensare cum bigamo, vel vtrum possit dispensare in solemni voto continentiæ, cum inueniatur alius Papa de facto dispensasse aliquãdo: & cum aliquis Papa dicat, quod non possit: *extra, cum de ingredientibus monasterium*, & multa etiam alia infinita sunt de potestate Papæ dubia, de quibus est vtile dubitare, & etiam prout per rationes videtur alicui humiliter iudicare. De potestatis vero siue abusu & personali defectu suo, an scilicet præbendas conferat pro communi necessitate Ecclesiæ, vel bono suo priuato: & vtrum sit castus, sobrius, vel scelerosus: si non sit euidens aut manifestum, absque dubio non licet iudicare: sed semper in meliorem partem interpretandum est, & trahendum, etiamsi prima facie aliquid mali coloris occurrat. Et minus est licitum de Papa, quam de aliis quibuscunque. Si vero sit factum ex genere suo malum, & manifestum, vt incontinentia vel homicidium, vel ex lege prohibitum, non potest iudicari per modum auctoritatis ab aliquo citando vel excommunicando, cum superiorem non habeat. Vnde Dioscorus, qui Leonem Papam excommunicauit, vt dicitur XXI. per generale concilium est perpetuo condemnatus. Per modum etiam iudicii & correctionis dicunt aliqui, quod non est iudicandus: quia si homicidium Samsonis, quod ex se malum est, interpretamur quod instinctu diuino fuit factum: multo magis omne factum sanctissimi Patris interpretari debemus in bonum. Et si quidem fuerit furtum, vel aliud ex se malum, interpretari debemus, quod diuino instinctu fiat, cuius nutu regitur Ecclesia sancta magis, quam singularis persona. Sed beatus Augustinus satis respondet in *primo de Ciuitate Dei.* Nam homicidium Samsonis, vt dicitur, interpretamur factum instinctu Dei, qui per ipsum Samsonem alia miracula operabatur. Ideo dicitur, Si Papa errat priuando ecclesias iure suo, dispergendo gregem Domini, scandalizando Ecclesiam ex quocunque facto suo, potest de facto suo iudicari, persuaderi & reprehendi à quocunque: quod si non ex officio, tamen ex charitatis zelo, non pœnam imponendo, sed cum reuerentia exhortando: quia affectus qui personæ debetur, non minus ei debetur ratione maioris status, ad quem assumptus est: & ideo ratione status, sicut populo ad quem assumptus est, non tenetur minus omnibus ad charitatis affectum, licet auctoritate seruata, secundum Augustinum. Ita econuerso, cum alicui delinquenti teneatur, quilibet ad correctionem fraternam, ex charitatis zelo & debito ipsi facto: Papæ non minus tenetur quilibet impendere charitatis affectum, licet cum humilitate & reuerentia. Vnde Galat. 2. cum venisset Petrus Antiochiam, in facie restitit ei Paulus, quia reprehensibilis erat. nec ideo quis poneret os in cœlum: neque os ponitur in eum, id est contra eum, quando corrigitur. Sed pro eo nec debet aliquis timere de Papa, quod propter hoc scandalizetur, quia scandalum passiuum non cadit in viris perfectis, sed in pusillis tantum: vnde timere in hoc scandalum Papæ, est in hoc tenere de Papa, quod est pusillus, & minus perfectus quam quilibet alius, quem aliquis audet corripere delinquentem: & ideo tales secundum veritatem ponunt os in cœlum, qui talia prædicant de sanctissimo Patre, quod est vindicatiuus, & quod grauiter portat omnem hominem facta sua qualiacunque iudicantem: quod certe non est timendum, cum non sit pusillus, sed perfectus, & aliis perfectior. Sed quid si Papa dicat, quod reputat talem hæreticum, qui tenet aliquid de quo sunt opiniones, & dicat hoc sine concilio generali: vel si dicat quod reputat hæreticum omnem hominem asserentem regem Franciæ vel aliquem huiusmodi non esse subiectum? Responsio: Verba summi Pontificis indefinite dicta, semper debent trahi ad aliquem sanum sensum, quantum potest fieri: vnde dicta verba non debent accipi sic, quod non possit ad eum appellari, vel quod sit diuinum habens in rebus ipsis, vel quod Papa se habeat intromittere de tuo & meo: Hoc enim esset manifeste

contra

contra Scripturam & contra omnem doctrinam, & nouitas quædam: quam non proferret summus Pontifex, nisi cum magna maturitate, & habito prius concilio generali, & discussione facta vbique per literatos. & ideo debet intelligi in sano sensu, scilicet ratione delicti, vbi quæstio mouetur de peccato: vel debet intelligi in foro conscientiæ, vt dictum est supra, quo vsque super hoc aperuerit intentionem suam. Si vero finaliter aperiat intentionem suam in tam nouo & iniurioso sensu (quod absit) debet cum patientia tolerari, quantum potest sine periculo iustitiæ & veritatis. iuxta illud Matthæi quinto, *Quicunque angariauerit te mille passus, vade cum illo & alia duo millia*: & debet ad eum haberi refugium, qui sicut cor regis, ita & cor Papæ habet in manu sua, & potest ipsum quoque si voluerit inclinare & vertere ad ipsum Papam, sicut & regem de sede amouere. Si tamen periculum Reipublicæ sit in mora, quia scilicet trahitur populus ad malam opinionem, & est periculum de rebellione, & Papa commoueat populum indebite per abusum gladii spiritualis. Vbi etiam non speratur quod desistat aliter, puto quod in hoc casu Ecclesia contra Papam debet moueri, & agere in ipsum: princeps vero violentiam gladii Papæ, posset repellere per gladium suum, cum moderamine: nec in hoc ageret contra Papam, sed contra hostem suum, & hostem reipublicæ: sicut Aioth Iudæus, qui Eglom regem Moab interfecit, sagita infixa in femore eius, eo quod graui seruitute populum Dei premebat, non est reputatus interfecisse rectorem, sed malum & hostem. hoc enim agere, non est contra Ecclesiam agere, sed pro ecclesia. Sic enim commendabiliter populus zelo fidei commotus, Constantinum Papam, qui ecclesiæ in scandalum erat, oculis priuauit, & deposuit. Sic & Henricus Imperator Romam vadens, Benedictum Nonum, & alios duos, qui contentionibus suis scandalizabant ecclesiam, imperiali & canonica censura deposuit, & Clementem Secundum Romanæ ecclesiæ Papam constituit, vt legitur in *Chronicis Romanorum*.

Cap. XXIV.

Quod Papa possit resignare.

NVnc, quia supponere videbar superius, quod summus Pontifex renunciare potest, & deponi, & viuens potest fieri de Papa non Papa: videndum est, quibus rationibus vsi sunt, qui dicebant Papam non posse resignare voluntarie, nec deponi sola auctoritate inferiorum prælatorum: vt in isto Capitulo ponantur rationes, ad duos articulos distinctæ, superius in isto principio huius Tractatus positos: eo quod sunt multæ rationes, quæ vtrumque concludunt. Sit igitur prima ratio eorum, Quod Papa renunciare non potest: quia papatus à solo Deo est: quæ autem à Deo sunt, vel ab alio superiori alicui committuntur, ab aliquo inferiori remoueri non possunt: & sic papalis dignitas, à nullo inferiori remoueri potest. Secunda ratio est, quod nullus potest auctoritatem vel potestatem auferre, quam conferre non potest: sed auctoritatem papalem nullus potest conferre nisi Deus: ergo nec etiam auferre, quod tamen fieret, si Papa renunciare posset. Tertia ratio est ex decret. inter corporalia, de translatione episcopor. quæ expresse innuit, quod depositio episcoporum, vel translatio episcopatuum soli Papæ reseruatur, & non nisi in quantum Deus, id est Dei vicarius: ergo remouetur Papa ab officio, quia papatus omnes dignitates excellit, per solum superiorem, sicut Deum. Potest fieri quod nulla ratio esse videtur, quod Dominus velit episcopos solum per superiorem Papam, inquantum est Deus, & Papam ipsum posse remoueri per inferiores set imo videtur quod Deus velit, quod ipse solus per seipsum possit Papam amouere, qui solus eo est superior. Quarta ratio est, Summa virtus creata per summam virtutem potest tolli: sed papatus est summa virtus creata; ergo, &c. Quinta ratio est, quia nec Papa, nec tota vniuersitas creaturæ potest facere, quod Pontifex non sit Pontifex: ergo minus potest facere, quod summus Pontifex non sit summus Pontifex. Sexta ratio est, quia Papa non est Papa nisi per legem diuinam, & non per legem creaturæ, nec omnium creaturarum simul: ergo nullo modo videtur, quod Papa potest eximi quin sit Papa. Ex quo enim Papa consensit, & se sponte subiecit, non potest esse non Papa per creaturam aliquam, vel omnes simul. Septima ratio est, quia nullus potest tollere votum alicuius, nisi ille qui est super votum: sed papatus est votum super omnia vota, quia Papa vouet se gerere curam vniuersalis Ecclesiæ, & gregis Dominici, & quod de ipso reddet rationem: ergo ab ipso solo potest ab ipsa obligatione absolui. non enim alias alicui superiori obligatus potest seipsum absoluere: sed solus superior eum absoluere potest. Octaua ratio est, nullus videtur seipsum posse absoluere à peccato: ergo nec à papatu: quod esset, si voluntarie renunciare posset. Nona ratio est, quia papalis obligatio non videtur posse tolli nisi per maiorem potestatem, quam sit papalis: qua tamẽ nulla maior nisi de: ergo, &c. Decima ratio, quia nulla dignitas Ecclesiastica post legitimam confirmationem potest tolli, nisi per eius superiorem: sed Papa non habet superiorem nisi Deum, ergo. Vndecima ratio est, eo quod Apostolus vult, quod Christi sacerdotium est æternum, quia Christus viuit in æternum: ergo nullo modo potest esse vita summi sacerdotis sine summo sacerdotio. quod tamen falsum esset, si Papa renunciare posset.

Ista sunt media, quæ videre potui ad hanc partem, quod Papa non possit renunciare, vel deponi.

Nunc

NVnc vero ostendendum multipliciter exemplis & rationibus, & auctoritatibus, quod Papa possit renunciare, & inuitus deponi. De renunciatione ponit exemplum de B. Clemente: de quo legitur *in gestis Romanorum Pontificum*, quod renũciauit, & post Linum & Cletum cathedram recepit, ita quod Clemens fuit immediatus post Petrum, sed eo renunciante receperunt cathedram, Linus & Cletus, post quos fuit quartus à B. Petro. Istud tamen exemplum potest capere calumniam, eo quod Aimo *in Christianorum regum memoria* & in aliis quibusdã historiis dixisse legitur, quod Linus & Cletus non sederunt Pontifices, sed vt summi Pontificis coadiutores: quibus B. Petrus in vita sua Ecclesiasticarum rerum dispensationem tradidit, ipse vero tantum orationi & prædicationi vacabat. Et ideo prædicti Linus & Cletus tanta auctoritate dotati, meruerunt in catalogo summorum Pontificum reponi. Et sic secundum istos Clemens non renunciauit, sed immediate post Petrum cathedram tenuit vsq; ad Anacletum, vel vsq; ad Euaristum: puto tamen verius esse primum. & quod ideo forte Clemens resignare voluit, quia Petro adhuc viuente, ab ipso in Papam fuit ordinatus, vt ipse scribit ad B. Iacobum Hierosolymitanum episcopum. Aliud exemplum potest poni de Marcellino, qui fuit tempore Diocletiani: hic renunciauit, vt dicit in Glossa ordinaria, *6. q. 1. ca. non autem. & 21. dist.* nõ autem dicitur, quod se ipsum deposuit. sua enim renunciatio, fuit quædam depositio. Ipsemet, vt dicit Hugo ex gestis Pontificum, *contra seipsum sententiam tulit dictando, & contra se ipsum eam proferendo, dicens: Ego Marcellinus ob scelus idololatriæ, quod ego infelix commisi, iudico me condemnandum & deponendum: anathematizo etiam, quicunque corpus meum tradiderit sepulturæ.* Exemplum etiam potest poni de Cyriaco Papa, de quo legitur, quod cum Vrsula & 11. millibus virginum martyrizatus est. Scribitur etiam de eo, quod nocte quadam sibi relatum est, quod cum illis virginibus esset palmam martyrii recepturus: tunc clero & cardinalibus congregatis, omnibus inuitis, & præcipue cardinalibus, coram omnibus renunciauit & dignitati & officio. Sed iste Cyriacus in catalogo Paparum non annumeratur: quia credebant ipsum non propter deuotionem, sed propter oblectamentum virginum dimisisse episcopatum. Auctoritates etiam sanctorum sunt ad hæc idem, vnde Glossa ordinaria *7. q. 1. non autem*, mouet quæstionem in propria forma, nunquid Papa renunciare possit? & dicit quod sic, assignans pro ratione, quod Marcellinus renunciauit, & etiam Clemens. Hugo etiam mouet eandem ibi dist. *sed quid de renunciatione Papæ? nunquid renunciare potest, quia vult transire ad religionem, vel est æger vel senex?* Et respondet, *quod vtique potest renunciare*: assignans pro causa, *quod Marcellinus renunciauit, & Clemens*. Et similiter *21. distinct. ca. non autem*, mouet eandem quæstionem Hugo: & respondet quod sic, *si expediret, & alias peccaret.*

Ad hoc etiam possunt adduci rationes ex parte causæ finalis: quia non eligitur aliquis in Papam, nisi propter bonum cõmune Ecclesiæ & gregis Dominici, ad hoc etiam præest vt prosit. Si ergo postquam fuit in papatu, inuenerit se, vel inuentus fuerit ineptus totaliter, & inutilis, vel superueniat impedimentũ: vt insania, vel aliud simile, debet petere cessionem à populo vel à cœtu cardinalium, qui in tali casu est loco totius cleri & totius populi: qua obtenta vel non obtenta cedere tenetur, aliter enim, quod ex charitate institutum est, contra charitatem militaret, si inutiliter & ad malum ecclesiæ & ad damnum animæ suæ residens renunciare non posset. Hoc enim generaliter est verum, quia nulla obligatio facta voluntarie præiudicare potest charitati, vel obligationi: quia quisque tenetur solicitus esse de salute animæ suæ: sicut religiosus, qui determinatam regulam nouit, si videatur sibi & animæ suæ expediens, ad acriorem transire potest, petita licentia à superiore, & ea obtenta vel non obtenta transire potest ad eam libere. *19. q. 2. duæ sunt leges.* Qui priuata lege ducitur, nulla ratio est vt lege publica constringatur.

Et ideo si perpendit mollities animi, vel ineptitudo in scandalum Ecclesiæ, vel quod turbet Ecclesiam, seu quod diuidat gregem Domini, faciens diuisiones, & suscitans scandala, & si admonitus non desistat, etiam compellendus est ad cessionem. *extr. de renunciatione decendendi*: Et, *cum in postulationibus.*

Non est igitur irrationabile dicere, quod Papa possit cedere inuito populo & reclamante, sicut fecit beatus Cyriacus: & quod ipse inuitus etiam de consensu populi in tali casu possit deponi, quia cum ipse Papa, & quilibet alius prælatus præsit non propter se, sed propter populum vt scilicet prosit, efficacior est consensus populi in hoc casu ad deponendum eum etiam inuitum, si totaliter inutilis videatnr, & ad eligendum alium, quam eius voluntas ad renunciandum voluntarius vel inuitus populo nolente.

In depositione tamen, qua deponitur voluntarius & per populum, cum maiori maturitate est incedendum, quam in cessione vel renunciatione voluntaria: quia ad renunciationem sufficit, quod causam alleget coram collegio cardinalium, quod est in hoc casu loco totius Ecclesiæ.

Sed ad deponendum decet, quod fiat per concilium generale: vt patet *vigesima prima distinctione, cap. non autem*: vbi dicitur, quod conuocatum fuit concilium generale ad depositionem Marcellini. Credo tamen, quod simpliciter sufficeret ad depositionem huiusmodi collegium cardinalium: quia ex quo consensus eorum facit Papam loco ecclesiæ, videtur quod similiter possit eum deponere, siquidem fuerit causa rationabilis, & deponunt eum meritorie. si vero non fuerit sufficiens peccant. Dicere autem quod aliqua hic adducta non tenent contra Papam, qui non habet superiorem, non valet, vt patebit soluendo argumentum.

Ad

Ad primum ergo cum dicitur, quod papatus à solo Deo est, respondeo: Dicendum est, quod potestas Papalis potest dupliciter considerari. Vno modo secundum se, & sic est à solo Deo, quia solus Deus potest hanc potestatem dare hominibus, quod absolutus vel ligatus in terra sit absolutus vel ligatus in cœlo. Alio modo potest considerari, vt est in isto vel in illo: & sic est à solo Deo, eo modo quo omnia opera nostra Deo attribuimus. Isaiæ decimo sexto. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*: ipse enim est, qui operatur omnia in nobis, & velle & perficere: sed quæ sic sunt, à solo Deo sunt: sicut ei soli attribuitur omne opus nostrum. si operamur, non deficimus in opere quod in nobis est, non excludit operationem nostram, nam cooperatores Dei sumus. Igitur licet Papatus sit à solo Deo, in se tamen in hac persona vel illa, est per cooperationem humanam, scilicet per consensum electi & eligentium. & secundum hoc per consensum humanum potest desinere esse in isto, vel in illo: sicut cum anima rationalis sit à solo Deo per creationem, tamen quod sit in hoc corpore, cooperatur humidum radicale, & naturæ dispositio, in disponendo & organizando corpus: & ideo per operationem naturalem potest desinere esse in illo corpore, quando scilicet calor naturalis consumpsit in tantum humidum, quod corpus sit ineptum pro anima rationali. Ad rationem, cum dicitur quod solus Deus potest conferre Papatum, ergo & auferre: dicendum est, vt ad primam, & per idem exemplum potest etiam addi illud exemplum: nam solus Deus dat gloriam, & tamen oportet, quod ibi homo cooperetur: quia qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te. Et potest aliquis auferre sibi gratiam suam per actum suum.

Ad tertiam rationem, de illa decretali, *inter corporalia, de translatione episcop.* vbi positio, translatio & cessio episcoporum reseruatur soli Papæ: respondeo: Hoc magis est ad concludendum, quod Papa possit sine auctoritate superioris renunciare, quam quod non possit: quod enim exigentia rerum hoc habeat, vt per quem aliquid construitur, per hoc eadem contrario modo se habentia destruantur: sicut fit coniugium quoddam inter prælatum & ecclesiam per consensum eligentium & electi, ita per dissensum dissoluitur. Vnde quilibet episcopus inueniens se mollem & ineptum ad curam & regimen ecclesiæ suæ, allegata causa coram populo vel capitulo suo posset resignare, nisi esset à superiore ei prohibitum, & ei specialiter reseruatum de episcopis & archiepiscopis, per illam decretalem, inter corporalia. Et quia de Papa non inuenitur prohibitum, sicut de episcopis inferioribus: ideo Papa potest resignare & deponi sine auctoritate cuiuscunque superioris. In talibus enim, quæ fiunt secundum exigentiam rei & causæ, hoc est licitum, quod non est prohibitum: in illis vero quæ supra rei & causæ conditionem sunt, non est aliquid licitum, quod non fuerit concessum: vt ordinare de ecclesiis quæ pertinent ad Papam, qui est caput ecclesiæ, est super conditionem episcoporum inferiorum. Vnde nulli eorum est licitum, nisi specialiter sibi sit concessum. Non est igitur simile de Papa, de quo non est reseruatum superiori: nec ei prohibita est resignatio & de inferioribus episcopis, quibus interdicta est, & superiori reseruata. Potest nihilominus aliter responderi ad hoc argumentum, & ad alia quædam, quod vbi apparet manifeste causa rationabilis, sicut vbi est defectus manifestus, supponitur consensus & auctoritas Dei ad renunciationem & depositionem, sicut in eius confirmationem supponitur.

Est tamen considerandum, quod ex decretali prædicta posset aliquis prædictum argumentum fortificare sic: quia ibi dicitur, quod fortius est vinculum spirituale inter episcopum & ecclesiam, quam carnale inter virum & vxorem suam. Si ergo vinculum carnale inter virum & vxorem nulla humana potestate vel auctoritate, vel consensu quorumcunque interuenienti potest solui: ergo nec vinculum spirituale Papæ ad ecclesiam. In episcopatu enim contrahitur matrimonium spirituale, in electione ratificatur, in confirmatione & consecratione consumatur. Respondeo: Vinculum spirituale dicitur fortius carnali, quia dignius, & non quia durabilius. Potest enim solui spirituale matrimonium etiam post consecrationem, episcopi translatione. *7. quæst. 1. mutationes; & cap. pastoralis.* depositione vt 1. *d. postquam.* cessione, vt *extra, de renunciatione*, in multis locis. Non sic autem matrimonium carnale. Vel ideo dicitur fortius, quia plus adigit & constringit quam carnale. prælatus enim maiorem curam debet habere de ecclesia sua, cum sit bonum commune, quam vir de sua vxore, cum hoc sit bonum particulare. Vel dicitur fortius, quia de se fortius est, quam carnale. quod enim carnale sit durabilius, quia coniuges non possunt separari quamdiu viuunt, hoc potissime habet ex mandato Christi, qui hoc præcepit in Euangelio dicens: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* propter quod Apostol. primo Corinth. septimo dicit: *Præcipio non ego, sed Deus, vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut cum viro reconciliari.* Ratio autem quare mandauit Deus non solui matrimonium carnale, est, quia ex eius solutione licet interdum posset prouenire bonum personale, tamen hoc esset in malum commune: quia inducerentur homines communiter ad dimittendum vxores, secus vero est de matrimonio spirituali. Si enim persona cum est inutilis & scandalizatiua, non posset resignare depositioni, & alius eligi, hoc esset in malum commune: quia cum talis præesset, hoc esset in bonum particularis personæ, ideo istud non prohibuit. imo si intelligatur ratio legislatoris prohibendo matrimonium carnale non dissolui, præcepit spirituale dissolui: quando manifeste apparet, quod obest bono communi.

Ad quartam rationem, quæ videtur specialiter probare, quod Papa non possit deponi voluntarius, quia Papatus est summa virtus creata: respondeo, Hic dicerent aliqui, quod argumentum cō-

cludit verum: quia licet renunciare possit, tamen inuitus deponi non potest, nisi forte sit hæreticus: quia sic pro mortuo habetur, & ita se habens non potest esse caput Christianorum. Et hoc ipsi ostendunt per hoc, quod habetur in *d. cap. nunc autem*: vbi dicitur, quod *nullus rite potest ab his, qui sunt inferioris dignitatis vel ordinis, iudicialibus submitti diffinitionibus*. Et ibidem etiam dicitur de Marcellino Papa, quod nullus episcoporum ausus est in eum proferre sententiam: sed sibi dicebant, *Non nostro iudicio, sed ore tuo iudica causam tuam.* & rursum dixerunt, *Non audiri in nostro iudicio, sed collige in sinu tuo causam tuam.* Et rursus inquit, *Ex ore tuo condemnaberis.* propter quod *in Legenda* eius dicitur, quod *seipsum deposuit, & depositus postea est reelectus.* Sed istud non intelligitur, quia cum Papa præsit ecclesiæ, si potest renunciare nolente ecclesia, vt dictum est de beato Cyriaco: quare non potest voluntarius deponi per ecclesiam, si causa subsit necessaria. Amplius, casu speciali ecclesiæ, vbi episcopus nullo tempore ad sanæ mentis officium redit: vel etiam si interdum redit, & requisitus cedere noluerit, potest & debet alium eligere. *7. quæstione 1. qualiter. cap. quamuis triste*, & ibidem Iohan. & *extra de renunciat. cap. quod sedendum.* Ergo à simili, collegium cardinalium vice totius Ecclesiæ poterit Papam inuitum deponere. Item *distinctione 40. cap. si Papa*, dicitur: *Cunctos iudicaturus, à nemine iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius.* vbi dicit Glossa, quod *si deprehenderetur in quolibet alio vitio, & admonitus non corrigeretur, & ecclesiam scandalizaret, & incorrigibilis esset, inde posset accusari & deponi: quia talis contumacia hæresi æquipollet.* Item, si in hæresim lapsus, deponi potest, quia pro mortuo habetur: quare non similiter, si in vitium labatur, de quo non exhibet se corrigibilem, cum talis etiam pro mortuo habeatur: & nihil ei reputetur, dicente Augustino, quod peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant. Pro defectu etiam si requisitus noluerit renunciare, alius ordinandus est ipso inuito, quia sic videtur malignari.

Quod vero dicitur de Marcellino, quod non ausi fuerunt eum condemnare: hoc fuit, quia pœnituit, & corrigi voluit. Et quia nihil erat probatum contra eum, nisi quantum ex ore suo voluntarie confitebatur, & ideo ex ore suo iudicatur.

Quod ergo dicitur in principali argumento, quod Papatus est summa virtus creata, & sic non potest auferri. Respondeo: Licet sit summa virtus in persona, tamen est ei æqualis vel maior in collegio, siue in tota ecclesia. Vel potest dici, quod potest deponi à collegio, vel magis à generali concilio, auctoritate diuina, cuius consensus supponitur & præsumitur ad eum deponendum, vbi apparet manifestum scandalum, & incorrigibilitas ipsius præsidentis.

Ad quintam rationem, vbi dicitur, quod non potest fieri, quin summus Pontifex sit summus Pontifex: sicut quod Pontifex non sit Pontifex: respondeo, Non est simile: quia sacerdos & Pontifex non dicunt, nisi ea quæ sunt ordinis, scilicet characterem sacerdotalem, vel potestatem fundatam super ipso charactere, licet diuersimode: quia in sacerdote imprimitur character quasi imperfectus, super quo fundatur potestas conficiendi, sed non faciendi alium sacerdotem sibi similem in potestate conficiendi. Episcopo autem confertur characteris perfectio, in quo fundatur sacerdotalis potestas perfecta: qua potest alium sacerdotem facere, & ita episcopus est vir perfectus, sacerdos vero simplex vt puer. Episcopus etiam est sacerdos non quilibet, sed magnus, & sponsus Ecclesiæ: quia potest quasi generare sibi similes, scilicet ordinando sacerdotes. Archiepiscopus vero, Patriarcha, sicut primas, & Papa, non important ex nomine suo vltra sacerdotium & episcopatum, aliquid, quod pertineat ad potestatem ordinis, vel eius augmentum vel perfectionem: sed solum dicunt ex nomine suo gradus iurisdictionis, archiepiscopus quidem in sua prouincia, primas in regno, Papa in tota Ecclesia. Et quia potestas ordinis est indelebilis, & eius perfectio indelebilis, eo quod super characterem, & super characteris perfectionem fundatur: ideo nulla virtute fieri potest, quod sacerdos non sit sacerdos, vel quod episcopus non sit episcopus. Iurisdictio vero sicut potest augeri vel minui, ita & deleri & tolli: & ideo amota iurisdictione Papa desinit esse Papa, & summus Pontifex desinit esse summus Pontifex, licet non desinat esse Pontifex.

Ad sextam rationem, cum dicitur quod Papa non est Papa, nisi per legem diuinam, & non per legem alicuius creaturæ: & quod ex quo subiecit se legi sponte, non potest non esse Papa per aliquam creaturam, vel per omnes: respondeo, Hæc ratio duplici innititur fundamento. vnum est, quod Papa est Papa per legem diuinam, quæ est immutabilis, & ideo non potest desinere esse Papa. Aliud est quod subiecit se legi sponte, quæ est, in ea perpetuari.

Quantum ad primum fundamentum, responderi potest, quod non obstante, quod Papa est Papa per legem diuinam, quæ est immutabilis, tamen potest non esse Papa: quia licet diuina lex sit immutabilis formaliter & in se, secundum quod inferiora reducuntur in Deum per superiora, & sic inferiores prælati per Papam: tamen mutabilis est materialiter, in isto scilicet vel in illo, vt in Cœlestino vel Bonifacio: quia ad hoc cooperatur creatura, vt dictum est supra. Quod ergo Papa sit super omnes, est de lege diuina, & non potest contrarium fieri: sed quod iste vel ille sit Papa, mutabile est, quia ad hoc cooperatur consensus eligentium & electi.

Quantum ad secundum fundamentum, responderi potest, quod Papa subiecit se legi sponte Ecclesiæ, quæ est, in ea perpetuari, quantum ad ea quæ sunt ordinis: quia semper potest ea facere, quæ sunt spiritualia, scilicet ordinare: quia si quem ordinet, ordinatus est. Sed quantum ad ea quæ sunt iurisdictionis ex lege sponte, non est perpetuo & immobiliter subditus ecclesiæ, quia iurisdictio potest auferri. Ratio aut, quare illa quæ sunt ordinis, non possunt auferri, & ea quæ sunt iurisdictionis

nis auferri possunt, esse potest, quia ea quæ iurisdictionis sunt, non sunt super naturã & conditionem negocii, & super conditionem hominum: quia non est super conditionem hominis, quod homines præsint hominibus, imo naturale est quodammodo. In talibus autem quod non est prohibitum, est concessum, vt per easdem causas destruatur, per quas construitur, modo contrario se habẽtes. Et ideo sicut per consensum hominum iurisdictio datur, ita per contrarium consensum tollitur. Ea aũt quæ sunt ordinis, sunt super naturam & conditionem negocii & rerum, vt quod ad probationem talium verborum character vel potestas spiritualis imprimatur in anima: & ideo in talibus quod non est expresse concessum, est negatum: vnde quia expresse collatum est, quod ad tale verbum talis character imprimatur, ideo sic fit. Sed quia non immediate expresse inuenitur collatum, quod per quemcunque modum auferatur: ideo impressio vel collatio characteris, super quo fundatur potestas ordinis, est indelebilis.

Per hoc ergo quod Papa legi sponte se subiecit, perpetuari habet in ea, quantum ad illa quæ sunt ordinis, vt quantum ad sacerdotium & episcopatum, in quibus imprimitur characteris perfectio: sed quantum ad ea, quæ sunt papatus vel summi pontificatus, cum papatus & summus pontificatus non addant nisi iurisdictionem, non oportet quod perpetuetur, cum iurisdictioni renunciare possit.

Ad septimam rationem de voto, quod Papa emisit: respondeo, Votum Papæ, quod scil. vniuersaliter habebit curam gregis Dominici, debet intelligi, quamdiu erit in officio, scilicet quamdiu erit Papa. Sic enim illi qui fiunt, potestates communiter iurant se tenere statuta communitatis, & seruare communitates illas in statu bono: quæ omnia intelligenda sunt, quamdiu durat officium eorum. Iuramentum enim quo aliquis iuraret, quod semper esset in officio tali vel Papatu, & simpliciter vel absolute haberet curam de proposito semper, esset illicitum: quia militare posset contra bonum commune, vtpote si videret se insufficientem, & bonum commune languere, & perire sub se.

Ad octauam rationem, quod nullus potest se absoluere à peccato: respondeo, Non est simile: quia absoluere se à peccato, est ascendere: sed se absoluere à papatu, est descendere. Non valet autem argumentum, si aliquis non potest ascendere, quod non possit descendere. Vel potest dici, quod homo absoluit se à culpa in contritione: & quod si teneatur confiteri alii à quo absoluatur, hoc est solum ex Domini præcepto. Iacob. 5. *Confitemini alterutrum*, &c. Et Luc. 17. dixit Dominus leprosis, per quos peccatores intelliguntur, *vt ostenderent se sacerdotibus*.

Ad nonam rationem, quod Papalis obligatio non potest tolli nisi per maiorem: responsio patet, sicut ad alias: quia Papæ obligatio non est nisi conditionata, scilicet quamdiu est in officio.

Ad decimam, quod nulla dignitas Ecclesiastica post legitimam confirmationem tolli potest, nisi per superiorem: responsio, Planum est quod hoc intelligitur de dignitate, quæ confirmatur per superiorem: sed ascensus Papæ sine superiore, confirmatio eius est: & ideo descensus eius sine superiore, cessio est.

Ad vndecimam, de sacerdotio Christi æterno: responsio patet ex prædictis. nam sacerdotium Christi fuit æternum, quia Christus viuit in æternum ratione oblationis: & sic concedo de Papa, quod sacerdotium eius durat semper, quamdiu viuit: quia indelebilem habet characterem, & semper erit sacerdos, & poterit offerre in altari: sed papatus eius non necessario est, quamdiu viuit: sed potest cedere, vel ex magna causa deponi: quia papatus vltra episcopatum & sacerdotium nominat iurisdictionem, quæ mutabilis est, & sine hac Papa non potest esse Papa.

Finit Tractatus de potestate regia & papali, à magistro Iohanne de Parisiis, Ord. Prædicatorum, Doctore Theologo.

MARSILII MENANDRINI DE PADVA

Anno Christi 1313.

TRACTATVS *DE TRANSLATIONE IMPERII.*

PRimum capitulum est de intentione narrandorum. Secundum, qualiter Romanum Imperium per triginta tres Imperatores permansit. Tertium, quare Orientales, videl. Persæ, Arabes, Chaldæi, & aliæ confines nationes, à dominio Romani Imperii recesserunt. Quartum, qui fuerint principales populi, qui seditionem huiusmodi ex antedictis occasionib. excitarunt. Quintum, de principio & ordinatione translationis imperii, de Græcis in Francos. Sextum, qualiter Pipinus tempore Zachariæ Papæ de Maiori domus in regem Francorum extitit sublimatus. Septimum, qualiter Pipinus rex Francorum ad petitionem Ecclesiæ Romanæ, adiuit Italiam, aduersus Astulphum regem Lombardorum, ipsumq; deuicit, & temporalia Ecclesiæ Romanæ restituit. Octauum, qualiter tempore Adriani Papæ Carolus M. vrbis Patricius constitutus fuit, ipsique sedis Apostolicæ dispositio concessa fuerit. Nonum, qualiter imperii Romani translatio de Græcis in Francos facta fuerit. Decimum, qualiter imperium translatum fuit à Francis seu Gallis, in Germanos. Vndecimum, qualiter Germani Electores Imperii fuerunt instituti. Duodecimum est, Epilogus dictorum.

Cap. I.

QVoniam in eo, quē *Defensorem pacis habemus*, tractatum fecimus de Romani & cuiuslibet alterius principatus institutiōe, noua trāslatione, ac alia quauis circa principatū mutatione: diximusq; ꝑ quem, & quomodo secundum rationem seu de iure fieri debet, & potest: nunc aūt in his perstringere volumus sermonē de sedis imperialis translatione, collectum diligenter ex Chronicis historiis quibusdā per venerabilē Landulphum de Columna, Romanum satrapā, conscriptum. Et quia eius scripturæ in quibusdā nostra sententia dissonat, præsertim in quib. iura læsit imperii secundum sententiā propriam, absq; demonstratione sufficienti. Dicemus igitur de Imperialis Romanæ sedis translatione, per quem vel quos & qualiter de facto processerit à Romanis in Græcos: deinde vero à Græcis in Gallicos, siue Francos: nouissime aūt à Francis in Germanos. Ante tñ oportet attendere, ꝙ *Romanum Imperiū* in vna sui significatione quandoq; significat Monarchiā, seu regalem principatum Romanę vrbis, siue ciuitatis tm̄: qualis fuit ab origine sua, quemadmodū ex sequentib. apparebit. In alia vero acceptione significat *Imperium Romanum* vniuersalem & generalē totius mundi, vel plurimarum saltē prouinciarum monarchiā: qualis fuit Romanæ vrbis totius orbis principatus, in eius processu. secūdum q̄ etiam acceptionem de ipsius translatione tractare propositū magis est nobis. A priorib. itaq; secundum ordinem incipientes, narrabimus primo, Romanę vrbis siue ciuitatis originē, eiusq; exordiū monarchiæ. Deinde augmentum ipsius, ad totius orbis monarchiā & principatum supremum, posthæc aūt, ipsius translationē ex sede in sedē, seu ex gente in gentē, secundū tempora describemus.

De Romanę ergo vrbis ortu & patria structuraq; dicturi, ex probatis sumamus historiis, quod Æneas post excidium magnæ Troiæ profugus, per mare Italiam petiit, & in ea Romanum imperiū fundauit, in loco vbi Roma nunc est. & in eo, quia sibi cōplacuit, sementem Romani generis seminauit. Quod quidem semen processu temporis in plantā excellentissimam crescens, ꝑ vniuersa climata ramos expandit: velut synapis, ꝙ ex minimo super olera reliqua mirabiliter exaltatur. Sub cuius quidē vmbra, plantæ omnes, id est, reges & principes & tyranni, cum populis omnibus, in pacis pulchritudine quiescebant. Romani vero, qui ab Ænea descenderunt, armorum exercitio, disciplina castrorū, vsu militiæ, libertate quieta, iustitiæ cultu, legum reuerentia, finitimarum gentium amicitiis, maturitate consiliorum, grauitate verborum & operum obtinuerunt, vt orbem suæ subiicerent ditioni. Nā Romanus populus, à rege Romulo in Cęsarem Augustum per septingentos annos ita per vniuersum orbem virtuose ac potenter arma circumtulit, vt omnia regna mundi sua virtute anteiret: ita vt qui eius magnifica gesta legunt, non vnius populi, sed totius humani generis facta legere videantur: sic etiam vt ad constituendum eius Imperium humana virtus atque fortuna contendisse credantur.

Cap. II.

IMperium Romanum à Iulio Cæsare secundum quosdam, sed verius ab Octauiano Augusto, primo Romanorum Imperatore sumpsit initium. Nam secundum historiæ veritatem, Iulius Cæsar licet primus fuerit, qui sibi arripuit Romanorum monarchiam, tamen non fuit Imperator, sed potius reipublicę violator & vsurpator. Et propterea non ponitur in catalogo Principum Romanorum. Imperium autem vsq; ad Magnum Constantinum per triginta tres Imperatores, & trecentos quinquaginta quatuor annos & quinq; menses sine mutatione Romæ permansit. Constantinus vero prædictus imperii sui anno VII. sedem mutauit imperii, ipsam in Orientem transferens, apud Byzantium ciuitatem, Constantinopolim nunc nominatam: quæ etiam secundum imperialia iura Romę veteris prærogatiua lætatur, ibiq; sedem imperialem statuit Constantinus, & Romam B. Syluestro tunc Romano Pontifici, eiusq; successoribus disponendam commisit. Et vt in quibusdam narratur Historiis, clericis quoq; Romanæ vrbis ad instantiam B. Syluestri quasdam senatorias dignitates contulisse fertur. Ii vero, qui tunc clerici Romanæ vocabantur Ecclesiæ, nunc *Cardinales* appellantur. Sed ante Syluestrum simpliciter *clerici*, seu *sacerdotes Romanæ Ecclesiæ* vocabantur. Qui tunc, quantum ad decorem & dignitatem, *titulos* non habebant: sed bene, quantum ad onus, videlicet officium prædicandi, mortuos sepeliendi, baptizandi, & pœnitentias iniungendi, titulos habuerunt. Hæc enim longe ante Syluestrum à temporibus Cleti & Anacleti, Dionysii & Marcellini, fuerant instituta. Sed à tempore Syluestri receperunt dignitatis titulos, & illam prærogatiuam, quam Senatus habebat tempore Constantini. Vtrum autem conuenienter aut non, ex nostro *Defensore pacis* videbitur intuenti. Cum iis autem attendendum, quod Martinus Polonus ponit in Chronica sua numerum Cardinalium: & & dicit, quod sint LII. videlicet VI. episcopi, XXVIII. presbyteri, & XVIII. diaconi. quorum quidam sunt assidentes summo Pontifici, vt episcopi, qui domino Papæ in solennitatibus assident, & cathedris vtuntur. Quidam sunt assistentes, vt presbyteri, qui per septimanas missis & horis intersunt. Quidam vero sunt insistentes, vt diaconi insistunt ministeriis. Ipsi namq; Papam induunt, & ei circa altare deseruiunt: sed secundum assignationes titulorum factas, primo per Cletum, postea per Anacletum, & demum per Marcellinum, plures inueniuntur. Sed in hoc, quantum ad præsens, vis non est. Quod autem B. Syluester hos clericos primo nominauerit *cardinales*, communiter dicunt historiarum scriptores. Ante enim, vt iam dictum est, vocabantur *presbyteri vrbis Romæ*, vt patet ex *Ecclesiastica historia*. Eusebii. Et per id, quod legitur etiam de N*ouatiano presbytero Romanæ Ecclesiæ*, qui aspirans ad summam Pontificiam, promotionem Cornelii Papæ nisus est impedire.

Cap.

Cap. III.

TEnuit quoque Constantinus, eiusque successores Imperatores Romani, pacifice dominium Orientis, vsq; ad XX. annum Imperatoris Heraclii, quo tempore omnes Oriẽtales populi à dominio Latinorum recesserunt. Sed quia causa propter quam recesserunt, & modus, per quẽ recesserunt, cõmuniter ignorantur: idcirco conueniens iudicaui, causam & modum describere, quib. dicti Oriẽtales se à Græcis & Latinis in dominio & cultu diuinorũ diuiserunt. Causa siquidẽ, quare Orientales, videl. Persę, Arabes, Chaldæi, & aliæ confines nationes à dominio Romani Imperii recesserunt, tyrãnicus principatus Heraclii. Nam post magnam victoriã de Persis habitã, Heraclius Persas & alias Orientales nationes nimis crudeli dominatu premebat: propter ꝙ rebellandi occasionem cõcorditer assumpserunt. Sed vt ab obedientia prædicta recederent firmiter, vt nunq̃ ad eandem reuocarentur amplius, consilio Machometi tunc inter Persas diuitis & potentis, diuersum cultum assumunt, vt tã diuersæ crudelitatis & fidei sectę ad pristinum dominium de cætero non redirent. A Ieroboam forte sumentes exemplum, qui decem tribubus ipsum sequentib. diuersum cultum tradidit, vt in pristinũ dominium non redirent. Quod etiam, vel consimiliter Græci fecerunt. Volentes n. ab ecclesiæ Romanæ obedientia separari, acceperunt diuersum cultum siue ritum in Ecclesia ministrandi, & sic in diuersos errores sunt prolapsi scienter. Omnes n. eorũ *Calogeri*, qui conseruant & nutriunt schismata, vel sunt Nestoriani, aut Eutychetistæ, aut Iacobitæ, aut Hebionitæ. Sic ergo factum est de illis populis & nationibus, in quib. iam dicta rebellio & inobedientia cõtigerunt. Nam vt talis esset rebellio duratura, schismata induxerunt: vt non solum ab Imperio, sed etiã à Christianismo recederent, accipientes etiam cõmunia quædam ex lege Moysi, quædam ex lege Euangelii, vt patet in *Alcorano*. Vnde attendendum, quod quædã hæreticorum sectæ multum fuerunt familiares Machometo & legi Sarracenorum, sicut in prædicto *Alcorano* cõtinetur: velut Nestoriani, quos Machometus mandat honorari. Vnde Richardus *in Chronicis* suis narrat, quod quidam monachus Græcus Nestorianus, cui nomen Sergius, longo tempore instruxit Machometum, & hinc est, quod Nestoriani magna habent Monasteria in dominio Sarracenorum.

Cap. IV.

CAusa igitur & modo præscriptis, quibus Orientales à dominio Græcorum & Latinorum recesserunt, videamus, qui fuerunt principales populi, qui seditionem huiusmodi ex antedictis occasionibus excitarunt: qui etiã non solũ rebellionis & inobedientiæ sumpserunt audaciã, sed cum hoc regiones Romani imperii & Imperatori vicinas hostiliter inuaserunt. De his Richardus in *Chronica sua*, Martinus, Isidorus & Admonius *de gestis Francor.* concorditer dicunt, ꝙ principalis gens in prædictã audaciam eleuata, de Arabia & radice montis Caucasi est progressa, quæ gens, secundum Hieronymũ *in Chronicis*, Nabathęa nominatur, à Nabaoth primogenito Ismahelis. Vnde nõ Sarraceni, sed Agareni, siue Ismahelitæ dici deberent. Hæc natio deuastans regiones Imperii, peruenit vsq; in Syriã & Iudæam, contra quam egressa est innumera militia Imperatoris Heraclii, quæ tota fuit cæsa per hostes, & fuerunt 15000. prostratorũ de exercitu Imperatoris prædicti. Verum humanitatẽ hanc hostes fecisse leguntur, quod per legatos omnia spolia Imperatori remiserunt. Heraclius autem spoliis recusatis, in adiutorium accitis Alanis (qui dicuntur de montibus Caspiis exiuisse, secundum historias, ibidem per Alexandrum M. inclusi) exercitum reparauit, & infinitã pugnatorum multitudinem cõgregauit. Saracenis quoq; duo duces pręerãt, qui 20000. pugnatorũ in bellum instruxerant. Cumq; vterq; exercitus non procul ab inuicem consideret, paratus & instructus nocte quæ diem belli præcesserat, in castris Græcorum 5002. pugnatorum exanimata subito reperta sunt in stratis ipsorum. Quo terrore ac metu percussa exercitus reliqua multitudo, in diuersis fugit locis, totum imperium hostib. relinquens. Heraclius accepto nuncio tantæ cladis, diffidens se posse resistere, præ tristitia in morbum incidit: & quasi desperans in ægritudinem prolabitur animæ: ac secundum quasdã historias Eutycetis cõmaculatur errore: & cum filia sororis suæ, nomine Martina, copulauit se in matrimonio. Aliæ vero historiæ tradunt, quod ante prædictum conflictum, prædicto fuerit maculatus errore. His peractis, multiplicatur exercitus Arabum & Nabathæorum, ex diuersis prouinciis, affinibus videl. Chaldæis, Ammonitis & Moabitis: quibus Machometus adiungitur, qui tenebat in Arabia principatum, vt scribit Richardus *in Chronicis*. Hic Machometus magicis artibus instructus, vt fertur, sua, vt credo, cum prudentia verius, prætextu contemptus Imperii persuadet, eisdem de modo viuendi ad suum augendum dominiũ, populumq; multiplici sua arte deludit & auertit à fide: asserens ipsos principatum tenere non posse, nisi à Christiana fide se diuerterent, & sua documẽta sectarentur & seruarent: simulans quoq; aliquid diuini numinis in se habere. sicq; quibusdam præstigiis per ipsum ostẽsis, homines fallens, tanquã propheta in dicto populo communiter habebatur. Quibus etiã ludibriis quandam nobilem & potentem viduam, nomine Cadigam, Grorozamæ prouinciæ, seduxit intantum, vt eam sibi matrimonio copularet: per quam illius regionis obtinuit principatum. Iudæos etiã multos sic decepit, vt ipsum crederent suum esse Messiam. Iis versutiis, suaq; potentia & ampliatione legis circa venerea, & largis promissionibus circa futura populos seducebat, & armorum potentia ad suam perfidiam compellebat. Lege enim data per Machometum, populi, qui arma sumpserant contra Imperium, si quas regiones occupabant, eas legem Machometi credere compellebant: nolentes vero fateri, neci tradebant. Vnde de Arabia intrauerunt in Ægyptum, & ibi populum subuerterunt.

runt. Deinde transeuntes in Aphricam, similé fecerunt. Inde etiam in Hispaniam venientes, eam in parte fidem pristinam dimittere coegerunt: & sic multiplicati sunt super numerum plus violentia belli, quam prædicatione sermonis.

CAP. V.

MOrtuo ergo Heraclio, & imperio sic difformato potẽtia, quantum ad dominium Orientis, remansit sedes Imperialis in Græcia, apud Constantinopolim, vsq; ad tempora Constantini VI. & Leonis filii sui, per xxxiii. Imperatores, cõputato M. Constantino, & per 451. annos de Imperio Cõstantini. Nam tantum à mutata sede de Roma in Gręciam superuixit. Hoc tempore Leonis Papæ III. translatio Imperii de Græcis ad Frãcos, fuit aliqualiter inchoata. Et quoniã historia hæc propter scribentium varietatem ignota est cõmuniter, idcirco alias sciendum, quod primitiua causa translationis huius, fuit discordia inter Imperatorem Leonem III. & Romanam ecclesiã, circa venerationem Ecclesiasticarum imaginum. Leo enim III. Imperator dicebat, Christi & sanctorum imagines minime venerandas: quia species idololatriæ videbatur. Gregorius vero III. qui tunc Romanæ præsidebat ecclesiæ, affirmauit, Christi & sanctorum imagines venerandas. In hoc siquidem proposito Leo Imperator prædictus perseuerauit sic, q de Cõstantinopoli Romam veniens, omnes Christi & sanctorum imagines, quas Romæ reperit, abstulit, & secum Constantinopolim asportauit, easq; per sententiã igne cremauit. Propter quod dictus Gregorius, prædictum Leonem anathematizare præsumpsit, & totam Apuliam, totamq; Italiam & Hispaniam ab eius obedientia separari suasit: & quantum in ipso fuit, hoc opere, quamuis minus debite, adimpleuit. Eidem etiam vectigalia, nescio qua authoritate, sed bene qua temeritate, solenniter interdixit: Romæq; congregans Synodum, venerationem imaginum cõfirmauit: & violatores huiusmodi, anathemate condemnauit. Demum Leo prædictus in hoc proposito moritur, eiq; successit in imperio filius eius Constantinus V. qui eiusdem propositi cum patre, in nullo Romanæ fauebat Ecclesiæ. Papa Stephanus II. imperium Romanum de Græcis transferri in Francos aliqualiter ordinauit, viuente Pipino, Francorum postmodum rege, qui dictũ Pontificem superuixit. Et ideo quod ab aliquibus dicitur, tempore Stephani translatum fuisse imperium à Græcis in Francos: intelligi debet, quod fuit huiusmodi ordinata translatio, non tamen opere fuit consummata. Igitur huius Papæ Stephani tempore, imperii Romani translatio ordinata ad Francos fuit: quorum fauores & beneficia iam Romani clerici sentiebant in multis.

CAP. VI.

PIpinus igitur prædictus Caroli Marcelli filius, vir in rebus bellicis strenuus, catholicus, & vniuersorum morum honestate præclarus, secundum clericorum scripturas, sibi imperialem autoritatẽ vsurpare quærentium: legitur à Zacharia Papa de Maiori domus, in regni Francorum excellentiam sublimatus. Quod siquidẽ Zacharias (vt aiunt) regem Francorum Childericum, nõ tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo quod tantæ potestati erat inutilis, à regno deposuit, & prædictum Pipinum, Caroli M. patrem, in eius locum substituit: omnesq; Francigenas à iuramento fidelitatis, quo Childerico tenebantur, absoluit. Sed Admonius *in gestis Francor.* scribit, & verius, Pipinum per Francos legitime in regem electum, & per regni proceres eleuatum: per Bonifacium quoq; Remensem archiepiscopum, inunctum Suessione, in monasterio S. Medardi. Childericus vero, qui tũc sub nomine regio in deliciis marcescebat, & ocio, fuit in monachum tonsuratus. Vnde non illum Zacharias deposuit, sed deponentibus, vt quidam aiunt, consensit. Nam talis depositio regis, & alterius institutio, propter rationabilem causam, non ad episcopum tantummodo, neq; ad clericum aliquem, aut clericorum collegium pertinet, sed ad vniuersitatem ciuium inhabitantium regionem, vel nobilium, vel ipsorum valentiorem multitudinem. Vnde Admonii recipiendus est sermo, tanquam verus: clericorum vero scriptura in hoc reiicienda, tanquam Francis præiudicialis & falsa. Vt autem clarius pateat, quare & qualiter facta fuit à Græcis in Francos Imperii memorata translatio, Pipini prædicti Franciæ ac Germaniæ regis historiam breuiter prosequamur.

CAP. VII.

MOrtuo itaque Zacharia Papa, qui Pipino in regem sublimato consenserat, secundum quosdam (licet etiam absque ipsius assensu Francorum legitimus rex fuerit, vt in præcedentibus apparuit) prædictus Stephanus Secundus natione Romanus ex patre Constantino, anno Domini 770. & ab vrbe condita 1530. in summum Pontificem sublimatus est, vt Admonius scribit *in gestis Francorum libro quarto.* Grauatus autem à rege Longobardorum Aistulpho, venit in Franciam ad Pipinum regem, pro temporalibus Ecclesiæ Romanæ recuperandis, quibus eam Aistulphus spoliauerat. Hic autem Papæ Romano Pipinus ad miliare tertium occurrit, & vsque ad palatium suum regium eum deduxit. Tunc Papa causam sui aduentus regi exposuit, & iniurias sibi per Aistulphum illatas plenius enarrauit. Cui rex seruire volens, & ipsius satisfacere voluntati, exercitum magnum parat, & cum ipso Papa in Italiam vadit: Aistulphus vero totis viribus regi prædicto obuiat, & Ecclesiæ restituere temporalia contradicit. Pugna igitur inter ipsos committitur, in qua Aistulphus cum suis superatur, & sic ad Ecclesiæ Romanæ temporalia restituendum compellitur: qui datis obsidibus quadraginta, ex melioribus regni sui, Eccle-

siæ

siæ temporalia sub iuramento reddere promisit. Post hoc autem Pipinus rex victor, in Franciam cum gaudio rediit, & Papa Stephanus Romam ad sedem Apostolicam remeauit. Aistulphus vero promissa non seruauit. Ob quam causam rediit Pipinus in Lombardiam, aduersus Aistulphum, ipsumq; in Papia obsedit: & quod promiserat, adimplere coegit. Vadit deinde Pipinus Rauennam, ipsamq; cœpit: totamq; Pentapolim Romandiolæ cum Exarchatu, in quo est Bononia, cepit. Quæ omnia Ecclesiæ Romanæ scribitur contulisse de facto. His autem beneficiis Stephanus Papa allectus, & videns illius temporis Imperatoris imbecillitatem, procurauit Romanum Imperium de Græcis trãsferri in Francos: minime reminiscens beneficiorum, per Imperatores Romanæ ecclesiæ concessorum, in alienos atque remotos imperium transferre satagens, vt Græcis oppressis, Gallicis hæc parum curantibus, posset Papa Italiæ liberius dominari. Sic ergo scripturæ omnes recitantes, quod tempore huius Stephani Papæ, translatum sit Imperium à Græcis in Francos, debent intelligi, scilicet quod tempore suo fuerit ordinata translatio. Tempore namq; alterius Papæ, & Leonis tertii, fuit talis consummata translatio, vt ex sequentibus apparebit.

Cap. VIII.

HOc itaque Papa Stephano secundo mortuo, sub Ecclesiæ Romanæ protectore Pipino: atque Pipino eodem post 18. annum regni sui defuncto, filioq; ipsius à virtutum magnitudine Carolo Magno, nominato, regnante pro patre, tribus pontificibus intermediis (quorum electionem & vitam causa breuitatis omitto) videlicet Paulo primo, Constantino secundo, & Stephano tertio: Adrianus primus natione Romanus, ex patre Theodoro, de regione via lata, Anno Domini 795. & ab Vrbe condita 1547. in summum pontificem eligitur, ecclesiamq; Romanam annis 23. mensibus 10. diebus 18. gubernauit. Hic Carolum Magnum, qui tunc Franciæ ac Germaniæ regna tenebat, in auxilium Romanæ ecclesiæ, contra Longobardos implorauit. Mortuo enim Aistulpho Longobardorum rege, successit ei Desiderius filius eius: qui patris sequens vestigia, temporalibus Romanam priuauit ecclesiam, villasq; videlicet, ciuitates & castra, & reliqua Romanæ Ecclesiæ occupando, Romanos etiã nouis tributis & vectigalibus opprimendo. Ob quam causam misit Adrianus legatum in Franciam, Petrum presbyterum Cardinalem ad supradictum Carolum, eius implorans auxilium. Hic princeps legatum gloriose suscepit, congregatoq; procerum & prælatorum concilio, Adriani petitionibus censuit annuendum. Dicto igitur legato, cũ sperato fauore remisso, Carolus rex parat exercitũ copiosum, ipsumq; per mare ad iuga montium, in Longobardiam non cum modica difficultate deducit. Veniens igitur in Liguriam & Æmiliam, quæ nunc Lombardia plana vocatur, in circuitu ciuitatis Papiæ sua tabernacula fixit: & castris circumcirca dispositis, vt fidem sequamur historiæ, in eisdẽ natale Domini celebrauit. Deinde vero exercitu relicto, Romam causa deuotionis accessit, ibiq; cum Adriano Papa Pascha Dominicum simul egit: factaq; solennitate Paschali, ad castra reuertitur circa Papiam, continuataq; obsidione ciuitatem expugnauit. Desiderium Longobardorum regem cũ vxore & filiis cepit, qui Caroli subiiciuntur potestati. Ibiq; etiam omnes aduenientes Italici, de singulis ciuitatibus Ambasiatæ & Nuncii, se regis dominio subiecerunt. Quibus sic fœliciter expeditis, & inde Romam accedens, temporalia Ecclesiæ Romanæ restituit: simulq; Ducatum Spoletanum & Beneuentum eidem sua libertate de facto donauit. Tunc Adrianus beneficiis temporalibus dicti Principis allectus, 153. episcoporum & abbatum Romę concilium congregauit. Ibiq; cum vniuersa synodo, glorioso Principi Carolo regi Franciæ ius & potestatem tribuit eligendi Romanum pontificem, & sedem Apostolicam ordinandi: dignitatem quoque Patriciatus eidem concessit, qua olim quasi pater principum videbatur. Insuper Archiepiscopos & Episcopos, per singulas prouincias, ab eo inuestituram accipere diffiniuit: & vt nisi à rege laudaretur & inuestiretur episcopus, & à nemine consecraretur: omnesq; contra prædicta facientes, anathemate maledixit: & nisi resipiscerent, bonis eos priuari mandauit. Quorum nullam faciendi aut concedendi autoritatem habuit Pontifex, aut alter Episcopus seu clericus, nisi demum Romani populi ordinatione atq; mandato. Prima siquidem cõcessione, potestate videlicet Romanum pontificem eligendi, & sedem Apostolicam ordinandi, non fuit vsus Carolus memoratus. Quod forte fuit, quia pauci pontifices fuerunt tempore sui regiminis, à concessione prædicta, quod fuit spacium 40. annorum. Soli enim, prædictus Adrianus, & Leo tertius, prædicti temporis spacio Romani pontifices extiterunt, qui 44. annis & mensibus aliquibus Romanæ ecclesiæ præfuerunt. Verum nec ipsum Carolum, tali iuri sibi competenti, ex concessione prædicta renunciasse, ab aliquo reperitur. De secunda vero concessione, videlicet Episcoporum installatione, se aliquotiens intromisit, vt ex ipsius gestis in plerisq; locis apparet. His tamen iuribus sibi competentibus renunciauit Ludouicus, vt fertur: & vt propositum de translatione imperii celerius prosequamur, plura magnificentiæ opera per Carolum gesta omittamus.

Cap. IX.

MOrtuo igitur Adriano prædicto, regnante Carolo Magno, ecclesiæ Romanæ defensore, Leo tertius natione Romanus, ex patre Aistulpho in Romanũ pontificẽ sublimatur, anno Domini 819. & ab vrbe condita 1572. Hic pontifex in Letania captus est in Roma, excæcatus, & lingua truncatus. Qui positus in custodia, nocte per murũ euasit, & ad legatos Caroli Girundũ abbatẽ, & Vingisum Spoletanum ducem, cum fiducia magna confugit: & vt Richardus *in sua Chronica* scribit (cui credat, qui vult) Pontifex restitutis sibi plenarie membris, oculis & lingua, diuina, vt dicitur, virtute ad prædi-

ctum Carolum, tanquam ad præcipuum Ecclesiæ protectorem, venit in Franciam: qui eum, quo decuit, cum honore suscepit, & cum ipso Romam accedens, iniuriam pontificis & ecclesiæ Romanæ vltus est, iustitia mediante. Admonius quoq; *in gestis Francorum*, hoc magis copiose describens dicit, Quod postquam rex appropinquauit ad locum qui dicitur Mimentanum, duodecimo lapide ab vrbe Roma, Leo Papa, qui regem præcesserat, cum magno comitatu occurrit eidem: ipsumq; cum esset vrbis patricius, cum summa humilitate & honore suscepit: prandensq; cum ipso in loco prædicto, vt vrbis vtamur historiis, statim Papa ipsum cum sua societate præcessit ad vrbem, in crastino quoq;, in gradibus basilicæ beati Petri Apostoli stans, missis obuiam Romanæ vrbis vexillis, ordinatisq; per congrua loca tam peregrinorum quam ciuium turmis, quæ venienti regi ad laudem conclamarent, ipse Papa cum turmis & Episcopis equo descendentem regem, & gradus ecclesiæ ascendentem suscepit: factaq; oratione, in basilicam sancti Petri psallentibus cunctis introduxit. Quod est factum 33. anno regis prædicti. Post septem quoq; dies rex, concione vocata, cur Romam venisset, omnibus patefecit: & exinde ad ea propter quæ venerat facienda quotidie operam dedit: & quamuis grauia crimina opponerentur summo Pontifici: tamen quia nullus fuit probator legitimus, idem Pontifex coram toto populo, annuente rege, in basilica beati Petri apostoli Euangelium portans, ambonem cōscendit, inuocatoq; sanctæ trinitatis nomine, iureiurando ab obiectis sibi criminibus canonice se purgauit. Aliæ vero historiæ addunt, quod tres Cardinales supra sancta Dei Euangelia ponentes manus, affirmauerunt, omnia esse falsa, quæ summo Pontifici opponebantur. Quæ quidem purgatio à toto clero & populo fuit solemniter approbata, & à dicto Pontifice legitime confirmata. Eadem die vt scribit Admonius *in gestis Francorum*, quidam abbas Zacharias nomine, cum duobus monachis, vno de monte Oliueti, & alio de Saba in Oriente, Romam venit, quem patriarcha Hierosolymitanus transmisit, qui sepulchri Domini claues, & loci Caluariæ, ac ciuitatis Hierosolymitanæ, cum vexillis detulerunt. Quos Carolus benigne suscipiens, per aliquot dies eos honorando detinuit, humanéq; tractauit. Deinde post aliquot dies cum muneribus magnis, regiam maiestatem decentibus, eos in Palæstinam remisit. Tradunt quædam historiæ, quod ex illa legatione motus rex, ad petitionem Cōstantini Imperatoris, cum magno exercitu transfretauit, totamq; terram Sanctam recuperauit, rege Persarum assentiente, qui tenebat tunc in tota Syria & Palæstina principatum. Iam quoq; per totum Orientem fama celebris gloriosi regis Caroli peruenerat: sic, quod dictus rex Persarum, qui monarchiam in Oriente tenebat, eius habere beneuolentiam affectabat, & eidem per solemnes nuncios & legatos pretiosa munera destinauit. Rex autem Carolus vbiq; victoriosus, terra sancta recuperata, per Constantinopolim Romam rediit, ibiq; natale Domini cum Leone Papa celebrauit. Ipsa siquidem natiuitatis die, cum rex in Missa ante confessionem beati Petri, surgebat ab oratione deuote: Leo Papa solemniter præordinatis quibuslibet ad tantam solennitatem necessariis, coronam imperialem capiti eius imposuit, & à cuncto Romano populo acclamatum est: *Carolo Augusto, à Deo ordinato, magno Imperatori, vita & victoria cœlo ministretur.* Hanc siquidem coronationem, per Leonem Papam & imperalium laudum acclamationem per populum, omnes historiæ ponunt. Post prædicta vero, more antiquorum Principum fuit adoratus, & ablato nomine Patricii, *Imperator Augustus* est ab omnibus acclamatus. Rexit autem Romanum imperium 14. annis. Regna quoq; Franciæ atq; Germaniæ rexerat annis 33. quibus eum *Regem* solum & *Patricium* inuenimus ab historiis nominari: sed à tricesimo tertio anno, post imperialem coronam, ipsum *Imperatorem Augustum*, omnes annales & historiæ, facientes mentionem de ipso, sine aliqua varietate describunt. Quantum autem roboris, iuris ac firmitatis habuit, quod tunc de translatione imperii factum fuit, per nostrum *Defensorem pacis* vltimo patere potest omnibus euidenter. Durauit autem imperii præscripta translatio, facta de Græcis in Francos, per septem generationes: videlicet per septem Imperatores, annis centum & duobus, quibus mansit apud Francos.

CAP. X.

IMperator Arnulphus, vltimus de genere Caroli Magni, effœminatus & remissus contra Berengarium tyrannum, qui tunc in Italia Romanam ecclesiam impugnabat: quinimo ipsemet tunc erat Romanę persecutor ecclesiæ, vt Martinus Polonus scribit. Filio enim Arnulphi prædicti, qui nondū imperialem benedictionem acceperat, à prædicto Berengario Italiæ tyranno deuicto, & apud Victoriam mutilato, genus Caroli defecit omnino in imperio: & cœpit dictus Berengarius in Italia dominari, & Romana ecclesia persecutionibus vrgentibus vacillare: cum, quia dictus tyrannus eandem molestabat, tum quia Ecclesiæ non verus Pastor, sed mercenarius præerat: Ioannes videlicet Aberti filius, vt tradit Robertus Cremonensis episcopus, magnus historiarum scriptor. Vnde Cardinales ex communi concordia, anno à natiuitate Christi 905. scripserunt Othoni duci Saxoniæ, qui vir magnæ potentiæ dominabatur super vniuersam Almaniam, qui religiosus erat, fide catholicus, in consilio prouidus, in iudicio iustus, in commisso fidelis, in bellicis strenuus, & vniuersorum morum honestate præclarus, ad Dei ecclesiam deuotus. Huius ergo Principis Cardinales auxilium implorarunt, vt ecclesiam Romanam, quæ procellis impellentibus multis modis vacillabat, protegeret atque iuuaret. Qui magnum parans exercitum, in Italiam transiuit, & cum Berengario pugnauit, ipsumque cum eius exercitu in exilium misit. Postmodum vero Romam pergens, concilium Cardinalium congregauit, & de ipsorum concilio Papam noscens incorrigibilem, monuit, vt Papa-

tui

tui renunciaret. Quem induratum in castro sancti Angeli violenter inclusit, & Papatui ipsum renunciare coegit. Et factus est tunc Romanæ Ecclesiæ pastor, Leo octauus: qui allectus beneficio Romanæ Ecclesiæ per prædictum Othonem collato, tam de Berengario, qui vexabat eandem, quam de reformatione Ecclesiæ facta per ipsum, easdem dignitates Othoni concessit, quas Carolo contulerat Adrianus: factaque Synodo, & clero ac populo congregato, ipsum Othonem Imperatorem constituerunt, nulla electione præcedente, quæ post annos 40. fuit instituta. Sicque facta fuit Imperii translatio de Francis seu Gallicis, in Germanos. Habuit siquidem hic Otho primus ex ordinatione imperium pacifice. Habuerunt etiam Imperium successiue filius atque nepos, sine contradictione.

CAP. XI.

POst hæc autem mortuo tertio Othone sine filio, Gregorius quintus natione Teutonicus, de parentela Othonis in summum Pontificem assumitur. Cuius Pontificis tempore, Imperatoris Electores instituuntur, septem scilicet Principes Almaniæ, quatuor laici, & tres clerici siue prælati, vt Martinus scribit. Quia enim prædicti Othones successiue quasi hæreditario iure obtinuerunt Imperium, fuit pro bono statu Ecclesiæ Dei & populi Christiani ordinatum vtiliter, vt tantæ potestatis fastigium, quæ non debetur sanguini, sed virtuti, non per viam successoris, sed per viam electionis procedatur, vt dignissimus eligatur ad dignitatem Imperii gubernandam. Fuit ergo institutum, vt septem Proceres Officiales Imperii regem Romanum eligerent, per Romanum Pontificem imperiali diademate coronandum: quorum, vt dictum est, sunt tres prælati clerici, qui sunt Imperatoris Cancellarii: videlicet Archiepiscopus Moguntinus, qui est Cancellarius Germaniæ: Archiepiscopus Coloniensis, qui est Cancellarius Italiæ: & Archiepiscopus Treuerensis, qui est Cancellarius Galliæ, & quatuor seculares Principes, qui seruiunt Imperatori: scilicet Palatinus Rheni, qui est dapifer Imperatoris: Dux Saxoniæ, qui est Marscalcus eius: Marchio Brandenburgensis, qui est camerarius eius: & rex Bohemiæ, qui pincerna eius. Vnde versus est:

Moguntinensis, Treuerensis, Coloniensis,
Quilibet Imperii sit Cancellarius horum.
Est Palatinus dapifer, dux portitor ensis,
Marchio præpositus cameræ, pincerna Bohemus.
Hi statuunt Dominum cunctis per secula summum.

Hæc autem ordinatio facta fuit anno 1004. vt gesta Germanorum tradunt.

CAP. XII.

EX prædictis igitur euidenter apparet, tempore Pipini regis, & Stephani Papæ Romani, ordinatam fuisse translationẽ imperii Romani de Græcis in Francos, ex occasionibus ante dictis. Tempore vero Adriani, primum Carolum Magnum dispositorem Romanæ Ecclesiæ ac Romani pontificis electorem, & vrbis Romæ patricium ordinatum, tempore vero Leonis tertii, Carolũ Magnum Imperatorem Romanum effectum, & etiam ipsius tempore translationem Imperii realiter factam de Græcis in Francos. Demum vero processu temporis, post multas & iam præscriptas reuolutiones annorum, tempore videlicet octaui Leonis papæ, factam esse Romani Imperii translationem de Francis, seu Gallicis principibus in Germanos. Et postmodum tempore Gregorii quinti, electionem Imperatoris Romani septem Principibus Alamaniæ fuisse concessam: qui vsque ad moderna tempora Imperatorem eligunt ad solennitatem, non quidem propter necessitatem aliquam, per Romanum episcopum coronandum. Sic ergo translatum est Romanum Imperium ad Germanos. Præmissa quidem omnia per Romanum pontificem attentata, & cum eis assentientibus consummata, quantum robur habeant in præsenti, ex nostro *Defensore pacis, in 12. & 13. & finali capitulo* liquide patet, rationabiliter intuenti & attendenti.

AD-

Anno Christi 1324.

ADVERSVS VSVRPATAM ROMANI PONTIFICIS IVRISDICTIONEM, MARSILII DE MENANDRINO PATAVINI, de re Imperatoria & Pontificia liber, qui DEFENSOR PACIS inscribitur, tribus partibus, quas ipse Dictiones appellat, sectus, Ad inuictissimum & constantissimum Imp. Cæs. Ludouicum Bauaricum, à tribus Romanis Pontificibus indigna perpessum, circa Annum Domini M. CCC. XXIV. conscriptus.

CAP. I.

De intentione summaria tractandorum, & causa intentionis, & libri diuisione.



Mni quippe *regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur. Hac est enim bonarum artium decora mater. Hac mortalium genus reparabili successione multiplicans facultates protendit, mores excolit. Et tantarum rerum ignarus agnoscitur, qui eam minime quæsisse sentitur.* Cassiodorus in prima suarum epistolarum, hac serie iam præmissa, tranquillitatis seu pacis ciuilium regiminum commoditates & fructus expressit, vt per hos tanquam optimos, humanum optimum, eius vitæ scilicet sufficientiam explicans, quam sine pace ac tranquillitate nemo consequi potest, ad pacem habendam inuicem, & hinc tranquillitatem, voluntates hominum excitaret. In quo beati Iob sententiæ pronunciauit conformiter, vbi XXII. sui cap. dixit, *Habeto pacem, & per hanc habebis fructus optimos.* Hanc siquidem propterea CHRISTVS Dei filius, sui noui natalis signum & nunciam fore decreuit, dum militię cœlestis oraculo, in eodem voluit decantari: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Propter hoc etiam, idem suis discipulis pacem optabat persæpe. Vnde Ioannes; *Venit IESVS & stetit in medio discipulorum suorum, & dixit, Pax vobis.* De pacis inuicem obseruatione monens eosdem, dixit in Marco, *Pacem habete inter vos*, Nec solum hanc inuicem ipsos habere, verum eandem aliis optare docebat, vnde Matthæus: *Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes, Pax huic domui.* Hæc rursum fuit hæreditas, quam sibi passionis & mortis instante tempore, suis discipulis testamento reliquit, dum Ioannis IX. dixit; *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Cuius instar tanquam veri hæredes, & ipsius imitatores Apostoli hanc optauerunt, quibus per ipsorum epistolas euangelica documenta & monita dirigebant, cognoscentes fructus pacis optimos fore, quemadmodum ex Iob inductum est, & per Cassiodorum amplius explicatum.

Verum quia contraria per se factiua sunt contrariorum, ex opposita tranquillitati discordia, prouenient ciuili regimini seu regno cuilibet, fructus & incommoda pessima, vt videre sat est, & quasi cuilibet inoccultum, ab Italico regno. Dum enim ipsius incolæ conuixerunt pacifice, fructus pacis enumeratos pridem suauiter perceperunt. Ex his & in his proficientes in tantum, vt vniuersam habitabilem eorum ditioni subdiderint. Inter ipsos vero discordia seu lite suborta, laboribus & incommodis multimodis vexatum est regnum ipsorum, & alienarum atque inuisarum gentium subiuit imperium. Sicque etiam rursum propter litem laceratum est vndique, quasi solutum, quod occupare volenti, & vtcunque potenti facilis cuilibet ad ipsum iam patet ingressus, nulla siquidem tali euentu admiratione digno; quoniam (in his quæ de Catilina) teste Salustio, *Concordia paruæ res crescunt, discordia vero maxima dilabuntur.* Ob quam quidem in erroris seducti deuium, vita sufficienti priuantur indigenæ, pro quiete quæsita labores grauiores, pro libertate vero dura iuga tyrannidum continue subeuntes, sicque demum cæteris viuentibus ciuiliter infeliciores effecti, vt ipsorum patronymicum nomen, gloriam & immunitatem inuocantibus præbere solitum, in passionem ignominiæ à reliquis nationibus exprobretur eisdem. In has ergo miseri præcipites feruntur tenebras propter discordiam seu litem ipsorum inuicem, quæ velut animalis ægritudo, sic praua ciuilis regiminis dispositio fore dignoscitur. Cuius quidem etsi causæ primitiuæ sint plures & coniunctæ non paucæ, quas solitis modis euenire possibiles, Philosophorum eximius in ciuili scientia, omnes fere descripsit; est tamen extra illas vna quædam & occulta valde, qua Romanum imperium dudum laborauit, laboratque continue, vehementer contagiosa, nil minus & prona serpere in reliquas omnes ciuilitates & regna, ipsorumque iam plurima sui auiditate tentauit inuadere. Hanc siquidem eiusque ortum & speciem, nec Aristoteles aut Philosophorum alter, sui temporis vel prioris

ris conspicere potuit. Est enim hæc & fuit opinio peruersa quædam in posteris explicanda nobis, occasionaliter autem sumpta, ex effectu mirabili post Aristotelis tempora dudum à suprema causa producto, præter inferioris naturæ possibilitatem, & causarum solitam actionem in rebus. Hæc nempe sophistica honesti atque conferentis faciem gerens, hominum generi perniciosa prorsus existit, omnique ciuilitati ac patriæ si non prohibeatur, nocumentum tandem importabile paritura. Sunt igitur (vt diximus) pacis seu tranquillitatis fructus optimi, oppositæ vero litis importabilia nocumenta, propter quod pacem optare, non habentes quærere, quæsitam seruare, litemque oppositam omni conamine repellere debemus. Ad ea quoque singuli fratres, eoque magis collegia & communitates se inuicem iuuare tenentur, tam supernæ charitatis affectu, quam vinculo siue iure societatis humanæ: Quod etiam Plato nos admonet, teste Tullio de officiis libro, qui dixit: *Non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vendicat, partem amici.* Cuius sententiæ subdit Tullius consequenter; *Atque, vt Stoicis placet, quæ in terris gignuntur, ad vsum hominum omnia creari, homines autem hominum causa generatos esse. In hoc naturam ducem sequi debemus, communes vtilitates in medium afferre.* Quodq; communis vtilitas non parua foret, quinimo necessitas, iam dictę singularis causæ litium, regnis atq; communitatibus omnibus nocumenta non parua minantis, reserare sophisma. Curam vigilem, diligentemque operam, huic præbere tenetur quilibet, commune volens & potens vtile cernere: hoc enim immanifesto, nequaquam pestis hæc euitari potest, nec ipsius perniciosus effectus à regnis seu ciuilitatibus resecari perfecte. Non debet autem curam hanc negligere quispiam timore vel segnitie, aut quouis alio malignitatis spiritu. Nam 2. ad Timotheum. 1. *Non dedit nobis Deus timoris spiritum, sed virtutis & dilectionis*: virtutis, inquam & dilectionis, propalandæ veritatis, vnde subdit ibidem Apostolus; *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri*, hoc autem fuit testimonium veritatis, ad quod perhibendum CHRISTVS se venisse dixit in mundum, dum Ioannis 18. inquit: *Ego ad hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati*; ducenti scilicet humanum genus ad salutem æternam. Ipsius ergo instar, docendæ veritati, qua ciuilium regiminum iam dicta pestis cessari valeat, ab humano maxime Christicolarum genere, veritati inquam, ad salutem ciuilis vitæ ducenti, ad æternam quoque proficienti non parum, is magis obligatur intendere, cui g[illegible]arum dator, harum rerum intelligentiam amplius inspirauit, grauiterque velut ingratus, hoc sciens & potens peccat omittens, teste Iacobo suo canonicæ, cap. 4. cum dixit: *Scienti bonum facere & non facienti, peccatum est illi.* Non aliter enim nequitia hæc humani generis communis hostis succidetur perfecte, nec perniciosi, quos hactenus produxit, fructus arescent, nisi suæ causæ siue radicis primum pandatur & arguatur iniquitas, hac namque via non alia tute ingredi potest principantium coactiua potestas, ad huius malitiæ patronos improbos, & defensores pertinaces finaliter expugnandos. Præmissis itaque Christi, sanctorum atque Philosophorum monitis, attendens & obsequens Antenorides ego quidam ex intelligentiæ rerum harum, si qua mihi gratia credita est, spiritu quoque confidentiæ ministrato desursum (à quo teste Iacobo suæ canonicæ, primo ca. *Omne datum optimum & omne donum perfectum, desursum descendens est à patre luminum*) propter dantis reuerentiam, propalandæ veritatis amorem, patriæ ac fratrum charitatis feruorem: oppressorum siquidem misericordiam & reseruationem, opprimentium vero ab erroris deuio reuocationem, eaque permitentium, his tamen obuiare debentium atque potentium excitationem, in te quoque respiciens singulariter, tanquam dei ministrum huic operi finem daturum, quem extrinsecus optat inesse, Inclytissime LVDOVICE, Romanorum Imperator, cui sanguinis antiquo, speciali quasi quodam iure, nec minus singulari heroica tua indole, ac præclara virtute insitus & firmatus est amor hæreses extirpare, catholicam veritatem omnemque aliam studiosam disciplinam extollere atque seruare, vitia cædere, studia propagare virtutum, lites extinguere, pacem seu tranquillitatem vbiq; diffundere ac nutrire: sequentium sententiarum summas post tempus diligentis & intentæ perscrutationis, scripturæ mandaui, ex his arbitrans iuuamentum quoddam euenire posse tuæ vigili maiestati, præscriptis lapsibus atq; contingentibus aliis reliquisq; vtilitatibus publicis prouidere curanti. Est ergo propositum meum, auxiliante Deo, singularem hanc litis causam solummodo pandere. Nam earum quæ per Aristotelem assignatæ fuerunt, numerum atque naturam iterare foret abundans, huius vero quam nec Aristoteles conspicere potuit, nec post ipsum qui potuerit, determinationem alter assumpsit, sic volumus reuelare velamen, vt à regnis seu ciuilitatibus omnibus deinceps facile possit excludi, exclusa vero possint securius studiosi principantes & subditi tranquille viuere, quod est desiderabile propositum in huius operis initio, necessarium debentibus ciuili felicitate frui, quæ in hoc seculo possibiliũ homini desideratorum optimum videtur, & vltimum actuum humanorum. Propositum itaq; mihi iam dictum negotium distinguam per tres dictiones, in prima quarũ demonstrabo intenta viis certis, humano ingenio adinuentis, constantibus ex propositionibus per se notis cuilibet menti non corruptæ natura, consuetudine, vel affectione peruersa. In secunda vero, quę demonstrasse credidero, confirmabo testimoniis veritatis, in æternũ fundatis, auctoritatib. quoq; sanctorum illius interpretum, necnon & aliorum approbatorum doctorum fidei Christianæ: vt liber iste sit stans [illegible] probationis extrinsecæ. Hinc etiam falsitates determinationibus meis oppositas impugnabo, & [illegible] suis inuolutionibus aduersantium sophismata reserabo. In tertia siqui[illegible]ones quasdam, seu perutilia documenta, ciuibus tã principantibus quam subiectis obseruanda, inferam, ex prædeterminatis habentia certitudinẽ euidentem. Vnamquamq; vero harum dictionum per capitula [illegible]abo, & capitulum quodlibet diuidam in certas partes, plures

res aut pauciores, secundum capituli quantitatem: eritq; dictarum diuisionum vtilitas vna, facilitas inueniendi quæsita, in quæ remittentur lectores huius, de dictionibus & capitulis posterioribus ad priora, ex qua sequetur voluminis abbreuiatio vtilitas reliqua. Cum enim continget nos in posterioribus dictis assumere veritatem aliquam, vel propter ipsam aut propter alia demonstrandam, cuius probatio aut certitudo in prioribus sufficienter tradita fuerit, absque probationis nugatione remittemus lectorem ad dictionem, capitulum, & partem suæ traditionis, vt sic quæsiti sui certitudinem possit faciliter reperire.

Cap. II.

De primis quæsitis in hoc libro, & distinctione ac significatorum assignatione huius dictionis Regnum.

AGgredientes itaq; proposita, primum manifestare volumus, quid sit tranquillitas regni vel ciuitatis, horum autem prius tranquillitatem, hac enim non manifesta intranquillitatem quid sit, ignorare necesse est. Et quoniam ambæ hæ videntur esse dispositiones ciuitatis aut regni, quod ex Cassiodoro supponatur, continuo declarandum manifestabimus consequenter, quid & propter quid sit regnum aut ciuitas, vnde etiam tranquillitatis & sui oppositi descriptiones apparebunt amplius. Volentes itaq; secundum præmissum ordinem describere tranquillitatem ciuitatis aut regni, ne propter nominum multiplicitatem in proposito eueniat ambiguitas, oportet non latere, quod hæc dictio *regnum* in vna sui significatione importat pluralitatem ciuitatum seu prouinciarum, sub vno regimine contentarum: secundum quam acceptionem, non differt regnum à ciuitate in politiæ specie, sed magis secundum quantitatem. In alia vero sui acceptione, significat hoc nomen *regnum*, speciem quandam politiæ seu regiminis temperati, quam vocat Aristoteles *monarchiam temperatam*, quo modo potest esse regnum in vnica ciuitate sicut in pluribus, quemadmodum fuit circa ortum communitatum ciuilium, quasi enim in pluribus erat rex vnus in vnica ciuitate. Tertia significatio huius nominis & famosior componitur ex prima & secunda. Quarta vero ipsius acceptio est commune quiddam ad omnem regiminis temperati speciem, siue in vnica, siue in pluribus ciuitatibus, secundum quam significationem sumpsit ipsum Cassiodorus *in oratione*, quam posuimus initium huius libri, qua etiam vtemur hoc nomine in determinationibus quæsitorum. Debentes itaq; describere tranquillitatem & suum oppositum, suscipiamus cum Aristotele *primo & quinto Politicæ suæ capitulis 2. & tertio*, ciuitatem esse velut animatam seu animalem naturam quandam. Nam sicuti animal bene dispositum secundum naturam, componitur ex quibusdam proportionatis partibus inuicem ordinatis, suaq; opera sibi mutuo communicantibus, & ad totum, sic ciuitas ex quibusdam talibus constituitur, cum bene disposita & instituta fuerit secundum rationem. Qualis est igitur comparatio animalis & suarum partium ad sanitatem, talis videbitur ciuitatis siue regni & suarum partium ad trãquillitatem. Huius vero illationis fidem accipere possumus ex eo quod de ipsarum vtraque comprehenduntur omnes. Existimant enim sanitatem esse dispositionem animalis optimam secundum naturam, sic quoque tranquillitatem dispositionem optimam ciuitatis secundum rationem institutæ. Sanitas autem, vt aiunt peritiores physicorum, describentes ipsam, est bona dispositio animalis, qua potest vnaquæque suarum partium perfecte facere operationes conuenientes suæ naturæ: secundum quam siquidem analogiam, erit tranquillitas bona dispositio ciuitatis aut regni, qua poterit vnaquæq; suarum partium facere perfecte operationes conuenientes sibi secundum rationem, & suam institutionem. Et quia bene diffiniens contraria, consignificat, erit intranquillitas praua dispositio ciuitatis aut regni, quemadmodum infirmitas animalis, qua impediuntur omnes aut aliquæ partes ipsius, facere opera sibi conuenientia, simpliciter vel in complemento. De tranquillitate quidem igitur & intranquillitate opposita, sic figuraliter sit dictum à nobis.

Cap. III.

De origine communitatis ciuilis.

QVoniam autem tranquillitatem diximus bonam dispositionem ciuitatis ad partium opus, oportet consequenter intendere quid & propter quid sit ciuitas secundum se, quæ sint & quot primæ partes ipsius, amplius de vniuscuiusque ipsarum conuenienti opere, adhuc de causis & earum ordine inuicem, præ opere enim sunt hæc, ad tranquillitatis & sui oppositi determinationem perfectam.

Ante tamen quam de ciuitate, illiusque speciebus aut modis agamus, quæ perfecta communitas est, debemus inducere primo ciuilium communitatum originem, suorumque regiminum & modorum viuendi. Ex quibus tanquam perfectis processerunt homines ad perfectas communitates, regimina, & modos viuendi in eis. Nam ex minus perfectis ad perfectiora semper est naturæ atque artis, suæ imitatricis incessus. *Nec homines aliter scire arbitrantur vnumquodque, nisi cum causas illius primas & principia prima cognouerint vsque ad elementa.* Secundum hunc itaque modum ingredientes, oportet non latere, quod communitates ciuiles secundum diuersas regiones & tempora, inceperunt ex paruo & paulatim suscipientes incrementum, demum perductæ sunt ad complementum, sicuti

sicuti euenire iam diximus in omni actione naturæ vel artis. Prima nanque humanarum & minima combinatio, ex qua etiam aliæ prouenerunt, fuit masculi & fœminæ, vt dicit Aristoteles philosophorum eximius *primo politicæ, capitulo primo*, apparet hæc amplius ex ipsius *Iconomia*. Ex hac nempe propagati sunt homines, qui primo repleuerunt domum vnicam, ex quibus ampliores factæ huiusmodi combinationes, tanta hominum propagatio facta est, vt eis non suffecerit domus vnica, & sed plures oportuerit facere domos, quarum pluralitas vocata est vicus, seu vicinia, hæc fuit prima communitas, sicut scribitur etiam vbi supra. Verum quamdiu fuerunt homines in vnica domo, ipsorum actus omnes, maxime quos ciuiles infra vocabimus, regulabantur seniori eorum tanquam discretiore, absq; lege tamen aut consuetudine aliqua, eo quod nondum hæ potuerant inueniri. Nec solum autem vnicæ domus homines regebantur hoc modo, verum etiam quasi eodem prima communitas vocata vicus, licet in aliquibus differenter. Quoniam & si patri familiæ domus vnicæ licuerit remittere vel punire domesticas iniurias, iuxta ipsius votum & beneplacitum omnimode, non tamen illi sic licuisset præsidenti primæ communitati vocatæ vico. In hac enim oportuit seniorem disponere iusta & conferentia rationabili aliqua ordinatione vel lege quasi naturali, vt quia sic omnibus conueniens videbatur, æquitate quadam absque magna exquisitione, solo communi dictamme rationis, & debito quodam societatis humanæ. Huius autem differentiæ causa regiminis in domo vnica & vicinia est & fuit. Quoniam si ex vnica & prima iconomia seu domestica familia, frater occidisset aut aliter offendisset fratrem, absque discrimine inde accidente, licebat patrifamiliæ si volebat delinquentem extremo supplicio non punire, tum quia soli remittenti patri facta videbatur iniuria, tum propter hominum paucitatem, tum etiam quia patrifamiliæ minus erat damni atque tristitiæ, vno carere filio quam duobus, quod etiam fecisse videtur primus auus noster Adam, dum filius eius Chain primogenitus Abel fratrem suum occidit. Non enim est patris ad filium proprie ciuile iustum, vt scribitur *quarto Ethicorum*, vbi de iustitia tractatus existit. In communitate vero prima, vico siue vicinia non sic facere licuit nec licet, propter dissonantiam prædictorum: quinimo nisi per seniorem vindicta seu æqualitas iniuriarum illatarum facta fuisset aut fieret, contigisset vel contingeret inde pugna & vicinorum separatio. Multiplicatis autem vicis & facta communitate ampliori, quod oportuit crescente propagatione, adhuc regebantur vno, vel propter defectum pluralitatis prudentum, aut aliam quandam alteram causam, vt scribitur *tertio Politicæ, capitulo nono*, illo tamen qui senior aut melior habebatur, quamuis ordinationibus minus imperfectis, his quibus in vico seu sola vicinia disponebantur. Nec tamen habuerunt communitates illæ primæ tantam partium distinctionem & ordinem, aut necessariarum artium atq; regularum viuendi summam, quanta postmodum successiue reperta est in communitatibus perfectis. Fuit enim quandoque idem homo princeps & agricola seu Pastor ouium, veluti Abraam & alii posterorum quam plures, quod tamen in communitatibus perfectis nec expedit, nec liceret.

Augmentatis autem his successiue, aucta hominum experientia, inuentæ sunt artes & regulæ ac modi viuendi perfectiores, distinctæ quoque amplius communitatum partes. Demum vero quæ necesse sunt ad viuere & bene viuere, per hominum rationem & experientiam perducta sunt ad complementum, & instituta est perfecta communitas vocata ciuitas, cum suarum partium distinctione, cuius continuo determinationem aggredimur. De ortu itaque ciuilis communitatis tanta sufficiant.

Cap. IIII.

De causa finali ciuitatis, & quæsitorum scibilium, & suarum partium distinctione in generali.

Est autem *ciuitas* secundum Aristotelem 1. politicæ. c. 1. *Perfecta communitas omnem habens terminum per se sufficientiæ, vt consequens est dicere, facta quidem igitur viuendi gratia, existens autem gratia bene viuendi*. Quod autem dixit Aristoteles, *viuendi gratia facta, existens autem gratia bene viuendi*, significat causam finalem ipsius perfectam, quoniam viuentes ciuiliter, non solum viuunt, quod faciunt bestiæ aut serui, sed bene viuut; vacantes scilicet operibus liberalibus qualia sunt virtutum tam practicæ quã speculatiuæ, animæ. Sic itaque determinata ciuitate propter viuere & bene viuere tanquã finem, oportet de ipso viuere, ac modis eius tractare primũ. Est enim vt diximus, cuius gratia ciuitas instituta est & necessitas, omnium quæ sunt & fiunt per hominum communitatem in ea. Hoc ergo statuamus tanquam demonstrandorum omnium principium naturaliter habitum, creditum, & ab omnibus sponte concessum: Omnes scilicet homines non orbatos aut aliter impeditos, naturaliter sufficientem vitam appetere, hinc quoque nociua refugere & declinare, quod etiam nec solum de homine, verum de omni animalium genere patet secundum Tullium 1. de officiis. c. 3. vbi sic inquit: *Principio generi animantium omni à natura tributum est, vt se, corpus, vitamq; tueatur, declinet ea quæ nocitura videantur, omnia quæ necessaria sunt ad viuendum, acquirat & paret*. Quod etiam ex inductione sensata palam quilibet accipere potest.

Viuere autem ipsum & bene viuere conueniens hominibus, est in duplici modo, quoddam temporale siue mundanum, aliud vero æternum siue cœleste vocari solitum. Quodque istud secundum viuere sempiternum scilicet, non potuit Philosophorum vniuersitas per demonstrationem conuincere, nec fuit de rebus manifestis per se, idcirco de traditione ipsorum quæ propter ipsum

sint, non fuerunt solliciti. De viuere autem & bene viuere, seu bona vita secundum primum modum mundanum scilicet, ac de his, quæ propter ipsum necessaria sunt comprehenderunt per demonstrationem philosophi gloriosi rem quasi completam. Vnde propter ipsum consequendum concluserunt ipsi necessitatem ciuilis communitatis, sine qua viuere hoc sufficiens obtineri non potest. Quorum etiam eximius Aristoteles. 1. suæ politicæ cap. 1. dixit: *Omnes homines ferri ad ipsam, & secundum naturæ impetum propter hoc.* Quod quamuis experientia seruata doceat, eius tamen causam quam diximus, inducere volumus distincte magis, dicentes, quod quia homo nascitur compositus ex contrariis elementis, propter quorum contrarias actiones & passiones quasi continue corrumpitur aliquid ex sua substantia: Rursumque quoniam nudus nascitur & inermis ab excessu continentis aeris & aliorum elementorum, passibilis & corruptibilis, quemadmodum dictum est in scientia naturarum, indiguit artibus diuersorum generum & specierum ad declinandum nocumenta prædicta: quæ quoniam exerceri non possunt nisi à multa hominum pluralitate nec haberi, nisi per ipsorum inuicem communicationem, oportuit homines simul congregari ad commodum ex his assequendum, & incommodum fugiendum. Verum quia inter homines sic congregatos eueniunt contentiones & rixæ, quæ per normam iustitiæ non regulatæ causarent pugnas & hominum separationem, & sic demum ciuitatis corruptionem, oportuit in hac communicatione statuere iustorum regulam, & custodem siue factorem. Et quoniam custos hic habet arcere iniuriosos excedentes, & alios tam intrinsecus quam extrinsecus singulos turbantes, aut communitatem opprimere tentantes, oportuit ciuitatem ad hos habere in se aliquid quo resistat. Rursumq; quoniam indiget communitas aliquibus opportunitatibus, reparationibus, & custodiis rerum quarundam, & aliis tempore pacis, aliisque tempore bellico, necesse fuit in ea esse talium prouisores vt communi necessitati, cum expediuerit vel oportuerit, succurri possit. Extra hæc autem iam dicta, quæ solum necessitati præsentis vitæ succurrunt, est quo indigent communicantes ciuiliter pro statu futuri seculi, per Dei reuelationem super naturalem humano generi promisso, & vtile etiam pro statu vitæ præsentis, cultus videlicet ac Dei honoratio, & gratiarum actio exhibenda, tam pro receptis in hoc seculo beneficiis, quam recipiendis etiam in futuro: ad quæ docenda & in ipsis homines dirigendos oportuit ciuitatem quosdam determinare doctores. De quibus omnibus & reliquis supra dictis, quæ sint aut qualia, in sequentibus tractatibus exquisite dicetur. Fuerunt igitur homines propter sufficienter viuere congregati, potentes sibi quærere necessaria, numerata pridem, illa sibi communicantes inuicem. Hæc autem congregatio sic perfecta, & terminum habens per se sufficientiæ, vocata est ciuitas, cuius siquidem finalis causa & suarum partium pluralitatis, iam dicta est aliqualiter nobis, & in sequentibus amplius distinguetur. Nam quia diuersa sunt necessaria bene volentibus viuere, quæ per homines vnius ordinis seu officii procurari nequeunt, oportuit esse diuersos ordines hominum seu officia in hac communicatione, diuersa huiusmodi exercentes seu procurantes, quibus pro vitæ sufficientia homines indigent. Hi autem hominum diuersi ordines seu officia, non aliud sunt quam pluralitas & distinctio partium ciuitatis. Quid quidem igitur sit ciuitas, & propter quid facta sit talis communicatio, amplius de suarum partium diuisione sic figuraliter pertransisse, sufficiant.

Cap. V.

De distinctione ac assignatione partium ciuitatis, & ipsarum inexsistentia ac separationis necessitate, propter finem ab humana inuentione assignari possibilem.

Postquam præmissus est à nobis totalis sermo de partibus ciuitatis in quarum actione & communicatione perfecta inuicem, nec extrinsecus impedita; tranquillitatem ciuitatis consistere diximus, vt earum ampliori determinatione, tam ex operibus seu finibus quam aliis appropriatis caussis ipsarum causæ tranquillitatis & sui oppositi manifestentur amplius, de ipsis resumentes, dicamus quod partes seu officia ciuitatis sunt sex generum, vt dixit Aristoteles *7. politica, c. 6.* Agricultura, artificium, militaris, pecuniatiua, sacerdotium, & iudicialis seu conciliatiua. Quorum tria, videlicet sacerdotium, propugnatiua, & iudicialis seu conciliatiua simpliciter sunt partes ciuitatis, quas etiam in communitatibus ciuilibus honorabilitatem dicere solent. Reliqua vero dicuntur partes large, vt quia sunt officia necessaria ciuitati secundum Aristotelis sententiam *7. politica, c. 7.* Et solet horum multitudo dici vulgaris. Sunt igitur hæ partes famosiores ciuitatis seu regni, ad quas omnes aliæ conuenienter reduci possunt. Quarum siquidē necessitas, licet vtcunq; dicta fuerit *capitulo præcedenti*, volumus tamē hanc rursum dicere distincte magis, suscipientes tanquā prius demonstratum ex per se noto, ciuitatem scilicet, communitatē esse institutam propter viuere & bene viuere hominū in ea. Quod quidem *viuere* duobus modis determinauimus prius, Vno nanq; vita seu viuere seculi huius, mundano videl. alio vero, vita seu viuere alterius seculi siue futuri. Ex quibus siquidē viuendi modis, desideratis homini velut finibus, assignabimus necessitatē distinctionis partium communitatis ciuilis. *Viuere* igitur hominis primo modo, mundanū scilicet, quandoq; accipitur pro esse viuentiū, vt in 2. de anima: *Viuere viuētibus est esse, quo modo vita nil aliud est quā anima.* Quandoq; vero accipitur pro actu seu actione aut passione animæ siue vitæ. Rursū vtrumq; horū dupliciter, quoniā aut in eodē esse naturali, vel in consimili, quod dicunt specificum. Et licet viuere vnoquoq; modorū dictorū, tam homini propriū quam sibi & cæteris animantiū cōmuni dependeat à causis naturalibus,

non

non tamen est ipsius consideratio præsens, in quantum prouenit ab illis, sed in ea quæ de plantis & animalibus scientia naturali: de ipsis autem secundum quod ab arte ac ratione, quibus hominum genus viuit, suscipiunt complementum, est nobis perscrutatio præsens. Et propterea oportet attendere, quod si debeat homo viuere & bene viuere, necesse est, vt ipsius actiones fiant, & bene fiant, nec solum actiones, verum etiam passiones, bene inquam, id est in temperamento conuenienti. Et quoniam ea quibus hæc temperamenta complentur, non accipimus à natura omniquaque perfecte, necessarium fuit homini vltra causas naturales per rationem aliqua formare, quibus compleatur efficientia & conseruatio suarum actionum & passionum secundum corpus & animam. Et hæc sunt operum & operatorum genera, & prouenientium à virtutibus & artibus tam practicis quam speculatiuis. *Actionum* autem humanarum & suarum passionum, quædam proueniunt à causis naturalibus præter cognitionem, quales fiunt per elementorum contrarietatem, nostra componentium corpora propter ipsorum permixtionem. In quo genere reponi possunt conuenienter actiones particulæ nutritiuæ: Quod etiam capitulum ingrediuntur actiones, quas faciunt elementa nostrum corpus continentia, per alterationem suarum qualitatum: de quorum genere sunt etiam alterationes quæ fiunt ab ingredientibus humana corpora, veluti sunt, cibi, potus, medicinæ, venena, & reliqua similia his. Aliæ vero sunt *actiones* & *passiones* à nobis vel in nobis, per virtutes nostras cognoscentes & appetentes, quarum quædam vocantur *immanentes*, vt quia non transeunt in subiectum à faciente, nec exercentur per aliquod exteriorum organorum seu membrorum motorum secundum locum, vt sunt cogitationes, & hominum desideria seu affectiones. Aliæ vero sunt & dicuntur transeuntes, quia modo altero vel vtroque prædictorum opposite se habent immediate prædictis. Propter has ergo temperandas actiones & passiones omnes atque complendas in eo, ad quod natura producere nequit inuenta fuerunt artificiorum diuersa genera, & reliquarum virtutum, quemadmodum diximus prius, instituti; sunt homines diuersorum officiorum ad illa exercenda propter supplendam humanam indigentiam, qui ordines nihil aliud sunt, quam partes ciuitatis enumeratæ pridem. Ad temperandos enim atque saluandos actus nutritiuæ partis animæ, quo cessante simpliciter corrumperetur animal secundum indiuiduum & speciem, instituta fuit agricultura camporum, & cura pecorum, ad quas conuenienter reducuntur omnes species venatiuæ terrestrium, aquatilium & volatilium animalium, & omnes aliæ artes, quibus acquiritur alimentum commutatione aliqua, vel paratur ad esum: vt per ipsum reparetur tandem, quod deperditur ex substantia nostri corporis, & per id continuetur etiam in esse suo immortali, quantum homini natura permisit. Ad moderandas vero actiones & passiones nostri corporis, ab his quæ nos extrinsecus continent elementis, & ipsorum impressionibus, inuentum fuit genus mechanicarum, quas Aristoteles *7. Politica, cap. 6.* vocat *artes*, sicuti lanificium, coriaria, sutoriæ, & omnes domificatiuæ species, & aliæ quædam mechanicæ aliis subseruientes officiis ciuitatis, mediate aut immediate. Nec solum moderantes tactus aut gestus, verum etiam aliorum sensuum, quæ magis sunt ad voluptatem & bene viuere, quam ad vitæ necessitatem, velut pictoria cum sibi similibus, de quibus Aristoteles 4. politicæ, cap. 3. inquit: *Harum autem artium has ex necessitate oportet existere, has autem ad delicias & bene viuere.* Sub quo etiam genere reponitur medicinalis practica, architectonica, quodam modo ad plures prædictarum. Ad moderandos autem excessus actuum qui sunt à virtutibus motiuis secundum locum per cognitionem & appetitum, quos transeuntes diximus, & qui possibiles sunt, fieri ad commodum vel incommodum seu iniuriam alterius à faciente pro statu præsentis seculi: statuta fuit necessario in ciuitate pars aliqua seu officium, per quam excessus talium actuum corrigantur, & ad æqualitatem aut proportionem debitam reducantur, aliter nanque causarentur ex his pugna & inde ciuium separatio, demum ciuitatis corruptio, & vitæ sufficientis priuatio. Hæc autem pars ab Aristotele vocata est *iudicialis* seu *principans* & *conciliatiua*, cum sibi subseruientibus, cuius est, iusta & conferentia communia regulare. Cæterum quia sufficiens vita duci non posset oppressis ciuibus, aut in seruitutem redactis per extrinsecos oppressores. Rursum quoniam iudicum sententias ad iniuriosos & rebelles intrinsecos oportet exequi per potentiam coactiuam, necesse fuit in ciuitate militarem seu propugnatiuam partem statuere, cui etiam mechanicarum multæ subseruiunt. Est enim ciuitas viuendi & bene viuendi gratia constituta, quemadmodum dictum est in cap. præcedenti, quod impossibile est ciuibus in seruitutem redactis. Hoc enim dixit eximius Aristoteles esse contra naturam ciuitatis. Vnde 4 politicæ, cap. 3. necessitatem assignans, ait: *Quintum autem genus quod propugnans, quod his quidem nihilominus necessariũ est existere, si debeant non seruire inuadentibus, nihil enim verius impossibili quam dignum esse vocare ciuitatem natura seruam, per se sufficiens enim est ciuitas; quod autem seruum, non per se sufficiens.* Huius vero partis necessitas propter rebelles intrinsecos habetur ab Aristotele *7. politica cap. 6.* Seriem autem hic omisimus propter abbreuiationem, & quia ipsam inducemus *14. huius, parte. 8.* Rursumq; quoniam in annis mundanis quandoque sunt fructuum fertilitates, quandoque sterilitates, adhuc quia ciuitas quandoque pacifice disponitur ad vicinas, quandoque aliter: suntque ipsius aliæ communes opportunitates, quibus indiget, vt viarum, pontium, & aliorum ædificiorum constructiones, aut reparationes, & reliquæ consimiles, quas nec opportunum hic est, nec breue foret enumerare: oportuit pro his parandis conuenienti tempore in ciuitate statuere partem thesaurizantem, quam vocauit Aristoteles *pecuniatiuam.* Hæc enim pecunias, blada, vina, olea, & reliqua necessaria congregat & custodit, communia conferentia vndecunque procurat, & quærit ad succurren-

dum futuræ necessitati, cui etiam subseruiunt aliarum quædam. Vocauit autem hanc Aristoteles pecuniatiuam, quoniam pecuniarum custodia videtur thesaurus omnium, eo quod in ipsas omnia commutantur. Superest autem nobis de *sacerdotalis potestatis* necessitate dicere, de qua non omnes homines sic senserunt concorditer, vt de necessitate reliquarum partium ciuitatis. Et causa huius fuit, quoniam ipsius vera & prima necessitas non potuit comprehendi per demonstrationem, nec fuit res manifesta per se. Conuenerunt tamen omnes gentes in hoc, quod ipsum conueniens sit instituere propter Dei cultum & honorationem, & consequens inde commodum pro statu præsentis seculi vel venturi. Plurimæ enim legum siue sectarum, honorum præmium & malorum operatoribus supplicium promittunt, in futuro seculo distribuenda per Deum. At extra causas positionis legum, quæ absque demonstratione creduntur, attenderunt philosophantes conuenienter valde, aliam & pro huius seculi statu, quasi necessariam causam traditionis legum diuinarum siue sectarum, ex quibus fuit Hesiodus, Pithagoras, & aliorum antiquorum quamplures. Hæc autem fuit bonitas & humanorum actuum monasticorum & ciuilium, à quibus quies seu tranquillitas communitatum, & demum sufficiens vita præsentis seculi, quasi tota dependet. Nam licet philosophorum aliqui, talium legum siue sectarum adinuentores, non senserint aut crediderint hominum resurrectionem, & illam vitam quæ vocatur æterna, ipsam tamen esse finxere, & persuaserunt, & in ipsa delectationes atque tristitias secundum qualitates humanorum operum in hac vita mortali, vt ex hoc inducerent hominibus Dei reuerentiam & timorem, desiderium fugiendi vitia & colendi virtutes. Sunt enim actus quidam, quos legislator humana lege regulare non potest, vt qui alicui non possunt probari, adesse vel abesse, quos tamen non potest latere Deum, quem finxere ipsi talium legum latorem, & præceptorem obseruationis ipsarum, sub æternæ pœnæ, vel præmii comminatione bonorum aut malorum operationibus. Vnde dixerunt de differenter studiosis in hoc seculo, quod locabantur in firmamento cœli. Et hinc fortasse peruenerũt nomina quibusdam astris & figuris cœlestibus. Agentium vero peruerse quorundam, dixerunt animas diuersa brutorum ingredi corpora, puta porcorum, qui intemperati fuerant secundum gustum: hircorum, qui secundum tactum & Venerea, sicque reliquorum in reliqua, iuxta proportiones humanorum vitiorum ad damnabiles eorum proprietates. Sic etiam varia tormentorum assignauerunt genera prauorum operatoribus, quomodo intemperato Tantalo, sitim & famem perpetuam, aquam & poma præsentia, quæ nec bibere aut manducare potest, semper amplius fugientia quam prosequi possit. Dixerunt quoque *tartara* loca quædam talium tormentorum voraginosa & tenebrosa, terribilibus & contristatiuis quasi omnibus intentionibus, talia describentes. Ex quorum terrore fugiebant homines peruerse agere, ad studiosa quoque operum, pietatis & misericordiæ, excitabantur, ad seipsos atque alios disponebantur bene. Cessabantq; propter hæc in communitatibus multæ contentiones & iniuriæ. Vnde pax etiam & tranquillitas ciuitatum & vita hominum sufficiens pro statu præsentis seculi difficile minus seruabatur, quod expositione talium legum siue sectarum sapientes illi finaliter intendebant. Fuit ergo gentilium sacerdotium traditio talium præceptorum, ad quæ docenda statuere in suis communitatibus templa, in quibus colebantur ipsorum dii, constituentes etiam doctores dictarum legum seu traditionum, quos sacerdotes vocabant, eo quod templorum sacra tractabant, vt libros, vasa, & huiusmodi reliqua deseruientia cultui diuinorum. Hæc siquidem ordinabant decenter iuxta ipsorum credulitates & ritus, nam sacerdotes instituebant non quoscunque, sed ciues aliquos studiosos & approbatos, qui fuerant ex officio militari iudiciario vel conciliatiuo, ciues inquam qui secularia negotia abdicauerant, excusati iam à muneribus & officiis ciuilibus propter ætatem. A talibus enim viris iam separatis à passionibus, & quorum dictis propter ætatem, & morum grauitatem amplius credebatur, decebat honorari Deos, & illorum sacra tractari, non à banausis seu mercenariis, qui vilia & maculatiua officia exercuerant. Vnde septimo politicæ, cap. septimo: *Neq; enim agricolam neque banausum, sacerdotem constituendum.* Verum quia gentiles & omnium reliquæ leges aut sectæ, quæ sunt aut fuerunt extra catholicam fidem Christianam, aut quæ ante hanc fuit sanctorum patrum credulitatem, & generaliter extra traditionem eorum, quæ in sacro canone, vocata Biblia, continentur, non recte senserunt de Deo, vt quia humanum ingenium secuti sunt, aut falsos prophetas vel doctores errorum: ideoque nec de futura vita, ipsiusq; felicitate vel miseria, nec de vero sacerdotio propterea instituto, recte sensere: locuti tamen sumus in ipsorum ritibus, vt eorum à vero sacerdotio Christianorum scilicet differentia & sacerdotalis partis necessitas in communitatibus manifestius appareret.

CAP. VI.

De finali causa cuiusdam partis ciuilis sacerdotalis scilicet ex Dei traditione, siue relatione immediata, impossibili tamen humana ratione conuinci.

Reliquum autem sermonis huius est, dicere de causa finali propter quam fuit verum sacerdotium in communitatibus fidelium institutum. Est enim [illegible] moderatio humanorum actuum Imperatorum per cognitionem & appetitum, tam immanentium quam transeuntium, secundum quod ex illis ordinatur genus humanum ad optimum viuere venturi seculi. Et

Et propterea oportet attendere, quod licet primus homo Adam videlicet creatus fuerit principaliter propter Dei gloriam, sicuti cæteræ creaturæ, fuit ipse tamen creatus singulariter ab aliis speciebus corruptibilium, quoniam ad imaginem Dei & similitudinem, vt capax & particeps esset felicitatis æternæ post vitam præsentis seculi, fuit etiam creatus in statu innocentiæ seu iustitiæ originalis & etiam gratiæ, vt probabiliter dicunt sanctorum aliqui, & scripturæ sacræ quidam doctores præcipui. In quo siquidem permansisset, nec sibi aut suæ posteritati necessaria fuisset officiorum ciuilium institutio vel distinctio, eo quod opportuna quæq; ac voluptuosa sufficientiæ huius vitæ in paradiso terrestri seu voluptatis natura produxisset eidem, absque ipsius pœna vel fatigatione quacunque. Verum quia suam corrupit innocentiam seu originalem iustitiam & gratiam in esu prohibiti sibi ligni, diuinum in hoc transgrediendo mandatum, repente lapsus est in culpam atq; miseriam siue pœnam, pœnam inquam priuationis felicitatis æternæ, ad quam Dei gloriosi beneficio cum sua posteritate qualibet finaliter fuerat ordinatus. Demeruit etiam ex iam dicti transgressione mandati, omnem sui successionem in libidine propagare, in qua etiam & cum qua quilibet homo postmodum conceptus est & natus, ex hac peccatum contrahens, quod in lege Christianorum originale vocatur, præter Christum Iesum, qui absque peccato & libidine quibuscunque conceptus fuit de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, quod factum est, dum vna trium diuinarum personarum, Filius videlicet, verus Deus, vnitate sui suppositi, naturam assumpsit humanam. Ex hac siquidem transgressione primorum parentum infirmata est secundum animam omnis humana successio & infirma nascitur, quæ ante creata fuerat in statu sanitatis perfectæ, innocentiæ atque gratiæ, priuata quoque propter delictum, suo finali optimo, ad quod fuerat ordinata. Quodque Dei proprium est, miseri humano generi, facturæ ac imagini suæ, quam præordinauerat ad beatam & æternam vitam, voluit, qui nunquam facit frustra quicquam, neque deficit in necessariis, humani casus exhibere remedium, tradendo scilicet præcepta quædam obedientiæ, seruanda homini, quæ tanquam contraria transgressioni, sanare deberent ægritudinem culpæ, quæ prouenit ab illa. Processitque in his ordinate valde à facilioribus ad difficiliora, velut peritus medicus, præcepit nanque hominibus primo ritum *holocaustorum*, de frugum primitiis & primogenitis animalium, quasi pœnitentiam & humanam obedientiam experiri vellet, quem ritum seruauerunt antiqui patres in Dei reuerentiam, fidem, obedientiam, & gratiarum actionem vsque ad Abrahæ tempora. Cui siquidem iuxta prædictum, dedit aliud præceptum grauius, circumcisionis scilicet omnis humani & masculini sexus, in carne præputii, quasi videretur rursum Deus pœnitentiam & humanam obedientiam amplius experiri. Fuerunt autem præcepta hæc per aliquos obseruata vsque in tempora Moysi, per quem postmodum tradidit Deus Israelitico populo legem, per quam cum supradictis ampliora præcepta statuit, tam pro statu præsentis seculi quam venturi, ipsiusq; legis ministros etiam statuit *sacerdotes atque leuitas*. Horum siquidem omnium primorum præceptorum atque Mosaicæ legis obseruatoribus vtilitas erat, purgatio quædam peccati siue culpæ tam originalis quam actualis seu sponte commissæ, Euasio quoque seu præseruatio quædam ab æterna & temporali pœna sensus alterius seculi, quamuis ex horum obseruatione non merentur homines felicitatem æternam. Ad quam tamen quoniam ordinauerat misericors Deus humanum genus, volens ipsum à lapsu reducere seu restituere ad eandem secundum conuenientem ordinem, omnium nouissime humano generi, per filium eius Iesum Christum verum Deum & verum hominem, in suppositi vnitate, tradidit legem Euangelicam, præcepta continentem credendorum, agendorum, & fugiendorum, atque consilia eorum: Quorum obseruatione non solum à pœna sensus præseruantur homines, vt per priorum obseruantiam, verum ex ipsius gratiosa ordinatione merentur ex talibus, congruitate quadam, felicitatem æternam. Et propterea *lex gratiæ* vocata est, tum quia per Christi passionem & mortem, redemptum est humanum genus à culpa & pœna damni æternæ beatitudinis, quam subiuerat ex lapsu seu peccato primorum parentum: tum quia per illius obseruationem & sacramentorũ cum ipsa institutorum receptione, nobis confertur gratia diuina, collata roboratur, & amissa recuperatur, per quam ex Dei ordinatione, cum merito passionis Christi, congruitate quadam (vt diximus) opera nostra fiunt meritoria felicitatis æternæ. Huius autem merito passionis, Christi videlicet, non solum posteriores gratiam susceperunt, qua beatam vitam mereri valeant, verum etiam priorum præceptorum & Mosaicæ legis obseruatores inde gratiam consecuti sunt æternæ beatitudinis, qua quidem in alio seculo, & in loco quem *limbum* vocant, priuati manserant vsq; in Christi aduentum, passionem, mortem, & resurrectionem. Per quem repromissionem sibi datam à Deo acceperunt, quamuis in præceptis prioribus prophetarum & legis Mosaicæ, talis gratiæ repromissio sub ænigmatico velamine traderetur eisdem, omnia enim illis contingebant in figura, vt dicit Apostolus *ad Habræos*. Fuit autem deductio hæc diuina conueniens valde, quoniam de minus perfecto ad magis, & demum ad perfectissimum conuenientiũ humanæ saluti. Nec est opinandum propterea quin Deus potuisset si voluisset, statim à principio lapsus humani remedium adhiberi perfectum. Sed sic egit, quia sic voluit & decuit, hominum exigente delicto; vt ne veniæ nimis prompta facilitas præberet occasionem vlterius delinquendi. Iam dictæ vero legis doctores ac sacramentorum secundum illam administratores instituti sunt quidam in communitatibus vocati sacerdotes & diaconi seu leuitę, quorum officium est, legis euangelicæ Christianæ præcepta & consilia docere, in his quæ credenda sunt, agenda, & fugienda, finaliter pro statu venturi seculi, beato siquidem consequendo & opposito deuitando.

Sacerdotalis igitur officii finis est, hominum disciplina & eruditio, de his quæ secundum euangelicam legem necessarium est credere, agere, vel omittere propter æternam salutem consequendam & miseriam fugiendam. In hoc autem officium conuenienter veniunt omnes disciplinæ, humano ingenio adinuentæ, tam speculatiuæ quam actiuæ, humanorum actuum moderatiuæ, tam immanentium quam transeuntium, ab appetitu & cognitione prouenientium, quibus bene disponitur homo secundum animam pro statu tam præsentis seculi, quam venturi. Has etenim quasi omnes habemus ex traditione admirabilis Philosophi & reliquorum gloriosorum virorum, enumerare tamen omisimus hic eas propter abbreuiationem sermonis, & quoniam huiusmodi necessitas non habet considerationem præsentem. Debemus autem intelligere de hoc capitulo, & ipsum sequente continuo, alias esse causas officiorum ciuitatis, iuxta quodlibet ipsarum genus, secundum quod sunt habitus corporis, aut mentis humanæ. Nam finales eorum causæ secundum quod habitus corporis, aut humanæ animæ, sunt opera quæ ab illis proueniunt immediate per se, vt nauifactiuæ, nauis: militaris, armorum vsus aut pugna, sacerdotii vero prædicatio legis diuinæ, & secundum illam sacramentorum administratio, & sic conformiter in reliquis omnibus. Ipsorum autem causæ finales secundum quod officia in ciuitate determinata & instituta, sunt commoda & sufficientiæ perfectiuæ actionum & passionum humanarum, prouenientes ab operibus dictorum habituum, vel quæ sine his haberi nequeunt, quomodo à pugna qui est actus seu finis militaris habitus, hominibus in ciuitate libertas prouenit & seruatur, quæ quidem finis est actuum & operum militaris. Sic etiam à domificatiuæ opere, seu fine qui domus est, prouenit hominibus seu ciuitati defensio, ab aeris impressionibus nociuis, calidi, frigidi, humidi, aut sicci, quæ siquidem defensio causa finalis est, propter quam domificatiuæ officium fuit in ciuitate statutum. Eodemque modo ab obseruatione legis diuinæ, quæ finis est sacerdotii, prouenit hominibus æterna felicitas. Sic quoque de reliquis partibus seu officiis ciuitatis extimare oportet. Hoc etiam modo siue consimili, distinguuntur reliquæ causarum species officiorum dictorum, materialis, formalis, & efficiens, vt ex sequentibus apparebit. De numero quidem igitur partium ciuitatis, ipsarumque necessitate ac distinctione propter finales sufficientias dicta sint tanta.

Cap. VII.

De reliquis speciebus causarum inexistentiæ ac separationis partium ciuitatis, & vniuscuiusq; speciei diuisione per modos duos ad propositum pertinentes.

His autem consequens est dicere de reliquis causis officiorum seu partium ciuitatis. Et primum loquemur in causis materialibus & formalibus, deinde vero inquiremus de ipsarum causa mouente. Verum quia in rebus quæ ab humana mente recipiunt complementum, materia formæ præexistit in actu, prius loquamur in causa materiali. Et dicemus, quod materia propria officiorum diuersorum, secundum quod officia nominant habitus animæ, sunt homines ex ipsorum generatione seu natiuitate inclinati ad diuersas artes seu disciplinas. Cum enim natura non deficiat in necessariis, de nobilioribus magis solicita, qualis inter corruptibilia est hominum species, ex qua perfecta, per diuersas artes aut disciplinas, oportet tanquam ex materia, constituere ciuitatem & partes distinctas in ipsa, necessarias ad vitæ sufficientiam consequendam, vt *quarto & quinto huius* ostensum est. Initiauit ipsa circa generationem hominum distinctionem hanc, quosdam in naturalibus dispositionibus producens aptos & inclinatos ad agriculturam, alios ad militiam, reliquos vero ad aliorum artificiorum & disciplinarum genera, diuersos tamen ad diuersas. Nec solum vnicum indiuiduum ad vnius speciei artem vel disciplinam, sed ipsorum plura in eandem artificii seu disciplinæ speciem inclinauit, veluti sufficientiæ necessitas exigebat. Quosdam ergo genuit aptos prudentiæ, quoniam ex prudentibus in ciuitate statui debet *iudicialis* pars & *conciliatiua*. Quosdam vero ad robur & audaciam, quoniam ex talibus conuenienter statuitur militaris. Sic quoque reliquos adaptauit ad operatiuorum & speculabilium habituum genera, quæ sunt ad viuere & bene viuere necessaria seu conuenientia, vt in omnibus scilicet perficeret de diuersitate naturalium inclinationum ad habitus diuersorũ generum & specierum, quod necesse fuit ad diuersitatem partium ciuitatis. Materiales vero causæ officiorũ ciuitatis, secundũ quod officia nominat partes ciuitatis, iam quasi apparent. Nã hæ sunt homines habituati per artes & disciplinas diuersorũ generum & specierum, ex quibus diuersi ordines siue partes statuuntur in ciuitate propter finales sufficientias prouenientes ab ipsorũ artibus & disciplinis, quo modo proprie dicuntur partes ciuitatis officia quasi obsequia, quoniã considerata, vt statutæ sic sunt in ciuitate, ad humanũ obsequiũ ordinantur. Horũ vero formales causæ secundũ quod humanæ mentis habitus non aliæ sunt ab huiusmodi habitibus, nam ipsi formæ sunt habentium complectiuæ seu perfectiuæ humanarum inclinationum inexistentium à natura. Vnde 7. politicæ, c. finali: *Omnis ars & disciplina quod deficit natura vult supplere.* Formales autem officiorum causæ, secundum quod instituta & partes ciuitatis, sunt præcepta mouentis causæ, his tradita seu impressa, qui deputantur in ciuitate ad determinata opera exercenda. Mouentes quidem igitur causæ seu factiuæ officiorum, vt animæ nominant habitus, sunt mentes & voluntates hominum per suas cogitationes & desideria diuisim aut coniunctim indifferenter. Et quorundã etiã cum his

princi-

principium est motus & exercitium corporalium organorum. Ipsorum vero causa efficiens, secundum quod partes sunt ciuitatis, est humanus legislator frequenter & in pluribus, licet olim raro & in paucissimis cuiusdam aut quarundam causa mouens immediata fuerit Deus absque humana determinatione, sicuti *nono huius* dicetur, & *12. & 15.* de his amplius apparebit. De sacerdotio vero, diuersa quædam est institutionis ratio, de qua *15. & 17. secunda* dicitur vtiq; sufficienter. De partibus itaque ciuitatis & ipsarum institutionis necessitate à reliquis trium causarum generibus, determinatum sit hoc modo.

CAP. VIII.

De generibus politiarum, siue regiminum, Temperato & vitiato, & suarum specierum diuisione.

QVoniam autem in prioribus monstratum est aliqualiter, monstrandum tamen certius institutionem & distinctionem partium ciuitatis ab aliqua mouente causa fieri, quam pridem legislatorem diximus: Quodque legislator idem has partes statuit, distinguit, & separat instar animalis naturæ, formando scilicet primum, seu instituendo in ciuitate partem vnam, quam principantem seu iudicialem diximus quinto huius: Per hanc vero reliquas, vt declarabitur amplius 15. huius. Conuenit propterea nobis primum aliquid dicere de natura partis illius: cum enim sit aliarum prima, vt ex sequentibus apparebit, ex ipsius efficientiæ manifestatione priori conuenienter ingredimur ad manifestationem institutionis & distinctionis actiuæ reliquarum partium ciuitatis. Sunt autem principatiuæ partis seu principatuum genera duo, vnum quidem bene temperatum, reliquum vero vitiatum. Voco autem bene temperatum genus cum Aristot. *politica, cap. 5.* in quo *dominans principatum* ad commune conferens secundum voluntatem subditorum, *Vitiatum* vero quod ab hoc deficit. Horum rursum generum, vtrumque diuiditur in tres species, Primum quidem, temperatum scilicet, in regalem monarchiam, aristocratiam, & politiam. Reliquum vero vitiatum scilicet in tres oppositas species diuiditur, tyrannicam monarchiam, oligarchiam, & democratiam. Et vnaquæq; rursum harum specierum modos habet, de quibus præsentis negotii non est exquisite tractare. De his enim sufficienter tradidit Aristoteles *tertio & quarto suæ politicæ.* Ad habendam vero ipsarum ampliorem notitiam, quę necesse est aliqualiter propter sequentia declaranda, vnamquamque dictarum principatus specierum iuxta intentionem Aristotelis describamus, dicentes primum, quod *regalis monarchia* est temperatus principatus, in quo dominans est vnicus ad commune conferens, & subditorum voluntatem siue consensum. *Tyrannis* vero illi opposita, est principatus vitiatus, in quo dominans est vnicus ad conferens proprium præter voluntatem subditorum. *Aristocratia* est principatus temperatus, in quo dominatur honorabilitas sola, iuxta subditorum voluntatem siue consensum & commune conferens. *Oligarchia* vero illi opposita, est principatus vitiatus, in quo dominantur aliqui ditiorum seu potentiorum ad ipsorum conferens, præter subditorum voluntatem. *Politia* vero licet in vna significatione sit commune quiddam ad omne genus vel speciem regiminis seu principatus, in vna tamen ipsius significatione importat speciem quandam principatus temperati, in quo ciuis quilibet participat aliqualiter principatu vel consiliatiuo vicissim iuxta gradum & facultatem seu conditionem ipsius, ad commune etiam conferens, & ciuium voluntatem siue consensum. *Democratia* vero illi opposita, est principatus, in quo vulgus seu egenorum multitudo statuit principatum, & regit sola, præter reliquorum ciuium voluntatem, siue consensum, nec simpliciter ad commune conferens secundum proportionem conuenientem. Quis autem bene temperatorum principatuum sit optimus, aut quis vitiatorum pessimus, de reliquorum quoque ordine in bonitate vel malitia dicere, non habet præsentem speculationem. Hæc tamen de principatuum diuisione in suas species, ipsarumq; descriptione dixisse sufficiat.

CAP. IX.

De modis instituendi regalem monarchiam & perfectionis assignatione, de modis quoq; instituendi reliqua regimina, seu politias tam temperatas, quam vitiatas.

DEterminatis autem his, consequens est dicere de modis efficiendi seu constituendi partē principantem. Ex ipsorum namq; natura meliori vel deteriori prouenientibus hinc ciuili regimini tanquam actionibus arguere oportet causam agentē, à qua tam ipsi quam pars principans per ipsos ad politiā vtilius habeant prouenire. Verum quia de causis & actionibus, à quibus secundū plurimū pars principans creari debet, intendimus in hoc libro: antea volumus dicere modum & causam, per quē iam creata fuit pars hæc, licet raro, vt hunc modum seu actionem, & ipsius causam immediatam discernamus à modis seu actionibus & ipsarū immediatis causis, per quas huiusmodi pars regulariter & in pluribus creari debet, quas etiā humana demonstratione conuincere possumus: prioris enim modi per demonstrationē certam, comprehensio nequit haberi. Hic autem modus seu actio & ipsius immediata causa, per quam formata est tam pars principans & reliquæ partes ciuitatis, præcipue sacerdotium, fuit diuina voluntas, immediate hoc præcipiens alicuius singularis creaturæ oraculo terminato, aut per se solam immediate fortassis, quo modo principatum Israelitici populi in personam Moysi & quorundam aliorum iudicum post ipsum, Sacerdotium quoque in perso-

nam Aaron & ipsius successorum instituit. De qua siquidem causa & ipsius actione libera, tradere sci dicere, cur sic aut aliter, nec sic esse aut fuisse factum, per demonstrationem nec quicquam dicere possumus, sed simplici credulitate absque ratione tenemus. Alia vero est principatuum institutio, quæ scilicet ab humana mente immediate prouenit, licet à Deo tanquam à causa remota, qui omnem principatum terrenum etiam concedit, vt *Ioan. 19.* habetur, & aperte dicit Apostolus *ad Rom. 13.* & beatus Augustinus *5. de ciuitate Dei. c. 21.* quod tamen non est immediate semper, quinimo vt in pluribus & vbique quasi hos statuit per hominum mentes, quibus talis institutionis concessit arbitrium. Et de hac causa quæ sit, aut quali actione talia debeat instituere, ex meliori aut deteriori ad politiam, potest per humanam certitudinem assignari. Omisso itaque modo quem per demonstrationem certificare non possumus, modos institutionum principatus per humanam voluntatem immediate factos, narrare volumus primum, deinde vero monstrabimus ipsorum certiorem atq; simpliciorem. Postmodum vero ex illius modi natura meliori arguemus causam mouentem, à qua prouenire solummodo debet & potest. Ex quibus etiam apparebit consequenter causa mouere debens ad institutionem optimam & determinationem reliquarum partium ciuitatis. Demum vero dicemus de principatus vnitate, propter quam apparebit etiam, quæ sit vnitas ciuitatis aut regni. Prosequentes itaque proposita, primum enumerabimus modos institutionis regalis monarchiæ, loquendo scilicet in ipsorum origine. Species enim hæc principatus, videtur quasi cognata nobis, & propinqua statim domesticæ iconomiæ, vt apparet ex dictis, cap. 3. Post huius vero determinationem apparebit consequenter de modis institutionis reliquarum diuisionum principatus. Sunt autem modi siue institutiones regalis monarchiæ quinque numero secundum Aristotelem *3. politicæ 8. cap.* Vnus quidem cum monarcha statuitur ad aliquod vnum opus determinatum, circa regimen communitatis tamen, vt *ducatum* exercitus, siue cum generis successione, siue pro solius vnicæ personæ periodo, quomodo instituebatur Dux exercitus Agamemnon à Græcis. Vocatur autem officium hoc in communitatibus modernis *Capitaneatus* aut *Contestabiliaria*. Hic vero exercitus Dux de nullo se intromittebat iudicio tempore pacis, exercitu tamen militante Dominus erat occidendi aut aliter puniendi transgressores. Alius autem modus est, quo quidam in Asia principantur, habentes Dominia ex prædecessoribus per successionem, secundum legem tamen, ad monarchæ conferens magis quam ad commune simpliciter, quasi despotia. Sustinent enim habitatores illius regionis talem principatum nihil contristati, propter ipsorum barbaram & seruilem naturam, & consuetudinis auxilium. Hic siquidem principatus regalis est, quia patrius & voluntariis subditis, vt quia primi habitatores fuerant regionis præcessores monarchæ, aliqualiter tamen tyrannicus propter non esse ipsius leges, ad commune conferens simpliciter, sed monarchæ. Tertius vero modus regalis principatus est, cum quis principatur electus, non ex successione patria seu paterna, secundum tamen legem quæ non est ad commune conferens simpliciter, sed monarchiæ magis, quasi tyrannicam. Propter quod etiam vocauit Aristoteles ibidem hanc speciem principatus, *electam tyrannidem*. Tyrannidem quidem propter legis despotiam, electam quidem propterea quod non erat subditis inuoluntaria. Quartus autem modus est, quo per electionem instituitur aliquis princeps, cum omni suo generis successione, secundum leges quæ sunt simpliciter ad commune conferens. Et hoc vtebantur *secundum heroica tempora*, vt dicit ibidem. Vocata vero sunt ea *heroica tempora*, vel quia tunc constellatio tales homines producebat, qui *Heroes*, id est diuini credebantur, propter virtutis excessum, aut quia tales statuebantur principes non alii, propter virtutum & suorum beneficiorum excessum, vt quia sparsam multitudinem collegerunt, & in communitatem ciuilem congregauerunt, vel quia per pugnam & armorum strenuitatem liberauerunt regionem ab opprimentibus, aut quia fortasse regionem emerunt, vel alio conuenienti modo acquisiuerunt, & inter subditos diuiserunt. Et (ad vnum dicere) propter magni beneficii collationem aut alterius virtutis excessum, ad reliquam multitudinem instituti fuerunt principes cum posteritate seu successione tota, sicut etiam dixit Aristoteles *5. politicæ, cap. 5.* Sub hac autem monarchiæ specie fortasse comprehendit Aristoteles eam, ad quam quis eligitur pro sola sui periodo vel parte periodi, vel eam fecit nos intelligere per hanc, & vocatam tyrannidem electam, eo quod vtrique participet. Quintus vero modus est & fuit, quo principans statuitur omnium Dominus eorum quæ sunt in communitate, sic secundum suam voluntatem realia & personalia disponens, quemadmodum iconomus pro voto disponit de his quæ in propria domo sunt. Quod tamen, vt hæc Aristotelis dicta manifestentur amplius, & etiam modi omnes instituendi reliquos principatus ad capitulum reducantur. Dicemus, quod omnis principatus, vel est voluntariis subditis, vel inuoluntariis. Primum est genus bene temperatorum principatuum, secundum vero vitiatorum. Distinguitur autem vtrunque horum generum in tres species siue modos, sicut dictum est *8. cap.* Et quoniam vna specierum bene temperati principatus, & fortasse perfectior est regalis monarchia: Ideoque præmissa recolligentes ab illius modis inchoemus sermonem dicentes, *rex* seu *monarcha* vel instituitur per electionem incolarum, seu ciuium, aut absque ipsorum electione rite obtinuit principatum: Si absque ciuium electione, vel sic est, quia primus inhabitauit regionem aut ipsius prædecessores, ex quibus traxit originem. Vel quia terram & iurisdictionem emit, aut ipsam iusto bello acquisiuit, aut alio quouis licito modo, puta dono sibi de ipsa facto propter impensum seruitium. Participat autem quilibet dictorum modorum tanto amplius de vero regali, quanto magis est ad subditos voluntarios, & secundum legem latam ad commune conferens subditorum. Tanto

vero

vero amplius tyrannidem sapiens, quanto magis exit ab his, consensu videlicet subditorum, & lege ad ipsorum commune conferens instituta. Vnde 4. politicæ 8. cap. scribitur: *Erant autem propterea quod secundum legem, regales* (monarchiæ scilicet,) *& quia monarchicabant voluntariis, tyrannice autem propter despotice principari & secundum suam sententiam* (monarcharum scilicet.) Hæc igitur duo prædicta principatum temperatum & vitiatum separant, vt apparet ex Aristotelis aperta sententia, simpliciter autem aut magis subditorum consensus. Quod si *monarcha* principans per electionem incolarum fuerit institutus, hoc fieri conuenit aliquo horum modorum, quoniam vel instituitur cum sua tota posteritate, seu successore, vel non. Si enim non instituitur cum omni posteritate, hoc contingit pluribus modis, quoniam vel instituitur pro tota vnius vita tantummodo, vel pro vnius & aliquo sui successoris vnius aut plurium. Vel non instituitur ad vitam totam alicuius, nec primi nec successorum, sed solummodo pro aliqua parte temporis terminata, vt annali aut biennali, longiori vel breuiori, & rursum vel ad omne iudiciale officium exercendum, vel ad solum vnicum velut exercitus Dux. Conueniunt autem & differunt monarchæ regales, electi cum non electis, quoniam vtrique voluntariis principantur. Differunt autem, quoniam vt in pluribus non electi principantur subditis minus voluntariis, & ipsos disponunt legibus minus politicis ad commune conferens, quales pridem barbaricas diximus. Electi vero magis voluntariis præsunt, eosque disponunt legibus politicis magis, quas diximus latas ad commune conferens. Ex quibus patet, quod & in sequentibus amplius apparebit, genus electum principatus præstantius esse non electo. Est quoque sententia hæc Aristotelis *tertio politicæ, cap. 9.* quam induximus supra de his qui statuebantur circa heroica tempora. Rursum hic modus institutionis in communitatibus perfectis permanentior est. Nam omnes alios in hunc quandoque oportet reducere per necessitatem, non econuerso, vt si generis successio defecerit, aut alia de causa fiat genus illud, importabile multitudini ab excessu malitiæ sui regiminis, oportet tunc multitudinem se conuertere ad electionem, quæ siquidem electio deficere nunquam potest, generatione hominum indeficiente. Amplius hoc solo modo institutionis habetur principans optimus. Nam eum expedit optimum esse illorum qui versantur in politia, debet enim regulare actus ciuiles omnium. Modus vero institutionis aliarum specierum principatus temperati, vt plurimum est electio, & quandoque in aliquibus sors absque generis successione continua. Vitiatorum autem principatuum institutiones, vt plurimum sunt fraus, aut violentia, aut vtrunque. Quis vero principatuum temperatorum sit præstantior, an monarcha vel reliquæ duæ species, aristocratia vel politia. Et rursum monarchiarum, an electa vel non electa: adhuc autem electarum, an ea quæ cum omni generis successione statuitur, aut in qua solus statuitur absque tali successione: quæ secatur in duas, vt eam scilicet quæ ad totam periodum alicuius aut aliquorum, vel ad partem solam temporis terminatam, puta annalem, biennalem, longiorem aut breuiorem, inquisitionem aut dubitationem rationalem habet, quamuis indubie tenendum secundum veritatem, & Aristotelis apertam sententiam, electionem esse certiorem regulam principatus, vt *in 12. 16. & 17. huius* certificabitur amplius. Hoc tamen non ignorare debemus, quod alia & altera multitudo, in alia vel diuersa regione ac tempore, disposita est ad alteram & diuersam politiam, aliumque aut alterum ferre principatum, vt dicit Aristoteles *tertio politicæ, cap. nono*, quæ attendenda sunt à legumlatoribus & principatuum institutoribus. Nam sicuti non quilibet homo dispositus est ad optimam disciplinam, & propterea non ad illam acquirendam statuitur à dirigente conuenienter, sed ad quam, bonarum tamen, magis fuerit præparatus, sic fortasse multitudo aliqua, quandoque aut in loco aliquo, non est disposita ferre optimum principatum, Ideoque ad temperatorum sibi conuenientiorem ipsam prius tentandum reducere. Ante enim Iulii Cæsaris monarchiam, Romanus populus diu ferre noluit monarcham aliquem terminatum, nec cum generis successione, neque etiam ad totam vnius solius monarchæ periodum. Quod siquidem contingebat illi fortasse, propter heroicorum & principatiorum virorum multitudinem, tam secundum genera seu cognationes, quam secundum indiuidua personarum. Ex his ergo quæ à nobis determinata sunt, manifeste apparet, quod quærentes quis monarcharum sit præstantior ciuitati vel regno, an qui per electionem, vel qui per generis successionem principatur, inconuenienter interrogant & quærunt. Sed oportet quærere primum, quis monarcharum sit præstantior, an electus aut non electus. Et si electus, rursum quis electorum, an qui cum omni sui generis successione statuitur, vel qui absque generis successione. Quoniam licet non electus monarcha, quasi semper principatum transmittat hæredi, electus tamen non omnis, sed solum qui cum sui successione omni statuitur principari. De modis itaq; institutionis principatuum, & quoniam ipsorum simpliciter præstantior est electio, determinatum sit hoc modo.

CAP. X.

De distinctione ac assignatione significatorum huius nominis lex, & ipsius proprissima, & nobis intenta significatione.

QVoniam autem electionem diximus perfectiorem, atque præstantiorem modorum instituendi principatum, bene se habet inquirere illius effectiuam causam, à qua scili-

scilicet secundum complementum suæ bonitatis habeat prouenire, Nam ex hoc apparebit etiam factiua causa principatus electi, & similiter reliquarum partium politiæ. Verum quia principatus regulare debet actus ciuiles humanos (vt demonstrauimus *quinto huius*) & secundum regulam, quæ forma est & esse debet principantis, inquantum principans inquirere oportet huiusmodi regulam, si est, quid est, & propter quid. Est enim fortassis eadem ipsius effectiua causa, quæ principantis.

Hanc itaque regulam, quam statutum vel consuetudinem, & communi nomine legem appellant, existere supponentes, quasi per se notum ex inductione in omnibus perfectis communitatibus, Primum ostendemus quid sit, deinde vero ipsius finalem assignabimus necessitatem, demum autem determinabimus per demonstrationem, cuius aut quorum & quali actione hanc statuere oporteat, quod erit inquirere legis latorem seu causam agentem ipsius, ad quam etiam electionem principatuum pertinere putamus, & per demonstrationem in sequentibus ostendemus. Ex quibus etiam apparebit materia siue subiectum regulæ supradictæ, quam legem diximus. Nam hæc est pars principans, cuius est secundum legem regulare politicos seu ciuiles hominum actus. Ad dicta quidem igitur procedentibus, ne propter nominis multiplicitatem eueniat discolia, distinguere conuenit intentiones seu significata huius nominis *Lex*, hoc enim nomen de numero multiplicium dictionum importat in vna sui significatione naturalem inclinationem sensitiuam ad actionem aut passionem aliquam, quomodo vocauit eam Apostolus ad Romanos septimo, cum dixit, *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* In alia vero ipsius acceptione dicitur hoc nomen lex de quolibet habitu operatiuo, & generaliter de omni forma rei operabilis, existente in mente, à qua tanquam exemplari, siue mensura formæ artificiorum proueniunt, quomodo dicitur Ezechielis 43 *Hæc ergo lex Domus, ista autem mensura altaris.* Tertio vero modo sumitur *Lex* pro regula continente monita humanorum actuum Imperatorum, secundum quod ordinantur ad gloriam vel pœnam in seculo venturo, secundum quam significationem, *Lex Mosaica* dicta est lex, quantum ad aliquam sui partem, sic quoque *Lex Euangelica* secundum se totam lex dicitur. Vnde Apostolus ad Hebr. de his ait; *Translato enim sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat.* Sic etiam de disciplina Euangelica lex dicitur, Iacobi 1. *Qui autem prospexerit in legem perfectam libertatis, & in ea permanserit. &c. Hic beatus in facto suo erit.* Hac etiam legis acceptione dicuntur *leges* omnes sectæ, vt quæ Mahometi aut Persarum, secundum se totas aut aliquas sui partes, licet ex Mosaica & Euangelica, Christiana scilicet, solæ contineant veritatem. Sic etiam sectas leges vocauit Aristot. 2. Philosophiæ cum dixit: *Quantam vim habeat quod consuetum est, leges ostendunt.* Et in 12. eiusdem: *Reliqua vero fabulose iam adducta sunt ad persuasionem multorum ad leges & conferens.* Quarto autem importat hoc nomen lex, & famose magis scientiam seu doctrinam siue iudicium vniuersale iustorum & conferentium ciuilium, & suorum oppositorum. Et sic accepta lex dupliciter considerari potest, vno modo secundum se, vt per ipsam solum ostenditur quid iustum aut iniustum, conferens aut nociuum, & in quantum huiusmodi iuris scientia vel doctrina lex dicitur. Alio modo considerari potest secundum quod de ipsius obseruatione datur præceptum coactiuum per pœnam aut præmium in præsenti seculo distribuenda, siue secundum quod per modum talis præcepti traditur, & hoc modo considerata propriissime lex vocatur, & est. Quam etiam sic sumptam diffinit Aristot. 9. Ethicorum 8. cap. duxit: *Lex autem coactiua habet potentiam sermonis ab aliqua prudentia & intellectu,* politico scilicet, id est ordinatiuo de iustis & conferentibus, & ipsorum oppositis per prudentiam politicam, *habens coactiuam prudentiam*, id est de cuius obseruatione datur præceptum quod quis cogitur obseruare, seu lata per modum talis præcepti lex est. Vnde iustorum & conferentium ciuilium non omnes veræ cognitiones sunt leges, nisi de ipsarum obseruatione datum fuerit præceptum coactiuum, seu latæ fuerint per modum præcepti, licet talis vera cognitio ipsarum necessario requiratur ad legem perfectam. Quinimo quandoque falsæ cognitiones iustorum & conferentium, leges fiunt cum de ipsis datur obseruationis præceptum, seu feruntur per modum præcepti, sicut apparet in regionibus barbarorum quorundam, qui tanquam iustum obseruari faciunt, homicidam absolui à culpa & pœna ciuili, reale aliquod precium exhibentem pro tali delicto, cum tamen hoc simpliciter sit iniustum, & per consequens ipsorum leges non perfectæ simpliciter. Esto enim quod formam habeant debitam, præceptum scilicet obseruationis coactiuum, debita tamen carent conditione, videlicet debita & vera ordinatione iustorum. Comprehenduntur autem sub hac legis acceptione, omnes iustorum & conferentium ciuilium regulæ, auctoritate humana institutæ, vt consuetudines, statuta, plebiscita, decretales, & omnes consimiles, quæ scilicet humanæ auctoritati, vt iam diximus, innituntur. Debemus tamen non ignorare, quod tam lex Euangelica, quam Mosaica, & fortasse sectarum reliquæ diuersimode consideratæ ac comparatæ in toto vel parte ipsarum, ad humanos actus pro statu præsentis seculi vel venturi, quandoque veniunt vel venerunt hactenus, aut venturæ sunt in tertiam legis significationem, & quandoque in vltimam, vt 8. & 9. *secundæ* manifestabitur amplius, quædam quidem secundum veritatem, quædam vero secundum phantasiam falsam, & promissionem inanem. Quod quidem igitur sit regula, seu lex aliqua humanarum actuum ciuilium, & quid sit, ex iam dictis palam.

CAP.

CAP. XI.

De necessitate lationis legum in propriissima significatione sumptarum. Et quod nullum principantem quantumcunque studiosum aut iustum expediat absque legibus principari.

HIs itaq; legis acceptionibus sic diuisis, eius secundum vltimam & propriissimam significationem, ostendere volumus necessitatem finalem: principaliorem quidem, ciuile iustum & conferens commune, assecutiuam vero quandam principatuum, maxime secundum generis successionem, securitatem & principatus diuturnitatem. Primam ergo necessitatem sic, quoniam illud necessarium est in politia statuere absq; quo ciuilia iudicia simpliciter recte fieri nequeunt, per quod rite feruntur, & à defectu quantum possibile est, humanis actibus preseruantur. Lex est huiusmodi, vt cum secundum ipsam determinatus fuerit principans ferre ciuilia iudicia, ergo legis institutio necessaria est in politia. Prima propositio huius demonstrationis est quasi per se nota, & indemonstrabilibus propinqua valde. Cuius etiam certitudo accipi debet & potest ex *quinto huius, parte 7.* Secunda vero propositio manifestabitur ex hoc, quoniam ad iudicii complementum in bonitate requiritur affectio recta iudicum, & iudicandorum vera cognitio, quorum opposita, ciuilia corrumpunt iudicia. Nam peruersa iudicantis affectio, vt odii vel amoris, vt auaritiæ desiderium iudicantis peruertit. Hæc autem à iudicio prohibentur: & ab his preseruatur, dum fuerit iudex seu principans determinatus secundum leges ferre iudicia, propterea quod lex omni caret affectione peruersa, non enim facta est ad amicum aut inimicum vtilem vel nociuum, sed vniuersaliter ad agentem ciuiliter bene aut male. Omnia nanq; reliqua sibi accidunt, & extra legem sunt, non sic autem extra iudicem sunt. Quoniam personæ in iudicio constitutæ possunt esse amicæ vel inimicæ iudicanti, vtiles vel nociuæ, dando aut aliquid promittendo. Sic quoq; in reliquis intentionibus, quæ in iudice causare possunt affectionem, ipsius iudicium peruertentem, propter quod nullum iudicium quantum possibile est, debet committi arbitrio iudicantis, sed lege determinari & secundum ipsam pronunciari.

Hæc autem fuit sententia diui Aristotelis 4. *politicæ, cap. 9.* vbi ex intentione perquirens, an melius sit regi politiam optimo viro absq; lege, vel ab optimis legibus, inquit sic: *Valentius autem,* (id est præstantius) *ad iudicandum, cui non adest quod passionale omnino,* (id est affectio quæ iudicium peruertere potest,) *quam cui connaturale. Legi quidem igitur hoc non inest,* (passio videlicet siue affectio:) *Humanam autem animã necesse hoc habet omnẽ:* & dixit *omnem,* non expediendo quenquã quantumcunq; studiosum. Quam siquidem sententiam repetens primo Rhetoricæ, cap 1. sic ait: *Omniũ quidem maximũ queritur,* (scilicet nihil absq; lege iudicandum relinqui debet arbitrio iudicantis,) *quia iudicium quidem legislatoris,* id est lex) *non secundum partem,* (id est, non est latum propter aliquem hominem particularem,) *sed de futuris & vniuersalibus est. Præfectus autem & iudex iam de præsentibus & determinatis iudicant, ad quos & amare & odire, & proprium commodum annexa sunt sæpe, vt non adhuc possint videre sufficienter verum, sed attendere in iudicio proprium delectabile aut triste.* Hoc etiam dicit eodem. 1. cap. 2. *Non enim,* inquit, *similiter reddimus iudicia tristes & gaudentes, amantes vel odientes.* Corrumpitur adhuc iudicium, propter iudicum ignorantiam, esto quod bonæ sint affectionis seu intentionis, quod etiam peccatũ siue defectus per legem tollitur & suppletur, quoniam in ipsa determinatum est quasi perfecte, quid iustum aut iniustum, conferens vt nociuum, secundum vnumquemq; humanũ actum ciuilẽ. Hoc autem nequit sic sufficienter fieri per vnicũ hominẽ quantumcunq; ingeniosum. Quoniã vnus solus homo, nec fortasse omnes vnius ætatis homines inuenire aut retinere possent omnes actus ciuiles determinatos in lege. Quinimo, ꝙ de ipsis dixerunt inuentores primi, & omnes etiam eiusdem ætatis homines, taliũ obseruatores, fuit res modica & imperfecta, quę postmodum ex additione posteriorum complementũ suscepit. Quod quidem videre sat est experientia nota per additionem & subtractionẽ ac totaliter in contrariũ mutationẽ quandoq; factam in legibus, secundum diuersas ætates, & secundum diuersa tempora eiusdem ætatis. Testatur autem & hoc Arist. 2. politicæ. c. 2. cum dixit: *Oportet autem non hoc ipsum ignorare, quia oportet attendere multo tempore & multis annis, in quibus non vtiq; lateat si hæc bene se habuerunt,* quam scilicet statui debent tanquam leges. Idem dicit ipse 1. rhetoricæ. c. 1. *Deinde,* inquit, *legislationes quidem ex multo tempore considerati fiunt.* Et confirmatur id ratione quoniam legis lationes indigent prudentia, vt pridem ex descriptione legis apparuit, prudentia vero longa eget experientia, hæc autem temporis multitudine. Vnde sexto Ethicorum: *Signum autem ipsius quod dictum est, & quod Geometri quidem iuuenes & disciplinati fiunt & sapientes talia, prudentes autem non videntur fieri. Causa etiam, & quoniam singularium est prudentia, quæ fiunt cognita ex experientia, iuuenis autem expertus non est, multitudo enim temporis faciet experientiam.* Et ideo quod vnus solus homo inuenit, aut scire potest per seipsum, tam in scientia iustorum & conferentium ciuilium, quam in aliis scientiis, est parum aut nihil. Adhuc etiam quod vnius ætatis homines respectu eius quod ex pluribus ætatibus obseruatur, imperfecta res est, propter quod de inuentione veritatis secundum vnamquamque artem & disciplinam, tractans Aristoteles 2. Philosophiæ, cap. 1. sic inquit: *Secundum vnum quidem inuentorum,* (scilicet cuiusuis disciplinæ aut artis,) *nihil aut parum ei immittere,* (id est de ipsa per se solum inuenire,) *ex omnibus coarticulatum fieri magnitudinem aliquam.* Secundum tamen translationem ex Arabico, magis aperta est hæc series, in qua sic habetur: *Et vnusquisque eorum,* (id est inuentorum cuiusuis artis aut disciplinæ,) *aut nihil comprehendit de veritate*

aut

aut modicum. Cum igitur congregatum fuerit ex eo ab omnibus qui comprehendere, tunc congregatum erit alicuius quantitatis; quod maxime apparet de Astrologia. Sic ergo per auxilium hominum inuicem, & additionem posterius inuentorum adinuenta prius; receperunt omnes artes & disciplinæ complementum. Quod figuraliter etiam declarat ibidem Aristoteles circa Musicæ inuentionem, cum dixit: *Si Timotheus non fuisset, multam melodiam non haberemus: si autem Phrynes, Timotheus non fuisset*, ita perfectus scilicet in melodiis, nisi habuisset prius inuenta per Phrynem. Quæ verba exponens Auerrois 2. commento, sic ait: *Et quod dicit in hoc cap.* (Aristoteles scilicet,) *manifestum est. Nullus enim potest inuenire per se artes operatiuas aut consideratiuas*, (id est speculatiuas) *in maiori parte, quia non complentur, nisi per iuuamentum prioris ad sequentem.* Idem dicit 2. *elenchorum*, *cap. finali*, de inuentione rhetoricæ & omnium aliarum, quicquid fuerit de Logices inuentione, quam soli sibi absque prioris alicuius inuētione, seu auxilio perfectam adscribit, in quo singularis inter alios extitisse videtur. Hoc etiam dicit ipse octauo ethicorum cap. primo: *Duo*, inquit, *venientes*, (id est conuenientes,) *agere & intelligere potentiores sunt*; supple vno solo. Quod si duo, magis plures duobus, & simul, & successiue, quā solus vnus. Et hoc est quod de proposito dicit tertio politicæ, cap 9 *Inconueniens*, inquit, *forte vtiq; videbitur, si melius percipiat quis duobus oculis & duabus auribus iudicans, & agens duobus pedibus & manibus, quam multi multis.* Cum igitur lex sit oculus ex multis oculis, id est comprehensio examinata ex multis comprehensionibus ad errorem euitandum circa ciuilia iudicia, & recte iudicandum, tutius est ea fieri secundum iudicantis arbitrium. Et propter hoc ipsam statui necesse est, si debeant politiæ quantum ad iusta & conferentia ipsarum ciuilia, disponi optime, per ipsam enim ciuilia iudicia præseruantur ab ignorantia, & iudicum affectione peruersa, quæ fuit minor assumptæ demonstrationis, qua ex principio capituli huius, necessitatem legum assignare tentauimus. Quo vero modo subortam litem seu ciuilem causam, lege non determinatam, diffinire seu iudicare oporteat, dicetur XIV. huius. Sunt ergo leges necessariæ ad excludendum à ciuilibus iudiciis seu sententiis, iudicum malitiam & errorem. Hæc propter consuluit Aristoteles, nulli iudici seu principanti concedere arbitrium iudicandi aut præcipiendi de ciuilibus, absque lege, in quibus lex determinare potuit. Vnde 4. *Ethicorum, cap quinto*, in tractatu *de iustitia* dixit Aristoteles: *Propter hoc non sinimus principari hominem, sed secundum rationem*, id est legem, causam assignans, quam induximus, affectionem peruersam scilicet, quæ in illo cadere potest. Item *tertio politicæ, cap. 6.* cum dixit: *Prima autem dicta dubitatio facit manifestum, nihil sic alterum, quam quod oportet leges recte positas, esse dominas*, id est dominari principantes secundum ipsas. Idem eodem *cap. 9* dum dixit; *Quod quidem intellectum iubet principari, videtur principari iubere Deum & leges, qui autem hominem iubet*, (absque lege scilicet, secundum arbitrium proprium,) *apponit & bestiam.* Parum post subiungens causam, cum dixit; *Propter quod sine appetitu intellectus, lex est*; quasi dicat, legem intellectum seu cognitionem esse, absque appetitu, id est affectione aliqua. Hanc quoque sententiam repetit primo Rhetoricæ, cap. 1. vbi sic inquit: *Maxime quidem igitur conuenit, rectas positas leges quæcunque contingit, omnia determinare ipsas, & quam paucissima committere iudicantibus*: Assignans huiusmodi pridem adductas causas, exclusionem scilicet malitiæ atque ignorantiæ iudicum à ciuilibus iudiciis, quæ in lege cadere nequeunt sicut in iudice, quemadmodum ostensum est prius Et his amplius dicit aperte Aristoteles quarto politicæ, cap. quarto: *vbi non principantur leges*, (id est, vbi principantes non principantur secundum ipsas,) *non est politia*, (temperata, supple) *oportet enim legem quidem principari omnium.* Superest autem ostendere, quod principari secundum legem, nec præter ipsam, debent omnes principantes, Horum vero maxime monarchæ, qui cum omni eorum successione principantur, vt ipsorum principatus securiores & diuturniores existant, quæ in *huius capituli principio* fuerat tanquam secundaria legum necessitas assignata Hoc autem sic primum videre est, quoniam secundum legem principari, ipsorum iudicia præseruat à defectu, contingente propter ignorantiam & affectionem peruersam. Vnde in seipsis & ad ciues subditos regulati, minus patiuntur seditiones, & per consequens suorum principatuum solutiones, quæ illis contingerent agentibus praue secundum suum arbitrium, sicut patenter dicit Aristoteles quinto politicæ, cap. quinto. *Regnum enim*, inquit Aristoteles, *ab extrinsecis quidem minime corrumpitur, ex se ipso autem plurima corruptiones accidunt. Corrumpitur autem secundum duos modos, vno quidem, seditionem facientibus his, qui participant regno, alio autem modo magis tyrannice tentantibus gubernare, quando excegerint esse Domini plurium, & præter legem. Non fiunt autem adhuc regna nunc, sed si fiunt, Monarchia & tyrannides magis.* Obiicit autem aliquis de optimo viro, quod caret ignorantia & affectione peruersa, nos autem dicamus rarissime id contingere, nec tamen æqualiter ipsi legi, vt pridem induximus ab Aristotele à ratione & sensata experientia, quoniam omnem animam contingit habere hanc, id est affectionem quandoq; sinistram. Quod facile credere possumus ex *Danielis 13.* Ibi nanque scribitur, quod venerunt duo Presbyteri iniqua cogitatione aduersus Susannam, vt interficerent eam. Hi autem erant senes & sacerdotes, & populi iudices anno illo, qui tamen falsum testimonium perhibuerunt aduersus eam, propterea quod ipsorum iniquæ concupiscentiæ acquiescere noluit. Et ideo si Presbyteri & senes, de quibus minime videretur, corrupti fuerunt propter carnalem concupiscentiam, & quanto magis propter auaritiam & reliqua, quid de reliquis sentiendum? neminem certe quantumcunque studiosum sic posse carere passione peruersa & ignorantia, quemadmodum lex. Ideoq; tutius est regulari iudicia ciuilia lege quam arbitrio iudicantis committi quantumcunque etiam studiosi.

Esto

Esto tamen quamuis rarissimum aut impossibilium quoddam, esse virum aliquem principantem sic heroicum, vt in ipso neque passio neque ignorantia cadat. Quid de natis dicemus, huic dissimiles entibus, qui propter ipsorum excessum in principatu secundum proprium arbitrium committent, vnde principatu priuentur? nisi forte quis dixerit quod pater virorum optimus, illis principatum non tradet, quod tamen audiri non debet, tum quia in ipso non est, filios hac successione priuare, ex quo generi principatus per successionem debetur, tum quia si in ipsius potestate foret, principatum in quem vellet transferre, non priuaret eo filios quantumcunq; prauos. Vnde Aristoteles tertio politicæ, ca. 9. huic respondens obiectioni, sic inquit; *Adhuc hoc credere* (scilicet patrem priuare filios principatu) *difficile est, & maioris virtutis, quam secundum humanam naturam.* Propter quod principantibus expedit magis lege regulari & determinari, quam arbitrio proprio iudicia ferre ciuilia, secundum legem enim nil prauum aut reprehensibile agent, vnde securior & diuturnior efficietur principatus ipsorum. Hoc autem fuit consilium eximii Aristotelis ad omnes principantes, quod tamen parum aduertunt, cum quinto politicæ, ca. 6. dixit: *Quanto enim pauciorum fiunt domini* (absq; lege scilicet) *ampliori tempore necessarium manere omnem principatum, ipsi enim* (principantes videlicet) *fiunt minus dispositi, & moribus æqui magis, & à subditis inuidetur eis minus.* Et adducit consequenter testimonium cuiusdam prudentissimi regis vocati Theopompi, qui de potestate sibi concessa dimisit. Vnde iudicauimus conueniens, hic seriem Aristotelis inducere propter huius principis singularitatem & virtutem excellentem, & quasi per secula inauditam in alio quoque, dixit ergo Aristoteles: *Rursus Theopompo moderante* (id est minorante potestatem suam, quæ forte videbatur excedens) *& in aliis instituente ephororum principatum, à potestate enim auferens* (scilicet sua) *auxit tempore regnum* (id est, fecit durabilius.) *Quare modo quodam fecit nō minus, sed maius ipsum, qua quidem* (id est hæc verba) *aiunt & ad vxorem respondisse ipsum*, quæ (scilicet vxor) *dixerat: Si nihil* (id est, si non) *verecundaretur, minus regnum tradens filiis, quod à patre accepit? cui* (verba iam dicta) *respondit, non oportet hoc dicere, trado enim diuturnius.* O vox heroica ex inaudita prudentia Theopompi procedens, & quam notanda his qui extra leges vti volunt plenitudine potestatis in subditos, quam inaduertentes multi principantium corruerunt. Et nos quidem ex huiusmodi inaduertentia regnorum non minimum, modernis temporibus quasi totum nutare vidimus, dum ipsius princeps quidam insolitam & præter legem voluit subditis exactionem imponere. Sic itaq; palam ex dictis, in politiis necessarias esse leges, si debeant simpliciter recte disponi, & principatus diutius permanere.

Cap. XII.

De causa legum humanarum effectiua demonstrabili, & de ea etiam, quæ per demonstrationem conuinci non potest, quod est legis latorem inquirere. Vnde etiam apparet, quod electione sola præter alteram confirmationem datur auctoritas ei, quod per electionem statuitur.

His autem habitum est dicere de causa legum effectiua, quam reddere possumus per demonstrationem, de illa enim institutione, quæ Dei opere vel oraculo immediate absq; humano arbitrio fieri possibilis est, aut iam extitit, qualem Mosaicę legis institutionem diximus, etiā quantum ad ea præcepta ciuilium actuum quæ in ea sunt, pro statu præsentis seculi, non intendo hic assignationem facere, sed de legum & principatuum institutione tantummodo, quæ immediate proueniant ex arbitrio humanæ mentis. Ad quam siquidem ingredientes, dicamus, quod legem sumptam quasi materialiter & secundum tertiam significationem, videlicet scientiam iustorum & conferentium ciuilium, inuenire potest ad quemlibet ciuem pertinere, licet inquisitio hæc cōuenientius fieri possit ex obseruatione potentium vacare, seniorum & expertorum in agibilibus quos prudentes appellant, quam ex mœchanicorum consideratione, qui ad quærenda vitæ necessaria suis operibus habent intendere. Verum quia cognitio seu inuentio vera iustorum & conferentiū ac suorum oppositorum, non est lex secundum vltimam significationē & propriam, qua fit mensura humanorum actuum ciuilium, nisi dum de ipsius obseruatione præceptum coactiuū datum fuerit, seu per modum talis præcepti lata fuerit ab eo, cuius autoritate transgressores arceri debent & possunt, propterea dicere conuenit, cuius aut quorum sit auctoritas ferendi tale præceptum, & ipsius transgressores arcendi, quod quidem est inquirere legis latorem siue factorem. Nos autem dicamus secundum veritatem atq; consilium Aristotelis. 3. politicæ, ca. 6. *legis latorem* seu causam legis effectiuam primam & propriam *esse populum* seu ciuium vniuersitatem, aut eius valentiorem partem per suam electionem seu voluntatem in generali ciuium congregatione per sermonem expressam, pręcipientem seu determinantem aliquid fieri vel omitti circa ciuiles actus humanos sub pœna vel supplicio temporali: valentiorem inquam partem considerata quantitate in communitate illa super quam lex fertur, siue id fecerit vniuersitas prædicta ciuium aut eius pars valentior per seipsam immediate, siue id alicui vel aliquibus commiserit faciendum, qui legis lator simpliciter non sunt, nec esse possunt, secundum solum ad aliquid & quandoque, ac secundum primi legis latoris auctoritatē. Et dico consequenter huic, quod eadē auctoritate prima

non alia debent leges & aliud quodlibet per electionem institutum approbationem necessariam suscipere, quicquid sit de ceremoniis seu solennitatibus quibusdã, quæ ad esse non exiguntur electorum, sed ad bene, quibus etiã non factis nil minus electio valida foret, amplius ꝙ ab eadem auctoritate debent leges, & alia quæ per electionẽ statuuntur, suscipere additionem aut diminutionem, vel totalem mutationem, interpretationem & suspensionem, secundum exigẽtiam temporum vel locorum, & reliquarũ circunstantiarum, quib. horum aliquid ꝑpter commune conferens circa talia fuerit opportunum. Eadem quoq; auctoritate promulgari seu proclamari debent leges post earum institutionem, ne quisquam ciuis aut aduena delinquens in eas, possit per ipsarũ ignorantiam excusari. *Ciuem autem dico* secundum Aristot. 3. politicæ, capitulis. 1. 3. & 7. *eum qui participat in cõmunitate ciuili, principatu autem consiliatiuo vel iudicatiuo secundum gradum suum.* Per quam siquidem descriptionem separantur à ciuibus pueri, serui, aduenæ, ac mulieres, licet secundum modum diuersum. Pueri nanq; ciuium, ciues sunt in propinqua potẽtia propter solum ætatis defectum. Valentiorem vero ciuium partem oportet attẽdere secundum politiarum consuetudinẽ honestam, vel hanc determinare secundum sententiam Aristot. 6. *politicæ. ca.* 2. Sic itaq; determinato ciue ac ciuium valentiore multitudine, ad propositam intentionem redeamus, demonstrare scilicet legum latoris auctoritatem humanam, ad solam ciuium vniuersitatẽ, aut eius valentiorem partem pertinere, quod quidem sit primum inferre tentabimus. Quoniam illius tantummodo est legum humanarum lationis seu institutionis autoritas humana primã simpliciter, à quo solum optimæ leges possunt prouenire. Hoc autem est ciuium vniuersitas aut eius pars valentior, quæ totam vniuersitatem repręsentat. Quoniam nõ facile, aut non possibile, omnium personas in vnam conuenire sententiam, propter quorundam esse naturam orbatam, aut malitia vel ignorantia singulari discordantem à communi sententia: propter quorum irrationabilem reclamationem seu cõtradictionem, non debent communia conferentia impediri vel omitti. Pertinet igitur ad vniuersitatem ciuium, aut eius valẽtiorem partem tantummodo legum lationis seu institutionis auctoritas. Prima propositio huius demonstrationis est valde propinqua per se notis, quamuis eius robur & vltima certitudo sumi possit *ex* 11. *huius.* Secundam vero propositionem probo, videlicet quod ex vniuersæ multitudinis auditu & præcepto tantummodo feratur lex optima, supponendo cum Aristotele 3. politicæ, cap. 7. *legem optimam esse, quæ lata est ad commune conferens ciuium.* Vnde dixit: *Rectum autem fore* (in legibus scilicet) *ad conferens ciuitatis, & ad commune ciuium.* Hoc autem fieri optime per ciuium vniuersitatem tantummodo, aut eius valentiorem partem, quod pro eodem de cætero supponatur, sic ostendo, quoniam illius veritas certius iudicatur, & ipsius communis vtilitas diligentius attenditur, ad quod tota intendit ciuiũ vniuersitas intellectu & affectu. Aduertere enim potest magis defectũ circa propositam legẽ statuendã maior pluralitas quæcunq; sui parte, cum omne totũ corporeum saltẽ maius sit mole atq; virtute qualibet sui parte seorsum. Adhuc ex vniuersa multitudine magis attẽditur legis cõmunis vtilitas, eo ꝙ nemo sibi nocet scienter. Ibi autem inspicere potest quilibet, an lex proposita magis declinet ad cuiusdam aut quorundam cõmodum, quam aliorum vel cõmunitatis: & in contrarium reclamare, ꝙ non fieret, si per vnum aut paucos quosdam, proprium magis quã commune attendentes commodum, lex ipsa feratur. Hanc quoq; sententiã satis adiuuant, quæ de legum necessitate assignauimus in 11. huius.

Rursum ad principalem conclusionem sic, quoniam illius tantummodo est legum lationis autoritas, per quem latæ melius, aut simpliciter obseruantur. Hoc autem est tantummodo ciuiũ vniuersitas, ipsius igitur est autoritas lationis legum. Prima propositio huius demonstrationis est per se notis propinqua valde, ociosa namque lex esset, nisi obseruaretur. Vnde Aristoteles quarto politicæ, cap. 7. *Non est autem bona legum dispositio, bene poni leges, non obedire autem.* Idem 8. eiusdem cap. 9. *Nullus profectus est,* inquit Aristoteles, *ferre quidem sententias de iustis, has autem non accipere finem.* Secundam propositionem probo, quoniam lex illa melius obseruatur à quocunque ciuium, quam sibi quilibet imposuisse videtur, talis est lex lata ex auditu & præcepto vniuersæ multitudinis ciuium. Prima propositio huius prosyllogismi apparet quasi per se, nam quia ciuitas est communitas liberorum, vt scribitur 3. politicæ, cap. 4. *quilibet ciuis liber esse debet, nec alterius ferre despotiam,* id est seruile dominium, hoc autem non contingeret, si vnus aliquis aut pauciores ciuium legem ferrent autoritate propria supra ciuium vniuersitatem, sic enim legem ferentes aliorum despotes essent. Et ideo reliqui ciuium, pars amplior scilicet, talem legem quantumcunque bonam, moleste ferrent, aut nullo modo, & contra illam contemptum passi, reclamarent, & non vocati ad illius lationem, nullatenus obseruarent. Latam vero ex auditu seu consensu omnis multitudinis, etiam minus vtilem, quilibet ciuium faciliter obseruaret & ferret: eo quod hanc quilibet sibi statuisse videtur, ideoque contra illam reclamare non habet, sed æquo animo illam pœnis tolerare. Adhuc secundam propositionem primi syllogismi probo ex alio sic. Quoniam illius est potestas obseruationis legum, cuius tantummodo est potentia transgressorum coactiua, hoc autem est vniuersitas, aut ipsius pars valentior, ergo ipsius solius est legum lationis autoritas. Amplius ad principale sic, quoniam illud agibile, in cuius debita institutione consistit maxima pars communis sufficientiæ ciuium in hac vita, & in cuius praua institutione commune detrimentum imminet per vniuersitatem ciuiũ tantummodo debet institui, hoc autẽ est lex, ergo ad vniuersitatem ciuium tantũmmodo illius pertinet institutio. Maior huius demõstrationis est per se notis ꝓpinqua & stabiliter in immediatis veritatibus, quę positę sunt 4. *huius &* 5. Conuenerunt enim

homines

homines ad ciuilem communicationem propter commodum & vitæ sufficientiam consequendam, & opposita declinandum. Quæ igitur omnium tangere possunt commodum & incommodum, ab omnibus sciri debent & audiri, vt commodum assequi & oppositum repellere possint. Talia sunt leges, sicut in minori assumebatur. In ipsis enim recte positis totius & omnis humanæ sufficientiæ pars magna consistit. Sub iniquis vero seruitus & oppressio atque miseria ciuium importabiles, ex quibus tandem contingit soluere politiam. Rursum & est hæc quasi abbreuiatio & summa priorum demonstrationum. Aut legum lationis autoritas, ad solam ciuium vniuersitatem pertinet, vt diximus, vel ad hominem vnicum aut pauciores, non ad solum vnum, propterea quæ dicta sunt in vndecimo huius & in prima demonstratione, quam in hoc adduximus, posset enim propter ignorantiam vel malitiam aut vtrumq; legem prauam ferre, inspiciendo scilicet magis proprium quam commune, vnde tyrannica foret, propter eandem vero causam non pertinet hoc ad pauciores, possent enim peccare in ferendo legem, vt prius ad quorundam (scilicet paucorum) & non commune conferens, quemadmodum videre est in oligarchiis: pertinet hoc igitur ad ciuium vniuersitatem, aut eius partem valentiorem, de quibus est altera & opposita ratio. Quia enim lege debent omnes ciues mensurari secundum proportionem debitam, & nemo sibi scienter nocet aut vult iniustum, ideoq; volunt omnes aut plurimi legem conuenientem cõmuni ciuium conferenti. Ex eisdem quoque demonstrationibus sola minori extremitate mutata conuincitur, legum approbationem, interpretationem, suspensionem, & cætera proposita parte tertia huius, ad solius legis latoris autoritatem tantummodo pertinere. Idemque sentiendum de omni eo quod per electionem statuitur. Cuius enim est autoritas prima eligendi, ipse idem approbat aut reprobat, vel ille cui autoritatem eligendi concesserit, aliter nanq; pars maior esset toto, vel illi saltem æqualis, si ea quæ per totum instituta sunt, autoritate propria dissoluere posset. Modus autem conueniendi ad legum lationem, in *sequenti cap.* describetur.

CAP. XIII.

De quibusdam instantiis ad dicta in capitulo præcedenti, & ipsarum solutione, ac propositi ampliori manifestatione.

DE quibus tamen diximus dubitabit aliquis, disputans ad ciuium vniuersitatem non pertinere legum lationis seu institutionis autoritatem. Primum quidem, quoniam prauum & indiscretum secundum plurimum non debet legem statuere. Hæc enim duo peccata à legis latore debent excludi, malitia scilicet atque ignorantia, propter quæ etiam in iudiciis euitanda, legis necessitatem accepimus *vndecimo huius*. Populus autem seu ciuium vniuersitas est huiusmodi, homines enim, vt in pluribus videtur, praui & stulti, nam *stultorum infinitus est numerus*, vt habetur *Ecclesiastes. 1.* Amplius quoniam difficile valde aut impossibile plurium prauorũ & insensatorum concordare sententias, quod non euenit de paucis & studiosis. Est igitur vtilius per paucos legem ferri, quam per ciuium vniuersitatẽ, & ipsorum superfluam pluralitatem. Rursum in qualibet communitate ciuili sunt pauci sapientes & docti, respectu alterius multitudinis indoctæ. Cum igitur per sapientes & doctos vtilius lex feratur, quam per indoctos & rudes, videtur quod ipsarum lationis autoritas ad paucos pertineat, non ad plures aut omnes. Adhuc frustra fit per plures, quod per pauciores fieri contingit. Cum ergo per sapientes (qui pauci sunt) lex fieri possit, vt dictum est, frustra occuparetur in hoc vniuersa multitudo, aut ipsius pars maior. Non igitur ad vniuersitatem aut ipsius valentiorẽ partem pertinet legum lationis autoritas. Ex supposito nobis in prioribus, quasi omnium in hoc libro demonstrandorum principio videlicet. Omnes homines appetere sufficientiam vitæ, & oppositum declinare, per demonstrationem conclusimus ipsorum communitatem ciuilem quarto huius, quoniam per ipsam, sufficientiam hanc adipisci possunt, & præter eam minime, propter quod etiam Aristoteles primo politicæ, cap. primo inquit: *Natura quidem igitur in omnibus impetus est, ad talem communitatem*, ciuilem scilicet. Ex qua siquidem veritate per necessitatem sequitur alia quædam. & habetur 4. politicæ, cap. 10. videlicet, quod *oportet valentiorem esse partem ciuitatis volentem, non volente manere politiam*. Quoniam nihil desideratur per eandem, natura, specie, secundum eius plurimum & immediate cum ipsius corruptione simul, inane nanque foret tale desiderium. Quinimo non volentes manere politiam computantur inter seruos, non inter ciues, vt sunt aduenæ quidam, vnde 7. politicæ, cap. 12. *Cum subditis enim existunt omnes volentes insolescere, quiper regionem*. Et tunc subinfert, *Totq; multitudine esse eos in politheumate*, (insolentes scilicet, seu non curantes ciuiliter viuere) *vt sint valentiores his omnibus*, (videlicet politizare volentibus) *vnum impossibilium est*, cur autem impossibilium sit, apparet: quoniam hoc esset naturam peccare vel deficere vt in pluribus. Si ergo valentior hominum multitudo vult politiam manere, quemadmodum bene dictum videtur, vult illud etiam, sine quo politia manere non potest. Hoc autem est iustorum & conferentium regula, tradita cum præcepto, vocata lex, *eo quod impossibilium est ciuitatem Aristocratizantem*, (id est secundum virtutem gubernatam) *non bene legibus disponi*, vt habetur 4. *politicæ, cap.* 7. & demonstrauimus *vndecimo huius*. Vult ergo valentior multitudo ciuitatis, legem. Aut contingeret orbatio in natura & arte, secundũ plurimum, quod impossibilium supponatur ex scientia naturali. Suscipio rursum cum supradictis veritatibus ma-

nifestis, communem animi conceptionem, videlicet. *Omne totum maius esse sua parte*, quod verum est tam in magnitudine siue molle, quam etiam in actiua virtute & actione. Vnde satis euidenter, per necessitatem infertur, vniuersitatem ciuium, aut ipsius valentiorem multitudinem, quæ pro eodem accipienda sunt, magis posse quid eligendum & quid spernendum discernere, quacunq; sui parte seorsum. His itaq; suppositis tanquam veritatibus inocccultis, facile est repellere instantias, quibus niteretur aliquis conuincere, legis lationem non pertinere ad ciuium vniuersitatem, aut eius valentiorem multitudinem, sed ad paucos quosdam. Cum ergo primum dicebatur, *ad prauum & in pluribus indiscretum non pertinet legum lationis autoritas*, conceditur. Et cum additur, *vniuersitatem ciuium esse huiusmodi*, negandum est. Nam ciuium pluralitas neque praua neque indiscreta est quantum ad pluralitatem suppositorum, & in plurali tempore, omnes enim aut plurimi sane mentis & rationis sunt, & recti appetitus ad politiam, & quæ necessaria sunt propter eius permanentiam, quemadmodum leges & alia statuta vel consuetudines, sicut prius ostensum est. Quamuis enim non quilibet aut maior multitudo ciuium sit legum inuentor, potest tamen quilibet de inuentis & ab alio sibi propositis iudicare, addendum vel minuendum, aut mutandum discernere. Propterea si, quod in maiori propositione dicitur *indiscretum*, intelligatur id quod per se inuenire nequit legem secundum plures sui partes vel supposita, non debere legem statuere, ipsa esset neganda tanquam falsa manifeste, testibus, inductione sensata, & Aristot. *tertio politicæ*, *cap. 6*. Inductione quidem, quoniam multi de qualitate, picturæ domus, aut nauis, cæterorumque artificiatorum iudicant recte, qui tamen ea inuenire nescirent. Testatur autem huic Arist. *vbi supra*, respondens ad propositam instantiam in hæc verba: *Et quia de quibusdam non solus qui fecit, neque vtique optime iudicabit*: inducens hoc in pluribus artificiorum speciebus, idem faciens intelligere de reliquis. Nec obstat quod dicitur, *sapientes* (qui pauci sunt) *magis possunt agibilia statuenda discernere reliqua multitudine*: quoniam esto sic verum, non tamen ex hoc sequitur, quod sapientes sciant statuenda discernere magis tota multitudine, in qua comprehenduntur ipsi cum reliquis minus doctis. Omne enim totum maius est sua parte in agendo, & etiam discernendo. Et fuit hæc indubie Aristotelis sententia 3. politicæ, ca. 6. cum dixit: *Quare iuste dominans maiorum multitudo*, id est iuste dominari debet de maioribus, quæ sunt in politia multitudo seu ciuium vniuersitas, aut eius pars valentior, quam nomine multitudinis significat, caussam huius assignans. *Ex multis enim populus & concilium, & prætorium, & honorabilitas, amplior autem horum omnium, quam qui eorum qui secundum vnum, & secundum paucos, principantium magnis principatibus*. Vult dicere, quod omnium collegiorum politiæ seu ciuilitatis simul sumptorum, amplior est multitudo, siue populus, & per consequens iudicium securius, iudicio alicuius partis seorsum. Siue pars illa sit *vulgus*, quam hic nomine *concilii* signauit, veluti agricolæ, artifices & huiusmodi; siue sit *prætorium*, id est qui in prætorio sunt officiales, principanti subseruientes, vt aduocati seu iurisperiti, atque notarii: Siue sit *honorabilitas*, id est collegium optimatum, qui pauci sunt; & soli conuenienter eliguntur ad maximos principatus: Siue altera pars ciuitatis quæcunq; seorsum accepta. Amplius esto, sicut est secundum veritatem, aliquos minus doctos non æque bene iudicare de statuenda lege aut altero agibili totidem doctis. Posset tamen intantum augeri numerus minus doctorũ, quod æque bene vel melius iudicarent de his, paucis doctioribus, quod palam dixit Arist. *vbi supra*, hanc volens cõfirmare sententiam: *Si sit multitudo non nimis vilis*, inquit Arist. *vnusquisque quidem erit deterior iudex scientibus. Omnes autem congregati meliores, aut non deteriores*. Ad illud vero quod dicebatur Ecclesi. primo: *stultorum infinitus est numerus*, oportet dicere, per *stultos* intelligi minus doctos, vel non vacantes liberalibus operum, qui tamen participant intellectu & iudicio agibilium, licet non æqualiter vacantibus, aut fortasse significauit ibi sapiens per *stultos*, infideles, sicut dicit ibidem Hieronymus, qui etiam quantumcunque scientes mundanas scientias, sunt stulti simpliciter, secundum illud Apostoli primæ ad Corinth. 3. *Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum*. Secunda vero instantia parum vrget, quoniam licet facilius sit concordare paucorum sententiam, quam plurium, ex hoc non concluditur paucorum seu partis præstantiorem esse sententiam, ea quæ totius multitudinis, cuius pauci sunt pars. Nam hi pauciores non æque bene discernerent neque vellent commune conferens, quemadmodum vniuersa ciuium multitudo. Quinimo insecurum esset, sicut ex iam dictis apparuit, paucorum arbitrio committere legis lationem. Respicerent enim in ea fortasse magis conferens proprium, vt personarum vel alicuius collegii quam commune, quod in his qui *Decretales clericorum* tulerunt, satis apparet. Sicut etiam manifestabimus sufficienter in 8. 2. Ex hoc enim præberetur oligarchiæ via quædam, veluti dum vni soli legum lationis potestas tribuitur, tyrannidi locus datur, quemadmodum *vndecimo huius*, *parte 4*. induximus ab Aristot. *4. Ethicorum*, tractatu *de iustitia*. Instantia vero tertia ex iam dictis facile repelli potest, quoniam & si per sapientes melius possint leges ferri quam per minus doctos: non tamen ex hoc concluditur, quod per solos sapientes ferantur melius quam per vniuersam multitudinem ciuium, in qua etiam includuntur sapientes prædicti. Verum horum omnium congregata multitudo discernere potest, & vellet amplius cõmune iustum & conferens, harum partium quacunq; seorsum accepta quantumcunq; prudentum. Vnde non verum enunciant, dicentes minus doctam multitudinem impedire veri aut communis boni electionem & approbationẽ: quinimo adiuuat in hoc iuncta doctioribus & magis expertis. Nam licet vera & vtilia statuenda per se nesciat inuenire, ea tamen per alios adinuenta & sibi proposita, discernere potest & iudicare, si quid addendũ, minuendum,

aut totaliter mutandum, vel spernendum in propositis videatur. Multa nanq; comprehendit homo post alterius dictionem, & ad multorũ complementum agere potest, ad quorum initia seu inuentionem, per seipsum peruenire nequisset. Sunt enim rerum initia difficillimæ inuentionis, vnde Arist. 2. elench. ca. fin. *Difficillimum est videri principium*. s. veritatis & proprium secundum vnamquamq; disciplinam. Hoc autem inuento facile est addere & augere reliquũ, propter quod scientiarum & artium & aliarum traditionum inuenire principia, nõ est nisi optimorum & acutorum ingeniorum, adinuentis autem addere possunt, etiam humilioris ingenii homines, qui tamẽ neq; propter hoc indiscreti debent appellari, si ex se talia nequeant inuenire, imo & in bonorũ numero computari debent, vt in 1. Ethi. 2. ca. dixit Arist. *Iste siquidem*, inquit, *optimus, qui sibi ipse omnia intellexit. Bonus autem rursus & ille, qui benedicenti obedit*, ipsum. s. auscultando, illiq; non absq; ratione contradicendo. Et propterea iustorum & conferentium ciuilium, & incommodorum seu hominum communium & similium reliquorum, regulas, futuras leges, siue statuta, quærẽdas seu inueniendas & examinandas prudentibus & expertis per vniuersitatem ciuium committi, conueniens & perutile est. Sic vt vel seorsum ab vnaquaq; primarum partium ciuitatis, enumeratarum *quinto huius, parte 1.* secundum tamen vniuscuiusque proportionem eligantur aliqui, vel ab omnibus simul congregatis ciuibus omnes eligantur experti seu prudentes viri prædicti. Et hic erit conueniens & vtilis modus conueniendi ad legum inuentionem absque documento reliquæ multitudinis, minus doctorum scilicet, quæ parum proficeret in quærendis huiusmodi regulis, & à reliquis operibus sibi & aliis necessariis, turbaretur, quod onerosum esset, tam singulis quam communi. Adinuentæ vero & examinatæ huiusmodi regulæ diligenter futuræ legis approbandæ vel reprobandæ in vniuersitate ciuium congregata proponi debent. Vt si cui ciuium videatur quicquam ipsis addendum, aut minuendum, mutandum, aut totaliter spernendum, id dicere possit, quoniã ex hoc poterit lex vtilius ordinari. Possunt enim, vt iam diximus, ciues minus docti quandoque percipere aliquid corrigendum circa propositam legem, qui tamen ipsam inuenire nescirent. Et quoniam sic latæ per auditum & consensum vniuersæ multitudinis, melius obseruabuntur, nec aduersus eas habebit aliquis reclamare. Publicatis autem iam dictis regulis; futuris legibus, & in vniuersali ciuium congregatione, auditisque ciuibus, qui aliqua circa ipsas rationabiliter dicere voluerunt, eligi debent rursum viri, quales & secundum quem modum prædiximus, vel confirmari prædicti, qui vicem & autoritatem vniuersitatis ciuium repræsentantes, supradictas quęsitas & propositas regulas, approbabunt vel reprobabunt in toto vel parte, aut faciet idem si voluerit, vniuersitas ciuium tota simul vel ipsius valentior pars. Postquam siquidem approbationem iam dictæ regulæ leges sunt, & sic nominari merentur, non antea, quæ etiam post ipsarum publicationem seu proclamationem solæ humanorum præceptorum obligãt transgressores ad ciuilem culpam & pœnam. Quod quidem igitur legumlationis seu institutionis autoritas, & de ipsarum obseruatione coactiuum dare præceptum, ad solam ciuium vniuersitatem, seu ipsius valentiorem partem, tanquam efficientem causam pertineat, aut ad illum vel illos, cui vel quibus autoritatem hanc concesserit iam dicta vniuersitas, sufficienter ex dictis monstrasse putamus.

CAP. XIV.

De qualitatibus seu dispositionibus principantis perfecti, vt sciatur qualem oporteat esse, qui ad principatum debet assumi. Vnde apparet etiam conueniens materia siue subiectum humanarum legum.

POst hæc autem dicere oportet de causa effectiua partis principantis, hoc autem erit ostendere per demonstrationem, cuius sit autoritas eligendi eam, & consequenter instituendi reliquas partium ciuitatis. De non electæ nanque partis principantis institutione, sufficienter dictum est *nono huius, parte quinta*. Incipiemus autem primum determinando qualem esse oporteat, qui conuenienter est ad principatum eligendus seu promouendus. Ex hoc enim transibimus certius ad ipsius electionis seu institutionis autoritatem factiuam. Sunt autem futuri principantis perfecti habitus intrinseci duo, separationem non recipientes in esse, videlicet prudentia & moralis virtus, maxime iustitia. Vnus quidem, vt ipsius in principando dirigatur intellectus, prudentia scilicet. Vnde 3. politicæ, cap. 2. *Prudentia autem propria virtus principi sola; alias enim videtur conuenienti, communes subditorum & principum.* Reliquus vero habitus est, quo ipsius rectus extet affectus moralis, virtus scilicet aliarum maxime iustitia. Vnde 4. *Ethicorum* tractatu *de iustitia*, inquit Aristoteles: *Est autem princeps custos iusti.* Est ergo futuro principanti prudentia necessaria, quoniam per ipsam magnifice potest in ipsius opus proprium, iudicio videlicet conferentium & iustorum ciuilium. In quibus namque humanis actibus ciuilibus, actus ipse vel modus non determinatur à lege per prudentiam, dirigitur principans in iudicando & etiam exequendo, facto vel modo, aut horum vtroque in quibus ipsum peccare contingeret absque prudentia. Nam (vt in *Catilinario* Salustii,) si Consul Cicero complices Catilinæ, Romanos ciues atque potentes, aduersus rempublicam coniuratores, proinde mortis reos, secundum legem punisset, loco, tempore, ac modo consuetis: exorta foret inde verisimiliter ciuilis pugna politiæ solutiua, propter seditionem per dictos iam coniuratores aduersus consulem & reliquos principantes in populo concitatam,

tatam. Hoc siquidem periculum Cicero Consul seu principans vrbis, per suam euasit prudentiam, dum dictos reos tortoribus necandos tradidit, & præcepit in loco carceris, quem forte propterea *Tullianum* appellant. Sic ergo prudentia diriguntur agibilium consilia, vnde quinto ethicorum, cap. 4. dixit Aristot. *Prudentiam habitum verum cum ratione actiuum circa hominis bona vel mala,* inquantum homo scilicet. Huius autem causa est, quoniam agibilia sunt, circa quæ & de quibus plurimis sunt humanæ leges, secundum quas debet principans disponere humanos actus ciuiles. Quodque non omnes aut ipsorum modos seu circumstantias quibus inuoluuntur, possibile videtur semper simul lege determinare, propter ipsorum varietatem & differentiam secundum regiones & tempora, vt aperta docet experientia, & testis est Aristoteles primo Ethicorum, cap. 1. cum dixit: *Bona autem & iusta de quibus ciuilis intendit, tantam habent differentiam & errorem, vt videantur sola lege esse, non natura,* id est quia sic velint homines de ipsis statuere, non quia ipsorum agibilium natura determinata sit, vt videlicet hoc quidem sit iustum, illud vero iniustum. Idemque etiam exprimens amplius 3. politicæ, cap. 9. cum dixit: *Sed quoniam hæc quidem comprehendi legibus contingit, hæc autem impossibilia, hæc sunt quæ faciunt dubitare & quærere, vtrum optimam legem eligibilius principari, quam optimum virum? de quibus enim consiliantur* (homines scilicet) *sunt impossibilium lege statuta esse* (omnia supple.) Hæc propter oportuit quædam euenientium in ciuilibus actibus hominum, arbitrio principantium iudicanda committere, quæ scilicet secundum se aut modum aliquem sui seu circunstantiam lege determinata non sunt. Nam in his quæ lege determinata fuerunt, debitum est principantem sequi legalem determinationem. Et fuit hæc Aristotelis sententia 3. politicæ, cap. 6. cum dixit: *Principem autem, siue vnum siue plures, de his esse dominos, de quibus leges non possunt dicere certitudinaliter, propterea quod non facile sit determinare de omnibus,* quam sententiam replicans 9. eiusdem, inquit: *Sunt autem & nunc de quibusdam principatus, dominantes iudicio sicut iudex, de quibus lex non potest determinare, quoniam de quo potuit, nullus dubitat de his tanquam non vtique optime lex præcepit.* Est ergo necessaria principanti prudentia propter talia iudicanda, quæ lege determinari non possunt. Hanc siquidem sententiam Aristot. quasi propinquam rebus manifestis per se, certificare potest per demonstrationem, cui cura fuerit per ea quæ dicta sunt 2. *huius.* Est rursum moralis bonitas, virtutis scilicet, earum vero maxime iustitia, principanti necessaria, nam si peruersus fuerit secundum morem, multum læditur ex eo politia quantumcunque formata legibus. Iam enim diximus, non facile aut non possibile, simul omnia determinare legibus, sed aliqua cõmitti oportere principantis arbitrio, in quibus lædere potest politiam, si fuerit affectionis peruersæ. Et hæc fuit Aristotelis sententia 2. politicæ 8. ca. cum dixit: *Magnorum enim domini constituti, si viles fuerint* (id est, more praui) *multum lædunt, & læserunt iam ciuitatem Chalcedoniorum.* Et quoniam ab hoc præseruantur per moris virtutem, maxime iustitiam, Ideoq; conueniens est si necessariũ conueniens dicere liceat, neminem futurum principari carere morali virtute, aliorum vero maxime iustitia. Cui siquidem etiam in principante futuro cõueniens est, assequi virtutem quandam, vocatam *epieikeiam*, qua dirigitur iudex, præcipue secundum affectum, in quibus lex deficit. Vnde Arist. 4. *ethicorum,* tractatu *de iustitia,* inquit: *Et hæc natura est, quæ epieikes directio legis, vbi deficit propter particulare.* Quam æstimo, iuristæ volunt *æquitatem* dicere. Est enim hæc benigna legis quædam interpretatio vel moderatio in aliquo casu, quem lex sub rigoris vniuersalitate comprehendit, in quo pro tanto lex deficere dicitur, quia ipsum à regula non excepit, quem tamen si sic futurum attendisset ab vniuersalitate regulæ cum aliquo moderamine, vel simpliciter excepisset. Adhuc etiam cum his singularis quidam amor seu beneuolentia futuri principantis, ad politiam & ciues exigitur. Ex hoc nanque principantis actiones ad commune ac singulorum conferens intenduntur in sollicitudine & bonitate.

Præter hos autem dictos habitus & dispositiones necessarium est principanti extrinsecum organum quoddam, armatorum videlicet numerus certus, quo suas ciuiles sententias in rebelles & inobedientes per coactiuam potentiam exequi possit. Vnde Aristo. 7. politicæ cap. 6. *Communicantes autem* (ciuiliter, supple) *necessarium est ipsis habere arma* (id est, armatorum multitudinem aliquam) *ad principatum inobedientium gratia* (id est ad arcendos inobedientes principatibus,) aliter enim leges atque ciuiles sententiæ ociosæ forent, nisi earum executio posset expleri. Debet autem hæc armata potentia principantis determinari per legis latorem, veluti ciuilia reliqua: tanta siquidem vt vniuscuiusque ciuis seorsum aut aliquorum simul excedat potestatem, non tamen eam quæ simul omnium aut maioris partis, ne principantem præsumere aut posse contingat violare leges, & præter, aut contra ipsas despotice principari. Vnde Aristot. 3. politicæ, ca. 9. *Oportet enim ipsum quidem habere potentiam tantam, vt sit ea quæ singulorum, & vnius & simul plurium maior, ea autem quæ multitudinis minor.* Oportet autem simul plurium intelligere non comparatiue, id est maiorem partem, sed plurium positiue, secundum quod à pluralitate deriuatur, id est à multitudine aliqua, non tamen valentiori ciuium parte. Si enim non sic intelligatur, repugnantia esset in dictis ipsius. Hanc vero coactiuam potestatem, futurum principari, aut ipsius ad principatum electionem, non necessarium est habere, quemadmodum reliquas sui dispositiones intrinsecas, de quibus iam diximus pridem. Sic enim ad principatum nunquam assumerentur studiosi pauperes. Cuius oppositum voluit Aristoteles idem 2. politicæ, cap. 8. dum dixit: *A principio autem hoc videre est necessariorum, qualiter optimi possint vacare, & nihil dehonestari, non solum principes, sed neque singulariter viuentes.* Veruntamen vt quæ de principantiũ dispositionibus, ac reliquis sibi necessariis

ad ca-

ad capitulum reducantur, dicamus, quod prudentia & moralis virtus necessariæ sunt futuro in principantem eligendo ante ipsius electionem. Armata vero potentia necessaria est principanti, maximum principatum ciuitatis aut regni, tanquam instrumentum seu extrinsecum organum, quo ipsius secundum leges expleantur sententiæ, non tamen hanc oportet habere ante ipsius electionem, sed illi simul cum principatu conferre. Amor autem seu beneuolentia singularis ad politiam & ciues, in suarum actionum ciuilium bonitatem & sollicitudinem addit, licet nō æqua necessitate cum prædictis exigatur in ipso.

Testatur autem his Aristoteles quinto politicæ, cap. 4. dum dixit: *Tria autem quædam oportet habere futuros principari principales principatus, primo quidem amorem ad consistentem politiam, deinde potentiam maximorum operum principatus, tertio autem virtutem & iustitiam*; per virtutem intelligens prudentiam, quæ omnium vinculum est & magistra virtutum. Vnde 6. ethicorum, cap. finali: *Simul enim prudentia vni existenti omnes inerunt.* Collocauit autem Aristoteles sub eadem parte dictæ diuisionis, prudentiam & moralem virtutem, propterea quod in esse non separantur, vt existimasse videtur eodem libro & cap. cum dixit: *Manifestum igitur ex dictis, quoniam non possibile bonum esse principaliter sine prudentia, neque prudentem sine morali virtute.* Et nominauit Aristoteles 5. *politica supra dicto cap.* res quas futuro principanti conuenire diximus, fortassis conuerso modo necessitati earum. Ex dictis itaque apparet subiectum proprium seu materia humanarum legum. Hoc enim est principans, cum prudentia & virtute moris, maxime iustitia, præparatus fuerit sufficienter. Qualis quidem igitur esse debeat futurus principans ciuitatis aut regni, quæ etiam sibi necessaria sint & conuenientia, determinatum sit hoc modo.

CAP. XV.

De causa factiua potioris institutionis principatus, vnde apparet etiam effectiua causa reliquarum partium ciuitatis.

CONsequenter autem dictis restat ostendere principantis factiuam causam, per quam videlicet alicui vel aliquibus datur autoritas principatus, qui per electionem statuitur. Hac enim autoritate fit princeps secundum actum, non per legum scientiam, prudentiam, aut moralem virtutem, licet sint hæ qualitates principantis perfecti. Contingit enim has, multos habere, qui tamen hac autoritate carentes, non sunt principes nisi forte propinqua potentia. Ad quæsitum ergo redeuntes, dicamus secundum veritatem & sententiam Aristotelis *tertio politica cap. 6.* Potestatem factiuam institutionis principatus seu electionis ipsius ad legislatorem seu ciuium vniuersitatem, quemadmodum ad eandem legislationem diximus pertinere. 12. *huius*, principatus quoque correptionem quamlibet etiam depositionem, si expediens fuerit propter commune conferens eidem similiter conuenire. Nam hoc est vnum de maioribus in politia, quæ ad multitudinem ciuium vniuersam ex dictis Arist. 3. *politica cap. 6.* pertinere conclusimus 13. *huius, parte.* 4. Est enim multitudo dominans maior, vt dicebatur ibidem. Modus autem conueniendi ad institutionem seu electionem prædictam variatur fortasse secundum prouinciarum varietatem. Verum qualitercumque diuersetur, hoc in quolibet obseruandum, vt talis electio seu institutio semper fiat autoritate legislatoris, quam ciuium vniuersitatem aut eius valentiorem partem persæpe diximus. Potest autem & debet conuinci propositum hoc eisdem demonstrationibus, quibus legum lationem, mutationem, & reliqua circa ipsas, ad ciuium vniuersitatem pertinere conclusimus 12. *huius*. Sola tamen harum demonstrationum minori extremitate mutata, vt videlicet pro termino qui lex dicitur sumatur terminus principantis. Est autem & hoc cum sua veritate probabile valde, si necessariam probabile liceat dicere. Cuius enim est generare formam aliquam, ipsius est determinare subiectum illius, vt in omnibus artibus operatiuis videre est. Vnde & Aristoteles, 2. physic. cap. 4. *Eiusdem autem scientia est cognoscere speciem & materiam, vsque ad hoc, vt medici sanitatem, & coleram, & phlegma, in quibus est sanitas. Similiter autem ædificatoris est speciem domus, & materiam, quoniam lateres & ligna.* Sic quoq; in reliquis artificialibus & naturalibus apparet hoc inductione manifesta. Cuius quidem causa est, quoniam formæ cum suis operationibus sunt fines & cuius causa materiæ sunt aut fiunt, vt *eodem libro & cap.* dictum est. Cum igitur ad ciuium vniuersitatem pertineat generare formam, secundum quam ciuiles actiones regulari debent, legem scilicet, eiusdem vniuersitatis esse videbitur huius formæ determinare materiam seu subiectum. Cuius secundum hanc formam est disponere ciuiles hominum actus, partem scilicet principantem. Et quoniam hæc est formarum optima ciuilis communitatis, debet illi determinari subiectum optimum secundum dispositiones, quod etiam in præcedente capitulo probabili ratione conclusimus. Vnde conuenienter inferri posse videtur, Electum principantem & absque generis successione, simpliciter non electis, aut his qui cum generis successione statuuntur, politiæ præstantiori modo præferri. Huius ergo partis efficiente monstrato, habitum est dicere secundum proposita frequenter à nobis, causam effectiuam, instituentem & determinantem reliqua officiorum seu partium ciuitatis. Hanc autem primam dicimus legislatorem, secundariam vero quasi instrumentalem seu executiuam dicimus principantem per autoritatem huius à legislatore sibi concessam, secundum formam sibi traditã ab eodem,

legem videlicet, secundum quam semper agere ac disponere debet quantum potest, actus ciuiles, quemadmodum ostensum est *cap. præcedente*. Quamuis enim legislator, tanquam prima caussa & appropriata determinare debeat quos, qualia in ciuitate oporteat officia exercere, talium tamen executionem, sicuti & cæterorum legalium præcipit, & si oporteat cohibet pars principans. Fit enim per ipsum conuenientius executio legalium quam per vniuersam ciuium multitudinem, quoniam in hoc sufficit vnus aut pauci principantes, in quo frustra occuparetur vniuersa communitas, quæ etiam ab aliis operibus necessariis turbaretur. Nam & hoc facientibus his, id facit communitas vniuersa, quoniam secundum communitatis determinationem, legalem scilicet, id faciunt principantes, qui etiam pauci aut vnicus existentes legalia facilius exequuntur. Fuit autem in hoc humana solicitudo conuenienter imitata naturam. Quia enim ciuitas & ipsius partes secundum rationem institutæ, analogiam habent animali & suis partibus, perfecte formatis secundum naturam, vt apparet ex Aristotele *primo & quinto politicæ. 2. cap.* Qualis igitur est naturæ actio in animali perfecte formando, proportionata fuit ea quæ humanæ mentis ad ciuitatem & ipsius partes instituendas conuenienter. Ad quam siquidem describendam proportionem, ex qua patebit amplius efficientia & determinatio partium ciuitatis, Suscipiemus cum Aristotele *in 16. de animalibus*. Et à Galieno in suo quodam libro, quem vocauit *de zogonia*, cum reliquis quoq; magis expertis posteriorum, à principio quodã seu caussa mouente aliqua sit illud forma materiæ aut separata, vel alterum quiddã, virtutem habens generatiuã animalis & partiũ eius, formari primum tempore atque natura partem quandam organicam animalis, & in ipsa virtutem seu potentiam naturalem cum calore aliquo tanquam actiuo principio, virtutem inquam & calorem vniuersales actiua causalitate, ad formandum & distinguendum vnamquamque reliquarum partium animalis. Et est pars ista primum formata, cor autem cordi proportionalis aliqua, sicut dixit Aristoteles *vbi supra*, & reliqui philosophorum peritiores, quibus credere oportet propter ipsorum experientiam in hoc, & absque probatione supponere nunc, quoniam id demonstrare non est præsentis inquisitionis. Hæc siquidem pars, formata primum, nobilior est & perfectior in suis qualitatibus & dispositionibus cæteris partibus animalis, Statuit enim in ea natura generans virtutem & instrumentum, per quæ partes animalis reliquæ formantur, ex conuenienti materia, separantur, distinguntur, & inuicem ordinantur, in suis dispositionibus conseruantur, & à nocumento quantum natura patitur præseruantur per ipsam: lapsæ vero à sui natura propter ægritudinem aut alterum impedimentum, huius partis virtute reparantur.

His autem proportionaliter contemplandum in ciuitate conuenienter instituta secundum rationem. Nam ab anima vniuersitatis ciuium aut eius valentioris partis formatur aut formari debet in ea pars vna primum proportionata cordi, in qua siquidem virtutem quandam seu formam statuit cum actiua potentia seu auctoritate instituendi partes reliquas ciuitatis. Hæc autem pars est principatus, cuius quidem virtus causalitate vniuersalis lex est, & cuius actiua potentia est autoritas iudicandi, præcipiendi, & exequendi sententias conferentium & iustorum ciuilium, propter quod dixit Aristoteles septimo politicæ ca. 6. *hanc esse omniũ aliarum necessariissimam in ciuitate*, causa vero eius est, quoniam sufficientia quæ habetur per reliquas partes seu officia ciuitatis, si non existerent, posset aliunde sufficienter haberi, licet non sit faciliter, vt per nauigium & reliqua vectigalia. Sed sine principatus inexistentia ciuilis communitas manere, aut diu manere non potest, quoniam *necesse est vt scandala veniant*, vt dicitur in Matthæo. Hæc autem sunt contentiones propter iniurias hominum inuicem, quæ non iudicatæ aut mensuratæ per iustorum regulam, legem videlicet, & per principantem, cuius est secundum illa talia mensurare, contingeret inde congregatorum hominum pugna & separatio, & demum corruptio ciuitatis & priuatio sufficientis vitæ. Debet etiam pars hic in ciuitate nobilior atque perfectior esse in suis dispositionibus, prudentia scilicet atque virtute, modis cæteris partibus ciuitatis. Vnde 7. politicæ, cap. 12. dixit Aristoteles: *Si tantum fuerint differentes alteri ab alteris quantum deos & heroes exterminamus ab hominibus differre, confestim primo secundum corpus multam habentes excellentiam, deinde secundum animam, vt indubitata & manifesta sit excellentia principantium respectu subiectorum, palàm quidem, quia melius per eosdem, hos quidem principari, hos autem subiici secundum semel*, id est secundum vitam. Statuit etiam principium factiuum ciuitatis, anima videlicet vniuersitatis in hac prima parte virtutem quandam causalitate vniuersalem, legem scilicet, autoritatem quoque seu potestatem agendi & exequendi de his non aliter. Quoniam sicut caliditas innata ipsius cordis tanquam subiecti, per quam cor seu forma eius omnes actiones complet, dirigitur, & mensuratur in agendo per formam cordis seu virtutem, nec aliter ageret ad debitum finem. Adhuc etiam sicut calor, quam *spiritum* dicunt, tanquam instrumentum ad complendas actiones, per totum corpus ab eadem virtute regitur, nec aliter horum calorum alteruter ageret ad debitum finem, quoniam deterius agit ignis quam organa, *vt in secundo peri geneseos & de anima*. Sic quoq; autoritas principandi alicui hominum data caliditati cordis tanquam subiecti proportionata. Sic etiam ipsius armata seu coactiua potestas instrumentalis, calori quem *spiritum* diximus, proportionalis, debet regulari per legem in iudicando, præcipiendo, & exequendo de iustis & conferentibus ciuilibus, aliter enim nõ ageret principãs ad debitum finem, conseruationem scilicet ciuitatis, quemadmodum demonstratum est vndecimo huius. Adhuc autem secundum iam dictam virtutem, legem scilicet, autoritatemque sibi datam distinguere debet principans atque statuere partes &

officia

officia ciuitatis ex conuenienti materia hominibus siquidem habentibus artes seu habitus ad officia conuenientes. Sunt enim tales propinqua materia partium ciuitatis, quemadmodum dictũ est septimo huius. Est enim hæc norma seu lex politiarum bene institutarum, homines statuere ad officia ciuitatis, habentes habitus operatiuos conuenientes ad illa non habentes vero verbi gratia, iuuenes, ad illos ordinare discendos, in quos magis naturaliter inclinantur. Et hæc fuit sententia eximii Arist. in hoc vbi primo Ethicorum, cap. primo dixit: *Quas enim esse debitum est disciplinarum in ciuitatibus, & quales vnumquemque addiscere, & vsque quo hic praordinat*, politica scilicet seu legislatiua prudentia, & consequenter [illegible] qui secundum legem politiam disponit, principans scilicet. Hoc etiam dixit 7. politicæ, cap. 13. *Ad omnia quidem igitur*, inquit, *aspicienti politico leges ferendum, & secum dum partes anima, & secundum passiones ipsarum.* Idem quoque 8. eiusdem, cap. 2. dum dixit: *Quod quidem igitur legislatori negociandum circa viuentium disciplinam, nullus vtique dubitabit. Etenim [illegible] hoc, ledet politias.* Ex prædictis igitur apparet, ad legislatorem, pertinere determinationem [illegible] seu institutionem officiorum & partium ciuitatis, eiusque determinationis iudicium, præceptum & executionem ad principantem secundum legem spectare. Posset autem [illegible] demonstrationibus, quibus ad legumlatorem & principantis institutio- [illegible] 12. *huius, & supra.* Syllogismorum sola minori extremitate mutata. Propter quod non licitum est alicui pro libito sibi assumere officium in ciuitate, maxime aduenis. Non enim debet nec rationabiliter potest pro voto, quilibet se conuertere ad militare vel sacerdotium exercendum. neque debet hoc permittere principans, nam ex hoc contingeret insufficientia ciuitati eorum, quæ per alia officia procurari necesse est. Verum ad talia debet principans determinare personas, partium quoq; seu officiorum ipsorum, quantitatem & qualitatem secundum numerum & potentiam & huiusmodi reliqua, ne propter ipsorum excessum inuicem immoderatum, contingat politiam solui, propter quod quinto politicæ c. 2. dixit Arist. *Fiunt autem & propter excrescentiam quæ præter proportionem [illegible] politiarum. Sicut enim ex partibus corpus componitur, & oportet augeri proportion[illegible] vt maneat [illegible] ratio, Si autem non, corrumpitur. Si enim non solum secundum quantum, sed & secundum quale cres[illegible] propter proportionem. Sic & ciuitas componitur ex partibus, quarum sæpe latet aliqua excrescens, velut egenorum multitudo in democratiis*, & sacerdotium in lege Christianorum. Idem dixit etiam *tertio politica, cap.* 7. cuius omitto seriem propter abbreuiationem sermonis. Debet rursum pars hæc, principans scilicet, autoritate sua secundum legem præcipere iusta & honesta, & his contraria prohibere, tam opere quam sermone, præmiis aut pœnis afficiendo merita vel demerita, obseruantium aut transgredientium præcepta legalia. Quomodo conseruabit in esse debito vnamquamq; partium ciuitatis, & à nocumentis ac iniuriis præseruabit, quod si patiatur tant agat iniuriam ipsarum aliqua curari debet per principantis actionem, inferens quidem iniuriam, sustinendo pœnam. Est enim pœna sicut medicina quædam delicti. Vnde 2. Ethi. ca. 2. *Monstrant autem & pœna facta propter hoc*, id est propter delectationes quæ habentur in male agendo. *medicina enim* quædam sunt. Cui vero illata fuerit iniuria curabitur, emendam recipiendo, quomodo reducentur omnia ad conuenientem æqualitatem aut proportionem. Amplius conseruat hæc pars reliquas ciuitatis partes ipsasque adiuuat in ipsarum operibus tam propriis quam communibus exercendis. Propriis quidem vt quæ prouenire habent ab officiis earum propriis, cõmunibus vero vt communicationibus quæ sunt ipsarum inuicem, quorum vtraq; turbarentur principantis actione cessante à violentorum correptione. Et propterea nunquam debet actio principantis in ciuitate cessare, quemadmodum nec actio cordis in animali, nam licet actiones aliarum partium ciuitatis, aliquo tempore cessare, possint absq; nocumento singularis personæ, collegii vel communitatis, vt actio militaris [illegible] pacis. Similiter quoq; reliquarum partium, huius tamen partis & suæ virtutis nunquam cessare potest actio sine nocumento. Quacunque enim hora vel momento durare oportet præceptũ & communem custodiam de licitis & prohibitis secundum legem, & quandocunq; fiat illicitum aut iniustum, oportet principantem talia regulare perfecte, vel illa exercere quæ præuia sunt ad talia regulanda. Ex prædictis autem apparere potest sufficienter ordo partium ciuitatis inuicem, quoniam propter principantem & ad ipsum tanquam omnium primum [illegible] omnes pro statu præsentis seculi. Nam pars illa in ciuili communitate omnium prima est, quæ cæteras instituere, determinare, ac conseruare in statu & pro statu præsentis seculi seu fine ciuili, pars autem principans secundum humanam legem est illa, vt iam probabili & demostratiua ratione conclusimus. Est igitur aliarum omnium prima, & ad ipsam ceteræ ordinantur. De causa quidem igitur effectiua electionis partis principantis, Similiter autem & reliquarum partium & ciuitatis institutione, ac ipsarum inuicem ordine, determinatum sit hoc modo.

CAP. XVI.

[illegible] monarcham quemlibet per nouam electionem sigillatim sume- [illegible] quem [illegible] solum eligere cum omni posteritate sua, quam generu successionem vocare solent.

[illegible] cognita dubitatio, an videlicet magis expediat ciuiliter viuentibus, monarcham [illegible] electione præficientib. hunc statuere principaturũ cũ omni sua posteritate, q̃ gene-

generis successionem vocare solent, vel illum pro sola eius periodo ad principatum assumere, corrupto vero vel aliter à principatu iuste priuato, nouam vicissim semper electionem facere de futuro. Quibusdam quidem .n. visum est potiorem esse priorē institutionem propter apparentias quandam. Primum nanque propterea quod monarcha succedens ex genere, remp. magis curabit, tanquam sibi quasi propriam & hereditariam, non sic autem monarcha, cui proprium hæredem principaturum fore non constat. Vnde 2. politicæ, ca. primo circa medium inquit Arist. *Minime enim cura fortiter quod plurimorum est commune, de propriis enim maxime curant, de communibus autem minus quam quantum vnicuique attinet.* Et rursum eodem ca. circa finem? *Duo enim sunt quæ maxime faciunt solicite curare homines & diligere proprium & dilectum.* Amplius eiusdem 2. ca. inquit. *Adhuc autem & ad delectationem inenarrabile, quantum differt putare aliquid proprium esse.* Ad quæsitum vero principale rursum, quoniam successores monarchæ minus despotizare videbuntur subditis, quàm nuper electi propter principatum ipsos assueuisse, nilque sibi nouum euenisse putantes, propter quod amplius extolli debeant, & contemnere subditos. Nouiter autem semper electos quemadmodum ditatos nouiter, plerunque superbire contingit. Vnde secundo Rhetoricæ, ca. 24. *Diuitias autem qui assequuntur, mores leuiter est videre omnibus, contumeliosi enim & elati patientes aliquid à possessione diuitiarum, tanquam enim habentes omnia bona, sic disponuntur.* Amplius ad idem, quoniam succedentibus in principatu ex genere, magis obedit subiecta multitudo propter assumptam præcessoribus obediendi consuetudinem. Vnde 2. philosophiæ primæ finali cap. *Vt consueuimus, ita dignamur.* Et secundo Politicæ, cap. quinto circa finem. *Non tantum proderit qui mutauerit quantum nocebit, principibus rebellare assuescens.* Cum aliis quæ de consuetudine dicentur 18. *huius, parte sexta.*

Adhuc etiam ad quæsitum, quoniam genus aliquod tale vel tantum beneficium reliquæ multitudini contulisse contingit, aut in tantum reliquos ciues virtute præcellere, vel propter vtrunque, vt semper principari, nunquam vero sit subiici dignum. Vnde tertio Politicæ suæ capitulo octauo inquit Aristoteles: *Quarta autem species monarchiæ regalis, quæ secundum heroica tempora voluntaria & patria facta secundum legem, quia primi fuerunt benefactores multitudinis secundum artes aut bellum, aut quia collegerunt, aut emerunt regionem facti fuerunt reges voluntariorum, & successiue sumentibus patri*, quod etiam expresse magis inducens eiusdem nono inquit: *Cum igitur fit genus totum, vel aliorum vnum acciderit esse differentem secundum virtutem tantum, vt excedat quæ illius, eam quæ aliorum omnium, tunc iustum est genus hoc esse regale, & dominans omnium & regem vnum hunc.* Sic etiam quinto politicæ, cap. 5. repetens idem, ait. *Regnum quidem enim ad auxilium quod à populo epieikeis factum est, & instituitur rex Epieikorum, quæ secundum excessum virtutis vel actionum quæ à virtute, vel secundum excessum talis generis.* Amplius per successionem melior princeps habetur, eo quod tales ad virtutem amplius inclinantur, quoniam ex strenuis parentibus prodeunt magis. Vnde Aristoteles secundo politicæ suæ, poetæ cuiusdam Theodekti inducens ex egloga sermonem, inquit: *Ex ambabus diuinis progenitoribus radicibus, quis vtique dignificauit adducere seruum?* parum infra subiungens. *Dignificant enim quemadmodum ex homine hominem, & ex bestiis fieri bestiam, sic & ex bonis bonum.* Et rursum, quoniam talis plerunque meliori consuetudine ductus est. vnde Aristoteles primo Rhetoricæ suæ, ca. 13. *Verisimile enim ex bonis bonum, & sic nutritum talem esse.* Rursum ad primum quæsitum, quoniam pricipatus succedentis ex genere, non eas patitur difficultates, quas semper vicissim nuper electus. In hoc enim nouiter electo videlicet, accidit difficultas habendi studiosos electores, quos ad bonam electionem habere necesse est, atque difficile. Amplius & quoniam adinuentos non discrepare inuicem difficile. Sicque discrepantes, dubium est in seditionem vniuersam deducere politiam. Quemadmodum monstrat experientia in electione noua principis Romanorum. Adhuc etiam, quoniam humanæ mentes in malum plerunque sunt pronæ, propter quod amore vel odio, prece vel precio, aut alterius commodi vel difficultatis spe non semper ab electoribus melior principans, sed fortasse rarius assumetur. Amplius ad primum quæsitum, quoniam monarchæ succedentis ex genere facilius est morem cognoscere per ciues & consules, quoniam vnicus & determinatus est, quàm nouiter eligendi, qui determinatus non est. Plurimi namque sunt ciues, quos per electionem possibile est ad principatum assumi. Facilius autem esse vnici morem nosse quàm plurium. Principis vero, cui per consilium aliquid suaderi oportet, ipsumque dirigere quantumcunque prudentem, expedit morem agnoscere. Vnde primo Rhetoricæ, cap. vndecimo: *Morem enim vniuscuiusque maxime persuasiuum.* Rursum quoniam monarcham per successionem assumere, subditorum ambitionem, temeritatem, seu præsumptionem, atque seditionis concitationem videtur auferre. Scientes nanque sibi nunquam principatum deberi, neque ad illum rationabiliter peruenire se posse, nequaquam ad illud anhelant subditi, nec propter illum obtinendum quicquam machinantur sinistrum, quæ tamen satagunt ad ipsum rationabiliter peruenire potentes atque credentes, quemadmodum contingit quibus semper monarcha nouus vicissim eligitur. Vnde Tullius de officiis, libro primo: *Molestum est quod in maximis animis, splendidisque ingeniis plerunque existunt honoris, imperii, potentiæ, & gloriæ cupiditates.* Dignificantes enim hi seipsos principatu propter aliquod vel aliqua bonorum excellentium, procurant eligentium sibi vota, prece vel precio, aut altero quouis illicito modo.

Amplius quoniam electus monarcha, non transmittens principatum in posteros, inaudebit iusti-

[illegible] potentes, quamuis legem transgressos, & præsertim occidendo vel aliter in corpus [illegible]do, formidans ipse propriis heredibus, fortasis non principaturis inde odia vel graues [illegible]icitias & iniurias prouenire. Hæc autem non habet dubitare monarcha succedens ex genere, propter quod secure atq; complete in qualescunq; legum transgressores iustitiam exercebit. [illegible] Rursum quo plures & in pluribus regionibus ac populis & plurium tempore perfectior est modus assumendi monarcham, quoniam qui magis naturalis, magis perfectus, magis naturale autem quod in pluribus est: *Natura nanque rerum est, quæ in pluribus & plurimo tempore inest*, vt in tertio *cœli & mundi*, & 2. *physica* etiam scriptum est, ex inductione palàm. Sic autem habet modus per generis successionem, assumendi monarcham ad eum aliqui per nouam semper electionem futurum assumere, vt in pluralitate monarchatum, regionum & populorum, monstrat inductio, & in temporum descripta per historiographos gesta declarant. Demũ vero quoniam principatus monarchæ successoris ex genere amplius similis est regimini seu principatui vniuersi cum in vniuerso semper vnicus intransmutabiliter extet, vt in secũdo philosophiæ, cap. finali: *Vnus ergo princeps propter entia [illegible] disponit.* Sic autem vbi filius in principatu succedit parenti, euenire videtur [illegible]tem. Et quoniam pater filio eadem quasi persona censetur. Ex deter[illegible] 14. *huius*, Suppositionem accipientes, oportere futurum monarcham quẽlibet prudentem & bonum esse secundum moralem virtutem, præcipue iustitiam, quasi excellenter ad reliquos ciues. Amplius & cum his suscipientes, quæ de diuersitate inclinationum & dispositionum in gentibus & regionib. ad regiminum diuersitatem diximus *nono huius parte* 10. Credendum opinor, melius esse simpliciter reipub. propter ciuilis vitæ sufficientiam, monarcham quemcunq; futurum per nouam electionem statuere, quam ipsum per generis successionem assumere. Quoniam secundum hunc quem potiorem diximus modum instituendi monarcham, semper aut raro deficiens erit sumere monacham, haberi tunc posibilium optimum, vel saltem sufficientem sine defectũ. Ab electione nanq; legislatoris humani quasi semper raro deficiens, intenditur & per[illegible] commune conferens ciuium, quemadmodum ostensum est 13. *huius*, quorum quasi maximum est monarcha sufficiens, vt docet experientia, & ratione deductum est 14. *huius*. Talem autem sic certitudinaliter dare non potest natalis, & plerunq; fortuita successio vt per singula regna sic monarcham suscipientia, ex inductione palàm.

Amplius quoniam id bonum omne, quod in monarcha simpliciter requisitum, dat generis [illegible] natalis successio, noua quasi semper exhibebit electio quamuis econuerso nõ tñ. Eundem .n. hæredem & successorem monarchæ prioris, potest ciuilis multitudo per electionem assumere, si fuerit studiosus & prudens, qui si non sic dispositus extiterit, studiosum & prudentem alium noua dabit electio, [illegible]lem tñ successio generis dare non potuit. Rursum propter futuri monarchæ [illegible] redditur præsens amplius diligens ad communem personarum & rerum ci[illegible]. Propter virtutem siquidem primum quoniam ex electione hunc talem supponimus, deinde vero metu correptionis per futurum monarcham: Et rursum, vt mereatur ipse pro successoribus electionem futuram: Quos etiam propterea disciplinatos & studiosos effici magis curabit, ipsique hoc attendentes ad virtutes & ipsorum opera intendent ampliori conatu. Vnde verisimile, parenti similes effectos virtute ac propter illius meritum, & eidem ex consuetudine obedientiam præstitam per electionem nouam quamdiu tales successerint, ad principatum assumi. Est autem, quam diximus in hoc sententia philosophi *primo* 2. 3. *& 7. politicæ capitulis, nono &* 8. 2. *& 9. atq;* 12. Contraria vero his soluere tentantes, ad primum inducebatur, monarcham per generis successionem assumptum, magis curaturum commune conferens siue rempublicam quasi propriam & hæreditariam illi: Dicendum id amplius facturum monarcham ex electione noua semper assumptum, quoniam hunc constat sæpius esse prudentem, & bonum vt inductione palàm. Quem .n. studiosum producit successio, assumere semper potest electio, quãuis econuerso non tamen. Hic autem agens secundum suam monasticam & ciuilem virtutem, propter optimum in hoc seculo virtutis opus scilicet, ac propter extrinsecum consequenter honorẽ & famam, sibi & suæ memoriæ atq; posteritati quærendam, æque aut amplius curabit rempublicam siue communem, monarcha succedente per genus, qui prænoscens posteritatem successuram in principatu, si non studiosus extiterit, plerunque talia non attendit, & sui correptionem, si deliquerit, minus formidat. Et quod addebatur monarcham per generis successionem, futurũ despotizare minus, eo qui per nouã electionẽ vicissim assumitur, negandum vtiq;. Despotia nanque debenti politice principari, ab imprudentia, malitia vel vtroque contingit, Et his adiiee, præsertim cum quis sperat impune malum agere posse. Hunc autem ex noua sumptus electione monarcha, [illegible] prudentior & melior est, eo qui per generis successionem assumitur propter quod amplius obseruabit seipsum à malo propter virtutem: Rursum & quoniam id minus impune facere potest, & facilius corrigi, eo cuius est in principatu determinare successura posteritas. Quod autem de nouiter dictatis exemplum adducitur, nihil ad rationem hanc obuiare. [illegible] seu aliorum contemptum patiuntur dictati nouiter, ignorantes & more [illegible] conueniente illis instrumento, diuinarum scilicet copia, per quod [illegible] malitiam explere possunt, quamuis diuitiæ secundum ipsarum naturam ad bonum & vitæ sufficientiam huius seculi determinatæ sint amplius quam ad horum opposita, vt palàm *ex primo politicæ*, *capit.* 6. 7. *&* 8. sic etiam & principatus.

Vnde

Vnde aduenientibus his viris prudentibus & studiosis, quales sæpius noua dabit electio, quam natalis successio, non eueniret hinc despotia vel fastus sed opera laudabilia, in quæ non potuit exire studiosus, dum talibus caruit instrumentis. Accidit autem sic opponentibus concedere, à primo electo, quanquam cum illius successione subiectam multitudinem pati despotiam. Ipse enim quoniam electus nouiter à progenitoribus non habuit principatum, ideoque secundum disputantis rationem, patietur ipse de fastu & subditorum contemptu, propter nouæ rei aduentum, quod nouiter patiuntur dictati. Eius tamen oppositum secundum veritatem dicere conuenit aduersantem, quoniam propter huius electi primi excellentem virtutem aut beneficium, impensum ad reliquam multitudinem, successoribus posteris tanquam propter ipsum studiosis conceditur principatus, vnde studiosus ipse magis. Semper enim iuxta sapientis gentilis oraculum, *Propter quod vnumquodque est, & illud magis.* Id vero quod de obedientia subiectæ multitudinis inducebatur, quanquam inter cætera singulariter attendendum nō vrget concedere, futurum monarchā nouiter electū semper minus esse præstantem, eo qui per generis successionem assumitur. Quamuis enim ex consuetudine confirmetur obedientia, videmus tamen ex nouitate maiorem admirationem & reuerentiam, præsertim cum ex electione noua fuerit princeps assumptus ex alia regione siue prouincia. Rursumque quoniam obedientiæ consuetudo simpliciter attenditur in comparatione ad leges & principatum, ad personam vero principantem secundum quid: Vnde videmus semper omnes animo & opere reuereri principatum & leges, quamuis animo quandoque propter insufficientiam, personam principantem contemnant, econuerso non tamen. propter quod cum vbique quasi subiecta multitudo assueta sit legibus & principatibus obedire: non tantum nocet personæ principantis mutatio secundum genus, quantum prodest ex electione noua sufficientia eius, ex cuius reuerentia propter virtutem ad principatum & leges obedientia crescit. Signum autem sufficere obedientiam, quæ ad principatum & leges, est quod in ecclesiastica iconomia de Romano papa videmus. Ipsi nanque subiecta multitudo quasi semper obedientiam debitam, & amplius debita præstat. Cuius quidem causam assignabimus *primo 2. parte 1.* Ex qua siquidem abundanti obedientia, principantem despotizare quandoque contingit, propter speratam impunitatem, quemadmodum iam quibusdam dictorum episcoporum euenisse videmus. Et quod dixit Aristot. 2. politicæ: *Non tantum proderit qui mutauerit &c.* Intentionem habet in his, qui ex occasione qualibet, quamuis leui, mutare quærunt legem aut principem. Ad verbum Arist. tertio politicæ, cap. 9. *Quod genus aliquod tam excellens virtute aut beneficio ad reliquam multitudinem reperire contingit, vt idem dignum sit principari, non subiici.* Esto id aliquo tempore fortasse etiam alicubi verum esse, quamuis non plerunque vbique hoc reperire contingat. Vnde Arist. 2. Rhetoricæ 24. ca. *Generosum autem fuit secundum degenerasse à natura. Quod quidem vt in pluribus non accidit nobilibus: sed sunt multi leuis valoris. Fertilitas enim quædam est in generibus virorum, quemadmodum in his quæ per regiones fiunt, & aliquando si sit bonum genus, fiunt per quoddam tempus viri superflui,* (id est, excessiui virtute) *& demum iterum suspenduntur,* id est deficiunt. *Degenerant quoque quidam bene nato genere in insaniores mores, velut ab Albiado, & qui à Dionysio priore,* id est qui descenderunt ab his viris Albiado & Dionysio priore, quamuis illustribus, degenerauerunt: propterea dicendum, quod ex hoc solo genere quandiu suæ nobilitatis durabit fertilitas & legislatori videatur expediens, conuenienter ordinari seu statui potest per electionem: assumi monarchā vicissim tamen nouum, quandocunque defecerit prior, vt ex eodem genere melior habeatur. Non enim constat, quales monarchæ futuri sint nati, & præsertim primus eorum, quem vbique quasi suscipientes ex successione monarcham ad principatum assumere semper solent. Amplius quoniam & si tale genus illustrium virorum quandoque repertum sit in aliquibus prouinciis, & circa ipsarum originem propter esse paucitatem prudentum studiosorum, eligentium & eligendorum, non tamen id semper videmus, quinimo perducta communitate ad complementum vltimum, vt ea quæ Romanorum apparet principaturum quemcunque ad principatum per nouam electionem assumi debere, tanquam per regulam certiorem & perfectiorem. quamuis enim principatus qui per generis successionem assumitur, quibusdam regionibus etiam si pluribus conuenire videatur, non tamen hæc species institutionis propterea perfectior est, ea quæ nouæ vicissim electionis. Sicut neque fabrilis habitus quamuis in pluribus reperiatur regionibus aut suppositis, perfectior est medicinali. Ea vero propositione concessa, quod magis ad virtutem inclinatur frequenter & meliori consuetudine ducitur, qui ex strenuis parentibus traxit originem: Dicendum quod his amplius in dispositione assumendi monarchæ dare potest electio noua successione natali, quoniam non solum inclinatum ad prudentiam & virtutem, qualem dat natalis successio, verum etiam iam perfectum & actualiter operantem secundum virtutem, talem autem præstantius est ad principatum assumere, qualem in posse aut agere secundum actum non sit, frequenter exhibet, quæ per genus successio. Quod autem aduersum nouitatem electionis induximus inter cætera singularius formidandum, atque cauendum difficultas scilicet, qua patitur à studiosorum carentia, per quos solummodo debet electio fieri, & hoc amplius ipsorum discrepantia, propter quam politiæ seu ciuilitati periculum schismatis imminet. Rursumque horum affectio sinistra, propter quam quomodocunque susceptam, concorditer possunt ipsi vel ipsorum pars valentior prauum eligere principantem. Dicendum vtique, quod ea electio per quam principans cum omni sua posteritate seu successione ad principatum assumitur, primam iam

dictarum

dictarum difficultatum, iterata electione cuiuslibet monarchæ futuri patitur amplius. Eo quod circa politiarum originem, minor est prudentum pluralitas ex quorum siquidem debilitate, contingens error in eligendo, multum lædet politiam quoniam diuturnius. Quæ vero schismatis adducitur dubitatio, quamuis super omnes instantias attendenda, non viget electionem nouam futuri monarchæ, minus præstantem ea quæ vnica cum omni posteritate principaturum assumit. Quoniam electio semper fit propter commune conferens, quod plerunque quasi semper etiam vult & perficit legislator humanus, vt demonstratum est 13. *huius*. Ad quem etiam huius electionis autoritas pertinet, quemadmodum certificatum est 12. *huius*, *& cap. præcedenti*. Esto rursum cum disputante ad solos & studiosos electionem hanc pertinere. Non est verisimile neque verum in pluribus eos adinuicem discrepare, quoniam prudentes neque corrumpi secundum affectum, quoniam studiosi, quæ tertia superextitit difficultas inducta. Id autem exemplum, quod de imperio Romanorum induximus ex difficultate, quam patitur propter electionem nouam, semper fieri de quolibet futuro monarcha: Dicendum difficultatem hanc ab electione tanquam per se causa minime prouenire. Sed prouenit per se difficultas hæc ex quorundam malitia, ignorantia, vel vtroque impedientium electionem atque processum principantis prædicti, de quibus quidem per transeundum hic, quoniam de ipsis & eorum actionibus, quibusque modis id hactenus fecerint & faciant, ac facturi sint, & propter quas causas 19. *huius*. 23. 24. 25. *& 26. secunda* seriose dicetur. Quæ vero fuit obiectio, quoniam facilius & certius bene consulendo dirigitur monarcha succedens ex genere, quam noua semper electione vicissim assumptus, phantasiam modicam habet, non enim si peruersi moris esset monarcha, debent illi per consiliarios suaderi quæ secundum suum morem sunt, vel appetit, sed opposita magis. Verum monarcha supposito, qualem expedire in suppositionibus & veris probationibus diximus, quæ ad politiam seu commune conferens sunt, debent prudentes & studiosi quales nobiscum supponi disputans, futuros principantis consiliarios, illi simpliciter suadere. Quinimo dicetur, expediens fortasse magis, ipsos ignorare morem illius, ne ad ipsius illicitum placitum, propter eius gratiam aut fauorem sibi quærendum, sed verum & commune conferens consulant. Hoc autem sufficienter norunt, habentes politicam prudentiam, propter quod non refert ad hoc monarchæ mos qualiscunq; fuerit, debet enim illi semper ad politiam magis expediens suaderi. Amplius, esto, notitiam dispositionum monarchæ aliquid consiliariis conferre, propter ipsum certius posse dirigere: Dicendum tamen, non tantum quantum per certitudinem quasi semper studiosum & prudẽtem habere monarcham, cuius siquidem etiam per consilium dirigendi morem attendendum per se, hoc ipso sufficienter consiliarius quilibet prudens cognoscere potest. Talem autem certius exhibet noua semper electio quam natalis successio, vt per sæpe diximus. Vnde etiam attendendum, quod succedenti monarchæ per genus quandoq; peruerso, magis obtemperant assistentes seu consiliarii, minusque increpare audent, aut illius correptionem tentare, propter futuram principari posteritatem ipsius. Et quod inquit Arist. primo rhetoricæ: *Morem vniuscuiusque maxime persuasiuum ad vnumquemque*, potest concedi tanquam verum. Vt quod quisque secundum morem seu inclinationem suam desiderat, vehementius & facilius persuadenti credit id. Quod si tamen peruersum appetat, vt diximus, debet hoc illi minime suaderi. Adhuc, quod nec prætereundum silentio, & euenire videmus persæpe, monarcham, si non studiosus extiterit, peruersorum magis quam studiosorum plerumque sequi consilia, propter quod ipsum, quoniam certius studiosum, per electionem nouam sumendum.

Et quod inducitur ex succedente per genus monarcha, ciuium ambitionem, temeritatem, seu præsumptionem, & ambitionem principatus indebitam magis auferri. Dicendum quod non solum indebitum illis aufertur, verum etiam quod secundum rationem debetur, vnde illis seditionis mouendæ datur occasio. Attendentes enim ciuium plurimi super se monarchizare frequenter minus dignos secundum virtutem, & semper principatu priuari, aut non in tantum vacant virtutibus, quibus principari sint digni, aut vacantes continuo, tamen priuari sibi quandoque debito principatu, iuste seditionem mouebunt: quam siquidem minime tentabunt mouere, sperantes ad principatum posse per electionem assumi tempore debito. Amplius, quoniam prudentes & studiosi non absque iniuria graui seditionem mouere tentabunt. Hanc autem non illis inferet legislator, aut principans studiosus, qualem semper quasi futurum diximus, qui per nouam electionem assumitur. Plurimum enim studiosus principans & legislator intendunt quod iustum, vt in 13. *& 14. huius*. Quod autem dixit disputans, *ambitionem aut præsumptionem fore ciuibus appetere principatum*, non recte dixit, quoniam studioso & sic bene merito appetere principatum debito tempore, non est ambitio, superbia, neque præsumtio, sed magnanimitatis atq; virtutis politicæ opus appetere. Propter quod Aristoteles quarto Ethicorum testatur: *Magnanimum non inconuenienter aut præter virtutem appetere magnos honores*. Quod autem dixit Tullius de officiis libro primo: *Molestum esse, quod in maximis animis*. &c. si verum dixerit, veritatem habet, dum talia desiderantur indebite, in quanto vel quali aut reliquis modis præter rationis normam & regulam. Quod autem post hæc inducebatur, quod non transmittens principatum ad hæredes monarcha, non audebit iustificare aut punire potentes, personaliter saltem, & extremo supplicio, propter timere ipsorum maleuolentias ad proprios natos. Dicendum non timere propter animo fortem esse talem electum. Et quoniam iustificati potentes,

si secundum legem & ipsorũ demerito passi fuerint, aut odium non concipient ad monarcham & natos illius, aut debile, non quærentes vindictam. Norunt etenim ipsi iustitiam fieri oportere per illum vel alium principantem. Qui si tamen id cum appetitu vindictæ conceperint, propter ipsorum ignorantiam, malitiam, aut vtrunq;, ad vindictam non audebunt prorum pere metu legislatoris & reliqui principatis, à quo velut à predecessore, rursum puniri verisimiliter dubitabunt. Ei vero litigiosæ rationi, quoniam in pluribus regionibus & in plurimo tempore, cum successione generis monarchæ per electionem videntur assumi: Dicendum, fortasse non sic secundum veritatem habere secundum temporis plurimum. Esto tamen sic esse, quemadmodum disputans sumit. Quod autem annectit, principatum hunc eo naturaliorem atque perfectiorem, negandum. Et cum inducit Aristotelis testimonium ex libro tertio cœli & mundi, ac 2. physicæ, quoniam *natura rei videtur, quæ pluribus & plurimo tempore inest.* Dicendum vtiq; verum esse, quod naturalius sit ens quam eius priuatio vel orbatio, non tamen naturalius quocunque alio sibi specie diuerso, sic enim faber perfectior esset primo philosopho, & fabrilis prima philosophia vel alia speculatiua quacunque, quod tamen, vt pridem diximus, neq; necessarium est, neque verum. Nunc autem electa semper nouiter monarchia, non est priuatio succedentis ex genere, nec econuerso, sed species inuicem disparatæ, simul in eodem incomposibiles respectu eiusdem multitudinis, seu communitatis perfectæ. Sunt autem & alia fortasse peccata orationis prædictæ, quæ consideranti reliquimus, & assignare omisimus propter abbreuiationem sermonis. Ad eam vero qua omnium nouissime astruebatur, monarcham electum cum omni posteritate præstantiorem, propter eius similitudinem vnitatis ad principem vniuersi. Dicendum, non tantum attendendum huius veritatis similitudinem, quamuis æquiuocam quasi quantum secundum animam, seu animæ habitum, est attendenda perfectionis conformitas. Est enim hæc præcipua causa propter quam debet quis ad principatum assumi, non similitudo generis, secundum quam solum attenditur vnitas corporalis dispositionis per se, non autem habitus animæ, propter quem per se alicui principatus debetur. Secundum hanc autem perfectionis vnitatem siue similitudinem amplius & sæpius suo præcessori & studioso monarchæ ac enti primo seu principi vniuersitatis entium conformatur electus monarcha singulariter, secundum seipsum quilibet, quam successor ex genere solo & propter alterius electionem, vt palam ex prioribus dictis. Apparebunt autem & apparent fortasse vtrinq; quam plures instantiæ melius & deterius in singulis ad politiam considerare volenti, quas tamen magis attendendas aduertimus in prædictis induximus. De perfectissimo itaque modo instituendi monarcham, sic pertransiuisse sufficiat.

CAP. XVII.

De numerali vnitate supremi principatus ciuitatis aut regni, & ipsius necessitate, vnde etiam apparet vnitas numeralis ciuitatis aut regni, & numeralis vnitas singularum partium primarum, siue officiorum ciuitatis aut regni.

HIs autem habitum erit dicere de principantis seu principatus vnitate, ad quam siquidem ingredientes, dicamus, quod in ciuitate vnica seu regno vnico, esse oportet vnicum tantummodo principatum, aut si plures numero vel specie, sicut in magnis ciuitatibus expedire videtur, & maxime in regno sumpto secundũ primam significationem, oportet inter ipsos vnicũ numero esse supremũ omnium, ad quem & per quem reliqui reducantur & regulentur, & contingentes in ipsis errores per ipsum ét corrigantur. Hunc autem solummodo principatum, supremum sc. dico vnum numero ex necessitate fore nõ plures, si debeat regnum aut ciuitas bene disponi. Idemque dico de principante secundum illum, non quidem vnicum numero principantem secundum suppositum humanæ speciei, sed secũdum officium. Est enim principatus aliquis vnicus numero supremus & bene temperatus, secundum quem principantur plures homines vno, vt aristocratia & politia, de quibus diximus octauo huius. Verum hi plures sunt vnus principatus numero quantum ad officium, propter numeralem vnitatem cuiuscunq; actionis prouenientis ab eis, iudicii, seu sententiæ, vel præcepti. nulla enim talium actionum prouenire potest ab ipsorum aliquo seorsum, sed ex communi decreto atque consensu eorum, aut valentioris partis secundum statutas leges in his. Et propter talem actionis numeralem vnitatem sic prouenientis, est & dicitur principatus numero vnus, siue vnico regatur homine siue pluribus. Talis vero vnitas actionum non requiritur in aliquo vno reliquorum officiorum seu partium ciuitatis, possunt enim & debent in vnoquoque ipsorum plures actiones consimiles, aut diuersæ specie, à diuersis in eis suppositis prouenire seorsum. Quinimo talis vnitas actionis in eis esset communitati & singulis, importabilis & nociua. Sic itaque intellecta vnitate numerali principatus aut principantis, conuincere volumus, aut vnicum numero tantummodo principatum vel principantem esse in ciuitate vel regno aut si plures, supremum omnium esse vnicum tantum numero, non plures. Hoc autem sic primum monstrabimus, quoniam si principatus essent plures in ciuitate vel regno, & non reducti seu ordinati sub aliquo vno supremo, deficeret iudicium, præceptum, & executio conferentium & iustorum. Et ex his propter inuindicatas iniurias hominum, pugna, separatio, & corruptio demum ciuitatis aut regni. Consequens autem istud est inconueniens maxime fugiendum, cuius quidem ad antecedens datum, pluralitatem scilicet

prin-

principatuum, consequentia potest euidenter ostendi. Primum quidem quoniam legum transgressores iustificari rationabiliter nequeunt nisi vocati coram principante ad quæsitorum seu ipsis obiectorum examinationem. Sed principatuum supposita pluralitate, non reducta in supremum aliquem vnum, quomodo dicit ipsam disputans, nemo vocatus coram principante sufficienter poterit comparere. Esto nanque, sicut frequenter euenit, quod propter legis transgressionem aliquam, vocetur aliquis respondere à pluribus principatibus, non subinuicem ordinatis, & pro eodem tempore, quoniam eadem ratione tenetur & potest vnus principatuum vocare seu citare reum qua reliquus. Et qua etiam ratione vocatus tenetur coram vno principatuum respondere, ne contumax habeatur. Eadem ratione coram alio vel aliis, si duobus fuerint ampliores, aut igitur coram omnibus simul apparebit, aut coram nullo ipsorum, vel coram quodam quidam sic, coram alio vel aliis minime. Coram omnibus autem simul & eodem tempore non, quoniam hoc est impossibilium natura & arte. Idem enim corpus non potest simul esse in diuersis locis aut pluribus simul loqui vel respondere, diuersa fortasse interrogantibus simul. Amplius esto quamuis impossibile vocatum coram pluribus principatibus comparere, simulque diuersa tacere vel respondere, ab vno tamen fortasse principatuum de eodem crimine damnabitur, ab alio fortasse absoluetur, vel si ab vtroq; damnetur, non æqualiter ab vtroq; propter quod emendare tenebitur & non tenebitur, aut si tenebitur, hoc erit in tanto, & ampliori vel pauciori, & sic in tanto & non in tanto. Vnde vel simul contradictoria faciet aut nihil emendabit. Eadem enim ratione vnius principatus & alterius, debet obseruare præceptum. Coram vno, principatuum comparere magis quam coram reliquo vel reliquis, non habet aliquam rationem. Quod si tñ appareat coram vno, reliquis spretis. Et ab illo fortassis absoluatur à culpa & pœna ciuili, à reliquis tamen damnabitur propter contumaciam. Sic igitur vocatus seu citatus, nec coram omnibus apparebit simul, nec coram quodam quidem sic, coram quodam quidem non conuenienter poterit apparere. Relinquitur ergo, vt coram nullo principatu vocatus seu citatus debeat comparere, non igitur iustificari poterit. Est quidem igitur impossibilis ciuitati vel regno pluralitas talium principatuum non subordinatorum inuicem, si debeat conseruari ciuile iustum & conferens.

Amplius talium principatuum pluralitate supposita, omnis communis vtilitas turbaretur, cum enim principantes frequenter præcipere debeant, ciuium præcipue vacantium congregationem, propter communia conferentia inquirenda & determinanda, vel propter incommoda & emergentia pericula declinanda, vt volentium intrinsecus aut extrinsecus opprimere libertatem communem. Qua quidem enim ratione conuenire tenentur ciues seu subditi vocati ad mandatum, ad locum & horam vnius talium principatuum, eadem propter mandatum ad locum & horam alterius, cuique hora eadem, loca vero possunt esse diuersa. Et rursum quod volet vnus principatuum proponere, diuersum forte ab hoc volet alter, cum tamen in locis diuersis esse simul, nec simul diuersa intendere, possibile videatur.

Rursum contingeret ex hoc ciuium seu subditorum sectio, & oppositio, pugna & separatio, demumque ciuitatis corruptio, volentibus quibusdam ipsorum vni principatuum obedire, quibusdam vero alteri. Inter principatus quoque inuicem, propter velle supergredi quemcunque ipsorum ad alterum. Adhuc principatuum ad ciues vel subditos sibi recusantes subesse. Et amplius principatibus diffidentibus, aut inuicem contendentibus, & iudice superiori carentibus, orirentur scandala supradicta.

Rursum supposita pluralitate hac, erit aliquid maximorum secundum rationem & artem, otiosum atque superfluum, nam per vnicum principatum, aut supremum vnicum, perfecte haberi potest quicquid ciuilis vtilitatis haberetur ex pluribus, absque nocumentis consequentibus pluralitatem ipsorum.

Amplius horum sic supposita pluralitate, nullum regnum aut ciuitas erit vna. Hæc enim vnum sunt dicuntur, & propter vnitatem principatus, ad quem & propter quem reliquæ partes ciuitatis ordinantur omnes, vt etiam apparebit ex his quæ continuo dicturi sumus. Rursumque nullus erit ordo partium ciuitatis aut regni, cum ad nulllam primam ordinentur, eo quod nulli subiici teneantur, vt liquido apparuit ex prioribus & supradictis rationibus, eritque ipsarum atque totius ciuitatis confusio: eliget enim sibi quod quisque volet officium, vnum aut plura, nullo regulante nec talia separante. Tot quoque sequerentur ad hoc conuenientia, vt ea non facile aut non possibile sit dinumerare.

Adhuc sicut in composito animali primum præcipiens & mouens ipsum motu, secundum locum est vnum, vt in eo libro qui de motibus animalium apparet, quoniam pluribus existentibus his principiis & contraria vel diuersa simul præcipientibus, necesse foret animal aut in contraria ferri vel omnimodo quiescere, & his carere, quæ per motum sibi necessaria quæruntur & commoda. Sicque in ciuitate conuenienter ordinata, quam animali bene formato secundum naturam proportionaliter habere diximus 15. *huius*. Ideoque, velut in animali taliũ principiorum otiosa, quinimo nociua foret pluralitas eodem modo in ciuitate firmiter opinandum. Idem autem videre est, intendere volenti de primo alterante in animali, quemadmodum de mouente secundum locum, & in toto similiter ordine mouentium & motorum. Hæc autem præter-

termittantur, quoniam ad naturale pertinet negotium magis, quantum autem sufficiens est, de ipsis diximus ad præsentem considerationem.

Amplius, quoniam *ars omnino aliqua quidem perficit, quæ natura non potest operari, alia vero imitatur*, vt in secundo physicæ scriptum est. In natura vero entium cum sit vnicum numero primum principans non plura, quoniam *entia non volunt male disponi*, sicut habitum est 12. phylosophiæ primæ. Vnus ergo erit tantum primus principatus secundum rationem, & artem hominum institutus. Cum dictis autem rationibus est hoc videre, verum expediens & necessarium experientia cunctis sensata. Quoniam in quo loco seu prouincia vel hominum congregatione principatus, quomodo diximus, defecerit vnitas: hæc impossibile videtur bene disponi, quemadmodum de Romanorum regno quasi omnibus euidenter apparet, & in proœmialiter dictis aliqualiter monstrabratur.

Vtrum autem vniuersitati ciuiliter viuentium, & in orbe totali vnico numero supremum omnium principatum habere conueniat, aut in diuersis mundi plagis locorum situ quasi necessario separatis, & præcipue in non communicantibus sermone aut moribus, & consuetudine distantibus plurimum, diuersos tales principatus habere conueniat tempore quodam, ad hoc etiam forte monente causa cælesti, ne hominum superflua propagatio fiat, rationabilem habet perscrutationem, aliam tñ ab intentione præsenti. Videretur enim fortasse alicui naturam per pugnas & epidimias hominum & reliquorum animalium moderasse propagationem, vt ad ipsorũ educationem arida sufficiat, in quo maxime sustentarentur, dicentes generationem æternam. Ad propositam tñ nobis redeuntes intentionem, dicamus, ex his quæ dicta sunt iam aliqualiter apparere, quæ sit numeralis vnitas ciuitatis aut regni, quoniam hæc vnitas est ordinis, non simpliciter vnitas, sed pluralitas aliquorum, quæ vna dicitur, vel qui aliquid vnum dicuntur numero, non propter hoc quod vnum numero sint formaliter per aliquam formam, sed vnum numero vere dicuntur, propterea quod ad vnum numero dicuntur, scilicet principatum, ad quem & propter quem ordinantur & gubernantur. Ciuitas enim aut regnum non est vnorum per formam aliquam vnicam naturalem, vt compositionis aut commixtionis, quoniam eius partes seu officia, & harum partium supposita siue partes, sunt multa in actu & separata inuicem numero formaliter, quoniam loco atque subiecto. Vnde nec sunt vnum per aliquid formaliter inhærens vnum, nec pertangens vnum, aut ea continens velut murus. Roma nanque cum Maguntia & reliquis communitatibus, sunt vnum regnum seu imperium numero, non aliter tamen nisi quia vnaquæque istarum ordinata est per voluntatem ad vnum numero principatum supremum. Quo etiam quasi modo mundus dicitur vnus numero, non plures mundi, non quidem propter formam aliquam vnicam numeralem formaliter vniuersis entibus inhærentem, sed propter numeralem vnitatem primi entis, dicuntur omnia entia vnus mundus, quoniam entium quandocunque naturaliter inclinatur, & pẽdet ab ente primo. Vnde prædicatio qua omnia entia dicuntur vnus mũd⁹ numero, non est formaliter alicuius vnitatis numeralis in eis omnibus, neque alicuius vniuersalis dicti secundum vnum, sed est pluralitas quorundam dicta vnum, quia est ad vnum & propter vnum. Sicquoq; vnius ciuitatis aut prouinciæ homines dicuntur vna ciuitas aut regnum, quia volunt vnum numero principatum. Nec tamen propter hoc sunt vna pars numero ciuitatis quæ sunt vnum regnum aut vna ciuitas numero, quoniam & si hi velint vnum numero principatum, propter quod dicuntur ciuitas aut regnum vnum, quia tamen ad hoc vnum numero per diuersam institutionem actiuam & passiuam referuntur, quæ non est aliud quam diuersum præceptũ, eis à principante traditum, per quod diuersum, ad diuersa officia statuuntur. Ex cuius siquidem etiam diuersitate præcepti formaliter sunt isti partes & officia ciuitatis diuersa. Dicitur autem quodlibet officiorum etiam numero vnum vel vna pars ciuitatis numero, non obstante pluralitate numerali suppositorum in ipsis nec quidem per vnum numero inhærens, sed quoniam ad vnum præceptum actiuum principantis secundum legalem determinationem referuntur Ex his aũt quæ dicta sunt *in hoc capitulo nono 12. & 15. huius*, concludi potest euidenti demonstratione, nulli personæ singulari cuiuscunq; dignitatis aut status existat, neq; collegio cuipiam conuenire principatum seu iurisditionem aliquam cuiusquam in hoc seculo coactiuam, nisi per legislatorem diuinum aut humanum immediate sibi tradita fuerit autoritas ista. Qualis quidem igitur esse debeat vnitas principatus, adhuc aũt quæ numeralis vnitas ciuitatis aut regni, ꝑpter quid ẽt dicatur, & sit numero vnũ horum, vnumquodque: amplius de numerali atque specifica vnitate partiũ seu officiorum ciuitatis ipsarumque ordine, distinctione, ac inuicem separatione, dicta sunt tanta.

Cap. XVIII.

De principantis correctione, & propter quam causam, qualiter, & à quibus, legem transgrediens debet arceri.

Dictum est autem à nobis in prioribus, correctiones aut totaliter mutationes principatuum, ad legislatorẽ pertinere quemadmodũ institutiones ipsorũ de quib. merito dubitabit aliquis, vtrum videlicet principantes expediat corrigere per iudicium & potentiam coactiuã. Et si expediat, vtrũ ꝑpter excessum qualẽcunq;, aut solũ ꝑpter quosdã qdem sic, ꝑpter alios vero minime.

Adhuc

Adhuc etiam cuius aut quorum in ipsos sit talia ferre iudicia, & iudiciorum executiones explere per potentiam coactiuam, cum in prioribus dictum sit ad solos principantes pertinere, ferre ciuiles sententias, legumque trangressores per coactiuam arcere potentiam.

Nos autem dicamus, quod principans per suam actionem secundum legem & sibi datam autoritatem, regula est atque mensura cuiuslibet ciuilis actus, quemadmodum cor in animali, vt satis ostensum est 15. *huius*. Quod si principans aliam formam non reciperet præter legem, autoritatem, & desiderium agendi secundum illam, nunquam minus debitam, aut corrigibilem seu mensurabilē ab aliquo faceret actionem. Et ideo tā ipse quam eius actio sic esset mensura cuiuslibet ciuilis actus aliorum à se, ꝙ nequaquā ab aliis mensuratus, quemadmodum cor bene formatum in animali. Quod quidem, quoniam formam non recipit, per quam inclinetur ad actionem contrariā actioni, quæ prouenire habet à virtute sua & calore naturali, semper conuenientem agit actionem naturaliter, contrariam vero minime, propter quod sic regulat & mensurat per suam influentiam seu actionem reliquas partium animalis, quod ab ipsis nullatenus regulatur, nec ipsarum influentiam recipit aliquam. Verum quia principans homo existens, habet intellectum & appetitum, potentes recipere formas alias, vt falsam æstimationem aut peruersum desiderium vel vtrunque, secundum quas contingit ipsum agere contraria eorum, quæ lege determinata sunt, propterea secundum has actiones redditur principans mensurabilis ab aliquo habente autoritatem mensurandi, seu regulandi secundum legem, ipsum aut eius actiones legem transgressas, alioquin despoticus fieret quilibet principatus, & ciuium vita seruilis & insufficiens. quod est inconueniens fugiendum, vt exterminatis à nobis apparuit *quinto. & 11. huius*. Debet autem iudicium, præceptum, & executio cuiuscunque correptionis principantis iuxta illius demeritum seu transgressionem fieri per legislatorem, vel per aliquem aut aliquos legislatoris autoritate statutos, ad hoc, vt demonstratum est 12. *&* 15. *huius*. Conuenit etiam pro tempore aliquo, corrigendi principantis officiū suspendere ad illum maxime aut illos, qui de ipsius transgressione debuerint iudicare, ne propter tunc pluralitatem principatus contingeret in communitate schisma, concitatio, & pugna: Et quoniam non corrigitur inquantum principans, sed tanquam subditus transgressor legis. Secundū hæc itaque ingredientes ad quæsitas dubitationes dicamus, ꝙ excessus principantis vel grauis est aut modicus adhuc, vel est de possibilibus euenire frequenter, aut raro tantummodo. Amplius vel est de lege determinatis aut non. Si vero grauis fuerit principantis excessus vt in rempublicam, aut insignem vel aliam quamcunque personam, ex quo per correptionis omissionem, posset verisimiliter scandalum, aut populi concitatio generari, siue sit euenientium in pluribus siue raro, corrigi debet propter ipsum principans. Ex ipso enim non vindicato possibilis esset in populo concitatio, & politiæ turbatio atque solutio. Siquidem lege determinatus, secundum legem corrigendus, si vero non, secundum legislatoris sententiam, & lege debet determinari quantum possibile fuerit, vt ostensum est à nobis vndecimo huius.

Quod si principantis excessus paruus fuerit, aut est de raro euenientibus & à principante raro commissus, aut est de possibilibus euenire frequenter, & per principantem sæpe commissus. Quod si à principante raro committatur aut committi possit, debet potius sub dissimulatione transiri, quam ex eo principans corrigi. Quoniam si ex quolibet excessu raro contingenti & paruo, corrigatur principans, contemptibilis redditur, quod in commune nocumentum non modicum redundans est, eo quod legi & principanti ex hoc ciues minus exhibent reuerentiæ atque obedientiæ. Rursum quoniam nolente principe pro modico quolibet correptionem subire propter id sibi ad paruipensionem reputare, poterit inde oriri scandalum graue, cum tamen tale aliquid non sit in communitatibus refricandum, ex quo euidens vtilitas prouenire non potest, sed potius nocumentum.

Hæc autem fuit in hoc Aristotelis aperta sententia. 2. politicæ, cap. 4. cum dixit: *Manifestum, quod sinendum quadam peccata legislatoribus & principibus. Non enim tantum proderit qui mutauerit, quantum nocebit, principibus rebellare assuescens.* Intellexit autem ibidem per *legislatorem* latam legem, quam si obseruare consueuerint homines, dicit non esse mutandam propter modicum in eo corrigendum, sed sinendam, eo quod legum frequens mutatio robur ipsarum debilitat, consuetudinem scilicet obediendi atque seruandi, quæ præcipiuntur in ipsis. Vnde idem eodem libro & cap. *Lex nullum robur habet ad persuaderi præter consuetudinem*, vt videlicet à subditis obseruetur, maximum est consuetudo. In quo etiam consimile est de reuerentia & obedientia principantis. Si vero excessus principantis magnitudine modicus sit, possibilis euenire frequenter, lege determinandus est, & in eo sæpe delinquēs principans per conuenientem pœnam debet arceri. Nam excessus huiusmodi quantumcunque modicus sæpe commissus, notabiliter læderet politiam sicuti & substantias, id est diuitias paruæ expensæ consumunt, sæpe factæ. *Totum enim & omnia, non paruum, sed componitur ex paruis*, vt scriptum est quinto politicæ, cap. 4. De correctione itaque principaturi, & quibus ex causis, determinatum sit hoc modo.

Cap. XIX.

De causis factiuis tranquillitatis & intranquillitatis ciuitatis aut regni, & ea quæ præter solitos modos singulariter regna conturbat, & de continuatione dictionis primæ ad secundam.

Reliquum autem & vltimum huius dictionis est, ex prioribus determinationibus inferre causas tranquillitatis & sui oppositi in ciuitate vel regno. Hoc enim fuit quæsitorum principale, secundum propositam nobis à principio intentionem. Et primum quidem ostendemus has causas inesse communi, singularem ipsarum determinationem, quæ solito modo proueniunt ab Aristotele in *quinto suæ in politica*, supponentes. His consequenter sermonem faciemus determinatū in specie de insolita causa discordiæ seu in tranquillitatis ciuilium regiminum, quam in dictis procemialiter dudum turbasse diximus vexare atque turbare continuo magis Italicum regnum.

Resumere autem oportet propter hæc tranquillitatis & sui oppositi descriptiones iam dictas secundo huius. Erit enim tranquillitas bona dispositio ciuitatis aut regni, qua potest vnaquæq; suarum partium facere opera conuenientia sibi secundum rationem & suam institutionē. Ex qua quidem descriptione apparet ipsius natura, Cum enim dicitur *bona dispositio*, notatur ipsius intrinseca quidditas generalis. In eo vero quod *per ipsam* dicitur *vnaquæque partium ciuitatis posse agere sibi opera conuenientia*, significatur eius finis, qui etiam ipsius propriam quidditatem seu differentiam intelligere facit: ipsa vero cum forma seu dispositio quædam sit ciuitatis aut regni, nec amplius vna quam regnum & ciuitatem esse dixerimus 17. *huius parte vndecima & duodecima*, non habet formalem causam, hoc enim proprium est compositorum, ipsius autem agentem causam facile comprehendere possumus ex dictis 15. *huius*, & aliis, quæ ipsam necessario consequentur in ciuitate vel regno, hæc nempe sunt ciuium conuersatio mutua & communicatio ipsorum inuicem suorum operum, mutuumque auxilium atque iuuamentum, generaliterque suorum operum & communium exercendi ab extrinseco non impedita potestas, participatio quoque communium commodorum & hominum secundum conuenientem vnicuique mensurā. Et cum his cætera cōmoda & desiderabilia expressa in *oratione* Cassiodori, quam posuimus initium huius libri. Quorum quidem omnium aut præcipuorum quorundam contrariam intranquillitatem seu discordiam illi oppositam consequentur. Cum igitur actio debita principantis, sit omnium ciuilium commodorum & prædictorum causa efficiens & conseruans, vt demonstratum est 15. *huius, parte* 11. & 12. erit ipsa tranquillitatis causa factiua, & hoc sensit Apostolus indubie, dum dixit ad Timotheum primæ, cap. 2. *Obsecro igitur primum fieri obsecrationes*, &c. *pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus*. Quod vero huius partis actionem per se impediuerit ab eo ciuitatis intranquillitas seu discordia, prouenit tanquam causa factiua. Quæ siquidem genere visa, & si per plures species varietur & modos, de quibus Aristoteles ab actione solita prouenientibus sufficientem, vt dicere est, notitiam fecit in *quinto Ciuilis scientiæ*, quam *politicam* diximus. Est tamen intranquillitatis seu discordiæ ciuitatum seu regnorum insolita causa quædam, occasionaliter sumpta propter effectum à diuina causa productum præter solitam omnem eius actionem in rebus, quem vt *in dictis procemialiter* tetigisse meminimus, nec Aristoteles aut philosophantium alter sui temporis vel prioris conspicere potuit. Hæc autem dudum hactenus & nunc amplius continuo actionem debitam principantis impediens in Italico regno, ipsum pace seu tranquillitate, cæterisque ipsam cōsequentibus, & iam dictis commodis priuauit & priuat, omniq; incommodo vexauit & vexat, & quasi omnis generis miseria & iniquitate repleuit. Cuius quidem impedientis singulariter causæ propter consuetudinem malignitatis occultæ secundum nobis à principio propositam intentionem, naturam in specie determinare debentes, reminisci oportet eorum quæ diximus sexto huius, Quod videlicet Dei filius vna trium personarum verus Deus, propter delictum transgressionis primorum parentum, & consequenter totius humani generis lapsum reparandum, naturam assumpsit humanam, dudum post Aristotelis tempora, Verus homo factus, & idem Deus simul existens, quem Iesum Christum vocatum, adorant Christiani fideles. Hic inquam Christus benedictus Dei filius, Deus & homo simul idem suppositum existens, inter homines Iudaici populi ex quibus secundum carnem traxit originem, conuersatus est, veritatem credendorum, agendorum, & fugiendorum, ad vitam æternam hominibus consequendam, & miseriam declinandam docere cœpit: Propter hæc tandem, Iudæorum malitia & insania, sub Pilato Pōtio Cæsaris vicario passus & mortuus, resurrexitque à mortuis die tertia suæ mortis, postmodum in cœlos ascendens, ante tamen propter humani generis salutem quosdam sibi, dum viueret corruptibili vita, collegas in veritatis docendæ ministerium, quos Apostolos dicunt, assumpsit, & per vniuersum orbem quam docuerat, & ipsos instruxerat, veritatem prædicare præcepit. Vnde Matthæi 28. & vltimo, post sui resurrectionem dixit ad eos: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis*. Per hos inquam apostolos, quorum nomina satis nota sunt apud Christi fideles, & alios quosdam, Christus legem euangelicam conscribi voluit, & per ipsorum dictamina conscri-

conscripti fuerunt velut per organa quædam, ad hoc mota & directa immediate diuina virtute, per quam siquidem legem [illegible] præcepta & consilia salutis æternæ in ipsius Christi atque apostolorum & euangelistarum [illegible] comprehendere valeremus. In qua etiam & secundum quam sacramenta culpæ originalis [illegible] mundatiua, diuinæ gratiæ factiua & conseruatiua, illiusque amissæ reformatiua, huiusque legis ministrorum institutiua, signauit & statuit. Huius quoque legis doctores, & sacramentorum secundum ipsam ministros primum instituit iam dictos apostolos, ipsis per spiritum sanctum autoritatem huius mysterii conferens, quam sacerdotalem appellant Christi fideles. Per quam siquidem iisdem aut ipsorum successoribus in hoc officio, non aliis, potestatem contulit sub certa forma verborum ab ipsis & eorum singulis dicta, transubstantiandi panem & vinum in verum corpus & sanguinem eius: Cum hoc etiam ipsis autoritatem soluendi atque ligandi homines à peccatis, quam dicere solent clauium potestatem, sibique alios substituendi cum eadem autoritate concessit. Quam etiam autoritatem apostoli quibusdam contulerunt, aut Deus per ipsos orantes & manus aliis imponentes. Sic quoque reliqui potestatem faciendi susceperunt, & consequenter fecerunt, faciunt, & facient vsque ad seculi consummationem. Quo etiam modo apostolus Paulus Timotheum, Titum, & aliorum plures instituit atque instituere docuit. Vnde primæ ad Timotheum quarto: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetam cum impositione manuum presbyteri.* Et ad Titum primo: *Huius gratia reliqui te Cretæ, vt quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego tibi disposui.* Et est hæc autoritas sacerdotalis & clauium siue vnica siue plures, character seu forma quædam animæ per immediatam Dei actionem impressa.

[illegible] autem est autoritas alia quædam sacerdotii, humana concessione tradita, ipsorum multitudine [illegible] iam numero, propter scandalum euitandum, & hæc autoritas est inter ipsos vnius præeminentia super alios dirigendos in templo ad cultum diuinum, debite fiendum & ordinandum seu distribuendum de quibusdam temporalibus, quæ ad vsum ministrorum prædictorum statuta sunt. De cuius quidem autoritatis potestate factiua, & vnde deriuetur, sufficienter dicetur *decimoquinto & decimoseptimo secundæ,* quoniam non fit hæc per Deum immediate, sed per hominum voluntatem & mentem, quemadmodum officia cætera ciuitatis.

[illegible] Sic itaque reperito & aliqualiter declarato ministrorum ecclesiasticorum origine, ac ipsorum officii potestate factiua, oportet amplius attendere, quod inter apostolos Christi prædictos, fuit vnus nomine Simon, cognomine vero Petrus, qui à Christo autoritatis clauium promissionem primus accepit, sicut dicit Glossa secundum Augustinum, Matthæi decimosexto super illud Christi oraculum: *Et tibi dabo claues regni cælorum,* inquit Glossa: *Qui præ cæteris confessus est, Iesum Christum scilicet esse verum Dei filium, præ cæteris dotatur clauibus,* id est ante cæteros. Hic siquidem apostolus post Christi passionem, resurrectionem, & in cœlum ascensionem, peruenit Antiochiã, & ibidem *factus fuit episcopus per populum,* sicuti ex ipsius liquet historia. Inde vero, vt habet historia supra dicta quæcunque caussa fuerit prætermissa, quoniam de hoc sunt diuersæ sententiæ, postmodum Romam profectus est, & ibidem Christi fidelibus præfuit episcopus, tandem vero propter Christi professionem & diuinam prædicationem, obtruncato capite mortuus est, & cum eodem, eadem hora & loco Paulus Apostolus secundum supradictam historiam. Ex prærogatiua igitur quam hic discipulus seu apostolus ad alios visus est habere, vt quia præ cæteris dotatus fuit clauibus propter inducta scripturæ verba, & alia quædam Christo singulariter sibi dicta, quæ etiam in sequentibus adducentur. Episcoporum aliqui post ipsum in apostolica seu episcopali sede Romana, maxime citra tempora Constantini Romanorum imperatoris, se dicunt & asserunt præesse quantum ad omnimodam iurisdictionis autoritatem, reliquis omnibus episcopis & presbyteris mundi, & ipsorum moderniores aliqui non solum his, verum etiam omnibus mundi principibus, communitatibus, & singulis personarum, licet hoc non æqualiter de omnibus exprimant, nec explicite dicant, vt de principe Romanorum imperatore vocato, & cunctis prouinciis ac ciuitatibus & personis subiectis eidem. Huius quamuis secundum veritatem dominii, seu coactiuæ iurisdictionis in hunc principem expressio singularis, faciem & exordium primum sumpsisse videatur. Ex quodam *edicto & dono,* quod quidam dicunt per Constantinum fuisse factum beato Syluestro Romano pontifici. Quod quia *donum* seu *priuilegium* illud non habet hoc clare, aut quoniam ex post factis expirauit fortasse vel etiam quia inualidum existens, ad reliquos mundi principes [illegible] eum qui Romanorum in omnibus prouinciis illius priuilegii seu concessionis se [illegible]

[illegible] Ideoque [illegible] iurisdictionem hanc coactiuam orbi vniuersalem, sibi alio quodam omnes comprehendente titulo moderniores Romanorum assumpserunt episcopi, *Plenitudine potestatis* videlicet, quam [illegible] asserunt per Christum, beato Petro, eiusque successoribus in Romana episcopali sede, tanquam Christi vicariis. Christus enim vt aiunt & vere, fuit Rex regum & dominus dominantium, [illegible] omnium personarum & rerum. Quamuis ex hoc minime sequatur quod volunt inferre, vt in sequentibus certitudinaliter apparebit. Est igitur huius tituli [illegible] Romanos episcopos, quod sicut Christus plenitudinem potestatis & iurisdictionis [illegible] omnes, principes, communitates, collegia, & singulares personas, sic & ipsi qui [illegible] & [illegible] Petri se dicunt vicarios hanc habeant plenitudinem coactiuæ iurisdictionis, humana lege nulla determinatam.

Signum autem huius tituli plenitudinis suæ potestatis, scilicet Romanos episcopos eum quem diximus intendere sensum. Euidens est, quod Clemens quidam nomine, Clementium quintus Rom. episcopus sic eo vtitur in quodam suo *edicto seu decretali, de sen. & re iudi. libro septimo*, ad Henricum Henricorum 7. diuæ memoriæ Romanorum Imperatorem nouissimum, dum ipsius felicis Henrici quandam reuocãdo sententiam, inter cætera protulit seriem, quod diximus de ipsorum sensu circa prædictum titulum exprimentem. Hanc vero inducere omittimus propter rei notitiam, & sermonis abbreuiationem. Et quoniam ad propositum magis, inducemus 25. *secunda, parte* 18. Cum igitur Christus non magis sit aut fuerit rex, & dominus Romanorum Imperatoris, quam regis aut principis alterius cuiuscunque, quinimo ipsorum æque vel magis, quoniam & tempore Christi, Romanus princeps monarchizabat vbique terrarum, palam est huius tituli sensum ex eiusdem virtute radicis, ad omnes principatus extendi. Quem etiam per ipsum, Episcopos Romanos intendere, manifeste nos docet octaui Bonifacii Romanorum episcopi, contra Philippum Pulchrum claræ memoriæ regem Francorum, attentatio contentiosa de his, & inde subsecuta eiusdem Bonifacii *decretalis*, inducta *vigesima huius, parte octaua*. Per quam siquidem *omnem humanam creaturam coactiua iurisdictione subiectam fore Romano pontifici diffinit esse credendum de necessitate salutis æterna*. Hoc igitur modo ad hæc ingredientes Romanorum episcopi, primum quidem sub specie quærendæ pacis inter Christi fideles quosdam excommunicauerunt, ipsorum nolentes parere sententiæ, deinde vero in ipsos realem & personalem ferendo sententiam, in quosdam quidem magis expresse, vt qui minus ipsorum potentiæ resistere possunt, velut Italicorum singulares personas & communitates, quorum regnum diuisum & laceratum, in omnibus quasi partibus suis facilius opprimi potest, in quosdam vero remisse magis, veluti reges & principes, quorum resistentiam & coactiuam formidant potentiam. Ad hos tamen paulatim serpunt & serpere continuo tentant in iurisdictionum vsurpatione totum simul inaudentes inuadere, propter quod etiam Romanorum principes, & populos sibi subiectos, hactenus latuit horum subintrans præuaricatio. Paulatim nanque iurisdictionem post aliam occupauerunt episcopi Romanorum, maxime imperiali sede vacante. Sic tamen vt iam sibi totalem supra eundem principem iurisdictionem coactiuam temporalem habere se dicant. Quorum nouissime atque manifestissime modernus iam dictorum episcopus, ad Romanorum principem tam in Italicorum prouinciis quam Germanorum, ad omnes quoque iam dictarum prouinciarum inferiores principes, communitates, collegia, & personas singulares cuiuscunque dignitatis & conditionis existant, ac super omnia ipsorum feudalia & reliqua temporalia, supremam iurisdictionem se scripsit habere, ipsorumque principatus dandi & transferendi, potestatem sibi palam ascribens, vt liquido patere potest omnibus, ex huius episcopi quibusdam scripturis, quas vocat *edicta* siue *sententias*. Hæc itaque Romanorum quorundam episcoporum existimatio non recta & peruersa fortassis affectio principatus, quem sibi deberi asserunt ex eisdem, vt dicunt, per Christum tradita plenitudine potestatis, causa est singularis illa, quam intranquillitatis, seu discordiæ ciuitatis aut regni factiuam diximus, ipsa enim in omnia regna serpere prona, quemadmodum procemialiter dicebatur infesta sui actione, dudum vexauit Italicum regnum, & à sui tranquillitate seu pace prohibuit, prohibetque continuo: principantis scilicet Imperatoris Romani promotionem seu institutionem, ipsiusque actionem in dicto imperio, sui toto conamine prohibendo. Cuius siquidem actionis carentia, iustificationis scilicet ciuilium actuum, iniuriæ ac contentiones eueniunt facile. Quæ regula iustitiæ siue legis non mensuratæ propter mensurantis absentiam, pugnas causant, vnde ciuium separationes demumque Italicarum politiarum seu ciuilitatum solutiones contigerunt, quemadmodum diximus. Opinione igitur hac, & affectione fortasse, quam diximus principandi, Romanus episcopus iurisdictione coactiua seu temporali subiectum facere sibi nititur principem Romanorum, qui nec iure debet, vt ex sequentibus palam monstrabitur, nec eidem tali iudicio subiici vult. Vnde tanta lis & discordia suborta est, vt non sine magno discrimine animarum & corporum, ac rerum dispendio possit extingui. Non enim Romano vel alteri episcopo, aut cuiquam spirituali ministro, inquantum huiusmodi, in quenquam, cuiusque conditionis, singularem personam, communitatem vel collegium aliquod conuenit officium principatus coactiui, quemadmodum determinatum est 15. & 17. *huius*. Et hoc de sacerdotio in qualibet lege siue secta, sensit Aristoteles quarto politicæ, cum dixit: *Propter quod non omnes, neque electos neque sortiales ponendum principes*, puta sacerdotes primo. *Hoc enim aliquid præter politicos principatus ponendum*, &c. *Sunt autem hæc politica curarum*, id est officiorum, &c. Et parum infra subdit: *Hæc autem iconomica sunt.* Quodque perniciosa pestis hæc humanæ quieti atque felicitati suæ omni aduersans penitus ex eiusdem vitio corruptæ radicis, reliqua mundi regna fidelium Christianorum maxime posset inficere, ipsam repellere omnium necessariissimum arbitror, quemadmodum procemialiter dictum est. Primum quidem opinionis iam dictæ tanquam radicis iam factorum & futurorum malorum, inuolucrum reserando, deinde vero ipsius patronos seu inuentores ignaros aut iniustos, ac defensores pertinaces, exteriori opera si oporteat cohibendo. Ad hæc autem obligantur omnes illi obuiare scientes atque potentes, quod etiam negligentes aut omittentes iniusti sunt. Teste Tullio primo de officiis, capitulo quinto, cum dixit: *Iniustitiæ genera duo sunt, vnum eorum qui inferunt, alterum eorum qui ab his, quibus infertur si possunt,*

possint, non propulsant iniuriam. Ecce ergo secundum Tullii sententiam hanc notabilem, quod non solum iniusti sunt qui aliis iniuriam inferunt, verum etiam hi, qui prohibere sciunt & possunt iniuriam aliis inferentes, non prohibent autem, quoniam ad hoc tenetur quilibet alteri, iure quodam quasi naturali, debito videlicet amicitiæ, atque societatis humanæ. Quod ius, ne siquidem scienter transgrediens, ipse saltem mihi dicar iniustus, hanc pestem à fratribus Christi fidelibus, doctrina primum & qua valuero exteriori consequenter opera, propulsare propono. Quoniam vt indubitanter videre videor, desuper mihi datum est nosse sophisma & reserandi potestas, in quo Romanorum episcoporum quorundam hactenus & in præsentiarum, suorumque complicium obliqua æstimatio, & cum hoc peruersa forsitan affectio, scandalorum iam dictorum parens hactenus innisa est, & continuo nititur sustentari.

MARSILII PATAVINI DE RE IMPERATORIA ET PONTIFICIA, DICTIO SEV PARS SECVNDA.

CAP. I.

De tribus impedimentis siue modis aduersanti veritatibus in hac dictione contentis, intentione tractandorum, & modo procedendi.



AGGRESSVRVS itaque tam arduum, si nequicquam obuium dubitem, quod veritati possit inniti: ex illius tamen tribus infestis hostibus huic operi bella parari video, vno siquidem persecutione violentę potestatis Romanorũ episcoporum, suorumq; complicum, ipsum etenim, ipsiusq; propalatores veridicos, totis viribus nitentur destruere tanquam directo aduersantes, ipsorum proposito detinendi & possidendi temporalia minus iuste, necnon eorum ardenti desiderio principatus. A quibus quidem ipsos reuocare sermone iuridico quantumcunq; etiam manifesto difficile fiet. Eos tamẽ misericors Deus per gratiam reuocare dignetur, ipsorumq; violentam potentiam compescat ipse, compescantque sibi fideles tam principes quam subiecti, quorum omnium profecto inimicantur quieti. Secundo vero veritatis quasi cuiuslibet hoste antiquo paratur huic operi bellum non minus. Consuetudine scilicet audiendi falsa, illaq; credendi, falsa inquam per presbyteros seu episcopos aliquos, reliquosq; ad hæc ipsorum suffraganeos, dudum seminata & radicata in animabus plurimorũ simplicium Christi fidelium. Hi nanq; sacerdotes suis sermonibus & scripturis quibusdam, sententias diuinas & humanas actuum humanorum tam monasticorum quam ciuilium inuoluere implicatione varia, & explicari laboriosa quam multum. Ex tali sententiarum inuolucro, postmodum inferentes, licet indebite sensus aliquos, quibus suam in iustam despotiam induxerunt super Christi fideles, sua simplicitate credentes, ex quibusdam paralogismis horum sacerdotum, & comminatione quadam damnationis æternæ ad talium sophysticorum tam dictorum quam scriptorũ obseruationem, in quibus non propter hoc accidere conclusionem sæpe committitur, ordinatione diuina teneri. Harum etenim rerum de quibus quæritur atq; cõtenditur, suorumq; verorumq; simplicium initiorum, de mentibus hominum abolitis veris sententiis horumq; vice falsis paulatiue suggestis, nunc latet plurimos verorumq; discretio. *Turbat enim & abducit à veritate non modicũ, secundum quamlibet disciplinam auditionum falsarum consuetudo*, testis est Arist. philosophiæ, finali cap. Propter quam etiam multum impedientur à principio lectores & auditores huius, pręcipue qui philosophiæ fuerint exortes, & in sacris scripturis inexercitati à comprehensione ac perfecta credulitate veritatũ in hoc volumine contentarũ. Reliquus autem & tertius veritatis hostis infestus huic doctrinæ, impedimentũ grande præstabit, liuor siquidẽ horũ etiam qui & si nos vera dixisse crediderint, quia tamen huius veræ sententiæ, præ se alium explicatorem intelligent eidem detractionis dente clandestino lacerando, vel præsumptionis clamoso latratu adurentis inuidiæ id ipsis nequissimo suadente spiritu se opponent.

Verum à propositis nec principatus ardentium minus debite sacerdotum, quos his scripturis alloquor violentæ potentiæ terrore desistam. Quoniam dicente Psalmista: *Dominus mihi adiutor, & non timebo quid faciat mihi homo.* Neq; hoc etiam propter obloquentes inuidos detractores omittam exprimere, quod expositum tam omnibus prodesse atque neglectum obesse potest. Et hi quoniam seipsos cruciantes sua sibi malignitate resistent. Nam *inuidia*, vt ait Vgutio bene describens, *est in suum autorem reciproca, de bono alterius tabescentis animi cruciatus.* Hostili vero consuetudini sufficienter refragabitur dicendarum euidentia veritatum.

Incedam autem *in huius libri dictione secunda*, primum adducendo sacri canonis autoritates, cum quibusdam fictis & alienis quorundam interpretationibus, quibus fortasse videretur posse conuinci

conuinci Romanorum episcopo iure deberi supremam omnium coactiuarū iurisdictio, seu principatus, ni lege Christianorum præsertim, tam supra Ro. principem quam reliquos omnes principatus, communitates, collegia, & personas singulares etiam seculares, eoq; magis supra presbyteros, seu episcopos diaconos, ipsorumq; collegia & singulares personas cuiuscunq; conditionis existant. Quoniam si qua necessitate ad horum vnum ex secularibus aut clericis concluditur ex virtute verborum scripturæ, per eandem quoq; ad reliquos omnes. His etiam consequenter ad iam dictum propositum astruendum quasdam quasi politicas rationes adducam, apparentes valde suppositis quibusdam scripturæ sacrę veritatibus, quas etiam omnes concorditer veras, omnes supponere debent. Has inquam adducam, vt sic patenter dissoluam, ne quisquam per illas aut consimiles de cætero falli possit, vtque ex earum solutione appareat magis infirmitas æstimationis prædictæ, cui dudum hactenus probabilitatis faciem præbuerunt. Post hæc autem ex aduerso inducam sacri canonis veritates cum sanctorum illius interpretum, non fictis, non alienis aut falsis expositionibus, sed consonis & propriis, demonstrantes aperte Romanum episcopum vocatum papam, aut alium quemlibet presbyterum seu episcopum, vel spirituale ministrum, communiter aut diuisim, inquantum huiusmodi, nullam iurisdictionem realem aut personalem cuiusquam coactiuam habere, vel habere debere supra presbyterum vel episcopum aut diaconum quenquam, vel ipsorum collegium, eoque minus ipsum, aut ipsorum aliquem communiter vel diuisim talem iurisdictionem habere in quenquam principem seu principatum aliquem, communitatem, collegium, aut personam singularem aliquam cuiuscunque conditionis existat, nisi ea demum iurisdictio per humanum legislatorem in prouincia, presbytero seu episcopo alicui, aut ipsorum collegio concessa foret. Ad quod etiam demonstrandum & confirmandum adduci poterunt & debent, cum alicui fuerit opportunum politicæ demonstrationes, quarum principia propria *12. primæ 15. & 17.* continentur. Has enim iterare non dispoluimus propter abbreuiationem sermonis. His consequenter ostendam, quæ, quantave sit potestas sacerdotalis & clauium per Christum tradita Romano episcopo & alteri cuilibet sacerdoti. Ex horum enim manifestatione pendet multarum dubitationum solutio, ad veritatem & finem quem producere quærimus, præbens ingressum. Deinde vero perutile erit dicere ad aliquas innascentes quæstiones ex dictis, cum quibus etiam de priuilegiis Romanorum principum, iam Romanis episcopis concessis, dicemus aliquid expediens ad propositum negotium. Quoniam ex his occasionaliter vsurpationes, occupationes, seu detentiones iurisdictionum coactiuarum, quas autoritati proprie Romanorum nunc ascribunt episcopi sumpsere originem, & per consuetudinem, quinimo abusum verius robur acceperunt postmodum, maxime imperiali sede vacante. His enim priuilegiis ab initio, non aliunde in iurisdictionum coactiuarum acquisitione, ac ipsarum conseruatione, sustentati sunt Romanorum episcopi. Posterius vero, vel quia per demeritum priuati sunt illis, vel ne debilitas occasionum & veritas indebite iam per ipsos assumptæ iurisdictionis appareat, eorumque ingratitudinem obtegendam, aut etiam fortasse, sicut verisimile ostendimus vltimo primæ, quoniam iurisdictionis coactiuæ regnorum omnium occupationem intendunt, ad quam sibi nil suffragarentur priuilegia memorata, iisdem non vtuntur, sed alio quodam vniuersali ad principantes, & omnes ciuiliter viuentes sibi subiiciendos supradicto titulo, plenitudine scilicet potestatis. Ex qua per Christum, vt asserunt, tradita beato Petro tanquam vicario, coactiuam iurisdictionem supremam omnium hominum & prouinciarum, iam quilibet Romanus episcopus inquantum Petri successor, se dicit habere. Reliquum autem huius dictionis erit ostendere sacri canonis autoritates aduersus eam quam veritatis & scripturæ sententiam diximus, nihil suffragari errori prædicto, sed eidem potius aduersari, sicuti manifeste patebit ex sanctorum quorundam expositionibus, necnon & aliorum doctorum approbatorum fidei Christianæ, per quem etiam apparebit, quorundam expositiones, imo verius fictiones, scripturam retorquere conantium ad astruendum sensum æstimationis falsæ prædictæ, violentas esse scripturæ alienas atque distortas, sanctorum etiam & peritorum doctorum Christianæ fidei sententiæ dissonare. Omnium vero nouissime dissoluam rationes, quas quasi politicas dixi, æstimationi falsæ sæpe dictæ, visas aliqualiter suffragari.

CAP. II.

De distinctione nominum siue dictionum, ex quibus quæsita determinanda componuntur.

ANte tamen quam de propositis disseramus, ne propter multiplicitatem nominum, quibus in quæsitis principalibus vtemur, accidat ambiguitas & implicatio sententiarum, quas volumus aperire, distinguemus significationes ipsorum. Nam, vt in primo Elenchorum. *Qui virtutis nominum sunt ignari, paralogizantur & ipsi disputantes, & alios audientes.* Nomina vero seu dictiones, quorum multiplicitatem distinguere volumus sunt hæc: *Ecclesia, Iudex, spirituale, temporale,* propterea quod ex inquisitione proposita, scire volumus, vtrum ad Romanum aut alium quemuis episcopum seu presbyterum, diaconū, aut ipsorum collegium, qui viri ecclesiastici solent dici, pertineat iudicem esse coactiuum temporalium aut spiritualium, aut vtrorumque, vel secundum horum

[illegible] neutrum sint ipsi iudices tales. Hæc itaq; prosequentes dicamus, quod hoc nomen *Ecclesia*, vocabulum est ex vsu Græcorum, significans apud ipsos in his quæ ad nos peruenerunt, congregationem populi sub vno regimine contenti, quomodo sumpsit ecclesiam Aristoteles secundo politicæ, cap. 7. dum dixit. *Ecclesia autem participant omnes.* Apud Latinos vero vocabulum hoc secundum vulgarem & famosam appellationem, in vna sui significatione importat templum seu domum, in qua Deus communiter à fidelibus colitur, & frequentius adoratur. Sic enim de ecclesia loquebatur Apostolus primæ ad Corinth. 11. *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis?* Vbi Glossa secundum Augustinum: *Ecclesiam Dei contemnitis, id est domum orationis*, & infra parum subdit: *Hoc vsus quotidianus obtinuit, vt in ecclesia prodire vel confugere* [illegible] *nisi qui ad locum ipsum, parietesque prodierit vel confugerit.* In alia vero significatione importat hoc nomen, *Ecclesia*, omnes presbyteros seu episcopos, diaconos, & reliquos ministrantes in templo seu ecclesia dicta secundum priorem significationem. Apud modernos maxime importat hoc nomen, *ecclesia*, ministros illos, presbyteros, seu episcopos, atque diaconos, qui ministrant & præsunt in Metropolitana seu principali, omnium ecclesiarum, quemadmodum hoc ecclesia Romanæ vrbis dudum obtinuit, cuius ministri & præsidentes sunt Papa Romanus, & Cardinales ipsius, qui iam ex vsu quodam obtinuerunt dici *Ecclesia*, & *ecclesiam aliquid egisse* aut *recepisse*, cum iidem aliquid egerint aut receperint, vel aliter qualiter ordinauerint. Rursum secundum aliam significationem dicitur hoc nomen, *ecclesia*, & omnium verissime & propriissime secundum primam impositionem huius nominis seu intentionem primorum imponentium, licet non ita famose, secundum modernum vsum de vniuersitate fidelium credentium & inuocantium nomen Christi: & de huius vniuersitatis partibus omnibus, in quacunque communitate etiam domestica. Et hæc fuit impositio prima huius dictionis, & consuetus vsus eius apud apostolos & in ecclesia primitiua. Vnde Apostolus primæ ad Corinthios primo: *Ecclesiæ, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Iesu, vocatis sanctis cum omnibus qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi.* Vbi Glossa secundum Ambrosium: *Sanctificatis in baptismo, & hoc in Christo Iesu.* Et secundum hanc intentionem loquebatur Apostolus Actuum 20. ad presbyteros Ephesios, cum dixit: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos, vt regeretis ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Et propterea viri ecclesiastici secundum hanc verissimam & propriissimam significationem, sunt & dici debent omnes Christi fideles, tam sacerdotes, quam non sacerdotes, eo quod omnes Christus acquisiuit & redemit sanguine suo. Sicut etiam expresse dicitur in glossa super illud Lucæ 22. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Pro vobis*, inquit Glossa, *non significat pro solis apostolis corpus Christi datum, & sanguinem effusum fuisse, sed caussa totius humana naturæ.* Sic igitur non pro solis apostolis effusus est Christi sanguis, ergo non soli acquisiti sunt aut fuere per illum, nec per consequens presbyteri aut templorum ministri successores illorum in officio, non igitur sunt ipsi soli Ecclesia, quam Christus suo sanguine acquisiuit. Nec propter eandem caussam sunt isti ministri, episcopi, seu presbyteri, & diaconi soli ecclesia, quæ sponsa Christi est, sed pars sponsæ huius, quoniam Christus pro hac sponsa se tradidit. Vnde Apostolus ad Philip. quinto: *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea*, nunc vero non pro solis apostolis aut ipsorum in officio successoribus episcopis, seu presbyteris atque diaconis, Christus se tradidit, imo pro tota humana natura. Non igitur sunt ipsi aut ipsorum congregatio tantummodo sponsa [illegible], licet abutentium vocabulo ipsorum quædam congregatio, propter proprium & tem[illegible] commodum & aliorum incommodum fraudulenter adipiscendum, se vocet singulariter [illegible] Christi. Hanc eandem est apprehendere sententiam ex verbis Apostoli [illegible], *Ad Thess. primo, Ad Colossen. 4. & ad Philemonem primo.* In omnibus enim [illegible] Apostolus ecclesiam secundum eam quam eius propriam & verissimam significatio[illegible] diximus.

Huic consequente[illegible] oportet hæc nomina *temporale*, deinde *spirituale*, à quorum tamen notationibus inci[illegible], quod hæc dictio *temporale* in vna sui significatione famosiori dicitur de omnib[illegible] alis ab homine, quæ aliquo modo in ipsius potestate existentia, ad sui vsum, indigentiam & voluptatem supplendam, ordinantur in statu & pro statu vitæ mundanæ. Quomodo generalius etiam *temporale* consueuit dici, omne quod in tempore incipit & desinit. *Hæc enim*, vt in quarto Physicæ, *propriè sunt & dicuntur in tempore.* Alio vero modo dicitur *temporale* de omni habitu, actione aut passione humana in se vel in alterum per hominem operatis, propter finem huius seculi seu vitæ præsentis. Adhuc autem minus vniuersaliter dicitur hoc nomen *temporale* de humanis actionibus & passionibus voluntariis & transeuntibus ad commodum vel incommodum, alterius ab eo qui fecit, de quibus maxime intendunt humanarum legumlatores.

Nunc autem distinguere volo significata seu intentiones huius dictionis *spiritualis*, quod in vna sui acceptione dicitur de omnibus incorporalibus substantiis & ipsarum actionibus. In alia vero significatione dicitur de omni actione aut passione humana virtutis suæ, cognoscentis aut appetentis immanente ipsi. Secundum quam etiam intentionem actiones quædam rerum corporalium in sensus animalium, spirituales dici solent, & sine materia, veluti rerum idola seu phantasmata & species, quæ animæ sunt aliquo modo ratio cognoscendi, in quo genere reponuntur à quibusdam sensibilium actiones, etiam in substantia non animata, vt luminum generationes

& quo-

& quorundam similium. Rursum ad propositum magis dicitur hoc nomen *spirituale*, de lege diuina, de doctrina, & disciplina præceptorum & consiliorum, secundum ipsam & per ipsam, in quam siquidem etiam significationem, veniunt omnia ecclesiastica sacramenta & ipsorum effectus, omnis gratia diuina, virtutes omnes theologicæ, atque dona spiritus sancti, ordinantia nos ad vitam æternam. Sic enim & proprie hoc nomine vtitur Apostolus ad Rom. 15. & primæ ad Corinth. nono, cum dixit: *Si nos vobis spiritalia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus.* Vbi Glossa secundum Ambrosium: *Spiritalia, id est ea quæ vestrum spiritum viuificant, vel quæ à spiritu sancto data sunt, scilicet verbum Dei, & mysterium regni cœlorum.* Amplius secundum aliam significationem solet hoc nomen accipi pro qualibet actione vel etiam passione humana voluntaria, tam in se quam ad alterum operata, propter meritum beatæ vitæ futuri seculi, quales sunt Dei contemplationes, dilectiones ipsius & proximorum, abstinentiæ, misericordiæ, mansuetudines, orationes, oblationes propter pietatem seu cultum diuinum, hospitalitates, peregrinationes, corporis proprii castigationes, mundanorum & carnalium voluptatum contemptus & fuga, & generaliter omnia consimilia facta propter finem prædictum. Adhuc autem dicitur hoc nomen, licet non ita proprie, vt secundo & tertio modo, de templo seu ecclesia, dicta secundum secundam significationem, de omnibus vasis & appáratibus quæ in eo sunt ordinata propter cultum diuinum. Omnium vero nouissime inconuenienter & improprie valde, quidam extendunt hoc nomen, ad significandum presbyterorum, seu episcoporum, diaconorum, & aliorum templi ministrorum actiones voluntarias transeuntes, & earum omissiones, quæ sunt ad commodum vel incommodum alterius à faciente pro statu vitæ mundanę. Extendunt rursum & magis improprie idem nomen ad horum possessiones & temporalia bona, mobilia & immobilia, & ad temporalium prouentus quosdam, quos vocant decimas, vt huius prætextu vocabuli, à norma legum & principantium ciuilium æstimantur. Sed profecto ipsi palam abutuntur vocabulo in his contra veritatem & Apostoli atque sanctorum intentionem & vsum, qui talia non spiritualia, sed carnalia seu temporalia vocauerunt. Vnde ad Romanos 15. *Quoniam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis.* Idem expressius primæ ad Corinthios nono: *Si nos,* inquit Apostolus, *vobis spiritalia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus.* Vbi Glossa secundum Ambrosium: *Quia si nos seminamus vobis spiritalia, id est ea quæ spiritum vestrum viuificant, vel quæ à spiritu sancto data sunt, scilicet verbum Dei & mysterium regni cœlorum, est magnum si nos metamus ad sustentationem, vestra carnalia, id est hæc temporalia, quæ vita & indulgentia carnis indulta sunt.* Ecce quod bona exteriora, quibus prædicatores euangelii sustentari debebant in victu & vestitu, Apostolus & Ambrosius expresse carnalia & temporalia vocant, & sunt secundum veritatem, siue sint decimæ, siue prædia, quæstus seu eleemosynæ, vel collectæ, cuius caussam dixit Ambrosius, quoniam *vita & indulgentia carnis*, id est vitæ corruptibilis, *indulta sunt.* Idem quoque sentiendum indubie de presbyterorum, episcoporum, & diaconorum actionibus quibusdam. Non omnes enim eorum actus spirituales sunt, nec dici debent, quinimo ipsorum sunt multi ciuiles actus contentiosi, & carnales seu temporales. Possunt enim ipsi mutuare, deponere, emere, vendere, percutere, occidere, furari, mœchari, rapere, prodere, falsum testimonium perhibere, diffamare, in hæresim cadere, cæteraque committere scelera, crimina, & contentiones, quemadmodum etiam à non sacerdotibus perpetrantur. Propter quod interrogandum conuenienter ab eis, si quales diximus actiones ipsorum possibiles, spirituales sint aut dici debeant ab aliquo sanæ mentis. Et constat quod minime, quin imo carnales & temporales. Vnde Apostolus *primæ ad Corinth. tertio* de talibus actionibus loquens indifferenter ad omnes, inquit: *Cum regnet inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Cum igitur indubitata demonstret experientia, inter presbyteros inuicem, & ad seculares, euenire zelos & contentiones ex prædictis aut aliis consimilibus actibus, manifestum, huiusmodi sacerdotium & episcoporum actus carnales seu temporales esse, & secundum veritatem non spirituales, nec dici debere. Signum autem, verum esse quod diximus etiam secundum sacerdotum sententiam, quoniam ad huiusmodi tollendas contentiones multæ humanæ ordinationes, quas *Decretales* appellant, æditæ sunt per Romanos pontifices, & ante has, de his leges principum Romanorum. Fiunt enim & fieri possunt per diaconos & presbyteros seu episcopos, actiones multæ voluntariæ, transeuntes in commodum & iniuriam alterius, pro statu vitæ præsentis. Et ideo talium mensura debet esse humana lex, quemadmodum 15. primæ dictum est, & dicetur amplius ad propositum octauo huius.

Restat autem distinguere nomina hæc *iudex* atque *iudicium*, quod illius actionem significat. Sunt enim de numero multiplicium, & in quæsitis diffiniẽdis ambiguitatem & impedimentum ipsorum multiplicitate præbentium. Dicitur autem in vna significatione *iudex* de omni discernente seu cognoscente, maxime secundum habitum aliquem speculatiuum aut operatiuum. Et hoc nomen *iudicium* de cognitione seu discretione talium, quo modo Geometer iudex est, & iudicat de figuris & ipsarum accidentibus, & medicus de sanis & ægris, & prudens de agendis & fugiendis, & domificator de domibus qualiter construendis. Sic quoque omnis sciens aut expertus dicitur iudex & iudicat de scibilibus aut operabilibus suis. Et secundum hanc significationem sumpsit Aristoteles hæc nomina primo Ethicorum, cap. primo, cum dixit: *Vnusquisq; iudicat bene quæ cognoscit, & horum est bonus iudex.* Adhuc autem dicitur hoc nomen *iudex* secundum

aliam

aliam significationem, de habente scientiam iuris politici seu ciuilis, qui etiam appellatione consueta aduocatus nuncupari solet, licet in pluribus prouinciarum & maxime Italicarum *iudex* vocetur. Rursum vero dicitur hoc nomen *iudex* de principante, & hoc nomen *iudicium* de principantis sententia, cuius siquidem autoritas est iudicare de iustis & conferentibus secundum leges & consuetudines, latasque per ipsum sententias, præcipiendi & exequendi per potentiam coactiuam. Quomodo *Iudicum* dicitur *liber* quidam, sacri canonis seu bibliæ pars vna quædam existens. Quomodo etiam de iudice seu principante loquens Aristoteles primo Rhetoricæ cap. primo dixit: *Præfectus autem & index iam de præsentibus & determinatis iudicant.* Sic etiam de principantis iudicio intendens continue subdit, *ad quos* (scilicet præfectum seu iudicem) *& amare iam & odire, & proprium commodum annexa sunt sæpe, vt non adhuc possint videre sufficienter verum. Sed attendere in iudicio proprium delectabile aut triste.* Sunt autem fortassis supradictorum nominum significationes aliæ, famosiores tamen inquisitioni propositæ magis necessarias, assignasse putamus.

Cap. III.

De oraculis canonicis & aliis quibusdam argumentationibus, quibus conuinci videtur episcopis siue presbyteris, inquantum huiusmodi principatum coactiuum deberi, etiam absque legislatoris concessione, & Romanorum episcopo siue papa talium omnium principatuum supremum.

HOrum ergo nominum intentionibus, circa quas nostræ plurimum inquisitionis versabitur, sic distinctis, inde securius ad principale propositum accedentes, adducemus primum autoritates sacræ scripturæ, quibus alicui videri posset, Romanum episcopum vocatum *Papam*, iudicem esse supremum, & secundū tertiam iudicis seu iudicii significationem, super omnes mundi episcopos seu presbyteros & ecclesiasticos ministros alios, Super omnes quoque huius seculi principantes, communitates, collegia, & singulares personas, cuiusque conditionis existant. Harum autem primam ponamus scripturæ seriem, quæ habetur Matthæi 16. qua Christus alloquens beatum Petrum, inquit: *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis; & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cælis.* Ex hac enim serie, assumpserunt sibi Romanorum episcopi quidam supremæ iurisdictionis iam dictæ autoritatem. Nam per *claues* beato Petro per Christum concessas, intelligi volunt sibi traditam plenitudinem potestatis totius humani regiminis, quam sicut Christus habuit ad omnes reges & principes, ita concessit beato Petro & successoribus eius in episcopali sede Romana, tanquam Christi Vicariis generalibus in hoc mundo. Secunda vero scripturæ series ad idem propositum astruendum, sumitur ex verbis Christi Matthæi 11. cum dixit: *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Et rursum eiusdem. 23. cum dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Cum igitur beatus Petrus & ipsius successores in episcopali sede Romana fuerint & sint Vicarii Christi, sicut hi dicunt, videtur quod omnis potestas seu plenitudo potestatis eidem tradita sit, & consequenter cuiuslibet iurisdictionis autoritas. Tertia vero series ad idem sumitur ex Matthæo 8. & Marci 5. vbi dicitur: *Dæmones autem rogabant eum,* (Christum scilicet,) *dicentes: Si eiicis nos, mitte nos in gregem porcorum, & ait illis: Ite, at illi exeuntes abierunt in porcos. Et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.* Ex quibus verbis apparet, quod Christus de temporalibus disponebat, tanquam de suis omnibus, aliter namque peccasset disperdens gregem porcorum. Christum autem, cuius caro corruptionem non vidit, peccasse, nephas est dicere. Cum igitur beatus Petrus eiusque successores Romanorum episcopi sint & fuerint præcipui Christi Vicarii, vt aiunt quidam, de temporalibus omnibus tanquā tertiæ significationis iudices disponere possunt, & ipsorum habent plenitudinem potestatis atq; dominii, sicut Christus. Rursum ostenditur idem per id quod habetur *Matth.* 21. *Mar.* 11. *Luc.* 19. quorum series talis est: *Tunc misit* (Iesus scilicet,) *duos discipulos, dicens eis, Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam & pullum eius cum ea.* Vel, *pullum asinæ alligatum, cui nemo hominum vnquam sedit,* vt in Marco & Luca. *Soluite & adducite mihi.* Ex quibus idem & eodem deductionis modo concludi potest, quid ex immediate prædicta serie conclusum est antea. Amplius arguitur idem ex Luc. 22. vbi habetur hæc series: *Ecce duo gladii sunt,* dixerunt apostoli, respondentes Christo. *At ille* (Christus scilicet,) *respondit, Satis est.* Per quæ verba, secundum aliquorum interpretationem, debent intelligi duo principatus in mundo præsenti, ecclesiasticus vnus seu spiritualis, & alius temporalis seu secularis. Cum igitur Christus ad apostolos sermonem dirigens dixerit: *Satis est.* supple vobis de duobus gladiis his, significasse detur vtrumque gladium ad ipsorum autoritatem pertinere debere, & præsertim beati Petri tanquam principalioris eorum. Nam si temporalem gladium ad ipsos pertinere noluisset, dicere debuit, superfluum est.

Rursum videtur idem credendum, ex Ioannis 21. vbi dum Christus alloqueretur beatum Petrum, dixit: *Pasce oues meas, pasce agnos meos, pasce oues meas,* ter eandem sententiam replicans, sicut induximus. Ex quibus quidem verbis accipiunt aliqui sensum hunc, videlicet beatum Petrum & ipsius successores Romanos episcopos, simpliciter præesse debere omnibus ouibus Christi fidelibus, scilicet Christianis, horum vero maxime presbyteris atq; diaconis.

Adhuc videtur hæc aperte sententia beati Pauli primæ ad Corinth. sexto, cum dixit: *Nescitis quoniam angelos iudicabimus, quanto magis secularia.* Secularium ergo iudicia secundum tertiam significationem, ad presbyteros seu episcopos, ipsorum vero maxime primum, Romanum scilicet pertinere videntur. Rursum *prima ad Corinth. nono,* idem sensisse videtur Apostolus, cum dixit: *Nunquid non habemus potestatem manducandi, &c.* Idem *prima ad Thessa.* 3. in quibus expresse videtur intendere sibi datam à Deo potestatem super temporalia fidelium, & per consequens iurisdictionem eorum.

Amplius ostenditur idem *ex prima ad Timotheum quinto,* ad quem dixit Apostolus, *Aduersus presbyterum noli accipere accusationem, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Videtur igitur ex hoc quod episcopus saltem iurisdictionem habeat supra presbyteros, diaconos, & reliquos templi ministros, postquam ad eum accusationem ipsorum audire pertinet. De veteri autem scriptura seu testamento ad propositam conclusionem & ipsius oppositam, probationes omittemus inducere, propter quam vero caussam, assignabimus *nono huius.* Ex dictis itaque scripturæ sacræ autoritatibus, & aliis consimilibus, ipsarumque talibus interpretationibus videri posset alicui episcopo Rom. deberi omnium principatum supremum. His consequenter adducere conuenit argumentationes aliquas quasi politicas, quæ fortasse quibusdam phantasiam facerent & credulitatem conclusionis prędictæ, harum autem prima sit hæc. Sicut se habet corpus ad animam, ita princeps corporum ad principem animarum, sed corpus animæ subest quantum ad regimen, ergo & princeps corporum secularis iudex subesse debet regimini iudicis seu principis animarum, & maxime primi omnium, videlicet pontificis Rom. Rursum ex eadem quasi radice, sicut se habent corporalia ad spiritualia, ita princeps corporalium ad eum qui spiritualium. Certum est autem corporalia indigniora & subesse spiritualibus secundum naturam. Igitur corporalium princeps secularis iudex ei qui spiritualium ecclesiastico subesse debet. Amplius sicut finis ad finem, lex ad legem, legislator ad legislatorem, ita iudex seu principans secundum horum alterutrum ad iudicem seu principantem secundum reliquum. Sed finis ad quem dirigit ecclesiasticus iudex, sacerdos seu episcopus, lex secundum quam dirigit legis illius lator, superiores sunt & perfectiores fine lege atque legislatore, ad quæ & secundum quæ dirigit secularis iudex, igitur iudex ecclesiasticus episcopus seu sacerdos, maxime primus, superior est quocunque iudice seculari. Finis enim ad quem dirigit ecclesiasticus iudex est vita æterna, lex secundum quam, diuina, & ipsius lator immediatus est Deus, in quo nec error aut malitia cadere potest, finis vero ad quem secularis iudex intendit dirigere est sufficientia huius vitæ mundanæ, lex secundum quam humana, & ipsius legislator immediatus homo vel homines, in quibus contingit error atq; malitia. Sunt igitur hæc inferiora & indigniora prædictis, ergo & secularis iudex, supremus etiam, ecclesiastico sacerdoti supremo. Adhuc cuius actio simpliciter est honorabilior, ipse simpliciter est honorandus, sed actio episcopi seu presbyteri est omnium honorabilissima quæ per hominem fieri possunt in vita præsenti, videlicet consecratio benedicti corporis Christi, ergo & sacerdos quilibet dignior est quolibet non sacerdote. Cum igitur dignius indigniori subesse non debeat, sed præesse, videtur quod iudex secularis non pręesse in iurisdictione, sed subesse debeat sacerdoti, & ipsorum maxime primo Ro. pontifici. Ostenditur autem idem rursum in specie magis de Romanorum principe, Imperatore vocato, quoniam ille superior est ad Romanorum principem, secundum tertię significationis iudicium, cuius est autoritas instituendi principatum hunc, ipsumque de gente in gentem pro libito transferendi, Rom. pontifex se dicit huiusmodi, quoniam ipse hunc principatum transtulit à Græcis in Germanos, sicut expressum est *in 7. suarum Decretalium, de iureiur.* & idem dicit expressius modernus Romanorum vocatus Episcopus in quodam suo *edicto ad Ludouicum Ducem Bauariæ, Romanorum Regem* assumptum. Amplius ad idem, quoniam inconueniens grande videtur, Christi vicarium, Romanum episcopum, aliosque successores Apostolorum episcopos, subesse debere iurisdictioni cuiuspiam principis secularis, cumque etiam secularis princeps peccare possit contra legem diuinam & humanam, vnde corrigendus, vt *in* 18. *prima*: nec superiorem habeat vel æqualem, qui supremus est omnium secularium, quoniam pluralitas principatuum reprobata est, 17. *prima*: videbitur in ipsum coactiua iurisdictio ad Romanum episcopum pertinere, nullatenus e conuerso. Ex quibus quidem igitur videtur posse conuinci, episcopos seu presbyteros, coactiuam habere iurisdictionem, ipsorum vero supremo Romanorum pontifici, supremum omnium huius seculi principatum deberi, tam autoritatibus sacræ scripturæ, quam quibusdam quasi humanis & politicis argumentationibus sufficienter apposuisse videmur.

CAP.

Cap. IV.

De canonicis scripturis, Christi mandatis vel consiliis & exemplis, & sanctorum ac approbatorum doctorum Euangelicæ legis expositorum, quibus demonstratur euidenter, Romanum aut quemuis Episcopum siue presbyterum vel clericum omnem virtute verborum scripturæ, nullum coactiuum principatum seu iurisdictionem contentiosam, nedum supremum omnium supra quenquam clericum aut laicum sibi vendicare vel ascribere posse, & quod Christi consilio & exemplo, præsertim in communitatibus fidelium, talem principatum, si eisdem offeratur aut conferatur, per auctoritatem eius habentem, debeant recusare: Rursumque quod omnes Episcopi, & indifferenter vocati nunc clerici, subesse debeant coactiuo iudicio siue principatui dominantis autoritate legis latoris humani, præsertim fidelis.

EX aduerso autem consequenter adducere volumus veritates scripturæ sacræ, præcipientis aut consulentis expresse, tam literali sensu suo, quam mystico, secundum sanctorum interpretationem, ac aliorum approbatorum doctorum Christianæ fidei expositionem, Romanũ Episcopum vocatum papam, aut aliorũ quemlibet episcopum, seu presbyterum, vel diaconum, nullum habere debere principatum seu iudicium vel iurisdictionem coactiuam cuiusquam sacerdotis, principantis, cõmunitatis, collegii, vel personæ singularis alicuius cuiuscunq; conditionis existat. Intelligendo per *coactiuum iudicium*, id quod secundum tertiam significationem iudicis aut iudicii, *secundo huius* diximus importari.

Verum propter intentionem hanc euidentius explicandam, oportet nos non latere, quod ex hac inquisitione, non quæritur quid Christus, qui verus Deus & verus homo fuit, habuerit & habeat in hoc seculo potestatis & autoritatis, nec quid aut quantum horum conferre potuerit beato Petro, & reliquis apostolis, ac ipsorum successoribus, episcopis seu presbyteris, quoniam de his non dubitant Christi fideles in propositis quæsitis. Sed volumus & debemus inquirere, quam potestatem & autoritatem exercendam in hoc seculo, Christus eisdem conferre voluerit, & de facto contulerit, & à qua ipsos excluserit & prohibuerit consilio vel præcepto. Eos enim talem potestatem & autoritatem habuisse à Christo, tenemur credere, qualem per verba scripturæ sibi traditam conuincere possumus non aliam. Certum enim est omnibus Christi fidelibus, ꝙ Christus, qui verus Deus & verus homo fuit, conferre potuit, nedum apostolis, verum etiam quibuslibet aliis, autoritatem seu iurisdictionem coactiuam in hoc seculo, supra omnes mundi principes seu principatus & singulares personas alias omnes: & hac ampliorẽ fortasse, vt creãdi entia, destruendi atq; reparandi cœlum & terram, & quæ in eis sunt, & etiam angelis simpliciter imperãdi, quod tamen nec Christus contulit eis, nec conferre decreuit. Vnde Aug. in sermone decimo de verbis domini super Matthæum, sic inquit: *Discite à me non mundum fabricare, non cuncta visibilia & inuisibilia creare, non in ipso mundo miracula facere, & mortuos suscitare: Sed quoniam mitis sum & humilis corde.* Ideoque secundum præsentem intentionẽ ostendere sufficit, & ostendam primo, quod Christus ipse non venit in mundum dominari hominibus, nec ipsos iudicare iudicio tertiæ significationis, nec principari temporaliter, sed magis subiici secundum statum & cõditionem præsentis seculi, quinimo quod à tali iudicio seu principatu, secundum propositũ excludere voluit & exclusit seipsum & apostolos ac discipulos etiam suos, ipsorumq; successores consequenter episcopos seu presbyteros ab omni principatu seu mundano regimine tali, coactiuo scilicet, exclusit exẽplo & per sermonẽ etiam consilio vel præcepto. Idem quoq; ostendam apostolos præcipuos tanquam Christi veros imitatores fecisse, suosq; successores facere docuisse. Amplius quoq; tam Christum, quam ipsos apostolos voluisse subesse atq; subfuisse continuo coactiuæ iurisdictioni principum seculi, realiter & personaliter, aliosq; omnes quibus legem prædicauerunt veritatis, aut per scripturam mandauerunt, idem facere docuisse atq; præcepisse sub pœna damnationis æternæ. Deinde vero capitulum faciam de potestate seu autoritate clauium, tradita per Christum apostolis, & ipsorum in officio successoribus, episcopis & presbyteris, vt tam Romani episcopi, quam aliorũ appareat, quæ, qualis, quantave sit potestas huiusmodi. Ipsius etenim ignorantia extitit hactenus, & in præsentiarum est, origo multarum quæstionum & damnosarum litium inter Christi fideles, vt in huius dictionis primo aliqualiter tangebatur.

Prosequentes itaq; proposita monstrare volumus, quod ab officio principatus siuẽ contentiosæ iurisdictionis, regiminis seu coactiui iudicii cuiuslibet in hoc seculo secundum propositum siue intentionem, sermonem, & operationem, seipsum & apostolos Christus excludere voluit & exclusit. Hoc autem primum apparet indubie per seriem euangelicam *Ioannis* 18. Dum enim Christus accusatus esset Pontio Pilato Vicario Romani principis in Iudæa, ex eo quod se dixisset regem Iudæorum, interrogante Pilato, an hæc dixisset, aut si se regem diceret, respondit inter cætera Christus ad Pilati quæsitum, verba hæc: *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est regnare non veni regimine seu dominio temporali, quomodo regnant mundani reges, cuius quidem probationem subdit ipsemet Christus per signum euidens, cum dixit: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis.* Quasi sic argueret Christus. Si venissem regnare

in hunc mundum mundano regimine seu coactiuo haberem ministros huius regiminis, decertatores scilicet, ac transgressorum coactores, quemadmodum cæteri reges habent, sed tales ministros non habeo, vt tu manifeste videre potes. Vnde Glossa interlinearis, *apparet quod nullus defendit.* Et hoc est quod iterato resumens Christus ait: *Nunc autem regnum meum non est hinc*, de quo scilicet docere veni. Quas siquidem euangelicas veritates sancti & Doctores exponentes, sic inquiunt, & primum beatus Augustinus in hæc verba, dicens: *Quod si Pilato interrogante continuo respondisset, non etiam Iudæis, sed solis gentibus hoc de se opinantibus respondisse videretur. Sed post responsionem Pilati tam Iudæis & gentibus opportunius aptiusque respondit. Quasi diceret: Audite Iudæi & gentes, non impedio dominationem vestram in hoc mundo, quid vultis amplius? venite credendo ad regnum quod non est de hoc mundo, quid enim est regnum eius nisi credentes in eum?* Ecce de quo regno docere atque disponere venit, quoniam de actibus quibus peruenitur ad regnum æternum, fidei scilicet, ac reliquarum theologicarum virtutum: neminem tamen ad hoc cogendo, vt infra patebit. Duo nanque coactiua dominia respectu eiusdem multitudinis non subinuicem posita se impediunt, vt *in 7. primæ* monstratum est. *Christus autem horum dominium non venerat impedire*, vt dixit Augustinus. Vnde super illud Ioannis eodem: *Gens tua & pontifices tui tradiderunt te mihi, quid fecisti? Satis*, inquit Augustinus, *ostendit illud pro crimine obiectum, tanquam diceret, si te regem negas, quid fecisti, vt tradereris mihi, quasi mirum non esset, si puniendus iudici traderetur, qui se diceret regem.* Ecce secundum Augustinum: quod nimirum, si puniendus fuisset Christus, si se regem secularem dixisset, ignorantibus præsertim ipsum esse Deum, & quod regem se fore negauit, & de quo regno seu regimine coactiuo videlicet legis transgressorum in hoc seculo. Vnde etiam super illud Ioannis eodem: *A temetipso dicis hoc, an alii tibi dixerunt? Dixit Christus Pilato*, inquit Theophylactes, *ac si diceret* (Christus scilicet Pilato:) *Si hoc ex teipso loqueris, pande signa mea rebellionis, at si ab aliis percepisti, inquisitionem fac ordinariam.* Hoc autem, quod dicit Theophylactes, non debuisset dicere Christus, quod videlicet Pilatus inquisitionem de ipso faceret ordinariam, quinimo dicere debuisset hanc inquisitionem ad ipsum non pertinere, ex quo sibi secundum aduersantium opinionem de iure subiectus non erat vel esse nolebat in iurisdictione siue iudicio coactiuo. Rursum super illud, *regnum meum non est hinc*, dicit Chrysostomus: *Non priuat mundum à sua prouidentia & prælatione, sed ostendit regnum suum non esse humanum, neque corruptibile.* Omne autem regnum in hoc seculo cuiusquam coactiuum, est humanum corruptibile. Amplius super illud Ioannis eodem. *Tu dicis quia rex sum ego*; inquit Augustinus: *Non quia regem se timuit confiteri, sed ita libratum est, vt neque se regem neget, neque regem talem se esse fateatur, cuius regnum putetur esse de hoc mundo.* Dictum est enim, *tu dicis*, ac si diceretur, Carnalis carnaliter dicis de regimine carnali, & actuum temporalium contentiosorum & carnalium secundum tertiam significationem huius nominis *temporale*: tales enim *carnales* vocabat Apostolus *prima ad Corinth. 3.* Apparet igitur ex prædictis quod de carnali seu temporali regimine, vel iudicio coactiuo Christus in mundum disponere non venit neque docere, sed de spirituali regno siue cælesti: de hoc enim solummodo loquebatur, & quasi prædicabat semper, vt ex euangelica serie palam est, tam ex ipsius literali quam mystico sensu. Et propterea sæpissime legimus ipsum dixisse: *Simile est regnum cælorum.* &c. de mundano vero rarissime, aut ipsum docendo spernere. In cœlesti nanque regno se præmia vel supplicia daturum promittebat, secundum merita vel demerita operantium, nunquam tamen talia promisit in hoc seculo se facturum, sed magis econtrario huius seculi principantibus agit. Quoniam vt plurimum iustos & bonorum operatores affligit in hoc seculo, vel affligi sinit, & sic ad sui regni præmium perducit. *Omnes enim qui placuerunt Deo per multas tribulationes transierunt*, vt scribitur Iudith 8. Econtrario vero principes huius seculi seu iudices regni mundani, faciunt & facere debent, seruando iustitiam. Quoniam legum obseruatoribus præmia, & malorum patratoribus supplicia in hoc seculo distribuunt, recte agentes, contraria vero facientes peccarent contra legem humanam atque diuinam. Rursum ad principale per id quod Christus opere seu exemplo monstrauit. Legitur enim Ioannis 6. quod Iesus, *cum cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum & facerent eum regem, fugiit iterum in montem ipse solus.* Vbi Glossa interlinearis: *A quo descendit pascere turbas, prospera mundi docens fugere, & contra ea orare.* Certum est igitur, quod Christus fugiit principatum, aut suo nihil nos docuisset exemplo, quem sensum adiuuat expositio beati Augustini, dicentis, *quod fideles Christiani sunt regnum eius, quod modo colitur, modo emitur sanguine Christi. Erit autem aliquando manifestum regnum, quando erit aperta claritas sanctorum eius post iudicium ab eo factum. Discipuli autem & turba credentes in eum putauerunt eum sic euenisse, vt iam regnaret.* Ecce quod sancti per regnum Christi in hoc seculo nunquam intellexerunt temporale dominium aut iudicium actuum contentiosorum, & executionem per coactiuam potestatē in legum transgressores in hoc seculo, sed per ipsius regnum; & *regnum* in hoc seculo intellexerunt doctrinam fidei & regimen secundum ipsam ad regnum cœleste. *Quod* quidem *regnum* dicit Augustinus *futurum manifestum post eius iudicium in alio seculo.* Iterum dicit, quod *putare ipsum regnare tunc, quemadmodum turba putabant, erat eum rapere*, id est indebite trahere, ac de ipso æstimare. Vbi Chrysostomus etiam. *Et propheta iam erat apud eos,* (Christus scilicet,) *& regem eum inthronizare volebant, propter gulam scilicet, quia pauerat eos, Christus autem fugiit, erudiens nos mundanas contemnere dignitates.* Amplius ostenditur idem euidentissime verbo & exemplo Christi, vbi Lucæ 12. habetur hæc series; *Ait autem ei quidam de turba. Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille,* (Christus scilicet,) *dixit*

dixit ei. Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos? Quasi diceret, propter hoc officium exercendum non veni, nec ad hæc missus sum, per iudicium scilicet lites ciuiles dirimere, quod tamen nulli dubium est opus propriissimum principantium seu iudicum seculi. Et licet re vera series Euangelica patentissime contineat & demonstret propositum nostrum, amplius quam glossæ sanctorum, eo quod sensum literalem, qualem dicimus, tamque manifestum supponentes, vbique se magis ad allegoricum seu mysticum conuerterunt, eas tamen induximus ad maiorem propositi confirmationem, & ne temerarie scripturam dicamur exponere. Hæc igitur verba Christi beatus Ambrosius exponens ait: Bene ergo terrena declinat, qui propter diuina descenderat, nec iudex dignatur esse litium & arbiter facultatum, viuorum habens mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum. Et parum post subdit: Vnde non immerito refutatur hic frater, qui dispensatorem cælestium gestiebat corruptibilibus occupare. Ecce quid sentit Ambrosius de Christi officio in hoc seculo, dicit enim quod bene terrena declinat, id est iudicia contentiosorum agere, qui propter diuina, id est spiritualia docenda & ministranda, descenderat, in quo ipsius & suorum successorum signauit officium, cælestia videlicet seu spiritualia dispensare. Spiritualia inquam, de quibus dixerat idem prima ad Corinth. nono, & supra induximus secundo huius in significatione tertia huius nominis spirituale. Nunc vero consequenter restat ostendere, Christum ipsum non solum huius seculi principatum seu coactiuum iudicium in hoc seculo recusasse, propter quod sic agendi apostolis & discipulis suis ac ipsorum successoribus dedit exemplum, verum etiam ipsum sermone docuisse, ac exemplo monstrasse, cunctos tam sacerdotes quam non sacerdotes subesse debere realiter & personaliter coactiuo iudicio principum huius seculi. Sermone quidem igitur & exemplo sui monstrauit Christus hoc primum in realibus, per id quod habetur Matthæ. 22. nam interrogantibus Iudæis ab ipso: Dic nobis quid tibi videtur, licet censum dare Cæsari an non? His Christus inspecto denario & illius superscriptione, respondens ait: Reddite ergo quæ Cæsaris sunt Cæsari, & quæ Dei Deo. Vbi Glossa interlinearis, id est tributum & pecuniam. Ambrosius vero super illud: Cuius est imago & superscriptio hæc? inquit sic: Sicut Cæsar exigit impressionem suæ imaginis, sic & Deus animam, lumine vultus sui insignitam. Attende igitur quid Christus exigere venit in mundum. Chrysostomus autem sic ait: Tu autem cum audieris, redde quæ sunt Cæsaris Cæsari. Illa scito dicere eum solum, quæ in nullo pietati nocent, quia si aliquid tale fuerit, non adhuc Cæsaris est, sed diaboli tributum. Ecce quod in omnibus Cæsari subesse debemus, dum modo non repugnent pietati, id est diuino cultui seu mandato. In realibus ergo subiici voluit Christus principi seculari. Hæc quoque fuit palam sententia beati Ambrosii, huic Christi sententiæ innitens, dixit enim in epistola contra Valentianum, quæ intitulatur. Ad plebem: Soluimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur. Ostenditur autem rursum idem ex Matthæi 17. vbi sic scribitur: Accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt. Magister vester non soluit didrachma? & consequenter paucis interpositis, subditur quod Christus dixit Petro: Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te, nec dixit tantummodo dominus, da eis, sed dixit, da eis pro me & te. Hieronymus autem dicit hic; dominus noster secundum carnem & secundum spiritum, filius regis erat, vel ex Dauid stirpe generatus vel omnipotentis patris verbum. Ergo tributa quasi regum filius non debebat. Et infra subiungit. Quamuis ergo liber esset, quia humilitatem carnis assumpserat, debuit omnem iustitiam adimplere. Origenes autem super illud verbum Christi: Vt autem non scandalizemus eos; magis ad propositum & Euangelistæ sententiam, inquit sic. Consequens autem est intelligere, (ex verbis Christi scilicet,) quoniam quoties exurgunt quidam, qui per iniustitiam tollant nostra terrena, Reges huius terræ eos transmittunt vt exigant à nobis quæ sunt ipsorum. Et suo exemplo, prohibet dominus aliquod scandalum fieri, etiam huiusmodi hominibus, siue ne amplius peccent, siue vt saluentur. Filius enim Dei, qui nullum opus fecit seruile quasi habens formam serui, quam propter hominem suscepit, tributum & censum dedit. Quo igitur modo ex virtute verborum Euangelicæ scripturæ, sunt exempti Episcopi & presbyteri ab hoc, nec vniuersaliter à principum iurisdictione, nisi gratiosa eorum concessione, cum Christus & Petrus exemplum præbentes aliis, tributa soluerint? Et licet Christus secundum carnem de stirpe regia, hoc non debuisset fortasse, Petrus tamen de stirpe regia non existens, nec talem exemptionis habebat caussam, sicut nec habere voluit. Quod si Christus putasset inconueniens, futuros sibi successores in officio sacerdotali tributa soluere, ac ipsorum temporalia subiecta fore principibus seculi, potuisset ipse absque mali exempli exhibitione, videlicet subiiciendi sacerdotium iurisdictione principum seculi, aliter ordinasse atque expediuisse illos exactores didrachmæ, vtputa remouendo ipsis petendi talia intentionem, aut alio conuenienti modo. Sic autem facere non reputauit conueniens, quinimo soluere voluit, singulariter inter Apostolos Petrum sibi associans in hoc. Qui tamen, secundum quod dicetur decimosexto huius, Ecclesiæ præcipuus doctor & pastor futurus erat, vt tali exemplo, aliorum nullus sic facere recusaret. Hinc scripturæ seriem ex Matthæi decimoseptimo iam adductam, sic intelligens beatus Ambrosius, vt prædiximus in epistola, cui titulus, De tradendis basilicis, inquit: Tributum petit (Imperator scilicet,) non negatur, agri ecclesiæ soluunt tributum. Et quibusdam interpositis ad propositum magis ait: Soluimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur. Hanc rursum præinductæ scripturæ, quam diximus fuisse sententiam, amplius exprimens beatus Bernardus in epistola quadam ad Archiepiscopum Senonensem,

sic inquit: *Hac istis* (scilicet, qui suggerunt subditos suis superioribus rebellare,) *Christus aliter & iussit & gessit. Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Quod ore locutus est, mox opere implere curauit. Conditor Cæsaris, Cæsari non cunctatus est reddere censum. Exemplum enim dedit vobis, vt & vos ita faciatis. Quando vero Dei sacerdotibus debitam negaret reuerentiam, qui hanc quoque secularibus potestatibus exhibere curauit?* Et debemus attendere quod dixit Bernardus, Christum curando secularibus potestatibus tradere censum, ipsum exhibuisse *debitam reuerentiam*, nõ ergo coactam, quoniam huiusmodi census & tributum debetur principibus à quocunque. Vt sequenti capitulo adducemus ex Apostolo *ad Romanos* 13. & *glossis* sanctorum atque doctorum ibidem, quamuis forte non omnis census à quibuscunq; debeatur vbique, vt illius pedagii quod ab incolis non debebatur, quamuis custodes seu exactores illud quandoq; à quibusdam incolis siue terrigenis simplicibus, quales erant Apostoli, minus debite peterent & exigerent. Et propterea conformiter Origeni, quem credo in hac parte magis habuisse intentionem Euangelistæ, quam Hieronymum. Dico, quod consuetum videbatur & fortasse statutum communiter in omnibus regnis, incolas siue indigenas non soluere pedagia, sed alienigenas. Et ideo dixit Christus Petro: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum?* &c. per *tributum* significans illud pedagium quod exactores didrachmæ colligebant, *tributum* nanque secundum quod nomen commune est ad omnem censum, Christus non negauit filios terræ indigenas debere, quinimo de tali postmodum dixit, neminem eximendo, *Reddite quæ Cæsaris sunt Cæsari*, quod etiam Christo conformiter expressit Apostolus ad Romanos 13. dum dixit. *Ideo enim tributa præstatis*, principib. scilicet, *ministri enim Dei sunt*. Per *filios* ergo intellexit Christus filios regnorum, siue terrarum, id est, inde natos siue oriundos, alioquin sermo eius non videretur fuisse ad propositum, nam in plurali locutus est tam pro se quam pro Petro, quem constat nõ fuisse filium talium regum, de quibus dixit Hieronymus. Amplius, quoniam si Christus erat de stirpe Dauid secundum carnem, sic & alii plurimi Iudæorum, quamuis fortasse non Petrus. Rursum, quoniam per Dauid nec aliquem ex ipsius semine, tunc exigebatur tributum, sed per Cæsarem, quid ergo dixisset Christus, *reges terræ*, &c. *Ergo filii liberi sunt*, de rege cælesti nihil dicens, constat autem etiam Christum neq; Petrum filios fuisse Cæsaris secundum carnem, neque secundum spiritum. Adhuc quid quæsiuisset Christus quæstionem præmissam? omnibus enim constat, filios regum secundum semen, non soluere tributa parentibus. Non igitur fuisse videtur expositio Hieronymi sic consona scripturæ, quemadmodum Origenis. Voluit autem Christus ex verbis prædictis, tributa etiam indebita alicui, & quandoque soluere potius, & apostolos & sibi successores soluenda docere, quam pro talibus contendere. Hæc enim fuit iustitia consilii non præcepti, quam Christus pro humilitate carnis quã sumpserat voluit adimplere ac impleri docere, quod etiam instar Christi docebat apostolus fieri. Vnde primæ ad Corinthios sexto: *Quare non magis iniuriam accipitis [illegible] re non magis fraudem patimini?* quam vt prædixerat inuicem contendatis.

Amplius, nec solum quantum ad realia monstrauit Christus se subesse iurisdictioni coactiuæ principis seculi, verum etiam id ostendit in se, quantum ad personalem, qua nullam iurisdictionem maiorem in ipsum aut alium princeps habere potuit, propter quod etiam vocatur hæc iurisdictio à Romano legis latore *merum imperium*. Hoc autem potest euidenter ostendi ex *Matth.* 27. nam vt ibidem legitur & apparet, Christus se capi permisit, ad Pilati duci prætorium, qui vicarius erat Imperatoris Romani, & per ipsum demum tanquam iudicem coactiuæ potestatis se sustinuit extremo supplicio iudicari & tradi. Nec contra ipsum tanquam contra non iudicem reclamauit, licet fortasse significauerit se pati minus iustum iudicium. Constat autem quod tale iudicium atque supplicium per sacerdotes subire potuisset si voluisset, si inconueniens iudicasset futuros sibi successores principibus seculi subiici, & per ipsos iudicari. Quod quia sententia hæc seriosius scripta est *Ioannis* 19. idcirco adducam hic, quod habetur ibidem. Dum ergo Christus ad Pilatum Cæsaris Vicarium esset adductus, accusatus etiam ex eo quod se regem Iudæorum atque filium Dei dixisset, Pilato quoque interrogante Iesum, *Vnde es tu?* Iesu autem ad hoc ei nullum dante responsum, dixit Pilatus ad ipsum verba consequentia, & nostro proposito attinentia, quorum series talis est: *Dicit ergo ei Pilatus, Mihi non loqueris, nescis quia potestatem habeo crucifigere, & dimittere te? Respondit Iesus. Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi datum esset tibi desuper.* Ecce quod Iesus non negauit Pilatum habere potestatem ipsum iudicandi, & in ipsum iudicium exequendi. Nec dixit, hoc nõ pertinet de iure ad te, imo de facto id facis. Sed addidit Christus hanc potestatem Pilatum habere *desuper*, quomodo desuper? Respondet Augustinus: *Discamus ergo quod dixit*, (Christus scilicet,) *quod & Apostolum docuit*, (Paulum videl. ad Romanos 13.) *Quid ergo dixit Christus? quid Apostolum docuit? quia non est potestas*, (id est autoritas iurisdictionis) *nisi à Deo, quicquid sit de actu male vtentis ea. Et quia plus peccat, qui innocentem occidendum potestatis liuore tradit quam ipsa potestas si eum timore alterius potestatis maioris occidit. Talem quippe Deus dederat illi potestatem* (Pilato scilicet,) *vt esset etiam sub Cæsaris potestate.* Fuit ergo iudicialis coactiua potestas Pilati supra Christi personam à Deo, sicut aperte Christus confessus est, & Augustinus palam expressit. Et aperte dixit Bernardus ad Archiepiscopum Senonensem epistola quadam. *Cum*, vt inquit, *Romani præsidis potestatem, Christus super se quoque fateatur cælitus ordinatam*, loquens de potestate Pilati, & super hunc locum scripturæ. Si ergo Pilati iudiciaria potestas coactiua in Christum fuit à Deo, quanto magis & supra ipsius temporalia seu carnalia bona, si qua Christus possedisset aut habuisset. Quod si supra Christi personam & ipsius temporalia, quanto magis supra personas & temporalia

omnium

omnium apostolorum, & suorum successorum, omnium episcoporum seu presbyterorum? Fuit autem hoc non solum verbo Christi monstratum, sed operis consummatione firmatum. Nam per Pilatum eundem pro tribunali sedentem, lata fuit in Christum sententia capitalis, & per ipsius autoritatem, illius executio facta sententiæ, Vnde Ioannis eodem habetur hæc series: *Pilatus ergo cum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali*, & subditur paucis interpositis: *Tūc ergo tradidit eis illum*, (Iesum scilicet) *vt crucifigeretur*. Fuit autem de Christo talis Apostoli sententia, dum dixit ad Galatas tertio: *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege*, ergo & sub iudice, cuius erat iudicare atque præcipere secundum legem, qui tamen non erat episcopus aut sacerdos.

Nec à se tantum Christus excludere voluit seculi principatum seu iudicialem coactiuam potestatē, verū etiam à suis Apostolis hanc exclusit, tam ipsorū inuicem quàm ad alios. Vnde *Matthæi vigesimo*, & *Lucæ vigesimo secundo* habetur hæc series. *Facta est autem contentio inter eos*, (id est apostolos) *quis eorum esset maior. Dixit aūt eis*; (Christus scilicet) *Reges gentium dominantur eorū, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur*. In Matthæo vero habetur hæc clausula sic. *Et qui maiores sunt potestatē exercent in eos, vos autem nō sic. Sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui præcessor, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrorum sum sicut qui ministrat. Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus; sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*, id est seruire in temporalibus, non dominari vel par esse. Nam in ministerio spirituali erat primus, non seruus in medio apostolorum. Vbi Origines: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, id est non contenti tantum regere suos subditos, violenter eis dominari nituntur*, id est per potentiam coactiuam si oporteat. *Inter vos autem qui estis mei, non erunt hæc; Quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, spiritualia autem in voluntate, sic & qui principes sunt spirituales* (id est prælati) *principatus eorum in dilectione debet esse positus, non in timore*. Chrysostomus autem inter cætera dicit hæc quæ ad propositum sunt: *Principes mundi ideo sunt, vt dominentur minoribus suis, & eos seruituti subiiciant & expolient*, (supple, si demeruerint) *& vsque ad mortem eis vtantur ad suam* (id est principantis) *vtilitatem & gloriam. Principes autem ecclesiæ*, (id est, prælati) *fiunt, vt seruiant minoribus suis & ministrant eis quæcunque acceperunt à Christo, vt suas vtilitates negligant & illorum procurent, & mori non recusent pro salute inferiorum. Primatum ergo ecclesiæ cōcupiscere neque iustum, neque vtile. Quis enim sapiens vult vltro subiicere se seruituti & periculo tali, vt det rationem pro omni ecclesia? nisi forte qui non timet Dei iudicium, abutens primatu suo ecclesiastico seculariter, ita vt conuertat illum in secularem*. Quid ergo de secularibus iudiciis coactiuis habent se intromittere sacerdotes? non enim debent temporaliter dominari, sed seruire Christi exemplo & præcepto. Vnde Hieronymus: *Denique sui proponit exemplum*, (Christus scilicet,) *vt si dicta* (ipsius, supple) *paruipenderent* (apostoli) *erubescant ad opera*, temporaliter dominari. Vnde Origines super illo: *Et dare animam suam redemptionem pro multis*, inquit sic. *Ecclesiarum ergo principes imitari debent Christum accessibilem, & mulieribus loquentem, & pueris manus imponentem, & discipulis pedes lauantem, vt & ipsi similiter faciant fratribus. Nos autem tales sumus* (loquitur de prælatis sui temporis) *vt etiam principum mundi excedere superbiam videamur, vel non intelligentes vel contemnentes mandatum Christi, & quærimus sicut reges, acies præcedentes & terribiles*. Quod quia hæc facere, contemnere, vel ignorare Christi mandatum est, primum sunt de hoc monendi prælati, quod faciemus ex hoc contractu, ostendendo quid ipsis autoritatis conueniat, deinde si contempserint, se corrigere, compellendi sunt atque cogendi per seculi principes, ne mores aliorum corrumpant. Hæc igitur dicta sunt super Matthæum. Super Lucam vero dicit Basilius: *Decet autem & corporale obsequium ab his, qui præsident, offerri exemplo domini lauantis pedes discipulorum*. Dixit ergo Christus, *Principes gentium dominantur eorum, vos autem*, (scilicet apostoli) *non sic*. Non igitur Christus rex regum & dominus dominantium oīs potestatem exercendi secularia principum iudicia tradidit, neque in quenquam potestatem coactiuam, Sed hanc ipsis aperte prohibuit, cum dixit, *Vos autem non sic*. Et idem consequenter tenendum de omnibus apostolorum successoribus, episcopis siue presbyteris. Hoc est etiam quod beatus Bernardus aperte dicebat *ad Eugenium, de consideratione, libro secundo capitulo quarto*, tractans illud Christi iam dictum: *Reges gentium dominantur eorum*, &c. inquit enim inter cætera: *Quod habuit apostolus*, (Petrus videlicet) *hoc dedit, solicitudinem, vt dixi, super ecclesias, nunquid dominationem? audi ipsum. Non dominantes, ait, de clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, ne etiam veritate, vox domini est in euangelio. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur*. Et infert: *Vos autem non sic. Planum est, apostolis interdicitur dominatus, ergo tu vsurpare aude, aut dominus apostolatum, aut apostolicus dominatum, plane ab vtroque prohiberis si vtrunque simul habere voles, perdes vtrunque: alioquin non te illorum numero putes exceptum, de quibus quæritur Deus sic: Ipsi regnauerunt & non per me: principes extiterunt, & non cognoui eos*. Ex adductis itaque veritatibus euangelicis, & sanctorum & aliorum approbatorum doctorum interpertatoribus earum, apparere debet omnibus euidenter, Christum seipsum exclusisse seu excludere voluisse, tam sermone quàm opere, ab omni principatu seu regimine iudicio coactiuo seu potestate mundana, ipsumque seipsum principibus & seculi potestatibus, coactiua iurisditione voluisse subiectum.

CAP. V.

De canonicis Apostolorum oraculis & expositionibus sanctorum atque doctorum, quibus aperte conuincitur idem quod ex capitulo praecedenti.

Reliquum autem & his habitum est ostendere, hanc eandem fuisse sententiam atque doctrinam praecipuorum Christi apostolorum, Pauli quidem primum, 2. *ad Timothaeum* 2. ipsum quem statuerat episcopum seu presbyterum admonentis se mundanis non immiscere negotiis. Inquit enim ipse: *Nemo militans Deo implicat se secularibus negotiis.* Vbi Glossa secundum Ambrosium: *Quia nemo in spiritualibus militans Deo, qui non potest diuidi duobus contrariis seruis, sicut nemo potest duobus dominis seruire, implicat se secularibus negotiis quibuslibet.* Et dixit *quibuslibet*, nullum excipiendo. Cũ igitur negotiorum omnium secularissimum sit principatus seu iudicium coactiuum contentiosorum actuum, quoniam omnia secularia negotia seu seculares actus humanos, ciuiles ordinat & regulat, vt demonstratum est decimoquinto primae, ipsum maxime fugiendum praecipit Apostolus ab eo, qui debet Deo militare, spiritualia scilicet ministrãdo, qualis esse debet episcopus & sacerdos quicunque. Hanc autem, quam diximus Apostoli fuisse sententiam aperit ipsius series primae ad Corinthios sexto, cum dixit: *Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia constituite ad iudicandum.* Ibi enim loquebatur Apostolus ad omnes fideles & ecclesiam propriissime dictam secundum vltimam significationem videlicet, quam siquidem Apostoli seriem sic exponit Glossa secundum Ambrosium & Augustinum: *Si secularia negotia, &c. Contemptibiles, id est aliquos sapientes, qui tamen sunt minoris meriti* (supple, quàm presbyteri & doctores euangelii) *constituite ad iudicandum.* Et redditur causa quare non ministros euangelii: *Apostoli enim circumeuntes talibus non vacabant. Sapientes ergo qui in locis consistebant fideles & sancti, non qui hac atque illac propter euangelium discurrebant, talium negotiorum examinatores esse voluit.* Aliam vero causam huius assignat Glossa secundum Gregorium *in moralibus*, & iudicio meo recte ad intentionem Apostoli: *Cur enim debent contemptibiles, &c. non episcopi vel sacerdotes ad secularia officia exercenda constitui?* inquit Gregorius: *Vt videlicet hi terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum, id est actuum secularium seu ciuilium sapientiam perceperunt. Qui autem spiritualibus donis ditati sunt, terrenis non debent negotiis implicari. Vt dum non coguntur inferiora bona disponere, valeant bonis superioribus deseruire.* Ecce apertissimam Apostoli & sanctorum intentionem esse, quam diximus de officio sacerdotibus per Apostolum interdicto. Quod etiam exprimens Bernardus *ad Eugenium de consideratione, libro primo, cap. quinto*, sic ait, ad Romanos & reliquos episcopos sermonem dirigens: *Ergo in criminibus, non in possessionibus, potestas vestra, propter illa siquidem, & non propter has accepistis claues regni coelorum; praeuaricatores itaque exclusuri, non possessiones, vt sciatis*, ait, *quia filius hominis potestatem habet dimittendi peccata.* Et infra subdit: *Quae nam tibi videtur maior dignitas & potestas, dimittendi peccata an praedia diuidendi? habent haec infima & terrena iudices suos reges & principes terrae. Quid fines alienos inuaditis?* Nõ pertinet igitur ad officium episcopi siue presbyteri contentiosos actus carnales siue temporalia iudicare iudicio coactiuo. quinimo se talibus immiscentes episcopi siue presbyteri *alienos fines inuadunt*, id est alienum perturbant officium & falcem in alienam messem extendunt, secundum Bernardum. Voluit ergo Apostolus eos iudicare coactiuo iudicio, qui non sunt ordinati administrandum in euangelio, & qui exteriorum rerum scientiam, id est actuum ciuilium perceperunt. Cum igitur à tali iudicio, nemo delinquens sit exemptus, apparet tam sacerdotes quam non sacerdotes principantium coactiuo iudicio fore subiectos. Et est hic diligenter aduertendum, quod Apostolus generaliter scribens fidelibus de Corintho, sicut ex salutatione apparet, & quia in ecclesia reponit *contemptibiles*, id est seculares secundum Glossae interpretationem non dixit, *Contemptibiles constituo*, nec alium quenquam ad iudicandum secularia negotia quae habueritis. Nec etiam sui vice aliquem reliquit ibidem ad talia iudicandum, aut tales iudices constituendum. Quod tamen fecisset aut facere debuisset, si hoc ad suum officium & autoritatem pertinuisset, quemadmodum de presbyteris & episcopis fecit. Illos enim in locis fidelium instituebat, & aliorum institutionem eis facere praecipiebat seu committebat, sicut apparet *prima ad Timoth. tertio* & *ad Titum primo* Ad Titum enim ait: *Huius gratia reliqui te Cretae, vt ea quae desunt corrigas mala scilicet in peccantibus, & bonum addas*, vt dicit Glossa. *Et constituas per ciuitates presbyteros.* De secularibus vero iudicibus quoniam hi per humanam electionẽ habent institui secundum modum quem assignauimus 15. *primae*, dixit Apost. *Constituite*, ad fideles oẽs loquens. Quoniã horũ est autoritas hęc, nec dixit alicui episcopo vel sacerdoti, cõstituas, quẽadmodũ de sacerdotib. fecit, nec seculares act⁹ per episcopos aut presbyteros iudicari ꝑcepit, sed potius interdixit. vnde Bernardus, vbi supra: *Audi tamen Apostolum quid de huiusmodi sentiat. Sic non est sapiens inter vos, ait ille, qui iudicet inter fratrem. Et infert, ad ignominiam vobis dico. Contemptibiliores qui sunt in ecclesia illos constituite ad iudicium. gradum contemptibilium itaque secundum Apostolum indigne tibi vsurpas tu apostolicus officium vile. Vnde & dicebat episcopus* (Apostolus scilicet) *episcopum instruens; nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Et subdit, *putas ne haec tempora sustinerent si hominibus litigantibus pro terrena haereditate, & flagitantibus abs te iudicium voce domini responderes; O homines, quis me constituit iudicem super vos? in quale mox iudicium tu venires? Quod diceret homo rusticanus & imperitus, ignoras primatum tuum, ignoras summam & praeexcelsam sedem, derogas apostolicae dignitati.*

gnitati. Et tamen non monstrabunt, puto, qui hoc dicerent, vbi aliquando quispiam apostolorum, iudex sederit hominum, aut diuisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse deniq; lego apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego. Erit illud non fuit, ita ne imminutor est dignitatis seruus, si non vult esse maior eo qui misit se? Aut filius si non transgreditur terminos, quos posuerunt patres sui? Quis me constituit iudicem? ait ille magister & dominus. Et erit iniuria seruo discipuloq; nisi iudicet vniuersos? Dixit ergo Bernardus, successorem apostolorum indigne sibi vsurpare officium iudiciale. Et hæc rursum subiungens ait: *Mihi tamen non videtur æstimator bonus rerũ, qui indignum putat apostolis seu apostolicis viris non iudicarẽ de talibus, quibus datum est officium in maiora. Quid ni contemnant iudicare de terrenis possessiunculis hominum, qui in cœlestibus & angelos iudicabunt?* Præcepit quoq; sanctus Apostolus, omnes indifferenter neminem excipiendo, episcopum, vel sacerdotem, aut diaconum subesse debere in iudicio coactiuo, iudicibus seu principibus secularibus, nec illis resistendum, nisi quicquam contra legem salutis æternæ faciendum perciperent. Vnde ad Romanos 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non .n. est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt. nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem, fac bonum, & habebis laudem ex illa. Dei .n. minister est tibi in bonum. si autem malefeceris, time. non .n. sine causa gladium portat. Dei .n. minister est vindex in iram & qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed propter conscientiam. Ideo .n. & tributa præstatis. ministri .n. Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.*

Volui autem super hæc apostoli notanda verba, inducere Glossam secundum sanctos atq; doctores catholicos, quoniam ex his quæ dixit Apostolus & Glossator, tam aperte demonstratur propositum nostrum esse verum, vt nemo compositæ mentis, ipsis inspectis, debeat vlterius dubitare. Dixit ergo Apostolus: *Omnis anima* &c. nullam excipiendo. Vbi Glossa secundum Aug. primo: Et quandoq; vicissim secundum Amb. inquit sic. *Et hic ad humilitatem inuitat. Videbatur .n. quibusdam, quod mali domini, & maxime infideles, non deberent fidelibus dominari. Et si boni & fideles essent, bonis & fidelibus essent pares. Quam ẽt superbiam remouet hic Apostolus à parte superiore, id est anima, significans totũ hominẽ. Quid .n. est omnis anima, nisi omnis homo? quasi dicat, omnia prædicta facienda sunt, & si ita perfecti sitis in corpore Christi, tamen omnis anima subdita sit, id est omnis homo subditus sit. Quem nomine animæ ideo significo, vt non solum corpore, sed & voluntate seruiatis. Omnis ergo anima subdita sit vt ẽt voluntate seruiat potestatib. secularibus, bonis & malis, scilicet, regibus, principibus, tribunis, centurionibus, & aliis huiusmodi. Ecce ergo quid intelligebat Apostolus per potestates sublimiores, quoniã seculares principes tunc subiungit. Si .n. bonus fuerit qui tibi præest, nutritor tuus est: malus si fuerit, tentator tuus est. Et nutrimenta libenter accipe, & in tentatione approbare. Esto ergo aurũ & attende mundũ iustũ, quasi fornacẽ aurificis, Sic ergo omnis anima subdita potestatib. sublimioribus, id est in hoc quod sublimes sunt, id est in mũdanis, vel notatur causa cũ dicit, sublimiorib. id est quia sublimiores sũt. (Non est .n.) probat quod debent subiici hoc modo, quia potestas omnis est à Deo. Sed quæ à Deo sunt, ordinata sunt, igitur potestas est à Deo ordinata, id est quicunq; habet potestatem, Dei ordinationẽ habet. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Et hoc est quod dicit, quasi ideo debet subiici, quia non est potestas alicui homini bono vel malo, nisi à Deo data. Vnde Pilato dominus ait. Nõ haberes in me potestatẽ, nisi datũ esset tibi desuper.* Quod ẽt Bern. ad Archiepis. Senonens. repetens ait *Secularior nemo Pilato, cui dominus astitit iudicandus. Nõ haberes, inquit, in me potestatẽ, n si tibi esset data desuper. Iã tũc pro se loquebatur, & in se experiebatur, quod post per apostolos clamauit in ecclesiis, nõ est potestas nisi à Deo. Et qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Et infra parũ ibid. subdit. *Cũ Romani præsidis potestatẽ Christus super se quoq; fateatur cælitus ordinatã*, &c. Sequitur in glossa. *Quæ aũt sunt, à Deo ordinata sunt, id est rationabiliter à Deo disposita sunt. Itaq; qui resistit vi vel dolo potestati, id est homini habenti potestatẽ, in his scilicet, quæ ad potestatẽ pertinent vt in tributo & huiusmodi, Dei ordinationi resistit, id est habẽti potestatẽ Dei ordinatione. nõ ergo secundũ Dei ordinationẽ agit. De potestate bona patet, quod eã præfecit Deus rationabiliter: de mala ẽt videri põt, dum & boni per eã purgantur & mali damnãtur, & ipsa deterius præcipitatur. Et nota, quod nomine potestatis interdũ accipitur potestas ipsa, quæ data est aliquãdo à Deo, aliquãdo ipse homo habens potestatẽ, quod diligens lector distinguat. Qui aũt quasi qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Hoc aũt tã graue est, quod qui ei resistũt, ipsi sibi acquirũt damnationẽ. Et ideo nõ debet quis, id est aliquis seu nullus resistere, sed subiici. Si tamẽ illud iubeat, quod nõ debes facere, his sane contẽne potestatẽ, timẽdo potestatẽ maiorẽ. Ipsos humanarũ rerũ gradus aduerte. Si quid iusserit curator nunquid faciendũ est. si cõtra procõsulem iubeat? Rursus si quid ipse procõsul iubeat, & aliud Imperator iubeat, nunquid dubitatur illo contẽpto, id est proconsule, illi, id est Imperatori seruiendum? Ergo si aliud Imperator, aliud Deus iubeat, contempto illo, obtemperandum est Deo.* Non tñ dixit Aug. *Si aliud Imperator, & aliud episcopus* seu *papa iubeat*, quod tñ dicere debuisset, si papa iurisditionis gradu superior esset, tñ voluit Aug. ꝙ si præcepit Imperator aliquid faciendũ contra legem salutis æternæ, quæ Dei præceptũ est immediatũ, in hoc Imperatori nõ esse obtemperãdum, in quo papæ præcipienti secundum hanc legem, sc. diuinam magis esset obtemperandũ, quã Imperatori præcipienti quicquam agendũ contrarium legi diuinæ. Sed papæ p̃cipienti aliquid secundum suas *Decretales* inquantum huiusmodi, nihil obediendum cõtra Imperatoris seu legum suarum præceptum, vt hic aperte liquet, & *nono huius* amplius deducetur. Tunc Glossa: *Quasi merito acquirunt damnationẽ. nã principes boni vel mali non sunt timori boni operis sed mali, id est non sunt ad timorẽ his qui bene operantur, sed his qui male. Si enim bonus est princeps bene operantem non punit, sed diligit. si vero malus, non nocet bono, sed purgat eum. Malus vero debet timere, quia instituti sunt principes vt mala puniant.* Principes dicit illos, qui propter corrigendam vitam & prohibenda aduersa creantur, Dei habentes imaginem, vt cæteri sub vno sint. *Vobis autem quasi male operantibus sunt timori. Tu autem vis*

non

non timere potestatem, quæcunq; sit siue bona, siue mala? Fac bonum, & non est vnde timeas, imo habebis laudem ex illa, etiam si mala est, dum tibi causa est maioris coronæ. Si autem iusta est potestas, habebis laudem ex illa, etiam ipsa laudante. si iniqua est, habebis laudem ex illa, non ipsa laudante, sed ipsa tibi laudis occasionem præbente, vere ex illa habebis laudem. Dei enim minister est tibi in bonum, id est tibi est faciens bonum, siue bonus, siue malus sit, quia tibi datus est in bonum tuum à Deo, vt tueatur te & tua. Manifestũ est enim, quod ideo dati sunt à Deo rectores, ne malum fiat bonis. si autem quasi bono, non est timendum, est enim, id est quia portat gladium. id est habet iudiciariam potestatem, non sine causa, sed vt malos puniat. Et hoc ostendit subdens, Dei. n. minister est id est loco Dei vindicat. Ipse dico existens vindex in iram Dei, id est propter offensam Dei vindicandam, vel in iram Dei, id est futuram ostendendã, id est propter vindictam Dei futuram ostendẽdam, quia hac punitio iudicat persistentes in malis, grauius puniendos. Dico quod vindex est, & ei, id est ad damnũ eius & correctionẽ, qui malum agit, & quia est minister Dei. Ideoq; subditi estote ei, quasi ex necessitate vel necessitati, id est necessaria ordinationi subditi estote. Et hoc non solũ propter irã principis vel Dei vindicandã, sed & propter conscientiam scilicet vt munda sit mens vestra. Prælatum à Deo, id est eum qui sic præest per Dei ordinationẽ diligendo. Licet. n. omnes fideles, inquantum fideles sunt, vnũ sint in Christo, in cuius fide nõ est distantia, Iudæi, Græci, domini, & serui, & huiusmodi, differentia tamen est in conuersatione mortali, & eius ordinẽ in huius vitæ itinere seruandũ esse, apostoli præcipiunt. Alia sunt. n. quæ seruamus in vnitate fidei. sine vlla distãtia, & alia in ordine huius vitæ tanquam in via ne nomen domini & doctrina blasphemetur. Ideo. n. hæc est probatio subiectionis, quare subditi esse debetis, quia & ideo ad ostendendam subiectionẽ præstatis tributa, quod est signũ subiectionis. non ait soluitis, sed præstatis quasi reddituris, quia reddunt seruiẽdo in defensione, dũ pugnant pro patria, & dum agunt iudicia, præstatis tributa. Vos dico seruientes Deo in hoc ipsum, id est per hoc ipsum seruitis Deo quod illis tributa datis. Vere per hoc seruitis Deo, ministri. n. sunt Dei, ad hoc enim instituti sunt, vt boni laudẽtur, & mali puniantur. Vel ita, ministri enim, quare debetis præstare tributa, quia ministri Dei sunt, ipsi dico seruientes vobis, dum patriam defendunt, in hoc ipsum, id est propter hoc scilicet, propter tributum seruiunt vobis in defensione patriæ, & quia ministri Dei sunt.

Ex hac itaq; Apostoli serie, ac sanctorum expositionibus præinductis non volenti nomen & doctrinam domini blasphemari, tanquam iniustam & contra ciuiles leges prædicantem, vt dixit hic glossa Augustini, *& prima ad Timoth. sexto* absq; dubitatione aliqua tenendum est, Omnes homines cuiuscunq; status aut conditionis existant, realiter & personaliter subesse debere iurisdictioni principum seculi, & eisdem obedire in his omnibus, quæ contradicunt legi salutis æternæ, secundum humanas leges maxime, aut cõsuetudines approbatas & honestas, de his enim loquitur Apostolus aperte, cum dixit: *Omnis anima subdita sit*, &c. Et quod *non sine causa gladium portant*, & reliqua, quæ de ipsis protulit tam patriæ defensione, quam tributorum eisdem exhibitione secundum sanctorum expositiones. Hæc autem nusquam de quoquam episcopo seu presbytero dixit Apost. Nã domini quib. in iurisdictione coactiua obedire tenemur, sunt q̃ per armatã potẽtiã defendere debent patriam, q̃ nullo modo conuenit episcopo aut presbytero. Vnde B. Ambr. *ad Valẽtianum, epist. 2.* q̃ intitulatur, *Ad plebẽ*, sic inquit: *Dolere potero, flere potero, gemere potero, aduersus arma, milites, Gothosque, lachrymæ meæ arma meæ sunt, talia enim munimenta sunt sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere.* Rursum domini tales quibus sic obedire tenemur, possent esse infideles, vt dixit glossa circa principium, tales autem non sunt, nec esse possunt episcopi. Et ideo palam omnibus, quod de presbyteris seu episcopis non loquebatur Apostolus, imo de regibus & principibus, sicut dicebat August. Ab hac subiectione etiam neminem Apostolus excipit cum dixit: *Omnis anima.* Si ergo resistentes huiusmodi potestatibus, etiam infidelibus & malis, sibi damnationem æternam acquirunt, quanto magis indignationem omnipotentis Dei, & huius apostoli Pauli atq; Petri acquirunt sibi, qui hac Dei & horum apostolorum contempta doctrina, dudum turbauerunt & turbant continuo fideles reges & principes, & maxime ac inexcusabiliter Romanorum. Principes enim *ministri sunt Dei*, vt dixit Apostolus, nec dixit, ministri nostri sunt, vel Cephæ aut alterius apostoli. Et ideo nec in iudicio coactiuo subiecti alicui episcopo vel presbytero sed magis ecõuerso. Quod etiam glossa secundum Aug. explicauit, dum dixit: *Ergo si aliud Imperator, aliud Deus iubeat*, &c. nullum episcopum aut archiepiscopum vel patriarcham nominando in talibus iurisdictionibus, quod tamen fecisset aut facere debuisset, si Christus rex regum & dominus dominantium hanc potestatem sibi concessisset super Imperatorem, vt ipsi fabulantur in suis *Decretalibus*, quæ secundum veritatem nihil aliud sunt, quam ordinationes quædam oligarchicæ, quibus in nullo tenentur obedire Christi fideles, inquantum huiusmodi, quemadmodum *ex 12. prima* demonstratum est, & in consequentibus specialibus apparebit.

Non tamen ex his dicere volumus, quin doctori seu pastori ecclesiastico debeatur reuerentia & obedientia in his quæ præcipit, seu docet obseruanda secundum legem euangelicam, non aliter aut in contrarium, vt *Matth. 23* & per Hieronymum ibid. satis apparet, quamuis etiam ipse ad talium obseruatione neminem debeat nec possit arcere in hoc seculo, pœna vel supplicio; quoquam reali vel personali. Quoniam talem potestatem arcendi & dominandi cuiquam in hoc seculo, sibi ex euangelica scriptura concessam, non legimus, sed potius interdictã consilio vel præcepto, vt ex hoc & præcedente c. liquet. Talis. n. ptãs in hoc seculo datur à legibus seu legislatore humano, quæ etiam data episcopo vel presbytero ad compellendum homines in his quæ sunt diuinæ legis inutilis esset. Nam coactis nihil tale proficeret ad æternam salutem. Et hæc palam fuit mens Apost. 2. ad Corint. primo cũ dixit: *Ego aũt testem Deũ inuoco in animam meam, quod parcens vobis non veni vltra Corinthũ, nõ quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudii vestri, nã fide statis.* Vbi Glossa

Glossa secundum Amb. *Ego inuoco Deum testem non solum contra corpus, sed etiam in, id est contra animam meam, si mentior de quo loquor. Quod non veni in Corinthum vltra, id est postquam à vobis discessi. Et hoc feci parcens vobis, scilicet ne contristarem multos aspere corripiendo, in quo pepercit eis ne eo asperiore vertantur in seditionem. Vult ergo eos prius mitigari, & ideo non est ex leuitate vel carnali cogitatione non impleuit quæ disposuit. Spiritualis enim tunc dispositum non implet, quando aliquid ad salutem prouidentius meditatur. Et ne indignentur quasi de dominio, eo quod dixerat parcens vobis non veni, subdit, non ideo dico parcens, quia dominemur fidei vestræ, id est, quia dominium & coactionem patiatur fides vestra, quæ voluntatis est, non necessitatis. Sed ideo dico, quia adiutores sumus, si vultis cooperari gaudii vestri æterni, vel gaudii emendationis vestræ, quia gaudent emendati. Bene dixi quæ fidei vestræ, nam fide, per dilectionē operatur statis non dominio.* Hanc eandē sententiam ex verbis Apostoli supradictis accepit, & omnib. euidenter expressit B. Ioannes Chrys. in suo *lib. dialogorum*, qui etiam *de dignitate sacerdotali* intitulatur *lib. 2. cap. 3.* inquit enim ibidem, postquam induxerat illud Apostoli, *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus*, &c. *Hi qui foris sunt iudices, seculares scilicet, malignos quosque cum subdiderint. ostendunt in eis plurimam potestatem, & inuitos eos à priorum morum prauitate compescunt, in ecclesia vero non coactum, sed adquiescentem oportet ad meliora conuerti. Quia nec nobis à legibus data est talis potestas, vt autoritate sententiæ cohibeamus homines à delictis.* Et loquitur in persona omnium sacerdotum, assignans primam causam iam dictam, quare scilicet neminem cogere possint, quia coactiuam in hoc seculo cuiusquam autorem non habent, eo quod *à legibus*, id est legislatoribus eis data non erat illis temporibus, aut in locis illis siue prouinciis. Tunc aliam causam assignans subiungit: *Nec si data esset*, (talis potestas scilicet) *haberemus*, (nos videlicet episcopi seu presbyteri,) *vbi exerceremus eiusmodi potestatem, cū Deus noster*, (Christus scilicet) *non necessitate* (id est violentia) *submotos à peccato, sed propria sese sponte abstinentes remuneraturus sit.* Nec tamen ex his dicere volumus inconueniens esse coerceri hæreticos aut aliter infideles, sed autoritatem hanc esse solius legislatoris humani. Non igitur conuenit sacerdoti vel episcopo cuiquam coactiua potestas, sed debēt tam ipsi quam alii secularibus iudicibus in hac subesse, quemadmodum dictū est. Vnde rursum apostolus primæ ad Timot. 2. dixit: *Obsecro igitur primū omniū fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnib. hominibus, pro regibus, & omnib. qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillā vitam agamus.* Vbi Glossa Tim. hæc verba dirigens in illo omni ecclesiæ formam tradit. Et tunc secundum Aug. subiungit: *Pro omnibus hominibus, id est pro hominibus omnis generis, & specialiter pro regibus, & si mali sint, & pro omnibus qui in sublimitate sunt constituti, vt ducibus & comitibus, & si mali sint*; cū tñ inter positos in sublimitate seu iudiciaria tali potestate, nunquā Apost. & Aug. episcop. aut presbyterum aliquē nominet, sed solummodo principes seculares. *Quare autē*, inquit Aug. *pro regibus & sublimibus etiam malis orari velit, reddit causam*, (Apostolus scilicet,) *subdens, quia hoc nobis proderit, vt quietam vitam agamus à persecutione & tranquillā, id est sine inquietatione aliqua.* Ecce testimonium eius quod diximus *vltimo primæ*, videlicet ꝙ causa tranquillitatis factiua & conseruatiua est actio principantis debita non impedita. Tūc subiungit Aug. quod est valde ad propositum, dicens: *Ideo apostolus ecclesiam orare pro regibus admonuit & omnibus sublimibus eodem Spiritu sancto afflatus, quo & Hieremias, qui misit epistolam Iudæis, qui erant in Babylone, vt orarent pro vita regis Nabuchodonosor filiorumq; eius, & pro pace ciuitatis, inquiēs, quia in pace illorum erit pax vestra. Hoc autē figuratæ significabat ecclesiam in omnibus sanctis eius, qui sunt ciues cœlestis Hierusalem seruiturā sub regib. huius seculi. Ideoq; apostolus eā monet pro eis orare, vt quietam agant vitam.* Ecce indubie Apostoli atq; Aug. fuisse sententiam, quod ecclesia seu Christi fideles omnes subesse debeant principibus seculi, maxime fidelibus & eorum obedire præceptis, non contrariis legi salutis æternæ. Quod si Apostolus intellexisset, episcopos seu presbyteros principari debere, ac homines realiter aut personaliter coactiuo iudicare iudicio, in statu & pro statu vitæ præsentis, dixisset Timotheo quem episcopum constituerat. *Obsecro* &c. *pro regibus & episcopis omnibus, qui in sublimitate sunt.*

Amplius ad Titum tertio dicebat Apostolus, *Admone illos*, (quibus prædicas,) *subditos esse principibus & potestatibus*, non dixit Apostolus, admone seculares tantum, nec rursum dixit, admone illos, subditos esse nobis & principibus, bene enim nouit Apostolus quod nec ipse vel alii episcopi seu presbyteri debent principari aut alios iudicare litigioso seu secularium actuum iudicio, quinimo ipsos à secularibus negotiis quibuslibet reuocauerat, ne dum à principatu seu iudicio talium, cum dixerat 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicat se secularibus negotiis.* Vnde Ambro. *admone* &c. *quasi: & si tu habes imperium spirituale, id est præcipere de spiritualibus, tamen admone illos subditos esse principibus scilicet regibus, ducibus, & potestatibus minoribus Quia Christiana religio neminem priuat iure suo.* quod pro tanto dixit Ambrosius quia etiam fideles, dominis & principibus infidelibus aut malis voluit & docuit Apostolus subesse, sicut dicit ipse primæ ad Timoth. vlt. *Quicunque sunt sub iugo serui*, &c. Vbi Glossa secundum Augustinum *Sciendum quosdam prædicasse, communem omnibus in Christo libertatem esse, quod de spirituali libertate vtique verum est, non de carnali, vt illi intelligebant. Ideo contra eos loquitur hic Apostolus iubens seruos dominis suis subditos esse. Non ergo exigant serui Christiani, quod de Hebræis dicitur, vt sex annis seruiant & gratis dimittantur liberi, quod mysticum est. Et quare hoc præcipiat Apostolus, supponit. ne blasphemetur nomen domini quasi aliena inuadentis, & doctrina Christiana, quasi iniusta & cōtra leges prædicet*, ciuiles scilicet. Quo igitur modo & qua secundū Deū conscientia vult aliquis sacerdos, quicunq; sit ille, absoluere subditos à iuramēto quo dominis fidelibus astringuntur. Est .n. hæc hæresis manifesta, vt in sequentib. amplius apparebit. Dixit ergo Apostolus, *admone illos, subditos esse principibus*, non dixit laicos solum, sed indif-

indifferenter, quia secundum ipsum, omnis anima subdita est eis in iudicio coactiuo seu contentioso. Si vero non, dic mihi, in quo dixit, *omnis anima subdita sit* &c. Quod si Timotheo & Tito in hoc subiici debuisset, frustra dixisset. *Admone il.* &c. Rursum si quosdam voluit admoneri subesse potestatibus secularibus, quosdam vero minime, insufficienter fuisset locutus, non faciendo in sermone suo differentiam hanc, quam nusquam in sua scriptura factam reperiret quis, sed oppositum magis. dixit enim. *Omnis anima subdita sit*, &c. in quo incouenienter & false locutus fuisset Apostolus, quod absit, si qui à talium subiectione fuissent exempti. Hæc quoq; côformiter sententia & doctrina B. Petri apostoli prima canonica sua, ca 2. cum dixit: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*, constitutæ videlicet in principatu, de quib. eum intellexisse apparet per exempla quæ immediate subintulit, dum dixit: *Siue regi quasi præexcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam maleficiorum, laudem vero bonorum, quia sic voluntas Dei est*. Glossas autem sanctorum non adduxit super hunc locum, quia totum quod hic dicunt, continetur in Glossa, quam supra induximus ad Apost. *Ro.* 13. Ecce quod B. Petrus & Paulus conformiter dicunt reges & duces missos à Deo *ad vindictam malefactorum*, id est ad sumendum de ipsis vindictam per coactiuam potentiam in hoc seculo. nusquã vero dixerunt nec ipsi, nec sancti expositores suorum dictorum ad hoc missos esse episcopos aut presbyteros, sed oppositũ magis, vt dicto præcipue Chrysost. superius euidẽter apparuit Cũ igitur malefactores possint esse presbyteri sicut non presbyteri secundum omnia transgressionũ genera, nobis enumerata secũdo huius, p necessitatem sequitur, ipsos subesse debere in iudicio coactiuo regibus, ducibus, aut aliis principantibus secularibus, quos legislatoris humani autoritate statuendos ostendimus 15. *prima*. Hos. n. misit Deus *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*, vt dixit B. Petrus: *Sic. n.* id est, illis obedire, *voluntas Dei est*, vt dixit ibidem. Hoc rursum confirmat sermo & exemplum operis manifestum B. Pauli Apost. nam de ipso legitur Actuum 25. q ipse refugiẽs sacerdotum iudicium coactiuum, dixit aperte: Cæsarem appello. Et rursum: *Ad tribunal Cæsaris sto, vbi me iudicari oportet*, dicit Glossa interlinearis, *quia hic est locus iudicii*. Ergo sacerdotum refugiens iudicium, fassus est se coactiuæ iurisditioni Cæsaris fuisse subiectum. Sed credendum est ne Apostolum ficte dixisse, *Ibi me iudicari oportet*, id est apud Cæsarem metu mortis, qui iam pro veritate mori elegerat & deliberauerat, vt apparet *Act.* 21. dum dixit: *Ego n. non solum alligari, sed & mori paratus sum in Hierusalem propter nomen domini Iesu Christi*. Quis n. demens æstimabit, Apostolum suo verbo tantum crimen commisisse protelandæ vitæ gratia, vt omne sacerdotium indebite subiiceret sui exemplo & doctrina iurisditioni principum seculi, si hoc inconueniens & indebitum reputasset? Melius. n. fuerat illi non ascendere in Hierosolymam, qui à nullo compellebatur quam ascendere & mentiri contra seipsum & proximum. Et ideo quia hoc nephas est æstimare de ipso, apparet ipsum id sensisse mente quod ore protulit. Et secundum imitationẽ magistri sui, quo noluit esse superior, (Christo videlicet,) qui nedum Cæsarem, verum etiam Pilatum eius vicarium suum mundanum iudicem recognouit, dum dixit, Io. 19. *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi datum esset ti.* &c. id est *nisi à Dei superna ordinatione*, vt supra dicebat Aug. ad Ro. 13. *quia non est potestas alicui homini bono vel malo, nisi à Deo data.* Quod etiam Bernardus *ad episcopum Senonensem* amplius explicauit, & supra induximus *parte quarta*. Cum igitur nulli episcopo iurisditio seu coactiua cuiusquam potestas in hoc seculo concessa sit lege diuina, sed potius interdicta consilio vel præcepto, vt patenter ostensum est in *hoc & præcedenti ca*. Nec etiam potestas eiusmodi episcopis seu presbyteris in quantum episcopis conueniat successione patria seu paterna: Per necessitatem sequitur ipsos in hac subiectos esse principibus seculi, sicut ex dictis apostolorum Petri & Pauli & aliorum sanctorum euidenter apparuit. Et ratione demonstrata conuinci potest ex his quæ dicta sunt 15. & 17. *prima*. Nec in quenquam presbyterum aut non presbyterum coactiuam in hoc seculo iurisdictionem habere quenquam episcopũ siue papam, nisi eadem sibi per humanum legislatorem concessa fuerit, in cuius potestate semper est hanc ab ipsis reuocare, interueniente rationabili causa, cuius plena determinatio ad eundem legislatorem, præsertim in communitatib. fidelium pertinere dignoscitur. Quod quidem igitur principatum seu coactiuam iurisditionem cuiuscunq; in hoc seculo Christus abdicauerit, suisq; apostolis ac ipsorum successoribus episcopis seu presbyteris interdixerit consilio vel præcepto, ipsumq; seipsum ac apostolos eosdẽ principum seculi coactiuæ iurisditioni subesse voluerit, id quoq; obseruandum docuerit, ac ipsius apostoli præcipui Petrus & Paulus tam opere quam sermone, per euangelicas veritates æterna testimonia per sanctorum quoq; ac reliquorum approbatorum fidei Christianæ doctorum interpretationes seu expositiones, euidenter monstrasse nos credimus.

CAP. VI.

De autoritate clauium Sacerdotalium, & qualem in excommunicando sacerdos aut episcopus habeat potestatem.

CONsequens autem dictis est ostendere, quid potestatis, autoritatis, & quale iudicium super fideles Christus eisdem apostolis & ipsorum successoribus concedere voluerit, & de facto cõcesserit ex virtute verborum scripturæ sacræ. Inter cætera vero quæ de hoc expressiorem significationem habere videntur, sunt ea quæ Christus protulit ad Petrum Matth. 16. *Tibi dabo claues reg. c.* Similiter quoq; dicta per eundem Christum ad apostolos omnes, *Mat.* 18. *& Ioan.* 20. dum dixit Chri-

Christus: *Quæcunque alligaueritis super terram, ligata erunt & in cælo, & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Ex his enim verbis præcipue opinio & titulus *plenitudinis potestatis*, quem sibi Romanus ascribit episcopus, sumpsit originem. Quorum quidem vt sensus & notitia certius possit haberi, reminisci oportet aliquorum quæ diximus *vltimo primæ*, videlicet quod Christus verus Deus & verus homo *venit in hunc mundum, perhibere testimonium veritati*, vt idem dixit Io. 18. veritati inquam credendorum agendorum, & spernendorum ad vitam æternam humano generi consequendam. Quam siquidem etiam sermone docuit, & exemplo monstrauit, in scriptisq; demũ tradidit per euangelistarum & suorum apostolorum dictamina, vt per talem scripturam, in ipsius & apostolorum suorum absentia dirigi possemus in his quæ sunt æternæ salutis: & hoc fuit officium quod suis successoribus apostolis exercendum commisit. cum eisdem post resurrectionem quasi omnium nouissime dixit illud Matt. 28. & vltimo: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis*. Verum per baptismi administrationem, quod Christus per apostolos administrari præcepit, fecit eos intelligere etiam aliorum sacramentorum administrationem, quæ propter humanam salutem æternam instituit, quorum est pœnitentiæ sacramentum, quo animæ humanæ actualis culpa mortalis & venialis deletur, & in ipsa propter culpam corrupta Dei gratia reformatur, absq; qua humana opera sic ordinante Deo, meritoria non fierent ad vitam æternam. Vnde ad Ro. 6. *Gratia Dei vita æterna*. Huius itaq; sacramenti sicuti reliquorum, ministri sunt sacerdotes seu presbyteri, tanquam successores apostolorum Christi, quibus omnibus in persona Petri & reliquorum apostolorum potestas clauium seu conferendi pœnitentiæ sacramentum id est soluendi vel ligandi homines à peccatis, quæ idem sunt, tradita fuisse conuincitur per verba scripturæ prædicta. Vnde Hier. super Mat. 16. *Et tibi dabo claues regni cælorum* sic inquit: *Habent quidem eandem iudiciariam potestatem alii apostoli, quibus post resurrectionem ait: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Habet etiam omnis ecclesia in presbyteris & episcopis, sed ideo Petrus eam specialiter accepit, vt omnes intelligant, quod quicunque ab vnitate fidei se separauerit, nec à peccatis absolui, nec cælum ingredi potest*. Et dixit Hieron. *Ab vnitate fidei*, nec dixit ab vnitate Petri vel Romani episcopi, quoniam ipsorum aliqui poterant hæretici fore, aut aliter peruersi, & iam de facto cooperti sunt tales. Hęc autem iudiciaria potestas est clauiũ autoritas secundũ Hier. & Aug. ibidem, de quib. Aug. *Claues sunt discernendi scientia & potentia, qua dignos recipere, & indignos excludere debet à regno*, sacerdos sc. Qualiter autem recipere, & qualiter excludere possit à regno consequenter patebit: & ex hoc, quæ, quãtaue sit harum clauium, per Christum Petro & apostolis concessarum potestas. Primum tñ oportet attendere quod in anima peccatis mortaliter, generatur culpa, & corrumpitur diuina gratia sibi collata prius. Qua siquidem culpa peccator obligatur debito damnationis æternæ, pro statu futuri seculi. In qua etiam culpa persistens à consortio fidelium in hoc seculo præciditur per correctionem quandam apud Christi fideles, vocatam *excommunicationem*. Et econtra debemus aduertere quod peccator per tristitiam sui delicti & exteriorem confessionem factam sacerdoti, de quorum vtroque simul & diuisim dicitur hoc nomen *pœnitentia*, triplex beneficium consequitur. Primum quidem quoniam ab interiori culpa mundatur, & in ipso Dei gratia reformatur. Secundũ vero quoniam à debito damnationis æternæ, ad quam ex culpa obligatus fuerat, absoluitur. Tertium autem, quoniam ecclesiæ reconciliatur, id est fidelium consortio reunitur seu reuniri debet. Hæc igitur in peccatore facere, videlicet à culpa & æternæ damnationis debito soluere vel ligare, quod aliqualiter fieri habet per clauium potestatem sacerdoti concessam, quemadmodum infra dicetur, est sacramentum pœnitentiæ ministrare. His itaq; sic præmissis, ad propositum accedentes, secundum mentem Magistri sententiarum, quinimo scripturæ atq; sanctorũ, quorum autoritate loquitur *lib. 4. di.* 18. & etiam secundum intentionem Richardi in quodam libello quẽ fecit intitulatum *de clauium sacerdotalium potestate*, dicamus, ꝙ ad verã pœnitentiã seu sacramentũ pœnitẽtię suscipiendũ requiritur primũ interior peccatoris cõtritio seu tristitia de commisso siue delicto. Secundo vero requiritur propositum & actus confitendi delictum, ipsum per sermonem exprimendo seu significãdo sacerdoti, si sacerdotis facultas affuerit. qui si non adesset, in sic pœnitente seu contrito, sufficit firmum propositum confitẽdi delictum sacerdoti cum ipsius primum facultas affuerit. Et ideo intendunt consequenter, quod in peccatore vere pœnitente, id est contrito & habente propositum confitendi, quædam ante confessionem, & omnem sacerdotis actionem, solus Deus operatur. Hæc autem sunt, *expulsio culpæ, gratia reformatio, & debiti æternæ damnationis remissio*. Quod autem prædicta Christus operetur, probat Magister *li. 4. di.* 18. *ca.* 4. per autoritate scripturæ atq; sanctorum. Primum quidem autoritate psalmistæ, dicentis in persona Dei: *Ego solus deleo iniquitates & peccata populi*. Rursum autoritate Ambrosii dicentis: *Verbum Dei dimittit peccata, sacerdos & iudex. Sacerdos quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis iura exercet*. Adhuc idem Ambr. *Ille solus dimittit peccata, qui pro peccatis nostris solus mortuus est*. Amplius per August. dicentem: *Nemo tollit peccata, nisi solus Christus, qui est agnus tollens peccata mundi*. Quod autem hoc faciat Deus ante omnẽ sacerdotis actionem, deducit Magister ex dictis Augustini, super psalmistæ: *Quorũ tecta sunt peccata. Ex his .n.* inquit Magister *aperte ostenditur, quod Deus ipse pœnitentem soluit à debito pœnæ. Et tunc soluit quando intus illuminat inspirando veram cordis contritionẽ*. Cui sententiæ ratio suffragatur, & autoritates attestantur. Nemo .n. de peccato nunc compungitur, habens cor contritum & humiliatum, nisi in charitate, quod autem charitatem habet, dignus est vita. Nemo autẽ

simul dignus est vita & morte. Non est igitur tunc ligatus debito æternæ mortis, filius enim iræ esse desiit, ex quo diligere & pœnitere cœpit. Ex tunc igitur solutus est ab ira, quæ non manet super illum qui credit in Christum, sed super illum qui non credit. Non igitur postmodum per sacerdotem cui confitetur ab ira æterna liberatur, à qua liberatus est iam per dominum: ex quo dixit, confitebor. Solus igitur Deus hominem interius mundat à macula peccati, & à debito æternæ pœnæ soluit. Consequenter autem repetit Magister autoritates Psalmistæ atq; sanctorum prius adductas, post quæ etiam epilogans inquit: *His aliisq; pluribus testimoniis docetur, Deum solum per se peccata dimittere. Et sicut dimittit quibusdam, ita & aliorum quorundam peccata retinet.* Exigit tn̄ Deus in pœnitente ꝓpositum confitendi delicta sacerdoti, cum illius primum facultas affuerit, sicut dicit Magister *lib. quarto* 17. *ca.* 4. vbi quærit, an sufficiat soli Deo confiteri peccata & determinat autoritatibus scripturæ, quod non, si facultas affuerit sacerdotis. Quod si non affuerit, sufficit soli Deo confessum esse, habito tn̄ semper proposito confitendi si possit. Hoc etiam, conformiter Magistro, sensit Ricardus in suo libello prædicto, & ex determinatis ab eo in diuersis capitulis colligitur, quod *à vero pœnitente*, id est contrito de peccato, *Deus ante quodcunque ministerium sacerdotis culpam tollit, debitumque mortis soluit æternæ, sub conditione tamen quod sacerdoti postmodum debeat confiteri delictum, cum illius primum facultas affuerit.* Quam si quidem conditionem vocauit Magister *firmum propositum confitendi delicta, cum sacerdotis facultas adesset.* Hanc autem sententiam conclusit Magister *eodem quarto, di.* 18. *capitulis quinto & sexto.* respondens cum hoc rationabili quæstioni, qua dubitari potest ad quid officium siue actio sacerdotis in pœnitentia requiratur, si solus Deus ante omne illius ministerium culpam tollit, & æternæ damnationis debitum soluit. Et dixit Magister: *In hac autem tanta varietate,* (quoniam de hoc tam sancti quam doctores dissentire videbantur, licet non in veritate dissentiant,) *quid tenendum? hoc sane dicere ac sentire possumus, quod solus Deus dimittit peccata & retinet. Et tamen ecclesiæ* (id est sacerdotibus, qui dicuntur ecclesia, secundum vnam significationem, vt apparuit secundo huius) *contulit potestatem ligandi & soluendi. Sed aliter ipse soluit vel ligat, aliter ecclesia* id est sacerdotes. *Ipse enim per se tantum dimittit ita peccatum, quia & animam mundat ab interiori macula, & à debito æternæ mortis soluit, non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem ligandi & soluendi*, id est ostendendi homines solutos vel ligatos. In quo expressit propter quid requiratur in pœnitentia officium seum ministerium sacerdotis, & consequenter id declarans dixit, *Vnde etiam dominus leprosum prius sanitati per se restituit, deinde ad sacerdotes misit, quorum iudicio ostenderetur mundatus: ita etiam Lazarum iam viuificatum, obtulit discipulis soluendum, quia & si aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie, id est in notitia ecclesiæ solutus habetur, nisi per iudicium sacerdotis.* In soluendis igitur culpis aut retinendis ita operatur sacerdos ecclesiasticus & iudicat, sicut olim legalis in illis qui contaminati erant *lepra*, quæ peccatum significat. Hanc quoq; sententiam repetit *circa finem ca.* ipsamq; confirmat autoritate Hieronymi super illud *Matt.* 16. *Et tibi dabo claues regni cœlorum,* inquit Hiero. *Id iuris & officii habent euangelici sacerdotes, quod olim sub lege habebant legales in curandis leprosis. Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa à Deo vel retenta iudicant & ostendunt.* Vnde *in Leuitico*, ostendere se sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt qui mundi vel immundi. Requiritur ergo sacerdotis officium ad pœnitentē, propter causam prædictam vt per ipsum videlicet ostendatur in ecclesiæ facie, quibus Deus peccata retinuit vel dimisit.

Est aliud etiam quod Deus operatur ad peccatorem, non sine ministerio sacerdotis, vt idem Magister atq; Ricardus senserunt, videlicet commutatio temporalis pœnæ purgatorii, quam pro delictis subiturus erat peccator, quantumcunq; bene pœnitens & confessus, in aliquam huius seculi satisfactionem, vt ieiunium, orationem, aut eleemosynam, peregrinationem, vel consimile aliud. Et secundum hoc iura potestatis in pectore sacerdos exercet. Vnde Magist. di. 18. ca. 7. sic inquit: *Et notandū quia quos satisfactione pœnitentiæ ligant, eo ipso à peccatis solutos ostendunt, quia non imponitur alicui satisfactio pœnitentialis, nisi quē sacerdos vere pœnitentem arbitratur, alii nō imponit, & eo ipso peccata à Deo retineri iudicat. Commutat quoq; sacerdos pœnas purgatorii peccatori debitas in aliquas huius seculi satisfactiones. Et peccatores postmodum ecclesiæ, id est communioni fidelium reconciliat in quo similiter potestatem in peccatores exercet, si tamen id secundum discretionem egerit.* Vnde Magister vbi supra: *Ligant quoque sacerdotes dum satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt. Soluunt, cum de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad communionem sacramentorum admittunt, quemadmodum, soluendi scilicet vel ligandi superius Leo notauit. Secundum hunc modum dicuntur sacerdotes peccata dimittere vel retinere.* Vnde superius Augustinus dixit: *Quibus remittunt, remittit Deus,* &c. *Opus enim iustitiæ exercent in peccatores, cum eos iusta pœna ligant. opus misericordiæ, dum de ea aliquid relaxant, vel sacramentorum communioni conciliant, alia opera in peccatores exercere nequeunt.* Vnde etiam patere potest, quod iuxta merita pœnitentium, non plus de culpa vel pœna relaxare potest Romanus episcopus, quam alter quicunque sacerdos.

Ex dictis itaq; sanctorum autoritatibus magistri atq; Ricardi, apparet liquido, quod culpā & debitū æternæ damnationis solus Deus peccatori vere pœnitenti remittit absq; opere sacerdotis præcedente vel interueniente simul, quemadmodum ostensum est prius. Cuius etiam volo demonstrationem infallibilem assignare secundum scripturam, & iuxta dicta sanctorum atque doctorum. Quoniam solus Deus est, qui non potest ignorare, quibus remittendum, & quib. retinendum sit peccatum. Et solus qui affectione peruersa neque mouetur neque iudicat quenquam iniuste

iniuste, Non sic autem ecclesia siue sacerdos, quicunq; sit ille, etiam Romanus episcopus. Potest enim ipsorum quilibet errare quandoq;, vel inclinari affectione peruersa, vel vtroque propter quod, si vere pœnitenti cum debito proposito, aut etiam actu confitendi subsecuto, non retineretur peccatum seu culpa & debitum æternæ damnationis, renitente sacerdote ignorantia, malitia vel vtroque periret persæpe fidelis & euangelica Christi promissio, qua bonis præmia æternæ gloriæ, malis vero gehennæ supplicia se dixit daturum. Vnde sicut etiam frequenter euenire contingit, Esto peccatorem aliquem ficte ac indebite delicta confessum, & sic sacerdotis ignorantia vel malignitate aut vtraq; absolutionem & benedictionem accepisse. Esto rursum alium quendam sufficienter & debite sacerdoti peccata confessum, recusasse quoq; illi sacerdotem, ignorantia, malitia, vel vtraq;, delictorum absolutionem & benedictionem impendere. Nunquid sunt ficte confitentis peccata dimissa, & posterioris vere pœnitentis peccata retenta? firmiter & indubie tenendum quod minime. Vnde Chrysost. super illud Ioannis. 20. *Accipite Spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata*, &c. sic inquit: *Non enim sacerdos sed neque angelus aut archangelus operari potest aliquid in his, quæ data sunt à Deo. Sacerdos autem suam benedictionem & manum tribuit, non enim iustum est propter alterius malitiam circa symbola nostræ salutis lædi eos qui ad fidem veniunt.* Idem quoque Hieronymus super illud Matt. 16. *Et tibi dabo claues regni cœlorum*, &c. sic inquit: *Hunc locum quidam non intelligentes aliquid sumunt de supercilio pharisæorum, vt damnare innoxios, vel soluere se putent noxios, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur.* Quibus verbis subiungit Magister dist. 18. capit. 6. seriem hanc notabilem: *Ita & hic aperte ostenditur, quod non sequitur Deus ecclesiæ iudicium, quæ per surreptionem & ignorantiam interdum iudicet ecclesia*, id est sacerdotum in ea. Hoc etiam addens octauo eiusdem: *Interdum enim qui foras mittitur, id est extra ecclesiam per sacerdotem esse iudicatur intus est: & qui foris est secundum veritatem scilicet, intus retineri videtur, per falsum videlicet iudicium sacerdotum.* Hanc etiam de clauium sacerdotalium potestate, sententiam, quam ex dictis sanctorum atque doctorum collegimus & recitauimus pridem, resumens Magister in quarta dist. 18. capit. 8. sic inquit: *Iam ostensum est qualiter sacerdotes dimittunt peccata, vel retinent. Et tamen retinuit sibi Deus quandam singularem potestatem dimittendi vel retinendi, quia ipse solus per se debitum æternæ mortis soluit, & animam interius purgat.* Idem quoque dicit capit. nono atque finali eiusdem distinctionis. *Ipsa ergo*, inquit, *dissimilitudo, quæ inest animæ ex peccato, & à Deo elongatio, animæ macula intelligitur, à qua purgatur in pœnitentia. Hoc autem solus Deus facit, qui solus suscitat animam & illuminat, quod sacerdotes nequeunt, qui sunt medici animarum.* Est autem & alius modus ligandi atque soluendi, ad quam similiter requiritur actio sacerdotis, per excommunicationem scilicet. *Hæc autem*, vt dicit Magister in quarto, di. 18. capi. 7. *Fieri habet, cum quis secundum canonicam disciplinam, tertio vocatus ad emendationem manifesti delicti, & satisfacere vilipendens, sententia ecclesiæ à loco orationis & sacramentorum communione, & fidelium consortio præciditur, vt erubescat, & pudore sceleris conuersus pœniteat, vt spiritus eius saluus sit. Qui si pœnitentiam profitens, resipuerit, negata communioni admittitur & ecclesiæ reconciliatur.* Hæc autem ecclesiæ anathematizatio hanc pœnam illis, qui digne percelluntur, infligit, quia Dei gratia & protectio illis amplius subtrahitur ac sibiipsis relinquitur, vt sit eis liberum ruere in interitu peccati, in quos etiam diabolo maior datur sæuiendi potestas. Orationes quoque ecclesiæ & benedictionum ac meritorum suffragia, eis nequaquam suffragari putantur. Circa prædicta quidem, vt sciatur cuius vel quorum sit & secundum quem modum excommunicandi potestas, oportet attendere, quod in excommunicatione iudicatur reus ad pœnam pro statu futuri seculi iudicio quodam, de quo expressius *nono huius* dicetur, & eidem infligitur pœna quædam grauis, etiam pro statu vitæ præsentis, vt quia diffamatur publice, sibique interdicitur aliorum consortium. Ex quo etiam ciuili communione atque commoditate priuatur. Et licet primæ pœnæ inflictio vt quæ infligitur illi qui percellitur indigne, nihil noceat pro statu futuri seculi, quia Deus non semper sequitur ecclesiæ, id est sacerdotum iudicium, dum scilicet iniuste quenquam iudicant, quemadmodum sufficienter ostensum est prius. Læderetur tamen sic iniuste perculsus à sacerdote pro statu vitæ præsentis grauissime quasi, vt quia diffamatur, & ciuili communicatione priuatur. Et propterea dicendum, quod licet ad tale iudicium promulgandum requiratur vox & actio sacerdotis, non tamen ad aliquem solum, aut tantummodo ad ipsorum collegium pertinet iudicium coactiuum & præceptum dare de excommunicandis aut absoluendis: sed talem statuere iudicem, cuius videlicet sit reum vocare ac examinare, iudicare, absoluere, aut condemnare, sic publice diffamandum, aut à fidelium consortio præcidendum, pertinet ad fidelium vniuersitatem in communitate illa in qua debet aliquis tali iudicio iudicari, vel ad superiorem ipsius, vel ad exilium generale verumtamen debet examinatio criminis, si tale fuerit propter quod debeat quis excommunicari nec ne, fieri per talem iudicem habito collegio sacerdotum, aut ex eis peritorum determinato numero secundum leges positas aut consuetudines. Sacerdotes nanque iudicio primæ significationis debent crimina iudicare seu discernere, quibus secundum legem euangelicam, debet quis à fidelium præcidi consortio, ne alios inficiat, quemadmodum medicus aut medicorum collegium, iudicio primæ significationis, iudicare habent de morbo corporali, propter quem debet quis ne alios inficiat leprosus ab aliorum consortio separari. Et rursum debet esse crimen huiusmodi, quod certo testimonio probari possit per aliquē fore commissum. Et propterea, sicut

non ad medicum quenquam, aut ipsorum tantummodo collegium, iudicium seu iudicem, cuius est coactiua potestas expellendi leprosos, statuere pertinet, sed ad ciuium fidelium vniuersitatem aut ipsorum partem valentiorem, quemadmodum demonstratum est *decimo quinto primæ*. Sic quoq; propter animæ morbum, vt crimen notorium expellendorum à communi consortio, iudicium aut iudicem, cuius sit horum coactiua potestas, ad nullum sacerdotem solum aut ipsorum tantummodo collegium statuere pertinet in communitate fidelium, quanquam ex ipsorum consilio debeat tale iudicium procedere, quoniam ipsi tenentur scire legem diuinam, in qua determinata sunt crimina propter quæ debet alicui criminoso fidelium non criminosorum interdici consortium. *Labia nanque sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius*, Malachiæ secundo. Vtrum autem huiusmodi crimen commiserit is cui crimen imponitur, non oportet per solum episcopum aut sacerdotem iudicari, sed per fidelium vniuersitatem in communitate illa, vel per iudicem ab eadem institutum ad hoc vel superiorem quemadmodum diximus, siue sacerdotem siue non sacerdotem, Secundum tamen probationes inductas, & si per testes conuictus fuerit, & tale fuerit crimen propter quod debeat excommunicari, in quo solo stari debet iudicio collegii sacerdotum aut sanioris partis illius. Tunc per supradictum iudicem à fidelium vniuersitate illius loci statutum ad hoc, debet sic criminosus excommunicandus per sententiam nunciari. Et fieri debet executio talis sententiæ voce sacerdotis, pro quanto tangit reum etiam pro statu venturi seculi. Demonstrat autem verum esse quod diximus: scriptura, ex qua ortum sumpsisse videtur hæc correctionis species, & est Matthæi decimo octauo, cum dixit Christus: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos testes, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si eos non audierit, dic ecclesiæ. si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Dixit ergo Christus, *dic ecclesiæ*, nec dixit, apostolo vel episcopo seu presbytero aut ipsorum soli collegio. Et intellexit ibi Christus *ecclesiam* fidelium multitudinem aut iudicem ad hæc illius autoritate institutum, quo modo vsi sunt hoc nomine apostoli & ecclesia primitiua, sicut plene ostensum est *secundo huius*. Et quod sic Christus intellexerit *ecclesiam*, id est credentium seu fidelium vniuersitatem, Et quod huius sit talem iudicem statuere, aut tale iudicium ferre in contumaces, aut taliter criminosos demonstro per Apostolum *prima ad Corinthios quinto*, vbi causam, formam & modum, & per hoc iudicium in quenquam ferri debeat, tradit Apostolus magis expresse, Christi verborum sequens & explanans sententiam, dum dixit: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens eum qui sic est operatus in nomine domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute domini Iesu, tradere huiusmodi satanæ.* criminosum scilicet quendam, qui patris sui vxorem cognouerat carnaliter. Vbi Glossa secundum Augustinum: *Hoc modo iudicaui, vt nos congregati in vnum, absque aliqua dissensione, quibus mea autoritas & virtus Christi cooperabitur, tradatis satanæ huiusmodi.* Ecce ergo propter quid, quibus, & qualiter aliquis excommunicandus est secundum intentionem & doctrinam Apostoli, in cuius mandato fortassis magis attenditur consilium quàm præceptum, etiam secundum legem diuinam. quoniam esto quod illum criminosum tolerassent inter ipsos conuersari propter ipsorum patientiam quamuis non sine scandalo & periculo infectionis aliorum, nil minus saluari & meritoria opera facere poterant. Amplius, esto quod præceptum stricte sumendo fuisset secundum legem diuinam, non tamen fuit præceptum hoc fieri per solum sacerdotem aut episcopum vel ipsorum tantummodo collegium. Et ideo cum dixit Apostolus: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui*, &c. intelligi debet iudicio primæ significationis, non tertiæ. propterea quod subdit, *Congregatis vobis & meo spiritu.* Vnde & eis formam tradidit, ex qua inter ipsos ex hoc contentio non posset oriri. Quoniam ipsis congregatis in vnum, maxime, si per modum iudicii coactiui hoc fieri debeat, propter quod Augustinus, *Vt vos congregati in vnum absque aliqua dissensione, id est de communi consensu per vos fiat vel per iudicem ex communi consensu per vos statuto ad hoc, quod idem est.* Et ideo non mandauit hoc Apostolus fieri per presbyterum aliquem, nec alicui episcopo seu presbytero scripsit hoc fiendum per ipsum, tum tamen ad ipsos tunc mitteret Timotheum, qui episcopus erat, vt *eadem quarto* palam. quod tamen fecisset, si hoc iudicium ad solius sacerdotis autoritatem pertinere nouisset, quemadmodum in aliis fecerat. Quod etiam ex *prima ad Timotheum tertio*, & ad *Titum primo* induximus capitulo præcedente. Posset autem, quam tenemus, probabiliter dicta sententia ratione firmari iuxta scripturam. Quoniam certius & absque suspicione magis fit tale iudicium, vt diximus, quam per solam voluntatem vnici sacerdotis aut ipsorum solius collegii, cuius aut quorum iudicium amore vel odio, aut inspecto commodo proprio citius peruerteretur, quam vniuersitatis fidelium, ad quam semper appellare contingit. Quamuis, vt diximus, executio talis sententiæ per sacerdotem fieri debeat, pro quanto inuocatur in hoc seculo diuina virtus ad pœnam aliquam criminoso infligendam in hoc seculo, quæ per hominis potestatem non posset inferri, vt dæmonis vexationem. Et quia pro statu futuri seculi similiter iudicatur ad pœnam, & quoniam priuatur ecclesiæ suffragiis, quod fortasse per solius sacerdotis actionem Deus instituit fieri: Amplius, quoniam si cuiuis episcopo seu presbytero soli, aut cum suo solo collegio clericorum liceat quemlibet excommunicare absq; fideliũ vniuersitatis consensu, sequitur

ex eo.

ex eo, sacerdotes aut ipsorum collegium, omnia regna & principatus ab habentibus regibus aut principibus auferre posse. Excommunicato, nanq; quouis principe, subiecta sibi multitudo etiam excommunicabitur, si excommunicato principi obedire voluerit, sicq; cuiuslibet principis erit cassa potestas, Cuius oppositum voluit doctor gentium *ad Ro. 13.* & *prima ad Timotheum sexto*, & Augustinus *ibidem in glossa*, quemadmodum induximus *quinto huius, parte septima & octaua*. Instantiæ vero quæ ad hãc determinationem possent apparentur induci, facile repellentur ex dicendis, nono, decimo, decimoquarto & 17. huius. Est rursum autoritas quædam sacerdotum, ea qua panis & vinum in corpus Christi benedictum transubstantiatur ad sacerdotis orationem, post certorum verborum ab ipso prolationem. Hæc autem autoritas, character est animæ, sicut ea quæ clauium. Et dicitur potestas conficiendi eucharistiæ sacramentum. Hanc siquidem Theologorum quibusdam dicentibus esse ab eodem charactere cum clauium potestate, de qua dictum est prius. Aliis vero, quod diuerso charactere, alio etiam tempore atque verbis Christi, collato apostolis, vt his quæ ad apostolos protulit *Matthei 26. Marci 14. & Lucæ 22.* dum dixit ad eos: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem, hoc facite*, id est hoc faciendi potestatem habete. Qualitercunque tamen de hac diuersitate veritas habeat, non refert ad hanc considerationem, quantum enim sufficiens nobis est ad propositum de autoritatibus seu potestatibus presbyteris seu episcopis per Christum collatis, quod ex scriptura sacra conuinci potest, rememorasse putamus. Cæterum quæ de clauium sacerdotalium potestate seu autoritate per Christum apostolis tradita, summam facturi, recolligentes, dicamus quod in peccatore vere pœnitente, id est, de peccato commisso dolente aliqua solus Deus operatur etiam absque sacerdotis aliquo præueniente ministerio, mentis videlicet illuminationem, culpæ seu maculæ peccati purgationem, & æternæ damnationis remissionem. Alia vero sunt quæ Deus in eodem peccatore non secundum se solum operatur, sed per ministerium sacerdotis, sicut ostendere in ecclesiæ facie, quis solutus vel ligatus à peccatis habeatur in hoc seculo, ligandus aut soluendus in alio, id est cuius Deus peccata retinuerit aut dimiserit. Amplius est & aliud quod Deus operatur circa peccatorem per ministerium sacerdotis, commutatio scilicet pœnæ purgatorii debitæ peccatori, pro statu futuri seculi in aliquam satisfactionem temporalem seu seculi huius, ipsam enim relaxat secundum partem aut totum iuxta satisfactiones iniunctas & pœnitentis conditionem, quæ omnia per sacerdotem fieri debent, cum claue potestatis secundum discretionem. Sic etiam à sacramentorum communione per sacerdotem excluduntur contumaces & resipientes admittuntur, quomodo dictum est circa finem capituli præcedentis. Hęc autem fuit sententia Magistri libro quarto, dist. 18. octauo capitulo, cum dixit: *Secundum hos ligandi & soluendi modos, quomodo verum est quod dicitur, Quodcunque solueritis super terram, solutum erit & in cœlis: & quodcunque ligaueritis super terram, ligatum erit & in cœlo. Aliquando enim ostendunt solutos vel ligatos*, (presbyteri scilicet) *qui non sunt apud Deum, & pœna satisfactionis interdum indignos ligant vel soluunt, & indignos sacramentis admittunt, & dignos admitti arcent. Sed intelligendum est in illis quorum merita solui vel ligari postulant. Quoscunque ergo soluunt vel ligant, adhibentes clauem discretionis reorum meritis, soluuntur vel ligantur in cœlis, id est apud Deum, quia diuino iudicio sententia sacerdotis sic progressa approbatur & confirmatur.* Et dixit Magister consequenter quasi epilogans, *Ecce qualis & quantus est vsus apostolicarum clauium.*

Ad cuius etiam euidentiam ampliorem habendam inducemus exemplum seu comparationem ipsius familarem satis, quæ etiam verbis & sententiæ Christi atque sanctorum, quorum autoritates induximus prius, & maxime Ambrosii, multum attinere videtur. Inquit enim ille, quod *verbum Dei dimittit peccata, sacerdos quidem officium exhibet suum sed nullius potestatis iura exercet. Nos autem dicamus, quod sacerdos tanquam clauiger cœlestis iudicis, quasi proportionaliter peccatorem liberat clauigero mundani iudicis. Nam sicut per verbum siue sententiam iudicis huius seculi* (principantis scilicet,) *damnatur aut absoluitur reus à culpa & pœna ciuili. Sic per verbum diuinum aliquis simpliciter soluitur aut ligatur culpa & debito damnationis seu pœnæ pro statu futuri seculi. Et sicut actione clauigeri mundani principis nemo à ciuili culpa vel pœna soluitur aut damnatur, per ipsius tamen actionem, qua carcerem claudit vel aperit, reus ostenditur solutus vel damnatus: sic quasi per sacerdotis actionẽ, nullus soluitur aut ligatur culpa & debito damnationis æterna, sed ostenditur in ecclesia facie quis solutus aut ligatus habeatur à Deo, dum sacerdotis benedictionem accipit, & ad sacramentorum communionem admittitur*, quomodo prædiximus circa finem capituli præcedentis. Et ideo sicut clauiger mundani iudicis aperiendo vel claudendo carcerem, officium suum exhibet, nullius tamen iudiciariæ potestatis absoluendi vel dãnandi iura exercet, quoniam & si de facto carcerem aperiret alicui reo non absoluto per iudicem, ipsumque populo absolutum sua voce nunciaret, non propter hoc reus solutus esset à pœna vel culpa ciuili. Et econtra, si carcerem aperire recusaret suoque verbo nunciaret non esse absolutum sed damnatum, quem vere iudex per suam absoluisset sententiam, non propter hoc ille debitor esset culpæ aut pœnæ ciuilis. Sic proportionaliter sacerdos, clauiger cælestis iudicis officium suum exhibet, per absolutionis aut ligamenti seu maledictionis verbalem pronunciationem. Quod si vere damnandos per supernum iudicem, aut iam damnatus, sacerdos ipse ignorantia, vel surreptione, aut vtroque absoluendos vel absolutos pronunciaret, aut econtra, non tamen propter hoc essent primi soluti, & secundi damnati, eo quod clauem aut claues cum discretione non adhibuisset reorum meritis. Et ideo *suum officium exhibet*, sicut dixit Ambrosius. Nullius

tamen potestatis iura exercet, quoniam vere solutos aut soluendos apud Deum quandoque in ecclesiæ facie sacerdotes pro futuro seculo ligatos aut ligandos pronunciant & econtra, vt supra diximus autoritate sanctorum, atque Magistri *libro quarto, distinctione decima octaua, & octauo capitulo.* Et propterea iura potestatis non exercet sacerdos. Sic enim quandoque diuina iustitia & repromissio perire posset. Ille igitur solus iura potestatis exercet in his, & iudex est, coactiuam habens potentiam, qui solus nec falli de humanis cogitationibus & operationibus potest. Nam ad Hebræos 4. *Omnia nuda & aperta sunt oculis eius*, & qui solus nec quicquam vult peruerse. *Quoniam iustus es domine, & omnia iudicia tua iusta sunt, & omnes viæ tuæ, misericordia, & veritas, & iudicium*, Tobiæ tertio. ideoque vnicus ipse iudex est talis. Vnde Iacobi quarto. *Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere & liberare.* quod Iacobus nec de seipso aut aliquo dixit apostolorum, cum tamen esset vnus de his tribus, *qui videbantur esse columnæ ecclesiæ*, vt dixit Apostolus ad Galatas secundo. Voluit autem Christus huiusmodi sententias per ipsum latas aut ferendas in alio seculo, per sacerdotes pronunciari quodam iudicio significationis primæ, quasi pronostico, vt ex hoc peccatores in hoc mundo terreantur & à sceleribus & criminibus reuocentur ad pœnitentiam, ad quod exigitur, & valet multum officium sacerdotum. Quo modo, si medicus corporalis sanitatis, cui docendi & operandi secundum artem medicinæ potestas est data, ex institutione iudicis seu legislatoris humani, de futuris sanis aut morituris iudicium secundum medicinalem scientiam in populo promulgaret, vt ex hoc homines sobriam ducerent vitam, & ab intemperata reuocarentur, propter corporis sanitatem conseruandam, aut acquirendam, præcepta quoque seu documenta talium exhiberet. Præciperet vtique talia medicus obseruari & obseruatores futuros sanos & transgressores infirmos vel morituros iudicaret, quos ille neque sanaret, aut infirmaret principaliter, sed naturæ hominum actio, ministerium tamen aliquod exhiberet. Nec rursum posset medicus sui autoritate sanum aut infirmum ad talia facienda quantumcunque corporali sanitati conferentia compellere, sed solummodo exhortari & docere atque terrere per sui iudicium primæ significationis pronosticum, eis annunciando sanitatem ex quorundam obseruatione, mortem vero aut ægritudinem ex talium transgressione. Sic etiam proportionalter medicus animarum, sacerdos scilicet, de his quæ ad æternam animæ sanitatem perducunt, vel mortem æternam aut pœnam temporalem pro statu venturi seculi, iudicat & hortatur. Ad quæ tamen iudicio coactiuo neminem arcere potest nec debet in hoc seculo, vt Apostoli & Ambrosii autoritate probauimus *2. ad Corinth primo*, & supra cum his Chrysostomi sententiam expressam induximus *quinto huius, parte sexta.* Propter quod sacerdos secundum sui officium non debet similitudinarie corporari iudici tertiæ significationis sed primæ, habenti scilicet autoritatem docendi aut operandi, quemadmodum medicus, non tamen inquantum per potentiam coactiuam. Sic enim Christus se vocauit *medicum*, non principem. Vbi Lu. 5. dixit de se loquens: *Non egent medico qui sani sunt, sed qui male habent*, nec dixit, iudice indigent. Quoniam in mundum de contentiosis coactiuum iudicium exercere non venerat, Vt ex *Luca 12.* induximus *quarta huius, parte octaua.* Sed viuos & mortuos tali iudicio iudicaturus est in die illa, de qua dixit Apostolus 2. Timotheum vltimo: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iustus iudex.* Tunc enim coactiuo iudicio pœnas infliget his, qui legem latam per ipsum immediate in hoc seculo transgressi fuerint. Et propterea signanter dixit Christus Petro: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* nec dixit, tibi dabo iudicium regni cœlorum. Et inde iam diximus, neque clauigerum mundani iudicis aut superni habere iudicium coactiuum, quod tertiæ significationis vocauimus, eo quod neuter talis potestatis iura exercet, vt de sacerdote palam dixit Ambrosius, & reliquorum etiam sanctorum autoritate monstratum est satis. De autoritate itaque sacerdotum seu episcoporum, & apostolicarum clauium potestate per Christum sibi concessa, determinatum sit hoc modo.

Cap. VIII.

Quæ diuisione actuum humanorum, & qualiter referantur ad humanam legem, & iudicem seculi huius.

QVoniam autem omne iudicium coactiuum est de humanis actibus voluntariis secundum aliquam legem aut consuetudinem, & de his quidem, vel inquantum ad finem huius seculi ordinabilibus vitæ mundanæ scilicet sufficientiam, aut quantum ad finem venturi seculi, quem vitam seu gloriam vocamus æternam, vt amplius appareat distinctio iudicum seu iudicare debentium, & secundum quas leges, quo iudicio, & qualiter de ipsorum actuum differentiis aliqualiter differamus. Ad priorum etenim dubitatorum solutionem horum determinatio non parum proficiet. Dicamus igitur, quod *actuum humanorum* prouenientium per cognitionem & desiderium, quidam proueniunt absque mentis imperio, alii vero per humanæ mentis imperium. Primoru quidem sunt cognitiones, desideria, & dilectiones à nobis & in nobis euenientes absq; imperio seu præcepto intellectus aut appetitus de ipsis facto, quales sunt cognitiones & affectiones ad quas eximus dum excitamur à somno, vel aliter factæ in nobis absq; nostræ mentis imperio.

imperio. His autem assequuntur cognitiones, consensus, & affectiones aliquæ de prioribus actibus continuandis aut quibusdam inquirendis & comprehendendis, vt in actione quæ per rememorationem fit, & hæ sunt & dicuntur *mentis imperia* seu *præcepta*, tum quia nostro imperio fiunt seu eliciuntur, aut ipsis alia quædam, veluti prosecutiones & fugæ.

Est autem *Imperatorum actuum* & *non Imperatorum* differentia, ex eo quod pridem diximus, quoniam non Imperatorum actuum non omnino est in nobis libertas seu imperium vt fiant aut non. Imperatorum vero secundum Christianam religionem potestas in nobis est. Et dixi primorum actuum non omnino potestatem in nobis, quoniam non est in potestate nostra, totaliter horum euentum prohibere, quamuis per secundos actus qui dicuntur imperia, & his consequentes, sic animam disponere possimus, vt non facile sit factiua vel receptiua primorum, videlicet cum horum oppositos fuerit assuetus sibi quisque præcipere, diligere, aut considerare. *Imperatorum* vero *actuum* quædam sunt & dicuntur immanentes, & alii transeuntes. *Immanentes* autem sunt & dicuntur imperatæ cognitiones, affectiones, & horum habitus facti ab humana mente, eo quod in subiectum aliud ab ipso faciente non transeunt. *Transeuntes* autem sunt & dicuntur omnes prosecutiones desideratorum, & ipsorum omissiones & motus facti per aliquod organorum corporis exteriorum, maxime secundum locum motorum. Rursum *transeuntium actuum* quidam sunt & fiunt absque nocumento vel iniuria singularis personæ, collegii, vel communitatis alterius à faciente, veluti sunt omnium factibilium genera & pecuniarum datio, peregrinatio, & corporis proprii castigatio, verbere seu percussione aut alio quouis modo, & his similes reliqui. Alii vero transeuntium sunt & fiunt, cum opposita circunstantia, nocumento videlicet vel iniuria in alterum à faciente, quales sunt percussio, furtum, rapina, falsum testimonium, & reliqui plures secundum modos & species.

Omnium autem prædictorum actuum ab humana mente scilicet prouenientium, Imperatorum maxime, adinuentæ sunt quædam regulæ, seu mensuræ, vel habitus, quibus conuenienti modo ac debite fiant & proueniant tam pro sufficienti vita huius seculi quam venturi cõsequendis ex his. Verum istorum habituum seu regularum quædam sunt, secundum quas docentur & regulantur actus humanæ mentis, tam immanentes quam transeuntes in fieri vel omitti absque pœna vel præmio operanti vel omittenti distribuentis ab alio per potentiam coactiuam, quales quidem sunt plurimæ disciplinæ operatiuæ, actiuæ atque factiuæ. Aliæ vero dictarum regularum sunt secundum quas præcipiuntur actus huiusmodi fieri vel omitti sub pœna vel præmio operantibus aut omittentibus distribuendo per alterius potentiam coactiuam. Harum autem rursum coactiuarum quædam sunt secundum quas afficiuntur ipsarum obseruatores aut transgressores pœna vel præmio in statu & pro statu vitæ præsentis, quales sunt omnes leges & humanæ consuetudines ciuiles. Aliæ vero harum sunt secundum quas pro solo statu & in statu futuri seculi puniuntur aut premiantur operatores. Quales sunt diuinæ leges vt plurimum, quæ communi nomine *fides* vocantur, inter quas vt diximus *sexto primæ*, ea quæ Christianorum sola continet veritatem & sufficientiam, pro futuro seculo sperandorum. Est igitur pro vita seu viuere sufficienti huius seculi posita regula humanorum actuum Imperatorum transeuntium fieri possibilium ad commodum vel incommodum, ius aut iniuriam alterius à faciẽte præceptiua, & transgressorum coactiua supplicio siue pœna pro statu præsentis seculi tantum. Quam *legem humanam* communi nomine diximus in *decimo primæ*. Cuius etiam finalem necessitatem, & causam agentem assignauimus *vndecimo & 12. & 13. primæ*. Pro vita vero seu viuere in hoc seculo, pro statu tamen futuri seculi tradita & posita est lex per Christum. Quæ siquidem lex regula est humanorum actuum Imperatorum, & qui sunt in potestate actiua nostræ mentis, tam immanentium quam transeuntium, secundum quod fieri possunt vel omitti, debite aut indebite in hoc seculo, pro statu tamen siue fine futuri seculi coactiua & distributiua pœnæ vel præmii, & horum illatiua in futuro seculo non in isto secundum merita vel demerita obseruatorum aut transgressorum illius in vita præsenti. Verum quia leges hæ coactiuæ tam diuinæ quam humanæ anima carent & mouente principio iudicatiuo & executiuo indiguerunt habere subiectum seu principium aliquod animatum, quod quidem secundum ipsas humanos actus præcipiat, reguler, seu iudicet, ac etiam exequetur iudicata, & ipsarum arceat transgressores. Hoc aut subiectum aut principium *iudex* vocatur, quem diximus secundum tertiam significationem secundo huius. Vnde quarto Ethicorum, tractatu de iustitia. *Est enim iudex velut iustum animatum*. Secundum humanas ergo leges oportet habere iudicem, qualem iam diximus autoritatem habentem iudicandi tertiæ significationis iudicio, de contentiosis hominum actibus exequendi iudicata, & legis transgressorem quemlibet per coactiuam arcendi potentiam. Hic enim iudex *Dei minister est, & vindex in iram, & qui malum agit*, vt dixit Apostolus ad Rom. 13. *& à Deo missus ad hoc*, vt dicitur primæ Petri. 2. & dixit Apostolus, *qui malum agit*, quicunque scilicet fuerit ille, indifferenter hoc intelligens de omnibus. Et ideo cum presbyteri seu episcopi, generaliterque omnes templorum ministri communi nomine vocati *clerici*, possint committendo vel omittendo malum agere & agant ipsorum aliqui, vtinam non plurimi quandoq; de facto in nocumentũ & iniuriam alterius. Sunt & ipsi suppositi vindictę seu iurisdictioni iudicum, quorum est coactiua potentia puniendi legum humanarum transgressores. Quod etiam aperte dixit Apostolus ad Rom. 13. Vnde, *omnis anima*, inquit, *subdita sit potestatibus sublimioribus*, regibus, videlicet, principibus & tribunis, secundũ sanctorũ expositionem.

Eadem nanque propria materia debet eiusdem agentis actionem suscipere, quod natum & ordinatum est in illam agere propter finem ad quam apta est, vt apparet in *secundo Physicæ*. Sic enim, vt ibidem dicitur, *agitur vnumquodque sicut natum est agi, & econuerso*. Nunc autem legis transgressor materia est siue subiectum, in quod natus est & ordinatus agere iudex seu principans iustificationem propter æqualitatem siue proportionem faciendam ad pacem seu tranquillitatem & conuictum siue congregationem hominum conseruandam, demum propter humanæ vitæ sufficientiam. Et propterea vbicunque talis materia seu subiectum reperiatur in prouincia subiecta iudici, debet illam iustificare. Cum igitur sacerdos possit esse propria seu per se materia talis, verbi gratia, legis humanæ transgressor, debet illius subesse iudicio. Esse enim sacerdotem vel non sacerdotem, accidit transgressori secundum comparationem ad iudicem, sicuti esse agricolam aut domificatorem, quemadmodum sanabili aut ægrotabili, musicum aut non musicum esse in comparatione ad medicum. Non enim tollitur id quod est per se, neque variatur per id quod accidit, alioquin essent infinitæ iudicum species atque medicorum. Debet ergo sacerdos seu episcopus quilibet legis humanæ transgressor iustificari & arceri per iudicem, cuius est in hoc seculo transgressorum humanæ legis coactiua potestas. Hic autem est seculi princeps inquantum huiusmodi non presbyter aut episcopus, vt demonstratum est *quarto huius & quinto*, ergo per principem presbyteros seu episcopos omnes humanæ legis transgressores oportet arceri. Nec solum velut secularis ex transgressione debet plecti sacerdos, seu alter spiritualis minister, sed tanto amplius quanto grauius & indecentius peccat, quoniam *magis sciens & eligens, qui præcepta fugiendorum & agendorum amplius nosse debet*. Et rursum, quoniam *turpius peccatum est debentis docere quam doceri*. Hoc autem sustinet presbyteri peccatum ad eum qui non presbyteri, peccat igitur grauius sacerdos, & eo amplius puniendus. Nec recipi debet instantis sermo, qui dicat iniurias verbales, reales, aut personales, & reliqua humana lege prohibita, per sacerdotem in quenquam illata, spirituales fore actiones, & eo non pertinere ad seculi principem in sacerdotem talia vindicare. Quoniam huiusmodi lege prohibita, vt quæ adulterii, percussionis, homicidij, furti, rapinæ, ignominiæ, detractionis, proditionis, fraudis, hæresis, & reliquorum similium per sacerdotem commissa carnalia sunt & temporalia, vt notissimum est experientia, & supra id monstrauimus secundo huius per Apostolum *prima ad Corinth. tertio, & ad Rom. 15*. Et eo etiam carnaliores atque temporaliores iudicandæ magis quanto secundum ipsa presbyter aut episcopus, grauius & turpius peccat his quos à talibus reuocare debet, delinquendi præbens occasionem & facilitatem sui exemplo peruerso. Subest igitur & subesse debet sacerdos quilibet seu episcopus iurisdictioni principum in his quæ præcepta sunt humana lege seruari, quemadmodum cæteri seculares. Nec est exemptus ipse à talium iudicio coactiuo, nec quenquam alium autoritate sua eximere potest, quod demonstro per additionem ad ea quæ dicta sunt 17. *prima*, deducendo contradicentem ad inconueniens maximum. Quoniam si Romanus episcopus, aut alter quiuis presbyter sic esset exemptus, vt coactiuo principantium iudicio non subesset, sed esset ipse index huiusmodi absque humani legislatoris autoritate, possetque omnes spirituales ministros, quos clericos vocant communi nomine, à principum iurisdictione separare, sibique subiicere, quemadmodum faciunt modernis temporibus Romani pontifices, sequitur per necessitatem, principantium secularium iurisdictionem quasi totaliter annullari, quod reputo graue inconueniens, & omnibus principibus & Communitatibus importandum: quoniam *Christiana religio neminem priuat iure suo*, vt ex Ambrosio supra illud ad Titum secundo, *Admone illos subditos esse principibus & potestatibus*, induximus *quinto huius*. Inconuenientis autem istius consequentiam, sic ostendo, quoniam lege diuina prohibitum non reperitur, quinimo concessum presbyterum aut episcopum esse, qui habet vxorem, præsertim si non vna plures habuerit, vt habitum est *prima ad Timoth. 3*. Quod autem humana lege seu constitutione statum est eadem autoritate reuocari potest inquantum huiusmodi. Poterit igitur Romanus episcopus, qui se legislatorem facit, aut de suæ plenitudine potestatis, si quis tamen hanc ipsum concedat habere, presbyteris omnibus, diaconis, & subdiaconis vxores concedere: Nec solum his, verum etiam aliis non ordinatis sacerdotio vel diaconatu, aut aliter consecratis, quos *clericos tonsuræ simplicis* vocant: quinimo & his decentius, quod & de facto Bonifacius octauus fecisse videtur, vt sibi secularem potentiam adaugeret. Omnes enim qui virginem duxerant vxorem & vnicam volentes, ascripsit cœtui clericorum, & per suas ordinationes, quas *Decretales* appellant, ascribi decreuit, neque adhuc his clausi limitibus, laicos quosdam, quos in Italia *Fratres gaudentes*, alibi vero *Beginos* appellant, similiter ab humanis legibus ciuilibus rite latis exemptos fecerunt. Sic quoque fratres templariorum hospitaliorum, & reliquos plures huiusmodi ordines, similiter & eos qui de alto passu, sic etiam de cæteris pro libito pari ratione facere possunt. Quod si omnes huiusmodi hoc ipso exempti sunt à principantium iurisdictione secundum Decretales ipsorum (quæ etiam talibus sic exemptis immunitates quasdam onerum publicorum seu ciuilium tribuunt) verisimile valde videtur maiorem hominum multitudinem ad horum collegium declinare, præcipue cum ad hos tam literatos quam illiteratos indifferenter assumant. Est enim quilibet pronus ad commodum proprium prosequendum, & incommodum fugiendum. Maiori vero multitudine seu pluralitate ad clericorum collegium declinante, principantium iurisdictio, & coactiua potestas inualida remanebit, quod est grauissimum inconueniens, & politiæ corruptiuum. Qui enim

gaudet

gaudet honoribus & ciuilibus commodis, vt pace ac tutela legislatoris humani ab oneribus & iurisdictione, non debet eximi absq; determinatione legislatoris eiusdem. Propter quod siquidem euitandum, fateri oportet secundum veritatem, iurisdictionem in episcopos seu presbyteros & clericos omnes, legislatoris autoritate principantem habere, ne principatuum etiam pluralitate inordinata politiam solui contingat, quemadmodum determinatum est 17. *primæ*. Numerum quoque certum ipsorum in subiecta sibi prouincia, principantem determinare debere, sicuti & personarum cuiusuis alterius politiæ partis: ne sua excrescentia indebita, potestati coactiuæ principantium resistere valeant, aut aliter politiæ turbationem inferre, vel sua insolentia & actio necessariorum operum ciuitatem aut regnum priuare commodo, quemadmodum ex *secundo quinti Politicæ*, induximus 15. *primæ*. Sic igitur humana lege ac iudice, qui tertiæ significationis regulari habent, actus humani transeuntes in commodum vel incommodum, ius aut iniuriam alterius facientes. Cui siquidem coactiuæ iurisdictioni subesse debent omnes seculares & clerici. Sunt autem & alii iudices quidam secundum humanas leges, qui primæ significationis iudices dicti sunt, aut secundæ, vt ipsarũ doctores, autoritate tamen coactiua carentes, quos in vnica quamuis communitate etiam non subordinatos inuicem, nihil prohibet esse plures.

CAP. IX.

De humanorum actuum relatione ad legem diuinam, & iudicem alterius seculi, Christum videlicet, qualiter etiam ad doctorem legis eiusdem, episcopum siue sacerdotem in hoc seculo comparentur.

SEcundum hanc igitur rationẽ, iudex etiam quidam est, coactiuam habens autoritatem transgressorum secundum legem diuinam, quam etiam humanorum actuum aliquorum tam immanentium quam transeuntium coactiuam regulam diximus. Hic autem vnicus est, Christus scilicet, nullus alius. Vnde Iacobi quarto: *Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere & liberare*. Verum huius iudicis coactiua potestas in quenquam nõ exercetur in hoc seculo ad pœnam seu supplicium aut præmium distribuenda transgressoribus aut obseruatoribus legislatæ per ipsum immediate, quam euangelicam persæpe diximus. Voluit enim sui misericordia Christus, vsque ad extremum cuiusque periodum cõcedere mereri, & de commissis in ipsius legem pœnitere posse, sicut etiam ex sacræ scripturæ autoritatibus in sequentibus ostendetur. Est alius secundum euangelicam scripturam *iudex*, qui primæ significationis proportionaliter humanæ legi, *sacerdos* scilicet, qui doctor est in hoc seculo diuinæ legis, & agendorum aut fugiendorum quæ sunt ad vitam æternam consequendam, & pœnam declinandam secundum ipsam præceptorum. Non tamen habens coactiuam potentiam in hoc seculo arcendi quenquam ad præceptorum secundum ipsam obseruationem. Frustra enim ad hæc quenquam cogeret, quoniam obseruatori talium coacto, nihil ipsa proficerent ad æternam salutem, quemadmodum per Chrysostomum, quinimo per Apostolum euidenter ostendimus *quinto huius*. Ideoq; iudex hic conuenienter assimilatur medico, cui data est autoritas docendi atq; præcipiendi, & pronosticandi seu iudicandi de his quæ sunt vtilia fieri vel omitti, ad corporalem sanitatem consequendam, & mortem aut ægritudinem declinandam. Propter quod etiam Christus in statu & pro statu vitæ præsentis vocauit se medicum, non principem atq; iudicem. Vnde *Lucæ quinto*, & supra induximus *cap. præcedente*, de se loquens ad Pharisæos inquit: *Non egent medico qui sani sunt, sed qui male habent*. Non enim ordinauit Christus arceri quenquam ad legislatæ per ipsum obseruationem in hoc seculo. Et propterea nec iudicem coactiuam habentem potentiam huius legis transgressores arcendi statuit in eodem. Vnde attendendum quod *Euangelica lex* potest dupliciter comparari ad homines, super quos est lata per Christum, vno quidem modo ad ipsos in statu & pro statu vitæ præsentis. Et vt sic rationem habet magis doctrinæ speculatiuæ aut operatiuæ vel vtriusque, quantum ad diuersas sui partes, quam legis dictæ secundum propriam & vltimam significationem, quamuis lex possit dici secundum alias legis significationes, vt secũdam & tertiam, de quibus diximus decimo primæ. Et causa eius quod diximus est, quoniam lex secundum vltimam & proprie dictam significationem, dicitur de regula coactiua, id est secundum quam transgressor arcetur per potentiam coactiuam, traditam secundum ipsam iudicare debenti. Nunc autem per euangelicam doctrinã seu lactorem legis ipsius, nemo cogi præcipitur in hoc seculo ad eorum obseruationem, quæ in ipsa præcipiuntur in hoc seculo fieri vel omitti. Ideoque ad statum hominis in hoc & pro hoc seculo comparata, dici debet doctrina non lex, nisi secundum quem modum diximus. Et fuit hæc Apostoli sententia 2. ad Timoth. 3. cum dixit: *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia*. Nunquam vero dixit Apostolus ad cogendum vel puniendum in hoc seculo. Vnde 2. ad Corinth. primo: *Non quia dominamur fidei vestra, sed adiutores sumus gaudii vestri, quia fide statis*. Vbi Ambrosius, & supra induximus *quinto huius*, nec frequenter iterare piget: *Et ne indignentur*, (Corinthii scilicet) *quasi de dominio, eo quod dixerat Apostolus, Parcens vobis non veni, subdit* (*Apostolus*,) *non ideo dico parcens, quia dominemur fidei vestra, id est, quia dominium & coactio-*

coactionem patiatur fides vestra, quæ voluntatis est, non necessitatis. Sed ideo dico, quia adiutores sumus. si vultis cooperari. Ecce adiutores, per doctrinam scilicet, & si vultis cooperari. Nam fide, quæ per dilectionem operatur, statis, non dominio. Alio vero modo comparari potest euangelica scriptura seu lex ad homines pro ipsorum statu in alio seculo, in quo solummodo non isto arcebuntur pœna vel supplicio, qui eam transgressi fuerint in vita præsenti, & vt sic nomen legis propriissime dictæ sortitur. Et qui secundum ipsam iudicabit tunc propriissime iudex, vt qui secundum tertiam significationem coactiuam habens potentiam. *Sacerdos* autem seu episcopus quicunque sit ille, quoniam secundum hanc disponit & regulat homines solummodo in statu vitæ præsentis, licet ad futuram vitam, nec sibi secundum ipsam arcere quenquam in hoc seculo concessum est ab illius immediato latore, Christo videlicet, idcirco nec proprie iudex dicitur, vt qui tertiæ significationis, coactiuam habens potentiam, nec quenquam tali iudicio in hoc seculo pœna reali aut personali potest nec debet arcere. Quo etiam vel proportionali modo doctor aliquis operatiuus vt medicus se habet ad iudicium sanitatis corporalis hominum absque coactiua cuiusquam potentia, quemadmodum diximus circa principium capituli huius.

Hæc quoque iuxta mentem Apostoli *2. ad Corinth. primo,* fuit aperte sententia beati Ioannis Chrysostomi in suo *libro Dialogorum*, qui etiam *de dignitate sacerdotali* intitulatur *libro 2. cap.* 3. Eius vero seriem, quam induximus *quinto huius, parte sexta*, non reiterauimus hic propter abbreuiationem sermonis, sed quod addit ad seriem supradictam subiunximus hic. Inquit ergo Chrysostomus: *Propter hoc ergo multum opus est artis auxilio, vt persuadeatur hominibus, & se vltro cum ægrotant, sacerdotum præbeant medicinæ, nec solum hoc, sed & gratificentur curandis, siue enim aliquis resultet ligatus habet quippe in hoc liberam potestatem, malum suum deterius faciet, siue ea verba quæ vice ferri erant pro futura respuerit, altus sibi de contemptu vulnus adiungit, fitque curationis occasio, morbi perniciosioris instrumentum. Non est enim qui curare possit inuitum.* Et tunc aliquibus interpositis quæ corrigendo, non tamen cogendo debet attendere pastor animarum, infra subiungit: *Homo vero si à fide recta fuerit abductus, multum sacerdoti imminet exhortationis, industriæ & patientiæ, quia non potest errantem ad talem vi reducere, sed persuadere conabitur, vt ad fidem rectam reuertatur, à qua primitus corruit.* Ecce qualiter sanctus iste separat iudicium sacerdotum à iudicio principantium, quoniam sacerdotum iudicium coactiuum nec est nec esse debet, caussam quam persæpe diximus assignans. Primum quoniam coactiua potestas à legibus seu legumlatoribus est, quæ sacerdotibus suo tempore vel prouincia concessa non erat. Secundo, quoniam si concessa foret eisdem, frustra itaque secundum illam agerent in subditos. Nam coactis nihil spirituale proficit ad æternam salutem. Idemque dixit supra illud Lucæ nono: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Seriem autem propter dictarum sufficientiam omisi, & propter abbreuiationem. Hæc rursum fuit aperte sententia beati Hilarii ad Constantium Imperatorem, in qua epistola inter cætera scripsit eidem: *Deus cognitionem sui docuit potius quam exegit, & operationum cœlestium admirationem præceptis suis consilians autoritatem coactiuam confitendi se aspernatus est.* Ecce quod vult Deus cognitionem sui & confessionem homines doceri, per fidem scilicet, cogi vero quenquam minime, sed hoc aspernatur. Eadem quoque parum infra repetit dicens: *Non requirit Deus coactam confessionem.* Rursumque infra eadem in persona omnium sacerdotum, inquit sic: *Non possum nisi volentem recipere, nisi orantem audire, nisi profitentem signare.* Non vult ergo Deus coactam sui confessionem, nec quenquam ad hoc trahi per violentam alicui actionem seu compulsionem. Vnde idem *contra Auxentium Mediolanensem episcopum*, quem Arrianum reputauit. Et qui per armatam potentiam homines fateri quæ suæ opinionis erant circa, imo verius contra fidem catholicam, vt dicit, procurabat arceri, ipsumque arguens etiam si vera docuisset, sic ait: *Ac primum misereri licet nostræ ætatis laborem, & præsentium temporum stultas congemiscere opiniones, quibus patrocinari Deo, humana creduntur, & ad tuendam Christi ecclesiam, ambitione seculari laboratur:* Rursus ad eundem ibidem: *At nunc proh dolor diuinam fidem suffragia terrena commendant, inopsque virtutis suæ Christus, dum ambitio nomini suo consiliatur, arguitur. Terret exiliis & carceribus ecclesia, credique sibi cogit, quæ exiliis & carceribus credita est.* Et loquitur de ecclesia pro collegio sacerdotum seu episcoporum, & reliquorum templi ministrorum, quos vocant clericos. Hoc etiam Ambrosius *ad Valentinianum Imperatorem epistola secunda*, quæ intitulatur *Ad plebem*, sensit aperte, cum dixit: *Dolere potero, flere potero, gemere potero aduersus arma, milites, Gothos quoque, lachrymæ meæ arma mea sunt, talia enim munimenta sunt sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere.* Ecce quod *non debet*, esto quod posset, arma vel potentiam coactiuam in quenquam mouere aut moueri, iubere vel exhortari sacerdos, maxime contra Christi fideles, cuius oppositum contra documentum sacri canonis & sanctorum omnis iste mundus, de quibusdam sacerdotibus sentire potest. Secundum veritatem igitur & apertam intentionem Apostoli atque sanctorum, qui doctores ecclesiæ seu fidei extiterunt, aliorum præcipui, nemo cogi præcipitur in hoc seculo pœna vel supplicio ad legis euangelicæ præcepta seruanda, per sacerdotem præcipue, nedum fidelis, verum etiam nec infidelis: propter quod huius legis ministri, episcopi seu presbyteri, nec quenquam iudicare possunt in hoc seculo, tertiæ significationis iudicio, nec quenquam ad præceptorum diuinæ legis obseruationem, præsertim absque humani legislatoris autoritate, quoniam tale iudicium secundum legem diuinam in hoc seculo exerceri non debet, aut eius executio fieri, sed in futuro tantummodo. Vnde Matth. 19. *Iesus autem dixit illis*, id est apostolis: *Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes*

cantes

cantes duodecim tribus Israel. Ecce quando sessuri erant apostoli cum Christo tanquam coniudices tertiæ significationis, quoniam in alio seculo, non in isto. Vbi Glossa, *in regeneratione, id est quando mortui resurgent incorrupti.* Vnde secundum Gloss. duæ sunt regenerationes, *Prima ex qua & spiritu sancto, secunda in resurrectione.* Vnde *sedebitis & vos*, dicit Glossa secundum Aug. *Forma serui qua iudicata est*, (Christi scilicet, qui in hoc seculo iudicatus fuit coactiuo iudicio,) *non iudicans, cum iudiciariam exercuerit potestatem* (in resurrectione scilicet,) *eritis & vos mecum iudices.* Ecce ergo secundum Christi oraculum euangelicum, & sanctorum expositionem, quod Christus non exercuit in hoc seculo iudiciariam potestatem, coactiuam scilicet, quam tertiæ significationis diximus. Sed potius in forma serui existens, ab alio iudicatus est tali iudicio, & quod talem iudiciariam potestatem coactiuam, cum exercuerit in alio seculo, tunc apostoli cum ipso sedebunt ad iudicandum tali iudicio non antea.

Vnde admiratione dignum est valde, cur sibi assumat episcopus seu presbyter aliquis quicunque sit ille, maiorem aut aliam autoritatem quam Christus aut eius apostoli habere voluerint in hoc seculo, ipsi enim in forma seruorum iudicati sunt per seculi principes, eorum vero successores presbyteri, principibus non solum subesse recusant contra Christi & apostolorum exemplum atque præceptum, verum etiam principibus & potestatibus supremis coactiua iurisdictione præesse se dicunt, cum tamen dixerit Christus Matth. 10. *Et ad reges & ad præsides ducemini propter me*, nec dixit præsides aut reges eritis. Et infra subiungit, *non est discipulus supra magistrum, nec seruus super dominum suum.* Nullum ergo iudicium, principatum, seu dominium coactiuum potest aut debet in hoc seculo presbyter seu episcopus aliquis, inquantum huiusmodi exercere. Fuit etiam hæc aperte sententia Aristot. 4. Politicæ, cap. 12. inquit enim: *Propter quod non omnes neque electos neque sortiales ponendum principes, puta sacerdotes primo: Hos enim aliquid præter politicos principatus ponendum, adhuc & distributores & præcones. Eliguntur autem & legati. Sunt autem hæc quidem politicæ curarum vel omnium ciuium ad quandam operationem.* Et parum infra subdit, *hæ autem iconomicæ sunt.*

Testatur autem dictis, quoniam si voluisset Christus sacerdotes nouæ legis iudices esse secundum ipsam tertiæ significationis iudicio coactiuo videlicet contentiosos hominum actus in hoc seculo per talem definiendo sententiam, tradidisset vtique in lege huiusmodi specialia præcepta talium, quemadmodum Moysi fecit in antiqua lege, quem oraculo suo & non per hominem, Deus principem & Iudæorum iudicem coactiuum instituit. Sicut habetur *Actuum septimo*, propter quod etiam illi legem Deus tradidit obseruandorum in statu vitæ præsentis, ad contentiones hominum dirimendas, præcepta talium specialiter continentem, & in hoc proportionaliter se habentem humanæ legi quantum ad aliquam sui partem. Ad quæ siquidem obseruanda compellebantur & arcebantur homines in hoc seculo per Moysen & ipsius substitutos iudices coactiuos, pœna vel supplicio, minime non per sacerdotem aliquem, sicut *Exodi* 18. euidenter apparet. Verum huiusmodi præcepta in euangelica lege non tradidit Christus, sed tradita vel tradenda supposuit in humanis legibus, quas obseruari & principantibus secundum eas omnem animam humanam obedire præcepit, in his saltem quæ non aduersarentur legi salutis. Vnde Matthæi 22. & Marci 12. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, per *Cæsarem* significans quemlibet principantem. Sic etiam Apostolus ad Rom. 13. nec reiterare piget: *Omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus.* Sic etiam primæ ad Timoth. vltimo, *Etiam dominis infidelibus.* & ibidem Glossa secundum Augustinum, quam *quinto huius* induximus, *parte octaua.* Ex quibus apparet liquido intentionem Christi, Apostoli, & sanctorum fuisse humanis legibus, & secundum ipsas iudicibus cunctos homines subesse debere.

Amplius ex his palam, quoniam non omnia quæ in lege seu testamento veteri Iudaico populo consulta vel custodiri præcepta fuerunt, obseruare tenentur Christi fideles. Quinimo quorundam est ipsis obseruatio interdicta, vt quæ ceremoniarũ sub pœna perditionis æternæ, quemadmodum docet Apostolus *ad Rom.* 3. *&* 7. *ad Gal.* 2. *&* 5. *ad Ephe.* 2. *& ad Heb.* 7. *&* 10. Cuius etiam assequentes sententiæ beati Hiero. & Augustini, in ipsorum mutuis *epistolis* 11. *&* 13. concorditer in hoc dicentes, asserunt talium ceremoniarum obseruatores, siue veros siue simulatos post publicationem euangelicæ legis fore in diaboli baratrum deuoluros. Ad legalium quoque similiter obseruationem minime tenentur Christi fideles, vt apparet per Apostolum vbi supra. & per August. super illud prædictum primæ ad Timoth. vltimo, cum dixit: *Non ergo exigant, id est, quia non exigere possunt serui Christiani, quod de Hebræis dicitur*, &c. Cum igitur nec in lege gratiæ tradita sint præcepta, specialiter pro contentiosis actibus hominum in hoc seculo dirimendis, relinquitur talia diffiniri debere per humanas leges tantummodo, & iudices secundum has ab humano legis latore autoritatem habentes. Fuerunt autem & alia quædam in lege Mosaica obseruari præcepta pro statu venturi seculi, veluti ea quæ sacrificiorum aut hostiarum seu oblationum quarundam pro redemptione peccatorum, maxime occultorum, quæ per immanentes actus committuntur. Ad quæ implenda nemo cogebatur pœna vel supplicio præsentis seculi. Et his proportionaliter habent omnia nouæ legis tam consilia quam præcepta, eo quod ad talium obseruationem in hoc seculo neminem Christus voluit nec præcepit arceri, licet legum humanarum instituta generali mandato præcipiat obseruari, sub pœna tamen aut supplicio in alio seculo transgressoribus infligendo. Vnde transgressor humanæ legis, quasi vt in pluribus

peccat

peccat in legem diuinam, licet econuerso non sic. Quoniam multi sunt actus, in quibus committens aut omittens peccat contra legem diuinam, quæ de his præcipit, de quibus humana lex frustra præciperet: quales sunt quos pridem diximus immanentes, qui alicui adesse vel non inesse probari nequeunt, cum tamen Deum latere non possint. Et ideo de talibus debite faciendis aut omittendis lex diuina lata fuit conuenienter propter hominum melioritatem, tam in præsenti seculo quam venturo.

Obiiciet autem aliquis imperfectionem euangelicæ legi, si per ipsam, vt diximus sufficienter regulari nequeant actus humani contentiosi pro statu & in statu vitæ præsentis. Nos autem dicamus, quod per legem euangelicam sufficienter dirigimur in agendis aut declinandis in vita præsenti, pro statu tamen venturi seculi seu æternæ salutis consequendæ, aut supplicii declinandi propter quæ lata est non quidem pro contentiosis actibus hominum ciuiliter reducendis ad æqualitatem aut commensurationem debitam pro statu seu sufficientia vitæ præsentis, eo quod Christus in mundum non venit ad huiusmodi regulandos pro vita præsenti, sed futura tantummodo. Et propterea diuersa est temporalium & humanorum actuum regula, diuersimode dirigens ad hos fines. Vna enim, diuina scilicet, nullo modo docet contendere aut repetere in iudicio, licet non prohibeat. Ideoque nec de talibus specialia tradit præcepta, vt diximus. Reliqua vero horum actuum regula hæc docet, tradit & transgressores arceri præcipit, humana lex scilicet, propter quod Lucæ 12. petenti à Christo humanum iudicium inter se & fratrem suum, respondit ipse: *Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem inter vos?* quasi diceret, non veni ad tale iudicium exercendum. Vnde Glossa: *Non dignatur esse iudex litium, non arbiter facultatum, qui viuorum & mortuorum habet iudicium, & mortuorum arbitrium.* Non ergo per diuinam vel euangelicam legem commensurari possent sufficienter actus humani pro fine præsentis seculi. Quoniam nec regulæ talium actuum commensuratiuæ ad proportionem, quam volunt homines & licite pro statu vitæ præsentis, sunt in ea traditæ, sed ab humanis legibus suppositæ, vel traditæ vel etiam tradendæ sine quibus etiam propter defectum iustitiæ contingeret ex hominum scandalo seu contentione ipsorum pugna & separatio, ac humanæ vitæ mundanæ insufficientia, quam quasi omnes refugiunt secundum naturam. Nō potest ergo propterea dici secundum veritatem, euangelica lex siue doctrina imperfecta: quoniam non est nata habere perfectionem quam non habeat. Est enim lata vt per ipsam dirigamur immediate de his & in his quæ sunt æternæ salutis hominibus consequendæ & miseriæ declinandæ, in quibus est valde sufficiens & perfecta. Non autem lata fuit nec est ad ciuilia litigiosa negotia dirimenda, propter finem quem volunt homines & licite in vita mundana. Si enim ex hoc diceretur imperfecta, æque conuenienter imperfecta dici posset, quoniam per ipsam medicari corporales ægritudines aut mensurare magnitudines vel oceanum nauigare nescimus. Quamuis hoc sane concedi possit, quod ipsa non simpliciter est perfecta, quia non est tale aliquid ens nisi vnicum, Deus ipse. Huic quidem sententiæ tanquam indubie veræ testatur glossa secundum Gregorium super sextum primæ ad Corinthios, vbi sic ait: *Ad reuerentiam vestram dico:) vt videlicet hi terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt, qui autem spiritualibus donis dotati sunt, terrenis non debent negociis implicari.* Quod si per *sapientiam rerum exteriorum* & terrenarum causarum seu contentionum intellexisset sacram scripturam, non dixisset, *qui autem spiritualibus donis dotati sunt*, id est scriptura sacra, *terrenis non debent negociis implicari*, nec tales secundum has doctrinas inuicem separasset. Amplius, quia talem sapientiam habentes, exteriorum rerum videlicet, prius vocauerat Apostolus & sancti secundum vnam expositionem, contemptibiles in ecclesia, quod tamen nec Apostolus aut sancti exponentes eius seriem, senserunt de doctis in sacra scriptura. Quot quidem igitur, & quales sunt actus legales humani, quibus etiam legibus atque iudicibus, qualiter & quando, & per quos regulandi & corrigendi, sufficienter ad intentionem propositam monstrasse putamus.

CAP. X.

De coactiuo hæreticorum iudice, cuius videlicet sit ipsos iudicare in hoc seculo, arcere, ac pœnas reales aut personales illis infligere, exigere, & cui debeant applicari.

SEd de quibus diximus, merito dubitatur. Nam si arcendorum omnium in vita præsenti, iudicio coactiuo ac realium aut personalium pœnarum inflictio & exactio principanti tantummodo legislatoris autoritate pertineat iurisdictio, quemadmodum in prioribus ostensum est. Hæreticorum igitur aut aliter infidelium vel schismaticorum iudicium coactiuum, realis quoq; ac personalis pœnæ inflictio, exactio, ac applicatio ad principantem huiusmodi pertinebit, quod siquidem inconuenientis faciem habere videtur. Cum enim eiusdem autoritatis appareat delictum cognoscere, iudicare atque corrigere. Sacerdotis autem presbyteri seu episcopi sit hæresis discernere crimen, nullius alterius ad sacerdotem seu episcopum solum videbitur, vtique huius criminis & consilium, iudicium coactiuum & correctio pertinere. Amplius ad illum videtur iudicium & pœnæ delinquentis exactio pertinere, in quem seu cuius legem delinquens peccauerit,

cauerit, hic autem presbyter est seu episcopus. Est enim legis diuinæ minister & iudex, in quam per se peccat hæreticus, schismaticus, aut aliter infidelis sit peccans, collegium aut singularis persona. Relinquitur igitur hoc fore iudicium sacerdotis, principantis vero nequaquam. Et videtur hæc aperte sententia beati Ambrosii *ad Valentianum Imperatorem epistola prima*, & quia quasi per totam illius epistolæ seriem id sentire apparet, eam inducere omisi propter abbreuiationem.

Nos autem dicamus, quod peccans quilibet in legem diuinam, iudicandus est secundum illam, corrigendus & arcendus, verum secundum ipsam duplex est iudex. Vnus quidem qui tertiæ significationis coactiuam habens potentiam, transgressores huius legis arcendi, & ab ipsis exigendi supplicia: & hic vnicus est Christus scilicet, quemadmodum ex Iacobi quarto induximus capitulo præcedente. Qui tamen omnes huius legis transgressores voluit & ordinauit iudicari iudicio coactiuo in seculo venturo, & in eodem tantummodo arceri pœna vel supplicio non in isto, vt ex præcedenti capitulo sufficienter apparuit. Alius vero iudex est secundum hanc legem, presbyter videlicet seu episcopus, non quidem tertiæ significationis, vt ipsius sit arcere quenquam huius legis transgressorem in hoc seculo, pœnam aut supplicium exigere per potentiam coactiuam, quemadmodum quinto huius, & cap. præcedente autoritate Apostoli atque sanctorum aperte monstratum est, ac inuincibili ratione ipsorum. Iudex tamen est ipse secundum primam significationem, cuius est docere, exhortari, arguere, atque corripere delinquentes seu transgressores illius, ipsosque terrere iudicio futuræ sibi damnationis & pœnæ inflictionis per iudicem coactiuum, Christum scilicet in seculo venturo, quemadmodum declarauimus *sexto huius & 7.* in quibus agebatur de clauium sacerdotalium potestate, & in capitulo præcedente, vbi medico corporum comparauimus sacerdotes, qui medici sunt animarum, vt dixit Augustinus autoritate prophetæ, & recitat Magister in *quarto, distin.* 18. *cap. nono*. Cum igitur hæreticus, schismaticus, aut infidelis alter, quicunque transgressor sit euangelicæ legis, in eo persistens crimine per eum iudicem punietur, cuius est transgressores diuinæ legis arcere, inquantum huiusmodi, cum suum videlicet iudicium exercebit. Hic autem iudex Christus est, qui iudicaturus est viuos, & iam mortuos & morituros, in futuro tamen seculo, non in isto. Quoniam vsque ad vltimum ex hoc seculo transitum, mortem scilicet, misericorditer peccatoribus posse mereri & pœnitere concessit. Per reliquum vero iudicem, pastorem scilicet, episcopum seu presbyterum, docendus & exhortandus est homo in vita præsenti, arguendus, corripiendus peccator, atque terrendus, iudicio seu pronostico futuræ gloriæ, vel damnationis æternæ, nequaquam vero cogendus, vt ex priori capitulo palam. Quod si humana lege prohibitum fuerit hæreticum aut aliter infidelem in regione manere, qui talis in ipsa repertus fuerit, tanquam legis humanæ transgressor, pœna vel supplicio huic transgressioni eadem lege statutis, in hoc seculo debet arceri. Et per eum iudicem, quem legislatoris autoritate humanæ legis demonstrauimus esse custodem 15. *prima*. Si vero hæreticum, aut aliter infidelem, commorari fidelibus eadem prouincia non fuerit prohibitum humana lege, quemadmodum hæreticis ac semini Iudæorum iam humanis legibus permissum extitit, etiam temporibus Christianorum populorum, principum atque pontificum, dico cuipiam non licere hæreticum aut aliter infidelem quenquam iudicare vel arcere pœna vel supplicio reali aut personali pro statu vitæ præsentis. Et causa eius generalis est: quoniam nemo quantumcunque peccans contra disciplinas speculatiuas aut operatiuas qualscunque punitur vel arcetur in hoc seculo præcise inquantum huiusmodi, sed inquantum peccat cõtra præceptum humanæ legis. Sed enim inebriari aut calceos facere vel vendere cuiuscunque modi, prout possit aut velit quilibet, medicari & docere, ac similia reliqua officiorum opera exercere pro libito, prohibitum non esset humana lege, nequaquam arceretur ebriosus aut aliter peruerse agens in operibus reliquis. Et propterea oportet attendere, quod in quolibet huius seculi iudicio coactiuo, antequam absolutionis vel damnationis feratur sententia, quantum pertinet ad propositum secundum ordinem inquirenda sunt aliqua. Vnum quidem, si dictum aut factum alicui tanquam reo impositum sit, quale dicitur. Hoc autem est præscire quid est quod commissum dicitur. Secundum vero an huiusmodi sit humana lege prohibitum fieri. Tertium autem an accusatus id commiserit. Hæc autem sequitur iudicium seu sententia damnationis in reum vel absolutionis, verbi gratia. Sit aliquis accusatus tanquam hæreticus, aut vasorum aureorum, vel metalli falsator alterius, debet, antequam per sententiam coactiuam damnetur aut absoluatur, inquiri an dictum aut factum impositum illi sit hæreticum, aut non. Secundo vero, an sic tale aliquid dicere, humana lege prohibitum. Tertio vero, an tale aliquid crimen commissum sit per eum cui crimen imponitur. Demum vero ad hæc sequitur absolutionis vel damnationis iudicium coactiuum. De primo quidem horum certificari debet principans per eos qui periti sunt secundum vnamquamque disciplinam, quorum est considerare per se quiditatem seu naturam eius dicti vel operis, quod accusato imponitur, quoniam hi sunt iudices primæ significationis talium, quemadmodum diximus secundo huius, & ipsorum naturam scire tenentur, quibus docendi aut operandi talia in ciuitate per principantem data est autoritas, quam in disciplinis liberalibus consueto vocabulo licentiam appellamus, quod & in aliis omnibus artibus factiuis seu mechanicis proportionaliter habet, vt demonstratum est 15. *prima*. Sic enim medicus nosse debet leprosos & non leprosos secundum corporis habitum, sic sacerdos sermonem seu do-

ctrinam hæreticam & catholicam, sic aurifex seu argentarius de metallis, sic etiam de mutuis aut depositis & aliis consimilibus actibus ciuilibus iurisperitus seu doctor. Talia enim principans inquantum huiusmodi, non tenetur cognoscere quamuis secundum legislatorem, si lex perfecta fuerit, debet certificari de natura sermonum, operum & actuum per disciplinarum doctores aut operatores. Tunc ad propositum quæsitum dico, quod an crimen impositum alicui sit hæresis vel non, iudicare potest & debet, primæ tamen significationis iudicio quilibet diuinarum scripturarum doctor, qualis est aut esse debet sacerdos quicunque. Vnde Malachiæ secundo: *Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legem,* (diuinam scilicet,) *requirent ex ore eius.* Tales enim esse debent apostolorum successores episcopi seu presbyteri, quibus dictum est à Christo Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes &c. docentes eos seruare omnia quacunque mandaui vobis.* Sic etiam primæ ad Timoth. 3. oportet ipsum inter cætera, *doctorem* esse, sacræ legis scilicet. Sic etiam ad Titum primo, oportet episcopum esse *amplectantem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sancta, & eos qui contradicunt arguere.* Sunt enim *multi seductores, quos oportet redargui.* Secundum vero, an scilicet tale commissum sit lege prohibitum aut non, nosse oportet principantem ex lege dicta secundum vltimam & propriam significationem, secundum quam legislatoris autoritate principari quis debet. Tertium autem quod scire oportet, est, an crimen dicti vel operis hæretici, dixerit aut exercuerit is, cui crimen imponitur. Et hoc quidem iudicium per sensus exteriores & interiores consequenter tam à doctis quam ab indoctis iudicari potest, quos *testes* vocare solent. Post hæc autem per principantem ferendum est iudicium seu sententiam damnationis aut absolutionis pœnæ aut supplicii, exactio quoque vel relaxatio illius ab eo qui ex crimine delatus fuerat, fienda. Non enim propterea quod in legem diuinam tantummodo peccat quis, à principante punitur. Sunt enim multa peccata mortalia & in legem diuinam, vt fornicationis, quæ permittit etiam scienter legislator humanus, nec coactiua potentia prohibet, nec prohibere potest aut debet episcopus vel sacerdos. Sed peccans in legem diuinam hæreticus, scilicet tali peccato etiam humana lege prohibito, punitur inquantum peccans in legem humanam. Est enim hæc causa præcisa seu per se prima, cur aliquis arcetur pœna vel supplicio præsentis seculi, quoniam posita ponitur effectus, & remota remouetur. Sicut e conuerso, peccans in legem humanam peccato aliquo, punietur in alio seculo non inquantum peccans in legem humanam: multa enim sunt humana lege prohibita, quæ sunt diuina lege permissa. Vt si non restituerit quis mutuum statuto tempore propter impotentiam, casu fortuito, obliuione, ægritudine, vel aliquo quodam impedimento, non punietur ex hoc in alio seculo per iudicem coactiuum secundum legem diuinam. Qui tamen per iudicem coactiuum secundum legem humanam in hoc seculo iuste punitur. Et ideo peccare in legem diuinam est per se prima caussa, quæ in philosophia, secundum quod ipsa dici solet, quoniam ipsa posita ponitur, & remota remouetur effectus pœnæ vel supplicii pro statu & in statu futuri seculi.

Est igitur in hæreticos schismaticos aut aliter infideles quoscunque iudicium & arcendi ac exigendæ ab ipsis pœnæ vel supplicii temporalis, sibique aut communitati non alteri applicandi potestas, solius principantis autoritate legislatoris humani, non autem presbyteri seu episcopi cuiusquam, propterea quod in legem diuinam peccent, quæ ad homines comparata in statu & pro statu vitæ præsentis, lex est, non quidem secundum vltimam significationem coactiuam habens cuiusquam potentiam in hoc seculo, vt palam est ex *capitulo precedenti & quinto huius.* Sed *lex* est dicta secundum tertiam legis significationem, vt apparuit ex *decimo primæ.* Secundum quam etiam in hoc seculo sacerdotes iudices sunt secundum primam iudicis aut iudicii significationem, nullam coactiuam habentes potentiam, vt ex quinto huius ostensum est, & per Apostolum, Ambrosium, Hilarium, & Chrysostomum, *capitulo precedente.* Si nanque forent ipsi iudices coactiui seu principantes in hæreticos, quia tales peccant in eam disciplinam, cuius sunt ipsi doctores, & secundum ipsam aliquorum operatores in alios, sic esset aurifaber, falso fabricantis aurea sculptilia, iudex coactiuus & principans, quod absurdum est valde. Sic quoque medicus praue agentes secundum artem medicinæ posset arcere, foretque tanta principantium multitudo quot & officiorum ciuitatis in quæ peccare contingit, cuius tamen impossibilitas aut superfluitas ostensa est 17. *primæ.* Non enim arcerentur sic peccantes in officia ciuitatis, aut punirentur propterea, nisi aliud interueniret, verbi gratia legislatoris seu legis humanæ præceptum. Si enim peccata huiusmodi non essent humana lege prohibita, ea committentes nequaquam punirentur. Est autem quod diximus in exemplo familiari videre, esto nanque humana lege prohibitum leprosos aliis ciuibus commanere, nunquid medicus qui horum ægritudinem solus iudicare potest secundum ipsius disciplinam, vtrum scilicet leprosi sint aut non, quos leprosos esse iudicauerit primæ significationis iudicio, poterit per coactiuam potentiam autoritate propria, vt qua doctor est medicinalis scientiæ ab aliorum arcere consortio vel conuictu, & constat quod minime. Sed hoc is solummodo potest, cui legis humanæ coactiuæ custodia commissa est, principans scilicet. Non enim priuate populo aut collegio cuiquam licet quenquam iudicare aut arcere, vel pœnam exigere, sed soli principanti. Qui tamen de impositis maculis, criminibus, seu peccatis, & ipsorum natura iuxta legis determinationem si de hoc dixerit, quod erit si fuerit lex pfecta, vel per suam prudentiã, si lege omissum fuerit, vti debet & credere iudicio

perito-

peritorum in disciplinis quæ talium operum, actuum, aut sermonum tractant naturam, vt medici de leprosis aut non leprosis, Theologi de criminosis, qui per leprosos figurantur in sacra scriptura secundum sanctorum expositionem. Similiter quoque de vasorum metallicorum sophismate credere debet aurifabro, & in consimilibus cuilibet docto, secundum reliqua operabilium & agibilium genera. Sic igitur de hæreticis aut aliter infidelibus iudicare debet medicus animarum, sacerdos scilicet, iudicio siquidem primæ significationis, discernendo videlicet sermonem aut actum hæreticum à non hæretico. De his vero iudicare tertiæ significationis iudicio, damnando scilicet vel absoluendo accusatos supplicio aut pœna temporali, ipsosque arcere ad talia persoluenda, qui damnati fuerint, solius est principantis humana lege: exactas quoque pœnas si reales fuerint, quemadmodum eas quæ propter alia crimina exiguntur, applicare secundum legislatoris seu legis humanæ determinationem. His autem quæ diximus testatur scriptura in *Actibus apostolorum, capitulo 25.* Dum enim Apostolus à Iudæis accusatus esset tanquam hæreticus, licet falso, causæ suæ inquisitio, deductio, applicatio, & diffinitio illius facta est coram iudice ad iudicem & per iudicem humani legislatoris autoritate statutum ad hoc, quemadmodum ad reliquos actus contentiosos siue ciuiles. Contraria vero his non est difficile soluere, cum enim dicebatur, ad eum tanquam iudicem hæretici iudicium pertinere, cuius est hæresis cognoscere crimen. Hæc distinguenda est propter multiplicitatem huius dictionis iudex aut iudicium, & secundum vnum sensum vera est, acceptis scilicet his nominibus secundum primam eorum significationem: si vero secundum tertiam sumatur, falsa est. Ideoque nihil contra nostram determinationem ex hoc præallegato concluditur. Ad reliquum vero, quod subiungebatur, ad illum spectare iudicium delinquentis, & exactionem pœnæ, ac illius si realis fuerit sibi applicationem, contra quem seu in cuius legem peccat delinquens, verum est si in ipsum tanquam tertiæ significationis iudicem, & in ipsius legem dictam secundum vltimam legis significationem, coactiuam scilicet. Et cum assumitur quod hæreticus peccat in legem diuinam, concedendum. Et ideo iudicabitur per iudicem tertiæ significationis secundum ipsam, Christum scilicet, in alio tantummodo seculo non isto, iuxta ipsius legislatoris ordinationem, quæ talis fuit. Per ipsum etiam arcebitur pœna vel supplicio, aut præmiabitur secundum legis præceptorum & consiliorum obseruationem vel transgressionem. Talis autem iudex huius legis, diuinæ scilicet, non est episcopus aut sacerdos aliquis, sed primæ significationis tantummodo quasi doctor, maxime comparata lege hac ad homines in statu & pro statu vitæ præsentis. Rursum maiori huius syllogismi supposita tanquam vera, secundum quem diximus sensum, ad eum scilicet tanquam iudicem coactiuum pertinere iudicium transgressoris, in quem aut in legem cuius custos est, peccat transgressor, legem inquam etiam dictam secundum vltimam legis significationem tantummodo: tunc subsumenda est hæc propositio vera, videlicet quod in iudicem huius seculi dictum secundum tertiam iudicis significationem & legem cuius est custos, dictam etiam secundum vltimam eius & propriam significationem, coactiuam scilicet tantummodo, non in aliam in hoc seculo coactiuam legem aut iudicem peccat hæreticus. Et ideo per talem in hoc seculo iudicandus iudicio coactiuo, sic huius legis ordinante latore, ab eodem quoque transgressore per eundem iudicem pœna exigenda, quæ si realis fuerit applicanda per hunc iudicem ei, cui legislator humanus illam in lege statuit applicandam. Vel distinguendum est maiorem secundum æquiuocationem, vt in priori paralogismo. Sic igitur non licet inferre per necessitatem, aliquis damnandus aut iudicandus est tanquam hæreticus in hoc & pro hoc seculo iudicio coactiuo realiter aut personaliter, vel vtroque modo. Ergo per sacerdotem aut episcopum quenquam, nisi fortasse vt diximus primæ significationis iudicio. Nec sequitur etiam propter hoc, ergo damnati tanquam hæretici carnalia seu temporalia bona, quæ ab eodem exiguntur tanquam pœna vel pars pœnæ delicti, applicari debent episcopo seu presbytero cuiquam. Sicut nec sequitur, hic iudicandus est tanquam monetæ falsarius, ergo per monetarios, nisi fortasse primæ significationis iudicio, non quidem tertiæ, coactiuo videlicet. Nec etiam sequitur, quod temporalia quæ ab illo exiguntur in pœnam, debeant monetariis applicari, collegio aut singulari personæ, sed coactiuo iudicio iudicari debet per principantem, & applicari pœna secundum legis humanæ determinationem.

Ad beatum Ambrosium dicendum, quod intellexit hæreticum seu crimen hæresis ad sacerdotum seu episcoporum iudicium pertinere, iudicio primæ significationis, non tertiæ. Hoc enim iudicio, autoritate propria nunquam vsus est episcoporum seu pontificum aliquis circa statum ecclesiæ primitiuæ, quamuis postmodum ad talia processerint occasionaliter ex quibusdam concessionibus principum sibi factis. Ideoque talium vera considerantibus initia, quæ nunc ex abusione robur & faciem iuris habere videntur, velut somniorum phantastica videbuntur.

De iudice itaque, ac iudicio, & coactiua potestate infidelium & hæreticorum, determinatum sit hoc modo.

CAP. XI.

De quibusdam signis, testimoniis, & exemplis tam ex canonica quam humana scriptura, quibus ostenditur verum esse, quod determinatum est quarto huius, & quinto, octauo, nono, & decimo eius, circa statum episcoporum & generaliter sacerdotum: & cur Christus ipsorum statum, paupertatis scilicet, à statu principantium separauit.

QVoniam autem ex prioribus demonstratum est nobis tam canonicæ scripturę autoritatibus, quam aliis quasi politicis euidentibus argumentis quibusdam, nulli episcopo aut presbytero vel alteri clerico iurisdictionem cuiusquam coactiuā in hoc seculo conuenire, Nunc volumus id declarare signis & testimoniis manifestis: quorum euidens est, quia nec Christum aut ipsius apostolorum aliquem vnquam aut vsquam quenquam iudicem aut ipsorum vicarium pro tali regimine seu iudicio faciendo instituisse legimus: cum tamē tam necessarium in humano conuictu, nec ipsum ignorasse aut neglexisse, nec ipsius apostolos, verisimile videatur. Si hoc ad ipsorum officium ptinere nouissent, & si ad suos successores episcopos aut presbyteros id spectare voluissent, super hoc præceptum aut consilium tradidissent, verum de instituendis spiritualibus ministris, episcopis, presbyteris & diaconis formam tradiderunt & modum. Et hoc ad ipsorum officium pertinere, satis noscitur ex Apostoli sententia *prima ad Timotheum tertio*, *ad Titum primo*, & in aliis plerisque scripturæ locis apparet. Separauit autem Christus presbyterorum seu episcoporum officium ab eo quod principum, cum tamen potuisset ipse si voluisset, statum principis & officium sacerdotis exercere, & apostolos idem facturos similiter ordinasse. Sed sic noluit, imo tanquam conuenientius, qui simpliciter melius cuncta disposuit, hæc officia supposito & ratione distingui voluit. Quia etiam humilitatem & huius seculi contemptum Christus docere venerat, tanquam viam meriti salutis æternæ, vt prius humilitatem & mundi seu rerum temporalium contemptum exemplo quam verbo doceret. In summa quidem humilitate ac temporalium contemptu hunc mundum ingressus est, sciens ipse, quod non minus, imo magis opere seu exemplo docentur homines quam sermone. Vnde Seneca epistolarum nona: *Quid faciendum, à faciente discendum*. Voluit igitur Christus, vt suo nos prius exemplo quam sermone doceret, in summa humilitate ac mundi contemptu seu paupertate nasci. Vnde Lucæ secundo: *Pannis eum inuoluit*, beata virgo scilicet, *& reclinauit eum in præsepio*. Ecce quod in aliena domo, ecce quod in præsepio, nisi scilicet bestiæ locus erat & pabulum. Et verisimile quod alienis pannis, quia beata Virgo & Ioseph peregrini & viatores erant ibidem, pauper etiam natus, pauper vixit ætate prouectus. vnde loquens de sui paupertate Matthæi octauo, & Lucæ nono dixit: *Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos, filius hominis non habet vbi reclinet caput*. Et hunc statum, tanquam eum qui perfectionis, cæteris obseruatis vt decet præceptis atque consiliis, docuit Christus eligere eos, qui sui voluerunt esse discipuli & imitatores præcipui, & maxime successores ipsius in officio, quod in mundum venerat exercere. Vnde Matthæi 19. Marci decimo, & Lucæ 18. cuidam interroganti ab ipso, *Magister bone, quid faciens, vitam æternam possidebo? Dixit autem ei Iesus, Mandata nosti? Non occides*, &c. qui ait; *Hac omnia custodiui à iuuentute mea, quo audito, Iesus ait ei: Adhuc vnum tibi deest, vel, si vis esse perfectus*, vt dicitur in Matth. *Omnia quacunque habes vende & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo*. Rursus eiusdem Lucæ 14. dicebat discipulis. Sic ergo inquit Christus, *Omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*.

Ecce ergo quod status paupertatis & mundi contemptus decet omnem perfectum, præcipue Christi discipulum & successorem in officio pastorali, quinimo quasi necessarius est debenti suadere aliis mundi contemptum, si sua doctrina seu prædicatione proficere velit. Nam si talis diuitias possideat & principatus ambiat, qui eos quos alloquitur hæc spernere docet, ipse quidem sui actione sermonem proprium manifeste redarguit. Vnde Chrysostomus contra tales in libro *de compunctione cordis*, inquit: *Dicere & non facere, non solum lucri nihil, sed & damni plurimum. Grandis quidem enim condemnatio est componenti sermonem suum, vitam vero negligenti*. Hoc etiam resonat philosophorum eximius decimo Ethicorum, cap. primo dicens: *Cum enim dissonent*, (sermones scilicet), *ab his quæ secundum sensum*, (id est ab operibus dicentis, quæ opera sentiuntur) *condenti*, (id est componenti sermones,) *verum interimunt*. Et parum post subdit: *Conuenientes enim operibus credentur*, sermones scilicet. Et ideo qui nouit omnia qualiter fienda conuenientius, Christus scilicet, volens sermones credibiles fieri, quibus mundi docetur contemptus, vanitatum & carnalium voluptatum spretus & fuga, opera monuit sermonibus conformari. Vnde ad omnes talium futuros doctores in apostolorum persona, dicebat Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, id est doctrina, quæ luci comparatur. *Sic*, inquam, *luceat, vt videant opera vestra bona*. Vbi Glossa: *Opera requirit vt videantur, & sic confirmetur doctrina: aliter enim sermonibus & doctrinæ parum creditur*. Vnde Glossa super illud Matthæi decimo, *Nolite possidere aurum neque argentum*: huius causam reddens, inquit; *Si hæc haberent, viderentur non causa salutis prædicare, sed lucri*.

Talia enim possidentes aliorum doctores siue pastores, magis destruunt hominum fidem & deuotionem suis oppositis operibus & exemplis, quam sermonibus confirment, eo quod his

opera

opera manifeste opponunt, ad quæ magis attendunt homines quam ad verba. Et formidandum valde, quin demum fidelem populum deducant suis peruersis exemplis operum ad desperationem futuri seculi. Talia nanque operantur quasi omnes ecclesiarum ministri, episcopi seu presbyteri & reliqui clerici consequenter. Manifestius autem ipsorum, qui super maiores thronos ecclesiæ sedent, vt futurum Dei iudicium in alio seculo nullatenus credere videantur. Qua enim, dicant quæso secundum Deum, conscientia, & si futurum credunt venturi seculi iustum Dei iudicium, Romani pontifices plurimi, & ipsorum Cardinales, aliique presbyteri seu episcopi, ad curas animarum & ecclesiastica temporalia pauperibus distribuenda præfecti, reliqui quoque quasi omnes, diaconi & clerici quilibet secundum sui facultatem ex furto vel rapina temporaliũ, quę per deuotos fideles statuta sunt & legata propter euangelizantium, & reliquorum pauperum sustentationem, quantas possunt denariorum summas, tradunt viuentes aut legant morientes non egentibus, sed sibi sanguinis affinitate coniunctis, aut aliis quibuslibet, eisdem bonis nulli dubium pauperes spoliantes? Qua etiam secundum Christianam religionem conscientia flagito, dicant viuentes ipsi temporaliter, qui propter euangelii ministerium cõtenti debent esse alimentis & his quibus tegantur secundum Apostolum *prima ad Timotheum vltimo*, in tot præternecessariis bona pauperum consumunt, equis, familiis, conuiuiis, ac reliquis vanitatibus & voluptatibus manifestis & occultis? Quæ vero de ecclesiasticorum officiorum & beneficiorum seu temporalium distributione fiunt inconuenientia pertranseo. Nam ipsorum plurima prece vel fauore potentum seculi obtinendis, aut pretio si phas sit dicere distributoribus aut intercessoribus Magi Symonis ministris oblato talia conferuntur ignorantibus, criminosis, pueris, incognitis, & inuisis ac idiotis manifeste secundum totius vulgi sententiam. Cum tamen Apostolus *prima ad Timotheum tertio* præcipiat, officiales ecclesiasticos debere cognosci tanquam probatos & perfectos vita seu moribus & doctrina. Vnde vbi supra: *Oportet autem illum*, id est presbyterum seu episcopum, *& testimonium habere bonum ab his qui foris sunt*, quanto magis & ab his qui sunt intra ecclesiam? Et infra paruum eodem: *Diaconos similiter pudicos. Et hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Veruntamen hoc conuenienter potest dicere quis, quod bene probantur horum plurimi vt nouit mundus, quantum scilicet pretium aut precem valeant exhibere. Quod ne singula inconuenientium denumerare tentemus tanquam impossibilium aut difficillimum valde, de presbyterorum seu episcoporum, cæterorumq; templi ministrorum quasi omnium actibus summam facientes, coram Christo testamur, eius si mentimur iudicium inuocantes, præfatos episcopos & reliquos fere omnes modernis temporibus, omnium quasi opposita perpetrare, quæ secundum doctrinam euangelicam aliis prædicant obseruanda. Voluptates nanque vanitates, temporalia & seculi principatus exardent, & omni conamine, non iure, sed iniuria, occulta & manifesta prosequuntur & occupant, quæ tamen omnia Christus & veri eius imitatores apostoli spreuerunt & spernere docuerunt & præceperunt, eos maxime qui aliis euangelizare debent mundanorum contemptum. Poterat enim Christus si voluisset, si euangelizanti expedire vidisset, seruasse statum principis in hoc seculo, & in eo statu pati similiter. Sed fugit in montem vt statum talem abiiceret & abiici doceret, sicut ex *Ioannis sexto* supra induximus *quarto huius*. Talem enim statum gerere non decet euangelizantes ipsius contemptum, sed potius subiectorum & humilium, qualem in hoc seculo tam ipse quam ipsius apostoli seruauerunt. Econtra status paupertatis exterioris & abiectus nõ decet principantem, quoniam expedit illi status quem boni subditi reuereantur, & mali vereantur, per quem etiam si oporteat rebelles legum transgressores valeat coërcere: quod nec facere posset conuenienter, si statum pauperem & deiectum haberet, propter quod etiam illi non conuenit euangelizantis officium. Si enim principans in populo suaderet statum paupertatis & abiectum, adhuc si quod percussus in vna maxilla percutienti offerat aliam: & rursum quod auferenti sibi tunicam, det quis pallium potius quam aduersus iniuriantem contendat iudicio, talia nec sibi faciliter crederentur, quia statu quem decet ipsum & quem gerit, suo repugnaret sermoni: amplius, sic inconuenienter ageret. Cum enim sua intersit per pœnam iniuriantes arcere, id etiam non requirentibus passis iniuriam, si prædicaret iniurias remittendas iniuriosis & prauis occasionem quandam amplius delinquẽdi præberet: & offensis seu passis iniustum, dubitationem aut suspicionem iustitiæ cõsequendæ, propter quod Christus qui omnia semper meliori modo disposuit, officia principantium & sacerdotum in eodem supposito coniungi noluit, sed potius separari. Hæc autem videtur beati Bernardi expressa sententia de consideratione ad Eugenium papam libro secundo cap. quarto, vbi sic ait: *Ergo tu & tibi vsurpare aude, aut dominus apostolatum, aut apostolicus dominatum, plane ab vtroque prohiberis, si vtrunque simul habere voles, perdes vtrunque: Alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus sic: Ipsi regnauerunt, & non per me, principes extiterunt & non cognoui eos.* Testantur autem dictis *Decreta* seu *Historiæ* quædam Romanorum pontificum, ipsis enim inscriptum reperitur, & ab eisdem approbatum priuilegium quoddam Constantini Romanorum Imperatoris, quo beato Syluestro Romano pontifici concessit iurisdictionem coactiuam super omnes mundi ecclesias, reliquosque presbyteros seu episcopos omnes. Cumque concessionem eam fuisse validam fateatur quilibet papa Romanus, & cum eo presbyterorum seu episcoporum reliquus cœtus, consequenter ipsis concedendum est eundem Constantinum hanc iurisdictionem seu potestatem in eos primitus habuisse, præsertim cum ad ipsos virtute verborum scripturæ sacræ

nulla talis iurisdictio in quenquam clericum aut laicum pertinere noscatur. Et hoc est quod beatus Bernardus dicit expresse *ad Eugenium de consideratione libro & cap. quarto*, inquit enim ibi: *Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel sericis, nec tectus auro, nec vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris. Absque his tamen satis credidit posse impleri salutare mandatum. Si amas me, pasce oues meas. In his enim, secularibus videlicet apparatibus & potestatibus, successisti non Petro, sed Constantino.* Principantium igitur officium non est sacerdotale inquantum huiusmodi, nec econuerso, de quorum tamen differentia rememoratum sit hoc modo.

Cap. XII.

De distinctione quarundam dictionum necessaria propter determinationem quaesitorum, circa statum paupertatis suprema.

SIc igitur singulariter nobis ostenso, Christum & ipsius Apostolos viatores, statum paupertatis & humilitatis docuisse atque seruasse: certumque tenendum sit fidelibus, doctrinam seu consilium omne Christi & apostolorū æternæ vitæ meritorium aliqualiter extitisse: Conuenienter vtique inquirendum videtur de ipsorum paupertate, quæ, qualis, quantave fuerit, ne imitari volentes eosdem, hanc lateat viatores.

Huiusmodi ergo tentantes inquisitionem, primum dicturi sumus, quid est quod dicitur, & quot modis paupertas aut pauperem esse, similiter autem & diuitem esse. Videntur enim hæc inuicem opponi quandoque velut habitus & priuatio, quandoque vt contraria: deinde vero nominum horum vtrunque distinguemus in suos modos, & ipsorum descriptiones subiungemus. Vt si qua sit paupertas meritoria, & ipsius modorum aliquis perfectionis ordo inuicem, quisque aliorum summus aut primus nobis appareat. Et quoniam *diuitem* omnes eum dicunt, qui licitam seu de iure potestatem habet vel dominium aut possessionem rerum temporalium, quas vocant diuitias in proprio vel communi, aut vtroque modo. *Pauperem* autem vocant illum, qui bonis talibus priuatus est, ne propter vsus varietatem quorundam iam dictorum nominum, quibus ad propositum nostrum indigebimus vti sententia, quam explicare volumus, extet ambigua. Distinguemus primum significata seu modos eorum. Sunt autem nomina hæc, *ius, dominium, possessio, proprium*, & *commune, diues*, & *pauper*.

Incipiemus autem distinguere significata *iuris*, quoniam ipsis indigebimus in aliorum assignationibus & distinctionibus, non econuerso. *Ius* igitur in vna sui significatione dicitur de lege dicta secundum tertiam & vltimam legis significationem, de qua fuit habitum decimo primæ, quæ siquidem duplex est, vna quidem humana, reliqua vero diuina, quæ etiam secundum aliquod tempus & modum venit in vltimam legis significationem, vt dictum est vbi supra. De harum vero legum natura & qualitate, ipsarumque conuenientia & differentia sufficienter diximus octauo huius & nono.

De quibus etiam resumentes ad propositum, dicamus ipsarum conuenientiam in eo primum, quod vtraque lex est præceptum vel prohibitio aut permissio actuum qui prouenire sunt nati ab imperio mentis humanæ. Differunt autem, quoniam primum coactiuum est in hoc seculo transgredientium illud: secundam vero, diuinum scilicet minime, sed in futuro tantummodo. Dicitur autem *præceptum* dupliciter, vno quidem modo actiue, de actu scilicet præcipientis, quomodo solemus dicere, velle aliquod imperantis expressum esse præceptum, vt regis aut alterius principantis. Alio modo dicitur *præceptum* de ipso volito per actum præcipientis, quo modo solemus dicere seruum fecisse præceptum domini, non quidem quod actum domini qui est præcipere aut imperare fecerit seruus, sed quoniam volitum fieri per actum seu imperium domini fecit seruus. Et propterea quoties hoc nomen præceptum refertur ad præcipientem, idem est quod actus imperandi: quoties vero ad subditum, idem est quod volitum fieri per actum imperandi, passiue dictum.

Hoc ergo nomen *præceptum* actiue sumptum & communiter dicitur de ordinatione seu statuto legislatoris tam affirmatiuo quam negatiuo ad pœnam obligante transgressorem, secundum tamen vsum modernum proprie sumitur pro statuto affirmatiuo. Quoniam statutum affirmatiuum non habet ex vsu nomen proprium, sed nomen commune sibi retinuit. Statutum vero negatiuum sibi nomen habet proprium, quoniam *prohibitum* dicitur.

Voco autē *affirmatiuum statutum*, quo fieri aliquid ordinatur; *negatiuum* quo aliquid ordinatur non fieri, ꝙ si fuerit talis ordinatio affirmatiua obligans transgressorē ad pœnam, vocatur *præceptum*. Si vero negatiua sit, etiam obligans vocatur *prohibitum*, quod siquidem prohibitū dupliciter dicitur actiue atq; passiue, quemadmodū & *præceptum*. Hæ autem duæ ordinationes obligātes ad pœnam scilicet, vt plurimū in legibus sunt expressæ, vel secundū propriam speciē, vel secundū similem aut proportionalem. Alio vero modo sumitur *præceptum* magis stricte in lege diuina, similiter & *prohibitū* pro eo solo statuto, siue affirmatiuo siue negatiuo, ꝙ obligat ad pœnam æternam, quomodo vsus ipsorū est apud Theologos, dicētes *præcepta fore de necessitate salutis*, id est obseruanda

da necessario, si debeat quis saluari. Vnde Lucæ 18. *Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata*, i.e. præcepta. Sunt autem aliæ quædam ordinationes expressæ vel intellectæ tantum in legibus, tam affirmatiuæ quam etiam negatiuæ, siue circa eundem actum, siue circa diuersum facientem aut omittentem, non obligantes ad pœnam, vt actum liberalitatis exercere vel omittere. Similiter & aliorum plurimorum quorundam. Et talia proprie dicuntur *lege permissa*, quamuis hoc nomen *permissum* communiter sumptum, quandoque dicatur de statutis obligantibus ad pœnam. Nam omne quod lege fieri præcipitur, fieri permittitur, licet non econuerso. Sic etiam quod lege prohibetur fieri, lege permittitur non fieri. Horũ vero rursum permissorum proprie, nõ obligãtium scilicet, quædam sunt meritoria secundum legem diuinam & vocantur consilia, quædam vero minime, absolute nomine vocata permissa, quæ etiam sic sumpta & proprie dupliciter dicũtur actiue atque passiue, quemadmodum prohibita & præcepta. Hæc tamen vt plurimum secundum suam speciem non exprimuntur in legibus, præsertim humanis propter eorum multitudinẽ, & quoniam ipsorum ordinatio generali sufficiens est in hoc. Omne .n. quod lege non est præceptum aut prohibitum, intelligitur legislatoris ordinatione permissum. Est igitur *præceptum* secundum legem in propria significatione statutum affirmatiuum, obligans ad pœnam transgressorem illius: *Prohibitũ* vero proprie statutum negatiuum ad pœnam obligans est: *Permissum* vero proprie dicitur ordinatio legislatoris ad pœnam neminem obligans, iuxta quas significationes, proprias scilicet, his nominibus vtendum est. Ex his autem conuenienter apparere potest, quid est quod licitum dicitur, quoniam omne factum iuxta legis præceptum aut permissionem, vel omissum iuxta legis prohibitionem vel permissionem licite factum vel omissum est, & licitum dici potest, eius vero contrarium seu oppositum *illicitum*. Hinc etiam nobis apparere potest, quid est quod *phas* appellari solet: est enim *phas* in vna significatione id quod licitum quasi conuertibiliter. In alia vero significatione importat hoc nomen phas, id quod legislator in aliquo casu permisisse rationabiliter præsumitur, quamuis tale aliquid sit absolute prohibitum seu regulariter, vt per alienum agrum transire quandoque, aut rem alienam contrectare absque domini expresso consensu phas est, licet non sit ius dictum regulariter secundum aliquem dictorum modorum. Nam alienæ rei contrectatio regulariter prohibita est, in casu tamen *phas* est, in quo rei dominus rationabiliter præsumitur consentire, quamuis hoc non concedat expresse propter quod in talibus quandoque opus est epieikeia. Sic igitur secundum vnam significationem ius idem est quod lex diuina vel humana, seu secundum has præceptum aut prohibitum & permissum. Est autem & alia quædam *iuris* & proprie humani diuisio in ius naturale atque ciuile. Et dicitur *ius naturale* secundum Aristot. quarto Ethicorum, tractatu de iustitia, *statutum illud legislatoris, in quo tanquam honesto & obseruando quasi omnes conueniunt*, vt Deum esse colendum, parentes honorandos, humanas proles vsque ad tempus parentibus educandas, nemini iniuriandum, iniurias licite repellendum, & similia reliqua: quæ licet sicut ab humana institutione pendentia transsumptiue *iura* dicuntur *naturalia*, quoniam eodem modo creduntur apud omnes regiones licita, & eorum opposita illicita, quemadmodum actus naturalium non habentium propositum conformiter apud omnes proueniunt, velut ignis qui sic ardet hic, sicut in ipsis.

Sunt tamen quidam, qui *ius naturale* vocant, rectæ rationis agibilium dictamen, quod sub iure diuino collocant, propterea quod omne factum secundum legem diuinam, & secundum rectæ rationis consilium simpliciter est licitum. Non tamen omne factum secundum leges humanas, quoniam in quibusdam à recta ratione deficiunt, verum *naturale* hic & supra æquiuoce dicitur. Multa enim sunt secundum rectæ rationis dictamen, vt quæ videlicet non omnibus sunt per se nota, & per consequens neque confessa, quæ non ab omnibus nationibus conceduntur tanquam honesta. Sic etiam secundum legem diuinam sunt quædam præcepta prohibita vel permissa, quæ se habent in hoc conformiter humanæ legi, quod quia notum est in pluribus, exempla prætermisi propter abbreuiationem sermonis.

Et inde etiam est, quod quædam licita sunt secundum legem humanam, quæ non licent secundum legem diuinam, & econuerso. Veruntamen licitum & illicitum simpliciter attendenda sunt secundum legem diuinam potius quam humanam, in quibus dissonant præceptis prohibitis aut permissis. Dicitur autem ius secundo modo de omni humano actu, potestate vel habitu acquisito, imperato, interiori vel exteriori, tam immanente quam transeunte in rem aliquam exteriorem, aut in rei aliquid, puta vsum aut vsufructum, acquisitionem, detentionem, seu conseruationem, aut commutationem, & reliqua similia, conformiter iuri dicto secundum priorem significationem. Quod autem sit rei vsus aut vsusfructus cum aliis rei licitis contrectationibus seu de iure à scientia ciuilium actuum supponatur ad præsens.

Secundum hanc quidem significationem soliti sumus dicere, *hoc ius alicuius esse*, cum rem aliquam iuri primo modo dicto conformiter vult aut tractat. Vnde talis contrectatio vel voluntas ius dicitur, quoniam iuri conformatur in eo quod præcipit, prohibet, aut permittit: quemadmodum columna dextra dicitur aut sinistra, cum animalis dextro vel sinistro secundum situm propinquior extiterit. Ius igitur dictum hoc modo secundo, nil aliud est quam volitum præcepto, vel prohibitione aut permissione actiua legislatoris, quod quasi præceptum prohibitum aut permissum passiue pridem diximus. Et est

hoc etiam quod prius licitum dicebamus. Importat autem rursum hoc nomen ius sententiam iudicantium secundum legem seu iudicia ipsorum secundum ius dictum iuxta primam significationem quomodo dicere solent iudicem seu principantem ius alicui fecisse aut reddidisse, dum ipsum per sententiam legalem damnauit aut soluit. Dicitur autem amplius *ius* de actu aut habitu particularis iustitiæ, quomodo ius aut iustum velle dicimus eum, qui æquale aut proportionale vult in commutationibus aut distributionibus.

Hunc vero habitum est distinguere modos seu signata *dominii*: quod quidem significat stricte sumptum, potestatem principalem vendicandi rem aliquam quæsitam iure dicto secundum primum modum: potestatem inquam scientis & non dissentientis in hoc, volentis etiam nemini alteri licere rem illam contrectare absque sui dominantis scilicet, dum illi dominatur, expresso consensu. Hæc autem potestas nil aliud est quam actuale aut habituale velle sic habendi rem iure quæsitam, vt diximus: quæ siquidem alicuius ius dicitur, quoniam iuri primo modo dicto conformis, secundum quem modum etiam columnam dextram aut sinistram esse iam diximus, cum ad animalis dextera aut sinistra secundum propinquitatem vere fuerit comparata. Dicitur autem rursum hoc nomen communiter magis de potestate iam dicta, siue fuerit in rem tantum, siue in vsum aut vsumfructum tantum, siue in hæc omnia simul. Dicitur amplius idem nomen de potestate iam dicta, non tamen scientis aut consentientis, neq; dissentientis expresse seu renunciantis: quo modo infanti & absenti aut alteri cuilibet ignoranti, capaci tñ, acquiri potest res aliqua vel ei' aliquid cũ dominio seu potestate ipsam mendicandi ab auferẽte seu auferre volente per se vel aliũ corã iudice coactiuo. Dictũ est aũt non dissentientis, quoniã expresse dissentienti seu renũtianti rẽ aliquam aut rei aliquid, non acquiruntur talia, neq; ipsa vendicandi dominiũ aut potestas. Potest. n. quilibet renũciare licite iuri pro se introducto secundum humanas leges, neq; ad iuris beneficium compellitur quis inuitus secundum legem aliquam. Sunt autem iam dicta dominia legalia, quoniam legis seu ipsius latoris ordinatione, ac hominum electione acquiruntur seu acquisibilia sunt. Adhuc dicitur nomen *dominii* de humana voluntate seu libertate secundum se, cum ipsius executiua seu motiua organica potestate nõ impedita. His enim possumus in actus aliquos & ipsorum oppositos, propter quod etiam dicitur homo inter animalium cætera, suorum actuum habere dominium: quod siquidem à natura inest homini, non voluntarie seu electione quæsitum.

Consequenter distinguendum est hoc nomen *possessio*, quod quidem sumptum large significat vno modo idem quod dominium dictum secundum primam aut secundam significationem vel tertiam, aut rem temporalem aliquam in comparatione ad sic habentem & habere volentem, quemadmodum dictum est in duabus prioribus dominii significationibus. Vnde Gen. 13. *Erat autem diues valde in possessione auri & argenti*, & eiusdem 17. *Dabo tibi & semini tuo omnem terram Chanaam in possessionem æternam.* Alio modo & magis stricte dicitur possessio de dominio iam dicto cum actuali contrectatione corporali, præsenti vel præterita, rei vel vsus aut vsusfructus ipsius, quo modo nomine hoc vtuntur plurimum in sciẽtia ciuilium actuum. Amplius dicitur hoc nomen de licita contractione corporali rei suæ, vel etiam alienæ. Vnde Actuum quarto: *Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Dicitur autem rursum possessio, licet improprie de re detentione illicita in præsenti vel præterito, per se vel alium corporaliter contrectata.

Nunc autem sequitur distinguere nomen *proprii & communis.* Dicitur autem *proprium* siue *proprietas* vno modo de dominio dicto secundum primam significationem, quomodo vtuntur ipso in scientia ciuilium actuum. Dicitur rursum magis large sumẽdo, et de dominio dicto secundum eius significationem tam primam quam secundam, quomodo vsus eius est apud Theologos, etiam in sacra scriptura plerunque. Amplius dicitur hoc nomen *proprium* & *proprietas* famose magis apud Theologos de singularitate personæ vel rei, aut rei aliquo pertinentibus ad vnicã personam tantum, non cum alia. Sic enim sumunt proprium, distinguentes ipsum contra commune, qui quærunt, vtrum perfectius seu magis meritorium æternæ vitæ sit habere temporalia in proprio, id est singulariter quam habere talia cum alio vel aliis in communi. Dicitur autem rursum hoc nomen proprium siue proprietas de accidente alicui subiecto inhærente per se quo modo vtuntur philosophi nomine hoc, in eo tamen famosius quod conuertitur cum subiecto. Hoc autem nomen *commune* quantum ad propositum pertinet, sumitur opposite duabus significationibus proprii posterius dictis.

Reliquum vero nobis est distinguere modos horum nominum *pauper & diues*. dicitur autẽ hoc nomen *diues* famose magis de habente sibi superabundantiam rerum temporalium quas vocant *diuitias* simul pro quolibet tempore: præsenti atq; futuro & licite. Alio vero dicitur *diues* de habente sibi licite res prædictas solum sufficientes simul pro quolibet præsenti atque futuro. Dicitur autem adhuc *diues* dupliciter & magis proprie, primum quidem de habente res iam dictas superabundantes etiam vt dictum est, vel sic eas habere volente, alio rursum modo de habente iam dictas res sufficienter solum vt etiam dictum est in secundo modo, vel sic eas habere volente. His autem quasi opposite priuatiue duobus prioribus modis dicitur *pauper*: vno quidem, qui priuatus est superabundantibus solum: alio vero modo, qui etiam sufficientia pro quolibet tempore non simul habet. Tertio vero modo dicitur *pauper* opposite diuiti, quasi contrarie, primum quidem

de eo

de eo qui sponte vult priuari abundantibus pro quolibet tempore. Quarto vero modo de eo qui etiam sufficientes pro quolibet præsenti atque futuro, non vult simul habere, sed ipsis vult quandoque sponte carere. debes autem attendere, quod *diues* iuxta secundum & 4. modum pauper est iuxta primum & 3. paupertatis modum. Vnde non quilibet modus paupertatis & pauperis opponitur cuilibet modo diuitis indifferenter. Nec oportet omittere, quod *sponte autem pauperum*, sunt quidam abdicantes temporalia propter finem honestum, & conuenienti modo. Alii vero talia videntur abdicare, non propter hoc, sed propter inanem gloriam, aut aliam aliquam mundanam fallaciam committendam. Est etiam cum his attendendum, quod rerum temporalium, quas vocant *diuitias*, quædam sunt quæ sui & communi hominum institutione vnico aliquo actu vel vsu consumptibiles sunt, quemadmodum cibi, potus, medicinæ, ac reliqua similia: quædam vero sunt quæ manentia pluribus vsibus deseruire sunt nata, vt ager & domus, securis & vestis, equus aut seruus. Sunt autem iam dictorum nominum significationes aliæ fortasse, famosiores tamen ipsarum & modos nostro proposito magis attinentes, enumerasse putamus: quas siquidem secernere atque describere vel diffinire proprie, difficile est propter vsus eorum varietatem apud diuersos & eosdem etiam artifices loca & tempora. *Fere n. quidem igitur nominum vnumquodq; dicitur multifariam*, vt in *De generatione* scribitur *lib. primo*.

Cap. XIII.

De statu iam dictæ paupertatis, quem euangelicam perfectionem dicere solent, & quod hunc Christus & ipsius apostoli seruauerunt.

His itaq; modis & significationibus dictorum nominum sic distinctis, conclusiones aliquas inferemus, primam quidem quod rem aliquam temporalem aut rei aliquid, puta vsufructū aut similia in proprio vel communi suam vel alienam, non potest aliquis licite contrectare siue iure seu non habens in ea vel eius aliquo ius dictum secundum primam & secundam iuris significationem. Nam omne factum, non præceptum aut permissum iure fieri, est non licitum, vt ex diffinitione liciti cuilibet euidenter apparet: nec oportet immorari ad hoc probandum, quoniam omnibus quasi per se notum est. Secundo possumus ex dictis inferre, quod rem aliquam aut eius aliquid potest aliquis licite contrectare secundum vnam legem, puta diuinam, & illicite secundum aliam, vt humanam. Similiter e conuerso. Rursum idem facere licite aut idem etiam illicite facere secundum vtrunque. Hoc autem videre non est difficile, quoniam præcepta, prohibita, & permissa quandoque diuersantur & dissonant in his legibus inuicem, quandoque conueniunt. Et ideo secundum vnius præceptum aut permissionem operans licite operatur secundum illam, quod si alia lege prohibitum extet, idem illicite secundum legem aliam operatur: Quod si tale aliquid vtraque lege permissum fuerit, secundum vtranque licite operatur. Si vero vtraq; prohibitum fuerit, idem operatur illicite secundum vtrunque. Vtrum aut secundum legem diuinam sit permissum quicquam fieri vel omitti, quod humana lege præceptum aut prohibitum extet, quemadmodum e conuerso, considerandum relinquitur, non est enim hoc præsentis inquisitionis. Certum est autem multa fore permissa humana lege, quemadmodum fornicationes, ebrietates, & reliqua quædam peccata, quæ lege diuina prohibita sunt. His consequenter ostendere volo, quod rem quamcunque temporalem, aut eius aliquid siue vnico aliquo vsu consumptibilem, siue non propriam alicuius iuxta tertium modum proprii, siue communem sibi cum alio vel aliis suam, id est, sibi iure acquisitam vel alienam, ex consensu tamen eius, cui iure primo modo dicto quæsita est. Potest aliquis contrectare in proprio dicto secundum tertiam significationem, vel etiam cum alio in communi habet possidere secundum tertiam possessionis significationem, atque corrumpere licite absque omni eius rei, aut eius alicuius dominio secundum primam, secundam, vel tertiam dominii significationem. Hoc autem demonstro sic. Quoniam rem illam temporalem, aut eius aliquid secundum omnem eius dictum modum potest quis licite contrectare atque corrumpere absq; dominio secundum iam dictos tres modos, tam in proprio quam communi, quam contrectat vel habet absq; iam dictis dominiis secundum legem diuinam aut humanam, vel vtranq; Sed rem aliquam suam, & rei aliquid ac alienam consentiente illo, cuius res illa fuerit, potest aliquis contrectare secundum leges, vt dictum est absque omni prædicto domino, ergo licite sine ipso. Prima propositio huius deductionis per se nota est ex liciti diffinitione. Secundam probo ratione sumpta ex inductione, primum quidem in re sua seu alicui iure quæsita facto suo vel alieno in proprio, vel sibi cum alio in cōmuni, vt dono vel legato, venatione, piscatione, aut altero sui labore seu opere licito. Esto enim rem aliquam sic alicui esse quæsitam. Certum est igitur ipsum ea vti & eam contrectare posse secundum leges, quoniam modis prædictis secundum legem acquiritur res, vt ex inductione palam. Constat etiam quod quilibet aptus licite potest renunciare iuri pro se introducto, quoniam *beneficium non confertur inuito*, secundum legem humanam atque diuinam. Poterit igitur cui rei vel eius vsus dominium acquiri potest facto suo vel alieno tali dominio renunciare. Cum igitur eidem si voluerit acquiratur tam potestas vtendi licite, quam etiam potestas rem vendicandi & ab altero prohibendi, potest licite renunciare potestati vendicandi, seu rem aut eius aliquid ab altero prohibendi, quæ nihil aliud est quā dominium dictum secundum tres priores modos legales, non renunciata potestate vtendi re aut eius aliquo, quæ siquidem potestas cadit sub iuris dicto iuxta secundam eius significationem. Et vocari solet ab aliquibus simplex facti vsus sine iure vtendi per ius vtendi sumentibus dominium, secundum aliquam iam dictarum trium significationum. Am-

Amplius re quæ in nullius bonis est, potest aliquis licite vti secundum leges, sed aliqua res, cuius potestatem vendicandi & ab altero prohibendi renunciauit quis, potest esse in nullius bonis, ergo ipsa potest quis licite vti. Cum igitur renuncians potestati prædictæ non habeat rei dominium, apparet quod rem aliquam potest quis licite contrectare, ac ea vti absque omnī legali iam dicto dominio.

Rursum illa separantur inuicē, quorum vnum per licitum votū abdicari potest pro quolibet tempore, reliquum vero minime. Sed iam dictum rei dominium seu vendicandi & prohibendi rem temporalem aut eius aliquid potestas per licitum votum abdicari potest pro quolibet tempore. Habere vero rem licite seu eius simplicem vsum, non pro quolibet tempore abdicari potest per licitum votum, ergo hæc ab inuicem separare conuenit. Prima propositio huius deductionis est per se nota ex liciti diffinitione: non enim potest idem secundum eandem legem simul licitum & illicitum esse. Secundam propositionem probo quantum ad vtranq; sui partem: & primo quod abdicatio dominii per votum licita sit pro quolibet tempore, quoniam de Christi consilio potest emitti licitum votum: sed talis abdicatio est Christi consilium, vbi Matthæi 20. dixit: *Omnis qui dimisit domum aut agros,* &c. *propter nomen meum centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Idem habetur Matthæi quinto & Lucæ sexto, cum dixit Christus: *Et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. Et ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte ei & pallium.* vbi Augustinus *si pro necessariis imperat, id est consulit non contendere, quanto magis pro superfluis?* Iuxta quam etiam Christi sententiam dixit Apostolus primæ ad Corinthios sexto: *Iam quidem*, inquit, *omnino delictum est in vobis quod iudicia habetis inter vos: quare non magis iniuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini?* supple, quam iudicio, etiam iusto aduersus quenquam contendere, pro rei temporalis vendicatione? vbi Glossa secundum Augustinum inducit euangelium in locis præassignatis. Et tunc addit hoc, *id est contendere iudicio, iuste scilicet, secundum veniam infirmis concedit Apostolus, cum sint in ecclesia talia iudicia fieri inter fratres fratribus iudicantibus.* Consequenter propter quoddam dictum August. dubium subdit Glossa: *Vt autem prædicta verba Augustini, quibus ait, peccatum est iudicium habere contra fratrem, sane intelligantur, dicendum est hic quid in huiusmodi conueniat perfectis & quid non, & quid liceat infirmis & quid non. Perfectis igitur licet repetere sua simpliciter scilicet sine causa, sine lite, sine iudicio, sed non conuenit eis inde mouere causam ante iudicem. Infirmis vero licet & sua repetere mouendo causam ante iudicem, & iudicium habendo contra fratrem.* Potest igitur de abdicatione dominii licitum votum emitti. Quod si etiam perfectis non est licitum contendere coram iudice coactiuo, ergo potestatem licite vendicandi non habent, quæ dominium est iam dictum: tali enim potestati iam per votum renunciauerunt contra quod eis vllo tempore venire non licet, præcipue stante voto. Quod autem rei vel eius vsus, habitus licitus seu simplex facti vsus abdicari nequeat pro quolibet tempore, satis apparet, quia nullum prohibitum lege diuina potest licite cadere sub voto, sed talis abdicatio est prohibita lege diuina, eo quod species quædam homicidii. Tale enim votum obseruans seipsum fame aut frigore vel siti perimeret scienter, quod lege diuina prohibetur expresse vt *Mat.* 19. *Mar.* 10. *Lucæ* 18. vbi Christus aliqua præcepta legis antiquæ confirmans ait: *Non occides,* &c. Separatur igitur rei scilicet vsus simplex seu habere licitum ab omni iam dicto dominio seu vendicandi & prohibendi rem aut eius aliquid potestate.

Ex quo etiam per necessitatem sequitur manifeste, insanam hæresim esse, asserentis rem aut eius vsum haberi non posse absq; iam dicto dominio. Sic enim dicens, nil aliud sentit quam Christi consilium adimpleri non posse, quod apertū mendacium est, & vt diximus tanquam peruersum & hæreticum fugiendū. Nec obstat sermo dicentis, quod de actu contentioso possit abdicatio licita per votum fieri, non tñ de habitu seu actiua potestate legali ad vendicandū & prohibendū rē ab alio coram iudice coactiuo, quam pridem tale dominium esse diximus, hoc .n. falsum est, quoniam omnis habitus seu potestas legalis acquisita vel acquisibilis, cuius habitus per licitum votū abdicari potest, eodem modo abdicabilis est, sicut inductione apparet in omnibus consultis sub voto cadentibus. Nam vouens castitatem aut obedientiam, non solum per votum abdicat actus, verum etiam potestatem licitam ad tales actus sibi iure primo modo dicto conuenientem prius. Rursum inconsonum veritati est dicere quenquam habere licitam potestatem ad actus qui oēs sunt illiciti, cum potestas non dicatur licita vel illicita, nec aliter harum differentia cognoscatur, nisi per actus licitos aut illicitos prouenientes, aut prouenire possibiles ab eadem. Cum igitur oēs actus licitæ potestatis, quam quis habuit ante votum, sint post votum illiciti, apparet quod eorū nulla potestas licita remansit apud vouentem. Deinde ostendo quod rei aut eius vsus alienæ quātum ad omne dominium supradictum, potest aliquis habere vsum licitum, rem ipsam etiam consummantē, si hunc vsum consentiente domino in rem exerceat absq; omni tali dominio supradicto. Nam ex quo supponitur esse omnino in alterius dominio seu potestate vendicandi, certū est quod tale dominium nō transfertur in alium, nisi facto domini & expresso consensu, non dissentiente etiam, in quem rei talis aut eius vsus, tale dominium seu iudicandi potestas transferri debet. Esto igitur dominum non velle transferre rei vel eius vsus tale dominium in alium quenquam. Esto etiam alium dissentire in tale dominium, vt qui expresso voto temporalium omnium iam dictum abdicauit dominium, sicut perfectis conuenit. Esto amplius dominum consentire perfectum aliqua re sua vti etiam vsq; ad rei consumptionem, perfectum quoq; seu qui omnis rei domi-

dominium abdicauit tali re velle vti consentiente domino, dico sic vtentem re illa licite vti ea, & tamen illius aut eius vsus nullum supradictum penitus habere dominium. Quod autem nullum rei aut eius vsus habeat dominium, apparet ex præmissis hypothesibus, tā ex habentis domini voluntate, quam ex recepturi rei vsum conditione, qui talia simpliciter abdicauit dominia. Quod autem ea licite vtatur, apparet ex liciti diffinitione, quoniam lege permissum est vnicuiq; vti aliena re etiam vsq; ad eius consumptionem, si ad hoc interueniat dominantis eam consensus expressus. Quod si sumatur dominium vltimo modo, pro voluntate scilicet seu libertate humana, cum ipsa motiua potentia naturali non acquisita, sed connata nobis: dico quod rem aliquam aut eius aliquid neq; licite neq; illicite contrectare possumus sponte sine tali dominio, neq; tale dominium abdicare possumus. Et quia hoc secūdum se quasi notum est omnibus, quoniam sine potestatib. his nemo in esse manere potest absq; probatione aliqua, de hoc pertranseo propter abbreuiationem sermonis. Ex his itaq; apparere potest, quod non omnis rei temporalis aut eius vsus potestas licita seu de iure primo aut secundo modo dicto vel vtroq; sit dominium, quamuis econuerso dominium omne licitum secundum iam dictos tres modos legales in rem vel eius vsum aut vtrunque sit potestas licita, seu de iure iam dicto. Vnde sic inferens, Est potestas in rem aut eius vsum licita seu de iure, igitur est in rem aut eius dominium licitum seu de iure, paralogismum incidit consequentis. Est enim rem licite habere & contrectare tam suam in proprio vel communi quam etiam alienam, domino vel eo cui quæsita licite fuerit consentiente absq; omni legali dominio acquisito. His ergo præmissis ad propositum ingredientes amplius, primum dicimus *paupertatem* aut *pauperem* aliquem fore quasi per se notorum, & in scriptura repertum plerunque, sic vt ex omnibus de hoc vnum inducere sufficiat, ex Marci 12. vbi Christus: *Amen dico vobis, quoniam mulier hæc pauper plus omnibus misit.* Deinde ostendo similiter per scripturam, paupertatem meritoriam esse ad vitam æternam. Quoniam dixit veritas Lucæ 6. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*, merendo scilicet, quia nemo præter Christum in hac vita beatus efficitur sed meretur.

Et ex hoc sequitur per necessitatē, paupertatem esse virtutem, si ex multis actibus, sic volendi carere temporalib. bonis habituata fuerit, aut actū virtutis factiuū aut elicitum à virtute, qa omne meritoriū virtus est aut actus eius. Rursum omne Christi cōsiliū pertinet ad virtutē per se, paupertas est huiusmodi, vt *Matt. quinto*, 19. & aliis plerisque locis euāgelicæ scripturæ satis apparet.

Ex quo sequitur per necessitatem, hanc esse paupertatem spontaneam dictam secundum tertium & quartum modum paupertatis, eo quod non est virtus aut eius opus sine electione, electio vero non sine consensu, vt ex *secundo & tertio Ethicorum* satis apparet. Cuius et cōfirmatio sumi potest ex Matth. 5. vbi Christus *Beati pauperes spiritu*, intelligens per *spiritum* voluntatem seu consensum, quamuis aliqui sanctorum exponant per *spiritum* superbiam, quod tamen non multum est ad propositum, quoniam in eadem serie subiungitur immediate, *beati mites*. Quicquid tamen sit de huius loci expositione, nemini dubium, & secundum sententiam sanctorum, quod paupertas si meritoria sit regni cœlorum, quemadmodum Christus ait, oportet hanc esse non exteriorem temporalium priuationem principaliter, sed interiorem mentis habitum, quo quis vult talibus sponte priuari propter Christum. vnde Basilius super illud Lucæ sexto. *Beati pauperes*, &c. inquit: *Non omnis quem paupertas premit, beatus est. Plures enim pauperes sunt in substantia, auarissimi vero secundum affectum, quos non saluat paupertas, sed damnat affectus, nihil enim inuoluntariorum beatificale est, eo quod omnis virtus libero designatur arbitrio.* Est ergo paupertas meritoria virtus & spontanea per consequens, non autem exterior priuatio secundum se virtus est, quoniam talis non saluat sine affectu debito, posset enim quis talibus priuari coactus & inuitus: & propter horum tamen inordinatum affectum damnari. Sic etiam de hoc sensit Apostolus. 2. ad Corinth. 8. cum dixit: *Si enim voluntas prompta est secundum id quod habet, accepta est*, id est, meritoria. Debet etiam hæc electio priuationis temporalium fieri propter Christum, si futura sit meritoria. Vnde veritas Matth. 19. *Et omnis qui reliquit domum*, &c. *propter nomen meum.* Vbi Hieronymus. *Qui carnalia pro saluatore reliquit, spiritualia recipiet, quæ merito & comparatione sui, quasi paruo numero centenarius numerus, comparantur.* Et infra: *Qui propter fidem Christi ad euangelii prædicationem, omnes affectus contempserint, atq; diuitias & seculi voluptates, hi centuplum accipient, & æternam vitam possidebunt.* Rursum quod opponitur auaritiæ per se meritoriorum existens virtus essentialiter est, paupertas spontanea propter Christum est huiusmodi, auaritia enim vitium est. proportionem autem habet virtus hæc ad moralem liberalitatem, quamuis ab ipsa fine differat & rei medio saltim species eius perfectior quædam, vt ex sequentibus apparebit: propter quod ambæ in eadem atoma specie reponi non possunt. Ex his quidem igitur apparere potest, quod paupertas meritoria virtus est, qua quis propter Christum priuari vult & carere bonis omnibus temporalibus, quæ diuitiæ vocari solent, superfluis suæ sufficientiæ. Vnde etiam sequitur manifeste, virtutem hanc non esse habitum aut actum charitatis, quod visi sunt quidam opinari. Quoniam habitus aut actus non est hic, qui Dei odio actuali aut habituali per se primum opponatur, eo quod tunc vni opponerentur plura primo. Nam quamuis charitati repugnet vitium oppositum vniuscuiusque virtutis theologicæ, non tamen propter hoc ipsa est virtus omnis theologica, quoniam nec talia sibi primum opponuntur.

Nec obstat sermo dicentis, eandē esse virtutē essentialiter qua in Deum tendimus p dilectionē,

& qua

& qua recedimus ab inordinato rerum temporalium desiderio, veluti motum eundem essentialiter fore, quo aliquid exit ab aliquo termino & in oppositum tendit. Cum ergo charitate per se tendamus in Deum, eadem igitur non alia virtute ab amore temporalium exire videmur. Ex iam enim præmisso nobis sermone patere potest huius deductionis infirmitas: Quoniam & si charitate per se primo tendamus in Deum per dilectionem, eadem ipsa eximus ab huius opposito per se primo, quod quidem odium Dei est, non amor illicitus rerum temporalium; quamuis quandoque ad charitatem sequatur hic exitus, propterea quod ad ipsam sequitur studiosa paupertas, quæ talis temporalium est per se primo abdicatio spontanea, ad quam per necessitatem sequitur exitus ab opposito per se primo, sc. ab amore illicito temporalium rerum. Si enim disputantis sermo verum inferret, ex veris concluderet sic, charitatem esse quasi omnẽ virtutem, quoniam ad charitatem plurimæ sequuntur per necessitatem, vt fides & spes, quibus per se primum eximus ab hæresi & desperatione. Amplius charitas non cadit sub voto quia præceptum est. Iam dicta paupertas præcipue quarto modo dicta, cadit sub voto, non igitur est charitas essentialiter studiosa paupertas nec econuerso, quamuis hæc sequatur charitatem sicut aliarum theologicarum plurimæ. Huius autem virtutis summum modum aut speciem esse dico votum viatoris expressum, quo propter Christum renunciando priuari & carere vult tam in proprio quam etiam in communi omni legali iam dicto dominio acquisito seu potestate vendicandi & ab alio prohibendi coram iudice coactiuo res temporales quas vocant diuitias. Votum inquam etiam, quo propter Christum tam in proprio, quam etiam in communi priuari vult & carere omni potestate, habitu, & contrectatione vel iussu ipsorum superfluo in quanto & quali præsenti sufficientiæ. Nec talia bona quantumcunque sibi licite aduenientia, pro pluribus futuris necessitatibus seu indigentiis supplendis propter se solum, nec propter se cũ aliquo vel determinatis aliquib. in cõmuni vult habere simul, sed ꝑ vnica tãtũ simul vt immediate instante quasi præsente indigentia alimenti atq; tegmenti. Hoc tamen duntaxat excepto, ꝙ sit hic vouens in loco, tempore, aut sui dispositione tali, vt vicissim successiue singulis diebus sibi de temporalibus tantum quærere possit, quo suam indigentiam iam dictam, solum tamen vnicam simul, non plures supplere possit. Hic siquidem modus aut species *meritoriæ paupertatis* status est, quem ad euangelicam perfectionem necessarium dicere volunt, vt ex sequentibus aperte patebit. Quem etiam iam dictum modum meritoriæ paupertatis siue habẽtis in proprio tertio modo dicto, siue etiam cum alio in communi modo communis huic opposito, deinceps propter abbreuiationem vocabimus *summam paupertatem*, sic vero habere volentem more Theologorum *perfectum* dicemus. Quod autem iam dictus modus paupertatis meritoriæ sit aliorum summus, ostendi potest ex hoc, quoniam secundum ipsum aliorum maxime omnia Christi meritoria consilia obseruantur. Omnia nanque primum temporalia abiici possibilia viatori per votum abdicantur, plurima diuinæ charitatis sic vouentibus amouentur impedimenta pluribus seculi passionibus & ignominiis, ac sustinendis incommodis disponuntur, pluribus quoque ipsius voluptatibus & vanitatibus sponte priuantur: & ad vnum dicere, ad obseruanda Christi tam præcepta quam consilia omnia maxime se disponuntur. Quod autem temporalia simpliciter & quantum viatori possibile ac licitum est, abdicet sic vouens, euidens est, quoniam nihil nisi quod præsenti aut quasi præsenti alimenti ac tegmenti supplendæ indigentiæ vnicæ necessarium fuerit, habere vult simul, minus autem habere non licet alicui viatori fideli, quoniam si minus habere vellet sibi necessario ad vitæ sustentationem sui esset homicida scienter, quod diuina saltim lege non licet alicui. Qui ergo sic habere vult temporalia, quod eorum minus non licet habere, minimum vult ex ipsis: Et qui tantum abdicat ex eis, quod amplius abdicare non licet maximum abdicat. Sic autem facit viator secundum iam dictum modum meritoriæ paupertatis, quem *summum* diximus. Quod autem sit hoc secundum Christi consilium apparet, nam de hoc voto consilium dedit, Lucæ 14. cum dixit: *Sic igitur omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

Quod autem plurima charitatis diuinæ sibi amoueat impedimenta euidens est, quoniam amor & voluntas conseruandi temporalia conuertit hominem ad ipsa, & per consequens magis auertit in tantum ab amore seu Dei dilectione. Vnde veritas Matthæi sexto: *Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.* Nec valet excusatio dicentis, quod habens has, non conuertet suum amorem ad illas. Nam audi Christum Matth. 13. & Marci quarto dicentem, quod *fallacia diuitiarum suffocat verbum.* Vbi Hieronymus: *Blandæ enim sunt diuitiæ aliud agentes, aliud pollicentes.* propter quod etiam ipsas simpliciter abdicare, volenti perfectum esse, Christus consuluit Lucæ 18. cum dixit: *Omnia quæcunque habes vende, & da pauperibus.* Vbi Beda: *Quicunque ergo perfectus esse voluerit, debet vendere quæ habet: non ex parte, sicut Ananias fecit & Saphyra, sed totum.* Et ibidem quod est ad propositum, subdit Theophylactus: *Summam paupertatem suadet, si quid enim restiterit,* (temporalium scilicet,) *illius seruus est*, supple, qui seruat talia propter se. Sunt enim huiusmodi nata inordinate mouere detinentis affectum. Eidem quoque sententiæ Rabanus super idem Christi oraculum Matth. 19. addit, quod est ad propositum valde. inquit enim: *Inter pecunias habere, & pecunias amare nonnulla distantia est. Tutius autem est, nec habere, nec amare diuitias.* Quoniam, vt ibidem subdit Hieronymus: *Diuitiæ habitæ difficile contemnuntur.* Sunt enim *visco viscosiores*, vt dicit Thomas *Luc.* 18. super eodem Christi consilio. Plurima ergo ubi

sibi charitatis impedimenta subtrahit, qui diuitias quantum viatori possibile ac licitum est, subtrahit. Pluribus etiam seculi passionibus, ignominiis, & incommodis exponit se pluribus voluptatibus & mundanis commodis sponte se priuat. Hoc autem quamuis per se notum sit, experientia sensata, dicit tamen Sapiens Ecclesiastes decimo: *Pecunia* enim, inquit, *obediunt omnia*, id est habenti pecunias. Ex opposito autem Prouer. 15. *Omnes dies pauperis mali. quoniam pauper afflictionibus abundat*, vt Glossa dicit ibidem. Rursum eiusdem 19. ait: *Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem & hi quos habuerit separantur.* Quod autem tristia sustinere in hoc seculo, & à delectabilibus abstinere propter Christum, sit meritorium & consultum, apparet euidenter, *Matt. quinto, & 19. ac Luc. 6.* vnde quantum ad tristium tolerantiam: *Beati pauperes, Beati qui lugent, Beati qui persecutionem patiuntur, Beati qui esuritis*, cum cæteris quæ ibidem annumerantur his: quantum vero ad delectationum abstinentiam: Quoniam *omnis qui reliquit domum aut fratres*, cum reliquis ibidem annumeratis, *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Hanc eandem sententiam explicant ibidem Glossæ sanctorum, quas omisi propter abbreuiationem sermonis, & eo quod res hæc est nota satis. Hæc quoque fuit Apostoli sententia ad Rom. 6. *Existimo enim*, inquit, *quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* ergo meritoriæ sunt aduersitates huius seculi tolerantibus sponte. Idem 2. ad Corinth. primo, cum dixit: Quoniam *sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Vbi Ambr. *Quia æqua gloria labori vestro retribuetur*, id est proportionalis. Ad hæc autem seculi tristia & incommoda sustinenda non se omniquaq; sic disponunt collegia personarum habentium dominium temporalium in communi, quinimo minus multis pauperibus in seculo coniugatis, habentibus quandoque propria, eis tamen quæ ad vitæ sufficientiam sæpius egentibus his qui talia solum possident in communi. Quod autem secundum hunc modum paupertatis meritoriæ, quem supremum diximus aliorum, maxime omnia præcepta & Christi consilia obseruari possint, apparebit discurrenti per seriem euangelicam, præcipue in [illegible]tulis assignatis. Qui enim talem paupertatem elegit, quomodo erit auarus aut superbus, qualiter incontinens aut intemperatus, ambitiosus, immisericors, & cur iniustus, timidus, accidiosus, aut inuidus, cur etiam mendax, impatiens, & alteri propter quid maliuolus? quinimo ad omnes virtutes sic disposito, ianua reserata videtur ad omnia quoque præcepta & consilia æquanimiter adimplenda. Quod quia palam fit inducenti, probare omitto propter abbreuiationem sermonis. Sic igitur summus modus aut species meritoriæ paupertatis est, quem prius descripsimus: quoniam secundum ipsum possunt amplius & securius omnia Christi præcepta & meritoria consilia obseruari. Ex qua si quidem descriptione primum apparet, quod temporalia quantum ad dominium per votum expressum renunciare debet perfectus, tum quia Christi consilium, vt ex *Luca* 14. pridem induximus, tum quia ex hoc suam paupertatem notificans, se amplius in aliorum conspectu contemptibilem reddit, & secularib. honorib. magis cædit. Vnde Lucæ nono: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.* Ex quo sequitur amplius, quod nemo summam paupertatem obseruare potest ante perfectum rationis vsum. Sequitur etiam ex hac descriptione, quod perfectus existens nihil habere neque quærere debet aut conseruare propter se, ad futuram scilicet suam necessitatem supplendam, nisi instantem quasi præsentem: excepto duntaxat in casu quem pridem in descriptione diximus. Vnde Matth. 7. *Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibiipsi.* Vbi Glossa, *in crastinum, id est, in futurum. de præsentibus concedit, de futuris quæ diuina procurat ordinatio, non conuenit solicitari, sed præsentia grate suscipientes, curam futurorum quæ incerta est, Deo relinquimus: Cui de nobis cura est.* Idem eodem septimo, cum dixit Christus ad discipulos: *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa.* Et parum infra subiungit: *Nolite ergo soliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt.* Diximus autem perfecto nihil licere *propter se* ad crastinum custodire, non quidem intelligentes sic, vt si quid ex eo quod illi aduenit ex quæstu diurno licito, residuum fuerit, id reiicere debeat & nullo modo custodire, sed quod tale residuum non debeat sibi sic custodire, quin illud pauperibus sibi occurrentibus & prius indigentibus quam ipse proponat firmiter tribuere atque dispensare conuenienter. Vnde Lucæ tertio: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui escas, similiter faciat.* Intelligens per *duo vestimenta & escas*, id vel de eo quod superest indigentiæ præsentis proprio supplemento. Cuilibet autem dictum est, quoniam communitas seruantium aut habentium pro aliquibus determinatis solum: vt quæ monachorum & canonicorum & similium, non est perfecta communitas, perfecta enim, vt quæ Christi & apostolorum ad omnes fideles extitit, vt apparet *Actuum quarto.* Et si ad infideles in casu se extenderet, adhuc fortasse magis meritoria foret, iuxta illud Lucæ sexto: *Benefacite his qui oderunt vos.* Potest autem licite perfectus custodire residua & debet: ea tamen intentione seu proposito firmo quod diximus. Vnde Ioannis sexto: *colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Sic etiam sentit Glossa super Matthæi 18. *Staterem illum assumens*, &c. inquit enim: *Tanta paupertatis fuit dominus, vt vnde daret tributa non haberet. Iudas quidem communia in loculis habebat. Sed res pauperum in suos vsus conuertere nephas duxit.* Ecce quod reseruata erant pauperum, id est ea intentione custodiebantur. Et ex hoc apparet illos errare, qui dicunt attinere perfectioni votum nihil recipiendi ad distribuendum

dum pauperibus infirmis aut aliter quęrere sufficientia impotentibus. Nam hunc quæstum exercuit Apostolus, & licite ac meritorie nulli dubium, quemadmodum palam est *secunda ad Corinthios octauo & nono.* Et apparet etiam ex Glossa super illud Ioan. 21. *Pasce oues meas.* &c. Series autem horum omitto propter abbreuiationem. Sequitur etiam ex iam dicta descriptione necessario, quod perfectus nullam rem immobilem, vt domum aut agrum in sua potestate existentem seruare aut retinere debet nec potest nisi firmo proposito, cum primum potuerit id alienandi seu cómutandi ad pecuniam vel rem aliam conuenienter pauperibus immediate distribuibilem. Nam quia domus aut ager non possent immediate distribui pauperibus conuenienter, quin in eo contingeret peccare per superabundantiam & defectum, in talibus est Christi consilium attendendũ, dum dixit Mathæi decimonono, Lucæ decimooctauo, & Marci decimo: *Vade & vende:* Nec dixit, omnia quæ habes da pauperibus: nec dixit, omnia quæ habes dimitte deperdi, sed *vade & vende,* quoniam vendendo conuenientior distributio fieri potest: sic etiam fieri consulebant apostoli. Et quibus consulebatur, sic etiam faciebant, sua volentes pauperibus distribuere conuenienter. Vnde Actuum quarto: *Quotquot enim possessores agrorum domorum erant, vendentes afferebant pretia eorũ. Diuidebantur autem singulis, prout cuique opus erat.* Apparet etiam ex iam dictis, quod nullius rei temporalis dominium acquisitum, iuxta primam, secundam, & tertiam dominii significationem iam dictam perfecto conuenire potest, vt ex *Matthæi quinto, & Lucæ sexto* probauimus prius. Et per Apostolum idem confirmauimus *prima ad Corinth. sexto.* Idemq; per Augustinum & Glossam ibidem patefecimus sufficienter: quorum series omisimus inducere propter rei euidentiam & sermonis abbreuiationem. Nec est auscultandus sermo dicentis, immobilia licite à perfectis seruari posse: vt ex ipsis prouentus annui pauperibus distribuantur: quoniam amplioris est meriti propter Christi dilectionem & proximi misericordiam distribuere pauperibus rem simul & prouentum quam alterum tantum. Et adhuc magis rem solam quam solum eius prouentum: Quoniam sic pluribus pauperibus ac [illegible]gentibus simul subueniri potest, qui fortasse ante futurum rei prouentum propter defectum incurrerent ægritudinem aut mortem, stuprum, furtum, aut aliud inconueniens. Rursum quoniam infra tempus futuri rei prouentus fortasse morietur, qui eam reseruauit, & sic ex ea nunquam merebitur quod mereri poterat. Idem penitus sentiendum de mobilibus quibuscunque, quæ etiam sic retenta cum aliis similiter inordinate mouere sunt nata detinentis affectum. Quod si tamen hæc virtus charitas esse credatur, vt quidam sentire videntur nulli, dubium, quin hic modus charitatis, cum summa scilicet paupertate perfectior sit habitu dominii rei temporalis in proprio vel communi, vt ex prioribus rationibus palam.

Nunc autem ad principale propositum accedentes, ostendere volumus, Christum viatorem summam meritoriæ paupertatis speciem vel modum seruasse: quoniam primum in vnoquoque aliorum est maximum, Christus autem sub noua lege primus viatorum merentium vitam æternam: fuit ergo aliorum perfectione maximus, ergo statum hunc ad temporalia obseruauit, cum absque ipso mereri maxime, secundum legem communem impossibile sit. Rursum si hunc non obseruasset modum paupertatis, fuisset alter viator, esset vel esse posset Christo secundum communem legem perfectior in merendo, quod nephas est credere. Hoc enim Christus ad perfectionem meriti asseruit pertinere, cum dixit vbi supra: *Si vis perfectus esse, omnia quæcunque habes vende & da pauperibus.* nec addit proprium aut commune, sed hoc vniuersaliter intellexit, propter quod etiam significatum vniuersale geminauit, dicens: *Omnia quæcunq;.* Nam qui habet in communi cum aliquo vel aliquibus dominium aut reseruationem temporalium extra modum dictum non abdicauit temporalium omne abdicari possibile, nec tot passionibus seculi exponitur, aut commodis priuatur, sicut temporalibus renuncians vtroq; modo, nec sic ab horum solicitudine liberatur, nec omnia Christi consilia seruat æqualiter omnimode abdicanti. Post hæc ostendere volo Christum habuisse aliquid in proprio, & etiam in communi, summam tamen paupertatem seruando in proprio quidem dicto secundum tertiam significationem per id quod habetur Marci secundo: *Erant autem multi qui sequebantur eum scribæ & pharisæi videntes quia manducauerat cum publicanis & peccatoribus.* Certum est autem ipsum licite ac sibi proprium seu singulariter habuisse quod ori suo applicabat & manducabat. Amplius & vestimenta sibi propria seu singulariter habuit, vt ex *Matthæi 27. Marci 15. Lucæ 23. & Ioannis 19.* satis apparet. Vnde in Mathæo vbi supra: *Exuerunt eum chlamide, & induerunt eum vestimentis eius.* Sic et in Marco & Luca, quorum series omittantur propter decurtationem sermonis: Temporalia igitur in pprio Christus habuit licite seu de iure summam etiam paupertatem obseruans, & talia voluit habere & velle debuit, alioquin mortaliter peccaturus, quia verus homo existens esuriit, vt apparet ex *Matthæi 21. & Marci decimo octauo.* Ideoque cibo indiguit, quem non sumens; sumere potens peccasset grauiter, se fame videlicet perimendo scienter. In communi quoque Christus habuit licite, summam etiam paupertatem obseruans. Vnde Ioannis 12. *Dixit autem hoc Iudas, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat & loculos habens,* communes scilicet Christo & apostolis, & pauperibus reliquis, quod apparet ex eo quod de his Christus iussit distribui famescentibus pauperum turbis, vt Mathæi decimoquarto satis apparet. *Loculi* autem erant repositoria, in quibus pecunia eleemosynaria sibi data reseruabatur. Idem rursum eiusdem 14. *Quidam autem putabant quia loculos habebat Iudas.* Idem etiam Glossa super illud Matth. 28. *Staterem illum sumens,* &c. *Iudas,* inquit Glossa, *communia in loculis habebat.* Sic etiam apostoli post

post Christi resurrectionem communia inuicem & cum aliis pauperibus habuerunt, summam paupertatem seruantes. Vnde Actuum quarto: *Erant autem illis omnia communia.* Propria quoq; similiter habuerunt, victum scilicet atque vestitum, quos sibi proprie applicuerunt, quemadmodum Christus.

Deinde tanquam principale intentum ex hoc & præcedente atque immediate sequente capitulo inferre volo per necessitatem Christum viatorem, summam perfectionis præcipue monstrantem, non habuisse *dominium* aliquod acquisitum, secundum primam vel secundam aut tertiam dominii significationem, dictum in proprio vel cum alio in communi rei alicuius temporalis aut eius vsus. Quoniam tale dominium sibi assumens non omnia consilia, & præcipue summam paupertatem viatori possibilem, seruasset, Christus autem hæc omnia perfectissime viatorũ seruauit. Non igitur tale dominium temporalium Christus habuit, nec habere voluit, quod scriptura *possessionem* plerunq; nominauit, vt in Lucæ 14. *Qui non renunciat omnibus quæ possidet.* Sic etiam Matthæi decimo: *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris*, id est, conseruare nolite, nisi fortasse in casu licito, ea scilicet intentione atq; necessitatibus, quas pridem diximus, vt propter impotentes pauperes, quemadmodum fecit Paulus, aut temporis vel loci & personæ dispositionis necessitate vrgente, de quibus in *sequenti capitulo* amplius apparebit. Quamuis tamen *dominium* iam dictum, etiam in prædictis casibus summe pauperi habere non liceat: quoniam tale dominium per necessitatem circa summam paupertatem excludit Christi consilium. Non habuit ergo Christus temporalium dominium iam dictum, nec habere potest eius aliquis imitator, summam scilicet paupertatem seruare volens. His consequenter dico, quod ex scriptura sacra conuinci non potest Christum quantumcunque condescendentem infirmis, habuisse temporalium iam dictum dominium seu possessionem in proprio vel communi, quamuis hoc credantur sensisse sanctorum aliqui. Pari nanq; ratione concludi posset, Christum exercuisse omnia permissa, ne statum talia exercentium damnasse videretur. Sic ergo seculi principatum seu seculare iudicium contentiosum acceptasset ac exercuisset, cuius oppositum ostensum est irrefragabiliter *quarto huius.* Sic coniugium, sic actionem contentiosam coram iudice coactiuo, sic reliqua permissa omnia: Quæ Christum exercuisse nemo per scripturam conuincere potest, sed oppositum magis. Non enim talia ipsum oportuit aut decuit exercere, ne statum exercentium, quos vocant infirmos, damnasse videretur: Quoniam non sequitur, Christus non fuit coniugatus, ergo statum coniugatorum visus fuit damnare, similiter & in reliquis. Nã ipse sufficienter expressit differentiam inter ea, quæ sunt de necessitate salutis fienda vel omittenda, præcepta vel prohibita, & ea quæ non sunt de necessitate salutis apud sanctos vocata *supererogationis.* Cum enim interrogatus fuisset à quodam de necessariis ad salutem æternam, respondit Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Interroganti vero rursum de his quæ sunt supererogationis, non respondit Christus, *si vis ad vitam ingredi*, sed dixit illi, *si vis perfectus esse.* In quibus verbis *Matth.* 19. *Luc.* 18. *& Marci* 10. Christus expresse fecit intelligere, quod obseruatio mandatorum sufficiebat ad vitam æternam, cum de hoc interroganti nil aliud respondit quam *serua mandata, si vis ad vitam ingredi.* Ideoque non omnia permissa Christum oportuit aut decuit exercere, ne statum eiusmodi exercentium damnasse videretur, quia iam expresserat ipsos ex solis mandatis seu præceptis, communiter sumendo præceptum affirmatiuum & negatiuum, posse saluari, sed magis decuit ipsum consiliorum exercitium, vt summam paupertatem seruare, coniugium omittere propter talium exercitii reliquis omnibus præbendum exemplum, quemadmodum ipsum de facto fecisse atque dixisse legimus in scriptura. Nam Matth. 8. Lucæ nono de sua paupertate loquens, ait: *Vulpes foueas habent, volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi reclinet caput.* vbi Glossa, *Cum ita sim pauper vt nec hospitium habeam quod meum sit. Tanta enim paupertatis fuit dominus, vt vnde daret tributa non haberet*, secundum Gloss. super illud Matth. 18. *Staterem illum assumens, da eis pro me & te.* Nusquam tamen legimus ipsum habuisse castra vel agros, aut cumulos thesaurorum, ne statum sic habentium visus damnare fuisset.

Quod si tamen Christus exercuisset permissa, potuisset hoc facere nil minus omnibus consiliis pariter obseruatis, quoniam ipse qui legislator erat, poterat huiusmodi exercere, ne statum exercentium reprobare videretur, vnde talia non voluisset simpliciter, quemadmodum volunt infirmi qui ea volunt propter suum commodum, sed ea Christus voluisset propter aliud, & ea quodam modo nolens, quia non propter se sed propter iamdictam causam. Reliqui vero perfecti tale dominium nullo modo possunt velle conuenienter, summam consiliorum obseruantes. Non enim id possunt velle, ne statum aliorum damnare videantur: quoniam ad eos statum approbare vel damnare non pertinet, eo quod legislatores non fuerunt nec sunt aut erunt. Si ergo tale dominium vellent, id vellent quemadmodum infirmi, non tanquam perfecti, licuisset ergo Christo si voluisset hæc exercere permissa, summam omnium consiliorum obseruans, quod tamẽ alteri ab ipso minime licere potest propter causam iam dictam. Quod si quæratur, quis tam perfectus esse valeat, vt nihil simul temporalium velit habere, nisi sufficiens indigentiæ præsenti aut immediate instanti, quasi præsenti. Dico, quod Christus & alii quicunq; volentes quamuis tales pauci sunt, quoniam *via hæc arcta est & angusta, & pauci ingrediuntur per eam*, vt scribitur Matthæi septimo. Et dico tibi tu quæso: Quot sint martyres voluntarii temporibus his? quot viri heroici? quot Catones, Scipiones, atque Fabritii?

Cap. XIV.

De quibusdam instantiis ad determinata in cap. præcedenti & ipsarum solutionibus, ac confirmatione dictorum in eodem capitulo.

AD dicta vero sic intendentibus obiiciet aliquis, quoniam si ministrantes euangelium, statum perfectioris etiam seruare volentes episcopi atque presbyteri nihil seruare possint propter suam futuram necessitatem supplendam, quin illud firmo proposito velle debeant tribuere pauperi, vel pauperibus occurrentibus primum & magis indigentibus cum reliquis quæ in descriptione *summæ paupertatis* iam diximus. Quomodo poterunt intendere prædicationi verbi Dei, & quotidianam vitam procurare, quod necessarium videtur si nihil illis pro futuro sibi seruare liceat? Videntur enim hic simul fieri difficilia vel impossibilia quædam. Vnde Actuum sexto: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis.* Innuentes apostoli quod duo hæc simul fieri nequeunt. Licitum est ergo perfectis propter suam necessitatem futuram supplendam temporalia reseruare. Amplius ostenditur idem ex alia: quoniam Ioannis 14. super illud: Quia *loculos in quibus oblata seruabantur*, &c. dicit Glossa: *In quo forma datur ecclesiæ seruandi necessaria.* Cum igitur in hoc loco *ecclesiæ* nomine intelligantur perfectius, præcipue sacerdotes & episcopi, videtur quod necessaria pro futuro sibi licite seruare possint. Rursum supra illud Matth. 7. *Nolite soliciti esse in crastinum*, dicit Glossa: *Sed nemo debet scandalizari, si quem iustorum viderit hæc necessaria sibi suisque procurare, ne indicet eum de crastino cogitare, quia ille qui hoc præcepit, cui ministrabant angeli, propter hoc exemplum dandum, loculos habuit, vnde necessaria vsibus præberet.* Adhuc firmatur idem ex Ioannis decimo quarto, vbi dicitur sic: *Quidam autem putabant quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum.* ergo pecuniam reseruatam habebant Christus & Apostoli, vnde talia emere poterant. Adhuc ostenditur idem ex alio, quoniam Matthæi sexto, super illud: *Respicite volatilia cœli*, &c. dicit Glossa, *Non prohibet prouidentiam & laborem, sed solicitudinem: vt tota spes nostra sit in Deo.* Perfectis igitur de futuris sibi necessariis prouidere licet. Amplius ostenditur idem ex *Matthæi 14. Marci sexto & octauo, & Lucæ decimo.* Dixit enim Christus ad apostolos: *Quot panes habetis? Qui dixerunt, septem.* Hos autem seruauerant extra præsentem necessitatem, ergo perfectis pro futuro sibi temporalia seruare licet. Deinde ostenditur per necessitatem, quod perfecti habeant vel habere possint etiam perfecti manentes, dominium dictum secundum primam aut secundam vel tertiam speciem dominii rerum temporalium vel vsus earum in proprio aut cum alio vel aliis in communi, & maxime rerum quæ vnico aliquo vsu consumptibiles sunt. Primum quidem apparet hoc ex Lucæ 22. cum loquens Christus ad Apostolos ait: *Et qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium*: sed qui emit aut vendit aliud, dominium rei vel pretii transfert in alterum, nullus autem in alterum transfert quod prius non habuit. Dominium igitur habuerunt Christus & Apostoli supradictum. Deinde ostendo idem ex alio sic: quoniam qui habuit vsum licitum alicuius rei ab illius dominio iam dicto inseparabilem ex necessitate habuit rei dominium, sed Christus & apostoli talium rerum habuerunt vsum, ergo per necessitatem ipsarum dominium: prima propositio huius deductionis famosa est, secunda vero probatur, ex eo vsu rerum consumptibilium, quem Christus & apostoli habuerunt: Quoniam vel habuerunt vsum rei suæ de iure, vel non suæ, de iure. Si vsum rei suæ de iure, ergo habuerunt simul cum vsu rei dominium. Si vero rei non suæ aut ergo alienæ, aut rei quæ in nullius bonis erat ante vsum eius. Si rei quæ in nullius bonis erat, cum talis occupanti concedatur de iure: Christus autem & apostoli per necessitatem prius aut simul tempore cum vsu rem occupauerunt, ergo ipsius dominium ante vsum vel simul cum vsu habuerunt. Si vero vsus talis fuit in rem alienam, aut fuit hic concedente domino rei vel non concedente, & maxime in vsu rem consumente, aut alio quem dominus de iure prohibuisse præsumitur: talis vsus esset illicitus, quod nephas esset de Christo aut apostolis dicere. Si vero huiusmodi vsus rem aliquam consumens, fuerit concedente domino, aut igitur rei dominus concessit vtenti vsum solum absque dominio aut vsum cum dominio simul: Si vsum absq; dominio, vsus fuisset illicitus, quoniam ex tali vsu priuatur dominus dominio rei absque facto suo, quod licite seu de iure fieri non potest. Si vero vsum cum dominio concessit dominus sic vtenti, apparet manifeste quod sic vtens, perfectus existens, etiam simul cum vsu per necessitatem habuit rei dominium. Amplius, si perfectus nullum haberet rei dominium, sequeretur quod auferens ab ipso etiam actualiter indigente, rem temporalem licite auferret, quoniam de iure. Nam quæ in nullius bonis sunt licite seu de iure, à quolibet occupari possunt, sed quæ per nullum vendicari possunt in nullius bonis sunt, talia vero sunt quæ habet perfectus, vt ex prioribus hypothesibus satis apparet. Amplius, qui debent hospitalitatem seruare, necessario prouisionem futurorum & aliquorum dominium oportet habere. Omnes apostolorum successores, episcopi scilicet, ad hospitalitatem tenentur. Vnde primæ ad Timotheum tertio, ad Titum, 1. *Episcopum oportet hospitalem esse.* Adhuc videntur hoc fecisse sancti patres, episcopi, habuerunt enim agros & possessiones in suo dominio saltem in communi cum aliis episcopis atque

atq; presbyteris. Vnde Ambrosius in epistola de tradendis basilicis, ait: *Agri ecclesiæ soluunt tributum*, ergo agros & immobilia possidebant viri perfecti, qui etiam ecclesiæ nomine designantur aut designari debent, præcipue sacerdotes. Ostenditur autem hoc de Christo in speciali primum quidem: quoniam secundum leges etiam humanas, qui aliquem redimit à morte, illius dominus efficitur, & per consequens omnium suorum temporalium, sed Christus nos à morte redemit, non quacunque, sed ab æterna, ergo nostrorum corporum & temporalium acquisiuit dominium. Rursum Apocalypsis decimonono scribitur de ipso, quod *habebat scriptum in vestimento, rex regum, & dominus dominantium.* Vbi glossa: *in vestimento scilicet humanitatis.* Cum igitur rex & dominus omnium eorum habeat dominium, apparet quod Christus in rebus temporalibus hoc habuerit.

Ex prius autem diffinitis à nobis de summa paupertate temporalium atque dominio responderi poterit conuenienter his quæ obiecta sunt ex *præsenti capitulo*, secundum Christi tamen & Apostoli sententiam, primum apponentes, quod ministri euangelii, presbyteri seu episcopi, cum reliquis inferioris ordinis, contentari debent alimento quotidiano, & necessario tegumento statum perfectionis seu summam paupertatem custodire volentes. Vnde .1. ad Tim. vltimo: *Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* Quæ siquidem euangelizantibus ministrare tenentur secundum legem diuinam saltem, quibus euangelica prædicatio ministratur. Hoc enim figuraliter dictum Deuteronomii 24. *Non alligabis os bouis triturantis in area fruges tuas.* Exponens Paulus primæ ad Corinthios nono, tanquam dictum propter futuros euangelii doctores atque ministros, sic ait: *Nunquid de bobus cura est Deo, an propter nos vtique dicit?* Idem apparet ex Matthæi decimo, dum ad hoc & propter hoc propositum dixit Christus: *Dignus est operarius cibo suo.* Debent ergo suscipientes euangelium, victum quotidianum, atque vestitum euangelizanti ministrare si possint. Et hoc tanquam debitum ex lege diuina petere possunt euangelizantes licite, quamuis non in iudicio coactiuo præsentis seculi, idque quibus euangelium ministratur si possint exhibere recusantes, in legem diuinam committunt. Vnde primæ ad Corinthios nono: *Ita & dominus ordinauit his qui euangelium enunciant de euangelio viuere. Sicut qui pascit gregem, de lacte gregis manducat: & qui plantat vineam de fructu eius edit.* Ad aliam vero, decimam aut partem aliquam suorum prouentuum nemo fidelium euangelizantibus, secundum scripturam tenetur. Quod si quibus euangelium ministratur, tantæ paupertatis essent, vt euangelizantis sufficientiam, victus atque vestitus ministrare nequi ent: non obligantur ad hoc lege diuina, sed debet ipse aliunde sibi quærere necessaria vitæ, vt alia doctrina vel arte operatiua si quam nouerit exercere, aut alio quodam honesto & conuenienti modo. Sic enim faciebat Apostolus, ne pauperibus quibus euangelizabat onerosus redderetur. Vnde Actuum 20. de se loquens ait: *Aurum & argentum aut vestem nullius concupiui, ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, laborauerunt manus istæ.* Idem dixit secundæ ad Thessalonicenses vltimo: *Neque, inquit, panem gratis manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus.* Verum aucto iam fidelium deuotorum numero, & præcipue temporibus his, nec laborare manibus neque mendicare necesse est doctrinæ sacræ ministros. Nam statuta sunt & ordinata in fidelium communitatibus, tam per legis humanæ latorem, quam personas aliquas singulares prouentus quidam, tam ex mobilibus, quam ex immobilibus, ex quibus sufficienter, quinimo abundanter ministrantes euangelium sustentari possunt. Interrogabit autem aliquis, cuius aut quorum sit horum temporalium, præcipue immobilium iam dictum dominium seu vendicandi potestas coram iudice coactiuo præsentis seculi, cum tale dominium ministris euangelicis perfectis existentibus conuenire non possit, secundum determinationem capituli præcedentis. Nos vero dicamus dominium temporalium, quæ sunt pro ministrorum euangelicorum sustentatione statuta, legislatoris esse aut eius vel eorum qui per legislatorem ad hoc fuerint deputati, vel per eos qui talia dederunt, si fuerint singulares personæ, quæ supradicta temporalia dederint & ordinauerint ex bonis suis ad vsum prædictum: qui siquidem sic statuti ad ecclesiasticorum temporalium defensionem & vendicationem vocari solebant *ecclesiarum patroni.* Nam antiquitus viri sancti atque perfecti ministri euangelici, Christum imitari volentes, contra nullum voluerunt contendere iudicio. Ideoque nec temporalium dominium assumpserunt, sed solum vsum necessarium ad suæ vitæ præsentis & impotentium pauperum sustentationem. Si.n. immobilia temporalia fuissent in ipsorum potestate alienandi, etiam sine dominio aliquo seu vendicandi proposito, & ea non alienassent ad pauperibus occurrentibus statim distribuendum, minime seruassent Christi consilium, in quo dixit: *Vade & vende omnia quæcunq; habes, & da pauperibus*, siue talia fuissent ab eis habita in proprio siue etiam in communi. Hoc tamen est opinandum, quod huiusmodi patroni, quos dominos vendicandi talia diximus, habeant potestatem alienandi ea, vel ad vsus alios conuertendi, quoniam peccarent in legem diuinam saltem, & in humanam fortasse, quoniam eis non est ad hoc concessum dominium, sed solummodo prohibendi & vendicandi coram iudice coactiuo ab auferentibus aut auferre vel aliquid contrectare volentibus. Et propterea si prouentuum custodia distributio concedatur alicui perfectorum per legislatorem, aut personam singularem, cuius fuerit potestas huiusmodi, dico perfectum summam paupertatem seruando, licite posse quinimo meritorie hanc curam suscipere propter proximi charitatem, & misericordiam exercendam in eum. Sed dicet alius perfectum sibi prouidere de crastino aut de

crastinis multis, quoniam suum annuum victum, atq; vestitum suscipit & suscipere intendit ex sibi concesso prouentu. Et dicendum est quod talia tempora sic sibi distribuenda conceduntur, vt ex eis reseruetur quod sufficiat euangelizanti singulis diebus ad victum & vestitum decentem, residuum vero illi committitur distribuendum pauperibus. Et quoniam perfectus propter communem fidelium vtilitatem ad æternam salutem statutus vel electus est ad euangelizandum super certum populum & in loco certo, seu determinato, inquantum euangelizans proponit conuenienter singulis diebus vnicam simul tantum sumere sufficientiam quam deseruit, non autem proponeret simul plures aut successiue sumere ex eadem re quæsita simul si posset vacare quæstui quotidiano, & simul euangelizare, sed quia simul his vacare non potest, oportet ipsum ex eadem re intendere plures sufficientias quotidianas cibi & potus sumere, successiue tamen ex eadem re. Nam si quod superest vni suæ sufficientiæ, distribueret pauperibus, non haberet in crastino vnde sumeret sufficientiam vitæ, quam quærere coactus necessario haberet mittere assumptam populi curam, in quo peccaret mortaliter, faciendo commune detrimentum animarum. Deinde vero in eo quod aliena distribueret præter, imo contra intentionem eorum qui talia sibi distribuenda commiserunt. Quia ergo secundum decretum fidelium, quorum est autoritas ordinandi, visum est expediens, determinatum populum habere determinatum ministrum euangelii atque sacramentorum, qui eis ministrare debens in his, alendus est per eos, non conseruat ipse ad crastinum ex intentione propria propter se aliquid quod in sua potestate sit distribuere. Rursum, quoniam non est in dispositione, secundum quam quotidianam vitam sibi quærere possit propter iam dictam causam, perfectus permanens, potest ex re commissa suæ custodiæ plures sufficientias sumere, semper tamen cum proposito id distribuendi quod sibi superest præsenti suæ sufficientiæ, si foret in sua potestate, foretq; ipse in dispositione sibi acquirendi futurum quotidianum victum, quemadmodum etiam dicebatur in summæ paupertatis descriptione. Sufficere debet igitur euangelico ministro victus atq; vestitus quotidiani sufficientia, quam sibi ministrare tenentur suscipientes illius ministerium. Et hanc iure diuino sibi debitã licite petere potest, quãuis non humano iure vendicare sibi debeat hanc coram iudice coactiuo, etiam si iure humano id foret præceptum. Vnde in Glossa secundum Aug. super eodem 2. ad Tim. 3. *Nemo militans Deo*, &c. dicitur sic: *Hoc ideo dicit Apostolus, scribens Timotheo ne forte cum indigeret Timotheus, & nollet victu quotidiano sustentari ab eis quibus euangelium ministrabat, nec in opere corporis laborare posset aliqua negotia sibi quæreret, quibus animus eius implicaretur intentio, ex quo sibi relinquebatur mendicandum.* Ecce ergo, quod si noluissent Timotheo ministrare victum, non dixit eos cogendos, nec quod ipse hoc requirere deberet coram iudice coactiuo. Quoniam *auferenti tunicam dandum est & pallium*, iuxta Christi consilium, Matth. 5. & Lu. 6. potius quam in iudicio contendendum. Sic etiam dicebat Apostolus secundæ ad Corinth. 8. & nono, pro pauperibus petens ab ipsis, *Non quasi imperans dico*: & infra, *in hoc consilium do.* talem collectam appellans gratiam, propter quod etiam signans eam spontaneam, dixit: *Vnusquisq; aũt prout destinauit in corde suo*, nõ ex *tristitia vel necessitate.*

Nunc autem restat singulariter dicere ad præmissas instantias. Ad eam ergo primum, quæ inducebatur ex Actuũ sexto; *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei*, &c. dicendum est hoc dixisse apostolos, nõ q̃a vellent quicq̃ sibi acquiri tẽporaliũ reseruandũ ꝓ futuro nisi quõ dixim' in sũmæ paupertatis descriptione, sed q̃a pñtis aut ĩmediate instantis quasi pñtis simul vnicã sibi quæri volebant ꝑ aliquos necessitatis sufficientiam, eo ꝙ hoc per se ipsos facere non poterant debentes simul insistere ꝑdicationi euangelicę. Ad aliã q̃ inducebatur ex Glos. super *Io. 14.* ꝙ *ecclesia datur forma seruandi necessaria*, &c. Dico *ecclesia*, i. e. viris pfectis tam in ꝓprio q̃ et in cõmuni, datam esse formam seruandi, ꝙ superest præsenti aut quasi præsenti sufficientiæ, si superfluum aliquid eis licite adueniat vt datum, aut corporis proprii opere seu labore quæsitum. Et hoc perfectis licitum est ex causa & intentione, quas diximus in summæ paupertatis descriptione, quamuis non debeant pfecti ex intentione propter se quicquã superfluum præsenti aut quasi pñti necessitati quærere: Quod tñ licite aduenit superfluum, potius custodire aut aliis custodiendũ & distribuendum cõmittere, quos ad hoc nouerint magis idoneos quam reiicere debent. Vnde super id Matth. decimo: *Dignus est operarius cibo suo* inquit Hieron. *Ergo necessaria tantum accipite, vt inde securi æternis militiis vacetis.* Deinde vero super idem, inquit Augustin. *Illa loquebatur apostolis* (Christus scilicet,) *vt securi non possiderent neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna ac minima, ostendens à fidelibus omnia deberi ministris suis nulla superflua requirentibus.* Et ideo si decimæ frugum nõ sint necessariæ ad ipsorum sustentationem sed superfluæ in toto vel parte, quod ex eis superfluit virtute verborum sacræ scripturæ, nequaquam exigere possunt euangelici ministri, nec ad eius exhibitionem tenentur Christi fideles. Quod autem intellexerit Christus eos posse petere solum quæ sunt præsentis necessitatis, victus aut vestitus vel quasi præsentis apparet, eodem super id, *neque duas tunicas.* Vbi B. Hieron. *In duabus tunicis duplex mihi videtur innuere vestimentum, non quod in locis Scythiæ & glaciali niue rigentibus vna quis tunica debeat esse contentus: Sed quod in vna tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore reseruemus.* Prohibet ergo duas tunicas simul, id est duplicia vestimenta, quorum alterum seorsum sufficiat pro tempore. Idemque de victu & eadem ratione intelligendum secundum determinationes scripturæ atque sanctorum expositiones in prioribus adductas.

Non

Non conuenit igitur perfectis Christi & apostolorum successoribus in suo dominio sibi reseruare agros, ciuitates, aut castra, nec vnquam opere seu exemplo Christi aut apostolorum fuit data forma ecclesiæ, i. e. euangelicis ministris habendi dominium immobilium nec ipsa reseruandi ad futurum in ipsorũ existentia potestate. Sed oppositũ huius bene reperimus in scriptura ex Christi consilio, dum dixit: *Vade & vende.* Et rursum: *Nolite possidere aurũ* &c. Amplius & Actuũ quarto: *Vendentes afferebant pretia.* Datur ergo forma ecclesiæ seruandi acquisita mobilia propter causas iam dictas, immobilia vero nequaquã, quæ in sui dominio vel simplici potestate alienandi fuerint, quin ea debeant alienando cõmutare, cum primum potuerint. Hæc etiam fuit sententia Bedæ super illud Lucæ 22. *Quando misi vos sine sacculo* &c. *Non eadẽ,* inqt Beda, *viuendi regula persecutionis, qua pacis tẽpore discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via, id est secum portarent, præcepit: ordinans, vt qui euangelium nunciat, de euangelio viuat. Instante vero mortis articulo & tota illa gente simul pastorem & gregem persequente, congruam tempori regulã decernit, permittẽs, vt tollant necessaria victui, donec sopita perse utorum insania tempus euangelizandi redeat. Quo sc. tempore non indigent tollere seu portare aliqua pro necessitate futura, eo quod à suscipientibus euangelium sustentari debent, & hoc ab ipsis licite quotidie petere possint.* Si ergo quolibet tempore licuisset apostolis & ipsorum successoribus pro futuro quolibet necessaria reseruare, frustra & inconuenienter dedisset eis aliam regulam tempore quietis, & aliam in casu, tẽpore sc. persecutionis. Et hoc est, q in *summæ paupertatis* descriptione iam diximus, perfectis videl. non licere temporalium reseruationem, si fuerint in loco, tempore, ac sui dispositione tali, q quotidianum victum sibi successiue conuenienter quærere possint. Ad aliam instantiam quæ inducebatur ex Glos. super Matt. 7. cum dixit: *Sed nemo debet scandalizari* &c. dicendum, quod necessaria & suis ad instantẽ aut immediate instantem quasi præsentem necessitatem, perfectus licite pcurare potest. Residuum vero si q fuerit ex quæsito pauperibus reseruando, absque tamen omni proposito dominii, & hoc magis expediens ac meritorium est quam illud deperdi sinere, misericordiæ enim opus est hoc & supererogationis. vnde Matth. 5. *Beati misericordes.* Et cum subiungitur in eadem Glossa, quod *Christus habuit loculos, vnde necessaria vsibus præberet,* concedendum vtique, sed talia in loculis reseruari fecit, vt quia loci vel temporis conditio, ac reliquæ adiicientiæ hoc exigebant, vel vt pauperibus occurrentibus inde prouideret. Sicut expresse patet ex Glossa super illud Matth. 18. *Staterem illum assumens* &c. *Tanta enim,* inquit, *paupertatis fuit dominus, vt vnde daret tributa non haberet. Iudas quidem communia in loculis habebat, sed res pauperum in suos vsus conuertere nephas duxit.* Ecce quod res illæ seruatæ pauperum erant, id est, propter pauperes, nec intelligas ex pauperibus solos apostolos, sed alios quoscunque, præcipue fideles, quibus etiam ipse cum apostolis præbebant de reseruatis manducare, sicut apparet *Matthei decimo, Marci sexto & 8. ac Ioan. 6.* Vnde ait Christus: *Date vos illis manducare.* Sic etiam, vt ibidem, quæ superfuerunt, reseruari præcepit, ne deperirent. vnde Ioannis sexto: *Colligite quæ superauerunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo,* (apostoli videlicet) *& impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.*

Ad reliquam vero instantiam ex Glossa super Matth. 7. cum dixit: *Non prohibet prouidentiam & laborem,* ad eam quoque inductam ex Ioannis 14. *Quidam autem putabant* &c. rursum ad eas quæ inducebantur ex *Matth. 14. Marci sexto & octauo, ac Luca nono,* cum dixit Christus ad apostolos: *Quot panes habetis?* &c. dicendum per omnia similiter, quemadmodum ad priorem immediatam instantiam dictum fuit. Ad eas vero instantias quibus deducebatur, perfectum summam paupertatem etiam obseruantem, rerum temporalium habere posse iam dictum dominium in proprio vel cum alio in cõmuni, dicendum consequenter. Ad earum igitur primam, quæ sumpsit exordiũ ex *Luca 22.* cum dicebatur: *Omnis qui emit & vendit, vel emere aut vendere potest aliquid rei alicuius temporalis & eius pretii, habet dominium de necessitate.* Hanc nego, & cum pbatur, quia omnis emens aut vendens transfert rei vel pretii alicuius dominium. Hoc nego ab omnibus viris perfectis, quamuis enim per se rem licite transferant aut cõmutent in pretium aut econuerso, nõ propter hoc transferunt in alios, aut in se suscipiunt dominiũ rei alicuius, nisi forte secundũ accidens trãsferre dicantur, vt quia ipsis rem licite transferẽtibus, domini fiunt in quos trãsfertur, aliũde tñ per se, vt infra patebit, dominium autẽ nullo modo suscipiunt, nec suscipere possunt perfecti manentes.

Sed dicet disputans, qui emit rem à perfecto, vel vendit, suscipit quod transfertur à perfecto, & nihil aliud, similiter autem & imperfectum transfert quod habebat, cum igitur emens suscipiat rei quam emit dominium aut eius quam perfecto vendit, prius habebat & nunc desinat habere dominium, per necessitatem sequitur perfectum rei venditæ per ipsum prius habuisse dominium, aut emptæ iam dominium habere posterius. Primam vero propositionem huius paralogismi concedo, si intelligatur per nihil aliud, id est nullam rem aliam. Et similiter quod perfectus suscipit ab alio rem quam transfert, & habere desinit vendens, sed cum additur. Emens suscipit rei dominium, ergo à perfecto transfertur in ementem, committitur figura dictionis, quoniam suscipere rei dominium aut rem cum dominio, non est suscipere quod, sed quomodo. Vnde similis est paralogismus ei quem format Aristot. in *secundo Elenchorum* iuxta locum sophisticum, qui dicitur *figura dictionis.* Est autem hic: *Quoniam tradidisti mihi solum denarium, solum denarium non habuisti, ergo tradidisti quod non habuisti.* differt tamen hic ab illo, quoniam in præsenti mutatur quid in aliquid, in eo vero quem format Aristot. econuerso. Veruntamen vt amplius satisfiat quæstioni, quoniam quærentis sophisma dissolutum est, & propter minus doctos in arte sophistica. Dico quod dum perfectus rem aliquam vendit, commutando,

rem licite transfert in alterum, quoniam rem sibi iure quæsitam, & contrectari lege concessam, cuius tamen nunquam habuit dominium. Quoniam ex præcedente capitulo monstratum est, quod rei alicuius aut eius vsus vel vtriusque simul, conuenit habere potestatem licitam seu de iure, primo & secundo modo dicto, etiam rei corruptiuam absque dominio, dicto secundum tres sæpe dictas significationes, & ideo licitam potestatem habet rem sibi iure quæsitam commutandi, dum tamen illa in nullius alterius sit dominio. Tu dices, vnde acquirit emens illius dominiū? Dico quod iuris primo modo dicti permissione tam humani quam diuini. Nam quæ in nullius bonis sunt, occupanti & volenti conceduntur quantum ad dominium, quanto ergo magis, quæ sunt in bonis alicuius aliquo modo? vt iure primo & secundo modo dicto, quamuis non domino eo concedente ac consentiente possunt accipienti & volenti acquiri quantum ad dominium iure primo modo dicto, & translatione perfecti, secundum accidens tamen. Sic etiam econuerso dico quod dum perfectus aliquid emit, rei potestatem licitam accipit, non tamen dominium, neque per se, neque secundum accidens, esto quod dominium desinat in vendente, ac in quolibet alio.

Sed dices, ergo licite res venalis aut alia quælibet potest auferri à perfecto, etiam actualiter ipsa indigente, quoniam in nullius bonis est, ex quo in nullius dominio, seu vendicandi potestate, similiter autem pretium aut res empta per ipsum, quod absurdum videtur. Ad hoc dicendum, quod res in nullius bonis existens, occupanti iure conceditur: & cum dicitur rem quam habet seu tenet perfectus, in nullius bonis esse, quoniam in nullius dominio de iure præsertim humano. In hoc committitur paralogismus consequentis, quoniam non sequitur, hoc non est in dominio alicuius de iure, ergo non est in bonis alicuius de iure: potest enim vt diximus, aliquid acquiri alteri iure primo modo dicto, absque omni iam dicto dominio. Quod si tamen humana iura hoc permitterent, videlicet vt res quæ in nullius est dominio iam dicto, in nullius bonis intelligatur, & consequenter quod iure occupanti concedatur: Dico, quod rem quamcunque apud perfectū existentem potest quilibet capax occupare, ac suam facere licite secundum ius humanum primo modo dictum, quod apparet ex liciti diffinitione, quamuis ipsam non consentiente perfecto, præsertim indigente, licite secundum ius diuinum illam nequeat occupare aut suam facere, quinimo peccat sic faciens mortaliter, committens lege diuina prohibitum sub pœna damnationis æternæ. Possunt autem hæc simul cōtingere, vt secundum vnam legem scilicet aliquid liceat quod secundum alteram prohibitum est. Sunt enim fornicationes solutorum humana lege permissæ, propter aliquid maius inconueniens declinandum, quæ tamen lege diuina prohibitæ sunt cum pœna iam dicta. Ad aliam instantiam qua dicebatur: qui habuit licitum vsum alicuius rei à domino eius inseparabilem, per necessitatem habuit rei dominium. Hæc concedenda est si referatur inseparabilitas dominii ab vsu in personam vtentis, quo modo dominium actiue dicitur, vt videlicet quod ad omnem vtentem sequatur dominium. Si vero hæc inseparabilitas referatur ad rem quo modo passiue dicitur, eiusdem rei omnino potest esse vsus & dominium, non tamen propter idem est dominus & vtens. Potest enim aliquis licite vti re non sua consentiente domino rei, vt ex præcedente capitulo palam fuit, & ideo in hoc sensu neganda est. Secundum primum ergo sensum concessa propositione, sicut etiam videtur intendere disputans, ad minorem qua dicitur Christum & apostolos quarundam rerum habuisse vsum licitum, quarum dominium non separabatur ab vsu in vtente scilicet: hanc nego tanquam hæreticam, sumendo dominium secundum tres priores iam dictas significationes. Et cum additur, *aut habuerunt vsum rei suæ de iure, aut non suæ de iure*: dico, quod vtrarumque, vt quandoque suarum de iure, quandoque alienarum consentientibus earum dominis. Et cum dicitur, *si suarum de iure, cum vsu igitur earum habuerunt dominium*: paralogismus consequentis committitur hic, vt pridem diximus. Non enim sequitur, hoc est alicui iure quæsitum vel eius vsus, ergo ipsius est dominium, quamuis bene sequatur, dominium rei, aut dominium vsus eius est alicui iure quæsitum, ergo res vel ipsius vsus sua seu sibi iure quæsita est. Et cum vlterius dicitur, *si re non sua vtitur, aut ergo aliena vel ea quæ in nullius bonis est*. Dico quod vtraq; licite potest vti, aut simul aut successiue. Et cum destruitur vtraque pars consequentis dicendo primo, quod re in nullius bonis existente perfectum vti non posse sine dominio, eo quod prius aut simul cum vsu oportet ipsum rem occupare, & sic ipsius habere dominium. Dico perfectum eiusmodi rem prius occupare, cum vero infertur, ergo eius fit dominus, Paralogismus consequentis est vt prius: posset enim piscem capere perfectus atque comedere, cum expresso tamen prius voto, nunquam prædictum piscem aut rem aliquam temporalem vendicandi contentiose coram iudice coactiuo. Tu dices, occupanti conceditur rei dominium: dico quod verum est volenti, non volenti autem non, quia spernere dominium vnicuique permissum est lege diuina & etiam humana, vt ex *priori capitulo* palam. Deinde ad alteram partem consequentis, videlicet, quod in rem alienam non conueniat vsus perfecto absque rei iam dicto dominio: Quoniam dicet aliquis disputans, aut concedente domino rei seu consentiente vel non; Dicendum, quod consentiente domino, aliter enim illicitus esset vsus, maxime si dissentiret tacite vel expresse: Si vero consentiente domino, dicet disputans, aut ipso concedente dominium ipsi perfecto vel non concedente; Dico quod vtroque modo licite contingere potest, etiam in re vnico vsu consumptibili. Esto quidem igitur vsum concessum alicui perfecto, quem exercet in rem, esse vsum, rem consumentem, si concesso sibi dominio rei cum vsu vtatur, ergo

eum

tum vsu habet perfectus iam dictum dominium: Dico paralogismum consequentis committi vt prius, quoniam non sequitur: hic concedit alicui vsum & dominium alicuius rei, ergo cui conceditur efficitur dominus rei, quia potest vnum acceptare, vt potestatem licitam vsus, & alterum renuere, aut dudum renuisse per votum, puta dominium. Dicet ergo disputans aliquis, cuius est ergo rei dominium? Dico quod domini cuius erat ante concessionem expressam quam fecerat perfecto, non volenti suscipere, vel nullius: & si tali expressa concessione, priuetur dominus de iure humano rei dominio, potest tamen nihilominus perfectus re vti vsu etiam consumente & licite tanquam sibi iure quæsita, quamuis illius dominio in nullius bonis existente. Quod si dicatur dominum rei perfecto alicui concessisse vsum rei suæ etiam consumentem absque dominio: Adhuc dico Christum & apostolos & vnumquemque perfectum in summa paupertate manentem, licite posse in rem illam exercere vsum eam consumentem & destruentem. Et cum dicitur vsum licitum fieri, quia priuat dominum sine facto suo, rei suæ dominio. Hic attendendum, quod dominus rei alicuius vnico consumptibilis vsu, perfecto concedit, vsum & concedere potest licite cum proposito sibi retinendi rei dominium quam diu res extat, sed quam cito desinit siue in fieri, siue in facto esse, non intendit sibi seruare dominium, sed illi renunciat ex nunc prout extunc solum non antea, quod etiam faciunt concedentes eleemosynam perfectis, ne aliqui maligni ab ipsis auferant, eo quod potestate talia repetendi contentiose seu coram iudice coactiuo priuati sunt, quamuis sponte perfecti. Si enim dominus rei semper rei suæ dominium intenderet habere, nunquam concederet aut concedere deberet perfecto vsum destruentem eam nisi esset insanus: Quoniam rei non existentis, nemo dominus esse potest. Similiter etiam perfectus talem vsus concessionem non susciperet, si hanc domini fore nosset intentionem. Et ideo dico, quod rei dominus facto suo priuatur rei dominio in fieri vel facto esse, dum res consumitur aut perfecte consumpta est, quia sic priuari vult & exprimit. Et ideo nullam patitur iniuriam, propter quod etiam vsus perfectorum in res alienas, sic volentibus rerum dominis, nequaquam illicitus est, quinimo sanctus & honestus, & tamen sic eis licite vtuntur absque iam dicto dominio.

Ad sequentem vero instantiam iam perfecte dictum est in solutione primæ instantiæ circa finem. Ad aliam instantiam sumentem originem ex primæ ad Timoth. 3. & ad Titum secundo, quod *oportet episcopum hospitalem esse.* Supponendo semper & vbique episcopum summe pauperem seu perfectum esse debere, si Christi & apostolorum imitator perfectus existat, dico, quod oportet vel necesse est episcopum &c. potest dupliciter intelligi, & secundum mentem Apostoli. Vno modo necessitate simpliciter & absolute. Alio modo ex conditione. Rursum vel quantum ad affectum seu firmum propositum, vel quantum ad affectum & exteriorem effectum. Si ergo intelligatur necessitate absoluta, quod oportet episcopum hospitalem esse secundum affectum, dico verum esse, sicque Apostolum intellexisse. Si vero intelligatur, quod oportet &c. quantum ad exteriorem effectum, dico quod oportet siue debet non absolute, sed ex conditione, vt si habuerit vnde possit hospitalitatem exhibere. Quod si ad hospitalitatem quantum ad exteriorem effectum teneretur episcopus absolute per necessitatem oporteret ipsum habere atque intendere conseruare temporalia, & per consequens sibi vendicare contentiose atque talibus dominari, sed non tenetur ad hoc absolute, sed ex conditione. Nam summus pontificum secundum exteriorem effectum quandoque hospitalitatem non tenuit, cum dixit: *Filius hominis non habet vbi reclinet caput*, & quoniam, vt supra induximus, *Tanta paupertatis fuit dominus, vt vnde daret tributa non haberet.* De quo igitur & in quo tunc seruasset hospitalitatem secundum exteriorem effectum, quamuis secundum interiorem affectum illam semper obseruauerit. Et ideo ad maiorem syllogismi dicendum, quod qui ex conditione debet hospitalitatem exteriorem vel absolute interiorem, non oportet fieri dominum alicuius rei temporalis, prouisorem autem futurorum aut reseruatorem omnem episcopum esse oportet ex conditione si potuerit, non tamen propter se, sed propter pauperes, sicut apparet ex Glossa super illud Iohannis 21. *Pasce oues meas.* Ad aliam cum dicebatur, episcopos sanctos immobilium habuisse dominium, vt ex epistola beati Ambrosii *de tradendis basilicis* supra inductum est, Dico quod sancti episcopi, vt Ambrosius & alii, agros & reliqua quæ dixerunt ecclesiæ, non dixerunt ecclesiæ, quia in dominio vendendi, alienandi, aut vendicandi potestate fuerit episcoporum in proprio vel communi, qui ecclesiæ nomine signantur persæpe, si statum summæ paupertatis obseruauerunt; quod ad præsens supponimus, sed pro tanto dicti sunt *agri ecclesiæ*, quoniam prouentus inde veniens, ad cultum Dei & sustentationem ministrorum euangelicorum atque templorum statutus erat per legislatorem aut alium donatorem, in quorum scilicet statuentium remanebat dominium defendendi & vendendi, à quocunque aliter talia contractare volenti, quemadmodum dictum est circa principium huius. Et hæc erat intentio prædictorum sanctorum, vnde Ambrosius eadem epistola post præinducta verba, sic ait: *Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vendicandorum. Nemo nostrum,* (id est presbyterorum seu episcoporum,) *interuenit, potest pauperibus collatio populi redundare, non faciat de agris inuidiam, tollat eos si libitum est: Imperatori non dono, sed non nego.* Non sic autem dicerent episcopi modernorum, & tamen si sciuisset se peccare mortaliter in non defendendo seu non negando agros: Imperatori certum est quod ipsos sibi negasset, præcipue si ad hospitalitatem exteriorem fuisset simpliciter obligatus, quemadmodum quidam somniasse viden-

videntur, *qui tamen in Israel magistri sunt*, nec talia ignorare deberent, nec fortasse ignorant, sed magis homini quam Deo placere student. Quod autem ostendebatur de Christo in speciali, eo quod secundum leges humanas, qui aliquem redimit à morte, illius dominus efficitur ac suorum temporalium: Christus autẽ omnes homines à morte redemit, Dico ad primam propositionem, quod non est vniuersaliter vera, etiam secundum leges ciuiles, nisi apponatur volens. Esto nanq; iure permissum omni redemptori alterius fieri dominum eius, qui à morte redimitur & suorum temporalium. Dico quod redimens aliquem à morte non necessario fit eius dominus, verbi gratia si non voluerit aut renunciauerit, propter quod etiã esto Christum omnes homines sic à morte redemisse, vt dicunt humanæ leges, & per consequens omnium posse dominum effici. Dico tamen quod Christus perfectus existens, dominus non fuit temporalis, maxime humano seu etiam acquisito dominio, eo quod omni tali dominio Christus renunciauit, tam in personis quam in rebus, vt ex quarto huius, & etiam immediate præcedenti capitulo satis apparet. Vel dicendum, quod Christus pro eo statu omnium dominus efficitur, pro quo nos à morte redemit: hoc autem est pro statu alterius seculi & non præsentis, non enim redemit nos à morte huius seculi, de qua etiam leges humanæ loquuntur. Et ideo pro statu seculi huius ex sua redemptione non acquisiuit dominium hominum, nec suorum temporalium. Quo enim modo dixisset verum Christus, dum dixit de seipso Matth. 8. & Lucæ nono: *Filius autem hominis non habet vbi reclinet caput*, si dominus erat omnium humanorum temporalium? Et ideo vel nunquã acquisiuit tale dominium, vt in secunda solutione dicitur, vel si acquirere potuisset, noluit & renunciauit, quemadmodum facere posset etiam quilibet alter perfectus. Aut apertum dixisset mendacium, quod nephas est credere. Ad vltimam instantiam, ex Apoc. 19. vbi accipiebatur de Christo, quod *habebat scriptum in vestimento, Rex regum* &c. & hoc *in vestimento humanitatis*, secundũ Gloss. Dico quod *scriptũ* habuit hoc Christus *in vestimento humanitatis*, quia verbum Dei iunctum fuit cum pelle humana, ratione cuius illud dominium sibi debebatur sicut verbum scriptum est cum pelle ouina similitudinarie, ratione cuius pellis aliquid habet venerandum, vt disciplinam signare, aut aliam veritatem quamcunque. Vel dicendum quod de tali dominio, scilicet temporali, non sensit ibi beatus Ioannes, imo de dominio regni æterni, vel quantum ad regnum æternum. Vnde Glossa subdit, *Rex regum, id est super omnes sanctos*. Non igitur erret, nec secum alios errare faciat Rom. Papa vel alter episcopus, quoniam si temporalia possidere quærit hisque dominari, hoc licite fortasse potest, etiam in statu salutis existens, non tamen summæ paupertatis seu perfectionis, instar Christi & apostolorum statum obseruans. Quid quidem igitur sit paupertas meritoria, quisve summus eius modus seu perfectissima species, & quod hunc Christus, ipsumque imitantes apostoli seruauerint in via, ex dictis sufficienter determinasse putamus.

CAP. XV.

De sacerdotalis officii, per essentialem & accidentalem, separabilem & inseparabilem autoritatem diuisione, & quod in essentiali dignitate quicunq; presbyter episcopo non sit inferior, sed in accidentali tantummodo.

Est autem his habita quæstio difficilis, & ad considerandum necessaria valde. Dictum est enim nobis 15. *prima*, & æqualiter rememoratum *octauo huius in fine*, legislatorem humanum ipsum secundum se aut per partem principantem, causam agentem esse institutionis omnium officiorum seu partium ciuitatis, cum his quoque meminimus nos dixisse in vltimo primæ, Sacerdotium seu sacerdotale officium nouæ legis à solo Christo primum institutum fuisse, quem tamen omnem seculi principatum, omneque temporalium dominium abdicasse monstrauimus *quarto & 11. 13. & 14. huius*, & neque humanum legislatorem fuisse *duodecimo & 13. primæ*: qua propter non eundem esse cuiuslibet officii ciuitatis institutorem, & humanum legislatorem aut principem, dixisse videmur, vnde merito dubitabit aliquis ex his, cuius quidem sit autoritas instituendi sacerdotium, & in communitatibus fidelium maxime, quoniam inuicem iam dicta de hoc repugnare videntur. Hanc itaq; dictorum apparentem contrarietatem amouere tentantes, rememorabimus primum eorum quæ diximus sexto & septimo primæ, videlicet alteras esse causas cuiuslibet officiorum ciuitatis, secundum quod officia nominant habitus animæ, alterasq; ipsorum secundum quod partes sunt ciuitatis institutæ propter sufficientias habendas ex his, quod etiam proportionaliter oportet attendere in sacerdotio, quemadmodum in reliquis officiis ciuitatis. Nam sacerdotii secundum quod animæ nominat habitum quendam, quem *characterem* vocant sacræ scripturæ doctores causa efficiens per se immediata seu per se factor est Deus, hunc imprimens in animam, humano tamen quodam præuio ministerio, quasi præparante. Cuius exordium in noua lege fuit à Christo; ipse enim qui verus Deus & verus homo fuit inquantum humanus sacerdos ministerium exhibuit, quod subsequentes nunc exhibent sacerdotes; Inquantum vero Deus characterem impressit in animas eorum, quos sacerdotes instituit, quo modo primum sanctos apostolos instituit tanquã successores suos immediatos, sicq; cõsequenter reliquos

sacer-

sacerdotes omnes, per ministerium tamen apostolorum, & reliquorum sibi succedentium in hoc officio. Nam apostolis aut reliquis sacerdotibus manum aliis imponentibus, & debita verba seu orationes ad hæc proferentibus, Christus in quantum Deus hunc habitum seu characterem sacerdotalem digne suscipere volentibus, imprimit. Et similiter opinandum est in reliquorum ordinum collatione, ex quibus character aliquis imprimitur in animam suscipientis. Hic siquidem *character sacerdotalis* sit vnus aut plures, potestas est, per quam sacerdos consecrare potest ex pane & vino, corpus & sanguinem Christi benedictum cum certa verborum pronunciatione ac reliqua ecclesiastica sacramenta ministrare, per quem etiam soluere potest & ligare homines à peccatis.

Hunc autem characterem seu potestatem susceperunt apostoli secundum quorundam sententiam, cum dixit eis Christus, quod scriptum est *Matth. 26. Marci 14. & Luc. 22.* Quod quia series huius perfectius apparet in Luca, ipsam adducamus ibidem, vt habetur sic, *Accepto pane. gratias egit & fregit*, (Christus scilicet, *) & dedit eis*, (apostolis videlicet,) *dicens*, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. hoc facite*, id est, hoc faciendi potestatem habete. Quibusdam vero visum est, hanc autoritatem apostolis fuisse datam, per id quod scriptum est *Ioannis* 20. dum dixit Christus ad eos. *Accipite spiritum sanctum: & quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Alii autem dicunt hoc factum fuisse per id quod habetur *Matth.* 16. dum dixit Christus ad eos in persona Petri: *Tibi dabo claues regni cælorum* &c. Vel per id quod dictum est eis à Christo, eiusdem 18. *Amen dico vobis: quacunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, soluta erunt & in cælo.* Alii vero rursum dicunt, duas esse potestates seu autoritates sacerdotales prædictas: Vnam quidem, qua sacramentum eucharistiæ conficere possunt: Reliqua vero, qua ligare vel absoluere possunt homines à peccatis. Quas siquidem etiam diuersis temporibus & Christi sermonibus dicunt apostolis fuisse collatas. Quod tamen horum probabilius existat, non refert ad præsentem intentionem. Nam qualitercunque aut quandocunque huius officii facta fuerit institutio in apostolos, constat, ipsis per Christum hanc potestatem fuisse traditam: sic quoque ipsorum ministerio iam dicto, & suorum successorum conferri cæteris, qui ad hoc officium assumuntur. Vnde primæ ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, per impositionem manuum presbyteri.* Eodemque modo, suum quendam characterem recipiunt diaconi per impositionem manuum presbyteri. De quibus Actuum sexto: *Hos*, (scilicet diaconos futuros,) *statuerunt ante conspectum apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Hunc siquidem sacerdotalem characterem siue vnum siue plures, quem diximus potestatem conficiendi sacramentum eucharistiæ seu corporis & sanguinis Christi, ac potestatem soluendi atque ligandi homines à peccatis, & quem etiam deinceps appellabimus *auctoritatem essentialem* seu *inseparabilem* presbytero, inquantum presbyter est: probabiliter mihi videtur, quod omnes sacerdotes habent eundem specie, nec ampliorem habet hunc Romanus episcopus, aut alter aliquis quam simplex dictus sacerdos quicunque. Nam in hac autoritate siue vna siue plures extent, *episcopus à sacerdote non differt*, teste Hieronymo, imo verius Apostolo, cuius etiam est aperta sententia, vt infra patebit. Inquit enim Hieronym. super illud Matth. 16. *Et quodcunque ligaueris super terram* &c. *Habent quidem eandem iudiciariam potestatem alii apostoli*, (supple, quam habuit Petrus,) *quibus post resurrectionem ait*, (Christus scilicet,) *Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. *Habet omnis ecclesia, presbyteris & episcopis*; præponens in hoc presbyteros, quoniam autoritas hæc debetur presbytero inquantum presbyter primo & secundum quod ipsum. De potestate vero sacramenti eucharistiæ nemo contendit quin æqualis sit in quouis sacerdote illi, quæ Romani pontificis. Ideoque mirandum est, cur contendant aliqui pertinaciter asserentes, minus tamen rationabiliter, Romanum pontificem reliquis sacerdotibus ampliorem clauium à Christo potestatem habere, cum id ex scriptura conuinci nequeat, sed oppositum magis. Propter quæ etiam euidentius intuenda, debet vos non latere, quod hæc nomina *presbyter* & *episcopus* in primitiua ecclesia fuerunt synonyma, quamuis à diuersis proprietatibus eidem imposita fuerint. Nam *presbyter* ab ætate nomen impositum est, quasi senior; *episcopus* vero à dignitate seu cura super alios, quasi superintendens. Vnde Hieronymus in epistola quadam ad Euandrum presbyterum, quæ intitulari solet, *qualiter presbyter & diaconus differant*, inquit sic: *Presbyter & episcopus aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen. Vnde & ad Titum & ad Timotheum de ordinatione episcopi & diaconi dicitur, de presbyteris omnino recitetur, quia in episcopo presbyter continetur.* Hoc etiam manifeste apparet per apostolum ad Philippenses primo, cum dixit: *Omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconibus.* Ecce quod sacerdotes non aliter nominauit quam episcopos. Certum enim est, quod episcopi plures in vnica ciuitate non aliter erant, nisi quia plures sacerdotes. Idem rursum palam per eundem ad Titum primo, cum dixit: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego tibi disposui, si quis sine crimine est.* Et immediate subiungens constituendorum presbyterorum qualitatem ait: *Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.* Ecce quod constituendum presbyterum non nisi episcopum vocauit. Idem Actuum 20. loquens ad vnius ecclesiæ sacerdotes, Ephesi videlicet, inquit: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Ecce quod in ecclesia vnius municipii, vide-

videlicet Ephesi, plures allocutus est apostolus tanquam episcopos, quod non fuit nisi propter sacerdotum pluralitatem, qui omnes *episcopi* dicebantur, propter hoc quod superintendentes esse debebant populo, quamuis hoc nomen in posteriori ecclesia sibi solum retinuerit qui primus sacerdotum eiusdem ciuitatis aut loci, per reliquos sacerdotes & populum instituebatur. Vocabat autem Apostolus eos magis episcopos quam presbyteros, vt ad eorum memorias reduceret, curam & solicitudinem quam habere debent reliquorum fidelium. Seipsum presbyterum vocabat, non episcopum propter humilitatem, vt apparet ex præinducta serie primæ ad Timotheum quarto, cum dixit: *Noli negligere gratiam* &c. Sic etiam Petrus atque Iohannes se vocarunt *seniores*, id est presbyteros, quoniam nomen hoc ab ætate impositum fuit. Vnde primæ Petri quinto: *Seniores ergo qui in vobis sunt obsecro consenior, & testis Christi passionum.* Et 2. Iohannis primo: *Senior electæ dominæ & natis eius.* Et rursum eiusdem 3. primo: *Senior Caio charissimo.* Verum vbi communis litera canonis habet *senior* aut *consenior*, beatus Hieronymus in epistola prædicta vbique habet *presbyter* aut *conpresbyter*, quoniam his nominibus tanquam synonymis vtebantur apostoli. Post hæc autem apostolorum tempora numero sacerdotum notabiliter aucto, ad scandalum & schisma euitandum elegerunt sacerdotes vnum ex ipsis, qui alios dirigeret & ordinaret quantum ad ecclesiasticum officium & seruitium exercendum, & oblata distribuendum, ac reliqua disponendum conuenientiori modo, ne istud quolibet pro libito faciente iconomia & seruitium templorum turbaretur, propter affectionum diuersitates. Hic siquidem electus ad alios sacerdotes regulandos, ex posteriorum consuetudine retinuit sibi soli nomen *episcopi* quasi superintendentis, eo quod non solum fideli populo superintendens erat, propter quod omnes sacerdotes in ecclesia primitiua dicebantur episcopi, verum etiam quia superintendebat reliquis cum presbyteris suis, propter quod talis Antiochiæ sibi soli nomen *episcopi* retinuit, cæteris sibi postmodum simplex nomen retinentibus *sacerdotis*. Verum iam dicta electio seu institutio per hominem, sic electio nihil amplioris meriti essentialis seu sacerdotalis autoritatis, aut prius dictæ potestatis tribuit, sed solum ordinationis iconomicæ in domo Dei seu templo potestatem quandam, alios sacerdotes, diaconos, & officiales reliquos ordinandi & regulandi quomodo Priori datur potestas in monachos temporibus his, potestas inquam non coactiua cuiusquam, nisi quantum de hoc sic electo concessum fuerit per legislatorem humanum, vt *quarto huius & octauo* demonstratum est, & in *sequenti capitulo* amplius apparebit, neque aliqua intrinseca dignitas alia siue potestas. Hoc etiam modo militantes in bellicis sibi eligunt capitaneum quem præceptorem seu imperatorem antiquitus solebant dicere, quamuis nomen hoc, Imperator scilicet, ad regalis monarchiæ modum quendam aut speciem, aliarum quasi supremam translatum fuerit, & taliter his temporibus vsitentur. Sic quoque diaconi ex ipsis *archidiaconum* eligunt, cui meritum essentiale seu sacrum ordinem diaconatu ampliorem talis electio minime tribuit, sed solum qualem quandam, vt diximus, humanam potestatem ordinandi seu regulandi diaconos reliquos. Vnde non plus sacerdotalis autoritatis essentialis habet Roman. episcopus quam alter sacerdos quilibet, sicut neque beatus Petrus amplius ex hac habuit cæteris apostolis. Omnes enim hanc eandem autoritatem à Christo susceperunt æqualiter & immediate, vt dictum est prius autoritate Hieronymi super illud Matth. 16. *Et tibi dabo claues regni cælorum*, & amplius declarabitur *capitulo consequenti.* Fuit autem hæc aperte sententia beati Hieronymi *epistola supradicta*, in qua postquam ex multis apostolorum prædictorum autoritatibus demonstrauerat eundem esse penitus in essentiali dignitate à Christo data presbyterum & episcopum in ecclesia primitiua seu apostolorum tempore, reddens caussam dictorum, inquit: *Quod autem vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens, Christi ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco euangelista vsque ad Hereidam & Dionysium episcopos presbyteri semper vnum de se electum in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant, quomodo, si exercitus Imperatorem faciat*, (id est præceptorem seu capitaneum secundum modernum vsum, non quidem secundum quod Imperator modum monarchæ dicit vsu moderno:) *aut eligant diaconi de se quem industrium nouerint & archidiaconum vocent. quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faceret?* quantum scilicet ad actus essentialis autoritatis: Non enim intellexit ibi Hieronymus per *ordinationem* potestatem conferendi, seu collationem sacrorum ordinum, quoniam præter hanc multa faciunt, & faciebant etiam suis temporibus episcopi, quæ non faciunt sacerdotes, quamquam ad omnia sacramenta conferenda diuina potestate sic possit sacerdos quilibet sicut episcopus. Sed intellexit ibi per ordinationem potestatem iconomicam, de qua diximus prius, ab homine vel hominibus sibi datam *immediate*, quod etiam confirmo ratione cum eiusdem Hieronym. autoritate: Ratione quidem, quoniam iam multi fuerunt electi episcopi à tota plebe, sicut beatus Clemens, beatus Gregorius, beatus Nicolaus, & reliqui multi sanctorum, quibus constat per plebem aut etiam sibi compresbyteros maiorem sacrum ordinem non fuisse collatum, aut intrinsecum characterem aliquem: sed solam potestatem ordinandi ecclesiæ ritum, atque personas regulandi, quantum ad exercitium diuini cultus in templo seu domo Dei: propter quod etiam tales electi ad alios sacerdotes dirigendum in templo, & populum instruendum in his quæ sunt fidei vocati episcopi, ab antiquis legumlatoribus, vt à Iustiniano & Romano populo, tunc vocabantur *iconomi reuerendi*, quorum etiam supremus vocatus est *iconomus reuerendissimus* ab eisdem. Et ideo secundum veritatem & intentionem Hieronymi non aliud

est

est *Episcopus* quam *archipresbyter*. Quod autem non altera sit essentialis dignitas Episcopi quam Sacerdotis, neque inuicem episcoporum seu sacerdotum amplior, expressit etiam Hieronymus epistola prædicta, cum dixit: *Nec altera Romana vrbis Ecclesia, & altera totius orbis existimanda est, & Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes vnũ Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis. Si autoritas quæritur, orbis maior est vrbe. Vbicunque fuerit Episcopus siue Romæ, siue Eugobii, siue Constantinopolis, siue Regii, siue Alexandriæ, siue Tanis: eiusdem sunt meriti, eiusdem sunt sacerdotii. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas vel sublimiorem vel inferiorem episcopum facit, cæterum omnes Apostolorum successores sunt.* Alia vero quædam aut aliæ sunt sacerdotalium officiorum institutiones non essentiales, qualem quandam iam dictam electionem diximus, qua vnus ex ipsis ad aliorum ordinationem seu gubernationem assumitur, quantum ad ea quæ diuino cultui attinent, quales etiam sunt ipsorum quorundam electiones & institutiones ad docendum & instruendum, ac nouæ legis sacramenta ministrandum certo populo & in determinato loco maiori aut minori, similiter quoque ad dispensandum tam sibi, quam reliquis pauperibus temporalia quædam, per legislatorem aut singulares personas statuta & ordinata pro sustentatione pauperum euangelizantium in certa prouincia vel communitate, nec non propter aliorum etiam pauperum sibi sufficere impotentium, propter ætatem aut infirmitatem vel alteram miserabilem causam, sustentationem, ex eo tamen quod superest euangelizantium sufficientiæ; quæ siquidem temporalia sic statuta vocantur ex vsu moderno *ecclesiastica beneficia*, de quibus habitum est decimo quarto huius. Hæc enim templorum ministris dispensanda committuntur in vsus prædictos, ministris inquam ad hæc statutis, electis, & ordinatis in certa prouincia, per eam enim autoritatem essentialem, qua successores sunt Apostolorum, non magis determinantur ad vnum locum aut populum instruendum, & sacramenta nouæ legis ministrandum quam ad reliquum, quemadmodum nec Apostoli omnino fuerunt determinati, quibus dictum fuit Matthæi vltimo; *Euntes ergo docete omnes gentes.* Non determinat eos Christus ad loca, sed ipsi postmodum iter se sibi condiuiserunt populos & prouincias, in quibus verbum Dei seu legem Euangelicam annunciarent, quandoque vero reuelatione diuina id etiam perceperunt. Vnde etiam ad Galatas secundo: *Dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis,* (Iacobus videlicet, Cephas, atque Ioannes,) *vt nos in gentes, ipsi autem in circuncisionem.* Sic igitur ex prædictis apparet, à quo tanquam efficiente fit institutio sacerdotii & aliorum ordinum, quos sacros appellant, quoniam à Deo seu Christo immediate, quamuis præuio quasi præparante quodam humano ministerio, vt manuum impositione atque verborum pronunciatione, quæ ad hoc fortasse nihil efficiunt, sed sic præmittuntur ex quodam pacto seu ordinatione diuina. Apparet etiam ex iam dictis, quod alia est quædam humana institutio, qua sacerdotum vnus aliis præfertur, qua etiam sacerdotes ad certas prouincias & populos erudiendos & instruendos in lege diuina, & ministrandis sacramentis, ac dispensandis temporalibus, quæ beneficia ecclesiastica diximus, statuuntur.

Apparuit rursum ex his, quoniam in autoritate prima, quam ex principio essentialem diximus, omnes Sacerdotes æquales sunt merito atque sacerdotio, quemadmodum Hieronymus dixit in *epistola prædicta*, causam assignans, quoniam omnes Episcopi Apostolorum successores sunt. In quo innuere videtur, omnes Apostolos æqualis autoritatis fuisse: sicque consequenter, neminem ipsorum singulariter in alterum aut supra reliquum vel reliquos autoritatem habuisse, nec quantum ad essentialem institutionem, quam primam diximus, nec quantum ad secundarias institutiones.

Vnde etiam similiter opinandum videtur de ipsorum successoribus inuicem, ad quos siquidem & in quos, vnde perueniant institutiones huiusmodi, quas secundarias & autoritate humana factas iam diximus; quæue rationabiliter sit earum effectiua causa, determinandum vtique restat.

CAP. XVI.

De Apostolorum æqualitate in officio siue dignitate quacunque, per Christum illis immediate collata, vnde probatur quod de successorum omnium æqualitate dictum est capitulo præcedente, & qualiter Episcopi omnes indifferenter successores sint Apostoli cuiuscunque.

A Prioribus itaque inchoantes, in hoc ostendemus primum Apostolorum neminem ad alios habuisse præeminentiam in essentiali dignitate sacerdotali scilicet sibi datam à CHRISTO; deinde vero quod in nulla institutione alia, quam *secundariam* diximus, & eo minus in iurisdictione aliqua coactiua, quamuis hoc proximum sufficienter demonstratum fuerit *quarto huius & quinto*. Ex quibus etiam per necessitatem deducemus, Episcoporum sibi successorum, neminem singulariter autoritatem seu potestatem aliquam iam dictarum in reliquos sibi coëpiscopos seu compresbyteros habere, nec oppositum huius virtute verborum scripturæ, sed magis propositum posse conuinci. Demum vero ex hoc quod & præcedenti capitulo finaliter intendimus, deducemus per necessitatem ad humanum legislatorem fidelem pertinere has institutiones, quas secundarias sæpe vocauimus, tanquam ad causam per se factiuam illarum, sicuti & aliarum partium ciuitatis. Primum quidem igitur propositorum conuincitur, ex *Luca* 22. Nam tribuens Christus Apo-

stolis potestatem ad eucharistiæ sacramentum, inquit ad eos: *Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem*, id est, hoc faciendi potestatem habete, proferendo tamen verba consimilia, quando actum hunc exercere debetis, videlicet: *Hoc est enim corpus meum*. Nec dixit hæc verba plus ad beatum Petrum quam ad alios. Non enim dixit Christus, fac & aliis apostolis sic faciendi potestatem tribuas; sed dixit, *facite*, in plurali & omnibus indifferenter. Idem quoque per omnia sentiendum de clauium potestate, siue his eisdem verbis tradita fuerit apostolis siue aliis, aut alio tempore, vt his quæ habentur *Ioannis vigesimo*. Postquam enim Christus dixit Apostolis; *Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos. Insufflauit & dixit eis, Accipite spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Dixit ergo Christus, *Mitto vos, sicut pater me misit*, nec dixit Petro aut alteri Apostolo singulariter, Mitto te sicut pater, &c. & tu alios mitte. Nec rursum dicitur, Christus insufflauit ei, sed dixit *eis*, non vni per alterum. Nec dixit Christus ad Petrum, accipe spiritum Sanctum & aliis postmodum tribue, sed dixit, *accipite*, in plurali & indifferenter omnibus loquens. Et hoc est etiam quod habetur Matthæi vltimo, dum dixit Christus ad eos: *Euntes ergo docete omnes gentes*; & dixit *euntes* pluraliter & indifferenter, non dicens Petro, vade ergo & alios mitte. Quod amplius exprimens Apostolus ad hanc quæstionem diffiniendam, vt videlicet nemo crederet aliquem Apostolorum hanc habuisse prærogatiuam seu autoritatem super alios, eam expresse remouens à Petro, de quo fortasse videbatur hoc magis, propter aliqua sibi à Christo singulariter dicta, & quia senior cæteris erat, secundo ad Galatas inquit sic: *Mihi n. qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, sed econtra, cum vidissent quod creditum est mihi euangelium præputii sicut Petro circuncisionis. Qui n. operatus est Petro in apostolatum circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis, &c.* Qui ergo fuit operatus Petro in apostolatum, operatus fuit & Paulo, hic autem fuit Christus, ergo huiusmodi officium non suscepit à Petro, & similiter nec apostoli reliqui. Vbi etiam Glossa secundum Aug. hoc amplius exprimens, inquit: *Illi qui videbantur esse aliquid, scil. Petrus & alii qui fuerunt cum domino, nihil contulerunt, id est, addiderunt mihi, in quo patet, quod non illis inferior sum, qui à domino, à Deo perfectus sum, vt nihil esset quod in collatione meæ perfectioni adderent*. Ecce quod Paulus non fuit inferior Petro nec aliis. Consequenter ad hanc intentionem subiungit Glossa: *Cũ vidissent, quod euangeliũ præputii creditum est mihi vt fideli, ita principaliter, sicut & Petro euangeliũ circũcisionis*. Ecce q̃ æque principaliter missus fuit Paulus quemadmodũ & Petrus, & non à Petro aut apostolorum aliquo, sed à Christo immediate, quod amplius exprimens Apostolus *eadem primo*, sic ait: *Paulus Apostolus non ab hominib. neq; per hominẽ, sed per Iesum Christũ & Deum patrem*. vbi Glossa secundum Ambr. *Paulus apostolus non electus vel missus ab hominib scil. ab Anania, vt quidã dicebant, vel ab aliis, vt quidã ab apostolis electi & missi fuerunt*. Deinde parum infra subdit secundum Augūst. *Ceteri n. apostoli videbantur esse maiores, quia priores, iste minimus, quia nouissimus. Sed inde apparet dignior, quia priores constituti sunt per Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem. Nouissimus vero Paulus per Christum iam totum Deum, id est, ex omni parte immortalem, & Deum patrem qui hoc fecit per filium, atq; vt aperiret, cur dixerit neq; per hominem, subdit, qui suscitauit eum à mortuis. Et ita dignius constituit me per immortalem Christũ, quam alios per mortalem*. Rursum confirmans hoc apostolus infra eodem ait: *Notum n. vobis facio euangeliũ fratres quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominẽ, neq; n. ego ab homine accepi illud neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi*. Vbi Glossa secundum Augustin. *Notum n. vobis facio euangeliũ, fratres quod euangelizatum est à me, quia non est secundũ hominẽ docentẽ me, & vere non est ab homine. Neq; n. accepi illud neq; didici ab homine, vt homo me eligeret ad euangelizandum, vel mihi iniungeret, neq; didici ab homine docẽte me, sed per reuelationẽ Iesu Christi*. Ecce q̃ neq; Petrus neq; alius apostolorum aut homo quisqua n elegit, misit, aut iniunxit Paulo ministerium euangelii. Idem quoq; iudicandũ est de apostolis reliquis. Nullã ergo potestatem, eoq; minus coactiuã iurisdictionem habuit Petrus à Deo immediate sup apostolos reliquos, neq; instituendi eos in officio sacerdotali, neq; segregandi eos seu mittendi ad officium p̃dicationis, nisi q̃ hoc sane concedi potest, ipsum fuisse priorem aliis ætate vel officio fortasse secundum tempus, aut apostolorum electione qui eum propterea reuerebantur merito, quamuis hanc electionem ex scriptura nemo conuincere possit. Signum autem verum esse quod diximus, est, quoniam beatus Petrus nullam sibi assumpsisse singulariter autoritatem supra reliquos apostolos, inuenimus ex scriptura, sed magis cum ipsis æqualitatem seruasse. Non n. sibi assumpsit autoritatem determinandi, quæ dubia erant circa euangelii prædicationem, quod pertinet ad doctrin. Sed quæ dubia fuerunt in hoc, ex communi deliberatione apostolorum & aliorũ fidelium magis doctorum determinabantur, non Petri aut alterius apostoli seorsum determinatione. Vnde *Actuum decimo quinto*, dissentione orta inter prædicatores euangelii, an oporteret circuncidere incircuncisos fideles ad salutem æternam consequendam; Quibusdam dicentibus oportere, Paulo vero & Barnaba reclamantibus contra hoc, conuenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc, super quo locuti sunt Petrus & Iacobus non oportere, quorum sententiæ seniores & reliqui consenserunt Apostoli, vnde subditur infra: *Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni Ecclesia eligere viros & mittere Antiochiam, &c. scribentes per manus eorum*. Et fuit modus scribendi modo deliberandi conformis & talis: *Apostoli & seniores fratres his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus, salutem, &c.* Simile etiam habetur infra eodem continuata sententia, cum dicitur: *Placuit ergo nobis collectis in vnum eligere viros & mittere ad vos*. Rursum idem eodem infra parum: *Visum est enim Spiritui Sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris*. Non ergo determinauit Petrus supra-

supradicta dubia circa fidem *de plenitudine potestatis*, quam quidam somniantes magistri in Israël habere dicunt Romanum Episcopum, qui pronunciauerunt in non scriptis dogmatibus, ipsum per se solum, quod non ausit Petrus, ea quæ circa fidem dubia sunt, determinare posse, quod falsum apertum est, & scripturæ dissonans palam, de quo etiam *sequenti capitulo & huius vigesimo* diffuse dicemus. Deliberauit ergo, dubium determinauit, elegit, & scripsit fidelium doctorum congregatio. Et hac autoritate validum fuit sic determinatum atque mandatum. Congregatio enim Apostolorum amplioris fuit autoritatis, quam solus Petrus, aut alter Apostolus. Vnde ab ipsa Petrum legimus missum in Samariam, vt apparet Actuum octauo: *Cum autem audiuissent Apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem.* Cur ergo & vnde assumunt adulatores sacrilegi quidam, dicere quenquam Episcopum habere à CHRISTO plenitudinem potestatis, etiam in clericos, nedum in laicos, cum Beatus Petrus aut alter Apostolus nunquam talem sibi potestatem ascribere præsumpserit opere vel sermone? Hoc enim asserentes deridendi sunt, nihil credendi, minusque timendi, cum scripturæ oppositum clament in literali & manifesto sensu ipsarum. Nam Beatus Petrus nunquam super Apostolos aut alios talem habuit potestatem, sed cum ipsis potius, vt iam diximus, æqualitatem iuxta Christi præceptum seruauit. Vnde Matthæi vigesimo tertio: *Nolite vocari rabbi. Vnus est enim magister vester Christus: Omnes autem vos fratres estis*, id est æquales. Et dixit *omnes*, excipiendo neminem. Confirmatur autem sententia hæc per Apostolum ad Galatas secundo, vbi sic ait: *Ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus*, vbi Glossa secundum Augustinum: *Et non didici ab illis tanquam maioribus*, (à Petro scilicet, nec ab aliis principalioribus Apostolorum, de quibus infra dicetur) *sed contuli cum eis tanquam amicis & paribus.* Idem rursum infra eodem, cum dixit Apostolus; *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat, &c.* vbi Glossa secundum Hieronym. *Ipsi nihil mihi contulerunt, sed ego contuli Petro.* Et subiungitur consequenter: *Ego restiti ei, tanquam par. Hoc enim non auderet facere nisi sciret se non imparem fore.* Ecce ergo quod Paulus fuit par officio & dignitate, Petro non inferior, licet Petrus fuerit ætate senior & tempore prior pastor.

Similiter apparet, Beatum Petrum aut alium Apostolorum neminem super reliquos habuisse præeminentiam seu potestatem in distribuendis temporalibus oblatis ecclesiæ primitiuæ, vnde Actuum 4. *Quotquot enim possessores agrorum & domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, & ponebant ante pedes Apostolorum, diuidebantur autem singulis, prout cuique opus erat.* Ecce quod dispositio temporalium oblatorum ecclesiæ fiebat per Apostolos communiter non à solo Petro. Non enim dicitur, *ponebant ante pedes* Petri, sed *Apostolorum*. Nec dicitur, diuisit autem Petrus, sed *diuidebantur*.

Dic igitur mihi, vnde Romano Episcopo venit autoritas talia pro voto distribuendi, vel legata in hominum testamentis ad pias causas, aliis tamen commissa conseruari aut distribui, tanquam sibi soli debita repetendi, cum nec sibi soli aut cum alio liceat diuino aut humano iure talia petere, quæ aliorum fidei custodiæ per leges rationabiles commissa sunt, vt testantium aut sic ordinantium voluntate? *Dicat enim testator*, de suo scilicet, *& lex erit*, sicut in aliis scriptum est. Non enim potest ratio sumi ex scriptura sacra, fidem faciens, hanc potestatem Romani aut cuiusquam alterius Episcopi fore, sed oppositi magis. Quod si hæc legata commissa fuerint ecclesiæ distribuenda determinatæ diocesis, ad eos pertinebit Episcopos, qui sic determinatæ diœcesi præsunt, ad Romanum vero nequaquam. Huius autem causa est, quoniam Romanus Episcopus supra reliquos sibi coepiscopos aut compresbyteros nullam habet à Christo, nec habuit potestatem aut autoritatem, quod erat vnum propositorum ex *principio capituli huius.* Nam sicut Petrus hanc non habuit supra reliquos Apostolos, ita nec Petri successores in episcopali sede Romana supra successores reliquorum Apostolorum. Non enim habuit Petrus potestatem, sacerdotium, apostolatum, aut episcopatum illis conferendi, quoniam omnes à Christo potestatem seu autoritatem hanc immediate non per Petri ministerium plusquam econuerso sumpserunt, quemadmodum ex scriptura patenter probauimus supra. Quod etiam expresse dicit August. *de quæstionibus noui & veteris Testamenti.* q. 84. vbi sic ait: *Eodem die*, (id est penthecosten,) *lex lata est, quo & spiritus Sanctus decidit in discipulos, vt autoritatem caperent, ac scirent euangelicum ius prædicare.*

Amplius sicut Petrus Antiochiæ legitur electus in Episcopum per fidelium multitudinem, aliorum Apostolorum confirmatione non indigens: sic & Apostolorum reliqui præfuerunt in aliis prouinciis absq; Petri scientia, institutione, vel consecratione aliqua, fuerant enim per Christum consecrati sufficienter, propter quod similiter opinandum horum Apostolorum successores non indiguisse aliqua confirmatione successorum Petri, quinimo multi successores aliorum Apostolorum fuerunt electi & instituti Episcopi rite, ipsorumq; prouincias sancte rexerunt absq; alia institutione vel confirmatione de ipsis facta per successores Petri. Et extitit hoc sic legitime obseruatū vsq; quasi ad tempora Constantini Imperatoris, qui quandam præeminentiam & potestatem tribuit Episcopis & Ecclesiæ Romanorum super cæteras mundi ecclesias seu presbyteros omnes. Hanc siquidem Petri & Apostolorum æqualitatem significauit Apostolus ad Galat. 2. cum dixit: *Dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, Iacobus, Petrus, atq; Ioannes, vt nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem. Dexteras societatis* ergo *& æqualitatis*, vt ex Glossa secundum Aug. satis ostensum est supra, quamuis in hoc dictum Apostoli sic sit apertum, vt Glossa non egeat, quod etiam supra induximus

mus ex epistola Hieronymi *ad Euandrum*, dicentis omnes Episcopos siue Romæ siue alibi, eiusdem sacerdotii atque meriti seu potestatis à Christo collatæ.

Quod si tamen beatus Petrus à quibusdam sanctorum *princeps Apostolorum* scribatur, dictum est large, ac improprie sumendo vocabulum *principis*, etiam si sic aperte contra Christi sententiam & oraculum, vbi Matth. 20. & Lucæ 22. inquit: *Principes gentium dominantur eorum, vos autem non sic:* Ideoque dicendum sic sanctos locutos fuisse, non propter potestatem aliquam à Christo super Apostolos sibi datam: sed fortasse quia ætate senior, aut quia Christum prius confessus est, fuisse verum Dei consubstantialem filium, vel quia fortasse fuit in fide feruentior atq; constantior, aut quia cum Christo conuersatus & frequentius vocatus in consiliis & secretis. Vnde Apostolus ad Galat. 2. *Iacobus & Cephas*, (id est Petrus) *& Ioannes, qui videbantur columnæ esse.* vbi Glossa secundum Ambrosium, *Quia honoratiores erant in Apostolis, quia semper in secretis cum domino fuerunt.* Cuius rei exemplum conueniens sumi potest ex principantibus seculi, qui nec præsunt sibi inuicem aliqua potestate, vt Comites eiusdem regni, quorum vnus alteri non subest iurisdictione vel autoritate, sed omnes immediate regi. Cum tamen quandoq; inter alios vnus aut plures cæteris honoratiores habeantur, vt quia seniores aut aliqua vel aliquibus virtutibus excellentiores, vel magis obsequiosi regi aut regno, propter quod à rege vel populo magis diliguntur, & reuerentiores habentur. Quo etiam modo debemus opinari de Apostolis inuicem & ad Christum. Omnes enim sub Christi potestate & autoritate fuerunt, immediate ab ipso suam institutionem sacerdotii & apostolatus suscipientes non ab inuicem, vt in aperto clamat vbique scriptura, & sancti sequentes ipsam, quamuis inter eos beatus Petrus honoratior fuerit propter iam dictas causas, non tamen propter aliquam sibi à Christo super reliquos traditam potestatem. Hanc enim eis inuicem interdixit, vt supra induximus ex *Matth. 23.* cum directe ad propositam nunc intentionem dixit eis: *Nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester, vos autem omnes fratres estis.*

Similiter autem neq; iurisdictionem coactiuam habuit in reliquos apostolos plusquam econuerso, nec per consequens ipsorum successores inuicem. Hanc enim sibi Christus penitus interdixit *Matth. 20. & Luc. 22.* ad propositas intentiones directe. *Cum enim facta esset contentio inter eos, quis eorum esset maior, dixit eis Christus: Reges & principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos, vos autem non sic*, nec posset Christus hoc magis aperte negare. Cur ergo credet aliquis de hoc magis humanæ traditioni, siue sancti siue non sancti, quam apertissimo Christi eloquio? Contra talem n. vel tales loquitur Christus *Marci septimo*, cũ dixit directe ad propositam intentionem: *In vanum autem me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei tenetis traditiones hominum.* Et parum infra: *Bene irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis*, quod faciunt docentes humanas *Decretales*, quæ Romano Episcopo dicunt conuenire potestatem & dominium temporalium non solum ecclesiasticorum, verum etiam & imperialium atque regalium, facientes irritum Dei præceptum, vt ex *decimo quarto* demonstratum est, & ex *præsenti capitulo* liquet aperte, vt suam traditionem de bonis temporalibus ad ipsorum commodum seruent. Quod si tamen Apostoli beatum Petrum tanquam sibi Episcopum elegissent, aut principaliorem propter ipsius ætatem & sanctitatem acquisitam, excellentiorem, vt habetur ex quodam Anacleti Papæ *Decreto*, in Isidori codice contento, cuius series est: *Cæteri vero Apostoli cum eodem*, (Petro scilicet,) *pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt:* Non tamen ex hoc sequeretur, quod ipsius successores in Romana sede vel alia, si alibi fuit Episcopus, hanc prioritatem habeant super aliorum successores, nisi à reliquorum successoribus eligerentur ad hoc, maioris enim virtutis fuerunt aliqui successores aliorum quibusdam successoribus Petri, quamuis proprie quilibet Episcopus indifferenter sit successor cuiuslibet Apostoli quantum ad officium, licet non locum. Rursum cur magis conueniret hoc successoribus eius in sede Romana, quam in Antiochena vel Hierosolymitana vel alia, si Episcopus in pluribus extitisset? Amplius quilibet Episcopus quantum ad intrinsecam dignitatem, inseparabilem scilicet, indifferenter successor est cuiuslibet Apostoli, & eiusdem meriti siue perfectionis, quantum ad dignitatem prædictam siue characterem, quoniam omnes hunc habent eundem ab vno efficiente siue datore secundum numerum immediate, videlicet à Christo, non ab eo qui manus imposuit. Neque refert quis Apostolorum manus imposuerit. Vnde primæ ad Corinth. tertio: *Nemo in hominibus glorietur siue Paulus siue Apollo, siue Cephas, &c.* vos baptizauerit, vel aliter, manus imposuerit, non refert. Vnde subdit, *vos autem Christi estis*, id est, interius signaculum habetis à Christo. Vbi Glossa: *Vos autem Christi non hominum, in creatione vel recreatione*, quæ per sacramenta fit, supple.

Amplius propter manuum impositionem Romanus Episcopus non est aut dici debet singulariter beati Petri successor, quoniam Romanum Episcopum esse conuenit, cui non imposuit manus beatus Petrus, nec mediate nec immediate: nec rursum propter sedem siue loci determinationem, primum quidem, quia nullus Apostolorum lege diuina determinatus fuit omnino ad populum aliquem vel locum, nam Matthæi vltimo dictum est omnibus: *Euntes ergo docete omnes gentes.* Amplius quoniam Beatus Petrus prius legitur Antiochiæ fuisse quam Romæ. Rursum quoniam si Roma fieret inhabitabilis, non propterea periret Petri successio. Adhuc quia neq; lege diuina, neq; scriptura, quanquã de necessitate salutis ad sui credulitatẽ inuitante, conuinci potest per

Christum,

Christum, aut Apostolorum aliquem vel ipsorum collegium fuisse statutum, episcopum alicuius determinatæ prouinciæ siue diocesis debere vocari vel esse Petri aut alterius apostoli singulariter successorem, cæterisque priorem, esto quantumcunque apostolos autoritate impares extitisse, sed ille vel illi magis sunt aliquo modo beati Petri & reliquorum apostolorum successores, qui vitæ & ipsorum sanctis moribus amplius conformantur. Tales enim, responderent beati apostoli, fore successores suos interrogati de his, instar Christi eorum magis, qui *Matth. 12.* respondens, dicenti sibi: *Mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te*, ait: *Quæ est mater mea & fratres mei? Quicunque enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quis ergo episcoporum aut sacerdotum magis meretur Apostolorum dici successor? is certe, qui eos amplius moribus & operibus imitatur. Quod si dicatur, Episcopum aliquem eo fieri Beati Petri singulariter & principaliter successorem, quia per Romanum clerum, aut per ipsum cum reliquo populo ad episcopatum eligitur: & eo fieri Episcopum vniuersalis Ecclesiæ, quanquam specialius ciuitatem Romanam respiciat, quam diu extiterit ipsa. Dicendum quod, quamuis hoc dictum multiplices possit pati calumnias, vnico tamen modo sufficienter repelli potest, quoniam ex sacra scriptura conuinci non potest, sed oppositum magis, quemadmodum supra monstratum est, & immediate sequenti capitulo amplius ostenditur. Propter quod eadem vel consimili facilitate qua dicitur, negari potest. Vnde tamen & propter quid principalitas peruenerit, si debeatur Episcopo & Ecclesiæ Romanorum super cæteras, 22. *huius* seriose dicetur. Iam dictis autem audiri desuetis mirabilius est, quia desuetum amplius & inopinabile fortassis videbitur, si non falsum: Quod ex certo scripturæ testimonio conuinci potest, Romanos Episcopos magis esse successores quantum ad prouinciam & gentem, Apostoli Pauli quam Petri, præsertim in episcopali sede Romana: Rursumque quod iam dicto super admirabilius videbitur, quod per scripturam probari nequit, Romanos Episcopos successores esse singulares beati Petri, propter sedis siue prouinciæ determinationem, sed propter hoc potius eos, qui sederunt aut sedent in episcopali Antiochena sede, quam Romanos. Prioris autem nunc dictorum fides esse potest ex eo quod, quamuis beatus Paulus generaliter missus fuerit ad omnes nationes, quemadmodum apostolorum quilibet reliquorum (vnde Actuum 9. *Vas electionis est iste mihi, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israel*) singulariter tamen & principaliter fuit Apostolus gentium, quemadmodum Petrus Iudæorum, tam per reuelationem quam secundum Apostolorum inuicem ordinationem. Vnde ad Galatas secundo. *Cum vidissent Iacobus, Petrus, & Ioannes, quod creditum est mihi Euangelium præputii*, (id est gentium,) *sicut Petro circumcisionis*, id est Iudæorum; & intendit Apostolus vtrobique tam Petro quam sibi principaliter, quoniam & Petrus gentibus & Paulus Iudæis poterant prædicare, si causa vel necessitas extitisset, quamuis principalitas in gentibus per dispensationem esset Pauli & ad Iudæos esset beati Petri, sicut Glossa secundum August. exponit *ibidem.* Rursum Act. 22. dictum est Paulo in stupore mentis suæ per reuelationem: *Vade, quoniam in nationes longe mittam te.* Amplius Act. 28. & vltimo: *Et sic venimus Romam.* Et infra parum loquens Apostolus Iudæis in Roma, inquit: *Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient, mansit autem biennio toto in suo conductu, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum prædicans regnum Dei.* Rursum testatur hoc ipse magis specialiter ad Rom. 11. *Vobis enim*, inquit, *dico gentibus, quam diu quidem ego sum apostolus gentium, ministerium meum honorificabo, si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam*, id est, licet quandoque etiam Iudæos exhorter ad hoc, principaliter tamen ad gentiles apostolus sum. Adhuc ad Galatas 2. *Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in gentes*, (id est ad Gentiles,) *ipsi autem in circumcisionem*, id est ad Iudæos irent Euangelium prædicandum. Postremo vero legitur idem *prima ad Timoth. 2. & 2. ad eundem primo*, & series omisi propter abbreuiationem.

Cum igitur per scripturam constet euidenter, Paulum Romæ fuisse biennio, & ibidem omnes suscepisse Gentiles conuerti volentes, idemq; prædicasse, constat ipsum fuisse Romanum episcopum specialiter, eo quod ibidem officium pastoris exercuit, autoritatem huius habens à Christo, & reuelatione mandatum, & apostolorum aliorum electione consensum. De beato vero Petro in quo secundum propositorum apparebit, dico per scripturam sacram conuinci non posse ipsum fuisse Romanum episcopum, & quod amplius est, ipsum vnquam Romæ fuisse. Admirandissimū nanq; videtur, si secundum quandam vulgatam ecclesiasticam *legendam sanctorum* beatus Petrus præuenerit Romam beatum Paulum, ibidem prædicans verbum Dei, & postmodum captus, deinde quod beatus Paulus in suo aduentu Romam, vna cum beato Petro tot conflictus habuerint cum Simone Mago, & simul tantum pro fide certarunt aduersus Imperatores & ipsorum ministros: demumq; secundum eandem historiam, quod ambo simul capite priuati, propter Christi confessionem dormierunt in domino, & sic Romanam Christo consecrauerunt ecclesiam: Admirandissimum, inquam, dico, quod beatus Lucas, qui *actus apostolorum* scripsit, & Paulus Apostolus de beato Petro nullam prorsus mentionem fecerunt. Amplius quod beatus Petrus Romam non præuenerit eos, credere facit probabiliter valde, quod *Actuum vltimo* scribitur. Dum enim Paulus in suo aduentu primo alloqueretur Iudæos inter cætera, sui aduentus Romam volens assignare causam, inquit: *Contradicentibus autem Iudæis coactus sum appellare Cæsarem.* At illi dixerunt ad eum: *Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neque veniens aliquis fratrum nunciauit aut locutus est quid de te malum. Rogamus autem à te audire quæ sentis, nam de secta hac notum est nobis, quia vbique ei contradicitur.* Dicat ergo

ergo mihi veritatis inquisitor, non quærens contendere solum si probabile sit alicui beatum Petrum Romam præuenisse Paulum & nihil nunciasse de Christi fide, quam Iudæi loquentes ad Paulum *sectam* vocabant? Amplius Paulus in reprehendendo ipsos de incredulitate, si nouisset Cepham ibidem fuisse & prædicasse, quomodo non dixisset aut ipsum huius testem induxisset negotii, qui resurrectionis Christi testis extiterat? vt apparet *Actuum tertio.* Et rursum, de quo iam diximus quis opinabitur, quod biennio existens ibidem Paulus nunquam conuersationem collationem aut contubernium habuerit cum beato Petro? Et si habuisset, quod de ipso nullam penitus mentionem fecisset, qui *Actuum* scripsit *historiam*? In aliis enim locis minus famosis, dum Paulus Petrum inuenit, mentionem de ipso fecit, & cum eo conuersatus est, vt in Corintho. *prima ad Corin. tertio*, & in Antiochia, vt *ad Galatas secundo*, & sic de reliquis plerisque locis: In Roma vero inuentum, quomodo non nominasset, quæ omnium vrbium famosissima erat, & in qua secundum iam dictam historiam beatus Petrus præerat tanquam episcopus? Sunt enim hæc incredibilia quasi, propter quod historia illa siue *legenda* non videtur in hac parte probabiliter posse teneri, & cum apocryphis computari debere. Sed per scripturam sacram indubitanter tenendum, beatum Paulum fuisse Romanum Episcopum: & si quis alter cum ipso Romæ fuerit, tamen Paulum singulariter & principaliter propter causas prædictas fuisse Romanum Episcopum, beatum vero Petrum Antiochiæ, vt apparet ad Galatas secundo. Romæ vero non contradico, sed verisimiliter teneo ipsum in hoc non præuenisse Paulum, sed potius econuerso. Quod autem omnium maxime attendendum propter propositum principale, est: quoniam & si aliquæ sint congruentiæ, propter quas appareant quomodocunque singulariter vocati successores Beati Petri, successoribus aliorum reuerentiores, & præcipue in episcopali sede Romana: nulla tamen, vt eisdem subiecti credantur secundum aliquam potestatem iam dictam aliorum Apostolorum successores, sacræ scripturæ necessitas vocat. Esto adhuc Apostolos autoritate impares extitisse. Non habuit ergo beatus Petrus aut Apostolus alter virtute verborum scripturæ super alios potestatem instituendi aut deponendi, neq; quãtum ad sacerdotalem dignitatem quam essentialem diximus, neq; ad eorum missionem seu determinationem ad locum aut populum, neq; ad scripturæ seu fidei catholicæ interpretationem, neque quantum ad coactiuam cuiusquam in hoc seculo iurisdictionem. Vnde per necessitatem sequi videtur, quod nec virtute verborum scripturæ, successor aliquis ipsorum alicuius singulariter quomodocunque vocatus, in successores reliquorum aliquam supradictarum habeat potestatem. Potest autem hoc patenter astrui autoritate Hieronymi, quam ex *epistola* ipsius *ad Euandrum* circa finem *quarta capituli præcedentis* induximus.

CAP. XVII.

De autoritate instituendi Episcopos & alios curatos, ac reliquos Ecclesiæ ministros quantum ad vtranque dignitatem siue officium, separabilem siue inseparabilem.

DE primæ quidem igitur sacerdotalis autoritatis, quam *essentialem* diximus, factiua causa iam dictum est nobis. De reliqua vero, qua scilicet certis sacerdotibus aut populo vel vtrisque in certa prouincia seu loco præferuntur ipsorum aliqui, amplius vnde conueniat eisdem temporalia quædam, iam vocata ecclesiastica beneficia, dispensare: vnde etiam rursum ad ipsos seu ipsorum quosdam coactiuæ iurisdictiones peruenerint, ad quem etiam, aut quos, & qualiter conuenientius sacræ scripturæ dubios sensus, in his præcipue quæ ad salutis necessitatem attinent, determinare pertineat, reliquum nobis est diffinire. Sufficienter enim manifestatis his, apparebit quod ab huius operis initio propositum manifestare fuerat.

Ante tamen quam hic proposita singulariter prosequamur, expedit narrare primum institutionis & determinationis Episcoporum seu presbyterorum modum circa statum & initium ecclesiæ primitiuæ, vnde cætera postmodum deriuata sunt. Horum autem omnium principium, accipiendum est à Christo, qui *caput est & petra, super quam fundata est Ecclesia catholica*, secundum quod dicit Apostolus *ad Ephesios quarto & quinto: & prima ad Corinthios decimo.* Quod etiam dicit Glossa quædam super illud Matthæi decimo sexto: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hoc, inquam, caput Ecclesiæ petra & fundamentum, Christus scilicet, Apostolis contulit sacerdotium & autoritatem episcopalem super omnes gentes & populos cuilibet seorsum neminem ad certum locum seu populum determinando sic, quin etiam sibi liceret vbilibet prædicare, quamuis aliqui magis deputati fuerint in gentes, alii vero in circumcisionem ipsorum inuicem, aut spiritus Sancti ordinatione. Quod etiam videtur sentire Glossa super illud secundæ ad Galatas: *Et cum cognouissent gratiam quæ data est mihi inter gentes.* Inquit enim Glossa: *Christus enim dedit Paulo vt ministraret gentibus, qui etiam Petro dederat vt ministraret Iudæis. Ita tamen dispensatio distributa est illis, vt & Petrus gentibus prædicaret, si causa fuisset, & Paulus Iudæis.* Quod similiter videtur Apostolus intellexisse ad Romanos vndecimo, cum dixit: *Ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, (id est, Iudæos,) ex quibus natus erat secundum carnem,* vt Glossa dicit ibidem. Ex quibus verbis sentiendum videtur, quod ea potestate seu charactere, qua quis sacerdos instituitur, indifferenter habet potestatem vbique ministrandi, & super omnem populum, quamuis diuina reuelatione, vel humana quadam ordinatione quidam ad certum locum aut populum magis determinentur, quam ad reliquum præcipue temporibus his. Hæc autem videntur scripturæ ac rationi consona.

consona. Nam generalem vnicuique Apostolorum tradens Christus administrationem, Matthæi vigesimo octauo dixit Apostolis indifferenter: *Euntes ergo docete omnes gentes*, neminem determinando ad locum aut populum. Quandoque vero ad specialem gentem aut populum diuina reuelatione determinati fuisse videntur, cum dicat Apostolus de se Actuum 22. *Factum est autem reuertenti mihi in Hierusalem, & oranti in templo fieri me in stupore mentis, & videre illum*, (Christum scilicet,) *dicentem mihi: Festina & exi velociter ex Hierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me.* Et parum infra subiungitur sibi dictum à Christo: *Vade, quoniam in nationes longe mittam te.* Ecce quod per reuelationem accepit quandoque Paulus aliquam loci & populi determinationem, sic etiam eandem suscepit determinationem ipse cum aliis Apostolis, humana quadam ordinatione. Vnde ad Galatas secundo dixit: *Dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis, Iacobus, Cephas, atque Ioannes, vt nos in gentes, ipsi autem in circuncisionem.* Ecce determinationem Apostolorum ad certum populum & prouincias, humana ordinatione factam immediate. Constat autem, quod ex tali determinatione siue facta immediata Dei reuelatione, siue ipsorum inuicem ordinatione, ipsos non recepisse perfectionem per spiritum Sanctum, quam prius non habuissent. Apparet hoc siquidem ratione, quoniam esto, Episcopum aut alium curatum quemlibet determinatum ad aliquam prouinciam aut populum, extra prouinciam sibi commissam exiuisse, sicut frequentius quam oporteat, euenire videmus, obuiet autem casu aliquo vel à proposito etiam alicui non fideli neque baptizato, baptizari tamen petenti per se vel alium, si quidem hunc baptizet, seruata forma sacramenti, constat hunc vere baptizatum esse, quamuis forte mortaliter peccet sic baptizans in non sibi subiecta seu commissa prouincia. Non ergo determinatus est quisquam ex episcopali seu sacerdotali potestate, quam essentialem diximus, ad locum aut populum, sed indifferenter respicit omnes. Determinata fuerunt tamen huiusmodi quandoque diuina reuelatione, vt in Ecclesia primitiua, frequentius tamen humana ordinatione præcipue modernis temporibus. Et hoc ad scandalum euitandum inter Episcopos & sacerdotes inuicem, & propter alias euidentes vtilitates, quas in sequentibus assignabo.

His itaque sic præmissis ad proposita in principio huius capituli singulariter accedentes, ostendemus primum determinatæ institutionis Apostolorum ad certos populos atque prouincias causam factiuam conuenientiorem immediatam fuisse Christi reuelationem, aut ipsorum inuicem concordem ordinationem: Deinde vero quod suorum successorum primorum ante populi conuersionem, determinatæ institutionis causa factiua immediata fuit expressa voluntas omnium Apostolorum aut plurium, si omnes aut plures præsentes fuerunt simul in loco seu prouincia, in qua sacerdotem aut Episcopum oportebat statuere, vel ipsorum Apostolorum vnicus secundum loci & populi ac temporis dispositionem: Demum vero quod post mortem Apostolorum aut in ipsorum absentia, episcoporum & aliorum Ecclesiæ seu spiritualium ministrorum institutio secundaria modorum conuenientissimo possibilium humanæ conuersationi, facta est per vniuersitatem fidelium in loco siue prouincia, super quam iam dicti ministri debent institui, quam per aliquod singulare collegium aliud vel personam. Sicque postmodum ostendentur reliqua consequenter. Horum ergo primum apparere potest, quod videlicet non alia conuenientior huius determinationis causa potest assignari quam diuina reuelatio, aut ipsorum conueniens deliberatio, quoniam in harum neutra error aut malitia interuenisse videtur. De diuina siquidem reuelatione nemini dubium, de Apostolorum autem electione videtur probabile, atque credendum, quoniam spiritu Sancto inspirati erant, vt ex Ioannis vigesimo pridem induximus.

Deinde dico quod suorum successorum primorum, maxime ante populorum conuersionem, institutionis secundariæ seu determinationis causa factiua immediata fuerunt & esse debuerunt omnes aut plures Apostolorum vel ipsorum vnicus secundum modum prædictum, vt si simul omnes, aut ipsorum plures aut vnicus tantum reperti fuerint ibidem. Hoc autem conuincitur primum ex scriptura, nam ipsos sic egisse legimus *Actuum sexto* in diaconorum institutione, etiam quantum ad primam institutionem, quam essentialem iam diximus, vnde: *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes*, (Apostoli scil.) *imposuerunt eis manus.* Non ergo adduxerunt eos ad Petrum solum, sed *ante conspectum Apostolorum.* Nec solus Petrus sibi assumpsit singulariter autoritatem imponendi eis manus, sed Apostoli imposuerunt eis manus, est autem & hoc rationi consonum.

Verisimile enim est omnes aut plures Apostolorum simul certius deliberasse, ac minus errasse circa personam promouendam siue ad sacerdotium siue ad alium sacrum ordinem, quolibet ipsorum seorsum accepto, quemadmodum supra induximus *cap. præcedente*, ipsos propter hoc simul conuenisse cum aliis senioribus ad diffiniendum dubium circa legem euangelicam in facto circũcisionis. Rursum ex hoc tollebatur scandali & contentionis materia, quæ verisimiliter inter eos orta fuisset, si quis eorum in aliorum præsentia potestatem aut prioritatem præter reliquos assumere voluisset, quam Christo viuente inter ipsos ortam ex hoc Christus diffiniuit, ipsorum exprimens æqualitatem, vt ex *Matth. 22. & Luca* 22. induximus, per Apostolum quoq; ac sanctorum expositiones, id amplius manifestauimus *cap. præcedente.* Amplius rationabilius sic agere fuit, vt ex hoc ab omnibus suis successoribus præsumptionem huius singularitatis auferens, & similiter faciendi exemplum præberent, vt ex Glossa super *Act. 6.* monstrabitur infra *parte nona.*

Quod si tamen non simul omnes aut plures fuissent, vbi Episcopum multitudini alicui fide-

lium custodiendæ ac ſeruandæ in fide oportebat præficere? Dicendum ſane hoc ipſorum vnicum licite facere potuiſſe, maxime vbi multitudo fidelium pauca erat, rudis & imperita diſcernere conuenientiorem perſonam ad epiſcopatus officium, & præcipue vbi ſufficientium perſonarum ad hoc officium quaſi nulla pluralitas erat, quemadmodum Paulo & ſuis ſucceſſoribus primis ſæpe contigit propter cauſas prædictas, vt ex *Actibus Apoſtolorum* & ſuis *epiſtolis ad Timotheum & Titum* ſatis apparet. Quod autem per ipſorum vnicum talis inſtitutio fieri potuerit & debuerit licite oſtendi poteſt, quoniam ex hoc eligebatur melior & conuenientior paſtor. Aut enim præficere ſe aliis in miniſterio Euangelii, licitum erat vnicuique pro voto, aut hoc fieri debebat per electionem ſubiectæ multitudinis, aut per Apoſtolorum aliquem ibi præſentem. Ex primo modo ſcandalum & error contingere potuiſſet, ſcandalum quidem, ſi duo vel plures hanc ſibi autoritatem aſſumere voluiſſent. Error quidem ſeu paſtoris inſufficientia ſimiliter: quoniam vt plurimum ſtulti aut ambitioſi præſidatum appetunt & aſſumere tentant amplius ſtudioſis & ſapientib. viris. Ex ſecundo vero modo, videl. ex illius multitudinis electione conſtituiſſe prælatum, error & inſufficientia veriſimiliter contigiſſet, propter multitudinis illius imbecillitatem in quanto & quali, rudes enim erant à principio in pluribus prouinciis, præſertim extra Iudæam, & facile ſeducibiles, vt ex tota *epiſtola ad Galatas* & pluribus aliis ſatis apparet. Vnde Apoſtolus primæ ad Corinthios tertio: *Et ego fratres non potui vobiſcum loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto lac potum dedi, nondum enim poteratis, ſed nec nunc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis.* Tutius ergo & ſanius fuit hanc inſtitutionem fieri electione ſeu determinatione alicuius Apoſtolorum, cuius vita & ſapientia præponderans & amplior erat (propter habitum ſancti Spiritus) ea quæ ſimul omnium in tali multitudine, quamuis non ſit negandum, expediens fuiſſe Apoſtolum conſuluiſſe multitudinem de moribus præferendi.

His conſequenter oſtendere volo, quod poſt tempus Apoſtolorum & priorum patrum, ſibi quaſi prope ſuccedentium in officio, & præcipue communitatibus fidelium iam perfectis huius inſtitutionis ſeu determinationis præſidis ſiue maioris, quem vocant *Epiſcopum*, ſiue minoris, quos *curatos ſacerdotes* appellant, ſimul & reliquorum minorum, cauſa factiua immediata ſit & eſſe debeat vniuerſa eius loci fidelium multitudo per ſuam electionem ſeu voluntatem expreſſam, aut ille vel illi, cui vel quibus iam dicta multitudo harum inſtitutionum autoritatem conceſſerit. Et quod eiuſdem autoritatis ſit, vnumquemque iam dictum officialem ab huiuſmodi officiis licite amouere ſiue priuare, ac ad illius exercitium compellere, ſi expediens videatur. Veruntamen oportet attendere, quod quamuis in poteſtate cuiuslibet ſacerdotis ſic ſit ſuum exhibere miniſterium, vt alterum quemlibet fidelem volentem, promouere poſſit ad ſacerdotium, ipſo miniſtrante quaſi præparante, Deo autem ſimpliciter & immediate ſacerdotalem poteſtatem ſeu characterem imprimente: Dico tamen id ſibi pro voto non licere conferre cuilibet, neque diuina neque humana lege in communitatibus fidelium iam perfectis, vt diximus, quinimo criminoſo aut aliter inſufficienti cooperans peccat plectibiliter contra legem diuinam & humanam. Quod autem contra legem diuinam plectibiliter peccet, apparet per Apoſtolum primæ *ad Timotheum tertio*, & ad Titum primo: Quoniam *Epiſcopum oportet ſine crimine eſſe*, cum reliquis ſufficientiis ibidem enumeratis, idemque aut proportionale de diaconis opinandum, vnde ad Timotheum vbi ſupra: *Diaconos ſimiliter pudicos, &c.* Quod autem contra humanam legem delinquat plectibiliter ſic inſufficientem promouens ad eccleſiaſticum ordinem, apparet ex his quæ oſtenſa ſunt *octauo huius.* Committit enim aliquid tranſiens in alterius nocumentum pro ſtatu præſentis & etiam futuri ſeculi ſimul, quod ſibi probari poteſt in eſſe, id etiam ipſo negante, promouendo ſcilicet ad publicum officium talem, qui aliorum vtriuſque ſexus, fœminini maxime, vitam & mores corrumpere poteſt, aut quantum expedit & neceſſe eſt pro ſtatu tam præſentis quam futuri ſeculi, mores hominum formare nequit, qualis eſt peruerſus vel aliter inſufficiens diaconus aut ſacerdos.

Ex his amplius per neceſſitatem inferre volo, quod in communitatibus fidelium iam perfectis ad legiſlatorem humanum ſolummodo ſeu fidelium multitudinem eius loci, ſuper quam intendere debet promouendus miniſter, pertineat eligere, determinare, ac præſentare perſonas promouendas ad eccleſiaſticos ordines. Et quod nemini ſacerdoti vel Epiſcopo ſingulariter, neque ipſorum ſoli collegio cuiquam cooperari liceat ad huiuſmodi ſuſcipiendos ordines abſque legiſlatoris humani vel ipſius autoritate principantis licentia. Hoc autem primum ex ſcriptura ſacra demonſtrabo, demum vero ratione probabili confirmabo, autoritate ſiquidem ſcripturæ hoc apparet *ex Act. ſexto.* Indigentes enim ſancti Apoſtoli diaconis pro miniſterio ipſorum & populi, requiſiuerunt fidelium multitudinem tanquam eam, cuius erat perſonas huiuſmodi eligere, ac etiam determinare, vnde vbi ſupra: *Conuocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum,* (id eſt fidelium, qui tunc diſcipuli vocabantur omnes, vt habetur in Gloſſa, *) dixerunt; Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem plenos ſpiritu Sancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos vero orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fidei & ſpiritu Sancto, & Philippum,* reliquoſque ſimiliter. Quod ſi præſentibus apoſtolis talis electio commiſſa fuit multitudini, minus perfectæ, vt certius eligerentur magis apti, quoniam tota multitudo aliquid ſcire poteſt, præcipue de moribus & vita vnius hominis, quod vnus multum doctus ignorat perſæpe, quanto magis electio ſacerdotum, qui amplioris neceſſitatis ſunt in virtute ac ſapientia

diaconis

diaconis & absentibus talibus prælatis, quales fuerunt Apostoli in communitate fidelium perfecta, debet electio hæc vniuersitati committi, vt de promouendo amplius & certius testimonium habeatur. *Conuocantes ergo duodecim*, non solus Petrus, vbi Glossa, *de communi consensu. Multitudinem discipulorum*, vbi Gloss. *Consensum quærunt multitudinis, quod in exemplum debet assumi. Hos statuerunt, &c.* vbi Rabanus; *Hic ordo seruandus est in ordinandis. Eligat populus, ordinet Episcopus*, & hoc est, quod etiam dicit Apostolus aperte primæ ad Timotheum tertio: *Oportet autem illum*, (id est presbyterum) *testimonium habere bonum ab his qui foris sunt*, id est extra Ecclesiam, vnde Glossa: *Non solum à fidelibus, sed etiam ab infidelibus.* Vbi etiam de diaconibus parum infra dicitur: *Et hi autem probentur primum & sic ministrent.* Nunc autem ratione probabili, si necessarium probabile liceat dicere, ostendere volo, promouendi cuiuslibet ad sacrum ordinem, electionem, atque approbationem pertinere ad iudicium tertiæ significationis, sententiam scilicet humani legislatoris in communitatibus fidelium iam perfectis: & cum hoc simul secundariam eius institutionem, qua scilicet fideli populo alicui & in certo loco præficitur Episcopus aut curatus, sicque in reliquis minoribus ecclesiasticis officiis, ab ea quoque remotionem seu priuationem, ad exercitium quoque secundum eam ecclesiasticos si oporteat arcere ministros. Deinde vero monstrabitur ad quem vel quos ecclesiastica temporalia, vocata *beneficia*, distribuere pertineat. Primum quidem conuinci potest eisdem aut consimilibus demonstrationibus qualibus 12. 13. & 15. *primæ* ad vniuersitatem ciuium legumlationem & principantium institutionem ostendimus pertinere, sola demonstratione mutata extremitate minori, vt videlicet electio seu personæ ad ordinem sacrum promouendæ approbatio, ipsiusque institutio seu determinatio ad certæ plebis atque prouinciæ præsidatum, eiusque priuatio siue remotio ab eisdem propter delictum vel rationabilem alteram causam assumantur in demonstrationibus pro termino legis, aut principantis institutione. Est autem & in his tanto euidentior necessitas talium fiendorum per legislatorem seu ciuium vniuersitatem, quanto periculosior est error circa propriam in sacerdotali aut altero ecclesiastico gradu atque præsidatus officio statuendam, quam circa humanam legem aut principaturum secundum ipsam instituendum. Nam si ad sacerdotium promoueatur peruersus more & ignorans aut vtrinq; deficiens, sicque curando & dirigendo fideli populo præferatur, ex eo periculum imminet populo mortis æternæ siquidem, quoniam ipsius est docere atque dirigere in his & de his quæ attinent ad necessitatem æternæ salutis. Vnde Malachiæ secundo; *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius:* diuinam scilicet, in qua continentur præcepta, & prohibita obseruari aut omitti, de quibus transgrediens non excusaretur per ignorantiam aut malitiam sacerdotis. Ideoque discernere debet populus, qualem sibi præferat pastorem, eo quod ex ipsius officio vnicuique commodum aut incommodum atque periculum euenire potest. Cuius quidem discretionis seu cautelæ, populus fidelis habet & rationabiliter habere debet potestatem, aliter nanque inconueniens hoc euitare non posset. Est autem quam diximus, plane Augustini sententia in libro *de pœnitentia*, quinimo & Christi verius, cuius autoritate loquitur, & affirmat quod dicit. Inquit enim, & recitat Magister sententiarum libro quarto, decimoseptimo. dist. cap. sexto. *Qui vult peccata confiteri vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem, qui sciat ligare & soluere: ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo,* (Christo scilicet,) *qui eum misericorditer monet & petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit.* Est ergo vel esse debet in potestate cuiuslibet, ministrum pœnitentiæ conuenientem eligere, similiter & aliorum sacramentorum, vt dicit etiam Magister *ibidem.* Cum igitur electio præstantior fieri possit per fidelium vniuersitatem quam per vnicum, apparet quod ad ipsam magis quam ad vnicam singularem personam, aut singulare collegium talis electio seu præsidis institutio debeat pertinere. Amplius potest hoc esse ad ciuile incommodum grande, quoniam sacerdotes confessionis titulo, mulierum habent persæpe secreta colloquia. Quod quia facile seducibiles sunt, præsertim ipsarum iuuenes tam virgines quam etiam coniugatæ (vt apparet *Genes.* 4. & inducit Apostolus primæ ad Timotheum tertio: *Adam enim seductus non fuit, sed mulier in præuaricatione*) sacerdos peruersus existens, ipsarum mores & pudicitiam facile corrumpere poterit, quod etiam frequenter his temporibus propter sacerdotum qualitatem euenire videmus, hoc autem est ciuile incommodum nõ modicum, considerare volenti, quæ sequuntur ex hoc inconuenientia. Vnde & Arist. 1. Rhetoricæ, octauo capitulo: *Quibuscunque enim ea quæ secundum mulieres sunt praua, quemadmodum Lacedæmoniis fere secundum dimidium vita non sunt felices. Mulier enim est quasi domus medietas*, vt apparet ex illius *Iconomia.* Vnde si propter temporale commodum assequendum per legislatorem, expedit determinari personas ad reliqua ciuitatis officia promouendas, ac etiam principantis instituere seu determinare personam, vt potior fiat electio, & propterea conuenientior ad officium assumatur, quemadmodum demonstratum credimus 15. primæ: videtur eo magis ad eundem legislatorem humanum, seu fidelium vniuersitatem pertinere determinationem promouendorum ad officium sacerdotis, & sacerdotum institutionem in officio præsidatus. Quoniam & si peruersus princeps afferre possit graue incommodum pro statu præsentis seculi, puta temporalis mortis, sacerdotis & peruersi ecclesiastici pastoris actio eo grauius inducere potest, quoniam mortis æternæ. Sic etiam propter periculum cogendus est & rationabiliter per humanum legislatorem aut principem cogi potest ecclesiasticus minister ad exhibenda & ministranda sacramenta, quæ sunt de necessitate salutis, vt baptismum, si peruersus existens hoc facere recusaret. Possunt autem confirmari prædicta de promouendis ad sacros ordines, & instituendis ad anima-

rum curas maiores siue minores, per ea quæ de Isidori *codice* induximus 21. *huius parte. quarta & quinta.* Testantur autem dictis institutiones gloriosissimorum sanctorum, factæ secundum modum quem diximus, vt Beati Gregorii & Nicolai, ac reliquorum plurimorum, quemadmodum ex ipsorum *legendis* & approbatis apparet *historiis*.

Nec obstat, quod sacerdotes aut ipsorum collegium, de promouendorum sufficientia, tam ad sacerdotium quam ad officium pastoratus & reliqua minora, magis nouerint iudicare. Similiter & reliquæ consimiles instantiæ adductæ 13. *primæ*, qualibus argui videbatur ad ciuium vniuersitatem, legumlationem, aut principantium institutionem, minime pertinere, potest enim ad has, quemadmodum ibidem consimiliter responderi. Quoniam, esto sacerdotes de talib. amplius & certius habere iudicium, reliqua ciuium multitudine quod tamen fallit his diebus plerunq;, non tamen ex hoc inferri potest solum collegium sacerdotum, horum certius habere iudicium tota multitudine, cuius pars existunt, vnde reliquæ multitudini coniuncto sacerdotum collegio, certius & securius habebitur iudicium, quam ex solo seorsum. Veruntamē hoc sane tenendum, quod bene posita lex conformiter legi diuinæ statuere debet, principantem de hoc credere, iudicio sacerdotum, aut legis diuinæ doctorum & aliorum honestorum virorum, quemadmodum de promouendis in reliquis disciplinis, tam de disciplina, quam de morib. iudicio peritorum & approbatorum debet examine vti, Iudicio inquam peritorum dicto secundum primam iudicis aut iudicii significationem. Quoniam iudicio tertiæ significationis, autoritate legislatoris habet principans approbare vel reprobare personas statuere vel remouere ab officiorum exercitio, quemadmodum ostensum est *decimoquinto prima.* Secus autem tot essent in communitate vnica principantes supremi, quot iudicantes primæ significationis iudicio, de sufficientia vel defectu, secundum vnum quodq; officiorum ciuitatis, quod est inconuenientium & impossibilium si debeat manere ciuitas, & recte disponi, velut demonstratum est *decimo huius & decimoseptimo prima.*

Sunt ergo legislatoris, aut eius autoritate principantis sententia seu iudicio, tertiæ significationis approbandæ vel reprobandæ personæ ad ecclesiasticos ordines promouendæ. Instituendæ quoque vel remouendæ, à cura seu præsidatu maiori vel minori, & ab exercitio eius prohibendæ, aut etiam, si ex malitia desisterent ab officii exercitio, exercere cogendæ, ne sui peruersitate possit aliquis incidere periculum mortis æternæ, vt defectu baptismatis vel alterius sacramenti, Quod sane intelligendum est in communitatibus fidelium iam perfectis. Nam in quo loco legislator & eius autoritate principans infideles existerent, quemadmodum erat in communitatum plurimis, & quasi omnibus circa statum ecclesiæ primitiuæ, personarum promouendarum ad ecclesiasticos ordines, approbatio vel reprobatio cum reliquis institutionibus iam dictis, & officiorum exercitiis sacerdoti vel Episcopo cum saniori parte fidelis multitudinis existentis ibidem aut illi soli, si solus esset, autoritas hæc conueniret absque consensu vel scientia principantis, vt ex huiusmodi promotione, ac prælatorum seu curatorum institutione, fides Christi & doctrina salutaris diuulgaretur, quæ legis custodis autoritate, studio vel præcepto non fierent sed magis prohiberentur, quo ēt modo, id fecerunt apostoli, circa initium Ecclesiæ Christi. Et facere tenebantur præcepto diuino, & tenerentur ipsorum successores, in legislatoris defectum. Vnde Apostolus primæ ad Corinthios nono: *Nam si euangelizauero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incumbit. Væ mihi, si non euangelizauero.* Vbi tamen legislator fidelis, & legis custos, talia volunt fieri dico ipsorum esse autoritatem, secundum iam dictum modum, propter assignatas causas seu probationes, tam ex scriptura sacra, quam ex humana, probabili & necessaria ratione.

De distributione vero temporalium, quæ beneficia ecclesiastica vocari solent, oportet præscire, quod talia temporalia, vel ordinata sunt per legislatorem, ad sustentandum euangelicos ministros & reliquas personas miserabiles, de quibus diximus 14. & 15. *huius*, vel ordinata sunt ad hunc vsum, per personam aliquā, aut collegium aliquod singulare. Quod si huiusmodi tēporalia ex dono, & legislatoris ordinatione sic statuta fuerint, dico, q̄ de ipsis distribuendis, autoritatem cui vult & quando, licite secundū legem diuinam cōmittere potest: Et ex causa, cū voluerit, autoritatem ab eo vel eis, cui vel quib. personæ singulari vel collegio cōmiserat, reuocare, nec posset huius oppositum, sed magis propositum ex scriptura conuinci. Sicut etiam autoritate Ambrosii ex *epistola de tradendis basilicis* supra monstrauimus 14. *huius.* Nec solum talium temporalium autoritatem distribuendi, ab eo vel eis cui commiserat, reuocare potest licite, secundum legem diuinam legislator fidelis, verum etiam, vendere aut aliter alienare, propter rationabilem causam superuenientem, quoniam sua sunt & in ipsius semper potestate de iure, nisi fortasse rem ipsam simpliciter, aut etiam cum dominio in alterius collegii, aut personæ singularis transtulerit potestatem. His tamen semper adiiciendo, secundū omnē euentum fidelem populum lege diuina obligari, si potens fuerit, ad euangelicorū ministrorum sustentationem, in victu & tegmento decenti, quib. contenti debēt esse, vt ex *prima ad Timotheum vltimo* monstratum est. Si vero huiusmodi temporalia statuta fuerint ad pia opera ex dono vel legato personæ, vel personarum singularum, dico talia debere conseruari, custodiri, atq; distribui, secundum donantis aut legantis intentionem. Quod si quis error, in distributoribus horum correctione indigens, appareat iuxta donantis vel legantis intentionem, debet error huiusmodi per humanum legislatorem, aut eius autoritate principantē corrigi. Quinimo id sciens & potens, peccat omittens, quoniam non pertinet hoc, aut fieri debet per collegium aut personam aliam singularem aliquā cuiuscunq; conditionis existant, excepto duntaxat, si ta-

si talium correctio per donatorem aut legatorem alicui personæ vel collegio commissa foret, quorum etiam error si contingeret, tandem corrigi debet per principantem. Quamuis etiam persona singularis aut collegium basilicam construere, ibiq; legis euangelicæ quemquam ministrum statuere nequeat, absque legislatoris concessione, propter pridem assignatas causas. Amplius, proposita de ministrorum ecclesiasticorum institutione, ac temporalium seu beneficiorum distributione vel collatione ostendere volo, autoritate catholicorum Franciæ Regum, non spernenda, sed potius attendenda. Asserunt enim ipsi de iure, quod etiam de facto vsque in præsens tempus volunt & faciunt immutabiliter obseruari, aliquorum officiorum ecclesiasticorum & temporalium seu beneficiorum ad se sic pertinere autoritatem institutionis & distributionis, vt à nemine singulari vel collegio mortalium cuiuscunq; conditionis existat, in ipsos aut ad ipsos hæc autoritas deriuetur. Non enim lege diuina prohibitus est legislator aut princeps, ab horum institutione, collatione, seu distributione. Quinimo autoritas hæc in perfectis fidelium communitatibus ex legislatoris concessione deriuata est, si licita fuerit, non subdole vsurpata in personas aut collegia sacerdotum. Vnde *in legibus principum Romanorum* status est modus & forma eligendi seu instituendi Episcopos, curatos, decanos, & reliquos ordinandi tẽplorum ministros, numerus quoq; ipsorum determinatus & præfinitus. Hoc enim ad humanum legislatorem & principantem pertinet, vt demonstratum est *octauo huius, & decimoquinto primæ*. Sic etiam de modo tractandi ecclesiastica temporalia seu beneficia, & actuum contentiosorum inter presbyteros inuicem, & ad quoscunque alios, leges statutæ sunt, contra quas priores Romani antistites, sancti & suæ libertatis conscii, non ignari, minime reclamarunt, sed illis fuerunt & esse voluerunt, sicut etiam & iuste debuerunt, sponte subiecti. Vt etiam vicesimoprimo huius, parte secunda declamabitur amplius, vsque in octauam. Vnde vero tanta peruenerit alietas, vt sacerdotale collegium, non solum legibus & principum seculi consuetudinibus se dicat exemptum, verum etiam super illos, iam se legislatorem constituat, idque pertinaciter asserat & defendat, posterius dicturi sumus. Rursum etiam ex præmissis, nos latere non debet, humanum legislatorem, aut eius autoritate principantem, ex temporalibus ecclesiasticis, præsertim prouentibus immobilium quæ beneficia diximus, si qua residua fuerint sufficientiæ ministrorum euangelicorum, tallias & collectas suscipere posse licite secundum legem humanam atque diuinam, pro patriæ defensione, aut captiuorum in fidei obsequium redemptione, vel supportandis oneribus publicis, ac aliis rationabilibus causis, secundum legislatoris fidelis determinationem. Non enim qui talia temporalia, legato vel dono ad pias causas statuit, & alicui vel aliquibus distribuenda commisit, ea potuit cuiquam collegio, vel singulari personæ cum immunitate maiori tribuere, quam habuerit dum extiterunt in ipsius potestate. Sed pro tunc nunquam fuerunt à publicis oneribus immunia, ergo nec postquam per donatorem aut institutorem translata fuerint cuiussuis alterius potestatem. Huic autem testatur Ambrosius in epistola *de tradendis basilicis*, cum dixit: *Soluimus quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur.* Et rursum eadem: *Si tributum petit Imperator, non negamus. Agri Ecclesiæ soluunt tributum.* Quod tamen Imperatori negasset, si hoc sibi iure non deberi credidisset, quemadmodum sibi templa negauit, seu sacerdotum institutionem in eis propterea quod Arrianis videbatur fauere, etiam contra plebis sententiam, de quo amplius in sequentibus dicturi sumus est. Idem dicit Hugo de sancto Victore tractatu *de sacramentis*. Inquit enim: *Ecclesia licet fructum terrenæ possessionis in vsum accipiat, potestatem tamen exercendæ iustitiæ per ecclesiasticas personas aut iudicia secularia exercere non potest. potest tamen ministros habere, laicas personas, per quos iura & iudicia ad terrenam potestatem pertinentia secundum tenorem legum & debitum iuris terreni exerceantur, sic tamen vt & ipsum quod potestatem habet, à principe terreno se habere cognoscat, & ipsas possessiones nunquam ita à regia potestate elongare posse intelligat, quin si ratio postulauerit & necessitas, & illis ipsa potestas debeat patrocinium: & illi, ipsæ possessiones debeant in necessitate obsequium. Sicut enim regalis potestas patrocinium, quod debet aliis, non potest non dare, sic ipsa possessio ab ecclesiasticis, &c.*

CAP. XVIII.

De origine ac statu primo Ecclesiæ Christianæ, & vnde Romanus Episcopus & Ecclesia prædictam autoritatem, ac super cæteros sibi quendam primatum assumpsit.

NVNC autem restat ex propositis intentionibus manifestare ortum & initium, ex quibus iurisdictio coactiua & omnium sacerdotalium institutionum secundariarum, non essentialium vocatarum, ecclesiasticorum quoque temporalium omnium distribuendi potestas in Episcopos seu presbyteros aliquos peruenerit, talium quoque potestatum supremam vnde sibi Papa Romanus ascribat. His consequenter adiiciendum, cuius aut quorum scripturæ sensus dubios interpretari, & interpretatos fidelibus credendos & obseruandos tradere atque præcipere sit iusta potestas. Supponentibus igitur primum ex determinatis à nobis *decimoquinto & decimoseptimo primæ, quarto, quinto, octauo, nono & decimo huius*, ad nullum Episcopum, aut presbyterum, vel ministrum ecclesiasticum aliquem, inquãtum huiusmodi, iurisdictionem aliquam cuiusquam coactiuam in hoc seculo pertinere. Rursumque monstratum sufficienter *decimoquinto, decimosexto, & decimoseptimo huius*, nullum Episcopum aut presbyterum immediata ordinatione Christi, alteri Episcopo vel presbytero subesse quantum ad aliquam sacerdotalium potestatum essentialem, aut nõ essentialem iam dictam, id quoq; quod de temporalium ecclesiasticorũ distributione iam

iam diximus *capitulo præcedenti*: sufficienter patere posset inspicientibus solutio quæsitorum, veruntamen ad horum dissolutionem accedere volumus singulariter magis, propter minus introductorum in talibus tarditatem.

Quæsita ergo proposita reddere tentaturis oportebit de ipsis intendere primum quatenus processerunt de facto, & circa ipsorum origines. Deinde vero quantum iuri diuino & humano, ac rectæ rationi sic facta, conformiter se habuerint aut habere debuerint, quæ etiam his contrarie atq; difformiter, vt demum conformia tanquam probanda & obseruanda, difformia vero velut nociua seculo & fidelium quieti ac licite detestanda & declinanda noscamus. De his autem quantum de facto & iure processerint, principium quærendum est ex canone sacro. De consequentibus vero colligere possumus ex approbatis historiis. Harum autem plurimum ex Isidori *codice* supradicto, & demum aliqua recitare, quæ disciplinarum experientia magistra nos docuit. A sacro itaque canone tanquam à fonte veritatis quæsitæ facientes exordium, suscipiemus oraculum Christi, Ioannis vigesimo, quo siquidem sacerdotalem autoritatem aut clauium potestatem vel vtrumq; indifferenter apostolis tribuit, dum eisdem dixit insufflans: *Accipite spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Huic quoque adiicientes mandatum eiusdem, quo indifferenter etiam prædicationem euangelicam per vniuersum orbem iniunxit eis, cum ad eos Matthæi vltimo dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes, &c.* Quibus siquidem postmodum immediatè sui vocatione adiunxit Paulum tanquam vas electum, spiritus Sancti videlicet, vt ex *Actuum nono* satis apparet. Hic autem, simul & alii iam dictum Christi mandatum exequentes Apostoli, vt ex ipsorum *actibus* & *epistolis* palam, in Iudæa primum nunciauerunt & docuerunt Euangelium seu fidem Christianam, ad quam multos etiam conuerterunt ibidem. Deinde vero reuelatione diuina & ipsorum ordinatione inuicem ipsorum quidam in Iudæa remansere. Reliqui vero diuisim ad diuersos se transtulerunt populos, in quibus confidenter & constanter prædicantes Euangelium, profecit in personarum vtriusque sexus conuersione, quantum potuit & Deo placuit vnusquisque, velut in ipsorum *legendis* seu de ipsis approbatis *Historiis* recitatur, quamuis inter cæteros sua prædicatione notabiliter profecerint ipsorum duo beati scilicet Petrus & Paulus, qui siquidem Paulus, quamuis ex duodecim non fuerit, à Christo nil minus vocatus & missus fuit æque immediate ac principaliter, sicut aliorum Apostolorum quicunq;, quemadmodum apparet *Actuum nono* & ex *secundo ad Galatas*, cum dictis sanctorum exponentium, sufficienter ostensum est *decimosexto huius*. Ab his, inquam, duobus Apostolis Petro & Paulo primum, quamuis tamen secundum *canonis* seriem à Paulo manifestius, & præsertim ad Gentiles (Augustinus 14. *de ciuitate Dei, capitulo nono*) Ecclesiæ Christianæ deriuatus est ritus: nam & ipse Paulus principalis & primus Apostolus fuit ad gentes, siue Gentiles, seu præputium, quemadmodum Petrus in circuncisionem, vt apparet *secundo ad Galatas*, & *Romanos vndecimo*. Ex Glossa quoq; sanctorum *ibidem*, & aliis plerisq; scripturæ locis. Hi vero apostoli duo cum reliquis omnibus suum magistrum imitantes, Christum videl. sub principum seculi coactiua iurisdictione vixerunt, & alios sic viuere docuerunt, vt aperte monstratum est *quarto huius & quinto*. Sic quoq; vixerunt ipsorum successores presbyteri seu Episcopi, cum suis diaconib. & reliquis ministris euangelicis successiue vsq; ad tempora primi Constantini Rom. Imperatoris, vt ex prædicto Isidoris *codice* satis apparet. Ita quod nemo Episcoporum per omne tempus illud, in alios Episcopos coactiuam iurisdictionem exercuit. Quamuis tamē aliarum prouinciarum Episcopi plures, in quibus dubitabāt, tam de scriptura sacra, quam de ritu ecclesiastico, non audentes se publice congregare, consuluerunt Episcopum & Ecclesiam fidelium existentem Romæ, propter maiorem ibidem forte fidelium multitudinem, & magis peritiorem, eo quod studia scientiarum omnium tunc multum Romæ vigebant. Vnde ipsorum episcopi & sacerdotes peritiores, & in taliū numero plus cæteris abundabat ipsorum ecclesia. Erant etiam & reuerentiores, tum quia beatus Petrus apostolorum senior, meritis perfectior & reuerentior ibidē tanquam episcopus sedisse legitur, & beatus Paulus similiter, de quo amplius constat, quemadmodum apparuit decimosexto huius. Tum etiam propter Romanæ vrbis principalitatem & famositatem ampliorem ad certas mundi prouincias. Vnde etiam prouinciarum aliarum fideles, sufficientia personarum carentes, ad ipsorum ecclesias gubernandas ab episcopo & Ecclesia Romana fidelium postulabant personas, sibi ad episcopatum præficiendas, eo quod ecclesia fidelium Romæ personis talibus, vt iam diximus, amplius abundabat. Episcopi vero & ecclesia Romanorum sic requisiti consilium & auxilium, tam circa fidem, quam circa ecclesiasticum ritum & personarum prouisionē indigentib. & requirentib. charitatiue atq; fraterne subueniebant in his, episcopos scil. eis mittendo, qui vix inueniebantur acceptare volentes. Ordinationes etiam, quas super ecclesiasticum ritum sibi fecerant, aliis communicando prouinciis, & quandoq; etiam in aliis prouinciis contentionem aut schisma fidelium inter se audientes charitatiue mouendo. Hæc autem aliarum prouinciarū ecclesiæ grate suscipiebant, vt ex quibusdam *historiis* & serie prædicti *codicis* à Clemente Papa, qui primus ibid. scribitur episcopus Petri vel Pauli aut vtriusq; successor vsq; ad tempora iam dicti Constantini, satis apparet. Hoc etiam modo vel consimili quasi, suscepit à Græcis Rom. populus gratuite non coacte *leges* quasdam vocatas *decem tabularum*, à quib. tanquam ab origine leges reliquæ Romani populi processerunt. Et tamen constat Rom. populum, Græcis nulla iurisdictione vel autoritate subiectum. Sic ēt qui librum hunc in lucem deduxit, Studiosorum Vniuersitatem Aurelianis degentē vidit, audiuit, & sciuit per suos nuncios & epistolas requirentem & supplicantē Parisien.

Vniuer-

vniuersitati tanquam famosiori & veneratiori, pro ipsius habendis regulis, priuilegiis, atque statutis, cum tamen Parisien. vniuersitati, nec ante nec post esset in autoritate apostolica vel iurisdictione subiecta. Ex iam dicta vero quasi consuetudinaria prioritate, aliarum Ecclesiarum consensu spontaneo, Romanorum Episcopi secundum ipsorum vlteriorem à principio processum, autoritatem quandam, Decreta, seu ordinationes constituendi super vniuersalem Ecclesiam, quantum ad ecclesiasticum ritum & actus etiam sacerdotum, & illarum obseruationem præcipiendi ampliorem sumpserunt vsque ad tempora Constantini prædicti, vtrum autem id facere potuerint Romanorum Episcopi sola ipsorum autoritate, an aliorum oportuerit ad hæc interuenire consensum, in sequentibus dicturi sumus. Constantinus vero prædictus, vt ex iam dicto *Codice, capitulo de primitiua Ecclesia, in concilio Niceno* narrat Isidorus, & in *edicto domini Constantini Imperatoris* inscripto pariter continetur, primus fuit Imperator, qui fidem Christi, ministerio beati Syluestri tunc Papæ Romani patenter adeptus est: Et qui sacerdotium à iurisdictione coctiua principum exemisse videtur: qui etiam per prædictum edictum, Ecclesiæ Romanæ ac ipsius Episcopo similiter tribuisse videtur autoritates & potestates super alios Episcopos & Ecclesias omnes, quas sibi conuenire nunc asserunt aliunde, vt *decimonono prima, parte octaua & nona* supra narrauimus. Cum his quoque iurisdictiones coactiuas super eosdem agros, prædia, & possessiones plurimas cum quarundam etiam prouinciarum seculari dominio, vt palam se offert inspicienti prædictum edictum. Hic etiam, vt supra legitur, primus Imperator fuit, qui Christianis concessit licentiam se publice congregandi, templa seu Ecclesias construendi, & cuius præcepto primum concilium Nicenum extitit congregatum. De quo siquidem cum reliquis quæ facta sunt in processu Ecclesiæ ab Apostolorum vsque in præsentia tempora, consequenter in suis locis quantum proposito nostro conueniet, tangemus & inducemus historias. Ex ipsis quidem quæ legi diuinæ ac rectæ rationi consona fuerint, recipientes: quæ vero dissona, reiicientes. Qualiter autem & quæ facta sunt se habere tradentes. Sic itaque diffiniendorum à sui origine aliqualiter recitato progressu, ad ipsorum determinationem ingredientes amplius, Suppositionem cum Apostolo faciemus indubiam, fidem catholicam vnam esse, non plures, vnde ad Eph. 4. *Vnus dominus, vna fides.* Hanc quoque rursum in vnitate secundum eundem sensum, videlicet credendam & ab omnibus confitendam, vt vbi supra, parum post inquit Apostolus. Donec occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitionem filii Dei. Ex quibus quidem per necessitatem inferemus primum, quod legis diuinæ præsertim euangelicæ dubios sensus atq; sententias, & si quæ fuerint inter doctores ipsius contentiones vel controuersiæ probabiles, quemadmodum quorundam ignorantia vel malignitate aut vtrisque iam euenisse legimus iuxta Christi & Apostoli prophetiam, expedit terminare: huic autem per necessitatem assequi mõstrabimus, ad solum generale concilium, fidelium omnium vel eorum, qui omnium fidelium autoritatem habuerint, determinationem hanc tantummodo pertinere. Deinde ostendam, secundũ legem diuinam & rationem rectam, quod generale concilium conuocare, idq; si expediat per coactiuam potentiam congregare, ad solius humani fidelis legislatoris superiore carentis, autoritatem pertineat, non autem ad personam aliquam aut collegium aliquod singulare, cuiuscunq; dignitatis aut conditionis existant, nisi eidem aut eisdem, per supradictum legislatorem, autoritas concessa foret. Amplius ostendam per certitudinem nihil statui posse circa ecclesiasticum ritum & humanos actus, quod omnes homines ad obseruationem obliget sub aliqua pœna, pro statu præsentis seculi vel venturi, nisi per solum generale concilium seu supremum legislatorem fidelem immediate, aut inde sumpta prius autoritate. Ex quo etiam monstrabitur consequenter, quod nullus princeps, prouincia vel communitas aliqua, interdici aut excommunicari possit nec debeat per aliquem sacerdotem quicunque sit ille, nisi secundum modum, per supradictum generale conciliũ ordinatum. Deinde monstrabitur euidenter, ad nullius vnici siue solius Episcopi vel alterius vnicæ singularis personæ aut particularis vnici collegii cuiusquam autoritatem pertinere, in cunctis mundi ecclesiasticis officiis personas instituere, neque pro eisdem ecclesiastica temporalia, vocata beneficia, distribuere seu conferre, sed autoritatem hanc, solius esse fundatoris seu donatoris, vel vniuersalis legislatoris fidelis, aut eius vel eorum, cui vel quibus & secundum quam formam & modum, idem donator aut legislator hanc concesserit potestatem. Deinde vero monstrabitur, q̃ vnicum Episcopum & Ecclesiam, quales & quorum autoritate, aliorum principaliorem siue caput, conueniens est instituere. Cuius quidem cum ipsius Ecclesia sit insinuare, reliquis omnibus Episcopis & ecclesiis ea, quæ per generalia concilia circa ritum ecclesiasticum & alios humanos actus ad communem fidelium vtilitatem, tranquillitatem, & quietem ordinata fuerint & appareant ordinanda. Demum vero ex his per necessitatem inferemus, tam determinata circa scripturam & fidem catholicam, quam circa ritum ecclesiasticum, cum reliquis institutis per generale concilium, solius generalis concilii autoritate, non autem alterius particularis collegii vel personæ singularis alicuius immutari posse, augeri, minui, vel suspendi, aut totaliter reuocari. Ex quibus quidem omnibus ad vniuscuiusque, quasi sensatam notitiam deducetur, Romanum Episcopum aut ipsius Ecclesiam vel quemuis alium Episcopum aut Ecclesiam, in quantum huiusmodi, nullam potestatem aut autoritatem iam dictarum habere, super reliquos Episcopos & Ecclesias, diuino vel humano iure, nisi quæ sibi simpliciter vel ad tempus concessa fuerit per supradictum concilium generale. Propter quod etiam apparebit, Romanum Episcopum aut quemuis alium incongrue, minus debite, ac præter, imo contra scripturarum diuinarum & humanarum demonstra-

tionum sententiam, sibi ascribere, super principem, communitatem aut personam aliquam singularem, plenitudinem potestatis. Et quod ab ipsius sibi attributione, idem Episcopus & alter quicunque penitus est, etiam per monitionem & coactiuam potestatem, si oportet, ab humanis legumlatoribus, seu ipsorum autoritate principantibus, cohibendus.

Cap. XIX.

De præuio quodam propter determinationem autoritatis & primatus iam dicti, cui videlicet dicto vel scripto veritatis sit præstanda credulitas atque confessio de necessitate salutis æternæ.

Ante vero quam ad demonstranda proposita procedamus, oportet attendere perutile quiddam quin imo necessarium, ad eorum omnium certitudinem quæ in sequentibus dicturi sumus. Est autem hoc, quod nullam scripturam irreuocabiliter veram credere vel fateri tenemur de necessitate salutis æternæ, nisi eas, quæ canonicæ appellantur, vel eis quæ ad has ex necessitate sequuntur, aut scripturarum sacrarum sensum dubium habentium, eis interpretationibus seu determinationibus, quæ per generale fidelium seu catholicorum concilium essent factæ, in his præsertim, in quibus error damnationem æternam induceret, quales sunt articuli fidei Christianæ.

Quod autem sacris scripturis firma sit veritatis præstanda credulitas, & confessio, per se notum supponitur omnibus Christianis, quod quia probari non posset aliter quam ipsarum autoritatibus, series prætermisi propter abbreuiationem. Quod vero ipsarum interpretationibus sic factis, vt diximus, eadem sit præstanda credulitas, satis apparet: quoniam ab eodem spiritu nobis reuelatas, pie tenendum videtur. Quod etiam ex scriptura, & in ipsa infallibili deductione firmata, ostendere possumus. Ex scriptura quidem, dicente veritate Matth. 28. & vltimo: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; ad seculi consumationem.* Vbi Rabanus; *Ex hoc intelligitur quod vsque in finem seculi non sunt defuturi in mundo, qui diuina mansione & inhabitatione sunt digni.* Quibus scilicet, ad fidei conseruationem, spiritum Sanctum pie tenendum est semper adesse, vnde Hieronymus: *Qui ergo vsque ad consumationem seculi cum discipulis se esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se nunquam à credentibus recessurum.* Idem aperte conuincitur ex *Actuum* 15. ostendente Apostolorum & fidelium congregatione, post ambiguitatis illius determinationem: *Visum est enim spiritui Sancto & nobis.* Asseruerunt enim & asserit scriptura ipsorum determinationem, in dubietate illa circa fidem, factam esse à spiritu Sancto. Cum igitur fidelium congregatio seu concilium generale per successionem, vere repræsentet congregationem Apostolorum & seniorum ac reliquorum tunc fidelium, in determinandis scripturæ sensibus dubiis, in quibus periculum maxime æternæ damnationis induceret error verisimile. Quinimo certum est, deliberationi vniuersalis concilii, spiritus Sancti dirigentis & reuelantis adesse virtutem. Hoc etiam deductione infallibili ex scriptura vim sumente, patere potest: quoniam frustra dedisset Christus legem salutis æternæ, si eius verum intellectum, & quem credere fidelibus est necessarium ad salutem, non aperiret eisdem hunc quærentibus, & pro ipso inuocantibus simul, sed circa ipsum fidelium pluralitatem errare sineret. Quinimo talis lex non solum ad salutem foret inutilis, sed in hominum æternam perniciem tradita videretur. Et ideo pie tenendum, determinationes conciliorum generalium in sensib. scripturæ dubiis à spiritu Sancto, suæ veritatis originẽ sumere. Ab humano vero legislatore, vt in sequentib. ostendetur, suæ obseruationis in confessione, autoritatem coactiuam, promulgationem vero atq; doctrinã earum à sacerdotib. & euangelicis ministris, horum vero maxime ab eo, quem ad hoc principalem statuerit fidelis legislator humanus superiore carens, aut concilium generale. Quod autem scripturis aliis, quæ scilicet humano spiritu reuelatæ sunt & traditę, nemo certam credulitatem aut veritatis confessionem præbere teneatur, apparet. Quoniam nulli scripturæ falsum significare potenti, tenetur quis firmiter credere, aut ipsam tanquam veram simpliciter confiteri. Hoc autem patiuntur scripturæ innitentes humanæ inuentioni singularis personæ aut collegii partialis. Possunt enim à veritate deficere, vt experientia palam, & habetur Psalmo cxv. *Ego autem dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Scripturæ vero canonicæ non sic, quia non sunt ab humana inuentione, sed immediata Dei traditæ inspiratione, qui nec falli potest, nec fallere vult. Hanc autem quam diximus sententiam & differentiam humanarum & diuinarum scripturarum, aperte confirmat Augustinus 13. epistolarum ad Hieronymum, cum dixit: *Ego enim fateor charitati tuæ: solum enim scripturarum libris, quæ iam canonica appellantur, didici hunc honorem timoremque deferre, vt nullum earum autorem, scribendo aliquid errasse, firmissime credam. Ac si aliquid in eis offeratur literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud, quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assequutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantacunq; sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt. Sed quia mihi, vel per illos autores canonicos vel probabili ratione, quod à vero non aberret persuadere potuerint.* Hoc idem replicat & admonet in prologo tertii *de Trinitate*, cum dixit: Noli, (lector scil.) *meis literis quasi scripturis canonicis inseruire, sed in illis,* (id est canonicis,) *& quod non credis, cum inueneris, incunctanter crede. In istis autem quod certum nõ habeas, nisi certum intellexeris, noli firmiter tenere.* Idem quoq; dixit in *epistola ad Fortunatianum*, & aliis plerisq; libris, quorum series omisi propter abbreuiationem. Id quoq; videtur sensisse Hieronymus, in *expositione catholicæ fidei*, cum dixit:

[illegible] Nouum & vetus Testamentum recipimus in eo librorum numero, quem sanctae catholicae Ecclesiae tradidit autoritas. Intellexit ergo Beatus Augustinus per canonicas scripturas, eas solas, quae in volumine Bibliae continentur, non quidem Decretales aut Decreta Romani Pontificis, & suorum collegii clericorum, quos Cardinales appellant, neq; alia quauis humana statuta de humanis actibus aut contentionibus, & humano spiritu adinuenta. Canon enim regula est & mensura, mensura vero, quoniam certa, quod solius diuinae scripturae inter caeteras proprium est, vt ex August. induximus pridem. Ideoque Augustinus idem scripturas proprias à canonicis separauit nec ipse qui tantae fuit sanctitatis, autoritatis, & scientiae, suas traditiones, canonicas appellare praesumpsit. Hoc enim impium est, & sacrilegii [illegible] quidam, quoniam in humana traditione dicta vel scripta, error & falsum contingere potest, quod in canone secundum veritatem dicto aut eiusmodi, quam per generale concilium canonicae scripturae interpretationem factam diximus, nullatenus euenire contingit. Propter quod [illegible] ex concilio Carthaginensi tertio prohibitum reperitur rationabiliter valde, ne [illegible] harum, canonicarum scilicet, alia quauis scriptura legatur. Vnde legitur ibidem, & in Isidori praedicto codice continetur series haec: *Item placuit, vt praeter scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum scripturarum. Sunt autem canonicae scripturae, Genesis*, & caeterae, quae de volumine Bibliae numerantur ibidem.

[illegible] Nec obstat his, quod dicit Augustin. contra Manichaeos *in epistola fundamenti*, inquit enim: [illegible] *crederem Euangelio, nisi me catholicae Ecclesiae commoueret autoritas*, in quo humanam autoritatem [illegible] videtur autoritati scripturae. Semper enim *propter quod vnumquodque est, & illud magis*. [illegible] dicimus, quod aliud est credere sermonem aut scripturam aliquam esse traditio[illegible] ab aliquo factam: & aliud est credere illam esse veram, vtilem vel nociuam, ob[illegible] [illegible] omittendam. Vnum quidem enim horum recipere potest quis ex hominum testi[illegible] secundo, & econuerso, & vtrunq; similiter quandoq;. Velut oblatam & sibi praesen[illegible] aliquam, credet quis esse patriam legem ab incolarum cōmuni testimonio, quam [illegible] esse veram, obseruandam, & non transgrediendam addiscere potest signo sensibili aliquo, aut poena quam illius transgressoribus infligi vidit sua ratiocinatione recta, praeter hominum persuasionem aut dictum. Sic etiam econuerso, videns aliquem hominem librum aut domum construere, vel alterum aliquid, credet ex se absq; hominum testimonio, librum aut domum ab hoc esse constructum. Quod autem in libro contenta sint vera vel falsa, vtilia vel nociua, prosequenda vel fugiēda, ab hominum, praesertim fide dignorum testimonio credere potest. Rursum & vtrunq; quandoq; ab hominum testimonio suscipere potest quis, vt quod hic sit Hippocratis liber atq; doctrina, credet qui nunquam viderit Hippocratem ab hominum testimonio. Quod autem in eo cōtenta seu scripta sint vera vel falsa, seruanda vel omittenda propter sanitatē conseruandam, & egritudinem declinandam, suscipiet idem à testimonio peritorum. Eodem quoq; vel quasi consimili modo scripturam aliquam in Biblia contentam, Dei credere traditionem, seu legem à Christo aeditam esse vel dictam, potest accipere quis ex fidelium cōmuni testimonio seu ecclesiae catholicae, qui tamen nec Christum vidit nec audiuit, aut alio exteriori sensu percepit. Hanc tamen scripturā veram esse vel obseruandam, credet ex fide vel signo aliquo sensibili, puta miraculo, absque testimonio cuiusquam, quemadmodum Paulus, qui legem quam persequebatur prius, Christi fuisse doctrinam credebat ex praedicantium quos persequatur testimonio, nec eam propterea verum cōtinere credebat. Credidit autem postmodum veram esse, primum ex sensibili miraculo, consequenter ex fide quam habuit. Similiter autem & vtrunq; quandoq; susceptum est ab humano testimonio, vt hanc scripturam esse legem à Christo traditam & latam, in ipsa quoq; contenta vera esse, ac obseruanda pro[illegible] aeternam salutem consequendam, & miseriam fugiendam, creditur & creditum est à [illegible] nec Christum viderunt, aut exteriori sensu cognouerunt, nec vnquam [illegible] signum de hoc sensibile perceperunt.

[illegible] Quod vero dicit Beatus Augustinus: *Non crederem Euangelio, &c.* potest secundum praedicta [illegible] sensum habere, vnum quidem, quia scripturam illam credidit euangelium esse, id est [illegible] ex testimonio ecclesiae catholicae siue vniuersalis, quamuis hanc scripturam [illegible] verum continere principalius crediderit ex miraculo fortasse, vel reuelatione ali[illegible] qua Christum [illegible] dit esse verum Deum, & per consequens omnem eius traditio[illegible] seruandam. Alium vero sensum possunt habere Augustini verba praedicta, vt [illegible] testimonio catholicae ecclesiae primum accepit & credidit. Licet primus sensus sen[illegible] *ad Galatas primo* magis conuenire videatur, non enim dicta Christi siue Dei vera [illegible] m [illegible] ficetur ecclesia catholica vero testimonio: sed testimonium ec[illegible] [illegible] dicit dicta Christi vera, propter veritatem dictorum Christi, vnde [illegible] vobis [illegible] *nos aut angelus de coelo euangelizet vobis praeterquam quod euangelizauimus* [illegible] r intelligendum [illegible] si tota Ecclesia aliud euangelizasset, [illegible] illud [illegible] set verum, [illegible] quia sibi constabat, illud Euangelium esse [illegible], seu reuelationem, in qua falsitas esse non poterat, quamuis ex necessitate consequentiae & à posteriori bene sequatur: Ecclesia catholica [illegible]it hanc orationem, Deus est trinus in personis, esse veram, ergo est vera, vel de quouis alio Christi dicto siue praecepto, quod dicat esse seruandum, eo quod dicta ecclesiae Catholicae in his quae circa fidem vertuntur, à spiritu Sancto immediate reuelata fore, pie tenendum est, vt apparuit ex praemissis. Et ideo secundum quemuis

sensum exponantur Augustini verba proposita, non aduersantur sententiæ quam diximus, quoniam dictis Ecclesiæ de his quæ circa fidem sunt credere, magis est credere spiritui Sancto, quam homini. Dicit autem Augustinus pro tanto se credere Euangelio propter Ecclesiæ Catholicæ autoritatem, quia suæ credulitatis initium inde sumpsit, quam spiritu Sancto dirigi nouit. Fides enim quandoq; incipit ex auditu. Voco autem *catholicam ecclesiam* eam, quæ propriissime atq; verissime dicitur ecclesia secundum vltimam significationem ecclesiæ, dictam secundo huius.

CAP. XX.

Cuius sit vel fuerit autoritas diffiniendi seu determinandi dubias scripturæ sacræ sententias.

HIs itaque sic præmissis concludenda iam proposita resumentes, ostendere volumus, quod dubios sensus siue sententias scripturæ sacræ iam exortas aut orituras, cum ortæ fuerint, præsertim circa fidei articulos, præcepta & prohibita, sit expediens & necessarium terminare, quoniam expediens est. quinimo necessarium sine quo fidei vnitas minime saluaretur, error & schisma contingeret circa fidem inter Christi fideles. Hoc autem est determinatio dubiarum, & quandoque contrariarum sententiarum doctorum quorundam circa legem diuinam. In hac enim opinionum diuersitates aut contrarietates, diuersas sectas inducerent, schismata & errores, sicut ex iam dicto Isidori codice capitulo, intitulato, *Incipit præfatio Niceni concilii*, recitatur. Quodam enim Alexandrino presbytero, Arrio nominato, Christum sic Dei filium esse dicente, vt ipsum existimaret pure creaturam existere, & per consequens patre Deo inæqualem atque minorem. Huius erroris diuulgatione, numerosa multitudo Christianorum labefacta fuit, fuissetque amplior, nec ab errore reuocata, nisi verus in hoc scripturæ sensus à falso determinatus fuisset. Sic quoque in spiritum Sanctum, & circa personæ ac essentiæ vnitatem & pluralitatem in Christo, insanas quidam protulere sententias, propter quarum discretionem à veris & ipsarum reprobationem ac damnationem conuocatæ ac congregatæ sunt quatuor primæ Synodi, Nicena, Constantinopolitana, Ephesina, & Calcedonensis. Has etenim controuersias inter ecclesiæ Christianæ doctores, veros aut simulatos fideles, prophetauit Christus, *Lucæ 21.* & Apostolus *prima ad Timoth. 4. & secunda ad eundem tertio*, quorum series prætermisi propter ipsarum notitiam, & abbreuiationem sermonis. Huic consequenter ostendo, quod huius determinationis autoritas principalis, mediata vel immediata solius sit generalis concilii Christianorum, aut valentioris partis ipsorum vel eorum quib. ab vniuersitate fidelium Christianorum autoritas hæc concessa fuerit, sic videlicet, vt omnes mundi prouinciæ seu communitates notabiles secundum sui legislatoris humani, determinationem siue vnici siue pluris & secundum ipsarum proportionem in quantitate ac qualitate personarum viros eligant fideles, presbyteros primum, & non presbyteros consequenter, idoneos tamē, vt vita probatiores, & in lege diuina peritiores, qui tanquam iudices secundum iudicis significationem primā, vicem vniuersitatis fidelium repræsentantes, iam dicta sibi per vniuersitates autoritate concessa, conueniant ad certū orbis locum, conuenientiorem tamen secundum plurimæ partis ipsorum determinationem, vel suorum legislatorū, in quo simul ea quæ circa legem diuinam apparuerint dubia, vtilia, expedientia, & necessaria terminari, diffinient: & reliqua circa ritum ecclesiasticum seu cultum diuinum, q̄ futura sint ēt ad quietem & tranquillitatem fidelium, habeant ordinare. Ociose nanq; ac inutiliter ad congregationē hanc conueniret multitudo fideliū imperita, inutiliter autem, quoniā turbaretur ab operib. necessariis ad vitæ corporalis sustentationem, q̄ onerosum ei esset, aut importabile forte. Quamuis ad hanc congregationē, fideles omnes obligentur lege diuina ꝓpter finem prædictum, licet diuersimode, sacerdotes quidem n. eo q̄ ipsorum officium sit legem docere secundum ipsius verum sensum, & ea procurare quæ ad ipsius synceritatem ꝓficere possint errores contrarios reprobare, ab ipsis quoq; suis exhortationibus, arguitionibus, & increpationibus homines reuocare. Vnde Matth. vlt. ad sacerdotes omnes in persona tantum Apostolorum ait veritas: *Euntes docete omnes gentes*, propter quod in persona omnium Apostolorum loquens Apostolus primæ ad Corinth. 9. dicebat: *Necessitas mihi incumbit, væ mihi si non euangelizauero.* Obligantur autem sacerdotibus consequenter amplius reliqua multitudine, qui periti fuerint in lege diuina, debent enim his aliquos excitare & conuenire cum sacerdotibus, præsertim si sufficienter adhæc requisiti fuerint vel mandati. Quoniam *scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi*, vt scribitur Iacobi 4. Pro reliquis etiam diffiniendis extra legem diuinam, quæ sunt ad fidelium communem vtilitatem & pacem, interesse possunt & debent concilio, qui ad hoc statuti fuerint per humanum legislatorem fidelem. Legislatores vero ad hoc etiam obligantur, eligendo personas idoneas ad concilium integrandum, eisq; de necessariis temporalibus prouidendum: & venire recusantes, ad hoc tamen idoneos & electos, tam sacerdotes quam non sacerdotes propter vtilitatem publicam, si oportuerit, compellendum. Quod autem solius generalis iam dicti concilii sit autoritas prædicta diffiniendi & ordinandi secundum iam dictum modum, nullius vero alterius personæ singularis, aut alterius particularis collegii, consimilibus demonstrationib. & scripturæ sacræ autoritatibus conuinci potest, qualib. legumlationem & officiorum ecclesiasticorum institutionem secundariam, 12. *prima, & 17. huius* monstrauimus pertinere, solis demonstrationum minori extremitate mutata, vt videlicet circa legem diuinam determinanda seu diffinienda dubia cum reliquis circa ritum ecclesiasticum siue cultū diuinum ac fidelium pacem, & vnitatē ordinandis assumantur pro

termino

termino legis aut officiorum ecclesiasticorum secundariæ institutionis. Tanto ampliori necessitate attendenda in his, quanto de lege seu fide tenenda, & his quæ omnibus fidelibus proficere vel nocere possunt, discretio & cura diligentior est habenda. Sic nanque fecerunt Apostoli cum senioribus, de his quæ dubia circa Euangelium occurrerunt, vt apparet *Act.15.* & seriose induximus *16. huius.* Non enim dubium illud de circumcisione beatus Petrus aut alter Apostolus, seorsum aut singulariter diffiniuit, sed conuenerunt super his omnes apostoli & seniores siue peritiores in lege. Signum autem verum esse quod diximus, est, quoniam & conciliis principalib. in diffiniendis scripturæ dubiis, aderant Imperatores & Imperatrices fideles cũ suis officialib. vt ex Isidori sæpe dicto *codice* satis apparet, vbi *sequenti c.* induximus ipsum *à secunda in octauā*, q̃uis eo tempore non tanta vocaret necessitas, non sacerdotum p̄sentiam, quanta moderno ꝑpter instantium sacerdotum & episcoporum turbam maiorem, diuinæ legis, quantum oporteret, ignaram. Vnde sacerdotib. inuicem diffidentib. de credendis ad salutem æternam, de ipsorum saniori parte, fidelium pars valentior habet iudicare, q̃uis ipsis omnib. concordantib. credendum sit in prædictis, sic tamen promotis ad ordines, quemadmodum diximus *17. huius.* Propter q̃ etiam ostendere volo rursum determinationem hanc nullatenus ad solum Rom. episcopum pertinere, neq; ad ipsum ẽt cum solo Cardinaliũ cœtu, & consequenter ex hoc, quod ad nullum episcopum alium vnicum siue solum, siue ipsum & aliud aliquod particulare collegium. Esto nanq;, sicut euenire contingit, hæreticum aliquem ad Rom. Pontificem assumi, vel postquam assumptus fuerit, si non antea, in hanc cadere labem, ignorantia vel malitia, vel vtriusq;, quales iam quidem assumpti leguntur, videl. Liberius, natiuitate Romanus. Siquidem solus hic Pontifex, aut cum solo suo cœtu Cardinalium, quos sui complices erroris verisimiliter fore continget, quia sibi quales vult absq; cuiusquam determinatione assumit & se dicit assumere posse: aliquid determinauerit circa dubiam aliquam scripturæ sententiam: nunquid huius Episcopi aut eius & sui solius collegii sententiæ standum erit, qui forte ignorantia vel malitia cupiditate aut ambitione vel alia quauis erunt affectione sinistra seducti? De quo ne longe petatur exemplum, id contigisse videmus cuidam Papæ Romano. Ipse enim per se singulariter, aut cum solo suorum Cardinalium cœtu, ne summam Christi paupertatem & perfectionis statum deserere videretur, cum hoc volens temporalia etiam immobilia in suo vendicandi retinere dominio & seculariter principari, edictum emisit circa summæ paupertatis siue perfectionis statum, cuius sententia per falsam interpretationem Christi Euangelio contradicit, sicut palam ostendimus *13. & 14. huius.* Propter quod soli cuiuis Episcopo aut sibi & suo soli collegio clericorum hac autoritate concessa fidelium vniuersitas naufragii circa fidem periculo subiacebit, vt ex iam dictis atque dicendis compositæ mentis quilibet intelligere potest. Amplius si solius Romani Papæ, aut alterius cuiusuis solius Episcopi, quemadmodum dictum est, talis esset autoritas; vel si secundum Isidorum prædicto *Codice, capitulo*, cui titulus, *Præfatio Isidori in sequenti opere:* epistolæ siue decreta Romani Pontificis æqualia vel non imparia forent autoritate, his, quæ determinata & diffinita sunt per concilium generale, omnes seculi principatus omnia regna & mundi prouinciæ, ac personæ singulares cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, vel conditionis existant, antistiti Romano primo forent coactiua iurisdictione subiecti. Decreuit enim hoc octauus Bonifacius Papa Romanus, per ipsius epistolam siue decretum quoddam, cuius initium: *Vnam sanctam catholicam Ecclesiam*, eius vero finis: *Porro subesse Romano pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, & diffinimus omnino esse de necessitate salutis.* Cum igitur semel determinata circa scripturam per concilium generale rite vocatum, congregatum, & secundum formam debitam celebratum, & consumatum, præsertim quæ ad salutem æternam vera credere necessarium sit, immutabilis & infallibilis veritatis existant, quemadmodum demonstratum est *circa principium 19. huius.* Obtineret igitur *epistola hæc Bonifaciana* certam & indubiam ac irreuocabilem veritatem. Nunc autem eam ab initio nunc & semper constat esse falsam, erroneam, cunctisque ciuiliter viuentibus præiudicialissimam omnium excogibilium falsorum, sicut indubie demonstratum est quarto, quinto, & nono huius.

Quam etiam falsam esse, ac dictum Isidori, nisi fortassis illud pia interpretatione iuuetur, manifeste demonstrat quinti Clementi successoris eiusdem Bonifacii epistola siue decretum, cuius initium: *Meruit charissimi filii nostri Philippi Regis Francorum Illustris*, eius vero finis: *Tanquam tam ad Ecclesiam, quod etiam quo ad regem & regnum superius nominatos.* Hac enim dictus Clemens exprimit diffiniendo *Bonifacianam epistolam*, in nullo præiudicare regi aut regno prædicto. Cum ergo nec Rex prædictus, nec illius successor aliquis vel regnicola suus quisquam, iuxta dicti Clementis conscientiam, ac omnium Christianorum scientiam verum crediderint, aut credituri fuerint, sed falsum apertum esse, quod continet epistola supradicta in eo articulo, quo cunctos sibi subiicit principatus & regna, per necessitatem sequitur, quod credere id, non sit de necessitate salutis, nam si sic, præiudiciale foret vtriq; non credenti. Amplius consideranti, videbuntur tales epistolæ siue decreta insaniæ quædam. Nam ea quæ Bonifacii verum continente, ad ipsius credulitatem omnes mundi principes & populos obligat, ea vero quæ Clementis, non omnes, quoniam ab hac credulitate Francorum princeps cum suis regnicolis solus eximitur. Sunt igitur aliqua de necessitate salutis, autoritate scripturæ quibusdam credenda, quibusdam vero minime. Non ergo vnus dominus, nec vna fides, nec Christo in vnitate fidei, omnes tenentur occurrere, cuius oppositum dicit aperte doctor gentium *ad Ephes.4.*

Est rursum interrogandum Clementi, secundum quem sanum intellectum ex sua fide mereri potuit Francorum Rex, cum populis sibi subiectis, non obligari credere, quæ credenda sunt de necessitate salutis. Aut igitur ex fide meruerunt hæretici & infideles fieri, aut epistola Bonifaciana continet apertum mendacium, *& sic ista quæ à veritate non veniunt, plerunq; etiam nullo impellente, seipsa subuertunt*, vt dicit Augustinus 7. *de ciuitate Dei, cap.* 16.

Amplius dignum est admirari cæteros reges & populos, ipsisq; conuenienter quærendum, quis locus aut sensus scripturæ, ipsos præter Francorum Regem constituat Romano Papæ iurisdictione subiectos, curue illud vnus reliquo magis ad suæ salutis necessitatem credere teneatur. Hoc enim velut figmento simile multa fuit & est irrisione dignum: & ex talia proferentium ambitione, ac principandi seculariter ardore ac supradicti Francorum Regis Illustrissimi terrore procedens.

Quod autem prædiximus, generale concilium etiam per non sacerdotes integrari posse, deliberandis quoque per concilium conuenienter vna cum sacerdotibus suum appositturi & interpositturi decretum, suadebimus primum ex Isidori prædicto *codice, capitulo*, cui titulus, *Incipiunt Canones*, id est regulæ ecclesiasticæ. Continentur enim in eo inter cætera series hæc: *Deinde ingrediantur laici, qui electione concilij interesse meruerunt.* Multo magis igitur qui fuerint literati, & in lege diuina periti, quamquam non sacerdotes existant. Sic n. fecerunt apostoli cum senioribus, vt pridem induximus. Vnde oportet attendere, quod in ecclesia primitiua & antiquis temporib. præsertim ante tempora Constantini soli sacerdotes & quasi omnes erant, si ut soli tenentur, & esse debent, legis diuinæ doctores, iuxta illud Malachiæ 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem* (diuinã scil.) *requirent ex ore eius.* Vnde etiam Apostolus 1. ad Tim. 3 & ad Titum 1. *Oportet Episcopum*, id est sacerdotem, *doctorem esse, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.* Propter quod soli tales existentes sacerdotes, ad difficilia vel dubia circa scripturam & fidem interpretanda & diffinienda, quasi soli conuenire solebant. Nunc vero propter ecclesiastici regiminis corruptionem, plurima pars sacerdotum & episcoporũ in sacra scriptura periti sunt parum. & si dicere liceat insufficienter, eo quod temporalia beneficiorum, quæ assequuntur officiis ambitiosi, cupidi, & causidici quidam obtinere volunt & obtinent obsequio prece vel pretio, vel seculari potentia. Et Deo teste ac fidelium multitudine, sacerdotes plurimos, abbates & ecclesiasticos Prælatos quosdam me vidisse ac audiuisse memini adeo diminutos, vt etiam nec grammatice congruum scirent proferre sermonem. Et quod amplius horrendum est, in ecclesiastico ritu sciui & vidi hominem citra vigesimum ætatis suæ annum diuinæ legis ignarum quasi penitus, cui tamen in famosa & populosa ciuitate commissa est episcopalis cura, eo non solum sacerdotali ordine carenti, verum etiam diaconatus & subdiaconatus exorti, quod quidam asseruit se licite posse. Hoc etiam & quasi consimile inconueniens de facto persæpe faciens, propter potentum fauorem sibi quærẽdum, qui super ecclesiasticorum officiorum institutionem, & beneficiorum distributionem, Romanus Episcopus habere se dicit, velut Christi vicarium *plenitudinem potestatis*. A quo siquidem conuenienter interrogandum, cur talis episcoporum & sacerdotum in generali concilio congregabitur turba? Et qualiter in dubiis circa scripturas determinare nouerit veros sensus à falsis, propter quod in horum defectum, non sacerdotes approbatos fideles, iuxta fidelis legislatoris determinationem scripturæ sacræ doctos sufficienter, vita & moribus etiam talibus episcopis & sacerdotibus præpollentes, perutile quinimo necessarium legi diuinæ, ac rectæ rationi consonum est tali concilio interesse, ipsorumq; deliberatione cum reliquis, dubia circa fidem & quæsita cætera diffiniri.

CAP. XXI.

Cuius sit vel fuerit autoritas hactenus coactiua congregandi generale concilium sacerdotum, & Episcoporum, ac reliquorum fidelium, cuiusue sit autoritas in ipso aliquid statuendi quod fideles obliget ad pœnam aut culpam pro statu præsentis seculi vel venturi, & cuius rursum sit in hoc seculo statutorum aut diffinitorum in generali concilio, quemlibet transgressorem arcere, amplius quod nullus Episcopus aut sacerdos excommunicare potest principem aut populũ interdicere quenquam, nec ecclesiastica temporalia beneficia, vel decimas, aut disciplinarum cuiquam conferre licentias, nec officia ciuilia quenquam, nisi iuxta generalis concilii aut legislatoris, vel vtriusq;, determinationem atq; concessionem.

NVnc autem ostendere volo, ad solius humanis legislatoris fidelis superiore carentis, autoritatem pertinere, aut eius vel eorum, cui vel quibus per iam dictum legislatorẽ potestas hæc cõmissa fuerit generale concilium conuocare, personas ad hoc idoneas determinare, ipsumq; congregari, celebrari & secundum formam debitam facere consumari, rebelles quoq; ad conueniendum & iam dicta necessaria & vtilia faciendum, determinatorum quoq; ac ordinatorum in dicto concilio transgressores tam sacerdotes quam non sacerdotes, clericos aut non clericos licite secundum diuinam & humanam legem, per coactiuam arcere potentiam. Quæ quamuis demonstrata sint 15.1.4.5.9. ac 11. huius in quib. per demonstrationem ostensum est, & autoritate scripturæ certificatum amplius iurisdictiones coactiuas super omnes indifferenter sacerdotes & non sacerdotes, personarum determinationes & approbationes, officiorum quoq; institutiones omnium, ad solius

lius humani legislatoris fidelis autoritatem, minime vero ad sacerdotalis collegii solius, inquantum huiusmodi pertinere, volumus tamen nunc ea persuadere per iam dictum Isidori *codicem* plerisq; locis, maxime vero in quibus ea quæ facta sunt, legi diuinæ ac rectæ rationi consona recitat. Primum quidem igitur, in capitulo, cui titulus, *Incipit præfatio Niceni concilii*, vbi sic inquit: *Ibiq; Artium CCCXVIII. residentibus Episcopis adesse iubet*, (Constantinus videlicet,) *ac de eius propositionib. iudicare*, Episcopos scilicet. Ecce quod iussu legislatoris congregati fuerunt Episcopi & Sacerdotes in cōcilio supradicto. Idem rursum in capitulo, cui titulus, *Incipit concilium 630. Episcoporum*, vbi sic inquit: *Sancta & magna & venerabilis synodus, quæ secundum gratiam Dei ex decreto piissimorum Imperatorum Valentiani & Marciani congregata est:* Amplius ex capitulo, cui titulus, *Explicit concilium Toletanum septimum, incipit octauum*: vbi sic inquit; *Anno vero orthodoxi atque gloriosi, & vera clementia dignitate præcipui Recesuinchi Regis, cum omnes nos diuina ordinatio voluntatis, eiusdem Principis Serenissimo iussu, in basilica sanctorum Apostolorum ad sacrum Synodi coegisset aggregari conuentum.* Idem adhuc ex capitulo cui titulus *Explicit concilium Toletanum vndecimum, incipit 12.* Idem rursum ex eo, cui titulus, *Explicit concilium Bracharense primum, incipit secundum.* Amplius idem ex *epistola* Leonis Papæ Romani *ad Ephesinam synodum*. Idem rursum ex *epistola* Leonis Papæ Romani, *ad Theodosium Imperatorem*. Adhuc idem ex *epistola* Leonis Episcopi *Marciano augusto*, cuius initium est, *Poposceram*. Idem amplius in *epistola ad Marcianum augustum*, cuius initium est: *Multa mihi in omnibus*. Idem in aliis plerisque locis, dicti codicis & epistolis, quarum series propter rei notitiam & sermonis abbreuiationem omisi.

Quod autem ad solum Romanum Episcopum vel ipsum & suorum Cardinalium solum collegium, non pertineat autoritas supradicta, suaderi potest cum prædictis, ex eo, quod si reus esset ipse aut cum suo collegio, criminis alicuius propter quod expediret huiusmodi concilium conuocare, verisimile est, ipsum talem congregationem quantum posset differre vel auferre totaliter; quod in grande fidelium grauamen & præiudicium redundaret. Hoc autem fideli legislatori seu fidelium vniuersitati, sic euenire non potest, eo quod ipsa vel ipsius valentior pars non sic seducibilis est, neq; in ciuilibus, quemadmodum ostendimus decimotertio primæ, neq; in spiritualibus, præsertim circa fidem, vt ostensum est 19. & 20. huius.

Quod vero diffinitorum seu iudicatorum, & reliquorum ordinatorum primæ significationis iudicio per generale concilium, obseruationis coactiuum ferre præceptum seu dare Decretum super omnes indifferenter, tam Sacerdotes quam non Sacerdotes eiusque præcepti siue decreti transgressores arcere pœna reali aut personali vel vtraque, in hoc etiam seculo transgressoribus infligenda, sit autoritas humani legislatoris fidelis, superiore carentis, suadere volumus primum ex his quæ rationabiliter acta sunt. Et recitat Isidorus *codice* prædicto plerisque locis. Est enim hoc videre palam ex capitulo, cui titulus : *Edictum Marciani Imperatoris in affirmatione concilii Calcedonensis*, in quo continetur inter cætera series hæc: *Nemo itaque, vel clericus militans & alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana, publice terminata, coadunatis & audientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidia occasionem requirens.* Vbi etiam parum infra subiungitur: *Nam in contemptoribus huius legis pœna non deerit.* Et infra rursum : *Igitur si clericus erit, qui publice tractare de religione ausus fuerit, à consortio clericorum remouebitur. Si vero militia præditus sit, cingulo militiæ expoliabitur*; & sic de reliquis consequenter statuit. Idem apparet rursum ex capitulo immediate subnixo, cuius titulus; *Incipit sacra Valentiniani & Martiani augustorum post concilium Calcedonense, in confirmatione eiusdem concilii, & damnatione hæreticorum*; in qua series talis habetur: *Hac lege decernimus eos qui Euticetis errore decipiuntur ad exemplum Apollinariorum, quos Eutices secutus est, quos venerabiles patrum regulæ*, (id est ecclesiastici canones,) *& diuorum principum sacratissimæ sanctiones condemnant, nullum episcopum, nullum presbyterum, nullos cleare vel appellare clericos, ipsumq; Euticen nomine presbyteri, quo indigne vtens expoliatus est, in totum carere. Si quis tamen contra diffinita nostra episcopos, presbyteros, cæterosq; clericos ausi fuerint ex his creare, tam facientes quam factos, vel præsumentes sibi clericorum bonorum amissione, periculo subiacere exilii perpetui præcipimus.* Ex hoc autem apparet verum esse, quod de promouendis ad sacerdotium & reliquos ordines sacros, ad fidelis legislatoris aut principis autoritatem diximus pertinere. Amplius idem ex habito huic immediate capitulo, cui titulus: *Item alia Martiani Imperatoris cōtra eosdem hæreticos.* Adhuc idem ex capitulo, cui titulus: *Edictum regis de confirmatione concilii*, vbi hoc inter cætera continetur : *Si quis ergo clericus aut laicus harum sanctionum obediens esse noluerit, si Episcopus, presbyter, diaconus, aut clericus fuerit ab omni concilio excommunicationi subiaceat. Si vero laicus & honestioris loci persona fuerit, medietatem facultatum suarum amittat, fisci iuribus profuturam.* Ex quo etiam manifeste apparet, quod pœnas personales atque reales hæreticis infligere, ipsasque exigere, sibiq; applicare licite possunt & solebant principes siue legislatores humani, quemadmodum diximus decimo huius. Hoc rursum ex capitulo, cui titulus: *Explicit concilium Toletanum 13.* cuius initium est: *Charitatis instinctu*, & aliis plerisque locis, de quibus pertranseo propter abbreuiationem, & quoniam præinducta sufficiunt. Nec solum de obseruandis his quæ per concilium diffinita fuerant, coactiuum ferre decretum ad humanum legislatorem seu ipsius autoritate principantem pertinet, verum etiam formam & modum, Romanam sedem apostolicam ordinandi, seu Romanum eligendi pōtificem statuere. Quod etiam ab Imperatore Romanum pontificem cum instantia postulasse legimus, non reclamasse, vt ex eiusdem Codicis capitulo, cui titulus; *Incipiunt Decreta Bonifacii Papæ. Epistola deprecatoria ad Honorium Augustum, vt constituatur à principe in vrbe Romana, quatenus per ambitum nunquam Pontifex*

ordinetur. Et ex capitulo immediate subiuncto, cui titulus: *Constantini, Honorii Imperatoris ad Bonifacium Papam missa, vt si denuo Romæ duo Episcopi ordinati fuerint, ambo ciuitate pellentur*, cuius initium: *Victor Honorius inclytus triumphator semper augustus, sancto ac venerabili Bonifacio Papæ vrbis Romæ.* In quo siquidem decreto dictus Imperator parum infra subinfert: *Illud autem pietati nostræ satis placuisse cognosce, quod sanctimonia tua de ecclesiarum aut populi perturbatione solicita est. Quæ ne aliqua ratione possit euenire, satis clementia nostra credidit esse prouisum. Deniq; prædicante beatitudine tua, id ad cunctorum clericorum notitiam volumus peruenire, vt si quid forte religioni tuæ (quod non optamus) humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitionibus esse cessandum. Ac si duo forte contra phas, temeritate certantum fuerint ordinati, nullum ex eis penitus futurum sacerdotem,* (id est Romanum Episcopum.) *Sed illum in sede apostolica permansurum, quem ex numero clericorum noua ordinatione diuinum iudicium, & vniuersitatis consensus elegerint.* Ex quo etiam apparet verum esse quod diximus 17. huius, ad vniuersitatem fidelium siue humanum legislatorem fidelem pertinere institutionem secundam, sacerdotum, episcoporum, & reliquorum ministrorum Ecclesiæ ad curas animarum maiores siue minores.

Amplius proposita suadere possumus ex epistola, cui titulus: *Item ad Martianum Augustum gratias agens, quod eius industria per Calcedonense concilium pax Ecclesiæ reddita sit*, cuius initium est: *Leo Episcopus Martiano augusto. Multa mihi in omnibus clementia vestræ literis causa gaudii est.* In qua etiam circa finem legitur, quod idem Leo sic ait: *Quia vero omnibus modis obediendum est pietati vestræ & religiosissimæ voluntati, constitutionibus synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei catholicæ, & de hæreticorum damnatione placuerunt, libens adieci meam sententiam. Quæ vt in notitiam omnium sacerdotum, ecclesiarumque perueniant, vestra clementia præceptio ordinare dignabitur.* Ecce quod suam sententiam siue iudicium primæ significationis adiecit Romanus Pontifex diffinitis per concilium, præceptionem tamen obseruationis ad Ecclesias & Sacerdotes supplicans fieri per Romanum Principem, quod tamen non fecisset, si hæc illius non fuisset autoritas. Ex quo etiam apparet verum esse, quod diximus *quarto, quinto, & nono huius*, autoritatem scilicet coactiuam, tam in sacerdotes quam non sacerdotes ad humanum legislatorem seu eius autoritate principantem pertinere, neque contra hoc reclamauerunt Romani Pontifices antiquis temporibus, sed pro talibus sibi dandis regulis siue legibus per Imperatores potius supplicabant. Eadem rursum euidenter apparet sententia ex capitulo, cuius principium: *Imperatores, Cæsares, Theodosius & Valentinianus.* In quo parum infra subiicitur: *Quoniam igitur in præsenti subita emergente dubitatione ad catholicæ & apostolicæ doctrinæ ac nostræ fidei custodiam. Quæ vt sit diuersis sententiis impugnata conturbat & confundit hominum sensus & animas, intollerabile duximus huiusmodi delictum contemnere, ne per talem negligentiam, ipsi Deo inferri contumelia viderentur. Ideoque sancimus in vnum sanctissimos & Deo placitos conuenire viros, quibus proprietate catholica, atque vera fide plurimus sermo est, vt vniuersa quidem talis & vana dubitatio subtili proposito & inquisitione soluatur. Vera autem & Deo amica catholica fides firmetur. Igitur & tua sanctitas, sumptu secum decem reuerendissimis Metropolitanis qui sub tua degunt dioecesi, & aliis similiter decem sanctis Episcopis, sermone & vita ornatis, qui in doctrina & scientia recta & immaculata fidei, præ cunctis apud cunctos eminent proximis Kal. Augusti Ephesum, Metropolim Asiæ, conuenire absq; vlla dubitatione festinent: nullo scilicet alio præter prædictos viros sanctam synodum molestante, quatenus vniuersis, sanctissimis & beatissimis Episcopis, quos conuenire per sacras nostras epistolas sancimus ad prædictam concurrentibus ciuitatem, & subtilissime inuestigantibus & quærentibus, omnis de medio error contrarius auferatur, catholica autem doctrina & orthodoxa fideli saluatoris nostri Christi amicissima solidetur & consueta fulgeat, quod vniuersi in posterum inconcussum Deo propitio & intemeratum custodiant. Si quis vero tam necessariam & vere Deo amicam synodum prætermiserit, & omni virtute secundum prædictum tempus ad præfinitum locum non peruenerit, nullam excusationem neque apud Deum neque apud nostram inueniet pietatem. Sacerdotalem enim conuentum, non nisi quis mali propria conscientia sauciatus euitat. Theodoretum sane Episcopum Syriæ ciuitatis, quem pridem iussimus sua soli vacare Ecclesia, sancimus, non prius ad sanctam Synodum conuenire, nisi vniuerso complacuerit conuenienti concilio & ipsum concurrere, & pariter interesse. Si vero aliqua discordia de eo emerserit, absque illo sanctam synodum conuenire & quæ iussa sunt, ordinare præcipimus.* Ex hoc autem edicto attendenti apparet intentio triũ conclusionũ iam ꝓpositarum vnius quidem, quod dubia: quæ circa legẽ diuinã fuerint, expedit diffinire. Secundæ diffiniuero ꝙ diffinitio hæc non ad singularis personæ vel collegii autoritatem pertinet, sed ad concilium generale. Tertiæ quidem, quod huiusmodi cõuocare seu præcipere concilium, & per ipsum diffinita & ordinata seruari statuere, statutorum quoq; transgressores arcere in statu & pro statu præsentis seculi, autoritas sit solius humani legislatoris fidelis, seu eius autoritate principantis.

His consequenter ostendere conuenit, nihil per hominem aliquem singularem cuiuscunq; dignitatis aut conditionis existat, statui posse circa ecclesiasticum ritum, quod homines ad obseruationem obliget sub aliqua poena pro statu præsentis seculi vel venturi, nisi per generale concilium immediate, aut inde sumpta prius autoritate: ad hæc etiam fidelis humani legislatoris primi, aut eius autoritate principantis, interueniente decreto, nihilque circa humanos actus alios, velut ieiunia, esus carnium, abstinentias, sanctorum canonizationes ac venerationes, operum mœchanicorum aut aliorum quorumcunque prohibitiones seu vacationes (Augustinus *decimo quinto de ciuitate Dei, capitulo decimosexto*) matrimoniorum copulas infra certos cognitionis gradus, ordines quoque siue collegia religiosorum approbare vel reprobare, reliquaque similia lege diuina licita seu permissa, statuere sub aliqua ecclesiastica censura, vt interdicti vel excommunicationis aut alterius pœnæ consimilis maioris aut minoris, eoq; minus ad ea quenquam obligare posse sub

pœna

pœna reali vel personali in statu præsentis seculi exigenda, absque iam dicti legislatoris autoritate, cuius siquidem licita solius potestas est infligere ac exigere tales pœnas, vt ex *decimoquinto primæ* ac decimo huius sufficienter apparet. Hæc autem eisdem demonstrationibus & autoritatibus supponendum probata, quibus & dubiorum legis diuinæ sensuum determinationem ad supradictum concilium, reliquosque humanos actus circa ritum ecclesiasticum per coactiua decreta ordinare, ad fidelem legislatorem humanum supra monstrauimus pertinere, sola rationum minori extremitate mutata. Adhuc quoniam lege diuina permissa, non prohibentur nec illicita fiunt, nisi per legislatorem humanum. Amplius quoniam nullus Episcopus in alium autoritatem habet aliquam à Christo immediate, quemadmodum demonstratum est *decimoquinto & decimosexto huius*, neque coactiuam inuicem aut in alios iurisdictionem, vt *quarto, quinto, & nono huius* ostendimus prius. Ex quibus etiam deduci potest & conuenit ad solius iam dicti concilii, non autem ad solius Episcopi aut presbyteri vel alicuius ipsorum particularis collegii autoritatem pertinere, principem, prouinciam, aut communitatem aliam ciuilem excommunicare, vel diuinorum officiorum vsum interdicere. Ignoranter enim aut inique volente presbytero seu Episcopo vel particulari aliquo ipsorum collegio principem aut prouinciam excommunicare vel interdicere, magnum inde scandalum paci & quieti fidelium omnium euenire contingit. Quod etiam quasi nouissime iam rerum experientia magistra monstrauit, dum octauus Bonifacius Papa Romanus claræ memoriæ philosophum pulchrum Francorum Catholicum Regem excommunicare tentauit, eiusque regnum cum sibi adhærentibus ecclesiasticorum officiorum interdictis supponere, reclamante prædicto Rege aduersus narrationem quandam scriptam, cui principium, *Vnam sanctam Catholicam Ecclesiam*, emissam à prædicto Bonifacio, aut ab eodem cum suorum Cardinalium cœtu, inter cætera continentem, quinimo finaliter concludentem, *omnes mundi principes, communitates, & personas singulares Romano Papæ coactiuæ iurisdictione subiectos*. Quamuis etiam temporibus illis proponeret idem Bonifacius aduersus iam dictum principem & sibi subditos ac adhærentes singulariter tendere, reliquosque quos potuisset aduersus illum principes & populos fideles, teste immortali veritate, ac viuentium plurimorum memoria concitare, nisi de medio forte mortalium sublatus fuisset. Hæc aut consimilis alterius malignæ concitationis tempestas potius quam potestas grandis schismatis atque periculi fidelibus allatiua, resecanda prorsus est, temperandaque. Interdictorum & excommunicationum huiusmodi forma soli Christianorum generali concilio relinqui debet, cuius iudicium dirigente sancto Spiritu, ignorantia vel malignitate aliqua peruerti non potest. His autem per necessitatem sequitur ordinata & diffinita tam circa fidem siue legis euangelicæ sensum, quam circa ecclesiasticum ritum siue cultum diuinum & reliqua omnia per concilium generale statuta, mediate vel immediate, implicite vel explicite, aut alio quouis modo, autoritate ac ordinatione nullius Episcopi, aut alterius particularis collegii, concilii, vel congregationis, eoque minus personæ singularis cuiuscunque conditionis aut dignitatis extet, posse immutari, augeri, minui, vel suspendi, aut interpretationem recipere, præsertim in arduis, aut penitus reuocari: sed quæ sic ordinata fuerint, si ad immutandum aut simpliciter reuocandum vocet necessitas euidens, ad supradictum concilium conuocandum debere referri. Hoc autem eisdem rationibus & autoritatibus conuincendum, quibus per solum iam dictum concilium eiusmodi ordinanda, diffinienda, & statuenda monstrauimus.

II. Ex eisdem quoque sacræ scripturæ autoritatibus & humanis rationibus demonstrari potest & conuenit, ad nullius solius Episcopi vel personæ singularis aut particularis alicuius collegii autoritatem pertinere, absque iam dicti generalis concilii vel fidelis humani legislatoris determinatione, in aliquibus mundi ecclesiasticis officiis personas instituere seu præferre, neque pro eisdem officiis quenquam ecclesiastica temporalia, vocata *beneficia*, distribuere, neque vocatas disciplinarum licentias, notariatus, aut reliqua officia publica seu ciuilia conferre cuiquam, nisi autoritate iam dicta. Quæ quamuis *decimoquinto primæ, ac huius decimoseptimo* secundum modum aliquem ostensa sint conuenienter, ea tamen amplius explicandum & confirmandum ex immediate prædictis & aliis quibusdam probabilibus argumentis in hac parte decreuimus. Nam illud non est, nec esse debet autoritas Romani vel alterius cuiusuis Episcopi, aut particularis cum ipso collegii clericorum. Propter quod omnia regna omnesque policiæ maiores siue minores hæresis & dissolutionis exponuntur periculo. Sic autem fit Romano aut alteri soli cuiuis Episcopo, absque determinatione vel legislatoris, vel concilii generalis tali potestate permissa. Esto namque, vt supra iam diximus, hæreticum aliquem aut necromanticum, cupidum, & superbum, aut aliter criminosum, quales quidam in episcopos Romanos præfici visum est, & leguntur assumpti. Siquidem criminosus hic autoritatem habeat absque determinatione legali aliqua generalis concilii aut fidelis legislatoris mortalis, in omnibus ecclesiasticis officiis personas statuere qualescunque voluerit, verisimile valde videtur, eiusmodi pontificem eos in ecclesiasticis officiis, præcipue maioribus, vt cardinalatu, episcopatu aut presbyteratu præferre, quos suorum criminum complices nouerit, & suis peruersis omnib. fauere votis. Erit igitur inde [illegible] grex fideliũ expositus periculo subuersionis à fide, quemadmodum etiam aliqualiter ostensum est *vndecimo huius*. Et hoc præsertim, si hæresi labefactus ignorantia, vel malitia interpretationis diuinæ legis habeat potestatem, sicut etiam pridem induximus *vigesimo huius*, & ex præsentium memoria & confessione de duobus Romanis Episcopis omnibus liquet. Rursum si Romano Episcopo diuina vel humana lege

non

non repetitur concessa potestas, sed potius interdicta instituendi sibi successorem in episcopali sede Romana. Cum tamen ex ea prouincia magis nosse possit & debeat sufficientias personarum, & quid eidem prouinciæ magis expediat. Cur igitur Episcoporum aut aliorum Prælatorum, curatorum, & etiam ministrorum in alienis & remotis prouinciis, quibus expedientia minus noscit, & ex ipsis sufficientias personarum successores instituendi, potestas siue autoritas eidem Episcopo permittetur.

Amplius, cuiuis Episcopo soli, aut etiam cum solo particulari aliquo clericorum cœtu conferendi omnia munia ecclesiastica temporalia, vocata *beneficia*, pro suo voto absque iam dicta determinatione legali vel generalis concilii & humani legislatoris vel fidelis principantis autoritate sibi concessa, omnia regna & omnes politiæ maiores & minores solutionis exponantur periculo. Rursumque ritus hic ad ecclesiarum siue animarum regimen ditiores & excellentiores seculari potentia vel fauore, quantumcunque ignorantes & more peruersos, pauperibus, iustis & humilibus quantumcunque doctis & vita pollentibus præferri faciet. Esto enim Romanum Episcopum superbum aut aliter criminosum, volentem etiam seculariter principari. Quales eos & qualia sectari videmus modernis temporibus ipsorum quam plures. Propter suam siquidem auaritiam insatiabilem & explenda reliqua sua vota peruersa iam dicta, & propterea potentum fauores & gratias acquirendis ecclesiastica officia & beneficia venalia ponet. Ipsa quoque potentibus, violentis & bellicosis, aut iuxta ipsorum requisitionem, cognatis, affinibus, & amicis eorum conferet, quos ad sua praua desideria perficienda suffragari tam velle quam posse putabit. Hæc autem, vt diximus, sic euenire possibile, non solum argumenta probant, verum etiam sic euenisse dudum ac euenire continuo, experientia rerum magistra docet, quasi fidelibus omnibus inocculta. Rursum hac illi officiorum institutionis, & temporalium seu beneficiorum distributionis, generali & immoderata potestate permissa, regna & politiæ omnes solutionis aut immensæ perturbationis periculo subiacent, si talis Episcopus seculares principatus sibi subiicere quærat, quos omnes secundum suam narrationem scriptam, *decretalem* vocatam nobis præmissam, octauus Bonifacius, sic Romano cuilibet Episcopo coactiua iurisdictione subiectos expressit, vt *id credere* fidelibus pertinaciter *fore* asseruit *de necessitate salutis*. Idemque in suis *edictis* aduersus inclytum Ludouicum ex Ducibus Bauariæ Romanorum regem assumptum, implicet quidam vocatus Papa Romanus, quamuis hoc solum exprimere videatur de regno seu imperio Romanorum. Reliqua tamen omnia comprehendens per eum, quo sibi hoc cum aliis rationibus præmissum ascribit titulum *plenitudinem* scilicet *potestatis*, hoc enim titulo non magis superest coactiua iurisdictione principi Romanorum quam reliquis regibus, quemadmodum euidenter ostensum est vltimo primæ. Hic inquam ergo Episcopus hanc super principes seculi iurisdictionem, quamuis minus debite quærens talium temporalium seu beneficiorum & decimarum, quæ ad omnia regna mentem conuertentium quasi facta sunt inæstimabilis: pars distributione seu donatione seditionem magnam concitare potest, & de facto hactenus concitauit & concitat, præcipue in vniuerso Romanorum imperio, quemadmodum magis in sequentibus seriose dicturi sumus.

Et propterea oportet humanum legislatorem aut ipsius autoritate principantem attendere in decimarum & reliquorum temporalium ecclesiasticorum acceptione, siue assumptione, an huiusmodi ecclesiastica temporalia superfluant sufficientiæ pauperum, Euangelii ministrorum, & reliquorum etiam pauperum impotentum, propter quos statuta sunt talia, vel non superfluant. Et rursum attendere debet, an talibus bonis de necessitate indigeat ad rempublicam defendendam, aut aliter sustentandam, vel non necessario his egeat propter finem iam dictum. Quod si eguerit his temporalibus ex necessitate propter finem prædictum, superfluis omnibus sufficientiæ iam dictorum ministrorum & pauperum vti, & autoritate propria sumere possunt licite secundum legem diuinam legislatores siue principantes, nulla obstante contradictione sacerdotum aut talium ministrorum, nec solum decimas, verum etiam quartas & tertias, & ad vnum dicere, ipsorum & pauperum impotentum sufficientiæ quodcunque superfluum. *Alimentis enim & his quibus tegantur contenti sint* sacerdotes, vt dicit Apostolus *prima ad Timoth. sexto*. Quod si huiusmodi bonis ad vsum siue finem prædictum non egent, peccant mortaliter suscipientes, sibique consentientes vel ipsos inducentes ad hoc. Non est igitur ecclesiasticorum temporalium potestas soli Romano Episcopo vel alteri permittenda, nec sibi & suo soli collegio sacerdotum, ne tali potestate seculares fauores in præiudicium principum & populorum sibi quærere possint, & inter Christi fideles inde contentiones & scandala suscitare. Ad hæc enim sibi non modicum, quinimo magnum instrumentum est iam dicta potestas, eo quod plurimi, quamuis seducti, credêtes talia per ipsum sic posse distribui, seq; ipsa suscipere iuste, ad acquisitionem & receptionem ipsorum faciliter inclinantur. Propter quod illi Episcopo & alteri cuicunq; per generale concilium & legislatorem humanum fidelium hæc quieti perniciosa potestas penitus subtrahenda est, aut debite moderanda, præsertim cum eidem lege diuina minime debeatur, sed, sicut est, fuerit potius interdicta, quemadmodum ostensum est sufficienter *decimotertio, decimoquarto, & decimoseptimo huius*.

Propter eandem quidem igitur causam conferendi licentias in disciplinis, iam dicto Episcopo, & alteri cuicunq; presbytero ac ipsorum soli collegio debeat ac licite potest reuocari potestas. Est enim hoc humani legislatoris aut eius autoritate principantis officium, quoniam hæc ad commune ciuium commodum aut incommodum cedere possunt pro statu præsentis seculi, quemadmodum

modum demonstratum est *decimoquinto primæ*. Eodemq; modo sentiendum est de sanctorum canonizatione seu veneratione instituenda, potest enim hæc nociua vel proficua fore communitati fidelium ciuium, posset nanq; peruersus Episcopus hac potestate fretus quosdam pronunciare sanctificatos, vt ipsorum dictis aut scriptis suas roboraret opiniones peruersas in præiudicium aliorum, propter quod autoritas hæc est soli generali concilio fidelium committenda. Sic etenim Gregorius quartus ex assensu Ludouici Imperatoris & omnium Episcoporum instituit, vt *festū omnium sanctorum celebraretur*, vnde etiam de consimilibus omnibus similiter sentiendum. Rursum, quoniam hac sibi temporibus antiquis per legislatorem autoritate concessa propter ipsorum vitæ sanctitatem, & doctrinæ sufficientiam, vt ex scientia ciuilium actuum euidenter apparet, in oppositas temporibus his qualitates conuersi literatorum collegia sibi subiiciunt & seculi principantibus subtrahunt, ipsisque tanquam non modicis instrumentis, quinimo maximis in suis acquirendis & defendendis vsurpationibus aduersus seculi principantes vtuntur Episcopi supradicti. Nolentes enim aut dubitantes viri literati suorum *Magistrorum titulos* perdere appetitu commodi & gloriæ consequentis, hosque sibi Episcoporum autoritate aduenisse non aliunde credentes, votis horum assequuntur, & quam arbitrantur, eorum autoritati contradicentib. aduersantur tam seculi principibus quam subiectis. Verum quia eiusmodi autoritas conferendi disciplinarum licentias est humani legislatoris, aut illius autoritate principantis, ne literatorum & sapientum fauore careant, sed hunc, qui super auxilia extrinseca quæque ad suos stabiliendos & defendendos principatus & politias, præponderandus est, acquirent & seruent iam dictas soli debent & licite præsunt autoritate propria conferre licentias notariatuum & reliquorum magistratuum siue officiorum ciuilium titulos, hoc enim priuatæ personæ cuiuscunque dignitatis, aut conditionis, vel collegio particulari cuiquam competere nequit, inquantum huiusmodi, quemadmodum demonstratum est *decimoquinto & 17 primæ*.

CAP. XXII.

Qualiter Romanus Episcopus & ipsius Ecclesia sit cæterarum caput & principalior, & propter quam autoritatem hoc illis conueniat.

DETERMINATIS autem his, ostendere volumus consequenter, expediens & perutile, fore vnicum Episcopum & vnicam Ecclesiam siue collegium sacerdotum aliarum caput siue principaliorem statuere. Primum tamen oportet diuidere modos & intentiones, quibus vnicam Ecclesiam aut Episcopum aliorum omnium esse caput, intelligi potest, vt ipsorum conuenientem ab inconuenientibus & expedientibus separemus. Esse autem vnicum Episcopum aut Ecclesiam omnium aliarum caput, vno modo intelligi potest, vt videlicet secundum ipsorum diffinitionem & determinationem scripturæ sacræ sensum, in quibus dubia fiunt, præcipue de credendis & obseruandis de necessitate salutis, omnes mundi ecclesiæ ac personæ singulares credere teneantur, ritūque ecclesiasticum siue cultum diuinum, secundum ipsorum ordinationem seruare. Iuxta quem sensum siue modum, nullus Episcopus aut Ecclesia vnica cuiusquam prouinciæ, inquantum huiusmodi siue collegium sacerdotum caput aliarum ex statuto diuinæ legis, nec secundum exemplum ecclesiæ primitiuæ, talem aliquam vnicam expedit esse. Neq; similiter legislatoris humani fidelis ordinatione aliqua seu decreto. Sic enim cum reliquis inconuenientib. quæ sequuntur ad hæc, ex necessitate salutis credere tenerentur omnes principes, communitates, & populi, secundum octaui Bonifacii diffinitionem, *se fore Romano Papa coactiuæ iurisdictione subiectos*. Rursumq; secundum cuiusdam, vocati Papæ Romani, constitutiones *non esse Christi consilium, spernere seu renunciare in communi & proprio temporalium, quæ ad præsentem necessitatem superfluunt, possessioni siue dominio seu potestati licite contendendi pro talibus, aut talia sibi vendicandi coram iudice coactiuo*, quorum vnum falsum horrendissimum est; secundum vero tanquam hæreticum declinandum, quemadmodum ex *13.14.16. & vigesimo ac 21. huius* clare visum est prius.

Alio rursum modo existimare est vnicum Episcopum & Ecclesiam siue collegium caput siue principaliorem cunctis aliis, sicut omnes mundi clerici siue collegia clericorū sibi sint iurisdictione coactiua subiecti, quod etiam nulli Episcopo vel Ecclesiæ lege diuina conuenit, sed magis interdicitur consilio vel præcepto, quemadmodum ostensum est sufficienter 4.5.8.9. & 11. *huius*. Alio quoque modo intelligi potest prioritas hæc sic, vt ad vnicum episcopum aut ecclesiam siue collegium pertineat omniū officialium ecclesiasticorūm institutio, & tēporalium beneficiorum distributio, depositio, & oblatio, quo ēt modo lege diuina conuinci non potest, episcopum aliquem aut ecclesiam aliq̄ cæteris esse priorem, sed oppositum magis. Et ad vnum dicere, virtute verborum scripturæ conuinci non potest, quod aliquis episcopus secundum vllam autoritatem siue potestatem, aut ecclesia sit caput siue principalis aliorum aut aliarum, quemadmodum ostensum est ex 15. 16. 17. & *vigesimo huius*, & in *capitulo præcedente*. Vnde neque alium episcopum plus excommunicare potest alter, aut sibi commisso populo siue prouinciæ diuina interdicere sacramenta vel officia quam econuerso, neque autoritatis plus habet in alterum aut sibi commissum populum, quam econuerso, nisi per generale concilium aut fidelem legislatorem humanum super alium aut alios autoritas siue potestas hæc concessa foret. *Omnes enim Episcopi æqualis meriti sunt & autoritatis, inquantum Episcopi sunt*, vt ex epistola Hieronymi ad Euandrum induximus *decimoquinto huius*. Nec perfectior

est

est aut fuit cui perfectior Apostolus aut Episcopus manus imposuit, vt apparet primæ ad Corinth. tertio. *Nemo enim*, inquit Apostolus, *in hominibus glorietur. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, &c. vos autem Christi*, vbi Glossa: *Vos autem Christi non hominum in creatione vel recreatione*. Propter quod non refert ad aliquod sacramentum, an perfectior vel minus perfectus presbyter manus imponat, dummodo autoritatem habeat, quia solus Deus effectum dat sacramenti. Vnde eadem & eodem, inquit Apostolus, soluens ad dubitationem hanc: *Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit*. Sicut plantans arborem aut irrigans, non est qui germinare seu opera vitæ facere tribuit, sed qui dat animam vegetantem plantæ: ita vult Apostolus, quod imponentes manus, docentes aut benedicentes, non dant opera meritoria, sed qui dat characterem aut gratiam interiorem, Deus ipse, quamuis & hi adiuuent, quemadmodum irrigantes. Et quoniam vnus est dator interioris autoritatis & characteris eiusdem speciei & gratiæ, Deus ipse, ideoque omnes Episcopi siue sacerdotes æqualis sunt autoritatis & meriti à Deo dati, secundum quemmodum Hieron. intellexit. Non est igitur Episcopus aliquis aut Ecclesia caput siue principalior aliorum inquantum huiusmodi virtute verborum scripturæ. Caput enim Ecclesiæ simpliciter & fidei fundamentum Dei ordinatione immediata, secundum scripturam siue veritatem vnicum est Christus ipse, non aliquis Apostolus, Episcopus, aut sacerdos, vt aperte dicit Apostolus *ad Ephesios quarto & quinto, ad Collossenses primo, & prima ad Corinthios decimo*. Vnde omnes Apostolos, prophetas, doctores, reliquosque fideles dicit constituere *corpus Christi*, quod est Ecclesia, tanquam reliqua membra; neminem autem sicut *caput*, nisi solum Christum. Vnde ad Ephesios quarto: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, &c.* Et parum infra subiungit: *Vnitatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus. Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in charitate*. Rursum quinto: *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus est caput Ecclesiæ, ipse saluator corporis. Sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus*. Nusquam tamen Cepham dixit ecclesiæ caput, nec ecclesiam illi tanquam capiti fore subiectam, cum tamē hæc dicta fuerint, postquam Christus surrexit à mortuis, & super cœlos ascendit. Vnde parum infra eodem, in persona omnium fidelium loquens Apostolus, ait: *Nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut & Christus ecclesiam, quia membra sumus corporis eius*. Amplius ad Collossenses primo: *Et ipse est caput corporis ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens*. Idem dixit aperte beatus Petrus prima canonica sua, capitulo 5. *Et cum apparuerit princeps pastorum*, (Christus scil.) *percipietis immarcessibilem gratiæ coronam*. Est rursum & fuit Christus solus ecclesiæ siue fidei fundamentum & petra. Vnde primæ ad Corinth. 3. *Fundamentum enim aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, quod est Christus Iesus*. Et rursum eiusdem decimo, *Petra autem erat Christus*. Et hæc palam fuit Augustini sententia *decimo de ciuitate Dei, cap. sexto & vigesimo*. Idem *decimo tertio, cap. vigesimo tertio*. Idem 17. *capitulis quarto, nono, duodecimo, decimo octauo, & vigesimo*. Idem 18. *cap. 45. & 52*. Idem *vigesimo secundo, capitulo decimo octauo*, & aliis plerisque locis, de quibus pertranseo propter abbreuiationem sermonis. Alio vero modo Episcopum aliquem aut ecclesiam esse vel statui caput, & cæteris principaliorem, autoritate generalis concilii, aut fidelis legislatoris humani, conuenienter intelligi potest, sicut videlicet ipsius sit officium, cum suo tamen collegio sacerdotum, quos sibi fidelis lator aut generale concilium ad hoc associare voluerit, deliberatione præhabita, si casus emerserit fidei, aut fidelium euidens necessitas, sibi delatus, propter quem expediens omnino videatur generale concilium conuocare, id insinuare atque significare debeat fideli legislatori, superiore carenti, iuxta cuius coactiuum præceptum id debeat, quemadmodum diximus, congregari: cuius etiam officium sit in dicto concilio, inter episcopos & clericos primam sedem seu locum tenere, deliberanda proponere, deliberata in præsentia totius concilii recolligere in scriptis sub sigillis autēticis, & tabellionum signaculis redigi facere. cunctis requirentibus ecclesiis, talia communicare atq; insinuare: ea quoq; scire, docere, ac de talibus respondere: deliberatorum quoq; tam circa fidem quā ritum ecclesiasticum siue cultum diuinum, & reliquorum ordinatorum ad pacem atq; fidelium vnitatem, transgressores per ecclesiasticam aliquam arcere censuram, vt excommunicationis vel interdicti, aut alterius pœnæ consimilis, secundum concilii tamen determinationem, & per ipsius autoritatem, nequaquam vero potestate aliqua coactiua pœnæ realis aut personalis inflictiua pro statu & in statu præsentis seculi. Cuius etiam, cum sibi per legislatorem videl. dati & instituti collegii parte valentiori siue maiori iudicare sit super episcopos & ecclesias, non subinuicem positas de contentionib. spiritalib. proprie dictis, iuxta secundam scil. ac tertiam hui⁹ nominis *spiritualē* significationem, assignatis *secundo huius*. In quibus cadunt ea quæ circa ritum ecclesiasticum ordinata fuerint per concilium obseruari, quamuis eiusmodi Episcopo Ecclesiæ siue collegio circa tale officium secundum apertam, verisimilem, & quasi communem aliarum ecclesiarum sententiam, peruerse nimis aut negligenter habente licitum sit ecclesiis reliquis humanum legislatorem fidelem appellare, si per legislatorem aut ipsius autoritate principantem corrigi possit conuenienter, vel generale concilium requirere, si casus ille per reliquarum ecclesiarum ampliorem partem, & legislatoris iudicium exigat concilium huiusmodi congregari.

Hoc igitur solo & vltimo modo Episcopum aut Ecclesiam aliquam vnicam statuere aliarū caput seu

seu principaliorem in cura pastorali, absque iurisdictione coactiua, quamuis non sit lege diuina præceptum, quoniam & sine hoc fidei vnitas, licet non sic faciliter saluaretur, expedire dico ad hanc vnitatem facilius & decentius obseruandam. Deinde vero monstrandum erit nobis, qualem Episcopum, Ecclesiam, siue collegium sacerdotum & clericorum. Et ex qua diœcesi siue prouincia conuenientius expediat aliorum caput siue principaliorem statuere. Demum vero monstrabimus cuius aut quorum sit autoritas huius institutionis, correctionis, & depositionis etiam, si visum fuerit expedire. Horum autem primum videl. quod tale caput ecclesiarum vnicum expediat instituere, supposita necessitate, conuocandi quandoq; generale fidelium concilium & sacerdotum propter vtilitates prædictas circa ecclesiasticum ritum siue fidem & cultum diuinum, suaderi potest ex eo quod frustra occuparentur plures Episcopi aut ecclesiæ in officio quod per vnicum Episcopum aut ecclesiam, æque conuenienter exerceri potest, atq; compleri. Nunc autem insinuatio conciliorum prædicta cum reliquis, quæ ad huius capitis ecclesiæ officium diximus pertinere, æque conuenienter, aut conuenientius per vnicum exerceri possunt & perfici quam per plures. Amplius & huiusmodi capitis siue principalioris super episcopos & ecclesias institutione, contentio tollitur, & scandalum oriri possibile. Nam in generali concilio congregato, agendorum dare formam & modum oportet. Hæc autem ordinare aut præcipere, si quilibet indifferenter posset & vellet, inter eos verisimiliter suscitaretur scandalum, confusio atq; contentio, & rursum quoniam in generali concilio congregato attenditur ordo loci: vt in sedendo vel stando, sermonis etiam, vt in proponendo & deliberando, & aliqua præcipere quandoq;, vt nimis garrulis, silentium imponendo. Amplius quoniam & per concilium deliberata recolligere oportet, ac in scriptis per tabelliones redigi facere, sub certis & authenticis signaculis & sigillis, expediens fuit vnum esse aliorum priorem cuius sit autoritas cæteros ordinandi, & reliqua expedientia præcipiendi circa concilium celebrandum & debite consumandum, ne propter talium diuersitatem & quandoq; contrarietatem publicam fidelium turbetur aut differatur vtilitas. Adhuc videtur id expedire propter consuetudinem ecclesiæ Christianæ, in hoc. Et quoniam ex eo fidei vnitas magis apparet sensibili signo.

Quem vero episcopum & qualem cuiusq; prouinciæ siue diœcesis ecclesiam, sic caput aliarum instituere magis conueniat, qualem primum assignãtes, dicamus secundum veritatem eum qui cæteris vita & sacra doctrina, cunctis præpollet, in quo tamen est bonæ vitæ potius attendendus excessus, cuius autem loci siue prouinciæ ecclesiam præferri debeat, dicendum eam, cuius sacerdotale siue clericorum collegium, & vt plurimum honestioris vitæ ac lucidioris doctrinæ sacræ, viris abundat. Quamuis cæteris parib. aut non multum distantib. etiam Romanus Episcopus & ipsius Ecclesia, quam diu locus habitabilis extet, plurib. congruentiis videatur meruisse præferri. Primum quidem, propter Episcopi sui primi beati Petri aut Pauli, vel vtriusq; excellentem fidem & charitatem, famositatem, & per Apostolos reliquos illis impensam reuerentiam: deinde vero propter Romanæ vrbis solennitatem, & quam dudum super cæteras obtinuit principalitatem & abundantiam in ipsa virorum Illustrium, sanctorum atq; doctorum fidei Christianæ, secundum temporis plurimum ab initio ecclesiæ constitutæ, qui aliarum ecclesiarum in augmento fidei & eius vnitate seruanda, curam diligentem atq; laborem assiduum præbuerunt, rursum etiam propter sui populi ac principis generalem tunc monarchiam & autoritatem coactiuam super reliquos omnes mundi principantes & populos, qui de obseruatione fidei & eorum quæ per generalia diffiniebantur concilia, soli poterant omnibus coactiuum ferre præceptum, & illius vbilibet transgressores arcere, sic quoque fecerunt & ecclesiam ex modico in rem magnam auxerunt, quanquam ab ipsorum aliquibus postmodum persecutionem fideles sint passi quandoq; propter quorundam malitiam etiam sacerdotum. Demum vero congruit Episcopo Romano & illius Ecclesiæ principalitas hæc propter consuetudinem, eo quod hunc Episcopum & Ecclesiam fideles omnes præ cæteris didicerunt seu consueuerunt amplius reuereri, & illius exhortationibus atque monitionibus ad virtutes & Dei reuerentiam excitari, eiusq; arguitionibus seu increpationibus & comminationibus æternæ damnationis à vitiis & sceleribus reuocari.

Cuius autem sit autoritas instituendi prioritatem hanc: Dicendum, quod generalis concilii aut secundum eius dictamen fidelis legislatoris humani superiore carentis. Ad quos etiam pertinet determinare primum illum clericorum cœtum siue collegium, secundum quem modum Romanæ vrbi, quam diu extiterit, obicemque ad hoc non apposuerit populus ille, propter beatorum Petri & Pauli reuerentiam, & quas pridem diximus conuenientias poterit licite ac debebit iam dicta principalitas in Episcopo & Ecclesia continue reseruari.

Hanc autem fore legislatoris quam diximus potestatem, testatur *edictum* primi Constantini Romanorum Imperatorum, insertum *codici* Isidori supradicto, in quo continetur inter cætera series hæc: *Atque decernentes sancimus*, (nos videlicet, Imperator Romanus,) *vt principatum teneat* (ecclesia Rom. scilicet,) *tam super quatuor præcipuas sedes, Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, & Hierosolymitanam, atque etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Dei Ecclesias. Et pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosancta Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat. Et eius iudicio, quæque ad cultum Dei, vel fidei stabilitatem procurandam fuerint, disponantur.* Dixit autem signanter, *procurandam* per ipsum fidei siue legis diuinæ *stabilitatem*; nec dixit secundum suam aut suæ soli ecclesiæ siue collegii sententiam determinandam. Quoniam vt pridem diximus solicitari & inquirere opiniones emergentes circa scripturã & fidem, quæ schisma vel aliud scandalum afferre possunt,

 & fide-

& fidelium quietem ac vnitatem turbare, idque denunciare fideli legislatori, aut illius autoritate principanti, & ab ipso concilium requirere propter huiusmodi determinanda, & si expediens fuerit, corrigenda, ad sui pertinet officii prioritatem, quam diximus. Sic igitur principalitatem hanc tribuit Constantinus Episcopo & Ecclesiæ Romanorum: & cum principalitate hac propter deuotionem, autoritates alias quam plurimas etiam coactiuas, ad quarum collationem eidem diuino vel humano iure minime tenebatur. Hanc siquidem etiam principalitatem iam dictam ab Episcopo & ecclesia Romanorum, reuocatam fortasse per successores aliquos Constantini, restituit Augustus Phocas ecclesiæ supradictæ, vt ex *Chronica* Martini *de Romanis Pontificibus & Imperatoribus* euidenter apparet: Vbi legitur inter cætera, *Bonifacius quartus natus Marsorum, &c.* & parum infra: *Hic obtinuit ab Augusto Phoca Imperatore, vt Ecclesia beati Petri Apostoli caput esset omnium ecclesiarum, quia Constantinopolitana primam omnium se scribebat.*

Huius autem rursum institutionis autoritatem esse legislatoris humani fidelis, iuxta consilium & determinationem generalis concilii, côuinci potest eisdem rationib. & autoritatib. quib. ostensum est 21. *huius*, ad ipsi⁹ autoritatem pertinere generale concilium conuocare, rebelles ad conueniendum sacerdotes & non sacerdotes omnes, ac ordinatorum per concilium transgressores, licite per coactiuam arcere potentiam, sola rationum mutata extremitate minori. Ex quib. eisdem per necessitatem sequitur, eiusdem fore autoritatis, iam dictum Episcopum principalem, & Ecclesiam siue collegium corrigere, ab officio suspendere ac priuare seu deponere licite, si visum fuerit rationabiliter expedire. Non est autem prætereundum silentio, quod sub infidelib. legislatorib. siue horum autoritate principantib. constituti fideles, tam sacerdotes quam non sacerdotes, qui fuerint in lege diuina periti, eadem diuina lege videlicet obligantur, si congrue possint conuenire ad eius sensus dubios diffiniendum, & determinandum, ac reliqua ordinandum, quæ ad fidei & fidelium augmentum & vnitatem atq; communem vtilitatem ꝑficere possint, quamuis ad hoc ampli⁹ obligentur sacerdotes, & debeant alios excitare. Quoniam ipsorum officium est alios docere, exhortari, arguere, & si oportuerit increpare. Tenentur etiam consequenter ad hoc, qui docti fuerint in lege diuina, & per sacerdotes ad hoc requirendi sunt, quoniam *scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi,* vt scribitur Iacobi 4. Quemadmodum enim ad ciuilem libertatem defendendam per pugnam corporalem tempore necessitatis, humana lege non solum obligantur qui assignati sunt officio militari, pedestri aut equestri, verum etiam qui ex aliis officiis ciuitatis extiterint. Et amplius qui ad hoc sunt magis idonei, præcipue cum per militares aut ipsorum ducem fuerint requisiti. Sic etiam ad fidei defensionem & declarationem & reliquum ritum ecclesiasticum ordinandum, non soli sacerdotes obligantur lege diuina, verum etiam qui non sacerdotes, periti tamen in ea, præsertim cum ad hæc per sacerdotes fuerint requisiti, quamuis hoc sit proprium sacerdotum officium.

Quo vero conuocante sacerdotum collegium & reliquorum fideliû idoneorum congregabuntur, merito quæret vtiq; quis, cum nullus sacerdotum aut reliquorum fidelium, lege diuina sit cæteris prior secundû determinata pri⁹, neq; humana, eo ꝙ legislator humanus vbiq; supponitur infidelis. Nos autem dicamus iuxta scripturæ sensum, per nullum episcopum siue sacerdotem habentem super alios sacerdotes & episcopos autoritatem, futuram conuocationem aut congregationê prædictam, nisi forsitan eo casu, quo per iam dictam fidelium pluralitatem huiusmodi autoritas alicui sacerdotum concessa foret. Esto igitur neminem sic aliis omnibus per sacerdotem & reliquorum fidelium multitudinem fuisse prælatum, sed præferendum expedire, aut aliud quid circa fidem & ecclesiasticum ritum expediens ordinandum. Dico vocationem congregationis huius vel ab omnibus sacerdotibus prouenturam, si fortasse tantæ charitatis fuerit vnusquisq;, quod propter fidem conseruandam & augendam velit alios excitare, sic, vt hoc sibi condicentibus & consentientibus omnibus, nulli dubium ipsos faciliter congregari. Aut si forte non omnes tantæ fuerint charitatis, vt seipsos & alios ad dictam congregationem mouere velint, ab aliquo vel aliquib⁹ reliquis feruentioribus amore diuino proueniet, aliis vero presbyteris aut non presbyteris obtemperantib. sibi tanquam benedicentibus & côsulentibus recte. Quo etiam alterutro dictorum modorum conuenerunt apostoli & seniores videre, an oporteret ad salutem æternam incircumcisos fratres circumcidi, sicut apparet *Actuum* 15. Nusquam n. legitur, quod vocante apostolorum aliquo per suam autoritatem alii conuenerint. Sed solum hoc, quod *conuenerunt apostoli & seniores videre de verbo hoc.* Et rursum quod *conuocantes duodecim multitudinem discipulorum.* Quis vero apostolorû primus excitator seu exhortator fuerit ad huius congregationes fiendas, ex scriptura non habetur expressum. Esto tamen hunc fuisse beatum Petrum propter ampliorem in ipso charitatem, non propterea sequeretur ex hoc, ipsum habuisse super apostolos alios autoritatem aliquam, nisi eam forte quam sibi per ipsorum electionem super cæteros tribuissent, quemadmodum supra ostensum est 15. & 16. *huius*. Sunt enim in claustris & ciuilitatibus plurimi, merito vitæ atq; doctrinæ sacræ perfectiores, aut virtute politica præstantiores, qui tamen minus perfectiorum non sunt principes aut prælati, sed plerunque subiecti, quod in sacerdotalibus officiis, nescio vel fortasse noui, qua peste frequenter euenit temporibus his. Amplius, sicut quandoque in ciuili congregatione studiosioribus, antiquioribus, & magis approbatis viris à suis ciuibus, nulla sibi tamen autoritate subiectis, sed propter solam reuerentiam quæ ampliori virtuti & ætati deberi videtur prærogatiua sedendi, loquendi, & deliberandi conceditur, & in aliis honorationibus defertur quam pluribus,

pluribus, sic verisimile valde ac iuxta scripturæ seriem, propter iam dictas causas, cæteri Apostoli Petro deferebant. Primus enim inter alios proposuisse legitur, vnde fortassis à quibusdam sanctis, dictus est *os & vertex collegii Apostolorum*, quamuis nulla forent sibi autoritate subiecti, nisi secundum eam quam pridem diximus ipsorum electionem, si ipsum sic sibi præferre sponte voluerint vt abbatem aut priorem monachi & præsidem populi. Secundum itaq; iam dictos modos, cónocationem & congregationem fidelium fuisse possibilem, rationabile valde. Sicut enim ad ciuilem communitatem & legem ordinandam conuenerunt homines à principio, ipsorum valentiori parte concordante in his quæ sunt ad vitæ sufficientiam, non quidem vocati per singularem hominé, aut per plures aliquos habentes autoritatem coactiuam in reliquos, sed suasione & exhortatione prudentum & facundorum virorum, quos natura inter alios produxit inclinatos ad hoc, ex se postmodum proficientes suis exercitiis, & alios dirigentes, ad quam etiam homines naturaliter inclinati, obtemperauerunt suadentibus facile, quemadmodum ex *primo Politicæ c. 1. & quarto eiusdem cap. decimo, & ex septimo illius capitulo 12.* induximus *tertio, quarto, septimo & 13. primæ.* Sic quoque proportionaliter opinandum, multitudinem apostolorum atque fidelium conuenisse, suadente fortasse apostolorum aliquo vel aliquibus charitate feruentioribus, reliqua quoq; multitudine spiritus Sancti gratia, & inclinatione obtemperante faciliter. Quo etiam modo post apostolorum tempora sub infidelibus legislatoribus siue principibus, fortasse fecerunt Episcoporum siue sacerdotum aliqui charitate Christi & proximi magis abundantes, *cum quibus se mansurum vsq; ad seculi consummationem*, Christus promisit Matth. vltimo & nouissimo verbo. Hi enim sunt, de quib. Rabanus dicit ibidem; quod *vsque in finem seculi non sunt defuturi in mundo, qui diuina mansione & inhabitatione sunt digni*, quamuis ad hoc ex officio teneatur quilibet sacerdotum, si congrue possit. Omnibus enim hoc datum est præceptum in apostolorum persona Matth. vltimo, dum ad eos dixit Christus; *Euntes ergo docete omnes gentes.* Quod attendens apostolus primæ ad Corinth. 9. dicebat: *Væ mihi si non euangelizauero, necessitas enim mihi incumbit.* Cuius exemplum, solicitudinem & laborem circa fidei augmentum & vnitatem seruandam moderni pastores ecclesiæ Romanæ, parum attendunt, Christi fideles ad litem & discordiam inuicem excitantes, vt eisdem possint securius, quamuis illicite ac indebite, seculariter principari.

Ex dictis itaq; patet, Romanum episcopum, & ipsius ecclesiam aliarum hactenus extitisse principaliorem & caput, & in quibus esse debuerit & debeat esse caput, sufficienter ostensum est. Vnde vero ad ipsum, & secundum quem modum peruenerit autoritas hæc, & vsq; ad quantum de facto, quamuis indebite ac illicite subreptitie sit protensa, resumentes dicamus, quod Episcopus & Ecclesia Romanorum, secundum ea quæ induximus 18. *huius, parte 5. 6. & 7.* ab initio sui vsq; ad tempora Constantini obtinuit licite prioritatem hanc ex aliarum ecclesiarum, quasi electione præbentium eidem consensum & obedientiam, sponte tamen, non quidem, quia eidem aliqua forent autoritate subiectæ sed propter apostolorum Petri & Pauli præeminentiam charitatis, & in fide constantiam, & rursum propter multitudinem solennium personarum in ea, honestate præpollentium atq; doctrina. Qui etiam propter ipsorum charitatem immensam, curam & solicitudinem assumpserunt, aliarum ecclesiarum prælatos & singulares fideles alios instruere, ac fraterne monere. His autem ipsorum monita tanquam doctiorum, suscipientib. ipsorum etiam ordinationes circa ecclesiasticum ritum, quoniam vtiles videbantur & iustæ, postmodum susceperunt, & demum ipsorum mandatis sub ecclesiastica censura excómunionis vel interdicti, propter fidelium vnitatem seruandam obedierunt, quæ siquidem obedientia spontanea, per longam consuetudinem obtinuit vim electionis cuiusdam. Vnde licet circa initium Ecclesiæ, reliqui Episcopi & Ecclesiæ fidelium neque diuina neq; humana lege aliqua obligarentur obedire mandatis aut institutis Ecclesiæ vel Episcopi Romanorum, plusquam econuerso, inualescente tamen hac vtili & rationabili consuetudine, qua fideles in vnitate amplius seruabantur, eo quod tunc fideli caruerunt legislatore ipsos ad ordinem reducente ac in vnitate seruante, obligati fuerunt posteri lege diuina ad huiusmodi obedientiam in licitis & honestis, ac si dictum Episcopum & Ecclesiam per electionem sibi iudicem statuissent circa ecclesiarum ritum, & hoc præsertim vsq; in ea tempora quib. possent publice cógregari, & de statu ecclesiastico perfectius ordinare. De contentiosis autem actib. altera quidem ratio est, in illis n. iudicandis inter fideles, siue sacerdotes siue non sacerdotes aliud consilium dedit apostolus, secundum quod ex *1. ad Cor. 6.* induximus aliqualiter *9. huius, & eiusdem 29.* explicabimus amplius. Hoc n. noluit Apostolus esse officium sacerdotis seu episcopi cuiusquam, aut solius ipsorum collegii, sicut ex Apostoli serie ac sanctorum expositionib. euidenter apparet ibid. Sic ergo Romanus Episcopus & ipsius Ecclesia prioritatem licite à principio, per quandam sui charitatiuam solicitudinem obtinere cœpit, quam postmodum propter consuetam deuotionem, reuerentiá, & obedientiam spontaneam electionis quasi robur assumpsit. Nusquam n. ex scriptura colligi potest, quod præcepto Christi vel consilio aut alicuius apostolorum, ecclesiæ vel Episcopi reliqui, subesse deberent Ecclesiæ vel Episcopo Romanorum etiam in ecclesiastico ritu. Quod si tamen necessitatis fuisset debitum ad salutem fidelium, quemadmodum asserunt iam quidam Rom. Episcopi, nec solum circa ecclesiasticum ritum, verum etiam in iurisdictionib. coactiuis, non tantum super clericos, verum et seculares principatus quoslibet, quomodo existimabile est, Christum & ipsius apostolos hoc prætermisisse tradendum. Sed quoniam tam Christus quam ipsius apostoli aperte statuerunt oppositum, presertim in iurisdictionib. coactiuis, vt ex scriptura palam ostensum est 4. *huius, 5. & 9.* debet sic sermo

 dicen-

dicentium cum *apocryphis fabulis* cōputari. Tempore vero Constantini I. Rom. Imperatoris, qui patenter Christi fidē & baptismū assumpsit, primū fideles inceperunt publice cōgregari, & dubia circa fidē diffinire, ac ecclesiasticū ritum ordinare, vt ex Isidori p̄dicto *codice* apparet, capitulo, *de primitiua ecclesia, in synodo Nicena*, ab hoc siquidē Constantino per *edictū imperiale* iuxta prædictā laudabilē & antiquam consuetudinem obtinuit episcopus & ecclesia Rom. prioritatem, q̄ sibi super alias determinauimus conuenire. Et vltra prioritatem hanc prouinciarum quarundam possessiones atq; dominia, quamuis ante tempora Constantini & post etiam Rom. Episcopi quidam suis *epistolis* siue *decretis* quibusdam prioritatem, q̄ super alios illis conuenire monstrauimus electione vel constitutionib. principum sibi singulariter absq; requisitione vel consensu legislatoris humani fidelis, collegii cuiusquam vel personæ singularis cuiusuis præeminentiæ aut autoritatis existat, innuerunt diuina lege deberi, cuius tamen oppositum monstratum est sufficienter capitulo præcedente. Post tempora vero Constantini I. & præcipue imperiali sede vacāte, hanc sibi deberi prioritatem quandoq; lege diuina, quandoq; vero concessione principum suis *epistolis* expresserunt Rom. Episcopi quidam. In quibus autem & qualibus hæc sit attendenda prioritas, quam pluribus ipsorum insinuantibus & aliqualiter exprimentib. hanc esse circa legis euangelicæ interpretationem, & circa ordinationem ecclesiastici ritus, tam circa diuinum cultum quam circa ministros, quantum ad omnem ipsorum institutionem, inseparabilem siue primariam quam essentialem diximus, siue secundariam ac ipsius priuationem, quam separabilem siue accidentalem dicebamus 15. *huius*. Hanc etiam extendentes autoritatem in omnes episcopos, & ecclesias, populos & singulares personas, ad sententiam excommunicationis & interdicti diuinorum officiorum, tam subditis, quam ecclesiarum ministris siue prælatis, ac alterius cuiuslibet ecclesiasticæ censuræ consimilis, vt anathematis in supradictos fideles ferendum. Consequenter vero ipsorum aliis idem intendentib. de omni iurisdictione seu coactiua potestate, super omnes ecclesiarum mundi ministros & ipsorum collegia, ea quidem vtentes tanquam sibi conuenienti ex concessione principum, quam diu potens extitit Romanorum princeps, ipsiusq; regnum integrum, & plena sedes. Hoc vero deducto in seditionē, & præcipue imperiali sede vacante, per temporum interualla, freti sunt hac potestate, tanquā sibi diuina lege concessa. Quod cur tam varie contigerit, *sequenti cap* dicturi sumus. Sic etiam suis *epistolis* expresserunt, sibi conuenire temporalium omnium ecclesiasticorum dispensationem seu distributionem p̄ voto absq; collegii cuiusquam aut personæ singularis cuiuscunq; dignitatis vel autoritatis requisitione consensus. Quibus etiam ipsorum moderniores excessib. non contenti, suis expresserunt *Epistolis* siue *Decretis*, autoritatem siue iurisdictionem coactiuam supremam super omnes mundi principatus, populos & singulares personas, sibi lege diuina deberi: sic quidem, vt nullus principantium iam dictorum, iurisdictionem hanc coactiuam, quam vocant ipsi gladium temporalem præter aut contra ipsorum consensum siue dictamen, licite valeat exercere, præter autem aut contrarium facientes, principantes & populos excommunicationis vel interdicti sententiæ vocaliter pronunciando subiectos, asserunt enim se solos in mundo Christi vicarios, qui fuit Rex regum & dominus dominantium, hic latenter intendentes per eum quem sibi debitum dicunt titulum plenitudinis potestatis, propter quod etiam ad suam autoritatem pertinere dicunt omnia mundi regna & principatus conferre, ac auferre licite posse, regibus & cæteris principantibus, ipsorum mandata transgredientibus, quamuis impia sint secundum veritatem & illicita sæpe. Hoc autem inter cæteros Romanos Episcopos, non minus temerarie quam præiudicialiter & contra scripturæ sensum literalem, metaphysicis eius expositionibus innisus octauus Bonifacius, intantum expressit & asseruit, vt hanc Romanis Episcopis deberi potestatem decreuerit *ab omnibus credendum & confitendum esse de necessitate salutis æternæ.* Cuius sententiam assecuti sunt successores eius Clemens quintus, & dicti Clementis vocatus Ioannes immediate successor, quamuis hoc solum explicite videantur dicere de solo imperio Romanorum. Quod quia id asserunt innisi titulo supradicto, plenitudinis videlicet sibi datæ potestatis à Christo, indubium est, potestatem hanc siue autoritatem, si qua talis ex hoc illis conueniat, omnia mundi regna & principatus ex æquo respicere, quemadmodum Christi potestas, sicuti seriose satis ostendimus *decimonono, & vltimo prima.*

CAP. XXIII.

De modis plenitudinis potestatis, & secundum quem modum & ordinem, hos sibi assumpserit Romanus Episcopus, & summarie, qualiter his vsus sit & vtatur.

DE quantis quidem igitur & qualibus potestatibus sacerdotum, determinatum est 6.7.9. & 11. *huius*. Amplius de ipsorum inuicem potestatis & dignitatis æqualitate habitum est 15. & 16. *huius*. Et rursum de vnius Episcopi, Ecclesiæ siue collegii sacerdotum & clericorum super cæteros omnes expedienti & conuenienti prioritate seu principalitate ipsiusq; initii atq; processus, adhuc autem de illius indisconuenientem sibi prioritatis formam & speciem latenti transitu, atq; serpigine, vsq; quasi ad grauissimum & importabilem secularium potestatum occupationis excessum, imoderatumq; amplius & intolerabile futurum penitus eorum desiderium principandi, vocaliter iam expressum, dictum est aliqualiter *capitulo præcedente*. Quodq; tam in occupatis quam etiam occupandis secularibus potestatibus & principatib. ad quos, vt omnium quasi sensibus euidentet appàret, omni conanimine tendunt Episcopi Romanorum, quamuis indebite, non modicum exem-

exemplum fuerit, extet futurusque sit eis locus ille sophisticus, quem sibi videlicet ascribunt titulum plenitudinis potestatis. Vnde etiam paralogismus, quo reges & principantes ac singulos coactiua sibi iurisdictione subiectos, nituntur cōcludere traxit originem, bene se habet perscrutari de huiusmodi plenitudine potestatis. Primum quidem separando seu distinguendo modo illius, deinde vero inquirendo, an Romano pontifici vel alteri cuiquam episcopo, secundum aliquem vnū aut plures modos, plenitudo conueniat potestatis. Post hæc autem secundum quā significationū, hunc titulum Romanus episcopus sibi primum assumpsit. Demum vero qualiter ex hac in alias assumendas acceptiones non vt deceptiones principantib. & subiectis omnibus ciuiliter viuentibus præiudiciales se transtulit. Et qualiter & in quib. eis vsus fuerit & vtatur idem pontifex, & nisi prohibeatur, verisimiliter sit vsurus. Verum quia plenitudo potestatis, vniuersalitatem quandam importare videtur, & de voluntariis potestatib. propositum sit intendere solum, distinguendum nobis est plenitudinem potestatis in modos, penes vniuersalis voluntariæ potestatis distinctionem. Est igitur & intelligi vere potest vno modo *potestatis plenitudo* secundum significationem siue virtutem sermonis, ea quæ cuiuslibet actus possibilis & in rem quamlibet voluntarie factiua est, nō habens hiperbolem, quæ soli hominum Christo conuenire videtur; vnde Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Secundo vero modo intelligi potest plenitudo potestatis, ad propositum magis, ea secundum quam liceat homini exercere quemlibet suum actum voluntarium imperatum, in quemlibet hominē & rem quamlibet exteriorem existentem, in hominum potestate, siue ordinabilem ad vsum eorum. Vel ea rursum secundum q̃ quidem liceat in omnem actum iam dictum, q̃uis non super quemlibet hominem aut rem omnem, humanæ potestati subiectam, vel amplius ea secundum quam liceat, non omnem actum exercere sed determinatum specie, siue modo, secundum tamen omnem volentis impetum quemlibet super hominem & rem omnem humanæ subditam potestati. Tertio vero modo intelligi potest *plenitudo potestatis*, ea quæ supremæ iurisdictionis coactiuæ super omnes mundi principatus, populos, communitates, collegia, & singulares personas, aut rursum in aliqua horum, secundum tamen omnem impetum voluntatis. Quarto vero modo intelligi potest, ea quæ iam dicta est, aut secundum dictum modum super omnes clericos tantum, ipsosq; omnes ad ecclesiastica officia instituendi, priuandi, seu deponendi, & ecclesiastica temporalia siue beneficia distribuendi, aut secundum modum iam dictum. Quinto autem potest intelligi, vt ea quæ sacerdotum omnimode ligandi & soluendi homines à culpis & pœnis excommunicandi, interdicendi, & reconciliandi, de qua dictum est 6. *huius*, & 7. Sexto quidem intelligi potest, ea qua manus imponere liceat omnib. ad ecclesiasticos ordines suscipiendos, & ecclesiastica sacramenta conferendi vel prohibendi, de qua dictum est et 16. & 17. *huius*. Septimo vero intelligi potest, ea quæ sit interpretandi scripturæ sensus, præsertim in his quæ sunt de necessitate salutis, & veros à falsis, sanos ab insanis diffinire seu determinare, ritumq; omnem ecclesiasticum ordinandi, & ordinatorum obseruationis coactiuum vel sub anathemate generaliter ferre præceptum. Octauo vero & vltimo modo quantum proposito nostro attinet, intelligi potest plenitudo potestatis, ea quæ curæ pastoralis animarum generalis ad omnes mundi populos atq; prouincias, de qua dictum est 9. & 21. *huius*. Posset autem rursum *plenitudo potestatis* intelligi secundum vnamquamque diuisionum dictarum, ea quæ nulla sit determinata lege, non plena vero, quæ foret determinata per leges humanam aut diuinam, sub qua etiam recta ratio potest conuenienter comprehendi. Sunt autem fortasse modi quidam & combinationes aliæ plenitudinis potestatis, quæ tamen omnes ad intentionem propositam pertinent, enumerasse videmur. His itaq; potestatis plenæ diuisionibus sic præmissis: Dico plenitudinem potestatis secundum iam dictos duos priores modos episcopo Rom. vel alteri cuiquam sacerdoti, præter Christum siue Deum minime conuenire. De quibus siquidem, propter rei euidentiam, & quoniam certificatum est ex diuina & humana sapientia, & omni morali scientia, pertranseo etiam propter abbreuiationem. De tertio quidem & quarto modo plenæ potestatis per demonstrationem ostensum est 15. *prima*, per scripturæ sacræ testimonium infallibile *quarto, quinto, &* 8. *huius*, amplius confirmatum 15. 16. 17. *ac* 21. *eiusdem* firmissime roboratum, quoniam sacerdoti aut episcopi inquantum huiusmodi super clericum aut non clericum quenquam absolute, nedum cum plenitudine aliqua lege diuina nulli conueniunt. Vtrum autem humana lege sit clerico cuiquam, episcopo, vel sacerdoti vel non sacerdoti, talis potestatis plenitudo concessa, secundum aliquem modum possibilis quidem concedi, & ex causa rationabili legislatoris humani iudicio reuocari, certificandum est & humanis legibus & rescriptis seu priuilegiis legislatoris eiusdem. De reliquis autem quinto & sexto modo, plenæ potestatis scil. ostensum est sexto huius & septimo, quoniam potestas ligandi atq; soluendi à culpis & pœnis, similiter eaq; anathematizandi seu excommunicandi publice quenquam, non est absolute siue cum plenitudine sacerdoti concessa, sed lege diuina determinata, sic vt neq; innoxios apud Deum damnare, neq; noxios soluere possit. Et rursum, quoniam excommunicandi quenquam publice, præcipue principantem aut communitatem aliquam interdicendi cuilibet episcopo & sacerdoti humana ordinatione conuenienter debet determinari potestas, quemadmodum ostensum est *sexto*, 7. & 21. *huius*. Amplius eandem potestatem ad ecclesiasticos ministros instituendos per manuum impositionem, docendum & prædicandum, ac ecclesiastica sacramenta in communitatibus fidelium ministrandum, monstratum est 17. *huius*, non sic episcopis aut sacerdotibus cum plenitudine conuenire, quin diuina & humana lege determinatus sit eis modus conueniens agendi secundum illam.

illam. De residuis autem septimo & octauo modo plenitudinis potestatis, ostensum est 20. 21. & 22. *huius*, eos nulli Episcopo aut sacerdoti cum plenitudine conuenire, sed secundum determinationem tam diuinæ quam humanæ legis. Non igitur Episcopo Romanorum aut alteri sacerdoti cuiquam plenitudo conuenit potestatis, inquantum huiusmodi, nisi eam fortasse velint appellare plenitudinem potestatis, prioritatem seu principalitatem, quam Episcopo supradicto & ipsius Ecclesiæ super reliquas omnes, fidelis legislatoris humani autoritate, 22. huius monstrauimus conuenire. Vnde vero & à qua significatione per Romanum Pontificem primum exordium sumptum est huius ascribendi sibi tituli *plenitudinis potestatis*, cum tamen vere secundum nullam dictarum significationum illi conueniat, consequenter dicendum. Videtur autem titulus hic à Romano Pontifice secundum significationem octauam primum assumptus, & suæ cuiusdam apparentis conuenientiæ, originem extitisse id Christi oraculum, quod habetur Ioannis 21. dum beatum Petrum alloquens, inquit, *Pasce oues meas*. Amplius ex eo quod Matth. 16. ad eundem singulariter, *Tibi dabo claues regni cœlorum, &c.* Rursum ex eo quod Ioannis 18. *Conuerte gladium in vaginam.* Amplius ex discipulorum responso ad Christum: *Ecce duo gladii.* Ex quibus siquidem secundum suas interpretationes, quidam intelligi volunt vniuersitatem totam & totius orbis ouium, id est Christi fidelium, soli Petro fuisse commissam, & sic cuilibet Romano Pontifici, tanquam beati Petri vicario singulari: reliquis vero apostolis & ipsorum successoribus Episcopis, non totam & totius orbis vniuersitatem ouium, sed singulariter determinatum & singulum gregem atque prouinciam gubernandam, fuisse commissam. Quorum beatus Bernardus, sic intelligens oraculum Christi prædictum, ad Eugenium Papam Romanum de consideratione libro secundo, sic ait: *Nec modo ouium, sed & pastorum tu modo vnus omnium. Vnde id probem, quæris? ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute & indiscrete, tota commissa sunt oues? Si me amas Petre, pasce* [illegible] *nihil excipitur, vbi nihil distinguitur.* Parum etiam infra subiungens: *Inde est, quod alii singuli* [illegible] *sortiti sunt plebes scientes sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur vna esse columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens.* Consequenter autem propositum inferens inquit sexto; *iuxta canones tuos, alii in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es.* Intellecta fuit igitur ab initio *plenitudo potestatis*, administratio seu cura generalis omnium animarum.

Secundum hanc quidem significationem assumpta sibi prædicatione tituli huius, quamuis non secundum verum scripturæ sensum, quemadmodum 28. *huius* sufficienter monstrabitur: ex præsumptione transiuit in aliam Romanus Episcopus, fortasse quæstus gratia, vel alterius commodi aut excellentiæ super alios vsurpandæ, assumendo videlicet, ac publice prædicando se solum singulariter à pœnis debitis seu infligendis pro statu futuri seculi, iuxta peccatorum demerita, suo verbo vel satisfactionis in hoc seculo, quo sibi libeat modo taxato simpliciter eximere peccatores & absoluere posse.

His autem sic sumptis sub quadam pietatis & misericordiæ specie: Prima quidem, vt ex charitate solicitati & curare de omnibus videantur: secunda vero, vt omnibus misereri posse ac velle credantur, priuilegiis & concessionibus principum fulti, præcipue Imperiali sede vacante, titulũ hunc consequenter extenderunt Episcopi Romanorum. Primum quidem ad ordinandum circa ecclesiasticum ritum lationes legum quasdam in clericos ab initio vocata *Decreta*. Deinde vero per modum rogationum seu exhortationum ordinationes quasdam laicis suaserunt, vt ieiuniorum & cæteris temporib. abstinentiæ ciborum quarundam propter diuinum suffragium, & misericordiam impetrandam, ad quasdam tollendas tunc ab hominib. epidimias, & aerias tempestates, sicut ex *legenda beati Gregorii*, & aliorum quorundam sanctorum satis apparet. Has autem suscipientib. laicis sponte, ac propter deuotionem obseruantib. inueterata talium consuetudine, ordinationes iã dictas rogationes per modum præcepti cœperunt indicere, sic vt earum transgressores ausi sint absq; humani legislatoris licentia, vocalis sui anathematis seu excommunicationis, sub pietatis tamen, seu diuini cultus specie, terrore ferire. Crescente autem consequenter ipsis appetitu amplius dominandi, attendentib. etiam deuotos fideles huiusmodi verbis terreri propter ignauiam & diuinæ legis imperitiam, qui ad ea quæ per sacerdotes indicebantur, obligari credebant, metu damnationis æternæ præsumpserunt vlterius Episcopi Romanorum cum suo clericorum cœtu oligarchica quędam *edicta* siue *ordinationes* circa ciuiles actus statuere, quib. seipsos, ac ipsorum ordinem siue officium clericatus assumentes quoslibet, etiam mere laicos pronunciauerunt exemptos ab omnibus publicis, ad hoc promouentes officium, seculares etiam cõiugatos, qui facile sunt allecti, vt immunitatib. gaudeant onerum publicorum, vnde non modicam ciuilis multitudinis sibi subiecerunt particulam, subtrahentes principantium potestati. Rursumq; ampliorem subtrahere studentes, aliis ꝓnunciauerunt *edictis*, anathematis pœna feriri eos qui personales iniurias qualescunq; intulerint his, qui clericorum collegio sunt ascripti, sic quoq; clericis iniuriam inferentes per excommunicationem in templis publice diffamantes, nec minus propterea persequentes eosdem, requirunt humanarum legum pœnis arceri. Horum autem detestabilius & sacerdotum officio execrabile valde, quod Romanorum & Episcopi reliqui, vt suam amplient iurisdictionem, & per hanc sibi quæstum turpissimum in Dei contemptum & principantium prę iudicium manifestum, tam laicos quã clericos, vel negligentes aut etiam impotentes quædam persoluere debita pecuniaria, quib. ad certum temporis terminum persoluendis fuerant ciuiliter obligati, excõmunicant & excludunt ab ecclesiasticis sacramentis quos Christus & sancti apostoli multis exhortationib. pœnis, & laborib. ac de-

ac demum suis martyriis & pretiosis sanguinibus infra Ecclesiam posuerunt, non enim sic fecit qui omnib. omnia factus est, vt omnes lucrifaceret. Sed propter sola crimina grauia voluit peccatores à reliquorum fidelium præcidi consortio, vt ex *prima ad Cor.* 5. induximus 7. *huius*. Quibus etiam non contenti, sed secularium contra Christi & apostolorum præceptum aut consilium petentes fastigia in legumlationes seorsum ab iis quæ ciuium vniuersitatis proruperunt, omnem clerum ab his decernentes exemptum, ciuile schisma & principatuum supremorum pluralitatem inducentes ex ipsis, quam velut impossibilem humanæ quieti, certam huius experientiam inducentes, demonstrauimus 17. *primæ*. Hæc n. pestilentiæ Italici regni radix est & origo, ex qua cuncta scandala germinauerunt, prodeunt, & qua stante, nunquam ciuiles ibidem cessabunt discordiæ, potestatem etenim hanc, ad quam paulatim & latenti præuaricatione subintrauit ex consuetudine aut abusione verius, dudum detinuit Romanorum Episcopus, eademq; sibi per principem reuocari formidans, & merito propter commissos excessus, creationem, atq; promotionem Romani principis omni maligna solicitudine vetat, & in tantam demum ipsorum quidam prorupit audaciam, vt in suis edictis expresserit, *Romanum principem sibi iuramento fidelitatis astringi, tanquam coactiua iurisdictione subiectum*, vt ex suarum narrationum, quas *Decretales* appellant, derisibili & contemnendo prorsus *inuolucro septimo, de sententia & re iudicata*, palam se inspicientibus offert. Cui præcipiti temeritati adnuere recusans Christianissimus Imperator ille, virtutum omnium vir, per omne tempus, locum & statum, singulariter inter cæteros principes approbatus, felicis & diuæ memoriæ 7. Henricorum, tanquam præstiti iuramenti se immemorem simulans, illius transgressor describitur per falsam non minus quam temerariam narrationem quandam, *decretalem* vocatam, cui titulus *de iureiurando*: quamuis potius de iniusta iniuria & illata diuo Imperatori, suisq; successorib. & affinibus omnib. contumelia, intitulari merito possit. Nam *à canonum* vocatis conditorib. quoniam periurus pronunciatur infamis. Qui etiam eius claram memoriam, si calumniatorum huiusmodi maculari posset verbis aut scriptis, denigrare sunt nisi. Has siquidem oligarchicas ordinationes non auserunt Episcopi Romanorum cum suis cardinalib. vocare *leges*, sed *decretales* appellarunt, quamuis eisdem homines ad pœnam obligare intendant pro statu præsentis seculi & per potentiam coactiuam, quemadmodum hæc intendunt legislatores humani. Id autem vocabulo *legum* à principio inauserunt exprimere, formidantes resistentiam & correctionem legislatoris prædicti, quoniam ex hoc in principantes & legislatores commiserunt crimen læsæ Majestatis, vocauerunt rursum huiusmodi ordinationes à principio *iura canonica*, vt ex vocabuli colore, quamuis impie appositi, magis habeantur authenticæ, ipsarumq; credulitatem & reuerentiam atq; obedientiam fidelibus imprimant amplius. Sic igitur paulatim clanculum se transferentes, vt omnia concludamus, sex posteriores significationes plenitudinis potestatis de se prædicant Romanorum Episcopi, per has quam plurima in ciuili ordine monstruosa committentes contra legem diuinam & humanam, ac rectum iudicium cuiuslibet rationem habentis. De quorum aliquibus, quamuis non omnibus, singulariter saltem, rememorationem fecimus capitulo præcedenti.

Cap. XXIV.

Qualiter in speciali Romanus Episcopus vsus sit assumpto primatu & plenitudine potestatis infra ecclesiasticos limites siue sacerdotalem iconomiam.

AD hæc autem consequens est manifestare, qualiter & in quibus plenæ potestatis sibi modis assumptis vsi fuerint hactenus Romanorum Episcopi, vtantur, & nisi vetentur, verisimiliter sint vsuri: & primum quidem in ecclesiasticis officialibus statuendis & beneficiis, seu temporalib. dispensandis tam in ecclesiasticos ministros, quam alias miserabiles personas, propter quas etiam, vt in 14. *huius*, ecclesiastica temporalia tradita sunt & statuta fuere sic per ministros ecclesiasticos dispensanda. Deinde vero monstrandum, qualiter his plenis potestatibus vsi sint hactenus & vtantur ac deinceps vsuri ad eos qui ciuiliter viuunt tam principes quam subiectos. Secundum hanc itaque plenitudinem potestatis hactenus & in præsentiarum Romanis Episcopis actione permissa, Christi corpus omne mysticum infecerunt, & si dicere liceat, corruperunt. Electionem namque, modum potiorem, quinimo in quo solo securitas est simpliciter bene instituendi officialem quemcunque, diminuerunt, corruperunt & demum quasi totaliter extinxerunt, cum tamen hac Apostoli cum reliqua fidelium multitudine diaconorum institutionem effecerunt, vt habetur *Actuum sexto*. Diminuerunt quidem primo, in solum clerum conuertendo quod per vniuersam fidelium multitudinem fieri solebat & debet, quemadmodum ostensum est 17. *huius*. Corruperunt autem rursum diminuendo, vt in quorundam imperitorum & exortium legis diuinæ iuuenes, quos Canonicos vocant, exclusis prouinciæ sacerdotibus, eligendi Episcopum autoritatem transferendo, nisi fortasse casu contingeret, quod rarum est & in paucioribus, eundem esse sacerdotem atque canonicum, ad solius vnius Ecclesiæ siue templi clericos in prouincia, determinantes electionis autoritatem, quæ saltim per omnem prouinciæ clerum fieri deberet, & per sacerdotes præcipue, quos debitum est esse diuinæ legis doctores, vt vbi supra monstrauimus. Extinxerunt autem quasi finaliter, quoniam omnium fere prælationum ecclesiasticarũ, nec non horũ, verum mediocrium & minorum officiorum, & quæ mere laicis conuenire possunt, propter templorum custodiã, collectionem & pro his temporaliũ seu beneficiorum distributionẽ, im-

 mediate

mediate suæ potestati reseruant episcopi Romanorum. Qua siquidem reseruatione, irritas & inanes esse decernunt electiones quaslibet, quamuis rite factas, de sufficientib. & approbatis personis horum vice instituentes de suæ plenitudine potestatis ignorantis aut affectæ precio vel prece, odio vel amore, terrore, obsequio exhibito, aut obtinendo fauore, vel peruersæ aliter, diuinarum literarum ignaros, idiotas & indisciplinatos, & plerunq; homines mente corruptos & notorie criminosos, qui plebibus etiam quib. præficiuntur, non communicant idiomate seu sermone. Vnde respondeat ipse Christo *Ioannis decimo*, qui contra vel post factas aut fiendas electiones inter cætera monstra, quæ fecit & facit, de lingua sua Occitana duos instituit episcopos, vnum Guintoniensem in Anglia, reliquum Londensem in Dacia, cum populis illis nullo communicantes sermone, quales autem doctrina & moribus, non mea referre interest, quamuis Londensis, vt in Dacia liquet, ecclesia & diocesis, spoliata omnium armentorum gregibus necessariis ad agrorum cultum, secundum exigentiam patriæ, per venditionem collectis inde thesauris & ecclesia destituta, aufugerit, reuersus in regionem suam. Respondeat, inquam, Romanus Episcopus, quomodo pastor hic proprias oues vocabit nominatim, mores ipsarum cognoscendo per ipsorum confessiones, & quos arguere oportet reprehendendo aut quomodo sequentur illum oues, eius vocem prædicationis & doctrinæ intelligendo? Nec modo propter necessitatem siue defectum hominum, qualis erat antiquis temporibus, oportet ex alienis prouinciis mendicare pastores. Erant enim in Anglia viri præstantiores vita, & sacra doctrina doctiores eo qui vocum seu sermonum significationis ipsorum expers nec sacræ scripturæ doctor sed causidicus quidam præfectus est illis, sic & in Dacia, & in reliquis prouinciis de quibus in errore consimili, inocculta possent induci testimonia plurima, quæ tamen pertranseo propter abbreuiationem. Quis enim non admirabitur aut stupebit, diuinarum scripturarum ignaros iuniores, morum conuenienti grauitate carentes, inexpertes indisciplinatos & quandoque notorie criminosos, ad maiores ecclesiæ thronos esse præfectos Simoniaca prauitate, vel prece potentum, non dico quandoq; terrore, obsequio vel sanguinis affinitate, repulsis aut neglectis scripturæ sacræ doctoribus, viris honestate probatis. Ficta ne loquor aut falsa, ab numeranti quippe prouinciarum Episcopos aut archiepiscopos, patriarchas & reliquos inferiores prælatos, Sacræ Theologiæ Doctor, aut in ipsa sufficienter instructus, non reperietur vnus ex decem. Et quod referre pudet, quamuis non pigeat quia verum, Episcopi modernorum neque prædicare populo verbum Dei, nec hæreticorum, si qui apparuerint, nouerunt erroris aduersari doctrinis, sed in prædictis euentibus impudenter mendicant aliorum doctrinas, cum tamen dicat Doctor gentium primæ ad Timoth. tertio, quod *oportet Episcopum esse doctorem, amplectentem eum qui est secundum doctrinam, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*, vt idem scripsit ad Titum primo. De reliquis vero Prælatis inferioribus, abbatibus & prioribus ac reliquis Ecclesiarum curatis, testem inuoco Deum, immortalem veritatem, numerosam ipsorum multitudinem, vitæ atque doctrinæ sufficientis exortem, sic etiam, vt grammatice nesciant ipsorum quam plures congruum proferre sermonem. Sed quibus rursum dicam de plenitudine potestatis, plerunq; conceduntur maiores Ecclesiæ dignitates, & qui ad has gubernandas sufficientes putantur, causidici sunt. Hos enim tanquam vtiles significat Romanus pontifex, & Ecclesię defensores, qui pro temporalibus conseruandis vel amplius vsurpandis, contendere norunt. Sacræ vero theologiæ doctoribus tanquam inutilibus reiectis ab eo, *simplices enim sunt*, vt inquit ille, cum suorum Cardinalium cœtu, *& ecclesiam dilapidare sinerent*, cum tamen *ecclesia* non sint temporalia sed Christi fideles, pro qua non pro temporalib. iuxta Christi consilium & apostoli, contendere debet Episcopus, vt in *Ioannis decimo*, ac ex apostolo, vbi supra, & aliis innumerosis scripturæ locis, quæ inducere omitto propter euidentiam & sermonis abbreuiationem. Non enim sunt temporalia hæreditas apostolorum, quam conseruandam successoribus suis Episcopis dimiserunt. Nec sunt iura sponsæ Christi, fastigia imperialia & secularia dominia, quæ sub huiusmodi verborum sophistice, modernus Romanorum Episcopus se, vt defendat, imo potius vt offendat, opposuit iniquissime inclyto Ludouico ex Bauariæ ducibus Romanorum Regi. Vnde Bernardus *ad Eugenium de consideratione libro secundo, capitulo quarto*, cum de animarum seu Ecclesiarum solicitudine locutus fuerat, quam sancti Apostoli successoribus dimiserunt, inquit: *Nam quid aliud sanctus dimisit Apostolus? quod habeo, inquit, hoc tibi do, quid illud? vnum scio, non est aurum neque argentum, cum dicat ipse, Argentum & aurum non est mihi.* Et infra parum subdit: *Esto vt alia quacunque ratione hac tibi vendices*, (temporalia scilicet,) *sed non apostolico iure.* Et infra rursum: *Quod habuit hoc dedit, solicitudinem, vt dixi, super Ecclesias.* Quid autem de dominio seu principatu? audi adiicientem Bernardum; *Nunquid dominationem? audi ipsum. Non dominantes, ait, de clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, ne etiam veritate, vox domini est in Euangelio, Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Et infert: Vos autem non sic. Planum est, apostolis interdicitur dominatus.* Et quod amplissima omnium admiratione ac attentione dignum, & per principes tanquam Dei ministros ad formam debitam reducendum in concilio generali, est de summi Pontificis & suorum fratrum, Cardinalium scilicet, institutione quos caput & principaliores cæteris constituendos diximus, principaliter ad fidei veritatem & vnitatem seruandam atque docendam iuxta determinationem concilii supradicti. Ad hunc enim dignitatis apicem non semper, imo rarius eligitur, qui sacræ scripturæ Doctor præfuerit, sed plerunque assumitur ex causidicorum collegio, quod sacræ scripturæ inconsonum est omnino, rectæ rationi dissonum, & in omnium Ecclesiarum facie pudentissimum

tissimum omnium. Sic quoque conuenienter, nec quasi minus aduertendum de Cardinalium cœtu, quoniam ad hoc assumuntur lasciui iuuenes, & diuinarum literarum indocti quam plures: Cum tamen Episcopus hic & Ecclesia siue collegium omnium aliorum esse debeat exemplar & forma, horumque consilio fretus, non aliter, præsertim in arduis, Romanus Pontifex habeat vniuersalem Ecclesiam gubernare. Sed de his hactenus, vnde sermo venerat, redeuntes dicamus, quod Romanus Pontifex de plenitudine potestatis, ampliorem multitudinem prælationum maiorum, mediocrum & minorum confert idiotis aut diuinarum literarum ignaris, non vtinam eriminosis, tam sibi cognitis quam ignotis, pueris & infantibus etiam Simoniaca prauitate sui, vel intercessoris, aut alia quauis plerunque affectione sinistra. Maioribus ergo ac principalioribus sedibus sic infectis ex talium promotione, quinimo intrusione, cæteræ minores curæ siue officia ad collationem horum pertinentia, contagione polluta redduntur. *Gaudentes enim similibus, quemadmodum homini homo, & equus equo*, iuxta sapientis gentilis oraculum, ad ecclesiastica officia eam, qua symoniæ aut alterius peruersæ viæ ianuam ingressi sunt, reserant idiotis & more peruersis. Nam volentes agere secundum habitum proprium, quem non mutauit dignitas, sed plerunque monstrauit sanctos & iustos ac doctos, qui per talem semitam domum Dei intrare non quærunt, tanquam sibi inimicos odiunt & reiiciunt, declinant, & premunt. Quoniam, vt inquit veritas, qui male facit odit lucem. Nec taceo quod supradictus Episcopus, fauore ac gratia potentum sibi quærendis, & cum his etiam inde fortassis receptis pecuniis, quosdam iuuenes diuinæ legis & aliarum disciplinarum indoctos, nec in sacrum quenquam ordinem promotos, adhuc in famosis vrbibus ad episcopatus promouit, cum tamen ad Euandrum dicat Hieronymus, *presbyterum in Episcopo contineri*. Ecclesiastico igitur regimine sic infecto, vniuersum corpus Christi mysticum ægrotat nimirum. Omittentibus enim ecclesiarum Prælatis reliquis curatis exhortationes, obsecrationes & increpationes secundum sanam doctrinam, committentibus autem detestanda & abominanda, palam scandalizatur populus ipsorum exemplo. Quia velut signum sagittatoribus, sic plebi constituuntur exemplum, quod veritas attendens Matthæi quinto inquit: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona*. Et hinc est modernorum morum radix & prima peruersitas, ad quam demum sequitur æterna damnatio. Quoniam, vt ait Christus Matthæi quinto: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt*. Quid autem de temporalium dispensatione dicemus, cum debeant ecclesiasticorum ministrorum sufficientiæ residua pauperibus impotentibus, aliisque personis miserabilibus dispensari? quod neminem quasi latet: conuertuntur in eos vsus, & verius abusus dixero, de quibus sermo fuit vndecimo huius: quibus adiice nouum eleemosynæ modum, quod in mercenarios milites, equites, & pedites, horum plurima consumuntur ad pugnas inter Christi fideles concitandas, & continue nutriendas, vt eos suæ tandem subiicere valeant tyrannicæ potestati. Sic igitur ex prædictis apparet, propter plenitudinem potestatis corpus Ecclesiæ mysticum, secundum materiam siue membra principalia, maxime (verbi causa) Prælatos vndique infectum, & corruptioni propinquum.

Nunc autem de corporis huius forma dicturis, quæ in suorum membrorum ordine, ac situ debito consistere debet. Hoc ipsum tanquam inuenustum ac deforme monstrum videbitur diligenter inspectum. Quis enim animalis corpus, cuius singula membra suo capiti nexu immediate iunguntur, monstruosum & inutile ad operationes conuenientes esse non æstimet. Digitus nanque vel manus, si capiti immediate nectatur, situ sibi debito carens, virtute, motu & opere conuenienti carebit. Non sic autem, si digitus manui, manus brachio, brachium humero, humerus ceruici, ceruix vero capiti, per conuenientes nectantur iuncturas. Sic enim corpus redditur sua forma decens, sic eius caput membris reliquis conuenientem virtutem vni per reliquum secundum eorum naturam & ordinem immittere potest. Et ipsa quidem hinc sibi conuenientes operationes perficere. Quam siquidem formam & modum in ecclesiastico, necnon & ciuili quolibet regimine oportet attendere. Non enim potest vniuersalis pastor aut princeps immediate in omnibus prouinciis singulorum singulos actus inspicere, & immediate dirigere, sed oportet, si decenter, si sufficienter hæc perfici debeant, secundum ordinem debitum substitutis & specialibus ad ea iuuari ministris, sic enim ordinatum permanere potest & crescere corpus Ecclesiæ. Quod sentiens doctor gentium Paulus ad Ephesios quarto, sic inquit: *Crescamus in illo, qui per omnia caput est Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vnius cuiusque membri augmentum corporis facit*. Verum de plenitudine potestatis Romano permissa Pontifici, omnis hic ordo seu forma sublata est, absoluit n. ipse à potestate seu cura & correctione superiorũ, inferiores prælatos & ordines, vt à patriarchis archiepiscopos, ab archiepiscopis episcopos, ab episcopis vero suorum capitula seu collegia clericorum, & rursum abbates & monachorum priores, nouissime autem, non vtinam pessime, religiosos qui *paupertatis ordines* appellantur. Hosq; omnes ordine perturbato suæ curæ atq; immediatæ correctioni submittens, nulla quidem euidenti vtilitate, sed notoria potius sibi lites accumulandi auiditate, in pecuniarum confluxum, ac in Prælatorum expoliationem, & ipsorum ampliorem subiugationem intendens. Quanta tamen inde subsecuta insolentia, quasi nullus ignorat. Carentes etenim hi superiori cura sibi præsenti, contumaces, inobedientes & irreuerentes fiunt, quibus merito subesse deberent, ad seipsos & alios facultatem peccandi liberius, hinc etiam assumentes. Quibus vero cura talium esse deberet, sibi debita potestate priuatis, torpendi & negligendi præbetur occasio, vnde vexa-

v[illegible]iones fidelium tot, tantaque contingunt inconuenientia, eo quod ea diffusius enumerare propter ipsorum incomprӕhensibilem quasi varietatem & numerum, particulariter describere prætermisi. Quamuis ipsorum plurima, se volentib. indagare, faciliter offerant. Id quidem pertranseo, iam ex abusu faciem gerens honesti, quod mensarum ministros diaconos quosdam, *Cardinales* vocatos, sede ac reuerentia episcopis & sacerdotib. præferre patitur, nihil attendens scripturam in hoc, nec quantum detestabile sit illud secundum Hieron. *ad Euandrum epistola*, de qua supra 15. *huius*. Et his adiice nouum germen iam dicti radicis, quod Romanus Episcopus ex hac plenitudine potestatis, beneficium ecclesiasticum obtinentib. vbiq; locorum, absq; sui licentia, interdixit condere testamenta, & intestatorum simpliciter, aut sic ad suam sedem immediate decreuit bona deuolui & debere deferri. Et quod amplius à malo est, quoniam Simonia, quamuis post factum expleatur, amplissima est, quod eadem potestate redditus & prouentus beneficiorum omnium & vbiq;, quo primum anno vacantia fuerint, sibi reseruat, secundum hunc modum sibi congregans omnes mundi thesauros, & eisdem omnia regna spolians, atque prouincias in quib. distribui debent ministris euangelicis & personis miserabilibus, aut in reipublicę, de qua sumuntur, subsidium, si oportet conuerti, quoniam ad hoc statuta & ordinata fuerunt. Hoc rursum intolerabilius, quod legata in testamentis fidelium laicorum, pro vltramarino transitu vel alias pias causas, secundum determinatarum personarum dispositionem, quas *Commissarios* vocare solent, ad sui ordinationem pertinere dicit, eadem plenitudine potestatis: nec mirum, cum eadem omnium regum, principum & regnorum, se quidam ipsorum asseruerit habere dominium, vt induximus 20. *huius*, cum tamen prædictorum omnium nullum ad sui pertineat potestatem, vt ostensum est 15. *primæ*, & 17. *huius*. Ab eodem quoq; radice his ampliora & grauiora contingent, quæ omnia narrari nequeunt, propter ipsorum tam variam esse naturam. *Vno enim inconuenienti dato*, præsertim eo, in quo cætera cogitabilia circa ciuiles actus humanos, *inconuenientia continentur alia quæcunq; contingere, nihil difficile*, iuxta gentilis sapientis oraculum. Hac enim sibi debita potestate plena, illi sequitur licere quodlibet, propter quod humanas omnes ordinationes & leges, etiam per generale concilium ordinatas, secundum sui votum suspendit & reuocat, quod tanquam vltimum incōuenientium in omni mundano regimine, tam sancti q̄ philosophi refugerunt, vt in vndecimo primæ p demonstrationem, & quinto huius, autoritate Augustini, 1. *ad Tim*. 6. fuit amplius confirmatum. Sic igitur ex sibi permissa plenitudine potestatis vniuersum corpus ecclesiæ infectum est. Omnis ecclesiasticæ iconomiæ præuaricatus est ordo, & omne ciuile regimen impeditum simpliciter, aut in parte turbatum, cum tamen huius Episcopi, & ipsius Ecclesiæ siue collegii sermones & opera constituta sint velut exemplum omnium aliorum. In quos siquidem, velut quæso, fideles conuertant lumina, quodam dudum honestatis sophisticæ plurimorum ex ipsis obumbrata velamine, cernent se ipsis lympide, qui Romanæ curiæ, imo verius cum veritate dicam, domus negociationis, & ea quę latronum horribilioris speluncæ limina visitarunt, aut qui ab hac abstinuerunt, numerosæ fide dignorum multitudinis relatione discent, eam pene sceleratorum omnium & negotiatorum, tam spiritualium quā temporalium receptaculum esse factam. Quid n. aliud ibi, quā Simoniacorum vndecunq; cōcursus? quid aliud q̄ causidicorum strepitus & calūniatorum insultus, & iustorū impulsus? Ibi periclitatur innocentum iusticia, vel in tantum differtur, si eam pretio redimere nequeant, vt tandem exhausti innumeris fatigati laborib. iustas & miserabiles ipsorū causas cogantur deserere. Ibi namque alte intonant leges humanæ, silent, aut rarius resonant diuinæ doctrinæ, ibi tractatus & scrutinia inuadendi prouincias Christianorum, & per armatam & violentā potentiam obtinendi & eripiendi ab his, quorū custodiæ licite sunt cōmissæ. Acquirendarum animarū nulla solicitudo neq; cōsilia. Et adde q ibi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Qui vero vidi & affui, videre videor, quam *Dan*. 2. Nabuchodonosor terribilem statuā in somnio recitatur vidisse, caput siquidē habentem aureū, brachia vero & pectus argentea, ventrem autem & fœmora ærea, tibias q̄dem ferreas pedumq; partem vnā ferream, & reliquam fictilem. Quid n. aliud ingens hæc statua, quā status personarum curiæ Romanæ seu summi pontificis, q̄ olim peruersis hominum terribilis, nunc vero cunctis studiosis horribilis est aspectu. Huius n. statuæ superiora membra caput, pectus & brachia, quid sunt aliud in conspectu, in affectu & in amplexu quam aurum & argentum & opera manuum hominum? Eius vero venter & fœmora, quid aliud, quam secularium litium seu causarū calumniarum ve, ac Simoniacarum negotiationum, tam spiritalium quā carnalium rerum sonitus & tumultus? Nec modo dicā excommunicationum & anathematum, tam vocalium quam literalium, tonitrua & fulmina in Christi fideles Romano pontifici & ipsius ecclesiæ seculariter subiici, & ipsorum carnalia siue temporalia, quamuis iustę recusantes tribuere. Quid aliud dic q̄so ęnea femora, quam voluptatum, luxus & vanitatum quasi omnium, etiam laicis indecentium, apparatus pomposus, quem sensib. hominum imprimunt, qui cęteris esse debent castitatis & honestatis exemplum? Ipsius autem ferreę tibiæ ac pedes & digiti, quibus statua figitur, secundum partem fictiles & testei, in quid aliud tendunt, quam secularium principatuum, regnorum & prouinciarum vsurpationem, inuasionem & occupationem, per armatorum seu ferreatorum violentam potentiam, secum portantes in hoc superiora membra, auri & argenti exhibitionem, armatos ad hoc inuitantē, ventrem quoq; ac femora ęnea talium, sonora promissione ac peccatorum & pœnarum vocali, quamuis fallaci, absolutione, ꝓpriam vero libertatem defendentium, suisq; principib. debitam fidem obseruare volentium, iniusta, quamuis Deo protegente prorsus innocua, condēnatione ac maledictione

nes

[illegible] vero bases & digiti testei, fictiles & proinde fragiles, quid aliud repræsentant, quam inconstantiam Romanæ curiæ? quid aliud notant quam quibus innititur Romanus Pontifex aduersum Christi fideles opprimendos, occasionum debilitatem, non modo dicam falsitatem & iniquitatem omnibus manifestam? Verum eodem testante propheta, *super hanc statuam casurus est lapis sine manibus abscissus de monte*, id est, Rex, quem de hominum vniuersitate per suam gratiam electum suscitabit Deus, illi scilicet conferendo potestatem, & cuius regnum alteri non tradetur, hic inquam magis virtute siue gratia trinitatis quam opere seu potestate manuum hominum, huius terribilis & horribilis ac monstruosæ statuæ primum conteret atq; comminuet testeam partem, pedū videl. quib. inconuenienter innititur, falsas scil. ac iniquas causas, & occasiones caluas verius dixero cum poëta, omnib. populis, & principib. ipsarum reserato sophismate ac humanis demonstrationibus impugnato, & scripturæ sacræ veritatib. annullato, innotescere faciendo, deinde vero ferrum ipsius, scil. atrocem & impiam potestatem arcendoræs autem consequenter, id est maledicendi, quam sibi præsumpsit in principes & populos, autoritatem: secularium quoq; iurisdictionum vsurpatarum & proinde causarum & vexationum tumultum silere ac obmutescere faciet: luxus quoq; voluptatum & pompæ vanitatum cessare: Demum vero argentum & aurum, id est, auaritiam & rapinam Romani Pontificis & superiorum membrorum curiæ Romanæ compescet, temporalium quoq; vsum moderamine debito sibi concedet. Sicq; pariter secundum prophetam conterentur ferrum, testa, argentum & aurum, omnia scil. supradictæ curiæ vitia & excessus extinguentur, quasi redacta in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento. Quod enim tam contra naturam, legem humanam atq; diuinam & omnem rationem est, diu permanere non potest.

Cap. XXV.

Qualiter in speciali prædictis sit vsus Romanus Episcopus extra ecclesiasticos limites ad laicos sine ciuilia.

SVperest autem nobis exquirere, qualiter & in quibus plenitudine sibi potestatis assumpta extra limites ecclesiasticos vsi sint hactenus & vtantur Episcopi Romanorum, rememorabimur tamē primum Ecclesiæ primitiuæ ritus eiusq; processus à sui principio & capite quod est Christus, & à primis suis promotoribus, apostolis sanctis. Hic enim, Christus videlicet, venit in mundum, sacerdotale siue pastoris animarum officium instruere, ac etiam exercere. Legis nanque lator æternæ salutis existens, sacramentorum ritum & exercitium præcepta quoque atque consilia credendorum, agendorum & spernendorum ad merendam simpliciter aut excellenter felicem seu beatam vitam, quam vocamus æternam, sub eadem lege perstrinxit, Iudicium quidem ciuilium actuum siue principatus officium huius seculi abdicans & eidem expresse renuncians, & consimiliter abdicare præcipiens aut consulens, omnes apostolos & sui ac ipsorum alios successores in officio supradicto, seipsumq; subiectum exprimens ordinatione diuina, iudicio seu coactiuæ potestati principantium huius seculi, sic quoq; suos apostolos, sic ipsi seipsos tam opere quam sermone, quemadmodum euidenter ostensum est ex scriptura, cum sanctorum & doctorum expositionib. & autoritatib. 4. *huius* & 5. Et humanis rationib. 8. & 9. *eiusdem* aliqualiter declaratum. Eas vero potestates exercens & apostolis ac ipsorum successorib. in eorum persona exercendas concedens, de quib. etiam dictum est 6. 7. 15. & 16. *huius*, summamque rursum paupertatem obseruans, ipsisq; ac ipsorum successoribus seruare docens, præcipiens, aut consulens secundum rememoratum & declaratum à nobis modum 13. & 14. *huius*. Hanc siquidem formam & modum viuendi, & iam dictum officium exercendi, secundum potestates prædictas, obseruauerunt apostoli, tanquam obedientiæ filii, obseruauerunt etiam Romanorum Episcopi & Apostolorum cæteri successores plurimi, quamquam non omnes, vsque quasi ad tempora Constantini primi Romanorum Imperatoris, ipsorum n. quidam prædia possederunt quorum primus legitur fuisse primus Vrbanus, Romanus Episcop⁹, vsq; in cuius tempus vixerat ecclesia siue sacerdotale collegium instar vitæ Christi & apostolorum, quam *meritoriam & summam* diximus *paupertatem*. Hoc quamuis fortasse faciens principaliter prædictus Vrbanus propter pietatem & pauperum subuentionem seu misericordiam, vt ipsius intentionem q̄ pie possumus referamus ad bonum, si tamen huiusmodi prædiorum aut ex ipsis prouentuum coram iudice coactiuo, vendicandi potestatem assumpsit, vel ipsa vendendi & preciū distribuendi pauperib. habuit potestatem, nec vendidit & distribuit, à summa paupertate iam dicta siue perfectionis statu scienter aut ignoranter hæc fecerit, indubie declinauit. Quemadmodum etiam secuti sunt Rom. Episcoporum quam plures in hoc vsq; in tempora Constantini. Quo siquidē interuallo, quemadmodū diximus 8. 10. & 22. *huius*, ordinationes quasdam circa ritum ecclesiasticum, vt cultum diuinum, & statum honestum sacerdotalis collegii sibi statuerint cum suo collegio Roman. Episcopi. Et eas tanquam vtiles communicauere reliquis ecclesiis requirentib. maxime has, cæterarum quoq; mundi ecclesiarum iuxta possibilitatem propter pietatem & charitatem, curam, diligentiā assumpserunt, eo quod rectorib. siue pastorib. sufficientibus carebant frequentius, propter quod aliarum personas exhortabantur atq; monebant in his quæ pertinebant ad honestatem & fidem. Eorum vero monitiones grate ac sponte sumebant ecclesiarum reliquę propter causas assignatas 18. & 22. huius. In quibus quidem etiam ecclesiis, quandoq; discolis existentibus sacerdotum seu Episcoporum aut diaconorum vel reliquarum personarum aliquibus, neque ab

aliorum

aliorum turbatione circa mores aut fidem, fraterna præsentium monitione cessantib. procurabant fortasse ipsorum discretiores, ac pie volentes in Christo viuere, per Romanum Episcopum & ipsius Ecclesiam, quorum monita propter iam dictas causas magis verebantur fideles, excommunicationes seu anathemata ferri, & mandari super rebelles & aliorum turbatores vel aliter criminosos, vel id per seipsos zelo fidei fecerunt episcopi Romanorum. In aliis ergo locis, fideles existentes, secundum plurimã partem ipsorum, concordauerunt obedire Rom. episcopo, & ipsius ecclesiæ, propter fidei vnitatẽ & ipsorum inuicem quietem seruandam, quoniã hæc potestate coactiua nec modo conuenientiori alio seruare poterant, eo q̃ infidelis esset quasi vbiq; tunc legislator humanus. Adueniente vero tempore Constantini I. Rom. Imperatoris, q̃ primus Romanorum principũ permisit & concessit, fideles Christi publice congregari: facta sunt primum concilia generalia sacerdotum seu episcoporum, præcepto & autorita e principis supradicti: Quibus q̃dem conciliis diffiniti sunt & determinati scripturæ sacræ sensus ambigui, & ipsorum veri à falsis & erroneis sequestrati. Quos siquidem falsos & insanos sacerdotum aliqui, quandoq; quidem ꝑpter ignorantiam & plerunq; ꝑpter superstitionem atq; malitiam seminauerant inter Christi fideles. In quib. rursum conciliis, factæ sunt ordinationes circa ecclesiasticum ritum, vt circa cultũ diuinum, diaconorum & sacerdotum honestatẽ & disciplinã, ipsorumq; ad officia ecclesiastica, tam inseparabilia, q̃ vocant ordines, q̃ separabilia, q̃ vocant prælationes, siue curas animarum, & huiusmodi reliqua, in certis locis siue ꝓuinciis promouendi, ac temporalia seu beneficia, vt oblationes ac reliqua quæ sibi ꝑpter ministerium euangelii tradebantur, tam mobilia quam immobilia distribuendi, determinatus siue statutus est modus & forma. De quo siquidem obseruando legislator humanus seu principans ei⁹ autoritate, præceptum coactiuum siue legem tulit, obligantem quemlibet sacerdotem aut non sacerdotem, secundum exigentiã cuiusq; pœna reali vel personali ꝓ statu & in statu præsentis seculi transgressorib. infligenda. Ferebantur n. huiusmodi leges in sacerdotes & episcopos magis quam in alios, quoniam & ipsi tunc erant, qui frequentius causam dabant talibus edictis: nec aduersus legislatorem humanum reclamantib. episcopis Romanorum, aut aliis quibuscunq; tanquam non subiectis principum legib. & edictis, sed instanter supplicantib. ad principes pro legib. ferendis huiusmodi, quemadmodum ex *codice* Isidori supradicto, & aliis approbatis apparet historiis, de quib. induximus plures *vigesimo primo huius.* Amplius per eosdem principes statuebantur & statutæ sunt leges de ipsorum numero certo secundum prouincias, & de ipsorum temporalibus siue carnalib. bonis, tam mobilibus quam immobilibus, quę sibi per prædictum Constantinum donata fuere, ac per reliquos principes Romanos aut alios, & successiue etiam per personas aliquas singulares: rursumque de ciuilibus seu contentiosis ipsorum actibus, quamuis specialibus ex humani legislatoris gratia moderatæ fauorib. Attendentes nanque legislatores sacerdotalis characteris dignitatem & reuerentiam, quoniam per ipsum secundum veritatem, Christi repræsentatur officium, attendentes etiam grauitatem morum, & simplicitatem ac innocentiam personarum, quæ tunc in euangelio ministrabant, & iam dictum gerebant officium: etiam in consimilib. actibus leges minus rigorosas pro his statuebant, ipsisq; quam plurima priuilegia concedentes, ne à laicis calumniatoribus vexarentur, vel à diuinis officiis turbarentur. Erant n. numero pauci deuoti, & propter humilitatẽ facile causidicorum cedentes insultib. nec violenta seu armata propter sui defensionem aut aliorum offensionem vallari potentia. Nam clericos, præsertim sacerdotes aut Episcopos [illegible] re, vel per se sumi iubere, grande nephas, & quasi monstrum ciuile visum fuisset prisci [illegible] vnde Ambrosius, vbi supra induximus nono huius: *Dolere potero, flere potero, gemere potero,* [illegible] *ma, milites, Gothos quoque, lachryma mea arma mea sunt, talia enim munimenta sunt sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere.* Propter quod fauoribus & priuilegiis specialibus indigebant, ad quiete ac tute viuendum, & calumniatorum vexationes euadendum, quamuis modernis temporibus ipsorum ad laicos in hoc conuersio facta sit in oppositam qualitatem. Sic ergo sub legibus & ordinationibus ciuilibus principum vixerunt antiquis temporibus & dudum totum sacerdotale collegium ab eisdem & à populo collationes, confirmationes, & inuestituras suorum officiorum separabilium, vt prælationum, curarum & reliquorum similium, aut minorum: ac temporalium seu beneficiorum distribuendi & dispensandi potestatem suscipientes, nec propter huiusmodi subiectiones contendebant pastores antiqui Romanorum episcopi aduersus principes Romanorum, neq; aduersus populum aut singulares personas ecclesiarum patronos, quoniam ad hoc [illegible] nouerant diuina & humana lege, quemadmodum *quarto, quinto, & octauo huius, ut decimo* [illegible] scripturam & humanas rationes sufficienter ostendimus. Sic enim legimus de Symacho, natione Sardo. Hic enim Laurentio cuidam coëlectus discorditer per Theodoricum regem, facto iudicio, confirmatus est in Papam Romanum. Sic etiam scribit Martinus de beato Gregorio: *Hic,* inquit, *in Papam eligitur, & ipse,* (Mauritius videlicet Imperator,) *imperialibus literis suum affirmat consensum.* Sic etiam suorum priuilegiorum confirmationem, ab Imperatorib. petere solebant Episcopi Romanorum, vt de Vitelliano, natiuitate Signeno, & Constantino, natiuitate Syro, & aliis plerisque Romanis Pontificibus legitur, quinimo pro his & aliis supplicationib. & suis confirmationibus impetrandis ad Imperatores per loca distantia plurimum personaliter solebant accedere, vt de ipsorum quam pluribus legitur in *chronicis & approbatis historiis.* Et quod amplius est, Ioannes duodecimus per Ottonem primum Romanum Imperatorem suis exigentibus demeritis, consentiente omni populo, tam clero quam laicis, à papatu depositus est, sic etiam vbi de nono Benedicto

dicto agitur in *chronica* Martini, legitur de duobus electis contentiose, atque depositis Imperiali censura per Henricum tunc principem Romanorum. Eiusdem enim autoritatis primæ est aliquid statuere, ac id cum expediens fuerit destituere: cum igitur Episcopus quilibet per principem & omnem populum eligi debeat, ipsorum autoritate destitui siue deponi potest, quemadmodum certificatum est *decimoseptimo huius*. Instar ergo Christi & Apostolorum vixerunt Romani, & cæterarum prouinciarum Episcopi & sacerdotes, ac clericorum omne collegium, sub regimine coactiuo principantium autoritate legislatoris humani. Verum suadente ac stimulante huius mundi principe, superbiæ, ac ambitionis primo parente, reliquorum quoque vitiorum omnium suggestore diabolo, in alienam viam, ab ea quæ Christi & Apostolorum, deducti sunt, quinimo seducti verius Romanorum Episcopi quidam. Nam ipsorum animos inuadens cupiditas & auaritia, inde foris expulit, quam Christus in Ecclesia tertio modo dicta, plantauerat & statuerat, summam meritoriam paupertatem. Rursumque inuadens eosdem superbia & ambitio seculariter principandi, expulit inde summam humilitatem, quam Christus indixerat, & obseruare mandauerat eidem Ecclesiæ siue vniuerso cœtui sacerdotum. Quorum quidem primus hoc passus, si eo prior in hoc non alter extiterat, fuisse legitur Simplicius quidam, Tibertinus cognomine, Romanus Episcopus. Hic enim, vnde sibi nescio autoritate sumpta, quamuis certissime nouerim, nisi per ignorantiam excusetur, vnde temeritate præsumpta statuit *nullum clericum inuestituram à laico debere suscipere. Inuestituram* siquidem intelligendo beneficiorum & officiorum, de quib. diximus prius, quamuis tamen ex ipsius statuto significetur manifeste, prædecessores suos humilitatem & reuerentiam debitam principibus exhibere volentes, inuestituras prædictas à laicis recipere soluisse. Huius siquidem rursum successor, quamuis non immediatus, Pelagius primus statuit, vt hæretici per seculares potestates punirentur. De quo etiam statuto mirandum, quoniam nō latuit illum huiusmodi legem tempore Iustiniani Romani principis in hæreticos latam fuisse. Et quoniam suæ non erat autoritatis ferre huiusmodi leges inquantum Episcopi, nisi forrasse hoc sibi autoritate humani legislatoris foret indultum, quemadmodum duodecimo & decimo tertio primæ ostensum est, & vigesimo primo huius. Ideo quemadmodum iam dictus Simplicius in alienam messem falcem iniecit, autoritatem sibi, videlicet quæ alterius, vsurpando. Cui rursum Adrianus tertius, licet non immediate, successit in vsurpatione prædicta. Statuit enim, vt nullus Imperator se intromitteret, & de electione Papæ, vt dicti Martini verbis vtamur. Quod siquidem statutum omnino nullum, eo quod à carente tali autoritate legislatiua scilicet, emanauit. Apertum etiam inconueniens continebat, quemadmodum ex *decimo septimo huius* ostensum est, fueratque illius oppositum longa & laudabili consuetudine roboratum. Quamuis enim dicat Martinus, vbi legit de Leone decimo, quod *Romani ex praua consuetudine petebant ab Imperatore pontificem sibi dari*; *consuetudinem* confessus, quod verum concedimus, *prauam* tamen autoritate propria dicens, quantum petens iustificare vsurpationes prædictas Romanorum pontificum, & iura principum siue humani legislatoris obfuscans, magis homini quàm Deo & veritati placere nisus, non verum dicit. Sed huius rei ortum & mysterium sibi clausum fuisse demōstrat. Nam licet ad principem aut alteram personam singularem, inquantum huiusmodi, non conueniat diuino vel humano iure, nec aliqua laudanda consuetudine, secundum ipsius solius impetum ad officium aliquod instituere seu determinare personam, maxime ad Romanum episcopatum, quemadmodum *decimoquinto primæ, ac decimoseptimo & vigesimo huius* sufficienter ostensum est: ad principem tamen autoritate legislatoris humani sibi concessa secundum certam formam & modum determinatum à lege, vt videlicet vsuro collegii sacerdotalis & aliorum sapientum, & studiorum consilio, ipsorumq; valentioris partis determinationi credituro potuit licite valde Romani Pontificis institutio pertinere. Nec in hoc Martino credendum est, quoniam ipse, cum sui ordine vsurpationis huiusmodi particeps erat, obtinuerunt namq; vel obtinuisse credunt ordines, quos *paupertatis fratres* appellant, à Romanis Pontificibus exemptionem, vt videlicet suis pastoribus Episcopis aut aliis superioribus prælatis nulla sint iurisdictione subiecti, quamuis exemptionem, quæ à principum iurisdictione obtineant ex solis priuilegiis, quibus clerus ab humano legislatore reperitur exemptus.

Vnde tamen venit sermo prius, non praua neq; illaudabilis consuetudo fuit per Imperatores, vt diximus, ecclesiæ Romanæ pastores institui. Hanc n. autoritatem & ampliori modo iam dicto legimus, & concedunt qui tecum Martine veritati huic aduersari nituntur per omnem Romanum populum, vt per Episcopum, clerum, & alias seculares personas Carolo Magno, & Otthoni I. Regi Theutonicorum, & Romanorum Imperatori postmodum fuisse concessam. Vnde in approbatis legitur *historiis*, & verum est, *edictum* hoc emanasse de populi Romani consensu communi: *Leo Papa in synodo congregata Romæ in Ecclesia sancti Saluatoris ad exemplum beati Adriani apostolicæ sedis Episcopi, qui domino Carolo victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum patriciatus dignitatem ac ordinationem apostolicæ sedis & inuestituram concessit. Ego quoq; Leo seruus seruorum Dei Episcopus cum cuncto clero, ac populo Romano constituimus, confirmamus, & roboramus, & per nostram apostolicam autoritatem concedimus atque largimur domino Otthoni primo Regi Theutonicorum, eiusque successoribus huius regni Italiæ in perpetuum, tam sibi facultatem eligendi successorem, quam summæ sedis apostolicæ pontificem ordinandi, ac per hæc Archiepiscopos seu Episcopos, vt ipsi ab eo inuestituram suscipiant, consecrationem autem vnde debent, exceptis his quos Imperator Pontifici & Archiepiscopis concessit. Et nemo deinceps cuiuscunque sit dignitatis vel religiositatis eligendi vel patritium siue Pontificem summæ sedis apostolicæ vel quemcunque Episcopum ordinandi habeat facultatem absque*

consensu ipsius Imperatoris, qui tamen fiat absque omni pecunia, & vt ipse sit patritius & Rex. Quod si à clero quis Episcopus eligatur, nisi à supradicto rege laudetur & inuestietur, non consecretur. Si quis contra hanc autoritatem aliquid moliatur, hunc excommunicationi subiacere decreuimus: & nisi resipuerit irreuocabili exilio puniri, vel vltimis suppliciis puniri. Hoc siquidem edictum confirmauit Stephanus Papa, prædicti Leonis successor, & Stephani successor quidam Nicolaus, ipsumque sub terribilis anathematis pœna seruari præcipiens, *Vt* videlicet *eius violatores seu transgressores cum impiis, qui non resurgent, debeant computari.* Ex hoc autem edicto singulariter notandum est, quod autoritas hæc, quam de inuestituris Romanus Episcopus cum vniuerso populo in Imperatorem transtulit, quantum erat ex parte Papæ, fuit renunciatio quædam, quoniam autoritas huius prima fuit & est principis siue legislatoris humani, qui hanc autoritatem, inuestiendi scil. Episcopos & Archiepiscopos iam Papæ concesserat, eo quod omnia temporalia per quemcunq; translata fuerint in quamuis Ecclesiam, quantum ad hoc subiecta fuerant & sunt legislaroti humano, prouinciæ, in qua sita sunt. Signatur autem hoc ex edicto prædicto, vbi dicitur, *exceptis his, quos Imperator Pontifici & Archiepiscopis concessit.* Sic etiam sedis apostolicæ Pontificem instituere, pertinet ad Romani principis & populi potestatem, vt *decimoseptimo huius* ostensum est. A quo siquidem populo non excluditur sed includitur clerus cum pars sit illius, quam quidem potestatem seu autoritatem, si transferre voluerunt in principem, aut simpliciter, aut cum determinatione legali, eam princeps Romanus licite sumpsit, nec ab ipso per Decretalem siue legem cuiusquam Romani Pontificis, absq; decreto populi potuit licite reuocari. Non enim Romano populo, vel sibi cum clero tantummodo in communitate fidelium conuenit leges aut decretales aliquas condere, quenquam obligantes ad pœnam, vt ex *decimo tertio prima, ac vigesimo primo huius* ostensum est. Has tamen ferre ac promulgare, licet indebite, tam in ipsa latione, quam in legibus latis, iurisdictionem populorum & principum vsurpantes tentauerunt Rom. Episcopi quidam, & paulatim in his processerunt, maxime imperiali sede vacante, quemadmodum deduximus *vigesimo secundo huius.* Hinc autem plurimum, & propter temporalium quorundam occupationem, quantum ex *chronicis* siue approbatis *historiis* comprehendi potest, suscitatæ sunt lites inter Romanorum Imperatores & ipsorum Episcopos, quamuis contra Christi & Apostolorum consilium aut præceptum in hoc egerint, qui sibi succedere debent in apostolatus siue sacerdotis officio, summam paupertatem & humilitatem seruare debentes, qui quidem in aliam quandam & illi oppositam diuertentes viam ignorantia vel malitia vel vtrisq;, vt ex præmissis ostendimus, hanc inierunt aduersus iam dictos principes immortalem contentionem & pugnam, quam inter cæteros magis aggressus est Rom. Episcopus quidam, nomine Paschalis contra Henricum IV. Theutonicorum regem. Hunc enim secundum historias prohibuit dictus Episcopus ad imperialem apicem scandere, aduersus illum concitans Romanum populum, vsque quo præfatus Henricus in Tuscia existens per nuncios & literas inuestituras episcoporum, abbatum, & omnium clericorum quasi coactus eidem concessit Episcopo. A quo rursum postquam ingressus est vrbem, super extortis ab ipso iuramentum expetens Papa prædictus, cum suorum Cardinalium cœtu captus est: Et demum liberatus pacem habuit cum Imperatore prædicto, cui rursum suscitans pristinam litem, tandem contendendo, laboriose finiuit.

Huius vero successori *Calixto* cuidam, narrat Martinus, *Imperator prædictus ad cor rediens,* vt Martini verbis vtamur, *inuestituram Episcoporum & aliorum prelatorum per annulum & baculum libere resignauit, & concessit per omne imperium in omnibus Ecclesiis, canonicam fieri electionem, possessiones & regalia beati Petri, quæ propter suam vel aliam cum Ecclesia discordiam alienata fuerant, Romanæ Ecclesiæ restituit, & alias possessiones tam clericorum quam laicorum eisdem occasione guerræ sublatas, restitui fideliter disposuit.* Has siquidem postmodum concessiones & priuilegia ex causa forsitan legitima reuocare volentes, aut reuocantes simpliciter aut in parte, Ottho quartus & Federicus secundus Romanorum Imperatores, Episcoporum & cleri Romani plurimas insidias, persecutiones, & impedimenta sunt passi, & eorum prædecessores aliqui minus adiuti per populos subditos propter ipsorum aut suorum officialium & ministrorum regimen, quandoque fortassis tyrannidem sapuisse. Est igitur, vt iam diximus, & fuit fomes hic primus præsentis litis atque discordiæ inter Imperatores & Romanos Pontifices. Hisque propter legem diuinam, & quorundam principum hæresim contentionibus extinctis omnino. Volunt enim Romanorum Episcopi minus debite ac excessiue temporalia possidere, nec legibus & edictis subesse principum seu legislatoris humani contra Christi & Apostolorum exemplum atque doctrinam, vt in quarto huius, & quinto, & decimo quarto eiusdem, ostensum est prius, cum tamen in his quæ sua non sunt, suis existentibus potius cedere quam contendere debeant iuxta consilium Apostoli ad omnes fideles primæ ad Corinthios sexto: *Sic non est,* inquit, *inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Iam quidem omnino delictum est in vobis: quid iudicia habetis inter vos? Quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Et subdit, quod potest ad Romanos Episcopos & reliquos clericos quasi omnes conuenienter dici: *Sed vos iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fratrib. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, neq; fornicarii, neq; idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebunt.* Quod parum attendentes Romani Episcopi cum reliquis aliis, si quando per Romanos principes sibi videantur grauari per decimarum aut tributorum talium temporalium sumptionem, ad suos milites sustentandos, instante necessitate bellorum, pro susce-

cepta

cepta gratia & beneficio carnalium rerum quas sibi cōtulerunt gratiose Romani principes, in superbiam elati, suæ conditionis ignari, & ingratissimis omnib. magis ingrati, effrenata quadam præsumptione in horribiles blasphemias & anathemata proruperunt tam in principes quam ipsis subditos Christi fideles, quamuis in ipsorum animas infelices & corpora potius redeuntes, quam in principes & innocentem gregem fidelium transeuntes.

Nec sibi per principes concessis temporalibus contenti propter eorum esse insatiabilem talium appetitum, multa temporalium ad imperiale ius pertinentium prouinciarum, vt quæ Romandiolæ ciuitatum, vt quæ Ferrariæ atque Bononiæ, ac plurium aliarum possessionum, nec non etiam prædiorum & aliarum iurisdictionum occuparunt, maxime imperiali sede vacante. Et quod omnium ciuilium inconuenientium est extremum, principes & legislatores se constituerunt, vt reges & populos in suam, quamuis intolerabilem & turpissimam seruitutem redigere valeant. Eorum enim plurimi ex humili plebe trahentes natalia, dum ad statum pontificalem sumuntur, præsidatum seculi nescientes, quemadmodum neq; diuitias, indiscreti nuper ditati, fidelibus omnibus importabiles fiunt.

Amplius credentes sibi licere quodlibet de plenitudine potestatis, quam sibi debitam asserunt, ordinationes quasdam oligarchicas, *Decretales* vocatas, statuerunt & statuunt, quibus ea quæ suo & suorum clericorum ac reliquorum laicorum, de quorum exemptione diximus 8. *huius*, temporali commodo conuenire credunt, quamuis in principantium & reliquorum fidelium grande præiudicium seruanda decernunt. Inobedientes vero his suo, quemadmodum prædiximus anathemate ferientes, vocaliter aut in scriptis, in tantam quoq; dementiam demum & insaniam prorumpentes ipsorum aliqui, vt omnes mundi principes & populos, his decretalibus pronunciauerunt sibi coactiua iurisdictione subiectos. Et hoc credere tanquam verum fore cuilibet de necessitate salutis æternæ. Quod tamen quanta sit irrisione dignum, supra monstrauimus 20. *huius*, 8. *in* 13. Hos itaq; quos narrauimus per Rom. Episcopos cum suorum clericorum cœtu in cunctos principes & populos patratos excessus, quamuis amplius & manifestius in Italicos populos & principes Romanorum conseruare volentes ipsi, & pertinaciter velut obstinati defendere. Nec hos tantummodo, sed pcōceptos & optatos eosdem aut ampliores in reliqua regna sibi quærere volunt, omnique solicitudine tendunt, & quam audent omnium ad hoc exteriorem operam præbent. Sane tamen attendentes atq; noscentes, quamuis hoc dissimulent, & quibusdam verborum poëticis boatibus & inuolucris, tam obscurare quam negare conentur humani legislatoris eiusdem esse autoritatem, priuilegia & concessiones quascunq; conferre & auferre. Cum id iudicauerit expedire, Romani principis creationem atq; promotionem omni solicitudine maligna & conamine prohibēt, suæ vel prædecessorum suorum ingratitudinis & demeritorum conscii, priuilegia & concessiones reuocari & auelli sibi per Romanum principē formidantes, & inde meritas disciplinas subire. Rursumq; propter iam dictam formidinem, & quoniam priuilegiis supradictis ad aliorum regnorum dominia, iurisdictiones & possessiones occupandas, non sine calumnia sibi pateret ingressus, reclamantib. fortasse quibusdam principum exemptionem à principe Rom. alia quadam astuta meditatione ad hæc quæsierunt intrare. Assumpserunt n. titulum quem de se prædicant, & hu⁹ nequitiæ instrumentum facere student, *plenitudinem* videl. *potestatis*, quam à Christo in personā beati Petri aiunt sibi tanquam huius apostoli successorib. singulariter fore concessam. Quo siquidem execrabili titulo & oratione sophistica secundum ęquiuocum, omnibusq; fidelib. nihilominus tanquā falsa secundum omnem eius sensum semper & vbiq; neganda: paralogizauerāt hacten⁹, paralogizant & ampli⁹ paralogizare nituntur, & in ipsorum seruitutem redigere omnes mundi principes & populos, collegia & singulares personas. In eo nanq; sensu, secundū quem *plenitudo potestatis* signare videtur vniuersalem animarū curam seu pastoratus vniuersalitatem, & rursum secundum quē sensum potestatem importat: omnes n. homines singulariter absoluendi à culpis & pœnis sub specie pietatis, charitatis, & misericordiæ dicto titulo plenæ potestatis per Rom. Episcopos sibi primum assumpto: ex his paulatim atq; latenter, vt deduximus *vigesimotertio huius*, transiuerunt, & demum sibi sumpserunt hunc titulum in eam & secundum eam significationem, qua *potestatis plenitudo* per ipsos intelligitur *autoritas vniuersalis & suprema iurisdictio siue principatus coactiuus, omnium principum, populorum, & temporalium rerum*. Eius quidem transitus & præsumptionis inde, quamuis inconuenienter, per metaphoricas expositiones suscipientes exordium, vnde diximus *vigesimo tertio huius, parte* 5. Signum autem omnibus inoccultum, Romanos Episcopos iuxta sensum hunc de se prædicare plenitudinem potestatis, supremæ scilicet iurisdictionis seu coactiui principatus autoritatem sibi velle super omnes principes, populos, & singulares personas ex hac potestatis plenitudine conuenire. Quoniam in suarum narrationum, quas *Decretales* appellant, *inuolutro septimo, de sententia & re iudicata*, Clemens quintus Papa Romanus, qui conditor eius præscribitur, & qui postmodum propalauit, eiusdem vocatus successor, quantum in ipsis extitit, reuocantes sententiam quandam diui Henrici septimi Romanorum Imperatoris inter cætera ipsorum iam solito more præmissis quamplurimis contumeliæ, ignominiæ ac irreuerentiæ verbis in præfatum Henricum, tam vocaliter quam in scriptis protulerunt hanc seriem: *Nos tam ex superioritate, quam ad imperium non est dubium nos habere, quam ex potestate, in qua vacante imperio, Imperatori succedimus, & nihilominus ex illius plenitudine potestatis, quam Christus rex regum & dominus dominantium, nobis, licet immeritis, in persona beati Petri concessit, sententiam & processus prædictos, & quicquid ex eis secutum est, vel occasione ipsorum de fratrum nostro-*

rum consilio declaramus fuisse, sic esse omnino irritos & inanes. Quod ne deinceps lateat horum Episcoporum fallacia, tanquam veritatis preco, clamo valenter, & vobis dico, regibus, principibus, populis, tribubus, & vniuersis linguis per Romanos Episcopos cum suorum clericorum seu Cardinalium cœtu, hac ipsorum scriptura, secundum omnem eius suppositionem apertissime falsa, summum omnium præiudicium fieri. Vos enim tentant in suā redigere subiectionem, si eam manere passi fueritis, præsertim vim ac robur legis habere. Attendite nanq; per necessitatem sequi, habentem autoritatem primam cuiusuis principis siue iudicis reuocandi sententiam, super eum habere iurisdictionem & coactiuum principatum, potestatem quoq; sui principatus instituendi & deponendi. Hanc autem Rom. Episcopus sibi autoritatem ascribit super omnes principes mundi & principatus indifferenter: quoniam ab ea potestate plena, quam sibi Christum in persona beati Petri concessisse asserit, sententiam ciuilem reuocauit Henrici præfati. Quam siquidem etiam potestatem, per necessitatem sequitur non sibi minus fuisse concessam super reliquos omnes mundi reges & principes, quam super principem Rom. quoniam Christus non minus est vel fuit, aut erit rex aut dominus aliorum regum & principum, quam regis aut principis Rom. Quod etiam ipsorū sermo siue scriptura testatur aperte, dum dicunt aut scribunt, *rex regum, & dominus dominantium.* Si enim ipsorum sermo vel scriptum habuisset singulariter, quod de plenitudine potestatis sibi concessæ per Christum regem & dominum, regis siue Imperatoris Romani, &c. posset ex eo reliquorū regum atq; regnorum aliqualiter exceptio comprehendi. Nunc autem, quoniam pluraliter, absolute ac indifferenter orationem protulerunt, quemadmodum ab Euangelista scribitur, quamuis non ad eam quam Episcopi Rom. intendunt sententiam, nulla potest ex ea regis aut principis exceptio fieri, sicut nec ipsi quenquam ab hoc exceptum intelligunt, sed conceptum quemlibet, vt alibi prædecessor ipsorum octauus Bonifacius distincte protulit, & induximus *20. huius, parte 8.* Ad quos tamen ne propter ipsorum sermonem vel scripturam quisquā infestus animo maneat. Quod quanquam verum dixerit Euangelista, Christum enuncians *regem regum, & dominum dominantium,* etiam si addidisset omnium creatorum: falsum tamen & apertum mendacium contra Christi & Apostolorum Petri, Pauli, & Iacobi manifestam sententiam dixit & scripsit, qui potestatem principatus seu coactiuæ iurisdictionis aliquam, ne dum plenam asseruit fore traditam in persona beati Petri aut alterius cuiusuis apostoli, Romano vel alteri Episcopo cuiquam. Sed est, fuit & erit Episcopo Romano, & reliquis omnibus in Apostoli cuiuscunque persona, talis per Christum interdicta potestas, quemadmodum indubie certificauimus per scripturam, & sanctorum autoritates, *4. 5. & 9. huius.* In ea vero noua, & prius semper inaudita fictione Romanus Episcopus non minus false, quam temerarie contra suam mentem & omnium quasi fidelium, consideratione hac participantium, non veretur enunciare palam, dum pertinaciter asserit *non esse dubium se superioritatē,* quam coactiuæ iurisdictionis siue principatus intendit, *ad Imperatorem Romanum habere:* rursumque *vacante Imperio, sed succedere Imperatori prædicto.* His enim manifeste monstratur iniqua & iniusta vsurpatio iurisdictionum imperialium, quam hactenus Episcopi Romanorum exercuerunt, & in præsentiarum exercent, vt diximus, maxime imperiali sede vacante. Quis enim tam effrons siue verecundia proferret indubium verum esse, quod nunquam à seculis est auditum, neque diuina vel humana lege aut recta ratione firmatum, & cuius oppositum secundum has semper est conceptum & enunciatum, tanquam signum omnibus creditæ veritatis? Vnde proportionaliter medicorum prouerbio, sicut *plures sanat ille, de quo plures confidunt,* sic reuera dicere possumus; Plures seducere vult & fallere, cui plurima credulitas, modernis temporibus adhibetur.

CAP. XXV.

Qualiter eisdem specialius sit vsus Rom. Episcopus in principem & Romanum Imperium.

IAM dicta quidem igitur plenitudine potestatis, & in deterius continuo secundum processum sic hactenus vsi sunt Romanorum Episcopi & vtuntur, magis tamen aduersus principem & principatum Romanum. Quoniam in eum amplius hanc suam, sibi scilicet submittendi principatus, possunt exercere nequitiam, propter regnicolarum inuicem, & aduersus eorum principem per hos vocatos *pastores,* seu *patres sanctissimos,* suscitatam hactenus, & continuo suscitari atque nutriri discordiam. Et rursum, quoniam hoc principatu submisso ipsis, facile credunt, ad subiuganda reliqua regna patere ingressus, quamuis principi & principatui Romanorum ex susceptis beneficiis amplius & singulariter, vt notum est omnibus, obligentur. Verum ne vlli rem incognitam aut nostræ vocis egentem loquamur, cupiditate seu auaritia, superbia & ambitione percussi, ingratitudine peiores effecti quam mali, omnimode quærunt prohibere Romani principis creationem, ipsiusque demum quærentes soluere principatum, aut in aliam formam sibi subiectam amplius transferre tentantes, ne per iam dicti principis potestatem corrigantur, quos in imperium patrauerunt excessus, & inde meritas subeant disciplinas. Quod quamuis ea, quam diximus, intentione patenter obicem ponant vndecunq; principi supradicto: id tamen dolose prætendentes, se facere aiunt *vt sponsa Christi,* ecclesiæ videlicet, *iura defendant,* quanquam sophistica pietas hæc derisibilis sit. Quoniam temporalia vel eorum cupiditas, iurisdictionis aut principatus ambitio sponsa Christi non est, neq; hanc Christus sibi matrimonio copulauit, sed tanquam alienam repudiauit expresse, quemadmodum ex diuinis scripturis ostensum est *quarto & quinto, 13. & 14. huius.* Non est hæc etiam

etiam Apostolorum hæreditas, quam suis veris non fictis successoribus reliquerunt, vt aperte dicit beatus Bernardus ad Eugenium Papam, de consideratione libro, & cap. quarto: *Petrus hic est*, inquit Bernardus, *qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus vel sericis: nec tectus auro, vel vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris, absque his tamen credidit satis posse adimplere salutare mandatum: Si amas me, pasce oues meas. In his*, (auro, vel gemmis & reliquis, temporalibus scilicet,) *successisti non Petro, sed Constantino.* Sic igitur propter temporalia contendendo, non vere defenditur sponsa Christi. Eam etenim quæ vere Christi sponsa est, catholicam fidem & fidelium multitudinem, non defendunt moderni Romanorum Pontifices, sed offendunt, illiusque pulchritudinem, vnitatem videlicet, non seruant, sed fœdant, dum zizanias & schismata seminando, ipsius membra lacerant, & ab inuicem separant, Christi quoque veras comites, paupertatem, & humilitatem, dum non admittunt, sed excludunt penitus, se sponsi ministros non ostendunt, sed potius inimicos. Hunc ergo principatum quærentes subuertere Romanorum Episcopi, supponunt quod ex suis narrationibus pridem induximus, se diuino vel humano iure, aut vtroque fortassis, *superioritatem habere ad Romanum* principem seu *Imperatorem*, siue creatum siue creandum, Imperialem quoque potestatem, siue iurisdictionem illis conuenire, *vacante imperio.* Quæ tamen suppositiones apertissime sunt falsæ, & nullo iure diuino vel humano, aut recta ratione firmatæ, sed oppositum per demonstrationem ostensum est 12. *primæ, quarto, quinto, & nono huius*, per scripturam amplius confirmatum. Fuit autem cum aliis iam dictis harum suppositionum, imo verius præsumptionum occasio, superflua dicam deuotio quædam: Voluerunt enim Romanorum principum quidam citra tempora Constantini, electionem de se factam amicabiliter signare Romanis Pontificibus, vt in eorum persona Christo singularem reuerentiam exhibentes, ab eo per Pontificum intercessionem ampliorem benedictionem & gratiam ad suum gubernandum imperium obtinerent: eodemque aut consimili quasi modo, propter suæ intronizationis solennitatem & signum, & ampliorem Dei gratiam obtinendam, Romanorum quidam Imperatores, diadema regium imponi sibi fecerunt per Romanos Pontifices: quam siquidem impositionem Pontifici Romano plus autoritatis tribuere super Romanum principem, quam Remensi archiepiscopo super regem Francorum, quis dicet? Non enim conferunt huiusmodi solennitates autoritatem, sed habitam vel collatam significant. Ex hac quidem igitur reuerentia sic sponte per Romanos principes exhibita, quærentes sæpius quæ sua non sunt, Episcopi Rom. induxerunt consuetudinem, & abusum verius, propter principum simplicitatem, non modo dicam ignauiam, laudationem electæ personæ ac benedictionem, quam super illam mittebant vocaliter aut in scriptis vocare confirmationem electionis prædictæ. Nec attendentibus olim Romanis principibus, quæ sub hac appellationis figura præiudicialis latebat intentio, sic ipsam successiue subinduxerunt: latenter, nunc vero patenter Rom. Pontifices, vt nullus quantumcunq; conuenienter electus in Romanorum regem, *Rex* vocari debeat, neque *regis Romanorum* autoritatem habeat aut exerceat, nisi per Romanum Episcopum fuerit approbatus. Quæ siquidem approbatio in Episcopi Romani solius mera voluntate consistit, vt dicit, quoniam in terris superiorem neminem aut æqualem in tali iudicio recognoscit, neque suorum fratrum, quos Cardinales appellant, consilium in hoc aut aliis, quamuis eo vtatur imitari tenetur, sed oppositum agere se posse in quibuscunq;, si voluerit de suæ plenitudine potestatis. Verum in hoc secundum suum morem falsum ex veris, & malum ex bonis concludit Romanus Episcopus, non enim ex hac illi per Romanum principem propter deuotionem sponte impensa reuerentia, significando sibi suam electionem, & ipsius postulando benedictionem, & apud Deum intercessionem, sequitur electionem Rom. principis ab ipsius voluntate pendere. Non n. esset hoc aliud quam Romanum soluere principatum, & principis creationem perpetuo prohibere. Nam si electi regis autoritas penderet à solius Ro. episcopi voluntate inane penitus est officium eligentium quoniam per ipsos electus, neq; rex est, neq; rex vocari debeat antequam per suam voluntatē siue autoritatem, quā vocat *sedem apostolicam*, confirmetur, neq; regalem autoritatē aliquam sic elect⁹ exercere potest, quinimo quod nedum pati, verum etiam audire onerosum est valde, nemini licebit electo ex prouentib. imperii absq; huius episcopi licentia, quotidianos sibi sumere sumptus. Quid ergo aliud sibi tribuit autoritatis principum electio quam nominationem, ex quo ipsorum determinatio ab vnius soli⁹ alterius voluntate dependet? Tantam n. septem tonsores aut lippi possent Romano regi autoritatem tribuere. Ne tamen hoc in contemptum ipsorum, sed ipsos autoritate sibi debita priuare volentis irrisionem dixerimus. Ignorat n. ipse, quæ sit electionis virtus & ratio & propter quid in valentiore parte debentium eligere, consistat potestas ipsius. Et quoniam eius effectus ab alicuius vnius voluntate solius dependere non debet nec potest, si fuerit rationabiliter instituta, sed à solo legislatore, super quem principans debet institui: vel ab his tantummodo, quibus idem legislator talem autoritatem concesserit, quemadmodum certificatum est per demonstrationem 12. *& 13. primæ.* Sic igitur Romanus Episcopus palam destruere vult officium electorum, quamuis ipsos miranda versutia excœcare ac circumuenire nitatur. Inquit n. suis quibusdam sermonib. atq; scripturis, quod *nullus electus in Romanorum regem, rex est, nec rex vocari debet ante confirmationem, cuius autoritatem ad suam liberam potestatem pertinere asserit*, (& electorum etiam institutionem ad eandem non minus intelligit pertinere:) *Quoniam imperium à Græcis in personam magni Caroli transtulit in Germanos*, vt asserit idem Episcopus. In aliis vero quibusdam edictis pronunciando, quendam per ipsos electum, à Christo & à sua sede priuatum esse omni autoritate, quam electores illi tribuere potuerunt,

runt, subdole subdit: *Ac per hoc nullum volumus electorib. seu ipsorum officio praiudicium generari*, manifeste tamen illis præiudicando, quinimo verius ipsorum penitus officium annullando, dum prædixit *per ipsorum electionem nemini regalem Romanorum autoritatem conferri*. Et dum per ipsos electum absq; ipsorum consensu & determinatione priuat electionis iure per ipsos impenso. Sicq; ipsis illudens, non aliter præiudicat, quam eruens alterius oculum, id patienti noceat, quamuis sic agens dicat se illi nocere non velle. Est rursum, hanc sibi Romani regis electi confirmationem ascribere, ac absq; ipsa, regem non esse quenquam, nec regem vocari debere, neq; regalia ministrare, nil aliud quam dicti principis creationem & ꝓmotionem perpetuo prohibere vel iam dictum principatum in Rom. episcopi totalem redigere seruitutem. Quoniam Rom. episcopus neminem electum Romanorum regem, si non voluerit approbabit aut confirmabit, cum se omnib. superiorem asserat, & in hoc nulli subesse collegio vel singulari personæ: volet autem neminem semper, eo ꝙ ab electo rege certa pacta & iuramenta, priusquam approbet, exigere vult, & inter cætera iuramentum, quo Ro. Imperator se illi episcopo asserat & exprimat fidelitate seu temporali siue coactiua iurisdictione subiectum, & quarundam ꝓuinciarum occupationes illicitas & iniustas conseruari vult sibi per dictum electum, idq; promitti, & ipsius electi iuramento firmari. Quæ siquidem illicita pacta & iuramenta, nec salua conscientia regiæ Majestatis, & licito iuramento præstito in sui creatione, ad libertates imperij conseruandas fieri possibilia, neq; facta teneri, nullus vnquam electus, nisi muliere mollior, & manifeste talia iurando vel promittendo periurus, Romano vel alteri cuiquã præstabit Pontifici, ꝓpter quod electorum regum nullum vnquã in regem Rom. creabitur, aut vocem imperii merebitur, si ab Episcopo Romano regalis seu imperialis autoritas electorum pendeat, quam diu enim dictus Episcopus, quamuis hoc iniquissime agens, & quæ sua non sunt, quærens, ipsos poterit impedire ac prohibere, impediet tam opere quam sermone.

His autem grauius præiudicium & importabile nocumentũ assequitur cunctos principes, cõmunitates, & singulos Romano subiectos imperio. Cum n. vacante eodem, asserat iam dic⁹ Episcopus *se in officio succedere Imperatori* prædicto, per necessitatem sequitur, ad ipsi⁹ autoritatẽ pertinere, iuramenta fidelitatis à cunctis principib. & fœdatariis imperialib. reliquis exigendi, ipsosq; cõpellendi ad præstandum iuramenta prædicta: necnon ab eisdem petendi tributa & reliqua seruitia, per eosdem Romanis principib. fieri consueta, cum hisdem q̃ vltra consuetudinem sibi debita fingere voluerit iam dictus Episcopus, de sua, quam de se prædicat, plenitudine potestatis. Collationem quoq; principatuum, fœdorum & aliorum iurium, quæ propter defectum masculorũ hæredum aut alia quauis ratione vel causa princeps Romanus conferre potest ad autoritatem hui⁹ episcopi, vacante imperio, similiter pertinere. Ampli⁹ horum præiudicialissimũ & summe molestum, quod vacante imperio, iuxta Rom. episcoporum potentiam & solicitudinem, vt diximus, in perpetuum vacaturo: contendentes inuicem ciuiliter principes, collegia, cõmunitates, & singulares personæ, imperio Romano subiectæ, per interpositas appellationes aut de ipsis ad curiam Romani Episcopi delatis querelis, tam realib. quam personalib. iam dicti episcopi per ipsius citationes adire curiam & subire ciuile iudicium compellentur. Nullam quoq; sententiam poterit princeps, communitas aut iudex Romano subiectus imperio, executioni mandare ad Ro. curiam ab ipsorũ sententiis ciuilib. appellationes semper interponentib. condemnatis. Nolentes autem imperio Romano subiecti, iam dicto Episcopo parere aut in prædictis subesse, quemadmodum nec teneretur, per anathematum seu blasphemiatum, excommunicationum, hæresum, interdictorum, & demum temporalium priuationis seu amissionis vocatas sententias, eiusmodi temporalia publicando, & concedendo quomodocunq; potentib. rapere, ipsosq; persequentib. cum sibi subditis & adhærentibus, qualitercunq; etiam occidentib. cuiuslibet culpæ aut pœnæ veniam, inanem quamuis, atq; fallacem concedendo, subditos eorum à iuramentis sibi præstitis aut præstandis, hæretice quamq; absoluendo, incessanter & omni suo maligno ac proteruo natu, sæpe dictus Episcopus persequetur. Quod si dixerit Rom. Episcopus more solito, curam plebis & pietatem prætendens, eo pertinere ad se Romani principis electionem confirmare, siue probare, ne fortassis ad imperialem apicem hæreticus scandere valeat, cõmunitati fidelium inde quam plurimum nociturus. Illi respondendum vtiq; conuenienter, ꝓpter quod talis electio sui probatione non eget, cũ eadem celebretur & fiat p tres solennes Archiepiscopos Christianos, quorum quilibet æqualẽ à Christo suscepit autoritatem episcopalem seu sacerdotalem Rom. Pontifici, quemadmodum ostensum est 15. *& 16. huius*. Et rursum per quatuor fideles principes seculares, cum quib. vna conuenientib. prædictis religiosis pastorib. siue prælatis, electio prædicti Ro. principis consumatur. Hos autem septem non est verisimile sic errare, aut intentione peruersa moueri, sicut solius Ro. Episcopi voluntatem, qui suo inniti soli iudicio sibi credit de iure licere, per eã, q̃ sibi ascribit incongrue, *plenitudinẽ potestatũ*. Sic n. quencunq; ꝓ voto posset hæreticum iudicare, ac electionis iure priuare, vnde principum eligentium officium redderetur nullum, & electi creatio atque promotio prohibita semper, propter causas prædictas. Esto tamen secundum aduersantem Romanum principem ante vel post sui electionem in hæreticam incidisse, aut incidere labem, idq; latuisse vel sciuisse principes electores, dicendum, nequaquam propterea iudicium aut correptionem ipsius, ad solum Romanum Episcopum pertinere. Nec rursum erit autoritas hæc illius solius Episcopi, aut cum solo suorum clericorum cœtu vel synodo, sed concilii generalis, eorum qui sub imperiali regimine continentur, propter iam dictas causas & alias assignatas 21. *huius*. Nam & cardinales ipsi prædictæ vsurpationi plerunq; consen-

consenserunt, consentiunt, atq; participant, propter quod insecurum est, electionem hanc, talium subesse iudicio. Amplius quærendum, cur etiam non aliorum regum sufficientias personarum suo dicto iudicio & approbationis potestati subesse, pro quibus spondeo, sic ipsos intendere, quamuis hoc nondum audeant attentare, sed eius sibi congruum tempus obseruent, de quo etiam fortassis aliquid dicturi sumus. Ex dictis itaq; suppositionibus falsis viam erroris & iniquitatis ingrediens, iam omnium nouissime modernus quidam, vocatus Papa Romanus, totis suis studiis & nisibus impedit & prohibet incliti Ludouici, ex Bauariæ Ducibus Romanorum regis assumpti, processum ad possessionem quietam apicis imperatoriæ dignitatis. Interimit enim & merito dictus Ludouicus tam verbo quam facto, suppositiones Episcopi supradicti. Nam quamuis nondum per illius verba vel scripta, confirmatus aut approbatus extitit, sicut pridem euidenter ostendimus, nec indiget confirmari ab electionis de se factæ & publicatæ per electores tempore citra se regem Romanorum continuo, sicut secundum veritatem fuit, & est, scribi ac nominari facit, ac fecit. Imperialia quoque siue regalia quæque, quod etiam de iure tenetur, & potest, in omnibus administrat. Vnde aduersus ipsum, quamuis tamen per ipsum, seu prædecessores ipsius, *calefactus coluber* in suis prædecessoribus, iuxta Esopi attendendam, & huic proposito conuenientem apologum, ex quanta paupertate, deiectione, oppressione, opprobriis, ac persecutione, per Romanos principes, ad temporalium abundantiam, throni sublimitatem, & honorem, potestatem, & tranquillitatem releuatus, non velut habens apostolorum, sed tanquam ingratus & immemor, Romanus hic vocatus episcopus se erexit. Primum quidem suo peruerso & solito more in dictum principem expuens, verba ignominiæ ac irreuerentiæ quam plurima protulit, hoc tamen sub melle venenum porrigens, speciem pietatis secundum suam consuetam prætendit fallaciã, dum inquit in suis quibusdã epistolis, quas vocat *edicta*, se talia scribere vel proferre, *vt dictum Ludouicum ab erroris deuio, ad callem siue semitam veritatis & salutis reducat*. seipsum qui loquitur, quid loquitur, & cui loquitur non attendens. Ad quem tanquam deuium ab omni tramite veritatis & cuiuslibet æquitatis exortem, conuenienter & cum veritate verissime dici potest illud Matthæi 7. & Lucæ 8. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? aut quo modo dicis fratri tuo, frater sine eyciam festucam de oculo tuo, & trabs est in oculo tuo? Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui. Non est arbor bona quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum, vna quaque arbor de fructu suo cognoscitur.* Quid igitur hypocrita hic, arbor pessima, fructus omnis malitiæ, ac seditionis, & discordiæ portans vbiq; vt sensatum est omnibus, virum virtutum, insontem, catholicum, & probatum suis ignominiæ verbis sub falsa pietatis & charitatis specie nititur diffamare. Eiiciat n. primo à sui mente caliginosa & quasi cæca trabem, summam scil. ignorantiam & errorem, & à sui affectione peruersa, quasi obstinata & indurata, malitiã & furorem: tuncq; aliorum minutias peccatorũ cernere valebit, & per suas exhortationes & monitiones poterit aptius & conuenientius expurgare. Deinde vero, qui non correptionem hominis, sed mortem ciuilem his sermonib. dolosis & fictis intendit, in supradictum principem Christianissimum, venena quæ credidit illi mortifera ciuilis vitæ, supradictus episcopus effudit & sparsit, dum ipsum cum sibi singulariter adhærentib. excommunicauit, & communitatib. fidelium, eidem tanquam regi Rom. præstantib. aut præstituris auxilium, consilium aut fauorem, diuinorum officiorum exercitium interdixit: parum aut nihil attendens, quod monet Ambrosius in libro, qui *de sacerdotali dignitate* intitulatur. Tractans enim illud primæ ad Timothæum tertio: *Si quis episcopatum desiderat*, inter cætera 8. dicti libri capitulo inquit: *Non litigiosum, id est non linguam ad conuicium relaxet Episcopus, ne per eandem linguam, per quam laudes refert Deo, & diuina libat officia, litium venena proferat. Quia non decet de ore Episcopi benedictionem simul & maledictionem egredi, ne per eandem linguam qua Deus laudatur, homo maledicatur, quia non potest de vno fonte dulcem & amaram producere aquam.* Demum vero suæ malitiæ aculeum, quem in nocumento & exterminatione credit extremum, foras emittet fortassis, in prædictum principem figere credens, blasphemiam videl. suam quandam, ab ipso vocatam *sententiam*, licet re vera supremam dementiam, qua supradictum principem cum adhærentibus, aut obedientibus, & fauentibus sibi omnibus tanquam regi, pronunciauit hæreticos & ecclesiæ inimicos siue rebelles, suorumq; temporalium omnium, mobilium & immobilium iure priuauit, ea quidem per iam dictã sententiam indigne vocatã, publicando, ipsa quoq; occupare volentib. & occupantib. concedendo, & hoc licite fieri posse, per suas voces atq; membranas inscriptas, per se vel pseudo quosdã prædicatores alios, in omnibus prouinciis nunciando, Ipsosq; rursum morte damnando, & occidentib. aut inuadentibus, culparum atq; pœnarum omnium conuitiorum criminum, veniam concedendo. Et si viui capiantur vbicunq; fuerint, in seruitutem capientium redigendo. Amplius officia ecclesiastica maiora, vt episcopatus, archiepiscopatus, atq; patriarchatus, mediocria & minora concedit, ecclesiastica quoq; temporalia, beneficia iam vocata, thesauros, atq; pecunias effundit, vt aduersus dictum principem in inuidiam atq; rebellionem, & guerram atq; discordiam concitet vniuersos, cum tamen supradictorũ cuiusquam ad huius episcopi autoritatem nullã pertineat proferre sententiam, vt 4. 5. 6. 7. 8. & 10. ac 20. *huius* euidenter ostendimus. Præter has autem malignitates horrendas nonum genus exercet nequitiæ, quod manifeste videtur hæreticam sapere labem. Concitat n. aduersus iam dicti catholicum principẽ in rebellionem eius subditos atq; fideles, per sua q̃dam dicta vel scripta diabolica, q̃ tamen apostolica vocat, ipsos absoluendo à iuramẽtis fidelitatis, quib. sæpe dicto principi fuerant & sunt secundum veritatem astricti. Talesq; absolutiones vbiq; diuulgat &

prędicat per quosdam ministros facinorum, ex tali exercitio sperantes, per iam dictum episcopum, ad ecclesiastica officia & beneficia ꝓmoueri. Hoc siquidem non op⁹ apostolicum, sed diabolicum esse extat: quoniam secundum hoc & ex hoc episcop⁹ iste cum omnib. sibi complicib. ordinatorib. consensorib. & executorib. sermone, scriptura, vel opere, cæci existentes cupiditate, auaritia, superbia, cum ambitione, summaq;, vt omnib. constat, iniquitate repleti, ducatum ꝓbent sibi credentib: & assequentib. opere, in omnib. supradictis ipsorum sermonib. atq; scripturis ad casum & præcipitationem in foueam mortalium peccatorum. Primum quidem in periurium manifestum, deinde vero in proditionem & iustitiam omnib. inocultam, consequenter autem in rapinam, homicidium, & omnia quasi scelerum genera incidere faciunt, in quib. morientes nec pœnitentes, per hunc sanctissimum patrem, & illi⁹ seducti ministros, nec propter ipsorum crassam fuisse ignorātiam excusabiles apud Deum, præcipitantur & submerguntur in gehennam ignis, foueam videl. perpetuo damnatorum. Nam certum est & esse debet vnicuique rationem habenti, & ea vti potenti, neque Romanum Episcopum aut alium sacerdotem ab huiusmodi & quouis alio licito iuramento præstito siue ꝓmisso quenquam absq; causa rationabili absoluere posse. Nunc autem vnicuiq; constat, qui ꝓpriæ conscientiæ stare voluerit, & quem sinistra non perturbat affectio, causam quam Romanus prætendit episcopus aduersus pium principem Ludouicum, & alium quemcunque in casu consimili, rationabilem minime fore, sed iniquam, præcipitem & iniustam. Vnde ducatus siue doctrina & exhortatio hui⁹ Episcopi & sibi ministrantium in talib⁹ cauendus est, & omnino spernendus tanquam is qui ad æternum animarum perducit interitum. Sanæ n. doctrinæ ac verbis & sententiæ Apostoli *ad Romanos* 13. *ad Ephesios sexto, prima ad Timotheum sexto,* 2. *ad Titum* 2. *&* 3. repugnat palam. Aperte namque vbi supra, præcipit Apostolus, *subditos obedire debere dominis suis carnalibus, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis*, vt beatus Petrus dicit *prima canonica sua, secundo capitulo.* Quanto igitur magis cum fuerint illis per iuramentum astricti? quod etiam Glossæ secundum sanctos ibidem amplius explicant, manifeste dicentes, quod dominis etiam infidelibus & quantumcunque malis obedire tenentur & debent subiecti. Hoc sane tamen intelligendo, in quibus obedientia non repugnet sermone vel opere legi diuinæ. Indubium autem est, sermones & opera, quibus Romanus Episcopus aduersus Romanum principem inuehitur & procedit, nec diuinæ legis fore mandata, neq; illi consona, sed dissona potius & repugnantia manifeste, quemadmodum per scripturam monstratum est, capitulo quarto, quinto, & nono huius. Hæc rursum docenti seu prædicanti Romano aut alteri cuius Episcopo credere vel obtemperare, nihil aliud est quam omnium principatuum radicem succidi sinere, vinculum & nexum cuiuscunq; ciuilitatis & regni dissolui. Non n. radicem & nexum huiusmodi arbitror alium, nisi mutuum iuramentum & fidem subditorum & principum. *Hæc enim*, fides scil. vt inquit Tullius de officiis, libro primo, *Omnis est fundamentum iustitiæ*, quam inter principantes & subditos soluere nitens, nil minus sibi quærere tentat, quam pro sui libito principatuum omnium potestatem euertere posse, & hinc eos in suam redigere seruitutem. Et hoc etiam ciuiliter viuentium omnium pacem seu tranquillitatem turbare, ac inde præsentis seculi sufficienti vita priuare, demumq;, vt iam diximus, sic animo dispositos finaliter perducere ad æternam perniciem animarum. Propter quod huius Episcopi & suorum cōplicum peius quam Pharisæorum veniæ promissionem inanem, perniciosam & insanam doctrinam, quinimo seductionem animarum verius dicam, omnes Christiani contemnant & caueant, attendentes Christum id consulentem aut præcipientem, *Matthei* 15. dum ad vniuersos fideles, in Apostolorum persona tamen, ait: *Sinite illos*, id est, Pharisæos, qui tunc Mosaicæ legis doctores putabantur erroneæ tamen sentientes in ea, & Christo aduersantes quasi continuo. Per quos siquidem significabantur & intelligebantur omnes sophistici & falsi doctores sacræ scripturæ, quales sunt hi persecutores Romani principis & aliorum innocentum vere fidelium, in quorum persona etiam hi nequam Christum persequuntur, & illi aduersantur. Subdit autem causam Christus, quare hos falsos doctores spernere debemus, dum inquit, *cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Sic igitur iuxta præceptum dominicum sinendi & spernendi sunt hi falsi doctores, tanquam *cæci* cupiditate, auaritia, superbia, & ambitione, *cæcorum*, auarorum scilicet, ac superborum & rebellium duces. Qui etiam non attendentes aut attendere non volentes præceptum apostolicum, quinimo diuinum, sine metaphora, dicentis aperte ad Romanos decimo tertio: *Omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus*, docent & prædicant subditos aduersus ipsorum principes esse rebelles. Tales enim sic rebelles & alios ad rebellionem suis dolosis & iniquis persuasionibus inducentes, ordinationi Dei resistunt. Nam Apostolus vbi supra, *qui potestati*, id est, seculariter principanti, *resistit, Dei ordinationi resistit.* de quibus prophetauit idem primæ ad Timoth. quarto, & eundem secundo, tertio, dum dixit: *Hoc scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes*, sub parentibus principes comprehendens, vnde Tullius de officiis, libro primo: *Principes sunt patria, sunt parentes, quorum maximis beneficiis obligamur. Parentibus* ergo siue principibus *non obedientes, ingrati, scelesti, infideles, pactum non custodientes, sine affectione*, (supple bona,) *sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, procaces, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis*, (id est, apparentes agere quæ faciunt, propter cultum Dei, reuerentiam, & amorem,) *virtutem autem eius*, (scilicet talis pietatis,) *abnegantes.* Quod de facile omnibus cognoscere est ab ipsorum operib. iuxta illud Matthæi septimo: *Attendite vobis,*

te vobis, inquit, *à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos.* Et subdit Apostolus conformiter Christi consilio vel præcepto præmisso: *Et hos deuita*, id est, his noli credere, neque in talibus obedire. Sed proh dolor, quod propter hanc speciem pietatis, in tantum homines seduxerunt, vt iam violenta freti potẽtia, quam sub specie pietatis obtinuerunt gratis in parte, plurimũ vero latenter vsurpauerunt, & nunc patenter atq; violenter vsurpant, deuitari non possunt, violentiam Christi fidelib. inferentes. Qui et *ingrati, superbi, sine pace, ac immites*, & reuera quales eos per omnia descripsit Apostolus, *Ponentes bonum malum, & lucem tenebras*, secundum illud Esaiæ 5. Ecclesiasticorum officiorum, maiorum, mediocrium, & minorum, collatione, ac temporalium seu beneficiorũ, tam rerum mobilium, q̃ imobilium, ac decimarum, q̃ ꝓpter bonum finem statuta fuerunt, exhibitione, ꝓmissione, ac horum pri⁹ interueniente conuentione nephanda: concitant aduersus fideles principes sibi subditos, & affines etiam nõ subiectos. Quod quamuis cum sibi cõplicib. nec solum aduersus Rom. principem facere videantur, illius tamen exemplo, qui Rom. Episcopo, & ipsius Ecclesiæ, in tantum beneficus extitit, cæteri principes discant, eadem sibi probabiliter contingere posse, & aduersus eosdem, eadem satagare prædictum Episcopum, sine affectione bona in quemlibet existentem, dum se illi huius insultus facultas offeret. Asserens n. ipse, tam suis sermonib. quam scripturis pridem inductis, propter suæ, quam sibi, quamuis inconuenienter ascribit plenitudinem potestatis, omnes principes & populos suo principatui siue iurisdictioni coactiuæ subiectos. Hoc etiam ad effectum perducere cupiens & anhelans, obseruat tempora quib. principum fidelium inuicem aut populorum inuicem schismata & contentiones, aut subditorum aduersus ipsorum dominos rebelliones appareant, quas etiam nonnunquam concitari ꝓcurat, vt sic altera diffidentium inuicem partium, debilior vel aduersanti resistere nequiens suum cogatur implorare subsidium & subire dominium. Quamuis n. sub ficta specie pietatis ac misericordiæ videatur impotentes, iniq; fortassis oppressos, aliquando protegere, illisq; fauorem secularem impendere, non tamen hunc præstat, nisi prius ipsi constiterit sui fauoris egentes, eumq; requirentes, suum subituros principatum seu seculare dominium: Sperans inde demum per mutuam oppressionem & inuidiam, vtrunq; sic aduersantium ipsius potestatem cogi subire, ꝓpter q̃ cauendæ sunt contentiones & actiones, quæ suorum fauorum cuiquam necessitatem inducant, quoniam tandem conuertuntur in libertatis perniciem & eos suscipientium seruitutem.

Secundum hunc igitur modum per regna mundi successiue reperit episcopus hic, vt omnes tandem, quos incessanter ardet, principatus sibi subiicere valeat. In omnib. nanq; vel plurib. simul inaudet huiusmodi tentare processus, sed paulatim sibi tantam expectat secularem subcreuisse potentiam, vt reliquorum residuam videat & posse credat absq; sui discrimine superare. Tunc n. fiducialiter aperiret super reliqua regna sensum præsumpti à se tituli *plenitudinis potestatis*. Et quemadmodum eum qui Romanorum, sic reliquos principatus explicite proferret suo dominio seu coactiuæ iurisdictioni fore subiectos, sibiq; subiici, quanquam licite recusantes per blasphemias & cõsimiles iam præmissis sententias in Rom. principem & sibi fideles, ꝑ violentam quoq; siue armatã vsq; ad attritionem & exterminium persequeretur potentiam. His igitur modis & viis iam dict⁹ episcopus cum sibi complicib. quasi omnes Italiæ principatus, communitates & populos in cõtentionem ac schisma seduxit, idemque in Alamania iam facere cœpit, & continuo perficere studet. Quosdam n. subditorum ꝓditores & sceleratos, fauorib. secularib. vt officiorum ecclesiasticorum collationib. decimarum & pecuniarum exhibitione in rebellionem aduersus Ro. principem concitauit, & indesinenter quoscunq; potest maiores, medios, & minores concitare ꝓcurat, eosq; q̃ sic per ipsum seducti fuerint, & eidẽ obtemperauerint, ecclesiæ filios & vere fideles appellat & vocat: qui vero in debita fidelitate suo principi obedientes persistunt, & persistere volunt, *schismaticos & hæreticos* nominat, & tanq̃ ecclesiæ inimicos persequitur, blasphemando, quantum in ipso est, diffamando, excõmunicando, & per sententiam secularem personaliter atq; realiter condemnando, cũ tamen nullum tale iudicium illi taliter debeatur, inquantum huiusmodi diuina vel humana lege, vt ex præcedentibus patet, & rememoratum est prius.

Est autem, de quo pridem aliquid diximus, omnium nequissimum & grauissimum nocumentũ generaliter inferens, nec taceri potest à lege charitatis excidere non volenti, q̃ videl. Romanus exercens episcopus, *omnes Christi oues*, quas ad pascendum salutari doctrina sibi dicit fore comissas, æternaliter confundit & deuorat. *Ponens* n. rursum *malum bonum, & lucem tenebras*, concedit ipse vocaliter in scriptis *absolutionem culpæ ac pœnæ cuiuslibet* militantibus omnibus tempore certo, equitibus aut peditibus aduersus iam dictos Christi fideles, Romano principi subditos, & constanter illi tanquam regi obedientes & obedire volentes, quos etiam velut *hæreticos*, & crucis Christi rebelles impugnare quomodocunque licitum esse spoliare ac exterminare finaliter, per se vel alios, sermone tam scripto, quam non scripto pronunciat. Et quod horret auditus, id prædicat, & per quosdam falsos & pseudofratres, sitientes ecclesiasticas dignitates, tanquam Deo sit acceptum, quemadmodum in transmarinis partibus expugnare paganos, prædicari facit vbique. Quam siquidem fallacem veniam concedit similiter dictus Episcopus, non potentibus propter [illegible] militarem id scelus explere, si ad proprios ipsorum sumptus, id per alios vsq; in idem tempus [illegible] perpetrari, aut summam illam ad hoc sufficientem exhibuerint nephariis exactoribus suis. Cum tamen secundum catholicam religionem nulli dubium esse debeat, sic militantib, atq; pugnantibus

bus hanc derisibilem & inanem absolutionem nihil proficere, sed nocere. Sic tamen fallit simplices ad explenda sua impia desideria, quod in sui potestate non est vocaliter concedendo, quinimo sic ipsos deducit atq; seducit ad æternam perniciem animarum. Alienæ nanq; patriæ inuasores existentes, & expugnatores iniusti pacis, & quietis innocentum fidelium turbatores, quos etiam non ignorant vere catholicos fore, sed propriæ patriæ defensores, & ipsorum vero & legitimo domino fidelitatis obseruatores spoliando & occidendo, vel aliter impugnando, non sunt Christi, sed diaboli pugiles. Rapinas enim, incendia, furta, homicidia, fornicationes, adulteria, cætera quoq; quasi omnia criminum genera incidunt & committunt. Vnde cōstat indubie, non ipsos mereri veniam, sed eo potius reos & debitores fieri damnationis æternæ: ad quæ tamen patranda seducuntur ipsi per illius oraculum atq; scripturas, qui, quamuis non existat, se Christi vicarium dicit in terris. Neque his tam horrendis suo imperio vel inductione per laicos exerceri contentus, *vir sanguinum hic & dolosus* quendam presbyterum ex suis fratrib. siue complicibus, quos *Cardinales* appellant, cum equitum & peditum numerosa caterua, transmisit in prouinciam Lombardiæ, similiter quoq; abbatem, monachum quendam, in Marchia quadam Italiæ q̃ cognominatur Anchone propter impugnandos & exterminandos Christi fideles, quos suis impiis & iniquis iussib. aduersus ipsorum principem parere nolentes, iam dictis persecutionib. omnimodis incessanter infestat, ipsorumque pium principem Ludouicum prædictum, illis compatientem, ipsosq; pro posse fouentem, *fautorē hæreticorum* ob hoc solita temeritate, in suis dictis & scriptis appellare præsumpsit. In quos siquidem atq; consimiles vsus ecclesiastica temporalia, quæ deuoti fideles tam principes quam subiecti, cōmunitates & singuli statuerunt ad sustentationem ministrorum euangelii & subuentionem pauperum impotentum, episcopus hic consumit atq; conuertit: & in testamentis ad pias causas legata temporalia, vt vltra marinum transitum, captiuorum per infideles redemptionem, & similia reliqua, tanquam suæ potestatis existentia iniuste vendicans, conuertere quærit. Cum tamen apostolicum & sacerdotale opus non sit, neq; sacerdotem aut virum Deo dedicatum deceat arma mouere vel moueri iubere inter Christi fideles, & inique præsertim, sed eosdem potius, si discordes aut diffidentes inuicem fuerint, per conuenientes exhortationes, ad concordiam reuocare, quemadmodum per Apostolum, Chrysost. & Hilarium, atq; Ambrosium sufficienter ostensum est 5. *huius & 9.* Non est igitur de cætero permittendum huic Episcopo, vel alteri cuiquam, sic generalem absolutam & tantam potestatem ecclesiastica ipsi alia conferendi, & distribuendi, sed per principes & legislatores, vel hanc simpliciter reuocandum ab ipso, vel moderandum, sic, vt quæ ad salutem fidelium præsentem atq; futuram statuta, & ordinata sunt hactenus, statuuntur & ordinantur continuo, vel in futurum ordinabuntur, non cedant in continuam ipsorum vexationem temporalem, & demum in perpetuum cruciatum. Talibus quoq; processibus sic laudabilibus, & Deo gratis, quantum vnusquisq; sanæ mentis neq; peruersus affectu comprehendere potest, modernis temporibus processit, & continuo procedit, vocatus modernus Papa Romanus cum suis ministris, quos legatos appellat, aduersum sæpe dictum Ludouicum Rom. regem: sic quoq; aduersus eiusdem vicarios, & fideles subditos, maxime in prouincia Lōbardiæ, Thusciæ, ac Anchonitanæ Marchiæ processerunt. Quorum tamen singularius persecutus est hactenus generosum, nobilem, & Illustrem virum catholicum, morum honestate, ac grauitate inter cæteros Italicos singularem, bonæ recordationis Matthæum Vicecomitem imperiali autoritate Mediolanensem vicarium cum plurima sibi adhærentium multitudine fidelium populorum. Hunc n. quamuis iniquissime, prædictus episcopus suis prophanis sermonibus & scripturis damnatæ vitæ fuisse, ac damnatæ memoriæ fore pronunciat: verum non ille Matthæus, sed ipse per quem scandala veniunt, & qui profert de suæ thesauro malitiæ semper mala, damnatæ pœnitentiæ apud Deum & homines patenter habetur, estq; amplius ante mortem & post mortem futurus haberi, id sibi cominante veritate, Matthæi 18. dum inquit: *Væ homini per quem scandalum venit.* Et rursum eodem: *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Quæ etiam non attendens, sicut nec cætera monita Christi, qui pertinax & impœnitens est, indesinenter persequitur, blasphemat viros alios quamplures clarissimos, fidelitatis atque constantiæ ad ipsorum iam dictum Romanorum principem sectatores. Quorum famam apud Deum & homines redolentem prædictis suis prophanationibus atq; blasphemiis nititur maculare. Hic enim est Episcopus, cuius & ipsius Ecclesiæ non sequitur iudicium Deus, quoniam *per surreptionem & ignorantiam iudicat*, sicut dicit Magister sententiarum, *libro quarto, dist.* 18. *capitulo sexto.* Et huius causam reddit Hieronymus super illud Matthæi 16. *Et tibi dabo claues regni cœlorum.* Inquit enim, quod nec repetere piget: *Hunc locum quidam non intelligentes,* (sicut, supplendum, nec Episcopus iste,) *aliquid sumunt de supercilio Pharisæorum, vt damnare innoxios, vel soluere se putent noxios.* Et subdit ad propositum: *cum apud Deum, non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur.* Non igitur sequitur Deus talis sacerdotis seu Episcopi vel Ecclesiæ iudicium tam iniquum. Propter quod ipsius ac suorum complicum blasphemiæ verendæ non sunt, nec ab aliquo fideli timendæ, quemadmodum diximus, quoniam non transeunt in fidelium gregem, sed protrumpentium in has fœda corpora sceleratas & infelices animas, diuina virtute referre potius didicerunt. Sunt igitur quæ iam narrauimus quæsitorum initia vera. Et quæ etiam tam debite quam indebite processerunt post hæc, vel ab his, quamuis propter temporis longitudinem, hominum ignauiam & inaduertentiam, exciderint ab ipsorum conspectibus siue memoriis, horumque vice propter consuetudinem

tudinem

tudinem audiendi falsa siue figmenta quædam in animabus fidelium plurimorum subinducta sint & inserta veritatis opposita. Quorum siquidem origo & fomes, auaritia, siue cupiditas, & ambitio siue superbia fuit. Incrementi vero atque horum tutelæ non paruum instrumentum, execrabilis illa opinio & enunciatio, qua Romanus Episcopus & suorum clericorum cœtus siue collegium eidem asserunt, in persona tamen beati Petri apostoli, à Christo fore traditam plenitudinem potestatis. Verum post multam diligentem atq; laboriosam perscrutationem, & exquisitionem scripturarum, diuinas ab humanis separantes, quas Romani pontifices quidam in vnum cōfuderant, credentes ex permixtione hac comunicare suis propriis institutis, eam q soli sacro canoni debetur autoritas enunciationis iam dictæ seu tituli, sensus determinauimus, & sufficienter aperuimus vigesimo tertio huius omnibus ratione vtentibus, saltem quos sinistra non perturbat affectio falsos esse, aliorum vero maxime eum sensum ad quem vltimo prædictam orationem transtulit Romanus Episcopus, ex ea sibi videlicet ascribendo vniuersalem siue supremam iurisdictionem coactiuam, quam sub verborum metaphora vocat gladium temporalem super omnes mundi principes, communitates, & populos. Quamuis, vt diximus, & quibus ex causis in solum principem Romanorum nunc explicet titulum hunc. In omnes tamen reliquos explicaturus eundem, dum in ipsorum regnis seditionem prospexerit, ea quoque vsurpandi & occupandi violentam sibi viderit potestatem adesse. Sic ergo plenitudine potestatis propter ignauiam permissa Romanis Episcopis, circa seculares actus ciuiles vsi sunt hactenus, vtuntur continuo, sunt & in deterius, nisi prohibeantur vsuri. Leges enim oligarchicas statuerunt, quibus videlicet clericorum collegium & aliorum coniugatorum quosdam à legibus ciuilibus rite latis exemerunt in principum & populorum præiudicium summum. Nec his contenti limitibus, iam laicos citari faciunt coram suis vocatis officialibus siue iudicibus, & iustificare volunt, in hoc principantium iurisdictionem penitus destruentes. Hæc autem litis seu ciuilis discordiæ causa est singularis & occulta in sui origine valde, quam ex principio proponebamus ostendere. Propter diuinarum enim & humanarum scripturarum inuolucrum paralogizati fidelium plures inducti sunt credere, Romanum Episcopum cum suis clericis, quos *Cardinales* appellant, *super fideles statuere posse quod volunt, ad id quoque seruandum omnes obligari lege diuina, transgredientes vero reos fieri damnationis æternæ*, quod tamen in prioribus, & præcipue *duodecimo & decimo tertio prima, ac huius vigesimoprimo, parte octaua* monstrauimus per certitudinem non esse verum, nec vero propinquum, sed veritatis oppositum manifeste. Hæc rursum causa est, vt procemialiter diximus, qua regnum Italicum dudum laborauit, laboratque continuo vehementer contagiosa nil minus & prona serpere in reliquas omnes ciuilitates & regna, & ea omnia iam infecit vtcunque, demumque nisi prohibeatur, ea totaliter velut Italicum infectura, propter quod principibus omnibus & populis per generale concilium, vt prædiximus conuocandum. Expedit hunc titulum interdicere, ac simpliciter prohibere Romanorum Episcopo, & alteri cuicunque, ne propter consuetudinem audiendi falsa, de cætero populus seducatur. Reuocandaq; sibi est potestas, ecclesiastica officia, & temporalia siue beneficia conferendi & distribuendi. Quoniam his abutitur Episcopus hic in dispendium corporum, & animarum damnationem fidelium Christianorum. Ad hæc enim obligantur omnes iurisdictionem habentes, præcipue reges, lege diuina. Quoniam propter hoc constituti sunt, vt faciant iudicium & iustitiam, quod etiam negligentes facere, deinceps inexcusabiles sunt, cum scandalum ex huiusmodi omissione proueniens, non ignorent. Qui vero Romanus Episcopus cum sibi successoribus in sede prædicta, omnesque reliqui sacerdotes atque diaconi & spirituales ministri: ad quos sermones hi sunt, non tanquam inimicos, testem inuoco Deum in animam & corpus meum, sed potius *patres, & fratres in Christo*, studeant imitari Christum & Apostolos, seculares principatus & temporalium dominia simpliciter abdicando. Eos enim peccantes coram omnibus, iuxta doctrinam Christi & Apostoli argui & increpaui palam. Et ad veritatis callem præco veritatis existens, per diuinarum & humanarum scripturarum concordiam tentaui reducere, vt cauere possint, maxime Romanus Episcopus, qui amplius tamen deuiasse videtur, eam indignationem omnipotentis Dei & Apostolorum Petri & Pauli, quam ipse singulariter cæteris persæpe comminatur.

Vnde attendat ordinem charitatis, sicut ipsam sibi præcauens, alios cauere doceat consequenter. Ipse enim non ignorat, vel ignorabit de cætero, quod præter, quinimo contra Christi & Apostolorum consilium aut præceptum, Romanum aggreditur principatum, & principem minus iuste prohibet atque perturbat. Neque rursum ignorat, quod propter scandalū per suos quosdam prædecessores & ipsum in Italia concitatum, bellicæ pugnæ sunt ortæ, vnde violenta morte tot millia fidelium sunt extincta quos æternæ damnationis reos extitisse verisimiliter præsumi potest, eo quod subita morte præuenti sunt ipsorum plurimi fratrum odio & maliuolentia pleni, eorumque superstites infelices, nisi medica diuina manus adiuuet, eundem, quasi consimilem periculosum casum & exitum miserabilem expectantes. Ipsorum enim animos inuasit odium, lis atq; contentio, vnde postmodum pugnæ sequuntur, honestis quoq; iam corruptis morib. & disciplinis vtriusq; sexus mentes & corpora, vitiorum, dissolutionum, scelerum, & errorum quasi omnia genera totaliter occuparunt. Recisa est ipsis reparatiua successio prolis, consumptæ substantiæ, diruptæ domus, atq; subuersæ ciuitates quam magnæ atq; famosæ, vacuæ, suis incolis destitutæ, inculti agri & iam deserti desueuerunt reddere solitos fructus. Et q omnium deflendissimum est, diui-

nus

nus cultus quasi omnino ibidem cessauit abolitus, & Ecclesiæ siue templa in solitudinem destitutæ rectoribus seu animarum curatoribus remanserunt. Ad quæ omnia miserabilia instigauit & instigat continuo miseros incolas vndecunque, propter odium & discordiam ipsorum inuicẽ mente cœcos, *draco ille magnus, serpens antiquus, qui digne vocari debet diabolus & satanas*, quoniam omni conamine seducit & seducere tentat vniuersum orbem.

Quis igitur tam agrestis huius patriæ siue matris tam pulchræ olim & nunc adeo deformis & laceratæ, filius hæc cernens, sciens & potens aduersus sic ipsam trahentes & lacerantes iniuste, silere poterit & clamoris spiritum ad dominum continere? Huic nanq; cum Apostolo diceretur verissime, quod *fidem negauit, & omni foret deterior infideli* De *plenitudine* quidem igitur *potestatis*, & modis ipsius, adhuc autem de illius origine atque progressu, amplius secundum quos modos & qualiter eam sibi sumpserit Romanus Episcopus, & eadem sit vsus, tam circa ecclesiasticum ritum quam circa seculares hominum actus ciuiles, determinatum sit hoc modo.

Cap. XXVII.

De quibusdam instantiis ad determinata in decimoquinto huius, & in reliquis capitulis consequenter.

VErum de quibus diximus 15. *huius*, & sic in reliquis capitulis consequenter, merito quis dubitans, primum ostendet ampliorem & alteram esse specie dignitatem episcopi, ea quæ simpliciter siue tantummodo sacerdotis, nec solum humana institutione, quam separabilem diximus, verum etiam ordinatione diuina, quam essentialem vocauimus prius. Videtur autem id posse conuinci ex Lucæ 10. vbi series hæc habetur: *Post hæc autem designauit dominus & alios 72. & misit illos binos ante faciem suam.* Vbi Beda: *Sicut autem duodecim Apostolos formam Episcoporum præmonstrare, nemo est qui dubitet, sic & hos 72. figuram presbyterorum secundi ordinis sacerdotum gessisse.* Amplius ostenditur idem ex primæ ad Timotheum quintó, cum dixit Apostolus: *Aduersus presbyterum noli accipere accusationem, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Ergo Timotheus erat dignitate superior presbyteris aliis, non tamen presbyterorum, aut fidelium multitudinis electione, igitur ordinatione diuina. Rursum apparet idem ex *epistola* Clementis Papæ, *ad Iacobum fratrem Domini* superscripta. Videtur autem & hæc fuisse sententia quasi omnium Episcoporum, qui beato Petro aut Paulo successisse dicuntur in episcopali sede Romana, vt ex Isidori *codice* supradicto euidenter apparet.

Deinde vero videtur ostendi posse, beatum Petrum potestate siue autoritate per Christum immediate, non per hominem aut homines alios sibi tradita, superiorem fuisse cæteris Apostolis, & per consequens successores ipsius successoribus aliorum. Videtur autem hoc primum ex Matthæi 16. dum ad ipsum Christus singulariter inquit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum, &c.* Per quæ verba Christus expressisse videtur, beatum Petrum futurum caput & fundamentum Ecclesiæ, præsertim mortuo Christo. Vbi Glossa: *specialiter eam*, (scilicet potestatem,) *Petro concessit, vt ad vnitatem nos inuitaret. Ideo enim eum principem Apostolorum constituit, vt Ecclesia vnum principalem Christi haberet vicarium, ad quem diuersa membra Ecclesiæ recurrerent, si forte inter se dissentiret. Quod si diuersa capita in Ecclesia essent, vnitatis vinculum rumperetur.* Amplius ostenditur idem ex Lucæ 22. cum ad ipsum specialiter Christus inquit: *Ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Suorum ergo fratrum, apostolorum scilicet, ac aliorum fidelium prima cura pastoralis & confirmatio beato Petro commissa fuit, propter suæ fidei firmitationem, pro qua, ne deficeret, singulariter Christus orasse videtur, ne deficeret inquam in ipso, neque in ipsius aliquo successore. Vbi Glossa: *Confirma fratres tuos, cum te principem Apostolorum constituerim. Hoc autem non solum intelligendum de apostolis, qui tunc erant, vt roborarentur à Petro, sed de omnibus fidelib.* Et parum infra subdit: *Per pœnitentiam obtinuit*, (Petrus scil.) *vt esset antistes mundi.* Rursum ostenditur idem Ioan. 21. inquit n. ad ipsum Christus singulariter, *Pasce oues meas, Pasce agnos meos, Pasce oues meas*, ter replicans idem verbum. Non determinatis igitur ouibus, primus & vniuersalis omnium pastor immediate à Christo institutus fuisse videtur. Vbi Chrysost. etiam inquit sic: *Eximius n. apostolorum erat Petrus, & os discipulorum, & vertex collegij, vnde negatione deleta, committit ei prælationem fratrum.* Demum confirmatur hoc autoritate plurimorum sanctorum, super illud Ioannis 21. *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te? tu autem sequere me.* Inquit enim Augustinus: *Duas vitas sibi diuinitus prædicatas nouit Ecclesia, quarum vna est in fide, alia in spe. Ista*, (scil. in fide,) *signata est per Apostolum Petrum propter sui apostolatus primatum.* Rursum Theophylactus ibid. *cunctorum fidelium prælaturam ei instituit.* Chrysostomus autem: *Si vero dixerit quis, qualiter igitur Iacobus thronum assumpsit Hierosolymorum? id vtiq; dicam, Quoniam Petrum orbis terrarum inthronizauit magistrum.* Et infra inquit idem: *Huic*, (scil. Petro,) *& præpositura fratrum credita est.* Amplius idem, *Quia igitur ei magna prædixerat dominus*, (Petro videl.) *& orbem terrarum commiserat.* Et rursum Theophylactus super illud Ioan. 21. *Sic eum volo manere*, inquit sic: *Te namq; nunc dimitto ad orbis pontificatum, & in hoc sequere me.* Amplius, quoniam si Christus ecclesię caput non instituisset, in ipsius absentia ipsam acephalam reliquisset, nec videretur ipsam ordinasse, secundũ meliorem dispositionem aut optimam; nunc autem ipsam optime dispositam & ordinatam eum reliquisse credendum, ergo & illi caput aliquod instituisse tenendũ, non aliud conuenientius beato Petro. Igitur fuit ipse Christi determinatione imediate, cæteris apostolis autoritate superior.

Deinde vero idem in specie conuincere possumus, ostendentes Paulum beato Petro dignitate siue

sine autoritate non fuisse parem. Ad Galatas enim secundo habetur hæc series: *Deinde*, inquit Paulus, *post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim*. Et parum infra eodem subdit: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba assumpto Tito, ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem his, qui videbantur esse aliquid, ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Vbi Glossa: *Ostendit*, Paulus scilicet, *se non habuisse securitatem Euangelii, nisi esset autoritate Petri confirmatum, & aliorum roboratum.* Cum igitur Paulus securitatem Euangelii sumpserit à Petro secundum Glossam, apparet ipsum non fuisse parem Petro in autoritate. Vnde per necessitatem sequi videtur tam ex hoc, quam aliis supra dictis, reliquos omnes Episcopos mundi Romano Episcopo tanquam singulari successori B. Petri diuina ordinatione fore subiectos, Ecclesiam quoq; Rom. esse aliarum omnium caput & primam, propter ipsius Episcopi Beati Petri successoris in ea authoritatē, & omnium aliorū esse iudicē & pastorem. Et amplius exprimens Isidorus in *codice* supradicto, capitulo, cui titulus, *Incipit præfatio Niceni concilii*, sic ait: *Sciendum est sane ab omnibus catholicis, quoniam Sancta Ecclesia Romana nullis synodicis decretis prælata est, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit, vbi dixit Beato Petro Apostolo, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum &c.* Quo siquidem primatu, absq; principum concessione aliqua, vsi sunt hactenus omnes Episcopi Romani à tempore Beati Petri vsq; ad tempora Constantini primi Romanorum Imperatoris, condendo scilicet canones, & illorum obseruationem, per omnem præcipientes Ecclesiam, vt ex serie iam dicti codicis patenter apparet. Hoc rursum ratione confirmo, quoniam *fides vna est* secundum Apostolum ad Ephesios quarto, ergo & Ecclesia vna: non autem est aliter vna, nisi propter vnum caput atque principium, quo nullum conuenientius aut æque conueniens est Episcopo Romanorum singulari successori Beati Petri, qui petra fuit, super quam Christus se dixit suam Ecclesiam fundaturum. Confirmatur autem hoc ex eo, quoniam velut temporalia in vnum reducuntur principium, puta in principatum, sic & spiritualia in aliquod vnum primum videntur debere reduci, puta Episcopatum. Amplius ex alio, quoniam sicut in vnico templo vel vnica diœcesi oportet vnicum Episcopum esse, ne ibidem sacerdotum vnusquisq, ad se trahens, Christi rumpat Ecclesiam, vt ex *Epistola* Hieronymi *ad Euandrum* induximus *decimo quinto huius*: sic eo magis necessarium est in vniuersa Christi Ecclesia vnicum esse caput, propter fidelium vnitatem seruandam. Quanto enim communius est bonum eiusdem modi, tanto diuinius & eligibile magis. Vnde Ioannis decimo: *Et fiet vnum ouile & vnus pastor.* Hic quidem pastor, & hoc quidem caput aliorum conuenientissimum videtur Romanus Episcopus propter causas in prioribus assignatas. Ex prædictis autem per necessitatem sequi videtur, Romanum Episcopum solum causam effectiuam primam esse institutionis secundariæ omnium aliorum, tam mediate quam immediate propter ipsius vniuersalem autoritatē super reliquos omnes Episcopos, Presbyteros, & alios Ecclesiarum siue templorum ministros. Cui siquidem sententiæ suffragatur autoritas Ambrosii, *de tradendis Basilicis*, vbi sic ait: *Ecclesia Dei est, Cæsari vtiq, non debet ascribi. Ius Cæsaris esse non potest Dei templum*, nec per consequens institutio sacerdotum in eo, quam secundariam ipsorum autoritatem vocauimus decimo quinto huius. Quod si Basilicarum traditio ius Cæsaris esse non potest, eo minus alterius cuiusuis principantis. Erit igitur autoritas hæc illius, qui caput est, & primus omnium sacerdotum, Romani pontificis autoritate diuina, si nullius principis ius esse potest. Hinc etiam necessario sequi videtur ipsius autoritatem fore distribuendi seu conferendi beneficia, seu Ecclesiastica temporalia, quoniam propter exercenda officia conferuntur huiusmodi. Ex supradictis etiam inferri posse videtur, eiusdem Episcopi primi fore iurisdictionem coactiuam super reliquos omnes Episcopos mundi & alios templorum ministros. Sunt enim ordinatione diuina sibi subiecti, vt ex prioribus rationibus palam. Quod etiam potest astrui ex prædicto Isidori *codice* atque capitulo. Inter cætera nanque ibidem scripsit hanc seriem: *Sed in eo concilio admirabile factum principis non puto reticendum. Etenim cum ex omnibus pene locis Episcopi conuenissent, & vt fieri solet, diuersis ex causis inter se quædam iurgia detulissent, interpellabatur frequenter, à singulis offerebantur libelli, culpæ offerebantur, & magis ad hæc quam ad id pro quo ventum fuerat, animos dabant. At ille videns, quod per huiusmodi iurgia causa summi negotii frustraretur, diem certum statuit, quo vnusquisque Episcoporum, si quid querimoniæ habere videretur, deferret. Cumque resedisset, suscepit à singulis libellos, quos simul omnes in suo sinu continens, nec in eis quid contineretur aperiens: Ait ad Episcopos, Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis recte iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium. Et vestra iurgia quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis dii.* Conueniens non est, vt homo iudicet Deos. Ad eum ergo, qui talium Deorum Deus est in terris, vt dicitur Romanum Episcopum pertinet in eos iurisdictionis autoritas.

Ex iisdem quoque videtur eiusdem Episcopi autoritatem fore, generalia sacerdotum concilia conuocare atque præcipere, in ipsis etiam proponere ac determinare, quæ sibi proponenda & determinanda videntur circa legem diuinam & Ecclesiasticum ritum. De autoritate siquidem congregandi concilii loquens Isidorus in præfatione operis iam dicti codicis, inquit sic: *Synodorum vero congregandarum autoritas, Apostolicæ sedi priuata potestate commissa est, nec vllam synodum ratam esse legimus, quæ eius non fuerit autoritate congregata vel fulta. Hæc Canonica testatur autoritas, hæc ecclesiastica roborat historia, hæc sancti patres confirmant.* De ea vero potestate siue autoritate determinandi siue diffiniendi Scripturæ sensum, loquens idem, eodem codice atque cap. dicit: *Deinceps diuersorum concil-*

liorum Græcorum ac Latinorum, siue quæ ante vel postmodum facta sunt, sub ordine numerorum ac temporum capitulis suis distincta sub huius voluminis aspectu locauimus, subiicientes etiam reliqua decreta præsulum Romanorum vsque ad sanctum Gregorium, & quasdam Epistolas ipsius, in quibus pro culmine Sedis Apostolicæ non impar conciliorum extat autoritas. Potest igitur summus pontifex sui autoritate sollus id determinare, quod potest autoritas concilii generalis, ex quo non impar est eius autoritas, ei quæ concilii generalis, secundum Isidorum. Potest autem & debet autoritas generalis concilii scripturæ Sacræ dubias determinare, diffinire, ac interpretari sententias, quemadmodum ostensum est vigesimo huius. Eadem quoque videtur in hoc fuisse sententia Hieronymi in Epistola intitulata, *de expositione Catholicæ fidei*, vbi sic inquit: *Hæc fides est, papa beatissime, quam in Catholica Ecclesia edidicimus quam semper tenuimus, in qua si minus perite aut parum occulte aliquod forte positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & sedem tenes. Sin autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunque me maculare voluerit, se imperitum vel maleuolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.*

De potestate vero statuendi, quæ ad Ecclesiasticum ritum & æternam salutem pertinent, apparet ex oraculo Christi Lucæ decimo. Inquit enim Apostolis, & in ipsorum persona cunctis Episcopis siue Presbyteris: *Qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit.* Sunt ergo de necessitate salutis sacerdotum obseruanda statuta. De his quidem igitur potestatibus assignatis Romano pontifici, & eis amplioribus, collectionem faciens Beatus Bernardus ad Eugenium Papam, de consideratione libro secundo, sic ait: *Nunc iam repetenda reliquia, si qua sunt, loci quem disseruimus. Age indagemus adhuc diligenter quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, summus pontifex. Tu princeps Episcoporum: Tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, Patriarchatu Abraam, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, autoritate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus.* Et subdit infra eodem continua sententia: *Nec modo ouium, sed & pastorum, tu vnus omnium pastor. Vnde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim? non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolute & indiscrete, tota commissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas.* Et parum infra subiungit: *Cui non planum, non designasse oues? nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.* Et infra rursum eodem, *Inde est quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum: denique Iacobus, qui videbatur columna vna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens.* Deinde vero concludens, ait sexto: *Iuxta canones tuos, alii in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es, aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Sathanæ potes? Stat ergo inconcussum priuilegium tuum tibi, tam in datis clauibus, quam in ouibus commendatis.* Neque solum in Ecclesiasticos ministros, vt Episcopos, sacerdotes & inferiores ordines reliquos, autoritatem dixit Bernhardus habere Roman. pontificem, verum etiam & coactiuam iurisdictionem super omnes principantes, quam *temporalem gladium* idem Bernhardus sub metaphora vocat, eidem Episcopo videtur ascribere. Vnde idem ad eundem Eugenium libro quinto, capitulo quarto sic ait: *Quid tu denuo vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es reponere in vaginam? qui tamen, qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse forsitan tuo nutu, si non tua manu euaginandus. Alioquin, si nullo modo ad te pertineret, & his dicentibus Apostolis: Et ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro ecclesia, ille vero & ab ecclesia exercendus, ille sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis & iussum Imperatoris.* Sunt autem ad supradicta firmanda sanctorum aliæ autoritates quam plures, harum tamen seriem inducere omisi, propter eandem aut consimilem earum esse cum inductis virtutem & eundem aut consimilem modum soluendi, & propter abbreuiationem sermonis. Amplius videntur hæc posse firmari per *Decretales* & *decreta* quædam *pontificum Romanorum.* His enim cauetur omnia officia Ecclesiastica, & propter hoc instituta beneficia, per Episcopum Romanum & alios, nequaquam vero per humanum legislatorem, aut eius autoritate principantem, statui vel conferri debere. Cauetur & rursum eisdem Decretalibus & Decretis, sacerdotes & clericos non debere subire iudicium coactiuum iam dicti legislatoris aut principantis, sed potius econuerso. Eisdem quoque astruitur omnes potestates conuenire Romano pontifici, quas eidem in suis *sermonibus* ascribit Bernhardus.

CAP. XXVIII.

De responsionibus ad prædictas instantias.

RESiduum autem huius dictionis est, Scripturæ siue canonis autoritates conuenienter exponere, ac humanas rationes dissoluere, quæ tertio huius, & capitulo præcedente inductæ, nostris determinationibus contrariæ videbantur. Ante tamen bene se habet reminisci, quod diximus *decimo nono huius*, iuxta sententiam beati Augustini & infallibilem rationem in scriptura firmatam, videlicet, quod *nulli sermoni vel scripturæ siue credulitatem certam, aut confessionem veritatis præstare tenemur de necessitate salutis, nisi eis, quæ canonicæ appellantur.*

id est quæ in volumine Bibliæ continentur, & in eis quæ ad has per necessitatem sequuntur, & scripturarum sacrarum dubium sensum habentium eis interpretationibus, quæ per generale fidelium seu catholicorum concilium essent factæ, præsertim in his clausulis, in quibus error damnationem æternam induceret, quales sunt articuli fidei Christianæ, cum suis interpretationibus, factis in conciliis generalibus rationabiliter conuocatis, celebratis, & consummatis. Propter quod autoritates canonis sacri siue Scripturæ, quæ mystica expositione non egent, secundum ipsarum sensum literalem manifestũ sequemur omnino, in quibus vero mystica expositione indigent sanctorum, probabiliori adhærebo sententiæ. Quas vero ipsorum autoritate propria præter scripturã protulerunt sententias, Scripturæ siue canoni consonas, recipiam. Quas vero dissonas reuerenter abiiciam: non tamen aliter quam autoritate scripturæ, cui semper innitar, quoniam & ipsi quandoq; circa scripturam & præter scripturam sententiis ad inuicem diffident, vt Hieronymus & Augustinus super illud 2. ad Galat. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et rursum Ambrosius cum Hieronymo *de virginitate Ioseph.* Amplius & idem ipsi sibi sanctorum aliquis quandoq; dissona profert, vt ex sequentibus manifeste patebit. Hinc ergo primum ad instantias, quæ inductæ sunt *capitulo præcedenti.* Cum enim ex *Luca decimo* sumebatur, Episcopos esse maioris dignitatis quam simplices sacerdotes, ex eo quod ibidem habetur: *Post hæc autem designauit Dominus & alios 72.* per quos secundum Bedam figuratur ordo Presbyterorum, quem *secundum* appellat, post episcoporum ordinem scilicet. Dicendum, quod iuxta sententiam Apostoli, & eã quæ de sanctis inducta sunt *15. huius,* conuenientius figuratur per 72. Diaconorum ordo, quam sacerdotum. Vel potest dici conuenienter, quod non propter hoc sequitur Episcopũ, ordinem essentialem ampliorem habere Presbytero. Vnde illa missio, qua Christus eos misit in mundum, signauit electionem siue institutionem humanam, qua vnus eorum cæters præferetur in Ecclesiastica iconomia. Non enim contulit Christus eis, cum dixit, *Euntes ergò docete omnes gentes,* dignitatem essentialem, sed prius tradiderat. Et esto quod simili tempore vtranq; tradidisset, dico quod illa missio non addidit intrinsecã perfectionem, quam prius non habuissent cum sacerdotium per Spiritum sanctum receperunt. Fuit autem de Apostolis super reliquos futuros sacerdotes, facta per Christũ hæc institutio secundaria, quoniam nulla tunc erat multitudo fideliũ, per quam posset huiusmodi electio celebrari. Nec si fuisset, adhuc æque conuenienter fieri potuisset per aliquam multitudinem, sicut per Christum. Vnde Apostoli etiam post Christi passionem & resurrectionem, ad electionem in diuidendis prouinciis se reduxerunt. Nam ad Galatas secundo legitur: *Dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos quidem in gentes, ipsi vero in circumcisionem, Iacobus, Cephas, & Ioannes.* Et ideo esto quod figura fuisset, qualem dixit Beda de statu sacerdotii. Dico quod intrinsecam dignitatem siue perfectionem aut characterem à Deo immediate, non habet ampliorem Episcopus quam sacerdos, & horum ratio sufficiens assignata est *15. huius.* Ad reliquam vero instantiam ex primæ ad Timoth. quinto: *Aduersus Presbyterum.* &c. Dico quod secundam institutionem non essentialem acceperat ab Apostolo super Presbyteros alios in illa prouincia, cuius siquidem Apostoli voluntas & institutio, electioni æquiualebat propter defectum & insufficientiam, siue ruditatem multitudinis fidelium. Vnde Apostolus primæ ad Corinthios 3. *Et ego fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo vobis lac potum dedi non escam. Nondum enim poteratis, sed ne nunc quidem potestis, adhuc enim estis carnales.* Hoc autem explicauimus amplius *17. huius, parte 7.* Quod autem inducebatur de Clementis *Epistola,* quæ intitulatur *ad Iacobum fratrem Domini,* non recipio tanquam certum, nam Epistolam fuisse Clementis, valde suspectum est, propter plura in ipsa contenta. Rursum suspecti sunt hi canones seu Epistolæ, quoniam in ea quæ de sacramentis, vestibus & vasis *ad Iacobum fratrem Domini,* & in ea quæ de *communi Apostolorum vita* intitulantur, scribitur, ac si Clemens Iacobo narret ea quæ Christus cum Apostolis egit. Hæc autem fuisset magna ignorantia; non modo dicam præsumptio Clementis, quod ea quæ tantum audiuerat, significare vellet, quasi per modum doctrinæ, illi qui præsens interfuerat, & Christum cum Apostolis, quorum vnus fuerat, ipse viderat. Quis enim discipulos, qui Hierosolymis erant, melius instruere poterat de vita Christi & Apostolorum, quis de ritu Ecclesiastico plus nosse debuit, an Apostolus aut successor Apostoli, nemo est qui dubitet, propter quod ipsæ sunt cum Apocryphis computandæ. Sed esto quod Clementis fuerint, vt quidam asserunt, fabularibus innisi sermonibus, etiam prorumpentes in tantum, vt Clementem dicant, quia Romanus erat Episcopus, maioris autoritatis in Ecclesia Dei, Apostolo Iacobo. A quibus quærendum conuenienter, cur *Epistolæ Clementis* in contextu Sacri Canonis positæ non sunt, sicut ea quæ Iacobi? Dicemus tamen ad ea quæ in dictis *Epistolis* conuenientia videbantur Christi & Apostolorum sententiæ, cum autoritates scripturæ tractabimus, quibus inniti videntur. Ad id autem quod dicebatur, hanc fuisse sententiam omnium Episcoporũm, qui Beato Petro successerunt in Episcopali sede Romana, dicendum est, quemadmodum diximus ad primam instantiam, sic eos intellexisse, si vero aliter, ipsis relictis, sequimur Apostolum & Hieronymum *15. & 16. huius.*

Ad eas vero canonis autoritates, quibus videtur ostendi, beatum Petrum superiorem dignitate cæteris Apostolis, non solum humana electione, verum etiam immediata Christi ordinatione, cum primo inducebatur ex Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues regni cœlorum,* &c. Per quæ verba Christus ipsum videretur instituisse in sui saltem absentia, caput & fundamentum Ecclesiæ, dico *caput & fundamentum Ecclesiæ* vnicum esse & fuisse ordi-

natione immediata Dei: & hoc Christum, Apostolorum vero neminem, etiam in absentia Christi, quemadmodum per scripturam indubie conuicimus in sexto & 22. huius. Ad canonem ergo, cum dicitur, super hanc petram &c. dico secundum Glossam, *super hanc petram, id est super Christum, in quem credis.* Vbi Glossa interlinearis addit, *Tu es Petrus, id est à me petra, ita tamen vt mihi retineam fundamenti dignitatem.* Petrum autem vocauit eum Christus, id est constantem in fide, quod non negamus. Esto enim quod aliis constantior & merito perfectior, non propter hoc dignitate prior, nisi tempore forte, vt euidentior per scripturam probauimus, vbi supra. Eum autem quem diximus fuisse scripturæ sensum, adiuuat expositio beati Augustini super hunc locum, inquit enim Augustinus, & sumptum est ex libro Retractationum: *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra ædificata sit Ecclesia, sed scio me postea sæpißime sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, vt super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus filius Dei viui, ac si Petrus ab hac petra appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur. Non enim dictum est illi, tu es petra, sed tu es Petrus, petra autem erat Christus, quem confessus Simon. Sicut ei,* (Christo scilicet) *tota Ecclesia confitetur dictus est Petrus.* Et potest huius ratio assignari secundum scripturam, quoniam Petrus quam diu viator extitit, errare potuit & peccare per sui arbitrii libertatem, vnde Christum negasse legitur, & quandoque ad veritatem Euangelii ambulasse non recte: tale autem non poterat esse fundamentum Ecclesiæ, sed ille solus fuit Christus, vt apparet *prima ad Cor. 3.* qui aberrare non potuit, eo quod ab instanti suæ conceptionis impeccabilis fuerit confirmatus. Vnde Apostolus vbi supra: *Fundamentum enim aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Et quod addebatur, *tibi dabo claues regni cælorum,* nullam Petro super reliquos Apostolos autoritatem tribuit, quoniam hanc eandem iudiciariam potestatem cæteris Apostolis tribuit, secundum Hieron. & Rabanum, quorum Glossas induximus *sexto huius, parte 3.* Amplius, quoniam Christus potestatem clauium illi non videtur tradidisse per hæc verba, inquit enim, *tibi dabo,* quod sonat futurum, dixit, Dom. Sed Iohan. vigesimo indifferenter omnibus dixit: *Accipite Spiritum sanctum, & quorum remit. peccat.* &c. Esto tamen quod Petrus his verbis potestatem hanc recepisset, non concluditur ex hoc, nisi quod tempore prius fuerit pastor institutus, & quod illi singulariter has tradiderit Christus claues, signare voluit *Ecclesiæ vnitatem in fide, ad quam fideles inuitauit Christus per singularem clauium traditionem siue promißionem,* vt Glossa dicit: vel fortasse, quia Christum Dei Filium esse primum constanter & manifeste confessus est, primum tempore dotatur clauibus & honoratur aut honorari promittitur, vt sic etiam confitendi Christum palam & constanter per huiusmodi præmium promissum, cæteris præberetur exemplum, non tamen propter hoc conuincitur, ipsum fuisse cæteris dignitate siue autoritate priorem, quamuis hoc plures Glossatorum dicere videantur à se, non habentes hoc ex Scriptura. Significat autem infallibiliter nos verum dicere sequens Euangelii series, quæ habetur eiusdem Matth. vigesimo vbi Christus quæsitum hoc aperte diffiniens, dixit, nullum ipsorum esse superiorem aliis. Facta enim erat contentio inter eos, quis eorum esset maior. Idemque 22. ad quos sic inquit Christus: *Vos autem* (inuicem, supple,) *nolite vocari rabbi, vnus est enim magister, vester omnes autem vos fratres estis. Omnes autem fratres,* id est æquales, non ergo excepit aliquem. Et est mirandum, si magis credere debeamus autoritati Glossatoris quam Christi, quicunque fuerit ille Glossator etiam sanctus, & maxime, cum hoc non dicat tanquam Glossator, sed proprio sensu. Series enim scripturæ tam manifesta est, quod Glossa non eget in hoc. Amplius, quoniam & ipsæ Glossæ oppositum dicunt, ad *Galatas* exponentes secundum, sicut apertum est *16. huius.* Tractauimus autem istud sufficienter & seriose *4. & 16. huius,* nec reiterauimus omnes probationes propter rei notitiam & abbreuiationem sermonis. Ad aliam vero canonis autoritatem sumptam ex *Luca vigesimo secundo,* Dixit enim Christus beato Petro, *Ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Ex qua quidem serie inferunt aliqui duo: vnum quod solius Ecclesiæ Romanæ fides deficere nequit, eo quod de fide Petri Christus intellexit etiam fidem successorum, & consequenter Episcopum sibi successorem, aliorum primum: secundum vero quod ex hoc Christus ipsum reliquorum Apostolorum prælatum fecerit. Dico neutrum sequi ex verbis Christi per virtutem sermonis. In hac enim consequentia stat oppositum consequentis cum antecedente. Secundo probo per scripturam neutrum sequi, & per verba Christi, non alia. Primum quidem iam dictorum non sequitur, propterea quod omnibus dixit Christus Matth. vltimo, *Euntes ergo docete omnes gentes* &c. Et, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus ad vsque ad consummationem seculi.* Si Christus ergo spospondit se cum aliis futurum, vsque in seculi consummationem omnibus diebus, ergo intellexit etiam de aliorum successoribus, si de successoribus Petri hoc debet intendi. Amplius, quoniam si successor beati Petri singulariter dicatur Romanus Episcopus, constat hæreticum quendam aut quosdam in sede illa tanquam Episcopum fuisse præfectum, vt de Liberio & quibusdam aliis ostensum est *28. huius.* Rursum quia *16. huius* monstratum est, Romanum Episcopum non esse singulariter successorem beati Petri, propter causas secundum scripturam assignatas ibidem. Reliqua consequentia similiter nulla est, quod probo etiam per scripturam. Contulit enim Paulus Petro in Euangelio, non econtra, vt ex 2. *ad Galatas* induximus satis *16.* huius. Et quod euidentius est, huius consequentiæ destructiuum est sermo Christi pridem inductus, ex *Matth. vigesimo, & Luc. vigesimo secundo,* per quem ex aperto sui sensu determinauit Christus & diffiniuit oppositum. Vnde Glossa exponens hunc

locum,

locum inquit, *Sicut ego te orando protexi ne deficeres, sic tu infirmiores fratres exemplo tuæ pœnitentiæ conforta, ne de venia desperent*, intelligens per fratres indifferenter fideles. *Quod etiam dicens Petro fecit, alios Apostolos intelligere facturos.* Vnde Marci decimo tertio. *Quod vni dico*, vel secundum aliam literam, sensum tamen eundem, *quod vobis dico, omnibus dico.* Aut fortasse id Petro singulariter dixit, sicut etiam Glossa sentire videtur; quoniam præsciebat Christus Petrum se negaturum. Vnde, *tu conuersus aliquando*, id est, exemplo tuæ pœnitentiæ, eo quod verbo & sui exemplo, qui veniam meruerat, infirmos in fide singularius confortare seu confirmare volebat; ne scilicet de venia desperarent. Ad reliquam autem canonis autoritatem sumptam *Ioan. vigesimo primo.* per quam idem quod prius quidam nituntur conuincere, ex eo quod Christus beato Petro dixit, *Pasce oues meas, pasce agnos meos, &c.* Dicendum primo secundum Glossam hunc esse sensum huius serici, quod *pascere oues est credentes ne deficiant confortare, terrena subsidia si necesse est, subditis prouidere, exempla virtutum præbere, aduersariis obsistere*, fidei scilicet, *peccantes corrigere* Et subditur in Glossa, *& cum tertio audit à Petro se diligi, iubet pascere oues, trina negationi redditur trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quam timori.* Ex hoc autem non conuincitur, nisi quod ipsum pastorem ouium Christus instituit: non tamen ex hoc sequitur quod ipsum super reliquos Apostolos autoritate vel dignitate priorem: nec rursum sequitur ex hoc, alios Apostolos non fuisse institutos pastores. Oppositum enim vtriusq; consequentis iam dicti stat cum antecedente, videlicet cum sermone Christi prædicto. Testatur autem dictis, quod Ecclesia Catholica cantat de omnibus Apostolis indifferenter, *Vere dignum & iustum est, æquum & salutare, te quidem omni tempore suppliciter exorare, vt gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos Apostolos tuos continua protectione custodias. Vt eisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contuisti præesse pastores.* Ecce *Apostolos* in plurali, *rectores, vicarios, & pastores, per Christi collationem immediatam.* Non autem solum aliquem rectorem, vicarium, aut pastorem constitutum per Christum. Interroganti vero, cur Christus hoc Petro singulariter dixit, dicendum vtique, quod Christus quandoque sermonem dirigebat ad hominem in persona propria, vt in remissione peccatorum, sanatione infirmorum, & suscitatione mortuorum, quandoq; vero dirigebat sermonem ad alterum in persona omnium aut plurium, vt in Ioan 5. *Vade & amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat.* Vnde id officium Christus committendo Petro, illi loquebatur in persona omnium Apostolorum, sicut ipsemet testatur hunc modum loquendi suum, Marci 13. cum dixit, *Quod autem vni vel vobis dico, omnibus dico* Specialiter tamen ad Petrum sermonem direxit, quia senior erat, vel quia charitate ardentior, vel vt significaret Ecclesiæ futuræ quales debeant pastores institui, quoniam ætate maturi, ex qua signatur prudentia, seu scientia, & charitate pleni, ex qua significatur cura & diligentia quas debent habere pastores, aut fortasse ne videretur abiectior, quia Christum negauerat, quod sapere videtur Glossa, cum dixit, *trina negationi redditur trina confessio, ne minus amori lingua seruiat quam timori.* Hoc enim certissime constat, quod omnibus, *Matt. vl.* dictum est indifferenter. *Euntes ergo docete omnes gentes*, nec dixit Petro, Vade & alios mitte, in quo significauit omnibus autoritatis æqualitatem, sicut etiam ex *Matt. 23.* pridem induximus, dum ad eos inquit Christus, *Nolite vocari Rabbi*, supple inuicem aut vnus super reliquum vel reliquos. *Vnus enim est magister vester, vos autem omnes fratres estis.* Aut dicendum & valde probabiliter, atq; secundum veritatem mihi videtur, quod pro tanto dixit Petro, Pasce oues meas, vt sibi specialiter propter sui constantiam committeret populum Israel, qui & duræ ceruicis populus fuit versus Deum, vt apparet *Exodi 33.* Et inducit Apostolus per Esaiam *Actuum vltimo* Et quoniam propter hunc populum conuertendum & saluandum principaliter venerat Christus. Vnde Matt. 15. *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt Domus Israel. Non sum missus*, principaliter, supple. Ideoq; huius populi curam beato Petro specialiter commisisse videtur, cum dixit, *Pasce oues meas.* Et videtur hæc fuisse Apostoli aperta sententia, cum ad Gal. 2. dixit, *Cum vidissent quod creditum est mihi Euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis &c.* vbi Glossa secundum Aug. *Cum vidissent quod Euangelium præputii creditum est mihi vt fideli, ita principaliter, sicut Petro Euangelium circumcisionis.* Christus enim dedit Paulo, vt ministraret gentibus, qui etiã dederat Petro vt ministraret Iudæis, ita tamen dispensatio distributa est illis, vt & Petrus gentibus prædicaret, si causa fecisset, & Paulus Iudæis. Nec video quod Paulus, vel alter sanctus aliunde sumere potuerit ex scriptura, populum Iudaicum specialiter & principaliter fuisse Petro commissum, nisi ex eo quod Christus dixit illi, *Pasce oues meas.* Cum dicat Paulus ad Gal. 2. *fili creditum Euangelium præputii. quemadmodum Petro circumcisionis.* Si namq; creditum erit Petro Euangelium vniuersaliter plusquam Paulo, vel aliis, inconuenienter vtiq; dixisset Paulus verba prædicta, quinimo totus eius sermo fuisset inanis, & comparatio quam fecit in eo ad glossas sanctorum & reliquorũ doctorum, Super hæc tria puncta scripturæ iam dicta dicemus in fine *capituli huius*, ne idem sæpius iterare contingat. Ad dictum vero Apostoli *ad Gal. 2.* per quod videbatur ipsum autoritate fuisse minorẽ Apostolo Petro, per id quod dixit, *Contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem &c.* dicendum primo secundũ Glossam Aug. super hunc locum, Inquit enim, *& non didici ab illis tanquam maioribus, sed contuli cum eis tanquam amicis & paribus.* Quod autem secundum Hiero. Glossa inducit super id, *Ne in vacuum currerem &c. Ostendit*, inquit Glossa secundum Hieronymum, *se non habuisse securitatem Euangelii, nisi etiam autoritate Petri confirmatum & aliorum roboratum.* Dico cum reuerentia, quod hæc Glossa vel sibi contradiceret, in eo quod infra dicitur secundum eundem Hieronymum si sic intelligatur, quemadmodum qui aduersatur sententiæ, quam dicimus, videtur intendere. Vel oportet Glossam hanc secundum Hieron. intelligi, secundum id quod in ea subditur secundum Aug. Non enim fuit

ista causa collationis, quia ipse dubitaret se non habere certitudinem Euangelii, sed hæc vt magis ab audientibus crederetur, cum dicebat se contulisse cum illis qui cum Christo fuissent conuersati, quorum testimonium probabilius erat. Vnde verbum illud, *Ne in vacuum currerem*, aut *cucurrissem*, non debet referri ad defectum Apostoli secundum se, nec ad dubitationem quam haberet in Euangelio, quoniam hoc, neq; ab homine neq; per hominem accepit aut didicit, sed per Dei reuelationem immediatam, vt ipsemet dicit *ad Gal. 1.* Amplius ad Gal. 2. de hac collatione faciens memoriam, inquit Apostolus, *Mihi autem qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, sed econtra.* Vbi Glossa secundum Aug. *Mihi enim* (vel autem,) *quasi ideo ad priora non recurro, quia quæ modo fiunt, sufficiunt mihi ad commendationem, scilicet quod illi qui videbantur esse aliquid, scilicet Petrus & alii qui fuerunt cum Domino, nihil contulerunt, id est, addiderunt mihi, in quo patet quod non illis inferior sum, qui à Domino à Deo perfectus sum, vt nihil esset quod in collatione mea perfectioni adderent. Qui enim illis tribus imperitis tribuit sensum, dedit & mihi.* Et infra dicit Glossa secundum Hieronymum, *Ipsi mihi nihil contulerunt, sed ego contuli Petro.* Et infra rursum, *Ego restiti enim, tanquam par. Hæc enim non auderet facere nisi sciret se non imparem fore.* Debet igitur illud verbum, *Ne in vacuum currerem* &c. referri ad audientes qui forte sibi non credidissent, aut non tantum, & ideo vacui remansissent. Et ipse similiter in eis vacuus fuisset, id est, propositum frustratum habuisset in eis, quoniam non generasset in eis fidem, quam suæ prædicationis cursu generare intendebat. Et hoc est etiam quod in Glossa secundum Augustinum subditur infra: *Apostolus enim Paulus, post Christi ascensionem de cœlo vocatus, si non cum Apostolis communicaret, & cum eis Euangelium non conferret, quo eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet. Sed cum cognouisset eum hoc annunciare quod illi, & in eorum communione & vnitate viuentem, accedentibus etiam per eum talibus signis qualia & illi operabantur, ita enim Domino commendante autoritatem meruit, vt verba illius sic audiantur in Ecclesia tanquam in illo Christus, sicut ipse verissime dixit, locutus audiatur.* Meruit ergo Paulus autoritatem Christo commendante ipsum siue approbante simpliciter, non dixit, Petro vel aliis Apostolis ipsum commendantibus. Et subditur infra parum in Glossa secundum eundem. *Vnde contulit cum illis Euangelium & dextras accepit, quia idem verbum cum eis etsi non per eos habuit. Ipsa enim collatio vnam doctrinæ speciem, excussa omni lepra varietate, monstrauit.* Hæc igitur fuit causa collationis, vt varietatis doctrinæ scrupulus tolleretur ab auditoribus. Et hoc est quod supra dixerat Glossa secundum August. inquit enim, *Iterum ascendi Hieros.* &c. *Ascendi dico cum Barnaba, qui de Iudæis erat, assumpto Tito, qui de gentibus, quasi hinc inde testes habui, quibus pateret falsum esse me aliud gentibus, aliud Iudæis prædicare. Ascendi aut non solum ea dispositione, sed secundum reuelationem Dei, & non didici ab illis tanquam maioribus, sed contuli cum eis tanquam amicis & paribus Euangelium Christi, quod prædico in gentibus.* Hoc fecit pro assertione prædicationis, quia multis erat scrupulus in doctrina Apostoli, perturbantibus Iudæis, quem scilicet scrupulum Deus voluit tollere, Et ideo non humana deliberatione, sed Dei reuelatione Apostolus ad conferendum cum illis Euangelium ascendisse se dixit, non quidem propter dubitationem quam in Euangelio haberet Apostolus, sed vt ab auditoribus iam dictus scrupulus tolleretur. Quod vero inducebatur ex Glossatore *ad Gal. 2.* quod posterior pastor fuit Paulus beato Petro Apostolo, dicendum, Glossatorem fuisse locutum proprie, quoniam beatus Paulus posterius tempore vocatus fuit ad Apostolatũ, & ideo posterior tempore, sed non propter hoc inferior autoritate, nec hoc Glossa expressit, sed oppositum magis. Sic igitur ex prædictis apparet, neq; Petrum aut Apostolorũ alium fuisse maiorem Paulo, sed amicum & parem autoritate per Christum illis immediate collata. Si qua vero fuerit inter eos prioritas, attendenda est ex ipsorum inuicem electione fortasse, aut secundum quem modum beatum Petrum cæteris priorem Apostolis diximus 16. huius. Ad dictum vero sumptum ex *Codice* Isidori cap. cui titulus: *Incipit præfatio Niceni concilii*, cum inquit; *Sciendum est sane ab omnibus catholicis, quoniam sancta Romana Ecclesia nullis synodicis Decretis prælata est, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit*, sic quoq, intelligendo de ipsius Episcopo. Negandum est Isidori & cuiuslibet alterius extra canonem sic dicentis sermonem Nam Romana Ecclesia ex *Decretis Romanorum principum est* aliarum principalior instituta, & ex aliarum Ecclesiarum consensu, quasi electione quadam, secundum quem modum diximus, *18. & 22. huius.* Amplius ex præmissa canonis autoritate, non sequitur, quod infert Isidorus, sed repelli potest eius illatio & cuiuslibet sic dicentis, per determinata nobis *15. huius, parte 8. & 16. parte 13. & 14.* Ad id vero per quod hæc astruere nititur, ex Matth. 16. *Tu es Petrus & super hanc petram* &c. iam dictum est prius, & manifestata fuit huius Isidori sententiæ debilitas *22. huius.* Ad eam vero rationem, qua deducebatur, *Ecclesiam vnam esse*, & vnum esse primum Episcopum propter fidei vnitatem, secundum Apostolum *ad Ephes. 4.* dicendum, sumendo *Ecclesiam* in propria significatione pro fidelium multitudine, sic esse vnam Ecclesiam, sicut fides est vna. Et quoniam fides non est vna numero in omnibus fidelibus, sed specie vel genere, iccirco non concludit argumentum, Ecclesiam aliter esse vnam. Et cum additur, *Ecclesiam non esse vnam, nisi per vnitatem numeralem alicuius Episcopi cæteris superiorem*, hanc nego, & si concederem ipsam ad aliam illationem, quod hoc principium siue caput est Romanus Episcopus institutione diuina immediate, nego illationem hanc cum suis probationibus. Quoniam nec Petrus Apostolus fuit petra, super quam fundata est Ecclesia, sed Christus, sicut pridem & *16. huius*, per Scripturam ostensum est. Et quoniam Romanus Episcopus institutione diuina immediate, non sic est singulariter Beati Petri aut aliorum Apostolorum successor, quod illi propter hoc, ad reliquos superior autoritas debeatur, vt vbi supra monstratum est. Sed si qua illi singularitas insit, sibi conuenit per institutionem seu electionem huma-

humanam, vt *22. huius.* sufficienter ostendimus. Ad huius vero confirmationem, quoniam sic vnum episcopum aut episcopatum oportet esse, tanquam spiritualium principium, quemadmodum vnum principem aut principatum, temporalium omnium primum, potest negari comparatio, quoniam primi principantis aut principatus vnitas numeralis necessaria est propter contentiosos hominum actus, vt demonstratum est *17. primæ.* Quæ siquidem vnitas non est necessaria in aliquo vel reliquorum officiorum ciuitatis aut regni. Amplius concessa comparatione secundum similitudinem seu proportionem, quæ primum assumitur ad id quod subiungitur, vnum esse primum principem aut principatum, dici potest quod verum est humana institutione, non aliqua Dei siue legis diuinæ ordinatione, seu statuto immediate. Quo modo conclusimus etiam *22. huius*, expediens fore vnum episcopum aliquem & vnum ecclesiam, secundum certam formam, & ad certum opus instituere omnium aliarum principaliorem & caput. Ad aliam vero ratiocinationem, quoniam vt in vnico templo est vnus episcopus, sic in orbe vniuerso fidelium. Dicendum primo in vnico templo, neque de necessitate salutis, neque legis diuinæ præcepto est vnus episcopus, imo possent esse plures, sicut *15. huius* ex *Actuum 20.* & aliis plerisque locis per Apostolum, & ex *epistola* Hieronymi *ad Euandrum* monstrauimus. Quod vero vnicus in vnico templo vel diœcesi posteriori tempore instituatur episcopus anthonomatice in iconomia templi præferendo illum proueniunt ex humana institutione immediate: non quidem, vt diximus ex necessitate imposita per legem diuinam. Neq; si esset talis imposita necessitas, lege diuina tenet simile. Non enim eadem necessitas est vnius iconomi numero in vnica domo, & in tota ciuitate aut prouinciis pluribus, quoniam non existentes in eadem familia domestica, non egent vnitate numerali cuiusquam iconomi, eo quod sibi inuicem cibos & reliqua victui necessaria mansionem accubitum & reliqua non inuicem participant, nec in tali vnitate, sicut qui sunt eiusdem domesticæ familiæ insimul conuersantur. Concluderet enim ratio hæc, pariter oportere vnum numero esse iconomum in orbe vniuerso, quod non est expediens neq; verum. Sufficiunt enim ad conuictum humanum quietum, vnitates numerales principatuum secundũ prouincias, quemadmodum diximus *17. primæ.* Vnũ autem esse iudicem coactiuum omnium, nondum demonstratũ videtur esse de necessitate salutis æternæ, cum tamẽ huius amplior videatur necessitas inter fideles, quam vnius vniuersalis episcopi, eo quod vniuersalis princeps magis in vnitate potest conseruare fideles, quam vniuersalis episcopus. Antiquis nanq; temporibus per principes coacti sunt schismatici ad fidei vnitatem seruandam, quemadmodum ostensum est *21. huius.* Per episcopos autem cogi non poterant, eo quod autoritate coactiua carebant, quæ nec ipsis debetur in quantum huiusmodi, quemadmodum demonstratum *15. primæ*, & per scripturam & sanctorum autoritates & alias rationes, amplius confirmatum, *quarto, quinto, octauo, nono & decimo huius.* Vnitatem vero numeralem atq; principalitatem episcopi & ecclesiæ siue collegii clericorum, & secundum quem modum instituendam, expedire monstrauimus *22. huius*, quamuis vt diximus determinatus sacerdos nullus, neq; collegium ad hoc institutum sit lege diuina, sed humana electione seu institutione talis determinatio facta fuerit, quemadmodum *22. huius* veraciter & euidenter ostendimus. Quod vero addebatur ex Ioannis decimo, *& fiet vnum ouile & vnus pastor*, dicendum, quod loquebatur Christus de seipso. Ipse enim solus fuit vniuersalis pastor, & princeps pastorum, non alius post ipsum, sicut ipse solus fuit caput, & fundamentum ecclesiæ, quemadmodum *16. huius* monstrauimus, & aliis plerisq; locis repetiuimus. Et fuit hæc aperta & literalis sententia beati Petri, inquit enim sua canonica prima capitulo quinto: *Cum venerit princeps pastorum*, (de Christo loquens,) *percipietis immarcessibilem gloriam.* Hæc etiam est sententia sanctorum super hunc locum: Inquit enim Glossa secundum Gregorium, *Quasi ex duobus gregibus vnum ouile efficit, quia Iudaicum & Gentilem populum in sua fide coniungit.* Ecce qualiter ouile fit vnum, quoniam in fidei vnitate. Non dixit Gregorius vnum ouile fieri, quia sub episcopo Romano vel alio vnico præter Christum omnes fideles sint positi. Adhuc secundum Theophylactum: *Idem namque omnibus est baptismi signaculum, vnus pastor, verbum Dei. Attendant ergo Manichæi, quoniam vnum ouile & vnus pastor est noui & veteris testamenti.* Nusquam enim nominatus est ad hanc vnitatem ouilis Petrus aut Paulus, vel alter Apostolus, sed sola fidei vnitas, & Christi persona, qui solus ordinatione immediata Dei caput est & fundamentum, & omnium princeps Pastorum, vt ex præmissis diximus, & per certitudinem ostendimus *16. huius.* Ad aliam vero illationem, qua concludebatur, Romanum episcopum solum, aut cum suorum clericorum solo collegio esse primam causam effectiuam institutionis secundariæ omnium aliorum ministrorum ecclesiæ, & eisdem assignare seu determinare templa in ipsius potestate mediata vel immediata, vel vtraq; fore, negando respondeo. Et dum confirmatur per Ambrosium, *de tradendis basilicis*, qui sacerdotes ad templa siue basilicas determinare siue instituere, dicit *ius Cæsaris esse non posse, quoniam ecclesia Dei est.* Dicendũ sane, quod hoc propterea dixit Ambrosius, quoniã temporibus illis nõ erat tutũ, talia officia, scil. animarũ curas, permittere Romanis principib. conferenda; & ꝙ nondũ erãt in fide cõfirmati sufficiẽter, quinimo ipsorũ principũ quidã magis fauebãt quãdoq; sacerdotibus hæreticis, quam vere fidelibus, velut idẽ Valentinianus Imperator, ad quẽ epistolã dirigebat Ambr. Veruntamen fide radicata & firmata, tam in subditis, quã in principatibus, & tali existente cõmunitate: tutius, & vtilius, & magis conformiter legi diuinæ fit episcoporũ & aliorũ animæ curatorũ electio siue institutio, per autoritatẽ vniuersitatis fideliũ, quã per vnicum & partiale ciuitatis seu communitatis collegiũ, vel per vnius solius hominis voluntatẽ, ꝙ prece aut pretio, amore, vel odio, aut alia quauis affectione sinistra, leuiter & quasi quotidie videmus peruerti. Cõuenimus ergo cũ beato Ambr. in hoc, ꝙ curatores animarũ, episcopos aut sacerdotes reliquosq; tẽplorũ ministros

 insti-

instituere, non sit ius Cæsaris, inquantum persona talis, aut alterius singularis personæ, sed vniuersitatis fidelium, aut illius vel illorum, cui fidelium vniuersitas autoritatem huiusmodi sponte tradiderit, neque hoc negauit ipse. Vnde aduersus Imperatores semper recurrebat ad plebem fidelem, per quam etiam idem ipse fuerat institutus episcopus, secundum quem modum determinauimus *17. huius*. Neq; vnquam dixit autoritatem hanc fuisse Romani aut alterius cuiusquam pontificis, sed propter causam prædictam dixit, Ecclesiam siue templum solius Dei esse, ac ipsius fidelium multitudinis, tanquam ecclesiæ principaliter & primo dictæ, cuius ecclesiæ caput est Christus, & ius, id est possessionem de iure Cæsaris esse non posse. Omnia enim quæcunq; sint illa temporalia possessionis Cæsaris siue fidelis, siue infidelis esse possunt. Sed templum siue institutio sacerdotum in eo, ad solius multitudinis fidelium autoritatem pertinet, quemadmodum ostensum est 17. *huius*. Huius autem signum propterea solum contendisse Ambrosium, tanquam pastorem fidelium, vt scilicet malo seu hæretico sacerdoti grex fidelium non committeretur regendus, quod dixit ad Valentinianum epistola prima. Inquit enim: *Atque vtinam liquido mihi pateret, quod Arrianis ecclesia minime traderetur, sponte me offerrem tuæ pietatis arbitrio.* Quod autem sic ipsum intellexisse oporteat circa basilicarum traditionem, vt nunc diximus, & 17. *huius* manifeste demonstrauimus. Quoniam si basilicam occuparet in communitate fidelium, qui hæresis labe factus existeret episcopus aut sacerdos credere nolens; constat huiusmodi iuste compelli posse per iudicem coactiuum & armatam potentiam, secundum leges humanas. Hoc autem coactiuum iudicium atque potentia nullius est sacerdotis autoritas, vt idem & vere testatur Ambros. in epistola, quæ intitulatur *ad plebem*, inquit enim: *Aduersus Gothos, milites quoq;, lachryma mea arma mea sunt. Talia enim munimenta sunt sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere*: quamuis hoc etiam demonstratione conclusum sit *15. & 17. primæ*, & autoritate scripturæ atq; sanctorum cum aliis quoq; probationibus confirmatum *quarto, quinto, octauo, & nono huius*. Et ideo sane tenendum sic sensisse Ambrosium, vt diximus, nam & Apostolus Cæsarem appellauit, vt ex *Actuum 25.* induximus prius. Vnde vel sic dicendum, in communitatibus fidelium, aut singulos permittendum de fide docere quod volunt, sicut videtur sensisse Hilarius ad Constantium, *epistola* quadam. Sic igitur ad fidelis vniuersitatis autoritatem vel principantis secundum eius ordinationem pertinere videtur, basilicas siue templa disponenda tradere, ac sacerdotes in illis statuere, quod etiam catholici Francorum reges faciunt in quibusdam Ecclesiis, nullum sacerdotem seu episcopum recognoscentes, à quo deriuetur ad eos autoritas hæc. Sic etiam beatum Ambrosium intellexisse, & si vere intelligere oportuisse credimus. Et si contrarie huic, quam canonis scimus & credimus esse sententiam senserit; eius opinione relicta, quam credere non compellimur ad salutem, cum ipsius scriptura canonica non sit, scripturis canonicis inhærentes, eam quam diximus, tanquam veram tenemus sententiam. Et cum ab eadem autoritate Ambrosii videbatur inferri ad Romanum Episcopum pertinere, autoritate diuina immediate supremam iurisdictionem ecclesiasticorum temporalium, quæ propter officia ministris euangelicis conferuntur. Apparet ex dictis illationem inualidam fore, sicut etiam 17. huius sufficienter conclusimus, quam in hoc etiam sententiam confirmat Ambrosius iam dicta epistola *de tradendis basilicis*, vbi sic inquit; *Si tributum petit*, Imperator scilicet, *non negamus, agri ecclesiæ soluunt tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum, nemo nostrum interuenit, potest pauperibus collatio populi redundare, non faciant de agris inuidiam, tollat eos si libitum est, Imperatori non dono, sed non nego.* Sed forte obiiciet, qui semper agros defendere quærit, dicens hos esse *iura sponsæ Christi*, parum curans de vera sponsa, fide scilicet catholica defendenda, vt rex & regnum Armeniæ sibi manifeste testificari potest, quod beatus Ambrosius dixit hæc, non quia agri ecclesiæ de iure debeant tributum, sed quia per vim & oppressionem Imperatorum exigebatur ab ipsis. Hæc profecto falsa expositio est, qua quidam etiam Romani episcopi cum suis complicibus ad effugiendam & declinandam coactiuam principum iurisdictionem, frequenter vtuntur, dicentes se de facto violenter, non iure in seculare deductos iudicium, quoniam oppositum dixit Christus, *Iohan. 19.* & supra induximus, *4. huius*, & hoc est quod iuxta sententiam quam secundum canonem tenemus, subdit Ambrosius, *Soluimus*, inquit, *quæ Cæsaris sunt Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur. Ecclesia Dei est, Cæsari vtique non debet adscribi*, sed fideli supple sacerdoti, secundum iudicium fidelis multitudinis, quemadmodum pridem diximus, & *17. huius* euidenter astruximus. Est igitur tributum & iurisdictio principantis super ecclesiastica temporalia non violenter, sed de iure.

Ad aliam vero illationem qua videbatur concludi, omne collegium clericorum Romano episcopo coactiua iurisdictione subiectum, eo quod diuina ordinatione sit omnium princeps, negandum est antecedens. Ostensum enim est prius, quod nullus episcopus aut sacerdos immediata Dei ordinatione seu lege diuina inferior est aut subditus episcopo Romanorum, autoritate aliqua, essentialiter aut accidentaliter debita sacerdoti. Et quod inducitur consequenter ex Isidori *codice*, de verbis Constantini, dicendum, quod verbum fuit exhortationis & monitionis, quo siquidem deuotus Constantinus ostendit, quales esse deberent episcopi & sacerdotes, tales enim esse deberent inuicem & ad alios, quod in seculari iudicio non oporteret ipsos contendere, secundum doctrinam Apostoli primæ ad Corinth. *6. Quare*, inquit, *non magis iniuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini, quam inter vos habere iudicia?* Et quod additur ex dicto Constantini, *vobis Deus dedit de nobis iudicandi &c.* Dicendum, quod verum est iudicio primæ significationis, nullius in hoc seculo coactiuo, de quo siquidem dictum est sufficienter *6. 7. 8. & 9. huius.* Nec tamen ex prædicta serie,

quam

quam inducit Isidorus siue dicta à Constantino, siue non dicta, sequitur, reliquos episcopos Romano fore iurisdictione subiectos. Inquit enim Constantinus, *Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia quacunque sunt, ad id diuinum reseruentur examen*, non dixit ad iudicium vel examen Romani pontificis. Et quod additur, *Romanum episcopum esse vicem Dei gerentem in terris*, dicendum, quod ordinatione diuina immediate non plus ipse vicem Dei gerit, quam alter episcopus, vt sæpe dictum & ostensum est prius. Neque si vicem Dei gereret in terris, quam ad spiritualia docenda & ministranda, propter hoc Dei vicem gerit, quam ad iudicium coactiuum, super quenquam clericum aut laicum, vt ex *4. & 5. huius*, & aliis plerisque locis ostensum est prius, sed in hoc ministri Dei sunt principes, quemadmodum dixit Apostolus Paulus *ad Romanos 13.* & beatus Petrus *prima canonica sua, cap. 2.* Adhuc esto quod Constantinus hoc asserendo aperte dixisset esse verum, negarem ipsius dictum, quoniam nec canonicum est, nec ad canonicum consequens. Quod si hoc per modum statuisset edicti, id obseruari expediret, sicut reliquas humanas leges, non tanquam Dei ordinatione immediate statutum. Verum ex ipsa Isidori serie liquet aperte, cunctos episcopos Romano principi coactiua iurisdictione subiectos. Ad ipsius enim iudicium, non autem Romani pontificis, spontanei, non coacti suas contentiones & iurgia detulerunt, ipsius interpellantes examen atque iudicium, vt Isidorus narrat ibidem. Et cum infertur vlterius ex eisdem antecedentibus, ad solius Romani episcopi, aut eius cum suo solo collegio sacerdotum autoritatem pertinere, generalia conuocare concilia sacerdotum & aliorum fidelium, & reliqua ordinare in eisdem, de quibus in argumentatione prædiximus. Neganda est illatio cum suo antecedente. Nam antecedentis & consequentis oppositum est *16. & 21. huius.* Ad confirmationes horum innisas autoritati siue sententiæ Isidori, quoniam interpretationem non patiuntur, eo quod hanc expressit sententiam. Dico, negando eas omnes tanquam canoni sacro, & demonstrationi super hunc firmatæ dissonas, quemadmodum *20. 21. & 22. huius* seriose ac manifeste deduximus, & ex his etiam quæ ipsemet inducit *codice* supra dicto. Id autem quod dixit Hieron. in *expositione catholicæ fidei*, in qua sermonem dirigens ad Romanum episcopum, inquit, *Emendari cupimus à te, qui fidem & sedem tenes*, in quibus videtur innuere, Romanum episcopum singulariter beati Petri successorem. Dicendum, pro tanto dixisse Hieronym. Romanorum episcopum tenere fidem & sedem Petri, quia in Romana ecclesia hæc statuto humano aliarum est caput, ipsam & suum episcopum denominat successorem ab Apostolo digniore siue perfectiore, quamuis immediata Dei ordinatione non sit, aut fuerit, autoritate aliqua sibi per Christũ immediate collata, superior reliquis Apostolis, vt supra induximus & plene probauimus 16. huius. Et quod addit Hieronymus, *Sin autem hæc nostra confessio apostolatus tui iudicio comprobatur* &c. In quo videtur innuere Hieronymus, ad solius Romani pontificis autoritatem pertinere, legis diuinæ, etiam in articulis fidei, dubias diffinire seu determinare sententias. Dicendum, nec istud sensisse Hieronymum, sed hæc pro tanto dixit, quoniam ad Romanum episcopum pertinebat dare responsum de his quæ circa fidem catholicam, dubia & circa ritum ecclesiasticum diffinita seu determinata erant per concilium generale. Nam Romanus episcopus & ipsius ecclesia propter hoc instituta erat caput siue principalior aliarum; secundum quem modum diximus *22. huius.* Signat autem, quod dicimus, intellexisse Hieronymum, quoniam in *epistola ad Euandrum*, vbi reprehendens quosdam ritus circa Diaconos ecclesiæ Romanæ, dixit expresse: *Si autoritas quæritur, orbis maior est vrbe*, id est, autoritas omnium ecclesiarum orbis maior est ea quæ vrbis Romanæ. Per illam ergo solam autoritatem, quæ aliarum maxima est & certissima, debent circa fidem dubia diffinire, quemadmodum ostensum est *20. huius.* Vnde & idem Hieron. in *expositione catholicæ fidei* plane sequitur quæ sunt approbata per generalia concilia, ea vero delinat & reprobat, quæ sunt per eadem concilia reprobata. Quod si tamen sensisset Hieron. solius Romani pontificis autoritatem esse iam dictam, ipsius declino sententiam, tanquam non canonicam, neque per canonicam ex necessitate deductam. Non enim, vt in prioribus diximus atque probauimus, nec repetere piget, beatus Petrus aut alter Apostolus per se solum, autoritatem assumpsit, quæ dubia circa fidem esse poterant diffinire. Sed pro talibus conuenerunt Apostoli & seniores, vt *Actuum 15.* inspicienti se offert. Quod vero inducebatur ex Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit* &c. Dicendum, *Qui vos audit* &c. verum est, *vos*, id est, generale concilium, quod solum repræsentat Christum legis æternæ latorem vel Apostolorum & ipsorum ecclesiæ congregationem. Diuisim vero, *Qui vos audit* &c. verum est, loquentes secundum legem diuinam, non blasphemantes iniuste. Quomodo dixit Christus de Pharisæis, *Quæ dicunt, facite, quæ dicunt secundum legem*, diuinam videlicet, vt inquit Hieronymus, *Matth. 23.* super præmissum immediate Christi oraculum. Vel sic, *Qui vos audit* &c. in præceptis aut prohibitis lege diuina, obligatur. In conciliis vero, qualia sunt ieiunia, non obligatur, nisi fidelium omnium, aut valentioris partis in generali concilio interueniente consensu. Ad rationes autem Bernhardi, & primum ad eam quæ ad Eugenium est, de consideratione lib. 2. *Quis es?* inquit Bernhard. & idem respondens, ait, *Sacerdos magnus, summus pontifex.* Dicendum, quod si intellexerit hoc immediata Dei ordinatione, aut legis diuinæ præcepto, neganda est eius responsio, quoniam sic non esset sacro canoni consona, nec deductis per necessitatem ex ipso *16. & 22. huius.* Si vero intellexerit hunc primatum illi conuenire humana electione siue institutione, concedenda est sua responsio, secundum quem modum dictum est *22. huius.* Et cum addit: *Tu princeps Episcoporum*,) verum est, accipiendo principem large, id est, principaliorem institutione prædicta, stricte vero accipiendo principem non est concedenda Bernhardi oratio,

nam

nam & ipse idem ab eodem Eugenio, & consequenter à quolibet episcopo principatum negat, vt ab eodem Bernhard. ad eundem *Eugenium libro primo, capitulo quinto* supra induximus quinto huius. *Tu hæres Apostolorum*, sic & alii episcopi quamuis hic principalius, secundum modum dictum quinto, 16. & 22. huius. *Tu primatu Abel*, (verum est assumptus pro illo, humana tamen electione, vel propter illius reuerentiam, qui tempore fuit apostolus. *Gubernatu Noe*,) verum est in ministrandis spiritualibus tantum, & humana institutione. Tu omnium patrum spiritualium pater. *Ordine Melchisedech*,) verum est quantum ad sacerdotium, quod figuratum est per illum de Christo, quomodo & cæteri sacerdotes omnes, non autem quantum ad regnum. Quoniam secundum hoc solum Christum & nullum alium sacerdotem figurauit Melchisedech, qui rex simul & sacerdos erat, nec tamen Christum figurauit hic quantum ad regnum mundanum, quia nec sic Christus regnare venit aut voluit, vt in 4. *huius* ostenditur, sed ille Melchisedech simul sacerdos & mundanus rex, Christi sacerdotium, & cœleste regnum non mundanum figurauit, & eo minus in aliquo sacerdote vel Episcopo, tale enim regnum negat ab Episcopo Romano Bernhardus, vbi supra, & magis expresse, neque etiam quantum ad primatum sacerdotii, quenquam alium à Christo figurauit Melchisedech, sed hic primatus in aliis est, vt diximus ab humana institutione. *Dignitate Aaron*) verum est quantum ad similitudinem primatus inter sacerdotes, differenter tamen vt diximus, quoniam Aaron immediate institutione Dei, sed non sic quisquam Romanus aut alter Episcopus Apostolorum successor. *Autoritate Moses*) huius oppositum aperte dixit idem, vbi supra *de consideratione libro primo, capitulo quinto & libro 3. capitulo primo.* Moses enim princeps fuit secundum legem coactiuam, vt apparet *Actuum* 7. quod Bernhardus negauit à quolibet Apostolorum successore, vbi supra. Rursum Moses hoc habuit Dei ordinatione immediata, & super omnem Israel. Romanus autem episcopus hoc immediata habet humana concessione solum, & super solos euangelicos siue templorum ministros. *Iudicatu Samuel*, verum est ad similitudinem, differenter tamen dupliciter, primo quidem, quoniam non immediata Dei ordinatione, quemadmodum Samuel: Secundo quoniam super solos sacerdotes, & reliquos euangelicos inferiores ministros. Samuel autem super omnem populum Israel indifferenter. *Potestate Petrus*, verum est essentiali & immediate Dei actione, & sic etiam quilibet alter episcopus aut sacerdotes, primatum tamen super alios sola humana institutione immediate obtinet quilibet Romanus episcopus, siue hunc beatus Petrus habuerit immediate institutione Dei siue non, sed apostolorum electione, quod credimus secundum scripturam, si tamen hunc etiam sic habuerit, quemadmodum ostensum est 16. huius. *Vnctione Christus*, si vnctionem intendat gratiæ, vel Spiritus sancti, quæ datur cum sacerdotali charactere, verum est, quam quilibet Sacerdos etiam suscipit. Si vero per vnctionem intelligat primatum super omnem ecclesiam, immediata Dei non hominum institutione, quem Christus solus habuit super omnes sacerdotes, ipsius declino sententiam propter Apostolum dicentem oppositum, in plerisque scripturæ locis, quemadmodum ostensum est 16. huius. Quod vero subdit, *non modo ouium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor*: si intelligeret humana institutione immediate, concederem; si autem Dei ordinatione seu legis diuinæ statuto, quemadmodum videtur intendere, ipsius declino sententiam; quoniam non est canonica nec ex canone per necessitatem deducta, sed oppositum magis. Et cum eam ex canone nititur astruere, subiungens: *Vnde id probem quæris? ex verbo Domini, Si me amas Petre, pasce oues meas. Cui enim, inquit, non dico episcoporum, sed etiam apostolorum, sic absolute & indiscrete totæ commissæ sunt oues? Cui non planum, non designasse oues? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.* Dicendum, & cum reuerentia semper, quod miranda est interrogatio hæc, quæ quærit, cui apostolorum, non modo dicit episcoporum, sic absolute & indiscrete totæ commissæ sint oues. Dico quod omnibus apostolis communiter & diuisim. Vnde id probem quæritis? ex verbo Domini euidentius quam ipse. Nam Matthæi vltimo, & omnium quasi præceptorum nouissime dixit Christus ad apostolos omnes, *Euntes ergo docete omnes gentes* &c. Euidentius autem dico, quoniam Iohan. 20. dixit, *Pasce oues*, nec addit omnes. Certum est autem, quod plures comprehendit oues, qui omnes tradit vniuersaliter, quam qui solum indefinite, dicens, *Pasce oues.* Propter quod rursum cum reuerentia, videtur scriptura, quam inducit Bernhardus, aliam & magis scripturæ conuenientem interpretationem recipere, quam supra tetigimus *parte nona*, nec repetere piget. Nam Christus Matth. 15. dixisse legitur, *Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Quod siquidem oraculum, iuxta sanctorum interpretationes debet intelligi, *non quidem*, vt inquit Hieronymus, *quin & ad gentes missus, sed quod primum ad Israel missus est* &c. Remigius vero & magis ad propositum & literæ consonum: *Specialiter missus est ad salutem Iudæorum, vt etiam corporali præsentia eos doceret.* Quamuis ergo secundum sanctorum expositionem, Christus missus fuerit ad salutem omnium, specialiter tamen & primum ad salutem Iudæorum, sicut etiam sonant verba Christi secundum Matthæum, dum dixit, *Non sum missus nisi ad oues* &c. Has igitur oues inter cæteras sibi appropriauit, cum subdit, *Quæ perierunt domus Israel.* Et quoniam hic populus semper fuit duræ ceruicis, vt apparet *Exodi 32.* & prophetarum occisor, vt veritas ipsamet dixit *Lucæ 13.* Petrum vero quoniam Christus nouerat constantiorem fide, ac charitate sui & proximi feruentiorem, eidem singulariter has oues recommendauit, dum dixit, *Si amas me, pasce oues meas*, id est, insiste specialiter ad docendum populum Israel. Signat autem hoc verum esse, quod scribitur ad Galatas 2. *Cum vidissent quod creditum est mihi euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis* &c. Nec aliunde per euangelium posset dictum apostoli confirmari. Et rursum; *Dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos*

in

in gentes, ipsi vero in circumcisionem, id est, ad Iudæos. Non igitur ex hoc quod dixit Christus; *Pasce oues meas*, beato Petro generaliorem curam commisit, imo specialiorem alicuius populi. Ea enim, quã dedit omnibus Apostolis, Matthæi vltimo, & Iohan. 20. dũ dixit, *Euntes ergo docete omnes gentes* &c. Et, *accipite Spiritum sanctum, & quorum remiseritis peccata remittuntur* &c. nulla generalior esse potest. His enim verbis autoritatem & curam pastoralem acceperunt omnes Apostoli, & ad omnes indifferenter, quemadmodum etiam dixit Aug. *de quæstionibus noui testamenti. q. 94.* & supra induximus 16. *huius*. Quam etiam dicat Bernhard. generaliorem curam commisit Christus alicui, ea quam Paulo actuum 9. dum dixit? *Vas electionis est mihi ille, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israel.* Et quod infra subdit Bernhard. *Inde est, quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes*, apparet scripturæ dissonum, nec id consentit series epistolarum Pauli, nisi posset ex scriptura conuinci, sed oppositum, vt pridem ostendimus. Et quod infra subiungit 6. *iuxta canones tuos, alii in partem solicitudinis* &c. Si intellexerint immediata institutione Dei, ipsorum dicta declino, tam scilicet Eugenii scripturam, quam sibi consentientis Bernhardi, eo quod canonicæ non sunt, nec vocari debent, nisi scripturæ, de quibus diximus. 19. *huius*, & quoniam oppositum eius quod dicunt, sæpe probauimus per scripturam. Si vero intellexerint humana institutione immediate plenam illam potestatem, secundum quem modum diximus 22. *huius*. Ecclesiarum curam vniuersalem, concedimus eius dictum. Et rursum quod addit: *Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt, nonne si causa extiterit, tu episcopo cœlum claudere? Tu ipsum* &c. Dicendum, vt prius, quod Dei ordinatione immediata non plus habet Rom. episcopus aut quiuis alter autoritatis in reliquos quam econuerso. Non enim ex crimine potest Rom. episcopus alium episcopum excommunicare vel deponere autoritate sibi per Christum immediate collata, magis quam econuerso, vt 15. & 16. *huius*, per scripturam ostensum est, & pridem etiam repetitum. Si vero intelligat Bernh. hunc primatum ab humana concessione immediate, tunc illum habet super reliquos episcopos, in spiritualibus ministrandis, qui sibi per generale concilium concessus fuerit: & in temporalibus eum qui eidem super reliquos per mortalem legislatorem concessus extiterit. Et quod additur vltimo, quantum ad hanc orationem, *Stat ergo inconcussum priuilegium tuum tibi* &c. Dicendum quod verum est, nam potestatem ligandi & soluendi homines à peccatis ipsosq; docendi & sacramenta legis æternæ salutis ministrandi potestatem habet Romanus episcopus & sacerdos. Si vero per *priuilegium* intelligat Bernhardus, primatum aliquem Romano episcopo lege diuina seu Dei ordinatione immediata super reliquos episcopos debitum, eius velut prius, & propter assignatas causas declino sententiam. Ad aliam vero eiusdem Bernhardi orationem, qua *libro & capitulo 4. ad eundem Eugenium* innuere videtur, ad Romanum episcopum pertinere iurisdictionem coactiuam, quam sub metaphora *temporalem gladium* appellauit, non modo super clericos, verum etiam super laicos, cum dixit, *Quem tamen*, (gladium scilicet,) *qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini* &c. Et in fine concludens, inquit, *vterq; ergo ecclesiæ spiritualis*, (scilicet gladius) *& materialis*: cum reuerentia nec minus cum admiratione dicendum, quod idem Bernhardus sibi de hac materia dissone, quinimo contrarie pronunciauit aperte, inquit enim de hac autoritate seu potestate loquens, vbi supra immediate: *Quid tu denuò* (papa scilicet) *vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es reponere in vaginam?* Constat autem, quod quis *vsurpat*, ad suam autoritatem minime pertinere. Sed dicet Bernhardus aut eius interpres, iuxta id quod dixit in fine sermonis huius, quod quamuis autoritas iam dicta ad sacerdotem pertineat, tamen executio per ipsum fieri non debet, quod exerere materialem gladium dixit. Verum responsio hæc non est ad intentionem scripturæ. Non solum enim hanc gladii materialis extractionem Christus à se negauit, verum etiam & iudicium id, atque præceptum de illo exerendo, dum dixit Lucæ 12. petenti ab ipso tale iudicium: *Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* Quod verbum cum quibusdam aliis, tam Christi quam Apostolorum, tractans Bernhardus *ad Eugenium de consideratione libro primo, capitulo quinto*, & supra induximus *quinto huius*, sic ipsum exponentis in hoc loco interpretationem interimit. Inquit enim ad eundem Papam; *Audi Apostolum quid de huiusmodi autoritate*, scilicet temporalia iudicandi, *sentiat, & est prima ad Corinth. 6. Sic non sapiens inter vos, ait ille, qui iudicet inter fratrem & fratrem.* Et infert, *Ad ignominiam vobis dico, contemptibiliores qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicium. Itaque secundum Apostolum indigne tibi vsurpas tu Apostolicus officium vile, gradum contemptibilium.* (Attende quod de officio loquitur, non de executione.) *Vnde & dicebat episcopus* (Paulus scilicet,) *episcopum instruens*, (Timotheum videlicet,) *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ego autem parco tibi. Non enim fortia loquor, sed possibilia. Putas ne hæc tempora sustinerent, si hominibus litigantibus pro terrena hereditate, flagitantibus abs te iudicium voce Domini responderes, ô homines quis me constituit iudicem super vos. In quale mox iudicium tu venires, quid diceret homo rusticanus & imperitus? Ignoras primatum tuum, inhonoras summam & præexcelsam sedem, derogas apostolicæ dignitati. Et tamen non monstrabunt puto, qui hæc dicent, vbi aliquando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum, aut diuisor terminorũ, aut distributor terrarum. Stetisse deniq; lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego, erit illud, non fuit. Ita ne imminutor est dignitatis seruus, si nõ vult esse maior Domino suo, aut discipulus si nõ vult esse maior, eo qui se misit, aut filius, si nõ transgreditur terminos quos posuerunt patres sui? Quis me constituit iudicẽ, ait ille magister & Dominus, & erit iniuria seruo, discipuloq;, nisi iudicet vniuersos?* Nõ solũ ergo remouet Bernh. quinimo verius Christus & Apostoli à successorib. sacerdotib. & episcopis, executionẽ secularis iudicii, verũ etiã officiũ, siue autoritatẽ de talibus iudicandi, propter quod infra subiungit idẽ:

Habens

Habent hæc infima & terrena iudices suos, reges & principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Hanc rursum sententiam repetit & confirmat, *libro 2. capitulo 4.* & supra induximus *quinto, 11. & 22. huius.* Vbi ad propositam intentionem, sic inquit; *Nunquid dominationem*, (supple reliquit Apostolus Petrus,) *successoribus suis? audi ipsum*, (Petrum videlicet,) *Non dominantes, ait, de clero, sed forma facti gregis. Et ne dictum sola humilitate putes, ne etiam veritate, vox Domini est in Euangelio, reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Et infert, Vos autem non sic. Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vsurpare audes aut Dominus apostolatum, aut apostolicus dominatum, plane ab vtroque prohiberis*, supple simul habendo, & hoc est quod subdit ibidem Bernar. *Si vtrumque simul habere voles, perdes vtrunq;, alioquin non te exceptum illorum numero putes, de quibus queritur Deus sic, Ipsi regnauerunt & non per me, principes extiterunt, & non cognoui eos.* Amplius eandem profert sententiam in epistola quadam ad Archiepiscopum Senonensem, vbi sic inquit; *Hæc isti suggestores*, (inobedientiæ scilicet,) *sed Christus aliter & iussit & gessit: Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Quod ore locutus est, mox opere implere curauit. Conditor Cæsaris non cunctatus est Cæsari reddere censum. Exemplum enim dedit vobis, vt & vos ita faciatis. Quomodo vero Dei sacerdotibus debitam negaret reuerentiã, qui hanc quoque secularibus potestatibus exhibere curauit? Noluit ergo Christus principibus huius seculi temporaliter dominari, sed subiici, & debitum illis censum atque reuerentiam reddere, id faciendi cunctis eius successoribus, apostolis primum, deinde sacerdotibus, & episcopis prabens exemplum.* Adhuc expressius eandem sententiam infra subiungens, ait. *Quid igitur vos, ô monachi sacerdotum grauat autoritas, metuitis infestationem? sed si quid patimini propter iustitiam, beati: secularitatem contemnitis, id est, principantes in seculo. Sed secularior nemo Pilato cui Dominus astitit iudicandus. Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper. Iam tunc pro se loquebatur, & in se experiebatur, quod post per apostolos clamauit in ecclesiis, non est potestas, nisi à Deo. Et qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Ite nunc ergo resistere Christi vicario, cum nec suo aduersario Christus restiterit, aut dicite si audetis, sui præsulis Deum ordinationem nescire, cum Romani præsidis potestatem Christus quoque super se fatetur fuisse cœlitus ordinatam.* Vsurpat ergo episcopus alienum officium & in alienam messem falcem extendit, dum se iudicio secularium actuum ingerit inter homines, cuiuscunque conditionis existant.

Et quòd addit Bernhardus in præmissa instantia: *Quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini*, &c. Dico quod nullus quem viderim aut audiuerim, id negauit aut negare potest expressius, vt ex ipsius præinductis orationibus liquet. Quibus etiam adiungendum, cum reuerentia, semper conuenientiorem esse aliorum sanctorum expositionem super hunc locum. Fuit enim (vt omnes concordant) locutio Christi metaphorica, dum dicentibus discipulis, *Ecce duo gladii*, respondit Dominus, *satis est*. Vnde Chrysost. *Equidem si humano volebat eos vti præsidio, nec centum sufficerent gladii. Quod si nolebat eos vti humano subsidio, etiam duo superuacui sunt.* Vnde apparet verborum Christi sensum fuisse mysticum, quod etiam signat manifeste ipsius sermo, dum *Matt. 26. & Ioan. 18.* tempore defensionis, si qua per illos gladios fieri debuisset, inquit Petro, *Conuerte gladium tuum in locum suum*, vel *in vaginam*, in quo significauit se non præcepisse, munitionem fieri per apostolos gladiorum, sed mystice fuisse locutum, secundum quem sensum sufficienter attendens verbum Domini, beatus Ambrosius exponit verba prædicta, sic inquiens; *Duo gladii permittuntur, vnus noui, alter veteris testamenti, quibus aduersus Diaboli munimur insidias. Et dicitur, satis est; quia nihil deest ei, quem vtriusq; testamenti doctrina munierit.* Verum, qui ad vsurpandos principatus sacerdotes anhelant, & toto exteriori conamine, licet indebite, tendunt: peregrinas expositiones Scripturæ, quæ ipsorum opinionem corruptam & affectionem peruersam sapere videantur, libenter recipiunt. Quod si tamen literaliter verba Christi sumantur, nihil sunt contra nostram sententiam, quoniam gladius materialis non est principatus neq; iudicium secularium actuum, neq; etiam secundum metaphoram, iuxta Christi sententiam, principatum siue officium secularis iudicii, quod Christus Petro aut alteri Apostolo commiserit, signare potest, vt idem Bernhardus probauit alibi manifeste, vbi supra induximus, & etiam per Scripturam indubie monstrauimus *4 huius & quinto.* Et quod subiungit, *Forsitan tuus, & tuo nutu exerendus*, dico quod dixit *forsitan*, quamuis non debuisset in hoc dubitare, nisi fortasse hoc sane intelligat, quod princeps in exercendo gladium ad nutum sacerdotis, id est, ad consilium sacerdotis in generali vel speciali consilio secundum exigentiam facti emergentis attendere debet: vt in mouendo bellum, dubitans vtrum iuste secundum legem diuinam, debet vti consilio sacerdotum, ne mortale peccatum incurrat, sicut & in reliquis suis actibus monasticis & ciuilibus, præsertim etiam in quibus dubitat per ignorantiam mortale peccatum incurrere, non quidem quod propterea sacerdoti subiiciatur in tali officio. Sic enim in conferendis disciplinarum licentiis & expellendis à ciuitate leprosis, vti debet consilio peritorum, quibus in iurisdictione non subiicitur; quemadmodum diximus decimo huius. Vnde Bernhar. in fine sermonis iam dicti ait, quod *nutu sacerdotis & iussu Imperatoris hic gladius exeri debet*, non ergo per nutum intellexit Imperium, siue autoritatem coactiuam, sed consilium, quoniam hoc ad Imperatorem, siue principem expressit pertinere, quamuis Romanus episcopus hunc gladium exeri per sæpe etiam inter Christi fideles aduersus inuicem minus iuste præcipiat. Et ad vnum dicere, si Bernhardus ex his verbis intelligat tale officium siue iudicium ad sacerdotis siue episcopi cuiusquam autoritatem pertinere, tanquam in hoc superiorem alicui principanti, secundum tertiæ significationis iudicium in hoc seculo: Dico quod in manifesto, tam sibi quam Scripturæ sacræ quam inducit, contradicit aperte, vt ex prædictis apparet, propter quod simpliciter eius in hoc loco, si talis fuerit, declino senten-

sententiam, tanquam non canonicam sed canoni dissonam atq; contrariam. Ad dicta vero sanctorum atq; doctorum, & præcipue super scripturam inductam ex Matth. 16. *Tu es Petrus & super hanc petram* &c. Et rursum super illud Lucæ 22. *Ego autem rogaui pro te Petre* &c. Amplius & super illud Iohan. 21. *Si amas me, pasce oues meas.* Quibus liquidem dictis videntur intendere, beato Petro per Christum immediate super reliquos Apostolos traditam potestatem seu autoritatem, ipsum vocantes *apostolorum principem*, & *vniuersalem pastorem*, & ipsorum quidam *caput ecclesiæ*. Dicendum (cum reuerentia tamen) quod autoritatem nullam essentialem, quam sacerdotalem diximus, neq; accidentalem aliquam pastoratus præexcellentiam super reliquos Apostolos Christus immediate beato Petro tradidit, sed ab illo & cæteris inuicem remouit, vt 16. huius per scripturam & sanctorũ atq; doctorum expositionem euidenter ostendimus. Et modo quodam repetiuimus circa principium capit. huius. Vnde Christum & Apostolum & ipsorum quorundam alibi dicta sequens, quam super inducta iam scripturæ loca & alia quæcunq; similia dicere videntur sententiam de tali primatu seu principalitate, aliter quam 16. & 22. huius, dixerimus, declino. Quoniam canonica nec est, nec canonicam sequitur, quinimo ipsorum aliqui oppositum dixerunt alibi, exponendo scripturam. Hic autem talia proferunt extra scripturam ex propria sententia, sequentes consuetudinem, & magis attendentes quædam dicta famosa, quam verba scripturæ. Quis enim non admirabitur, contendentibus Apostolis, quis eorum esset maior, Christum respondisse, semper inter ipsos æqualitatem & prioritatem autoritatis ab ipsorum quocunq; negasse, si intendebat beatum Petrum inter ipsos principaliorem & caput? Quid etiam Christus non dabat reliquis mandatum, vt Petro subessent in officio pastorali, ne tantum mysterium lateret eos & ipsorum successores, quantum erat caput ecclesiæ? Nusquam enim legitur in scriptura tale mandatum fuisse datum Apostolis. Quomodo etiam dexteras dedit Petrus Paulo societatis? imo mandatum dare debuit tanquam superior. Et ad vnum dicere, tota scriptura, vbi tangitur materia hæc, huius sententiæ oppositum clamat aperte. Esto amplius, quod tamen secundum scripturam negauimus beato Petro, per Christum immediate fuisse commissam curam pastoralem aliorum Apostolorum, non tamen propterea per scripturã conuinci posset, Romanum aut alium quemuis episcopum post mortem beati Petri esse Pastorẽ omnium aliorum immediatã Christi ordinatione, sed conuenit alicui talis autoritas per electionem humanam immediate, quemadmodum 16. 17. & 22. huius ostendimus prius. Et cum inducebatur, ecclesiam acephalam esse, neq; fuisse ordinatam à Christo secundum optimam dispositionem, si eam absque capite in sui absentia reliquisset, possumus dicere secundum Apostolum vt prius, quod Christus semper caput remansit ecclesiæ: omnesq; Apostoli & ecclesiastici ministri, membra, vt plane patet *ad Ephesios 4.* & aliis plerisq; locis, de quibus sufficienter induximus 22. *huius, parte quinta.* Et hoc etiam Christus ipse manifeste significauit Matthæi vltimo, dum dixit, *Ego autem vobiscum sum vsq; in seculi consummationem.* Et dicat disputans, nunquid etiam sit acephala, mortali capite vacante ab episcopo, Romana sede plerunque; & constat quod sic. Nec tamen propterea concedendum eam inordinatam, aut praue dispositam à Christo relictam; propter quod redire oportet ad prædicta, & ea quæ in solutione sequentis instantiæ dicturi sumus. Rationi vero quæ apparens est, vt amplius satisfaciat dicamus in forma. Cum enim ex ipsa deducitur & infertur, Christum non ordinasse ecclesiam secũdum optimam dispositionem, si caput mortale determinatum, in sui absentia non reliquisset idem, Neganda est illatio. Et cum videtur id astrui, propterea quod ecclesia est in meliori dispositione per huius capitis institutionem, concedendum vtiq; credo, meliorem ecclesiastici ritus & obseruandæ fidei dispositionem, per huiusmodi capitis mortalis institutionem, non tamen immediate fiendam per Christum. Quoniam si sic, tunc semper, vel vt in pluribus hoc modo prouenire deberet, ex Christi ordinatione. Sed melius fuit determinandum & eligendum per fidelium institutionem, & hanc fuisse optimam dispositionem à Christo traditam ecclesiæ militanti, vt hic ad exemplum traherentur imposterum, & scandali materia tolleretur, tam ab Apostolis quam reliquis eorum successoribus atq; fidelibus. Quoniam Romanæ vrbis aut cuiusuis alterius, fortasse non semper sunt clerici sacra scriptura & vita præstantiores, cæteris mundi collegiis, vt in ipsorum comparatione ad Parisiensis vniuersitatis & cleri collegium satis apparet, propter quod relinquendo fidelibus institutionem talis capitis ecclesiæ quemadmodum diximus 22. *huius, parte 8. & 9.* Christus eam in optima conuenientium humanæ conuersationi, dispositione reliquit, quo modo fortasse Apostoli Petrum caput instituerunt ecclesiæ, quemadmodum ex Anacleti *decreto* induximus 16. *huius, parte duodecima.* Quod autem dixit Augustinus, super illud Iohan. 21. *Sic eum volo manere) quod vita quæ est in fide, signata est per Apostolum Petrum propter sui Apostolatus primatum.* Dico Christum intellexisse tempore, quoniam inter cæteros ad Apostolatum per Christum vocatus est prius, sicut etiam clauium promissionem tempore primus accepit, secundum eundem *Matth. 16.* super illud, *Tibi dabo claues regni cœlorum* Vita enim quæ est in fide, videlicet corruptibilis huius seculi, præcedit tempore illam, quæ est in spe incorruptibilem alterius seculi. Ad eam vero confirmationem obiectionum, quæ inducebatur ex *Decretis* siue *Decretalibus pontificum Romanorum*, dicendum generaliter ad omnes huiusmodi scripturas atque sermones, non quales diximus 19. *huius*, quod ipsis veritatis credulitatem non tenemur præstare, neque in quibus sententiarum prædictarum, quas cum scriptura tenemus, oppositum continent, sed eas, quamuis cum reuerentia, declinamus, & aperte negamus. Et quod singulariter concludere volunt, ad Romanum Episcopum solum, aut cum suo clericorum collegio, pertinere autoritatem instituendi personas ad ecclesiastica officia, & pro illis

temporalia siue beneficia conferendi. Dicendum, quod si per *officia ecclesiastica* intelligantur sacri ordines & characteres, qui cum his imprimuntur in anima velut habitus quidam. Hæc inquam officia, per solos episcopos siue pastores posse conferri, siue à Deo per ministerium eorum tantummodo, & nullius alterius collegii, vel singularis personæ. Et hoc credendum de necessitate salutis, vel non ipsius oppositum, quia sic ordinatum reperitur lege diuina, non quidem quoniam sic statutum est, per humanas aliquas *Decretales* siue *Decreta*. Quamuis tamen vt diximus *17. huius*, personarum habilitatis ad hæc suscipienda officia examen & determinatio, non sine legislatoris fidelis autoritate, vel eius principantis fieri debeat, vt vbi supra monstrauimus, & *15. primæ*. Si vero per *officia ecclesiastica* intelligantur determinationes seu institutiones presbyterorum & aliorum iam dictorum officialium ad curas animarum, maiores aut minores, in certis locis & ad certos populos gubernandos, talia instituere officia, siue personarum ad hæc determinationes facere, & pro his ecclesiasticis temporalia distribuere seu conferre, ad fidelem legislatorem pertinet, secundum quem modum diximus *17. huius*. Idq; generaliter & vbiq;, nullius vnici episcopi, aut collegii sacerdotum, autoritatis esse nec expedire, quemadmodum *17. & 21. huius* ostensum est. Quod ergo obiicitur nobis oppositum horum, ex *Decretis* & *Decretalibus Romanorum pontificum*: Dicendum, quod quamuis huiusmodi *Decretales* siue *Decreta*, & quæcunq; aliæ scripturæ siue sermones consimiles, nō quales diximus 19. huius, possint continere plurima documenta & consilia, etiam vtilia, tam pro statu præsentis seculi, quam venturi inquantum ab episcopo Romano, etiam cum suo collegio clericorum, præter licentiam fidelis legislatoris aut Principis, aut aliter seu contra formam dictam *21. huius*, statuta huiusmodi neminem obligare ad culpam vel pœnam, & præcipue temporalem. Sic nanq; disponuntur eiusmodi ferentes traditiones, quemadmodum Pharisæi & scribæ, ad quos Christus Marci 7. inquit, *In vanum autem me colunt, docentes doctrinas & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum.* Et parum infra, *Bene irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis*; Decretales atq; Decreta videlicet de temporalibus vsurpandis. Non enim sunt Decretales in quantum huiusmodi, leges diuinæ aut humanæ, sed narrationes aut documenta, & in pluribus obligarchica quædam statuta. Propter quod talium ordinatores, contra formam, & præter autoritatem iam dictam, ad ipsorum quoq; obseruationem quenquam inducentes verbis subreptitiis, quasi cogentes, comminando simplicibus eorum transgressoribus, damnationem æternam, aut blasphemias siue anathemata, vel alias maledictiones inferentes in quenquam verbo vel scripto corporaliter sunt extremo puniendi supplicio, tanquam conspiratores & ciuilis schismatis concitatores. Est enim hæc grauissima species criminis læsæ maiestatis. Quoniam in principatum directe committitur, ad eius etiam supremi pluralitatem, & consequenter per necessitatem ad solutionem cuiuslibet politiæ perducens.

CAP. XXIX.

De solutione instantiarum, ex scriptura inductarum tertio huius, ad ostendendum iurisdictionem coactiuam episcopis, & supremam Romano episcopo in quantum huiusmodi, conuenire.

AD reliquas vero instantias ex scriptura inductas *tertio huius*, propter quas fortassis alicui videretur posse conuinci, Romanum Papam vel alium quemuis episcopum, iudicem esse secundum tertiam significationem super omnes clericos, aut indifferenter super reliquos omnes, absq; tamen humani legislatoris institutione, sed Dei ordinatione immediata. Dicendum, & primo ad eam quæ sumebatur ex *Matth. 16.* dum dixit Christus beato Petro, *Tibi dabo claues regni cœlorum &c.* quod ex his verbis non aliam potestatem beato Petro aut alteri Apostolo tradidit Christus, quam ligandi & soluendi homines à peccatis, sicut expresse dicit beatus Bernhard. *ad Eugeniū de consideratione libro primo cap 5.* & supra induximus *quinto huius, parte secunda*, de qua etiam seriose dictum est *6. huius & 7.* Nec illius plenitudinem aliter quam dictum sit *23. huius*. Vnde propter hæc verba, Romanus aut alter episcopus vel sacerdos, in Apostoli aut Apostolorum persona, coactiuam in hoc seculo autoritatem siue iurisdictionem in quenquam clericum aut laicum non accepit à Christo. Dictum enim est, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, ad differentiam regni mundani. Ab huiusmodi namq; regimine sui exemplo Christus vnumquenq; Apostolum & eorum successorem episcopum siue præsbyterum significauit exclusum, dum dixit Lucæ *12. Homo, quis me constituit iudicem*, terrenorum videlicet? Idemq; per alia præinducta *4. & 5. huius*. Eodem quoq; siue consimili modo dicendum est ad autoritates sumptas ex canone, *Matth.* 18. & *Ioh.* 20. dum dixit Christus Apostolis, *Quæcunque alligaueritis super terram &c. Et quorum remiseritis peccata* &c. Non enim ex his verbis aliam, quam iam dictam & secundum quem modum diximus, Christus illis tradidit potestatem. Ad aliam quæ sumebatur ex *Matth. 11.* dum dixit Christus, *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Dicendum quod non sequitur, *Omnia mihi tradita sunt à patre meo*, ergo potestatem omnium Apostolo vel Apostolis tradidi, sicut etiam diximus *4. huius*. Non enim ex hac inquisitione dubitatur, quid Christus tradere potuerit potestatis & autoritatis, Apostolo vel Apostolis, & ipsorum successoribus, sed quid tradere voluerit & de facto tradiderit, & à qua ipsos prohibuerit consilio vel præcepto. Hæc n. ostensa sunt sufficienter *4. 5. & 6. ac 9. huius.* Vnde Bernhard. etiam hoc intendens ad Eugenium de consideratione lib. *3.* capit. primo sic inquit, *Non enim reor omnem modum, sed sane quodamtenus, vt mihi videtur, dispensatio tibi super illum credita est*, (videlicet super orbem) *non data possessio. Si pergis vsurpare hunc, contradicit tibi qui dicit, Meus est orbis terra & plenitudo eius. Non tu ille de*

quo

quo propheta, *Et erit omnis terra possessio eius. Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis & merito redemptionis.* Et plura subiungit ad propositum, quæ omisi propter sufficientiam præmissorum & abbreuiationem sermonis. Non igitur Christus omnia, & secundum modum sibi tradita, tradidit Apostolo, vel Apostolis, sed certa solum & secundum certum modum. Amplius secundum Gloss. omnium sanctorum super hunc locum, *intendebat Christus, hanc traditionem sibi factam secundum diuinitatem, qua Dei filius æternus erat* :quod nulli Apostolorum aut successorum conuenire potuit. Propter quod hic sermo Christi nec etiam appatet, aliquid infert contra sententiam quam tenemus. Ad eam vero quæ sumebatur *Matth. 28. & vltimo,* dum dixit Christus, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Dicendum, sicut diximus ad immediate præmissam. Non enim propter hoc sequitur, esto etiam quod secundum humanitatem omnem potestatem susceperit in terris, quod omnem potestatem Apostolo vel Apostolis tradiderit, sed solum eam, de qua dictum est *Matth. vltimo,* & *Ioh. 20.* quam etiam explicauimus *6. huius & 7.* Quoniam & secundum hanc solum regnare venit Christus, vnde Hieron. super hunc locum: *In cœlo autem & in terra potestas data est, vt qui ante regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet in terris.* Quod autem ex *Matth. 8. & Marc. 5.* sumebatur, *Dæmones autem rogabant eum, dicentes* &c. Dicendum, nec id dictum obuiare sententiæ, quam tenemus. Esto nanque, sicut verum est, Christum habuisse si voluisset, etiam secundum humanitatem, dominium, & omnem potestatem temporalium, non ex hoc per necessitatem potest inferri, eum tradidisse Apostolo vel Apostolis, aut ipsorum successoribus consimilem potestatem, quinimo, tam opere quam sermone Christus illis monstrauit, temporalium fugere possessionem atque dominium, sic etiam iurisdictionem coactiuam cuiusquam in hoc seculo, siue iudicium, vt *4. huius & 5.* monstratum est, & repetitum *cap. præcedente.* Quod si tamen Christus aliquando vsus fuerit talium potestate siue dominio, non tamen humani principantis seu iudicis modo, sed miraculose ac raro valde diuina potestate potius quam humana, vt in proposito & in arefactione ficulneæ, suis Apostolis ex hoc significare volens sui diuinitatis naturâ, vnde ipsos amplius in fide firmaret, vel etiam propter aliquod melius, occultum homini & inocculturn sibi, sicut dicunt ibidem Chrysost. & Hieron. *Vt sit*, inquit Hieron. *salutis hominum occasio per porcorum interfectionem.* Et ideo Christus, nec ipsos miracula facere docuit, vt ex Aug. *de verbis Domini, super Matth. sermone 10.* supra induximus *4. huius.* Eoque minus ipsos voluit exercere potestatem in alienam iacturam & scandalum propter quod talia non exercuit, vt ipsi talia exercere deberent, sed vt illis se verum Deum ostenderet esse. Ei vero instantiæ, quæ inducebatur ex Matth. 21. Marc. 11. & Lucæ 19. *Tunc misit duos discipulos, dicens eis Iesus, Ite in castellum quod contra vos est, & inuenietis asinam alligatam* &c. similiter dicendum est, quemadmodum instantiæ immediate præmissæ. Ea vero quæ de duobus gladiis, sumpta *Lucæ 22.* & quæ de pastu ouium ex *Ioan. 21.* nil contradicunt, aut contradicens inferunt necessario sententiæ, quam tenemus, sicut seriose monstrauimus *præcedenti cap.* Non n. ex his B. Petro vel alteri Apostolo, aut ipsorum successori coactiuam in hoc seculo cuiusquam iurisdictionem tradidit, siue iudicium, sed officium pastoratus, de quo traditum est sufficienter *9. huius.* Quod autem inquit Apostolus primæ ad Corinth. 6. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* nec contradictorium est sententiæ quam tenemus, nec contradictorium infert. Non enim sermone seu scriptura prædicta, monebat seu alloquebatur Apostolus, sacerdotes tantummodo, sed generaliter omnes fideles de Corintho. Nam iisdem generaliter, vt ex salutatione patet, scripsit epistolam. Contendebant enim inuicem de secularibus & ciuilibus, coram infidelibus iudicibus se trahentes, propter quod monebat ipsos Apostolus, tanquam pastor ipsis consulendo, vt ex cœtu fidelium sibi iudices constituerent, non quidem sacerdotes aut episcopos, sed alios ab his. Propter quod immediate subdit Apostolus: *Secularia igitur iudicia, si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum, ad verecundiam vestram dico, si non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre contendit iudicio apud infideles.* Quam siquidem Apostoli seriem exponens Gloss. secundum Aug. Amb. & Greg. inquit sic, *Secularia igitur &c. Sicut iam reprehendit eos, quia causas agebant apud infideles contemptis fidelibus, ita nunc reprehendit eos, quod contemptibiles iudices, licet fideles, constituebant, qui, & quia debetis iudicare. Igitur si habueritis secularia iudicia, ideo dicit, si habueritis, quia nec habenda sunt, sed potius sunt contemnenda, si inquam habueritis, constituite ad iudicandum illos contemptibiles, id est, indiscretos & viles, qui sunt in ecclesia: quid hoc est, quod vos fecistis. Vnde coacti fratres recurrerent ad illos, id est, ad infideles. Hoc redarguit in eis Apostolus, ironice eis loquens, & quia non decet fieri, adiecit, ad verecundiam vel ad reuerentiam vestram dico, quia non impero, sed memoro, vt verecundemini, & debetis erubescere, quia non est inter vos quisquam sic, id est, adeo sapiens, quod possit iudicare inter fratrem suum, vt ita necesse sit, vt stultos statuatis iudices. Et hi tamen potius statuendi sunt, quam ad infideles iudices eatur, si desint sapientes, sic inquam non est sapiens, sed frater cum fratre contendit in iudicio, quod malum est, etiam apud infideles, quod peius est, vel ita, Secularia igitur, quia dixerat Apostolus, eos posse de his minimis iudicare, determinat, qui ad huiusmodi diffinienda negotia sunt constituendi, scilicet contemptibiles qui sunt in ecclesia. Maiores enim spiritualibus intendere debent, qui, & quia iudicare debetis, igitur hoc modo facite, si secularia negotia habueritis, illos constituite ad iudicandum, qui sunt in ecclesia contemptibiles, id est, aliquos sapientes, qui tamen sunt minoris meriti, Apostoli enim prædicando circumeuntes talibus non vacabant. Sapientes ergo qui in locis consistebant fideles & sancti, non qui huc atque illac propter euangelium discurrebant talium negotiorum examinatores esse voluit. A quibus nos excusare non possumus & si velimus. Christum enim testem inuoco, quoniam mallem per singulos dies certis horis manibus aliquid opera-*

 ri, &

ri, & certas horas habere liberas ad legendum & orandum, vel ad agendum aliquid de diuinis literis, quam tumultuosas perplexitates causarum pati de negotiis secularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis. Dico contemptibiles constituite, hoc autem ad reuerentiam vestram dico, vt videlicet, hi terrenas causas examinent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt, qui autem spiritualibus donis ditati sunt, terrenis non debent negotiis implicari, vt dum non coguntur inferiora bona disponere, valeant bonis superioribus deseruire. Sed tamen curandum magno opere est, vt hi qui donis spiritualibus emicant, nequaquam proximorum infirmantium negotia funditus deserant, sed hæc aliis, quibus dignum est tractanda committant, vel per se gerant. Sunt autem hæc Apostoli & sanctorum scripta notanda. Apparet enim ex ipsis primo, ꝙ omnes contentiones inter quascunq; personas, de his quæ non pertinent ad legem diuinã, sunt seculares & non spirituales, & ad seculare iudicium pertinentes. Nam generaliter locutus est Apostolus, & sancti super hunc locum, non facientes differentiam, sicut necesse, inter contentiones temporales seu ciuiles, quæ sunt presbyterorum inuicem, & generaliter clericorum, aut quæ sunt inter presbyteros & laicos, & inter eas quæ sunt secularium inuicem. Dicat n. quæso sophista & vocabulorum abusor, qui spirituale vocat, quod est simpliciter seculare, secundum Apostoli & sanctorum appellationẽ, si presbyter iniuriam inferens fratri, sacerdoti, siue nõ sacerdoti, verbo vel facto, facit iniuriã spiritualẽ, magis ea quã laicus intulerit, hoc n. dicere derisio est, credere vero summa vesania, quippe, quoniam carnalior seu secularior & detestabilior est iniuria, quæ per sacerdotem infertur illata per laicũ. Nam turpius peccat & grauius qui aliũ docere tenetur, tam opere quã sermone, iniuriã non inferre, quemadmodũ seriosius ostensum est *8. huius.* Quod autẽ seculares, non spirituales sint, & dici debeant huiusmodi clericorum actus, aperte testatur Aug. in prædicta Glossa, dum causas contentiosas presbyterorũ & clericorum, quæ corã ipso agebantur, qui episcopus erat, vocauit, *tumultuosas perplexitates causarũ de negotiis secularibus,* non faciens harũ causarũ siue contentionũ, differentiam, ꝓpter personarũ conditiones. Hæc n. differentia, presbyteri scilicet, ac nõ presbyteri, quantũ ad hoc accidentalis est, velut ea quæ circuli per aureũ & argenteũ, quã nullus artifex assignat, eo quod distinctionẽ non efficit in effectu per se. Apparet secundo quod horũ actuũ iudiciũ, aut iudicẽ esse, non est sacerdotũ, & ꝙ talem iudicem instituere non plus, imo fortasse minus, ad ipsorũ autoritatẽ pertinet, quam reliquorũ fideliũ, sed pertinet hoc ad fideliũ vniuersitatẽ, quemadmodũ ostensum est *15. prima.* Et ꝓpterea dixit Apostolus, *constituite,* nec dixit alicui episcopo vel sacerdoti, *Constitue.* Vbi namq; agendũ erat aliquid pertinens ad officiũ sacerdotis seu episcopi, id facere mandabat singulariter illi non multitudini fideliũ, sicut presbyteros seu episcopos, aut diaconos constituere, aut euangelium prædicare, ac reliqua exercere officiã, quæ propria sunt presbytero aut pastori. Vnde ad Titum primo: *Huius gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas,* quantũ videlicet ad doctrinã salutarem & mores. *Et constituas per ciuitates presbyteros, sicut ego disposui,* non tamen dixit illi, Constitue iudicẽ negotiorum secularium examinatorem. Nec Corinthiis scribens, dixit, Vobis constituet episcopus vel sacerdos, sed dixit Apostolus ad vniuersam fidelium multitudinem, *Constituite,* non quidem imperans, sed consulens siue memorans. Vnde Glossa super illud, *Ad reuerentiã vestram dico,* inquit, *quasi non impero, sed memoro, vt verecundemini.* Bene n. nouerat Apostolus, tales iudices instituere, ad suũ officiũ minime pertinere, & eo minus, ad sacerdotem seu episcopum alium. Nec rursum ad huiusmodi officium exercendũ assumi consuluit presbyterum aut episcopum quenquam, sed oppositũ magis, quoniam *nemo,* vt inquit, *militans Deo implicat se secularibus negotiis.* Sed consuluit statui iudices, contemptibiles in ecclesia, id est, de numero fideliũ, eos qui nõ erant idonei ad euãgelizandũ, quamuis nõ omnes sed secundũ Gloss. sanctorũ, *illos terrenas causas examinare voluit apostolus siue consuluit, qui exteriorũ rerũ scientiã perceperunt;* qui autem spiritualibus donis dotati sunt, nõ debent terrenis negotiis implicari, quod manifeste dicebat beatus Bern. *ad Eugeniũ, de consideratione lib. 1. c. 5.* & pridẽ induximus *c. præcedenti.* Obiiciet autem aliquis Aug. dictũ, in superioribus Glossis. Inquit n. ille, de seculariũ contentiosorũ actuũ iudiciis loquens, *à quibus nos excusare non possumus, etsi velimus.* Cuius etiã sententiã ibid. confirmãs Greg. addit: *Sed tamen curandum magno opere est &c. sed hæc* (scil. iudicia seculariũ actuum;) *quibus dignum est, tractanda committant episcopi, vel per se gerant.* Sic talia iudicare ac taliũ iudices cõstituere, ad episcopos seu presbyteros, in quantũ huiusmodi pertinere videtur, ex quo ab his secundũ sanctorũ sententiam excusari nõ possunt, & ipsis hoc magno curandũ est opere. Nos autẽ ad hæc obiecta, & reliqua cõsimilia dicta sanctorũ aut doctorũ, dicamus, quod antiquis temporibus & iam dictorũ sanctorũ propter status sacerdotalis reuerentiã, & ipsorũ moris siue virtutis cõfidentiã, ac reliquas causas, de quibus diximus *25. huius parte 5.* concessum fuit per fideles legislatores & principes, iudiciale officiũ tertiæ significationis episcopis & principalibus animarũ pastoribus supra clericorũ personas, & tẽporalia, vt minus vexarentur, aut turbarentur à diuinis officiis, & honestius in causis secularibus tractaretur. Et quoniã iam dictorũ sanctorũ aliqui constituti erant episcopi in prouinciis siue locis, quorũ principes aut incolæ supradictũ iudiciale officium illis contulerant, nisi episcopatui renunciassent, ab huiusmodi gerenda causarum secularium inter clericos cura, excusari non poterant rursum. Sed rursum dubitabit aliquis merito quærens, cur viri sancti, vt beatus Siluester, & aliorum plurimi iudicia & potestates seculares, ac temporaliũ possessionẽ & ad ministrationẽ assumpserint, si talia presbyterorũ, episcoporũ, & reliquorũ euangelizantiũ officio nõ conueniunt neq; conuenerint. Dicendũ arbitror, secundum veritates inductas prius, præsertim *17. & 25. huius,* quod fideliũ ecclesia seu multitudo, modica existens circa principiũ & consequẽter, etiã tẽpore multo, à principatibus & subditis infidelib. ꝑsecutiones plurimas vsq; ad mortalia martyria patiebatur frequẽter & in multa paupertate viuebat. Propter ꝙ sancti epi veri pastores ꝓpter gregis salutẽ, augmentũ, cõseruationẽ & sustentationem ab Imperatoribus fidelibus, deuotis, & sibi ꝓpitiis, gratias, & fauores, cõcessiones, seu priuilegia impetrabant, aut oblatas suscipiebãt, non quidẽ vt perirent, sed vt ꝓdesse possent, & fidelem prote-

gere populum atque fouere. Sic ergo iudicia secularium actuum inter clericos præcipue, propter iam dictas causas sancti episcopi susceperūt. Sic etiam quorundam temporalium administrationem absq; possessione siue dominio, seu autoritate vendicandi, curam acceperunt, vt posset hoc in fideles pauperes redundare. Vnde Ambr. *de tradendis basilicis*, vbi supra: *si agros desiderat Imperator, potestatem habet vendicandorum, nemo nostrum interuenit, potest pauperibus collatio populi redundare.* Nemo ergo sacerdotum seu episcoporum interueniebat pro agris, quoniam Christū & Apostolos imitantes, horum abdicabant dominium, pro fide vero agonizabant constanter vsque ad mortem, quamuis moderni episcopi & præcipue Romanorum, pro agris & secularibus dominiis fortissime pugnent, & pugnas vndiq; inter Christi fideles concitent, dicentes se in hoc iura sponsæ Christi defendere, cum tamen ipsius iura non sint, sed iniuriæ, veram sponsam, fidem videlicet, doctrinam & mores defendere, ne per prauos vsus aut actus, aut infidelium impetum corrumpatur, quasi totaliter negligentes, quemadmodum diximus *22. huius.* His ergo de causis, antiquis temporibus, huiusmodi officia & beneficia susceperunt sanctorum aliqui, quibus siquidem conuenienter renunciare possent moderni, ad minus in cōmunitatibus fidelium. Sufficienter n. per principantes ab oppressionibus defenditur clerus, quinimo vix ab offensionibus in aliquos reprimi possunt. Verum talibus renunciare secularibus officiis, possessioni atque dominio temporalium non est propositum modernorum pastorum, sed pro huiusmodi etiam armata pugnare potentia, non solum habitis conseruandis, verum etiam pro reliquis vsurpandis, sicut quilibet quantumcunq; rudis sensu, si non alio, doceri possunt: vniuersitatem fidelium etiam quamplurimum scandalizantes, ex hoc ambitionis exemplo, non attendentes Christi comminationem, *Matth. 18.* dum dixit, *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis* &c. Vbi Glossa secundum Hieron. *Et quanquam generalis possit esse sententia aduersus omnes, qui aliquem scandalizant, tamen iuxta consequentiam sermonis etiam contra Apostolos dictum intelligi potest, qui interrogando, quis maior esset, videbantur inter se de dignitate contendere. Et si in hoc vitio permansissent, poterant eos quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum Apostolos viderent inter se de honore pugnare.* Quod autem de Apostolis Hieron. dixit, intelligendum est etiam de ipsorum successoribus omnibus, episcopis siue presbyteris. Qui si tamen sponte huiusmodi officia iudicialia, & autoritatem distribuendi temporalia relinquere nolint, ipsisq; abutantur, secundum diuinam & humanam legem, licite possunt & debent principantes aut fideles legislatores eadem ab ipsis reuocare, quemadmodum demonstratum *15. prima, 17. & 21. huius.* Quod autem obiiciebatur ex Apostolo primæ ad Corinth. 9. & 2. Thess. 3. *Nunquid non habemus potestatem* &c. dissolutum fuit *14. huius.* Talis enim potestas, vt ibi dicebatur, non est iurisdictionis, sed licite petendi secundum legem diuinam, quamuis tamen non in iudicio coactiuo, alimentum & tegumentum sibi debitum propter euangelii ministrationem à potentibus exhibere. Ei vero quæ inducebatur ex *1. ad Timoth. 5.* dum dixit Apostolus: *Aduersus presbyterum noli accipere accusationem* &c. Dicendum, hic Apostolum intellexisse, si debeat sacerdos publice increpari à suo superiori, pastore siue doctore, non enim iurisdictionem coactiuam alicui sacerdoti vel episcopo in quenquam exercere mandauit, quoniam & hoc ad suam & cuiuslibet sui successoris autoritatem non pertinere nouit Apostolus. Significauit autem Apostolus, correptionem quæ ad Pastorem pertinet, solum esse verbalem, in eo quod subdit, *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant*, nec dixit cape vel incarcera, sed incorrigibiles sermone docuit euitari. Vnde ad Tit. 3. *hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita, cum sit proprio iudicio condemnatus.*

CAP. XXX.

De solutione rationum eodem tertio ad idem etiam inductarum, & imperii Romani, ac alterius cuiuslibet principatus translatione, quantum secundum rectam rationem fieri debet & potest.

RELiquum vero & vltimum huius dictionis, est soluere rationes, quas etiam *3. huius* induximus, ad astruendum errorem dicentium, iurisdictiones coactiuas ad presbyteros siue episcopos, ipsarumq; supremam omnium in hoc seculo, ad Romanum episcopum, in quantum huiusmodi pertinere. Ad earum ergo primam, cum dicebatur, Sicut se habet corpus ad animam, sic princeps corporis ad principem animæ. Hæc propositio falsa est vniuersaliter sumpta. Nam quamuis anima distinguatur à corpore, quoniam anima non est corpus, nullus tamen est corporis princeps, quin sit etiam animæ aliquo modo princeps, & econuerso, sumendo principem proprie, quemadmodum apparet *8. & 9. huius.* Si vero per Principem corporis, secundum metaphoram intelligatur medicus, qui eius curam gerit tanquam doctor operatiuus, & quantum ad actus qui sunt particulæ irrationalis & nutritiuæ: per principem autem animæ, eum qui medicus est & doctor siue præceptor operatiuus, quantum ad actus partis rationalis & appetitiuæ tam in statu & pro statu præsentis seculi, quales sunt humanarum scientiarum vel disciplinarum doctores, quam pro statu futuri seculi, quales sunt pastores & sacerdotes, posset iam dicta propositio indefinite sumpta concedi, quoniam vniuersaliter sumpta semper instantiam multiplicem pateretur. Anima enim ad corpus, & rursum rationalis ad irrationalem, multas habet differentias, quas doctor aut curator secundum vnam, non habet ad doctorem seu curatorem secundum aliam. Etenim rationalis ad imaginem trinitatis est syllogizans, irrationalis vero minime, nec tamen inter harum curatores seu doctores est huiusmodi differentia, sic & in aliis. Ea ergo in aliquo sensu concessa, vt videlicet sicut anima ratio-

nalis & appetitiua nobilior est corpore, id est, animato secundũ nutritiuam, in quantum huiusmodi, ita doctor vel curator animæ rationalis &c. dignior est eo qui curator & doctor irrationalis: siue etiã fiat comparatio hæc, inter doctorem animæ rationalis pro statu seu fine præsentis seculi tantum ad eum qui eiusdem doctor est, principaliter pro statu, seu fine futuri seculi. Esto sic inquam, alterũ altero perfectiorem esse, non ex hoc sequitur, ipsorum perfectiorẽ iudicẽ esse super imperfectiorẽ iudicio coactiuo, sic n. mathematicus princeps esset coactiuus medici, & plurima manifeste inconuenientia sequerentur ex hoc. Quod si per principem corporũ intelligatur principans siue iudex hominũ coactiuus, seu tertiæ significationis, in statu & pro statu siue fine præsentis seculi tantum, aut principaliter: per principem vero animarũ eum qui iudex est secundũ tertiã significationẽ principaliter pro statu seu fine venturi seculi, sicut videtur intendere disputans, posset concedi cõparatio siue proportio secundũ aliquẽ sensum, seu indefinite sumpta, quoniam vniuersaliter, vt prædiximus, multas pateretur instantias. Et cum assumitur corpus subest animæ vel irrationale omnino, aut secundum modum aliquẽ subest animæ, id est rationali, simpliciter concesso secundum perfectionem subesse, non ex hoc sequitur subesse secundum iurisdictionẽ, sic n. inferens peccaret secundũ consequens. Esto tamen, quamuis non propter argumentationẽ hanc principem corporũ, id est, hominũ iudicem coactiuũ pro statu præsentis seculi tantum, subesse secundum iurisdictionem iudici animarum coactiuo pro statu venturi, non propter hoc sequitur, quenquam huius seculi principem, siue iudicem coactiuũ, subesse secundũ iurisdictionem alicui episcopo vel sacerdoti. Quoniã nullus episcopus aut sacerdos, inquantum huiusmodi est princeps, seu iudex coactiuus cuiusquã pro statu præsentis seculi vel venturi, quemadmodũ *4. 5. & 9. huius* ostensum est. Iudex n. coactiuus animarũ siue pro statu futuri seculi Christus est solus, vnde Iacobi 4. quod nec repetere piget, *Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere & liberare.* Hic autem neminem mortalem statuit iudicare irreuocabiliter, neminemq; punit aut præmiat in hoc seculo, sed punire aut præmiare in venturo tantũmodo statuit, vt diximus & per scripturam probauimus 9. huius. Romanus a. episcopus cum reliquis etiã pastoribus est animarũ doctor, quemadmodũ medicus, non iudex coactiuus aut princeps, vt vbi supra monstrauimus per seriem euangelicam, per Apostolũ, Hilarium, atq; Chrysostomum, & ratione cogente. Quæ vero amplius inducebatur ratio, quoniam sicut corporalia spiritualibus comparantur, sic princeps corporaliũ ad eum qui spirtualiũ, quia eidem quasi radici cum priore innititur, quasi eodem aut consimili modo repellenda est, maior n. instantias patitur plurimas ad minorẽ, quæ dicitur, Corporalia subdi spiritualibus, si accipiatur, subdi, pro esse minus perfecto, debet concedi iuxta proprias significationes horum nominum, temporale & spirituale. Cum vero subiungebatur, Romanũ episcopũ esse principẽ siue iudicẽ spiritualiũ, si iudex sumatur secundũ primã iudicis significationem, vtq; horũ iudicator, speculatiuus aut operatiuus, verũ est, Romanum episcopũ & aliũ quemlibet huiusmodi iudicẽ esse vel esse debere, & ex hoc concluditur, ꝙ perfectior est eo qui iudicat tali iudicio de corporalibus tantũ, præsertim propter bonitatem iudicatarũ rerum, sed propter hoc non sequitur, iudicẽ spiritualium talem superiorẽ esse altero iurisdictione seu iudicio coactiuo. Sic n. qui animalia speculatur princeps esset siue iudex coactiuus astrologi vel geometræ vel ecõuerso, cum tamen neutrum sit nec necessarium neq; verum. Si vero intendatur, Romanum aut quemuis aliũ episcopum, iudicem esse spiritualium secundũ tertiam significationẽ, videlicet coactiuum, neganda est tanquam manifeste falsa, vt ex *Iacobi 4.* pridem induximus, & *9. huius.* Solus n. Christus huiusmodi iudex est, cui iudicem huius seculi quantum ad coactiuã iurisdictionem pro statu futuri seculi, nusquam negauimus neque negamus subesse. Vnde Apostolus ad Ephes. 6. & Collos. vltimo. *Illorum & vester dominus est in cœlis.* Vbi tunc nullus erat Apostolus, aut sacerdos nouæ legis, alter à Christo. Propter ꝙ ab hoc iudice solo, iudicio coactiuo, iudicabuntur huius seculi iudices, & qui demeruerint arcebuntur per pœnam coactiuam, in alio seculo tamen secundum suam legem, vt apparuit *9. huius*, per æquiuocationem ergo huius nominis *iudex*, fallebat iam dictus paralogismus.

Ei autẽ argumentationi, quoniã sicut finis ad finem, lex ad legem &c. sic iudex ad iudicem negari posset, vniersaliter sumpta. Ea tamen indefinite concessa, cũ minore adiuncta, concluditur fortasse propter materiã, iudicẽ coactiuum secundũ legem diuinam superiorem esse ad iudicẽ coactiuum secundum humanam legem, ꝙ concessimus prius. Quod si assumatur, Romanum aut alium quemuis episcopũ iudicem esse secundum legem diuinam, distinguenda est oratio, secundum æquiuocationẽ huius dictionis iudex & interimenda in sensu, secundũ quã disputans concludere quærit, Romanũ aut alium quenquã episcopũ iudicẽ esse coactiuũ in hoc seculo vel futuro secundũ legem diuinam. Quæ vero ratio accipit, eum cuius actio nobilior est siue perfectior, non debere illi subiici secundũ iurisdictionem coactiuam, cuius actio minus nobilis est, siue minus perfecta: hoc a. sustinet episcopi seu presbyteri actio, ad eam quæ principantis. Est n. nobilius & perfectius eucharistiã consecrare, cætera quoq; ministrare sacramenta ecclesiæ, quod est opus episcopi, siue sacerdotis, quã de ciuilibus seu contentiosis actibus humanis iudicare atq; præcipere, quod opus est principantis seu iurisdictionem actiuam habentis solummodo, in quantum huiusmodi. Primam propositionem, recipit fallam & negandã vniuersaliter sumptã, quoniã nec aliter ratiocinatio formã conuenientẽ haberet. Minor etiã vniuersaliter sumpta, similiter pro quocunq;, scil. sacerdotio vel sacerdote, pateretur instantiã. Non n. actio sacerdotũ in aliis legibus nobilior est actione principantis, eius n. oppositũ ostensum est 15. primæ, sed in sola lege Christianorũ actio sacerdotũ est aliarũ perfectissima, quod tamen sola fide tenemus. Est igitur huius argumentationis prima propositio falsa, nihil enim prohibet, nobiliorem seu perfectiorem simpliciter habens actionem quantum ad aliquid, dependere ab habente minus perfectam, & sic quod ad quid esse imperfectius. Corpus enim humanũ, quod est perfectius simpliciter omni corpore simplici aut mixto, generabili saltẽ, quantũ ad aliquid positũ est, & minus

perfectum, multis mixtis atq; simplicibus. Est etiam hic videre in partibus eiusdẽ totius. Nã quãuis oculus sit membrum siue pars perfectior manu vel pede, quoniam perfectiorem efficit actionem, nihilominus ab eis pendet & recipit aliquam actionem aut motum, è quoq; conuerso, hæc ipsa dependent ab oculo, quoniam in finem ad quem mouent aut mouentur, diriguntur per ipsum. Sic etiam dicebat Apostolus primæ ad Cor. 12. *Non potest autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo.* Quo siquidem igitur seu proportionali modo, principatus etiam dependet ac recipit aliqua, per actiones aliquarum & inferiorum partium ciuitatis, de quibus diximus quinto primæ, quamuis non secundum iudicium coactiuum, cum tamen ipse secundum aliquid melius & perfectius à principatu dependeant & coactiuum iudicium, vt ostensum est 15. primæ. Sic ergo sacerdotium à principatu dependet ac recipit, & principatus à sacerdotio. Recipit enim sacerdotium à principatu iustificationem suorũ ciuilium actuum, & custodiam ab iniuria, ne siquidem hanc inferat alteri, nec illi ab altero inferatur in statu & pro statu præsentis seculi, quoniam hoc est officium principantis & nullius alterius partis ciuitatis, quemadmodum demonstratum est *15. prima.* Quod etiam expressit Apostolus *ad Roman. 13.* & prius induximus *quinto huius*, hoc etiam *ad Tim. prima, quinto cap.* sensit cum dixit: *Obsecro igitur primum fieri obsecrationes* &c. *pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus*, id est, habeamus. Conuersa vice indiget ac pendet principatus ab actione sacerdotii, recipit enim ab hoc, doctrinam videlicet cum sacramentis disponentibus homines in hoc seculo & contraria remouentibus ad salutem seu beatitudinem æternam pro statu venturi seculi. Verum differenter inuicem has agunt & recipiunt actiones, quoniam princeps iudex coactiuus existens in hoc seculo Dei ordinatione, quamuis immediate humani legislatoris aut alterius cuiusuis humanæ voluntatis institutione suam actionem, per coactiuam potestatem, supplicium vel pœnam inferendo imprimere potest licite in sacerdotem, etiam non volentem, si legis humanæ, non contrariæ diuinæ legi transgressor extiterit, vt demonstratum est *quinto, & 8. huius, & 15. prima.* Episcopus autẽ siue sacerdos quoniam secundum legem diuinam non est iudex coactiuus cuiusquam in hoc seculo, vt *15. prima, quarto, quinto, & nono huius* ostensum est, sed *Iudex* est secundum primam iudicis significationem, quasi doctor operatiuus, vt medicus per suam actionem siue præceptum neminem cogere potest, nec debet pœna vel supplicio reali aut personali, secundum vitam præsentem. Sic igitur falsa fuit prima propositio iam dictæ argumentationis, qua sumebatur, Omne quod perfectiorem efficit actionem, secundum iurisdictionem non debere subesse minus perfectam actionem agenti. Cũ dictis enim ad ipsam sequitur per necessitatem aliud manifestum inconueniens, falsum videlicet, nullum speculatiuũ artificem, aut saltem primum Philosophum, seu Metaphysicum subesse iurisdictioni principantis secundum legem humanam, cum nullus habituũ operatiuorum aliorum à fide in principante vel alio, aut actio proueniens ab iis, sint æque perfecti habitui Philosophi primi, aut actioni prouenienti per illum, quo tamen carere contingit principantẽ sufficientem & recte etiam institutum. Quod autem posterius obiiciebatur, inconueniens videri, vicariũ Christi singularem Romanum Episcopum, aut quemuis Apostolorũ successorẽ alium, subesse debere iudicio coactiuo principantis secundũ legem humanam. Dicendum, nullũ inconueniens, vicariũ alicuius, illi vel consimili subesse iudici, cui Dominus eiusdem vicarii sponte subesse decreuit, propter conuenientẽ seculi huius ordinationem obseruandam. Christus enim Deus & homo, sub Pilati Pontii, principantis secundum legem humanã, vicarii iudicium coactiuum sponte subiuit, sic etiam & Apostoli sancti fecerunt, & alios facere præceperunt secundum legem diuinam, quemadmodum liquide ostensum est per scripturam & dicta sanctorum atq; aliorum doctorũ *4. & 5. huius, & in 28.* repetitum. Vnde etiam cum *seruus non sit maior Domino, nec Apostolus eo, qui misit illũ*, vt ex scriptura per Bernh. induximus, *28. huius* (Bernhardus enim hęc inter cætera ad Eugeniũ de consideratione li. primo, c. 5. *Ita ne*, inquit, *imminutor est dignitatis seruus, si non vult esse maior Domino suo? aut discipulus, si non vult esse maior eo qui se misit? aut filius, si non transgreditur terminos, quos posuerunt patres sui? Quis me constituit iudicem? ait ille magister & Dominus, & erit iniuria seruo discipuloq;, nisi iudicet vniuersos?*) nullum inconueniens, sed valde conueniens, quinimo necessarium ad ciuilitatis, seu politiæ quietem, omnem Episcopum atq; Presbyterum & clericum subesse iudicio coactiuo principantium secundum legem humanam, huius vero contrarium, inconueniens omnino est & impartibile, sicut demonstratum est *decimo septimo prima*, & vbi supra in hac pridem confirmatum testamentis æternis. Adhuc quoniam Romanus aut quiuis Episcopus, non est Christi vicarius, seu minister ad omne officium exercendum in hoc seculo, sed secundum determinatũ, verbi causa, Sacerdotium, in quo siquidem inquantum huiusmodi, non attenditur coactiuum iudiciũ inferius aut superius secundum ipsum, vt ex Aristotele induximus palam, *9 huius, parte 8.* principans vero secundum legem humanam Dei vicarius seu minister est, secundũ principatus officium, in quo superius & subiectum attenditur quantum ad coactiuam potestatem, vnde *ad Romanos 13.* neminem excipiens Apostolus, Episcoporum aut Presbyterorum, inquit, *Omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus*, causam subiungens, *Dei enim minister est.* Ecce vicarium Dei, non violentum, sed coactiuum malorum, in hoc seculo. Vnde subdit, *Vindex in iram & qui malum agit.* Sed malum agere potest Episcopus aut sacerdos, quibus nunquam Christus aut Apostolus aliquis, opere seu exemplo vel sermone, alium iudicem assignauit, vt in hac, vbi supra monstrauimus.

Ei vero, quæ per modum conclusionis proponitur, instantiæ, quod si expediat principantes secundum autoritatem humanam corrigere, dum delinquent in diuinam aut hominum legem, nõ videri nos corrigi posse conuenienter, cum superiore careant in politia, primi saltem, aut primus ipsorum. Et propterea eos subiici debere sacerdotum, aut Episcoporũ iudicio coactiuo. Dicendum,

quod principans delinquens in diuinam aut humanam legem corrigi poteſt & debet, conuenienter per miniſtrum Eccleſiaſticũ, Epiſcopum, ſiue Presbyterum per ſermonem exhortatorium aut increpatorium, modeſtum tamen, iuxta doctrinam Apoſtoli, *ſecunda ad Timoth.2. & 4.* & Chryſoſtomi explicationem, quam induximus *nono huius*: per coactiuam vero poteſtatem nequaquam. Quoniam hæc ad Epiſcopum vel ſacerdotem inquantum huiuſmodi, ſuper quenquam in hoc ſeculo minime pertinet, vt ſæpe probatum & repetitum eſt in prioribus dictis. Corrigere vero principantem propter exceſſum in leges, & inquantum in legem humanam; vt in decimo huius diximus, ſecundum legem tamen humanam, & arcere quoq; ſi oporteat, pœna vel ſupplicio temporali, ad ſolius humani legiſlatoris autoritatẽ pertinet, vel ad hoc ſtatutorum ab illo, *vt 18. prima* ſufficienter oſtenſum putamus. Quæ autem finaliter addebatur deductio, quoniam ſecundum iuriſdictionẽ ille ſuperior eſt ad Romanum Imperatorem, ipſumq; de iure inſtituere atq; deponere poteſt, qui *tranſtulit Imperium à Græcis in Germanos in perſona Magni Caroli*, vt iam dictum eſt. Hic autem Papa Romanus, ergo Imperatore ſuperior, ipſumq; inſtituere atq; deponere de iure poteſt. Dicẽdum, quod ſi maior indefinite ſumatur, ex ipſa cum minore nihil infertur, propter non fieri ſyllogiſmum ſimilem ex indefinita cum particulari. Si vero ſumatur vniuerſaliter, vt dicatur, Omnis tranſlator Imperii Romani à Græcis in Germanos, ſuperior eſt &c. niſi determinetur ſubiectum, quam plures haberet hæc propoſitio veras inſtantias. Si enim quis de facto & non de iure tranſtuliſſet imperium, aut ſi aliena, ceu ſibi ab altero tũc data poteſtate ad hoc, tanquam procuratori vel quaſi, qui ſic inquam tranſtuliſſet, non propter hoc ſolus ſuperiorem iuriſdictionem haberet, nec poteſtatem iuſtam, Romanum principem inſtituendi aut deponendi. Sic vero determinata iam dicta priori propoſitione, vt omnis mortalis qui tranſtulit aut transferre poteſt Romanũ Imperium à Græcis in Germanos iuſte, autoritate propria, non ſibi conceſſa per alterum, ſuperior eſt ſecundum coactiuam iuriſdictionem ad Romanum principem, ipſumq; iuſte inſtituere atq; deponere poteſt, ſic ipſa conceſſa. Quæ huic annectitur ſecunda, videl. Romanus Epiſcopus ſiue Papa eſt qui tranſtulit imperium, vt dictum eſt, neganda eſt tanquã omnino falſa. Nã eius oppoſita demonſtrata eſt *15. prima*, & rurſum tam ipſius quam ex ipſa illatæ cõcluſionis oppoſitum, per ſcripturã & dicta ſanctorum atq; catholicorum doctorum certificatum eſt *4. huius & quinto*, & repetitum in aliis pleriſq; locis: ſicq; obſeruatum de facto ſine reclamatione fuiſſe per antiquos patres & paſtores Romanos Epiſcopos, perſuaſimus 21. huius ex approbatis hiſtoriis. Quod autem ſcribitur *in ſeptimo* quarundam narrationum, quas *Decretas* appellant, *de iureiurando*, & in *Epiſtola* quadam vocati iam Papæ Romani, *ad inclytum Ludouicum ex Bauarib. ducibus Romanorum regem* aſſumptum, *per Sedem Apoſtolicam ſiue Romanum Papam vel ſolum, aut cum ſuorum collegio clericorum, Romanũ Imperium à Græcis ad Germanos, in perſona Magni Caroli fuiſſe tranſlatum rationabiliter ſiue iuſte*, ſupponatur ad præſens, quamuis non ipſorum autoritate propria, hac enim tranſlatione quantum de facto præceſſerit, dicturi ſumus in altero quodam ab hoc tractatu ſeorſum. Eſto igitur imperii tranſlationem à Græcis in Germanos iuſte factam. Dico tamen ꝙ non autoritate Romani Papæ ſolius, aut cum ſuo ſolo collegio clericorum, vt pridem diximus. Et ꝑpterea oportet attendere ſecundũ demonſtrationes inductas *12. 13. & 15. prima*, quod eiuſdem eſt autoritas prima, ſecundum rationem rectã intendentibus leges humanas ſtatuendi, principatum inſtituendi, principem aſſumendi, autoritatem illi concedendi, & hæc omnia mutandi, deſtruendi, augendi, vel minuendi, ſuſpendendi, corrigendi, deponendi, transferendi, reuocandi, & reliqua faciendi circa ea, quæ iam dictam autoritatẽ habenti principaliter non ab altero expedire videntur, & per ſuam expreſſerit voluntatẽ. Cuius autem ſit autoritas ſupradicta, determinatum eſt duodecimo, & 13. primæ. Propter quod vbicunq; legatur & à quocunq; dicatur tranſlatum fuiſſe imperium, aut alter quicunq; principatus vel princeps aliquis q per electionem aſſumitur, inſtitutus per Papam vel aliam perſonam ſingularẽ, aut per collegium ſingulare aliquod prouinciæ ſiue regni. Si vera debeat eſſe ſcriptura vel ſermo & valida ſeu iuſta inſtitutio, ſiue tranſlatio talis, oportet fieri aut factam eſſe autoritate legiſlatoris primi in prouincia vel prouinciis, ſuper quas, à quibus, & ad quas debet inſtitutio aut tranſlatio fieri aut facta fore. Ideoq; ſi tranſlatio Imperii Romani vel Imperatoris alicuius inſtitutio, dicatur aut ſcribatur rite facta fuiſſe per Papam Romanũ ſolum, aut per ipſum cum ſuo ſolo collegio clericorũ, & verum ſit huiuſmodi dictum aut ſcriptum, oportet tranſlationem aut inſtitutionẽ iam dictam per ipſos intelligere factam, ꝓ autoritatem illis conceſſam ad hoc à Romani Imperii legiſlatore humano ſupremo, per medium, aut ſine medio, vel ab eis quidem non factam ſimpliciter, ſed modo quodã, vt publicatam vel pronunciatã, autoritate tamen prædicta. Tranſtulit enim fortaſſe aut inſtituit circa imperium aliquid legiſlator prædictus, quod poſtmodũ ſoli Papæ Romano tanquã reuerentiori perſonæ vniuerſitatis humanæ, vel ſibi cum ſuis ſacerdotibus, velut venerabiliori clericorũ collegio pronunciandũ & publicandum commiſit, non quidẽ propter facti vel fiendi neceſſitatem, ſed ſolennitatem tantummodo, cũ tranſlationes principatus legum & principantiũ inſtitutiones, ſimiliter & officia ciuilia reliqua, inquantũ huiuſmodi quantum ad eorum robur, ex ſola legiſlatoris iam dicti electione ſeu ordinatione depẽdent, vt demonſtratum eſt *12. & 13. prima, ac 26. huius, parte quinta*, cum declaratione quadam nõ inutiliter repetitũ. Sic quoq; per omnia ſentiendum, de inſtitutione officii principum eligentium Imperatorem Romanum, non enim aliam in hoc, neq; ab alio habent autoritatẽ, neq; ab ipſis per alium ſuſpendi vel reuocari poteſt, quam à ſupremo Imperii Romani humano legiſlatore prædicto. De propoſitis quidem igitur dubitationibus *tertio & 27. huius*, ſic pertranſiſſe ſufficiat. Et finem impoſuiſſe quæſitis.

LIBRI SECVNDI FINIS.

DEFENSORIS PACIS DICTIO SEV PARS TERTIA, QVÆ EST INDEX PRÆMISSORVM.

CAP. I.

De rememoratione principaliter intentorum & determinatorum, dictione prima & secunda, & dictorum cum dicendis consequentia quadam.

QVoniam autem in prioribus regnorum & communitatum quarundam singularem ciuilis discordiæ, seu intranquillitatis iam existentem assignauimus causam, omniumq; reliquarum, nisi prohibeatur, futuram existimationem, desiderium, atq; conatum, quibus Romanus Episcopus & suorum cœtus clericorum, singulariter ad seculares tendunt principatus, & temporalia possidenda superflue. Quorum etiam supremū omnium sibi vendicare nititur memoratus Episcopus ex eidem præcipue, vt asserit, concessa per Christum, in persona beati Petri, plenitudine potestatis, vt in *vltimo primæ* diximus, & in plerisq; *Dictionis secundæ capitulis* non inconuenienter extitit repetitum: Cum tamen nullus principatus seu cuiusquam coactiuum iudicium in hoc seculo, nedum supremus omnium illi conueniat, neq; alteri cuiquam Episcopo, sacerdoti vel clerico, inquantum huiusmodi, communiter aut diuisim: Veluti viis certis humanis demonstrauimus *duodecimo, 13. & 15. primæ*. Idemquè *quarto & quinto secundæ* firmauimus testimoniis veritatis æternæ, nec non sanctorum eius interpretum expositionibus, ac plurimorum approbatorum eiusdem doctorum, postq; etiam *sexto & septimo Dictionis secundæ* assignauimus ex scripturis & rationibus certis, quæ, quantave sit, ac in quibus sacerdotum, seu Episcoporum potestas. Quibus omnibus etiam aut ipsorū alicui, ostendimus *eiusdem 23.* nec cōmuniter vel diuisim, quam sibi sumpserant, præsertim Romanus Episcopus, conuenire plenitudinem potestatis. Propter quæ malignitatis illius singularis in dictis procemialiter sæpius nominatæ sufficienter radices succisæ videntur. Nunc, vt quos hactenus pestilentia hæc regnis, & communitatibus palmites, & germina discordiæ siue litis adduxit, nec inducere cessat, arescant citius, & de cætero propagari non valeant: ex iam præmissis *dictionibus*, reliquam & tertiam producemus: Quæ nil aliud erit, quam ex antea positis per se notis vel demonstratis necessaria & explicita illatio conclusionum quarumdam, quibus adhibita diligentia attentione meditationis & opere, supradicta pestis, eiusq; sophistica causa, non difficulter excludentur à regnis, ipsisq; deinceps ad ea, reliquasq; ciuilitates præcludetur ingressus.

CAP. II.

De Conclusionum quarundam explicita illatione, ad determinata in prioribus dictionibus de necessitate sequentium, quarum attentione facilius assequi possunt principantes & subditi finem per hunc librum intentum.

Harum autem inferendarum conclusionum hanc primam ponemus.

CONCLVS. I.

SOlam diuinam seu canonicam scripturam, & ad ipsam per necessitatem sequentem quamcunq;, ipsiusq; interpretationem ex communi concilio fidelium factam, veram esse, ad æternam beatitudinem consequendam necesse credere, si alicui debite proponatur. Huius siquidem certitudo est, & sumi potest *19. secundæ.*

CONCLVS. II.

LEgis diuinæ dubias diffinire sententias, in his præsertim, qui Christianæ fidei vocantur articuli, reliquisq; credendis de necessitate salutis æternæ, solum generale concilium fidelium, aut illius valentiorem multitudinem, siue partem determinare debere, nullumq; aliud partiale collegium, aut personam singularem cuiuscunq; conditionis existat, iam dictæ determinationis autoritatem habere. Huius autem certitudo habetur *vigesimo secunda.*

CONCLVS. III.

AD obseruanda præcepta diuinæ legis, pœna vel supplicio temporali, seu præsentis seculi nemo Euangelica scriptura compelli præcipitur. *nono secundæ.*

CONCLVS. IV.

SOlius nouæ legis diuinæ præcepta, vel ad ipsa per necessitatem sequentia, & quæ secundum rectam rationem fieri aut omitti conuenit, propter æternam salutem necesse seruari, antiquæ vero legis nequaquam omnia, *nono secundæ.*

CON-

CONCLVS. V.

IN diuinis nouæ legis præceptis, aut prohibitis, neminem mortalem dispensare posse, permissa vero prohibere, obligando ad culpam aut pœnam pro statu præsentis seculi vel venturi, solum posse generale concilium, aut fidelem legislatorem humanum, nullumq; aliud partiale collegium, vel singularem personam cuiuscunq; conditionis existat. *duodecimo prima, & 9. secunda, & 21. secunda.*

CONCLVS. VI.

LEgislatorem humanum, solam ciuium vniuersitatem esse, aut valentiorem illius partem, *duodecimo & 13. prima.*

CONCLVS. VII.

DEcretales vel Decreta Romanorum, aut aliorum quorumlibet pontificum, communiter aut diuisim absq; concessione legislatoris humani constituta, neminem obligare pœna, vel supplicio temporali, seu seculi huius, *duodecimo prima, & 28. secunda.*

CONCLVS. VIII.

IN humanis legibus solum legislatorem vel illius autoritate alterum dispensare posse. *duodecimo prima.*

CONCLVS. IX.

PRincipatum electum aut alterum qualecunq; officium, à sola electione autoritatem habentis ad illam, nullaq; alia confirmatione seu approbatione pendere. *duodecimo prima, & 26. secunda.*

CONCLVS. X.

CViuslibet principatus aut alterius officii, per electionem instituendi, præcipue vim coactiuam habentis, electionem à solius legislatoris expressa voluntate pendere. *duodecimo prima, & 15.*

CONCLVS. XI.

SOlum vnum numero supremum principatum esse debere in ciuitate vel regno, *decimoseptimo prima.*

CONCLVS. XII.

PErsonas & ipsarum qualitatem ac numerum ad officia ciuitatis, sic quoq; ciuilia omnia determinare, ad principantis fidelis autoritatem secundum leges aut probatas consuetudines, tantummodo pertinere. *duodecimo & quintodecimo prima.*

CONCLVS. XIII.

NVllum principantem, eoq; minus collegium partiale vel singularem personam cuiuscunque conditionis existat, alienorum actuum monasticorum aut ciuilium absq; mortalis legislatoris determinatione, imperii plenitudinem seu potestatis habere. *vndecimo prima, & vigesimo tertio secunda.*

CONCLVS. XIV.

PRincipatum seu iurisdictionem coactiuam, supra quenquam clericum aut laicum, etiam si hereticus extet, nullum Episcopum vel sacerdotem, inquantum huiusmodi, vllam habere. *decimoquinto prima, quarto, quinto, & nono, ac decimo secunda.*

CONCLVS. XV.

SVper omnem singularem personam mortalem cuiuscunq; conditionis existat, atq; collegium laicorum ac clericorum, autoritate legislatoris solummodo principem iurisdictionem tam realem quam personalem, coactiuam habere. *decimo quinto, ac decimo septimo prima, quarto, quinto, octauo, ac vigesimo primo secunda.*

CONCLVS. XVI.

EXcommunicare quenquam aut diuinorum officia interdicere, absq; fidelis legislatoris autoritate, nulli Episcopo vel sacerdoti aut ipsorum collegio licere. *sexto & vigesimo primo secunda.*

CONCLVS. XVII.

OMnes Episcopos æqualis autoritatis esse immediate per Christum, neq; secundum legem diuinam conuinci posse, in spiritualibus aut temporalibus præesse inuicem vel subesse. *decimo quinto & decimo sexto secunda.*

CONCLVS. XVIII.

AVtoritate diuina, legislatoris humani fidelis interueniente consensu, seu concessione, sic alios Episcopos communiter aut diuisim excommunicare posse Romanum Episcopum, & in ipsum autoritatem aliam exercere, quemadmodum è conuerso. *sexto, 15. & 16. secunda.*

CONCLVS. XIX.

COniugia seu matrimonia diuina lege, noua præsertim, prohibita, per mortalem neminem dispensari posse, humano vero lege prohibita, ad solius legislatoris, vel per ipsius principantem autoritatem pertinere. *duodecimo prima, & vigesimo primo secunda.*

CONCLVS. XX.

NAtos non ex legitimo thoro seu matrimonio, legitimos facere, sic, vt hæreditarie succedere possint, aliaq; suscipere ciuilia & Ecclesiastica officia & beneficia ad solum fidelem legislatorem noscitur pertinere. Vbi supra immediate.

CONCLVS. XXI.

AD Ecclesiasticos ordines promouendos, ipsorumq; sufficientiam iudicare iudicio coactiuo, ad solum

solum legislatorem fidelem spectare, ac sine ipsius autoritate quenquam promouere ad hoc, cuiquam sacerdoti vel Episcopo non licere. *decimo quinto prima, & decimo septimo, & vigesimo primo secunda.*

CONCLVS. XXII.

NVmerum Ecclesiarum siue templorum, ac in ipsis ministrare debentium, sacerdotum, Diaconorum, & reliquorum officialium, ad solum principantem secundum leges fidelium pertinet mensurare. Vbi supra immediate.

CONCLVS. XXIII.

ECclesiastica officia separabilia solius fidelis legislatoris autoritate debere conferri, & similiter auferri posse, sicut quoq; beneficia, & propter pias causas reliqua constituta. *decimo quinto prima, decimo septimo, & vigesimo primo secunda.*

CONCLVS. XXIV.

NOtarios aut alios officiales publicos ciuiles statuere, ad nullum Episcopum pertinere, inquantum huiusmodi; communiter aut diuisim. *decimo quinto prima, & vigesimo primo secunda.*

CONCLVS. XXV.

DOcendi aut operandi publice secundum artem aut disciplinam aliquam, neminem Episcopum, communiter aut diuisim, inquantum huiusmodi, licentiam concedere posse, sed hęc ad legislatorem saltem fidelem aut eius autoritate principantem, tantummodo pertinere. Vbi supra immed.

CONCLVS. XXVI.

PRomotos ad Diaconatum aut sacerdotium, reliquosq; Deo irreuocabiliter consecratos in Ecclesiasticis officiis & beneficiis, cæteris non sic consecratis debere pręferri. *decimo quarto secunda.*

CONCLVS. XXVII.

ECclesiasticis temporalibus, expleta sacerdotum & aliorum Euangelii ministrorum, & his quæ ad cultum diuinum pertinent, ac impotentum pauperum necessitate, licite ac secundum legem diuinam, pro communibus seu publicis vtilitatibus, aut defensionibus vti posse legislatorem humanum totaliter & in parte. *decimo quinto prima, & decimo septimo & 21. secunda.*

CONCLVS. XXVIII.

CVncta temporalia quæ ad pias causas seu misericordiæ opera statuta sunt, vt quæ testamentis leguntur pro vltramarino transitu ad resistendum infidelibus, aut pro captiuorum ab ipsis redemptione, vel pauperum impotentum sustentatione, cæterisq; similibus, ad solum principantem secundum legislatoris determinationem ac legantis, vel aliter largientis intentionem, disponere pertinet. Vbi supra immediate.

CONCLVS. XXIX.

COllegii cuiuscunq; vel religionis vacationem concedere, ipsamq; approbare vel reprobare, ad autoritatem pertinet solius legislatoris fidelis. *decimo quinto prima, decimo septimo, & vigesimo primo secunda.*

CONCLVS. XXX.

HÆreticos, omnesq; delinquentes, & arcendos pœna vel supplicio temporali, iudicare iudicio coactiuo, pœnasq; personales infligere, ac reales exigere, ipsasq; applicare, ad solius principantis autoritatem pertinet, secundum legislatoris humani determinationem. *decimo quinto prima, octauo, decimo, & 21. secunda.*

CONCLVS. XXXI.

NEminem subditum & per iuramentum licitum alteri obligatum, absq; causa rationabili per fidelem legislatorem tertiæ significationis iudicio iudicanda, per Episcopum aut Presbyterum aliquem solui posse, huiusq; oppositum aduersari sanæ doctrinæ. *sexto, septimo, & vigesimo sexto secunda.*

CONCLVS. XXXII.

EPiscopum, aut Ecclesiam aliquam metropolitanam simpliciter omnium statuere, atq; priuare seu deponere ab huiusmodi officio, ad solum generale concilium fidelium omnium pertinere. *vigesimo secundo secunda.*

CONCLVS. XXXIII.

GEnerale concilium, aut partiale sacerdotum & Episcoporum, ac reliquorum fidelium per coactiuam potestatem congregare, ad fidelem legislatorē aut eius autoritate principantem in communitatibus fidelium tantummodo pertinere, nec in aliter congregato determinata vim aut robur habere, ad obseruationem quoq; neminem obligare temporali aut spirituali pœna vel culpa. *decimo quinto, & decimo septimo prima, & octauo, & vigesimo primo secunda.*

CONCLVS. XXXIV.

IEiunia & aliquorum ciborum prohibitiones, solius generalis concilii fidelium, seu fidelis legislatoris autoritate fieri debere. Opera quoq; mechanicarum artium ac doctrinas disciplinarum, quæ lege diuina, nulla dierum exerceri prohibita fuerint, solum prædictum concilium seu legislatorem prædictum, interdicere posse, ad obseruationem quoque talium, artcere pœna vel supplicio temporali, solum legislatorem fidelem, aut eius autoritate principantem. *decimo quinto prima, & vigesimo primo secunda.*

CON-

CONCLVS. XXXV.

CAnonizari, aut tanquam sanctum adorari quempiam per solum generale concilium statui & ordinari debere. *vigesimo primo secunda.*

CONCLVS. XXXVI.

EPiscopis, aut Presbyteris aliisq; templorum ministris, si vxores interdicere conuenit, reliqua quoq; circa Ecclesiasticum ritum, per generale solum fidelium concilium id statui & ordinari, at illud solum collegium aut personam in hoc cum prædictis dispensare posse, cui data fuerit eius autoritas per concilium supra dictum. Vbi supra immediate.

CONCLVS. XXXVII.

A Iudicio coactiuo, Episcopo vel sacerdoti concesso, semper ad legislatorem contendentem liceat appellare, vel ad eius autoritate principantem. *decimo quinto prima, & 22. secunda.*

CONCLVS. XXXVIII.

PErfectionem Euangelicam summæ paupertatis seruare debentem, nihil immobilium in sua potestate habere posse absq; determinato proposito, quodlibet tale habitum vendendi, cum primum potuerit, preciumq; pauperibus tribuendi; mobilis autem, aut immobilis rei nullius habere Dominium seu potestatem, cum proposito scilicet vendicandi eam coram iudice coactiuo ab auferente vel auferre volente. *decimo tertio, & 14. secunda.*

CONCLVS. XXXIX.

EPiscopis, reliquisq; ministris Euangelicis quæ ad alimentum & tegumentum necesse fuerint, saltem quotidiana vitæ, quæ ministrat Euangelium, multitudo vel persona singularis secundum legem diuinam & suam possibilitatem exhibere tenetur, decimas vero vel alterum quid aliud, si superfuerit dictorum ministrorum necessitati supplendæ, nequaquam. *decimo quarto secunda.*

CONCLVS. XL.

LEgislatorem fidelem, aut eius autoritate principantem, in subiecta sibi prouincia cōpellere posse tam Episcopos quam reliquos Euangelicos ministros, quibus de sufficientia victus & tegumenti prouisum est ad diuina officia celebranda & sacramenta Ecclesiastica ministranda. *decimo quinto prima, & octauo secunda.*

CONCLVS. XLI.

EPiscopum Romanum & alium quemlibet Ecclesiasticum, seu spiritualem ministrum, secundum legem diuinam per solum fidelem legislatorem, aut eius autoritate principantem, vel fidelium generale concilium ad officium Ecclesiasticum separabile promoueri debere, ab eodem quoq; suspendi atq; priuari, exigente delicto. *decimo quinto prima, & vigesimo secundo secunda.*

CONCLVS. XLII.

POssent autem aliæ quamplures & vtiles conclusiones ex prioribus diuisionibus per necessitatem inferri, quas tamen doduximus, contenti sumus, quoniam ad prædictam pestem cum ipsius causa succidendam facilem atq; sufficientem præbent ingressum.

DEFENSORIS PACIS TERTIAE DICTIONIS FINIS.

LICENTII EVANGELI SACERDOTIS.

Ad Lectorem operis probatio.

H*Abes, candidissime Lector, Opus, etsi imperitum fortaßis sermones, non tamen aspernandæ prudentiæ, quod ipsi eius autori,* Defensorem pacis *placuit inscribere, eo quod in illo collegerit atq; digesserit, haud quaquam otiose omnes eas rationes, quibus potißimum Imperia, seu quæuis alia ciuiles hominum inter se societates optime contineantur atq; fœderentur, perpetua quadam magistratuum, multitudinisq; gratia, citra vllum seditionis & discordiæ metum firmata, vtriusq; iuribus suis veluti limitibus certis se continentibus, & neutris aliquid, præter id quod legibus licet sibi arrogantibus. Quæ vna consensio inter ordines, plus æquo negligenter habita, dum alteri alteros licentius lædunt, quantum malorum, procellarumq; semper exciuerit, non in rebus modo prophanis, verum etiam Ecclesiasticis, cum maiorum nostrorum, tum etiam hæc tempora præsentia multis ob hoc agitata incommodis, palam probant. Quibus malis, vtinam ante deploratam penitus salutem, mederentur, qui merito deberent, & possent. Tu vero, optime lector, (hunc hortor;)* Defensorem pacis, *studiose euoluas, inuenies in eo expreßißimam horum temporum imaginem, & eadem Romanistarum tyrannide, quam nunc grauantur omnes boni, non sine funesta reipublicæ iniuria, diuexatos, iactatosq; etiam antehac, optimos quosq; perpetuo Cæsares. Anno Dom. M. D. XXII.*

PHILALETHES AD LIBRVM.

VAde liber manibus paßim voluende bonorum,
Et facili cunctis excipiende sinu,
Quîs sedet & fixum est, iustum verumq; tueri,
Et stabilem contra sistere iniqua pedem.
Hi tibi tàm placidis occurrent mentibus omnes,
Quàm Roma insano saucia felle gemet.

MA-

MAGISTRI GVLIELMI OCCAMI, MONACHI FRANCISCANI EX ORDINE MINORVM, DOCTORIS FAMOSISSIMI,

Anno Christi 1326. Al. 1336. quod verius puto.

OPERA DE ECCLESIASTICA ET POLITICA POTESTATE.

MAGISTRI GVILHELMI DE OCKAM SVPER POTESTATE SVMMI PONTIFICIS, OCTO Quæstionum decisiones, scriptæ circa annum M. CCC. XXVI.

Iodocus Badius Ascensius, F. Marco Alexandraeo de Beneuento, Cœlestinorum ordinis Diui Benedicti obseruantissimo, artiumq; bonarum Professori inter eos, quos Nominales vocant, peritissimo, salutem dicit.

Recte mediusfidius atq; prudenter, suauissime ac longe venerande pater Marce, vitam tuam instituisse mihi comprobaris, qui tuis sacris lucubrationibus omnes artium bonarum Professores longe lateq; demeruisti. Enimuero nihil ista ætate tua dignius efficere posses, quam vt optimo cuiq; viro facile charissimus euadas: & ætati adhuc imbecilliori ad virtutem incumbenti, ex editiori quodam loco dexteram miseratus porrigas. Quas res abundantissime depleuisti, non solum quia optimos auctores aut hominum negligentia aut temporum sæuitia pene laceros & situ victos, integros nitidosq; ac omni ex parte castigatos in lucem effers: verum etiam, atq; eo quidem candidius, quod coadiutores tuos pro merita laude vndecunq; extollere conaris. Inter quos M. Ioannes Trechsel artis impressoriæ studiosissimus non minimam sibi partem agnoscit, quem tuis classicis bonisq; cohortationibus vsq; adeo incensum reddidisti, vt non sit fere terrarum angulus, quo pro comperiendis professionis istius operibus non transmiserit. Beneficentia autem tua, qua laborũ ac studiorum tuorum amplissimam gloriam in Expositionem veteris artis Magistri Guilhelmi de Ockam *nomini ipsius dedicasti, sane rubicundum atq; anxium dedisti. Rubicundum quidem, quod se tali nequaquam dignetur honore: anxium vero, quia dignas satis gratias paternitati tuæ referre non possit. Nouit enim vir ille prudentissimus, quæ in amicitia seruandæ sint leges: quippe qui more feracium agrorum longe plus, quam acceperit, reddidisse velit. Quocirca patienter ferre non potest, quod hactenus saltem paria ac tantundẽ retulisse datum non sit. Veretur enim pessime, ne forte ingratitudinis vitium, quod non modo barbararum gentium, sed etiam ferarum plurimæ deuitarunt, incurrisse censeatur. Cæterum tametsi quam plurima tua beneficentia iam pridem pares cudatq; munuscula; vno tamen atq; eo quidem exiguo, sed non contemnendo opusculo Marcum suum interea donatum voluit. Impatiens etenim moræ rerumq; suarum præceps semper ingenuus conspicitur amor. Atq; adeo ne te suspensum teneam, cum hisce diebus,* Summam de Ecclesia Domini Ioannis de Turrecremata Cardinalis sancti Sixti, cum 73. quæstiunculis ex sancto Thoma *per eundem* collectis, *tersius pro veteri more coimpressisset: in qua quidem summa multa de Romani Pontificis Conciliorumq; vniuersaliũ potestate atq; dignitate fideliter disquiruntur: in mentem venit* opusculi octo quæstionum super Apostolica atq; Imperiali maiestatibus *à supradicto Magistro Guilhelmo de Ockam Nominalium (vt aiunt) inceptore atq; principe, & docte & vafre compositi. In quo calliditate atq; acumine ingenij sui fretus, nonnullis imperitioris turbæ hominibus labyrintheas fere ambages struxisse visus est, vt nesciant (quid enim sciant?) vnde ingressi reditum petant. Nam & auctor ipse in quam sententiam eat, vti in Dialogo ita in hoc quoq; opusculo, latere voluit: Verum ne quis errore istoc deterritus pedem referat, Trechsel noster Dedalea & arte & pietate præditus filum, quo cæca regant vestigia, ingressuris præbuit; atq; (ne ipse quoq; labyrinthum facere videar) argumentationibus suas quibusq; solutiones consignatas dedit. Et quantam maximam potuit diligentiam adhibuit, vt castigatius emitteret. Quod quidem opusculum, tametsi norit Marco suo quam charissimum fore, ne tamen ab imperitioribus, qui molem non salem librorum emunt propter exilitatem vilipendatur, admonitos facere iussit, vti complura optimi maximi rerum artificis*

 Dei

Dei nostri ornamenta, maiorem sæpe gratiam maiusq; precium in oculis hominum obtineant, quod paruo & exili sint corpore. Nam & vniones exiguos longe pluris haberi conspicimus,

Ac sæpe ingentes solido de marmore Ianos,
Aut etiam excisos paria de rupe Colossos:

Sed hæc missa facio. Te vero Doctissime Marce exoratum velit, vt hoc tenue donum humaniori fronte suscipias, longe maiora sub nominis tui dexteritate ab ipso propediem imprimenda opitulaturus. Nam (sit modo vita comes) efficere prætendit, vt Marcus suus, qui non modo Bononiensi Gymnasio, sed vel toti Italiæ multo est ornamento, amplissimis Germaniæ, Galliarum, Hispaniarumq; regionibus olim iam notissimus, suis præconiis (quod ad eius fieri potest) multo reddatur notior. Quod quia effectum quam dictum malit, finem facio. Vale. Ex Lugduno ad Calendas Octobris, Anno salutis nostræ M. CCCC. XVI.

OCTO QVÆSTIONVM SVPER POTESTATE AC DIGNITATE PAPALI OPVSCVLI ARGVTISSIMI, quod M. Guilhelmo de Ockam adscribitur, incipit ipsius Autoris præfatio, in qua institutum ac intentum suum explanat.

SAnctum canibus nullatenus esse dandum: & margaritas non esse mittendas ante porcos, diuinum ac sanctum eloquium testatur: ne videlicet margaritæ conculcentur à porcis, & mittentes ac dantes sanctum canibus ab eis dirumpantur: quo velut probabili à sensu contrario, innuitur, non solum margaritas (scilicet sanos sermones & iustos) propter canes & porcos, à fidelibus iustitiam & veritatem zelantibus non subtrahendas sed etiam coram ipsis porcis & canibus taliter esse spargendas, si fieri potest, vt verisimiliter præsumatur quod ab ipsis nō debeant turpiter conculcari, nec spargentes periculose disrumpi. Ea propter, quia sequens opusculum, vt desidero, ad manus forte perueniet æmulorum, qui odio stimulante, etiam quæ ipsis vera videntur (si dicerem) damnare; vel ad periculosum sensum trahere molirentur; tali modo in eo conabor procedere, vt ex modo loquendi non quis dicit, sed quid dicitur coacti attendere, mei ob odium nisi ipsos malitia vexauerit, inauditam nequaquam nequiter lanient veritatem: personam enim biuiam recitabo, & sæpius opiniones contrarias pertractabo: non solum eas quibus aduersor, sed etiam quibus mente adhæreo, hoc tamen nullatenus exprimendo: interdum scienter pro eis tentatiue siue sophistice allegando in persona confirmantium aliorum, vt pro vtraq; per te allegationibus intellectis, veritatis sincerus amator, puræ orationis verum à falso habeat discernendi occasionem.

De causa scribendi.

VIr quidam venerabilis, octo tradidit mihi quæstiones, quarum à me solutionem dignatus est humiliter flagitare. Ego autem scientiæ meæ penuriam non ignorans, non solum soluendi, sed etiam sarcinam discutiēdi easdem, ad præsens quærerem declinare, si non seruire cuperem deprecanti. In illo ergo habens fiduciam, qui nonnunquam reuelat paruulis, quæ à sapientibus & prudentibus absconduntur, ipsas breuiter conferendo tractare curabo: vel saltem occasionaliter aliis fructificans quædam eorum excitabo ingenia.

QVÆSTIO PRIMA.

CAP. I.

Probat quod suprema potestas spiritualis & potestas suprema laicalis ex natura rei non possunt cadere in eundem hominem, & probatur quinq; rationibus, ad quas respondetur infra, capitulo quinto & decimo octauo.

PRimo igitur quæritur, Vtrum potestas spiritualis suprema, & laicalis suprema, ex natura rei, in tantum ex opposito distinguuntur, quod non possint formaliter simul cadere in eundem hominem. Circa hanc quæstionem, sunt vel esse possunt contrariæ opiniones, quarum vna est, quod duæ potestates prędictæ simul in eundem hominem cadere minime possunt: pro qua potest taliter allegari, quæ ex opposito diuiduntur, in tantum distinguuntur ex natura rei, quod simul in eodem esse non possunt: sed potestas spiritualis suprema, & laicalis suprema, ex opposito diuiduntur; potestas enim humana coactiua, primo diuiditur in potestatem spiritualem & laicalem; ergo spiritualis potestas suprema, & laicalis potestas suprema, in tantum distinguuntur ex natura rei, quod simul in eodem esse non possunt. Amplius, potestates illæ quæ duo capita diuersorum corporum constituunt, simul in eodem esse non possunt, sicut nec idem homo potest simul esse duo capita diuersorum corporum: Potestas autem spiritualis suprema & laicalis suprema constituunt duo capita diuersorum corporum, scilicet Imperatorem & summum Pontificem, quæ sunt duo capita diuersorum corporum, scilicet clericorum & laicorum, qui distincti debent esse, ex verbis Hieronymi, quæ ponuntur *duodecim. quæst. prima, cap. duo*, & aliis sacris canonibus colligi potest. Ergo

ergo non possunt cadere in eundem hominem. Rursus, potestas laicalis suprema, ex natura rei includit dominationem, vnde & Imperator est *Dominus mundi: & iure Imperatorum ac regum vnusquisq; possidet quod possidet. 8. di. c. quo iure.* Sed suprema potestas spiritualis, dominationẽ excludit, sicut & omnis prælatio Ecclesiastica, testante Petro, qui in epistola sua *prima cap. 5.* vniuersis prælatis Ecclesiæ ait: *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Et post: *Neque vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo*: ergo istæ duæ potestates in eundem cadere non possunt: Preterea, idem ex natura respectu eiusdem non potest esse pater & filius; fungens autem laicali potestate suprema, est filius Ecclesiæ, si est fidelis, vt dicitur *di. 96. Si Imperator.* Si autem est infidelis, neque filius est Ecclesiæ, neque pater: summus autem Pontifex, pater est vniuersalis Ecclesiæ: ergo istæ duæ potestates non possunt cadere in eundem: Item, idem homo non est sibiipsi subiectus, nec esse potest ex natura rei: sed fungens suprema potestate laicali, est subiectus & inferior Papa: cùm etiam Episcopo inferiori ipse submittat caput; *distinct. 63. cap. Valentinianus*, ergo istæ duæ potestates non possunt cadere in eundem hominem.

CAP. II.

Ponit opinionem tenentem quod Papa habeat plenitudinem potestatis tam in spiritualibus, quam in temporalibus: & hoc rationibus nouem, ad quas respondetur infra, ca. 7. & seqq. vt ad singulas annotabitur.

ALia opinio est, quod de facto potestas spiritualis suprema, & potestás laicalis suprema, cadunt in eundem hominem, scilicet in supremum Pontificem, non quod idem homo sit summus pontifex, scilicet Papa & laicus: sed quia idem homo possit fungi potestate spirituali suprema, & tanta potestate vel maiori respectu secularium tam rerum quam personarum, quantam Imperator, vel quicunq; laicus habet, & habere potest respectu earundem. Hoc vt videtur habent dicere illi qui ponunt, quod Papa in spiritualibus & temporalibus habet talem plenitudinẽ potestatis, vt omnia possit, quæ non sunt expresse contra legem diuinam, nec contra ius naturale, licet sint contra ius gentiũ, ciuile & canonicum: in tantum, quod licet interdum ipse faciendo vel iubendo quæcunq; ex natura rei indicta sunt & non sunt ex natura rei contra legem Dei, ad quam tenentur Christiani in noua lege, nec contra legem naturæ peccaret, vel propter intentionẽ corruptã, vel propter ignorantiam affectatam, vel crassam, & supinam: vel ex quacunq; alia causa: tamen ista, quæ de facto faceret, tenerent, & ista, quæ iuberet, essent ab aliis adimplenda: nam multa fieri non debent, imo absq; peccato fieri nequaquã possunt, & tamen facta tenent: vt testantur canonicæ sanctiones. *Extra de re. & tran. ad reli. c. ad Apostolicam.* Qui enim in temporalibus habent talem plenitudinem potestatis, habent tantam potestatem super temporalia, quantam habet quicunq; laicus super quamcunque personam vel rem temporalem. Si ergo papa habeat huiusmodi plenitudinem potestatis, potestas laicalis suprema cadit in papam, quamuis non sit laicus, vt vere rem potestatis imperialis possideat, quamuis sibi nomen huiusmodi non assumat. In papam autem cadit potestas spiritualis suprema. Ergo quantum ad rem cadunt in eundem duæ potestates prædictæ.

Restat ergo ostendere quoad opinionem istam, quod papa habet in temporalibus huiusmodi plenitudinem potestatis, quod videtur posse probari multis modis. Christus enim nihil excipiendo nec quoad temporalia, nec quoad spiritualia, dedit vel promisit beato Petro, & per consequens successoribus suis plenitudinem potestatis, vt habetur Matth. 16. *Tu es Petrus &c.* Et post: *quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Ergo nec nos ab eius potestate debemus aliquid excipere: Papa ergo non solum habet in spiritualibus, sed etiam in temporalibus plenitudinem potestatis. Hęc videtur expresse sententia Inno. 3. qui vt legitur *extra. de maio. & obe. ca. Solita*, ait: *dixit Dominus ad Petrum, & dixit in Petro ad successores ipsius: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.*

Rursus ille qui ordinatione diuina nihil excipiendo constituitur super omnes gentes & regna, in temporalibus habet plenitudinem potestatis, vel saltem tantam quantam habet quicunq; laicus. Sed ordinationẽ diuina, nihil excipiendo, constituitur Papa super omnes gentes & regna. Nam si sacerdoti in veteri lege fuit dictum immediate à Deo, *Ecce constitui te super gentes & regna*: Hieremiæ 1. non distinguendo inter has gentes & alias, nec inter hæc regna & alia, multo magis credendum est hoc esse dictum supremo sacerdoti nouæ legis. Igitur papa habet in temporalibus talem plenitudinem potestatis, vt absq; omni exceptione, omnia possit quæ non sunt contra legem diuinam nec contra ius naturale: cum sic sibi dictum est: *Ecce constitui te super gentes & regna vt euellas, & dissipes, & disperdas, & ædifices, & plantes.* Quibus verbis cum nulla addatur exceptio, quantum ad agenda & non agenda, plenitudo potestatis sibi videtur à Domino concessa.

Hoc expresse videtur velle Innocentius tertius *extra. de maio. & obedientia. c. solita.* In qua quidem sua decretali ait: *Non minoris quidem, sed longe maioris autoritatis est, ad credendum æternum Christi Pontificium in fundatissima Petri sede sub gratia reuelatum: quam inueteratum illud quod antiquis legibus temporaliter seruiebat, & tamen dictum est à Deo illius temporis Pontificatu fungenti: ecce constitui te super, &c.*

Amplius qui absq; omni exceptione habet secularia iudicare, habet in secularibus & temporalibus plenitudinem potestatis: Papa autem absq; omni exceptione habet secularia iudicare; Apostolus enim *prima Cor. 6.* non distinguendo nec excipiendo pro prelatis spiritualibus, & præcipue pro supremo pontifice ait: *Nescitis quoniam angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* Ergo Papa habet in

secu-

secularibus plenitudinem potestatis. In hoc etiam se fundare videtur Innocentius 3. verbis superius allegatis. Sed & Doctor gentium hanc plenitudinem non restringendam ostendit dicens: *An nescitis quod angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* Innuens ad temporalia quoque, potestatem datam eidem, qui in Angelos haberet potestatem, vt his intelligantur minora subesse, quibus subdita sunt maiora.

Item, quod Papa quo ad temporalia sit superior Imperatore, & ratione consimili quolibet alio fungente potestate laicali, & per consequens quoad rem, potestas suprema laicalis cadit in Papam, quod multipliciter conantur probare. Nam tam in Veteri Testamento apud Iudæos, quam etiã apud Turcas Pontificalis auctoritas præferebatur dignitati regali, & reges honorem pontificibus detulerunt, quibus etiam subiecti fuerunt. Vnde Samuel Saulem vnxit in regem & sibi omnem quam habuit, contulit potestatem: qui etiam Dauid postea reprobato Saule regem constituit. Ioiada etiam sacerdos, occisa Attalia Ioas regem constituit. Alexander etiam Magnus reuerentiam Ioiadæ Pontifici Iudæorum exhibuit. Totila rex Gothorum ob reuerentiam Leonis Papæ, de Italia, quam cœperat deuastare, recessit. Imperatores etiam deuoti super alios Constantinus, Iustinianus, & Carolus Magnus Ecclesiæ deuoti & subiecti fuerunt. Ergo Papa est superior, & Imperator inferior, quo ad potestatem temporalem.

Præterea Christus non solum fuit sacerdos, sed etiam rex supremus habens in temporalibus plenitudinem potestatis: tota autem iurisdictio Christi concessa est vicario eius: ergo Papa habet talem in temporalibus plenitudinem potestatis, quod nec aliquis Imperator habet aliquam iurisdictionem in temporalibus, nisi ab ipso: ergo potestas laicalis suprema, quantum ad rem, cadit in Papam, sicut dicit Innocentius tertius vbi prius, quod cum Imperator coronam recipit à summo Pontifice, recipit ensem in vagina, quem Imperator eximens & vibrans, innuit se habere omnem potestatem à Papa.

Amplius sicut anima se habet ad corpus, sic spiritualia se habent ad temporalia: sed anima vtitur corpore sicut instrumento, ergo fungens suprema potestate spirituali, vtitur suprema potestate laicali, tanquam instrumento solummodo: & per consequens, quantum ad rem, suprema potestas laicalis cadit in eundem, in quem cadit suprema potestas spiritualis.

Rursus, in eo qui omnibus legibus secularibus est solutus, & cuius leges non dedignantur quæcunque leges laicorum seu secularium imitari, cadit quo ad rem, potestas suprema laicalis: Papa autem legibus quibuscunque positiuis est solutus, & eius sacros canones, leges imitari minime dedignantur: quia leges Imperiales, quæ supremæ sunt inter leges secularium, non dedignantur Sacros Canones imitari, *de iudic. c. clerici*: Ergo potestas suprema laicalis cadit in Papam.

Adhuc, ille cui oportet vniuersitatem fidelium, spiritualium, & temporalium, vel secularium, absque omni exceptione in omnibus obedire, fungitur suprema potestate laicali, quo ad rem: Papæ autem oportet vniuersitatem fidelium spiritualium & secularium obedire in omnibus, absque omni exceptione, prout colligitur euidenter, vt videtur ex sacris Canonibus & legibus ciuilibus, vt habetur *di. 12. c. præceptis Apostolicis. & distin. 19. in memoria. & c. enimuero. & c. ita Dominus*, & aliis multis locis innumeris. Ergo, &c.

Item, in illum cadit potestas laicalis suprema, de cuius quocunque iudicio nemini licitum est iudicare, & à cuius sententia & iudicio aut facto, nulli penitus est licitum appellare: quia in omni causa ab illo qui suprema non fungitur potestate, sed habet superiorem, si male iudicauerit, licet appellare. *2. q. 6. can. placuit. 1.* de iudicio autem Papæ, nemini est licitum iudicare vel appellare. *9. q. 3. c. potest. & c. ipsi sunt. c. cuncta. 17. q. 4. qui autem. & c. nemini autem.* Ergo in Papam cadit potestas laicalis suprema, &c.

Cap. III.

Probat quod potestas secularis suprema, & spiritualis suprema possunt cadere in eundem hominem, quantum ex natura rei.

Alia est opinio quodammodo media via inter prædictas opiniones incedens, in quibusdam concordans, in nonnullis discrepans ab vtraque. Tenet enim consentiens primæ quod de facto, potestas spiritualis suprema, & laicalis suprema, non cadunt nec cadere possunt simul in eundem hominem: sed recedit ab eadem dicens, quod istæ duæ potestates, non in tantum ex natura rei distinguuntur, quin formaliter simul cadere possint in eundem, & in hoc concordat cum opinione secunda, à qua tamen discordat, affirmans quod istæ duæ potestates, non cadunt in eundem hominem, scilicet in supremum Pontificem seu Papam: Primo ergo probare conantur, quod istæ duæ potestates, quantum ex natura rei, cadere possunt in eundem simul.

Nam omnis potestas spiritualis, quæ competit fungenti potestate spirituali: aut competit sibi ratione ordinis, aut ratione administrationis: sed potestas laicalis nec ordini, nec administrationi repugnat: Ergo, quantum ex natura rei, simul cadere possunt in eundem, puta in illum in quem cadit potestas spiritualis suprema. Quod enim ipsa ordini non repugnat, apparet. Nam potestas laicalis suprema, quantum est ex parte rei, maiorem repugnantiam non

non videtur habere ad ordinem sacerdotalem, vel quemcunque alium, quam non suprema: sed potestas laicalis non suprema, quantum est ex natura rei; nullam repugnantiam habet ad quemcunque ordinem, alioquin si aliquis rex vel aliquis laicus fieret sacerdos, Episcopus, vel Papa, ipso facto amitteret omnem potestatem temporalem, quam habuisset super quamcunq; rem vel personam, quod videtur absurdum.

Item, matrimonium ipsi non repugnat, vnde & in primitiua Ecclesia, sacerdotes & Episcopi licite habuerunt vxores. Quantum est ergo ex natura rei, potestas laicalis etiam suprema, quantum ad rem potestati spirituali non repugnat: cum matrimonium ad actum carnalem magis distantem à spiritualibus, quam potestas laicalis in temporalibus, ordinetur.

Item, ordo, & potestas laicalis, non magis repugnant quam spiritus & corpus, quæ reperiuntur in eodem homine: ergo non est ratio, quare ordo & potestas laicalis, siue in temporalibus etiam suprema, non possint, quantum est ex natura rei, cadere in eundem.

Item, actus ordinis qui videtur esse potestas quædam, & actus potestatis laicalis etiam supremæ, non habent repugnantiam, quantum est ex parte rei, quin possint cadere in eundem hominem: ergo multo magis ipsæ potestates, quantum ex natura rei possunt cadere in eundem. Assumptum probatur, quia nullus est actus potestatis supremæ laicalis, qui actui consecrandi corpus Christi, clericos ordinandi, virgines consecrandi, ligandi vel soluendi, vel alii cuicunque repugnat ex natura rei. Iudicare enim secularibus criminibus irretitos, maxime videtur ordini repugnare: & tamen non repugnat, cum actus huiusmodi, etiam de facto & de iure, propter negligentiam iudicis secularis, debeat iudici Ecclesiastico conuenire. Iudex enim Ecclesiasticus, supplet negligentiam iudicis secularis, *extra de foro compe. c. licet & sequenti.* Videtur ergo, quod potestas laicalis non repugnet fungenti spirituali propter ordinem quem habet. Nec sibi repugnat propter administrationem: Tum quia, potestas laicalis minus distat ab administratione, quam ab ordine: Tum quia, maior spiritualitas est in ordine quam in administratione: Tum quia nullus actus potestatis supremæ laicalis, repugnat cuicunque actui administrationis quam habet fungens potestate spirituali suprema. Iudicare enim criminosos, maxime videtur repugnare ei, cum tamen non repugnet, cum sicut dictum est, Ecclesiasticus debeat supplere negligentiam iudicis secularis. Ex prædictis concluditur, quod potestas laicalis suprema, & potestas suprema spiritualis, quantum est ex natura rei, possit cadere cum alia in eundem virum.

CAP. IV.

Probat secundam partem opinionis in præcedenti capitulo recitatæ, scilicet quod illæ potestates non cadunt, nec cadere debent in eundem hominem, & probatur tribus rationibus, quæ soluentur cap. 19. per totum.

SEcundo, tenet ista opinio, quod istæ duæ potestates non cadunt, nec cadere debent in eundem hominem: quod quidem non accidit ex natura rei, sed ex ordinatione Dei, & iure diuino, quo cauetur ne ordinarie & regulariter idem homo præsit omnibus secularibus, & etiam diuinis: licet casualiter fungens potestate spirituali suprema, ea quæ sunt potestatis laicalis supremæ, valeat exercere: ita tamen quod potestas suprema ordinata in ipsum non cadat: de potestate autem prædicto modo ordinaria & regulari non casuali, prædictas negatiuas intelligunt. Et quod sic istæ duæ potestates non cadant, nec cadere debeant in eundem, multis modis nituntur ostendere.

Primo, Fungens enim potestate laicali suprema ordinaria, debet se secularibus negociis implicare. *dist. decim. c. imperium. dist. nonagesim. sext. c. Si Imperator nono, q. 1. Sicut.* Fungens enim potestate spirituali, se debet minime secularibus negotiis implicare: cum etiam alii inferiores se talibus implicare non debeant, teste beato Paulo, qui 2. ad Timoth. 2. cap. ait: *Nemo militans Deo implicare debet se secularibus negotiis, vt ei placeat cui se probauit.* Hoc idem Petrus in Epistola Clementis, prout legitur *11. q. 1. cap. te quidem*, patenter videtur asserere, dicens; *Te quidem oportet irreprehensibiliter viuere & summo studio niti, vt omnes occupationes huius vitæ abiicias, ne fideiussor existas, ne aduocatus litium fias, ne vel aliqua occupatione prorsus inueniaris mundani negocii occasione perplexus, neque enim iudicem, neque cognitorem secularium iudiciorum hodie te ordinare vult Christus.* 9. q. 1. sicut enim, ait, *Impietatis crimen tibi est, ò Clemens, neglectis verbi Dei studiis, sollicitationes seculares suscipere.* Hoc etiam canon ab Apostolis editus, iubet in hæc verba, vt legitur di. 88. can. Episcopus: *Episcopus, aut Sacerdos, vel Diaconus, nequaquam seculares curas assumat, sin aliter, deiiciatur.* His concilium Cartag. 4. vt legitur eadem di. can. Episcopus, videtur alludere, dicens, *Episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet, sed electioni, & orationi, & verbo prædicationis tantummodo vacet.* Hoc etiam in aliis sacris canonibus & decretalibus continetur expresse, vt *21. q. 3. cap. vltimo. & extra. ne clerici, vel mona. secularibus negotiis se immisceant. cap. 1. & c. nec. & c. clericis.* Ergo istæ duæ potestates, secundum iura diuina fundata, iure diuino in eundem hominem cadere minime debent.

Amplius potestates istæ, quas Deus voluit esse distinctas, & distinctis personis competere, non

debent cadere in eundem. Christus autem voluit potestatem laicalem supremam, & spiritualem supremam, esse distinctas, & distinctis personis competere, quod Cyprianus, vt legitur *distin. 10 c. quoniam*, & Nicholaus Papa, vt legitur *distin. 96. c. cum ad verum*, fere sub eisdem verbis testatur. Videtur autem huius rationes (quare hoc voluit) assignare, sic enim scribit Nicholaus; *Cum ad verum ventum est, vltra sibi neq; Imperator, iura pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium sibi vsurpauit: quoniam idem mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusq; discreuit, propria volens homines medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferno demergi: vt & Christiani Imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, Imperialibus legibus vterentur: quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & Deo militans se negociis secularibus minime implicaret: vt nec vicissim, homo ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus.* Ex quibus verbis videtur patenter haberi, quod sicut Imperator sibi non debet vsurpare potestatem spiritualem, ita Papa non debet sibi vsurpare potestatem laicalem supremam. Et hoc ordinauit Christus, cuius ordinationem nemini transgredi licet: ne sibi damnationem acquirat, iuxta sententiam Apostoli *ad Roman. decimo tertio.* Triplex autem inuenitur ratio, quare Christus ordinauit istas duas potestates supremas distinctis debere competere personis, prima est, ne si Imperator vel pontifex haberet vtramque, superbiret, & hic Glossa ait: *Primus homo per superbiam cecidit, vnde in infernum omnes demergebantur; sed Christus humilitate sua sursum erexit: sed si haberent omnes eadem officia, superbirent, ita quod iterum demergerentur in infernum.* Secunda ratio est, vt distinctæ personæ distinctas potestates supremas habentes, scilicet Imperator & pontifex, se inuicem deberent indigere. Tertia quæ in Scriptura sacra (sicut & allegatio præcedentium) fundari videtur, est *vt militans Deo secularibus negotiis se non implicet*, & secularibus intentus negotiis, supremam in spiritualibus non habeat potestatem. Ex quibus concluditur, quod secundum ordinationem Christi, illæ duæ potestates supremæ non debent cadere in eundem.

Rursus, ad potestatem laicalem supremam, spectat armis intendere, & iudicium sanguinis exercere, teste Apostolo ad Roma. decim. tertio. *Non frustra gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum facit.* Hinc Cyprianus, vt habetur *23. quæst. v. can. rex*: ait, *rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, homicidas, & periuros non sinere viuere*, hinc Augustin. contra Manichæos, vt habetur *23. quæst. prima. can. quid culpatur*; vult, quod belli suscipiendi auctoritas penes principes sit. Et per consequens primo est penes principem secularem supremum: quod enim ibi loquitur de principe seculari, patet per illud quod subiungit dicens, *Vir iustus si forte etiam sub rege homine sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare.* Hinc Salomon Prouerb. 20. cap. ait: *Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Et iterum, *Impios dissipat rex sapiens, & incuruat super eos fornicem*: Armis autem intendere, & sanguinis iudicia exercere, Christus verbo & exemplo, Vicario suo & aliis Prælatis spiritualibus interdixit. Dixit enim Petro, vt legitur Iohan. decim. octau. *Mitte gladium tuum in vaginam.* & Matth. vigesim. sext. *Conuerte gladium tuum in locum suum, omnis qui acceperit gladium, gladio peribit.* Non solum autem Petrum, sed alios Apostolos ab vsu gladii prohibuisse videtur, teste Luca vigesim. secund. *Videntes autem qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixit ei Petrus, Domine, si percutimus in gladio, & percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum & amputauit auriculam eius dexteram. Respondens autem Iesus dixit: Sinite vsque huc*: Ex quibus verbis colligitur, quod Christus Petro & aliis Prælatis, potestatem gladii interdixit: & per consequens, voluit vt ab effusione sanguinis abstinerent: quod etiam eis inhibuit, cum dixit eisdem, vt legitur Matt. vigesim. *Scitis quod gentium principes dominantur eorum, & qui maiores potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos fieri maior, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Ex quibus verbis duo colliguntur, Primum est, quod Christus Apostolis supremam potestatem secularem inhibuit, aliquam enim potestatem eis inhibuit, non omnem: Tum quia voluit quod inter alios maiores essent & primi, quia ipsis præcepit, vt potestatem aliquam super alios exerceant, cum dixit Petro, *Pasce oues meas*, & cum dixit vniuersis Apostolis Iohan. 2. *Sicut misit me pater & ego mitto vos*, & post, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*: ergo supremam potestatem secularem Christus Apostolis interdixit, sed non omnem.

Secundo, colligitur ex verbis prædictis, quod Christus voluit, quod Apostoli imitarentur ipsum, in abdicatione exercendæ potestatis super alios: cum seipsum proponat eis in exemplum dicens: *sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*, quasi diceret, facite sicut facere me vidistis, vt non maiorem potestatem exerceatis in alios, quam me exercere vidistis: Christus autem, inquantū homo mortalis, suo vicario exemplum præbens, quomodo gubernare deberet sibi subiectos, nunquam iudicium sanguinis, aut secularem potestatem exercuit, sed omnem potestatem, etiam occasione sibi datam ab aliis declinauit. Nam sicut legitur Ioh. 8. adduxerunt Scribæ & Pharisæi mulierē adulteram, & statuerunt eam in medio & dixerunt, *magister hac mulier modo deprehensa est in adulterio: in lege autē Moyses mandauit huiusmodi lapidari, tu igitur quid dicis?* ipse se intromittere de causa sanguinis in tantum renuit, vt nec interrogantibus vellet, quæ secundum legem à se vel ab alio iudice esset in ipsam ferenda sententia, respondere. Etiam cum discipuli eius Iacobus & Iohannes, vt habetur Luc 9. cuperent pœna mortis contemptum Samaritanorum, quem in Iesum fecerant, non recipiendo eum, vindicari: ipse increpans illos dixit, *nescitis cuius spiritus estis: filius hominis non venit animas perdere, sed saluare*, quasi diceret, non dico quin contemptus Samaritanorum est dignus

morte,

morte nōn tamen inferam eam: quare? non veni inquantum homo mortalis pro quocunq; crimine vitam corporalem auferre, sed conferre. Tres enim mortuos suscitauit, sed nullum quantumcunq; sceleratum, morte aut membri truncatione puniuit, licet nonnunquam in quosdam, aliquam aliam pœnam inferret corporalem: nam sicut scribitur Ioh. II. facto flagello de funiculis, vendentes oues & boues deiecit de templo: & nummulariorum effudit mensas. Ipse etiam cum traheretur ad mortem se defendere recusauit: vnde dicit Petro, vt legitur Matth. 26. *Putas quia modo non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum?* & tamen hoc facere nullo modo volebat: licet itaq; Christus exemplo docuerit, quod prælati ecclesiæ spirituales, pœna leui corporali corrigere valeant sceleratos: facto tamen ostendit, quod non debent armis vti: nec mortem nec truncationem membrorum inferre: quod sacri canones, Christi sequentes vestigia præcipere, & detestari videntur, sicut *23. q. 8. cap. His à quibus, &c. Si quis & extra. ne clerici vel monachi se negotiis secular. &c. c. clericis, &c. sententiam sanguinis, & extra. de excessibus prælatorum. cap. ex litteris. & 23. q. v. c. I. & c. pœna, & c. vnum, & c. incestuosi, & can. sunt quidam.* Ex quibus & aliis quampluri mis colligitur, quod armis intendere, & causam sanguinis agitare, ad solos laicos, non ad prelatos pertinet spirituales. Quare concluditur, quod potestas laicalis suprema, & potestas spiritualis suprema in eundem cadere minime debent, vt patuit.

CAP. V.

Soluit rationes opinionis primæ capitulo primo recitata.

QVia autem in hoc opusculo, censui solummodo recitando & allegando procedere: narrandum est, quomodo secundum prædictas opiniones, ad allegationes eis contrarias potest responderi: & quomodo secundum tertiam opinionem, ea quæ prima adducit opinio, dissoluuntur.

Ad quorum primum dicitur, quod quamuis ea quæ ex opposito distinguuntur tanquam contraria ex natura rei, non possunt idem subiectum supremum habere, licet possint cadere in diuersas personas eiusdē subiecti: tamē sæpe ista quæ distinguuntur ex opposito, tanquā diuersæ species, aut aliquo modo ex opposito inter se distincta, & ideo licet non secundū idem, tamē possunt cadere in eandem personam: immo nonnunquā in idem subiectum; primum patet, nam ordo sacer & ordo non sacer, quodammodo ex opposito diuiduntur: & tamen in eundem hominem cadunt, imo in eandem animam, quæ est subiectum primum vtriusque: Sic etiam virtus intellectualis & moralis, aliquo modo ex opposito diuiduntur, & tamen cadunt in eundem hominem, & sic de aliis: quare ex hoc, quod potestas primo diuiditur in potestatem spiritualem & laicalem, non potest concludi, quod non possunt cadere in eundem hominem: licet ex hoc possit conuinci, quod non sunt eadem potestas. Et ita videtur esse dicendum de potestate spirituali suprema, & de potestate laicali suprema: quia licet eo quod aliquo modo ex opposito diuiduntur, possit ostendi quod non sunt, nec esse possunt eadem potestas: non tamen quod non possint cadere in eundem hominem simul, quantum est ex natura rei.

Ad secundum dicitur, quod potestas spiritualis suprema, & potestas laicalis suprema, ex natura rei non constituunt duo capita corporum diuersorum, clericorum & laicorum: tamen, quia clerici & laici sunt vnum corpus, iuxta illud Apostoli ad Roma. 12. *Omnes vnum corpus sumus in Christo*, tum quia licet debeant esse distincti clerici & laici, sunt tamen vnum corpus propter multitudinem Christianorum quæ nunc est, & fuit tempore beati Hieronymi: tamen putant quidam, quod non est possibile clericos & laicos auerti à fide: & quod solum remaneret vnum genus ipsorum, respectu quorum, posset, quantum est ex natura rei, idem homo habere tam potestatem supremam spiritualem, quam laicalem.

Ad tertium respondetur vno modo, quod licet papatus & quælibet prælatio ecclesiastica, à se excludat dominationem, quæ est respectu non liberorū, ita vt nullus prælatus ecclesiæ, ex vi prælationis suæ potestatis spiritualis sit tali dominatione dominus Christianorum quorumcunque, qui Græce vocatur Despotes secundū Aristotelē *in politicis*, ex ordinatione Christi nō est despoticus, sed magis assimilatur principatui regali, iuxta illud primæ Petri. 2. *Vos autem genus electum regale sacerdotium.* Et illud Apocal. I. *Fecit nos regnum sacerdotale*, tamen prælatio ecclesiastica, dominationem (quæ est respectu liberorum, quemadmodum rex est dominus sibi subditorum) à se non excludit. Beatus autem Petrus in verbis præallegatis, excludit à Pastoribus dominationem primā, non secundam, cum dicit: *non dominantes in cleris*: & si dicatur quod hoc repugnet sacris canonibus, secundum quos prælati ecclesiæ sunt Domini respectu seruorū, quæ ecclesia seruos habet: Respondetur secundum quosdam, ꝙ nullus est seruus ecclesiæ ex vi prælationis ecclesiasticæ institutæ à Christo: sed quicunque est seruus ecclesiæ, est seruus ex ordinatione humana: vnde & nonnulli sunt serui ecclesiæ, qui à Dominis suis dati sunt sponte ecclesiæ.

Aliter respondetur ad tertium motiuum pro prima opinione, quod licet prælatio & clericatura, iuxta autoritatem Petri, immo iuxta verba Christi (qui voluit quod prælati ecclesiæ essent serui, & ministri aliorum) dominationem talem, qualem habet potestas laicalis suprema, à se excludat, (quare potestas suprema nec est huiusmodi dominatio, nec habet eam necessario annexam) tamen non excludit eam à persona in qua est: & ideo licet secundum beatum Petrū talem dominationem non debeat habere qui fungitur potestate spirituali, tamen sibi talis dominatio non repugnat, & ideo posset cadere in eandem personam cum potestate spirituali suprema, si aliud non obstaret.

Ad quartam respondetur, quod quia Imperator non debet esse summus prælatus spiritualis, ideo si est fidelis, est filius Ecclesiæ, sed hoc non est ex natura potestatis supremæ quam habet: & ideo quantum est ex natura rei illius potestatis supremæ, posset esse pater & non filius Ecclesiæ, decretum autem loquitur secundum modum, qui seruari debet circa Imperatorem, non qui conuenit ex natura rei.

Ad vltimum dicitur, quod Imperator habens supremam potestatem laicorum, non est subditus Papæ ex natura illius potestatis: sed qui illam potestatem supremam laicalem haberet, deberet carere potestate spirituali suprema, quam habet summus pontifex: & ideo de facto minor est supremo pontifice: non autem ex natura potestatis.

CAP. VI.

Arguit contra opinionem adductam supra, capitulo secundo, & hoc octo motiuis, probans illam opinionem esse hæreticam.

RESTAT nunc, secundum opinionem tertiam, respondere ad motiua opinionis secundæ, quorum nonnulla fundantur in hoc, quod Papa habet plenitudinem potestatis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus; quod intellectum, vt nonnulli intelligunt, quidam reputant hæreticum. Dicere enim, quod Papa talem habet (siue in spiritualibus, siue in temporalibus) plenitudinem potestatis, vt vniuersa (absq; omni exceptione) possit, quæ non sunt contra ius diuinum, quod Christiani de necessitate salutis seruare tenentur: hoc est, contrarius naturale indispensabile & immutabile scripturæ diuinæ; iuri humano canonico, & ciuili, ac euidenti rationi repugnat: vt illi multis modis probare nituntur. Aliqua motiua breuiter tangendo, absque prolixa discussione duxi præsentibus inserenda.

Primum autem quod aliqui fortius arbitrantur, tale est secundũ literas sacras, lex euangelica est lex libertatis respectu Mosaicæ legis; quod saltem debet necessario intelligi, vt non sit tantæ seruitutis, neq; in temporalibus, neq; in spiritualibus, quoad ceremonias & obseruantias exteriores quantæ fuit lex Mosaica: ita quod quamuis Christiani quidam, vel omnes per se aut per alios ex causa de nouo emergente, seruituti possint subiugari tantæ vel maiori: tamen communitas fidelium per legem Euangelicam nequaquam tanta seruitute teneretur: nec aliquis mortalis virtute euangelicæ legis, præsertim sine culpa, & causa manifesta ac rationabili, potest eam tantæ subdere seruituti: etsi quicunq; hoc tentare præsumpserit, quod facit, ipso facto, & iure diuino nullũ est. Sed si Papa haberet talem plenitudinem potestatis à Christo & Euangelica lege, lex Euangelica esset intolerabilis seruitutis, & multo maioris quam lex Moisaca: omnes enim essent per ipsam serui Papæ, ita quod Papa haberet tantam potestatem super Christianos, quantam vnquam habuit, vel habere potuit quicunq; dominus super seruos: & Papa posset quoscunq; reges dare & vendere, & quorumcunq; subdere seruitutibus: posset etiã Papa ceremonias & obseruantias exteriores imponere communitati fidelium, quæ fuerunt statutæ in veteri lege: Et ita lex euangelica esset incomparabiliter maioris seruitutis, quam lex Mosaica, quod nonnullis apparet hæreticum: relinquitur ergo quod Papa non habet talem plenitudinem potestatis.

Circa istud motiuum, non restat nisi ostendere, quod lex Euangelica, est lex libertatis: quod quidam tam per sacram scripturam, quam per sacros canones asserunt posse aperte probari: hoc enim, vt dicunt, testatur beatus Iacobus in *Canonica sua cap. 1.* & Apostolus Paulus *1. Corinth. 3. & ad Galat. 3. 4. & 5. capit.* & in pluribus textibus Bibliæ. Item Vrbanus Papa *19. q. 2. capit. 2.* & Inno. 3. *extr. de regularibus cap. licet.* & beatus Aug. ad inquisitiones Ianuarii, & habetur *di. 12. c. omnia.* Has autem auctoritates gratia breuitatis non adduco, ex quibus, & quampluribus aliis, dicunt aperte patere, legem euangelicam esse legem libertatis, respectu veteris legis.

Amplius, licet Christus inquantum Deus, omnem habuit plenitudinem potestatis, tamen inquantum homo mortalis, abdicauit talem plenitudinem potestatis, cum dicit Ioh. *16. Regnũ meũ non est de hoc mundo*, intendens per verba ista negare se esse regem in temporalibus; alioquin per verba ista nequaquam apud Pilatum exclusisset actionem Iudæorum accusantium ipsum, quod dixerat se esse regem in præiudicium Cæsaris, vt cum sic legitur Lucæ 23. Postquam Iudæi accusauerunt Christum, quod dixerit se regem, Pilatus dixit, *nullam inuenio in ipso causam*, aduertens quod Christus non dixerat se esse regem in temporalibus: sed alio modo quam in temporalibus, quemadmodum non reputabat Cæsari aduersari: & ideo non damnauit Christum, tanquam conuictum quod fecerat se regem in temporalibus, sed propter importunitatem Iudæorum petentium vt crucifigeret eum, teste Luca vbi prius, & dicente; *ille autem*, scilicet Pilatus, *tertio dixit ad istos, quid enim mali fecit iste? nullam enim causam mortis inuenio in eo, corripiam ergo eum, & dimittam: at illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur & inualescebant voces eorum: & Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorundem:* & post; *Iesum vero tradidit voluntati eorũ.* Ex quibus verbis colligitur, quod Pilatus non reputauit per verba eorum Christum conuictum de crimine, ac dignum morte, quod tamen fecisset, si Christus conuictus fuisset, vel confessus se temporale regnum habere siue ab hominibus, siue à Deo, siue in Iudæa, vbi Cæsar noluit esse aliquem regem, nisi qui esset constitutus ab eo: Pilatus vero victus mira improbitate petentium & incutientium timorem, ne falso accusaretur apud Cæsarem à Iudæis, quod faueret alicui in Iudæa dicenti se regem in temporalibus, qui non esset

à Cæsa-

à Cæsare constitutus, præsertim cum contra eum clamarent & dicerent illud Ioh. 19. *Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris; omnis enim qui se regem facit contradicit Cæsari*; cōtra conscientiā & etiam iustitiā, tradidit Iesum petentibus vt crucifigeretur: sciens quod licet Christus dixerit sibi, *rex ego sum*, tamen intellexerit aliter regem quam illo modo quo intellexerunt Iudæi, quando accusauerunt eum, quod faceret se regem: vnde stupent nonnulli, quod istum sensum aduertit Pilatus homo mundanus & sine fide ex verbis Christi de regno suo; & tamen ipsum non perpendunt Christiani quidam, qui etiam volunt esse legis doctores: cuius vt ipsis videtur, non est alia causa, nisi quia sunt mala affectione cæcati. Papa autem ex ordinatione diuina, præcise non habet maiorem potestatem in temporalibus, quam habuit Christus, inquantum erat mortalis, cuius est vicarius: ergo Papa non habet in temporalibus talem plenitudinem potestatis.

Rursum quod Papa non habeat in temporalibus talem plenitudinem potestatis, sacri canones testari videntur: nam ille non habet in temporalibus talem plenitudinem potestatis, cuius iurisdictioni temporali aliquæ terræ sunt subiectæ, & aliquæ non: Papæ autem, quo ad iurisdictionem temporalem, aliquæ terræ sunt subiectæ, & non omnes. *extra. de hæreticis, capit. vergentis*; ergo, &c.

Item, contra illum, qui habet talem plenitudinem potestatis, non currit præscriptio; contra autem Papam, quo ad temporalia, currit præscriptio, saltem centenaria, *extr. de præscriptionibus, si diligenti*, ergo, &c.

Præterea, ille non habet in temporalibus talem plenitudinem potestatis, qui feuda & alia bona temporalia sibi deputata alienare non potest: Papa autem alienare non potest bona ratione ecclesiæ. *12. q. 2. can. non liceat, ergo, &c.* Adhuc quod Papa non habeat talem plenitudinem potestatis, videtur posse probari per iura ciuilia: Nam si Papa haberet talem plenitudinem potestatis, omnia regna mundi, & imperium essent à Papa, quod canonibus obuiare videtur, cum dicant, imperiū esse à Deo, *in autentica, quomodo omnes episcopos, in principio, Col. 1.* vbi sic legitur; *maxima in omnibus hominibus sunt dona Dei à superna collata clementia, sacerdotiū & imperiū: illud quidem diuinis mysteriis, hoc a. humanis præsidens, ac diligentiam exhibens: ex vno eodemq; principio, vtraq; procedentia humanam exornant vitam.* Et C. de veteri iure enuc. lib. 1. vbi habetur, *Deo auctore nostrum gubernante imperium, quod nobis à cœlesti maiestate traditum est*: ergo Papa super imperiū non habet talem plenitudinem potestatis.

Quod etiam ratione (vt quibusdam videtur) euidenti probatur, nā principatus Apostolicus siue spiritualis, non minus respicit fidelium vtilitatem subditorū, quā principatus secularis. Sed secundū Aristotelem *in politicis*, principatus secularis temperatus, rectus, & iustus, est institutus principaliter propter bonū commune subditorū: ergo multo magis principatus Apostolicus est institutus principaliter à Christo propter bonū commune omniū fideliū: Sed si Papa haberet talē plenitudinē potestatis, principatus ipsius non esset propter bonū commune, sed propter bonum proprium Papæ. Tum quia per talem principatum, magis esset prouisum Papæ, quam subditis: & esset magis dicendus mercenarius qui quærit proprium lucrum quam pastor: Tum quia talis principatus esset periculosus subditis: quia si Papa haberet talē plenitudinem potestatis, quamuis ipse omnes Christianos extra casum necessitatis extremæ vniuersis libertatibus spoliaret, & laboribus, seruitutibus & oneribus, & pœnis illos immensis subiiceret, tamen non liceret eis Papæ resistere: sed tenerentur de necessitate parere, quod eis periculosum existeret. Restat igitur, quod Papa non habet talem plenitudinem potestatis.

Amplius plenitudo potestatis, id est, totalis quę est in omnibus supremis pontificibus, est illa scilicet, quam habent à Christo ratione papatus: sed aliqui fuerunt supremi pontifices, & adhuc possunt esse, qui non erant capaces prædictę plenitudinis potestatis, puta monachi, & alii religiosi de religionibus perfectis assumpti; quare religiosi huiusmodi nō sunt capaces proprietatis & dominii, neq; temporalium rerum propriarum, principaliter, cum per votum paupertatis, à quo absolui possunt, *extra. de statu monachorum. capit. cum ad monasterium*, talē proprietatem abdicauerint: quæ tamen in prædicta plenitudine potestatis necessario includitur: ergo nullus Papa ex potestate sibi concessa à Christo, huiusmodi habet plenitudinem potestatis. Sed forte diceret aliquis, quod monachus vel alter religiosus ad papatum assumptus, est simpliciter absolutus à voto paupertatis; quod probatur, quia ita necessario annexum est religioni perfectæ votum obedientiæ, sicut votum paupertatis: sed religiosus ad papatum assumptus, est totaliter absolutus à voto obedientiæ, quare non plus tenetur prælatis religionis suæ propter votum abdicationis, quā pro voto obedientiæ, & sic non tenetur pro votō paupertatis. Respondetur quod religiosus assumptus ad papatum, non est totaliter absolutus à voto obedientiæ, nec est ita liber, sicut si semper fuisset secularis: & ideo licet tempore papatus sui non teneatur obedire prælatis ordinis sui, tenetur tamen obedire regulæ quam vouit, quoad aliqua, & illa quæ non impediunt officiū ad quod est assumptus: tum quia esto quod votū obedientiæ non respiciat proprie illa quæ præcipiuntur solummodo aut præcipi possunt à prælatis, tamen religiosus factus Papa non est ita liber, sicut si fuisset secularis: quare si talis Papa efficeretur hæreticus, vel aliquo crimine diffamatus, in quo appareret incorrigibilis, & scandalizaretur ecclesia, & deponeretur per sententiā, vel sponte renunciaret papatui: ipso facto, & iure, efficeretur de obedientia prælatorum ordinis sui: & Ita, quia Papa talis potest effici, ideo Papa non est ita liber ab obedientia prælatorum ordinis sui, sicut si nunquam fuisset religiosus, & ideo non est simpliciter à voto obedientiæ absolutus: quare absque nouo voto, potest & tenetur ad obedientiam prælato. um reuerti: nec mirum, quia vnaquæque res, de facili ad naturam suam reuertitur.

Cum

Cum igitur votum paupertatis sit de substantia perfectæ regulæ, & exercitium pontificalis officij nequaquam impediat, tenendum videtur, quod religiosus ad Papatum assumptus, proprietatem habere non potest, præsertim extra casum necessitatis. Vnde, esto quod aliquis casus posset accidere, in quo necesse esset Papam religiosum alicuius rei temporalis proprietatem in speciali assumere: tamen extra casum huiusmodi non licet proprietatem habere.

CAP. VII.

Respondet primæ rationi supra capitulo secundo adducta.

VIso quomodo quidam tenentes opinionem tertiam, probare conantur quòd Papa istam non habet plenitudinem potestatis, quæ exposita est superius: videndum est, quomodo ad rationes in contrarium respondere nituntur. Ad quarum primam dicitur, quod Christus per illa verba *quodcunque ligaueris super terram &c.* non dedit nec promisit Petro talem plenitudinem potestatis: & ideo talem etiam non dedit nec promisit Papæ in beato Petro, talis enim potestas, nec Papæ nec subditis expediret, sed periculosa esset vtrisq;: Esset enim periculosa Papæ, quia ipsum in superbia nimis efferret, & esset sibi occasio mala nimia perpetrandi: Esset etiam periculosa subditis, quia cum inter fideles multi sunt spiritualiter debiles & infirmi: pluresque sunt, qui onera quæ eis absque culpa sua, & sine causa, Papa posset imponere, absque maxima difficultate sufferre non possent, (quia tale iugum nimis periculosum existeret) timendum esset ne potius iugum obedientiæ omnino abiicerent, quam tam grauia sustinerent. Cum igitur Christus non dedit Papæ aliquam potestatem sibi periculosam & aliis: sibi talem non contulit plenitudinem potestatis. Aliam ergo sibi dedit plenitudinem potestatis. Dicunt enim quidam, quod Christus per verba præmissa non dedit beato Petro vel promisit aliquam potestatem, nisi respectu peccatorum, respectu quorum solummodo dedit potestatem conferendi pœnitentiæ sacramentum & potestatem ligandi atque soluendi homines à peccatis; non quidem expellendo culpam, vel gratiam conferendo, ac remittendo debitum damnationis æternæ (quia hoc solus Deus operatur) sed solummodo ostendendo homines esse solutos, vel ligatos in facie ecclesiæ, & aliquam satisfactionem in hoc seculo imponendo: puta orationem, vel ieiunium, vel aliquid aliud consimile; ac peccatores communioni fidelium reconciliando; & etiam interdum promulgando peccatores esse excommunicationi subdendos, non coactiuum iudicium exercendo.

Alii putantes non vacuũ esse restringere potestatem Papalẽ. Dicunt q̃ Christus per verba ista, aut saltẽ per illa *pasce oues meas*, dedit vel ꝓmisit beato Petro & in ipso Papæ, omnem potestatẽ necessariã regimini fidelium ꝓ adipiscendo vitam æternam; saluis iuribus & libertatibus rationabilibus honestis, vel etiam licitis aliorum quorumcunq; non delinquentium manifeste, nec perpetrantium scelus pro quo deberent iuribus aut libertatibus suis iuste priuari. Dicunt enim potestatẽ necessariã regimini fideliũ, non concessam esse Papæ ad excludendũ potestatem non solũ perniciosam aut periculosam; sed etiam in casu vtilem, non tamẽ necessariã in eodẽ casu: ꝓpter q̃ Papa ex sola ordinatione Christi, non habet potestatẽ super fideles respectu illorũ quę inter opera supererogationis sunt extra casum necessitatis & vtilitatis, quæ parificari debeat necessitati: Dicunt autẽ pro adipiscenda vita æterna, ad excludendã potestatẽ spiritualem respectu illorũ, quę ad vitã æternã non disponunt: & propter hoc Christus dixit Petro, *Tibi dabo claues &c.* quasi dicat omnis potestas, quam tibi dabo, est tibi vel aliis fidelibus necessaria ad adipiscendũ regnũ cœlorũ: propter quod sup tẽporalia nullã habet potestatẽ spiritualẽ sibi datã à Christo, nisi in casu in quo aliquo modo potest dici necessario respicere regnũ cœlorũ: puta in casu in quo necessariũ esset quod Papa de aliquibus temporalibus disponeret pro peccato aut periculo necessario euitãdo vel aliquo opere de necessitate agendo. Dicunt autẽ quidã, *saluis iuribus & libertatibus* &c. vnde notandũ est, q̃ Papa per nullã potestatẽ sibi datã à Christo potest tollere iura & libertates regũ, aut imperatorũ, aut aliorũ quorumcunq; clericorũ, aut laicorũ, ipsis inuitis sine culpa, & absq; causa, extra casum necessitatis & vtilitatis, quæ valeat parificari necessitati: dũmodo libertates & iura huiusmodi non sint contra legẽ diuinã, ad quã Christiani tenentur, quia quamuis essent contra illã quæ in veteri lege (ad quæ Christiani minime tenentur vel obligantur) ipsis gaudere deberent, nec contra ius naturæ, præsertim si sint consonæ iuri diuino, naturæ vel gentium vel ciuili: quia si essent contra ius gentium, vel ciuile, ipsis vti non deberent. Dicunt autem, *non delinquentium nec perpetrantium scelus* &c. Ad hoc est notandum, quod Papa à Christo habet potestatem infligendi pœnam debitam Christianis pro omni scelere, quando necessarium est bono communi fidelium talem pœnam infligi, saluo iure iudicum aliorum, suam non negligenter, nec damnabiliter exercentium potestatem: quia si alii iudices, ad quos spectat punire reos, parati fuerint facere iustitiæ complementum: Papa de eorum subditis puniendis, in præiudicũ eorundem, se intromittere nullatenus potest per potestatẽ sibi collatã à Christo. Si etiã subditi, vel quicunq; in sublimitate constituti, nequaquam suis iuribus aut libertatibus abutuntur, Papa extra casum necessitatis ipsos priuare non debet, sic ergo secundũ istos, habet Papa plenitudinem potestatis, ita quod ista potestas nec boni communi, nec proprio cuiuscunq; non delinquentis præiudicet. Si autem in vindictam malefactorum communi per ipsum consulitur & per consequens Papæ (qui cæteros homines meritis & sapientia debet præcellere) si talis poterit reperiri, videtur merito tribuendam: quia ista potestas videtur esse ad ædificationem, non ad destructionem boni: quam Apostolus *2. ad Corinth. vltimo* loquens in persona omniũ prælatorum ecclesiæ) dicit

cit sibi esse concessam: quia plenitudo non excundo fines ipsius, vigere debet in Papa: tum quia debet velle prodesse non præesse secundum *Augustin. 19. de ciuit. Dei*, & habetur *8. q. 1. qui episcopatum*: Et tali potestate dicitur esse contentus, vt secundum maiorem inuitis fidelibus non vsurpet, licet capax sit maioris: etiam si in ipsum alii ampliorem voluerint sponte transferre, præsertim si maiorem per votum abdicauerit. Isti igitur respondentes ad allegationē præscriptam dicunt, quod licet verba Christi, *quodcunq; ligaueris*, aliter proferantur, non tamen debent generaliter, sicut quidam volunt, ab omni penitus exceptione intelligi, cum ipsimet dicant ꝙ aliquas exceptiones debent habere. Illa n. quæ sunt contra legem diuinam & euangelicam, & contra legem naturæ excipiuntur, vt illa Papa non possit, vnde concedunt quod prædicta sint excipienda à potestate Papæ. Sic etiā, quamuis Christus, quando protulit ista verba, vocaliter nihil exceperit, tamen omnia ista sunt excipienda, quæ Christus verbo & exemplo excipienda docuit: & Apostoli scripturis canonicis, quorum verba, vt verba Christi recipienda sunt: quia à Spiritu sancto inspirati locuti sunt, & per eos debere recipi meruerunt: Christus autem & Apostoli esse excipienda prædicta omnia innuebant: potestatem enim non necessariam regimini fidelium esse excipiendam insinuat Christus, cum dominatiuum modum regendi à potestatibus seculi obseruandum, Apostolis interdixit, & ad humilitatem induxit, sicut ex *Matth. 20. & Marc. 10. & Luca 22. colligitur*. Quod etiam Petrus secutus Christū fecit cum dixit: *non dominantes in clerum*. Si enim aliquis præceperit alicui cui non tenetur: omni durationis munere careret. Qui enim de re aliqua vel persona facit quid vult, se aliquo modo esse Dominum ipsius ostendit. Potestates etiam iura & libertates aliquorum sine culpa & absq; causa esse excipienda à potestate Petri insinuauit Christus verbo pariter & exemplo: verbo quidem, cum dicit, vt habetur Matth. *22. reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: quæ verba non tantum de illis, quæ debentur Cæsari, debent intelligi, sed de omnibus, quibuscunq; debentur: quod Apostolus, sequens doctrinam Christi ad Romanos, 13. manifestat, cum loquens de potestatibus infideliū, dicit: *reddite omnibus debita, cui tributū tributum, cui vectigal vectigal, cui timorē timorē, cui honorē honorē*. Si autē debita sunt reddenda, & iura & libertates sine culpa, & absq; causa tolli nō debent: quod etiā ostēdit Christus exēplo, cū tributū soluit, ad ꝙ minime tenebatur, vt patet *Matt. 17. c.* quo facto dedit exemplū Petro, & aliis volentibus sequi perfectionē vitæ ipsius, vt ad scandalū euitandū cedant iuri suo: quare multo magis monstrauit exemplo, ne Petrus tolleret iura aliorū & libertates ipsis inuitis: quia hoc absq; scādalo (quod Petrū oportuit vitare) minime fieri potuisset. Quis n. non scandalizatur, cui inuito suæ libertates & iura tollūtur? Ex prædictis & aliis quasi innumeris, quę quidā ad idē adducunt, concluditur quod Christus voluit prædicta esse excipienda à potestate, quā sub generalibus verbis indulsit Petro. Ex quo infertur ꝙ nec Petrus nec alius successor eius habuit à Christo, præsertim in tēporalibus illam plenitudinē potestatis, quæ exposita est supra *secundo capite* cum verbis insinuauerit atq; factis, ꝙ vicarius eius talē plenitudinē potestatis nō debuit exercere virtute alicuius potestatis ab ipso sibi cōcessæ, extra casum necessitatis: cum n. ipse dixerit Petro & omnibus aliis Apostolis, vt legitur, Matth. 17. *Non est discipulus super magistrum, neq; seruus super Dominum suum*, & Ioh. 13. *Non est seruus maior eo, qui misit eum*, & ipso facto talē potestatē recusauerit exercere: quia legitur Ioh. *6. Cum cognouisset quia venturi erant, vt raperent eum, & facerent eum regem fugit in montem*, qui etiā cuidā petenti vt iudiciū in temporalibus faceret inter se & fratrē suū, respondit, put legitur Luc. 12. *homo quis me constituit iudicē aut Dominū super vos?* quasi dicat, nullus: testante Glossa ibid. *non dignabatur iudex esse litiū nō arbiter facultatū*: manifeste vt apparet cōuincitur, ꝙ vicarius eius talē potestatē in tēporalibus nō potest regulariter exercere: casualiter possit, secundū ꝙ Innocēt. 3. insinuare videtur, vt habetur *extr. qui filii sunt legitimi. Per venerabilem*.

CAP. VIII.

Dat duas replicas contra responsionem datam supra cap. præcedenti quæ etiam soluuntur.

INter præscripta sunt duo, quæ præcipue posse impugnari videntur: quorū primū est, quod talis plenitudo potestatis esset periculosa subiectis, quod non videtur verum, quia obediētia perfecta etiam cum voto, non est periculosa: sed ad obedientiam perfectam spectat, quod prælatus habeat talem plenitudinem potestatis: ergo talis plenitudo potestatis in Papa non est periculosa fidelibus. Secundū est, quod Papa potest talē potestatē in tēporalibus casualiter exercere: Hoc n. superioribus obuiare videtur, nam si vt allegatū est, *Non est discipulus &c.* & nec Christus in tēporalibus etiā casualiter exercuit huiusmodi potestatē; sequitur ꝙ Papa nō debet potestatē huiusmodi casualiter exercere. Ad primum illorum respondetur, quod sicut quædā sunt saluberrima bonis, quæ tamē sunt mortifera malis: sic quædam sunt perfectis expedientia, & periculo euitando carentia, quæ tamen imperfectis noscuntur periculosa: periculis, quæ ab imperfectis sunt euitanda implicita. Martyrium n. non habet annexum periculū, quod fugiendo non debeat ipsum perfectus sumere & suscipere: & tamen periculo coniuncto martyrio, nō debet se exponere imperfectus: teste Beda, qui super illud Matt. *26. Discipuli relicto eo omnes fugerunt*, ait; *discipuli qui articulum comprehensionis fugienda præuenerunt, cautelam fugiendi docent eos, qui se ad supplicia minus senserint idoneos: quando tutius est latere, quam se discrimini exponere*: sic est de tali plenitudine potestatis, quia esto quod talis plenitudo potestatis in supremo pontifice non esset periculosa perfectis voluntate obediētiæ perfectissimæ se subdentibus, esset tamen periculosa multis imperfectis: quibus etiā ad obedientiā perfectissimā obligari discriminosum esse videtur. Cum ergo in congregatione fideliū multi imperfecti existant, non expedit vt Papa, respectu omnium, talem habeat plenitudinem potestatis: quare talis potestas est periculosa, saltem imperfectis, quos etiam certum est ad obedientiam perfectissimam non magis teneri, quam ad perferēda onera & pericula, quæ Papa de iure (si huiusmodi haberet plenitudinem potestatis) malitiose vel indiscrete posset iniungere, obligare.

Ad

Ad secundum dicitur, quod Christus talem potestatem in temporalibus non exercuit, quia non accidit casus in quo expediret fidelibus, Christum potestatem huiusmodi exercere: qui tamen ab executione huiusmodi non abstinuisset in casu, in quo fuisset necessarium ipsam exercere. Ad ꝙ tamen forte insinuandū quædam fecit, vel secundū potentiam deitatis vel secundum potentiam humanitatis non regularem, sed casualem, quæ ad talem in temporalibus potestatem spectare videntur: sicut quando dixit dæmonibus, vt intrarent porcos aliquorum, quos suffocarent in aquis, & quando interdixit ne facerent aliis: & ideo Papa non regulariter sed casualiter in casu necessitatis habet in temporalibus, etiam quandam (licet non prædictam) plenitudinem potestatis.

CAP. IX.

Respondet ad confirmationem, capitulo secundo pro prima ratione, adductam.

RESTAT igitur respondere ad verba Innocentii 3. quæ contra prædicta videntur expressius militare: ad quæ dicitur, ꝙ nisi violenter & contra intellectum, quem prima facie sonant, exponantur, sapiunt hæresim manifestā: sicut & nonnulla alia verba eiusdē Innocentii, quæ insuper etiā aliis verbis ipsius contraria videntur. Cunq; n. dicit, *extra. Qui filii sunt legitimi capit. per venerabilē, cum Deuteronomium lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli, cōprobatur, vt quod ibi decernitur, in nouo testamento debeat obseruari*, &c. quibus verbis, si intelligit quod sint obseruanda in nouo testamento, quo ad superficiem literæ, quomodo obseruanda erant in veteri testamento, quo ad multa, est erroneum reputandum, quia ibidem sunt multa cerimonialia, sicut patet *cap. 13.* & in multis aliis, quæ non obseruantur in noua lege, nec illo modo seruanda sunt illa quæ 3. Deuter. decernuntur, plusquam illa quæ decernuntur in aliis libris Moysi: aut intelligit, quod obseruanda sunt secundū intelligentiam mysticam vel moralem, & sic non solum seruari debent illa quæ in Deuteronom. sed etiam omnia alia quæ in aliis libris Moysi decernuntur, vt legitur in decret. *Dist. 6. cap. His itaq;* &c. Cum igitur in his præmissis verbis innuit Innocentius quod magis obseruari debent illa quæ decernuntur in Deuteronomio, quam quæ decernuntur in aliis libris legis, præsertim cum verba præscripta omnino impertinentia essent ad conclusionem, quam probare intendit, sequitur quod verba nisi sanius interpretentur hæretica sunt censenda. Cum *extra. de elect. capit. venerabilē* dicit: *Idem etiā contra propriū iuramentū, super quo nec consiliū de sede apostolica requisiuit, ambitionis vitio regimen sibi vsurpare præsumsit, cū super illo iuramento, prius Romanā ecclesiā cōsulere debuisset: nec valet ad plenā excusationē ipsius, si iuramentū illud dicatur illicitū, cū nihilominus super eo nos prius consulere debuisset.* Quæ omnia, nisi contra intentionē (quam verba sonare videntur,) exponantur, absurditates hæreticales vidētur includere: cum verba ista prætendant, quod nemo debeat venire contra iuramentum suum illicitum, antequam consulat summum pontificem: ex quo absurditates innumeræ contra bonos mores sequi videntur. Sequitur enim, quod si aliquis iuraret illicite se nolle abstinere à fornicatione, furto, homicidio, vel aliquo alio quocunq; peccato ab huiusmodi peccato nequaquam abstineret antequam Papam consuleret. Sequitur etiamsi aliquis iuraret se non laudare Deum vel proximum dilecturum, aut non redditurum aliena, vel aliam rē; quod huiusmodi nec laudare Deum, nec diligere proximum, nec reddere aliena deberet, antequam consuleret Romanam ecclesiam, quæ videntur hæresim sapere manifestam, & fomentum peccatis & iniquitati ministrare. Insuper verba prædicti Innocentii allegata pro prædicta plenitudine potestatis Papalis, aliis verbis eius, nisi sanius exponantur, repugnare videtur: cū, vt legitur *extra. qui filii sunt legitimi. capit. causam* dicat: *Nos attendentes quod ad regem pertinet non ad ecclesiam de talibus possessionibus iudicare*, &c. Ex quibus verbis colligitur, quod ad Papam, qui est ecclesia, vel caput ecclesiæ, non pertinet de possessionibus iudicare, & per consequens non habet in temporalibus talem plenitudinem potestatis, ꝙ etiam ex pluribus decretalibus eiusdem Innocentii patenter potest colligi, vnde dicitur, ꝙ sane exponenda sunt verba Innocentii *Quodcunq; ligaueris* & cæt. dicit, ꝙ Christus nihil excepit, cū dixit Petro, & nē deprehendatur in hæresi manifesta, dupliciter ad sensum catholicū exponunt, vno modo intelligat ꝙ Christus tunc quando dixit Petro, *quodcunq; ligaueris* &c. nihil excepit vocaliter & expresse; alibi tamē, & aliis verbis & exēplis, ostendit excipiēda esse plura, & ita illa excipiēda sunt à nobis Alio modo dicitur, ꝙ Christus nihil excepit de his quæ sunt necessaria regimini fidelium, & non præiudicant iuribus & libertatibus aliorum: & ideo per ista verba, Christus nullam potestatem permisit Petro nō necessariam regimini fidelium, nec præiudicialem aliis præsertim notanter seu notabiliter non abutentibus iuribus & libertatibus suis, nec damnabiliter negligentibus ius suum vnicuiq; exhibere &c.

CAP. X.

Respondet rationi secundæ capitulo secundo adductæ, quam probat sophisticam.

AD secundam rationem adductam supra capitulo secundo pro plenitudine potestatis, quę in hoc fundatur, quia vt probatur auctoritate. Hieremiæ, Deus nihil excipiendo constituit Papam *super omnes gentes & regna*. Respondetur quod huiusmodi ratio propter multa est sophistica recipienda: Primo, quia summo sacerdoti nullatenus fuit dictum, *ecce constitui te super omnes gentes & regna*: Dictū n. fuit Hieremiæ, qui nō erat summus sacerdos. Secūdo quia licet Hieremias fuit sacerdos, tamen non sibi inquantum sacerdos erat, sed inquantum Propheta, dicta fuerunt verba prædicta: vnde & ibidem promisit Dominus, *Prophetam in gentibus dedi te.* Tertio, Hieremias nequaquam talem exercuit potestatem, nec dixit populis se recepisse potestatem talem à Deo. Quomodo vult ergo conclu-

concludere per ista verba, quod Papa habet talem potestatem à Deo, & quod quilibet sacerdos, & omnis Propheta habet à Deo talem plenitudinem potestatis, quam tamen non videtur concludere allegatio supradicta? quia licet ea, quæ ad spiritualia & ad cœlestia spectant, plenius debent refulgere in supremo Pontifice nouæ legis, tamen non congruenter matrimonio vterentur: & sicut in veteri lege summus sacerdos, armis, bellis, necibus hominum, truncationibus membrorum, vindictæ sanguinis, immiscuit se decenter: ita etiam deceret, vt summus sacerdos nouæ legis se huiusmodi implicaret; quæ tamen omnia & similia absurda sunt censenda: quamobrem ex potestate & dominio, quod habuit in temporalibus summus sacerdos veteris legis, concludi non potest, quod Papa in temporalibus aliquam habeat potestatem, quæ nec sibi nec aliis necessaria est credenda, & ideo non concludit: quia licet in illis verbis non addatur exceptio, ex aliis tamen verbis scripturæ colligi potest, quod alia est exceptio addenda.

Ad Innocentium diuersi diuerse respondent, quidam enim (vt videtur eis) verba eius sane intelligunt, dicentes eum intendere quod æternũ Christi Pontificium longe maioris potestatis est, etiam in temporalibus casualiter, quamuis non regulariter, quam Pontificium veteris legis: & ideo si dictũ est Pontifici veteris legis; *Ecce constitui te super gentes*, &c. vt euelleret, hoc est vt casualiter etiam in tẽporalibus, super gentes & regna, iurisdictionem exerceret, vt sit tamen iurisdictionem assignans nõ in præiudicium regum, ac etiam principum, sua legitime vtentium potestate. Quod hæc fuerit intentio sua, colligitur ex verbis suis quæ sequuntur, cum ait, Relinquitur igitur Romanum Pontificem etiam casualiter exercere Pontificale iudicium, in quemlibet Christianum, cuiuscunque conditionis existat, maxime ratione peccati: vt peccatorem quemcunque, postquam in profundum vitiorum venerit, propter contemptum, tanquam publicanum & ethnicum, haberi constituat à fideli corpore alienum: quibus verbis innuitur, quod non nisi casualiter Pontifex Romanus super omnes Christianos temporale exercet iudicium: ex quo concluditur, quod Papa non habet regulariter prædictam plenitudinem potestatis.

Alii non curant prædictum Innocentium excusare, præsertim cum videtur ipsis in eadem decretali sua hæresim manifestam inexcusabilem asserere & affirmare, dicens, quod extra ecclesiã, nulla est à Deo ordinata potestas aut iurisdictio, & quod non est concessa, sed permissa tantummodo, & quod nulla potestas temporalis regiminis extra ecclesiam potest reperiri: quæ omnia, vt isti dicunt, sunt hæretica reputanda: quod vt in aliis allegatis operibus quamplurimis numero nituntur ostendere, de quibus pauca perstringam. Ad euidentiam tamen allegationum ipsorum, est primo obseruandum, quod secundum ipsos ante aduentum Christi, & post apud infideles, fuit verum dominium temporalium rerum, & vera ac legitima & ordinata potestas, & gladii materialis vera iurisdictio temporalis, non tantum permissa à Deo, qualiter Deus permisit tyrannos, prædones, & inuasores alienarum rerum, etiam iurisdictionis sibi potestatem & dominium vsurpare: sed concesso quod quamuis talem potestatem habentes apud infideles illegitime & inordinate vsi fuerint semper aut frequenter: sed abusus vtentis, & legitima potestas eam habentis in nullo sibi obuiant & repugnant: sed simul in eodem tempore & in eundem hominem cadere possunt, teste August. qui vt legitur 14. q. 5. can. neque enim, ait, *Neque tyrannicæ factionis peruersitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet: neque vituperabilis ordo regiæ potestatis, si rex crudelitate tyrannica sæuiat: aliud namque est iniusta potestate velle iuste vti & iusta potestate iniuste velle vti.* Ex quibus verbis patet, quod iusta potestas & abusus eiusdem potestatis, iuste compatiuntur se in eodem, quia esto, quod omnes ædificarent extra ecclesiam ad gehennam, & quod infideles penitus abuterentur omni potestate, non posset tamen ostendi, quod nullam haberent veram & legitimam potestatem.

Quod ergo etiam ante aduentum Christi & post, apud infideles fuit vera potestas gladii materialis, & verum dominium rerum temporalium, tali modo probatur. Dominium rerum determinatis hominibus sic datum est à Deo, quod ab eis illud auferre aliis etiam minime licet: est enim verum dominium, non solum permissum, sed etiam concessum ab illo, qui verum & legitimum dominiũ concedere & dare potest: Dominus autem, vt habetur in Deuter. dedit filiis Esau & filiis Moab, & filiis Amon, qui erant infideles, terras & regiones, quas ab eis auferre fidelibus non licebat: ergo ipsi, quamuis essent infideles, habuerunt verum & legitimum dominium temporalium rerum, quantumcunque abuterentur eodem. Amplius, qui præcepto spirituali diuino in regem vngitur, non solum ad hoc habet potestatem gladii materialis permissam, sed etiam concessam (quod vnctio regalis legitima non est sine potestate) Deus autem præcepit Helīæ propter hoc, vt legitur 3. *Reg.* 19. vt vngeret Asahel regem super Syriam, qui tamen infidelis erat. Ergo Asahel legitimam habuit potestatem, de quo ibidem subiungitur: *Et erit, quicunque fugerit gladium Asahel, occidet eum Iehu.* Rursus, ille verum habet dominium temporalium rerum, & non solum permissum, cui fideles (illa quæ dicit) sua reddere obligantur (quia præmia quæ tyrannus aut prædo vendicat vel inuasor, non tenetur alius sibi dare) sed Christus voluit & præcepit fidelibus, vt redderent Cæsari illa, quæ sua esse dicebat, dicens: *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*: ergo Cæsar ille Tiberius, qui extitit infidelis, habuit verum & legitimum dominium temporalium rerum. Adhuc, ille cui fideles non solum propter periculum euitandum, sed etiam propter conscientiam debent esse subiecti, habet veram & legitimam potestatem: potestatibus autem infidelibus debuerunt, tempore Apostolorum, Christiani esse subiecti, non solum propter periculum euitandum, sed propter conscientiam, teste Apostolo *ad Rom.* 13. cum dicit; *ideoque necessitate subditi estote non solum propter periculum, sed propter conscientiã*: ergo infideles veram

veram & legitimam potestatem habuerunt: Et ꝙ Apostolus sub *potestatibus sublimiorib.* comprehẽdit infideles, patet per illud quod scripsit 1. Tim. 6. dicẽs, *Quicunq; sunt sub iugo serui dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui aũt fideles habent Dominos, non contemnant quia fratres sunt, sed magis seruiant, quia sunt fideles*: vbi apte insinuat, ꝙ dominorum verorũ quidam erant fideles, & quidã infideles, & quod seruiendum est vtrisque, quare etiã cum dicit Rom. 13. *Omnia anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: voluit fideles esse subiectos etiã potestatib. infidelibus, quia dicit; *non est potestas nisi à Deo: quæ aũt sunt, à Deo ordinatæ sunt*: intellexit aperte, ꝙ potestas, quæ erat apud infideles, erat ordinata à Deo, & non solum permissa: quia dicit; *Qui aũt resistit potestati, Dei ordinationi resistit*: quod non de potestate permissa, sed de concessa habet intelligi. Non n. Patres in Veteri Testam. qui sæpe infidelibus habentib. super eos potestatem permissam à Deo restiterunt, Dei ordinationi restiterunt: quia resistendo illis nequaq̃ sibi damnationem acquisierunt: sed laudabiles & digni præmio extiterunt. Sic etiã Christiani, qui infidelibus opprimentib. eos, & potestatẽ permissam habentibus resistere tentauerũt, nullatenus ordinationi Dei restiterunt. Extra ecclesiam igitur apud infideles, potest potestas legitima, & concessa (& non permissa) solummodo reperiri: quia infideles, vt frequenter illa potestate legitima abutuntur, quemadmodum nonnulli fideles peccatores habentes tñ potestatem legitimã, sępius ea abutuntur. Hanc sententiã de potestate data aut concessa à Deo, tam infidelibus q̃ fidelibus malis, tenere videtur, & asserit August. *19. de ciuit. Dei.* Isti ergo putant Innocentium prædictum super prædicto errore excusari non posse, nec verba ipsius præscripta, ad aliũ intellectum q̃ sonant, reputant intelligenda; quinimmo dicunt ipsa irrationabilia esse, & euidenter ostendunt inuentorem eorum pariter in Scripturis sacris fuisse ignarum ac inexpertum, quare non sequitur, quod Põtificium summum sub gratia ordinatum fuerit longe maioris potestatis in temporalibus quam sacerdotium Aaron: immo regulariter est minoris potestatis in temporalibus, nam & temporalia plura & maiora, ex ordinatione diuina assignata fuerunt sacerdotio veteris legis, quam sacerdotio nouæ legis. Tum quia Pontificium Petri non fuit æqualis potestatis cum Pontificio Christi. Christus enim auctoritate sui Pontificii, noua potuit instituere sacramenta, quod nequaquam potuit Petrus, potuit etiam Christus in multis dispensare, in quibus Petrus dispensandi non habuit potestatem. Tum quia Pontificio fungenti, non erat dictum à Deo, *ecce constitui te super* &c. quia Hieremias non erat Pontifex, sed de sacerdotibus inferioribus, &c.

CAP. XI.

Respondet ad allegationem tertiam, cap. 2. adductam.

AD tertiam rationem adductam superius respondetur, quod Apostolus dicens, *nescitis quoniã angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* non loquebatur in persona propria, aut summi Pontificis, vel etiam clericorum: sed in persona omnium fidelium clericorum & laicorum, quia de cœtu fideliũ constituendi sunt iudices, qui debẽt secularia iudicare, saluo iure iudicum infidelium, non negligentiũ iustitiam facere in his quę spectant ad eos, anteq̃ iuste sua iurisdictione priuentur. Nõ quidem de necessitate in aliquo casu episcopus, vel sacerdos, sed magis aliquis laicus idoneus constitui debet, vel clericus idoneus, qui necessitate vrgente valeat secularia iudicare: nullus tamen debet constitui, qui in omni casu sine omni exceptione, habeat secularia taliter iudicare, vt super ea habeat talem plenitudinẽ potestatis: quia quemcunq; mortalẽ, talem potestatẽ habere super oẽs fideles, esset periculosũ cõmunitati fideliũ. Vnde talẽ potestatem, nec Papa, nec Imperator habere debet sup̲ cõmunitatem fidelium: quia nullus eorũ valet tollere iura & libertates inferiorum, sine culpa, & absq; causa, nisi in casu necessitatis: cũ igitur dicitur ꝙ Papa absq; omni exceptione habet secularia iudicare, hoc negat: & cũ probatur, quia Apostolus nõ distinguendo nec excipiendo p̲ prælatis spiritualib. & præcipue p̲ supremo Pontifice ait; *Nescitis quod angelos iudicabimus, quanto magis secularia?* Respondetur, ꝙ Apostolus nõ dicit ista verba p̲ prælatis spiritualib. tantũmodo, nec præcise pro Pontifice supremo, nisi casualiter: sed dicit ista in p̲sona communitatis fidelium, modo quo dictum est: qui quamuis nõ distinxerit, nec exceperit, tamen voluit exceptiones quas alibi posuit, subesse intelligendas, ne sibiipsi inueniretur contrarius, imo etiam Christo: qui constituit Petrum supremum Pontificem cunctorum fidelium non ad dominandum, sed ad pascendum fideles, non propter vtilitatem, & exaltationẽ vel honorem Petri, sed principaliter propter vtilitatem fidelium: & ideo nullam constituit sibi potestatem, nisi ad ædificationem non ad destructionem, nec voluit propter multa pericula euitanda esse fideles subditos successoribus Petri, nisi in necessariis (saluis libertatibus & iuribus, non solum fidelium, sed etiam infidelium) nisi ex causa rationabili & manifesta propter culpam aliquam specialem: à principe laico, catholico clerico, vel in casu ecclesiastico iuste suis iuribus & libertatibus priuarentur: propter quod Apostolus in pluribus locis præcepit fidelibus, vt potestatibus etiam infidelibus, obedientiam & reuerentiam, ac subiectionem impenderent: manifeste insinuans quod cum dicit *prima Corinth. sext.* quod fideles debent secularia iudicare, non intelligit quod absque omni exceptione deberent fideles à fidelibus iudicari, & quod non esset potestas apud infideles. Dicit ergo quod Apostolus intendit hortari Corinthios vt faciant, quemadmodum ordinatur secundum canonicas sanctiones. Nam semper vt habetur *5. quæst. 2. cap. primates, distinctione nonagesim. studendum, extra de simonia cap. querelam. 23. quæstione quarta. Si illic.* Iudex debet partes prius concordare, quam ad iudicium veniant, si potest: quemadmodum melius faciunt immediate subiecti alicui iudici, vel principi seculari, vel ecclesiastico, inter se causas habentes, quæ possunt per arbitros

expedi-

expediri absque iudicio superioris: si antequam venirent ad iudicem superiorem negocia sua inter se per arbitros vel iudices ecclesiasticos à partibus diffinitos negociis suis studuerint debitum finem imponere: sicut ipsi Corinthii, & eadem ratione fideles alii, habentes negocia etiam secularia inter se, si non tenerentur iniuriam sustinere & eandem pati, & vellent ius suum, si non possent aliter, per iudicium obtinere, si constituerent inter se iudices fideles, inter quos, vel apud iudices infideles ius suum acquirant absque præiudicio illicito iudicum infidelium, quibus fuerant subiecti. Et ideo in tribus casibus poterant fideles Corinthii, apud infidelem licite iudicium expostulare. Primus est, si infideles in casibus, in quibus erant subiecti, ipsos ad iudicium infidelium protrahebant: Secundus, si reus fidelis coactus ab actore fideli, licet iniquo in hoc, in iudicium infidelium trahebatur: Tertius, si actor tenebatur acquirere ius suum, quod non potest nisi per iudices infideles solummodo obtinere. In aliis casibus voluit Apostolus, quod iniuriam vterque acciperet & pateretur fraudem, vel quod iudicarentur apud fideles iudices à fidelibus constitutis: & vt inquantum licite possunt, vitarent apud infideles cum scandalo iudicari: ne infideles scirent fraudes & iniurias, quas Christiani mali & iniqui non verebantur facere Christianis: & si occasionem haberent, non solum Christianos, sed etiam doctrinam Dei blasphemandi.

Ad verba Innocentii Tertii adducta in fine allegationis præscriptæ, Dicunt quidam, quod exponenda sunt ad bonum sensum, vt scilicet potestas Papæ sit restringenda, quantum ad ea, quæ regulariter necessaria sunt regimini fidelium, (saluis præexposito modo iuribus & libertatibus aliorum) vel etiam casualiter sit minime restringenda, quantum ad necessaria agenda, quando non est alius qui velit, & possit, & debeat quod necesse est fieri expedire. Quidam aliter exponunt dictum Innocentii, quod ex aliis verbis eius patenter habetur, quod secundum ipsum, Christus in Apostolica sede regalem constituit monarchatum, propter quod nulla est potestas regulariter extra ecclesiam, quod hæreticum arbitrantur: quia contra Scripturam esse putant, vt superius est probatum. Dicunt igitur, quod Innocentius sæpe dictus errauit aperte, primo in hoc, quod dicit Apostolum ostendere huiusmodi plenitudinem non restringendam, cum Apostolus ipsam in pluribus locis voluerit esse restringendam, vt prius putatur esse probatum. Secundo dicunt eum errare, cum dicit quod intelliguntur minora subesse, quibus subiecta sunt maiora: quia hoc non est vniuersaliter & absque omni exceptione verum, licet sit verum in multis. Nam episcopi regulariter subiecti sunt archiepiscopo suo: & tamen subditi episcoporum non sunt illi subiecti nisi in casibus. Sæpe etiam maiora decent aliquos, quo minora non decent, teste Gregorio, *19. moralium*, qui tractans ista verba Apostoli: *Secularia iudicia*, &c. dicit sic, *Contemptibiles illi qui sunt in ecclesia, & nullis magnorum donorum virtutibus præditi, ipsi de terrenis negociis iudicent*: Et post: *Qui autem spiritualibus deputati sunt, profecto non debent secularibus negociis implicari: vt dum coguntur inferiora bona iudicare, non valeant bonis superioribus deseruire*. Ex quibus verbis concluditur, quod nequaquam regulariter, quibus subdita sunt maiora, eisdem subdita sint minora. Quod Apostolus innuit euidenter, cum dicit: *Nemo militans Deo implicet se secularibus negociis*: Et Petrus hoc etiam dicit aperte, vt habetur *11. quæst. 1. can. te quidem oportet*, &c. sicut allegatum est supra. Nequaquam ergo ex hoc, quod Papa est iudex in spiritualibus, inferri potest quod habet regulariter secularia iudicare. Ex hoc tamen concludi potest, quod in casu, si non esset alius inferior gradus, qui non ex officio possit & velit iuste secularia iudicare, potest Papa se huiusmodi immiscere iudicio: quemadmodum vnum membrum corporis naturalis, officium alterius membri ipso deficiente, vel non valente actum suum habere, si potest, assumit. Qui enim non potest pedibus ambulare, manibus conatur, & qui non potest manu cadente percutere, dentibus mordere conatur.

CAP. XII.

Respondet rationi quartæ cap. secundo positæ.

AD quartam allegationem inductam *capite secundo*, quæ quidem specialiter probare conatur, quod Papa auctoritate & potestate temporali præeminet aliis, quibuscunque potestatibus siue dominationibus, multipliciter respondetur. Vno modo, esto quod in veteri lege Pontificalis auctoritas prælata fuisset etiam in temporalibus dignitati regali; non tamen esset præferenda in noua lege: quia auctoritas Pontificalis in noua lege spiritualior est, & magis à terrenis negociis elongata, quam fuerit auctoritas Pontificalis in veteri lege: quemadmodum lex noua magis est spiritualis, quam lex vetus. Sed prædicti videntur hanc rationem velle improbare dicentes, quod scripturæ Veteris Testamenti, actus, & quæcunque opera euangelica imitantur. quare ad Roman. 15. vnde sequitur, quod qualiter se habuit in Veteri Testamento rex ad Pontificem; sic se debeat habere rex in Nouo Testamento ad Papam. Sed respondetur, quod ista allegatio hæreticalis est, quia sequitur ex ipsa, quod circumcisionem, discretionem ciborum, & alia cerimonialia & iudicialia veteris legis deberet etiam imitari. Quia tunc sicut sacerdos veteris legis intendebat armis, & iudicium sanguinis exercebat: Ita deberet Papa in talibus occupari, quæ hæreticalia sunt. Nequaquam ergo actus & opera, quæ fecerunt Patres in veteri lege, imitari tenentur: nisi quo ad moralia, ad quæ

omnes homines indifferenter obligari noscuntur. Cum autem allegatur Apostolus: Respondeo, *Quod quæcunque scripta sunt, ad nostram*, &c. non vt illa omnia ad litteram faciamus, sed *vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus*, & illa secundum spiritualem non carnalem intelligentiam impleamus.

Secundo respondetur ad allegationem prædictam, quod in Veteri Testamento, sacerdotalis gradus non præferebatur dignitati regali in temporalibus regulariter disponendis, & iurisdictione temporali regulariter exercenda: licet prælatus fuerit, quantum ad sacrificia Deo offerenda, & ea quæ ad cultum diuinum spectabant: per quem modum in noua lege auctoritas Pontificalis dignitati regali præfertur, non quoad iurisdictionem & regimen temporale. Isti enim nequaquam negant potestatem Pontificalem esse præferendam omni seculari potestati: sed dicunt ipsam non esse præferendam in temporalibus extra articulum necessitatis, quando laici potestatem sibi commissam rite & legitime ministrant. Cum vero acceperunt allegantes prædicti, quod Samuel cum esset summus Sacerdos & Pontifex in Israel, Saul de communi genere, regem instituit, & ipsum propter delictum regno deposuit: & Deus Dauid assumpsit in regem, multipliciter etiam errant contra sacram Scripturam, & eius, sit sic allegant, omnes videntur ignari. Primo, quia Samuel non erat summus Pontifex, nec sacerdos in Israel, sed Iudex tantummodo; imo etiam non fuit de genere Aaron: & per consequens, nec sacerdos, nec summus Pontifex, nec maior, vt colligitur *ex primi Paralipom. capite sexto*. Secundo, quod Samuel non constituit Saul regem tanquam pollens gradu & dignitate eminentiore, præsertim in temporalibus, quam sit dignitas regalis: sed tanquam diuino præcepto obediens, cui parere deberet etiam si esset infimus, nulla potestate puta ecclesiastica vel seculari præfulgens: quemadmodum vt habetur *quarto Regum nono*, quidam de filiis prophetarum ad mandatum Helisæi vnxit Iehu in regem Israel: & tamen, nec iste, nec ille, scil. Helisæus propheta, maiori, præsertim in temporalibus, dignitate eminuit, quam sit dignitas regalis. Ex quo euidẽter concluditur, quod per vnctionem haberi non potest, quod Imperator vel quicunque rex in Nouo Testamento sit inferior illo qui vngit. Et similiter ex hoc, quod Samuel solummodo vnctus fuerit in ducatu, qui est inferior dignitate regali: nec etiam, esto quod Samuel deposuisset de mandato Dei Saulem propter delictum, fuisset eo quantum ad publicam potestatem & iurisdictionem temporalem superior: quia non deposuisset eum tanquam superior quo ad regimen temporale: sed quo in hoc exercens & exequens mandatum & præceptum Dei, qualiter rusticus de potestate Dei posset Imperatorem, imo Papam deponere, quamuis nulla alia potestas, neque in temporalibus neque in spiritualibus daretur eidem à Deo. Errant tertio allegantes prædicti, cum dicunt, quod Samuel Saulẽ propter delictum à regno deposuit. nam in *libro Regum* non legitur, quod Samuel deposuit Saulem: sed quod Deus eum deposuit: & quod hoc Samuel executus fuit & nunciauit Sauli, quamuis legitur, quod constituerit eum regem, cum dicit Dominus Samueli, vt legitur 1. Reg. 8. *Audi vocem eorum & constitue super eos regem*, & ipsum vnxit in Regem, de depositione enim leguntur hæc verba, 1. Regum 15. quod capitulum isti allegant, quæ dicit Samuel ad Saul: *Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne regnes*. Et post Samuel ad Saul: *& non reuertar tecum, quia proiecisti sermonem Domini: & proiecit te Dominus ne sis rex super Israel.* & post: *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie.* Et cap. 16. sic scribitur, *dixit Dominus ad Samuelem: Vsque quo tu luges Saul. cum ego proiecerim eum ne regnet super Israel?* Ex quib. verbis non habetur, quod Samuel deposuerit Saulẽ: sed quod nunciator fuit depositionis à Deo. Et ideo de ista depositione à Deo concludi non potest, quod Papa de plenitudine potestatis potest Imperatorem vel quemcunq; alium regem ad libitum suum deponere, nisi in casu: & hoc quando propria officia debite exercere nollet vel non posset, & propterea ex iniquitatibus suis regno vel regali seu imperiali potestati inutilis esset, propter quod Zacharias Papa (de quo legitur *15. q. 6. c. alius*.) deposuisse dicitur regem Francorum quia *deponentibus consensit* vt dicit glossa. Quod autem adducunt de Ioiada sacerdote, qui, vt legitur *4. Regum 11.* fecit & vnxit Ioas regem, non concluditur quod Ioiada fuerit superior rege, præsertim, quo ad iurisdictionem temporalem: quia sæpe videtur in scripturis diuinis & aliis, quod aliqui fecerunt & constituerunt reges, qui tamen regibus superiores nõ fuerunt; imo erant subiecti constitutis ab eis. Nam filii Israel constituerunt Ieroboam regem, *3. Regum 16.* vbi dicitur, *fecit sibi regem omnis Israel*: Et post: *media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, vt constitueret eum regem*, &c. & 4. Regum cap. 21. sic scribitur: *Percussit autem populus ille omnes, qui coniurauerant contra regem Amon, & constituerunt sibi regem Iosiam filium eius pro eo.* Hieron. etiam *ad Euandrum*, & habetur *dist. 93. c. legimus*, dico quod *Imperatorem exercitus facit*. Ex quibus & aliis innumeris colligitur, quod inferiores constituunt & faciunt regem, cui sunt subiecti. quare ex hoc, quod Ioiada vnxit & fecit Ioas regem, inferri non potest, quod Ioiada fuit, quoad iurisdictionem temporalium, eo superior. Nam & alii quam Ioiada fecerunt & constituerunt omnes regem, de quibus dicitur: *feceruntque regem & vnxerunt & plaudentes manu dixerunt: viuat rex.* Nec valet si dicatur, quod Ioiada ostenditur esse ex hoc superior, quod occidit Athaliam, quæ sibi vsurpauerat regnum.

Nam hoc non fecit inquantum superior rege: sed in quantum tutor, rector & institutor consiliarius vel vicarius regis, qui tunc, eo quod non esset nisi septem annorum, per seipsum regere non valebat. Quod vero dicitur de Alexandro, qui fecit reuerentiam Ioiadæ sacerdoti, nullam apparentiam habere videtur, quia non fecit sibi reuerentiam tanquam superiori in temporalibus, sed quia sacerdos erat supremus, quemadmodum Imperatores & reges ac principes etiam spiritualibus sacerdotibus religiosis & secularibus reuerentiam in missis exhibent genu flectentes

flectendo & osculando manus eorum: quos tamen superiores in temporalibus minime recognoscunt. Sic etiam Totila non recessit ab Italia ob preces Leonis Papæ, quia ipsum dominum suum in temporalibus reputabat: sed quia ipsum virum sanctum habebat: & ideo ipsum timebat offendere, vnde nonnulli mirantur, quod quicunque fideles literati per gentiles & ethnicos probare nituntur Papam etiam in temporalibus superiorem Imperatore: cum apud omnes ethnicos & gentiles, Imperatores & reges, qui non erant sacerdotes gentilium, semper se super sacerdotes reputauerunt: præsertim quo ad ea disponenda, quæ ad cultum Deorum suorum minime pertinebant & honorem: & tamen multi eorum modicam reuerentiam sacerdotibus exhibebant. Nam quidam eorum interdum inhonorauerunt sacerdotes & templa & ritus eorum sacerdotii: sicut legitur de Pompeio, qui reuerentiam debitam templo Dei & sacerdoti non exhibuit: & ideo non immerito prosperitatem extunc non habuit consuetam.

Quod vero prædicti Constantinum, Iustinianum & Carolum Magnum in exemplum adducunt, contra eos militare videtur. Nam licet isti Imperatores deuoti extiterunt non solum summis Pontificibus, sed etiam sacerdotibus & clericis vniuersis, nequaquam tamen se subiectos in temporalibus clero putabant: sed pro superioribus eis se gestabant. Et de Constantino quidem hoc expresse videtur, per istud sumptum ex gestis Siluestri Papæ, quod ponitur in decretis *distinctione nonagesima sexta. cap. Constantinus*. Ex quo videtur haberi patenter, quod nequaquam vt dicit; immo Imperator Constantinus nunquam potestatem, qua prius vtebatur, ecclesiæ resignauit; nec aliquam potestatem secularem aut temporalem, siue iura, siue res, à Siluestro recepit: sed aliquam potestatem & prædia sibi tribuit & concessit: cum vocabulum restringendum seu recipiendum aut æquipollens ibi non valeat reperiri: sed verbum tribuendum & æquiualens, quod significationem ibidem sæpius inferatur. Vbi sic legitur: *Constantinus Imperator quarto die sui baptismi priuilegium Romanæ ecclesiæ Pontifici contulit, vt in toto orbe Romano Pontifices vel sacerdotes* (*alias seculares*) *ita hunc* (alias *hanc*) *caput habeant sicut iudices regem, & ita tribuentes ei potestatem benignitatem & vigorem & honorificentiam imperialem* (alias *temporalem*) *atque determinate* (alias *decernentes*) *sancimus vt principatum teneat tam super quatuor sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quam etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Dei ecclesias.* Et infra: *Ecclesiis beatorum Apostolorum Petri & Pauli pro continuatione luminariorum possessionum prædia contulimus & rebus diuersis eas ditauimus.* Et infra: *Ecce tam palatium nostrum, quam Romanam vrbem, & omnes Italiæ siue Occidentalium regionum prouincias, loca, ciuitates, beatissimo Pontifici & Papæ Siluestro concedimus atque relinquimus: & ab eo & à successoribus eius per pragmaticum constitutum decreuimus disponenda: atque iuri sanctæ Romanæ ecclesiæ concedimus peragenda* (alias *permanenda*.) Et infra: *Hæc omnia vero quæ per hanc imperialem iussionem sacram: & per alia diualia decreta statuimus & confirmauimus vsque in finem mundi illibata & inconcussa manere decreuimus.* Quibus verbis (vt videtur) patenter habetur, quod Constantinus non intendebat quæcunque temporalia summo Pontifici, tanquam quæ ab eo prius possessa seu vsurpata fuerant quomodolibet resignare, aut tanquam ad summum Pontificem spectarent de iure restituere seu reddere: sed intendebat sibi illa, de quibus mentionem fecit, de nouo conferre, concedere, donare & tribuere. Ex quo infertur, quod Constantinus Papa & clericis, quibus ista temporalia conferebat, se superiorem in talibus reputauit. Quare si ita verba eiusdem Constantini legantur, vt videantur innuere, quod Constantinus se inferiorem Papa reputauit: de inferioritate in spiritualibus debet intelligi, ne sibiipsi contrarius reputetur, quod ipse insinuare videtur cum dicitur, vbi prius: *Et Pontifex, qui per tempora ipsius sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus & totius mundi existat: & eius iudicio quæ ad cultum Dei & fidem Christianorum vel vnitatem & stabilitatem procuranda fuerint, disponantur.* Quibus verbis, per argumentum contrario sensu, videtur innuere, quod Papa pure temporalia omnia regulariter dispensare non debebat. Ex quo habetur, quod non habebat in temporalibus plenitudinem potestatis.

De Iustiniano autem nonnulli mirantur, quod adducitur ab istis in exemplum, quibus videtur, quod isti allegatores leges ipsius Iustiniani non legerunt, cum nullus Imperator fuerit Christianus, nec ante Iustinianum nec post, qui ita expresse tam magnam superioritatem & iurisdictionem & potestatem super res & personas Papæ, & clericorum, etiam super illa, quæ Papa vendicat ex collatione siue resignatione Constantini, magis sibi attribuat, quam Iustinianus in legibus ab eo editis, & per vniuersum orbem tanquam seruandis & recipiendis ab omnibus promulgatis. Ad superiorem autem spectat aliis statuere legem, quanto tempore subiecti res alienas possessas ab eis possint præscribere & subiectis mandare vt eandem legem obseruent. Hoc autem facit Iustinianus circa Papam & alios & clericos & res Romanæ ecclesiæ, vel etiam ecclesiarum aliarum, vt habetur in *autenti. vt ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione. collat. secunda.* igitur Iustinianus reputauit se superiorem in temporalibus, etiam Papa, quo ad res Romanæ ecclesiæ deputatas. Item superioris est scire, quæ regulæ vim legis debeant obtinere: hoc autem fecit Iustinianus de regulis generalibus, qui in quatuor conciliis generalibus, quo ad condendum legem pro superiori se gessit. Item ad superiorem & super clericos potestatem habentem spectat statuere, ordinare, præcipere & iubere, quid iuris debet esse clericorum in ecclesia; à quibus immunes debent esse ecclesiæ: & à quibus etiam liberæ esse non debent,

neres quæcunque ecclesiæ alienentur; quantas liceat vnicuique donationes conferre ecclesiis; in quibus locis clerici debeant ordinari; qui punire debeant clericos delinquentes; quas mulieres valeant clerici secum retinere, & quas norint sibi interdictas; quæ res clericorum decedentium non condito testamento debeant ecclesiis assignari, & quæ aliis; quod clerici non proficiscantur sine litteris ad vrbem alienam; Vbi sancta crux & reliquiæ martyrum debeant obseruari; quando episcopus & quando alius facultatem habeat exigendi ea, quæ pro redemptione captiuorum à testatoribus sunt relicta; qua pœna debeat puniri, qui ambitiose & pecuniæ interuentu fuerit episcopalem sedem adeptus; coram quibus iudicibus debeant clerici litigare; qui episcopi habere debeant immunitatem tutelæ siue testamentariæ, siue legitimæ, siue datiuæ; qualiter puniri debeat clericus, qui ante diffinitiuam sententiam frustratoriæ dilationis causa ad appellationis auxilium conuolat; quod nec cogatur inuitus coram iudice litigare; quis debeat punire antistitem, iterantem sacramentum Baptismi. Hæc autem & plura alia, quæ ad habentem iurisdictionem spectant, Iustinianus in suis legibus ordinauit, iussit & præcepit, primum habetur *C. de sacrosanctis ecclesiis, & rebus & priuilegiis earum. l. non plures.* Secundum in *l. placet. eo tit.* Tertium. *e. tit. in lege ad instructiones. & l. iubemus: & l. neminem.* Quartum. *e. tit. l. iubemus.* Quintum. *e. tit. l. illud.* Sextum habetur *C. de episcop. & cleric. l. in ecclesiis.* Septimum. *eo tit. l. quicunque.* Nonum. *e. tit. l. si qua per calumniam.* Octauum & Decimum. *e. tit. l. decernimus.* Vndecimum & Duodecimum. *e. titulo l. nulli.* Decimum tertium. *eo. tit. l. si quenquam.* Decimum quartum. *e. titul. l. omnes.* Decimumquintum. *eo. tit. l. generaliter.* Decimumsextum. *C. de episcop. aud. l. si clericus.* Decimumseptimum. *e. tit. l. decernimus.* Decimumoctauum. *C. nec sacrum baptisma iteretur l. i.* Iustinianus igitur leges condendo priuatas & alias multas de clericis & rebus eorum, ac eis libertatem & immunitates & priuilegia indulgendo indicauit aperte, quod se superiorem Papa & clericis reputauit.

De Carolo Magno etiam non legitur, quod se reputauit in temporalibus inferiorem supremo Pontifice. cuius signum est, quod reges Franciæ qui dicunt se successores ipsius, superiorem in temporalibus minime recognoscunt, *extra, qui filii sunt legitimi. cap. per venerabilem.* Nec obstat capitulum eiusdem Caroli, quod ponitur in decretis, *distinctione decimanon. in memoriam,* vbi dicit, quod *licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen ferendum est.* Ex quibus verbis videtur haberi, quod idem Carolus inferiorem se supremo Pontifice reputauit: sed non arbitratur Carolus, quod apostolica sedes poterat sibi indicere vel aliquid magnum inuito in temporalibus imponere, sed in spiritualibus, quod in *eodem capite* insinuare videtur cum præmittit: *In memoriam beati Petri honoremus sanctam Romanam ecclesiam & apostolicam sedem, vt quæ nobis sacerdotalis iuris & dignitatis esse debeat & magistra rationis.* Quibus verbis videtur, quod in spiritualibus apostolica sedes est iudex & magistra, ergo si argumentum à contrario sensu tenet, in temporalibus non est iudex & magistra.

CAP. XIIII.

Respondet quintæ rationi secundi capituli.

AD quintam allegationem adductam supra *capitulo 2.* quæ maiorem tractatum requireret, quam breuitas permittat istius opusculi, propter hoc quod plures allegationes, vt quibusdam apparet, affirmant errorem. Breuiter respondetur, quod deficit primo, eo quod Christus, in quantum erat homo mortalis, non erat rex in temporalibus, nec habebat regulariter talem plenitudinem potestatis: licet in quantum Deus habuit plenissimam potestatem: & in quantum homo, puta inquantum erat iustificator nouæ legis, in spiritualibus habuit plenitudinem potestatis. Secundo deficit allegatio supra scripta: quia non Petro, nec alicui supremo Pontifici concessit Christus omnem, quam habuit potestatem. Nam etiam inquantum homo & prælatus cunctorum sacramenta nouæ legis instituit: quam potestatem nulli concessit. Potest etiam contra statuta à seipso edita dispensare; quod tamen non potest Papa quicunque. Potest etiam absque culpa illa, quæ supererogationis sunt, sibi subiectis imponere, quæ Papa non potest regulariter, & ita Christus multa potest, quæ non potest Papa: quia sicut etiam inquantum homo fuit Dominus veteris legis, quod insinuare videtur cum dicit Matthæi duodecimo. *Dominus est filius hominis etiam Sabbati.* Item, etiam fuit Dominus nouæ legis, cuius tamen Dominus non est Papa. Falsum ergo accipit allegatio memorata, cum dicit, quod tota iurisdictio Christi concessa est vicario eius. Raro enim aut nunquam Dominus totam iurisdictionem committit vicario suo: immo nonnulla ex necessitate fit, quod vicarius est minor potestate, quam ille, cuius est vicarius. Et si dicatur, quod Christus faciendo Petrum vicarium suum, & committendo sibi potestatem suam, nihil excepit: ergo totam iurisdictionem sibi concessit, videtur quibusdam, quod hoc patenter exclusum est per prædicta verba, cum ostensum sit, quod Christus verbis & exemplis multa excepit. Cum igitur Papa non habet in temporalibus rebus potestatem, sequitur quod in ipsum potestas laicalis extrema minime cadit. Ad minorem respondetur, quod cum Imperator coronetur à supremo Pontifice, non ideo recipiens ensem in vagina eximit & vibrat eum, vt ostendat se in temporalibus inferiorem Papa: cũ non teneatur, nisi sponte voluerit, ensem in vagina à Papa recipere, sicut nec ab ipso, nisi

nisi voluerit coronari tenetur, nam & multi fuerunt veri Imperatores, qui à summo pontifice minime coronati fuerunt: imo supremum pontificem omni honore reputauerunt indignum, sed Imperatori, quando placuit coronari à papa, etiam placuit vaginam & gladium suscipere, & ipsum eximere & vibrare, vt monstraret se paratum, quando oporteret mediante materiali gladio facere iustitiæ complementum, & alios, præcipue Christianos, in iustitia defendere.

CAP. XIV.

Respondet sextæ rationi secundi capituli.

AD sextam allegationem *secundi ca.* respondetur quod quantum ad multa sicut anima se habet ad corpus, ita spiritualia se habent ad temporalia: sed non quantum ad omnia, quia sicut anima est nobilior corpore, ita spiritualia temporalibus sunt digniora. Et sicut anima, quantum ad multa, regit corpus: ita temporalia in multis sunt secundum exigentiam spiritualium disponenda. Et sicut anima rationalis non habet plenitudinem potestatis super corpus, quia complures operationes habet corpus, quæ non sunt in potestate animæ rationalis: ita habens potestatem in spiritualibus non habet plenissimam potestatem in temporalibus, & ideo in papam, qui habet plenissimam potestatem in spiritualibus non cadit nec debet suprema potestas laicalis, licet in multis laici à prædicta potestate regi debeant ab habente supremam in spiritualibus potestatem.

CAP. XV.

Respondet septimæ rationi secundi capituli.

AD septimam respondetur, quod papa non est absolutus absq; omni exceptione quibuscunq; legibus positiuis: licet sit absolutus quibuscunq; mere positiuis à supremis pontificibus institutis: quia nulla illarum ligare potest ipsum, cum non sit imperiũ paris in parem. Solutus est etiam legibus quibuscunq; generalium conciliorum, ac Imperatorum regum & quorumcunq; illorum, quæ conditæ erant super his quæ ad eius pertinent potestatem, & non super his quæ ad propria iura & libertates pertinent aliorum. Quæcunq; enim statuta essent à conciliis generalibus, & aliis quibuscunque, super his quæ in spiritualibus de necessitate facienda sunt pro regenda congregatione fidelium, papa dicitur solutus huiusmodi legibus positiuis; quia non tenetur eas seruare & posset abrogare, annullare easdem, & alias statuere, & in huiusmodi papa maior est generali concilio, imo toto residuo congregationis fidelium. Legibus autem institutis super his, quæ iura ac libertates & res respiciunt aliorum non est papa prædicto modo duplici solutus, nam cum de se non fuerint iniquę, papa non potest abrogare eas; & ipsas nonnunquam, saltem conditionaliter, seruare tenetur. Si etiam Imperator vel rex aut princeps aut alius iura vel res proprias papæ tribuerit, certas leges & pacta rationabilia imponendo, easdem leges, si papa res illas aut iura voluerit recipere, seruare & tenere astringetur: eo quod quilibet in introductione rei suæ legem, quam vult, potest imponere: & tamen tradit rem ecclesiæ, *18.q.2. Eleutherius, extra. de condi. appo. c. verum.* Cum autem dicitur in allegatione prædicta, quod *leges temporales non dedignantur sacros canones imitari.* Respondeo: ꝙ hoc non est de necessitate verum, nisi cum statueret leges super his, quæ ad pontificalem pertinent potestatem, super quibus si aliquid fuerit constitutum ab Imperatore vel alio, etiam quod papę vel clericorum vel aliorum quorumcunque respiciat commodum vel fauorem, nullam continet firmitatem, nisi à summo pontifice fuerit approbatum. Aliæ autem leges absq; canonibus stabilem habent firmitatem: nec opus quod sacros canones imitentur: dum modo rationabiles sint & iustæ, si vero essent iniquæ possunt per iustos canones abrogari, & ideo licet papa casualiter habeat de legibus iudicare, regulariter tamen leges abrogare non potest, & ideo suprema potestas laicalis non cadit in papam, nec cadere debet: licet cadere posset, si per legem Dei iam non esset contrarium ordinatum.

CAP. XVI.

Respondet octauæ rationi capit. 2.

AD octauam allegationem adductam supra, *c. 2.* respondetur, quod non est necesse vniuersitatem fidelium sine omni exceptione in omnibus obedire papæ: sed necesse est sine omni exceptione obedire sibi in his quæ necessaria sunt congregationi fidelium, saluis iuribus & libertatibus aliorum. Et si quæratur, quis habet iudicare quæ sint illa necessaria congregationi fidelium? respondetur quod hoc iudicare per simplicem notitiam vel doctrinam spectat ad sapientes in lege diuina peritos, & in huiusmodi scientiis & rationis iudicio eminentiam habentes, quicunq; sint, siue subditi, siue prælati, siue seculares, siue religiosi, siue magistri, siue pauperes, siue diuites & potentes. Hoc autem auctoritatiue (vt videtur) iudicare principaliter spectat ad supremum pontificem de consilio sapientum: qui si in iudicio errauerit, sapientes, imo quicunq; errare cognouerint, resistere obligantur pro loco & tempore & aliis circumstantiis: & quantum licet vnicuiq; pro gradu suo & statu suo, quia aliter debent ei resistere eruditi: aliter prælati: aliter reges: aliter principes: & aliter simplices & temporali potentia destituti.

Cap. XVII.

Respondens 9. & vltima rationi secundi capituli, ostendit quibus modis Papa habeat superiorem.

AD aliam allegationem ibidem inductam respondetur, quod in casu est licitum etiam de iudicio summi pontificis & potestate iudicialiter per sententiam iudicare; & ab eo etiam appellare. Quod enim de iudicio summi pontificis licet in casu iudicare, quidam tali ratione nituntur probare. Licet in casu iudicare de persona papæ: ergo & de iudicio eius. Antecedens patet per decretum Bonifacii martyris, quod ponitur *di. 40. c. si papa.* Vnde tribus casibus tenetur papa humanum subire iudicium secundum quosdam: primo in casu hæresis, sicut dicitur per allegatum capitulum, sed refert in rei veritate an sit hæreticus, quia tunc ipso facto & iure, scilicet tam diuino quam humano, est papatu priuatus & omni dignitate ecclesiastica destitutus. Quod enim sit diuino iure priuatus papatu, quidam multis rationibus demonstratiuis (vt eis videtur) ostendunt. Pro quibus omnibus vnam auctoritatem & rationem sufficiat nunc tangere. Vnde Apostolus in epistola *ad Ti. 3.* testari videtur cum dicit: *hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est qui huiusmodi est & delinquit cum sit proprio iudicio condemnatus.* Item ille qui non est de corpore ecclesiæ, nō est verū caput ecclesiæ, licet putaretur ab omnibus, omnes enim tunc errarēt, vniuersalis enim ecclesia, licet in his, quæ iuris sunt, præsertim diuini, errare non possit: tamen errare potest in his quæ facti sunt, sicut errat, quando papa in rei veritate est peccator, & tamen sanctus ab omnibus reputatur, papa igitur verus, si postea efficiatur hæreticus, diuino iure secundū ꝙ infidelis est, abscissus & resectus de corpore ecclesiæ, papatu priuatur, qui etiā iure canonico omni dignitate ecclesiastica est priuatus, nam omnes hæretici quibuscunque nominibus censentur, sunt à generali concilio (quod etiam supra papam hæreticum habet iudiciariam potestatem) damnati, *extra de hæreticis, c. excommunicamus.* Cum igitur papa hæreticus non excipiatur à canone supradicto: nec nos ipsum debemus excipere, si autem papa est de hæresi primo solummodo diffamatus: propterea non est ipso facto aliqua dignitate priuatus. Si tamen facto conuincitur, & in eum fertur sententia, si non appellat, in rem iudicatam transire videtur. Si quæreret aliquis coram quo iudice possit vel debeat papa ab hæresi conuinci vel accusari: huic respondent quidam dicentes, quod papa coram diœcesano suo, in cuius diœcesi moratur, potest de hæresi accusari: cum papæ hæretico nullum priuilegium speciale vltra alios episcopos legatur in iure concessum: & aliquis sortitur forum ratione delicti, sicut alii episcopi, qui inueniuntur hæretici in diœcesi alicuius episcopi, iudicari possent ab episcopo, quamuis non solenniter degradari: ita & papa si efficiatur hæreticus, præsertim notorius, si moratur in Romana diœcesi, potest ab eo iudicari, ꝙ si episcopus, in cuius diœcesi manet, aut non vult aut non potest audire accusatores papæ hæretici: tunc alii episcopi fidei zelo accensi ipsos audire debent, quod exemplo quidam probare conantur, nam cum beatus Marcellus, in papatu idololatriam notorie commisisset: & ideo merito non conuictus, sed suspectus de hæresi haberetur: conuenerunt episcopi, vt habetur *di. 21. nunc autem*, ad inquirendum de ipso: quem quia non inuenerunt hæreticum, sed solummodo idolatram, & correctum, ipsum iudicare nolebant, nequaquam autem inquisitionem fecisēt huiusmodi, nisi superiores ipso se putassent, si coram ipsis conuictus fuisset de hæresi, quare in hoc casu episcopi super papam hæreticum obtinent potestatem. Si autem episcopi vel noluerint vel nequiuerint papam hæreticum iudicare, alii catholici, maxime Imperator, si catholicus fuerit, ipsum iudicare valebit, nam no. gloss. *di. 18. super c. de conciliis.* vbicunque deficit ecclesiastica potestas, semper recurritur ad brachium seculare: quia quicunque canones, qui inferiores sunt iure naturali & diuino, sonantes quod papa eo quod clericus vel episcopus nequiuerit coram seculari iudice conueniri, exponendi sunt per epikiam hoc casu: vt quia sicut habetur, *ff. de legi. l. non possunt.* Legumlatores non possunt omnes articulos præuidere: & per consequens omnes casus non possunt comprehendi sigillatim in legibus, videtur ergo iuxta naturalem æquitatem ratione fultam & literis sacris: quod nequaquam debent intelligi de papa hæretico, quando per impositam malitiam vel negligentiā damnabilem constat eum ecclesiasticam vsurpare potestatem, in hoc enim casu non debet se defendere per eam, vnde sicut habetur in Gloss. 11. q. 4 c. præsul. *non requiruntur tot testes contra papā, quot requiruntur contra episcopos & cardinales Romanæ ecclesiæ: imo duo sufficiunt: & in hoc est deterioris conditionis: quia ipse magnus sine comparatione aliorum creatus est: & ideo sine spe venia condemnatus est vt diabolus: vt dicitur de pœn. di. 2. circa princi.* hoc Gloss. Sic in casu hæresis propter magnitudinem periculi, ꝙ imminet vniuersali ecclesiæ, si papa efficitur hæreticus: vtpote qui propter auctoritatē & potestatē tam spiritualem quam temporalem, quibus alios putatur excellere, plurimos ad suam hæresim & nequitiam trahere valeret, rationis igitur est vt papa in hoc potius deterioris quam melioris conditionis existat: vt specialissime de illo Epiothes canones dirigendo dicat: quod de ipso canones in hoc casu non debent intelligi: quia canonum conditores si de hoc casu cogitassent & ipsum timuissent venturum esse, ipsum excepissent omnino. Nec mirum, quia quemadmodum (vt habetur *extra de elect. c. licet*) in Romana ecclesia aliquid statuitur, quia in multis casibus non poterit ad superiorem recursus haberi: sic circa papam hæreticum, quia vltra omnes nocere potest toti congregationi fidelium, non irrationabiliter statuetur aliquid speciale cum aliquis papali dignitate præditus in prauitatem hæreticam laberetur, quia vt habetur *extra de election. c. vbi. li. 6.* vbi periculum intenditur ibi proculdubio cautius est con-

est consulendum, sicut & in magnis rebus est diligenter inquisitio & per dominos prouisio facienda 9.q.2.c. *nuper*. Secundo tenetur papa humanum subire iudicium, quandocunq; crimen eius est notorium; & inde scandalizaretur ecclesia, & ipse sit incorrigibilis, vt dicit Gloss. *dist. 40. [illegible] papa*. Si quæreret aliquis coram quo iudice posset papa accusari in hoc casu, respondent quidam quod propter reuerentiam officii, quo fungitur, est ipso facto exhortandus primo exemplo Leonis papæ de quo habentur 2. q. 1. *nos*, vt alicui viro sapienti & prouido neq; aliis neq; sibi suspecto se submittat. Si autem noluerit, ex quo eius crimen notorium est, non opus adhibere testem, sed dicendum est ecclesiæ: & primo quidem videtur dicendum *ecclesiæ, id est* congregationi Romanorum, quorũ est quodammodo proprius episcopus, vt arguatur coram ipsis, qui possunt facilius conuenire ad iudicandum. Si autem Romani noluerint aut nequiuerint iudicare ipsum, tunc potestas iudicandi deuoluitur ad quemcunque catholicum, qui tanta sit præditus potestate, vt per temporalẽ potentiam ipsum valeat coercere, præsertim si papæ crimen vergit in periculum congregationis fidelium, quod multis rationibus fundatis in legibus tam diuinis, quam humanis probare conantur, quas duxi ad præsens abbreuiationis gratia supprimendas. Tertio vt dicunt quidam tenetur subire humanum iudicium, si res aut iura aliorum inuadit aut detinet minus bene. Et si quæratur ab eis, coram quo in hoc casu respondere tenetur? respondetur dicendo, quia aut committit iniuriam in eum qui superiorem non habet in temporalibus, sicut Imperatores: aut in eum, qui habet superiorem. Si primo modo, tenetur se submittere alicuius iudicio neutri parti suspecti, aut eligere arbitros de voluntate alterius partis, qui inter eos potestatem habeant iudicandi. Si autem neutrum facere voluerit, Imperator propter culpam papæ potest vel ipsum iudicare vel delegare alteri qui super ipsum in hoc casu habeat potestatem. Si vero inuadit aut detinet rem vel ius superiorem habentis: conueniri potest coram superiore ipso. Hæc & plura alia, quæ tangunt illam materiam nonnulli multis modis nituntur ostendere, quæ omnia gratia breuitatis pertranseo. Ex hoc patet, quod papa in casibus supra dictis tenetur humanum subire iudicium, quod moliuntur ostendere, quia in casu licet appellare à papa & agente sua pro papa: & extra iudicium, prouocare ipsum ad causam ne aliquid faciat in præiudicium appellantis vel prouocantis, quia ab omni illo, qui humanum tenetur subire iudicium, licet appellare tam à sententia, si male iudicauerit, quam à grauamine & præterito & futuro, siue appellans siue prouocans reputet ipsum iudicem siue reputet ipsum non iudicem. Nam omnis oppressus, vel probabiliter opprimi metuens, ab illo appellare potest in omni casu, in quo accusari potest, cum appellatio sit oppressorum releuamen, *extra de app. cum spirituali*, cum ergo in tribus casibus suprascriptis papa valeat accusari: sequitur quod in ipsis est licitum appellare ab ipso, dicunt ergo isti, quod si papa factus hæreticus gerat se pro papa, ab omni sententia, quam tulerit in omni causa & quocunq; grauamine quod intulerit vel comminatus fuerit, licet omni homini appellare, cuius interest tanquam à non iudice & nullam habente ecclesiasticam potestatem omnino: quia omnis hæreticus quantũcunq; occultus iure diuino est omni potestate ecclesiæ priuatus; licet non esset iure eodẽ priuatus dignitate seculari, si q̃ haberet: quia ecclesiasticã dignitatẽ nemo potest habere, nisi saltẽ sit de numero congregationis fideliũ, secularẽ tamen dignitatẽ supremam potest infidelis habere, sicut de facto ille vere habuit tẽpore Christi vel Apostolorũ, & hinc est, q̃ de iure diuino potest q̃libet cui⁹ interest in omni causa appellare à papa, si efficiatur hæreticus: sed non oportet ꝓpter hoc iure diuino appellare, si Impator aut rex efficiatur hæreticus, ab ipso, tanq̃ à non iudice seculari, licet secundum quosdã hoc fiat iure humano canonico, non .n. hæretici ipso facto priuantur iure diuino rebus tẽporalib. cõmunibus, q̃ data sunt cõmunitati fideliũ: vt sunt omnia bona & iura tẽporalia, q̃ ecclesiastica ab ecclesia, non q̃ est à papa, appellantur, denominantur .n. *ecclesiastica* ab *ecclesia*, non q̃ est papa, aut cõgregatio clericorũ: sed ab *ecclesia*, quæ est congregatio fideliũ, q̃ clericos & laicos, & viros, & mulieres comprehendit. Illa enim ecclesia post Deum primo & principaliter est domina omnium bonorũ & iurium temporalium ecclesiasticorum: nisi aliqui concedentes bona sua & iura aperte expresserint: vel verisimile sit eos voluisse bona illa & iura alicui personæ vel collegio ecclesiastico appropriari debere, nam in concessione rerum suarũ & iurium possunt laici quæ voluerint pacta & conditiones imponere, quæ personis recipientibus congruant: & non sunt iuribus, ad quæ seruanda tenentur dantes & recipientes, approbata. In causa autem fidei licet cuilibet catholico à papa hæretico appellare: quia eius interest: quia causa fidei omnes tangit & ad omnes omnino pertinet Christianos, *dis.96.c.vbi.* nam licet in hoc casu non sit simpliciter necesse appellare à papa hæretico: etiã si contra dignitatem ecclesiasticã & diffinitiuã veritatẽ ꝓferat sententiam: quia omnia sententia talis eo q̃ esset contra ius diuinũ, nulla esset ipso facto: licet non esset appellatione suspensa: ideo in hoc casu sufficeret papã hæreticum accusare, ideo si non reperiretur iudex: maxime qui volentem accusare vellet vel auderet audire: sufficeret corã quocunq; verbo vel scripto papã esse hereticũ putare: causam vel causas, quare esset hæreticus allegando: contra quẽ tamen opari deberet huiusmodi publicatio de iure diuino & naturali: ad q̃ obligantur oẽs catholici, quantũ in quacunq; alia causa contra quemcunq; & à quocũq; iudice appellãtẽ. Huiusmodi enim publicationi in fauorẽ fidei Christianæ & catholicæ oẽs catholici in tantũ [illegible] appellatione deferre deberent & publice nisi de friuola publicatione conuinceretur, legitime c[illegible] se vere vel friuole ꝓ papa & oẽs publicãtes vel cõplices ei⁹ defendere tenerẽtur de necessitate salutis [illegible] cõgruo statui psonę cuiuslibet. Veruntamẽ dicunt isti, q̃ in hoc casu ꝓpter iuris diuini & humani ignaros solennitas appellationis nõ obesset, sed ꝓdesse valeret, ampli⁹ dicũt isti, q̃ in secũdo casu, sc. quãdo crimẽ papę quãtũcunq; esset notoriũ & de ipso scãdalizaretur ecclesia & esset incorrigibilis, sufficeret cuilibet accusare ipsũ, nisi esset tale crimẽ, ex quo aliq̃s grauari timeret: & sic pt talis extra iudiciũ à futuro grauamine appellare: nisi aliq̃s faceret in ꝓiudiciũ ei⁹, in aliis ẽt casib⁹

ad hunc articulum spectantibus appellare licet, quos nunc exprimere non intendo, in hoc etiam casu secundum istos cum si papa inuaderet vel detineret iniuste res vel iura aliquorum, quandoque licet appellari ipsum & quandoq; appellare ab ipso: scilicet de hoc supersedendum est ad præsens, vbi prædicta itaque & ipsa contingentia diffinitiue isti probare conantur, patet secundum eos, quia in casu licet, imo regulariter licitum est, & de persona propria papæ & de eius iudicio iudicare: & ab ipso etiam appellare, & ideo ex his probari non potest quod potestas laicalis suprema cadat in ipsum de facto vel de iure diuino, ad omnes autem canones, qui in contrarium possunt adduci, dicunt quod canones veri, quales sunt canones antiquorum patrum, licet nonnullas *decretales* quorundam posteriorum hæreticales existimant, debent intelligi, quod regulariter in his, quæ spectant ad supremum pontificem, de cuius iudicio iudicare non licet; nec regulariter licet appellare ab ipso, scilicet casualiter tantum: iudicari tamen regulariter licet, nam cuilibet iudicare licet de manifestis eius criminibus quibuscunque, quæ bene fieri minime possunt, non quidem iudicialem sententiam proferendo; sed ipsa cordialiter detestando & nullatenus excusando; & multo minus illicite defendendo, ad hoc allegari potest Beda *extra, de reg. iur. c. estote,* & Hieron. *11. q. 3. cap. si quis dixerit, & c. si quis hominem,* & gloss. *di. 15. super c. nos non.*

Cap. XVIII.

Ostendit quomodo secunda opinio respondet argumentis contra se factis capit. primo huius primæ quæstionis.

VIso quomodo opinio 3. ad ea quæ supra *primo & secundo capitulis* adducta sunt, contra ipsam nititur resurgere & respondere: videndum est quomodo opinio secunda ad illa quæ adducuntur cōtra ipsam, *1. 2. 3. & 4. c.* valeat respondere. Ad primum itaque quod adductum est, *c. 1.* responderi potest, quod *potestas spiritualis suprema* dupliciter accipi potest, vno modo potest accipi pro tota potestate, quæ à supremo spirituali concessa est, id est à Christo: & sic secundum ipsos potestas spiritualis suprema & potestas laicalis suprema ad rem ex opposito minime diuiduntur: scilicet potestas laicalis suprema, quantum ad rem, est pars potestatis spiritualis supremæ: ita quod potestas respectu temporalium non est simpliciter suprema: quia illa potestas, quæ est in Imperatore, est minor illa quæ est in papa: & est quidam effectus spiritualis potestatis primo modo dicto. Aliter accipi potest potestas spiritualis suprema pro potestate solummodo, quæ respicit spiritualia & non temporalia; & potestas laicalis suprema pro potestate quæ solummodo respicit temporalia & non spiritualia: & sic potestas spiritualis suprema & potestas laicalis suprema, hoc est potestas suprema solummodo respiciens temporalia, & non spiritualia, aliquo modo diuiduntur ex opposito: quæ tamen possunt cadere in eandem personā: secundum quod declaratum existit per opinionem secundam supra *c. 2.* Ad secundam dicitur quod istæ duæ potestates non constituunt duo capita duorum corporum diuersorum: sed vnum habens duplicem potestatem prædictam. Ad tertium dicitur, quod papatus non dominationem includit, sed excludit dominationem tyrannicam & iniustam, de qua loquitur beatus Petrus *epistola sua prim. c. 5.* Ad quartum dicitur, quod fungens potestate laicali suprema præcise & non potestate spirituali, est filius ecclesiæ, si est fidelis & ideo imperator, qui pollet solummodo potestate laicali, si est fidelis, est filius ecclesiæ, sed pollens potestate suprema super temporalia & spiritualia, est caput omnium fidelium. Ad quintum dicitur, quod Imperator vocari potest vel ille, qui inter laicos supremam obtinet potestatem absque suprema potestate spirituali: & sic ille est inferior papa, & ille vocatur communiter Imperator, vel qui super omnes laicos supremam habet etiam in spiritualibus potestatem: & ille non est inferior papa: quamuis papa communiter non vocetur hoc nomine, sed quodam alio nomine digniori, sc. apostolicus, papa supremus pontifex vel sacerdos.

Cap. XIX.

Respondet argumentis factis c. 4. pro secunda parte opinionis tertia.

SEcundum etiam istam opinionem respondetur ad illa, quæ supra *ca. 4.* pro opinione tertia sunt adducta: quæ contra istam opinionem secundam militare videntur. Dicitur autem ad primum ꝙ papa non debet regulariter per seipsum negocia secularia exercere, secundum apostolum & canones sacros: sed huiusmodi negocia aliis debet committere, multi enim multa facere debent per alios quæ non debent ipsimet facere per seipsos, *5. q. 3. vl. di. 88. c. episcopus guber. 12. q. 1. præcipimus,* quæ tamen si fecerit per seipsos, tenent: licet faciendo peccent, & sæpe mortaliter, sic sæpe papa si in temporalibus aliquid fecerit, quicquid illud sit, nisi sit contra legem diuinam nec contra ius naturale, etiam de iure tenet: poterit tamen hoc faciendo peccare mortaliter: quia facit per seipsum quod debet facere per alium. Ad secundum dicitur quod illæ duæ potestates sunt distinctæ, tamen in eundem cadere possunt & cadunt de facto: licet non cadant nec cadere debeant in eundem regulariter quo ad exercitium: quia ille, in quem cadit potestas spiritualis suprema, non debet per seipsum aliam

exequi

exequi potestatem, nisi forte casualiter. Ad tertium dicitur, quod armis intendere & iudicium sanguinis exercere papa non debet per seipsum: hoc tamen potest aliis committere & debet: & ideo Christus vicario suo vsum gladii materialis regulariter interdixit: non autem potestatem hoc aliis committendi, & illo modo intelligunt & exponunt omnes canones & auctoritates alias, quę in contrarium sonare videntur.

CAP. XX.

Ponit solutiones earum de prima opinione ad argumenta, quæ adducta sunt contra eam, cap. 2. & 3.

VLtimo videndum est, quomodo prima opinio ad illa quæ in *cap. 2. & 3.* contra illam adducuntur, nititur respondere. Ad illa enim, quæ adducuntur ex *cap. 4.* pro opinione tertia, forsan respondetur, sicut respondent illi de opinione tertia, ad illa quæ adducuntur, *cap. 3.* ad probandum quod istæ duæ potestates licet non debent, tamen possunt cadere in eundem: dupliciter respondetur: quia sicut potestas laicalis suprema repugnat habenti potestatem spiritualem supremam ratione status papalis: ita etiam repugnat potestati laicali supremæ: quamuis non repugnat omni potestati laicali: & hoc quia ad plura repugnantia statui papali se extendit potestas laicalis suprema, ad quæ non omnis potestas laicalis se potest extendere, propter hoc si aliquis rex fieret papa, amitteret potestatem laicalem supremam, licet non laicalem interiorem seu minorem, eidem etiam statui papali repugnat matrimonium: licet non repugnat ordini sacerdotali, vnde licet in primitiua ecclesia tam sacerdotes quam episcopi habuerunt vxores & vsi fuerunt matrimonio: non tamen legitur quod aliquis papa vsus fuerit & papatu & matrimonio. Status autē papalis & potestas laicalis suprema repugnant magis quam spiritus & corpus: quemadmodum plus repugnant quam spiritus & mulier: & ideo quamuis corpus & spiritus valeant reperiri in eodem: status tamen papalis tam mulieri quam potestati laicali supremæ repugnat, inferre etiam mortem corporalem iudicialem statui papali repugnat: qui tamen est actus potestatis laicalis supremæ, & ita licet potestas laicalis suprema non repugnet pollenti potestate spirituali suprema: nec ratione ordinis sacerdotalis nec ratione administrationis, repugnant tamen sibi ratione status papalis, qui non patitur secum plures actus iudiciales spectantes ad potestatem laicalē supremam: licet compatiatur secū eosdē actus quantum ad substantiam actuum: quemadmodum non compatitur secū concubitum coniugalem: licet statui quantum ad substantiam actus non repugnat: Et sic finis primæ q̃stionis, incipit secunda quæstio.

QVÆSTIO SECVNDA.

CAP. I.

Caput primum secundæ quæstionis proponit ipsam quæst. & circa eam duas opiniones recitat: circa quarum secundam ponuntur distinctiones de potestate proprie propria, & de immediatione qua quidem accipitur à Deo.

SEcunda quæstio est, vtrum suprema potestas laicalis proprietatem sibi proprie propriā habeat immediate à Deo. Circa autem hanc q. sunt duæ opiniones contrarię. Vna est quod suprema potestas laicalis proprietatem sibi proprie propriam non habet immediate à Deo: quia habet eam à Deo mediante papali potestate, papa vero habet plenitudinem potestatis tam in spiritualibus q̃ in temporalibus & ideo nemo habet aliquā proprietatē nisi ab ipso. Pro hac opinione adduci possunt illa q̃ allegata sunt, supra *q. 1. c. 2.* Alia est opinio quę per distinctiones respondet: quarum vna est ꝙ proprietas proprie ꝓpria alicuius potest dupliciter accipi, vno modo vt proprietas proprie ꝓpria alicuius vocetur illa, q̃ est proprietas ꝓpriissime & strictissime accipiendo nomen *ꝓprietatis*: aliter vt ꝓprietas proprie ꝓpria alicuius vocetur illa q̃ siue fuerit proprietas ꝓpriissime accipiendo nomen *proprietatis* siue large accipiendo, magis ꝓprie conuenit alicui q̃ aliqua alia. Secunda distinctio est ꝙ aliq̃ proprietatē sicut & aliq̃ potestatē esse immediate à Deo tripliciter potest intelligi, vno modo vt detur à Deo solo sine donatione vel ministerio creaturæ, ꝑ quē modum Moyses habuit ducatū à Deo immediate: & filii Israel proprietatē terræ ꝓmissionis, & Petrus summū sacerdotium, & 11. apostoli apostolatum, secundo potest esse aliq̃d immediate à Deo: quia à solo Deo datur, tamen ministerio creaturæ: ꝑ quē modū summus pontifex quilibet post Petrū pontificem, pontificium habet à Deo immediate: quia q̃uis non habeat potestatē illam absq; electione humana: electores tamen illi sibi potestatē suā non tribuunt, sed solus Deus: sicut qui baptizatur gratiam accipit à solo Deo, non tamen sine ministerio baptizantis: & tamen baptizans non est creans gratiā illā: sicut plebanus habet ecclesiā à solo episcopo, & tamen non sine præsentatione patroni, hoc modo potest intelligi, aliquis habens potestatē vel ꝓprietatem aliq̃ à solo Deo: quia licet eā à principio habuerit cum concessione, donatione vel resignatione alterius, postq̃ sibi data est & resignata, à solo Deo dependet: ita ꝙ solus Deus quantum ad huiusmodi potestatē vel ꝓprietatem est eo supior: sic secundū quosdā papa dicitur habere dominiū siue ꝓprietatē rerum temporaliū, quę concessæ sunt à fidelibus Romano pontifici immediate à solo Deo: quia licet eas primo receperit ex largitate fideliū: tamē postq̃ illas recepit, nullus alius quicq̃ iuris habet nisi solus Deus, ita ꝙ prædia & ciuitates & alias res, quas sibi dederunt fideles, nō ab homine sed à solo Deo tenet: ita ꝙ superiorē in huiusmodi temporalibus post Deū nullo modo recognoscit: sicut etiā quādo erat solus Noe cū filiis & vxorib. res quas habebat tunc siue iure hæreditario siue donatione aliorum aut quouis alio modo à Deo tenebat: nec in huiusmodi tunc superiorē habebat: licet habuisset ante diluuiū in his superiorē, regem, sc. aut aliū dominū principalē, quo fuisset inferior.

CAP.

Cap. II.

Secunda q. recitat duas alias opiniones, ortas ex distinctionibus circa secundam opinionem positis.

HIs distinctionibus visis videndum, quomodo non omnes tenẽtes imperium esse à papa, eodem modo respondẽt ad propositum quęstionis. Dicunt enim quidam, quod quamuis ille, qui habet potestatem laicalem supremam, habeat eam ex alio quam ex suprema potestate spirituali: proprietatem tamen proprie propriã potest habere, sc. primo modo capiendo nomen *proprietatis* propriissime & strictissime: quia huiusmodi potestatem habere potest in bonis, quæ habuit antequam haberet vel obtineret supremam potestatem laicalem, & in aliis quæ postea acquireret per se & non dignitati seu supremæ laicali potestati: tamen propriissime & strictissime accipiendo nomen *proprietatis* suprema potestas laicalis nullam habet proprietatem: quia de proprietate strictissime sumpta potest habẽs eam facere quod vult, *1. q. 1. eos*, quicquid enim fecerit de ea, eam sc. bene vel male exponendo, donando, legando, vel quomodolibet alienando: quamuis cum graui peccato talia facere valeat, tamen ad restitutionem non tenetur: sed sufficit quod aliis modis Deo satisfaciat de peccato, hoc autem faciens Imperator, qui summam potestatem continet laicalem de iuribus & rebus imperii & boni communis: ipse de bonis propriis obligatur restituere: & ideo secundum illos potestas suprema laicalis: sicut nec suprema potestas spiritualis: nec mediate nec immediate à Deo, nec ab aliquo habet proprietatem sibi propriam illo modo. Cuius ratio assignatur: quia potestas suprema laicalis est principatus eiusdem perfectissimus: cuiusmodi est regalis, qui à principatu tam tyrannico quam despotico supreme distinctus hoc habet inter alia, vt instituatur propter bonum commune subiectorũ & non propter bonum proprium principatus, de tali enim regimine dicit Arist. lib. 8. Ethicorum, *vtilia ergo sunt alia sibiipsi: quædam non vtiq; sed subditis*. Aut ergo finaliter bona imperii sunt à Deo concessa propter commune bonum subditorum, quare non potest ea expendere, nisi propter bonum commune seu vtilitatem omnium subditorum: & aliter si ea expendit ad restitutionem tenetur, nam qui bona concessa ab aliquibus ad certos vsus in aliis vsibus contra concedentium voluntatẽ consumpserit, restituere, si potest, eadem astringatur. Alia est opinio, quod potestas laicalis suprema habet aliq̃ proprietatem sibi proprie propriam modo prædicto accipiendo nomen *proprietatis*, nam constitutus in suprema potestate & eadem illis bonis abundare debet, quibus virtutum actus politicarum valeat exercere, hinc dicit Arist. 8. ethi. quod *non est rex, qui per se non sufficit & omnibus bonis, superexcellens*, inter virtutes autem politicas necessarias in suprema potestate laicali constituto virtus liberalitatis nequaquã est minima, nam vt dicit Arist. 8. Ethi. *principatus & potestates & potentatus possessionibus maxime necessaria sunt amici*, quia, vt dicit ibidem, *bona fortuna quanto maior, tanto minus secatur*, nam sic habetur *extra de accusationibus qualiter & quando 2.* Prælati ecclesiastici odium multorum frequenter incurrunt & insidias patiuntur: sic etiam reges & principes, quia interdũ iudicium sanguinis habent inter potentes & diuites exercere: multi eis libenter parant insidias, quare pro sua defensione & potestate etiam in malos intrepide exercenda sæpissime indigere noscuntur amicis, amici autem maxime acquiruntur & conseruantur per liberalem munificentiam: teste Salomone, qui prouer. 9. ait: *multi colunt personã potentis & amici sunt dona tribuentis*, & etiam *diuitiæ adducunt amicos plurimos*, igitur actus virtutis liberalitatis est actus necessarius constitutis in suprema potestate laicali: quia cum potestas laicalis suprema debeat esse sibiipsi & fungenti sufficiens, tantis abundare debet vt præeminens ea actus liberalitatis valeat exercere, cuius actus est dare, dare autem spectat ad proprietatem habentem: quia suprema potestas proprietatem strictissimam propriissime accepto vocabulo debet habere.

Cap. III.

Huius secundæ quæstionis primo ponit declarationem opinionis dicentium quod suprema potestas laicalis sit à Deo. Deinde probatis quibusdam opinionibus probat 10. rationibus, quod imperium est à Papa, ad quas, vt annotabitur, suis locis respondetur.

POrro opiniones ambę præcedentes in hoc concordant, quod suprema potestas laicalis habet proprietatem sibi proprie propriam secundo modo: quia alia bona temporalia sic sunt appropriata potestati laicali supremę quod ad alterius proprietatem vel dominium minime spectant. Sed nõ ambæ eodem modo tenent, quod istam proprietatem habeat immediatę à Deo: quia nullus eorum habuit huiusmodi potestatem. Quidam tamen dicunt, quod istam proprietatem non habent immediate à Deo primo modo, sicut nec aliquis papa post beatum Petrum habuit potestatem spiritualem papalem immediate à Deo: quia nullus eorum habuit huiusmodi potestatem absque electione illius vel illorum, ad quem vel ad quos spectat eligere summum pontificem: cum potestas laicalis habet proprietatem propriam sibi primo modo vel secundo modo immediate à Deo, quomodo supremus pontifex habet auctoritatem sibi propriam immediate à Deo. Sicut enim quando papa eligitur eligentes ipsum nullam sibi tribuunt potestatem: sed celebrata electione & electo consentiente Deus immediate confert sibi omnem potestatem, quam habet: ita celebrata electione Imperatoris eligentes nihil conferunt sibi, sed ipso consentiente omnem potestatem, quę propria est Imperatoris dignitatis, sibi solus Deus confert. Hæc videtur opinio Glossę *di. 96. sup. c. si imperator*, quę super

super verbo *diuinitus* ait: *Non ergo à papa imperium, sed à solo Deo est, vt 23.q.4.c.quaesitum. Nam à coelesti numine* (aliis *maiestate*) *habet gladii potestatem. C.de ve.iu.enu.lib.1.in principio*, quod concedo de vero Imperatore. Pro ista opinione potest taliter allegari. Imperator non habet ab homine potestatem & proprietatem propriam potestatis laicalis supremae: ergo habet eam à solo Deo, cõsequentia videtur manifesta, antecedẽs probatur: quia si haberet eam ab homine, aut ab electore, aut à coronatore, aut à confirmatore. Non ab electoribus, quia generaliter electores, quando sunt praecise electores, non dant electo dignitatem, ad quam eligitur, quando electio non indiget ab homine confirmari: & sic nec potestatem immediatam, sed solum capacitatem recipiendi dignitatem, ad quam eligitur, à Deo, sicut quando electo supremo pontifice non indiget ab homine confirmari, electores non dant sibi potestatem papalem, sed solummodo capacitatem immediatam recipiendi à Deo huiusmodi dignitatem: quia secundum ordinationem Dei à se solo nõ est capax huius dignitatis Imperator, ergo ab electoribus neq; potestatem neq; proprietatem recipit. Nec habet eam à coronatore, nam nõ dat coronator proprietatem alicuius rei temporalis, sicut nec consecrator dat consecrato aliq̃ proprietatẽ vel etiam administrationem alicuius rei spiritualis, ergo Imperator à coronatore, qui non est confirmator, nullam recipit proprietatem. Nec habet eam à confirmatore, quia confirmatore non indiget, sicut isti supra ponunt. Hic propter rationes adductas, *6.c.* quod papa in temporalibus habet huiusmodi plenitudinem potestatis, dicendũ est, quod imperium est ab ipso. Ex quo inferri potest, q̃ potestas laicalis suprema, sc. imperialis, habet ꝓprietatem sibi propriam à papa, & non immediate à Deo, sed habet ab eo potestatẽ à quo est. Restat ergo ꝓbare, quod imperium est à papa, quod multis modis ostenditur, primo sic: Ab illo est imperiũ, cui datę sunt coelestis & terreni impii claues: sed Petro & successorib. suis sunt datae claues coelestis & terreni imperii, *di. 22.c.1.* ergo im pium erit à papa. Amplius; Impium est ab illo & in eius potestate perfectissime est imperiũ, qui ex ordinatione Dei cẽsetur caput primũ & iudex supremus cunctorũ mortalium: papa aũt & non Imperator ex ordinatione Dei est caput primũ & iudex supremus cunctorũ mortalium: ergo imperiũ est à papa. Rursus, ab illo est imperiũ, qui põt imperatorem deponere: papa aũt p̃t imperatorem deponere, *15.q.5.c.alius*: ergo impium est à papa. Item ab eo est imperi[illegible]m, qui põt transferre imperium de vna gente ad aliam: hoc autem põt papa, *ext. de electis c.venerabilẽ.* ergo imperiũ est à papa. Item ab illo est imperiũ, à quo imperator postq̃ electus est, examinatur, inungitur, consecratur, & coronatur: ergo imperiũ est à papa. Itẽ ab illo est imperium cui Imperator iurat tanq̃ vasallus: sed Imperator tanquã vasallus praestat papae iuramentũ fidelitatis & subiectionis *dist. 63. tibi domino*, ergo imperiũ est à papa. Item ab illo qui habet vtrumq; gladiũ materialem & spiritualem est imperiũ papa autem habet vtrumq; gladiũ, igitur imperium est à papa. Haec videtur sententia Innocentii quarti qui in q̃dam decretali asserit quod in gremio fidelis ecclesiae ambo gladii administrationis vtriusq; habentur repositi, vnde q̃squis ibidem non fuerit neutrum habet, vterq; creditur iure Petri cũ de materiali eidem non dixerit amitte: sed conuerte gladiũ tuũ, vt imperiũ videlicet per teipsum non exerceas: in vaginam tuã, signanter vbi exprimitur huius potestas gladii materialis apud ecclesiã esse implicita: sed per imperatorẽ qui eam recipit explicatur. Item ab illo est impium ad quem se habet imperator sicut filius ad patrem: sicut discipulus ad magistrũ: sicut plumbum ad aurum: sicut luna ad solem: sed has comparationes habet imperator ad papam di. *46. si imperator &c. quis dubitet, &c. Duo sunt extra de ma. & obe. c. solitae* ergo imperium est à papa. Item ab illo est imperiũ cui imperator tenetur caput submittere, papae autem hoc tenetur, *di. 63. Valentinianus di. 46.* nunquam ergo imperiũ est à papa. Item ab illo est imperium à quo ex auctoritate propria & non ordinatione imperatoris vel alterius hominis regi habet imperium ipso vacante, hoc autem facto papa vacante imperio, ergo imperium est à papa.

CAP. IV.

Recitat tres opiniones diuersimode opinantium de modo, quo imperium sit à Papa.

PORro licet quidam dicant concorditer imperium esse à papa: non tamen omnino in modo ponendi concordãt, nec ex eadem ratione mouentur. Vna est opinio, q̃ propter hoc, q̃ dicitur papam habere tam in spiritualibus quã in temporalibus plenitudinem potestatis, de qua dictum est supra, *q.1.c.1.* ponit & cõcedit imperium & omnia alia regna taliter esse à papa, quod de plenitudine potestatis, quãdocunq; voluerit, possit absq; causa & sine culpa ad suum libitum destituere institutum, & eidem alium subrogare, & sibi ipsi imperium retinere, qualem etiã potestatem (vt dicunt) super omnia alia habet regna, aliter enim non haberet plenitudinem potestatis, sed haberet potestatem per alia iura quam p diuina & per naturalia limitatũ. Alii autem, quamuis putent opinionẽ praedictam sapere haeresim manifestam: tamen dicunt, imperiũ esse à papa: ꝓpter hoc quod secundum eos papa habet quandã aliam plenitudinem potestatis, quia licet (vt dicunt) imperium est à papa: tamen papa non possit omnia sine exceptione, quae non sunt ꝓhibita: neq; per ius diuinum neq; p ius naturale: quia illa, q̃ superogationis sunt, non põt praecipere, nec aliquẽ priuare iure suo sine culpa: & nisi subsit causa, non potest illa, quae ad regendũ mortales minime dignoscuntur necessaria, licet p seipsum vel sibi institutos officiales ab ipso, etiam sine exceptione potest, q̃ constant esse necessaria regimini subditorum. Vnde licet reges & principes iã iuste regentes & principatus habentes, absq; culpa, nisi subsit causa, nequaquã potest regnis suis & principatibus priuare de plenitudinẽ potestatis suae: tamẽ si esset aliquis papa, qui regẽ, principem aut caput in temporalibus nõ haberet (licet non solũ expediens sed etiã necessarium sit cuilibet papae esse in temporalibus caput, à quo de necessitate regatur)

tunc habere posset papa de plenitudine potestatis absq; electione nominationem & sine consensu eorum ipsis caput præficere maiorem vel minorem dignitatem vel potestatem tribuendo eidem, in similibus circa potestatem similiter est dicendum. Ex ista plenitudine potestatis, vt dicit ista opinio, habet papa potestatem super Imperatorem & imperium, non quod possit imperatorem, nisi sit causa necessaria, priuare sine culpa imperio: nec quod possit imperium ad libitum transferre de gente in gentem: sed quia pro culpa & ex causa necessaria potest imperatorem quibuscunq; aliis minime requisitis deponere: si hoc fit necessarium vtilitati communi, & non solum tanq̃ expediens de plenitudine potestatis, & non requisitis aliis quibuscunq;, de gente in gentem, vel de dominio in dominium, vel de persona in personam transferre imperium: sed etiam ex aliqua causa euidenti, si necessarium fuerit bono communi, vt nullus ad regnum vel imperium eligatur, potest ordinare & præcipere quandiu necessarium fuerit, quod huius electio differatur, & isto modo imperium est à papa: non q̃a papa in ipso habeat plenitudinem potestatis, de qua dictum est, *q. 1. c. 2.* quam etiã habet supra omnia regna & super quęcunq; tẽporalia, nec differt ista opinio à secunda, quæ recitata est super, *q. 1. c. 2.* quod secundum istam opinionem papa potest corrigere imperatorem, quando corrigendus est, & omnia facere circa temporalia quæcunq; necessaria sunt bono communi: licet non possit aliquem priuare iure suo sine culpa, nisi subsit causa, illa cõsequẽtia tenet: quia papa in temporalibus præterq̃ iure exigente, nullam habet potestatem à Christo: nisi saluis non solum iuribus sed etiam libertatibus aliorum: ideo papa illa, quæ etiam necessaria sunt reipub. etiam in temporalib. minime potest, quamdiu sunt alii, qui ipsa possunt & volunt vtiliter expedire. Et ideo si esset aliquis populus, qui rectores in tẽporalibus non haberet, papa non deberet nec posset super eos rectores constituere, si ipsimet vellent sibiipsis rectorem constituere siue præficere idoneum eligendo: sic etiam quando corrigendus esset Imperator, vel rex, aut princeps alius, aut etiam deponendus propter defectum aut crimen, qui vel ꝙ ad spiritualia minime pertineret: papa auctoritate eius siue potestate concessa Christo se intromittere non deberet nisi propter negligentiam & malitiam laicorũ, vnde videtur verisimiliter (dicunt isti) quod vt papa spiritualibus totaliter vacet, atq; etiam ne aliquo modo ad hoc se insufficientem inueniat: se temporalib. quibuscunq; non debeat implicare negociis, quamdiu inueniuntur laici, qui ea velint & possint iure & legitime expedire, hoc habetur *11. q. 1. te quidem.* Alia est opinio, quod imperium non est à papa de iure diuino: sed ex iure humano, ex voluntaria sc. successione vel concessione Romanorum, qui omnem potestatem, quam habuerunt super imperium, supremo pontifici concesserunt, vel præscriptione humana, qua summus pontifex ius & potestatẽ sui imperii acquisiuit, & hinc est, ꝙ licet iure diuino papa in nullo maiorem potestatem habet super imperium, q̃ super regna quæcunq;: tamen iure humano maiorẽ super ipso obtinet potestatem: quia nec populus aliquorum regnorum potestatem suam dedit papæ, nec ipse contra alia regna ꝑscripsit legitime. Licet ergo opiniones prædictæ discordant, ꝙ ponunt imperiũ esse à papa, vel iure humano vel iure diuino, & ideo concedunt, quod potestas laicalis vel suprema imperialis sibi ꝓpriam habet proprietatem à papa & non immediate à Deo: quia ab illo habet proprietatem propriam sibi, à quo est imperium: sed illud est à papa, vt patuit: ergo &c.

CAP. V.

Recitat quartam opinionem circa dictum modum, cuius opin. duo membra seu puncta seorsum probat.

Alia est opinio tenens, ꝙ nec primo modo nec secundo habet potestas laicalis suprema potestatẽ aliq̃ sibi propriam à Deo his modis, sed bene tertio modo solum: quia licet etiã habeat eã à donatione papæ, & non ex sola donatione Dei, papa. n. non solummodo de impꝰo ordinauit, quod esset vna suprema potestas laicalis, nec populus eligit impatorem, quomodo cardinales eligunt solũmodo papã, nullam sibi de bonis ꝓpriis temporalia tribuendo, sc. ordinauerunt & statuerunt potestatẽ supremam laicalẽ certa ei temporalia de suis ꝓpriis largiendo, q̃ dignitati & non ꝑsonæ dederunt, & ideo impator, nisi in casibus, alienare illa nõ potest, sed ad restitutionẽ, si alienauerit, obligatur: & successor ipsius potest ipsa & debet cuicunq; data fuerit reuocare. Ista itaq; consideratio duo dicit, primũ est ꝙ potestas suprema non habet proprietatẽ à Deo primo modo vel secundo, & ꝙ habet eã immediate à Deo, tertio mõ. Pro primo potest taliter allegari. Nõ est dicendum ꝙ aliqua dignitas vel ꝑsona habeat ꝓprietatẽ sibi ꝓpriam à Deo immediate à Deo primo modo vel secundo: nisi de hoc indubitanter ꝑ reuelationẽ diuinã constiterit: eo ꝙ per rõem naturalem vel experientiam constare non põt. Cum .n. per scripturam diuinitus reuelatã: vt habetur *Gen. 1.* constet ꝙ Dominus Deus dedit humano generi dominiũ temporalium rerũ, & non est necesse ꝙ appropriatio quarumcunq; rerũ specialiter fiat à solo Deo absq; assensu & voluntate illorũ quib. datum est cõe dominiũ, ergo sequitur ꝙ nõ est tenendũ aliq̃ appropriationẽ talẽ factã esse à solo Deo absq; voluntate illorũ quib. erat datũ dominiũ in cõi: nisi de hoc constet per reuelationẽ diuinã, ꝑ quem modum constat ꝙ Deus priuauit Cananęos terra ꝓmissionis, & ipsam specialiter contulit filiis Israel, ꝑ quem ẽt modum scimus ꝙ Deus alias terras dedit specialiter filiis Israel, Esau, Aaron, & Moab: sicut patet *Deut. 1.* Sed per nullam reuelationẽ diuinam constat nobis, ꝙ Deus specialiter aliq̃ bona dedit seu appropriauit impio seu supremæ potestati laicali: nec etiã ꝙ iusserit, quod specialiter aliquod sibi appropriari deberet: nec ꝙ haberet imperium aliq̃ proprietatem à solo Deo plusquã alia regna, quæ ante impium extiterunt: q̃a de hoc in scripturis diuinis, in quib. donationes diuinæ scribuntur, nihil habemus, ergo tenendũ est, quod impium non habet aliq̃ proprietatẽ à Deo immediate primo modo & secundo modo. Sed forte diceret aliquis, ꝙ imperium habere ꝓprietatẽ tali modo à Deo immediate in euangelio inuenitur

dictum à Christo. Matt. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* &c. Ex quibus verbis colligitur, quod Christus, qui est verus Deus, aliqua specialiter iussit dare Cæsari: ergo illa habuit Cæsar immediate à Deo, quia à Christo, hic respondetur, quod per illa verba Christus nihil dedit specialiter Cæsari, sed iussit illa, quæ prius fuerunt donata per humanam ordinationem Cæsari, sibi reddi: & ideo non dixit, *date Cæsari*, sed *reddite*, illi quæ sua sunt quæ sc. sibi ab hominibus collata fuerunt. Illi enim, qui constituerunt ipsum Imperatorem vel prædecessorem suum, ordinauerunt vel iure naturali vel iure humano, quæ ratione potestatis laicalis supremæ vendicare debebat, & hoc Christus approbauit, qui autem approbat, nihil nouum constituit: sicut qui confirmat, nullum nouum ius tribuit, *extra. de fi. instru. inter dilectos. extra de confirma. vti. c. cum dilecta. & c. examinata.* Secundum quod tenet ista opinio, est, quod potestas laicalis suprema habet potestatem sibi propriam immediate à Deo, tertio modo: quia licet in principio institutionis potestatis laicalis supremæ Deus immediate nec per seipsum nec per aliquod mandatum spirituale miraculose reuelatum quibuscunq; hominibus, sed per homines æquitatem naturalem sequentes, considerantes reip. expedire vnum principem in spiritualibus, aliis præsidere, potestati laicali supremæ determinata temporalia tribuit: quibus traditum sibi officium exercere valeat: ita quod tunc nõ à solo Deo, sed etiam ab hominibus proprietatẽ recepit: eorum tamen post traditionem illam à solo Deo tenuit eã: & quantum ad illa solum Deum habuit recognoscere superiorem, assignans omnem proprietatem illam & omne ius positiuum, quod habebat in ipsis, in potestatem supremam institutam à Deo per ipsos transferebat. Pro ista opinione taliter potest allegari. Si suprema potestas laicalis non esset illo modo immediate à Deo, haberet aliquem hominem vel communitatem in temporalibus superiorem, à quo vel à qua temporalia sua teneret: sed suprema potestas laicalis, nec ab homine nec à cõmunitate tenet temporalia sua. Quod non ab homine, patet: quia si ab homine teneret, & nõ posset alius assignari q̃ papa: ergo teneret ea à papa. Quod ostenditur esse falsum etiam de Imperatore fideli & Christiano: quia successor gaudet eodem iure, quo prædecessor, *extra de regu. iuris. qui in ius. lib. 6.* non enim esset vera successio, si verus successor minus quam prædecessor haberet. Imperator autem fidelis succedit Imperatori infideli: ergo illo iure, quo vtebatur infidelis, & fidelis vti debet, sed Imperator infidelis non tenebat temporalia sua à papa, cum ante fuerat Imperator quam papa. Tum quia Imperator infidelis tempore Christi non tenebat temporalia à Christo: quia Christus non venit tollere dominium regum seu Imperatorum, beato Aug. teste, qui super Ioh. ait loquens regibus mundi in persona Christi: *Regnum meum non est de hoc mundo, id est, non impedio dominationem vestram in mundo, vt vane sæuiatis & timeatis.* Cui concordat Leo papa, dicens: *Dominus mundi temporale non quærit regnum, qui præstat æternum*, quod ecclesia testari videtur, cum canit de Christo. *Non arripit mortalia qui regna dat cælestia.* Tum quia religio Christiana nulli infideli tollit ius suum, teste beato Ambro. qui supra epistolam ad Cy. ait. *Admone illos principibus & potestatibus subditos esse di. q. d. Si habes Imperium, spirituale tamen, admone illos subditos esse principibus, ducibus & potestatibus minoribus: quia Christiana religio neminem priuat suo iure.* Tum quia ante Christum & religionem Christianam fuit Imperator, quo tempore nullum superiorem habuit in temporalibus, ergò nec aliquis successor eius habet aliquem hominem superiorem in temporalibus: & per consequens non est vasallus papæ. Vnde si aliquis Imperator subiiceret se papæ recognoscendo tanquam vasallus papam superiorem in temporalibus, eo ipso renunciaret Imperio & potestati supremæ laicali; nec posset dici successor primi Imperatoris, nec *Augustus* vocari deberet, quia non augeret Imperium, sed quantum in eo esset destrueret. Quod autem Imperator proprietatem propriam supremæ potestati laicali non teneat ab alia potestate, posset hic apparentiam aliqualem habere: quia non videtur eam posse tenere de alia communitate quam de communitate Romanorum: de qua non potest veritatem habere: quia idem respectu eiusdem non potest esse vasallus & Dominus: præsertim eadem ratione vel causa, Romani autem inferiores & vasalli Imperatorum sunt, quorum ipse est Dominus: ergo nulla temporalia tenet ab eis immediate, ergo à Deo tertio modo habet proprietatem proprie propriam potestati supremæ laicali.

CAP. VI.

Respondet primæ rationi cap. tertii.

VIsis rationibus in supradictis cap. præmissis, videndum est ad illa, quæ in contrarium allegantur, & primo ad illa, quæ supra, *cap. 4.* contra istam opinionem vltimam sunt adducta, ad quæ dicitur, quod imperium non est à papa: quia ab eodem fuit Imperium post aduentum Christi & ante: sed ante non fuit Imperium à papa, sicut allegatum est supra, ergo nec vnquam postea fuit à papa. Sed ad primum argumentum, cum dicitur quod Christus dedit potestatem siue commisit beato Petro iura terreni & cœlestis imperii. Ad quod secundum Antherium papã respondetur, quod verba Nicolai papæ aliter, quam prima facie sonare videntur, exponenda sunt, ne hæresim sapere videantur: quemadmodum & quædam alia eiusdem in *e. c.* cum sc. ait, *illam*, (scilicet Romanam ecclesiam) *solus ipse instituit & fundauit & supra Petram fidei mox nascentis erexit.* Et cum dicit: *Omnes siue Patriarchæ cuiuslibet apicem, siue metropoleon primatus, aut episcopatuum cathedras, vel ecclesias cuiusque ordinis dignitatem constituit Romana ecclesia, illam vero solus ipse fundauit: & supra Petram fidei mox nascentis erexit*, &c. quæ

verba nisi sanius intelligantur, scripturis diuinis & sanctorum Patrum obuiare videntur: quia Christus non fundauit Romanam ecclesiam supra Petram fidei mox nascentis: quia Romana ecclesia non fuit fundata in principio fidei, nec ipsa alias fundauit ecclesias, ante enim Romanam ecclesiam fundatæ fuerunt plures ecclesiæ: ante etiam plures fuerunt ad ecclesiasticas dignitates assumpti. Nā ante Romanam ecclesiam fuit beatus Matthias ad apostolatus dignitatem electus, *actor. 1.* etiam Diaconi ante Romanam ecclesiam ab apostolis electi fuerunt, *ibi ca. 6.* ante Romanam ecclesiam beatus Paulus & Barnabas de præcepto Dei ad dignitatem apostolatus fuerunt sublimati, *actuum 13.* antequam Romana ecclesia potestatem haberet eligendi prælatos, Paulus & Barnabas per singulas ecclesias constituerunt presbyteros *actor. 14.* Romana ecclesia antequam aliquam auctoritatem haberet, Apostoli & seniores constituerunt concilium, *actor. 15.* Antequam Romana ecclesia potestatem instituendi prælatos haberet, dicit beatus Paulus, vt habetur *actu. 20.* maioribus natu, quos vocauerat de Epheso: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiā Dei*, antequam Romana ecclesia primatum haberet, multiplicatæ fuerunt ecclesiæ Antiochiæ discipuli: ita vt primo Christiani vocarentur ibidem *act. 11.* Vnde & beatus Petrus ibidem habuit sedem, antequam Romæ, *24. q. 1. c. rogamus*, & ita ecclesia Antiochena prius instituit ecclesias & dignitates ecclesiasticas, quam Romana. Interpretationem itaque sanam opus adhibere verbis præscriptis Nicolai papæ, vt non contradicant aperte scripturis diuinis. Et consimiliter alia eius verba, q̄ sequuntur, de iuribus *terreni simul & cœlestis imperii* commissis Petro, sane exponenda sunt, ne videantur sapere hæresim manifestam. Si vero intelligantur vt prima facie sonant, ex ipsis duo sequuntur errores, primus est, quod cœleste imperium est à papa: quia dicit Nicolaus, quod Christus iura cœlestis & terreni imperii commisit Petro. Sed constat quod dicere cœleste imperium esse à papa: maxime illo modo, quo quidam dicunt propter auctoritatem Nicolai papæ: aut terrenum imperium esse à papa, sic sc. quod habens terrenum imperium, tenet ipsum à papa in feudum, est erroneum: quia hæreticum esset dicere, quod aliquis tenet cœleste imperium à papa, sicut à domino, sicut isti dicunt: quia terrenum dominium est à papa, sicut à domino, cum papa sit solummodo clauiger cœlestis imperii, & nullatenus dominus. Secundus error qui sequitur ex verbis Nicolai est, sicut ipsa intelliguntur, quod omnia regna sunt à papa, quod in præiudicium omnium regum non facientium homagium papæ, multipliciter redundare dignoscitur, videretur enim Rex Franciæ periculose errare in fide, cum in temporalibus minime recognoscat superiorem, *extra qui fi sunt le. c. per venerabilem.* Dicunt itaque isti, quod aliter, quam sonant, intelligenda sunt verba Nicolai præscripta, vnde dicunt quod secundum Gregor. *in homelia communi de virginibus*, quod regnum cœlorum nonnunquam ecclesia militans debet intelligi, sic etiam per cœleste imperium specialiter boni in ecclesia militante possunt intelligi, quare etiam per terrenum imperium designantur specialiter mali in ecclesia: & sic, vt dicunt, intelligi debent verba prædicta: vt sc. Christus commiserit beato Petro potestatem aliquam super bonos & super malos in ecclesia. Aliter dicunt quidam, quod Nicolaus papa per cœleste imperium intelligit spirituales, quorum conuersatio est in cœlis: & per terrenum imperium terrenos secularibus negotiis implicitos, & super vtrosq; habet papa potestatem. Aliter dicunt, ꝙ Christus commisit Petro iura cœlestis imperii, in quantum habet in spiritualibus potestatem supra viatores prædestinatos sc. ad cœleste imperium, commisit iura terreni imperii, in quantum constituit eum superiorem in spiritualibus Imperatore terreno, quem etiam casualiter coercere potest. Sed sicut cœleste imperium nullus tenet à papa in feudum; ita etiam nullus tenet ab ipso terrenum imperium in feudum.

CAP. VII.

Respondet secundæ rationi tertii capituli.

AD secundam allegationem, quæ in hoc consistit: quod papa ex ordinatione Christi, & non Imperator est caput primum, & supremus iudex cunctorum mortalium. Respondetur, quod hoc nō continet veritatē. Cum quia contradicit scripturæ sacræ, dicēte Apostolo, *1. Cor. 5.* in persona cunctorum fidelium: *Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare.* Sed forte diceret aliquis, quod saltem papa est supremus iudex cunctorum fidelium: ergo papa est Imperatoris Iudex, si est fidelis. Hic tripliciter respondetur. Vno modo dicitur, quod papa non est iudex cunctorum fideliū, nisi in spiritualibus, quæ ad eius pertinent potestatem: & ideo si auctoritate papali extra necessitatis casum & vtilitatis (quæ parificari debeat necessitati) aliquam sententiam tulerit in temporalibus, vel super temporalia, sententia nulla est ipso iure, tanquam à non suo iudice lata: quia in talibus non est Iudex: & si talia faceret, nulla esset illo iudice vel iure, iuxta regulam *extra, de regulis iuris*, libro sexto: *Ea quæ à iudice fiunt, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt*, non ergo papa, sed Imperator, non solum cunctorum fidelium sed etiam vniuersorum mortalium in his est Iudex supremus: ita etiam quod in his papa nō est iudex, quia enim religio Christiana neminem priuat iure suo, vt dicit Ambro. secundum quod allegatum est supra: & fundatur in dicto Apostoli, qui primæ ad Cor. 7. ait, *vnusquisq; in qua vocatione vocatus est in ea permaneat, seruus vocatus es, nō sit tibi cura.* Ex quibus verbis colligitur, ꝙ religio Christiana seruos infideliū à seruitute nō liberat, *ne nomē Domini & doctrina blasphemetur*, vt dicit Apostolus *1. Tim. 6.* Multo fortius religio Christiana nō liberat assumptū ad papatum à subiectione, q̄ fideli Domino tenebatur: q̄a, sicut dicit Apostolus, 1. Tim. 6. *qui fideles habent dominos, nō contemnant, quia sunt fratres sed*

magis

magis seruiant quia fideles sunt & dilecti &c. Imperator ergo Romanus est Iudex papæ, sicut & fuit ante papatum ipsius. Neque enim papa, neq; clerici alii exempti sunt à iurisdictione Imperatoris: & ita iure diuino remanent subiecti Imperatori, sicut prius, in his quæ Christianæ religionis obseruantiam & exercitationem officiorum, ad quæ assumuntur, non impediunt. In huiusmodi enim, quia magis oportet obedire Deo quam hominibus: sicut in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus hominibus, *dist. 8. c. vlt*. Nec conuersi Domino infideli: nec papa aut clerici Imperatori, vel alii infideli Domino, sunt subiecti. In aliis autem quantum est de iure diuino, subiecti sunt: & ideo libertatem maiorem, qua gaudent, habent ex iure humano solummodo. Sed forte diceret aliquis, quod ista responsio contradictionē implicat, quod sc. in casu necessitatis papa est iudex Imperatoris, & Imperator est iudex papæ, quæ sibiipsis sunt contraria: quia sequitur, quod idem respectu eiusdem sit superior & inferior: eo quod nemo potest iudicari nisi à superiori, *dist. 21. c. inferior. & c. submittitur*. Hic respondetur, quod inconueniens est eundem eadem ratione respectu eiusdem rei esse pariter superiorem & inferiorem, sed eundem eodem regulariter esse inferiorem, & casualiter superiorem, non debet inconueniens reputari. Rex enim superior est toto regno: & tamen in casu est inferior regno: quia in casu necessitatis potest regem deponere & in castro detinere, hoc enim habetur ex iure naturali, sicut ex iure naturali habetur quod vim vi repellere licet: sicut etiam in multis religionibus prælati supremi sunt superiores cunctis fratribus ordinis sui, & tamen in aliquibus casibus generalia eorum capitula sunt superiora prælatis supremis; ita quod ipsos possunt absoluere, & ideo sicut in iure repetitur expresse, quod in multis casibus minor supplet negligentiam maioris: ita non est inconueniens, quod idem sit eodem regulariter inferior & casualiter superior: sicut delegatus sæpe ordinatione inferior est episcopo suo, qui tamen in casu delegato à papa potest esse superior. Et taliter respondetur ad illud, quod circa principium illius capituli assumitur, quod sc. papa est Iudex cunctorum fidelium. Dicitur enim, quod in temporalibus nemo est Iudex cunctorum fidelium, nemine excepto, quamuis enim Imperator sit supremus Iudex multitudinis fidelium: non tamen est Iudex supremus personæ papæ in temporalibus propter reuerentiam officii, quo fungitur papa, propter quod papa in spiritualibus est superior Imperatore, & modicum detrimentum est, si persona papæ non sit ei subiecta: eo quod modicum quid non nocet, nam modica res non inducit simoniam, *extra, de simonia, & si quæstiones*, iuri enim diuino congruit, etiam naturali, vt Imperator non sit iudex ordinarius papæ, & papa non est Iudex ordinarius in temporalibus Imperatoris, ideo in hoc nemo est Iudex summus siue supremus cunctorum fidelium, nemine excepto.

CAP. VIII.

Respondet tertiæ rationi cap. tertii.

AD tertiam allegationem adductam supra, *cap. 3.* cum accipitur, quod papa potest Imperatorem deponere. Respondetur quod sicut papa regulariter deponere alios reges non potest à potestate concessa sibi à Christo: ita non potest regulariter deponere Imperatorem, quantumcunq; sit dignus deponi propter defectum quemcunq; vel crimen, quod non est inter spiritualia diuina computandum. Et ideo si Imperator committat crimen dilapidationis vel destructionis imperii aut damnabilis negligentiæ in periculum imperii tyrannidis, vel quodcunque aliud deponere dignissimum, Romani vel illi, in quos suam potestatem Romani dederunt, debent ipsum deponere, & non papa, nisi illi, ad quos spectat, sibi suam potestatem tribuerunt, vel nisi illi ad quos spectat, nollent vel non possent facere iustitiæ complementum: & talis immineret casus, in quo necesse esset talem circa Imperatorem iustitiam exerceri. Illud autem decretum, *15. q. 6. c. alius*, non facit ad propositum, vt videtur: quia non loquitur de Imperatore, sed de rege Franciæ, qui tamen superiorem in talibus minime recognoscit: quia non solum rex, sed regnicolæ communiter tenent, quod papa auctoritate propria non possit regem eorum extra casum necessitatis aliis non negligentibus deponere: & ideo papa, vt dicitur, proprie non deposuit regem Francorum, sed, vt dicit Gloss. dicitur deposuisse, quia *deponentibus consensit*, laudando eorum factum & propositum, & consulendo vt non timerent in hoc potestatem suam contra regem pro communi vtilitate omnino exercere. Illi igitur Franci dubii forsitan de propria potestate papam tanquam sapientiorem, quam ipsi essent seu haberent, (nondum enim erat studium Parisius) consulebant & interrogabant, an eis secundum Deum liceret suum regem deponere. Nostris autem temporibus quidam de potestate sua nullatenus dubitantes regem suum deposuerunt, papa nullatenus requisito. Vt enim dicunt isti, nec instituere nec destituere regem spectat ad papam: quando ipsis circa institutionem, destitutionem regum suorum non interueniunt pericula: nec sunt damnabiliter negligentes. Sed forte diceret aliquis, quod Innocentius 3. Ottonem quartum & Innoc. 4. deposuit Fridericum Imperatorem. Hic tripliciter respondetur, quidam enim dicunt, quod Innoc. 3. & Innoc. 4. illas depositiones fecerunt auctoritate Romanorum, ad quos spectat correctio Imperatoris. Idcirco quod Principes Alemanniæ, quibus datum est ius eligendi Imperatores à Romanis, circa Imperatoris correctionem fuerunt damnabiliter negligentes. Alii dicunt quod simpliciter Innoc. 4. auctoritate concilii generalis deposuit Fridericum, quia in casu hæresis simpliciter habet potestatem super omnes Christianos. Alii dicunt, quod vter-

que male processit vsurpando sibi potestatem, quam non habuit: sicut sæpe faciunt Romani pontifices, vt dicit Gloss. *de foro compe. super c. si clericus*, dicens in hæc verba, *papa, siue sint negligentes laici siue non, quotidie concedit litteras clericis contra laicos supra quacunque quæstione: & ita vsurpat iurisdictionem aliorum: contra illud quod dicitur supra cap. proximo. nouit. in principio*, propter quam vsurpationem dicunt ordinem Christianitatis esse confusum: quia omnis ordo confunditur, si vnicuique sua iurisdictio non seruatur, vt testantur canonicæ sanctiones, *11. q. 1. peruenit.* Ex ista enim vsurpatione dicunt populorum strages, vastationes regionum, ciuitatum & terrarum & alias desolationes auctoritate prædicti Innocentii 4. in Italia accidisse, de quo, quicquid fuerit de Friderico, sc. siue hæreticus siue laicus fuerit, dicunt quod contra Fridericum ediderit *decretalem* vel scripturā compluribus contra fidem erroribus inexcusabilibus firmatam. Quod autem dicunt quidam à centum annis & citra in regionibus Galliæ siue Hispaniæ & in maiori Britannia per supremum pontificem à gente in gentem dominia esse translata, apertissimum est mendacium, non enim in maiori Britannia, neque quoad ipsam neque quo ad Scotiam eidem subiectam, facta est per ipsum quæcunque translatio: nec etiam illi de maiori Britannia in aliqua translatione vel destitutione, nec institutione supremum pontificē requirere voluerunt: & multa alia, quorum quædam ecclesiæ libertatibus & clericorum derogare videntur, quæ contra expressas diffinitiones, ordinationes & statuta summorum pontificum in maiori Britannia fiunt, vt nonnullis apparet. Quod autem in Hispania de translatione regni Aragoniæ per supremum pontificem extitit attentatum, iniquum fuisse putatur à multis, & nullatenus potuit ad effectum produci.

Cap. IX.

Respondet quartæ rationi cap. tertii.

AD quartam allegationem inductam cum dicitur, quod papa potest transferre imperium de vna gente in aliam: diuersimode respondetur. Vno modo, quod papa potest hoc casualiter, quia non est alius. Aliter dicitur, quod distinguendum est, quia aut imperium transferendum est à gente in gentem propter aliquod crimen speciale gentis, à qua est imperium transferendum: puta si gens illa inficiatur prauitate hæretica vel ad legem Iudæorum, ad ritum vel sectam gentilitatis, vel sectam aliam conuertatur, aut propter aliud simile: vel populi, qui crimen seculare aut negligentiam vel defectum alium, propter quod etiam iudicio sapientum gentilium vel non Christianorum gens illa nō esset digna alios gubernare. Si transferendum sit imperium propter crimen aliquod speciale; dicunt quidam, quod papa potest ex iure diuino transferre imperium, cum ipse in spiritualibus & annexis eis habeat plenitudinem potestatis, quantū ad ea quæ sunt de necessitate facienda. Alii dicunt, quod papa in hoc casu non potest transferre imperium, nisi laici fuerint damnabiliter negligentes vel fauentes genti, à qua necesse est transferre imperium: sed in hoc casu ad papam spectat de crimine speciali cognoscere vel denunciare eis ad quos spectat vt ipsum deponant, nisi ipsi voluerint committere papæ potestatem suam in hac parte. Si autem illi noluerint, vel non potuerint transferre imperium, in hoc casu iure diuino deuoluta est potestas transferendi imperium ad summum pontificem, ex hoc quod ipse plenitudinem habet potestatis quantum ad omnia, quæ de necessitate sunt facienda, saluis iuribus & libertatibus aliorum non negligentium ea, quæ ad ipsos spectant in dispendium boni communis, papa autem iuxta canonem illum, *11. quæstione. 1. te quidem*, qui specialiter loquitur de papa, & plures alii, qui in scriptura Dei sunt fundati: & exemplis Christi & Apostolorum roborati: de secularibus negotiis, nisi propter defectum laicorum, se intromittere nullatenus deberet. Et hinc est, vt quædam assertio dicit, si à Romanis esset imperium transferendum ex causa manifesta, ista translatio facienda esset per laicos, non per papam; nisi laici essent damnabiliter negligentes: quod tamen admonere deberet; quia admonitio simplex, non multum eum à spiritualibus curis distraheret. Si vero imperium transferendum esset à gente in gentem propter crimen aliquod speciale, vel damnabilem negligentiam, vel propter defectum quemcunque secularem, papa auctoritate propria talem translationem non potest facere, nisi Romani omnes essent damnabiliter negligentes. Qualiter autem fuit processum per papam, cum imperium fuit translatum à Romanis de Græcis, in Germanos, an iuste an iniuste processerit, possit per certitudinem iste solus scire, qui acta temporis illius haberet: & tunc per processum, quantum ad omnia quæ concernebant translationem, cognosceret: licet pro facto papæ præsumendum sit, quod non possit probari contrarium: quemadmodum pro quocunque iudice præsumendum sit donec probetur contrarium, *extra de renun. in præsentia.* propter hoc dicunt quidam, qui dictam *decretalem* non viderunt, quod papa absque iusta causa vel auctoritate, cum non ex commissione neque propter negligentiam translationem facere potuit: nec ex iusta causa eam facere attentauit, falcem suam præsumpsit damnabiliter in messem mittere alienam. Si autem causa manifesta exigens eam fecerit ex commissione vel assensu vel auctoritate Romanorum, vel ipsi Romani in faciendo eam fuerunt damnabiliter negligentes, iuste processit: quia in tanta necessitate poterat supplere negligentiam eorumdem, & ita solummodo casualiter & non regulariter potest transferre imperium, licet

cet sit imperium transferendum. Quod autem dicunt quidam, tenentes Papam regulariter posse transferre non solum imperium, sed etiam omnia alia regna. Respondetur quod in Gallia non videtur talis translatio fuisse facta à quingentis annis & citra, &c.

Cap. X.

Respondet quintæ rationi capituli tertii.

AD quintam allegationem *3. cap.* cum dicitur, ab illo est imperium, à quo Imperator postquam electus est examinatur & inungitur, consecratur & coronatur: dicitur hic, quod hoc non continet veritatem: quia nec per examinationem nec per consecrationem potest ostendi, quòd imperiũ sit à Papa: nec quod in temporalibus Imperator sit inferior Papa, nec quod propter confirmari à Papa sit dicendus inferior in temporalibus. Sed an existimandus sit indigere confirmari à Papa, diuersimode dicitur à diuersis. Dicunt enim quidam, quod electio personæ electæ in regem Romanorum ad ecclesiam pertinet: non ad hunc finem, vt approbetur vel reprobetur electio vel electi persona: vel etiam ad hunc finem, vt possit approbatione ab eadem ecclesia habita administrare: cum ex electione concordi, vel à maiori parte principum electione sibi facta illud sibi competat, sed ad finem vt corrigat eum de criminibus notoriis, præsertim grauibus à se commissis, de quibus pœnitentiam non egit: & si correctionem contempserit nolendo agere pœnitentiam de peccatis seu criminibus eius ad requestam ecclesiæ tunc denegare potest vnctionem & coronationem imperialem, vel aliter contra ipsum procedere: Sed quando quis electus est à minore parte principum, tunc Papa posset reprobare talem electionem & ipsum electum: hoc est, declarare ipsum non habere ius, alii dicunt, quod examinatio illa non fit à Papa ad hunc finem: puta propterea, vt Papa corrigat electum de criminibus quibuscunque, nisi forte per accidens & ex consequenti: sed vt sciat an debeat ipsum pro Imperatore habere: vt sciat aliis, si necesse fuerit, per certitudinem indicare, quod ei sicut vero Imperatori obedire teneantur: non vt ei aliquam tribuat potestatem, sed coronam imperialem tantummodo, si electus eam voluerit ab ipso recipere. Quemadmodum illi, ad quos mittitur legatus, examinat litteras eius: & tamen legato nullam conferunt potestatem, nec de aliquo crimine corrigunt eum: sed vt sciant solummodo an debeant ei obedire, vt colligi potest ex *canon. 97. distinction. nobilissimus.* vbi dicit Glossa: *legati sine periculo non recipiuntur. vnde maior in eis est facienda examinatio.* sic etiam, vt habetur *extra de crimine falsi, ad falsariorum*, qui litteras Papales recipiunt, illas examinare debent, non tanquam vt superiores approbent vel reprobent eas, vel aliquid tribuant eis potestatis vel vigoris, sed vt sciant isti an sint veræ; ne in periculum suum litteris falsis vtantur. Sicut quando electio supremi Pontificis repræsentabatur examinanda Imperatori. Frustra enim esset repræsentatio illa, nisi vt examinaret Imperator electionem summi Pontificis: non vt eam tanquam superior in hoc approbaret: nec vt aliquam tribueret potestatem, quantum ad illa, quæ commisit Christus beato Petro, sed vt sciret an esset vere & rite electus: & an ipsum tanquam verum Papam deberet ab hæreticis & schismaticis & aliis maleuolis defensare, teste Gratiano, qui *distinctione 63.* ait: *principibus vero aut Imperatoribus electiones Romanorum Pontificum atque aliquorum episcoporum referendas vsus & constitutio in ecclesia tradidit, pro schismaticorum atque hæreticorum dissensionibus, quibus nonnunquam ecclesia Dei commissa periclitabatur, contra quos legibus fidelissimorum Imperatorum ecclesia munita legitur.* Sic ergo videtur quibusdam, quod alii reges inunguntur consecrantur & coronantur ab episcopis, vel archiepiscopis, à quibus tamen regna sua tenent minime, &c.

Cap. XI.

Respondet ad sextam rationem cap. 3.

AD sextam allegationem *c. 3.* Respondetur diuersimode à diuersis. Quidam enim dicunt, quod Imperator non tenetur iurare tanquam vasallus Imperatori: præsertim pro prædiis, ciuitatibus, castris & villis, & omnibus aliis quæ superabundant vltra illa, quæ sibi necessaria sunt pro sua sustentatione honorifica & executione sui officii, de quibus etiam cæteri clerici tenentur tributum reddere Imperatori. Nam ab imperiali dignitate huiusmodi immunitatem obtinent, quam dare potest Imperator, si non fuerit in notabile imperii detrimentum, omnibus sacerdotibus. Dixit enim Christus Matthæi 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Et Apostolus Romanor. 18. vniuersis præcepit fidelibus: *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*, &c. Aliter dicitur, quod nec Imperator Papæ, nec Papa Imperatori iuramentum fidelitatis & homagii prestare tenetur. Ad illud autem quod adducitur *63. dist. c. tibi Domino.* Respondetur, quod illud iuramentum non erat iuramentum fidelitatis & homagii, sed fidelis defensionis; quale iuramentũ præstant alii reges in regnis suis iurantes quod fideliter defendet ecclesiã, qui tamen ab ecclesia non tenent sua regna in feudũ. Sed quæreret aliquis, an Imperator teneatur huiusmodi iuramentũ fidelis defensionis præstare? Quidã dicunt, quod Imperator in coronatione sua vel ante, tale iuramentũ summo Pontifici tenetur præbere:

aliis tenentibus quod ad hoc nō tenetur. Etsi fecerit ex deuotione vel simplicitate vel alia causa quacunque, successores suos ad hoc non poterit obligare, cum non habeat imperium par in parem, licet enim Imperator sit Papalis aduocatus, id est defensor Romanæ ecclesiæ, sicut & patroni ecclesiæ vel ecclesiarum sunt aduocati, id est defensores earum, tamen in nullo est Imperator magis subiectus Papæ quam alii. Alii autem reges ad hoc iuramentum minime obligantur, ergo nec Imperator. Vlterius sic, vnus qui succedit alteri, iure eo vti debet, quo succedit alterius dignitati: & libertatibus gaudere debet, quibus ille gaudebat. Sed Imperator Romanus succedit in iuribus Romanorum Imperatorum, tam fidelium quam infidelium, qui hac libertate gaudebant: & hoc iuramentum præstare non tenebantur, ergo & Imperator nunc huiusmodi iuramentum nullatenus tenetur exhibere, vt satis iam ostensum videtur.

Cap. XII.

Respondet septimæ allegationi capituli tertii.

AD septimam rationem adductam *tertio cap.* dicitur, quod Papa non habet regulariter vtrumque gladium materialem, scil. temporalem & spiritualem: licet habet vtrumque in casu. Nec ad hoc probandum sufficiunt verba illa Luc. 22. *Ecce gladii duo hic,* quod proferentes ista verba intelligebant ea de duobus gladiis materialibus secundum literam, quia intelligere ipsa de gladio materiali & spirituali esset mystice interpretari ipsa, sensus aūt mysticus non est proprie intellectus aliquorum verborum Scripturæ diuinæ. Et ad confirmandum ea, quæ in contentione veniunt, adduci non possunt nisi per alia verba scripturæ, vel per aliam rationem euidētem aperte probetur. Ad probandum autem, quod Papa habet gladium vtrumque, aliam probationem oportet inuenire. Ad Innocentii Tertii adductionem dicitur, quod eius verba admitti non debent, cum errorem contineant manifestum, scilicet quod nemo, nisi qui intra ecclesiam est, aliquem gladium, id est aliquam potestatem habet, eo quod potestas gladii materialis vere & de iure non solum intra, sed etiam extra ecclesiā valet reperiri. Vere enim infideles potestatem gladii materialis habebant, licet ea fuerunt frequenter abusi: sed abusus potestatis veram & legitimam potestatem non excludit. Neq; valet dicere, quod Imperator ipse accipit gladium à summo Pontifice in vagina, quem eximit & vibrat: quod hoc facere non tenetur: quia quamuis non faceret, verus Imperator existeret. Nec valet dicere, quod Dominus dicit Petro: *Conuerte gladium tuum in vaginam,* non alienam, sed *tuam.* Non enim propter hoc quod dicitur *vaginam tuam,* innuitur quod Petrus habuit gladium materialem, licet per seipsum non debuit exercere: quod illa verba Christi ad literam debent intelligi de gladio, quem Petrus per seipsum exercuerat, antequam esset Pontifex supremus: & per consequens nisi per alium locum Scripturæ ac rationem insolubilem aperte probetur, ad auctoritatem de Gratiano confirmandam adduci non potest.

Cap. XIII.

Respondet octauæ & nonæ allegationibus capitulo tertio adductis.

AD octauam rationem eiusdem capituli respondetur, quod nequaquam ab illo est imperium, ad quem se habet Imperator, vt filius ad patrem, sicut discipulus ad magistrum, sicut plumbum ad aurum, quia has comparationes non habet Imperator, ad quemcunque hominem purum propter suum terrenum imperium, vel saltem propter temporalia, sed propter spiritualia, in quibus ipse subiectus est. Consimiliter respondetur ad nonam negando, quod imperium est ab illo, cui tenetur Imperator caput submittere, vnde si per verba Valentiniani probari posset, quod imperium esset à Papa, probaretur per ipsum, quod imperium est ab episcopo Mediolanensi, quod de illo protulit Valentinianus verba illa.

Cap. XIV.

Respondet decimæ & vltimæ rationi cap. tertii.

AD decimam rationem respondetur, quod Papa vacante imperio, præsertim si non fuerit vicarius alius imperii ab Imperatore, vel etiam Romanis, vel ab illis quibus Romani contulerunt potestatem, assumpsit, quam tamen assumere debuisset, maxime tempore fidelium, qui non minus, quam modo, ecclesiæ & summo Pontifici in his, quæ debebant, parati fuerunt humiliter obedire, si potestas huiusmodi ad Papam ex ordinatione Christi spectasset, cum secundum beatum Cyprianum, vt habetur *8. q. 1. quam periculosum sit in diuinis rebus, vt quis cedat suo iuri & potestati.* Sed forte aliquis diceret, quod secundum Innocentium Tertium, vt habetur *extra de fo. compe. licet. Vacante imperio recurrendum est ad summum Pontificem pro iustitia obtinenda.* Ergo ad ipsum spectat de imperio se intromittere, quando vacat. Respondetur, quod Innocentius intelligit ad Papam habere recursum vacante Imperio, quando non est aliquis vicarius imperii, qui in temporalibus facit iustitiam

his,

his qui opprimuntur iniuste, quod insinuare videtur cum dicitur, *appellandum ad Papam, quando vacante imperio ad iudicem secularem recurrere nequeunt, qui à superioribus opprimuntur, &c.*

CAP. XV.

Ponit solutiones alterius opinionis ad ea, quæ in contrarium adducta sunt, cap. 5. circa finem eius ad probationem secundi membri.

DIctum est, quomodo secundum opinionem tenentem, supremam potestatem laicalem tenere temporalia sibi appropriata à solo Deo ad illa, quæ sunt adducta in contrarium respondetur. Nunc dicendum est, qualiter secundum opinionem dicentem, potestatem laicalem supremam tenere temporalia appropriata sibi à supremo Pontifice: respondetur ad illa, quæ circa finem *quinti ca.* in contrarium adducta sunt. Vnde ad primum, cum dicitur, quod Imperator infidelis non tenebat temporalia sua à Papa. Respondetur, quod Imperatores infideles tenebantur recognoscere Papam suum superiorem in temporalibus: licet de facto nō faciebant. Et cum dicitur, quod ante fuit Imperator q̄ Papa. Respondetur dupliciter. Vno modo, quod ante Christum, qui fuit primus Papa & sumus Pontifex, non fuit Imperator: quia nullus Imperator ante ipsum habuit verum dominium temporalium rerum, sed solummodo fuit possessor bonæ fidei, cum ipsi per bonam fidem temporę durante licuit vti reb. propriis. Sed ista responsio videtur sapere hęresim manifestam, eo quod apud infideles fuit verum dominium temporalium: licet plures illud tenerent ex intentione corrupta, sed intentio corrupta in accipiendo verum dominium non excludit. Emens enim ex intentione corrupta rem alienam à vero domino, verum dominium acquirit. Aliter respondetur, quod verum Imperium fuit ante Papam, & etiam ante Christum, quo tempore Imperator à nullo homine tenebat Imperium, sed postq̄ Christus venit, cui Deus dedit dominium temporalium rerum, Imperator tenebatur ab ipso recognoscere Imperium, & cum abesset, à generali vicario eius sc. supremo Pontifice. Sed forte diceret aliquis, Imperator, qui fuit tempore Christi, successit Imperatori qui fuit ante Christum, ergo isto iure, quo ille vsus est, debuit vti & iste, qui fuit tempore Christi: ergo sicut iste non tenebatur recognoscere ab homine imperium, ita nec ille, qui fuit tempore Christi. Respondetur ꝙ qui in ius alterius succedit eo iure vti debet, quo & alter, nisi per superiorem aliter ordinetur. Deus aũt, qui est supremus omnium Imperatorum ordinauit dando Christo dominium temporalium rerum, vt Imperator succedens Imperatori, qui fuit ante Christũ, subiectus esset Christo & vicario eius. Et cum dicitur, quod Christus non venit tollere, nec etiã impedire imperium regum seu Imperatorum. Respõdetur ad argumentum, ꝙ Christus non impediuit dominationem regum, quãdo libere, sicut prius, iuste dominationem præcedentẽ exercuerũt, licet dominationẽ ipsorum voluit depẽdere ab ipso. Et ad auctoritatem Leonis Papæ respondetur, ꝙ Christus non quærebat temporale regnum, vt ipsum à temporalibus regnis auferret: sed voluit quod omne regnum temporale sibi esset subiectum. Sic etiã respondetur ad illud, quod canit ecclesia: *non eripit mortalia, &c.* ꝙ Christus non venerit eripere alicui mortalia, licet voluerit omnia mortalia sibi esse subiecta & à se recognosci. Per idem ad Ambros. respõdetur, quod *religio Christiana neminẽ priuat suo iure absq; culpa & sine causa*: iura tñ, quæ prius erant aliena, dimittẽdo ea eis, quorũ erant sibi subiecit vt recognoscerẽtur ab ipso. Et ꝑ prædicta respondetur ad illud, quod dicitur, quod ante Christum & religionem Christianam fuit Imperator, qui tunc nullum superiorem habuit in temporalibus: quia illo tempore Imperator nulli homini fuit subiectus in temporalibus: quia tunc nullus erat homo, cui Deus in cuius sinu omnia sunt, dedit principaliter dominium temporalium rerum, postea fuit Christus inquantũ homo factus Dominus principalis eorum.

QVÆSTIO TERTIA.

CAP. I

Primum caput tertiæ quæstionis proponit ipsam quæstionem, & circa eam primam opinionem, quæ tenet, quod omnis iurisdictionis auctoritas dependeat à Papa, quam quidem multis rationibus stabilire conatur.

TErtio quæritur, vtrum Papa & Romana ecclesia ex institutione Christi habeant, quod cõmittant Imperatori & aliis principibus secularibus iurisdictiones temporales: sic vt ipsi aliter non habeãt exercere. Circa istam quæstionem sunt opiniones contrariæ, quarũ vna est, quod ecclesia Romana & Papa ex ordinatione Christi habet Imperatori & aliis principibus iurisdictiones temporales cõmittere, & sine commissione eius iurisdictiones illas debere temere nullatenus exerceri. Hanc opinionem, vt videtur, debent tenere isti, qui asserunt quod Papa habet tam in spiritualibus quam in temporalibus illam plenitudinem potestatis, quæ dicta est supra *quæst. 1. ca. 2.* vt ex ordinatione Christi possit omnia, quæ non sunt contra ius naturale aut spirituale, aut contra ius diuinum de necessitate salutis tempore gratiæ obseruanda. Quod vero secundum alios Papa possit committere Imperatori & aliis principib. iurisdictiones temporales, videtur aperte posse probari, si Papa talem habeat potestatem seu plenitudinem scilicet potestatis eum posse iurisdictiones temporales committere talis plenitudo potestatis includat: eo quod hoc posse nec iuri obuiat naturali, nec legi diuinæ repugnat. Quod etiam tales iurisdictiones, cum ipsas per seipsum nõ valeat exercere, cõmittere teneatur, ostendi-

ostenditur: quia aliter opus Dei sibi à Deo commissum facere negligeret: nec imitaretur Christum dicentem Ioh. 18. *Opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem.* Si autem ex ordinatione diuina Christi omnia possit, oportet quod omnia exequatur & faciat, vt quæ nequit exequi per seipsum, per alios studeat adimplere. Quod vero secundum illos Imperator & alii principes seculares huiusmodi iurisdictiones temporales, nisi vt sic committantur à Papa, non debeant exercere, videtur posse probari. Nam qui assumit officium & administrationes dignitatis & honoris etiam secularis absq; principe, ad quem spectat de huiusmodi officiis ordinare, de ambitione merito est notandus. Ambitio autem etiam respectu secularium dignitatum siue iurisdictionum à legibus etiam humanis improbatur. Si ergo ad Papam ex institutione Christi spectat de huiusmodi officiis ordinare, non licite sine Papa exerceret eadem. Item sicut habetur *extra, de regulis iuris. non est licitum*: *Non est sine culpa qui rei quæ ad se non pertinet, se immiscet.* sed si ad Papam pertineat huiusmodi iurisdictiones Imperatori & aliis committere, ad nullum eorum spectat sine Papa, & per consequens illicite se immiscet. Quare nullus sine Papa debet huiusmodi iurisdictionem exercere. Rursus secundum Apostolum ad Heb. 6. *nemo sumat sibi honorem*, quod non tantummodo de spirituali vel etiam ecclesiastico: sed etiam de seculari debet intelligi, quod etiam ex ratione, quam ibidem tangit Apostolus, videtur probari. Nam nemo potest magis sibi assumere honorem secularem quam spiritualem, seu ecclesiasticum, cum nemo sit dignior honore seculari, quam Christus spirituali, quia Christus, vt testatur Apostolus, *non semetipsum clarificauit vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te.* ergo nemo debet sibi assumere honorem secularem absque Papa, nec ad Imperatorem spectat huiusmodi honores, cui voluerit, committere. aliter enim per ostium, id est per institutionem legitimam non intrabit, qui fur erit & latro, & non Imperator aut princeps, sed tyrannus & inuasor. Istam opinionem habent tenere illi, qui dicunt, quod licet Papa nõ habeat illam plenitudinem potestatis, de qua dictum est: *q. 1. c. 1.* ne lex Christiana sit maioris seruitutis, quam sit lex Mosaica, tamen habet plenitudinem potestatis, quantum ad omnia quæ necessaria sunt pro communitate fidelium gubernanda, & licet non possit quæ sunt supererogationis: tamen potest omnia sine quibus vniuersitas fidelium regi non potest. Et ita si Papa habeat plenitudinem talem potestatis ex institutione Christi, ad ipsum spectabit huiusmodi iurisdictiones temporales committere. Quare qui absque ipso sibi sumeret huiusmodi iurisdictionem, illicite sibi sumeret ipsam, & illicite eandem exerceret. Pro ista opinione potest sic argui. Communitas volentium communionem habere adinuicem, in qua omnes vel plurimi ad discordias, dissensiones & lites sunt proni, non est optime ordinata, nisi vni supremo rectori iudici & capiti, à quo iurisdictio omnium aliorum dependeat, sit subiecta. Istud videtur posse probari. Nam vnus populus, si est bene ordinatus, vni gubernatori & non pluribus debet esse subiectus, quod Salomon insinuare videtur Prouerb. 11. *Vbi non est gubernator, populus corruet.* Quod enim non dicit, vbi non sunt gubernatores, sed *vbi non est gubernator*, videtur innuere, quod vni populo vnus supremus debet esse gubernator, & non plures. Totum autem genus humanus vnus populus est, non enim ad vnitatem populi requiritur, quod vnam ciuitatem aut villam inhabitent. Nam vt legitur *2. Paral. 18.* ibi dicit rex Achab ad Iosaphat regem: *Sicut populus tuus, ita & populus meus*: & tamen nec vnius regis, nec alterius populus inhabitauit solummodo vnam ciuitatem aut villam. Ergo si totum genus humanum optime gubernaretur, oporteret quod vni supremo gubernatori esset, quoad omnia subiectum, à quo iurisdictio omnium aliorum dependeat. Hoc etiam Saluator Ioh. 10. videtur innuere dicens: *Fiat vnum ouile & vnus pastor.* Ex quo sequitur & datur intelligi, quod vni regi & vni communitati quantumcunque magnæ debet vnus supremus pastor præesse. Hoc etiam Hieron. videtur sentire in epistola ad Rusticum monachum, vt habetur *7. q. 1. cap. in apibus*, vbi videtur asserere, quod in omni communitate debet esse supremus pastor, rector & iudex: quia secundum ipsum *Imperator est vnus Iudex, vnius prouincia vnus est: singularum ecclesiarum singuli sunt episcopi.* ergo ratione consimili totius orbis debet esse vnus princeps, à quo omnium iurisdictio aliorum dependeat. Hoc etiam ratione probatur: quia si in toto orbe non esset summus Pontifex seu rector seu iudex, à quo iurisdictio omnium aliorum dependeat, ergo sunt vel esse debent plures superiores non habentes superiorem. Sed hoc optimo modo regendi obuiare videtur: quia si sunt plures superiorem non habentes, aut præsunt eidem, aut diuersis, si eidem, quemadmodum si multis in regno aliquo vel prouincia eadem saltem præest laicis rex & iudex secularis, & patriarcha aut episcopus vel alius ecclesiasticus, quamuis vnus in secularibus & alius in spiritualibus, videtur quod talis communitas non est bene ordinata: quia illa communitas non est optime gubernata, in qua subditi suo superiori in his, quibus tenentur obedire non possunt: sed si eidem præsint plures superiorem non habentes, eo facto subditos à se existentes in diuersis locis tempore eodem vocabunt. Non poterunt autem obedire cuilibet, ergo necesse erit, vt sint alterius vel illorum aliquibus inobedientes. Quare illa communitas non est optime ordinata. Restat ergo, quod nulla communitas est bene ordinata, nisi vni capiti subsit, à quo iurisdictio omnium aliorum dependeat. Vniuersitas autem mortalium est communitas quædam volentium communionem habere adinuicem, in qua plurimi ad discordias sunt proni. Ergo non est optime ordinata, nisi vni capiti subsit, à quo iurisdictio omnium dependeat: sed nullus potest esse alius, quam supremus Pontifex, cuius iurisdictio saltem quantum ad ea, quæ ad fidem & religionem Christianam spectant, à solo Deo dependet. Ergo à solo supremo Pontifice iurisdictio omnium aliorum dependet. Si vero præsunt diuersis plures superiorem non habentes, quemadmodum diuersi reges regnant in diuersis regnis, non potest dici, quod tota communitas sit optime dis-

posita.

posita, non enim tota communitas comprehendens subditos diuersorum non habentium superiorem, est optime ordinata: quia cum natura humana est prona ad dissentiendum inter diuersos superiorem non habentes, leuiter poterit oriri discordia, quæ per superiorem sedari non poterit. Discordia autem inter maiores superiorem non habentes periculosa est, secundum Aristotelem *6. politic. cap. 9.* qui, vt dicit ibidem, *in signum dissensionis coassumere faciunt totam ciuitatem.* quando enim tales dissentiunt, totam communitatem scindunt & diuidunt, sed talis communitas non est optime gubernata. Si autem iurisdictio omnium aliorum dependet à summo Pontifice, nec Imperator, nec alius princeps debet iurisdictionem temporalem exercere, nisi sibi à supremo Pontifice committatur.

Cap. II.

Capitulum secundum tertiæ quæstionis ponit opinionem secundam, tenentem oppositum superioris opinionis, cuius etiam probationes adducit, quæ soluentur cap. 8. huius quæstionis.

Alia est opinio, quod nec Papa nec Romana ecclesia habet ex institutione Christi, quod regulariter committat Imperatori & aliis principibus secularibus iurisdictiones temporales, & quod ipsi eas absque eo possunt exercere. Sed circa hanc assertionem sunt diuersi modi ponendi. Vnus est, quod nec Papa nec Romana ecclesia hoc habet à Christo seu ex institutione Christi. Et sic quod Romana ecclesia nullam habet potestatis plenitudinem penitus coactiuam, nisi sibi à Papa vel Imperatore, vel aliquo alio inferiore Imperatore committatur, & quod Imperatori aut populo in temporalibus est Papa subiectus, & si aliquod crimen siue spirituale siue seculare commiserit, subiectus pœna debita realiter est coercendus, & quod Imperator & alii principes seculares absque hoc, quod ex institutione eis aliquid à Papa committitur, iurisdictiones temporales habeant exercere. Alius modus ponendi est, quod ex institutione Christi habet Papa, vt tam spirituales censuræ criminales, quam aliæ ad ipsum pertineant, in quibus potestatem obtineat coactiuam. Sed de temporalibus nec regulariter nec casualiter habet se intromittere, nisi sibi à populo vel Imperatore vel seculari alio committatur. Tertius modus ponendi est, quod Papa regulariter non habet, sed solummodo casualiter ex institutione Christi, quod iurisdictiones scilicet temporales committat Imperatori & aliis principibus, & quod in casu ipsi eas aliter non debeant exercere. Concordant itaque isti ponentes in hoc, quod nec Papa nec Romana ecclesia habet ex institutione Christi, quod regulariter committat Imperatori, nec aliis principibus secularibus iurisdictiones seculares siue temporales, & quod ipsi eas regulariter absque commissione valeant exercere. Pro quo taliter allegari potest. Nemo quocunque modo iurisdictionem temporalem domino suo committere potest: Imperator autem est summus dominus summi Pontificis, cum Papa sit vasallus eius scilicet Imperatoris, cui tributum debet, nisi ab imperiali dignitate immunitatem obtineat *11. quæst. 1. cap. Si tributum.* Quod Vrbanus Papa, vt legitur *23. quæst. 8. cap. tributum*, fateri videtur, qui loquens de tributo dando Cæsari pro se & aliis clericis dicit: *De exterioribus ecclesiæ, quod constitutum est antiquitus, pro pace & quiete, quæ nos tueri & defendere debent, Imperatoribus persoluendum est.* Ex quibus verbis colligitur, quod Papa debet Imperatori dare tributum, quod est approbatio subiectionis, *extra, de censibus cap. omnis anima:* ergo Imperator est dominus summi Pontificis, vnde & nonnunquam supremi Pontifices Imperatorem dominum suum appellauerunt, *11. quæstion. 1. cap. sacerdotibus, distinction. 63. cap. nobis dominus, & cap. Salonitana.* Amplius, res transit cum onere suo, *extra, de pignoribus, ex literis*, igitur Papa recipiens dignitatem & prædia, quæ tributum & seruitium debent Imperatori, ratione rerum huiusmodi est Imperatori subiectus. Rursus, religio Christiana à seruitute neminem liberat, sicut allegatum est supra, ergo si Papa ante Papatum sit subiectus Imperatori, remanet Imperatori subiectus & seruus, nisi Imperator libertatem & immunitatem ei concesserit. Sed diceret aliquis, quod seruus ante Papatum assumptus in fauorem Christianæ religionis liberatur à seruitute, & etiam ab omni subiectione; sicut seruus factus presbyter à seruitute. Respondetur, quod in fauorem ecclesiæ nihil iniustum statui debet: quia prætextu pietatis non est facienda impietas, *14. quæstion. 6. cap. fur autem, & 1. quæst. 1. non est putanda.* cum igitur iniustum sit & iniquum, quod aliquis sine culpa priuetur iure suo, Ecclesia non potest statuere, vt Imperator vel alius priuetur iure, quod habuit in personam Papæ antequam esset ad Papatum assumptus, *ne* (vt dicit Apostolus primæ Timoth. 6.) *nomen Domini & doctrina blasphemetur.* Cuius doctrinam Gelasius Papa, vt habetur *distinct. 54. cap. generalis*, sequi videtur, affirmans quod *serui dominorum suorum iura sub obtentu religionis fugere minime debent: ne per Christiani nominis institutum aut aliena iura videantur peruadi* (alias perimi) *aut publica disciplina subuerti.* Videtur ergo, quod si seruus fiat presbyter vel summus Pontifex, neque iure diuino neque iure naturali eripitur à seruitute. Nec à seruitute eripi potest iure canonico. Quia iura canonica leges seculares nequaquam tollere possunt, ergo si seruus Papa vel presbyter in libertatem eripitur, oportet quod ipsam à iure humano in posterum assequatur.

CAP. III.

Respondet allegationi ad medium primi capituli posita.

HIs opinionibus breuiter recitatis videndum est, quomodo secundum eas allegationes cōtra eas inductas, respondetur. Secūdum autem opinionem vltimo recitatam ad allegationem inductā supra *c.1.* pro opinione prima diuersimode respondetur. Dicitur vno modo respondendo, quod nulla communitas est optime ordinata, nisi vni supremo sit subiecta, & ideo conceditur, quod omnium mortalium, si optimo regimine debeant gubernari, debet esse vnus supremus Iudex per electionem vniuersitatis mortalium vel sanioris vel maioris partis constitutus, qui non debet esse Papa, sed alius, qui supremo sacerdotio non fungatur: cui Papa, & omnes alii in omnibus, qui ad supremum spectāt officium, sint subiecti, ita vt Papa ex institutione Christi nullam iurisdictionem aut potestatem neq; regulariter neque casualiter, neque in spiritualibus habeat coactiuam, quamuis à Christo habeat potestatem absoluendi in foro pœnitentiæ à peccatis, ac cætera ecclesiastica sacramenta ministrandi, & docendi qualiter sit viuendum, vt vita perpetua acquiratur. Hæc responsio in diuinis scripturis fundari videtur, quia in eis legitur (vt dicunt) quod Christus Apostolis omnem potestatem coactiuam interdixit, cum dicit Matth. 20. *Scitis quod principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos: non ita erit inter vos.* Ex quibus verbis colligitur, quod Apostoli nullam habuerunt potestatem in alios exercere. Quod de potestate coactiua præcipue debet intelligi, quod nec Papa successor Petri ex institutione Christi p hoc potestatem habet coactiuam aliquā. Hoc etiam per hoc videtur posse probari, quod Christus, cuius Papa est solummodo vicarius, nullam vnquam potestatem exercuit coactiuam, sed à iudice seculari voluit iudicari: ergo nec eius vicarius habet potestatem coactiuam aliquam, sed in omnibus iudici seculari subditus est. Aliter respondetur, quod Papa habet plenam potestatem in spiritualibus coactiuam, & alius Iudex habet solummodo in temporalibus, & tamen communitas mortalium, hoc non obstante, poterit esse optime regulata, & ideo negatur illa: Nulla communitas potest esse optime ordinata, nisi vni supremo Iudici sit subiecta. Aliter dicitur secundum secundam opinionem superius recitatam, quod nulla communitas discordias inter se habere valentium est optime regulariter ordinata, etiam si in omni casu vni supremo iudici esset subiecta: quia in tali communitate posset iste supremus Iudex in perniciem totius communitatis delinquere, & optimæ ordinationi communitatis cuiuscunque repugnare. Rursus optimæ ordinationi communitatis obuiat, quod aliqui alii à supremo Iudice potestatem regularem etiam habeant coactiuam, qui non sunt præiudiciales potestati supremi Iudicis. Ex his infertur, quod optimæ ordinationi communitatis non repugnat, quod supremus Iudex & alii inferiores ipso alicui alteri, quā supremo Iudici, casualiter sint subiecti, qui super eos potestatem habeant coactiuam. Adhuc optimæ ordinationi communitatis non obuiat, quod aliquis à iurisdictione coactiua supremi iudicis regulariter sit exemptus. Ad allegationem supradictam dicitur, quod nulla communitas dissentire valentium est optime ordinata, nisi tota vni supremo iudici sit subiecta, vel regulariter vel casualiter, ita vt nullus alius à supremo iudice sit casualiter ab eius potestate exemptus, vt in nullo casu liceat supremo Iudici coercere eundem: sed quod à potestate supremi iudicis aliquis regulariter sit exemptus, & in casu necessitatis sit subiectus eidem, optimæ ordinationi communitatis generalis vel specialis non repugnat, nec etiam vt supremus in eadem communitate regulariter sit exemptus à potestate totius communitatis: & tamen quod in casu necessitatis sit eidem communitati subiectus, & ideo vniuersitas mortalium non est optime ordinata, nisi vni supremo Iudici prædicto modo sit subiecta, licet in casu expediat ab huiusmodi optima ordinatione saltem ad tempus recedere.

CAP. IV.

Pro declaratione solutionis data in cap. præcedenti ostendit, quæ principatui supremo compossibilia, & quæ incompossibilia sint dicenda, & hoc primo medio.

POrro quia ista videntur non vsquequaque clare dicta, sed obscure, ita vt qualiter intelligi debeant, aliquis valeat dubitare, vt lucidius eorum pateat intellectus, ac per hoc an sit verus an falsus magis appareat, breuiter est dicendum secundum istam opinionem, quæ ad optimum principatum rectoriam seu regimen requiruntur, quæ sibi repugnant, & quæ sibi compossibilia possent reputari. Dicitur itaque, quod ad optimum principatum exigitur, quod sit propter bonum commune subditorum, non propter principantis proprium institutus. Per hoc enim optimus principatus, tam generalis omnium mortalium, quam specialis, qui est respectu quorundam, non solum differt à principatu illicito discolo & iniusto, verum etiam à principatu despotico, id est dominatione propter bonum proprium principantis, & ab omni alio etiam illicito, qui non ordinatur ad commune bonum, talis autem principatus est Papalis & episcopalis, quantum est ex ordinatione Christi: quod Christus insinuasse videtur, quando beatum Petrum ordinauit in Papam dicendo ei: *pasce oues meas,* quasi diceret, super oues meas principem te constituo, vt non tollas ab eis lac & lanam, nisi pro necessita-

cessitatibus suis, iuxta illud primæ ad Corinth. 9. *Quis pascit gregem & de lacte gregis non manducat?* sed ad pascendum non ad exhauriendum easdem. Eandem etiam potestatem videtur Christus commisisse Petro, quando dicit eidem, vt habetur Matth. 16. *Tu es Petrus; & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cœlorum*, quasi diceret, ad ædificandam ecclesiam meam, non ad dominandum ei, vt ipsemet Petrus in sua canonica prima capite quinto innuit dicens: *Neque vt dominantes in clero*, & vt introducas eas ad regnum cœlorum, cæteris te proponam & præferam, & ideo per verba Christi, quæ sequuntur, *Quæcunque ligaueris super terram erunt ligata & in cœlis*, intelligitur, Petro fuisse permissa potestas super sibi subiectos, non super alios, quæ esset ad ædificationem & non ad destructionem ipsorum: qualem potestatem Apostolus *1. ad Corinth. vltimo* super sibi subiectos dicit sibi datam à Domino, non à Papa. Etiam beatus Petrus nullam potestatem recepit à Christo, nisi propter bonum sibi subiectorum ad obtinendum regnum cœlorum, vt nihil eis valeret imponere per præceptum, nisi quod esset eis necessarium ad consequendum regnum cœlorum, & ideo iura & libertates fidelium sunt à Deo & natura concessa, vt nihil eis nisi auctoritate Christi valeat iniungere: quia ad ædificationem, non ad destructionem iurium & libertatum à Deo & natura fidelibus concessarum recepit potestatem à Christo, ne ipsorum non solummodo pastor & seruus: sed & dominus videretur, contra illam doctrinam, qua ipse & alios episcopos informauit dicens: *Pascite qui est in vobis gregem Dei: prouidentes non coacte sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo*, propter quod si beatus Petrus, qui iura & libertates fidelium extra casum necessitatis & vtilitatis, quæ necessitati comparari valet, aliquid in communi vel in speciali iussisset, huiusmodi iussio neminem obligasset. Etiam si in contradicentes sententiam aliquam protulisset, tanquam à non suo iudice lata, ipso iure nulla fuisset, iuxta regulam, extra, de regulis iuris libr. sext. *ea quæ fiunt à iudice, si ad eius non spectant officium, viribus non subsistunt.* Si enim quod à prælato exigitur, à sibi subiecto est liberum denegare (*extra, de excessibus prælatorum, cum ad quorundam*, in glossa expressa, quod accipi videtur ex textu) multo magis quod Petrus exegisset à sibi subiecto contra libertatem sibi à Deo & natura concessam, liberum extitisset eidem subiecto denegare: & sententia Petri contra priuilegium Dei sic etiam nulla fuisset, tanquam à non suo iudice lata. Nam quantum ad libertates fidelibus à Deo & à natura concessas, omnes à iurisdictione Petri exempti fuerunt, quia cum priuilegia & exemptio, quæ conceduntur à Deo & natura, magis debeant vnicuique seruire, quam quæ indulgentur à Papa vel à beato Petro: sequi videtur, quod omnis sententia Petri contra libertatem huiusmodi, tanquam à non suo iudice lata, ipso iure nulla fuisset, licet huiusmodi principatum, quæ bonum solummodo respicit subditorum, non proprium principantis, nisi inquantum in bono communi concluditur aliorum, Christus Apostolis minime interdixit: sed eis præceptorie vel consultorie imposuit, vt ab omni principatu propter honorem & commodum proprium abstinerent: dicens ad eos, vt habetur Matth. vigesimo. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos: non ita est inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit sicut minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Quibus verbis Christus Apostolis non omnem potestatem interdicit: sed magis aliquid appetendum ab eis ostendit, cum dicit: *quicunque voluerit inter vos maior fieri*: & quicunque *voluerit inter vos primus esse*, nam maioritas & primitas in principatu hærere noscuntur: quod etiam non ignorans doctor gentium innuit manifeste, primæ ad Timotheum decimo tertio dicens, *si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Qualem autem principatum Christus voluit ab Apostolis appeti, patefecit dum subdit: *Sicut filius hominis non venit ministrari*, honorem & munera, tributa & seruitia, præsertim non necessaria, præceptis, pœnis vel timoribus exigendo, qualia petunt principes seculi, qui obtinentes ius principandi, modum nullatenus amplectuntur. Nam à subiectis talia exigunt & extorquent, sæpius etiam violenter, sed ministrare venit non tantummodo corporaliter etiam pedes discipulorum suorum humiliter abluendo: sed etiam spiritualiter credentes in ipsum propter eorum vtilitatem, non suam, ex nimia charitate docendo, monendo, ac præceptis & prohibitionibus, quæ ad principatum spectare noscuntur, saluberrime dirigendo, teste euangelio Matthæi decimo, vbi dicitur: *Hos duodecim misit Iesus præcipiens eis & dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel*, &c. Et post: *nolite possidere aurum*, &c. Quod etiam in compluribus aliis locis euangelicæ doctrinæ explicite inuenitur Christus præcepisse, ergo non obstat, quod dicit, se *venisse non ministrari sed ministrare.* Nequaquam enim omnem prælationem seu principatum à se remouet, sed solummodo propter vtilitatem propriam, gloriam vel honorem, sicut ipse sæpe testatus est, quamobrem cum ipse voluerit, quod ipsi essent imitatores sui fidelium vtilitatem procurando, nullatenus ipsos ab omni principatu prohibuit: sed ipsos præcepto vel consilio informauit, vt præcipiendo fidelibus non dominari propter propriam vtilitatem, gloriam & honorem appeterent: qualiter principes seculi semper vel frequenter quærere dinoscuntur. Huiusmodi autem principatus puritate propter bonum aliorum facti sunt Apostoli: sed secundum quosdam ad puritatem huiusmodi principatus absque omni promotione cuiuslibet alterius principatus, qui propter bonum proprium, gloriam & honorem assumitur, principatus successorum Apostolorum de necessitate salutis minime astringuntur, nisi aliqui, qui per votum vel iuramentum

tum à se omnem principatum huiusmodi abdicarent, licet quorundam assertio asserat, quod ad talem puritatem principatus illi, qui in principatu succedunt Apostolis, obligentur.

CAP. V.

Cap. 5. tertiæ quæstionis ostendit alio medio, quid ad optimum principatum requiritur: ostenditq; primum vno argumento, quod principatus monarchicus præcellit cæteros, & hoc circa principium cap. deinde circa medium intentum probat.

SEcundo ad optimum principatum tam generalem respectu cunctorum mortalium, quam specialem respectu quorundam secundum opinionem præscriptam requiritur, quod principans sit vna persona, sicut principatus est vnus, quapropter secundum philosophos principatus regalis, quo vna persona refulget, tam principatum aristocraticum quam politicum, quorum vtriq; præsident plures, superat & præexcellit. Pro quo posset tripliciter allegari: sed ad præsens vnam sufficiat allegationem adducere, quæ talis est. Ille principatus est optimus & cæteris præstantior reputandus, quo inter subditos charitas, amicitia, pax & concordia potissime procuratur, multiplicatur, crescit & seruatur: & quo seditio seu discordia, quæ est cuiuslibet communionis corruptio, præcipue deuitatur, propter hoc enim omnis principatus bonæ communioni expediens principaliter est institutus: & ita summo conatu plantare debet princeps & fouere in suis subiectis, vnde & princeps pacis Christus, super cuius humerum factus est optimus principatus corporaliter, ab Apostolis & cæteris fidelibus recessurus ipsis dilectionem & amicitiam singulariter imponebat, dicens: *hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Qui etiam ipsis pacem, quæ est caritatis & amicitiæ effectus, optauit sæpius, & præcepit illis inter se seruare, & aliis dare docebat. Dicit enim eis, vt habetur Iohannis 14. *pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis*, & 16. ait: *In me pacem habeatis.* Matt. 9. *pacem habete inter vos*, & Iohannis 20. sic legitur: *venit Iesus & stetit in medio discipulorum & dixit: pax vobis.* Et Matthæi decimo dixit Apostolis: *intrantes domum salutate eam dicentes: Pax huic domui.* Quod autem ex discordia, corruptio & destructio cuiuslibet communitatis perueniat, & per consequens ex concordia constructio communitatis optima: omnis communitatis bonæ auctor & rector Christus declarat dicens, vt habetur Matthæi duodecimo. *Omne regnum diuisum contra se desolabitur.* His sola ratione coactus concordat Aristoteles, qui quinto libro politicorum ait: *amicitiam putamus maximum esse bonum ciuitatibus: sic enim vtique sibi minime seditiones faciunt*, & septimo libro ethicorum dicit: *videtur autem & ciuitates continere amicitia, & legis positores magis circa ipsam student, quam circa iustitiam. Concordia enim simile aliquid amicitiæ videtur esse: hanc autem maxime appetunt.* Ex quibus probatur, quod principatus ad seruandam amicitiam, pacem & concordiam, & ad tollendum discordiam inter subditos principi potissime ostenditur. Hoc autem magis fit, si princeps fuerit vna persona, quam si plures existant, quemadmodum existit in aristocratia. Nam si vnus solus fuerit summus principans, nulla poterit omnino à capite discordia prouenire: nemo enim dissentit à seipso. Si vero fuerint plures supremi principantes, siue diuersi sint viri aristocratice vel politice præsidentes, inter rectores totius communitatis poterit amicitia & pax dissolui: ac discordia & seditio suboriri: quæ omnibus discordiis inter subditos & minus potentes grauior & periculosior esse dignoscitur. Omnis enim discordia inter minus potentes & subditos per principantem vel principantes sedari potest & sanari. Sed si inter principantes supremos fuerit suborta discordia, etiam ad omnes alios faciliter se diffundet: quia, vt testatur Aristoteles quinto politicorum capite nono. *Totaliter insignium assumere faciunt dissensiones totam ciuitatem: propter quod subditos oportet vereri talia & dissolui ne præsidentium & potentium sint dissensiones, vnum scilicet principem, si commode potest, omnibus præficiendo. In principio enim*, id est principantibus, *sit principatus in periculum & perniciem omnium, si fuerit dissidentes.* Principium autem dicitur esse dimidium totius: & ideo si inter principes discordia est, in tota communitate periculosissima reputatur, ergo ad principatum simpliciter optimum requiritur, quod persona principantis sit vna & vnica, sicut principatus est vnus. Plura alia ad principatum optimum requiruntur: sed ista ad præsens breuiter & grosse tractare sufficiat. Restat ergo inquirere, quæ optimo principatui per opinionem præscriptam debeant compossibilia reputari: & quæ ad eius essentiam nequaquam pertineant vel sibi possunt conuenire vel adesse. Ad cuius euidentiam dicitur ante omnia, quod licet ad principem multa pertineant, plura tamen sunt, quę statui eius repugnant, vt optimo principatui, de quibus perstringēda sunt pauca, quorum primum est, quod sibi repugnat habere seruos sibi subditos. Primo nonnullis apparet, quod nō stat cum potestate optimi principatus quemcunq; subditum, præsertim inuitum, absq; culpa sua esse seruum. Nam principatus optimus propter bonum subditorum principaliter est institutus: principatus autem seruorum, qui despoticus nominatur, est principaliter propter bonum principantis: sed huiusmodi principatus non est optimus iudicandus. Amplius principatus, qui institutus est contra naturam, non est optimus æstimandus: sed iniustum est & contra naturam, quam quis maioribus aut æqualibus & sibi similibus, vel de quibus spes probabilis esse potest: quia futuri sunt maiores aut æquales & sibi similes virtute & sapientia; principetur tanquam seruis: vt Aristoteles *tertio politicæ* aperte videtur asserere, quod etiam Hieronymus testari

teſtari videtur, cum dicit, vt tangitur in decretis *diſtinct. 25. §. nunc autem*: *Talis eligatur in principem & prælatum, cuius comparatione cæteri grex dicantur*, & 1. q. 1. cap. *viliſſimus*, habetur ſic: *viliſſimus reputandus eſt niſi præcellat ſcientia & ſanctitate, qui eſt honore præſtantior.* hinc Sapiens *Eccleſiaſtic. 32.* rectores & principes inſtruens & informans ait: *Rectorem te poſuerunt, noli extolli: eſto in illis quaſi vnus ex ipſis.* Quare optimo principatui repugnare videtur, vt omnes ſubditi vnius principantis ſint ſerui. Ad quod etiam probandum videtur ſufficere ratio Ariſtotelis *primo politicæ*, qua probare conatur, quod melior eſt principatus liberorum quam ſeruorum: quia melior eſt principatus, qui eſt meliorum ſubditorum; ſicut melior eſt principatus hominum quam beſtiarum, liberi autem ſunt meliores quam ſerui, quare principatus ſeruorum non eſt optimus iudicandus. Sed contra illud forte aliquis obiiceret, dicens, quod optimo principatui non repugnat perfecta obedientia in ſubditis, tunc enim optimus principatus non poſſet in religione perfectiſſima, quæ obedientiā perfectiſſimam permitteret, reperiri. Sed perfectiſſima eſt ſeruorum obedientia, quia qui perfectiſſimam obedientiam permittit & vouet, permittit in omnibus obedire: ad quod tenentur ſerui. Ergo principatus ſeruorum principatui optimo non repugnet. Hic reſpondetur, quod religio perfectiſſima non permittit ſimpliciter in omnibus obedire: ſicut tenentur ſerui in omnibus obedire. Tunc etiam poſſet prælatus religioſum huiuſmodi cogere vitam ducere ſecularem, perfectiſſima autem religio permittit obedire in omnibus, quæ non ſunt contra Deum & regulam ſuam, præſertim in his quæ ad Deum & ad mores & vitam pertinent regularem.

Ex iſto ſecundum opinionem præfatam videtur principatui optimo repugnare, quod principās illam habeat plenitudinem poteſtatis, quæ deſcripta eſt ſupra *q. 1. cap. 6.* vt ſc. de iure ſi voluerit omnia poſſit percipere & imponere ſubditis, quæ nec iuri naturali indiſpenſabili, nec iuri diuino ad quod omnes catholici obligantur, obuiant vel repugnant, nam omnes ſubditi habenti huiuſmodi plenitudinem poteſtatis ſuper eos ſunt ſerui ipſius, ſecundum ſtrictiſſimam ſignificationem vocabuli *ſerui.* Nam hac poteſtate nullus dominus ſuper ſeruos poteſt habere maiorem de iure, ergo optimo principatui repugnat, quod omnes ſubiecti ſint ſerui, ergo etiam repugnat, quod habeat huiuſmodi plenitudinem poteſtatis.

Cap. VI.

Oſtendit, quæ optimo principatui debeant compoſſibilia reputari. Et inferuntur quædam corrolaria notatu digniſſima.

Conſequenter reſtat inquirere, quæ ſecundum opinionem prædictam optimo principatui debeant compoſſibilia reputari: licet ad eſſentiam eius nequaquam pertinent, ſed ſibi adeſſe valēt & deeſſe. Ad cuius euidentiam ante omnia eſt ſciendum, quod licet ad principatum, de quo eſt ſermo, multa pertinent, videlicet vnicuique ſua iura tribuere & ſeruare: leges condere neceſſarias atque iuſtas: iudices inferiores & alios officiales conſtituere: quales artes & à quibus in communitate ſibi ſubiecta debeant exerceri: omniumque virtutum actus præcipere, & alia multa: tamen ad hoc videtur eſſe principaliſſime conſtitutus, vt corrigat & puniat delinquentes. Si enim in aliqua communitate nullus pro delicto ſeu culpa puniri deberet, monitor ad bonum & doctor ſufficeret: & principans ſuperfluus omnino videretur, quod ex Scripturis colligitur. Ad illud enim lex & principans principaliſſime videtur inſtitui. Lex quidem, quoniam non propter bonos ſed malos corripiēdos & puniendos inſtituitur, teſte Apoſtolo, qui 1. Timoth. 1. ait: *Lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis & non ſubditis.* Et ad Galat. 5. ait, *ſi ſpiritu* (id eſt ratione) *ducimini* (nihil contra rationem & bonos mores agendo) *non eſtis ſub lege*, & 2. ad Corinth. 3. ait: *vbi ſpiritus Domini, ibi libertas*: vt ſcilic. lex alterius principis ligare non valeat. vnde *habe caritatem & fac quod vis*, & per conſequens *nulla lege teneberis, ſi caritate, quæ non agit perperam, fueris munitus.* diſt. 4. c. factæ ſunt leges, vt coerceatur humana audacia, & Aug. 23. qu. 5. ca. *ad fidem*, ait, *legibus benefacere non cogimini: ſed malefacere prohibemini*, ergo ſimiliter principans principaliter non propter bonos ſed propter malos coercendos præeſſe debet, quod Apoſtolus ad Roman. 4. expreſſe videtur aſſerere, dicens, *principes non ſunt timori boni operis ſed mali.* & poſt: *ſi enim maleféceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui male agit.* quod etiam Sapiens *Eccleſ. 7.* videtur innuere dicens: *noli quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute diſrumpere iniquitates.*

His viſis dicitur, quod optimo principatui non repugnat, ſed eſt compoſſibile nonnunquam iuriſdictionem ſeu poteſtatem alicuius vel aliquorū ex iſtis de cōmunitate illa ſupremo principe eiuſdē communitatis minime dependere, ſeu nō inſtitui ab eodem, dummodo per hoc nullus delinquens in illa cōmunitate iuſtam debitamq; debeat effugere vltionem, non obuiat. Nam illud, quod non derogat bono communi, licet aliquis de honore principantis vel poteſtate dirimat, non videtur optimo principatui repugnare, cum ille, qui optimo fungitur principatu, non poteſtatem propriam vel honorem, ſed bonum commune & aliorum quærere teneatur, vt videatur Apoſtolum imitari, qui primæ ad Corinth. 10. ſic ait: *non quærens quod vtile mihi, ſed quod multis*, qui ad Philip. 2. ait: *Non quæ ſunt ſua ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum.* Nec mirum, quoniam *caritas*, quæ vigere debet in principe ad ſubditos, *non quærit quæ ſua ſunt*, 1. ad Corint. 13. quod Imperator inſinuat de ſe ipſo dicens, *voluntarios labores appetimus vt quietem aliis præparemus*, in autenticis *vt diuinæ iuſſiones ſubſcriptionem*

nem habeant gloriosissimi quaestoris, in principio, coll. 8. Et, *noctes ducimus insomnes, vt subiecti sub omni quiete subsistant*, in autenticis, *vt iudices sine quoquo suffragio*, in principio collat. 2. aliquam igitur iurisdictionem, praesertim à superiori vel potestatem, vel officium esse in aliqua communitate vel institui & nō dependere à supremo principe communitatis eiusdem, dummodo per hoc nullus delinquens debitam euadat vltionem, bono communi non obuiat nec repugnat. Nam cum talis iurisdictio vel potestas bono communi debeat expedire, non refert, à quo instituatur, dummodo iuste exerceatur, & rite & nullatenus negligenter, quae cuncta implentur, si nullus delinquens in eadem communitate punitionem supremi Iudicis vel alterius subterfugere queat. Non enim refert ad commune bonum, à quo legitime instituatur exercitus seu princeps militiae, dummodo pro salute reipublicae prudenter & strenue bella gerat. Nec ad bonum commune distat, à quo legitime Iudex instituatur inferior, dummodo legitime, quod iustum est, exequatur bene, & hoc in omni communitate seruari videmus. Nam cum quis super aliquam communitatem, supremam accipit potestatem seu principatum, nequaquam omnino, qui in eadem communitate, iurisdictione, potestate vel officio sint functuri, de nouo instituit: sed quos à praedecessore suo inuenit institutos, sua dimittit officia exercere, & nonnullos, si est consuetudo vel lex, ab aliis de nouo institui permittit. Et sicut dictum est bono communi non derogat, à quo quis legitimam habeat potestatem; dummodo quae bono communi expediunt, per potestatem acceptam exerceat diligenter, quare potestatem aliquam vel iurisdictionem in aliqua communitate à supremo principante non dependere non repugnat: dummodo per hoc bonum commune nullatenus malo exponatur, quod accideret si fungens huiusmodi potestate deliquerit, & valeat correctionem necessariam euitare, & caetera multa, vt patet.

Ex praedictis infertur, quod optimo principatui non repugnat aliquem in aliqua communitate à potestate coactiua principantis supremi regulariter esse exemptum, dum tamen casualiter, ne delinquere valeat, existat principanti supremo subiectus, quia talis exemptio bono communi non derogat: ex quo sic exemptus, si deliquerit, necessariam bono cōmuni punitionē non valeret euadere.

Ex hoc concluditur vlterius, quod principatui optimo non repugnat correctionem seu punitionem taliter exempti à potestate supremi principantis ad alium vel alios, quam ad principātem supremum spectare, dummodo difficilius & inconuenientius, siue per malitiam, siue per impotentiam, siue negligentiam damnabilem, saltem casualiter per supremum puniri valeat principantem: quia hoc bono communi non derogat. Nihil enim refert bono cōmuni, à quo delinquentes legitime puniātur, cum enim princeps maiorem habēs quam doctor & monitor potestatem, sit principalissime institutus ad corrigendum & puniendum legitime delinquentes, vt humana coerceatur audacia: & tuti sint inter improbos innocentes, licet fiat talis exemptio: infertur quod optimo principatui non repugnet, cum propterea delinquentes in principantem, impunitatem periculosam bono communi nullatenus valeant obtinere.

CAP. VII.

Ostendit, quomodo ea, quae de optimo principatu dicta sint, non semper locum habeant, quia dabilis est casus, quo ex tali principatu malum sequatur: non autem dabilis est contra eum praescriptio.

SAne licet praescripta opinio praedicta omnia teneat de optimo principatu tam generali respectu diuersorum mortalium, quam speciali respectu quorundam, dicitur tamen, quod huiusmodi optimus principatus non est semper instituendus, neq; in tota communitate cunctorum mortalium, neque in speciali: quia sicut saepe sunt aliqua simpliciter bona, & tamen multis sunt aliqua mala propter indispositionem illorum (bibere enim vinum & comedere carnes sunt bona: & tamen sunt mala aegrotis) ita optimus principatus non est simpliciter omnibus optimus, imo aliquibus est nociuus, & nonnunquam inductiuus corruptionis & periclitationis boni communis. Quod accidere potest tam ex malitia subiectorum, quam ex malitia & insufficientia huiusmodi assumentis. Quanquam enim subiecti ex ambitione cupientes indebite principari, vel aliqua alia malitia incitari principatū optimum nullatenus sustinerent: sed ante seditiones & discordias corrumpentes rempublicam excitarent. Nonnunquam etiam persona sufficiens in bonitate & discretione inueniri non posset: & tūc aliquis alius principatus, puta aristocraticus vel politicus, quo funguntur simul plures, deberet ad tēpus institui, quia illud est pro tempore statuendum, quod pro tempore magis proficit ad commune bonum de voluntate Dei: qui secundum congruentiam temporum cuncta disponit. Vnde regnum filiorum Israel, quod fuit prius vnum, postea fuit in duo regna diuisum. Si tamen optimus principatus cunctorum mortalium, siue aliquorum semel fuit institutus, non est postea sine causa vrgente destruendus: tamen in multis casibus corrumpi posset. Ex quibus tamen destitutio non valeret, propter quod ad destruendum ipsum non valet praescriptio: quia omnis pręscriptio, quę est contra optimum principatum, videtur iniqua. Et ideo si contra multa minora non currit praescriptio: multo magis non debet currere contra optimum, licet currere debeat pro ipso: sicut non contra libertatem, quia fauor libertatis est habendus, *extra, de coniug. seruorum. c. licet.*

CAP.

Cap. VIII.

Respondet iuxta opinionem vltimo positam ad allegationes primi capituli circa medium eius positas. Ostenditque circa medium capituli: an iurisdictio Romani Pontificis à solo Deo dependeat.

PEr scripta, puta per opinionem memoratam & illa quæ dicta sunt *c. 4.* clarescere videtur, totam allegationem adductam *capite primo* exsufflari. Nam cum primo accipitur, quod communitas volentium communionem habere adinuicem, in qua omnes vel plurimi ad discordias, dissensiones & lites sunt proni, non est ordinata, nisi vni supremo rectori, iudici, & capiti, à quo iurisdictio omnium aliorum dependeat, sit subiecta. Dicitur quod non est necesse ad communitatem optime ordinatam, quod omnis iurisdictio à supremo rectore dependeat, iuxta illa quæ dicta sunt supra *c. 6. & 7.* Cum autem probatur per illud Prou. 11. *vbi non est gubernator, populus corruet.* Respondetur, quod per hoc probaretur, quod totum genus humanum non est simpliciter optime ordinatum, nec super ipsum est simpliciter optime principatus institutus, cum non vni supremo principanti sit subiectus, à quo quilibet alius in aliquo casu, saltem si delinqueret, sit subiectus, sed quod aliqui populi sint subiecti optimo principatui, non requiritur quod omnium aliorum iurisdictio à primo principante dependeat: quia aliquis potest esse exemptus in omni casu à punitione inferenda per principantem supremum tanquam per supremũ principatem totius cõmunitatis. Per idem respondetur ad illud Ioh. 10. *fiet vnum ouile & vnus pastor:* à quo cum aliquis potest esse exemptus in aliquo casu, in illo videlicet cuius exemptio non derogat bono communi. Et cum similiter debet intelligi Hieron. quod *in omni communitate debet esse vnus supremus Iudex & rector*, à quo tamen absque derogatione optimi principatus potest aliquis quantũ ad aliquem esse exemptus. Cum autem secunda ratione probatur, quod oporteat vnum esse supremum, à quo iurisdictio omnium aliorum dependeat: quia si in toto orbe nõ est vnus, sic supremus. Ergo vel sunt vel esse debent plures superiorem non habentes, quod optimo videtur regimini obuiare: quia aut præessent eidem aut diuersis, quorum vtrumq; esse inconueniens videtur. Respondetur, ꝙ si totus mundus optimo principatu regeretur, quãuis non esset necesse, ꝙ vnus sc. supremus sit, à quo quantum ad institutionem & cõmissionem aliorum omnium iurisdictio dependeret, oporteret tamen ꝙ esset supremus principatus, cui tamen principanti supremo omnis alius casualiter ratione alicuius delicti esset subiectus, q̃uis non ratione cuiuslibet, & non in omni casu, etiã non essent plures superiorem non habentes, si vnus esset simpliciter primus respectu omnium quantumcunq; diuersi, possunt diuersimode esse sibi subiecti: quia vnus illorum potest esse in multis exemptus absq; periculo boni cõmunis, & alii tali exemptione carere valerent. ille etiam vnus exemptus posset absq; præiudicio boni cõmunis magnam potestatem habere etiã coactiuam à simpliciter supremo principante regulariter nullatenus dependentem: cui sufficeret ratione alicuius delicti esse illi supremo tanq̃ principanti subiectus: & ita non essent plures simpliciter supremi superiorem non habentes, quare ratio adducta ad probandum, ꝙ optimo principatui cuiusq; cõmunitatis repugnat, ꝙ in eadem cõmunitate sint plures superiorẽ non habentes, siue prę̃sint eisdem siue diuersis: secundũ istum modum dicendi non procedit. Sed in contrarium forte obiiciet aliquis, quod imaginatio illa ideo contra modum hunc opinandi procedit: quia si est vnus supremus & habet supra multos potestatem etiã coactiuam, prædictus exemptus à supremo, & subiecti illi exempto sunt exempti à iurisdictione illius supremi aut non, si sint exempti à iurisdictione ipsius supremi principantis: ergo supremus nequaq̃ omnibus principatur, & ꝑ consequens respectu totius communitatis non est optimus principatus. Si aũt non sunt exempti à iurisdictione principantis supremi, procedit ratio supradicta, quia poterit contingere, ꝙ supremus principans & ille exemptus eodem tempore eosdem subiectos ad tribunalia sua vocabunt siue citabunt. Respondetur, quod aut in vocatione huiusmodi vocantes exprimunt causam vocationis, aut non exprimunt, si non exprimunt, ad summum principantem ire debent: quia taliter exempto non tenentur obedire, nisi saluo omnium aliorum iure: quemadmodũ laici non tenentur obedire Papæ, nisi saluo iure principantis secularis: ita taliter exempto non irrogãt iniuriam subditi sui in tali casu, si ad eum non accedant, quemadmodum episcopus vocatus ad synodum, non facit iniuriam vocanti, si præceptione regia impeditur. *dist. 18. c. si episcopus*, vbi notat Glossa, quod *hic defertur regiæ dignitati. 12. q. 2. de rebus.* Nam auctoritas maiorum excusat, vt notat Glossa *63. dist. c. Salonitanæ.* Si autem sic, hoc est si vocantes eodem tempore causam vocationis expresserint, non potest dari regula generalis pro omni casu, ad quem debent accedere, eo quod sæpe casus vocatum ad superiorem excusat: & sæpe vocatus minime excusatur: propter quod sæpe vocatum à superiori excusat necessitas, quem tamen vocatum ab inferiori non excusat: quia nulla apparet necessitas, qua valeat excusari, quapropter coram quo debet apparere, debeãt prudẽtum discretioni relinqui: quia in talibus propter multiplices, qui possunt accidere, casus, regula generalis dari, quæ nunquam fallat, non potest. Causa est, quia semper debet coram supremo principe comparere: nisi ratio dictet, quod non potest propter quãdam cogentem necessitatem, puta propter maius negocium vel aliud simile, & non comparendo corã illo & non coram alio excusetur. Sed forte diceret ad hæc aliquis, si taliter exemptus solummodo casualiter est sic supremo principanti subiectus ratione delicti alicuius sequitur, quod nõ plus est sibi subiectus quã supremus principans sibi, qui etiam ratione alicuius de-

licti posset principantem supremum punire, quando sc. omnes alii deficerent, & correctio seu punitio principantis supremi non posset sine periculo totius reipublicæ sub silentio vel dissimulatione transiri. Respondetur, quod magis esset sic exemptus principanti supremo subiectus, quam econuerso: quia primus principans haberet punire sic exemptum nō solum de necessitate deficientib. omnibus sibi subiectis, sed etiam ratione principatus supremi, sic autē exemptus ex sola necessitate nō ratione officii sui haberet deficientibus omnib. aliis corrigere principantem supremum. Cum aūt accipitur in minore allegationis prædictæ, ꝙ iste vnus supremus iudex seu principās non debet esse alius, quā supremus Pontifex, dicitur ꝙ si vniuersitas mortalium esset optime ordinata & principatui optimo esset subiecta, stante ordinatione Christi, qua disposuit Pontificem supremum & cæteros clericos negociis secularibus, extra casum necessitatis nullatenus implicari, ille vnus supremus principans siue iudex non deberet esse vnus supremus Pōtifex, sed princeps Christianus secularis & laicus. Quod n. laicus esse deberet & non supremus Pontifex nec clericus, probatur per hoc, quod probatur supra *q.1.* vbi probatur, quod clerici extra casum necessitatis & vtilitatis, quæ necessitati valeat cōparari, debent esse à negociis secularibus alieni. Quod autē deberet esse Christianus, patet per hoc: quod si aliter bonum cōmune spirituale non fouere, sed destruere niteretur; quod optimo principatui vniuersitatis mortalium obuiat & repugnat. Cum vero dicitur, quod iurisdictio supremi Pontificis, præsertim in his, quæ ad fidem & religionem Christianam spectant, à solo Deo dependet. Respondet, quod quemadmodum aliqualiter tactum est supra, baptismum & alia sacramenta depēdere à solo Deo, diuersimode potest intelligi, & hoc quantū ad prius tripliciter. Vno modo, ꝙ supremus Pontifex absq; ministerio humano accipiat iurisdictionē suam à Deo, vt in nullo casu neq; institui neq; destitui debeat ab homine, & sic non dependet iurisdictio eius à solo Deo, quia nullus post Petrum absque electione fuit ad Papam assumptus. Aliter potest intelligi, quod huiusmodi iurisdictio dependeat à solo Deo, quantum ad institutionem humano ministerio sc. electione canonica concurrente, & sic ꝓcedit ista opinio, ꝙ iurisdictio Papæ, q̄ habet ex ordinatione Christi, dependet à solo Deo. Tertio ꝙ nō solum sic, sed etiā quantum ad destitutionē à solo Deo dependeat, vt Papa à nemine in quocunq; casu, nisi à solo Deo, possit destitui, & sic non dependet à solo Deo: quia ipsemet seipsum destituit. Nam tam ꝑ prauitatem hæreticam, q̄ per renunciationem spontaneā seipsum destituere potest. Potest etiā ab homine accusari, de quocunq; crimine, si notoriū sit, & inde scandalizetur ecclesia, & incorrigibilis sit, vt notatur in gl. *dist. 40. sup. c. si Papa.* ita potest in casu huiusmodi ab homine iudicari & destitui & deponi. Omnis n. accusatio est corā iudice facienda. Nec de hoc debet Papa perturbari, ne præesse nō prodesse quærere videatur: ne contra doctrinā Christi Apostolis pro se & pro prælatis ecclesiæ traditam velit, tanq̄ sal infatuatum mitti foras, & ab hominibus conculcari: ne cōtra præceptum eiusdem velit ꝓ salute eius corporis mystici vt membrū putridum amputari: ne desideret ipse potestatem, qua se ex caritate correptum, q̄ uis etiam ecclesiam non audiret, tanquam ethnicus & publicanus, nō sinat se & carnes putridas resecari: & vt ouem scabiosam repellendum à stabulis: & expurgādum vt fermētum, quod totam massam corrumpit: sed velit vt sibi parcatur, vt vniuersa ecclesia ad interitū adducatur, quæ omnia à desiderio Papæ, qui animam suam tenetur pro subditis ponere, conuenit exulari. Papa ergo secundum opinionem istam, licet in his, ꝓ quę habet omnium saluti ꝓspicere, ne à quoq̄ in eis valeat retardari, à potestate & iurisdictione principantis summi non immerito sic sit exēptus: contra quam exemptionem supremus principatus, si ꝓdesse cupit non præesse, nullo modo attentare, sed laudare tenetur, cum ratione delicti non cuiuscunq; naturæ ipsius auctoritas contemptibilis videatur: & ne pro paruo commisso forsitan eius dominatio ab vtilitate communi valeat impediri: sed grauis & enormis præsertim sæpius iterati & in discrimen notabile præcipue boni communis editi, hoc expedit, vt Papa humano iudicio destitui valeat: & hoc maxime, si appareat incorrigibilis & de ipso scandalizetur ecclesia. Videtur autem rationabile, vt huiusmodi Papæ iudicium spectaret primo ad aliquas certas personas de clero, quibus deficientibus siue per malitiam siue per negligentiam damnabilem ad principantem pertineat, si fidei & Christianæ religionis sincerus est & feruidus æmulator, ipso autem deficiente siue per malitiam, siue per damnabilem negligentiam destitutio Papæ, vel saltem detentio aut prohibitio, ne insolescat, optime pertinet vel ad vniuersalem congregationem fidelium: vel ad quoscunque fideles, qui tantam super ipsum temporalem habere valeant potestatem: vt scilicet contra peccatum cuiuslibet Christiani siue parui, siue magni congruum remedium in ecclesia valeat reperiri, iuxta illud Apostoli, primæ ad Corinth. sext. *Auferte malum à vobis ipsis* Qui etiam ait: *Expurgate vetus fermentum*: nisi potestas deficiat temporalis, in quo casu seruandum est consilium Hieronym. quod habetur *vndec. quæstion. 3. cap. quando igitur*, scilicet vt taceant Christiani etiam intelligentes atque prudentes, ne dent sanctum canibus, & mittant margaritas ante porcos, qui conuersi conculcent eas, & imitentur Hieremiam dicentem: *solus sedebam quod amaritudine plenus eram.* Signum autem, quod ratione delicti Papa in aliquo casu sortiatur forum principantis primi supremi, qui debeat esse laicus, ex diuinis Scripturis accipitur, in quibus legimus, Christum & Apostolos, cum essent de criminibus accusati, à secularibus iudicibus etiam infidelibus iudicatos. Nec legimus, quamuis crimina imposita sibi negarent, quod assererent vel protestarentur se in tali casu non teneri coram huiusmodi iudicibus respondere: imo magis in tali casu sibi subiectos innuisse viderentur: dixit enim Christus Pilato, vt legitur Iohannis decimo nono: *Non haberes in me potestatem vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Quibus verbis Christus insinuasse videtur, quod Pilatus in illo casu super eum ordinariam habuit potestatem, sibi datam desuper à Deo,

à Deo, ſecundum expoſitionem quorundam Doctorum, vel ab Imperatore, ſecundum expoſitionem aliorum, quia ſuper ipſum habuit Pilatus in illo caſu non permiſſam & vſurpatam, ſed conceſſam & datam poteſtatem, quod etiam de ſe Apoſtolus, cum de criminibus accuſaretur coram iudicibus infidelibus, inſinuaſſe videtur, vt legitur *actuum 24.* vbi dicit ad præſidem: *Ex multis annis te iudicem huic genti ſciens, bono animo pro me ſatisfaciam.* Non dicit coram te non teneor reſpondere, ſed dicit *pro me* (alias *per me*) *ſatisfaciam*, quare videtur facto & verbo recognouiſſe in illo caſu iudicem ſuum. Et hoc habetur *cap. 25.* eiuſdem, vbi dixit præſidi: *Ante tribunal Cæſaris ſto: ibi me oportet iudicari. Iudæis non nocui ſicut tu melius noſti: ſi cui nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori. Si vero nihil eſt eorum, quæ ii accuſant: nemo poteſt me illis donare. Cæſarem appello.* Quibus verbis Paulus tam Feſtum quam Cæſarem, ſuum iudicem recognouit, cum ergo nephas ſit dicere, Paulum facto vel verbo fuiſſe mentitum, vere Cæſar erat iudex Pauli. Sed forte diceret aliquis, quod ex hoc manifeſta abſurditas ſequeretur, quod ſcilicet imperator etiam infidelis in cauſa fidei eſſet iudex papæ: quia cauſa Pauli, quæ coram iudice tractabatur, erat cauſa fidei, nam propter Chriſtianam fidem accuſabatur à Iudæis. Hic reſpondetur, quod cauſa fidei coram imperatore fideli, deficientibus aliis, eſſet rite tractanda, quia, vt habetur *diſtinct. 46. Vbinam*, quæſtio fidei non ſolum ad clericos, verum etiam ad laicos & ad omnes pertinet Chriſtianos. Coram autem imperatore infideli cauſa fidei non in quantum reſpiceret ſolummodo veritatem reuelatam, ſed in quantum poſſet tangere mores reipublicæ, derogare etiam bono communi aut alicui perſonæ iniuriam irrogare, videtur poſſe tractari. Quorum vtrunque prudenter innuiſſe videtur proconſul Achaiæ Gallio, qui, vt dicit *actor. 18.* cum Paulus accuſaretur à Iudæis, dicit ad eos: *Si iniquum quidem eſſet aliquid aut facinus peſſimum, ô viri Iudæi, vos recte ſuſtinerem. Si vero quæſtiones ſunt de verbo & de nominibus legis veſtræ, vos ipſi videritis. Iudex ego horum nolo eſſe.* Sic ergo dicitur, quod in caſu ratione delicti papa imperatori eſt ſubiectus. Ad omnes vero canones & auctoritates alias, ex quibus colligitur, quod papa eſt à nemine iudicandus, dicitur, quod non debent intelligi ſine omni exceptione, ſed cum exceptionibus ſuis: quemadmodum aliæ regulæ in iure, & etiam auctoritates quamplurimæ diuinæ ſcripturæ, quamuis non ſolummodo indiffinite, ſed etiam in verbis generalibus & cum ſignis vniuerſalibus ſint prolatæ, debent intelligi, vnde & glo. *9. q. 3. ſup. c. nemo*, aliquas exceptiones enumerat, ſi tamen ſubmittit ſe. vt. *2. & 7. nos ſi.* & cum ſubmittit ſe confeſſori ſuo, & etiam in caſu hæreſis, & hanc vltimam ponit gloſſa. *diſt. 40. ſup. c. ſi papa*: addens aliam comprehendentem innumeras, de qua dictum eſt ſuperius, ſcilicet ſi crimen eius quodcunque eſſet notorium, & ipſe incorrigibilis, & de eo ſcandalizetur eccleſia. Sed inter exceptionem de hæreſi & aliis criminibus eſt magna differentia attendenda, quod propter hæreſim, quantumcunque occulta eſt, ipſo iure ſit ſine omni ſententia humana papatu & omni eccleſiaſtica prælatione priuatus: tanquam de congregatione fidelium ſecundum veritatem tam merito quã numero præciſus exiſtens: licet ſecundum opinionem neſcientium eſſe hæreticum, caput eccleſiæ reputatur: imo quod plus eſt, ipſo iure excommunicationis ſententiam & alias pœnas omnes à ſacris canonibus & pontificibus contra hæreticos, præſertim epiſcopos, indiſtincte prolatas incurrit, hinc dicit glo. 24. quæſt. 1. c. Achatius: *hic eſt caſus in quo papa papam ligare poteſt: in quo papa in canonem latæ ſententiæ incurrit*, nec huic obuiat regula illa: quia par parem ſoluere vel ligare non poteſt, quia ſi papa hæreticus eſt, in eo quod hæreticus, eſt minor quolibet catholico: quia lex factum notat etiam ſine ſententia. Sed propter alia crimina papa non eſt ipſo iure papatu priuatus; ſed per ſententiam eſt priuandus.

Cap. IX.

Capite vltimo tertiæ quæſtionis reſpondet ad rationes ſuprapoſitas capitulo ſecundo, pro approbatione ſecundæ opinionis poſt principium capituli.

VIſo quomodo ſecundum opinionem ſupra *cap. 2.* recitatam, reſpondetur ad allegationem adductam *primo cap.* Videndum eſt quomodo reſpondetur ſecundum primam opinionem ad illa, quæ pro ſecunda opinione *cap. 2.* allegantur. Ad primum, cum dicitur quod imperator eſt Dominus ſupremi pontificis, dicitur quod non eſt verum, quia papa non eſt vaſallus imperatoris, nec ei de iure tributum debet, niſi forte propter ſcandalum euitandum. Alii autem clerici habentes ab imperatore prædia, villas & ſuperabundantes poſſeſſiones imperatori ſunt ſubiecti, vt dicitur præallegato *2. cap.* quoniam ſic intelligitur decretum Vrbani. *23. quæſt. 8. c. tributum*, cum autem dicitur, quod aliqui ſupremi pontifices Imperatores Dominos ſuos appellauerunt, dicitur quod ex humilitate hoc fecerunt.

Ad ſecundum autem cum dicitur quod res tranſit cum onere ſuo. Reſpondetur ſecundum illos, qui dicunt quod papa habet illam plenitudinem poteſtatis, de qua tactum eſt ſupra *quæſt. 1.* hoc eſt verum, quando res tranſit de dominio in dominium: vel de iure in ius nouum alterius. Sed illo modo nulla res temporalis poteſt tranſire in dominium papæ: quia pa-

pa est Dominus omnium temporalium rerum cuiuscunque, quæ de permissione ipsius possidentur: & ideo secundum opinionem istam nullus Imperator, aut rex, aut alius potest proprie loquendo dare possessionem vel rem quamcunque supremo pontifici: sed si rem de permissione papæ possidet, resignare potest eidem: quemadmodum secundum Innocent. 4. Constantinus illam inordinatam potestatem, qua fortassis antea illegitime vtebatur, humiliter resignauit. Secundum vero illos, qui illam plenitudinem potestatis negant à papa: sed illam, qua possit omnia, quæ necessaria sunt pro communitate fidelium gubernanda sibi attribuunt. Respondetur, quod res transit cum onere suo, nisi in fauorem fidei papæ aut ecclesiæ aut alicuius alterius specialiter à suo onere liberetur: quemadmodum seruus presbyter in fauorem clericalis ordinis liberatur, ita tamen vt peculii amissione mulctetur, *di. 54. ex antiquis*. Cum autem accipitur, quod religio Christiana neminem à seruitute liberat, dicitur quod hoc non est verum. Cum vero dicitur, quod in fauorem ecclesiæ nihil iniustum statuitur, conceditur: sed dicitur, quod non est semper iniustum & iniquum, quod aliquis sine culpa priuetur iure suo, quando subest causa: & quando ius huiusmodi est totaliter in potestate superioris: quemadmodum omnia iura sua sunt in potestate papæ. Ad Gelasium respondetur, quod Gelasius intendit seruos dominorum suorum iura sub obtentu religionis fugere non debere absq; auctoritate supremi pontificis: & ita hoc iure canonico est statutum. Et cum dicitur, quod iura canonica leges seculares & iura secularia nequaquam tollere possunt. Respondetur secundum opinionem, quæ papæ illam plenitudinem potestatis attribuit, de qua dictum est supra: quod iura canonica omnes leges seculares & omnia iura secularium principum tollere possunt & subuertere, & ea dare cui placuerit, & ita vt etiam omnia regna & quæcunque alia iura ac res temporales vniuersas pro suo libito voluntatis de iure posset papa tollere ab his qui possident eas, & sibi retinere, & aliis quibuscunque conferre: ita quod quamuis hoc faciendo peccaret, tamen cum factum esset de iure teneret: ac reges & omnes alii sibi tenentur in hoc obedire. Secundum vero aliam opinionem, quæ dicit, quod papa habet huiusmodi plenitudinem potestatis, sc. illam qua possit omnia, quæ necessaria sunt pro communitate fidelium gubernanda: respondetur, quod iura canonica leges seculares & iura secularia tollere possent ex causa, sed non absque causa rationabili & manifesta electione.

QVÆSTIO QVARTA.

CAP. I.

Quæstionis quartæ capitulum primum proponit ipsam quæstionem: & circa eius solutionem primo incidentaliter disquiritur, an inter Imperatorem & regem Romanorum sit distinctio. Et ponit diuersas opiniones, primam hic, & aliam capite sequenti. Ad prima autem probationes respondebitur capitulo 7. Sed capitulo 8. proceditur ad principalis quæstionis decisionem.

QVarto quæritur, Vtrum electio alicuius in regem Romanorum vel Imperatorem sibi det plenam administrationem, ex quo sua potestas est immediate à Deo. Hæc quæstio quandam aliam videtur supponere, quod inter *regem Romanorum* & *Imperatorem* sit aliqua distinctio. Circa quam sunt opiniones diuersæ: quarum vna est, quod inter regem Romanorum & Imperatorem realis est distinctio, & quod primo est electus Rex Romanorum, quam sit Imperator. Nam Rex est postea in Imperatorem promouendus, *di. 23. in nomine Domini. & extra, de electione, venerabilem*, quod non esset verum, si non esset realis distinctio inter regem Romanorū & Imperatorem: sed verbalis tantummodo, quod videtur absurdum: quia tunc lex esset imposita verbis & non rebus: & distinctio nominum non declararet distinctionem rerum, quod est contra iura *di. 21.* Dicitur ergo, quod promotio ad imperium, quæ fit per vnctionem & coronationem imperialem, non fit propter nomen imperatoriū tantummodo consequendum: sed Imperator post vnctionem & coronationem consequitur potestatem imperialem in omnibus regnis & etiam in populis, præsertim occidentalibus, qui non fuerunt sub iurisdictione & potestate Caroli Magni ante tempus translationis imperii, & adhuc sunt sub potestate imperii: & de facto in Italia & in aliis terris & prouinciis, quæ ante vnctionem & coronationem imperialem subiectæ erant Carolo Magno, primo habet Rex Romanorum eandem potestatem ante vnctionem imperialem, quam est postea habiturus: & ideo Imperator non tenet à papa prouincias & terras subiectas regno & Imperio, quas tenuit Carolus, siue iure hæreditario, siue iure belli, ante translationem imperii in ipsum factam per papam. Sed Imperator tenet à papa nomen imperatoris & iura imperialia seu potestatem imperialem in aliis prouinciis & terris, quæ non erant sub potestate Caroli ante tempus translationis imperii: & ratione illius nominis *Imperii* ac iurium huiusmodi recipit ab eo vnctionem & coronationem imperialem. Sic etiam potestas eligendi Imperatorem, vt electus ab eis consequatur nomen Imperatoris & potestatem

testatem imperialem, seu potestatem actus Imperatori reseruatos exercendi in aliis prouinciis & terris, quæ non subsunt regno & Imperio Romanorum, & quas non habuit Carolus tempore translationis imperii, peruenit ad principes electores per ecclesiam, & quoad ista consequenda Rex Romanorum petere consueuit à papa & Romana ecclesia, post electionem suam sibi vnctionem & coronationem impendi.

Cap. II.

Recitat contrariam fore opinionem opinioni capituli præcedentis.

ALia est opinio, quæ videtur dicere, optimum principatum Germaniæ, de quo notatur *extra, de verb. sig.* super quibusdam hoc velle, quod inter *regem Romanorum* & *Imperatorem*, seu inter *regnum* & *Imperium* solummodo est verbalis distinctio: vt sint diuersorum nominum, sed eiusdem officii & potestatis: quemadmodum dicitur de primatibus & patriarchis, *dist. 99. prouincia*, vnde Imperatores antiquitus, antequam esset aut dubitatio, aut distinctio inter regem Romanorum & Imperatorem, aliquando vocabantur *reges*: aliquando *Imperatores*, & eorum dominium, aliquando *regnum*, aliquando *imperium* vocabatur: sicut patet ex *lib. Iudi. c. 1. & 2. & libro Hester. c. 1.* Pro ista opinione potest taliter allegari. In initio imperii Romanorum, & per longa tempora post, inter imperatorem & regem illorum, seu inter imperium & regnum Romanorum nulla erat distinctio: sed ista erant nomina eiusdem potestatis; ergo & nunc sunt nomina eiusdē potestatis, antecedēs non videtur aliqua probatione indigere, nam in nouo testamento, in quo semper de regno Romanorum & Imperio fit mentio, nec in scripturis aliis, fere vsque ad tempora moderna, nulla insinuatur nec implicite nec explicite inter imperium & regnum Romanorum distinctio, nec legitur in antiquis scripturis de hoc dubitationē etiam modicam fuisse motam. Consequētia probatur: quia reges Romanorum & Imperatores posteriores vsque ad tempora ista fuerunt successores eorum, qui primo non solummodo reges, sed Imperatores Romanorum facti fuerunt: scilicet Iulii Cæsaris, Augusti & cæterorum, qui ab illis vocabantur *Cæsares* & *Augusti*. Et in signum, quod sunt illorum successores, omnes isti successores vsque ad tempora ista *Augusti* & *Cæsares* vocabantur, & omnes scripserunt se *Augustos*. Rex autem, qui alteri regi in regno aliquo succedit, eodem iure, quo ille, vti debet, *extra, de regu. iuris. si quis lib. 6.* Aliter enim successor minus haberet, quam prædecessor: & sic non esset vera successio, vt arguit glo. in simili casu, *extra, de constitutionibus, super cap. cum omnes*, quare multi reges Romanorum vsi fuerunt omni iure in temporalibus, quo Imperator post vnctionem & coronationem vtitur, ergo vltimi reges Romanorum & omnes futuri, qui illorum regum, qui fuerunt primi Imperatores, fuerunt veri successores, obtinuerunt omnem potestatem, & habebant, quam Imperator habet, post quantamcunque vnctionem & coronationem.

Cap. III.

Deducit prædictas opiniones, ostendens, in quo discordent: & quid verisimilitudinis habeant. Multa præterea de regno Franciæ, an vsurpatitium sit, inseruntur. Et dictarum opinionum discordia iterum ostenditur. Et quomodo secundum secundam opinionem imperium Romanorum non distinguitur à regno Romanorum. Ponuntur etiam exceptiones, quibus gerentes iusta bella non efficiuntur domini expugnatorum.

VErum, quia primam opinionem munitam allegationibus & declaratam à quodam venerabili Doctore inueni, non autem secundam, quæ videtur fuisse principum Germaniæ, vt ex collatione secundæ ad primam inueniendi vel inuestigandi veritatem etiam circa iura imperii detur occasio; absque assertione tantummodo recitando fore vtile iudicaui aliqua, quæ exprimat prima opinio, breuiter absque assertione pertractare. In quibus apparet, quod secunda opinio secundum intentionem principum Germaniæ siue præter intentionem eorum contrariatur ei: quia integram pronunciationem eorum nescio indicare. Contrariantur autem opinio prima & secunda in multis. Discordant enim prima, quia primo opinio vide-

videtur asserere quod Imperatores, qui fuerunt post Carolum Magnum, nihil iuris habent in regno & imperio, nisi in quantum sunt eiusdem Caroli successores: eius scilicet successores non solum in quantum fuit Imperator, sed etiam in quantum fuit Francorum Rex hæreditarie succedens patri suo Pipino, qui deposito Childerico Rex Francorum subrogatus fuit: & in quantum idem Carolus per bella sibi iusta & licita sibi multas terras & prouincias subiugauit; & regno Francorum adiunxit.

Secunda opinio tenet, quod Imperatores & reges Romanorum, qui fuerunt post Carolum Magnum, fuerunt principaliter successores primorum imperatorum & regum Romanorum, quorum nonnulli fuerunt temporibus Christi & Apostolorum eius. Non fuerunt autem in quantum Imperatores & reges Romanorum successores Caroli, nisi in quantum Carolus fuit successor primorum Imperatorum & regum Romanorum, & aliorum qui fuerunt post primos, licet quidam successores Caroli erant successores illius, non solummodo in quantum erat successor primorum Imperatorum, nec in quantum erat Imperator, sed in quantum erat Rex Francorum, vel alicuius partis regni Francorum: quemadmodum si filius Imperatoris ad imperium electi & assumpti postea fieret Imperator, dupliciter succederet patri. In quantum enim pater eius, antequam esset Imperator, fuerat Dux Bauariæ, succederet patri in Ducatum vt patri. In quantum vero pater eius Imperator erat, succederet ei in imperiũ vt Imperatori. Ex hoc siquidem, quod Imperatores post Carolum fuerunt successores primorum Imperatorum & regum Romanorum, præsertim illorum, qui fuerunt tempore Christi & Apostolorum, in quo fundata est allegatio adducta in præcedenti capi. apparet quod Imperatores & reges Romanorum, multo magis stabilitatem & vigorem habere videntur, quam ex hoc quod sunt successores Caroli Magni. Ratio est, quia magis notum est, quod infideles erant veri Imperatores & reges Romanorum, quam quod Carolus fuit verus Imperator & Rex Romanorum: quia de illo vero Imperio siue regno testimonium magis habemus: cum testimonium Dei maius sit, quam testimonium hominum: vt habetur in Iohan. Nam de vero Imperio siue regno illorum Imperatorum infidelium habemus testimonium Christi siue Spiritus sancti, qui in Iohanne Baptista & Luca Euangelista loquebatur & Apostolis, dicit enim Christus de Tiberio Cæsare: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, non dicit: reddite, quæ Cæsar dicit esse sua: sed dicit, *quæ sunt Cæsaris.* Iohannes etiam Baptista: vt legitur Luc. 3. dixit publicanis & militibus, qui officium & stipendium à Tiberio Cæsare acceperunt, *nihil amplius faciatis quam statutum est vobis. Contenti estote stipendiis vestris.* Ex quibus colligitur, quod iste Tiberius & Rex Romanorum erat & verus Imperator. De Octauiano vero primo Augusto dicit Lucas Euangelista, euangelii sui secundo. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Et de alio quodam loqui videtur Petrus, dicens, 1. canonica sua, cap. 2. *Subiecti estote omni humanæ naturæ siue regi, quasi præcellenti.* Et iterum, *regem honorificate.* Et beatus Paulus de Nerone actuum 25. ait, *ad tribunal Cæsaris sto: ibi oportet me iudicari*, & iterum, *Cæsarem appello.* Tantum autem testimonium non habemus de Carolo Magno: sed longe minus de vero Imperio siue regno quocunque ipsius habemus, præsertim quantum ad regnum Francorum. Vnde etiam quidam ex *historiis* & *Chronicis* conantur probare, quod non est verum regnum, sed tantummodo vsurpatum, cum primi reges Francorum, in quorum locum successit Carolus Magnus, eiusdem regni fuerint inuasores, aut successores eorum, qui terras eiusdem regni aut prouincias contra obedientiam, quam Imperatori debebant, sibi contumaciter vsurpauerunt. Nam legitur in *chronica* Eusebii, quod *Sicambri, qui à quibusdam profugis traxerunt originem, propter victoriam, quam habuerunt de Alemannis, de Valentiniano Imperatore per decem annos facti liberi omni tributo, & Franchi vocati post expletum decennium tributum soluere recusantes, missos ab Imperatore ad recipiendum tributum occiderunt: & postea ab Imperatore & exercitu rebellantes venerunt in Turingiam, & primo post Rhenum transgressi Romanos, qui eo tempore in Gallia per suos magistratus vsque ad Rheni fluuium imperabant, bello aggressi partim ipsos occiderunt & partim fugauerunt. Postea captis vrbibus Tornaco & Cameraco, atque paulatim aggressi & regressi Remis, Suessionem, Aurelianam, & Coloniam, quæ dicebatur tunc Agrippina, & Treuerim, ac postremo totam Galliam ab Aquitania vsque ad Bauariam sibi vendicant atque subiiciunt. Ex iis, qui mixti sunt cum Teuthonicis, proprio vocabulo Franci: qui vero per connubia à Gallis sunt geniti, Francigenæ appellati sunt. Primus autem Rex Francorum fuit Pharamundus, nepos Priami, sub quo & cum duce suo Antenore fuit prædicta victoria de Alemannis, & regnauit iste anno domini 426. & ab illo tempore Germani vocantur.* Franci vero à tempore prædicti Pharamundi fuerunt reges Francorum vsque ad tempora Hilderici regis, qui fuit vltimus de genere illo, quo deposito Pipinus pater Caroli Magni substitutus est eidem. Ex quo patet, quod regnum Francorum ex tyrannico incepit initio, & videtur saltem antequam Carolus Magnus factus est Imperator nunquam fuisse verum & iustum regnum, sed tyrannicum & vsurpatum, quia si factum fuit legitimum, iustum & verum regnum, aut hoc fiebat per præscriptionem, aut electionem & consensum seu voluntatem populi Francorum, aut per substitutionem Pipini Hilderico rege iam deposito. Non per præscriptionem legitimam. Tum quia possessor malæ fidei nullo tempore præscribit, *extra de re iudic. possessor. lib. 6. extra de præscript. vigilanti.* Franci autem in principio bonam fidem acquirendo sibi regnum minime habuerunt, cum per violentiam terras subiectas Imperio inuaserunt & possederunt, quare origo præscriptionis extitit vitiosa: & per consequens præscriptio vera non fuit. Cum quia contra consuetam obedientiam vel subiectionem contra publicam vtilitatem, contra res principis non currit præscriptio: sed Franci constitu-

stituendo sibi regem inobedientes Imperatori fuerunt & contra publicam vtilitatem fecerunt ius imperii, quod est tam publicum & vtilissimum minuendo ac res ac terras principis, scilicet Imperatoris, sibi vsurpando iniuste, quare regnum Francorum per præscriptionem legitimam factum non fuit verum regnum. Nec per electionem & consensum seu voluntatem populi Francorum poterat fieri verum regnum: quia quamuis populus non habens superiorem seu regem, si careat rege, possit constituere regem proprium de iure gentium: tamen populus habens de iure quamuis non de facto superiorem seu regem, non potest constituere alium regem, populus autem Francorum de iure habuit superiorem, scilicet imperatorem, cuius est reges constituere in terris subiectis imperio. Habuerunt etiam regem, scilicet imperatorem: ergo populus Francorum absque auctoritate imperatoris non poterat constituere sibi regem: & ita regnum Francorum non fuit de iure verum regnum, etiam per voluntatem populi Francorum. Nec fuit verum regnum per substitutionem, quia aut illa substitutio facta fuit à populo Francorum, aut à papa. Si à populo Francorum, nulla fuit; quia licet populus Francorum potest sibi constituere regem; non tamen potest aliquem substituere alteri in regem. Sed populus Francorum, vt probatum est, propter hoc, quod de iure subiectus fuit imperatori, non potest sibi constituere regem: ergo nec substituere. Si autem illa substitutio fieret à papa de iure, nulla fuit. Tum quia sicut papa tollere iura imperatorum non potest: ita nec exercere, vt papa testatur, *extra*, *de iudiciis*, *nouit.* Tum quia de secularibus negotiis se intromittere non debet, iuxta illud Apostoli, 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se secularibus negociis.* Cum quia consimili ratione posset in quocunque regno constituere regem: & ita imperatores, ad quos solummodo pertinet conferre regiam dignitatem, sibi vsurpare non possent cuius contrarium habetur *actu. 6.* Sed forte aliquis diceret, quod licet papa regulariter non possit constituere regem: potest tamen casualiter, scilicet in casu necessitatis, qualis fuit, quando Pipinus fuit constitutus Rex Francorum.

Hic dici posset, quod esto, quod papa possit in casu necessitatis constituere regem: tamen non posset in præiudicium illius vel illorum, ad quem vel ad quos spectat constitutio regum: præsertim illo vel illis inconsulto vel inconsultis, hoc etiam non potest, quando per alium modum possunt pericula præcaueri: vt si communis vtilitas nunc procurat. Ita concurrebat, quando Pipinus factus fuit rex, quia institutio tunc pertinebat ad imperatorem: qui etsi fuisset negligens, tamen potestas constituendi regem non deuoluebatur ad papam: qui iuxta auctoritatem Apostoli præallegatam, & canones sacros, se non debet implicare secularibus negociis: sed deuoluebatur ad Romanos: si autem ipsi fuerunt negligentes, deuoluta fuisset ad Francos in casu necessitatis; quibus omnibus deficientibus, deuoluta fuisset ad eos, qui in casu necessitatis supplere possent negligentiam eorum, ad quos prius pertinet potestas aliquid faciendi. Item per alium modum, quam instituendo regem, qui inter actus reseruatos Imperatori vel Romanis, deficiente imperatore, videtur esse præcipuus, vel de præcipuis, poterat in terris Francorum per illos præcaueri, & procurari vtilitas communis, igitur tunc non fuit casus, in quo papa habuit potestatem constituendi regem. Sane prædicta de regno Francorum secundum opinionem secundam tantummodo allegando siue arguendo sunt dicta: quia opinio secunda hæc tenet. Licet hæc dicat, eo quod imperatores magis gloriari possunt se esse imperatorum successores & regum Romanorum, qui tempore Christi & Apostolorum eius fuerunt, quam Caroli Magni propter testimonia Christi & Apostolorum intelligendo de vero regno & imperio eorum, non de moribus eorundem, quibus debent succedere non in infidelitate & prauis moribus, sed in imperiali siue regia potestate, non permissa tantummodo, sed concessa & à Deo pro pace publica ordinata, quod etiam ille rex magnus Artaxerxes, quamuis infidelis sensisse videtur, cum vt habetur Hester vltimo, dicat, *maximi semperque viuentis Dei, cuius beneficio & patribus nostris & nobis regnum est traditum & vsque hodie custoditur.* Quibus verbis, & illis quæ habentur *Hester. 13. capit.* insinuauit, quare traditum esset sibi regnum dicens, *cum plurimis gentibus imperem, & vniuersum orbem mea ditioni subiugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subiectos, vt absque vllo terrore vitam silentio transigentes optata cunctis mortalibus pace fruerentur.* Sed forte aliquis contra ista obiiceret, dicens, quod imperatores fideles iniuste gloriarentur in auctoritate, se esse imperatorum infidelium successores, illorum scilicet, qui nihil possent possidere: cum apud infideles nullum sit iustum dominium. Sed quomodo sit isti respondendum, secundum opinionem istam poterit studiosus colligere ex iis, quæ tractata sunt superius.

Quod autem discordent opinio prima & secunda ex hoc patet, quod opinio prima tenet, sicut pro parte recitatum est supra *cap. 1.* quod rex Romanorum ante vnctionem & coronationem imperialem eandem potestatem non habet in omnibus terris & prouinciis, quam habet imperator post vnctionem & coronationem imperialem, quia ante coronationem imperialem & vnctionem licet ex electione principum eandem habet potestatem, quam habet imperator in Italia & in aliis etiam terris, subiectis hodie regno & imperio: tamen non habet eandem potestatem, quã habet imperator, in omnib. regnis & prouinciis, præsertim occidentalibus, quæ sub potestate Caroli Magni

non

non erant ante tempus translationis imperii in ipsum, & adhuc non sunt sub potestate imperiali: de facto Imperator post vnctionem & coronationem imperialem in huiusmodi regnis potest spurios legitimare, quo ad temporalia, infames ad famam restituere: leges condere: & in iis consimilia facere, quæ de iure sunt solis Imperatoribus reseruata. Item potest à regibus & principibus eorundem regnorum & prouinciarum subiectionem exercere, quod ante vnctionem & coronationem imperialem facere non poterat, nisi in iis terris & prouinciis, quæ erant sub dominio dicti Caroli ante tempus dictæ translationis, & quæ adhuc hodie subiectæ sunt imperio, in iis autem potest potestatem imperialem exercere & præmissa facere ante vnctionem & coronationem imperialem saltem virtute consuetudinis ex iure, quo illud potuit Carolus. Secunda autem opinio distinguens inter regnum Romanorum & regnum Francorum, & inter regem Romanorum & regem Francorum, tenet, quod licet prædicta saltem pro parte veritatem possent habere de rege Francorum: & de Carolo, in quantum fuit Rex Francorum: tamen veritatem non habent de rege Romanorum: nec de Carolo in quantum fuit Rex Romanorum. Carolus enim ante coronationem & vnctionem imperialem & translationem imperii in ipsum, fuit Rex Francorum, & Patritius Romanorum, sicut patet *distinct. 63. cap. Adrianus & cap. in synodo.* non fuit autem Rex Romanorum: & in quantum iam Rex Romanorum, omnes in potestate habuit, quos habuit in quantum imperator: nec ante fuit Rex Romanorum, quam Imperator. Ergo successores eius non aliam potestatem habent in quantum reges Romanorum: & in quantum imperatores: sicut nec Carolus Magnus habuit aliquam potestatem in quacunque terra, in quantum erat imperator, quam non habuit in eadem in quantum Rex Romanorum: quia quantum ad ipsum nec quantum ad rem, nec quantum ad appellationem: vt scilicet prius vocaretur Rex Romanorum, quam Imperator: aut prius nominaretur electus in regem Romanorum, quam in imperatorem: aut quam aliqua solennitas fieret specialis circa ipsum in quantum erat Rex Romanorum, nam in quantum imperator, nulla fuit distinctio, igitur & in successoribus eius quantum ad potestatem, nulla debet esse distinctio inter regem Romanorum & Imperatorem.

Sed forte diceret aliquis, quod saltem quantum ad terras, quas obtinuit, antequam esset imperator: & quantum ad alias, aliqua debet esse distinctio: quia habuit regiam potestatem in illis terris & prouinciis antequam esset imperator, ergo etiam successores eius, antequam sint imperatores, in prouinciis, quas tenuit Carolus, antequam esset imperator, habent regiam potestatem.

Huic respondetur secundum opinionem secundam, quod Carolus, antequam esset imperator, aliquas terras & prouincias occupauit in quantum Rex Francorum hæreditario iure: & aliquas occupauit in quantum expugnator & debellator detentorum iniustorum quarundam prouinciarum & terrarum, quæ propter tyrannides & iniurias, quas contra innocentes potentes exercebant, digni erant à quocunque temporali præualente potentia, licito bello priuari & penitus extirpari. In quibus terris & prouinciis Carolus habuit regiam potestatem illo iure, quo alii reges in regnis suis, qui potestate regia decorantur. In illis tamen terris, vt nonnullis apparet, Carolus, antequam esset Imperator, non habuit regiam potestatem. Licet enim iusta bella gerentes sæpe faciant sua, quæcunque capiunt ab hoste vel adiutoribus suis: tamen illud non est vniuersaliter verum, cum aliquas exceptiones habeat. Quarum prima est secundum quosdam, quod cum habens iustum bellum, tantum accepit ab hostibus, quod secundum bonam conscientiam est sibi satisfactum de omni dato damno & labore & operibus tam suis quam suorum. Alia est, quando ille, contra quem geritur iustum bellum, offert ius & vult satisfacere. Alia est, quando qui gerit bellum iustum, non habet iurisdictionem super illos, quibus ingerit bellum iustum, sed tantummodo pugnat, & alii eum inuadunt, tunc enim licet nec bona nec personam aduersam capere, nec inuasorem detinere: sed potest ille, qui iuste pugnat, res, quibus spoliatus est, vendicare & recuperare. Alia potest esse, quando habens iustum bellum capit rem alterius ab hoste iniuste detentam. Res enim vel seruus innocentis, aut etiam innocens homo, si detinetur ab hoste, & post capiatur à iuste pugnante, non transit in dominium capientis. Alia potest esse, quando subditi vel vasalli alicuius Domini ex causa siue auctoritate Domini pugnant contra inuasores vel detentores rerum, siue sint mobilia siue immobilia, aut homines Domini sui: & capiunt res & homines Domini sui de manu detinentium siue occupantium. Non enim tale bellum iustum habentes faciunt sua, illa quæ capiunt: quia per hoc Dominus eorum non perdit dominium rerum suarum & hominum. Carolus itaque licet per bella iusta occupauit multas prouincias & terras, non potuit per huiusmodi bella iusta facere eas suas; quia pertinebant ad dominium & ius imperatoris. Et forte aliquæ illarum ad ius & dominium aliorum, qui non poterant per Carolum priuari iure, quod habebant in eis: veruntamen Carolus poterat illas terras licite occupare, & fructus accipere quousq; sibi satisfactum esset de laboribus & expensis & operibus suis & suorum: præsertim si veri Domini illarum terrarũ ipsas modo debito minime repetebant. Sicut autem per huiusmodi occupationẽ non potuit illarum dominiũ acquirere saltem principale: ita nec per eã in eis potuit dignitatem regiam adipisci: sed postquam fuit imperator, nactus fuit in eis imperialem & regiam potestatem, quamobrem quia

impe-

Imperatores successores Caroli non succedebant Carolo inquantum erat rex Francorum, nec inquantum per iusta bella terras aliquas occupauit: aliquas assignauit Imperio, vt Imperator successor suus omnes illas eodem iure possideret. Aliquas autem attulit cuidam filio suo aut nepoti: ideo Imperatores Romanorum seu successores Caroli eodem iure vel diuerso possident omnes terras sibi subiectas, quo possidebat Carolus inquantum Imperator erat: & quas possidere debent inquantum reges seu Imperatores Romanorum. Vt autem sciatur, quare dicitur eodem iure vel diuerso, est notandum, quod Carolus, sicut & quidam alius Imperator, non habebat omnino idem ius seu potestatem in omnibus terris sibi subiectis. Quædam enim erant solummodo Imperii, non alicuius alterius regis aut principis, aut domini: quæ quidem quasi stipendia erant Imperatori, quas pro Imperialibus laboribus, ac etiam pro his exequendis, quæ ad Imperiale spectant officium, assignauit, de quibus habebat potestatem faciendi quæcunq; volebat: præsertim vbi videret reipublicæ expedire: & in destructionem seu mutilationem aut diminutionem Imperii nullatenus redundare. Aliæ vero terræ erant aliquorum regum vel principum ac dominorum: in quibus eo quod alii reges & principes ac domini non erant serui Imperatoris, sed erant liberi, propter quorundam aliorum vtilitatem: Imperium, si erat optimus principatus sic principaliter institutus, non habuit tantam potestatem, vt vltra illud, quod erat constitutum, facere posset de eis, & in eis quæ vellet: quia si Imperium fuit optimus principatus secularis, vltra debitum ordinatum non poterat de iure accipere aliquid ab inimicis: nisi pro vtilitate publica procuranda. Ex quibus colligitur, quod Carolus, antequam esset Imperator, non habuit regularem in Italia potestatem: & ideo Italia nunquam fuit à dominio regni Germaniæ regnum quasi accessorium principali, præsertim si Italia comprehendit etiam Romam, quæ est caput Imperii: sed aliquo tempore tam Italia quam Germania fuit prædictis causis imperio deputata ad onera Imperii sufferenda.

CAP. IV.

Mouet contra prædicta pro secunda opinione obiectionem, in cuius solutione ostenditur an regnum Francorum in Carolo Magno desiit: & qui fuerunt eiusdem successores.

SEd adhuc dicet aliquis contra istam secundam opinionem, quod secundum illam sequeretur, quod regnum Francorum cessasset post Carolum Magnum, quia videtur quod in regnum Francorum nullus sibi successit, nisi Imperator. Sed vt dicit opinio prædicta, nullus successit prædicto Carolo inquantum erat rex Francorum: sed solummodo inquantum erat Imperator: ergo regnum Francorum tunc cessasset. Hic respondetur, quod illud regnum Francorum, quod sic primitus vocabatur, cuius caput & principium fuit in Theutonia: & super quod primo, antequam esset Imperator, fuit Carolus rex, post mortem Caroli desiit esse regnum: & inde per multa tempora postea nullus fuit Francorum rex. *Carolus enim non solum regnum Francorum, sed etiam Imperium pro parte diuisit* (alias *dimisit.*) Nam, vt in chronicis nonnullis habetur, *Carolus Magnus, dum morbo & senectute aggrauaretur: congregatis solenniter de toto regno Francorum proceribus, Ludouicum filium suum acquitanit: eumq; cunctorum consilio consortem sibi totius regni ac Imperialis nominis hæredem sub anno domini octingentesimo vigesimotertio constituit: impositoque capiti eius diademate Imperatorem & Augustum appellari iussit. Post hoc ille Ludouicus mortuo patre suo generalem conuentum Aquisgrani sub Anno Domini 827. habens, filium primogenitum Lotharium nominis atque Imperii consortem constituit, & cæteros reges appellatos vnum Aquitaniæ scil. Pipinum, alterum Bauariæ, scil. Ludouicum, præfecit: quarto vero filio, scil. Carolo, Alemanniam, Graciam & Burgundiam post concessit. Idem vero Lotharius post mortem Ludouici Imperatoris, assumpto sibi Pipino, filio fratris sui Pipini, cum Ludouico & fratribus suis occasione discordiæ inter ipsos super diuisione regni Francorum suborta, sub anno domini 841. apud pagum Altisiodorensem, in loco qui dicitur Fonchauich, bellum grauissimum commisit: cum Ludouicus & Carolus sine graui dispendio suorum vicerunt. Post hoc autem bellum supradicti fratres inter se pacificati imperium & regnum Francorum sub anno Domini 842. diuiserunt hoc modo: Carolus habuit regnum occidentale Francorum à Britannia maiore vsque ad Mosam fluuium: & vocatus fuit rex Galliæ. Ludouicus habuit Orientale regnum Francorum: scil. totam Germaniam vsque ad Rheni fluuium & nonnullas ciuitates cum adiacentibus pagis trans Rhenum: & vocatus est rex Germaniæ & Pannoniæ, Polonia, Bohemia & Morauia inclusis. Lotharius vero primogenitus, Imperator vocabatur, & à Mosa vsque ad Rhenum fluuium Belgicam, quasi medius inter duos incedens sortitus est, quæ vsque hodie Lotharingia ex eius nomine sortita est nomen. Habuit etiam prouincias & omnia regna Italiæ cum vrbe Romana. Sed Pipino prædicto filio fratris ipsorum Aquitania cessit. Post hæc vero Lotharius Imperator prædictus, conuocatis primatibus regni filio suo Ludouico sub anno Domini 855. Italiam tradidit: & Imperatorem constituit. Lothario vero fratri regnum Lotharingiæ, quod ex nomine suo sic vocatur, concessit.* Ex his aliisque quampluribus colligitur, quod regnum Francorum cessauit esse regnum, & quod terræ, quæ immediate erant subiectæ Carolo tam vt imperatori quam vt regi Francorum, multis modis diuisæ fuerunt: & ideo nec in regno Francorum, nec in aliqua eius parte, aliquis successit Carolo inquantum Carolus fuit rex Francorum: sed vnus filiorum successit ei inquantum erat Imperator in partem Imperii: & in regnum vel in partem regni Francorum: non tamen voca-

batur rex Francorum: sed tantummodo Imperator, vel iam Imperator, iam Rex Acquitaniæ, propter hoc quod prius fuerat Rex Acquitaniæ, quam Imperator. Alter vero filius Caroli vel nepos successit Carolo in partem, quæ fuerat imperii, inquantum Carolus erat Imperator, habens potestatem separandi partem imperii ab imperio, & quæ non immediate sed mediate esset subiecta Imperatori. Italia vero, quæ prius erat pars imperii immediate subiecta Imperatori, nullum alium regem habens Dominum, tunc fuit data Bernhardo Bosonii, nepoti Caroli, qui fuit rex super Italiam constitutus. Postea vero regnum Francorum fuit aliis modis diuisum, sicut patet per prædicta: ita tamen, quod in multis annis postea nullus vocabatur rex Francorum: & Italia, quæ prius fuerat à terris Imperatori immediate subiectis separata, postea fuit vnita.

Cap. V.

Mouet & soluit tres quæstiunculas incidentes ex dictis in superioribus capitulis.

Circa prædicta possunt fieri quæstiones. Quarum prima est, quomodo Carolus, ex quo dictus fuit *Augustus* ab augendo, poterat diuidendo minuere imperium.

Secunda, qua potestate aut iure poterat filium suum constituere Imperatorem. Tertia est an quilibet Imperator successor Caroli habuit vel habeat eandem, quantum ad illa, potestatem. Ad primam illarum quæstionum respondetur secundum opinionem secundam, quod Carolus, in quantum erat Imperator habuit tam plenam administrationem in rebus imperii, vt non posset solummodo facere pro suo arbitrio voluntatis, quicquid conferret ad bonum commune, sed etiam vt posset facere de eis quicquid non esset in dispendium boni communis. Et ideo quia separatio Italiæ ab aliis terris & prouinciis immediate subiectis Imperatori non erat in dispendium boni communis: quin immo separatio Italiæ ab aliis terris & prouinciis, prout fortassis vidit Carolus, erat expediens bono communi. Ideo potuit eam ab aliis terris separare: præsertim cum ipse subiecisset regnum Francorum immediate Imperatori, quod primo non erat ei subiectum immediate: & ita poterat Augustus ab augendo Imperium merito appellari, non obstante, quod Italiam, quæ erat parua respectu aliarum separasset. Vnde sicut ciuitates aliquas potuit facere liberas absque detrimento imperii: ita potuit Italiam tali modo ab aliis prouinciis immediate subiectis Imperatori separare.

Ad secundam quæstionem respondetur, quod Carolus illo iure & illa potestate potuit filium suum constituere Imperatorem, quo & qua Iulius Cæsar & Octauius primus Augustus, & alii quam plurimi successores eorum quandoque filios suos, quandoque alios fecerunt interdum successores, & nonnunquam consortes imperii. Ex quo enim translatum fuit Imperium in Germanos & personam Caroli Magni, omne ius & omnem potestatem, quod & quam habuerunt primi Imperatores, habuit & Carolus Magnus. Et si dicatur, quod Imperium Romanum non fuit translatum in Carolum Magnum: quia si fuisset translatum, remansisset apud Græcos: quod tamen non remansit apud eos. Vnde & in quadam Chronica sic legitur: *Imperatores Constantinopolitani Nicheforus, Michaël & Leo vltro & amicitiam & societatem eius expetentes, complures ad eum misere legatos, conquerentes ipsum suspectum à se Imperatorem nominari. Et ob hoc quasi Imperium eis capere vellet, eum habere suspectum: cum quibus tamen fœdus firmissimum statuit, vt nulla inter partes cuiuslibet scandali remaneret occasio.* Et infra de eodem sic habetur: *Romam veniens & Carolus Magnus propter recuperandum, quod minus circa ecclesiæ statum, ibi hyemis tempore egerat: quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit. Quod primo tamen auersatus est, vt affirmaret se eo die, quo prima festiuitas esset, ecclesiam non intraturum, &c.* Et paulo post: *Inuidiam tunc suscepti nominis, illis Romanis Imperatoribus super hoc indignantibus magna tulit patientia: vicitque eorum contumaciam magna virtute, qua eis proculdubio longe præstantior erat mittendo ad eos crebras legationes: & in epistolis eos fratres appellando.* Ex hoc videtur haberi, quod Imperatores, qui in Constantinopoli morabantur, non solum fuerunt Imperatores Constantinopolitani, sed Romani Imperatores, postquam Carolus factus fuit Imperator: & per consequens Romanum Imperium non fuit translatum de Græcis in Carolum: quia quod transfertur ab vno, non manet post translationem apud illum, de quo transfertur. Respondetur, quod Imperium Romanum fuit vere translatum de Græcis in Carolum, & ideo Carolus fuit postea verus Imperator Romanus, & non Græci: licet forte aliqui nomine, non re fuerunt postea Imperatores Romani: & ideo Imperatores priores prædicta translatione priuati fuerunt iure & potestate, quam primi Imperatores habuerunt in vniuerso orbe: & Carolus per dictam translationem ius & illam potestatem adeptus fuit. Ad illud, quod adducitur per chronicam supradictam de amicitia, societate & confœderatione Caroli cum Imperatoribus Constantinopolitanis siue Romanis: & de crebris legationibus inter ipsos: Respondetur, quod Carolus propter scandala & inconuenientia multa vitanda tolerauit Constantinopolitanos in Græcia, immo Græciam possidere & se vocare Imperatores Romanos. Et propter hanc causam vo-

sam voluit cum eis amicitiam & societatem habere: cum ipse solus sit verus Imperator Romanus, habens omne ius & potestatem, quod & quam habuerunt primi Imperatores, & alii successores eorum ante Carolum. Si quæratur, authoritate cuius facta sit huiusmodi translatio? Respondetur ꝙ circa hoc sunt opiniones diuersæ. Vna est, quod dicta translatio facta fuit à Papa. A quo autē Papa facta fuit, sunt diuersæ opiniones. Hæc opinio fulcitur per decretalem, *venerabilem. Extra, de electione.* Alii autem dicunt, quod translatio ista fuit facta principaliter à populo Romano, cuius Papa est pars, & etiam clerus, quod quædam chronica insinuare videtur, in qua sic legitur: *Illa die sacratissima natalis Domini, cum rex missam ante confessionem (alius confessionem) sancti Petri Apostoli audisset, & ab oratione surgeret; Leo Papa coronam capiti eius imposuit: & à cuncto Romanorum populo acclamatum est: Carolo serenissimo, Augusto à Deo coronato, vt pacifico Imperatori, vita & victoria.* Quæ verba videntur innuere, quod Leo Papa Carolum coronauit de voluntate & ordinatione populi Romani, ad quem spectabat de imperio ordinare, & sic translatio imperii de Græcis in Germanos facta fuit à populo Romano, non exclusis Papa & clero. Quod taliter videtur posse probari. Ad illos spectat translatio principaliter imperii, si transferri debet, à quibus fuit imperium institutum: ergo à Romanis & non à Papa, nisi quantum à parte, quando esset pars Romanorum, debet fieri imperii translatio, quæ ad potestatem pertinet temporalem. Papa autem inquantum Papa de temporalibus, saltem regulariter, se intromittere nullatenus debet, ne videatur iuribus derogare. Quamuis ergo Papa teneatur, deficientibus Romanis, vel si nollent, transferre posset imperium: tamen vbi ipsi Romani ex necessitate essent prompti pro bono communi transferre imperium, nō debet: sed vna cum aliis Romanis, inquantum Romanus, posset transferre imperium. Cum igitur, vt patet ex præallegata *chronica*, Romani tunc fuerunt parati imperium transferre: Papa tunc auctoritate propria imperium transferre non potuit. Et ad decretalem, *venerabilem*, Respondetur, quod illa verba Innocentii 3. sicut & alia plura verba eius ibi & alibi sunt exponenda, ne verbis eius in aliis contraria demonstrentur. Potest itaq; dici, ꝙ ideo dicit, ꝙ *Apostolica sedes Romanum Imperium in personam magnifici Caroli à Græcis transtulit in Germanos*: quia Papa auctoritate Romanorum coronauit Carolum Imperatorem: vel quia populus Romanus Papæ, tanquam eminentiori personæ inter eos, potestatem tribuit ad transferendum: vel quia Papa & clerus cum aliis Romanis transtulerunt imperium: vel quia Papa persuasit & consuluit translationem illam fieri in Germanos. Quare autem facta fuit dicta translatio, non est tractandum. Quis autem fuerit effectus dictæ translationis, non opus modo exquisite disquirere, sed sufficit nunc secundum opinionem illam breuiter dicere, ꝙ per dictam translationem Carolus non solum exemptus fuit ad obedientia & subiectione Imperatoris prædecessoris sui: à cuius obedientia & subiectione, quamuis non habuisset eū pro superiore, tamen non fuit exemptus: quia non habere superiorem pro Imperatore non eximit aliquem à subiectione: sed etiam si filius sit Dominus ipsius, qui Imperator fuit ante eum, & omnium regnorum terrarumq; & prouinciarum, quarum Domini fuerunt illi, qui tenerunt monarchiam imperii: & ideo Carolus per talem translationem habuit potestatem de iure, licet non de facto, in omnibus, quæ Octauio Augusto subiectæ fuerunt: & in prouinciis etiam, quas ante per bella licita subiugauit, habuit potestatem Imperialem, in quibus prius de iure nec Imperialem nec regalem potestatem habuerat. In terris autem & prouinciis, quas ex successione paterna possidebat, nactus est potestatem Imperialem: sed antea solummodo habuit potestatem regalem. Pro omnibus istis vna videtur allegatio talis, quæ ex præcedentibus implicite potest adduci. Antequam Carolus fuit ad Imperiale fastigium sublimatus, nequaquam fuit Romanum Imperiū consecutus: sed tale fuit nactus imperium, quale ipsum processit. Aliter imperium non fuisset de aliquo nec de aliquibus translatum in ipsum: ergo omnem potestatem in quibuscunq; terris, quas habuerunt prædecessores sui, ipse per talē translationem obtinuit: quia in vniuerso orbe Imperialem potestatem acquisiuit. Sed forte aliquis quæreret, quomodo fuit Imperium translatum in Germanos: nonne sic, quod nullus deberet esse Imperator, nisi Germanus? Hic respondetur, quod sicut Romanum imperium non fuit translatum de Græcis sic, quod nullus nisi Græcus debeat esse Imperator: sic etiam non fuit sic translatum in Germanos, quod nullus deberet esse Imperator, nisi Germanus. Talis enim ordinatio seu translatio optimo modo prouidendi imperio de Imperatore obuiaret, ac potestati Imperatoris non modicum derogaret: quia tunc non habuisset Carolus potestatem, nec aliquis alius promouendi alium in Imperatorem, quam Germanum: cum tamen de facto aliqui alii, quam Germani electi fuerunt. Frater enim Hetel Reges Angliæ, proaui Erbrardi, qui modo regnat in Anglia, electus & coronatus fuit in regem Romanorū seu Imperatorem. Alphonsus etiam rex Castellæ fuit electus; quorum neuter fuit Germanus. Sed translatum fuit in Germanos, quia Carolus, qui tunc fuit Imperator, factus erat natione Germanus. Ad tertiam quæstionem propositam in principio istius capituli, dicitur, quod secundum prædictam opinionem quilibet Imperator successor Caroli eandem habuit potestatem, quam habuit Carolus, vel quicunque prædecessor Caroli; tum quantum ad dandum aliquam partem Imperii alii, dummodo remanerent Imperio sufficientes terræ & prouinciæ ad omnia onera Imperii sustinenda; tum quantum ad potestatem constituendi filium suum vel alium Imperatorem. Vtrumque probatur per allegationem, quæ ad aliā quæstionem adducta est. Nam qui in ius succedit alterius, eodem iure, quo ille, vti debet: aliter enim non est vera successio. Ergo quilibet Imperator successor Caroli, tam quantum ad illa duo, sicut quantum ad alia quæcunq;, potest vti eodem iure & potestate, quo & quæ Carolus vel quicunque prædecessor suus

vsus fuit. Et specialiter probatur de potestate constituendi Imperatorem per hoc, quod sæpe de facto, quod per rationem reprobari non potest, successores Caroli tam ante institutionem principum Electorum, quam post filios suos & alios constituerant Imperatores consortes Imperii vel successores: sicut in *Chronica* Otthonis: & in aliis quibusdam gestis Imperatorum vsque post Fredericum vltimum legitur & habetur. Nam Ludouicus Pipini filius fecit Lotharium filium suum Imperatorem: & idem Lotharius Ludouicum filium suum constituit Imperatorem, qui simul fuerunt Augusti: vt habetur *dist. 63. in rubro.* Conradus omnium electione 79. ab Augusto, regimen scil. Romanorum accepit: & Henricus Dux Saxoniæ filius Otthonis Ducis in regnum prouehitur. Item de Otthone primo legitur sic: *Ottho primus ab Augusto. 89. filium suum Otthonem impuberibus annis regem constituit.* Item de quodam alio Conrado sic legitur: *Conradus 85. ab Augusto secundo regni sui anno filium de iure regem fecit.* Item de Henrico sic legitur: *Henricus Conradi tertii Imperatoris filius dudum patre viuente rex constitutus 86. ab Augusto patri succedit: filium quoque suum Henricum Romani pontificis cunctorumq; pontificum & principum regni electione regem constituit.* De Henrico quarto sic legitur: *Henricus quartus Henricum filium suum regem constitui fecit.* Item de quodam Conrado 90. ab Augusto legitur, quod filio suo sedem regni reliquit. De Frederico primo, sic legitur, *Fredericus primus 91. regum, regnum accepit magis ex delegatione patrui sui, quam ex electione principum, qui filium Henricum suum designauit fieri Imperatorem, qui de consensu principum coronari Aquisgrani incepit. Ista hæc procurant principes Alemanniæ pene omnium paruulum ipsius,* scil. Fredericum) *adhuc in cunis vagientem in regno assumpserunt & ei fidelitatem iurauerunt.* Vnde postea: *Principes Alemanniæ, rex videlicet Bohemiæ, Dux Haustriæ, Dux Bauariæ, & Landtgrauius Turingiæ, & alii quamplures Comites eundem Fredericum regem Siciliæ elegerunt Imperatorem coronandum, cui etiam olim cum adhuc in cunis esset iuramentum & fidelitatem fecerunt.* De Henrico filio Frederici sic legitur: *Henricus vnicus filius Frederici circiter octo annos habens quorundam ministralium & aliorum principum interuentu à patre suo & principibus rex constituitur, & Aquisgrani coronatur cum patre suo Imperium adepturus.* Ex his colligitur, quod Imperatores post Carolum alios creauerunt Imperatores, tanquam habentes eandem potestatem in omnibus, quam habuit Carolus Magnus & prædecessores sui, qui quamplures Imperatores fecerunt. Nam ab Imperatoribus fuerunt infra scripti Imperatores, Reges, Cæsares & Augusti creati. Octauius seu vt nunc dicunt, Octauianus, qui fuit primus Augustus, Anthonius, Lepidus, Drusus, Caius, Piso, Lucius, Marcus, Lucius Commodus, Anthonius, Alexander, Decius, Volusianus, Galienus, Cornelius, Claudius, Coruinus, Maximianus, Constantinus, Galienus, Maximus, Seuerus, Constantinus, Lucius, Crispus, Lixinianus, Maxentius, Constantinus, Dalmacius, Gallus, Vitalianus, Valerius, Gratianus, Valentinianus, Leo, Anthonius, Theodoricus, Martianus, Iustinianus, Tiberius, Constantinus, Mauritius, Germanus, Theodosius, Tiberius, Constantinus, Heraclius, Tiberius. Quibus ergo Imperator, si est verus Imperator Romanorum, Imperio succedens primis Imperatoribus: & est nunc tale Imperium, quale ab initio fuit, alios potest creare Imperatores, vel vt secum regnent & imperent: vel vt sint sui solummodo successores: & vtroque modo fuerunt per Imperatores alii Imperatores constituti.

Cap. VI.

Quarta quæst. contra ea, quæ in superiori cap. dicta sunt, duo obiicit & soluit: in quorum solutione inquiritur, an Imperator possit per successionem fieri: & an possit ordinare Apostolicam sedem.

SEd contra prædicta dupliciter obiicitur. Primo, quia secundum ista Imperatores fuere per successionem, & non per electionem: quod repugnat optimo principatui in prouidendo: & per consequens repugnat optimo principatui prouidendo de Imperatore: & per consequens repugnat optimo principatui, qualis debet esse principatus Imperialis.

Secundo obiicitur: quia secundum ista Imperator posset ordinare Apostolicam sedem, & facere Papam, & Archiepiscopos, & episcopos: quia illam potestatem habuit Carolus Magnus, vt *dist. 63. cap. Adrianus.* Ad primam istarum obiectionum respondetur secundum opinionem secundam, quod optimus modus prouidendi simpliciter de Imperatore est per electionem, & non per successionem: & ideo non legitur, quod aliquis fuerit aliter quam per electionem constitutus Imperator. Vnde etiam filii Imperatorum per electionem facti fuerunt Imperatores: sed non semper per electionem illorum, quibus regulariter data erat eligendi potestas, vacante Imperio: sed semper per electionem ipsorum Imperatorum. Nam ipsimet Imperatores habentes potestatem eligendi, elegerunt sæpe proprios filios vel alios: quia non minorem habet Imperator potestatem eligendi, quam quicunque alii inferiores eo. Ad secundam obiectionem diuersimode respondetur: dicitur enim vno modo, quod quilibet Imperator post Carolum & post Ottonem primum habuit potestatem eligendi summum pontificem: quia potestas ordinandi Apostolicam sedem pertinet ad ius publicum: sed ius publicum est in sacris & sacerdoti-

sacerdotibus & magistratibus: per consequens in Imperatoribus, quæ inter magistratus supremum locum obtinere noscuntur. Sed iuri publico derogari non potest: neq; potest quis renunciare iuri publico. *Extra, de foro compe. si diligenti.* Quare Imperatores posteriores tali iuri minime renunciare potuerunt. Aliter dicitur, quod illud priuilegium Caroli & Ottonis fuit personale: vel saltem quod imperatores poterant renunciare priuilegio illi. Finaliter dicitur, quod nec Carolus nec Ottho habuerunt potestatem eligendi supremum pontificem, inquantum erant imperatores: quia primi Imperatores, quorum Carolus & Ottho fuerunt successores, potestatem illam nullatenus habuerunt: & ideo potestas eligendi Papam non competiuit eis, inquantum erant imperatores, sed inquantũ Romani Christiani ipsis commiserunt vices suas. Eodem modo dicitur de inuestitura episcoporum & archiepiscoporum, quod specialiter secundum opinionem quandam veritatem habet, qualiter ad collationem temporalem, quam facere habet Imperator, præsertim in terris immediate sibi subiectis, & non Papa. Quæ istarum responsionum maiorem euidentiam habeat, non est dicendum ad præsens: quia magnam requirit discussionem.

CAP. VII.

Ponit solutiones, quas illi de secunda opinione dicant ad argumenta facta pro prima opinione superius cap. primo.

IN multis aliis opiniones prima & secunda superius recitatæ discordant, de quibus non est nunc tractandum: licet de quibusdam eorum in posterum breuiter tractaturus sum. Modo autem sufficiat dicere, quomodo opinio secunda respondeat ad ea, quæ superius *primo capitulo* pro opinione prima sunt adducta. Cum enim dicitur, quod rex Romanorum est postea in imperatorem promouendus: dicitur, quod hoc non est proprie dictum. Sed ideo dicitur, quod rex Romanorum est imperator postea appellandus: cuius appellatio ex consuetudine non multum rationabili ante vnctionem & coronationem posterioribus temporibus & non ab initio fuit admissa. Primi enim imperatores & successores eorum vsque ad multa tempora post Carolum magnum non vocabantur reges Romanorum, priusquam Imperatores. Quare autem postea cœperunt prius reges Romanorum, quam imperatores appellari, forte nescitur: & ideo supersedendum est ad tollendum dubitationes periculosas, quæ ex huiusmodi appellationibus exoriri valerent. *Multa* enim *sunt constituta* (vt scribit Aug. & habetur dist. 12. c. omnia) *quorum omnino vix aut nunquam inueniri causæ possint, quas in eis constituendis homines secuti sunt*: quæ vbi facultas tribuitur, sine aliqua dubitatione æstimat resecanda. Concluditur ergo, quod proprie loquendo rex Romanorum est imperator: licet non sic appelletur semper. Quod igitur dicitur, *dist. 23. c. in nomine*, de rege Henrico Romanorum quod futurus sperabatur imperator, intelligi debet quantum ad appellationem, vt sic communiter appellaretur, qualiter tunc non appellabatur communiter, non quantum ad aliquam potestatem iurisdictionis, vel ius de nouo accipiendam vel accipiendum. Quemadmodum electus in Papam si antea fuit episcopus, ex ipsa electione ante omnem inthronisationem seu coronationem & omnem potestatem & iurisdictionem habet, quam per inthronisationem in Apostolicam sedem vel coronationem aut quamcunq; aliam solennitatem adepturus est. Nam Papa non nisi duplicem potestatem habet, scil. ratione ordinis & ratione potestatis, vt innuit Gloss. *dist. 23. in nomine.* Sed Papa si prius est episcopus, per coronationem nihil iurisdictionis seu potestatis consequitur, quamuis ante vocetur electus. Quod etiam probatur per hoc, quod beatus Petrus statim, quando fuit factus à Christo Papa omnem statim habuit potestatem, nec aliquam de nouo post accepit. Sed electio Papæ de nouo, respectu successoris Petri, succedit in locum institutionis Petri à Christo, sine omni ministerio humano. Ergo Papa, si est episcopus (quemadmodum Petrus fuit) antequam Papa, per electionem omnem habuit potestatem, quam habuit post. Si autem aliquis, qui non est sacerdos vel episcopus, eligatur in Papam: oportet quod consecretur in sacerdotem vel in episcopum, antequam habeat potestatem, quantum ad illa quæ ordinis sunt. Rex igitur Romanorum non est proprie in imperatorem promouendus: & ideo promotio talis magis verbalis quam realis est. Et si dicatur, quod hoc videtur absurdum & ridiculosum: Respondetur quod non: quemadmodum multa fiunt, quæ magis ad solennitatem spectant, quam ad veritatem: sicut patet in matrimoniis, *extra, de sponsalibus. cap. primo.* Et in ordinibus clericorum & consecrationibus episcoporum, & etiam in missa, & in multis aliis: quæ tamen non sunt absurda & ridiculosa: quia facere in talibus, præter illa quæ sunt de substantia rei aliqua quæ sunt ad solennitatẽ & decorem & ad ipsam magnificandam in mentibus eorum; vt in maiori admiratione, veneratione, deuotione & reuerentia habeantur: non est absurdum & ridiculosum, sed sæpe necessarium, vtile & decorum: quamuis secundum opinionem in casu præsenti esset vtile & expediens: quod dimissa dilatione imperialis nominis rex Romanorum statim titulum imperialem assumeret sine mora, & pro imperatore se gereret, ne aliqui ambitiosi, bono communi priuatum præferentes honorem, ex dilatione huiusmodi occasionem accipiant in damnum reipublicæ: asserendo quod rex Romanorum non statim habet imperialis plenitudinem potestatis. Et cum dicitur, quod tunc lex esset imposita verbis, & non rebus: & distinctio nominum non declaret distinctionem rerum. Respondetur, quod nonnunquam nomina imponuntur non ad declarandum differentiam secundum substantiam rei:

Hh 3 sed

sed ad declarandum solennitatem vel differentias solennitatum, quæ sunt circa substantiam rei: sicut patet de Papa, qui cum habeat eandem potestatem, primo vocat se electum; & postea ipse vocatur Papa. Sic & Imperatores vocati sunt primo reges Romanorum: Postea nominantur Imperatores: postea etiam aliquando Augusti, aliquando Cæsares appellantur. Et ista nomina nullam differentiam potestatis habent: quare potius mens consideranda est quam verba, quæ deseruiunt intentioni; & non econuerso. *Extra, de verbo. signi. intelligentia.* Licet rex Romanorum non statim vocetur Imperator; nulla est sibi offerenda potestas: quia sic rei lex imposita est, non verbis. Et sic intelligenda sunt verba, vt res verbis non pereat, sed valeat: quia non sermoni res, sed rei debet esse sermo subiectus. Vt *extra, de verborum significatione. c. intelligentia.* Et ideo, quia non mediocriter periret respublica, si rex Romanorum non statim esset imperator, propter hoc quod prius se vocat regem, quam Imperatorem, ex consuetudine quadam forte minus rationabili. Non est dicendum, quod quantum ad rem, sit differentia inter regem Romanorum & imperatorem. Et sic de quæstione principali est dicendum.

CAP. VIII.

Redit ad discussionem principalis quæstionis in principio propositæ. Circa quam recitatis diuersis opinionibus probat secundam.

NVnc tractandum est, vtrum electio alicuius in regem Romanorum vel Imperatorem sibi det plenam administrationem: ex eo quod illa potestas est immediate à Deo. Circa hæc est opinionum diuersitas. Quarum vna tenet partem negatiuam propter hoc, quod ipsa ponit potestatem regis Romanorum seu Imperatoris non esse immediate à Deo: quia tenet quod potestas sua est à Papa, secundum quod tenet opinio, quæ recitata est *2. q. c. 5.* & ideo huiusmodi electio non habet plenam administrationem: sed oportet quod confirmetur à Papa.

Secunda opinio, de qua modo tractatum est: quæ videtur dicere, quod electio alicuius in regem Romanorum dat sibi administrationem in Italia & aliis terris & prouinciis, quæ subiectæ fuerunt Carolo ante vnctionem & coronationem imperialem. Et hoc quia potestas sua in illis terris est immediate à Deo: quia rex Romanorum illas prouincias & terras non tenet à Papa. Sed electio alicuius in regem Romanorum vel imperatorem non dat sibi plenam administrationem in prouinciis, quæ non erant subiectæ Carolo magno ante coronationem imperialem: quia alias terras & prouincias tenet à Papa: & quantum ad alias tacite illo facto confirmatur à Papa: ex eo scilicet quod Papa ipsum vngit & coronat. Porro quia illa opinio declarata est à quodam reuerendo Doctore, transeo ad opinionem secundam, quæ tractata est supra *c. 2.* quæ sic dicit. Quod inter regem & Imperatorem, seu inter regnum Romanorum & imperium nulla est differentia. Ita etiam tenet quod potestas regni seu imperatoris immediata est à Deo, de quo dictum est, 2. *cap.* Quemadmodum Papatus immediate est à Deo. Rex enim Romanorum seu Imperator in quibuscunque terris vel prouinciis nullum superiorem habet in temporalibus: nec quascunq; terras seu prouincias tenet ab alio quam à Deo. Et ideo dicitur, quod electio alicuius in regem seu Imperatorem dat sibi plenam administrationem, quæ sibi competit de iure in quibusdam terris & prouinciis. Non enim eandem plenitudinẽ habet in omnibus terris & prouinciis: quia de iure pleniorẽ habet administrationẽ immediate in terris subiectis Imperio, quã in aliis: Sic & primi Imperatores pleniorem habuerunt potestatẽ & administrationẽ in terris immediate sibi subiectis, quæ ad Imperiũ deputatæ erant ad onera Imperii perferenda, quam in aliis terris. Pro ista assertione prædictæ opinionis secundæ potest taliter allegari, sicut allegatum est prius. Quia illi, qui alteri in imperio vel regno succedunt, eodem iure, quo ille, vti debent. Sed electus in regem seu Imperatorẽ succedit Imperatoribus, qui fuerunt tam ante Carolum magnum, quam etiam Constantinum. Ergo eodem iure, quo illi, vti debet. Electio autem dedit illis Imperatoribus plenam administrationem, quæ competebat eis de iure in quibuscunq; terris & prouinciis. Ergo & modo electio dat plenam administrationem electo in regem Romanorum seu Imperatorem. Aliter enim vel rex Romanorum seu Imperator non esset successor Imperatorum illorum seu regum: aut modo per electionem non succederet in ius electionis vel electionum priorum. Sed forte diceret aliquis, quod ista allegatio supponit falsum. scil. quod Imperatores semper fiant per electionem: cum multi fuerunt Imperatores per successionem generis tam ante Carolum magnum, quam post. Hic respondetur, quod nunquam aliquis fuit factus Imperator Romanorum nisi per electionem: non proprie loquendo per successionem generis. Illi enim Imperatores, qui facti videntur imperatores per generis successionem, per electionem præuiam suorum vel aliorum ad Imperii fastigium promoti fuerunt. Vnde Ludouici Caroli filius non iure primogenituræ, nec aliquo iure proprio, sed per electionem patris fuit factus Imperator. Vnde si pater decessisset, & nullũ ad Imperium elegisset, Ludouicus, si fuisset primogenitus, quamuis habuisset ius vendicandi regnum Francorum iure primogenituræ: quo iure in regnis occidentalibus succedunt primogeniti patribus: non tamen habuisset ius vendicandi Imperium seu regnum Romanorum. In hoc enim, quod Imperium seu regnum Romanorum nemo assequeretur per successionem, sed per electionem: ipsum optimo modo regalis monarchiæ magis appropinquat, quam regnum, quod per generis successionem quæreretur.

Secundo

Secundo ad prædictam quæstionem taliter allegatur. Imperator tenet à Papa, quæ non erant subiecta Carolo Magno ante vnctionem Imperialem ipsius, & non alia. Ergo istæ terræ & non aliæ sunt subiectæ iurisdictioni & potestati Papæ: non iure naturali: quia vna terra iure naturali non est magis subiecta Papæ quam alia. Iure enim naturali omnia sunt communia, & communis omnis possessio est, & omnium est vna libertas, id est ius naturale. Nec iure diuino aliquæ terræ sunt magis subiectæ Papæ quam aliæ. Tum quia, sicut dicit Augustinus *super Iohan.* & recitatur distinct. octau. quo iure: *Iure diuino, Domini est terra & plenitudo eius: pauperes & diuites vna terra portat:* Tum quia ius diuinum in scripturis diuinis habemus. *distinct. octau. quo iure.* in scripturis autem diuinis nullatenus inuenitur, quod Deus magis subiugauerat iurisdictioni Papæ terras, quæ non erant subiectæ Carolo ante coronationem Imperialem, quam alias: tum quia plures illarum nec de iure nec de facto nunquam Christianorum fuerunt, quia incolæ eorundem nunquam fuerunt conuersi ad fidem: & per consequens Papa super ipsos nullam habuit iurisdictionem, iuxta illud Apostoli primæ ad Cor. 5. *Quid ad nos iudicare de his qui foris sunt?* Nec iure humano terræ illæ magis sunt subiectæ iurisdictioni Papæ, quam aliæ: Nec iure Ciuili: nec iure Canonico. Non de iure Ciuili: quia de hoc in iure Ciuili nihil habetur. Nec iure Canonico, quia Papa, cuius est condere Canones, non habet potestatem, vt huiusmodi regna & prouincias possit sibi subiicere. Tunc enim posset quodcunq; regnum subiicere iurisdictioni suæ, & omnium Regnorum iura potestati suæ subiicere; & sic omnia iura & regna turbare, quod tamen non debet. *Extra de iudiciis c. nouit.* Item, illæ terræ, quæ non erant subiectæ Carolo ante coronationem Imperii, nec iure scripto nec non scripto erant subiectæ iurisdictioni Papæ. Quod non iure scripto, patet: quia tale ius scriptum minime inuenitur. Nec iure non scripto, scilicet consuetudine rationabili ac approbata aut scripta, quia super hæc nulla consuetudo præcessit. Imperatores enim prædecessores Caroli non magis recognoscebant à Papa illas terras, quæ non erant subiectæ Carolo, quam alias. Nec inuenitur, quod aliquas tenuerint à Papa. Quia minus videtur quod tenuerunt alias à Papa terras, quæ non erant subiectæ Carolo Magno, quam Italiam & alia Occidentalia Regna, quæ erant subiecta Carolo: quia capitulum illud *Constantinus. dist. 96.* sonare videtur, quod Constantinus dedit Papæ Syluestro & successoribus eius omnes Italiæ & Occidentalium Regionum prouincias & ciuitates & loca, & non Orientalium Regionum: quia si prædecessores Caroli tenuerunt à Papa potissime Italiam, etiam Occidentalia regna debuerunt tenere à Papa. Sed forte diceres, quod virtute translationis Imperii in Carolum Magnum per Papam Carolus tenuit à Papa illas terras, quæ prius non erant sibi subiectæ. Et ideo in illas habuit solummodo potestatem Imperialem per translationem Imperii factam à Papa, & non in alias. Hic diuersimode respondetur. Vno modo, quod illa translatio non fuit à Papa, sed à Romanis, quorum ab initio fuit Imperium & à quibus Imperator primo accepit Imperium: qui omnem suam potestatem regendi propter bonum commune transtulerunt in Imperatorem, non tamen in ipsum potestatem dominandi seu regendi despotice, nec à se abdicauerunt omnem potestatem casualiter disponendi de Imperio. Si enim hoc fecissent, seruos se fecissent Imperatoris strictissime accipiendo vocabulum *serui*: & reuera nullatenus liberi remansissent: & per consequens Imperator nõ habuisset principatum regalem, sed pure despoticum: quia secundum istam responsionem Imperator virtute illius translationis Imperii nullas terras tenet à Papa. Aliter respondetur, quod esto quod illa translatio sit à Papa: tamen ex hoc non sequitur, quod Imperator quascunq; terras ab illo debeat tenere: quia secundum sic opinantes: sicut Papa transtulit Imperium de Græcis in Carolum, ita transtulit regnum Francorum de Hylderico in Pipinum patrem Caroli: quia vt dicunt, illum deposuit, & istum substituit: & tamen non obstante tali translatione regnum Francorum non tenetur à Papa. Ergo similiter propter translationem Imperii à Papa non est dicendum, quod Imperator quascunq; terras teneat à Papa. Sed diceret aliquis: omnis transferens de iure rem aliquam de vno in alium habet de iure potestatem aliquam super eandem rem. Si ergo Papa de iure Imperium transtulit de Græcis in Carolum Magnum: habuit aliquam potestatem de iure super Imperium. Quare Carolus debuit recognoscere Imperium à Papa: & per consequens tenuit aliquas terras à Papa.

Hic respondetur, quod omnis transferens de iure casualiter vel regulariter habet aliquam potestatem super eandem rem. Et ideo si Papa transtulit Imperium, habuit saltem casualiter aliquã potestatem super Imperium. Sed ex hoc non sequitur quod Imperator debeat tenere Imperium vel alias terras à Papa: quia ita potest res transferri de vno in alium, vt à transferente minime teneatur, postquam translata est de vno in alium. Sicut patet de venditione & donatione: per quam sæpe translatio terrarum fit & iurium, quæ postea à transferente non tenentur. Si ergo Papa fecit debitam translationem, Carolus debuit recognoscere Imperium à Papa: tanquam ab illo, à quo primo habet Imperium: non tanquam ab illo, à quo tenet Imperium, vel aliquas terras eius: quemadmodum donatarius, si vult esse gratus, tenetur recognoscere rem donatam à donatore. Et sic non valet illud vltimum: & per consequens quæstio principalis taliter confirmatur. Verbum indiffinite prolatum generaliter debet intelligi, & non est aliqualiter restringendum. *dist. 19. si Romanorum.* Sed in chronicis & in decretis, *extra de electione. venerabilem.* indiffinite dictum est, quod Imperium translatum est de Græcis in Carolum Magnum. Ergo generaliter debet intelligi, vt non restringatur ad modũ talem transferendi in aliquas terras & prouincias, ꝙ Imperator à Papa non teneat alias. Ergo Imperator vel omnes terras Imperii tenet à Papa: vel nullas. Sed non omnes terras: ergo nullas. Sed aliquis diceret, quod non solũ verba indiffinite prolata, sed etiam generaliter plata

debent restringi: sicut non solum per iura ciuilia & canonica, sed etiam per scripturas diuinas posset aperte probari, quare verba de translatione Imperii indiffinite prolata debent restringi. Isti possunt dicere, quod quamuis verba etiam prolata generaliter debeant sæpe restringi, tamen quia fauores conuenit ampliari, *extra de Regul. Iur. c. odia. li. 6.* super re fauorabili prolata indiffinite magis ampliari debent, quam restringi, nisi restrictio per rationem vel authoritatem, quam negare nō licet, possit euidenter ostendi. Imperium autem est res fauorabilis, quæ ad vtilitatem omnium mortalium instituitur: quare verba indiffinite prolata in fauorem Imperii ampliari debent, non restringi. Et si dicat quis, quod talis restrictio probari potest per rationem: quia aliter promotio ad imperium esset verbalis. Respondetur, quod esto, quod rex Romanorum, quando coronatur corona Imperiali, nisi aliquam potestatem de nouo acciperet, huiusmodi promotio esset tantum verbalis, non tamen ex hoc posset probari, quod Carolus Magnus aliquas terras tenebat à Papa, antequam esset Imperator, quia non prius fuit rex Romanorum, quam Imperator.

CAP. IX.

Caput vltimum huius quartæ quæstionis, ostendit, quam potestatem consequatur electus in Romanorum Regem, ponens argumenta, quorum solutiones ad superiora remittuntur capitula.

TEnet itaq; opinio ista, quod quamuis non sit necesse de natura electionis cuiuslibet, quod electores etiam modicam dent administrationem, nedum plenam. Nam multi electi etiam canonice atq; rite ante confirmationem, nullam administrationem habent omnino. Et ideo poterat ordinari, quod electio alicuius in regem Romanorum vel in Imperatorem non daret sibi plenam administrationem, imo nullam: sed quod approbatio expeteretur alicuius vel aliquorum, qui vim confirmationis habent, vel quod ante certum tempus electus non adipisceretur administrationem. Vnde & nonnulli Imperatores aliquos videntur ad imperium elegisse, sic tamen, quod eis succederent, & eligentibus viuentibus nullam administrationem haberent. Tamen quia non habetur, nec constat, quod electio & potestas eligendi regem Romanorum seu Imperatorem principibus electoribus tali modo data fuerit vel concessa: sed quod absolute & indiffinite fuerit eis eligendi data potestas: ideo dicit ista opinio, quod cum potestas regis Romanorum seu Imperatoris sit immediate à Deo, isto modo tamen, quod imperium tenetur à solo Deo, ita quod in temporalibus superiorem non habet. Ideo electio alicuius in regem Romanorum vel Imperatorem dat electo plenam administrationem isto modo, quod electus statim, cum legitime constiterit se esse electum, absq; alia confirmatione vel approbatione vel examinatione aut coronatione seu vnctione habet plenam potestatem administrandi, quæ regi Romanorum vel Imperatori post quamcunq; vnctionem seu coronationem de iure debetur: in tantum quod nulla consuetudo in hoc electo derogare valeret, quin de plenitudine potestatis sic posset de iure talem consuetudinem auferre, & venire contra eam. Nec est distinguendum inter terras & prouincias sibi subiectas, vel inter terras sibi vel Imperio vel immediate subiectas, quin omnem habeat potestatem administrandi, quam de iure habet Imperator, postquam vnctionem & coronationem suscepit: tamen potestatem maiorem habet electus in terris immediate subiectis Imperio, quam in aliis, quia plura potest de iure in illis terris, quam in aliis, quæ regibus & aliis principibus ac Dominis sunt immediate subiectæ pro eo quod reges & alii principes sunt liberi, & non sunt puri serui Imperatorum. Imo secundum nonnullos, si principatus Imperialis esset pure regalis principatui despotico & omni alii principatui humanitus instituto, taliter imperans nullum purum seruum (cum quilibet esset liber) haberet: nisi aliquis fieret seruus eius propter culpam: quamuis haberet multos *seruos* dictos à seruiendo seu ministrando: de qua seruitute loquitur Arist. *primo politi.* cum dicit *quosdam esse naturaliter seruos.* Quod ergo electio alicuius in regem vel Imperatorem aliquo modo det electo plenam administrationem, multis modis videtur posse probari. Primo sic: Verbis indiffinite prolatis vel concessis est interpretatio rationabilior & commodior seu vtilior applicanda. Tum quia sicut benigniora sunt præferenda, *ff. de Reg. Iur. l. semper,* sic etiam rationabiliora & vtiliora sunt præferenda. Tum quia in obscuris sic fieri debet interpretatio, vt prosit præsertim bono communi. Sed rationabile est & vtile, vt electio alicuius in regem Romanorum seu Imperatorem sic fiat, vt electus non habeat superiorem in temporalibus. Quare rationabile est, vt aliquid speciale constituatur circa electionem ipsius: vt scilicet ipse electus nulla confirmatione indigeat: sed statim habeat plenam & liberam administrationem: quemadmodum propter hæc, cum Papa non habeat superiorem, ad quem possit haberi recursus, statim cum est electus, debet Pontifex Romanus haberi. *Extra de electionibus. c. licet.* Hoc enim commodum est & vtile, ne propter expectationem confirmationis, approbationis, vnctionis & coronationis, dissensiones & guerræ vel alia mala proueniant in quacunq; parte Imperii: quæ, si electus statim plenam potestatem haberet, vel cessarent totaliter, vel possent facilius & citius extirpari vel sedari. Per ipsius etiam electi prouidentiam possent multa vtilia procurari: quæ per talem expectationem aut impedirentur omnino, aut necesse esset ea sæpe periculose differri. Quia igitur non constat, quod electoribus sit data limitata eligendi potestas, vt electus non habeat statim plenam administrationem: ideo intelligenda est eis esse data eligendi potestas, propter vtilitatem communem, vt electus statim habeat

habeat plenam administrationem. Confirmatur hæc allegatio: quia non minus plena est interpretatio fundata in indulgentiis seu concessionibus, seu priuilegiis, quæ propter bonum commune cōceduntur, quam in beneficiis. Sed in beneficiis est plena interpretatio facienda *extra, de donationibu. cum dilecti.* ergo priuilegium principum electorum, quo concessum est, vt propter bonum commune ius habeant eligendi regem Romanorum aut Imperatorem, est plene interpretandum, vt secundum ius habeant istam electionem faciendi: cum qua electione detur plena administratio. Secundo ad idem etiam sic allegatur. Rex Romanorum seu Imperator fidelis non debet esse deterioris conditionis, quam fuerat rex Romanorum seu Imperator infidelis, cui succedit. Sed Imperatores infideles, statim facta electione habebant plenam administrationē: Ergo & Imperatores fideles statim habebunt plenam administrationem. Item, non minus dat electio Imperatori, quam successio generis, quæ dat aliis regibus plenam administrationem. Contra prædicta, multa possunt opponi: sed quomodo ad ipsa ista opinio secunda responderet, patere potest ex his, quæ dicta seu recitata sunt secunda quæstione speciliter *capitulo 6. sequentibus. & q 3. ca.* 4. & quibusdam sequentibus.

QVÆSTIO QVINTA.

Cap. I.

Primò c. V. q. proposita quæstione recitat circa eam duos articulos principales, de quorum primo, qui in tres partiales diuiditur, tractatur in quatuor primis capitulis. Nam in hoc primo recitatur circa primum articulum partialem prima opinio, ad cuius probationes respondetur capitulo 3. De secundo autem articulo principaliter videbitur cap. 7. & seqq.

QVintò quæritur, vtrum rex hæreditarie succedens accipiat aliquam potestatem super temporalia, ex eo quod à persona Ecclesiastica inungitur, consecratur & coronatur: vel solum ex hoc aliquam consequatur gratiam doni spiritualis. Ista quæstio articulos duos principales includit. Primus est de potestate super temporalia. Secundus est de gratia doni spiritualis. Circa primum possunt formari tres articuli: quorum primus est; An rex hæreditarie succedens aliquam potestatem accipiat super temporalia ex eo quod à persona Ecclesiastica inungitur: Secundus, an ex eo quod consecratur: Tertius, an eo quod coronatur. Circa primum est vna opinio, quod rex hæreditarie succedens aliquam accipit potestatem super temporalia, ex eo quod à persona Ecclesiastica inungitur. Pro qua opinione potest taliter allegari. Sic se habet vnctio regalis ad regem, sicut vnctio sacerdotalis ad sacerdotem; & Episcopalis ad Episcopum. Sed per vnctionem sacerdotalem & Episcopalem aliqua potestas acquiritur. Ergo per consequens etiam per vnctionem regalem. Sed non potestas spiritualis; per consequens temporalis. Ergo rex eo quod sic inungitur, accipit aliquā potestatem super temporalia. Item, sicut natura nihil facit frustra; ita rationabiliter operans nihil facit frustra. Sed frustra fieret & ridiculose, nisi rex per ipsam aliquam potestatem acciperet super temporalia. Ergo, &c.

Cap. II.

Recitat secundam opinionem contrariam primæ: cuius duas conclusiones ponit & probat: quarum probationibus respondebitur capitulo 4. huius quæstionis.

ALia est opinio, quod rex hæreditarie succedens non accipit aliquam potestatem super temporalia, ex eo quod à persona Ecclesiastica inungitur, quæ duas conclusiones tenet: quarum prima est hæc. Rex non accipit aliquam potestatem super temporalia, ex eo quod inungitur. Secunda, quod non ex eo, quod coronatur à persona Ecclesiastica, siue consecratur.

Pro prima taliter allegatur. Omnes reges in eodem regno hæreditarie sibi succedentes habent eandem super temporalia potestatem in eodem regno. Aliter enim vnus non esset verus successor & verus hæres alterius. Sed in multis regnis fuerunt sibi plures hæreditarie succedentes: quorum aliqui fuerunt infideles & pagani, qui non fuerunt inuncti: quia reges Paganorum non inunguntur. Ergo per hoc, quod hæreditarie rex succedens inungitur, non recipit super temporalia potestatem. Quod non ex eo quod à persona Ecclesiastica iniungitur, taliter allegatur. Eadem vnctio à quocunque conferatur, habet eundem effectum: sicut baptismus, siue conferatur à persona Ecclesiastica, siue à laico, siue etiam à muliere, habet eundem effectum. Ergo vnctio regalis habet eundem effectum, siue conferatur à persona Ecclesiastica, siue ab alia. Ergo vnctio ex hoc quod confertur à persona Ecclesiastica, non habet vnctus aliquam super temporalia potestatem. Sed forte diceret aliquis, quod vnctio regalis non potest conferri nisi à persona Ecclesiastica: sicut nec vnctio sacerdotalis vel Episcopalis. Hic forte diceretur, quod vnctio regalis potest conferri à persona non Ecclesiastica: quia vnctio regalis introducta est ex Veteri Testamento. In Veteri autem Testamento aliquando vnctio regalis conferebatur à sacerdote vel Leuita tantum, quibus in Nouo Testamento succedunt personæ Ecclesiasticæ. Nam Samuel qui fuit Leuita, vnxit de præcepto Dei Saulem & Dauid in regem: & Sadoch sacerdos vnxit in regem Salomonem.

Non-

Nonnunquam vero vnctio regalis fiebat ab aliis. Præceptum enim fuit Heliæ, vt vngeret Azael regem super Syriam, & Iehu filium Namsi regem super Israel. Quidam etiam adolescens puer Prophetæ, vt legitur, *4. Reg. 9.* vnxit Iehu regem super Hierusalem. Quare & nunc posset à persona non Ecclesiastica rex inungi.

Cap. III.

Respondet rationibus pro prima opinione capitulo primo factis.

ISta opinio respondet ad motiua primæ opinionis. Dicit namq; ad primum, quod non est necesse, quantum ad omnia, quod ita se habeat vnctio regalis ad regem, & vnctio sacerdotalis ad sacerdotem & Episcopalis ad Episcopum. Vnctio enim sacerdotalis & Episcopalis est ex institutione diuina. Vnctio vero regalis, licet fuerit in Veteri Testamento ex institutione legis, in Nouo tamen est ex institutione humana. Et ideo nullam potestatem super temporalia dat vncto, nisi hoc per voluntatem humanam fuerit voluntarie ordinatum. Quod si per ordinationem humanam non est sic institutum, vt vnctio regalis det potestatem super temporalia, nullam sibi dabit.

Ad secundum dicitur, quod vnctio regalis non fit frustra, quamuis nullam det super temporalia potestatem, sicut nec illa, quæ fit solummodo ad solennitatem, fit frustra, quamuis nullam conferat potestatem. Potest enim fieri vnctio regalis, vt rex maiori veneratione & reuerentia habeatur, quemadmodum in vnctione & coronatione fiunt conuiuia magna & solennitates magnæ, vt reges in maiori amore habeantur, & vt regalis magnificentia ostendatur, sicut rex Assuerus, vt habetur *Hester primo*, fecit grande conuiuium, vt ostenderet diuitias gloriæ regni sui ad magnificentiam atque iactantiam potentiæ suæ.

Cap. IV.

Respondetur ad motiua cap. secundo pro secunda opinione adducta.

SEcundum opinionem primam respondetur ad motiua adducta *capitulo secundo* pro opinione secunda. Ad primum enim, cum accipitur, quod in multis regnis fiunt plures reges sibi succedentes, quorum aliqui fuerunt vncti, & aliqui non fuerunt vncti. Respondetur diuersimode. Vno modo enim dicitur, quod reges Pagani, qui non fuerunt vncti, nec fuerunt reges veri: quia vt dicit Innoc. 4. *Extra Ecclesiam non est Dominium*, nec per consequens potestas ordinata & concessa, sed permissa tantummodo. Aliter dicitur, quod reges pagani, qui non fuerunt vncti, fuerunt veri reges. Quia, sicut pagani non tenentur ad constitutiones Ecclesiasticas. *Extra de diuortiis. c. gaudemus*: sic etiam consuetudinibus regum Christianorum non artantur: tamen Christiani non possunt fieri veri reges, nisi vngantur: quia ex eo quod sunt Christiani, ad consuetudines Christianorum obligantur, siue consuetudines Ecclesiasticas seruare tenentur. Ad secundum quando probatur, quod rex hæreditarie succedens nullam habet super temporalia potestatē, ex eo quod à persona Ecclesiastica inungitur, per hoc quod vnctio regalis potest conferri ab alia persona quam ab Ecclesiastica. Dicitur, quod vnctio regalis non potest fieri ab alia persona quam ab Ecclesiastica: quia illa, quæ sunt propria legi diuinæ, nō debent fieri nisi à ministro legis diuinæ. Cuiusmodi fuerunt Sacerdotes & Leuitæ in Veteri Testamento, & personæ Ecclesiasticæ in Nouo. Et quando dicitur, quod Helias debuit vngere aliquos in reges, & similiter filius Prophetæ, qui non erat Sacerdos nec Leuita, vnxit Iehu regem super Israel. Respondetur, quod non habetur in Canone Bibliæ Heliam & filium Prophetæ supradictum non fuisse Sacerdotes nec Leuitas.

Cap. V.

Ostenso cur de secundo articulo partiali parum sit dicendum: de tertio articulo recitat & probat primam opinionem eiusdem.

SEcundus articulus circa primam partem quęstionis principalis est, an rex hæreditarie succedens aliquam percipiat super temporalia potestatem, ex eo quod consecratur à persona Ecclesiastica: circa quæ fiunt diuersæ opiniones: sicut circa primum, quæ fere eadem & consimilia motiua possunt habere. Propter quod ad tertium articulum, qui est, an rex hæreditarie succedens aliquam percipiat super temporalia potestatem ex eo quod à persona Ecclesiastica coronatur. Duxi breuiter hoc transeundum: quia videtur habere difficultatem, propter hoc, quod reges non solum Christiani & fideles coronantur, sed etiam pagani & infideles. Circa quem articulū est opinionum diuersitas: quarum prima est; quod rex succedens hæreditarie, accepit aliquam potestatem super temporalia ex hoc quod à persona Ecclesiastica coronatur. Pro quo potest taliter allegari. Quanto maior est dignitas, tanto in adeptione eius debet adhiberi maior solennitas, sine qua haberi non potest. Sed dignitas regalis est maior quam militia: circa autem militiam, quando quis adipiscitur eam, debet aliqua solennitas adhiberi, sine qua nullus potest esse miles. Ergo multo magis quando quis fit rex, aliqua solen-

nitas

nitas debet fieri circa eum, sine qua nemo potest esse rex. Illa autem solennitas est coronatio: quia sola coronatio videtur illa esse solennitas, quæ est communis omnibus regibus, quæ exhibetur sibi contra omnes paganos. Ergo ex eo, quod aliquis coronatur, aliquam accipit potestatem super temporalia.

Cap. VI.

Prosequitur tertium articulum minus principalem, recitando secundam eius opinionem, circa quam de diuersitate succedendi & de iure eius multa disquiruntur.

ALia est opinio, quod rex hæreditarie succedens non necessario aliquam potestatem super temporalia habet ex hoc, quod coronatur à persona Ecclesiastica, quasi ex hoc acciperet aliquam potestatem super temporalia. Ad cuius euidentiam dicitur esse sciendum, quod licet sint diuersimodi principatus regales; sicut docet Arist. *in politi.* Nullus tamen principatus regalis assimulatur in multis principatui naturali. De differentia autem principatuum patet: quia quidam leguntur facti institutione diuina: quidam vero humana. De diuina autem institutione legitur in *libris Regum*. vnde *1. Reg. 8.* habemus, quod Deus per Samuelem instituit principatum regalem: pandendo, quod deberet esse ius regis, qui constituendus erat. De humana patet tam in Veteri Testamento, quam in aliis Historiis atq; gestis, in quibus legitur, quod multi fuerunt per voluntatem hominum facti reges. Propter quod ad sciendum, qualiter & quando & vnde rex hæreditarie succedens super temporalia habeat potestatem: considerandum est, si est possibile, quomodo principatus regalis ab initio institutus fuerit. Nam si sit memoria de institutione laudabili, & non iniqua: tunc ea debet seruari in succedentibus. Si vero non est memoria, quomodo huiusmodi regnum fuerit ab initio institutũ, addenda est consuetudo, de qua est memoria; & illa est seruanda: dummodo, vt prius, non sit iniqua, nec contra leges superiorum: ad quas conseruandas rex huiusmodi tenetur. Si vero ex aliquo euentu ignoraretur hæc consuetudo: vel etiam primus rex moreretur, antequam per constitutionem ab initio constituisset legem pro se & suis hæredibus: si modo licito acquisiuisset regnum: vel antequam ordinasset, quem modum rex hereditarie succedens seruare deberet: accipiendum & seruandum esset illud: quod rationabilius & vtilius esset pro bono communi totius regni. Quia sicut benigniora & vtiliora, ita rationabiliora in huiusmodi sunt præferenda: nisi forte rex hæreditarie succedens vellet & posset cedere iuri, quod posset rationabiliter vendicare. Ex isto habetur, quod ad principatum regalem humanitus institutum: cuiusmodi est omnis principatus, qui *in politica* habetur; qui pendet & procedit ex ordinatione humana; qui ex causa rationabili variari potest: non est necesse, quod rex hereditarie succedens aliquam percipiat super temporalia potestatem, ex hoc quod coronatur siue à persona Ecclesiastica, siue ab alia. Tripliciter enim potest principatus regalis institui. Vno modo per voluntatem & ordinationem populi: quia quilibet populus carens rege proprio, qui non est subditus Imperatori, vel alteri regi, potest de iure gentium constituere sibi regem. Alio modo potest institui principatus regalis per Imperatorem vel regem, qui diuersos populos habet sibi subiectos. Imperator enim potest nouos facere reges in prouinciis, quæ non habent reges. Rex etiam habens sub se diuersas prouincias sic per ordinationem latiuam populi vel predecessoris sui minime prohiberi potest creare nouos reges. Tertio modo potest institui principatus regalis per acquirentem plenum dominium super regionem, quæ conuenienter posset habere regem. Si enim aliquis potens per emptionem vel bellum iustum vel alio modo acquirit dominium super prouinciam aliquam, si per superiorem suum minime prohibetur, potest sibi nomen & rem regis assumere super eandem prouinciam vel alteri dare. Si primo modo instituitur principatus regalis: sicut in voluntate populi est ordinare, an reges fiant per generis successionem, an per electionem: sic in voluntate ipsius populi, si ordinauerit regem hæreditarie successurum, est ordinare quod defuncto rege filius successurus statim ante omnem coronationem vel quamcunque solennitatem habeat omnem debitam super temporalia potestatem: vel quod solummodo huiusmodi potestatem accipiat per coronationem vel aliam solennitatem fiendam circa ipsum, cuius coronatio est: quia quilibet in traditione seu donatione rei suæ potest imponere pactum vel legem, quam vult: quia in re propria quisq; est moderator & dispositor & arbiter. *l. in re mandata. Cod. mandati.* Ergo instituentes voluntate principatum regalem, ac sponte se subdentes regi & successoribus eius, possunt ponere legem, quam volunt: dummodo non sit irrationabilis & iniqua, nec contra ius superioris: quia populus subdens seipsum alicui regi & hæredibus suis, potest imponere legem, quod quilibet rex hæreditarie successurus statim defuncto prædecessore habeat omnem, quam habiturus est super temporalia potestatem absq; omni solennitate. Poterit etiam ponere legem; vt rex hæreditarie successurus non habeat sine coronatione super temporalia potestatem. Et propter eandem rationem dicitur, quod siue aliquis constituat in alio regno regem: siue acquirens super aliam regionem dominium, legitime potest imponere successoribus vnam legem vel aliam: vt sibi rex hæreditarie succedens statim habeat omnem, quam habiturus est super temporalia potestatem. Et ita per coronationem vel mediante coronatione potest conferri; vel potest non conferri aliqua potestas super temporalia. Et si per ipsam coronationem nulla conferatur potestas: tunc ipsa non fit,

sit, nisi ad solennitatem, vt rex in maiori honore & amore habeatur. Hoc probatur: quia fœminæ coronantur, sicut reginæ; & tamen per huiusmodi coronationem nullam recipiunt super temporalia potestatem. Ergo non est de natura coronationis, quod per ipsam detur aliqua potestas super temporalia. Et per idem probatur, quod per vnctionem & coronationem seu consecrationem nulla datur potestas super temporalia: quia Reginæ vnguntur & consecrantur: & tamen per vnctionem & coronationem & consecrationē nullam recipiunt potestatem super temporalia. Imo secundum leges ab omnibus quibuslibet officiis, etiam publicis, sunt remotæ. Vnde non possunt esse iudices, nec magistratus gerere, nec adoptare, nec postulare, nec fidem docere, nec prædicationes facere, nec arbitrium: licet per consuetudinem in aliquibus regionibus valeant iudicare.

Cap. VII.

Huius quintæ quæstionis prosequitur secundum articulum principalem quæstionis: cuius primam opinionem recitat & probat rationibus, quibus respondetur cap. 9.

Circa secundum articulum principalem quæstionis propositæ: an rex hæreditarie succedens ex hoc quod à persona Ecclesiastica inungitur & consecratur & coronatur, gratiam consequatur doni spiritualis: sunt opiniones diuersæ. Vna tenet, quod rex per vnctionem & consecrationem & coronationem consequitur gratiam doni spiritualis. Pro qua potest taliter allegari. Nulli debetur reuerentia timoris spiritualis vel honoris, nisi propter eminentiam corporalem seu spiritualem, seu secularem. Sed regi consecrato & vncto debetur spiritualis reuerentia, timor & honor; teste Dauid rege, qui, vt habetur *1. Reg. 24.* noluit mittere manum & occidere regem Saul, quia erat *vnctus Domini*, dicens: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam rem hanc Domino meo Christo, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Ex quibus verbis habetur, quod ideo reuerebatur, quia erat vnctus Christi Domini. Vnde & propter hoc eum habuit in tanta reuerentia, quod percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saulis. Propter hoc etiam occidit adolescentem, qui dixit se occidisse Saul, vt habetur *2. Reg. 1.* dicens: *Quare non timuisti mittere manū tuam & occidere Christum Domini? Vocansq; Dauid vnum de pueris suis ait: Accedens irrue in eum: qui percussit illum, & mortuus est. Et ait ad illum Dauid: Sanguis tuus super caput tuum. Os enim tuum locutum est aduersum te dicens: Ego interfeci Christum Domini.* Et si dicatur, quod non habuit Dauid Saul in reuerentiam & honorem, nec voluit habere eum in timore, quia per vnctionem factus fuit rex: sed propter regiam dignitatem, talem sibi exhibuit reuerentiam, & ab aliis voluit exhiberi. Hoc excludit ista opinio, dicens, quod Dauid non propter regiam dignitatem, sed propter vnctionem ipsam, inquantum erat diuinitus instituta, censuit Sauli talia exhibenda; secundum quod verba præallegata sonare videntur. Quod etiam probatur per hoc, quod Dauid aliis regibus, qui erant solummodo reges, non vncti, non exhibuit talia, nec reputauit ab aliis exhibenda, quia nonnullos censuit occidendos. Secundo pro opinione ista potest taliter allegari. Naturalis curatio ægritudinis corporalis, est gratia Dei spiritualis. Quibusdam autem regibus, scilicet Franciæ & Angliæ, sicut fertur, per vnctionem regalem confertur potestas curandi & sanandi specialiter scrophulas patientes. Ergo per huiusmodi vnctionem rex consequitur gratiam doni spiritualis.

Cap. VIII.

Recitat & probat secundam opinionem duabus rationibus, quibus respondetur cap. 10.

Alia est opinio, quod per vnctionem, consecrationem & coronationem regalem rex hæreditarie succedens non consequitur aliquam gratiam doni spiritualis. Pro qua potest taliter allegari. Per sola Sacramenta diuinitus instituta, non humanitus, consequitur aliquis gratiam doni spiritualis. Vnctio autem, consecratio & coronatio regales, quæ circa reges hæreditarie succedentes fiunt, non sunt diuinitus, sed humanitus institutæ: quia nec sunt constitutæ in Veteri Testamento: quia tunc etiam exercens talia officia iudicaret. Nec institutæ in Nouo Testamento: sicut patet perlegenti totum Nouum Testamentum. Ergo non consequitur aliquis gratiam doni spiritualis. Secundo pro eadem sic allegatur: Per vnctionem, quę in Veteri Testamento fiebat, non consequebatur rex aliquā gratiam doni spiritualis: ergo multo magis per consecrationem & coronationem, quæ per ordinanationem humanā, & non de pręcepto Dei, fiunt circa reges, non consequitur rex hæreditarie succedens gratiam doni spiritualis. Consequentia videtur manifesta: quia minus consequitur quis gratiam doni spiritualis per ordinationem humanam, quam per diuinam. Vnctio autem in Veteri Testamento de pręcepto Dei fiebat etiam circa regem infidelem. Nam vt allegatum est supra *cap. 2.* Deus præcepit Heliæ Prophetæ vt vngeret Azael infidelem super Syriam. Ergo in Veteri Testamento per vnctionem non consequebatur rex gratiam doni spiritualis.

Cap. IX.

Respondetur ad rationes primæ opinionis cap. septimo inductas.

Secundum istam opinionem respondetur ad motiua pro opinione prima. Ad primum enim dicitur, quod in Veteri Testamento debebatur reuerentia spiritualis, timor & honor regi vncto. Respon-

spondetur, quòd huiusmodi reuerentia, timor & honor non debebatur propter gratiam doni spiritualis, quam sibi conferebat vnctio. Nam quamuis ponatur, quod Saul, eo quod fuit vnctus, recepisset huiusmodi gratiam: tamen quia fuit datus in reprobum sensum, & exagitatus à spiritu maligno, perdidisset eandē: & tamen Dauid postea voluit ipsum in reuerentia & honore habere, & haberi debebat. Ergo sibi reuerentia & honor debebantur, non propter gratiā doni spiritualis; sed quia huiusmodi vnctionem recepit de præcepto Dei: & quia per ipsam sibi dignitas regia deferebatur, à qua non erat depositus, quamdiu vixit. Quod enim dixit Samuel *1. Reg. 15.* ad Saulem; *pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex*: & consimilia verba, non sic debent intelligi, vt Saul fuerit tunc regno priuatus: sed sic, quod tunc fuerit lata sententia, vt eius progenies non regnaret post ipsum. Sic etiam exponitur illud, quod sequitur: *Scidit Dominus regnum Israel à te hodie.* id est, à progenie tua. Vnde etiam quod immediate sequitur. *Et tradidit illud proximo tuo meliori te*: non debet intelligi, vt tunc, quando Samuel protulit illa verba, fuerit regnum traductum de facto in Dauid, sed quia ordinatum fuit in prædestinatione diuina, quod tradendum esset ipsi Dauid post mortem Saul totaliter auferendum. Quin etiam verba consimiliter procedentia debēt sic intelligi, quod filii Saul nō erant regnaturi post mortē Saul. Ergo secundum ordinationem Dei regnaturus erat, quamdiu viueret: & propter hoc Dauid eū in reuerentia habuit & honore, quod per ipsum non debuit regno priuari nec occidi. Quidam autem alii reges Dei iudicio interfici debuerunt: & ideo illos non habuit in reuerentia tali & honore. Ad secundum motiuum respondetur, quod si reges Angliæ & Franciæ habent gratiam curandi de scrophulis, non habent potestatem propter vnctionem regalem: quia multi alii reges, quamuis inunguntur, huiusmodi gratia non decorantur: sed sunt digni huiusmodi gratia propter aliā causam, quę nec licet, nec potest ab homine iudicari. Tenet igitur ista opinio, quod quamuis ex bona intentione & proposito, quod rex vnctus, consecratus & coronatus intendit ista sustinere ad honorē Dei & beatitudinē populi sibi subiecti, mereatur, si est in charitate: tamen ista nō habent spiritualiter conferre donum spirituale: sed propter bonam intentionem prodesse possunt etiam spiritualiter: quemadmodū omnes solennitates, etiā corporales, quæ fiunt circa nouos milites, nuptias, inthronizationes prælatorum, etiam secularium potestatum; circa magistros quando magistrantur, & circa quæcunq; alia, quæ cum solennitate fiunt, prodesse possunt etiam spiritualiter, si absq; permixtione vanitatis dissolutionis & nequitiæ fiant, cum debitis circumstantiis, ad honorem Dei, & vt talia, quæ laudabilia vel vtilia & necessaria sunt censenda, in deuotione & veneratione debita habeantur.

CAP. X.

In hoc capite ad rationes pro secunda opinione factas cap. 7. respondetur.

VIso quomodo secunda opinio respondet ad allegationes pro prima opinione adductas: nunc videndum est, quomodo prima opinio respondeat ad allegationes pro secunda opinione adductas. Ad primam dicitur, quod per sacramentum seu sacramentalia humanitus instituta potest quis consequi gratiam doni spiritualis. Nā aspersio aquæ benedictæ videtur solummodo humanitus instituta: & tamen per ipsam consequitur quis gratiā doni spiritualis. Similiter per exorcismū & catechismū assequitur quis catechizatus fidei indumenta: & per exorcismū expellitur ab exorcizato potestas diaboli. Vnde de catechismo dicit Rabbanus & Magister sententiarum recitat li. 4. di. 6. *ante baptismum catechizandi debent in homine praeuenire officium: vt fidei catechumenus accipiat indumentum: & sciat cui debitor deinceps fiat de exorcismo.* Vt recitat idem Magister, dicit August. *paruuli insufflantur & exorcizantur, vt ab eis pellatur diaboli potestas, ne iam contendat eos auertere, ne baptismum consequantur.* Similiter per subdiaconatum & accolitatum, cum sint Ecclesiastici ordines, consequitur quis gratiam doni spiritualis, & tamen non sunt diuinitus, sed solummodo humanitus instituti. vnde in *c. 1. dist. 21.* sic habetur: *Leuitas autem ab Apostolis ordinatos legimus: quorum maximus fuit beatus Stephanus. Subdiaconos & accolitos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.* Sed contra textum obiicit ibidem Gloss. dicens; *Non videtur verum dicere, quod tempore Apostolorum aliqui non fuerunt subdiaconi, vt habetur 35. dist. c. Episcopus; quia illud capitulum est canon Apostolorum.* Et respondens dicit: *sed dic, quod subdiaconatus tunc fuit, sed non fuit sacer ordo adhuc. extra de ata. & qualit. c. à multis.* Si dicatur, ex illo cap. videtur haberi, quod subdiaconatus non humanitus, sed diuinitus institutus est: Dici potest secundum opinionem istam, quod Deus non immediate, sed mediate sibi subdiaconatum instituit, licet fuerit tempore Apostolorum: quia potuit ab aliis prælatis constitui, Apostolis non contradicentibus, sed approbantibus. Potuit etiam ab ipsis Apostolis institui, non inquantum hoc spiritualiter erat eis inspiratum diuinitus, sicut constitutio Leuitarum non erat eis spiritualiter inspirata, sed inquantū per humanam prouidentiam, qua pollebant, considerabant, quod hoc Ecclesiæ conueniens esset. Et ideo constitutio subdiaconorum non est tantæ auctoritatis, nec eis est æqualis veneratio exhibenda. Sicut non omnia dicta & scripta Apostolica sunt eiusdem auctoritatis, nec eis eundem timorem & honorem est necesse inferre. Quædam enim dicta & scripta eorum in canone Bibliæ continentur: quædam vero ibidē non habentur. Ista autē scripta, quæ sunt in canone Bibliæ, maioris auctoritatis sunt, quam illa quæ alibi, sicut habetur *di. 16. per totum.* quare dicta & scripta Apostolorum, de quibus solet esse dubitatio & altercatio, an sint & qualiter sint recipienda: sicut patet *di. 16.* non sunt tantæ auctoritatis, sicut alia dicta & scripta ipsorum. Quare humanæ prouidentię, & non immediatæ inspirationi

diuinæ possunt attribui. Ad secundam allegationem adductam pro opinione secunda *cap. 8.* respondetur, quod per vnctionem regalem in Veteri Testamento consequebatur rex gratiã doni spiritualis si non ponebat obicem, maxime infidelitatem vel contemptum, propter quod reges fideles consequebantur huiusmodi gratiam, & non infideles.

QVÆSTIO SEXTA.

CAP. I.

Capitulo primo VI. q. proposita quæstione recitat & probat circa eam primam opinionem.

SExto quæritur, Vtrum rex hæreditarie succedens sit coronatori in aliquo subiectus. Circa quam possunt esse opiniones contrariæ. Quarum prima est, quod rex hæreditarie succedens suo coronatori in aliquo est subiectus. Pro qua potest taliter allegari. Rex hæreditarie succedens est in aliquo subiectus ei, ad quem spectat examinatio ipsius regis. Quia examinatio personæ alicuius non spectat ad inferiorem, nec ad parem, sed ad superiorem. Examinatio autem regis seu personæ regis hæreditarie succedentis pertinet ad coronatorem, teste Innoc. 3. qui, vt legitur *extra de elect. c. venerabilem*, ait: *Est enim regulariter ac generaliter obseruatum, vt ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus.* Cum igitur ad ipsum spectet examinatio personæ, sequitur per consequens quod huiusmodi rex suo coronatori aliquo modo est subiectus.

CAP. II.

Recitat & probat secundam opinionem.

ALia est opinio, quod rex hæreditarie succedens suo coronatori in nullo est subiectus. Pro qua potest taliter allegari. Illi rex hæreditarie succedens in nullo est subiectus, qui nihil iuris aut potestatis tribuit regi hæreditarie succedenti: sed coronator est huiusmodi: ergo &c. Item, rex hæreditarie succedens non tenet regnum suum à coronatore suo. Tum quia non est vasallus suus, cum non præstet sibi iuramentum homagii. Tum quia prædecessores, quibus tales reges hæreditarie succedunt in pluribus regnis, Francorum Anglicorum, & multis aliis, non tenebant regna sua ab aliquo coronatore: ergo nec isti. Aliter enim non essent veri successores primorum, & deterioris conditionis essent reges fideles, quam infideles. Ergo hæreditarie succedentes in nullo sunt subiecti coronatoribus suis. Item, nullus est subiectus illi, à quo subiectionis & fidelitatis recipit iuramentum. Coronator autem regis hæreditarie succedentis, sicut cæteri Episcopi eiusdem regni, iuramentum subiectionis & fidelitatis pro temporalibus, quæ à rege tenent, præstant ipsi regi. Ergo rex coronatori suo in nullo est subiectus. Item, coronari non est magis subiectionis, quam vngi, consecrari & ordinari, quæ non sunt subiectionis probatio: quia Papa, si non est sacerdos vel Episcopus, quando eligitur, postea vngitur & consecratur, coronatur & ordinatur: & tamen consecratori suo in nullo est subiectus. Metropolitanus etiam consecratur à Suffraganeis suis, quibus non est subiectus. Multi etiam clerici habentes literas dimissorias ab illo Episcopo suo, & à non Episcopo suo ordinantur, cui non sunt subiecti. Pueri seu liberi regum, & aliorum tam nobilium quam non nobilium, baptizantur & vnguntur à Presbyteris, quibus non sunt subiecti. Ergo multo magis coronari non est subiectionis probatio. Item, Imperatores multi sunt coronati à suis inferioribus, quibus non erant subiecti: ergo per hoc, quod rex hæreditarie succedens ab aliquo coronatur, non potest probari, quod eidem sit subiectus. Item, minus iuris & potestatis tribuit coronator regi coronato, quam electores electo; & facientes Imperatorem aut regem Imperatori: sed quamuis electus non habeat ius nisi per electores, tamen non est eis subiectus. Non enim Papa, qui nullum ius habet, nisi eligatur canonice, electoribus est subiectus. Similiter Episcopus vel alius prælatus vel potestas secularis sæpe aliquod ius non habent, nisi eligantur rite; & tamen electoribus minime sunt subiecti. Imperator etiam, inquantum populus transtulit suam potestatem, non habet ius Imperiale nisi à populo: & tamen populo non erit subiectus. Similiter primi reges diuersorum regnorum qui à populo voluntarie facti fuerunt reges, non habuerunt ius regale nisi à populo. Et tamen postea populis suis non fuerunt subiecti. Ergo multo minus, imo nullatenus rex hæreditarie succedens coronatori suo est subiectus.

QVÆSTIO SEPTIMA.

CAP. I.

Primo capitulo VII. q. proponit primo quæstionem. Deinde resoluit eam, tum eius primam opinionem recitat, & finaliter eandem probat.

SEptima quæstio, vtrum si talis rex coronetur ab aliquo altero Archiepiscopo, quam ab eo qui antiquitus coronare consueuit, vel sibiipsi coronam imponeret, per hoc perderet titulum vel potestatem regalem? Quæstio ista solummodo est, an rex si coronaretur ab alio, quam ab eo, qui consueuit coronare ipsum, ipso facto absq; sententia perdat titulum vel potestatem regalẽ? Circa quam

sic intellectam non videtur esse tanta difficultas, quanta esset, si quæreretur, an propter hoc deberet vel mereretur per sententiam perdere titulum vel potestatem regalem? Et ideo, vt inuestigandæ veritatis maior detur occasio, inuestigandum est, an propter talem culpã esset rex talis dignus priuari titulo vel potestate regali. Et est vna opinio, quod sic. Pro qua potest taliter allegari. Qui non per ostium ad aliquam dignitatem ascendit, nihil iuris acquirit. Vnde symoniaci symoniace dignitates Ecclesiasticas adipiscentes, quia non intrant per ostium, nihil iuris habent. Sed qui coronatur ab alio, quam ab illo, qui antiquitus coronare constituit vel consueuit, non per ostium ad regiam dignitatẽ ascendit. Ergo nihil iuris habet: & per consequens, quia de facto pro rege se gerit, de facto debet regia dignitate priuari. Item, si quis aliquid de iure Ecclesiæ alienare tentauerit, debet honoris sui amissione mulctari. *17. q. 4. quicunq;.* sed talis rex aliquid alienaret de iure Ecclesiæ illius Archiepiscopi, à quo coronari consueuit: quia tolleret illud ius Ecclesiæ. Ergo debet honoris sui amissione mulctari. Item qui perpetua debet damnari infamia, & incarcerari, & in exilium deportari, perdere debet titulum vel potestatem regalem. Sed rex talis, cum sit sacrilegus iura Ecclesię minuendo aut auferendo, debet perpetua infamia condemnari, & incarcerari, & in exilium deportari. *17. q. 4. attendendum. 17. q. 4. quicunq;.* Ergo debet perdere titulum vel potestatem regalem.

CAP. II.

Capitulo 2. & vltimo huius septimæ quæstionis, primo ponit secundam opinionem, pro cuius declaratione deinde ponit tres distinctiones. Post quas vltimo loco procedit per quatuor articulos sane diligenter notandos.

ALia est opinio, quæ non dicit ita districte talem regem post huiusmodi factum esse dignum priuari titulo vel potestate regali: sed duas ponit distinctiones, iuxta quas respondet ad quæstionẽ propositã. Prima distinctio est, quod Archiepiscopus aliquis aut coronat aliquem regem de iure, aut de pura gratia. Hæc distinctio probatur per hoc, quod Archiepiscopũ aliquem coronare regẽ quemcunq; non competit sibi ex iure diuino vel iure naturali: quia quantum ad ius diuinum, omnes Episcopi sunt pares & æquales. Ius etiam naturale commune est omnibus. *di. 1. ius naturale.* Iure autem diuino, quod est in scripturis sacris, inter Episcopum & Archiepiscopum non reperitur distinctio. Et si aliquis Archiepiscopus coronat licite aliquẽ regem, aut haberet à se, aut ab alio. Non à se: quia qua ratione vnus Archiepiscopus hoc posset facere, eadem & alius, quia non est maior ratio de vno, quam de alio; cum omnes Archiepiscopi (præsertim si non vnus est sub alio) sunt pares. Si autem hoc habet ab aliis: siue hoc habet à rege coronato vel coronando, vel à populo regni, siue ab Imperatore, vel ab alio rege. Sic rex coronatus in hoc sit subiectus: siue à quocunq; homine, vel populo, seu collegio, vniuersitate, vel communitate hoc habere potest de pura gratia, qua ad libitum concedentis valeat reuocari. Si tamen concedens talem habeat potestatem concedendi huiusmodi ius, vt nec ipse nec successor valeat reuocare. Circa hoc enim possunt esse opiniones, præsertim de Imperatore & Papa, quia secundũ vnam opinionẽ nec Imperator nec Papa potest concedere alicui aliquod priuilegium, ius vel libertatem, quod successor reuocare non possit. Secundum aliam opinionem, sicut Imperator, similiter & Papa, potest res temporales dare, quas successor reuocare non potest: sic non potest concedere priuilegia & libertates, quæ & quas successor reuocare non potest. Siue igitur ius vel auctoritas coronandi regem sic possit dari alicui, quod à nullo valeat libere reuocari, siue non possit sic dari: sic tamen potest dari, quod à nullo inferiore donante potest reuocari, & absq; noua donatione vel gratia tempore opportuno potest vti huiusmodi donatione, nisi à concedente prohibeatur tali modo, quod non posset dicere se debere coronare regem, & tunc noua gratia indigeret. Et sic non obstante varietate opinionum de potestate concedendi ius coronandi regem patet prædicta distinctio: quia scilicet Archiepiscopus coronat regem de pura gratia vel de iure. Secunda igitur distinctio, quod rex talis coronatus ab alio tali Episcopo, quam ab eo, qui antiquitus coronare consueuit, vel sibi coronam imponẽs, potest sic coronari sine culpa vel cum culpa. Hæc distinctio patet ex præcedenti: quia si talis Archiepiscopus ex pura gratia & donatione regum coronatorum maxime cum protestatione conuenienti præmissa: vel etiam ex pura gratia Imperatoris, vel populi, aut per ius, quod de coronatione habent ordinare, reges præcedentes coronauit: rex succedens potest sine culpa ab aliis coronari. Item, si non esset amplius talis sedes Archiepiscopalis: vel sedes vacaret, & non posset de Archiepiscopo conuenienti tempore prouideri: vel Archiepiscopus esset absens, vel infirmus, vel alio impedimento legitimo impeditus, quod non posset congruo tempore coronare regem: posset rex absq; culpa ab alio coronari. Non enim in fauorem Archiepiscopi deberet coronatio regis per tempus nimium prolixum differri; maxime si esset talis rex, quod ante coronationem suam non potest potestatem regiam exercere: quia talis fauor esset iniquus & iniustus, & reipublicæ periculosus ac perniciosus. Quare de iure concedi non posset: Sine culpa autem talis rex posset ab aliquo alio coronari. Si vero Archiepiscopus habet ius coronandi ipsum, & non apparet ratio, quare potestate coronandi regem etiam illa vice priuari deberet, tunc rex non esset sine culpa, si ab alio coronaretur. Quia non est sine culpa, qui sine culpa & absq; causa priuat aliquem iure suo, quod maxime non est ab ipso priuante.

Tertia distinctio est, quod rex talis, qui non sine culpa coronatur ab alio, quam ab illo Archie-

piscopo, qui antiquitus coronare consueuit, aut est incorrigibilis aut corrigibilis. Iuxta istas distinctiones possunt formari diuersi articuli, de quibus habet dicere, quid sibi videtur ista secunda opinio.

PRIMVS ARTICVLVS est, an si rex coronaretur ab alio Archiepiscopo, quam ab illo, qui antiquitus de pura gratia & non de iure coronare consueuit, per hoc perderet vel dignus esset perdere titulum vel potestatem regalem? Ad quod dicitur, quod non: quia cum denegatur alicui illud, quod habuit de gratia duntaxat, nullum fit ei præiudicium. Nam sua auctoritate quis potest detinere, quod de iure non præstitit, licet illud diu soluerit. *Cod. de agri. & cen. litibus.* vt notat Gloss. *10. quæst. c. quia cognouimus.* Tempus enim non inducit obligationem, *extra, de censibus. cap. peruenit.* & quod quis dat de gratia, potest reuocare, vt colligitur *extra, de postul. prælat. bona memoria*, secundo. Nemo enim tenetur facere gratiam nisi velit: quia nemo inuitus cogitur de suo facere beneficium. *10. q. 2. precaria.* quia si aliquis Archiepiscopus solummodo de gratia consueuit coronare regem, rex, si coronaretur ab alio, non esset dignus perdere aliquid propter hoc. Sed quæreret aliquis, quid si aliquis Archiepiscopus consueuit coronare talem regem, & nesciretur an de gratia, an de iure coronauerit eundem: nunquid rex tenetur coronari ab eodem? hic potest responderi, quod tenetur rex coronari ab illo Archiepiscopo.

SECVNDVS ARTICVLVS potest esse. Si Archiepiscopus de iure habeat coronare talem regem, an pro culpa an ex causa possit priuare Archiepiscopum tali iure coronandi? Et circa hoc potest esse opinionum diuersitas. Vna est, quod rex pro culpa & ex causa potest priuare Archiepiscopum huiusmodi iure coronandi. Quia propter culpam, probatur hoc modo. Idem ius videtur esse de reuocatione iuris donati, & de reuocatione rei donatæ: quia eadem ratio est de vtroq;. Vbi autem est eadem ratio, ibi debet esse idem ius: vt notatur *extra, de constit. translato.* sed res donata alicui propter culpam & ingratitudinem reuocari potest. *extra, de donat. cap. vlt.* igitur similiter ius coronandi propter culpam & ingratitudinem potest reuocari à rege. Alia est opinio, quod ius huiusmodi reuocari non potest à rege. Quia sacrilegus est, qui reuocare vult ea, quæ Ecclesiis sunt concessa. *17. q. 4. sunt qui. & cap. sacrilegium.* Alia opinio responderet per distinctionem, quod aut Archiepiscopus talis habet ius coronandi regem à regibus prædecessoribus talis regis, aut à populo, vel à superiori, scilicet Imperatore, vel ab alio, cui tales reges sunt subiecti. Si habet ius coronandi à regibus eiusdem regni, rex pro culpa Archiepiscopi, præsertim à pluribus Episcopis vel Archiepiscopis iterata, maxime si ex aliquibus appareat probabiliter, quod successores erunt culpæ prædecessorum imitatores, poterit Archiepiscopum huiusmodi iure priuare, ius huiusmodi, quod à prædecessoribus fuit oblatum, liberaliter reuocando: præsertim si prædecessores regis potestatem reuocandi ius coronandi in Papam vel in alium transferendo à se nullatenus abdicauerunt: quia si priuatus potest rem donatam reuocare propter certas culpas: multo magis rex, qui est in suprema dignitate seculari post Imperatorem, poterit res & iura donata reuocare propter certas culpas. Si autem Archiepiscopus non habet ius coronandi à regibus talis regni, sed ab Imperatore vel aliquo, cui tales reges sunt subiecti: rex non potest ius huiusmodi reuocare, sed Imperator vel alius superior rege tali propter culpam potest huiusmodi ius reuocare. Et consimiliter ex causa potest à rege vel Imperatore, vel ab alio superiore rege reuocari ius coronandi. Quia sicut aliquis propter culpam priuatur iure suo: ita etiam absque culpa ex causa priuatur quis iure suo: sicut in legibus & canonibus expresse habetur. Ad allegationem pro secunda opinione præscripta adductam, cum dicitur, quod sacrilegus est qui vult reuocare ea, quæ Ecclesiis sunt concessa: variis modis respondetur. Vno modo dicitur, quod ille est sacrilegus, qui sine causa & sine culpa vult reuocare ea, quæ ecclesiis sunt concessa. Nam quantumcunq; aliqua sunt concessa, si incipiunt esse nociua, extirpari debent. Si enim quod ratione caret extirpandum est, *dist. 67. corepisc.* multo magis quod perniciosum est & nociuum seu noxium extirpari oportet. Præterea si illa, quæ concessa sunt Ecclesiis, siue iura siue priuilegia, siue libertates, si incipiunt esse onerosa, extirpari debent. Nam, vt Glossa super allegato cap. *corepisc.* dicit: *A quocunq; auctore aliquid sit institutum, & quantumcunq; diu obtentum: si non subest causa, vel si onerosum est, extirpandum est: extra. de censi. c. peruenit.* vnde etiam *63. dist. c. Quia secundam. §. verum.* sic legitur: *Magna auctoritas ista habenda est in Ecclesia: vt si nonnulli ex maioribus & prædecessoribus nostris fecerunt aliqua quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea vertuntur in errorem & superstitionem, sine tarditate aliqua & cum magna auctoritate à posteris destruantur.* Vnde dicit Glossa super verbo *destruantur.* Argu. *successores debere mutare instituta antecessorum etiam bona, si viderint ea esse perniciosa.* Ex quo arguitur consimiliter. Si illa, quæ sunt in Ecclesiis, incipiunt esse perniciosa, reuocari debent & possunt. Item priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. *11. quæst. 3. cap. priuilegium. extra, de regularibus. cap. licet.* Si igitur Ecclesiæ abutuntur priuilegiis eis concessis, ipsę merentur ea amittere. Item, persona Ecclesiastica propter culpam debet perdere clericale priuilegium. Ergo consimiliter Ecclesia propter culpam potest perdere priuilegium: quia idem ius est in toto & in parte. Item, Ecclesia propter fauorem alterius Ecclesiæ potest perdere priuilegium & ius suum, *22. distinct. renouantes.* Ergo multo plus propter culpam potest perdere priuilegium suum: cum multo magis sit quis priuandus iure suo propter culpam propriam, quam propter honorem aut fauorem alterius. Sicut enim locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria vel iactura. *extra, de Regul. Iuris. locupletari. lib. 6.* Et si non potest alteri subueniri nisi alter lædatur: commodius est neutrum iuuari, quam grauari alterum. *decimo quarto. quæst. sexto. denique.* & nulli est cum alterius

iniuria

iniuria consulendū. *22. q. 2. c. 1.* Similiter cum alterius dehonoratione non est alius honorandus: quia licet non obstante, quod nec Ecclesia nec persona propter fauorem alterius debeat regulariter priuari iuribus & priuilegiis: tamen casualiter priuari debet: multo fortius tamen regulariter puniendæ sunt culpæ & non solummodo casualiter. Ergo Ecclesiæ propter culpam possunt licite atq; debent in casu priuari priuilegiis, iuribus & libertatibus sibi concessis. Item, illis sunt priuilegia detrahenda, qui præceptis superiorum obuiare non timent, *extra, de priuilegiis c. dilecti*: vbi dicit Gloss. super verbo *decurtabimus*: *Non sunt ei iura sua seruanda, qui ius alienum violare non metuit.* Ecclesiæ ergo propter culpam inobedientiæ & irreuerentiæ priuari possunt priuilegiis sibi concessis. Item, communitas secularis propter culpam priuari potest iuste priuilegio & honore sibi concessis. Ciuitas enim propter occisionem Episcoporum suorum priuatur dignitate Episcopali. *95. q. 2. ita nos.* in quo casu etiam ipsa Ecclesia priuata fuit honore Episcopali non propter delictum Ecclesiæ cathedralis, sed propter delictum ciuitatis. Ergo multo fortius Ecclesia propter delictum proprium potest priuari sibi concessis. Item frustra petit debitum, qui quod debet non impendit: vt allegando dicit Gloss. *dist. 95. esto.* Ad quod probandum diuersos canones allegat. Sic Ecclesiæ laicis, si non impendunt quod debent frustra petunt ab eis iura sua seruari. Item, laici, præsertim reges, Imperatores, principes ac personæ aliæ eminentes, qui Ecclesias honoribus, priuilegiis & libertatibus illustrarunt, ex sola donatione non magis quantum ad ius Ecclesiis sunt subiecti, quam subditi dominis suis: quia Ecclesiæ non dominantur huiusmodi laicis, iuxta illud Petri: *non dominantes in clero.* Et per consequens minus in populo: sed vt dicit Gloss. *22. quæst. vltima. super. c. de forma fidelitatis.* in fine: *Eadem fide tenetur quis subdito suo sicut subditus Domino. vt. 95. distinct. esto subiectus. extra, de iureiurando. peruenit. & 32. quæst. 6. nihil iniquius.* Et si non fecerit, priuatur illo dominio, quod habet in vasallo: & transit feudum ad superiorem: vt in *lib. de feudis. qualiter feudum amittatur.* Ergo multo magis Ecclesiæ, si non fuerint fideles laicis, quæ eis honores, iura, libertates & priuilegia concesserunt, possunt iure priuari & iuste sibi concessis. Item, hosti non seruanti fidem, non est fides seruanda. Cum etiam ei fide seruata contra idem versetur. *extra, de iureiurando peruenit*: si igitur Ecclesiæ non seruando fidem laicis incipiant hostiliter persequi: eis non est fides seruanda: & per consequens priuari possunt illis, quæ sunt concessa sibi. Sed aliquis vno modo istis omnibus respondebit dicens, quod quamuis persona Ecclesiastica potuit committere culpam, tamen Ecclesiæ non possunt aliquam culpam incurrere: quia scilicet Ecclesia non potest culpa aliqua inquinari, cum sit sine macula, malitia & sine dolo. Sed hæc ratio impugnatur, quia quāuis Ecclesia vniuersalis, quæ est congregatio generalis cunctorum fidelium, non sic possit errare contra fidē, nec culpa maculari mortali, vt nullus omnino sit in vera fide & charitate: tamen Ecclesiæ particulares possunt taliter contra fidem & bonos mores errare, ita etiam vt sint à catholicis deserendæ, teste beato Ambrosio, qui, vt habetur *24. q. 1. c. quæ dignior*, ait: *si qua Ecclesia est, quæ fidem respuat, vel Apostolicæ prædicationis fundamenta non possidet, ne quam labem perfidiæ possit aspergere, deserenda est.* Ecclesiæ igitur propter culpam possunt priuari eis, quæ concessa sunt eis. Aliter dicitur, quod licet nulla Ecclesia debeat priuari eis, quæ concessa sunt sibi, tamen quælibet persona de Ecclesia propter culpam debet priuari his, quæ Ecclesiæ sunt concessa. Et ideo quilibet Archiepiscopus propter culpam potest priuari iuste potestate coronandi regem, licet Ecclesia huius potestate priuari non debet.

Tertivs Articvlvs potest esse, An rex talis, qui non absq; culpa sua coronaretur ab altero Archiepiscopo, quam ab eo, qui antiquitus coronare consueuit: sibiipsi coronam imponens, per hoc perderet vel dignus esset perdere titulum vel potestatem regalem: quamuis obstinatus & etiam incorrigibilis in culpa nullatenus appareret? Et tenet prædicta opinio, quod non: quia talis culpa regis esset sacrilegium, non quidem ratione personæ, quale sacrilegium committit quis, cum verberat aut occidit clericum vel religiosam personā, sed solummodo sacrilegiū ratione iuris publici: quia si talis rex in hoc facto esset transgressor iuris publici, quod consistit in sacris & sacerdotibus, *di. 1. ius publicum*, quia videlicet auferret Archiepiscopo, qui consueuit coronare regem, ius suum. Pœna autē huius sacrilegii neq; secundū leges, neq; secundū canones est depositio à regno. Igitur rex talis, si est corrigibilis, non est dignus propter huiusmodi culpam perdere titulum vel potestatem regalem, sicut nec propter aliquas species vel modos sacrilegii est dignus maxima & grauissima pœna.

Qvartvs Articvlvs potest esse: An rex propter huiusmodi culpam si est incorrigibilis, sit dignus huiusmodi pœna. Et est vna assertio, quod sic, pro qua potest taliter allegari: vt dicitur Gloss. distinct. 40. super capitulo, *si Papa*: *Si notorium est crimen eius quodcunque & inde scandalizetur Ecclesia, & incorrigibilis sit, inde accusari potest.* Et per consequens, si potest accusari sic vt criminalis accusatio, quæ ad diminutionem capitulo 1. ad degradationem intenditur: nisi legitima præcedat inscriptio, nullatenus dimittatur. *extra, de accusatoribus qualiter & quando.* multo magis quilibet alius siue regali siue quacunque alia dignitate præfulgeat, pro quocunque crimine, si est incorrigibilis, est dignus à dignitate deponi. Ex quo concluditur, quod rex talis pro huiusmodi sacrilegio, si est incorrigibilis, dignus est perdere titulum vel potestatem regalem. Ergo sequitur, quod quilibet siue laicus siue clericus & cuiuscunq; fuerit status, etiam Papa, propter hæresim est à dignitate sua deponendus. De aliis enim à Papa dicit Glossa, *extra, de hæreticis*, super c. *excommunicamus*: *Papa propter hæresim potest deponere omnes tam laicos quam clericos à dignitatibus suis.* Sed rex talis propter huiusmodi sacrilegium est excommunicatus, vel excommunicari potest, si est incorrigibilis: & si in excommunicatione extra annum persistat postquam fue-

rit inter hæreticos computandus, præsertim si fuerit excommunicatus à Papa, & sit incorrigibilis, inter schismaticos erit cõputandus. Schismaticus autẽ in schismate perseuerans censetur hæreticus, vt ex Glossa colligitur *24.q.1. super capitulo primo* in fine, vbi dicit: *eadem dic de schismatico, maxime cum schisma non possit esse sine hæresi, nisi forte in summo pontifice: vt si duo crearentur, & vterq; crederet Ecclesiam apud se esse.* Hæc videtur esse beati Hieron. intentio; qui, vt habetur *eadem causa. quæst. 3. c. inter schisma,* ait: *Nullum schisma est, nisi sibi aliquã hæresim confingat vt recte ab Ecclesia recessisse videatur.* Vbi dicit Glossa: *Potest dici, quod hæc sit differentia inter hæresim & schisma, quæ est inter dispositionem & habitum. Primo enim dicitur schisma: sed cum post tempus pertinaciter adhæserit suæ sectæ, dicitur hæresis.* dicit etiam Glossa: assignans rationem, quare, vt dictum est, pro quocunq; crimine notorio, si inde scandalizetur Ecclesia, & sit incorrigibilis, potest accusari: nam *contumacia dicitur hæresis.* Ex quibus colligitur, quod talis rex per huiusmodi sacrilegium, si fuerit incorrigibilis, & in excommunicatione, præsertim lata à Papa perstiterit, est inter hæreticos computandus. Quare dignus est perdere titulum vel potestatem regalem.

Alia est opinio, quod rex pro tali sacrilegio, quamuis sit incorrigibilis, non potest perdere titulum vel potestatem regalem. Pro qua potest taliter allegari. Talis rex incorrigibilis absq; grauissimo scandalo eius deponi non potest à dignitate sua: sed pro scandalo euitando cessat rigor iudicii, cum etiam propter scandalum sit desistendum de iure. *extra, de præscriptio. nihil.* Cum propter hoc etiã scandalum fugiendus cibus, qui magis necessarius est, quam vt talis rex incorrigibilis perdat titulum vel potestatem regalem sit dimittendus, dicente Apostolo 1. Cor. 7. *Si esca scandalizat fratrem: non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Ergo quamuis talis rex esset dignus titulum vel potestatem regalem perdere: ipsum tamen perdere non debet. Sed forte hic aliquis respondebit dicens, quod quando scandalum nascitur non ex ignorantia vel infirmitate, quod est scandalum pusillorum: sed ex malitia, quod est scandalum perfectorum: non sunt temporalia propter scandalum dimittenda. Nam propter scandalum, quod ex malitia oritur, non est rigor iustitiæ dimittendus: quia hoc noceret bono communi: quia daret malis audaciam delinquendi. Nam facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi. *extra, de vita & honestate clericorum. c. vt clericorum.* Sed si talis rex esset incorrigibilis, scandalum aliquod ex malitia oriretur: quare tunc non esset talis punitio omittenda. Sed ista responsio impugnatur: quia, vt habetur *dist. 50. vt constitueretur,* videtur quod *vbi per graues dissensionum scissuras non huius aut illius hominis periculum, sed populorum strages iacet, detrahendum est aliquid seueritati, vt maioribus malis sanandis charitas sincere subueniat.* Siue ergo scandalum ex ignorantia & infirmitate, siue ex malitia oriatur, seueritas punitionis debet dimitti. Si ergo populorum strages iacet, quia magis debemus diligere vitam populorum, quam vnius mali punitionem, vel pauca vel parua temporalia bona. Illud autem, quod minus diligendum est, est dimittendum propter illud quod magis est diligendum, quando simul haberi non possunt. Si, inquam, ex depositione talis regis à titulo vel potestate regali emineret populorum strages, propter scandalum, quantumcunq; ex malicia oriretur, talis seueritas dimittenda est.

QVÆSTIO OCTAVA.

CAP. I.

Caput primum Octauæ & vltimæ quæstionis, proponit ipsam quæstionem; circa quam recitat & probat primam opinionem, & duos eius modos ponendi. Quos etiam probat: ad quorum probationes respondetur ex ordine cap. 5.

OCtauo & vltimo quæritur, Vtrum canonica electio principum electorum, seu eligentium, ex natura tantum det electo in regem Romanorum, quantum dat legitima successio regi hæreditarie succedenti. Quantum ad istam quæstionem, quæ multum videtur esse vicina quæstioni quartæ est opinionum diuersitas. Vna est tenens partem negatiuam, circa quam sunt diuersi modi ponendi. Vnus est, quod canonica electio principum electorum illius, non dat electo in regem Romanorum tantum, quantum dat successio regi hæreditarie succedenti: quia huiusmodi electio nullam dat electo administrationẽ, nisi per Papalẽ confirmationẽ vel comprobationẽ seu nominationẽ vel coronationem. Ad fulcimentum istius modi deduci possunt multæ allegationes, quæ hic solummodo sunt tangendæ, pro eo quod qualiter confirmari & declarari potest, studiose ex præcedentibus quæstionib⁹ apparere poterit. Quod ergo nõ electio, sed cõfirmatio vel approbatio nominatio aut coronatio à Papa adhibenda det administrationem electo in regem Romanorum: Patet primo ex hoc; quod electus huiusmodi est vasallus Papæ, & ei iuramentũ fidelitatis & homagiũ præstare tenetur. Itẽ per hoc, quod Imperium est à Papa. Similiter per hoc, ꝙ electus in regem Romanorũ nihil petere tenetur à Papa. Item per hoc, quod Papa potest deponere Imperatorẽ & per consequens constituere: quia licet aliquis potest solus aliquando dare honorem, qui eũ non posset solus auferre. *extra, de translatione. inter corporalia:* tamen qui potest auferre honorem, potest dare eundem. Item per hoc, quod Papa habet plenitudinem potestatis tam in temporalibus quam in spiritualibus. Item per hoc, quod in vniuerso mundo debet esse vnum caput, à quo omnis iurisdictio & potestas dependeat: quod non est aliud, nisi Papa, cum ipse à solo Deo habeat potestatem. Item per hoc, quod Papa habet

vtrum-

vtrumq; gladium, scil. spiritualem & temporalem. Alius modus ponendi istam negationem dicit sic: Quod imo canonica electio principum electorum non dat tantum electo in regem Romanorum, quantum dat legitima successio regi hæreditarie succedenti: quia potestas eligendi data est electoribus à supremo pontifice. *Extra. de elect. venerabilem.* Et ideo sicut inspicienda sunt priuilegia ad hoc, vt sciatur, quam potestatem habeant, siue quid contineatur in eis. *Extr. de priuilegiis cap. porro &c. recepimus*: ita vt sciatur, quam potestatem eligendi habeant electores, & quam potestatem ex eorum electione consequantur, inspiciendæ essent literæ, quibus data est electoribus potestas eligendi. Quæ si non repeniuntur, ipsius summi pontificis est declarare, quam potestatem ex eorum electione electus obtinet: quia eius est interpretari legem, cuius est condere, *extr. de priui. si Papa in 6.* Papa vero habet alios iudicare. *Extr. de iudiciis, cum venissent.* Cum ergo Papa declararet, quod electus in regem Romanorum debeat examinari per Papam: & per consequens declarat, quod ex sola electione non est aliquis rex Romanorum aut Imperator: sequitur quod eligens non dat electo in regem Romanorum plenam administrationem, nec regalem titulum, vel potestatem Imperialem; quæ omnia tamen dat legitima successio, regi hæreditarie succedenti. Pro isto modo ponendi istam negatiuam, quæ fundatur principaliter in hoc, quod electio principum dat tantam potestatem electo, quantam Papa vult per eam sibi dari, potest multipliciter allegari. Et primo specialiter quo ad regna & prouincias, quæ de facto regi Romanorum seu Imperatori obediunt. Nam Papa super omnia regna occidentalia, quorum aliqua Imperatori sunt de facto subiecta, habet eandem potestatem, quam habuit Constantinus Magnus super totius Imperii Monarchiam: quia ipsa Constantinus Magnus reliquit Siluestro & eius successoribus disponenda. *dist. 96. c. Constantinus.* Constantinus autem pro suæ voluntatis arbitrio potuit ampliare & restringere potestatem electorum, vt electio ab eis facta legitime maius vel minus daret electo: ergo & Papa hoc potest saltem quoad occidentalia regna. Amplius, qui potest regem alicuius regni vel regnorum deponere; & fideles ipsius à iuramento fidelitatis absoluere; & quibus vult ius eligendi regem, & eiusdem regni vel regnorum dominia tribuere; & regem constituere; huiusmodi etiam quantum electio alicuius in regem debeat dare electo, potest instituere. Papa autem omnia supradicta potest, specialiter quantum ad occidentalia regna: quia non videtur, quod neq; à Deo neque ab homine habeat maiorem potestatem super regnum Francorum, quam super alia regna occidentalia præscripta. Potest autem exercere primo super regnum Francorum, & omnes prouincias ab Aquitania vsq; ad Bauariam. Comprehendit namq; illas propter Hildericum (aliis Ildericum) regem Francorum, tam Orientalium (scil. Germaniarum) quam Occidentalium: & regem deponit, & sibi subiectos iuramento fidelitatis absoluit: & Pipinum patrem Caroli Magni in eius loco substituit. *15. q. 6. alius.* Electoribus etiam regis Romanorum ius tribuit eligendi. *Extr. de elect. venerabilem.* ergo Papa potest instituere, quantum tali electo dare debeat electio. Rursus, qui potest alicui regi potestatem dare eligendi sibi successorem: habet statuere, quando & quantam electus habere debeat administrationem: an mortem opus alterius expectare. Papa autem potest dare regi Romanorum seu Imperatori potestatem eligendi Imperatorem successorem, quo ad regnum Italiæ. *distinct. 63. in synodo.* Et simili ratione quo ad alia regna, scil. Occidentalia: ergo potest statuere quando & quantum electio dare debeat electo. Item electio illa, quæ indiget confirmatione ad hoc, quod electus habeat administrationem, non tantum dat electo, quantum legitima successio debet regi hæreditarie succedenti: quia rex hæreditarie succedens nulla indiget confirmatione ad hoc quod ad ministret. Sed electio canonica principum electorũ indiget confirmatione papali ad hoc quod electus habeat administrationem. Item illa electio, virtute cuius electus non est rex, non dat tantũ electo, quantum legitima successio dat regi hæreditarie succcedenti. Virtute autem electionis principum electus in regem Romanorum non est rex, sed tantum electus in regem, teste Ioh. 22. qui in processu contra Dominum Ludouicum de Bauaria, quem aliqui Bauari Imperatorem appellant, ait: *Præfatus Ludouicus à nobis, ad quem sua electionis sicut præsumitur, in discordia celebrata, ac persona ipsius examinatio & admissio, repulsio & approbatio noscitur pertinere: electione prædicta nequaquam approbata, nec eius admissa persona, sicut vulgari fama innotuerat, & publica facti euidentia manifestat: non quærens vt deberet per ostiũ regni seu Imperii conscendere dignitatis fastigium, sed potius aliunde nescimus quo ductus seu potius seductus consilio, præfati nomen sibi & titulum regis vsurpauit; quamuis, priusquam alterius eorum per sedem Apostolicam fuisset approbata persona, vel reprobata, neutri electorum ipsorum assumere licuit nomẽ vel titulum prælibatum: cum nec interim Romanorũ reges extiterint, sed in reges electi, nec sint habendi pro regibus: nec reges etiã nominandi &c.* Virtute vero successionis legitimæ hæreditarie succedens in aliquo regno statim est rex: nec personæ ipsius examinatio, approbatio vel admissio spectat ad Papam: ergo electio in regem Romanorum non dat electo tantum, quantum dat legitima successio regi hæreditarie succedenti. Aliæ plures allegationes ad prædictam assertionem possunt adduci: de quibus in discussione istarum forte tangetur.

CAP. II.

Recitat & probat secundam opin. de cuius probationibus pauca dicentur, cap. septimo.

ALia est opinio, dicens, quod canonica electio principum electorum tantum dat electo in regem Romanorum in terris & prouinciis quæ subiectæ erant Carolo Magno ante coronationem Imperialem

perialem, quantum legitima successio dat regi hæreditarie succedenti. Prima pars illius opinionis probatur sic. Electio, quæ dat electo in aliquibus regnis & prouinciis siue terris plenam administrationem, virtute cuius licet electo nomen regis assumere: tantum dat electo in terris illis, quantum dat legitima successio hæreditarie succedenti: quia legitima successio non plus dat regi hæreditarie succedenti, nisi quia potest licite sibi nomen regis assumere, ac iura & bona regni administrare. Sed canonica electio dat electo in regem Romanorum seu Imperatorem in prouinciis & terris, quæ erãt subiectæ Carolo Magno ante coronationem imperialẽ, plenam administrationem, & virtute electionis electus potest sibi nomen regis assumere: igitur &c. maior, vt videtur, probatione non indiget. Minorem probat quidam Doctor venerabilis, de quo in præcedentibus facta est mentio: cuius verba, quamuis sint prolixa, absque omni immutatione propter reuerentiam dicentis, quia solo sincero veritatis & iustitiæ amore (vt arbitror) exquisitius, quam multi alii, conatus est iura Imperii declarare, duxi præsentibus inserenda, & breuiter pertractanda, vt ex ipsa discussione veritas elimatior discutiatur vel intelligatur: quia quærendo, opponendo & soluendo, ac diuersas artes & responsiones recitando, melius veritas inuenitur: & quod à pluribus quæritur, facilius inuenitur, *dist. 20. de quibus.* Dicit igitur prædictus Doctor in hæc verba: *Electus in regem: siue Imperatorem in concordia potest statim ex ipsa electione nomen regis assumere, & iura & bona regni & Imperii in Italia & in aliis prouinciis eius administrare. Ad huius articuli approbationem præmitto, quod Carolus Magnus rex Francorum, vt patet ex his quæ dicta sunt in primo cap. huius tractatus, Francorum regnum, quod protendebatur ab Aquitania vsque Bauariam, habuit ex successione paterna more & consuetudine quasi generali omnium aliorum regnorum occidentalium, quæ tunc, sicut & nunc, per successionem generis vt plurimum debebantur: & in hoc regno sibi suisq; successoribus Italiam & multas alias prouincias & terras per bellum licitum acquisiuit: ex eo videlicet, quod reges & principes & possessores illarum prouinciarum contra ecclesias Christianas, multimodas, vt ex diuersis historiis & chronicis apparet, Tyrannides suis temporibus exercebant: & hoc poterat facere idem Carolus de iure gentium, ex quo bella sunt inducta: vt patet, ff. de iusti. & iur. l. ex hoc iure. Instit. de iure na. gen. & ci. §. ius autem & §. ius gentium. Et contenti prouincias & terras huiusmodi eodem modo fecit suas: ea enim, quæ in bello iusto capimus, iure gentium nostra fiunt, vt patet, ff. de acquirendo rerum Dominio. l. naturalem. §. vlt. Insti. de rer. diui. §. item ea quæ ex hostibus. ad idem 23. q. v. dicat. & q. 6. si qua de rebus. Et prius dictus Carolus elapsis pluribus annis, vt patet supr. c. 1. vnctus & coronatus fuit in Imperatorem Romanorum. Vnde notatur in constitutione Frederici Imperatoris hac edict. §. iniuria. in Gloss. secundum leges. colla. 10. quia Carolus stetit 10. annis rex Franciæ & Lombardiæ, antequã haberet Imperium: nec reperitur nisi fecisse 9. leges in Lombardia contentas, postq̃ fuit Imperator, vt ibi notatur. Qui Carolus reliquit regnũ & Imperiũ cum prouinciis licite acquisitis virtute dictæ generalis cõsuetudinis filio suo Ludouico, recepta Italia, quã reliquit Bernhardo nepoti suo: & sic deinceps reges Imperatores de gratia dicti Caroli exeuntes habuerũt per successionem regnum Francorũ seu partem eiusdem regni per diuisionem eiusdem cum Italia & Imperio eodem iure & titulo, quo illa Carolus tenebat vsque ad tempora Ludouici tertii, cuius tempore Italia defecerit à fidelitate sua. Regna autem Germaniæ habuerunt reges de genere dicti Caroli descendentes, quousq; defecit genus vel saltem potentia generis ipsorum in dicto regno. Quo genere deficiente principes & natu maiores Francorũ, Alemanorum, Bauarorum & Saxonum, qui repræsentabat totum populũ Germaniæ, elegerunt Henricũ Ducem Saxoniæ in regẽ Germaniæ à Francorũ, vt ex prius dictis in cap. 2. apparet. Quod facere poterant ex iure gentium: ex quo iura & regna condita sunt: scil. q; quilibet populus potest sibi eligere regem: vt patet ex his quæ leguntur & notantur ff de iusti. & iuri. l. ex hoc iure. Et deinde Otthoprimus, filius eiusdem Henrici (vt etiã visum est superius in eodẽ capitulo) recuperauit Italiam ipsi regno Germaniæ: à quo & à cuius societate defecerat. & factus fuit postea Imperator, & ex iterato incepit regnum cum Italia & Imperio deberi ex successione generis vsque ad tempora Otthonis tertii, cuius tempore fuit institutũ, q; per certos principes Germaniæ, scil. per Officiatos Imperii, eligeretur Imperator: vt etiam ex superius dictis plane patet. His itaq; præmissis, probo veritatẽ dicti articuli generaliter de administratione omniũ prouinciarũ regni & Imperii. Secundo principaliter de administratione regni Germaniæ. Primum sic probatur: quilibet populus carens rege potest sibi regem eligere de iure gentium: ex quo iure regna condita sunt, vt supra dictum est per l. ex hoc iure: quod non est aliud, quam nomen regis assumere & bona & iura illius regni administrare, vt de se patet. Sed in regno & Imperio (cum non habeat locum hodie successio generis) mortuo rege & Imperatore populus Germaniæ, Italiæ & aliarum prouinciarum regni & Imperii, carentium rege: & principes & electores iam dictæ institutionis habent eligere regem seu Imperatorem, repræsentantes omnes principes & populum Germaniæ, Italiæ & aliarum prouinciarum & terrarum regni & Imperii, quasi vice omnium eligendo: vt ex dicendis infra. cap. prox. clarius apparebit.* Igitur concluditur, quod electus per eos concorditer ex electione huiusmodi potest de iure gentiũ licite nomine & re ipsa regnare. Quod non videtur aliud, quã nomẽ regis assumere, ac iura & bona regni & Imperii administrare: vt prædixi. Et ex his iure gentium credo verificari dictum beati Hieron. dicentis, quod exercitus facit Imperatorẽ, vt patet in canone 93. dist. legimus: quia exercitus seu Romanus populus eo tempore repræsentabat totum populum Romanum Imperio subiectum. Vnde facere poterat Imperatorem. Sicut hodie principes electores ratione institutionis populũ huiusmodi repræsentant. Secundo potest idem probari aliunde sic. Illud quod subrogatur & succedit in locũ alterius rei, debet recipere & imitari ius & naturam illius rei, in cuius locũ succedit & subrogatur, vt patet ff. de con. il. & demon. l. filiæ. ad idem extr. de vo. & vo. redemp. magnæ. De Baptismo. Maiores: cum suis concordantiis. Et hoc etiam cum sit certum iure canonico & ciuili, satis dictat Ratio naturalis, apud omnes enim non potest dici aliquid proprie succedere in locũ alterius rei, si non haberet ius & naturã illius rei, in cuius locum succedit & subrogatur, vt de se notum est, & sic illud videtur esse de iure gentium. Quod enim ratio naturalis dictat, apud omnes idem est, vt ff. de iusti. & iur. l. omnes Instit. de iure na. gen. & ciuil. §. quod vero, sed electio regis & Imperatoris, quæ fit per principes electores succedit, & est subrogata in locũ successionis generis, quæ per multa tempora fuit in regno & Imperio, vt dictum est supr. in cap. 2. retinebit ergo il-

la electio *in* & *naturam successionis generis, qua per multa tempora fuit in regno & Imperio. Sed tunc filius statim mortuo patre ex ipsa generis successione assumpsit nomen regis, & administrauit bona & iura Imperii in Italia & in aliis prouinciis regni & Imperii: immo interdum similiter cũ patre administrauit ex ipsius patris dispositione, vt ex superius dictis in cap. 2. patet: vel si non esset filius regis aut Imperatoris: tunc, eo decedente, alius de genere decedentis succedebat eidem regno & Imperio nomen regis assumendo, & bona & iura ipsius Imperii & regni iuxta consuetudinem generalem aliorum regnorum occidentalium; in quibus habet locum successio generis in administrando, vt etiã ex superius dictis satis patet. Igitur similiter & nostro tempore electus à principibus electoribus concorditer ex tali electione, quæ subrogata est de regno & Imperio, loco successionis generis, potest statim licite nomen regis assumere, ac iura & bona Imperii administrare. Deinde illud probo specialiter de administratione regni & Imperii in Germania, scil. quod in ea posset electus à principibus in concordia ex electione huiusmodi licite administrare, dato sed non concesso, quod in Italia hoc non posit: & hoc modo. Nam apparet ex prædictis* Chronicis *omnibus, quod postquam defecit successio generis Caroli Magni in regno Germaniæ, Henricus primus ex electione principum & natu maiorum Germaniæ statim assumpsit nomen regis, & administrauit bona & iura dicti regni. Post hoc iterum deficiente successione eiusdem Henrici in regno Germaniæ, institutisq; certis principibus ad eligendum reges: Henricus fundator secundus Ecclesiæ Bambergensis, ex electione principum sic assumpsit statim nomen regis, & administrauit iura & bona dicti regni. Post hunc etiam deinceps (vt ex* chronicis *prædictis patet) idipsum potuerunt alii eorundem regnum successores in reges à principibus electi concorditer assumpti. Præterea satis patet ex prædictis, quod Germania post diuisionem regni & Imperii Francorum, de qua supr in c. 2. dictum est, fuit regnum per se, sicut regnum Galliæ Occidentalis, quod hodie regnum Franciæ nuncupatur: & est regnum per se. Et hoc regnum Germaniæ Ludouicus frater Lotharii Imperatoris & Caroli regis Galliæ in portione hæreditatis obtinuit: & post mortem eius filii sui tres, Carolus Magnus, Ludouicus, & Carolus: quorum vnus, scil. Carolus, Italiam & Imperium, & post eum Arnulphus, filius Caroli magni prædicti, Italiam simul cum Imperio obtinuit. Quam Italiam Ottho primus rex Germaniæ per Berengarium tertium postea recuperauit eam ad potestatem regni Germaniæ reducendo, & Imperator factus est, vt visum est in d. cap. 2. Ex hoc autem non debet esse deterior conditio regni & Imperii in Germania: quia reges ipsius fuerunt Italiam & Imperium assecuti: sed melior. Virtutibus enim reges ipsius promeruerunt Imperium. Virtutibus autem præmia debentur, in C. de statu. & Ima. l. vl. & ff. de Iusti. & iur. l. 1. Imperium autem dispendia ex hoc sequi non debent, vt ex fideiusso prouenit. Sed constat, si electus ad Imperium non posset administrare bona & iura Imperii & regni in Germania statim ex ipsa electione: sed haberet ratione Italiæ exspectare coronationem, nominationem & approbationem ecclesiæ Romanæ, quod ipsius Germaniæ & constitutio facta Italiæ per reges Francorũ deterior esset. Magna enim possent dispendia populo Germaniæ ex tali exspectatione per guerras, ex quibus solent sequi cædes hominum, rapinæ & incendia, generari, quæ per administrationẽ regis de facili cessare possent: vt de se notum extstit. Quare concluditur, quod electus concorditer à principibus, dato etiã quod in Italia nõ posset administrare: id tamen in Germania facere poterit & debebit. Nec obstat, si iuxta præmissam suppositionẽ dicatur, quod licet electus in regẽ à principibus posit administrare in Germania, considerata ipsa Germania per se: & hoc ex electione principũ electorũ: tamen cũ Italia accedere videtur Germaniæ, hoc non poterit ex electione huiusmodi, sed potius ex ecclesiæ Romanæ approbatione: vt sic accessorium sortiatur naturã sui principalis Extr. de reg. iur. accessoriũ. lib. 6. & cũ concordantiis ibi notatis. Vnde ex hoc electus à principibus non rex Germaniæ sed rex Romanorũ appellatur, quod fieri videtur ratione Italiæ, in qua sita est Roma. Quia ad hoc respondendo dicitur, quod Germania seu regnum Germaniæ non fuit accessorium regno Italiæ. Regnum enim Germaniæ etiam post diuisionem regni Francorum, cum adbuc regnum Germaniæ erat de genere Caroli Magni obtinuerunt duo reges Germaniæ, scil. Carolus tertius & Arnulphus. Ipsum quod regnũ Italiæ Ottho primus aliquamdiu regno Germaniæ vi ablatũ recuperauit; vt patet ex dictis supr. c. 2. Reges vero Italiæ, qui ante tempora Caroli Magni fuerunt Longobardi, nunquam regnum Germaniæ & Francorũ sibi, vt ex supradictis chronicis patet, subiugasse noscuntur. Quod autem electus à principibus in regem Rex Romanorũ appellatur: illud non est factum ratione Italiæ, cum ipsa regno Germaniæ accesserit, vt est dictum: sed credo quod illud introductum est, tum propter reuerentiam sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, quæ omnium ecclesiarum primatum & magistratum obtinet, vt patet dist. 16. quam dist. c. 1. & 2. extra, de summa trini. & fide cathol. damnamus: cũ similibus. Vt & Imperator asserit, Papã senioris Romæ esse primũ omnium sacerdotum, in auten. de eccle. ti. in princ. collati 9. Tum etiã propter honorem vrbis Romanæ, cuius populus olim tenuit monarchiam Imperii. Sed postquam translatum est Imperium ipsum Imperatorẽ confirmauit, vt patet de iure natu. gentium & ciuili. Sed & quod principi. Item autem quod dixi de administratione regni & Imperii in Germania: idem dico de administratione regni & Imperii in Gallia Belgica, seu regno quondam Lotharii sito inter Mosam & Rhenum fluuios. De quo regno fit mentio in canone 63. dist. porro. Hoc enim Lotharii seu Lotharienfe regnum post mortem Lotharii regis, filii Lotharii Imperatoris, de quo multotiens fit mentio in decretis, vt dixi supra cap. 2. Ludouicus secundus rex Germaniæ, & Carolus rex Galliæ Occidentalis fratres inter se æqualiter anno Domini 871. diuiserunt. Post vero Ludouici mortem variis contentionibus super eodẽ regno inter regem Germaniæ & regem Galliæ habitis, Ludouicus & Carolus adolescens regis Caroli prædicti nepotes, in portionem dicti regni Lotharii, Ludouico Regi occidentalis Franciæ filio regis Ludouici iam dicti, ex integro succcesserunt. Postea vero deficiente genere Caroli in Regno Germaniæ, quidam rex Galliæ occidentalis, Carolus nomine, Henrico, qui primo de genere Saxonum cœpit regnare in Germania, confœderatus; eidẽ Henrico sub anno domini 974. reddidit dictum regnum, de post mortem eiusdem Henrici, variis discordiis contra Otthonem primum, filium dicti Henrici, pro regno Lotharii habitis, tandem regnum Lotharii totum fuit ad dictum regem Otthonem conuersum, & omnes reges Theutonici Belgicam Galliam ac regnum huiusmodi sine contradictione qualibet tenuerunt, prout in prædictis Francorum & Godefredi* chronicis *plenius enarratur. Idem etiam ex causa prius dicta ex omnibus aliis prouinciis & terris, quæ tempore diuisionis fuerunt adiunctæ regno Germaniæ vel quæ post diuisionem regni*

regni Francorum prædicto regno Germaniæ in montanis partibus accesserunt, intelligo repetendum. Hæc sunt verba prædicti Doctoris, quibus probat & declarare conatur, quod electus in regem seu Imperatorem Romanorum à principibus electoribus in concordia potest statim ex ipsa electione licite nomen regis assumere: & iura & bona regni & Imperii & in aliis prouinciis eiusdem regni & Imperii, quæ subiectæ erant Carolo Magno ante coronationem Imperialem, administrare. Et hæc sententia est pars minoris rationis, positæ in principio istius capituli: ad probandum primam partem opinionis recitatæ: videlicet quod canonica electio principum electorum dat tantum electo in regem Romanorum in terris & prouinciis, quæ erant subiectæ Carolo Magno ante coronationem imperialem, quantum legitima successio generis dat regi hæreditarie succedenti. Secunda pars opinionis, secundum quod canonica electio principum electorum non dat tantum electo in regem Romanorum in terris & prouinciis, quæ non erant subiectæ Carolo Magno ante coronationem Imperialem, quantum legitima successio generis dat regi hæreditarie succedenti, ꝓbatur: quia si electus in regem Romanorum virtute electionis ius haberet tantum in illis terris & prouinciis, quantum habet rex hæreditarie succedens virtute successionis legitimæ, tunc promotio regis in Imperatorem esset verbalis, & non realis, sicut dictum est quæstione quarta, cap. 9.

Cap. III.

Ponit tertiam opinionem & eius motiua, de quibus videbitur cap. vltimo.

Alia est opinio, quæ videtur fuisse opinio Principum Germaniæ prouinciæ, ꝙ rex Romanorum post electionem concordem principum, vel à maiori parte illorum, de facto habet eandem potestatem omnino & simpliciter, quantum habet Imperator: & ꝙ electio canonica principum electorum tantum, imo plus, quoad aliquid, dat electo in Regem Romanorum, quantum legitima successio regi hæreditarie succedenti. Primo enim sic dicentes probare conantur, quod pronunciatio prædicta principũ Germaniæ est consona veritati, quod quamuis liqueat, vt videtur ex his, quæ dicta sunt, *q. 4. c. 2. & 3. & 9.* vbi probatum est, quod inter regem Romanorum & Imperatorem nulla est realis differẽtia, & quod electio alicuius in regem Romanorum dat sibi plenã administrationem, & quod Imperator nullas terras tenet à Papa: siue non esse dicendum, Imperatorem aliquas terras ab eo tenere: tamen nunc quasi replicando plura, quę tacta sunt ibi, dicendum est, quomodo per fundamenta probationum, quibus præfatus Doctor conatur probare, quod electus in regẽ seu Imperatorẽ à principibus electoribus regni & Imperii in cõcordia potest statim ex ipsa electione nomẽ regis assumere: & iura & bona regni & Imperii in Italia & aliis prouinciis eiusdẽ regni & Imperii, quę scil. erant subiectæ Carolo Magno ante coronationẽ imperialẽ, administrare, videtur posse probari pronunciatio principũ Germaniæ, scil. quod rex Romanorũ post electionẽ eorundẽ principum, vel à maiori parte eorũ de se factã, habet eandem potestatẽ omnino & simpliciter, quam habet Imperator. Nam quilibet populus carẽs rege potest sibi regẽ eligere de iure gentiũ, ex quo iure regna cõdita sunt, *ff. de iust. & iur. l. ex hoc iure.* Ex consequenti potest electus talis eodẽ iure ex tali electione populi regnare nomine & re, quod non est aliud quã nomen regis assumere & bona & iura ipsius regni administrare. Sed in regno & in Imperio, cum non habeat locum successio generis, mortuo rege & Imperatore, populus Germaniæ, Italiæ, Indiæ, Persidiæ, Africæ, Græciæ & aliarũ prouinciarũ, quæ de iure regno & Imperio Romanorũ sunt subiectæ, caret rege supremo & Imperatore illo, scil. qui solus super omnes populos prædictarũ ꝓuinciarum debet esse rex & Imperator. Et principes electores ratione institutionis, qua instituti sunt electores supremi regis & Imperatoris, habent eligere Imperatorem repræsentantes in hoc omnes principes & populũ Germaniæ, Italiæ, Indiæ, Africæ, Græciæ & aliarũ prouinciarũ, quæ de iure regno & Imperio Romanorũ sunt subiectæ, quasi vice omnium eligendo. Ergo electus per eosdem concorditer ex electione huiusmodi potest de iure gentium nomine & re ipsa regnare. Quod non videtur aliud, nisi nomẽ regis assumere, ac iura & bona regni omniũ prouinciarum, quæ sunt de iure subiectæ Romanorũ Imperio, administrare, quare prædicta pronunciatio principũ Germaniæ continet veritatẽ. Sed forte huic allegationi diceretur, quod principes electores nõ repræsentant nisi populũ Germaniæ, Italiæ & aliarũ prouinciarũ, quæ subiectæ erãt Carolo Magno ante coronationem Imperialẽ. Et ideo electio in Imperatorẽ virtute electionis non habet eandem potestatem omnino, quam habet Imperator: nec habet administrationem nisi in illis prouinciis, quarum principes & populos repræsentant. Sed hæc responsio impugnatur: quia illi, qui repræsentant solum partem alicuius populi, maxime si repræsentant paruam partem alicuius populi, non possunt eligere regem seu Imperatorem, nisi super illum populum, quæ præsentant. Aliter enim sequitur, quod repræsentantes principes & populum vel partem cuiuscunq; populi possent eligere regem seu Imperatorem super totum mundũ. Si igitur principes electores non repræsentãt, nisi principes & populum Germaniæ, Italiæ & aliarum prouinciarum, quæ erant subiectæ Carolo Magno ante coronationem Imperialem: sequitur quod principes electores possunt eligere solummodo regem seu Imperatorem super illas prouincias, & nõ super alias prouincias. Et etiam quidam Doctor tenet, quod principes electores non habent eligere Imperatorem Romanorum, sed quendam alium, qui de iure non est Imperator, nisi illarum prouinciarum, quæ erant subiectæ Carolo Magno ante coronationem Imperialem. Quod non est consonum dictis istius Doctoris. Item qua ratione populus Germaniæ, Italiæ & aliarum prouinciarũ, quæ erant subiectæ Carolo Magno ante coronationem imperialem, possunt sibi eligere regem de iure gentium, quando caret rege, eadem ratione residua pars mundi, quæ est in temporalibus maior quam Germania, Italia & aliæ prouin-

ciæ,

ciæ, quæ erant subiectæ Carolo magno ante coronationem Imperialem, mortuo rege supremo eorum & Imperatore possunt de iure gentium sibi eligere regem & Imperatorem, qui potius tanquam electus à maiori parte erit Rex & Imperator Romanorum, quam electus ab illis. Igitur duo possunt eligi in reges Romanorum & Imperatores: quod est absurdum. Quare relinquitur, quod nisi principes electores repræsentẽt principes & populos vniuersos subiectos Romano Imperio, nõ possunt eligere Imperatorem Romani Imperii. Videtur igitur concludendum, quod principes electores repræsentãt principes & vniuersos populos subditos vniuerso Romano Imperio, vel Romanos tanquam caput omniũ aliorum. Et sic infertur, quod electio huiusmodi non plus dat electo administrationem in illis prouinciis, quam in aliis prouinciis, quæ non erant subiectæ &c. Sic igitur per fundamentum primæ allegationis præfati Doctoris videtur posse probari, quod rex Romanorum post electionem concordem habet eandem potestatem omnino & simpliciter, quã habet Imperator: & hoc idem probatur per fundamentum secundæ allegationis ipsius.

Nam illud, quod subrogatur & succedit in locum alterius, debet recipere & imitari ius & naturam illius rei, cui succedit & subrogatur, vt *ff. si quis cautionibus. l. si eum. §. qui iniuriarum & ff. de conditi. & demon. l. filia. §. Titia.* Ad idem extra, *de voto & vo. re. magne, de baptismo, maiores.* Et magis expresse videtur *Extr. vt lite pendente. c. ecclesia. 1.* Vbi dicit Gloss. super verbo *successerunt*: *est hoc argum. quod res quæ succedit in locum alterius eodem iure censetur cum illa.* Et hoc etiã ratio naturalis dictat, quod non posset proprie dici aliquid succedere in locum alterius, si non haberet ius & naturam illius rei, in cuius locum succedit & subrogatur. Sed electio regis & Imperatoris, quæ nunc per principes electores succedit, subrogata est in locum successionis vel electionis, quæ quondam fiebat per populum Romanũ, seu per exercitũ, qui populus Romanus seu exercitus tunc repræsentabat totum populũ Romano Imperio subiectũ, secundum istum Doctorem: igitur electio, quæ modo fit per principes electores, retinebit ius & naturam electionis, quæ fiebat per populum Romanum seu exercitum. Sed per illam electionem, quæ fiebat à populo Romano vel exercitu, electus statim assumpsit nomen regis seu Imperatoris, & administrauit iura & bona regni & Imperii in omnibus prouinciis subiectis de iure imperio, & eandem omnino habuit potestatem in quantum rex Romanorum. Igitur & modo electus à principibus & electoribus concorditer à tali electione, subrogata, quæ est in locum illius electionis, quæ fiebat à populo Romano vel exercitu, habet omnino eandem potestatem in quantũ rex Romanorũ, & in quantum Imperator, ac posset licite nomen regis & Imperatoris assumere, & iura & bona Imperii non solum in Germania & Italia & in aliis prouinciis, quæ erant subiectæ Carolo Magno ante coronationem imperialem: sed etiam in aliis modo congruo administrare, scil. in prouinciis sibi mediate vel immediate subiectis. Sed forte huic allegationi respondebitur, quod electio, quæ modo fit per principes electores, non succedit nec subrogata est in locũ alterius electionis, quæ fiebat à populo Romano vel exercitu, sed in locum successionis generis, quæ erat post tempora Caroli tertii. Et ideo nõ retinebat ius & naturam illius electionis prioris, sed successionis generis. Sed hæc responsio impugnatur, quia si electio, quæ fit per principes electores, non succedit immediate illi electioni, quæ fiebat antiquitus per populum Romanũ seu exercitũ, tamen successit illi mediate, & in locũ illius subrogata est mediate electione, quæ tẽpore multò post fiebat per imperatorẽ, vel mediante successione generis. Secundũ n. illum Doctorẽ semper Imperator Romanorũ ante Carolũ fiebat per successionẽ generis, vel per electionẽ factam per Imperatorẽ. Quare illa successio tempore Caroli sic fuit aut nulla: & quorundã successorũ suorũ secundum illum Doctorẽ: vel electio facta per Imperatorem secundũ alios successit aliter alii modo cõstituendi regem seu Imperatorẽ Romanorũ: & per cõsequens recipit ius & naturã illius & ille modus alius, quã per successionem generis, constituendi regẽ seu Imperatorẽ, erat electio à populo Romano vel exercitu: vel successit illi electioni. Igitur retinuit ius & naturam illius electionis, quæ facta fuit antiquitus à populo Romano vel exercitu, secundum illum Doctorem. Electio quæ modo fit per principes electores, recipit ius & naturam successionis generis, in cuius locum subrogata est successio generis secundum illum Doctorem ex quo secundum ipsum successio generis subrogari potest in locũ electionis illius. Ex quo sequitur, ꝙ sicut prædictũ est in præcedenti allegatione, principes electores, qui modo sunt, non tantũmodo repræsentant principes & populũ Germaniæ, Italiæ & aliarũ prouinciarũ, quæ erant subiectæ Romano Imperio ante coronationẽ Imperialẽ, sed etiã repræsentant populos & principes aliarũ prouinciarũ, quæ nõ erant subiectæ Carolo Magno ante coronationem Imperialẽ, sed erant subiectæ Romano Imperio. Nam principes, qui modo sunt electores, quamuis nõ immediate, tamen mediate in eligendo succedunt populo Romano vel exercitui. Ergo in eligendo retinẽt ius & naturã illius populi, scil. Romani, vel exercitus. Sed eligendo & secũdũ potestatẽ eligendi repræsentabant totũ populũ Romano Imperio subiectũ, vt etiã dicit iste Doctor. Igitur & principes electores nunc repræsentãt totũ populũ Romano Imperio subiectũ. Ex quo patet, quod sicut antiquitus Imperator electus per populũ Romanũ vel exercitum habuit plenã potestatem supra totũ Imperiũ: ita & nunc habeat eandẽ potestatẽ omnino & simpliciter inquantũ rex Romanorũ & inquantũ Imperator. Tertio per fundamentũ motiui, quo probat iste Doctor, ꝙ electus per principes ex ipsa electione statim potest licite assumere nomẽ regis in Germania, ac iura & bona regni Germaniæ administrare, probatur, ꝙ quo ad aliã prouinciã electus per principes electores habet omnino eandẽ potestatẽ, inquantũ rex & inquantũ Imperator, & statim post iura & bona prouinciæ eiusdẽ modo cõpetenti sibi, mediate vel immediate administrare. Nã nulla est prouincia siue regnum, quæ vel quod, antequam esset Romanum imperium, non habuit regẽ vel Imperatorem, qui statim, quod possit esse rex constitutus siue per electionem siue per successionem, haberet potesta-

potestatem administrandi modo competenti sibi iura & bona prouinciæ eiusdem siue regni. Sed ex hoc, quod eadem prouincia subdebatur Romano imperio, non debuit esse deterioris conditionis: sicut nec conditio regni & Imperii in Germania, secundum illum Doctorem est deterior ex hoc, quod reges ipsius assecuti fuerunt Italiam & imperium. Sed si electus per principes electores ad Romanum Imperium non possit statim modo sibi competenti mediate vel immediate administrare bona & iura ipsius prouinciæ, siue regni, sed expectare oporteret coronationem Imperialem, quæ ex causa longo tempore differri valeret: conditio prouinciæ esset deterior ex hoc, quod esset subiecta Romano imperio: quia propter huiusmodi expectationem per guerras & discordias possent mala quamplurima prouenire, quæ per administrationem electi cessare valent. Relinquitur igitur quod electus in Imperatorem ne conditio regni alicuius vel prouinciæ fiat deterior propter hoc, quod est subiecta Romano Imperio, statim habet de iure administrationem sibi competentem, scilicet mediatam vel immediatam. Videtur igitur quod pronunciatio principum Germaniæ quod scil. rex Romanorum post electionem eandem habet potestatem omnino, quam habet Imperator, à veritate non discrepat, quia statim virtute electionis habet in prouinciis Romano Imperio subiectis administrationem competentem sibi mediatam, vel immediatam. Quod adhuc tali modo probatur. Eadem res dicitur eodem iure censeri, licet secundum diuersas partes posset diuerso iure censeri: vt scilicet Romanum Imperiū est vnum & idem, licet habeat diuersas partes. Ergo licet diuersæ partes Imperii Romani possent diuerso iure censeri, vt scil. electus in Imperatorem in vna parte Imperii idem homo prius habeat super illam potestatem regalem, & postea potestatem Imperialem. Quare rex Romanorum habet omnino eandem potestatem, quam habet Imperator super totum Imperium: & licet non habet eandem potestatem omnino super vnam partem, quam habet super aliam. Dicitur itaq; secundum istam opinionem ne oporteat concedere, quod Carolus Magnus fuit factus Imperator super nouum Imperium, vt antiquum Romanum Imperium à primis Imperatoribus & successoribus eorum possessum non fuit translatū in ipsum & ꝙ Carolus Magnus non habuit omnem potestatem Imperialem, quam habuerunt ante ipsum Imperatores Romani. Et quod Romanum Imperium ab illo tempore, quo mundus fuit sibi subiectus, quod fuit tempore natiuitatis Christi, pro ea quod tunc tota vniuersitas mortaliū vni regi seu Imperat[illegible] subdebatur, ꝙ est vnum de potissimis, quæ ad principatū optimū requiruntur: non potuit de iur[illegible]istrahi nec diminui, nec per præscriptionem nec per consuetudinem, nec per diuisionem nec per translationem, nec per aliquam ordinationem humanam, nisi forte singuli mortales huiusmodi distractioni vel diuisioni præberet consensum. Nec potuit prouideri de Imperatore aliter quā per electionē: quia modus prouidendi per electionem potior est & melior, quam per generis successionē. Et ideo principes cunctorum mortalium per electionem non per generis successionē debent principatū supremum adipisci. Ius autem & potestas eligendi supremum principē vniuerso mortaliū principaliter est apud Imperatorem: quia populus huiusmodi ius & potestatē condendi leges trāstulit in imperatorem. Vnde & in principio Romani Imperii, & per multa tempora post, Imperator elegit consortem Imperii vel successorem. Sic igitur Imperator habuit ius eligendi, vel alteri committendi ius eligendi, quando ipsemet non eligeret. Si autem Imperatore mortuo, & non substituto per ipsum Imperatore, cum nulli vel nullis commisisset in spirituali ius Imperatorē eligendi, populus Romanus vel exercitus Romanus tanquam caput totius Imperii, haberet ius eligendi Imperatorem, qui non solum posset tunc eligere Imperatorem, sed etiam aliis vices suas committere. Quam commissionem Romanorū potest Imperator electus tunc approbare & cōfirmare, & illi tanquam repræsentantes vniuersitatem mortalium habent ius eligendi Imperatorē, quando Imperator nullū elegit. Imperator insuper hanc habet potestatem, vt possit diuidere imperium, non quidem separando vnam partem ab Imperio, vt non subsit imperio vel Imperatori: sed potest diuidere Imperium in illam partem Imperii: quæ immediate subiecta est Imperatori, & quæ deputata est Imperatori ad onera Imperii sustinenda, vt aliqua pars illius partis non Imperatori, sed alicui inferiori Imperatore sit immediate subiecta, & Imperatori solummodo mediate: ita quod talis diuisio non redundet in detrimentum enorme Imperii. Et sicut potest tali modo diuidere Imperium, ita potest terras & regna, quæ ex casu desinunt habere iustum regem & dominum, applicare & adiungere Imperio, hoc est illi parti Imperii, quæ deputata est Imperatori ad onera communia Imperii perferenda: qui etiā posset regna, terras & prouincias, quæ & quas habuit iuste antequam esset Imperator, adiungere & applicare tali modo Imperio. Pro illis omnibus & singulis posset allegari multipliciter, sed causa breuitatis transeo. Iuxta ista dicitur, quod ista, quæ narrant capitula chronicæ & historiæ, quas sæpe dictus Doctor allegat, vera sunt. Sed dicitur, quod quædam eorum possunt male intelligi. Verū enim est, quod Carolus Magnus reliquit regnum & Imperiū Ludouico filio suo, sed non virtute consuetudinis Regnorum occidentaliū, quæ per generis successionem debentur: sed virtute potestatis Imperialis, qua potuit sibi successorem suum eligere, vel consortem Imperii: qua potestate Italiam separauit ab aliis partibus, quas deputauit Imperatoribus pro oneribus Imperii perferendis: ita tamē ꝙ Imperatori nō immediate, sed mediate esset subiecta. Vnde quia Carolus Magnus tunc volens ex iusta causa habere pacem cū Græcis, qui occupabant terras plures & fere omnes quæ erant subiectæ immediate Imperatorib. successoribus suis, terras omnes præter Italiā, quas habuit, cū esset Imperator, subiecit immediate Imperatori pro oneribus Imperii perferendis. Imo illæ terræ & prouinciæ nō erant de regno Francorū pro tunc: sed de regno seu Imperio Romanorum, licet quædā pars illarum terrarum postea per Imperatorem habentem Imperialē potestatem eandem, quam habuit Carolus

Magnus

magnus facta fuerit regnum per se vocatum Lothariense,& quædam pars alia fuit vocata regnum Germaniæ,quemadmodum Boemia quam tenuit Carolus magnus, quæ tunc non erat regnum per se,modo est regnum per se. Et sicut illa facta fuerunt de terris ĩmediate subiectis imperatori: ita nunc consimilia fieri possent ex causa de terris ĩmediate subiectis imperatori.Et de his,quę desinunt habere dominos proprios ĩmediatos,dummodo non essent in detrimentum enorme imperii:sed de terris immediate subiectis imperio,quæ habent dominos immediatos alios,non posset hoc facere imperator, nisi pro culpa vel ex causa rationabili apparenti propter bonum commune posset priuare dominos terris huiusmodi.quia quamuis omnia sint imperatoris, tanquam supremi domini, tamen non omnia sunt imperatoris isto modo, quo bona serui sunt domini. quia subiecti imperatori non sunt serui imperatoris,sed sunt liberi;propter vtilitatem & commodum etiam principatus imperialis, si est vere regalis principaliter institutus. Sicut autem filius Caroli magni successit Carolo magno in imperio non virtute consuetudinis regnorum occidentalium,quæ iure successionis debetur,sed per electionem Caroli magni,qui specialiter filium elegit in imperatorem,& constituit eum imperatorem:ita etiam filius illius eodem modo successit illi, & omnes filii imperatorum siue primogeniti siue alii, qui patribus in imperio successerunt, non successerunt iure primogenituræ vel iure successionis. vnde & aliquando non habuerunt terras,quas habuerunt patres:sed successerunt tanquam electi à patribus suis vel aliis,qui nõ eligentibus patribus imperatoribus habebant ius & potestatem eligendi.Et propter id verum est, quod dicunt historiæ & chronicæ, quod licet aliquando Italia fuerit separata à Germania,tamẽ postea fuit sibi vnita, non tamen sic quod Italia accederet tanquam regnum accessorium principali respectu alterius;sed vniebatur sic,quod vtrunq; accedebat vrbi Romanæ tanquã capiti;quia ipsa erat caput mundi. In cuius signum imperator nõ vocatur communiter imperator Germanorum vel Italorum, sed Romanorũ. Si igitur aliquando inuenitur,quod filius successit in imperio patri suo iure hereditario, non debet sic intelligi, quod filius habuit ius vendicandi imperium absq; electione speciali patris, quã specialiter constitueretur imperator,quemadmodum in regnis & principatibus pluribus ac dominiis filius patri etiam de bonis suis specialiter ordinanti succedit. Sed propter hoc diceretur filius iure hereditario succedere patri,quod pater eligendo filium ad imperium,& constituendo eum imperatorem & successorem suum, quodammodo ipsum specialiter heredem suum instituit dãdo scilicet sibi in imperio ius,quod habet.Quod enim sic constitutus imperator ab imperatore potest vocari heres imperatoris, quamuis nihil iuris penitus haberet in imperio,nisi specialiter eligeretur & constitueretur imperator per imperatorẽ, probatur per hoc,quod heres nihil penitus haberet in imperio iuris aliunde,quam successio in vniuersum ius,quod defunctus habuit.*ff.de re.iuris.nihil.* Vnde illo modo quilibet imperator à quocunq; vel à quibuscunq; eligatur,posset dici heres imperatoris defuncti,cum succedat in vniuersum ius, quod defunctus habuit.Et illo modo legitur in chronicis Otthonis Frigisen. quod *Iulius Cesar Octauianum nepotem suum adoptauit in filium,& nomen suum ferre iussit.*

CAP. IV.

Secundum opinionem ca. tertio recitatam dat solutionem ad principalem quæstionem,& similiter ostendit, vter præstantiorem conditionem habeat, an electus in regem, an hereditarie succedens.

VIso, quomodo opinio recitata superius *ca.præcedenti* propter motiua ante dicti doctoris,sicut & propter quædam alia,quorum aliqua hic reticentur,non solum tẽ, quod electus in regem seu imperatorem Romanum à principibus electoribus potest ex ipsa electione statim nomen regis assumere,& iura ac bona regni & imperii in Italia & in aliis prouinciis eiusdem regni,quæ erant subiectæ Carolo magno, ante coronationem imperialem administrare: sed etiam tẽ,quod potest statim nomen regis assumere,nisi forte sit solummodo propter aliquod scandalum euitandum, ac iura & bona totius imperii in Italia,Græcia,Francia,India,aliisq; prouinciis Romani imperii modo competenti subiectis imperiali potestati mediate vel immediate de iure administrare.propter quod pronunciationem præscriptam principum Germaniæ arbitrantur consonam veritati. Videndum est, quomodo ista opinio respondet ad formam propositæ quæstionis.dicitur igitur,quod canonica electio principum electorum ex natura rei electionis,quę est ordinata,quis minus rationabiliter posset alia ordinari,dat electo in regem Romanorum in terris & prouinciis; quæ tempore electionis sunt immediate subiectæ imperio, quæcunq; sint illæ, quantum dat legitima successio regi hereditarie succedenti, præsertim si regnum regis hereditarie succedentis non plus suo modo deficiat ab optimo modo monarchiæ regalis,vel ei plus appropinquet quam regnum regis per electionem succedentis, puta si subiecti huiusmodi regis hereditarie succedentis sint serui eius,vel magis appropinquent conditioni seruili,quam subiecti imperio, qui illo mõ sunt liberi, quo subiecti optimo modo monarchiæ regalis sunt facti liberi: vel minus appropinquent conditioni seruili, quam subiecti huiusmodi regis: tunc canonica electio principum electorum, quantum ad aliquid, daret minus electo in regem Romanorum, quam legitima successio regi hereditario succedenti,imo quantum ad aliquid daret sibi minus, quã dat legitima suc-

cessio militi vel alicui habenti seruos puros hereditario iure. quia plus potest in multis despotes seu dominus super seruos; quia quicquid acquirũt, domino suo acquirunt; & dominus pro libito suo potest eos de iure dare vendere & legare modisq; aliis alienare; ꝙ non posset imperator super sibi subiectos: si quidem imperium continetur sub optimo modo monarchiæ regalis, & optimi principatus natura, qui in hoc consistit, quod est constitutus propter commune bonum subiectorum, & non propter vtilitatem & gloriam principantis, nisi forte ex continenti & secundario. & imo quanto subiecti gaudent maiori libertate, quæ non est corruptio tranquillitatis & pacis, nec repugnat bono communi subiectorum, tanto principatus est melior & nobilior. vnde imperator vel rex optimo præeminens principatu, qui sit omni alii principatui impermixtus, habet subiectos tam liberos, vt ipsi de iure absq; culpa eorum, nisi causa fuerit manifesta, non possint priuari rebus & libertatibus suis vel iuribus; nec quicquid acquirunt, regi vel imperatori acquirunt, sic vt pro libito suo de iure posset taliter acquisitum accipere & retinere vel dare, cui sibi placuerit: quamuis tamen secundario ex casu multa potest, quæ dominus potest super eos, qui sibi sunt conditione seruili subiecti. veruntamen hoc non obstante, canonica electio principum electorum plus quantum ad aliqua dat electo in regem Romanorum, quam dat legitima successio regi hereditarie succedenti, etiam si regnum Romanorum non sicut aliud regnum contineatur sub optimo modo monarchiæ regalis. & hoc supposito, quod aliud regnum sit subiectum regno seu imperio. quia multæ causæ in regno hereditarie succedentis per appellationem vel alio modo possent deferri ad imperatorem, in quibus imperator seu electus in regem Romanorũ haberet potestatem iudicandi, & non rex hereditarie succedens; sed tales causę in terris immediate subiectis imperio non possent oriri. ita igitur quantum ad potestatem huiusmodi electio canonica principum electorum plus dat electo in regem Romanorum, quam legitima successio regi hereditarie succedenti, propter hoc, quod rex Romanorum non habet superiorem, & rex hereditarie succedens habet superiorem super se. quantum vero ad terras, quæ sunt immediate subiectæ imperatori, electio in regem canonica electorum principum, quantum ad aliquid minus dat electo in regem Romanorum, quã legitima successio regi hereditarie succedenti, & q̃tũ ad aliquid dat sibi plus. minus. n. sibi dat, quantum ad administrationem bonorum & iurium aliarum terrarum, quę cõsistunt in recipiendis fructibus earum, in instituendis iudicib. officialibus, in eisdem conferendis, & aliis pluribus ad iurisdictionem & principatum regalem & inferiorem spectantibus. quãtum ad aliquid plus dat electio canonica principum electo in regem Romanorum, quã dat legitima successio regi hereditarie succedenti, cum dictum sit, quod imperator seu electus in regem Romanorum habet potestatem diffiniendi causas in ipso regno regis hereditarie succedentis: quia non potest diffinire ipse rex hereditarie succedens. potest etiam electus in regem Romanorum quosdam actus reseruatos imperatori exercere in terris non sibi immediate subiectis, quos non potest exercere rex hereditarie succedens, nisi ex concessione imperatoris vel consuetudine collata ab imperatore; quare quantum ad huiusmodi actus reseruatos imperatori, ipsa electio canonica plus dat electo in regem Romanorum, quam dat legitima successio regi hereditarie succedenti.

Cap. V.

Ponit solutiones ad probationes pósitas primo ca. pro prima opinione, quoad vtrunque modum ponendi. deinde recitat errores in extrauagantibus Io. 22. positos.

His opinionib. recitatis, secundum eas respondendum est ad allegationes, quæ contra eas militare videntur. Primo autẽ videndum est, quomodo per istam opinionem respondetur ad ea quæ supra *primo cap.* pro prima opinione adducta sunt. Vnde ad primum, cùm probatur quod non electio, sed confirmatio vel approbatio seu nominatio vel coronatio à Papa habenda dat administrationem electo in regem Romanorum, cùm sit vasallus Papæ & ei iuramentum fidelitatis & homagii præstare teneatur. Respondetur negando assumptum. non enim est vasallus Papæ, nec præstare tenetur huiusmodi iuramẽtum. Quod si præstaret sibi fidelitatis & homagii iuramentum, eo ipso faceret se non imperatorem Romanorum: quia non posset vti eo iure, quo poterant vti antiquitus imperatores Romani, & per cõsequens extunc non deberet reputari successor eorum. Ad secundum, cùm dicitur, imperium est à Papa, negatur: quia sicut à principio nõ fuit ita, & nunc nõ est à Papa, quia idem est nunc ꝙ fuit ab initio. Ad tertium cum dicitur, electus in regem Romanorum nihil petere tenetur à Papa: Respondetur, ꝙ electus nihil tenetur petere à Papa de necessitate: sed tamen tenetur sequi informationes eius consonas fidei Christianæ, & ministrare sibi carnalia necessaria sibi. Ad quartum cum dicitur, quod Papa potest deponere imperatorẽ, dicitur ꝙ nõ potest regulariter deponere Imperatorem: sed si imperator deponẽdus est, hoc est per illos, qui repræsentant populos Romano imperio subiectos, siue sint Romani, siue sint principes electores, siue quicunq; alii. casualiter aũt posset Papa deponere imperatorẽ. deficiẽtib. omnib. aliis, ad quos prius depositio imperatoris spectaret. sed si imperator esset deponẽd⁹, & illi, ad quos ptinet depositio ei⁹, deficerẽt siue per ignorantiam siue per malitiã aut per negligentiã dãnabilem

mobilem, rex quicunque alius habens potestatem temporalem sufficientem in aliquo casu licite ipsum deponeret. Liceret etiam alicui nulla prædito dignitate occidere talem imperatorem in aliquo casu. Non est aũt vniuersaliter sine omni exceptione verũ, quod qui potest aliquẽ deponere de aliqua dignitate, potest sibi eandem restituere. Nam imperator, & similiter Papa, potest seipsum deponere de dignitate imperiali vel papali, & tamen non potest seipsum instituere. Similiter archiepiscopus in causa potest alicui episcopo prælato inferiori auferre prælaturam, quam tamen sibi non potest conferre. Ad quintum, cum accipitur, quod Papa habet plenitudinem potestatis tam in temporalibus quam in spiritualibus; Respondetur negando assumptum, sicut dicunt plures opiniones ex præcedentibus quæstionibus recitatæ. Ad sextum cum dicitur, quod in vniuerso mundo oporteat esse vnum caput, habens potestatem à Papa, cum ipse à solo Deo habeat potestatem; Respondetur, quod regulariter & rationabiliter poneretur vnum supremum caput ad iuste coercendum omnes malefactores. illud tamen caput non debet esse Papa, quia Imperator per potentiam diuinam est exclusus, quia præceptum est, ne regulariter temporalibus negotiis se intromittat, sicut superius multipliciter est probatum, licet casualiter aliis deficientibus se posset huiusmodi negotiis implicare, quando vrgens necessitas vel euidens vtilitas, quæ necessitati valeat comparari, hoc poposcit. quia sicut in corpore naturali vno membro deficiente aliud, si aliquo modo potest, supplet defectum ipsius: qui enim non potest pedibus ambulare, aliter se portat vel voluit se vt potest: & mancus ore, accipit de terra vel alio loco, si potest, cibum necessarium sibi: & qui non potest cultello scindere panem suum, scindit aut diuidit dentibus si potest. Sic in corpore mystico, & in collegio seu vniuersitate, vno deficiente, alius si habet potentiam, supplet defectum eius. vbi autem non sunt milites, rustici pugnant pro patria, si possunt: & deficientibus viris, mulieres, si valeat, patriam & seipsas defendunt. Sic Papa & clerici, deficientibus laicis, se debent secularibus reipublicæ necessariis immiscere, ab aliis tamen, quæ possunt à laicis expediri, abstinere tenentur. Ad septimum cum dicitur, quod Papa habet vtrunq; gladium: dicitur, quod regulariter Papa non habet vtrunque sed tantummodo à Christo gladium spiritualem, saluis iuribus & libertatibus aliorum omnium, quæ & quas absq; culpa & sine causa minime tollere potest. casualiter autem vrgente necessitate vel euidenti vtilitate potest Papa aliquo modo per se vel per alios vti vtroq; gladio. nec mirum, quia ẽt casualiter posset rusticus vti gladio materiali contra imperatorem. regulariter igitur ex ordinatione Christi Papa gladium materialem non habet, sed oportet eum à negociis secularibus abstinere. ita etiam ex ordinatione Christi iura & libertates quorumcunq; non debet diminuere vel turbare, nec etiam de rebus eorum vltra necessitates suas pro victu & vestitu & pro exercendo suo officio vendicare. Sed pro huiusmodi potest & hoc de illis rebus, quas laici voluerunt ad prædicta deputare, dummodo ipsius Papæ necessitatibus satis fit. Omnia autẽ, quæ vltra illa, quæ sibi necessaria sunt, possidet, sc. ciuitates, castra, ãplas possessiones & superabundantes, & iurisdictionem temporalem quamcunq;, sicut & omnem gloriam mundanam, qua Papa nunc rutilat, vel habet ex largitate imperatorum, regum vel aliorum fidelium, vel sibi tyrannice & damnabiliter cõtra Deum & rationem ac bonos mores vsurpat. vñ in his, quæ licite possidet, non Petro sed Constantino & aliis imperatoribus ac regibus & aliis fidelib. qui Papæ hæc contulerunt, succedit: non tñ sic succedit eis vt tanquam plenum ius in reb. & iuribus sibi datis possideat, sicut illi qui dederũt. quia res supra has virtutes ex pura largitate fideliũ sibi concessas tenetur de necessitate salutis ad intentionẽ dantiũ dispensare. Et si dispensauerit aliter, cõmittendo furtũ imo peculatũ, si habet vñ, ad restitutionẽ tenetur.

Hæc & quamplura alia ad materiam istam spectantia videntur manifeste probari per beatũ Bernard. qui li. de conside. ad Eugenium Papam ait: *In criminibus non in possessionibus est potestas vestra propter illa siquidem & non propter has accepistis claues regni cælorum.* Et in eodem ait: *quid tibi aliud dimisit Petrus nisi, quod habeo, inquit, hoc tibi do. Quid illud fuit scio: non est aurum & argentum: cum ipse dicat aurum & argentum non est mihi. Esto vt alia quacunq; ratione hoc tibi vendices sed non apostolico iure. Nec .n. ille dare tibi potuit, quod non habuit. dedit sollicitudinem super ecclesias, nunquid dominationem? Audi ipsum: Nõ dominãtes ait in clero sed forma facti gregis ex animo. Et ne putes hoc dictum sola humilitate, non in veritate: lex est Domini in euangelio: Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent, benefici vocantur: vos autem non sic. Planum est igitur, quod apostolis interdixit dominationem eorum: quõ ergo tu vsurpare audes aut dominatus apostolatum aut apostolatus dominatum? planum est, quod ab vtroq; simul prohiberis. si vtrunq; simul habere voles, perdes vtrunq;. alioquin non te exceptũ illorũ numero putes, de quibus conqueritur Deus: Ipsi regnauerunt & nõ ex me: principes extiterunt, & ego non cognoui eos. si interdictum habemus: audiamus edictum: Qui maior est vestrũ fiat sicut minor & qui præcessor est sicut qui ministrat. Forma apostolica hoc est dominatio interdicitur, conceditur administratio.* Item in eodem ait: *Erras si vt supremam, ita & solam institutam à Deo vestram apostolicam potestatem existimas. si hoc sentis dissentis ab eo qui ait: Non est potestas nisi à Deo. ad Rom. 13. quod sequitur: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Deniq; idẽ ait: Omnis anima potestatib sublimiorib subdita est, nõ ait, sublimiori, tanquã in vno, sed sublimiorib. tanquã in multis.* Itẽ in eodẽ ait: *Nõ monstrabunt puto, qui hoc dicunt, vbi quispiã apostolorũ iudex sedit hominum.* Et infra: *Stetisse deniq; lego apostolos iudicãdos: sedisse iudicãtes non lego.* Itẽ in eodem ait: *Quis mihi det vt videã ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis, quando apostoli laxabãt retia sua in capturam non auri: sed in capturam animarũ. Quis mihi det vt audiã vocem tuam, vocem illam virtutis: pecunia tua tecum sit in perditionem.* Item in eodem sic ait: *Abiectus eram de domo Dei mei: quale est hoc de paupere & abiecto, leuor super gentes & reges, & ita sicut & propheta cũ similiter leuaretur audiuit, vt euellas &*

destruas, & dißipes, & edifices & plantes: qua horũ fastũ sonant? rusticã magis vitã sonant, in quib. labor spiritualis expressus est. Et nos igitur, vt multum sentiamus de nobis: impositum sentiamus ministerium non dominium datum. Et ita disce sarculo opus esse modo suscepto vt opus facias prophetæ. Item in eodem ait: *Non es tamen ille, de quo propheta: Et omnis terra possessio eius. Christus est qui possessiones sibi vendicat, & hoc iure creationis & merito redemptionis & merito patris, cui alteri dictum est: Postula à me & dabo tibi gentes, &c. An possessionem & dominium concedere habuit vt curam illius habeas? Pars tua hæc vltima: ne extendas manum tuam vt præsis, sed procura vt seruias & prouideas: præsis vt prosis vt fidelis seruus & prudens quem constituit dominus super familiam suam. Ad hoc enim prælatus es vt dispenses non vt imperes. Hoc fac & dominari ne affectes omnibus hominibus, vt non dominetur homo cum omni iniustitia, ergo si te cognoscis debitorem, non dominatorem putandum summopere est.* Ex his verbis B. Bernardi aliisq; compluribus eiusdem, quæ ex auctoribus noui testamenti dictisque sanctorum colliguntur: quidam credunt, quod omnino erroneum est dicere, quod Papa ex ordinatione Christi regulariter habeat vtrumq; gladium, & quod habet plenitudinem potestatis tam in temporalibus quam in spiritualibus, vt omnia possit, quæ non sunt contra ius diuinum, & omnes obliget orthodoxos. Quorum quidam ex eis conantur concludere, quod Papa ex ordinatione Christi nullam habet potestatem coactiuam omnino. alii autem hoc non concedunt; sed ex scripturis diuinis & auctoribus sanctorum & sacris canonibus credunt se demonstratiue colligere, quod Papa ex ordinatione Christi habet principatum principaliter institutum propter vtilitatem & commodum subiectorum, saluis iuribus & libertatibus aliorum, vt apostolicus principatus principatus mundanos præcellat in duobus. primo quia spiritualia administrat non temporalia, nisi casualiter & ex necessitate. Secundo quia apostolicus principatus institutus à Christo quantum ad hoc institutus est propter vtilitatem & profectum subiectorum excluso omni principatu despotico, & qui non est optimus, nec est omnino impermixtus. Et sic de illo principatu dominatiuo, qui vocabulo sumpto ex idiomate græco vocatur *despoticus*, nihil penitus habeat. Et hoc voluit (secundum istos) Bern. dicens: *forma apostolica hæc est. dominatio interdicitur, &c.* Item, *nobis sentiamus ministerium non dominium datum*. Et quando dicit, *dominari ne affectes omnibus hominibus*. sed & sic intelligenda sunt secundum illos verba B. Petri. *non dominantes in clero*. verũtamen ne istos damnare oporeat omnes summos pontifices, qui multum de principatu despotico habuerunt, nec omnem principatum despoticum abdicauerunt: quia in hoc B. Petrum & quosdam alios principales nequaquam imitati fuerunt: Dicunt, quod verba B. Bern. prædicta, & similia tam ipsius quam aliorum patrum, sicut & verba scripturæ diuinæ, in quibus fundantur, sane debeant intelligi, vt scilicet Christus instituerit prædictum apostolicum statum & principatum, vt summi pontifices, qui ipso in sua potestate absq; omni permixtione cuiuslibet alterius principatus vellent esse contenti, laudem & gloriam acquirerent singularem, & essent remunerandi in vita btã præmio spirituali: qui autẽ nollent ad hoc nõ essent astricti: & quantum ad illos, qui se ad illud nequaquam voto astrinxerunt, magis est lex consilii quam præcepti: quia quamuis Christus nullum principatum despoticum imposuerit vicario suo, non tamen sibi per præceptum interdixit, sed sub conditione. s. si in hoc eius vellet seruare consilium. Et sic potest intelligi illud verbum B. Bern. *Dominatio interdicitur*, scilicet volentibus sequi consilium Christi & apostolos, qui se sponte inuitauerunt ad dictum consilium imitari Christum.

Secundum istam opinionem respondetur etiam ad motiua adducta superius *ca. primo*, quib. probatur quod electio principum electorum dat electo in regem Romanorũ tãtam potestatem, quantã Papa vult per eam sibi dari, & nõ maiorem. Ad primum, quod consistit in hoc, quod Papa super cũcta regna occidentalia habet eandem potestatem, quam habuit Constantin. magnus super monarchiam totius imperii: Respondetur quod Constantinus non dedit talẽ potestatem Papæ super regna occidentalia, sicut dictum est supra. *q.* 1. *c.* 12. nec etiam dare potuit sibi talem potestatem super occidentalia regna. quamuis enim Imperator posset dare Papæ sicut alteri personæ, potestatem eligendi imperatorem super totum imperium: quamuis etiam imperator possit facere imperatorem deputando sibi imperii administrationem, quamdiu imperator esset, non tamen posset alicui cum successione absque omni noua electione dare aliquam partem imperii, ita vt obtinens eam sit verus imperator. quamuis enim imperator (si non redundaret in detrimentum ĩpii: sed forte esset ad vtilitatẽ ĩpii. quia sic habetur in *auth. vt iudi. sine quoquo suffragio colla* 2. imperium abundabit vtens subiectis locupletib. sic per similem rationem imperium est potens vtens subiectis potentib.) posset dare alicui personæ pro se & filiis suis aliquod regnum, etiã immediate subiectum imperio, non tamen posset ordinare, quod talis rex cum successione generis sui teneret imperium: quia hoc optimo mõ ꝓuidendi ĩpio. s. per electionem, repugnaret. Ad secundum motiuum ibidẽ adductum dicitur, quod Papa non deposuit regem Francorũ, nec aliũ eidẽ substituit potestate cõcessa sibi à Christo, sed vel hoc non fecit, vel fecit potestate sibi cõcessa à Francis. Papa. n. non absoluit Francos à iuramẽto prẽstito fidelitatis Hilderico regi; sed declarauit & indicauit eis, quia forte de hoc dubitabant, quod illi iuramento post depositionem regis non erant astricti. Ad tertium respondetur ꝙ proprie loquendo non dedit nec concessit Othoni potestatem eligendi sibi successorem in Italia: sic tamen concessit, quod non intendebat eũ super electione hmõi perturbare. Ad quartum dicitur, ꝙ electio alicuius in regẽ romanorum non indiget aliqua confirmatione sicut est supra in diuersis locis ꝓbatũ. Ad qrtũ dupliciter rñdetur. Vno modo, ꝙ Io. 22. intellexit de electione in regẽ romanorũ in discordia, sicut verba ei⁹ videtur prætendere,

tendere. Aliter quidam respondent dicentes, quod processus ille Iohannis. 22. contra Ludouicum de Bauaria non est recipiendus, nec taliter allegandus principaliter propter tria. primo quia factus est ab hæretico manifesto. secundo quia continet intolerabilem errorem. tertio quia non est à suo iudice factus, quia nec etiam, vt dicunt si Iohan. 22. fuisset catholicus & verus papa, ipse non fuisset in illa causa iudex domini Ludouici, licet in quibusdam aliis fuisset iudex eius.

Ad præsens autem tantummodo dicendum vel potius tangendum est breuiter, quare prædicti dicunt Iohan. 22. fuisse hæreticum manifestum. Circa quod sciendum est, quod dicunt ipsum fuisse hæreticum tum propter errores, quos in *decretalibus* suis sub bulla redegit: tum propter errores, quos solummodo publice asseruit & domatizauit, quæ (vt dicunt) ad minus sunt circiter 90. de quibus dicunt aliquos tam ridiculosos esse & tam fantasticos, vt mirentur, quomodo vnquam homo potuit eos opinari. quos tamen dicunt hæreticales propterea, quod sacris literis contradicunt. De assertionibus autem Iohan. prædicti, quas isti dicunt esse erroneas et quas (vt dicunt) ad destruendum introduxit & damnandum regulam fratrum Minorum cum declaratione Nicolai tertii super eam, cuius verba quasi impugnanda ponit in principio primæ suæ *decretalis* de hac materia quæ incipit: *Ad conditorem.* paucas absque improbatione causa breuitatis duxi præsentibus inserendas. Prima itaque assertio hic ponenda, quam putant erroneam, est, quod vsus facti in rebus vsuconsumptibilibus non potest à proprietate & dominio separari. hanc ponit in decretali quæ incipit, *ad conditorem*, in his verbis: *dicere siquidem, quod in talibus rebus vsus iuris vel facti separatus à proprietate rei seu dominio possit constitui, repugnat iuri & obuiat rationi.* Secũda est, quod nec simplex vsus facti, qui est seruitus, nec ius vtendi in talibus rebus potest constitui vel haberi: hanc ponit sub eisdem verbis *in decretali* sua prædicta. Tertia est, quod vti re nihil aliud est, quã percipere rei fructum, quæ potest ex ipsa salua eius substantia prouenire, quam ponit sub his verbis: *Cum enim vti re nihil aliud sit proprie quam fructum rei seu vtilitatem aliquam in solidum vel pro parte recipere, quæ ex causa potest salua substantia prouenire.* restat quod illa re vti quis nequeat, ex qua salua eius substantia nulla sibi prouenire potest vtilitas, quare res vsu consumptibiles esse constant. Quarta est, ꝙ ius vendendi nõ potest in rebus vsuconsumtilibus constitui vel haberi. Quinta est, quod vsus facti in rebus vsuconsumptibilibus haberi non potest. quia nullus talis actus haberi potest. hanc ponit in eadem decretali sub his verbis. *Præterea quod simplex vsus rei sine iure vtendi à proprietate seu dominio separatus in rebus vsuconsumptibilibus haberi nequeat.* sic probatur: si enim haberi possit vsus talis, aut ante ipsum actum, aut in ipso actu, aut post completum actũ huius haberetur. Quod autem hoc nequeat fieri, ex hoc patet: quia quod non est, haberi nequaquam potest. patet autem, quod actus ille, antequam exerceatur vel postquam factus est, in rerum natura non est. ex quo sequitur, quod haberi minime potest. licet enim ante actum ipsum quis facultatem habeat ipsum exercendi, post hoc tamen actus ipse in rerum natura, nisi in potentia, non existit. cum enim actus est in fieri, nec adhuc est in rerum natura, quod rem perfectam significat, quamdiu est in fieri, non potest actu conuenire. quod enim de actu, quæ est in fieri, præteriit, iam non est. quod autem fit, instantaneum seu momentaneum est, & tale quid haberi non potest nisi pro momento quodam magis intelligitur quam sensu percipi potest adhuc post actum completum: licet (si ex facto ipso producta res alia fuit, res ipsa facta haberi valeat) factum tamen ipsum, quod iam transit, non habetur. Sexta est, quod hæreticum est dicere, quod scripturæ diuinæ contrarium est, Christum & apostolos non habuisse in rebus, quas habebant, ius vtendi, vendendi, donandi & ex ipsis alia acquirendi. Septima est, quod actus vtendi est iniustus, nisi vtens habeat ius vtendi, vendendi, donandi, & ex ipsis alia acquirẽdi. & has duas ponit in decretali sua, *Cũ inter nonnullos:* sub his verbis: *pertinaciter affirmare quod redemptori nostro prædicto eiusque apostolis in his quæ eos habuisse sacra scriptura testatur nequaquam ius vendendi competierit: nec ipsi illa vendendi seu donandi ius habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, quæ tamen ipsos de præmissis fecisse sacra scriptura testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expresse, cum talis assertio ipsorum vsum & gesta euidenter includit in præmissis non iusta. quæ vtique de vsu gestis seu factis redemptoris nostri Dei & bonis sentire nephas est, & scripturæ sacræ contrarium, & doctrinæ catholicæ inimicum: assertionem ipsam pertinacem censendam merito & hæreticam censemus de fratrum eorundum concilio deinceps erroneam declaramus.* Octaua est, quod *ordo fratrum Minorum* (ratione consimili, vt isti dicunt, orthodoxa ecclesia tam vniuersalis quam particularis, ac quæcunque communitas, vniuersitas, multitudo aut collegium) *non potest aliquem actum realem habere vel exercere.* Nona est, quod quia persona imaginaria repræsentata potest habere ius vtendi, sed non facti vsum: ideo est, quod ordo fratrum Minorum, & ratione consimili orthodoxa ecclesia, & omnis persona imaginaria est repræsentata & imaginaria. huiusmodi assertiones ponit in decretali sua, Quia *quorundam*, edita contra appellationem domini Ludouici de Bauaria supradicti dicens sic: *cum enim dicatur in decretalibus supradictis quod ordo vsum rerum habebat præmissarum, ad vsum iuris necesse est hoc referri: facta siquidem, quæ singulorum sunt, personam exigunt veram & requirunt. Ordo autem vera persona non est: sed repræsentata & imaginaria potius est censenda. quare quæ facti sunt sibi conuenire nequeunt, licet eis possunt congruere quæ sunt iuris.*

Decima est, quod habere ius proprietatis & dominii seu aliqua in communi quomodo habet aliqua communitas specialis, quæ est solummodo pars totius congregationis fidelium, non diminuit de altissima paupertate. Vndecima est, quod regulæ & statuto fratrum Minorum non repugnet nec obstat habere aliquid in communi proprium sibi. Duodecima est quod non

bene dixit Innocen. 5. dicendo, altissimam paupertatem esse, quæ nihil habet in hoc mundo nec in proprio nec in communi. has tres assertiones ponit in decretali prædicta, *Quia quorundam*, in hęc verba *Nec hoc* (scilicet habere in cōmuni) *et quoad proprietatem aliquam derogat iuxta dictum Greg. 9. prædicti altissimæ paupertati, quæ in quadam suâ decretali dicitur expresse. extra de excess. præla. c. nimis praua. Prædicatores & Minores in altissima paupertate Christo famulari: & tamen constat ipsos Prædicatores habere in communi quoad proprietatem aliqua eorum regulæ & statuto non repugnat. Et ita non obstat, quod dicunt Inno. 5. prædecessorem nostrum dixisse, altam paupertatem esse habere pauca propria propter Deum: altiorem, quæ nulla habet propria, tamen habet in communi: altissimam quæ nihil habet in hoc mundo nec in communi nec in proprio. dicimus enim quod hoc dixerit non vt Papa sed vt Petrus de Tarentasia in quadam postilla sua. quare dicta præmissorum pontificum sunt præferenda.* Decima tertia est, quod domus, agri & quæcunque immobilia, quæ credentes, de quibus *Act. 2. & 4.* fit mentio, in speciali vendebant pro fidelibus sustentandis, priusquam vendebantur fuerunt effecta totius communitatis credentium iure proprietatis seu dominii, quod possessores eorum in eis habebant. hanc ponit in decretali sua, quæ incipit: *Quia vir reprobus*, sub his verbis: *Illis* (scilicet credentibus) *omnia quæ possidebant erant communia inter eos, & quod communia quoad dominium seu proprietatem intelligi debeant ex eo patet, quod illud, quod prius ante conuersionem eorum ipsis fuerat proprium postquam credentes facti sunt, fuit inter eos communicatum. Constat autem quod illa, quæ possidebant ante conuersionem, erant illis, quantum ad dominium propria. aliter enim illa communicare non poterant. quare sequitur, quod fuerunt quo ad proprietatem seu dominiū inter eos communicata. quia de rebus non consumptibilibus scriptura prædicta Act. 4. aperte dicit, nisi violentia sibi fiat. cum n. dixisset: Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid esse suum dicebat, sed erant eis omnia communia. Ex quo sequitur quod nec quisquam egens erat inter ipsos: & huiusmodi volens reddere rationem subdit: Quotquot enim erant possessores agrorum aut domorum vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant & ponebant ante pedes apostolorum. Cum igitur prius dicit, quod inter credentes erant omnia communia, & post subiungit quod agri vendebantur & domus, euidenter apparet, quod illa communia, antequam venderentur, erant effecta.*

Aliter enim sequeretur, quod remansissent eorum, quorum prius fuerunt, propria. & per consequens, quod ipsi post illorum venditionem remansissent proprietarii, cuius tamen contrarium dicit sacra scriptura prædicta cū dicit: nec quisquam eorū quæ possidebat aliquid suum esse dicebat. Decimaquarta est, quod apostoli post missionem sancti Spiritus pro aliquo tempore habuerunt prædia in Iudæa quoad dominiū seu proprietatem in communi: & quod licuit eis postea habere & retinere proprietatem agrorum seu prædiorum. Hanc ponit in decretali prædicta sub his verbis: *Si quæratur, quare agros apostoli non tenebant & domus in Iudæa, sed potius venditis illis habebant pretia in communi: Respondet Melchiades PP. ad hoc dicens, futuram id est transituram ecclesiam ad gentes apostoli præuidebant. idcirco prædia in Iudæa minime sunt adepti.*

Et si dicatur, quod Melchiades videtur supponere, quod credentes etiam ante venditionem prædiorum illa nequaquam habuerunt in communi: cū dicat, quod illa in Iudæa minime sunt adepti. Dicimus, quod Melchiades pro tanto dicit apostolos in Iudæa non esse adeptos prædia, quia non adepti fuerunt illa, vt ea sibi intenderent retinere. & ideo, quia non retinebant, non videbantur ea fuisse adepti: cum is qui rem adipiscitur vt eam incontinenti abdicare debeat adeptus proprie non dicatur. Ex prædictis patet quod apostolis fuit licitum in Iudæa, si voluissent, prædia retinere: nec voto compulsi sunt, quia illa non retinuerunt, sed voluntate propria quia se non contracturos morā sed transituros præuidebant ad gentes. Decimaquinta est, quod B. Petrus & apostoli post missionem Spiritus sancti fuerunt proprietarii, habentes in speciali proprietatem seu dominium pecuniarum & aliarum rerum. hanc ponit in decretali prædicta sub his verbis: *videtur etiam quod probabiliter possit dici, quod post distributionem bonorum vsu consumptibilium quæ fiebat inter apostolos & credentes, vt dicitur act. 2. & 4. c. quilibet portionis sibi assignatæ proprietarius & dominus posset dici: cū hoc scriptura actuum videtur expresse supponere, cum dicit. Nec quisquam egens erat inter illos, & quare hoc, reddit rationem dicens: Quotquot enim possessores agrorum & domorum erant vendentes afferebant pretia eorum & ponebant ante pedes apostolorum. diuidebant autem singulis prout cuique opus esset. Cum igitur daretur ab illis qui dare poterant, scilicet apostolis: & illis, qui recipere poterant ea quæ ad vitæ humanæ sustentationem pertinebant, videtur quod quilibet fuerit dominus eius portionis, quæ sibi fuerat assignata. aliter non videtur verum quod dicitur, quod egentes non essent, nisi post diuisionem haberent proprietatē in assignata sibi portione:* Præterea constat, ꝙ vestimenta quotidiana inter res vsu consumptibiles computātur per conclusionem nunc prædictam, in qua fit mentio in dict. c. act. 4. Item in actibus legitur quod angelus Petro dixit: præcingere & calcia te caligas tuas. Item dixit ei: circumda tibi vestimentum tuum &c. vbi clare supponit angelus, ꝙ caligæ & vestimentum assignata Petro propria quo ad dominiū erant Petri. Quare pecunia, panis, vinum, & res aliæ consumptibiles diuisim pro vitæ sustentatione assignatæ simpliciter eius essent.

Decima sexta est quod voluntas viuendi sine proprio non se extendit ad illa, quibus necessario indiget vita humana. hanc ponit sub eisdem verbis in decretali prædicta. Decimaseptima, quod Christus, in quantum homo, viator passibilis & mortalis, non solum paucarū & paruarum & vilium rerum in speciali dominium habuit seu proprietatem, sed etiam in speciali regni temporalis & vtiliter omnium temporalium rerum.

Decimaoctaua est, quod Christus fuit Dominus omnium rerum temporalium, in quantum crucifixus. Decimanona est quod Christi regnum est vtile dominium, dominus

nus enim ille fuit inquantum Deus ab æterno, eo ipso quod Deus pater genuit ipsum inquantum homo ex tempore, scilicet ab instanti conceptionis, scilicet ex Dei dono. Vigesima est, quod Christus nihilominus habuit dominium aliquarum rerum non ab instanti suæ conceptionis, sed postea successiue modis aliis, vtpote ex collatione fidelium & emptione acquisitarum. Vigesimaprima est, quod Christus non potuit renunciare regno ac dominio rerum temporalium: quia si hoc fecisset, contra ordinationem patris fecisset. Vigesima secunda est, quod non carentia dominii fecit Christum egenum & pauperem, sed potius carentia fructus & obuentionis rerum quarum dominus erat. Vigesimatertia erat, quod nudum dominium separatum in perpetuum ab omni perceptione commodi rerum habentem non fecit diuitem. Vigesimaquarta est, quod dominium omnium temporalium ab omni perceptione cōmodi temporalis in perpetuum separatum est inutile reputandum. Vigesimaquinta est, quod Christus, quo ad perceptionem fructuum regni & temporalium rerum in quibusdam palam gessit se pro rege & domino. Has assertiones, quarum aliquas dicunt prædicti inter se repugnare, dicit Iohannes 22. in decre. prædicta. *Quia vir*, in hæc verba: *Secundo quæritur, vtrum Christus alicuius rei temporalis habuit dominium & quale. Quod autem dominium rerum temporalium habuit, sacra scriptura tam in veteri testamento quam in nouo multis locis testatur. multi quidem eum regem futurum populi Israelitici: & per consequens habere regni dominium prophetarunt, dicentes: Ecce dominus iudex noster, ipse veniet & saluabit nos, & ita cum Pilatus interrogaret, vtrum esset rex Iudæorum, respondit, regnum meum non est hinc. non dicit: non est hic, sed dicit, non est hinc, quasi dicat, regnum meum a mundo non habeo, sed nec habebat, imo à Deo, sicut angelus eius genitrici prædixerat dicens Luc. 1. Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius. & ita cum rex & dominus fuerit factus, inquantum crucifixus: & crucifixus fuit, inquantum homo, sequitur, quod regnum & dominium, inquantum homini, Deus sibi concessit: & ita iuxta præmissa patet, quod regnum & vtile dominium habuit dominus Iesus, inquantum Deus ab æterno, eo ipso quod Deus pater genuit, similiter inquantum homo ex tempore, scilicet ab instanti suæ conceptionis ex Dei dono, & nihilominus habuit dominium aliquarum rerum temporalium non ab instanti conceptionis, sed postea successiue modis aliis, vtpote ex oblatione fidelium vel emptione acquisitarum, & ita cum ex his euidenter appareat, ipsum regno & dominio non renunciasse prædictis, imo videtur quod non potuisset renunciare, & fecisset contra ordinationem patris, dicendum est, quod non carentia dominii fecit eum pauperem & egenum, sed potius carentia perceptionis fructus & obuentionis rerum, quarum erat dominus. Nudum enim dominium separatum in perpetuum ab omni perceptione commodi rerum, habentem non fecit diuitem: cum sit inutile reputandum. vnde habens tale dominium potest egenus & pauper merito reputari. Et ita Christus rex regum & dominus dominantium, quo ad perceptionem fructus regni & rerum temporalium, nisi in valde paucis pro rege & domino se non gessit. propter quod merito pauper dici potuit voluntarius & egenus, non propter dominii carentiam siue regni, sed propterea quia se fructibus rerum & prouentibus non intromittebat.* Vigesimasexta assertio est, quod Christus non aliam legem viuendi dedit apostolis, quam quibuscunque aliis discipulis suis siue viris siue mulieribus. Hanc ponit in decretali prædicta in hac verba: *De discipulis autem constat, quod habuerint aliqua temporalia. de Ioseph ab Arimathia legitur Iohannis 19. quod erat discipulus Iesu. Matth. autem 27. dicitur, quod erat diues homo & discipulus Iesu. Item constat quod Symon leprosus erat discipulus Iesu, & tamen legitur Matth. 27. quod Iesus erat in Bethania in domo eius. Item Lazarus, Martha & Maria Magdalena, qui erant discipuli eius, habebant multa bona. vnde de eis legitur Iohan. 11. quod castrum dictum Bethania erat Mariæ Magdalenæ, & Marthæ: & quod in Bethania fecerunt sibi magnam cœnam, in qua Martha ministrabat: Lazarus autē erat vnus de discumbentibus cum eo: Maria vero accepit libram vnguenti nardi pistici, & vnxit pedes Iesu, & tersit capillis suis pedes eius. Thabita autem, quæ interpretatur Dorchas, quam Petrus suscitauit à mortuis, legitur act. 9. quod erat discipula & plena bonis operibus & elemosynis, quas faciebat illis Dorchas. Ex quibus patet, non obstante, quod ista esset discipula, tamen temporalia habebat, de quibus faciebat elemosynas prædictas. nec reperimus, quod Iesus dominus noster aliam legem viuendi discipulis suis dederit, & aliam apostolis suis: immo beatus Clemens in quadam epistola sua, cuius pars recitatur. 12. quæst. 1. cap. dilectissimis, expresse dicit, quod eadem erat apostolorum & discipulorum vita, dicens. Communis vita omnibus est necessaria, & maxime his, qui vitam apostolorum imitari & eorum discipulorum volunt. nec cum ipsos apostolos ex discipulis fecit, videtur eis indixisse vitam aliam, quam prius habuerunt, sed potestatem aliam eis tribuisse. vnde cum Apostolos eos ordinauit, legitur Matth. 10. sic dixisse: Et conuocatis. 12. discipulis dedit illis potestatem spirituum &c.*

CAP. VI.

Præmissa detestatione eorum, qui Ioan. 22. adhærebant, ponit alios errores ab eo in aliis operibus eius positos.

HÆ assertiones, quas prædicti erroneas arbitrantur, in eiusdem decretalibus continentur, & multæ aliæ, quas non minus erroneas & culpabiles existimant, vt dicunt, quia nunquam viderunt aliquam scripturam assertiue prolatam, neque paganorum, neque hæreticorum, in qua paucæ veritates falsitatibus non essent admixtæ. Reputant enim, quod in omnibus decretalibus supradictis paucissima verba dicentis sunt consona veritati, propter quod mirantur, quod multitudo Christianorum, & maxime virorum literatorum, præcise in iure canonico & theologia, ipsas approbat & confirmat: cum sint tam fantastica & absurda, quam esto quod nō essent contra fidem & bonos mores, vilipendi omnino deberent. Sed beati Pauli sententia nunc locum habet, qui 2. Timoth. 4. ait: *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad desideria sua coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent: ad fabulas autem conuertentur.* Quia vbi de potestate vel etiam de voluntate papæ fit sermo, non curant Christiani scire his diebus, quid Christus docuit, nec quod apostoli senserunt & sancti patres, quamuis ratione manifesta hoc doceretur: sed quod placet papæ, timore vel amore aut cupiditate carnis amplectuntur, & ad fabulas quas somniauerunt, scripturas & prophetias student trahere repugnantes, & sic ad papā transferre videntur honorificentiam creatoris, fidem Christianam contra apostolum in sapientia vel potius voluntate papæ, non voluntate scripturæ ponentes: cum dicant isti se legisse in historiis & chronicis fide dignis circiter 28. à tempore beati Siluestri sedem apostolicam occupasse, qui non solum dicunt Iohannem 22. in prædictis errasse contra fidem & bonos mores, sed etiam dicunt ipsum inter hæreticos computandum, licet aliquis alius posset ea erronea opinari absque hoc quod esset hæreticus iudicandus: pro eo quod ea sub bulla redigendo & per totam Christianitatem promulgando conatus est cogere præceptis & minis vniuersos Christianos ad ipsa pertinaciter defendenda, sic errori suo pertinaciam adiungendo & cum eis non errorem tantummodo sed etiam prauitatem hæreticam incurrendo. Præter autem istas assertiones, quas Iohannes 22. in suis decretalibus affirmauit, quas isti censent erroneas, dicunt isti ipsum alios prædicasse errores, propter quos etiam hæreticus est iudicandus. Quorum primus est (vt dicunt) quod animæ sanctorum in cœlo non vident nec videbunt diuinam essentiam vsque ad diem iudicii generalis. Secundus est, quod animæ damnatorum nec sunt nec erunt in inferno, nec cruciabuntur pœna æterna vsq; ad diem iudicii. Tertius est quod dæmones non puniũtur nec punientur ante diem iudicii. Quartus est, quod Deus de potentia absoluta non potest aliud facere, nec aliter quam facit. Quintus est, quod Christus non regnabit post vltimum iudicium. Propter ista & alia dicunt sæpe isti istum esse inter hæreticos numerandum, nec, vt dicunt, potest excusari de hæretica prauitate, si dicatur quod ista dixit solummodo conferendo & recitando, quia (vt affirmant) si fieret debita inquisitio, inueniretur per testes legitimos & legitima documenta, quod ista dixit asserendo. Nec iterum (vt dicunt) de istis & aliis, quæ in decretalibus suis inseruit, excusari potest per hoc, quod in fine vitæ suæ reuocauit, quicquid male dixisset: tum quia illa reuocatio fuit conditionalis, qualem faceret quilibet hæreticus quantumcunque pertinax, tum quia quamuis fuisset sufficiens reuocatio, & per consequens excusasset eum de hæretica prauitate post præfatam reuocationem, vt ex tunc non fuisset reputandus hæreticus, tamen pro tempore præcedenti dictam reuocationem ipsum nullatenus excusasset: quin dicendus esset hæreticus ante dictam reuocationem. De Iohanne 22. & assertionibus eius sunt hæc dicta, vt literati solerter legentes præsens opusculum diligenter aduertant, an impugnantes decretales prædictas sint hæreticis aggregandi, & an processus illius Ioannis 22. à tempore, quo primo edidit decretalem de prædicta materia, quæ incipit, *ad conditorem*, contra dominum Ludouicum de Bauaria & alios principantes, sunt censendi de iure tenere: & sunt recipiendi vel allegandi, tanquam à vero & catholico papa compositi atque facti.

CAP. VII.

Pauca quæ secundam opinionem positam c. 2. respiciunt, tangit nihil discutiendo.

TEnentes opinionem prædictam non æstimant, quod eos oporteat ad motiua secundæ opinionis adducta supra c. 2. respondere. Nam secundum ipsos motiua pro prima parte eiusdem opinionis secundæ verum concludunt, quod scilicet electus in regem Romanorum potest statim ipsa electione nomen regis assumere, & bona & iura regni & imperii in Italia & in aliis prouinciis, quæ erant subiectæ Carolo magno, ante coronationem imperialem administrare, tamen secundum istam vltimam opinionem, vt patere ex fundamentis motiuorum illorum videtur, potest concludi, quod virtute electionis prædictæ possit electus in regem Romanorum in omnibus terris & prouinciis, quæ ante & post coronationem imperialem erant subiectæ Carolo magno & prædecessoribus eius. Ad motiua pro secunda parte eiusdem, quod scilicet electus in regem Romanorum

manorum non poterit virtute electionis illa statim in aliis terris, quæ non erant subiectæ Carolo magno ante coronationem imperialem, responsum est supra. *q. 3. c. 6.* Responsiones autem pro secunda opinione, ad ea quæ dicta sunt & adducta ab opinione prima & tertia, quæ contra ipsam militare videntur: quia ipsius auctor superstes est, & homo non mediocris scientiæ, decreui ipsius iudicio relinquere. Sufficiens enim est ad suam opinionem contra contrarias defendendam.

CAP. OCTAVVM,

Et vltimum, octauæ & vltimæ quæstionis, respondet rationibus secundo & tertio cap. positis.

PORRO tenentes opinionem primã sunt multi, qui exquisite ad illa, quæ adducta sunt pro opinione secunda & tertia, diuersimode responderent, & forte nullatenus concordarent, proinde aliquas responsiones ad ipsas, quas ipsi vel aliqui ipsorum, vt alii cogitare possunt, breuiter recitabo, quid de ipsis sentiam ad præsens minime exprimendo. Ad primum enim motiuum pro opinione secunda adductum *c. 2.* cum dicit quod quilibet populus carens rege potest sibi regem eligere de iure gentium, ex quo iure regna condita sunt: Forte aliqui responderent, quod hoc intelligitur de populo nõ habente superiorem, ad quem spectat constituere regem super populum, sicut fuit de multis populis, antequam mundus haberet verum dominium, tunc enim pertinebat ad populum super se constituere regem. Sed postquam Papa factus est dominus totius mundi, habẽs plenitudinem potestatis tam in temporalibus quã in spiritualibus, non est verum: quia ex tunc nõ ad populum carentem rege, sed ad Papam pertinuit constituere regem super populum. Ad legem adductam dicent aliqui, quod nulla lex potest derogare plenitudini potestatis papalis. Ad secundum, cum dicit quod tempore successionis generis in regno & imperio filius statim mortuo patre ex ipsa generis successione assumpsit nomen regis, & administrauit bona & iura imperii: Posset aliquis respondere, quod hoc fuit ex permissione Papæ; quia placuit Papæ etiam, quia electio regis & imperatoris quæ fit per principes electores succedit & subrogata est in locum prædictæ successionis generis. si placet Papæ, dat electo administrationem prædictam & potestatem assumendi nomen regis; & si non placet Papæ, non dabit electo administrationem. habet enim ius & naturam illius successionis, cuius natura fuit, quod dedit prædicta, quia placuit Papæ; & si non placuisset, non dedisset. Et quod innuitur, quod successio prædicta dabit illi iuxta consuetudinem regnorum occidentalium, non habet vim, nisi quia scienter toleratur à Papa, quæ quidem consuetudo nihil iuris daret, si ipsam Papa habens plenitudinem potestatis in temporalibus reuocaret. Per prædicta potest responderi ad tertium. Ex his patet, quomodo responderi potest ad illa quæ *c. 3.* pro opinione vltima inducuntur, quia inquantum sunt contra opinionem primam, non aliam difficultatem habere videntur, quam illa, quæ allegata sunt pro opinione secunda, ad quæ responsum est *c. præcedenti.*

Peroratio auctoris.

Hæc breuiter pro exigentia materiæ conferendo, allegando & disputando de prædictis sunt dicta; non vt aliqua certa veritas in dubium reuocetur, sed propter exercitium, vt aliqua habeatur occasio, qualiter valeat veritas confirmari, & falsitas confutari. Quid autem sentiam de prædictis, non expressi; quia hoc (vt puto) nequaquam veritati prodesset; & si crederem, quod veritati quam reputo, non noceret, hoc promere vtique non differrem. Illum autem dominum mihi quamplurimum venerandum, qui hoc opus componere suis precibus me induxit, rogo & obsecro, vt mihi indulgeat, si præscriptas quæstiones ad intentionem suam sim minime prosecutus, quare eas discutiendas voluit, & mihi tradidit, & porrexit. Et si quid inuenerit, ex quo valuerit occasionem indagandi vel intelligendi veritatem accipere, Deo gratias agat; quæ autem confuse, obscure vel aliter inordinate prolata compererit, non malitiæ sed imperitiæ meæ; aut si dignabitur benignius excusare, distractioni mentis vel festinantiæ aut inanimaduertentiæ deputet & ascribat. Et sic finis huius negocii.

Anno Christi 1318.

DIALOGVS MAGISTRI GVILLERMI DE OCKAM DOCTORIS FAMOSISSIMI.

RELIGIOSISSIMO ATQVE DOCTISSIMO VIRO, IOHANNI DE TRITTENHEM, ABBATI Spanhemensi ordinis sancti Benedicti de Obseruantia Bursfeldensi, præsidio suo atq; decori dulcissimo, salutem plurimam dicit

IOANN. BABT. ASCENSIVS.

QVI priscam illam laudatissimam tempestatem, qua literarum studia maximopere floruerunt, cum hac nostra, vir dignissime, cōferre voluerit, haud facile diiudicarit, illa ne huic, an hæc illi plus debere conuincatur. Siquidem vti in illa oppido quā multa & sane egregia literarum volumina excogitata atq; consummata fuere: quorum tamen plurima superioris seculi negligentia aut certe bellorum sæuitia interciderūt: ita in hac nostra præter noua, quæ quotidie excuduntur compluria, vetera (quæ quidem extant) omnia, indelebili quadam diuturnitate donantur. Enimuero ex quo diuina imprimendi facultas inuenta aut (vt verius dicam) in meliorem formam reuocata est, pretiosissima librorum supellex paulo antehac situ victa, & pene (proh Iupiter) è medio mortalium sublata, in pristinum nitorem, cum multa nouitiorum operū fœtura rediit. tantumq; abest, vt boni libri diluuio bellorum obruantur, vt extra omnem temporis edacitatem, incendii obliuionisq; aleam, dum rerum mortalium ornamentum (quem mundum vocamus) persistet, sese in tutū receperint. Quo factum est, vt tanta librorū copia studiosissimo cuiq; nūc paruo medius fidius pretio à bibliopolis vulgo obiiciatur, quantam nemo sexcentos ab hinc annos, ne sperare quidem vel maximo pecuniarum pondere quiuerit. Proinde quandoquidē quæ superiorib. annis propter librorum penuriā etiam summos (vt in illa tempestate) viros latuerunt, nunc iuuenes mediocri ingenio freti perinde ac digitos suos callent. idcirco argutissimi (qui nunc cōplures sunt viri) subtilissima quæq; scripturarū indagantes non cessauerunt quotidiana ferme flagitatione integerrimum & in hac arte solertissimum virum, Magistrum Ioannem Trechsel istinc (de Germania loquor) oriundum, cohortari, immo improbiuscule sollicitare, vt ingeniosissimi viri, Magistri Guilhelmi Ockam Dialogorū *quamprimum impressioni mandaret. quippe in quo eruditionis bonæ & argutiarū nō contemptibiliū immensum pelagus compererint. Scilicet (quod vigilem diligentiam tuā minime fugit) vir ille acri ingenio & incredibili animositate præditus fuit, vt qui ea disertissime & cum summa fiducia disquisiuerit, de quibus alii fere vel modicum mutire piaculum duxerant. Siquidem de inæstimabili & summi pontificis & maximi imperatoris maiestate, quonam vsq; potentiarū sese vtraq; protendit, tanta subtilitate in varias sententias disputauit, vt nescias (si quid nescire possis) doctiusne an cautius illud effecerit. nam ne in hæresim, de qua illi plurimus sermo est, inuidus quispiam incidisse calumnietur: hac via cauit, qua se nihil assertiue, sed omnia disputatiue discussurum protestatus est. multa tamen scitu dignissima non obscura verborum ambage resoluit, vsque adeo, vt neq; eius sententiarum desideratissima volumina, neq; alia multa sine* Dialogi *huius lectione quisquā intellexerit. Qua re perspecta cum docti illi viri vrgentius & sine intermissionibus instarent, cœpit præfatus Trechsel ad imprimendum eum paulatim adduci. Ante tamē (vt vir diligens est) curauit opus ipsum per doctos viros examinari: atq;, vbi compertum est, mutilum & mancum esse, neq; omnes, qui prælibantur, tractatus haberi: territus tantisper pedem retraxit, dum intelligeret industria & dedita opera à prioris impressionis artifice tractatulos aliquot prætermissos. Nam constanter aiebant, quicquid bonæ frugis in toto illius operis non mediocri campo desideretur, in his, quæ vides, iugeribus contentum: in reliquis autem defensiones & accusationes amariores, quam vt vulgo legerentur, conspersas. Neq; vero hanc tam bonam tamq; fructiferam partem propterea cōtemnendam, sed veluti à pictoribus & statuariis, Apellis, Lisippi, Phidiæ, Zeusis, & id genus laudatorum opificum, Veneres, Alexandri, Hercules Iunones, cæteraq; insignia, si qua adhuc extarent, non ideo minus amarentur, quod naso aut crure altero aut brachio aliaue parte manca conspicerentur, sed eo auidius contemplarentur reliquam faciem: Ita sese hanc reliquam* Dialogi *partem non minori affectione complexuros, ac humanitatis studiosi, Liuianas decadas & Plautinas comœdias,*

quam-

quamuis bona pars in illis deperierit, complectutur. His itaq; persuasus iam secundo loco praedictus Iohann. Trechsel. quanta maxima potuit diligentia opus hoc per studiosos & disertos Parisiensis gymnasii viros fideliter castigatum, ac tersissime impressum, cum quaestionum principalium totius operis repertorio ac (vt dicunt) tabula alphabetica praemissis: dignitati tuae, vir excellentissime, destinatum voluit. Cognouit enim cum ex complurium laudatorum hominum testimonio, tum ex nostro (quantulum est) praeconio, vt sis vir optimus, atq; studiosorum omniũ vnicus amator: necnon & summis Germaniae proceribus charissimus, & praeter caeteros praeuenerando in Christo patri domino Bertholdo Maguntinens. ecclesiae Archiepiscopo & Romani imperii Electori prudentissimo, summa obseruatione & beneuolentia deuinctissimus. Quocirca nihil ambegerit Dialogon hunc tuo auspicio atq; praesidio fretum sane multis, etiam principibus viris, fore quam gratissimum. haec summa est. Vale literarum decus.

Ex Lugduno pridie Idus Semptembrias, huius anni 1444.

IODOCI BADII ASCENSII, VT BONI IVVENES AD LITERARVM STVdia frequentius incumbant, Cohortatio; cum quadam huius operis, & Clarissimi Viri Ioannis de Trittenhem Abbatis in Spanhem commendatiuncula.

INgenui iuuenes fatis melioribus orti,
Quis acre ingenium Iuppiter ipse dedit:
Pellite segnitiem, veteresq; reuoluite libros,
Quorum instar licitum est condere cuiq; nouos.
Edite, quo noscant vixisse aliquando minores:
Triste etenim totum est morte migrare virum.
Nec mihi tam ignaua quisquam formidine dicat,
Quid faciam, quando facta perisse sciam?
Scilicet egregii periere volumina Crispi,
Et bona pars Plauti, diaq; verba Titi.
Denique si veterum repetas monumenta virorum,
Heu quota quaeque extet portio codicibus!
At nihil excuses transacti obliuia secli,
Nec belli rabiem, nec rapidi astra poli.
Perpetuum siquidem cunctis extantibus aeuum
Mira impressores arte dedere libris.
Ecce modo arguti liber optatissimus Ockam,
In quo de variis quaeritur haeresibus:
Et maiestates Papalis & Imperialis
Pensantur trutina lancibus aequiferá.
Atque incredibili panduntur dexteritate,
Vnde aliis visum est hiscere grande nephas.
Is liber, inquam, olim iam multum optatus, amicum
In Spanhemensis ouat Patris abire sinum.
Nempe viri auspicio tam magni praeditus, orbem
Terrarum exigua sperat obire die.
Nam neque Germanis studiosis charior alter,
Nec magis Heroum dignus amicitia.
Illum & Magnifici Proceres mirantur, & omnis
Vt patriae patrem Relligiosus amat.
Proinde morer minime, quin nostro multa labori
Illius accedant commoda praesidio.

SEQVVN.

SEQVVNTVR QVÆSTIONES PRINCIPALES, QVÆ, IN PRIMA ET TERTIA PARTIBVS DIScutiuntur, In secunda autem parte sine quæstionibus de erroribus Ioannis 22. disputatur.

QVÆSTIO PRIMI LIBRI.



Trvm ad theologos vel canonistas spectet diffinire, quæ assertiones hæreticæ, & quæ catholicæ sint habendæ.

Quæstiones secundi libri.

Quæ assertiones hæreticæ & quæ catholicæ dicantur. c. 1.

Quid sit hæresis. c. 6.

Vtrum quælibet assertio, quomodolibet sacræ scripturæ aduersa, sit hæretica. c. 11.

Vtrum hæresis sit species specialissima vel subalterna. c. 15.

Vtrum omnis hæresis sit per ecclesiam condemnata. cap. 17.

Cui vel quali fundamento Papa vel concilium generale debeat inniti, damnando explicite aliquam assertionem tanquam hæreticam prius non damnatã: & quando debeat in cõdemnatione poni hæc clausula, damnamus. *c. 25.*

Vtrum liceat Papæ alios errores, quam hæreses, condemnare. c. 31.

Vtrum liceat alteri quã Papæ tales errores condemnare c. 32.

Quæstiones tertii libri.

Qvis sit catholicus censendus. c. 1.

Quis sit hæreticus habendus. c. 3.

Quæstiones quarti libri.

Qvis sit pertinax. c. 1.

Quomodo quis possit de pertinacia conuinci c. 1.

Vtrum errans correptus à suo superiori ad solam monitionem superioris teneatur errorem suum publice reuocare. c. 14.

Vtrum sciens aliquam hæresim esse damnatam, putans eam esse ambiguam, & eam teneat in sensu damnato, in quo nescit eam esse damnatam, possit excusari per ignorantiam de prauitate hæretica. cap. 19.

Vtrum propter simplicem correctionem Papæ absque correctione legitima teneantur nescienter errantes suos errores reuocare. c. 20.

Quæstiones libri quinti.

Qui possint hæretica prauitate maculari. c. 1.

Vtrum collegium cardinalium possit hæreticari. cap. 6.

Vtrum Papa cum cardinalibus possit hæretica prauitate maculari. cap. 10.

Vtrum ecclesia Romana seu sedes apostolica possit hæreticari. c. 11.

A quo Romana ecclesia obtinuit principatum. c. 14.

Vtrum concilium generale possit hæreticari. c. 20.

Vtrum tota multitudo Christianorum possit hæreticari. cap. 35.

Quæstiones libri sexti.

Vtrum Papa habeat iudicem superiorem in terris. cap. 1.

Vtrum ecclesia vniuersalis habeat potestatem super Papam de hæresi grauiter diffamatum. c. 10.

Vtrum cõcilium generale habeat potestatem super Papam de hæresi grauiter diffamatum. c. 12.

Vtrum propter appellationem aliquorum contra Papam pro caussa hæresis interiectam habeant catholici potestatem inquirendi de Papa. c. 16.

Vtrum à sententia Papæ hæresim quamcunque continente liceat appellare. c. 31.

Vtrum impugnantes Papam hæreticum sint à catholicis defendendi. c. 36.

Ad quos spectet inquisitio de Papa fienda, & quomodo Papa in tali casu se debeat habere. c. 58.

Vtrum Papa, si efficiatur hæreticus, ipso facto sit omni ecclesiastica auctoritate priuatus. c. 66.

Qualem potestatem habeat ecclesia vtilis super Papam hæreticum. c. 69.

Qua pœna Papa hæreticus, & similiter omnes alii hæretici sint plectendi. c. 74.

Quis sit competens iudex Papæ hæretici. c. 83.

Quæstiones libri septimi.

Qvi sint fautores, receptatores, defensores, credentes hæreticorum. c. 1.

De impugnantibus doctrinam Papæ hæreticam, & quæ sint legitima documenta, per quæ quilibet hæreticus potest conuinci. c. 10.

Vtrum propter relationem detrahentium sit maior suspicio de aliquo habenda. c. 25.

Qui fautores hæreticorum sint reprobandi. c. 27.

Qui sint inter episcopos, prælatos & Doctores, fautores & consentientes doctrinæ Papæ hæretici. capit. 35.

Qui sint communicantes Papæ hæretico, & quâ pœna sint plectendi. c. 58.

Qui sint receptatores hæreticorum, & qua pœna sint plectendi. c. 67.

Qui sint idonei impugnatores Papæ hæretici, & quibus debeant gaudere priuilegiis. c. 71.

Sequun-

Sequuntur quæstiones tertiæ partis.

Quæstio primi libri primi tractatus.

VTrum potestas Papæ se extendat ad omnia, quæ non sunt contra legem diuinam, neque contra ius naturale. c. 1.

Quæstiones libri secundi.

VTrum expediat toti communitati fidelium vni capiti principi & prælato fideli sub Christo subiici. cap. 1.

Quis debeat omnibus principari. c. 11.

Vtrum expediat communitati fidelium habere potestatem transmutandi principatum aristocraticum in principatum similem regali, & econuerso. c. 20.

Vtrum in aliquo casu liceat plures patriarchas seu primates nullum superiorem habentes institui.

Quæstiones libri tertii.

VTrum quibusdam scripturis nō canonicis fideles de necessitate salutis teneantur fidem adhibere. cap. primo.

Vtrum concilio generali sit fides indubia adhibenda. ca. 6.

Quomodo sint multa in scriptura sacra, quorum primus intellectus non potest nisi per reuelationem haberi ca. 16.

Quæstio libri quarti.

VTrum Christus beatū Petrum instituerit principē & prælatum aliorum apostolorū & vniuersorum fidelium. c. 1.

Quæstiones primi libri secundi tractatus.

VTrum expediat toti orbi vni principi subesse. c. 1.

Vtrum quilibet imperator vel princeps debeat præeminere cæteris iustitia, veritate ac diuitiis. capit. 15.

Vtrum imperator pro quocunque crimine quamcunque pœnam siue pecuniariam siue aliam infligere possit. cap. 16.

Vtrum Romanorum imperium processit à Deo vel ab hominibus. c. 17.

Vtrum Papa omnia possit. c. 21.

Vtrum imperium Romanorum possit transferri, destrui aut minui. c. 28.

Quæstiones libri secundi.

VTrum potestas Papæ & imperatoris sint potestates distincta. c. 1.

Vtrum imperator per vniuersum mundum habeat potestatem super omnia temporalia. c. 5.

Vtrum imperator valeat punire sibi subiectos pro quocunque crimine, siue seculari siue spirituali. capit. 10.

Vtrum omnes boni teneantur obedire imperatori. cap. 20.

Vtrum imperator sit dominus omnium temporalium, quæ non spectant ad ecclesiam. ca. 21.

Vtrum imperator in temporalibus habeat plenitudinem potestatis. c. 26.

Vtrum electus in imperatorem, antequam præsentetur aut notificetur Papæ, valeat seu debeat se intromittere de dispositione regni in temporalibus. c. 29.

Quæstiones tertii libri.

VTrum imperator habeat potestatem super aliquas personas spirituales. c. 1.

Vtrum imperator habeat ius in electione summi pontificis. c. 2.

Vtrum Romani habeant ius eligendi Papam. c. 6.

Vtrum in aliquo casu ius eligendi Romanum pontificem seu ordinandi de electoribus eiusdem possit reuerti ad Romanos. c. 8.

Vtrum cardinalibus seu aliis electoribus Papæ, reuertentibus post lapsum in hæresim, ad catholicam fidem reuertatur ius eligendi Papam. capit. decimo.

Vtrum ius eligendi Papam reuertatur ad Romanos, electoribus iure eligendi priuatis. c. 12.

Vtrum imperator super Papam in summo pontificio constitutum habeat aliquam potestatem. cap. decimo sexto.

FINIS quæstionum.

PROLOGVS IN DIALOGVM.

N omnibus curiosus existis, nec me desinis infestare. Quamuis enim ob multos editos laboriose tractatus scias me non modicum fatigatum: quoddam tamen opus insolitum postulas importune. Nam vt de controuersia, quæ de fide catholica & multis incidentibus inter Christianos nunc vertitur quæstio: quam tibi summam exponam; impudenter exposcis, & audacter formam procedendi, modumque loquendi mihi (vt dicis) intendis imponere. Sane cum tuam fuerim importunitatem frequenter expertus, non eo quod amicus meus es, sed propter improbitatem tuam voluntati tuæ parere conabor. Quale ergo opus & cuiusmodi desideras manifesta.

DISCIP. Vehementer exulto, quod tu meis supplicationibus acquiescis. teneo ergo firmissime, quod opus futurum occasionem inueniendi veritates quamplurimas toti Christianitati perutiles ministrabit. Quod opto in tres distingui partes. quarum prima de hæreticis: secunda de dogmatibus Iohann. 22. tertia de gestis contra fidem altercantium orthodoxam, volo vocari. Totum vero opus *Dialogum* censeo appellandum. Peto enim, vt per interrogationem & per responsionem fiat. volo enim te interrogare; & tu mihi respondebis. Persona autem mea nomine discipuli: tua vero nomine magistri vocetur. In quo personam recitantis assumas: nec tantum vnam, sed plures quando tibi videbitur, ad eandem interrogationem narra sententias. Sed quod tua sapientia sentit, mihi velis nullatenus indicare. Quamis enim velis omnino, vt cũ diuersas & aduersas assertiones fueris discursurus, tuam conclusionem minime prætermittas: quæ tamen tua sit, nullatenus manifestes. ad quod petendum moueor ex duobus.

Primum est, quia tantam de tua doctrina æstimationem obtineo; quod propter sententiam, quam te omnino scirem asserere, intellectum proprium cogerer captiuare. In his autem, quæ modo gestio indagare, nolo auctoritate moueri: sed quid in me possint rationes & auctoritates, quas quis adduceret aut meditatio propria, experiri.

Secundum est, quia cum amor & odium, superbia, ira, & inuidia, nec non aliæ animæ passiones ab inquisitione veritatis humanum impediant, immo & peruertant iudicium. Si sententiam tuam & etiam nomen occultare volueris, nec amici opus futurum plusquam debeant amplectentur: nec plusquam oporteat despicient inimici. Sed hi & illi non quis est alicuius sententiæ auctor: sed quid dicitur attendentes remotis zeli oculis, scribenda respicient & insistent sincerius indagare veritatem. propter quam etiam rationem in hoc opere quid de domino summo pontifice, ac de doctrina eius, suisque æmulis sentias, nunquam aperias. quod vt magis abscondas, cum de personis loqueris, eorum nomina supprimas officiorum, & primis litteris nominum propriorum appella. Vnde dominum Papam, dominum Ioann. Bauariæ dominum B. Fratrem Michaelem Generalem Fratrum Minorum. MAGIST. Fratrem Gerardum Othonis, Fratrem G. cura vocare. A te autem specialiter hoc opus efflagito, non solum quia te reputo præ aliis eruditum: sed etiam quia te video circa controuersiam præfatam singulariter occupatum.

Omnes enim libellos & opera aduersariorũ contra dominũ summum pontificem niteris cõgregare: in quibus sine intermissione studes. Ita vt aliquando occasionem habeam suspicandi, quod aliqua dubitatio in corde tuo de summo pontifice eiusque doctrina nascatur. Quia tamen a me (quem scis eiusdem domini summi pontificis sincerissimum zelatorem, & quod aduersarios complicesque eorum valde detestor) de prædictis nihil abscondis: mihi præbes materiam opinandi, quod ad reprobandum tempore opportuno omnia opera colligis æmulorum. Veruntamen propter motiua præscripta ante huius operis consummationem mihi mentem tuam minime pandas, nec propter hoc putes te culpam aliquam incursurum.

Primam ergo partem de hæreticis acceleres inchoare: materiam in septem diuide libros, quorum primus inuestiget ad quos (theologos videlicet vel canonistas) pertinet principaliter diffinire, quæ assertiones catholicæ, quæ hæreticæ: qui etiam hæretici & catholici debeant reputari.

Secundus inquirat, quæ assertiones hæreticæ, quæ catholicæ sunt censendæ. Tertius principaliter consideret, quis errans inter hæreticos est computandus. Quartus quomodo de pertinacitate & prauitate hæretica debeat quis conuinci. Quintus, qui possunt prauitate hæretica maculari. Sextus agat de punitione hæreticorum, & maxime Papæ si efficiatur hæreticus. Septimus tractet de credentibus, fautoribus, defensoribus & receptoribus hæreticorum.

MAGIST.

MAGIST. Affectas (vt video) quatenus ex serie dicendorum nemo possit colligere, quam partem dissentientium circa fidem catholicam reputem iustiorem, quod tuę satisfaciens voluntati vna cum aliis, quæ vel efflagitas vel affectas, seruare curabo. Primo tamen cum opus futurum per interrogationem & responsionem fieri roges, responsionem autem interrogatio antecedit, tuum erit incipere. Quod ergo tibi placet, interroga.

INCIPIT LIBER PRIMVS, QVI QVÆRIT, AD QVOS SPECTAT, SCILICET SIVE AD THEOLOGOS SIVE AD CANONISTAS, PRINCIPALITER DIFFINIRE, QVÆ ASSERtiones catholicæ & quæ hæreticæ, siue qui hæretici seu catholici sint censendi.

CAP. I.

In quo proponitur quæstio, ad quam respondetur sub distinctione huius termini diffinire, *& probatur quod hoc principaliter spectat ad canonistas tribus rationibus, ad quas respondetur capitulo tertio.*

DISCIP. Quoniam occasione dissensionis, quam in Christianitate conspicio, de assertionibus hæreticis & catholicis, ac etiam de personis hæreticis & orthodoxis, sum indagaturus quamplurimum, in primis duxi quærendum, ad quos (theologos videlicet vel ad canonistas) principaliter pertinet diffinire, quæ assertio catholica, quæ hæretica est censenda. MAG. Ad interrogationem tuam propositam respondetur, quod hoc verbum *diffinire* plures habet significationes. de quibus ad propositum duæ videntur pertinere. Contingit enim aliquid diffinire auctoritate officii. & sic diffinire, quæ est assertio hæretica, quæ catholica est censenda, ad summum pontificem spectat & concilium generale. Aliquando contingit diffinire per modum doctrinæ, quo modo Magistri in scholis quæstiones diffiniunt & determinant. & sic accepto secundo modo diffiniendi circa propositam quæstionem diuersimode sentiunt literati. DISCIP. Ad præsens accipio verbum *diffiniendi* secundo modo. & sic accepto vocabulo diuersas sententias cum motiuis earum audire desidero. MAGIST. Quorundam opinio est, quod ad canonistas principaliter spectat, quæ assertio est catholica, quæ hæretica iudicare, pro qua tribus rationibus videntur posse moueri. Quarum prima est hæc. Ad illam scientiam principaliter spectat diffinire & discernere, quæ assertio catholica, quæ hæretica est censenda, quæ principaliter tractat de approbatione veritatum catholicarum, & reprobatione hæresum damnatarum. huiusmodi est scientia canonistarum, & non theologia. igitur. Secunda ratio est hæc. Ad istam scientiam pertinet diffinire, &c. cui fides, quantum ad credibilia, principalius adhibetur. sed quantum ad ea, quæ sunt fidei, magis credendum est canonistarum scientiæ, quam theologiæ. igitur. probo minorem, quia magis credendum est ecclesiæ, per quam edita est canonistarum scientia, quam euangelio, testante August. *contra epistolam fundamenti*, qui videtur asserere, maiorem esse ecclesiæ auctoritatem, quam euangelii. quia *nec euangelio crederem*, inquit, *nisi ecclesiæ auctoritas compulisset*. ergo &c. Tertia ratio. Ad illam scientiam principaliter spectat discernere, quæ assertio &c. cuius auctor habet symbolum fidei ordinare, & articulos fidei rite diffinire. sed hoc spectat ad summum pontificem, qui auctor est scientiæ canonistarum. ergo ad scientiam canonistarum, & per consequens ad ipsos principalius, quam ad theologos pertinet diffinire, quæ assertio catholica, quæ hæretica debeat reputari.

CAP. II.

Vbi probatur per octo rationes, quod ad solos theologos spectat talis diffinitio per modum doctrinæ.

MAGIST. Porro alii indubitanter tenent, quod ad theologos spectat, non per modum diffinitionis authenticæ: sed per modum doctrinæ principaliter diffinire, quæ assertio catholica, quæ hæretica sit censenda. & quod ad canonistas non pertinet, nisi inquantum eorum scientia aliqua ad fidem pertinētia à theologia dignoscitur mendicare. hanc autem suam assertionem rationibus confirmare nituntur.

Quarum prima hæc est. Ad illius scientiæ Doctores (propter quam solummodo dicitur quæcunque assertio catholica vel hæretica) principaliter pertinet diffinire per modum doctrinæ, quæ assertio est catholica reputanda. sed propter theologiam solummodo quæcunque assertio est catholica nuncupanda. illius enim assertio, quæ sola est consona theologiæ, est vere theologica. illa vero sola, quæ theologiæ noscitur aduersari, hæretica esse dignoscitur. Si enim aliqua assertio aliquibus decretis summorum pontificum vel etiam generalium conciliorum ac etiam legibus imperatorum inueniretur aduersa, si theologiæ nullatenus obuiaret, (quamuis pro falsa & erronea vel iniqua posset haberi) non tamen deberet inter hæreses computari: ergo ad theologiæ tractatores principaliter pertinet diffinire per modum doctrinæ, quæ assertio catholica & quæ hæretica est censenda.

Secunda ratio. Ad illius scientiæ Doctores pertinet diffinire &c. quæ tractat regulas fidei, quæ tractantur in alia scientia, & plures alias, & non econtra. huiusmodi est scientia theologiæ, non canonistarum. Multa enim, quæ ad fidem nostram spectant, in theologia reperiuntur explicite, de quibus in scientia canonistarum mentio non habetur. Nihil autem spectans ad regulam fidei in eorum scientia poterit reperiri, nisi quod à theologia recipiunt. ergo ad theologos talis diffinitio principaliter noscitur pertinere. ad canonistas autem non spectat, nisi quantum aliqua theologica noscuntur à theologis mendicare.

Tertia ratio est hæc. De assertionibus, quas scientia superior & inferior tractare noscuntur, habet scientia superior principaliter iudicare. sed de quibusdam assertionibus catholicis & hæreticis theologia, quæ est superior, & scientia canonistarum, quæ est inferior, aliquomodo tractant. ergo ad theologiam pertinet principaliter de assertionibus catholicis & hæreticis iudicare: & per consequens ad theologos principalius pertinet diffinire, & per modum doctrinæ quę assertio catholica, quæ hæretica est censenda.

Quarta ratio est hæc. Ad illius scientiæ tractatores, per quam plures assertiones catholicæ explicite sub forma propria pertractantur, pertinet &c. huiusmodi est theologia, non scientia canonistarum, in quibus paucæ veritates catholicæ sub forma propria pertractantur. ergo talis diffinitio ad theologos dignoscitur principaliter pertinere.

Quinta ratio est hæc. Ad tractatores illius scientiæ per quam antequam esset canonistarum scientia, viri catholici veritates catholicas approbauerunt, prædicauerunt, ac occulte & publice docuerunt, doctrinasque hæreticales, & auctores earum confutauerunt, reprobauerunt & etiam damnauerunt, principalissime pertinet diffinire, quæ assertio catholica, quæ hæretica est censenda. huiusmodi autem est theologia. nam antequam canones conderentur, apostoli aliique discipuli Iesu Christi, tanquam viri theologi, veritates catholicas approbauerunt, prædicauerunt ac occulte & publice docuerunt, doctrinasque hæreticales & auctores earum confutauerunt, reprobauerunt ac etiam damnauerunt. Vnde & beatus Paulus, sicut legitur *ad Thimoth.* 3. hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuitandum docuit. *Prima* etiam *ad Thimoth.* 4. docuit manifeste doctrinam prohibentium nubere, abstinere à cibis quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus ad spiritum erroris & doctrinam dæmoniorum, & per consequens ad prauitatem hæreticam pertinere. ergo ad theologiam, & per consequens ad theologos, principaliter pertinet diffinitio talis.

Sexta ratio est hæc. Ad tractatores illius scientiæ, cui quantum ad illa, quæ fidei sunt, omnes alii cedunt, principaliter per modum doctrinæ pertinet diffinire, quæ assertio catholica &c. huiusmodi est scientia scripturæ diuinæ, quæ theologia vocatur, vt patet ex decretis *di.* 9. *per totum* & specialiter *capitul. noli. & capitul. negare. & capitul. ego solum. & capitul. quis nesciat. & capitul. nobis. & capitul. neque*, colligitur euidenter, quod ad theologos principaliter talis diffinitio spectat. Septima ratio est hæc. Ad tractatores illius scientiæ, cuius auctor immediatus DEVS est, à quo est tota fides nostra, principaliter pertinet diffinitio ante dicta. talis autem est theologia: quia scriptores scripturæ diuinæ nihil penitus conscripserunt ex humano ingenio, sed solum ex diuina inspiratione, teste Petro,

qui

qui in prima canonica sua ait: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei omnes.* propter quod docet ibidem, quod prophetia scripturæ diuinæ propria interpretatione non fit. non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia. ergo ad theologos principaliter pertinet diffinitio ante dicta.

Octaua ratio est hæc. Ad tractatores illius scientiæ principaliter pertinet diffinitio sæpe fata, cui non licet aliquid addere nec auferre. huiusmodi est autem theologia, Moyse in persona Dei dicente Deuteron. cap. 4. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ab eo.* cui correspondet Salomon Prouerb. 30. de sermone Dei loquens ait: *ne addas quicquam verbis illius, & arguaris inueniarisque mendax.* hinc addentibus & auferentibus aliquid ex scriptura diuina, spiritus sanctus per beatum Iohann. Euangelistam Apocal. vltimo terribiliter comminatur dicens: *Si quis apposuerit adhuc super hoc, apponet super eum Deus plagas quæ sunt in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis prophetiæ libri huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ & de ciuitate sancta.* Ex quibus omnibus euidenter colligitur, quod ad sacram scripturam nihil est addendum, nec aliquid auferendum ex ea. ergo ad theologos scripturæ sacræ tractatores principaliter pertinet diffinire per modum doctrinæ, quæ assertio catholica, & quæ hæretica est censenda. Ecce ad interrogationem tuam assertiones contrarias recitaui: & in fulcimentum vtriusque partis rationes tetigi fortiores. nunc vero ergo considera, quæ probabilior tibi videtur.

CAP. III.

In quo respondetur ad rationem primam in primo capitulo factam primo contra canonistas inuehendo.

DISCIP. Quamuis ex rationibus pro assertione secunda adductis mihi tribuas occasionem multa quærendi: fateor tamen, quod ipsa mihi videtur consona veritati. Licet ad rationes pro prima assertione nesciam respondere mihimetipsi. Vnde peto vt tu ad eas respondeas.

MAGIST. Tu videris tibiipsi contrarius. In principio enim petisti, vt quid de interrogationibus tuis sentirem, nullatenus indicarem: nunc autem poscis, vt ad aliquas rationes respondeam. Ex quo conuinci potest, quod desideras, quatenus quid teneam in corde aperiam.

DISCIP. Quicquid petitio mea ex vi vocis insinuet, nullo modo volebam, quod quid mente habeas indices: sed petere intendebam, vt responsiones aliorum, quæ cogitari possunt ab aliis rectiores, nullatenus exprimendo an eas rationabiles vel irrationabiles putes esse censendas.

MAGIST. Ex quo tuam petitionem concipio, faciam quod hortaris. Imprimis autem volo te scire, quod auctores theologi moderni temporis canonistas, tanquam non intelligentes, præsumptuosos, temerarios, fallaces, deceptores, cauillatores, & ignaros in cordibus suis valde despiciunt, reputantes quod sacrorum canonum intellectum ignorent. pro quo tali ratione mouentur. Sacrorum canonum dictatores viri acutissimi in scientia naturali, morali, & theologia fuerunt: neque per nullam absque prædictis scientiis canones tam certæ tamque profundæ veritatis aliqualiter conscripsissent. Cum ergo canonistæ moderni scientias ante dictas ignorent, quamuis valeant canonum sacrorum retinere memoriam, ad intellectum tamen eorum nequeunt peruenire.

DISCIPL. Nostri temporis canonistas non reputo contemnendos. Licet forte scire canonum sacrorum intellectum (illorum præcipue, qui ex theologia vel ratione naturali accipiuntur, & non sunt pure positiui) magis ad theologos, quam ad canonistas pertineat: sed circa hoc quæso hic nullatenus immoreris: quia forte de ista materia quæstionem habebo. Ad rationes ergo præfatas accede.

MAGIST. Quia in hoc opere non sensum meum, sed tuam voluntatem sequi promisi, rationes prædictas incipiam pertractare. Vnde ad primam nonnulli respondent theologi, dicentes, quod ad theologiam, non ad scientiam canonistarum principaliter spectat de approbatione veritatum theologicarum catholicarum; & reprobatione hæresum damnatarum tractare. Cuius rationem assignant dicentes, quod assertio veritatis est approbatio veritatis. qui enim aliquod dictum asserit esse verum, approbat idem dictum tanquam verum. Assertio enim veritatis est contrariæ reprobatio falsitatis. quia qui aliquam approbat veritatem, per consequens reprobat contrariam falsitatem; sicut qui præcipit vnum contrariorum, & per consequens prohibet aliud, vt notat Gloss. in *decre. capitulo primo.* Assertio ergo veritatum catholicarum per quandam consequentiam est reprobatio omnium hæresum contrariarum. Cum ergo per theologiam principaliter veritates catholicæ asserantur, sequitur quod approbatio veritatum catholicarum & reprobatio seu damnatio hæresum principaliter ad theologiam pertinet.

DISCIP. Ista ratio videtur mihi satis probabilis: vellem tamen scire, quare dicunt isti, quod talis approbatio & damnatio principaliter pertinent ad theologiam. Ex quo insinuare videntur, quod non tantum pertinent ad eam.

MAGIST. Ad istam tuam quæstionem respondent isti dicentes: quod ad scientiam canonistarum pertinent libri *decretorum* & *decretalium*, & aliæ *constitutiones summorum pontificum* & epistolæ: licet in prædictis libris minime sint insitæ. In prædictis autem libris, in nonnullis constitutionibus & epistolis summorum pontificum quædam veritates theologicæ asseruntur, & nonnullæ hæreses reprobantur. Licet tam istæ veritates quam hæreses sint paucæ respectu illarum, quæ in theologia habentur. & ideo non tantum ad theologiam, sed etiam ad scientiam canonistarum spectat aliquas catholicas veritates approbare, & aliquas hæreses licet paucas reprobare. ad theologiam autem spectat omnes veritates catholicas approbare, & omnes hæreses reprobare. quare licet principaliter approbatio & reprobatio ad theologiam pertineant: pertinent tamen secundario nihilominus ad scientiam canonistarum. Aliam autem rationem adducunt dicentes: quod theologia veritates catholicas approbando, & hæreses reprobando, à canonistarum scientia nihil omnino recipit, nihil mendicat. canonistarum vero scientia veritates catholicas approbando, & hæreses reprobando à theologia omnia mendicando procedit. quare ad theologiam hæc principaliter & vtiliter pertinere noscuntur: ad canonistarum vero scientiam secundario & particulariter tantum.

CAP. IV.

In quo respondetur ad secundam rationem capitulo primo factam.

DISCIP. Hæc responsio videtur mihi probabilis: quare rationem secundam pertracta.

MAGIST. Ad secundam rationem respondetur, quod quantum ad ea, quæ fidei sunt, magis credendum est theologiæ, quam cuicunque alteri scientiæ: nullisque scriptoribus quarumcunque scientiarum ita oportet credere, sicut scriptoribus theologiæ sacræ. Auctoritas beati August. quæ adducitur, vt nonnulli dicunt, frequenter à multis contra intellectum textus Augusti. allegatur. ad cuius intellectum dicunt esse sciendum: quod nomen *Ecclesia* æquiuoce in locis variis scripturarum accipitur. Aliquando enim accipitur pro loco corporali diuinis officiis deputato. Aliquando accipitur pro aliquo speciali collegio clericorum. Aliquando pro toto collegio clericorum omnium. Aliquando pro aliqua multitudine speciali cleri & Papæ. Aliquando pro tota congregatione fidelium simul in hac vita mortali degentium. Aliquando vero nomen *Ecclesia* non solum totam congregationem catholicorum viuentium, sed etiam fideles mortuos comprehendit.

Et isto modo vltimo accipit ecclesiam beatus August. in *li. contra Manichaeos* & recitatur. 2. *di. c. palam*. Qui ait: *palam est quantum in re dubia ad fidem & certitudinem valeat catholica ecclesiæ auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus apostolorum, vsque ad hodiernum diem, succedentibus sibimet episcoporum serie & tot populorum concessione & assertione firmatur.* vbi ecclesia catholica episcopos & populos à tempore apostolorum vsque ad hodiernum diem sibimet succedentes importat. Et sic accipit nomen *Ecclesia* August. cum asserit, quod *non crederet euangelium, nisi eum auctoritas ecclesiæ compelleret*. Ista enim ecclesia scriptores euangelii & omnes apostolos comprehendit, sicut probatum est. Quare ex auctoritate August. sane intellecta inferri non potest, quod magis sit credendum summo pontifici canonum conditori, quam euangelio. Et per consequens probari non potest, quod maior fides exhibenda sit sacris canonibus, quam euangelio sancto. Conceditur tamen, quod magis credendum est *ecclesiæ*, quæ est multitudo catholicorum omnium, qui fuerunt à temporibus prophetarum & apostolorum vsque modo, quam euangelio: non quia de euangelio sit aliqualiter dubitandum, sed quia totum maius est sua parte. Ecclesia ergo, quæ maioris auctoritatis est, quam euangelista, est illa ecclesia, cuius auctor euangelii pars esse dignoscitur.

Non est autem mirum, si maior est auctoritas totius, quam partis. Et ideo maior est auctoritas totius congregationis comprehendentis euangelistas & omnes alios orthodoxos vsque ad hæc tempora, quam vnius vel etiam plurium personarum congregationis eiusdem. Quod autem conditor canonis non sit maioris auctoritatis, quam euangelium, sed multo minoris, ipsimet canonum conditores testantur aperte.

Vrbanus enim Papa, & habetur. vigesimaquinta quæst. 1. c. *sunt quidem*, ait: *Sciendum vero summopere est, quia inde nouas leges potest condere pontifex* (supple Romanus,) *vnde euangelistæ nequaquam dixerunt, ibi vero aperte dominus vel eius discipuli vel eius sequaces sancti patres sententialiter aliquid diffinierunt, ibi non nouam legem Romanus pontifex dare potest: sed potius quod prædictum est, vsque ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim, quod docuerunt apostoli & prophetæ, destrueret*

fratri (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed errare magis conuinceretur. Ex his verbis colligitur euidenter, quod conditor canonum multò minoris auctoritatis est quam euangelium sacrosanctum, contra quod nouam legem nequaquam condere potest, sed ipsum defendere vsque ad animam & sanguinem sane obligatur. Contra quod si nouam legem dare præsumeret, esset de errore per catholicos conuincendus. His Fabianus Papa concordat, qui vt habetur 25. q. 3. c. *qui omnipotentem*, ait: *qui omnipotentem Deum metuit, nec contra euangelium Christi, nec contra apostolos, nec contra prophetas, nec contra sanctorum patrum instituta agere aliquid vllo modo consentit.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod conditor canonum si omnipotentem metuit, nihil contra euangelium præsumit statuere. Et ita non maioris, sed minoris auctoritatis quam euangelium esse dinoscitur.

Quod ex plurimis regulis *in libro decretorum* insertis clarius luce constat, sicut ex *dist. 9. ca. noli. & c. ego solus. & c. quis nesciat. & c. noli. & c. neque & 2. di. c. consuetudinem. & ex di. 14. ca. sicut. & 5. q. 3. si is qui præest.* Aliæ auctoritates quam plurimæ, quas longum esset enarrare seu recitare, hoc idem asserunt manifeste. & propter easdam rationes dicunt, quod hæc tota multitudo Christianorum nunc vita mortali viuentium non est maioris auctoritatis, quam sit euangelium sanctum: quia multitudo gentium viuentium euangelium debet vsque ad animam & sanguinem defendere.

CAP. V.

In quo respondetur ad tertiam rationem factam capitulo primo.

DISCIP. Ad istam secundam rationem mihi videtur quod responsionem totalem recitasti: nunc autem referas mihi (quæso) quomodo ad tertiam rationem respondetur. MAG. Ad tertiam ratioñe respondent nonnulli dicentes, quod summus pontifex debet sacrarum literarum habere noticiã, & in sacris canonibus debet esse peritus. & ideo symbolum ordinare, & articulos fidei recte distinguere, spectat ad ipsum; præcipue cum consilio & consensu concilii generalis etiam in symbolum ordinando & articulos fidei distinguendo, & eadem ratione in diffiniendo authentice, quæ assertio est catholica, & quæ hæretica reputanda, theologiæ principaliter debet inniti: secundario autem in sacris canonibus poterit se fundare. Et ideo ex illa ratione concludi potest, quod ad theologos principaliter spectat diffinire docendo vel legem aliis imponendo, quæ assertio inter catholicas, & quæ inter hæreticas debeat numerari. DISCIP. Puto quod quicunque intelligens hæc quæ scripsisti, perlegerit, tenebit indubie, ad canonistas non pertinet de multis assertionibus iudicare, an catholicæ vel hæreticæ sint censendæ, & de quibuscunque assertionibus canonistæ diffiniant, an inter catholicas vel hereticas debeant numerari, necesse est eos ad theologiam recurrere, si voluerint ad profunda resoluere: præsertim cum nulla assertio vere catholica, vel hæretica sit habenda, nisi quia theologiæ consonat vel repugnat. quare non arbitror, quod aliquis literatus qualitercunque opinetur, quod ad canonistas, qui non sunt theologi, pertineat principaliter diffinitio sæpe fata.

CAP. VI.

Inuehit contra canonistas ostendens quid pertineat ad eos.

MAGIST. Multa nimis ignoras. scio enim quosdam canonistas, qui theologos deridere præsumunt, cum inuestigare nituntur de multis assertionibus, an debeant inter hæreses computari, dicentes: quod talis inuestigatio ad canonistas, non ad theologos noscitur pertinere.

DISCIP. De hoc quod dicis vehementer admiror, quia dictum huiusmodi nullam videtur probabilitatem habere. narra tamen, si pro se aliquam rationem huiusmodi assertores allegant. MAGIST. Audiui quod ex hoc mouentur tantummodo, quia theologi, cum ipsi vel alii de hæresi accusantur, vel aliquos accusare conantur, libellos accusationis, responsionis, appellationis & huiusmodi componere nesciunt nec formare: sed ad canonistas oportet eos habere recursum. quare dicunt, quod ad canonistas, non ad theologos spectat discernere, quæ assertio catholica vel heretica sit censenda.

DISCIP. Ista ratio apparet mihi tam friuola, quod responsione non indigeat. Aliud enim est discernere, quæ assertio est catholica, & quæ hæretica est censenda. Et aliud est scire formulas accusationum & modum agendi contra hæreticos; ac etiam modum defen-

dendi in iudicio accusatos de hæresi. Primum ad theologos; secundum ad iuristas noscitur pertinere. Quemadmodum aliud est cognoscere denarios veros a falsis, aurum ab auricalco, equos sanos ab ægris, arma fortia & tabefacta ab aliis. & aliud est scire si aliquid de aliquo prædictorum voluerit aliquem in iudicio accusare, & accusatus nisus se fuerit defendere, quomodo libelli accusationis, responsionis, appellationis, & huiusmodi, quibus fuerit optimum vti in iudicio, confici debeant & formari. Primum ad monetarios, aurifabros, ferrifabros, & fabricatores armorum pertinere dinoscitur. Secundum vero ad iuristas non est dubium pertinere. Vnde per istam probationem probare contingeret, quod ad iuristam pertineret discernere, quod aurum est verum, & quod falsum: qui panni artificialiter sint facti, & qui non: quæ ædificia sunt vtilia, & quæ non & vt breuiter concludam, de omnibus mechanicis & rebus naturalibus vniuersis, quæ in vsum hominis veniunt, haberent iuristæ principaliter discernere, qualia essent secundum naturam suam vel artem, quoniam de omnibus huiusmodi contingit in iudicio litigare. in quo casu necesse est litigatores pro libellis accusationis, responsionis, & appellationis ad iuristas habere recursum, constat autem, quod iuristæ periti de rebus minimis an sint talia quales debent esse secundum naturam vel artem, à qua fiunt, nesciunt iudicare, qui tamen de talibus rebus recuperandis vel defendendis in iudicio, ordinant & formant libellos & alia, quæ spectant ad formam agendi vel defendendi coram iudice. *Mag.* Ecce interrogationem tuam iuxta formam, quam mihi præfixisti, breuiter pertractaui: nunc autem propone aliam, vel quiescere me permittas.

Cap. VII.

In quo mouetur dubitatio. ad quos principalius & profundius spectat habere intellectum eorum quæ in decretis continentur. & arguitur, quod ad canonistas.

DISCIP. Quia aliqui canonistæ putant, vt dicis, quod ad ipsos principaliter spectat inter assertionem catholicam & hæreticam discernere, cum tamen (vt mihi videtur) falcem suam in messem mittant alienam, si hoc absque theologia attemptare præsumpserint, eo quod nec absque theologia capitula decretis inserta, quæ de hæresibus loquuntur, intelligere valeant. Dic mihi obsecro parum à principali proposito disgrediendo, quid sentiunt literati de intellectu illorum, quæ in decretis habentur, ad quos sc. principalius & profundius pertinet illorũ intellectum cognoscere. MAG. Circa quæstionem propositam inueniuntur opiniones contrariæ. Canonistæ. n. sentire videntur, quod ipsi non solum habent memoriam maiorẽ eorum, quæ in libris iuris canonici inseruntur, sed etiam ista clarius & magis profunde, & quis sit intellectus ipsorum. ad ipsos spectat principaliter iudicare saltem per modum doctrinæ. Pro hac autem opinione videtur tali ratione moueri iuxta sapientis sententiam, *vnusquisque bene iudicat de his quæ nouit, & horum est bonus iudex:* canonistæ autem magis cognoscunt illa, quæ in libris eorum habentur quam alii. igitur ad ipsos de intellectu eorum pertinet principaliter iudicare. Item pro ista opinione alia ratio posset adduci. Quoniam ad nullos magis spectat aliquorum notitia, quam ad tractatores illius scientiæ, quæ ipsa considerat: igitur ad nullos magis spectat noticia illorum, quæ in iure canonico habentur, quam ad tractatores iuris canonici, cuiusmodi sunt canonistæ. ergo ad ipsos principaliter spectat de intellectu eorum discernere.

Cap. VIII.

In quo recitatur opinio canonistarum asserentium, quod ad eos spectat de his quæ in libris eorum continentur maiorem habere memoriam, & præsertim de positiuis.

DISCIP. Narra aliam opinionem. MAG. Aliis minime placet ista opinio. Dicunt enim, quod ad canonistas spectat de multis, quæ reperiuntur in libris eorum, maiorem habere memoriam. De pluribus autem tenaciorem memoriam & profundiorem intellectum oportet theologos habere si perfecti fuerint. Nonnulli vero secularium legum periti & profundius intelligunt & non minori commendant memoriæ. Quidam autem naturali præditi ratione, & in philosophia morali eruditi, ac scientiæ naturalis nequaquam ignari, & plenius intelligunt, & non minus noscuntur memoriæ imprimere. Nonnulli vero canonistæ intelligunt profundius, licet non propter maiorem multorum memoriam: quia sicut aliquoties intellectus quorundam promptius valet explicare, ad quæ alii tardius, licet profundius, cum magno labore & studio perueniunt.

Si autem aliqui canonistæ in scientia naturali & philosophia morali iure ciuili & in theologia plenius essent instructi, ad illos principalissime pertineret illud quod habetur in libris eorum

rum & tenaciori memoria retinerent, & de ipsorum intelligentia promptius & perfectius iudicarent. Ad euidentiam autem prædictorum dicunt isti esse notandum, quod libri canonistarum non sunt nisi quædam collationes ex auctoritatibus Bibliæ & originalibus theologorum & sanctorum, & ex quibusdam legibus imperialibus, & ex constitutionibus, diffinitionibus seu determinationibus conciliorum generalium & summorum pontificum, in quibus quædam theologica pure explicantur & declarantur, sicut in illis, in quibus hæreses damnantur & veritates theologicæ approbantur, vt patet *extra de sum. tri. & fi. cath. c. 1. & c. damnamus. & extra de hæretici. cum Christus.* & in pluribus aliis capitulis decretis insertis. Quædam vero pure moralia traduntur in eis, quæ nulla possunt ratione muniri, sicut patet in multis capitulis decretorum & decretalium.

Quædam autem præcipiuntur in eis & prohibentur, quæ sunt mere positiua ex humana voluntate dependentia, quæ pro necessitate & vtilitate possunt rationabiliter variari & penitus abrogari, vt patet *extra de consanguinitate & affinitate, c. non debet & di. 9. sicut quidem.* Ex his dicunt, quod de theologicis in libris canonistarum inuentis tam quantum ad memoriam quam quantum ad intellectum, theologi, si sint perfecti, canonistas excedunt, licet nunquam oporteat theologos illorum verborum memoriam, sub quibus sententia pure theologica in determinatione ecclesiæ explicatur, habere.

Quo ad leges autem imperiales, quæ in libris præfatis reperiuntur, sicut patet 2. *q. 6. c. propter superfluam*, & in multis capitulis sequentibus, & in multis aliis locis, nec quantum ad memoriam, nec quantum ad intellectum, sunt canonistæ præferendi peritis in iure ciuili. Quantum vero ad moralia, quæ nulla possunt ratione muniri, si vniuersalia sunt nec in memoria nec in intellectu, possunt canonistæ naturali ratione præditos & in philosophia morali instructos & in scientia naturali perfectos excedere quoquo modo.

De illis vero quæ particularia sunt, & tamen nequaquam dispensationem seu mutationem recipiunt, canonistæ maiorem possunt habere memoriam, ac etiam de intellectu eorum promptius iudicare, sed ad alios, scilicet theologos, profundius, quia per principia priora, licet tardius & cum maiori labore, pertinet de intellectu eorum discernere. Illa vero quæ pure positiua sunt, & quæ ex causa possent variari, canonistæ magis in memoria retinent, sed non habent profundius iudicare.

CAP. IX.

In quo primo obiicitur contra quoddam dictum capitulo præcedenti, quod etiam postea probatur rationibus & exemplo, scilicet quod ad theologos profundius spectat cognoscere, quæ in canonibus continentur.

DISCIP. Istam secundam opinionem pro parte libenter attendo: quia quantum ad illa, quæ dicit de theologicis & legibus imperialibus, & puris moralibus ac naturalibus, omnino videtur rationalis æstimanda. Quantum vero ad moralia particularia & pure positiua, quæ in libris canonistarum sunt solummodo tradita, non apparet probabilitatem habere. vnde posset argui tali ratione. Nullus enim non dico profundius, sed nec aliquo modo potest iudicare de illis, quæ non nouit. Cum igitur talia ad noticiam tractatorum aliarum scientiarum nequaquam pertineant, ad ipsos nullo modo spectat iudicare de ipsis. Veruntamen vellem scire, si pro illa assertione aliquæ rationes apparentes valeant cogitari.

MAGIST. Assertionem præfatam nonnulli ratione & exemplo probare nituntur. Ratione sic. Scientia superior de traditis in scientia inferiori subordinata sibi certius potest & profundius iudicare, quam scientia inferior. Sed scientia canonistarum, quantum ad multa moralia particularia, & quæ valent variationem recipere, est scientia inferior subordinata theologiæ, etiam quantum ad multa subordinata est morali philosophiæ, sicut particularia subordinantur vniuersalibus, igitur de talibus potest theologia & moralis philosophia certius iudicare, quam canonistarum scientia.

Secundo sic de illis agilibus particularibus, quæ variari possunt, potest illa scientia certissime iudicare, per quam, si fuerit aliquid inique statutum, debet omnimode reprobari, & contra quam nihil valet in particulari ordinari vel statui. huiusmodi autem est theologia & philosophia moralis respectu agibilium particularium, & quæ mutari possunt in iure canonico repertorum. ergo de illis theologia & philosophia moralis habent certissime iudicare. Maior videtur habere euidentiam: minor tali ratione probatur.

Constitutio ecclesiastica non est minoris auctoritatis, dignitatis aut firmitatis q̃ ecclesiastica consuetudo. Sed omnis consuetudo tam veritati scripturæ diuinæ quam etiam iuri naturali, quod non solum in lege & euangelio, sed etiam in vera philosophia morali habetur, cedit, si ei inueniatur aduersa, & per consequẽs si aliqua consuetudo fuerit theologiæ & veræ philosophiæ morali contraria, est omnimode reprobanda. igitur, si quæcunque consuetudo ecclesiastica alteri scientiarum prædictarum probetur aduersa, damnata est. Ex quo infertur quod de omnibus talibus habet theologia & vera philosophia moralis certissime iudicare. Confirmatur

firmatur auctoritate beati Cypriani, qui vt habetur 8. *d. c. consuetudo*, ait; *Cõsuetudo, quæ apud quosdam irrepserat, impedire nõn debet, quo minus veritas praualeat & vincat.* nam consuetudo sine veritate aut veritati contraria vetustas erroris est. Ex qua auctoritate & aliis quæ in *eadem d.* ponuntur in *c. veritati. & c4. pro consuetudine & contra qui contempta. & c. frustra. & c. si solus*, colligitur, quod omnis consuetudo veritati contraria, vbicunque repetiatur, siue in theologia siue in philosophia morali, est penitus contemnenda. Ex quo sequitur, quod etiam omnis constitutio ecclesiastica, si veritati fuerit inimica, debet respui & damnari. Hinc Gratianus. 8. d. c. *dignitate*, ait: *dignitate vero ius naturale præualet similiter consuetudini & constitutioni. quæcunque enim de moralibus accepta sunt, vel in scripturis comprehensa, si naturali iuri fuerint aduersa, vana & irrita sunt sunt censenda.* & 9. d. c. 1. ait: *liquido igitur apparet, quod consuetudo iuri naturali postponitur.* Quod autem consuetudo iuri naturali postponitur, multiplici auctoritate probatur per eundem, qui 9. d. c. vl. ait: Cum igitur in naturali iure nihil aliud præcipiatur, quam quod Deus vult fieri, nihilque vetetur quam quod Deus prohibet fieri; denique cum in canonica scriptura nihil aliud, quam quod in diuinis legibus inueniatur: diuinæ vero leges in illa consistent, patet quod quæcunque diuinæ voluntati seu catholicæ scripturæ contraria probantur, eadem iuri naturali inueniuntur aduersa. vnde quæcunque diuinæ voluntati seu catholicæ scripturæ seu diuinis legibus postponenda censentur, eisdem naturale ius præferri oportet. Ex his patenter habetur, vt istis apparet, quod quæcunque in iure canonico theologiæ & naturali iuri, quod non solum est in theologia, sed etiam in morali philosophia, inuenirentur contraria, per alteram scientiarum prædictarum essent penitus reprobanda; cum inceperit ab exordio rationalis creaturæ, vt habetur *6. d. his continetur* igitur vtraque de talibus habet certissime iudicare, & eo certius scientiarum huiusmodi tractatores haberent de talibus iudicare, quam canonistæ, quo principiis dignioribus, certioribus, prioribus & vniuersaliorib. vti noscuntur. Secũdo principaliter isti moliuntur suam assertionem exemplo ostendere, referentes, quod cum Commentator librorum Dionysii de multis articulis à suis æmulis, qui Papam & cardinales muneribus corruperant, accusatus cogeretur in consistorio respondere, ipse tanquam purus philosophus & theologus omnis iuris ignarus à Papa petiit aduocatum. cui Papa respondit: absit vt tibi, qui inter omnes clericos, mundi literatior reputaris, hanc confusionem facias, vt alius pro te loquatur, pro te ipso loquaris. Qui cernens malitiam recepta copia obiectorum & acceptis ad deliberandum trium dierum induciis quarta die respondit ad omnium legum ciuilium & iurium canonicorum complurium contra ipsum allegatorum obiecta, quibus aduersarii insolubiliter (vt putabant) suam intentionem fundauerant, per theologiam & rationem naturalem ita patenter pro se intellectum assignans, quod iudicio omnium intelligentium omnes leges & iura quæ contra ipsum fuerant allegata pro ipso liquide concludebant. vnde vt fere cardinales sibi contrarii postmodum eius æmulos, arguentes dixerunt; vos dixistis istum philosophum nescire leges & iura, & ipse scit principia, radices & causas omnium iurium & legum. Ex quibus isti concludunt, quod iste theologus, qui est magnus philosophus, multo certius, profundius & clarius iudicauit de intellectu iurium, quorum antea nullam habuerat scientiam & memoriam; quam theologiæ & rationis naturalis ignari; qui tamen ab infantia in illis fuerant enutriti.

CAP. X.

In quo respondetur ad rationem factam in principio capituli noni.

DISCIP. Nunc aduerto, quod assertiones, quæ apparent prima facie falsæ, non sunt penitus condemnandæ. Assertionem enim, pro qua fortiter allegasti in principio, omnino irrationabilem arbitrabar; nunc autem non videtur mihi omni probabilitate carere. vnde ad rationem contra eam, quam tetigi, qualiter ipsius respondeant defensores enarra. MAG. Rationem illam valde despiciunt, dicentes, quod est illorum, qui nullam originem & ordinem scientiarum nouerunt. aiunt enim, quod quemadmodum aliquis iudicat optime de metaphysicis & aliis, quæ tamen fere nescit, sicut multi, qui pingere, scribere, arma, naues, & alia artificialia fabricare ignorant, melius quam ipsi artifices iudicare noscuntur; ita scientiæ superiores, tractantes causas & principia istorum, quæ in istis inferioribus considerantur, certius & clarius valent iudicare de illis, si eis proponantur, quam istæ scientiæ inferiores. vnde & habentes perfectam notitiam scientiæ subalternantis certius iudicant de conclusionibus scientiæ subalternatæ, ita theologi & veri philosophi propositis illis quæ in iure tractantur canonico, profundius & certius poterunt iudicare de illis, quamuis sæpe tamen cum maiori labore.

DISCIP. Video quod responsio quærit de scientia solummodo, quæ non est alteri subalternata nec subordinata. nam vt euidenter aspicio, de scientia, cui alia scientia superior principatur, sicut de frenifactiua respectu equestris, & de illis quæ architectonicæ subiciuntur, de quibus in *libr. ethi. & in li. politico.* fit mentio, & de [illegible]tia cuius principia in scientia superiori

superiori traduntur, apparentiam non videtur habere. & ideo de theologia & scientia canonistarum dinoscitur colore carere. quia scientia canonistarum à theologia recipit sua principia, testante Innocentio tertio, qui vt habetur *extra de accusatione, qualiter & quando*, asserit manifeste, quod ex auctoritatibus noui & veteris testamenti processerunt postea canonicæ sanctiones. quamuis ego de istis possem quærere multa: quia tamen canonistæ aliarum scientiarum terminos ignorantes eorum intellectum non caperent. Cupio autem in hoc opere quantum poteris, sic terminos proprios aliarum scientiarum à theologia & scientia canonistarum euites, quod omnia canonistæ intelligant. Idcirco illa, quæ dicta sunt de illa materia, sufficiant: nec curo, quod ad rationes pro prima opinione respondeas; quia modo valde debiles mihi videntur, & qualiter ad eas responderi potest per prædicta satis apparet. MAGIST. Considero quod si prædictam materiam exquirentius indagares, ad multas assertiones, quas aliquando facillimas reputasti, posses faciliter inclinari. Vnde si aliquid circa prædicta adhuc animum tuum anxerit, si placet propone.

CAP. XI.

In quo pertractatur, an ad theologos vel canonistas spectet inter hæreticos & orthodoxos discernere. & recitantur duæ opiniones contrariæ.

DISCIP. Si omnia illa, quæ vellem in animo, tibi proponerem; & tu ad omnia responderes, sicut cœpisti, librum maximum faceremus. ideo illis omissis ad aliam interrogationem præmemoratam accede. sæpe audiui, quod assertio hæreticalis alicuius dicitur, & tamen ipse inter hæreticos minime cõputatur. Ex quo videtur quod ad alios poterit pertinere: & ad alios, quis hæreticus est, & quis catholicus est censendus, & quæ assertio catholica, & quę hæreticalis discernere. Quamobrẽ interrogo, an ad theologos vel ad canonistas spectat inter hæreticos & orthodoxos discernere. MAGIST. Aliqui canonistæ tenere videntur, quod ad eos spectat inter hæreticos & catholicos iudicare, pro qua opinione põt sic argui. Ad illos principaliter spectat inter catholicos & hæreticos diiudicare, qui de hereticis exquisitius & magis de intentione considerant. huiusmodi sunt canonistæ. vnde in *libro decretalium* specialis titulus satis prolixus *de hæreticis* est insertus. In *decretis* etiam de hæreticis sæpe diffuse tractatur. in theologia autem raro de hæreticis fit mentio. vnde & nomen hæretici solummodo in vno loco Bibliæ sc. ad *Timoth*. 3. inuenitur. quare ad canonistas pertinet principaliter hæreticos discernere ab orthodoxis. Sed alii opinionem prædictã reputant omnino falsam, dicentes, quod ad theologos spectat, quis reputari debeat hæreticus, & quis catholicus iudicare: sed canonistæ habent ostendere, qua pœna postquam aliquis fuerit factus hæreticus, debeat secundum canonica iura puniri: quemadmodum iudex secularis (licet nesciat aliquem conuincere esse hæreticum, postquam tamen sibi fuerit tanquam hæreticus ab ecclesia derelictus.) non ignorat, qua pœna secundum iura ciuilia sit plectendus. Iudex ergo ecclesiasticus si aliquis coram eo fuerit tanquam hæreticus accusatus, habet primo consulere theologos, quomodo oportet talem conuincere, & postmodum per canones habet eum condignæ pœnæ subiicere. Quia autẽ theologi principaliter super hæreticos & orthodoxos discernant, isti ostendunt dicentes: quia nullus est hæreticus habendus, nisi qui hæresi pertinaci animositate adhæret. Sed ad theologos non solum, quæ assertio inter hæreses est numeranda, sed etiam qui autor eius debet pertinax æstimari, principaliter spectat discernere. ergo &c.

CAP. XII.

In quo recitatur opinio canonistarum tenentium quod ad ipsos spectat iudicare, quis pertinax sit censendus, & hoc probatur tribus rationibus, quæ soluuntur capitulo 14.

DISCIP. Licet mihi videatur probabile, quod ad theologos pertineat principaliter iudicare, quæ assertio catholica, quæ hæretica est censenda. adhuc tamen ignoro, an ad ipsos principaliter spectet quis pertinaciter, quis non pertinaciter adhæret prauitati hæreticæ, diffinire. & ideo nescio, an ad eos principaliter pertineat inter hæreticos & orthodoxos diffinire. quia error absq; pertinacia errantis non reddit hæreticum. de hoc ergo velis differere.

MAGIST. de hoc quidem canonistæ à theologis discordare videntur, dicentes, quod ad theologiam principaliter non pertinet iudicare, quis est pertinax indicandus. Ad quod ponendum rationibus infra scriptis videntur posse moueri. Quarum prima talis est. nullus errans contra fidem catholicam est pertinax iudicandus, nisi qui corrigendus à suo prælato suum defendit errorem. Ad quos ergo spectat determi-

determinare, quomodo errantes corripi debeant à prælatis, ad illos principaliter spectat discernere, quis est pertinax iudicandus. Sed ad canonistas principaliter spectat determinare, quomodo errantes corripi debeant à prælatis; quia ipsorum est scire, quando & quomodo prælati debeant contra errantes procedere; quia ad theologos minime spectat. Canonistæ enim, non theologi, de accusationibus, denunciationibus, inquisitionibus prauitatis hæreticæ; & etiam de citationibus, interrogationibus, & examinationibus hæreticorum, & de aliis quæ spectant ad iudiciarium ordinem circa errantes seruandum, debent cognoscere. ergo ad canonistas pertinet principaliter scire, quis est pertinax & hæreticus iudicandus.

Secunda ratio est hæc. pertinacia est quædam contumacia, secundum Gregorium vt innuit. & habetur *di. 15. c. non licuit:* & per beatum Augustinum, vt legitur. 24. *q.* 3. *ca. Qui in ecclesia.* de contumacia autem principaliter tractant canonistæ; cum contumacia attendatur vel respectu non venientis vel respectu non restituentis, vel rectum non respondentis, vel respectu recedentis, vel respectu exhibentis: quæ omnia citationem præsupponunt ad hoc quod aliquis contumax reputetur. De citationibus autem in his, quæ ad iudiciarium ordinem pertinere noscuntur, non theologi, sed canonistæ considerant. ergo ad ipsos principaliter spectat scire, quis est contumax & hereticus iudicandus.

Tertia ratio est hæc. ad quem spectat alicuius criminis punitio, ad eundem spectat eiusdem criminis puniendi cognitio; quia crimen incognitum puniri non debet. sed ad canonistas principaliter spectat, quomodo pro pertinacia quis debeat puniri. ergo ad eosdem spectat principaliter, quis est pertinax, iudicare.

CAP. XIII.

In quo pertractatur opinio theologorum scilicet, quod ad theologos spectat principaliter huiusmodi discernere.

DISCIP. Narra assertionem contrariam cum motiuis eiusdem. MAG. Alii dicunt, quod ad theologos spectat scire principaliter, quis pertinax est habendus.

Primum autem motiuum eorum est tale. ad theologos pertinet principaliter tractare de illis criminibus, quæ directe committuntur in Deum. quia cum theologia sit de Deo, sicut de principali subiecto, ipsa principaliter habet considerare crimina, quæ committuntur in ipsum. pertinacia autem prauitatis hæreticæ directe in Deum committitur. ergo ad theologos principaliter pertinet de pertinacia perscrutari.

Secundum motiuum est tale. eadem est scientia contrariorum. nam idem est iudex veri & obliqui. fides autem & hæretica prauitas sunt contraria, igitur ad theologos principaliter pertinet considerare de fide. ergo ad eosdem pertinet considerare de prauitate hæretica, & per consequens de pertinacia, sine qua hæretica prauitas minime reperitur.

Tertium motiuum est. quando scientia superior & inferior considerant de eodem: noticia illius principalius spectat ad scientiam superiorem quam inferiorem: quia cognoscit per causas superiores & per prima principia. sed de pertinacia hæresis considerat tam theologia quam scientia iuristarum. igitur cum theologia sit scientia superior; scientia vero canonistarum sit inferior: ergo ad theologiam principalius spectat, &c. maior est certa, vt videtur; minor ostenditur. nam quod de pertinacia consideret scientia canonum, est notum, & ipsi concedunt. Quod vero theologia consideret de eodem, patet aperte, cum apostolus *ad Tim.* 3. doceat hæreticum deuitandum. & in euangelio pertinaciam Iudæorum nolentium credere Christo, ipsamet veritas reprehendit.

DISCIP. In toto euangelio de pertinacia mentio non habetur: quomodo dicunt isti, quod Christus Iudæorum pertinaciam reprehendit. MAG. ad hoc respondetur, quod licet de hoc nomine *pertinacia* vel *pertinax* nulla in euangelio mentio fiat, tamen de re significata fecit, Christus sæpe mentionem vel sermonem. DISCIP. Vbi? MAGIST. Ioan. 15. vbi ait de Iudæis: *si non venissem & locutus fuissem, peccatum non haberent. nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* vbi Christus declarat Iudæos fuisse in erroribus suis pertinaces, quia sibi credere noluerunt. vnde subdit: *si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. nunc autem & viderunt & oderunt me & patrem meum.* vbi eos pertinaces ostendit, quia operibus credere noluerunt, maliciam & pertinaciam Iudæorum indicans (in communitate tamen) vt habetur *Matthæi* 11. exprobrat ciuitatibus, quæ sibi credere noluerunt.

CAP. XIV.

In quo ponuntur responsiones ad rationes Canonistarum in capitulo 12.

Discipulus. Quantum ad hoc, intelligo, vel plus placet mihi assertio ista secunda, & ideo indica, quomodo isti ad rationes tres contrarias respondere nituntur. *Magist.* Ad primam nonnulli respondent dicentes: quod licet in genere Theologi principaliter debeant scire, quis est pertinax iudicandus; tamen aliquem modum specialem errantem de pertinacia conuincendi magis ex intentione propter aliquas circumstantias considerant Canonistæ. Licet etiam si de tali modo inter Canonistas dubitatio oriretur, ad Theologos videretur applicandum, qui sciunt vniuersalia ac particularia profundius & certius iudicare: licet forte cum inuestigatione & deliberatione prolixa & magna. Vnde dicunt, quod multi sunt modi deueniendi ad notitiam pertinaciæ alicuius errantis contra fidem, quorum aliqui respiciunt ordinem iudiciarium, puta si errans citatus ad iudicium venire recusat, si veniens renuerit respondere & subterfugere iudicium & examinationem malitiose molitur. Similes autem modos conuincendi hæreticos, quantum ad circumstantias multas ordinem iudiciarium respicientes explicite magis tractant Canonistæ quam Theologi. In genere tamen & quantum ad multos alios modos conuincendi de pertinacia, magis spectat ad Theologos pertractare. *Discipul.* Potest aliquis conuinci de pertinacia extra iudicium? *Magist.* Nemo conuincitur auctoritate iudicii extra iudicium vel sine iudicis auctoritate, aliquis tamen extra iudicium conuincitur, quantum ad hoc, quod eius malitia propter euidentiã rei ad notitiam peruenit aliorum, in tantum vt liceat absque temeritate ipsum pertinacem hæreticum reputare. *Discipul.* Dic ad formam rationis illius opinionis. *Magist.* Ad formam dicitur, quod cum accipitur, quod nullus errans contra fidem est pertinax iudicandus, nisi qui corrigendus à suo prælato suum defendit errorem, quod hoc est manifeste falsum, quia sunt alii modi extra omnem iudicium deprehendendi errantem in pertinacia manifesta, nam qui iuraret se in perpetuum aliquam hæresim defensare vel defensurum, de qua in decretis & in tota scientia Canonistarum nulla fit mentio, sed in Theologia duntaxat: Theologi, non Canonistæ talem deprehenderent in pertinacia manifesta. Ad secundam rationem dicitur, quod omnis contumacia est pertinacia, sed non econtra, nec omnis pertinacia est sub vocabulo contumaciæ reputanda, & ideo licet Canonistæ de contumacia principaliter considerarent, non sequitur, quod de pertinacia principaliter perscrutarentur: quia sæpe scientia superior de vniuersalibus, & inferior de particularibus tractant, nec Greg. & Augustin. dicunt, quod omnis pertinacia est contumacia: sed intellexerunt, quod sæpe hæretici pro contumacia sunt iudicialiter condemnandi. Ad tertiam rationem respondetur, quod ad quem spectat alicuius criminis punitio, ad eundem spectat eiusdem criminis aliqualis cognitio, saltem generalis & confusa vel accepta ab alio, sed non oportet quod ad ipsum principaliter spectet eiusdem criminis perscrutatio scientialis vel subtilis & specialis cognitio & profunda. Ad iudicem namq; secularẽ spectat vltima punitio hæretici à suo errore resilire nolentis, postquam fuerit seculari relictus iudicio: & tamen ad iudicem secularem non spectat principaliter scire profunde, quis sit hæreticus reputandus. Iudices etiam seculares falsarios monetarum & mechanicos contra artes suas falsa opera facientes condigna pœna plectere debent: tamen monetarii & mechanici falsitatem monetæ & opera aliorum acutius quam iudices deprehendunt: sic licet Canonistæ considerent, quomodo pertinaces in errore contra fidem oportet iuste puniri, Theologi tamen multo fortius & certius errantes pertinaciter deprehendunt: quemadmodum tortores melius sciunt, quam iudices, quomodo debeant suspendi latrones: grauitatem tamen latrocinii minus cognoscunt.

CAP. XV.

In quo summarie quasi recapitulando narrantur ea, quæ spectant ad Canonistas in materia, qua agitur de discussione prauitatis hæretica.

Discipulus. Dic breuiter quæ sunt illa secundum assertores istos, quæ habent Canonistæ de hæreticis indagare. *Magist.* Dicunt isti, quod non solum Canonistæ habent disserere, qua pœna secundum iura canonica oportet hæreticos castigare: Sed qualiter sit contra hæreticos iudicialiter procedendum, quomodo scilicet contra hæreticos formandi sunt libelli accusatorii, & alii: quomodo producendi sunt testes: & alia quæ ad iudiciarium ordinem spectant, oportet eos cognoscere, propter etiam multas hæreses, quæ in libris eorum reperiuntur damnatæ, possunt de multis discernere an sint hæretici iudicandi, licet de hoc valeant Theologi profundius iudicare. Licet enim in Biblia de hæreticis sub nomine illo raro mentio habeatur: sancti tamen Bibliæ tractatores de hæreticis semper per principia in sacra scriptura tradita, quomodo sit aliquis hære-

hæreticus cognoscendus, magnos tractatus efficiunt. De quibus in libris Canonistarum plurima inseruntur, præter quæ & determinationes ecclesiæ in scriptura diuina fundatas fere omnia alia de hæreticis in libris eorum inuenta, non quis sit habendus hæreticus, sed quomodo sit contra hæreticos in iudicio procedendum, & qua debeant pœna feriri declarant, quod in titulo *de hæreticis*, qui in libro decretalium est insertus, patenter apparet. Prædicta autem, quia sunt positiua particularia & ex inuentione pendent humana, non sunt de consideratione Theologorum, qui talia principaliter non considerant: per rationes tamen vniuersales ad ipsos pertinet iudicare, vbi deficeret Canonistarum prudentia, an leges ecclesiasticæ de hæreticis certis modis plectendis, & modo procedendi contra eosdem scripturis sint aduersæ diuinis, quia si leges huiusmodi contrariarentur scripturæ sacræ, non essent aliter tolerandæ.

EXPLICIT LIBER PRIMVS.

INCIPIT LIBER SECVNDVS, QVI DOCET, QVÆ assertiones sint catholicæ, vel hæreticæ iudicandæ.

CAP. I.

In quo primum proponitur quæstio, quæ veritates sint catholicæ censendæ, ad quam respondetur secundum vnam opinionem, dicentem: quod illæ solæ veritates sunt catholicæ & de necessitate salutis tenendæ, quæ in canone Bibliæ explicite vel implicite continentur sub propria forma: aut ex contentis consequentia formali & necessaria sequuntur.

DIscipulus. Quæ recitasti circa quæsita, ad præsens sufficiunt mihi, & ideo ad aliud, quod magis cordi habeo, festino. Volo enim de hæresibus multa inquirere, sed quia nonnunquam cognitio vnius contrariorum ad cognitionem alterius conferre dignoscitur, quæro primo, quæ veritates sunt catholicæ censendæ. *Magist.* Quæstio tua vnum videtur supponere, & aliud quærere, videtur enim supponere, quod non omnes veritates sunt catholicæ iudicandæ, quod beatus Augustin. *in Enche.* expresse determinat. Quærit autem, quæ sunt illę veritates, quæ catholicæ sunt censendæ. *Discipul.* Cum beato Augustin. illud, quod supponit, firmiter teneamus, & circa quæsitum sententiam vnam vel plures enarra. *Magist.* Circa quæsitum sunt diuersæ & aduersæ sententiæ. Quarum vna est: quod illæ solæ veritates sunt catholicæ reputandæ & de necessitate salutis credendæ, quæ in canone Bibliæ explicite vel implicite asseruntur: ita quod si aliquæ veritates in Biblia sub forma propria minime continentur, ex solis tamen contentis in ea consequentia necessaria & formali possunt inferri, sunt inter catholicas connumerandę. Sicut hæc veritas: Christus est verus Deus & verus homo: in tota scriptura diuina sub hac serie verborum nullatenus inuenitur: quia tamen ex contentis in scriptura sacra consequentia necessaria & formali concluditur, catholica est censenda, & eam credere est necessarium ad salutem, omnes autem aliæ veritates, quæ nec in Biblia sunt insertæ, nec ex contentis in ea consequentia formali & necessaria possunt inferri, licet in scripturis sanctorum & in diffinitionibus summorum pontificum asserantur, & etiam ab omnibus fidelibus teneantur, non sunt catholicæ reputandæ: nec est necessarium ad salutem eis per fidem firmiter adhærere vel propter eas rationem vel humanum intellectum captiuare. Hanc suam sententiam rationibus & auctoritatibus confirmare nituntur. Auctoritas prima est Salomonis Prouerbio. 30. *omnis sermo Dei ignitus clypeus est omnibus sperantibus in se, ne addas quicquam verbis illius, & arguaris inueniarisque mendax.* Ex quibus colligitur, quod verbis diuinis, quæ in diuina scriptura habentur, nihil penitus est addendum, tanquam necessarium ad credendum. Hoc etiam testari videtur Moyses *Deuterno. quart. capit.* & beatus Iohann. *Apocal. vltim.* quorum verba, *cap. secund.* sunt adducta *primi libri.* Ex quibus datur intelligi, quod sicut de scriptura sacra nihil penitus est auferendum, ita nihil est penitus addendum tanquam necessarium ad salutem. Hanc sententiam auctoritate Augustin. conantur ostendere, vnde Augustin. in quadam *epistola ad Hieronymum*, & recitatur in decretis distinctio. 9. capit. *Ego*, ait: *Ego solis scripturarum libris* (qui iam canonici appellantur) *didici hunc timorem honoremque deferre vt earum nullum auctorem aliquid errasse firmissime credam. Si aliquid autem in eis inuenero quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam mendosum codicem esse vel non esse assecutū interpretem, quod dictum est vel minime me intellexisse non ambigam:*

alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, quanta ve doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ita ipsi senserint: sed quia per alios auctores vel canonicas vel probabiles rationes quod à vero non aberrent, mihi persuadere potuerunt. His verbis colligitur, quod solum canonibus, qui in Biblia continentur, necesse est fidem certissimam adhibere: & quod assertionibus aliorum non est necessarium ad salutem firmiter adhærere. Item hoc idem August. in lib. *de vnico Baptismo*, vt recitatur *dist. 9. cap. quis nesciat*, aperte sentire videtur, ait enim, *Quis nesciat sanctam Scripturam canonicam tam veteris quam noui testamenti certis terminis suis contineri eamque posterioribus omnibus episcoporum libris ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrum verum vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit, episcoporum autem litteras, quæ post cōfirmatum canonem vel scripta sunt vel scribuntur, & per sermonem forte sapientiorem cuiuslibet in ea reperitioris: & per aliorum episcoporum grauiorem auctoritatem doctioremque prudentiam, & per concilia reprehendi licere, si quid in eis forte à veritate est deuiatum.* Ex his verbis colligitur, quod de sola sacra scriptura noui & veteris testamenti est illicitum dubitare, vtrum sit verum vel rectum, quicquid in ea scriptum esse constiterit. Ergo de omnibus scripturis conciliorum generalium, & consimilium, & quorumcunque aliorum expositorum scripturæ diuinæ, ac etiam Romanorum pontificum, & quorumlibet historiographorum, post canonem editis confirmatum, non est illicitum dubitare & discrepare, an à veritate exorbitent, quæcunque scriptura constiterit in eis, antequam scripturæ noui & veteris testamenti consona demonstretur. Item Aug. in epistola ad Vincentium, & allegatur *di. prædicta. ca. noli*, loquens de scripturis posterioribus nouo & veteri testamento, ait: *hoc genus literarum ab auctoritate canonis distinguendum est, non enim sic leguntur, tanquam ex eis ita testimonium proferatur, vt contra sentire non liceat, vbi forte aliter sapuerint quam veritas postulat.* Ex his habetur, quod contra omne genus literarum post canonem Bibliæ licet sentire. His concordare videtur August. in epistola ad Fortunatum, & habetur *dist. præfata. c. Neque*, qui ait: *neque quorumlibet disputationes*, (id est, exponens secundum glo. quamuis catholicorum & laudatorum hominum) *velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat* (salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus) *aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte inuenerimus, quod aliter senserunt, quam veritas habet diuino adiutorio vel aliis intellecta, vel à nobis.* Ex his concluditur, quod nullis assertionibus quorumcunque quæ in scripturis canonicis non habentur, firmiter assentire quis constringitur.

Item de veritatibus, quas docuit August. Quod nullus teneatur eas de necessitate salutis recipere, nisi in scripturis canonicis habeantur, secundum eundem August. ostendunt. Nam in libro *de trini.* vt in di. 19. recitatur ca. *noli*, ait: *Noli meis litteris quasi canonicis scripturis inseruire: sed in illis quæ non credebas, cum inueneris, incunctanter crede. In istis autem quod certum non habeas* (nisi certum intellexeris) *noli firmum tenere.* Et in epistola *ad Vincentium Victorem. libro 2.* & habetur *dist. 9. cap. negare*, ait: *negare non possum nec debeo, sicut in ipsis maioribus est, ita esse multa in tam multis opusculis meis quæ possint iusto iudicio & nulla temeritate culpari.* Ex his concluditur, quod scripturis beati August. non est necesse incunctanter adhærere. Ergo eadem ratione nec scripturis aliorum quorumcunque, qui inter scriptores Bibliæ non habentur.

Sententiam memoratam etiam rationibus moliuntur ostendere. Quarum prima est hæc. Extra illam scripturam nulla catholica veritas inuenitur, in qua omnis veritas vtilis ad salutem habetur, & omnis falsitas inimica saluti damnatur. Sed secundum August. in scriptura diuina quicquid vtile est inuenitur: & quicquid noxium vel nociuum est, damnatur, ergo extra sacram scripturam nulla veritas catholica reperitur. Secunda ratio est hæc: Nō minus sufficiens pro fidelibus Christianis est nouum testamentum vna cum veteri, quam fuit solummodo vetus testamentum pro Hebræis, sed tota fides, ad quam astringebantur Hebræi, fuit expressa in veteri testamento, ergo & tota fides, ad quam de necessitate salutis Christiani tenentur & arcentur, in nouo testamento & veteri cōtinetur, ergo Christianus de necessitate salutis non tenetur ad credendum nec credere, quod nec in Biblia continetur, nec ex solis contentis in Biblia potest consequentia necessaria & manifesta inferri. Tertio sic. Illud, quod eadem facilitate contemnitur, qua probatur, ad fidem catholicam minime spectat, esto quod sit verum, non debet inter veritates catholicas numerari, sed secundum Hieronym. de scripturis diuinis loquentem: *quod de scripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*, ergo nulla auctoritas, quæ ex Scripturis auctoritatem non habet, est inter veritates catholicas computanda.

CAP. II.

In quo ponitur opinio præcedenti contraria, distinguens diuersas veritates: sed magis & minus ad fidem catholicam pertinentes: quæ etiam capitulo sequenti probatur.

MAgister. Sed alii isti sententiæ nequaquam consentiunt, dicentes: quod multæ sunt veritates catholicæ & fidem sapientes catholicam, quæ nec in diuinis scripturis habentur explicite: nec ex solis contentis in eis possunt inferri: quibus tamen fidem indubiam explicitam vel implici-

tam adhibere est necessarium ad salutem. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod præter veritates, circa quas licitum est sic vel aliter opinari, veritates, quas quilibet catholicus certa credulitate explicite vel implicite tenere astringitur, possunt in triplici differentia reperiri. Quædam enim sunt de Deo & Christo secundum humanitatem, ex quibes principaliter salus nostra dependet, sicut quod vnus est Deus & tres sunt personæ: quod Christus est verus Deus & verus homo, passus & mortuus, & quod resurrexit & ascendit &c.

Aliæ sunt veritates, ex quibus non ita principaliter pendet salus humana: eas tamen oportet firma fide tenere: quia ex reuelatione vel approbatione Dei (cui nullus debet catholicus dissentire) ad orthodoxorum notitiam peruenerunt: quibus mediantibus eas fideles posteri susceperunt, huiusmodi veritates sunt complures in canone confirmato contentæ, in quo etiam multæ habentur de creaturis, etiam de infidelibus hominibus, quæ non directe sed indirecte quodammodo ad salutem humani generis pertinere noscuntur, sicut quod Phareo, Madianitæ, Chananei, & alii infideles quamplurimi multas terras occupauerunt, & filios Israel multipliciter afflixerunt, nonnullæ etiam veritates huiusmodi extra prædictum canonem continentur: quæ tamen per reuelationem & approbationem diuinam mediantibus Apostolis ad catholicos peruenerunt: quia Christus dum viueret in carne mortali cum Apostolis, multa docuit eos & fecit coram eis, quæ tamen in Biblia non habentur. Ex reuelatione etiam Spiritus sancti (qui secundum promissionem Christi *docturus erat* Apostolos *omnem veritatem*) multa, quæ non habentur in sacris literis, didicerunt, quæ postea catholicos docuerunt. Omnes veritates prædictas & quæ ex eis consequentia necessaria omni tempore necessitatem habente possunt inferri, dicunt isti catholicas esse tenendas. Præter veritates vero prædictas dicunt esse quasdam veritates alias, quæ ex solis contentis in scriptura diuina & veritatibus, quæ ad nos per Apostolos peruenerunt, concludi non possunt, quæ tamen ex prædictis veritatibus, vel aliqua earum & quibusdam aliis veris, quæ in facto consistunt, quæ vera negari non possunt, manifeste sequuntur. Et de talibus veritatibus, quæ ad notitiam peruenerunt, exemplificare nituntur, dicentes, quod talis veritas est illa; Regulæ à sanctis Patribus; scilicet Basilio, Benedicto, Augustino, & Francisco institutæ, sunt licitæ, meritoriæ & perfectæ: quia licet ista veritas ex solis contentis in scriptura sacra & veritatibus, quas ab Apostolis ecclesia vniuersalis accepit, inferri non possit, cum de istis sanctis & gestis ac regulis institutis ab eis, nulla in prædictis veritatibus mentio habeatur, illa tamen veritas simul ex scripturis diuinis & gestis & actibus prædictorum sanctorum, de quibus gestis & actibus Christiano rationali sufficienter potest fieri fides, videtur euidenter. Tales etiam veritates sunt illæ: fides, quam tenuit beatus Augustin. fuit & est catholica putanda. Symbolum Athanasii est catholicum reputandum & fidele. Sancta quatuor concilia generalia rite celebrata veritatem catholicam diffinierunt: & huiusmodi multæ, quæ ex solis contentis in diuina scriptura & doctrina Apostolica inferri non possunt: cum Augustin. & Athanasius tunc non fuerunt in rerum natura: nec tunc illa concilia fuerunt celebrata, ex contentis tamen in illis veris euidenter possunt concludi. Tales veritates dicunt esse quamplurimas. Quarum aliquæ doctrinis autenticis sunt insertæ: nonnullæ vero in scripturis non habentur. Istas veritates dicunt non esse catholicas, accipiendo vocabulum *catholica* strictæ: sed dicunt eas sapere catholicam veritatem, etiamsi ex veris aliis inferantur. Et ideo, vt dicunt, large accipiendo *veritates catholicas*, possunt veritates catholicæ nuncupari, & illas veritates, quas dicunt sapere catholicam veritatem, existimant ab omni fideli tenendas, saltem implicite. Adhuc sunt aliæ veritates, quas dicunt solummodo in facto consistere: cuiusmodi sunt veritates de gestis ecclesiæ & sanctorum, quæ in gestis, cronicis & historiis fide dignis habentur: quas etiam asserunt à fidelibus minime respuendas. Ex his omnibus isti concludunt, quod multæ sunt veritates catholicæ, quæ nec in scriptura sacra continentur explicite, nec ex solis contentis in ea possunt inferri. Et multæ etiam sunt veritates aliæ, quas oportet certa fide tenere.

CAP. III.

In quo probatur opinio posita capitulo præcedenti auctoritatibus & quinque rationibus.

DIscipulus. Satis diffuse narrasti illam secundam sententiam, sed vellem scire, an pro illa aliquæ auctoritates vel rationes valeant allegari, ad probandum scilicet, quod oporteat ad salutem aliquibus veritatibus adhærere, quæ nec in literis sacris habentur, nec ex solis contentis in eis necessario argumento possunt inferri. Vtrum autem tales veritates stricte loquendo catholicæ debeant reputari, non curo quod inuestiges. *Magister.* Assertio

de qua

de qua interrogas, multis auctoribus & rationibus videtur posse probari, hoc enim Innocen. tertius, vt habetur *extra de ce. mis. ca. Cum Martha*, testari videtur, ait enim *multa tam de verbis, quam de factis dominicis, inuenimus ab Euangelistis omissa, quæ Apostoli vel suppleuisse vel facto expressisse leguntur.* Et infra idem: *Credimus ergo quod formam verborum, sicut in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperunt successores.* Ex quibus verbis colligitur, quod quamuis forma conficiendi sacramentum eucharistiæ nequaquam reperiatur secundum se totam in scriptura diuina: tamen quod illam formam Christus tradiderit est credendum, hoc etiam beatus August. sicut allegatum est supra, expresse sentire videtur, cum dicit: *palam est quod in re dubia ad fidem & certitudinem valeat catholicæ ecclesiæ auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus vsque in hodiernum diem succedentium sibimet episcoporum serie & tot populorum assertione firmatur*, his verbis datur intelligi, vt videtur, quod ad faciendam fidem sufficeret auctoritas ecclesiæ absque scriptura diuina. Item Agato papa, vt habetur di. 19. c. *Sic omnes*, ait, *sic omnes apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuina voce Petri firmatæ.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod omnes sanctiones apostolicæ sedis sunt eiusdem auctoritatis cum scripturis beati Petri, quæ inter scripturas diuinas censentur, ergo eis fides æqualiter est præbenda, sed in sanctionibus sedis apostolicæ veritates plures habentur, quæ in scripturis diuinis minime sunt insertæ, ergo pluribus aliis veritatibus est firmiter adhærendum. Item Nicolaus papa, vt habetur dist. 22. cap. 1. ait: *Qui autem Romanæ ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur: hic proculdubio in hæresim labitur*, & parum post: *hic est dicendus hæreticus.* Ex quo datur intelligi, quod qui non vult hæreticus reputari, necessario credere debet, quod Romana ecclesia super omnes alias ab ipso Christo primatum accepit, de quo tamen in sacra scriptura nulla fit mentio, ergo veritates aliquæ sunt credendæ, licet ex scripturis sacris inferri non possint. In fulcimentum autem assertionis eiusdem isti rationes adducunt, quarum prima ducit ad inconueniens, quia si solis scripturis diuinis, & his qui ex solis contentis in eis possunt inferri, adstringerentur Christiani fidem indubiam adhibere: sequeretur, quod negare liceret Apostolos symbolum condidisse, beatum Petrum Romanum pontificem fuisse, sedem beati Petri de Antiochia Romam fuisse translatam, Romanos pontifices Petro successisse: cum de his in scripturis diuinis nil legatur, has tamen veritates vniuersalis ecclesia hactenus tenuit, probauit & docuit, & per consequēs ecclesia vniuersalis errasset; quod omnis catholicus ecclesiasticus pro inconuenienti debet habere. Secunda ratio est hæc. Non minus tenentur catholici determinationibus & diffinitionibus Romanorum pontificum (cum nihil contra fidem diffiniunt catholicam) credulitate indubia adhęrere, quam eorum statutis, quando nihil contra Dei voluntatem præcipiunt, obedire, sed omnibus statutis Romanorum pontificum, quando nihil contra Dei voluntatem præcipiunt, oportet cum omni humilitate & reuerentia obedire, sicut per sacros canones habetur *dist. 11. cap. 1.* & etiam *cap. præceptis*. Et alibi *in decretis* cap. innumeri. constat aperte, ergo determinationibus & diffinitionibus Romanorum pontificum, quando constat eos nihil contra fidem diffinire catholicam, oportet certissime adhęrere. Sed Romani pontifices multas veritates quæ ex solo canone confirmato probari non possunt, diffiniunt firmiter esse tenendas, ergo de necessitate salutis oportet nonnullis veritatibus, quæ ex solis scripturis diuinis probari non possunt, fidem indubiam adhibere. *Discipul.* Affecto scire, an isti assertores ponant exemplum de aliqua veritate, quæ firmiter sit tenenda: quæ tamen nec in scripturis diuinis habetur, nec ex solis scripturis diuinis illis potest aperte probari. *Magist.* Multa exempla eorum iam tibi monstraui, videlicet quod Apostoli symbolum condiderunt, quod beatus Petrus fuit Romanus pontifex, quod sedes beati Petri fuit de Antiochia Romam translata, quod beato Petro Romani pontifices successerunt. Aliud etiam ponunt exemplum de principatu Romanæ ecclesiæ, de quo in scriptura diuina nulla fit mentio: quia licet de papatu beati Petri scriptura sacra expresse loquatur, quod tamen beatus Petrus Romanam rexit ecclesiam, in eadem scriptura minime reperitur: & ita de papatu Romanæ ecclesiæ nihil per solam eandem scripturam potest ostendi: & tamen firmiter tenere debemus, quod Romana ecclesia papatum habet super alias vniuersas. *Discipul.* De illo papatu Romanæ ecclesiæ supersede; quia de ipso postea tibi aliquas quæstiones mouebo. Sed si isti assertores in aliqua alia ratione se fundant enarra. *Mag.* Adhuc aliis rationibus satagant se munire, vnde tertia ratio eorum est ista. Non in minori reuerentia & honore debet haberi Apostolorum doctrina, quam eorum canones & statuta, sed canones & statuta Apostolorum, siue ea quæ in scripturis redegerunt, siue solo verbo quæ ipsi seruari mandauerunt, firmiter sunt seruanda, ergo & omnes veritates, quas scripto vel verbo Apostoli docuerunt, tanquam verissimæ sunt habendæ, Apostoli autem plurima docuerunt, quæ in scripturis minime reliquerunt, ergo aliquæ veritates, quæ in scripturis canonicis non habentur, verissimæ sunt censendæ, quibus per consequens oportet adhæsione certissimá consentire. Quarta ratio est hæc. Vniuersalis ecclesia non potest errare, ipsa testante veritate, quæ ait Apostolis Matthæo vltimo, *vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, quæ etiam pro fide Petri rogauit, ne vnquam deficeret, imo quicunque diceret ecclesiam vniuersalem errare in articulo fidei, in sanctam ecclesiam catholicam vehementer impingeret. Ecclesia autem vniuersalis multas prædicat veritates, quæ nec in scripturis diuinis habentur: nec ex eis solis possunt inferri, sicut per exempla prætacta patet, igitur huiusmodi veritates firmiter sunt tenendæ. Quinta ratio est hæc. Non minoris auctoritatis sunt scripta summorum pontificum & sanctorum doctorum, quæ pro suis dogmatibus conscripserunt, quam sint quæcunque chronicæ & historiæ siue fidelium, siue infidelium,

quæ extra sacram scripturam habentur, sed omnino fatuus censetur, qui omnes cronicas & historias extra canonem Bibliæ reprobaret vel eas diceret minime approbandas, tunc enim liceret ea, quæ enarrantur de summis pontificibus, imperatoribus, regibus, regnis & aliis quibuscunque qui non inueniuntur in Biblia, respuere & negare: quod inconueniens est censendum, ergo multo magis scriptis summorum pontificum & sanctorum, quæ pro suis dogmatibus conscripserunt, quæ non inueniuntur in Biblia, est firmiter adhærendum. *Discipul.* Rationes & auctoritates, quas pro secunda sententia adduxisti, fortes mihi videntur. Et quamuis nolim, quod in toto hoc opere manifestes, quæ sit tua assertio, quando contrarias opiniones recitas & aduersas, veruntamen in generali cupio scire, an scilicet, quando illam assertionem, quæ tua est rationibus & auctoritatibus munire conaris, existimes omnes auctoritates & rationes, quas allegas, conclusionem tuam demonstratiue probare. *Magist.* Pro sententia, quam reputo veram, motiua quandoque demonstratiua, interdum probabilia tantum, nonnunquam solummodo apparentia, propter aliquos exercitandos aut probandos seu tentandos allego.

CAP. IV.

In quo recitantur duæ opiniones, quibus scilicet assertionibus sit assentiendum, & qui libri, seu sanctorum opuscula sint tanquam catholica habenda, de quibus ponuntur duæ conclusiones, quæ etiam probantur.

D*Iscipulus.* Modus ille valde mihi placet: quia per hoc sæpe scientiam inflatorum experiar, porro cum quæsiuerim, quibus veritatibus oporteat firmiter assentire, super quo diuersas opiniones diuersorum reserasti, quarum prima habet consequenter dicere, quod solummodo sacrarum scriptoribus literarum est fides firmissima adhibenda. Secunda vero, quæ mihi placet magis, concedere debet etiam quod aliquid aliud est credendum. *Magist.* Ad interrogationem tuam à diuersis diuersimode respondetur, quidam enim dicunt vniuersis conciliis generalibus & omnibus summis pontificibus in his quæ diffiniunt, esse credendum, & omnibus sanctis scripturæ sacræ tractatoribus credere esse necesse; licet ea, quæ dicantur, per sacram scripturam nequeant demonstrare. Pro hac assertione videtur esse, quod legitur *dist. 15. cap. 1.* vbi de conciliis generalibus recipiendis habetur aperte. Et etiam *cap. sicut*, & *cap. sancta Romana.* De assertionibus summorum pontificum recipiendis habetur *dist. 19. c. si Romanorum.* Et in pluribus aliis, de traditionibus autem sanctorum habetur *dist. 15. c. sanctam.* Alii vero prædictæ assertioni non vsquequaque consentiunt, asserentes quod licet assertionibus generalium conciliorum sit vniuersaliter adhærendum, licet etiam multis *decretis* seu etiam *decretalibus* ac diffinitionibus summorum Romanorum pontificum, ac pluribus opusculis sanctorum doctorum, pro eo quod omnia quæ inueniuntur in eis constat esse consona catholicæ veritati, oporteat catholicos consentire: non tamen eo ipso, quod Romani pontifices vel sancti tradunt aliquid esse tenendum, est huiusmodi (tanquam consonum veritati) necesse accipere. *Discipul.* De generalibus conciliis & summis pontificibus intendo aliqua postea ad materiam istam spectantia indagare: & ideo hic nihil loquaris de ipsis, sed de sanctis obsecro refera, quid prædicti sentiunt assertores. *Magist.* De sanctis duas conclusiones affirmant. Quarum prima est, quod non eo ipso, quod aliquis sanctus aliquid opinatur esse credendum, est à cunctis fidelibus tanquam veritati consonum approbandum. Secunda conclusio, quod non omnibus sententiis, quæ inueniuntur in sanctorum opusculis iam per ecclesiam diuulgatis, est firmiter adhærendum.

Prima conclusio probatur auctoritatibus Augustin. quæ ponuntur *distinct. 9. cap. noli. & cap. negare & cap. Ego & cap. noli & cap. neque.* In quibus manifeste asserit Augustin. quod nonnulla in opusculis sanctorum & suis inserta licet fidelibus iusto modo absque omni temeritate culpare.

Hoc etiam ratione moliuntur ostendere, nam non est necesse, putare aliquid esse verum propter hoc, quod illi, qui possunt errare, hoc sentiunt, nam propter solam existimationem illorum, qui possunt asserere falsum pro vero, non est eo ipso aliquid asserendum pro vero, quia tales sic sentiunt. Sed sancti, stante sanctitate, possunt errare, etiam contra catholicam veritatem, igitur hoc, quod sancti aliquid sentiunt esse verum, non est efficaciter adhærendum. Maior est aperta, minor exemplo & ratione probatur. Exemplo quidem de beato Augustin. qui sanctus existens plurima scripsit & docuit contra veritatem catholicam, quorum aliqua postmodum reuocauit, hoc etiam ratione probatur.

Nam error, qui pertinaciam non habet annexam, non obuiat sanctitati. Sed contingit aliquem errare contra catholicam veritatem absque pertinacia, ergo non est inconueniens affirmare sanctos stante sanctitate posse errare contra catholicam veritatem absque pertinacia, & ita non est necesse

necesse omnibus, quæ sancti dicunt firmiter adhærere. Secunda conclusio probatur, nemo debet contrariis assentire: sed sancti in suis opusculis iam per ecclesiam diuulgatis inter se inueniuntur contrarii, etiam in his, quæ ad fidem & doctrinam Apostolicam pertinere noscuntur, nam vt habetur *distinct.* 26. circa doctrinam beati Pauli dicentis, quod oportet episcopum vnius vxoris esse virum & non plurium, Hieronymus & Augustinus sententias contrarias protulerunt, hinc est quod Gloss. *distinct. prædicta.c.1.* dicit, *male sentit hic Hieronymus, vnde Augustinus eum corrigit in proximo.* Isti etiam sancti multi, sicut patet in eorum epistolis, & recitat Gloss. *ad Gal. 11.* de reprehensione, qua B. Paulus dixit B. Petrum esse reprehensibilem, contraria sentiebant. Beatus etiam Cyprianus de baptismo hæreticorum aliter quam B. Augustinus scripsit, vnde & B. Augustin. eundem sanctissimum Cyprian. redarguit, loquens enim de sancto Cypriano & aliis, vt habetur de consec. dist. 4. c. *quomodo* ait, *non ob aliud visum est etiam quibusdam egregiis viris & antistitibus Christi, inter quos præcipue beatus Cyprianus eminebat, non esse posse apud hæreticos vel schismaticos baptismum Christi: vbi quia non distinguebat sacramentum ab effectu vel vsu sacramenti, & quod sacramentum atque eius vsum in liberatione à peccatis & cordis rectitudine apud hæreticos non inueniebat, ipsum quoque sacramentum illic non esse putabat.* Hæc autem est sententia Cypriani de sacramentis hæreticorum, cuius contrarium Augustin. ibidem dicit & asserit. Manifeste ergo sancti circa sacramenta ecclesiæ contraria dogmatizant, hinc dist. 33. c. *adhuc sciendum*, legitur: *Sciendum vero quod canones Apostolorum, quorum omnium auctoritate orientalis ecclesia & ex parte Romana vtitur, & insignis martyr Cyprianus & omnes episcopi cum eodem baptismum hæreticorum lauacrum diaboli appellat. Stephanus vero & Cornelius martyres & Pontifices Romani, & venerabilis Augustin. in libro de baptismate eundem Cyprianum & præfatos episcopos ob hanc causam vehementer redarguerunt, affirmantes baptisma siue ab hæretico, siue à schismatico, ecclesiastico more, traditum siue celebratum, esse ratum.* Ex his colligitur, quam Cyprianus & August. de sacramento ecclesiæ contraria tradiderunt, quæ etiam reperiuntur in scripturis eorum, sicut ex prædictis, & ca. eiusdem Cypriani, quod habetur *1. q. c. si quis*, patet aperte, non ergo omnibus assertionibus in operibus sanctorum inuentis debet catholicus adhærere. *Discip.* De sanctorum libris tam aperte probasti, quod non sunt in omnibus approbandi, quod nequeo dissentire. Ex quo sequitur, quod nihil auctoritatis remansit in eis, quia sicut instrumenta, ita etiam Scripturæ quacunque in parte inueniuntur falsæ, in totum reprobantur vel saltem suspectæ redduntur. Vnde & de Scripturis sacris, vt habetur *distinct. 9. cap. si ad Scripturas sacras*, asserit Augustin. *quod si ad eas admissa fuerint vel officiosa mendacia, nihil auctoritatis remanebit in eis*, dic ergo, quomodo isti respondent ad illud, quod (de approbatione opusculorum sacrorum, inter quæ etiam opuscula Cypriani & Augustini & Hieronymi numerantur) *distinct. 15.* legitur manifeste. *Magist.* Dicunt isti, quod non omnia opuscula sanctorum, quantum ad omnia contenta in eis, sunt per ecclesiam approbata. Constat enim, quod in libris beati Augustini multa inueniuntur contraria veritati, quæ etiam ipse postmodum reuocauit, & ita illa minime approbantur. Et sicut est de libris beati Augustini, ita est de libris multorum aliorum sanctorum, qui nequaquam quo ad omnia approbantur, omnes tamen libri sanctorum, de quibus in *distinct. prædicta* fit mentio, approbantur quo ad omnia, quæ nec per auctoritatem, nec per alios sunt correcta. *Discipul.* Isto modo libros hæreticorum approbares, quoad omnia, quæ per catholicos minime sunt correcta, omnium enim veritatem est licitum approbare. *Mag.* Dicunt isti, quod non est simile de libris hæreticorum, & de libris sanctorum, quia in libris hæreticorum falsa principaliter tractantur & asseruntur: pauca autem vera inueniuntur inserta. In libris vero sanctorum vera principaliter intenduntur, & pauca reperiuntur contraria veritati, & ideo propter pauca inutilia non sunt tanta vtilia respuenda. *Discipul.* Explica mihi, an isti putant omnes veritates in libris sanctorum inuentas catholicas esse censendas. *Magist.* Nullatenus arbitrantur omnes veritates tractatas in libris sanctorum esse catholicas. Vnde dicunt, quod sancti aliqua tanquam catholica, quædam autem tanquam necessaria non ad fidem spectantia, nonnulla vero tanquam probata tradiderunt, hoc vlterius ex auctoritatibus Augustini, quæ *distinct. 9.* ponuntur, scilicet *cap. noli, & cap. negare, & cap. neque*, probatur etiam aperte, cui etiam concordat Anselmus *lib. 1. Cur Deus homo*, dicens de peccato, quod *omnia quæ dico, sic volo accipi, vt si quid dixero, quod maior non confirmat auctoritas, quamuis illud ratione probare videar, non alia certitudine accipiatur, nisi quod interim mihi videtur, donec Deus mihi melius reuelet.* Ex quibus verbis colligitur, quod Anselmus nonnulla tanquam probabilia solummodo dicere intendebat, &c.

CAP. V.

In quo recitantur quinque genera veritatum, quibus non licet Christianum aliqualiter dissentire.

DIscipul. Ex verbis istis quæ narrasti, magnam occasionem cogitandi mihi dedisti, de ipsis tamen plura quærere nequaquam nunc intendo, sed quot generibus veritatis oportet Christianos catholicos assentire secundum sententiam prædictorum, absque omni probatione tibi placeat indicare. *Magist.* Tenent isti, quod quinque sunt genera veritatum, quibus non licet Christianis aliter dissentire. Primum est earum, quæ in Scriptura sacra dicuntur, vel ex eis argumento necessario

possunt inferri. Secundum est earum, quæ ab Apostolis ad nos per succedentium relationem vel Scripturas fidelium peruenerunt, licet in Scripturis sacris non inueniantur insertæ, nec ex solis eis possunt necessario argumento concludi. Tertium est earum, quas in fide dignis cronicis & historiis, relationibus fidelium inuenimus. Quartum est earum, quæ ex veritatibus primi generis & secundi tantummodo, vel quę ex eis vel alterius earum vna cum veritatibus tertii generis possunt manifeste concludi. Quintum est earum, quas Deus præter veritates reuelatas Apostolis; aliis reuelauit, vel etiam inspirauit, ac nouiter reuelaret, vel etiam inspiraret: quæ reuelatio vel inspiratio ad vniuersalem ecclesiam absque dubitatione peruenit, vel etiam perueniret. *Discipul.* Quamuis nō intenderim de istis te amplius molestare: quia tamen vnum genus veritatis, de quo nullus dubitat catholicus omisisti edicere, quare isti inter aliquas veritates illas, quæ in determinationibus & diffinitionibus ecclesiæ reperiuntur, nequaquam enumerant? *Magist.* De illis veritatibus mentionem non faciunt specialem, quia putant quod ecclesia rite procedens nullam veritatem determinat aut diffinit, nisi in Scriptura sacra aut traditionibus Apostolorum aut cronicis historiis vel reuelationibus indubitabilibus fidelium, vel his quæ sequuntur ex prædictis aut aliquo prædictorum, vel in reuelatione seu inspiratione diuina modo debito manifesta valeant se fundare, & ideo omnes veritates, quas determinat vel diffinit ecclesia, sub aliquo quinque generum præfatorum comprehendi noscuntur. *Discipul.* Illa quæ refers, vrgent me contra propositum præconceptum interrogare, quid de approbatione canonis Bibliæ & aliorum librorum postea conscriptorum ac omnium aliorum, quæ ecclesia noscitur approbare, assertores sentiunt memorati. *Magist.* Hoc pro certissimo tenent, quod non est in potestate ecclesiæ, quæcunque ad placitum approbare vel etiam reprobare: sed ecclesia rite approbando quęcunque in aliquo prędictorum generum quinque veritatum se fundauit. Vnde ad probationem, quantum ad rem, licet quantum ad nomen à determinatione vel diffinitione in proposito non discernuntur.

CAP. VI.

In quo ponitur descriptio hæresis, contra quam etiam obiicitur capitulo sequenti.

DIscipulus. De veritatibus theologicis seu catholicis nonnulla quæsiui. Nunc vero ad hæreses eis contrarias transeamus. In primis autem affecto scire, si diffinitionem hæresis datam ab aliquo inuenisti. *Magist.* Quidam diffiniunt seu describunt hæresim dicentes, quod *hæresis est dogma falsum fidei contrarium orthodoxæ.* In qua descriptione loco generis ponitur *dogma falsum*, quia omnis hæresis est dogma falsum: sed non omne dogma falsum debet hæresis reputari, quod autem omnis hæresis sit dogma falsum, beatus Hieronymus vt habetur *24. quæst. 3. cap. inter hæresim*, testatur aperte dicens: *hæresis peruersum dogma habet*, dogma autem peruersum est falsum dogma, hæresis ergo est falsum dogma, sed non omne dogma falsum est hæresis, nam secundum Augustin. in Encher. *in multis rebus errare, nullum aut minimum est peccatum*, sed hæresis sicut infidelitas grauissimum est peccatum, ergo non omnis error est hæresis. Ex quo concluditur, quod non omne dogma falsum est hæresis, cum omnis error dogma falsum sit censendus, dogma ergo falsum in descriptione hæresis pro genere ponitur secundum istos, *fidei* autem *contrarium orthodoxæ* ponitur loco differentiæ, per hoc enim ab aliis falsis, quæ non sunt hæreses, conuenienter hæresis est distincta, nam aliqua dogmata falsa non sunt contraria fidei catholicæ, & ideo hæreses minime nuncupantur. *Discipul.* Ex verbis beati Hieronymi allegatis moueor ad quærendum, an beatus Hieronym. cum dicit, *hæresis peruersum dogma habet*: intenderet diffinitionem aut descriptionem assignare. *Magist.* Dicunt illi, quorum ad præcedentem interrogationem sententiam recitaui; quod large accipiendo *peruersum* pro qualicunque pernicioso seu nociuo, beatus Hieronymus non intendit ibi hæresim diffinire, multa enim sunt dogmata perniciosa, quæ hæreses nullatenus sunt censenda. Si autem *peruersum* accipiatur magis stricte pro illo, quod est perniciosum in doctrina religionis, quemadmodum secundum beatum Augustinum vnum genus mendacii est, quod inuenitur in doctrina religionis: sic potest concedi, quod beatus Hieronymus ibidem intendit descriptionem hæresis assignare, & sic *dogma peruersum* accipitur pro dogmate falso fidei catholicæ contraria orthodoxæ.

CAP. VII.

In quo obiicitur contra diffinitionem datam de hæresi, ad quam respondetur capitulo sequenti.

DIscipulus. Libenter scirem an omnes concorditer reputant hæresim prædicto modo describi debere. *Magist.* Sunt quidam qui non putant hæresim taliter describendam: qui tali rationi inniti videntur, multa dogmata falsa fidei contraria orthodoxæ fiunt nouiter hæreses, quamuis non de nouo incipiant esse falsa fidei contraria orthodoxæ, ergo priusquam hæreses debeant reputari, sunt dogmata falsa fidei orthodoxæ contraria. Ex quo euidenter concluditur, quod non omnia dogmata falsa

falsa fidei contraria orthodoxæ deberent hæreses reputari, antecedens videtur euidens, quia multæ sunt nouæ hæreses, quamuis prius falsa dogmata fuerint fidei orthodoxæ contraria. Vrbanus enim Papa, vt habetur *24. question. 3. cap. notandum*, ait: *sanctus Augustinus cum legatis sanctæ Romanæ ecclesiæ, & cum sanctis episcopis suis Pelagium & Cælestinum nouam hæresim in sanctam Dei ecclesiam introducentes excommunicauit.* Ex quibus verbis colligitur, quod Pelagius & Cælestinus opinionem, quæ tunc erat noua hæresis, in ecclesiam introduxerunt: & tamen illa opinio fuit prius contraria fidei orthodoxæ, ergo illa opinio seu assertio, priusquam esset hæresis, fuit dogma falsum fidei contrarium orthodoxæ, & ita illa non est descriptio conuertibilis cum hæresi, hinc Gratianus *24. quæst. 1. cap. 1. §. omni enim*, ait: *Omnis hæreticus aut iam damnatam hæresim sequitur, aut nouam confingit.* Et Glossa ibidem dicit: *sed tu dic indistincte seu veterem* (scilicet hæresim) *siue nouam sequatur, excommunicatus est, licet sit occultus.* Glossa etiam dicit: *Si scirem prælatum meum esse hæreticum, quia nouam hæresim fingit, nec tamen prædicaret, si me excommunicaret, celebrarem in occulto.* Ex his habetur aperte, quod fuerunt & possunt esse hæreses nouæ, quæ tamen non sunt noua falsa fidei contraria orthodoxæ: & per consequens non omne falsum fidei contrarium orthodoxæ debet inter hæreses computari.

CAP. VIII.

In quo dupliciter respondetur ad obiectionem factam capitulo præcedenti.

DIscipul. His non obstantibus, diffinitio seu descriptio hæresis supra dicta congrua mihi videtur, qualiter igitur prædictis obiectionibus respondetur, indicare digneris. *Magist.* Qui prædictam diffinitionem vel descriptionem assignant, dupliciter respondere conatur. Primo enim dicunt, quod aliqua hæresis dicitur nouiter esse noua, non quia in rei veritate incipiat hæresis esse nouiter: sed quia nouiter est asserta. Primo modo loquendi, quibus aliquæ veritates necesse dicuntur esse nouæ, non quando prius fuerint veritates, sed dicuntur nouæ, quia sunt nouiter publicatæ & dogmatizatæ. Etiam tali modo aliqui errores dicuntur esse noui, non quia prius fuerint in rei veritate errores, sed dicuntur noui, quia nouiter sunt asserti, & ille modus loquendi ex verbis Gelasii Papæ, vt habetur *24. q. 1. c. 1.* colligitur euidenter, ait enim: *Achatius non est factus inuentor noui erroris, sed veteris imitator*, cui concordat Felix Papa in *eisdem t. & c. & 9. c. Achatius*, dicens: *Achatius non fuit noui vel proprii inuentor erroris.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod si Achatius fuisset erroris assertor, fuisset reputatus noui erroris inuentor, & tamen idem error fuit antea error censendus. Multi enim errores, antequam asserātur ab aliquo, ab aliis non errantibus reprobantur, & per consequens antequam habeant assertorem vel defensorem, sunt errores censendi: & tamen secundum istum modum loquendi, si aliquis inciperet eos defendere, dicerentur noui errores, & simili modo loquendi, quidam Athenienses, vt habetur *Act. 17.* dicebant de beato Paulo: *nouorum dæmoniorum videtur annunciator esse*, appellantes *noua dæmonia*, non quia putabant, quod antea non fuissent dæmonia, sed quia putabant antiqua dæmonia à Paulo nouiter prædicari, & ita dicunt aliqui aliquas hæreses vocari nouas, propter nouitatem assertionis vel defensionis, qua aliquis eas nouiter asserit, vel defendit; quæ tamen prius in rei veritate fuerunt hæreses reputandæ. Aliter respondent prædictis (vt dicunt) minime obuiando, quod quemadmodum notatur in Gloss. *extra, de sum. trin. & fid. c. c. 1.* fides aliter dicitur credulitas, secundum quam credimus, quod non videmus, & alio modo dicitur collectio articulorum fidei, licet etiam dicatur aliis sex modis, vt habetur ibidem, sic tam error, quam hæresis potest dupliciter dici, potest enim vno modo *error* dici actus vel habitus, quo quis errat, alio modo ipsum obiectum talis habitus vel actus primo modo errandi vocatur error, hæresis etiam potest accipi vno modo pro habitu vel pro actu hæresis, alio modo dicitur obiectum talis habitus vel actus primo modo accipiendo hæresim, & consimiliter errorem, multæ possunt esse nouæ hæreses & noui errores, quæ vel qui antea hæreses vel errores non fuerunt. Secundo modo accipiendo hæresim non dicuntur nouæ hæreses, nisi quia nouiter sunt assertæ, sicut dictum est in responsione priori: & consimiliter de multis erroribus potest dici, &c.

CAP. IX.

In quo iterum obiicitur contra descriptionem hæresis ex dicto Hieronymi.

DIscipulus. Vt mihi videtur, pertractata difficultas de hæresibus nouis magis est vocalis quā realis & ideo circa ipsam non amplius immoreris: sed an aliter obiiciatur contra descriptionē hæresis supra dictam noli celare. *Magist.* Per verba beati Hieronymi, quæ ponuntur *24. q. 3. cap. hæresis*, dicta hæresis descriptio improbari videtur, ait enim: *hæresis autem Græce ab electione dicitur, quod scilicet eam vnusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.* Ex quibus verbis duo dantur intelligi, primum est, quod ex quo hæresis ab electione dicitur, nullum falsum (tanquam ipsum elegerit dogmatizare vel opinari aut asserere) debet inter hæreses computari, secundum est, quod cum non solum infideles, sed etiam catholici & fideles eligant disciplinam, quam putant meliorem non solum assertiones infidelium, sed etiam assertiones catholicorum & fidelium debent hæreses

ses appellari, & ex vtroque istorum concluditur, quod descriptio hæresis sæpe dicta est incongrue assignata, &c.

Cap. X.

In quo respondetur ad dictum Hieronymi, vbi etiam ostenditur, quod non omnis electio doctrinæ falsæ, & ecclesiæ catholicæ contraria debet hæresis reputari, & quod assertiones infidelium non sunt hæreses.

Discipul. Ista obiectio mihi fortis videtur, sed qualiter respondeatur ad ipsam, non differas explicare. *Magist.* Dicunt illi, quod verba sanctorum sane intelligenda sunt, quorum intellectus sæpe ex diuersis eorum dictis accipi debent, & ideo non semper intelligenda sunt sicut in superficie sonant, & ideo dicunt, quod licet prædicta verba B. Hieron. prima facie videantur prætendere, quod ante electioné actualem nullum falsum debeat hæresis appellari, & quod omnis disciplina, quá quis putat meliorem, siue sit vera siue falsa, possit ad hæresim pertinere, non tamen sic intelligit Hierony. Nam Hieronymus scribens prædicta verba super epist. ad Galat. inter schisma & hæresim hoc interesse arbitratur, quod *hæresis peruersum dogma habet: schisma post principalem dissensionem ab ecclesia pariter separat*, & parum post: *cæterum nullum est schisma, nisi sibi aliquam hæresim confingat, vt recte ab ecclesia recessisse videatur*. Ex quibus verbis datur intelligi, quod secundum B. Hieronymum hæresis sine peruerso dogmate contrario ecclesiæ doctrinæ minime inuenitur. Quare verba Hieron. cum dicitur, *hæresis autem Græce ab electione dicitur*, &c. de electione non cuiuscunq; disciplinæ falsæ, sed contrariæ ecclesiæ disciplinæ debet intelligi, & non debet intelligi de electione actuali, sed etiam magis potentiali, qua aliquis potest disciplinam falsam contrariam disciplinæ ecclesiæ eligere, quam putat meliorem.

Cap. XI.

In quo inquiritur, vtrum omnes assertiones, quæ quomodolibet sacræ Scripturæ aduersantur, sint inter hæreses computandæ, & respondetur secundum vnam opinionem, quæ etiam probatur duabus rationibus, ad quas respondetur cap. 13.

Discipul. Video quod verba Hieronymi sic intellecta prædictæ descriptioni hæresis non repugnant. Ex qua sequi videtur, quod omnes assertiones, quæ Scripturæ sacræ quomodolibet aduersantur, sunt inter hæreses computandæ, sed an omnes Christiani hoc sentiant & affirmét ignoro, quare si aliqui hoc non sentiunt, enarra. *Magist.* Fuerunt Manichæi, qui Vetus Testam. minime receperunt: aliqui etiam hæretici multa in Nouo Testamento respuerunt. *Discipul.* Illi, de quibus nunc loqueris, fuerunt ab ecclesia hæretici condemnati, de quibus non curo: sed libenter cognoscerem, an sint aliqui catholici vel alii ab ecclesia nullatenus condemnati, qui non reputent omnes assertiones hæreticas, quæ sacræ Scripturæ quomodolibet aduersantur. *Magist.* Sunt quidam moderni dicentes, quod multæ assertiones sunt, quæ in rei veritate aduersantur diuinæ Scripturæ, quæ tamen ab ecclesia minime sunt damnandæ, nec sunt inter hæreses numerandæ, quemadmodum multæ sunt veritates consonæ Scripturæ diuinæ (quæ tamen non sunt per ecclesiam diffinitæ vel determinatæ) non sunt inter veritates catholicas computandæ, sed postquam assertiones diuinæ Scripturæ contrariæ sunt & fuerunt per summum Pontificem condemnatæ, pro hæresibus sunt habendæ: & veritates consonæ sacræ Scripturæ, postquá fuerunt per summum Pontificem diffinitæ seu determinatæ catholicæ sunt censendæ, propter quod dicunt, quod Papa potest facere nouum articulum fidei, & eadé ratione potest facere, quod eadem assertio quæ prius non erat hæreticalis, postea per condemnationem esse hæreticalis incipiat. *Discip.* Hæc opinio multis priorib. assertionibus, quę videbátur mihi probabiles, apparet omnino repugnans, ideo si rationibus vel auctoritatib. satagat se defendere declara. *Magist.* Vt audio in duobus prædicti se fundant. Primo in cap. Alexandri Tertii, *extra, de hæreticis, cum Christus*, vbi, vt dicunt facit nouum articulum, scil. Christus est Deus & homo, quia ante tempora Alexandri prædicti licebat (vt dicunt) non credere Christum esse Deum & hominem. Secundo fundant se in constitutione Domini Innoc. cum inter nónullos, in qua diffinitur deinceps, esse hæreticú dicere, Christum & eius Apostolos non habuisse aliquid nec in speciali, nec in communi & per consequens antea non fuit hæreticum. Ex quibus sequitur, quod Papa potest nouos articulos fidei facere, & potest facere quod assertiones quæ non fuerunt hæreticæ, esse hæreticæ de nouo incipiant. *Disc.* Exemplum adductum de constitutione Patris sanctissimi domini Innoc. XXII. Papę peto quod nullatenus hic pertractes, quia vt dixi, postea de tota doctrina eiusdé summi Patris tibi quæstiones mouebo: sed si pro quæstione prædicta vel opinione aliquas rationes cogitasti, profer easdé. *Mag.* Opinio memorata potest aliter muniri. Primo sic, pro assertione hæresis est quis tanquam hæreticus condemnandus, sed multæ fuerunt assertiones falsæ, de quibus assertores earum (tanquam fuerint ab ecclesia condemnatæ) nó fuerunt tanquam hæretici condemnandi, sed postquam dictæ assertiones fuerunt ab ecclesia condemnatæ, fuerunt assertores earum tanquam hæretici condemnandi, ergo tales assertiones ante cóndemnationem ecclesiæ non fuerunt inter hæreses computandæ; qui tamen post condemnationem pro hære-

hæresibus fuerunt habendæ: & per consequens eadem assertio, quæ primo non est hæresis, per damnationem ecclesiæ cum hæresibus numeratur: *quare eadem ratione, eadem assertio quæ primo non est catholica, postea per approbationem ecclesiæ fit catholica.* Huiusmodi autem approbatio & damnatio spectat ad summum Pontificem, ergo summus Pontifex de assertione non catholica potest facere catholicam, de assertione non hæretica potest facere hæreticam: & ita nouum articulum fidei facere potest, maior huius rationis est manifesta. Minor exemplis probatur aperte, nam Græci negantes Spiritum sanctum procedere à Filio, ante damnationem assertionis eorum non fuerunt hæretici reputati: qui tamen post damnationem eiusdem inter hæreticos deputantur, assertores etiam opinionis Ioachim à concilio generali damnatæ post damnationē hæretici iudicātur: ipse tamen Abbas Ioachim, quamuis ante damnationem & assertionem eandem tenuerit, non tamen fuit hæreticus, vt habetur *ext. de sum. tri. & fid. c. cath. damnamus.* Similiter quæ post constitutionem Alexandri III. quę habetur *extra de here. cum Christus*, tenuerunt, quod Christus non est aliquid secundum quod homo, sunt hæretici iudicandi, secundum quod Glossa notat ibidem, qui tamen antea pro hæreticis minime habebātur. Patet ergo, quod pro nonnullis assertionibus non sunt assertores ante damnationem hæretici reputandi, qui tamen post damnationem inter hæreticos computantur. Secundo sic. Ille, ad quem pertinet auctentice diffinire, quę assertio catholica, & quæ hæretica est censenda; de assertione non catholica, catholicam; & de assertione non hæretica, hæreticam facere potest, quia aliter diffinitio sua nihil videretur penitus operari, plus quam diffinitio vel determinatio doctorum, qui per auctoritates vel rationes declarant & probant, quæ assertio in rei veritate est catholica, & quæ hæretica æstimanda: sed ad summum Pontificem non solum per modum docentis vel doctrinæ: sed etiam auctoritate pertinet diffinire, quæ assertio catholica, quæ hæretica est censenda, ergo summus Pontifex de non catholica catholicam, & de assertione non hæretica hæreticam facere potest, &c.

Cap. XII.

In quo ponitur opinio contraria opinioni præcedenti, quæ probatur quatuor rationibus, vbi ostendit, quod veritates fidei sunt immutabiles & immutabiliter catholicæ.

Discip. Istę duæ rationes apparentiam habere videtur: tñ conclusio est mihi difficilis ad tenendum, vnde si aliqui asserant contrarium, tibi placeat explicare. *Mag.* Sunt multi dicentes, quod sicut quantum ad ea, quę spectant ad fidem nostram, & nequaquam ex voluntate humana dependent, nõ potest summus Pontifex, nec etiam tota ecclesia Dei de assertione non vera facere veram: nec de assertione non falsa facere falsam, ita non potest de assertione non catholica facere catholicam: nec de assertione non hæretica facere hæreticam, & ideo non potest nouum articulum fidei facere, nec de hæresi potest facere hęresim quocunq; modo, quia sicut veritates catholicæ absq; omni approbatione ecclesiæ ex natura sunt immutabiles & immutabiliter veræ: ita immutabiliter sunt catholicæ reputandæ, & consimiliter sicut hæreses absque omni damnatione ecclesiæ sunt falsæ: ita absq; omni damnatione ecclesiæ sunt hæreses. *Discip.* Cum ista sententia magis me alliciat, ideo si potest rationibus confirmari, eas non differas allegare. *Mag.* Ista sententia rationibus paucis ostenditur, quarũ prima est hæc, Si aliqua veritas est catholica: aut est diceda catholica, quia à Deo reuelata: vel quia in scripturis diuinis contenta: vel quia ab vniuersali ecclesia recepta, vel sequitur ex illis vel aliquo illorum, quæ sunt diuinitus reuelata, & in scripturis diuinis inuenta; & ab ecclesia vniuersali recepta, vel quia à summo Põtifice approbata. *Si aliqua veritas ideo est* catholica, quia est à Deo reuelata: & reuelatio diuina nullatenus depēdet à summo Pontifice approbatiue, nec ex approbatione totius ecclesiæ, ergo approbatio summi Pontificis nihil facit ad hoc, quod talis veritas sit vere catholica. Si detur secundũ sc. quod aliqua veritas est catholica: quia in scripturis diuinis inserta, & constat quod talem veritatem inseri in scripturis diuinis ex nulla approbatione ecclesiæ vel Papæ dependet, ergo talis veritas absq; omni approbatione tali est inter veritates catholicas numeranda. Si detur tertium, sc. quod aliqua veritas est catholica, quia in scripturis diuinis inserta, & ab ecclesia vniuersali acceptata vel recepta, quęrendum est, quare ecclesia vniuersalis talem recepit veritatem? vel quia sic diuinitus approbatur, reuelatur vel inspiratur, & tũc absq; tali receptione ecclesiæ vere est catholica, quia diuinitus inspiratur, vel etiam reuelatur, aut eã recipit vniuersalis ecclesia: quia eam in diuinis scripturis inuenit, & tũc absq; tali receptione adhuc est catholica iudicanda, aut eã recipit vniuersalis ecclesia, quia per experientiã vel rationem naturalẽ eam cognoscit, quod de multis veritatib. catholicis nullatenus dici potest: & tunc ecclesia in faciendo etiã veritatem aliam catholicã rationi vel experientię innititur vel inniteretur, ꝙ dici non potest, sequeretur n. quod ecclesia vniuersalis omnem veritatẽ geometricam, & oẽs alias quarumcunq; scientiarũ demõstrationes probatas posset veritatib. catholicis aggregare. Ex quib. sequeretur, ꝙ omnes assertiones falsas huiusmodi veritatib. naturaliter notis contrarias posset ecclesia vniuersalis inter hæreses cõputare, & omnẽ assertorẽ cuiuscũq; assertionis falsæ & veritati naturaliter notæ contrarię tanꝗ hæreticum condemnare: ꝙ est inconueniens reputandũ, aut talem veritatem recepit vniuersalis ecclesia, quia sibi placet, quod dici non potest, quia tunc ecclesia vniuersalis in recipiendo aliquã veritatẽ & faciendo ipsã catholicã inniteretur solũmodo humanæ volũtati; & ita

ita fides nostra esset in voluntate hominum. Cum tamen asserat Apostolus, ꝙ fides nostra non est in sapientia hominũ *1.ad Cor. 2.* & multo fortius non est in voluntate hominũ. Ecclesia ergo vniuersalis nullã recipit veritatem tanq̃ catholicã, nisi quia diuinitus reuelatur, & quia in sacris literis inuenitur talis veritas: etiam si nulla esset ecclesia, vere esset catholica. Si detur quartum, sc. quod aliqua veritas catholica, quia sequitur ex illis vel aliquo illorum, quæ sunt diuinitus reuelata & in scripturis diuinis inserta, & ab ecclesia vniuersali recepta, palam est quod propter approbationẽ ecclesiæ nõ magis potest ab eis inferri, ergo per talem approbationem non sit catholica. Si detur quintum sc. quod ideo aliqua veritas est catholica, quia à summo Põtifice est approbata, tunc quærendum est, an summus Pontifex approbando aliq̃ veritatem innititur alicui reuelationi vel etiam Scripturis sacris aut doctrinæ ecclesiæ vniuersalis, quodcunq; istorum detur, sequitur, ꝙ summus Pontifex ꝑ approbationem suam non facit talem veritatem fuisse & esse catholicam, q̃ determinat & diffinit, vel summus Pontifex approbando aliquã veritatem propriæ prudentiæ vel voluntati innititur, & si hoc datur, sequitur quod propter talem approbationem summi Pontificis non est aliqua veritas pro catholica accipiẽda, quia fides nostra nec in sapientia, nec in voluntate hominis potest consistere, patet ergo, quod nulla veritas est catholica, nisi quia diuinitus reuelata, vel quia in scripturis diuinis inserta, vel quia ꝑ certitudinem ecclesiæ vniuersali, innotuit, vel ex aliquo illorum necessario argumento concluditur. Nihil aũt prædictorum ex approbatione summi Pontificis vel etiam ecclesiæ noscitur dependere. Ergo per approbationem talem nulla veritas catholica potest fieri: sed per talem approbationem aliquã veritatẽ fuisse & esse catholicam dinoscitur & diffinitur. Et ita summus Pontifex non facit aliquam veritatem esse catholicam vel assertionem: sed ꝑ approbationem suam determinat & diffinit veritates & assertiones, quas approbat, esse & fuisse catholicas: per condemnationem suam determinat & diffinit assertiones, quas reprobat, fuisse & esse hæreticas, & ita non facit nouum articulum fidei: sed nouiter diffinit aliquem articulum pertinere & non pertinuisse ad catholicam veritatem, & ita quamuis talis veritas nouiter diffiniatur esse catholica, ea prius tamen fuit catholica. Secunda ratio est hæc, si aliqua veritas est catholica, quia est à Romano Pontifice solummodo approbata: aut ergo est catholica, quia est à Romano Pontifice implicite, siue explicite approbata: aut est tantummodo catholica, quia est à Romano Pontifice explicite approbata. Si detur primum, sequitur quod Romanus Pontifex non potest facere nouum articulum fidei de aliqua veritate, quæ ante necessaria existebat, quia omnes veritates diuinitus reuelatæ in Scripturis sacris insertæ, & quas ecclesia vniuersalis recipit, & quæ sequuntur ex aliqua vel ex aliquibus prædictarum, fuerunt ante implicite vel explicite per Romanos Pontifices approbatæ. Ipsi enim totam fidem ecclesiæ approbauerunt, & per consequens approbauerunt ea, quæ sequuntur; quia sicut qui vnum dicit, dicit & ea quæ sequuntur ex illo: ita qui vnum approbat, approbat omnia quæ sequuntur ex illo. Si autem detur secundum, scilicet quod omnino aliqua veritas solummodo dicitur catholica, quia est à Romano Pontifice explicite approbata: ergo tales veritates, Christus mortuos suscitauit, Christus fuit Deus & homo, Deus omnia præsciuit, & huiusmodi, non essent catholicæ reputandæ, nisi essent à Romano Pontifice explicite approbatæ, quod pro inconuenienti videtur hic habendum. Per illas itaq; rationes ostenditur, quod summus Pontifex non potest facere nouum articulum fidei, nec de veritate non catholica potest facere catholicam. Ex quo concludunt isti, ꝙ de assertione non hæretica Romanus Pontifex non potest facere hæreticam: quia omni assertioni catholicæ contradicit assertio hæretica, & econuerso, quia sicut si vna condictoriarum est falsa, & econuerso, ita si vna condictoriarum est catholica, altera est hæretica, sed, sicut probatum est, Romanus Pontifex non potest de veritate non catholica facere catholicam, igitur nec de assertione hæretica potest facere non hæreticam. Tertia ratio est ista si ideo solummodo aliqua assertio est inter hæreses computanda, quia est à Romano Pontifice vel ab ecclesia condemnata: aut ergo quia condemnata siue explicite siue implicite, aut solummodo, quia damnata explicite. Si detur primum, sequitur quod omnis assertio, quæ potest licite damnari, est modo hæresis: quia omnis talis est iam per ecclesiã & Romanos Pontifices (qui totam fidem approbando omnem infidelitatem contrariam damnauerunt) explicite vel implicite condemnata. Si detur secundum, id est quod aliqua assertio non ideo solummodo est hæretica; quia explicite condemnata: ergo ista assertio, Christus non est homo, non erat hæretica, tanquam esset per ecclesiam reprobata: quod isti pro maximo inconuenienti habent. Quarta ratio, quæ eis demonstratiua videtur, est hæc: omnis assertio, cuius pertinax defensator est vere hæreticus, est vere hæresis: sed oẽs pertinaces defensores assertionum, quæ possunt per ecclesiã rite & legitime tanquam hæreses condemnari; sunt vere hæretici, licet eorum assertiones non sint de facto explicite & sub propria forma ab ecclesia condemnatæ, ergo tales assertiones vel damnationes huiusmodi vere sunt inter hæreses numerandæ. Maior est manifesta: quia nemo est hæreticus, nisi propter hæresim, cui adhæret, minor auctoritate August. probatur, qui vt habetur *24. q. 3. c. dixit Apostolus. & c. q. in ecclesia*, asserit manifeste: quod *qui suam sententiam falsam atque peruersam, & qui morbidum aliquid & prauum sapiũt & corrigi nolunt, sunt hæretici*, sed omnis assertio, quæ potest per ecclesiam rite damnari, est falsa, morbida, peruersa, & praua, ergo omnis pertinax defensor talis assertionis, licet non sit de facto explicite per ecclesiam condemnata, est vere hæreticus. Ex his concludunt isti, quod ecclesia non potest de assertione non hæretica facere hæreticam: sed ecclesia aliquam hæresim condemnando determinat ac diffinit eam fuisse & esse hæreticam.

CAP. XIII.

In quo ponuntur solutiones rationum capitulo vndecimo adductarum.

DIscipulus. Istæ assertiones vltimæ apparent mihi fortes: & tamen rationes pro prima sententia videtur difficiles, & ideo refer quomodo respondetur ad ipsas. *Magist.* Ad primam illarum respōdent istius secundæ sententiæ assertores, dicentes, quod sicut sæpe aliquis est hæreticus, & tamē quia est tantummodo occultus hæreticus, non debet tanquam hæreticus iudicari, ita sæpe est aliquis hæreticus, quia hæresi pertinaciter adhæret: & tamen quia non est certum explicite, quod assertio sua est & fuit hæretica, tanquam explicite innotuerit ecclesiæ, quod assertio sua fuerit & est hæretica, nō debet tanquam hæreticus condemnari. Postquam autem aliquis per diligentem considerationem innotuerit ecclesiæ, quod assertio sua est hæretica, si talis pertinax inuenitur, debet tanquam hæreticus condemnari. *Disc.* Ista responsio videtur mihi apparēs; nisi quod dubito, de qua ecclesia isti loquuntur. *Mag.* Ipsi loquuntur de ecclesia, quæ est concilium generale vel Papa: quia non sufficit in hoc casu ad damnationem alicuius, quod innotescat alicui alteri, quam concilio generali vel Papæ, quod talis assertio fuerit hæretica. *Disc.* Dic quomodo respondēt ad exempla de Græcis, Ioachim, & illorum qui dixerunt Christum non esse aliquid secundum quod homo. *Magist.* Dicunt quod assertiones istæ antea fuerint hæreticę; pertinaces etiam assertores earum fuerunt hæretici: quia tamen antea nō innotuerat ecclesiæ, quod eorum assertiones fuerunt hæreticæ, non debuerunt tanquam hæretici condemnari, sed postea debuerunt damnari sicut hæretici. *Disc.* Intelligo respōsionem eorū ad rationem illam, dicas ergo, quomodo respondent ad secundā. *Mag.* Respondent quod licet ad summum Pontificem non solum per modum doctrinæ, sed etiam autentice pertineat diffinire, quæ assertio catholica, quæ hæretica est censenda: non tamen potest facere de veritate non catholica veritatem catholicam, nec de assertione non hæretica hæreticam valet efficere, quo tamen non obstante diffinitio sua plus operatur, quam determinatio Doctoris: quia post determinationem Doctoris licet cuiuslibet (sicut prius) contrarium opinari, publice opinando tenere: hoc autem non licet post determinationē summi Pontificis. Aliud etiam operatur: quia post diffinitionem rectam summi Pōtificis licet cuilibet episcopo & inquisitori prauitatis hæreticæ contra tenentes contrarium illius, quod rite per summum Pontificem diffinitum existit, procedere iuxta sanctiones canonicas: nisi tales offerrent se ad probandum, summum Pontificem errorem diffinisse: in quo casu esset ad concilium generale recurrendum, post determinationem autem cuiuslibet Doctoris non licet episcopis inquisitoribus prauitatis hæreticæ contra tenentes contrarium, magis procedere quam ante.

CAP. XIV.

In quo inuehitur contra Canonistas, asserentes quod Papa possit facere nouum articulum, vbi etiam distinguitur de duplici acceptione articuli.

DIscipulus. Licet quidam retulissent (de quibus miror) vnde & de his postea interrogare reseruo: tamen conclusio principalis secundæ sententiæ videtur mihi probabilis, & miror quod aliquis tenet, quod Papa possit facere nouum articulum fidei: tamen qualiter respondetur ad *ca. ext. de hæret. cum Christus,* indica mihi. *Mag.* Volo te scire, quod ista allegatio est quorundā canonistarum, de quibus nonnulli Theologi scandalizantur, quando vident eos de Theologicis difficultatibus se intromittere vltra verba Theologorum, quæ in scripturis suis inueniunt, aliquid ex suo ingenio proferendo, quia enim in Theologia sunt minime eruditi, ideo auctoritates Theologiæ (quas in suis libris recipiunt) non debent exponere vltra sensum grammaticalem: nec ex eisdem aliquas conclusiones inferre; nisi sequantur tam patenter, quod quilibet illiteratus vtens ratione possit aduertere, quia cum sæpe talium auctoritatum Theologiæ non habeant intellectum: si ex eis voluerint aliquas conclusiones inferre, faciliter incident in errores, quod in istis canonistis accidit; qui ex prædicto capitulo Alexandri Tertii, *cum Christus,* volebant inferre, quod Papa potest facere nouum articulum fidei, nam ex illo capitulo, credebant posse concludi, quod ante istam constitutionem licebat dicere, Christum non esse Deum & hominem; cum tamen non dicat, nec ibi etiam inhibeat dicere Christum non esse Deum & hominem, licet non prohiberet dicere, Christum non esse aliquid secūdum quod homo. Cuius causam assignat, quia Christus est verus Deus & verus homo. Istæ autē sunt assertiones distinctę: Christus est verus Deus & verus homo; &, Christus est aliquid secundū ꝙ homo, vna tamen sequitur ex alia. *Disc.* Clare video, quod prædicti canonistæ capitulū prædictū, *cum Christus,* male allegabant ad probandum, ꝙ ante tempora Alexandri licebat dicere, Christum non esse Deum & hominē. Sed videtur ꝙ bene allegauerunt ad probandum, Papam posse facere nouum articulū fidei: quia ꝙ Christus est aliquid secūdum quod homo, ante tempora Alexandri III. non fuit articulus fidei: imo licebat contrariū opinari, ipse aūt fecit, vt esset articulus fidei: & ꝙ non licet dicere contrarium, ergo ipse fecit nouum articulum fidei. *Mag.* Ad illam tuam obiectionē respondent secūdæ sententiæ assertores, dicentes: ꝙ *articulus fidei* accipitur stricte pro veritate catholica in symbolo autenti-

co sub propria forma inserta: & sic non loquimur nunc de articulo fidei. Aliter potest accipi *articulus fidei* large pro omni veritate catholica, & isto modo est nunc sermo de articulo fidei. Et sic non potest Papa facere nouum articulum fidei, nec Papa Alexander fecit talem articulum: quia tunc non fecit nouam catholicam veritatem: sed fecit quod nec asserendo nec opinando diceretur contrarium illius, quod ante fuit catholica veritas: & quod dicentes contrarium, excommunicationis sententiæ subderentur, & ita ista, Christus secundum quod hoc est & fuit aliquid, ante Alexandrum III. fuit vera catholica veritas. Sed ante tempora Alexandri non innotuit ecclesiæ, quod esset catholica. Ex illis enim, quæ in scripturis diuinis habentur, veritates multæ sequuntur, quæ tamen latent ecclesiam: & ideo catholicæ sunt, licet ecclesia nondum diffinierit, an catholicam sapiant veritatem.

CAP. XV.

In quo mouetur dubitatio, vtrum hæresis sit species specialissima, an alias adhuc sub se habeat species, ad quam respondetur sub distinctione conformiter ad opiniones supra recitatas de veritatibus.

DIscipul. Quia diffinitio hæresis (de qua disseruisti plura) inconueniens mihi videtur: nec tamen ex ea intelligo, an hæresis sit species specialissima, vel sub se species plures habens, de hoc quid sentiant literati, non postponas exprimere. *Mag.* De diffinitione specifica sunt plures opiniones. Quidam enim dicunt, quod eadem res sub diuersis speciebus collocari non potest: quidam autem dicunt contrarium. *Discip.* De talibus difficultatibus nullatenus te intromittas. Nam ad Philosophicas sententias spectat: quarum difficultates proprias quantum potes euita. Sed dic tamen nunc, quid tenetur de hæresibus: an omnes sub vno modo, vel nomine, vel genere, aut specie continentur: aut sub pluribus? *Mag.* Intentionem tuam aduerto: & ideo ad mentem tuam volo tibi opiniones contrarias recitare. Si recolis, de veritatibus catholicis opiniones narraui, quia quidam dicunt, quod illæ solæ veritates sunt catholicæ reputandæ, quæ explicite vel implicite in scripturis diuinis habētur. Alii autem asserunt, quod præter illas veritates sunt nonnullæ aliæ inter veritates catholicas numerandę, iuxta illas opiniones sunt etiam de hæresibus opiniones contrariæ. Quidam enim tradunt, quod hæresis solummodo habet tres species siue tres modos hæresum diuersarum: propter quas debet solummodo quis puniri. Prima species vel primus modus hæresum est, earum videlicet, quæ veritatib. sub forma propria in scriptura diuina repertis non solum quomodolibet aduersantur, sed etiam in eisdē terminis contradicunt, tales enim sunt illæ: verbum non est caro factum: Deus non creauit in Principio cœlum & terram: Christus non est assumptus in cœlum, & huiusmodi. Aliæ sunt hæreses, quæ patenter omni intelligenti & etiam illiterato, etiam his quæ in scripturis diuinis habentur, aduersantur & repugnant; quales sunt tales: Christus non fuit natus pro salute nostra: nulla est vita beata, & consimiles. Aliæ sunt hæreses, quæ non patent omnibus sed solūmodo literatis & sapientibus eruditis in scripturis diuinis per magnam & subtilem considerationem possunt sacris literis aduersari, cuiusmodi sunt tales: Christus non est aliquid secundum quod homo: duæ personæ sunt in Christo, & huiusmodi, multæ aliæ autem sunt, quæ prædictos modos hæresum asserentes dicunt, videl. quod præter hæreses iam dictas sunt aliæ duæ: videl. quod doctrinæ, quæ absque scripturis Apostolicis per reuelationem fidelium sibi succedentium vel per scripturas fidelium ad nos peruenit, quomodolibet aduersantur, sed etiam illi errores, qui alicui veritati post tempora Apostolorum reuelatæ repugnant: omnes illi sunt inter hæreses computandi.

CAP. XVI.

In quo ostenditur, quod præter hæreses prædictas sunt quidam errores mortiferi & hæresim sapientes, qui tamen stricte non debent hæreses appellari.

DIscip. Ista secunda sententia magis mihi apparet consona veritati: sed dic mihi, an isti assertores omnes errores pestiferos, quos nulli licet Christiano fideli asserere, sub istis modis hæresum comprehendant. *Magist.* Præter hæreses supra dictas asserunt esse quosdam alios errores mortiferos: qui tamen non debent stricte hæreses appellari, tales errores dicunt esse illos, qui cronicis & historiis ecclesiasticis fide dignis ac probatis gestis fidelium, quæ rationabiliter negari non possunt, obuiari noscuntur. Alii adhuc sunt errores, qui veritatibus catholicis & cronicis vel historiis ecclesiasticis fide dignis ac gestis, quæ rationabiliter negari non possunt, incōpossibiles demōstrantur, cuiusmodi sunt tales Regulę religiosorū non sunt catholicæ: fides B. Augustini nō fuit vera nec fidelis: & huiusmodi, & istos errores quamuis stricte accipiendo vocabulum hæresis non reputant inter hæreses cōputandos: dicunt tamen ꝙ sapiunt hæresim manifestā; quod non est aliud quam dicere, quod ex eis & aliis veris, quæ negari nō possunt, sequātur hæreses ꝓprie dictæ, & ideo dicūt, ꝙ isti errores possunt large hæreses appellari. *Di.* Enarra generales modos pestiferorū errorū, quos secundū sn̄iam illā nulli licet catholico & fideli pertinaciter defensare. *Magist.* Tales modi generales (quorum aliqui sub se plures

modos

modos continent speciales) sunt quinque. Quorum primus est error, qui solis contentis in Scriptura diuina repugnat, & ille plures modos continet speciales: sicut ex prædictis apparet, & omnes isti errores deberent hæreses appellari. Secundus est error eorum, qui doctrinæ Apostolicæ extra scripta eorum quoquo modo repugnant, & ille etiam continet plures modos. Tertius est eorum, qui reuelatur vel inspiratur ecclesiæ post Apostolos quomodolibet obuiant. Quartus est eorum, qui cronicis & historiis & gestis ab ecclesia approbatis contrariantur. Quintus est eorum, qui scripturæ diuinæ vel doctrinæ Apostolicæ extra scripturam eorum, vel inspiratis, vel reuelatis ecclesiæ & aliis veris, quæ negari non possunt, incompossibiles demonstrantur, licet ex forma propositionum solis contentis in scriptura diuina & doctrina Apostolica, & reuelatis seu inspiratis ecclesiæ incompossibiles nequaquam appareant, & isti errores possunt proprie dici, sapere hæresim manifestam: licet stricte sumendo nomen hæresis; non sunt hæreses nuncupandæ. Talis est iste error: castitas monachorum castitati non præeminet coniugali, nam ille error ex forma propositionis non repugnat alicui contento in scriptura diuina vel doctrina Apostolica, nec etiam repugnat alicui reuelato vel inspirato ecclesiæ (vt videtur) contentis tamen in scriptura diuina, & isti vero (quod nulla potest tergiuersatione negari stricte sumpto vocabulo hæresis) monachi seruant & vouent perpetuam continentiam propter Deum, incompossibilis esse dinoscitur, & ideo iste error licet non videatur (stricte vocabulo sumpto) hæresis appellanda: sapit tamen hæresim manifestam, quia ex ipso & quodam vero aperte sequitur hæresis manifesta.

CAP. XVII.

In quo requiritur, vtrum omnis hæresis sit per ecclesiam condemnata, ad quod respondetur secundum vnam opinionem, dicentem, quod sic. Vbi etiam ponuntur quatuor modi hæresum explicite damnatarum, & ibidem tractatur etiam de hæresibus damnatis implicite.

DIscipulus. Nunc quam vtile fuit inquirere, quæ veritates debeant catholicæ iudicari: quia ex solutione quæstionis ipsius potest intelligenti patere, qui errores debeant hæreses reputari. Ex inuestigatis etiam circa catholicas veritates sequi videtur, quod omnis hæresis sit damnata: quia cum omnis veritas catholica sit per ecclesiam approbata, videtur quod per eandem ecclesiã omnis hæresis est damnata: cum omnis hæresis alicui veritati catholicæ aduersetur, approbato autem vno contrariorum constat aliud reprobari & damnari, an ergo aliqui literati teneant, omnem hæresim esse damnatam, nequaquam occultes. *Magist.* Multi tenent (quod probare conantur) quod omnis hæresis est damnata, hoc enim concilium generale sub Innocent. Tertio, celebratum, de quo habetur *extra, de hæret. excommunicamus*, sentire videtur, ait enim: *excommunicamus & anathematisamus omnem hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam catholicam & orthodoxam fidem, quam superius exposuimus.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod omnis hæresis est excõmunicata & anathematisata, & per consequens omnis hæresis est damnata. *Disc.* Ex hac auctoritate non videtur, quod omnis hæresis sit damnata: sed solummodo quod omnis hæresis extollens se aduersus fidem, quam supra generale conciliũ exposuit in ca. quod habetur *extra, de sum. tri. & fid. cath. c. firmiter*, sit damnata. *Mag.* Dicunt isti, ꝙ per prædictum *c. excõmunicamus*, omnis hæresis sit simpliciter damnata ex hoc ipso, quod omnis hæresis extollens se aduersus fidem catholicam in dicto capitulo *firmiter*, est damnata. Nam in dicto capitulo *firmiter*, tota fides catholica approbatur, ergo omnis hæresis simpliciter per capitulum *excommunicamus*, quod damnat omnem hæresim extollentem se aduersus fidem, quam exposuit & approbauit in *ca. firmiter*, reprobatione damnatur. Quod autem *ca. firmiter*, approbet simpliciter totam fidem catholicam, patet expresse, cum asserẽdo & probando dicat, *hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates discreta per Moysen & sanctos prophetas aliosque famulos suos iuxta ordinatissimam dispositionem temporum humano generi doctrinam tribuit salutarem, & tandem vnicus Dei filius Christus à tota Trinitate conuenienter incarnatus ex Maria semper virgine Spiritu sancto cooperante conceptus, verus homo factus ex humana anima rationali & humana carne compositus, vna in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstrauit.* Ex his verbis datur intelligi, quod totam doctrinam Christi & famulorum suorum, qui veritates catholicas humano generi tradiderunt, prædictum concilium approbat manifeste, ergo & per capitulum, *excommunicamus*, simpliciter omnis hæresis est damnata, & per hoc Gloss. *24. q. 1. §. 1.* notat aperte, dicens: *omnis hæresis damnata, & omnis hæreticus est excõmunicatus quantumcunque sit occultus. Disc.* Apparenter ostenditur, quod omnis hæresis damnata est, de quo tamen miror, eo quod sæpe audiui literatos distinguere inter illos fideles, qui incidunt in hæresim iam damnatam, & inter illos, qui incidunt in hæresim iam non damnatam. Vnde & Gratian. vt habetur 24. q. 1. c. 1. eandem distinctionem approbare videtur dicens: *omnis enim hæreticus aut iam damnatam hæresim sequitur, aut nouam confingit.* Cuius distinctionis primum membrum statim prosequitur eisdem c. & q. §. *Si autem ex corde suo nouam hæresim confingit*, &c. dic an asserentes prædicti eandem distinctionem simpliciter negent. *Mag.* Non omnino negant dictam distinctionem, sed cum distinctione cõcedunt dicentes, quod quædam hæreses sunt damnatæ explicite: quædam vero solum sunt

damnatæ implicite, & ideo concedunt dictam distinctionem sub isto intellectu: quædam hæreses sunt damnatæ explicite, quædam non sunt damnatæ explicite. *Disc.* Quas vocant hæreses damnatas explicite? *Magist.* Hæresum damnatarum explicite ponunt quatuor modos. Primus est earum, quæ damnantur in speciali, in qua damnatione de ipsis hæresibus sub forma propria fit mentio specialis, isto modo hæreses Arrii, Nestorii, Euticii, & Macedonii, & Dioscori damnatæ fuerunt: sicut ex *distinction. 15. cap. 1. & cap. sicut sunt & cap. sancta Rom.* patenter habetur, sicut etiam damnatus est error Ioachim. *extra, de summ. Trin. & fid. cap. damnatus.* & error dicentium, Christum non esse aliquid secundum quod homo, *extra, de hære. cum Christus.* Secundus modus hæresum damnatarum explicite est earum, quarum contrariæ sub forma propria asseruntur seu approbantur: quia ex vna contradictoriarum approbata explicite altera explicite intelligitur reprobata, tales sunt omnes hæreses, quæ contradicunt veritatibus catholicis, quæ in conciliis generalibus, symbolis ac decretis & decretalibus opusculis summorum etiam Pontificum tanquam catholicæ approbantur. Vnde ista etiam hæresis, Deus non est factor omnium visibilium & inuisibilium, est hæresis explicite condemnata pro eo, quod explicite per symbolum condemnatur. Tertius est earum, quarum contradictoriæ in aliquo volumine vel libro aut tractatu specialiter approbato tanquam catholico sub forma propria cõtinentur. Et isto modo omnes hæreses, quarum contradictoriæ in canone Bibliæ confirmato sub propria forma continentur, hæreses damnatæ explicite sunt censendæ: quia eo ipso, quod canon Bibliæ explicite approbatur, omnes veritates in ipso assertæ approbantur, & per consequens earũ contradictoriæ explicite reprobantur & damnantur. Quartus est earum, ex quibus patẽter etiam omnibus laicis vsum habentibus rationis sequitur aliqua hæresis sub aliquo trium modorum priorum cõprehensa. *Discip.* Contra aliqua prædictorum possem dubia multa mouere, & forsan non essent multum ad rem: quia voces sunt ad placitum, & ideo possunt vocare hæreses damnatas explicite stricte & large, sicut placet eis: dummodo in auctoritatibus non inueniatur expresse contrarium. Idcirco dicas, quas hæreses vocant damnatas solum implicite. *Magister.* Hæreses implicite damnatæ dicuntur illæ, de quibus viris literatis solummodo in literis sacris eruditis per subtilem consideratiõnẽ patet, quomodo veritati catholicæ, contentæ in sacris Scripturis, vel doctrinæ expressæ vniuersalis ecclesiæ aduersantur: & quod ex eis sequitur aliqua hæresis aliquo prædictorum modorum damnata explicite, dicunt esse damnatas implicite & non explicite, talis hæresis fuit hæresis Græcorum dicentium, Spiritum sanctum non procedere à Filio, antequam damnaretur explicite. Multæ etiam hæreses, de quibus habetur in decretis, aliquando fuerunt huiusmodi, quæ postea explicite damnatæ fuerunt, tales sunt hæreses nonnullorum Doctorum modernorum. Est enim notorium, quod moderni Theologi circa diuina opiniones tenent contrarias, quas putant in diuinis scripturis fundari, quarum altera in rei veritate scripturæ diuinæ repugnat, sicut & tenent contrarium opinantes. Vnde & eam per scripturam diuinam improbare nituntur, sicut in scripturis eorum patet aperte, & ita in rei veritate altera earum est damnata implicite: cum veritas contraria sit implicite approbata ex hoc, quod doctrina ecclesiæ, ex qua infertur, noscitur approbata.

Cap. XVIII.

In quo notatur vtilitas distinctionis capituli præmissi inquisitoribus hæreticæ prauitatis, quos scil. hæreses tenentes possunt condemnare.

Discipulus. Siue isti deuient à proprio modo loquendi, siue non, video quod inter hæreses, quas dicunt esse damnatas explicite, & quas dicunt esse damnatas implicite, solum est aperta distinctio: sed ad quam vtilitatem istam distinctionem assignent ignoro; & tamen desidero scire. *Magister.* Putant istam distinctionem esse summe necessariam episcopis & inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vt sciant contra quos accusatos de hæresi debeant procedere, & contra quos potestatem procedendi non habent, nam omnes tenentes pertinaciter hæresim aliquo prædictorum modorum explicite damnatorum possunt legitime iudicare. Tenentes vero hæreses damnatas implicite tantummodo, iudicare non possunt, nec de talibus causam ventilare valent, nec inuestigando discutere, nec de eisdem sententiam diffinitiuam proferre. Sed huiusmodi hæresim asserens vel defendens summi Pontificis vel generalis concilii est reseruandus examini. *Discip.* Si isti suam sententiam auctoritate vel ratione valeant confirmare, non tardes ostendere. *Magister.* Possunt se fundare in vna ratione, quæ talis est. Ad illum solum spectat assertionem damnatam vel hæresim damnatam implicite, de qua nunquam innotuit ecclesiæ, an debeat hæresis reputari, tanquam hæreticam condemnare, ad quem spectat huiusmodi hæreses condemnare solenniter: quia videtur maxime veritati inhærere, quando inter catholicos literatos & in sacra pagina eruditos in tali assertione an debeat censeri hæretica, opiniones habentur contrariæ. Sed assertio, quæ in rei veritate est hæretica: de qua tamen an sit hæretica, inter doctores opiniones reperiuntur contrariæ, solenniter & explicite condemnare, pertinet ad summum Pontificem vel concilium generale, vel ad vniuersalem ecclesiam, igitur ad nullum inferiorem summo Pontifice, nec ad collegium inferius summo concilio generali, vel vniuersali ecclesia, spectat assertionem huiusmodi tanquam hæreticam expli-

plicite condemnare. Maior istius rationis videtur esse certa: quia qui iudicialiter pronunciat aliquem hæreticum, potest pronunciare solenniter assertionem, pro qua iudicat eum esse hæreticam & inter hæreses computandam. Minorem ostendunt auctoritate & ratione. Primo auctoritate Innocentii Papæ, qui vt habetur vigesim. quart. quæst. 1. cap. *quotiens*, ait: *Quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres episcopos non nisi ad Petrum sua rationis auctoritatem referre debere.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod quæstio fidei ad inferiorem summo Pontifice referri non debet. hinc est quod Glossa dicit ibidem: *Aliud est quæstionem de fide motam terminare, quod non præterquam ratione fidei permittitur. Aliud est ipsam sine diffinitione ventilare, quod inferiores facere possunt.* Et infra obiiciens ait: *videtur contra extra, de hære. ad abolendam. Nam ibi innuitur, quod illi iudicandi sunt tanquam hæretici, quos ipsi iudicandos dixerunt*, & respondens ait: *Sed dic, quod illud intelligendum est, quando tale quid dicunt, quod certum est dictum eorum esse hæresim: nec vlli est dubium.* Item ad idem videtur concordare Glossa prædicti capituli, super verbo *in fide*, quæ ait: *In fide, id est fideliter agitare causas fidei, & non procedere ad sententiam vel determinationem, qui sint qui dubitant. Nam aliquibus videtur, quod episcopi possunt determinare, extra, de hæreticis, ad abolendam. & de iudiciis, ac si clerici, & aliquando Papa, extra, de hære. cum Christus.* Ex istis colligitur, quod nullus inferior summo Pontifice potest determinare quæstionem motam de fide, præcipue quando literati dubitant & contrarie opinantur. Hoc etiam Innocentius Tertius, *extra de baptism. & eius effectu. cap. maiores*, sentire videtur, ait enim: *Maiores ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referentes intelligi, qui cum quærenti Domino, quem discipuli dicerent, ipsum esse, respondisse notatur, Tu es Christus filius Dei viui.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod ad sedem beati Petri est quæstio fidei referenda: & ita nec collegium inferius collegio generalis concilii: nec aliquis episcopus inferior Papa potest aliquam hæresim, de qua est dubium an sit hæresis, condemnare; & per consequens nullum talem hæresim asserentem valet, tanquam hæreticum condemnare, irrationabile enim omnino videtur, quod episcopus vel inquisitor hæreticæ prauitatis, qui sæpe sacræ Scripturæ imperitus existit, opiniones Doctorum Theologiæ posset tanquam hæreticas condemnare.

CAP. XIX.

In quo fiunt tres instantiæ contra dicta in capitulo præcedenti de hæresum condemnatione, vbi etiam tractatur de articulis condemnatis Parisiis, ad quas respondetur capitulo 21. 22. & 23.

DIscipulus. Quamuis ista sententia videatur fortiter esse probata, tamen contra ipsam negantes in mente instantias reuoluo. Quarum prima est de Vniuersitate Parisiensi, quæ multas opiniones multorum, & etiam Thomæ ipso viuente, tanquam errores excommunicauit & damnauit. Secunda est de duobus archiepiscopis Cantuariensibus, quorum vnus erat Doctor Theologiæ de ordine Fratrum Prædicatorum, qui fuit postea Cardinalis. Secundus erat Doctor Theologiæ Fratrum Minorum, qui doctrinam Fratris Petri Iohannis damnauit, & ita videtur, quod tam ad collegium inferius concilio generali, quam ad alias personas inferiores summo Pontifice spectat opinates errores theologorum condemnare, quamobrem qualiter ad ista respondetur manifesta. *Magist.* Ad primam instantiam de Vniuersitate Parisiensi, respondetur multipliciter. Vno modo, quod multas assertiones temerarie damnauit damnando veritatem. Nullo modo enim potest solenniter absque temeritate veritas damnari: licet quis possit & valeat absque temeritate damnabili veritatis contrarium opinari & de veritate dubitare. Nunquam tamen veritas solenniter & publice absque temeritate damnabili damnatur. Cum igitur multorum iudicio inter articulos damnatos Parisiis contineantur complures veritates, sequitur quod eadem Vniuersitas plures assertiones temerarie condemnauit, & istius sententiæ fuerunt illi, qui post reuocationem dictæ sententiæ, quoad opinionem Thomæ easdem opiniones Thomæ prius damnatas nunc Parisiis tenent & approbant publice & occulte. *Discipulus.* Miror quod dicunt, vt refers, aliquos ante reuocationem sententiæ sancti Thomæ assertiones damnatas Parisiis tenuisse, forte, quod hoc fecerunt ignoranter, nescientes tales assertiones ibidem fuisse damnatas. *Magister.* Volo te scire, quod multi scienter nonnullas assertiones damnatas Parisiis occulte & publice docuerunt. Vnde scio quendam Doctorem de ordine Prædicatorum assertionem damnatam Parisiis ante dictam reuocationem determinasse, & cum contra se obiiceretur, quod dicta assertio, quam tenuit, esse damnata Parisiis: Respondit, damnationem illam nequaquam mare transisse. Istius etiam sententiæ fuit Magister Godfridus de Fontibus: & hoc determinasse videtur, vt in scripturis suis reliquit, quod articuli damnati erant corrigendi.

Cap. XX.

In quo inquiritur de sententia excommunicationis lata à condemnantibus huiusmodi articulos, vtrum liget tenentes huiusmodi articulos.

D*Iscipulus.* Verba, quæ faris, me cogunt incidentaliter interrogare, si aliqui tenentes huiusmodi veritates cum assertionibus earundem excommunicationem incurrerint, cum sententia lata ex causa iniqua neminem videatur inuoluere. *Magister.* Nonnulli putant, quod si dicta sententia excommunicationis fuerit iniqua, ipsa nullum tenentem veritatem damnatam de facto potuit quo quomodo ligare, nec talis debuit se reputare ligatũ, licet alii credentes sententiam dictam non esse iniquam, ipsum tanquam excommunicatum vitare debuerunt. Hanc assertionem triplici ratione probare nituntur: quarum prima est hæc, secundum Innocentium Tertium, vt habetur *extra, de sentent. excommunicat. cap. per tuas*: sententia excommunicationis continens intolerabilem errorem non ligat, sed excommunicare assertionem catholicam est intolerabilis error, ergo talis sententia nullum ligat. Secunda ratio est hæc, nullus potest cogi ad malum, negare autem assertionem catholicam, est de se malum, ergo ad hoc per nullam sententiam potest quis cogi, & per consequens sententia ad hoc cogẽs est nulla. Sententia aũt excommunicationis, qua excommunicatur catholica veritas, quantum est ex forma sententiæ, cogit negare catholicam veritatem, ergo talis sententia nulla est, & per consequens sententia ad hoc cogens est nulla, igitur non meretur dici sententià excommunicationis, qua excommunicatur catholica veritas, quantum est ex forma sententiæ: quia cogit negare catholicam veritatem, igitur talis sententia nulla est, & per consequens neminem ligat. Tertia ratio est hæc, sententia hæretici neminem ligat, vt habetur *24. quæst. 1. cap. audiamus*, sed si dicta sententia excommunicationis se extendat ad catholicas veritates ferentes eandem sententiam fuerunt hæretici: quia dubius in fide est infidelis & hæreticus, erga multo fortius damnans sententialiter catholicam veritatem hæreticus est censendus, si autem ferentes dictam sententiam fuerunt hæretici, ipsa omninò nullum ligauit.

Cap. XXI.

In quo respondetur ad primam instantiam, de vniuersitate Parisiensi factam supra capitulo decimo huius.

D*Iscipul.* An excommunicantes ignorantes assertionem catholicam sint censendi hæretici, postea diligenter inquiram, & ideo ad propositum reuertar, & modo ad præfatam sententiam seu instantiam de vniuersitate Parisiensi, qualiter respondetur enarra. *Magist.* Sunt quidam dicentes, quod Vniuersitas Parisiensis multas assertiones temerarie excommunicauit, & ideo non, quia illas assertiones putant sapere orthodoxam veritatem: sed quia quo quomodo repugnant fidei orthodoxæ, non apparet. Alii dicunt, quod ideo dicta excommunicatio fuit temeraria reputanda, quia excommunicantes potestatem, quam non habebant, indebite vsurpauerunt, & ideo iuste fuit sententia postea eadem reuocata. Adhuc est quarta responsio, quod episcopus Parisiensis auctoritate Apostolicæ sedis rite eandem tulit sententiam, damnare autem assertionem hæreticam auctoritate Apostolicæ sedis ad inferiorem summo Pontifice potest licite pertinere. *Discipulus* Si tam damnans solenniter assertionem catholicam, quam reuocans ritam & iustam damnationem hæreticæ prauitatis sit iudicandus hæreticus, de quo inferius interrogationes tibi proponentur, necessario cócedendum est, quod ferentes dictam sententiam excommunicationis contra opiniones Theologiæ, vel postea reuocantes eandem, sint inter hæreticos computandi. *Magister.* Quibusdam videtur, quod ferentes aliique reuocantes sunt hæretici reputandi, sed qui verius dicant sciri non potest, nisi præcognoscendo an assertiones damnatæ & postea reuocatæ, hæreticæ vel catholicæ sint censendæ.

Cap. XXII.

In quo respondetur ad instantiam secundam supra cap. 19. factam.

D*Iscipulus.* De illa instantia non amplius te intromittas: sed dic, quomodo ad secundam instantiam respondetur. *Magister.* Illa instantia comprehendit duas, quarum prima est de primo archiepiscopo, qui fuit de ordine Prædicatorũ. Secunda est de secundo archiepiscopo, qui fuit ordinis minorum. De primo diuersis modis dicitur à diuersis. Dicunt enim quidam, quod damnatio sua temeraria existebat, eo quod veritates, vt dicunt, condẽnauit. Vnde quidam alius archiepiscopus ipsum de dicta damnatione acriter reprehendit, scribens ei epistolam, in qua manifeste asseruit, quod veritates damnauerat. Multi enim putantes ipsum veritates damnasse, quod fuerit hæreticus, nequaquam affirmant: quia (vt dicunt) nullam catholicam veritatem, sed plures veritates philosophicas

cas

cas condemnauit, de assertionibus autem grammaticalibus, logicalibus & pure philosophicis in eadem damnatione se (vt asserunt) temere intromisit. *Discipul.* An ille propter illam damnationem fuerit hæreticus reputandus, sciri non potest, nisi assertiones discuterentur, quas damnauit, quod ad præsens non intendo, sed posito quod damnasset aliquam assertionem, quæ in rei veritate est præcipue physica, tanquam hæreticam, nunquid fuisset hæreticus? *Magist.* Quidam dicunt quod sic: quia pertinaciter dicens aliquid esse de veritate fidei, quod ad fidem non pertinet, est hæreticus iudicandus. *Discipul.* De hoc postea perscrutabor: ideo ad propositum reuertere principale, & dic an aliqui alii præter archiepiscopos, de quibus dixisti, senserunt fuisse temerariam damnationem prædictam. *Magist.* Plures alii ipsam fuisse temerariam reputarunt, plures enim Parisienses Doctores & Scholares assertiones damnatas à dicto archiepiscopo publice tenuerunt, nam opinionem Thomæ *de vnitate formæ in homine* inter alias cōndemnauit: & tamen tu scis, quod plures Parisiis ipsam publice teneant, & defendunt & docent: & ita est de multis aliis. *Discipul.* Dic aliam responsionem ad instantiam supradictam. *Magist.* Alii dicunt, quod dictus archiepiscopus dictos articulos temere condemnauit: non quia inter illas veritates aliquæ sint damnatæ: sed quia sibi potestatem, quam non habuit, vsurpauit. *Discip.* Isti reprehendendo dictam damnationem primo fundamento solummodo, quod scilicet nullus inferior summo pontifice habet potestatem aliquam assertionem tāquam hæreticam condemnandi, inniti videntur. *Magist.* Non est, vt dicis, quia isti non solum innituntur fundamento præfato, sed etiam asserunt, quod assertiones præcipue physicæ, quæ ad Theologiam non pertinent, non sunt ab aliquo solenniter condemnandæ seu interdicendæ, quia in talibus quilibet debet esse liber vt libere dicat quod sibi placet, & ideo quia dictus archiepiscopus damnauit & interdixit opiniones grammaticales, logicales & pure physicas, sua sententia fuit temeraria reputanda. *Discip.* An liceat alicui tales assertiones damnare, nolo ad præsens inquirere: sed indica, si ad sæpe dictam instantiam aliter respondetur. *Magist.* Sunt quidam tenentes, quod quilibet episcopus habet potestatem damnandi hæreses, ex quo sibi patenter innotescit, quod fidei obuiant orthodoxę. *Discipul.* Isti negant, quod prius probasti, scilicet quod sola apostolica sedes potest terminare quęstionem motam de fide, vnde non curo, quod plus loquaris de illo archiepiscopo: sed dic, quid dicitur etiam de secundo. *Magist.* Quidam putant ipsum temerarie condemnasse opiniones Thomæ, quia continent veritatem, quidam autem, quia ad eum quamcunq; assertionem damnare minime pertinebat. Quidam vero dicunt, quod rite damnauit; quod illæ opiniones fidei obuiant orthodoxæ. Et quod illa opinio de vnitate formæ in homine doctrinæ ecclesię manifeste repugnat, quę docet quod idem fuit corpus Christi viuum & mortuum. Et quilibet episcopus habet potestatem damnandi assertiones doctrinæ ecclesiæ repugnantes.

CAP. XXIII.

In quo respondetur ad instantiam tertiam supra capitulo 19. factam.

Discipulus. Narra quomodo respondetur ad tertiam instantiam de ordine Minorum, qui damnauit doctrinam Petri Iohannis. *Magist.* Ad illam multipliciter respondetur. Ad cuius euidentiam debes scire, quod de doctrina Petri Iohannis diuersi diuersimode sentiunt. Quidam enim putant totam doctrinam suam esse catholicam. Quidam æstimant quod nihil in ea inuenitur, quod hæresim sapiat manifestam, multa tamen falsa & fantastica continet: & præcipue cum futura prædicit. Alii reputant, quod hæreses continet manifestas.

Primi & secundi tenent, quod ordo Minorum dictam doctrinam temerarie condemnauit: imo nonnulli putant quod damnantes incurrerunt hæreticam prauitatem: quia damnare sententialiter catholicam veritatem efficit damnantem hæreticum pertinacem. Tertii variant, quidam enim licet reputent doctrinam Petri Iohannis esse hæreticam, tamen Ordo antedictus temere condemnauit eandem potestatem, quam non habuit, vsurpando. Alii dicunt quod condemnantes nequaquam temere processerunt: quia processerunt auctoritate papæ, & dicunt quod Nicolaus quartus eandem doctrinam mandauit condemnari. Tertii dicunt specialiter de illo capitulo Massiliensi, quod non temere condemnauit prædictam doctrinam; quia solum damnauit vel potius damnata declarauit vel pronunciauit ea, quę prius per conciliū generale vel per aliquem Romanum pontificem damnata fuerunt vel quæ aperte contradicebant scripturæ diuinæ. *Discip.* Illa vltima sententia magis mihi placet, pro eo præcipue, quod nec Ordini antedicto attribuit vsurpasse potestatem antedictam, quam non habuit, nec damnationi sanctissimi patris Domini Innocent. papæ 22. nōscitur obuiare: & ideo ipsam, quantum poteris, fulcire nitere. *Magist.* Istam sententiam declarare non possem, nisi articulos damnatos & acta Ordinis sæpe dicti, ac etiam doctrinam fratris Petri præfati, de qua dicti articuli sunt accepti haberem, tu autem scis, quod nullum habeo prædictorum, & forte illi de Ordine nolunt mihi communicare prædicta.

Cap. XXIV.

Vbi inquiritur, si quis inferior Papa possit licite quamcunq; assertionem non damnatam explicite, tanquam hæreticam excommunicare vel damnare, vbi specialiter assignatur causa de opinione Thomæ, quare fuerit condemnata.

DIscipulus. Ex quo illam sententiam vltimam declarare non potes, declarationem eiusdem vsq; ad aliud tempus (si forte prædicta ab eodem Ordine habere potueris) differamus: sed dic an aliqui sint, qui teneant quod aliquis inferior summo pontifice valeat licite quamcunque assertionem non damnatam explicite tanquam hæreticam excommunicare vel damnare. *Magist.* Ad hoc respondent quidam dicentes: quod quamuis non liceat alicui inferiori papa damnare &c. Licet tamen collegiis aliis & prælatis inferioribus papa assertiones erroneas ex causa rationabili interdicere, & præcipere, quod nullatenus publice defendantur. Et ideo dicunt, quod si Vniuersitas Parisiens. & Cantuariens. archiepiscopi sæpe fati ex causa rationabili opiniones Thomæ interdixissent, tantummodo præcipiendo quod publice eas non defenderent ac docerent Parisiis & ad sententiam excommunicationis & damnationis opinionum earundem nullatenus processissent, nil temerarie commisissent. *Discipul.* An potest esse causa rationabilis præcipiendi opiniones aliquas publice non teneri. *Magist.* Dicunt quod pro scandalo & schismate aliisq; malis & periculis euitandis possunt opiniones aliquæ & quæstiones veræ rationabiliter interdici. *Discip.* Nunquid fuit vnquam aliquod scandalum de opinionibus Thomæ? *Magist.* Sæpe audiui à multis Anglis & Britonibus enarrare, quod de opinione Thomæ de vnitate formæ, quando conclusiones, quæ ex ipsa sequuntur, explicabantur, scandalum fuit in Anglia prope infinitum. *Discipul.* Quæ fuerunt illæ conclusiones sequentes ex opinione Thomæ de vnitate formæ, quæ expresse scandalizabant populum. *Magist.* Secundum istos subscriptæ sunt. Quod corpus Christi non fuit idem numero viuum & mortuum: & quod corpus Christi, quod iacuit in sepulchro, in ipso triduo nunquam fuit corpus Christi dum viueret: quod corpus & reliquiæ, quæ à fidelibus pro corporibus sanctorum & reliquiis venerantur, nunquam fuerunt corpora nec partes sanctorum dum viuerent: nec corpora mortua vnquam fuerunt corpora viuentium, quod caro mortua nunquam fuit viua. *Discipul.* Satis certificasti de conclusionibus sequentibus ex opinione de vnitate formæ substantialis, & ideo ad propositum redeundo explica rationes (si quæ sunt) pro assertione supradicta. *Magist.* Assertionem suam probant tali ratione. Omne illud, quod potest licite prætermitti à subditis, potest ex causa rationabili à prælatis & iurisdictionem habentibus super subditos interdici, nam qui potest & debet omnibus vtilitatibus omnium intendere & prouidere; potest & periculis obuiare, & in talibus licitis & honestis omnes subditos obedire, vt colligitur ex sacris canonibus *9. q. 4. c. si autem & c. si quis & c. absit.* Sed opiniones aliquas non defendere, non docere, est licitum: imo quandoque expediens & necessarium, ergo potest à prælatis & collegiis iurisdictionem habentibus ex causa rationabili interdici. *Discipul.* Secundum hanc rationem liceret quandoque prælatis interdicere veritates, nam quandoque tacere veritatem est expediens. *Magist.* Interdicere veritatem omnibus & pro omni tempore non licet secundum istos: sed aliquibus tantum & pro aliquo tempore impedire, ne veritates aliquas docere præsumant, licet, sicut dicit Apostolus, *mulieri docere non permitto, &* Dominus in Euang. ait: *nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos.* Ex quibus verbis colligitur, quod nec omnibus nec omni tempore veritatem expedit vel prædicare aut docere vel defendere. *Discipul.* Ex hoc videtur, quod nulli licet opiniones seu assertiones aliquas damnare: neque omnibus & pro omni tempore interdicere, licet aliquibus & pro aliquo tempore licite ipsas interdicere possint. *Magist.* Hanc conclusionem ipsi concedunt, & ideo signanter dicunt, quod ex causa rationabili, licet inferioribus aliquas assertiones interdicere per hoc insinuantes, quod cessante causa cessat interdictum.

Cap. XXV.

Notat, quo fundamento debeat inniti Papa, vel concilium generale damnando aliquam assertionem explicite prius non damnatam, tanquam hæreticam, & ponuntur tres modi dicendi circa illud.

DIscipulus. Licet circa prædicta mihi multæ dubitationes occurrant, illis tamen prætermissis ad intentum principale reuertor, mihi autem videtur probabile, quod nullus inferior papa potest aliquam assertionem non damnatam explicite tanquam hæreticam excommunicare vel damnare explicite: sed adhuc ignoro quo fundamento papa vel concilium generale in damnando explicite aliquam assertionem non damnatam tanquam hæreticam debet inniti. vnde de hoc quid sentiunt

tiant literati dicere non postponas. *Magist.* Circa interrogationem tuam opiniones contrarias recitabo Dicunt enim quidam tenentes, quod tantæ auctoritatis est papa, quod ad placitum potest quamcunque assertionem tanquam hæreticam damnare, & isti dicuntur esse imitatores papæ Sergii persecutoris papæ Formosi: qui, vt in quodam libro de antiquissima litera legi in tantum volebant papam extollere, quod asserebant *papam non posse damnari: sed quod quicquid faceret, saluaretur*, ita isti dicunt, quod quicquid papa diffinit esse tenendum, omnes tenere & credere, hinc dicit Gloss. distinct. 9. c. si Romanorum: *Illud quod papa approbat vel reprobat, nos approbare vel reprobare debemus.* *Discipul.* Ista assertio sonat, quod papa hæreticari non potest, de quo postea interrogationem specialem habebo. Ideo de hoc pro nunc transeamus, & monstra vt promisisti assertionem contrariam. *Magist.* Alii asserunt manifeste, quod papa & concilium generale ac etiam vniuersalis ecclesia, si recte damnat aliquam assertionem tanquam hæreticam, stricte loquendo de assertione hæretica, vni vel pluribus de tribus fundamentis debet inniti & se patenter fundare. Primum est super sacram scripturam, & isti fundamento innitebantur concilia generalia principalia, hæreses Arri, Macedonii, Nestorii, Euticis & Diostori condemnando, sicut enim aliqua istorum conciliorum condendo symbola in auctoritate sacræ scripturæ se fundabant, teste Isidoro, qui, vt habetur dist. 15. c. 1. ait: *Sancti patres in concilio Niceno de omni orbe terrarum conuenientes iuxta fidem catholicam & apostolicam post Apostolos symbolum tradiderunt: isti hæreses condemnando pro fundamento sacras literas posuerunt.* Sic etiam Alex. tertius damnando assertionem dicentem, quod Christus non est aliquid secundum quod homo, in hac veritate à diuina scriptura accepta, Christus est verus Deus & homo, se fundauit. Sic etiam sancti Doctores reprobando ipsas per scripturas conuincere conabantur, sicut in libris eorum patenter habetur, vnde & Isidorus, vt habetur *24. q. 3. c. notandum*, plures hæreses per scripturas sacras arguit euidenter. Secundum fundamentum est, doctrina Apostolica in scripturis Apostolicis non redacta, sed relatione succedentium fidelium vel scripturis fide dignis ad nos peruenit, & isti fundamento innititur Nicolaus papa, qui, vt habetur *c. omnes, in decretis, dist. 22.* vbi patenter colligitur diffiniens, *hæreticum fore censendum, dicere ecclesiam Romanam non esse caput omnium ecclesiarum*, cum tamen de hoc in scripturis sacris mentio minime habeatur: sed hoc Apostoli tradiderunt & docuerunt fideles, quæ doctrinæ relatione fidelium sibi succedentium & scripturis sanctorum patrũ ad nos peruenerunt. Pro hoc faciunt rationes & auctoritates, quas supra (cum tractarem interrogationem tuam, quę veritates sunt catholicę reputandę) adduxi. Tertium fundamentum est, reuelatio vel inspiratio noua diuina. Si enim aliqua veritas æterna, quæ pertinet ad salutem, de nouo reuelaretur ecclesiæ: ista esset tanquam catholica approbanda & omnem falsitatem ei contrariam posset ecclesia & etiam papa tanquam hæreticam condemnare. Et quamuis isti exemplum nesciant inuenire (quod vnquam ecclesia aliquam hæresim condemnando se in tali reuelatione vel inspiratione fundauerit) tamen dicunt, quod hoc non est impossibile: quia posset Deus, si sibi placeret, multas veritates catholicas nouiter reuelare vel inspirare. *Discipul.* Quid si papa, vel etiam concilium generale dicat, sibi aliquam veritatem esse reuelatam à Deo, vel etiam inspiratam: nunquid alii fideles credere astringuntur? *Magist.* Dicunt isti, quod absque miraculo manifesto non est eis credendum: quia non sufficit nude asserere, quod eis est veritas reuelata vel etiam inspirata: sed oportet quod talem reuelationem seu inspirationem miraculi operatione confirment apta. *Discip.* Quid dicerent isti, si omnes Christiani nullo excepto aliquam assertionem tanquam hæreticam firmiter acceptarent, quam tamen nec ex scripturis diuinis, nec ex aliqua doctrina ab ecclesia procedente possent ostendere. *Magist.* Dicunt quod talis veritas esset tanquam catholica acceptanda: quia talis concors adhæsio omnium Christianorum nullo excepto alicui assertioni huiusmodi sine miraculo non potest contingere, cum enim omnes fideles firmissime teneant, quod iuxta promissionem Saluatoris, Matthæi vltimo, *vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, ecclesia vniuersalis nunquam errabit, constat quod sine speciali inspiratione diuina nunquam ecclesia vniuersalis assertioni, quæ non dependet ex doctrina ecclesiæ præcedenti, firmiter adhærebit, & ideo tunc miraculum fieri esset credendum. *Discipul.* Quid sentiunt, si omnes Christiani propter paucos vel vnum assertioni tali (quæ ex doctrina ecclesiæ præcedenti probari non posset) adhærerent? *Magist.* Dicunt, quod si vnus solus dissentiret, non esset talis veritas acceptanda: quia in vno solo potest stare tota fides ecclesiæ, quemadmodum tempore mortis Christi tota fides ecclesiæ in sola beata virgine remanebat, nec est etiam credendum, quod omni tempore post tempora Apostolorum fuerint aliqui magis accepti Deo, quam fuerint Apostoli ante mortem Christi. Si ergo Christus post crucifixionem suam permisit cunctos Apostolos à fide catholica deuiare, & solam beatam virginem firmiter permanere in fide: temerarium est asserere, quod nunquam ante finem mundi Deus permittat totam multitudinem Christianorum præter vnum à fide recedere orthodoxa. *Discipul.* Ista nescio improbare: sed videtur quod ad hoc, vt omnes catholici teneantur alicui veritati nouiter reuelatæ firmiter adhærere: non sufficit eam operatione miraculi confirmare: cum per malos & infideles fiant mirabilia, sicut ex verbis euangelii *Matt. 7.* colligitur, & apparet Christo dicente: *multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus, confitebor illis quia nunquam noui vos*: hoc est, nunq̃ approbaui vos, huic etiam concordat Glo. *ext. de hære. cum ex iniuncto*, vbi habet, quod *Quandoq; mirabilia fiunt per malos. Mag.* Ad istam obiectionẽ respondent, dicentes, quod licet per malos fiant mirabilia: nunq̃ tamen fit verũ miraculum ad confirmationẽ falsitatis assertę p malos, & ideo qñ docent aliquẽ errorem

errorem ad confirmationem illius erroris, nunquam fit verum miraculum, sed si prædicant veritatem, quamuis sint mali, fiunt aliquando mirabilia ad confirmationem veritatis, sicut Iudas proditor, quamuis fuerit malus, quia tamen docuit veritatem, miracula faciebat, quando ergo fit verum miraculum ad assertionem aliquam confirmandam, tenendum est indubie, quod talis assertio pro vera debet haberi, & hoc siue illi quibus reuelata fuerint inter bonos, siue inter malos computentur. *Discipul.* Ista responsio est apparens, vnde quæ dixisti de illa secunda sententia sufficiant: sed si nosti aliquos aliter dicere, non differas indicare. *Magist.* Nonnulli putant, quod tam concilium generale, quam etiam papa in damnando aliquam assertionem tanquam hæreticam iu sacra scriptura diuina sola debet se fundare: quia solæ veritates in scriptura sacra contentæ & quæ sequuntur ex eis catholicæ sunt censendæ. De hac sententia tractatus præcedens te poterit informare.

Cap. XXVI.

Quærit de illa modificatione sc. damnamus, si necessario, requiratur ad hoc, vt ponatur explicite, quatenus catholici talem assertionem habeant reprobare vt hæreticam.

Discipulus. Satis aduerto ex præcedentibus, quomodo illa sententia fulciri potest, & quomodo etiam poterit improbari: & ideo ad quæstionem aliam me conuerto, adhuc enim nescio an ad hoc quod catholici aliquam assertionem habere debeant pro damnata explicite, oporteat in damnationem talem vel æquipollentem modificatione vel specificatione vel determinatione tanquam hæreticam vel veritati catholicæ inimicam adiungere taliter vel æquipollenter proferendo sententiam talem assertionem tanquam hæreticam vel veritati catholicæ inimicam damnamus, vnde circa hoc vnam vel plures monstra sententias. *Magist.* Ad hoc dicunt, seu respondent dupliciter, quidam enim dicunt, quod talis modificatio seu determinatio in sententia est ponenda ad hoc, vt assertio improbata pro hæresi damnata explicite habeatur, quia dicunt quod assertio, quæ non est damnata, tanquam hæretica haberi non debet. Alii dicunt quod ad hoc quod assertio, quæ non est damnata tanquam pro hæretica habeatur, sufficit (absque determinatione tali) quod ipsa falsa assertio reprobetur vel veritas contraria explicite approbetur, & quod talis approbatio vel reprobatio fundetur in catholica veritate. Sic Alexand. Tertius interdicens & reprobans, ne aliquis dicat Christum non esse aliquid secundum quod homo: suam reprobationem fundauit in catholica veritate, ista videlicet: Christus est verus Deus & verus homo. Et ideo voluit, quod dicta assertio pro hæretica haberetur, licet talem determinationem (tanquam hæreticam) condemnare vocaliter in sua probatione nequaquam expresserit.

Hac etiam ratione probatur, nam veritas explicite approbata & in veritate catholica fundata pro catholica debet haberi, ergo & falsitas contraria debet hæretica iudicari, sed siue approbetur veritas, siue damnetur contraria falsitas, veritas approbatur: quia reprobatio vnius contradictoriorum est alterius approbatio: & econuerso, ergo talis assertio contraria veritati in fide fundata catholica hæretica est censenda & pro damnata explicite.

Cap. XXVII.

In quo agitur de opinionibus Theologorum inter se diuersa sentientium, in his etiam quæ sunt fidei, & vtrum hoc eis liceat, & Papa licite illos taliter opinari sinat, & ibi ponuntur duæ opiniones circa prædicta.

Discipulus. Adhuc habeo quod de hæresum damnatione interrogem, mihi enim apparet, quod omnis error qualitercunque sic patenter, siue latenter scripturæ diuinæ obuians & repugnans, numero hæresum aggregatur, constat autem quod Theologi de his, quæ spectant ad scripturam sacram, contraria opinantur: qui tamen omnes opiniones suas scriptura sacra fulcire nituntur; & per eandem scripturam sacram opiniones contrarias reprobare moliuntur, ergo aliquæ dictarum opinionum contrariarum numero hæresum aggregantur, nunquid ergo papa damnabiliter peccat negligendo hæreses huiusmodi condemnare? *Magist.* Quidam dicunt, quod papa in nullo peccat permittendo Theologos huiusmodi assertiones (quæ sunt in rei veritate hæreticæ) opinando tenere, quod tali ratione videtur posse probari. Permittere licita

licita non est peccatum: cum etiam quandoq; absq; peccato illicita permittantur, sed huiusmodi errores, qui non sunt damnati explicite, opinando tenere est illicitum, quia talis opinio, quando opinans paratus est corrigi, opinantem non reddit hæreticum, ergo absque peccato permittit huiusmodi, quæ in veritate sunt hæreses, opinando teneri. Alii sentiunt, quod plures Romani pontifices damnabiliter in hoc peccauerunt. Quod probant per hoc, quod non solum hæretici, sed etiam hæreses de ecclesia exstirpandæ sunt, testante concilio generali, quod (prout habetur *extra de hære. excõmunicamus*) episcopos indicat deponendos. q super exstirpando de suis diœcesibus hæreticæ prauitatis fermento negligentes fuerunt siue remissi. Ille ergo, ad quem spectat de officio sibi iniuncto hæreses exstirpare, si negligens fuerit vel remissus, de damnabili negligentia vel regimine excusari non potest, sed ad summum pontificem spectat totam ecclesiam de hæresibus non solum iam damnatis explicite, sed etiam aliis quibuscunq; expurgare, ergo qui tales hæreses sustinent teneri vel doceri, damnabiliter peccauerunt. *Discip.* Non videtur quod papa teneatur de omnibus hæresibus (quæ non sunt damnatæ explicite) purgare ecclesiam: sed sufficit sibi quod eam purget vel purgatam cõseruet ab omni prauitate hæretica explicite iam damnata. *Mag.* Hoc improbant isti dicentes, quod papa qui hæreses insurgentes de nouo negligit improbare & damnare, Apostolos & sanctos patres, qui hæreses pullulantes celerrime damnauerunt, nullatenus imitatur: quorum vestigiis tamen inhærere oportet Roman. Pontificem, si eis vult in cœlesti patri aggregari. Peccauerunt ergo summi pontifices, qui damnare hæreses neglexerunt. *Discip.* Apostoli & sancti patres ideo hæreses damnauerunt, quia inuenerunt pertinaces huiusmodi hæresum assertores, cum ergo Theologi hæresum, quas putant veritati catholicæ minime obuiare, pertinaces non fuerint assertores, non fuerunt hæreses (quas opinando solummodo docuerunt) per Romanos pontifices condemnandæ. *Mag.* Istam excusationem Romanorum pontificum isti dupliciter nituntur impugnare. Primo quia nescierunt an Theologi suis opinionibus hæreticis pertinaciter adhæserunt, ex quo de hoc nullam inquisitionẽ omnino fecerunt, ergo inquirendo veritatem (vt periculis fidei obuiarent) negligentes & remissi fuerunt. Secundo sic: maiori periculo est fortius diligentius & celerius obuiandum, sed ex hæresibus publice opinatis & dogmatizatis maius imminet periculum religioni Christianæ, quam ex consuetudinibus onerosis & prauis, quia esto quod dogmatizantes suis opinionibus minime pertinaciter adhærerent: tamen timendum est ne simplices Discipuli audientes assertiones huiusmodi à magnis doctorib. edoceri, & pro eis allegari fortiter, & à catholicis nullatenus condemnari, ex apparentia rationum, quas nesciunt soluere, in adhæsionẽ pertinacem eisdem hæresibus inducantur, & ne hæresis pestiferæ pro veritatibus catholicis incipiant venerari, & pertinaciter defensari sed consuetudines onerosæ & prauæ sunt celerrime comprimendæ, ne in priuilegiorum ius ab ipsis assumantur, vt asserit Nicolaus papa, vt habetur *dist. 8. c. male*, ergo multo fortius hæreses qualitercunque pullulauerint sunt euellendæ radicitus & damnandæ: ne à simplicibus & seducibilib. pro veritatibus catholicis approbentur. *Discip.* Ista ratio vltima est apparens: sed prima opinio apparentia carere videtur: quia secundum sacros canones non est aliqua inquisitio facienda, nisi prius fuerit diffamatus, vt habetur *extra de accu. c. qualiter & quando*, & in multis aliis locis, sed Theologi de hæresibus nullatenus diffamati fuerunt, ergo de eis summi põntificis non debuerunt inquirere. *Magist.* Dicunt illi, quod illa excusatio non est sufficiens, quia licet Theologi non fuerunt diffamati, quod essent hæretici, diffamabantur tamen: quia hæreses docuerunt, vnde etiam multi Theologi nunc putant, quod alii Theologi dogmatizant hæreses, quamuis nolint asserere quod sint inter hæreticos computandi. Multi etiam cum assertione forte putant, quod omnes opiniones Thomæ, qui quondam fuerunt damnatæ Parisiis, sint hæreticæ iudicandæ. Item nonnulli etiam credunt, omnes opiniones, quas Cantuarienses archiepiscopi damnauerunt, inter hæreses computandas, quidam enim firmissime credunt, quod dicere *voluntatem nihil posse velle contra actuale iudicium rationis*, sapiat hæresim manifestam: quia (vt dicunt) hoc omne meritum tollit & demeritum. Quidam etiam certitudinaliter credunt, quod dicere *in homine non esse nisi vnam formam substantialem*, veritati obuiat orthodoxæ. Quidam etiam putant, quod multæ opiniones Scoti sunt inter hæreses numerandæ, dicere enim, quod *sapienta Dei ab essentia Dei ex natura rei quomodolibet distinguatur*, contradicere putant simplicitati diuinæ: & per consequens veritati catholicæ repugnare. Idem sentiunt de vnitate minori, vnitate numerali, & prioritatibus, quas ponunt in Deo, & de aliis quæ opinantur quasi innumeris. Hoc idem de multis opinionibus Egidii multi æstimant, & ergo notorium est, quod Theologi hæreses dogmatizare notantur, quamuis hæretici minime reputantur, propter talem ergo famam debuerunt summi pontifices pro inquisitione facienda moneri. *Discipul.* Forte talis fama ad summos pontifices non peruenit. *Magist.* Dicunt illi, quod hoc omni probabilitate caret, nec verisimilitudinem habet, quod damnationes opinionum Thomæ & aliorum, quæ solenniter & publice plures factæ fuerunt Parisiis & in Anglia, summos pontifices latuissent, præsertim cum quidam de ordine prædicatorum contra damnationem latam in Anglia ab archiepiscopo Cantuariensi contra quasdam opiniones Thomæ ad curiam Romanam appellauerint: Et illa de causa accesserint ad eandem. Dicunt ergo, q quamuis fama (q opinantes essent hæretici) nõ peruenerit ad Romanos Pontifices, ipsos tamẽ non latuit quod opinines

eorum

eorum damnatæ fuerint Parisiis & in Anglia, quare ad inquisitionem faciendam procedere debuerunt exemplo sanctorum patrum, qui antequam Arrius, Eunomius, Macedonius, Nestorius, & alii multi pertinaces conuincerentur hæresum defensores, de eis & eorum dogmatibus inquisitionem fecere solertem: exemplo etiam Innocent. tertii, qui vt *extra de sum. tri. & fi. cath. c. damnamus*, quamuis Ioachimus sui erroris nunquam fuit pertinax defensor; & licet eidem errori solemnis tunc temporis Doctor Ricardus de sancto Victore adhæserit, quamuis non pertinaciter, tamen ad inquisitionem & damnationem faciendas processit.

Cap. XXVIII.

Ponit excusationem summorum Pontificum in sacris literis minus peritorum.

Discipulus. Ista exempla animum meum fortiter angunt, vnde cupio scire, si aliqui aliter dictos summos pontifices excusare nitantur. *Magist.* Quidam per simplicitatem & imperitiam scripturarum eos excusant, dicentes quod à tempore Innocent. tertii non fuerunt aliqui summi pontifices in sacrarum literarum peritia excellentes, & ideo de intrinsecis & difficilibus quæstionibus se intromittere nullatenus debuerunt, sed talia discutienda Theologis reliquerunt, contenti his quæ explicite approbata noscuntur, de opinionibus vero nouis magis voluerunt iuxta consilium beati Hieronym. pie dubitare, quam aliquid temere diffinire. *Discipul.* Ista sententia correspondere videtur cum illis, qui dicunt, quod non ad Canonistas, sed ad Theologos principaliter perinet inter veritates catholicas & hæreses iudicare, plures enim post tempora Innocent. tertii fuerunt summi pontifices, qui peritissimi in iure canonco extiterunt, licet in Theologia non fuerunt excellentes, quare si ad Canonistas principaliter pertinet inter veritates catholicas & hæreses iudicare, ipsi non damnando hæreses inter Theologos damnatas (modo prædicto) excusari nequirent: sed nunquam, si fuissent magistri in Theologia, excusare valerent. *Magist.* Dicunt isti quod sic, quia multi, vt asserunt, sunt in Theologia doctoris nomen habentes, per fauores humanos & procurationes, indebitas aut ambitiones diabolicas ad magisterium exaltati, qui sacrarum litterarum sunt penitus imperiti.

Cap. XXIX.

Vbi inquiritur, si Pontifex minus peritus in litteris sacris, consilio tamen peritorum aliquam assertionem, tanquam hæreticam valeat condemnare, & ponuntur duæ opiniones.

Discipulus. Licet summi pontifices scripturæ notitiam non habuerunt excellentem, tamen per hoc non videntur aliqualiter excusandi, quia poterant doctos consulere & peritos, qui autem potest habere copiam peritorum, non potest per ignorantiam excusari, talis ergo ignorantia scripturæ diuinæ eos nequaquam excusat: nisi forte dicant, quod quia in Theologia & in Philosophia (antequam ad papatum essent assumpti) nequaquam exercitati fuerunt, non poterant ad intelligendum tam subtiles difficultates Theologiæ, etiam per informationem peritorum attingere. Sed etiam hoc sufficere non videtur: quia quamuis non potuissent intelligere informationes circa huiusmodi; debebant credere informationibus aliorum, vt apparet, & per consequens iuxta informationem peritorum (quamuis eas per intellectum non saperent) ad condemnationem hæresum procedere debuerunt. Vnde & de hoc vltimo, an scilicet si summus pontifex sacrarum literarum ignarus aliquam hæresim promulgatam (quamuis videre nequiret, quomodo veritati catholicæ aduersatur) de consilio peritorum valeat condemnare, quid de hoc teneant homines docti manifesta. *Magist.* Quidam dicunt, quod summus pontifex in hoc casu debet credere eruditis in scriptura sacra, & iuxta eorum consilium (quamuis non videat, quomodo hæresis dogmatizata veritati repugnat) ad condemnationem eiusdem procedere. Alii vero assumpserunt manifeste, quod à quibuscunque & cuicunque dicatur aliquam assertionem hæreticam esse censendam: ipse ad damnationem eius solennem nullo modo debet procedere: nisi ipsemet aperte consideraret vel diuina inspiratione, vel propria meditatione, vel librorum inspectione, aut aliorum informatione, aut aliquo alio modo, quod talis assertio veritati obuiat orthodoxæ.

Dicunt

Dicunt etiam, quod si omnes in generali concilio congregati præter ipsum assererent talē assertionem esse hæreticam, nisi suam sententiam miraculo confirmarent, vel per informationes suas facerent ipsum aduertere, quod catholicæ obuiat veritati, non deberet eam quantumcunq; omnes instarent solenniter condemnare: sed expectare teneretur, quousq; vel per reuelationem diuinam vel per mirabilem operationem facti ad talem hæresim reprobandam, vel propria meditatione vel aliena informatione aut quouis modo sibi innotesceret manifeste, quod talis assertio catholicæ veritati repugnat. *Discip.* Miror quomodo isti dogmatisare præsumunt, quod vnus homo mortalis quacunq; præditus dignitate magis debet adhærere propriæ fantasiæ, quam omnibus viris literatis & sanctis ad generale concilium conuocatis. *Magist.* Sententiam prædictam non capis, vt video. Non enim dicunt, quod Papa debet fantasiæ suæ adhærere, sed dicunt quod propter verba hominum nullam debet assertionem contra conscientiam vel præter conscientiam propriam damnare. *Discip.* Videtur quod Papa hoc casu tenetur se conscientiis tot & tantorum virorum conformare. *Magist.* Dicunt quod in his quæ fidei sunt, non debet Papa inniti conscientiis hominum, sed soli auctoritati diuinæ.

CAP. XXX.

Declarat quod Papa condemnando aliquam assertionem, tanquam hæreticam, non debeat inniti sapientiæ, vel scientiæ hominum, sed tantum auctoritati diuinæ vel miraculo manifesto.

DIscipulus. Incipio magis aduertere sententiam memoratam. Vnde ipsam auctoritatibus vel rationibus munire coneris. *Magist.* Pro illa sententia plures rationes auctoritatibus cōmunitæ possunt adduci. Quarum prima est hæc. Omnes præter Papam in Concilio generali congregati non sunt maioris auctoritatis, quā Christus: nec omnibus illis magis est credendū, quam Christo. Sed si Christus venisset & catholicam veritatem inauditam prædicasset, & ad confirmandum doctrinam suam nullum fecisset miraculum, Iudæi prædicatione suæ minime credendo peccatum nullatenus habuissent. Ergo multo fortius potest Papa absq; peccato suæ sententiæ & omnium aliorum in generali concilio existentium (si per eos nullum fiat miraculum ad suam sententiam confirmandam, nec ipsi faciunt eum intelligere, quomodo sua sententia in veritate catholica est fundata) minime adhærere, & per cōsequens non tenetur eos in eadem sententia sequi. Maior istius rationis est omni catholico manifesta. Minor auctoritate ipsius Christi probatur. Quia, vt legitur, Iohan. 15. loquens Iudæis ait: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, (scil. non credendo:) *nunc autem & viderunt*, (scil mirabilia manifesta quæ feci) *& oderunt me & patrem meum.* Ex quibus verbis colligitur, quod si Christus non fecisset miracula, Iudæi non credendo peccatum minime habuissent. *Discip.* Si illa ratio concluderet, sequeretur quod toti ecclesiæ vniuersali fides minime esset adhibenda. Imò posset aliquis assertionem absque peccato (quam hactenus prædicauit vniuersalis ecclesia, si non videret quomodo esset consona scripturæ diuinæ) negare: cum tota cogregatio quorumcunq; mortaliū, nō sit tantæ auctoritatis, quantæ solus Christus. Et ita si Christo non fuisset credendum absq; miraculo, nec toti ecclesiæ est credendum, nisi sententia ecclesiæ aperto miraculo confirmetur. *Magist.* Ad illam obiectionem tuam dicerent illi, qui prædictam tenent sententiam, quod adhærendo sententiæ vniuersalis ecclesiæ (nemine discrepante) quando eadem sententia aliquo miraculo minime confirmatur, principaliter creditur Christo, cuius doctrina tota est miraculis innumeris confirmata. Ex quo sequitur, quod nunquā ecclesia vniuersalis (nemine discrepante) docet aliquid esse tenendum, nisi propter auctoritatem ecclesiæ. Licet quodāmodo etiam propter auctoritatem ecclesię sit tenendum, inquantum firma fide tenetur, quod Christus docuit ecclesiam nunquam à fide catholica recessuram. *Discip.* Possem multa quærere de ecclesia, quæ errare non potest, & de concilio generali: sed omnia illa duxi ad aliud tempus differenda. Et ideo ad principale propositum reuertaris, & rationes compleas in quibus potest prædicta sententia se fundare. *Magist.* Secunda ratio pro prædicta opinione est hæc. Quia si Papa non propter miraculum aliquod, nec propter auctoritatē scripturæ diuinæ, nec propter aliquam auctoritatem quam videat, sed propter instantiam hominum aliquam assertionem damnat solenniter, eandem damnationē in sapientia aut voluntate hominum vel instantia fundare videretur. Si autem damnatio prauitatis hæreticæ & approbatio catholicæ veritatis eidem fundamento deberent inniti: ideo liceret Papæ approbando aliquam catholicam veritatem in sapientia hominum vel voluntate & instantia se fundare; quod doctrinæ Apostolicæ manifeste repugnat. Ait enim Apostolus 1. ad Cor. 3. *Prædicatio mea non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: sed in ostensione spiritus & veritatis vt fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in veritate Dei.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod fides Papæ non in sapientia hominum, & per consequēs multo magis nec in voluntate hominum aut instantia debet fundari & consistere. Quare nec approbatio catholicæ veritatis in sapientia hominum vel voluntate aut instantia debet fundari. Et eadem ratione damnatio hæreticæ prauitatis non debet fundari in aliquo prædictorum. Papa ergo ad hoc, vt rite damnet hæreticam prauitatem vel falsitatem, debet ad hoc vel per miraculum apertum induci, vel oportet eum manifeste cognoscere, quomodo talis falsitas veritati catholicæ aduersatur, ne fides sua in sapientia hominum vel voluntate consistat. Tertia ratio est hæc. Propter illos, qui possunt contra fidem errare, non est aliqua assertio neq; tanquam catholica

approbanda, neque tanquam hæretica condemnanda. Sed omnes Magistri in Theologia & etiam omnes alii à Papa in generali concilio non sunt tota illa ecclesia, pro qua Christus rogauit, ne fides eius deficeret; licet (si sint catholici) sint pars illius ecclesię. Ergo propter illos omnes non debet Papa aliquam assertionem neq; tanquam nō catholicam neq; tanquã hæreticam condemnare; nisi aperte ostendatur Papæ vel per operationem miraculi, vel per testimonium catholicæ veritatis, ꝙ à veritate nequaquam exorbitet. Quarta ratio est hæc. Papa non debet aliquam assertionem tanquam hæreticam solenniter condemnare: nisi quam demonstratiue, vel firmissime credit esse hæreticam. Qui autem scit demonstrare aliquam assertionem tanquam hæreticam, rationi innititur. Qui autem credit, innititur auctoritati Papæ. Papa ergo in damnando aliquam assertionem tanquam hæreticã vel innititur rationi vel auctoritati. Sed Papa qui nō videt quo modo dãnanda assertio fidei obuiat orthodoxæ, rationi inniti non potest, sicut omni intelligenti constat. Ergo oportet quod innitatur auctoritati. Aut ergo innititur auctoritati diuinæ aut humanæ. Non diuinæ: quia non videt, quomodo talis assertio auctoritati diuinæ repugnat. Ergo Papa, si damnaret aliquam assertionem prædicto modo tanquam hæreticam, inniteretur auctoritati humanæ. Sed auctoritati humanæ in his, quæ fidei sunt, est minime innitendum, quia fides nostra est supra intellectum humanum. Ergo intellectui humano in his quæ fidei sunt est nullatenus inhærendum. Quinta ratio est hæc. Omnes alii à Papa in generali concilio congregati non sunt maioris auctoritatis, quam fuerunt Apostoli & Moyses in veteri lege: sed Apostoli & Moyses doctrinam suam miraculis & testimoniis auctenticis ab auditoribus iam receptis (vt reddatur credibilis) confirmauerunt: nec aliter populus eis credidisset. Ergo Papa non tenetur eis adhibere fidem, qui nec miraculo nec testimonio catholicæ veritatis sibi notæ, faciunt eum de sua scientia certum. Si ergo omnes alii in generali concilio nec miraculo nec auctoritate catholica ostenderent Papæ assertionem hæreticam esse damnandam, non deberet Papa ipsam tanquam hæreticam condemnare. Maior istius rationis videtur aperta. Minor ostenditur manifeste per exemplum de beato Paulo, qui doctrinam suam tam miraculis quam scripturarum testimoniis confirmauit. Vnde ad Rom. 15. ait: *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam gentium verbo & factis in virtute signorum & prodigiorum.* Ex quibus verbis colligitur, quod beatus Paulus doctrinam suam signis & prodigiis confirmauit de scripturarum testimoniis, & quæ adducit beatus Paulus, patet ad *Rom. 9. 10. 11. 1. Cor. 1. & 3. ad Heb. 1. & 3.* & in multis aliis locis epistolarum suarum. Et quod etiam Apostoli doctrinam suam confirmauerunt, testatur Marcus in Euangelio suo, c. vlt. dicens: *illi autem profecti prædicauerunt vbiq; Domino cooperante, sermonem confirmante sequentibus signis.* Beatus etiam Petrus, vt patet *Act. 1.* auctoritatibus scripturarum receptarum à Iudæis coram ipsis doctrinam suam confirmauit. Moysi quoq; dixit Dominus, vt legitur Exod. 4. *quod si nec duobus quidē his signis crediderunt, nec audiuerunt vocem tuam: sume aquam fluminis, funde eam super aridam: & quicquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem.* Ex his aliisq; quamplurimis patet aperte, quod illi, per quos Deus docuit populū catholicam veritatem ad confirmationem suæ doctrinæ vel scripturarum testimonia adduxerunt, vel operatione miraculi veritatem ostenderunt; nec eis aliter populi credere artabantur. *Discip.* Ista responsio videtur probare tantummodo, quod Papa non tenetur sequi alios in damnando hæresim, quando nec miraculum faciunt, nec per se scripturam adducunt: sed si probant assertionem, quam petunt, damnari esse hæreticam, videtur quod Papa damnare debet eandem: nec per hoc (quod non intelligit) valet aliqualiter excusari. Sic enim possunt multi hæretici excusari, quod videre non possunt, quomodo hæreses suæ fidei obuiarent orthodoxæ. *Magist.* Ad hæc alii responderent, quod si Papa informationi catholicorum per scripturam probantium manifeste aliquam assertionem veritati obuiare catholicæ, pertinaci animositate (quia scilicet alicui errori irrationabiliter adhæreret) nollet acquiescere: esset hæreticus vel fautor prauitatis hæreticæ iudicandus: sed si ex sola simplicitate (quia nō esset capax informationis, quæ ostendit assertionem esse hæreticam) minime consentiret, non esset reprehensibilis iudicandus, nisi recusaret de veritate informari. *Discip.* Quomodo sit censendus hæreticus, postea indagabo. Ideo alias rationes, si quas cogitasti, pro proposito principali adducas. *Magist.* Sexta ratio pro prædicta sententia est hæc. Non minus debet intelligere sententiam suam seu diffinitionē summus pontifex, qua dãnat hæreticã prauitatē, quam debet iudex intelligere sentētiã, qua dãnat aliquē de crimine qualicunq; sed iudici dãnanti quēcunq; de crimine, nō sufficit credere consiliis suis, sed debet videre & cōsiderare per seipsum, quomodo sentētia sua iusticiã & æquitatē contineat. E. similiter Papa in dãnanda hæreticã prauitatē nō solūmodo debet credere aliis, sed etiã oportet eū intelligere, quomodo dãnanda assertio repugnat catholicæ veritati. Et maior patet: quia in maioribus causis maior est adhibenda cautela. Minor patet: quia nisi iudex deberet intelligere sententiã, quã dat, non requireretur sapientia in iudice, sed sufficeret ꝙ esset bonæ fidei sapientū acquiescens consiliis. Sed hoc est contra illud apostoli 1. ad Cor. 6. *Non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrē & fratrē?* Ex quibus verbis datur intelligi, ꝙ nullus nisi sapiens debet iudicare inter fratrē & fratrē. Et ita qui iudicat, debet habere saltē iudicandi peritiã, vt sententiã, quam iudicat, intelligat; Aliter n. posset simplex & fatuus quicunq; iudex esse. Septima ratio est hæc. Qui potest contradicere congregatis in generali concilio, nō tenetur acquiescere eorū sententiæ. Sed vnus etiam inferior Papa potest contradicere omnibus aliis in generali concilio congregatis. Ergo non tenetur acquiescere eorum sententiæ. Ergo multo magis Papa si omnium aliorum in concilio generali existentium videret erroneam esse sententiam, vel non intelligeret ipsam esse catholicam vel sanam, eos sequi non deberet. Maior patet. Minor ostenditur exemplo Pannucii, qui aliis in Nicena synodo contradixit, & ad partem suam traxit, vt habetur *dist. 31. cap. Nicenam synodum.*

Vbi Gloss. super verbo *sententiam*: *Vnus ergo potest contradicere toti vniuersitati, si habeat causam rationabilem.* Et sequitur: *nam vnus potest trahere alios ad partem suam.* Vnus igitur potest omnibus illis in Concilio generali existentibus contradicere, & eos trahere ad partem suam. Ergo Papa non debet alios sequi, nisi cognouerit eos à iustitia & veritate nullatenus aberrare. Ex prædictis concludunt isti, quod si Papa omnes alios in generali concilio congregatos sequi non debet, vt aliquam assertionem condemnet tanquam hæreticam, nisi videret quomodo dicta assertio catholicæ obuiet veritati: multo magis si Papa cognouerit aliquos theologos aliquam assertionem reputare hæreticam, non debet Papa informationem vel instantiam hominum omnium aliorum talem assertionem tanquam hæreticam condemnare, nisi aperte cognouerit, quomodo fidei obuiat orthodoxę. *Discip.* Rationes prædictæ videntur esse difficiles ad soluendum: quas tamen nolo nunc amplius pertractare: quia postquam totum opus præsens compleueris: & ego cum summo studio cogitauero, volo tecum illas rationes & omnia alia recitare, & mentem tuam de omnibus perscrutari. Sed dic an isti censeant, quod liceat Papæ aliquam assertionem, de qua non constat sibi, an catholica vel hæretica sit censenda, interdicere & præcipere, quod minime publice dogmatisetur? *Magist.* Dicunt quod in casu si ex dogmatisatione alicuius assertionis magnum scandalum esset vel timeretur, quod multitudo pertinaciter adhæreret: liceret Papæ præcipere à tali assertione cessare, quousque innotesceret an inter veritates, vel hæreses computari debeat.

CAP. XXXI.

Inquirit an liceat Papæ alios errores, quam hæreses condemnare, & huiusmodi errores distinguuntur ibidem in tres differentias.

DIscipulus. Multa de damnatione hæresium retulisti. Nunc peto, quod de damnatione aliorum errorum aliqua narrare digneris. Cupio enim scire, an literati putant, quod liceat papæ errores alios quam hæreses condemnare. *Magist.* Errores alii sunt in triplici differentia. Quidam enim nec contrariantur his, quæ pertinet ad bonam fidem & ad bonos mores: nec eos tenere aliquod animæ affert periculum. Tales sunt errores in puris Philosophicis, & etiam errores aliqui circa aliqua dicta diuina, de quibus inueniri non potest, quid indubie sit tenendum. De talibus loquitur *Aug. in Encherid. dicens. In rebus in quibus nihil interest ad capescendum Dei regnum errare, aut nullum, aut minimum est peccatū.* De his etiam intelligit *Ansel. lib. 1. Cur Deus homo. c. 18.* dicens: *In illis rebus de quibus diuersa sentiri possunt sine periculo* (sicuti est istud, vnde nunc agimus) *si enim nescimus, vtrum plures homines eligendi sunt quam sint angeli perditi: an non alterum horum æstimamus plusquam alterū nullum puto animæ esse periculum.* Sic inquantum in huiusmodi rebus si exposuerimus diuina dicta, vt diuersis sententiis fauere videantur, nec alicubi inuenitur nec quid indubitanter tenendum sit determinatum, non arbitror reprehendi debere. Tales errores, secundum multos, non licet Papæ damnare. Quia damnando animas illaquearet obligando fideles ad credendum aliquid forte contra conscientiam, vel negandum quod non tenere vel negare nullum parit periculum. Alii sunt errores repugnantes his, quæ in gestis fidelium cronicis vel historiis fide dignis habentur. Et de istis dicunt nonnulli, quod ipsos potest Papa damnare, non tanquam hæreticos, sed tanquam periculosos & ecclesiæ perniciosos. Damna enim permaxima & pericula tam corporalia quam spiritualia possunt fideles incurrere, si quæcunq; contenta in gestis, historiis & cronicis cuilibet negare liceret. Cum ergo Papa damnis & periculis fideliū debeat obuiare, potest tales errores damnare & errantes debitæ subdere vltioni. Alii sunt errores, de quibus dictum est prius. Ex quibus & aliis veris, quæ negare non possunt, conuenit aliquam hæreticam prauitatem inferre etiam quæ proprie dicuntur sapere hæresim manifestam, & large possunt hæreses appellari. Et tales errores non tanquam hæreticos, (stricte loquendo) sed tanquam sapientes hæresim manifestam, licet proprie damnare. Si aliquis diceret castitatem, quam moniales vouerint, non esse altiorem castitate coniugii, deberet Papa tam asserentem pertinaciter quam assertionem damnare. Sic quidam errores negantes Fratres Prædicatores & Minores posse audire confessiones, sunt damnati: sicut summi pontifices Alex. tertius, Inno. 4. quosdam Magistros Parisienses & errores eorum contra statum & vitam Prædicatorum & Minorum solenniter damnauerunt.

CAP. XXXII.

In quo quæritur, an liceat alicui inferiori Papa prædictos errores condemnare, & circa hoc ponuntur sententiæ contrariæ.

DIscipulus. Hæc probabilia mihi videntur: sed videtur ne aliquibus, quod liceat alicui alii inferiori Papa errores huiusmodi condemnare? *Magist.* Sunt quidam dicentes, quod hoc inferiori Papa non licet, ex quo non licet ei condemnare hæreses, quæ magis quam quicunque alii errores religioni aduersantur & nocent Christianæ, multo fortius non licet ei errores alios condemnare. Et hoc ratio videtur confirmare. Nam maiori periculo est fortius resistendum: sed hæreses sunt ma-

gis periculosæ fidei Christianæ, quam alii errores. Cui igitur non licet condemnare hæreses, de aliis erroribus se intromittere minime debet. Alii autem dicunt, quod inferioribus prælatis licet errores huiusmodi condemnare. Pro hac assertione sic arguitur. Quod aliquando licuit prælatis inferioribus, & non est per summum pontificem, nec per generale concilium reuocatum, adhuc licet eisdem. Sed damnare errores huiusmodi licuit aliquando prælatis aliis, & non est reuocatum. Ergo. Maior patet. Minor probatur. Nam cui licet veritates aliquas approbare, eidem licet assertiones falsas contrarias reprobare. Sed quondam licuit prælatis inferioribus veritatem asserentem aliquem esse sanctum & tanquam sanctum esse venerandũ à fidelibus approbare. Quia licuit eis sanctos nouos catalogo sanctorum ascribere. Ergo licuit eis assertionem falsam, quod tales non essent sancti vel venerandi à fidelibus, reprobare, & solenniter condemnare. Ergo adhuc licet eis errores aliquos condemnare. *Discip.* Ista ratio videtur concludere contra istos, qui probant tantummodo, ꝙ aliquando licuit eis errorem dicentem, talem non esse sanctum, condemnare. Sed modo non licet eis talem errorem condemnare: sicut nec modo licet eis aliquem catalogo sanctorum ascribere. *Magist.* Non plene intelligis rationẽ eorum. Non enim intendunt probare, quomodo liceat inferioribus Papa asserentem vel assertionem eius, quod aliquis, pro quo Deus dicitur facere miracula, non est sanctus, damnare: sed intendunt arguere, quod qua ratione licuit eis talem errorem damnare, licet etiam eis alios errores. Ex quibus & aliis veris & manifestis potest concludi, quod possunt hæreses manifestas damnare. Potestas autem super alios errores non est reuocata. Ergo adhuc possunt errores alios condemnare. Licet modo asserentem aliquem pro quo dicunt miraculum fieri non esse sanctum nequeant condemnare. *Discip.* Dictam rationẽ magis aduerto. Et ideo quomodo ad motiua aliorum respondetur, expone. *Magist.* Dicitur quod licet non valeant hæreses condemnare, possunt tamen aliquos errores multo minores hæresibus condemnare: quia inferiores possunt multa minora, quibus tamen maiora negocia interdicta noscuntur, quia, vt ex lege diuina *Deut. 1.* legitur seu colligitur, maiora negocia ad maiores oportet referre: nec tamen est dicendum, quod prælati hæresibus resistere non teneantur: sed non debent eis resistere damnando, sed eas summo pontifici vel generali concilio nunciando.

EXPLICIT LIBER SECVNDVS PRIMÆ PARTIS Dialogorum.

INCIPIT LIBER TERTIVS PRIMÆ PARTIS, QVI SVNT catholici & qui hæretici, pertractans.

CAP. I.

In quo primum proponitur, quomodo scilicet quis debeat catholicus reputari, & ibidem declaratur quid sit credere implicite.

D*Iscipulus.* De veritatibus catholicis sufficiat prædicta quæsiuisse. Nunc vero de catholicis & hæreticis conabor nonnulla inquirere. Primo autem quæro, quis debet catholicus reputari. *Magist.* Ille est censendus catholicus, qui integram & inuiolatam seruat catholicam fidem. *Discip.* Quomodo potest simplex laicus integram fidem seruare, qui de multis, quæ ad fidem catholicam spectant, nunquam cogitauit. Talis ergo laicus catholicus non potest esse, si omnis catholicus integram teneat catholicam veritatem vel fidem. *Magist.* Respondent Theologi, ꝙ seruare vel tenere catholicam & integram fidem, continet omnia, quæ ad fidem pertinent orthodoxam explicite vel implicite fideliter & absque vlla dubitatione credere. *Discip.* Quid est credere aliquid implicite? *Magist.* Respondent quod *credere implicite* est credere alicui vniuersali, ex quo multa sequuntur firmiter assentire, & nulli contrario pertinaciter adhærere. Et imo qui firmiter tenent omnia tradita in scriptura & vniuersalis ecclesiæ doctrina, esse vera & sana: & non adhærent pertinaciter alicui assertioni contrariæ veritati orthodoxæ, fidem catholicam inuiolatam tenent & integram, sunt catholici censendi. *Discip.* Videtur quod sufficiat credere omnia, quæ credit vniuersalis ecclesia esse vera, ad hoc quod aliquis sit catholicus reputandus. *Magist.* Dicunt literati nonnulli, quod non sufficit credere omnia esse vera, quæ vniuersalis credit ecclesia, nisi simul cum hoc nulli contrario particulari pertinaciter adhæreat. Multi etiam sunt hæretici damnati per concilia generalia, qui tamen firmiter tenuerunt tradita in scriptura sacra esse vera: quia tamen pertinaciter alicui assertioni in rei veritate contrariæ assertioni scripturæ diuinæ adhæserunt, quamuis hoc eis non videretur, nihilominus non fuerunt catholici, sed hæretici iudicandi. *Discip.* Apparet mihi, quod non potest perfecte cognosci, quis sit reputandus catholicus, nisi sciatur quis sit hæreticus iudicandus. Et ideo ad quærendum de hæreticis me conuertam. Dic tamen prius, qualiter declaratur, quod aliquis potest credere, quod omnia quæ continet scriptura diuina vel vniuersalis ecclesia, sint vera: & tamen pertinaciter adhæret alicui assertioni, quæ contrariatur alicui veritati, quæ in scriptura sacra vel in doctrina vniuersalis ecclesiæ continetur? *Magist.* Hoc declarant sic. Sicut contingit aliquid scire in vniuersali, & ignorare in particulari, secundum sententiam philosophi, quod non est aliud quam scire propositionem vniuersalem & ignorare aliquam eius singularem: Sicut possum scire quod omnis homo est rationalis, ignorans hanc singularem; iste homo est rationalis, demonstrando aliquem, quem video à remotis, de quo ignoro an sit homo vel animal brutum: ita etiam contingit scire aliquam vniuersalem, & reputare aliquam eius singularem esse falsam: sicut possum scire

ſcire, quod omnis homo eſt riſibilis, & tamen demonſtrato aliquo homine, quem video à remotis quem puto eſſe aſinum vel aliud animal (vt ſæpe contingit) poſſum credere quod ille non eſt riſibilis: quia puto quòd ille non eſt homo. Et ſic poſſibile eſt, quod aliquis credat hanc vniuerſalē, omnia contenta in ſcriptura diuina ſunt catholica & vera; & tamen credat hanc eſſe falſam, beatus Andreas fuit Apoſtolus Chriſti. Quia ignorat hanc veritatem; beatus Andreas fuit Apoſtolus Chriſti, contineri vel poſſe inferri ex ſcriptura diuina, quo poſito ſi pertinaciter adhæreret quacunque ex cauſa huic; beatus Andreas non fuit Apoſtolus Chriſti, non Catholicus, ſed hæreticus eſſet iudicandus, quantumcunq; firmiter hanc vniuerſalem, omnia quæcunque docet ſcriptura diuina, ſunt catholica & vera, crederet.

CAP. II.

Ponit diſtinctiones huius nominis hæreticus, & ponuntur quinq;.

D*iſcipulus*. Nunc magis, quam ante, perpendo, q ad cognoſcendū, quis ſit cenſendus catholicus, oportet ſcire, quis ſit hæreticus reputandus. Et imò de hæreticis volo aliqua pertractari: ne tamen per æquiuocationem decipiar, dic primo, ſi hoc nomen *hæreticus* habeat ſignificationem vnam vel plures. *Magiſt.* Huius *nominis hæreticus* plures ſignificationes aſſignantur. Vno modo enim omnis excõmunicatus, hæreticus vocatur *Vnde 4. q. c. 2.* dicit Nicolaus Papa: *hæreticos autē dicimus tam eos qui ab eccleſia vniuerſali ſunt proiecti, quã qui poſt hæc à nobis anathematiſati ſunt.* Et in eodē capitulo notat Gloſſa dicens: *Nota, quod omnis excommunicatus dicitur hæreticus.* Et hoc idem notat Gloſſa *24. q. 1. quia vero.* Secundo modo dicitur *hæreticus*, peruerſor ſacramentorū. Et ſic ſimoniacus dicitur hæreticus. Vnde Gloſſa, vt habetur *1. q. 1. Quiſquis*, ait: *Quiſquis per pecuniam ordinatur ad hoc quod fiat hæreticus promouetur.* Tertio modo dicitur hæreticus, quicunque dubitat vel putat fidem Chriſtianam eſſe falſam vel fictam. Et ſic omnes Iudæi, Sarraceni & Pagani ſunt cenſendi hæretici. Hinc dicit Gloſſ. *24. q. 3.* quando large: *Dicitur hæreticus omnis, qui non tenet articulos fidei: & per hoc Iudæi & Gentiles ſunt hæretici*, & ſecundum hoc non omnis hæreticus eſt excõmunicatus. Iſto etiā modo dubii in fide ſunt hæretici, quia ſunt infideles, *extr. de hær. c. 1.* Sic etiam qui primo ſunt catholici, & poſtea reputant fidem catholicam eſſe falſam, ſunt hæretici: & ſic qui apoſtatant ore & mente à fide, hæretici ſunt cenſendi. Si quis autem ipſorum tantummodo ore apoſtataret, non eſſet apud Deum hæreticus, quamuis eccleſia ipſum deberet hæreticum reputare, niſi conſtaret ipſum timore mortis apoſtatare. Quarto modo dicitur hæreticus omnis Chriſtianus, vel qui putat, aut qui putauerit ſe Chriſtianum, errans pertinaciter contra veritatem. *Diſcip.* Quare dicitur, *qui putat vel putauerit ſe Chriſtianum fuiſſe. Magiſt.* Dicitur propter illos, qui extra formam eccleſiæ baptizantur, qui Chriſtiani non ſunt, ſed putauerunt aut putant ſe Chriſtianos eſſe; & tamen ſunt hæretici: aliter tamen, quam Iudæi, vel Pagani, & aliter ſunt puniendi. *Diſcip.* Dic, ſi alias habet ſignificationes hoc nomen *hæreticus. Magiſt.* Quinto modo dicitur hæreticus, omnis pertinaciter adhærens errori, qui ſapit hæreticam prauitatem.

CAP. III.

Quærit quis ſit hæreticus, ſecundum illam ſignificationem, qua hæreticus propter errorem in fide dicitur excommunicatus.

D*iſcipulus*. Clare intueor plures ſignificationes huius nominis *hæreticus*: quibuſdam tamen earum notificatis licet ſæpe de hæreticis mentio fiat. Dic ergo, ſi vidiſti vel audiſti deſcriptionem huius nominis *hæreticus* in illa ſignificatione, in qua cõmunius accipitur. *Magiſt.* Tu forte intendis loqui de hæretico, qui eſt excommunicatus & conuictus legitime, & non ſe correxerit ſecundum formam eccleſiæ, & eſt tradendus iudici ſeculari. *Diſcip.* Illū deſcribe ſi potes. *Magiſt.* Quidam deſcribunt eum dicentes: *Hæreticus* eſt vere baptizatus vel pro baptizato ſe gerens, pertinaciter dubitans vel errans contra catholicam veritatem. *Diſcip.* Particulas declara, & quas perſonas intendunt includere. *Magiſt.* Per primam particulam, cum dicunt, *vere baptizatus*, excludunt baptizatos iocoſe, qui non pro baptizatis cenſentur. Comprehendunt autem per illam eandem particulam non ſolum Chriſtianos à catholicis, ſed etiam baptizatos ab hæreticis in forma eccleſiæ, & etiam illos, qui extra formam eccleſiæ, quæ ſcil. extra formam eccleſiæ, puta ſacramentū baptiſmi, nec quo ad gratiam, nec quo ad characterem quoquomodo ſuſcipiunt, & pro baptizatis ſe gerunt. Per eandem etiam particulam excludunt Iudæos, Sarracenos & Paganos, qui nunquam baptizati fuerunt, nec pro baptizatis ſe gerunt; qui pœna hæreticorum, de quibus loqueris, minime ſunt feriendi. Per ſecundā autem particulam, cum dicitur *pro baptizato ſe gerens*, comprehendunt illos, qui putant vel fingunt ſe baptizatos, & tanquam baptizati inter Chriſtianos conuerſantur. Qui ſi ā fide receſſerint, ac ſi fuiſſent vere baptizati, ſunt plectendi. Per tertiam vero particulam, cum dicitur, *pertinaciter dubitans vel errans contra catholicam veritatem*: excluduntur omnes, qui ex ſimplicitate vel ignorantia ſola abſque omni pertinacia dubitarunt, vel dubitant, vel errant contra fidem. Tales enim non ſunt cenſendi hæretici: ſed ſunt de fide cum diligentia informandi: qui ſi poſtea pertinaciter dubitauerint, vel errauerint, ſunt hæretici iudicandi.

Cap. IV.

In quo obiicitur contra dicta in præcedenti capitulo de seriose baptizato extra formam ecclesiæ, & ibidem declaratur, quomodo vario modo aliqui dicuntur extra ecclesiam.

DIscipulus. Vt materiam de hæreticis magis intelligam, contra prædictam descriptionem multis modis obiiciam. Prima enim particula, quæ ponitur loco generis, cum dicitur *seriose baptizatus*, non videtur conuenienter poni: quia multi sunt seriose baptizati extra formam ecclesiæ, qui quantumcunq; errauerint pertinaciter, non sunt hæretici iudicandi, secundũ quod nunc loquimur de hæreticis, quia nunc solum loquimur de hæreticis, qui sunt de foro ecclesiæ, & per ecclesiam iudicandi. Illi autem, qui sunt extra ecclesiam, & nunquam fuerunt Christiani, non sunt per ecclesiam iudicandi teste, Apostolo, qui 1. ad Corinth. 5. cap. ait; *Quid mihi de his qui foris sunt iudicare?* sed baptizati extra formam ecclesiæ semper fuerunt foris, & nunquam fuerunt Christiani. Igitur non sunt per ecclesiam iudicandi: & per consequens non sunt hæretici reputandi. *Magist.* Obiectio tua in æquiuocatione fundatur. Nam variis modis aliqua dicuntur *esse foris*. Quidam enim sunt, qui nunquam nec vero, nec falso baptismo baptizati fuerunt, nec pro baptizatis qualitercunq; se gesserunt. Et de his intelligit Apostolus: quia isti quantumcunq; pertinaciter errauerunt contra catholicam veritatem, non sunt per ecclesiam (sicut hæretici baptizati) plectendi. Alii sunt foris, qui nunquam verum baptismum acceperunt, habuerunt tamen falsum baptismum vel pro baptizatis se gesserunt. Et isti (sicut qui fuerunt intra) iudicio ecclesiæ sunt subiecti. Alii sunt foris, qui aliquando intus fuerunt, sed per censuram ecclesiasticam sunt ab ecclesia separati: & tamen aliquando manent intus. Et sic omnes excommunicati dicuntur foris. Hinc Hieron. vt habetur 24. q. 3. c. *Si quis*, ait: *sicut interdum, vt ille, qui foris mittitur, intus sit, & iste foris, qui intus videtur retineri.* Isti etiam quantumcunq; sint foris, à iudicio ecclesiæ minime sunt exempti. *Discip.* Ista obiectio probabiliter soluta videtur; sed adhuc alia mihi occurrunt: quia amentes, deridentes & penitus contradicentes, quamuis baptizentur, si postea pertinaciter errauerint, & in errore pertinaciter permanserint, non videntur hæretici reputandi: immo nec ad iurisdictionem ecclesiasticam pertinebunt. *Magist.* Dicunt isti describentes prædicto modo hæreticum, quod taliter baptizati, si in contradictione persistant, nec vero baptismo nec falso intelliguntur baptizati. Non falso, vt constat: nec vero, quia quicunque baptizatur vero baptismo, caracterem suscipit sacramenti. *Discip.* Quid dicunt de catechumenis exprimentibus se habere propositum baptizandi; si, antequam baptizaretur, inciderent in hæreticam prauitatem, vel ad ritum priorem redierint hæretici puniendi, pro eo quod se pro catholicis habuerunt. Quare si postea pertinaciter errauerint, pro hæreticis sunt habendi. Item omnes adulti catholici & asserentes se habere propositum baptizandi, vel pro baptizatis baptismo flaminis se gerunt (tanquam baptizati) iudicio ecclesiæ sunt subiecti, & per consequens si ad vomitum redierint, vel in errorem pertinacem inciderint, sunt per ecclesiam pœna debita plectendi. Alii dicunt, quod tales, antequam baptizarentur, ad ecclesiasticam iurisdictionem non pertinent. Quare absque metu pœnæ ecclesiæ & ad priorem possunt reuerti ritum, & in aliis pertinaciter errare.

Cap. V.

In quo obiicitur contra vltimam particulam diffinitionis hæretici, scilicet pertinaciter, arguendo, *quod ad hoc quod aliquis sit hæreticus, sufficit quod sit dubius, vel errans in fide, & hoc pluribus auctoritatibus, ad quas respondetur responsioni generali capitulo nono, capitulo vero 10. specialiter ad singulas.*

DIscipulus. Licet de ista materia possem quærere plura: quia tamen modo pauci vel nulli inueniuntur catechumi & non baptizati se pro baptizatis gerentes: & præsens opus volui fieri principaliter, vt melius controuersias inter Christianos nostris temporibus ventilatas intelligerem: ad vltimam particulam descriptionis præmissæ me transfero. Videtur enim, quod superflue sit positum *pertinaciter*: eo quod omnis Christianus, si simpliciter dubitat vel errat contra catholicam veritatem, est hæreticorum numero aggregandus. Quod primo videtur posse probari auctoritate Innocent. 3. quæ vt habetur, *extr. de verb. sig. c. 1.* super quibusdam scribens Comiti Tholosano ait: *Tua deuotio postulauit à nobis, qui sunt dicendi manifesti hæretici: super quo tibi duximus respondendum, illos esse intelligendos hæreticos manifestos, qui contra catholicam fidem publice prædicant aut confitentur, seu defendunt errorem: vel qui coram prælatis suis conuicti sunt, vel confessi, vel ab eis sententialiter damnati super hæretica prauitate.* In quibus verbis de pertinacia nulla fit mentio. Quicunque ergo prædicat publice contra catholicam fidem, licet non pertinaciter erret, est dicendus hæreticus. Hoc idem Cælestinus Papa, vt recitat Nicol. Papa, sentire videtur, qui, vt habetur 24. q. 1. c. *ait Cælestinus*, dicunt: *si aliquis ab episcopo Nestorio aut ab aliis qui eum sequantur, (ex quo talia prædicare cæperunt) vel excõmunicatus vel exutus est seu antistitii seu clerici dignitate in nostra communione & durasse & durare manifestũ est: nec iudicamus eum esse remotum: quia nõ poterat quenquã eius remouere sententia, qui iã se præbuerat ipse remouendus.*

Ex

Ex his verbis datur intelligi, quod quam cito quis intendit prædicare contra catholicam veritatem, tacite excludendi alios potestatem amittit. Ex quo sequitur, quod talis est hæreticus reputandus. Et tamen absq; pertinacia potest aliqua prædicare contraria catholicæ veritati. Ergo ad hoc, quod aliquis sit censendus hæreticus, non requiritur quod erret pertinaciter aut dubitet. Hoc etiam Beatus Hieronym. vt habetur 24. *q.* 1. *c. hæc est fides*, testari videtur, cum ait scribens Papæ: *si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicunq; me culpare voluerit, se imperitum aut maleuolum vel etiam non catholicum, sed hæreticũ comprobabit.* Hic etiam de pertinacia nulla fit mentio. Ergo superflue ponitur *pertinaciter* in diffinitione prædicta. Item: Nullus nisi hæreticus damnatione hæreticorum inuoluitur teste Gelasio 24. quæst. 1. c. 1. *Quicunq; in hæresim semel damnatam labitur, in eius damnatione seipsum inuoluit*, vbi Papa inter labentem pertinaciter, vel non pertinaciter in hæresim semel damnatam non distinguit: & per consequens nos non debemus distinguere. Ergo quicunq; siue pertinaciter siue non pertinaciter labitur in hæresim semel damnatam, hæreticus est censendus. Hoc idem Gelasius, vt habetur in eisdem c. q. c. *maiores*, apte videtur asserere, dicens, *auctore cuiuslibet infamia aut pariter errore damnato sufficere iudicauerunt, vt quisquis huiusmodi errorum communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset astrictus.* Cui Felix Papa, vt habetur eisdem c. 2. quæst. c. *Achatius secundus*, concordare dicitur, dicens: *itaque necesse est vt in illam iusta lance sententiam recideret, quam cum suis successoribus per conuenientiam synodalem susceperat auctor errorum.* In his auctoritatibus inter incidentem in hæresim pertinaciter & non pertinaciter isti summi pontifices non distinguunt: & tamen cum indiffinite & vniuersaliter dicant, sectatores hæreticorum simili sententiæ subiacere. Ergo superflue ponitur in diffinitione prædicta *pertinaciter*. Item, Hieronym. super Epistolam ad Galat. 2. & ponitur 24. q. 3. c. *hæresis*, ait: *quicunque ergo aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, à quo scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, & de carnis operibus est eligens quæ peiora sunt.* Et ex his verbis patet, quod omnis intelligens pertinaciter siue non pertinaciter scripturam aliter, quam sensus Spiritus sancti flagitat, est hæreticus. Ergo *pertinaciter* inconuenienter ponitur in prædicta diffinitione. Item, Stephanus Papa inter dubium pertinacem & non pertinacem, distinguens incidentaliter dicit, vt habetur extra de hæret. c. 1. *dubius in fide infidelis est.* Ergo omnis dubitans de fide siue pertinaciter, siue non pertinaciter est infidelis: & per consequens hæreticus est censendus. Ex quo sequitur quod omnis errans contra fidem etiam non pertinaciter hæreticus est censendus. His concordat Gratianus 24. quæst. 1. §. *his auctoritatibus*, dicens: *His auctoritatibus perspicue monstratur, quod ex quo cœpit aliquis contra fidem aliqua docere, nec deiicere aliquem valet nec damnare: & per consequens talis docens contra fidem quamuis non fuerit conuictus, est hæreticus censendus.* Item fides, quæ non est firma, non est vera fides. Hinc dicit concilium generale, vt habetur *extra de summa trini. & fide cathol. cap. firmiter credimus*: aperte insinuans, quod omnis catholicus firmiter credere debet. Et hinc etiam in Symbolo Athanasii continetur: *hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.* fides ergo debet esse firma. Sed dubitans in fide, quamuis non pertinaciter, non habet firmam fidem, sed infirmam, teste Bernhardo, quo libro quinto ad Eugenium Papam ait: *Fides si habet hæsitationem, infirma est.* Ergo dubitans de fide non habet veram fidem: & per consequens non catholicus, sed hæreticus est censendus. Istæ sunt obiectiones, quæ mentem meam pulsant contra descriptionem hæretici memoratam: quia tamen prædicta descriptio videtur apparens, dic quomodo ad prædicta respondeant hæreticum taliter describentes.

CAP. VI.

Ostendit auctoritate Augustini, quod ad hoc, quod aliquis sit hæreticus, requiritur quod sit pertinax. Vbi etiam ponuntur quatuor conditiones, quarum vna ad minus, vel omnes simul requiruntur, ad hoc, quod quis hæreticus sit censendus.

MAgist. Si tibi exponerem, quomodo prædictam particulam probare nituntur, eorum rationes ad prædicta melius fortassis intelligeres. *Discip.* Expone. *Magist.* Quod pertinacia requiratur tam in dubitante vel errante ad hoc quod aliquis sit iudicandus hæreticus, multipliciter probare conantur. Primo auctoritate August. quæ ponitur 24. q. 3. c. *dixit Apostolus*, qui ait: *nam qui sententiam suã quamuis falsam atq; peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt: quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Ex quibus verbis, vt isti dicunt, colligitur euidenter, quod potest quis falsam & peruersam tenere sententiam, & inter hæreticos minime computari. *Discip.* Clare mihi videtur probatum, quod non omnis dubitans vel errans contra fidem est hæreticus reputandus. Sed non est probatum, quod omnis hæreticus pertinaciter dubitat vel errat contra fidem. Et ideo illam particulam vltimam diffinitionis prædictæ, isti per præmissa verba Aug. minime probare possunt: quia omnis particula diffinitionis vel descriptionis cuiuscunq; datæ conuenienter, probari debet de descripto vel sumpto. Quod autẽ non probent omnem hæreticum pertinaciter dubitare vel errare contra fidẽ, ex verbis Beat. Aug. pa-

tenter apparet. Nam secundum beatum August. ad hoc, quod aliquis tenens sententiam falsam atq; peruersam, non debeat reputari hæreticus, quatuor requiruntur. Primo quod sententiam falsam atque peruersam nulla pertinaci animositate defendat. Secundo quod talem sententiam non audacia suæ præsumptionis inuenerit: sed à seductis parentibus atq; in errorem lapsis acceperit. Tertio quod quærat cauta sollicitudine veritatem. Quarto quod paratus sit corrigi cum inuenerit. Cuicunque ergo deficit aliquid istorum, est inter hæreticos reputandus. Quamuis ergo quis non sit pertinax: sed cum audacia suæ præsumptionis aliquam falsam & peruersam sententiam inuenerit: vel non quærat cauta sollicitudine veritatem: aut si non sit paratus corrigi cum inuenerit: est inter hæreticos computandus, iuxta sententiam Augustini. *Magist.* Ad illam obiectionē faciliter respondetur. Ad cuius euidentiam dicunt isti esse sciendum, quod inter dubitantem & errantem pertinacem & inter errorem pertinaciter defendentem, differentia inuenitur. Quia multi hæretici dubitant vel errant pertinaciter, eo quod intus in mente sua dubitatione vel errore persistunt pertinaciter: qui tamen errorem sui vel dubitationē neq; pertinaciter, neq; aliquo modo defendunt: imo aliquando vel timore vel ambitione aut cupiditate vel aliqua de causa negant exterius, quod irreuocabiliter in mente tenent. Multi etiam econuerso falsam sententiam atq; peruersam exterius pertinaci animositate defendunt vel defendere possunt, cui tamen nec pertinaciter nec aliquo modo in corde adhærent. Nā contingit aliquando scientem defendere falsum. Quemadmodum sæpe falsi & pessimi aduocati cupiditate ducti falsas causas & iniquas pertinacissima animositate defendunt. Et ita non omnis pertinaciter dubitans, vel errans falsam sententiam pertinaci animositate defendit, nec econuerso. *Disc.* Hoc quod nunc declaratum est, probabile puto, & ideo ad propositum applica. Dimittamus tamen loqui de dubitante, solummodo de errante loquendo. Quia forte dicunt isti, quod illa, quæ de errante dicuntur, etiam de dubitante debent intelligi, prout dubitātes de fide, sicut errantes contra fidem, inter hæreticos computantur, vel ab hæreticorū numero minime excluduntur. *Magist.* Sicut tibi placet solummodo de errante faciam mentionem, & qualiter sæpe dicto modo describentes hęreticum ad obiectionem tuam per præmissum notabile, quod tu approbare videris, respondeant, declarabo. Dicunt itaq;, quod beatus Augustinus quatuor conditiones enumerat, quæ requiruntur ad hoc, vt aliquis tenens falsam sententiam atq; peruersam contra catholicam veritatem, non sit per Ecclesiam inter hæreticos computandus: volens quod cuicunq; defuerit aliqua conditionum prædictarum, est hæreticus & etiam pertinax per Ecclesiam iudicandus: quamuis non omnis sit reputandus pertinax defensor prauitatis. Prima est, quod taliter errans errorem suum nulla pertinaci animositate defendat. Si enim errorem suum pertinaci animositate defenderet, catholici, qui de exterioribus non de interioribus motibus animæ iudicant, debent eum inter hæreticos computare, saltem præsumptione violenta, contra quam nulla est probatio in contrarium admittenda. Esto enim quod aliquis scienter contra conscientiam hæresim pertinaciter defensaret, vt ita in rei veritate apud Deum non esset hæreticus, quamuis mortalissime peccaret, hoc tamen probare non posset: & ideo Ecclesia debet eum inter hæreticos computare. *Discip.* Magis & magis intelligo differentiam inter hæreticum & pertinacem; & inter pertinaci animositate hæresis defensorem. Vnde videtur, quod potest aliquis etiam aliquam hæresim pertinaci animositate defendere, licet non debeant catholici ipsum hæreticum reputare. Sicut si quis metu mortis coactus ab infidelibus errores eorum contra fideles pertinaci animositate defenderet, hæresim defenderet, & tamen non esset hæreticus iudicandus. Quemadmodum beatus Marcellinus, qui metu mortis actum hæreticalem commisit, fuit hæreticus minime iudicandus. *Magist.* Dicunt isti, quod non bene intelligis, quis debeat reputari errorem pertinaci animositate defendere: quia ille solus, qui absq; metu mortis sponte & voluntarie errorem pertinaci animositate defendit. Et ideo ille, de quo tu ponis exemplum, quamdiu illum errorem defendit (& non nisi metu mortis) nullum errorem pertinaci animositate defendit. *Discip.* Illud non videtur bene dictum. Nam *pertinax* dicitur quasi impudenter tenax, & qui in sententia sua nimis persistit. Aliter enim nequaquam peccaret mortaliter errorem contra conscientiam defendendo. Ergo talis est erroris pertinax defensator: licet propter talem defensionem pertinacem non sit hæreticus iudicandus, si constat fidelibus, ꝙ solummodo pro morte vitanda defendit errorem. *Magist.* Argumentum forte facis contra ipsos: & ideo forte dicerent, quod talis esset pertinax reputandus. Sed tamen non esset dicendum, quod errorem pertinaci animositate defenderet: quia voluntas animositatem spontaneam nullo metu coactam significare videtur. Et ita talis esset pertinax hæresis defensor: sed tamen non esset hæreticus, nec hęresim etiam pertinaci animositate defenderet propter metum mortis illatum. Aliter dicerent, quod sicut animositas, ita etiam pertinacia voluntatem spontaneam nullo metu mortis coactam importat. Et ideo talis minime pertinax est dicendus. *Discip.* Nunc dicas, quid sentiunt isti de secundo, quod ponit August. *Magist.* Dicunt secundum August. quod qui audacia suæ præsumptionis sententiam falsam inuenerint atq; peruersam (licet quandoq; talem sententiam nulla pertinaci animositate defendant) sunt pertinaces & hæretici iudicandi. Si autem non audacia suæ præsumptionis, sed ex simplicitate vel ignorantia aliquam hæresim inuenirent, & factum eorum nihil aliud aggrauaret, neq; per aliquod aliud possent conuinci: ita non essent pertinaces neque hæretici iudicandi. Qualiter autem innotescere possit, quod quis non ex audacia suæ præsumptionis, sed ex simplicitate & ignorantia errorē inuenerit, seu pepererit, non potest breuiter explicari. *Discip.* De hoc postea diligenter inquiram. Nunc autem isti ab intentione August. deuiare videntur. Nam in illa particula August. duo simul iungit, vt aliquos errantes à numero hęreticorum excludat,

videlicet quod sententiam suam falsam non audacia suæ præsumptionis pepererint: & quod eam à parentibus seductis atq; in errorem lapsis acceperint. Ergo quicunq; sententiam suam peruersam à seductis & in errore lapsis parentibus non accepit, est hæreticus iudicandus: sicut quicunq; sententiam peruersam audacia suæ præsumptionis peperit: est secundum istos hæreticus iudicandus. Confirmatur hæc conclusio, quia omnis, qui non accipit sententiam suam peruersam ab aliquo, & ipsam ex audacia suæ præsumptionis parit, quia aut habet à se aut ab alio. Sed secundum istos quicunq; hæresim de audacia suæ præsumptionis peperit, est hæreticus censendus. Ergo omnis errans contra fidem, qui errorem ab alio non acceperit, est inter hæreticos computandus. Et ita videtur, quod Augustin. ponit quinq; differentias, vt errantes à numero hæreticorum excludat. *Magist.* Dicunt quod Augu. illa duo simul iungit, non quod secundum eorum (scilicet quod à seductis atq; in errorem lapsis parentibus errantes suam sententiam peruersam acceperint) necessario requiritur ad hoc, quod errantes de numero hæreticorum sint censendi minime: sed illud secundum etiam ponit volens per ipsam assignare vnum modum probandi aliquos sententiam suam falsam ex audacia suæ præsumptionis minime peperisse: quia si à parentibus suis vel aliis quibuscunq; sententiam suam falsam acceperint, constat quod eam ex audacia suæ præsumptionis minime pepererint. Addit etiã illud secundum volens innuere, quod pluribus modis possunt errantes (errorẽ à suis accipientes parentibus) se excusare quam alii. Et ideo Augustin. non ponit ibi quinq;, sed quatuor, per quorum quodlibet potest quis probari & conuinci hæreticus. Et quod quatuor eis contraria requirantur ad hoc quod aliquis errans non sit inter hereticos computandus. Cum autem dicit, quod omnis, qui non accipit sententiam suã peruersam ab alio ipsam ex audacia suæ præsumptionis peperit & inuenit: Respondent, quod hoc non continet veritatem. Quidam enim absq; præsumptionis audacia ex ignorantia sola errores à seipsis inueniunt: quia tamen non sunt pertinaces, inter hæreticos minime numerantur. *Discip.* Expone quomodo declarant tertium, quod ponit August. *Magist.* Secundum eos Augu. intendit, quod ad hoc, quod aliquis errans contra fidem non sit hæreticus, requiritur quod quærat cauta sollicitudine veritatem. Non est autem intelligendum, oportere errantem omni tempore cauta sollicitudine quærere veritatem, si velit catholicus reputari: sed tunc oportet eum cauta sollicitudine quærere veritatem, si cupit à numero hæreticorum excludi, quando sibi à catholicis cum debitis circumstantiis monstratur, quod errat contra catholicam veritatem, & ipse non habet impedimentum legitimum, quare tunc non possit vel non debeat quærere veritatem. Alias enim haberetur contra ipsum præsumptio violenta, quod non ex simplicitate vel ignorantia, sed ex pertinacia sua adhæret errori. *Discip.* Dic de quarto. *Magist.* Quartum, quod etiam sufficit ad hoc, quod errans non sit numero hæreticorum aggregandus, est, quod paratus sit corrigi cum inuenerit veritatem: & sic nec pertinax, & per consequens nec hæreticus est censendus. *Discip.* Ista sola particula quarta reddit errantem pertinacem & hæreticum. Aliæ ergo superfluæ videntur. *Magist.* Licet secundum istos ista vltima particula reddat errantem pertinacem & hæreticum, & non alię: tamen ex aliis habetur violenta præsumptio, quod errans pertinaciter suo adhæreat errori: quia ex eo habetur præsumptio (cuius contrarium probari non potest) quod talis errans non est paratus corrigi: & per consequens inter pertinaces & hæreticos habendus.

CAP. VII.

Probat idem quod sextum alia auctoritate August.

DIscipulus. Ad probandum, nullum errantem contra fidem esse hæreticum (nisi pertinaciter suo errori adhæreat) verba prædicta beati August. satis prolixe tractasti. Nunc ad eandem conclusionem aliquas probationes adducas, si quas cogitasti alias. *Magist.* Hæc eadem conclusio auctoritate August. contra Manicheos, qua recitatur *24.q.3.c. qui in Ecclesia Christi*, probatur, ait enim: *qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid prauumq; sapuerint, si correcti vt sanum rectumq; aliquid sapiant resistunt contumaciter: suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, hæretici sunt.* Ex quibus verbis datur intelligi, non omnes, qui in Ecclesia Christi morbidum prauumq; quid sapiunt, esse statim hæreticos iudicandos: sed antea sunt de pertinacia conuincendi, secundum quod in verbis scriptis innuit August. *Discip.* In verbis prædictis August. innuere videtur, quod non omnes errantes in Ecclesia Christi pertinaciter hæretici sunt censendi, cum videatur innuere, quod tria requirantur ad hoc, quod illi, qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid prauumq; sapiunt, sint hæretici. Primum est, quod correcti vt sanum rectumq; quid sapiant, resistat contumaciter. Secundum est, quod si suos errores emendare noluerint. Tertium est, quod eosdem errores persistant defendere. Si autem illa tria requirantur ad hoc, quod aliquis sit hæreticus (vt August. insinuare videtur) & multi suis erroribus adhærent pertinaciter, qui tamen eos non defendunt, imo quandoq; negant, sequitur quod non omnes suis erroribus pertinaciter adhærentes hæreticorum numero aggregantur. *Magist.* Dicunt isti, quod Augustinum male intelligis. Non enim vult August. quod illa tria requirãtur ad hoc, quod aliquis sit hæreticus: imo vult, quod quodlibet istorum hæreticum facit errantem. Illa autem tria sic distinguuntur. Primum est quasi commune, & duo sunt quasi minus communia, exponentia quodammodo primum. Nam quod correpti vt sanum rectumq; quid sapiant, contumaciter resistant, dupliciter potest contingere: vel quia emendare (id est reuocare) nolunt vel defendere persistunt. Et ita quodlibet istorum trium errantem reddit hæreticum & etiam pertinacem. Quare omnis pertinax hæreticus est censendus.

CAP.

CAP. VIII.

Probat idem quatuor rationibus.

DIscipulus. Si adhuc sunt aliquæ auctoritates, vel rationes ad probandum, quod nullus errans nisi pertinax est hæreticus censendus, libenter auscultabo. *Magist.* Adhuc rationes aliquæ allegantur: quarum prima est hæc. Illi, qui non sunt à Catholicis repellendi, non sunt inter hæreticos computandi. Sed errantes & non pertinaciter non sunt à Catholicis repellendi. Ergo illi qui non sunt pertinaces, non sunt inter hæreticos computandi. Maior posset per Sacros Canones aperte probari: cum omnes hæretici sunt sententia excommunicationis innodati. Minor etiam clare probatur. Quia errantes, qui quærunt veritatem, non sunt à Catholicis repellendi, teste Pelagio Papa, qui vt habetur *24. q. 1. c. schisma*, loquens de abundantibus in suo sensu, & per consequens errantibus, ait: *si etiam ipsi (licet in suo sensu abundantes intra materna tamen positi viscera) quærerent veritatem, à nobis repellendi non essent.* Ex quibus datur intelligi, quod quamdiu errantes etiam suo sensu abundantes quærerent veritatem prætendentes se velle corrigi, si veritatem inuenerint, non sunt à catholicis repellendi. Et per consequens, quicunque non sunt pertinaces, non sunt à catholicis repellendi. Quicunque non est pertinax quærit veritatem pro loco & tempore, & à quibus tenetur quærere veritatem. Aliter enim pertinax esset censendus. Secunda ratio est hæc. Quicunque paratus est corrigi, non est censendus hæreticus. Sed quicunq; non est pertinax, paratus est corrigi. Ergo quicunq; non est pertinax, non est censendus hæreticus. Minor est euidens de se. Maior probatur per Gloss. *24. q. 3. c. dixit Apostolus*, quæ ait: *licet ergo tenet aliquis ea quæ sunt contra fidem (dum paratus sit corrigi) non est habendus hæreticus.* Et Gloss. e. c. & q. 1. c. *à recta*, ait: *licet quis erret (si tamen paratus est corrigi) non est hæreticus.* Tertia ratio est hæc. Qui firmiter credit omnia, quę dicit vniuersalis Ecclesia, esse catholica sana & vera, & nulli errori adhęret ptinaciter, est catholic⁹ reputandus. Et per consequens non est habendus hæreticus. Sed qui errat (& non est pertinax) credit firmiter omnia, quę dicit vniuersalis Ecclesia, esse catholica, vera & sana, & nulli errori adhęret pertinaciter. Ergo talis non est hæreticus iudicandus. Quarta ratio est hæc. Non est maior ratio, quod vnus errans contra fidem non pertinaciter sit hæreticus, quam alius: quia de similibus simile est iudicium. Sed multi contra fidem errauerunt, qui tamen (quia nequaquam pertinaciter errauerunt) non fuerunt hæretici reputati. Ergo nec aliquis errans contra fidem (si non est pertinax) debet inter hæreticos computari. Maior est manifesta. Minor multis probatur exemplis. August. enim in multis errauit, quæ postea retractauit: & per hoc se non fuisse pertinacem ostendit patenter. Et ideo non fuit hæreticus iudicatus. Idem patet de Hieronymo, de beato Cypriano, de quibus constat, quod pertinaces nullatenus extiterunt. Et propter hoc (quamuis errauerunt) hæretici non fuerunt.

CAP. IX.

In quo respondetur responsione generali ad auctoritates inductas capitulo quinto huius, & principaliter ad primam, distinguendo sex genera hæreticorum.

DIscipulus. Ad probandũ, quod solus errans pertinaciter est hæreticus censendus, nolo ad præsens plures rationes audire: quia tecũ post opus præsens omnia iterũ pscrutabor. Et ideo quomodo respond eas ad illa, quæ adduxi in contrariũ manifesta. *Magist.* Prima auctoritas, quam in contrarium allegasti, est Innoc. tertii, *extra, de verbor. signif.* super quibusdam verbis. Innoc. enumerat sex genera hominum, quos asserit esse hæreticos manifestos: Videlicet contra fidem publice prædicantes, profitentes, & errorem defendentes, coram prælatis conuictos, confessos, & ab eis condemnatos de hæretica prauitate. Verba autem Innoc. deberent sane intelligi: quia aliter ex eis laberetur quis facile in errores. De prædicatoribus ergo publice contra fidem, debes distinguere: quia quod aliquis prædicet publice contra fidem quadrupliciter potest contingere. Vno modo, quod publice prædicet fidem Christianam esse falsam, dubiam, vanam & insanam. Et talis indubitanter est hæreticus manifestus: quia talis sine pertinacia inueniri non potest. Nam talis non est paratus corrigi per fidem Christianam, si non reputat eam veram, certam & sanam. Ergo pertinax & manifestus hæreticus est censendus. Secundo contingit aliquem prædicare contra fidem prædicando aliquem errorem, qui fidei obuiat Christianæ protestando, quod nunquam ab assertione sua desistet. Et talis est pertinax: quia non est paratus corrigi. Et ideo est hæreticus censendus. Tertio contingit aliquem prædicare publice contra fidem protestando, quod nihil intendit contra fidem orthodoxam tenere aut defendere temere. Et quia talis non ostendit se esse manifestum pertinacem: & quia non errat ex malitia & pertinacia: sed ex simplicitate vel ignorantia, non est hæreticus manifestus, nec ex sola tali publica prædicatione debet hæreticus reputari. Et propter hoc tales protestationes faciunt his temporibus (quibus quamplurimi ex odio, rancore, inuidia, malitia moliuntur meliores & sapientores sic de hæresi diffamare) complures docentes, prædicantes, & scribentes, vt coram omnibus se ostendant nullatenus pertinaces. Quarto contingit aliquem publice contra fidem prædicare simpliciter & absq; omni protestatione, quod non intendat vel intendit aliquid contra fidem temere defendere vel tenere. Et talis non est hæreticus censendus manifestus: sed examinandus est diligenter, an pertinaciter adhæreat errori, quem publice prædicauerit. Et si inuentus fuerit pertinax,

debet

debet hæreticus iudicari. Ante examinationem autem est catholicus reputandus: quia quilibet reputandus est bonus, antequam contrarium sit aperte probatum, Et ideo talis prædicans, cū de assertione eius mentali constare non possit, non est hæreticus iudicandus, quousq; probetur contrarium. Sicut enim facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretari debemus, vt habetur *extra, de Reg. Iur. c. Estote*, ita cum nescimus quo animo prædicat quis aliquid contra fidē, animo scilicet pertinaciter adhærendi, vel animo corrigendi se (si errauerit) in meliorē partem interpretari debemus, suspicando videlicet quod paratus est corrigi, cū veritas sibi fuerit manifesta. De secundo genere hominum, scilicet de profitentibus errorem, dicunt quod pertinaces sunt censendi hæretici manifesti. Professio enim à voluntate firmata solet procedere. Et ideo qui profitentur errorē contrarium catholicæ veritati, sunt reputandi firmati in errore. Quare pro pertinacibus sunt habendi. Et ex hoc sequitur, ꝙ omnes iurantes se errorem aliquem fidei Christianæ contrarium seruaturos, & abiurantes quamcunq; veritatē catholicam, inter pertinaces & manifestos hæreticos sunt censendi. Sicut enim professio & iuramentū, ita iuratio & abiuratio voluntatē supponunt firmatam. De tertio genere hominum, scilicet qui defendunt errorē, distinguunt dicentes: Quod defendere errorem contingit dupliciter. Vno modo absq; assertione temeraria, eo quod tunc ita apparet. Et tales defendentes errorem suum verbo siue scripto, non sunt hæretici manifesti: quia parati sunt corrigi, cū inuenerint veritatē. Alio modo defendit quis errorem cum assertione temeraria, & talis est pertinax & hæreticus manifestus. De quarto & quinto generibus, scilicet de conuictis & confessis coram prælatis de hæretica prauitate, distinguunt. Quia illa prauitas potest attendi vel ex parte ipsorū conuictorū, vel confessorum, aut solummodo ex parte erroris, de quo sunt conuicti vel confessi. Si autem sit prauitas solummodo ex parte erroris, non ex parte confessorum vel conuictorū, sic non sunt hæretici manifesti. Errores enim, quos tenuerunt Augustinus, Hieronymus, & Cyprianus, de quibus tactū est supra, & de quibus poterant conuinci, praui fuerunt: ipsi tamen non fuerunt praui. Et ideo quamuis de illis erroribus coram prælatis conuicti fuissent vel confessi, nullatenus hæretici extitissent. De sexto genere, scilicet de condemnatis de hæretica prauitate, absq; distinctione dicunt, quod sunt hæretici manifesti, si rite & iuste fuerint condemnati. Quia nullus est sententialiter condemnandus de hæretica prauitate, nisi inueniatur prauitas non solum in errore, sed etiam in errante. Ista autem prauitas in errante est pertinacia. Et ideo soli pertinaces sunt de hæretica prauitate condemnandi. *Discip.* Ista probabilia mihi videntur: sed miror, quare Innoc. prædicto modo non distinxit. *Magist.* Respondetur, quod ideo, quia causa breuitas hoc non distinxit: sed quod taliter oporteat distinguere, ex aliis sacris canonibus euidenter apparet.

CAP. X.

Singulis respondet auctoritatibus in speciali.

DIscipulus. Quamuis ex prædictis colligi possit, quomodo ad plures auctoritates, quas adduxi isto modo sæpe tacto describentes hæreticum responderent, volo tamen vt discurras per singulas. *Magist.* Ad auctoritatem Nicolai Papæ recitantis verba Cælestini respondent, quod illa verba intelligenda sunt de publice prædicantibus scienter contra determinata à concilio generali, & de publice prædicantibus errores ipsos, eosdem temere asserendo, vel protestando se nunquam reuocare eosdem, vel pertinaces se quomodolibet monstrando. Auctoritas vero Hieron. in oppositum allegatur: quia idem Hieron. in verbis adductis insinuare videtur, quod reprobans confessionem ab Apostolo approbatam non est ex hoc ipso hæreticus reputandus, quia poterit esse imperitus. Et ita si ex sola imperitia dixerit contra veritatem, non est hæreticus reputandus. Ad auctoritatem Gelasii dicunt, quod Gelasius intelligit de eo, qui scienter labitur in hæresim condemnatam. Talis enim est hæreticus iudicandus. Et cum dicitur, *Gelasius inter labentem in hæresim pertinaciter & non pertinaciter non distinguit: ergo neq; nos debemus distinguere:* Isti respondent, quod vbi Papa vel canon non distinguit, neq; aliqua distinctio ex aliis canonibus, nec ex sacra scriptura, nec ex dictis autenticis, nec ex ratione euidenti patenter colligi potest, non debemus distinguere. Vbi autem ex aliquo vel aliquibus prædictorum distinctio manifeste accipitur, & non debemus distinguere. Sic enim est in proposito: quia ex aliis sacris canonibus & ratione aperte colligitur luculenter, quod inter labentem in hæresim damnatam pertinaciter & non pertinaciter, est distinctio manifesta. Dicunt etiam, quod Gelasius in *cap. maiores*, loquitur de scita cōmunicatione erroris damnati, & etiā de pertinaci, siue sciat errorem esse damnatum siue ignoret. Ad auctoritatem Felicis Papæ respondent, quod loquitur de Achatio, qui scienter damnato communicauit facinori. Et ideo fuit pertinax iudicandus: quia non erat paratus corrigi per doctrinam Ecclesiæ. Ad auctoritatem Hier. quæ ponitur *24. q. 3. c. hæresis*, respondetur: quod sicut recessus à malis duplex est, scilicet corporalis & spiritualis, prout asserit Aug. prout legitur *23. q. 4. c. 1.* sic recessus ab Ecclesia duplex est, scilicet corporalis & spiritualis. Corporalis autem recessus ex multis causis potest fieri. Potest enim aliquis recedere corporaliter ab Ecclesia, & ad hæreticos corporaliter accedere: quia doctrinæ suæ vel opinioni Ecclesia non consentit aut reprobat. Et de isto recessu corporali ad præsens loquitur, non de aliquo recessu corporali, qui ex bona causa possit fieri. Alius est recessus ab Ecclesia spiritualis, & ille est duplex, scilicet manifestus & occultus, secundū ꝙ hæreticus est duplex scilicet manifestus & occultus. Similiter aliter intelligere scripturā, quā sensus Spirit. sancti flagitat, cōtingit dupliciter, scilicet cū pertinaci adhæsione & absq; hac.

Qui-

Quicunq; ergo cum pertinaci adhæsione aliter scripturam intelligit, quam sensus sancti Spiritus flagitat, licet ab Ecclesia non recesserit, propter hoc neq; corporaliter Ecclesia suo sensui non consentit vel reprobat eundem vel spiritualiter manifeste, quia se esse pertinacem nequaquam ostendit aperte: tamen hæreticus appellari potest, imo vere est hæreticus: quia ab Ecclesia recessit spiritualiter, licet occulte. Ad auctoritatem Stephani Papæ respondent dicentes, quod Stephanus Papa vocat illum dubium in fide, qui dubitat fidem Christianam esse veram vel sanam: non illum, qui dubitat de aliqua veritate catholica in speciali. Talis autem dubius in fide est pertinax seu pertinaciter dubitans: quia talis non est paratus corrigi per doctrinam, quam dubitat esse veram, cum nullus nisi per veritatem corrigi velit. Ille autem qui dubitat de aliquo articulo in speciali potest esse paratus corrigi per fidem Christianam, (quia per scripturam sacram) quam totam credit esse veram, licet dubitet de aliquo in speciali nesciens illud in sacris literis inueniri. Et ideo non est statim pertinax reputandus. Aliter est de illo, qui in genere vel vniuersaliter dubitat fidem Christianam esse veram. Et de tali dubio in fide loquuntur Glossæ, quarum vna 24. q. 1. super §. *qui vero*, ait: *Vno modo dicitur hæreticus, quicunq; dubius est in fide.* Et alia Glossa eisdem cap. & q. super. c. *apte*, ait: *nota hæreticum esse titubantem in fide.* Et post: *nam & hæretici vocabulo continentur qui leui etiam argumento à fide deuiant.* Omnes enim loquuntur de illo qui dubitat fidem Christianam esse veram. *Discip.* Miror quod plus oportet dubitantem in fide esse pertinacem, quam dubitantem de aliquo articulo in speciali. Præsertim cum ita possit quis absq; pertinacia dubitari de vniuersali, sicut de singulari. *Magist.* De hoc non reputant isti mirandũ. Sicut enim inter propositiones est ordo, quia vna est prior & alia posterior; vna etiam fit nota per aliã: & sæpe nõ econuerso. Et ideo qui de propositione simpliciter prima in aliquo ordine, quæ nullo modo potest fieri nota per aliam, dubitaret, non esset præsumendum, quod vnquam ad illius notitiã esset venturus: licet si dubitaret de propositione posteriori, esset præsumendũ, quod ad eius notitiam per propositiones priores posset attingere. Sic quia primum, quod oportet fidelem credere, est quod fides Christiana est vera: si de hoc quis dubitat, nihil remanet per quod ad aliquid firmiter credẽdum valeat reuocari. Et ideo taliter dubitans tanquam pertinax & nolens corrigi est censendus. Si autem nullatenus dubitat fidem Christianam esse veram (licet dubitet de aliquo articulo speciali) præsumendum (nisi contrariũ manifeste appareat) quod si sibi ostensus fuerit articulus, de quo dubitat, ad fidem pertinere catholicam, absq; mora se corriget. *Discip.* Quid si nullus potest sibi patenter ostendere, quod talis articulus ad fidem pertinet Christianam. *Magist.* Dicunt quod quousq; sibi fuerit euidenter ostensum dictum articulum ad fidem pertinere catholicam, sufficit sibi credere eum implicite, paratus credere explicite, cum sibi manifestum fuerit quod ad fidem pertinet Christianam. *Discip.* Procede ad alias auctoritates. *Magist.* Ad capitulum *aperte*, respondent quod loquitur de prædicante & titubante in fide: quia dubitant fidem Christianam esse veram. Ad verba Gratiani eodem modo respondent, quod loquitur de prædicante fidẽ esse falsam vel incertam, vel de pertinaci docente aliqua contra fidem. Non autem loquitur de illo, qui ex simplicitate vel ignorantia docet aliqua, quæ fidei obuiant orthodoxæ. Ad rationẽ, qua innuitur, dicunt quod fides debet esse firma in vniuersali, vt cuilibet veritati catholicæ *firmiter*, hoc est per fidem firmam vel implicite fidelis adhæreat: sed non est necesse, quod cuilibet adhæreat firmiter explicite. Et sic intelligendæ sunt auctoritates adductæ de concilio generali, & de Symbolo Athanasii. Dubitans autem in fide esse veram, non habet fidem firmam. Et sic loquitur Bernhardus. Et ideo non catholicus, sed hæreticus est censendus. Dubitans de aliquo articulo speciali habet firmam fidem, quod tota fides Christiana est vera & recta. Habet etiam fidem firmam implicite de eodem articulo, de quo dubitat. Et ideo est catholicus, licet de tali articulo non habeat firmam & explicitam fidem.

Cap. XI.

Ponit tres instantias alias contra diffinitionem hæretici supra cap. 3. huius datam, quæ etiam soluuntur.

Discipulus. Adhuc ad vnam instantiam, quæ totam descriptionem hæretici memoratam videtur elidere, cupio responderi. Beatus enim August. vt habetur *24. q. 3. cap. hæreticus*, diffinit hæreticum in hunc modum: *hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi & maxime vanæ gloriæ principatusq; sui gratia, falsas ac nouas opiniones gignit vel sequitur.* Ex qua diffinitione colligitur, quod qui tantummodo veteres hæreses imitatur, licet sint pertinaces, non sunt hæretici reputandi. Et ideo prior descriptio hæretici non est congrue assignata: quia competit multis (scilicet illis qui tantummodo veteres hæreses imitantur) qui tamen non sunt hæretici iudicandi, secundum diffinitionem August. eo quod nouas opiniones neq; gignunt neq; sequuntur. Item, multi baptizati pertinaciter errant ex sola credulitate vel deceptione, non gratia alicuius temporalis commodi, nec vanæ gloriæ, nec principatus, nec gratia sua. Et per consequens secundum August. non sunt hæretici iudicandi. Et tamen illis competit descriptio sæpe fata. Ergo non est vera descriptio. Item, aliquis certus de fide & in nullo dubitans, alicuius temporalis commodi & vanæ gloriæ maxime, principatusq; sui gratia, contra conscientiam, potest nouas & falsas opiniones gignere atq; sequi. Ergo certus de fide & in nullo dubitans potest esse hæreticus secundum intentionem August. male ergo describitur hæreticus, cum asseritur quod omnis hæreticus est pertinaciter dubitans vel errans contra catholicam veritatem. *Magist.* Ad illa isti dicunt, quod August. non intendit in verbis præscriptis hæreticum diffinire:

finire: sed intendit assignare vnum modum cognoscendi hæreticum, vt scilicet quicunque alicuius temporalis commodi & maxime vanæ gloriæ principatusq; sui gratia falsas ac nouas opiniones gignit vel sequitur, censeatur hæreticus. Vnde licet in propositione, quā ponit Aug. intelligatur vel primo ponatur vocaliter *hæreticus* ante copulam, & ex hoc posset quis opinari, quod hæreticus sit subiectum: secundum tamen rei veritatem, vt isti dicunt, hæreticus debet esse prædicatum, & id quod sequitur, debet esse subiectum. Et isto modo sub bono intellectu concedenda est vniuersalis formata ex verbis August. ita videlicet: Quicunq; alicuius temporalis commodi & maxime vanæ gloriæ principatusq; sui gratia non pertinaciter defendendi nouas opiniones, vel falsas contra fidem gignit vel sequitur, est reputandus hæreticus. Sed si contra conscientiam & in corde de aliquo pertinente ad fidem nullatenus dubitans prædicto modo hæreses gigneret vel sequeretur, nō esset apud Deum, qui cor intuetur, hæreticus, quamuis mortalissime corā Deo peccaret. *Discip.* Quomodo debet quis hæreticus reputari, si non est coram Deo hæreticus? *Magist.* Ad hoc respondetur faciliter, quod de exterioribus habemus tantum modo iudicare: occulta autem ad iudicium spectant diuinum. Et ideo talis à nobis est censendus hæreticus propter illa, quæ nobis apparent exterius, licet apud Deum nō sit hæreticus. Quamuis sæpe multos bonos arbitrari debemus, quia nullum malum in ipsis apparet nobis, qui tamen apud Deum sunt pessimi. *Discip.* Discurre per obiectiones, quas feci. *Magist.* Ad primam earum respondetur, quod qui veteres hæreses imitantur pertinaciter sunt hæretici censendi. Et ideo non soli, qui quacunq; ex causa nouas & falsas opiniones gignunt vel sequuntur, sunt hæretici: sed etiam alii multi. Nam qui modo hæresim Arrii ab antiquo damnatam pertinaciter defensaret, esset hæreticus iudicandus. Nec obstant verba August. quia (vt dictum est) non intendit per illa verba neq; diffinitionem neq; descriptionem hæretici assignare. Vnde dicunt, quod sæpe multi falluntur de enunciationibus sanctorum & auctorum, putantes velle diffinitiones vel descriptiones aliquarum rerum vel nominum assignare, cum tamen nunquam hoc intendant, sed solūmodo proponentes particulares veras asserere. Ad secundam respondetur, quod pertinaciter errantes ex sola credulitate vel deceptione sunt hæretici iudicandi: quia non soli illi, de quibus loquitur August. in verbis præmissis, sed etiam alii sunt censendi hæretici. Ad tertiam dicunt illi, qui in corde non dubitant, tamen alicuius temporalis commodi gratia, vel forte pro temporali periculo (citra mortem) vitando, assertiones hæreticales sequuntur, quales dicunt esse multos his diebus & maxime de ordine Fratrum Minorum, qui opiniones nouas de paupertate Christi & Apostolorum, ac etiam de animabus damnatorum & sanctorum, quas in cordibus suis putant hæreticas, & tamen ipsas pertinaci animositate sequuntur, non sunt in veritate hæretici, & tamen à fidelibus (qui non habent de occultis motibus animæ iudicare) sunt hæretici reputandi: & tamen in omnibus tanquam hæretici fugiendi: & si postea dicerent se dictas hæreses in mente minime tenuisse, sed pro assequendo aliquo commodo temporali vel pro vitando periculo se finxisse tenere, non esset eis fides aliqua adhibenda, sed essent ab omni assertione & testimonio tanquam falsi & duplices repellendi. *Discip.* De illis, quæ isti adducunt in exemplum, alias interrogabo sollicite, & ad probandum quod isti, qui sunt sectatores sanctissimi patris Domini Innoc. Papæ 22. non sunt hæretici nec errantes, sed catholici & fideles, fortiter allegabo. *Magist.* Vis ergo istius operis hic sit finis.

Explicit Liber tertius Dialogorum.

Incipit Quartus Liber eiusdem primæ partis, docens qualiter de pertinacia prauitatis hæreticæ quis debeat conuinci.

CAP. I.

In quo quæritur & ponitur diffinitio pertinacis, *secundum vnam opinionem.*

D*Iscipulus.* Volo hic istum librum finiri: & ad quartum me transferam. Intendo enim inquirere, quomodo de pertinacia debeat quis cōuinci ante omnia. Cupio tamen scire, quomodo *pertinacia* diffinitione exprimente quid nominis diffinitur. Ex tali namq; diffinitione (vt puto) multę difficultates debent solui: nec sine ipsius noticia potest sciri qualiter de pertinacia debeat quis conuinci. *Magist.* Pertinax à quibusdam diffinitur sic: *pertinax est qui persistit in eo, quod debet dimittere.* Istam diffinitionē declarant dupliciter. Primo modo auctoritate Isidori dicentis, quod *pertinax dicitur quasi impudenter tenax.* Ille autem est impudenter tenax, qui tenet quod debet dimittere. Ergo pertinax est ille, qui tenet & persistit in illo, ꝙ debet dimittere. Secundo sic: Perseuerantia & pertinacia opponuntur, & contrarias debent diffinitiones habere. Sed perseuerans est ille, qui persistit in illo quod debet. Ergo pertinax est ille, qui persistit in illo quod debet dimittere. *Disc.* Miror, quia isti volunt ꝓbare diffinitionē pertinacitatis de pertinace, cum diffinitio de diffinito probari non possit. *Magist.* Non intendunt probare proprie loquendo diffinitionem pertinacis de pertinacitate: sed volunt declarare, & per declarationes manifestare quodammodo diffinitionem pertinacis. *Discip.* De talibus diffinitionibus nolo me intromittere multum ad præsens: sed aliud mouet me contra diffinitionem prædictam: quia secundum eam omnis errans est pertinax. Omnis enim errans, quam diu est in errore, est pertinax. Sed nullus vnquam debet esse in errore: imo omnis errans debet errorem dimittere. Ergo omnis errans est pertinax. *Magist.* Dicunt per æquiuocationem te decipi. Est

enim debitor necessitatis & debitor congruitatis. In prædicta autem diffinitione accipi debet secundum quod importat debitum necessitatis, vt iste sit sensus: pertinax est ille: qui persistit in aliquo quod de necessitate debet dimittere. Esto ergo quod omnis errans (debito, quod congruitatis dicunt) oportet errorem dimittere (quod non est verum:) non tamen omnis errans de necessitate salutis omni tempore debet errorem suum dimittere. *Discip.* Video quod isti diffiniunt pertinacē communius, quam competat erranti in fide. Et ideo appropria diffinitionem prædictam in fide erranti. *Magist.* Appropriatur sic. Pertinaciter dubitans contra fidem est, qui persistit in dubitatione circa ea quæ sunt fidei, quam debet de necessitate salutis dimittere. *Discip.* Secundum prædicta omnes Iudæi & Gentiles essent pertinaces, quia omnes tenentur errorem suum dimittere. Ista est difficultas, quæ longum tractatum requireret propter illos, qui nunquam de fide vera informati fuerunt, nec est defectus istorum qui informationem minime habuerunt, si qui sunt tales. De aliis autem Gentilibus & Iudæis isti dicunt aperte, quod debent in numero pertinacium reputari.

CAP. II.

In quo quæritur, quomodo valeat quis de pertinacia conuinci. Et distinguitur de pertinacia interiori & exteriori: de pertinacia interiori tractatur capitulo tertio & quarto: de exteriore incipit tractare capitulo quinto.

Discipulus. De illa difficultate ad præsens nolo tecum collocutionē habere, sed volo te interrogare de proposito principali, scilicet quomodo de pertinacia valeat quis conuinci. *Magist.* Circa illa quæ fidei sunt, duplex potest pertinacitas inueniri. Vna mentalis, quando quis scilicet pertinaciter corde adhæret prauitati hæreticæ vel pertinaciter dubitat de catholica veritate. Alia est pertinacitas exterior, quæ in facto vel in voce exteriori consistit. Prima pertinacia aliter quam per præsumptionē probabilem vel violentam conuinci non potest à nobis: quia in talibus non necessario interioribus exteriora correspondent, imo tenetur vnum sæpe interius, & aliud exterius simulatur. *Discip.* Quamuis intentio mea fuerit interrogare de pertinacia exteriori solummodo: causa tamen exercitii dicas aliqua de pertinacia interiori & mentali, quis videlicet pertinaciter erret in mente. *Magist.* Sunt quidam dicentes quod tripliciter potest quis pertinaciter errare in mente. Et primo quidem. Si quis non obstantibus miraculis, quæ audiuntur fuisse facta pro fide firmanda, putat fidem esse falsam vel incertam. Secundo si in generali credit totam fidem esse veram, alicui tamen errori in speciali (quam nescit ad fidem explicite pertinere) adhæret tam fortiter, quod quantumcunq; sibi ostenderetur ad fidem pertinere, errorem nullo modo dimitteret huiusmodi, sed ante putaret fidem esse falsam. Sicut si in Veteri Testamento (quando fideles credere Trinitatem personarum cum vnitate Diuinitatis explicite minime tenebantur) aliquis credens totam doctrinam Moysi & fidelium esse veram in speciali, putasset quod tres personæ non sunt vnus Deus, & suo errori tam fortiter adhæsisset, quod ante doctrinam Moysi & Prophetarum credidisset esse falsam, quæ tenuisset tres personas esse vnum Deum. Iste (licet in genere credidisset totam fidem Moysi & Prophetarum esse veram) pertinax extitisset. Tertio potest quis mentaliter esse pertinax in errore, si alicui errori inhæret & negligit, quomodo & quando debet quærere veritatem. Quia talis non est paratus corrigi, si persistit in errore, quem debet de necessitate salutis dimittere. *Discip.* Inter negligentiam & pertinaciam differentia inuenitur. Sed ille vltimus est negligens. Ergo non est pertinax. *Magist.* Respondetur, quod quamuis negligentia & pertinacia distinguantur, tamen aliquis negligens est pertinax: nec est inconueniens, ꝙ aliqua negligentia est pertinacia reputanda. *Discip.* Potest ne aliquis pertinaciter dubitare contra fidē. *Mag.* Dicitur ꝙ tot modis potest quis pertinaciter dubitare cōtra fidē quot modis potest ptinaciter errare cōtra fidē. *Disc.* Nūquid aliquo modo potest distingui de pertinaci ꝓpter pertinaciā interiorē. *Mag.* Aliter distinguitur de tali pertinacia, saltem quantū ad verba. Quia sicut secundū Aug. quidā est hæreticus scienter, quidam vero inscienter: ita quidam est pertinax scienter, ille scilicet qui putat fidem Christianam pro aliqua sui parte esse falsam: & quidam est pertinax nescienter, qui scilicet credit in genere totam fidem Christianam esse veram in speciali, tamen alicui errori pertinaciter contra fidem adhæret. *Discip.* Quomodo potest quis scienter esse pertinax? Videtur enim, quod hoc contradictionem includat. Quia qui errat, putat esse verum circa quod errat, eo quod errare est approbare falsum pro vero. Nullus ergo scit se errare. Et ita scienter nullus est pertinax: quia nullus scit se esse pertinacem in errore. *Magist.* Ista clausula pertinacis, cum dicitur *scienter*, non debet referri ad pertinaciam errantis, vt scilicet aliquis sciat se pertinaciter errare: sed debet referri ad contrarietatem suæ pertinaciæ vel erroris ad fidem Christianam, vt dicatur scienter pertinax, qui scit assertionem, circa quam errat, esse contrariam fidei Christianæ. Quemadmodum quis dicitur hæreticus scienter, non quia scit se esse hæreticum, sed quia scit assertionem suam esse contrariam fidei Christianæ. Sic ille igitur vocatur scienter hæreticus, qui scit assertionem suam, quia in rei veritate est pertinax hæresis, esse contrariam fidei Christianæ. Sic ille dicitur scienter pertinax in errore hæreticali, qui scit assertionem, quam putat veram, esse contrariam fidei Christianæ. Ille autem dicitur ignoranter siue nescienter pertinax in errore hæreticali, qui assertionem suam nescit esse contrariam fidei Christianæ.

CAP.

CAP. III.

In quo obiicitur contra dicta in capitulo praecedenti, arguendo, quod nullus sit pertinax, vel haereticus nisi scienter: vbi etiam distinguitur de nescienter haeretico.

DIscipulus. Distinctionem inter scienter pertinacem & nescienter pertinacem: & similiter inter scienter haereticum & nescienter haereticum, modo aliter quam prius intelligo: & ideo quamuis putauerim prius nullum esse scienter pertinacem aut scienter haereticum, nunc mihi videtur quod omnis haereticus, qui scit assertionem suam (quae in rei veritate est pertinax haeresis) esse contrariam fidei Christianę. Et ita dicitur ignoranter siue nescienter haereticus, qui assertionem suam nescit esse contrariam fidei Christianae, sed putat esse consonam fidei Christianae: sic ille dicitur esse scienter pertinax in errore haereticali, qui scit assertionem (quam putat veram) esse contrariam fidei Christianae. Ille autem dicitur ignoranter siue nescienter pertinax in errore haereticali, qui assertionem, quam putat esse veram, nescit siue ignorat contrariam esse fidei. Et sic quilibet talis esset fidelis & catholicus, quia omnis haereticus est scienter pertinax & scienter haereticus. & nullus penitus nescienter. Quod potest tali ratione probari. Nam ad hoc, quod aliquis catholicus sit & fidelis, sufficit fides implicita. Hoc patet per exemplum de Cornelio centurione, de quo habetur *Actor. 10.* qui antequam de Christo fidem haberet explicitam, fuit fidelis, *quia iustus & timens Deum*, & per consequens fidem habuit saltem implicitam. Et ita fides implicita sufficit, quod quis sit catholicus & fidelis. Sed quicunq; non est scienter pertinax, neq; scienter haereticus (modo prius exposito) habet fidem implicitam: quia ex hoc ipso, quod non putat se errare contra fidem Christianam, credit totam fidem Christianam esse veram, licet in aliquo speciali erret. Qui autem credit totã Christianam fidem esse veram, habet fidem implicitam. Ergo est catholicus & fidelis, & per consequens non est pertinax neq; haereticus. Confirmatur haec ratio: quia qui credit totam fidem Christianam esse veram, & habet fidem de omni veritate pertinente ad fidem Christianam, non est haereticus, & per consequens non est pertinax. Sed quicunq; non est scienter pertinax, neq; scienter haereticus, credit totam fidem Christianam esse veram: ergo habet fidem de omni veritate pertinente ad fidem Christianam, & per consequens nullo modo est pertinax nec haereticus. *Magist.* Istae obiectiones principaliter inducuntur ad probandum, quod nullus est scienter haereticus. *Discip.* Ita est. *Magist.* Dimittamus ergo loqui de pertinacitate, & sufficiat de haeretico facere mentionem. *Discip.* Placet, qui potest videre, quomodo potest quis esse haereticus nescienter, non dubitabit quin valeat quis esse haereticus nescienter. *Magist.* De nesciente haeretico distinguitur. Quidam enim sunt vel esse possunt nescienter haeretici, quia scienter & explicite arbitrantur aliquas assertiones sub forma propria scriptas in scriptura diuina ad fidem Christianam nullatenus pertinere. Tales fuerunt Manichei, qui secundum Isidorum, prout legitur *24. q. 3. c. quidam autem*, Testamentum Vetus respuerunt, & nouum tantummodo ex parte receperunt, & ita putabant se catholicos & fideles Christianos: & ideo fuerunt nescienter haeretici, quia assertionem contentam in Veteri Testamento asseruerunt ad fidem Christianam minime pertinere. Quidam autem sunt nescienter haeretici, qui assertionem nullam pertinentem ad fidem Christianam sub propria forma scriptam in scriptura diuina repertam dubitant esse veram, quia totam scripturam diuinam recipiunt: sed tamen aliquas assertiones sequentes ex illis (propter hoc, quod aliter intelligunt scripturas diuinas, quam sensus Spiritus Sancti flagitat, à quo sumptae sunt) non credunt esse veras, quia non putant, quod sequantur ex illis. Quia autem credunt irreuocabiliter contrarias assertiones esse veras, ideo hęretici sunt censendi, qui tamen in genere credunt totam fidem Christianam esse veram.

CAP. IV.

In quo ponitur responsio ad probata capitulo praecedenti: & ibi notatur distinctio de fide implicita.

DIscipulus. Ad quid valet ista distinctio? *Magist.* Per istam distinctionem putant nonnulli demonstratiue probare, quod rationes tuae non concludunt. *Discip.* Quomodo? *Magist.* Ex primo mẽbro probant, quod aliqui possint esse nescienter haeretici, sic: Qui credunt in genere, quod tota fides Christiana est vera; & tamen credunt Vetus Testamentum vel Euangelium Lucae multa continere erronea, eo quod Vetus Testamentum vel Euangelium Lucae putant multa continere, quae ad fidem Christiana nullatenus pertinent, vere sunt haeretici, praesertim si sint pertinaces. Aliter enim posset quis absq; haeretica prauitate dicere, ꝙ non omnia Euangelia ad fidem pertinent Christianam. Sed talis non est scienter haereticus, quia non credit se contrariari in aliquo fidei Christianae. Ergo aliquis potest esse haereticus nescienter, quemadmodum Manichei fuerunt haeretici nescienter, quia putauerunt se esse veraciter Christianos, & omnes alios Christianos, qui Vetus Testamentum receperunt, arbitrabantur haereticos contra fidem Christianam errantes. *Discip.* Dic quomodo ad obiectiones tactas superius respondeatur. *Magist.* Dicunt enim, quod obiectiones illae fundantur in aequiuocatione de fide implicita, est enim vna fides implicita vera, omnem assertionem pertinacem, respectu cuiuscunq; haereticae prauitatis, excludens. Et illa fides implicita sufficit ad hoc, quod ha-

habens eam sit catholicus & fidelis. Alia est fides implicita falsa, qua scilicet creditur haec est vera: fides Christiana est vera. Sed alia fides, quam illa, quae est vere Christiana pro Christiana habetur. Et talem fidem habuerunt Manichei; quia credebant fidem Christianam esse veram. Sed illam fidem vocauerunt Christianam, quae in rei veritate non est Christiana; imo est contraria fidei Christianae. Et sic est de omnibus haereticis nescienter: quia licet credant hanc esse veram: fides Christiana vel fides Ecclesiae est vera: tamen fidem reputant Christianam, quae in rei veritate non est Christiana, licet credant eam esse Christianam. Et ideo (quamuis nescienter) tamen haeretici sunt (Item patet de Bohemis.) *Discip.* Nunquid aliqui credentes fidem Christianã esse veram, habent falsam fidem? *Magist.* Nullus propter hoc, quod credit fidem Christianam esse veram, habet falsam fidem: sed credens quandam fidem esse Christianam, quae in rei veritate non est Christiana, habet falsam fidem. Sicut Arrius in eo, quod credit quod fides Christiana est vera & Euangelium continet veritatem, non habuit falsam fidem: sed credendo quod Filius Dei non est aequalis Patri, & quod hoc pertinet ad catholicam fidem, habuit falsam fidem. *Disc.* Adhuc non sunt illa argumenta soluta, quae fundantur in hac propositione: omnis fides implicita vera sufficit ad hoc, quod habens eã sit catholicus & fidelis. *Magist.* De fide distinguitur. Quod quaedam ponitur fides infusa, quam etiam paruuli baptizati habere dicuntur. Et de hac posset concedi propositio, quam assumis: sed illam habet nullus haereticus nescienter. Alia est fides acquisita, quae est incredulitas quaedam, qua quis absq; dubitatione alicui assertioni adhaeret. Sicut est propositio falsa: quia non omnis fides talis implicita vera sufficit ad hoc, quod habens eam sit catholicus & fidelis. Quamuis enim nullus sit infidelis propter quamcunq; fidem veram, tamen poterit habens vnam fidem veram esse infidelis propter aliam fidem falsam. *Discip.* Nihil modo quantum ad illam materiam: sed indica mihi, quid dicitur ad aliam propositionem: Qui credit totam fidem Christianam esse veram, habet fidem de omni veritate pertinente ad fidem Christianam? *Magist.* Hoc negatur de fide, quae reddit aliquem catholicum, nisi credens totam fidem Christianam, nullam reputet fidem Christianam, nisi quae vere Christiana est.

CAP. V.

In quo tractatur de pertinacia exteriori secundum quam quis potest conuinci iudicio exteriori, ponendo primum modum de eo, qui abiurat facto vel verbo fidem Christianam.

Discipulus. Postquam tecum collationem habui de pertinacia interiori: volo aliquam recipere de pertinacia exteriori, quando scilicet praeter ea, quae apparent exterius, debent catholici aliquem errantem contra fidem tanquam pertinacem habere: & quomodo de pertinacia in iudicio debeat quis conuinci. Inprimis autem cupio scire, an vno modo tantum vel pluribus possit constare errantem aliquem contra fidem esse pertinacem. *Magist.* Plures modi ponuntur, quibus possunt catholici praesumptionem accipere violentam de aliquo, quod est pertinax in errore. *Discip.* Primo tractemus vnum modum, postea alium modum. *Magist.* Primus modus, quo potest quis de pertinacia deprehendi, est, cum in facto vel in verbo monstrat quis se non firmiter credere fidem Christianam esse veram & sanam: puta si dicit fidem esse falsam vel dubiam, vel ad sectam aliam se conuertit, vt puta si facit se circumcidi, vel Mahometum adorat. De tali enim licet cuilibet iudicare, quod pertinaciter errat vel dubitat veritatem, & quod est scienter haereticus manifestus. Et si conuictus fuerit vel confessus in iudicio, quod tale aliquid dixerit vel fecerit, sine vlteriori examine est tanquam pertinax & haereticus condemnandus. *Discip.* Potest ne inueniri casus, in quo possit haereticus de tali haeretica prauitate excusari? *Magist.* Vnus solus casus, quantum ad fidei abnegationem, excipitur, scilicet si metu mortis fidem negauit, dicendo, fidem Christianam esse falsam vel dubiam. Duo vero excipiuntur, quantum ad factum haereticale. Primus est, si quis metu mortis actum haereticalem commiserit: puta si pro morte vitanda quis adorauerit Mahometum. Et isto modo excusabatur Beatus Marcellinus, qui immolando idolis non fuit factus haereticus, licet peccatum mortale commiserit. Secundus casus est si absoluta coactione quis coactus fuerit actum haereticalem committere: in quo casu etiam ab omni peccato excusatur. *Discip.* Vellem scire rationem, quare talis debet statim haereticus & pertinax reputari: cum ita quis possit ambitione & cupiditate tractus facto vel verbo ostendere, se non tenere firmiter fidem Christianam esse veram, quam tamen in mente tenet esse veram, sicut quis potest hoc simulare metu mortis. *Magist.* Ratio assignatur: quia cum quis extra metum mortis aliquid dicit & facit, magis de voluntario habet, quam quando dicit aut facit aliquid metu mortis inductus. Et ideo nulla cupiditas vel ambitio excusat de pertinacia in licito iudicio hominem, quantumcunq; facto vel verbo monstraret se fidem Christianam firmiter tenere. Et eodem modo dicitur, quod nec amor, nec odium, nec aliquid praeter timorem mortis potest quemcunq; in hoc casu excusare, quin sit haereticus reputandus, nisi dicatur quod per grauia illata tormenta vel metum eorum in hoc casu valeat quis excusari. *Discip.* Nunquid modo praedicto est dicendum de omni scienter haeretico. *Magist.* De omni scienter haeretico sunt intelligenda praedicta.

CAP.

Cap. VI.

In quo ponitur secundus modus, quo quis potest de pertinacia conuinci: scilicet de eo, qui negat aliquam partem veteris, aut Noui Testamenti.

DIscipulus. Sufficiat dixisse prædicta de primo modo: dic nunc secundum, quo valeat de pertinacia quis conuinci. *Magist.* Qui dicit aliquam partem Noui vel Veteri Testamenti aliquod falsum asserere, aut non esse recipiendam à catholicis, est hæreticus & pertinax reputandus. Vnde & propter hoc fuerunt Manichei hæretici & iudicati, quia Vetus Testamentum respuerunt, & Nouum Testamentum pro parte solummodo receperunt. *Discip.* Nunquid si aliquis laicus, qui de libro Iosue forte nunquam audiuit fieri mentionem, diceret eundem librum Iosue ad Testamentum Vetus minime pertinere, esset censendus hæreticus? *Magist.* Differentia est inter dicentem aliquam scripturam ad Vetus vel ad Nouum Testamentum minime pertinere: & dicere aliquam partem Veteris Testamenti vel Noui non esse tenendã. Primus sit esset laicus vel illiteratus, non esset statim censendus hæreticus, sed esset diligenter examinandus & etiam informandus. Et si post informationem cõuenientẽ non se corrigeret, esset pertinax reputandus. Si vero est literatus, sciens quos libros Ecclesia reputat esse de integritate Noui & Veteris Testamenti, & tamen hoc non obstante diceret librum Iosue vel alium ad Vetus Testamentum minime pertinere, esset statim hæreticus iudicandus & pertinax, nec esset expectandus, vt se corrigeret, sed statim pro incorrigibili esset habendus. Secundus autem, qui scilicet dicit aliquã partẽ Veteris vel Noui Testamenti non esse recipiendam, vel aliquid falsum asserere, siue literatus siue illiteratus existeret, esset statim iudicandus pertinax, nisi forte fuerit adeo simplex, quod nesciat quid per Nouum & Vetus Testamentum importetur, & seductus ab aliis dicat Nouum vel Vetus Testamentum aut aliam partem recipi non debere: firmiter tamen credens totam fidem esse Ecclesiæ recipiendam. Talis enim non est inter hæreticos computandus, sed per simplicitatem & ignorantiam excusandus. Et de talibus simplicibus ait August. vt habetur 24. q. 3. c. hæreticus: *Ille autem qui huiusmodi hominibus* (scilicet hæreticus) credit, imaginatione veritatis quadam est illusus. Et ideo non videtur, quod debeat pertinax iudicari, nisi credat fidem Ecclesiæ esse falsam, vel alio modo pertinax conuincatur.

Cap. VII.

Mouet dubitationem incidentem circa secundum modum præcedenti capitulo positum, ad quam etiam respondetur. Vbi etiam notatur distinctio de impœnitenti & incorrigibili.

DIscipulus. Circa illum modum de pertinacia conuincendi nolo multum insistere, quia non audeo, ne illi, inter quos modo cõtrouersia vertitur, aliquid tale mutuo sibi imponant, nec aliquis alteri. Vnum tamen retulisti, quod peto declarari: quia forte vtile erit, & ad multa genera hæreticorum applicari poterit, vt videtur. Dixisti namq;, quod si aliquis sciret, quos libros Ecclesia reputat de integritate Noui & Veteris Testamenti, & tamen hoc non obstante diceret, quod aliquis eorum ad Nouum vel Vetus Testamentum minime pertineret, esset statim pertinax & hæreticus iudicandus: nec esset expectandus, an correptus paratus esset se corrigere, sed statim pro incorrigibili esset habendus. De hoc enim vltimo miror, quomodo talis sit statim incorrigibilis reputandus. Qui enim corrigi potest, non est incorrigibilis. Talis autem corrigi potest. Ergo non est incorrigibilis reputandus. *Magist.* Multorum iudicio bene dixisti hoc, quod petis, vtile esse ad multa: quia nonnulli ex declaratione ipsius multa probare conãtur. Dicitur itaq; quod sicut *impœnitens* dupliciter accipitur. Vno modo pro illo, qui pœnitere non potest, alio modo pro illo, qui est in proposito minime pœnitendi: sic *incorrigibilis* dicitur dupliciter. Vno modo ille, qui non potest corrigi. Et talis non est in hac vita, præsertim si non est alienatus à sensu. Aliter dicitur ille *incorrigibilis*, qui est in proposito se nullatenus corrigendi, licet posset corrigi. Et omnis etiam talis incorrigibilis debet pertinax reputari. Vnde talis incorrigibilis vocari potest pertinax, contumax, obstinatus, induratus. Non ergo (sicut accipis) qui corrigi potest, non est incorrigibilis: imo multi sunt incorrigibiles, qui sunt in proposito corrigendi se nullatenus, qui tamen corrigi possunt, & sæpe incorrigibiles corriguntur. Quia de nullo incorrigibili in vita præsenti est penitus desperandum: sicut nec de aliquo impœnitente, quamdiu vixerit, est desperandum.

Cap. VIII.

Ponit tertium modum pertinaciæ de eo, qui credit, seu asserit totam Ecclesiam errare, & ponuntur duæ contrariæ opiniones, quæ probantur capitulo sequenti immediate.

DIscipulus. Dic alium modum, quo de pertinacia debeat quis conuinci. *Magist.* Dicunt nonnulli, quod ille debet pertinax iudicari, qui tenet vniuersalem Ecclesiam errare vel errasse, ex quo cœpit Ecclesia Christiana congregari: licet credat fidem Christianam traditam à Christo & ab

Apostolis in nulla sui parte mendacium continere. Talis enim, vt dicunt, non est examinandus, an paratus sit corrigi, sed eo ipso, quod dicit, est pertinax reputandus. *Discip.* Nunquid omnes Literati sic sentiunt? *Magist.* Quidam tenent contrarium dicentes, quod absq; pertinacia & hæretica prauitate potest quis ex simplicitate & ignorantia dicere, Ecclesiam errare vel errasse. Et ideo dicunt, quod sic est examinandus solicite, an paratus sit corrigi an non. Et si quidem sit paratus corrigi, non est pertinax nec hæreticus iudicandus: si autem corrigi nolit, est inter pertinaces & hæreticos numerandus.

CAP. IX.

Ponit duas opiniones sibi inuicem contrarias in præcedenti capitulo recitatas, & pro illis arguit.

DIscipulus. Quia nonnulli imponunt sanctissimo patri D. Ioann. Pa. 22. quod ipse habet dicere & asserere Ecclesiam errasse (de quo tamen aliquando collocutionem habebo) pro assertionibus contrariis supra dictis allegationes aliquas adducas. *Magist.* Pro prima assertione potest taliter allegari, fides Christiana est fides vniuersalis Ecclesiæ, nec inter fidem Christianam & fidem vniuersalis Ecclesiæ potest aliqua differentia reperiri. Qui ergo dicit, Ecclesiam vniuersalem errare vel errasse, dicit fidem Christianam esse erroneam, & est statim absq; vlteriori examinatione pertinax & hæreticus reputandus. Igitur qui dicit, vniuersalem Ecclesiam errare vel errasse, est statim absq; aliqua examinatione pertinax & hæreticus iudicandus. Pro assertione contraria taliter allegatur. Qui dicit vel tenet aliquam assertionem, cuius contrarium non tenetur explicite credere, non est statim pertinax & hæreticus iudicandus: quia qua ratione potest quis tenere vnam assertionem hæreticalem, cuius cōtrarium non tenetur explicite credere, absq; hoc, quod pertinax & hæreticus iudicetur, eadem ratione, aliam quamcunq; assertionem hæreticalem, cuius contrarium non tenetur explicite credere, potest dicere & tenere, absq; hoc quod statim debeat pertinax & hæreticus iudicari. Sed non quilibet Christianus tenetur explicite credere, quod vniuersalis Ecclesia non errat vel errauit. Ergo quamuis aliquis dixerit, quod Ecclesia vniuersalis errat vel errauit, non est statim pertinax & hæreticus iudicandus, sed examinandus est an paratus sit corrigi. Maior istius rationis videtur esse manifesta. Minor probatur, quia nullus tenetur explicite credere conclusionem, qui nō tenetur explicite credere antecedens, vel præmissas, propter quod vel quas tenetur conclusio. Sed, quod vniuersalis Ecclesia non errat vel errauit, est conclusio, quæ ideo credenda est, quia Christus dicit Matth. vlt. *Vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi:* & quia rogauit pro Petro ne deficeret fides eius. Ista autem, ex quibus infertur, quod vniuersalis Ecclesia non errauit nec errat, multi non tenentur explicite credere: quia multi sunt illiterati, qui verba prædicta nunquam audierunt. Ergo nec tenentur explicite credere, quod Ecclesia vniuersalis non errat nec errauit. Confirmatur hæc ratio: quia si quilibet Christianus tenetur explicite credere Ecclesiam vniuersalem non errare nec errasse; aut ergo tenetur hoc credere, quia in scriptura diuina asseritur; aut quia ad doctrinam pertinet vniuersalis Ecclesiæ; aut quia in doctrina vniuersalis Ecclesiæ vel scriptura diuina continetur; vel quia est ab Ecclesia vniuersali explicite approbatum; vel quia apud omnes catholicos tanquam catholicum diuulgatum extitit. Non propter primum, quia multa in sacra Scriptura asseruntur, quæ non quilibet Christianus tenetur explicite credere: nec propter secundum, per eandem rationem: nec propter tertium vel quartum propter idem: nec propter quintum, quia hæc veritas: Ecclesia vniuersalis non potest errare, non est apud omnes Christianos simplices & alios diuulgata. Multi enim sunt, qui de ea loqui non audierunt omnino. *Discip.* Si hæc ratio procederet, videretur quod diuulgatio apud Christianos esset maioris auctoritatis, quam diuina scriptura: quia propter diuulgationem huiusmodi tenerentur omnes Christiani alicui veritati explicite assentire, cui tamen non tenerentur propter scripturam diuinam explicite adhærere. *Magist.* Ad hoc dicitur, quod diuulgatio apud omnes Christianos non est maioris auctoritatis, quam scriptura diuina: sed est pluribus nota quam scriptura Diuina. Et ideo quod omnes Christiani tenentur credere explicite veritatem apud omnes Christianos & simplices diuulgatam, & non tenentur omnes explicite credere omnes veritates contentas in scriptura Diuina, non est propter maiorem auctoritatem talis diuulgationis, quam scripturæ Diuinæ. Sed quia talis diuulgatio ad notitiam plurium iam peruenit, & per hoc assignatur ratio, quare quisq; tenetur explicite credere fidem Christianam explicite esse veram: quia illa veritas apud omnes diuulgata existit, sicut & illa: fides quam Christus docuit vera est & sana. *Discip.* Dic quomodo respondetur ad rationem pro assertione contraria. *Magist.* Respondetur, quod peccat per fallaciam figuræ dictionis: quia licet eadem sit fides Christiana & fides vniuersalis Ecclesiæ, quando Ecclesia non errat, tamen secundum istos vniuersalis Ecclesia consignat vel significat Christianos in recto, quos taliter non signat fides Christiana. Et ideo, vt dicunt, non sequitur: quilibet Christianus tenetur explicite credere fidem Christianam esse veram: ergo tenetur credere explicite Ecclesiam vniuersalem non errare nec errasse. *Discip.* Non diffundas te ad illa quæ ad rationalem spectat scientiam: sed dic, quomodo ad rationē in contrarium respondetur. *Magist.* Ad rationem illā dicitur, quod quandoq; magis tenetur quis credere explicite conclusionem, quam præmissas ex quibus infertur: propter hoc, quod conclusio magis quam præmissæ apud Catholicos diuulgatur. Ita est de illa: Ecclesia vniuersalis non errat nec errauit. Hæc enim sub istis verbis vel æquipollentibus apud omnes catholicos diuulgatur. Quilibet enim Christianus putat illā esse vniuersalē Ecclesiā, quæ secū in fide concordat

Et

Et ideo sicut quilibet credit explicite se tenere verã fidem & non falsam: ita quilibet credit explicite vniuersalem Ecclesiã seruare verã & catholicã fidẽ & non falsam fidẽ. Quare sicut illa fides Christiana est vera fides, est apud Christianos diuulgata, (& ideo tenetur eã quilibet explicite credere) ita, fides vniuersalis ecclesiæ est vera fides, est apud Christianos diuulgata. Quare quilibet Christianus tenetur eam explicite credere. Et ideo quicunque illam negat, est statim sine maiori examinatione pertinax & hæreticus reputandus. *Discip.* Isti videntur distinguere inter vniuersalem ecclesiam & multitudinem Christianorum. Nunquid ergo concedunt, quod quilibet tenetur explicite credere, quod multitudo vel maior pars Christianorum non errat, nec errauit in fide? *Magist.* Respondetur, quod non est necessarium credere implicite nec explicite multitudinem Christianorum non errare nec errasse in fide, nec maiorem partem, pro eo quod fides catholica in paucis potest seruari: imo nonnulli dicunt, quod in vno solo posset consistere, quia propter vnum solum posset saluari, etiam quicquid Christus promisit Apostolis de fide catholica vsque ad finem seculi datura.

CAP. X.

Ponit quartum modum pertinaciæ de eo, qui assertionem catholicam apud eos, cum quibus moratur, diuulgatam, compos quidem rationis illam negat, aut oppositam asserit, & quod talis sit pertinax probatur tribus rationibus.

Discipulus. Nunquid est adhuc alius modus, quo de pertinacia valet quis conuinci? *Magist.* Quartus modus secundum nonnullos, quo statim aliquis pertinax & hæreticus iudicatur, est. Si quis Christianus capax rationis & maxime intelligens, neget quamcunque assertionem catholicam, quæ apud omnes catholicos & fideles, cum quibus conuersatur, tanquam catholica diuulgatur & à prædicantibus verba Dei publice prædicatur. Sicut apud omnes catholicos publice diuulgatur, quod Christus fuit crucifixus. Vnde in omni ecclesia ostenditur crucifixus, & prædicantes verbum Dei hoc publice nuntiant & affirmant. Et ideo si quis inter Christianos nutritus negaret Christum esse crucifixum, esset statim pertinax & hæreticus iudicandus. Et quanto magis esset inter Christianos conuersatus, & plures intrasset ecclesias, & verbum Dei à pluribus audiuisset, & maiorem literaturam in sacra pagina & iure canonico haberet, tanto fortius esset statim pertinax & hæreticus iudicandus. *Discip.* Quia quidam (vt scis) putant ista de causa sanctissimum patrem do. I. Papam esse hæreticũ, pro eo, videlicet quod negat animas reproborum esse in inferno, & animas sanctorum in cœlo non videre Deum, & Dæmones non puniri, quas dicunt esse veritates catholicas apud omnes catholicos diuulgatas. Vnde etiam dicunt, quod quamuis sermones suos nequaquam bullauerit, tamen est hæreticus & pertinax iudicandus, peto quod prædictum modum de pertinacia conuincendi fortioribus allegationibus munire coneris, vt materiam habeam cogitandi, quomodo ad illas & alias pro defensionem Domini nostri summi pontificis valeam respondere. *Magist.* Quia negans aliquam assertionem catholicam apud omnes catholicos diuulgatam, vt statim absque examinatione vel discussione inter pertinaces & hæreticos sit computandus, ostenditur primo sic. Sicut nulli licet ignorare ea, quæ publice fiunt, secundum quod ex sacris canonibus colligitur euidenter. *dist. 16. quod dictis & 12. q. 3. qui habuistis*: sic non licet ignorare ea quæ publice diuulgantur, nuntiantur & tanquam catholica prædicantur. Qui autem negat assertionem catholicam, quam sibi ignorare non licet, est pertinax & hæreticus iudicandus. Ergo qui negat assertionem catholicam tam publice scilicet apud omnes catholicos diuulgatam, statim pertinax & hæreticus iudicandus est. Secundo sic negans assertionem catholicam apud omnes catholicos diuulgatam non potest per simplicitatem, & ignorantiam excusari, quod non per simplicitatem patet: quia ponitur, quod talis negans est capax rationis & intelligens. Si enim careret vsu rationis, vel esset alienatus à sensu, bene excusaretur. Sed intelligens & instructus per simplicitatem excusari non potest. Nec potest per ignorantiam excusari: quia ignorantia iuris diuini apud omnes promulgati non excusat: sicut nec ignorantia iuris naturalis non excusat, secundum quod legitur in decretis *1. q. § 4. & notandum.* Si ergo assertio negata sit apud omnes catholicos promulgata, negans eam nequit de pertinacia & prauitate hæretica excusari. *Discip.* Quid si in rei veritate ignoret talem assertionem ad fidem catholicam pertinere: nunquid apud Deum excusaretur, si absque pertinacia eam negaret? *Magist.* Respondetur quod apud Deum excusaretur, & etiam apud ecclesiam, si probare valeret se ignorasse assertionem negatam apud catholicos esse tanquam catholicam diuulgatam. Sicut si quis inter aliquos Christianos in aliqua vna domo semper fuisset à pueritia nutritus, licet postea diceret ex ignorantia Christum non fuisse crucifixum, & non pertinaciter adhæreat, eum non deberet ecclesia pertinacem & hæreticum reputare, si omnes, cum quibus fuerat conuersatus, testimonium perhibent, quod nunquam aliquis eorum de crucifixione Christi sibi fuisset locutus. *Discip.* Circa tales casus, qui forte nunquã euenerunt, minime te dilates. Sed loquamur de illis Christianis, qui cũ Christianis cõmuniter cõuersantur, ecclesias intrant, & de his quæ ad fidẽ pertinent Christianã sæpe audiunt conferentes. Et de talibus adhuc proba, si valeas, quod negantes assertionem catholicam apud omnes catholicos diuulgatã statim sunt pertinaces & hæretici iudicandi. *Magist.* Tertio hoc probatur sic. Qui negat assertionem

catholicam, quam debet & tenetur simpliciter & explicite credere, est pertinax & hæreticus reputandus. Sed quilibet Christianus tenetur explicite credere omnem assertionem catholicam apud omnes catholicos diuulgatam. Ergo quicunq; negat talem assertionem, est tanquam pertinax & hæreticus iudicandus. Maior ex descriptione pertinacis patet. *Quia pertinax est, qui persistit in eo quod debet dimittere.* Talis est autem, qui negat assertionem catholicam, quam tenetur explicite credere: quia ex quo tenetur eam explicite credere, tenetur negationem eius dimittere: Ergo si negat, est pertinax. Minor probatur. Quia si aliquis tenetur aliquam assertionem catholicam explicite credere, aut ad hoc tenetur quod talis assertio est apud omnes catholicos tanquam catholica diuulgata: aut quia sic patenter ostenditur per scripturam diuinam, vel doctrinam seu determinationem vniuersalis ecclesiæ, quod catholica est censenda. Si detur primum, habetur intentum. Quia quilibet Christianus tenetur explicite credere omnem assertionem catholicam, quam scit apud catholicos pro catholica diuulgatam. Quod si dicat se ignorare, oportet eũ, si debet apud ecclesiam excusari, hoc probare. Secundum non potest dari: quia tunc nullus teneretur explicite Christum natum de virgine vel crucifixum credere, nec aliquem alium articulum fidei, antequam sibi per scripturam diuinam probaretur. Et ita quilibet laicus posset impune negare omnem articulũ fidei, quousq; sibi per librum ostenderetur, talem articulum fidei in Biblia contineri. Confirmatur hæc ratio: quia qui negat fidem Christianam esse veram, vel sectam Sarracenorum non esse falsam & malam, est statim pertinax & hæreticus iudicandus. Sed hoc non est, nisi quia apud omnes catholicos diuulgatur, tanquam catholicum, quod fides Christiana est vera fides, & quod fides Sarracenorum est falsa fides. Ergo per eandem rationem, qui negat quamcunque assertionem catholicam apud omnes catholicos diuulgatam, est statim pertinax & hæreticus iudicandus: nec potest apud ecclesiam aliter excusari, nisi probet se ignorasse assertionem negatam esse taliter diuulgatam.

CAP. XI.

Arguit contra modum quartum pertinaciæ præcedenti cap. assignatum, excusando Papam I[redacted]*.* 22.

DIscipulus. Allega in contrarium. *Magist.* Negans veritatem catholicam, de qua nescitur, an per regulam fidei, scil. per scripturam, paratus sit corrigi, non est pertinax iudicandus. Hoc patet auctoritate Aug. superius allegata, quæ ponitur *24. q. 3. dixit Apostolus.* Hoc dicit Gloss. 17. dist. I. c. *nec licuit: Eo ipso, quo quis errat, non dicitur hæreticus, si paratus est corrigi.* Sed possibile est aliquem negare assertionem catholicam apud catholicos diuulgatam, quamuis nesciatur, an paratus sit corrigi per regulam fidei, scilicet per scripturam sacram. Potest enim quis talem assertionem negare, & tamen offerre se paratum corrigi, si sibi ostendatur, quod dicta assertio in sacra pagina vel in determinatione ecclesiæ continetur. Ergo talis non est statim pertinax & hæreticus iudicandus; Sed examinandus est an paratus sit corrigi. *Discip.* Ista allegatio videtur fortis, & sufficienter Dominum Papam excusat, etiam esto quod erret. *Magist.* Alii reputant dictam allegationem nullam, quia ex ipsa sequeretur, sicut tactum est prius, quod cuilibet Christiano negare liceret Christum esse verum hominem, vel fuisse crucifixum. Posset enim dicere absque pertinacia per assertionem istã, nego Christum fuisse crucifixum, tamen paratus sum corrigi, si mihi per scripturam sacram vel determinationem ecclesiæ ostendatur Christum fuisse crucifixum. *Discip.* Quare non potest talis excusari, ex quo paratus est corrigi? *Magist.* Ideo secundum multos talis excusari non debet, quia esto quod esset possibile, quod aliquis talis esset paratus corrigi, tamen contra talem (quantumcunque dicat se paratum corrigi) est de pertinacia tam violenta præsumptio, ex quo non ignorat assertionem negatam esse tam publice prædicatam & assertam per ecclesiam, quod non est sibi credendum, cum dicit se paratum corrigi. Dictis enim talium est fides nullatenus adhibenda. Hinc de tali negante assertionem catholicam publice prædicatam, dicit Stephanus Papa, vt habetur extra, de hære. cap. I. *Nec eis omnino credendum est qui se lem veritatis ignorant.* Talibus cum contra Christianos testificari nituntur, nec (cum testimonium perhibent de seipsis) est omnino credendum. Quare quamuis se dicant paratos corrigi, sunt pertinaces & hæretici reputandi.

CAP. XII.

Quo ponitur quintus modus pertinaciæ, de eo, in quo præsumitur, quod neget aliquod contentum in sacra scriptura, quod scit ibi contineri, vbi etiam notatur quod violenta præsumptio sufficit ad sententiam diffinitiuam.

DIscipulus. Si est alius modus errantem contra fidem de pertinacia conuincendi paratus sum audire. *Magist.* Dicunt nonnulli, quod ille est statim pertinax & hæreticus iudicandus, de quo est violenta præsumptio, quod negat aliquam assertionem, quam scit in scriptura diuina vel determinatione ecclesiæ contineri. Puta si probari potest, quod prius assertionem, quam negat, legerit cum intellectu in scriptura diuina vel determinatione ecclesiæ, probari potest quod prius eandem assertionem, quam negat, ex intentione docuerat vel etiam asseruerat publice vel occulte. De tali enim

enim si non est probabile, quod oblitus fuerit illius quod didicerat, est præsumptio violenta, q̃ scienter negat catholicam veritatem. Et per consequens pertinax & hæreticus est censendus. *Discip.* De illo modo ponamus exemplum. *Magist.* Sunt nonnulli, qui de multis modernis pónunt exemplum, de omnibus videlicet illis, qui prius docuerunt Christum & Apostolos nullius rei proprietatem habuisse, dicentes quod hæc veritas ex scriptura diuina & determinatione ecclesiæ manifeste accipitur, & postea veritatem negauerũt eandem. Cum non sit probabile, quod scripturæ diuinæ & eiusdem determinationis Ecclesiæ sint obliti, propter quod dicunt pertinaces illos & hæreticos esse censendos. *Discip.* Istud exemplum tangit doctrinam sanctissimi patris Domini Iohan. 22. de quo alias tecum exquisite tractabo: ideo illo exemplo dimisso, proba si potes, quod negantes catholicam veritatem, quam prius reputauerunt catholicam, statim absque maiori examinatione pertinaces & hæretici sunt censendi. *Magist.* Hoc probatur primo sic. Qui scienter negat catholicam veritatem, est pertinax hæreticus reputandus. Sed talis scienter negat catholicam veritatem. Non enim potest se per ignorantiam excusare, cum prius didicerit eandem veritatem ad fidem catholicam pertinere, si non est oblitus eorum quæ didicit. Ergo ex quo negat veritatem, quam prius didicerat & tenuerat, est pertinax & hæreticus reputandus. Secundo sic. Omnis apostata in catholica veritate, est pertinax & hæreticus reputandus: quia talis est apostata à fide. Apostata autem à fide inter hæreticos computatur: sed negans catholicam veritatem, quam prius catholicam reputauit, est apostata à catholica veritate: quia talis abiicit catholicam veritatem. Ergo est pertinax & hæreticus iudicandus. Maior videtur certa. Minor probatur: quia qui negat catholicam veritatem, quam prius agnouit esse catholicam, est peior infideli, qui nunquam nouit veritatem catholicam, teste Innoc. tertio, qui, vt habetur *extra, de Apostatu. c. quidam*, ait: *cum minus malum existat viam Domini non agnoscere quam post agnitionem retroire.* Hinc beatus Petrus canonica sua 2. cap. 2. *melius enim est* (vel, *erat*) *eis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum reuerti.* Veritas autem catholica est via illa iustitiæ. Ergo maius malum est post agnitam veritatem catholicam retroire, quam nunquam ipsam agnouisse. Sed hoc non esset maius malum, nisi ratione deterioris infidelitatis. Ergo qui negat catholicam veritatem, quam prius nouit esse catholicam, infidelis est: & per consequens pertinax & hæreticus est censendus. *Discip.* Videtur quod illæ rationes non concludant. Tum quia potest quis negare veritatem catholicam, quam prius putauit catholicam, quamuis non nouerit eam esse catholicam. Rationes autem prædictæ videntur procedere de eo, qui negat veritatem catholicam, quamuis non solum putauit, sed etiam agnouit eam esse catholicam. Secundo, quia talis potest esse paratus corrigi: immo potest offerre se paratum corrigi. Ergo licet erret, non est inter hæreticos computandus. *Magist.* Istæ duæ instantiæ per idem videntur excludi, per hoc scilicet quod non est tali in hoc casu credendum, siue dicat quod hoc prius putauerit, non tamen agnouit veritatem, quam modo negat esse catholicam siue dicat se paratum corrigi. Quod enim in primo dicto sibi non credatur, ostenditur, quia illi, qui inuenitur sibiipsi esse contrarius, non est credendum, saltem secundo dicto ipsius, teste Innocent. tertio, qui, vt habetur extra de probationibus cap. *per tuas*, ait: *Cum nimis indignum sit iuxta legitimas sanctiones, vt quod suo quisq; voto dilucidum protestatus est, eundem casum proprio testimonio valeat infirmare.* Gloss. extra de præsumptionibus, cap. *literas*, notat, dicens, *hoc est, notabile, quod semper standum est pro dicto alicuius, si postea contrarium dicat, etiam in alio iudicio. supr. de testi. cum in tua, & etiam extra iudicium supr. de probationibus, per tuas.* Ex his aliisque quamplurimis patet, quod qui inuenitur sibiipsi contrarius, non est credendum secundo dicto eius. Sed qui negat catholicam veritatem, inuenitur sibiipsi contrarius: quia dum putauerit dictam veritatem esse catholicam, dixit aut verbo, vel facto innuit se agnoscere illam veritatem esse catholicam. Ergo si postea dicat se non agnouisse dictam veritatem esse catholiccam, non est sibi credendum. Et per consequens per hoc excusari non potest, quin sit modò pertinax & hæreticus reputandus. Secunda vero instantia, quod etiam non valeat, si dicat se paratum corrigi, ostenditur sic. Nulli erranti est credendum, quod sit paratus corrigi, nisi quando putatur ignoranter à veritate catholica deuiare. Sed ille non præsumitur ignoranter à veritate aliqua, quæ est catholica, deuiare; sed præsumendum est, quod à fundamento, propter quod assertioni priori adhæserit, omnino recessit. Fundamentum autem, propter quod tali assertioni adhæsit, est sacra scriptura vel doctrina ecclesiæ. Ergo præsumendum, quod nunc reputat scripturam sacram vel doctrinam ecclesiæ esse falsam. Sicut illi, qui postponunt doctrinam traditam in decretali Nicolai tertii, quæ incipit: *exiit qui seminat*, putauerunt, tenuerunt ac docuerunt, quod Christus & Apostoli omnem proprietatem temporalium abdicarunt: & modo tenent assertionem contrariam, reputant doctrinam traditam in decretali prædicta, *exiit*, esse falsam. Et si dicerent, se putare eandem doctrinam esse veram, non esset eis credendum: quia sibiipsis contrarii probarentur. Præsumendum est ergo, quod negans catholicam veritatem, quam primo asseruit esse catholicam, non reputat sacram scripturam vel doctrinam ecclesiæ esse veram. Tali autem non est credendum, quantumcunque dicat se paratum corrigi. Ergo & neganti veritatem catholicam, quam primo habuit pro catholica, non est credendum, quamuis dicat se paratum corrigi: & per consequens inter pertinaces & hæreticos est censendus. Et ita stant insolutæ rationes priores. *Discip.* Ista tantummodo probant, quod talis præsumitur pertinax & hæretieus. Propter præsumptionem autem non est aliquis dãnandus, nec grauiter puniendus. *Magist.* Sæpe ꝓpter solã præsumptionme violentam sententia

etiam

etiam diffinitiua perfertur. Vnde & Salomon legitur *3. Reg. 3.* contendentibus duabus mulieribus coram eo pro puero, ex sola præsumptione diffinitiuam dedisse sententiam. Sic dicunt quidam in proposito, quod ex præsumptione violenta negans veritatem catholicam, quam prius asseruerat esse catholicam, est damnandus, & tanquam hæreticus puniendus.

CAP. XIII.

Ponit duos alios modos pertinaciæ, de eo scilicet, qui scienter negat doctrinam sanctorum: & de eo qui legitime correptus suum errorem reuocare negligit.

DIscipulus. Ad alios modos conuincendi errantes de pertinacia & hæretica prauitate procede. *Magist.* Alius modus de pertinacia conuincendi dicitur esse, cum quis scienter negat doctrinam sanctorum. Quidam enim affirmant, quod talis est statim pertinax & hæreticus iudicandus. Aliis dicentibus, quod talis, licet corrigi nolit, non est pertinax nec hæreticus reputandus. *Discip.* Hæc difficultas dependet ex alia, quam supra tractauimus, an scil. tenere assertiones sanctorum sit necessarium ad salutem. Ideo circa illam hic noli insistere, sed ad alium modum (de pertinacia quempiam conuincendi) festina. *Magist.* Ille de pertinacia conuincitur, qui correptus legitime se non corrigit, nec emendat, suam scilicet hæresim reuocando. Hoc scil. ex verbis Augustin. superius allegatis quæ ponuntur, *28. quæst. 3. c. qui in ecclesia*, colligitur euidenter. Quod etiam talis sit pertinax iudicandus, probatur aperte, quia qui non est paratus corrigi, debet pertinax iudicari. Qui autem correptus legitime hæresim suam non reuocat, non est paratus corrigi. Ergo talis est pertinax reputandus. *Discip.* Quia illum modum de pertinacia conuincendi sæpe audiui; & alii sunt mihi omnino noui, cupio illum modum exquisitius pertractari. Duo autem peto circa hunc modum discutias; ad quem videlicet spectat errantem corrigere. Et qualis debet esse illa correctio, quæ est legitima & sufficiens reputanda. *Magist.* Videndum primo de correctione: secundo de corripiente. *Discip.* Tene ordinem in procedendo, quem vis. *Magist.* Quantum ad correctorem, dicitur, quod illa sola correctio censenda est sufficiens & legitima reputanda, qua aperte erranti ostenditur, quod assertio sua catholicæ obuiat veritati, ita quod iudicio intelligentium nulla posset tergiuersatione negare, quin sibi sit sufficienter & aperte ostensum, quod error suus catholicæ veritati repugnat. Verbi gratia: si quis ex ignorantia Euangelii textum ignorans diceret, sicut quidam in Auinione publice prædicauit (vt fertur) quod milites fregerunt crura Christi. Et sibi per textum Euangelii Iohan. 19. vbi sic legitur: *Venerunt ergo milites & primi quidem fregerunt crura & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.* ostenderetur contrarium. Ista correctio deberet sufficiens reputari: quia iudicio cuiuslibet intelligentis talis nulla posset euadendo tergiuersatione negare, quin esset sibi aperte probatum, quod assertio sua euangelicæ obuiat veritati. Si quis etiam ex ignorantia dogmatizaret duas personas, sicut duas substantias, fuisse in Christo, sibi per textum synodi Ephesinæ ostenderetur, quod hoc est hæresis Nestorii per eandem synodum condemnata, nulla posset tergiuersatione negare, quod non esset sibi aperte probatum, quod assertio sua esset hæresis condemnata: & per consequens, quod veritati catholicæ aduersatur. Et ideo talis correctio esset sufficiens & legitima reputanda. Secundo videndum de corripiente: de quo distinguitur. Quidam corripiunt increpando, & pœna debita puniendo, quidam charitatiue monendo, & errorem tantummodo reprobando. Primus modus pertinet ad prælatos & iurisdictionem habentes: Secundus modus pertinet ad quemlibet Christianum.

CAP. XIV.

In quo tractatur specialiter de eo qui correptus à suo prælato de errore, an teneatur illum immediate reuocare, quanquam sibi non fuerit patenter ostensum, quod suus error contradicat catholicæ veritati. Et respondetur, quod non, secundum vnam opinionem, & probatur duabus rationibus.

DIscipulus. Ex quo intelligo quæ est correptio sufficiens & legitima reputanda secundum multos, & distinctionem de corripiente errantem considero. Cupio scire an omnes sciant literati, quod errans correptus à prælato suo vel habente iurisdictionem super ipsum teneatur errorem suum reuocare, licet non fuerit sibi patenter ostensum per eundem, quod error suus catholicæ obuiat veritati, vtrum scilicet ad solam monitionem vel increpationem prælati sui errorem suum debeat reuocare. *Magist.* De hoc diuersimode opinantur Doctores. Dicunt enim nonnulli, quod nullus correptus à prælato iurisdictionem habente tenetur errorem reuocare, antequam fuerit sibi patenter ostensum modo prædicto, quod error suus est contrarius veritati. Hoc probant primo sic. Illi, qui in expositione scripturæ diuinæ, & per consequens in traditione eorum, quæ ad fidem pertinent orthodoxam, præferuntur prælatis & iurisdictionem habentibus, non tenentur nec debent, si errauerint ignoranter, opiniones suas tanquam hæreticas (licet sint in rei veritate erroneæ) reuocare, quamuis correpti fuerint à prælatis vel aliis; nisi eis patenter fuerit ostensum, quod opiniones suæ veritati obuiant orthodoxæ. Quia qui maioris auctoritatis est in aliquo, nequaquam in hoc minori subiici-

subiicitur. Ergo qui præferuntur prælatis in expositione scripturæ diuinæ, non subiiciuntur eis in hoc: sed Doctores & tractatores scripturæ diuinæ præferuntur prælatis & iurisdictionem habentibus in expositione scripturæ diuinæ: & per consequens in traditione illorum ad fidem pertinent orthodoxam. Ergo doctores non tenentur opiniones suas, licet sint erroneæ, reuocare, si fuerint à prælatis correpti, nisi probatum fuerit eis euidenter, quod eorum opiniones obuiant veritati. Maior est certa. Et minor probatur primo auctoritate Gratiani in decretis dist. 20. c. 1. quæ ait: *aliud est causis terminum imponere, aliud scripturas sanctas diligenter exponere, & ita patet, quod diuinarum scripturarum tractatores, si scientia pontificibus præmineant, licet dignitatis eorum apicem non sunt adepti, in sacrarum literarum expositionibus eis præponuntur, in causis vero diffiniendis secundum post eos locum merentur.* Ex his patenter habetur, quod doctores in expositionibus scripturæ pontificibus præferũtur. Quod etiam ratione eiusdem Gratiani ostenditur, quam ponit sub his verbis: *quia quicunque maiori ratione vtitur, eo maioris auctoritatis eius verba esse videntur. Plurimi autē tractatores (quia sunt pleniori gratia spiritus sancti & ampliori scientia aliis præcellentes) rationi magis adhæsisse probantur. Vnde nonnullorum pontificũ constitutis Augustini, Hieronymi, atque aliorum tractatorum dicta videntur esse præferenda.* His verbis ostenditur, quod in his, quæ ad fidem pertinent, Doctores sunt pontificibus præferendi. Et ita, nisi fuerint ab eis correpti legitime modo præexposito, non tenentur opiniones suas, si fuerint erroneæ, reuocare. *Discip.* Ista ratio videtur dupliciter deficere. Primo, quia Grat. loquitur de doctoribus ab ecclesia approbatis: sic de Augustino, Hieronymo, & aliis non modernis similibus doctoribus. Et ideo licet illi sancti sint in expositionibus scripturarum, pontificibus præponendi: Doctores tamen moderni temporis episcopis & inquisitoribus hæreticæ prauitatis præferri non debent. Secundo videtur deficere: quia non sequitur, Doctores non debent suas opiniones ad correptionem iurisdictionem habentibus reuocare, nisi modo prædicto fuerunt correpti legitime. Ergo alii simplices correcti à prælatis, non debent reuocare suos errores, nisi fuerint sæpe dicto modo correcti legitime. *Magist.* Ad illas instantias, vt appatet ex prædictis, est facile respondere. Ad primam dicunt, quod Grat. non loquitur solummodo de doctoribus ab ecclesia approbatis, sed etiam loquitur de aliis, sicut etiam loquitur de aliis pontificibus quam de illis, qui fuerunt temporibus doctorum, qui nunc sunt ab ecclesia approbati. Comparat enim in genere statum doctorum ad statum pontificum. Et ideo sicut antiquitus Doctores in traditione eorum, quæ spectant ad fidem, fuerunt pontificibus præferendi: ita & nunc sunt Doctores modernis pontificibus præferendi, dum modo sint Doctores propter scientiam excellentem & vitam laudabilem, & non propter munera & preces violentas vel fauores humanos ad magisterium sublimati. Vnde, vt suam intentionem aperte declarent, dicunt, quod Gratianus non loquitur de Doctoribus, prout his diebus nomen *Doctoris* accipitur, sed loquitur de intelligentibus scripturæ diuinæ tractatoribus, siue Magistri, siue Discipuli appellentur. Multi enim, qui vocantur Discipuli, in expositione scripturæ diuinæ sunt præferendi Magistris: & ideo sunt etiam pontificibus in huiusmodi præferendi. Vnde & ratio Gratiani ita concludit de eruditis modernis: sicut de antiquis tractatoribus scripturarum. Quia eruditi his temporibus scientia ampliori præcellunt. Ergo in huiusmodi sunt episcopis & inquisitoribus illiteratis & simplicibus præferendi. Ad secundam tuam instantiam dicunt: quod qua ratione periti correpti à prælatis vel iurisdictionem habentibus non tenentur suas opiniones reuocare, nisi legitime fuerint ab eis modo memorato correpti: eadem ratione nec simplices peritorum sequaces tenentur opiniones, quas de peritioribus acceperunt, aliqualiter reuocare, nisi fuerint correpti legitime. Ex quo sequitur, quod etiam alii simplices non tenentur (nisi correpti legitime) suas opiniones erroneas reuocare: quia omnes simplices consilii iure censeri videntur.

CAP. XV.

In quo ponuntur tres aliæ rationes, probantes eandem positionem, c. 14. assignatam.

Discipulus. Si habes rationes plures pro conclusione præfata, illas adducas. *Magist.* Eadem conclusio sic probatur. Qui in his, quæ fidei sunt, non tenetur alteri fidem indubiam exhibere, non tenetur ad solam assertionem eius vel monitionem, aut increpationem, opinionem erroneam reuocare: quia qui opinionem erroneam reuocat, debet assertionem contrariam firma fide tenere: & eadem ratione veritati catholicæ firmiter adhærere, & falsitati contrariæ dissentire. Sed subditi in his, quæ fidei sunt, non tenentur prælatis suis fidem indubiam adhibere: Tum quia tunc fides subditorum in sapientia hominũ consisteret: Tum quia prælati tam ex simplicitate vel ignorantia, quam ex pertinacia possunt contra fidem errare. Ergo ad solam assertionem eorum vel monitionem vel increpationem non tenentur subditi suas opiniones erroneas reuocare: Sed si reuocare tenentur, oportet quod prælati per regulam fidei eis patenter ostendant, quod opiniones suæ fidei obuiant orthodoxæ. Tertio sic. Ad correptionem illius, quod debet esse paratus ad satisfactionem poscenti rationem de fide, non tenetur quis opinionem suam erroneam reuocare, nisi idem rationem reddiderit, quod talis opinio est tanquam erronea reuocanda. Quia si aliquis absque reddita ratione teneretur opinionem suam tanquam erroneam reuocare, alius non teneretur de opinione reuocanda reddere rationem. Sed prælati corripientes subditos de erroribus contra fidem debent esse parati ad satisfactionem poscenti rationem de

de fide, & per consequens, debent esse parat ad satisfactionem poscenti rationem de his reuocandis, quæ dicuntur fidei aduersari, teste beato Petro, qui *canonica sua prima* cap. 3. scribens prælatis singulariter ait: *Dominum autem Christum sentite in cordibus vestris parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea qua in vobis est fide.* Ergo subditi non tenentur opiniones suas erroneas contra veritatem catholicam reuocare propter correptionem prælatorum quamcunque, nisi fuerit legitima correptio modo supradicto. Quarto sic: Subditi non tenentur in illo casu ad correptionem prælatorum opiniones, quas ignorant esse erroneas, reuocare: in quo casu licitum est eis à prælatorum sententia appellare: quia cui licet licite ab aliqua sententia appellare, non tenetur eidem sententiæ obedire. Sed à prælato corripiente aliquem de errore, & non monstrante per regulam fidei, quod dictus error veritati repugnat, licet appellare. Ergo propter talem correptionem non tenetur quis opinionem, quam nescit esse erroneam, reuocare. Maior per sacros canones aperte probatur. Ait enim Victor, vt habetur 2. q. 6. c. *si quis putauerit se à proprio metropolitano grauari, apud primatem diœceseos aut penes vniuersalis ecclesiæ apostolicæ sedem iudicetur.* Ex quibus verbis colligitur, quod si quis putauerit se à prælato de errore inique correptum, sibi licet appellare. Quod etiam multis aliis sacris canonibus posset copiose probari sed causa breuitatis pertranseo. *Discip.* Per illam rationem probatur, quod correptus legitime de errore, non tenetur suum errorem reuocare, quia licet sibi appellare. *Magist.* Ad hoc respondetur, quod correptus legitime à prælato de errore, si appellat frustratorie aut friuole, puniri debet per ecclesiam: quinetiam apud Deum peccat, qui videlicet quoquomodo maliciose (ex quo est legitime correptus) appellat. *Discip.* Vna obiectio, quæ totum processum prædictum videtur infringere, mihi occurrit. Nam cum dicunt isti, quod correptus legitime à prælato tenetur errorem reuocare, & aliter non quæritur ab eis, quia aut errans tenet hæresim damnatam explicite, aut tenet errorem damnatum duntaxat implicite. Si tenet hæresim damnatam explicite, eam statim reuocare tenetur, alioquin poterit eum suus prælatus debitæ subdere vltioni. Si autem tenet hæresim damnatam implicite duntaxat, non tenetur eam pro quacunq; correctione prælati inferioris summo pontifice reuocare. *Magist.* Ad hoc respondet, quod non tenetur aliquis statim reuocare hæresim damnatam explicite, quando ignorat eam damnatam esse explicite. Sed si sibi ostenditur, quod est damnata explicite, statim eam reuocare tenetur. Cum vero dicis, quod prælatus potest talem errantem debitæ subdere vltioni, verum est ordinem debitum conseruando: puta vt primo per regulam fidei ostendat erranti, quod error suus catholicæ obuiat veritati. Et si tunc errorem nequaquam reuocauerit, ipsum pœna digna compellat.

CAP. XVI.

In quo ponitur opinio contraria, seu arguitur contra dictum opinionis cap. 14. positam, & hoc tribus rationibus, ad quas respondetur cap. 18. huius.

Discipulus. Miror quod isti dicunt, tenentem hæresim damnatam explicite non debere statim (quamuis correptus fuerit à prælato) eandem hæresim reuocare. Hoc enim scripturæ diuinæ sacris canonibus, consuetudini ecclesiæ, & rationi repugnare videtur. Quod enim scripturæ diuinæ repugnet probatur. Nam omnis hæreticus tenetur hæresim suam reuocare. Qui autem tenet hæresim damnatam explicite, est hæreticus. Ergo talis statim tenetur de necessitate salutis hæresim reuocare. Maior est manifesta: quia qui non tenetur hæresim suam reuocare, non tenetur eam dimittere: & per consequens non peccat mortaliter, saltem tali heresi adhærendo: ex quo sequitur, quod non est hæreticus. Minor probatur, quia magis est hæreticus reputandus, qui tenet hæresim damnatam explicite, quam qui non tenet doctrinam catholicam. Sed qui non tenet doctrinam catholicam, est hæreticus, quia vitandus, teste beato Iohanne, qui in canonica sua ita ait: *si quis venit ad vos & doctrinam suam non aufert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dicatis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus illius malignis.* Ex quibus verbis patet, quod qui non tenet doctrinam catholicam, est à fidelibus vitandus. Ergo & qui tenet hæresim damnatam explicite, est vitandus. Sed nullus propter hæresim, antequam sit hæreticus, est vitandus. Ergo qui tenet hæresim damnatam explicite, est hæreticus. Item quod dicta assertio sacris canonibus aduersetur, ostenditur. Ait enim Gelasius Papa, vt habetur 24. q. 1. c. 1. *Quicunq; in hæresim semel damnatam labitur, eius damnatione seipsum inuoluit.* Ex quibus verbis clare colligitur, quod qui lapsus fuerit in hæresim damnatam, explicite, est damnatus. Quod etiam idem Gelasius eisdem cap. & q. c. *maiores*, & Felix Papa c. Achatius, attestantur aperte, sed damnatus propter hæresim est hæreticus. Ergo lapsus in hæresim damnatam explicite, est hæreticus. Hæreticus autem tenetur statim hæresim suam reuocare. Ergo tenens hæresim damnatam explicite, tenetur eam statim reuocare. Hoc etiam per consuetudinem ecclesiæ declaratur. Nam inquisitores hæreticæ prauitatis conuictum quecunque, qui tenuerit hæresim damnatam explicite, statim contra ipsum, sicut contra hæreticum manifestum procedunt, & reputant hæreticum, quamuis paratus sit corrigi. Si autem hæreticus sit, tenetur suam hæresim reuocare. Ergo &c. Hoc etiam ratione probatur. Nam si tenens hæresim damnatam explicite, non tenetur statim suam hæresim reuocare, hoc non est, nisi quia se valet per ignorantiam excusare dicendo, quod talem assertionem esse explicite condemnatam nescit. Sed talis ignorantia non excusat. Tum quia ignorantia iuris non excusat, vt habetur *1. q. 4. §. & notandum*: Tum quia constitutio apostolicæ sedis omnes astringit, postquã publicata est, nec aliquis post duos menses valeret se per ignorantiã excusare,

sare, vt habetur *extra de constitut. cap. vltimo*, & notat Gloss. *4. c. t. super cap. cognoscentes*. Ergo consimiliter damnatio explicita omnes astringit, saltem post dos menses. Tum quia in his, quæ publice fiunt, non potest quis ignorantiam allegare, vt ex sacris canonibus colligitur euidenter. Cum ergo explicita damnatio cuiuscunq; publice facta sit non potest quis hæresim tenens damnatam explicicite se per ignorantiam excusare. Et per cõsequens statim reuocare tenetur, & nullo modo tenetur excusari, quin hæreticus sit censendus. Hæc sunt, quæ mihi admirationem ingerunt quod viri literati dicũt, quod aliquis potest tenere hæresim damnatam explicite, quamuis non sit hæreticus: & ideo non statim tenetur talem hæresim reuocare. Vnde qualiter respondeant ad illa, non differas reserare.

CAP. XVII.

Probat duabus rationibus, quod tenens hæresim damnatam explicite non sit statim inter hæreticos computandus.

Discipulus. Pro assertione prædicta argutum est supra *libro* 3. quo probatum est ibidem, Quod non omnis errans contra fidem, est hæreticus censendus. Illa autem argumenta ibidem adducta concludunt, quod etiam tenens hæresim damnatam explicite non statim est hæreticus iudicandus. Ex quo sequitur quod non tenetur statim suam hæresim reuocare. *Discip.* Si fundant se in aliqua ratione speciali ad probandum, quod tenens hæresim damnatam explicite non sit statim inter hæreticos computandus istam libenter audirem. *Magist.* Vna earum ratio talis est. Nullus est reputandus magis hæreticus propter hæresim damnatam ab ecclesia explicite, quam propter hæresim explicite, cuius contradictoria in scriptura diuina sententialiter & vocaliter continetur, nisi talis damnatio sit magis diuulgata inter Christianos quam veritas scripturæ diuinæ. Sed multæ sunt hæreses damnatæ explicite in conciliis generalibus quæ non sunt magis diuulgatæ quam scriptura diuina, & non semper est aliquis statim reputandus hæreticus, si tenet aliquam hæresim, cuius contradictoria in sacris literis continetur, sed examinandus est, an scienter vel ignoranter. Et si scienter, an pertinaciter vel absque pertinacia teneat hæresim. Igitur similiter licet quis teneat hæresim damnatam explicite, non est semper statim hæreticus reputandus, sed inuestigandum est primo, an de pertinacia possit conuinci per testes vel alia similia documenta. Et si non potest probari, quod sit pertinax, examinandus est, an sit paratus se corrigere, si ostenderetur sibi aperte, quod hæresis sua sit explicite condemnata. Secunda ratio eorum est hæc. Nullus statim est reputandus hæreticus, si tenet hæresim, cuius contradictionem non tenetur explicite credere. Hæc n. est causa, quare si aliquis neget aliquam veritatem contentam explicite in scriptura diuina, non est propter hoc statim reputandus hæreticus. Sed nullus vel pauci tenentur explicite credere omnes veritates contradictorias hæresibus damnatis explicite: quia multi non habent libros, nec habere possunt, in quibus dãnationes explicite continentur. Ergo licet ignoranter teneat quis hæresim damnatam explicite, non est statim pertinax hæreticus iudicandus. *Discip.* Quomodo potest quis negare veritatem expresse contentam in scriptura sacra, nisi sit hæreticus. *Magist.* Sufficit credere omnem veritatem scripturæ diuinæ implicite. Sicut enim beatus August. aliquas veritates contentas in scriptura nescienter negauit: & ideo non fuit hæreticus iudicandus. Et sic etiam beatus Hieron. veritatem euangelii negare videtur, cum loquens de Redemptore nostro in quadam homelia dicit: *& interrogabat discipulos suos sic dicens: quem dicunt homines esse filium hominis: non dicit, quem me dicunt esse homines, ne iactanter de se quærere videatur.* Et tamen Lucas in euangelio cap 9. expresse refert, quod Iesus interrogauit discipulos suos dicens: *quem me dicunt esse turbæ.* Vbi inter Hieron. & beatum Lucam aperta contrarietas inuenitur: & tamen Hieron. non est reputandus hæreticus, quia non pertinaciter, sed quia de textu euangelii Lucæ tunc non recordabatur, negauit veritatem euangelii.

CAP. XVIII.

In quo ponuntur responsiones ad rationes in contrarium opinionis capitulo 14. huius superius posita, factas. cap. 16.

Discipulus. Per instantias, quas feci, discurre. *Magist.* Ad primam tuam respondetur, quod non omnis tenens hæresim damnatam explicite, est hæreticus reputandus, licet multi tenentes hæreses damnatas explicite per aliqua documenta valeant probari hæretici. Videlicet si possint conuinci quod pertinaciter tenuerunt hæresim damnatam explicite. Cum vero dicis, quod magis est reputandus hæreticus, qui tenet hæresim damnatam explicite, quam qui non tenet doctrinam catholicam: hoc si debet concedi, verum est de illo, qui pertinaciter tenet hæresim damnatam explicite. Si autem nescienter absque omni pertinacia tenet hæresim damnatam explicite, non continet veritatem: loquendi scil. de illo, qui non reputat doctrinam Christianam esse veram, de quo loquitur beatus Hieron. in verbis adductis. Non enim loquitur beatus Hieron. de illo, qui ignoranter aliquam specialem catholicam veritatem non teneret: quia talis, nisi alias de pertinacia conuinceretur, non esset à catholicis euitandus. Ad decreta, quæ adducis, breuiter respondetur, quod omnes loquuntur de illis, qui scienter labuntur in hæresim iam damnatam. Ad consuetudinem inquisitorum, quam allegas, dicunt quidam, quod inquisitores nonnullique prælati sæpe inique procedunt

& iniuste. Multi, vt dicunt, sunt illiterati & simplices, cupiditate & auaritia excæcati: qui ideo de hæresi accusatos satagunt condemnare, vt bona eorum acquirant. Et ideo in eorum consuetudine nulla assertio est fundata. Ad rationem tertiam, quæ magis vigere videtur, dicunt quod aliqui tenentes hæreses condemnatas explicite possunt se per ignorantiam excusare; aliqui vero non possunt, quia quidam diuersis modis (sicut ex prædictis patet, & inferius, si interrogationes de hac materia fueris prosecutus, amplius apparebit) cōuinci poterint de pertinacia manifesta, illi videlicet qui prius eandē hæresim asseruerunt esse damnatam. Et qui alios ad tenendū eandē quomodolibet coegerūt, & qui protestabantur eandem se velle irrationabiliter defensare, & multi alii, de quibus dictū est supra, & si volueris dicetur inferius. Illi autē qui nullo modo de pertinacia possunt cōuinci, & parati sunt corrigi, potuerunt se per ignorantiam excusare dicentes: nos ignoramus tales hæreses esse damnatas: imo ignoramus eas catholicæ veritati quomodolibet aduersari. *Discip.* Antequam procedas vlterius, dicas an in sacra pagina & in iure canonico eruditi valeant, si tenent, hæreses damnatas explicite se per ignorantiam excusare. *Magist.* Dicitur quod sic: quia eruditi non tenentur habere noticiam de omnibus hæresibus, quæ explicite sunt damnatæ, & ideo si ignoranter teneant eas parati corrigi, non sunt hæretici reputandi. *Discip.* Quomodo respondetur ad illa, per quæ probaui, quod ignorantia non excusat. *Magist.* Ad primum dicitur, quod ignorantia iuris duplex est, Quædam est ignorantia iuris, quod oportet scire: & illa non excusat, alia est ignorantia iuris quod non oportet scire: & illa excusat à peccato, licet forte in quibusdam aliis non excuset. Ille ergo, qui tenet hæreses, quarum contradictorias oportet eum explicite credere, non potest per ignorantiam excusari. Et ideo quicunq; inter Christianos conuenienter enutritus tenet fidem Christianam esse falsam, vel Christum non fuisse crucifixum, vel non fuisse incarnatum, vel aliquid huiusmodi, cuius nullus Christianus debet esse ignarus, non potest per ignorantiam excusari: quia explicite tenetur credere quod fides Christiana est vera, & quod Christus fuit crucifixus, & huiusmodi: quæ facile est scire, & inter Christianos diuulgantur. Qui autem tenet hæreses, quarum contradictorias non tenetur credere explicite, posset per ignorantiam excusari, dummodo nullam pertinaciam adiungeret. Ad secundum de constitutione sedis Apostolicæ dicitur, quod omnes astringit, postquam est ita publice diuulgata, quod nullus potest ignorantiam allegare. Si autem non fuerit ita publice diuulgata, non astringit ignorantes, qui non laborant ignorantia crassa & supina. Quod ergo dicitur, quod omnes astringit post duos menses, verum est omnes scientes & omnes ignorantes damnabili ignorantia laborantes. Alios autem non astringit, licet facientes contrarium peccent contra Deum, licet forte astringat eos ad pœnam per ecclesiam infligendam. Durum enim videtur nonnullis dicere, quod omnes Christiani tenentur scire omnes determinationes summorum pontificum: cum nonnulli studentes in eis aliquando per duos annos & amplius multas earum ignorant. Multi enim ad earum copiam nullatenus possunt attingere. Ad tertium dicunt, quod etiam in his, quæ publice fiunt, contingit quandoq; ignorantiam allegare, prout ex sacris canonibus *9.q.1.c. ordinationes & 1.q.1.c. si quis à simoniacis*, & aliis aperte colligitur. Et nonnunquam talem ignorantiam sufficit solo iuramento probare. Et ita dicunt in proposito, quod quamuis quondam fuerunt aliquæ hæreses publice condemnatæ; tamen possunt etiam literati ignorantiam allegare dicentes, se nescire tales hæreses fuisse damnatas. Et si petatur ab eis probatio, quod ignorent, sufficit quod iurent se ignorare. Et sic à prauitate hæretica per ignorantiam excusantur.

CAP. XIX.

In quo inuestigatur de propositione, seu assertione duos sensus habente, vnum hæreticum & alium catholicum, vtrum tenens eam in sensu damnato, seu hæretico, nesciens tamen ipsam esse damnatam, sit hæreticus censendus, & respondetur sub distinctione.

DIscipulus. Adhuc de illa materia vnam difficultatem discutias, an videlicet sciens hæresim esse damnatam, quam putat esse ambiguam duos sensus habentem, si teneat sensum damnatum, quem non putat esse damnatum, valeat de prauitate hæretica per ignorantiam excusari. *Magist.* Ad hoc respondetur, quod si sciens hæresim esse damnatam, non tenetur scire sub quo sensu sit damnata, licet tenuerit sensum damnatum, non est statim hæreticus iudicandus. Si autem tenetur scire sub quo sensu est damnata, non potest per ignorantiam excusari. Primum sic probatur. Damnata aliqua assertione nullus per illam damnationem astringitur ad negandum aliam assertionem, quæ ex sola assertione damnata inferri non potest, sed ex assertione ambigua diuersos sensus habente, sensus determinatus non potest inferri. Ergo damnata assertione ambigua non astringitur quis negare determinatum sensum: quia potest probabiliter dubitare in quo sensu sit condemnata. Ergo si quis ex ignorantia absq; pertinacia tenet hæresim ambiguam condemnatam in illo sensu, in quo secundum intentionem condemnantium est damnata: si etiam illum sensum minime expresserunt, non est statim pertinax & hæreticus iudicandus, sed antea ostendendum est sibi aperte, quod non solum assertio ambigua est damnata, sed etiam quod talis sensus determinatæ veritati obuiat orthodoxæ. *Discip.* Isti videntur errare, cum dicunt assertionem ambiguam esse

esse damnatam. Cum assertio ambigua damnari non debeat, præsertim si habeat aliquem sensum catholicum. *Magist.* Respondetur tibi; quod tu erras aperte dicens, quod nunquam assertio ambigua habens aliquem sensum catholicum est damnata. Vnde & aliquando assertiones contradictoriæ secundum vocem sunt damnatæ, ex quo tamen contradictoriæ sunt secundum vocem altera istarum vel vtraq; habet sensum verum. *Discip.* De ista ponas exemplum, si potes. *Magist.* Isidorus, vt habetur 24. q. 3. c. *quidam autem*, ad hoc videtur exemplum adducere manifestum; aperte insinuans, quod vtraque istarum, *Deus creat mala, Deus non creat mala*, est hæresis condemnata. Vnde & assertores vtriusq; hæreticos reputat manifestos, dicens, *Colluciani à quodam Collucione nuncupati: qui dicunt Deum non facere mala contra illud quod scriptum est: ego sum Deus creans malum. Floriani à Floriano: qui econtrario dicunt Deum creasse malum, contra hoc quod scriptum est: fecit Deus omnia bona.* Ex his verbis colligitur, quod vtraque istarum, *Deus creat mala: Deus non creat mala* & hæresis explicitè côdemnata. Et tamen ista Deus creat mala, est assertio ambigua habens aliquem sensum catholicum, scilicet istum, Deus creat malum pœnæ. Et similiter ista, Deus non creat mala, habet sensum catholicum, scilicet istum, Deus non creat mala culpæ. *Discip.* Secundum ista videtur, quod isti concedunt, quod aliquis absque hæretica prauitate potest tenere, Deum creare mala culpæ: quia dicunt, quod aliquis potest tenere assertionem ambiguam damnatam in eo sensu, in quo est damnata absque hæretica prauitate. *Magist.* Male arguis secundum istos: quia arguis à particulari seu indefinita æquipollente particulari ad singularem determinatam. Non enim dicunt, quod semper potest quis tenere assertionem ambiguam damnatam in eo sensu, in quo est damnata absq; hæretica prauitate: sed quandoq;, quia, vt dicunt, si tenetur quis scire sensum, in quo est damnata assertio esse hæretica, si tenet talem assertionem in tali sensu statim est hæreticus iudicandus: si vero non tenetur hoc scire, non est hæreticus reputandus. *Discip.* Quomodo ergo est procedendum contra talem? *Magist.* Responsum est supra: quia, vt dicunt, non sufficit ostendere tali, quod assertio ambigua est damnata sed etiam oportet sibi aperte ostendere, quod talis sensus catholicæ veritati repugnat.

CAP. XX.

Quærit de simplici correctione non quidem legitima, qua quis admonetur à Papa, quatenus assertionem, quam quis nescienter profert, teneatur corrigere.

DIscipulus. Vt cerno, secundum istos episcopi & inquisitores in vanum errantes corrigunt, nisi probauerint ea patenter doctrinæ catholicæ aduersari. Sed adhuc ignoro, quid putant de Papa, an scilicet ad simplicem correptionem Papæ absque tali correptione, quam vocant legitimã, teneantur nescienter errantes suas hæreses reuocare. *Magist.* Dicunt quod non. Tum quia Papa de fide tenetur reddere rationem: quia, sicut narrat Gloss. extra de rescriptis, si quando. *de omnibus reddi ratio debet si potest.* Tum quia in causa fidei à Papa licet appellare. Tum quia fides nostra non consistit in sapientia Papæ. Nullus ergo in his, quæ fidei sunt, tenetur credere Papæ, nisi per regulam fidei dicti sui ratione ostendat. *Discip.* Illud videtur consuetudini ecclesiæ repugnare. Nam Papa aliquando damnat hæreses, cuius damnationis suæ nullam reddit rationem; & concilia generalia, symbola condiderunt articulos destinguentia. Quos tamen per regulam minime proobauerunt. Ergo non videtur quod Papa semper teneatur reddere rationem damnationis hæreticæ prauitatis. *Magist.* Respondetur, quod nunquam inuenitur, quod Papa aliquam hæresim damnauerit, & damnationis suæ nõ reddiderit ratione: sed aliquãdo ex dãnatione, aliquãdo cũ eadẽ dãnatione. Sic n. fecit Alexand. tertius, sicut patet *de heret. c. cũ Christus.* Sic n. Innoc. tertius, *ext. de sum. tri. c. dãnamus.* Si autẽ non reddat rationem in damnatione ipsa, debet in aliis assertionibus suis eiusdẽ damnationis suæ reddere rationem de generalibus conciliis condentibus symbola, respondetur, quod licet in ipsis symbolis non probent per regulam fidei articulos symbolorum, tamen extra simbola manifeste probantur: quia vel condentes symbola ipsos articulos probant, vel probationes approbant aliorum tacite vel expresse. *Discip.* Quid si quis defenderet coram Papa hæresim, quam diceret se putare consonam fidei orthodoxæ? *Magist.* Dicunt, quod si millesies defenderet hæresim nescienter, cum protestatione expressa vel tacita, quod paratus est corrigi, cum agnouerit opiniones suas catholicæ fidei obuiare, etiam coram Papa non esset hæreticus iudicandus, nisi per alia legitima documenta hæreticus probaretur, quia sicut prima vice licet sibi nescienter tali modo opinionem erroneam defendere, ita licet secunda vice & tertia & semper quousque fuerit sibi probatum aperte, quod sua opinio est inter hæreticas computanda. *Discip.* Forte diceret aliquis opinionem suam defendens, etiam postquam opinio sua fuerit probata hæretica, quod non est sibi ostensum, quod opinio sua fidei obuiat orthodoxæ: & ita nunquam posset conuinci. *Magist.* Non sufficit sibi negare opinionem suam esse probatam hæreticam, sed cogitur stare iudicio peritorum; qui si reputauerint sufficienter esse probatum, quod opinio est hæretica, tenetur eam reuocare, alioquin inter pertinaces & hæreticos est censendus. *Discip.* Quid si errent periti & omnes theologiæ Magistri vna cum Papa? *Magist.* Si de facto damnauerint innocentem, poterit scil. iura suam causam per appellationis remedium subleuare. Si autem appellationi suæ legitimæ non defertur, non restat nisi vt gratiæ diuinæ se committat, & non timeat de hominum societate (iudicio iniquo) deleri: quia de libro viuentium conscientia non delet iniqua. *Discip.* Quid si in scriptis hæresim manifestam de-

fenderet? *Magist.* Quidam dicunt, quod propter hoc non est pertinax nec hæreticus iudicandus; quia quantum ad hoc non refert an verbo vel scripto opinionem erroneam teneat vel defendat. Nam beatus Cyprianus opinionem hæreticam in scriptis reliquit: quia tamen eam pertinaciter non defendit, non fuit hæreticus iudicandus. Sic etiam abbas Ioachim. opinionem hæreticam scripsit, sicut testatur Innoc. 3. *de sum. tri. & fi. ca. c. damnamus*, & tamen non fuit hæreticus iudicandus, Gloss. super dicto *c. damnamus*, dicente de eodem Ioachim, *quia paratus fuit corrigi & correxit se, vt sequitur, non debet dici hæreticus, licet quandoque errasset in fide.* Sic etiam Petrus Iohannis, licet opiniones suæ quas in scriptis reliquit, fuerunt tanquam hæreticæ condemnatæ, ipse tamen nec pertinax nec hæreticus fuit iudicandus. Sic etiam beatus Hieron. licet opiniones erroneas scripserit, quas non legitur reuocasse, non est hæreticus reputandus. *Discip.* Secundum illa videtur, quod nullus post mortem posset de hæresi accusari: cuius tamen contrarium asserunt sacri canones manifeste. *Magist.* Respondetur, quod propter hoc solummodo, quod quis hæresim tenuerit verbo vel scripto, non esset post mortem accusandus de hæresi. Sed si quomodocunq; potest probari, quod hæresim verbo vel facto tenuerit pertinaciter, post mortem poterit de hæresi accusari, quia si per alium modum quam per verba vel scripta solam hæresim exprimentia, puta verba vel scripta vel facta declarauit, per quæ pertinacia valuerit ostendi pertinax fuisse, est damnandus. *Discip.* De hoc ponas exemplum, vt quod dicitur magis intelligam. *Magist.* Si de aliquo post mortem probatum extiterit, quod verbo vel scripto tenuerit, duas personas fuisse in Christo, non est propter hoc solum hæreticus reputandus, sed per simplicem ignorantiam poterit excusari. Si autem probatum fuerit, quod sciuerit dictam assertionem esse damnatam, & quod postea eam vel verbo vel scripto tenuerit, est de pertinacia & de prauitate hæretica condemnandus. *Discip.* Vt concipio, secundum istos eodem modo contra viuum & mortuum de hæresi accusatum oportet procedere: inquisitoribus tamen sufficit tantummodo, quod probetur aliquo modo, verbo vel scripto ipsum hæresim tenuisse. *Magist.* De inquisitoribus dicunt isti, quod sæpe inique procedunt: & quod sunt ecclesiæ Dei valde nociui, tanquam lucris temporalibus totaliter inhiantes.

Cap. XXI.

In quo consequenter agitur de correptione, qua quis à socio siue à quocunq; sibi non superiore, corripitur, vtrum suum errorem teneatur deponere. Et respondetur quod sic, si scilicet correptio fuerit legitima, & hoc probatur tribus rationibus.

Discipulus. Dicas nunc de correpto à socio vel alio, qui super ipsum nullam iurisdictionem penitus noscitur obtinere. *Magist.* Dicunt prædicti, quod correptus legitime de hæresi à socio vel à subdito, vel à quocunq;, tenetur statim absque mora hæresim suam dimittere: ita quod si conuincatur post talem correptionem eandem hæresim scripto vel verbo tenere, aut verã quomodolibet reputare, est pertinax reputandus. Quod probant primo sic. Fides nostra non est in sapientia hominum secundum Apostolum *1. ad Corinth. 2.* ergo ad hoc quod quis teneatur hæresim suam deponere, non refert à quo homine sibi per regulam fidei ostendatur, quod opinio sua obuiat fidei orthodoxæ. Sed si alicui à prælato suo patenter ostenditur, quod opinio sua fidei obuiat orthodoxæ, eam statim tenetur dimittere, alioquin pertinax est censendus. Ergo tenetur ad id, à quocunq; est hoc patenter sibi demonstratum. Secundo sic. Qui non est paratus corrigi, si errat est pertina. Sed ille, qui correptus legitime à quocunque hoc est si sibi patenter est ostensum (scilicet quod opinio sua fidei obuiat orthodoxæ) non statim opinionem suam dimittit, non est paratus corrigi. Ergo talis est hæreticus & pertinax iudicandus. Tertio sic: non minus tenetur quis errorem dimittere, si veritatem inuenerit per instructionem cuiuscunque alterius, quam si veritatem inuenerit per se ipsum. Qui autem per seipsum inuenerit veritatem, statim tenetur errorem dimittere, exemplo venerabilis Ansel. *lib. 1. Cur Deus homo. c. 18.* dicentis: *certus sum, si quid dico (quod sacræ scripturæ absque dubio contradicat) quod falsum est: nec illud tenere volo, si cognouero.* Ergo si veritatem inuenerit consonam scripturæ sacrę per informationem cuiuscunq; alterius siue socii, siue subditi, errorem contrarium debet absque mora dimittere. *Discip.* Secundum illud nulla videtur differentia inter correptum à prælato, & ab alio non prælato, etiam subdito. *Magist.* Respondetur: quod quantum ad hoc, quod error dimittatur, non est differentia; sed quantũ ad alia multa, magna differentia reperitur. Prælatus enim & iurisdictionem habens super alium potest ipsum citare ad rationem ponere, & vt suam informationem audiat coartare, & ad publicam reuocationem compellere ipsum, & si in prædictis & aliis ad suũ pertinentibus officium inuentus fuerit pertinax & rebellis, cum animaduersione condigna punire. Qui autem super errantem iurisdictionem non habet, in eo prædicta non poterit exercere. *Discip.* Ponunt ne aliquam aliam differentiã inter Papã corripientẽ & alios prælatos corripientes errantes? *Magist.* Quantum ad hæreses damnatas explicite, conformiter dicunt de Papa,

& aliis

& aliis prælatis, sed quantum ad hæreses damnatas solummodo implicite, magna differentia inuenitur: quia super tenentes hæreses damnatas solummodo implicite, prælati inferiores nullam iurisdictionem habere noscuntur, vt eos punire possint vel ad aliquid coartare. Sed si in suis conscientiis eos putauerint pertinaces, debent eos apostolico accusare vel denunciare. Apostolicus autem potest eos examinare, & si pertinaces inuenerit, condemnare.

Cap. XXII.

In quo ponitur septimus modus pertinaciæ, eius scilicet, qui per potestatem suam donis, minis, seu quouis alio modo alios cogit, seu allicit ad suum errorem defendendum.

Discipulus. Cupio scire, si modus alius assignatur errantem de pertinacia conuincendi. *Magist.* Septimo modo nonnullorum iudicio est quis de pertinacia iudicandus, puta si alios ad suum pertinacem defendendum errorem præceptis, comminationibus, pœnis, præmiis, promissionibus iuratis, vel alio quouis modo artare molitur. Quod n. talis pertinax & hæreticus sit censendus, multis rationibus probare conantur. Quarum prima est hæc. Non minus delinquit, qui alios cogit ad hæresim pertinacem defendendam, quam qui erranti consentit vel non resistit cum possit. Sed talis est non solum modo consentiens & non resistens, sed etiam cogens & impellens. Qui autem erranti & hæresim pertinacem defendenti consentit vel non resistit, cum potest, simili crimine irretitur: & per consequens pertinax & hæreticus est censendus. Ergo & cogens seu compellens alios hæresim pertinaciter defendere est pertinax & hæreticus reputandus. Maior est manifesta. Minor sacris canonibus manifeste probatur. Ait enim Isidorus, vt habetur 21. q. 1. c. *Qui peccantibus consentit: Si quis alterius errori consentit, sciat se cum illo simili modo culpabilem iudicandum*, Et Leo Papa vt habetur *extra de hæret. qui alios*, ait: *qui alios cum potest non reuocat ab errore, seipsum errare demonstrat*. Et Innoc. Papa, vt habetur in cano. dist. 83. c. *Error*, ait: *Error cui non resistitur approbatur, & veritas cum minime defensatur, opprimitur*. Ex his aliisque pluribus aperte colligitur, quod qui consentit hæreticæ prauitati, inter hæreticos computatur. Ergo multo magis qui compellit alios hæresim pertinaciter defendere, vel hæresi pertinaciter adhærere, est pertinax & hæreticus iudicandus. Secunda ratio est hæc. Non minus peccant, qui alios cogũt minis, terroribus, iuramẽtis vel præceptis aut comminationibus ad peccandũ, quàm qui mandant aliis aliquod crimen committere. Sed qui hoc faciunt, consimili crimine inuoluuntur. Ergo qui cogunt alios ad peccatum quodcunque, consimili modo tenentur: & per consequens qui cogunt ad prauitatem hæreticam pertinaciter defensare, sunt simili pertinacia irretiti. Maior huius rationis est nota de se. Minor probatur auctoritate Alexand. tertii, qui, vt habetur *extra. de sen. ex cap. mulieres*, ait: *cum is vere communicat, cuius auctoritate vel mandato delicta committuntur*. Patet ergo, quod qui mandant aliis, vt crimen cõmittant, consimili crimine inuoluntur. Tertio ratio est hæc. Ille dicitur facere qui per alium facit. Vnde & ille dicitur vere occidere, qui per alium occidit, teste Clemente tertio, qui, vt habetur *extra, de clericis pugnantibus in duello. cap. hæreticus*, ait: *homicidium tam facto quam præcepto, siue consilio, aut defensione, non est dubium perpetrari*. Ergo consimiliter ille dicitur hæresim pertinaciter defensare, qui per alium hæresim pertinacem defendit. Sed qui cogit alios hæresim pertinacem defendere, pertinaciter hæresim defendit per alios. Ergo & ipse debet dici pertinax defensator. Quarta ratio est hæc. Magis dicitur agere agens quam consulens. Sed iste de consilio, cuius aliquod crimen committitur, dicitur illud crimen committere, teste Aug. qui, vt habetur *de pœnitentia. dist. 1. c. periculose*, ait: *periculose desipiunt qui existimant eos tantum homicidas esse, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos per quorum consilium, fraudem & exhortationes homines extinguuntur. Nam Iudæi nequaquam Dominum propriis manibus interfecerunt, sicut scriptum est: nobis non licet interficere quenquam, sed tamen illis mors Domini imputatur, quia ipsum cum lingua interfecerunt, dicentes, crucifige, crucifige eum*. Ergo multo magis, qui cogit alium, vt crimen committat, ille crimen committit, & ita qui cogit alium hæresim pertinaciter defensare, ipse noscitur hæresim pertinaciter tenere. Quinta ratio est hæc. Participantes criminosis in crimine, eodem crimine inuoluuntur: sed qui cogit alios hæresim pertinaciter defensare, participat in crimine hæresim pertinaciter defensantis: quia impendit ei auxilium & fauorem. Ergo talis pertinax est reputandus. Sed qui cogit alios ad suam hæresim pertinaciter defendendam, non est paratus corrigi. Ergo est pertinax censendus. Sexta ratio est hæc. Qui cogit alios ad hæresim irreuocabiliter defensare & tenere. Talis autem est pertinax. Ergo &c. *Discip.* Istæ rationes procedunt tantummodo de cogente alios hæresim suam pertinaciter defensare absque pertinacia. Ergo licet aliquis cogat alios pœnis, minis, præceptis & iuramentis hæresim defensare, dummodo non cogat eos pertinaciter defensare, non est pertinax nec hæreticus reputandus. Quod videtur posse probari tali ratione. Qui cogit alium, & non ad peccatum mortale, non committit peccatum. Et per consequens non est propter talem coactionem pertinax & hæreticus reputandus: Cum omnis hæreticus in peccato mortali existat. Sed defensare hæresim non est semper peccatum mortale. Ergo propter talem coactionem non est pertinax & hæreticus reputandus. *Magist.* Ad hoc respondetur, quod licet possit quis hæresim absque pertinacia defensare, tamen cogens alium absolute hæresim defensare, quantum in se est, cogit ipsam hæresim pertinaciter defensare, sicut qui cogit alium iurare ad aliquam assertionem, quæ est

hæretica, quod eam irreuocabiliter & in perpetuum defensabit: quantum in eo est cogit ipsam eandem assertionem pertinaciter defensare, licet in potestate ipsius tali modo coacti sit postea eandem hæresim minime defensare. Et imo talis cogens debet reputari pertinax hæresis defensator, licet coacti iurare velint postea eandem hæresim minime defensare, sed volunt venire contra illicitum iuramentum. Cum vero dicis, quod qui cogit alium, & non ad peccatum mortale, non committit peccatum mortale. Hoc tibi negatur, quia potest aliquis peccare mortaliter, etiam alium cogendo ad bonum. Nam qui cogit vouere castitatem vel paupertatem vel aliquid aliud supererogationis, potest peccare mortaliter: quia talia suaderi possunt, imperari non possunt. De talibus enim loquens dicit Aug. quod *nemo cogitur legibus bene facere, sed male facere prohibetur.*

CAP. XXIII.

In quo tractatur 8. modus pertinaciæ, scilicet eius qui alium veritatem catholicam vi aut metu abiurare cogit, vbi etiam probatur, quod talis per ignorantiam nequaquam excusari potest. Et probatur vnica ratione.

D*Iscipulus.* Est ne alius modus aliquem de pertinacia conuincendi? *Magist.* Potest octauo de pertinacia & prauitate hæretica quis conuinci, si cogat aliquem veritatem catholicam abiurare, aut pœnis vel præceptis catholicam veritatem negare compellit, quod enim cogens alios veritatem quamcunque catholicam abiurare, pertinax & hæreticus sit censendus, ostenditur. Nam qui cogit aliquem veritatem catholicam abiurare, cogit eundem hæresi contrariæ irreuocabiliter adhærere. Talis autem, sicut ex capitulo præcedenti apparet, est pertinax & hæreticus iudicandus. Ergo &c. Et per eandem rationem ostenditur, quod qui cogit alios minis, pœnis vel præceptis aliquam negare veritatem catholicam, est pertinax & hæreticus iudicandus. *Discip.* Potest ne talis compellens per aliquam ignorantiam excusari, puta si credit, quod assertio, quam cogit alium abiurare vel negare, sit hæreticalis. *Magist.* Dicitur quod talis per nullam potest ignorantiam excusari: quia nullus valet absque temeritate quomodolibet attentare cogere alium iuramento, pœnis, minis, vel præceptis aliquam assertionem abiurare vel negare, nisi sit certus certitudine sufficienti, quod non est consona catholicæ veritati. Ergo temerarie cogit alium abiurare vel negare eandem. Temeritas autem in hoc casu pertinaciæ æquipollet. Ergo talis est pertinax & hæreticus iudicandus.

CAP. XXIV.

Ponit 9. modum pertinaciæ de eo, qui assertionem hæreticam, tanquam catholicam se iurat seruaturum, & quod neq; talis per ignorantiam excusatur, & probatur duabus rationibus.

D*Iscipulus.* Sunt plures modi aliquem de pertinacia conuincendi? *Magist.* De pertinacia & prauitate hæretica ille conuincitur necessario, qui abiurat catholicam veritatem, vel iurat se quamcunque assertionem, quæ est in rei veritate hæretica, tanquam catholicam, in perpetuum seruaturum. Quod omnis talis sit pertinax & hæreticus reputandus tali ratione ostenditur. Qui firmat se proposito negandi assertionem, quæ est catholica, vel tenendi assertionem quæ est hæretica, pertinax est censendus. Talis autem est ille, qui abiurat veritatem, quæ est catholica, vel iurat se seruaturum assertionem, quæ est hæretica. Ergo pertinax est censendus. Item errans contra fidem catholicam, qui non est paratus corrigi, pertinax & hæreticus est censendus. Huiusmodi est abiurans catholicam veritatem, & qui iurat se hæresim defensurum, vel quod assertioni quæ est hæretica adhærebit, nec est paratus corrigi. Igitur pertinax & hæreticus est censendus. *Discip.* Nonne potest talis aliquo modo de pertinacia excusari? *Magist.* Respondetur, quod metu mortis vel grauium tormentorum potest à pertinacia & prauitate hæretica excusari, sed non à peccato mortali. *Discip.* Videtur quod ignorantia talem poterit excusare. Ignorantia enim excusat à mendacio istum, qui dicit falsum, quod putat esse verũ vt asserit Augustin. vt habetur *22.c.18.Is autem.* Ergo similiter ignorantia poterit excusare illum, qui abiurat catholicam veritatem quam putat hæreticam, & illum, qui iurat se tenere assertionem hæreticam, quam putat catholicam. *Magist.* Respondeo tibi, quod aliquis potest excusari à mendacio, qui tamen à temeritate nullatenus excusatur, teste Aug. vbi allegas, qui ait: *Nemo mentiens iudicandus est, qui dicit falsum, quod putat verum: quia quantum est in ipso, non fallit ipse, sed fallitur. Non ita mendacii, sed aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa incaute credit aut pro veris habet.* Sic abiurans similiter iurans modo prædicto à mendacio poterit excusari, sed à temeritate minime excusatur. Et ideo nec à pertinacia poterit excusari. Potest enim pertinacia absque mendacio reperiri: sicut in his, qui sunt nescienter hæretici, reperitur. Tales enim cum putant esse vera, quæ dicunt, minime mentiuntur: & tamen pertinaces dicuntur seu censentur, quia nequaquam corrigi sunt parati.

CAP.

Cap. XXV.

In quo ponitur decimus modus pertinaciæ, eius scilicet qui veritatem catholicam defendentes impedit: aut molestat: & probatur tribus rationibus, vbi etiam notatur, quod non est minor confirmatio catholicæ veritatis per Scripturam sacram, quam per miraculum.

DIscipulus. Ad alium modum errantem de pertinacia conuincendi procede. *Magist.* Decimo est quis de pertinacia conuincendus, si errans contra fidem prosequitur vel molestat aut impedit catholicam veritatem defendentes aut prauitatem hæreticam impugnantes. Quod enim tales sint pertinaces & hæretici reputandi, tali ratione probatur. Qui declarationem veritatis catholicæ & damnationem prauitatis hæreticæ satagit impedire, non est paratus corrigi, nec quærit cauta sollicitudine veritatem: & per consequens pertinax est censendus. Sed errans, qui prosequitur aut molestat aut impedit catholicam veritatem defensantes, & prauitatem hæreticam impugnantes, declarationem veritatis catholicæ & damnationem prauitatis hæreticæ satagit impedire. Ergo talis est pertinax & hæreticus reputandus. Item errantes contra fidē, qui damnabiliter veritati resistunt, sunt pertinaces & hæretici iudicandi: quia reprobi contra fidem sunt; & inter pertinaces & hæreticos computandi. Huiusmodi sunt errantes, qui damnabiliter veritati resistunt, teste Apostolo 2. *ad Tim.* 3. qui de talibus ait: *quemadmodum Iambres & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti, mente reprobi circa fidē.* Sed qui persequuntur aut molestant vel impediunt catholicā veritatem defendentes, & prauitatem hæreticam impugnantes, damnabiliter veritati resistunt. Ergo si errant, pertinaces & hæretici sunt censendi. Confirmatur hæc ratio: quia magis delinquunt, qui catholicæ veritati resistunt, quam qui resistunt publicæ potestati. Sed secundum Apostolum ad Rom. 13. *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damna acquirunt.* Ergo multo magis, qui catholicæ veritati resistunt, sibi damnationem acquirunt: sed non nisi propter pertinaciam. Quia non pertinaciter resistere veritati, damnabile non videtur. Ergo tales pertinaces & hæretici sunt censendi. Item, eadem ratio confirmatur, quia non minus peccat, qui catholicæ veritati resistit, & acquiescit hæreticæ prauitati, quam qui non acquiescit veritati & credit iniquitati. Qui autem non acquiescit veritati & credit iniquitati, peccat mortaliter, teste Apostolo ad Rom. 2. qui ait: *Iis autem qui ex contentione & qui non acquiescunt veritati, credunt iniquitati, ira, tribulatio, indignatio & angustia.* Ergo qui catholicæ veritati resistit, & credit hæreticæ prauitati, peccat mortaliter: sed non est sine pertinacia. Ergo talis pertinax & hæreticus est censendus.

Amplius, Christiani qui propter persecutionem, quam inferunt defendentibus catholicam veritatem, & impugnantibus hæreticam prauitatem, sunt peiores his, qui carnali immundicia sunt infecti. Illa patet: quia non sunt minus mali, quam illi qui prædicatores veritatis audire recusant, qui tamen recusantes veritatis prædicatores audire, peiores sunt illis, qui peccatis carnis sunt infecti: veritate ipsa testante, quæ ait prædicatoribus Euangelicæ veritatis Matth. 10. *Quicunque non receperit vos nec audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel de ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorreorum in die iudicii quam illi ciuitati.* Ergo qui declarationem veritatis & defectionem hæreticæ prauitatis impediunt pertinaces & hæretici sunt censendi: quia prauitas peccati eorum ad aliud genus peccati, quam infidelitatis, hæresis vel pertinaciæ non poterit reduci. *Discip.* Ista ratio non videtur habere apparentiam, nisi de Apostolis & prædicatoribus miracula facientibus: quia veritas ipsa Apostolis facturis miracula loquebatur. Et ideo qui impugnaret veritatem catholicam defendentes & prauitatem hæreticam impugnantes, quorum sermones & operationes Deus miraculis confirmaret, esset peior enormibus peccatoribus iudicandus: non autem qui impugnat alios miracula minime facientes. *Magist.* Istam obiectionem siue responsionem alii euacuare conantur, dicentes, quod non minoris auctoritatis est confirmatio veritatis catholicæ per Scripturam sacram, quam per operationem miraculi: ita vt qui non credit scripturæ Diuinæ, nec operationi miraculi per fidem firmiter adhæret, ipso Abraham testante, qui diuiti epuloni petenti operationem miraculi, scilicet mortui resurrectionem propter fratres ad pœnitentiam inducendos, sic Lucæ 18. ait: *Si Moysen & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexit, credent ei.* Hinc Innoc. tertius hoc sentire videtur, vt habetur *extra, de hæret. cum ex iniuncto,* affirmat quod sic ad probandum inuisibilem visionem à Deo sufficit operatio miraculi, & ita etiam sufficit testimonium dicens in hæc verba: *oportet affirmet illam inuisibilem operationem miraculo vel per testimonium scripturæ speciale.* Ergo consimiliter, vt veritatis catholicæ defendentes & impugnantes hæreticæ prauitatis nullatenus molestentur, sufficit eis suas assertiones testimoniis confirmare absq; operatione miraculi. Vnde & tempore Antichristi, electi miracula minime sunt facturi, sed loco miraculi scripturæ testimoniis fulcientur. *Discip.* Alio modo videntur omnes rationes prædictæ posse infringi. Nam veritatem catholicam defendere, & prauitatem hæreticam impugnare, ad Doctorum spectat officium, vt habetur *extra, de hær. cum ex iniuncto.* Sed vt habetur ibidem, cum doctorū ordo sit præcipuus in Ecclesia, non debet sibi quisquā indifferenter prædicatoris officiū vsurpare. Ergo licite

conuenit veritatem catholicam defendentes & prauitatem hæreticam impugnantes impedire: & per consequens tales impedientes non sunt propter hoc pertinaces, nec hæretici iudicandi. *Magist.* Prædictis videtur assertoribus, quod rationes eorum nequaquam intelligis. Non enim intendunt, vt asserunt, quod quilibet sibi posset indifferenter officium Doctoris assumere: sed affirmant, quod nullus propter hoc, quod veritatem confitetur catholicam, & hæreticam reprobat prauitatem, est quomodolibet molestandus: licet posset quis merito molestari, scilicet vbi non debet, aut quando non debet, aut quouis alio modo, quam debet catholicam veritatem confiteri vel prauitatem hæreticam impugnare. De illis ergo persequentibus intendit principaliter. Et ideo sequitur, *& suis falsis assertionibus aduersantur*: quia debitis circumstantiis obseruatis quilibet Christianus debet habere libenter veritatem defensare, id est confiteri catholicã, & prauitatem hæreticam detestari. Nec propter hoc debet persecutionem aliquam à catholicis sustinere. Qui propter hoc alicui persecutionem inferret, esset inter hæreticos computandus.

CAP. XXVI.

In quo ponitur 11. modus pertinaciæ, scilicet eius qui errat, nolens tamen se submittere correctioni eius, seu eorum, quorum interest corrigere errantes: vbi etiam notatur de Papa qui concilium impedit, ne forte eius assertio condemnetur.

Discipulus. Satis audiui de isto modo errantem de pertinacia conuincendi: & ideo alium modum expone. *Magist.* Vndecimo est quis de pertinacia conuincendus, si errans contra fidem catholicam correptioni & emendationi illius vel illorum, cuius vel quorum interest, subiicere se recusat. Hoc tali ratione probatur. Ille, qui iudicium subterfugit, pro nocenti debet haberi, teste Bonifacio Papa, qui, vt habetur *extra, de præsumpt. c. nullus dubitat*, ait: *nullus dubitat, quod ita nocens iudicium subterfugit, quemadmodum vt absoluatur, qui est innocens, quærit.* cui concordat Pelagius Papa, qui, vt habetur 11. q. 1. *Christianus*, ait: *qui iudicium refugit, apparet eum de iustitia diuisum.* Hoc etiam ex auctoritate Bonif. Papæ, qui ponitur *3. q. 9. c. determinamus*: & ex verbis Greg. quæ ponuntur *74. dist. c. honoramus*, colligitur euidenter. Errans ergo contra fidem, qui iudicium subterfugit, pertinax & hæreticus est censendus. Qui autẽ correptioni & emendationi illius vel illorum, cuius, vel quorum interest, subiicere se recusat, iudicium subterfugit. Ergo pertinax & hæreticus est censendus. *Discip.* Ista ratio videtur procedere de vocato ad iudicium, & se per contumaciam absentante, & de aliis nihil probare videtur. *Magist.* Non solum de vocato ad iudicium, & se per contumaciam absentante: sed etiam de impediente, ne fiat iudicium, vt dicunt isti, conuincit ratio supra dicta. Quia sicut ille non est immunis à crimine, qui iustitiam fieri nititur impedire, quamuis ad iudicium minime sit vocatus (vt habetur *extra, de officio & potestate iudicis delegati. c. 1.*) ita errans contra fidem, & ne de errore suo fiat iudicium impediens, non potest à crimine excusari. Sed illud crimen non videtur tibi aliud, quam pertinacia. Ergo talis est merito pertinax iudicandus. Item errans contra fidem, qui non est paratus corrigi, nec quærit cauta sollicitudine veritatem, est pertinax & hæreticus iudicandus, vt ex verbis August. quæ ponuntur *24. q. 3. c. dixit Apostolus*, colligitur euidenter, quod qui correctioni & emendationi illius vel illorum, cuius vel quorum interest, subdere se recusat, impediens quoquo modo ne error suus rite & legitime examinetur, quamuis non sit vocatus ad iudicium, non est paratus corrigi, nec quærit cauta sollicitudine veritatem. Ergo pertinax hæreticus est censendus. Amplius veritate testante, vt habetur Ioh. 3. *Qui male agit odit lucem & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Ex quibus colligitur, quod qui non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius, male agit. Nam si non male ageret, faceret veritatem. Si autem faceret veritatem, veniret ad lucem, ibidem veritate dicente: *qui autem facit veritatem venit ad lucem.* Errans ergo contra fidem, si non venit ad lucem districti & clari examinis illorum, quorum interest illuminare errantem: male agit. Ista autem malicia non est nisi pertinacia. Ergo talis pertinax & hæreticus est censendus. *Discip.* Per istam rationem apparet, quod omnis errans, nisi statim veniat ad lucem, petens suam assertionem per illos, quorum interest, examinari & discuti, est pertinax & hæreticus reputandus. Quod nimis videtur durum, quia multos Theologos crimine pertinaciæ implicaret. *Magist.* Sicut scis, præcepta affirmatiua obligant semper, sed non pro semper. Et ideo errans, quamuis teneatur venire ad lucem iusti iudicii, tamen nõ pro omni tempore ad hoc tenetur. Sed non impedire iudicium fieri, cum sit præceptum negatiuum, pro omni tempore obligat. Non differendum autem est venire ad lucem, quando expedit & oportet. Et ideo (licet non omni tempore veniat ad lucem petendo suam assertionem discuti diligenter) non est pertinax reputandus: sed quandocunq;, ne sua assertio arguatur, nititur impedire, ne ad examen debitum deducatur, est habendus odire lucem. Ex prædictis isti inferre conantur, quod vbi Papa aliquam hæresim dogmatisat, vel impedit generale concilium celebrari, ne sua assertio discutiatur, pertinax & hæreticus est censendus.

CAP.

CAP. XXVII.

In quo ponitur modus 12. pertinaciæ eius, scilicet, qui de suo errore reprehenditur à peritis, & nihilominus de veritate renuit informari, & de eius doctrina scandalizatur fides, & probatur 4. rationibus.

Discipulus. Si aliter potest errans de pertinacia conuinci, non differas declarare. *Magist.* Duodecimo potest quis conuinci pertinax (vt nonnulli dicunt) si de veritate damnabiliter renuit informari. Ad cuius euidentiam distinguunt dicentes, quod aut errantis assertio tanquam hæreticalis reprehenditur à peritis, & de cuius dogmatisatione scandalisentur fideles, aut nequaquam reprehenditur à peritis, nec de eius dogmatisatione aliquod scandalum est exortum. In secundo casu quamuis de veritate interdum apud Deum pertinax habeatur, tamen in foro Ecclesiæ non videtur, quod sit hæreticus iudicandus, licet postea tanquam hæresis eadem assertio damnaretur. In primo casu dicunt, quod renuens de veritate informari etiam in foro Ecclesiæ est pertinax & hæreticus reputandus. Quod multis rationibus probare nituntur. Quarum prima est hæc. Errans contra fidem, qui non est paratus corrigi, nec quærit cauta sollicitudine veritatem, est pertinax & hæreticus iudicandus *23. q. 1. cap. dixit Apostolus.* Qui autem de veritate renuit informari, si eius error deprehenditur à peritis, & non est paratus corrigi, nec quærit cauta sollicitudine veritatem, pertinax & hæreticus est censendus. *Discip.* Ista ratio videtur concludere etiam de illo, qui de veritate renuit informari, cuius opinio non reprehenderetur à peritis, & de qua opinione nullum scandalum est exortum: quia talis non quærit cauta sollicitudine veritatem. *Magist.* Ad hoc respondetur, quod ratio prædicta de tali non concludit: quia iste præsumitur esse paratus corrigi, & etiam cauta sollicitudine quærere veritatem, quando non apparet, quod damnabiliter nolit corrigi, vel negligat corrigi: nec apparet ex sui erroris amore, quod omittat quærere veritatem. Talis autem est ille, de cuius opinione nullum est scandalum: nec eius opinio tanquam hæreticalis reprehenditur à peritis. Ille autem, qui à peritis reprehenditur, & de cuius dogmatizatione scandalum est exortum, si quando oportet, & quomodo oportet, & vbi oportet, non quærit cauta sollicitudine veritatem, est violenta præsumptio, quod nollet veritatem suæ opinioni contrariam declarari; sed magis vellet opprimi veritatem. Quia si (teste Inno. Papa, vt habetur *dist. 83. §. 3.*) veritas cum minime defensatur, opprimitur, multo magis cum minime veritas quæritur, quando quæri debet, opprimitur. Oppressor autem veritatis catholicæ pertinax & hæreticus est censendus. Secunda ratio est hæc. Magis vel non minus delinquit, qui seipsum, cum potest & debet, ab errore non reuocat, quam qui alios, cum potest & debet, ab errore non reuocat. Sed qui alios cum potest, ab errore non reuocat, inter errantes damnabiliter numeratur, vt sacri canones testantur aperte. Ergo qui seipsum cum potest & debet, ab errore non reuocat, inter errantes damnabiliter numeratur. Sed errans, de cuius errore scandalum est exortum, & qui tanquam hæreticus reprehenditur à peritis, si de veritate renuit informari, seipsum, cum potest & debet, ab errore non reuocat. Ergo inter errantes damnabiliter est censendus. Talis autem est pertinax errans: quia errare absq; pertinacia errantem non reddit damnabilem. Talis ergo pertinax & hæreticus est censendus. Tertia ratio est hæc. Qui inique opiniones hæreticales sapit & impias, pertinax est reputandus: quia absq; pertinacia nemo opiniones impias inique sapit. Qui enim absq; pertinacia sapit opiniones impias, quamuis sapiat impia, non tamen inique impia sapit. Sed errans contra catholicam fidem, qui de veritate renuit informari, inique & impie sapit, teste Leone Papa, qui, vt habetur *24. q. 3. c. quid autem iniquius,* ait: *quid autem iniquius quam impia sapere & doctoribus sapientibus non credere.* Sed in hanc insipientiam cadunt, qui nec ad veritatem agnoscendam aliquo impediuntur obstaculo, nec ad Propheticas voces, nec ad Apostolicas Literas, nec ad Euangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt. Ex his verbis colligitur euidenter, quod qui impia sapit, & non credit sapientibus, nec ad scripturas recurrit auctenticas, nequissimus est censendus. Sed qui de veritate renuit informari, non credit sapientibus, nec ad scripturas recurrit autenticas. Ergo talis nequissimus, & per consequens pertinax est censendus. Quarta ratio est hæc. Qui ideo magister erroris existit, quia non vult esse discipulus veritatis: per consequens est pertinax reputandus. In tali enim (vltra ignorantiam intellectus) in voluntate malitia inuenitur. Ista autem malitia voluntatis, vel est pertinacia, vel non est sine pertinacia. Sed errans, qui cum potest & debet de veritate renuit informari, ideo magister existit erroris: quia non vult esse discipulus veritatis. Qui enim non vult audire veritatem, non vult esse discipulus veritatis. Ergo pertinax est reputandus.

CAP. XXVIII.

Ponit tres alios modos pertinaciæ.

Discipulus. Nunquid est alius modus conuincendi errantem de pertinacia? *Magist.* Tredecimo potest quis de pertinacia conuinci, si verbis vel factis protestatur se assertionem suam (quæ est hæreticalis) minime reuocaturum; quia talis non est paratus corrigi. Et per consequens pertinax est censendus. *Discip.* Dic alium modum. *Magist.* Quartodecimo conuincitur quis errans de pertinacia & hæretica prauitate, si in hæreticæ prauitatis fauorem prohiberet legi

scripturas

scripturas catholicas, vel prohiberet prædicari, aut publicari catholicas veritates: quia talis est defensor hæreticæ prauitatis, & oppressor catholicæ veritatis. *Discip.* Est ne alius modus conuincendi aliquem errantem de pertinacia? *Discip.* Quintodecimo quis conuincitur de pertinacia, qui in defensione hæreticæ prauitatis nouos errores fingit: quia talis non est paratus corrigi, nec quærit cauta sollicitudine veritatem. Ergo est pertinax censendus.

CAP. XXIX.

Ponit 16. modum specialiter de Papa conuincendo de pertinacia, si scilicet errorem contra fidem solenniter asserendo, tanquam catholicum illum præcipit à Christianis teneri. Et probatur quinque rationibus.

DIscipulus. Alium modum vellem audire. *Magist.* Dicunt nonnulli, quod decimosexto potest Papa specialiter conuinci, scilicet de pertinacia & hæretica prauitate, si errorem, quem contra fidem diffinit solenniter, à Christianis asserit tanquam catholicum esse tenendum. Quod enim talis Papa sit hæreticus reputandus, probatur primo sic. Quia, qui artat alios ad errorem pertinaciter defendendum, est pertinax. Hoc ex superioribus colligitur euidenter. Sed Papa solenniter aliquem errorem diffiniens esse catholicum artat catholicos ad errorem, quantum in eo est, pertinaciter defendendum & seruandum. Quia sicut constitutio Sedis Apostolicæ legitime facta omnes astringit, vt habetur *extra, de constitut. cap. vlt.* ita Papa vel gerens se pro Papa diffinitiue pronuntians assertionem hæreticam esse tenendam, quantum in ipso est, omnes astringit ad eandem assertionem hæreticam irreuocabiliter defendendam & tenendam. Ergo pertinax & hæreticus est censendus. Secundo sic: ille, qui per se vel per alios prosequitur, punit vel molestat catholicam veritatem confitentes & prauitatem hæreticam detestantes, est pertinax & hæreticus reputandus. Hæc in superioribus est fundata. Papa autem, qui solenniter diffinit aliquam assertionem, quæ est hæretica, esse tenendam per se vel per alios, quantum in ipso est, per suam constitutionem omnes contradicentes reddit anathematizari dignos. Nicolao Papa in vniuersali Synodo præsidente, qui, vt habetur *25. q. 2. c. si quis,* ait: *si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones vel decreta pro catholica fide vel Ecclesiastica doctrina, pro correctione imminentium vel futurorum malorum à Sedis Apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.* Catholicos etiam contradicentes suæ diffinitioni, quantum in ipso est, subiicit multis aliis pœnis. Quia præceptis & diffinitionibus Apostolicis resistentes pœnis variis puniuntur, secundum ꝙ ex verbis Gregor. quæ ponuntur *dist. 12. c. præceptis. & dist. 9. c. nulli.* & ex verbis Adriani Papæ, quæ recitantur *25. q. 1. c. generali,* & aliis sacris canonibus colligitur euidenter, per alios etiam contradicentes catholicos, quantum in se est, punitur, persequitur & molestat: quia quantum in ipso est, inferiores prælatos astringit, vt contradicentes suæ assertioni pœnis omnibus, quas prælati debent inobedientibus, Apostolicis mandatis infligere, plectant. Ergo talis se gerens pro Papa, pertinax & hæreticus est censendus. Tertio sic. Errans contra fidem est pertinax & hæreticus reputandus: qui facto vel verbo protestatur se nolle corrigi per illos, quorum interest: quia talis non est paratus corrigi, & per consequens pertinax & hæreticus est censendus. Sed Papa potest esse huiusmodi. Igitur &c. minor aperte probatur. Qui autem gerit se pro Papa & solenniter hęresim diffinit esse tenendam facto protestatur & verbis se nolle corrigi per illos, quorum interest, puta per concilium generale, ad quod spectat etiam Papam emendare. Ergo pertinax & hæreticus est censendus. Maior patet, & minor aperte probatur. Quia ex quo (quantum in ipso est) per constitutionem suam omnes Christianos: & per consequens concilium generale (cum soli Christiani in generali concilio debeant interesse) artat ad suam assertionem tenendam, facto protestatur & ostendit, quod per generale concilium non vult suam assertionem reuocare. Hoc etiam verbo protestatur, cum in fine Bullæ nulli liceat contraire. Etiam diffinitur per eum: qui talia verba vel æquipollentia in constitutionum Papalium Literis consueuerunt poni & subintelliguntur, licet non ponantur. Ergo talis est hæreticus & pertinax censendus. Quarto sic, qui in aliqua assertione hæresi se firmauit vltimate pertinax & hæreticus est censendus: quia talis irreuocabiliter assertionem affirmat hæreticam. Sed diffiniens eam esse tenendam in eandem assertionem per vltimatam deliberationem se firmat. Ergo pertinax & hæreticus est censendus. Quinto, qui nimis in errore persistit: quia ad diffiniendum errorem esset tenendum nullus potest absq; temeritate procedere. Ergo talis pertinax & hæreticus est censendus.

CAP. XXX.

In quo ponitur 17. modus de Papa specialiter, si quis eius tali diffinitioni consentit aliquo modo, & ibidem ponitur modus 18. de Episcopis etiam taliter diffinientibus tali assertioni esse assentiendum.

DIscipulus. Tracta alium modum, errantem de pertinacia conuincendi. *Magist.* Decimoseptimo de pertinacia & prauitate hæretica potest quis conuinci, si tali diffinitioni Papæ consentit consulendo, cooperando, inducendo, vel diffiniendo esse taliter asserendo.

Hoc

Hoc tali ratione probatur, facientes & consentientes consimili crimine inuoluuntur, sicut & eos par pœna constringit, secundum quod sacri canones asserunt manifeste. Sed Papa taliter diffiniens assertionem hæreticam pro catholica esse tenendam, pertinax & hæreticus est censendus. Ergo omnes consentientes eidem sunt inter pertinaces & hæreticos computandi. *Discip.* Ista ratio pro isto modo sufficiat. Ideo dic alium modum de pertinacia conuincendi. *Magist.* Decimooctauo est quis pertinax reputandus, si inferior Episcopus summo Pontifice aliquam assertionem hæreticam per sententiam diffinitiuam determinat esse tenendam, iniungens aliis & imponens, quod ipsi sentiant ipsam, & reputent eam esse catholicam. Quicunq; etiam tali determinationi consentit, pertinax & hæreticus est censendus. Hoc ex præcedentibus satis apparet; quia si Papa taliter determinans & sibi consentientes sunt pertinaces & hæretici reputandi: multo magis inferior Papa taliter determinans, officium vsurpando Papale, & sibi consentientes, sunt pertinaces & hæretici iudicandi.

CAP. XXXI.

Ponit 19. modum, scilicet eius qui potestatem habens hæreticæ prauitati non resistit, qui magis fautores, quam hæretici sunt censendi.

DIscipulus. Describe alium modum de pertinacia conuincendi errantem. *Magist.* Decimonono potest de pertinacia quis conuinci, si potestatem habens prauitati hæreticæ non resistit. Hoc per sacros canones multipliciter videtur posse probari. Ait enim Innoc. Papa, vt habetur dist. 83. c. *error: Error cui non resistitur, approbatur.* Qui autem errorem approbat, videtur pertinax iudicandus. Ergo qui errori non resistit, si potest, pertinax est censendus. Item, Leo Papa, vt habetur *extra, de hæret. qui alios,* ait: *qui alios cum potest ab errore non reuocat seipsum errare demonstrat.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod qui potest hæreticos ab errore reuocare, & non reuocat, est inter hæreticos computandus: & per consequens pertinax est censendus. Item, Iohan. Papa *dist. 80. c. facilitèr,* ait: *Facilitèr procul dubio culpam habet qui potest corrigere & negligit emendare.* Qui itaq; pertinaces hæreticos, quos potest corrigere, negligit emendare, pertinaciæ & hæreticorum culpam habet: & per consequens inter pertinaces & hæreticos est habendus. *Discip.* Vellem scire, an omnes Literati sentiant tales esse hæreticos. *Magist.* Quidam dicunt, quod magis proprie debent vocari fautores hæreticorum & hæreticæ prauitatis quam hæretici: tamen pertinaces, etiam secundum eos, poterunt appellari, quia pertinacia ad plura vitia quam ad hæresim se extendit.

Explicit Liber Quartus primæ partis.

INCIPIT LIBER QVINTVS EIVSDEM PARTIS, DOCENS QVI POSSVNT PRAVITATE hæretica maculari.

CAP. I.

Capitulum primum quærit, vtrum Papa canonice electus hæreticari possit. Quod sic: primo auctoritatibus, deinde exemplis ostenditur. Et hoc capitulo secundo.

DIscipulus. Quia mihi videtur, quod qui non resistunt prauitati hæreticæ, cum possunt, sunt potius fautores quam hæretici nuncupandi, de ipsis hic nolo plus inquirere: sed postea, quando de fautoribus receptoribus & defensoribus hæreticorum interrogabo, quam plurima de ipsis etiam inuestigare curabo. Nunc autem postquam quæsiui, quomodo potest quis conuinci esse hæreticus, indagare propono, qui possint prauitate hæretica maculari. Et quia omnes Christiani sentire videntur, quod tota multitudo Christianorum hæreticari non potest: Quidam autē secundo, quod nec concilium generale: Aliqui vero tertio quod Romana Ecclesia: Nonnulli autem quarto quod nec collegium Cardinalium: Aliqui vero quinto quod nec etiam Papa potest hæretica pollui prauitate. Ideo de istis quinq; quid sentiant Christiani, cupio vt mihi reueles. Primo autem dicas: An omnes putent Papam intrantem canonice hæreticari non posse. *Magist.* De hoc sunt opiniones contrariæ. Sunt enim quidam dicentes, quod Papa intrans canonice errare potest contra catholicam veritatem, & prauitati hæreticæ pertinaciter adhærere. Alii autem dicunt, quod Papa intrans canonice contra fidem errare non potest. *Discip.* Quomodo primi opinantes se muniunt, non differas explicare. *Magist.* Assertionem prædictam auctoritatibus & exemplis ac etiam rationibus fulcire nituntur. Primo autem hoc auctoritate Beati Pauli conantur ostendere, quia *Hebr.* 7. sic legitur: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus pro omnibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat Deo sacrificia pro peccatis, & qui condolere possit his qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* Ex quibus verbis colligitur, quod *omnis pontifex ex hominibus assumptus,* qualis est summus pontifex, sicut *condolere potest his qui ignorant & errant,* ita & *infirmitate,* id est, potentia ignorandi & errandi *circumdatus* dignoscitur. Item, *prim. Corinth. decim.* Apostolus generaliter admonet omnes in gratia minime confirmatos dicens: *qui se existimat stare, videat ne cadat.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod omnis homo in gratia minime confirmatus potest cadere in peccatum: & per consequens potest errare contra fidem. Item, Apostolus *ad Gal. 6.* vniuersitatem erudiens prælatorum, quo-

quomodo debent subditos instruere suos, ait: *si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis considerans teipsum ne & tu tenteris.* Ex quibus datur intelligi, quod de omni delicto, de quo praeoccupatus fuerit subditus homo, potest praelatus tentari, & consimile delictum committere. Cum ergo à praedicta admonitione Apostoli Papa minime sit exceptus, & subditi possunt errare contra fidem, considerare debet etiam summus Pontifex, ne de errore contra fidem tentatus in haereticam incidat prauitatem. Item hoc probatur auctoritate Bonifacii, qui legitur *dist. 40. c. si Papa*, qui loquens de Papa ait: *huiusmodi culpas redarguere praesumit nullus mortalium: quia cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuius.* Ex quib. verbis euidenter colligitur, quod Papa à fide deuiare potest catholica, & haereticam incurrere prauitatem. Quod Gloss. ibidem asserit manifeste, di. super verbo *à fide*, quod *intelligit Hug. cum Papa non vult corrigi. Si enim paratus esset corrigi, non posset accusari.* Et infra: *fit specialiter mentio de haeresi, ideo quia etsi occulta esset haeresis, de illa posset accusari.* Et infra quaerit dicens: *Nunquid posset Papa statuere, quod non posset accusari de haeresi.* Et respondet dicens: *Respondeo quod non: quia ex hoc periclitaretur tota Ecclesia.* Ex his verbis patenter habetur, quod Papa potest de haeresi accusari, & per consequens potest prauitate haeretica irretiri. Item, eandem assertionem auctoritate Vrbani Papae, quae ponitur *25. q. 1. c. sunt quidam*, nituntur astruere. Ait enim Vrbanus Papa: *Sciendum summopere est, quod inde nouas leges potest condere, vnde Euangelistae aliquid nequaquam dixerint. Vbi vero aperte Dominus, vel eius Apostoli, aut eos sequentes sancti Patres sententialiter aliquid dixerunt, ibi non nouam legem Romanus pontifex dare potest, sed potius quod praedicatum est vsq; ad animam & sanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli & Prophetae, destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare conuinceretur.* Ex his insinuatur, quod quamuis Romanus pontifex non debeat, tamen potest errare contra Apostolos & Prophetas: & ita potest haeretica infici prauitate. Quod Glossae multae super decreta sententialiter & vocaliter asserunt & affirmant. Glossa enim 24. q. 1. c. fi. *quando quis incidit in haeresim iam damnatam, est casus, in quo Papa iam Papam ligare potest: & in quo Papa canonem latae sententiae incidit. Nec obstat illa regula, par parem soluere vel ligare non potest. Quia si Papa haereticus est, in eo quod haereticus, est minor quocunque catholico.* Item eadem *cap. 2. q. 1. c. recta*: & dicit Gloss. *quaero de qua Ecclesia intelligas, quod dicitur quod non possit errare? non de ipso Papa: quia Ecclesia dicitur, vt supra eodem. Quicunq; & 27. q. 1. scire debes quod certum est, quod Papa potest errare, sicut 19. di. c. Anastasius. & 40. dist. si Papa.* Item, *24. q. 1. quae ad perpetuam.* dicit Gloss. quod *Papa contra generale Ecclesiae statutum dispensare non potest, nec contra articulos fidei. Nam & si omnes assentiant ei, non valet statutum, sed omnes haeretici essent 15. dist. sicut.*

Cap. II.

In quo probatur, quod Papa canonice electus haereticare potest, exemplis.

Discipulus. Istae auctoritates sufficiant pro assertione praedicta: ideo adducas exempla. *Magist.* Quod Papa intrans canonice potest errare contra catholicam veritatem multis exemplis ostenditur. Apertum autem exemplum est de Apostolorum principe Beato Petro, quem ideo (vt videtur) diuina prouidentia, postquam ipsum ad Papatum assumpsit, errare permisit, ne successores eius (ipso fide, constantia & sanctitate longe inferiores) se non posse errare putarent. Quod autem Beatus Petrus contra veritatem Euangelii errauerit, Beatus Paulus *Gal. 2.* asserit manifeste, dicens: *cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiit, quia reprehensibilis erat.* Et quod reprehensibilis erat, apparet: quia errauit contra Euangelicam veritatem. Et quod errauit contra Euangelicam veritatem, ostendit subdens: *Cum vidissem quod non recte ambulabat ad veritatem Euangelii, dixi Cephae coram omnibus: si tu (cum Iudaeus sis) gentiliter viuis & non Iudaice, quomodo cogis gentes Iudaizare?* Ex his verbis datur intelligi, quod Beatus Petrus à veritate deuiauit. Vnde quod à fide Christi exorbitauerit, habetur in decretis *2. q. 7. cap. 7. testes, ecce*: Vbi Gratia. allegat, quod *subditi valeant reprehendere praelatos per exemplum de Paulo qui reprehendit Beatum Petrum.* Cui allegationi respondet dicens, quod *hoc licet, quando praelati à fide exorbitant, quemadmodum exorbitauit Beatus Petrus.* Vnde dicit ibidem in haec verba: *Paulus Petrum reprehendit, qui princeps Apostolorum erat. Vnde datur intelligi quod subditi possunt reprehendere praelatos, si fuerint reprehensibiles.* Et isti allegationi respondet dicens: *sed hoc facile refellitur, si, vnde sit reprehensus, aduertitur. Petrus cogebat gentes Iudaizare & à veritate Euangelii recedere cum Iudaeis gregem faciens: & à cibis gentilium latenter se subtrahens. Par autem est in se à fide exorbitare & alios exemplo vel verbo à fide deiicere. Ergo hoc exemplo non probantur praelati accusandi à subditis, nisi forte à fide exorbitauerint, vel exorbitare coegerint.* Ex his verbis patet, quod Beatus Petrus errauit non recte ad veritatem Euangelii ambulando. *Discip.* Nunquid Doctores moderni tenent, quod Beatus Petrus errauit contra fidem. *Magist.* Thomas de Aquino hoc tenet manifeste. Nam *2. 2. q. 33. art. 4.* dicit in haec verba: *in faciem resistere coram omnibus excedit modum fraternae correctionis. Et ideo Paulus Petrum non reprehendisset, nisi aliquo modo esset ei par quantum ad fidei defensionem.* Et subdit: *Sciendum tamen est, quod vbi imminet periculum fidei, etiam publice essent praelati à subditis arguendi. Vnde & Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens periculum scandali circa fidem Petrum publice arguit.* *Discipulus.* Miror, quomodo isti praesumunt Beatum Petrum inter haereticos numerare. *Magist.* Erras ipsis imponendo falsum, quod minime dicunt. Non enim sentiunt, quod Beatus Petrus fuerit haereticus,

licet

licet errauerit; quia suo errori pertinaciter nequaquam adhæsit, nã ad correctionẽ B. Pauli statim se correxit, & reprehensionem eiusdem libenter audiuit: nec B. Paulum prædicantem veritatem in aliquo molestauit. *Disc.* Vt video secundum istos, si B. Petrus suo errori pertinaciter adhæsisset, fuisset inter hæreticos computandus, ideo ad alia exempla te conuerte. *Mag.* Secundum exemplum de B. Marcellino Papa, qui contra fidem errauit idola adorando, de quo Nicolaus Papa, vt habetur *dist. 21. nunc autem*, ait: *tempore Diocletiani & Maximiani Augustorum Marcellinus episcopus vrbis Romanæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeo compulsus est à paganis vt templum eorum ingressus grana thuris super prunas imponeret.* Et in Legẽda eiusdem sic legitur: *Marcellinus ad sacrificandum ductus est, vt thurificaret, quod etiam fecit.* Et in cronicis sic habetur: *qui compulsus à Diocletiano incensum idolis dedit.* Et infra; *ad scelus*, inquit, *idololatriæ iudico me deponendum, & anathematizo, quicunque corpus meum tradiderit sepulturæ, & flens dixit: heu me anathematizari, & non possum in sacerdotio remanere.* Ex his colligitur, quod beatus Marcellinus Papa contra fidẽ errauit, scelus idololatriæ committendo. *Disc.* Per illa non probatur, quod B. Marcellinus tunc errauit in mente prauitati hæreticæ adherendo, sed quia actum idolatriæ commisit. *Magist.* Verum est, quod B. Marcellinus non errauit in mente prauitati hæreticæ adhærendo, ex hoc tamen, quod facto negauit Christum, dum renuit confiteri se esse Christianum, infertur quod potuit errare in mente, & quod potuit effici hæreticus, sicut idolatra fuit effectus. *Discip.* Dic alia exempla. *Magister.* Tertium exemplum ponitur de Liberio Papa, qui consensit perfidiæ Arrianæ, sicut in *Cronicis* legitur manifeste. *Discip.* Non dicitur, quod Liberius existens verus Papa Arrianis consenserit, sed solummodo postquam renunciauit Papatui. *Mag.* Dicunt isti, quod nullus Papa manẽs Papa potest errare pertinaciter contra fidem, quia eo ipso, quo pertinaciter contra fidem erraret, esset Papatu priuatus de iure, licet de facto gereret se pro Papa, ideo non intendunt isti, ꝙ Papa posset fieri hæreticus, cum manet Papa: sed quod verus Papa postea potest hæreticari, quod contigit de Liberio supradicto, qui primo verus Papa & postea hæreticus est effectus. Quod autẽ primo renunciauerit Papatui, hoc accidit, poterat enim hæreticari, licet nunquam renunciasset Papatui. *Disc.* Sunt ne plura exempla? *Mag.* Quartum exemplum ponitur de Anastasio II. qui propter hæreticam prauitatẽ fuit à Romana repudiatus ecclesia. De quo in *decre. dist. 19.* sic legitur: *Anastasius secundus natione Roman. fuit temporibus Theodorici regis, eodem tempore multi clerici se à communione ipsius abegerunt, eo quod communicasset sine consilio episcoporum vel presbyterorum ecclesiæ cunctæ catholicæ, decano Thessalonicensi nomine Fotino, qui in scelere communicauerat Achatio, & quia voluit occulte reuocare Achatium, & non potuit, nutu Dei percussus est.* Quia, vt dicit Gloss. & accepit à Cronicis, *dum assellaret, emisit viscera.* Ex his patet, quod iste Anastasius prauitate hæretica extitit maculatus: propter quam clerici catholici se ab eius communione laudabiliter abegerunt. *Disc.* Ex his non habetur, quod Anastasius fuerit hæreticus: sed quod communicauit hæretico, sc. Fotino, multi enim communicant hæreticis, qui hæretici minime sunt censendi. *Magist.* Iste communicauit pertinaciter hæreticis in crimine. Vnde dicit Gloss. *hic communicauit in maleficio*, sc. in hæresi, & ideo fuit hæreticus: quia scienter communicauit in hæresi per ecclesiam condemnata, vt patet ex hoc, quod Achatium, quem sciuit propter hæresim iam damnatam ab ecclesia cõdemnatum, voluit reuocare, & ideo ille Anastasius incidit scienter in assertionem, quam sciuit esse damnatam, quare fuit hæreticus reputandus. *Disc.* Ex Cronicis & glossis super decretis satis apparet Anastasium fuisse hæreticum, ideo aliud pone exemplum. *Mag.* Quintum exemplum adducitur non ad probandum, quod Papa de facto errauit: sed ad verificandum, quod potuit hæreticari, & de prauitate hæretica accusari. Nam sic legitur in *decretis 2. q. 7. c. non incompetenter §. cum Balaam*, Romana synodus ordinauit, quod Simachus Papa accusatus accusantium propositionibus responderet. Vnde sicut legitur ibidem: *Simachus Papa in Romana synodo dignitate sua expoliatus prius statui pristino reddi decernitur, vt tunc expoliatus veniret ad causam, & si ita recte videretur, accusantium propositionibus responderet, digna res visa est maximo numero sacerdotum atque meretur effectum, & cum postmodum ordinarent, quomodo esset accusandus præfatus Papa, vt causam diceret, occurrebat, sed ab æmulis est impeditus.* Ex his verbis colligitur, quod Simachus Papa extitit accusatus, & quod iudicio synodali poterat accusari, de quo autem crimine fuerit accusatus, explicat Gloss. *dist. 17. §. hinc etiam*, dicens quod *Simachus Papa prius fuerat accusatus de heresi: sed cum appareret calumnia accusantis, fuit postea absolutus*, patet ergo quod ex his, quod synodus reputauit Simachum Papam posse de hæresi accusari: & per consequens Papa potest hæreticari. Sextum exemplum ponitur de Leone, quem conuicit B. Hilarius episcopus Pictauiens. de illo tamen sunt opiniones: quibusdam dicentibus, quod non fuit verus Papa, antequam in hæresim laberetur. Septimum exemplum ad probandum, quod Papa potest hæreticari: probatur de Syluestro II. de quo legitur, quod diabolo fecit homagium, quem etiam in Papatu exercens consuluit, ex quo arguunt, quod potuit hæreticari: quia omnis dæmonum inuocator & cultor, habensque cum dæmoniis societatem pestiferam, potest hæreticam incurrere prauitatem. Octauum exemplum est de pluribus summis Pontificibus tenentibus contra ea, quæ fidei sunt, assertiones contrarias, videl. de Iohanne 22. ex vna parte, & de Nicolao III. aliisque quampluribus ex altera: qui de paupertate Christi & Apostolorum eius contrariam sententiam diffinierunt vel approbauerunt ab aliis diffinitam, quam sententiam prædictus Ioh. 22. reprobat manifeste. Ex quo infertur, quod vel Ioh. 22. vel Nico. III. ex quo alter eorum errauit in fide, fuit hæreticus reputandus. Nam ille eorum, qui errauit solenniter diffiniendo aliosq; ad tenendum artando pertinaciter suo errori adhæsit, alter eorum errauit in fide, & fuit hæreticus iudicandus. Item ponitur exemplum de Innocentio III. & eodem Ioh. 22. quod alter eorum errauit. Nam Innocentius III. sicut legitur *ext. de celebratione missarum. cap. cum*

Marthæ, ponit & asserit manifeste, quod sancti in cœlo sunt perfecte beati, & quod omnia eis ad votū succedunt: & per consequens vident Deum. Iterum in *li. de contemptu mundi*, idem Inno. dogmatizat, quod animæ reproborum sunt nunc in inferno, vbi grauiter puniuntur. Iohan. 22. docet & probat, ꝙ animæ sanctorum non vident Deum, & ꝙ animę reproborum nō sunt in inferno, nec ante diem generalis iudicii puniuntur, cū ergo contradictoriæ simul veræ esse nō possunt, cōstat ꝙ alter istorū errauit, & ita liquet aperte, ꝙ Papa potest errare. Item ponitur de Ioh. 22. & de B. Gregorio, nā sicut ex *li. Dialogorū* B. Gregorii clare patet, ipse sensit, ꝙ animæ sanctorum in cœlo vident Deum, & ꝙ animæ reproborum puniuntur in inferno. Ioh. 22. negat vtrunque, ergo alter eorum errauit. Item ponitur exemplum de eodem Ioh. 22. & multis aliis summis Pontificibus, qui sibi circa rerum cōtingentiam contradicunt, nam Ioh 22. dogmatizat & probat, quod omnia de necessitate eueniunt, quia omnia præordinata sunt à Deo, ordinatio aūt Dei impediri non potest. Vnde & propter hoc in constitutione sua, *quia vir reprobus*, tenet expresse, ꝙ Christus inquātum homo, regno temporali & dominio vniuersali rerum renunciare nō potuit, quia contra ordinationē Patris fecisset. Propter hoc etiam distinctionem Theologorum *de potentia Dei absoluta & ordinata* impugnat. Propter hoc etiam dicit, ꝙ Deus necessario prædestinauit electis vitam æternam, & minime cōtingenter, & ita plane putat, ꝙ omnia de necessitate eueniunt, cui tñ plures summi Pontifices contradicunt, ait n. Iohan. Papa VIII. vt habetur di. 8. c. *facientis quoq; proculdubio culpam habet, qui potest corrigere & negligit emendare.* Ex quib. verbis colligitur euidenter, quod quandoq; quis non corrigit, quod potest corrigere, & ita potest corrigere & nō corrigere, quare nō omnia de necessitate eueniunt. Item Greg. Papa, vt dicitur di. 83. c. *consentire videtur*, ait: *consentire videtur erranti, qui dum ad resecanda quæ corrigi debent, non occurrit.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod potest aliquis corrigere & non corrigere, quæ tñ debet, & ꝑ consequens potest corrigere & potest nō corrigere. Item Leo Papa, vt habetur *ext. de hæret. c. qui alios*, ait: *qui alios cum potest ab errore, non reuocat.* Item Eleutherius Papa, vt habetur 2. q. 7. c. *negligere*, ait: *negligere quippe cum possis perturbare peruersos nihil aliud quam foues.* Item Innoc. III. vt habetur *ext. de sent. exco. c. quanto*, ait: *Facientes & consentientes pari pœna plectendos catholica damnat auctoritas: eos delinquentibus fauere interpretans, qui cum possint manifesto facinori desunt obuiare.* Item Innoc. Papa, vt habetur *83. di. c. error*, ponit eadem verba cum Eleutherio, dicens: *Neglige quippe cum possis peruersos perturbare*, &c. Item Simachus Papa, vt habetur ead. di. c. 1. ait: *mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc cum possit non excludit.* Ecce ꝙ summi Pontifices sententialiter & vocaliter asserunt manifeste, quod potest quis facere, quod nō facit, quod etiam sententialiter multi alii Papæ in scripturis suis affirmant, & per consequens secundum eos non omnia de necessitate eueniunt, sicut asserit Ioh. 22. ergo vel ille errauit, vel alii errauerunt: & constat quod hoc tangit fidem, ergo aliquis summus Pontifex contra fidem errauit.

Cap. III.

In quo eadem conclusio, scil. quod Papa canonice electus potest manens Papa errare à fide, & hæreticari, hoc probatur 15. rationibus.

DIscip. Illa, quæ tangunt sanctissimum Patrem dominum Iohan. 22. volo vsq; ad tractatum de dogmatib. ipsius differre: nunc vero rationes ꝓ assertione prędicta producas in mediū. *Mag.* Quod Papa intrans canonice potest ante omnē renunciationem spontaneam non solum errare, sed etiam prauitate hæretica fœdari, multis rationib. in scripturis autenticis fundatis assertores præfati probare conātur. Prima talis est. Quis purus viator habens vsum rationis non cōfirmatus in gratia potest cōtra fidem errare, & eidem errori ꝑtinaciter adhærere, quia talis potest à veritate, quæ nō est nota, nec ꝑ experientiam certā accepta, nec est sibi demōstratiue probata, si voluerit, diuertere, & eius contrariū opinari, quia secundum B. August. *credere nullus potest, nisi volēs*, sed Papa est purus viator & non cōprehensor, si n. esset cōprehensor, errare non posset. Papa etiam est habens vsum rationis (vt communiter) si enim ꝑ infirmitatem aut senectutem, vel per aliquam aliam causam perderet vsum rationis; & tunc q̃diu vsu rationis careret, hæreticari non posset: quemadmodum pueri amentes & dormientes, statu isto durante hæreticari non possunt. Papa insuper non est confirmatus in gratia, cum possit peccare & damnari, ergo talis Papa potest veritati, quæ non est per se nota, nec per experientiā certam accepta, nec est sibi demonstratiue probata, si voluerit, dissentire. Multæ autem sunt catholicæ veritates, quæ nec per se sunt notæ, nec per experientiam certam acceptæ, nec sunt Papæ demonstratiue probatæ: cum dicat beatus Gregorius, *fides non habet meritum, cui ratio humana præbet experimentum*, ergo huiusmodi veritatibus Papa potest, si voluerit, dissentire: & per consequens prauitate hæretica poterit irretiri. Secunda ratio est hæc. Cōstitutus in officio, per ꝙ non necessario neq; cōfirmatur, nec necessario augentur gratia & virtutes, potest labi in hæreticam prauitatem, si ante susceptum officium potuit hæretica prauitate fœdari, hæc est nota, quod sine gratia vel virtute non potest aliquis viator à prauitate hæretica præseruari, qui prius poterat eandem prauitatem incurrere, nisi perderet vsū rationis, sed in susceptione Papalis officii non necessario conferuntur gratia & virtutes, nec etiam necessario tunc augentur, ergo cum Papa ante susceptum Papale officium potuit hæretica prauitate inuolui, sequitur etiam, quod post susceptum officium, si non perdiderit vsum rationis, possit eadē labe fœdari, maior patet, minor ratione & auctoritatib. probatur. Ratione quidem: quia suscipiēs Papatus officiū poterit esse in peccato mortali, existēti aūt in peccato mortali gratiæ & virtu-

virtutes minime conferuntur, neque etiam stante in peccato mortali augentur virtutes in ipso, ergo potest contingere, quod in assumpto ad Papatum neq; virtutes & gratiæ augeantur, neq; tunc conferãtur eidem. Quod etiam multis testimoniis sanctorũ videtur aperte probari. B. enim Gregor. vt habetur *dist. 40. ca. non loca*, ait: *non loca vel ordines creatori nostro nos proximos faciunt: sed nos aut merita nostra bona ei coniungunt, aut mala disiungunt.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod nulla dignitas ecclesiastica absque bonis meritis facit Deo proximos ad idem officium vel dignitatem assumptos. Ex quo manifeste concluditur, quod in susceptione Papalis officii gratia & virtutes non necessario conferũtur, neque de necessitate augentur: cum absq; bonis meritis & cum demeritis possit ambitiosus vel aliquo alio crimine irretitus ad officium Papatus assumi. Hinc etiam idem Greg. vt habetur dist. prædicta, *ca. Nos*, ait, *nos, qui præsumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec vrbium claritate, sed fidei puritate*, & B. Ambros. vt habetur ea dist. *c. illud*, ait: *illud autem aduerte, quod extra Paradisũ vir factus est, mulier intra Paradisum; vt aduertas, quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisq; gratiam comparat sibi.* Et B. Hieron. vt habetur dist. præfata, *c. non est facile*, ait: *non est facile stare in loco Petri & Pauli: sed tenere cathedram cum Christo regnantium: quia hinc dicitur non sanctorũ filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.* Et idem Chrysost. ead. dist. *c. multi*, ait: *non facit cathedra sacerdotem, sed sacerdos cathedram: nõ locus sanctificat hominem, sed homo locum.* Et idem prout recitatur eadem di. c. vlt. ait: *non qui maior fuerit in honore, ille est maior, sed qui fuerit iustior, ille maior est.* Ex his aperte patet, quod in susceptione ecclesiasticæ dignitatis neq; gratia & virtutes necessario conferuntur, neq; ipsas necesse est augeri. Quod etiam per scripturam diuinam probari videtur, vt habetur 2. Mach. 5. *non propter locum gentem, sed propter gentem Dominus locum elegit.* Ex quo sequitur, ꝙ propter dignitatẽ prælatorum, sed propter merita prælatorum Deus approbauit dignitatem, & ideo susceptione dignitatis non est necesse gratiã vel virtutem infundi vel augeri. *Disc.* Ex illa ratione sequitur, ꝙ in susceptione ordinũ, nec in alicuius dignitatis ecclesiasticæ susceptione gratia cõfertur vel augetũ. *Mag.* Ex illa ratione nõ sequitur, quia ex collatione ordinũ gratia non confertur nec augetur: sed sequitur, sicut in collatione baptismi & aliorũ sacramentorum propter indispositionẽ baptizati, puta si in peccato mortali præexistit, potest cõtingere ꝙ gratia nõ cõferatur nec augeatur, & ita potest hoc accidere & in ordinum, & cuiuscunq; dignitatis ecclesiæ susceptione. *Disc.* Alias rationes adducas. *Mag.* Tertia ratio est hæc, qui nõ est cõfirmatus in fide, si vsũ habeat rationis, potest errare cõtra fidẽ, sed Papa nõ est confirmatus in fide, quia si esset cõfirmatus in fide, ꝑ aliquod donũ sũpnaturale cõfirmaretur in fide, sed nullũ donum supernaturale apparet collatũ Papę ꝑ quod cõfirmetur in fide. Inter omnia n. dona sũpnaturalia, quæ de lege cõi puris viatorib. conferentur, præcipua & maxime stabilientia recipientẽ in fide, sunt gratia & virtutes Theologicę sc. fides, spes & caritas, & dona Spiritus sancti. Sed ꝑ illa purus viator minime cõfirmatur in fide, cum illa ꝑfectiora & maiora sæpe inueniãtur in aliis, q̃ in Papa, qui tñ ꝑ ipsa minime cõfirmatur in fide, ergo Papa minime cõfirmatur in fide, & ita nullũ donũ sũpnaturale collatum ipsum cõfirmat in fide, quare contra fidẽ potest errare. *Disc.* Ista ratio non concludit, quia probaretur per ipsam, ꝙ concilium generale, imo tota cõgregatio fidelium, potest errare contra fidẽ: quia nullũ donũ sũpnaturale apparet collatũ cõcilio generali, nec congregationi fideliũ, per ꝙ confirmetur in fide, cũ gratia & virtutes, & dona Spiritus S. viatores nõ confirmẽt in fide: quæ tñ inter oĩa donã sũpnaturaliter collata cõcilio generali & cõgregationi fideliũ noscuntur esse præcipua. *Mag.* Assertores prædicti cõcedunt, ꝙ ratio illa sic vniuersaliter sumpta non cõcludit: quia possibile est apud Deum non solũ congregationẽ fideliũ, sed & Papã & quẽlibet aliũ viatorẽ absq; dono sũpnaturali animã informante ab errore & hæresi præseruare, per q̃ congregatio fideliũ vsq; ad consummationẽ seculi ꝑmanebit immunis: hoc tñ non debet de ꝑsona, nec de collegio affirmari, nisi de quo vel qua Deus reuelauit, ꝙ nunq̃ errabit contra fidẽ. Deus aũt hoc reuelauit de congregatione fideliũ, non de Papa, & ideo temerariũ est dicere; ꝙ Papa intrans canonice nunq̃ errabit contra fidẽ. *Disc.* Alias rationes allega. *Mag.* Quarta ratio eorũ est hæc, non minoris efficaciæ & virtutis respectu actus fidei sunt ecclesiastica sacramẽta, q̃ quęcunq; dignitas ecclesiastica, sed ꝑ susceptionẽ actus fidei (qui vocatur sacramentũ, *ext. de baptismo & eius effectu*) nullus cõfirmatur in fide, quin postea possit errare contra fidẽ, ergo ꝑ susceptionem dignitatis ecclesiasticæ, etiam Papalis nullus cõfirmatur in fide. Quinta ratio est talis, nõ minus repugnat errori fides & gratia, q̃ quęcunq; dignitas ecclesiastica, ergo non magis cõfirmatur, quis per dignitatẽ ecclesiasticã contra errorẽ & hæresim, q̃ per fidẽ & gratiam sed nullus purus viator cõfirmatur in fide ꝑ fidem & gratiã, q n possit errare & infici prauitate hæretica, ergo nullus per dignitatẽ ecclesiasticam etiã Papalem cõfirmatur in fide, q n postea possit hæretica prauitate fœdari. Sexta ratio est hæc, tã Papa iuste depositus, q̃ Papa, qui sponte renunciauit Papatui, potest errare contra fidẽ, ergo Papa ante depositionem vel renunciationẽ spontaneam potest errare contra fidẽ. Antecedens patet: quia si Papa depositus, & qui renunciauit Papatui, nõ potest errare cõtra fidẽ, sequeretur quod aliquis purus viator multis inuolutus peccatis alius à Papa non posset contra fidẽ errare, consequẽtia probatur: quia per actum meritorium non acquiritur potestas viatori erranti contra fidẽ: sed tã depositio Papæ q̃ renunciatio spontanea potest esse meritoria, cum n. Papa dignus depositione suã depositionẽ acceptat, vel propter Deũ sustinet patienter, in hoc meretur, vnde si Ioh. 22. qñ deponebatur de Papatu, amore Dei patienter tolerasset, apud Deum meritũ habuisset, probabile est etiã, ꝙ tam Symachus Papa, qui renuncians Papatui adhæsit vndecim milib. quam Cælestinus V. renuntiando Papatui merebatur corã Deo. Ergo nec per depositionẽ, nec ꝑ renunciationẽ huiusmodi acquiritur potestas errandi contra fidẽ, & ita Papa ante depositionẽ vel renunciatio-

nem habet potestatē errandi contra fidem. *Disc.* Ista ratio videtur vnā affirmationem falsam accipere, ꝙ Papa sc. possit ante depositionē contra fidem errare. Nā videtur secundū iura, ꝙ quamcito Papa errat contra fidē, tamcito esset depositus. *Mag.* Ad illam instantiā nonnulli respondent dicentes: ꝙ duplex est depositio, sc. ab homine & à iure, ante depositionem ab homine potest Papa errare contra fidē, & hæreticā incurrere prauitatē, & de illa depositione procedit ratio supradicta, q a primo effectus hæreticus, & postea cōuersus & sacrificans Deo potest deponi ab homine, & depositionem meritorie acceptare, ante depositionē aūt à iure potest Papa ex simplicitate vel ignorantia contra fidem errare, sed non hæreticorū numero aggregari, quare licet à fide ex ignorantia vel simplicitate deuiauerit (si tamen paratus est corrigi) non est Papatu priuatus, sed si pertinaciter errori contra fidem adhæserit, est ipso facto deposit⁹, & de iure omni auctoritate nudatus; sed nō ab homine, sed à iure. *Disc.* Adde alias rationes. *Mag.* Septima eorum ratio est hæc, nullus per dignitatem acceptam indigne, illegitime & inique confirmatur in fide, sed contingit aliquem indignum ad Papatum ascendere illicite & inique: quia per ambitionem & simoniam, & per vias alias impias & iniquas, ergo talis per Papatum in fide nullatenus confirmatur. Octaua ratio eorum est hæc. Ille status, per quem assumens ipsum confirmatur in fide; & in quo nullus potest errare, non est fugiendus à viro perfecto, sed toto desiderio appetendus, quia talis status vel est omnino ab omni periculo spirituali securus, vel est minus periculosus statu, in quo nō est quis cōfirmatus in fide: eo ꝙ propter defectum fidei & imperfectior sit & ad peccandū procliuior, sed Papatus non est appetendus, sed est fugiendus, nec minus periculosus q̄ alii status, in quib. conuenit errare contra fidē, propter quod & B. Clemens recusauit fieri Papa, ergo per Papatum nemo confirmatur in fide. Nona ratio eorum est. Ille, qui contra fidem errare nō potest, ad diffiniendū & determinandum dubia, quę contra fidem emergunt, non indiget aliorum cōstitutorū in hac vita mortali peritia; sicut qui in geometria vel alia facultate errare nō potest, ad diffiniendum dubia in eadem aliorum consilio minime indigeret, sicut etiam quia congregatio fidelium contra fidem errare non potest, aliorum q̄ Christianorum sapientiam non requirit ad diffiniendum illa, quæ sunt consona catholicæ veritati, sed Papa ad multa dubia, quę circa fidē emergunt catholicam, declaranda & diffinienda indiget aliorum peritia, aliter enim pro dubiis declarandis & hæresib. extirpandis frustra fuissent generalia concilia congregata: frustra etiam vocaret in sacra pagina eruditos, ergo Papa potest contra fidem errare. Decima ratio eorū est hæc, omnis purus viator, qui potest actuale peccatum & mortale contra legem cōmittere, potest incurrere hæreticā prauitatē, quia talis potest damnabiliter excæcari, cum vt habetur *Sapien. 2.* malitia peccatorum eos excæcat, de impiis enim ibi scribitur: *Excæcauit eos malitia eorum*, & ita in tantam deduci poterunt cæcitatem, vt catholicam abnegent veritatem, sed Papa potest peccatum actuale & mortale cōmittere, secundum quod Bonifacius martyr, prout legitur *di. 44. c. si Papa*, & Simachus Papa, vt habetur *9. q. 3. c. aliorum*, testantur aperte, ꝙ etiam Ecclesia catholica insinuat euidenter, cum pro ipsius spirituali salute preces ad Deum fundere nō desistat, ergo Papa potest incurrere hæreticā prauitatem. Vndecima ratio eorum est hæc, illi, qui exponendis scripturis sunt præferendi Papæ, possunt errare contra fidem, igitur multomagis ille potest errare cōtra fidem. Consequētia patet. Tum quia tenet per locum à minori. Tū quia ille, qui nō potest errare contra fidē, præferendus est in expositione diuinarum scripturarū illi, qui potest errare. Tū quia sicut mendax est veraci nullatenus præponendus, ita qui cōtra ea quæ fidei sunt, potest mentiri, nullo modo præponendus est illi, qui mentiri nō potest, antecedēs autē probatur aperte. Nā sicut allegatū est prius, secundū ꝙ habetur in *decr. di. 20. c. 1.* tractatores scripturarū diuinarū in expositione scripturæ sunt Pontificibus summis præferendi, dicti aūt tractatores possunt errare contra fidē secundū ꝙ prius de B. Cypriano & August. ac etiā Hieronymo probatum extitit. Origenes tractator diuinæ scripturæ non minus errauit aperte & in hæreticam incidit prauitatē, ergo multomagis summi Pontifices, qui sæpe sunt illiterati & sanctarum diuinarum scripturarum ignari, possunt in hæreticam incidere prauitatem. Duodecima ratio est hæc, qui potest de hæresi accusari, & pro hæretico condemnari, potest contra fidem errare catholicam, & prauitate hæretica maculari, hoc patens est de se: quia de crimine, quod quis non valet cōmittere, nulla est accusatio, Papa autē potest de hæresi accusari, & pro hæresi potest cōdemnari, secundū ꝙ ex superiorib. probatur aperte, ergo Papa potest hæreticari, Papa aūt potest actum hæreticalem committere, patet ꝑ exemplum de B. Marcellino & de Siluestro secundo, ergo Papa potest hæreticari. Tredecima ratio est hæc, de nulla persona est licitum affirmare ipsam non posse errare contra fidem, de qua ipsam non posse errare neque per scripturam sacram nec per doctrinam ecclesiæ vel sanctorum, neq; per rationem in dicta doctrina fundatā potest ostēdi, sed ꝙ Papa nō possit errare cōtra fidē, nullo prędictorū modorū potest ostēdi. Si n. posset ostendi, optime probaretur ꝑ illas auctoritates Saluatoris: *Vobiscū sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.* Luc. 22. *Simon ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, sed per illas auctoritates non potest ostendi, quod Papa non possit errare cōtra fidem, non per primam: quia auctoritas non intelligitur de Papa: cum vacante sede nullus sit Papa, & ita non dicit Christus pro Papa, sed pro ecclesia militante, *vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Item Christus non solum intellexit se permansurū cum ecclesia militante vsq; ad consummationē seculi ꝑ fidē solūmodo: sed etiā ꝑ caritatem & bonā vitam. Constat aūt, quod Christus non est cū Papa per caritatem & bonam vitam: cum Papa sit nepharius extra caritatem existens, ergo de Papa non debent verba prædicta intelligi. Nec secunda auctoritas potest de Papa intelligi, vt Christus rogauerit, vt fides Papæ non deficeret.

Tum

Tum quia sedes Apostolica sæpe vacat, & tamen tunc non deficit fides, pro qua Christus rogauit. Tũ quia Papa potest renunciare Papatui, vel deponi, & postea contra fidem errare; cum nullo tempore deficiat fides, pro qua rogauit Christus. Verba vero prædicta dicit Christus beato Petro pro persona ipsius Petri: quia fides eius finaliter non deficit, licet ad tempus defecerit, propter quod dicit sibi Christus: *Et tu aliquando conuersus*, postquam scilicet fides tua defecerit, ergo tu ad fidem rediens *confirma fratres tuos*. Eadem etiam verba, scil. *ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua*, dicit Christus Petro pro congregatione fidelium: quia fides Petri fuit, & est in congregatione fidelium absque interruptione vsque ad consummationem seculi duratura. Nam fides, quam beatus Petrus tenuit, prædicauit & docuit, nunquam deficiet, sed in aliquibus Christianis clericis vel laicis, viris vel mulieribus, vsque ad finem seculi remanebit. Quartadecima ratio est hæc, qui potest hæreticorum & hæresis fautor & defensor existere, potest hæretica prauitate fœdari: imo talis hæresiarcha est censendus, teste Vrbano Papa, qui vt habetur *24. q. 3. cap. qui aliorum*, ait: *Qui aliorum errorem defendit, multo est damnabilior illis qui errant: quia non solum ille errat, sed etiam aliis offendicula erroris præparat & confirmat. Vnde qui magister erroris est, non tantum hæreticus, sed hæresiarcha dicendus est*, sed Papa non potest hæreticorum prauitatis hæreticæ fautor & defensor existere. Quod per duo exempla probatur. Primum est de Anastasio, qui fuit fautor Fotini & Achatii hæreticorum, secundum quod habetur *distinct. 19. ca. Anastasius*. Secundum exemplum ponunt aliqui de Ioh. 22. qui Nicolai Tertii & decretalis suæ, quæ incipit: *Exiit qui seminat*, necnon & Clementis IX. & decretalis suæ, quæ incipit: *Exiuit de Paradiso*, fautor fuit aliquando & defensor, & tamen in dictis decretalibus, *Exiit* & *Exiuit*, plures hæreses de paupertate Christi & Apostolorum eius, necnon & de voto abdicationis proprietatis omnium temporalium in speciali, & etiam in communi loquendo continentur, vt nonnulli dicunt & scribunt. *Disc.* Isti malitiose contra dominum Ioh. 22. procedunt, nituntur enim, quod vel fuit vel est hæreticus, monstrare. *Mag.* Volo te scire, quod nonnulli putant non malitiose, sed veraciter & infallibiliter demonstratur, quod Ioh. 22. vel fuit vel est modo hæreticus: quia (vt asserunt) nulla potest tergiuersatione negari, quando doctrina sua de paupertate Christi & Apostolorum eius, & de abdicatione proprietatis omnium temporalium in speciali & etiam in communi & de paupertate euangelica, doctrinæ Nicolai Tertii, & aliorum summorum Pontificum aduersetur, cum ergo omnia prædicta ad fidem pertineant, vel ad bonos mores, necesse est quod altera istarum doctrinarum contineatur sub hæretica prauitate, aut ergo doctrina Ioh. 22. est hæretica: aut doctrina Nicolai Tertii, & aliorum summorum Pontificum cum eo concordantium circa prædicta, est hæretica, si doctrina Ioh. 22. est hæretica: cum enim diffiniuerit solenniter eam esse tenendam, sequitur quod pertinax & hæreticus est censendus. Si autem doctrina Nicolai Tertii, & aliorum summorum Pontificum est hæretica, ergo Iohan. 22. quando eam per declarationem suam solenniter approbauit, & multipliciter mandauit, fuit hæreticus reputandus: quia prauitatis hæreticæ defensor & fautor, vnde nonnulli ex prædictis formant decimamquintam rationem sic. Qui circa ea, quæ fidei sunt, est sibiipsi contrarius, potest errare circa fidem, Papa autem potest circa ea, quæ fidei sunt, esse sibiipsi contrarius, hanc probant per exemplum de Ioh. 22. qui sibi contrarius inuenitur, cum prius approbat doctrinam Nicolai Tertii de paupertate Christi & Apostolorum eius, & de abdicatione proprietatis Christi omnium temporalium in speciali & in communi; & postea contradicit eidem.

CAP. IV.

In quo ponitur opinio, quæ in contrarium arguit, probando, quod Papa canonice electus non potest manens Papa errare à fide & hæreticari. Et hoc probatur octo rationibus, ad quas respondetur capitulo sequenti.

Discipulus. Quamuis rationes, quæ impugnare videntur sacratissimum patrem nostrum dominum Papam, non putem concludere, licet sint difficiles ad soluendum (de quarum solutione sollicite cogitabo) tamen aliæ quædam efficaces apparent. Vnde & probabile mihi videtur, quod nõ est impossibile, quod Papa primo intret canonice, & postea efficiatur hæreticus, verum quia veritas exagitata magis splendescit in lucem, peto vt in contrarium allegare nitaris. *Mag.* Pro assertione contraria, quam tenet (vt dicitur) Ioh. 22. & etiam frater G. (vt fertur) multis modis arguitur. Primo sic. In illa cõmunitate nõ potest esse iudiciũ certũ sine vacillatione de dubiis, quæ emergũt, circa quæ dubia & fundamenta eorũ quilibet in illa cõmunitate existens potest errare, sed in ecclesia militante est iudicium certum absque vacillatione de dubiis, quæ circa fidem emergunt, aliter enim nulli determinationi, diffinitioni seu declarationi ecclesiæ militantis circa ea, quæ fidei sunt, esset firmiter adhærendum, quia illi, qui potest errare, non est indubitata fide credendum, ergo non quilibet in ecclesia militante potest errare, ergo est aliquis in ecclesia militante, qui errare non potest; & non alius quam Papa, ergo Papa circa ea, quæ fidei sunt non potest errare. Secundo sic. Ille ad quem sunt omnes causæ fidei deferendæ, non potest contra fidem errare, nec hæreticam incurrere prauitatem, sed si quis errauerit contra fidem, de his, quæ fidei sunt, recte diffinire non poterit, sed ad summum Pontificem sunt omnes causæ fidei deferendæ & diffiniendæ per ipsum *24. q. 1. cap. quotiens, extra de baptismo. cap. maiores*, ergo Papa errare non potest contra fidem. Tertio sic. Cuius scripturæ in-

ter scripturas canonicas computantur, contra fidem errare non potest: quia qui potest contra fidem errare, potest à fidelibus reprobari, auctore autem reprobato reprobantur scripta eius, *extr. de haret. cũ Celestinus*, scripturæ aũt, quæ reprobari possunt, non sunt inter catholicas scripturas numerandæ, ille ergo, cuius scripturæ sunt censendæ canonicæ contra fidẽ errare non potest, scripturæ autem Papæ & decretales eius inter scripturas canonicas nuncupantur, teste August. qui *lib. 2. de doctrina Christiana*, prout habetur *dist. 19. c. in canonicis*, ait: *in canonicis scripturis ecclesiarum catholicarum, quam plurimum diuinarum scripturarum solertißimus indagator auctoritatẽ sequatur, inter quas sane illa sunt, quas Apostolica sedes habere, & ab ea accipere meruerunt epistolas*, cui etiam concordat Agatho Papa, prout habetur ead. di. c. sic omnes, *omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiẽdæ sunt tanquã ipsius diuina voce Petri firmatæ*. ergo Papa, cuius scripta sunt tam autentica, contra fidem errare non potest. Quarto sic, non minoris auctoritatis, dignitatis, sanctitatis, firmitatis putandus est summus Pontifex in noua lege, quã fuerit sacerdos summus aut Iudex in veteri lege, sed summus Pontifex aut Iudex in veteri lege tantæ fuit auctoritatis & firmitatis habendus, ꝙ nulli licebat de eius diffinitione aut iudicio, in quacunque causa ardua dubitare, vel ei quasi contraire, teste ipso Deo, qui, vt habetur *Deuter. 17.* dixit populo vniuerso, *si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, & iudicũ intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leuitici generis ad iudicem, qui fuerit illo tempore quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq́ sententiam eorum: nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram, qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescebat superbia*. Ex his verbis colligitur, quod in veteri lege dignus erat morte, qui in quacunque conclusione difficili & ambigua sacerdotis & iudicis imperio minime obedisset. Ex quo sequitur, quod nulli dubitare licebat, an sacerdos & iudex recte diffiniuisset, ergo multo magis in noua lege, quæ perfectiores noscitur habere ministros, nulli licet dubitare catholico, an Papa de inquisitione fidei recte diffinit, ꝙ nõ esset verum, si Papa contra fidem posset errare. *Disc.* Auctoritas Deuter. allegata non videtur ad propositum: quia illa non loquitur de causa fidei, sed de causis ciuilibus & criminalibus. *Mag.* Hoc non impedit rationem: quia ille, de cuius iudicio in causis criminalibus & ciuilibus non est aliqualiter dubitandum, de eius etiam iudicio in causa fidei est nullatenus trepitandum, nam qui in huiusmodi causis non potest errare, & in causa fidei errare non poterit, eo quod omnis, qui contra fidem potest errare, & in aliis poterit deuiare: cum errantibus in fide Christi, in aliis minime sit credendum, quia sicut sacri canones potestantur, infideles & hæretici nec iudicare nec testimoniũ ferre in causis fideliũ valent quoquo modo. *Disc.* De hoc postea collocutionem tecum habebo: ideo ad alias rationes transi. *Mag.* Quinto sic arguitur. Constitutus in dignitate, qui huic confert innocentiæ sanctitatem, hæreticari non potest, sed Papatus confert Papæ innocentiæ sanctitatem, teste Symacho Papa, qui vt habetur *dist. 40. c. Non nos*, ait: *quis sanctum dubitet esse quem apex tantæ potestatis extollit, in quo si desint bona acquisita per meritum sufficiunt, quæ à loci prædecessore testantur, aut enim claros ad hæc fastigia erigit, aut qui erigunt illustrat*. Ex his verbis intelligitur, quod quẽ dignitas Papatus extollit (etsi malus prius extiterit) sanctitate illustrat, quare nisi renunciauerit Papatui, hæreticari non potest. Sexto: si Papa contra fidem potest errare, & hæretica infici prauitate, eadem ratione & multo fortius quilibet Christianus poterit hæresi damnari, vbi autem quilibet de aliquo collegio hæreticari potest, etiam totum collegium hæreticari valebit, quare sequeretur, quod tota congregatio fidelium potest incurrere hæreticam prauitatem; quod doctrinæ euangelicæ aduersatur aperte. Septimo sic: qui potest errare contra fidem, potest contra præcepta aliquid imperare, ei autem, qui potest contra diuina præcepta imperare, non est necesse in omnibus obedire: quia secundum sententiam beati Petri *Act. 5.* potius obediendum est Deo, quam contra Deum iubenti. Si ergo Papa potest errare contra fidem, non est necesse Papæ in omnibus obedire: quia sacris canonibus obuiare videtur. Gregor. enim, vt habetur *dist. 19. c. nulli*, ait: *nulli fas est vel velle vel posse transgredi Apostolicæ sedis præcepta*, & idem Greg. vt habetur dist. 19. c. 1. *præceptis Apostolicis non superbia resistatur, sed per obedientiam quæ à sacra Romana ecclesia & Apostolica auctoritate iussa sunt salutifere impleantur.* Ex his verbis patet, quod præceptis Papæ est in omnibus obediendum, & per consequens errare non potest. Octauo sic: si Papa potest hæreticari, posset ab homine iudicari, sed Papa non potest ab homine iudicari, sicut sacri canones attestantur, ergo Papa hæreticari non potest.

CAP. V.

In quo ponuntur responsiones ad præcedentes quarti capituli rationes.

DISC. Quãuis illæ rationes videãtur mihi difficiles; tñ conclusioni nequeo assentire. Vnde qualiter respondeatur ad eas declara. *Mag* Ad primã earũ respõdetur, ꝙ in illa communitate, quæ nõ est sibiipsi relicta, sed est præseruata ab eo, qui errare nõ potest, potest esse iudiciũ certũ de dubiis, licet q̃libet de illa cõmunitate sigillatim possit errare, & hoc, q̃a nullꝰ eorũ specialiter p̃seruatur; q̃n possit errare sicut cõmunitas p̃seruatur, sic est de ecclesia militãte: quia quilibet in ecclesia militãte in manu

consilii

consilii sui relinquitur, vt secundum suæ voluntatis arbitrium manere possit in fide, gratia, affinitate diuina, vel à fide catholica deuiare, communitas autem Christianorum sic præseruatur à Deo, quod si vnus à fide exorbitauerit, alius firmus in fide diuino munere permanebit, vnde si papa cõtra fidem errauerit, alius Christianus, vir vel mulier, minime à fide recedet. *Discipul.* Nonne talis modus arguendi valet, quilibet Christianus potest errare contra fidem, ergo tota Christianorum communitas potest errare contra fidem. *Magist.* Talis modus arguendi (vt multi dicunt) non valet, sed est fallacia figuræ dictionis, quia sæpe à nomine, quod non est collectiuum, ad nomen collectiuum est fallacia figurę dictionis, sicut hoc, quilibet de populo potest sustentari de vno pane in die, ergo populus potest sustentari de vno pane in die. Et sicut hoc; vtraq; pars contradictionis potest esse vera, ergo contradictoria possunt esse vera. *Discip.* Non placet mihi, quod circa rationalem scientiã te diffundas, ideo refer quomodo ad alias rationes respondetur. *Mag.* Ad secundam rationem respondetur, quod quamuis ad hæreticum causę sint minime deferendę, ad illum tamen, qui hæreticus potest fieri, anteq̃ efficiatur hæreticus, sunt causę fidei deferendæ. Et ideo licet possit in prauitatem labi hæreticam, antequam tamen labatur, sunt causæ fidei deferendæ ad ipsum, sed si hæreticam incurrerit prauitatẽ, tunc non est ad ipsum quæstio fidei deferenda. Ad tertiam rationẽ dicitur, quod illæ scripturæ & decretales papæ inter scripturas canonicas, hoc est autenticas & veneratione dignas, sunt recipiendæ, q̃ scripturæ diuinæ aut sacris auctoritatibus patrũ sanctorum non inueniuntur aduersæ, & de huiusmodi sanctionibus, scripturis & epistolis papæ loquitur Aug. & Agatho papa, & alii sancti patres, scripturæ autem & epistolæ papæ, quæ sacræ paginæ & sacris dogmatibus contradicunt, sunt à cunctis fidelibus respuendæ, teste Gratiano, qui *di. 19. c. hoc autem*, ait: *hoc autem* (scilicet quod decretales paris auctoritatis sint cum canonibus) *intelligendum est de illis sanctionibus vel decretalibus epistolis, in quibus nec præcedentium patrum decretis nec euangelicis præceptis aliquid contrarium inuenitur*, & ibidem § *quia ergo*, ait: *Quia ergo illicite & non canonice, sed contra decretum prædeceßorum & successorum suorum hac rescripta dedit, vt probat Felix & Gelasius, qui Achatium ante Anastasium excommunicauerunt, & Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eundem Achatium postea damnauit, ideo à Romana ecclesia repudiatur & à Deo percussus esse legitur.* Ex his verbis colligitur, quod papa potest scribere decretales, quæ non sunt à catholicis acceptandæ, quod quidam exemplo probare conantur, nam decretales seu etiam scripta Ioh. 22. decretalibus & rescriptis Gregorii 9. Innoc. 4. Alexand. 4. Nicolai 3. & Clementis 5. & quorundam aliorum summorum pontificum, & ad ea quæ ad dogmata fidei spectant, obuiant & repugnant, contraria autem non sunt à catholicis recipienda, ergo vel scripta Iohan. 22. vel prædictorum summorum pontificum sunt à catholicis respuenda. Ad quartam rationem respondetur, quod summo pontificii in veteri lege & iudici oportebat omnes in talibus difficultatibus & ambiguis obedire, quando iuxta legem diuinam & veritatem iudices iudicabant, si autem contra diuinam legem aliquid præcepissent, non fuisset obediendum eisdem, sicut ex *li. Deuterono. c. 13. & 17.* colligitur euidenter. Quod autem sacerdotes summi veteris legis, & etiam iudices principales poterant contra legem Dei iubere, & contra fidei veritatem errare, constat ex hoc, quod plures eorum à veritate iudicii & fidei deuiauerunt, sicut per plura exempla posset ostendi, quod plures summi pontifices sacerdotes circa tempora Machabeorum legem Domini reliquerunt. Vrias enim sacerdos obediens regi Achas cõtra legem extrexit altare, sicut habetur *4. regum 16.* Summi etiam sacerdotes tempore Christi in multis contra legem errauerunt, iudices etiam Hebræorum nonnulli post Iosue contra legem egerunt, & omnes reges præter Dauid Ezechiam & Iosiam, idololatriam commiserunt, quare & summi sacerdotes & iudices in veteri lege cõtra legem potuerunt iubere: in quo etiã non erat obediendum eisdẽ: & consimiliter est de summo pontifice tenendum, quod errare potest contra legem diuinã: si tamen non errauerit, eius est standum sententiæ. Ad quintam dicitur, quod papatus officiũ non necessario confert suscipienti sanctitatem, plures enim summi pontifices in officio exercentes flagitia enormia commiserunt. Beatus enim Marcellinus idololatrauit. Anastasius secundus hæresim fautoriam hæreticorum incurrit. Stephanus papa Formosum papam defunctum persequebatur inique, omnes ordinationes eius irritas discernendo. Quin etiam corpus Formosi in concilio positũ, & papali veste exutum, laicali habitu indui: & duobus digitis dexteræ eius abscissis manus eius in Tiberim amputari præcepit. Sergius 4. papa Formosum papam de sepulchro extractum, & in sede pontificali habitu sacerdotali indutũ ipsum decollari præcepit, & in Tiberim iactari, & omnes per Formosum papã ordinatos deordinauit inique, Ioh. 3. venator & lubricus fœminas publice tenuit, Iohanni Diacono Cardinali nasum, & cuidam subdiacono manum amputari præcepit, qui tandẽ extitit papatu priuatus. Benedictus septimus deprædata primũ ecclesia sancti Petri Iohanni Cardinali Diacono oculos eruit, Syluester secundus Dæmones in papatu consuluit. Liquet ergo quod papatus non confert innocentiæ sanctitatem. Ad decretum autẽ Symachi respondetur, quod nequaquam Symachus papa intendit astruere, ꝙ nemo possit esse papa, nisi sanctus: cum constet multos scelestissimos viros fuisse in summo pontificio residentes, sed vult asserere Symachus papa, ꝙ ad papatus officiũ sublimatus ꝓsumendus est esse sanctus, etiam licet prius fuisset malus, nisi contrarium euidenter appareat, & ideo non dicit ipsum esse sanctũ, sed *quis sanctum esse dubitet?* quasi dicat nemo debet dubitare male suspicando, sed ꝓsumere, ꝙ assumptus ad papatũ sit sanctus, nisi contrariũ constiterit euidenter, & sic exponit Glo. idem, dicens: *& si quandoq; forte Apostoli non essent boni, semp præsumuntur esse boni*, obiiciens in contrariũ ait: *sed nõne in cõtrariũ est 19. di. Anastasius & 26. di. c. 1. § nunc autẽ?* ad q̃ obiectionẽ respõdẽs ait: *sed tamẽ nõ dicitur hic ꝙ sancti sint, sed ꝙ sancti præsumuntur, donec contrariũ cõstet*, & infra, ꝙ *hoc dicitur quod*

præsumuntur semper benefacere: intelligitur de his quæ bene possunt retorqueri ad bonum & ad malum: quia semper in dubio pro ipsius facto præsumitur, sed certe hoc idem est in quolibet sacerdote, vt 13. q. 3. absit, & eadem dist. c. 1. & *c. 16. q. 1. si clericatus, respondeo: hoc verum est, sed tamen hoc magis præsumitur pro papa, vt 93. di. c. 9. vnde sacrilegii instar esset disputare de facto suo, vt 18. q. 4. c. qui autem* Ad sextam rationem respondetur, sicut ad primam, quod non est vniuersaliter verum, quod si quilibet de collegio potest errare, quod totum collegium potest errare, sed quandoque collegium specialiter præseruatur, si etiam Dominus aliquis temporalis posset aliquod monasterium conseruare impediendo omnes similiter occidi; quamuis nullam vnam singularem personam, quamdiu essent multi, vellet defendere, sed si contingeret omnes occidi præter vnum, illum defenderet quousque alius sibi in eodem monasterio iungeretur; & ex tunc illum sibiipsi relinqueret: talis Dominus monasterium conseruaret, & tamen nullum de monasterio conseruaret, nisi tantum ad tempus. Ad septimam rationem respondetur, quod non est obediendum papæ, si aliquid præcipit contra legem Dei vel bonos mores, si enim præciperet fornicari, aut idolis immolare, vel dæmones inuocare, aut fidem Christi negare, vel aliquid de se malum, non esset sibi obediendum, sacri autem Canones loquuntur in casu, in quo papa præcepit aliquid licitum ad suum spectans officium. Ad vltimam respondetur, quod in casu potest papa iudicari ab homine.

CAP. VI.

Vbi proponitur secunda quæstio huius libri, scilicet vtrum collegium Cardinalium possit hæretica prauitate maculari. Quod non, decem rationibus hic probatur: ad quas respondetur cap. 8. huius.

DIscipulus. Post prædicta de papa cupio scire, quid de collegio cardinalium sentiant litterati, an scilicet omnes existiment, quod collegium Cardinalium possit hæretica prauitate respergi. *Mag.* De hoc sunt opiniones contrariæ, nam aliqui arbitrantur, quod totum collegium cardinalium hæreticari non potest, & huius opiniones videtur esse frater G. qui (vt à quibusdam de ordine Fratrum Minorum audiui) hoc in quodam processu facto contra Fratrem M. asserit manifeste. Pro hac autem assertione multis modis arguitur. Primo sic: ecclesia Romana hæreticari non potest, *24. q. 1. c. pudenda & c. à recta & c. memor*, vbi dicit Sixtus papa: *Memor sum sub illius nomine præsidere ecclesiæ, cuius confessio à Domino Iesu Christo glorificata est: Et cuius fides nullam hæresim vnquam fouet, sed omnes quidem hæreses destruit*, ista autem ecclesia (cui præfuit Sixtus) fuit ecclesia Romana, ergo ecclesia Romana hæreticari non potest, sed illa Romana ecclesia non est papa: quia papa præest Romanæ ecclesiæ, nullus autem sibiipsi præesse potest, ergo papa non est Romana ecclesia, quæ hæreticari non potest, nec vniuersalis ecclesia est Romana ecclesia: quia Romana ecclesia est magistra aliarum ecclesiarum & caput, vniuersalis autem ecclesia non est caput aliarum ecclesiarum, sed est totum corpus, nec potest dici, quod Romana ecclesia est populus Romanus, vel clerus cum populo, vel totus clerus, comprehendens totum collegium Cardinalium tanquam partem, nam ad Romanam ecclesiam spectat de aliis ecclesiis ordinare, sicut ex sacris canonibus colligitur euidenter, hoc autem non pertinet ad populum Romanum, nec ad clerum & populum, nec ad totum clerum Romanum qui comprehendit collegium Cardinalium tanquam partem, ergo per ecclesiam Romanam solummodo collegium Cardinalium debet intelligi: & per consequens idem collegium hæreticari non potest. Secundo sic: sedes Apostolica hæreticari non potest, teste Eusebio papa, qui, vt habetur *24. q. 1. c. in sede*, ait: *In sede Apostolica extra maculam semper est seruata catholica religio*; sedes autem Apostolica non est papa, qui præsidet Apostolicæ sedi: nec est populus Romanus, nec clerus, ergo est collegium Cardinalium, ergo collegium Cardinalium hæreticari non potest. Tertio sic. Illud collegium, quod solummodo (& non aliud) habet potestatem eligendi summum pontificem, qui est caput ecclesiæ, hæreticari nō potest: quia si illud collegium esset hæreticum, esset priuatum potestate eligendi summum pōtificem: quia hæretici summum pontificem non debent eligere, & per consequens tota ecclesia careret potestate eligendi summum pontificem: quod est inconueniens reputandū, sed ad solum collegium Cardinalium spectat potentia eligendi summum pontificem, vt ex decreto Nicolai papæ, quod ponitur *di. 79.* colligitur, ergo collegium Cardinalium hæreticari non potest. Quarto sic: illud collegium, ad quod spectat papam, si exorbitauerit à fide, corrigere & iudicare, non potest contra fidem errare: qa si potest contra fidem errare, non est papa eorum subiectus iudicio: immo etiam alii Christiani non essent necessario eorum subiecti iudicio in causa fidei; quia posset ab eis, si errarent, appellare, ergo multo fortius papa non esset eorum subiectus iudicio, sed collegium Cardinalium potest de papa hæretico iudicare, quod probatur exemplo eorum: qui Anastasium secundum, vt habetur *dist. 19.* repudiauerunt propter hæreticam prauitatem, illi autem fuerunt Cardinales, ergo ad Cardinales spectat papam de prauitate hæretica iudicare, & per consequens collegium Cardinalium hæreticari non potest. Quinto, illud collegium hæreticari non potest, quo hæreticato collegio tota multitudo Christianorum hæreticaretur: quia, vt habetur *6. q. 1. c. verum.* capite languente faciliter reliqua mēbra corporis inficiuntur, collegium autem Cardinalium est caput Christianitatis, ergo hæreticato collegio Cardinalium faciliter hæreticaretur tota Christianitas, sed tota Christianitas hæreticari non potest, ergo collegium Cardinalium hæreticari non potest. Sexto sic: si collegium Cardinalium posset hæreticari, multo magis quodlibet aliud collegium potest hæreticari, & ita nullum esset collegiū Christiano-

stiano-

stianorum, quod non posset hæreticam prauitatem incurrere, ergo tota Christianitas potest hæretica prauitate respergi: quod est minime concedendum, ergo collegium Cardinalium hæreticari non potest. Septimo sic: Illud collegium hæreticari non potest, cui nullus Christianus in his, quæ fidei sunt, audet resistere, nec contra ipsum fidem catholicam defendere: quia tali collegio hæreticato tota fides periclitaretur, sed collegio Cardinalium nullus audet in his, quæ fidei sunt, resistere Christianus, nec contra idem collegium aliquid tangens fidem defendere, ergo &c. Octauo sic: Collegium Cardinalium est nobilius & dignius collegio episcoporum, nam Cardinales in Romana curia ipsis præferuntur, sed collegium ipsorum episcoporum succedit collegio Apostolorum, quod hæreticari non potuit, ergo nec collegium episcoporum potest hæreticari: & per consequens multo fortius nec collegium Cardinalium. Nono sic: Illud collegium, quod de hæresi accusari nullatenus potest, non potest hæreticari, sed collegium Cardinalium accusari non potest de hæresi, nisi ab inferioribus, inferiores autem superiores accusare non possunt, secundum Canonicas sanctiones, ergo collegium Cardinalium de hæresi accusari non potest: & per consequens hæreticari nequit. Decimo sic: Illud collegium, in cuius fide saluantur simplices, hæreticari non potest: quia illo hæreticato collegio simplices saluari nequirent, sed simplices saluantur in fide maiorum, inter maximos autem maximi sunt Cardinales, ergo simplices saluantur in fide Cardinalium, ergo collegium Cardinalium hæreticari non potest.

CAP. VII.

In quo secundum opinionem aliorum ad oppositum arguitur decem rationibus, probando quod collegium Cardinalium possit hæretica prauitate fœdari: ad quas respondetur, c. 9. huius.

DIscip. Narra assertionem contrariam cum motiuis suis. *Mag.* Quidam indubitanter tenent, quod collegium Cardinalium in fide est nullatenus confirmatum: sicut nec collegium Monachorum & aliorum clericorum, & ideo hæreticari potest, nec est certum, quod nunquam contra fidem errabit: sicut nec est certum, quod errabit contra fidem. Isti assertores hanc assertionem multis rationibus fulcire nituntur. Quarum prima est hæc: Nulli particulari collegio per summum pontificem voluntarie & ad placitum instituto debet attribui, quod contra fidem errare non potest. Quia quod aliquod collegium contra fidem errare non posset, aliter probari non potest, nisi quia Christus promisit fidelibus catholicam fidem vsque ad finem seculi permansuram. Verba autem Christi promittentis fidem vsque ad finem seculi permansuram de nullo collegio particulari à summo pontifice instituto debent intelligi: quia Christus promissionem suam in ordinatione summi pontificis nequaquam instituit, collegium autem Cardinalium est collegium particulare à summo pontifice voluntarie & ad placitum institutum. Quia nec à Christo nec ab Apostolis legitur institutum: eo quod nec in scriptura sacra nec in gestis Apostolorum de Cardinalibus aliqua mentio reperitur. Ergo temerarium est dicere, quod collegium Cardinalium nunquam contra fidem errabit. Secundo: Illud collegium, quod summus pontifex potest destruere vel cassare, non est illa ecclesia, quæ errare non potest, quia illa ecclesia, quæ non potest errare, non potest esse nulla *24. q. 1. putanda*, & per consequens à summo pontifice destrui & cassari non potest, summus autem pontifex sicut collegium Cardinalium instituit, ita posset illud collegium destruere vel cassare: quia posset Cardinalibus morientibus alios minime subrogare, nec in hoc diceretur præcepti diuini transgressor; eo quod de Cardinalibus creandis nullum inuenitur præceptum diuinum, ergo collegium Cardinalium non est illa ecclesia, quæ contra fidem errare non potest. Tertio sic: Illa ecclesia, quæ contra fidem errare non potest, post tempora Apostolorum non incepit, quia ecclesiæ, quæ erat temporibus Apostolorum, promisit Christus se cum ea vsq; ad finem seculi permansurum, cum dicitur Matt. vltim. *vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.* In quibus verbis Christus innuit manifeste: quod ab illo tempore vsq; ad finem seculi nunquam ecclesia à fide catholica esset recessura, & illa ecclesia, quæ errare non potest, post tempora Apostolorum nequaquam incepit, collegium autem Cardinaliũ post tempora Apostolorum incepit, ergo collegium Cardinalium non est illa ecclesia, quæ contra fidem errare non potest. Quarto sic: Illud, quod est inferius papa, non est ecclesia, quæ contra fidem errare non potest, quia sicut papa contra fidem potest errare, ita omne collegium inferius ipso potest contra fidem errare, collegium autem Cardinalium est inferius papa, ergo potest contra fidem errare. *Discip.* Per hanc rationem probaretur, quod tota congregatio fidelium potest contra fidem errare, quia tota est inferior papa. *Mag.* Respondetur quod non procedit ratio de tota congregatione fidelium: quia quando sedes Apostolica non vacat, tota congregatio fidelium non est inferior papa, quia comprehendit papam: sed tota fidelium multitudo præter papam est inferior papa, & de illa conceditur, quod potest errare contra fidem, quia secundum eos fides potest in solo summo pontifice permanere. *Discipul.* Compleas alias rationes. *Magist.* Quinta ratio est hæc, de illa sola ecclesia firmiter est tenendum, quod non potest contra fidem errare, de qua firmiter est credendum, quod extra ipsam non est salus, sed extra collegium Cardinalium potest esse salus, multi enim saluantur, qui Cardinales non sunt, ergo collegium Cardinalium non est illa ecclesia, quæ errare non potest. Sexto sic: sicut omnis persona, quæ potest errare in moribus, potest etiam errare contra fidem, ita etiã omne collegiũ, quod potest peccare contra bonos mores, potest peccare contra fidẽ, si enim essent duo

duo vel tres Cardinales tantummodo non esset necesse quod aliquis eorum esset in caritate; nimo potest quilibet eorum esse in peccato mortali, constat autem, quod nonnunquam viri sceleratissimi ad Cardinalatus officium assumuntur, ergo idem collegium potest contra fidem errare. Septimo sic: Illud collegium, quod potest errare contra minora & faciliora, potest etiam errare contra maiora & difficiliora, minus autem & facilius est eligere summum pontificem, quam causas fidei diffinire, collegium vero Cardinalium potest errare contra electionem summi pontificis, manifeste enim errauit, quando mulierem in papam elegit, potest etiam papam per symoniam eligere, sicut aperte insinuat Glo. *di. 59. c. si quis pecunia*, ergo collegium Cardinalium in diffiniendo causas fidei potest errare. Octauo collegium Cardinalium nec sanctitate nec fidei firmitate collegium Apostolorum excedit, hæc considerantibus vitam & mores eorum est tam nota, quod probatione non indiget, sed collegium Apostolorum potuit errare, & errauit, tempore enim passionis Christi nullus eorum fixus in fide remansit, ergo collegium Cardinalium potest errare contra fidem. *Discip.* Ista ratio non videtur concludere, quia collegium Apostolorum, licet ante missionem sancti Spiritus errauerit, tamen post dictam missionem non errauit. *Magist.* Non videtur illis, quod hoc impediat argumentum: quia collegium Apostolorum non solum post missionē sancti Spiritus, sed etiam ante passionem Christi v-beriori gratia sanctitatis & veritatis illuminatione maiori præfulgebat, quam collegium Cardinaliū, ipsos ei ante Christus multipliciter commendauit, dicens Matt. 5. *Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ*; & Ioh. 15. *Iam non dicā vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius, vos autē dixi amicos, quia omnia quæcunq; audiui à patre meo nota feci vobis*. Et de firmitate eos commendauit, Luc. 22. dicens: *vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis*, si ergo Apostoli, qui comparantur cedris, secundum beatum Greg. à fide poterant deuiare: temerarie Cardinales (qui in omni vēto doctrinæ tanquam arundines agitantur,) dicuntur non posse à veritatis tramite aberrare. Nono sic: nulla dignitas ecclesiastica viatorem sanctificat, nec inobliquabilem à fide constituit, hæc ex auctoritatibus allegatis supius approbatur aperte, quod etiam ex verbis Chrys. quæ ponuntur *di. 19. c. multi*, colligitur, ait enim *non locus sanctificat hominem*, & infra: *qui bene sederit super cathedram, honorem cathedræ accipit: qui autem male sederit, iniuriam cathedræ facit*. Ex his verbis datur intelligi, quod dignitas ecclesiastica nō attribuit sanctitatem: & per consequens non confert impossibilitatem errandi contra fidem, sed tota multitudo Cardinalium ante dignitatem Cardinalatus adeptam potuit errare contra fidem, ergo eadem multitudo post dignitatem Cardinalatus adeptam, potest contra fidem errare. Decimo sic: collegium eminentius & superius collegio Cardinalium sc. collegium archiepiscoporum & episcoporum, potest errare contra fidem, ergo multo magis collegium Cardinalium potest errare contra fidem. Hic essent duo prænotanda. Primum sc. quod collegium archiepiscoporum & episcoporum est eminentius collegio Cardinalium; quod ex hoc ostenditur, quod olim Cardinales Romanæ ecclesiæ ad archiepiscopatus electi & assumpti fuerunt, secundum quod ex *Registro* Innocentii, & *gestis Romanorum pontificum* habetur, non debet autem aliquis eligi de statu maiori ad minorem, licet econuerso, ergo status archiepiscoporum est maior statu Cardinalium. Secundum prænotandum est: quod collegium aut communitas archiepiscoporum & episcoporum potest contra fidem errare, quod patet ex hoc, quia Christus non ꝓmisit, quod fides catholica esset in episcopis vsq; ad finem seculi permansura. Vndecimo sic: de vna sola ecclesia militante dicitur, ꝙ non potest errare contra fidem, collegium autē Cardinaliū non est ista ecclesia, licet sit pars huius ecclesiæ: sicut etiam ecclesia Parisiens. est pars istius ecclesiæ, ergo congregatio Cardinalium potest errare contra fidem. Confirmatur hæc ratio: quia quod competit toti ecclesiæ, non est attribuendum parti ecclesiæ, etiam principali, nisi hoc possit per rationem necessariam vel auctoritatem apertam ostendi, collegium autem Cardinalium est pars ecclesię, quæ errare non potest contra fidem, ergo non posse errare contra fidem non debet attribui collegio Cardinalium: cum nec per rationem necessariam, nec per auctoritatem apertam possit ostēdi. Duodecimo sic: Illud collegium, quod contra fidem errare non potest, non indiget aliorum consilio pro conclusionibus fidei terminandis, collegium autem Cardinalium sępe in conclusionibus fidei terminandis aliorum consilio orthodoxorum indiget, aliter enim pro conclusionibus huiusmodi superfluum esset generalia concilia celebrare, ergo concilium Cardinalium potest contra fidem errare.

CAP. VIII.

Soluit rationes sexti capituli tenendo, quod collegium Cardinalium possit errare, vbi nota, quod ecclesia Romana & sedes Apostolica multipliciter sumuntur.

DIscipul. Durum mihi videtur asserere, collegium Cardinalium posse contra fidem errare: & tamen rationes ad hoc inductæ apparent difficiles, quamobrem qualiter ad rationes vtriusq; partis respondetur, ostende. Et primo quomodo respondetur ad rationes pro prima assertione. *Magist.* Ad primam istarum respondetur, ꝙ *Romana ecclesia* multipliciter accipitur, aliquando enim accipitur pro vniuersali ecclesia: aliquando pro papa: aliquando pro clero & Romano populo: aliquando ꝓ collegio Cardinalium. Illa autem ecclesia Romana, quæ errare non potest, est vniuersalis ecclesia: & non collegium Cardinalium. *Discip.* Circa illam materiam non dicas hoc amplius: quia de ea postea te interrogabo, sed dic quomodo respondetur ad secundam rationem. *Mag.* Ad secundam dicunt quidam: quod per *sedem Apostolicam* aliquando intelligitur papa: aliquando dioecesis sua: aliquando papa cū collegio Cardinalium: aliquando vniuersalis ecclesia, illa autem sedes Apostolica, quæ errare non

re non potest contra fidem, secundum aliquos, est vniuersalis ecclesia, secundum quosdam vero, est Romana diœcesis. *Discip.* De hoc etiam ad præsens supersedeas, & dic ad tertiam rationem. *Magist.* Ad tertiam rationem respondetur, quod sicut Imperator (qui aliquando habuit potestatem eligendi summum pontificem vt habetur *in decre. di. 63. c. Adrianus & c. in synodo,*) potuit hæreticam incurrere prauitatem, ita etiam illud collegium, quod nunc habet potestatem eligendi summum pontificē, potest prauitate hæretica maculari. *Discip.* Si illud collegium hæreticaretur, nullus haberet potestatem eligendi summum pontificem: & ita in ecclesia Dei de eligendo summo pontifice non esset sufficienter prouisum. *Mag.* Respondetur, quod sufficienter prouisum est, quia si collegium Cardinalium hæreticaretur, electio deuolueretur ad Romanos, si autem (sicut dicunt aliqui) esset possibile, quod omnes Romani hæreticarentur, potestas eligendi summum pontificem deuolueretur ad alios orthodoxos. *Discip.* De hoc tecum post collocutionē habebo, narra, quomodo respondetur ad quartam rationem. *Mag.* Respondetur ad illam rationem distinguendo: quia aut papa publice & notorie incidit in hæresim manifestam explicite iam damnatam, & in illo casu non solum collegium Cardinalium (si in fide permanserit) sed etiam diœcesanus loci, in quo moratur papa, haberet papam effectum hæreticum iudicare, & tunc negatur maior illius rationis, quia sicut papa effectus hæreticus est subiectus iudicio diœcesani fidelis, qui tamen potest errare: ita etiam papa effectus hæreticus est subiectus iudicio collegii Cardinalium in fide manentium, quod tamen potest hæreticari: quo hæreticato non haberet de papa iudicare, aut papa incidit in hæresim damnatam solummodo implicite, & tunc non collegium Cardinalium, sed collegium generale habet iudicare de ipso. *Discip.* Quomodo potest aliquis, qui errare potest, de papa hæretico iudicare? *Magist.* Respondetur quod sicut episcopi & inquisitores hæreticæ prauitatis, de quibus non est dubium, quin possint errare contra fidem, si tamen non errauerint, sed in fide permanserint orthodoxa, possunt de aliquo alio, ita & de papa effecto hæretico iudicare. *Discip.* Dic ad alias rationes. *Magist.* Ad quintam respondetur, quod hæreticato collegio Cardinalium non propter hoc hæreticatur tota multitudo Christianorum, quod autem dicitur capite languente &c. hoc de multis membris continet veritatem, non tamen semper de omnibus membris verificatur, tempore enim Anastasii tertii caput (scilicet Anastasius, qui fuerat papa) languebat hæretica prauitate, & tamen multa membra sana & integra permanebant. Ad sextam rationem respondetur dupliciter, vno modo, concedendo quod nullum est collegium neq; prælatorum, neq; religiosorum, neq; laicorum, neq; clericorū, neq; virorum, neq; mulierum, quod non possit errare contra fidem, collegium tamen vniuersaliter Christianorum, quod de facto comprehendit viros & mulieres, Deus nunquam permittet contra fidē errare, aliter dicitur, quod totum collegium Romanæ diœcesis non potest errare contra fidem, neque valet consequentia: collegium Cardinalium potest errare contra fidem, ergo quodlibet aliud Collegium particulare potest errare contra fidem. Interdum est aliqua prærogatiua, quæ competit toti, q̄ non est attributa parti, & ideo licet secundum istos tota Romana diœcesis non possit errare contra fidem: tamen collegium Cardinalium, quod est pars diœcesis, poterit errare contra fidem. Ad septimam respondetur, quod si collegium Cardinalium contra fidem erraret, inuenirentur alii Christiani, qui eis auderent resistere: quia timor mortis eos nequaquam retraheret à confessione & defensione catholicæ veritatis, sicut temporibus imperatorum, qui erāt Domini mundi & multo maioris potentiæ temporalis, quam sint cardinales, multi sancti martyres confitebantur fidem catholicam & pro viribus defensabant. *Discip.* Nunc non inuenirentur tales. *Mag.* Dicitur quod sic, si enim nunc quamplurimi seculares se ꝓ defensione temporalium contra totum collegium Cardinaliū opponunt, non est incredibile reputandum, quin aliqui se exponerent ꝓ defensione fidei, si collegium Cardinaliū fidem catholicam expugnaret. *Discip.* Dic quomodo respondetur ad octauam rationem. *Mag.* Ad octauam rationem dicitur, quod collegium episcoporum potest errare contra fidem, nec est certū nec per scripturam diuinam, nec per doctrinam vniuersalis ecclesiæ, nec per doctrinam sanctorū, quod omnes episcopi tempore Antichristi vel aliquo alio tempore à fide catholica minime errabunt: imo existimant aliqui, quamuis ad hoc fundamentum solidum haberi non possit, quod sicut pontifices & Pharisæi crucifixerunt Christum, ita episcopi & religiosi & clerici erunt principales sectatores Antichristi, nec aliquis clericus vel religiosus sibi opponet. *Disc.* Hoc est temerarie dictum, etiam esto q̄ non sit certum, an aliqui clerici Antichristo resistant: ideo transi & indica, quomodo respondetur ad rationem nonam. *Mag.* Ad nonam dicitur, quod collegium Cardinalium posset accusari de hæresi, & cum dicitur, inferiores superiorem accusare non possunt, hoc negatur in multis casibus. Ad decimā respondetur, quod simplices non saluarentur in fide Cardinalium, sed saluarentur si hæreticarentur in fide Apostolorum, vel aliorum sanctorum, qui credebant explicite illud, quod simplices credunt implicite, vnde quod dicitur, quod simplices saluantur in fide maiorum, vel in ecclesiæ, debet intelligi, quod saluantur in illa fide, quæ fuit in Apostolis explicite, & adhuc est in maioribus, si maiores nō sunt simplices in lege diuina, & sunt catholici & fideles, si enim soli illiterati, vel paruā habentes notitiam in lege diuina essent catholici, & omnes episcopi & religiosi ac clerici essent hæretici, quamuis illiterati, non crederent explicite multa, quæ spectant ad fidem: credentes tamen illam esse veram fidem, quam prædicauerunt Apostoli, pro qua sancti martyres sunt occisi, saluarentur in fide maiorum, scilicet Apostolorum & aliorum sanctorum, qui credebant explicite, quod credunt isti implicite.

CAP.

Cap. IX.

Soluit rationes septimi capituli defendendo pro prima opinione, quod collegium Cardinalium hæreticari non potest.

Discipulus. Audiui, quomodo tenentes aliam assertionem respondeant ad rationes pro prima assertione, nunc affecto scire, quomodo primi assertores nituntur soluere rationes inductas pro secunda assertione. *Magist.* Ad primam dicitur, quod sicut secundum patres sanctos Christus immediate dedit papatum Romanę ecclesiæ, & tamen de hoc nulla mentio in scriptura diuina habetur, ita Christus promisit, quod Romana ecclesia esset vsq; ad finem seculi duratura, Romana autem ecclesia est collegium Cardinalium, cum vero dicitur, collegium Cardinalium est constitutum à summo pontifice. Respondetur, quod quamuis ita sit, tamen succedit priori collegio, quod errare non potuit: & ideo nec ipsum potest errare contra fidem. Ad secundam dicitur, quod summus pontifex non potest collegium Cardinalium destruere vel cassare, sicut nec potest statutum ecclesiæ immutare *5. q. 1. quæ ad pœnitentiam.* Ad tertiam autem dicitur, quod collegium Cardinalium succedit illi ecclesiæ, quæ temporibus Apostolorum errare non potuit, & ideo non potest errare. Ad quartā conceditur, aliqua ecclesia inferior papa non potest errare contra fidem, sicut ecclesia Romana, cui præsidet papa, est inferior papa, & tamen non potest errare in fide. Ad quintā dicitur, quod nullus, qui est sic extra collegium Cardinalium, in his, q̄ concedit collegium Cardinalium, aduersatur eidē, potest saluari, q̄uis saluari possit, licet non sit Cardinalis. Ad sextam dicitur, ꝙ collegium totum Cardinaliū, etiā si non essent nisi duo, non possent errare cōtra bonos mores, q̄a præseruarentur à Deo. Ad septimam dicitur, quod sicut aliquando ecclesia præseruatur circa maiora & non circa minora, ita congregatio à Deo præseruatur, ne fidei catholicæ iacturam sustineat, quam tamen Deus patitur in multis pressuris & angustiis corporalibus tribulari: ita collegium Cardinalium præseruatur, ne erret in electione summi pontificis. Ad octauam dicitur, quod nec ex sanctitate, nec ex fidei firmitate Cardinalium maiori, quam habuerunt Apostoli, est quod collegium Cardinalium errare non potest, sed ex promissione Christi, vnde illud argumentum, si valeret concluderet, quod omni tempore post Apostolos potuit congregatio fidelium errare contra fidem, quia in congregatione fidelium post tēpora Apostolorum nec maior sanctitas nec maior fidei firmitas quam in Apostolis fuit inuenta. Ad nonam dicitur, quod dignitas ecclesiastica nec sanctificat nec inobliquabilem in fide instituit aliquā personam, tamen Christus præseruat ab errore contra fidem aliquod collegium habens aliquam specialem dignitatem, quemadmodum religio Christiana nec sanctificat nec inobliquabilem reddit aliquam personam, Christus tamen præseruat collegium suscipientium religionem Christianam ne erret contra fidem. Ad decimam dicitur dupliciter, vno modo, quod collegium archiepiscoporum & episcoporum non potest contra fidem errare, & isti concedunt, quod præter congregationem fidelium sunt plura collegia particularia, quæ contra fidem errare non possunt, sc. collegium Cardinalium & collegium episcoporum. Aliter dicitur, quod collegium Cardinalium, quantum ad aliqua, est eminentius collegio episcoporum, licet quantum ad aliqua sit inferius ipso, & ideo licet Cardinales valeant eligi ad episcopatus, poterit tamen collegium episcoporum vel ipsorum cardinalium esse confirmatum in fide. Ad vndecimam dicitur, quod de vna sola ecclesia militante in generali asseritur, quod non potest contra fidem errare, cum hoc tamen stat, quod sit aliqua ecclesia particularis, quæ non possit errare contra fidem, sicut conceditur quod congregatio fidelium errare non potest, & tamen simul cum hoc conceditur, quod concilium generale contra fidem errare non potest. Ad vltimam dicitur, quod collegium Cardinalium in quæstionibus fidei terminandis requirit aliorum concilium, vt magis autenticetur per consensum plurium determinatio eorum.

Cap. X.

In quo ponitur alia quæstio incidens ex præcedentis tractatione, vtrum sc. Papa cum collegio Cardinalium simul possit hæretica prauitate maculari, & circa hanc ponuntur duæ opiniones.

Discip. Exiguitati meæ videtur, quod ad rationem septimam, octauam & nonam sufficienter responsum extitit, sed ad rationes alias responsiones nequaq̄ intelligo: quarum tamen vsq; ad tēpū discussionem maiorem volo differri, nunc autem occasione prędictorum scire desidero, quid sentiunt Scholastici de collegio Cardinalium vna cum papa sc. an papa & hi Cardinales simul possint prauitate hæretica irretiri? *Mag.* Circa hoc sunt diuersæ opiniones. Qui enim dicunt, quod papa nō potest errare contra fidem, etiam illi qui asserunt, quod collegium Cardinalium non potest contra fidem errare, habent dicere consequenter, quod papa vna cum collegio Cardinalium non potest cōtra fidem errare, cuius ratio videtur esse præcipua: quia ecclesia Romana non potest contra fidem errare, ecclesia autem Romana est papa vna cum collegio Cardinalium, ergo &c.

Item sedes Apostolica errare non potest contra fidem, sedes autem Apostolica papam & collegium Cardinalium tantummodo comprehendit, ergo &c. Alii asserunt manifeste, quod papa vna cum collegio Cardinalium potest errare contra fidem, quorum rationes fundamentales tactæ sunt prius. Tum, quia si papa cum Cardinalibus non potest contra fidem errare, frustra ad quæstiones fidei terminandas generalia concilia congregarentur. Tum quia, de vna sola ecclesia habetur ex scri-

ptura

ptura diuina, quod errare non potest. Tum quia extra papam & Cardinales est salus. Tum quia omnes possent simul crimine irretiri, ergo omnes etiam possent simul contra fidem errare.

CAP. XI.

In quo ponitur tertia quæstio principalis huius, vtrum ecclesia Romana, seu sedes Apostolica valeat hæretica infici prauitate, & circa hoc sunt 4. principales assertiones, sed subdiuiditur in duas.

DIscip. Vt cerno, proposita mea interrogatio dependet ex alia: an scilicet ecclesia Romana seu sedes Apostolica valeat hæretica infici prauitate, ideo de illa disserere non postponas. *Mag.* Ex prædictis potes euidenter elicere, quod circa illam interrogationem tuam non omnes consentiunt. Vnde quidam dicunt absque distinctione, quod nec ecclesia Romana, nec sedes Apostolica potest errare contra fidem: intelligentes per Romanam ecclesiam & sedem Apostolicam, papam tantum vel collegium Cardinalium tantummodo, vel simul papam & Cardinales. Alii dicunt, quod ecclesia Romana contra fidem errare nō potest, intelligentes per Romanam ecclesiam, clerum Romanum, qui papam & Cardinales & alios clericos comprehendit. Alii dicunt, quod ecclesia Romana, quæ comprehendit omnes clericos in quibusdam mundi partibus constitutos, errare non potest. Et quidam istorum dicunt, quod licet aliqui clerici possent errare contra fidem, tamen maior pars nunquā contra fidem errabit. Alii vero dicunt, quod multitudo clericorum potest errare; sed semper aliqui clerici in fide manebunt. Alii autem de ecclesia Romana distinguunt dicētes, quod aliquando papa, quandoq; collegium Cardinalium, aliquotiens papa cum Cardinalibus, quandoq; totus clerus Romanus, interdum tota Romana diœcesis, nonnunquam tota congregatio fidelium nomine *Romana ecclesia* importatur. Et de ecclesia Romana illo vltimo modo dicta dicunt, quod non potest errare, de papa autem & Cardinalibus, de tota Romana diœcesi, quæ est distincta ab aliis diœcesibus in prouinciis aliis constitutis, concedunt quod potest errare contra fidem. Nec est certum nec per scripturam, nec per doctrinam vniuersalis ecclesiæ, quod ciuitas Romana cum tota regione, quæ spectat ad episcopatum Romanum, cum venerit Antichristus, sibi minime adhærebit: nec etiam ante tempora Antichristi tota discedet à fide Catholica.

CAP. XII.

In quo probatur, quod vniuersalis ecclesia potest Romana ecclesia appellari, duabus rationibus.

DIscipul. Miror quod isti dicunt, totam Romanam ecclesiam aliquando congregationem fidelium importare, vnde si hoc possunt trahere ex scripturis autenticis, aperire digneris. *Mag.* Quod per Romanam ecclesiam congregatio fidelium valet importari, ex scriptura nituntur ostendere. Primo sic: Omnis ecclesia Romanorum potest ecclesia Romana appellari, sed omnes fideles possunt appellari Romani. Vnde & beatus Paulus extra totam Italiam natus, antequam Romam venisset, se esse Romanum ciuem asseruit, *actor. 6.* ergo tota congregatio fidelium potest Romana ecclesia appellari. Secundo arguunt sic: Illa ecclesia, quæ non habet maculam neq; rugam neq; aliud huiusmodi, potest Romana ecclesia appellari, teste Pelagio papa, qui, vt habetur *dist. 22. c. quamuis*, loquens de Romana ecclesia ait: *Est ergo prima Apostoli Petri sedes Romana ecclesia, non habens maculam neq; rugam nec aliquid huiusmodi.* Vbi dicit Glo. Ord. *quod vbicunq; sunt boni, est Romana ecclesia.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod tota congregatio bonorum, vbicunque sint, potest ecclesia Romana appellari, & per consequens tota congregatio fidelium potest ecclesia Romana appellari.

CAP. XIII.

In quo probatur quod ecclesia Romana vt distinguitur à tota congregatione fidelium, non potest contra fidem errare, & hoc octo rationibus & quibusdam auctoritatibus, ad quas respondetur infra cap. 14.

DIscipulus. Circa interrogationem propositam considero sententias hominum multipliciter variari, de quibus duas tantummodo pertractes ad præsens. Primo enim allega pro prima sentētia, qua asseritur, quod Romana ecclesia, quæ distinguitur à congregatione fidelium, sicut pars à suo toto, non potest contra fidem errare, postea pro assertione contraria allegare coneris. *Mag.* Quod ecclesia Romana (quæ distinguitur à tota congregatione fidelium, sicut pars à suo toto) contra fidem errare non possit, multis modis ostenditur. Primo sic: Illa ecclesia, quæ voce euangelica Domini & Saluatoris nostri cæteris ecclesiis est prælata, contra fidem errare non potest, quia (vt habetur *actor. 5.*)

opus Dei dissolui non potest ab hominibus, si autem illa ecclesia, quæ voce diuina cæteris ecclesiis est prælata, contra fidem erraret, desineret esse caput aliarum ecclesiarum, & ita opus Dei dissolueretur. Sed Romana ecclesia, quæ distincta est contra alias ecclesias; & per consequens contra totam congregationem fidelium (sicut pars contra suum totum) voce Domini cæteris ecclesiis est prælata, teste Pelagio, qui, vt habetur *distin.21.c. quamuis*, ait: *quamuis vniuersa per orbem catholica ecclesia constituta vnus thalamus Christi sint, tamē sancta Romana ecclesia catholica & apostolica nullis Synodicis constitutionibus cæteris ecclesiis prælata est, sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri principatum obtinuit*, ergo hæc ecclesia Romana errare non potest. Secundo sic: Illa ecclesia contra fidem errare non potest, quę priuilegium super alias ecclesias non potest amittere, quia eo ipso, quod aliqua quæcunq; ecclesia hæreticetur, omne priuilegium super quoscunq; orthodoxos amitteret, cum omnes hæretici quibuscunq; catholicis sint minores, *24.q.1.c. si autem*, ecclesia autem Romana super alias ecclesias priuilegiū non potest amittere: imo esset hæreticus reputandus, qui priuilegium auferre sibi conaretur: cum ꝑ assertione illius, ꝙ potest veritatem habere, non sit inter hæreticos numerandus. Sed qui priuilegium Romanę ecclesiæ auferre conatur, in hæreticā labitur prauitatem, teste Nicolao papa, qui, vt habetur *22.di.c. omnes*, loquens de Romana ecclesia, q̃ est distincta contra alias ecclesias, ait: *non est dubium, quia quisquis cuiuslibet ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit. Qui autem Romanæ ecclesiæ priuilegium ab ipso summo omnium ecclesiarum pontifice traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur, & cum ille vocetur iniustus, hic est dicendus hæreticus.* Ex quibus verbis habetur, quod qui conatur auferre priuilegium ecclesiæ Romanæ, hæreticus est censendus, & per consequens tale priuilegiū à Romana ecclesia auferri nō potest. Et per consequens ipsa hæreticari non potest, quia eo ipso, ꝙ hæreticaretur, omne priuilegiū ꝑderet. Tertio sic: Illa ecclesia contra fidē errare non potest, sine qua nulla ecclesia catholica valet regi: quia Deus ecclesiā vniuersaliter non rectam nunq̃ vsq; in finem seculi dereliquit. Igitur nec vsq; in finem seculi derelinquet illā ecclesiā, sine qua nulla ecclesia regitur, sed sine ecclesia Romana non esset ecclesia catholica rite disposita, teste Anacleto papa, q. vt habetur *di.22.c. sacrosanctam*, ait: *hac vero Apostolica sedes caput & cardo, vt præfatum est, à Domino & non ab alio constituta est, & sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ Apostolicæ sedis auctoritate omnes ecclesiæ (Domino disponente) reguntur*, ergo hęc sedes Apostolica, quæ est Romana ecclesia, contra fidem errare non potest. Quarto sic: illa ecclesia contra fidem errare non potest, à qua quicunq; dissentit non est inter episcopos computandus catholicos: quia propter dissensionem ab hæreticis nemo à numero catholicorum excludēdus est, sed quicunq; ab ecclesia Romana dissentit, non est de catholicis episcopis reputandus, teste beato Ambro. qui, vt habetur *24.q.1.c. aduocauit*, ait: *aduocauit ad se Cyprianum episcopum Satirum, nec vllam putauit veram nisi veræ fidei gratiam, percunctatusq; est eum, vtrum nam de catholicis episcopis esset, hoc est, si cum ecclesia Romana communicaret.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod nemo potest esse ex catholicis episcopis, nisi cū ecclesia Romana communicet, igitur Romana ecclesia errare non potest. Quinto: Illa ecclesia errare non potest, extra q̃ nemo saluatur, sed extra Romanam ecclesiam nemo potest saluari, teste Hiero. qui, vt habetur *24.q.1.c. quantum vetus*, loquens de Romana ecclesia ait: *Ego nullum præmium nisi Christum sequens beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communione, consortio & super illam Petram fundatam ecclesiam scio, quicunq; extra hanc domum agnum comederit prophanus est, si quis in Archa Noe non fuerit, peribit diluuio regnante.* Et infra: *quicunq; non colligit mecum, dispergit.* Ex quibus datur intelligi, quod quicunq; non fuerit per conformitatem & vnitatem fidei intra Romanam ecclesiam, de qua loquitur Hieron. saluari nequit. ergo Romana ecclesia de qua loquitur Hiero. contra fidem errare non potest: quia si erraret, qui esset intra eam, minime saluaretur. Sexto. Illa ecclesia non potest contra fidem errare, à qua omnis Christianus discedens, est inter schismaticos computandus, sed quicunq; à Romana ecclesia discedit, est inter schismaticos computandus, seu computatur; quia extra ecclesiam reputatur, teste Cypria. qui, vt legitur *di. 93. c. qui cathedram Petri*, ait: *qui cathedram Petri, super quam fundata est ecclesia, deserit, in ecclesia se esse non confidat*, & Innoc. tertius, vt recitatur *extra, de maioritate & obedientia*, omnes ab ouili Christi asserit alienos; & per consequens schismaticos, qui Petri successores & magistros non cognoscunt & pastores, ergo Romana ecclesia contra fidem errare non potest. Septimo sic: Corpus sine membris consistere non potest, ecclesia autem fidelium est corpus mysticum, ergo ecclesia sine membris esse non potest, membrum autem principale noscitur esse caput, ecclesia vero Romana est caput totius ecclesiæ Dei, ergo ecclesia Dei sine ecclesia Romana esse non potest, illa autem ecclesia, sine qua ecclesia Dei esse non potest, non potest errare contra fidem, ergo ecclesia Romana contra fidem errare non potest. Octauo sic: Illa ecclesia non potest contra fidem errare, quam nulla malitia valet extinguere, sed ecclesiam Romanam nulla malitia valet extinguere, teste Pelagio papa, qui, vt habetur *24. q.1.c. pudenda*, ait: *cum ecclesia vna sit, nullam aliam esse constat, nisi quæ in Apostolica est radice fundata*, & infra recitans verba Aug. subiungit: *si nullo modo recte potest dici ecclesia, in qua schisma est, restat vt quoniam ecclesia nulla esse non potest, ea sit, quam in Apostolicæ sedis per successiones eorum constitutam, nulla hominum malitia, etiam si nota, excludi non possit, sed pro temporis ratione iudicatur toleranda, nullo modo valet extinguere.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod ecclesiam in radice sedis Apostolicæ constitutam per successionem episcoporum, quæ est Romana ecclesia, nulla malitia hominum valet extinguere, ergo papa contra fidem errare non potest. Conclusionem prædictam, quod ecclesia Romana errare non potest, auctoritatibus fulcire nituntur, ait enim Hieronym. 24. q.1. cap. *à recta: Hæc sancta & Apostolica mater ecclesiarū omnium Christi ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiā à tramite Apostolicæ traditionis nunquam errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus damnata succumbit, sed vt ab*

exor-

exordio normam fidei suscepit ab auctoribus Apostolorum Christi principibus illibata fide hactenus manet, & ibidem Hieronym. vt habetur 24. q. 1. c. *haec est fides*, ait: *sancta Romana ecclesia (quae semper immaculata permansit) Domino prouidente & beato Petro opem ferente in futuro seculo permanebit sine vlla haereticorum insultatione firma & immobilis omni tempore persistet.* Ex his videtur, quod Romana ecclesia nunquam contra fidem errauit, nec errabit.

Cap. XIV.

In quo ponitur quaedam alia quaestio incidens ex praecedenti tertia quaestione principali, à quo scilicet Romana ecclesia super omnes alias obtinuit principatum, de qua quinque assertiones, seu conclusiones ponit, quae iuuant praecedentis capituli assertionem, & quae probantur sigillatim in capitulis sequentibus.

Discipulus. Si non fallor, ad sciendum an Romana ecclesia possit contra fidem errare, confert non modicum indagare, à quo Romana ecclesia super omnes alias obtinuit principatum. Quia si habuerit principatum à Deo, non videtur quod possit isto principatu priuari, nisi à solo Deo. Et ita vsque in finem seculi est habitura principatum, & per consequens nunquam contra fidem errabit. Si autem habuerit principatum ab homine, non video quare ipsa non possit errare contra fidem, sicut aliae ecclesiae particulares. Nunc igitur peto, vt (aliqualiter à principali proposito digrediendo) de hac re cures disserere, quid Scholastici sentiant indicando. Bene enim postea ad propositum principale faciam te reuerti. *Mag.* De principatu ecclesiae Romanae diuersi diuersas & aduersas affirmant sententias, quibusdam dicentibus, quod nec beatus Petrus, nec aliquis successor eius, nec Romana ecclesia super alias habuit à Deo seu à Christo principatum: imo dicunt, quod nec beatus Petrus ex ordinatione Christi superior fuit aliis Apostolis, nec aliquis Episcopus ex ordinatione Christi est superior alio. Vnde quinque assertiones circa hanc materiam probare nituntur. Prima est, quod beatus Petrus ex ordinatione Christi non habuit super alios Apostolos principatum. Secunda, quod Petrus non fuit Romanus episcopus. Tertia quod beatus Petrus ex ordinatione Apostolorum super alios Apostolos papatum obtinuit. Quarta est, quod ex ordinatione Christi nullus sacerdos supra alios habet maiorem potestatem. Quinta est, quod Romana ecclesia ab ipso Constantino Imperatore super omnes alias ecclesias primatum accepit.

Cap. XV.

In quo ponitur & probatur prima conclusio, scilicet quod beatus Petrus non habuit super alios Apostolos ex ordinatione Christi principatum, tribus rationibus, & aliquibus auctoritatibus: Ad oppositum huius ponitur opinio contraria capitulo 16. immediate sequenti.

Discipul. De istis conclusionibus valde miror, quod quis literatus tenere praesumit: Veruntamen ad excitanda ingenia motiua eorum audire desidero, quia ex ipsis forsitan veritas clarius elucescet. *Magist.* Primam assertionem; quod videlicet beatus Petrus super alios Apostolos ex ordinatione Christi non habuit principatum, auctoritatibus scripturae diuinae & sanctorum probare nituntur. Talem autem possunt facere rationem. Beatus Petrus super illos à Christo non habuit principatum, qui aequalem potestatem seu principatum potestati Petri seu primatui receperunt à Christo, quia par super parem nullum noscitur habere principatum, Apostoli autem potestatem aequalem beati Petri potestati receperunt à Christo &c. Hinc auctoritatibus scripturae diuinae & sanctorum moliuntur ostendere. Primo autem hanc declarare conantur auctoritate Christi dicentis cunctis Apostolis, Matth. 18. *Amen dico vobis, quaecunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in coelis.* Ex quibus verbis dicunt manifeste patere, quod potestas ligandi & soluendi aequalis potestati beati Petri fuit data Apostolis à Christo, beatus autem Petrus nullam potestatem, in qua dicatur alios excellere, recepit à Christo, nisi potestatem ligandi & soluendi, ergo beatus Petrus & omnes alii Apostoli aequalem potestatem habuerunt à Christo. Hoc etiam Iohann. Euangelista (recitans verba Saluatoris) videtur asserere 20. c. dicens: *Dixit iterum, pax vobis, sicut misit me pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflauit & dixit: accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod Christus claues, quas promiserat beato Petro, tunc dedit omnibus Apostolis, & cum beato Petro dixit: *tibi dabo claues regni coelorum*: omnibus Apostolis in persona Petri promisit claues regni coelorum, quare cum claues promissae, & postea datae beato Petro eius potestatem designent, sequitur quod alii Apostoli aequalem potestatem cum beato Petro acceperunt à Christo, & ita Petrus potestatem seu principatum aut primatum super alios Apostolos à Christo non habuit. Amplius: Recipere potestatem super alios, quam non debet in eos recipiens

exercere, est superfluum, vanum & inutile reputandum in operibus autem Christi nihil superfluum, vanũ & inutile poterit repeiri. Christus autem non dedit B. Petro aliam potestatem super alios Apostolos, q̃ in eos debuit exercere: imo talem potestatẽ B. Petro & omnibus aliis Apostolis super alios Apostolos interdixit, dicens Mat. 20. *Scitis quia principes gentiũ dominantur eorũ, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos*, & Mar. 10. ita legitur: Iesus autem vocans eos ait illis: *Scitis quod hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum potestatem habent ipsorum: non ita est autem in vobis*, Luc. 22. c. recitat verba Christi dicens; *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur: vos autem non sic*. Ex quibus verbis datur intelligi, quod nullus Apostolus debuit potestatem in alios exercere, ergo nec beatus Petrus habuit à Christo potestatem super alios Apostolos seu primatum. *Discip.* Istæ duæ auctoritates non videntur facere ad ꝓpositum, nam verba Christi prædicta debẽt intelligi de potestate temporali: beatus autẽ Petrus non habuit à Christo sup alios Apostolos potestatẽ temporalẽ, sed spiritualem, quare ꝑ auctoritates pr̃missas ꝓbari nõ potest, nisi ꝙ beatus Petrus non habuit potestatẽ temporalem sup alios Apostolos, qualẽ reges & principes gentium noscuntur habere. *Mag.* Hanc rationem nituntur excludere ostendentes, ꝙ Christus cuilibet Apostolo super alios Apostolos potestatem temporalẽ & spiritualem interdixit. Nam, teste Hilario, vt habetur *extra de verb. significationibus*, intelligentia dictorũ ex causis est assumẽda dicendi. Verba ergo Christi pr̃missa ex causa dicendi debent intelligi, Christus autẽ dixit verba ꝓdicta occasione accepta ex contentione Apostolorũ, quis eorũ videretur esse maior. Ita enim legitur Luc. 22. *Facta est contentio inter eos, quis eorũ videretur esse maior. Dixit autẽ eis* &c. Inter eos autem non fuit contentio de maioritate temporali, sed spirituali. Ergo Christus potestatẽ interdicens eisdẽ sub potestate non solũ temporalẽ, sed etiã spiritualẽ cõprehendit, ergo B. Petrus potestatẽ super alios Apostolos nec temporalẽ nec spiritualẽ accepit à Christo. Rursus: si aliqua potestas vel principatus fuit data B. Petro à Christo sup alios Apostolos, data fuit sibi ꝑ illa verba Ioh. vlt. *Pasce oues meas*, sed ꝑ illa verba nulla fuit data potestas spiritualis vel principatus sup alios Apostolos, ergo principatũ super alios Apostolos nõ accepit à Christo. Maior huius rationis conceditur. Minor ꝓbatur: q̃a spiritualiter pascere oues non contingit nisi tripliciter sc. salutari doctrina, & vita exemplari, & disciplina seu correctione regulari, sed q̃libet istorum modorũ pascendi oues Christi, communis fuit omnibus Apostolis. Vniuersi enim Apostoli oẽs oues Christi doctrina pascere debuerunt, ipsa veritate testante, q̃ omnibus præcepit Apostolis, Mat. vlt. dicens: *Euntes ergo docete oẽs gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; manifestaui vobis*. Oẽs etiã debuerunt pascere vita exẽplari, ipsis Christo dicente Mat. 5. *Vos estis lux mundi*, & sequtur: *Sic luceat lux vestra corã hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrẽ vestrum qui in cœlis est*. De modo pascendi correctione & disciplina regulari habetur Iohan. 20. vbi Christus dixit omnibus Apostolis: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*, vbi videtur Christus omnibus Apostolis potestatem corrigendi alios commisisse. *Discip.* Ista ratio non concludit, quia beato Petro fuit collata potestas corrigendi cunctos Christianos non solum in foro conscientiæ, sed etiam in foro ecclesiæ: aliis autem Apostolis, cum Christus dixit eis, *Quorum remiseritis peccata* &c. potestas corrigendi in foro conscientiæ tantum fuit commissa. *Mag.* Hanc responsionem ipsi improbare nituntur hoc modo: Vbi Christus ordinauit modum corrigendi in foro ecclesiæ, nihil speciale beato Petro commisit, sed potestatem corrigendi in foro ecclesiæ commisit non solum beato Petro, sed communitati ecclesiæ dicens Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos: vt in ore duorum vel trium stet omne verbum, quod si non audierit eos, dic ecclesiæ, si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod Christus dedit ecclesiæ potestatem corrigendi in foro ecclesiæ, & non alicui Apostolo in speciali. *Discip.* In his verbis agitur de correctione fraterna, & non de correctione iudiciali in foro ecclesiæ. *Magist.* Respondent isti, quod in principio allegationis ait Christus de fraterna correctione, quæ debet præcedere saltem correctionem iudicialem, in fine autem loquitur de correctione iudiciali in foro ecclesiæ, cum dixit: *& si non audierit eos, dic ecclesiæ, si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Discip.* Quomodo potest stare, quod Christus potestatem corrigendi in foro ecclesiæ solummodo commiserit ecclesiæ, cum Apostolus Paulus Corinthum excommunicauit, & in epistola *ad Timotheum primo* asserit se quosdam Sathanæ tradidisse? *Mag.* Ad hoc respondetur, quod ex commissione Christi sola communitas fideliũ habuit potestatem corrigendi in foro ecclesiæ, Christus tamen non arctauit communitatem fideliũ ad certum modum corrigendi, quando scilicet posset per se totam, quando esset expediens, vel per aliquam singularem personam, quæ gereret vicem communitatis, corrigere delinquentes & ita dicunt beatũ Paulum potestatẽ corrigendi accepisse à cõitate fidelium vnius ꝓuinciæ vel diuersarũ prouinciarum. *Discip.* Secundũ hoc sequitur, ꝙ Christus non reliquit aliquod caput ecclesiæ. *Mag.* Concedũt isti, ꝙ Christus non reliquit caput ecclesiæ, ꝙ ex ordine Christi haberet potestatẽ coercendi delinquentes in foro ecclesiæ: nec tñ insufficienter ꝓuidit ecclesiæ: q̃a ordinando ꝙ ecclesia haberet potestatẽ corrigendi, disposuit ꝙ ecclesia sibi vnũ caput vel plura secundũ diuersitatẽ ꝓuinciarum eligeret: imo dicunt ꝙ pro bono cõmunitatis ecclesiæ est, ꝙ in potestate ecclesiæ sit sibi vnũ caput vel plura eligere, quod etiam vel quæ quãdo expediens videretur ecclesiæ posset deponere, cum ergo Christus optime prouiderit ecclesiæ, in potestate posuit ecclesiæ sibi vnum caput vel plura eligere, sicut enim

enim sæpe expedit communitati, vnum caput habere: ita interdum potest esse expediens communitati regi à pluribus. Sicut enim nonnunquam expedit rectorem habere perpetuum, ita aliquando expedit rectorem habere non perpetuum, sed ad tempus habere. Et ideo in quibusdam communitatibus secularibus non improuide ordinatur, quod rectores annis singulis vel post tres menses vel alium numerum mensium vel annorum vel dierum suum resignent officium, vel penitus deponantur: in quibusdam communitatibus non vnus solus, sed plures præficiuntur regentes. Ratio autem prædictorum assignatur; quia in prouidendo regimini alicuius communitatis non solum conditionem & mores subditorum, sed etiam mores & conditiones præficiendorum oportet attendere. Et ideo quia potest contingere, quod in communitate non inueniatur aliquis idoneus, vt solus regimen super communitatem accipiat; in tali casu non vnus, sed plures communitatem vtiliter gubernabũt. Quando autem in communitate inuenitur idoneus, vt solus regat, & subditi sponte vnius regnum patiuntur, tunc melius est vnum quam plures communitati præesse, ergo propter multiplicem varietatem personarum, locorum & temporum non potest in his certa regula dari. Cum ergo Christus, vbi certa regula dari non potest conuenienter, nequaquam ecclesię certam regulam tradiderit, relinquitur quod Christus minime ordinauit semper vnum caput ecclesiæ præficiendum, cum hoc sæpe possit in præiudicium ecclesiæ redundare. *Discip.* Isti omnino nituntur potestatem summi pontificis annullare: sed de hoc transeamus ad præsens, & si aliter assertores præfati suam opinionem, quod beatus Petrus non accepit à Christo super alios Apostolos potestatem seu primatum, fulcire nituntur enarra. *Magist.* Eandem assertionem auctoritatibus sanctorum munire conantur. Et primo auctoritate beati Anacleti, qui fuit vicinus temporibus Apostolorum, & ideo gesta Apostolica sibi cognita fuerunt, ait enim idem Anacletus, vt recitatur di.21.cap. in nouo: *In nouo testamento post Christum Dominum à Petro cœpit sacerdotalis ordo: quia ipsi primo pontificatus in ecclesia Christi datus est, dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum. Hinc ergo ligandi & soluendi potestatem accepit, primus autem à Domino, primumq; ad fidelẽ populum virtute suæ prædicationis adduxit: cæteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorẽ & potestatem acceperunt.* Ex quibus verbis colligunt isti, quod beatus Petrus nullam super alios Apostolos ex ordinatione Christi habuit potestatem: tum quia asserit Anacletus, ipsos pares in potestate fuisse: tum quia asserit pontificatum ecclesiæ datum beato Petro in potestate ligandi & soluendi cõsistere, omnes autem Apostoli in hac potestate pares fuerunt, ergo quantum ad pontificatum erant pares. *Discip.* Ista auctoritas non facit pro eis: quia, vt dicit ibi Glo. *cum omnis episcopus est par Apostolico quantum ad ordinem & rationem consecrationis, Petrus tamen fuit maior aliis in administratione.* *Mag.* Nonnulli prædictorum assertorum dicunt hic Glossam errare, quia textum aperte corrumpit: quia textus affirmat omnes Apostolos cum beato Petro pares in potestate fuisse, administratio autem est potestas quædam vel potestatis actus. Ergo Petrus alios Apostolos nullatenus in administratione præcellebat.

Item prædictam assertionem, quod beatus Petrus alios Apostolos minime præcellebat, probant auctoritate beati Cypriani, qui, vt habetur 28.q.1.c. *loquitur*, ait: *loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi quia tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam, super vnum ædificat ecclesiam, & quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: sicut misit me pater & ego mitto vos; accipite Spiritum sanctum: tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit hoc: erant vtiq; Apostoli cæteri, quod Petrus fuit, pari consortio præditi honoris & potestatis.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod licet Petrus prius tempore habuerit potestatem à Christo, postea tamen Apostoli parem potestatem acceperunt, & ita Petrus extunc eos ex ordinatione Christi in potestate (& per consequens nec in administratione) nullatenus præcellebat. Item hoc probant auctoritate beati Aug. quæ ponitur *24.q.9.c. Paulus*, ait: *Paulus enim Petrum reprehendit: quod non auderet, nisi se non imparem esse sciret.* *Discip.* Ad hoc respondet Glo. ibi dicens, quod *sciuit se non imparem meritis, non tamen administratione.* *Mag.* Hanc rationem reputant falsam & friuolam, falsa est enim, vt dicunt, quod licet Paulus sciuisset se esse in charitate & multa merita habuisse, non tamen sciuit se esse parem beato Petro in meritis: imo probabile est, quod tanquam vere humilis reputauit beatum Petrum se præcellere sanctitate, etiam non nisi per reuelationem valuit scire, se non imparem meritis beato Petro, non autem legitur, quod Deus reuelauerit beato Paulo, quod meritis fuerit par beato Petro: quia quod de scripturis autenticis non profertur, temere affirmatur. Est etiam friuola: quia ad hoc, quod aliquis reprehendat alterum, non requiritur paritas meritorum, tunc enim nunquam vnus homo potest licite reprehendere meliorem. Intendit enim Aug. quod Paulus par fuit beato Petro potestate, & ei non erat subiectus, nec in administratione, nec in aliis quibuscunque, quæ ad superioritatem & potestatem spectant.

Cap. XVI.

In quo ponitur opinio contraria, quare ad oppositum arguitur probando, quod beatus Petrus habuit ex ordinatione Christi super alios Apostolos principatum, & hoc quinq; rationibus.

Discip. Non putabam pro illa opinione hæretica, quod tot auctoritates vocales sonarent ꝓ ipsa; tamen nolo nunc plures allegationes audire, quamuis velim eam magis diligenter discutere.

Sed vt veritatem catholicam contrariam melius intelligam, quomodo eadem veritas maiori auctoritate muniatur, ostende mihi, nullatenus manifestans quam assertionem reputes veriorem. *Magist.* Quod beatus Petrus super Apostolos habuit potestatem & primatum à Christo, multis modis ostenditur. Primo sic: ille, cuius curæ & regimini tempore Apostolorum fuit totus grex Dominicus commissus à Christo, etiam super Apostolos, qui tunc erant de grege Dominico curam & regimen accepit à Christo. Sed curæ & regimini beati Petri totus grex Dominicus commissus fuit à Christo ipso dicente eidem Ioh. vltim. *Pasce oues meas*, inter illas oues & has non distinguens, ergo & Apostoli qui extra numerum ouium nequaquam censendi fuerunt, curæ & regimini beati Petri commissi fuerunt. Secundo sic: illi, cui terreni simul & cœlestis imperii iura commissa fuerunt tempore Apostolorum, ipsi Apostoli subiecti fuerunt: Sed B. Petro tempore Apostolorum prædicta iura commissa fuerunt, teste Nicolao papa, qui, vt habetur 22. distin. ca. 1. *omnes supra Petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro clauigero terreni imperii iura cômisit*, ergo Apostoli, qui tunc fuerunt, beato Petro subiecti extiterunt. Tertio sic: Caput super alia membra principatum habere dignoscitur, beatus autem Petrus caput fuit Apostolorum, teste Leone papa, qui, vt habetur *19. dist. ca. ita Dominus*, ait; *Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis Saluator instituit, vt veritas, quæ antea legis & Prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorũ, sed huiusmodi muneris sacramentũ ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod beatus Petrus institutus fuit caput Apostolorum à Christo, & super ipsos habuit primatum à Christo. Quarto sic: Ille, qui tempore Apostolorum omnium ecclesiarum constituit sacerdotes, super ipsos Apostolus habuit principatum. Sed temporibus Apostolorum beatus Petrus omnium ecclesiarum constituit sacerdotes, iuxta tenorem Innocen. papæ, qui, vt legitur *di. 11. c. quis nesciat*, ait: *cum sit manifestatum, omnem Italiam, Galliam & Hispaniam & Africam atque Siciliam, Insulas interiacentes, nullum instituisse super ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus & successores eius cõstituerunt sacerdotes.* Ergo beatus Petrus super alios Apostolos habuit principatum. Quinto sic: beatus Petrus acceperat potestatem regendi omnes Apostolos, teste Gregor. qui, vt recitatur *11. q. 7. c. Petrus*, ait: *Petrus potestatem regendi acceperat, & tamen idem Apostolus Apostolorum primus querimonia contra eum* &c. Ergo beatus Petrus super Apostolos potestatem habuit & principatum. *Discip.* Non curo, quod pro veritate prædicta multas rationes adducas, cum auctoritas debeat ad eam tenendam sufficere. Canit enim ecclesia vniuersalis de beato Petro, *Tu es pastor ouium princeps Apostolorum.* Ideo ad alias quatuor assertiones, de quibus fecisti mentionem procede, & motiua earum compendiose declara.

CAP. XVII.

In quo pro secunda, tertia & quarta assertionibus prædictis arguitur: & præcipue pro quarta.

M*Agist.* Secunda assertio prædictorum est proposita sc. supra *c. 14.* quod beatus Petrus non fuit Romanus episcopus. Ad quod ponendum mouentur ex hoc, quod in tota scriptura diuina actus Apostolicos describente minime reperitur, quod beatus Petrus fuerit Romæ, & non videtur verisimile, quod beatus Petrus rexisset Romanam ecclesiam: & tamen beatus Lucas de ipso nullam omnino fecisset mentionem. Tertia assertio est: quod beatus Petrus ex ordinatione Apostolorum super eos habuit principatum. Et auctoritate beati Anacleti, quæ ponitur *21. dist. in nouo*, ostenditur, ait enim loquens de beato Petro: *cæteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumq; principem eorum esse voluerunt.* Ergo ex electione Apostolorum beatus Petrus factus est princeps eorum. Quarta assertio eorum est, quod ex ordinatione Christi nullus sacerdos super alios habet potestatem aliquam. Nec vnus habet maiorem potestatem super gregem sibi commissum, quam alius, ex constitutione Christi. Sed omnis superioritas vnius sacerdotis super alium in remedium schismatis est propter bonum commune ab ipsis etiam sacerdotibus instituta. Hæc autem auctoritate Hieronym. (quæ ponitur *di. 93. c. legimus*) probare nituntur, ait enim: *Cum Apostolus perspicue doceat eosdem esse episcopos, quos presbyteros, quid patitur mensarum & viduarum minister* &c. Et infra: *audi aliud testimonium, in quo etiam manifestissime declaratur vel comprobatur eundem esse episcopum & presbyterum, propter hoc reliqui te Cretæ, vt ea quæ deerant corriperes & constitueres presbyteros per ciuitates, sicut ego tibi mandaui, si quis sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, & non in accusatione luxuriæ, aut non subditos, oportet enim episcopum esse sine crimine quasi Dei dispensatorem*, 1. ad Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam & per impositionem manus mei presbyterii. Sed & Petrus in prima epistola: presbyteros, qui in nobis sunt precor ego compresbyter, & infra. Parua tibi videntur tantorũ virorum testimonia, clangat tuba euangelica filius tonitrui quem Deus amauit plurimum, qui de pectore Saluatoris doctrinarum fluenta potauit, presbyter electæ Dominæ & filiis eius quos ego diligo in veritate. Et in alia Epistola presbyter Caio carissimo quem ego in veritate diligo. Quod autem postea vnus electus est, qui, vt præponeretur cæteris in schismatis remedium factum est, ne vnusquisq; ad se trahens ecclesiam Christi rumperet, nam & Alexandriæ à Marco Euangelista vsque ad Hesdram & Dionysium episcopos presbyteri semper ex se vnum eligebant, & in excelsiori gradu collocabant, quem episcopum nominabant, quomodo si exercitus imperatorem faciat.* Ex his verbis colligunt isti, quod inter presbyteros, de qb. exemplificat beatus Hieron. nulla erat supioritas ex ordinatione

Christi

Christi, cum post exempla omnia supra dicta dicat Hiero. *quod aũt vnus electus est, qui cæteris præponere-tur, in schismatis remedium factũ est.* Ex quibus datur intelligi, quod prælatio vnius presbyteri super alios post ordinationem Christi ab ipsis presbyteris existit instituta. Beatus autem Hiero. exemplificat de B. Petro & de B. Iohanne Euangelista, & de aliis presbyteris per Timotheum constituendis. Ergo B. Petrus super alios presbyteros qualescunq; ex ordinatione Christi nullam habuit superioritatẽ. Ex quo concludunt, quod nullus presbyter ex ordinatione Christi est superior alio, sed ex ordinatione humana solũmodo. Item specialiter, quod episcopi super presbyteros superioritatem nõ habeant ex ordinatione Christi, auctoritate Hiero. super epistolam ad Thimo. quæ ponitur *di. 95. ca. olim*, ostendunt, ait n. *olim idẽ presbyter & episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione vel schismata fierent, & diceretur in populis: ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego Cepha, communi presbyterorum concilio gubernabãtur: postquam vnusquisq; eos, quos baptizauerat suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris supponeretur & schismatis semina tollerentur.* Et paulo post: *sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerat esse subiectos, ita episcopi ipsi nouerunt se magis consuetudine, quã dispensationis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in cõmuni debere ecclesiam regere.* His verbis, vt videtur, aptissime affirmatur, quod ex institutione diuina inter presbyteros & episcopos nulla est distinctio. Vnde isti dicũt, quod olim quilibet episcopus erat presbyter, & quilibet presbyter erat episcopus, & ideo tota distinctio inter Papam & patriarcham, archiepiscopos & episcopos, & inter episcopos & presbyteros solummodo ex ordinatione humana est, & non ex ordinatione Christi.

CAP. XVIII.

In quo arguitur pro quinta & sexta assertionibus.

DISC. Quinta assertio prædictorum est: Quod Romana ecclesia ante tempora Constantini super alias ecclesias non habuit principatum. Sexta vero assertio eorum est: Quod Romana ecclesia à Constantino Imperatore super alias ecclesias primatum & principatum accepit. Istas aũt duas assertiones simul quidã sic nituntur probare. Constantinus Imperator constituit, vt Romanus Pontifex esset caput omnium ecclesiarum. Ergo Romana ecclesia à Constantino & non aliter super alias ecclesias habuit principatum. Antecedens probatur per illud in *decre. di. 96.* & accipitur *de gestis B. Siluestri*, vbi sic habetur: *Constantinus Imperator quarto die sui baptismatis priuilegium Romanæ ecclesiæ Pontifici contulit, vt in toto orbe Romano Pontifices vel sacerdotes ita caput suum habeant, sicut iudices regem.* Et infra: *Et sicut nostra est terrena imperialis potentia, ita & eius sacrosanctam ecclesiam Romanam decernimus venerantes honorare & amplius, quam nostrum imperium terrenumque tronum sedem sacrosanctam B. Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatẽ & gloriam & dignitatem atque vigorem, & honorificentiam, imperialem atque decernentes sancimus, vt principatum teneat tam super quatuor sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam, quam etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Dei ecclesias. Et Pontifex qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus & totius mundi existat, & eius iudicio, quæ ad cultum vel fidem Christianorum & stabilitatem procreanda fuerint, firmiter disponantur.* Ex his verbis datur intelligi, vt videtur, quod Romana ecclesia non nisi à Constantino super alias ecclesias obtinuit principatum.

CAP. XIX.

Vbi ponitur contraria super principatu Romanæ ecclesiæ assertio, siue opinio, scil. quod Romana ecclesia non accepit à Constantino Imperatore super alias ecclesias principatum, sed hanc habuit à conciliis generalibus.

DISC. Ista assertio de principatu Romanæ ecclesiæ mihi non placet, ideo assertionem contrariã allegationibus fulcire coneris. *Mag.* Pluribus modis ponitur, quod Romana ecclesia ante tempora Constantini super omnes alias habuit principatum, sed vnus modus est, quod habuit principatum auctoritate conciliorum generalium. Vnde in decre. sic legitur 1. di. 17. § *hinc etiam scientes, quod eius sedi primam Petri Apostoli meritis, deinde secuta iussione Domini conciliorum venerandorum auctoritas singularem in ecclesiis tradidit potestatem.* Ex quibus verbis habetur, quod veneranda concilia tradiderunt sedi B. Petri singularem super ecclesias potestatem.

CAP. XX.

Vbi deducitur auctoritatibus, quod ecclesia Romana super alias ecclesias habuit principatum immediate à Christo per euangelium, & ante ascensionem.

DISC. Aliter dicit, q̃ Romana ecclesia à Christo imediate, q̃n ordinauit B. Petrũ in summum Põtificẽ, dicẽs: *Tu es Petrus, & sup̃ hanc Petrã ædificabo ecclesiã meam,* sup̃ oẽs ecclesias primatũ & principatũ accepit. Hoc Pelagius Papa in *decr. di. 21. c. quãuis*, apte sentire videtur, cũ dicit: *Sancta Romana ecclesia catholica & Apostolica nullis synodicis cõstitutionib. cæteris ecclesiis prælata est, sed euãgelica voce Domini & Saluatoris*

toris nostri primatum obtinuit tu es (inquiens Deus) Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiã meã. Hoc etiã Nicolaus Papa videtur asserere, qui, vt legitur 22. di. c. 1. ait: *omnes siue Patriarchæ in cuiuslibet apicem, siue metropoleos primatus, ac episcopatus cathedras, vel ecclesiarum cuiuslibet ordinis instituit Romana ecclesia: illam vero solus ipse fundauit, & supra Petram fidei mox nascentis erexit*, & parum post: *non ergo quælibet terrena sententia, sed illud verbum, per quod constitutum est cœlum & terra, per quod dicitur, quia condita sunt omnia elementa, ecclesiam fundauit Romanam.* His etiam verbis Anacletus consentire videtur, qui, vt habetur 22. dist. ca. *sacrosancta*, ait: *sacrosancta ecclesia & Apostolica non ab Apostolis: sed ab ipso Domino nostro saluatore primatum obtinuit: sicut beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.* Hoc etiam Gelasius Papa, vt legitur 9. q. 3. c. *cuncta*, comprobare videtur. Ait enim: *Apostolica sedes sine vlla synodo præcedente & soluendi quod synodus inique damnauerat, nulla synodo exercente, quos oportuit habuit facultatem, & hoc nimirum pro suo principatu, quem beatus Petrus Domini voce & tenuit semper & tenebit.* Item Leo Papa, vt habetur 24. q. 1. c. *cum beatissimus*, ait: *cum beatissimus Petrus Apostolus à Domino acceperit principatum, & Romana ecclesia in eius remaneat institutis.* Ex his omnibus datur intelligi, quod Romana ecclesia ab ipso Christo ante ascensionem eius in cœlum recepit & habuit super omnes alias ecclesias principatum.

CAP. XXI.

In quo probatur, quod ecclesia Romana super omnes alias ecclesias habuit principatum immediate à Petro se transferente in ecclesiam Romanam, quo probato deducuntur correllarie tres conclusiones, vbi postea notatur, si tam possit transferre sedem à Roma ad aliam ciuitatem, vbi respondetur secundum opinionem [illegible] cui oppositum dicit quod sic, opinio secunda.

MAg. Tertius modus dicendi est, quod Romana ecclesia non habuit immediate à Christo super alias ecclesias principatum: imo per plures annos Domini post ascensionẽ alii ecclesiæ fuit subiecta, nec etiã habuit primo principatum à conciliis, vel etiã à collegio Apostolorũ. Sed primo immediate habuit principatum à B. Petro transferente sedem suã in Romanam ecclesiã, eam omnib. ecclesiis aliis præferente, & ideo à Christo habuit immediate principatum. B. enim Petrus electus in Papã & prælatũ totius ecclesiæ à saluatore ante ascensionẽ pro se & pro suis successorib. ac etiã pro ecclesia, vbi sedẽ suam disponeret collocare, primatũ habuit. Et ideo quia transtulit sedem suã de Antiochia, extunc Romana ecclesia super alias ecclesias obtinuit principatum. Hoc Marcellinus scribens omnibus episcopis per Antiochiam constitutis, vt habetur 24. q. 1. c. *rogamus*, ait enim: *Rogamus vos fratres dilectissimi, vt non aliud doceatis neq; sentiatis, quã à B. Petro Apostolo & reliquis Apostolis & patribus accepistis, ipse n. est caput totius ecclesiæ: cui Dominus ait: Tu es Petrus, & super &c. Eius n. sedes primitus fuit apud vos, quæ postea iubente Domino Romã translata est, cui adminiculante gratia diuina hodierna die ipsi præsidemus. Si vero vestra Antiochia, quæ olim prima erat, Romanæ cessit sedi, nulla est quæ nõ sit subiecta eius ditioni.* Ex his plures assertiões ad suũ propositũ pertinentes isti nituntur colligere. Quarũ prima est, quod Dominus ante ascensionẽ suã B. Petrum caput cõstituit totius ecclesiæ. Et hoc etiã Anacletus Papa, vt habetur di. 22 c. *sacrosanctam*, asserit manifeste dicens, *inter B. Apostolos quædam fuit dissensio, & licet oẽs Apostoli essent cũ B. Petro, tamen à Domino concessũ est (& ipsi inter se idipsum voluerunt) vt reliquis omnib. præesset Apostolis, & Cephas, id est caput & principatum teneret Apostolatus, quod Christus promisit dicens: tu vocaberis Cephas.* Secunda assertio, quã isti colligunt ex prædictis est, quod ecclesia Antiochena super alias ecclesias habuit principatũ. Quia sicut B. Petrus fuit prælatus & princeps Christianorum omniũ, ita eius sedes prima fuit inter oẽs ecclesias. B. aũt Petrus prius quã Romæ habuit sedem Antiochiæ, sicut hic dicitur. Quod etiã asserit Anacletus di. vbi prius: *tertia vero sedes Antiochia eiusdẽ B. Petri Apostoli habetur honorabilis, quã illic priusquam Romam veniret habuit.* Et his concordat Anteros Papa, vt scribitur 7. q. 1. c. *mutationes*, dicens, *Petrus factus magister meus, tibi princeps Apostolorũ de Antiochia ciuitate vtilitatis causa est translatus Romam, vt ibidẽ potius proficere posset.* Ex his habet, quod sedes Petri primo fuit Antiochiæ: vbi (sicut in Cronicis reperitur) sedit annis septem, & ista ecclesia Antiochena septem annis super oẽs ecclesias & super Romanã sedem anteq̃ aliqui Romani conuersi fuissent, obtinuit principatũ. Tertia assertio, quã colligunt ex prędictis est, quod Romana ecclesia post Antiochiã obtinuit principatũ, & sic post passionẽ Domini fluxerunt vndecim anni, anteq̃ ecclesia Romana haberet super alias ecclesias principatũ. Ex quo concludunt, quod ante ascensionẽ Domini nequaquã habuit principatũ. *Disc.* Si prædicta vera essent, ecclesia Hierosolymitana super alias ecclesias quatuor annis haberet principatũ: quia sicut habetur in Cronicis B. Petrus post passionẽ Domini anteq̃ Antiochiæ sibi sedẽ eligeret, cathedrã quatuor annis tenuit, nec legitur vbi sederit nisi Hierosolymis, ergo Hierosolymitana ecclesia super alias ecclesias tunc obtinuit principatũ: quod tñ veritatem non videtur habere. *Mag.* Ad hoc respondetur, quod B. Petrus quatuor annis tenuit cathedrã, nullam sibi ecclesiam eligendo, sed tanq̃ prælatus & princeps omniũ sedebat vbicũque volebat. Sed post quatuor annos sibi in Antiochia sedẽ elegit, volens aliũ (dum esset ibidẽ) præficere ipsum, & ideo nõ Hierosolymitana ecclesia fuit prima: quia, sicut legitur in *Legenda B. Iacobi*, idẽ Iacobus statim post passionẽ Domini ab Apostolis Hierosolymitanorũ fuit episcopus ordinatus, & ita Petrus illã ecclesiam sibi non appropriauit: sed illi, sicut cæteris omnibus, præfuit, & ita nõ Petrum episco-

episcopum habuit speciale, aliter fuisset de ecclesia Antiochena. *Dis.* Adhuc cupio scire, an secundū istos Papa potest transferre sedem Papalē de Roma in aliam ciuitatē. *Mag.* Ad hoc quidam eorum dicunt, ꝙ bene potest fieri auctoritate summi Pontificis, quorum ratio est, quia Papa respectu sedis Apostolicæ est tantæ potestatis, quantæ fuit B. Petrus, sicut ergo B. Petrus vtilitatis causa transtulit sedē suam de vna ciuitate ad aliam: ita potest Papa sedem Papalem de Roma transferre ad aliam ciuitatē. *Disc.* Nunquid secundum istos esset concedendum, si Papa transferret sedē Parisios, ꝙ ecclesia Parisiens. voce euangelica Domini obtinuit principatū? *Mag.* Diceretur quod sic: quia illo modo dicūt de Romana ecclesia, quod voce euangelica Domini obtinuit principatum, propter hoc quod Deus ante ascensionem suam (vt Euangelia testantur) B. Petro contulit principatum, cui dedit potestatem præficiendi quamcunq; ecclesiam, in qua sibi sedem eligeret in ecclesiis vniuersis, ita ecclesia Parisiens. diceretur obtinere super alias ecclesias voce Euangelica Domini principatum, quia Dominus ante ascensionem suam cuilibet successori B. Petri in ipso Petro dedit potestatem quamcunq; ecclesiam præficiendi aliis ecclesiis vniuersis. *Disc.* Tenerent omnes isti, quod Papa posset sedem transferre de Roma. *Mag.* Multi eorum affirmant, quod Papa non potest: quia B. Petrus non auctoritate ꝓpria, sed iubente Domino de Antiochia sedem transtulit Romam, & ideo non posset transferre eandem sedē de Roma, nisi Dominus ipse iuberet. *Disc.* Dic aliam rationem, qua ostenditur, quod ecclesia Hierosolymitana super omnes alias ecclesias quatuor annis habuit principatum. *Mag.* Alia ratio est, quod verum est, etiam ecclesiam Hierosolymitanam tanto tempore habuisse super alias omnes ecclesias principatum, eo quod tot annis ibi sedit beatus Petrus.

CAP. XXII.

In quo reuertitur ad præcedentis tertiæ quæstionis principalis decisionem, ponendo probandoque contrariam priori assertionem, scilicet quod Romana ecclesia, quæ est à totali congregatione fidelium distincta, potest contra fidem errare, & hoc quidem probat hic vnica tantum ratione.

DISC. Omissa ista materia de principatu Romanæ ecclesiæ, ad propositum principalē reuertere, & motiua tenentiū, ꝙ Romana ecclesia, quæ est distincta à congregatione fidelium (sicut caput à corpore) possit contra fidem errare, adducas in medium. *Mag.* Ad probandum ecclesiam Romanam contra fidem posse errare, nonnulli plures rationes adducunt. Quorundam autem ratio fundamētalis est quædam ratio sæpe tacta superius ad illas assertiones ostendendas, quæ talis est. Illud, ꝙ promittitur toti & nulli parti, non debuit alicui parti attribui, etiam principaliori. Sed nunquam errare contra fidem toti cōgregationi fidelium promissum fuit à Christo, & nulli parti fuit hoc promissum à Christo, ergo non debet hoc alicui particulari ecclesiæ catholicorū attribui, cum ergo Romana ecclesia sit pars ecclesiæ, & nō sit tota ecclesia, non posse errare contra fidem, non est attribuēdum Romanæ ecclesiæ. *Disc.* Nonne qñ Christus dixit Petro: *ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua*, ꝓmisit ecclesiæ, cuius Petrus erat futurum caput, quod nunꝗ fides sua deficeret? *Mag.* Dicunt ꝙ hoc dixit Christus Petro non in persona alicuius ecclesiæ particularis, sed prò vniuersali ecclesia. Cuius rationē assignant dicentes: quia qñ Christus dixit verba prædicta Petro, Petrus non magis fuit caput ecclesiæ Romanæ, ꝗ Antiochiæ: quia tunc habiturus erat primo sedē in Antiochia, & postea in Roma. Cum ergo in verbis prædictis non plus fiat mentio de Roma quā de Antiochia, non plus debet intelligi de Roma ꝗ de Antiochia: Quia verba generalia ad omnia particularia æqualiter se habent, sed prędicta verba nō debēt intelligi de Antiochia: quia fides illius ecclesiæ iam defecit, ergo nec de Romana ecclesia debent intelligi. *Disc.* Quomodo dicunt, ꝙ fides ecclesiæ Antiochiæ defecit, cū adhuc sit patriarcha Antiochenus, qui potest vocari ecclesia Antiochena? *Mag.* Quod sit aliquis patriarcha Antiochenus, non est ex promissione Christi, sed ex voluntaria summi Pōtificis ordinatione, qui creat patriarchā talem, licet ecclesia Antiochena defecerit & sæpe accidit, ꝙ nullus est patriarcha Antiochenus. *Disc.* Licet moriatur patriarcha Antiochenus, non tñ moritur ecclesia Antiochena, quia adhuc remanet aliquis, qui potest creari in patriarcham Antiochenum. *Mag.* Per talem modum potest dici, quod nunquam potest deficere fides ecclesię Massiliens. quia semper est aliquis, qui posset creari in episcopū Massilien. Dicunt ergo isti, cū ex solis scripturis diuinis teneatur, ꝙ ecclesia Christiana nunꝗ errauit contra fidē: quia semper erunt in ecclesia Christi fideles & verba scripturæ diuinæ intelligentes. Ex his colligitur, ꝙ ecclesia nunquā errabit contra fidē. Et cum nullā de Romana ecclesia faciat penitus mentionem, nō plus quam de ecclesia Antiochena, sicut temerarium fuit asserere ꝙ ecclesia Antiochena nō errabit contra fidem, ita & nunc temerarium est asserere, quod Romana ecclesia nūquam errabit contra fidem. *Disc.* Licet scriptura diuina, quæ insinuat quod ecclesia nunquam errabit contra fidem, de Romana ecclesia non vocalem faciat mentionē: tñ de Romana ecclesia verba illa scripturæ debent intelligi: quia scriptura diuina est intelligenda, sicut à sanctis patribus est exposita, sancti autem intelligunt verba de Romana ecclesia. Vnde & asserunt, quod Romana ecclesia nūquam errabit contra fidem. *Mag.* Ad hoc tripliciter respōdetur, ꝙ sancti non exponūt verba ista scripturæ de Romana ecclesia prout Romana ecclesia est pars distincta contra ecclesias: sed exponunt verba scripturæ de materia illa loquentia de ecclesia catholica & Apostolica, quæ comprehendit omnem ecclesiam tenentem fidem Apostolorum, siue Romæ, siue in Hispania, siue in Anglia, siue in Gallia,

Gallia, siue in Alemania. Nec dicunt, quod Romana ecclesia, quæ est Romæ vel de facto gerit se pro Romana ecclesia, non posset errare vel nunquam errabit contra fidem. Licet aliquando affirment, ꝙ non inueniatur errasse secũdum se totã, q̃uis aliquando pro maiori parte errauerit. Tempore n. Liberii, postquam consensit fidei Arrianæ, maior pars Christianorum Romę hæreticæ prauitati cõsensit, tunc n. pauci Romani Imperatori Liberio resistebãt: & illi pauci clerici, qui erant contrarii Liberio, occidebantur. Licet etiam sancti asseruerint, quod ecclesia Romana secundum se totam in tẽpore præterito non errauerit contra fidẽ, nunquam tñ affirmant ꝙ non errabit in futuro. *Disc.* Hi errant aperte: quia sicut allegasti prius, B. Hiero. loquitur de futuro dicens, *B. Petro opem ferenti in futuro seculo permanebit sine vlla hæreticorum insultatione.* *Mag.* Dicunt te decipi per sermonem ambiguum, cuius sensus nescis distinguere. Verba B. Hiero. secundum vnum sensum æquipollent conditionali tali: si B. Petrus opem tulerit, in futuro seculo permanebit, &c. & ille sensus est verus, licet temerarium sit asserere, quod B. Petrus opem feret, quia nescitur an Deus & similiter B. Petrus deseret Romanam ecclesiam, quemadmodum iam multis temporibus deseruit ecclesiam Antiochenam. Alius sensus æquipollet causali tali: quia B. Petrus opem feret, in futuro seculo permanebit &c. & sic non intelligit Hieron. Tertius sensus est temporalis talis: dum B. Petrus opem feret &c. & ille sensus etiam est verus. Sed nescitur, quanto tempore B. Petrus opem feret Romanæ ecclesiæ contra insultationem hæreticorum. Et ideo temerarium est asserere, quod vsque ad finem seculi opem feret ecclesiæ Romanæ, quæ est pars ecclesiæ vniuersalis, contra hæreticos.

Cap. XXIII.

In quo præcedentis capituli assertionem aliis nouem difficilibus rationibus probat, sc. quod Romana ecclesia specialiter partialiterve sumpta potest contra fidem errare.

DIsc. Vellem scire, an isti aliis rationib. satagunt munire suam assertionem. *Mag.* Pluribus aliis rationibus suam assertionem fulcire nituntur. Vnde ratio eorum talis est. Omnis ecclesia, quæ incipit post passionẽ Christi, potest contra fidem errare: quia illa ecclesia, q̃ dixit Christus vsq; in finem seculi in fide ꝑmansuram, fuit etiam in sui parte ante ascensionẽ Christi. Christus n. prædicens ecclesiã suam vsq; ad finem seculi ꝑmansuram in fide cum dixit Matt. vlt. *Vobiscũ sum omnib. diebus vsq; ad cõsummationem seculi*, nõ solum intelligebat de ecclesia futura post suam ascensionẽ, sed etiam intelligebat, ꝙ pro nullo tempore nec ante ascensionem, nec post erat tota ecclesia Christianorum à fide catholica recessura. Non ergo intellexit de ecclesia, quæ incipit post ascensionem, sed ecclesia Romana incepit post ascensionẽ Domini: quia Apostoli & alii discipuli Christi post ascensionem Christi prius prædicauerunt in aliis locis q̃ Romæ. Ergo verba Christi de ecclesia in fide vsq; in finẽ seculi ꝑmansura, non debent de ecclesia Romana intelligi determinate, sed sub disiunctione & in cõmuni de Roma & aliis debẽt intelligi. Quia fides catholica in ecclesia Romana, vel in ecclesia Pisana, vel in aliqua alia vsq; in finem seculi permanebit, semper n. erit aliquis catholicus & fidelis. Tertia ratio eorum est hæc: Ecclesia Romana postquam inchoata fuit, potuit contra fidem errare, ergo adhuc potest errare contra fidem. Antecedens patet, quia ante aduentum B. Petri Romana ecclesia, inchoata ibidem, errare potuit contra fidem, non n. tunc magis erat ecclesia Romana confirmata in fide, quam aliæ ecclesiæ. Cõsequentia patet: quia non legitur, ꝙ in fide postea fuerit cõfirmata, ergo temerarium est asserere quod errare non poterit. *Disc.* Videtur quod ex quo Apostoli Petrus & Paulus consecrarunt & fundarunt Romanam ecclesiã errare non potuit. *Mag.* Hoc non videtur secundum istos veritatẽ habere: quia Apostoli Petrus & Paulus non aliter fundarunt ecclesiam Romanam, nisi Romanos in fide sollicite instruendo, & eos ad fidem & bona opera, doctrina & exemplo, hortando, doctrinã miraculis confirmando, & tandem ciuitatẽ Romanam suo martyrio consecrando. Sed prædicta omnia fecit Christus Hierosolymitanæ ecclesiæ, quia ipsam diligenter in fide instruxit, ipsamq; ad fidem & bona opera doctrina & exemplis & miraculis hortabatur: pro qua etiam, sicut pro cæteris, mortem accepit, & sic Hierosolyma sua passione & morte cõsecrata fuit. Et tamen per omnia illa ecclesia Hierosolymitana in fide minime extitit confirmata, cum tamen opera, vita & doctrina & mors Christi multo maioris efficaciæ fuerint, quam doctrina, opera & vita & martyrium Apostolorũ Petri & Pauli. Etiam alii Apostoli fundauerunt ecclesiam Antiochenam. B. enim Paulus plures fundauerat ecclesias, alii etiam Apostoli alias ecclesias suo martyrio consecrarunt, & tamen nulla earum erat in fide confirmata. Ergo consimiliter non apparet aliud fuisse factum in ecclesia Romana, vnde in fide debeat reputari confirmata. Multa enim maiora & ad stabilitatem fidei facta fuerunt Hierosolymis & in Iudæa, quam in Romana ecclesia. Si ergo nec Hierosolyma nec Iudæa confirmata fuit in fide, temerarium est dicere, quod ecclesia Romana confirmata sit in fide. Vnde etiam ex hoc quarta ratio sic formatur: non magis electa fuit à Deo ecclesia Romana, quam ecclesia Hierosolymitana, sed Deus permisit ecclesiam Hierosolymitanam totam à fide recedere, ergo est temerarium dicere, quod Deus nunquam permittet omnes Romanos à fide recedere. Et ita Romana ecclesia errare poterit contra fidem. *Disc.* Quãuis omnes Romani, qui conuersantur Romæ, contra fidem errarent, Romana tamen ecclesia non erraret: quia tunc Romana ecclesia non esset Romæ, sed alibi; sicut Romana ecclesia est apud Auinionem. *Mag* Dicunt isti, quod in hoc cauillose per æquiuocationem conaris ꝓcedere.

cedere. Quia quærunt, quam ecclesiam vocas Romanam ecclesiam. Aut enim vocas Romanam ecclesiam, Papam; seu multitudinem, siue clericorum siue aliorum in partibus Romanis degentium, vel domicilia ibidem habentium. Aut vocas Romanam ecclesiam, clericos, titulos habentes in Roma. Aut vocas Romanam ecclesiam, Papam cum cardinalibus, vel Papam solum, vel collegium cardinalium. Aut vocas ecclesiam Romanam illos, qui tenent fidem, quam Apostoli fundauerunt & prædicauerunt Romæ. Si primo modo vocas ecclesiam Romanam, stat argumẽtum: quia omnes Romani habentes domicilia Romæ possent contra fidem errare: sicut & omnes Hierosolymitani aliquando errauerunt. Si secundo modo, adhuc stat argumentum: quia non sunt magis electi clerici à Deo habentes titulos in Roma, quam fuerunt clerici habentes titulos Hierosolymis, illi autem sunt errantes, ergo & omnes habentes titulos in Roma possunt errare. Item temerarium est dicere, quod non possunt omnes habentes titulos in Roma à paganis vel aliis malis occidi, ergo tunc nõ esset fides in clericis habentib. titulos Romæ. Et (cum tunc deficeret fides) de illis non sunt intelligenda verba Christi, quib. promisit fidem vsq; in finem seculi duraturã. Si vocas ecclesiam Romanam, Papã cum cardinalibus, vel Papam solum, vel collegium cardinalium solum: adhuc potest errare, quia temerarium est dicere, Papam cum cardinalibus, si non essent plures, non posse contra fidem errare. Si autẽ vocas ecclesiam Romanã, quæ tenet fidem, quam Apostoli prædicauerũt & fundauerunt Romæ, sic concedunt, ꝙ Romana ecclesia errare non potest, sed illa Romana ecclesia vniuersalis est, vbicunq; fuerint catholici & fideles. Et hæc ecclesia est, quæ vocatur *ecclesia catholica & Apostolica*, quæ errare nõ potest, ita cõprehendit Pisanos & Lombardos, & Hispanos, sicut Romanos, & de illa sola cõcedunt isti, ꝙ errare non potest. Quinta ratio eorum est hæc: Ecclesia Romana, quæ est vna ecclesia particularis, siue cõprehendat omnes Romanos, siue clerum Romanum tantummodo, siue Papam cũ cardinalibus, non est magis electa à Deo, q̃ fuerit gens Iudæorum, de qua Christus fuit suscepturus carnẽ humanam, quos principaliter ipse saluare venerat, ipso dicente Matt. 15. *Non sum missus nisi ad oues quæ perierant domus Israel*, sed gens illa non fuit confirmata in fide, quin potuerit errare, ergo nec ecclesia Romana est confirmata in fide, quin possit errare. *Discipul.* Per istam rationẽ probaretur, quod tota multitudo Christianorum posset cõtra fidem errare: sicut tota multitudo gentis Iudæorum potuit errare contra fidem. *Mag.* Respondetur, quod argumentum non procedit de tota multitudine Christianorum, sicut de Romana ecclesia: quia extra vniuersalem ecclesiam non est salus, eo ꝙ Christus nunquã aliam legem præter Christianam est daturus: quemadmodum daturus fuit aliam legem præter legem Iudæorum, extra aũt ecclesiam Romanã, quæ est ecclesia particularis, potest esse salus, multi n. præter Romanos saluantur, & ideo licet argumẽtum prædictũ concludat de ecclesia Romana, quæ potest errare, sicut potuit errare multitudo Iudæorũ, non tñ concludit de ecclesia vniuersali. Sexta ratio eorum accipitur ex prædictis: quia omnis ecclesia, extra q̃ potest esse salus, potest cõtra fidem errare, extra ecclesiã aũt Romanam potest esse salus, quemadmodũ post ascẽsionem Christi fuit salus, antequã Romana ecclesia inchoaretur, ergo Romana ecclesia poterit contra fidẽ errare. Septima eorum ratio est hæc, illa ecclesia, quæ contra fidem errare non potest, non indiget aliorum consilio pro quæstionib fidei terminandis, ecclesia aũt Romana indiget aliorum consilio in quæstionibus fidei terminandis, aliter n. ad determinandas & diffiniendas quæstiones motas de fide congregarentur inutiliter cõcilia generalia, ergo ecclesia Romana potest errare contra fidẽ. Octaua ratio eorũ est hæc: Illa ecclesia, quæ potest fieri auctoritate papæ aliis ecclesiis inferior, potest contra fidẽ errare, illa n. ecclesia, quæ nõ potest contra fidẽ errare, non habet aliam ecclesiã superiorem, ecclesia aũt Romana auctoritate papæ potest fieri inferior aliis ecclesiis, posset n. papa sedem transferre papalem de Roma ad aliam ciuitatem: quo facto, Romana ecclesia alteri esset subiecta, ergo Romana ecclesia potest contra fidem errare. Nona ratio eorum est hæc, temerarium est dicere, illam gentem non posse cõtra fidem errare, quæ est ante diem iudicii peritura, sed gens Romanorum ante diem extremam peribit, sicut enim legitur Num. 24. *Venient in triremibus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt.* Ista verba de solis Romanis possunt intelligi, Romani ergo peribunt, & per consequens temerarium est dicere, quod inter Romanos fides vsque ad finem seculi remanebit. *Discipulus.* Verba prædicta possunt intelligi de Romanorum imperio temporali, quia illud peribit: sed non oportet dicere, quod intelligantur de ecclesia Romanorum. *Magister.* Isti non intelligunt verba prædicta de ecclesia Romana, quod nunquam errabit contra fidem: quia, sicut reputant temerarium dicere, quod ecclesia Romana errabit contra fidem: quia neutra pars istius contradictionis ex scripturis autenticis potest inferri, & ideo verba prædicta de potentia Romanorum temporali intelligunt, ex his arguentes, quod temerarium est asserere, ecclesiam in Roma nullatenus defecturam: quia licet Deus possit sua sola potentia contra infidelium potentiam conseruare loca fidelium, tamen temerarium est dicere, quod Dominus de facto aliquem vel ciuitatem fideliũ miraculose contra irruentes potentias infidelium cõseruabit, maxime tempore Antichristi, quia pseudochristi & pseudoprophetæ Antichristi dabunt signa magna & prodigia, & electi non habebunt gratiam faciendi mirabilia, sicut habuerunt Apostoli & alii martyres Christi. Temerarium est ergo asserere, quod Deus ciuitatem Romanam à iugo infidelium preseruabit, quare cum potentia Romanorum temporalis inceperit dudum deficere, & continue magis ac magis deficiat, & potentia infidelium & malorum præualeat, non apparet quin ciuitas Romana possit ab infidelibus subiugari, quemadmodum antiquitus Romana ciuitas sibi alias prouincias subiugauit, quia sicut sine temeritate nequaquam asseritur, quod ciuitas Romana ad dominium veniet paganorum, ita temerarie

(diui-

diuinando de futuris nobis incognitis) asseritur, quod nunquam infideles sunt ciuitatem occupaturi Romanam, & cunctos de eadem ciuitate fideles expulsuri, & ita temerarium est dicere, quod nunq̃ de Roma omnes catholici expellentur. Et sicut temerarium est dicere, quod nunquam omnes Christiani expellerentur de ciuitate Romana nequaquam amplius reuersuri: ita temerarium est dicere, ꝙ si potentia infidelium omnes Christiani Romani præter decem vel duodecim essent expulsi de Roma nunquam in perpetuo reuersuri: quod illi decem vel duodecim remanentes non possunt contra fidem errare. *Disc.* Si modo omnes Christiani de ciuitate Romana per potentiam infidelium expellerentur, non propter hoc ecclesia Romana desineret: sicut nec expulsi desinerent esse Romani. *Magist.* Concedunt quod propter hoc non desineret Romana ecclesia, expulsis tamen mortuis sine prole (quod non est impossibile) desineret Romana ecclesia, & amplius nō essent aliqui Christiani Romani. *Disc.* Mortuis omnibus illis sine prole adhuc possunt ordinari clerici loco priorum, & illud collegium clericorum posset vocari Romana ecclesia. *Magist.* Hoc impugnatur dupliciter, primo, quia per talem modum posset dici, quod ecclesia Pisana non posset contra fidem errare: quia siue Pisani oēs expellerentur de Pisis, siue omnes fierent hæretici, siue vniuersi morerentur, possent clerici ordinari, & vocaliter titulus priorum Pisanorum deputari. Secundo quia dicunt nonnulli, quod fides ecclesiæ posset in puris laicis remanere: imo dicunt quidam posse saluari in mulieribus, quemadmodum tempore passionis Christi saluata fuit in sola matre Christi. *Disc.* Dic rationem illorum decimam, quā habent pro assertione sua principali. *Mag.* Decima ratio eorum est hæc: Ecclesia militans non magis est accepta Deo, quam fuerit tota multitudo angelorum ante confirmationem bonorum & casum malorum, sed nulla pars totius multitudinis angelorum ante confirmationem bonorum & casum malorum, sic à Deo extitit accepta, quin pars illius totius multitudinis labi potuerit in peccatum & æternaliter condemnari: licet Deus ordinauerit, quod tota multitudo angelorum nullatenus laberetur, ergo consimiliter nulla pars multitudinis ecclesiæ sic præseruatur à Deo, quin possit contra fidem errare, Romana autem ecclesia est pars multitudinis ecclesiæ, ergo Romana ecclesia, quæ est pars ecclesiæ, potest contra fidem errare.

Cap. XXIV.

In quo respondetur ad rationes 13. cap. probantes, quod ecclesia Romana partialiter sumpta contra fidem errare non potest.

Disc. Licet firmiter teneatur, quod ecclesia Romana contra fidem errare non possit, secundum ꝙ rationes & auctoritates prius inductæ, probant aperte, tñ quomodo asserentes Romanā ecclesiā posse errare contra fidē, respōdent ad eas, velis exponere. Cum n. omnes responsiones eorū ad ipsas irrationabiles esse cognouero, magis veritatē earum intelligam. *Mag.* Ad primā earum respōdent dicentes, istam esse falsam: Illa ecclesia, quæ voce euangelica Domini & Saluatoris nostri cæteris ecclesiis est prælata, contra fidem errare non potest, nam ecclesia Antiochena ita fuit ecclesiis à voce euangelica Dei & saluatoris nostri prælata, sicut ecclesia Romana. Quia non inuenitur, quod aliter ecclesia Romana voce Saluatoris fuerit prælata aliis ecclesiis, nisi quia beatus Petrus à Deo nostro cunctis prælatus fidelibus sedem tenebat in Roma. Sed beatus Petrus primo sedem tenebat Antiochiæ. Ergo pro illo tempore, quo Petrus sedit Antiochiæ, ecclesia Antiochena voce euangelica Domini Saluatoris nostri fuit cunctis prælata ecclesiis. Sed ecclesia Antiochena non fuit confirmata in fide, sed errare potuit contra fidem. Ergo non obstante, quod ecclesia Romana voce euangelica Domini nostri & saluatoris sit prælata vniuersis ecclesiis, ipsa tamen non est confirmata in fide, sed contra fidem posset errare. Et ideo dicunt, quod temerarium est dicere, quod nunquam errabit cōtra fidem: & etiā temerarium est dicere, quod errabit: quia vtrunq; est nobis ignotum, quia nec vnū nec alterum illorū reuelatum est à Deo. Cum vero dicitur, quod opus Dei ab hominib. dissolui non potest: Respondent, quod multa opera Dei ab hominibus possunt dissolui, charitas enim & aliæ virtutes infusæ viatori, sunt opera Dei, & tamen per liberum arbitrium dissolui possunt, quia habens primo charitatem & virtutes potest peccare mortaliter, per peccatum autem mortale caritas expellitur. Sic dicunt de Romana ecclesia, quod licet in beato Petro receperit principatum, tota tamen Romana ecclesia potest ab infidelibus vsque ad finem seculi occupari. Nec scitur an infideles totam Romam vnquam sint capturi, & vsque in finem seculi retenturi. Posset etiam tota Romana ecclesia & omnes Christiani in ipsa ad aliam sectam conuerti, nec scit aliquis nisi Deus aut cui reuelasset, an tota Romana ecclesia tempore Antichristi conuertetur ad ipsum: imo nescitur vtrum aliquando tota Roma & omnes habitantes in ipsa conuertentur ad sectam Machometi, vel ad aliquam prauitatem. Cum aūt in eadem ratione accipitur, ꝙ si illa ecclesia, quę voce diuina cæteris ecclesiis est prælata, contra fidem erraret, desineret esse prælata & caput aliarum ecclesiarum, respondent: ꝙ si tota Roma ad sectā Sarracenorum vel ad aliquā aliam prauitatem hæreticam, & Papa & omnes cardinales & omnes clerici titulos Romæ habentes in prauitatem hæreticam laberentur: adhuc posset dici, ꝙ Romana ecclesia aliquo modo desineret esse caput aliarū ecclesiarum, nō quod tūc de facto esset aliquis Papa, vel aliquod collegiū, vel aliqua persona extra Romam, vel aliquā ecclesiā particularem, qui vel quę vel quod esset caput ecclesiarum aliarum: sed quia eligendus est summus Pontifex per catholicos, qñ posset conuenienter, qui caput esset omniū catholicorū, & de iure, licet nō de facto,

cto, sedem Romæ tenere deberet. quemadmodum nunc creantur patriarchæ Antiochenus, Alexand. & Hierosolymitanus, qui de iure in prædictis ciuitatib. sedere deberent. & ideo quemadmodum nunc dicitur, quod ecclesia Constantinopolitana est secunda post Romanam; & Alexandrina, tertia; & Antiochena, quarta; & Hierosolymitana, quinta. quia si ciuitates pdictæ essent à fidelib. occupatæ, præfatæ ecclesiæ ordinem talem haberent. & de facto patriarchæ à prædictis ciuitatibus appellati, quando creantur, talem ordinem tenent inter se. Ita si omnes Romani essent auersi à fide, adhuc summus pontifex esset caput fidelium. & si Romana ciuitas iterum conuerteretur ad fidem, deberet primitatem respectu aliarum ecclesiarum habere. DIS. Si tota Roma esset ab infidelib. occupata, vel ad aliam sectam conuersa: nunquid secundum istos oporteret creare clericos loco priorum qui fuerunt Romæ; sicut oporteret creare summum pontificem, qui de iure deberet Romæ sedem habere. MAG. Respondent, quod sufficeret solummodo summum pontificem eligere: quia alii tituli Romæ præter papatum possunt variari, & voluntarie minui, & augeri. vnde & modo sunt plures, quam fuerunt temporibus Apostolorum. nec forte, aliquis istorum fuit tempore Beati Petri, & ideo si Romana ecclesia esset auersa à fide, sufficeret catholicis eligere Papam Romanum: quemadmodum nunc creatur patriarcha Antiochenus, nec titulos aliquos Romæ oporteret aliquibus clericis assignare. sicut nec modo clericis, qui quondam fuerunt in ciuitatibus patriarchalibus, deputantur. Concedunt ergo isti, quod verba Pelagii continent veritatem, quod Romana ecclesia & apostolica ecclesia nullis synodicis constitutis subiicitur principaliter: sed euangelica voce domini & saluatoris nostri primatum obtinuit in Petro, quando dominus præfecit B. Petrum fidelibus vniuersis. nec per alium modum obtinuit primatum super alias ecclesias, nisi quia dominus beatum Petrum prætulit omnibus, nullam tunc de Romana ecclesia faciens mentionem. sed B. Petrus postea ibidem elegit sedem. & ideo ex tunc auctoritate Dei, qui voluit illam sedem quam Petrus eligeret, esse primam, Romana ecclesia primatum obtinuit. Ad secundam rationem multipliciter respondetur. vno modo dicitur, quod Romana ecclesia super alias ecclesias priuilegium posset amittere: quia Papa potest transferre sedem papalem de Roma ad aliam ciuitatē, sicut B. Petrus transtulit de Antiochia sedem in Romam. Aliter dicitur, quod licet Romana ecclesia possit ad tempus de facto amittere priuilegium super alias ecclesias, non tamen simpliciter: quia si Romana ecclesia rediret ad fidem, recuperaret idem priuilegium, quod habuit ante. Tertio dicitur, quod si Romana ecclesia rediret ad fidem, distinguendo ipsam contra Papam, qui gubernat ipsam, amittere potest simpliciter priuilegium absque translatione sedis. quia illud priuilegium consistit principaliter in potestate eligendi summum pontificem & ordinandi apostolicam sedem. sed hoc priuilegium pōt amittere absq; translatione sedis; sicut quondam amisit. nā sicut habetur *di. 64. c. Adrian.* hoc ius habuit Carolus magnus, & postea obtinuit Ottho primus rex Theutonicorū, sicut legitur 8. *di. c. in synodo.* ergo ecclesia Romana priuilegiū suū pōt amittere.

Ad auctoritatem autem Nicolai Papæ dicitur, quod Nicolaus papa loquitur de ecclesia Romana, quæ est Papa: quia illi soli ecclesiæ Romanæ, quæ est Papa, in B. Petro immediate fuit traditum priuilegium. Illa autem ecclesia Romana, quæ est subiecta Papæ, nullum priuilegium habet, nisi à Papa: quod Papa potest, quando sibi placet, auferre. Vnde ergo Nicolaus Papa vult asserere, quod qui Romanæ ecclesiæ, quæ est Papa, priuilegium conatur auferre, asserendo videlicet ipsum non esse prælatum omnium Christianorum, hæreticus est; quia incidit in assertionem erroneam, quæ sapit hæresim manifestam: quia ex ipsa & quibusdam veris, quæ nulla possunt tergiuersatione negari, sequitur hæresis manifesta, quod B. Petrus videlicet non fuit à Christo omnibus prælatus fidelibus. & ideo illi qui dicunt, quod Papa non potest transferre sedem papalem de Roma, dicunt quod talis sic nitens auferre priuilegium ecclesiæ Romanæ (quæ est Papa) est hæreticus, stricte sumpto hæretico. qui autem dicunt, quod Papa potest auferre sedem, dicunt quod est hæreticus large sumpto hæretico, secundum quod aliquis dicitur hæreticus qui pertinaciter tenet assertionem, quæ non est hæresis stricte sumpta hæresi: sed est hæresis, secundum quod omnis assertio sapiens hæresim manifestam hæresis appellatur. qualiter autem tales assertiones distinguantur, ex superioribus, vbi actum est de hæresibus, patere potest. Ad tertiam respondetur, quod sine ecclesia Romana, quæ est Papæ subiecta, & quæ non est Papa, posset regi vniuersalis ecclesia. Ad Auctoritatē B. Anacleti respondetur, quod *apostolicā sedem* vocat summum pontificem: & summus pontifex, siue sit Romæ Papatus siue sit alibi, est caput & cardo, quo omnes ecclesiæ domino disponente reguntur, quando est verus Papa. hæc tamen ecclesia contra fidem errare potest: quia Papa potest hæreticā incurrere prauitatem. sed tunc substituendus est ei alius à catholicis catholicus, qui ecclesiā regat catholicam, siue fuerit in Italia, siue fuerit in Hispania. Ad quartam rationem dicitur, quod hæc est falsa; illa ecclesia errare non potest contra fidem, à qua quicunque dissentit, non est inter catholicos episcopos computandus. Sed illa de inesse est vera: illa ecclesia non errat contra fidem, à qua quicunque dissentit ab ea &c. Et ideo quamdiu Romana ecclesia non errat contra fidem: quicunque dissentit ab ea in fide, non est inter catholicos computandus. Sed si erraret contra fidem, non haberet veritatem. Beatus autem Hieron. loquebatur pro tempore suo, quando ecclesia Romana firma mansit in fide. Si autem erraret contra fidem, dissentientes ab ea in fide essent inter catholicos numerandi. Ad quintam rationem dicitur, quod aliquem esse extra Romanam ecclesiam dupliciter potest intelligi,

telligi, vel quia est contrarius pertinaciter quantū ad ea quæ fidei sunt, vel quia nō est Romanus, sed est de aliqua ecclesia particulari. Qui primo modo est, extra ecclesiam Romanam, quamdiu ecclesia Romana non errat, saluari non potest, nisi redierit. & sic loquitur Hieron. Qui secundo modo est extra Romanam ecclesiam, saluari potest. Hiero. autem principaliter loquitur de Papa successore B. Petri. & de illo habet veritatem: quicunque est sibi contrarius pertinaciter in his quæ fidei sunt saluari non potest. Ad sextam rationem dicitur, quod B. Cyprianus loquitur de cathedra Petri, qui est summus pontifex catholicus tenens sedem B. Petri, siue fuerit Romæ siue Lugduni. Innocentius enim tertius, vt de se patet, loquitur de successoribus beati Petri catholicis. Ad septimam dicitur, quod licet quantum ad multa sit similitudo inter corpus Christi mysticū, quod est ecclesia, & corpus materiale hominis; non tamen est quantum ad omnia simile. Corpus ergo hominis nec ad tempus manet viuum sine capite. corpus autem Christi mysticum sine capite ad tempus viuum manere potest: sæpe caret capite in terris, quamuis tunc habeat caput in cœlis, scilicet Christum, qui est caput ecclesiæ, vt habetur *ad Ephes.* 1. Crebro enim caret summo pontifice, qui est caput ecclesiæ: nec tamen tunc desinit esse spiritualiter viua; imo viuit vita gratiæ. Debet tamen, quando conuenienter poterit, sibi constituere caput. Corpus ergo Christi mysticum potest esse sine multis membris. quælibet enim ecclesia particularis est membrum ecclesiæ. Vnde ecclesia Parisiensis, Lugdunensis. Lingoniensis, Lucensis, Ianuensis, Constantiensis, &c. sunt membra ecclesiæ; & tamen sine istis posset esse corpus Christi mysticum. quamuis enim prædictæ ecclesiæ à fide discederent, non propter hoc corpus Christi mysticum deperiret. Et ideo quamuis Romana ecclesia post Papam sit membrum principale ecclesiæ; sine ipsa tamen posset ecclesia esse. Ad octauam dicitur, quod Romanam ecclesiam potest malitia extinguere. cum vero dixit Pelagius Papa, quod nulla alia ecclesia, nisi quæ in apostolica est radice fundata, est catholica; hanc concedunt, quia omnis catholica, siue sit Parisiana, siue Neapolitana, in apostolica radice est fundata; quia in doctrina apostolorum. Cum vero allegat Augustinum, respondetur per idem, quod ecclesiam constitutam in radice apostolicæ sedis per successores episcoporum, hoc est ecclesiam tenentem doctrinam apostolicam, quam rexerunt successores episcopi (quamuis aliquando tale regimen fuerit interruptum) & regent in futurum (licet forte cum magna interruptione regiminis) nulla malitia hominis valebit extinguere. Et illa ecclesia siue fuerit Romæ, siue Eugubii, siue in Hispania, siue in Britannia, nō poterit esse nulla. quamuis omnes Romani & tota Italia ac Francia & Hispania & Alemania à catholica fide recederent. Quia si non fuerit in regionibus supradictis omnibus, erit in Syria vel in Ægypto, vel Æthiopia, vel India, vel alibi, vbi Deo placuerit. Ad auctoritatem primam Hiero. respondetur, quod B. Hiero. loquitur pro tempore præterito ante sua tempora: & non loquitur pro futuris temporibus. Et si loqueretur pro temporibus futuris, posset intelligi sane, q̄ loqueretur de ecclesia apostolica, quæ fidem sequitur apostolorum. Ad aliam auctoritatem Hiero. responsum est supra, quod verba Hieron. intelligenda sunt sub conditione; si B. Petrus opem fert.

Cap. XXV.

In quo ponitur quarta quæstio principalis, scilicet vtrum generale concilium ecclesia in hæreticam prauitatem labi possit; quod sic quinque rationibus hic arguitur &c. sequenti quatuor exemplis.

DISCIP. Satis, quantum desidero ex opere isto, disseruimus de Romana ecclesia, an valeat hæreticari. ideo nunc de generali concilio conferamus: an queat labi in hæreticam prauitatem. MAG. De generali concilio sunt assertiones contrariæ. Vna est, quod hæreticari non potest; alia est, quod hæretica potest labe respergi. DIS. Quamuis firmissimè putem, quod concilium generale hæreticari non potest, tamen rationes pro assertione contraria libenti animo auscultabo. MAG. Quod concilium generale possit errare contra fidem, rationibus & exemplis videtur posse probari. Prima autem ratio, quæ etiam ad alias assertiones superius est inducta, talis est: Vna est sola ecclesia militans, quæ contra fidem errare non potest: quia de sola vniuersali ecclesia militante inuenitur in scripturis authenticis, quod errare non potest. concilium autem generale, licet sit pars ecclesiæ militantis vniuersalis, tamen non est ecclesia vniuersalis. igitur temerarium est dicere, quod concilium generale contra fidem errare non potest. DIS. Licet concilium generale non sit ecclesia vniuersalis, tamen repræsentat ecclesiam vniuersalem, & eius vices gerit. & ideo sicut ecclesia vniuersalis contra fidem errare non potest; ita etiam concilium generale contra fidē errare non potest. MAG. Hæc responsio impugnatur primo. quia sicut concilium generale repræsentat ecclesiam vniuersalem, & eius vices gerit; ita etiam Papa repræsentat ecclesiam vniuersalē & eius vices gerit: quia est persona publica totius cōitatis gerens vices & curam. Sed Papa, hoc nō obstante, potest contra fidem errare. igitur & generale concilium, hoc non obstante, poterit contra fidem errare. Secundo: quia non omni prærogatiua gaudet persona vel collegium, quæ vel q̄ gerit vices alterius, qua gaudet communitas, cuius vices gerit. ergo ex hoc quod ecclesia vniuersalis non pōt cōtra fidē errare, inferri nō pōt q̄ conciliū gñale nō pōt contra fidē errare licet gerat vices vniuersalis ecclesiæ. Secunda rō est hæc: Illa congregatio quæ pōt voluntate hūana dissolui, potest contra fidem errare: quia illa ecclesia, quæ contra fidem errare non potest, vsque ad finē seculi permanebit, iuxta promissionem Christi *Matth. vlt.* sed concilium generale potest humana voluntate dissolui; sicut & dissoluitur. ergo generale concilium potest contra fidem errare. Tertia

tia ratio est hæc. Illæ personæ, quæ in diuersis locis existentes possunt contra fidem errare, etiam si ad eundem locum conueniunt, poterunt contra fidem errare. quia concursus ad eundem locum non reddit aliquos inobliquabiles à fide: quia sicut locus non sanctificat homines, ita & locus nullos confirmat in fide. sed omnes ad generale concilium conuenientes, antequam conuenirent, poterant contra fidem errare. quia si conueniant centum vel ducenti episcopi, constat ꝙ omnes ex arbitrio voluntatis poterant in hæreticam incidere prauitatem. ergo etiam postquam conueniunt, poterunt labi in hæreticam prauitatem. DIS. Ista ratio non procedit, quia Deus specialiter congregatis in vnum assistit, ipsa veritate testante, quæ ait Matth. 18. *vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo; ibi sum ego in medio eorum.* & ideo licet conuenientes ad concilium generale ante poterunt contra fidem errare: postquam tamen conueniunt in nomine Christi, errare non poterunt. MAG. Ista responsio impugnatur: quia licet Deus assistat specialiter congregatis in vnũ in nomine Christi: ipsi tñ in gratia & fide minime confirmantur, etiam dum simul localiter remãserint, quin possint per liberum voluntatis arbitriũ à gratia Dei & fide recedere. & ideo quãuis Deus specialiter assistat ad generale concilium congregatum in nomine Christi, tamen per tale assistentiam diuinam in fide nullatenus cõfirmantur, quin possint labi in errorem. Vnde per istam responsionem haberetur, quod nullum prouinciale concilium posset errare contra fidem; quia si in vnum conuenerint in nomine Christi in prouinciali concilio congregati, Deus specialiter assistit eisdem; sequeretur etiam per illud medium, quod nullum generale ac prouinciale capitulum clericorum vel religiosorum Mendicantium posset contra fidem errare: quia nonnunquam in Christi nomine congregantur. Quarta ratio eorum est hæc: nulla vocatio humana certarum personarum, nec etiam aliqua humana commissio facta specialibus personis potest eas in fide confirmare, vel ab errore præseruare: quia sola potentia Dei ecclesia catholica ab errorib. præseruatur. sed certæ personæ in generali concilio congregatæ non vocantur nisi vocatione humana, nec aliquam auctoritatem, nec potestate accipiunt, nisi ex commissione humana igitur per hoc, quod in generali concilio conueniunt, non cõfirmantur in fide, nec necessario ab errorib. præseruantur. ergo ita potuerunt, postquam fuerunt ad generale concilium congregati, incidere in hæreticam prauitatem, sicut ante poterant. Quinta ratio est hæc: Si in generali concilio congregati contra fidem errare non possunt: aut hoc est ratione sapientiæ, qua præfulgent; aut ratione sanctitatis, qua pollent; aut ratione auctoritatis seu potestatis, quã habent; aut ratione promissionis Christi, qua promisit apostolis fidem vsque in finem seculi duraturam. non propter primum: tum quia sæpe multi sapientes catholici inueniuntur extra concilium generale, qui possunt defendere fidem, licet omnes errarent in generali concilio congregati. Tum quia Deus sæpe reuelat paruulis, quæ à sapientib. & prudentibus absconduntur. licet ergo omnes in generali cõcilio errarent, & solum paruuli & illiterati ad concilium minime conuenirent, non esset adhuc desperandum, quin Deus veritatem catholicam paruulis reuelaret, vel eisdem veritatem notam defendere inspiraret. Hoc enim esset ad gloriam Dei: qui in hoc ostenderet, fidem nostram non esse in sapientia hoĩm ad concilium generale vocatorum, sed in virtute Dei, qui nonnunquam quæ stulta sunt mundi elegit, vt confundat sapientes. Nec propter sanctitatem ad concilium generale vocatorum, est dicendum, quod non possunt contra fidem errare: tum quia interdũ ad gñale conciliũ sanctiores nequaꝗ̃ conueniũt: tũ quia sctitas in ecclesia militãte nullos cõfirmat in fide. Nec propter tertium est dicendum, ꝙ non pñt contra fidem errare; quia auctoritas vel ptãs in hac vita nullos cõfirmant in fide, sicut p auctoritates inductas supius (vbi inqsitũ fuit, an Papa possit contra fidẽ errare) sufficiẽter videtur ostensum. Nec propter quartũ: quia Christus ꝓmittẽdo apostolis fidem vsq; ad finem seculi duraturam, de generali concilio nullã fecit penitus mentionem.

CAP. XXVI.

In quo probatur eadẽ conclusio, scilicet quod generale conciliũ errare potest contra fidem, quatuor exẽplis ostẽditur.

MAG. Secundo ostenditur exemplis, quod generale concilium potest contra fidem errare. Primum exemplũ est de synodo Stephani Papæ septimi, q̃ erroneas oẽs ordinationes factas per Formosum Papam irritas esse decreuit. Vnde & postea synodo celebrata Rauennę per Iohan. Papam nonum extitit reprobata. Igitur concilium generale poterit errare: quia constat, quod altera istarũ synodorum, quarum vna alteram reprobauit, errauit. DIS. Altera istarum synodorũ errauit, sed non contra fidẽ; quia errauit tantum contra ordinationes Formosi Papæ. MAG. Hæc rñsio impugnatur; quia oĩs congregatio, q̃ põt errare cõtra bonos mores, põt errare contra fidem. Quia mali mores excœcant intellectũ: & ita q̃ põt peccare, põt incidere in errorẽ ẽt contra fidẽ. Si ergo altera istarũ synodorũ errauit cõtra mores impie & iniq; apꝓbãdo vel reꝓbãdo ordinationes factas p Formosum Papam, sequitur ꝙ ẽt poterat contra fidẽ errare. DIS. Aliter põt rñderi ad exemplum pmissum: ꝙ synodus celebrata p Stephanũ septimũ non fuit cõciliũ gñale, sed fuit q̃dam synodus pticularis quorundã episcoporũ ad synodũ pticularem per eundẽ Stephanum vocatorũ. MAG. Hoc nõ videtur aliis stare posse: quia omnis synodus autoritate Papæ congregata cõcilium gñale vocatur, vt notat Glo. *di.* 17. *c.* 1. ꝙ conciliorum quadã sunt generalia, quædã particularia siue ꝓuincialia, quædam epalia. Vñ est, ꝙ à Papa vel ei⁹ legato cum oĩbus epis pñtibus statuitur. Nunquam ei legitur ad aliquod conciliũ gñale oẽs epos conuenisse. cum igitur synodus Stephani auctoritate Papæ fuerit celebrata; sequitur ꝙ concilium gñale debuit appellari. DIS. Adducunt ne plura exẽpla, ꝙ conciliũ gñale põt errare? MAG. Adducunt ẽt in exemplũ synodum Ephesinam

secundam: quæ errauit. & ideo reprobata fuit, secundum quod notat Glo. *di. 15. c. 1.* Tertium exemplum eorum est de generali concilio Lugdunensi sub Greg. 10. celebrata: quod contra bonos mores errauit approbando ordines prædicatorum & Minorum, vt habetur *extra de regularib. c. religionum.* Quod .n. errauit, probant ex hoc, quod status Fratrum Minorum est illicitus, secundum quod ex constitutionib. Iohan. 22. (*Ad conditorem*, &, *quia quorundam*: & *quia vir reprobus*) constat aperte. Quartum exemplum est de concilio Viennensi, quod errauit, constitutionem Nico. 3. quæ incipit: *Exiit qui seminat approbando*, quod per constitutionem Io. 22. probare nituntur.

Cap. XXVII.

Vbi ad oppositam assertionem, scilicet quod generale concilium non potest contra fidem errare, arguitur septem rationibus, ad quas respondetur capitulo sequenti.

DE istis duobus exemplis vltimis, quæ tangunt constitutionem domini Ioh. Papæ tecum, quando te interrogabo de tota doctrina eiusdem domini nostri Papæ, collationem habebo. Et ideo de istis ad præsens supersedeas, & pro assertione contraria, quod concilium sci. generale contra fidem errare non possit, allegare nitaris. MAG. Quod concilium generale contra fidem errare non possit, multis viis videtur posse probari; quarum prima est. Illa congregatio, cuius iudicio in causa fidei Romanus pontifex est subiectus, contra fidem errare non potest; quia Papa non tenetur parere mandatis alicuius congregationis, quæ potest contra fidem errare. Si enim posset errare contra fidem, posset Papa illud iudicium merito recusare. Sed Papa in causa fidei iudicio generalis concilii est subiectus, vt notatur *di. 19. c. Anastasius*, quod synodus in causa fidei fit maior Papa. ergo synodus generalis contra fidem errare non potest. Secunda ratio est hæc. In ecclesia militante est certum iudicium de difficilibus & obscuris, quæ circa fidem emergunt. aliter enim tota ecclesia militans potest contra fidem errare. sed vltimum iudicium circa difficilia & obscura circa fidem emergentia penes concilium residet generale. ergo concilium generale contra fidem errare non potest. Tertia ratio est. Illa congregatio, à qua in causa fidei non est licitum appellare, contra fidem errare non potest. Omnis vero causa vitiata est per appellationis remedium subleuanda, *2. q. 6. licet.* Causa autem fidei tractata coram illa congregatione, quæ contra fidem valet errare, potest vitiari. ergo licet causam fidei tractatam coram tali congregatione (si fuerit vitiata) per appellationis remediũ subleuare, & ita licet ab eis appellare. sed à cõcilio generali in causa fidei appellare non licet. Si enim appellare liceret, aut appellandum esset ad aliud concilium, aut ad Papam, aut ad vniuersalem ecclesiam. non ad aliud concilium generale; quia eadem ratione ab illo alio concilio generali appellare liceret; & ita finis tali causæ imponi non posset. nec esset appellandum ad Papam: quia Papa in facto fidei est inferior concilio generali. ergo à generali concilio ad ipsum appellare non licet. nec est appellandum ad ecclesiam vniuersalem; quia frustra esset talis appellatio, cum vniuersalis ecclesia simul in vnum conuenire non possit. Quarta ratio est hæc: Congregatio quæ non potest de hæresi accusari non potest errare contra fidem. concilium autem generale non potest de hæresi accusari. non enim inuenitur persona vel collegium, cui in causa fidei generale concilium sit subiectum. ergo generale concilium contra fidem errare non potest. Quinta ratio est hæc; Illa congregatio, cuius opera omni manent stabilita vigore, contra fidẽ errare nõ potest: quia error contra fidem nullo põt stabilitatis manere vigore. Sed opera generalis cõcilii omni manent stabilita vigore, teste Isidoro, qui, vt recitatur *di. 15. c. 1.* ait; *hæ sunt quatuor synodi principales fidem nostram plenissime continentes. sed si qua sunt similia alia, quæ sancti patres spiritu Dei pleni sanxerunt, omni manent stabilita vigore.* ergo concilium generale contra fidem errare non potest. Sexta ratio est hæc. Illa congregatio contra fidem errare non potest, cuius diffinitiones & determinationes tanquam vniuersali consensu constitutæ sunt censendæ. vniuersalis autem congregatio est concilium generale, teste Greg. qui vt habetur *di. 15. c. sicut.* ait; *cunctas vero, quas præfata veneranda concilia personas respuunt, respuo: quæ venerantur, amplector, quia cum vniuersali sunt consensu constituta, se & non illa destruit, quisquis præsumpserit absoluere, quos ligant: aut ligare, quos absoluunt.* ergo concilium generale contra fidem errare non potest. DIS. Ista auctoritas Gregorii non videtur ad propositum; quia B. Greg. loquitur ibi solummodo de quatuor conciliis principalibus, non de omnibus. MAG. Ad hoc respondetur, quod licet Greg. loquatur de quatuor principalibus conciliis, tamen assignat rationem, quare sunt recipienda. quia scilicet sunt vniuersali consensu constituta. sed vnum concilium generale non est magis vniuersali consensu constitutum quam aliud: imo vnum non esset generale. Eadem autem ratio & causa eundem habet effectũ. Si autem quatuor principalia concilia sint recipienda omnino, quia sunt vniuersali consensu constituta. ergo omnia generalia concilia sunt recipienda, quia sunt vniuersali consensu instituta, si ista quatuor fuerunt vniuersali consensu instituta. Concilium autem quod est omnino recipiendum & amplectendum, contra fidem errare non potest. igitur nullum concilium generale potest contra fidem errare. Septima ratio est hæc: Illa congregatio, cuius institutiones & opera conseruanda & constituenda discernuntur, nõ potest contra fidem errare. opera autem & constitutiones omniũ generaliũ conciliorũ obseruanda & constituenda discernuntur, teste Gelasio, qui vt habetur *dist. 15. c. sancta Rom. o.* ait: *si quæ sunt consimilia à S. patrib. hactenus instituta, post istorũ quatuor auctoritates & obseruãda & custodiẽda decernimus.* Ergo conciliũ generale contra fidẽ errare nõ põt. Octaua ratio est hæc; Illa congregatio cõtra fidẽ errare nõ põt. qua errãte vniuersalis erraret ecclesia: sed errãte generali cõcilio vniuersalis erraret ecclesia, quia ista errãte nullus inueniretur, qui auderet vel posset fidem defendere orthodoxã. ergo generale cõciliũ cõtra fidẽ errare non potest.

Ca-

CAP. XXVIII.

In quo ad rationes præcedentis capituli probantis, quod generale concilium errare non potest contra fidem, respondent tenentes contrarium.

DISCIP. Quamuis indubitanter existimem, concilium generale contra fidem errare non posse; qualiter tamen tenentes assertionem contrariam ad rationes inductas pro veritate respondeant, non differas propalare.

MAG. Ad primam rationem respondetur, quod hæc est falsa: illa congregatio, cuius iudicio in causa fidei Romanus pontifex est subiectus, contra fidē errare non potest. quia licet Papa nō sit subiectus alicuius congregationis iudicio, quæ errat contra fidem: quia episcopo, quod contra fidem pertinaciter erraret, nullus catholicus in causa fidei esset eius subiectus iudicio; illius tamen congregationis recto iudicio non falso parere tenetur, quæ potest errare contra fidem licet non erret. Quemadmodum quilibet Christianus in causa fidei subiectus est Papæ, quando non errat contra fidem, licet possit contra fidem errare. Sic etiam subditi episcoporum, quantum ad ea, quæ certa sunt esse fidei consona orthodoxæ, subsunt episcopis: qui tamen episcopi, quantum ad illa, de quibus certum est, quod sunt hæreses damnatæ explicite, possunt contra fidem errare. Cum vero accipitur, quod Papa non tenetur stare mandatis alicuius congregationis, qui potest contra fidem errare, hoc negatur: licet parere nō debeat mandatis alicuius congregationis, quæ errat cōtra fidem, sicut nec aliquis alius Christianus. Nec Papa potest recusare iudicium illius congregationis, quæ potest contra fidem errare; licet posset recusare illius iudicium, quæ errat contra fidem. DIS. Quid si de facto concilium generale errauerit condemnando Papam de hęretica prauitate inique & falsè? MAG. Dicunt quod in tali casu nihil restaret eidem, nisi aliud concilium generale vocare, vel per potentiam se tueri, vel omni humano deficiente consilio & auxilio se diuinæ gratiæ committere, & patienter illam iniuriam tolerare. Ad secundam rationem dicitur quod licet iudicium multis modis accipiatur, ad præsens tamen sufficit duos modos exponere. est itaq; iudicium certæ & veridicæ cognitionis, quo vnusquisq; bene iudicat, de quo quis noscit. & illud iudicium pertinet ad quemlibet in qualibet arte peritum. Est aliud iudicium auctoritatis siue iudicialis sententiæ. Primo modo loquendo de iudicio. In ecclesia militante est certum iudicium, quantum ad ea, quæ necesse est credere explicite ad salutem æternam consequendam: quia semper vsq; ad finem mundi erunt aliqui catholici, qui tali modo in vera fide explicite permanebunt. Sed circa illa, quæ non sunt necessaria explicite credere, non est necesse, quod semper in ecclesia militante sit tale iudicium. Quia multa sunt, de quibus melius est pie dubitare, quam vnam partem contradictionis vel aliam temere affirmare: nunquam tamen circa quæcunq; talia catholica omnes Christiani neq; pertinaciter errabunt, neq; pertinaciter dubitabunt: sed supererunt aliqui in ecclesia, qui circa huiusmodi loco & tempore oportunis quærent cauta sollicitudine veritatem, parati etiam tenere explicite, si eam inueniunt siue per propriam meditationem, siue per occasionem acceptam à scripturis, siue aliis hominibus quibuscunque, siue per diuinam reuelationem. & ideo nunquam omnes incident in hæreticam prauitatem. Iudicium vero auctoritatis siue iudicialis sententiæ non oportet, quod sit semper certum in ecclesia militante; imo potest deficere aliquando, vt videtur, etiam aliquando defecit. Tempore enim Liberii Papæ, qui postquā consenserat perfidiæ Arianæ, tenuit Papatum sex annis. verum iudicium auctoritatis & iudicialis sententiæ nullum fuit de his, quæ pertinebant ad fidem. Ante etiam tempora Constantini tute iudicium de his, quæ fidei sunt, defecisse videtur: quia teste Isid. vt habetur di. 15. c. 1. illis temporibus Christianitas in diuersas hæreses scissa fuit: quia non erat catholicis facultas conueniendi in vnum. DIS. Isid. dicit ibi, quod episcopis non erat facultas conueniendi in vnum. & ideo Christianitas in diuersas hæreses scissa fuit. Ex quo datur intelligi, quod si tūc fuisset facultas conueniendi ad concilium generale, Christianitas in diuersas hæreses scissa non fuisset. Et ita videtur, quod concilium generale contra fidem errare non potest. MAG. Ad hoc respondetur, quod Isido. loquitur pro illo tempore, pro quo episcopi fuerunt catholici. & verum est, quod concilium generale episcoporum catholicorum, quamdiu permanserint in catholica veritate, errare non potest. omnes tamen illi episcopi possunt contra fidem errare, etiam cum omnibus clericis suis. DIS. Dic quomodo respondetur ad tertiam rationem. MAG. Ad tertiam rationem respondent isti, quod si concilium generale contra fidem erraret, ab ipso appellare liceret. Et cum dicitur, quod ad aliud concilium generale appellare non liceret: Dicunt, quod ad aliud concilium generale, si daretur facultas concilium congregandi, appellare liceret. Et si iterum illud concilium erraret, liceret ad aliud appellare. & sic semper quousque catholici conuenirent. Iterum si Papa non esset præsens in concilio generali; si concilium erraret contra fidem, ad ipsum Papam appellare liceret, vel ad Papam cum alio concilio congregando. Ad ecclesiam etiam vniuersalem, si conuenire posset, esset principaliter appellandum Si vero Christianitas tantum esset prauitate infecta hæretica, quod Papa & cardinales & prælati & clerici, & principes & potentes essent hæretici: & soli pauci simplices & pauperes in fide manerent catholica; & concilium reputatum generale contra fidem erraret, aliud non restaret fidelibus quam dolor & gemitus: consiliumq; tenere B. Hieron. quod dat viro ecclesiastico & prudenti, quando in ecclesia, quæ domus Dei vocatur, inualescit iniquitas, iustitia omnino deprimitur. qui vt recitatur. 11. q. 3. c. quando ergo vir, ait.

ait. *Quādo ergo vir ecclesiasticus & prudēs atq; intelligens multas impietates in ea qua vocatur domus Dei, esse cognouerit, & non solū multas, sed etiam fortes, & quæ opprimere possunt iustitiam: & in tantū doctorum rabiē processisse, vt accipiant pretium in iudicio, & omnia pro muneribus faciant, pauperes deuitent in portis & audire contemnant, taceat in illo tempore, ne det sanctum canibus, & ne mittat margaritas inter porcos, qui conuersi conculcent eas, & imitetur Ieremiam dicentem: solus sedebam, quia amaritudine repletus eram.* sic vir catholicus & fidelis, quādo multas hæreses esse in Christianitate cognouit: & corruisse veritatem catholicam in plateis. & iterum prælatorum, doctorum, clericorum, potentium & principum rabiem processisse vt fidem conentur destruere orthodoxam, doctrinam patrum sanctorum audire contemnicant, veritatis catholicæ doctores occidant, tribulent, persequantur & infestent: taceat in illo tempore nec publice coram eis appellet, ne det sanctum canibus, & mittat margaritas ante porcos, qui conuersi conculcent eas, scripturas sanctas perperam exponendo, & ipsas interpretantes ad falsitatem hæreticam distorquendo. & imitetur Ieremiam dicentem: solus sedebam, quia amaritudine repletus eram. Ad quartam rationem respondetur, quod concilium generale de iure potest de hæresi accusari. Si enim concilium generale conuocatum primo fidele ante corporalem dissolutionem eiusdem in hæresim laberetur, posset de iure coram Papa catholico (si non esset præsens) de hæresi accusari; & iuxta sanctiones canonicas iudicari. Si vero Papa tali concilio interesset, & vna cum illa congregatione in hæreticam prauitatem incideret, potestas iudicandi omnes esset ad catholicos deuoluta. Sicut si omnes prælati & clerici mundi prauitate inficerentur hæretica, potestas iudicandi omnes deuolueretur ad catholicos laicos & fideles. Concilium ergo generale, dum manet fidele, nulli personæ vel particulari collegio in causa fidei est subiectum, licet ipsum manens infidele vniuersali ecclesiæ sit subiectum. Sed si ante recessum conuenientium adinuicem corporaliter, talis congregatio in hæresim laberetur, statim tota ista congregatio ipso iure esset alii personæ vel collegio aut congregationi subiecta. Ad quintam rationem respondetur, quod Isidorus loquitur de conciliis generalibus rite congregatis & rite celebratis absque omni errore in bonis & in catholica veritate. Ad sextam rationem respondetur similiter, quod Greg. loquitur de conciliis generalibus rite à catholicis celebratis. Ad septimam dicitur eodem modo, quod Gelasius loquitur de conciliis rite à sanctis patribus celebratis, qui si fuissent hæretici, nequaquā fuissent sancti. Ad octauam respondetur, quod si concilium in hæresim laberetur, remanerent alii catholici, qui occulte vel publice prout expediret, auderent fidem defendere orthodoxam. Ille autem, qui reprobatis filiis carnalibus Abrahæ potest de lapidibus suscitare filios Abrahæ spirituales, iuxta Baptistæ sententiam, potens est & omnibus ad generale concilium conuenientibus in hæresim lapsis, imo omnibus clericis mundi & potentibus secularibus falsitate damnatis hæretica, de lapidibus, id est, laicis rudibus & abiectis pauperibus & despectis catholicis, Dei filios suscitare. Sicut enim in idiotis (sacerdotibus & religiosis ac magistratibus repudiatis) fidem primitus fundauit catholicam: ita omnibus literatis & potentibus datis in reprobum sensum, potest dare pauperes simplices illiteratos & rusticos in ædificationem ecclesiæ orthodxæ.

CAP. XXIX.

Vbi ad tractationem quintæ assertionis superius primo capitulo huius libri allegatæ acceditur, super qua formari potest quinta quæstio principalis, hæc scilicet, vtrum tota multitudo fidelium hæreticari possit. Pro cuius decisione prius hanc quæstionem tractat: Vtrum totus clerus possit hæretica falsitate irretiri: pro qua ponitur talis conclusio: Quod tota multitudo clericorum potest contra fidem catholicam errare. & per consequens totus clerus non est illa ecclesia, quæ contra fidem errare non potest. quod probat decem rationibus.

DISCIP. Admiratione permoueor, quod isti præsumunt asserere, totum clerum posse falsitate hæretica irretiri. Et quia vix vnquam aliquis sine motiuo assentit errori, aperias vnde isti mouentur pro opinione prædicta. MAG. Principale motiuum eorum est hoc (quod sæpe pro multis assertionibus est inductum) quod vna sola est videlicet ecclesia militans, quæ contra fidem errare non potest. constat autem, quod congregatio fidelium, quæ clericos & laicos comprehendit de facto, vel comprehendere potest, nequit contra fidem errare. Multitudo autem tota clericorum non est illa congregatio, licet sit pars eius, quemadmodum & multitudo laicorum est pars eius. ergo tota multitudo clericorum potest contra fidem errare.

DISCIP. Habent ne alia fundamenta minus principalia pro assertione prædicta. MAGIST. Aliis rationibus se munire nituntur. Vnde secundum motiuum eorum est hoc: tota illa particularis multitudo Christianorum, qui in omnibus locis ponunt scandalum fidei orthodoxæ: & qui soli scindunt ecclesiam, & populos de domo Dei seducunt, potest contra fidem errare. Huiusmodi est multitudo clericorum, teste B. Hieron. qui vt recitatur. 24. q. 3. c. transferunt, ait; *Veteres scrutans historias inuenire non possum scidisse ecclesiam & de domo Dei populos seduxisse, præter eos, qui sacerdotes à Deo positi fuerant & prophetæ, id est, speculatores. isti autem vertuntur*

runt in laqueum tortuosum in omnibus locis ponentes scandalum. Ex quibus verbis datur intelligi, quod sacerdotes & speculatores, id est, doctores, consueuerunt ecclesiam Dei scindere, & populos de domo Dei seducere, scandalũ fidei orthodoxæ ponendo vbique. ergo omnes sacerdotes possunt contra fidem errare. Nomine autem *sacerdotis* intelliguntur inferiores clerici; quod notat Gloss. *ext. de cohabitatione clericorum & mulierum. ca. 2. quisque sacerdotum.* ergo tota multitudo clericorum potest contra fidem errare.

Tertium motiuum est tale: tota multitudo illorum, qui sunt deteriores laicis, potest contra fidem errare. quia nulla apparet ratio, quare Deus talem multitudinem ab errore contra fidem specialiter præseruaret. Sed clerici sunt deteriores laicis, secundum quod notat Gloss. *de pœ. di. 1. c. quis aliquando,* dicens: *habes ex hoc ca. quod clerici sunt deteriores laicis. 24. quæst. 3. transferunt.* ergo tota multitudo clericorum potest contra fidem errare.

Quartum motiuum eorum est: tota multitudo illorum, à quibus omnia mala procedunt, potest contra fidem errare: quia ab illis præcipue hæretica prauitas noscitur prouenire. Sed omnia mala à sacerdotibus processerunt, vt notat Gloss. *di. l. ca. purgabit.* ergo tota multitudo clericorum potest contra fidem errare.

Quintum motiuum eorum est hoc: tota multitudo illorum potest cõtra fidem errare, quos valent laici iudicare. Sed malos clericos valent laici iudicare, teste Hiero. qui, vt habetur *di. 8. q. 1. c. vereor,* ait: *Vereor quomodo regina Austri veniens à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, iudicatura est homines temporis sui: & viri Niniuitæ acta pœnitentia ad prædicationem Ionæ condemnabunt eos, qui maiorẽ etiam Iona saluatorem contempserunt: sic plurimi in populis episcopos iudicabunt.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod temerarium est asserere, quod nunquam laici episcopos in comparatione vitæ iudicabunt. sicut ergo laici possunt in moribus & fide errare, ita etiam episcopi. & etiam eadem ratione alii clerici contra bonos mores & fidem possunt errare. Ergo temerarium est asserere, quod nunquam tota multitudo clericorum errabit.

Sextum motiuum eorum est hoc: multitudo illorum potest contra fidem errare, quibus laici possunt esse meliores. sed laici possunt esse meliores clericis, teste beato Hier. qui, vt habetur 8. *quæst. 1. c. qualis,* ait. *Qualis erit ædificatio discipuli, si intelligat magistro se esse maiorem.* & infra; *Vehementer ecclesiam Dei destruit hoc.* scil. meliores esse laicos quam clericos. Ex quibus verbis insinuatur aperte, quod laici possunt esse clericis meliores. sicut ergo tota multitudo laicorum potest contra fidem errare: ita tota multitudo clericorum potest contra fidem errare.

Septimum motiuum est tale: multitudo illorum potest contra fidem errare, qui possunt peccare, & de quibus vix aliquis inuenitur vere pœnitens post peccatum, quia peccatum excœcat intellectum: & ita tandem poterit, si per pœnitentiam minime deleatur, ad errorem contra fidem deducere. Sed clerici omnes possunt peccare, & de clericis vix inuenitur aliquis vere pœnitens post peccatum, teste Iohann. Chrysost. qui, vt habetur *de pœnitentia di. 1. c. quis aliquando vidit clericum cito pœnitentiam agentem? & si deprehensus humiliauerit se, non ideo dolet quod peccauit: sed confunditur, quia perdidit gloriam suam.* Ex his verbis datur intelligi, quod clerici raro inueniuntur vere pœnitentes. Ergo est temerarium asserere, quod multitudo tota clericorum nunquam contra fidem errabit.

Octauum motiuum est tale: multitudo illorum potest contra fidem errare, qui sola dignitate ecclesiastica virtutes & gratiam minime conferente nec augente alios catholicos & fideles noscuntur præcellere. Quia ex quo per talem dignitatem gratia & virtutes nec conferuntur neque augentur necessario, nihil habent. Quare non possunt (sicut prius) contra fidem errare. Sed clerici vltra laicos fideles & catholicos nihil necessario obtinent, nisi clericatum, quæ dignitas ecclesiastica appellatur. Nulla autem dignitas ecclesiastica in ecclesia militante confert necessario gratiam & virtutes, nec necessario auget, sicut in superioribus per auctoritates plurimas est ostensum. Ergo tota multitudo clericorum potest contra fidem errare, sicut poterant omnes contra fidem errare quando laici extiterunt.

Nonum eorum motiuum est tale: si multitudo tota clericorum non potest contra fidem errare, sicut tota multitudo laicorum potest contra fidem errare; aut hoc est ratione regiminis & auctoritatis, quam habent clerici super laicos; aut ratione maioris sanctitatis, qua clerici pollent; aut ratione maioris sapientiæ & literaturæ, quam habent clerici vltra laicos; aut quia tota multitudine clericorum errante tota fides periclitaretur catholica. Non propter primum; tum quia, sicut prædictum est, dignitas aut regimen ecclesiasticum non necessario confert habenti, nec necessario auget in eo gratiam & virtutem. Tum quia summus pontifex, quantum ad regimen & potestatem ecclesiasticam, plenitudinem obtinet potestatis: & tamen Papa potest hæretica prauitate fœdari. ergo & tota multitudo clericorum, non obstante tali regimine, prauitate poterit hæretica maculari.

Secundum etiam non obstat: quia multi inueniuntur laici clericis sanctiores & in fide stabiliores, teste Ambrosio, qui, vt habetur. *8. quæst. 1. c. quid autem,* ait: *quid autem ego vos arguo, cum possitis me vno sermone conuincere? conuincor enim, cum in hac parte clericos vobis video magis negligentes. quomodo enim possum corrigere filios, cum fratres emendare non possim? aut qua fiducia succenseam laicis, cum à consortibus (pudoris verecundia) conticescam?* Ex quibus verbis datur intelligi, quod laici possunt

esse clericis sanctiores. Ergo propter maiorem sanctitatem non dicitur, quod tota multitudo clericorum non potest contra fidem errare. Nec propter maiorem sapientiam seu literaturam, qua clerici pollent, debet dici, quod tota multitudo clericorum errare non potest contra fidem: quia sicut sapientia vel literatura est sæpe occasio stabilitatis in fide, ita est sæpe occasio hæreticæ prauitatis. vnde communiter inuentores hæresum sunt viri literati, scripturarum noticiam diuinarum habentes, suos errores ex ipsis sacris literis assumentes, ipsosque errores per sacras scripturas fulcire conantes, secundum quod testatur beatus Clemens, & legitur di. 28. ca. relatum. Et beatus Hieron. insinuat in prologo Bibliæ asserens nonnullos ad voluntatem suam sacram scripturam trahere repugnantem. Propter maiorem ergo noticiam scripturarum non est dicendum, quod si tota multitudo clericorum erraret, periclitaretur fides. Quia, sicut testificatur beatus Paulus. 1. Corinth. 8. Fides nostra non est in sapientia hominum, sed est in virtute Dei. Sed virtute Dei potest fides catholica sustentari in laicis, sicut in literatis & clericis. Præsertim cum sæpe simplices laici & pauperes stabiliores in fide inueniantur, quam clerici: maxime cum Christus fidem per idiotas & illiteratos fundauerit. Ergo quamuis omnes clerici deuiarent à fide, non periclitaretur fides. Decimum motiuum eorum est tale: tota multitudo clericorum non est sanctior nec fide stabilior, quam fuit collegium apostolorum. Collegium autem apostolorum tempore passionis Christi errauit in fide. ergo & multitudo clericorum potest in fide errare. Dicunt ergo isti, quod sicut temerarium est dicere, quod tota multitudo clericorum non errabit contra fidem; ita temerarie dicitur, quod multitudo clericorum nec tempore Antichristi, nec alio tempore cõtra fidem errabit. De nulla enim congregatione multitudinis vel collegio firmiter est tenendum, quod nunquam contra fidem errabit, nisi inquantum hoc potest colligi ex verbis Christi promittentis apostolis, quod fides catholica est vsque ad finem seculi permansura. In promissione autem licet Christus locutus fuerit apostolis, qui erant episcopi, non tamen loquebatur præcise pro ipsis, sed locutus est pro futuris. inter illos autem futuros nullam de clericis specialem fecit mentionem. Nec verba sua intelligenda sunt de aliqua multitudine speciali Christianorum, sed de tota multitudine: quia hæc nunquam erit vera: tota multitudo Christianorum errat in fide; sed an hæc erit vera: tota multitudo clericorum errat in fide, nescitur à nobis, sed à Deo, qui omnia futura nouit. Prædictæ assertioni concordat Gloss. 28. quæst. 1. ca. à recta: Quæro de qua ecclesia intelligitur, quod dicitur, quod non possit errare. Et respondens ait: Respondeo quod ipsa congregatio fidelium hic dicitur ecclesia. Ex quibus verbis colligitur, quod congregatio fidelium est illa ecclesia, de qua dicitur, quod errare non potest. Ad congregationem autem fidelium ita pertinent laici fideles, sicut clerici. igitur de multitudine clericorum non debet intelligi, quod errare non possit.

CAP. XXX.

Ponit opinionem contrariam, scil. quod totus clerus contra fidem errare non potest. vbi etiam ponitur hæc conclusio, scil. quod soli clerici sunt ecclesia. quæ probatur septem rationibus, ad quas respondetur capitulo sequenti.

DISCIP. Pro ista assertione, quam existimo falsam, satis allegasti. ideo quæso quod pro assertione contraria alias allegationes adducas. MAGIST. Duo sunt fundamenta principalia assertionis contrariæ: ex quibus sequitur, quod multitudo clericorum contra fidem errare non potest. Primum est, quod ecclesia contra fidem errare non potest. Secundum est quod multitudo clericorum est ecclesia. DISCIP. Quod ecclesia non possit errare contra fidem, concedunt aduersarii. ideo solum proba, quod soli clerici sunt ecclesia. MAGIST. Quod soli clerici sunt ecclesia, ex verbis sanctorum patrum colligitur manifeste. Ait enim Adrianus Papa, vt legitur di. 63. c. 1. quisquis secularium principum vel potentum, vel alterius dignitatis laicus aduersus communem vel consonantem atque catholicam electionem ecclesiastici ordinis agere tempauerit, anathema sit, donec obediat & consentiat quicquid ecclesia de electione aut ordinatione præsulis se velle monstrauerit. Ex quibus patet, quod ecclesia contra laicos est distincta. ergo soli clerici sunt ecclesia. Item Inno. tertius, vt habetur ext. de consti. c. ecclesia, ait: non attemptantes quod laicis super ecclesias, & personas ecclesiasticas nulla sit attributa facultas. Ex quibus verbis datur intelligi, quod laici super ecclesiam vel personas ecclesiasticas nullam habent penitus facultatem. Constat autem, quod nonnulli laici super alios laicos obtinent potestatem. Igitur laici non sunt personæ ecclesiasticæ nec sunt de ecclesia: & ita soli clerici dicuntur ecclesia. DISCIP. Notum est, ꝙ soli clerici vocantur ecclesia & ecclesiastici viri. quare, cum constet, ꝙ ecclesia non potest contra fidem errare, sequitur quod tota multitudo clericorum nunquam deuiabit à fide. Ideo circa istud medium amplius non insistas, sed alia media coneris adducere. MAGIST. Secundum medium pro assertione prædicta est: tota multitudo illorum non potest errare contra fidem, ad quos & non ad alios spectat quæstiones fidei terminare, & contra fidẽ errantes corrigere: qua multitudine totali errante, tota fides periret. Sed ad solos clericos & nõ ad laicos spectat quæstiones fidei terminare, & errantes contra fidem corrigere. Ergo tota multitudo clericorũ nequit contra fidem errare, cum fides perire non possit. Maior videtur certa, quia nunquam erit ecclesia

Dei

Dei vsq; ad finem seculi absq; auctoritate quæstiones terminandi & hæreticos corrigendi. Minor quo ad vtramq; partem probatur. Quod enim ad solos clericos spectat quæstiones fidei terminare, patet quia ad solam sedem apostolicam, cui soli clerici præsident, spectat quæstiones fidei terminare. 24. *q.* 1. *c. quotiens.* & *ext. de baptismo & eius effectu, maiores.* Secunda pars etiam probatur, quod hæresis est crimen hæreticum. ergo ad solos clericos spectat de crimine illo cognoscere. DISC. De hac materia quæram postea multa. ideo de illa pertranseas: & aliud motiuum pro assertione prædicta inducas. MAGIST. Tertium motiuum eorum est tale. Tota multitudo illorum non potest contra fidem errare, qui nullius iudicio extra illam multitudinem sunt subiecti. quia si tota illa multitudo contra fidem erraret, nullus esset, qui hæreticos punire valeret. sed clerici nullius alterius, quam clericorum sunt subiecti iudicio, vt sacri canones attestantur. ergo tota multitudo clericorum contra fidem errare non potest. Quartum medium eorum est tale. Tota multitudo eorum non potest contra fidem errare, qui soli & non alii potestatem habent eligendi caput ecclesiæ: quia nunquam ecclesia ad statum illum perueniret, quin possit sibi caput eligere: cũ quælibet congregatio possit sibi statuere caput. sed soli clerici & non laici habent potestatem eligendi caput ecclesiæ. scil. summum pontificem, iuxta canonicas sanctiones. ergo tota multitudo clericorum nunquam errabit contra fidem. Quintum motiuum eorum est tale: domus Dei, quę est ecclesia militans, non potest esse nulla, sicut nec ecclesia potest esse nulla, 24. *q.* 91. *c. petenda*, teste Hieron. vt legitur 24. *q.* 1. *c. omnibus*, qui ait: *omnibus consideratũ puto me temere non dicere, alios esse ita in domo Dei vt ipsi sint eadem domus Dei quæ dicitur ædificari super petram, quæ vnica & columba appellatur.* Et parum post: *quæ domus etiam claues accepit ac potestatem ligandi & soluendi.* Ex quibus verbis colligitur, quod domus Dei, quæ vnica columba vocatur, quam constat esse ecclesiam catholicam, claues habet ac potestatem ligandi & soluendi. claues autem & prædicta potestas in solis sacerdotibus inueniuntur. ergo vsque ad finem seculi erunt in ecclesia catholica aliqui sacerdotes. & per consequens nunquam tota multitudo clericorum contra fidem errabit. Sextum motiuum est tale: Christus vsque ad finem seculi in ecclesia militante permanebit non solum per fidem & dilectionem, sed etiam per suam præsentiam sacramentalem. ergo semper erunt in ecclesia aliqui sacerdotes, qui potestatem habebunt conficiendi corpus Christi. sed si tota multitudo clericorum hæreticaretur, non esset in ecclesiis, qui potestatem haberet conficiendi corpus Christi, quod nunquam accidet. ergo nunquam tota multitudo clericorum exorbitabit à fide. Septimum eorum motiuum est tale: ecclesiastica hierarchia vsque in finem seculi permanebit. sed in solis prælatis & sacerdotibus & cæteris clericis consistit ecclesiastica hierarchia. ergo vsque ad finem seculi aliqui prælati & sacerdotes & alii clerici fideles & catholici permanebunt. Tria vltima motiua confirmantur vna ratione tali: si tota multitudo clericorum posset hæreticari, eadem ratione tota multitudo clericorum posset per mortem extingui, immo occidi. Sed nunquam ante finem mundi tota multitudo clericorum erit extincta: quia si tota multitudo clericorum esset extincta, non solum ecclesia esset actu priuata clauibus regni cœlorum, & potentia ligandi & soluendi, ac etiam sacramento corporis Christi & ecclesiastica hierarchia; sed etiam priuata esset potestate habendi prædicta. Quamuis etiam si tota multitudo clericorum hæreticaretur, vel ecclesia careat prædictis, de facto tamen si remanserint alii clerici hæretici, possent aliqui catholici ordinari ab eis, quod, vt videtur, aliquibus esset licitum in illo casu, sicut in articulo necessitatis licet ab hæreticis baptismum accipere. quibus ordinatis possunt omnia prędicta reparari. sed si nulli clerici nec catholici nec hæretici remaneant, nunquam posset aliquis in ecclesia habere claues, neque potestatem ligandi atque soluendi, nec conficere corpus Christi: & cessaret omnis ecclesiastica hierarchia. & ita inconueniens est dicere, quod tota multitudo clericorum potest per mortem extingui. quare inconueniens est asserere totam multitudinem clericorum posse in hæreticam incidere prauitatem. Octauum motiuum est tale: tota multitudo eorum nequit contra fidem errare, à qua quicunque separatur, pacẽ cum ecclesia Dei habere nõ potest. sed qui separatur à tota multitudine clericorum, pacem cum ecclesia Dei habere non potest, teste Cypriano, qui, vt recitatur, 7. *quæst.* 1. *c. nunciamus*, ait, *qui ergo nec coniunctionem pacis, nec vnitatem spiritus obseruat & se ab ecclesia vinculo & sacerdotum collegio separat, episcopi nec potestatem potest habere nec honorem, qui episcopatus nec vnitatem habere voluit, nec pacem.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod qui separat se à collegio sacerdotum, nec honorem nec pacem nec vnitatem cum ecclesia Dei potest habere. Ergo tota multitudo clericorum, quæ intelligitur nomine sacerdotum, contra fidem errare non potest.

CAP. XXXI.

In quo respondetur ad præcedentis capituli rationes, probantes quod totus clerus sit ecclesia, quæ contra fidem errare non potest.

DISCIP. Ista media pro assertione, quam reputo esse veram, mihi sufficiunt. nec puto, quod aduersarii ad ipsas responsiones inuenire poterint apparentes. Tamen, vt melius veritatem eorum intelligam, dic quomodo ad ipsas aduersarii respondere nituntur.

MAG. Primum omnino friuolum arbitrantur: quia per æquiuocationem procedere videtur. Nam hoc nomen, *ecclesia*, habet varias significationes. quandoq; n. accipitur ꝓ domo materiali. & sic

sic accipitur ecclesia. 1. *ad Corinth*. 3. cum dicit apostolus: *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut etiam ecclesiam Dei contemnitis*. Secundo modo accipitur hoc nomen, *ecclesia*, pro congregatione Christianorum fidelium generali vel particulari, quæ tam viros quam mulieres comprehendere potest. & sic accipitur ecclesia *Act*. 2. cum dicit apostolus: *Maioribus natu attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei*. vbi nomine *ecclesia* comprehendit tam viros quam mulieres. Sicut etiam accipit apostolus nomen ecclesiæ in epistola ad Philemonem, cum dicit *ecclesia quæ in domo tua est*. quia in domo Philemonis erant tam viri quam mulieres: & forte nullus clericus erat in ea, nisi episcopus. fortasse quia nec ipse Philemon præditus erat ecclesiastica dignitate. Sic etiam ipse apostolus accipit in aliis epistolis suis *ecclesiam*. Et isto modo accipitur ecclesia *Prouerb*. 10. cum dicitur: *Pene fui in omni malo in medio ecclesiæ & synagogæ*. Sicut etiam in canone accipitur ecclesia, *de conseq. di*. 1. *c. ecclesia*, vbi dicit Nicolaus Papa: *Ecclesia* 1. *catholicorum collectio, quomodo sine apostolicæ sedis intituletur nutu, quando iuxta sacra decreta, nec ipsa debet absque præceptione Papæ basilica nouiter construi, quæ & ipsam catholicorum intra semet amplecti cateruam dignoscitur*. vbi *ecclesia* accipitur pro collectione catholicorum, quæ mulieres & laicos nequaquam excludit. In duabus significationibus prædictis dicunt isti, nomen *ecclesia* accipi in scriptura diuina. & ideo dicunt quod ad ecclesiam, secundum quod in scriptura diuina (quæ est totius fidei catholicæ fundamentum) accipitur, ita laici & mulieres fideles pertinent, & sunt personæ ecclesiasticæ, sicut clerici. In iure autem canonico hoc nomen *ecclesia* significationes habet alias à prædictis: quia clerici nomen ecclesiæ ad clericos restrinxerunt, clericos solummodo vocantes ecclesiam: cum tamen, sicut dictum est, secundum quod scriptura diuina vtitur nomine *ecclesia*, ita sunt personæ ecclesiasticæ laici & mulieres, sicut clerici. Quia ita sunt de ecclesia, sicut clerici. Et sic accipiendo ecclesiam solummodo pro clericis, adhuc plures habet significationes, secundum quod notatur *ext. de ver. sig. ca. clerici*. Quia quandoque significat tantum episcopum. 7. *q*. 1. *c. scire*. Quandoque ponitur pro maiori parte capituli. 56. *di. c. apostata*. Quandoque restringitur ad canonicos ministros ecclesiæ. 6. *di. ca. vlt*. & 10. *q*. 1. *c. antiquos*. Quandoque designat quamlibet ecclesiam prouinciæ. *ext. de vsu pallii, cum super*. Per hoc respondent ad rationem primam dicentes, quod aliqua ecclesia potest contra fidem errare: & aliqua ecclesia non potest contra fidem errare. Clerici autem sunt illa ecclesia, quæ potest contra fidem errare, sed non sunt illa ecclesia, quæ non potest errare, licet sint catholici. sicut pars illius ecclesiæ quæ non potest errare. Quod vero sit aliqua ecclesia, quæ potest hæreticari auctore beati Ambrosii, probare nituntur. ait enim Ambrosius vt recitatur 24. q. 1. c. quæ dignior: *si qua est ecclesia, quæ fidem respuat, neq; apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, neque quenquam labe perfidiæ possit aspergere, deserenda est*. Quod apostolus quoque apparenter siue euidenter asseruit, dicens: *Hæreticum hominem post vnam & aliam correptionem deuita*. Ex quibus verbis euidenter apparet, quod aliqua ecclesia potest infici hæretica prauitate. & illam ecclesiam dicunt esse clericorum, quæ tunc non esset vera ecclesia, sed esset ecclesia malignantium nuncupanda. Cum vero dixisti, notum esse, quod soli clerici vocantur ecclesiastici viri, dicunt quod contrarium per scripturam diuinam, & etiam per decreta sanctorum patrum est notū: sicut ostensum est. DISCIP. Ista ratio non est ita fortis, sicut videbatur: quia clare probatum est, quod sæpe vocabulum ecclesiæ laicos & mulieres etiam comprehendit. ideo indica, quomodo ad secundum membrum respondetur. MAGIST. Ad secundum respondent negando maiorem dicentes, quod quamuis (quando clerici sunt catholici & in sacra pagina periti, & laici sunt illustrati diuinarum scripturarum ignari) laici de quæstionibus fidei se non debeant principaliter intromittere, sed à clero addiscere, quæ fidei sunt: nec debeant errantes contra fidem principaliter corrigere, sed exequi ea, quæ ad correctionem hæreticorum ordinantur prouide à prælatis: tamen si clerici omnes in hæreticam inciderent prauitatem, omnia prædicta, quantum suppetit notitia laicorum, pertinent ad eosdem. DISCIP. De ista materia interrogabo postea plura. ideo transi ad rationem tertiam. MAGIST. Ad rationem tertiam respondetur, quod clerici non sunt exempti à iudicio laicorum, nisi ex voluntate laicorum. & ideo si omnes clerici essent effecti hæretici, omnes essent iudicio laicorum subiecti. quia nunquam fuit intentio laicorum concedere clericis immunitatem, quando omnes fidem catholicam impugnarent. DISCIP. De hoc conferam postea tecum. ideo dic, quomodo respondent ad quartum motiuum. MAGIST. Respondetur quod si omnes clerici hæreticarentur, potestas eligendi summum pontificem deuoluta esset ad laicos: sicut etiam laici habuerunt potestatem summum pontificem eligendi. DISCIP. De hoc etiam specialiter indagabo. ideo qualiter respondetur ad quintum motiuum, responde. MAGIST. Tria motiua sequentia eandem difficultatem continere videntur, propter quam dicunt nonnulli: quod quamuis maior pars, immo fere tota multitudo clericorum possit contra fidem errare, & fidem catholicam pertinaciter impugnare, tamen semper permanebit saltem vnus episcopus sacerdos catholicus, qui illa, quæ ordinis sunt, licite valeat exercere. Et ideo concludunt illi, quod omnes magistri theologiæ & inferiores clerici episcopo sacerdote possunt contra fidem errare. Deus tamen semper conseruabit aliquem sacerdotem episcopum orthodoxum, ne ecclesia potestatem habendi claues regni cœlorum, & auctoritatē ligādi & soldi, ac potestatem conficiendi corpus Christi, & habendi ecclesiasticam hierarchiam, amittat. Sed tenentes, quod tota multitudo clericorum potest hæreticari, dicunt quod quamuis omnes clerici hæreticarentur, propter hoc ecclesia potestatem habendi prædicta nequaquam amitteret, licet

licet illa nunquam posset habere per humanam potentiam, sed per miraculosam operationem diuinam. Deus enim posset (si omnes clerici essent facti hæretici) diuersis modis de aliquibus laicis catholicis sacerdotes & episcopos ordinare. Sola enim voluntate posset hoc facere: quod etiam posset suæ ecclesiæ reuelare. Qua reuelatione facta & per miraculũ confirmata, omnes catholici deberent taliter ordinatos à Deo, sicut veros episcopos & sacerdotes habere. DISCIP. Istud non est probabile, quod Deus taliter sacerdotes & episcopos ordinaret. MAGIST. Dicunt isti, quod sicut temerarium est asserere, quod Deus taliter sacerdotes & episcopos ordinaret: ita ēt temerarium est hoc negare: quia hoc est de futuris temere diuinare. Dicere vero, quod Deus hoc nõ possit facere, reputant hæresim manifestam: quia articulum fidei de omnipotentia Dei impudenter impugnat. DISCIP. Dic responsionem istorum ad vltimum motiuum. MAGIST. Ad vltimum motiuum respondetur, quod qui separat se à tota multitudine clericorum, quando sunt catholici, non potest cum ecclesia Dei pacem habere. Et in hoc casu debent intelligi verba Cypriani. Cum autem omnes clerici essent hæretici, qui non separaret se ab eorum collegio saltem spiritualiter, & ignorantia probabili minime laboraret, cum ecclesia Dei pacẽ nequaquã haberet.

CAP. XXXII.

In quo probatur tribus rationibus, quod tota multitudo virorum, tam clericorum quam laicorum, potest contra fidem errare, & fides catholica in mulieribus conseruari.

DISCIP. Licet teneam, quod tota multitudo clericorum non possit contra fidem errare, nolo te tamen ad rationes in contrarium respondere: Quia conabor per meditationem propriam responsiones ad ipsas rationabiles inuenire, de quibus post præsentis operis completionem intendo tecum collocutionem habere. Nunc autem quia in superioribus videbaris innuere aliquos affirmantes, quod tota multitudo virorum & clericorum & laicorum potest contra fidem errare: peto vt aliqua motiua pro prædicta assertione inuenire nitaris. MAGIST. Verum est, quosdam tenere, quod tota multitudo virorum potest contra fidem errare, & quod fides catholica posset in mulieribus catholicis conseruari. Pro quibus principale motiuum est in promptu. ꝙ est tale (sicut sæpe tactum est prius) Vnica est ecclesia militans, quæ contra fidem errare nõ potest, quia nunquam inuenitur, quod sint plures ecclesiæ militantes, quæ contra fidem errare non possunt. multitudo autem virorum non est illa ecclesia vnica, quę contra fidem errare non potest; sed solummodo pars illius ecclesiæ, quando viri sunt catholici. Si enim viri non essent pars illius ecclesiæ, sed tota illa vnica ecclesia, quæ errare non potest, nulla mulier saluaretur: quia nulla persona viatrix saluatur, nisi sit de illa ecclesia militante, quæ errare non potest. Si autem multitudo virorum non est illa vnica ecclesia, quæ errare non potest, sequitur quod tota multitudo virorum potest contra fidem errare. Secundum motiuum eorum est tale: tota multitudo clericorum potest contra fidem errare. ergo tota multitudo virorum potest contra fidem errare. Consequentia probatur: quia tota multitudo virorum, & tota multitudo clericorum nõ differunt, nisi sicut duæ partes ecclesiæ militantis; quarum vna est maior, & alia minor. Sed non apparet ratio, quare non ita pars maior possit errare, sicut minor. Quia quod tota multitudo virorum non possit errare, nõ potest alia ratio cogitari, nisi propter maiorem sapientiam virorum quam mulierum, vel propter maiorem sanctitatem, vel propter maiorem capacitatem ecclesiasticæ potestatis. sc. ordinum, & clauium ecclesiæ, & potestatis conficiendi corpus Christi, & dispensandi ecclesiastica sacramẽta. Sed ex omnibus istis non potest concludi, quod tota multitudo clericorum non potest contra fidem errare: sicut ꝙ tota multitudo virorum, sicut ex præcedentibus patere videtur. Si ergo tota multitudo clericorum potest contra fidem errare, etiam tota multitudo virorũ poterit hæreticari. sed tota multitudo clericorum potest hæreticari, sicut dicunt superius esse probatum. igitur &c. Tertium motiuum est tale: Istud quod semel accidit, & non est reuelatum à Deo, ꝙ nunquam de cætero eueniat, nec per rationem naturalem potest probari quod non sit venturum, temerarium est asserere quod nunquam eueniet. sed aliquando tota multitudo virorum contra fidem errauit: sc. tempore passionis Christi. tunc enim tota fides Christianæ ecclesiæ in matre Christi remansit. non est autem iam reuelatũ à Deo, quod hoc nunquam postea fiat. & constat ꝙ per rationem naturalẽ probari non potest. Ergo absq; temeritate minime affirmatur, ꝙ nunquam tota multitudo virorum contra fidem errabit. DISCIP. Christus reuelauit apostolis, ꝙ nunquam tota multitudo virorum errabit, cum dicit Mat. vlt. *Ecce vobiscum sum cunctis diebus vsq; ad consummationem seculi.* non enim dixit hoc eis pro ipsis apostolis, quia ipsi erant ante finem seculi morituri. ergo dixit eis pro succedentibus eorundem. MAGIST. Hoc non reputant isti concludere: quia Christus, cum dixit verba prædicta apostolis pro fidelibus credentibus & credituris in eum. ita enim erant mulieres crediture in ipsum, sicut viri: quia verba Christi ad viros restringi non debent. propter idem dicunt, quod verba Christi, cum dixit Petro: *Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua*: ad viros sunt minime coarctanda.

Cap. XXXIII.

In quo ad oppositum arguitur duabus rationibus, quod tota multitudo virorum & clericorum & laicorum contra fidem errare non possit.

MAGIST. Non est autem modo credendum, quod tota multitudo virorum contra fidem errabit: sicut non est credendum, quod infideles vnquam totam Christianitatem occupabunt. Hoc enim scripturæ diuinæ & verbis Christi videtur apertissime obuiare. Christus enim, vt legitur *Matth.* 24. prædicans destructionem Iudaici populi, quæ facta postea fuit per Titum & Vespasianum, dixit: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis nunquam fuit ab initio mundi vsque modo, nec fiet, & nisi breuiati fuissent dies illius, non fieret salua omnis caro.* Ex quibus verbis colligitur, quod nunquam futura est tanta tribulatio, quanta fuit facta per Romanos. Si autem tota Christianitas, quantum ad viros, destrueretur, multo maior esset tribulatio Christianorum, quam illa, quam fecerunt Romani. Ergo nunquam tota multitudo virorum Christianorum destruetur. & per consequens nunquam errabit contra fidem. Item, futura maxima Christianorum auersio à fide erit tempore Antichristi, sed tempore eius remanebunt plures viri fideles Christiani, ipsa veritate testante, quæ, vt habetur *Matth.* 24. loquens de persecutione futura tempore Antichristi, ait: *Surgent pseudo Christi & pseudo prophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem ducantur (si fieri possit) etiam electi.* Ex quibus verbis colligitur, quod tempore Antichristi aliqui erunt sancti viri electi, qui in errorem minime inducentur. quod beatus Iohann. *in apocal.* in diuersis locis testari videtur. hæc sunt inter alia, quæ assertionem præfatam de improbabilitate conuincunt aperte. DISCIP. Licet de conclusione non dubitem, tamen quomodo potest ad ista responderi, vt clarius veritatem intelligam, ac de multis quæ ad istam spectant materiam occasionem cogitandi habeam, pandere velis.

Cap. XXXIV.

Vbi respondetur ad duas præcedentes rationes, quibus probatur quod non tota multitudo virorum contra fidem errare possit.

MAGIST. Vis vt tibi quid sentiam de prædictis aperiam. DISCIP. Nolo vt quod tenes in mente, reueles: sed responsiones aliquas, quæ cogitari vel teneri potuerint à quocunque, non differas recitare. MAGIST. Hoc pacto vt omnia quæ narrabo non aliter accipiantur, nisi quod aliquis quæstionum difficilium indagator potest dicêdo computare consona veritati, quomodo ad prædictas instantias respondere contingat ostendam. Volo etiam quod dicenda fratri MAGIST. & eius sequacibus nequaquam imponas. sicut in præcedentibus multas recitaui sententias, quæ assertionibus domini Iohann. & suorum sequacium obuiant manifeste; quas tamen frater MAGIST. & sui sequaces minime opinantur: immo nonnullas impugnare nituntur, ita in parte futura operis huius (si tu volueris) plura referam, quæ frater MAG. & sui sequaces satagunt improbare. DISCIP. Quod istum modum teneas, à principio acceptaui. quia sententias contrarias quorumcunque catholicorum & hæreticorum & interdum alia, quæ à nullo Christiano tenentur, licet possint habere catholicos & hæreticos defendentes, te desidero recitare. sic enim multiplicius & efficacius exercitabimus studiorum ingenia. MAGIST. Peractis suppositis memoratis quomodo ad instantias allegatas poterit responderi, tuæ curiositati satagam explanare. Ad primam dupliciter dicitur vel dici potest. primo, quod verba Christi præfata, *erit tunc tribulatio magna*, &c. ad literam intellecta de persecutione facta per Titum & Vespasianum non debent intelligi, manifeste videtur posse probari. Primo, quia tribulatio facta per diluuium, quando in vniuerso mundo octo sc. animæ tantummodo saluabantur, erat multo maior quam facta per Titum & Vespasianum; eo quod multæ animæ tunc saluatæ fuerunt. DISC. Verba Christi prædicta non intelliguntur de tribulatione generali vniuersorum mortaliũ, qualis fuit illa, quæ fuit facta per diluuium: sed de tribulatione particulari & speciali Iudæorum, quorũ non fuit maior, quam illa, quæ fuit facta per Romanos. MAG. Hæc responsio potest dupliciter impugnari. Christus enim ibidem nõ loquitur de tribulatione speciali tantummodo Iudæorum, sed loquitur etiam de tribulatione aliarum gentium & regnorum. & præmittit ibidem dicens: *consurget gens contra gentem* &c. quæ verba de Iudæa tantummodo, quæ fuit vnicum regnum, non possunt intelligi. igitur Christus cũ dicit: *erit enim tunc tribulatio magna* &c. de tribulatione Iudæorum, quã intulerunt Romani, non debent intelligi. intelligũtur ergo vel de tribulatione generali cunctorum viuentium, vel de tribulatione alicuius gentis specialis, vel aliarum gentium determinatarum. non possunt intelligi de tribulatione generali: quia illa, quæ facta fuit per diluuium, maior fuit, quam illa quam fecerũt Romani. nec possunt intelligi de tribulatione in speciali gentis vel gentium facta per Romanos: quia tribulatio Sodomorum, in qua omnes perierunt, maior fuit

fuit quam tribulatio per Romanos illata. ergo verba Christi prædicta de tribulatione, quæ facta est per Romanos, non debent intelligi. DISCIP. De qua ergo tribulatione debent intelligi? MAGIST. Debet dici, quod verba illa specialiter debent intelligi de tribulatione fidelium, qui scil. rectam fidem tenent de Deo: inter quos quidam sunt electi, & alii per pœnam æternam sunt præsciti. Et non de quacunq; tribulatione: sed de tribulatione, quæ sub Antichristo erit, quando tantam tribulationem habebunt, quantam certè fidem tenentes nunquam habuerunt, licet sæpe infideles maiorem tribulationem habuerint, & sicut forsitan sunt habituri. Tribulatio autem facta per diluuium respectu infidelium erat maior, quam erit tribulatio Antichristi respectu fidelium: quia tunc omnes infideles pariter perierunt: sed respectu fidelium non erit tanta tempore Antichristi; quia non omnes fideles tunc peribunt. Maior etiam fuit tribulatio Sodomorum, quando quinque ciuitates subuersæ fuerunt, quam erit tribulatio fidelium tempore Antichristi. & ita sæpe maior fuit tribulatio infidelium, quam erit illa tribulatio, quam Christus prædixit futuram: quæ tamen forsitan erit tanta, quod fideles pauci remanebunt firmi in fide. Et an isti fideles erunt viri vel mulieres, solus Deus nouit, & illi, quibus Deus specialiter reuelauit. Ad secundam rationē potest dici, quod electi comprehendunt viros & mulieres. & ideo per hoc, quod iuxta promissionem Christi tempore Antichristi remanebunt electi, non potest concludi, quod illi electi erunt viri, quia mulieres tunc poterunt esse electæ. DISCIP. Videtur quod illi qui tenent prædictam assertionem, non multum reputant stabilitatem ecclesiæ & constantiam Christianorum. MAGIST. Est quædam assertio, quæ affirmatur aperte, quod temerarium est asserere omni tempore futuros Christianos, qui erunt constantiores in fide quam Iudæi fuerunt. quamuis enim fuerunt in fide constantissimi, & aliqui firmi in fide sint futuri; tamen nescitur ab aliquo viatore (nisi alicui Deus reuelauerit) an multitudo catholicorum ad illam paucitatem deueniet, in qua fuit tempore Noe & temporibus Patriarcharum & in veteri lege: & an Sarraceni & alii infideles omnes regiones Christianorum & fidelium occupabunt. Ideo aliquid in talibus diffinire, & de futuris aliquid temere diuinare vanum est. Poterit enim Deus exigentibus Christianorum demeritis permittere omnes ab infidelibus subiugari: & (paucis exceptis) ad sectam eorum conuerti; qui postea poterit (si voluerit) sua pietate totum mundum ad fidem conuertere. Quemadmodum per paucos apostolos siue discipulos magnam partem mundi fidei subiugauit. Et ideo sunt quidam dicentes, quod si Sarraceni & alii infideles Christianitatem inuaserit, temere Christiani præsumant se per dimidiam potentiam protegentes, si terras suas disseminatas iam vbiq; terrarū hæresibus, symoniis, persecutionibus, diffamationibus & calumniis, innocentum violentis iudiciis, guerris, dissensionibus, & discordiis, rerum & dominiorum ac iurium occupationibus & inuasionibus alienorum, ambitionibus, acceptionibus personarum, distributionibus impiis & iniquis bonorum, iracundia & inuidia, iniustitiis ac aliis vitiis spiritualibus ac carnalibus innumerabilibus, quibus tota vel fere tota Christianitas videtur infecta, neglexerint expurgare. Omnibus enim hæreticis & fautoribus eorum ac nequitiis aliis inuolutis extinctis; terrisque omnium Christianorum ab infidelibus occupatis: poterit Deus etiam per duos aut per tres vel plures (quos elegerit) orthoxos multiplicare plusquam fuerint vnquam Christianos ac terram sanctam: & maiores quam vnquam habuerint regiones (infidelibus extirpatis) eorum subdere ditioni. Quid autem de prædictis eueniet, nolunt dicere se spiritum prophetiæ habere; nec reputant diuinare. Et ideo concedunt, quemadmodum etiam prædixisti, quod non est credendum, quod infideles nunquam totam Christianitatem nullatenus occupabunt. neutrum enim est certum, nisi Deo & cui Deus reuelabit. Quamuis dicant nonnulli, quod tempore Antichristi tanta erit persecutio & extinctio catholicorum, quod omnis regio in vniuerso orbe erit per infideles vel per apostatas occupata. Et an simile quid eueniet vel non eueniet ante tempus Antichristi, dicunt quod per scripturam diuinam vel doctrinam vniuersalis ecclesiæ sciri non potest. DISCIP. Certum est, quod fides Christi vsque in finem seculi permanebit. ergo certum est, quod nunquam infideles totam Christianitatem occupabunt. MAGIST. Respondent dicentes: male arguis, quia fides catholica Christi poterit remanere in catholicis dispersis & latitantibus in terris ab infidelibus occupatis: quemadmodum nunc Iudæi aliqui & Sarraceni etiam publice in terris Christianorum manent.

Cap. XXXV.

Vbi probatur quinque rationibus, quod tota multitudo fidelium vsum rationis habentium potest contra fidem errare.

DISCIP. Istam assertionem tam absurdam æstimo, quod ipsam dignam reprobatione maiori non censeo. Ideo ipsa dimissa ad complendam materiam, quam incepi, volo te aliam magis rationabilem pertractare. Quæso enim, vt mihi reueles, an aliqui sentiant, quod tota multitudo Christianorum valeat hæretica prauitate fœdari. MAGIST. Iudæi, Sarraceni, & etiam Pagani firmissime tenent, fidem Christianam esse erroneam. DISCIP. Non intendo

quærere de illis, sed de Christianis: sub Christianis etiam hæreticos comprehendendo. MAG. Nescio aliquem Christianum, qui hoc teneat. DISCIP. Licet nescias Christianum aliquem hoc tenere, tamen pro hoc aliquas rationes excogitare nitaris. MAGIST. Ad quæstionem falsam nulla ratio nisi sophistica potest adduci. DISCIP. Concedo quod pro assertione prædicta nulla valet ratio nisi sophistica allegari: tamen sæpe rationes apparentes & difficiles ad soluendum pro falsis inducuntur. vnde qualescunq; inuenire coneris. MAGIST. Quod tota multitudo Christianorum vsum rationis habentium possit contra fidem errare, tali ratione probatur. quantum ad possibilitatem errandi & peccandi idem iudicium est habendum de multis & paucis arbitrii libertatem & peccabilitatem habentibus: sed parua multitudo Christianorum propter libertatem arbitrii & peccabilitatem potest contra fidem errare. ergo propter eãdem causam tota multitudo Christianorum potest contra fidem errare. Confirmatur hæc ratio, quia vbi est eadem causa, debet esse idem effectus. causa quare Christianus potest contra fidem errare, est; quia nemo credit nisi volens. eo quod articuli fidei non sunt de se euidentes. sed illa causa reperitur in tota multitudine Christianorum: & articuli fidei sunt ineuidentes toti multitudini. & ideo illa non credit, nisi volens. ergo ita poterit tota multitudo Christianorum errare, sicut vnus solus. Secunda ratio talis est. Illa multitudo, quæ non est confirmata in fide, potest contra fidem errare; sicut illa multitudo vsum rationis habentium, quæ non est confirmata in gratia, potest peccare. tota autem multitudo Christianorum non est confirmata in fide: quia nullus Christianus in hac vita est confirmatus in fide. ergo multo fortius tota multitudo non est confirmata in fide. & ergo tota potest contra fidem errare. Tertia ratio est hæc. Illa multitudo quando est sola, potest contra fidem errare, quæ valet errare contra fidem, postquam sibi alii sunt adiuncti, per quos nihil necessario veritatis aut virtutis diminuitur, sed magis accrescit: quia eadem multitudo est fortior cum aliis sibi conferentibus, quam sola. sed tota multitudo Christianorum, quæ nunc est (illa manente integra, nec vno ex ea penitus pereunte) postquam multi alii fuerunt Christiani ac sacerdotes & episcopi, poterit contra fidem errare. ergo eadẽ multitudo, si sola manserit, nullo alio effecto Christiano, antequam aliquis alius fidem susceperit, poterit contra fidem errare. Et ita hæc est possibilis, tota multitudo Christianorum errabit contra fidem. Quarta ratio est hæc. nulla auctoritate videtur posse probari, quin possibile sit omnes Christianos, præter duos episcopos contra fidem errare: quia omnes promissiones Christi de fide vsque ad finem seculi duratura saluari possunt, si omni tempore ad minus duo episcopi catholici fuerint in fide. Ponatur ergo, quod omnes Christiani efficiantur hæretici præter duos episcopos. quo posito probatur quod illi duo episcopi (antequam aliquis alius efficiatur catholicus) possunt contra fidem errare, sic: Non maior cura esset Deo de illis duobus episcopis, eo quod essent fideles soli: quam fuerit de duobus primis parentibus, quando erant. Sed primi parentes, quando erant soli fideles, potuissent contra fidem errare. ergo & illi episcopi possent contra fidem errare. Quinta ratio probat specialiter, quod tota multitudo virorum & mulierum vsum rationis habentium potest contra fidem errare: quia illa tota multitudo potest contra fidem errare, qua errante saluantur omnes promissiones Christi de fide vsque ad finem seculi permansura. sed errante tota multitudine Christianorum virorum & mulierum vsum rationis habentium, possunt saluari promissiones Christi de fide Christi mansura. Nam Christus vere est spiritualiter cum paruulis baptizatis per gratiam & virtutes. Fides etiam beati Petri, pro qua Christus rogauit, nequaquam deficeret, quia reperiretur in paruulis. Paruuli enim habent habitum fidei. ergo errante tota multitudine Christianorum vsum rationis habentium, possunt saluari promissiones Christi per paruulos baptizatos. ergo temerarium est asserere, quod nunquam tota multitudo Christianorum vsum rationis habentium contra fidem errabit.

Explicit liber quintus.

INCIPIT

INCIPIT LIBER SEXTVS, IN QVO AGITVR DE PVNITIONE ET POENIS HÆRETICORVM ET

maxime Papæ, si efficiatur hæreticus. Et habet iste liber duas partes. in prima de Papa mendaciter diffamato de hæresi agitur vsque ad capitulum 66. In secunda de eodem veraciter diffamato.

CAP. I.

Quærit, an Papa habeat iudicem superiorem in terris, vbi ponuntur quatuor modi respondendi. duo tamen sunt principales, & primus modus dicendi probatur sex auctoritatibus & tribus rationibus. ad quas respondetur infra 62.c. huius, scilicet quod Papa non habeat superiorem in terris.

DISCIP. Solutiones prædictarum rationum per memetipsum satagam inuenire. & ideo qui possunt hæreticari, te interrogare desistam, nonnulla de puniendis hæreticis amodo quæsiturus. Porro quia istud opus volui fieri principaliter propter dissensionem inter sanctissimum patrem dominum Iohann. Papam. 22. & quosdam qui ipsum de prauitate hæretica diffamant, cum quibus conuenio in hoc, quod Papa potest hæretica labe respergi, licet prædictum dominum virum catholicum reputem & fidelem. Ideo principaliter in hoc sexto libro, qualiter quis (si efficiatur hæreticus) feriendus sit, inuestigare curabo. Veruntamen quia Papa valet de hæresi mendaciter infamari, primo inquiram de Papa super crimine hæresis mendaciter diffamato. Secundo (sc. infra *c. 66.*) de Papa vere hæretica labe fœdato. In primis autem cupio scire, an Papa habeat iudicem superiorem in terris. vnde de hac re vnam velis vel plures assertiones cum suis motiuis mihi referre. MAGIST. Circa interrogationem tuam discrepant literati: quibusdam dicentibus, quod papa non habet superiorem in terris: aliis dicentibus, quod licet nulla persona in terris sit superior papa, vniuersalis tamen ecclesia & concilium generale est supra papam. Asserentium autem papam non habere superiorem in terris, quidam dicunt, quod cum quis semel est canonice ad papatum assumptus, nisi abrenunciauerit spontanea voluntate papatui, nunquam poterit nisi per diuinam potentiam à papatu iuste priuari, etiam si efficiatur hæreticus. Alii dicunt, quod quamuis papa non habeat superiorem in terris, quamdiu est papa; si tamen efficiatur hæreticus, ipso facto iure diuino non humano est papatu priuatus, & inferior factus catholicis. DISC. Allega primo pro assertione, in qua diuersi conueniunt. sc. quod papa non habeat iudicem superiorem in terris. MAGIST. Hoc auctoritatib. & rationib. nonnulli probare conantur. hoc enim Inno. papa vt habetur. *9. q. 3. c. nemo*, sentire videtur. ait enim: *nemo iudicabit primam sedem iusticiam temperare desiderantem. neque enim ab Augusto, neque ab omni clero, neq; à Regibus, neq; à populo iudex iudicabitur.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod etiam vniuersalis ecclesia non est papa superior, cũ clerus & papa, qui secundũ prędicta verba Innoc. papam nequeant iudicare, ecclesiam vniuersalem cõstituant. Ex quo sequitur, quod etiam concilium generale nõ est supra papam. Item Simachus papa, vt habetur eisdẽ causa & quæstione, ca. *aliorum hominũ Deus causas voluit per homines terminare, licet sedis istius præsulem suo (sine quæstione) seruauit arbitrio.* Ex quo habetur, quod solus Deus est superior sedis apostolicæ. DISC. Dicerent alii, quod Simachus loquitur de aliis causis, quam de causis hæreticis. & ideo non obstantibus verbis eiusdem, papa habet superiorem in causis hæresis. MAGIST. Ista responsio impugnatur; quia sicut ex dictis sanctorum patrum colligitur, vbi canon non excipit, nec nos debemus excipere. cum ergo canon Simachi papæ causam hæresis nequaquam excipiat, nec nos causam hæresis debemus excipere. Hoc etiam patet, quia verba indistincte prolata generaliter debẽt intelligi, vt papa in omni causa diuino seruetur arbitrio. Tertia auctoritas ad prædictam assertionem est Antheri papæ, qui, vt in prædictis *c. & q. c. facta*, ait: *facta subditorum iudicantur à nobis: nostra vero à Deo iudicantur.* papa ergo superiorem iudicem non habet in terris. Quarta auctoritas est Constantini imperatoris, qui, vt legitur. 13. *q.* 1. *c. futura*, præsidens sanctæ synodo, quæ apud Nicenam congregata est, cum querelam quorundam aspiceret contra se deferendam, ait: *vos à nemine diiudicari potestis, quia Dei solius iudicio seruamini. dii etenim vocati estis: & idcirco non potestis ab hominibus iudicari.* Ex quibus verbis colligitur, quod clerici non possunt à laicis iudicari. & per consequens multo fortius caput clericorum summus pontifex nequaquam potest ab alio iudicari. Quinta auctoritas ad idem est Gelasii papæ, & habetur. *9. q. 3. c. ipsi*, & loquens de apostolica sede, ait: *ipsi sunt sibi canones. qui appellationes totius ecclesiæ ad huius sedis examen voluerunt deferre, ab ipsa vero nunquam prorsus appellari debere sanxerunt: ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius*

vnquam preceperunt iudicio iudicare. Ex quibus verbis datur intelligi, quod de summo pontifice non licet toti ecclesiæ iudicare; sed ipse habet de tota ecclesia iudicare. cum ergo nec persona, nec aliqua congregatio in terris sit superior tota ecclesia; nec papa, qui est supra totam ecclesiam, potest alia congregatio vel persona superior reperiri. Sexta auctoritas est Nicolai papæ, qui, vt habetur *causa & quæst. prædictis, ca. patet,* ait: *patet perfectio sedis apostolicæ, cuius auctoritate maius non est iudicium à nemine forte retractandum, nec cuiquam de eius iudicio iudicare.* Ex quibus habetur, quod nulli licet de summo pontifice iudicare: & per consequens non habet superiorem in terris.

DISCIP. Puto, quod qui posset ad istas auctoritates rationabiliter respondere, omnes alias eandem rationem prætendentes seu sententiam sine difficultate dissolueret. ideo istæ sufficiant. Signes tamen, vbi poterunt aliæ inueniri, quæ sonare videntur, quod papa non habet iudicem in terris superiorem.

MAGIST. Ad hoc poterit allegari auctoritas Nicolai papæ, *di. 21. nunc autem, & di. 23. contradictionem. & 2. q. 7. Petrus.* DISCIP. Pro eadem assertione rationes adducas. MAGIST. Prima ratio talis est. à quo non licet appellare, non habet superiorem in terris: quia ab omni inferiore ad superiorem licitum est appellare. *2. q. 5. placuit.* sed à papa appellare non licet. *9. q. 3. cap. ipsi. & c. cuncta.* ergo papa non habet superiorem in terris. Secunda ratio talis est. Ille, qui est omnibus superior, non habet superiorem: quia non potest respectu eiusdem vel eorundem esse superior & inferior. sed papa est omnibus catholicis superior, cum sit omnium caput. ergo non habet iudicem superiorem. Tertia ratio est hæc. Qui non potest ab aliquo accusari, non habet iudicem superiorem. sed papa non potest ab aliquo accusari: quia pastor ab ouibus accusari non potest. *6. q. 1. oues. & 2. q. 7. Petrus.* omnes autem catholici sunt oues curæ & regimini papæ commissæ. ipsum igitur accusare non possunt, & per consequens à nemine potest iudicari.

CAP. II.

Vbi ponitur opinio contraria, scil. quod papa habeat iudicem etiam ordinarium in terris: & circa hoc sunt duo modi ponendi. & primus modus probatur vnica ratione, cuius maior probatur capitulo 3. sc. quod papa nullam habeat iurisdictionem coactiuam. Secunda ratio ad probandum idem notatur capitulo 4. tertia & quarta ponuntur capitulo 5. etiam ibidem probatur exemplo Ioh. 12.

DISCIP. Nolim multiplicare rationes pro hac parte: sed motiuum dicentium, quod papa superiorem habet in terris, enarra. MAGIST. Quod papa etiam manens papa habeat iudicẽ superiorem in terris, nonnulli etiam multis rationibus probare nituntur. Modi tamen ponendi sunt diuersi. Quidam enim dicunt, quod imperator, vel aliquis alius iudex & princeps secularis, aut populus seu multitudo aliqua, est iudex ordinarius papæ. Alii vero dicunt, quod nec ecclesia vniuersalis, nec aliqua alia congregatio aut persona habeat potestatem requirendi vel cohercendi papam, nisi in duobus casibus. Primus est, si papa fuerit de hæresi grauiter infamatus, licet falso. Secundus est, si in aliquo crimine, de quo scandalizetur ecclesia, sit notorie deprehensus, & ipse se incorrigibilem ostendat. DISCIP. Prosequere primo primam opinionem. & quamuis putem eam hæreticam, qualiter tamen assertores ipsius eam fundare conantur, & quomodo ad rationes & auctoritates in contrarium respõdere nitantur, gratia exercitii, vt acutius veritatem intelligam, scire desidero. MAGIST. Pro prædicta opinione vel assertione potest primo sic argui. Ille, qui nullam habet iurisdictionem coactiuam, imperatori, aut regi, vel alii principi, aut populo est subiectus. quia qui nulli alteri est præpositus, alicui est subiectus. aliter autem nullum ordinẽ ad alios homines nec superioritatis nec inferioritatis haberet. vbi autẽ non est ordo, ibi est confusio. confusio autem inter homines inueniri non debet. qui autem quãtum ad iurisdictionem coactiuam, nulli est præpositus, quantum ad iurisdictionem coactiuam alicui est subiectus. sed papa ex ordinatione Christi super alios nullam habet iurisdictionem coactiuam. ergo quantum ad iurisdictionem coactiuam alicui est subiectus: & non nisi imperatori, aut regi, vel principi. ergo alicui prædictorum est papa subiectus; & ita aliquis prædictorum est iudex ordinarius papæ.

CAP. III.

In quo probatur minor assumpta in ratione pro opinione prima ca. præcedentis, scil. quod papa super alios non habet iurisdictionem coactiuam: & hoc rationibus & auctoritatibus. & est valde notandum.

DISC. Quamuis asserere, ꝙ papa super alios nõ habet iurisdictionẽ coactiuam, sit hæreticũ reputandũ (vt arbitror) dic tñ, quomodo pdicti assertores hoc ꝓbare nitũtur. MAG. Hoc auctoritate scripturæ diuinæ & sanctorũ moliũtur ostẽdere. Primo auctoritate Christi dicẽtis apostolis

Math.

Matth. 20. *Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt potestatē exercent in eos: non ita erit inter vos; sed quicunque inter vos voluerit maior esse, sit minister vester. & quicunque voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod maioritas & primitas illius, qui est maior & primus inter omnes discipulos Christi (cuiusmodi sunt omnes Christiani) in ministrando & seruiendo consistit. & per consequens iurisdictionem coactiuam super alios nullatenus habet. DISCIP. Ministerium & seruitium Papæ consistit in regendo & gubernando gregem sibi commissum: quod nequaquam facere posset, nisi iurisdictionem coactiuam haberet. Nec obuiat, quia Papa debet esse minister & *seruus seruorum Dei*. nam etiam iudex temporalis puniendo malefactores minister est, iuxta sententiam apostoli *ad Rom.* 13. MAGIST. Secundum hanc responsionem debent Christum excludere, cum sic ministerium & seruitium imponit maiori. & ideo suis discipulis exercendi potestatem in alios interdicit dicens: *qui maiores sunt, potestatem exercent in illos: non ita erit inter vos* &c. Ex quibus colligitur, quod Christus ministro & seruo aliorum Christianorum potestatem exercendi in alios interdicit. & ita ab eo iurisdictionem coactiuam excludit: quia inutilis & superflua est iurisdictio coactiua, quæ non debet potestatem in maleficos exercere. Cum vero dicis, quod iudex temporalis est minister secundum apostolum: Respondetur, quod male allegas apostolum; quia non dicit apostolus, quod est minister subditorum: sed dicit, quod est minister Dei. Christus enim voluit, quod inter Christianos esset minister non solum Dei, sed etiam aliorum. DISCIP. Probant ne aliter, quod Papa non habet iurisdictionem coactiuam super alios. MAGIST. Hoc etiam probant sic. Papa non habet iurisdictionem coactiuam maiorem, quam habuerit Christus, cuius est Vicarius. sed Christus non habuit inquantum homo mortalis iurisdictionem coactiuam. Tum quia iurisdictio coactiua sine diuitiis vel adiutorio habentium diuitias conuenienter exerceri non potest. & per consequens inutiliter retineretur. Christus autem omnes diuitias necessarias ad iurisdictionem coactiuam exercendam, quo ad Deum, penitus abdicauit victu & vestitu contentus. Adiutorio etiam diuitum ad eandem iurisdictionem exercendam minime vtebatur. ergo iurisdictionem coactiuam inquantum homo mortalis non habuit: Tum quia ipso testante, ministrare venit non ministrari. ergo non venit iurisdictionem coactiuam exercere. ergo eam non habuit. Tum quia Christus opus, quod sibi pater imposuit, consummauit, ipso testante, qui ait Iohann. 17. *consummaui opus, quod dedisti mihi vt facerem.* Christus autem iurisdictionem coactiuam nequaquam exercuit. ergo iurisdictionem coactiuam à patre non accepit inquantum erat homo mortalis: quia si eam accepisset, & nequaquam exercuisset, de malitia vel negligentia fuisset merito arguendus: quia officium sine opere tenuisset. DISCIP. Hic errant aperte; quia euangelica testatur historia, quod Christus iurisdictionem exercuit coactiuam, cum Christus de templo vendentes & ementes violenter eiecit, vt legitur *Matth.* 21. *Mar.* 11. *Lu.* 19. *& Iohann.* 2. MAGIST. Ipsi asserunt te hic errare propter duo. Primo quia eiicere vendentes de templo & alia facere, quæ tunc Christus exercuit, ad iurisdictionem coactiuam non pertinent: nec tunc Christus officium prælati vel summi sacerdotis exercuit, sed officiū hostiariorū tunc assumpsit, teste Magistro sententiarum, qui, vt habetur *li.* 4. *di.* 3. ait: *hoc officium* (scilicet hostiariorum) *Deus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto vendentes & ementes de templo eiecit. ipse enim se hostiarium significans dicit: Ego sum hostium: per me si quis introierit* &c. Prædictum ergo officium, quod Christus tunc exercuit, ad hostiarios spectat. hostiarii autem ex officio suo nullam iurisdictionem coactiuam noscuntur habere. ergo per illud exemplum probare non potes, quod Christus iurisdictionem habuit coactiuam. Secundo dicunt te errare: quia Christus inquantum summus sacerdos, si habuerit iurisdictionem, non habuit eam nisi respectu fidelium & in eum credentium. quia ad eum de his quæ foris erāt, inquantum summus sacerdos, non pertinebat iudicare. Christus autem eiecit tunc infideles de templo. ergo hoc non fecit inquantum sacerdos, sed inquantum hostiarius; cuius est absque iurisdictione non solum malos fideles, sed etiam infideles de templo eiicere. Ex his verbis cōcludunt, quod Christus inquantum sacerdos nunquam iurisdictionem coactiuam exercuit. ergo non habuit.

DISCIP. Licet Christus habuit iurisdictionem coactiuam, eam tamen nequaquam exercuit, quia inter suos discipulos non erant malefici, inter quos debuerit iurisdictionem coactiuam exercere. nec tamen propter hoc caruit iurisdictione tali. sicut si rex non haberet subditos, nisi bonos, propter hoc non careret iurisdictione. MAGIST. ¶ Istud excludunt per hoc, quod nonnulli discipuli Christi grauiter deliquerunt apostatantes à fide, quam susceperant. Iohann. enim 6. sic legitur: *Multi discipulorum eius abierunt retro.* non enim propter defectum materiæ, sed propter iurisdictionis coactiuæ carentiam Christus in delinquentes potestatem aut vindictam nequaquā exercuit. Ex his verbis concludunt, quod Christus inquantum summus pontifex, iurisdictionem non habuit coactiuam. ergo nec Papa iurisdictionem obtinet coactiuam. Quod etiam auctoritatibus probare nituntur. Origenes enim super illud Matt. 20. *Reges gentium dominantur eorum* &c. ait: *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & non contenti tantum regere suos subditos, violenter eis dominari nituntur. inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc corporalia, quomodo sicut omnia corporalia in necessitate sunt posita, spiritualia autem in voluntate: sic & qui principes sunt spirituales & prælati, principatus eorum in dilectione debet esse penitus, non in timore.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod totus prælatorum principatus ecclesiæ, & per consequens summi pontificis in voluntate & dilectione, non in timore, debet consistere. ergo diligi debent, non timeri. qui autem iurisdictione coactiua

vtuntur, à malis timentur; teste apostolo ad Rom. 13. qui ait sic: *si autem malefeceris, time*: scilicet potestatem. ergo prælati iurisdictione coactiua vti non debent. Hoc etiam Chrysostom. ibidem sentire videtur. ait enim: *principes mundi non sunt, vt dominentur minoribus suis, & eos seruituti subiiciant & expolient, & vsque ad mortem eis vtantur ad suam voluntatem & gloriam. principes autem ecclesiæ sunt, vt minoribus seruiant & ministrent eis quæcunque acceperint à Christo, vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent.* Ex quibus verbis patet distinctio inter principes seculares & principes ecclesiarum. quia principes seculares suis subditis dominantur: principes autem ecclesiæ minoribus seruiunt & ministrant. ergo in eos iurisdictionem coactiuam exercere non valent. His etiam Ambros. correspondet, qui vt recitatur 23. q. 8. c. *conuenior*, ait: *dolere potero, flere potero, gemere potero: aduersus arma, milites Gothósque, lachryma mea arma mea sunt. talia enim instrumenta sunt sacerdotis. aliter autem nec debent nec possunt resistere.* Ex quibus verbis videtur, quod sacerdos orationibus & lachrymis debet malis resistere, & non per potentiam temporalem. & per consequens non habet iurisdictionem coactiuam. Quod etiam Chrysostom. in li. suo Dialogorum, qui *de dignitate sacerdotali* intitulatur, li. 2. c. 3. super illud Apocal. 2. & ad Corint. 1. *non dominantur fidei nostræ*, apertissime sentire videtur. Ait enim: *hi, qui foris sunt, iudices malignos quosque cum subdiderint, ostendunt in eis plurimam potestatem in eos inuitos à priorum nostrorum prauitate compescunt. in ecclesia vero non coactum, sed acquiescentem oportet ad meliora conuerti: quia nec nobis à legibus data est talis potestas, vt auctoritate sententiæ cohibeamus homines à delictis.* clarius dici non posset, quod ecclesia non habet iurisdictionem coactiuam, cum in ecclesia nullus debeat ad meliora cogi, nec aliquis debeat cohiberi per iudicialem sententiam à delictis. Item, ad habentem iurisdictionem coactiuam spectat negociis secularibus implicari, quia ad ipsum spectat contentiones & lites dirimere. contentiones autem, lites & rixæ inter negocia secularia computantur; *ext. ne clerici vel monachi secularibus negociis se immisceant. c.* 1. sed ad summum pontificem non pertinet secularibus negociis implicari, teste apostolo, 2. *ad Timoth.* 2. qui ait: *nemo militans Deo implicat se negociis secularibus*. ergo ad summum pontificem ex ordinatione non pertinet iurisdictio coactiua. Item, papa non habet maiorem iurisdictionem ex ordinatione Christi, quam habuit beatus Petrus & alii apostoli. sed beatus Petrus & alii apostoli iurisdictionem coactiuam à Christo minime acceperunt. ergo nec papa habet iurisdictionem coactiuam ex ordinatione Christi. maior est manifesta. minor probatur auctoritate beati Bernardi, qui li. ad Eugenium papam ait: *non monstrabunt, puto, qui hic dicerent, vbi aliquando quispiam apostolorum iudex sederit hominum.* & parum post: *stetisse denique lego apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego, & illud non fuit.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod apostoli iudices hominum non fuerunt. quod Greg. sentire videtur. tractans enim illa verba apostoli: *secularia igitur iudicia si habueritis* &c. in Moralibus ait: *hi terrenas caussas, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt. qui autem spiritualibus dotati sunt, terrenis non debent negociis implicari, vt dum non coguntur inferiora bona disponere, valeant bonis superioribus deseruire.* Cum ergo apostoli maximis bonis fuerunt dotati, ipsi non erant circa causas hominum & lites aliqualiter occupati. quod Gloss. super illud 1. Corinth. 6. *secularia ergo iudicia si habueritis* &c. aperte sentire videtur. ait enim: *Contemptos vel contemptibiles. (i.e. aliquos sapientes, qui tamen sunt minoris meriti) constituite ad iudicandum, apostoli enim circumeuntes talibus non vacabant. sapientes igitur, qui in locis consistebant fideles & sancti, non qui huc atque illuc propter consilium discurrebant, talium negociorum examinatores esse voluit.* his verbis ostenditur, quod apostoli causis hominum terminandis minime insistebant. Ex quo infertur, quod non acceperant iurisdictionem coactiuam à Christo, quia omne officium iniunctum eis à Christo diligentissime perfecerunt.

DISCIP. In scriptura diuina habetur aperte, quod beatus Petrus iurisdictionem habuit coactiuam, cum ex potestate officii Ananiam & Saphyram morti tradiderit, teste beato Gregorio in Dialogo, qui, vt recitatur 2 1. q. 8. c. *Petrus*, ait: *Petrus qui Tabitam mortuam orando suscitauit, Ananiam & Saphiram mentientes morti increpando tradidit. neque enim orasse in eorum extinctione legitur, sed solummodo culpam, quam perpetrauerant, increpasse. constat ergo quod aliquando talia ex potestate exhibebantur, aliquando ex postulatione, dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando.* Ex quibus verbis habetur, quod beatus Petrus ex potestate vsus est iurisdictione coactiua.

MAGIST. Ad hoc respondent, quod verba Greg. male intelligis. non enim asserit Greg. quod beatus Petrus ex potestate officii sui prædictos Ananiam & Saphiram morti tradiderit. tunc enim iudex in causa sanguinis extitisset, quod vniuersis clericis noscitur interdictum. sed beatus Petrus non ex potestate officii, sed ex potestate faciendi miracula (quam Deus personæ non officio papatus concesserat) morti tradidit supradictos. nonnunquam autem facit absque oratione miracula: & ita ex hoc probari non potest, quod Petrus iurisdictionem habuit coactiuam.

CAP. IV.

In quo ponitur secunda ratio principalis ad probandum dictum primæ opinionis recitatæ ca. 2. scilicet quod Papa habeat superiorem in terris. & hoc specialiter, quod huiusmodi sit aliquis secularis.

DISCIP. Circa hanc rationem primam te nimium dilatasti: ideo compleas alias rationes, nam de potestate Papæ in *in tractatu secundo de doctrina domini Papæ* magis diffuse tractabimus. MAG. Secunda ratio ad probandum, quod imperator vel princeps alius secularis, aut populus sit ordinarius iudex Papæ, talis est. Papa non est magis exemptus à iurisdictione imperatoris, quam fuit Christus. sed Christus, in quantum homo mortalis, subiectus fuit iurisdictioni imperatoris: ergo & Papa modo modo simili. & per consequens imperator est iudex ordinarius domini Papæ. Maior istius rationis probatione videtur nullatenus indigere, quia vicarius non est maior illo, cuius est vicarius; sicut nec seruus maior est domino; nec discipulus maior est magistro. Minor probatur auctoritate Christi dicentis ad Pilatum *Iohan. 19. non haberes aduersum me potestatem vllam, nisi tibi datum esset desuper. propterea qui tradidit me tibi, maius peccatū habet.* Ex quibus verbis colligitur, quod Pilatus iurisdictionem habuit coactiuam super Christum: quia de potestate coactiua intelliguntur verba Christi, cum ad verba Pilati dicentis: *mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo dimittere te?* respondit. constat autem quod Pilatus loquebatur de potestate coactiua. ergo Christus locutus est de eadem. DISCIP. Duplex est potestas coercendi, scilicet ordinata & vsurpata. Christus autem concessit Pilatum habuisse potestatem vsurpatam, quam Pilatus forte credidit ordinatam; sed in hoc errauit. MAG. Istam responsionem nituntur excludere. Primo auctoritate B. August. qui super verba prædicta ait: *discamus ergo quod dixit, quod & apostolus docuit quia non est potestas nisi à Deo & quia plus peccat qui innocentem ad occidendum potestati tradit liuore quam potestas ipsa. si eum timore alterius potestatis maioris occidit. talem quippe Deus dederat illi potestatem, vt esset ipse etiam sub Cæsaris potestate.* Ex quibus verbis colligitur, quod sub tali potestate Cæsaris & Pilati erat Christus in quantum homo mortalis, de quali potestate loquitur apostolus ad Rom. 13. cum dixit: *non est potestas nisi à Deo.* Sed apostolus non loquitur de potestate vsurpata, sed ordinata, cum dicat aperte: *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* quæ verba de potestate ordinata, non vsurpata, debent intelligi. nam qui potestati vsurpatæ resistit, nequaquam Dei ordinationi resistit: quia tunc secundum apostolum sibi damnationem acquireret, quod est erroneum. tunc enim nec inuasori Papatus nec alicui tyranno liceret resistere. loquitur ergo apostolus de potestate ordinata, non vsurpata. Ergo Christus de potestate sic locutus est. Et ita concessit, quod Pilatus super ipsum potestatem habuerit ordinariam. Insinuat tamen, quod ista potestate ordinaria abutebatur, cum dicit: *qui tradidit me tibi, maius peccatum habet.* quasi diceret: tu habes peccatum suam dando in me non confessum, neque legitime conuictum de crimine digno morte, quia tamen ex timore hoc facis, & alii me tibi ex malitia & inuidia tradiderunt: ideo illi maius peccatum habent. & ita Pilatus potestatem ordinariam super Christum, inquantum erat mortalis, habuit. Quod Theophilus super illud Ioh. 8. *A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me*, sentire videtur, dicens: *ac si diceret Christus: scilicet si hoc ex teipso loqueris, pande signa rebellionis meæ, aut si ab aliis percepisti, inquisitionem fac ordinariam.* Ex quibus verbis colligitur, quod Pilatus habuit potestatem ordinariam inquirendo de criminibus Christo impositis. qui autem potestatem habet inquirendi ordinarie de aliquo infamato, habet iurisdictionem coactiuam super eundem. ergo Pilatus habuit super Christum iurisdictionem coactiuam. Item Bernardus ad episcopum & archiepiscopum Senonensem ait: *cum autem,* inquit, *Romani præsidis potestatem Christus super se quoque fateatur cælitus ordinatam*, &c. Ex quibus verbis colligitur, quod potestas Pilati non fuit vsurpata, sed cælitus ordinata: & ideo super Christum iurisdictionem coactiuam habuit. quam tamen in Christum exercere minime potuisset iuste, nisi Christus coram eo legitime (quantum iudici constare potest) fuisset conuictus de crimine. Si autem Christus per testes, qui secundum leges repelli non possunt, fuisset de crimine damnationis dignissimus ordine iudiciario seruato conuictus, Pilatus Christum condemnando non peccasset, quia fuisset per falsos testes deceptus. iudex autem iudicans secundum allegata amore iustitiæ non peccat, licet condemnet innocentem.

CAP. V.

In quo ponitur tertia ratio principalis ad probandum, quod aliquis secularis & specialiter Imperator sit iudex ordinarius Papæ, & similiter quarta.

DISCIP. Pro ista assertione quæ adduxisti, ad præsens sufficiat. & ideo aliā rationem adducas. MAG. Ad probandum, quod imperator est iudex ordinarius Papæ. Tertia ratio talis est. Ille est iudex ordinarius Papæ, à quo Papa habet super alias ecclesias principatum. sed hūc habet Papa ab imperatore, q̄ probāt p̄ priuilegium Constantini imperatoris cōcessum Romano pontifici, q̄ est su-

est superius allegatum. ergo imperator est ordinarius iudex summi pontificis. Quarta ratio est talis: imperator fuit iudex ordinarius beati Petri. ergo est iudex ordinarius Papæ. consequentia est euidens; quia Papa non est magis exemptus quam fuit B. Petrus. antecedens probatur: quia omnes apostoli, quantum ad hoc, quod essent subiecti vel non subiecti iurisdictioni imperatoris, fuerunt pares. sed beatus Paulus fuit subiectus iurisdictioni imperatoris, quia ad Cæsarem tanquam ad superiorem appellauit. ergo beatus Petrus fuit subiectus. DIS. Dicetur istis, quod Paulus appellauit, non quia esset subiectus iurisdictioni imperatoris, sed quia volebat caute insidias Iudæorum euadere. MAG. Hoc impugnatur sic secundum B. Ambr. vt habetur. 22. *q. vlti. c. cauete: non solum in falsis verbis sed etiam in simulatis operibus mendacium est.* vbi no. Glo. quod *factis mentimur, sicut & verbis.* Beatus igitur Paulus si non erat vere subiectus imperatori, facto mentiebatur, cum simulauerit se subiectum iudicio Cæsaris appellando. Tale autem crimen non est B. Paulo imponendum. igitur beatus Paulus vere fuit subiectus imperatori. Hanc etiam conclusionem per exemplum ostendunt. nam sicut legitur in Chronicis Iohan. 12. *erat venator & totus lubricus, adeo quod fœminas publice tenebat. propter quod quidam cardinalium & Romanorum scripserunt occulte & cito Imperatori Saxonum, vt scandalo compatiens ecclesia sine mora Romam properaret. hoc Papa percipiens Iohanni diacono cardinali, tanquam huius facti consiliario, nasum, & alteri Iohanni subdiacono, qui literas scripserat, manum amputari fecit. Hic cum frequenter per imperatorem & clerum de sua correctione fuisset monitus, non correctus, præsente imperatore, de Papatu destitutus communi voto Leo Papa eligitur.* Ex quibus verbis colligitur, quod imperator iudex est ordinarius Papæ. aliter enim imperator prædictum Papam nullatenus deposuisset. DIS. Dicerent aliqui, quod imperator iniuste processit; nec dictus Papa fuit vere depositus, sed de facto fuit tantummodo à Papatu spoliatus. MAG. Hæc responsio impugnatur: quia si Papa Iohan. remansisset verus Papa, ille, qui sibi successit, ipso viuente non fuisset verus Papa, sed Papatus inuasor. ex quo sequitur, quod omnia, quæ egit, nullius fuissent roborationis vel momenti, sed debeant omnia irrita reuocari: quod tamen minime fuit factum, imo quod successor ipsius Iohan. ipso viuente fuit verus Papa, tota tenet ecclesia. ergo Papa Ioh. fuit vere depositus.

CAP. VI.

In quo arguitur in contrarium, scilicet quod nullus secularis etiam imperator est iudex ordinarius Papæ, & hoc probatur auctoritatibus & quinque rationibus ca. isto & sequenti: ad quas respondetur in confuso c. 8. & 9. c. specialiter ad singulas.

DISCIP. Puto quod fortiores rationes pro opinione prædicta fecisti. ideo ad assertionem contrariam te conuerte. & quod nec imperator nec aliquis secularis sit iudex ordinarius Papæ nitaris ostendere. hanc enim assertionem puto consonam veritati. MAGIST. Quod nec imperator nec aliquis secularis sit iudex ordinarius Papæ, auctoritatibus & rationibus nonnulli probare nituntur. Est autem prima ratio talis. Imperator non est iudex ordinarius illius, qui non habet superiorem in terra. sed Papa non habet superiorem in terra. ergo &c. maior probatione non indiget: quia iudex est superior illo, cuius est iudex. minor est probata superius per plures auctoritates & rationes. DIS. Prius ostensum est generaliter, quod Papa non habet superiorem in terris: nunc autem specialiter proba, quod imperator vel aliquis laicus vel populus non est iudex ordinarius ipsius. MAG. Quod specialiter imperator non sit iudex Papæ, ostenditur primo sic. inferior non est iudex ordinarius sui superioris. sed imperator est inferior Papa, & eius iurisdictioni subiectus. ergo &c. maior est manifesta. vnde dicit Nicolaus Papa, vt habetur dist. 21. c. *superior: Sole clarius exhibuimus, non posse quicquam, qui minoris auctoritatis est, in eum, qui maioris est potestatis, iudiciis suis addicere, aut propriis diffinitionibus subiugare.* Minor vero sanctorum auctoritatibus comprobatur. ait enim Greg. Nazianzen. vt habetur *di. 10. c. suscipitis,* scribens imperatoribus Constantinopolitanis: *suscipitis ne libertatem, verbi libertatem accipitis, quod lex Christi sacerdotali vos subiecit potestati, atque istis tribunalibus subdidit. dedit enim nobis potestatem: dedit principatum multo perfectiorem principatibus vestris.* Item Felix Papa, vt habetur *eadem di. c. certum,* ait: *Certum est hic rebus vestris ac salutare est, vt cum de causis Dei agitur iuxta ipsius constitutionem, regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre.* & infra: *neque eius sanctionibus velle dominari, cuius Deus voluit clementia tuæ pia deuotionis colla submittere.* hoc idem habetur *di. 90. c. duo sunt, & c. si imperator.* Ex quibus verbis & multis aliis habetur, quod imperator est inferior Papa.

Quod etiam multis rationibus nonnulli probare nituntur. Primo quia, qui iurat alii fidelitatem, est inferior illo cui iurat. imperator præstat iuramentum fidelitatis Papæ. *di. 63. tibi domino Io. &c.* Secundo imperator est inferior illo, qui habet potestatem transferendi imperium de gente in gentem. hanc potestatem habet Papa, extra de elec. ergo &c. Tertio qui habet potestatem alium excommunicandi, est superior. sed Papa potest excommunicare imperatorem. igitur. maior patet, & minor probatur *di. 96. duo sunt.* Quarto, qui potest deponi ab alio, est inferior eo.

eo. imperator autem potest deponi à Papa. 25.q.1.*alius*,&c. Quinto, imperator est inferior illo, qui temporalibus & spiritualibus potest subditos imperatorum & regum legitimare. hoc potest Papa, *extra qui filii sunt legitimi, per venerabilem*, ergo,&c.

Cap. VII.

In quo probatur idem, quod capitulo praecedenti.

DISCIP. Omittas istam materiam, & alias rationes adducas ad probandum, quod imperator non est iudex ordinarius Papae. MAG. Secunda ratio ad hoc principalis talis est. Imperator non est iudex ordinarius illius, qui imperialibus legibus est solutus: quia leges superioris subiectos astringunt: nisi specialiter per superiorem sint exempti. Papa autem à legibus imperialibus minime est astrictus, *di.* 18.*c.* 1.*& c. quoniam.* ergo imperator non est iudex ordinarius Papae.

Tertia ratio est ista. Imperator non est iudex ordinarius aliquorum clericorum inferiorum Papa. ergo multo magis non est iudex ordinarius Papae. consequentia est euidens. antecedens vero per innumeros canones sacros posset ostendi. Vnde in concilio Carthaginensi, vt habetur 12.*q.* 1.*c. placuit*, sicut legitur: *placuit ne quicunque clericus ab imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit, honore proprio priuetur.* Ex quibus verbis colligitur, quod imperator non est iudex ordinarius clericorum,&c. Quarta ratio est haec. Ille iudex non est ordinarius Papae, ad quem à Papa appellare non licet. sed non licet appellare à Papa ad imperatorem. 9. *q.* 3. *ca. ipsi & c. cuncta.* ergo imperator non est iudex ordinarius Papae. Quinta ratio est haec. Imperator non est iudex illius cui Christus iura imperii commisit. sed iura imperii B. Petro & eius successoribus Christus commisit, *di.* 23.*c.* 1. ergo imperator non est iudex ordinarius Papae.

Cap. VIII.

Respondet in generali sub duplici opinione ad rationes & auctoritates, c. 6. & 7. adductas, in hoc capitulo incipit respondere ad primam.

DISCIP. Licet non dubitem nullum mortalium esse superiorem summo pontifice, tamen cupio scire quomodo ad rationes hoc probantes aduersarii respondere conantur. MAG. Non omnes, qui tenent imperatorem esse superiorem & iudicem ordinarium Papae, in modo ponendi concordat. & ideo non eodem modo ad rationes praescriptas respondent. DIS. Dic illos diuersos modos ponendi. MAG. Sunt quidam dicentes, quod Papa in spiritualibus imperatori minime est subiectus; sed quantum ad iurisdictionem temporalem est sibi subiectus, & quantũ est ex ordinatione Christi: quia nec Christus quantum ad iurisdictionem temporalem, nullum apostolum à iurisdictione temporali imperatorũ exemit: sed omnes in huiusmodi voluit principatibus secularibus esse subiectos, in cuius signum ipse soluit pro propria persona tributum. Alii dicunt, quod imperator in quantum gerit personam populi Christiani, in omnibus tam spiritualibus quam temporalibus est superior Papa & iudex ordinarius eius. DIS. De iurisdictione temporali Papae & imperatoris pertranseas, quia in *tractatu de opinabilibus. Iob.* 22. de hoc tibi plures quaestiones mouebo. MAG. Tu forsitan aliter accipis iurisdictionem temporalem, quam isti. DIS. Accipio iurisdictionem temporalem pro illa, cui aliquis est subiectus ratione praediorum, quae de imperatore tenet. MAG. Aliter accipiunt ipsi. DIS. Quomodo? MAG. Dicunt quod iurisdictio temporalis non solum respicit praedia & temporales diuitias, sed etiam personas: quia omnes personae in dominio alicuius principis commorantes, siue sint diuites, siue pauperes, iurisdictioni principis sunt subiectae: à quo (si deliquerint) condigna debent animaduersione puniri, nisi per principem vel superiorem alium sint exemptae. DIS. Video quid per iurisdictionem temporalem intendunt: sed ignoro quae spiritualia vocant. MAG. Spiritualia vocant illa, quae religioni Christianae sunt propria; quae in nulla secta alia sunt reperta, nec ad legem naturae sunt spectantia: sicut quae pertinent ad sacramenta ecclesiastica dispendenda, & ad causas fidei terminandas, quae directe in criminibus, quae contra Christi religionem committuntur. de huiusmodi enim imperator (nisi sicut caeteri Christiani) se intromittere non debet: quia imperator Christianus ratione suae dignitatis maiorem potestatem vel iurisdictionem nullatenus habet, quam habuerunt imperatores pagani. illis enim imperatores Christiani successerunt; & ideo idem ius cum illis, & non aliud ratione imperii possidere noscuntur. quia ergo de huiusmodi spiritualibus se intromittere ad imperatores paganos minime pertinebat; nec ad imperatorem Christianum, in quantum imperatorem, spectant talia. DISCIP. Ergo secundum istos, si Papa homicidium, furtum, adulterium, & consimilia crimina quae imperatores & reges palam punire solebant committeret, imperator ipsum punire valeret.

MAG. Hoc nonnulli concedunt, licet dicant quidã eorum, quod non deberet eum deponere, nisi

nisi incorrigiblis probaretur. DIS. Modo opinionem istorum intelligo. & quamuis eam inter hæreses reputem numerandam; de illa tamen tecum in *tractatu de dogmatibus Iohan. 22.* prolixius disputabo. nunc autem dic qualiter ad rationes per auctoritates pro assertione contraria isti respondent. De secundo modo probandi nihil dicas ad præsens, sed infra.c.10. MAG. Ad primam negant minorem, cum accipitur, quod imperator est inferior Papa, & eius iurisdictioni subiectus quantum ad iurisdictionem temporalem ex ordinatione Christi. & ideo in hoc Papa non est iudex imperatoris, in quantum commissarius vel delegatus populi Romani. DIS. Ista sunt verba mirabilia & inaudita, nec ego ea intelligo: sed si potes, fac vt intelligam illa, & tunc de eis citius iudicabo. MAG. Vt ea intelligas, scire debes, quod secundum istos imperator & quilibet rex temporalis habet à Deo quodammodo mediate iurisdictionem suam temporalem: quia secundum apostolum ad Rom. 13. *non est potestas, nisi à Deo*: cum immediate iurisdictionem suam habet Imperator à populo Romano; Rex Franciæ à populo suo; rex Angliæ à populo suo; rex Castellæ à populo suo. & sic quilibet à populo suo habet iurisdictionem suam, nisi sit aliquis rex, cuius populus alicui alteri sit subiectus, qui possit populo suo dare regem: quemadmodum imperatores quondam diuersis populis Reges dederunt, quia illi populi imperatori & populo Romano subiecti fuerunt. imperator suam iurisdictionem à populo Romano obtinuit. populus autem Romanus ex causa rationabili, sicut imperatorem instituit, ita eum potuit destituere, eiusque iurisdictionem minuere & augere. Ex quo sequitur, quod populus Romanus ex causa rationabili potuit imperatorem in aliquo casu alterius, cuius committeretur iurisdictioni, subiicere. quare potuit Papæ causam imperatoris delegare. in quo casu Papa tanquam delegatus seu commissarius auctoritate populi Romani super imperatorem iurisdictionem potuit obtinere. quam iurisdictionem beatus Petrus à Christo non suscepit. & ideo Papa inquantum successor beati Petri eam minime habet. DIS. Nūc verba prædicta intelligo, quāuis ea reputem erronea. & ideo ad rationes factas accede. MAGIST. Propter diuersas opiniones antequam narrem, quomodo ad rationes explicite respondeatur, oportet illas opiniones exprimere. DIS. Dic quæ sunt illæ opiniones. MAGIST. Sicut tactum est prius; sunt quidam dicentes, quod Romanus Pontifex nullam iurisdictionem vel potestatem ex ordinatione Christi habuit vltra alios quoscunque presbyteros: sed omnem dignitatem suam & potestatem vltra alios habuit ab imperatore vel ab ecclesia, scilicet ex concilio generali. Alii dicunt quod beatus Petrus pro se & suis successoribus dignitatem Papalem & primatum super omnes alios fideles recepit à Christo. Sed ista dignitas & primatus, vt dicunt, consistit in ordinando & præficiendo episcopos, presbyteros & doctores populo Christiano nullam habens ex ordinatione Christi iurisdictionem coactiuam annexam; sicut nec habet res temporales annexas. sed sicut Papa temporalia à fidelibus orthodoxis accepit, ita à communitate fidelium solummodo habuit iurisdictionem coactiuam. Omnis enim cōmunitas potest sibi aliquem præficere, qui habeat potestatem maleficos coercendi. Ecclesia autem fidelium ad hoc officium Papatus sibi præfecit, in nullo tamen iurisdictionem imperatorum disrumpendo vel diminuendo, etiam paganorum: quia hoc non potuit, eo quod omnes catholici tunc temporis imperatoribus infidelibus subiecti fuerunt. DIS. Ego omnino vellem exire istam materiam de iurisdictione imperatorum; & ad alium differre tractatum, & tu me semper plus & plus trahis ad ipsum. vnde istis omnibus omissis breuiter narra, quomodo ad rationes & auctoritates inductas respondetur. MAG. Sunt quidam vnam rationem dantes generalem ad omnes auctoritates, asserentes quod Papa habet iurisdictionem super imperatores & reges, & quantum ad iurisdictionem est superior: dicentes, quod tales auctoritates non continent veritatem, & ideo sunt nullatenus admittendæ. Alii autem intellectum sanctorum patrum reputant consonum veritati: sed dicunt, quod nonnulli clerici in ambitione & auaritia excœcati verba eorum nimis large contra mentem eorum sumunt. DIS. Istorum responsiones volo audire MAG. Isti ad euidentiam rationum suarum dicunt esse sciendum: quod pœnitentia vnum est de ecclesiasticis sacramentis: & ideo pertinet ad prælatos, qualiter ad ipsos spectat in foro conscientiæ pœnitentium peccata cognoscere, & ipsis debitam pœnitentiam iniungere, & propter istam pœnitentiam & potestatem, quam sacerdotes in foro conscientiæ habere noscuntur, omnes Christiani eis sunt subiecti. extra autem forum conscientiæ nullam habent iurisdictionem à Christo immediate: sed illam habent à communitate fidelium, vel ab illo in quem communitas fidelium suam transtulit potestatem.

CAP. IX.

In quo specialiter respondetur ad singulas auctoritates & rationes inductas ca. 6. & 7. probantes, quod nullus secularis etiam imperator: sit iudex ordinarius Papa.

DISCIP. Adhuc tu trahis me ad materiam, quam nollem hic tractare: & ideo quomodo ad rationes & auctoritates inductas respondetur: narra succincte. Ad primam auctoritatem Gregorii Nazianzeni respondetur, quod per tribunal & principatum prælatorum intelligit potesta-

testatem, quam in foro conscientiæ super pœnitentes noscuntur habere. ista vero potestas quia spiritualis est, & ordinatur ad vitam consequendam æternam, multo perfectior est illa iurisdictione temporali coactiua regum & principum, quæ principaliter instituta est ad tēporalia disponenda. Ad auctoritatem Felicis Papæ respondetur, quod illa voluntas in fide catholica addiscenda, & sacramentis ecclesiasticis suscipienda, debet esse subiecta sacerdotibus, si sacerdotes fidem retinent orthodoxam, nihil contra fidem seu iustitiam imperantes. Si vero à catholica deuiauerint veritate, vel sibi quam de iure non habent vsurpauerint potestatem, reges in huiusmodi nullatenus sunt subiecti. Verba ergo Felicis Papæ sane intelligenda sunt, & non sunt ex ambitione clericorum cupientium in populis & in clero propter doctrinam beati Petri apostoli dominari in præiudicium regum & principum exponenda. Consimiliter respondetur ad *c. duo sunt*, & ad *c. si imperator*. nam dicunt isti, Papam à concilio generali & vniuersali ecclesia aliquam potestatem habere super principes vltra illam, quam habet à Christo, & in quantum est successor B. Petri. Ad primam vero rationem inductam ad probandum, quod imperator est inferior Papa: Respondetur primo, quod maior non est vniuersaliter vera, sed capit instantiam, quando aliquis sponte iurat alii fidelitatem, talis enim ante iuramentum non est inferior illo semper, cui iurat, quamuis per iuramentum quodammodo seipsum inferiorem illo efficit. Ad minorem vero dicitur dupliciter. vno modo, quod imperator nunquam iurauit fidelitatem Papæ, nisi spontanea voluntate. & ideo sibi successoribus legem consimilem per tale iuramentum nequaquam imposuit. Aliter respondetur, quod ex ordinatione Romanorum, à quibus Imperator suam habuit iurisdictionem, potuit Imperator Papæ iurare, & in hoc tenuisset Papa non vicem beati Petri, nec in hoc fuit vicarius Christi, sed in hoc fuisset commissarius Romanorum. Ad secundam respondetur similiter, quod Papa non transtulit imperium à Græcis in Germanos in quantum vicarius Christi & successor beati Petri; quia ratione vicariatus illius & successionis huius non habet maiorem auctoritatem super imperium, quam super regnum Francorum vel Anglorum. sicut ergo in quantum vicarius Christi & successor beati Petri non potest transferre regnum Francorum de vna domo in aliam, ita ratione vicariatus & successionis non potuit de gente in gentem transferre imperium Romanorum, qui sibi ex causa rationabili potestatem huius contulerunt. Ad tertiam respondetur tripliciter. Sunt enim quidam dicentes, quod cum excommunicatio sit potius iurisdictionis, quam ordinis: idcirco Papa in quantum vicarius Christi & successor beati Petri neminem excommunicare potest, sed potestatem excommunicandi habet ab ecclesia vniuersali, quæ in eum transtulit talem potestatem. Alii aūt dicunt, quod non Papa, sed imperator in imperio, & rex in regno suo potestatem habet excommunicandi. DIS. Istas opiniones puto erroneas: sed tamen secundam magis abhorreo. de ipsis tamen in alio tractatu collocutionem habebo; nunc autem dic tertiam responsionem. MAG. Tertia responsio est, quod Papa in quantum vicarius Christi habet potestatem excommunicandi, sed pœnam maiorem nullatenus inferendi. Dicunt enim quidam, quod est vltima pœna, quam possunt ecclesiastici exercere. isti dicunt ergo quod Papa in hoc est imperatore superior: sed tamen in aliis est inferior ipso scilicet in omni iurisdictione temporali. Ad quartam rationem respondetur, quod Papa non potest imperatorem deponere ratione Papatus: sicut nec ratione Papatus potest deponere regem Franciæ, sicut Zacharias Papa regem Francorum auctoritate populi regni illius deposuit: & ita illi principaliter deposuerunt, & vt testatur Glo. 15. q. 6. c. alius *dicitur deposuisse, quia deponentibus consensit*. ita Papa auctoritate Romanorum posset imperatorem deponere. Ad quintam rationem respondetur, quod Papa ratione Papatus non potest illegitimos in temporalibus legitimare: si autem hoc fecit de facto, ratione alicuius alterius potestatis quæ non est annexa Papatui, hoc fecit. DIS Responde ad secundam principalem rationem. MAG. Ad secundam rationem respondetur, quod Papa ratione Papatus non est solutus legibus imperialibus, quæ diuinis legibus minime repugnant: licet aliunde forsitan sit solutus. Ad tertiam rationem principalem respondetur, quod clerici, nisi sint exempti auctoritate regum vel concilii generalis, pertinent ad forum secularium potestatum. Ad quartam rationem respondetur, quod in temporalibus licet appellare à Papa ad imperatorem, nisi per vniuersalem ecclesiam sit exemptus. Ad quintam dicitur, quod Christus commisit Petro iura imperii terreni, hoc est, potestatem super malos in spiritualibus, non in temporalibus.

CAP. X.

Vbi probatur rationibus, auctoritatibus & exemplis, quod Papa de crimine hæresis falsa accusatus seu diffamatus non sit iudicio vniuersalis ecclesiæ subiectus, ad quas etiam respondetur capitulo 63. huius.

DIS. Mihi placet, quod expediuisti te breuiter de rationibus supradictis: tum quia in alio tractatu super ipsos redibo: tum quia non audiui quod frater MAG. de Zelena & sequaces sui, quorū dicta contra dominum Papam principaliter examinare propono, dogmatizāt, vel sentiūt, ꝙ Papa non habeat iurisdictionē coactiuā, vel ꝙ imperatori subiectus sit. Ideo ad secūdā assertionē, quā recitasti in secundo *ca. huius sexti*, te conuerte, & motiua illius enarra. MAG. Illa assertio, continet duas, quarum prima est. quod si Papa esset de hæresi grauiter diffamatus, ecclesia vniuersalis, & et concilium generale, & etiam aliqua alia congregatio vel persona potestatē inquirēdi & coercēdi ipsum haberet. DIS. Circa hāc partē peto, vt disseras primo, an ecclesia vniuersalis, si Pa-

si Papa esset de hæresi grauiter diffamatus, super ipsum potestatem haberet. MAG. Circa hoc, vt dixi, est vna assertio, quod sic. aliorum autem est assertio, quod non, dicentium quod licet Papa effectus hæreticus ecclsiæ sit subiectus, quia eo ipso quod sit hæreticus fiet non Papa. si tamen falso fuerit de hæresi diffamatus, non est subiectus ecclesiæ, nec ecclesia in hoc casu habet potestatem aliquam super ipsum. DIS. Motiua vtriusque assertionis auscultabo libenter. primo autem allega motiua secundæ assertionis. MAG. Primum motiuum est tale. nulla falsa infamia potest personæ vel collegio vel congregationi iurisdictionem aut potestatem conferre. sed Papa de hæresi minime diffamatus non est de iurisdictione ecclesiæ, nec subest ei. ergo nec Papa falso de hæresi diffamatus est ecclesiæ subiectus. Secundum motiuum est tale. Ille qui in aliqua causa est aliis superior, nõ est in eadem causa inferior illis: quia in eadẽ causa idem respectu eiusdem vel eorundem non potest esse superior & inferior. manens vere Papa in causa fidei est omnibus aliis superior; quia si omnes Christiani sibi in causa fidei erronee dissentirent, omnes de iure (licet de facto non possit) coercere deberet. ergo Papa propter nullam falsam infamiam fit subiectus ecclesiæ in causa hæresis. Tertiũ motiuum est tale. si Papa de hæresi diffamatus iudicio ecclesiæ esset subiectus, ecclesia posset iudicare de ipso. hoc autem non potest fieri; quia cum ecclesia vniuersalis simul conueniri non potest, oportet generale concilium conuocare ad diffiniendum de causa Papæ. sed nullus potest absque Papa generale concilium vocare, nec ipse potest compelli per aliquem concilium generale congregare. quia si aliquis posset eum compellere generale concilium congregare, ille esset superior Papa. & ita aliqua persona esset superior Papa. quod non est verum, vt dicunt. ecclesia ergo vniuersalis de Papa iudicare non potest. & ita Papa quantumcunque fuerit de hæresi diffamatus, ecclesiæ minime est subiectus. Prædicta assertio auctoritatibus & exemplis videtur posse probari. plures namque auctoritates hoc expresse sonantes, sup. primo capitulo huius sexti sunt inductæ. Hoc etiam alia auctoritate simul & exemplo probatur. nam (prout recitatum est sup. vbi inquisitum est, an Papa posset hæreticari) Nicolaus Papa, vt legitur *di. 21. c. nunc autem* ait: *Tempore Diocletiani & Maximiani Augustorum Marcellinus episcopus vrbis Romanæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeo compulsus fuit à paganis, vt templum eorum ingressus thuris grana super prunas imponeret. cuius rei gratia collecto vniuersorum concilio episcoporum, & inquisitione facta, hoc idem pontifex se egisse confessus est. nullus tamen illorum in eum proferre sententiam ausus est, dum ei sæpissime omnes dicerent, tuo ore iudica causam tuam, non nostro iudicio: sed collige in sinu tuo causam tuam. & rursus, quomodo ex te (inquiunt) iustificaberis, aut ex ore tuo damnaberis. Item dicunt: Prima sedes non iudicabitur à quoquam.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod beatus Marcellinus fuit de hæresi diffamatus: nec mirum, cùm actum hæreticum commiserit. Ex quo enim idolis immolauit, fuit de apostasia perfidiæ vehementer suspectus: quia potuit de hæresi grauiter diffamari. hoc tamen non obstante, nemo episcoporum fuit ausus in ipsum proferre sententiam. ergo quandocunque Papa fuerit diffamatus de hæresi, nullius subiectus est iudicio.

DISCIP. Ista ratio non videtur concludere, quod Papa de hæresi diffamatus non sit subiectus ecclesiæ vniuersali & concilio generali: quia auctoritas Nicolai non loquitur de ecclesia vniuersali & concilio generali, sed de quibusdam episcopis, qui conuenerunt ad inquirendum de causa Papæ Marcellini.

MAG. Dicunt alii, quod auctoritas prædicta Nicolai manifeste declarat, quod Papa de hæresi diffmatus est ecclesiæ vniuersali vel collegio generali minime subiectus: quia secundum B. Hilarium, *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi.* ad intelligendum verba prædicta, quæ Nicolaus Papa recitat, recurrendum est ad causam dicendi. causam autem quare episcopi, qui conuenerant ad inquirendum de facto Papæ, cum dixerunt, *tuo ore iudica causam tuam, non nostro iudicio,* ipsimet assignant dicentes: *prima sedes non iudicabitur à quoquam.* in verbis istis insinuant aperte, quod summus pontifex etiam in casu illo, in quo fuerunt, scilicet, si summus pontifex fuerit de hæresi diffamatus, à nullo est penitus iudicandus. & ita nec ab ecclesia vniuersali, nec à concilio generali est Papa diffamatus de hæresi iudicandus. quia ex quo ipsi, quorum verba approbantur, à canone minime distinxerunt, nec debemus distinguere. Secundo probatur eadem assertio de Simacho Papa, de quo legitur. *di. 17. §. hinc*, in hæc verba: *episcopi in synodo residentes congregata auctoritate eiusdem Simachi dixerunt. Simachus Papa sedis apostolicæ præsul ab huiusmodi opinionibus impeditus, quantum ad homines respicit, sit immunis & liber, cuius causam totam Dei iudicio seruamus.*

Ex quibus verbis colligitur, quod Simachus Papa iudicio synodi non erat subiectus, licet fuerit hæresi diffamatus. Præterea quia vt Glo. notat ibidem, istæ opiniones, quibus fuerat Simachus impeditus, causam hæresis contingebant. ait enim: *primo fuit* (scilicet Simachus) *accusatus de hæresi. sed cum appareret calumnia accusantis, fuit postea absolutus*, vt ibidem dicitur.

CAP.

CAP. XI.

Vbi arguitur ad oppositum, quod Papa de hæresi diffamatus sit iudicio vniuersalis ecclesiæ subiectus: & hoc 5. rationibus.

DISCIP. Ad præsens sufficiant istæ allegationes pro assertione prædicta. & ideo motiua assertionis contrariæ non differas allegare. MAG. Quod Papa sic de hæresi diffamatus sit subiectus iudicio ecclesiæ vniuersalis, nonnulli conantur ostendere. Primo sic. Ille, qui potest accusari & iudicari de hæresi, est subiectus iudicio vniuersalis ecclesiæ, si fuerit de hæresi diffamatus. Papa autem potest de hæresi accusari & iudicari. *di. 4. si Papa.* ergo, &c. Secundo sic: Qui potest ab aliquo reprehendi pro hæresi, est subiectus in eadem causa iudicio vniuersalis ecclesiæ. sed Papa potest pro hæresi ab aliquo reprehendi. hoc probatur per exemplum de B. Petro, quem B. Paulus (quia non ambulabat ad veritatem euangelii) reprehendit *ad Gal. 2.* ergo Papa, si fuerit de hæresi diffamatus, iudicio vniuersalis ecclesiæ est subiectus. Tertio sic: Minor iudicio superioris est subiectus. sed Papa est minor ecclesia vniuersali, sicut orbis maior est vrbe. ergo, &c. Quarto sic: Nulli corpori sufficienter est prouisum, nisi membra putrida, quæ totum corpus valent inficere, possint abscindi. sed tota ecclesia militans vnum corpus est, teste apostolo qui Ro. 12. ait: *vnum corpus sumus in Christo.* istius autem corporis Papa est membrum. ergo non est sufficienter prouisum ecclesiæ, nisi Papa possit abscindi per ecclesiam, si hæreticam prauitatem incurrat. cum ergo Christus non defecerit in necessariis ecclesiæ militantis, sequitur quod per ecclesiam militantem Papa, si efficiatur hæreticus, pōt abscindi: & per consequens si fuerit de hæresi diffamatus, iudicio vniuersalis ecclesię est subiectus. Quinto sic: Ille, qui est de aliquo crimine denūciandus ecclesiæ, iudicio vniuersalis ecclesiæ est subiectus, si fuerit diffamatus. sed Papa potest pro crimine hæresis denunciari ecclesiæ, Christo dicente Math. 18. *Si peccauerit in te frater tuus.* & post: *si non audierit te, dic ecclesiæ.* Ex quibus verbis colligitur, quod cum Papa censendus sit frater, ipse potest pro crimine potissime hæresis denunciari ecclesiæ. ergo si fuerit de crimine hæresis diffamatus, iudicio ecclesiæ est subiectus.

CAP. XII.

In quo agitur de concilio generali, vtrum habeat potestatem super Papam de hæresi diffamatum, & probatur quinque rationibus, quod non: ad quas respondetur infra capitulo 64. huius.

DISCIP. De Ecclesia vniuersali, an sibi summus pontifex sit subiectus, quæ dixisti sufficiant. Nunc autem sententias peritorum de concilio generali, an super Papam de hæresi diffamatum iurisdictionem vel potestatem obtineat, aperire digneris. MAG. Sunt nonnulli dicentes, quod concilium generale super Papam de hæresi infamatum nullam habet iurisdictionem omnino. quod pluribus rationibus nituntur ostendere. Est autem prima ratio talis. ecclesia vniuersalis nullam habet iurisdictionem super Papam de hæresi diffamatum. quod nituntur per rationes post adductas ostendere. ergo multo fortius concilium generale non habet iurisdictionem super Papam de hæresi diffamatum. Secundo: nulla congregatio specialis in quacunque causa habet iurisdictionem super Papam, cum in omni causa qualibet congregatio particularis Papa inferior sit censenda. concilium autem generale est quædam congregatio particularis seu specialis: quia omnes Christianos minime comprehendit. ergo concilium generale non habet iurisdictionem super Papam. Tertio sic: illa congregatio, quę potest contra fidem errare, non habet iurisdictionem super Papam de hæresi mendaciter diffamatum. generale autem concilium potest contra fidem errare, sicut nonnulli per plures rationes probare nituntur. ergo, &c. Quarto sic: illa congregatio, quæ in causa hæresis est inferior Papa etiam de hæresi diffamato, non est in eadem causa Papa superior. sed totum concilium generale præter Papam est in causa hæresis Papa inferius. quia si totum concilium generale præter Papam etiam de hæresi mendaciter diffamatum contra fidem erraret, ipse omnes de iure punire deberet. Ergo in causa hæresis Papa concilio generali est superior. DIS. totum concilium generale præter Papam non potest contra fidem errare: quia Deus, qui promisit fidem catholicam vsq; ad finem seculi duraturam, non permitteret. MA. Ista responsio impugnatur. tum quia esto, quod totum concilium generale præter Papam erraret, nequaquam fides Christiana desineret, quia saluaretur in Papa, & in multis aliis. fides autem in solo Papa potest seruari; quemadmodum tempore passionis Christi in vnica muliere remansit. tum quia vnus potest ad se trahere totum concilium generale, & vnus potest toti residuo concilii generalis contradicere, sicut notatur *di. 15. c. Nicena.* ergo multo fortius Papa, qui est principalis & caput concilii generalis, potest toti residuo contradicere. & per consequens residuo minime est subiectus. Quinto sic: illa congregatio, quæ nullam auctoritatem habet, nisi à Papa, & quæ absque Papa congregari non potest, nullam habet iurisdictionem super Papam, nisi Papa sponte eius iudicio se submittat. sed concilium generale nullam habet iurisdictionem seu potestatem aut auctoritatem nisi à Papa; nec potest absque eius mandato aliqualiter celebrari. ergo si Papa non voluntarie se submittat iudicio generalis concilii, minime ei est subiectus.

Cap. XIII.

In quo probatur duabus rationibus & aliquibus auctoritatibus, quod Papa de hæresi diffamatus subiicitur concilio generali.

DISCIP. Quomodo allegatur in contrarium, manifesta. MAG. Quod Papa iudicio generalis concilii sit subiectus, quidam moliuntur ostendere. Primo sic: Ecclesia vniuersalis iurisdictionem obtinet super Papam de hæresi diffamatum. igitur & ista congregatio, quæ vicem gerit vniuersalis ecclesiæ, habet iurisdictionem super Papam de hæresi diffamatum. concilium autem generale tenet vicem ecclesiæ vniuersalis. ergo, &c. Secundo sic: diffamatus de aliquo crimine est iudicio concilii generalis subiectus, & eidem concilio super obiecto crimine respondere tenetur. Papa autem diffamatus de hæresi generali concilio respondere tenetur. Vnde & in decre. 2. q. 7. *c. nos*; sic legitur; *Simachus Papa in Romana synodo dignitate sua expoliatus prius statui pristino reddi præcipitur, vt tunc veniret ad causam, & si ita rectum videtur, accusantium propositionibus responderet. digna res visa est maxime numero sacerdotum, atque meretur effectum. Et cum postmodum ordinaretur, quomodo esset accusandus præfatus Papa, vt causam diceret occurrebat, sed ab æmulis est impeditus.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod Simachus Papa, qui fuit de hæresi accusatus, sicut notatur in Glo. *di.* 17. §. *hinc*, coram synodo respondere debebat. ergo in causa hæresis concilium generale est super Papam de hæresi diffamatum. Tertio per glossas super decretis hoc probatur. ait enim Glo. di. 19. c. Anastasius: *Papa tenetur requirere concilium episcoporum. quod verum est, vbi agitur de fide: & tunc synodus maior est Papa.* his verbis patenter asseritur, quod in causa fidei synodus maior est Papa. Item Glo. di. 15. *c. sicut*, dicit in hæc verba; *videtur quod Papa non possit destruere statuta concilii: quia orbis maior est vrbe. vnde requirit Papa consensum concilii 19. di. Anastasius. 71. ar. 19. di. 1. §. hinc, & extra de electione signati, vbi dicitur: concilium non potest Papæ legem imponere, & 15. q. 9. veniam. sed intellige quod hoc dicitur circa articulos fidei.* Ex quibus verbis colligitur, quod circa articulos fidei maior synodus est Papa, & sibi legem potest imponere: & per consequens in causa fidei synodus iurisdictionem habet super Papam. Item Glo. 21. di. 31 c. nunc autem, ait: *quare isti non deposuerunt Papam, cum esset confessus de hæresi, vt 60. di. si Papa, dicens quod paratus erat corrigi. Licet enim sit Papa hæreticus vel alius, si tamen paratus est corrigi, non deponitur, vt & 24. q. 3. dixit apostolus. vel ideo non debebat ipsum deponere, quia coactus fecit.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod episcopi potestatem habent deponendi Papam de hæresi accusatum; licet non debeant ipsum semper deponere, quia aliquando non est dignus deponi. causam tamen Papæ habent audire, & ita potestatem obtinent super ipsum.

Cap. XIV.

Ponit vnum modum dicendi de Papa taliter diffamato, quod non solum concilium generale sed etiam episcopi in tali casu habent potestatem inquirendi de ipso, & causam huius & modum assignat.

DISCIP. Allegationes præscriptæ me fere ad perplexitatem inducunt. Durum enim mihi videtur asserere, quod oues super pastorem, membra super caput, filii super patrem, discipuli super magistrum, subditi super prælatum iurisdictionem aut potestatem aut auctoritatem obtineant: præsertim cum iniqua & falsa infamia iurisdictionem non debeat nec possit tribuere. & ideo graue apparet dicere, quod Papa de hæresi mendaciter diffamatus propter talem infamiam cuiuscunque vel quorumcunque subdatur iudicio; maxime cum impossibile minime videtur, quod tota fides catholica in solo Papa remaneat, saltem pro aliquo tempore breui. Ex alia parte zelus fidei Christianæ me subtiliter angit; ne dicam nullam debere fieri inquisitionem aut iudicium de Papa super hæresis crimine diffamato. quare cum probabiliter teneam, Papam posse hæreticam prauitatem incurrere, si de ipso nulla posset inquisitio fieri, tota fides posset periclitari. vnde si aliqui istam perplexitatem nituntur dissoluere, mihi reuela. MAGIST. Est quædam assertio, quod propter nullam infamiam falsam habet ecclesia iurisditionem super Papam. si tamen Papa fuerit de hæresi taliter diffamatus, quod sine scandalo ecclesiæ vel periculo fidei tolerari non posset, non solum vniuersalis ecclesia aut concilium generale, sed etiam episcopi habent potestatem inquirendi de ipso. Quem si deprehenderint manifeste hæreticum ipsum debent coercere, vel aliis denunciare prauitatem eiusdem. DIS. Ista assertio videtur contradictionem concludere. vna enim pars alteri apparet repugnare. si enim nulla persona super Papam de hæresi diffamatum habet iurisdictionem, nulla persona valebit iure de ipso inquirere, quia non ad inferiorem, nec ad parem, sed ad superiorem iurisdictionem habentem officium inquisitionis spectare dinoscitur. MAG. Ad illam obiectionem respondetur: quia sicut inquisitio ad superiorem spectat, ita et citatio pertinet ad superiorem. nō enim par vel inferior potest regulariter suum superiorem citare, sed citare est iurisdictionem habentis.

Et ta-

Et tamen, hoc non obstante, potest in casu quis iurisdictionem minime habens super alium, citare eum. Si autem dubitatur probabiliter, an iudex haberet iurisdictionem super aliquem, tamen ipsum debet & potest citare, & citatus ire tenetur & ostendere, quod citatio non tenet. Quod si non fecerit, poterit ipsum excommunicare. & propter contumaciam iudex, qui nullam habet iurisdictionem super ipsum, iurisdictionem super eum haberet, quantum ad hoc, quod ipsum potest excōmunicationis sententia innodare, *extra de appel. duobus*. Sic dicūt de inquisitione, dicendum, quod licet inquirere regulariter ad superiorem pertineat, si tamen probabiliter dubitatur de aliquo, qui non potest recurrere ad superiorem, an habeat super alium iurisdictionem & potestatem inquirendi, & non aliter, nisi inquirendo (an scilicet super alium habeat iurisdictionem) ad veritatem poterit peruenire; licebit sibi de ipso inquirere, vt cognoscat, an ille ad eius iurisdictionem pertineat. Sic dicunt, quod est in proposito: quia eo ipso, quod Papa de hæresi tam grauiter diffamatur; quod talis infamia absque scandalo ecclesiæ & periculo fidei dissimulari aut tolerari non posset, prælati possunt probabiliter dubitare: an Papa sit catholicus vel hæreticus. Quia de diffamato dubitandum est ante examinationem causæ, an fama veritati innitatur. Et per consequens dubitandum est, an diffamatus crimen, super quo diffamatur, commiserit. Si autem prælati probabiliter dubitant, an Papa de hæresi diffamatus sit catholicus vel hæreticus, sequitur, quod probare habent, an Papa sit de iurisdictione ipsorum effectus. Nam si fama est falsa, non est de iurisdictione ipsorum: quia Papa manens Papa propter falsam infamiam non est de iurisdictione quorumcunque. falsa enim infamia nullam iurisdictionem tribuit. Si autem fama continet veritatem, Papa talis diffamatus est vere hæreticus. si autem vere hæreticus, est de iurisdictione catholicorum. Sicut igitur prælati catholici probabiliter dubitant, an Papa de hæresi diffamatus sit catholicus vel hæreticus, ita dubitant probabiliter, an sit de iurisdictione ipsorum effectus. Ex quo autem probabiliter dubitant, an sit de iurisdictione ipsorum effectus, ipsi tenentur de ipso inquirere, an scilicet Papa de hæresi sic diffmatus sit hæreticus vel catholicus. Ergo in hoc casu prælati catholici habent potestatem inquirendi de Papa super hæresi mendaciter diffamato, licet in rei veritate iurisdictionem non habeant super ipsum: sicut potest quis citare alium, cuius tamen in rei veritate non est iudex.

Cap. XV.

In quo ostenditur, quod de Papa super crimine hæresis diffamato catholici potestatem habent inquirendi veritatem: & quod de eo inquisitio est facienda.

DISCIP. Ex prædictis mihi data est occasio manifesta quærendi. ante tamen expostulo, vt ostendas, quib. rationib. vel auctoritatib. possit assertio supradicta muniri. MA. Per rationes fundatas in scriptura diuina & dictis sanctorum patrum prædicta assertio videtur posse probari. Quam tamen exemplo patentissimo, vt nonullis apparet, quidam monstrare nituntur. Nam sicut allegatum est supra, de beato Marcellino Papa de hæresi diffamato, eo quod actum hæreticalem Idolatriæ videtur commisisse, plures episcopi conuenerunt, & inquisitionem de ipso fecerunt. & inquisitione facta (quia ipsum nō deprehenderunt hæreticum) ipsum iudicare nolebant, sicut nec poterant. Ex quo datur intelligi, quod de Papa de hæresi diffamato catholici potestatem habent inquirere, an fama contineat veritatem. DIS. Notum fuit, quod B. Marcellinus commiserat Idolatriam: & per consequens quod esset hæreticus. & ita non est simile de Papa Marcellino, & de Papa mendaciter de hæresi diffamato. MAG. Istam rationem excludunt dicentes, quod quamuis esset notum apud fideles, & etiam apud quosdam catholicos, quod B. Marcellinus sacrificasset Idolis; tamen hoc non erat notorium apud episcopos, qui ad concilium conuenerunt: nec erat notorium apud quosdam, quod ipse esset hæreticus. & ideo dubitabant episcopi, an esset hæreticus. & forte magis credebant, ꝙ esset hæreticus. quia tamen nesciuerunt veritatem, ipse fuit de hæresi diffamatus. & conuenerunt catholici, & inquisiuerunt solicite veritatem. si aūt veritatē sciuissent, superflue cōuenissent, vel inquisiuissent. inquisierūt ergo de facto Papæ; & ita de Papa infamato de hæresi est inquisitio facienda. DIS. Adhuc instat contra dictum exemplū: quia B. Marcellinus non fuit infamatus de hæresi, sed de idolatria tantummodo. & ita exemplum positum nequaquam concludit intentum illorum. MAG. Istam instantiam excludunt dicentes, quod eo ipso, quod fuit diffamatus de idolatria, fuit diffamatus de hæresi. quia omnis idolatra, de quo nescitur an timore mortis vel sponte immolauerit idolis, de hæresi est suspectus. & ita diffamare aliquem de idolatria antequam constet ipsum idolatrare solum timore mortis, est ipsum infamare de hæresi. Cum ergo B. Marcellinus commiserit idolatriam, antequam rediret, & pœnitentiam ageret, & confiteretur se idolatrasse timore mortis tantummodo, nesciebatur an prauitatem hæreticam incurrisset. & ita constat, quod B. Marcellinus fuit de hæresi diffamatus. Item, vt dicunt isti: esto quod B. Marcellinus non fuerit de hæresi diffamatus; habent tamen intentum, per dictum exemplum, quia catholici potestatem habent inquirendi de Papa de hæresi diffamato. nam non est maior ratio, quod catholici habeant maiorem potestatem inquiren-

di de Papa de crimine idolatriæ diffamato, quàm de Papa super crimine hæresis diffamato. cùm ergo catholici habeant potestatem inquirendi de Papa super crimine idolatriæ diffamato, sequitur quod habent potestatem inquirendi de Papa super crimine hæresis diffamato. DIS. Dicerent aliqui, quod certum est vel fuit beatum Marcellinum idolatrasse. & ideo potuerunt catholici inquirere merito de facto eius. sed si Papa aliquis esset diffamatus de hæresi, non esset propter hoc certum ipsum sensisse hæreticam prauitatem. & ita non est simile de beato Marcellino & de Papa super hæresi diffamato.

MAG. istam instantiam dicant esse malam: quia inquisitio non debet esse de certis, sed de dubiis. qui enim scit, certificari non debet. & per consequens superflue quis inquirit propter sua vel aliorum dubia excludēda. sic igitur quia fuit certum & notorium episcopis, qui conuenerant ad concilium, beatum Marcellinum idolatrasse, de hoc non quæsierunt; sed inquisierunt, quod erat eis ignotum, an timore mortis idolatrauerit. Item, si Papa aliquam hæresim prædicaret & esset notorium, de hoc non esset inquisitio facienda: sed esset inquisitio facienda, an pertinaciam errori adiungeret. & ita dum Papa super crimine hæresis diffamatur, est inquisitio per catholicos facienda. Quam etiam assertionem pluribus rationibus isti confirmare nituntur: quarum prima talis est. Ad vnumquemque prælatum & pastores spectat cognoscere, quæ oues sunt suæ, & qui sunt sibi subiecti. aliter enim exempli pastoris summi dicentis Iohan. 10. *Ego sum pastor bonus & cognosco oues meas*, erit nullatenus imitator. nec præceptum Salomonis implebit dicentis Prouer. 27. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Debet ergo prælatus cognoscere, qui sunt subiecti sui. ergo quando dubitatur de aliquo, an sit subiectus alicuius prælati, idem prælatus constringitur, ne forte subditus suus per negligentiam pereat, & secum alios pertrahat in interitum, diligenter inquirere & inuestigare. an ad gregem suum pertineat. sed si Papa de hæresi grauiter diffamatus sit, prælati debent probabiliter dubitare, an Papa taliter diffamatus sit de iurisdictione eorum effectus: quia dubitare habent, an sit hæreticus, licet non statim debeant credere ipsum esse hæreticum. ergo in hoc casu tenentur inquirere, an Papa taliter diffamatus sit de iurisdictione ipsorum. hoc autem facere possunt nequaquam, nisi inquirendo an sit factus hæreticus. ergo tenentur inquirere, an Papa taliter diffamatus incurrit hæreticam prauitatem. Secūda ratio est. ad illum spectat scire, qui sunt subditi sui, ad quē spectat corrigere omnium subditorum suorum excessus. sed ad prælatos catholicos spectat corrigere omnium subditorum suorum excessus, vt sacri canones protestantur aperte. ergo ad ipsos spectat scire de omnibus qui sunt subditi sui. ergo ad ipsos pertinet inquirere de illis, de quibus dubitatur, an sint sibi subditi, vtrum in rei veritate sint subditi sui vel non. si autem Papa grauiter de hæresi diffamatur, probabiliter dubitant, an sit subiectus catholicorum: quia probabiliter dubitatur, an sit hæreticus. ergo ad catholicos pertinet inquirere, an Papa de hæresi diffamatus sit eis subiectus. Tertia ratio est hæc. prælati catholici tenentur ex officio suo oues suas contra luporum rabiem custodire. ergo tenentur subditos suos contra hæreticorum insidias conseruare: & per consequens, quando nunciatur prælatis catholicis per publicam famam, quod aliquis nititur gregem suum inuadere, & corrumpere per hæreticam prauitatem; debent inquirere diligenter veritatem, ipso domino præcipiente Deut. 23. *si audieris in vna vrbium, quas dominus Deus tuus dabit tibi habitandam, dicentes aliquos; egressi sunt filii Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis tuæ, atque dixerunt: eamus & seruiamus diis alienis, quos ignoratis. quære sollicite & diligenter rei veritate per specta. si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladii.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod si à prouidis & honestis Papa, vel quicunque alius, publice diffamatur, quod velit catholicos à fide auertere orthodoxa est veritas diligenter inquirenda. Ergo de Papa super crimine hæresis grauiter diffamato est inquisitio facienda. DISCIP. Prælati non habent inquirere, nisi de illis, quos constat esse subditos suos. & ita de Papa non habent inquirere.

MAGIST. Respondetur tibi, quod quilibet prælatus debet inquirere de omnibus, qui gregem suum inuadunt, siue sint subditi, siue non. saltem ad resistendum eisdem. quemadmodum rex debet omnes repellere, qui regnum suum inuadunt, quamuis sint de alio regno. & quilibet etiam nullam habens iurisdictionem debet pro patria omnes inuadentes pro posse repellere, quamuis nullam super eis iurisditionem habeat. Et ex hoc quarta ratio sic formatur. Non minus sollicite debent prælati catholici gregem suum contra spirituales inimicos defendere, & ea, quæ ad defensionem pertinent, exercere: quam reges & principes eorum subditos debent terras suas contra inuadentes iniuste defendere, licet de eorum iurisditione nequaquam existant. ergo multo fortius & animosius debent prælati contra inimicos spirituales greges suos defendere, & ea facere, quæ ad spiritualem defensionem spectare noscuntur. Sed ad defensionem noscitur pertinere inuestigare sollicite, qui sunt isti hostes spirituales, qui gregem nituntur inuadere: maxime si est publica fama per viros honestos & prouidos suscitata, quod aliqui volunt dominicum gregem inuadere. si ergo Papa per viros prouidos & honestos de hæresi publicæ diffamatur, catholici deberent diligenter inquirere veritatem.

Quinta rō talis est. cui periculosum est renunciare iuri suo, ei periculosum est non inqrere, ad quos extēdūtur iura sua, qn̄ dubitatur de aliquib. an extēdantur ad ipsos. Sed p̄latis religiosis periculosum

iosum est renunciare, aut cedere iuri suo, quod in causa Dei susceperunt à Deo, teste B. Cypriano, qui vt recitatur. 5. q. 1. *c. quam periculosum sit*, ait: *quam periculosum sit in diuinis rebus, vt quis cedat iuri suo & potestati scriptura diuina declarat, cum Esau primatus suos perdiderit, nec inde percipere vel petere postmodum potuit quod semel concessit.* Ergo periculosum est prælatis catholicis non solicite inquirere, ad quos extenduntur iura eorum in causis Dei, quando de aliquibus dubitatur, an potestati catholicorum sint subiecti. si autem Papa publice per viros prouidos & honestos de hæresi diffametur, probabiliter dubitandum est, an sit potestati catholicorum subiectus. ergo de hoc in hoc casu debent catholici quærere veritatem diligenter. Et ita habent de Papa taliter diffamato inquisitionem facere diligentem.

CAP. XVI.

In quo consequenter agitur de appellatione à summo pontifice pro causa hæresis interiecta, & ponuntur duo modi dicendi. primus est, quod in nullo casu est deferendum appellationi contra summum pontificem, & probatur duabus auctoritatibus & sex rationibus, ad quas respondetur capitulo 55. secundus modus dicendi ponitur capitulo sequenti, scilicet 17.

DISCIP. Audiui rationes, quibus ostenditur, quod potestatem habent catholici inquirendi de Papa super crimine hæresis diffamato: occasione quarum accidit mihi voluntas indagandi specialiter, an propter appellationem aliquorum contra Papam pro causa hæresis interiectam catholici habent potestatem inquirendi de summo pontifice. Cum enim appellatio sit diffamatoria Papæ: videtur, quod si prælati habeant potestatem inquirendi de Papa super crimine hæresis diffamato, quod etiam propter talem appellationem eandem obtineant potestatem. vnde de hoc quid sentiant literati, indicare digneris. MAGIST. Circa hoc sunt assertiones contrariæ, quibusdam dicentibus quod in nullo casu est appellationi contra summum pontificem deferendum: Aliis dicentibus, quod appellationi pro causa hæresis contra summum pontificem interiectæ debent prælati deferre. & per consequens oportet eos de iure de tali appellatione cognoscere. DIS. Motiua primæ assertionis allega. MAG. Prima assertio auctoritatibus & rationibus videtur posse probari. Prima auctoritas est Gelasii Papæ. & ponitur. 9. q. 3. *c. ipsi*, qui ait; *ipsi sunt canones, qui appellationes totius ecclesiæ ad huius sedis examen voluerunt deferre: ab ipsa vero nunquam prorsus appellari debere sanxerunt.* Secunda est eiusdem ca. sequenti, qui ait: *Cuncta per mundum nouit ecclesia, quod sacrosancta Romana ecclesia fas de omnibus habeat iudicandi: nec cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est: ab ista autem nemo est appellare permissus.* Ex quibus verbis colligitur, quod in nullo à Papa appellare licet, quia canones supradicti absolute sine omni discussione vel distinctione affirmant, quod à Romana ecclesia appellare non licet: ergo nec eos debemus distinguere. DIS. Pro eadem assertione rationes adducas. MAG. Prima ratio talis est. ab illo, qui non habet superiorem in terris, appellare non licet 2. q. 8. *c. anteriorum.* sed Papa non habet superiorem in terris: cum ipse sit caput & iudex omnium Christianorum. ergo à Papa appellare non licet. Secunda ratio est hæc. qui licite pro causa hæresis appellat ab aliquo, est totaliter à iurisdictione ipsius exemptus: quia omnis appellans in eo, super quo appellat, est exemptus à iurisdictione illius à quo appellat, *extra de appel. cum teneamus. & c. proposuit.* qui autem appellat super causa hæresis, appellat super tota iurisdictione illius, à quo appellat. quia si est hæreticus, nullam habet iurisdictionem omnino. ergo qui appellat ab aliquo super causa hæresis, à iurisdictione ipsius est exemptus omnino. sed nullus Christianus est exemptus à iurisdictione Papæ, ergo non licet appellare ab ipso. Tertia ratio est hæc. ab illo appellare non licet, à cuius obedientia non licet recedere. quia appellans recedit ab obedientia illius, à quo appellat. sed nulli Christiano licet recedere ab obedientia Papæ. *di. 13. c. præceptis.* ergo nulli Christiano licet à summo pontifice appellare. Quarto sic. ab illo appellare non licet, ad quem est ab omnibus (si oppressi fuerint) appellandum. quia non licet eidem in eadem causa appellare ab aliquo ad ipsum. sed omni Christiano in causis hæresis (si oppressus fuerit) licet appellare ad Papam. 2. *q. 6. ca. quisquis c. omnis. & ca. ad Romanam.* ergo nulli Christiano licet in causa hæresis appellare à Papa. Quinto sic. sicut imperator primatum habet in temporalibus, ita Papa in spiritualibus primatum noscitur obtinere. sed nulli pro aliqua causa temporali licet appellare ab imperatore, secundum leges ergo nulli licet appellare pro causa spirituali à Papa. & per consequens pro causa hæresis non est à Papa appellandum. Sexto sic. ab illo, ad quem sunt omnes causæ fidei deferendæ, non est pro causa fidei appellandum. sed omnes causæ fidei sunt ad summum pontificem deferendæ. 24. *q. 1. c. quotiens. & extra, de baptismo & eius effectu. maiores.* 2. *di. 17. multis.* pro causa ergo fidei non est à summo pontifice appellandum. Ex quo concluditur, quod si contingeret aliquem contra Papam temere appellare, tali appellationi esset minime deferendum, & non esset de Papa aliqualiter inquirendum, nec aliquid aliter innouandum.

Cap. XVII.

Ponit opinionem contrariam capitulo præcedenti positam sub tribus conclusionibus. Quarum prima tres habet partes, quæ in hoc capitulo suo ordine pertractantur. Secunda vero pertractatur capitulo octauo, & sequentibus. tertia capitulo 45.

DISC. Istæ allegationes pro assertione prædicta videntur fortes. quarum virtutes magis aduertam, si recitaueris, quomodo respondetur ad illas, & qualiter assertio contraria fulciatur. Vnde primò assertionem contrariam munire nitaris. Secundò narra, quomodo ad rationes præscriptas respondetur. MAG. Assertionem contrariam melius intelliges, si tibi fuerit per particulas explicata. DIS. Hoc peto vt facias: MAG. In assertione contraria medullitus explicata tres continentur conclusiones, quarum prima est, quod à Papa catholico, quamuis de hæresi publice diffamato, pro causa hæresis directæ appellare non licet: nisi forte aliquis deceptus haberet iustam causam credendi Papam esse hæreticum. Secunda conclusio est: quod à Papa hæretico licet appellare. Tertia conclusio est: quod si aliquis de facto appellaret à Papa catholico, antequam cõstaret appellationem eius non esse legitimam, esset eiusdem appellationi deferendum. DIS. Istas tres conclusiones cupio per ordinem pertractari. primam autẽ cupio explicari: quia plures partes continere videtur, quas nõ bene intelligo: imo etiã quare illud aduerbium *directe* ponitur. MAG. Bene dicis, ꝙ prædicta cõclusio tenet plures partes: quia tres cõtinet explicite vel implicite. quarũ prima est, ꝙ qui nõ est deceptus de fidelitate Papæ (quia videlicet nõ habet ꝓbabilẽ causam credẽdi Papã esse hæreticũ) non debet ab eo directe ꝓ causa hæresis appellare, sibi videlicet hæresim imponendo vel ipsum de hæresi accusando, aut quomodo libet diffamando. Secunda pars est: quod in casu liceret non decepto de fidelitate Papæ indirectè contra ipsum pro causa hæresis appellare. puta si sciret Papam de hæresi mendaciter diffamatum nolle se purgare, vel iudicio submittendo vel alio modo debito scandalum de ipso sedare. tunc talis posset pro causa hæresis Papam iudicio prouocare, non sibi hæresim imponendo, sed allegando, quod Papa super crimine hæresis mendaciter diffamatus exortum scandalum sedare tenetur. Tertia pars est: quod deceptus habens iustam causam credendi Papam esse hæreticum, potest licite à Papa catholico appellare. DISCIP. Noua quidem & irrationabilia (vt mihi videtur) infers auribus meis. prima enim pars apparet mihi vera; sed duas sequentes reputo falsas; & tamen pro omnibus allegationes audire desidero. MAG. Pro prima sic arguitur. appellans directè pro causa hæresis ab aliquo hæresim imponit eidem. sed nulli non decepto licet hæresim imponere Papæ catholico. ergo, &c. Pro secunda parte sic arguitur: salus catholicæ fidei præferenda est summo pontifici, quantumcunque sciatur catholicus. si ergo Papa catholicus super hæresin diffamaretur, ex qua infamia periclitaretur fides (si nollet se catholicum declarare in fauorem fidei Christianæ) licet contra Papam appellare prouocando eum ad iudicium, vt cogeretur pro salute fidei suam innocentiam declarare. & ita directè licet pro causa fidei à Papa catholico appellare. Pro tertia parte allegatur sic. Cui licet pro causa aliqua appellare (si non est deceptus) eidem licet pro eadem causa appellare, si absque culpa sua est deceptus. sicut iudex deceptus per falsos testes vel falso instrumento eandem potest licite proferre sententiam, quam liceret sibi proferre, si eadem causa esset per testes legitimos vel vera instrumenta probata. Propter quod ecclesia decepta falsam proferendo sententiam non peccat; imo peccaret si decepta sententiam, quæ est iniusta, ex parte rei non ex parte ferentis non ferret. Sed qui scit Papam esse hæreticum, potest contra eum licite appellare. Ergo deceptus habens iustam causam credendi aliquem esse hæreticum (quamuis non sit) potest contra eum pro causa hæresis licite appellare. Ad probandum autem, quod aliquis potest habere iustam causam credendi aliquem esse hæreticum, quamuis in rei veritate non sit hæreticus: quære argumenta, libro primo *de optimo genere addiscendi*.

Cap. XVIII.

In quo ponitur, quod à Papa hæretico liceat appellare. vbi nota appellationis multiplicem significationem & acceptionem, & quid sit appellatio.

DISCIP. Non requiro pro nunc plures allegationes, pro tribus allegationibus supradictis; quia de aliquibus earum postea occasionem loquendi habebo. ideo ad secundã conclusionem principalem te conuerte. & ad probandum, quod licet à Papa hæretico appellare, allegare coneris. MAG. Antequam aduertantur allegationes, quod à Papa hæretico liceat appellare, expedit tibi (forte vt melius eas intelligas) modum ponendi explicite aperiri. DIS. Hoc volo. MAG. Ponentes licere à Papa hæretico appellare, nollent ad strictissimam significationem appellationis artari. DIS. Ergo appellatio habet plures significationes. MAGIST. Quod nomen *appellationis* habeat plures significationes, Alexander tertius *extra de appel. ca. cum sit Romana*, aperte insinuat, dicens: *sacri canones etiam extra iudicium passim appellare permittunt non solum huiusmodi appellationes, sed prouocationes ad causam.* vbi dicta Glo. *loquitur de appellationi-*

tionibus, quæ fiunt ext. iudicium ab aduersario, ne aliquid fiat in præiudicium appellantis super eo, pro quo appellat. Et tales appellationes quasi prouocationes sunt ad causam & talibus appellationibus est deferendum. 14. *bona. & tales appellationes faciunt clerici frequenter inter se, & in electionibus pro aliis negotiis ecclesiæ supra, de electis & considerationibus, bona auditionis: & infra, de his quæ fi. à maio. par. capituli. c.* 1. Ex quibus colligitur, quod *appellatio* plures habet significationes. Aliqua enim *appellatio* est, quæ continet querelam iniquæ sententiæ, & fit à iudice. Aliqua autem est *appellatio*, quæ continet querelam aliquæ sententiæ, quæ quandoque non est à iudice, sed est etiam prouocatio quædam ad causam, ne aliquid fiat illicite. DISCIP. Applica ista ad propositum. MAGIST. Dicunt assertores prædicti, quod largissime vti nolunt nomine *appellationis*, ne videantur concedere, quod appellans ab hæretico papa eo ipso quod appellat habeat papam hæreticum pro iudice: quia eo ipso, quod aliquis appellat, habet ipsum pro non iudice; quem tamen ad causam prouocare intendit, ne in præiudicium appellantis & omnium catholicorum papali vtatur officio. DISCIP. Hoc vltimo dictum videtur contraria includere. nam si licet appellare à papa hæretico, maxime liceret appellare ab ipso si (aliquo licite coram ipso contendente) super quæstione fidei contra fidem diffinitiuam proferret sententiam. puta si aliquis accusans alium, quod teneret, Christum non fuisse natum de virgine; si papa daret sententiam diffinitiuam pro eo, quod Christus non fuit natus de virgine, liceret actori à papæ sententia appellare. talis autem appellatio esset appellatio propriissime dicta: quia esset prouocatio iniquæ sententiæ querelam continens. ergo isti non tantum debent loqui de appellatione largissime sumpta, sed etiam de appellatione strictissime sumpta. MAGIST. Ista obiectio, vt dicunt, est tam friuola, quod responsione non eget. nam quamuis dicant se nolle loqui de appellatione largissime sumpta, non propter hoc dicunt, se nunquam velle loqui de appellatione stricte sumpta, porro ex obiectione prædicta datur mihi occasio explicandi modum ponendi eorum. DISCIP. Explica. MAGIST. Duo dicunt. Primum est, quod à papa hæretico in casu licet appellationem stricte sumptam emittere. illam appellationem videlicet, quæ est prouocatio iniquæ sententiæ querelam continens. puta si aliquibus litigantibus coram ipso super quæstione fidei pro altero istorum accusatore vel accusato diffinitiuam contra fidem proferret sententiam. Secundum est: quod si papa fiat hæreticus, ex causa quacunque etiam qui non litigat coram ipso potest appellare contra ipsum. & ista appellatio est prouocatio: & non erit proprie dicta appellatio. DISCIP. Probabilitatem videtur habere, quod si papa in præiudicium litigantis coram ipso super quæstione fidei iniquam contra fidem catholicam diffinitiuam proferret sententiam, liceret eidem à tali iniqua sententia appellare. sed alii appellare non liceret: quia sua non interest contra eum cum non sit probata sententia. Item, quamuis nunc (de crimine commisso extra iudicium) possit aliquis accusari, non est contra eum tamen appellandum. Quamuis ergo papa extra iudicium factus hæreticus de hæresi valeat accusari, non tamen est appellandum ab ipso: sicut neque est appellandum à quolibet criminoso, licet quilibet criminosus valeret accusari. MAGIST. Ad primam istarum obiectionum respondetur, quod quæstio fidei est quæstio communis, & ad omnes pertinet Christianos. *di. 96. c. vnam*, vbi Nicolaus papa ait: *vbi namque legistis imperatores antecessores vestros synodalibus conuentibus interfuisse, nisi forsitan de quibusdam, vbi de fide tractatum est, quæ vniuersalis est, quæ omnium communis, quæ non solum ad clericos, verumetiam ad laicos & ad omnes omnino pertinet Christianos.* ideo non solum licitum, sed etiam cuiuslibet catholici interest contra iniquam sententiam papæ contra fidem prolatam appellare: quia talis sententia cuilibet Christiano præiudicium noscitur generare. Ad secundam respondetur, quod nunquam ad vnum finem fit accusatio criminosi, & appellatio ab aliquo criminoso. accusatur enim criminosus, vt de commisso crimine puniatur; sed appellatur ab aliquo, ne aliquid in futurum in præiudicium appellantis attemptet. & ideo si papa hæreticus omnino cessaret à papali officio renunciando papatui, posset de hæresi accusari: sed non esset necesse appellare ab ipso. sed si papa hæreticus à papali non cessaret officio, cum hoc redundat in præiudicium cuiuslibet Christiani, quilibet Christianus ab ipso vel contra ipsum poterit appellare, ipsum ad causam & iudicium prouocando.

DISCIP. Ad quid distinguitur inter appellationem, quæ fit post diffinitiuam sententiam & appellationem quæ fit extra iudicium. MAGIST. Ideo distinguitur, quia in appellatione, quæ fit post diffinitiuam sententiam, non oportet in speciali allegare caussam, sed sufficit dicere sententiam esse iniquam. vnde si duo litigarent coram papa super aliqua certa quæstione fidei (puta si vnus accusaret alium, quod esset hæreticus, quia pertinaciter asseruisset vsuram non esse peccatum, vel Christum non contingenter sed necessitate absoluta fuisse passum & crucifixum, aut apostolos nunquam post missionem spiritus sancti per vnam diem integram duxisse vitam communem cum aliis, aut legem Christianam non esse veram vel sanctam, vel Christum falsum prophetam fuisse) & papa diffinitiuam daret sententiam pro eo, quod non esset hæreticus, quia assertio sua esset catholica, liceret à papa actori appellare, allegando solummodo, quod sententia sua esset iniqua & contra fidem catholicam, nec oporteret specialiter explicare, in quo sua sententia fidei obuiaret.

Si autē extra iudiciū, aut ante sententiam diffinitiuā voluerit q̄s appellare, oportet ꝙ causam talē in speciali allegeret: quę si esset ꝓbata, deberet legitima reputari. nō n. sufficit in tali appellatiōe dicere ad hoc vt legitima reputet̄, ꝙ papa est hęreticus; sed oportet exprimere, in quo est hæreticus

puta quod est hæreticus, quia pertinaciter docet aut tenet fidem Christianam non esse veram, aut Christum non descendisse de Dauid, aut in Christo non fuisse duas substantias, aut aliquid huiusmodi, quod fidei obuiat orthodoxæ.

CAP. XIX.

In quo probatur, quod à papa hæretico in aliquo casu liceat appellare, 13. rationibus. & nota quod propter illum terminium licet mouentur plures difficultates infra capitulo 23. & sequentibus usque ad 28.

DISCIP. Modum ponendi illorum aliqualiter incipio aduertere: tamen vt eum magis intelligam, primo probare coneris, quod à papa hæretico in aliquo casu liceat appellare. & postea de eadem materia plura interrogabo. MAGIST. Quia manifesta (sed aliqui de eis dubitauerunt) sunt primo probanda, vt per ipsa ad ignototorum perueniatur noticiam: ideo primo (supposito casu apertissimo) ostenditur, quod à papa hæretico liceat appellare. DISCIP. Pone casum tuum possibilem. MAGIST. Ponitur quod aliquis accuset alium coram papa, quod est hæreticus eo quod tenet & asserit, fidem Christianam falsam & legem Saracenorum esse tenendam, & Christum falsum fuisse prophetam & damnandum. quo accusato & lite contestata papa proferret sententiam diffinitiuam, quod accusatus non est hæreticus, quia omnia prædicta, quæ dicit & asserit, continent veritatem. DISCIP. Quamuis iste casus nunquam contigerit, & nunquam forte eueniet; tamen durum mihi videtur asserere, quod sit impossibilis. nam apparet, quod neq; ex scriptura diuina, nec ex doctrina ecclesiæ potest ostendi aperte, quod nullus papa futurus erit Antichristus: quod etiam de tribu Dan (de qua nonnulli Antichristum æstimãt nasciturum) multi forte Christiani mediantibus parentibus diuersis ad fidem traxerunt iam dudum originem, de quibus posset procreari Antichristus. Et adhuc posset forte de illa tribu aliquis fidem Christianam suscipere, de quo possit nasci filius, qui primo valeret eligi in summum pontificem: & postea posset se patẽter ostendere Antichristum. & ita nescitur, an aliquis Christianus futurus papa de tribu Dan tracturus originem erit Antichristus. constat autem, quod Antichristus manifeste docebit, quod lex Christianorum est falsa; & quod Christus fuit falsus propheta. casus autem prædictus non videtur impossibilis. quia nescitur quod nullus papa futurus sectam Saracenorum accipiet. posset enim accidere, quod papa, qui fuisset primo catholicus, inciperet reputare sectam Saracenorum esse meliorem lege Christianorum; qui tantam posset cõtrahere primo amicitiam occultam cum Saracenis, quod eorum potentia ad se vocata auderet patenter asserere, legem Christianam esse falsam & iniquam, & ad legem Saracenorum sumendam cogere Christianos. Cum autem constet, Christianos clericos & religiosos ad sectam Sarracenorum fuisse conuersos, non videtur quin etiam posset papa ad tantam infamiam deuenire. Cum enim papa non sit confirmatus in fide, sicut nec cæteri: ideo quantum ad possibilitatem conuertendi se ad Sarracenos de ipso & de aliis idem videtur esse tenendum. Posito ergo casu prædicto pro assertione præfata satagas allegare. MAG. Quod à papa prædicto modo hæretico liceat appellare, multis modis ostenditur. Primo sic: à papa à iure deposito est licitum pro causa fidei appellare. sed propria diffinitione pronuncians, fidem Christianam esse falsam, & legem Sarracenorum esse tenendam, est de iure depositus. ergo à tali licet appellare. DISCIP. De isto modo, an scil. papa hæreticus sit ipso iure depositus, post inquiram. ideo aliam rationem inducas. MAG. Secunda ratio talis est. ab omni iudice vel pro iudice se gerente, qui iudicem habet superiorem, licet contra iniquam sentẽtiam ipsius appellare. sed papa diffinitiue pronunciãs legem Christianorum esse falsam habet iudicem superiorem. ergo à tali papa licet appellare. Maior ostenditur auctoritate Iulii papæ, quæ ponitur. 2. *q. 6. c. placuit*, qui ait: *placuit vt à quibuscunq; iudicibus ecclesiasticis, ad alios iudices ecclesiasticos, vbi maior est auctoritas (si prouocatum fuerit) audientia non negetur*. Ex quibus verbis colligitur, ꝙ à minori auctoritate ad maiorẽ appellare licet. minor probatur: tum quia omnis hæreticus habet iudicẽ superiorem, cum sit minor omni catholico. 24. *q. 1. si autẽ*. Tũ quia vniuersalis ecclesia est maior papa, sicut orbis est maior vrbe, *di. 93. c. legimus*. tum ꝗa conciliũ generale est supra papã, vt notatur in Glos. *di. 19. Anastasius*. Tertio sic: ab illo licet pro causa fidei appellare, qui nec iudex, nec testis, nec accusator in causa fidei vel alia esse potest. hoc patet, quia ab illo, qui se gerit pro iudice, & tñ iudex esse nõ potest, licet appellare. sed papa ꝓnuncians legẽ esse falsam, nõ potest esse iudex, nec testis, nec accusator, quia est hæreticus. hæretici autem iudices esse nõ possunt, cum nihil habẽt potestatis, aut iuris, *24. q. 1. c. dicimus*. nec possunt esse testes, *ext. de hæret. c. 1*. nec possunt esse accusatores. *2. q. 7. ca. alieni. & c. pagani. & c. nõ potest*. ergo à papa pronunciante legẽ in Christianam esse falsam, appellare licet. Quarto sic: ab omni apostata, qui se pro iudice in causa fidei gerit, licet appellare, saltem si aliter causa fidei vitiata subleuari nõ potest. sed papa diffinitiue pronuncians fidem Christianã esse falsam, est manifestus apostata à fide Christiana. ergo si gerit se pro iudice in causa fidei, licet appellare ab ipso. Quinto sic: omnis causa vitiata est per appellationis remediũ subleuanda, teste Fabiano papa, qui, vt habetur *2. q. 6. c.* ait: *licet appellare & vitiatam causam appellationis remedio subleuare*. & ca. licet, ait: *licet in criminalib. causis appellare: nec vox appellandi denegetur ei, quẽ in supplicio destinauerit sententia*. sed papa diffinitiue pronunciante pro reo legẽ Christianam esse falsam, causa fidei est apertissime vitiata. ergo licet actori in tali iniqua sententia lata contra fidem catholicam appellare.

DISCIP.

DISC. Per istam rationem liceret à papa pro quacunq; sententia in aliis causis, quam in causa fidei appellare, si omnis causa viciata per appellationis remediũ poterit subleuari. MAG. Respondetur q̃ omnis causa vitiata per appellationis remedium poterit subleuari, quando ferens iniquã sententiam habet iudicem superiorẽ. ergo &c. DISC. Video quod hæc ratio fundatur in aliis rationibus vnde alias rationes adducas. MAG. Sexta ratio talis est. ab eo est licitum p̄ causa hæresis appellare, qui potest de hæresi accusari. sed papa potest de hæresi accusari. ergo licet à papa pro hæresi appellare. DISC. Ista ratio æqualiter probat, quod à papa licet pro omni hæresi appellare, & non solũ in casu prædicto. MAG. Omnes rationes allegatæ & allegandæ secundum rei veritatem concludunt, q̀ à papa hæretico licet appellare, qualicunq; hæresi fuerit maculatus. vnde ille casus non est positus, nisi vt rationes potentiores & probabiliores videantur. DISC. Alias rationes adducas. MAG. Septima ratio talis est. ab illo licet appellare, à cuius obedientia licet recedere. sed ab obedientia & à cõmunione papæ hæretici pronunciantis legem Christianam esse falsam, licet recedere, exemplo illorum Romanorũ, q̀ pro minori excessu, q̃ pro fautoria hæreticorum damnatorum à communione & ab obedientia Anastasii etiam laudabiliter sese abegerunt, vt habetur di. 19. *Anastasius.* ergo à papa pronunciante diffinitiue legem Christianam esse falsam, licet appellare. Octauo sic: ab illa sententia licet appellare, quam licet publice impugnare: quia appellare videtur esse quidam modus specialis impugnandi iniquam sententiam. sed sententiam papæ pronunciantis fidem Christianam esse falsam, & Christum fuisse falsum prophetam, licet illi, contrà quem lata est sententia, sicut & omnibus Christianis, publice impugnare. sicut enim omnibus licet publice confiteri Christum, ipso dicente Matt. 10. *omnis ergo qui confitebitur me coram omnibus hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis est:* sic licet oẽs blasphemos Christi impugnare. papa autem pronuncians legem Christi esse falsam, & Christum falsum fuisse prophetam, est blasphemus Christi, ergo licet cuilibet ipsum impugnare; & per consequens licet ab ipso appellare. Nono sic: ab illo appellare licet, si in causa fidei se pro iudice gesserit, qui in causa fidei iudex esse non debet. sed papa diffinitiue pronuncians Christum falsum fuisse prophetam, nullã debet exercere potentiam in Christianos. Ergo ab eo licet appellare. Maior videtur certa. minor probatur: Quia nullus blasphemus Christi debet exercere potestatem in Christianos, teste Inno. tertio, qui in concilio generali, vt habetur *ext. de Iudæis, cum sit,* ait: *cum sit nimis absurdum, vt blasphemus Christi in Christianos vim potestatis exerceat* &c. sed papa diffinitiue pronuncians Christum fuisse falsum prophetam, est blasphemus Christi. ergo in Christianos vim potestatis exercere nõ debet. DISC. Ista ratio non videtur concludere, quia Inno. tertius loquitur de Iudæis. Papa autem, licet p̄nunciaret Christum falsum fuisse prophetam, non esset propter hoc Iudæus. ergo per dictum ca. non potest p̄bari, q̀ non possit in Christianos vim potestatis exercere, quamdiu ab ecclesia toleratur. MAG. Hæc tua responsio p̄ hoc excluditur, quod licet Inno. loquitur in illo capit. de Iudæis, statuens q̀ eis officia publica nullatenus committantur. Statuti tamen sui rationem assignans asserit manifeste, q̀ nullus blasphemus Dei, seu Christi, debet in Christianos vim potestatis exercere. & q̀ ideo Iudæis non sunt officia publica committenda. vbi autem est eadem ratio, debet esse idem ius. cum ergo papa diffinitiue pronuncians Christum fuisse falsum prophetam, sit manifeste blasphemus Christi: sequitur euidenter, q̀ sicut Iudæi propter hoc, quod sunt blasphemi Christi, non debent in Christianos vim potestatis exercere, ita papa diffinitiue Christum pronuncians falsum prophetam fuisse, propter hoc quod est blasphemus Christi, non debet in Christianos vim potestatis exercere. Decimo sic: ab illo in causa hæresis licite appellatur, si se gerit pro iudice, & iniquã profert sententiam contra fidem, ad quem in causa fidei non licet prouocare. quia ad illum se gerentem pro iudice licite prouocatur, quod ab aliquo appellare non licet. sed ad papam diffinitiuè pronunciantem legem Christi esse falsam, & legem Sarracenorum esse tenendam, nequaq̃ licite prouocatur, cum sint alterius fidei, quam catholici: ad iudicium autem hominis alterius fidei catholicis prouocare non licet, testante consilio Carthaginen. vt habetur 2. q. 6. ca. catholicus: *catholicus, qui causam suam siue iustam siue iniustam ad iudicium alterius iudicis prouocat, excommunicetur.* ergo ad papam pronunciantem diffinitiue legem Sarracenorum esse tenendam, prouocare non licet, & per consequens licet appellare ab ipso. Vndecimo sic: ab excommunicato pro iudice se gerente licet appellare. sed papa pronuncians diffinitiue fidem Christianam esse falsam, est excommunicatus, sicut & ille, qui incidit in hæresim iam damnatam, teste Glo. 24 *q. 1. c. qui* ait: *hic est casus, in quo papa incidit in canonem latæ sententiæ.* ergo ab ipso appellare licet. Duodecimo sic: contra illam sententiam appellare licet, quæ nec est tenenda, nec est seruanda, nec timenda; quia illa sententia, à qua non licet appellare, est timenda. sed sententia diffinitiua, qua papa pronunciat legem Christianam esse falsam, nec est seruanda, nec est timenda, nec tenenda, quia sententia contra legem diuinam prolata non est timenda: sicut nec aliquod pactum contra leges Dei est tenendum. ergo à tali sententia appellare licet. Tredecimo sic. ab illo est licitum appellare, qui potest licite recusari. sed pronuncians legem Christianorum esse falsam, in omni causa fidei potest licite recusari. talis autem papa Christianorum omnium & totius legis Christianæ esset inimicus manifestus. ergo à tali licet in causa fidei appellare.

Cap. XX.

Adducit instantiam contra conclusionem & casum positum capitulo præcedenti, ad quam datur duplex responsio. prima ponitur in hoc capitulo. secunda vero habetur infra capitulo 28. vbi etiam notā inter respondendum, quod quandoq; in casu licet in causa fidei ad infidelem appellare.

DISCIP. Videtur quod hic argumentis abundas pro assertione prædicta. ideo non multiplices amplius argumenta: sed quomodo ad quandam instantiam, quam faciam contra prædicta secundum assertionem præscriptam, debeat responderi, indicare digneris. Videtur namque quod omnia argumenta nihil concludunt: quia papa pronuncians diffinitiue legem Christianam esse falsam, est inter infideles indubie numerādus. ab infideli autem fideles appellare non debet. Nusquam enim legitur, quod sancti martyres, cum cogerentur negare fidem, ab infidelibus iudicibus appellassent: nec etiam apostoli contra principes sacerdotum, cum protulissent contra fidē sententiam, appellauerunt. ergo à papa pronunciante diffinitiue legem Christianam esse falsam, non debent catholici appellare. MAGIST. Ad istam instantiam potest dari duplex responsio. prima est, quod non est necessarium absolute appellare à papa iniquam contra fidem proferente sententiam: propter quod multi fideles contra infideles & hæreticos minime inueniuntur appellasse. Sed sufficit in multis casibus sententiā papæ vel alterius contra fidem simpliciter impugnare, detestari & horrere. Quemadmodum sancti patres absque appellatione hæreticorum assertiones iniquas per sacras literas impugnarunt. Veruntamē aliquando expedit appellare exemplo beati Pauli, qui ad Cæsarem appellauit. DISCIP. Non videtur, quod beatus Paulus appellauit pro causa fidei, sed pro aliis criminibus, quæ sibi imponebantur mendaciter à Iudæis. ergo per exempla beati Pauli probari non potest, quod expediat pro causa fidei à papa hæretico appellare. MAGIST. Nonnullis apparet, quod beatus Paulus pro causa fidei appellauit, quod ex serie actuum apostolorum videtur posse probari. nam 23. c. act. apostolorum sic legitur scripsisse tribunus Claudius præsidi Felici de Paulo: *virum hunc comprehensum à Iudæis & incipientem interfici ab eis superueniens cum exercitu eripui, cognito quia Romanus est. volensque scire causam, quam obiiciebant illi, deduxi eum in consilium eorum, quem inueni accusari de quæstionibus legis eorum, nihil vero dignum morte, aut vinculis habentem crimen.* Ex quibus verbis colligitur, quod super causa fidei inter Iudæos & Paulum quæstio vertebatur. pro ista autem causa Paulus postea appellauit. ergo super causa fidei appellauit ad Cæsarem. Rursus 24. c. habetur expresse, quod Paulus de causa fidei accusabatur à Iudæis. vnde & orator eorum accusans Paulum dicit: *inuenimus hunc hominem pestiferum & concitantem seditionem omnibus Iudæis in vniuerso orbe, & actorem seditionis secta Nazareorum, qui etiam templum violare conatus est.* Ex quibus verbis apparet, quod Paulus accusabatur de fide. Et quod pro illa causa appellauit, patet. 25. c. sic legatur: *Paulo autem omnibus reddente rationem, quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæsarem quicquam peccaui. Festus autem volens præstare Iudæis gratiam, respondens Paulo dicit: vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? dixit autem Paulus, ad tribunal Cæsaris sto, vbi me oportet iudicari. Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti. si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori: si vero nihil est horum, de quibus hi accusant me, nemo potest illis me donare. Cæsarem appello.* & post Festus loquens de Iudæis accusantibus Paulum, ait: *Cum ergo huc conuenissent sine vlla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali iussit adduci virum, de quo cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum. quæstiones vero quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere. hesitans autem ego de huiusmodi quæstione dicebam, si vellet ire Hierosolymam, & ibi iudicari de istis. Paulo autem appellante, vt seruaretur Augusti cognitioni, iussi seruari eum, donec mittam eum ad Cæsarem.* Ex quibus verbis colliguntur duo. primum, quod pro illa quæstione, quæ vertebatur inter Iudæos & Paulum, Paulus Cæsarem appellauit. Secundum est, quod super fide Christi inter ipsos quæstio vertebatur. Ex quibus sequitur, quod pro causa fidei Paulus Cæsarem appellauit.

Cap. XXI.

Dat instantiam ex dictis in ca. 20. vbi potest inferri, quod ad papam hæreticum possit appellari, ac per consequens ab eo, nemini licet appellare, quod videtur contrarium dictis capitulo 18. huius.

DISCIP. Stuporem mihi prædicta ingerunt vehementem, quia penè incredibile mihi videtur, quod pro causa fidei in quocunque casu ad hominem contrariæ sectæ liceat appellare. & tamen apparenter ostenditur, quod Paulus pro causa fidei Cæsarem, qui erat sectæ contrariæ, appellauit. Ex quo sequi videtur, quod non est inconueniens ad papam hæreticum appellare. & per consequens ab eo appellare non licet; quia pro eadem causa non est ab eodem & ad eundem appellandum. & ita prædictæ assertioni, quæ dicit, quod licet à papa hæretico appellare contrariari videtur. Vnde quomodo ad istam contrarietatem respondere contingat, enarra. MAG.

Pro dissoluenda contrarietate præfata, dicunt quidam esse notandum, quod dupliciter contingit ad aliquẽ pro aliqua causa fidei appellare. Vno quidẽ modo, vt ad eum, qui habet quæstiones motas de fide iuxta sanam doctrinam ex officio terminare. & isto modo ad nullum hominem alterius sectæ, siue fuerit paganus, siue hæreticus, est pro causa fidei appellãdum, quia ad solos summos pontifices catholicos & fideles ac generale concilium catholicorum spectat quęstiones fidei terminare, sicut in sacris canonibus patenter apparet. Aliter contingit aliquem ad alium pro causa fidei appellare, non quidem sicut ad illum, qui habet causas fidei terminare, sed tanquam ad illũ, qui ex officio, vel electione appellantis, aut alio quouis modo potest cognoscere, an appellans debeat pro causa huiusmodi ab æmulis accusari vel in iudicio aliquo appellatus cõueniri. Sic dicũt, ꝙ si aliquis super aliquo dubio fidei (ꝙ non est certum esse hęresis, nec est hæresis damnata explicite, licet sit hæresis damnata implicite) accusaretur corã episcopo, talis pro quæstione huiusmodi posset ad metropolitanũ appellare. Non quidem tanq̃ ad illum, qui habet tale dubium diffinire, sed tanquam ad illum, ad quem spectat scire & iudicare, ꝙ talis quæstio non per episcopum, nec per metropolitanum debet determinari: sed ꝙ est summo pontifici, vel generali cõcilio reseruanda. Per prædicta supradicta contrarietas dissoluitur, quia ꝓ causa fidei in nullo casu est ad hominem sectæ contrariæ appellandum, tanquam ad illum, qui quæstionem fidei habeat diffinire. nec isto modo Paulus Cæsarem appellauit. sciebat n. ꝙ Cæsar fidem Pauli falsissimam reputabat. Aliquando tamen licuit pro causa fidei ad hominẽ sectæ alterius appellare, tanquã ad illum, qui ex officio vel electione appellantis, vel alio quouis modo cognoscere potuit, quod iudices sui de quæstione fidei se intromittere minime debuerunt. & hoc modo Paulus ad Cæsarem appellauit. Sciebat enim Paulus, quod nulla ꝑsecutio adhuc per Romanos aut Cæsarem fuerat contra Christianos excitata. & ideo sciebat, quod iudices Cæsaris de tali quæstione secundum leges Cæsaris se intromittere nõ debebant. propter ꝙ, vt habetur *Act.18.* Galio proconsul Achayæ, cum Paulus sibi accusaretur à Iudæis, quod contra legem persuaderet colere Deum, accusationem eius audire nolebat, dicens: *siquidem iniquum aliquid aut facinus pessimum, ô viri Iudæi, recte vos sustinerem. si verò quæstiones sunt de verbo & nominib. legis vestræ, vosipsi videritis. iudex horum verborum nolo esse. & minauit eos à tribunali.* Ex quibus verbis colligitur, quod iudices missi ad Cęsarem de his, quę pertinebant ad legẽ, iudicandi potestatem minime habuerunt. vnde & Pilatus, sicut euangelica patefacit historia, ꝓpter nullã accusationẽ, quæ de lege deferebatur contra ipsum, reputauit se iudicare debere Christum. sicut etiam ex actib. apostolorum. c. 23. 25. & 26 tribunus Lysias, Felix præses, Festus præses, & rex Agrippa, propter illa, quæ obiiciebantur contra Paulum de lege & de doctrina Pauli iudicabant illum minime puniendum. Paulus ergo sciens, quod talis quęstio etiam secundum leges & consuetudines Romanorum ad iudices & publicas potestates inferiores Cæsaris nullatenus pertinebat, Cæsarem appellauit, tanquam ad illum, qui iudicaret talem quæstionem ad iudices, coram quibus Paulus fuerat accusatus, minime pertinere.

CAP. XXII.

In quo ponuntur quatuor obiectiones siue instantiæ contra ea, quæ dicta sunt in responsione capituli præcedentis ad obiectionem ibi factam.

DISCIP. Contrà prædicta quatuor mihi obiectiones occurrunt. Primo, quibusdam videtur, quod ex quo præses Festus sciebat, quod talis quæstio ad illum non spectabat, non oportuit propter hoc Paulum appellare ab ipso; quia appellatio vel est à grauamine, vel est à sententia. Paulus autem non appellauit à sententia Festi, quia nullam tulit: nec à grauamine, quia nullum volebat inferre. nam si Paulus non appellasset, volebat ipsum dimittere. Secundo videtur, quod Paulus non debuit Cæsarem appellare; quia sciebat ipsum inimicum fidei suæ, & ꝙ sententiam daret contra Paulum. Tertio apparet, quod Paulus facto mentiebatur recognoscendo Cæsarem iudicem suum; cum tñ pręsertim in causa fidei non fuerit iudex suus, nec superior. Quarto videtur, ꝙ ad hominem alterius sectæ liceat appellare, tanquã ad illum qui possit quęstionẽ fidei terminare, & distinguere, vel diffinire. Nam ad illum licet pro causa fidei illo modo appellare, qui potest esse iudex in causa fidei habens potestatem diffiniendi, quod pertinet ad veritatem fidei orthodoxæ. sed hoc potest homo alterius sectæ. nam sicut patet in li. *de altercatione Athanasii contra Arrium*, Athanasius & æmuli sui paganum in iudicem pro causa fidei elegerunt. ergo & ad hominem alterius sectæ est licitum pro causa fidei appellare. hæc sunt, quæ mouent me contra prædicta. tu autem aperi, quomodo respondetur ad illa. MAG. Ad primam obiectionem respondetur, quod Paulus appellauit à Festo ad Cæsarem propter grauamina, quæ timebat. timuit enim, quod quemadmodum Pilatus quamuis nullam caussam mortis reputaret in Christo, tamen tradidit Iudæis crucifigendum, ita Festus traderet Paulum Iudæis accusantibus occidendum; quamuis putaret ipsum Paulum crimen dignum morte nullatenus commisisse. quod Paulus aperte insinuat dicens Festo: *si vero nihil est eorum, de quibus hi accusant me, nemo potest me illis dare: Cæsarem appello.* DISCIP. Vnde timuit Paulus, quod Festus volebat eum tradere Iudæis. MAGIST.

MAGIST. Ex hoc, quod interrogauit Paulum, an vellet ascendere Hierosolymam, & iudicium subire apud ipsum de impositis, & ex hoc quod fauorabilis esset Iudæis accusantibus Paulum. ex hoc enim ipso, quod volebat Festus se intromittere de quæstione, quæ ad ipsum etiam secundum leges & consuetudines Romanorum minime pertinebat, ipsum suspectum habebat. & ideo appellauit: quamuis etiam aliud motiuum habuit appellandi, vt scil. per appellationem liberatus à persecutione Iudæorum in Iudæa, deduceretur Romam, vt ibi euangelium prædicaret iuxta præceptum Christi, vt apparet act. 23. demandatis & dicentis: *constans esto Paule. sicut enim testificatus es de me in Hierusalem, sic oportet etiam te Romæ testificari.* Ad secundam obiectionem dicitur, quod Paulus nesciuit Cæsarem manifestum inimicum doctrinæ suæ, quia nondum Cæsar persecutus fuerat Christianos. esto etiam, quod sciuisset eum inimicum, potuisset Cæsarem appellare: quia ex causa rationabili licet ad inimicum appellare. sicut etiam licet alicui ex causa se iudicio inimici submittere. Paulus ergo volens à Iudæis liberari, & Romam ad euangelium prædicandum adduci, appellauit. & licet sciuisset Cæsarem fidei inimicum, appellasset. Ad tertiam respondetur dupliciter. vno modo, quod Paulus erat inferior Cæsare, & Cæsar erat iudex suus ordinarius. Aliter dicitur, quod licet Cæsar non fuerit iudex ordinarius Pauli, tamen Paulus potuit se submittere iudicio Cæsaris, quemadmodum papa potest se submittere iudicio subditi sui. *2. q. 7. nos.* & ideo Paulus appellando Cæsarem, submittit se iudicio Cæsaris, quod sibi licitum erat ex causa rationabili. DISCIP. Quomodo licuit Paulo se submittere iudicio Cæsaris infidelis, cum non liceat clericos se submittere iudicio secularium potestatum fidelium. MAGIST. Respondetur, quod quamuis hoc non liceat clericis in multis causis se submittere iudicio secularium potestatum, non tamen est ex lege diuina, nec ex ordinatione Christi, neque ex lege naturæ: sed ex iure positiuo humano, ad quod ius Paulus minime tenebatur respondere: quia nec tunc extitit introductum, & ideo sibi licuit se iudicio Cæsaris submittere. quod fecit de facto, Cæsarem appellando. Ad quartam respondetur, quod dupliciter aliquis potest esse iudex in causa fidei. vno modo est aliquis ordinarius iudex in causa fidei habens ex officio potestatem quæstiones fidei terminandi. & ad talem iudicem licet pro causa fidei appellare. sed talis iudex in causa fidei non potest esse alterius sectæ. Alio modo potest esse alius iudex quasi arbiter electus. & hoc contingit dupliciter: quia dupliciter contingit committere in aliquem super causa fidei: vel scilicet promittendo, quod illud tenebitur, quod ipse secundum conscientiam suam reputauit firmiter esse tenendum: vel quod illud tenebitur, quod ipse iudicauit consonum esse fidei Christianæ. primo modo liceret compromittere in aliquem infidelem, si nulla humana constitutio obuiaret.. Secundo modo licuit compromittere aliquando in aliquem infidelem: sicut Athanasius & hæretici sui æmuli in quendam paganum industrem & literatum promiserunt, promittendo scilicet quod illud tenerent, quod ipse iudicaret esse consonum fidei Christianæ. qui auditis allegationibus vtriusque partis pro Athanasio tulit sententiam, diffiniendo videlicet quod assertio Athanasii erat consona, & necessario sequebatur ex libris Christianorum, quos tam Athanasius quam sui aduersarii receperunt, quamuis ipse iudex ipsos nullo modo susciperet. DISCIP. Videtur quod Athanasius compromittendo in paganum peccauit mortaliter, se videlicet obligando ad hæresim sustinendam, si ipse paganus dedisset sententiam, quod assertio hæreticorum erat consona fidei Christianæ. MAGIST. Respondetur quod Athanasius non peccauit: quia licet promitteret stare sententiæ pagani prædicti, non tamen promisit stare iniquæ sententiæ eius. & ideo non se obligauit ad hæresim sustinendam, si diffinisset assertionem hæreticorum fuisse consonam fidei Christianæ. quia iniquum arbitrium nullatenus est seruandum, *ext. de arbi. c. non sum. & c. exposita.* in tali enim promisso subintelligenda est talis ordinatio, licet non exprimatur, nisi arbiter fuerit arbitratus inique. DISCIP. Videtur quod Athanasius non debuit compromittere in paganum super quæstione fidei, cum secundum iura canonica etiam super rebus spiritualibus non liceat compromittere in laicum, *ext. de arbi. c. contingit.* MAG. Respondetur ꝙ de rebus spiritualibus nō potest cōpromitti in laicū ex ordinatione ecclesię; & nō ex lege diuina. & Athanasius licite in paganū compromisit, quia tunc non erat ꝓhibitum. DISC. Miror ꝙ Athanasius voluit cōpromittere in paganū, cum pagani nequeāt esse testes contra Christianos. MAG. Respondetur ꝙ ecclesia, postquā habuit fauorē imperatorū & regum, multa statuit contra paganos, quę nec ex lege diuina nec ex ordinatione Christi erant antea cōstituta. & ideo multa sunt modo illicita, quę tunc licita erant. tunc n. licitū erat sub imperatore apostata militare. vnde & multi sancti martyres & alii Christiani sub Iuliano apostata militabant, & sibi in his, quę nō erant contra legē diuinā, obedierunt sine peccato. nunc tñ nulli Christiano licet sub imperatore apostata militare. sic nunc esset illicitū de fide, cōpromittere in paganū: tēpore autē Athanasii non erat illicitū. DISC. Quę vtilitas fuit, ꝙ Athanasius cōpromisit in paganū. MAG. Respondetur ꝙ multiplex fuit vtilitas: quia catholici post sententiā pagani ꝓ Athanasio fidē poterāt liberius ꝑdicare; & hęretici multorū amiserūt fauorē. vnde a. hoc accidit, gesta illorū temporū te poterūt edocere. DISC. Videtur ꝙ Athanasius cōpromittendo se in paganū, fidē catholicam magno periculo exponebat: ꝙ tñ debuit euitare. MAG. Respond. ꝙ Athanasius periculo ꝓbabili se minime exponebat. sciebat n. paganum illū virū esse magnę fidelitatis & cōstantię, ac eximię intelligētię cōtra ordinē assertionū, quarum vna sequitur ex alia; & ēt repugnantiā assertionū, quarū vna alteri aduersabatur, sciebat aduertere. & ideo Athanasius sciens prędictum paganum virtutib. politicis & rationali scientia illustratum,

ipsius

ipsius iudicio modo prædicto absque periculo probabili se committit; licet non absque omni periculo qualitercunque possibili. periculum autem qualitercunque possibile, nullus vitare tenetur, quia per hoc à bonis impediretur permaximis. esset enim similis illi, de quo dicit Sapi. Ecclesiast. primo, Qui obseruat ventum, non seminat; & qui considerat nubes, nunquam metet, &c.

Cap. XXIII.

Vbi quæritur, quare potius dicatur in positione eorum, qui ponunt quod à Papa causa hæresis interiecta liceat seu expediat appellare, cuius assignantur tres rationes.

Discip. Ad principalem responsionem, quam dedisti ad instantiam meam, quod non est appellandum à Papa pronunciante diffinitiue legem Christianam esse falsam, nolo redire, nec eam magis discutere. Cupio ergo audire, quare assertores prædicti asserunt expedire, quod a tali sententia Papę hæretici appelletur. Mag. Huius dicti inter alias rationes tres assignantur: Prima est: vt contra sententiam iniquam in causa fidei adhibeatur remedium; quod consueuit contra iniquas alias sententias adhiberi. Secunda est: vt cum manifesta solennitate iniqua sententia contra fidem prolata catholicam impugnetur. Tertia est: vt satisfaciat simplicibus & iuristis, qui forte non crederent aliquem posse licite impugnare sententiam iniquam contra fidem, & huius impugnantem esse a catholicis defendendum, nisi contra eadem appellaret.

Cap. XXIV.

In quo inuestigatur, quare dicatur in conclusione, quod licet seu expedit, quæ posita est c. 18. vbi probatur quod non sit necessarium à tali sententia in qua appellare, & probatur quinque rationibus, ad quas respondetur infra capitulo 29.

Discip. Intelligo rationes, quas isti dicunt, quod nonnunquam expedit a tali sententia appellare: sed nescio motiua eorum, quare dicunt quod non est absolute necessarium a tali sententia appellare. ideo qua ratione mouentur, enarra. Mag. Quod non sit absolute necessarium a tali sententia iniqua appellare, seruando scilicet formam & puncta, quæ in appellationibus secundum iura humana oportet obseruare, sic ostendunt. non magis est necessarium appellare a sententia prolata contra legem Dei & fidem Christianam; quam a sententia prolata contra canones & leges humanas. sed a sententia prolata contra canones & leges humanas non est necessarium appellare, teste Gregorio nono, qui, vt habetur extra de sen. & re iudic. c. 1. ait: sententia contra canones legesve prolata (licet non sit appellatione suspensa) non potest subsistere ipso iure. Vbi dicit Gloss. sententia lata contra leges. i. e. ius constitutionis, ita quod sententia exprimatur nulla est ipso iure, & citra appellationem rescinditur. ergo multo magis sententia lata contra fidem nulla est ipso iure absque omni appellatione. ergo non est necesse absolute appellare a sententia lata contra fidem catholicam. Secundo sic: a sententia, quæ non potest transire in rem iudicatam, nec valet firmitatem sententiæ obtinere, non est absolute necessarium appellare. hæc enim ratio assignatur in decretis. 2. quæst. 6. c. si quis. §. diffinitiuas, quare a pluribus sententiis non est necesse appellare, vbi sic habet. Si sententia lata fuerit contra res prius inductas, à quibus prouocatum non est, sententiæ auctoritatem non obtinebit. & ideo appellare non est necesse. & ita si plures iudices dati fuerunt, & vnus tantum ex eis pronunciasse proponitur, non videtur appellandi necessitas fuisse, cum sententia firmitatem iuris non contineat. Ex quibus verbis colligitur, quod à sententia, quæ non potest transire in rem iudicatam, nec valet firmitatem sententiæ obtinere, non est necesse appellare. sed sententia lata contra fidem non potest transire in rem iudicatam, nec valet auctoritatem seu firmitatem sententiæ obtinere. ergo ab illa non est necessarium appellare. Tertio sic: In nulla causa, contra quam nulla præscriptio currere potest, est necesse appellare ab iniqua sententia. sed contra fidem nulla præscriptio currere potest, quin sententia lata contra fidem catholicam reuocetur, quandocunque veritas fuerit manifestata: quia omne, quod est fidei contrarium orthodoxæ, vanum & irritum est habendum. ergo à sententia lata contra fidem non est necesse appellare.

Quarto sic: Iniqua sententia lata contra fidem non potest esse magis priuilegiata, quam sententia lata contra matrimonium. sed sententia lata contra matrimonium, tale priuilegium obtinet, vt ab ea appellare non sit necesse: quia à sententia lata contra matrimonium, licet non sit appellatum, ipsa tamen reuocanda est, quandocunque ostensum fuerit fuisse iniquam, secundum quod colligitur manifeste ex canonibus sacris, extra de sent. & re iudic. c. lator. & c. consanguinei, & quamplurimis aliis. hic Gloss. c. prædicto lator, notat dicens: contra matrimonium non currit præscriptio. 35. q. 5. quando patri; etiam si ab illa sententia non fuerit appellatum, quia sententia lata contra matrimonium non transit in rem iudicatam, quin reuocetur quandocunq; fuerit error detectus. ergo multo magis à sententia lata contra catholicam fidem non est necesse appellare. Quinto sic: causa fidei est magis fauorabilis: & per consequens priuilegiis debet gaudere maioribus,

bus, quam causæ matrimonii & nonnullæ ciuiles. sed nonnullæ causæ ciuiles tali priuilegio gaudent; quod non est necesse ab iniqua sententia appellare. ergo multo magis causa fidei tali debet gaudere priuilegio, vt ab iniqua sententia contra fidem non sit appellare necesse.

Cap. XXV.

Inquirit circa supradicta in modo dicendi de appellatione, scil. quare modificatur conclusio, quod non sit necesse appellare secundum formam iuris. vbi etiam distinguitur de appellatione lata contra fidem. ad formam vero quæstionis respondetur infra capitulo 27. huius.

DISCIP. Rationes aduerto, quare dicitur, quod non est absolute necessarium appellare à sententia lata contra fidem. Sed ignoro, quare ista assertio taliter modificatur; non est necesse appellare seruando formam & puncta, quæ in appellationibus secundum iura humana oportet seruare. vnde rationem istius modificationis assigna. MAG. Ad intelligendum illud, quod quæris, distinguitur, quia appellatio lata contra fidem quadrupliciter accipitur. Primo accipitur pro libello continente formam appellationis, quæ communiter consueuit in aliis appellationibus obseruari, notante videlicet personam appellantem, & contra quam appellat, & causam pro qua appellatur, vel sententiam à qua appellatur, & tempus quo appellatur, etiam alias circumstantias, quæ ad appellationis formam debitam requiruntur.

Secundo modo accipitur appellatio pro voce, qua quis absolute in præsentia iudicis dicit, appello. vnde Gloss. 2. quæst. 6. cap. potest appellatione, §. formam appellationis, dicens: si coram iudice appellat, sufficit si dicat, appello.

Tertio modo accipitur appellatio pro impugnatione iniquę sententiæ latæ contra fidem. & sic quicunque impugnaret sententiam Papæ latam contra fidem, intelligitur appellare ab eodem, licet non diceretur, appello. Quarto modo potest dici appellatio à sententia Papæ lata contra fidem, omne factum, quo patiens se ostendit Papæ sententiam reprobare, detestari, seu horrere. & illo modo clerici Romani, qui se à communione Anastasii, etiam de quo habetur dist. 19. Anastasius, abegerunt, dici poterant appellatores, quia facto ipsum tanquam hæreticum reprobauerunt.

DISCIP. Duo prima membra istius distinctionis intelligo. Sed alia duo non videntur conuenienter assignari: quia secundum tertium membrum omnis impugnans verbo alicuius iudicis sententiam diceretur appellare ab eodem, quod nullam verisimilitudinem habet. Secundum quartum vero membrum inobediens sententiæ iudicis absque omni verbo appellandi diceretur appellans. MAG. Ad hoc soluendum dicitur esse notandum: quod secundum iura dupliciter appellare contingit; scilicet verbo & facto. Quod verbo appellare contingit, tu concedis. quod etiam facto valeat quis appellare, asserit Innoc. tertius manifeste, qui, vt habetur extra, de appella. c. dilecti, ait: cum autem plus sit ad sedem apostolicam facto prouocare, quam verbo, &c. vbi dicit Gloss. plus est factis demonstrare, quam verbis dicere. & Gloss. 5. q. 3. c. æstimant, ait: ipso facto appellamus. ex quibus verbis patet, quod quartum membrum est congrue assignatum, quia scil. facto contingit appellare à sententia Papæ lata contra fidem. non autem aliter contingit appellare à sententia Papæ lata contra fidem, nisi facto ostendendo, quod talis sententia est tanquam hæretica computanda. ergo ille quartus modus appellandi congrue assignatur. ex isto modo patet etiam, quod tertius modus etiam congrue assignatur. quia vel plus vel non minus est manifeste & constanter asserere viua voce vel scripto sententiam Papæ esse hæreticam. sed, sicut ostensum est, qui facto insinuat sententiam esse hæreticam, facto intelligitur appellare. ergo & qui verbo vel scripto sententiam Papæ tanquam hæreticam constanter impugnat, intelligitur appellare, licet verba non scribat vel proferat appellandi. DISCIP. Dic quomodo ad ista inconuenientia (quę intuli) respondetur.

MAG. Vt responsiones ad illa percipias, duo dicuntur esse notanda. Primum est, quod sicut cuilibet Christiano interest sententiam Papæ latam contra fidem catholicam detestari, impugnare, reprobare & horrere: ita & cuilibet Christiano licet (si voluerit) ab iniqua sententia Papæ contra fidem catholicam lata appellare, primo & secundo modo accepta appellatione: quia ab iniqua sententia Papæ quilibet potest (cuius interest) appellare. Secundo dicitur esse notandum, quod quia papale officium dicitur esse supremum in ecclesia, nec est aliquis qui ex officio sit vero Papa superior in spiritualibus, ideo quando Papa profert sententiam contra fidem, subtilitates iuris, quæ cõtra prælatos inferiores proferentes sententiam contra fidem seruant, non sunt stricte seruandæ: nec et litera legum ciuiliũ & canonicorum in hoc casu est omnino seruanda. sed oportet ad legẽ diuinã & rationem naturalem, ac intentionẽ legislatoris, & ad legem quam instituisset (si legem specialem de Papa proferente sententiam contra fidem cõstituisset) recurrere. Propter hoc respondendũ ad primũ inconueniens: quia non omnis impugnans verbo alicuius iudicis sententiam dicere debet appello: tum quia non cuiuslibet interest appellare à sententia iudicis vel etiam reprobare: quia de modo appellandi à sententiis iudicis inferioris, sunt positæ leges expressæ. & ideo qui in talibus non seruat huiusmodi leges, non intelligitur appellare: secus est de omni Christiano impugnante absque verbo appellandi sententiam Papæ cõtra fidem. tum quia cuilibet Christiano

licet

no licet (si voluerit) à tali sententia appellare, quia talis sententia est præiudicialis omni catholico & ideo sua interest sententiam talem impugnare & per consequens sibi licet, si voluerit, à tali sententia appellare, exprimendo vocabulum appellandi. tum quia de modo appellandi à sententia Papæ contra fidem non sunt leges speciales institutæ: imo secundum leges à tali sententia, cum in rem iudicatam transire non valeat, non est necesse appellare. & ideo quicunque sententiam Papæ contra fidem latam verbo vel scripto constanter impugnat absque verbo appellandi, intelligitur appellare tertio modo: & tantum valet secundum rem, ac si verbum appellandi proferret. Per prædicta etiam patet ad secundum inconueniens, quod intulisti. quia inobediens sententiæ iudicis inferioris verbum appellandi nequaquam omittens non intelligitur facto appellare, quia cautum est in iure, quod in hoc casu ad hoc, quod aliquis intelligitur appellans, oportet quod infra certum tempus viua voce, vel scripto cum debitis circumstantiis vocem appellationis adhibeat. sed de modo appellãdi à sententia hæreticali Papæ, nihil est in iure statutum. Et ideo eo ipso, quod quis facto ostendit se reprobare sententiam Papæ tanquam hæreticam, facto intelligitur appellare.

Cap. XXVI.

Assignat duas rationes, quare non sit assignatum aliquod speciale statutum in iure de modo appellandi à sententia Papæ hæreticali, & assignantur duæ causæ.

Discip. Quare non est aliquod speciale statutum in iure de modo appellandi à sententia Papæ hæreticali. Mag. Huius duæ assignantur causæ. Prima est: quia non est necesse à tali sententia appellare, primo modo vel secundo accepto vocabulo appellationis, eo quod talis sententia in rem iudicatam transire non potest. Secunda, quia leges fiunt ex his, quæ sæpius accidunt. raro autem accidit Papam ferre sententiam hæreticalem. ideo non est necesse de hoc legem statuere.

Discip. Leges generaliter factæ sunt de modo appellandi. quare ergo non sunt illæ leges seruandæ, cum quis vult à sententia Papæ hæretici appellare.

Mag. Ad hoc responsum est prius. dictum enim est, quod quia verus Papa non habet superiorem in terris: ideo cum sententiat contra fidem, non est necesse regulas generales de appellationibus datas seruare. hoc enim posset in periculum fidei redundare.

Discip. Videtur quod regulæ datæ de appellationibus strictius sunt seruandæ, cum quis vult à Papa appellare, quam si vult ab alio appellare. quia maior reuerentia adhibenda est Papæ, quam aliis inferioribus. ergo regulæ quæ possunt derogari honori Papæ, strictissime sunt seruandæ, eo quod nullus debet gaudere maiori priuilegio, quam Papa.

Mag. Respondetur, quod leges canonicæ & ciuiles secundum diuersitatem causarum, personarum, temporum & periculi quod imminet, ac etiam circa alias circumstantias sunt magis stricte vel minus stricte seruandæ, vel penitus non seruandæ. & ideo quia Papa ferens sententiam contra fidem, grauius peccat quam alius: quia peccatum ex dignitate augetur. facilius est etiam habere iusticiam de inferiori, quam de Papa, si tulerit contra fidem sententiam. maius etiam periculum imminet omnibus Christianis ex sententia hæreticali Papæ. ideo si quis voluerit in communi forma à tali Papæ sententia appellare in fauorem fidei, cui magis fauendum est quam Papæ, minus attandus est ad formam appellationis, quam si à sententia iudicis inferioris duxerit appellandum. vnde in hoc casu in fauorem fidei, quantum ad multa, minor reuerentia est exhibenda Papæ, & minori priuilegio debet gaudere. quemadmodum si accusetur, minori priuilegio gaudet, quam nonnulli alii præsules, quia, vt habetur. 2. quæst. 4. c. præsul, præsul nonnisi. 72. testibus debet damnari. Papa autem tali priuilegio minime gaudet, teste Gloss. ibidem, quæ ait: nunquid contra Papam duplicabuntur testes: quinimo duo sufficiunt, & in hoc est deterioris conditionis: quia ipse sine comparatione aliorum creatus est. & ideo sine spe veniæ damnandus est, vt diabolus. Ex quibus verbis patet, quod nonnunquam Papa propter crimen ipsius minori priuilegio gaudet, quam inferiores Episcopi. quod præcipue seruandum est, quando ex crimine Papæ maius periculum imminet Christianitati: quod accidit, quando Papa contra fidem profert sententiam.

Cap. XXVII.

In quo ponitur ad longum responsio ad formam quæsiti in 25. capitulo positi.

Discip. Applica supradicta ad interrogationem meam, quare supra dicitur, quod à sententia Papæ hæretici non est necesse appellare, seruando formam & puncta, &c. Mag. Ad interrogationem præpositam taliter applicantur: quod videlicet non est necesse appellare à tali sententia Papæ, primo modo & secundo modo accepto vocabulo appellationis. & propter hoc in assertione prædicta est addita modificatio memorata. necesse tamen est appellare, tertio modo vel

quarto modo, à sententia Papæ hæretica, quando scitur esse hæretica: quia talis sententia est impugnanda, & qui scit eam esse hæreticam, facto debet ostendere, quod reputat eam esse hæreticam.

DISCIP. Nunquid solus ille, contra quem lata est talis sententia, tenetur appellare taliter ab eodem. MAGIST. Respondetur, quod non solus ille, sed quilibet catholicus sciens talem sententiam esse hæreticam, appellare debet: quia aliter esset fautor Papæ hæretici. DISCIP. Nunquid tenetur infra certum tempus taliter appellare, ne sententia transeat in rem iudicatam? MAG. Respondetur, quod non est tempus sibi determinatum: quia non oportet taliter appellare, ne sententia transeat in rem iudicatam; sed ne appellans fauere hæretico videatur.

CAP. XXVIII.

In quo datur secunda responsio ad instantiam factam in cap. 20. contra argumenta facta in cap. 19. vbi notatur quod necessaria sit appellatio à sententia Papæ hæretici sub forma communi, etiam infra tempus à iure statutum, quod probatur tribus rationibus, ad quas respondetur cap. 30. huius.

DISCIP. Ex his cogito, quod talis modus appellandi tractari habet, cum de fautoribus hæreticorum exquisite inquiretur. ideo de hoc supersedeas. Et indica, quomodo aliter respondetur ad instantiam, qua probaui, quod à Papa pronunciante fidem catholicam esse falsam, non est aliquatenus appellandum. dixisti enim, quod ad illam instantiam duplex datur responsio. cum ergo tractauerimus vnam, dic aliam. MAG. Dicitur quod à tali sententia necesse est appellare in forma communi appellandi insuper & infra tempus statutum à iure. quia aliter non audiretur quis contra sententiam Papæ, si ipsam postea satageret impugnare. Pro hac autem assertione potest taliter allegari. qui à sententia iniqua infra tempus statutum à iure negligit appellare, per interpretationem iuris latæ sententiæ parere videtur, extra de sen. & re iudic. qui ad consultationem. qui autem sententiæ paret, impugnare ipsam non potest. quia quod semel approbatum est, postea reprobari non potest, dist. 4. in istis, & 8. quæst. 2. dilectissimi. ergo qui non appellat infra tempus assignatum à iure, postea non auditur. & ita appellare est necesse, si quis vnquam voluerit sententiam Papæ hæreticam impugnare.

Secundo sic: appellationis remedium est ad præsidium innocentiæ institutum, extra de appellationibus, cum speciali. ergo quanto magis innocentia impugnat, tanto magis est necessarium remedium appellationis. sed quando Papa pronunciat diffinitiue contra fidem catholicam, ipsam esse falsam, maxime innocentia impugnatur. ergo tunc maxime necessarium est ad appellationis remedium conuolare: & ita à tali sententia est appellare necesse.

Tertio sic: vnoquoque vtendum est ad vsum, ad quem noscitur institutum. appellatio autem est instituta, vt oppressi releuentur, 21. quæst. 6. cum omnis oppressus. & c. ideo: & multis aliis canonibus sacris hoc idem habetur. ergo appellatione est vtendum ad releuandum oppressos. sed catholici maxime opprimuntur, si Papa sententiat fidem catholicam siue Christianam esse falsam. ergo in hoc casu est præcipue vtendum appellationis remedio. ergo à tali sententia est necessarium appellare, &c.

CAP. XXIX.

In quo ponuntur responsiones ad rationes capituli 24. probantes quod non sit necessarium à sententia iniqua Papæ hæretici appellare.

DISCIP. Tam rationes, quibus ostenditur, quod non est necesse appellare à sententia Papæ diffinitiue pronunciantis, fidem Christianam esse falsam, quam rationes pro assertione contraria allegatæ apparentes mihi videntur. ideo peto, vt referas, quomodo respondetur ad vtrasque. primo tamen respondeas ad rationes probantes, quod non est necesse appellare. MAGIST. Ad primam istarum dicitur, quod non est necesse appellare à sententia lata contra leges & canones. quia hoc cautum est in iure. non est autem cautum in iure, quod non est necesse appellare à sententia Papæ pronunciantis legem Christi esse falsam. Ad secundam dicitur, quod sententiarum, quę non possunt transire in rem iudicatam, duplex differentia reperitur. quædam enim est sententia talis, à qua si non appellat ille, contra quam fuerit lata, eo ipso ipse parere censetur. talis est sententia lata contra fidem. & ideo à tali sententia necesse est appellare, ne is, contra quem fertur, fautor prauitatis hæreticæ reputetur. Alia est sententia, quæ transire non potest in rem iudicatam: cui tamen ille, contra quem fertur, non censetur parere, licet nõ appellaret. & à tali sententia non est necesse appellare. & de tali est sermo in decretis. 2. q. 6. diffinitiua. Ad tertiam respondetur consimiliter, quod in illa causa, contra quam non potest præscriptio currere, non est necesse appellare: nisi ille, contra quem fertur, censeatur parere ex hoc, quod non appellat. talis autem est causa fidei. ideo si feratur iniqua sententia contra fidem, necesse est appellare, ne non appellans fauere hæresi iudicetur. Ad quartam respondetur, quod causa fidei est magis priuilegiata, quam causa matrimonii: & ideo non semper est necesse appellare. Et per hoc patet responsio etiam ad quintam rationem.

CAP.

Cap. XXX.

Ponit responsiones ad rationes 28. capituli probantes, quod necesse sit in forma, quem appellare etiam infra tempus statutum à iure à sententia Papæ hæretici.

DIscip. Istę responsiones videntur mihi valde debiles: quas tamen pro nunc nolo amplius pertractari. imo dic quomodo ad rationes in contrarium respondetur. Mag. Ad primam respondetur, quod quando sententia transit in rem iudicatam (nisi fuerit appellatione suspensa) tunc qui à sententia iniqua infra tempus statutum à iure absq; causa rationabili neglexerit appellare, per interpretationem iuris latæ sententiæ parere videtur. sed quando sententia iniqua nullo modo potest transire in rem iudicatam, nec aliquo modo potest firmitatem sententiæ obtinere, ille, qui à tali sententia non appellat, non intelligitur per interpretationem iuris parere eidem. talis est sententia Papæ lata contra fidem: quia nullo modo potest transire in rem iudicatam, nec vnquam potest aliquis per talem sententiam obligari, imo non est necesse appellare: sed sufficit absque verbo appellandi vel facto pro loco & tempore sententiam detestari. & eo ipso intelligitur quis eidē sententiæ dissentire; & talis dissensus loco appellationis est habendus. Ad secundam dicitur, quod remedium appellationis est ad præsidium innocentiæ institutum, quando aliter quam per appellationem non potest innocentia esse tuta. sed quando innocentia potest aliter esse secura, quam per remedium appellationis, non est simpliciter necessaria appellatio: licet nonnunquam possit esse vtilis, etiam licet innocentia possit esse aliter tuta. nunc autem innocentia catholici, contra quē Papa pronunciaret legem Christianam esse falsam, aliter quam per appellationis remedium potest esse tuta: quia de iure talis sententia ipsum nequit aliquo modo ligare. ideo de iure sufficit catholico absq; verbo appellandi talem sententiam verbo vel facto impugnare, & ei nullatenus obedire. Discip. Quid si de facto catholicus non est tutus, nisi appellaret à tali sententia Papæ. Mag. In hoc casu tenetur propter defensionem fidei & suæ innocentiæ appellare, si enim taliter damnatū à Papa alii Christiani nollent defendere, nisi vocem appellationis emitteret, necesse esset quod appellaret, non quod de iure teneatur, sed quia aliter de facto tutus esse non potest. Ad tertiā respondetur, ꝙ si quis debet vti aliquo, vtendum est eo ad illum vsum, ad quē institutum est. medicina enim instituta est ad sanitatem consequendam. & imo qui debet vti medicina, debet vti ipsa ad sanitatem consequendā: non tamen debet quis omni tempore vti medicina intentione sanitatis cōsequendę, quia hoc sæpe esset impedimentum sanitatis, & inductiuum infirmitatis. sic qui debet vti appellatione, debet vti ipsa, vt ab oppressione releuetur, vel ne irrationabiliter opprimatur. non tamen est necesse semper vti appellationis remedio, si alio modo ab oppressione quis valeat releuari, & imo ab iniqua sententia Papæ pronunciantis fidem Christianam esse falsam non est absolute necesse appellare: licet in casu quando oppressus aliter releuari non posset, esset appellare necesse.

Cap. XXXI.

Capitulum 31. probat, quod appellare cuilibet Christiano à Papa sententiam hæreticam proferente licet, quatuor rationibus.

DIscip. Postquam asseruisti, quantum volui, an ille, contra quem Papa diffinitiuam fert sententiam, quod lex Christiana est falsa, posset licite appellare à tali iniqua sententia, & ibidem recitasti, quod licet cuilibet Christiano à tali sententia appellare: sed motiua illius assertionis minime adduxisti, ideo rogo vt eandem assertionem fulcire nitaris. Mag. Quod cuilibet Christiano à tali sententia licet appellare, videtur multis modis posse probari. Primo sic: à sententia lata contra alium licet cuilibet appellare, cui per talem sententiam fit præiudicium manifestum, extra de sent. & re iudic. c. cum super. sed per sententiam Papæ (quod lex Christiana est falsa) latam contra alium fit cuilibet Christiano præiudicium manifestum quia cum teste apostolo vna sit fides omnium, sententia lata contra fidem est in præiudicium cuiuslibet Christiani: ergo à tali sententia lata contra alium licet Christiano cuilibet appellare.

Discip. Non videtur, quod per talem sententiam aliis præiudicium generetur: quia res inter alios acta, aliis non nocet in multis casibus, secundum quod Gloss. notat *extra de fid. instrum. cap. inter dilectos.* ergo sententia iniqua contra fidem lata contra aliquem, aliis catholicis non nocet: & per consequens non interest eorum à tali sententia appellare.

Mag. Respondetur, quod illa regula, *Res inter alios acta, aliis non nocet*, fallit in multis casibus, secundū quod Gloss. notat, & *de sent. & re iudic. cap. quamuis, nocet enim*, vt ibid. dicit Gloss. *cum causæ sunt connexa*, & per consequens multo magis, cum causa est vna & eadem: cuiusmodi est causa fidei, quæ omnibus est communis. & imo cum fides catholica condemnatur, omnibus catholicis præiudicium generatur. quare omnibus licet (si voluerint) à tali sententia appellare. Discip. Alia motiua adducas.

Mag. Secundo sic arguitur. cuilibet licet (appellando & defendendo) suam prosequi iniuriam. sed per talem iniquam sententiam Papæ cuilibet catholico fit iniuria. ergo cuilibet licet à tali sententia appellare. Tertio sic vnusquisq; catholicus magis tenetur defendere fidem catholicam, quam filios consanguineos vel parentes, quia fides est illis omnibus præferenda. ergo non minus

licet appellare, seu prouocare pro fide catholica condemnata, quam pro parente filio vel consanguineo condemnato. Sed mulier, licet non possit pro filio agere, pro filio tamen condemnato licet appellare. 2. quæst. 6. cap. non solent, vbi sic dicitur: quod si mulier ex pietate prouocauerit, dicendum est hanc audiri debere. vbi dicit Gloss. super verbo pro filio: pro filio condemnato, pro consanguineo possunt appellare alii. ergo multo magis pro fide catholica condemnata, licet cuilibet Christiano catholico appellare seu prouocare.

Quarto sic: non minus licet appellare à sententia inferente iniuriã, quæ maxime est à catholicis vindicanda, quam à sententia inferente iniuriam, quæ minus est à catholicis vindicanda. quia appellatio vel est vindicta quædam, vel via quædam ad vindictam inferendam. sed iniuria illata per sententiam iniquam Papæ diffinitiue pronunciantis legem Christianam esse falsam, est magis vindicanda à catholicis, quam quæcunque iniuria propria alicui illata per sententiam iudicis inferioris. ergo si licet appellare à sententia iudicis inferioris iniqua, qua sententiaret, aliquem esse priuandum bonis suis temporalibus, vel puniendum in persona; multo magis licet cuilibet catholico appellare à sententia Papæ pronunciantis legem Christianam esse falsam. Maior istius rationis apparet. Minor (scilicet quod iniuria illata per talem sententiam Papæ magis vindicanda est, &c.) probatur, quia illa est iniuria Christi & Dei directe. iniuria autem Dei est magis vindicanda quam propria, teste beato Gregorio, qui, vt habetur 23. quæst. 4. cap. si is, sic ait: Si is qui prælatus est dominico debitori culpas impune dimittit, non mediocriter profecto offendit, qui debita cœlestis regis & domini sua præsumptione resoluit. ea namque, quæ in nobis committuntur, facile possumus dimittere: ea vero quæ in Deum commissa sunt, cum magna discretione, nec tamen sine pœnitentia possumus relaxare. Et Chrysostomus super Matth. ait: In propriis iniuriis esse quempiam patientem laudabile est: iniurias autem Dei dissimulare, nimis est impium. Augustin. etiam, vt habetur 23. quæst. 4. cap. si ea, ait: Si ea de quibus vehementer offenditur Deus, insequi vel vlcisci differimus, ad irascendum vtique deitatis patientiam prouocamus. Ex quibus patet, quod iniuria Dei est præcipue & magis, quam propria vindicanda. & ita si licet à sententia inferioris iudicis inferente iniuriam propriam appellare, multo magis licet à sententia inferente Deo iniuriam (cuiusmodi est sententia illa Papæ, qua condemnatur fides catholica) appellare.

Cap. XXXII.

Dat tres instantias contra assumpta in ratione quarta capituli præcedentis, vbi etiam notatur quorum intersit iniuriam vindicare.

DISCIP. Hæc vltima ratio tripliciter videtur deficere. Primo: quia auctoritates non loquuntur de omnibus Christianis, sed tantummodo de prælatis, qui debent Dei iniuriam vindicare. Secundo, quia si concluderet, probaretur per illam, quod necesse esset cuilibet catholico à tali sententia appellare, sicut quilibet catholicus tenetur iniuriam Dei vindicare. Tertio, quia ex ipsa sequeretur, quod quilibet criminosus excommunicatus & infamis, potest propriam insequi iniuriam. ergo multo magis iniuriam illatam Deo, si ratio procedit. Hæc sunt, quæ rationem illam impedire videntur. tu autem dic qualiter potest responderi ad ipsa.

MAG. Ad primam istarum posset aliquis dicere, quod superius auctoritates allegatæ insinuant iniuriam esse vindicandam à prælatis: etiam manifestant, quod omnes catholici inquantum licet & expedit pro gradu & officio vniuscuiusq; debent iniuriæ illatæ Deo occurrere. Et ideo appellare ab iniqua sententia non solum conuenit prælatis, sed etiam subditis. eo enim ipso, quod prælati debent iniuriam Dei vindicare, licebit subditis, sed plus non possunt vel statui eorum nō competit à tali sententia appellare, quia minus est appellare, quam vindictam exercere. si ergo prælati debent vindictam exercere in eos, qui iniurientur Deo, licebit eis à tali sententia appellare. Ad secundam dicitur, quod per dictam rationem non probaretur, quod aliquis teneatur à tali sententia appellare; nisi quando non potest conuenienter aliter, quam appellãdo, tali iniquæ sententiæ obuiare. & in hoc casu conceditur, quod necesse est à tali sententia appellare. nec intendunt illi, qui dicunt, non esse necesse appellare à tali sententia iniqua, quod in nullo casu sit necesse appellare: sed non est regulariter necesse appellare ab aliqua sententia iniqua: quia quando regulariter est necesse appellare, hoc est, ne talis sententia transeat in rem iudicatam. ob hanc autem causam nunquã est necesse appellare à sententia lata contra fidem. sed ob aliam causam potest alicui incumbere necessitas appellandi: puta si aliter propter maliciam vel negligentiam vel imperitiam aliorum vel ob aliam causam non posset talem sententiam iniquam impugnare. Ad tertiam potest dici, quod si non esset alius, quam criminosus & infamis, qui vellet causam fidei prosequi contra Papam pronunciantem, fidem Christi esse falsam, criminosis & infamibus liceret à tali sententia appellare, & prosequi suam appellationem, essentq; tales audiendi. Idemq; posset dici de inimicis in fauorem fidei Christianæ. tales tamen ad testificandum non essent aliquatenus admittendi. si autem essent alii bonæ famæ & non inimici, non essent prædicti audiendi, si à tali sententia appellarent. & tamen essent audiendi, si propriam prosequerentur iniuriam: quia non essent alii, qui eorum prosequerentur iniuriam.

CAP.

CAP. XXXIII.

In quo ponitur quæstio, si liceat appellare à sententia quacunque Papæ hæretica, ad quam respondetur sub duplici opinione. & secundam prosequitur, scilicet quod ab omni sententia Papæ, qualemcunque hæresim contineat, siue damnatam explicite, siue implicite, licet appellare. & probatur quatuor rationibus.

DISCIP. Satis disputauimus, an licet a sententia Papæ appellare, si diffinitiue pronunciaret contra catholicos fidem Christianam esse falsam. ideo ad interrogationem aliam me conuerto, an à sententia quacunque Papæ qualemcunque hæresim continente liceat appellare. vnde de hoc vnam vel plures narra sententias. MAG. Tenentes, quod nunquam licet appellare a Papa, dicerent, quod nulli liceret a tali sententia appellare. Alii autem dicerent, quod ab omni sententia Papæ (qualemcunque hæresim contineat, siue damnatam explicite, siue solummodo implicite) licet appellare. DISCIP. Pro ista secunda sententia nitaris allegare. MAG. Quod a tali sententia liceat appellare, sic probatur. ab omni sententia Papæ licet appellare, quam licitum est impugnare. sed talem sententiam licet impugnare: quia licet omnem hæresim damnatam explicite vel implicite impugnare. ergo a tali sententia licet appellare.

Secundo sic: idem videtur esse in paruis, quod in magnis. *extra de præben. cap. maioribus. & 24. q. vltima. c. si.* ergo idem iuris est in hæresi quę videtur maxima, & in hæresi quę videtur parua. sed a Papa diffinitiue pronunciante & declarante maximam hæresim esse tenendam (quod fides Christiana videlicet esset falsa) licet appellare. ergo à Papa pronunciante quamcunque hæresim cuicunque catholicæ veritati aduersantem esse tenendam licet appellare. Tertio sic: idem iuris est in parte, quod in toto. ergo idem iuris est de hæresi, quæ partem fidei catholicæ videtur destruere, & de hæresi quæ totam negat catholicam fidem. sed à Papa pronunciante totam fidem Christi esse falsam licet appellare. ergo à Papa pronunciante quamcunque hæresim cuicunque catholicæ veritati aduersantem esse tenendam, licet appellare. Quarto sic: ratio, quare à Papa pronunciante fidem Christianam esse falsam, licet appellare, est, quia talis Papa est hæreticus & destruit catholicam fidem. sed Papa pronuncians diffinitiue quamcunque hæresim esse tenendam, est hæreticus & destruit catholicam fidem. vbi autem est eadem ratio, debet esse idem ius. ergo à Papa quamcunque hæresim pronunciante diffinitiue esse tenendam licet appellare. Pro ista assertione possunt adduci rationes supra c. 18. inductæ: quia illæ probant, quod ab omni Papa hæretico licet appellare, quamuis patentius quodammodo concludant, quod à Papa pronunciante fidem catholicam Christianam esse falsam, licet appellare, &c.

CAP. XXXIV.

Inquirit, si Papa non pronunciaret aliquam hæresim diffinitiue sed tantummodo prædicaret vel doceret publice, vtrum ab ipso liceat appellare, & notatur ibi de hæresi, cuius oppositum tenetur quis explicite vel implicite credere: & hoc in responsione.

DISCIP. Ex prædictis aduerto quod secundum istos non refert ad hoc, quod liceat ab hæretico appellare, an Papa diffinitiue pronunciat fidem Christianam esse falsam, vel quamcunque hæresim, quæ fidei obuiat orthodoxæ; quamuis etiam plures tenerent, talem assertionem fidei catholicæ nullatenus repugnare. MAG. Verum dicis, quia indubitanter tenent, quod cum hæresis quantumcunque à Christianis etiam eruditis & in scriptura sacra peritis reputetur catholica, est à quolibet catholico scienti eam veritati contrariari catholicæ impugnanda. & ideo licet omni catholico à Papa pronunciante diffinitiue quamcunque hæresim esse tenendam appellare. DISCIP. Quid si Papa non pronunciat diffinitiue aliquam hæresim esse tenendam, sed publice docet & tenet vel prædicat aliquam hæresim esse tenendam: nunquid appellare licet ab ipso?

MAG. Respondetur, quod appellare licet; qualiter tamen & quando liceat appellare oportet attendere diligenter. aut enim Papa docet, prædicat, dogmatizat, aut asserit hæresim contrariam veritati catholicæ, quam tenetur explicite tenere, & tunc statim licet appellare non solum à doctrina iniqua, etiam à docente tanquam hæretico. quia talis Papa sine examinatione maiori est hæreticus reputandus. si enim Papa asserit non esse in diuinis tres personas distinctas, tamē tenetur explicite credere Patrem & Filium & spiritum Sanctū esse distinctas personas; statim Papa censendus est hæreticus. Aut Papa prædicat vel dogmatizat hæresim contrariam veritati, quam non tenetur explicite credere: puta si prædicaret Dauid non fuisse filium Isay, vel Ieroboam non fuisse regem Israel: & tunc non est statim appellandum à Papa. Sed si de assertione oritur scandalum, est subtiliter indagandum, an paratus sit corrigi suam assertionem reuocando. Si autem non est paratus corrigi, tunc licet appellare, impugnando videlicet doctrinam hæreticam & docentem hæresim, si fuerit pertinax deprehensus.

Cap. XXXV.

Capitulum 35. dat vnam instantiam probando, quod ab ipso non sit appellandum propter talem dogmatizationem. ad quam etiam respondetur ibidem. vbi etiam notatur, qualis possit esse vel fieri talis appellatio.

DISCIP. Non videtur, quod in hoc casu sit appellandum à Papa: sed magis videtur, quod accusandus est Papa. nam appellatio seu prouocatio vel fit à iudice, vel se gerente pro iudice, vel fit extra iudicium, ne aliquid fiat in præiudicium appellantis super eo quod appellat. Sed primo modo non est appellandum à Papa, si doceat aut prædicat hæreticam prauitatem: quia docendo, vel prædicando non tenet locum iudicis, nec se gerit pro iudice, sed se gerit pro doctore, vel prædicatore, vel assertore. Nec secundo modo est in hoc casu appellandum à Papa: quia talis appellatio est respectu alicuius futuri ne fiat, sicut quando aliquis appellat, ne electio aliqua fiat in præiudicium appellantis, talis appellatio respicit electionem futuram, ne videlicet fiat. sed assertio Papę hæretica, quam prædicauit, aut docuit, est præterita. ergo à Papa taliter prædicante non est appellandum secundo modo.

MAG. Dicunt nonnulli, sicut tactum est prius, quod non intendunt loqui de appellatione stricte, secundum quod in iure positiuo accipitur, quando dicunt, quod non licet appellare à Papa docente hæreticam prauitatem: sed intendunt loqui de appellatione largissime, secundum quod omnis impugnatio facto vel verbo Papæ docentis hæreticam prauitatem, potest dici appellatio, & isto modo licet appellare à Papa hæresim prædicante: quia licet cuilibet catholico talem hæresim impugnare, & Papã, si fuerit pertinax, accusare. DISCIP. Isti loquuntur impropriè, cum dicunt: quod omnis impugnatio Papæ potest dici appellatio, quia manifestum est, quod omnis accusatio est impugnatio, accusatio autem distinguitur ab appellatione. ergo non omnis impugnatio est appellatio. MAG. Isti, prout dixi, de proprietate locutionis in hac materia non curant. DISCIP. Quare? MAGIST. Quia, vt dixi prius, non reputant esse necessarium absolute appellare, quantum est de iure, in quocunque casu ab hæretico Papa vel hæresim prædicante, notando appellationẽ, quando verbum appellandi emittitur. sed si quis voluerit vocare appellationem, omnem impugnationem Papæ hæretici, sic dicunt quod necesse est appellare. si autem dicat quis, quod non sit vtendum appellatione in isto sensu, de verbis contendere nolunt. & imo in hoc sistunt, quod Papa prædicans hæresim prædicto modo est à catholicis impugnandus.

Cap. XXXVI.

In quo proponitur talis quæstio, si Papam hæreticum impugnantes sint à catholicis defendendi, & respondetur sub duplici opinione. Prima probatur in hoc capitulo duabus rationibus. Secunda probatur capitulo 37. huius nouem rationibus.

DISCIP. Ex præmissis intelligo, quod dicentium, licere catholicis appellare à Papa hæretico: Dicunt quidam, quod non est necesse verbum appellandi emittere, licet aliquando expediat. Quidam vero dicunt, quod hoc est necesse. Primi autem diuersas patiuntur difficultates notabiles propter varias significationes, quas nomini appellationis attribuunt. omnes autem prædicti in hoc conueniunt, quod omnem doctrinam Papæ hæreticam licet fidelibus impugnare. imo omisso vocabulo appellationis & appellantis, volo in quibusdam interrogationibus, quas tibi de materia præcedenti proponam, vti vocabulo impugnationis & impugnantis. In primis autem interrogo, an impugnantes Papam hæreticum sint à catholicis aliis defendendi, etiam contra Papam taliter impugnantes punire volentem.

MAGIST. Circa hanc interrogationem sunt assertiones contrariæ. vna est, quod impugnantes Papam hæreticum, qui verbum appellandi nequaquam emittunt, non sunt à catholicis defendendi. Alia est contraria, scilicet quod sunt à catholicis defendendi.

DISCIP. Pro istis assertionibus contrariis te libenter audio allegare. MAGIST. Prima assertio videtur posse probari tali ratione. Maius est defendere impugnantes Papam hæreticum, quam eorum impugnationi differre. sed catholici non tenentur differre impugnationi Papæ hæretici, nisi impugnantes interposuerint appellationem legitimam. ergo nec tenentur taliter impugnantes defendere. Secundo sic: per impugnationem non eximitur impugnans à iurisdictione prælati, quem impugnat, sed propter appellationem legitimam eximitur appellans à iurisdictione prælati, à quo appellat. ergo per solam impugnationem Papæ hæretici non eximitur impugnans à iurisdictione Papæ: sed per appellationem Papæ eximitur, catholici autem non debent defendere contra Papam, nisi solos exemptos à iurisdictione Papæ. ergo licet teneantur defendere appellantes, non tamen tenentur defendere impugnantes, qui non appellant.

Cap. XXXVII.

In quo ponitur & probatur secunda opinio. 9. rationibus probans, quod impugnantes Papam hæreticum debitis circumstantiis, licet non appellent, sunt à catholicis defendendi.

DISCIP. Sufficiant istæ allegationes pro assertione prædicta. ideo pro contraria allegare conare. MAGIST. Quod omnes impugnantes Papam hæreticum circumstantiis debitis, licet non appellent, sint à catholicis defendendi, videtur multis rationibus posse probari. Est autem prima ratio talis. qui secrete & rite legitime causam omnium fidelium prosequuntur, sunt ab omnibus fidelibus defendendi. qui enim negocium alicuius gerit vtiliter, auxilium & fauorem ab eo meretur: aliter enim erit ingratus & nequam, non reddens bonum pro bono. Sed impugnantes Papam hæreticum, causam omnium fidelium prosequuntur: quia causa fidei est causa omnium catholicorum. ergo sunt ab omnibus catholicis defendendi. Secundo sic: magis tenentur catholici & fideles defendere prosequentes causam fidei, quę est causa omnium, quam teneatur Papa defendere illos, qui causas proprias prosequuntur. sed Papa debet defendere illos, qui causas proprias prosequuntur, teste Zepherino Papa, qui, vt habetur. 2. q. 6. c. *ad Romanam*, sic: *ad Romanam Ecclesiam maxime ab oppressis est appellandum & concurrendum quasi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, & auctoritate defendantur, & a suis oppreßionib. releuentur.* ergo multo magis impugnantes Papam hæreticum, ad quoscunq; concurrerint orthodoxos, sunt ab eis defendendi. Tertio sic: magis sunt defendendi à catholicis impugnantes hæreticam prauitatem (ne propter impugnationem huiusmodi patiatur) quam sint socii à sociis. sed socius socium debet defendere, teste Ambrosio, qui in libro *de officiis*, vt legitur 23. q. 3. c. *non inferenda*, ait: *qui non repellit à socio iniuriam (si potest) tam est in vitio quam ille qui facit.* Ex quibus verbis colligitur, quod socius socium debet contra iniuriantē defendere. ergo multo magis catholici debent impugnantes hæreticam prauitatem (ne propter impugnationem huiusmodi iniuriam patiantur) defendere. Quarto sic: non minus tenentur catholici defendere impugnantes hæreticam prauitatem, quam Ecclesia teneatur defendere sceleratos & impios, qui ad eam confugiunt, cum boni magis defendendi sunt quam mali. sed Ecclesia tenetur defendere malos fugientes ad ipsam, 17. q. 4. c. frater vester. & c. sicut. Et in multis aliis decretis sanctorum patrum idem habetur. ergo multo magis catholici tenentur defendere impugnantes hæreticam prauitatem.

DISCIP. Quod Ecclesia defendat malos fugientes ad ipsam, est ex priuilegio speciali, quale non habent impugnantes hæreticam prauitatem. MAG. Hæc responsio impugnatur, quia vbi est eadem ratio, debet esse idem ius. sed ratio, quare Ecclesia defendit malos fugientes ad ipsam, est vt honor Ecclesiæ conseruetur. 17. q 4. c. reum. honor autem Ecclesiæ, & vtiliter omnium catholicorum, & etiam Dei magis conseruatur per defensionem impugnantium hæreticam prauitatē, quam per defensionem malorum quantumcunq; ad Ecclesiam cōfugerint. ergo magis defendendi sunt, quam tales mali prædicti. DISCIP. Alias rationes adducas. MAG. Quinto videtur probari posse eadem assertio sic. fides catholica magis defendēda est, quam patria. vnusquisq; autem debet defendere patriam, iuxta illud Catonis: Pugna pro patria, &c. cui Ambrosius concordat primo de officiis, qui, vt legitur 23. quæst. tertia, cap. fortitudo. ait: Fortitudo, quę bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronib. socios, plena iusticia est. ergo multo magis fides catholica est ab omnibus catholicis defendenda. non autem defenditur fides, nisi defensentur impugnantes hæreticam prauitatem. ergo omnes catholici pro loco & tempore impugnantes hæreticam prauitatem debent defendere. Sexto sic: hoc debet quilibet catholicus impugnantibus Papam hæreticum facere, sine quo dilectio Dei & proximi non habetur. sed absque defensione impugnantium Papam hæreticum dilectio Dei & proximi non habetur. quod non dilectio Dei, patet: quia quod non fit impugnantibus Papam hæreticum propter Deum, non fit Deo, iuxta illud Christi Matth. 25. Quam diu non fecistis vni de minoribus istis, nec mihi fecistis. vbi Christus asserit manifeste, quod opera misericordiæ, quæ non fiunt suis fidelibus, intelliguntur non fieri sibi: propter quorum omissionem impii deputabuntur æternis suppliciis. ergo defensio, quæ non exhibetur impugnantibus Papam hæreticum, intelligitur non exhiberi Deo. qui autem non exhibet defensionem debitam honori diuino, Deum non diligit: ergo qui non defendit impugnantes hæreticam prauitatem, caret dilectione diuina. nec etiam habetur dilectio proximi, si impugnantes hæreticam prauitatem minime defenduntur: quia qui proximo in sua necessitate non subuenit, charitatem proximi minime habet. impugnantes autem Papam hæreticum, maxime indigent defensione. ergo qui eos negligunt defendere, charitatem ad ipsos nullatenus habent.

Septimo sic arguitur. non defendere Christum, & non defendere discipulos Christi veritatem catholicam nunciantes, ad idem genus criminis pertinet: sic spernere Christum & spernere discipulos Christi. sed spernere Christum & spernere discipulos Christi ad culpam spectat consimilem, ipso Christo testante, qui, vt habetur Lucæ 10. dixit discipulis suis: Qui vos spernit, me spernit. hoc etiam patet: quia non defendere alium est quidam modus specialis contemnendi. qui enim non defendit, spernit. non defendere enim, quem quis potest, ex contemptu procedit: sicut defendere ex amore procedit. sed omnes catholici Christum debent defen-

defendere, quando possunt, testante Augustin. qui turbam asserit grauiter deliquisse, quia Christum, cum duceretur ad mortem, non defendit. qua, vt habetur 23. quæst. 3. ostendit Propheta, nec illos immunes esse à scelere, qui permiserunt principibus Christum interficere: & cum pro multitudine timerentur, & possent illos à facto & se à consensu liberare, ergo etiam illi, qui discipulos Christi veritatem catholicam nunciantes non defendunt, non sunt immunes à scelere reputandi. tales autem sunt discipuli Christi Papam hæreticum impugnantes, qui veritatem profitentur catholicam. ergo tales sunt ab omnibus catholicis defendendi.

Octauo: qui miseriæ alicuius compatitur, subuenit sibi, & defendit eum cum potest. sed sanum membrum & verum corporis Christi mystici compatitur alteri membro in periculo constituto: cum videamus iuxta Apostolum, quod si quid patitur vnum membrum corporis naturalis, compatiuntur omnia membra, 1. ad Corinth. 12. ergo si aliqui patiuntur propter impugnationem catholicæ veritatis, omnia membra sana corporis Christi mystici compatiuntur eisdem, & per consequens eis subueniunt, & ipsos defendunt, si possunt.

Nono sic: Opera misericordiæ sunt omnibus impendenda. ergo defensio (cum sit opus misericordiæ) est omnibus impendenda. & per consequens defensio impugnantibus Papam hæreticum est præstanda.

Cap. XXXVIII.

Ponit quatuor instantias contra rationem nonam capituli immediate præcedentis, scil. asserentis, quod opera misericordiæ omnibus sint impendenda, quæ soluuntur capitulo immediate sequenti.

DISCIP. Per istam rationem probaretur, quod impugnantes catholicam fidem vel veritatem, essent à catholicis defendendi, quia opera misericordiæ non solum bonis, sed etiam malis oportet catholicos exhibere. cum ergo defensio sit opus misericordiæ, oportet catholicos defensare hæreticos veritatem catholicam impugnantes. Item, opera misericordiæ nequaquam cadunt sub præcepto (tunc enim qui non daret eleemosynam, aut non redimeret captiuos, peccaret mortaliter) si ergo defensio est opus misericordiæ: catholici ad talem defensionem de necessitate salutis minime astringuntur. Amplius, sicut punire delinquentes pertinet solummodo ad iudices seculares vel ecclesiasticos: ita defendere bonos ad superiores & potestates publicas noscitur pertinere. ergo non ad omnes catholicos pertinet defendere Papam hæreticum.

Rursus, oppressorum defensio exhibetur, cum illatæ vel inferendæ iniuriæ pulsantur. sed iniurias propulsare ad viros perfectos minime pertinet: tum quia prima veritas talibus ait, Matth. 5. Ego autem dico vobis non resistere malo: tum quia armis iniuria propulsatur, viris autem perfectis, sicut clericis, non licet arma mouere. ergo saltem ad viros perfectos minime spectat impugnantes Papam hæreticum defendere. Ista sunt, quæ rationem factam de operibus misericordiæ & nonnullas alias (vt mihi videtur) impediunt. ideo quomodo respondetur ad ea, gestio scire.

Cap. XXXIX.

Ponit responsiones ad obiectiones præcedentis capituli, vbi etiam ponuntur 3. valde notanda, & quomodo malis impendenda sunt opera misericordiæ, & qui & quando teneantur homines ad opera misericordiæ.

MAGIST. Dicunt nonnulli, quod istæ obiectiones tuam insipientiam manifestant, & quod non intelligis assertionem prædictam, ostendunt. Ad cuius euidentiam tria debent esse notanda, quorum primum est: quod sicut diuersa sunt opera iusticiæ, quorum quædam omnibus subditis & præpositis possunt congrue conuenire: sicut cum subditus siue præpositus alienum habet de necessitate iusticiæ restituere habet, nisi ex causa rationali excusetur. Quædam vero sunt opera iusticiæ, quæ non conueniunt omnibus, sed solum præpositis: sicut iudicare iuste non competit nisi superiori. Sic sunt quædam opera misericordiæ & beneficientiæ, quæ omnibus competere possunt, sicut orare, intercedere pro aliquo, & nonnulla alia. quædam vero sunt opera misericordiæ, quæ non omnibus competere debent, cuiusmodi est opus nonunquam alios armis defendere. Secundo dicunt esse notandum, quod licet præcepta affirmatiua obligent semper, non tamen pro semper, & ideo semper remanet quilibet obligatus ad opera misericordiæ, quæ sibi competunt proximis exhibenda; non tamen tenetur quilibet talia opera misericordiæ omni tempore exercere: sed hoc loco & tempore oportunis aliis circumstantiis debite obseruatis. Tertio dicunt esse notandum, quod multis modis potest quis defendere. vno modo armis violentiæ resistendo. alio modo, verbis pro alio allegando vel impugnare nolentes verbis exhortatoriis, præceptoriis vel prohibitoriis seu aliis quibuscunque à violentia reprehendendo: alio modo, occultando vel non prodendo, aut in domum vel locum tutum recipiendo: aliisq; modis pluribus, quos longum esset enarrare, conuenit alios defendere. DISCIP. Narra, quomodo ad obiectiones meas per ista notabilia respondetur. MAG. Ad primam dicunt, quod quamuis interdum etiam oporteat malis opera miseri-

misericordiæ exhibere; non tamen opera omnia misericordiæ sunt omnibus malis & impiis exhibenda. intercedere enim apud iudicem pro puniendis reis, est opus misericordiæ: & tamen pro sceleratis incorrigibilib. liberandis nullus intercedere debet. 23. q. 4. c. est iniusta. & ideo licet hæreticis impugnantibus catholicam veritatem sint quædam opera misericordiæ impendenda, defensio tamen, quę in fauorem hæreticæ prauitatis, vel in præiudicium fidei Christianæ potest aliqualiter redundare, est omnino substrahenda: quæ tamen catholicis Papam hæreticum impugnantibus in fauorem fidei orthodoxæ à fidelibus est præbenda. Ad secundam potest dici, quod omnia opera misericordiæ pro aliquo tempore cadunt sub præcepto. quemadmodum amor proximi, ex quo omnia opera misericordiæ procedere debent, cadit sub præcepto. & ideo defensio impugnantium Papam hæreticum circumstantiis debitis obseruatis, cadit sub præcepto, licet tale præceptum nō intelligitur pro omni tempore obligare. Discip. Pro quo tempore secundum istos obligat hoc præceptum? Mag. Respondetur, quod sicut dare eleemosynam tenetur de necessitate ille, qui potest, cum ex parte indigentis apparet euidens & vrgens necessitas, nec scit alium, quem probabiliter credit velle & posse necessitatē habenti iuxta indigentiam subuenire: sic tunc tenetur quilibet, qui potest modo defensionis sibi congruo & possibili impugnantes Papam hæreticum defendere, quando tali defensione necessario indigent, nec apparet alius, qui eis velit & possit tuitionem impendere. sicut etiam quando imminet periculum fidei, essent prælati à subditis arguendi, & fides catholica esset fideliter confitenda. sic quando ex omissione defensionis impugnantium Papam hæreticum, periculum fidei immineret, vel subtraheretur honor Dei, essent impugnantes Papam hæreticum ab omnibus, qui possunt, si non appareret alius, qui eos protegeret, defendendi. & quicunque eis in aliquo casu, videlicet prædictorum, defensionem debitam denegaret in peccatum mortale, & fautoriam prauitatis hæreticæ laberetur, nec possent aliqui, nisi per solam impotentiam, excusari.

Discip. De ista in septimo huius inquiram. ideo refer, quomodo ad aliam instantiam respondetur.

Mag Ad illam instantiam respondetur seu dicitur, quod aliquod genus defensionis solummodo pertinet ad iurisdictionem habentes; quemadmodum ad eosdem pertinet tantummodo regulariter petere, plectere delinquentes: sed præter talem defensionem, sicut dictum est in tertio notabili suprascripto, sunt multi alii modi defendendi Papam hæreticum impugnantes, qui aliis à iudicibus competere possunt. sæpe enim aliqui à violentiis aliorum solum precibus defenduntur. vnde de tali modo defensionis habetur dist. 87. c. eos, vbi sic legitur: eos, qui ad Ecclesiam confugiunt, tradi non oportet, sed loci sancti reuerentia & intercessione defendi. Ex quibus verbis colligitur, quod nonnunquam eo ipso, quod aliqui non traduntur, vel pro eis interceditur, defenduntur. multis etiam aliis modis potest quis defendi, qui non solum ad iurisdictionem habentes, sed etiam ad quoscunque alios pertinere noscuntur. possunt ergo catholici nullam iurisdictionem habentes, & etiam maiores multis modis defendere Papam hæreticum impugnantes. quia interdum non tradendo, occultando ab eorum persecutione verbis molestantes multifariis reuocando, & aliis modis quos longum esset enarrare. Et per idem respondetur ad quartam: quia præter defensionem, quæ fit armis, multi sunt alii modi defendendi impugnantes prædictos. cum vero accipis, quod iniuriam propulsare ad viros perfectos minime pertinet: negatur de multis modis iniuriam propulsandi. & cum allegas auctoritatem Christi, respondetur secundum August. super Ioan. vt legitur 23. q. 1. c. paratus, quod dictum Christi præceptum magis est ad præparationem cordis, quam ad opus. cum autem dicis, quod armis iniuria propulsatur, verum dicis: sed præter istum modum pulsandi iniuriam sunt multi alii, viris perfectis & clericis congruentes.

Cap. XL.

In quo assignatur alia ratio, quæ est. 10. pro opinione secunda cap. 37. recitata, probans quod quilibet catholicus taliter impugnantes teneatur de necessitate salutis defendere modo sibi possibili. & ista ratio sumitur ex his, quæ dicta sunt in capitulo 39. vbi respondebatur ad obiectiones per tria notanda, & alia ibidem dicta.

Discip. Considero ex prædictis, quod isti largissime nomine defensionis vtuntur, cum dicunt, quod impugnantes Papam hæreticum sunt à catholicis defendendi. & ideo magis quam prius assertionem prædictam intelligo. adhuc tamen vellem scire, si amplius, quam prius, sæpe dicta assertio explicatur.

Magist. Videtur quod vltimate sic valeat explicari: quilibet catholicus & fidelis impugnantes zelo fidei orthodoxæ Papam hæreticum, cum euidenter indiget, & necessario vel periculum immineret fidei Christianæ, tenetur necessitate salutis modo sibi possibili & congruenti defendere, si alius non apparet in promptu, quem probabiliter credat velle vel posse taliter impugnantes Papam hæreticum defensare.

Discip. Quid si quis credat tales ex rancore & odio, aut aliis ex mala radice Papam hæreticū mala intentione impugnare, nunquid tenetur eos prædicto modo defendere? Mag. nullus debet præsumere talem Papam hæreticum mala intentione impugnare, nisi sibi constet legitime

& non

& non ex leui iudicio. Si tamen constaret sibi, quod ex mala intentione hæreticum Papam impugnarent, eos deberet defendere, ne propter impugnationem prauitatis hæreticæ paterentur: maxime si ex omissione defensionis ipsorum periculum fidei videtur imminere. quia in hoc magis veritas defenditur catholica, quam prauitatem hæreticam impugnantes. ad veritatem autem catholicam defendendam vniuersi catholici sunt astricti.

DISCIP. De quo periculo fidei imminenti intelligitur dicta assertio, cum dicit, quod taliter impugnantes Papam hæreticum sunt tuendi, quando periculum fidei imminet.

MAGIST. Respondetur quod intelligitur de periculo fidei in vna regione vel regno: imo etiam vni soli homini imminenti; quia si aliquis probabiliter æstimaret, quod vnum regnum vel regio aut ciuitas, vel etiam vnus homo auerteretur à fide, vel faueret hæreticæ prauitati, nisi taliter impugnantes Papam hæreticum defenderet, ipsos non tuendo (si posset) mortaliter peccaret.

CAP. XXXXI.

In quo assignantur tres aliæ rationes idem quod prius probantes: & sic in numero habentur rationes 14. probantes quod impugnantes Papam hæreticum, etiam si non appellent, catholici tales defendere tenentur.

DISCIP. Assertionem prædictam (vt æstimo) clare intelligo: quamuis non sit mihi demonstratum, quod contineat veritatem, pro qua adhuc allegare coneris, vt sciam fundamenta, quibus frater Michael & sui sequaces probare nituntur, quod sunt à catholicis contra summum Pontificem defendendi. MAG. Assertio memorata vndecimo tali ratione videtur posse probari. Illud, sine quo periclitaretur tam fides catholica quam humana societas, magis est à catholicis impendendum pro fide catholica conseruanda, quam pro societate humana conseruanda: eo quod quilibet catholicus magis zelare tenetur pro fide, quam pro societate humana. absque mutua autem defensione periclitatur tam catholica fides, quam humana societas. pro humana autem societate conseruanda Christiani auxilium mutuum sibi debent impendere: quia quemadmodum, veritate testante, vt habetur Matth. 12. omne regnum diuisum desolabitur: & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se non stabit: sic omnis societas per mutuam defensionem minime colligata non stabit. quod veritas ipsa prius insinuare videtur aperte, cum dicit: qui autem non est mecum, contra me est: & qui non congregat mecum, dispergit. Ex quibus verbis colligitur, quod qui non est cum aliquo, ipsum modo conuenienti & possibili defendendo contra ipsum esse dignoscitur. Ex quo sequitur, quod talis societas minime stabit. & ita pro humana societate seruanda debet vnus alteri defensionem impendere: ergo multo magis pro seruanda fide catholica debet vnusquisque alteri defensionem & tuitionem (cum potest) impendere. Ex quo infertur, quod impugnantibus Papam hæreticum est defensio adhibenda.

Duodecima ratio talis est: qui debet alteri auxilium & consilium in aliqua causa impendere, debet eidem defensionem congruam exhibere. catholicus autem debet impugnantibus Papam hæreticum auxilium & consilium impendere. aliter enim zelator fidei catholicæ nequaquam existeret. ergo debet eis defensionem etiam impendere.

Tredecima ratio talis est: quilibet tenetur defendere, si potest, patientem quamcunque iniuriam. ergo multo magis quilibet tenetur defendere, si potest, patientem iniuriam propter iusticiam: quia defendendo fidem catholicam Papā hæreticū nititur impugnare. consequētia est manifesta & euidens: quia patiens iniuriam est maxime defendendus; si propter iusticiam & fidem catholicam iniuriam noscitur suscipere. Antecedens autem auctoribus sanctorum patrum videtur aperte probari. ait enim Simachus Papa, vt habetur di. 83. c. presbyter: mortem enim languentibus probatur infligere, qui hanc (cum possit) non excludit. & per consequens iniuriam videtur inferre, qui hanc (cum possit) non excludit. nullus autem debet iniuriam inferre. ergo quilibet tenetur iniuriam patientem (cum possit) defendere. Item Ambros. in lib. de officiis, & ponitur di. 86. c. Pasce, ait: *quisquis enim pascendo hominem potes seruare: si non paueris, fame occidisti.* Ex quibus verbis colligitur, quod ille dicitur occidere alium, qui sustentationem (cum possit) non exhibet corporalem. ergo similiter ille intelligitur iniuriam irrogare, qui cum potest iniuriam non excludit. & ita quilibet, si potest, debet defendere iniuriam patientem. Item Innoc. tertius, vt habetur extra, de sent. excom. quantæ, asserit manifeste, quod facientes & consentientes pari pœna plectendos catholica condemnat auctoritas, eos delinquentibus fauere interpretans, qui cum possunt, manifesto facinori desinunt obuiare. Ex quibus verbis datur intelligi, quod qui primum ab inferenda iniuria non defendit, cum potest, est pari pœna cum iniuriante plectendus. & ita quilibet, cum potest, patienti iniuriam debet defensionem impendere.

CAP. XLII.

Ponit vnam euasionem, videlicet quod talis defensio non spectat nisi ad illos, qui habent iurisdictionem super iniuriantes. & hoc probatur auctoritatibus & rationibus. vbi etiam probatur, quod socius socium defendere non debet, & per consequens non tenetur. cuius oppositum probatur capitulo immediate sequenti. & ad has auctoritates & rationes respondetur infra c. 44. huius.

DISCIP. Auctoritates prædictæ de solis iudicibus vel prælatis habentibus super alios potestatem intelligi debent: non autem de illis, qui potestatem vel iurisdictionem super iniuriantes nullam habent. Quod pluribus modis videtur posse probari. Primo autem auctoritate beati Augustin. quæ ponitur 23. quæst. 4. cap. forte, ostenditur. ait enim: Forte in populo Dei stat iuxta te auarus, raptor, inhians rebus alienis, quem nosti talem, & fidelis est, vel fidelis potius vocatur. non eum potes de Ecclesia pellere: non habes aliquem aditum castigando vel corrigendo ipsum corrigere. accessurus est tecum ad altare, noli timere. & infra eodem. c. si iudex es, si iudicandi potestatem accepisti, ecclesiastica regula si apud te accusatur, si veris documentis testibusque conuincitur, coherce, corripe, excommunica, & degrada. Ex quibus verbis datur intelligi, quod non ad socios, sed ad prælatos spectat corrigere delinquentes: & per consequens non ad socios, sed ad prælatos spectat defendere passos iniurias. quia cuius est defendere patientem iniuriam, eius est reprimere: & per consequens plectere iniuriam inferentem.

Secundo probatur idem sic: si socius tenetur defendere socium, videns aliquem verberare clericum, & non defendens ipsum, sententiam excommunicationis incurrit, iuxta auctoritatem Innocentii tertii allegatam superius. sed hoc est inconueniens, sicut Gloss. ibidem ratione tali probat: nullus excommunicatur ex facto alterius, nisi participando in locutione, vel oratione, aut in crimine fuerit ei compar; vel eius mandato obediendo, vel auctoritate prædicando. supra cap. mulieres. sed hic nullo tali modo participat. ergo non est excommunicatus. & per consequens socius non tenetur defendere socium.

Tertio probatur idem ratione, quam innuit Gloss. vbi supra. & eandem tangit Gloss. 23. quæst. 3. cap. non inferenda. quæ potest sic formari. nullus tenetur ad id, pro quo potest ex pacto recipere pecuniam: quia illud, ad quod quis de necessitate absque omni pacto tenetur, debet gratis impendere. sed pro defensione socii socius licite recipit pecuniam; nec receptam pecuniam tenetur restituere. ergo socius non tenetur de necessitate socium absque pacto defendere.

Quarto probatur idem sic: non magis tenetur socius socium de necessitate defendere, quam tenetur medicus periclitantem infirmum gratis curare. sed medicus non tenetur gratis infirmum curare, quia de suo non tenetur quis ferre beneficium. 10. quæst. 2. precariæ. ergo nec socius tenetur gratis socium defendere.

Quinto sic: defensio socii est quædam militia vel aliquid simile militiæ. sed nemo tenetur suis stipendiis militare, teste Apostolo 1. ad Corinth. 9. qui ait: quis militat suis stipendiis? quasi diceret, nullus. ergo nemo tenetur alium gratis defendere.

Sexto sic: defendere socium est benefacere. sed nemo tenetur alii benefacere gratis: quia per leges nemo cogitur benefacere, sed malefacere prohibetur, vt testatur August. contra Pelagium, & ponitur 23. quæst. 5. ad fidem. ergo nemo tenetur socium gratis defendere. Ex quo sequitur, quod non tenentur omnes catholici impugnantes Papam hæreticum defendere. DISCIP. Porro quia, vt æstimo, Frater. MAGIST. Et adhærentes sibi illos, qui ipsos contra summum Pontificem non defendunt, reprehensibiles arbitrantur, putantes quod non solum pro causa fidei patientes, sed etiam alii pro leuioribus causis sustinentes persecutiones & iniurias non tantum à prælatis, sed etiam à sociis & aliis sunt pro viribus defendendi: peto quod assertionem prædictam, quod socius videlicet tenetur defendere socium, allegationibus quantum potes fortioribus munire coneris; & quomodo ad rationes in contrarium, quas adduxisti, frater.

MAG. Et sui respondeant, studeas propalare, vt per huiusmodi impugnationes, quibus prædicti frater. MAG. Et sui, dominum summum Pontificem & sibi adhærentes impugnare conantur, magis profunde intelligam, & quomodo debent reprobari & refelli, euidentius aduertam.

CAP. XLIII.

In quo probatur oppositum, quod socius socium defendere debet auctoritatibus plurimis & sex rationibus & exemplis quinque.

MAGIST. Nequaquam deciperis existimando, quod frater MAG. & adhærentes sui valde reprehensibiles nonnullos reputant Christianos, & à peccato mortali nullatenus excusandos: pro eo quod eis defensionem contra dominum Innoc. non impendunt, dicentes, quod quilibet (cum potest) modo congruenti & sibi compossibili tenetur socium iniuriam patientem defendere

& à periculo liberare. Ex quo moliuntur inferre, quod cum ipsi propter iusticiam & fidem catholicam persecutiones grauissimas patiantur, sunt à catholicis defendendi, & à periculis liberandi.

Quod autem socius socium iniuriam patientem (cum potest) modo sibi congruenti & possibili teneatur etiam gratis defendere, auctoritatibus, rationib. & exemplis videtur posse probari. Hoc enim Ambrosius, vt allegatum est superius, notabiliter & sententialiter videtur asserere, dicens: qui enim non repellit à socio iniuriam (si potest) tantum est in vitio quantum ille, qui facit. Ex quibus verbis colligitur, quod qui non defendit socium, culpam incurrit.

MAG. Istam Gloss. exponam, quia repellere iniuriam est defendere reputandum.

DISCIP. Ad hoc respondet Gloss. ibidem dicens: si potest, id est, si est in potestate positus, ex quibus verbis Gloss. datur intelligi, quod Ambrosius loquitur de prælatis.

MAG. Glossa super illam expositionem hoc non asserit; sed tantummodo recitat, quod in fine illius notulæ reprobare videtur, dicens: sed istis asserentibus expositionē prædictā obuiat infra eodem. cap. vlt. ex quo capitulo colligitur euidenter, quod turba Iudæorum, quæ non defendit Christum contra principes ipsum volentes occidere, nequaquam fuit immunis à scelere. ex quo sequitur, quod non solum prælati, sed etiam plebeii tenentur defendere Christum contra Prælatos eorum: & ita socius etiam tenetur defendere socium. Quod etiam illa expositio corrumpat textum, patet aperte, cum loquitur expresse de illo, qui à socio iniuriam non repellit. DISCIP. Ad idem plures auctoritates adducas. MAG. Hoc idem Ambrosius, vt superius est adductum, asserit manifeste: quia dicit, quod tueri à latronibus socios plena iusticia est. opus autem iusticiæ tenetur quilibet exercere. ergo de necessitate iusticiæ sunt socii defendendi. Item, idem habetur dist. 86. c. non satis, loquens qualiter opus misericordiæ tenetur proximo impendere, qualis est non solum prælatus, sed etiam subditus, ait: si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat quam vita morituri, non est leue peccatum. Ex quibus verbis colligitur, quod debet quis socium à morte redimere: & per consequens eadem ratione tenetur eum, si potest, defendere. Item ista videtur esse Salomonis, qui in prouerbiis secundum Hier. & in prologo paruulum carissimum docens: & per consequens non ad prælatum, sed ad alium sermonem dirigens, ait: erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Ex quibus verbis colligitur, quod non solum prælati, sed etiam alii persecutiones & iniurias patientes defendere tenentur. DISCIP. Sufficiunt ad præsens auctoritates istæ pro assertione prædicta: ideo rationes inducas.

MAG. Prima ratio talis est: Qui debent sibi mutuum iuuamen, auxilium & fauorem impendere, & sibi mutuam defensionem tenentur impendere. omnes autem Christiani siue catholici sibi debent mutuum auxilium, consilium & fauorem impendere. Tum, quia omnes catholici sunt membra vnius corporis. membra autem pro se inuicem sollicita sunt. 1. Corinth. 12. Tum quia Episcopi, quorum vnus est prælatus alterius, auxilium mutuum sibi debent impendere, teste Innocent. secundo, qui, vt dicitur. &c. di. c. præcipimus, ait: Præcipimus vt Episcopi ad solum Deum & salutem populi habentes respectum illum omni tepiditate semota ad pacem firmiter tenendam mutuum consilium sibi & auxilium præbeant: nec hoc alicuius amore vel odio permittant. quod si quis in hoc opere Dei tepidus inuentus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat. Cui etiam concordat Alexand. Papa, qui, vt legitur 3. quæst. 1. c. nulli, ait: Qui autem ex nostro fuerit collegio & ab auxilio vestro se subtraxerit, magis schismaticus quā sacerdos esse probatur. Ecce, inquit, Propheta, ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum. illi vero non habitant in vnum, qui à fratrum se solatio subtrahunt. Ex quibus verbis datur intelligi, quod Episcopi & sacerdotes, quorum etiam vnus alteri minime est subiectus, auxilium sibi mutuum debent impendere. & per consequens sibi debent defensionem mutuam congruentem præstare. Ex quo sequitur, quod socius socium debet defendere. Secunda ratio talis est: Magis tenetur socius socium (à suo non inferiori patientem iniuste) defendere, quam viri ecclesiastici teneantur defendere sceleratos, qui eis minime sunt subiecti. sed viri ecclesiastici sceleratos & impios ad ecclesiam fugientes, licet eis nullatenus sint subiecti, defendere tenentur. ergo multo magis socius socium innocentem debet defendere. minor probatur auctoritate Gregor. qui vt habetur 23. quæst. 5. cap. reos, ait: Reos sanguinis defendat ecclesia. vbi dicit Gloss. omnes fugientes ad ecclesiam tenetur defendere, vt 17. quæst. 4. reum. & hoc est verum, siue sint rei siue non.

DISCIP. Hoc dicit Greg. quia viri ecclesiastici ecclesiam defendere tenentur, & ideo tenentur prohibere ne fugientibus ad ecclesiam violentia fiat. MAGIST. Tu aliam causam assignas, quam Gregorius, quare rei sunt ab Ecclesia defendendi. nam Gregorius causam assignat sui dicti, cum immediate post verba prædicta subiungit, ne effusionis sanguinis fiat particeps. Ex quibus verbis colligitur, quod ideo viri ecclesiastici debent defendere reos ad Ecclesiam fugientes, ne homicidii fiant participes. Quia qui non resistit, cum potest, consentit, iuxta sanctorum patrum sententias. ergo consimiliter qui non defendit socium iniuriam patientem, cum possit, iniuriæ crimen incurrit. Vnde ex hoc tertia ratio formatur. Quilibet catholicus ad hoc tenetur, sine quo etiam in crimine participat criminoso. sed qui non defendit (cum potest) socium iniuriam patientem, participat in crimine iniuriam inferenti. ergo socius socium (cum potest) tenetur defendere. maior est manifesta. minor auctoritatibus sanctorum

patrum

patrum ostendi videtur. ait enim Euleutherius Papa, vt habetur 2. quæst. 7. cap. negligentia: Negligentia cum possis perturbare peruersos, nihil est aliud quam fauere. nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. eadem sententia verbaliter ponitur dist. 83. cap. error. & 23. quæst. tertia, cap. qui potest, ponitur sub his verbis: qui potest obuiare & perturbare peruersos, & non facit, nihil est aliud quam fauere impietati eorum. nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Ex quibus verbis colligitur, quod qui non resistit iniuriam facienti, eidem communicat in crimine atq; fauet.

DISCIP. Verba quæ allegasti, de prælatis tantummodo debent intelligi, secundum quod notat Gloss. 2. quæst. 7. negligentia.

MAGIST. Hæc responsio dupliciter impugnatur. Primo quia Gloss. hoc non asserit, sed tantummodo dicit, quod ista videtur de prælatis tantum loqui. Secundo quia perturbare peruersos contingit dupliciter. Vno modo ipsos pro sua peruersitate pœna congrua puniendo: & sic perturbare peruersos regulariter solummodo pertinet ad iudices vel prælatos. Alio modo exhortatione malum reprobando, & illo modo saltem eis expedit verbis monitoriis resistendo. & istud spectat ad omnes, Gloss. ibidem aperte insinuante, quod quilibet tenetur perturbare, id est, prohibere & remouere à malo: & hoc cum commode illud facere potest. aliter enim peccat, qui sic non prohibet. & subdit, secundum hoc quilibet tenetur prohibere iniuriam à proximo. & per consequens proximum saltem verbis (si potest) defendere debet, licet non sit prælatus ipsius.

Quarta ratio est hæc. ille tenetur (si potest) defendere socium iniuriam patientem, qui tenetur corrigere & corripere iniuriam inferentem. nam corrigendo iniuriari volentem defendit, quantum in se est, ipsum qui esset passurus iniuriam. sed alii, quam iudices vel prælati (si possunt) tenentur corrigere iniuriari volentem. ergo si commode possunt, debent defendere alium, qui est passurus iniuriam. maior euidens esse videtur primo auctoritate beati Augustin. qui li. de verbis domini, & ponitur 23. quæst. 4. cap. primo tolerandi quidam sunt mali, nec corporaliter ab eis recedatur, sed spiritualiter, spiritualiter autem exire est facere quod pertinet ad correptionem malorum. quantum licet pro gradu cuiuslibet salua pace. vbi dicit Gloss. super verbo pro gradu, id est pro dignitate & officio cuiuscunque. alio tantum modo debent prælati corrigere delinquentes: alio modo socii. prælatus corrigit increpando, verberando, vt infra c. quæst. c. forte. socius vero monendo & reprobando factum. Ex quibus verbis datur intelligi, quod non solum prælati, sed etiam alii tenentur corrigere delinquentes & iniurias aliis facientes: quod etiam idem August. vt habetur 23. quæst. 5. cap. non putes, sentire videtur. ait enim: non putes te tunc amare seruum tuum, quando eum non cædis. & infra: aut tunc amare vicinum tuum, quando non corrigis eum; non est ista charitas, sed languor. Ex quibus verbis habetur, quod vicinum vicinus tenetur corrigere. Item Anacletus, vt habetur 24. quæst. 3. c. tam sacerdotes, ait: tam sacerdotes quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his qui pereunt. ergo ad omnes spectat corrigere iniuriam inferentes.

DISCIP. Scis quia multi istis diebus tenent doctrinam Thomæ de Aquino. quare dic, quid ipse sentit de hac re, an scilicet ad omnes spectat corrigere delinquentes.

MAGIST. Ipse tenet quod sic. nam secunda secundæ, quæst. 33. art. 3. dicit sic: Duplex est correctio. vna quidem quæ est actus charitatis, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem ammonitionem. Et talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, siue sit subditus, siue prælatus. Et articulo quarto dicit sic: correctio fraterna, quæ est actus charitatis, pertinet ad vnumquemque respectu personæ, ad quam charitatem debet habere, si in eo aliquid corrigibile inueniat.

DISCIP. Non adducas plura ad probandum, quod omnes tenentur corrigere iniuriari volentem: sed adhuc proba, quod socius tenetur socium iniuriam patientem defendere.

MAG. Quinta ratio pro assertione prædicta est hæc. ad eundem spectat malum proximi remouere (si potest) ad quem spectat bonum eiusdem (si potuerit) procurare. sed quilibet tenetur proximi bonum procurare. quia aliter charitatem ad ipsum minime habet. ergo quilibet tenetur malum alterius remouere, si potest. & ita tenetur remouere malum iniuriam patientis. sed sæpe hoc non fit, nisi ipsum defendendo. ergo quilibet tenetur alium defendere, si potest.

Sexta ratio est hæc: non minus indiget in periculo constitutus contra volentem iniuriari defendi, quam esuriens cibari & sitiens potari. sed quilibet, qui potest, tenetur esurientes cibare & sitientes potare, si per alium illis minime subuenitur. ergo quilibet tenetur alium defendere, si potest, si non appareat aliquis, qui velit & possit eum defendere.

DISCIP. Adducas exempla pro eadem assertione.

MAGIST. Primum exemplum est de Abraham, qui, vt legitur Genes. 14. quamuis non haberet iurisdictionem super capientes Loth fratrem suum, & alios, tamen non solum Loth defendit, sed etiam irruit super capientes, eosque percussit & reduxit Loth cum substantia eius.

Secundum est de Moyse, qui Hebræum percussum ab Ægyptio defendit, & occidit Ægyptium, vt legitur Exod. 2. de quo scribit Ambrosius, vt habetur 23. quæst. 3. cap. non inferenda, dicens: cum vidisset Hebræum ab Ægyptio recipientē iniuriam, defendit vt Ægyptium prosterneret. & tamen super Ægyptios, aut Hebræos tunc Moyses nullam iurisdiciariam habuit pote-

statem. de quo etiam, vbi prius, Exod. 7. scribitur, quod filias sacerdotis Madian à pastoribus defensauit: cum tamen neque super puellas, neque super pastores iurisdictionem habuit.

Tertium exemplum de Raab meretrice, quæ, vt habetur Iosue 2. exploratores filiorum Israel abscondendo defendit.

Quartum exemplum est de beato Petro, qui etiam arma mouendo Christum defensare satagebat, Matth. 26. & non videtur de voluntate defendendi reprehensus à Christo, sed quia hæsitare videbatur, an Christus aliter quam per arma poterat defensari. propter quod Christus ipsum acriter increpando, dixit: an putes quia non possum rogare patrem meum & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones angelorum?

Quintum exemplum est de discipulis Damasci, qui, vt legitur Act. 9. beatum Paulum submittendo illum in sporta contra Iudæorum insidias defendebant. Alia complura exempla, quod alii quam prælati in periculo positos defendebant, tam in scriptura diuina quam in aliis scripturis authenticis, scribuntur aperte.

CAP. XLIV.

Ponit responsiones ad auctoritates & rationes capituli 42. probantes huius oppositum, scilicet quod socius socium defendere non tenetur.

DISCIP. Volo plures allegationes audire pro assertione prædicta. & ideo dic, quomodo possunt obiectiones, quas feci, dissolui.

MAGIST. Prima auctoritas August. quam allegas, non loquitur specialiter de iniuriantibus aliis, sed de delinquentibus in communi. quia tamen assertores prædicti consimiliter dicunt de omnibus peccantibus corrigendis & de passis iniuriam defendendis. ideo ad auctoritatem Augustin. prædictam respondent dicentes, quod in prima parte loquitur August. de his, qui auctoritatem iudiciariam non habent, corrigendo secrete apud delinquentes nequaquam proficerent, sed eos deteriores efficerent. in hoc enim casu non debet aliquis (iurisdictionem nullatenus habens) corrigere delinquentes. consimiliter vbi aliquis intendendo defendere patientes iniuriam ipsos defendere non posset, & ad deteriora inferentes iniuriam prouocaret, deberet defensionem subtrahere. sed sicut subditi peccant mortaliter, si timore temporalium aut humanum fauorem perdendi, aut personale periculum euitandi, vel ob aliquod terrenum habendum socios vel prælatos, cum probabiliter putant, quod possunt eos à peccato retrahere, negligunt secreto corrigere. ita peccant mortaliter, qui, cum conuenienter possunt, ex timore vel cupiditate defensionem in periculis constitutis vel patientibus iniuriam non impendunt.

DISCIP. Estne aliquis doctor modernus, qui teneat, quod non corrigentes in casu prædicto peccantes peccant mortaliter?

MAG. Thomas de Aquino hoc sentit expresse. dicit enim 2. 2. quæst. 33. art. 2. quod prætermittitur fraterna correctio cum peccato mortali, quando scilicet formidatur iudicium vulgi & carnis excruciatio, vel peremptio: dum tamen hæc ita dominentur, quod fraternæ charitati præponantur. & hoc videtur contingere, quando aliquis præsumit de aliquo delinquente probabiliter, quod posset eum à peccato retrahere: & tamen propter timorem vel cupiditatem prætermittat. Ex quibus verbis colligitur, quod etiam pro morte vitanda non debet quis dimittere corrigere delinquentem, si probabiliter credit, quod potest eum per secretam correctionem retrahere à peccato. Ex quo concluditur, quod quilibet catholicus debet (si potest) corrigere inferentem iniuriam & per consequens defendere iniuriam patientem. DISCIP. Quid dicitur ad hoc, quod accipitur in illa obiectione, quod videlicet, cuius est defendere patientem iniuriam, eius est reprimere: & per consequens plectere iniuriam inferentem.

MAG. Ista negatur tanquam falsa: quia ad plures pertinet defensio patientium & in periculis positorum, ad quos tamen quamuis pertineat reprimere iniuriantes cum moderamine inculpatæ tutelæ, ad eos tamen non spectat plectere iniuriam facientes. quemadmodum cuilibet licet vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ. dist. 1. c. tutelæ. & c. ius naturale, ad quem tamen non semper pertinet illatam iniuriam vindicare.

DISCIP. Dic ad secundam obiectionem. MAGIST. Ad illam potest dici, quod quamuis videns clericum verberari non incurrat excommunicationis sententiam, si ipsum (quamuis possit) non defendat, tamen peccat mortaliter, si ipsum non defendit cum possit. quod non habet tantum veritatem de clerico verberato, sed & de laico verberato iniuste. quia ex charitate fraterna quilibet, cum conuenienter potest, tenetur in omni periculo subuenire. & hæc responsio ex Gloss. super præallegato capitulo quanto colligitur, quæ ait: videtur peccare omnis, qui non defendit alium (si potest) 23. q. 3. non inferenda. & cap. vlt. & si non possit aliter defendere, saltem defendat clamore. & infra: si ergo non habeam aliquam potestatem, video quod aliquis voluit verberare clericum, siue percutere sine meo consilio vel auxilio: non credo quod sim excommunicatus, si non prohibeo, licet alias forte peccem, quia ipsum non defendo, cum possum. Ex quibus verbis colligitur primo, quod sunt diuersi modi defendendi; cum aperte dicatur, quod potest quis defendere clamore. & eadem ratione contingit quis defendere verbis monitoriis monendo inferentem

rentem iniuriam, quod desistat. quod etiam Gloss. ibidem asserit manifeste dicens: *alia est prohibitio sociorum & aliorum: quia solummodo verbis & non factis vindicando iniuriam illatam licet factis, si possint, teneantur defendere, saltem expositum periculo occultando.* sicut enim secundum Augustin. vt habetur 23. *quæst.* 4. *cap. ipsa pietas*, quilibet tenetur alium se volentem occidere liberare, & de periculo, si potest, etiam violenter extrahere; ita tenetur quilibet alium quæsitum occidi de periculo liberare, si potest, saltem si non potest aliter occultando. sunt ergo diuersi modi defendendi alium in periculo constitutum. Secundo ex verbis Glossæ colligitur, quod videns clericum verberari, & non defendens, si potest, licet peccet, tamen excommunicationis non incurrit sententiam. & per hoc respondetur ad rationem Glossæ superius allegatam: quia per illam rationem non concluditur, quod non defendens clericum, si potest, non peccat: sed quod non incidit in excõmunicationis sententiam.

DISCIP. Videtur quod ista ratio non concludit, quod non incidit in excõmunicationis sententiam: quia iudex vel iurisdictionem habens non defendendo clericum, cum potest, incidit in excommunicationis sententiam. & tamen nullo prædictorum modorum participat clericum verberanti: quia nec locutione, nec oratione, nec in crimine, nec eius mandato cleric⁹ verberatur, nec auctoritatem præstat: quia plus est auctoritatem præstare, quam non defendere. MAG. Potest dici (vt innuit Glossa) quod iudex & superior non defendendo, auctoritatem præstat. & ideo incidit in sententiam excommunicationis. DISCIP. Hæc sententia non videtur sufficiens: quia si iudex nõ defendendo auctoritatem præstat, eadem ratione socius non defendendo causam vel occasionem præstat. qui autem causam præstat vel occasionem, ita punitur sicut faciens: sicut qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, *extra, de iniuriis & damno dato, si culpa.* ergo si iudex, qui non defendit clericum verberatum (cum potest) sententiam excõmunicationis incurrat, & quilibet ali⁹, qui non defendit clericum, excommunicationis sententia innodatur.

MAGIST. Tu tangis vnum motiuum fundamentale quorundam dicentium, quod quilibet, qui potest, debet defendere impugnantes Papam hæreticum, quamuis nesciat Papam esse hæreticum.

DISCIP. Ex quo est istud vnum de motiuis illorum, maiorem tractatum de isto vsque ad illam materiam censeo differendum: tamen nunc dic breuiter, quomodo per Gloss. prædictam ad hoc respondere contingat. MAG. Potest dici, quod quamuis iudex siue alius, qui clericum non defendit, si potest, mortaliter peccat: ex lege tamen naturæ neuter sententiam excommunicationis incurrit: quia pœna excommunicationis solummodo ex iure positiuo infligitur. pœnæ autem iuris positiui sunt restringendæ, & nullatenus ampliandæ. & ideo salua lege positiua sententia excõmunicationis lata per canonem contra non defendentes clericum, ad pauciores (quantum permittit canon) debet extendi. cum ergo canon prædictus aperte saluari possit, intelligendo ipsum tantummodo de potestatem & iurisdictionem habentibus, quod grauius peccant non defendendo, quã alii: de aliis non debet intelligi, licet alii non defendentes clericum, cum possunt, peccent mortaliter.

DISCIP. Dic ad tertiam rationem. MAGIST. Ad tertiam respondetur quod hæc non est vera: nullus tenetur ad illud, pro quo potest ex pacto pecuniam recipere. si quis enim indigeret alium in articulo extremæ necessitatis ex fame posset licite sibi vendere panem: & tamen si alius non haberet vnde emeret vel etiam nollet, teneretur sibi gratis dare panem pro vita sustentanda, si tamen in necessitate constitutus extrema haberet, vnde sibi necessaria vitæ ab aliis emere posset, essentque præsentes qui vendere vellent necessaria: iste non tenetur gratis sibi necessaria exhibere. sic in proposito licet recipere pecuniam pro defensione socii, si socius potest & vult dare pecuniam, vel aliquis alius, qui potest & vult eum defendere, vel ipse potest defendere semetipsum. si autem non potest semetipsum defendere, vel non potest aut non vult dare pecuniam, pro defensione sua, alius tenetur eum defendere absque pecunia. poterit tamen postea ab eo petere pecuniam, & alius sibi dare tenebitur.

Ad quartam respondet Gloss. dist. 83. cap. primo, dicens: patet hoc quod medicus debet curare pauperem infirmum; quia plus debet valere apud eum vita illius, quam propria pecunia. sed si infirmus diues est, & nihil vult dare Medico, nunquid gratis eum tenetur curare? cum nemo de suo cogatur facere beneficium, vt 10. quæst. 2. præcariæ, cum etiam licite potest recipere mercedem, vt 14. quæst. 5. non sane, dico quod tenetur eum curare suis expensis. & si conualuerit, repetat expensas, quia vtiliter gessit negocium eius.

DISCIP. Ista videtur mihi fortis allegatio pro assertione præfata, quod scil. quilibet tenetur in periculo constitutum defendere & iuuare. cui repugnare videtur, quod Gloss. asserit dicens: nemo de suo cogitur facere beneficium. 10. q. 2. præcariæ. vnde quomodo ad hoc respondetur, expone.

MAG. Dicitur quod illa auctoritas truncate allegatur: quia verba illius capituli 10. q. 2. præcariæ, sunt hæc: Cum ratio & vsus obtineant neminem cui non vult contra vtilitatem & rationem cogi de proprio facere beneficium. quæ longe aliam sententiam continent, quam dicere quod nemo de proprio cogitur facere beneficium. sæpe enim lege diuina pariter & naturæ ac lege humanã cogitur quis de suo beneficium facere. aliter ei nemo eleemosynam de suo facere aliis teneretur; quod legi diuinæ & naturæ ac humanæ noscitur obuiare. nemo tamen contra vtilitatem suam & contra rationem cogitur de proprio beneficium facere. non enim eleemosynam dare de proprio

est contra rationem nec contra vtilitatem spiritualem eleemosynam facientis, licet quandoq; sit contra vtilitatem temporalem. sicut etiam defendere socium gratis absq; mercede temporali non est contra vtilitatem saltem spiritualem defendentis, nec contra rationem. & ideo sæpe cogitur aliquis lege naturæ & diuina tale beneficium aliis gratis impendere.

DISCIP. Ista responsio videtur apparens. ideo dic, qualiter ad quintam rationem respondetur.

MAGIST. Respondetur, quod regulare est neminem teneri suis stipendiis militare pro persona priuata. fallit tamen in casu, quia si aliquis militando potest saluare vitam alterius, qui non potest sibi reddere stipendium, debet pro eo stipendiis propriis militare saluando vitam eiusdem. si enim miles viderit socium in bello ab aduersariis fortiter impugnatum, & in mortis periculo constitutum, debet, si potest, non sperando ab ipso stipendium ipsum de periculo liberare.

DISCIP. Miles recipit stipendium à principe pro principe & aliis fidelibus defendendis, quando potest. quare debet absque stipendio recipiendo à socio ipsum, quando expedierit, defendere.

MAG. Sicut miles recipit stipendium à principe etiam pro aliis commilitonib. quando expedierit, defendendis: ita quilibet recipit præceptum à Deo & à lege naturæ pro sociis, quando necesse fuerit, defendendis. non minus autem obligatur quis ex præcepto diuino & lege naturæ, quam ex stipendio recepto à principe. quare sicut miles tenetur commilitones defendere, quando conuenienter potest: ita socius socium, quando conuenienter potest, tenetur defendere.

DISCIP. Dic qualiter ad obiectionem vltimam respondetur. MAG. Respondetur, quod quamuis per leges nemo cogatur benefacere, tamen sæpe per leges cogitur quis bonum facere. lex enim neque diuina neque humana cogit benefacere. quia dicit Augustin. post verba, quæ allegasti, benefacere nemo potest, nisi elegerit, nisi amauerit; quod est in libera voluntate. Ex quibus verbis colligitur, quod sicut voluntas non potest cogi: ita nemo potest cogi benefacere. & quandoque quidem absolute, quandoque autem conditionaliter. & sic per leges diuinas & humanas cogitur quis conditionaliter benefacere, scilicet si voluerit vitare pœnam temporalem vel æternam, tenetur socium, cum potest, defendere.

DISCIP. Istam responsionem rationabilem arbitror: cui tamen Gloss. super illo verbo, cogitaui, repugnare videtur, cum dicit: *qui ex timore benefacit, reputatur non facere.* Ex quibus verbis colligitur, quod aliquis potest benefacere ex timore. & ita saltem aliquis timore conditionaliter cogitur benefacere, quemadmodum cogitur bonum facere.

MAGIST. Respondetur, quod Glossa intentionem textus August. expressius habuisset, si dixisset, *qui ex timore bonum facit, reputatur non facere*, sicut dicit August. vt habetur *extra de reg. iur. qui ex timore facit præceptum aliter quam debeat facit, & ideo non iam facit.* potest tamen dici, quod Gloss. posuit benefacere pro bonum facere. non est autem dubium, quin leges cogant sæpe bona facere. & ideo sæpe metu legum & timore nonnulli benefaciunt accipiendo benefacere pro bonum facere. sed August. aliter accipit, quia pro meritorie & ex bona voluntate facere.

CAP. XLV.

In quo pertractatur tertia conclusio cap. 17. posita scilicet quod deferendum sit appellationi à Papa catholico pro causa hæresis interiecta, antequam constet ipsam non esse legitimam. & probatur sex rationibus. Oppositum vero huius probatur capitulo immediate sequenti, scilicet quod non sit deferendum tali appellationi. in principio tamen capituli proponitur, quomodo quædam de nescientibus Papam esse hæreticum, vtrum tales teneantur defendere impugnantes ipsum, ad quam respondetur infra cap. 50. huius.

DISCIP. Allegationes, quas supra in diuersis capitulis adduxisti ad probandum, quod catholici, qui possunt, de necessitate tenentur Papam hæreticum impugnantes defendere, tantummodo de scientibus & credentibus Papam esse hæreticum videtur concludere, quod illi soli scilicet qui credunt aut sciunt Papam esse hæreticum, tenentur de necessitate salutis ipsum impugnantes, si possunt, defendere: non autem videntur ostendere, quod nescientes Papam esse hæreticum, teneantur defendere ipsum de prauitate hæretica impugnantes. ideo quid de hoc sentiunt literati propalam.

MAG. Rationes illæ saltem multæ non tantum de scientibus Papam esse hæreticum: sed de nescientibus (tamen dubitantibus) videntur procedere. vnde nonnulli putant, quod sicut si aliquis de facto à Papa catholico appellaret, ipsi hæresim imponendo antequam constaret appellationem huiusmodi non esse legitimam esset appellationi deferendum eiusdem. ita si aliqui impugnant Papam hæreticum, alii catholici nescientes ipsum esse hæreticum, & ignorantes an ipsum impugnantes veraciter & iuste impugnent, tenentur, si possunt, taliter impugnantes defendere.

DISCIP.

DISCIP. Secundum ista, quæ dicis, hic est locus congruus pertractandi conclusionem tertiam illorum, qui dicunt, quod licet appellare à sumo Pontifice, quam supra c.17. recitasti: & nunc iterum replicasti. ideo pro illa conclusione primo satagas allegare.

MAGIST. Quod deferendum sit appellationi à Papa catholico pro causa hæresis interiectæ, antequam constet ipsam non esse legitimam, multis modis videtur posse probari. Primo sic non minus deferendum est appellationi pro causa hæresis interiectæ, quam aliis appellationibus pro grauaminibus spiritualib. & leuibus interiectis. quia appellatio pro causa fidei interiecta spectat ad ius publicum & vtilitatem communem. ergo non minori priuilegio gaudere debet, quam appellatio interiecta pro vtilitate priuata. sed aliis appellationibus est deferendum, quamuis non constet, quod non sunt legitimæ, eo quod causa allegata non est probata. ergo multo fortius appellationi à Papa pro causa hæresis interiectæ est deferendum, dummodo non constet, quod non est legitima.

DISCIP. Tardiores exemplis apertis sæpe mouentur. ideo pone exemplum apertum de appellatione à Papa catholico interiecta.

MAG. Sicut in principio istius materiæ tibi apertius indicaui, tenentes istam assertionem, quod appellationi à Papa catholico est deferendum, antequam constet appellationem non esse legitimam, nolunt ad strictissimam significationem appellationis artari, sed vtuntur nomine appellationis, quo poterunt largius, scilicet pro prouocatione largissime sumpta: imo etiam vsus permittit pro recusatione. intendunt ergo quod appellationi seu prouocationi à Papa catholico, vel recusationi, quando allegatur causa, quæ si esset probata, deberet legitima reputari, tali appellationi vel recusationi est omnino deferendum. Tali modo loquendi supposito, ponatur, quod aliquis appellet à Papa, vel recuset eum allegando, & se velle probare firmiter offerendo, quod Papa tenuit & asseruit fidem Christianam esse falsam & fictam. & ideo non potest nec debet officium papatus exercere. Quo posito dicunt isti, quod tali appellationi seu prouocationi vel recusationi, quantumcunq; causa allegata sit falsa, quia tamen est talis, quæ si esset probata, deberet legitima reputari, antequam allegans eam fuerit de calumnia conuictus, vel in probatione defecerit, aut per aliam exceptionem legitimam, vel alium modum congruum appareat repellendus, tam Papa quã alii catholici debent tali appellationi vel recusationi deferre circa taliter appellantem vel recusantem, priusquam eum malitiose constiterit processisse, nihil penitus innouando: imo pro tempore illo à iurisdictione summi Pontificis est exemptus. hoc exemplo posito probatur, quod modo prędicto tam summus Pontifex, quam alii tali appellationi vel recusationi deferre tenentur.

Et primo sic: secundum leges fauore religionis multa constituuntur contra rationem. quod sano intellectui inconsonum veritati dinoscitur, quia religio Christiana maiori fauore dinoscitur esse digna, quam quæcunque causa priuata. Ex quo concluditur, quod verba iuris in fauore religionis amplianda sunt, & nullatenus restringenda. & per consequens omnia iura canonica & ciuilia in fauorem edita appellantis interpretãda sunt largissime: quia appellans pro religione Christiana & fide catholica se asserit appellare. constat autem secundum iura canonica & ciuilia, quod appellationi illius, qui pro re alia, quam pro fide, si talem causam allegat, quæ si esset probata, deberet legitima reputari, iudex, à quo appellat, & alii deferre tenentur. ergo per eadem iura probatur, quod appellans à Papa allegans quod Papa tenet & asserit fidem Christianam esse falsam: Papa & alii appellationi eius vel recusationi deferre tenentur, quia si hæc causa esset probata, deberet legitima reputari. si enim talis appellans probaret legitime Papam tenere fidem Christianam esse falsam, Papa nec super istum, nec super alium iurisdictionem haberet.

Secunda ratio talis est. sicut appellationi, vel recusationi legitimæ, deferendum est: ita etiam omni appellationi & recusationi, quam non constat illegitimam esse, deferendum est, antequam constet eum frustratorie seu malitiose procedere: & licet pro causa, quam alleget, ab alio appellare vel alium recusare: & quia sic omni appellationi vel recusationi legitimæ deferendum est. sed catholico licet à Papa appellare, vel Papam recusare, si Papa asserit fidem Christianam esse falsam. ergo si pro causa hac quis appellat, appellationem vel recusationem non esse legitimam, nisi constiterit causam allegatam esse falsam. igitur deferendum est appellationi vel recusationi huiusmodi.

Tertia ratio talis est. si appellationi, vel recusationi huiusmodi est minime deferendum; aut hoc est, quia causa assignata, si esset probata, non deberet legitima reputari; aut quia ille, à quo appellat vel qui recusatur, est talis persona, à qua pro causa tali appellare non licet; vel quia appellans vel recusans est talis persona, cui specialiter est interdictum à iure, ne pro tali causa appellaret, vel quia appellans vel recusans infra tempus statutum à iure non appellat vel non recusat, vel suam appellationem vel recusationem nequaquam prosequitur; vel quia in forma appellationis aliqua deberent inferri, quæ omittuntur. Quia si aliqua appellatio vel recusatio repellitur, aut est repellenda propter causam legitimam, si etiam esset probata; vel propter defectum appellationis, aut prosecutionis; aut propter omissionem temporis à iure statuti; vel propter conditionem personæ, à qua appellatur vel recusatur; vel propter conditionem personæ appellantis vel recusantis. sed propter primum non est dicendũ, quod tali appellationi vel recusationi est minime deferendum: quia

causa assignata, quod Papa videlicet tenet & asserit fidem Christianam esse falsam, est talis, quæ si esset probata, deberet ab omnibus catholicis sufficiens & legitima reputari. Nec propter secundum: quia à Papa, si asserit & tenet fidem Christianam esse falsam, licet appellare; imo est ab omnibus catholicis euitandus. Nec propter tertium est tali appellationi vel recusationi minime deferendum: quia ponatur, quod appellans seu recusans sit bonæ famæ, quando appellat vel recusat, & talis contra quem nihil obiici possit: imo ponatur, quod sit rex, vel Episcopus, vel talis opinionis & famæ, quod contra personam non possit exceptio legitima allegari. Nec propter quartum est tali appellationi vel recusationi à iudice minime deferendum: tum quia, sicut probatum est, tali appellanti, vel recusanti non potest currere tempus, cum non sit simpliciter necesse appellare pro tali causa: tum quia ponitur, quod infra tempus statutum à iure appellet vel recuset, & appellationem vel recusationem prosequitur. Nec propter quintum est tali appellationi vel recusationi minime deferendum. tum quia in hoc casu in fauorem fidei Christianæ non est necesse obseruare subtilitates iuris; tum quia ponatur, quod talis appellans vel recusans nihil de contingentibus & subtilitatibus iuris obmittat. Patet igitur, quod nulla ratio potest allegari, quare tali appellationi sit minime deferendum. quia nec ex parte causæ assignatæ, nec ex parte appellantis, nec ex parte personæ à qua appellatur, nec ex parte temporis, nec ex parte formæ appellationis. & ita dicendum est secundum ipsos, quod tali appellationi seu recusationi est deferendum omnino.

Discip. Potest dici, quod ratio dari vel reddi, quare tali appellationi est minime deferendum ex parte causæ, quia causa est falsa, eo quod Papa est catholicus secundum casum.

Mag. Ista responsio friuola reputatur, quia falsitas causæ non impedit, quo minus appellationi vel recusationi sit deferendum, antequam falsitas sit probata; vel offerens se probaturum causam in probatione defecerit. aliter enim nunquam esset aliqua appellatio reprobāda, an iudex vel alius rationabiliter detulisset; quod tamen constat esse falsum. si enim iudex iustam contra aliquem proferret sententiam; si ille duxerit appellandum, allegans quod sententia est iniqua, iudex, quamuis sciat appellationem iniquam & causam esse falsam: quia tamen adhuc non est probata causa esse falsa, nec etiam appellans in probatione defecit, iudex appellationi suæ deferre tenetur: qui tamen postquam de iniqua appellatione fuerit conuictus, exigente iustitia est grauiter puniendus.

Discip. Alias rationes adducas. Magist. Quarta ratio pro assertione prædicta talis est. illius appellationi vel recusationi est deferendum, qui appellat, vel recusat ex causa, quæ si esset probata, deberet legitima reputari; cuius accusatio vel testimonium contra superiorem in eadem causa debet admitti. sed qui voluerit Papam de prædicta hæresi accusare, vel contra eum testificari: si alias est persona idonea, eius est accusatio & etiam testificatio admittenda. ergo si ex eadem causa duxerit appellandum, vel eundem iudicem duxerit recusandum, eius appellationi vel recusationi est deferendum. Maior est manifesta: quia æque leuibus causis vel æqualibus contingit contra aliquem appellare & recusare ipsum, ex quibus contingit eum accusare vel contra eum testimonium ferre. sæpe enim licet aliquem iudicem recusare vel testificari contra ipsum, vt patet. Minor etiam videtur certa: quia constat, quod Papa potest de hæresi accusari secundum iura. & per consequens contingit contra ipsum de hæresi testimonium ferri: quod maxime veritatem habet, si Papa tenet fidem Christianam esse falsam.

Quinta ratio est hęc: ille, cuius appellationi, vel recusationi merito non defertur, de appellatione iniqua vel frustratoria vituperandus censetur. quia solummodo appellationi vel recusationi frustratoriæ vel iniquę est minime deferendum. sed qui appellat vel recusat Papam pro iudice se gerente scilicet offerens probaturum, quod Papa tenet & asserit fidem Christianam esse falsam, ante examinationem causæ & antequam conuincatur de falsi criminis impositione, vel in probatione defecerit, non est vituperandus, iuxta sententiam sapientis, qui, vt habetur Ecclesiast. 11. ait: Priusquam interroges, ne vituperes quenquam. ergo tali appellationi vel recusationi (antequam ostendatur iniqua) est deferendum.

Sexta ratio talis est: in dubiis via securior est tenenda, extra de regulis iuris, estote. & extra de homicidio, ad audientiam. sed deferre appellationi vel recusationi Papæ ex causa prædicta est securior via. nam ex hoc, quod tali appellationi vel recusationi defertur, nullum periculum imminet, neque fidei Christianæ, nec summo Pontifici, si est innocens. si autem talibus appellationibus vel recusationibus minime est deferendum, magna pericula possent fidei catholicæ imminere. posset etiam Papa absque metu stricti iudicii, & pœnæ condignæ, catholicæ fidei corrumpere puritatem. ergo (securiorem viam sequendo) in fauorem fidei Christianæ talibus est appellationibus vel recusationibus deferendum.

Discip. Videtur quod talis via non sit securior: quia summo Pontifici, si talibus esset appellationibus & recusationib. deferendum, multiplicia & magna imminerent dispendia. posset enim quilibet Papam catholicum tanquam hæreticum recusare. ex quo fama summi Pontificis multipliciter læderetur, & ipse suam innocentiam declarando modis variis vexaretur.

Magist. Ista responsio impugnatur: quia talis via non est securior. quod sic probatur: illa via, quæ est in fauorem fidei Christianæ, & non probabile dispendium summi Pontificis innocentis, est securior, quam illa via, quæ potest vergere in notabi-

notabile dispendium fidei orthodoxæ & periculum & in fauorem Papæ prauitate hæretica maculati. sed deferre huiusmodi appellationib. & recusationibus interiectis ex causa prædicta (antequam legitime constet causam esse falsam) est in fauorem fidei Christianæ, & non est in personale dispendium vel periculum summi Pontificis innocentis: Quia summo Pontifici innocenti plurimæ viæ patent omne periculum euadendi. non deferre autem huiusmodi appellationibus & recusationibus potest vergere in notabile dispendium fidei orthodoxæ, & in fauorem Papæ hæretici. Poterit enim libere Papa hæreticus prauitate hæretica corrumpere orthodoxos, si nemo contra eum est super crimine hæresis audiendus. deferre igitur huiusmodi appellationibus & recusationibus est via securior, & ideo est tenenda.

DISCIP. Ista ratio videtur deficere dupliciter. Primo quia (sicut ego dixi) deferre appellationibus & recusationibus huiusmodi, potest vergere in personale periculum summi Pontificis innocentis: quia quilibet poterit eum diffamare & multipliciter fatigare.

Secundo deficit: quia quamuis non sit talibus appellationibus & recusationibus deferendum, non tamen poterit Papa hæreticus libere prauitate hæretica corrumpere orthodoxos: quia si aliqui, qui sint minime repellendi, eum accusare voluerint de hæretica prauitate, eis non debet audientia denegari.

MAGIST. Prima instantia tua friuola multis apparet: quia sicut quemadmodum notatur extra, de præsumptionibus. cap. quia verisimile, quia sicut de nemine præsumendum est, quod bona sua iactet, supra de renunciatione, super hoc. & supra. de re. spol. sollicite: ita de nemine præsumendum est quod gratis confusioni & totius amissioni honoris ac pœnæ prauitatis hæreticæ se exponat. Sed qui appellaret à Papa, vel ipsum tanquam hæreticum recusaret, eidem imponendo quod Christianam fidem asserat esse falsam, se confusioni Papæ ac totius amissioni honoris ac pœnæ prauitatis hæreticæ se exponeret. Talis enim propter tanti criminis impositionem tantæ personæ omnibus prædictis esset dignissimus. De nemine ergo qui fuerit bonæ discretionis & famæ est præsumendum, quod tale quid velit mendaciter imponere summo Pontifici. Quare quantumcunque talibus appellationibus & recusationibus deferatur, probabile periculum nequaquam imminet summo Pontifici innocenti. Quia nullatenus oportet probabiliter formidare, quod vnquam aliquis tantum crimen summo Pontifici innocenti audebit imponere. Et si contingeret, quod semel vel bis aliqui ad tantam deuenirent insaniam: quod mendaciter tale crimen imponerent summo Pontifici innocenti, & propter hoc ab ipso appellarent vel recusarent eundem, non essent propter hoc tales appellationes vel recusationes regulariter repellendæ. Quia sicut in legibus statuendis, ita in interpretatione legum ea quæ frequenter, & non quæ raro accidunt, sunt pensanda. quare cum raro vel nunquam accidat, quod aliquis appellando, vel recusando Papam sibi imponat, quod fidem abnegauerit Christianam, cum ista sit causa, quæ si esset probata, deberet legitima reputari. concluditur quod iura, quæ asserunt, quod est appellationibus & recusationibus deferendum, in quibus assignatur causa, si esset probata, deberet legitima reputari ad appellationem & recusationem Papæ, in qua pro causa assignatur, quod Papa fidem Christianam asserit esse falsam, sunt omnimode extendenda. Et instantia tua secunda per rationem quartam superius factam repellitur. nam ostensum est, quod cuilibet licet accusare Papam de hæretica prauitate, & eius appellationi & recusationi pro causa hæresis est omnimode deferendum: cum minus sit appellare vel iudicem recusare, quam accusare eundem.

CAP. XLVI.

In quo ponitur & probatur conclusio contraria duabus rationibus probando scilicet, quod non sit deferendum tali appellationi contra summum Pontificem, ad quas respondetur capitulo immediate sequenti.

DISCIP. Ex quo allegasti pro assertione dicente, quod deferendum est appellationi seu recusationi Papæ, antequam constet talem appellationem vel recusationem non esse legitimam: quia causa videlicet allegata non est probata, licet talis sit, quod si esset probata, deberet legitima reputari: peto vt pro assertione contraria aliquas allegationes adducas.

MAGIST. Quod nescientes & dubitantes talem appellationem vel recusationem non esse legitimam eis deferre non debeant: maxime si Papa sciens causam esse falsam non deferret eidem, videtur posse probari.

Primo sic: præceptis Papæ oportet non solum in certis, sed etiam in dubiis obedire: cum etiam in dubiis præcepto regis sacrilegi miles debeat obedire, teste Augustin. qui, vt habetur 23. quæst. 1. cap. quid culpatur, ait: vir iustus si forte etiam sub rege & homine sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare: si vice pacis ordinem seruans quod sibi iubetur vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit certum non est ita vt fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiẽdi. Ex quib. verbis colligitur quod miles regi sacrilego in dubiis obedire tenetur. ergo multo magis in dubiis est obediendum summo Pontifici. ex quo concluditur, quod dubitantes talem appellationem vel recusa-

cusationem esse legitimam, si Papa non defert ei, & aliis mandat ne deferant, ipsi ei obedire debent.

Secundo sic: nulli clerico licet ante tempus sententiæ ab Episcopo suo discedere. 8. quæst. 4. propter nullam appellationem vel recusationem ante decisionem causæ licet catholicis ab obedientia Papæ recedere. ergo post recusationem vel appellationem huiusmodi est in omnibus obediendum Papæ, sicut prius. ergo si Papa præcipit tali appellationi vel recusationi nequaquam deferri, dubitantes talem appellationem vel recusationem non esse legitimam, tenentur ei non deferre. aliter oporteret catholicos nescientes Papam hæreticum esse ab obedientia ipsius recedere, quod nullatenus est tenendum.

Cap. XLVII.

Vbi ponitur responsio ad rationes præcedentis capituli probantes, tali appellationi non esse deferendum. vbi nota. de ignorantia.

DISCIP. Non puto, quod fortiores rationes, quam sint istæ duæ, pro assertione prædicta valeant inueniri. ideo plures non adducas: sed dic quomodo respondetur ad istas.

MAGIST. Ad primam respondetur de dubiis distinguendo. nam sicut distinguitur de ignorantia, prout legitur. 1. quæst. 4. cap. crimen. §. notandum, quod alia est ignorantia facti, alia est iuris. Ignorantia facti, alia est eius quod oportet scire, & alia eius quod non oportet scire. Et similiter ignorantia iuris, alia est iuris naturalis, alia ciuilis. Sic est alia dubitatio facti, & alia dubitatio iuris. & alia dubitatio facti quod oportet scire, & similiter alia est dubitatio quod quis scire non tenetur. & alia est iuris, quod quis scire tenetur. & alia est dubitatio iuris quod quis scire non tenetur. Per hoc respondetur ad primam rationem, quod quædam sunt dubia, quæ oportet scire: & quædam sunt dubia quæ non oportet scire. In dubiis autem, quæ non oportet scire, est obediendum superiori. & in tali casu loquitur Augustin. in verbis superius allegatis. In dubiis vero, quæ oportet scire, non est semper obediendum superiori. Si enim Rex vel alius præciperet adorari Machometum, vel seruare legem Iudæorum, quamuis subditus dubitaret tale præceptum esse contra legem Dei & iniquum, nullatenus excusaretur à peccato obediendo, sicut Iudæi & alii minime excusantur, licet non sciant se malefacere. Sic dicunt in proposito, quod si aliquis dubitet, an sit obediendum Papæ præcipienti, quod tali appellationi vel recusationi minime deferatur, dubitat de illo, quod oportet scire & nullatenus dubitare. quilibet enim capax rationis scire tenetur, quod magis fauendum est legi diuinæ quam cuicunque mortali. & ideo occurrendum est magis, vbi imminet periculum legis diuinæ quam vbi imminet periculum hominis cuiuscunque mortalis. Quare quilibet scire tenetur, quod in derogationem & subuersionem legis diuinæ nulli oportet obedire prælato. Tenetur etiam quilibet scire, quod si non esset deferendum appellationi vel recusationi huiusmodi, antequam constet eam non esse legitimam, posset legis diuinæ subuersio imminere. Posset enim libere Papa hæreticus absque resistentia legem diuinam subuertere, & introducere sectam catholicæ fidei aduersantem: quia quilibet scire tenetur, quod tali præcepto est minime obediendum. Et ideo si dubitans obediat, à peccato minime excusatur, quia dubitat vbi dubitare non debet.

DISCIP. Omnino videtur irrationabiliter dictum, quod quilibet tenetur scire, quod tali præcepto Papæ non sit obediendum: cum pauci vel nulli hoc teneant. ea autem quæ quilibet tenetur scire, cognoscuntur esse contraria his quæ paucis sunt ignota. ergo non quilibet tenetur scire, quod non est obediendum tali præcepto summi Pontificis. Quod etiam ratione videtur posse probari: quia spectantia ad mores, quæ quilibet scire tenetur, vel pertinent ad ius naturale vel ad ius diuinum. Ea vero quæ sunt de iure positiuo, non quilibet tenetur scire: sed non obedire tali præcepto non pertinet ad ius naturale: quia tunc naturaliter esset notum. nec pertinet ad ius diuinum: quia ius diuinum in scripturis sacris habetur, in tota autem scriptura diuina nulla de hoc fit mentio. ergo non spectat ad ius diuinum.

MAGIST. Respondetur, quod sicut natura humana est corrupta per peccatum, ita & cognitio humana in multis per varia vicia quo ad multa penitus est amissa. & ideo si nulli vel pauci tenent, quod non est obediendum tali præcepto Papæ, hoc ex corruptione accidit vitiorum. pauci enim vel nulli inueniuntur, qui velint pro veritate indignationem incurrere summi Pontificis: si autem summus Pontifex hoc teneret, omnes vel multi de hoc nullatenus dubitarent: si etiam vellent ad conscientiam suam recurrere, inuenirent esse tenendum, quod nulli mortali est obediendum in subuersione legis diuinæ, & per consequens quod tali præcepto Papæ cum possit esse in subuersionem legis diuinæ non est obediendum quoquo modo.

Cum vero dicis, quod spectantia ad mores, quæ quilibet scire tenetur, vel pertinent ad ius naturale, vel ad ius diuinum: dicitur quod verum est aliquo modo: quia vel sunt principia, aut conclusiones iuris naturalis vel diuini, aut sequuntur similiter ex iure naturali, & diuino. & ita est de assertione ista: non est obediendum huiusmodi præcepto Papæ, quia sequitur ex his, qui sunt ex dictamine iuris naturalis, & ex aliquibus contentis in iure diuino. & quia per rationem naturalem scitur,

scitur, quod quilibet debet præferre legem, quam reputat diuinam, omni mortali. per legem autem diuinam scitur, quod lex Christiana est lex diuina. igitur per rationem & legem diuinam similiter scitur, quod lex Christiana est omni homini præferenda. & per consequens nulli præcepto Papæ in derogationem vel subuersionem legis Christianæ est aliqualiter obediendum. & ita spectat quodammodo ad ius naturale & ad ius diuinum. Cum vero probatur, quod non pertinet ad ius naturale: quia tunc esset naturaliter notum. Respondetur, quod non est verum: quia multa spectant ad ius naturale, tanquam ad conclusiones, quæ non sunt naturaliter nota. cum autem dicis, quod de hoc in iure diuino nulla fit mentio. Respondetur, quod de hoc non fit mentio vocaliter in iure diuino: in iure tamen diuino (sicut conclusio) virtualiter continetur.

DISCIP. Dic quomodo respondetur ad rationem secundam.

MAG. Dicitur, quod non est generaliter verum, quod nulli clerico licet ante tempus sententiæ ab Episcopo suo discedere, teste Gloss. 2. q. 7. c. sacerdotes, quæ ait: Si prælati sunt hæretici vel excommunicati, vel non seruant canones, vel simoniaci vel notorii fornicatores, tunc potest recedi ab eis 16. q fin. sane. & 23. dist. nullus. Ex quibus verbis patet, quod licet clericis in casu ante tempus sententiæ latæ ab homine ab Episcopo suo vel prælato recedere. & ideo quandoque à Papa ante sententiam latam ab homine licet discedere.

DISCIP. Ista responsio non videtur apparens: quia quamuis clerico liceat quandoque ante tempus sententiæ latæ ab homine, id est, ab Episcopo suo vel Prælato recedere: hoc tamen non licet ante tempus sententiæ latæ à iure. vnde si Prælati sint hæretici, vel excommunicati, vel simoniaci, vel notorii fornicatores, licet sententia non sit lata contra eos ab homine, sententia tamen lata est à iure. sed propter appellationem vel recusationem alicuius nulla est sententia lata contra Papam à iure neque ab homine. ergo non obstante tali appellatione & recusatione est Papæ obediendum, sicut prius. & ita si præcipit ne appellationi vel recusationi huiusmodi deferatur, obediendum est.

MAG. Dicitur quod secundum iura & dictamen rectæ rationis ante sententiam latam ab homine vel à iure non licet alicui simpliciter à suo Prælato recedere. veruntamen sicut sæpe per accusationem vel recusationem suspensa est iurisdictio alicuius & potestas, vel quantum ad aliquam causam determinatam, vel quantum ad omnem causam: ita propter appellationem, vel recusationem potest potestas Papæ suspendi quo ad quædam præcepta, ne videlicet aliquid præcipiat aut determinet esse in præiudicium appellantis vel etiam recusantis. & quemadmodum propter appellationem & recusationem huiusmodi est suspēsa potestas Papæ quo ad præcepta in præiudicium appellantis: ita omnes subditi Papæ scientes appellationem vel recusationem huiusmodi interiectam, licet nesciant causam esse legitimam, absoluti sunt ab obedientia Papæ quo ad præcepta in præiudicium appellantis & recusantis. & ideo sicut tunc Papa non debet præcipere aliquid in præiudicium appellationis vel recusationis huiusmodi, ita subditi sui quo ad hoc nullatenus sibi obedire tenentur.

CAP. XLVIII.

Vbi inquiritur, à quo possit quis suspendi, & quid importetur nomine suspensionis.

DISCIP. Miror quod dicitur, potestatem Papæ posse suspendi per appellationem vel recusationem cuiuscunq;: cum nullus debeat suspendi, nisi ab homine, vel à iure. Papa autem ab homine suspendi non potest, cum nullus sit eo superior: nec potest suspendi à iure, quia quicunq; suspensus est à iure, vel est suspensus à iure naturali, vel à iure diuino, vel à iure positiuo. sed potestas Papæ per huiusmodi appellationem vel recusationem non est suspensa à iure naturali: cum appellationes vel recusationes non sunt à iure naturali, sed ab inuentione humana. nec est suspensa à iure diuino propter idem: nec à iure positiuo, quoniam in toto iure positiuo de tali suspensione nulla penitus mentio reperitur.

MAG. Isti de vocabulo suspensionis volunt contendere. & ideo qualitercunque accipiatur in iure, ipsi in hoc casu vtuntur nomine suspensionis scilicet quod importat potestatem in alium ex causa minime exercendam. Et isto modo dicunt potestatem Papæ aliquo modo suspensam per talem appellationem vel recusationem: quia scilicet Papa de necessitate salutis tenetur non exercere potestatem in appellantem vel recusantem in præiudicium appellationis vel recusationis ipsius. Et ita suspensio est à iure naturæ: quia est ex dictamine naturali. dictat enim ratio naturalis, quod si aliquis appellat vel recusat iudicem ex causa, quæ si esset probata, deberet legitima reputari, iudex, antequam appellans vel recusans de malicia conuincatur, non debet potestatem exercere in ipsum in præiudicium appellationis, vel recusationis ipsius. & cum dicis quod appellationes & recusationes non sunt à iure naturali, sed ab inuentione humana: respondetur, quod ex hoc non sequitur, quod talis suspensio non sit à iure. quia sicut licet peccatum non sunt à iure naturali, cohibitio tamen peccatorum sic est à iure naturali pro statu naturæ corruptæ, licet non pro statu institutæ. Similiter posset dici, quod talis suspensio est à iure diuino, quia ex iure diuino potest ostendi, quod Papa non debet in talem potestatem suam (in suæ appellationis vel recusationis præiudicium) exercere.

CAP.

Cap. XLIX.

Dicit quod Papa tenetur deferri appellationi tali contra eum factæ, & probatur tribus rationibus.

DISCIP. Apparet quod isti per talem suspensionem non aliud intelligunt, nisi quod Papa tali appellationi vel recusationi deferre tenetur: ideo omittamus verbum suspensionis, & conare probare, quod Papa tali appellationi vel recusationi deferre tenetur, appellantem videlicet & recusantem propter appellationem vel recusationem, nullatenus molestando ante decisionem causæ.

MAG. Quod Papa teneatur tali appellationi vel recusationi deferre, videtur posse probari primo sic: Papa in his quæ sunt ad alterum, non debet dominium vel potentiam contra iusticiam vel misericordiam exercere, iuxta illud beati Petri: Non dominantes in clero: sed si Papa appellationi vel recusationi huiusmodi non deferret, erga appellantem vel recusantem, nec iusticiam nec misericordiam, sed dominium & potentiam exerceret. quod non iusticiam, patet, quia ad iusticiam minime spectat appellationi vel recusationi non deferre, antequam constet eam non esse legitimam. nec exercet misericordiam, constat: quia nullã misericordiam facit taliter appellanti vel recusanti minime appellationi vel recusationi deferendo. exercet ergo potentiam & dominium absque ratione. imo contra rationem. ergo damnabiliter peccat. Secundo sic: si Papa non tenetur tali appellationi vel recusationi deferre, aut hoc est, quia nulli appellationi vel recusationi pro causa hæresis interiectæ deferre tenetur, aut quia scit talem appellationem vel recusationem esse iniquã, & causam assignatam esse falsam. Nõ propter primum, quia si causa assignata esset vera, puta quod teneret fidem Christianam esse falsam, tali appellationi vel recusationi deferre deberet. nec propter secundum; quia falsitas causæ non impedit, quo minus quis appellationi vel recusationi deferre deberet, dummodo sit talis, quæ si esset probata, deberet legitima reputari. relinquitur ergo, quod Papa tali appellationi vel recusationi deferre tenetur. Tertio sic: Iudex debet illi appellationi, aut recusationi deferre (quamuis sciat causam esse iniquam & causam assignatã esse falsam) cui alii deferre tenentur. sed alii à Papa tali appellationi vel recusationi deferre tenentur. ergo etiam Papa debet deferre eidem. ad hoc etiam possunt allegari rationes supra capitulo 45. inductæ.

Cap. L.

Quærit, an nescientes Papam esse hæreticum teneantur ipsum de hæresi impugnantes defendere: quærebatur superius cap. 55. & acceptis in bona modificatione vocabulis respondetur sub conclusione, quod sic. quod probatur vnica ratione. in capitulo vero sequenti ponuntur decem aliæ. vbi etiam ab aliis probatur quædam alia conclusio, scilicet quod tales etiam si ducantur ad mortem, sunt liberandi à catholicis, vbi etiam notatur, si latro ductus ad mortem debeat liberari. etiam nota ibidem, de quo magis sit præsumendum in tali impugnatione.

DISCIP. Post prædicta ad interrogationem, quam supra proposui, an nescientes Papam esse hæreticum teneantur impugnantes Papam de hæretica prauitate defendere, volo redire. Porro quia fundamenta æmulorum summi Pontificis discutere cupio, diligenter vnum autem de fundamentis eorum est: quod appellantes, recusantes, accusantes, & testificantes contra Papam de hæretica prauitate, ac adhærentes & fauentes eisdem sunt à cunctis catholicis & nescientibus Papam esse hæreticum defendendi. Ideo posco, vt ostendas, quomodo possit probari, quod impugnantes Papam de hæretica prauitate, sunt tuendi à cunctis catholicis, quando non constat legitimis documentis, quod taliter impugnantes inique procedunt. Volo autem sub nomine impugnantium comprehendere appellantes, recusantes, accusantes, testificantes contra Papam & adhærentes & præbentes auxilium, consilium & fauorem supradictis & impugnationi eorum. Volo etiam vti nomine defensionis largissime pro defensione scilicet, quæ fit quocunque modo, verbo vel facto, vel taciturnitate vel omissione, secundum quod dicitur aliquis alium defendere, qui eum non producit vel non manifestat.

MAGIST. Sic acceptis vocabulis impugnationis & defensionis, quod omnes catholici teneantur defendere impugnantes Papam etiam catholicum de hæretica prauitate (antequam constet legitimis documentis eos malitiose procedere) ostenditur primo quadam ratione, quæ tacta est prius cap. 44. quæ talis est. Qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur, extra, de iniuriis & damno dato, si culpa. ergo similiter qui occasionem persequendi vel molestandi vel iniuriandi dat, persecutionem vel molestiam vel iniuriam intulisse videtur. sed non defendens impugnantes Papam de hæretica prauitate (cum potest) occasionem persequendi vel molestandi vel iniuriandi dat; quia si defenderet (ex quo potest) persecutionem

tutionem vel molestiam vel iniuriam illatam, vel inferendam excluderet. Ergo talis non defendens prædictos prædicta intulisse videtur vel dignoscitur. Sed nullus debet impugnantibus Papam de hæretica prauitate, antequam constiterit eos malitiose procedere, persecutionem aut molestiam vel iniuriam irrogare. Ergo quilibet, qui potest, eos tenetur defendere. *Discip.* Dare occasionem damni vel persecutionis aut iniuriæ aut nocumenti, contingit dupliciter: aut positiue aliquid agendo, vel loquendo; vel negatiue aliquid omittendo. Qui primo modo dat occasionem damni, damnum dedisse videtur, & reprehensibilis reputatur, qui autem dat occasionem damni vel persecutionis, vel nocumenti, vel molestiæ siue iniuriæ aliquid omittendo, non videtur damnum vel molestiã intulisse, nec culpabilis est tenendus. Tunc enim quicunq; non iuuaret alium vel non ditaret, & ex hoc accideret damnũ alterius, videretur damnũ dedisse, & esset reprehensibilis iudicandus, quod est nimis durum. *Magist.* Ista responsio assertionibus sanctorum patrum obuiare videtur: quia ipsi intelligunt, ꝙ non solum damnum dat, qui occasionem damni dat aliquid faciendo vel loquendo, sed etiã qui occasionẽ damni dat aliquid omittendo, & quod inde tenetur saltem in conspectu Dei. Hoc auctoritatibus multis videtur posse ꝓbari. Greg. enim nonus, vt legitur *extra, de iniuriis & damno dato, si culpa,* ait: *si culpa tua datũ est damnũ vel iniuria irrogata seu aliis irrogantibus opẽ ferre distulisti: aut hoc imperitia tua seu negligentia euenerit, iure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo inde iniuriã verisimiliter posse contingere vel iacturã.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod non solũ damnum intelligitur dare, q̃ verbo vel facto occasionem damni dat, sed etiã qui per negligentiã aliquid omittendo occasionẽ damni dat, intelligitur damnum dare, & ex hoc culpabilis iudicatur. Item, qui occasionẽ mortis dat, solumodo omittendo aliquid, reus homicidii iudicatur, teste Ambrosio, qui, vt habetur 86. *di. pasce,* ait: *quisquis enim pascendo hominem seruare poteris (si non paueris) occidisti.* Ergo consimiliter qui occasionem damni dat vel nocumenti, solummodo aliquid omittendo, hic damnum vel nocumentũ dare videtur, & exinde reus & culpabilis est tenendus. *Disc.* Quãuis allegationes istæ magnam apparentiã videantur habere, modo video tamen, ꝙ generaliter, qui occasionẽ damni dat aliquid omittendo sit culpabilis iudicandus: cũ etiam absq; culpa possit quis occasionem damni dare aliquid faciendo. *23. q. 5. c. de occidendis.* Et ita ex hoc, ꝙ aliquis non defendit eos, qui Papã de hæretica prauitate impugnant, quamuis ex hoc quod non defendit, sequitur damnum vel nocumentum eorũ, non potest inferri, ꝙ talis non defendens sit culpabilis reputandus. *Magist.* Istã responsionem vel obiectionem nonnulli nituntur excludere. Ad cuius euidentiam prædictæ regulæ, scilicet *qui occasionẽ damni dat* &c. intellectum exponunt. Et primo quidem, quando aliquis dat occasionẽ damni solummodo aliq̃d omittendo. Secundo, quando quis dat occasionem damni aliquid faciẽdo vel loquendo. Quantũ ad primũ dicunt: quod si aliquis dat occasionem damni solummodo aliquid omittendo, aut tenetur illud facere, & tunc ex tali omissione culpã incurrit. Hinc in Exodo legitur, & recitatur *extra, de iniuriis & damno dato: si bos alienus cornupeta esset ab heri & nudius tertius, & non custodierit Dominus eius, reddet bouem pro boue.* Vbi dicit Glos. super verbo, *non custodierit: supple, & alterius bouem occiderit, vnde tenetur, quia culpa sine negligentia damnũ datum est, qui debuit diligentiam exhibere.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod ideo Dominus bouis, non custodiendo tenetur, si bos suus damnum fecerit, quia debuit diligentiã adhibere, ex quo sciuit bouem suum cornupetam. Si autẽ quis dat occasionem damni, solummodo aliquid omittendo, si non tenebatur facere quod omisit: qualecunq; damnum acciderit ex occasione data, ille qui occasionem damni dedit, est immunis à culpa. Quod *Exo. 21.* Lex Diuina insinuare videtur, vbi sic legitur: *si bos cornupeta percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius. Dominus quoq; bouis innocens erit, quod si bos cornupeta fuerit ab heri & nudius tertius, & contestati sunt Dominum eius, nec eum incluserit, occideritque virum & mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum illius occident.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod si ex non reclusione bouis, quando Dominus ipsum recludere non tenetur, mors viri vel mulieris accidit, Domino non recludenti minime imputatur. Et ita qui occasionem damni dat aliquid omittendo, quod facere non tenetur, culpabilis minime iudicatur. Secundo dicunt, quod si quis dat occasionem damni aliquid faciendo, aut dat operam rei licitæ, aut rei illicitæ, si rei illicitæ, omne damnum, quod sequitur, ei imputatur. Si dat operam rei licitæ, aut adhibet diligentiam quam debet, sibi nullum damnum (quod sequitur) imputatur. Si autem non adhibet diligentiam debitam, tunc damnum quod sequitur ei imputatur. *Discip.* Ista valde rationabilia mihi videntur: sed non video, quomodo ad propositum debeant applicari.

Magist. Nonnullis apparet, quod demonstratiue potest ostendi, quod impugnantes Papam de hæretica prauitate sunt à catholicis defendendi. Vt tamen ratio eorum magis appareat, probant primo istam conclusionem: quod videlicet taliter impugnantes Papam de prauitate hæretica, si quæruntur vel ducuntur ad mortem, sunt à morte corporali per catholicos, (si valuerint) liberandi. Et ex conclusione ista inferunt, quod ab omni persecutione & periculo sunt à catholicis eruendi. *Discip.* Proba primo, quod tales sunt à morte corporali liberandi. *Mag.* Hoc ostenditur auctoritate Salomonis, quæ allegata est supra, qui sic ait: *erue eos qui ducuntur ad mortem* &c. Hoc Aug. vt legitur *23. q. 4. c. ipsa pietas,* videtur asserere manifeste dicens: *ꝙ si duo fuerint in domo ruitura, si possumus, ambos liberare tenemur.* Quia, vt dicit ibidem, *nisi faceremus, crudeles iudicaremur.* Si etiam duo fuerit in aliqua domo ruitura, & neuter vult exire: si vnus vult interficere seipsum, si alter fuerit liberatus, illum vnum à morte liberare debemus. Similiter si multi essent in domo ruitura: & si vnus solus liberaretur, omnes alii seipsos præcipitio vellent occidere, illum vnum eruere debemus. Ergo quilibet tenetur alium etiam inuitum & no-

lentē à morte liberare si potest, etiam si ob talem liberationē vnius alii vellent seipsos occidere. Ergo multo fortius, si q̃s inuite & iniuste trahitur ad mortē, alii, qui possunt eum à morte liberare, tenētur. Ex quo seqtur, ꝙ, qui possunt, debent quæsitos ad mortē defendere. Et ita si quis vult impugnantes Papā de prauitate hæretica quęrere ad mortē, catholici q̃ possunt vel armis resistendo, si competit ipsorū personis, vel quærentes eos ad mortē verbis monitoriis, aut supplicatoriis, & aliis modis, q̃bus possunt à tanta nequitia cōpescendo vel quæsitos ad mortē occultando, vel non tradendo eos debēt defendere. *Disc.* Per istā rationē quicunq; videret latrones & homicidas & alios malefactores damnatos à iudice duci ad mortē eos si posset liberare deberet. *Mag.* Ad istam respondetur, ꝙ secus est de illis, q̃ seruato ordine iudiciario condemnātur ad mortē, & de illis qui absq; causæ cognitione, propter hoc, ꝙ volunt superiorē impugnare, mortis periculo exponuntur. Primi enim non sunt liberandi à morte: quia semp præsumitur ꝓ his, quæ fiunt à iudice & pro sententia eius, nisi fuerit legitime reprobata, vel ꝑ appellationem vel per alium modū congruentē suspensa. Et ideo tales damnati non sunt à morte liberandi, nisi à sententia iudicis appellatū existeret. Tunc enim liberandi essent ab illo, qui posset. Secundi vero liberandi sunt ab illis, q̃ cōuenienter possunt. Et ideo si Papa mandaret aliquos capi & duci ad mortē propter hoc ꝙ eum de prauitate hæretica impugnare ꝓ causa, pro qua licet superiorē impugnare nituntur, liberandi essent. Quia in hoc casu ꝓsumendum esset pro impugnantib' Papā, & non ꝓ Papa. Quod autem præsumendū esset pro impugnantibus Papā ostenditur. Quia sicut vnusquisq; præsumitur bonus, nisi ꝓbetur contrariū, ita de quolibet præsumendū est, ꝙ bene agit nisi contrariū constiterit ꝑ legitima documenta. Et ideo si quis facit illud, ꝙ bene fieri potest, ꝓsumendum est, ꝙ bene facit, anteq̃ contrariū constiterit. Quia ea quæ bene & male fieri possunt, in meliorē partem interpretanda sunt. Cū ergo possibile sit, ꝙ aliquis rite & iuste ac veraciter impugnet Papam de hæretica prauitate, præsumendū est de quolibet impugnante Papā de prauitate hæretica, ꝙ rite & iuste faciat, anteq̃ constet contrariū ꝓ impugnantibus. Ergo Papā de prauitate hæretica impugnātes præsumendum est anteq̃ legitimis documentis constiterit, ꝙ non malitiose impugnant neq; inique. Quod autē non sit præsumendū ꝓ Papa, qui ante iudiciū præciperet taliter impugnantes neci tradi, vel etiā carceri mancipari, aut alias dure tractari, ꝓbatur. Nam nō est præsumendū pro illo, q̃ iudiciū subterfugit: imo ꝓsumendū est contrariū, *extra, de præsumpt. nullus. & 11. q. 1. Christianus. & 3. q. 9. decreuimus, & di. 74. honoratus.* Sed Papa qui mandaret taliter impugnantes ipsum neci tradi vel dure tractari iudicium subterfugeret. Ergo non esset præsumendum pro illo, sed contra ipsum. *Discip.* Istæ allegationes dupliciter videntur deficere. Quia pro illo est minime præsumendum, qui iudicium subterfugit, quando tenetur stare in iudicio. Papa autem non tenetur stare in iudicio. Ergo si iudicium subterfugit, non est propter hoc præsumendum contra ipsum. Secundo deficiunt: quia non est præsumendum pro illo, qui præsumitur ex inuidia, & non ex charitate procedere. Sed qui Papam de prauitate hæretica impugnaret, præsumendum esset quod non ex charitate, sed ex inuidia impugnaret, quemadmodum præsumitur accusationem potius fieri causa inuidiæ quam charitatis, *6. q. 1. c. si omnia.* in textu & Gloss. & *2. q. 7. si quis Episcopus.* vbi canon notat accusationem, *illaudabilem actionem.* Ergo pro impugnantibus Papam de hæretica prauitate est nullatenus præsumendum: sed præsumendum est contra eos, sicut contra detractores. *Magist.* Ad primam istarum instantiarum nonnulli respondere nituntur dicentes, quod Papa tenetur stare in iudicio, si apparuerint aliqui (q̃ legitima exceptione repelli non possunt) qui eum voluerint de prauitate hæretica accusare. Cum enim, vt dicunt, constet aperte, quod potest de hæresi accusari, patenter infertur, quod aliqui sunt, qui valent Papam de hæresi accusare. Ex quibus sequitur euidenter, quod Papa in tali casu iudicio stare tenetur. Et ideo si iudicium subterfugit, reddit se suspectum, & est contra ipsum merito præsumendum. Ad secundam dicitur: quod non est semper præsumendum, quod impugnans Papam de hæretica prauitate, siue appellando siue accusando, siue testificando causa inuidiæ moueatur; nec est semper præsumendum, quod accusatio ex inuidia nō ex charitate procedat: imo nisi apparuerit aliquod indicium inuidiæ speciale, præsumendum est quod accusatio ex charitate fiat, cum accusare prælatū etiam (circumstantiis debitis obseruatis) ad rectitudinem & Dei timorem pertineat, teste Greg. qui, vt legitur 2. q. 7. c. sicut, ait: *sicut laudabile & discretum est reuerentiam & honorem exhibere primoribus, ita rectitudinis & Dei timoris est, si qua in eis sunt, quæ indigent correctione nulla dissimulatione postponere, ne totum (quod absit) corpus morbus inuadat, si languor non fuerit curatus in capite.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod non est præsumendum statim accusationem prælati fieri ex inuidia, sed ex zelo charitatis. Ad allegationes tuas respondet Gloss. *2. q. 7. si quis Episcopus,* super illo verbo *illaudabile,* dicens: *vel dic illaudabilem, quo ad vulgi opinionem. Nam aliter præsumitur quis bono zelo accusare, vt extra, de do. & contum. veritatis est verbum. ex charitate enim debet prouenire accusatio, extra, de accusationibus. si quis Episcopus, & qui accusat, publica salutis custodiam gerit, vt Cod. de famosis libellis, lege vna.* Ex quibus verbis colligitur, quod non est semper præsumendum ex inuidia accusationem fieri: imo si accusans sit hactenus bonæ famæ, nec apparet quod fuerit inimicus accusati, nec facile litigans, nec vilis aut leuis persona, sed omni suspitione carens, præsumendum est quod bono zelo accusare proponat. Et consimiliter est dicendum de impugnantibus Papam de hæretica prauitate. Non autem est verisimile, quod aliquis bonæ famæ & opinionis, mansuetus & humilis, litigia minime quærens, discretus & prouidus, se velit periculis infinitis exponere Papam de hæretica prauitate impugnando, nisi conscientia vrgeatur. Quare præsumendum est, antequam contrarium appareat, quod impugnans Papam de hæretica prauitate, & per consequens confusioni perpetuæ: imo pluri-

pluribus mortis periculis se exponens, zelo fidei orthodoxæ (quam vitæ corporali videtur facto proponere) moueatur. Et ideo omnes impugnantes Papam de hæretica prauitate, antequam constiterit legitimis documentis, quod zelo malo moueantur, sunt à catholicis, qui possunt, defendendi: qui etiam eius zelo fidei orthodoxæ (prout statim ex officio cuiuslibet congruit) tenentur impendere auxilium, consilium & fauorem. Et consimiliter si taliter impugnantes fuerint deprehensi malo zelo moueri, quia de falsitate conuincuntur, vel in probatione eorum quæ imponunt Papæ deficiunt, sunt acerrime puniendi: & videtur quod essent curiæ seculari tradendi. Patet ergo secundum istos, quod si impugnantes Papam de hæretica prauitate quæruntur ad mortem, sunt à catholicis defendendi. Ex quo infertur, quod etiam ab omni sunt persecutione & periculo liberandi, quia consimiliter & eadem ratio videtur, quod & sint liberandi à maiori periculo & minori.

CAP. LI.

In quo ponuntur aliæ rationes 10. probantes conclusionem positam capitulo immediate præcedenti, scilicet quinquagesimo, & sic in toto sunt 11. rationes probantes, quod nescientes teneantur defendere impugnantes Papam de hæretica prauitate, antequam eis constiterit, quod malo zelo procedunt.

DIscipulus. Puto, quod si omnes rationes pro assertione prædicta, quantum possemus, profundius discutere moliremur, librum maximum faceremus, & forte omnes difficultates tactas à Iuristis de appellationibus, recusationibus, denuntiationibus, inquisitionibus & testibus, exceptionibus, accusationibus, diffamationibus, calumniis, prouocationibus, præsumptionibus & purgationibus, disserere cogeremur. Ideo absq; perscrutatione subtili aliqua media breuissime tange, quibus videatur ostendi assertio memorata. Nam illis omnibus intellectis melius sciam Dominum summum pontificem ab opinionibus æmulorum defendere. Secunda ratio ad probandum, quod omnes catholici, qui congrue possunt, tenentur defendere impugnantes Papam de hæretica prauitate, antequam constiterit, quod malo zelo procedunt, si fuerint in periculo constituti, talis est. Vnusquisq; tenetur alii facere, quod sibi vult fieri, teste veritate, quæ Matth. 7. ait: *Omnia ergo quæcunq; vultis vt faciant vobis homines & vos facite eis similiter. Hoc est enim lex & Prophetæ.* Luc. 6. ait: *Prout vultis vt faciant vobis homines & vos facite illis similiter.* Sed vnusquisq; propter zelum bonum periculis mortis vel aliis quibuscunq; malis expositus rationabiliter vellet ab aliis defendi, foueri & iuuari. Ergo quicunq; videt alium in mortis periculo vel aliis constitutum propter impugnationem Papæ de hæretica prauitate, quam præsumit vel præsumere debet ex bono zelo procedere, tenetur eum, si potest, defendere, fouere & iuuare. Tertia ratio est hæc: Qui sunt audiendi in aliqua causa, sunt etiam si quærantur ad mortem pro tali causa, defendendi. Sed volentes Papam impugnare de hæretica prauitate, sunt in fauorem fidei audiendi: ergo sunt etiam defendendi. Quarta ratio est hæc. Sicut ad legislatorem pertinet prouidere subiectis, ne criminentur iniuste: ita ad ipsum cauere spectat, ne delinquere valeant insolenter. Sed Deus est perfectissimus legislator, cuius subiecti sunt summus pontifex & vniuersi catholici. Ergo sicut ad legem Diuinam omnibus datam catholicis spectat prouidere summo pontifici, ne à subditis suis criminetur iniuste, ita ad legem Diuinam spectat cauere ne summus pontifex in suorum subditorum perniciem & fidei periculum Christianæ delinquere valeat insolenter. Sed si impugnantes Papam de hæretica prauitate non essent à catholicis defendendi, Papa libere absq; metu legis cuiuscunq; potest prædicare, docere & tenere hæreticam prauitatem insolenter in catholicorum perniciem & periculum fidei orthodoxæ &c. Ergo taliter impugnantes Papam sunt à catholicis defendendi. Quinta ratio est hæc: Ad charitatem fraternam spectat proximis in cunctis suis necessitatibus subuenire, iuxta illud Beati Iohan. in canonica 1. c. 3. *qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Quasi diceret nullo modo. Et ideo subdit: *Non diligamus verbo nec lingua, sed opere & veritate.* Ex quibus verbis colligitur, quod omnes tenemur proximis, cum indigent, si possumus non solum verbo aut lingua, sed etiam veritate & opere subuenire. Quod maxime continet veritatem, quando præsumimus vel præsumere debemus proximos nostros absq; culpa sua & ex bonitate sua necessitatem vel indigentiam, quam sustinent, incidisse. Sed si videmus impugnantes Papam de hæretica prauitate in grauibus periculis constitutos: si non constet nobis legitime, quod ex malo zelo procedunt, oportet præsumere ipsos ex bono zelo & bonitate sua in talia pericula incidisse. Ergo tunc eis maxime subuenire tenemur. Et per consequens eos, si possumus, defendere & liberare tenemur. Sexta ratio est hæc: Magis tenetur catholicus catholicū defēdere, ne pro fide catholica patiatur iniuste, quam teneatur seruus defendere Dominum suum, ne sibi pro causa temporali iniuria inferatur. Sed seruus quamuis iurisdictionem non habeat, debet defendere Dominum suum, ne sibi pro causa temporali iniuria inferatur. Ergo multo magis catholicus non prælatus catholicum debet defendere, ne pro fide catholica contra iustitiam patiatur. Septima ratio est hæc: illum debet vnusquisq;, si potest, defendere, qui patitur pro causa, quam quilibet tenetur vitæ corporali præponere. Ergo pro fide patientem catholica quilibet debet, si potest, defendere. Sed qui cernit impugnantes Papam de hæretica prauitate (antequam conuincantur de zelo malo) periculis propter

huiusmodi impugnationem expositos, præsumere debet, quod pro fide catholica patiantur. Ergo tunc eos, si potest, tenentur defendere. Octaua ratio est hæc: Qui tenetur alterius bonum procurare, debet malum eius, si potuerit, remouere. Sed quilibet catholicus tenetur bonum impugnantium Papam de hæretica prauitate procurare. Aliter enim non diligeret ipsos, sicut seipsum. Ergo si viderit in periculo constitutos, debet eos, si potest, à periculo liberare. Nona ratio est hæc: Quilibet catholicus magis tenetur diligere personam proximi propter impugnationem Papæ hæretici de prauitate heretica in periculo cōstitutam, quam teneatur asinum vel iumentum inimici, si prostratum viderit, subleuare. Sed quilibet tenetur asinum inimici sui, si prostratum viderit, subleuare, teste lege diuina, quæ vt habetur Exod. 23. ait: *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum.* Ergo multo fortius si viderit catholicum, quem nescit errare, pati iniuriam vel in periculo constitutum propter zelum fidei orthodoxæ, ipsum liberare tenetur si potest. Decima ratio est hæc: vnusquisq; proximum suum, sicut seipsum, debet diligere, *Matth. 22.* ergo quilibet debet facere alii in extremo periculo constituto, quod vult facere pro seipso. Sed quilibet vult seipsum defendere: Ergo quilibet tenetur defendere proximum suum in periculo constitutum, maxime si propter iustitiam periculum sustinere videtur. Quilibet ergo si viderit proximum suum in periculo constitutum, propter hoc quod impugnat Papam de hæretica prauitate, non constat sibi quod malo zelo mouetur, ipsum defendere tenetur. Vndecima ratio est hæc: Id quod extra necessitatis tempus est licitum, tempore necessitatis extremæ est debitum: cum videamus multa, quæ extra tempus necessitatis extremæ sunt illicita, tempore necessitatis extremæ esse non solum licita, sed etiam debita. Dare enim rem alienam pauperi pro sustentatione sua extra tempus necessitatis est illicitum, secundum quod sacri canones testantur aperte & ratio manifestat. Dare tamen rem alienam pauperi pro sustentatione naturæ tempore necessitatis extremæ, quando, scilicet aliter ille pro tempore sustentari non potest, est debitum. Qui enim videret pauperem mori fame, & non posset sustentare ipsum, nisi dando sibi panem alienum, si non appareret alius, qui vellet aut posset pauperi subuenire, peccaret mortaliter, nisi panem alterius præberet. Id ergo quod extra tempus extremæ necessitatis est licitum, pro tempore necessitatis est debitum. Sed defendere impugnantes Papam de hæretica prauitate extra tempus necessitatis extremæ est licitum, saltem si Papa non præcipit contrarium. Ergo tempore necessitatis extremæ defendere taliter impugnantes Papam, siue Papa præcipiat siue nō, est debitum. Papa enim non potest præcipere contra id, quod homo debet alii tempore necessitatis extremæ, nisi ipse per se vel per alium necessitatem extremam patienti voluerit ministrare. Non enim Papa posset præcipere cuicunq; non pascere de alieno pauperem constitutum in necessitate extrema, si aliter non posset pascere eum, nec Papa per se vel per alium vellet pascere, nec appareret alius, qui posset eius indigentiæ subuenire. Nihil enim Papa potest præcipere, quod obuiat charitati fraternæ. Ergo consimiliter non potest Papa præcipere alicui, quod non defendat (modo sibi congruente) impugnantem Papam de prauitate hæretica, si est in extremo periculo constitutus, & non constat sibi, quod talis impugnans malo zelo mouetur. Et si Papa daret tale præceptum, sibi non esset obediendum quoquo modo, quia præciperet contra legem Diuinam.

CAP. LII.

Ponit quæstionem de prælatis, qui habent subditos impugnantes Papam de hæretica prauitate, si eos defendere teneantur. Et respondetur quod sic, quod probatur etiam 4. rationibus.

DIscipulus. Desine allegare pro assertione prædicta, & dic quomodo potest ostendi, quod prælati iurisdictionē habentes debent defendere sibi subiectos, si Papā de prauitate hæretica per eos nouerint impugnari. *Mag.* Nonnullis videtur, quod tales prælati teneantur suos subditos taliter Papā impugnantes defendere. Et hoc videtur posse probari, primo sic: Qui oues suæ curæ commissas, quas reputat innocentes, vel reputare debet, non defendit, cum potest, mercenario comparatur, de quo dicit Christus Ioh. 14. *Videt lupum venientem & dimittit oues & fugit, & lupus rapit & dispergit oues: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est.* &c. Sed prælati debent esse pastores, non mercenarii. Ergo tenentur oues suas, præcipue quas reputant innocentes vel reputare debent, ab inuasoribus defensare. *Discip.* Prælati debent defendere oues contra lupos, non contra Papam. Ideo si Papa mandauerit impugnantes ipsum de prauitate hæretica captiuari, vel incarcerari, aut pœna alia plecti, eos non debent defendere. *Magist.* Ex ista responsione tua putant nonnulli demonstratiue probare assertionem prædictam: quia prælati debent defendere oues suas contra lupos, si possint. Sed si Papa mandauerit captiuari, & male tractari ipsum de hæretica prauitate impugnare volentes absque causæ cognitione, vel antequam de malo zelo fuerint aperte conuicti, inter lupos gregem Dominicum crudeliter inuadentes est merito computandus. Quia propter opus, quod licitum inuenitur, nullus debet puniri, priusquam conuincatur, tale opus non bene, sed impie perpetrasse. Constat autem, quod impugnare Papam de prauitate hæretica potest esse licitum: quia Papa potest esse hæreticus, & de hæresi licite impugnari. Si igitur appareat, quod talis impugnatio ex malitia & ex iniquitate non procedit, puniri non debet. Ergo Papa puniens & male tractans ipsum taliter impugnare volentes, antequam ostenderit, quod male mouentur contra ipsos potestatem tyrannicam exercere dignoscitur. Et per consequens est inter lupos

merito

merito numerandus. Ex quo sequitur, quod prælati contra ipsum tenentur oues suas in hoc casu defendere. *Discip.* Prælati inferiores supponere debent, quod Papa iuste facit, quicquid facit: & ideo præsumere debent, quod iuste mandat ipsum impugnare volentes pœna debita plecti. *Magist.* Sunt autem nonnulli dicentes, quod hic incidis in hæresim manifestam, in quam, (vt dicunt) plurimi modernis temporibus sunt prolapsi: quemadmodum fertur de multis, qui asserunt, Papam Deum reputandum in terris. Et ideo nulli licet iudicare, quod vnquam aliquod peccatum committat. Dicunt ergo quod hæc est manifesta hæresis, scilicet quod prælati inferiores debent supponere, quod Papa iuste facit, quicquid facit. Ex hoc enim sequeretur, quod si prælati viderent Papam Dæmones inuocare, Christum blasphemare, fidem negare, adulterium committere, innocentem occidere, peiorare Ecclesias, beneficia vendere, ad vsuras dare pecuniam, deberent ipsum excusare, & quod bene faceret iudicare, quod est hæresis manifesta. Dicunt ergo, quod iuxta sententiam Bedæ, de criminibus manifestis quorumcunq;, Papæ & aliorum permittitur iudicare. Quod etiam exemplo Beati Pauli constat aperte, qui de facto Beati Petri iudicauit aperte. Et ideo ipsum male fecisse publice reprehendit. Si ergo Papa mandaret ipsum impugnare volentes male tractari, antequam eos indebite se impugnare monstraret: liceret cuilibet iudicare Papam impie & iniuste procedere. Imo de principali imposito, scilicet de prauitate hæretica suspectum habere deberent: & prælati suas oues ab eo tanquam à lupo crudeli defendere tenerentur. *Discip.* Mirum est quod isti dicunt, cum asserunt, cuilibet liceret iudicare Papam in hoc impie & iniuste procedere: & quod prælati debent taliter impugnantes contra Papam defendere, cum Papa sit magis immediatus prælatus taliter impugnantium, quam quicunq; alius prælatus inferior. Quare qui eos defendit contra Papam, iniuriam Papæ noscitur irrogare à iurisdictione Papæ suos subiectos subtrahendo. *Magist.* Respondetur ad hoc, quod taliter impugnantes sunt pars contra Papam. Quare in hoc Papa iudex eorum esse non debet: cum nullus esse debet iudex in propria causa. *Discip.* Hoc non videtur verum de Papa: quia potest esse iudex in propria causa, teste Innoc. tertio, qui, vt habetur, *extra, de iudic. cum venisset*, ait: *cum super priuilegiis Sedis Apostolicæ causa vertitur, nolumus de ipsis per alios iudicari.* Ergo Papa potest esse iudex in propria causa. Et per consequens si aliqui volunt impugnare Papam, ipse Papa potest esse iudex. Et ita si dat sententiam contra eos mandando, quod detineantur vel incarcerentur, vel alias puniantur, standum est sententiæ eius. *Magist.* Hoc quibusdam apparet contra rationem omnino. Nam licet Papa debeat iudicare inter litigantes super interpretandis priuilegiis, quia eius est interpretari, cuius est condere: licet etiam posset esse iudex in propria causa, quæ de rebus temporalibus verteretur; non tamen cum de crimine impugnatur. Et ita Papa nullo modo debet esse iudex, quando apparet ipsum de hæresi impugnare volentes. Quare si ipsos Papa ex hoc punit, licet cuilibet iudicare, quod iniuste & impie agit, & quod iudicium subterfugere quærit. Quare etiam de hæresi esset merito suspectus habendus. *Discip.* Alias rationes allega. *Magist.* Secunda ratio pro eadem assertione talis est: magis tenentur prælati defendere impugnantes ipsum de hæretica prauitate, antequam constiterit sibi ipsos ex malo zelo procedere, quam teneantur defendere viduas & pupillos. Sed prælati viduas & pupillos tenentur defendere, *dist. 87. c. 1. & ca. defensionis.* Ergo multo magis tenentur defendere Papam de hæresi impugnantes, antequam sibi constiterit quod sint nocentes. Tertia ratio est hæc. Prælati tenentur defendere sibi subiectos (etiam contra Papam) contra quos nulla causa iniquitatis obiicitur. Si enim Papa aliquos vellet confundere absq; omni causa, prælati eorum si possint, eos defendere tenentur. Ergo multo magis tenentur prælati defendere sibi subiectos, si pro causa, quæ præsumenda est iusta, à Papa ad mortem vel ad aliam confusionem quæruntur iniuste. Sed qui impugnare desiderant Papam de hæretica prauitate, antequam constiterit, quod malo zelo moueantur, præsumendi sunt causam iustam habere. Ergo tunc à prælatis sunt potissime defendendi. Quarta ratio est hæc. Illi, qui tenentur Papam de hæretico crimine corrigere, tenentur volentes ipsum de eodem crimine impugnare defendere: nisi constiterit eis, quod malo zelo moueantur. Sed prælati tenentur Papam de hæresi corrigere, si eum sciuerint hæreticam prauitatem incurrisse: quia aliter Papa de hæresi accusari non posset. Ergo tenentur eum volentes de hæresi impugnare defendere.

CAP. LIII.

In quo probatur quod etiam ad idem tenentur Reges & cæteræ potestates, & hoc vnica ratione.

D*iscipulus.* Nunquid reges & principes & aliæ publicæ potestates tenentur, volentes Papam de hæresi impugnare defendere? *Magist.* Dicunt quidam quod sic: fundantes se in hoc, quod causa fidei per sacros canones est causa vniuersorum fidelium. Et ideo omnes fideles tenentur causam fidei defendere, & fouere. Quare etiam debent defendere causam fidei prosequentes si non constat, quod eandem causam false prosequuntur & inique. Qui autem impugnant Papam de hæretica prauitate, causam fidei ostendunt se prosequi. Ergo reges & aliæ publicæ potestates eos tenentur defendere, si non constiterit eis, quod fouent causam iniustam. Hoc etiam probant plures rationes supra adductæ.

Cap. LIIII.

Vbi inquiritur, vtrum reges & principes pro tali defensione debeant arma mouere? & quod sic, respondetur, & probatur tribus rationibus.

DIscipulus. Nunquid reges & principes debent arma mouere pro defensione illorum, qui volunt Papam de hæresi impugnare? *Magist.* Respondent quidam sic, dicentes, quod si appareant dicentes se velle Papam de hæresi legitime impugnare: qui sunt tales, quod ab actione seu impugnatione Papæ sunt nullatenus repellendi: reges & principes ac aliæ publicæ potestates, in quorũ dominio seu iurisdictione morantur, pro eorum defensione res & personas, si oportuerit, tenentur exponere. Quod tali ratione nituntur ostendere. Pro defensione illorum debent reges & principes arma mouere, si oportuerit, & etiam res & personas suas exponere, qui cum sint à regibus & principibus defendendi, prosequuntur causam pro qua reges & principes debent, si oportuerit, arma mouere, ac etiam res & personas suas exponere. Quia cum tales ex tali causa defenduntur, magis defenditur causa quam ipsi. Sed reges & principes debent arma mouere, ac res & personas suas exponere pro causa, quam taliter impugnantes Papam prosequuntur: quia pro causa fidei ad talia facienda tenentur. Ergo pro defensione eorum consimilia facere astringuntur. Item, reges pro iustitia vsq; ad mortem certare tenentur, iuxta illud Eccles. 4. *vsq; ad mortem certa pro iustitia.* Sed sicut iustum est reges & principes defendere fidem catholicam, ita iustum est eos defendere illos, qui causam fidei prosequuntur: cuiusmodi sunt inter alios illi, qui Papam de hæresi impugnare volunt. Ergo pro defensione eorum reges & principes vsq; ad mortem certare tenentur: & per consequens pro eis arma mouere, ac res & personas suas exponere, si oportuerit, de necessitate iuste compelluntur. Amplius: non minus tenentur reges & principes repellere à subditis suis violentiam inferendam, quam teneantur vindicare illatam iniuriam. Sed reges & principes ad vindicandam iniuriam illatam volentibus Papam de prauitate hæretica impugnare, arma mouere tenentur. Ergo etiam ad repellendam violentiam inferendam taliter impugnantibus Papam deberent arma mouere. Et ita pro eorum defensione arma mouere tenentur. Maior videtur aperta. Minor ostenditur sic. Non minus tenentur reges & principes arma mouere pro vindicanda iniuria subditis illata in contemptum fidei Christianæ, quam pro iniuria illata subditis in contemptum regiæ maiestatis. Sed pro secundo reges arma mouere tenentur, exemplo Dauid regis, qui, vt legitur 2. *Reg.* 10. Amonitas potenter inuasit propter iniuriam factam nuntiis eius. Ergo reges & principes pro vindicanda iniuria illata in contemptum fidei Christianæ arma mouere tenentur.

Cap. LV.

In quo respondetur ad auctoritates & rationes, quibus probatur, quod à Papa appellare non licet, c. 16. positas.

DIscipulus. Multa scrutati sumus de appellationibus à summo pontifice, & de impugnantibus ipsum, motiuaq; quædam illorum, qui asserunt, quod sæpe expedit à Papa hæretico appellare, licet (quantum est de iure diuino & humano) non oporteat appellare, sed sufficit impugnare: & quod impugnantes Papam de hæretica prauitate, antequam constiterit eos malo zelo moueri, sunt à catholicis defendendi, iuuandi & fouendi. Quæ omnia & eis annexa tecum post completionem operis iterum pertractabo: & quid tu de omnibus sentias, indagabo. Ideo finem istius materiæ faciendo, dic quomodo ad allegationes, quibus ostenditur, quod à Papa appellare non licet, respondetur. *Magist.* Illæ allegationes positæ sunt supra *c.* 16. vbi per rationes & auctoritates ostenditur, quod in nullo casu licet à summo pontifice appellare. Ad intelligentiam autem auctoritatum dicunt quidã, esse notandum, quod non semper verbum generale est generaliter intelligendum: quod per infinita exempla scripturæ diuinæ dicunt posse probari, de quibus adducam pauca. Legitur enim 4. Reg. 7. *Iuit ergo Azael in occursum eius* (scilicet Helisei) *habens secum munera, & omnia bona Damasci.* De quo tamen constat, q in Damasco etiam multa bona reliquit. Nec etiam de omni genere bonorum Damasci habuit secum. Non enim portauit aliqua secum de omni specie lapidum, vasorum, instrumentorum, lignorũ, animalium, ciborum, metallorum, & cæterarum rerum, quæ erant in Damasco. Etiam Marc. 1. de Ioh. legitur: *Egrediebatur ad illum* (scilicet Iohannem Baptistã) *omnis Iudææ regio, & Hierosolymitæ vniuersi, vt baptizarentur ab illo.* Et tamẽ Hierosolymitæ multi à Iohanne minime baptizati fuerunt: & patet, quod nulli sacerdotum & seniorum, qui erant Hierosolymis, ab ipso baptisari volebãt, quia sibi nullatenus credebant, teste Saluatore, qui vt habetur Matt. 21. dicit: *Venit ad vos Iohannes in via iustitiæ, & non credidistis ei.* Et ita verba prædicta non sunt generaliter intelligenda. Sic etiam sæpe mandata generali iussione nonnulla intelliguntur, *extra, de officio legati, quod translationem.* Verba ergo generalia non semper debent generaliter intelligi. Per hoc ad auctoritatem Gelasii respondent quidam dicentes, quod ab Apostolica Sede, hoc est à Papa, nunquam prorsus est appellandum, nisi inueniatur contra fidem errare, vel in aliquo crimine, de quo scandalizetur Ecclesia, incorrigibilem se ostendat. Aliter dicunt aliqui, quod Gelasius loquitur de appellationibus, absq; quibus sententia iudicis transit in rem iudicatam. Tali enim appellatione non est appellandum à Papa, licet contra fidẽ errauerit orthodoxam: quia talis sententia contra fidẽ, siue appellatur, siue non, non potest trãsire in rem iudicatam, & ideo dicunt, quamuis liceat, tamen non est necesse à talia sententia appellare.

Et

Et quamuis à tali sententia aliquis non appellaret, in quodcunq; tempus transierit, licebit tamen sententiam impugnare. Aliter dicunt nonnulli, quod Gelasius loquitur de appellationibus pro causis particularibus, non pro causis, quæ tangunt totam Christianitatem interiectis. Non enim licet appellare (vt dicunt) nisi Papa errauerit contra fidem, vel nisi sit incorrigibilis de aliquo crimine, de quo omnes Christiani læduntur. Pro aliis autem causis appellare non licet: quamuis quidam dicant, quod si Ecclesia vniuersalis conueniret in vnum, ipsa haberet Papam de omni crimine iudicare. *Discip.* Quamuis non audierim, quod frater M. & adhærentes sui istud vltimum opinentur, tamen alias super isto volo tecum diligentius disputare, & motiua eorum ad reprobandum sollicite perscrutari. Nunc vero dic, quomodo ad aliam auctoritatẽ Gelasii respondetur. *Magist.* Ad illam auctoritatem Gelasii respondetur, sicut ad præcedentem, quod loquitur in aliis causis, quam in causis fidei, vel de appellationibus, sine quibus sententia transit in rem iudicatam. Sunt enim nonnulli, qui horrent audire, quod quamuis Papa assereret legem Christianam esse falsam, & Christum fuisse pseudo Prophetam, modo liceret appellare ab ipso. *Discip.* Illæ sunt hæreses tam patentes, & totam fidem catholicam eneruantes, quod non est negandum, quin pro talibus à summo pontifice appellare liceat: tamen, vt videtur, pro aliis appellare non licet. *Magist.* Dicunt nonnulli, quod hic erras aperte; quia si licet pro maxima hæresi appellare à summo pontifice, & pro minima hæresi appellare licebit. Quia idem iuris est in paruis, sicut in magnis. Quod Alexander tertius, vt habetur *extr. de appel. c. de appel.* aperte testari videtur dicens: *De appellationibus pro causis minimis interpositis volumus te tenere, quod eis pro quacunque leui causa fiant, non minus est quam si fierent pro maioribus deferendum.* Vbi dicit Gloss. *Pro quocunque appellante ita potest quis grauari in paruo, sicut in magno. Quantitas causæ non facit, quare introducta sit appellatio, sed iniquum grauamen supr. cap. 4. ad nostram. Et infra eodem cum speciali. cap. porro. Sicut etiam in minima re furtum committitur. 14. quæst. v. cap. vltimo.* Ex his colligitur, quod si licet à summo pontifice appellare pro maxima hæresi: puta si pronunciaret vel assereret legem Christianam esse falsam & malam; vel Christum fuisse pseudoprophetã: licebit pro minima hæresi appellare ab ipso. Et consimili ratione licet impugnare & accusare Papam, si minimam hæresim qualitercunque sacris literis obuiantem præsumpserit affirmare. Per eandem rationem dicunt, quod si impugnantes etiam & accusantes Papam asserentem, quod fides Christiana est mala & falsa, sunt à catholicis defendendi; impugnantes etiã & accusantes de minima hæresi quantumcunq; latente sunt à catholicis defendendi. *Discip.* Ista nimis me vrgent, de quibus post opus istud mentem tuam exequiram. Nunc vero dic, quomodo ad rationes, quibus ostenditur, quod à Papa appellare non licet, respondetur. *Magist.* Ad primam respondetur, ꝙ si Papa fieret hæreticus, superiorem habet in terris. Et ideo ab eo appellare licet. Et ita licet impugnare & accusare ipsum. Ad secundã respondetur, ꝙ à iurisdictione Papæ hæretici sunt omnes catholici absoluti. Et ideo à Papa hæretico licet cuilibet appellare, non vt eximatur à iurisdictione Papæ hæretici: qui non per appellationem, sed per apostasiam Papæ quilibet à iurisdictione sua est exemptus. Licet tamen appellare à Papa hæretico, quia forte videt, quod per appellationem vtilius & efficacius Papam hæreticum poterit impugnare. Si autem Papa nõ errat contra fidẽ, appellans ab ipso falsè & inique non est à iurisdictione Papæ simpliciter & absolute exẽptus, sed ad tempus, vt Papæ innocentia declaretur, & calumniator euidentius conuincatur, & à crimine puniatur. Nec est habendus pro exempto. Alii autem nescientes illum inique procedere, in fauorem fidei Christianæ & vt vel Papæ innocentia declaretur, vel eius malitia confundatur, debent talem appellantem defendere, qui vt postquam fuerit de iniquitate conuictus, vt acerbe puniatur fideliter laborare. *Discip.* Quid si Papa tenuerit aliquam assertionem contrariam veritati catholicæ, quam non tenetur explicite credere: & alius ipsum de tali errore impugnauerit: nunquid talis impugnans à iurisdictione Papæ est exemptus? *Magist.* Respondetur quod in hoc casu talis impugnans non est à tota iurisdictione Papæ exemptus etiam ad tempus: quia in omnibus, quæ non sunt in derogationem impugnationis suæ, sicut prius obedire tenetur. Quantum vero ad illa, quæ suam impugnationem impedire valerent, Papæ deberet minime obedire: quia fides catholica est summo pontifici præferenda. Imo etiam quælibet minima veritas catholica est summo pontifici etiam catholico præponenda. Et ideo impugnantes assertionem Papæ hæreticam contrariam veritati, quam Papam explicite credere non tenetur (& propter hoc Papa in tali casu non esset hæreticus, sed catholicus reputandus) in nullo debet obedire Papæ in præiudicium impugnationis suæ legitimæ: licet sibi in aliis teneatur obedire. *Discip.* Dic qualiter ad tertiam rationem respondetur. *Magist.* Dicitur quod ab obedientia Papæ hæretici licet recedere, exemplo illorum, qui ab obedientia Anastasii secundi laudabiliter recesserunt. Ab obedientia autẽ Papæ catholici errantis contra fidem, quo ad aliquid, quod non tenetur credere explicite, non licet absolute, licet assertionem suam liceat impugnare. Et si aliquid præciperet, quod esset in præiudicium impugnationis suæ, quantum ad hoc, non esset obediendum eidem. Capitulũ autem *dist.* 2. assumptum loquitur de Papa hæretico super hoc præcipiente, ꝙ fit in derogationem diuini honoris & fidei orthodoxæ. Ad quartã rationẽ respondetur, quod nõ licet eidẽ ꝓ eadẽ causa eodẽ tempore absolute appellare ab aliquo & ad ipsum. Et ideo qui appellaret à Papa ꝓ hæresi, modo liceret sibi tũc ꝓ hæresi appellare ad ipsum. Et si de facto appellaret, esset tanquã sibimet cõtrarius repellẽdus. Pro diuerso autẽ tẽpore licet eidẽ ꝓ eadẽ causa appellare ab aliquo & ad ipsum: & ecõuerso. Vnde sæpe quis appellat ad ep̃m suum vel metropolitanũ, qui tamen postea, si senserit se grauatũ indebite, vel reputauerit

sententiam datam iniquam, appellat ab illo. Sic aliquis reputans Papam catholicum, poterit ad ipsum pro causa hæresis appellare: à quo tamen si aliquid quid diffinierit & asseruerit fidei contrarium orthodoxæ, sibi appellare licebit. Ad quintam rationem respondetur, quod pro aliqua causa temporali appellare ab imperatore liceret: sicut etiam de aliqua posset coram Papa appellare. Nam & populus posset ex causa Imperatorem deponere, quemadmodum diuersa regna suos reges deposuisse leguntur. Ad sextam respondetur, quod ab illo, ad quem sunt omnes causæ fidei deferendæ, non est appellandum, si non contra fidem errauerit orthodoxam. Si autem errauerit, licet appellare ab ipso, & etiā licet ipsum fortiter impugnare. Et tali impugnationi est ab omnibus catholicis deferendum. Et tales impugnantes sunt ab omnibus catholicis (quantum congruerit cuilibet) defendendi. *Discip.* Nunquid secundum illos tenentur catholici talibus impugnationibus summi pontificis adhærere? *Magist.* Respondetur, quod multi tenentur taliter impugnantes Papam defendere, & eorum impugnationibus adhærere. Quia ad hoc, quod aliquis teneatur taliter impugnantes Papam hæreticum defendere, & impugnationibus eorum deferre, sufficit quod nesciat eos malo zelo Papam de hæresi impugnare. Cum etiam iudex quandoq; sciens appellationem iniquam & falsam debeat eidem deferre. Ad hoc autem, quod teneatur quis impugnationibus adhærere, requiritur quod sciat, quod talis impugnatio continet æquitatem & veritatem. Et ideo qui sciunt aliquos Papam de hæresi impugnare, quamuis non debeant impugnationibus eorum adhærere, debent tamen eos defendere, quousq; causa fuerit terminata, & iterum quærere sollicite veritatem, iuxta legem diuinam, quæ vt habetur *Deut. 13.* sic præcepit: *Si audieris in vna vrbium tuarū, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos, egressi sunt filii Belial, & euerterunt habitatores vrbis, atque dixerunt: Eamus & seruiamus diis alienis, quos ignoratis.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod si aliqui asserunt Papam vel alium velle fidem corrumpere orthodoxam, non sunt statim repellendi, nec in continuo cruciandi, vel alias male tractandi: sed prius est veritas sollicite indaganda, & per consequens ipsi interea sunt defendendi.

CAP. LVI.

Quærit, si Papa prauitate hæretica diffamatus impediuerit inquisitionem de ipso fiendam, quid agendum sit catholicis, vbi nota de iniectione manuum violentarum in Papam, seu clericum, quomodo & quando fieri possit.

D*iscipulus.* Non modicam apparentiam habere videtur ex auctoritate *Deuteron. 13.* scripta videtur trahere fulcimentum, quod si aliqui maxime viri literati & hactenus bonæ opinionis & famæ constanter affirment & se offerant se probaturos Papam esse prauitate hæretica vitiatum vel irretitum: alii catholici debent in fauorem fidei sollicite quærere veritatem. Ideo ad primam materiam, à qua (ex quo de appellationibus à summo pontifice & impugnantibus ipsam tractauimus) aliqualiter disgressi videmur: volo reuerti & diligenter discutere, qualiter si Papa fuerit diffamatus debent catholici inquirendo veritatem procedere: quia sic limpidius inspiciam veritatem. Inprimis autem cupio scire, quid secundum istas assertiones catholicis sit agendum, si postquam catholici zelo fidei Christianæ accensi, inquirere cœperint de Papa super crimine hæresis diffamato, Papa taliter diffamatus eos totis viribus molitus fuerit impedire. *Magist.* Respondent aliqui, quod eo ipso quod Papa in hoc casu niteretur catholicos impedire, ne de ipso inquirerent veritatem, deberent ipsum magis suspectum habere, eo quod ostenderet se lucem odire, & quod nollet ad lucem districti iudicii venire, ne arguerentur ipsius errores. Et propter hoc deberent magis sollicite quærere veritatem, & auxilium brachii secularis requirere pro inquisitione securius facienda. *Discip.* Quid si Papa nullo modo vellet desistere ab impediendo, ne ad inquisitionem procederent? *Magist.* Respondetur, quod si non possent catholici aliter ad inquisitionem procedere, nisi prius summum pontificem captiuarent, ipsum deberent capere & tenere, si potentiam talem possent habere, inuocato auxilo brachii secularis. *Discip.* Hic isti videntur contradicere assertioni priori. Nam prius dixerunt, quod nulla persona aut collegium habet iurisdictionem de hæresi super Papam mendaciter diffamatum, licet debeant catholici dubitare, an habeant iurisdictionem super ipsum. Et ideo teneantur ad inquisitionem procedere faciendam. Nunc autem dicunt, quod habent potestatem ipsum capiendi. Potestas autem capiendi nunquam est sine iurisdictione. Ergo sibiipsis contradicunt aperte. *Magist.* Dicunt quod hic ostendis te scripturarum & rationis naturalis intellectum nequaquam habere. Nam potestas detinendi capiendi & ligandi freneticum & Dominum suum se præcipitare volentem, vel in aqua submergere, vel alio modo occidere semetipsum, secundum quod ex verbis beati August. quæ ponuntur *5. q. 5. non omnis, & 23. q. 4. c. ipsa pietas & c. minimum*, colligitur euidenter, ad omnes in charitate existentes pertinet. *Discip.* Istud exemplum non est ad propositum: quia secus est de aliquo subdito se volente occidere, quia perdidit vsum rationis: & de Papa, qui est omnium caput, in quem in nullo casu licet manus inicere violentas. *Magist.* Male dicis, vt dicunt, cum asseris, quod in nullo casu licet in Papam manus iniicere violentas: quamuis non licet in ipsum manus iniuriosas iniicere, si Papa siue effectus freneticus, aut aliter alienatus à sensu non habens vsum rationis ex desperatione vel tristitia vel alia causa quacunq; vellet seipsum occidere

occidere semetipsum de muro præcipitando, vel aliter, violenter esset tenendus. Si etiam esset in aliqua domo, quam quis sciret certissime ruituram, & ille sibi prænunciaret domum ruituram; si Papa nollet credere, nec exire, Papa in hoc casu esset extrahendus inuitus, & ita manus violenta iniicienda esset in Papam. In pluribus etiam casibus aliis licite posset quicunque seruus manus iniicere violentas in Papam, ipsumque ligare, & fortiter detinere. Et ita manifeste potestas capiendi & detinendi ab omni iurisdictione poterit separari. Non enim per phrenesim Papæ vel alterius volentis occidi seipsum, tribuitur alicui iurisdictio supra volentem se occidere, & tamen tunc habet etiam seruus potestatem capiendi, ligandi & etiam detinendi Papam. *Discip.* Cogor concedere, quod potestas capiendi, ligandi & detinendi ab omni iurisdictione poterit separari. Sed hoc non accidit, nisi quis velit seipsum occidere. *Magist.* Quid si Papa vellet absq; necessitate in seipsum manus iniicere, oculos eruere, aut manus vel pedes abscindere? *Discip.* Etiam tunc posset licite ab alio absque iurisdictione ligari. *Magist.* Si Papa vellet alium occidere sine causa, nunquid illi liceret vim vi repellere absq; iurisdictione? *Discip.* De hoc vellem scire, quid prædicti assertores dicant. *Magist.* Dicunt, quod liceret regi saltem vel laico vim vi repellere; & tamen per talem repulsam iurisdictionem super Papam repellendi vim vt minime obtineret. *Discip.* Non adducunt exempla, nisi vbi ipsi immineret mors corporalis, vel saltem læsio grauis. *Magist.* Si licet pro morte corporali, imo pro graui iniuria corporali propria & aliena fidelium euitanda manus iniicere violentas in Papam absq; iurisdictione speciali multitudinis fidelium: multo magis pro morte spirituali euitanda licebit in casu manus iniicere violentas in Papam. Consimili enim modo arguendi arguit beatus August. ad probandum, quod licet in hæreticos exercere vindictam, vt habetur *23. q. 4. c. ipsa pietas*, fundans se in isto medio: omne quod debemus impendere hominibus pro morte eorum temporali vitanda, debemus eisdem dependere pro morte æterna vitanda, dicit in hæc verba: *quid igitur de opere misericordiæ pro vita æterna adipiscenda & pœna æterna vitanda hominibus impendere iudicandum est, si pro salute ista non solum temporali, sed etiam breui & ad tempus exiguum liberanda, sic nos subuenire hominibus ratio vera & benigna compellit?* Ex quibus verbis & Augustin. processu ibidem, vbi per multa probat exempla, quod debemus etiam illos, qui minime sunt de iurisdictione nostra, liberare à morte inuitos, & in eos iniicere manus violentas pro morte vitanda, colligunt isti, quod si pro vitanda morte Papæ & alterius licet manus iniicere violentas in Papam, ipsumque captiuare, tenere & ligare; multo fortius licebit in casu pro morte spirituali vitanda ipsius Papæ & alterorum pro vita æterna adipiscenda, saluandoque grege dominico manus iniicere violentas in Papam ipsumq; fortiter ligare & tenere. *Discip.* Istud videtur apparens, si constaret Papam velle spiritualiter corrumpere orthodoxos, quod capi posset & teneri: sed propter infamiam falsam, de qua non constaret, quod non esset falsa, non esset hoc agendum. *Magist.* Non dicunt isti, quod propter infamiam Papa captiuari deberet: sed asserunt, quod si patenter impediret inquisitionem debitam fieri de ipso pro salute totius Christianitatis, deberet detineri per illos, qui tantam haberent potestatem temporalem: nec detinentes essent excommunicati. Sicut nec illi sententiam excommunicationis incurrerent, qui Papam volentem seipsum, vel alium innocentem absque causa occidere, detinerent. Absque n. temeritate vel dolo non incidit quis in canonem propter iniectionem manuum in Papam vel alium clericum. *Discip.* Violentia non videtur esse sine temeritate vel dolo. *Magist.* Respondent, quod æquiuocas de vocabulo violentiæ, & aliter vis vti vocabulo, quam ipsi accipiant. Episcopi enim accipiunt iniectionem manuum violentam pro omni iniectione manuum in inuitum, & sic constat, quod iniectio manuum violenta in aliquem potest esse charitatiua absque omni temeritate & dolo.

CAP. LVII.

Docet, ad quos spectat inquirere veritatem de eo, scilicet summo pontifice, si hæretica prauitate fuerit maculatus, seu grauiter diffamatus.

DIscipulus. Ex quo secundũ istos super Papa de crimine hæresis diffamato catholici habent inquirere, & ipsum etiam captiuare, si propter resistentiam eius aliter non possunt procedere ad inquisitionem faciendam, peto vt dicas, ad quos secundum istos assertores spectat inquisitio supradicta. *Magist.* Dicunt quod spectat ad illos catholicos, ad quos Papæ spectaret punitio, si esset manifeste in hæresi deprehensus. Vnde, vt dicunt, prædicta inquisitio primo & principaliter spectaret ad vniuersalem ecclesiam, si essent ita pauci catholici, quod omnes conuenirent in vnum, vel possent leuiter conuenire. Secundo pertineret ad concilium generale, quod vicem tenet vniuersalis ecclesiæ. Tertio si nec vniuersalis ecclesia conueniret in vnum, nec generale conuocaretur concilium, spectaret ad diœcesanum, in cuius diœcesi moraretur Papa cum consilio vicinorum episcoporum, si esset necesse. Si autem Diœcesanus negligeret, pertineret ad sedem, vel clerum, vbi Papa moraretur. Si vero clerici omnes essent damnabiliter negligentes, talis inquisitio spectaret ad laicos.

CAP.

CAP. LVIII.

Vbi ostenditur, quæ & qualis debeat esse infamia, propter quam de Papa sit inquisitio facienda. Vbi nota de ortu famæ alicuius, secundum distinctionem personarum, & qualis debeat fieri per iudicem processus in primo genere famæ.

DIscipulus. Video, quod isti proportionabiliter dicunt de inquisitione facienda de Papa super hæresi diffamato, sicut dicunt de punitione Papæ in manifesta hæresi deprehensi. Ideo istam materiam censeo differendam, quovsque inuestigauero, quis debet punire Papam, qui manifeste deprehenditur de hæresi. Nunc autem dicas, propter quam infamiam secundum istos est de Papa inquisitio facienda. *Magist.* Vt ad tuam interrogationem perfecte respondeant, distinguunt: quod aut fama est orta à certis personis prouidis & discretis, integræ opinionis & famæ, ante infamiam Papæ volentibus Papam accusare de hæresi: aut orta est ab incerto auctore volente contra Papam inscribere, seu denunciare volente. Si primo modo, dicunt quod omnino procedendum est ad inquisitionem, nisi Papa sponte se velit iudicio bonorum virorum submittere, si autem orta est fama ab incerto auctore, vel certo denunciare volente, & non est tanta infamia, quin absque scandalo ecclesiæ & periculo fidei valeat tolerari, vel etiam dissimulari, non videtur quod sit ad inquisitionem procedendum: aliter de necessitate salutis tenetur ille, cuius interest, & potest, diligenter inquirere veritatem. *Discipul.* Dic quomodo secundum istos procedere debet iudex iuxta primum membrum. *Magist.* Dicunt, quod cum aliquis Papam vult de hæresi accusare, tunc ille, qui esset iudex Papæ in hæresi deprehensi, debet suam intentionem exprimere: quam iudex, quæcunque sit ille, siue ecclesiasticus, siue laicus, debet diligenter examinare. Et si inuenit ipsum ad accusandum idoneum, denunciet Papæ quod de hæretica prauitate impetitur, rogando eum quod iudicio eligendorum se submittat exemplo sanctorum patrum, qui pro minoribus criminibus se aliorum iudicio subiecerunt. Quod si Papa de sua confidens innocentia pro omni scandalo amouendo consenserit facere; eligantur iudices à Papa & accusare volente, qui secundum iustitiam sine personarum acceptione procedant. Si autem papa noluerit quoquomodo se submittere iudicio, ille, qui esset iudex manifeste Papæ in hæresi deprehensi, si habeat tantam potestatem temporalem, vel habere potuerit ratione dubii: quia dubitatur an sit de iurisdictione iudicis supradicti, citet eundem, & tandem, si potuerit, compellat Papam sibi respondere. *Discip.* Ista narratio multos videtur includere errores. Talis enim processus non est circa aliquem alium à Papa habendus. Ergo nec circa Papam. Item quomodo potest aliquis citare Papam, qui non est iudex Papæ? Amplius, non videtur, quod Papa teneatur iudicio cuiuscunque se submittere. Rursus: talis processus non videtur in legibus præfinitus. Quare temere isti talem modum procedendi præfigunt. *Magist.* Istas obiectiones & multas alias isti assertores faciunt contra seipsos. Respondentq; ad ipsas dicentes, primo ad vltimam, quod non intendunt aliquam formam procedendi circa Papam præfigere: sed quia Papa superiorem in causa hæresis, quamdiu manet Papa, non habet. Et qualiter sic, proceditur circa Papam, contra quem apparet legitimus accusator de hæresi in legibus minime inuenitur, ne Papa contra fidem errare possit insolenter, & catholicos secum trahere in errorem, oportet modum aliquem specialem rationi consonum, non verbis legum totaliter innitentem, nec ab intellectu penitus discrepantem, circa accusationem summi pontificis inuenire. Quemadmodum si regnum aliquod ex causa rationabili regem suum vellet compellere in iudicio coram populo respondere: quia in legibus regnorum de hoc casu nihil penitus habetur, oporteret modum aliquem specialem excogitare, qui esset in tali casu seruandus. Modus autem superius recitatus de Papa, quem cupit aliquis idoneus accusare, rationabilis istis apparet. Quare videtur illis, quod modus prædictus circa Papam congrue poterit obseruari. Nec tamen inuident cuicunq;, qui modum magis rationabilem excogitare valebit. Et forte in aliquo casu propter aliquas circumstantias non esset prædictus modus vsquequaq; seruandus: nec forte propter potestatem vel auctoritatem Papæ poterit dari modus certus in omni casu seruandus. Propter hoc dicunt, quod male arguis: talis processus non est tenendus circa alium à Papa: Ergo nec circa Papam, quia non constat, quod non habet superiorem in hac causa; eo quod non constat ipsum esse hæreticum, necesse est aliquid speciale seruare, & modo speciali procedere. Cum vero dicis, quod nullus potest citare Papam, qui non est iudex Papę: Respondent, quia non solum qui est in rei veritate iudex alicuius, sed etiam qui dubitatur esse iudex, potest ipsum citare. Ideo potest quis citare Papam, quando dubitatur probabiliter, an sit iudex eius. *Discip.* Nemo debet dubitare se esse iudicem Papæ: quia debet esse certus, quod non est iudex Papæ antequam conuincatur. *Magist.* Videtur quod quamdiu non apparet quis idoneus, qui vellet accusare Papam, nec est grauiter diffamatus, debet quilibet esse certus, se non esse iudicem Papæ. Quam cito autem apparet accusator idoneus, de quo præsumitur quod bono zelo Papam accusare proponitur; vel Papa est de hæresi grauiter diffamatus, ita quod talis diffamatio conuenienter dissimulari non potest, quicunq; esset iudex Papæ, si Papa esset manifeste in hæresi deprehensus, posset probabiliter dubitare, se esse iudicem Papæ. Postquam autem Papa esset aperte in hæresi deprehensus, talis non debet dubitare, sed debet esse certus, quod est iudex Papæ. Non ergo in hoc casu quilibet debet esse certus, se non esse iudicem Papæ. Imo potest probabiliter dubitare, Papam ex suo delicto esse effectum de iurisdictione

sua.

sua, & propter dubitationem probabilem habet potestatem in iure citandi ipsum. *Discip.* Quid si non audet citare ipsum id est Papam. *Magist.* Respondent, quod si principes & potestates ac clerici & laici causam Dei negligerent, & fauor Papæ indebitus ita multitudinem occuparet, quod Papa nec ad submittendum se iudicio, nec ad respondendum quomodolibet induci vel cogi posset: non restaret illis, qui eum de iure citare deberent, nisi dolor & gemitus, & esset eis seruandum consilium beati August. quod dat catholicis, quando potestas habet multitudinem sociorum, qui lib. 2. contra Episcopum Parmeniam vt recitatur 23. q. 4. c. *non potest*, ait: *non potest esse à multis salubris correctio, nisi cum ipse corripitur, qui non habet socium multitudinem.* Cum vero idem morbus plurimos occupauerit, *nihil aliud bonis restat, quã dolor & gemitus.* Et infra: *vere cum contagio peccandi multitudinem inuaserit diuina disciplina vera misericordia necessaria est. Nam consilia separationis & inania sunt istis & perniciosa, atque sacrilega, quia impia & superba, & plus perturbant bonos infirmos, quam corrigant animosos malos.* Et infra: *turba autem iniquorum, cum facultas est in populis promendi sermonem, generali obiurgatione ferienda est, & maxime si occasionem atq; opportunitatem prabuerit Deo, qua eos appareat pro suis meritis vapulare.* Sic si contra Papam appareat idoneus accusator, vel ipse fuerit de hæresi grauiter diffamatus, si multitudo sibi faueret, vt nec induci vel cogi possit in iudicio parere, nihil aliud accusatori illius, qui esset iudex suus, si esset manifeste in hæresi deprehensus, & aliis catholicis bonis restaret quam dolor & gemitus. Tunc enim citatio & accusatio essent inanes: & tamen non solum occulte, sed etiam publice, cum facultas haberetur, absq; perturbatione bonorum essent fautores Papæ grauiter increpandi, & modis omnibus inducendi, vt laborarent fideliter, quantum liceret pro officio cuiuslibet, quatenus in fauore fidei Christianæ Papa iudicio se submitteret illius, qui esset iudex suus, si esset manifeste in hæresi deprehensus, respondere cogeretur. Cum autem dicis, quod Papa non tenetur se submittere iudicio cuiuscunque: respondent, quod in casu pro scandalo euitando, & veritate catholica declaranda & exaltanda, ac pro communi vtilitate procuranda, tenetur Papa de necessitate salutis se iudicio inferiorum submittere.

CAP. LIX.

Ostendit, quod Papa in casu illo de necessitate salutis tenetur se submittere iudicio suorum inferiorum, si accusator appareat idoneus. Et probatur vnica ratione.

D*iscipulus.* Ostende rationem eorum, quare si appareat accusator idoneus, Papa de necessitate salutis se iudicio inferiorum suorum submittere tenetur. *Magist.* Non putes, quod ipsi intendant dicere, Papam in omni casu ad voluntatem cuiuslibet se debere submittere iudicio aliorum: sed volunt, quod absq; causa rationabili Papa non debet iudicium recusare, quando ex submissione sua declaretur veritas & iustitia. Et talis submissio nulli speciale præiudicium generaret, & accusantis zelus vel malitia panderetur. Ad hoc autem dicendum tali ratione mouentur. Vtilitas propria & communis sunt præferendæ malitiæ propriæ & alienæ, omniq; vtilitati Papæ temporali. Nam multorum vtilitas præferenda est vtilitati vnius, vt habetur 7. q. 1. *scias*, & 8. *quæst.* 1. *in scripturis*, & 25. q. 3. *quæ ad perpetuam*, Ergo multo fortius vtilitas propria & communis præferendæ sunt vtilitati propriæ: & multo fortius præferendæ sunt malitiæ propriæ & alienæ. Sed Papa, quem accusator idoneus vult de hæresi accusare, submittendo se iudicio catholicorum procurat vtilitatem propriam & communem: quia procurat declarationem veritatis & iustitiæ, quæ est vtilitas propria & communis. Et hæc vtilitas propriam vtilitatem non impedit. Ergo Papa ad hoc tenetur in casu hoc de necessitate salutis. Hoc autem faciendo, si est innocens, ab omni impetitione super crimine falso liberat semetipsum, accusantisq; malitiam vel innocentiam manifestat, & veritatem exaltat; ac bono exemplo sibi subditos ædificat vniuersos, dum ex zelo veritatis & iustitiæ suorum inferiorum iudicium non recusat. Si ergo Papa est reus, multo magis tenetur se submittere aliorum iudicio, vel sponte renunciare papatui: quia absque periculo animæ non potest papatui præsidere: eo quod omnis hæreticus publicus & occultus est omni ecclesiastica dignitate priuatus. *Discip.* Ista assertio videtur probabilitate carere, quia per prædictam rationẽ Papa pro omni iniuria, quã faceret alicui, & pro omni excessu tenetur se subdere aliorum iudicio. Si enim pro crimine falso teneretur se subdere iudicio aliorũ: multo fortius pro vera iniuria & vero excessu se subdere iudicio teneretur. Sed hoc constat esse falsum, & per verba Aug. euidenter conuincitur, qui in libro *De vita clericorum*, vt recitatur *dist.* 86. vbi asserit manifeste, quod cum prælatus corrigendo subditos suos modum excedit, ab eis nequaquam exigitur, vt veniã à subditis expostulet. Ergo multo magis si Papa de crimine falso impetitur, non est necesse, quod inferiorum iudicio se submittat. *Magist.* Ad hoc respondetur, quod non est simile de iniuriis & nonnullis aliis criminibus, & de hæresi: quia iniuriæ & alia crimina multa, Papam reum non deponunt, potestq; Papa aliter satisfacere passis iniuriam, & de suis scandalizatis excessibus, quam se alicuius iudicio submittendo. Et ideo quando potest, non tenetur se submittere iudicio alicuius. Sed crimen hæresis Papam de papatu deponit ipso facto. Et ideo si non potest aliter satisfacere accusare volenti, & scandalizatis de ipso, nisi se submittat iudicio, ad hoc de necessitate salutis astringitur. Et consimiliter dicunt, quod si Papa de aliqua iniuria vel aliquo excessu non aliter posset satisfacere illi vel illis, cui vel quibus tenetur, quam se submittendo iudicio, adhuc esset de necessitate salutis astrictus. Si vero Papa se nullius subdendo iudicio possit satisfacere ipsum de hæresi accusare volenti, & aliis scandalizatis de ipso poterit alium modum tenere. Ad Augustin. dicunt, quod prælatus, qui in corripiendo modum excedit, aliter potest

potest satisfacere subditis, quam ab eis veniam postulando. Et ideo non exigitur de ipso, vt veniam postulet ab eis. *Discip.* Quomodo secundum istos posset Papa satisfacere accusare violenti, nisi subderet se alicuius iudicio? *Magist.* Respondetur, quod sæpe potest negatiua probari: Et ideo si esset talis casus, quod contrarium illius, quod accusare volens intendit, posset Papa probare, sufficeret Papæ talem negatiuam probare, nec tunc tenetur se subdere alicuius iudicio.

CAP. LX.

In quo declaratur, quomodo se debeat habere summus pontifex, si se sponte arbitrorum iudicio submiserit, si accusans ipsum in probatione defecerit. Et ponuntur duæ conclusiones, & prima, scil. quod de necessitate salutis se teneatur purgare, si graue scandalum apud catholicos generaretur, probatur octo rationibus.

DIscipulus. Puto quod intelligam istorum in hac parte sententiam. Sed quæso indica mihi, quid isti iudicant agendum, si Papa se sponte iudicio arbitrorum submiserit, & accusator in probatione defecerit: an scil. Papa teneatur se purgare. *Magist.* Dicunt, quod si Papa apud bonos & graues est enormiter de hæresi diffamatus, ita quod graue scandalum apud catholicos est exortum, ipse de necessitate salutis se purgare tenetur, si aliter famam suam recuperare non potest. Si autem taliter non est diffamatus, ad purgationem minime obligatur. *Discip.* Pro primo membro si habes aliqua motiua, profer in medium. *Magist.* Dicta assertio pluribus rationibus videtur posse probari. Quarum prima talis est: qui famam suam integram & illæsam seruare tenetur, si potest, etiam ipsam si absque culpa sua vel etiam ex negligentia læsa est vel perdita de necessitate salutis reparare & restaurare, si potest, astringitur. Sed Papa de necessitate salutis (si absque crimine potest) tenetur famam suam illæsam & integram custodire. Ergo si fama Papæ est ex aliquo casu læsa vel perdita, & ipse est immunis, de necessitate salutis si potest famam suam recuperare vel restaurare & reintegrare tenetur. Et per consequens si non potest aliter, quam se purgando hoc facere, se purgare legitime de necessitate tenetur. Maior videtur euidens. Minor probatur auctoritate August. qui, vt legitur 12. q. 1. cap. nolo, ait: *nolo vt aliquis de nobis inueniat occasionem male viuendi. Prouidemus enim bona, vt ait Apostolus, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, propter nos conscientia nostra necessaria est: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in nobis. Duæ res sunt, conscientia & fama bona. Conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo. Qui confidens conscientia sua negligit famam suam, crudelis est.* Item Greg. vt habetur 11. q. 3. cap. *Non sunt audiendi siue viri siue fœminæ, qui quando reprehenduntur in aliqua negligentia, per quam fit, vt in malam veniant suspitionem (vnde vitam suam longe abesse sciunt) dicunt coram Deo sufficere sibi conscientiam puram, existimationem hominum non solum impudenter, verumetiam crudeliter contemnentes, cum occidant animas aliorum.* Et infra: *Prouide quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis etiam famam, aliis misericors est. Nobis enim est necessaria vita nostra, aliis fama.* Ex his aliisq; quamplurimis colligitur euidenter, quod quilibet Christianus, quantum in ipso est, famam suam seruare debet illæsam. Ergo potissime ad hoc summus pontifex obligatur. Quia ad illa, quæ sunt de iure naturæ & ad vtilitatem proficiunt aliorum non minus quam alii, est astrictus. Et ex hoc euidenter infertur, quod famam suam, si læsa est vel perdita (si non potest aliter) per purgationem restaurare debet.

Secunda ratio est hæc, non minus debet Papa bonis satisfacere & modestis, apud quos de hæresi grauiter infamatur, quam detractoribus maleuolis & malignis, teste Gregor. vt habetur 11. q. 3. c. inter verba: *Quid enim si homines nos non laudant, & conscientia nostra liberos nos esse demõstraret.* Et infra: *quid enim aliud detrahentes faciunt, nisi in puluerem sufflant, vt in oculos suos terram excitent: vt vnde plus detrectationis perflant, inde magis nihil veritatis videant. Vocandi tamen sunt etiam ipsi, & tranquille admonendi, eisq; satisfieri modis omnibus debet, scientes quod de Iudæis veritas dicit, ne forte scandalizemus eos.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod innocens à detrectatoribus maleuolis & malignis mendaciter diffamatus ipsis modis omnibus satisfacere debet. Ergo multo magis siue fortius, si Papa apud bonos & honestos est de hæresi grauiter vel mendaciter diffamatus. Et per consequens, si non potest aliter excusare, purgando satisfacere debet.

Tertia ratio est hæc. Papa non minus quam alii peccatum mortale vitare tenetur. Sed cum diffamatus de crimine recusat se purgare (cum non potest suã innocentiam aliter declarare) est peccatum mortale; cum hoc sit scandalizare pusillos & infirmos; & etiam magnis & perfectis occasionem scandali dare. Tale autem scandalum est peccatum mortale. Quod ex grauitate pœnæ (quæ sibi debetur) constat aperte, cum Saluator dicat Matth. 6. *Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Ergo Papa tale scandalũ de necessitate salutis vitare tenetur. Et ita debet se purgare, si non potest aliter suam innocentiam declarare, & infamiã exortam sedare. *Discip.* Dicerent forte aliqui, ꝙ si Papa diffamatus nolit se purgare, & alii scandalizantur ex hoc: scandalum tale non est datum, sed acceptũ. Et ideo propter tale scandalum non tenetur Papa se purgare. *Magist.* Hanc responsionem alii impugnare nituntur probantes, ꝙ tale scandalũ est datũ non acceptũ: quia ille, qui ex forma facti reddit se suspectũ de crimine, scandalizat infirmos actiue, quantũ in se est. Qui autẽ renuit se purgare, quando est grauiter diffamatus, de crimine reddit se suspectum. Imo videtur, quod de facto fatetur se conuictum:

quia

quia non minus se reddit conuictum de crimine, qui diffamatus renuit se purgare, quam qui vocatus in ius iudicium nititur subterfugere, cum grauius & periculosius sit subire iudicium, quam purgationem præstare, sed qui iudicium subterfugit, ostendit se conuictum, *extra de præsump. nullus, & 11. q. 1. Christianus, & 3. q. 9 decreuimus, & di. 74. c. honoratus*, ergo multo fortius qui diffamatus est, & se purgare recusat, ostendit se conuictum, & per consequens scandalum generat manifestum.

Quarta ratio est hæc. Illa oportet papam facere, quæ sunt facilia ad agendum: & sibi nec temporaliter nec spiritualiter obsunt; sed spiritualiter prosunt; & quorum omissio est periculosa subditis & nociua, sed quod papa diffamatus de hæretica prauitate se purget, saltem per proprium iuramentum, est facile, & si est innocens, sibi nec temporaliter, nec spiritualiter obest; imo spiritualiter prodest, talis autem purgationis omissio est subditis periculosa pariter & nociua, ergo talem purgationem papa exhibere tenetur. Maior videtur manifesta: quia qui talia subditis negligit exhibere, ostendit aperte se vtilitatem subditorum non amare: cum sine damno proprio temporali & spirituali & labore graui vtilitatem propriam despiciat procurare. Maior quantum ad omnes suas partes veritatem continere videtur, nam purgatio, præsertim per proprium iuramentum, nulli debet videri difficilis, talis autem purgatio exhibenti nec temporaliter nec spiritualiter nocet: sed spiritualiter prodest, cum sit actus meritorius subiectos ædificans, & ab infamia liberans exhibentem. Quod autem talis purgationis omissio sit subditis periculosa, patet de se, quoniam offendiculum præbet infirmis, & conscientias percutit subditorum.

Quinta ratio est hæc, qui ex debito charitatis tenetur proximo exhibere illud, quod minus est vtile sibi, tenetur etiam illud, quod magis est vtile, exhibere proximo, si est æque facile, nec sibi, nec alicui præiudiciale in aliquo magis quam illud, quod est minus vtile, vbi enim ex debito charitatis tenetur aliquis proximum suum vestire, & ex eiusdem debito caritatis tenetur eundem pascere & potum dare, si æque faciliter potest, & non maius damnum aut periculum sibi vel alii imminet ex vno quam ex alio, sed magis vtile est fidelibus, quod papa de hæresi diffamatus suam innocentiam se purgando declararet, quam sit vestiri ab ipso, pasci & potari, sed papa tenetur ad opera misericordiæ corporalia & spiritualia, si habet: ergo magis tenetur ad purgationem, quæ non immerito spiritualis misericordia est censenda, si æque faciliter absque damno & periculo aliorum & proprio eam valeat exhibere.

Sexta ratio est hæc, qui tenetur scandala euitare & minime sustinere, tenetur suscitata tollere & sedare si potest, sed papa tenetur scandala euitare & minime sustinere: quia non erit aliter imitator Christi dicentis: *vt autem non scandalizemus eos* &c. Matth. 17. neque Apostoli Pauli dicentis, 1. ad Corinth. 8. *si esca mea scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem scandalizem*, neque illud Apostoli ad Rom. 14. *hoc iudicate, iudicate magis ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum*, ergo papa tenetur scandala suscitata à subditis remouere, si potest, & maxime quæ de persona sua sunt exorta, sed si est de hæresi diffamatus, graue scandalum de ipso est exortum, ergo hoc scandalum remouere debet, si potest: & si non potest aliter remouere, nisi seipsum purgauerit, se purgare tenetur.

Septima ratio est hæc. Ille qui propter scandala euitanda debet bona spiritualia dimittere, multo magis propter idem debet spiritualia bona perficere, papa autem propter scandala euitanda debet nonnulla spiritualia bona omittere, saltē ad tempus, sicut prædicationē verbi Dei, punitionē malorū, & nonnulla alia, ergo multo magis ꝓpter scandala euitanda debet spiritualia bona ꝑficere, sed ꝙ diffamatus se purget, est bonū spirituale, ergo ꝓpter scandala euitanda pariter & sedanda debet papa, si est diffamatus, se purgare. *Disc.* Ista ratio dupliciter videtur peccare, primo quia si concluderet, sequeretur quod propter scandalum euitandum aliquis tenetur religionem intrare, & proprietatem omnium temporalium in perpetuum abdicare: quod non videtur verum. Secundo deficit: quia quod papa purget se, non videtur bonum spirituale: quia talis purgatio posset esse sibi nociua, nullum autem bonum spirituale est alicui nociuum. *Magist.* Primam tuam instantiam isti nituntur excludere dicentes, quod ratio illa concludit de bonis spiritualibus, quæ non sunt supererogationis, huiusmodi autem est purgatio canonica, quando aliquis est de crimine diffamatus, & ideo quando papa est de hæresi diffamatus, debet se purgare propter scandalum euitandum: non tamen tenetur proprietatem omnium abdicare, quia hoc est supererogationis: & ideo ad hoc non tenetur. Secundam instantiam excludunt dicentes, quod purgatio non debet esse nociua papæ, nisi propter malam voluntatem papæ, quemadmodum & omnia bona spiritualia propter caritatem possunt esse occasio nocumenti, sunt tamen inter bona spiritualia computanda.

Octaua ratio est hæc, prælatus, qui tenetur subditos suos à minori damno vel periculo liberare, debet eos à maiori damno vel periculo eripere, sed papa subditos suos tenetur à damno & periculo corporali & temporali, si potuerit, liberare, sicut & quilibet Christianus, iuxta illud Exo. 23. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed leuabis cum eo*, & iuxta illud Prou. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses*, & iuxta illud Psal. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatorum liberate*, ergo multo magis debet papa suos subditos scandalizatos de ipso à damno & periculo spirituali, si potuerit, liberare. Hoc autem potest se purgando, ergo tenetur seipsum purgare. Dicunt ergo isti propter istas rationes & alias, quarum multiplicitate te nolo grauare: quod papa de hæresi grauiter diffamatus propter famam propriam restaurandam & propter

scandalum euitandum pariter & sedandum, & propter exaltationem & dilatationem fidei Christianæ, ac etiam propter subditos ab omni periculo spirituali præseruandos debet se purgare, quomodo enim, vt dicunt, papa pro fide catholica dilatanda, & pro ouibus suis animam suam morti exponeret, si non curat pro eis se à crimine purgare? aut quomodo cum Apostolo carnem non manducaret in æternum, ne fratrem suum scandalizaret, si non curat famam propriam declarare? aut quomodo curam debitam subditorum suorum censendus est habere, si negligendo se purgare animas occidit eorum.

Cap. LXI.

Facit vnam instantiam contra dicta cap. 60. eam deducendo in duplici exemplo, ad quam tripliciter respondetur, vbi etiam contra responsiones instatur, quæ etiam soluuntur.

Disc. Ista sententia decretis sanctorum priorum summorum pontificum obuiare videtur, nam Sixtus papa & Leo papa licet se purgauerint, ad hoc tamē minime tenebātur. Vnde Sixtus papa scribens omnibus episcopis, vt recitatur 2. q. 4. c. *mandastis*, ait: *mandastis vt scriberem vobis, qualiter instans iurgium contra me instigatum sit, vel à quo, vt vestro adminiculo pelleretur, & causa mea firmaretur, scitote me criminari à quodam Basso, & iniuste me persequi, quod audiens Valentinianus Augustus nostra auctoritate Synodum congregari iussit: & facto consilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus (licet euadere aliter satis potuissem) suspitionem tamen fugiens coram omnibus me purgaui scilicet me à suspitione & æmulatione liberans: sed non aliis, qui noluerint aut sponte hoc non elegerint faciendi formam dans.* Item Leo papa, vt habetur eisdem ca. & q. c. *auditum*, ait: *auditum est fratres charissimi, qualiter mali homines in me grauia crimina confinxerunt, quamobrem ego Leo pontifex sanctæ Romanæ ecclesiæ purifico me in conspectu vestro coram Deo & Angelis eius, quia istas criminosas & sceleratas res, quas mihi obiiciunt illi, nec perpetraui, nec perpetrari feci vel iussi, hoc autem faciēs non legem præscribo cæteris quia id facere cogantur.* Ex quibus auctoritatibus videtur manifeste probare, quod summus pontifex diffamatus ad purgationem nequaquā astringitur, licet sponte, si voluerit, valeat se purgare, qualiter tamen ad ista prædicti assertores respondeant, manifesta. *Mag.* Prædictas instantias multis modis refellere moliuntur, primo dicentes: quod prædicti summi pontifices Sixtus & Leo sponte non de necessitate se purgare volebant, & ideo in tali casu, in quo Sixtus & Leo erant, formam faciendi consimilem aliis minime præfixerunt. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod, sicut notat Glos. *11. q. 3. c. in cunctis*, infamia orta ab inimicis non inducit purgationem, *extra de purgatione c. in immunitate & 2. q. 5. c. omnibus.* Nec ab omnibus etiam personis, nec ab illis qui de facili credunt. Quod etiam Innoc. tertius, vt habetur *extra de accusatione c. qualiter & quando.* testari videtur dicens, quod *cum prælatus excedit, si per clamorem & famam ad aures superioris peruenerit, non quidem à maleuolis & maledicis, sed à prouidis & honestis: nec semel tantum, sed sæpe (quod clamor innuit & diffamatio manifestat) debet coram ecclesiæ superioribus veritatem diligentius perscrutari.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod propter infamiam ortam ab inimicis maledicis & leuibus personis non est necesse purgationem præstare. Ex quo isti respondent ad prædictas instantias dicentes, quod si prædicti pontifices Sixtus & Leo diffamati fuerint, illa infamia orta fuit ab inimicis & maledicis detractoribus. Quod euidenter Sixtus de se insinuat dicens, *scitote me criminari à quodam Basso iniuste & persequi.* Hoc etiam Leo de se aperte demonstrat dicens: *mali homines, qui in me grauia crimina confinxerunt.* Ex quibus verbis apparet, quod si isti pontifices diffamati fuerint, illa infamia à malis processit, quare propter talem infamiam non fuit necesse vt se purgauerint. Secundo dicunt, quod sæpe dicti pontifices non erant diffamati, sed solum modo accusati, & ideo non fuit necesse, quod purgationem præstarent, quia accusatore deficiente, non cogitur reus se purgare, nisi fuerit diffamatus. Tertio dicunt, quod prædicti summi pontifices se purgando legem similem faciendi aliis summis pontificibus minime præbuerunt: quia nec potuerunt eis legem imponere, cum non habet imperium par in parem, præbuerunt eis tamen exemplum simile faciendi, & summi pontifices in tali casu ad hoc ex lege diuina & iure naturæ, ac debito charitatis necessario sunt adstricti. *Disc.* Nulla istarum responsionum videtur satisfacere, prima non: quia videtur, quod vndecunque illius infamia sit exorta, debet diffamatus purgationem exhibere, vnde & rationes, quas adduxisti de laborante infamia vndecunque exorta æque videntur concludere, quod etiam Glos. *de accusationibus, qualiter & quando*, insinuare videtur, dicens: *Satis potest dici, quod indicenda est purgatio, vndecunq; procedat infamia, saltem propter scandalum, ar. primum de purgatione c. accedens.* Secunda autem responsio videtur deficere: quia secundum Greg. sicut supius allegasti, de detractoribus modis omnibus satisfieri debet, ergo papę prędicti suis detractoribus & criminatoribus satisfacere debuerunt: & per consequens saltem propter eos debuerunt se purgare. Tertia responsio non procedit: quia Sixtus non solum asserit, se aliis simile faciendi formam minime dare, sed etiā dicit, quod aliter euadere potuisset. *Mag.* Ista & plura alia allegant contra seipsos; quæ etiam conantur dissoluere. Ad euidentiam primæ obiectionis dicunt esse notandum, quod infamia aliquando vsque ad bonos & honestos procedit. Interdum vero prouidi & discreti ex infamia suscitata nihil mali suspicantur, contra taliter diffamatum in primo casu, siue infamia exorta sit ab in certo auctore, siue à certo auctore prouido & honesto, siue à certo auctore

ctore maleuolo, inuido, maledico, vili persona vel à personis suspiciosis & quæ facile credunt, sicut vndecunq; purgatio est præstanda, & de taliter diffamato apud prouidos & honestos, vndecunq; fama mala procedat, loquitur Glossa inducta, & de tali rationes inductæ superius videntur concludere. In secundo autem casu, quando solummodo apud inimicos detractores, maleuolos & suspectos, & qui facile credunt, aliquis diffamatus existit, purgationem præstare non oportet, & in hoc casu loquitur Innoc. tertius, & Glos. *11. q. 3. in cunctis*. Ad secundam obiectionem respondetur, quod detractoribus inimicis & maleuolis satisfieri debet absque onere satisfacientis & periculo, quando de eorum correctione spes habetur, si vero de eorum correctione nequaquam spes habetur, non debet satisfacere ipsis. Et ideo prædicti summi pontifices suis detractoribus debuerunt satisfacere absque onere purgationis eis veritatem indicando & monendo, ne ipsi mendaciter diffamarent, si habeatur spes de correctione ipsorum. Ad tertiam respondetur, quod Sixtus aliter potuisset euadere, quam se purgando, quia apud prouidos & honestos non extitit diffamatus, & criminator ipsius incorrigibilis putabatur. *Discip.* Quid est agendum secundum istos, si papa de hæresi grauiter diffamatus nullo modo voluerit se purgare? *Mag.* Dicunt quod pro conuicto debet haberi: & ideo papatu est priuandus. *Discip.* Quomodo probant quod pro conuicto debet haberi? *Mag.* Hoc probant sic: magis debet haberi pro conuicto papa diffamatus, qui se purgare recusat, quam ille qui cupit se purgare, cum purgatores habere non potest, iste enim prętendit, quod paratus est corrigi, nec in hoc peccat quod desiderat se purgare, prælertim si est innocens, licet ex aliquo casu purgatores habere non possit, ille vero incorrigibilem se ostendit, & nouum scandalum & peccatum committit, cum se purgare recusat, sed qui cupit se purgare, cum purgatores habere non possit, pro conuicto haberi non debet, *extra de purgatione canonica, cum per & c. intererit*, etiam *extra de Symo. insinuatum & c. de hoc*, ergo multo fortius si papa de hæresi diffamatus est grauiter, & se nullatenus vult purgare, pro conuicto debet haberi. Per hoc enim est contra ipsum præsumptio violenta, propter quam poterit merito condemnari. *Discip.* Quis secundum istos debet papam se purgare nolentem damnare? *Mag.* De hoc sunt diuersæ opiniones, vna est, quod papa eo ipso, quod diffamatus esset de hæresi & requisitus nollet se purgare, esset ipso facto papatu priuatus, tanquam hæreticus. Alia est, quod non esset ipso facto depositus, sed esset per iudicem deponendus. *Discip.* Per quem? *Mag.* Vna est opinio, quod per concilium generale. Alia est, quod per diœcesanum, vel per illum qui est Iudex papæ, si esset per euidentiam rei in hæresi deprehensus, vnde quidam dicunt, quod ęsset deponendus à Romanis.

CAP. LXII.

In quo ponitur responsio ad auctoritates & rationes primi capituli huius, vbi probatum fuit, quod Papa non habeat superiorem in terris.

DIscip. Dic quomodo ad auctoritates in contrarium *primo capitulo huius sexti* adductas præfati respondent assertores. *Mag.* Ad omnes auctoritates, quæ contra præfatam assertionem sonare videntur, vnicam dant responsionem generalem, dicentes quod intelligi debent, quando papa non est diffamatus de hæresi, nec in aliquo crimine, de quo scandalizaretur ecclesia, incorrigibilis notorie reperitur. *Discip.* Ista generali responsione non obstante, dic quomodo ad singulas auctoritates responsiones dant speciales: & quomodo eas pertractare conantur. *Mag.* Dicunt, quod prima auctoritas sumpta ex illo *cap. 9. & c. nemo*, soluit seipsam, cum dicit expresse: *nemo iudicabit primam sedem iustitiam temperare desiderantem.* Ex quibus verbis intelligitur, quod illud capitulum loquitur de papa, quando desiderat iustitiam temperare, tunc autem non est incorrigibilis, nec hæreticus, licet enim papa etiam notorie deliquerit, si tamen desiderat iustitiam temperare, non est ideo incorrigibilis reputandus. *Discip.* Secunda auctoritas eiusdem expresse insinuat; quod papa in nullo casu est iudicandus, cum dicit, *à quoquam, neque enim ab Augusto*, &c. Ex quibus verbis datur intelligi, quod papa in nullo casu est iudicandus à quoquam. *Mag.* Isti respondent dicentes, quod sane debes intelligere verba præfata, vt intelligas ea, quæ in casu, in quo loquuntur præcedentia verba, quando sc. papa desiderat iustitiam temperare, vnde quod non sic generaliter nullo casu excepto debeant intelligi, Gloss. ibidem asserit manifeste dicens: *nemo iudicabitur, nisi se alicuius iudicio submittat, vt 2. q. 7. nos. si etiam in causa hæresis 40. di. si papa*, & cum submittit se confessori suo, tenetur ei parere, hic exprimunt tres casus, in quibus potest papa ab alio iudicari. Quartum casum exprimit Gloss. *dist. 40. si papa*, sicut est dictum; quando scilicet de crimine notorio papæ scandalizatur ecclesia, & ipse est incorrigibilis, & ita patet, quod verba prædicta non debent sine exceptione intelligi, quando tamen ipsemet papa vult & potest facere iustitiam, non esset ab aliquo iudicandus. *Discipul.* Quid si papa esset hæreticus, & vellet se corrigere iustitiam temperando, esset ne ab alio iudicandus? *Magist.* Respondent dicentes, quod papa, si efficiatur hæreticus, eo ipso non est papa, & ideo quantumcunque tunc cuperet facere iustitiam, esset ab alio iudicandus, sed si manet verus papa, & vult facere iustitiam, non debet ab aliquo iudicari. *Discipul.* Si papa manens papa quocunque crimine inuolutus (volens facere iustitiam) non est ab aliquo iudicandus, ergo nullus alius habet super ipsum iurisdictionem coactiuam: quia incorrigibilitas papæ non tribuit alicui iurisdictionem. *Magist.* Dicunt quod sicut

ratione delicti fit aliquis prius non subditus alicuius de iurisdictione eius, ita papa ratione incorrigibilitatis & criminis, de quo scandalizatur ecclesia, fit de iurisdictione illorum, qui prius fuerunt sibi subiecti. *Disc.* Quid si papa primo incorrigibilis appareret, & postea cum causa sua inciperet ventilari, correctionem promitteret, & corrigi vellet: nunquid qui inceperunt discutere causam papæ, ipsum iudicare deberent? *Magist.* Circa hoc sunt assertiones diuersæ, vna est, quod ex quo isti, qui incepissent ventilare causam papæ, habuissent iurisdictionem super papam (propter promissionem papæ) nequaquam dictam iurisdictionem amitterent: & ideo ipsum iudicare valerent. Alia est: quod sicut per incorrigibilitatẽ papæ acqritur iurisdictio super ipsum, ita p corrigibilitatẽ amittitur. *Disc.* Quomodo secundũ istam assertionem est nota incorrigibilitas papæ? *Mag.* Respondetur, ꝙ erit nota cum per præsumptionem violentam constat, quod habet propositum se nullatenus corrigendi: puta quod asserit, quod non vult se corrigere: vel quia sæpe monitus non se corrigit. Sic enim Imperator & Romani Papã Iohannẽ 12. incorrigilem iudicauerunt, quia sæpe monitus nullatenus se correxit.

Discip. Dic quomodo respondetur ad auctoritatem Symachi papæ. *Mag.* Dicitur quod intelligenda est: quando papa non est de hæresi grauiter diffamatus, nec in aliquo crimine, de quo scandalizetur ecclesia, incorrigibilis inuenitur, cum vero dicitur, quod vbi canon non excipit, nec nos debemus excipere: Respondetur, quod illa regula est regulariter vera: fallit tamen, vbi alius casus non excipit, & vbi scriptura diuina excipit, vel etiam vbi ius naturale, vel ratio euidens naturalis dictat excipiendum. Sic autem est in proposito: quia ratio naturalis & ius naturale dictant, quod vbi papa esset notorie hæreticus, vel criminosus, & scandalizaret ecclesiam, & se nollet corrigere, abiiciendus esset, quæ ratio scripturæ diuinæ concordat approbanti assertionem Caiphæ principis sacerdotum dicentis: *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat.* Ex quibus verbis colligitur, quod sicut fuit expediens, quod Christus innocens pro populo moreretur, ne tota gens periret, ita etiam expedit, quod papa hæreticus & criminosus & incorrigibilis moriatur, similiter sit de papatu proiectus, & non tota gens pereat. *Discipul.* Quæ est illa ratio naturalis, quæ dictat papam criminosum & incorrigibilem abiiciendum? *Mag.* Dicitur quod ratio est illa, videlicet quod membrum incurabile totius corporis infectiuum est pro salute corporis amputandum. *Disc.* Salus Christianorum à Deo dependet, Deus autem potest conseruare salutem eorum absque amputatione membri incurabilis. *Magist.* Respondetur, quod vbi fideles possunt humanum auxilium inuenire, non debent ad potentiam diuinam recurrere, hoc enim esset Deum tentare, quare si aliquod membrum apparet incurabile, debet humanitus amputari.

Discipul. Dic quomodo respondetur ad tertiam auctoritatem Antheri papæ. *Magist.* Respondetur, quod Antherus papa loquitur, quando papa vult seipsum corrigere. Vnde hæc est differentia inter papam & alios corrigendos; quia alii licet non sint incorrigibiles, iudicantur à papa, papa autem, qui non est incorrigibilis, à Domino solo iudicatur. *Discipul.* Dic quomodo dicunt, quod papa in causa hæresis, licet non probetur incorrigibilis, ab alio iudicatur. *Magist.* Videtur quod male intelligas assertionem prædictam, tenet enim assertio sæpe dicta, quod nunquam est papa iudicandus ab homine, nisi submittat se iudicio, vel nisi incorrigibilis ostendatur, & ideo papa existens papa non est pro causa hæresis alicuius subiectus iudicio, licet si papa de hæresi fuerit diffamatus, & recusauerit se subdere iudicio aut purgare, alii potestatem habeant inquirendi de ipso, imo etiam citandi ipsum, sed antequam apparuerit incorrigibilis, vel hæreticus, ipsum corrigere non possunt. *Discipul.* Istud omnino est irrationabile reputandum, quod aliquis habeat potestatem inquirendi de aliquo & citandi ipsum; & tamen non habet potestatem iudicandi eundem: cum inquirere & citare non pertineant, nisi ad iurisdictionem habentem, qui autem habet iurisdictionem super aliquem ratione alicuius criminis, habet potestatem iudicandi & coercendi eundem, aliter enim talis iurisdictio esset omnino inutilis iudicanda &c. *Magist.* Ad hanc obiectionem responsum est prius, vbi ostensum est, quod quando dubitatur de iurisdictione, ratione illius dubitationis potest quis habere potestatem inquirendi & citandi alium, licet in rei veritate iurisdictionem non habeat super ipsum. *Discipul.* Ista responsio videtur contraria veritati: quia quando dubitatur de iurisdictione alicuius, eo ipso non est iudex: sicut quando dubitatur de tutela duorum, neuter est tutor. *Magist.* Dicunt te aperte errare contra iura; quia sæpe ratione dubitationis fit, quod alias non fieret: & præcipue ratione dubitationis de iurisdictione alicuius, dum enim aliquis, qui in rei veritate non est subiectus alicuius episcopi, grauiter (licet mendaciter) diffamatur deliquisse in diœcesi episcopi non sui; talis episcopus sup diffamatum iurisdictionẽ minime habet, qa falsa infamia; & tñ episcopus ꝓpter infamiam habet potestatẽ inquirendi & citandi diffamatũ, si fuerit in diœcesi sua. *Disc.* Istud exẽplum est ad oppositũ, quia talis eps habet iurisdictionẽ sup taliter diffamatũ: eo ꝙ si crimen fuerit ꝓbatum contra ipm, poterit de hoc eum condemnare, si aũt non fuerit ꝓbatum legitime, poterit eũ absoluere, non solũ aũt sententia condẽnationis, sed etiã sententia absolutionis spectat ad iurisdictionẽ habentẽ. *Mag.* Respondetur tibi, ꝙ in hoc casu episcopus ꝓ diffamato non ꝓfert sententiam absolutionis tanꝗ habens iurisdictionẽ super ipm: sed ꝓnunciabit diffamatũ, eo ꝙ nullũ crimen est ꝓbatum contra ipsum ad suam iurisdictionẽ minime pertinere. *Disc.* Hæc responsio non videtur sufficiens, ꝙ talis episcopus potest indicere purgationẽ taliter diffamato, indicere aũt purgationem pertinet ad iurisdictionem habentem, ergo &c. *Mag.* Ad hoc dupliciter respondetur, vno modo, ꝙ episcopus non potest tanꝗ iurisdictionẽ habens sup diffamatũ eidẽ purgationem indicere, sed potest eum rogare, quod propter scandalum vitandum vel sedandum se

pur-

purget, quod si ipse noluerit, ratione scandali, quod præstat nolendo se purgare, fit de iurisdictione episcopi: quia illud scandalum non est sine delicto. Aliter dicitur, quod debet diffamatum ad suum superiorem remittere, & ille sibi debet purgationem indicere. *Discip.* Satis tractauimus istud exemplum, & ideo pone aliud, quod ratione dubitationis de iurisdictione potest quis inquirere vel citare aliquem, super quem tamen iurisdictionem minime habet. *Magist.* Aliud exemplum ponitur *extra de rescript. c. pastoralis*: vbi asseritur, quod quando de reuocatione literarum ambigitur, tam priores iudices quam posteriores, si neuter voluerit differre, de huiusmodi reuocatione cognoscere possunt: & tamen alteri nullam iurisdictionem habent omnino. Aliud exemplum est de legatis, ad quos literæ tacita veritate vel suggesta falsitate per fraudem & malitiam impetrantur, qui antequam de hoc eis fuerit facta fides per tales literas, possunt citare partem aduersam, eo quod dubitant an literæ sint legitime impetratæ: qui tamen postq̃ sciuerint, quod non sunt impetratæ legitime, eis vti non debet, *extra de rescriptis. super literis*, sic dicunt esse de papa, quod propter nullam infamiam de hæresi est alicuius iudicio subiectus: de quo tamen catholici, eo quod dubitatur, an sit hæreticus, & per consequens an sit subiectus eorum iurisdictioni, possunt & debent inquirere, possuntque citare ipsum, quod si nec vult se iudicio submittere, nec purgare, eum pro conuicto interpretatione iuris debent habere: & ideo tunc poterunt eum legitime coercere.

Discip. Sufficiunt ad præsens ista de auctoritate Antheri: & dic ad illam de Constantino. *Mag.* Respondetur, quod Constantinus non loquitur specialiter de summo pontifice, sed generaliter de omnibus clericis, qui tamen possunt ab homine iudicari.

Discip. De illa materia, an scilicet clerici debeant à laicis iudicari, alias disputabo: ideo dic quomodo respondetur ad auctoritatem Gelasii papæ. *Mag.* Respondetur, quod illa verba Gelasii papæ intellecta de summo pontifice non possunt generaliter absq; omni exceptione intelligi. Tunc enim papa non posset alterius iudicio se submittere. Tunc etiam, si papa iudicaret fidẽ Christianam esse falsam & fictã, & publice idolis immolaret, nulli liceret iudicare de ipso. Debent ergo intelligi, si manens papa incorrigibilis minime reperitur. Et eodem modo respondetur ad auctoritatem Nicolai papę, & similiter respondetur ad alias auctoritates, quæ idem sonare videntur. *Discipul.* Dic quomodo respondetur ad rationes, quæ eodem *capitulo primo huius sexti* sunt adductæ. *Magist.* Ad primam dicitur, quod in casu hæresis licet appellare à summo pontifice, iura autem adducta loquuntur in alio casu, quam in casu hæresis. *Discip.* De hac materia transi; quia dudum contuli tecum de ipsa, ideo ad secundam rationem te conuerte. *Magist.* Ad secundam rationem respondetur, quod idem respectu eiusdem & eorundem potest esse superior & inferior in diuersis causis, sic enim delegatus est inferior ordinario iudice in multis causis, & in aliqua causa est eo superior. Sic papa de hæresi diffamatus & notorie criminosus, de quo scandalizatur ecclesia, si incorrigibilis fuerit, in causa sua est inferior catholicis aliis: in aliis tamen causis & ante pronunciationem sententiæ in causa sua omnibus est superior. Ad tertiam rationem dicitur, quod papa potest accusari, nec obstat quod quædam decreta dicunt, quod oẽs pastorem accusare non possunt: quia illa capitula sane intelligenda sunt, & in multis casibus capiunt instantias, sicut per sacros canones declaratur aperte.

Cap. LXIII.

In quo ad rationes probantes, quod Papa de hæresi falsò diffamatus non sit iudicio ecclesiæ subiectus, respondetur, quæ tacta sunt supra 10. c. huius.

DIscipul. Quomodo secundum prædictam assertionem ad rationes adductas in contrarium in *decimo huius sexti* respondetur, non differas explicare. *Magist.* Ad primam illarum rationum respondetur, quod falsa infamia non tribuit alicui super alium iurisdictionem coactiuam, nonnunquam tamen mouet rationabiliter iurisdictionem habentem ad inquirendum de aliquo, an ad eius iurisdictionem pertineat, sicut si aliquis exemptus à iurisdictione episcopi falso fuerit accusatus de crimine, ratione cuius esset de iurisdictione huius episcopi: talis infamia non tribuit iurisdictionem episcopo super exemptum, & tamen rationabiliter mouebit episcopum ad inquirendum de taliter diffamato. Sic dicunt in proposito, quod nulla infamia falsa tribuit alicui iurisdictionem super papã, tamen debet mouere catholicos fidei zelatores ad inquirendum, an talis infamia contineat veritatẽ. Non enim videtur eis, quod aliquis Christianitatis amator debeat asserere, quod (si papa esset publice & grauiter diffamatus, quod vellet Sarracenos super Christianos inducere, & p eos Christianos vniuersos cogere ad recipiendam sectam Sarracenorum, & negandum Christum) non debeãt Christiani veritatem inquirere, nec periculo futuro occurrere. *Discipul.* Propter solam infamiam non deberent catholici procedere ad talem inquisitionem de summo pontifice faciendam, nisi apparerent præsumptiones violentæ, quod papa vellet prædicto modo, vel alio consimili Christianitatem destruere. *Magist.* Si concedas, quod propter infamias & præsumptiones violentas in quocunque casu sit de summo pontifice inquirendum, putant istu habere propositum: quod licet in casu de summo pontifice inquisitionem facere diligentem, antequam sit ipso iure papatu priuatus, ergo propter infamiam & propter præsumptiones violentas non est ipso facto papatu priuatus, nec à sacer-

dotio summo distinguendus, ergo adhuc manet verus papa, & tamen concedis, quod propter infamiam & præsumptiones huiusmodi de ipso licet inquirere veritatem, ergo in casu licet de papa inquirere, licet in rei veritate non sit alicuius iurisdictioni subiectus, in quibus autem causis specialibus, & propter quam infamiam, & propter cuiusmodi præsumptiones hoc liceat, isti nequaquam specificant, nisi duos casus generaliter assignando: si scilicet est de hæresi grauiter diffamatus, & si incorrigibilem de aliquo crimine se ostendit.

Discip. Dic quomodo respondetur ad secundam rationem. *Magist.* Respondetur, quod in vna & eadem causa numero & eodem tempore idem respectu eiusdem vel eorundem non est superior & inferior: idem tamen respectu alicuius vel aliquorum in vna causa vel in vno tempore est superior & in alia causa eiusdem speciei & in alio tempore respectu eiusdem vel eorundem est inferior. Rex enim alicuius regni, quod alteri quam regi non est subiectum, licet non habet superiorem personam, potest tamen in aliqua causa esse inferior regno, vnde & regnum in casu iuste posset regem incorrigibilem deponere: & tamen quando Rex inueniretur immunis à tali delicto, & omnes de regno suo culpabiles in delicto, consimiliter probaretur quod Rex esset superior omnibus, & omnes posset de iure iuste punire, si tantam haberet potentiam temporalem. Sic etiam dicitur esse in ordinibus Mendicantium, quod capitulum generale pro aliquo delicto potest prælatum suum supremum deponere: & tamen si ipse immunis esset à delicto tali, & omnes in generali capitulo congregati essent culpabiles, ipse in omnes & singulos iustitiam posset exercere. *Discip.* Istud exemplum non videtur conueniens: quia quod generalia capitula Ordinum Mendicantium possint pro aliquo delicto prælatos suos supremos deponere, habent ex priuilegio speciali Romani pontificis. *Mag.* Hoc (dicūt isti) non impedit dictum eorum: quia vndecunque habeat, concedendum est, quod idem respectu eiusdem vel eorundem est in vna causa & in vno tempore superior: & in alia causa eiusdem speciei est inferior alio tempore. Ex quo concludunt, quod non est inconueniens, quod idem respectu eorundem in vna causa sit superior, & tamen alias in causa alia eiusdem speciei illi, qui sunt inferiores, habeant potestatem inquirendi de superiori suo. Ex ita dicunt esse de papa: quod si omnes Christiani errarent in fide præter papā, ipse omnes de iure punire deberet: & tamen in alio casu si Christiani in fide perseuerarent catholica, & papa esset de hæresi grauiter diffamatus, catholici haberent potestatem inquirendi de ipso, si tamen ipsum inuenirent innoxium, nullam iurisdictionem super ipsum haberent.

Discip. Video intentionem istorum ad secundam rationem. Dic quomodo respondetur ad tertiam. *Mag.* Ad tertiam dicitur, quod non solum ecclesia vniuersalis habet potestatem inquirendi de papa super crimine heresis grauiter diffamato, sed etiam alii, qui haberent iudicare papam, si esset manifeste in hæresi deprehensus, habent potestatem inquirendi de ipso, quemadmodum absque vniuersali ecclesia & concilio generali episcopi conuenerunt ad inquirendum de facto beati Marcellini, qui idololatriam commiserat. *Discip.* Istud peccatum fuit ita horrendum, quod dissimulari non poterat. *Mag.* Si concedas, quod pro quocunq; peccato sit inquirendum de papa, totam istam assertionē euertas, quæ dicit, quod papa in nullo casu habet superiorem in terris: quia si concedatur, ꝙ papa pro publica idololatria, vel si publice & manifeste prædicaret Christum fuisse mendacem & falsum prophetam, aut fidem Christianam esse falsam, aut sectam Sarracenorum esse tenendam, aut se circumcideret & Iudæum efficeret, vel corpus Christi in lacum proiiceret, vel resurrectionem futuram negaret, aut aliquid tale omnibus fidelibus detestandum præsumeret perpetrare, esset catholicorum subiectus iudicio: oportet consequenter concedere, quod papa potest in casu habere superiorem in terris. Ex quo sequitur, quod posset accidere casus, quod de papa diffamato haberent fideles inquirere veritatem. *Discipul.* Nunquid secundum istos est concedendum, quod aliqua persona habet potestatem inquirendi de papa super crimine hæresis diffamato? *Mag.* Isti concedunt quod sic; sicut concedunt, quod si papa esset in hæresi notorie deprehensus, aliqua persona haberet iurisdictionem super ipsum. *Discip.* Dic, quomodo respondetur ad exempla de Marcellino & Symacho. *Magist.* Respondetur, quod per vtrumq; exemplum habent isti propositum, nam de beato Marcellino de hæresi diffamato inquisitionem fecerunt episcopi, & ipsi propter talem infamiam reputauerunt se potestatem habere inquirendi de papa, sed postquam inquisierunt & inuenerunt veritatē, scilicet quod beatus Marcellinus non erat hæreticus, & quod idololatrauerat timore mortis, tantummodo constabat eis, quod licet antea haberent potestatem inquirendi veritatem de papa propter dubitationem in cordibus exortam, & ex infamia præcedenti, tamen post inquisitionem non habuerunt potestatem iudicandi ipsum, nec sibi de iure debebant aliquam pœnitentiam pro commisso infligere. Consimiliter dicunt de Symacho papa, quod (quia in generali in concilio congregati non inuenerunt ipsum hæreticum) non habuerunt potestatem iudicandi ipsum, prius tamen propter infamiam suscitatam de ipso habuerunt potestatem inquirendi & etiam cogendi ipsum oppositionibus respondere, quod ex verbis superius allegatis (vt videtur istis) euidenter apparet.

CAP. LXIV.

In quo respondetur ad rationes probantes, quod concilium generale non habet iurisdictionem supra Papam de crimine hæresis diffamatum, superius c. 12. huius adductas.

DISC. De istis responsionibus sollicite cogitabo, & post istud opus de ipsis tecum cõferam diligenter. Nunc aũt quæso vt dicas, quomodo isti assertores respondent ad rationes adductas sup. *12. c. huius sexti*, quibus ostenditur, ꝙ concilium generale non habet iurisdictionem super Papam de crimine hæresis diffamatũ. *Mag.* Ad primam illarum respondent, ꝙ ecclesia vniuersalis si esset simul cõgregata, sicut aliqñ potuit simul congregari (& nescitur an ad tantã paucitatem deueniet, quod posset insimul conuenire) potestatem haberet inquirendi de Papa super crimine hæresis diffamato: & si probaretur hæreticus, ipsum punire deberet. Ad rationes aũt in contrarium responsum est prius. Ad secundã dicitur: ꝙ in casu non solum congregatio particularis, sed etiã aliqua ꝑsona potestatẽ haberet super Papã, si n. (vt dicunt) Papa publice prædicaret & assereret fidem Christianam vanã esse & falsam, & fictã, & iniquã, Diœcesanus catholicus, cui hoc cõstaret, haberet potestatẽ de iure capiẽdi & detinendi ipsum. Si etiam Papa esset Iudæus vel Sarracenus, deficientib. prælatis ecclesiasticis ipsum potestas secularis captiuare deberet, si aũt Papa de tali flagitio esset grauiter diffamatus, nõ solũ concilium generale, sed etiam prælatus specialis haberet potestatẽ inquirendi de Papa, non captiuãdi vel puniendi. Ad tertiam respondetur, quod etiã persona, quæ potest contra fidem errare, dum tñ non erret de facto, posset in casu supra Papam habere iurisdictionem. Ad quartam respondetur, vt patet per illa, quæ sunt dicta in *capitulo præcedenti*, quia sicut, si Papa esset in hæresi notorie deprehensus, conciliũ generale haberet iurisdictionem super ipsum, & tñ si Papa esset fortis in fide, & omnes alii de concilio generali errarent, essent sibi subiecti: ita si Papa esset in hæresi diffamatus, conciliũ generale haberet potestatem inquirendi de ipso: & tamen si Papa non erraret, & omnes alii errarent; Papa ipsos de iure iudicare deberet, & hoc quia (sicut dictum est) in diuersis causis eiusdem speciei diuersis temporib. idem respectu eiusdem & eorundem potest esse superior & inferior. Ad quintum dicitur, quod concilium generale habet potestatem principaliter ab ecclesia vniuersali, cuius vicem gerit, & cuius auctoritate principaliter conuocatur; sed immediate per Papam, si est catholicus, & desiderat sequi iustitiam, congregetur, vnde & absque Papa congregari posset in casu.

CAP. LXV.

In quo assignantur modi, in quibus fideles habent iurisdictionem, seu potestatem super Papam, vbi ponuntur 4. casus, vbi notatur, quæ sit potestas simpliciter & secundum quid.

DISC. Recitasti nonnulla, de quibus inuestigationem specialem habebo, veruntamen antequam proponã, numera modos, in quibus catholici & fideles habent potestatem super Papã. *Mag.* Intendis solummodo loqui de Papa, qui est verus; vel generalius de illo, qui postquam fuit Papa verus, gerit se pro Papa, siue de iure fuerit siue non? *Disc.* Loquor de omni illo, qui postquam fuisset verus Papa, gereret vel niteretur se gerere pro Papa. *Mag.* Adhuc volo scire, de qua potestate intelligis, an de potestate, quæ est iurisdictio? an de omni alia, quam potest quis licite in alium exercere? Minister enim iudicis potest exercere potestatem in damnatum per iudicem; & tñ iurisdictionem habet minime super eum, potest etiam quis licite insidiantẽ occidere: & tamen ex hoc iurisdictionem super insidiantem minime habet, contingit etiã quandoq; licite absq; iudicis auctoritate latrones occidere, super quos occidens iurisdictionẽ minime habet, licet enim non habenti iurisdictionem vim vi repellere. *Disc.* Aperte conspicio, quod contingit non habentẽ iurisdictionem licite potestatem in aliquem exercere, & ideo loquor de potestate iuridica communiter dicta. *Mag.* Nunc video intentionẽ tuã; & ideo ad mentẽ tuam respondebo. Dico, ꝙ assertores prædicti asserunt manifeste, quod cõtingit licite exercere potestatẽ simpliciter, vel secundum quid in Papam. *Disc.* Expone, q̃ potestatem vocant potestatẽ simpliciter, & q̃ secundum quid. *Mag.* *Potestatem simpliciter* vocãt, quã quis vel ordinarie vel aliquo casu pro aliquo tempore determinato contingit in aliũ exercere ipso nolente, & à principio renitente. *Potestatem secundum quid* vocant, quã potest quis in alium exercere ipso volente. *Disc.* Intelligo distinctionem eorum: & ideo explica, in quibus casibus contingit fideles licite exercere potestatem in Papam verum, vel in eum, qui fuit vel gerit se pro Papa. *Magister.* Dicunt quod potestatem secundum quid possunt catholici exercere in Papam, si eorum iudicio vel potestati inquirendi se submittat, sicut enim Leo Papa iudicio Imperatoris & suorum se submisit. Vnde etiam, vt legitur *2. quæstion. 7. cap. nos*, scribens Ludouico Imperatori ait: *Nos si incompetenter aliquid egimus in subditis, iustæ legis tramitem non obseruauimus, vestro ac Missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio.* Etiam Gregorius cupiebat se subdere aliorum iudicio, qui, vt habetur causa, & quæ. prædictis, *cap. si quis*, ait: *Si quis super his nos redarguere voluerit, vel extra auctoritatem nos facere contenderit, veniat ad sedem Apostolicam, vt ibi ante confessionem beati Petri mecum iuste decertet, quatenus ibi vnus ex nobis sententiam suscipiat suam.* Ex his datur intelligi, quod cum Papa iudicio se submittit, alius in ipsum susci-

suscipit potestatem, sicut autem Papa potest submittere se iudicio aliorum, ita valet committere aliis potestatem inquirendi de ipso. *Discip.* Refer casus, in quibus haberet simpliciter aliquis potestatem in Papam. *Magister.* Ponunt quatuor casus, nec tamen alios negant. Primus est, si Papa in se vel alium manus crudeles cupit mittere: puta, si seipsum vult occidere, aut grauiter vulnerare, vel mutilare, vel alium sine omni causa vult occidere. In hoc enim casu licet Papam, siue fuerit alienatus à sensu siue non, compescere & modo debito coercere. Secundus casus est, si Papa, hoc est, qui fuit verus Papa, & cupit se gerere pro Papa, in hæresi manifeste deprehenditur, tunc enim licet eum detinere, & de sede deiicere violenter, & debitæ subdere vltioni. Tertius est, si Papa in aliquo crimine fuerit deprehensus, de quo scandalizatur ecclesia, & ipse incorrigibilem se ostendit. Quartus, si fuerit de hæresi diffamatus, & mendaciter, tunc enim catholici habent potestatem inquirendi de ipso, licet non habeant potestatem iudicandi ipsum, nisi cum scandalo ecclesiæ irreuocabiliter siue pertinaciter se submittere vel purgare renuit. Præter istos casus forte ponerent alios, sed ad istos, vel ad aliquem istorum poterunt forte reduci.

Cap. LXVI.

Vbi incipit secunda pars principalis huius libri sexti, in qua inuestigare intendit de punitione Papæ hæretici. Et primo de pœna depositionis eius à Papatu & omni ecclesiastica dignitate. Qualiter Papa vel alius si efficiatur vere hæreticus, & non solum sit falso diffamatus, feriendus sit canonice & puniendus. Pro cuius determinatione primo quærit, vtrum Papa, si efficiatur vere hæreticus, sit ipso facto omni auctoritate & ecclesiastica dignitate priuatus? Quod sic: primo ostendit, quia ex iure diuino deduci potest prædicta quæstionis prima assertio seu conclusio, scil. quod Papa si vere efficiatur hæreticus, eo facto non est verus Papa, sed iure diuino & Christi sententia est eo facto à Papatu priuatus, quod 15. rationibus ostenditur.

Discipulus. Postquam de Papa super crimine hæresis mendaciter diffamato plura quæsiui, & quædam interserui de Papa effecto hæretico; volo nunc plura de Papa vere hæretico indagare. In primis autem exordiis disseras, an Papa, si efficiatur hæreticus, ipso facto sit omni auctoritate & ecclesiastica dignitate nudatus. *Magist.* De hoc videntur esse diuersæ sententiæ. Vna est, quod Papa, si efficiatur hæreticus siue manifestus, siue occultus, ipso facto est Papatu priuatus, quamuis ab ecclesia toleretur. *Discipu.* Quo iure dicunt Papam Papatu esse priuatum si hæreticam incurrerit prauitatem? *Mag.* Dicunt quod iure diuino est priuatus. *Discip.* Quomodo possunt hoc dicere, cum in tota scriptura diuina nulla mentio de Papa hæretico penitus habeatur? *Mag.* Respondent, quod licet in scriptura diuina nulla mentio de Papa hæretico specialis & vocalis inueniatur, plura tamen vniuersalia in Scriptura sacra reperiuntur, quæ possunt ad Papam hæreticum applicari. Ex quibus & ista vel consimili (Papa est hæreticus) concluditur euidenter, quod Papa hæreticus non est Papa verus: & per consequens quod est Papatu priuatus. *Disc.* Hoc scire desidero, quomodo ex contentis in scriptura diuina probare nituntur, quod Papa, si efficiatur hæreticus, non est verus Papa. *Mag.* Hoc per plures rationes probare conantur. Quarum prima est hæc, verus Papa quantumcunque sceleratus & impius à catholicis est sequendus: quia licet eius opera imitanda non sint, eius tamen doctrina est seruanda. Ipsa veritate testante, quæ Matth. 23. ait: *super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum vero opera eorum nolite facere.* Ex quibus verbis colligitur, quod sacerdotes veteris legis sequendi fuerunt, quantum ad doctrinam & præcepta, ergo multo magis sequendus est, quamdiu manet Papa. Sed si Papa efficeretur hæreticus, nullatenus est sequendus: præcipiente Christo, qui vt habetur Luc. 21. ait: *multi venient in nomine meo dicentes, ego sum: & tempus appropinquabit: nolite ergo ire post illos.* Ex quibus verbis colligitur, quod qui venerit in nomine Christi, & tamen est aduersarius Christi, non est eundum post eum. Sed qui dicit se esse vicarium Christi, venit in nomine Christi, & si errat contra fidem, est aduersarius Christi: ergo non est eundum post illum, nec est aliquo modo sequendus, & per consequens non est verus vicarius Christi, quia verus vicarius Christi est sequendus, & ita Papa, quam cito fit hæreticus, sententia Christi Papatu est priuatus. *Disc.* Ista ratio videtur tripliciter deficere, primo, quia male intelliguntur verba Christi, cum dicit: *Multi venient in nomine meo dicentes, ego sum.* Non enim loquitur de illis Christus, qui venturi erant in nomine Christi, asserentes se esse vicarios Christi, quales sunt summi Pontifices: sed loquitur de illis, qui venturi erant in nomine Christi, dicturi se habere potestatem & dignitatẽ ac sublimitatẽ Christi, & illi nullo modo sunt sequendi. Si enim aliquis Papa primo catholicus, postea diceret se esse Christum, & quod honor diuinus esset ei impendendus, nullo modo esset eundum post ipsum. Secundo videtur deficere prædicta ratio: quia ire post Papam contingit dupliciter, vel sequendo doctrinam, vel præceptum eius, quamuis ergo Papa efficeretur hæreticus, non esset eundum post ipsum sequendo eius doctrinam: quia doctrina hæretica est omnimodo vitanda: esset tamen eundum post ipsum, eius obediendo præceptis; & ita maneret verus Papa. Tertio deficit ratio supra dicta: quia si ipsa concluderet, probaret aperte, quod si Papa absque omni pertinacia erraret

contra

contra fidem, esset Papatu priuatus. Nam qui docet falsam doctrinam siue pertinaciter, siue non pertinaciter, non est in hoc sequẽdus, & ita qui veniret in nomine Christi, dicens: ego sum Papa & vicarius Christi, & teneret quomodocunq; doctrinam contra fidẽ, non est eundum post illum, & per consequens esset Papatu priuatus, quod est omnino contrarium veritati. *Mag.* Istas instantias tuas quidam friuolas arbitrantur putantes per ipsas demonstratiue probare cõclusionem intentam. Per primam enim ostendunt (vt eis videtur aperte) quod Papa, si efficiatur hæreticus, voce Christi est Papatu priuatus, talem namq; faciunt rationem. Idem ius est de hæresi minima & de maxima, quia idẽ est ius in paruis & in magnis, sic etiã deferendum est pro causa minima, sicut pro maxima interiectæ appellationi, furtum etiam committitur in re minima sicut in maxima, sed si aliquis Papa hæreticus effectus diceret se Christum & verum Deum, sicut Christus fuit verus Deus, voce Christi esset Papatu priuatus, cũ dicit: *Nolite ire post illos*, illis n. verbis Christus nullũ præcepit esse sequẽdum, qui diceret se Christũ & Deum, & per consequens eisdem verbis Papã Papatu priuauit, si presumeret se Christum & verũ Deum, ergo cõsimiliter Christus eisdẽ verbis Papatu priuauit omnẽ Papam, qui in quãtamcunq; etiã minimam heresim laberetur. Et p hoc respondent ad instantiã memoratã dicentes, quod verba Christi prædicta debent intelligi tã de illis, qui dicturi erant se dignitatẽ Christi habere, q̃ de omnibus hæreticis asserentib. sese doctrinam verã astruere. Per secundam etiam instantiam intentum probare nituntur, quia si Papa est sequendus; aut sequendus est quantum ad doctrinam, aut quantũ ad præcepta, sed neutro modo Papa hæreticus est sequendus, ergo non est verus Papa. Maior videtur aperta, minor probatur, quod non sit sequendus quo ad doctrinam, patet, quia nulla hæretica doctrina est sequenda. Quod etiam non sit sequẽdus, quantum ad præcepta, patet, quia vnum de principalibus præceptis Pãpæ est, vt subiecti eius doctrinam seruent: si ergo Papa hæreticus non est sequendus, quo ad doctrinam, nec etiam quo ad præcepta est sequendus, & per hoc patet responsio ad instantiam, quam adducis. Ad tertiam respondetur, quod Papa non est in omnibus sequendus, si enim male viuit, eius vita nullatenus est sequenda, & ideo si docet aliquid absque omni pertinacia contra fidem, in hoc minime est sequendus. Papa tamen manet Papa, quantum autem ad illa, quæ contra fidem docet irreuocabiliter, non est sequendus, & ideo si aliquid irreuocabiliter docet contra fidem, sic eo ipso non est verus Papa, & est Papatu priuatus, si autem aliquid docet contra fidem & paratus est corrigi, non est Papatu priuatus. *Disc.* Quomodo scietur hoc, quod Papa docet aliquid irreuocabiliter contra fidem, & aliquid non irreuocabiliter? *Mag.* Ad hoc dicitur, quod hoc iudicari debet per verba & per opera eius, quandoque enim conuincendus est per verba, quæ dicit: quandoque per opera quæ agit, sicut ex *quarto huius* potes aduertere.

Discipul. Sunt ne plures rationes pro assertione prædicta? *Magist.* Secunda ratio in sacra Scriptura fundata est talis, vniuersi pseudoprophetæ & pseudochristi à cunctis fidelibus sunt vitandi, ipsa veritate testante, quæ vt habetur Matthæi 24. ait: *Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi, ecce prædixi vobis, si ergo dixerint vobis: ecce in deserto est: nolite exire, ecce in penetralibus: nolite credere.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod pseudoprophetæ & pseudochristi sunt vitandi. Sed Papa, si efficiatur hæreticus, inter pseudoprophetas & pseudochristos est censendus, ergo vera voce Christi quam cito sic scitur esse talis à cunctis catholicis est vitandus. Et per consequens voce Christi est Papatu priuatus: quia verus Papa à catholicis nullatenus est vitandus.

Tertia ratio est talis, qui est de medio fidelium auferendus, non est verus Papa: cum verus Papa sit à cunctis fidelibus honorandus. Sed Papa hæreticus etiam si signa faceret, & prædiceret aliqua, & ita euenirent, est de medio fidelium auferendus: eo quod sententia diuina lata est contra ipsum, Deuteronom. 13. vbi sic legitur: *Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium dicat se vidisse, & prædixerit signum, atque portentum, & euenerit quod est & dixerit tibi: eamus & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester*, & infra: *propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur, quia locutus est, vt vos auerteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Aegypti, & redemit vos de domo seruitutis: vt errare te faceret de via, quam præcepit tibi Dominus Deus, & auferes malum de medio tui.* Ex quibus verbis colligitur, quod quicunque nullo excepto visus fuerit à via Domini, & à veritate catholica fideles auertere, est de medio fidelium auferendus. Sed Papa, si est hæreticus & prauitatem docuerit hæreticam, à fide conatur fideles auertere, ergo est de medio fidelium auferendus, & per consequens verus Papa minime est censendus. *Discipulus.* Si Papa doceret seruire diis falsis vel colere idola, videtur quod eo ipso non esset reputandus verus Papa: sed propter quamlibet hæresim non videtur, quod sit statim Papatu priuatus. *Magister.* Hic concedis, quod est aliqua hæresis, quam si Papa incurreret, statim ipso facto est Papatu priuatus voce Dei, ergo pro omni hæresi cui pertinaciter adhæserit, est ipso facto per diuinam sententiam Papatu priuatus. Quia de hæresi vna & alia quantum ad hoc consimiliter est dicendum.

Quarta ratio est hæc, Antichristus non est verus Christi vicarius, sed Papa hæreticus est veraciter Antichristus, teste beato Iohanne in canonica sua 1. c. 9. ait: *omnis spiritus qui soluit Iesum ex Deo non est, & hic est Antichristus, & de eo audistis quoniam iam venit.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod quicunque negat fidem Christi Antichristus est censendus; Papa ergo hæreticus est Antichristus, & per consequens non est verus vicarius Christi. Ex quo sequitur, quod est Papatu priuatus.

Quinta

Quinta ratio est hæc, ille non est verus Papa, cui fideles minime communicare debent, quia Papæ est communicandum & obediendum, sed Papæ hæretico minime fideles communicare debent, ergo Papa hæreticus non est verus Papa. Maior est manifesta. Minor probatur auctoritate B. Ioh. qui in canonica sua ait: *Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam suam non affert, nolite recipere eum in domum: nec aue ei dixeritis, qui enim dixerit ei aue, communicat operibus eius malis*, quæ verba Beda, vt legitur *24. q. 1. c. omnis*, exponens ait: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis, qui enim dixit illi aue, communicat illius operibus malis, hac enim Iohan. de schismatibus siue hæreticis deuitandis, quæ verbis docuit & factis exhibuit, narrat enim de illo auditor eius sanctissimus vir & martyr fortissimus Polycarpus Smirneorum antistes, quod tempore quodam cum apud Ephesum balnea lauandi gratia fuisset ingressus, & vidisset ibi Cherintum: exiit continuo, & discessit non lotus, dicens: Fugiamus hinc, ne balnea ipsa corruant, in quibus Cherintus lauatur inimicus veritatis.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod ei qui non affert doctrinam Christi, est nullatenus communicandum, Papa autem hæreticus non affert doctrinam Christi, ergo ei nullatenus est communicandum: & per consequens non est verus Papa. *Disc.* Beatus Iohannes non loquitur de Papa hæretico: sed de aliis hæreticis, quibus non est communicandum. *Magist.* Hæc responsio impugnatur, primo, quia beatus Iohannes inter Papam non afferentem doctrinam Christi & alium non distinguit: sed dat pro regula generali, quod quicunq; non attulerit doctrinam Christi non est communicandum eidem. Secundo ostenditur ex ratione beati Ioh. quod regula sua magis intelligenda est de Papa hæretico, quam de aliis hæreticis. Affirmatur enim pro ratione, quare hæreticus est vitandus, & non est dicendum ei aue, dicit: *qui enim dixerit sibi aue: communicat operibus suis malis.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod qui dicit aue hæretico, communicat suis operibus malignis, sed operibus malis neque Papæ hæretici neque aliorum hæreticorum communicandum est, eo quod propter dignitatem, qua fungitur Papa hæreticus, magis nocere valeret fidei orthodoxæ, si fautores, sequaces & defensores haberet quam alii hæretici, teste beato Augustino, vt legitur *distinct. 83. c. nemo*, ait: *nemo quippe in ecclesia Dei amplius nocet, quam qui peruerse agens nomen vel ordinem sanctitatis vel sacerdotis habet, delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.* Ex quibus verbis infertur, quod nemo amplius nocere potest ecclesiæ Dei, quam Papa peruerse & hæresim dogmatizans, si pro reuerentia Papalis officii honoratur. Si ergo operibus malis aliorum hæreticorum catholici communicare non debent: multo magis communicare non debent operibus malis Papæ hæretici, & per consequens ei dicere aue non debent: quia secundum beatum Ioh. qui dicit cuicunque hæretico aue, communicat operibus illius malignis.

Discip. Alias rationes adducas. *Magist.* Sexta ratio est hæc. Ille non est verus Papa, qui neque in spiritualibus, neque in temporalibus debet esse iudex fidelium, quia verus Papa est verus Iudex omniũ Christianorum. Sed Papa hæreticus neque in spiritualibus, neque in temporalibus debet esse Iudex fidelium. Quia non in temporalibus, patet per Apostolum, qui primæ ad Cor. 6. Corinthios reprehendit, quod coram infidelibus litigabant, dicens sic: *Non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre contendit in iudicio: & hoc apud infideles.* Ex quibus verbis datur intelligi: quod fideles etiam pro temporalibus non debent coram infidelibus contendere, si inter se sapientem habuerint, qui inter ipsos sciat & valeat iudicare. Ex quo concluditur, quod multo fortius infidelis in spiritualibus non debet esse iudex fidelium, Papa autem hæreticus est infidelis, ergo non debet esse iudex fidelium: & per consequens non est verus Papa.

Septima ratio est talis, ille qui tanquam proprio iudicio condemnatus est, est à fidelibus euitandus, Papa hæreticus tanquam proprio iudicio condemnatus est, ergo est à fidelibus euitandus, teste Apostolo, qui ad Titum 3. ait: *Hæreticum hominem post vnam & secundam correctionem deuita, sciens, quod subuersus est, qui eiusmodi est & derelinquit cum sit proprio iudicio condemnatus*, ergo est euitandus. Quod etiam Ambros. vt habetur *24. q. 1. c. quæ dignior*, asserit manifeste ita dicens: *fides ergo inprimis ecclesiæ quærenda mandatur: in qua si Christus habitator sit, haud dubie sit legendum. Si vero perfidus populus aut præceptor hæreticus deformet ecclesiæ habitaculum, vitanda hæreticorum communio; fugienda synagoga censetur; excutiendus pedum puluis, ne fatiscentibus perfidiæ sterilis siccitatibus tanquam humi arida arenosaque mentis tuæ vestigium polluatur. Nam sicut corporeas infirmitates populi fidelis suscipere in se debet euangelii prædicator, iuxta quod scriptum est: quis infirmatur & ego non infirmor? & ita si qua est ecclesia, quæ fidem respuat, nec Apostolicæ prædicationis fundamenta possideat, ne, quem labe perfidiæ possit aspergere, deserenda est. Quod Apostolus quoque asseruit euidenter, dicens, hæreticum hominem post vnam & alteram correctionem deuita.* Ex quibus verbis potest intelligi, quod Papa hæreticus etiam absque omni humana sententia est vitandus. Ratio enim, quare Ambrosius asserit hæreticos esse deuitandos, est, ne quos labe perfidiæ scil. prauitatis hæreticę possit aspergere. Papa autem hæreticus inter omnes hæreticos efficacius, fortius, celerius, & vniuersalius potest aspergere prauitate hæretica populos Christianos, ergo Papa hæreticus ante omnem humanam sententiam est à catholicis (tanquam diuina condemnatus sententia) deuitãdus; & per consequens verus Papa minime est censendus. *Disc.* Verba Apostoli videntur ostendere, quod Papa hæreticus non est sententia diuina condemnatus, cum dicat Apostolus hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita, aperte insinuans, quod ante primam & secundam correctionem non est à fidelibus deuitandus. Ex quo infertur, quod Papa hæreticus ante primam & secundam correctionem diuina sententia non est condemnatus. *Mag.* Ad istam obiectionem respõdetur, quod prima & secunda correctio minime requiruntur ad condemnationem Papæ hæretici,

nec

nec præcedunt condemnationem eius: quia absq; omni correctione Papa hęreticus est damnatus, cũ n. correctio sententiam damnationis nequaquam contineat, & nullus absque omni sententia diuina & humana est vitandus. Si Papa hæreticus post primam & secundam correctionem sic est vitandus, constat quod ante correctionem primam & secundam Papa hæreticus aliqua sentẽtia diuina vel humana extitit condemnatus, & ita prima & secunda correctio non pręcedunt sententiam condemnationis Papæ hæretici: sed sæpe quando aliquis fit hæreticus, quia negat veritatem, quam non tenetur explicite credere ad hoc, quod sciatur esse damnatus diuina sententia, & per consequens, vt constet, quod est à catholicis deuitandus, requiritur prima & secunda correctio: quia sæpe aliter constare nõ potest, quod est prauitate hæretica irretitus, quandoq; enim per primam correctionem minime innotescit, quod errans contra fidem pertinaciter errat, & ideo adhuc non constat, quod est vitandus. Per secundam autem correctionem constat an paratus sit corrigi, vel in sua sententia pertinaciter pseuerare, & ideo tunc scitur an sit diuina sententia condemnatus, & per consequens an sit à fidelibus euitandus. Per primam ergo & secundam correctionem intelligit Apostolus omnem correctionem, in qua innotescit errantem esse in sua sententia pertinacem, & per consequens qua constat illum esse diuina sententia condemnatum, & à catholicis deuitandum.

Disc. Sunt ne plures rationes pro assertione prædicta? *Mag.* Octaua ratio est hæc, Qui est anathematizatus, non est verus Papa: quia talis est ab ecclesia separatus. Verus autem Papa est ab ecclesia minime separatus, cum sit caput ecclesiæ, caput autem ab ecclesia separatum non est amplius caput, sicut nec caput à corpore separatum est amplius caput, quemadmodum homo mortuus non est homo, vt dicit Aristoteles, *caput est capitati caput.* Sed Papa hæreticus est anathematizatus, teste Apostolo, qui ad Gal. ca. 1. ait: *licet nos autem angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam, quod euangelizauimus vobis, anathema sit sicut prædiximus, & nunc iterum dico: si quis vobis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit*, ergo Papa hæreticus non est papa. *Discip.* Videtur quod ista ratio non concludit: quia Apostolus non concludit, quod talis euangelizator anathema est, sed dicit, *anathema sit*, insinuãs quod talis non est anathematizatus, sed anathematizandus, & ita papa hæreticus non est anathematizatus, sed anathematizandus. *Mag.* Respondetur quod verba Apostoli non recte intelligis, non enim dicit Apostolus *Anathema sit*, quia euangelizator hæreticalis doctrinæ est anathematizandus, non anathematizatus. Sed ideo dicit, *anathema sit*, quia vult verba sua intelligi conditionaliter, scil. si aliquis euangelizaret contra Apostolicam doctrinam, sequitur quod sit anathema, ita quod talis conditionalis est vera, si aliquis euangelizaret contra doctrinam Apostoli, ipse est anathema. Aliter dicitur, & prædictis non obuiat, cum dicit Apostolus, *anathema sit*, hoc est tanquam anathema sit habendus, & per consequens talis est ab ecclesia fidelium separatus.

Disc. Alias audiam libenter rationes. *Mag.* Nona ratio est talis, homo alterius sectæ non debuit esse rex fidelium constitutorum sub veteri lege, papa autem est caput omnium cõstitutorum sub noua lege, ergo nullus alterius sectæ potest esse verus papa, sed papa verus est caput omnium Christianorum, papa autem hæreticus est alterius sectæ, ergo hæreticus non est verus papa. Quod autem homo alterius sectæ non debuit esse rex fidelium constitutorum sub veteri lege, lex diuina manifestat apertius, cum dicat Deuter. 16. *Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus*, ergo cõsimiliter homo alterius sectæ non est verus papa.

Decima ratio est hæc, nemo alterius sectæ est verus propheta & doctor Christianorum, ergo multo magis nemo alterius sectæ est verus papa catholicorum, papa autem hæreticus est alterius sectæ, ergo non est verus papa. Quod autem nemo alterius sectæ possit esse propheta aut doctor catholicorum diuinis testimoniis videtur aperte probari. Ait enim Dominus Moysi Deut. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius.* Ex quibus verbis colligitur, quod verus papa & doctor omnium Christianorum catholicorum est de medio tantummodo fidelium suscitandus, & ita alterius sectæ esse non potest, & per consequens homo alterius sectæ non est verus papa, cum verus papa sit propheta verus, id est doctor fidelium, quia verbo pascere debet catholicos, Christo dicente Petro: *pasce oues meas.*

Vndecima ratio est hæc, verus papa est verus pastor ouium Christi, papa autem hæreticus non est verus pastor ouium Christi, ergo papa hæreticus non est verus papa. Maior est manifesta: quia est successor B. Petri, qui fuit verus papa à Christo cõstitutus. Minor probatur, quia verus pastor ouiũ Christi est sequendus, teste ipso Christo, qui, vt legitur Ioh. 10. de vero pastore loquens, ait: *Oues eius vocẽ audiũt, & proprias oues vocat nominatim & educit eas & cũ proprias oues emiserit ante eas vadit & oues eũ sequuntur*, ita patet, ꝙ verus pastor est sequendus, papa aũt hæreticus non est sequendus, ergo non est verus pastor. Item, fur non est verus pastor: quia veritas (vbi prius) furem à vero pastore distinguit. Sed papa hæreticus est fur: quia papa hæreticus tanquam fur non venit nisi vt furetur & mactet & perdat, ergo papa hæreticus non est verus pastor, & per consequens non est verus papa.

Duodecima ratio est hæc, qui non est de corpore ecclesiæ militantis, non est verus papa: eo quod verus papa est verum caput ecclesiæ. Sed papa hæreticus (nulla etiam contra eum humana lata sententia) non est de corpore ecclesiæ quantumcunque putetur esse de corpore ecclesiæ, ergo papa hæreticus non est papa. Maior est euidens. Minor ostenditur sic. Nullus hæreticus est de corpore ecclesiæ, ergo papa hæreticus non est de corpore ecclesiæ. Antecedens probatur aperte auctoritate Greg. asserentis, quod licet mali catholici pertineant ad ecclesiam, quę comprehendit bonos & malos, hæretici tamen non sunt de societate ecclesiæ. Ait enim Greg. in omelia de parabola zizanio-

zizaniorum: *cum negligenter agerent præpositi ecclesiæ, & dormitionem mortis acciperent Apostoli, venit diabolus & superseminauit eos, quos malos filios Deus interpretatur. Sed recte quæritur, vtrum hæretici sint an male viuentes catholici, possunt enim dici mali filii & hæretici, qui ex eodem semine euangelii & Christi nomine procreati prauis opinionibus ad falsa dogmata conuertuntur. Sed quod dicit eos in medio tritici seminatos, quo videntur illi significari, qui vnius conditionis sunt, veruntamen quoniam Dominus agrum non ecclesiam, sed hunc mundum interpretatur, intelliguntur hæretici, qui non societate vnius ecclesiæ vel vnius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc mundo permiscentur bonis, vt illi qui in eadem fide mali sunt palea potius, quam zizania reputentur, quia palea etiam fundamentum idem habet cum frumento radicemque communem. In illa palea sane sagenaque, qua concluduntur & mali & boni, non absurde intelliguntur mali catholici, aliud mare magnum, quod significat istum mundum, aliud sagena, quæ vnius fidei vel vnius ecclesiæ communionem videtur ostendere.* Ex quibus verbis colligitur, quod absque omni humana sententia omnes hæretici sunt à corpore ecclesiæ separati, nec sunt de ecclesia, licet quidam eorum putentur esse de ecclesia, quia quod sint hæretici ignoratur, dicit enim Gregorius, quod hæretici non societatæ vnius ecclesiæ vel vnius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc mundo permiscentur bonis. Ex quo patenter habetur, quod hæretici non sunt de corpore ecclesiæ eiusdem cum bonis. Item omnes qui sunt de corpore ecclesiæ militantis, siue sunt boni, siue mali, in vna sagena concluduntur. Sed hæretici cum catholicis licet sint in vno mari, quia in vno mundo, non tamen sunt in vna sagena, secundum Greg. ergo hæretici non sunt de corpore ecclesiæ. Quod etiam sic probatur, ecclesia Christi est regnum Christi, sed soli catholici spectant ad regnum Christi, teste beato August. qui super Ioh. ait: *fideles Christiani sunt regnum, quod non colligitur sed emitur sanguine Christi.* Et alibi super Iohan. ait: *quid enim regnum eius, nisi credentes?* Ex quibus verbis patet, quod hæretici non sunt de regno Christi, licet mali catholici sint de regno Christi. Quod autem regnum Christi sit ecclesia, asserit euidenter Gregor. qui in omelia de communi virginum ait: *sciendum vobis est, quod sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsentis temporis ecclesia dicitur, de quo in alio loco Dominus dicit: Mittet filius hominis angelos suos & colligent de regno eius omnia scandala.* Cum ergo hæretici non sunt de regno Christi, quod comprehendit bonos & malos, sequitur quod non sunt de corpore ecclesiæ militantis. Et ita Papa hæreticus non est de corpore ecclesiæ militantis. Item quod hæretici non sint de corpore ecclesiæ, sic probatur, qui est extra ecclesiam, non est de corpore ecclesiæ, sed omnes hæretici sunt extra ecclesiam, ergo non sunt de corpore ecclesiæ. Maior est euidens, minor probatur multis modis. Primo modo, qui nouiter veniunt vel redeunt ad ecclesiam catholicam prius extra ecclesiam extiterunt, sed hæretici suas hæreses delinquentes veniunt & redeunt ad ecclesiam, *1. q. 7. si qui voluerint, & c. quotiens, & c. saluberrimi, & c. conuenientibus*, ergo hæretici non sunt de corpore ecclesiæ. Item, qui sunt alibi, quam in ecclesia catholica, non sunt de corpore ecclesiæ, sed hæretici sunt alibi quam in ecclesia catholica *1. q. 7. c. qui in qualibet, & c. si qui presbyteri*, ergo hæretici non sunt de corpore ecclesiæ. Item, qui extitit de ecclesia non est de corpore ecclesiæ, omnes autem hæretici, quando efficiuntur hæretici, exeunt de ecclesia, *1. qu. 1. si quis de ecclesia*, ergo hæretici non sunt de corpore ecclesiæ, etiam nulla lata humana sententia contra ipsos. Item ecclesia catholica ab ecclesia hæreticorum distinguitur, ergo hæretici non sunt intra ecclesiam catholicam, & ita Papa hæreticus non est de corpore ecclesiæ catholicæ. Item, ecclesia catholica est congregatio fidelium, sed Papa hæreticus, quantumcunque reputetur Papa (etiam absque omni humana sententia) non est de congregatione fidelium, ergo ante omnem humanam sententiam, eo ipso, quod est hæreticus, vere est extra ecclesiam, & non est de corpore ecclesiæ. Item, aut hæretici eo ipso quod sunt hæretici, sunt absque humana sententia extra ecclesiam: aut solummodo sunt extra ecclesiam per humanam sententiam: si detur primum, habetur intentum quod Papa eo ipso, quod est hæreticus ante omnem humanam sententiam est vere extra ecclesiam, si autē hæretici sunt extra ecclesiam secundo modo per humanam sententiam: ergo hæretici, qui præcesserunt talem humanam sententiam, fuerunt intra ecclesiam, quod non modicum inconueniens est censendum eo, quod ex illis verbis manifeste sequitur, quod aliquando fuit vna ecclesia catholicorum & hæreticorum: imo sequitur, quod possit adhuc esse vna ecclesia catholicorum & hæreticorum, quia omnis humana sententia, qua hæretici extra ecclesiam exclusi fuerunt, posset per illos, qui eandem auctoritatem habent, quam habebant, qui talem tulerunt sententiam, reuocari, & ita reuocata humana sententia possunt hæretici in sua perfidia persistentes reuerti ad ecclesiæ vnitatem, quod impossibile est censendum: quia si reuocata humana sententia, qua hæretici ab ecclesia exclusi fuerunt, redirent ad ecclesiæ catholicæ vnitatem; aut redirent ad ecclesiæ catholicæ vnitatem, aut alterius ecclesiæ quam catholicæ, si redirent ad vnitatem ecclesiæ catholicæ: ergo intra ecclesiam catholicam includuntur hæretici: & sic ecclesia catholica ita esset infidelium sicut fidelium, quod impossibile est censendum, si autem redirent ad aliam ecclesiam quam catholicam, & redirent ad vnitatem, à qua per humanam sententiam exclusi fuerant, ergo catholici essent de alia ecclesia, quam de ecclesia catholica. Quod etiam est inconueniens reputandum. Omnis autem hæreticus siue Papa siue alius eo ipso, quod est hæreticus, etsi nulla contra eum proferatur sententia, vere est extra ecclesiam catholicam. Ex quo sequitur, quod Papa hæreticus eo ipso, quod est hæreticus, non est de corpore ecclesiæ, & per consequens non est caput ecclesiæ, & ita Papa hæreticus non est verus Papa.

Tertiadecima ratio principalis est hæc, verus Papa habet potestatem & ius super omnes catholicos, sed Papa hæreticus nil potestatis vel iuris omnino habet, ergo Papa hæreticus non est verus

Papa. Maior eſt euidens. Minor oſtenditur auctoritate Cypriani, qui vt legitur *24. q. 1. ca. didicimus,* ait: *did.c mus omnes omnino hæreticos & ſchiſmaticos nihil habere poteſtatis aut iuris.* *Diſcipulus.* Bene probatur, quod Papa hæreticus non eſt verus Papa: & quod eſt papatu priuatus. Sed non probatur per auctoritatem prędictam, quod papa hæreticus ſit per diuinam ſententiam papatu priuatus. Quod beatus Cyprianus non dicit, didicimus ex ſcriptura diuina omnes omnino hæreticos; ſed ſine determinatione ait: *didicimus,* &c. Potuit autem in canonibus ſacris addiſcere, quod omnes omnino hæretici nihil habeant poteſtatis aut iuris, quia licet per ſcripturam diuinam hæretici non ſunt omni poteſtate priuati: ſunt tamen per ſacros canones omni poteſtate ac iure nudati. *Magiſter.* Videtur nonnullis, quod ſi ſequentia beati Cypriani penſares ſubtiliter, inuenires quod beatus Cyprianus aſſerit manifeſte, ſe in ſacra ſcriptura didiciſſe: *omnes omnino hæreticos & ſchiſmaticos nihil habere poteſtatis.* Nam ad probandum verba prædicta ſubdit: *inuenimus in tali facinore non ſolum duces & auctores, ſed etiam participes eorum pœnis deſtinari, niſi à communione eorum ſe ſeparauerint, præcipiente per Moyſen Domino & dicente: Separamini à tabernaculo hominum iſtorum duriſſimorum, & nolite tangere de omnibus quæ ſunt eorum, ne ſimul pereatis in peccatis eorum, & quod locutus per Moyſen Dominus fuerat, impleuit, vt quiſquis ſe à Chore & Datan & Abiron non ſeparaſſet, pœnas ſtatim ipſa communione perſolueret. Quo exemplo oſtenditur, & probatur obnoxios omnes pœnæ, & per conſequens culpæ futuros, qui ſe ſchiſmaticis contra præpoſitos & ſacerdotes irreligioſa temeritate miſcuerunt. Sicut etiam per Oſeam prophetam Spiritus ſanctus conteſtatur & dicit: Sacrificia eorum tanquam panis latens, omnes qui manducant ea contaminabuntur: docens ſcilicet & oſtendens, omnes cum auctoribus ſuis ſuppliciis mergi, qui fuerunt eorum peccatis contaminati.* Et infra: *ſi autem foris cuncti hæretici & ſchiſmatici ſunt, Spiritum ſanctum non habent, & ideo apud nos manus eis imponitur, vt hic accipiatur, quod illic non eſt nec dari poteſt, manifeſtum eſt, nec remiſſionem peccatorum per eos dari poſſe, quos conſtat Spiritum ſanctum non habere.* Ex quibus verbis colligitur, quod beatus Cyprianus ad declarationem aſſertionis, ſcilicet quod *omnes omnino hæretici & ſchiſmatici nihil habent poteſtatis aut iuris,* auctoritates diuinæ ſcripturæ adducit. Ex quo ſequitur euidenter, quod in ſcriptura diuina didicit, quod omnes hæretici nihil habeant poteſtatis aut iuris, hæc à ſcriptura accipere diuina dicuntur. Item, quod beatus Cyprianus intelligat ſe in ſcriptura diuina didiciſſe, quod hæretici nihil habent poteſtatis aut iuris, ex aliis verbis eius colligitur. Nam, vt habetur *1. quæſtion. 1. cap. ſi quis,* idem Cyprianus ait: *ſi quis de eccleſia hæretica præſumptione exierit, à ſemetipſo eſt damnatus, cum huiuſmodi (ſecundum Apoſtolum) nec cibum quidem debemus accipere. Declaratur hoc in libro Regum tertio, vbi cùm homo Dei ad Hieroboam miſſus eſſet, qui peccata ſua exprobraret, atque vltionem futuram prædiceret; panem apud ipſum edere & aquam bibere prohibitus eſt.* Et infra: *an debet quiſquam dicere ſacramentum ſalutare, & gratiam cœleſtem communem cum hæreticis eſſe poſſe, cum quibus nec terreſtris cibus, nec ſecularis potus debet eſſe communis.* Ex quibus verbis aperte colligitur, quod beatus Cyprianus in ſcriptura diuina ſe fundauit aſſerens, quod hæreticorum communio eſt vitanda, & per conſequens nihil poteſtatis aut iuris habet. Ex quo ſequitur euidenter, quod ſicut papa hæreticus per ſcripturam diuinam communione fidelium eſt priuatus, ita per ſcripturam diuinam eſt omni poteſtate & eccleſiaſtica dignitate nudatus, cum vero etiam papa communicandum eſt; nullus etiam à communione veri papæ fugere tenetur, ergo ille, qui eſt communione fidelium auctoritate diuinæ ſcripturæ priuatus, non eſt verus papa.

Quartadecima ratio eſt hæc. Ad verum papam ſunt cauſæ fidei deferendæ, *24. q. 1. c. quotiens,* ſed ad Papam hæreticum non ſunt cauſæ fidei deferendæ: quia ad aduerſarium fidei, cauſæ fidei ſunt minime deferendæ. Papa autem hæreticus eſt aduerſarius fidei Chriſtianæ, ergo ad Papam hæreticum nō ſunt cauſæ fidei deferendæ. Et ideo Papa hæreticus non eſt verus Papa. *Diſc.* Iſta ratio videtur fortis, ſi ex iure diuino haberet papa verus, quod ad ipſum ſint quæſtiones fidei deferendæ. Quia non video quod hoc (ſc. quod ad papam hæreticum non ſunt cauſæ fidei deferendæ) probari indigeat. Et ideo proba mihi, quod ex iure diuino verus papa illam prærogatiuam obtineat, quod ad ipſum ſint cauſæ fidei deferendæ. *Mag.* Hoc videtur poſſe probari per hoc, quod eodem iure habet verus Papa, quod ad ipſum ſint quæſtiones fidei deferendę, ex quo iure ſuper omnes fideles dignoſcitur habere principatum. Sed verus papa ex iure diuino ſuper omnes fideles obtinet principatum *diſti. 21. quamuis, & diſtinct. 22. c. omnes, & c. ſacroſanctam,* igitur de iure diuino habet, quod ad ipſum ſunt cauſæ fidei deferendæ.

Decima quinta ratio eſt hæc. Ille, cui ſecundum legem diuinā catholici debent ſe opponere maxime in his, quæ ad religionē pertinent Chriſtianam non eſt verus Papa: cum verus papa ſit caput omnium Chriſtianorū, præcipue in his, quæ ſpectant ad religionem ſpecialiter Chriſtianam. Sed papæ hæretico ſecundum legem diuinam catholici ſe opponere aſtringuntur. Vnde & Dominus per Ezechiel. prophetam ca. 13. illos qui non reſiſtunt hæreticis acriter reprehendit, dicens: *non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini,* ex aduerſo enim aſcendere & pro domo Iſrael ſe murum opponere eſt pro defenſione catholicæ veritatis, cuicunq; hæretico domum Iſrael (quæ eſt eccleſia) cupienti deſtruere, totis viribus obuiare, quod euidenter Vrbanus Papa videtur innuere, qui vt legitur *1. q. 3. c. Saluator,* ait: *Saluator prædixit in euangelio circa finem ſeculi pſeudo Apoſtolos & pſeudoprophetas ſurgere & multos ſeducere, & fideles ſuos in mundo multas habituros preſſuras, ſed tamen portas inferni non praualituras. Proinde, vt ait* Apoſtolus; *Oportet eſſe hæreſes, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant: oportet & nos cum propheta ex aduerſo conſurgere & murum pro domo Iſrael opponere.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod contra quaſcunq; hæreſes inſurgentes oportet catholicos ex

aduerso consurgere, & se murum opponere pro defensione fidei orthodoxæ. Ergo si Papa fiat hæreticus, & fidem molitus fuerit destruere orthodoxam, oportet catholicos ei animosius obuiare. Et per consequens hæreticus non est verus Papa censendus, secundum testimonium sacrarum scripturarum.

Cap. LXVII.

In quo contraria assertio, siue opinio illi priori septem rationibus probatur, scilicet quod Papa hæreticus non sit iure diuino Papatu priuatus.

DIsc. Pro ista assertione fortiter allegasti: & puto quod apparentiores rationes pro ipsa non est facile inuenire, ideo vt mihi detur occasio cogitandi pro assertione contraria aliquas rationes excogitare conare. *Mag.* Quod Papa hæreticus nō sit iure diuino Papatu priuatus, videtur multis modis posse probari. Primo sic: sicut Papa est caput fidelium, qui sunt sub noua lege, ita summus sacerdos quantum ad illa, quæ spectant ad legem diuinam caput erat fidelium, qui erant sub veteri lege constituti. Sed summus sacerdos in veteri lege quamuis errasset à fide, non fuisset sacerdotio summo iure diuino priuatus. Quia vt videtur plures summi sacerdotes in antiqua lege deuiauerunt à fide, & tamen postea summo sacerdotio fungebantur. Ergo licet Papa erraret à fide, & efficeretur hæreticus, non esset iure diuino Papatu priuatus. Confirmatur hæc ratio: quia non magis per scripturā diuinā probari potest, quod Papa hæreticus est Papatu priuatus, quam quod summus sacerdos veteris legis effectus hæreticus fuerit sacerdotio summo priuatus. Quod rationes sumptæ ex scriptura diuina maxime ex Veteri Testamento non magis concludunt de summo sacerdote nouæ legis, quam veteris. Sed summus sacerdos in antiqua lege effectus hæreticus non fuit iure diuino sacerdotio summo priuatus. Secunda ratio est hæc, Papa non est deterioris conditionis, quam alii prælati & episcopi, sed alii prælati & episcopi, si fiant hæretici, non sunt iure diuino omni dignitate priuati. Maior videtur certa. Minor probatur: quia si episcopi & alii prælati effecti hæretici essent iure diuino omni dignitate priuati, non possent absque noua electione ad suas recipi dignitates, vel saltem suas dignitates minime retinerent. Sed nonnulli prælati effecti hæretici absque noua electione ad suas dignitates recepti fuerunt vel retinuerunt easdem *1. quæst. 7. maximum, & qu. 1. omnes cuiuslibet, &c. quam quidam.* Ergo & Papa quamuis efficiatur hæreticus Papalem retinet dignitatem, & ita nequaquam est iure diuino Papatu priuatus. Tertio, non deterioris conditionis est Papa, quam Imperator vel princeps secularis. Sed Imperator effectus hæreticus iure diuino non est imperiali dignitate priuatus. Nec reges, nec principes seculares si efficiantur hæretici, iure diuino suis dignitatibus sunt priuati. Ergo nec Papa hæreticus est iure diuino dignitate Papali priuatus. Maior videtur certa. Minor ostenditur manifeste. Nam in veteri lege multi reges idololatræ & hæretici effecti fuerunt, & tamen veri reges remanserunt. Iulianus quoque apostata hæreticus de Christiano fuit effectus: Et tamen fuit verus Imperator *11. quæstion. 3. cap. Iulianus.* Ergo principes seculares hæretici nequaquam suis dignitatibus iure diuino priuantur. Ergo nec Papa quamuis efficiatur hæreticus, iure diuino Papatu est priuatus. Quarto; si Papa hæreticus esset iure diuino Papatu priuatus: hoc non esset propter aliam causam, nisi quia hæreticus catholicis præesse non potest. Sed hæreticos & infideles præfuisse catholicis, & catholicos infidelibus obedisse in sacris literis & aliis scripturis autenticis legitur manifeste. Ioseph enim seruiuit & obediuit Pharaoni: & Daniel Nabuchodonosor: & Christiani plures fidelibus Imperatoribus seruierunt. Ergo non est contra legem diuinam, quod hæreticus vel infidelis fidelibus præsit, ergo non est contra sacram Scripturam, quod Papa hæreticus remaneat verus Papa. Quinto sic: Ad quem pertinet institutio alicuius, ad eundem destitutio spectat eiusdem, *extra, de hæreticis, cum ex incerto.* Sed Papa non instituitur iure diuino, sed eligentium electione canonica & concordi. Ergo nec Papa destituitur iure diuino: sed si est destituendus, oportet quod ipsum destituant electores. Sexto sic: Illa assertio nullatenus est tenenda, ad quam sequi potest totius ecclesiasticæ Hierarchiæ confusio, cui tota ecclesia subuenire non posset. Sed si Papa hæreticus iure diuino esset Papatu priuatus, posset sequi totius ecclesiasticæ Hierarchiæ confusio, posset enim Papa esse occultus hæreticus, cuius ordinationes, promotiones, consecrationes, & cætera facta eius nullius essent momenti, si iure diuino esset Papatu priuatus, & ita si Papa occulte efficitur hæreticus, nullus prælatus per ipsum factus esset verus prælatus. Et per consequens totus ordo ecclesiasticus esset confusus, quare nullus esset verus prælatus: nec tota ecclesia Dei, quæ de occultis iudicare non potest, valeret tali confusioni ecclesiastici ordinis obuiare, ergo non est tenendum, quod Papa hæreticus statim iure diuino sit Papatu priuatus. Septimo sic: Illa pœna Papæ hæretico per scripturam diuinam minime est inflicta, de qua in tota Scriptura nulla mentio reperitur, sed de pœna priuationis officii & beneficii nulla penitus in Scriptura sacra mentio reperitur, ergo per Scripturam sacram Papa hæreticus Papatu nullatenus est priuatus.

Cap. LXVIII.

In quo ad septem rationes praecedentis capituli respondetur: vbi nota differentiam inter Papam haeretiocum, & summum sacerdotem haereticum veteris legis.

Disc. Ista assertio pure est negatiua, & ideo cum asserit, quod in sacris literis minime reperitur Papam hęreticum ipso facto esse Papatu priuatum, videtur, quod contra proteruum probari non posset, nisi per singula loca Scripturæ sacræ, præsertim tractantia de hæreticis vel infidelibus discurrendo, hoc autem nolo quod facias, ideo cum pro ista parte rationes vt mihi videtur allegaueris fortiores, quæso vt indices qualiter ad ipsas respondere contingat, de rationibus allegatis etiam pro alia parte tecum post completionem istius Dialogi collocutionem habebo. *Mag.* Ad primam istarum rationum dupliciter respondetur, dicitur enim vno modo, quod summus sacerdos veteris legis eo ipso quod efficiebatur hæreticus, fuit sacerdotio summo priuatus, nec tunc erat verus summus Pontifex secundū rei veritatē, licet extiterit secundum opinionem hominum summus sacerdos. Veruntā inter ipsum & summum Pontificem nouæ legis talis fuit differentia, quod summus sacerdos veteris legis effectus hæreticus, si postea conuertebatur ad fidem veram, sacerdotium recuperabat amissum, quemadmodum excommunicatus & executione priuatus officii, quando absoluitur, officii recuperat executionē, sed si summus Pontifex nouæ legis efficitur hæreticus, quomodocunq; occultus, sic Papatum amittit, quod quantumcunq; postea cōuertatur ad fidem, Papatum nequaquam recuperat. *Disc.* Istud videtur ratione carere, cum nequeat neq; auctoritate scripturæ diuinæ, neq; ratione muniri. Quod non ratione, de se patet: quia talia, quę sunt positiua, per rationē probari non possunt, neque auctoritate scripturæ diuinæ; quia talis differentia inter summum Pontificem veteris legis & Papam in tota scriptura non poterit inueniri. *Magister.* Respondetur, quod talis differentia ex Scripturis sacris accipit fulcimentum. Constat enim secundum scripturam diuinam, quod summum sacerdotium veteris legis certæ cognationi & generi debebatur, nullus enim præter filios Aaron debuit esse summus Pontifex, Papatus autem certæ cognationi aut generi non debetur. Petrus enim nequaquam pro se & filiis suis Papatum recepit à Christo: Ex quo ergo iure successionis, qui erat summus sacerdos in veteri lege sacerdotium summum obtinuit, & non erat statutum in veteri lege, quod summus sacerdos effectus hæreticus (ipso ab hæresi desistente) non recuperaret illud, quod sibi debebatur iure successionis hæreditariæ, conueniens fuit, vt videtur, quod ipse ad fidem reuersus recuperaret sacerdotium, quod per hæreticam prauitatem amiserat. Papa autem iure successionis hæreditariæ Papatum minime habet, & ideo si propter perfidiam hæresis Papatu priuatur, nequaquam Papatum recuperat, nisi eligeretur de nouo. Aliter dicitur, quod quia summus sacerdos antiquæ legis sacerdotium habuit iure successionis: ideo executionem officii amittere potuit propter hæreticam prauitatem. Officium autem, quamdiu vixit, non amisit. Sed Papa non habet officium Papatus iure successionis, ideo amittendo executionem Papalis officii, ipsum officium Papale amittit. Et ista differentia est inter Papam hæreticum & summum sacerdotem hæreticum in veteri lege.

Discipulus. Intelligo responsionem istorum ad primam rationem, ideo indica qualiter respondetur ad secundam rationem. *Mag.* Ad secundam rationem dicitur, quod omnes episcopi & prælati ecclesiastici incurrentes hæreticam prauitatem, siue publice, siue occulte iure diuino suis dignitatibus sunt priuati. Quia in his, quæ sunt propria religioni Christianæ, nulla potest esse communicatio hæretici ad fidelem. Et ideo quantum ad illa quæ spiritualia sunt, hæreticus fidelibus præesse non potest. Distinctio enim fidelis & infidelis non est ex iure humano, siue canonico & ciuili, sed est ex iure diuino. Et ideo quod infideles (qualis est omnis hæreticus) fidelibus in spiritualibus præesse non debeant, est ex iure diuino. Quare iure diuino omnis hæreticus omni prælatione ecclesiastica est priuatus, quod Apostolus *secund. Corinth. sext.* insinuare videtur, ait enim: *Nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis?* In quibus verbis Apostolus videtur insinuare & præcipere fidelibus vniuersis, ne subsint infidelibus, & ne communicent eis. Quod potissime veritatem habet quantum ad spiritualia & ea, quæ propria sunt religioni Christianæ, quamuis enim in temporalibus possint fideles subesse infidelibus, & communicare in spiritualibus: tamen ipsis subesse non debent. Et ita omnis hæreticus, cum sit infidelis, iure diuino omni prælatione ecclesiastica est priuatus, & ita maior illius rationis est falsa secundum assertionem illam. Ad probationem eius respondetur, quod licet episcopi inferiores summo Pontifice & alii prælati (si hæreticam incurrerint prauitatem) sint iure diuino omni ecclesiastica prælatione priuati: tamen ex causa rationabili per ordinationem concilii generalis vel summi Pontificis possunt, (si conuersi fuerint) ad suas restitui dignitates, quamuis enim iure diuino hæretici sunt omni ecclesiastica prælatione priuati; restitutio tamen eorum ad pristinam dignitatem (si conuersi fuerint) ex iure diuino nullatenus est interdicta, & ideo per ecclesiam restitui possunt, & talis restitutio vel est noua electio, vel æquipollet electioni noui. *Disc.*

Illa responsio sacris canonibus obuiare videtur. Nam videtur quod episcopus factus hæreticus, iure diuino non sit episcopatu priuatus. Quia qui iure diuino est episcopatu priuatus, statim absq; licentia quacunq; episcopatui renunciare teneretur. Qui enim auctoritate superioris est dignitate priuatus, non debet petere ab inferiori cedendi licentiam. Sed episcopus factus hæreticus, non potest renunciare sine licentia Papæ, qui est inferior lege diuina, *ext. de renunciat. cap. nisi & ca. post translationem*, ergo episcopus factus hæreticus, non est per legem diuinam episcopatu priuatus. Item, si episcopus hæreticus esset iure diuino episcopatu priuatus; quilibet, qui fuit subditus eius, sciens ipsum esse hæreticum, ipsum vitare deberet; nec deberet sibi quomodolibet obedire. Sed hoc canoni Symachi Papæ, qui ponitur *8 q 4. c. nonne*, aperte repugnat, qui iubet nullum clericum ante tempus sententiæ ab episcopo suo discedere, dicens: *nonne directa sunt verba canonum? Si quis clericorum ab episcopo suo ante tempus sententiæ pro dubia suspitione discesserit, manifestam in eum manere censuram, lex enim ecclesiastica Pontificem ab aliis accusatum priusquam sub luce obiecta constiterint, exigit non relinqui.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod ante tempus sententiæ non est ab obedientia episcopi hæretici recedendum, & per consequens non est iure diuino episcopatu priuatus. *Mag.* Ad euidentiã primæ obiectionis tuæ, quæ fundatur in hoc, quod pro nullo crimine potest episcopus renuntiare episcopatui sine licentia Papæ, dicitur esse sciendum, quod sicut recitat Gloss. in c. præallegato, *ext. de renunciatione c. nisi*, de hoc sunt opiniones contrariæ: quibusdam dicentibus, quod nullus criminosus, nullus irregularis potest renũciare sine licentia Papæ: etiam si titulum non habeat, vt simoniacus & intrusus, & secundum istos videtur, quod episcopus factus hæreticus non potest renuntiare sine licentia Papæ. Alii dicunt, quod quidam renunciare possunt sine licentia Papæ. Vnde dicunt, quod symoniacus & intrusus non habent titulum, sed fures & inuasores sunt *1. qu. 1. c. ordinationes*, & ideo quanto plus tenent, tanto plus peccant, quia fur est semper in mora. Vnde dicunt, quod isti renunciare tenentur auctoritate canonis *1. q. 1. si quis*, etiam absque licentia Papæ, sed in illis, qui titulum habent, secus est, ibi enim necessaria est licentia Papæ, patet ergo quod de petenda cedendi licentia sunt opiniones diuersæ. Hoc viso dicitur distinguendo, vt videtur concordando cum Gloss. quæ opiniones recitat, supradictas, quia episcopus criminosus, aut habet titulum secundum veritatem, aut secundum hominum opinionem, sicut Symoniacus saltem non notorius, sed occultus vel non notorius hæreticus: aut non habet titulum neque secundum veritatem, neque secundum opinionem hominum; sicut publice intrusus. In secundo casu videtur, quod talis statim cum habet conscientiam & propositum renunciandi, statim renunciare debet, nec videtur quod vnq̃ teneatur petere cedendi licentiam, si autem criminosus habeat titulum secundum veritatẽ, nullo modo potest cedere absq; licentia petita & obtenta, si aũt habeat titulum non secundũ veritatem, sed secundum opinionem hominũ ab omni administratione & executione officii statim cessare tenetur, & nihilominus in manu superioris, sc. papæ, renunciare debet, & ita quodãmodo petere cedendi licentiã vel verius renunciare, quare non potest retinere officium explicite allegando, & hoc debet non quia sit dignitate priuatus, sed quia debet satisfacere illis, qui ipsum reputant verum titulum habuisse, præsertim cum possit esse occultum, quod non habuit titulum verum: & nullus debet diffamare seipsum, quare non diffamet seipsum debet petere cedendi licentiam & auctoritate superiorum renunciare solenniter. His Gloss. concordare videtur, quæ ait: *licet titulum non habeat symoniacus, tamen videtur habere titulum, cum enim per electionem habuit ecclesiam, quo ad communem opinionem habet titulum, si occulta fuerit symonia. Vnde propter hoc saltem tenetur licentiam petere, & causa potest subesse: quia si bene administrauerit, Papa de facili dispensabit cum eo, & per hoc posset dici, quod intrusus omnino cedere debet: quia nec quantum ad opinionem, nec quantum ad veritatem titulum habet.* Ex his patet, quod quandoq; occupans dignitatem debet statim cedere: quandoq; non debet statim cedere publice sc. renunciãdo, licet nunq̃ ante talẽ renũciationẽ cessare debet ab omni administratione & officii executione, per hoc ad tuã obiectionẽ taliter respondetur, quod interdũ episcopus iure diuino episcopatu priuatus licet statim debet cessare ab administratione officii, potest tñ & debet publice ex causa petere cedẽdi licentiã à superiori iure diuino: nõ quia nõ est priuatus iure diuino, sed ex alia rationabili causa, sic est de episcopo prauitatẽ hæreticã incurrẽte, qui a debet petere licentiã cedendi. Non quia nõ sit de iure diuino priuatus, sed quia ante perfidiã hęresis habuit verũ titulũ; & post habuit secundum hominum opinionẽ, & ideo debet statim cessare ab omni administratione & executione episcopalis officii. Sed nõ debet statim publice & solẽniter renũciare; præsertim si est occultus hæreticus, ne prodat & diffamet seipsum: sed debet à Papa petere licentiã renuntiandi, vt sic auctoritate Papæ publice & solenniter renuntiet, ne credatur quod renuntiet propter hæreticã prauitatem. *Disc.* Propter hanc rationem non deberet cessare ab executione episcopalis officii: quia si sic procederet, diffamaret seipsum. *Magist.* Dicitur quod absque diffamatione suspisus de hæretica prauitate potest cessare ab executione episcopalis officii. Et ideo debet cessare: quia sibi non licet quantumcunque sit pœnitens exequi officium episcopale, ex quo fuit hæreticus & per superiorem vel potestatẽ habentem est minime restitutus. Sed petere licentiam renunciandi vel renunciare in manu Papæ, licet sibi quantumcunq; fuerit hæretica prauitate fœdatus, & ideo hoc debet facere, tum propter statutum ecclesiæ, tum propter scandala euitanda. Ad secundã obiectionem dicitur, quod quicunque scit episcopum suum esse hæreticum, ipsum debet non episcopum reputare & sibi minime obedire, sicut notat Gloss. *2. question. 7. cap. sacerdotes*, & Glossa *24. quæst. 1. cap. 1.* quæ ait: *si scirem prælatum meum esse hæreticum, quia nouam hæresim fingit, nec tamen prædicaret, si me excommunicaret, celebrarem in occulto, sed non in aperto.* Ex quibus verbis clare apparet, quod episcopo hæretico non debet sciens

ipsum

ipsum esse hæreticum obedire::sed licet ab ipso discedere, quare iam sententia legis diuinæ & etiam constitutionis ecclesiæ est damnatus. Nec huic obuiat canon Simachi Papæ, si quis subtiliter verba eius inspexerit. Nam, sicut expresse patet, ipse loquitur de illis, qui pro dubia suspitione ab episcopo accusato antequam obiecta constiterint, præsumunt recedere, quod est minime faciendum. Quia quantumcunque episcopus aliquis fuerit effectus hæreticus, nullus subditus eius dubia suspitione debet ab eo recedere ante tempus sententiæ. Secus est de illo, qui non dubitat, sed scit episcopum suum in prauitatem hæreticam incidisse.

Disc. Dic quomodo ad rationem tertiam respondetur. *Mag.* Ad tertiam respondetur sic: quod secus est de prælatione ecclesiastica & seculari. Nam prælatio ecclesiastica introducta est à iure diuino: quia ex ordinatione diuina est, quod vnus fidelis aliis fidelibus in spiritualibus præesse debet: prælatio vero secularis introducta est à iure humano. Et ideo quia distinctio debet esse inter fideles & infideles quoad spiritualia, nec in spiritualibus communicant vel concordant, sed dissentiunt, possunt autem in temporalibus concordare, ideo licet principes seculares, quamuis efficiantur hæretici, non sint iure diuino principatu seculari priuati, prælati tamen ecclesiæ si efficiantur hæretici iure diuino, ipso facto principatu ecclesiastico sunt priuati. *Discipulus.* Ista responsio tripliciter videtur deficere. Primo, quia aliquorum regum principatus secularis fuit à iure diuino: & tamen quamuis fuissent effecti hæretici, non fuissent principatu seculari iure diuino priuati, ergo non est hæc causa, quare principes ecclesiastici, si efficiuntur hæretici, iure diuino sunt priuati: quia eorum scilicet principatus est à iure diuino. Secundo videtur etiam, quod principes seculares, si efficiantur hæretici, iure diuino suis principatibus sunt priuati, quia illi sunt iure diuino priuati principatu suo, quibus ex præcepto iuris diuini fideles communicare non debent. Sed ex præcepto iuris diuini fideles infidelibus communicare non debent, teste Apostolo, qui sicut allegatum est prius, ait: *nolite iugum ducere cum infidelibus:* ergo principes seculares, si efficiantur hæretici, iure diuino suis principatibus sunt priuati. Tertio videtur, quod propter hoc, quod fideles & infideles, quoad spiritualia dissentiunt & discordant, non est dicendum, quod infideles quoad spiritualia fidelibus præesse non possint. Nam boni & mali, quo ad spiritualia dissentiunt & discordant, & tamen mali bonis, quo ad spiritualia præesse possunt, ergo consimiliter licet fideles & infideles, quo ad spiritualia dissentiant & discordent, tamen quoad spiritualia infideles fidelibus præesse valebunt. *Magister.* Ad primam respondetur, quod non ideo prælati ecclesiastici, cum efficiuntur hæretici, omni prælatione ecclesiastica sunt iure diuino priuati, quia sint prælati à iure diuino. Sed quia prælatio ecclesiastica à iure diuino solummodo sumpsit originem, nec humanitus est inuenta, quamuis quod aliqui sint prælati ecclesiastici habeant à iure humano. Quod enim vnus sit episcopus & non alius, est à voluntate humana eligentium & consentientium. Prælatio autem secularis est inuenta, vel potuit humanitus ordinari, licet quidam fuerint principes seculares ex speciali ordinatione diuina. Et ideo idem dicendum est de illis principibus secularibus, qui ex ordinatione præfuerunt diuina, sicut & de aliis regibus siue principibus, qui ex ordinatione præfuerunt humana, qui non aliud ius vel prælationem habuerunt aliam, licet consimile ius vel prælationem habuerunt ab alio isti, quam alii. Prælati autem ecclesiastici aliud ius & aliam prælationem habent, quam principes seculares: quia prælationem habent inuentam diuinitus, quam infideles super fideles habere non debent. Et causa apparentior assignatur: quia fideles & infideles in spiritualibus, quæ respicit prælatio ecclesiastica, non communicant, sed discordant. Et ideo sicut infideles nolunt in ritibus suis doceri & regi ab aliquo ritus contrarii: ita non debent fideles, quoad spiritualia & ritus religionis suæ aliquo modo infideli subesse. Ad aliam obiectionem respondetur, quod principes seculares infideles, siue nunquam fidem susceperint, siue fidem susceptam reliquerint, vel pertinaciter contra fidem errauerint, non sint principatibus iure diuino priuati, nec regulariter ex præcepto iuris diuini fideles vitare eos tenentur, quia in temporalibus eos vitare non necessario astringuntur regulariter ex iure diuino: licet ex iure diuino aliqui infideles fuerint specialiter deuitandi, sed in spiritualibus & in his, quæ contra religionem faciunt Christianam eos vitare tenentur. Quod enim infideles ex iure diuino non sunt in omnibus euitandi, aperte insinuat Paulus, cum dicit prima ad Corinth. septim. *Si quis frater vxorem habeat infidelem, & hæc consentit habitare cum illo; non dimittat illam, & si qua mulier habet virum infidelem & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Ex quibus datur intelligi, quod licet fidelibus communicare cum infidelibus, quod etiam in plerisque locis epistolarum suarum innuit manifeste præcipiens fidelibus Dominis & etiam infidelibus obedire, veruntamen in his, quæ erant contra legem diuinam nec eis communicare, nec eis obedire debebant, teste beato Augustino, qui vt habetur *11. quæstion. 3. cap. imperatores,* ait: *Iulianus extitit Imperator infidelis: nonne extitit apostata iniquus & idolatra: milites Christiani seruierunt Imperatori infideli, vbi veniebant ad causam Christi non agnoscebant, nisi illum qui in cœlo erat, quando volebat vt idola colerent & thurificarent præponebant illi Deum, quando autem dicebat, producite aciem: ite contra illam gentem: statim obtemperabant & distinguebant Deum æternum à Domino temporali.* Ex quibus verbis colligitur: quod infidelibus etiam hæreticis in noua lege licebat fidelibus in temporalibus obedire, sed non in spiritualibus, & ideo quantum est ex iure diuino, non sunt infideles & hæretici regulariter deuitandi. Et per hoc patet responsio ad obiectionem tertiã. *Disc.* Hoc videtur contradicere supradictis, & etiam B. Cypriano, qui (vt allegasti ratione 13. p̄ assertione illa) ex iure diuino accipit fundamentum, quod infidelibus etiam in temporalibus non

debet communicare fideles, cum probat quod cum infidelibus nec terrestris cibus nec secularis potus debet esse communis per hoc, quod legitur in *libro Regū*, propheta qui iuit ad exprobrandū Ieroboam prohibitus fuit à Deo comedere panem & bibere vinum in loco illo. *Mag.* Ad hoc dicitur, ꝙ hoc fuit speciale in exprobrationem & aggrauationē ac detestationē peccati Ieroboam, qui apostatauit à fide & alios apostatare fecit, ex hoc tamen exemplo accipit Cyprianus argumentū, quod hæreticis cupientibus alios ad suam trahere prauitatem (si cōmode vitare possunt) nullatenus communicare debemus, & ita quod hoc regulare est, ꝙ infidelibus quibuscunq; absq; causa rationabili & necessitate vrgente ex præcepto iuris diuini communionem negare non debemus, nec tenemur, hoc autem generale est, quod eis in spiritualibus & in his, quæ religioni Christianæ sunt propria, neque obedire, neque subesse valemus, nisi præceptis legis diuinæ contraire velimus.

Disc. Explana, quomodo ad alias rationes respondetur. *Mag.* Ad quartam rationē patet responsio per prædicta, ꝙ non est contra legem diuinam hæreticos & alios infideles in temporalibus præsidere fidelibus, ideo Ioseph & Daniel & alii catholici & fideles, tam in Nouo Testamento quam in veteri constituti absq; transgressione legis diuinæ infidelibus in temporalibus seruierunt. Ad quintam rationem dicitur, quod hoc non est generaliter verum: ad quem spectat institutio alicuius, ad eundē spectat destitutio eiusdē. Nam metropolitanus potest confirmare, consecrare & cōstituere clericum in episcopum, & tamen eundē destituere minime valet & esto, quod hæc esset vera generaliter; hæc tamen est omnino falsa: ad illum pertinet destitutio alicuius, ad quem institutio spectat eiusdē: quia institutio sacerdotis spectat ad episcopū, & tamē superior episcopo potest destituere ipsum, ita esto ꝙ eligentes Papam possent destituere ipsum; ex hoc non sequitur, quod non potest destitui à iure diuino, ꝙ est super omne ius humanum & omnium eligentiū potestatem. Ad sextam dicitur, ꝙ ecclesia vniuersalis regitur à Spiritu S. & ideo ecclesia vniuersalis nunꝗ deficiet in his, quæ necessaria sunt ad salutē, licet in aliis deficere possit pariter & errare, & ideo si Papa esset hæreticus occultus: & per consequens Papatu priuatus, & ideo illa quæ iurisdictionis sunt exercere non posset, quamuis posset facere ea, quæ ordinis sunt, Deus ecclesiæ prouideret; vel reuelando ecclesiæ perfidiam Papæ, & ꝙ non valuerunt quantum ad ea, quæ iurisdictionis sunt illa quæ fecit; vel consecrando alios episcopos; vel per alium modum sibi possibilē, licet nobis ignotū, & ideo nullus ordo ecclesiasticus necessarius ad salutē vniuersalis ecclesiæ confunderetur, licet multa, sine quib. potest esse salus, possent esse confusa. Præseruaret n. Deus ne confunderetur illa, quæ in vniuersali ecclesia sunt necessaria ad salutē. Vnde illa ratio cōcludit æqualiter, ꝙ mulier nō potest putari Papa & haberi ꝓ Papa, ꝙ paganus & infidelis (reputatus tñ Christianus fidelis) nō potest haberi pro Papa. Quia si mulier vel paganus infidelis haberetur pro Papa, & de facto cōsecraret episcopos, & ordinaret Christianos & dignitates ecclesiasticas promoueret, nō minus confunderetur ecclesiastica Hierarchia, quam si Papa hęreticus iure diuino Papatu priuatus putaretur Papa, & Papale officium in omnibus exerceret, imo magis confunderetur ecclesiastica Hierarchia, quā si hæreticus iure diuino Papatu priuatus putaretur à catholicis esse Papa: licet ordinando de facto & consecrando nulli tribueret executionem officii, veruntamen ordinem conferret, dummodo seruaret ordinem ecclesiæ, mulier autem ac paganus vel Iudæus, qui nunquam fuit Christianus, nec executionem nec aliquem ordinem verum conferret, licet seruaret formam ecclesiæ, cum ergo constat, quod aliquando mulier à catholicis putabatur Papa, & eadem ratione aliquis paganus vel Iudæus retinens in corde infidelitatis perfidiam posset putari Christianus & in Papā assumi, non est incredibile, quin aliquando hæreticus habeatur pro Papa, licet verus Papa non sit, eo quod iure diuino est Papatu priuatus. Sic ergo constat, quod maior difficultas est, si mulier habeatur pro Papa, quam si Papa fiat hæreticus, sed iure diuino ipse sit Papatu priuatus. Ad vltimam rationem respondetur, quod licet in sacra Scriptura de priuatione officii & beneficii sub his verbis mentio nullatenus habeatur: sub aliis tamen verbis de hac pœna mentio in diuinis scripturis habetur. Quare ex hoc ipso, quod Papa hæreticus non est sequendus, sed vitandus: & ex hoc, quod non est ei in spiritualibus communicandum; habetur hoc, quod Papa hæreticus officio & beneficio est priuatus. Quia Papa verus, qui non est officio priuatus, est non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus sequendus, & est ei nedum in temporalibus, sed & in spiritualibus communicandum, & est obediendum eidem. Constat autem per scripturam sacram, quod Papa hæreticus, quando scitur esse hæreticus, non est sequendus, nec est ei in spiritualibus communicandum, ergo per Scripturam sacram officio & beneficio est priuatus.

Cap. LXIX.

In quo ponitur secunda quæstio præambula huius secundæ partis, sc. quam potestatem habet ecclesia vniuersalis supra Papam hæreticum. Quæ quidem quæstio consequenter conformiterque ad præcedentem varios habet opinantes, & sunt 4 in numero, quorum quilibet ponit vnam conclusionem responsiuam, primam prosequitur in hoc c. secundam 70. tertiam 71. & quartam 72.

DIsc. Allegasti multa ad probandū & defendendum assertionem, quæ dicit, quod Papa hæreticus factus est de iure diuino Papatu priuatus. Nunc aūt peto, vt referas, ꝗ potestatē secundū literatos

tus habet ecclesia super papam labem hæreticam incurrentem. *Magist.* Circa interrogationem illam opiniones reperiuntur contrariæ. Quarum vna est dicentium papam hæreticum esse iure diuino priuatum papatu, qui tenent quod papa hæreticus non maiori priuilegio gaudet, quam alius episcopus, si prauitate hæretica fuerit maculatus. Et ideo nec ecclesia vniuersalis, nec concilium generale, & quælibet persona catholica habet eandem potestatem super papam hæreticum, q̃ super alium episcopum hæreticum habere dignoscitur. Et pro illa assertione arguitur sic. Si papa effectus hæreticus haberet priuilegium speciale, quod alii episcopi hæretici minime habent: aut habet illud priuilegiũ à iure diuino, aut à iure humano. Non à iure diuino: quia in tota scriptura diuina non poterit inueniri, quod inter papam hæreticum & episcopum & alium hæreticum fiat distinctio. Nec habet aliquod speciale à iure humano: quia etiam ius humanum inter papam hæreticum & alium episcopum hæreticum non distinguit. Nullo ergo priuilegio gaudet papa hæreticus speciali. *Discipul.* Diceretur forte, quod ex recto dictamine rationis papa hæreticus gaudet priuilegio speciali. Quia sicut secundum rectam rationem nobiles minus puniuntur, quam ignobiles *24. q. 1. c. qui contra*, ita videtur quod secundum rectam rationem minus sunt puniendi maiores in ecclesia quam minores. Cum ergo papa in ecclesia sit maximus, videtur quod secundum rectam rationem minus puniendus est (si efficiatur hæreticus) quam alius episcopus hæreticus inferior. Et ita gaudet aliquo priuilegio speciali. *Magist.* Nonnullis apparet, quod ratio tua non concludit propositum sed magis oppositum, nam crimini grauiori maior debetur vindicta, *extra de haret. excommunicamus*, vbi sic scribitur: *in quo maior est culpa, maior exerceatur vindicta.* Sed labes hæretica grauior est in papa, quam in alio inferiori episcopo, ergo secundum rectam rationem grauius puniri debet: Quia, vt notat Glos. *2. q. 5. c. præsul*, papa quantum ad aliquid deterioris conditionis est, quia ipse sine cooperatione aliorum creatus est, & ideo sine spe veniæ condemnandus est, vt Diabolus. Ad rationem ergo tuam respondetur, quod quãtum ad aliquid est simile de nobili & ignobili, & de papa hæretico & alio episcopo hæretico, & quantum ad aliquid est dissimile. Est enim simile quantum ad hoc, quod sicut nonnulla peccata grauiora sunt in nobili quam in ignobili, ita perfidia hæresis grauior est in illo qui fuit papa, quam in aliquo alio episcopo, & ideo sicut nobilis quantum ad pœnam aliquam grauius punitur quam ignobilis (vt notat Glo. super præallegatum capitulum, *qui contra pacem*) sic papa hæreticus grauius est puniendus quam alius episcopus hæreticus. Est autem quantum ad hoc dissimile, quia nobilis per peccatum suum nobilitatem non amittit, sed retinet, & ideo aliqua pœna minus punitur quam ignobilis, nimirum quia si pœna aliqua speciali (puta verberibus vel consimili puniretur, sicut ignobilis) alii innocentes de genere suo vituperandi forent. Sed si papa fiat hæreticus, dignitatem papalem nõ retinet, sed amittit, & ideo propter dignitatem, quam non retinet, debet minui pœna: & ideo similiter grauius puniendus est papa hæreticus, quam alius episcopus hæreticus, nec aliquo gaudet priuilegio speciali.

Cap. LXX.

Ponit secundam opinionem, & responsionem suam ad quæsitum capitulo præcedenti, & respondet sub tribus conclusionibus, quæ etiam probantur secundum ordinem.

Discipul. Dixisti circa interrogationem meam esse opiniones contrarias, recitasti vnam, dic ergo aliam. *Mag.* Alia opinio est dicentium, quod papa hæreticus non est iure diuino papatu priuatus, qui tenent, quod nullus super papam obtinet potestatem, nisi ecclesia vniuersalis vel concilium generale, ecclesia autem vniuersalis, si conueniret in vnum, & etiam concilium generale, habet potestatem deponendi papam, & sibi pœnas alias infligendi. Aliæ autem congregationes & personæ antequam papa hæreticus per vniuersalem ecclesiam aut concilium generale fuerit papatu priuatus, super papam hæreticum nullam obtinent potestatem: sed postquã fuerit depositus iurisdictioni inferiorum summo pontifice (sicut cæteri hæretici) est subiectus: nisi ecclesia vniuersalis vel concilium generale post depositionem vlteriorem punitionem papæ hæresi sibi specialiter reseruaret. *Discipul.* Mihi videtur, quod tenentes illam opinionem tria probare deberent, quorum primum est, q̃ papa hæreticus non est iure diuino papatu priuatus. Secundum quod ecclesia vniuersalis & etiam concilium generale habeat potestatem deponendi papam hæretieum. Tertium est, quod nulla congregatio vel persona inferior ecclesia vniuersali & concilio generali potestatem habet supra papam hæreticũ deponendũ. Si enim ista essent vera, cætera essent plana. De primo autem tractatum est supra, vbi adductæ sunt rationes ad probandum, quod papa hæreticus non est iure diuino papatu priuatus. Ideo pro secundo ad probandum scilicet, quod ecclesia vniuersalis & concilium generale potestatem habet papam hæreticum deponendi alias rationes excogita. *Mag.* Ad satisfaciendum petitioni tuæ oportet duo probare, quorum primum est, quod ecclesia vniuersalis habet potestatem deponendi papam hæreticum. Secundum, quod concilium generale talem obtinet potestatem. Primum autem probatur primo sic. Illa congregatio, quæ potestatem habet super papam de hæresi mendaciter diffamatum, multo magis potestatem habet super papam veraciter hæresi irretitum, sed ecclesia vniuersalis habet potestatem, scilicet inquirendi de papa super crimine hæresis diffamato, licet mendaciter, vt ꝓbatũ est supra in hoc *sexto c. 2.* Ergo multo magis vniuersalis ecclesia habet ptãtem

deponendi papam de hæretica prauitate conuictum. *Discipul.* Cerno, quod rationes illæ *cap. 2. huius sexti* adductæ magis concludunt de papa hæretico, quam de crimine hæresis mendaciter diffamato. Ideo ad præsens nolo pro assertione hac alias rationes audire, quare transi ad secundum. *Magist.* Secundum scilicet quod concilium generale habet potestatem deponendi papam hæreticum, sic probatur. Concilium generale est supra papam de hæresi diffamatum, sicut ostensum est supra *c. 13.* ergo multo fortius habet potestatem vere hæreticum deponendi. *Discip.* Illæ etiam assertiones in capitulo illo adductæ, sunt, vt arbitror, fortiores, quæ potuerunt cogitari ad probandum, quod concilium generale habet potestatem super papam hæreticum. Ideo accede ad tertium probandum: scilicet quod nulla congregatio vel persona ecclesiastica ecclesia vniuersali & concilio generali inferior: habet potestatem papam hæreticum deponendi. *Mag.* Hoc probatur primo sic, inferior iudicare non potest superiorem, *distin. 21. ca. inferior & c. deniq; & c. submittitur & c. in tantum.* Sed papa etiam hæreticus, si non est iure diuino papatu priuatus, est superior omni congregatione inferior vniuersali ecclesia & concilio generali: est etiam superior omni persona alia ecclesiastica, ergo à nulla illarum poterit iudicari. Secundo sic: Non minor auctoritas requiritur in iudicante papã hæreticum quam in iudicante alium episcopum hæreticum. Sed episcopus hæreticus iudicari non potest ab aliqua persona vel congregatione inferiori se, si non esset hæreticus. Quia episcopus hæreticus non potest deponi ab aliquo sacerdote vel congregatione suæ diœcesis. Igitur nec papa potest deponi ab aliqua persona vel congregatione inferiori concilio generali. Tertio sic: Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari: ita causa, quæ omnes tangit, ab omnibus tractari debet: sed causa papæ hæretici omnes tangit Christianos. Ergo per omnes Christianos vel congregationem, quæ gerit vicẽ omnium Christianorum, cuiusmodi est concilium generale, tractari debet: & per consequens nulla persona vel congregatio inferior concilio generali, potest deponere papam hæreticum.

Cap. LXXI.

Ponit tertiam opinionem, qua respondet sub vnica conclusione duas continente particulas, quas etiam probat exemplo & duabus rationibus.

DIscipul. Sunt ne plures opiniones circa interrogationem meam, quam tibi proposui. *Mag.* Tertia est opinio, quod non solum vniuersalis ecclesia & concilium generale, sed diœcesis Romana collegium Cardinalium & Imperator & etiam episcopus, in cuius diœcesi moraretur papa hæreticus, posset eundem depõnere. Hæc opinio quantum ad Romanos probatur per exemplum de Ioan. 12. quem priuauerunt Romani papatu, & alium elegerunt. Quantum autem ad episcopum, in cuius diœcesi moraretur, probatur primo sic. Ex iure diuino ad quemlibet spectat episcopum suam diœcesim de prauitate hæretica expurgare, ergo quilibet hæreticus trahens moram in episcopatu cuiuscunq; episcopi est subiectus iudicio illius episcopi. Aliter enim non haberet episcopus potestatem suam diœcesim de omni hæretica prauitate purgandi. Ergo papa hæreticus est subiectus iudicio episcopi, in cuius diœcesi commoratur, ergo episcopus ille potest deponere papam hæreticum. Secundo sic: Episcopi vicini diœcesi, in qua papa hæreticus moraretur, haberent potestatem papam hæreticum deponendi. Ergo multo magis episcopus, in cuius diœcesi moratur papa hæreticus, saltem cum vicinorum episcoporum consilio, haberet potestatem deponendi papam hæreticum. Antecedens patet per exemplum de episcopis tempore beati Marcellini, qui, vt legitur *dist. 21. c. nunc autem*, & allegatum est supra, cum venerunt ad inquirendum de beato Marcellino, qui idolatrauerat, quem deposuissent, si eum in perfidia hæresis inuenissent.

Cap. LXXII.

In quo ponitur quarta opinio, qua respondendo ad quæsitum talem ponit conclusionem, scilicet quod Papa hæreticus, nisi sponte renunciare voluerit, à quacunq; congregatione vel persona deponi non potest, quæ probatur duabus rationibus fundamentalibus opinantium.

DIscipul. Si sunt plures opiniones circa interrogationem meam, enarra. *Magist.* Est vna opinio, quod papa hæreticus nisi sponte renunciare voluerit, à quacunque congregatione vel persona deponi non potest. Fundamentum autem istius opinionis est hoc: quia inferior suum superiorem deponere non potest, papa autem hæreticus cum non sit de iure diuino papatu priuatus, secundum istam opinionem est superior omni congregatione & persona Christiana, tota enim ecclesia distincta à papa est inferior papa, ergo tota ecclesia distincta à papa non potest deponere papam, qui

non

non est iure diuino depositus. Secundum fundamentum dictæ opinionis est tale. Omnes subditi simul alicuius Patriarchæ vel Metropolitani non possunt deponere talem Patriarcham vel Metropolitanum hæreticum, si non est de iure depositus, ergo omnes subditi papæ non possunt papam hæreticum deponere, si non est de iure diuino depositus.

Cap. LXXIII.

In quo probatur, quod Papa hæreticus est iure humano à papatu & omni ecclesiastica dignitate priuatus.

Discipul. Prima istarum opinionum, scilicet quod papa hæreticus est iure diuino papatu & ecclesiastica dignitate priuatus (vt videtur) fortiter est fundata. Secunda etiam opinio & tertia tolerari videntur. Quarta autem (in præiudicium fidei orthodoxæ) ad fauorem papæ hæretici videtur inducta, quia si papa hæreticus non esset iure diuino papatu priuatus, nec ab aliqua congregatione vel persona deponi valeret, posset papa hæreticus libere absque timore pœnæ temporalis vel coertionis humanæ fidem abnegare catholicam, & cogere Christianos ad sectam Saracenorum vel Iudæorum vel aliorum infidelium acceptandam, quod horrerent audire catholici & fideles, ideo illa opinione quarta pro nunc dimissa, volo opiniones alias quantum ad aliud pertractari. Videtur enim quod omnes illæ in hoc conueniunt, quod si in his diebus quis papa efficeretur hæreticus, ipso facto esset de iure papatu priuatus. Vnde quid de hoc sentiant literati non differas iudicare. *Magist.* Verum dicis, quod tres opiniones prædictæ tenent pro firmo: quod si papa nunc incurreret hæreticam prauitatem, esset de iure papatu & omni ecclesiastica dignitate priuatus. Prima enim tenet, quod esset de iure diuino papatu priuatus. Secunda & tertia tenent, quod esset iure humano priuatus. Pro primo istorum argumentatum est multipliciter supra *cap. 68.* Secundum probatur sic: Concilium generale habet potestatē deponendi & damnandi papam hæreticū, sicut probatum est supra, ergo si sententia vel damnatio generalis concilii indistincte lata fuerit contra hæreticos, est ad papam hæreticum extendenda. Vbi enim canon generalis concilii non distinguit, nec nos debemus distinguere. Sed omnes hæretici, nullo excepto, sunt per generale concilium condemnati, teste generali concilio sub Innocentio tertio celebrato, qui, vt habetur *extra de hæreticis, excommunicamus*, ait: *Excommunicamus itaque & anathematizamus omnem hæresim extollentem se aduersus hanc orthodoxam & catholicam fidem, condemnantes vniuersos hæreticos quibuscunque nominibus censeantur.* Sententiam etiam huiusmodi contra omnes hæreticos indistincte tulit concilium Carthaginense quartum, quod, vt legitur *24 q. 3. c. clericus*, ait: *Clericus hæreticorum ac schismaticorum tam conuiuia quam sodalitates euitet, æqualiter eorum conuenticula non ecclesia, sed concilia sunt appellanda, cum eis neque orandum est neque psallendum.* His etiam concordat concilium Martini papæ, vt habetur *7. quæst. 1. cap. non liceat*, ait: *Non liceat clericis vel laicis ab hæreticis eulogia* (id est benedictiones) *accipere: quia maledictiones sunt magis quam benedictiones, neque liceat aut cum hæreticis aut cum schismaticis orare.* Item concilium Affricanum, vt habetur *extra de hæreticis*, ait: *Si quis episcopus hæredes instituerit extraneos à consanguinitate sua vel hæreticos, vel consanguineos aut paganos prætulerit, saltem post mortem eius anathema dicatur:* Item in eodem concilio, vt habetur *2. c. in eos*, sic loquitur: *In eos, qui catholici non sunt, etiam si consanguinei episcopi fuerint, prælati vel presbyteri nihil conferant.* Item in concilio Laoduensi, vt habetur *1. quæst. 1. c. non oportet*, sic scribitur: *non oportet hæreticorum benedictiones accipere, quoniam maledictiones sunt magis quam benedictiones.* Ex quibus aliisque quampluribus colligitur, quod in omnes hæreticos indistincte per generalia concilia sententiæ plures sunt prolatæ. Ergo omnia illa concilia generalia & alia sunt ad papam hæreticum extendenda. Quod Gloss. super præallegatum capitulum, *si quis episcopus*, videtur asserere manifeste dicens: *Idem iuris est de paganis & de hæreticis, idem de omnibus qui catholici non sunt.* Cum ergo paganus non sit verus papa, nec hæreticus est verus papa. Et ita papa hæreticus est papatu priuatus, & per consequens sententia diuina vel humana lata est contra ipsum. Secundo probatur eadem conclusio sic: Quicunque in hæresim damnatam semel labitur, eius damnatione seipsum inuoluit, *4. q. Achatius.* Sed papa hęreticus incidit in antiquam hæresim per generale concilium damnatam explicite vel implicite, quia omnis hęresis est explicite per generalia concilia iam condemnata. Ergo papa hęreticus incidit in hæresim iam damnatam. Ergo si eius damnatione inuoluitur per generalia concilia papa hęreticus est damnatus.

Discip. Secundum ista ad damnandum papam hęreticum, non oporteret generale concilium conuocari: quia ad damnandum hęresim iam damnatam non est necesse generale concilium conuocari: imo nulla est conuocanda congregatio, ex quo iam damnatus est papa hęreticus: cuius tamē oppositum videtur veritatem habere. Nam ad inquirendum de papa super crimine hęresis diffamato, oportet aliq concilium generale vel aliud cōuocari: exemplo istorum, qui ad inquirendum de beato Marcellino quondā idololatra conuenerunt. Ergo etiā ad deponendū papam hęreticum oportet conciliū conuocari. *Mag.* Ad hoc respondetur sic, q papa hęreticus vel iure diuino secundū primam opinio-

opinionem, vel iure humano, concilii videlicet generalis, (secundum alias opiniones) est damnatus & papatu priuatus, quia omni ecclesiastica dignitate est nudatus. Et ideo ad deponendum papam de iure non est necesse concilium congregari. Oportet tamen in casu concilium conuocari ad potenter pellendum papam hæreticum de Apostolica sede ad ecclesiam Dei salubriter disponendam, vel ad audiendam causam & accusationem papæ hæretici, & ad probandum ipsum esse hæreticum. Sicut enim episcopi conuenerunt ad inquirendum de beato Marcellino, non quia fuisset damnatus, si fuisset hæreticus: sed quia volebant inquirere veritatem, quem si inuenissent esse hæreticum, pronunciassent ipsum esse damnatum. *Discip.* Est ne aliquod exemplum de aliquo papa hæretico, qui absque conuocatione noui concilii generalis fuerit ab ecclesia hæreticus condemnatus? *Magist.* Exemplum ponitur de Anastasio, quem clerici Romani absque congregatione noui concilii generalis reputabant condemnatum; & se ab eius communione laudabiliter abegerunt, vt habetur *dist. 19. Anastasius*, vt notat Glos. quod *clerici illi non recesserunt ante sententiam, quia inciderat* (scilicet Anastasius) *in hæresim iam damnatam*. Ex quibus verbis patenter habetur, quod ad damnandum papam hæreticum non est necesse concilium generale nouiter congregari. Quia quemadmodum verberans clericum ipso facto nulla denunciatione noua vel sententia expectata, imo si ipse solus esset conscius facti sui, excommunicationis sententia est ligatus, quia incidit in canonem latæ sententiæ: ita papa hæreticus ipso facto nulla alia expectata sententia vel cõuocatione est iure diuino vel humano damnatus. *Discip.* Exemplum istud non videtur esse ad propositum: quia Anastasius inciderat in hæresim iam damnatam, posset autem papa effici hæreticus, licet non incideret in hæresim iam damnatam. *Magist.* Respondetur, quod ista instantia dictum exemplum non impedit: quia omnis hæresis est damnata, vt supra *2. huius* est ostensum. Et ideo quicunque papa efficeretur hæreticus, incideret in hæresim iam damnatam, licet possit incidere in hæresim damnatam implicite. Inter hæresim autem damnatam implicite & damnatã explicite non est differentia: ad hoc quod incidens in hæresim damnatã solummodo implicite sit damnatus. Sed quantum ad hoc potest esse differentia, quod incidens in hæresim explicite non solum est damnatus, sed etiam pro damnato est habendus. Incidens autem pertinaciter in hæresim damnatam solummodo implicite, quamuis esset damnatus, non tamen esset pro damnato habendus: sed ad habendum ipsum pro damnato oporteret concilium generale congregari. Anastasius autẽ secundus incidit in hæresim iam damnatam explicite, & ideo non solum fuit damnatus, sed etiam pro damnato fuit habendus. Est ergo exemplum ad propositum quantum ad hoc, quod papa quantumcunque efficeretur hæreticus, esset damnatus: non est tamen ad propositum quantum ad hoc, quod sit pro damnato habendus, nisi incidat in hæresim damnatam explicite, cuiusmodi est omnis hæresis, quæ in eisdem terminis alicui veritati scripturæ diuinæ contradicit aut quæ contradicit alicui veritati, quę patenter omnibus iudicio rationis vtentibus sequitur ex contento vel contentis in scriptura diuina, vel contradicit veritati, quæ est apud omnes catholicos tanquam catholica diuulgata.

Cap. LXXIV.

In quo quæritur in generali, qua pœna Papa hæreticus sit plectendus.

Discipul. Postquam disseruimus de papa hæretico, an sit papatu priuatus; peto vt secundum opiniones prædictas exponas, qua pœna papa hæreticus est plectendus. *Mag.* Respondetur quod papa hæreticus omnibus pœnis est subditus & subdendus, quibus alii hæretici saltem episcopi inuoluuntur vel sunt inuoluendi. Quia, sicut dictum est, papa hæreticus non gaudet priuilegio speciali nec in taxatione pœnarum hæreticorum papa prauitate hæretica irretitus excipitur. Quare cum sit damnatus siue iure diuino, siue iure humano, omnibus pœnis hæreticis indistincte per ius diuinum & ius naturale per generalia concilia & canones summorum pontificum inflictis noscitur subiacere. *Discip.* Aperte video, quod si papa hæreticus est damnatus siue à iure diuino & à statutis generalium conciliorum, quod pœnis inflictis hæreticis à iure diuino & à statutis generalium conciliorum inuoluitur. Sed dic, quomodo subiacet pœnis illatis hæreticis per summos pontifices? *Mag.* Sic probatur, si papa hæreticus est damnatus, siue per ius diuinum, siue per canonem conciliorum generalium, factus est inferior summo pontifice, si alius papa catholicus eligatur. Ex quo sequitur, quod omnibus pœnis, quas idem summus pontifex de nouo electus diceret indistincte hęreticis imponendas, papa hæreticus est plectendus. Prædecessores noui summi pontificis fuerunt eiusdem auctoritatis, cuius est iste, ergo si papa hæreticus subiaceret pœnis per suum successorem impositis, ita subiaceret omnibus pœnis prædecessorum suorum hæreticis indistincte inflictis.

Cap. LXXV.

Quærit in speciali qua scilicet pœna talis Papa hæreticus debeat plecti.

Discipul. Ex quo modum prædictum ponendi intelligo, discurramus per pœnas, quibus papa hæreticus est plectendus. *Mag.* Vt ordinatius procedatur, duæ distinctiones secundum primam opinionem dicuntur esse notandæ. Quarum prima est, quod pœnarum hæreticis debitarum, quædam taxantur & determinantur in iure diuino vel naturali, quædam in iure humano. Secunda distinctio est quod hæretici aliquas pœnas incurrunt ipso facto, sed sunt eis etiam per catholicos vel per catholicum infligendæ. *Discipul.* Incipias ergo à pœnis hæreticorum, quæ taxantur in iure diuino vel in iure naturali secundum primam opinionem. *Magist.* Pœna hæreticorum, quam incurrit omnis hæreticus, siue papa siue alius, est priuatio omnis ecclesiasticæ prælationis. Quia omnis hæreticus licet non sit priuatus charactere, qui confertur in ordinibus, est tamen omni ecclesiastica prælatione priuatus. Si enim secundum iura humana in iure diuino & naturali fundata qui præest, & alii quibus præest debent esse eiusdem professionis spiritualis, propter quod abbas Monachorum debet esse Monachus, & Canonicorum Canonicus, vt ex sacris Canonibus colligitur, *extra de elect. c. cum causam & c. cum in magistrum, & 16. q. 7. & extra de institutis in ecclesia*: multo magis secundum ius diuinum qui præest in spiritualibus, & illi quibus præest, debent esse eiusdem professionis saltem generalis, hæreticus autem & catholicus non sunt eiusdem professionis etiam generalis, hæretici enim & catholici in nulla vna professione conueniunt, sed discrepant & discordant, ergo hæreticus catholicis præesse non potest. Quod etiam aperte in lege veteri figuratum est *Deuter. 22.* vbi dicitur: *non arabis in boue & asino: non indueris vestimento quod ex lana linoque contextum est.* In quibus verbis innuitur, quod in vna eademque congregatione non debet esse dispar professio, quare hæreticus præesse catholicis non potest. *Discipul.* Per istam rationem probaretur, quod catholicus hæreticis præesse non potest, cuius tamen videtur oppositum, cum Iudæi sint serui Christianorum, *extra de Iudæis.* Et per eandem rationem infideles fidelibus in temporalibus præesse non possent, nec vnquam poterunt: cum fideles & infideles diuersæ professionis existant. *Magist.* Ad primam instantiam respondetur, quod catholicus præesse non debet hæreticis ad informandum & regendum in sua superstitione eosdem: licet possit eisdem præesse ad puniendum eos, si contra Deum vel bonos mores deliquerint, ergo consimiliter hæreticus præesse non debet catholicis ipsos instruendo & regendo in obseruantia religionis Christianæ. Cum ergo prælatus fidelium in religionis obseruantia Christianæ fidem catholicam docere debeat & regere Christianos, nullo modo secundum legem diuinam & rationem naturalem in diuina lege & in propositionibus naturaliter notis simul fundatam hæreticus præesse poterit catholicis orthodoxis: quia omnis hæreticus etiam secundum legem diuinam omni prælatione est priuatus. Ad secundam instantiam respondetur, quod licet fideles & infideles diuersæ professionis existerent, & ideo nec fidelis infidelium nec infidelis fidelium debet esse doctor & rector, quoad illa, quæ ad suam professionem spectare noscuntur: tamen in temporalibus, quæ omnia communia sunt Christianis fidelibus & infidelibus, & quæ nullam sibi professionem certam determinant, & infidelis fidelibus & fidelis infidelibus, quod est ex lege diuina, præesse valebit. Et ita per vtramque instantiam tuam, vt videtur, potest patenter inferri, quod quemadmodum legi diuinæ repugnat, quod fidelis sit doctor & rector infidelium quantum ad illa, quæ ad professionem infidelium spectant, tunc enim in talibus communicaret eisdem: Ita legi diuinæ repugnat quod infidelis sit doctor & rector fidelium, quantum ad illa quæ ad religionem pertinent Christianam. Quare per legem diuinam omnis hæreticus omni prælatione ecclesiastica est priuatus. Et est hæc pœna ad papam hæreticum extendenda: tum quia maius periculum imminet fidei orthodoxæ, si esset verus papa, quam si esset verus episcopus: tum quia si hæreticus non potest esse in minori officio propter repugnantiam, quam habet ad religionem Christianam, multo magis non poterit fungi officio maiori. Et ita non poterit esse verus papa.

Cap. LXXVI.

In quo probatur, quod omnes hæretici incurrunt pœnam infamiæ.

Discipulus. De ista pœna satis dixisti: ideo dic aliam pœnam, quam iure diuino vel iure naturali papa hæreticus & generaliter omnes hæretici ipso facto incurrunt. *Magist.* Vna assertio est, quod omnes hæretici incurrunt pœnam infamiæ. Dicitur enim esse sciendum, quod, sicut notat Gloss. *3. quæst. 7. porro*, alia est infamia iuris, alia facti. Infamia facti est, quando quis infamatur apud bonos & graues viros. Infamia iuris est diminutio status alicuius. Primam infamiam hæretici, præsertim occulti, non semper incurrunt: quia nonnulli hæretici non semper apud bonos & graues diffamantur. Apud quos tamen interdum catho-

catholici grauissime infamantur. Secundam autem infamiam, papa hæreticus & generaliter omnes hæretici incurrunt. Ad euidentiam dicitur esse sciendum, quod infamia iuris quandoque irrogatur ipso fato, quandoque per sententiam. Et vtroque modo incurrunt infamiam vniuersi: quia ex hoc ipso, quod efficiuntur hæreticis, hæretici, committunt peccatum dignum infamia. Etiam per sententiam eis infamia irrogatur, dum per legem diuinam de crimine maximo condemnatur, & illæsæ dignitatis statu priuatur. *Discip.* Videtur secundum istos, quod infamia iuris est duplex, igitur vt intentionem eorum melius aduertam, expone istos duos modos infamiæ iuris. *Mag.* Vt clarius eorum habeas intellectum, scire debes, quod infamia per sententiam irrogata duplex est, quędam est, quæ est irrogata per sententiam latam à iure, quædam per sententiam latam ab homine. Primam infamiam incurrunt semper hæretici. Secundam infamiam non incurrunt semper, quam tamen non in quantum viri catholici & ab omni crimine innocentes non incurrunt: quia sæpe catholici condemnantur ab homine, & hæretici exaltantur & honorantur. Ex his enim dicunt, quod infamia sit læsæ dignitatis status moribus ac legibus comprobatus. Infamia iuris est duplex, secundum quod status hominis dupliciter lædi potest: quia aut læditur per actum infamiæ, committendo videlicet actum infamiæ, quemadmodum de iniquis dicunt Salomon Prouerb. 2. *Quorum via peruersa & infames gressus eorum.* Et 8. & cap. dicit: *Ambulans recto itinere & timens Deum respicitur ab eo, qui infami graditur via*, patenter insinuans, quod omnes gressus & viæ prauorum sunt infames. Et hæc est infamia quamuis non semper habeant annexam infamiam facti, quia omnes actus malorum in quantum mali sunt, iure diuino aut iure naturali vel humano damnantur. Et hæc infamia iuris potest vocari infamia irrogata per sententiam latam à iure. Aliter læditur status hominis per superiorem suum ipsum de crimine condemnantem & dignitate famæ illæsæ priuantem, licet interdum nihil commiserit, propter quod infamia lædi debeat. Et hæc infamia potest vocari infamia iuris irrogata per sententiam iudicis. *Discip.* Intelligo distinctionem eorum de duplici infamia iuris, per quam patenter aduerto, quod papa hæreticus & omnes hæretici infamia iuris primo modo dicta sunt infames: quia eorum viæ & pertinaciæ sunt infames: sicut & alii actus praui malorum sunt infames secundum sententiam Salomonis. Sed ex hoc non sequitur, quod sint infames infamia iuris secundo modo dicta. Et ideo quomodo hoc probare nituntur, ostende. *Magist.* Videris velle transire ad pœnas, quæ irrogantur à iure humano.

Discipul. Quia aliquotiens eadem pœna iure diuino, naturali & humano infertur: ideo vndecunque infamia hæreticis irrogetur, dic qualiter probetur quod omnes hæretici sunt infames. *Magist.* Hoc multis auctoritatibus & rationibus videtur posse probari. Dyonysius enim papa, vt legitur *2. q. 7. alieni*, hoc videtur asserere manifeste, ait enim: *infames esse omnes censemus, qui suam fidem aut Christianam legem præuaricantur*, omnes autem hæretici legem Christianam prçuaricantur, ergo omnes sunt infames. His etiam concordat Stephanus papa, qui, vt habetur *9. q. 2. c. infames*, ait: *infames omnes personas etiam dicimus, quæ pro aliqua culpa notantur infamia, id est omnes qui Christianæ legis normam abiiciunt.* Omnes ergo hæretici sunt infames. Quod etiam rationibus videtur posse probari. Quarum prima est hæc. Omnes iniqui qui regnum Dei minime possidebunt, sunt infames, teste Fabiano papa, qui, vt habetur *6. q. 1. c. illi*, ait: *Illi, qui illa peccata perpetrant, de quibus Apostolus ait, Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequuntur, valde cauendi sunt, & ad emendationem si venire noluerint, compellendi sunt, quia infamiæ macula sunt aspersi & in baratrum dilabuntur.* Sed hæretici sunt iniqui, qui regnum Dei non consequentur, ergo hæretici sunt infames. Secunda ratio est hæc. Minoris culpæ est peccatum luxuriæ quam peccatum hæresis, sed incontinenter viuentes sunt infames, quia non sunt bonæ famæ, dicente Hely sacerdote ad filios suos, qui dormiebant cum mulieribus quæ obseruabant ad hostium tabernaculi, vt legitur 1. Reg. 2. *Et quare facitis res huiuscemodi, quas ego audio pessimas ab omni populo, nolite filii mei, non enim est bona fama, quam audio*, ergo multo magis hæretici sunt infames.

Cap. LXXVII.

In quo probatur, quod omnes hæretici sunt ab omni testimonio repellendi.

Discipulus. Dic, si papa hæreticus & alii hæretici alia pœna plectuntur secundum ius diuinum, vel ius naturale, vel etiam humanum. *Mag.* Sunt nonnulli dicentes, quod papa hæreticus & generaliter omnes hæretici hac pœna plectuntur ipso iure, quod sunt ab omni testimonio repellendi, nec eis in quocunq; negocio est credendum. *Discip.* Moliuntur ne hanc assertionem aliquibus rationibus vel auctoritatibus munire? *Mag.* Hanc assertionem pluribus rationibus in scripturis fundatis auctenticis & auctoritatibus multis probare nituntur. Est autem prima ratio talis. Nullus criminosus est ad testimoniū admittendus, nec ei in quocunq; negocio est credēdum, omnes autē hęretici sunt & criminosi, ergo nullus hæreticus est ad testimonium admittendus: sed est ab omni testimonio repellendus: & ei in nullo negocio est credendū. *Dis.* Sola maior istius rationis probatione indi-

indigere videtur. Nam sæpe in scripturis legi autenticis (nec tamen vnde habeat firmitatem inueni) vtrum scilicet ex iure diuino vel naturali aut solummodo ex constitutione humana habeatur: quod tamen scire à multis temporibus affectaui. Et ideo circa istam maiorem primo eam auctoritatibus munire nitaris. Secundo, an ex sola constitutione humana dependeat, vel ex iure diuino aut naturali capiat fulcimentum, velis disserere. Sic enim fortassis ad veritatem perueniam. *Magist.* Fateor quod quia multos noui scelestos igne vel perpetuo carcere notorie dignos, qui de personis innocentibus grauia confinxerunt & mendaciter imposuerunt ex odio vel rancore, istam materiam libenter secundum opiniones hominum discutiam. Et quid ego sentiam, toti mundo alias explicabo. De hac enim materia librum intendo facere specialem. *Discip.* Et ego huiusmodi criminatores & detractores agnoui. De quibus in *tertia parte huius operis*, scilicet tractatu de gestis circa fidem altercantium orthodoxam, in speciali tibi plures quæstiones proponam. Quia impositores & relatores falsorum criminum in tantum odio habeo, quod mihi videtur eos esse dignos pœna maiori, quam illi qui essent impositis criminibus irretiti. Nunc vero circa maiorem præscriptam, sicut dixi, procede. *Magist.* Quod omnes criminosi sunt à testimonio repellendi, multis auctoritatibus videtur posse probari. Ait enim Damasus Papa, vt habetur 2. q. 7. cap. testes: *Testes absque vlla infamia aut suspitione vel manifesta macula, cum vera fidei plenitudine instructi esse debent.* Item Cælestinus Papa tertius, vt legitur *extr. de exceptionibus c. 1.* ait: *Cum sicut canonica instituta declarant, testes absque vlla infamia vel suspitione vel manifesta macula inferendo testimonium requirantur.* Item Pontianus Papa, vt habetur *3. q. v. c. suspectos*, ait: *suspectos aut inimicos aut facile litigantes & eos qui non sunt bonæ conuersationis, aut quorum vita est accusabilis, & qui rectam non tenent aut docent fidem, accusatores esse & testes, antecessores nostri Apostoli prohibuerunt, & nos eorum auctoritate submouemus, atque temporibus futuris prohibemus.* Ex quibus verbis patet aperte, quod criminosi sunt à testimonio repellendi. *Discip.* Scio quod sæpe inuenitur in iure, quod criminosi sunt à testimonio repellendi, & quod etiam sunt ab accusatione penitus submouendi: ad quod tamen probandum alias auctoritates adducas. Et alias signa, vbi debeant reperiri. *Magist.* Quod criminosi sunt ab accusatione penitus repellendi, testatur Iulianus Papa, qui, vt legitur *3. q. v. c. similiter*, ait: *Similiter in præfixa synodo est decretum, ne suspecti aut infames aut criminosi, aut gratiosi, aut calumniatores vel affines aut scelerati aut facile litigantes suscipiantur accusatores: sed tales qui omni careant vitio aut suspitione.* Item Eusebius Papa, vt habetur eadem causa & *q. c. constituimus*, ait: *constituimus cum omnibus qui nobiscum sunt episcopis, vt homicidæ, malefici & fures, sacrilegi, raptores, adulteri, incestuosi, venefici, suspecti, criminosi, domestici, periuri, & qui raptum fecerunt, vel qui falsum testimonium dixerunt, seu qui ad sortilegos diuinosque concurrunt, similesque eorum, ad nullatenus accusandum vel ad testimonium sunt admittendi, quia infames sunt & iuste repellendi, quia funesta est in talibus vox eorum.* Ex quibus patet expresse, quod criminosi tam ab accusatione quam à testimonio sunt penitus repellendi. Quod etiam asseritur manifeste *3. q. 4. c. nulli & cap. si quis & c. sanguinei*, & *3. q. 4. canonica & 6. q. 1. omnes & c. quiescite, & extr. de desponsatione impuberum, cum in tua, & 22. q. 1. prohibentur, & extr. de accusationibus, cum oporteat*, in textu & Gloss. & *extr. de testibus, veniens.* Quod etiam criminosi non sunt in testimonium admittendi, probatur ratione. Minus sunt admittendi, crimine conuicti, quam quibus crimina opponuntur. Sed illi, quibus crimina opponuntur, siue in modum exceptionis siue in modum accusationis non sunt in testimonium admittendi, *extr. de testibus c. super eos & ca. testimonium, & c. vltimo & extr. de exceptione, c. denique.* Ergo multo magis notorie criminosi & victi vel confessi de crimine, non sunt in testimonium admittendi.

Discip. Istæ allegationes pro assertione sufficiant. Ideo ad secundum te conuerte. Et vnde accipitur, quod criminoso in nullo negocio fides debeat adhiberi secundum beatorum sententias manifesta. *Magist.* Circa hoc contigit diuersimode opinari. Est enim vna opinio, quod non ex constitutione humana, sed ex recta ratione & iure diuino nulli criminoso est credendum. Quia de nullo criminoso est firmiter præsumendum, quod sit verax, & quod nolit mentiri vel etiam periurare. Illi autem in præiudicium alterius nullatenus est credendum, de quo non est præsumendum, quod sit verax, & quod nolit mentiri. Igitur nulli criminoso in quocunque negotio præcipue in alterius præiudicium est credendum. *Discip.* Ista opinio duo probare debet: quorum primum est, quod de nullo criminoso est firmiter credendum, quod sit verax, & quod nolit mentiri vel periurare. Secundum est, quod illi non est credendum, de quo non est firmiter præsumendum, quod verax est, & quod nolit mentiri. *Magist.* Primum declaratur sic. Ille, de quo constat, quod careat aliqua vera virtute, non est præsumendum, quod careat vitio opposito saltem secundum præparationem cordis, licet constare possit quod careat contrario vitio, quantum ad opus exterius. Multi enim sunt, de quibus constat, quod non sunt vere iusti: quia constat quod exercent opera iusta ex timore vel cupiditate. De quibus tamen per consequens constat, quod non sunt iniusti, quo ad opus exterius, quia nullum faciunt iniustum: sed non constat quod non sunt iniusti secundum præparationem cordis. Criminosus autem caret illa virtute, scil. veritate, quæ est vera virtus. Ergo de criminoso est nullatenus præsumendum, quod non sit falsus & mendax & quod nolit mentiri. *Discip.* Ista ratio videtur mihi mirabilis. Nam sequitur ex ipsa, quod nunquam de aliquo pagano vel infideli constat, quod habuerit veram virtutem, quæ est veritas seu veracitas: quia nulla est virtus sine sana fide. Ideo sicut nec iustitia est sine sana fide, teste Aug. vt habetur *3. q 1. c. vbi*, ait: *Vbi sana fides non est, ibi non potest esse sana iustitia.* Ergo consimiliter vbi sana fides non est, veritas seu veracitas esse non potest. Constat autem quod pagani veram fidem minime habuerunt. Ergo

de nullo illorum præsumendum fuit, quod vnquam esset ad testimonium admittendus: quod constat esse falsum. *Magist.* Ad istam instantiam respondetur distinguendo de vera virtute. Ad cuius euidentiam dicitur esse sciendum, quod bonum actum exteriorem, sicut dicere veritatem recte iudicare, pascere pauperem, & actus alios bonos exercere, contingit tripliciter, vel propter Deum, vel quia dictatur à ratione recta, vel quia neque propter hoc quod Deo placet, neq; quia dictatur à ratione recta, sed propter aliquod bonum vtile aut delectabile consequendum, vel propter aliquod malum ac periculum euitandum. Actibus bonis primo modo elicitis correspondent virtutes perfectæ. Qui enim ex habitu veritatem loquitur propter Deum, habet veritatem seu veracitatem, quæ est virtus perfecta, quam habent soli fideles; quia illi soli propter Deum verum ex caritate veritatem loquuntur. Et ista virtus nullum vitiũ secum compatitur. Quia habeas talem virtutem secundum præparationem cordis habet omnes virtutes & actus eorum omni vitio caret. Quemadmodum habens charitatem secundum præparationem cordis habet omnes virtutes & omni vitio caret. Actibus bonis secundo modo elicitis correspondent virtutes veræ, sed imperfectæ respectu virtutum primarum. Qui enim ex habitu veritatem dicit propter hoc, quod ratio recta dictat veritatem esse dicendam (licet de Deo non cogitet) habet veritatem seu veracitatem, quæ est vera virtus. Habens taliter veritatem secundum præparationem cordis, habet omnes virtutes morales & omni vitio caret. Et ideo talis veritas omne vitium excludit, & potest vera virtus vocari; sed est imperfecta, sicut actus in tali dicente est imperfectus. Velle enim dicere veritatem propter Deum est multo perfectior actio, quam tantummodo velle dicere, quia recta ratio dictat veritatem esse dicendam: quemadmodum Deus est perfectior quam ratio recta, & ideo ista veritas est imperfectior alia. Virtutes autem isto modo dictæ fuerunt secundum alios in Philosophis multis & paganis quampluribus, quia plures eorum ideo fecerunt actus bonos ex genere, quia secundum rationem rectam viuere voluerunt. Actibus autem bonis exterioribus tertio modo elicitis correspondent veræ virtutes neque perfectæ neque imperfectæ: quia nec virtutes generantur ex eis, nec ipsi ex virtutibus generantur. Qui enim loquitur veritatem, vel vt honoretur, vel ditetur, vel vt infamiam aut aliquod malum euitet; non ideo verax & virtuosus est. Quemadmodum ambitiosi, hypocritæ, auari & alii multis criminibus inuoluti veritatem dicunt, & actus bonos aliquos operantur: non autem habent veritatem, quæ est virtus vera nec perfecta neque imperfecta. Tales enim non sunt virtuosi, sed ambitiosi, timidi vel auari. Omnia namque opera sua faciunt vel vt videantur ab hominibus & honorentur laudentur & exaltentur ab eis, vel vt acquirant pecuniam, aut vt infamiam & confusionem temporalem euadant. *Discip.* Antequam ista ad propositum applicentur, ad istam instantiam respondeas: an scil. sic dicentes teneant virtutes perfectas & imperfectas esse distinctas specie, vel solo numero propter maiorem & minorem gradum eiusdem perfectionis secundum speciem. *Magist.* Circa istam opinionem habentur assertiones contrariæ, quibusdam asserentibus quod non distinguuntur specie: aliis opinantibus quod specie distinguuntur. Quemadmodum actus voluntatis quo elicitur vel imperatur bonus actus exterior, quia à recta ratione dictatur. Illi enim ponunt omnes veras virtutes esse in voluntate: & quod quibuslibet distinctis actibus bonis voluntatis distincti habitus correspondent.

Discip. Opiniones prædictas intelligo, quarum discussionem curiosis reputo relinquendam: quia parum vtilitatis habent. In hoc autem opere vtilia tantũ reputo pertractanda. Ideo dic, quomodo per illa, quæ de virtute perfecta & imperfecta dicta sunt, ad instantiam factam respondetur. *Magist.* Respondetur, quod non solum qui habet virtutem perfectam (quæ sine fide & caritate minime reperitur) sed etiam qui habet virtutem quamcunque moralem veram (licet imperfectam respectu virtutis, quæ est in fidem & caritatem habentibus) habet secundum præparationem cordis omnes virtutes morales & omni morali vitio caret. Et ideo talis virtuosus secundum præparationem cordis est verax, neque est falsus neque mendax. Tales autem virtutes morales, vt quidam putant, in multis fuere paganis. Multi enim eorum secundum rationem rectam viuere nitebantur & vixerunt. Quare veraces fuerunt: & ideo in testimonium admittendi fuerunt. Quia ergo quilibet etiam paganus præsumendus est virtuosus virtute morali imperfecta, nisi constet contrarium, Pagani, qui non fuerunt aliquo crimine morali inuoluti, ad testimonium admittendi fuerunt. Quando autem dicit Augustin. *Vbi fides sana non est, non potest esse iustitia*: ipse loquitur de iustitia perfecta, cui correspondent actus iusti ex charitate Dei eliciti. Talis enim iustitia in paganis & in quibuscunque carentibus sana fide non fuit. Tamen iustitia, quæ vocatur iustitia politica vel ciuilis, fuit in pluribus. Multi enim eorum multa fecerunt, non propter aliquod lucrum vel commodum vel honorem, vel propter aliquod exterius malum vel periculum euitandum, sed quia rectam rationem sequi volebant.

Discip. Licet præscripta apparentia & subtilia videantur, contra ipsa tamen aliquæ mihi obiectiones occurrunt. Quarum prima est hæc: quod secundum assertiones sanctorum patrum pagani non sunt ad testimonium admittendi 2. q. 7. *pagani*. Secunda ratio est, quia omnes pagani sunt & fuerunt criminosi: quia infidelitas species criminis dignoscitur esse. Et tamen secundum prædicta aliqui pagani fuerunt in testimoniũ admittendi. Ergo criminosus est ad testimonium admitt-

admittendus. Tertia ratio est: quod si ideo pagani aliqui fuerunt reputandi veraces & non falsi neq; mendaces, quia secundum rationem rectam viuere nitebantur. Et constat ꝙ multi criminosi secundum rationem viuere moliuntur. Qui enim ex sola ignorantia peccant secundum rationem viuere conari videntur. Multi autem criminosi ex sola ignorantia peccant. Ergo multi criminosi, omnes scilicet ex ignorantia delinquentes, sunt in testimonium admittendi. *Magist.* Ad primam istarum respondetur, quod pagani, quos à testimonio decreta sanctorum patrum excludunt, fuerunt ex malitia Christianis infesti. Et ideo tanquam inimici suspecti non fuerunt contra Christianos in testimonium admittendi coram iudice Christiano. Ad secundam dicitur, quod nonnulli fuerunt pagani, qui nequaquam criminosi fuerunt. Nam & Iob paganus fuit: & multi alii boni, qui ad legem Mosaicam nequaquam astricti fuerunt. Et ideo eis adhibenda fides fuit. Si etiam aliqui essent in puris naturalibus constituti secundum rationem viuere saragentes, non essent criminosi censendi. Et ideo esset credendum eisdem: quia virtutes morales haberent imperfecte. Illi autem pagani, qui crimine infidelitatis irretiti fuerunt, de stricto iure non fuerunt in testimonium à fidelibus admittendi: sed tamen infideles, qui infidelitatem crimen esse minime putauerunt, eos recipere debuerunt. *Discip.* Nunquid secundum istā opinionē aliqui philosophi vel Imperatores & alii pagani, qui idola coluerunt, habuerunt aliquam virtutem, licet imperfectam? *Magist.* Respondetur quod nullus idolatra siue paganus siue alius dum erat idolatra, habuit veram virtutem etiam imperfectam. Nam omnes tales criminosi fuerunt, & nullum damnabile vitium stat cum vera virtute. Quia sicut dictum est, quicunq; habet vnam veram virtutem, habet secundum præparationem cordis omnem aliam virtutem. Et ideo omni vitio caret. *Discip.* Contra hoc est obiectio tertia, quam feci: & ideo indica, quomodo respondetur ad ipsam. *Magist.* Ad ipsam dicitur, quod nulli criminoso viuere secundum rationem donatur. Cum vero dicitur, quod qui ex sola ignorantia peccat, secundum rationem viuere conari videtur: Respondetur, quod quædam ignorantia excusat, vt actum, qui communiter est peccatum, reddat ab omni peccato immunem, vel saltem faciat veniale pecccatum. Et qui ex tali ignorantia peccat, vel facit actum qui communiter est peccatum, non est criminosus. Alia est ignorantia, quæ non excusat, vel saltem non excusat à peccato mortali. Et ex tali ignorantia multi criminosi peccant. Sed nullus peccans ex ignorantia tali nititur viuere secundum rationem. Si enim secundum rationem viuere conaretur: quomodo esset viuendum, inquireret diligenter. Si autem inquireret, inueniret. Si inuenire non posset; ipsum ignorantia inuincibilis excusaret. Et propterea Philosophi & alii idolatrantes non fuerunt à crimine excusati. Quia aut sciuerunt idola non esse colenda, quemadmodum Philosophi plures docuerunt in scholis, nihil diuinitatis esse in Idolis, & quod eis non esset honor diuinus aliqualiter exhibendus; & tamen cum aliis idola coluerunt. Et de illis constat, quod criminosi fuerunt, & secundum rationem viuere nullatenus conabantur. Aut huiusmodi idolatrantes ignorauerunt huiusmodi idola non esse colenda. Et constat quod ignorantia inuincibili minime laborabant: quia per rationem naturalem poterant inuenire, quod nihil diuinitatis erat in idolis manus factis: & quod eis honor diuinus non debuit exhiberi. Ergo laborabant ignorantia affectata & crassa & supina. Talis autem ignorantia non excusat, imo talis ignorantia est damnabilis. Et ideo criminosi fuerunt. Et ideo secundum rationem nullatenus viuere nitebantur. Quare nullam veram virtutem etiam imperfectam, quæ potest esse sine fide & charitate, penitus habuerunt. Et ideo districto iure in nullo negotio debuerunt fideles & virtuosi eis indubitatam credulitatem aliqualiter adhibere. *Discip.* Ista vltima dicta prioribus repugnare videntur. Dictum est enim prius, quod multi Philosophi habuerunt veras virtutes, licet imperfectas. Nunc autem asseritur, ꝙ nullus Idolatra habuit veram virtutem. Constat autem quod omnes Philosophi fuerunt idolatræ. Ergo secundum vltimo dicta nullam habuerunt veram virtutem: & sic vltima prioribus contradicunt. *Magist.* Respondetur, quod non constat omnes Philosophos fuisse Idolatras. Ideo probabile est, quod aliqui non fuerunt Idolatræ. Quicunq; enim secundum rationem viuere nitebantur, idolatriam euitauerunt. Si ergo aliqui Philosophi vel alii secundum rationem viuere conabantur, Idolatræ non fuerunt.

CAP. LXXVIII.

In quo probatur, quod omnis criminosus secundum præparationem cordis, omni vitio irretitur.

DIscipulus. Istam rationem, per quam probatur, quod de nullo criminoso est firmiter præsumendum, quod sit verax, intelligo. Quæ in hoc mihi fundari videtur, quod omnis criminosus secundum præparationem cordis omni crimine irretitur: quemadmodum habens charitatem vel quamcunque veram virtutem secundum præparationem cordis habet omnem actum virtutis sibi possibilem. Hoc autem tam mirabile mihi apparet, quod nullus intellectus hoc debeat opinari, cum quædam vitia sint omnino contraria. Qui autem habet vnum contrariorum, non habet etiam secundum præparationem cordis reliquum contrariorum. Propterea quædam sunt vitia penitus disparata. Qui autem habet vnum disparatorum, non propter hoc dignoscitur habere reliquum, etiam secundum cordis præparationem. Ergo non omnis criminosus habet secundum præparationem cordis omnia vitia. Item sæpe videmus aliquos vno crimine irretitos, qui alia crimina in se & in

aliis detestantur in tantum, quod ante se morti exponerent, quam crimina talia committerent quoquo modo. Ergo sunt etiam secundum præparationem cordis omni crimine irretiti. Ista sunt per quæ patenter ostenditur, vt videtur, quod non omnis criminosus secundum præparationem cordis omni crimine irretitur. Quæ quamuis euidentia & insolubilia mihi appareant, peto tamen vt gratia exercitii, quomodo ad ipsa respondeatur, enarres. *Magist.* Responsiones ad ista melius intelliges, si tibi fuerit declaratum, quid est secundum opinionem contrariam, *secundum præparationem cordis aliquo vitio irretiri. Disc.* Rogo quod declares. *Magist.* Dicunt quod *irretiri aliquo vitio secundũ præparationem cordis* non est aliud, quam habere aliquam dispositionem vel principium inclinans naturaliter ad vitium, & per nullam veram virtutem à tali vitio refrenari: sicut habere actus virtutum secundum præparationem cordis non est aliud, quam habere dispositionem vel principium inclinans ad actus virtutum. Propter quod qui habet charitatem habet secundum præparationem cordis omnes actus virtutum sibi possibiles. Intantum quod qui habet charitatem exit in omnem actum virtutis, quando tenetur. Quod si dimitteret quemcunq; actum virtutis, quando tenetur, caritatem amittit. Sic homo iracundus habet secundum præparationem cordis actus omnium vitiorum, quæ dicuntur filii esse iræ: quia habet dispositionem inclinantem ad actus omnium vitiorum illorum, licet per passionem aliquam parumper & pro tempore retrahatur. *Discip.* Intelligo, quid isti vocant secundum præparationem cordis aliquo vitio irretiri. Ideo quomodo ad prædictas instantias respondetur expone. *Magist.* Ad prædictas instantias repellendas dicunt isti esse notandum, quod quemadmodum in speculabilibus quædam sunt principia vniuersalia, ex quibus conclusiones plurimæ demonstrantur (propter quod dicitur, quod principia sunt minima in quantitate & maxima in virtute: quia ex vno principio cum aliis propositionibus assumptis immediate aut mediate conclusiones innumerabiles inferuntur) Et sicut in naturalibus quædam sunt causæ vniuersales & quodammodo illimitatæ, ex quibus diuersi & innumeri causantur effectus, quandoq; quidem ex illis solis quandoq; ex illis & aliis particularibus causis concurrentibus: Ita vt eadem causa vniuersalis vel propter diuersitatem passiuorum, vel propter diuersitatem particularium agentium sit causa contrariorum. Ita in moralibus sunt quædam dispositiones ad plures actus virtutum vel vitiorum naturaliter inclinantes. Quemadmodum charitas imperat & inclinat ad omnes actus virtutum omnium, & ira ad contumelias, rixas, contentiones, detractiones, percussiones, homicidia, & plures alios vitiosos actus inclinat. Et per hoc ad tuas instantias respondetur. Ad primam dicitur, quod quamuis quædam vitia sint contraria, & ideo actus eorum simul esse non possunt: tamen habens vnum vitium, habet vnam malam dispositionem inclinantem ad actum vitii contrarii, nisi impediatur vel deficiat aliquid ad actum vitii contrarii requisitum. Verbi gratia: Prodigalitas & tenacitas sunt vitia contraria: & tunc tenax potest habere actum prodigalitatis secundum præparationem cordis: quia in tenace propter ipsam tenacitatem est desiderium pecuniam acquirendi. Et ideo si tenax videt, quod per actum prodigalitatis potest multa acquirere, ex desiderio acquirendi plura, exit in actum prodigalitatis. Sic etiam videmus, quod vitia & virtutes contrariantur: & tamen sæpe vitiosus habet actus virtutis secundum præparationem cordis. Sæpe enim mendax, vt sibi credatur, loquitur veritatem: & ambitiosus, vt magnos honores acquirat, paruos honores spernit & respuit. *Discip.* Clare video, quod licet aliqua vitia sint contraria: tamen habens vnum vitium potest omnes actus vitii contrarii habere secundum præparationem cordis. Imo etiam videtur secundum prædicta, quod qui habet vnam virtutem, habet actum vitii contrarii secundum præparationem cordis, sic habens vitium, habet actum virtutis, secundũ præparationẽ cordis. *Magist.* Respondetur ꝙ quia non est simile de actibus vitiorũ exterioribus, & de actibus virtutum interioribus. Nam multi sunt actus vitiorum exteriores, qui nullo modo bene fieri possunt: Sicut mentiri nullo modo potest fieri bene. Actus fornicandi & multi alii nequaquã bene fieri possunt. Nullus autem est actus virtutis exterior, quin male fieri possit. Nam orationes ieiunia, eleemosynæ, male fieri possunt, imo actus martyrii male suscipi potest. Propter quod criminosus habet actus virtutum exteriores, sed non interiores secundum præparationem cordis. Vnde hypocritæ, ambitiosi, auari, superbi, & alii criminosi, nonnunquam mirabiles actus virtutum exteriores exercent. Vnde de hypocritis dicit Christus Matth. 5. *Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes.* Et de ambitioso dicit Innoc. tertius: *Humanitatem simulat & honestatem mentitur; affabilem se exhibet, benignitatem ostendit.* Ex quibus verbis patet, quod vitiosi possunt actus virtutũ exteriores secundum præparationem cordis exercere. Sed virtuosus actus vitiorum non habet secundum præparationem cordis, quia illi à virtuoso nequaquam fieri possunt. *Discip.* Ista instantia non est ita fortis, sicut ante putaui: ideo dic, quomodo respondetur ad secundam. *Magist.* Respondetur ad secundam, ꝙ nulli actus vitiorum sunt taliter disparati, quin quocunq; crimine irretitus habeat aliquã dispositionem malã inclinantem naturaliter (nisi impediatur) saltem alia causa concurrente ad quemlibet actum vitiosum. Et ideo quilibet criminosus habet actus cuiuslibet vitii secundum præparationem cordis. *Discip.* Quæ est illa dispositio mala, quæ inclinat ad omnem actum vitiosum? *Magist.* Respondetur quod tales dispositiones malæ sunt plures, scilicet contemptus rationis, amor sui, auersio à Deo, & huiusmodi, quæ à nullo vitio separantur, quemadmodum plures conditiones bonæ omni virtuti sunt annexæ. Propter quas quicunq; habet vnam veram virtutem, habet actum omnis virtutis sibi possibilis secundum præparationem cordis. Qui enim est castus, quia vult viuere secundum rectam rationem, ipse etiam vult facere omnem actum virtutis cuiuslibet: quando recta ratio dictat quod actum virtutis facere debet. Et sine tali voluntate & dispositione inclinante

ad

ad omnem actum cuiuslibet virtutis secundum dictamen rectæ rationis non habet castitatem; quæ est virtus vera, quantumcunq; ab omni actu venereo impudico abstineat. Et ita qui habet veram castitatem, quæ est virtus, quantumcunq; non exerceat actum cuiuslibet virtutis, tamen secundum præparationem habet omnem actum cuiuslibet virtutis sibi possibilem.

Discip. Dic quomodo respondetur ad instantiam tertiam, quam feci. *Magist.* Respondetur quod non ideo dicitur quis habere actum vitiosum secundum præparationem cordis, quia semper est paratus in omnem euentum actum huiusmodi exercere. Sic enim mendax nō haberet secundum Papam ratione cordis actum mendacii. Nequaquam enim vult semper mentiri. Neque aliquis criminosus haberet secundum ꝓpriā rationem cordis actus vitii, quo noscitur irretiri. Neq; enim luxuriosus, neq; gulosus, neq; iracundus, neque inuidus, neque superbus semper vult actus vitiosos exteriores elicere: & tamen quilibet vitiosus habet secundum præparationem cordis actus vitii, quibus noscitur irretiri. Dicitur ergo (sicut dictum est) quis habere actus vitiosos secundum præparationem cordis: quia habet dispositionem malam inclinantem naturaliter ad actus vitiosos exteriores: & per nullam veram virtutem ab actu huiusmodi cohibetur. Non tamen semper exercet huiusmodi actus; quia sæpe ab actibus exercendis huiusmodi prohibetur, vel propter absentiam causæ particularis, quæ ad actum talem requiritur: vel propter aliquam aliam causam prædominantem & impedientem talem actum. Verbi gratia: Luxuriosus quærens delectationem in actibus venereis, in nullo propter ratione rectam à libidine se refrenans, habet dispositionem malam ad omnes actus venereos inclinantē, s. desiderium delectandi in actu venereo qui tamē sæpe ab actu venero restringitur, vel quia deficit sibi obiectū ꝗ concupiscit, vel quia timet cōfusionē. Propter timorem n. pœnæ vel confusionis aut inhonorationis vel dāni tēporalis multi abstinent à peccato luxuriæ, qui alias nunquam abstinerent. Sicut etiam multi mendaces sæpe minime mentiuntur, vel non indignantur contra aliquem, cui nocere desiderant, vel quia timent in mendacio deprehendi. Sicut etiam fures sæpe non furantur, quia nihil inueniunt quod furentur, vel quia pœnam furti formidant. Omnes tamen prædicti habent actus huiusmodi vitiosos secundum præparationem cordis. Sic est de multis criminosis, qui antea morerentur quam crimina quædam committerent, non ex amore virtutis, sed quia habent aliquas passiones, vel dispositiones malas vel non virtuosas ad actum contrarium inclinantes: vtpote vel quia timent inhonorationem, vel confusionem, aut aliquid aliud, quod antequam illud incurrerent, mortem susciperent. Et tamen cum hoc stat, quod habeant huiusmodi actus secundum præparationem cordis modo prædicto, quemadmodum hypocritæ & occulte luxuriosi & mendaces, antequam deprehenderentur in actu luxuriæ vel mendacii, morti se exponerēt; & tamē habent huiusmodi actus secundum præparationē cordis, à quibus sæpe se strictissime restringunt, quia timor confusionis & verecundiæ in eis dominantur passioni & vitio ad actum luxuriæ vel etiam mendacii inclinanti. *Discip.* Ista opinio intellecta modo præscripto maiorem apparentiam habere videtur, quam antea arbitrabar. Ideo pro ipsa sic intellecta allegare coneris. *Magist.* Ista opinio multis rationibus munitur. Quarum prima est hæc. Omnis superbus habet secundum præparationem cordis omnes actus vitiosos. Sed omnis criminosus est superbus. Igitur omnis criminosus habet secundum præparationem cordis actus omnium vitiorum. Maior probatur sic. Qui habet initium omnis peccati, habet secundum præparationem cordis actum vitiosum. Habere autem secundum præparationem cordis actum vitiosum est habere dispositionem inclinantem ad omnia peccata, & per nihil virtuosum retrahitur à peccato. Igitur qui habet initium omnis peccati, habet omnia peccata secundum præparationem cordis. Omnis autem superbus habet initium omnis peccati, teste Sapiente, qui Eccles. 18. ait *Initium omnis peccati est superbia.* Igitur omnis superbus habet omnem actum peccati secundum præparationem cordis. Item, qui habet matrem omnium vitiorum habet omnem actum vitiosum secundum præparationem cordis: quia ex matre omnium vitiorum omnes actus vitiosi oriuntur vel oriri possunt. Omnis autem superbus habet matrem omnium vitiorum; quia secundum beatum Greg. *superbia est mater omnium vitiorum.* Igitur omnis superbus habet omnem actum vitiosum secundum præparationem cordis. Minor vero, quod omnis criminosus est superbus, probatur primo sic, ex præcedentibus. Quia omnis criminosus habet initium omnis peccati. Quia sine initio neq; est medium, neq; finis, superbia autem est initium omnis peccati. Igitur omnis criminosus habet superbiam. Secundo probatur auctoritate Innocentii, qui loquens de superbia ait: *Importabilis superbia omnibus odiosa, inter alia vitia tu semper es prima; tu semper es vltima. Nam omne peccatum te accedente committitur, te recedente dimittitur. Scriptum est enim: initium omnis peccati superbia primogenita mors.* Ex quibus verbis colligitur, quod nullum peccatum absq; superbia reperitur; & ita omnis criminosus est superbus. Quod etiam tertio sic probatur: Omnis criminosus auertitur à Deo. Quicunq; autem à Deo auertitur, eo quod Deum contemnit & contra Deum erigitur, superbia eleuatur. Igitur omnis criminosus est inter superbos merito computandus. Quod veritatem habet secundum quosdam, prout omnis auersio à Deo vocatur superbia, nō prout solus appetitus propriæ excellentiæ superbia appellatur. *Discip.* Puto quod ad probandum tam maiorem quam minorem huius rationis multas scires tam rationes quam auctoritates adducere. Sed nolo eos pro nunc audire: cupio tamen scire, an aliquis doctorum, qui sequelam habuit, & tamen à pluribus improbatur, sentiat quod omnis superbus secundum præparationem cordis omni crimine irretitur. *Magist.* Nonnullis apparet quod hoc est de intentione Thomæ de Aquino. Nam *secunda secundæ q. 16. art. 2.* ait sic: *Superbia potest considerari se-*

cundum redundantiam, quemadmodum & alia peccata. Et secundum hoc habet quandam generalitatem, in quantum scilicet ex superbia oriri possunt omnia alia peccata duplici ratione. Vno modo per se, inquantum scilicet omnia alia peccata ordinantur ad finem superbiæ, qua est propria excellentia, ad quam potest ordinari illud, quod quis inordinate appetit. Alio modo indirecte, & quasi per accidens, scilicet remouendo prohibens inquantum scilicet per superbiam homo contemnit diuinam legem, per quam prohibetur à peccando, secundum illud: Confregisti iugum, rupisti vincula, dixisti non seruiam. Ex quibus verbis colligitur, quod ex superbia possunt oriri omnia peccata. Ex quo sequitur quod omnis superbus secundum præparationem cordis omnibus criminibus irretitur; licet à quibusdam criminibus aliquando per aliquas passiones non per virtutes veras prohibeatur. *Discip.* Sufficiant ista pro assertione prædicta, & si aliæ tibi rationes occurrunt, de illis breuiter te expedias. *Magist.* Secunda ratio ad probandũ, quod omnis criminosus secundũ præparationẽ cordis omni crimine irretitur, talis est. Non est maior ratio de vno crimine, quã de alio quod criminosus aliquo speciali crimine irretitus sit secundũ præparationẽ cordis omni alio crimine inuolutus. Sed criminosus cupiditate, quæ est speciale peccatum implicitus omni alio peccato inuoluitur secundum præparationem cordis, teste Apostolo, qui ait, vt legitur Thim. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Vbi Glossa obiiciens ait: *alibi dicit sic scriptura: quod superbia est initium omnis peccati. Hic vero dicitur, quod auaritia siue cupiditas radix est omnium malorum, quæ non videntur conuenire.* Et respondens ait: *Sciendum nobis est vtrumque vere dictum esse si peccatorum genera attendantur. Nullũ enim genus peccati est, quod aliquando nõ proueniat ex cupiditate. Et est vtique aliquis homo qui ex cupiditate fit superbus, & aliquis est qui ex superbia fit cupidus. Est enim aliquis homo qui non esset amator pecuniæ, nisi per hoc putaret se excellentiorem esse. Et est qui non amaret excellentiam, nisi putaret per hoc maiores diuitias habere.* Ex quibus verbis colligitur, quod omnia peccata ex cupiditate seu auaritia oriri possunt. Quare omnis cupidus seu auarus secundum præparationem cordis est omni crimine irretitus. Hoc est dictum, nullum crimen est quod auarus seu cupidus propter habendam pecuniam non committeret, si nulla eum passio timoris seu erubescentiæ aut aliqua alia nequaquam rationis iudicio regulata eum à committendo crimine prohiberet, ita quod per nullam veram virtutem à quocunque committendo crimine retrahitur. Tertia ratio est hæc. Homo iracundus secundum præparationem cordis est omni crimine irretitus. Igitur per rationem consimilem omnis criminosus secundum præparationem cordis est omni crimine irretitus. Antecedens probatur: quia qui est in ianua omnium vitiorum omnibus criminibus secundum præparationem cordis inuoluitur. Homo autem iracundus est in ianua omnium vitiorum, teste Glossa super illo verbo Prouerb. 29. *Vir iracundus prouocat rixas.* Vbi ait: *Ianua omnium vitiorum iracundia, qua clausa virtutibus intrinsecus dabitur quies, qua aperta ad omne facinus armabitur animus.* Igitur homo iracundus in ianua vitiorum existens ad omnia genera peccatorum armatur. Et per consequens secundum præparationem cordis omni crimine irretitur. *Discip.* Mirum est quod dicit Glossa, scilicet quod clausa iracundia intrinsecus virtutibus dabitur quies, cum multos videamus mansuetos, qui tamen multis aliis criminibus inuoluuntur. *Magist.* Respondetur, quod nunquam iracundia, quæ est ianua omnium vitiorum, vere est clausa, nisi per mansuetudinem, quæ est vera virtus, quæ nullum vitium secum patitur, quia nullus est vere mansuetus, nisi mansuetudinem propter Deum vel propter rationem rectam conseruet. Qui autem est mansuetus propter Deum, omni vitio carnali caret: & secundus similiter, scil. qui est mansuetus, vt rationi rectæ se conformet, nulli vitio subiacet criminali. Multi autem videntur mansueti, qui ab omni iracundia exteriori se cohibent, vt aliquod malum aut periculum euitent, vel vt honorem aut aliquod bonum vtile vel delectabile consequantur. Sermones tales non sunt mansueti mansuetudine, quæ est virtus vera. Quemadmodum multi actum fortitudinis exteriorem perficiunt, vel quia magnitudinem periculi non perpendunt, vel propter alicuius passionis impulsum, vel propter aliquod temporale commodum acquirendum aut incommodum euitandum, qui in rei veritate fortitudine, quæ est virtus, carent, licet fortes plerumque putentur. *Discipul.* Per istam rationem de nullo potest sciri, quod habeat virtutem, & quod non sit criminosus. Itaque si nulli criminoso est credendum, nulli hominum certa fides est adhibenda. *Magist.* Dicitur quod absque operatione miraculi facti in testimonium sanctitatis alicuius de nullo potest per certitudinem sciri, quod non sit criminosus; quia tamen ea, quæ fieri possunt bene & male in meliorem partem interpretari debemus, *extr. de reiu. estote:* ideo multi sunt virtuosi censendi, quia omnes, qui nullum actum faciunt, qui non possit bono animo fieri, & quo animo illos faciant ignoramus, illos virtuosos censere debemus. Et ideo tales sunt ad testimonium admittendi. *Discip.* Compleas alias rationes. *Magist.* Quarta ratio pro prædicta assertione est hæc. Ille qui in minori crimine inuolutus est, eo ipso secundum præparationem cordis maiori crimine irretitur. Igitur & omnibus criminibus secundum cordis præparationem noscitur irretitus: quia omnia crimina vel sunt maiora, vel sunt minora, vel sunt æqualia. Si igitur minori crimine inuoluitur, criminibus maioribus secundum præparationem cordis noscitur inuolutus: multo magis secundum præparationem cordis minoribus & æqualibus esse inuolutus est putandus: & ita secundum præparationem cordis omnibus criminibus irretitur, secundum quod minori crimine irretitur eo ipso secundum præparationem cordis maiori crimine irretitur, ipsa veritate testante, quæ Luc. 18. ait: *Qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est.* Quæ verba secundũ actũ nequaquã possunt intelligi: quia multi crimina minora committunt, qui tamen non faciunt actu maiora. Ergo illa verba quantum ad præ-

parationem cordis debent intelligi. Vt iste sit sensus: Qui in modico iniquus est, secundum præparationem cordis etiam in maiori iniquus est: hoc est, per nullam veram virtutem à maiori crimine coercetur. Et quicunq; minori crimine irretitur, si possit & tentatus fuerit & non timeat confundi, nec aliquod vtile delectabile amittere, à crimine maximo & enormissimo se nullatenus continebit. Quia si criminosus à crimine quocunque de quo tentatur se cohibet propter aliquem finem: vel aliquod motiuum se cohibet ab eodem, & non propter finem virtutis, nec propter motiuum dictatum ratione recta. Ergo propter aliquem alium finem vel aliud motiuum se cohibet. Illo ergo fine vel motiuo remoto se minime cohibebit. Et ita criminosus secundum præparationem cordis omni crimine alio irretitur: licet quandoque ab actu pro tempore refrenetur. Quia tamen non refrenatur propter Deum, nec propter bonum virtutis siue propter rationem rectam, siue aliunde, dicitur habere talem actum secundum præparationem cordis. Quemadmodum (sicut dictum est prius) luxuriosus habet actum luxuriæ secundum præparationem cordis, licet interdum ex aliqua alia causa quam ex ratione recta ab actu luxuriæ se refrenet. Quinta ratio est hæc: Qui habet radicem omnium criminum, habet omnia crimina secundum præparationem cordis. Omnis criminosus habet radicem omnium criminum, quia amorem sui, non Dei, qui est radix omnium criminum. Quod expresse insinuat Beatus Paulus 2. Thim. 3. dicens: *Erunt homines seipsos amantes cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites sine benignitate, proditores, proterui, timidi, ceci, voluptatum amatores magis quam Dei.* Vbi Gloss. *Ex eo enim quod seipsos & non Deum amant, ex qua radice hec que sequuntur mala oriuntur.* Ex quibus verbis colligitur, quod omnia mala, quæ Apostolus enumerat, ex amore sui oriuntur. Cum ergo omnia peccata spiritualia & corporalia valeant ad illam reduci; sequitur quod ex amore sui omnia peccata oriri possunt. Ergo amans seipsum, non Deum, habet omnia peccata secundum præparationem cordis, licet aliquando ab aliquibus non propter bonum virtutis se abstineat. Sexta ratio est hæc: Qui est reus omnium criminum, habet omnia crimina secundum præparationem cordis vel secundum actum. Sed omnis criminosus est reus omnium criminum, teste Beato Iacobo, qui ait: *qui offenderit etiam in vno, factus est omnium reus.* Ergo omnis criminosus habet omnia crimina secundum actum. Ergo habet omnia crimina secundum cordis præparationem. *Discip.* Cessa allegare pro ista assertione, quæ tenet quod omnis criminosus est secundum præparationem cordis omni actu criminis irretitus. Ex quo sequitur primum, quod assumptum est circa rationem, quæ probatur in principio huius capituli, quod non ex constitutione sola humana, sed ex ratione recta & iure Diuino accipitur, quod nulli criminoso in quocunq; negotio est credendum. Quia ex illa assertione sequitur, quod de nullo criminoso est firmiter præsumendum, quod sit verax, & quod nolit mentiri. Ideo nunc proba secundum istam opinionem, scilicet quod illi non est credendum, de quo non est firmiter præsumendum, quod sit verax & quod nolit mentiri. *Magist.* Hoc probatur sic: nulli nisi qui reputatur verax est credendum. Illi ergo de quo non est firmiter præsumendũ, quod sit verax, non est credendũ.

CAP. LXXIX.

In quo probatur secunda pars, scilicet maioris primæ rationis huius capituli in principio positæ, scilicet an hoc accipiatur ex iure Diuino, seu humano, quod nulli criminoso sit credendum. Et ponuntur duæ opiniones contrariæ præcedentibus capitulo 78. positis.

DIscipulus. Ista assertio euidens mihi videtur. Ideo pertractata assertione dicente, quod ex ratione recta & iure Diuino accipitur, quod nulli criminoso est credendum, differe opinionem contrariam. *Magist.* Circa opinionem contrariam sunt duo modi ponendi. Vnus modus ponendi est, quod ex ratione recta & iure Diuino absq; omni constitutione humana accipitur, quod aliquibus criminosis in nullo negotio est credendum. Ex constitutione autem humana sola habetur, quod quibusdam criminosis non est credendum. *Discip.* Opinionem istam expone. *Magist.* Opinio ista ponit, quod ex recta ratione accipitur absq; omni constitutione humana, quod illis criminosis, qui inuoluuntur criminibus, quæ ad falsitatem vel mendacium, quod committitur factis vel verbis, pertinent quoquomodo, non est credendum in quocunq; negotio. Huiusmodi sunt periuri, mendaces, hypocritæ, simulatores, ficti, qui libellos famosos componunt, retinent, diuulgant, & qui falsum testimonium dixerunt, vel ad dandum falsum testimonium alios induxerunt, & qui sic aliis sunt subiecti, vt probabile sit quod de facili possunt induci vt falsum testimonium dicant, & omnes qui cupiunt placere hominibus, quales sunt ambitiosi, dolosi, bilingues, proditores, criminatores, diffamatores, falsorum criminum impositores, detractores, libenter audientes susurratores, murmuratores, adulteri, conspiratores, contentiosi & contumeliosi, suspitiosi, temere iudicantes, interpretantes in peiorem partem, quæ bono animo fieri possunt, qui secreta reuelant, & consimiles. Isti sunt ab omni testimonio repellendi. Et quæcunq; constitutio humana constitueret, quod aliqui istorum essent ad testimonium admittendi, esset constitutio iniqua, nec esset seruanda. Alii criminosi à ferendo testimonio per rationem rectam vel per ius diuinum nullatenus prohibentur: licet prohibeantur per constitutionem humanã. Tales sunt gulosi & luxuriosi & alii pauci. Ista opinio fundatur in hoc, quod ꝓpter illa crimina, quæ veritati repugnant, & nõ propter alia, est q

per ius naturale & diuinum à testimonio repellendus. Sed sola crimina quæ ad mendacium (quod verbis vel factis committitur) spectant, veritati repugnant. Ergo de iure naturæ & Diuino propter sola huiusmodi crimina est quis à testimonio repellendus. *Discip.* Ob prolixitatem vitandam dimitto opinionē istam, & transi ad aliā. *Mag.* Alia opinio est, quod propter nullum crimen ex iure naturæ, vel Diuino est quis à testimonio repellendus. Sed quod aliquis criminosus repellitur, est solummodo ex iure humano. *Discip.* Pro ista assertione nitere allegare. *Magist.* Pro ista assertione arguitur. Nihil à principe aut à prælato rite statui potest, quod iuri naturali vel Diuino repugnat. Sed in legibus ciuilibus & canonicis inuenitur, quod in aliquo casu quicunq; criminosi etiam & hæretici & alii ad accusandum & testificandum debent admitti. Ergo non est contra ius naturale nec contra Diuinum, quod criminosi ad accusationem & testimonium admittantur. Maior videtur certa. Minor per plura iura probatur. Nam Papa ius dedit, vt habetur *extra, de symonia c. tanta*, ait: *Tanta est labes huius criminis* (scilicet symoniæ) *quod etiam serui aduersus Dominum & quilibet criminosi ad accusationem admittantur.* Et infra: *quem quilibet* (scilicet symoniacum) *vt ab ordine male accepto remoueatur accusare potest, vel etiam meretrix.* Ex quibus colligitur, quod interdum criminosi debent ad accusandum admitti. Item, Iulius Papa, vt habetur 15. q. 3. c. nemini: *Nemini præterquam de crimine maiestatis læsæ confesso super alienum crimen credi oportet.* Vbi dicit Gloss. *& præterquam in crimine symoniæ.* Et infra: *Item, falsarius auditur contra socium.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod nonnunquam criminosis est credendum. Et per consequens sunt ad testimonium admittendi: quia illi recipiendi sunt, quibus est credendum. Item, *2. q. 7. si hæreticus*, sic legitur: *Si hæreticus contra hæreticum litiget, liceat cuicunq; eorum hæreticum testem adducere. Si autem orthodoxus litiget contra hæreticum, pro orthodoxo quidem hæretici valeat testimonium, contra orthodoxum autem solius orthodoxi testimonium valeat.* Ex quibus verbis habetur, quod testimonium hæretici non solum valet pro hæretico contra hæreticum: imo etiam pro orthodoxo valet. Ergo interdum admittendum est testimonium criminosi. Item, socii criminis quandoque ad testimonium admittuntur, *extra, de testibus, quoniam aliqua. & 6. q. 1. c. quæro, scilicet si quis cum militibus, & extra de testi. cogendis. c. vlti.* dicitur. Quod sicut notat Gloss. *extra, de actionibus. c. cum*, quod *in exceptis criminibus, scilicet in crimine læsæ maiestatis, symoniæ & hæresis, viles personæ recipiantur.* Quod etiam *extra, de symonia. c. licet hæresis. & c. per tuas*, innuitur, vt videtur. Et ita habetur, quod non est ex iure naturali vel Diuino quod criminosis fides non debet adhiberi.

Discip. Quamuis ista appareant mihi consona veritati: peto tamen indices, quomodo ad ista secundum opinionem contrariā respondetur. *Magist.* Ad intelligentiam prædictorum aliquæ dicuntur distinctiones esse notandæ. Quarum prima est, quod aliqui admittuntur ad accusandum vel denunciandum, aut ad inquisitionem aliquam prosequendum: aliqui autem tantum audiuntur ad testificandum. Secunda distinctio est, quod criminosi aut emendati sunt à crimine, aut non sunt emendati de crimine. Tertia est, quod ille, contra quem debet aliquis audiri, aut est bonæ famæ, aut est apud viros probos & honestos grauiter diffamatus. Quarta est, quod aliquis auditur vel de rigore iuris, vel de temperantia æquitatis. Per prædictas distinctiones respondetur ad rationes pro ista secunda opinione adductas. Ad primam enim dicitur, quod propter immanitatem quorundam criminum, scilicet hæresis, læsæ maiestatis, symoniæ, & etiam aliorum, ex quibus periculum imminet, congrue criminosi etiam de crimine minime emendati, quantum est de iure naturali & Diuino, possunt audiri, præcipue contra grauiter infamatum ad accusandum & denunciandum & etiam inquisitionem prosequendum, sed non ad testimonium. Et huius ratio assignatur: quia qui ad accusandum admittitur, non ideo admittitur, vt sibi credatur, sed vt per informationem ipsius ad veritatem perueniatur. Sæpe enim per informationes malorum veritatem inuenire contingit. Et ideo nonnunquam sunt criminosi propter bonum commune & periculum & malum bonis communis vitandum ad accusandum admittendi. Sed aliter dicitur de teste: quia semper fides adhibetur testi admisso. Criminoso autem nunquam est credendum. Et ideo criminosus admitti nō debet. Et huic concordare videtur Gloss. *6. q. 1. c. quare*, quæ ait: *Tota vis negotii pendet in testimonio, sed non in accusatione*: quia scilicet testi adhibetur fides. Fides autem accusatori minime adhibetur. *Discip.* Si accusatori fides nullatenus adhibetur, quare non indifferenter criminosus accusator admittitur contra quemcunq; de crimine qualicunq;? *Magist.* Ideo non est criminosus ad accusandum admittendus, quia omnis accusatus multipliciter fatigatur ac grauatur ac impeditur, dum oportet ipsum coram iudice comparere, & accusanti respondere. Non debet autem quis absq; causa antequam de crimine conuincatur propter verbum illius, cui non est credendum, taliter fatigari. Et ideo criminosus non est indifferenter ad accusandum admittendus. *Discip.* Per istam responsionem probaretur, quod in nullo casu criminosus erit admittendus, quia nunquam debet aliquis puniri vel aliqualiter fatigari propter verbum illius, cui non est credendum. Imo per istam rationem videtur posse probari, quod nullus esset ad accusandum admittendus: quia nullus puniri debet aut grauari antequam constet ipsum esse dignum pœna. Sed omnis accusatus punitur & grauatur multis laboribus eundo ad iudicem, respondendo accusanti. Ergo secundum prædicta (cum fides accusanti non adhibeatur) non est propter verbum ipsius accusatus quoquo modo vexandus. Et ideo nullus esset ad accusandum admittendus. *Magist.* Ad ista respondetur, quod sæpe ex iusta causa & ratione recta: imo ex iure naturæ & pro statu naturæ corruptæ aliqui fatigantur & vexantur absq; omni culpa. Quia aliter respublica & bonum commune conseruari non potest. Propter quod rationabile est, quod interdum propter verbum illius, cui non est credendum, fatigetur aliquis, vt per talem modum præcaueatur periculo

communis boni. Propter hoc dicitur, quod rationabile est, quod propter solum verbum ipsius, cui non est credendum, aliquis, qui nescitur esse innocens, fatigetur. Et ille cui non est credendum, ad accusandum debet admitti. Quia aliter pax communis conseruari non posset. *Discip.* Istud vltimum videtur prioribus repugnare. Nam prius dictum est, quod accusantibus minime fides adhibetur. Hic autem dicitur, quod ille cui credendum non est, ad accusandum debet admitti. Ergo aliquando accusatoribus est credendum. *Magist.* Respondetur, quod multi sunt fide digni, in quibus est credendum: quibus tamen non debet fides in omni casu, maxime in præiudicium alterius adhiberi. Nullus enim ad testimonium est admittendus, nisi fuerit fide dignus. Et tamen si vnus solus quantumcunq; fuerit fide dignus contra aliquem testificetur, non sibi credendum est in præiudicium alterius, vt propter testimonium eius reus culpabilis reputetur. Sicut quantumcunq; accusator fuerit fide dignus, non est sibi credendum, vt propter accusationem ipsius accusatus culpabilis iudicetur. *Discip.* Dic quomodo ad secundam instantiam respondetur. *Magist.* Respondetur, quod Iulius Papa in illo *decreto* non accipit stricte *credi*, sed communiter pro audiri. Quia etiam in crimine læsæ maiestatis, quando accusatur socius à socio, non est accusanti credendum, vt propter accusationem talē debeat pro conuicto haberi: cum tamen etiam quantumcunq; accusans esset bonæ famæ & immunis à crimine læsæ maiestatis auditur: non vt sibi credatur, sed vt vias ostendat, ꝑ quas posset veritas inueniri. Socii enim criminis scientes secreta sociorum suorum sæpe sciunt ostendere, quomodo socii per euidentiam rei poterant deprehendi in facto: vel quomodo aliter eorum nequitia possit probari legitimis documentis. *Disci.* Per hoc videtur, ꝙ qlibet criminosus esset audiendus contra quemcunq;: quia crimina propter bonū commune sunt sollicite indaganda. Ergo qlibet (vt corrigantur) debet audiri. *Mag.* Respondetur, ꝙ dupliciter potest quis audiri. Vno modo in iudicio: & tali modo non est qlibet criminosus audiendus contra omnē, quem accusare voluerit. Quia talis audientia nunquam est sine fatigatione ac grauatione ac aliquali infamia illius, contra quem datur. Nunquā autem sine manifesta & patente causa est aliquis bonæ famæ grauandus ꝑpter verbum cuiuscunq;, cui non est credendū. Cuiusmodi est omnis criminosus. Aliter quis posset audiri extra iudicium in secreto. Et sic potest omnis criminosus audiri contra quemcunq;: quia per talem auditionem nec opinio generatur, nec infamia aggrauatur, vt in aliquo fatigetur: quia nec est citandus, nec ad ratione ponendus: sed ideo prælatus audire potest tales, vt sit magis sollicitus ad informandum illū & instruendū, cuius crimen sibi refertur. *Discip.* Videtur ꝙ si audiretur extra iudiciū in secreto, ꝙ opinio alterius est grauata saltem apud illū qui audit. *Magist.* Respondetur, ꝙ sicut apud audientē alicuius confessionem non debet opinio confitentis esse grauata: ita etiā multo fortius apud audientem in secreto narrationem alicuius criminosi de aliquo crimine, non debet opinio eius esse grauata, licet possit esse magis cautus obseruando secrete vias eius, maxime si narrans sibi crimen aliquam apparentiam veritatis videatur habere. *Discip.* Nunquid debet scribere talem accusationem secretam? *Magist.* Dicitur quod non, quia talis scriptura posset in aliquo casu ad aliorum notitiam etiam æmulorum & ad accusati infamiam deuenire. *Disc.* Dic quomodo respondetur ad illā, quæ dicit Glos. super præallegato capitulo Iulii Papę. *Mag.* Respondetur, ꝙ in crimine simoniæ auditur socius criminis ad accusandū, si socius fuerit diffamatus: sed non auditur ad testificandum. Similiter confessio vnius latronis auditur contra alios, non vt sibi credatur sicut testi, sed vt detegatur quomodo possunt alii deprehēdi. Similiter familiaris contra Dominum auditur non ad testificandum, sed accusandum secrete vel publice. Similiter falsarius contra socium auditur, non ad testificandum, sed ad accusandum secrete vel publice. Cum autem dicitur, quod illi recipiendi sunt, quibus est credendum: verū est, sed non illi soli sunt recipiendi ad accusandum. Quia in quibusdam criminibus recipi possunt ad accusandum illi, quibus non est credendum. Quia interdum tales manifestant vias, quibus veritas reperitur.

Discip. Dic quomodo ad tertiam respondetur. *Mag.* Respondetur secundum Glos. ibidem, quod illa auctoritas est falsa: quia hæreticus nunquam admittitur ad accusandum. Aliter potest dici, quod in casu criminosus potest admitti, quando scilicet aduersarius non potest eum repellere. Et ideo hæreticus contra hæreticum potest admitti: quia hæreticus propter crimen hæresis non potest contra ipsum excipere: sed contra orthodoxum nequaquam recipi debet. Quia orthodoxus propter crimen hæresis contra ipsum excipere potest. Aliter dicitur, quod lex illa iniqua est simpliciter; cum hæretici pro nullo testimonium ferre valeant in præiudicium cuiuscunq;. Licet posset valere ꝓ aliquo liberando, vbi nulli neq; bono neq; malo per testimonium eius posset præiudicium generari. Ad quartam respondetur, quod socii criminis, qui nō sunt de crimine emendati, contra socium, qui non est apud bonos & prouidos diffamatus, non sunt vnquam ad testimonium admittendi: licet in quibusdam criminibus debeant ad accusandum admitti. Socii autem criminis qui sunt de crimine emendati, de rigore iuris non sunt ad testimonium recipiendi: licet de temperantia æquitatis possint admitti, præsertim si accusatus per modum exceptionis contra eos nequaquam crimen opponit. Ad c. autem *extra, de testibus*, respondetur, quod mulieres cum quibus dicitur quis peccasse, non sunt ad testimonium admittendæ: nec hoc in illo capitulo habetur: sed insinuatur quod mulieres tales sunt audiendæ, vt scilicet dicant aliqua indicia, quibus possit veritas declarari. Et ideo assertionibus mulierum huiusmodi non est adhibenda fides: licet quandoque viam aperire valeant veritatis. Ad illud *6. q. 1. c. si quis cum militibus*: respondetur, quod talis socius criminis audiri debet, sed ad testificandum admitti non debet. Et per hoc respondetur ad *capitulum vltimum extra, de testibus cogendis.* *Discip.* Si nec socii criminis, nec quicunque alii criminosi

criminosi essent ad testimonium admittendi, nullus criminosus posset conuinci de crimine. Hoc autem in communis boni periculum redundaret. Ergo & socii criminis & etiam criminosi sunt ad testimonium admittendi: aliter multi criminosi euaderent impuniti. Hoc etiam scilicet quod socii criminis & etiam criminosi in testimonium admittuntur, quædam religiones nunc obseruant, nec est præsumendum quod religiones aliquid obseruent iniquum. Ergo &c. *Magist.* Ad primum eorum respondetur, quod melius est multos criminosos occultos absq; pœna transire, quam vnum innocētem iniuste condemnari. Et ideo cum constet multos sæpe dicere testimoniū falsum, cum magna diligentia examinari testes oportet, vt, quantum possibile est, sit omnino probabile, quod nullomodo vellent asserere falsitatem. De criminoso autem talis probabilitas haberi non potest: quod videlicet nullo modo velit asserere falsitatem. Cuius ratio inter alias assignatur talis. Tanta est nequitia & superbia criminosi, quod cum semel confusus fuerit & infamis, omnes alios vellet in reuelationem suę confusionis & infamiæ similiter confusione & infamiæ subiacere. Quare non solū propter hoc, quod criminosus secundum præparationē cordis est omnibus vitiis irretitus, & per consequens pnus est ad testificandum falsum: sed etiā propter hoc quod (vt communiter) socios in confusione & infamia cupit habere: non est probabile, quod criminosus nullo modo velit asserere falsitatē. Criminosus autem ad testimonium dicendū nullo modo debet admitti, quod maxime veritatē habet: quando criminosus contra aliquē vel habet causam aliquā, vel qualemcunq; discordiā. Si enim vt communiter criminosus socios in confusione & infamia cupit habere, non est dubiū quin desideret illos, quibus inimicatur, socios habere. Aliquibus enim inimicatur in speculabilibus solis confusioni similiter subiacere. Quare contra tales ad testificandum nullo modo debet admitti. *Discip.* Non videtur quod criminosi cōmuniter desiderent eos, contra quos causam vel iniuriam habent, notari de crimine: cū multos criminosos cernamus, qui alios etiam qbus inimicantur non diffamant. *Magist.* Respondetur, quod licet communiter criminosi vellent alios notari infamia: tamen ab infamatione & detractione ac mendaciis sæpe retrahuntur: vel quia timent in mendaciis deprehendi, vel quia timent illos vel amicos eorum quos infamare desiderant; vel quia dubitant quod eis nō credatur, vel propter aliam causam quæ ad timorem vel amorem sui noscitur pertinere: qui etiam propter aliquam causam malam vnum diffamant & de alio modo mala loquuntur: quare non est eis adhibenda fides. Nec posset quicunq; Imperator vel rex, aut Papa statuere, quod criminosus ad testimonium præcipue contra illum cuius est amicus vel cōtra quem causam habet, vel rancorem, reciperetur quoquō modo. Quod adhuc tali ratione probatur. Maxime debet esse sollicitudo in superioribus, ne succumbant per falsum testimonium innocentes. Cuius ratio est: quia nemo neq; per voluntatem aut sanctitatem vitæ, neq; per honestam conuersationem, neq; per sapientiam, neq; per testimonium multorum laudabile, neq; quocunq; alio modo præter Diuinum miraculum potest contra infamationes, criminationes, criminū impositores & detractores, mendacia & falsa testimonia se munire, testante Sapiente, qui ait:

Non est arbitrii nostri quod quisq; loquatur:

Imo sanctitas, bonitas, sapientia, iustitia & veritas, sicut summæ ad inuidiam prouocant criminosos, ita ex eis scelerati viri ad mentiendum de virtuosis & innocentibus incitantur. Et ita sancti viri per virtutes contra criminosorum diffamationes & mendacia minime muniuntur. De quo tam in veteri lege quam in scripturis sanctorum autenticis manifesta habemus exempla. Ioseph enim sanctus ab infamia & à falso testimonio non potuit custodiri. Nec Susanna per castitatem contra infamiam & falsa testimonia valuit se munire. Sanctus etiā Athanasius neq; per sanctitatem neq; per fidei sinceritatem hæreticos refrenauit, ne mulierem inducerent, quæ eum de fornicatione publice accusaret, & se ab eo prægnantem assereret. Nullo ergo modo humanæ fragilitati possibile est, vt possit se quis contra mendacia & falsa testimonia communire. Quia secundum iudicium sapientis: *bonor est in potestate honorantis & non in potestate honorati*, ita vituperium est in potestate vituperantis & non in potestate vituperati. Et ideo in nullius potestate est, quod non crimine infametur vel cōtra ipsum falsum testimonium pferatur. Quare superiores, qui debent innocentiam defendere & tueri, summe cauere tenentur, ne innocentia per infamiā aut falsum testimonium maculetur. Hoc autē non facerent, nisi omnes criminosos, & præcipue de iniuria aut discordia vel contrarietate suspectos repellerent. Igitur tales ad testimonium non debent admittere. Quod adhuc auctoritate confirmatur. Constantinus Imperator, vt legitur 2. q. 1. c. iudex, ait: *Iudex criminosum discutiens, non ante sententiam diffinitiuam proferat, quam aut reum ipse se confiteatur, aut per innocentes testes conuincatur.* Ex quibus verbis patenter colligitur, quod nunquam debet quis per criminosos testes conuinci. Huic concordat Felix Papa: qui, vt habetur *causa & q. & c.* supradictis, *primates*, ait: *Primates accusatum discutientes Episcopum non ante sententiam damnationis proferant, quam aut reum ipse se confiteatur, aut per innocentes canonice examinatos regulariter testes conuincatur* Ex quibus aliisq; quampluribus patet aperte, quod testes debent esse innocentes omni infamia & suspitione carentes. Cum autem dicis, quod nisi socii criminis aut alii criminosi essent ad testimonium admittendi, raro possent conuinci de crimine criminosi. Respondetur, quod hoc non continet veritatem; quia multi criminosi per euidentiam rei, multi per testes idoneos, multi etiam per indicia & documenta legitima conuinci possunt de crimine. Nec aliter sunt quicunq; de crimine publice accusandi, secundum quod extra legitur *l. 2. de probatio,* & recitatur *4. q. 8. c. sciant*, vbi sic dicitur: *Sciant cuncti accusatores, rem se debere deferre per publicam vocationem, quæ munita sit testibus idoneis vel instructa apertissimis documentis vel indiciis ad probationem indubitatis & luce clarioribus expedita.* Nullus ergo criminosus ad testificandum est

idoneus

idoneus reputandus. Quod etiam tali ratione probatur. Crimen magis repugnat idoneitati quam conditio, consanguineitas & familiaritas, quæ possunt in viris optimis & verissimis inueniri. Sed conditio, puta seruitus, famulatio & consanguineitas, obuiant idoneitati testium & repugnant: Quia serui & cõsanguinei & familiares ac domestici accusantis ad testificandum contra accusatum admitti non debent, *3. q. 2. c. 1. & c. de accusationibus. & c. nullus. & c. accusatores.* Ergo multo magis criminosi ad testificandum nõ debent admitti. Admittuntur tamen sæpe, quia de facto multotiens debitus ordo iuris contra innocentes & criminosos non seruatur. Cum vero dicis, quod quædam religiones criminosos & socios criminis ad testificandum admittunt. Respondetur à nonnullis, quod tales consuetudines & statuta sunt iniqua ex zelo indiscreto vel hypocrisi ortum habentia. Multi enim religiosi scelaratissimi & alii criminosos, non seruato recto ordine iudiciario, prosequuntur, detestantur & execrantur, vt sancti & zelatores sanctitatis & honestatis ab omnibus reputentur. Et ideo facta vel statuta eorum ad exemplum minime sunt trahenda: quia non exemplis, sed legibus consonis rectæ rationi iudicare oportet. Ratio enim recta (maxime in scriptura Diuina fundata) omnibus exemplis, legibus & statutis humanis omnimode est præferenda. Cum igitur ratio dictet, quod criminoso in nullo negotio est credendum, propter nulla exempla debet quis in præiudicium alterius credere criminoso: maxime periuro, mendaci, detractori, falsorum criminum impositori, calumniatori, compositori falsorum libellorum, & similibus, qui factis vel verbis mentiri noscuntur. Noui enim nonnullos, qui hac arte vtuntur, quod quando contra aliquem offenderunt, statim ipsum de aliquo crimine per infamiam maculare nituntur. Et si non audent in publico, ad detractiones occultas se conuertunt. *Discip.* Nunquid tales postquam de crimine sunt emendati ad testificandum debent admitti & eis in aliquo negotio est credendum? *Magist.* Vna est assertio quod talibus & vniuersaliter illis, qui in quocunq; periurio vel mendacio perniitioso semel fuerint legitime deprehensi, nunquam in perpetuum est credendum, nisi per apertam operationem miraculi facti vel testimonium sanctitatis eorum ostensi fuerint de tali crimine emendati. Cuius assertionis ratio tacta est supra, quia scilicet nullus potest se contra aduersarios custodire: maxime qui habet inimicos, æmulos, contrarios & aduersarios, etiam in opinionibus, vel qui alios quomodocunque offendit. Et ideo vix aut nunquam potest sufficiens adhiberi cautela, ne mendaciis occulte vel publice diffametur. Propter quod videmus, quod fere omnes magnæ personæ & in quacunq; gratia excellentes, quæ malos offendunt, infamia facti de aliquo crimine infamantur: licet sæpe talis infamia nihil aut parum nocere queat. Alia est assertio, quod mendaces & periuri, detractores, falsorum criminum impositores, libellorum famosorum compositores, & alii qui factis vel verbis in mendaciis fuerint deprehensi, postquam diu viis exquisitis fuerint de veritate probati, possunt ad testimonium assumi. Alia assertio est, quod omnes huiusmodi possunt ad famam & ad testimonium auctoritate principis admitti: & extunc eis sicut aliis est credendum.

CAP. LXXX.

In quo ponuntur sex aliæ rationes ad probandum idem, quod in capitulo 77. in principio preponebatur, scilicet quod Papa hæretico in nullo est credendum. Probatur etiam auctoritatibus.

DIscipulus. Aperte conspicio, quod ista assertio, criminoso in nullo negotio est credendum: difficultates habet quamplurimas, quas nolo amplius pertractare: sed ad librum, quem de hac materia & ei connexis es facturus, censeo differendas. Ideo prædictam assertionem aliis assertionibus & auctoritatibus fulcire nitaris, non specificando an ex iure naturali & Diuino aut humano procedant, quod Papæ hæretico in nullo negotio est credendum. *Magist.* Secunda ratio, qua specialiter ostenditur, quod Papæ hæretico in nullo negotio est credendum, in præiudicium catholici est. Inimico in nullo negotio est credendum contra aliquem. *3. q. 5. c. accusatores. & c. suspectos. & c. canonica. & extra, de accusationibus. c. cum pro. & c. meminimus.* Papa autem hæreticus omnium catholicorum est inimicus: quoniam hæretici catholicos grauiter persequuntur. Ideo Papæ hæretico in nullo negotio est credendum. Tertia ratio talis est: mendacibus in nullo est credendum negotio. Papa hæreticus, sicut quilibet alius hæreticus, periculo pessimo & pessimo genere mendacii noscitur laborare. Mendacio videlicet in doctrina religionis, de quo August. in *li. de mendac.* & ponitur *22. quæst. 3. cap. primum*, ait: *Primum capitale est mendacium & longe fugiendum, quod fit in doctrina religionis & ad quod mendacium nulla conditione quis debeat adduci.* Ergo Papæ hæretico in nullo negotio est credendum. Quarta ratio est hæc: Apostatis minime est credendum. *3. quæst. 4. c. beatus.* Papa autem hæreticus est apostata à fide. Igitur sibi minime est credendum. Quinta ratio est hæc: Nulli excommunicato est credendum, teste Stephano, qui, vt legitur *3. quæst. 4. c. nullus*, ait: *nullus anathematisatorum suscipiatur, nec à quocunq; credantur quæ ab eis dicuntur vel scribuntur.* Papa autem hæreticus est excommunicatus. Igitur ei in nullo negotio est credendum. Sexta ratio est hæc: Nulli in nullo negotio est credendum, qui non est ad accusandum admittendus; quia minus est recipere aliquem ad accusandum; quam credere ei. In plerisque enim negotiis multi non fide digni accu-

accusare possunt: sed soli fide digno est credendum. Illi enim qui non est fide dignus, credi non debet. Papa autem hæreticus ad accusandum nullatenus debet admitti: quia nullus hæreticus aut in fide suspectus debet ad accusandum admitti. *3. q. 4. c. si quis. & 2. q. 6. c. suspectos. & ca. nullus.* Ergo Papæ hæretico in nullo negotio est credendum. Septima ratio est hæc: Non magis est credendum hæreticis quam fautoribus & defensoribus hæreticorum. Sed fautoribus & defensoribus eorum minime est credendum, nec sunt ad testimonium admittendi. *extra, de hæreticis. c. excommunicamus.* Igitur multo fortius hæreticis minime est credendum. Ex quo sequitur, quod Papæ hæretico fides nullatenus debet adhiberi. Quod etiam auctoritatibus videtur sic posse probari. Ait enim Papa Stephanus vt habetur *extra, de hæreticis. c. 1. Nec eis omnino credendum est, qui fidem veritatis ignorant.* Papa autem hæreticus fidem veritatis ignorat: imo fidem veritatis impugnat. Ergo ei in nullo negotio est credendum. Item, Aug. ad Bonifacium scribens, vt habetur *23. q. 4. c. ipsa pietas*, ait: *qui Diuina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonii perdiderunt.* Papa autem hæreticus Diuina testimonia non sequitur; cum Diuina testimonia destruere & impugnare nititur. Igitur ad testimonium perhibendum non debet admitti. Et per consequens sibi credi non debet. Item, in concilio Toletano, vt habetur *2. q. 7. c. non potest*, sic legitur: *Non potest erga homines esse fidelis, qui Deo extiterit infidelis.* Sed Papa hæreticus Deo infidelis extitit. Igitur erga homines fidelis esse non potest. Illi autem non est credendum, qui erga homines fidelis esse non potest. Igitur Papæ hæretico in nullo negotio, maxime contra catholicum est credendum. Item, ibidem subiungitur: *sicut in fide suspecti Christi sunt, ita in testimonio humano dubii habentur.* Igitur multo magis de quibus certum est per experientiam, quod contra fidem errant, certi in humano testimonio non debent haberi. Et per consequens Papæ hæretico minime est credendum. Item, vbi prius subditur: *infirmari oportet eorum testimonium, qui in fide falsi habentur.* Papa autem hæreticus est falsus in fide. Igitur infirmari oportet testimonium eius. Et per consequens nullatenus ei est credendum. Item, vbi prius legitur: *nec est eis credendum, qui veritatis à se fidem abiecerint.* Papa autem hæreticus à se fidem abiecit. Igitur Papæ hæretico nullo modo est credendum.

CAP. LXXXI.

Quærit quomodo Papa hæreticus sit excommunicatus & à quo, scilicet siue à iure Diuino vel humano, & quot sint excommunicationes.

DISCIP. De ista materia, quæ allegasti, ad præsens sufficiant. Ideo dic, si Papa hæreticus aliqua pœna alia est puniendus. *Magist.* Vna est assertio, quod Papa hæreticus de facto sententiam excommunicationis incurrat, quemadmodum verberans clericum. Licet nequaquam nominatim excommunicetur de nouo, vel etiam denuncietur, ipse de facto excommunicationis sententia est ligatus. *Disc.* Videtur secundum istã assertionem, quod Papa hæreticus sententia excõmunicationis lata à iure inuoluitur: sed minime explicatur à quo iure, scilicet Diuino vel humano sit lata ista sententia. Ideo dic, quo iure secundum istam assertionem Papa hereticus excommunicationis sententia innodatur. *Magist.* Respondetur distinguendo, quod excommunicatio sit separatio ab actu legitimo. Quot sunt actus legitimi, tot potuerunt esse excommunicationes. Est autem vnus actus legitimus inter Christianos, qui est participatio sacramentorum. Alius autẽ instructio seu informatio in fide & moribus publica vel occulta. Alius est cõmunio fidelium in comedendo & bibendo & conuictu. Alius est testimonium perhibere. Plures sunt alii actus legitimi: sed de prædictis ad præsens loqui sufficiat. Dicitur ergo quod quædam est separatio seu excommunicatio à participatione sacramentorum Ecclesiæ. Quædam ab instructione Christianorum in fide & in moribus publica vel occulta. Quædam à testimonio perhibendo. Quædam à communione fidelium. Primam & secundam incurrit excommunicationem Papam hæreticus à iure Diuino: quia Papa hæreticus est extra Ecclesiam & à corpore Ecclesiæ separatus tanquam destructor Ecclesiæ & subuersor. Et ideo nec suscipere nec administrare debet Ecclesiastica sacra, nisi in necessitate sacramentũ baptismi, nec Christianos docere debet publice vel occulte. De tertia separatione sunt opiniones, de quibus dictum est prius, quibusdam dicentibus quod Papa hæreticus ex iure Diuino & naturali à testimonio perhibendo excluditur, aliis asserentibus quod solummodo ex iure humano repellitur. Quartam separationem incurrit Papa hæreticus solummodo ex iure humano, quo omnes hæretici à communione fidelium separantur. *Discip.* Istam sententiam plane intelligo, circa quam duo tantummodo probare nitaris. Primum quod excommunicatio, quæ est separatio à communione omnium fidelium iure Diuino nequaquam infligitur. Secundo quod hæreticus hanc excommunicationem de facto incurrit. *Magist.* Primum huius multis modis posset probari. Primo modo exemplis sanctorum, qui infidelibus & hæreticis in temporalibus communicauerunt: sicut multi viri sancti cum Iuliano hæretico, postquam fuit Imperator, communicauerunt. *Discip.* Istud exemplum sufficit mihi pro nunc: ideo pro secundo allegare coneris. *Magist.* Secundum probatur. Omnes hæretici, qui sententiis generalium conciliorum & summorum pontificum sunt subiecti, ipso facto sententiam talis excommunicationis incurrunt. Quia ipso facto incidunt in canonem latæ sententiæ contra omnes hæreticos indistincte prolatæ, *extra, de hæreticis. c. ad abolendam, & c. excommunicamus. 1. & 2. & c. sicut, & extra de sententia excom. c. nouerit.* Sed Papa hæreticus est subiectus sententiis generalium conciliorum & summorum pontificum: quemadmodum (ipso viuente) si esset generale concilium aggregatum. Et si summus Pontifex nouus erit creatus iurisdi-

ctio-

ctioni tam concilii quam summi pontificis esset subiectus. Igitur Papa hæreticus ipso facto sententiam excommunicationis incurrit. Quod Gloss. (*24.q.1.c.* super illo verbo: *quicunq; in heresim semel damnatam labitur, eius damnatione seipsum inuoluit*) insinuare videtur dicens: *hic est casus in quo Papa Papam ligare potest: & canonem lata sententia incidit.* Nec obuiat regula illa, quia par parem soluere aut ligare non potest: quia si Papa est hæreticus (in eo quod hæreticus) minor est quocunq; catholico. Ex quibus colligitur, quod Papa effectus hæreticus sententia prædecessoris sui contra hæreticos indistincte prolata ligatur. Et ideo non est maior ratio, quod ligetur vna sententia sui prædecessoris contra hæreticos indistincte prolata quam alia. Ergo Papa hæreticus omni sententia Romanorum Pontificum contra hæreticos indistincte prolata subiacet, vt probatum est supra. Igitur Papa hæreticus ipso facto sententiam excommunicationis incurrit. Ex quo concluditur, quod omnes, qui scirent ipsum esse hæreticum, ipsum tanquam excommunicatum excommunicatione maiori vitare deberent, nec licet sibi aliqualiter obedire.

CAP. LXXXII.

De tribus aliis pœnis Papæ heretico infligendis.

DIscipulus. Dic an secundum dicentes Papam hæreticum ipso facto esse Papatu priuatum, Papa hæreticus aliqua pœna sit plectendus. *Magist.* Dicunt, quod multiplici pœna (quam de facto incurrit) per iudicem competentem puniri debet secundum canonicas sanctiones. *Discip.* Numera pœnas aliquas grauiores, quibus est Papa hæreticus feriendus secundum assertores prædictos. *Magist.* Dicunt quod de Sede Apostolica est repellendus per potentiam temporalem: quia magis repugnat catholicæ sedi & dignitati Papali labes hæretica, quam intrusio; cui hæretica prauitas minime est annexa: sed huiusmodi intrusus de eadem Sede Apostolica est pellendus, *dist. 79. Si quis pecunia.* Ergo multo magis Papa hæreticus de Sede Apostolica per temporalem potentiam est repellendus. Secundo dicunt, quod est ab omni ordine Ecclesiastico degradandus: & nisi ad fidei vnitatem redierit, tradendus est curiæ seculari. Si autem redierit, est perpetuo carceri mancipandus. Probantur hæc *extra, de hereticis, ad abolendam. & c. excommunicamus.* Tertio dicunt, quod bona eius, si habuerit quædam propria, sunt penitus confiscanda, *extra, de hereticis.* Omnia ista vna ratione, quæ tacta est prius, fulcire nituntur: quæ hæc est. Papa hæreticus non gaudet beneficio vel priuilegio speciali vltra alios Episcopos labem hæreticam incurrentes: Quia in nulla sententia canonis generalis concilii vel summi pontificis contra hæreticos lata specialiter excipitur Papa hæreticus magis quam alii Episcopi. Cũ igitur Papa hæreticus sit subiectus sententiis omnium generalium conciliorum ac summorum pontificum, sequitur quod quæcunq; pœna Episcopis hæreticis debet infligi, infligenda est Papæ hæretico. Sed pœnæ prædictæ Episcopis hæreticis debent infligi. Igitur eisdem pœnis est Papa hæreticus feriendus. Et ita licet Papa hæreticus ipso facto de Apostolica Sede non sit expulsus, nec omni prærogatiua ordinis Ecclesiastici degradatus, nec sit traditus curiæ seculari, nec sit perpetuo carceri mancipatus, nec bona ipsius propria confiscentur: tamen omnes pœnæ prędictæ per iudicem competentem sibi debent infligi. *Discip.* Nunquid secundum istos Papa hæreticus aliquas alias pœnas præter pœnas hæreticis infligendas debet sustinere? *Magist.* Respondetur, quod si Papa de nullo alio crimine, quam de crimine prauitatis hæreticæ potest conuinci, pœnis est hęreticorum solummodo complectendus. Si autem de aliquo alio crimine, puta de homicidio facto consilio, præcepto vel defensione commisso, aut crimine læsæ maiestatis, aut simonia, vel rapina, aut deprędatione, seu guerrarum concitatione, aut innocentium damnatione, vel persecutione, vel quocunq; alio crimine poterit legitime conuinci, pœnis huiusmodi criminum est plectendus.

CAP. LXXXIII.

De competenti iudice Papa heretici.

DIscipulus. Aduerto, quod isti assertores inter Papam hæreticum puniendum & Episcopos hæreticos puniendos paruam aut nullam differentiam arbitrantur, quantum ad pœnas hæreticis & criminosis aliis infligendas. Ideo post prædicta ad interrogandum de iudice competenti Papæ hæretici, per quem scilicet pœnæ prædictæ sibi imponi debeant, me conuertam. Quamuis in *principio huius sexti* multa disseruisti de iudice veri Papæ super crimine hæresis mendaciter diffamati: & supra *c. 72.73.74.& 75.* aliqua dixeris de habente potestatem hæreticum Papam deponendi: volo tamen nunc de iudice, qui pœnis hæreticorum Papam hæreticum debet exponere, magis exquisite inquirere. Dic igitur inprimis, an ad vnam vel plures iudices de iure pertineat Papæ hæretico prędictas pœnas, scilicet expulsionem de Apostolica Sede, degradationem, incarcerationem vel traditionem curiæ seculari, & bonorum propriorum confiscationem infligere. Vna opinio tenet, quod prædictas pœnas infligere Papæ hæretico de iure spectat ad generale concilium, si fuerit congregatum: & ad Papam catholicum, si fuerit electus canonice. Si autem nec concilium generale fuerit congregatum, nec electus fuerit Papa catholicus, præfatis pœnis ferire Papam hæreticum spectat ad collegium cardinalium. Et si illi fuerint negligentes, pertinet ad Episcopum, in cuius diœcesi Papa hæreticus commoratur. Si autem prælati & clerici damnabiliter Papam neglexerint coercere, per principes seculares

& laicos est debite expellendus. Ista assertio habet multas particulas, de quibus singulis te interrogare propono. Primo autem disseramus de concilio generali, ad quem scilicet (si Papa fuerit effectus hæreticus) spectat generale concilium congregare. *Magist.* Quod Papa fiat hæreticus multis modis potest contingere: quia aut est occultus hæreticus, aut manifestus & notorius. Si est occultus hæreticus, ita quod de hæresi conuinci non potest, dicunt quidam, quod si Papa est de hæresi diffamatus, exemplo Simachi Papæ, ipse & non alius debet conciliũ generale cõgregare ad semetipsum purgandum. Et si noluerit se purgare, & de sua infamia intolerabile scandalum generatur, per alios debet generale concilium congregari. Si autem Papa est hæreticus manifestus, ita quod probari potest per testes idoneos & legitima documenta, nõ tamen est hæreticus notorius, q̃a pauci sciunt ipsum hæreticũ, tot tamen sciunt, ꝙ possunt ipsum conuincere: dicunt quidã, ꝙ Papa hæreticus debet conciliũ conuocare, ꝙ si noluerit, est per alios congregandũ. Si vero Papa est notorius hæreticus per euidentiam rei vel confessionem: puta q̃a publice aliquam assertionem, quę est hæresis manifesta, cuius contrarium tenetur credere explicite, tenet vel tenere fatetur: vt puta si publice & notorie prædicaret Christum non fuisse natum de virgine, aut legem Christianorum esse falsam, vel fateretur publice se hoc tenere vel tenuisse, vel etiam de tali aliquo dubitasse. Dicunt nonnulli quod Papa hæreticus in hoc casu nõ debet conciliũ generale conuocare: sed illi, qui sciũt ipsum esse notoriũ hæreticũ, debent aliis catholicis intimare, vt ipsi ad concilium generale conueniant: nisi prius electores summi pontificis alium in Papam elegerint orthodoxum. Tunc enim ille electus in Papam debet generale concilium (si necesse fuerit) conuocare. Si autem electores prauitate hæretica vna cum Papa fuerint inuoluti, vel sibi fauorem præstiterint; alii fideles debent ad generale concilium pro facienda iustitia conuenire, si propter maliciam hominum alio modo de ipso iustitia fieri nequit.

Cap. LXXXIV.

In quo inquiritur per quem concilium generale possit congregari, si Papa fuerit hæreticus, & electores Papæ sibi adhæreant. Vbi etiam probatur, quod concilium generale possit absq; Papa congregari.

Discipulus. Quia à manifestioribus expedit inchoare: ideo primo dicas de concilio, quomodo si Papa est notorie hæreticus, & electores summi pontificis in hæretica prauitate sibi consentiant, vel eidem indebite fauent: nec patet alia via, per quam possit Papa hæreticus coerceri, per quem scilicet generale concilium debeat cõgregari. *Mag.* Dicunt, quod hoc in casu quilibet catholicus, qui scit Papam hæreticum esse notorium, vel audit publice diuulgari, quod Papa est notorie hæreticus, debet esse paratus, si expedit, ad generale concilium conuenire, debetq; quilibet inquantum sibi competit pro gradu suo alios exhortari catholicos, vt ad conciliũ generale conueniant. Veruntamen spectat principalius ad prælatos & in Diuina lege peritos. Secundo spectat ad reges & principes & alias publicas potestates. Tertio autem spectat ad omnes catholicos viros & mulieres. Vnde etiam mulieres catholicæ scientes Papam esse hæreticum, & electores circa electionem summi pontificis negligentes, debent si expedit catholicos exhortari, vt ad generale concilium pro Ecclesia ordinanda cõcurrant: imo & ipsæmet ire debent, si potuerint bono communi prodesse. *Discip.* Ista assertio mirabilis mihi videtur. Tria enim absurda continet, vt apparet: quorum primum est, quod generale concilium absq; auctoritate Papæ debeat congregari. Secundum est quod reges & principes & alii laici ad generale concilium debeant conuenire. Tertium quod mulieres debeant ac valeant generali concilio interesse. Quod enim primum sit absurdum, per sacros canones probatur aperte. Nam sicut habetur *di. 17.* per totum, Concilium generale absq; auctoritate summi pontificis congregari nõ potest. Ait enim Pelagius Papa: *multis denuo Apostolicis & catholicis atq; Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absq; licentia Romani pontificis concilia celebrari.* In quibus verbis clare patet, quod generale concilium absq; Papa congregari non debet. Quare cum puto quod assertores prædicti sine motiuo nõ dicunt contrariũ, dic motiua eorũ. Ipsis namq; argumentis intelligã clarius veritatẽ. *Mag.* Quod absq; auctoritate Papæ possit generale concilium congregari nonnullis rationibus videtur posse probari. Quarũ prima est hæc: Concilium particulare potest licite congregari absq; auctoritate Papæ ad iudicandũ de eodẽ vero Papa. Ergo multo magis generale cõcilium poterit congregari ad iudicandũ de pseudo Papa hęretico absq; eius auctoritate. Antecedens duob' manifestis exemplis videtur ꝓbari. Primũ est de Episcopis, qui cõuenerunt ad inquirendũ de facto & idolatria beati Marcellini, quorũ congregatio fuit particulare conciliũ congregatum absq; auctoritate eiusdẽ Papę Marcellini. Secundum est de illorum congregatione, qui conuenerunt ad iudicandũ & deponendum Papam Iohannem 12. quæ congregatio non fuit concilium generale, sed particulare solummodo. Ergo multo magis posset fieri concilium generale ad iudicandum de Papa hæretico in hæresi notorie deprehenso. *Discip.* Ista ratio videtur aperte probare, quod absq; auctoritate pseudo Papæ hæretici possit generale concilium congregari: sed non probat quod valeat congregari absque auctoritate veri Papæ. Vnde & videtur, quod si Papa fuerit hæreticus, eligendus est Papa catholicus, antequam generale concilium conuocetur. *Magist.* Nonnullis apparet, quod ratio (secundum supra dicta) ostendit patenter, quod absque auctoritate cuiuscunque Papæ veri & falsi potest generale concilium conuocari

Nam

Nam si licitum est concilium particulare fieri absq; auctoritate Papæ ad inquirendum vel iudicandum de vero Papa: multo magis licitum est generale concilium celebrari tempore vacationis Apostolicæ Sedis absq; auctoritate Papæ ad pseudo Papam debite coercendum: præsertim si pseudo Papaliter coerceri non potest. Sed primum licitum est, sicut per duo exempla probatum existit. Ergo & secundum licitum debet reputari. Secunda ratio est hæc. Omnis populus & omnis cõmunitas & omne corpus, q̃ absq; consensu vel auctoritate cuiuscunq;, q nõ est de corpore, potest sibi ius statuere, potest aliquos eligere, q vicem gerant totius cõmunitatis aut corporis absq; alterius auctoritate. Sed omnes fideles sunt vnũ corpus, Paulo dicente ad Ro. 12. *Multi vnũ corpus sumus in Christo*: & sunt vnus populus & vna cõmunitas. Ergo possunt eligere aliquos, qui vicẽ gerant totius corporis. Tales autem electi si simul cõuenerint, conciliũ generale constituent: quia conciliũ generale nõ videtur esse aliud q̃ congregatio aliquorũ, qui vicem gerant totius Christianitatis. Potest ergo conciliũ generale cõgregari absq; auctoritate cuiuslibet, q non est catholicus & fidelis. Et p consequens absq; auctoritate Papæ hæretici. Tertia ratio est hæc: Vniuersalis Ecclesia in vnũ cõueniens ad aliquid ordinandũ potest ad conciliũ generale conuocari. Sed vniuersalis Ecclesia posset ad tã paruum numerũ deuenire, quod posset in simul conuocari. Nam in tam paruo numero fuit aliquando post ascensionẽ Christi. Igitur non est impossibile, q̃ ad talẽ numerũ iterum perueniat. Et p consequens nõ est impossibile, q̃ vniuersalis Ecclesia ad conciliũ generale conueniat, etiã si nullus esset verus Papa. Sicut nõ est impossibile, q̃ sede vacante vniuersalis Ecclesia simul conueniat. Non minoris autẽ potestatis seu auctoritatis vniuersalis est Ecclesia, quando nõ posset insimul conuenire ꝑpter magnã multitudinẽ q̃ quando potest simul conuenire. Igitur quicquid posset vniuersalis Ecclesia p se, si posset insimul conuenire, potest per aliquos electos à diuersis partibus Ecclesiæ. Igitur posito q̃ diuersæ partes vniuersalis Ecclesiæ eligerent aliquos, qui conuenirent in vnũ ad ordinandum de Ecclesia Dei: Illi sic electi conuenientes in vnũ (non obstante q̃ nullus esset verus Papa) possent concilium generale appellari. Et ita potest concilium generale, quando non esset verus Papa, absq; auctoritate Papæ congregari. *Discip.* Aliqualiter modum ponendi prædictum intelligo, vt tamen eum magis intelligam, & sic clarius ꝑueniam ad veritatem, declara per quem modum secundum assertionem prædictam debeat concilium generale conuocari. *Magist.* Dicitur, quod rationabile esset de qualibet parrochia vel aliqua cõmunitate (quæ posset faciliter in vnum conuenire) mitti aliquem vel aliquos ad concilium Episcopale vel ad Parlamentum regis ac principis, aut alterius publicæ potestatis, quæ eligeret vel eligerent aliquos mittendos ad concilium generale: qui taliter electi à conciliis Episcopalibus vel Parlamentis secularium potestatum in vnum locum conuenientes possunt generale concilium appellari. *Disc.* Quid si aliqua parrochia vel etiam diœcesis nollet aliquos mittere ad concilium generale? *Magist.* Respondetur, quod propter contradictionem ipsorum non esset communis vtilitas omittenda: imo est assertio dicens, quod si multæ diœceses, vel regna contradicunt generali concilio congregando, potestas congregandi concilium generale esset de iure ad alia regna vel diœceses deuoluta: quia impedientes communẽ vtilitatem fidei Christianæ potestatem conueniendi ad generale concilium merito priuarentur. *Discip.* Istam opinionem intelligo, licet eam non reputem consonam veritati. Tamen qualiter respondetur secundum eam ad auctoritates, quibus asseritur manifeste, quod absq; auctoritate summi pontificis non debeat concilium generale congregari, aperias. *Magist.* Respondetur, quod regulariter concilium generale nequaquam congregari debet absq; auctoritate summi pontificis. Fallit tamen in casu, qui accidit, quando scilicet Papa efficeretur hæreticus, & electores summi pontificis negligerent Papam eligere; nec posset aliter quam per generale concilium Ecclesiæ prouideri. Propter quod, vt dicitur, auctoritates summorum pontificum asserentium quod concilium generale absq; auctoritate Papæ congregari non debet, nequaquam sunt negandæ: sed sunt sane intelligendæ, vt nullo modo interpretentur in præiudicium fidei Christianæ, quę summo pontifici, etiam catholico, est modis omnibus præferenda.

CAP. LXXXV.

In quo probatur, quod reges & principes & alii laici ad generale concilium debeant, si voluerint, conuenire.

DIscip. Aduerto, quomodo probari potest primum, quod circa assertionem in præcedenti capitulo recitatam irrationabile videbatur. Ideo dic, an secundum hoc possit aliquo modo probari, scilicet quod reges & principes & alii laici ad generale concilium debeant, si voluerint, conuenire. *Magist.* Antequam motiua dictæ assertionis adducam, ostendam tibi, quare secundum quosdam vna congregatio dicatur & non alia concilium generale, quo declarato motiua quæ proferam magis intelliges. Dicitur autem quod congregatio quæcunq; non ideo solum modo vocatur concilium generale, quia auctoritate summi pontificis conuocatur. Tunc enim omne consistorium cum Papa esset concilium generale. Illa igitur congregatio esset concilium generale reputanda, in qua diuersæ personæ gerentes auctoritatem & vicem vniuersarum partium totius sanitatis ad tractandum de communi bono rite conueniunt, nisi aliqui noluerint vel non potuerint conuenire. Vnde si aliquæ prouinciæ nollent vel non possent personas habentes auctoritates & vicem earum transmittere, non minus esset concilium generale censendum. Isto viso videtur posse probari, quod reges & prin-

cipes ac nonnulli laici possunt si voluerint ad generale concilium conuenire: & eiusdem concilii tractatibus interesse. Quod probatur primo auctoritate Nicolai Papæ, quæ ponitur *di. 96. c. vbi nam*, qui ait: *Vbinam legistis Imperatores antecessores vestros synodalibus conuentibus interfuisse, nisi forsitan in quibus de fide tractatum est, qua vniuersalis est, qua omnibus communis est, qua non solum ad clericos, verum etiam ad laicos & omnes pertinet Christianos.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod conciliis, in quibus de fide tractatur, possunt laici interesse. Quod etiam auctoritatibus simul & exemplis ostenditur. Gelasius enim Papa, vt habetur dist. 15. c. *Sancta Romana Ecclesia post illas Noui & Veteris Testamenti scripturas, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet: synodum sanctam Nicenam 318. patrum, mediante maximo Constantino Augusto, in qua Arrius hæreticus condemnatus est: sanctam synodum Constantinopolitanam, mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit.* Et infra: *Sanctam synodum Chalcedonensem, mediante Martiano Augusto, Anastasio Constantinopolitano Episcopo, in qua Nestoriana & Euticiana hæreses simul cum Dioscoro eiusq; complicibus damnatæ sunt.* Item, Isidorus 6. li. *Ethimo. c. 19.* & habetur dist. prædicta c. 1. ait: *Tertia synodus Ephesina 70. Episcoporum sub minore Theodosio Augusto edita est.* Et infra: *Quarta synodus Chalcedonensis 63. sacerdotum sub Martiano principe est habita.* Item, vt habetur *dist. 96.* in alia actione Chalcedonensis synodi Martianus Imperator dixit: *nos ad confirmandam fidem, non ad potentiam ostendendam exemplo religiosissimi principis Constantini synodo interesse volumus, vt vnitate inuenta non vltra multitudo prauis attractata doctrinis discordet.* Item, vt habetur *12. quæst. 1. cap. futuram*, de Constantino sic legitur: *Idem vero præsidens sanctæ synodo, quæ apud Nicenam congregata est, cum querelam quorundam conspiceret coram se deferendam, ait: vos à nemine diiudicari potestis* &c. Item, Nicolaus Papa, vt habetur *dist. vigesim. prim. ca. nunc autem*, ait: *cum tempore quodam contra Sixtum Papam tentassent quædam mali rumoris obiicere, & in concilio, cui Valentinianus intererat, dictum fuisset, non licere aduersus pontificem dare sententiam, surrexit protinus idem Imperator, & in arbitrio præfati pontificis tribuit iudicare iudicium suum.* Ex quibus omnibus tam auctoritatibus quam exemplis ostensum videtur, quod Imperatores licite interfuerunt conciliis generalibus: & per consequens licite possunt laici (si voluerint) conciliis generalibus interesse. Quod etiam ratione videtur posse probari, quæ talis est. Quod omnes tangit, ab omnibus tractari & approbari debet, vt notatur in Gloss. *di. 96. c. vbi nam.* Et *extra de maior, & obedientia. c. inter quatuor*, notat Gloss. quod omnes, quos negotium tangit, vocandi sunt. Sed ea quæ tractantur in concilio generali omnes tangunt: quia in concilio generali tractari debet de fide & de aliis quæ ad omnes pertineant Christianos. Igitur laici quos tangunt generalia concilia licite si voluerint poterunt interesse. *Discip.* Per rationem istam quilibet laicus posset interesse concilio generali, si vellet: si illa quę tractantur in generali concilio ab omnibus tractari debent. *Magist.* Ad istam instantiam respondetur, quod hæc regula, *quod omnes tangit ab omnibus tractari debet*, intelligenda est, si ab omnibus potest & non apparet ratio manifesta, quare aliquis debeat ab huiusmodi tractatu repelli. Nunc autem non possunt omnes neq; laici neq; clerici ad generale concilium conuenire. Et ideo non omnes debent interesse per seipsos. Debent tamen omnes, qui voluerunt, nisi appareat ratio manifesta repellendi eos per procuratores & alios gerentes mediate vel immediate in speciali, vel cum aliis vices eorũ concilio interesse. Et ideo cum dicitur de regibus & principibus & aliis magnis personis laicis, nisi appareat ratio quare debeant repelli, poterint per seipsos si voluerint conciliis generalibus interesse. Vnde si reges voluerint poterunt per seipsos conciliis generalibus interesse, nec est necesse quod procuratores vel alios habentes potestatem eorum mittant ad concilium generale. Regnũ autem & aliæ communitates, quæ regibus non subsunt, quæ interesse per se non possunt, debent mittere, si volunt procuratores aut subditos vel alios quocunq; nomine censeantur, qui eorum habeant potestatem quantum ad ea quæ tractanda sunt in concilio generali. *Discip.* Ista opinio seipsam impugnat. Nam si ipsi non debent concilio interesse, de quibus apparet ratio manifesta, quare debent repelli: sequitur quod laici interesse non debent. Nam de illis est ratio euidens, quare sunt à concilio generali excludendi: quia videlicet causa Dei ad laicos nequaquam spectat. Vnde Felix Papa, vt legitur *dist. 10. c. certum est*, ait: *Certum est huiusmodi rebus nostris esse salubre, vt cum de causis Dei agitur iuxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod laici de causis Dei se intromittere non debent. Et per consequens à generali concilio tenentur excludi. Item, ex consuetudine hactenus obseruata hoc constat aperte. Nam ad generalia concilia soli clerici consueuerunt venire: & soli clerici sola concilia celebrauerunt, sicut & ipsi soli vocantur. *Magist.* Ad primam istarum respondent, quod causæ fidei non solum ad clericos, sed etiam spectant ad laicos. Sicut etiam Deus non solum est Deus clericorum: sed etiam & laicorum. Veruntamen causæ Dei principalius spectant ad clericos, quam ad laicos, si clerici in causis Dei non errent pro eo quod clerici Diuinis sint specialiter deputati. Et sic intelligenda sunt verba Felicis Papæ. Si autem clerici in causis Dei & præcipue contra fidem errent catholicam: causa Dei etiam spectat ad laicos & non ad clericos contra fidem errantes. *Discip.* De hoc postea interrogabo per plura. Ideo dic quomodo ad secundam rationem respondere contingat. *Magist.* Dicitur quod circa celebrationem generalium conciliorum multa fuerunt seruanda temporibus retroactis, quæ non sunt nunc de necessitate seruanda, quamuis antea rationabiliter fuerint obseruata: & adhuc talia poterunt venire tempora, quod congruum essent quod seruentur. Et ideo conceditur, quod temporibus præteritis, quibus prælati & clerici sanctitate vitæ doctrinæ & zelo boni communis, & etiam circa temporalia magna industria

dustria & experientia claruerunt: congruum fuit vt ipsi soli generalia concilia celebrarent, & vt laici (nisi in casibus specialibus) subtraherentur à tractatoribus concilii generalis. Et tamen in potestate extitit laicorum generalibus conciliis interesse. Sed si vices suas tacite vel expresse clericis commiserunt, arctari minime debuerunt. Et ideo quantumcunq; placeret rectoribus & communitatibus laicorum generalibus conciliis interesse, clerici eos excludere de iure non possunt. *Discip.* Quomodo potest ostendi, quod laici vnquam commiserunt potestatem & vices suas clericis ad generale concilium conuocatis. *Magist.* Videtur quod ex hoc clare potest ostendi, quod in multis conciliis generalibus ordinata fuerint, quæ absq; consensu laicorum tacito vel expresso non poterant ordinari. Cum igitur non sit aliqualiter præsumendum, quod generalia concilia præsumpserint ordinare ea, quæ potestatem exercebant eorum: videtur dicendum, quod in generalibus conciliis congregati commissionem aliquam & potestatem à laicis habuerint. *Discip.* Pone aliqua exempla de ordinatis in conciliis generalibus, quæ absq; consensu expresso vel tacito laicorum minime statui debuerunt. *Magist.* Ponitur exemplum de pluribus libertatibus Ecclesiasticis, quibus clerici absq; consensu laicorum gaudere non debent: cum sit in manifestum præiudicium laicorum. Clerici autem absq; consensu laicorum nihil in præiudicium eorum possunt statuere; quia, teste Innocentio tertio, vt habetur *extrà, de iudiciis. c. nouit*, sicut laici iurisdictionem clericorum perturbare, ita clerici iurisdictionem laicorum non debent minuere. Quare clerici in præiudicium laicorum absq; eorum consensu nihil possunt de rebus temporalibus & libertatibus eorum disponere. *Discip.* Quo iure clerici gaudeant libertatibus Ecclesiasticis, an scilicet iure Diuino vel humano, & an iure solummodo canonico, vel iure regum & principum secularium, *secundo tractatu istius operis* diligenter inquiram. Ideo materiam istam dimitte. Et dic breuiter, quare dicitur, quod mulieres non sunt simpliciter contra voluntatem eorum à generalibus conciliis excludendæ. *Magist.* Dicitur quod hoc est propter vnitatem fidei virorum & mulierum, quæ omnes tangit: & in qua non masculus nec fœmina; secundum Apostolum ad Collo. 3. *In nouo homine non est masculus & fœmina.* Et ideo vbi sapientia, bonitas, vel potentia mulierum esset tractatui fidei (de qua potissime est tractandum in concilio generali) necessaria, non est mulier à generali concilio excludenda.

CAP. LXXXVI.

In quo quæritur, quam potestatem habeat concilium generale supra Papam in hæresi deprehensum.

Discipulus. Istam assertionem de mulieribus (quæ secundum Apostolum docere non debent) tam irrationabilem æstimo, quod nolo eam amplius pertractari. Ideo ipsa dimissa: dic quam potestatem habeat concilium generale super Papam in hæresi deprehensum. *Magist.* Ad hoc responsum est prius, quod concilium generale debet Papam hæreticum de Apostolica Sede expellere (si aliter non poterit) per potentiam temporalem. Et illam pœnam sibi non potest remittere; licet secundum quosdam, si Papa hæreticus rediret ad catholicam vnitatem, concilium generale, si non esset Papa ipsum de facto nouiter in Papam eligere, & in Sedem Apostolicam collocare posset. Aliis dicentibus, quod ad concilium generale electio summi pontificis minime spectat, sed specialiter ad Romanos. Secundò potest concilium generale Papam hæreticum expulsum de Apostolica Sede ab omni Ecclesiastico ordine degradare; sed istam pœnam potest absolute sibi retinere. Sicut & potest ipsum curiæ tradere seculari vel perpetuo carceri mancipare, & omnia bona eius propria confiscare. Quibus tamen pœnis non de necessitate tenetur hæreticum Papam percellere: quia istæ sunt pœnæ non à iure Diuino, sed à iure positiuo taxatæ. Istud autem continet veritatem, si Papa interfuerit generali concilio, sed si sede vacante fuerit celebratum concilium generale videtur, quod concilium generale prædictas pœnas Papæ hæretico non potest remittere. Quia in huiusmodi pœnis (hæreticis infligendis) concilium generale minime Papam comprehendens, est inferius & minoris iurisdictionis quam sit Papa. Et ideo cum huiusmodi pœnæ à Papa vel à conciliis generalibus præsente Papa sint taxatæ, per generale concilium sede vacante remitti non possunt. *Discip.* Secundum ista vnum concilium generale maiorem potestatem haberet, quam aliud. Et per consequens aliud non esset generale. *Magist.* Respondetur quod non est inconueniens, vnum concilium habere maiorem potestatem quam aliud: & tamen vtrumq; esse generale. Quemadmodum vsq; ad finem seculi Ecclesia vniuersalis vno tempore habet maiorem potestatem & maiorem auctoritatem quam in alio. Nam Ecclesia vniuersalis maiorem potestatem habet & auctoritatem Apostolica Sede vacante, quam quando non vacat.

CAP. LXXXVII.

Quod Papa nouiter electus canonice potest alium Papam hæreticum punire. Et quas pœnas potest ei remittere & quas non.

Discip. Dic de summo pontifice, si fuit nouiter electus, quam pœnam potest Papæ hæretico infligere? *Magist.* Tenent nonnulli pro certissimo, quod Papa electus canonice quamuis in Sede Apostolica intronisatus non fuerit, potest Papæ hæretico omnes pœnas prædictas & alias impone-

re, quas tamen omnes præter primam, scilicet expulsionem de Sede Apostolica, valet sibi remittere de plenitudine potestatis. Quomodo etiam Papam hæreticum, si ad fidei vnitatem redierit absq; degradatione, licet non absq; pœnitentia & abnegatione prauitatis absq; incarnatione & bonorum suorum confiscatione, imo etiam absq; abiuratione prauitatis hæreticæ potest recipere. *Discip.* De summo pontifice si esset electus canonice dubium non videtur, quin posset Papam hæreticum debita pœna punire: sed non videtur, quod ante iustitiam factam de Papa hæretico vel ante mortem eius posset alius Papa rite substitui. *Magist.* Nonnulli habent quod non est dubitatio apud intelligentes, quin posset eligi verus Papa pro hæretico Sedem Apostolicam occupanti: quia sede vacante notorie potest eligi verus Papa. Sed quam cito Papa sit notorie hæreticus, Sedes Apostolica notorie vacat. Igitur quantumcunq; hæreticus Papa de facto occuparet Sedem Apostolicam, est Papa catholicus eligendus.

CAP. LXXXVIII.

In quo ostenditur, quam potestatem habet collegium Cardinalium supra Papam.

DIscipulus. Hęc materia locum habet in *tractatu De gestis circa fidem altercantium orthodoxam.* Ideo ad collegium cardinalium te conuerte: & quam potestatem habeat super Papam hæreticum manifestum expone. *Magist.* De hoc sunt assertiones contrariæ. Vna est, quod collegium cardinalium super Papam hæreticum nullā potestatem habet specialem, nisi sicut cæteri Episcopi, Presbyteri & Diaconi. Cuius ratio assignatur talis. Collegiū cardinalium nullā potestatem aut iurisdictionē habet ex ordinatione Diuina vel ex iure Diuino: cum ex iure Diuino sit nullatenus institutum: imo nec in toto iure Diuino de ipso fit mentio. Omnē igitur potestatem aut iurisdictionem habet collegiū cardinalium à summo pontifice. Sed non legitur quod summus pontifex aliquam potestatem vel iurisdictionem specialem dederit collegio cardinalium super Papam hæreticum. Igitur nullam iurisdictionem habet super Papam hæreticum. Item, consiliarii alicuius prælati vel principis ex hoc, quod consiliarii sunt, non habent iurisdictionem specialem super prælatum vel principē delinquentē. Sed cardinales sunt tantūmodo cōsiliarii Papæ: & in hoc solūmodo pcellunt alios clericos & prælatos saltē Romanos. Igitur collegiū cardinalium non habet specialiter corrigere vel punire Papā, si hæreticā incurrerit prauitatē. *Disc.* Ista ratio accipit manifeste falsum, scil. ꝙ cardinales solūmodo præcellunt alios clericos in hoc, ꝙ sunt consiliarii Papæ: q̄a constat, ꝙ in hoc pręcellunt, quod habent ius eligendi summū pontificē. Multa etiā alia priuilegia habent vltra clericos alios & prælatos. *Mag.* Respondetur, quod p accidens est, ꝙ collegiū cardinalium habet ius eligendi summū pontificē. Vnde & aliquando ius illud nequaq̄ habuit: & adhuc posset illo iure priuari. Posset enim ius eligendi summū pontificē concedi Imperatori vel aliis Episcopis aut clericis quam cardinalibus. Et ita est p accidens, quod collegiū cardinaliū habet ius eligendi summū pontificem. Et sic est p accidens, quod cardinales multa priuilegia habent, q̄bus alii plati & clerici minime gaudent. Quare per hoc, quod cardinales habent ius eligendi summū pontificē & alia priuilegia multa concludi nō potest, quod habent iurisdictionē specialē super Papam hæreticū. Et ideo cum non habeatur in iure, quod cardinales super Papā hæreticum specialem obtineant iurisdictionē, non est eis talis iurisdictio tribuenda. *Disc.* Prima ratio fortis mihi videtur: nec scio respondere ad ipsam. Quid autē sentis de ipsa, post hoc opus inquiram. Nunc autem dic, q̄d haberet facere collegium cardinaliū secundum istam assertionem, si Papa efficeretur hæreticus. *Mag.* Secundū istā assertionem, si Papa efficeretur hæreticus, vltra illa quæ alii clerici & plati eorundē ordinū & graduum deberent facere circa Papam hæreticū cardinales nihil haberent facere, nisi ea quæ eis cōpetunt, quando Sedes Apostolica vacat p mortem naturalē summi pontificis. Et ideo sicut moriente Papa cardinales habent eligere summū pontificem, ita si constiterit collegio cardinaliū Papam esse hæreticū manifestum, ad electionē veri summi pontificis deberent pcedere. *Disc.* Ista opinio apparentiā videtur habere. Et prima ratio est tam fortis, ꝙ ad ipsam nescio respōdere. De qua q̄d sentias, post completionē huius operis indagabo. Nunc autem enarra assertionē contrariam. *Mag.* Alia assertio est, ꝙ si Papa efficeretur hæreticus, collegiū cardinalium deberet specialiter ipsum debita pœna punire. Cuius ratio assignatur talis. Ad quē spectat institutio alicuius, ad eundē pertinet destitutio eiusdē, si ille nō habeat superiorem. Primas enim habet instituere Episcopū, quē tamen nō potest destituere: quia tā primas quam constitutus abeo habent superiorē, q̄ reseruat sibi destitutionē taliter instituti. Sed si primas non haberet superiorē, qui instituit Episcopū, posset ex causa destituere. Institutio autē summi pontificis spectat ad collegiū cardinalium, ꝙ non habet superiorem, qui sibi reseruet destitutionē summi pontificis, si efficeretur hæreticus. Igitur ad collegium cardinalium specialiter spectat destitutio, si hæreticam incurrat prauitatem. Et per consequens punitio Papæ hæretici ad collegium cardinalium spectat. Item, non minoris iurisdictionis est capitulum cardinalium, quam capitulum alicuius Ecclesiæ cathedralis. Sed capitulum (sede vacante) potest punire hæreticos, qui in eadem diœcesi sunt reperti, *extra, de hereticis. c. ad abolendam*: vbi habetur, quod clerici sede vacante possunt hæreticos iudicare. Ergo multo magis collegium cardinalium sede vacante potest Papam hæreticum iudicare. *Discip.* Per istam rationem probaretur (sede vacante) per hoc quod Episcopus hæreticam incurreret prauitatem, posset capitulum suum Episcopum iudicare. *Magist.* Respondetur, quod Episcopi habent priuilegium speciale, quod scilicet non possunt iudicari, nisi per Episcopos vel Papam: cum inquisitores hæreticæ prauitatis non habeant potestatem inquirendi de

di de episcopis. Et ideo capitulum non habet potestatem iudicandi episcopum suum hæreticum: sed in collegio cardinalium sunt plures episcopi. Et ideo poterit Papam hæreticum iudicare. *Discip.* Nunquid capitulum (si episcopus efficeretur hæreticus) obediet ei, ex quo eum iudicare non potest? *Magist.* Respondetur, quod capitulum, si constet ei episcopum in labem hæreticam incidisse; ei obedire non debet: nec tamen iudicabit ipsum, sed insinuabit & accusabit eum superiori, qui habet potestatem iudicandi ipsum.

CAP. LXXXIX.

In quo quæritur, qualiter Romani possunt Papam hæreticum punire. Et quod similiter est dicendum de eis, sicut de collegio cardinalium, vt in præcedenti capitulo.

DIscipulus. Nunquid Romani, si Papa fiat hæreticus, possunt eum pœnis prædictis punire? *Magist.* De hoc possunt esse diuersi modi dicendi. Vnus, quod si Papa efficitur hæreticus, Romani possunt & debent Papam hæreticum expellere de apostolica sede, eumq; vitare tenentur, & alium Papam sibi possunt eligere, illi scil. Romani, quibus ius competit eligendi. Sed alias pœnas, scil. degradationem, incarcerationem, & bonorum suorum confiscationem sibi non possunt infligere. Alius modus dicendi potest esse, quod Romani omnibus prædictis modis & pœnis possunt Papam hæreticum coercere. Isti modi dicendi fulciuntur similibus rationibus, quibus assertiones contrariæ de collegio cardinalium recitatæ in *priori cap.*

CAP. XC.

Vbi inquiritur, vtrum episcopus Diœcesanus posset Papam hæreticum punire. Quod sic, tribus rationibus probatur. Et ibidem ponitur opin. contraria, & probatur vnica ratione, ad quam etiam respondetur.

DIscipulus. Istam materiam duxi ad alia tempora reseruandam. Ideo tracta de Diœcesano, in cuius Diœcesi hæreticus Papa moraretur, scil. si Papa hæreticus de facto teneret curiam in Parisiis, vel in Florentia, vel alia ciuitate episcopum habente: an episcopus ciuitatis posset de iure Papam hæreticum coercere pœnis præfatis. *Magist.* Sunt nonnulli dicentes, quod Diœcesanus episcopus, in cuius Diœcesi Papa hæreticus notorie moraretur, de iure valeret, & deberet inuocato auxilio brachii secularis, si tantam posset habere potentiam, Papam hæreticum captiuare, ipsumque denunciare ab omnibus catholicis deuitandum. Probatur hoc primo sic: Hæreticus, qui nullo modo gaudet priuilegio speciali vltra hæreticos episcopos, quantum ad prædicta, est subiectus Diœcesani iudicio: quia alii episcopi in his subiecti sunt iudicio Diœcesani. Sed Papa hæreticus nullo modo gaudet priuilegio speciali vltra alios episcopos, sicut ostensum est supra *c. 71.* Igitur Papa hæreticus quantũ ad prædicta subditur iudicio Diœcesani. Item quantũ ad prædicta est Papa subiectus iudicio illius, qui tenetur terram ad sui iurisdictionem spectantem de omni prauitate hæretica expurgare: quia sine prædictis terra de hæretica prauitate purgari non potest. Ad episcopum autem spectat totam suam diœcesim de omni hæretica prauitate expurgare, *extr. de hæreticis cap. excommunicamus.* in fine, vbi sic legitur: *si quis autem episcopus super expurgando de sua diœcesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit vel remissus, cum id certis indiciis apparuerit & ab episcopali officio deponatur: & in locum ipsius alter substituatur, qui velit & possit hæreticam confundere prauitatem.* Igitur Papa hæreticus quantum ad prædicta iudicio episcopi est subiectus. Tertio probatur idem sic: Ratione delicti fit aliquis de foro alterius, *extr. de raptoribus, c. 1. & 13. q. 6. c. 1. & extr. de foro competenti, postulasti & 6. q. 3. c. placuit.* Igitur si Papa hæreticus in Diœcesi alicuius episcopi male docẽdo vel Parrochianos episcopi ad prauitatem inducendo delinquit, fit de foro eiusdem episcopi & eidem est subiectus. Episcopus autem potest sibi subiectos hæreticos captiuare. Igitur de iure potest episcopus captiuare Papam hæreticum in sua diœcesi commorantem. *Discip.* Licet sit regula generalis, quod ratione delicti fit quis de foro alterius: tamen, sicut dicit Gloss. *extr. de raptoribus cap. 1.* ab hac generalitate excipitur quilibet superior, qui vbicunque crimen committat non potest iudicari nisi à Papa si agatur ad depositionem. Cum ergo nullus sit superior Papa, nullus inferior poterit iudicare ipsum quantumcunque in diœcesi delinquat alterius. *Magist.* Ad hoc respondetur, quod licet de intellectu Glossæ (quantum prima facie sonat) inter Iuristas fuerint opiniones diuersæ, secundum quod innuit Gloss. *3. q. 3. cap. 1.* Vnde & Gloss. vbi prius, scil. *extr. de raptoribus c. 1.* dicit, opinionem huiusmodi fuisse, quod si archiepiscopus committit crimen aliquod in parochia alterius archiepiscopi, vel episcopi suffraganei alterius archiepiscopi iudicari potest ab alio archiepiscopo vel episcopo archiepiscopi. Ad hoc enim *96. dist. cap. duo*, vbi Ambrosius ratione criminis commissi in sua parrochia excommunicauit Imperatorem: quod alias non auderet. Tamen de illo, qui non est maior, imo minor omni episcopo, videtur tenendum, quod ratione delicti fit de foro episcopi illius, in cuius diœcesi probatur delinquere. Cum igitur Papa hæreticus non sit maior, sed minor omni episcopo, quia omnis hæreticus minor est omni catholico *24. quæst. 1. cap.* Si autem, sequitur quod Papa hæreticus ratione delicti fit de foro diœcesani, in cuius diœcesi commoratur. Glossa igitur, quæ dicit, quod *à generalitate istius regulæ excipitur quilibet superior* &c. intelligẽda est de superiori, qui non

obstante delicto permanet superior. De illo autem, qui fuit superior, & per consequens delictum ipso facto fit inferior, & omni superioritate spirituali priuatur ipso iure: non debet intelligi, vt videtur. Quare cum Papa hæreticus ipso facto factus est inferior omni catholico, in Papa hæretico non habet dictum Glossæ locum. Et ideo episcopus, in cuius diœcesi Papa hæreticus moraretur, posset ipsum detinere, non tamen solenniter degradare, sicut nec eum deponere posset. Quod ex hoc probatur, quod depositiones episcoporum solummodo pontifici reseruantur: *extra de transactionibus 23. q. 7. c. quauis & c. dudum & c. discutere*. Et propter hoc etiam episcopus non posset Papam hæreticum seculari curiæ tradere: quia nullus episcopus, antequam fuerit ab omni ordine ecclesiastico degradatus, curiæ seculari est tradendus. *Discip.* Narra assertionem contrariam. *Magist.* Assertio contraria tenet, quod nullus potest Papam hæreticum detinere, nec aliquam in eum dictare sententiam. Quæ tali ratione probatur. Ille non est iudex alterius, nec aliquam potestatem habet super ipsum, cuius sententia lata contra ipsum (sine examinatione, vtrum sit iusta vel iniusta) est penitus reprobanda, & nullo modo seruanda. Sed sententia cuiuslibet episcopi lata contra ipsum, qui habetur pro Papa, siue sit hæreticus siue catholicus, absq; examinatione vtrum sit iusta est penitus reprobanda. Igitur nullus episcopus est iudex Papæ hæretici. Maior videtur esse manifesta: quia de sententia illius, qui se asserit iudicem alicuius alterius, & allegat causam possibilem, ex qua esset iudex eius, est inquisitio facienda, an causa, quam allegat, sit vera. Et per consequens est inquisitio facienda, an sententia eius sit iusta vel iniusta. Minor vero exemplo probatur. Nam Dioscorus sententiam excommunicationis in Papam Leonem dictauit: & videtur probabile, quod contra eum allegauit hæreticam prauitatem; & tamen absq; omni examinatione vel inquisitione, an sententia Dioscori esset iusta vel iniusta, fuit eadem sententia reprobanda, teste Nicolao Papa, qui, vt habetur *dist. 21. c. in tantum*, referens verba concilii Chalcedonensis, ait: *quoniam secundis excessibus priorem iniquitatem valde transcendit, præsumpsit enim excommunicationem dictare etiam aduersus archiepiscopum magnæ Romæ Leonem* &c. Nunquam ibi legis inquisitionem fuisse factam, vtrum iuste vel iniuste Dioscorus ipsam excommunicationem dictasset: non plane, sed absq; controuersia hoc in eo vlti sunt, quia cum esset inferior, potiorem quibuslibet conatus est lacessere iniuriis. Ex quibus verbis datur intelligi, quod si aliquis episcopus ex quacunq; causa Papam præsumpserit captiuare, vel excõmunicare, vel lacessere qualicunq; iniuria, non est inquirendum, an Papa sit catholicus vel hæreticus: quia de sententia talis episcopi vel alia iniuria seu molestia illata Papæ, nulla est inquisitio certe penitus facienda. Ergo siue Papa sit hæreticus, siue catholicus, nullus episcopus debet ei molestiam inferre qualemcunq;. Et per consequens eum detinere non debet. *Discip.* Ista ratio non videtur concludere. Et tamen dic, quomodo respondetur ad ipsam. *Magist.* Respondetur, quod notorium fuit Dioscorum esse hæreticum. Et ideo nullam penitus habuit iurisdictionem super Papam, etiam si fuisset hæreticus. Quare de sententia eius non fuit inquisitio facienda, an esset iniusta, hoc est an esset ex causa iusta, quamuis notorium fuerit quod non fuit iusta ex origine. Secus autem esset de episcopo catholico: quia si esset episcopus catholicus, vel episcopus de quo non esset manifestum, quod esset hæreticus: si Papam captiuaret vel denunciaret tanquam hæreticum excommunicatum & excommunicationis sententiam incurrisse, esset inquisitio facienda, an iuste vel indebite processisset. Et si inueniretur, quod Papa esset manifeste hæreticus, factum episcopi esset à catholicis approbandum. *Discip.* Nunquid Papa hæreticus posset appellare ab episcopo taliter ipsum detinente. *Magist.* Respondetur quod de iure non posset, nisi allegaret causam probabilem, quæ si esset probata, deberet sufficiens reputari.

Cap. XCI.

In quo inquiritur vtrum principes seculares & laici habeant potestatem coercendi Papam hæreticum & puniendi. Prima opinio est quod non: quæ probatur octo rationibus. Ad quas respondetur capitulo 100.

Discipulus. Hæc de potestate Diœcesani super Papam hæreticum manifestum ad præsens sufficiant. Et ideo ad principes seculares & laicos me conuerto: de quibus festina differere, an potestatem habeant Papam coercendi. *Magist.* De hoc opiniones reperiuntur contrariæ. Vna est, quod coertio papæ hæretici ad principes seculares & laicos minime spectat. Quod multis modis ostenditur. Primo sic: Coertio Papæ hæretici non spectat ad illos, de quorum foro non est Papa hæreticus. Sed Papa hæreticus non est de foro secularium potestatum. Ergo coertio eius ad principes seculares & laicos minime spectat. Maior videtur nota. Minor probatur. Clerici non sunt de foro iudicis secularis *2. q. 1.* fere per totum. Et Cœlestinus Papa, vt habetur *extr. de iudiciis c. cum non ab homine*, ait: *Si clericus in quocunque ordine constitutus in furto vel homicidio vel periurio seu aliquo crimine fuerit deprehensus legitime & conuictus, ab ecclesiastico iudice deponendus est.* Et per consequens clericus pro nullo crimine apud secularem iudicem est iudicandus. Papa autem hæreticus est clericus. Ergo non est de foro iudicis secularis. Secundo: Papa hæreticus non est de foro illius iudicis, ad quem non spectat de causa prauitatis hæreticæ cognoscere. Sed ad iudicem secularem non spectat cognoscere de causa hæreticæ prauitatis: sicut ad ipsum non pertinet causa fidei. Ergo Papa hæreticus non est

de

de foro iudicis secularis. Maior est nota. Minor auctoritatibus sanctorum patrum probatur aperte. Ait enim Felix Papa, vt allegatum est supra, prout legitur *distinct. 10. certum est*, ait: *Certum est hoc nostris rebus esse salutare, vt cum de causis Dei agitur, iuxta ipsius constitutum, regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non praeferre.* Et Nicolaus Papa, vt legitur *distinct. 96. cap. denique*, ait: *hi quibus tantum humanis rebus & non diuinis praeesse permissum est, quo modo de his per quos diuina ministrantur, iudicare praesumant penitus ignoramus.* Item *distinct. 96. cap. satis euidenter*, sic legitur: *Deputatus est Candidianus magnificentissimus Comes strenuorum domesticorum transire vsque ad sanctissimam synodum nostram, & in nullo quidem quae facienda sunt de piis dogmatibus quaestiones seu potius expositiones communicare. Illicitum namque est eum qui non sit in ordine sanctissimorum episcoporum ecclesiasticis intermiscere tractatibus.* Item Nicolaus Papa, vt habetur *distinct. 10. imperium*, ait: *Imperium nostrum suis publicae rei quotidianis administrationibus debet esse contentum, non vsurpare quae sacerdotibus Domini solummodo conueniant.*

Item Iohannes Papa, vt legitur *distinctione 96. cap. si Imperator* ait: *Si Imperator catholicus est, quod salua pace ipsius dicimus, filius est non praesul ecclesiae. Quod ad religionem competit, discere ei conuenit non docere. Habet priuilegia potestatis suae, quae administrandis legibus publicis diuinitus est consecutus, vt eius beneficiis non ingratus circa dispositionem caelestis ordinis nihil vsurpet. Ad sacerdotes enim Deus voluit, quae ecclesiae disponenda sunt, pertinere, non ad seculi potestates.* Et infra: *non à legibus publicis, non à potestatibus seculi, sed à pontificibus & sacerdotibus omnipotens Deus religionis Christianae clericos & sacerdotes voluit ordinari, & discuti, & recipi de errore remeantes.* Item beatus Cyprianus, vt legitur *dist. 10. cap. quoniam*, scribens Iuliano sic ait: *quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit propria volens medicinali humilitate corda sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi, vt etiam Christiani Imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus vterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus incursibus distaret, & Deo militans minime se negociis secularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus diuinis praeesse videretur, qui esset secularibus negotiis implicitus.* Ex quibus aliisque pluribus videtur aperte probari, quod principes seculares & laici de causis Dei rebus diuinis piis dogmatibus & religione Christiana se intromittere minime debent. Ex quibus verbis patenter infertur, quod causa fidei & haereticae prauitatis ad ipsos non spectat. Quare Papa haereticus nec alius haereticus est de foro iudicis secularis. Tertiò sic: crimen ecclesiasticum non pertinet ad iudicem secularem. Sed prauitas haeretica est crimen ecclesiasticum. Et per consequens nec Papa haereticus est de foro iudicis secularis. Minor huius rationis est tam nota, quod probatione non indiget. Maior auctoritate & ratione probatur. Auctoritate quidem patet, quia *11. quaest. 1. cap. si quis cum clerico*, sic legitur: *Si autem crimen ecclesiasticum est secundum canones ab episcopo sua causa examinatio & poena procedat, nullam communionem aliis iudicibus in huiusmodi causis habentibus.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod crimen ecclesiasticum ad iudicem secularem non spectat. Quod etiam ratione probatur. Quia causa quaecunque solummodo ad iudicem peritum & exercitatum in ea pertinere dignoscitur. Vnde secundum Alexandrum tertium, vt habetur *extr. de consan. cap. 1.* non sunt causae matrimonii tractandae per quoslibet, sed per iudices discretos. Vbi Gloss. notat, quod *duo exiguntur ad cognoscendum & videndum de causa matrimoniali, scilicet scientia canonum & quod habeat iurisdictionem.* Et infra dicitur, *quod causa non est deleganda nisi perito & exercitato, vt habetur 2. quaest. 2. cap. vltim. de poenitentia distinct. 6. cap. 1.* Ex quibus verbis colligitur, quod causa non debet committi nisi perito. Vnde & Gloss. *distinct. 20. cap. 1.* notat, quod *nullus potest esse iudex maxime ecclesiasticus, nisi sit peritus.* Sed iudex secularis in causa criminis ecclesiastici minime est peritus, cum noticiam scripturarum (per quam conuincitur crimen ecclesiasticum) constet eum non habere. Igitur crimen ecclesiasticum ad iudicem secularem minime spectat. Et per consequens crimen haeresis (quod per solam diuinam scripturam cognoscitur) cuius non habet notitiam secularis iudex, ad ipsum non spectat. Quartò sic: Maiores causae sunt ad maius iudicium deferendae: quod tam ex scripturis diuinis, quam ex sacris canonibus colligitur euidenter.

Nam, vt legitur *Exod. 18.* Ietro cognatus Moysi dedit eidem consilium dicens: *esto tu populo in his quae ad Deum pertinent vt referas quae dicuntur ad eum.* Et post: *prouideas de omni plebe viros potentes ac timentes Deum in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam & constitue ex eis tribunos.* Et post: *quicquid autem maius fuerit referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent:* Cuius consilio Moyses acquieuit, dum sic legitur ibidem: *quibus auditis fecit Moyses omnia quae ille suggesserat: & electis viris strenuis de cuncto Israel constituit eos principes populi, tribunos, centuriones, quinquagenarios & decanos, qui iudicabant plebem omni tempore. Quicquid autem grauius erat, referebant ad eum faciliora tantummodo iudicantes* & Deuter. 1. dixit Moyses iudicibus constitutis ab ipso, *ita paruum audietis sicut magnum: nec accipietites cuiusquam personam: quia Dei iudicium est. Quod si difficile vobis aliquid fuerit visum, referte ad me, & ego audiam.* Et cap. 17. sic scribitur: *si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicum intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum quem elegerit DOMINVS DEVS tuus: veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad*

iudicem

iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eo, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem. Ex quibus aliisque auctoritatibus scripturæ diuinæ patenter colligitur, quod maiores causæ sunt ad superiores iudices deferendæ. Quod etiam sacri canones protestantur. Anacletus enim Papa, vt legitur *2.q.6.c. omnis oppressus*, ait: *Si autem difficiles causæ aut maiora negotia orta fuerint, ad maiorem sedem referantur.* Item Pelagius Papa, vt habetur *dist. 17. c. multis*, ait: *Si vero in qualibet prouincia orta fuerint quæstiones, & ipsius intra prouinciæ episcopos discrepare cœperit ratio; atque intra ipsos dissidentes non conuenerint, ad maiorem sedem referantur.* Et infra: *maiores vero & difficiliores quæstiones (vt sancta synodus statuit, & vt beata consuetudo exigit) ad sedem Apostolicam semper referantur.* Ex quibus aliisque quampluribus patet aperte, quod maiores causæ sunt ad maius iudicium deferendæ. Sed causa hæresis est inter maximas computanda. Ergo causa hæresis est ad maius iudicium deferenda. Iudicium autem ecclesiasticum est maius iudicio seculari, teste Gregorio Nazianzeno, qui, vt habetur *extr. dist. c. suscipitis*, scribens Imperatoribus Constantinopolitanis ait: *Libenter accipitis quod lex Christi sacerdotali vos subiicit potestati, atque istis tribunalibus subdit. Dedit enim nobis potestatem; dedit principatum multo perfectiorem principatibus vestris.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod iudicium ecclesiasticum est maius iudicio seculari. Ergo causa hæresis non ad iudicem secularem, sed ad iudicem ecclesiasticum debet deferri. Quinto sic: Potestas iudiciaria seu secularis & potestas iudiciaria sacerdotalis sunt potestates distinctæ, secundum quod testatur beatus Cyprianus, vt habetur *dist. 10. c. quoniam*, prout allegatum extitit. Ad potestates autem iudiciarias distinctas spectant causæ distinctæ. Ad iudiciariam autem potestatem sacerdotalem pertinet causa hæresis. Ergo causa hæresis non pertinet ad potestatem iudiciariam secularem. Et per consequens Papa hæreticus non est de foro iudicis secularis. Sexto sic: non aliam potestatem iudiciariam habent seculares iudices Christiani, quam habent seculares iudices pagani. Nam Imperatores Christiani successerunt paganis, & reges Christiani successerunt regibus paganis. Successores autem eodem iure & potestate gaudent, qua prædecessores. Ergo iudices seculares Christiani non habent aliam iudiciariam potestatem, quam pagani habuerunt. Cum igitur causa hæresis ad iudices paganos minime pertineat: Igitur nec causa hæresis spectat ad seculares Christianos. Et per consequens Papa hæreticus non est de foro iudicis secularis. Septimo sic: In illa causa, quæ spectat ad Imperatores, reges & iudices, Imperialibus & secularibus legibus est vtendum. Quia vnaquæque causa terminanda est per leges huiusmodi fori, ad quod dicitur pertinere. Sed in causa hæresis non est Imperialibus seu secularibus vtendum legibus, teste Nicolao Papa, qui, vt habetur *dist. 10. c. 1.* ait: *Lege Imperatoris non in omnibus ecclesiasticis controuersiis vtendum est.* Et infra: *Imperiali iudicio non possunt iura ecclesiastica dissolui.* Ergo causa hæresis ad iudicem secularem minime spectat. Et per consequens Papa hæreticus non est de foro iudicis secularis. Octauo sic: Ad eundem spectat causa hæresis, ad quem pertinet causa fidei; quemadmodum eadem scientia est contrariorum. Sed causa fidei ad iudicem secularem minime spectat, cum videatur ad solum summum pontificem pertinere *24. q. 1. quoties. Et extr. de baptismo & eius effectu c. maiores.* Ergo ad iudicem secularem causa hæresis minime spectat. Et per consequens Papa hæreticus non est de foro iudicis secularis.

CAP. XCII.

Opinionem contrariam ponit, cuius duos modos dicendi recitat. Et primum prosequitur, scil. Quod coertio Papæ hæretici & punitio principaliter spectat ad laicos, in hoc capitulo. Secundum vero capitulo sequenti.

DIscipulus. Dixisti, quod de potestate principum secularium & aliorum laicorum super Papam sunt opiniones contrariæ. Recitasti autem vnam: ideo recita aliam contrariam. *Magist.* Circa opinionem contrariam sunt modi ponendi contrarii: quibusdam dicentibus, quod coertio principaliter spectat ad laicos, qui communitatum causas gerunt, cuiusmodi sunt principes seculares & publicæ potestates. Aliis dicentibus, quod coertio Papæ hæretici & aliorum hæreticorum principaliter spectat ad summum pontificem & prælatos: secundario autem spectat ad seculares principes & laicos. Et hoc in duobus casibus. Vno quidem, si principes seculares & laici super hoc à prælatis ecclesiæ fuerint requisiti. Et etiam in alio casu, si videlicet fuerint hæretica prauitate maculati, vel hæreticorum fautores aut in corrigendo Papam hæreticum damnabiliter negligentes. *Discip.* Secundus modus videtur apparens. Primum autem hæreticalem æstimo: & tamen motiua illius modi dicendi audire desidero. *Magist.* Motiua huius modi dicendi virtualiter continentur supra in rationibus in *principio huius sexti, c. 3. 4. & 5.* contentis, quibus ostenditur, quod Imperator est iudex ordinarius Papæ. Et quod Papa ex ordinatione Christi nullam iurisdictionem coactiuam habet. Ad hoc etiam posset adduci ratio fundamentalis quorundam, quæ tacta est supra *lib. quinto cap. 15.* per quam probatur, quod ecclesia Romana nō habet ex institutione Christi super alias ecclesias principatum. *Discip.* Ex quo illa ratio fundamentalis quorundam est plana, applica eam ad quæstionem hic propositam. *Magist.* Ratio illa ad conclusionem propositam taliter applicatur. In tota scriptura non inuenitur aliquid ordinatum de potestate coercendi delinquentes, nisi Matt. 18. cum Christus dicit: *si peccauerit in te frater tuus vade & corripe ipsum inter te & ipsum solum. Si te audierit,*

dierit, lucratus es fratrem tuum: si autem non audierit, accipe adhuc vnum tecum vel duos: quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ. Si autem non audierit ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. In quibus verbis Christus potestatem coercendi delinquentes commisit ecclesiæ. In ecclesia autem in scriptura diuina vbique comprehenduntur clerici & laici, nec vnquam in scriptura laici à nomine ecclesiæ excluduntur. Si ergo potestas coercendi hæreticos commissa est ecclesiæ: nec est commissa clericis in speciali: ergo communitas fidelium habet primo & principaliter potestatem coercendi hæreticos, sicut & alios delinquentes. Illa autem, quæ competunt communitati principaliter & primo, non deriuantur nisi in eum, qui gerit vicem & causam communitatis. Talis autem est princeps secularis. Ergo principi seculari, non clericis, competit principaliter potestas coercendi hæreticos. Et ad ipsum pertinet principaliter potestas coercendi hæreticos: & ita ad ipsum pertinet principaliter Papã hæreticũ coercere. *Disc.* Ista ratio est omnino irrationabilis, & militat contra seipsam: quia si potestas coercendi hæreticos & alios delinquẽtes tradita est primo à Christo cõmunitati ecclesiæ, & cõmunitas potest transferre potestatẽ suam in quem voluerit: ergo cõmunitas ecclesiæ ita poterit transferre illã potestatem in clericum vel clericos, sicut in laicum vel laicos. Cum ergo non legatur, quod cõmunitas fidelium talem potestatem coercendi hæreticos transtulit in laicos, non est dicendum, quod talem potestatẽ habeant laici à cõmunitate fidelium, tum quia per Christi verba prædicta non est commissa ecclesiæ potestas coercendi delinquentes, sed tantũmodo videtur iniungi, quod delinquentes, qui incorrigibiles apparuerint, euitentur. Quod patet per illud, quod vltimo dicitur: *Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Per quæ verba intelligitur, quod delinquentes incorrigibiles, sicut ethnici & publicani sunt habendi. Cõmunitas autem fideliũ per verba præfata non recipit potestatem coercendi ethnicos & publicanos à Christo. Igitur per eadem verba non recipit potestatem coercendi delinquentes credentes. Sed videtur per illa imponi fidelibus, quod sicut ethnici & publicani sunt ab eis vitandi, quantum ad hoc, quod non sunt eis secreta fidei cõmunicanda, iuxta illud Matt. 7. *Nolite sanctum dare canibus:* ita etiã credulis incorrigibilibus secreta fidei cõmunicari non debent. *Magist.* Istis non obstantibus nonnulli putant, quod ratio prædicta concludat si perficiatur. Nam sicut percipimus, secundum eos sic perfici debet: contra rationem & veritatem rei publicæ est, quod diuersæ personæ habentes potestates omnino distinctas, quæ nec integrant vnam potestatem, nec vna dependet ab alia, habeant iurisdictionem coactiuam super eandem cõmunitatem etiam pro diuersis criminibus. Quia posset concurrere, quod se mutuo impedirent, & quod pax & concordia communitatis per tales distinctas potestates solueretur. Posset enim accidere, quod eadem persona esset inuoluta criminibus ita diuersis, quorum vnum pertineret ad vnam potestatem, & aliud ad aliam. Quo posito si vtraque potestas vellet exercere iustitiã circa delinquentem eandem personam, oporteret quod vna potestas raperet vel defenderet delinquentem contra aliam potestatem: & ita pax & concordia in cõmunitate dissiparetur. Si enim idem sit fur & hæreticus, & ratione hæresis pertinet ad iudicem ecclesiasticum, & ratione furti ad iudicem secularem: si neuter iudex voluerit alteri deferre, sed vterque vult trahere reum ad ius suum: vnus propter hæresim, alius propter furtum: inter ipsos orietur seditio. Cum ergo cõmunitas seditionũ occasiones & scissionum & schismatum tollere teneatur, non licet eidem cõmunitati concedere taliter clericis potestatẽ coercendi hæreticos & in principem secularem transferre potestatem malefactores alios castigandi. Sed constat quod principes seculares habent iurisdictionem coactiuam super quamplurimos criminosos. Ergo clerici pro illo crimine habent iurisdictionem coactiuam super eosdem. Et ita si subditi alicuius regis vel principis fiant hæretici, ab eodem rege vel principe puniri debent, pro hæresi sicut pro criminibus aliis. *Discip.* Per plures leges habetur, quod hæretici non per reges & principes, sed per clericos iudicare debent. *Magist.* Dicunt quidam, quod tales leges sunt iniquæ iuri naturali & recto dictamini rationis obuiantes manifeste: & ideo pro legibus non sunt habendæ.

CAP. XCIII.

In quo ponitur secundus modus, siue secunda opinio & verior, quod coertio Papæ hæretici & punitio spectat principaliter ad clericos & ordinarie: Secundario vero & in casu ad laicos. Et ponuntur tria probanda. Secundum probatur capitulo 94. & sequentibus duobus, tertium vero capitulo 97.

DIscipulus. Quia de isto modo ponendi, quem puto omnino erroneum, in aliis tractatibus sæpe occasionem habeo loquendi, & ideo isto modo dimisso nitere declarare secundum modum ponendi, qui minus veritati repugnare videtur. *Magist.* Dicunt quidam, quod si Papa manifeste & publice incurreret in hæreticam prauitatem, puta si publice prædicaret & doceret contra veritatem catholicam apud catholicos diuulgatam (vtpote determinaret aut prædicaret vel teneret verum corpus Christi in sacramento altaris minime contineri, aut resurrectionem non esse futuram, vel animas reproborum non affligi aut cruciari, vel non esse in inferno, aut aliquid

aliquid huiusmodi, cuius contrarium tenetur explicite credere, vel quia apud catholicos publice tanquam catholicum diuulgaret vel diffinitiue terminaret quemcunque errorem quantumcunq; paruum diuinæ scripturæ ac doctrinæ vniuersalis ecclesiæ obuiantem; si clerici crederent vel fauerent eidem, ac circa correctionem aut cohibitionem ipsius essent damnabiliter negligentes, principes seculares, in quorum dominio moratur, & etiam populus, qui sciret ipsum hæreticum, coercere debent, si possent, inuocato auxilio (si oportet) vicinarum regionum. Si autem princeps, in cuius dominio Papa moraretur, crederet vel faueret eidem aut ipsum damnabiliter negligeret coercere, alii principes & laici, qui scirent Papam esse hæreticum, inquantum eis potentia & vires suppeterent, ad coercendum ipsum essent astricti. Vnde circa istum modum tria probare & declarare nituntur. Primo enim nituntur ostendere, quod causa fidei aliquo modo spectat ad laicos. Secundo satagunt explanare, quomodo causa fidei spectat ad laicos. Tertio moliuntur ostendere, quod coertio Papæ hæretici in aliquo casu spectat ad laicos, etiam à prælatis ecclesiæ minime requisitos. Primum probatur primo sic: Ad illum quodammodo spectat quæstio fidei vel causa, qui potest concilio generali, in quo tractatur de fide, interesse. Imperatores autem (& per rationem consimilem reges & laici) aliquo modo possunt generali concilio (in quo tractatur de fide) interesse, sicut ostensum est prius *c. 85*. Ergo ad imperatores, reges & laicos aliquo modo causa fidei noscitur pertinere. Secundo ad illum aliquo modo, pertinet quæstio causæ fidei, qui fidem defendere tenetur. Quia nullus rem ad ipsum impertinentem omnino tenetur defendere, teste Sapiente, qui Eccles. 2. ait: *De ea re, quæ te non molestat, ne certaueris*: qualis est omnis res, quæ ad te omnino non pertinet. Sed laici fidem suam defendere tenentur: alioquin proditores veritatis & hæretici sunt censendi *1. q. 3. c. nolite*, vbi Iohannes Chrysostomus ait: *sicut sacerdos debitor est vt veritatem, quam audiuit à Deo, legitime prædicet: sic laicus debitor est vt veritatem, quam audiuit à sacerdotibus probatam quidem scriptura defendat. Quod si non fecerit, prodidit veritatē.* Ergo quæstio fidei quandoq; spectat ad laicos. Tertio sic: ad ipsum spectat aliquo modo quæstio fidei, qui pro veritate fidei defendenda leges potest statuere. Sed Imperator & laici possunt statuere leges ꝑ veritate fidei defendēda. E. ad populū & laicos aliquo modo quæstio fidei noscitur pertinere. Maior videtur euidens, s. ꝙ nemo de re, quæ ad eū omnino nō pertinet, valet legem statuere. Maior auctoritatibus & exemplis & rationibus videtur posse ꝓbari. August. enim, vt habetur *11. q. 3. cap. Imperatores*, ait *Imperatores si in errore essent (quod absit) & pro errore suo contra veritatem legem darent, per quā iusti probarentur & coronarentur: non tamen faciendum est, quod illi iubent.* Et infra: *quando autem Imperatores veritatem tenent, & pro ea contra errorem iubent, quod quisquis contempserit ipse sibi iudicium acquirit.* Item Idem ad Vincen. ait, vt habetur *23. q. 4. cap. non inuenitur*, ait: *Quis enim vestrum non laudat leges Imperatorum datas ab eis aduersus sacrificia paganorum, quæ per conuenientiam pro fide data videntur?* Item Idem ad Bonifacium, vt habetur *dist. 9. c. 1.* loquens de Imperatoribus, ait: *quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur seruientes & corriguntur intelligentes.* Et alibi: *quicunq; vero legibus Imperatorum, quæ pro veritate feruntur obtemperare non vult, grande acquirit supplicium.* Et, vt habetur *23. q. 4. c. si ecclesia*, ait: *quod autem dicunt* (scilicet hæretici, qui contra suas impietates leges iustas institui nolunt) *non petisse à regibus terræ Apostolos talia, non considerant aliud fuisse tunc temporis, & omnia suis temporibus conuenire. Quis enim in Christum crediderat tunc Imperator? quis enim pro pietate contra impietatem leges ferendo sæuiret? tunc enim adhuc propheticum complebatur: quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ & principes conuenerunt in vnum. Et nondum illud agebatur, quod paulo post in eodem Psalmo dicebatur: & nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram: seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: quomodo ergo reges Domino seruiant in timore, nisi ea quæ contra Deū iussa sunt religiosa seueritate prohibendo atq; plectendo. Aliter n. seruit, quia est rex, & aliter quia est homo. Quia est homo seruit Deo fidelter viuendo: Quia est rex, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo.* Ex quibus patet aperte, ꝙ Imperatores & publicæ potestates licite ꝑ fide possunt leges statuere. Quod etiā exēplis ostenditur. Nā tā reges infideles quā fideles leges pro fide laudabiliter ediderunt. Nā Nabuchodonosor legē edidit ꝑ fidei veritate, qui vt legitur Danielis 3. ait: *A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus & lingua quicunque locutus fuerit blasphemiam contra Deum Sydrach, Mysach & Abednago, dispereat & domus eius vastetur. Neque enim est alius qui possit ita saluare.* Rex etiam magnus Artaxerxes, vt legitur Hester vltim. legem edidit dicens: *Hoc autem est edictum, quod emittimus in cunctis vrbibus, vt liceat Iudæis vti legibus suis.* Reges etiam fideles leges pro fidei veritate condiderunt. Quod testatur August. aperte in Epistola ad Vincentium, vt habetur *23. quæst. 6. cap. vides*, ait: *Ciuitas mea, quæ cum tota esset in partes Donati, ad vnitatem catholicam legum imperialium timore conuersa est.* Igitur Imperatores leges pro fide catholica ediderunt. Quod etiam ratione videtur posse probari. Nam ille potest leges pro fide constituere, qui non solum contemplatione hominum, sed contemplatione Dei potest iura statuere. Sed Imperator & populus contemplatione Dei possunt leges statuere, *dist. 1. cap. ius ciuile*, vbi sic dicitur: *Ius ciuile est quod quicunque populus vel quæcunque ciuitas sibi proprium humana diuinaque causa constituit*, id est, *contemplatione Dei & hominum*, secundum Gloss. ibidem. Ergo laici in fauorem fidei leges condere valent. *Discip.* Ista sententia, quod laici possunt aliquas leges pro fide statuere, quæ aliquam habeant firmitatem (nisi à summo pontifice vel prælatis ecclesiæ fuerint confirmatæ) sacris canonibus obuiare videtur. Quia Innocent. tertius, vt habetur *extr. de constitutionibus cap. ecclesia*, ait: *nos attendentes quod laicis & religiosis super ecclesiis & personis ecclesiasticis nulla est*

attributa

attributa facultas, apud quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi: à quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod ecclesiarum respiciat commodum & fauorem, nullius firmitatis esse constat, nisi ab ecclesia fuerit approbatum. Ex quibus verbis datur intelligi, quod super his, quæ ad ecclesiam spectant statutum laicorum nullam obtinet firmitatem, nisi ab ecclesia fuerit approbatum, quæstio autem fidei ad ecclesiam spectat, ergo statutum laicorum in fauorem etiam Dei editum nullius est momenti, nisi ab ecclesia fuerit confirmatum. Item in synodo Simachi Papæ, vt habetur *16. quæstion. vltim. cap. non placuit*, sic legitur: *non placuit laicum statuendi in ecclesia habere aliquam potestatem, cui obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* Ex quibus verbis potest intelligi, quod laicus nihil potest statuere de his, quæ ad ecclesiam spectant, quæstio autem fidei ad ecclesiam spectat, ergo laicus in fauorem fidei nihil potest statuere. Item in synodo Eugenii Papæ, vt legitur *extra de iudiciis, cap. decreuimus*, sic habetur: *Decreuimus vt clerici tractare ecclesiastica negocia non præsumant, & vt episcopi, abbates, & archiepiscopi & alii ecclesiarum prælati de negociis ecclesiasticis, maxime de illis quæ spiritualia esse noscuntur, laicorum iudicio non disponant.* Ex quibus colligitur, quod nec etiam laicorum iudicio sunt spiritualia disponenda, ergo cum inter negocia spiritualia sit quæstio fidei potissime computanda, videtur quod laici de his, quæ ad fidem spectant, se intromittere minime debent, & per consequens pro fide nihil statuere possunt. Item minus est disponere de ecclesiasticis dignitatibus, & rebus ecclesiarum, quam de fide, qui autem non potest minus, neque maius potest. Quod autem laici de dignitatibus ecclesiasticis & rebus ecclesiarum nihil disponere valeant, sacris canonibus affirmatur. Nam *16. quæstion. vltim. ca. laici*, sic legitur: *Laicis quamuis religiosis nulla de dignitatibus ecclesiasticis aliquid disponendi legitur attributa facultas.* Item Innocentius Tertius, vt habetur *extra, de arbitris. cap. decim.* ait: *Adbuc generaliter prohibemus, ne super rebus spiritualibus compromittatur in laicum: quia non decet, vt laicus in talibus arbitretur*, ergo multo magis non decet, vt laicus de fide & dignitatibus ecclesiasticis & rebus ecclesiarum aliquid legem statuendo decernat. Item *sexta distinction.* de statuto Basilii in fauorem ecclesiæ edito sic legitur: *Scripturam, quæ in sacerdotali concilio recitata est, euidentissimis documentis constat esse inualidam, primum quidem, quia contra patrum regulas à laicis quamuis religiosis, quibus nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur vnquam attributa facultas, facta videatur.* Item Innocentius Tertius, vt legitur *extra de rebus ecclesiæ non alienandis*, ait: *Nulla fuit laicis attributa potestas de rebus ecclesiasticis disponendi, apud quos subsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* Ex quibus aliisque quampluribus colligitur euidenter, quod non solum de fide, sed etiam de dignitate & rebus ecclesiæ laici leges condendi nullam habent penitus potestatem. Et quamuis hæc conclusio mihi videtur certa secundum canonicas sanctiones, tamen quomodo ad allegationes præscriptas respondere contingat, non differas recitare. *Magister.* Allegationes tuæ prædictæ à nonnullis pueriles & friuolæ reputantur, quia videtur eis, quod sacrorum canonum non habeas intellectum. Ad cuius euidentiam est sciendum, quod rem aliquam ad alium pertinere dupliciter potest contingere, res enim aliqua ad aliquem pertinet tanquam in potestate illius aliquo modo existens, vt scilicet de ea sicut sibi placuerit, dum modo non contra Deum vel rationem rectam, aut leges iustas seu consuetudines rationales valeat ordinare, & isto modo dignitates ecclesiasticæ, & res ecclesiarum pertinent ad prælatos ecclesiæ. Alio modo pertinet res aliqua ad alium tanquam ab eo defendenda, & sic res ecclesiarum pertinent ad laicos: quia laici debent defendere res ecclesiarum, sic fides pertinet ad laicos: quia eam diligenter & potenter defendere astringuntur. Ex his respondetur ad omnes allegationes tuas, quod laici possunt statuere leges suos subditos artius obligando, ne personas ecclesiasticas, vel res earum offendant, vel molestent iniuste: quos in contrarium facientes pœnis possunt debitis coercere: quamuis huiusmodi pœnis personas ab eorum exceptas potestate nequeant castigare, sic principes & reges, ac publicæ potestates & communitates leges possunt statuere pro fide salubrius defendenda: possuntque punire suos subditos fidem nequiter impugnantes, quamuis punire non valeant eos, qui à sua iurisdictione sunt exempti. *Discipulus.* Nitere allegare pro assertione prædicta. *Magister.* Quia reges & principes & publicæ potestates ciuitates aliæque communitates, quæ potestatem habent condere leges de temporalibus statuere leges queant pro veritate fidei tenenda & defendenda & nullatenus impugnanda vel reiicienda; eisdemque legibus suos subditos obligare, sic videtur posse probari. Omnis persona & vniuersitas iurisdictionem habens coactiuam de his, ad quæ per se & subditos faciendo obligatur, legem potest statuere, & ad ea facienda subditos sub pœna rationabili obligare, sed omnis persona fidelis & etiam vniuersitas iurisdictionem habens coactiuam per se & subditos tenetur fidem catholicam defendere, igitur de fide defendenda potest legem statuere & subditos ad fidem defendendam sub pœna rationabili obligare. Secundo probatur idem sic: Quilibet habens iurisdictionem coactiuam ad ea per leges suas potest subditos suos obligare, quæ pacem & tranquillitatem procurant & conseruant: & quorum contraria pacem & tranquillitatem omnimodam dissipant & conturbant, sed fidem negare & impugnare & abiicere, pacem & tranquillitatem ciuium dissipat & conturbat: quia homines diuersarum sectarum minime pacifice insimul viuunt, ergo omnis persona & communitas habens iurisdictionem coactiuam potest per leges subditos obligare, ne fidem catholicam impugnare aut abiicere quoquo modo præsumant. Tertio sic: non minorem potestatem habet rex vel princeps super subditos suos in his, quæ sunt contra fidem & bonos mores, quam ha-

beat maritus super vxorem, vel pater super prolem suam, sed maritus coniugem suam errantem contra fidem &bonos mores potest &debet corrigere:& pater prolem suam errantem contra fidem & bonos mores habet corrigere, ergo rex & princeps subditos suos errantes contra fidem & bonos mores potest corrigere, sed rex aut etiam princeps de his, propter quæ subditos potest corrigere, valet legem statuere, ergo rex & princeps pro fide tenenda à subditis suis legem possunt eis imponere.

Discipulus. Prædicta assertio non ita mihi videtur irrationabilis, sicut antea videbatur: & ideo cupio ipsius intellectum pleniorem habere: quia per hoc manifestius animaduertam, an sit consona vel dissona veritati, magis autem explicabis eam, si indicaueris, quomodo ad singulas allegationes contra eam adductas responderi contingat, ideo per omnes discurre. *Magister.* Ad auctoritatem Innocentii Tertii respondetur, quod ecclesiæ & personæ ecclesiasticæ à iurisdictione laicorum sunt exemptæ, & ideo super ecclesiis ordinandis vel conferendis, vel aliqua commutatione circa ecclesias facienda, seu etiam super personis ecclesiasticis puniendis, vel quomodolibet gubernandis, aut ad aliquid faciendum vel non faciendum artandis: laici nihil in earum commodum respicientes & fauorem possunt statuere, quod firmitatem obtineat, nisi ab ecclesia fuerit approbatum: quin tamen aliqua possint statuere in ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum commodum & fauorem sub certis pœnis suos subditos prohibendo, ne ecclesiis & personis ecclesiasticis molestiam inferant vel grauamen, Innocentius minime negat, nonne potest rex absque inquisitione cuiuscunque prælati ecclesiæ statuere, quod quicunque clericum occidit, pœna capitali plectatur? Nunquid potest statuere absque inquisitione ecclesiæ, quod qui res ecclesiasticas furatus fuerit, pœna mortis vel alia puniatur? Si ergo laici possunt statuere leges pro rebus temporalibus ecclesiæ & personis ecclesiasticis à suis subditis nullatenus molestandis: multo fortius pro fide catholica, quam magis defendere & tueri tenentur, quam res ecclesiarum & personas ecclesiasticas quascunque, possunt leges statuere, ne quis subditus eorum fidem negare vel impugnare audeat quoquo modo.

Quod etiam tali ratione probatur, magis spectat ad principem constitutum à Deo (qualis est princeps vtens legitima potestate) vlcisci iniuriam Dei quam ciuium suorum, vt habetur *vigesim. tert. quæstion. tert. cap. si ea*, sed rex & princeps possunt & debent legem statuere, ne vnus subditorum peccet in alterum, ergo multo magis potest condere leges, ne quisquam subditorum suorum fidem impugnet, exemplo Nabuchodonosor regis, qui legem dedit, ne quisquis Deum verum præsumeret blasphemare. Ad auctoritatem sumptam ex synodo Simachi Papæ respondetur etiam per idem, quod laici non habent potestatem aliquid in ecclesia statuendi, quod immutationem circa ecclesias inducat; habent tamen statuere, ne quis eis subditus fidem catholicam impugnet, neget aut blasphemet, vel fidem quoquomodo subuertat. Ad auctoritatem ex synodo Eugenii Papæ similiter respondetur, quod laici ecclesiastica negocia de rebus ac personis ecclesiasticis vel regendis, vel aliter immutandis se intromittere vel tractare non debent, nec clerici talia negocia laicorum iudicio, hoc est eorum auctoritate disponere debent, possunt tamen laici ordinare, vt clerici in ecclesiasticis disponendis negociis minime infestentur: possuntque eis aliquas libertates conferre exemplo principum antiquorum, qui, vt testatur Innocentius Tertius, *extr. de rebus ecclesiasticis non alienandis, cum laicis*, ecclesiasticam libertatem multis priuilegiis muniuerunt, sic etiam possunt laici in fauorem fidei Christianæ plura ordinare, ad quæ seruanda suos subditos possunt legibus coartare. Si enim laici extra deuotionem, quam habent ad fidem catholicam, possunt in fauorem clericorum nonnulla statuere, & eis libertates plures tribuere: multo fortius possunt in fauorem fidei quamplurima statuere, & ad ea restringere sibi subditos. Ad auctoritatem, quæ ponitur *16. quæstion. vltim. cap. laicus*, respondetur: quod laici non possunt aliquid statuere circa dignitates immutandas: possunt tamen statuere plura pro dignitatibus ecclesiasticis defendendis, ad quæ subditos (& non alios à potestate eorum exemptos) possunt constringere, nisi in casu. Cum vero dicitur: qui non potest minus, nec maius potest, dicitur quod ista fallit, quia sæpe aliqua maiora spectant ad iurisdictionem vel potestatem aliquorum, ad quorum iurisdictionem vel potestatem quædam minora non pertinent. In proposito tamen non fallit: quia sicut possunt laici quædam statuere pro defensione ecclesiasticarum dignitatum, ita possunt nonnulla statuere pro defensione fidei orthodoxæ. Ad auctoritatem Innoc. III. *ext. de arbitris*, respondetur, quod arbiter recipit potestatem ordinandi aliquid esse faciendum, & ideo in rebus spiritualibus laicus arbiter esse non potest: tamen cuilibet, cum hoc constat, quod laicus valeat ordinare, ne subditi sui res spirituales inuadant vel impugnent. Ad auctoritatem *6. dist.* de statuto Basilii respondetur *16. quæstion. vltim. cap. laicis*, vbi dicitur, quod ideo statutum extitit reprobatum, quia plura agenda circa electionem summi Pontificis & res ecclesiasticas ordinauit, si autem solum statuisset, quod nullus sibi subditus de rebus ecclesiæ se intromittere, vel electionem summi Pontificis impedire præsumeret, statutum suum non fuisset vllatenus reprobatum. Ad vltimam auctoritatem Innocentii Tertii consimiliter dicitur, quod laici de rebus ecclesiæ distribuendis vel exponendis non possunt penitus ordinare, non tamen negat, quin potestatem habeant statuendi, ne res ecclesiæ à suis subditis inuadantur.

CAP.

CAP. XCIV.

In quo tractatur secundum probandum, scilicet quomodo quæstio siue causa fidei spectet ad laicos, & nota ibidem, quot modis quæstio fidei ventilari potest.

DIscip. Satis disseruisti, an quæstio fidei spectat ad laicos an non: nunc dic (secundum quod promisisti) per quem modum videli. fidei quæstio vẽtilari potest seu spectat ad laicos. Per hoc aũt de prædictis magis aduertam, an aliquid contineant veritatis. *Mag.* Dicitur quod quæstionem ventilari multis modis potest accipere. Aut enim ventilatur quæstio de aliquo pertinẽte ad fidem, quod apud omnes catholicos tanquam catholicum extitit hactenus diuulgatum, puta si aliqui incipiant vertere in quæstionẽ, an Christus sit verus Deus & verus homo; vel an Christus fuerit natus de virgine, vel beatã vita sit futura: vel aliud consimile, de quo notum sit apud omnes catholicos literatos & illiteratos, quod ad fidem pertinet orthodoxam. Aut ventilatur de aliquo, quod est ab aliqua ecclesia explicite approbatum, licet talis approbatio non sit apud omnes catholicos diuulgata. Puta si aliqui incipiant vertere in quæstionem, an Salomon fuerit filius Bersabeæ, vel vir eius, audiui enim à quodam fide digno, quod asseruit se fuisse præsentem, quando quidam Magister in Theologia Parisiis tenuit in scholis, quod Bersabeæ erat vxor Salomonis, dicens, quod illud quod dicitur in genealogia Saluatoris: *Dauid autem rex genuit Salomonem*, &c. debet sic punctuari: *Dauid autem rex genuit Salomonem*, vt ibi sit finis versus, & alius versus sic incipiat; *ex ea quæ fuit Vriæ, Salomon genuit Roboam*, quamuis igitur hæc veritas; Salomon fuit filius Bersabeæ, sit ab ecclesia explicite approbata, quemadmodum scriptura diuina est explicite approbata: tamen potest ab insipientibus nonnunquam verti in quæstionem, sicut posset verti in quæstionem veritas Scripturæ diuinæ, quæ non est apud catholicos omnes tanquam catholica diuulgata, sicut etiam potest verti, an in Christo fuerunt duæ voluntates, quamuis in Christo non esse duas voluntates sit explicite pro hæresi condemnata. Aut ventilatur quæstio de aliquo, quod non est implicite approbatum, nec est hæresis explicite condemnata, sicut quæstio fidei inter Theologos sæpissime ventilatur, sicut ante determinationem ecclesiæ de processione Spiritus sancti à Filio inter Græcos & Latinos quæstio vertebatur. Loquendo de quæstione fidei primo modo dicta dicitur, quod talis quæstio multipliciter spectat ad laicos, vno modo, vt laici eandem assertionem apud catholicos diuulgatam pro loco & tempore fateantur: quia secundum Apostolum ad Roman. decim. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* & veritas ipsa Lucæ vndecimo ait: *Qui erubuerit meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua & Patris & sanctorum angelorum.* Ex quibus verbis colligitur, quod quilibet fidelis astringitur veritatem fidei sibi notam solenniter confiteri, quare laici in quæstione tali fidei veritatem sibi notam confiteri tenentur. *Discipulus.* Dic in quibus casibus laici tenentur veritatem fidei, de tali quæstione simplici confiteri. *Magister.* Respondetur, quod in duobus casibus laici, sicut & omnes Christiani, ad talem quæstionem de necessitate salutis sunt astricti. Primus est, quando per omissionem huiusmodi confessionis subtraheretur honor fidei, quando videlicet per omissionem huiusmodi confessionis auerterentur alii à fide, vel couerterentur ad hæreticam prauitatem. Secundo sunt laici ad confessionem talem astricti, quando per omissionem confessionis huiusmodi fideles aliquod detrimentum incurrerent, aut subtraheretur à fidelibus aliquod subsidium impendendum, vtpote si defendentes aliquam veritatem catholicam in tali quæstione mota per confessionem principis sui prouocarentur ad defendendum, iuuandum, & fauendum confitentibus catholicis veritatem & impugnantibus hæreticam prauitatem, per omissionem autem talis confessionis, seu per taciturnitatem subditi principis prouocarentur ad impugnandum defendentes catholicam veritatem, & ad subtrahendum eis fauorem, auxilium & consilium oportunum, in hoc casu de necessitate salutis deberet princeps catholicam veritatem circa talem quæstionem publice confiteri: & consimiliter de aliis laicis est dicendum. *Discipulus.* Vellem scire, an aliquis Doctor modernus præter Doctores autenticos concordat cum ista sententia. *Magister.* Ista sententia videtur esse Thomæ *secunda secundæ quæstion. tertio, articulo secundo*, qui ait: *confiteri fidem non semper, nec in quolibet loco est de necessitate salutis: sed aliquo loco & tempore, quando scililicet per omissionem huiusmodi confessionis subtraheretur honor Dei & vtilitas proximis impendenda: puta si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non habet fidem, vel quod fides non est vera, vel alii per taciturnitatem auerterentur à fide, in huiusmodi casibus confessio fidei est de necessitate salutis:* & post dicit, quod *quando honor Dei & vtilitas proximi hoc exposcit, non debet esse contentus homo, vt per fidem suam ipse diuinæ veritati coniungatur: sed debet fidem exterius confiteri:* & post: *dicendum est, quod in casu necessitatis vbi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, siue confirmationem, vel ad reprimendum infidelium insultationem:* & post: *si aliqua vtilitas fidei prepararetur, aut necessitas adsit (contempta turbatione infidelium) debet homo publice fidem confiteri. Vnde Matth. decimo quinto dicitur, quod cum discipuli dixissent Domino, quod Pharisæi audito eius verbo scandalizati sunt, Dominus respondit: sinite eos, scilicet turbari: cæci sunt & duces cæcorum.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod principes & alii laici siue in-

terrogentur siue non interrogentur (si per omissionem confessionis veritatis eis notæ circa quæstionem motam de fide, alii à fide vel à defensione necessaria fidei auertantur, vel fideles aliqua dispendia patiantur) de necessitate salutis veritatem notam publice confiteri tenentur, & non solum viri ad confessionem publicam veritatis eis notæ, sed etiam mulieres in supradictis obligantur casibus. *Discipulus.* Quid si prælati ecclesiæ mandarent laicis, quod à tali confessione cessarent? *Magister.* Respondere deberent verbum Petri dicentis Actorum quinto, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Discipulus.* Nonne laici debent sequi doctrinam prælatorum ecclesiæ, cum dicat Cælestinus Papa, distinct. 62. cap. docendus: *Docendus est populus non sequendus? Magister.* Respondetur, quod docendus est populus in his quæ ignorat, ab eis autem quæ didicit à fideli ecclesia, non est auertendus. *Discipulus.* Et quibus credet populus, nisi prælatis ecclesiæ? *Magister.* Respondetur, quod populus magis credet scripturæ diuinæ, quam omnibus clericis: quia scriptura diuina est omnibus mortalibus præferenda. Item magis credet populus toti communitati fidelium præcedētium, quam multitudini existentium in vita præsenti, & ideo si multitudo clericorū recedat ab illis, quæ priores nunc regnantes cum Christo concorditer tenuerunt, non essent vllatenus audiendi, sed essent pœnis debitis coercendi. *Disc.* Dixisti vnum modum, per quem quæstio fidei mota de aliquo apud omnes orthodoxos, tanquam catholica diuulgata spectat ad laicos, ideo nunc dic alium modum secundū opinionem prius recitatam. *Mag.* Dicitur quod quæstio talis sic secundo spectat ad laicos, ideo consequenter dicitur quod laici omnes constringantur, tenentes, prædicantes, docentes, seu etiā dubitantes assertionem, quæ est contraria veritati, esse veram; & omnes negantes vel dubitantes catholicam veritatem taliter diuulgatam esse de substantia fidei, tanquam excommunicatos & hæreticos vitare & pro non prælatis habere: & eis nullatenus obedire tenentur. Verbi gratia: si aliqui prædicarent, docerent, vel assererent quoquomodo, vel etiam dubitarent Christum non fuisse natum de virgine, vel non fuisse passum, aut non resurrexisse à mortuis, laici autem omnes tales (etiam si aliquis eorum Papali fuisset præditus dignitate) tanquam hæreticos & excommunicatos vitare, & eis nullatenus obedire tenentur. Quod enim tales sunt reputandi hæretici, ex his quæ dicta sunt *libro 4. cap. 2.* colligitur euidenter. Quod autem sint excommunicati, ex *cap. 61. huius sexti* apparet. Ex quibus sequitur luculenter, quod laici scientes Papam vel alios clericos prædicare, docere, vel qualitercunque tenere aliquam assertionem, quæ catholicæ veritati apud omnes orthodoxos vulgatæ contradicit, non debent aliqualiter obedire. *Discipulus.* Dic, quid si principes & alii laici nesciunt per scientiam certam Papam tenere vel docere contra talem veritatem catholicam: sciunt tamen Papam esse de tali doctrina pestifera publice diffamatum, nunquid ipsum vitare tenentur? *Magister.* Respondetur, quod non propter verba paucorum, sed propter publicam famam laicorum, ad quos talis fama peruenerit, Papam talia prædicantem vitare tenentur, quia ad hoc, quod aliquis excommunicatus vitetur, sufficit publica fama, *extra, de sententia excommunicat. cum desideres, libro quinto*, vbi Clemens Tertius dicit in hæc verba: *Tua quæstioni hunc finem duximus imponendum, quod si publica fama est aliquem verberasse clericum, nec episcopus nec alius communicare sibi debet, nisi ad arbitrium episcopi de hoc se purgauerit, vel ad cautelam absolutionis beneficium consequatur*, ergo à simili, si fama publica est, Papam vel alium prædicare, docere, vel tenere contra veritatem apud omnes catholicos diuulgatam, nec laici nec clerici sibi communicare debent, nisi se purgauerit, vel absolutionis beneficium rite & debite consequatur. *Discipulus.* Mirum videtur, quod propter famam Papa debeat euitari, præsertim cum fama probationem non faciat: & per consequens nec certitudinem faciat, antequam igitur aliquis sit certus, Papam ab homine vel à iure esse depositum, eum vitare non debet. Præterea in dubiis via tutior est tenenda, tutius enim est obedire, quam non obedire, quando dubitatur an aliquis sit verus Papa, licet ergo propter famam de Papa, quod prædicet contra talem veritatem catholicam, possit quis dubitare, an sit verus Papa, tamen propter tale dubium non debet ab obedientia eius recedere. *Mag.* Dicitur ad primum, quod quamuis per solam famam, quantumcunq; publicam nemo de crimine cōuincatur, tamen sunt propter famā nonnunquam quædam agenda, & aliqua omittenda. Nam fama impedit matrimonium contrahēdum, *ext. de consangui. & affinita, super eo*, & propter famam est diffamato purgatio indicenda, *2. qu. 3. si mala fama*, sic etiam propter famam est obedientia deneganda. Cum autem dicitur, quod in dubiis via tutior est tenenda, respondetur, quod ex hoc aperte cōcluditur, quod Papa hæreticus propter solam famam publicam est vitandus, & ei est nullatenus obediendum. Nam si in dubiis via tutio est tenenda, illa autem via, qua est minus periculum, est tutior reputanda, igitur via, quæ maiori caret periculo, est tenenda, obedire autem hæretico Papæ & communicare eidem maius habet periculum, quam eum vitare, & ei minime obedire: quia ex obedientia & communione cum Papa hæretico immineret periculum fidei orthodoxæ, tale autem periculum est maius omni periculo, ꝙ potest personæ (Papæ etiam catholici) imminere, igitur periculum fidei orthodoxæ est summe vitandum, igitur cum propter famam publicam dubitatur, an Papa inciderit in prauitatem hæreticam, vitandus est, ne ex communione eius periculum immineat fidei orthodoxæ. *Discip.* Nunquid propter omnem famam publicam laici tenentur Papam hæreticum deuitare? *Magister.* Videtur nonnullis probabile, quod quia Papa tanquam signum est positus ad sagittam, & multos habet offendere, ideo est cautela diligens adhibenda, ne criminetur inique; ita tamen vt caueatur ne delinquere valeat insolenter, igitur apparet, quod propter famam ab incerto auctore vel certis auctoribus maleuolis & maledicis ortam, non est Papa hæreticus à nescientibus eum esse hæreticum, euitandus,

[illegible] propter famam ortam ex certis auctoribus bonæ famæ hactenus (præsertim qui sunt in sacra pagina eruditi) valentibus Papam de prauitate hæretica accusare; seipsos ad pœnam talionis (si in probatione defecerint) obligare, est Papa hæreticus deuitandus, etiam antequam in iudicio de hæresi conuincatur. *Discipulus.* Dic secundum priorem assertionem, an quæstio fidei de qua est sermo, alio modo spectat ad laicos. *Magist.* Dicitur quod quæstio fidei, de qua sermo habitus est prius, sic spectat ad laicos, quod & principes seculares & alii laici debent defendere catholicos prauitatem hæreticam impugnantes, in tantum quod scientes Papam hæreticum, vel ad quos peruenit fama publica (modo præfato) quod Papa est hæreticus, tenentur de necessitate salutis in fauorem fidei Christianæ omnes accusantes Papam hæreticum, & pro ipsa causa hæresis appellantes, ac ipsum de hæresi impugnantes, si possunt, ab omni molestia eis per Papam hæreticum, vel eius complices inferenda & illata defendere. *Discipulus.* Illa quæ tractauimus supra in isto *sexto à capitulo decimo vsque ad capitulum vigesimum quintum*, ad istum modum poterunt applicari, vt videtur, ideo dic alium modum, quomodo quæstio fidei spectat ad laicos. *Magister.* Dicitur, quod quæstio fidei talis, de qua sermo habitus est prius, sic spectat ad laicos, quod tractantibus de tali quæstione (maxime si clericos suspectos habuerint) possunt si voluerint interesse, quia, sicut tactum est prius, quod omnes tangit, ab omnibus debet tractari, talis autem quæstio fidei tangit omnes laicos, ergo laici (maxime curam aliorum gerentes) possunt tractatoribus de tali quæstione fidei interesse. *Discipulus.* Quamuis de hoc videatur esse dictum, supra, cum de concilio generali ageretur, vbi allegationes adduxisti, quod laici, si voluerint, possunt generali concilio, in quo tractatur de fide catholica, interesse: tamen adhuc ad assertionem prædictam allegare conare. *Magister.* Quod laici tractantibus de huiusmodi quæstione fidei valeant interesse, nititur posse probari tali ratione. Illi possunt tractantibus de quæstione fidei interesse, qui loqui de his, quæ spectant ad quæstionem fidei sunt minime prohibendi, quia tales si non sunt prohibendi, sunt audiendi, si loqui voluerint, sed laici non sunt prohibendi loqui quæstiones fidei, teste Gloss. quæ super illud ad Thessalonicens. vltim. *Spiritum nolite extinguere*, ait: *Si cui Spiritus sanctus ad horam quid reuelauit, nolite prohibere loqui: quia Deus qui et asina aperuit, sæpe reuelat minori quod melius est.* Ex quibus verbis colligitur, quod ille in quæstione fidei loqui prohiberi non debet, cui Deus quandoque meliora reuelat, sed Deus reuelat quandoque laicis meliora. Vnde & Dauid regi quamuis non esset sacerdos, Spiritus sanctus quamplurima reuelauit, laicis etiam aliis tam in Veteri, quam in Nouo Testamento plura ad fidem spectantia, & ad catholicam fidem reuelata fuerunt. Vnde & Christus dicit Matthæi vndecimo. *Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Igitur laici in sacra pagina maxime eruditi à tractantibus de quæstione fidei, quæ ad omnes pertinet Christianos, excludi non debent. *Discipulus.* Ista assertio consuetudini ecclesiæ maxime repugnare videtur. Tum, quia secundum assertionem præcedentem etiam mulieres à tractatibus fidei non sunt excludendæ. Tum, quia quandoque quædam absconduntur à viris, quæ mulieribus reuelantur: & tamen mulieres ad tractatus fidei sunt nullatenus admittendæ, cum etiam mulieres in ecclesia loqui non debeant, sed solum domi interrogare viros suos de ignotis, teste Apostolo, qui primo ad Corinth. 14. ait: *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse sicut lex dicit: Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, turpe autem est mulieri in ecclesia loqui*, igitur mulieres tractatibus de quæstionibus fidei interesse non debent. *Magister.* Ad primum istorum respondetur, quod non est ex consuetudine ecclesiæ, quod ad tractatus fidei vnquam laici recipiantur: quia, sicut probatum est prius, sæpe conciliis generalibus, in quibus tractabatur de quæstionibus fidei, Imperatores fuerunt præsentes, sæpe tamen quæstiones fidei per solos clericos tractabantur: quia tunc téporis clerici de fide non fuerunt suspecti, qui vita, scientia, & zelo fidei catholicæ præfulserunt: & laici interesse non curabant, scientes quod quæstiones fidei sufficienter per clericos ad honorem Dei & exaltationem fidei tractabantur. Si enim principes ex zelo fidei se tractatib. huiusmodi ingessissent, clerici tunc téporis fidei zelatores eos nullatenus repulissent, sed libenti animo audiuissent. Ad secundum respondetur, quod mulieres non sunt passim ad tractatus fidei admittendæ, si tamen sunt aliquæ mulieres sapientia, sanctitate, potentia & virtutibus præcellentes, petentes ex zelo fidei audientiam, cum fides pertractatur, non sunt repellendæ, si enim Iudith vidua petens audientiam à presbyteris, cum de liberatione patriæ tractaretur, non fuit repulsa, sed audita: multo magis in casu nostro, quia maior debet esse sollicitudo de saluatione fidei, quam de liberatione patriæ. Si mulier sapientia, potentia & sanctitate præcellens ex zelo fidei petierit audientiam cum de quæstione fidei tractatur, repelli non debet, sed audiri, imo nonnunquam cum quæstio fidei agitatur pro consilio & auxilio obtinendo, ad mulieres sapientia, sanctitate & potentia præcellentes expedit recursum habere pro quæstione fidei laudabiliter terminanda, exemplo Mardochæi, qui pro saluatione populi Dei auxilium ab Hester regina suppliciter postulauit. Quamuis igitur mulieres non sint passim ad tractatus fidei amittendæ, non sunt tamen omni tempore repellendæ: cum quæstio fidei ad eas pertinere noscatur, in tantum quod si omnes viri diffinirent & assererent esse tenendum, quod Christus non fuit natus de virgine, aut quod animæ damnatorum non cruciantur in inferno, aliquid huiusmodi, mulieres deberent resistere, & illa tenere quæ ab orthodoxis didicerant. Cum vero dicit Apostolus, quod *mulieres in ecclesiis taceant*, &c. Respondetur, quod Apostolus loquitur, cum ad audiendum verbum Dei conuenerint, volens quod mulieres sic in ecclesiis taceant, quod officium docen-

docendi non habeant, & ideo vbi verbum Dei proponeretur à catholico & fideli, licet mulieres ignorent aliqua, quæ proponuntur à prædicante, non debent in ecclesiis interrogare, quæ ignorant: sed domi viros suos & aliquos Doctores vel doctos interrogent, aliter est vbi tractatur, quomodo fides est seruanda & defendenda, tunc enim possunt nonnullæ mulieres esse vtiles & causam fidei multipliciter promouere, & ideo à talibus tractatibus non sunt omnes & omni tempore excludendæ. *Disc.* Spectat ne quæstio fidei alio modo ad laicos? *Mag.* Quæstio fidei cum aliquid apud oēs catholicos tanquam catholicum diuulgatū in quæstione vertitur, sic spectat ad laicos, quod prohibere possunt & statuere leges, ne aliquis in terris eorum subiectis dominiis contra veritatē taliter diuulgatam prædicare aut docere præsumat, exemplo Nabuchodonosor regis, qui q̃uis non esset clericus nec prælatus ecclesiæ, legē statuit, ne quis Deū Sydrach, Mysach, & Abdenago præsumeret blasphemare, hoc ex his, quę dicta sunt prius, vbi ostensum est, quod laici possunt pro fide leges statuere, colligitur euidenter. *Disc.* Nunquid possunt laici coercere transgressores præceptorum & legum suarum huiusmodi? *Mag.* Respondetur, quod transgressores huiusmodi, qui à iurisdictione laicorum sunt exempti; puta clericos, non possunt regulariter coercere; in casu tamen possunt.

Cap. XCV.

In quo agitur consequenter de quæstione fidei secundo modo non totaliter diuulgata: sed tamen ab ecclesia approbata, quomodo illa spectat ad laicos.

Disc. De hac materia interrogabo te, ideo postquam disseruisti de quæstione fidei, vbi aliquid apud omnes orthodoxos tanquā catholicum diuulgatum in quæstione vertitur, dic an quæstio fidei spectet ad laicos, cum aliquid catholicum non totaliter diuulgatum, sed tā ab ecclesia explicite approbatum in quæstione vertitur. *Mag.* Respondetur, quod talis quæstio fidei postquā laicis cōstiterit veritas huiusmodi quæstionis sic spectat ad eos, quod pro loco & tempore veritatem tenentur simpliciter confiteri, sc. cum honor Dei & vtilitas proximi hoc exposcit. Secundo talis quæstio sic spectat ad laicos, quod tales omnes prædicantes, docentes, tenentes pertinaciter contra veritatē huiusmodi quæstionis vitare tenentur, & eis nullatenus obedire. Vnde quamuis audirent & scirent Papam prædicare & docere, Pilatum nō misisse Christum ad Herodem tempore passionis, aut Apostolos & alios credentes, de quib. fit mentio *Act 4.* fuisse proprietarios & Dominos portionum sibi assignatarum; aut Christum inquantum homo mortalis fuisse regem in temporalibus; non deberent propter hoc statim Papam tanquā hæreticum euitare, quantumcunq; constaret eis, quod tales sunt inter hæreses damnatas explicite computandæ, si tamen scirent eum diffinitiue docere ipsum tanquam hæreticum vitarę deberent. *Discipulus.* Video quod opinio istorum in hac parte dependet ab illis, quæ dicta sunt *libro quarto*, in quo tractatur, quomodo de pertinacia debeat quis conuinci. *Magister.* Verum dicis, quod non constat laicis aliquam assertionem, de qua est quæstio, esse catholicam & hæreticam simul: cum hoc constat, quod docens prædicans & tenens contra catholicam veritatem est pertinax in sua assertione. Et per omnia dicunt de quæstione fidei secundo modo dicta: sicut dictum est de quæstione primo modo dicta, quia illis duobus suppositis, eisdem modis pertinet quæstio fidei, secundo modo dicta ad laicos, quibus modis pertinet ad eos quæstio fidei primo modo dicta. Veruntamen quamuis assertio fidei vtroq; modo prædictis modis spectat ad laicos, principalius tamen spectat ad prælatos ecclesiæ, quibus ex officio incumbit magis intelligere catholicas veritates, & eas frequentius aliis propalare, ac circa punitionem hæreticorum magis diligenter insistere.

Cap. XCVI.

In quo agitur de quæstione fidei tertio modo dicta, an talis spectet ad laicos & quomodo.

Disc. Dic de quæstione fidei tertio modo dicta, an spectat ad laicos. *Mag.* Dicitur, quod quādo aliquid, quod non est ab ecclesia explicite approbatum, nec per consequens eius contrarium est explicite condemnatum, vertitur in quæstionem, laici non tenentur publice confitendo, ordinando, statuendo, prohibendo, præcipiendo, se de tali intromittere quæstione, nisi euidenter aduerterent, quod aliter graue periculum fidei, vel reipublicæ immineret. Si quis vero aperte cognosceret, quod ex tali quęstione fidei seditiones, bella, & schismata prouenirent, nisi laici per potentiam temporalem occurrerent, ad ipsos talis quæstio fidei pertineret. Quod sic ostēditur, qn̄ pax aliter haberi non potest, est ad regalē prouidentiam recurrendū. Igitur si ex quæstione fidei (modo prædicto) oriuntur sectæ, seditiones & schismata in cōmunis pacis dispendiū, quæ absq; laicorū potentia sedari non possunt, ad regalē seu laicalē potentiā oportet recurrere, & per cōsequens in hoc casu saltē talis quæstio spectat ad laicos. Antecedens istius rationis testimoniis & exemplis probatur aperte. Onias enim sacerdos, vt legitur *2. Machabeor. 4.* ad regem infidelem se contulit, non vt ciuium accusator, sed vt communem vtilitatem (apud semetipsum) immensæ multitudinis considerans, videbat enim sine regali prouidentia impossibilem rebus pacem dari. Item, vt legitur *dist. 17. cap. consilia §. hinc etiam*, Theodorus rex aduertens seditiones & dissensiones in clero propter Simachum papam commisit potestati pontificum, vt siue propositum vellent audire negatiuum, siue nollent, quod

magis

magis putarent vtile deliberarent, dummodo venerandi prouisione pax consilii in Romana ciuitate daretur. Ex quibus aliisque quamplurimis patet, quod quando ex quæstione fidei oriuntur diuisiones, sectæ & schismata, quæ absque laicorum sententia sedari non possunt, necesse est pro pace recurrere ad prouidentiam laicalem.

CAP. XCVII.

In quo probatur, quod in casu aliquo spectat ad laicos coertio Papæ hæretici, etiam si minime fuerint requisiti à prælatis ecclesiæ, vbi etiam ponitur opinio contraria, pro qua arguitur, & rationes pro eadem soluuntur.

Discipul. In capitulo 93. dixisti, quod tria sunt declaranda circa opinionem dicentem, coertionem papæ hæretici & quorumcunque hæreticorum in casu speciali ad laicos pertinere, de duobus autem primis sumus satis breuiter expediti, ideo modo tractemus de tertio, in quo scilicet casu spectat ad laicos coertio papæ hæretici & aliorum hæreticorum. *Magist.* Sicut dictum est prius, secundum quandam opinionem non eodem modo est de hæreticis omnibus sentiendum, nam hæreticorum quidam sunt laici, & alii sunt clerici, laici hæretici etiam quantum ad crimen hæresis sunt de foro iudicis secularis, hæretici autem clerici non sunt de foro iudicis secularis, nisi in specialibus casibus. *Discipul.* Intende primo probare, quod hæretici laici sunt de foro iudicis secularis. *Magist.* Ad hoc allegatum est supra *cap. 93.* *Discipul.* Peto vt ad eandem assertionem aliquas alias rationes cogitare nitaris. *Magist.* Hoc videtur posse probari. Primo sic: Ille, qui est minister Domini regis, præcipue habet iudicare peccata, quæ subditi sui committunt in Deum, reges autem sunt ministri Dei, quibus dicitur Sapient. *6. cum essetis ministri regis illius, non recte iudicastis* &c. ergo ad reges pertinet præcipue punire peccata, quæ subditi sui committunt in Deum, hæresis autem est peccatum in Deum, ergo ad reges spectat hæreticos sibi subiectos debita animaduersione punire. Secundo: ille habet punire hæreticos subiectos sibi, cuius est omne malum iudicare vel dissipare, sed hoc interest regis, teste Salomone Prouerbio. 20. cum dicit, *rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo*, ergo ad ipsum spectat omnes hæreticos sibi subiectos debite punire. Tertio sic: Ad eosdem spectat hæreticos in noua lege punire ad quos in veteri lege idololatras & blasphemos condigna pœna punire spectabat. Sed ad reges in veteri testamento spectabat hæreticos, idololatras, blasphemos condigna pœna punire, ergo & hoc spectat ad reges in nouo testamento. Maior videtur apparens. Minor probatur exemplis apertis, nam de rege Aza loquitur 3. Regum 15. quod *fecit rectum in conspectu Domini, sicut Dauid pater eius, & abstulit effœminatos de terra, purgauitq; vniuersas sordes idolorum, quæ fecerunt patres eius, insuper & Maacham matrem suam, ne esset princeps in sacris Priapi amouit, & in luco eius, quem consecrauerat, subuertitq; specum eius, & confregit simulachrum turpissimum.* Ex his verbis habetur aperte, quod rex Aza de idololatris, qui erant inter hæreticos computandi, zelo Dei fecit iustitiam. Item, vt patet *3. Reg. 10.* Helias omnes prophetas Baal occidit. Quarto sic: Si laici quoad crimen hæresis à iurisdictione regum & principum sunt exempti, aut ista exemptio est à iure diuino, aut à iure humano, non à iure diuino, quia de tali exemptione in scripturis sacris (in quibus continetur ius diuinum) nihil penitus inuenitur, igitur talis exemptio non est à iure diuino, nec à iure humano, quia si est à iure humano, aut est à iure Canonico, aut à iure ciuili, videlicet regum & principum secularium aut pontificum vel vniuersitatum, nō est talis exemptio à iure Canonico: quia conditores iuris Canonici sic non debent minuere iurisdictionem secularium, *extra de iudiciis, nouit*, itaq; non debent subditos secularium ab eorum iurisdictione eximere, nec talis exemptio est à iure ciuili secularium: quia in iure ciuili de tali exemptione non legitur, & ita laici à iurisdictione regum & principum quo ad crimen hæresis minime sunt exempti. Quinto sic: non minus est de foro iudicis secularis laicus hæreticus quam clericus hæreticus, sed clericus hæreticus quam cito degradatus est, est sic de foro iudicis secularis, quod est per eum debite puniendus, ergo laicus semper est de foro iudicis secularis: & per consequens ideo laicus potest & debet punire laicos hæreticos. *Discip.* Tenent ne omnes, quod laici quo ad crimen hæresis sunt sub foro iudicis secularis antequam à iudice ecclesiastico foro iudicis secularis relinquantur. *Magist.* Multi tenent, quod non. *Disc.* Pro ista assertione aliquas allegationes adducas. *Mag.* Ista assertio videtur expresse de intentione Lucii papæ, qui, vt habetur *extra de hæreticis ad abolendam*, ait: *laicus autem nisi (prout dictum est abiurata hæresi & satisfactione exhibita confestim ad fidem confugit orthodoxam,) iudicis secularis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinorum vltionem.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod laicus iudex laicum hæreticum punire non debet, antequam sibi ab ecclesiastico iudice relinquatur. Huic etiam Glo. concordare videtur dicens: *Laici enim per ecclesiam damnandi sunt de hæresi: sed iudex secularis illos punire debet*, ergo hęretici antequam per ecclesiam fuerunt condemnati non spectant ratione hęresis ad forum iudicis secularis. Item sicut causæ seculares non spectant ad iudices ecclesiasticos: sic nec causæ ecclesiasticæ pertinent ad iudices seculares, sed hæresis est causa ecclesiastica, teste Glo. quæ 2. q. 1. notat: *causarum alia ecclesiastica, alia secularis, & ecclesiasticarum alia est spiritualis, alia criminalis, alia ciuilis. Spiritualis est vbi ageretur de decimis vel matrimoniis. Criminalis vero vbi agitur de crimine ecclesiastico scilicet hæresis vel vsurarum, cuius examinatio spectat ad iudicem ecclesiasticum, infra c. si quis cum clerico, & 6. quæst. 1. cap. 1.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod ecclesiastica causa spectat

ctat ad iudicem ecclesiasticum: & per consequens non spectat ad iudicem secularem, causa autem hæresis est causa ecclesiastica, sicut in verbis prædictis habetur expresse, igitur causa hæresis non spectat ad iudicem secularem, & ita iudex secularis laicos hæreticos, antequam fuerint per ecclesiam cōdemnati, punire non debet. *Discip.* Quamuis istam assertionem secundam reputem consonam veritati, tamen qualiter contingat respondere ad motiua istius assertionis secūdæ, libenter audirem. *Magist.* Respondetur quod secundum Greg. vt recitatur dist. 29. c. regulæ: *Regula sanctorum patrum pro tempore & loco & persona ac negocio (instante necessitate) tradita sunt*, cui concordat Isidor. vt habetur dist. eadem c. 1. dicens: *Sciendum est quod plura capitula tam ex persona, ex loco & ex tempore consideranda sunt, quorum modi (quia medullitus non indagantur) in erroris labyrinthum nonnulli intricando impingunt: cū ante iudicant quam intelligant*, ideo auctoritates Lucii papæ & maiorum dicta, ex qua causa & fine & quo tempore intelligenda sunt, videre oportet, quo viso patebit, quod iudices seculares laicos hæreticos sibi subditos poterunt coercere. Dicitur ergo quod ideo Lucius papa negat laicum hæreticum, nisi ad fidem confugerit orthodoxam, secularis iudicis arbitrio relinquendum: quia pro tempore, & forte semper fuit ita, quod iudices seculares de hæreticis, antequam essent à iudice ecclesiastico condemnati, se nullatenus intromiserunt, propter negligentiam igitur secularium iudicum, ecclesia se de hæreticis laicis intromisit inquirendo & conuincendo ipsos: sed nullam pœnam voluit eis inferre, sed voluit quod pœna debita inferretur per iudicem secularem. Sicut igitur iudex ecclesiasticus sæpe propter negligentiam iudicis secularis nonnunquam compellit eundem iustitiam exercere: ita & modo facit ecclesia laicos punire hæreticos, quos tamen iudices seculares possent debite coercere. Cum igitur dicit Glos. quod laici per ecclesiam condemnandi sunt de hæresi, verum dicit de facto: quia iudices seculares quamuis de iure possent inquirere & corrigere laicos hæreticos sibi subiectos, id tamen de facto sæpe omittunt, & ideo ne hæretici laici remaneant impuniti in præiudicium fidelium & periculum fidei orthodoxæ, iudex ecclesiasticus supplet negligentiam iudicum secularium, & de ipsis inquirit, eosque quos conuincit damnat, iniungens iudici seculari, quod eos debita pœna percellat. Et ad hoc insinuandum Glossa prædicta post verba præscripta immediate post subiungit: *hoc verum, nisi vbi traditur laicus curiæ seculari, sed clericus solummodo, infra de verborum signi. c. nouimus: quia laicus semper est de foro seculari.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod laicus non est exemptus à foro seculari pro crimine hæresis, sed cum iudex secularis laicos hæreticos negligeret coercere, damnandi sunt primo à iudice ecclesiastico: & postea compellendus est iudex secularis punire eosdem, & propter hoc subiungit Glossa ibidem: *sed in casu isto executio fit solummodo per secularem iudicem*, hoc est, quod quamuis condemnatio valeat fieri per iudicem ecclesiasticum supplentem in hoc negligentiam iudicis secularis, tamen executio punitionis fieri debet à seculari iudice tantummodo. Cum vero alia Glossa dicit, quod causa hæresis est causa ecclesiastica, conceditur quantum ad clericos hæreticos, quia clerici hæretici non sunt de foro iudicis secularis, nisi in quibusdam casibus determinatis, quantum ad laicos autem causa hæresis est causa secularis & etiam causa ecclesiastica: quia iudex secularis habet punire laicos hæreticos: & ideo est causa secularis, est etiam aliquo modo causa ecclesiastica: quia iudex ecclesiasticus supplendo negligentiam iudicis secularis, potest hæreticos laicos condemnare. *Discipul.* Istud apparentia videtur carere, nam crimen hæresis nullo modo est crimen seculare. Cum, quia committitur directe in Deum. Tum quia est peccatum in religionem Christianam solummodo. Tum quia apud iudices seculares paganos non esset crimen, igitur nullo modo est crimen seculare, ergo est solummodo crimen ecclesiasticum. Ex quo patenter infertur, quod solummodo ad ecclesiasticum iudicem spectat, & non ad secularem. *Magist.* Licet crimen sit ecclesiasticum, & non seculare: tamen spectat ad iudicem secularem, quia ad iudicem secularem non tantum spectat crimina secularia punire, sed etiam crimina commissa in Deum & in personas & in res ecclesiasticas, hoc enim habet omnis lex & secta, quod reges & principes distincti à sacerdotibus non solum puniunt crimina secularia, sed etiam crimina quæ reputant in Deum vel in Deos suos & in sectam commissa, propter hoc etiam reges in veteri testamento idololatras punierunt, Imperatores etiam iudices paganorum Christianos tanquam contra Deos suos & sectam grauiter delinquentes acerbissime persecuti sunt. Sic etiam reges Christiani homicidas sacerdotum & furantes res ecclesiasticas plectunt pœna debita, & tamen homicidium sacerdotis & furtum rei ecclesiasticæ sunt crimina ecclesiastica, ergo multa crimina ecclesiastica ad secularem iudicem spectant, & ita per hoc, quod crimen hæresis est crimen ecclesiasticum & in Deum committitur, probari non potest quod ad iudicem secularem minime spectat. Huic August. concordare videtur, prout legitur 23. q. 5. *si propterea*, ait: *Si propterea persecutor non fuit Nabuchodonosor rex, quia scelus in sanctum Danielem commissum vindicauit iustissime: quomodo vindicandum est à regibus, quod Christi sacramenta exsufflantur, si prophetæ membra, quia in periculum missa sunt, sic vindicari meruerunt?* Ex quibus verbis datur intelligi, quod multo magis vindicandum est à regibus peccatum, quod in Deum committitur, quam peccatum quod in prophetam vel in sacerdotem committitur. Si igitur rex potest & debet absque inquisitione prælatorum punire homicidam sacerdotis sibi subiectum; multo magis potest & debet debita animaduersione ferire sibi subiectos, si per prauitatem hæreticam Dei offenderint maiestatem.

CAP.

CAP. XCVIII.

In quo quæritur, an Papa hæreticus, seu quiuis alter clericus possit per iudicem secularem coerceri etiam si à prælatis ecclesiæ minime fuerit requisitus, & recitantur tres opiniones & prima probatur auctoritatibus, ad quas respondetur ca. 100. in principio. Dictum vero secundæ & tertiæ opinionis probatur cap. sequenti.

DIscip. Postquam indagauimus de hæreticis laicis, an iudicio regum & secularium iudicum absque inquisitione prælatorum ecclesiæ sint subiecti, vertamus stylum ad clericos: & specialiter ad papam hæreticum, an in aliquo casu papa vel clericus alius hæreticus per iudicem secularem debeat coerceri, si iudex secularis super hoc à prælatis ecclesiæ minime fuerit requisitus. *Mag.* Circa hoc sunt opiniones diuersæ, quarum vna est, quod nec de clericis hæreticis nec quibuscunque aliis laici nisi per prælatos ecclesiæ fuerint requisiti, in nullo casu intromittere se debent. Alia opinio est, quod laici, deficiente ecclesiastica potestate, de clericis etiam de papa hæretico possunt diffinitiuam proferre sententiam, & executioni eandem sententiam demandare. Tertia opinio est hæc, quod deficiente ecclesiastica potestate laici possunt & debent papam hæreticum, & eadem ratione alios clericos hæreticos, detinere, & ne virus suæ iniquitatis effundant in alios prohibere: sed diffinitiuam contra ipsum vel ipsos non debent nec possunt proferre sententiam: nec per consequens sententiam executioni mandare. *Discipul.* Pro prima opinione, quam puto veram, allega. *Magist.* Hæc videtur sententia Lucii papæ esse, qui, vt habetur *extra de hæreticis, ad abolendam*, ait: *Statuimus de hæreticis, vt Comites, Barones, Rectores & Consules ciuitatum, & aliorum locorum, iuxta monitionem episcoporum (præstito corporaliter sacramento) promittant quod fideliter & efficaciter (cum ab eis fuerint requisiti) ecclesiam contra hæreticos & horum complices adiuuabunt bona fide secundum posse suum, si vero illud obseruare noluerint, honore, quem obtinent, spolientur, & ad illos nullatenus assumantur (eis nihilominus excommunicatione ligandis) terris eorum interdicto ecclesiæ supponendis, ciuitas autem quæ his institutis duxerit resistendum vel (contra monitionem episcopi) punire neglexerit resistentes, aliarum careat ciuitatum commercio, & episcopali se nouerit dignitate priuandam.* Ex his verbis datur intelligi, quod laici & iudices seculares de punitione clericorum se intromittere non debent, nisi per prælatos ecclesiæ fuerint requisiti. Cui concilium generale sub Innocen. 3. papa celebratum, vt legitur supradicto *c. excommunicamus*, concordare videtur, in quo sic scribitur: *moneantur*, inquit, *& inducatur, & si necesse fuerit per censuram ecclesiasticam compellantur seculi potestates (quibuscunque fungantur officiis) vt sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publice iuramentum; quod de terris suæ iurisdictioni subiectis vniuersos hæreticos ab ecclesia damnatos bona fide pro viribus exterminare studebunt: ita quod à modo quandocunque aliquis in potestatem siue per potentiam temporalem assumptus fuerit, hoc teneatur totum iuramentum firmare, si vero Dominus temporalis requisitus & monitus ab ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hæretica feritate, per metropolitanum vel comprouinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur* &c. Ex quibus verbis datur intelligi, quod punitio hæreticorum non spectat ad laicos, nisi fuerint per ecclesiam requisiti.

CAP. XCIX.

In quo quæritur consequenter, an laici deficiente ecclesiastica potestate, habeant Papam hæreticum seu alios clericos hæreticos detinere & prohibere ne suam prauitatem in alios diffundant.

DIscipul. Ista mihi sufficiant pro assertione prædicta, præsertim cum clerici à iurisdictione laicorum sint exempti, sane quia opinio secunda & tertia in hoc concordant, quod laici deficiente ecclesiastica potestate habent papam hæreticum & eadem ratione alios clericos hæreticos detinere: & etiam prohibere, vt non valeant in alios hæreticam infundere prauitatem, de hoc solo omissis aliis, in quibus discrepant opiniones prædictæ, dicere non postponas. *Magist.* Assertionem dictam magis intelliges, si fuerit declaratum, quomodo intelligant ecclesiasticam posse deficere potestatem.

Disc. Dic quomodo hoc debet intelligi. *Mag.* Quod papa effecto hæretico ecclesiastica potestas deficiat quatuor modis potest intelligi, videlicet per impotentiam, per malitiã, per damnabilẽ negligentiam & per ignorantiam. Per impotentiam quidem, si papa hæreticus tanta vteretur potentia tẽporali, vt nullus p̃latus ecclesiæ (nec illius diœcesis in qua papa hæreticus moraretur) nec alius posset ad brachium seculare recurrere: vtpote si omnes prælatos catholicos teneret in vinculis, vel aliis modis impediret, ne ad seculare volarent auxilium. Alio modo potest ecclesiastica potestas defice-

deficere per impotentiam, puta si aliqui prælati catholici impotentes & pauperes requirerent laicos aliquos pro papa hæretico coercendo, & illi nollent eos iuuare. Secundo modo potest intelligi deficere potestas ecclesiastica per malitiam: puta si omnes prælati ecclesiæ & clerici papæ hæretico adhærerent eius errores vel personam pro viribus defendendo. Tertio potest deficere ecclesiastica potestas per damnabilem negligentiam, vtpote si prælati & clerici qui possent per se (inuocato auxilio brachii secularis) papam hæreticum coercere: & tamen conculcationem fidei nullatenus attendentes, vel non accusantes ipsum permittant libere in suis erroribus remanere. Quarto potest deficere ecclesiastica potestas per ignorantiam: vtpote si prælati ecclesiæ, saltem multi qui possent papam hæreticum coercere, nescirent ipsum in prauitatem hæreticam incidisse. Istis quatuor modis (papa hæretico existente) potest intelligi potestas ecclesiastica dificere. *Discipul.* Intelligo quomodo dicunt ecclesiasticam potestatem posse deficere, ideo nunc allega pro assertione præfata. *Magist.* Quod deficiente ecclesiastica potestate aliquo prædictorum modorum laici valeant papam hæreticum captiuare, & ne prauitate hæretica inficiat alios prohibere, multis modis, tam scilicet aliorum testimoniis, quam rationibus videtur posse probari. Hoc enim Glossa *distin. 17. c. non licuit*, sententialiter & verbaliter videtur asserere, ait enim: *Vbicunque deficit ecclesiastica potestas, semper recurritur ad brachium seculare*, siue ergo deficiat ecclesiastica potestas per impotentiam, siue per malitiam, siue per damnabilem negligentiam, coertio papæ hæretici, ne valeat fideles inficere, ad laicos aliquos pertinebit. Item hæc videtur sententia Isidor. qui, vt legitur *23. quæst. 5. c. principes*, ait: *Principes nonnunquam intra ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, vt per eandem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant*, vbi dicit Gloss. in hæc verba: *Et ecce laici habent iurisdictionem multipliciter intra ecclesiam, quandoque in personis, cum sunt incorrigibiles, vt 23. distinct. eos qui, & infra eadem de legislatoribus. Item quandoque propter ambitionem alicuius, vt 79. distinct. c. si quis pecuniam. Item cum fidem volunt subuertere, 8. dist. quo iure, & eadem cap. 1. & 17. distinct. vbi licuit, & infra. Item cum falsarius est clericus, & extra de crimine falsi, ad falsariorum, & cum schisma faciunt: & cum contemnunt excommunicationem, vt infra de legislatoribus, & vbicunque ecclesiastica potestas deficit, vt hic, & cum tributum petunt ab ecclesia, vt infra ca. q. 8. c. conuenior.* Ex quibus verbis habetur non solum sententialiter, sed etiam verbaliter, quod vbicunque ecclesiastica potestas deficit, laici habent iurisdictionem intra ecclesiam, hoc est super clericos & deficiente per consequens ecclesiastica potestate siue per impotentiam siue per malitiam siue per ignorantiam, laici super papam hæreticum obtinent potestatem, sed & ex eisdē verbis colliguntur diuersæ rationes, quare papa hæreticus ad iurisdictionem pertinet laicorum, quod debet intelligi, deficiente ecclesiastica potestate. Quarum prima est: quia papa hæreticus est incorrigibilis, ex hoc enim quod est pertinax, debet incorrigibilis reputari: etiam cum omnes incorrigibiles debeant coerceri deficiente ecclesiastica potestate est papa hæreticus per laicos coercendus. Secunda ratio assignatur ambitio, nam papa hæreticus per ambitionem occupans Apostolicam sedem (ne totus ordo ecclesiasticus confundatur & fides periclitetur) deficiente ecclesiastica potestate coerceri debet per prouidentiam laicorum. Tertia ratio propter hoc quod papa hæreticus fidem subuertere cupit, potestate ecclesiastica deficiente, est à laicis prohibendus. Quarta propter hoc, quod excommunicationem contemnit, ne excommunicatione cum eo catholici maculentur, per principes seculi quando ecclesiastica potestas deficit coerceri debet. Item Isidor. vbi prius, dicit in hæc verba: *cæterum intra ecclesiam potestates necessaria non essent, nisi vt quod sacerdotes non præualent efficere per sermonem doctrinæ, potestas imperet per disciplinæ terrorem, sæpe enim per regnum terrenum cœleste regnum proficit: vt qui intra ecclesiam positi contra fidem & disciplinam agunt, rigore principum terreantur, ipsamque disciplinam, quam vtilitas ecclesiæ exercere non præualet, ceruicibus super horum potestas principalis imponat.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod quando circa correctionem eorum, qui contra fidem & disciplinam agunt, deficit ecclesiastica potestas, tales sunt per principes comprimendi. Si igitur papa est hæreticus, & sacerdotes per doctrinæ sermonem eum non valent vel nolunt corrigere: per potestates publicas comprimi debet. Item Pelagius papa, vt habetur *23. quæst. 5. c. quali*, ait: *Hoc etiam diuinæ & humanæ leges statuerunt, vt ab ecclesiastica vnitate diuisi & eius pacem iniquissime perturbantes, à secularibus potestatibus etiam comprimantur, nec quicquam maius est, vnde Deo sacrificium possitis offerre, quam si ordinetis vt hi qui in suam & aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compesci.* Ex quibus verbis euidenter habetur, quod secundum leges diuinas ab ecclesiæ vnitate diuisi & eius pacem perturbantes per seculares debent comprimi potestates, papa autem hæreticus ab vnitate ecclesiæ est diuisus, cuius pacem iniquissime nititur perturbare, quia dum fides ecclesiæ corrumpitur & laceratur, vera pax ecclesiæ perturbatur, igitur papa hæreticus, vbi deficeret ecclesiastica potestas, esset per potestates publicas compescendus.

Discip. Quæ sunt illæ leges diuinæ, quibus statuitur, quod ab ecclesię vnitate diuisi & eius pacem iniquissime perturbantes, sunt per potestates publicas comprimendi? *Magist.* Respondetur, quod illæ leges diuinæ specialiter de hæreticis perturbantibus ecclesiam habentur *Deut. 13. & 17.* nam Deut. 13. non solum sacerdotibus, sed etiam generaliter omnibus & specialiter in potestate constitutis sic præcipitur: *si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium dicat se vidisse, & prædixerit signum & portentum, & venerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam sciat vtrum diligatis eum, aut non in toto corde & in tota anima vestra*, & post ait: *Propheta autem*

autem ille aut fictor somniorum interficietur: quia locutus est vt vos auerteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo seruitutis, vt errare te faceret de via quam praecepit tibi Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui, ibi immediate subiungitur: *si voluerit te persuadere frater tuus Filius matris tuae, aut Filius tuus, vel Filia, siue vxor tua, quae est in sinu tuo, aut amicus quem diliges vt animam tuam, dicens: exeamus & seruiamus diis alienis quos ignoras tu & patres tui cunctarum in circuitu gentium, quae iuxta vel procul sunt ab initio vsque ad finem terrae, non acquiescas ei, neque audias neque parcat ei oculus tuus & miserearis, & auscultes eum: sed statim interficies eum*, & post sic legitur: *si audieris in vna vrbium tuarum, quas Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos, egressi sunt filii Belial, & euerterunt habitatores vrbis atque dixerunt: eamus, seruiamus diis alienis quos ignoratis, quaere sollicite & diligenter (rei veritate perspecta) si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores vrbis eius in ore gladii*. Item Deuterono. 17. sic scribitur: *Cum reperti fuerint intra vnam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, aut vir aut mulier, qui faciunt malum in conspectu Domini Dei tui, vt transgrediantur pactum eius, vt vadant & seruiant diis alienis & adorent eos & solem & lunam & omnem militiam coeli quam non praecepi, & hoc tibi fuerit nunciatum, audiensque inquisieris diligenter, & verum esse repereris abominationem factam esse in Israel, educes virum & mulierem, quae rem sceleratissimam perpetrauit ad portas ciuitatis tuae & lapidibus obruentur.* Hae sunt leges diuinae contra omnes auertentes & conantes auertere à veritate legis diuinae, inter quos constat haereticos computandos indistincte cunctos constringentes catholicos, vt vniuersos à lege Dei apostatantes delere conentur, quae leges non esse ordinem iuris in hoc obseruandum aperte declarant, vt scilicet quicunque viri vel mulieres, vel sacerdotes, vel non sacerdotes, vel prophetae, id est doctores, vel alii de prauitate haeretica, seu apostasia à fide accusantur vel etiam diffamantur, omni diligentia & sollicitudine veritas inquiratur per quoscunque fideles, ad quos accusatio vel diffamatio talis peruenerit, si non sint superiores, qui velint vel possint inquirere de veritate, iustitia minime differatur, sed tales maledicti pro suis demeritis puniantur. *Discipul.* Talis inquisitio & punitio non debet fieri per quoscunque: sed solummodo per iudices, quibus talia ex officio suscepto incumbunt. *Magist.* Conceditur quod talia primo spectant ad iudices: si tamen iudices non possunt vel nolunt in hos iustitiam exercere, ad subiectos spectat facere de hoc iustitiae complementum, propter quod verba praedicta legum, non ad iudices tantummodo pertinent, sed indistincte ad cunctos catholicos diriguntur, vt intelligant vniuersi fideles, quod huiusmodi iustitia in nullo casu debet differri: sed quicunque fideles subditi vel alii iustitiam facere debent, si tantam habuerint potestatem vt queant leges diuinas executioni mandare, propter quod Helias propheta, quamuis non esset sacerdos nec iudex, iussit populo, non iudicibus, apprehendere prophetas Baal: quos comprehensos duxit ad torrentem Cyson, & interfecit eos ibi, vt legitur *3. Regum. 18.* ergo leges diuinae praedictae non solum iudices, sed subiectos vniuersos constringunt: ordine tamen quodam, vt primo ad talem iustitiam faciendam iudices obligentur, secundo autem subiecti, si iudices non possunt vel nolunt iustitiam exercere.

Discipul. Istae leges diuinae cum pertineant non ad moralia, sed ad iudicialia legis diuinae antiquae fideles sub lege libertatis constitutos nequaquam constringunt. *Magist.* In legibus supradictis aliquid est morale & aliquid est iudiciale, morale est, quod fideles haereticis & apostaticis à fide cupientibus alios & lege Dei auertere, nullo modo consentire tenebantur, sed eis obuiare & resistere modis sibi conuenientibus, legemque diuinam obseruare, defendere & tueri tenebantur. Iudiciale autem erat, quod occidi debebant, licet ergo fideles sub lege libertatis constituti ad id, quod est iudiciale in legibus memoratis minime astringantur: quia ratione illarum legum non tenentur haereticos aut à fide apostatantes neci tradere corporali: ad illa tamen quae in illis legibus moralia sunt cuncti Christiani necessario sunt astricti, & ideo nec haereticis consentire debent nec fauere nec obedire: sed ipsis resistere pro viribus & prohibere, ne fidem corrumpere valeant orthodoxam principes seculi: & propter eorum negligentiam vel malitiam ad id omnes Christiani tenentur.

Discipul. Nunquid aliquis doctorum ab ecclesia receptorum tenet praedictas leges veteris testamenti nunc à catholicis vniuersis esse seruandas? *Magist.* Beatus Cyprianus, vt legitur *23. q. 5. c. si audieris*, hoc videtur expresse sentire, ait enim: *si audieris in vna ex ciuitatibus, quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare illic dicentes, eamus & seruiamus diis alienis, quos non nouisti, interficies, necabisque omnes qui sunt in ciuitate in caede gladii, & incendes ciuitatem igni: & erit sine habitaculo, in aeternum non readificabitur, etiam nunc vt auertatur Dominus ab indignatione irae suae & dabit tibi misericordiam, & miserebitur tui & multiplicabit te, si audieris vocem Domini Dei tui & obseruaueris praecepta, cuius praecepti & vigoris memor Mathathias interfecit eum qui ad aram sacrificaturus accesserat, quod si ante aduentum Christi circa Deum colendum & idola spernenda haec praecepta seruata sunt: quanto magis sunt post aduentum Christi circa Deum colendum seruanda, quando ille veniens non solum verbis nos hortatus sit, sed etiam factis.* Ex quibus verbis colligitur quod leges praescriptae sunt magis seruandae post aduentum Christi quam ante, quod intelligendum est de moralibus, quae in praedictis legibus continentur.

Disc. Quamuis ista moralia seruanda sunt à iudicibus, non tamen ab omnibus. *Mag.* Contra hoc videt

videtur Glossa in præallegato capitulo: quæ super verbo *necabis*, ibi ait: *Tu quicunque sis. Et sic quandoque qui non est iudex potest punire maleficos, vt infra eo q. vltim. legi.* ex quibus verbis datur intelligi, quod non solum ad iudices, verum etiam ad alios pertinet in hoc casu, scilicet cum volunt subuertere hæretici fidem, & non apparet qui eis resistat, punire maleficos. Et ita cum papa est hæreticus, & clerici non possunt vel nolunt ipsum coercere, ipsius coercio spectat ad laicos, quamuis per clericos non fuerint requisiti. *Discip.* Si plura testimonia maiorum sonant eandem assertionem, ipsa non differas allegare. *Magist.* Hoc Pelagius papa, vt legitur *23. q. 5. c. non vos*, sentire videtur, cum dicit: *malum autem schisma esse & per exteras etiam potestates huiusmodi opprimi debere homines & canonica scriptura auctoritas & paternarum nos regularum veritas docet*, igitur hæretici etiam clerici sunt per potestates exteras comprimendi, & per consequens papa hæreticus (si potestas deficiat clericorum) per principes laicorum compesci deberet. Item papa Pelagius infra *eo cap.* de Liguribus scribens Narso principi ait: *regulæ patrum hoc specialiter constituerunt, vt si qua ecclesiastici officii persona, cui subiectus est, restiterit, vel seorsum turbas collegerit, aut aliud altare erexerit, seu schisma fecerit, iste excommunicetur atque damnetur, omnes schismaticos etiam per exteras potestates opprimendo. Quod si forte hoc contempserit, & permanserit diuisiones & schismata faciendo, per potestates publicas opprimatur. Ecce Domine, quia animus noster forte timidus est, nec persequi videaris, de patrum auctoritate vobis hæc breuiter scribenda curaui: cum mille alia exempla & constitutiones sint, quibus euidenter cognoscitur, vt facientes scissuras in sancta ecclesia, non solum exiliis sed etiam inscriptione rerum & dura custodia per publicas potestates debeant coerceri.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod episcopi, de quibus fuit sermo in capitulo supradicto Pelagii, si excommunicationem & damnationem contemnendo scissuras & schismata fecerint, quales sunt episcopi hæretici, auctoritate canonum sanctorum patrum debent per potestates publicas coerceri, ergo si papa fiat hæreticus, quantumcunque prælati ecclesiæ noluerint vel non potuerint ad ipsum coercendum auxilium inuocare brachii secularis, publicæ potestates non solum auctoritate diuinæ legis, & rationis simul ex lege diuina & naturali dictamine rationis acceptæ: sed auctoritate constitutionum patrum sanctorum possunt & debent papam hæreticum coercere. Item Augustin. vt legitur *11. q. 3. cap. Imperatores*, scribens Donatistis, qui erant clerici & quidam eorum episcopi, ait: *ipse Nabuchodonosor post miraculum trium puerorum commotus atque commutatus pro veritate contra errorem edictum proposuit, vt quicunque blasphemarent Deum Sydrach, Mysach & Abdenago, in interitum irent & domus eorum in ruinam, & non vultis vt aliquid tale contra vos iubeant Imperatores Christiani, cum sciant à vobis, quos rebaptizatis, Christum exsufflari?* Ex quibus verbis datur intelligi, quod quemadmodum Nabuchodonosor rex infidelis edictum proposuit contra blasphemantes Deum verum, sic possunt imperatores Christiani punire clericos hæreticos & episcopos Christum exsufflantes, sed Nabuchodonosor tale poterat edictum proponere à sacerdotibus minime requisitus, ergo imperatores possunt punire clericos hæreticos, & ita si papa fuerit hæreticus, & prælati non velint ipsum vel non poterint ipsum coercere, est per laicos comprimendus. Item Glossa *23. dist.* dicit, quod *clerici propter hæresim facti sunt de foro iudicis secularis.*

Discipul. Si pro assertione ista rationes aliquas cogitasti, ipsas adducas in medium. *Magist.* Assertio supradicta multis videtur rationibus posse probari: quarum prima est hæc. Contra crimen, quod est grauius in se & toti communitati fidelium periculosius & perniciosius oportet catholicos & fideles cum maiori vigore & sollicitudine & cautela resistere, sed crimen hæresis in papa grauius est & toti communitati fidelium perniciosius & periculosius, si circa eius correctionem ecclesiastica potestas deficit, siue per malitiam siue impotentiam siue per damnabilem negligentiam siue per ignorantiam, quam sit crimen apostasiæ ab ordine etiam post trinam monitionem, ergo cum maiori vigore, sollicitudine & cautela debent catholici vniuersi rescindere crimen hæresis in papa; quam crimen apostasiæ in clerico etiam post trinam admonitionem, sed publicæ potestates punire possunt clericos apostatas ab ordine post trinam admonitionem, ergo multo fortius deficiente ecclesiastica potestate publicæ potestates papam hæreticum compescere possunt, maior primi Syllogismi patet aperte, nam sæpe videmus crimina leuiora in se grauius puniri propter hoc quod sunt communitati periculosiora, & ita magis resistitur crimini leuiori propter hoc solum, quod est communitati periculosius, vnde & in multis regionibus, regnis & terris furtum grauius punitur quam adulterium: quoniam furtum punitur pœna capitali, quia est periculosius: adulterium vero non sic punitur, furtum autem licet sit periculosius communitati, tamen est leuius, teste Salomone, qui Prouerbio. 6. ait: *non grandis est culpa cum quis fuerit furatus, furatur enim vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet & liberabitur, qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam, turpitudinem & ignorantiam congregabit sibi, & opprobrium eius non delebitur.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod crimen furti est minus graue, quam adulterium. Sic etiam licet detractio leuius puniatur, quam furtum vel rapina: tamen grauius crimen est censendum, teste Anacleto papa, qui, vt habetur *6. quæst. 1. c. deteriores*, ait: *deteriores sunt qui doctorum vitam moresque corrumpunt his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt, ipsi enim ea quæ extra nos sunt (licet nostra sint) auferunt: nostri quoque detractores & morum corruptores nostrorum, siue qui aduersus nos armantur, propriè nos ipsos diripiunt*, & ita constat, quod minora sæpe (quæ magis nocent rei publicæ) grauius puniuntur, quod Glossa *extra, de immunitate ecclesiarum cap. vltimo*, insinuare videtur, quærit enim dicens:

dicens: *quare publicus latro & depopulator agrorum potius extrahuntur ab ecclesia, quam alius malefactor, qui forte deterior est?* Et respondens ait: *Quoniam plerumque interest illos puniri, quam alios malefactores: cum pluribus exitia cogitent, quam alii, 23. quaest. 4. c. est iniusta*, quod est capitulum Ambrosii, vbi ait: *Si quis latronem filiis deprecantibus motus & lachrymis coniugis eius inflexus absoluendum putat: cui adhuc latrocinandi aspirat affectus, nonne innocentes tradet exitio, qui liberat exitia multorum cogitantem?* Ex quibus verbis colligitur, quod ideo aliqua crimina grauius vindicantur, quia sunt grauius communitati nociua, & ita patet maior Syllogismi primi. Minor (scilicet quod crimen hæresis in papa non solum est in se grauius, sed etiam periculosius & perniciosius communitati) est de se manifesta & ex verbis Augustin. quæ ponuntur *distinct. 83. capitulo nemo*, patenter habetur. Ait enim: *Nemo quippe in ecclesia amplius nocet, quam si peruerse agens, nomen & ordinem sanctitatis & sacerdotis habet, delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia peccator honoratur.* Ex quibus inferri potest, quod nemo amplius in ecclesia nocet, quam qui peruerse docens nomen papæ habet, quia doctrina eius pestifera vehementer diffunditur, si pro reuerentia summi pontificis hæreticus honoratur.

Quod autem publicæ potestates punire debeant apostatantem ab ordine clericum post trinam monitionem (quæ est minus periculosa & minus nociua quam crimen hæreticæ prauitatis in papa) patet aperte ex eo, quod *extra de senten. excommun. capitul. in audientia*, sic legitur: *huiusmodi clerici, si à prælatis suis tertio moniti militaria arma nolunt deponere, de priuilegio clericorum subsidium aliquod habere non debent*, igitur multo fortius si papa à fide catholica apostatauerit, prauitatem hæreticam incurrendo, & docendo si prælati ecclesiæ eum noluerint vel non potuerint coercere, compesci debet per publicas potestates.

Discipul. Ista ratio falsum videtur accipere, cum innuit, quod peccatum leuius aliquotiens grauius vindicatur: & quod peccatum periculosius est grauius puniendum, vtrumque enim istorum scripturis autenticis repugnare videtur. Ait enim Hieronymus, vt legitur *24. q. 1. c. non afferamus*: *quis iam dubitet hoc esse sceleratius commissum, quod est grauius vindicatum?* Ex quibus verbis patenter videtur haberi, quod grauius peccatum grauius vindicatur. Quod etiam secundum, scilicet quod peccatum magis nociuum grauius debeat vindicari, scripturæ diuinæ repugnat, patet, nam furtum est peccatum magis nociuum communitati quam adulterium: & tamen adulterium pœna capitis punitur, non autem furtum. *Magist.* Ad primum istorum respondetur, quod regulare est illud, quod est sceleratius commissum, esse grauius vindicandum, fallit tamen in casu secundum quod notat Glos. *1. quaest. 1. c. cito*, nam interfector propriæ vxoris punitur grauius quam matricida *33. q. 2. admonere*, etiam in multis aliis casibus fallere inuenitur. Ad secundum autem dicitur, quod accidit furto quod sit magis nociuum communitati quam adulterium, aliquando est magis nociuum & aliquando minus nociuum, & ideo aliquando minus punitur in aliquibus regionibus, & quandoque grauius vindicatur, sed crimen hæresis in papa est periculosissimum: ideo contra crimen hæresis papæ est vigilantissime occurrendum, & ideo nullum crimen clericorum minus hæresi in nullo casu debet magis spectare ad laicos, quam crimen hæresis in papa, quando clerici nolunt aut non possunt papam hæreticum coercere.

Secunda ratio est hæc: Qui ecclesiam Dei à Deo recipiunt defendendam, nec propter clericorum impotentiam nec propter eorum malitiam nec propter eorum ignorantiam nec propter eorum negligentiam debet circa defensionem negligentes existere vel remissi esse, principes autem seculi à Deo suscipiunt ecclesiam defendendam, teste Isidoro, qui, vt legitur *23. q. 5. c. principes*, ait: *Cognoscant principes seculi Deo se debere rationem esse reddituros propter ecclesiam, quam Christo tuendam suscipiunt, nam siue augeatur pax & disciplina ecclesiæ per fideles principes siue soluatur: ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam ecclesiam credidit committendam*, igitur principes populi deficiente ecclesiastica potestate siue per impotentiam siue per malitiam siue per ignorantiam vel negligentiam, defensionem ecclesiæ negligere minime debent, non autem defendunt ecclesiam nisi papam hæreticum cupientem fidem & veritatem ecclesiæ dissipare à conatu maligno curauerint prohibere, ergo deficiente eclesiastica potestate aliquo prædictorum modorum principes seculi papam hæreticum, ne fidem corrumpat ecclesiæ, prohibere tenentur.

Tertia ratio est hæc: Non minorem potestatem habent laici super papam hæreticum sedem Apostolicam occupantem inique, quam super papam intrusum sedem Apostolicam inuadentem, nam vterque sedem Apostolicam occupat inique, sed papa hæreticus vltra occupationem sedis iniustam catholicos nititur trahere ad hæreticam prauitatem, ad quod intrusus papa non conatur. Laici autem potestatem habent papam intrusum de Apostolica sede pellendi, teste Nicolao papa, qui, vt legitur *distin. 70. c. Si quis pecunia*, ait: *Si quis pecunia vel gratia humana, aut populari seu militari tumultu: sine concordi & Canonica electione Cardinalium & sequentium religiosorum clericorum fuerit Apostolicæ sedi intronizatus, non Apostolicus sed Apostaticus habeatur. Licet itaque Cardinalibus, & aliis clericis Deum timentibus & laicis inuasorem illum anathematizare: & humano auxilio à sede Apostolica pellere*, ergo multo magis laici potestatem habent pellendi à sede Apostolica papam hæreticum eandem sedem indignius occupantem: quam si solummodo absque hæretica prauitate esset sedis inuasor, præsertim si prælati ecclesiæ noluerint vel non potuerint papam hæreticum debite coercere.

Quarta ratio est hæc: Gregorius in concilio generali Lugdunensi, vt habetur *extra, de electionibus*

nibus: *Vbi periculum intenditur in periculo est plenius agendum & consulendum*, sed maius periculum immineret Christianitati, si papa hæretica prauitate fuerit maculatus, & clerici ipsum noluerint vel non potuerint coercere, quam si sacerdos enormitatibus se miscuerit. Sacerdos enim se enormitatibus immiscendo potest licite per principes seculi coerceri, *extra, de sentent. excommunicationis, perpendimus*, vbi sic dicitur: *perpendimus ex literis tuis, quod quidam sacerdos pro eo, quod filium regis se nominari præsumpsit, & armis acceptis seditionem fecit & guerram, ab Comite iussum est fustigari, qui postea de eius mandato tractus patibulo expirauit. Et ideo sic duximus respondendum, quod si memoratus sacerdos tali modo processit, & non propulsando sed inferendo iniuriam fuerit occisus, non videtur nobis quod interfectores eius propter hoc ad obtinendam absolutionem apostolicam sedem adire cogantur*, vbi dicit Glos. quod *clericus immiscendo se enormitatibus priuilegium amittit*, igitur multo magis si papa est hæreticus, & si ipsum clerici noluerint, vel non potuerint coercere, est per principes seculi coercendus.

Quinta ratio est hæc: Publicę vtilitatis interest ne crimina remaneant impunita, *extra, de sentent. excommunicationis, vt fama*, quod potissime de illis criminibus potest intelligi, quæ in dispendium salutis omnium vergere dignoscuntur, crimen autem hæresis in papa præcipue noscitur vergere in dispendium omnium Christianorum: cum fides catholica, quam papa hæreticus satagit extirpare, sit fundamentum salutis ominium Christianorum, igitur crimen hæresis in papa impunitum nullatenus debet remanere, & per consequens si clerici non potuerint vel noluerint papam hæreticum coercere, per fideles laicos comprimi debet.

Sexta ratio est hæc: Sicut secundum canonicas sanctiones potius consideranda est causa facti quam ipsum factum: ita in legibus statuendis, interpretandis & intelligendis causa statuendi considerari debet, teste Isidoro, qui, vt allegatum est superius, *distinct. 19. capitulo primo*, ait: *sciendum est quod pleraque capitula ex causa, ex persona, ex loco & tempore consideranda sunt*, in pluribus autem decretis generalium conciliorum & summorum pontificum habetur, quod Domini temporales terras sibi subiectas ab hæretica prauitate studeant expurgare, *extra, de hæreticis, c. ad abolendam, & c. excommunicamus*, talia autem statuta non sunt in fauorem alicuius personæ: sed in fauorem vel in defensionem aut saluationem fidei catholicæ ordinata, igitur quandocunque imminet periculum fidei orthodoxæ, Domini temporales siue requirantur per prælatos, siue non, terras suas purgare tenentur ab hæretica prauitate. Ex quo patenter infertur: quod si clerici noluerint, vel non potuerint papam hæreticum coercere: principes seculares & laici in fauorem & saluationem fidei Christianæ papam hæreticum debent coercere. Confirmatur hæc ratio: quia posita causa ponitur effectus. Et vbi est ratio eadem, debet esse idem ius, scilicet causa & ratio quare principes seculi & publicæ potestates, cum fuerint requisiti à prælatis ecclesiæ, debent terras suas ab hæretica prauitate purgare, est ne fides periclitetur ecclesiæ, sed si papa fuerit hæreticus & clerici noluerint vel non potuerint ipsum coercere, periclitabitur fides ecclesiæ, nisi papa hæreticus prohibitus fuerit alios hæretica prauitate inficere per potentiam laicalem, ergo in hoc casu cum clerici noluerint, vel non potuerint papam hæreticum coercere, ipsum comprimere debet potentia laicalis.

Septima ratio est hæc: Magis defendenda est catholica fides, si eiusdem fidei periculum immineat, quam propria persona, hoc patet: quia catholici in multis casibus pro defensione fidei orthodoxæ proprias personas tenentur morti exponere, sed laicis catholicicis licet clericos attentantes eos occidere potenter repellere & detinere eosdem, si alio modo eorum violentiam non possunt euadere, quia licitum est vim vi repellere, *dist. 1. ius naturale*, igitur multo magis si papa hæreticus fidem conatur subuertere: & clerici nolunt vel non possunt ipsum comprimere, est per laicos comprimendus, ac in firma custodia detinendus, si alter nequit pro sua insania prohiberi.

Octaua ratio est: Sicut (iuxta promissionem Christi) fides catholica vsque ad finem seculi permanebit: ita in ecclesia Dei potestas de iure coercendi hæreticos vsque ad finem seculi remanebit, sed si papa cum omnibus clericis esset hæreticus, potestas coercendi de iure hæreticos non esset in papa & in clericis: quia illi omni potestate spirituali essent priuati, igitur in isto casu potestas coercendi hæreticos de iure esset ad laicos deuoluta, & ita laici in hoc casu haberent de iure potestatem papam hæreticum coercendi, & clericos sibi credentes.

Nona ratio est hæc. Principes seculares & laici arctius astringuntur fidem defendere orthodoxam, quam propriam patriam. Hoc probatione non indiget, sed principes seculares propriam patriam, cum periculum imminet, tenentur defendere, ergo multo magis cum periculum imminet fidei propter impotentiam vel malitiam, aut damnabilem negligentiam vel ignorantiam clericorum ex perfidia & potentia papæ hæretici fidem subuertere molientis, principes seculares & laici quamuis non fuerint per clericos requisiti debent resistere viriliter & eum potenter à sua vesania prohibere.

Decima ratio est hæc: Qui debitor est, vt catholicam veritatem defendat, debitor est vt potenter resistat catholicam veritatem impugnanti. Laicus autem debitor est, vt catholicam veritatem sibi notam defendat, igitur debitor est vt resistat viriliter & potenter catholicam veritatem impugnanti, & per consequens laici (licet fuerint per clericos nullatenus requisiti) si ipsi clerici papam hæreticum noluerint vel non potuerint coercere, ipsum debent comprimere. Maior apparet aperte: quia secundum Innocent. vt habetur *distinctio. 83. error. Veritas cum mi-*

cum minime defensatur, opprimitur, negligere quippe, cum possis perturbare peruersos, nihil aliud est quam fouere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, & per consequens eis, qui debent veritatem defendere, licet impugnanti veritatem pro viribus obuiare. Minor probatur auctoritate Iohannis Chrysost. qui, vt legitur *11. q. 3. c. nolite*, ait, sicut superius allegatum existit: *nam sicut sacerdos debitor est vt veritatem, quam audiuit à Deo, libere prædicet, sic laicus debitor est vt veritatem quam audiuit à sacerdotibus (probatam quidem in scripturis) defendat fiducialiter, quod si non fecerit prodidit veritatem.* Ex quibus verbis patet aperte, quod laicus debitor est vt defendat catholicam veritatem.

Discip. Ista ratio non probat, quod laicus sit debitor vt defendat veritatem, nisi fuerit à sacerdotibus requisitus, quod innuit Chrysost. cum dicit: *Laicus debitor est vt defendat veritatem, quam audiuit à sacerdotibus probatam quidem in scripturis*, ergo solum debet veritatem defendere, quando sacerdotes probant sibi veritatem per scripturas: & ipsum vt defendat requirunt. *Magist.* Nonnullis apparet quod friuola est instantia seu responsio, tum quia si laicus est debitor vt defendat veritatem, quam audiuit à sacerdotibus, multo fortius debitor est vt defendat veritatem quam legit in scripturis sacris. Tum quia laicus potuit audire veritatem à sacerdotibus ante omnem impugnationem veritatis. Igitur etiam mortuis sacerdotibus laicus debitor est vt veritatem quam audiuit ab eis in scripturis probatam, defendat. Ad defendendum enim veritatem non debet mouere laicum auctoritas sacerdotum, sed auctoritas & veritas scripturarum, & ita debet veritatem defendere, quamuis minime à sacerdotibus requiratur. *Discipul.* Alias rationes ad assertionem prædictam adducas. *Magist.* Vndecima ratio est hæc: ad illos spectat papam coercere hæreticum, qui ipsum minime coercendo à scelere nullatenus sunt immunes, sed laici non sunt immunes à scelere, si papam hæreticum cum eum clerici noluerint vel non potuerint coercere, non coercent, ergo in hoc casu debent papam hæreticum coercere. Maior probatione non indiget. Minor probatur sic, qui habent auctoritatem coercendi summos sacerdotes occisores Christi, habent & auctoritatem coercendi hæreticos negantes fidem Christi. Populus autem habuit auctoritatem coercendi summos sacerdotes occisores Christi, aliter non coercendo à scelere fuissent immunes, cuius contrarium dicit Augustin. *Psalmo 60.* & ponitur *23. q. 3. c. vltim.* ait: *ostendit propheta nec illos immunes à scelere esse, qui permiserunt principibus Christum crucifigere & interficere, cum pro multitudine timerentur: & possent illos à facto & se à consensu liberare. Qui enim desinit obuiare cum potest peruersis & non facit: consentire videtur*, ergo consimiliter populus habet auctoritatem coercendi papam hæreticum, & alios hæreticos fidem catholicam destruentes, si clerici noluerint, vel non potuerint eos coercere, nec est immunis à scelere si permittit papæ hæretico fidem corrumpere orthodoxam. Duodecima ratio est hæc: Non minus tenentur principes seculi fidem catholicam contra papam hæreticum defendere, quam tenentur socii socios, & infirmos contra latrones defendere, sed socii tenentur socios infirmos contra latrones defendere, teste Ambros. qui, vt legitur *22. q. 3. cap. fortitudo*, ait: *fortitudo quæ bello tuetur à barbaris patriam vel domi defendit infirmos vel à latronibus socios, plena iustitia est*, igitur multo magis principes fidem catholicam contra papam hæreticum, quem nolunt vel non possunt clerici comprimere, tenentur coercere. Tertiadecima ratio est hæc: qui alium tanquam excommunicatum vitare tenentur, ipsum à se in firma custodia sequestrare deberent, si aliter eius communionem euitare non possunt, sed principes seculares laici scientes papam esse hæreticum, ipsum tanquam excommunicatum vitare tenentur, quia omnis hæreticus sententia excommunicationis inuoluitur, igitur principes seculares & laici scientes papam esse hæreticum, ipsum sub firma custodia sequestrare tenentur, si eius communionem aliter vitare non possunt, quantumcunque non fuerint à clericis requisiti.

Cap. C.

In quo respondetur primo ad auctoritates capitulo 98. & consequenter ad rationes & auctoritates capitulo 91. in contrarium adductas.

D*Iscipulus.* De istis rationibus post completionem huius operis collationem habebo, nunc autem peto, vt indices quomodo in contrarium respondere contingat, & primo dic ad illa, quæ allegantur superius *capitul. 98.* *Magist.* Ad illa vnica ratione respondetur: quod illæ auctoritates ibidem adductæ sunt puræ affirmatiuæ, & ideo ista negatiua: *hæretici non sunt puniendi per laicos, nisi fuerint à prælatis ecclesiæ requisiti*, inferri non potest. *Discipul.* Ista est breuis responsio, de qua alias tecum conferam diligenter, ideo ostende, quomodo respondetur ad allegationes supra *capitulo 91.* adductas. *Magist.* Ad primam dicitur, quod papa hæreticus in casu præscripto, scilicet quando clerici nollent vel non possent eum corrigere, est de foro iudicis secularis, quantum ad hoc, quod potest ipsum in firma custodia detinere & prohibere ne in alios virus prauitatis hæreticæ effundat: potest etiam de ipso inquirere, ipsumque sollicite

examinare & audire, sed non potest degradare, neque diffinitiuam contra ipsum proferre sententiam, & in hoc deferretur futuris prælatis catholicis zelum ex fidei charitate habituris, quia secundum nonnullos degradatio papæ hæretici, & prolatio diffinitiuæ sententiæ contra ipsum essent à prælatis ecclesiæ (quibus Spiritus sanctus infunditur) reseruatæ. Cum vero accipitur, quod clerici non sunt de foro iudicis secularis: Respondetur, quod hoc fallit in multis casibus, *extra de sentent. excommunic. cum vero ab homine, & c. perpendimus, & extra, de apostа. capitul. 1. & extra, de vita & honesta. cleric. capitul. vltimo.* vnde sicut allegatum est prius, Glossa *23. quæstion. 5. cap. principes*, plures casus notat, in quibus laici habent iurisdictionem super clericos, inter quos est vnus, cum clerici volunt fidem subuertere, ad forum pertinent iudicis secularis, potissime papa hæreticus, quem clerici nolunt, vel non possunt corrigere, ad forum spectabit iudicis secularis, quia si periculis minoribus oportet occurrere, multo fortius necesse est maioribus periculis obuiare, vt colligi potest ex verbis beati Gregorii in generali concilio Lugdunensi *extra de electionibus, vbi periculum, libro 6.* Sed minus periculum immineret fidei, si clerici inferiores fuerint prauitate hæretica irretiti, quam si papa conatus fuerit totam ecclesiam labe hæretica maculare, igitur si quicunque clerici inferiores in quocunq; casu spectant ad forum iudicis secularis: potissime debent iudices seculares & laici resistere papæ hæretico, quando eum clerici nolunt vel non possunt coercere.

Discipul. Per istam rationem laici in hoc casu possent papam hæreticum neci tradere corporali: quia in nonnullis casibus laici clericos hæreticos licite possent occidere. *Magist.* Respondetur, quod in omnibus causa est consideranda, causa autem quare clerici hæretici in nonnullis casibus fiant de foro iudicis secularis, est vt ad terrorem aliorum debite comprimantur. Similiter causa, quare papa hæreticus, quem clerici nolunt vel non possunt coercere, est per laicos comprimendus, est, ne fides catholica per papam hæreticum comprimatur; & ideo vbi fides saluaretur catholica per solam vinculationem, vel captiuationem papæ hæretici, laici ad aliam pœnam procedere non deberent, vbi autem à papa hæretico in sola captiuitate detento periculum fidei probabiliter timeretur, & per eius mortem fides saluaretur, ad mortem corporalem papæ hæretici possent procedere laici zelo fidei orthodoxæ.

Discipul. Licet sæpe reperiatur cautum in iure, quod clerici non spectent ad forum iudicis secularis, tamen in multis casibus hoc fallit, qui per conditores legum, quibus cauetur, quod clerici non pertinent ad forum iudicis secularis, plures casus excipiuntur, inter quos non inuenitur casus de papa hæretico, quia de illo casu in iure nunquam fit mentio, ideo casus de papa hæretico non debet inter alios casus computari, & ita papa hæreticus nunquam spectabit ad forum iudicis secularis, nisi per prælatos ecclesiæ fuerit traditus curiæ seculari. Confirmatur hæc ratio: quia eius est interpretari legem, cuius est condere, cum igitur conditor legum, quibus cauetur, quod clerici non spectant ad forum iudicis secularis, nunquam dictas leges taliter interpretetur, vt casum de papa hæretico excipiat, in nullo casu papa hæreticus spectabit ad forum iudicis secularis, nisi in quo secundum exceptiones sacrorum canonum aliquando clerici hæretici fiunt de foro iudicis secularis. Illi autem non fiunt de foro iudicis secularis, quin scilicet primo fuerint degradati: & postea traditi curiæ seculari, *extra, de hæreticis, ad abolendam, & capit. excommunicamus*, igitur similiter papa hæreticus non spectabit ad forum iudicis secularis, nisi antea fuerit degradatus, & curiæ seculari traditus.

Magist. Respondetur, quod non illius solius est interpretari legem, cuius est condere, quod Glossa *extra, de apostatis capitul. primo*, insinuat manifeste, nam diuersas interpretationes legum enumerans, quarum prima est principis legem condentis, alia consuetudinis, alia iudicis, subiungit: *alia est quæ non est generalis, nec redigenda in scriptis magistrorum.* Ex quibus verbis habetur, quod non solius condentis legem est interpretari eandem. Ad cuius euidentiam dicitur esse sciendum, quod interpretatio legis non videtur esse, nisi quædam declaratio intellectus legis seu expositio apertior, vnde tunc solum videtur interpretatio legum, quando ignoratur intellectus legis. Ex tribus autem causis potest ignorari intellectus legis. Quandoque enim verba legis propter aliqua verba æquiuoca vel multiplicia in ipsa contenta, possunt habere diuersos sensus, quorum nullus repugnat iuri diuino, nec iuri naturali, nec iuri positiuo minime abrogato, & in hoc casu interpretatio legis solummodo spectat ad conditorem legis vel superiorem, qui eandem legem condere posset. Quia sicut aliorum non est condere legem ambiguam, sic non est aliorum condere eandem sub determinato sensu, & per consequens non est aliorum asserere talem sub tali sensu debere intelligi, quandoque autem ignoratur vltimus intellectus legis per ignorantiam iurium positiuorum: quando scilicet nesciuntur exceptiones legum, quæ ex iure positiuo dependent, & ideo necesse est declarare, & exponere siue interpretari quomodo lex debet intelligi. Et talis interpretatio, expositio siue declaratio intellectus legis spectat ad consuetudinem, quæ est optima legum interpres: Et ad iudicem, cuius est legum & consuetudinum habere peritiam: Et ad magistros, hoc est Iurisperitos, ad quos spectat notitiam legum habere. Interdum autem ignoratur intellectus legum propter ignorantiam iuris diuini, vel iuris naturalis, siue rationis naturalis, aut rationis acceptæ simul à iure

à iure diuino & naturali dictamine rationis, verbi gratia, vt habetur *extra de sponsalibus c. veniens*, papa mandat statuendo legem: quod si quis inueniatur cognouisse mulierem, cui fidem dedit de matrimonio contrahendo, debet remanere in eadem. Si quis autem attendat verba legis, & nescierit ius diuinum, quo conceditur, quod licet causa fornicationis dimittere vxorem, intellectum legis verum nequaquam habebit. Item vt habetur *extra de deposito c. 2.* depositori licet pro voluntate sua depositum reuocare: tamen ignarus iuris naturalis (quo cauetur ne ad patriam expugnandam depositum reposcatur) nequaquam vltimate intelligit. Cum igitur ex ignorantia iuris diuini & iuris naturalis ignoratur intellectus legis: & ob hoc necessaria est interpretatio siue expositio & declaratio intellectus legum: principalissime spectat ad peritos in iure diuino & philosophia morali in tantum, quod si institutor legis non sufficienter fuerit instructus in scriptura diuina & philosophia morali, interpretatio talis ab eo conditę legis principalius spectat ad aliquos eruditos quam ad ipsum, imo ipse posset & deberet in casu interpretationem legis suæ ab eis recipere. Quemadmodum secundum mundi sapientem ad ἐπιείκειαν spectat dicere, quo casu verba legis non sunt seruanda, quod fit per agnitionem æquitatis naturalis. Vnde si illitteratus experientia rerum & negociorum peritia carens, statuit legem, solum considerans ea quæ communiter accidunt, philosophus eruditus & expertus melius dicet, in quibus casibus verba legis non sunt seruanda, & profundiorem intellectum legis habebit, quam rex qui statuit eam. *Discipul.* Narratio supra dicta plura dubia, imo falsa continere videtur, quorum duo tantum ad præsens reprobare conabor, quorum primum est. Quod dicit aliquam legem esse ambiguam duos sensus habentem, quod Isidorus reputare videtur falsum. Isidorus enim (vt habetur *distinct. 4. c. erit*) asserit, quod lex debet esse manifesta, ne aliquid per obscuritatem in captiuatione contineat, lex enim ambigua diuersos sensus habens est obscura, igitur lex non debet esse ambigua. Secundum est, quod dicit interpretationem legis ad peritos spectare.

Hoc enim Augustin. cuius verba ponuntur di. supradicta c. *in istis temporalibus*, ait enim: *In istis temporalibus legibus quanquam de his homines iudicent, cum eas instituunt, tamen cum fuerint instituta ac firmata, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod de legibus temporalibus iudicare non licet: & per consequens eas interpretari non licet. *Magist.* Ad primum istorum respondetur, quod quamuis quantum conuenienter fieri potest lex debeat esse manifesta, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat: tamen non est dicendum, quin leges multæ sic sint ambiguæ quod in eis verba multiplicia diuersos habentia sensus ponantur, cum etiam in lege diuina talis diuersitas & multiplicitas reperiatur, teste Gloss. ad Gal. 6. super illud Apostoli, *vnusquisque onus suum portabit*, ait: *quod dicitur, videtur contrarium præcedentibus, vbi ait: alter alterius onera portate*, & declarans, quod non est contrarium dicit: quod *non est hoc contrarium præcedentibus: quia nomen oneris multis modis accipitur. Multa enim sunt verba quæ in diuersis locis posita varie intelliguntur: sicut hoc nomen oneris, quod nisi sub diuersis significationibus acceperis, proculdubio putabis eundem sibi in loquendo esse contrarium. Et hæc est causa, quare cum Paulus ante diceret: alter alterius onera portate: hic dicit, vnusquisque onus suum portabit.* Ex quibus verbis patet aperte, quod verba ambigua & multiplicia reperiuntur in lege diuina, igitur nec ab humanis legibus hoc est negandum, & non est inconueniens, quod lex humana possit diuersis modis intelligi.

Ad secundum dicitur, quod quamuis secundum sententiam beati Augustin. de temporalibus legibus, quæ sunt puræ positiuæ, postquam fuerunt institutæ & firmatæ, nec iudex nec alius debeat iudicare, an sunt seruandæ vel non seruandæ; quia constat quod seruandæ sunt, licebit tamen non solum iudici & eruditis & doctis iudicare & indagare secundum quem intellectum seruandæ sunt, & secundum quem intellectum seruandæ non sunt, sicut secundum mundi sapientum ἐπιείκεια iudicat, in quo casu verba legis non sunt seruanda, vtens naturali dictamine rationis, hoc est vtens iure naturali: quia ex quo nulla lex positiua iusta potest esse contraria iure naturali, lex quæcunque humana in nullo casu, in quo si seruaretur, sicut verba sonant, esset contraria, minime est seruanda, sicut dictum est supra, similiter lex humana, imo & lex naturæ, vt innuit Isidorus, prout recitatur *dist. 1. ius naturale*, statuit quod res deposita, quando deponitur, restituatur: & tamen si quis gladium depositum reposceret ad occidendum seipsum vel alium innocentem iniuste, gladius depositus sibi restitui non deberet. Quia qui in hoc casu restitueret depositum, ageret contra ius naturale, quo quilibet obligatur flagitium & dispendium proximi prohibere, si potest.

Discipul. Dic quomodo per prædicta contingat repellere rationem, quam feci. *Magist.* Respondetur, quod licet in iure contra regulam, qua dicitur quod clerici non spectant ad forum iudicis secularis excipiantur casus, in quibus regula illa fallit, non fiat mentio de papa hæretico, debet tamen inter alios computari. Cuius ratio est: quia sicut licet de multis quæ spectant ad ius naturæ, non fiat mentio in iure scripto, tamen facienda sunt, cum occurrerit necessitas faciendi: ita licet in iure scripto non fiat mentio de casu, in quo papa esset hæreticus: tamen casus ille excipi debet, quando papa incurrit hæreticam prauitatem, & clerici nollent vel non possent eum coercere. *Disc.* Quare non excipitur casus de papa hæretico, si clerici nollent vel non possent eum coercere: quando cum conditoribus canonum, glossatoribus & doctoribus excipiuntur casus, in quibus illa regula fallit, quod clerici non sunt de foro iudicis secularis? *Magist.* Respondetur quod sicut leges non feruntur nisi de his quæ sæpe accidunt: & non de illis quæ accidunt raro vel nunquam:

ita sæpe à conditoribus legum & glossatoribus eorundem ac doctoribus non excipiuntur casus, in quibus regulæ generales fallunt, nisi illi qui sæpe accidunt: & non illi qui raro, vel nunquam accidunt. Casus autem de papa hæretico, quem clerici nolunt vel non possunt corrigere raro accidit. De nullo enim papa hæretico ante tempora nostra vnquam legitur, quod clerici saltem omnes in coercendo papam hæreticum fuerint negligentes. Nam & Liberio papæ hæretico multi viriliter restiterunt, & Anastasium hæreticum multi clerici fortiter impugnauerunt, & à communione eius laudabiliter abegerunt, & ita iste casus ante tempora nostra non videtur accidisse, & propter hoc conditores legum & glossatores earundem aliique doctores excipiendo casus, in quibus regula fallit, qua dicitur, quod clerici non sunt de foro iudicis secularis, de papa hæretico, quem clerici nollent vel non possent corrigere, non fecerunt mentionem, & ideo iste casus multo magis excipiendus est, quam alii casus, quos conditores canonum & glossatores excipiunt. *Discipul.* Quare debet excipi iste casus? *Magist.* Respondetur quod ideo debet excipi, quia exceptio casus ex ratione euidenti (cui nulla lex humana præiudicare potest) quoquomodo patenter infertur. *Discipul.* Quæ est illa ratio? *Magist.* Ratio est hæc. Ille casus à regula generali excipi debet: quo non excepto detrahitur honori diuino, fides periclitatur catholica, ac detrimentum & periculum & dispendium spirituale omnium fidelium procuratur. Hæc est manifesta: quia contra honorem diuinum nulla regula est obseruanda. Iterum: nulla lex humana, quæ cedit seu vergit in periculum fidei, & dispendium salutis æternæ, ab homine statui potest. Si enim pacta, promissiones, vota & iuramenta, quæ vergunt in interitum salutis æternæ, seruanda non sunt secundum Canonicas sanctiones: ratione consimili leges quæcunque in illo casu, in quo vergerent in periculum fidei catholicæ, & dispendium spirituale fidelium, non sunt seruandæ. Sed in casu prædicto de papa hæretico, quem clerici nolunt vel non possunt coercere, non excepto à regula illa: *clerici non sunt de foro iudicis secularis*: honori diuino detrahitur, quia inferiores cum facile sequantur exempla maiorum à vero cultu (papam hæreticum imitando) se subtraherent. Fides etiam periclitatur catholica: quia sicut teste beato Hieronymo, vt legitur *24. quæst. 3. c. resecandæ*, Arrius, qui in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, per totum orbem eius flamma populata est: multo magis papa hæreticus, si non fuerit statim extinctus, eius flamma hæreticæ prauitatis totum depopulabitur orbem inficiendo labe hæretica Christianos, & ita si casus ille non excipitur à regula memorata, fides periclitatur ecclesiæ, & per consequens periculum & detrimentum ac dispendium spirituale omnium fidelium procuratur. Quare ille casus est excipiendus omnino: nec papa de plenitudine potestatis posset facere, quod casus ille non exciperetur, vt notat Glossa *distinct. 40. si papa*, dicens: *nunquid posset papa statuere, quod non posset accusari de hæresi? Respondetur quod non posset statuere quod non posset accusari: quia ex hoc fides periclitaretur ecclesia.* Iterum quod casus ille debeat excipi, probatur ex hoc: quia teste Isidoro, vt habetur *dist. 3. ca. erit*, nullo priuato commodo, sed pro communi vtilitate ciuium lex debet conscribi. Lex igitur quæ esset contra vtilitatem ciuium, non esset lex, sed si casus ille de papa hæretico, quem nollent vel non possent clerici corrigere, ab ipsa lege qua cauetur quod clerici non sunt de foro iudicis secularis, non exciperetur, esset contra vtilitatem Christianorum, igitur non esset vera lex, sed falsa, iniqua & iniusta, quare non esset seruanda, quia secundum Esaiam 10. c. scribitur: *væ qui condunt leges iniquas.*

Discipul. Contra prædicta impugnatio fortis occurrit, quia si verba legum in quibusdam casibus, qui non sunt excepti in legibus, non essent seruanda, posset ad libitum quilibet excipere casus à lege, quos vellet, & dicere: in istis casibus verba legis sicut sonant non sunt seruanda, & ita ex lege nulla haberetur certitudo, quando verba legis non essent seruanda, & quando essent seruanda. *Magist.* Ad hoc respondetur, quod non licet excipere cuilibet casum ad libitum & dicere; verba legis in tali casu non sunt seruanda, sed si dicit in tali casu verba legum non sunt seruanda, oportet quod hoc ostendat per legem superiorem vel per rationem euidentem, & si altero illorum modorum patenter ostendit verba legum in tali casu non esse seruanda, standum est dicto suo: non quia ipse dicit, sed quia hoc lex superior vel ratio euidens ostendit. Et ratio huius est: quia nulla potest esse lex, quæ legi superiori, vel apertæ rationi repugnet, vnde quæcunque lex ciuilis repugnat legi diuinæ vel rationi apertæ, non est lex, eodem modo verba legis canonicæ vel ciuilis, in illo casu quo repugnarent legi diuinæ, scilicet scripturæ sacræ vel rationi rectæ, non essent seruanda. *Discipul.* Ad quem pertinet iudicare verba legis canonicæ vel ciuilis scripturæ diuinæ repugnare vel rationi rectæ? *Magist.* Respondetur quod hoc iudicare per modum doctrinæ & simplicis assertionis spectat ad eruditum in scriptura diuina & ratione naturali ac philosophia morali pollentem, hoc autem iudicare ex auctoritate officii obligando ad hoc seruandum & tenendum spectat ad conditorem legis cum consilio peritorum in scripturis sacris & naturali ratione pollentium.

Discipul. Igitur secundum prædicta Theologi & Philosophi haberent iudicare de intellectu legum ciuilium & canonum. *Magist.* Conceditur quod vltimum iudicium de intellectu legum ciuilium & canonum est seruandum Theologis & Philosophis, quemadmodum vltimum iudicium de aliquo dubio in scientia inferiori reseruandum est scientiæ superiori eo modo, quo per principia iudicandum est de conclusione, quæ sequitur ex principiis.

Discipulus. De hac materia dictum est supra *libro primo*, ideo transi & monstra, quomodo respondetur ad secundam rationem, supra adductam *cap. 91. Magister*. Respondetur, quod nonnunquam ad iudicem secularem spectat cognoscere de causa hæreticæ prauitatis: & hoc dupliciter, vno modo per seipsum, quia & ipse tenetur multa scire, per quem potest in causa prauitatis hæreticæ in casibus multis iudicare, etiam absque aliorum consilio peritorum. Si enim aliquis Christianus dixerit fidem Christianam falsam & malam: Iudex secularis non debet indigere consilio, vt sciat, an talis sit tanquam hæreticus condemnandus: sed ipse tenetur scire, quod talis est hæreticus reputandus & de hæresi condemnandus. Similiter si quis docuerit, quod Christus non sit natus de virgine: vel quod non fuit passus: vel quod non resurrexerit: vel quod non est vnus Deus: vel quod non sunt tres personæ in Deo: Iudex secularis tenetur scire, quod talis est hæreticus, & ita sicut iudex secularis multa ad fidem spectantia orthodoxam credere tenetur explicite, ita in multis casibus per seipsum potest cognoscere, quid est tenendum in causa hæreticæ prauitatis. Alio modo potest cognoscere de causa hæreticæ prauitatis requirendo consilium peritorum, quemadmodum de multis criminibus contingit ex informatione aliorum, in quibus nesciret per seipsum, quid rectum, quid obliquum, nisi per informationem aliorum discutere, cum enim coram iudice aliquis accusatur de falsa moneta: nescit discernere per seipsum an moneta, de qua fit quæstio, sit vera & falsa, & ideo antequam sententiam proferat, requirit monetarios, quos iuramento vel alio modo astringit, vt sibi de tali moneta indicent veritatem, & ita in pluribus casibus iudex secularis, qui non habet omnes artes & naturas rerum scire de consilio aliorum profert sententiam, quia in talibus casibus quam pluribus per seipsum non posset cognoscere, quomodo oporteat iudicare. Sic dicunt de iudice seculari in casibus multis respectu causæ prauitatis hæreticæ: quia in multis casibus indigeret consilio in sacris literis peritorum. Si enim aliquis Christianus accusaretur coram iudice seculari in Biblia minime erudito: quod pertinaciter asseruit beatum Paulum fuisse conuersum ante passionem Christi, quemadmodum quidam magnus canonista dixit, & in scripturis suis reliquit, quod beatus Paulus fuit vnus de duodecim Apostolis, qui sequebantur Christum antequã pateretur: Iudex secularis nesciret per seipsum dare sententiam: sed de requisito consilio peritorum in Scripturis sacris; ex quibus penderet quæstio supradicta, posset scire dare sententiam. Vbi autem iudex secularis, nec per consilium suum posset scire aperte, quæ esset veritas in aliqua quæstione mota de fide, in tali casu se intromittere non deberet. Ad propositum igitur applicando dicitur, quod si Papa hæreticus teneret fidem Christianam esse falsam, non esse tres personas distinctas in diuinis, aut aliquid huiusmodi, quod iudex secularis per seipsum, vel per consilium peritorum posset aperte cognoscere esse hæreticum: secure posset Papam hæreticum iudicare, si clerici nollent vel non possent ipsum debite coercere: Cum vero dicitur, quod ad iudicem secularem non pertinet causa fidei vel Dei: Respondetur, quod dicere causam fidei vel Dei nullo modo spectare ad iudicem secularem, vel laicos, omnino esset insanum, & est verbum clericorum auarorum & superborum; qui ideo ab ecclesia Dei laicos conantur excludere, vt ipsis laicis exclusis possent ab ecclesia laicorum Domini reputari, cum (sicut sæpe allegatum est) in Scriptura sacra nunquam laici ab *ecclesia* nomine excludantur, sed vbicunque in Scripturis sacris nomen *ecclesia* viros & mulieres & laicos comprehendat. Causa igitur fidei & Dei secundum istos spectat ad laicos. Et sicut Deus est Deus clericorum, ita est Deus laicorum. Sic causa fidei quæ spectat ad clericos, etiam spectat ad laicos. Si etiam causa fidei & Dei nullo modo spectaret ad laicos: laici nec fidem Domini defendere, nec hæreticos euitare, nec in persecutione fidei prælatis assistere, nec in aliquo se intromittere de hæreticis etiam per ecclesiam condemnatis deberent; quæ sunt insana censenda. Causa igitur quæ est causa Dei, aliquo modo spectat ad laicos: principalius tamen spectat ad prælatos ecclesiæ, quia prælati ecclesiæ non solum hæreticos laicos coercent, sed etiam clericos possunt debite coercere: de quibus laici iudicare non possunt, nisi clerici noluerint vel non potuerint castigare. Secundario autem causa fidei spectat ad laicos: quia laici etiam clericos, imo Papam hæreticum possunt & debent (ne virus suæ perfidiæ transferant in alios) prohibere, si eum clerici noluerint vel non potuerint coercere.

Discipulus. Dic, quomodo respondetur ad auctoritates supra adductas. *Magister*. Respondetur, quod cum de causis fidei agitur: & sacerdotes Christi suum officium digne & sollicite exequuntur: Imperatores & reges debent voluntatem suam sacerdotibus Christi, recipiendo eorum informationem & consilia eorum iudicio in his, quæ ad ipsos pertinent iudicare, subdere, non præferre, vbi autem sacerdotes auerterentur à fide, vel in causis Dei essent damnabiliter negligentes: Imperatores & reges voluntatem suam sacerdotibus non subdere, sed præferre debent. Et sic intelligenda sunt verba Felicis Papæ; qui per sua verba honorem Dei intendebat. Et ideo quia esset contra honorem Dei, quod reges voluntatem suam subderẽt sacerdotibus hęreticis & negligentibus seu laborantibus ad subuersionẽ fidei orthodoxæ, noluit Felix Papa, quod reges in hoc casu suo subderent sacerdotib. voluntatem. Ad auctoritatem Nicolai Papæ dicitur, quod verba eius non possunt nec debent sine omni exceptione intelligi, tunc enim clerici incorrigibiles & hæretici per ecclesiam condemnati, & traditi curiæ seculari per iudices seculares nullo modo iudicari deberent, quæ tamen constat falsa esse. Verba igitur Nicolai Papæ cum exceptionibus suis debent intelligi. Potissima autem exceptio est, quando Papa est hæreticus: & clerici nolunt vel non possunt corrigere, igitur cum

ista exceptione potissime verba Nicolai debent intelligi. Ad tertiam auctoritatem respondetur, quod Theodosius minor scribens synodo Ephesinæ noluit, quod Candidianus Comes de piis degradationibus, quæ in eadem synodo tractabantur, se intromittere attentaret, quia eius impia dogmata, de quibus tractabatur, poterant sufficienter terminari per sacerdotes, qui conuenerant, cum vero dicit : *illicitum est enim eum, qui non est in ordine sanctißimorum episcoporum ecclesiasticis intromisceri tractatibus* : respondetur quod hæc verba non possunt nec debent intelligi, sicut prima facie sonant, tum quia nunquam magister Theologiæ aut alius literatus in decretis & scripturis diuinis, qui non esset episcopus, deberet interesse ecclesiasticis tractatibus: tum quia etiam Imperatores non deberent interesse concilio generali, in quo tractaretur de quæstione fidei; quæ falsa sunt & absurda, debent igitur verba prædicta, sicut præcedentia, intelligi. quia illicitum est eum, qui non sit in ordine episcoporum, tanquam sit episcopus, ecclesiasticis intermisceri tractatibus: & quando per episcopos rite & ordinate tractantur; vbi autem episcopi conuenirent in subuersionem fidei catholicæ, deberet laicus catholicus non solum eis præesse, sed eos debite coercere; quando per alios clericos coerceri non possunt. Ad quartam auctoritatem respondetur, quod Imperatores non debent indebite vsurpare, quæ solis sacerdotibus conueniunt, sed detinere Papam hæreticum (quando clerici nollent vel non possent eum corrigere) non conuenit solis sacerdotibus: sed competit laicis orthodoxis, ideo &c. Ad quintam auctoritatem dicitur, quod Imperator catholicus est filius (secundum Iohannem Papam) ecclesiæ catholicæ non hæreticæ, & non est præsul ecclesiæ catholicæ, sed præsul, hoc est superior est & Iudex ecclesiæ hæreticæ: quando clerici nolunt vel non possunt ecclesiam hæreticam corrigere. Et ideo quoad religionem competit ei discere à catholicis, non docere, tanquam habens prædicandi officium, quia habet priuilegia potestatis suæ, ad quæ ministrandum legibus publicis diuinitus constitutus est, nec inquantum solummodo Imperator, sed inquantum Imperator Christianus est: non solum ad administrandum legibus secularib. debet intendere, sed ei incumbit hæreticos clericos, etiam Papam hæreticum (quando ecclesiæ potestas deficit) coercere. Et ideo Imperator circa dispositionem cœlestis ordinis nihil vsurparet indebite, quia ad sacerdotes catholicos, non autem hæreticos Deus voluit, quæ in ecclesia dispensanda sunt pertinere principaliter: non ad seculi potestates principaliter, nec etiam non principaliter quantum ad sacramenta ecclesiæ dispensanda. Quantum vero ad clericos ordinatos (qui hæretici facti sunt) corrigendos & recipiendos, si remanserint in errore: de errore non debent se Imperatores intromittere, nisi supplendo malitiam, vel negligentiam, aut impotentiam, vel ignorantiam sacerdotum. Verba igitur hæc Iohannis Papæ sane debent intelligi, vt in detrimentum fidei orthodoxæ nullo modo redundent. *Disc.* Quomodo possent in detrimentum redundare? *Magister.* Respondetur, quod verba Iohannis Papæ in detrimentum fidei redundarent, si in nullo casu Imperator vel Iudex secularis posset Papam hæreticum coercere, sed si Papa esset hæreticus, & omnes clerici vna cum Papa, exceptis duobus vel tribus episcopis, quos Papa hæreticus in vinculis detineret, in multitudine populi Christiani periclitaretur fides, nisi laici possent compescere hæreticos & catholicos liberare. *Discipulus.* Dic, quomodo respondetur ad auctoritatem Cypriani. *Magister.* Respondetur, quod beatus Cyprianus loquitur in casu, in quo Pontifices non sunt hæretici, nec in suo officio negligentes.

Discipulus. Video quod omnes auctoritates de hac materia vno modo exponuntur: quia videlicet intelligendæ sunt, quando non deficit potestas ecclesiastica, quando autem deficeret potestas ecclesiastica, non habet locum, ideo dic, quomodo ad rationem tertiam respondetur. *Mag.* Respondetur, quod omne crimen ecclesiasticum spectat in aliquo casu ad iudicem secularem, aliter non omnis pater filium pro crimine hæresis coercere posset, aliter etiam Iudex laicus clericum condemnatum pro hæresi & curiæ traditum seculari iudicare non posset. *Disc.* Executio sententiæ latæ contra clericum pro crimine ecclesiastico, puta pro crimine hæresis , spectat ad laicum, sed examinatio causæ & sententiæ pronunciatio non spectat ad laicum. Vnde illa punitio hæreticorum fit auctoritate ecclesiæ, & ita eam magis fecit ecclesia, quam iudex secularis. *Magister.* Videtur nonnullis, quod minime habeas sacrorum canonum intellectum, quia Iudex secularis puniendo clericos ab ecclesia condemnatos & curiæ seculari traditos: non est tantum executor sententiæ per ecclesiasticum Iudicem latæ, tunc enim nullam pœnam posset infligere, nisi per ecclesiasticum Iudicem taxatam, quod falsum est. Iudex igitur secularis non est in hoc casu merus executor: & per consequens habet in hoc casu de clerico hæretico iudicare. Ad conuincendum tamen ipsum de hæretica prauitate, sufficit quod conuictus fuerit in alio iudicio, & ideo solum sibi iudicialiter debitam pœnam imponit, & ita videtur, quod crimen ecclesiasticum in aliquo casu ad iudicem secularem spectat, quare tunc potissime spectat, cum Papa esset hæreticus, & clerici nollent vel non possent coercere eundem. Ad decretum autem (*2. quæstion. 1. cap. si quis in hoc*) respondetur, quod decretum illud loquitur in casu, quando tota potestas ecclesiastica non deficit. Quando autem tota potestas ecclesiastica deficit, aliter esset tenendum. *Discipulus.* Hoc videtur contra iura, dicit enim Glossa *11. quæstion. 1. cap. 1.* quod propter negligentiam iudicis ecclesiastici clericus non potest conueniri coram laico, licet econuerso propter defectum iudicis secularis, causa secularis coram iudice ecclesiastico sit tractanda. *Magister.* Respondetur, quod Glossa loquitur in casu, in quo non tota ecclesiastica potestas deficeret, licet enim episcopus negligeret facere iustitiam de clerico, non esset ad secularem iudicem recurrendum, quia ad Papam posset haberi recursus, sed si nullus esset Papa, & nullus clericus esset, qui posset

set & nollet de clerico publice delinquente iustitiam facere, deberent laici iustitiam adhibere, & sic etiam vbi tantum periculum fidei immineret, esset clericus per laicos detinendus. Ad rationẽ vero, qua probatur, quod crimen ecclesiasticum ad iudicem secularem non spectat: Respondetur, ꝙ ad decentiam iudicis, qui per seipsum ex consuetudine audit & examinat, & diffinit causas, spectat quod habeat noticiam illarum legum & iurium: secundum quæ est in causis huiusmodi iudicandum. Et ideo qui ex consuetudine per seipsum audit, examinat & diffinit in causis criminalibus & ecclesiasticis (& maxime de crimine hæresis) decet vt non solum in notitia canonum; sed etiam in scripturis diuinis sit peritus & exercitatus. Sed non est simpliciter necessarium, quod ille, qui non ex consuetudine per seipsum huiusmodi causas examinat, sed aliis committit, notitiam habeat, præsertim excellentem legum & iurium notitiam: secundum quæ oportet iudicem iudicare in huiusmodi, sed sufficit quod habeat peritiam iudicandi. Aliter enim quis non posset eligi in summum Pontificem, nisi esset in scripturis diuinis excellens: cum tamen constet, sæpe in sacra pagina simplices fuisse ad Papatum assumptos, constat enim, quod ad summum Pontificem sunt causæ fidei deferendæ *24. quæstion. 1. quotiens.* In causis enim fidei potissime & principalissime oportet secundum sacras literas iudicare, ergo si iudex in talibus causis debet habere noticiam præcellentem iuris, secundum quod posset iudicare, nullus posset eligi in summum Pontificem, nisi esset excellens in sanctarum notitia scripturarum. Item nullus posset eligi in episcopum, nisi haberet notitiam decretorum & decretalium: quia secundum decreta & decretales oportet in causis ecclesiasticis iudicare, videtur ergo dicẽdum, quod cum aliquis tractat aliquas causas aliis cõmittendo, & de consiliis aliorum, non est necesse quod habeat legum (secundum quas debet iudicare) notitiam excellentẽ, ergo q̃n aliquæ causæ non spectant ad iudicem, nisi in casu speciali, qui raro accidit: non est necesse, quod Iudex iuris secundum quod iudicare debet notitiam habeat præcellentẽ, causæ autem fidei in casu speciali, & qui raro accidit spectant ad iudicem secularẽ: vt sc. iudex secularis per seipsum causam fidei examinet, & in ea diffiniat absq; consilio aliorum in sacra pagina peritorum, hoc enim nunquam debet facere, nisi quando omnes in sacris literis eruditi, quorum posset consilium habere, aperte contra fidem errarent, & ideo non est necesse, quod iudex secularis notitiã habeat præcellentẽ scripturæ diuinæ: sed sufficit sibi pro multis casib. (qui tamen raro vel nunquam accidunt) quod aliqualẽ notitiam explicitam fidei habeat orthodoxæ, quam habere tenetur, quẽadmodum oẽs Christiani aliqua credere tenentur explicite, quæ debent tam firmiter credere, ꝙ si oẽs clerici mundi in sacra pagina eruditi contraria affirmarent, docerent, prædicarent, assererẽt & tenerent, laici credere non debent, sed eos redarguere, reprobare & acriter reprehendere tenentur explicite, omnes laici Christiani ratione vtentes, quales debent esse iudices, in quibuscunque causis habent sufficientem peritiam iudicandi in talibus causis de clericis quibuscunque. *Magister.* Mirabile est, quod idiota de clerico, imperitus de perito, illiteratus de litterato in his, quæ ad sacras literas spectant, debeat & valeat iudicare: & tamen si ad hoc aliqua exempla possunt adduci, libenter scirem. *Magister.* Ad hoc probandum exempla plurima allegarentur. Si omnes eruditi in sacra pagina vna cum Papa & cardinalibus omnibus prædicarent, assererent & docerent fidem Christianam esse falsam & malam: & legem Iudæorum vel Sarracenorum esse seruandam: laici illiterati per notitiam fidei, quam in ecclesia didicerunt, essent iudices eorum idonei, quantum est ex parte scientiæ vel peritiæ seu notitiæ: licet aliqui non essent iudices eorum idonei propter carentiam iurisdictionis & potestatis. Item si omnes clerici mundi assererent Christum non fuisse crucifixum, vel non esse venturum ad iudicium, vel animas reproborum non esse in inferno, vel aliquid huiusmodi, quod omnes Christiani ecclesiastici & laici credere tenentur explicite; pueri illiterati, quantum est ex parte notitiæ essent iudices eorum idonei. *Discip.* Tu ponis exempla, quæ nunquam acciderunt. *Magister.* Respondetur, quod propter duo talia ponuntur exempla, primo, quia talia licet nunquam acciderunt, tamen possunt accidere, secundo, quia per exempla tam aperte manuducitur intellectus ad discernendum, quod in aliis est tenendum.

Disc. Puto me intelligere responsionẽ datam ad rationẽ illam, ideo dic quomodo respondetur ad rationẽ quartam. *Mag.* Respondetur, quod maiores causæ sunt ad maius iudicium deferendæ, q̃n iustitia & veritas in maiori iudicio poterit inueniri, & iudicium maius non deficit. Quando autem non inueniretur maius iudicium, tunc maiores causæ essent ad iudicium inferius deferendæ. Et ideo si Papa & omnes clerici (ad quos posset haberi recursus) contra fidem errarent, aperte docentes vel tenentes aliquid contra aliquam veritatem, quam eodem modo omnes clerici tenentur credere explicite: huiusmodi causa non ad Papam hæreticum, sed ad laicos catholicos esset omnino deferẽda. Cum vero accipitur, quod causa hæresis est inter causas maximas computanda: Respondetur, ꝙ causa hæresis sicut causa fidei duplex est, quandoq; n. vocatur causa hæresis, quando quæstio agitatur de aliquo, quod manifestum est esse hæresim, quia est hæresis explicite condemnata, & hęc causa hęresis vel causa fidei inter causas maximas minime computatur, quia hęc causa ad episcopos spectat, & inquisitores hęreticę prauitatis, & ideo hęc causa in casu speciali potest competere laicis super Papam hęreticum: quem clerici nolunt, vel non possunt coercere. Alia est causa hęresis siue fidei, quando quęstio de aliquo efficitur, quod non est certum esse hęresim: quia non est hęresis explicite condemnata: nec eius contrarium est veritas catholica explicite approbata, & talis causa hęresis vel fidei inter causas maximas computatur, nec diffinitio seu determinatio talis causę, vnquam spectat ad laicos illiteratos, sed solummodo spectat ad ecclesiam vniuersalem & concilium genera-

nerale, vel Romanum Pontificem, & ita talis causa nunquam deferenda est ad iudicium seculare, & ideo quantum ad talem causam, iudicium ecclesiasticum maius est iudicio seculari, sicut scribit Gregorius Nazianzenus. Si tamen iudicium ecclesiasticum propter infidelitatem clericorum deficeret; talis causa tunc minime est tractanda.

Ad quintam rationem respondetur, quod licet potestas iudiciaria sacerdotalis & secularis sint potestates distinctæ, non tamen taliter sunt distinctæ, quod nunquam vna habeat iudicare de alia, & quod nulla causa, quæ spectat ad vnam potestatem in nullo casu spectat ad aliam potestatē, quia hoc est expresse contra canonicas sanctiones, quibus asseritur manifeste, quod potestas ecclesiastica nōnunquam habet de potestate seculari iudicare, nonnunquam habet iudicare de causis spectantibus ad iudicem secularem, ergo per distinctionem istarum potestatum non potest probari, quod in nullo casu spectat ad iudicem secularem de Papa hæretico iudicare.

Ad sextam rationem respondetur, quod sicut ad Imperatores, qui erant pagani, spectabat non in quantum erant pagani, sed in quantum erant homines, Deum colere & idola relinquere: ita ad Imperatores & reges, qui erant pagani, non inquantum erant pagani, sed inquantum erant Imperatores & reges, pertinebat catholicos defendere, propter quod ad Imperatores & reges Christianos, qui succedunt Imperatoribus & regibus paganis, non in paganismo, sed in Imperiali & regali dignitate, spectat etiam Papam hæreticum, quem clerici nolunt vel non possunt, corrigere vel coercere.

Ad rationem septimam respondetur, quod in eadem causa contigit vti legibus diuersis, & in causa consimili vnus Iudex tenetur vti aliquibus legibus, quibus alius vti non tenetur. In eadem ergo causa seculari aliis legibus vtitur Iudex in Italia, & aliis legibus Iudex in Francia, & ideo licet Papa vel Iudices ecclesiastici non teneantur vti legibus imperialibus, seu secularibus in causa hæresis: tamen iudices seculares in huiusmodi causa, quando spectat ad eos, vti possunt & legibus diuinis & ecclesiasticis & etiam secularibus, quæ non sunt contrariæ diuinæ legi vel ecclesiasticis, ad quas omnes catholici astringuntur.

Ad octauam rationem respondentur eadem, quæ dicta sunt in responsione ad rationem quintam, quod vna causa fidei, quæ est de aliquo, quod nec est explicite condemnatum nec explicite approbatum, nunquam pertinet ad diffinitionem iudicis secularis.

Explicit liber sextus.

INCIPIT LIBER SEPTIMVS, IN QVO TRACTATVR DE CREdentibus, fautoribus, defensoribus & receptatoribus hæreticorum.

CAP. I.

Vbi ponitur differentia credentium hæreticis: & assignatur duplex, quarum quælibet sub se plures continet, per quas etiam aperitur, qui vere sint credentes hæreticis censendi.

Discipulus: Hactenus de punitione (& præcipuē Papæ, si efficeretur hæreticus) quamplurima quæsiui, licet multa omiserim, post hoc opus sollicite mentem tuam inquiram, nunc vero de credentibus, fautoribus, defensoribus & receptatoribus hæreticorum inuestigare propono, & primo de credentibus, de quibus ante omnia disseras, qui sunt censendi *credentes. Magister.* Nonnullis apparet, quod *credentes* possunt in duplici differentia reperiri, quidam enim explicite hæreticorum credunt erroribus, quemadmodum Arriani credebant explicite, quod filius Dei non est verus Deus, sicut error Arriani hæretici, & de his videtur loqui Gregorius (vt habetur *extra de hæreticis, excommunicamus*) cum sic ait: *Credentes autem eorum erroribus hæreticos similiter iudicamus.* Alii vero videntur esse credentes; qui licet non credant explicite hæreticorum erroribus, credunt tamen hæreticis, censentes eos inter catholicos reputandos, & eorum doctrinam catholicam reputant: sed in quo explicite discrepent à doctrina catholica ignorant, & isto modo videtur mihi, quod illi qui ad hæreticos causa addiscendi accedunt, quia secundum leges minus puniuntur quam Doctores, inter credentes debeant numerari. *Disc.* Distinctionem de credentibus, siue vera sit, siue falsa intelligo, & ideo de vtroque membro te interrogare intendo, dic ergo inprimis de primis credentibus: an omnes sint inter hæreticos computandi: cum hoc auctoritas superius allegata videatur asserere, cum indistinctè non distinguendo inter hos hæreticos credentes & illos dicat, *credentes autem eorum* (scil. hæreticorum) *erroribus hæreticos similiter iudicamus. Magister.* Est quædam assertio, quod non debet dici indistinctè, quod omnes credentes explicite hæreticorum erroribus sunt censendi hæretici, sed illi tantum, qui scienter & explicite credunt hæreticorum erroribus. Vnde eis distinguendum apparet. Credentium enim hæreticorum erroribus, quidam sciunt ipsos errores ab ecclesia condemnatos: quidam vero nesciunt, quod sunt ab ecclesia condemnati, & istorum quidam adhærent pertinaciter talibus erroribus: quidam vero non adhærent pertinaciter, sed corrigi sunt parati, primi credentes

tes hæreticorum erroribus (absque alia examinatione) sunt inter hæreticos computandi. Cuius ratio assignatur: quia errans contra fidem, qui non est paratus corrigi, est inter hæreticos computandus 24. *quæstio. 3. dixit Apostolus*, sed credens hæreticorum erroribus, quos scit ab ecclesia condemnatos, non est paratus corrigi, quia quilibet errans contra fidem debet esse paratus corrigi per doctrinam ecclesiæ: aliter est pertinax reputandus, sed qui scit errorem aliquem ab ecclesia cõdemnatum: & tamen credit eidem errori, non est paratus corrigi per doctrinam ecclesiæ, ergo talis est pertinax reputandus. *Discipulus.* Secundum ista quicunque crederet errori damnato contra fidem à Papa Romano, esset hæreticus reputandus, & ita per consequens nullo modo licet sententiæ summi Pontificis contraire. *Magister.* Respondetur, quod sententiæ catholicę à Romano Pontifice latæ cõtra errorem infidelium nulli licet absque hæretica prauitate resistere, sed sententiæ erroneæ Papæ contra fidem debet quilibet catholicus (qui scit sententiam eius esse erroneam) obuiare. *Discipul.* Si licet sententiæ Romani Pontificis obuiare, & Romanos Pontifices non semper sequi, schisma sequetur inter Christianos, quod est omnino vitandum, ergo quilibet tenetur (saltem propter schisma vitandum) acquiescere sententiæ Papæ. *Magister.* Respondetur, quod si sententia Papæ fuerit erronea contra fidem, schisma sequetur tale, quale semper fuit inter hæreticos & catholicos, quale schisma catholici compescendo hæreticos sedare debent, si possunt; si autem non possunt, propter nullum schisma vitandum debent acquiescere sententiæ falsæ; licet in casu, quo viderent periculosam oriri turbationem absque vtilitate fidelium cessare deberẽt (saltem ad tempus) à diuulgatione catholicæ veritatis. *Discipulus.* Si non est credendum Papæ in his quæ fidei sunt, cui credetur? *Magister.* Respondetur, quod credetur scripturæ diuinæ, & doctrinæ quam vniuersalis ecclesia hactenus tenuit, prædicauit & docuit, scriptura enim diuina & doctrina præcedentium patrum ab vniuersali ecclesia approbata, doctrinæ Papæ posterioris est anteponenda, quod in decretis (*distinct. 19. c. secundum ecclesia*) insinuari videtur expresse, vbi sic legitur *hæ autem* (scli. decretales epistolæ) *sunt paris auctoritatis cum canonibus*, & per consequens quod est eis adhibenda fides. Hoc autem intelligendum est de illis sanctionibus vel decretalibus epistolis, in quibus nec præcedentium patrum decretis vel euangelicis præceptis aliquid contrarium inuenitur. Anastasius enim secundus fauore Anastasii Imperatoris Achatius post sententiam in se prolatam sacerdotes & Leuitas ordinauit: acceptis officiis rite fungi debere decreuit, de cuius constitutione eadem distinct. §. *quia ergo*, subiungitur: *quia ergo illicite & non canonice, sed contra Dei decreta prædecessorum & successorum suorum hæc rescripta dedit, vt probat Felix & Gelasius, qui Achacium ante excommunicauerunt, & Ormisda qui ab ipso Anastasio tertius eundem Anastasium postea damnauit, ideo ab ecclesia Romana repudiatur, & à Deo percussus fuisse legitur.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod si Papa constitutionem condiderit in his, quæ ad doctrinam fidei spectant, doctrinæ præcedentium patrum contrariam, non est sibi credendum: sed talis eius constitutio est à fidelibus reprobanda: suntq; credentes & scientes doctrinam suam dogmatibus orthodoxorum præcedentium patrum esse contrariam inter hæreticos computandi, quemadmodum ipse Papa, si aliquid tale diffinitiue tenet, est hæreticorum numero aggregandus. *Discipulus.* Quid si aliqui scientes talem diffinitionem Papæ esse obuiantem diffinitioni ecclesiæ: & tamen credentes in corde determinationem ecclesiæ esse veram, exterius ore vel timore, vel ambitione, vel aliqua alia causa tenent aut docent diffinitionem Papæ determinationi ecclesiæ contrariam. *Magister.* Respondetur, quod licet tales apud Deum sint deteriores hæreticis, eo quod negant agnitam veritatem (& ideo peccant in Spiritum sanctum) tamen apud Deum non sunt hæretici: quia mentaliter contra fidem minime errant, hoc tamen non obstante, si coram ecclesia probatum fuerit, quod ipsi non ignorant determinationem ecclesiæ, & tamen tenent diffinitionem Papæ contrariam ecclesiæ (quæ de manifestis iudicat, non de occultis) debet eos hæreticos reputare, & tanquam hæreticos condemnare, etiam si post assereret, se hanc diffinitionem Papæ contrariam determinationi ecclesiæ nunquam corde tenuisse, quia tali assertioni eorum de occultis cordium fidem tenetur minime adhibere.

CAP. II.

Vb inquiritur de propositione ambigua habente duos sensus, vnum sc. catholicum, alterum vero hæreticum, quam Papa sub sensu hæretico diffinit tenendam, vtrum talis dictæ assertioni credens sit hæreticus censendus, & respondetur secundum duplicem opinionem.

DIscip. Quid si determinatio Papæ est ambigua habens diuersos sensus: quorum vnus est hæreticalis de intentione Papæ, quem in aliis scriptis posterioribus vel prioribus explicat manifeste: alius autem sensus talis determinationis seu diffinitionis Papæ est catholicus: nunquid credens tali determinationi Papæ putans suum sensum catholium, esse de intentione Papæ, est hæreticus reputandus, si scit alium sensum ab ecclesia esse condemnatum? *Magister.* Vna assertio tenet, quod talis est hæreticus reputandus, quod tali ratione videtur posse probari. Sicut nihil differt in vitio dicere bonum malum, & malum dicere bonum, ita non videtur distare in vitio dicere scripturam catholicam esse hæreticam, & dicere scripturam hæreticam esse catho-

catholicam, quod Esaias propheta ca.5. videtur testari, cum hoc facientibus imprecatur væ damnationis æternæ, dicens: *va, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, amarum dulce, & dulce amarum.* Ex quibus verbis colligitur, quod quemadmodum vterque damnabili crimine irretitur, scil. qui dicit malum esse bonum, & qui dicit bonum esse malum: ita vterque damnabilis est, scil. & qui ponit tenebras, hoc est prauitatem hæreticam esse lucem, id est catholicã veritatem: & qui dicit lucem, id est catholicam veritatem, esse tenebras, id est hæreticã prauitatem, sed qui dicit scripturam catholicam esse hæreticam, trahendo eam videlicet ad sensum hæreticum, & aliter exponendo, quam sensus Spiritus sancti efflagitat: est hæreticus censendus, *24. qu. 3. haresis*, igitur ille, qui scripturam hæreticam trahit ad sensum catholicum eius errorem exponendo, hæreticus est censendus, & ita qui determinationem Papæ secundum mentem eius hæreticam reputat catholicam, sciens, quod ille sensus, qui secundum rei veritatem est de mente Papæ, est damnatus, debet hæreticus iudicari: licet nesciat, quod ille sit sensus Papæ hæretici. Alia assertio, quæ tenet, quod talis sic exponens determinationẽ Papæ hæreticam, & trahit eam ad sensum catholicum, quem putat esse de mente Papæ, non est hæreticus iudicandus, videtur tali ratione posse probari. Ille qui non errat contra fidem, non est hæreticus iudicandus, licet erret contra intentionem alicuius hæretici vel catholici, sed qui determinationem Papæ habentem diuersos sensus, vnum catholicum & alium hæreticum, trahit ad sensum catholicum, putans eum esse de mente Papæ, quamuis non sit, non errat contra fidem, sed tantum contra mentem Papæ: quia tenet quicquid spectat ad fidem, in hoc tamen errat, quod putat sensum catholicum esse de mente Papæ: qui tamen non est, ergo talis non est hæreticus reputandus. *Discipul.* Quæ prædictarum assertionum sit verior, post consummationem istius operis sollicite indagabo, nunc autem dic an peccet mortaliter ille, qui trahit determinationem Papæ, secundum mentem Papæ hæreticam ad sensum catholicum: quem tamen non credit esse de intentione Papæ: sed credit quod hæreticus sensus est de mente Papæ. *Magister.* Respondetur, quod talis qui non tantummodo recitando, sed exterius affirmando trahit determinationem hæreticam ad sensum catholicum, quem non credit esse de mente taliter determinantis, peccat mortaliter, quia committit crimen mendacii, siue adulando, siue timore, siue ambitione taliter mentiatur: nec potest à peccato mortali quomodolibet excusari, quia omne tale mendacium est peccatum mortale, & si ex desiderio complacendi Papæ hæretico mendacium tale procedat, grauius est, quam si ex timore solummodo emanaret, quare in pusillanimo timor aliquo modo diminuit peccatum, in illo autem, qui homini placere desiderat, per crimen mendacii, crimen adulationis aut cupiditatis, aut ambitionis adiungitur, & ideo talis grauius & multiplicius peccat.

CAP. III.

In quo agitur de eis, qui assertionem in omni sensu hæreticam traherent ad sensum catholicum, scientes tamen quod in rei veritate talis assertio in omni sensu, quem posset habere, est hæretica & respondetur secundum duplicem opinionem.

DIscipulus. Post interrogationem de trahentibus diffinitionem Papæ hæreticam, habentem diuersos sensus, vnum hæreticum, & alium catholicum, ad sensum catholicum: peto vt dicas, quid sentiendum esset de illis, qui diffinitionem Papæ hæreticam in omni sensu, quem talis diffinitio posset habere, de virtute verborum traherent ad aliquem sensum catholicum, scientes quod quilibet illorum sensuum, qui secundum rei veritatem possunt elici ex verbis determinationis Papæ, est hæreticus. *Magister.* Respondetur, quod est quædam assertio dicens, quod tales essent credentes errori Papæ hæretici, & etiam hæretici reputandi, nisi sollicite quærerent veritatem, & parati essent corrigi, quam cito veritatem inuenirent. Quod enim tales credentes hæreticorum errori debeant hæretici reputari, videtur sic posse probari. Ille, qui credit hæreticorum errori, qui nullum potest habere sensum catholicum, est inter credentes hæreticorum errori merito computandus, sed ille, qui pertinaciter defendit hæreticorum errorem, qui nullum potest habere sensum catholicum, est hæreticus reputandus, *24. quæstion. 3. qui aliorum.* Cum ergo per positum tales credant errori, qui nullum potest habere sensum catholicum, inter credentes sunt merito computandi. Et per illud patet, quod tales nisi sollicite quærant veritatem parati corrigi, cum inuenerint, sunt hæretici iudicandi, quoniam errans contra fidem, nisi quærat veritatem paratus corrigi cum inuenerit, est inter hæreticos numerandus, *24. quæstion. 3. dicit Apostolus.* Ex quo infertur, quod qui exponerent & traherent determinationem Papæ hæreticam in omni sensu, quem potest habere de virtute verborum ad sensum catholicum, si simul cum hoc non persequerentur & molestarent qualitercunque diffinitionem Papæ hæreticam impugnantes, essent inter hæreticos reputandi: quia non quærerent cauta sollicitudine veritatem. Alia est assertio, quæ de trahentibus taliter diffinitionem Papæ hæreticam ad sensum catholicum dicit esse distinguendum, quia aut tales sunt periti in arte distinguendi assertiones ambiguas diuersos sensus habentes: aut in tali arte sunt minime eruditi. Primi excusari non possunt de crimine mendacii, nec de crimine hæreticæ prauitatis: sed

sunt censendi sibiipsis contrarii, quemadmodum hæretici sæpe reperiuntur sibiipsis contrarii, quia secundum Augustinum 24. quæstion. sept. cap. *quod autem*: *Heretici adeo calumniandi cupiditate cæcantur, vt non attendant, quod sint inter se contraria, quæ loquuntur*, & ideo cum tales sint periti in arte distinguendi assertiones ambiguas, præsumptio est violenta, quod tenens assertionem Papæ hæreticam sub aliquo sensu, quem sonat: & quod simul cum hoc tanquam contrarii sibiipsis tenent catholicam veritatem. Si autem tales non sunt periti in arte distinguendi assertiones ambiguas, non sunt statim hæretici iudicandi, sed si pertinaciter defenderent talem assertionem esse sub tali sensu sustinendam, deberent hæretici iudicari. *Discipulus.* Quomodo conuincetur talis de pertinacia? *Magister.* Respondetur, quod de pertinacia conuincetur, si postquam ostensum sibi fuerit euidenter, quod assertio Papæ hæretici talem sensum habere non potest, adhuc in sua opinione permanserit. Dicitur etiam, quod multis aliis modis potest conuinci de pertinacia, puta si de veritate (quando conuenienter potest) renuit informari: si impugnatores hæreticæ prauitatis persequitur vel molestat: si alios minis, præceptis, pœnis, vel alio quouis modo compellit ad suam opinionem pertinaciter defendendam, & forte aliquibus aliis modis, de quibus dictum est supra *libro quarto*, est de pertinacia conuincendus. *Discipulus.* Quid si aliquis promittit vel iurat, quod tenebit semper talem assertionem hæreticam, & intendit tenere sub sensu catholico: quem tamen sensum catholicum de virtute verborum habere non potest. *Magister.* Respondetur, quod talis est hæreticus iudicandus: quia ex quo tenet assertionem hæreticam in omni sensu, quem de virtute verborum habere potest, & promittit seu iurat quod semper tenebit eandem, non est paratus corrigi, & per consequens hæreticus est censendus.

CAP. IV.

In quo agitur de prælatis inferioribus Papæ statutum tale non approbando, sed suis tantummodo præcipiendo, ne ipsum reprobare audeant, & vt de persona Papæ semper reuerenter loquantur, vbi etiam nota, si quandoque aliquem liceat ludificare, & ad huiusmodi quæsitum etiam respondetur sub duplici opinione, ibidem etiam nota de iuramento, de mendacio & peccato infidelitatis.

Discipulus. Ponatur quod Papa diffiniret aliquam assertionem hæreticam esse tenendam, tanquam catholicam: & alius prælatus (puta archiepiscopus, vel episcopus, vel alius sciens diffinitionem Papæ esse hæreticam) ordinet, statuat, præcipiat, aut mandet sub graui pœna, quod nullus subditorum suorum audeat diffinitionem Papæ aliqualiter reprobare, sed de ea, & etiam de persona Papæ, quilibet subditus suus loquatur omnino reuerenter, nomen tamen Papæ in tali ordinatione, statuto, præcepto vel mandato nullatenus exprimendo, nunquid talis prælatus est credens errori Papæ & hæreticus reputandus? *Magister.* Circa hoc sunt diuersæ opiniones, vna est, quod talis prælatus est credens errori Papæ & hæreticus reputandus, quod enim inter credentes errori Papæ debeat computari, ex hoc probatur, quod statuit diffinitionem Papæ nullatenus reprobandam: sed quod de ea cum reuerentia est loquendum, error autem est reprobandus, & non est cum reuerentia de errore loquendum, ergo talis ordinans, statuens, præcipiens siue mandans credit diffinitionem Papæ esse tenendam, & per consequens inter credentes errori Papæ est merito computandus. Quod vero talis prælatus sit hæreticus reputandus, tali ratione probatur. Credens errori contra fidem & ad eundem errorem tenendum alios minis compellit, statutis & præceptis, est hæreticus computandus, vt ex his quæ dicta sunt *libro quarto*, videtur posse probari, talis autem prælatus est credens errori Papæ: & ad eundem errorem tenendum alios compellit statutis & præceptis, ergo non est solum credens errori Papæ: sed hæreticus est censendus. Alia est opinio; quod si prælatus inferior, puta archiepiscopus aut aliquis prælatus, præcise talibus verbis vel æquipollentibus vtatur: *statuo, mando*, vel *præcipio*, vel *sub pœna excommunicationis*, vel *etiam carceris, vt nullus mihi subiectus diffinitiones Domini summi Pontificis audeat reprobare: vel ex eis de persona Papæ qualitercunque male loqui, sed loquatur cum omnimoda reuerentia de eisdem*, talis prælatus sine maiori examinatione, non est inter credentes errori Papæ, nec inter hæreticos computandus. Cuius ratio assignatur: quia propter verba generalia talia, quæ ita possunt intelligi de diffinitionibus catholici Papæ, sicut de diffinitionibus Papæ heretici, non est aliquis inter credentes erroribus Papæ hæretici, vel hæreticos computandus: sed prædicta ita possunt intelligi de diffinitionibus Papæ catholici, sicut de diffinitionibus Papæ hæretici, ergo propter talia verba generalia non est aliquis inter credentes vel hæreticos computandus. *Discipulus.* Ista regula esset apparens; si, quando fit tale statutum, esset aliquis Papa catholicus, sicut est Papa hæreticus. *Magister.* Respondetur, quod hoc non obstat, quia sicut est prudenter futuris talibus occurrendum *distinct. 23. in nomine*, & ad cautelam futurorum est aliquid faciendum, *extra de electionibus, licet*: ita ex causa aliqua statuuntur & etiam præcipiuntur, quæ non in tempore, quo statuuntur & etiam præcipiuntur, sed in tempore futuro locum valebunt habere, & ideo talia statuta non pro tempore, quo fiunt, sed pro tempore futuro debent intelligi, & ideo licet aliquis prælatus, quando Papa esset hæreticus, statueret sub graui pœna, quod nullus subdito-

ditorum suorum diffinitiones Papæ audeat reprobare, tale statutum, quantum est ex forma verborum, non deberet intelligi pro tempore, quo fit; nec etiam pro tempore, quo Papa esset hæreticus: sed pro tempore, quo erat summus Pontifex catholicus, & catholice de diffinitionibus circa fidem diffiniret, tale enim statutum, quantum est ex forma verborum, taliter debet intelligi, qualiter intelligeretur, si non solum secundum veritatem, sed etiam secundum opinionem omnium fidelium vacaret Apostolica sedes; & qualiter intelligeretur, si non solum secundum veritatem, sed etiam secundum opinionem omnium catholicorũ Papa, qui est hæreticus, esset omni auctoritate & dignitate priuatus, & ideo sicut tunc non intellligeretur de diffinitionibus Papæ hæretici: ita nec nũc debet intelligi de diffinitionibus Papæ hæretici, quantumcunq; à multitudine Christianorum minime crederetur, quod vacaret Apostolica sedes, aut quod Papa esset hæreticus. *Disc.* Ex qua causa liceret concedere tale statutum tali intentione, quod statutum illud non debet intelligi de diffinitionibus Papæ qui est hæreticus: sed de diffinitionibus futuri Papæ catholici? *Magist.* Respondetur, quod hoc liceret in casu ad dilucidandum sententiam Papæ hæretici, si enim aliquis prælatus sciens diffinitiones Papæ esse hæreticas, vel etiam dubitans eas esse hæreticales, probabiliter ex certis coniecturis & causis æstimaret, quod Papa eum & sibi subiectos male tractaret, nisi tale quid statueret, posset idem prælatus condere tale statutum, non intelligens statutum de illo, qui habetur pro Papa, nec de diffinitionibus suis; sed de futuro Papa catholico, & de diffinitionibus eius orthodoxis, verbis enim generalibus & figuratiuis locutionibus, atque ambiguis etiam verbis æquiuocis ac multiplicibus licet deludere sententiam perfidorum. *Magister.* Licet videatur, quod talis prælatus suam intentionem occultando deludens Papam (etiam hæreticum) grauiter peccet, quia non videtur à vitio simulationis immunis: tamen motiua dicentium, quod taliter liceat aliquos deludere, non differas inducere.

Magister. Quod liceat taliter deludere tales ad eorum sententiam declinandam, sic videtur posse probari. Cui licet vti insidiis ad hostes seu æmulos expugnandos: eidem licet vti verbis generalibus ac æquiuocis, & multiplicibus, atque sermonibus figuratiuis ad malignorum sententiam declinandam; sed omni iusto, & sancto licet vti insidiis ad hostes seu æmulos expugnandos *24. quæstion. 3. Dominus noster*, ergo homini iusto & sancto licet vti verbis generalibus & æquiuocis, ac multiplicibus, & etiam sermonibus figuratiuis ad malorum sententiam declinandam. Secundo sic, dolus qui potest esse absque mendacio, verbo & facto est licitus contra hostem, sed delusio, quæ fit verbis generalibus, æquiuocis, multiplicibus & figuratiuis, est dolus quidam: & potest esse absque mendacio, verbo & facto, ergo huiusmodi delusio hostis est licita. Maior dictis maiorum ostenditur, ait enim beatus Hieronymus, vt habetur 23. quæstion. 2. cap. *vtilem: Vtilem simulationem & in tempore assumendam Hiehu regis Israel nos doceat exemplum, qui cum non potuisset interficere sacerdotes Baal, nisi finxisset se idolum velle colere, finxit dicens: congregate mihi omnes sacerdotes Baal*, &c. Et infra: *Achab seruiuit sibi in paucis, & ego seruiam sibi in multis, & Dauid quando mutauit faciem suam coram Abimelech, & dimisit eum & abiit*, nec mirum, si licet iustos homines sibi aliqua simulare pro tempore ad suam & aliorum salutem, cum & ipse Dominus noster Iesus Christus non habens peccatum nec peccati carnem, simulationem carnis peccatricis assumpsit, condemnans in carne peccatum. Vnde Glossa super Psalmum secundum articul. dicit, quod *dolus contra hostem bonus est.* Ita Origenes, vt legitur *distinction. 43. cap. in mandatis*, loquens de viro malis moribus inuoluto se ingerente ad scrutandum secreta fidei, ait: *Si ingesserit se & prouocauerit nos dicere, quæ eum minus agentem recte non oporteat audire, prudenter eum debemus eludere*, vbi dicit Glossa: *nota dolum esse bonum contra hostem.* Item Glossa *22. quæstion. 2. cap. Dominus noster*, ait sic: *Igitur per insidias & per dolum possumus licite vincere hostes nostros: dum tamen fidem non rumpamus hosti.* Ex quibus patet, quod dolus, qui potest esse absque peccato, facto vel verbo est licitus contra hostem. Minor, sc. quod delusio quæ fit generalibus verbis, etiam est dolus, qui potest esse absque mendacio, verbo & facto, patet. Quia verba, in quibus potest veritas reperiri, possunt omni carere mendacio, sed in verbis æquiuocis & multiplicibus atque ambiguis, ac etiam figuratiuis potest veritas reperiri: aliter vir iustus nunquam eis vti deberet, ergo talia verba omni possunt carere mendacio, ergo ad hostis malitiam declinandam licitum est vti talibus, quæ bonum intellectum possunt habere.

Discipulus. Non ex opinionibus singulorum, sed ex communi vsu nomina sunt intelligenda, ergo si talia verba communiter intellecta habeant malum sensum, sub malo sensu deberent intelligi. Item, non licet eum decipere, cui fidelitas est seruanda, sed hosti cuicunque seruanda est fidelitas, sicut etiam fides sibi promissa est ei seruanda, ergo nulli licet hostem quemcunque per verba generalia, æquiuoca, multiplicia, seu ambigua, vel figuratiua decipere. Item, verba cuiuscunque intelligenda sunt, sicut ea Deus accipit, Deus autem accipit verba alicuius, sicut intelligit ille cui dicuntur, sed subditi, quibus dicerentur verba talis statuti, intelligerent ea de Papa, qui à multitudine Christianorum haberetur pro Papa, ergo sic deberent intelligi. Quod autem Dominus Deus accipiat verba hominis, sicut ille intelligit, cui dicuntur, patet. Nam Deus non facit differentiam inter verba iuramenti & simplicis loquelæ, teste Chrysostom. qui (vt habetur *22. quæstion. quint. cap. iuramenti*) ait: *Dominus noster inter iuramentum & loquelam nullam vult esse distinctionem*, quia sicut in iuramento nullam conuenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium, sed Deus accipit verba iuramenti, sicut ille intelligit cui iuratur, teste

Isid.

Isidor. qui (vt legitur *22. quæstion. quint. cap. quacunque*) ait: *quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hæc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit*, ergo etiam Deus sic accipit verba talis statuti, sicut illi, qui illo astringuntur, intelligunt. Et confirmatur hæc ratio, quia statutum non debet esse captiosum, vt scilicet aliter intelligatur, quam illi quibus dicitur intelligunt *distinctione quarta. erit*; sed subditi talis prælati, nescientes Papam esse hæreticum, neque scientes diffinitionem eius esse hæreticam, intelligerent tale statutum de illo qui habetur pro Papa, & de diffinitionibus eius, ergo sic deberet intelligi. Et hæc sunt, quæ mouent animum meum ad tenendum, quod sermonibus ambiguis, & generalibus nullius est deludenda malitia, ad quæ gratia exercitii satagas respondere. *Magister*. Sunt nonnulli, qui ista friuola putant: quorum tibi responsiones breuiter recitabo. Ad primum itaque dicitur, quod ambiguitas, & similiter generalitas verborum quandoque incidit in iudiciis, quandoque in contractibus, quandoque in legibus constitutis, quandoque in doctrina alicuius scribentis aut docentis, quandoque in simplici assertione, seu narratione alicuius verbi. Quando igitur ambiguitas, vel generalitas verborum incidit in iudiciis vel contractibus, non est semper recurrendum ad mentem loquentis: quem scilicet ex virtute verborum potest habere sensum, secundum quod ex verbis Glossæ, *extra de sponsalibus, cap. ex literis*, colligitur euidenter. Quando vero ambiguitas vel generalitas verborum in statutis vel legibus reperitur: si fuerit talis ambiguitas, vel generalitas verborum, quod sensus qui ex virtute verborum huiusmodi potest haberi, neque legi naturæ, nec legi humanæ (minime abrogatæ) repugnat: neque potest vergere in nocumentum iustum alterius: recurrendum est ad intentionem legem statuentis, & sic intelligenda est lex, quemadmodum ipse intelligit, & si quis aliter intelligit, talis intellectus in damnum vel periculum, aut infamiam statuentis redundare non debet, quia in talibus, in quibus ambiguitas vel generalitas verborum incidit, vbi virtus verborum permittit verum sensum, qui neque iuri diuino, neque iuri naturali, nec humano (nullatenus abrogato) repugnat: neque potest vergere in nocumentum iniustum alterius: quia cuius est condere, eius est interpretari, & quem in condendo habeat sensum exprimere. *Discipulus*. Quid si conditor legis talis est mortuus, antequam sensum, quem habeat in condendo legem, expresserit. *Magister*. Respondetur, quod sicut facta quæ possunt fieri bene vel male, in meliorem partem interpretanda sunt: ita peritus in arte distinguendi diuersos sensus legum talia verba generalia & ambigua, in meliorem partem interpretari debet, vt scilicet lex condita talis magis valeat & putetur iusta & licita, quam illicita vel iniusta. Similiter dicitur, quod vbi incidit ambiguitas vel generalitas verborum in doctrina alicuius scribentis aut docentis, recurrendum est ad intentionem loquentis, vt ipse seipsum exponat, & si quidem exprimit sensum verum, quem permittit virtus verborum, est nullatenus reprobandus, nisi conuinci posset, quod talis sensus verus aliis dictis eius esset contrarius vel impertinens: & quod talibus verbis generalibus vel ambiguis vsus fuisset ad aliquem introducendum errorem, tunc enim putandum esset, quod talem sensum verum contra conscientiam exprimeret, vel taceret alium sensum ad aliquod incommodum vel periculum euitandum, vel ad aliquod commodum consequendum. De ambiguitate etiam verborum, quæ incidit in simplici loquela vel narratione, recurrendum est ad intentionem loquentis, vt stetur interpretationi & intellectui suo, nisi probetur aperte, vel violenter aut probabiliter præsumatur, quod tali modo loquendi generali & ambiguo vsus est ad aliquem decipiendum iniuste, vel ad aliquem alium malum finem. Per hoc respondetur ad primam tuam instantiam, quia cum dicis, non ex opinionibus singulorum, sed ex communi vsu nomina sunt intelligenda, dici potest, quod hæc regula fallit in multis casibus: secundum quod ex Glossa prædicta *extra de sponsalib. ca. ex literis* potest haberi patenter, & ideo quando quis legem statuit, vel etiam loquitur, vt iuste & licite hostem suum deludat, non est recurrendum ad communem intelligentiam verborum: sed recurrendum est ad intentionem loquentis siue legem statuentis, & siquidem exprimit sensum, quem permittit sensus verborum, quantumcunque non sit sensus, quem homines conuenienter de talibus verbis concipiunt, sed sensus valde extraneus & inusitatus, ita tamen quod virtus verborum ita permittat: standum est conditioni statuentis & sensui loquentis, si talis sensus solummodo sit ad sensum loquentis, & non vergat in nocumentum, vel præiudicium illicitum aut iniquum alterius: & quantumcunque esset in nocumentum seu præiudicium aliorum iustum & licitum. *Discipulus*. Si posset probari, quod in verbis ambiguis recurrendum esset ad intentionem loquentis: & non ad communem intelligentiam verborum, prædicta ratio apparentiam videretur habere, ideo quæ ad hoc allegare contingat, ostende. *Magister*. Quod recurrendum sit ad intentionem loquentis, & non ad communem intelligentiam loquentis, dicta maiorum sonare videntur, ait enim Glossa *extra de verborum significationibus, cap. intelligentia, Non statim debemus intelligere verba, vt prima facie sonare videntur; maxime vbi ambigua sunt, sed debemus recurrere ad intentionem loquentis, & hoc dat argumentum bonum supra de prebendis, c. vltim. & cap. cum tamen*, & in fine dicit sic: *argumentum quod verba ad extraneum sensum sunt trahenda, vbi res aliter salua esse non potest*. Et consimiliter verba sunt trahenda ad sensum extraneum, quando aliter veritas verborum, vel æquitas saluari non potest, quod intelligendum est, quod talis sensus extraneus nulli nocet iniuste: & verba ad introducendum errorem minime sunt adiecta, ideo in hoc standum est interpretationi seu expositioni loquentis. Item Glossa, *extra, de procura. cap. petitio*, ait: *quando verba generalia siue dubia ponuntur in huiusmodi instrumentis procuratorum recurrendum est*

ad intentionem constituentis, sicut & in priuilegiis, infra de decimis, cap. ex multiplici, cap. cum tamen. Item Glossa *extra, de prabendis, cap. cum tamen*, ait: *recurrendum esse ad intentionem loquentis, mandantis, & scribentis. Discipulus.* Scio Glossas in multis locis asserere, recurrendum esse ad intentionem loquentis, mandantis & scribentis: sed vellem scire, in quibus auctoritatibus se fundare nituntur. *Magister.* Fundant se in diuersis auctoritatibus sanctorum, quæ in decretis & decretalibus inseruntur. Prima est Gregor. quæ ponitur *22. quæstion. 5. cap. humana*, qui ait: *certe nouerit ille, qui intentionem & voluntatem alterius variis verbis explicat, quia non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem: quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni.* Secunda est beati Hieronymi, qui, vt legitur *1. quæstion. 1. cap. Marcion*, ait: *nec putemus in verbis scripturarum esse euangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Tertia est beati Clementis, quæ ponitur *distinction. 37. cap. relatum*, qui ait: *Sunt multa verba in scripturis diuinis, quæ possunt retrahi ad eum sensum, quem sibi sponte vnusquisque præsumpserit, sed non oportet.* Quarta est Hilarii, quæ ponitur *extra, de verborum significatione cap. intelligentia*, qui ait: *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei subiectus est sermo. Discipulus.* Desine plures auctoritates adducere, quia in tractatu *De gestis circa fidem altercantium orthodoxam* super materiam hanc reuertar, vbi in speciali de peruertentibus scripturam, & dicta aliorum inquiram. *Magister.* Si interrogaueris me de hoc in illo tractatu: narrabo tibi opinionem aliquorum de quibusdam magistris & prælatis in particulari, quos probare nituntur: imo videtur eis, quod probant eos propter tale vitium esse peiores & grauioribus inuolutos criminibus, quam sint fures, latrones, prædones, fornicatores, & adulteri, & maiori pœna & confusione plectendos. *Discipulus.* Isti grandia respondent, quæ nunquam valebunt persoluere, & tamen quomodo persoluere conabuntur (cum ad illum tractatum veniemus) gratia exercitii, libenter auscultabo, nunc autem qualiter ad instantias alias supra inductas respondetur, expone. *Magister.* Ad secundam dici potest, quod decipere aliquē contingit dupliciter, vel falsum dicendo, quod nullum sensum potest habere verum: aut aliquid illicitum committendo, & sic nulli est licitum decipere alium, cui fidelitas est seruanda: vel veritatem & mentem, ac intentionem & consilium occultando, aut aliquid licitum faciendo, per quem modum in publicis bellis decipiuntur hostes: quia & eis consilia occultantur, & bellatores vbi hostes non æstimant, collocantur: multisque aliis modis licitis decipiuntur hostes. Et isto modo condens statutum vtens verbis generalibus & ambiguis, quæ ita possunt intelligi ex forma verborum de Papa catholico futuro, sicut de Papa hæretico: si Papa superstes esset hæreticus, deludit Papam hæreticum non falsum dicendo, nec iniustum ius aliquod statuendo, sed mentem suam & intentionem & sensum, quem habet de verbis sui statuti celando: ideo nullum committit illicitum, sed pro salute sua caute deludit hostis nequitiam. Ad tertiam respondetur, quod non semper Deus accipit verba iuramenti, sicut ille cui iuratur intelligit, teste Gratiano, qui (*22. quæstion. quint. cap. qui periurare*) ait: *ex his omnibus colligitur, quod iuramenta secundum intentionem præstantis non recipientis à Deo iudicantur.* Ad cuius euidentiam dicitur esse sciendum, quod sicut iurans, ita conditor legis, doctor & simpliciter loquens aliquando vtitur calliditate iniqua ad alium malitiose & iniuste decipiendum, & in isto casu verba iurantis, legem condentis, scribentis & loquentis sic intelligenda sunt, sicut & ille, qui simplici intentione & pura recipit verba & intelligit, & in isto casu loquitur Isidorus, cum dicit: *quacunque arte verborum* (scilicet iniqua & callida ad iniuste & impie decipiendum alios) *quis iuret; Deus tamen, qui conscientiæ* (scilicet tam callide iniqua iurantis, quam simplici intentione recipientis) *testis est, ita hac accipit, sicut ille cui iuratur, intelligit*, sic etiam quando quis calliditate iniqua ad decipiendum alios aliquid statuit, docet vel loquitur, Deus sic accipit verba, sicut illi quibus dicuntur, intelligunt, aliquando autem sicut iurans, ita conditor legis, docens, scribens, & loquens vtitur calliditate bona, non ad alium decipiendum iniuste, sed ad salutem suam vel aliorum, absque hoc, quod cuicunque iniuste officiat, & in isto casu intelligenda sunt verba, sicut iurans, legem condens, Doctor aut scribens, vel loquens intelligit: quando scil. forma verborum talem sensum permittit, quantumcunque sit extraneus & communi intelligentiæ verborum non correspondet. Ad confirmationē quę difficilior esse videtur, potest dici, quod quando subditi alicuius prælati vel omnes, vel multi sunt pestilentes, insidiantes suo prælato, & ad insidiandum, & impugnandum eundem dispositi & parati: in quo casu sicut liceret prælato inferiori Papam si esset hæreticus licita cautela deludere, ita si essent sui subditi pestilentes, liceret sibi per tale statutum eosdem deludere, aliquando autem subditi sunt beneuoli, rationabiles, præ oculis diuinum timorem habentes, & in hoc casu prælatus tale statutum ambiguum absque declaratione & interpretatione conuenienti apud subditos suos nequaquam publicare deberet. Vnde si vellet statutum condere ad deludendam malitiam persequentis sensum rectum, deberet subditis explicare. *Discipulus.* Recitasti diuersas sententias de statuto inferioris prælati sub verbis generalibus: quæ de omni Papa præsente vel futuro, ac etiam diffinitionibus eorundem possunt intelligi, obligare sibi subiectos ad reuerenter loquendum de Papæ persona: nullum tamen nominando & diffinitionibus eius nullatenus reprobandis. Nunc autem dic, quid est tenendum de tali statuto, si de nullo alio, quam de Papa hæretico posset intelligi, quia nomen Papæ hæretici expresse exprimitur in eodem. *Magister.* Ad hoc secundum aliquos respondetur, quod talis prælatus credens & hæreticus est censendus. Quod autem inter credentes debeat computari, videtur tali ratione posse probari. Ille, qui expresse asserit, mandat, aut præcipit errores alicuius hæretici esse tenendos

nendos inter credentes eius errorib. est censendus, sed talis prælatus per tale statutum assereret, præciperet & mandaret errores Papæ hæretici esse tenendos, ergo inter credentes computari deberet. Quod etiam esset hæreticus reputandus probatur ex hoc: quod qui cogit aliquos pœnis, præceptis, statutis ad pertinaciter errores contra fidem tenendos, est inter hæreticos computandus, talis esset prælatus, qui conderet statutum, de quo est sermo, ergo esset inter hæreticos computandus.

CAP. V.

In quo inquiritur, quid sit sentiendum de eo, qui tantummodo ex mandato Papæ hæretici eius assertiones hæreticas inter sibi subiectos diuulgat, tanquam tenendas.

Disc. Dic de prælato inferiori, qui sciens diffinitiones Papæ esse hæreticas ipsas de mandato eiusdem Papæ hæretici tanquam tenendas solummodo diuulgaret inter sibi subiectos. *Mag.* Diuersimode respondetur. Dicitur enim vno modo, quod quantumcunq; talis coram Deo non esset hæreticus, nec credens erroribus Papæ hæretici: tamen apud fideles, qui de occultis iudicare non possunt, esset credens erroribus Papæ hæretici iudicandus. Quod enim esset credẽs censendus ex hoc probatur. Quia qui diuulgat aliquem errorem tanquam tenendum asserit verbo vel facto talem errorem esse tenendum, sed qui asserit aliquem errorem esse tenẽdum, debet reputari credens tali errori, ergo qui diuulgat talem errorem tanquam credendum est hæreticus censendus: & inter credentes merito cõputatur. Quod vero talis hæreticus sit censendus ostenditur, quia qui verbo vel facto cogit alios ad pertinaciter errores tenendos, quibus credit, est hæreticus reputandus, talis autem prælatus, quantum in se est cogit alios ad pertinaciter tenendos errores contentos in diffinitionibus Papæ hæretici: quibus dicit se credere, ergo hæreticus est censendus. *Disc.* Talis prælatus nullum cogeret ad tenendos errores Papæ, quia si solum diuulgat illos errores, non cogit alios ad tenendum eosdẽ. *Magi.* Respondetur, quod qui solum diuulgat errores & non diuulgaret præceptũ, quo mandatur sub graui pœna, quod certi teneantur errores, quodammodo cogit audientes tenere errorem, hoc autem faceret, qui tales diffinitiones Papæ hæretici diuulgaret, quia in eisdem diffinitionibus præciperetur sub graui pœna, quod tenerentur illi errores contenti, ergo talis diuulgans cogeret alios ad pertinaciter tenendos errores, & per consequens esset hæreticus reputandus. Aliter dicitur, quod talis prælatus diuulgans diffinitiones Papæ, quas scit esse hæreticas, mortaliter peccat & inter credentes apud catholicos est reputandus: sed non est inter hæreticos computãdus. Quod autem mortalissime peccat, probatur. Nam qui sciẽter alios inducit inquantum in se est ad negandum catholicã fidem, mortaliter peccat, sed qui diuulgat diffinitiones Papæ hæretici, quas scit hæreticas, quantũ in se est, scienter inducit alios ad negandum catholicam veritatem: quia quantum est ex forma diuulgationis per diuulgationem huiusmodi audientes ad tenendas diffinitiones Papæ hæretici inducuntur, ergo talis diuulgans mortalissime peccat. Item secundum Apostolum ad Rom. 1. non solum peccant, qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, sed talis diuulgans diffinitiones Papæ hæretici consentit Papæ hæretico, & inducit catholicos ad tenendos errores. Igitur talis diuulgans grauissime peccat. Quod vero talis diuulgans debeat à catholicis inter credentes errorib. Papæ hæretici computari, licet in rei veritate non sit credens, patet, quia licet corde non credat, tamen diffinitiones Papæ hæretici exterius confitetur, catholici autem non de corde, sed de exteriori confessione iudicare debent, ergo talis inter credentes est à catholicis numerandus. Quod autem non sit hæreticus iudicandus, probatur per hoc, quia talis qui solummodo diffinitiones Papæ hæreticales diuulgat, licet possit probari errans, non tamen de pertinacia: & quod non sit corrigi paratus potest conuinci, ergo hæreticus non est iudicandus. *Disc.* Aduerto quod ad sciendum, an talis diuulgans diffinitiones Papæ hæreticales sit pertinax & hæreticus iudicandus, oportet ad illa quæ tractauimus superius *libro quarto* recurrere: quæ hic non reputo replicanda: sed peto scire an idem sentiendum sit de prælato diuulgante diffinitiones Papæ hæreticas, quas scit esse hæreticas; & de alio diuulgante diffinitiones easdem, quas nescit esse hæreticas. *Magister.* Quantum ad ecclesiam, idem est tenendum de vno & alio, quia inter vnum & alium in actibus exterioribus nulla appparet distantia: sed apud Deum magna est inter eos distantia, sicut coram Deo magna differentia reperitur inter corde credentem & confitentem eundem; & non credentem corde, tamen expressius confitentem.

CAP. VI.

In quo specialiter inquiritur de eis, qui credunt corde errori explicite damnato, aut qui non corde credunt, nihilominus tamen extrinsecus publice confitentur, talem errorem timore seu minis coacti aut ambitione allecti, qui scilicet inter eos grauius peccent, pro eius responsione ponuntur duæ opiniones.

Disc. Parum disgrediendo à proposito principali te interrogare studebo de cõparatione credentis corde errori damnato explicite Papæ hæretici, vel aliorum hæreticorum, quem scit esse damnatum:

mnatum: & non credentis corde tali errori, quem scit esse damnatum explicite: tamen timore vel ambitione, aut ex aliqua causa tracti, talem errorem occulte, vel publice confitentis, docentis, prædicantis, vel laudantis tanquam catholicum & consonum veritati. Primo enim quæro, quis eorum grauius peccat coram Deo? *Magister.* Circa hoc sunt diuersi modi dicendi. Vnus est, quod grauius peccat ille, qui corde credit errori tali damnato Papæ hæretici vel alterius hæretici: quam ille, qui non credit corde, & tamen exterius confitetur. Cuius ratio assignatur talis, tale peccatum infidelitatis est grauissimum peccatorum, quod Augustin. sentire videtur, qui (super illud Iohan. 15. *si non venissem & locutus eis non fuissem peccatum non haberent*) ait: *magnum quidem peccatum sub generali nomine vult intelligi. Hoc est peccatum infidelitatis, quo tenentur cuncta peccata*, qui credit in corde errori, quem sciuit esse damnatum, peccat peccato infidelitatis, ergo grauius peccat, quam ille qui non credit corde: & tamen solummodo talem errorem exterius confitetur, prædicat, docet vel laudat. Secundo sic. Grauius peccatum pœna grauiori punitur, secundum illud Deuteronom. 20. *pro mensura peccati erit & plagarum modus*, sed qui timore mortis inter Sarracenos vel alios infideles constitutus negaret Christum, & Machometum laudaret, & veneraretur, minus puniretur, quam si solum corde hoc faceret. Primus enim non esset excommunicatus, nec omni gradu ecclesiastico priuaretur, quemadmodum beatus Marcellinus, licet negasset Christum & sacrificasset idolis timore mortis, non fuit excommunicatus, nec omni gradu & ecclesiastica dignitate priuatus, ergo qui corde credit errori damnato grauius peccat, quam qui in corde non credit, & exterius tantum confitetur & tenet. Alius modus dicendi circa propositam interrogationem est: quod ille peccat grauius, qui non credit corde tali errori: & tamen talem errorem exterius confitetur, docet, prædicat, aut laudat: & maxime si promittit aut iurat, quod talem assertionem, quam putat corde erroneam, in perpetuum tenere proponit. Cuius ratio assignatur, quia scienter peccans grauius peccat, quam peccans ignoranter. Vnde Augustinus dicit (vt habetur *6. quæstion. 1. cap. quaro*) regulam esse, quare peccata scientium peccatis ignorantium præponuntur, sed qui corde non credit errori & exterius confitetur, scienter peccat, alius autem peccat ignoranter credens verum esse quod tenet, ergo grauius peccat, qui non credit corde, & tamen exterius tenet talem errorem: quam ille qui credit corde eundem. Secundo sic. Grauius peccat, qui mentitur, quam ille, qui solummodo dicit falsum credens esse verum quod dicit, secundum quod ex verbis beati August. in Ench. quæ ponuntur *22. quæst. 2. c. his autem*, colligitur euidenter, nam qui mentitur, vult fallere: qui autem dicit falsum, quod putat esse verum, non vult fallere, grauius autem est velle fallere, quam non velle fallere, ergo mentiens grauius peccat: quam proferens falsum quod putat esse verum. Ille autem qui non credit erroribus hæreticorum siue Papæ, siue aliorum: & tamen exterius tenet tales errores, mentitur; quia contra id, quod in animo sentit, loquitur voluntate fallendi. Ille autem, qui credit tali errori confitendo tamen exterius, non mentitur: quia contra id quod in animo sentit non loquitur, ergo grauius peccat, quam qui corde non credit hæreticorum erroribus. *Disc.* Rationes pro vtroque modo ponendi prædicto apparentes mihi videntur, & ideo dic quomodo ad vtrasque potest responderi. *Magister.* Ad primam pro primo modo dicendi, dicerent forte alii, quod infidelitas non esset grauissimum peccatorum, nam odium Dei videtur multo grauius. Ad August. autem dicitur quod ipse non dicit infidelitatem esse grauissimum peccatorum: sed dicit esse magnum peccatum, quo tenentur cuncta peccata causaliter vel dispositiue aut occasionaliter, sæpe autem peccatum minus est causa, dispositio vel occasio grauioris. Ad secundum potest dici, quod multum refert ex qua causa vel occasione quis negat Christum. Qui enim timore mortis negaret Christum, minus peccaret quam negans absque tali timore, quia talis negatio parum haberet de voluntario, & ideo diminueretur peccatum: & esset minus peccato infidelitatis seu hæresis: & minus putari deberet, & ideo beatus Marcellinus negando Christum & sacrificando idolis timore mortis nec fuit excommunicatus, nec dignitate Papali priuatus, sed non ita diminuit voluntarium peccatum, quando quis negat amore precationis, honoris, vel dignitatis, aut status, aut cupiditate commodi temporalis, vel honoris adipiscendi, & ideo qui negat Christum in tali casu, vel etiam scienter, tenet errorem damnatum & sententiam excommunicationis incurrit, & omni dignitate ecclesiastica & auctoritate priuatur, nec talis minus peccat, quam qui credit mente errori damnato: imo magis peccaret, licet qui timore mortis ore non corde diceret se credere tali errori damnato, minus peccaret quam mente credens. *Discipulus.* Dic quomodo potest ad rationes in oppositum responderi. *Magister.* Ad primam illorum dicitur, quod regula illa quandoque fallit, interdum enim peccata scientium peccatis ignorantium præponuntur. Crucifixores enim Christi licet se præstare obsequium Deo crediderunt: grauius tamen peccauerunt, quam fures vel latrones & ebriosi scienter, quia, vt videtur innuere August. *hoc facit in quibusdam criminibus scelerum magnitudo, quod facit in quibusdam aliis, quantum ad actū exteriorem scienter commissio.* Ad secundam potest dici, quod licet quantum ad crimen mendacii exterioris grauius peccat, qui mentitur, quam qui loquitur falsum, quod putat esse verum, tamen quantum ad aliquem modum peccandi interius potest grauius peccare ille, qui loquitur falsum, quod putat esse verum, quam ille qui mentitur. Vnde qui dicit se credere erroribus alicuius hæretici, vt talis hæretici gratiam consequatur vel indignationem euitet: & tamen mente non credit eisdem erroribus: grauius peccat quantum ad crimen mendacii, quam ille qui credit & dicit se credere eisdem erroribus, quantum tamen ad credulitatem interiorem minus peccat quam alius, quia primus nō habet credulitatem mentalem erroneam, secundus autem habet credulitatem mentalem damnabilē,

&

&ita quantum ad hoc, minus peccat. *Discipul.* Hic restaret eadem quæstio quæ prius: vtrum scilicet crimen mendacii in mentiente huiusmodi sit grauius, quam error mentalis in illo qui loquitur falsum quod putat esse verum, quam tamen quæstionem ad præsens noli tractare: quia eam ad aliud opus censeo differendam, nunc autem dicas, qua pœna feriendus est vterque prædictorum, scilicet ille qui mentiendo dicit se assertionibus alicuius hæretici adhærere: & ille qui mente huiusmodi credit erroribus. *Magist.* Respondetur quod vterque puniendus est pœna hæreticorum, quia vnus est hæreticus apud Deum & ecclesiam, alius autem licet non sit hæreticus coram Deo: est tamen apud catholicos hæreticus reputandus: & ideo sicut hæreticus condemnandus. *Discipul.* Nunquid sunt æqualiter puniendi: vel vnus est grauius feriendus quam alius? *Magist.* Respondetur quod si ille qui non credit erroribus alicuius hæretici, & tamen (vt eius gratiam consequatur vel indignationem euitet) dicit se tenere assertiones easdem, postea resiliit volens se forsitan excusare, quod non credidit erroribus eisdem, grauius est plectendus quam ille qui credit & fatetur se eisdem erroribus credidisse, si vterque redit ad fidei veritatem. Cuius ratio assignatur, quia qui fatetur se non credere erroribus, nec credidisse, si vtique cedit erroribus, quibus prius se dixerat adhærere: puniendus est tam pro peccato in fide, quam pro peccato in moribus, quia prius exterius tenebat pertinaciter hæreticam prauitatem, & ideo catholici, qui de manifestis & non de occultis iudicare debent: ipsum punient pro hæretica prauitate, est etiam puniendus pro crimine in moribus: quia pro crimine mendacii, alius autem crimine mendacii non irretitur asserens se tenuisse mente q corde dedebat, primus autē mentiebatur aperte de seipso dicens se tenere quod nequaquam corde credebat, & ideo non solum tanquam hæreticus: sed tanquam falsus & mendax, bilinguis & duplex, est grauius puniendus, putandusque est omni dolositate, proditione, falsitate, periurio & similibus (saltem secundum præparationem cordis) iniquitatibus inuolutus, quare nunquam in quocunque negotio est sibi credendum: sed pro infami & ignominioso est in perpetuum habendus.

CAP. VII.

Inquirit de ignorantibus huiusmodi errores esse damnatos, neque eis pertinaciter adhærent: vtrum tales sint hæretici censendi.

DIscipul. Audiui diuersas sententias de credentibus hæreticorum erroribus, quos sciunt ab ecclesia condemnatos, nunc autem discutias de credentibus, qui non sciunt hæreticorum errores esse damnatos, nec pertinaciter adhærent eisdem: an scilicet tales hæretici sint censendi, cum Gregor. 9. vbi prius de credentibus hæreticorum erroribus non distinguit. *Magist.* Si loquaris de erroribus, qui obuiant veritatibus catholicis, quas credens non tenetur explicite credere, sed solum implicite. Dicunt quidam quod credentes huiusmodi erroribus non sunt hæretici reputandi, tales enim credentes videntur esse illi, de quibus loquitur Augustin. vt habetur 24. q. 3. c. hæreticus: *ille autem, qui huiusmodi hominibus credit, imaginatione quadam veritatis est illusus,* & ideo deceptus, non hæreticus videtur esse putandus. Si autem loquaris de erroribus, qui opponuntur catholicis veritatibus, quas quis tenetur explicite credere, videtur quibusdam quod tales credentes quamuis non pertinaciter adhæreant, sunt hæretici reputandi, aliis dicentibus quod nullus potest credere errori contrario veritati catholicæ, quam tenetur explicite credere, nisi pertinaciter eidem errori adhæreat, quia eo ipso quod quis credit errori contrario veritati catholicæ, quam tenetur explicite credere, non est paratus corrigi, & per consequens pertinax est censendus. *Discip.* Sunt ne credentes eisdem erroribus reputandi hæretici: vel omnes pro hæreticis nequaquam habendi? *Magist.* Respondetur quod non: quia aliqui credentes aliquibus erroribus sunt hæretici reputandi, & alii credentes eisdem erroribus non sunt hæretici reputandi, & hoc potest contingere dupliciter, primo quia aliqui tenentur credere explicite veritates contrarias illis erroribus: alii non tenentur explicite credere veritates illas. Secundo potest hoc contingere, quod aliqui pertinaciter adhærent, aliqui non pertinaciter adhærent. *Discipul.* Quia, vt æstimo, ad sciendum quis credens hæreticorum erroribus censendus hæreticus: & quis non est censendus: oportet scire, quis credens est pertinax: & quis credens non est pertinax, eo quod pertinax credens est hæreticus. Ille autem qui non credit pertinaciter credens non est hæreticus reputandus, quis autem sit pertinax: & quomodo de pertinacia debeat quis conuinci, tractatum superius est *lib. 4.* ideo circa hanc materiam hic nolo insistere, propter quod dic breuiter, quomodo debet intelligi auctoritas Gregorii *9. ca. 1. huius libri* allegata. *Magist.* Breuiter respondetur, quod debet intelligi de credentibus hæreticorum erroribus, quos sciunt esse damnatos, vel quibus pertinaciter credunt, quo etiam modo dicitur, quod debet intellligi auctoritas Gelasii papæ posita 24. q. 1. c. 1. *quicunq; in hæresim damnatam semel labitur, eius damnatione seipsum inuoluit.*

Cap. VIII.

In quo quæritur de credentibus ipsis hæreticis, eos reputantes catholicos, ignorantes tamen in quo discreparent à doctrina catholica, an scilicet tales sint hæretici, aut qua debeant plecti pœna, & respondetur sub duplici opinione.

DIscip. Postquam vidimus de credentibus explicite hæreticorum erroribus: consideremus de credentibus ipsis hæreticis, qui scilicet reputarent ipsos catholicos: licet ignorarent, in quo discrepant à doctrina catholica atque sana, an scilicet tales sint hæretici reputandi: & qua pœna debeant plecti. *Magist.* Circa hoc possunt esse diuersi modi dicendi, vnus est, quod tales, si nullum errorem hæreticorum explicite credunt, qui nesciunt in speciali, qui sint errores eorum, non sunt inter hæreticos computandi stricte loquendo de hæreticis: large tamen accipiendo hæreticos pro implicite pertinaciter tenentibus errores, qui sapiunt hæresim manifestam, hæretici sunt censendi. Primum istorum declaratur sic, sicut ille, qui nullam veritatem catholicam explicite credit, quamuis credat in genere fidem catholicam esse veram, non est catholicus reputandus: sic ille, qui nullum errorem contrarium veritati catholicæ explicite credit, non est inter hæreticos computandus, sed ille, qui credit aliquos catholicos, qui tamen sunt hæretici: & nescit in speciali aliquem errorem eorum nulli errori contrario fidei explicite credit, ergo talis non est inter hæreticos computandus nomine hæreticorum stricte sumpto. Secundum, scilicet quod large accipiendo nomen hæreticorum pertinaciter credentes hæreticis, licet nullum errorem ipsorum in speciali & explicite credant, sunt hæretici iudicandi, sic videtur posse probari, tenentes pertinaciter errorem, ex quo & quibusdam veris, quæ negari non possunt, sequitur hæresis manifesta, possunt hæretici nuncupari large accipiendo vocabulum, sed tales credunt errorem, ex quo & quibusdam veris sequitur hæresis manifesta, verbi gratia: si aliquis hæreticus teneret pertinaciter animas reproborum in inferno minime cruciari, & quod animæ sanctæ non vident Deum in cœlo, & quod omnia de necessitate eueniunt, credentes pertinaciter talem esse catholicum tenerent errorem; ex quo & quodam vero (quod negari non potest) sequitur hæresis manifesta. Sequitur enim: talis, puta Martinus vel Iacobus, est catholicus: & Martinus vel Iacobus tenent irreuocabiliter, quod animæ reproborum non cruciantur in inferno: & quod animæ sanctorum in cœlo non vident Deum: & quod omnia de necessitate eueniunt, ergo animæ reproborum non cruciantur in inferno: nec animæ sanctorum in cœlo vident Deum: & omnia de necessitate eueniunt. Conclusio ista concludit hæreses manifestas: & isti credentes (de quibus est sermo) pertinaciter explicite tenent maiorem, & minor potest aperte probari, ergo isti credentes large sumpto vocabulo sunt hæretici iudicandi. Alius modus ponendi potest esse, quod tales credentes nec vno modo nec alio modo sunt hæretici reputandi: quia sicut nullus est reputandus catholicus, nisi habeat fidem de veritate incommutabili, quæ falsificari non potest: ita nullus est hæreticus reputandus, nisi adhæreat errori, qui verificari non potest, tales autem credentes non adhærent nisi erroribus, qui verificari non possunt, si enim Iacobus vel Iohannes hodie est hæreticus: cras posset esse catholicus, ergo tales non sunt hæretici reputandi.

Cap. IX.

Agit de taliter credentibus, c. præcedenti modo expresso, quomodo grauiter peccent, vbi etiam notatur de ignorantia supina, & quomodo cognosci possit, quando quis ea laborat: ibidem etiam notatur de criminosis quomodo in iudicio sint audiendi.

DIscipul. Ista difficultas, an scilicet tales credentes sint censendi hæretici, videtur mihi magis esse de nomine, quam de re, ideo ipsa dimissa dic, an omnes credentes hæreticis modo prædicto (licet in speciali nullum sciant errorem ipsorum) grauiter peccent: & an sint acriter puniendi. *Magist.* Respondetur, quod si tales credentes sciant hæreticos esse damnatos, grauiter & mortaliter peccant, si autem nesciant eos esse damnatos, nec sciunt quod sunt hæretici, & non laborant ignorantia crassa & supina, non peccant mortaliter, si vero laborant ignorantia crassa & supina, peccant mortaliter. *Discipul.* Quomodo scietur, qui credentes hæreticis, quos nesciunt esse hæreticos, laborant ignorantia crassa & supina & qui non? *Magist.* Respondetur, quod illi dicuntur esse credentes hæreticis ignorantia crassa & supina siue damnabili laborantes, qui nolunt scire vel non curant, quos putant catholicos esse, & quos hæreticos. *Discipul.* Et quomodo scietur, quod aliqui credentes hæreticis nolunt scire ipsos esse hæreticos? *Magist.* Respondetur quod illi no-

illi nolunt ſcire eſſe aliquos hæreticos, qui veram informationem de hæreticorum perfidia nolunt audire, vnde ſi ſint aliqui ſcientes hæreticorum perfidiam, qui laborant, & parati ſunt oſtendere, quod ſunt prauitate infecti hæretica, qui nolunt eos audire: & multo magis qui tales volentes eos de hæreticorum perfidia informare, repellunt, perſequuntur & moleſtant, ignorantia damnabili & affectata laborant.

Diſcip. Videtur quod tales repellentes, perſequentes, & moleſtantes eos, qui cupiunt eos informare de illis, quos putant catholicos eſſe, & oſtendere quod ſunt hæretici, non peccant: imo faciunt quod debent, nam ex quo putant tales catholicos eſſe, reputare debent illos eſſe detractores: qui eos cupiunt de prauitate hæretica diffamare. Detractores autem repellere, moleſtare, & perſequi non eſt peccatum, ſed virtus, teſte Pſalmiſta: *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar.* Cui Salomon concordare videtur, qui Prouerbio. 25. ait: *Ventus aquilo diſsipat pluuias, & facies triſtis linguam detrahentem.* Et Prouerbio. 4. c. *Labia detrahentium ſint procul à te.* Et c. 3. dicit: *Cum detractoribus non miſcearis.* Quibus conſonat illud Eccleſiaſt. 20. *Sepi aures ſpinis, & noli audire linguam nequam.* Ex quibus aliiſque quamplurimis teſtimoniis ſcripturarum ſacrarum patenter colligitur: quod detractores non ſunt audiendi, ſed compellendi & moleſtandi, quod Anteros papa (vt habetur *6. quæſt. 1. ca. ex merito*) aperte inſinuat dicens: *caueat itaque vnuſquiſque ne aut linguam, aut aures habeat prurientes*: id eſt, ne aut aliis ipſe detrahat, aut alios detrahentes audiat.

Hoc etiam ex octaua Synodo probatur, prout legitur *11. q. 3. capitu. non ſolum*, colligitur euidenter, quod non ſolum ille reus eſt, qui falſum de aliquo profert, ſed etiam is qui aurem criminibus cito præbet. Quæ etiam Auguſtin. ſentire videtur, vt habetur eiſdem *cap. & q. c. in cunctis*, ſcribens archiepiſcopo Mediolanenſi in hæc verba: *ſanctitas veſtra debet mentem ſuam à maledicorum hominum rumoribus atque obtrectationibus diſiungere.* Ex quibus aliiſque quamplurimis patenter infertur, quod detractores, calumniatores, diffamatores, & criminum impoſitores non ſunt aliqualiter audiendi, ſed omnimode repellendi. Igitur ſi apparent aliqui, qui volunt alios informare de papa, quod ſit prauitate hæretica irretitus, quantumcunque papa eſſet hæreticus: illi, qui neſcirent papam eſſe hæreticum, non debent tales informatores audire. Ex quo ſequitur, quod tales propter quod nolunt de perfidia papæ hæretici informari: non eſſent dicendi ignorantia damnabili ignorantes. Hæc inter alia mouent me ad tenendum, quod volentes ignorantes papam vel alios prauitatem hæreticam incurriſſe de veritate informare, non ſunt aliquo modo audiendi: ſed tanquam detractores repellendi, qualiter tamen contingat ad iſta reſponderi, explana. *Magiſt.* Ad omnes auctoritates, quibus ſuadetur, detractores eſſe minime audiendos: reſpondetur vnico verbo, quod omnes debent intelligi, quando ſciuntur eſſe detractores, quia illi de quibus ſcitur quod detractionis vitio ſunt infecti, abſque magna cauſa audiri non debent, cum volunt de aliis aliquid narrare ſiniſtrum, illi autem de quibus ignoratur an ſint detractores, ſunt omnino audiendi: præcipue cum aliquid, quod in diſpendium poteſt vergere boni communis, cupiunt enarrare, & multo magis ſunt audiendi illi, qui hactenus diſcreti & bonæ famæ reputati fuerunt, ſi intendunt aliquid ſiniſtrum de aliquo reſerare, quare ſi tales laborant oſtendere, quod papa eſt hæretica prauitate maculatus, ſunt audiendi omnino.

Diſcipul. Non obſtante iſta reſponſione generali dic quomodo ad auctoritates ſingulariter reſpondetur.

Magiſter. Reſpondetur, ad primam dicitur, quod Pſalmiſta loquebatur de illo, quem ſciebat eſſe detrahentem, & ideo tanquam malum iuſte perſequebatur eundem. Ad ſecundam dicitur, quod auditor per faciem triſtem debet repellere illum, quem eſſe trahentem agnoſcit. Ad tertiam per idem reſpondetur, quod labia detrahentium, quos ſcit eſſe detrahentes, debent eſſe procul à quolibet bono viro. Ad quartam reſpondetur, quod nullus debet ſcienter cum detractoribus commiſceri. Ad quintam, quod non eſt audienda lingua nequam, quæ ſcitur eſſe nequam. Ad ſextam de Antero papa reſpondetur, quod nemo debet ſcienter audire aliis detrahentes. Ad aliã reſpondetur, quod aurem cito præbere criminibus contingit dupliciter: vel abſque credulitate ſolummodo audiendo; vel adhibendo fidem & credendo, primo modo nemo debet cito aurem præbere criminibus, quando narrantur ab illis, quos ſcit mendoſos, falſos, detractores, vel in quocunque crimine irretitos: quia omnes tales debet habere ſuſpectos, ne falſo vel mendaciter vel mala intentione crimina referre nitantur, & ideo illos debet repellere, & quantum ſibi competit pro gradu ſuo & officio ad correctionem & punitionem eorum tenetur fideliter laborare. Si vero criminum relatores non fuerint antea aliquo crimine, puta nec detractione, nec mendacio, nec aliquo alio irretiti, cito eis auris eſt præbenda, ſolummodo audiendo & ad cautelam in memoria retinendo. Sed ſecundo modo, ſcilicet fidem adhibendo & credendo nullus debet aurem cito præbere criminibus, hoc enim vitio criminali minime caret. Ad vltimam auctoritatem reſpondetur, quod vir ſanctus mentem ſuam ab obtrectationibus & rumoribus illorum hominum, quos ſciuit eſſe maledicos, debet diſiungere, non ſolummodo eis fidem minime adhibendo, ſed nec eos abſque cauſa magna aliqualiter audiendo. *Diſcipulus.* Quare dicitur, quod tales abſque cauſa magna audiri non debent: cum per hoc innuatur, quod ex cauſa magna detractores & maledici debeant audiri? *Magiſt.* Reſpondetur quod quemadmodum nullus criminoſus eſt regulariter

ad accusandum & testificandum in iudicio admittendus, tamen in quibusdam criminibus enormibus ad accusandum & denunciandum deberet admitti, licet nunquam fides ei debeat adhiberi, nisi per legitima documenta suæ assertionis probauerit veritatem, ita detractores regulariter audiri non debent: in casu tamen magno pro magno periculo euitando, præsertim si aliqua indicia veritatis præcederent, deberent audiri ad aperiendum vias inuestigandi citius veritatem, nullus tamen debet credere eis.

Cap. X.

Vbi inuestigatur de his, qui impugnant Papam hæreticum, vtrum tales sint audiendi etiam ab ignorantibus Papam esse hæreticum, & respondetur, quod sic, & probatur 9. rationibus.

Discipulus. Licet Dominum summum pontificem nunc Dei prouidentia in cathedra sancti Petri sedentem, Dominum videlicet Iohannem 22. catholicum atque sanctum ab omni hæretica prauitate alienum absque omni dubitatione existimem, & ideo omnia quæ dicta sunt de papa hæretico & dicentur, de ipso nullo modo intelligam, quia tamen probabiliter existimo, quod papa (cum non sit confirmatus neque in gratia neque in fide) in hæreticam valeat incidere prauitatem, in quo cum Fratre Michaele quondam generali Ministro Fratrum Minorum complicibusque suis conuenio, qui (vt audio) probare nituntur, quod in his, quæ proponunt contra Dominum summum pontificem, sunt à catholicis audiendi: eorumque scripta contra doctrinam ipsius & personam eius à fidelibus sunt videnda, & cum deliberatione prouida discutienda & examinanda, quod & Dominus noster summus pontifex de scriptis eorum fecisse dignoscitur, cum ad scripta eorum etiam sub Bulla subtiliter & sufficienter respondit: peto vt motiua dicentium, quod volentes informare ignorantes papam esse hæreticum de erroribus eiusdem papæ hæretici atque pertinacia eius, si periti & bonæ famæ reputati ante fuerunt, sint ab ignorantibus papam esse hæreticum audiendi, forsitan enim pro tempore, quo aliquis papa futurus efficeretur hæreticus, posset esse vtilius vel ad probandum vel ad improbandum, expedit enim nonnunquam scire motiua impugnantium veritatem. *Magist.* Mihi videtur, quod intendis ponere casum, quod papa in rei veritate sit hæreticus, & quod aliqui catholici satagunt eius errores & perfidiam publicare. *Discipul.* Ita est vt dicis: vnde procedas ac si papa esset hæreticus, quamuis in rei veritate non sit. *Magist.* Quod catholici imponentes papæ (quantumcunque fuerit hæreticus) prauitatem hæreticam sint ab ignorantibus papam esse hæreticum audiendi: illi præcipue, qui antea bonæ famæ fuerunt, videtur multis modis posse probari, primo quidem sic. Illi, qui sunt pro aliqua causa ab aliquibus defendendi, sunt multo fortius audiendi ab eisdem, cum minus sit audire aliquos, quam defendere eosdem, sed catholici imponentes papæ hæreticam prauitatem, sunt etiam ab ignorantibus papam esse hæreticum, defendendi, ergo multo fortius audiri debent ab eisdem. *Discipul.* Video, quod ratio ista dependet ab illis, quæ dicta sunt, supra *libro 7. à c. 37. vsque ad c. 55.* quia per illa videtur minor posse probari, ideo istam rationem noli amplius pertractare: sed si aliquas cogitasti, adducas. *Magist.* Secunda ratio ad eandem conclusionem talis est, velox ad audiendum debet præbere aures illis, qui errores & perfidiam papæ hæretici impugnare nituntur, sed omnis homo debet esse velox ad audiendum, tardus vero ad loquendum, ergo &c.

Discipul. Ista auctoritas beati Iacobi pro istis non facit: quia homo velox debet esse ad audiendum bona: non autem ad audiendum mala, ergo per hanc auctoritatem probari non potest, quod ignorantes papam esse hæreticum debeant audire illos, qui volunt eius errores & perfidiam publicare. *Magist.* Respondetur, quod auctoritas beati Iacobi non tantum de bonis, sed etiam de malis audiendis debet intelligi, quia dicit beatus Iacobus: *debet esse quisque velox ad audiendum: sicut debet esse tardus ad loquendum*, nam eodem modo proportionabiliter debet intelligi, quod beatus Iacobus dicit, sit omnis homo velox ad audiendum mala, non vt credat vel approbet: sed vt caueat & euitet. Et ex hoc potest tertia ratio formari, homo debet esse velox ad audiendum illa quæ scire potest esse vtilia sibi & toti communitati, sed scire papam esse hæreticum (quando est hæreticus) potest esse vtile cuilibet fideli & toti communitati fidelium; quia per hoc facilius & melius eius malitiæ resisterent, ergo quilibet debet libenter audire volentes errores & perfidiam papæ hæretici publicare. Quarta ratio est hæc. Illa debet homo catholicus libenter audire, quæ debet velle scire, illa autem quæ cauenda sunt, debet catholicus velle scire, quia cauenda nisi sciantur caueri non possunt, non tantum autem debet catholicus cauere peccatum in se: sed etiam debet quantum in se est cauere pericula, quæ communitati vel fidei imminere dicuntur, si autem papa infectus fuerit hæretica prauitate: periculum imminet fidei orthodoxæ, & per consequens offerentes se ad prodendum & ad monstrandum perfidiam papæ hæretici, debent libenter audiri. Quinta ratio est hæc. Hoc debet catholicus libenter inquirere, cuius veritatem (cum non sciat) tenetur inquirere, sed si catholicis etiam ignorantibus papam esse hæreticum nunciatur eius perfidia, ipsi tenentur veritatem inquirere, ergo tales nunciantes papam hæreticum debent audiri. Maior

videtur

videtur probatione minime indigere. Minor auctoritatibus diuinæ scripturæ videtur posse probari, nam sicut supra allegatum existit, Deut. 13. sic legitur: *Si audieris in vna vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos; egressi sunt filii Belial de medio tui: & aduerterunt habitatores vrbis tuæ atque dixerunt: exeamus & seruiamus diis alienis quos ignoratis, quære sollicite & diligenter rei veritatem perspecta.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod cum aliqui dicunt, quod aliqui volunt fidem corrumpere, veritas est sollicite inquirenda, ergo si aliqui asserunt papam hæreticum velle fidem corrumpere orthodoxam: illi fideles & ignorantes papam tali respersum perfidia, debent sollicite quærere veritatem, quod etiam Iob. 29. innuitur, cum ipsemet Iob dicit: *causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam.* Ex quibus verbis colligitur, quod cum alicuius causæ, quæ potest esse in detrimentum omnium, veritas ignoratur, debet diligentissime inuestigari, hinc Salomon Prouerbio. 25. ait: *gloria regum est inuestigare sermonem,* quod verum est, cum periculum imminet publicæ vtilitatis. *Discipul.* Istæ auctoritates nihil faciunt pro conclusione intenta, quia auctoritates prædictæ & consimiles de prælatis & iudicibus siue regentibus (duntaxat) debent intelligi, quia illorum & non aliorum est inquirere subditorum excessus, cum mala fama de eis exierit secundum canonicas sanctiones. *Magist.* Dicunt alii, quod verba auctoritatum prædictarum, & etiam sacrorum canonum, quibus asseritur, quod prælati ad corrigendos subditorum excessus debent assurgere, nequaquam intelligis, quia correctio est duplex, vna est potestatiue per publicam punitionem, & hæc pertinet ad prælatos, & in sublimitatibus constitutos, alia est per simplicem monitionem, & hæc pertinet ad omnes charitatem habentes, quia vnicuique præcipitur amouere malum cuiuslibet subditi & prælati (si potest) sic inquisitio siue inuestigatio peccati alterius, vna est potestatiua & iudicialis, qua quis compellit alios ex officio, vel potest compellere dicere veritatem de peccato, & etiam de mala intentione alterius: vel etiam periculi, quod potest sibi & aliis imminere, alia est per simplicem interrogationem absque omni præcepto & solennitate, seu compulsione & punitione nolentium, quam scirent dicere veritatem, & ista inquisitio, seu inuestigatio peccati vel periculi (quod sibi potest & aliis imminere) spectat ad omnes, qui curam de se & aliis habere debent, omnes autem non solum de ipsis: sed etiam de proximis, quos (sicut seipsos debent diligere) tenentur aliquam curam & sollicitudinem pro loco & tempore (& cum aliis circumstantiis determinatis requisitis) habere, iuxta illud Apostoli ad Roman. 12. *sollicitudine non pigri*, quod non tantum dicitur ad prælatos, sed etiam ad subditos, quorum est aliquam sollicitudinem non solum pro se, sed etiam pro omnibus aliis inferioribus, æqualibus & superioribus, quando conuenienter possunt, habere.

Discipul. Ista responsio apparentiam videtur habere, si quilibet teneretur pro omnibus superioribus & aliis aliquam sollicitudinem & causam habere, & ideo indica si hoc potest aliquo modo probari.

Magist. Hoc Apostolus in diuersis locis insinuare videtur. Nam 1. Corinth. 12. expresse, vt apparet, probare conatur, quod exemplo membrorum corporis, quorum quodlibet aliquam sollicitudinem videtur habere de alio debet esse sollicitus. Vnde ibidem Apostolus: *Non sit schisma in corpore: sed in idipsum pro se inuicem sollicita sint membra, & si quid patitur vnum membrorum: compatiuntur omnia membra, siue dum gloriatur vnum membrorum: congaudent omnia membra.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod cum simus membra vnius corporis, quilibet pro omnibus debet esse sollicitus, hoc dicit Glos. *non sit schisma, id est discordantia in corpore humano vel in ecclesia, vbi debet esse vnitas, sed omnia membra potius sollicita sint, ita vt tendant in idipsum: id est in id sollicitudinis, quod sit ipsum indifferens, vt non minus pro alio quam pro seipso sollicita sint.* Ex quibus aperte colligitur, quod omnes de omnibus sollicitudinem debent habere, quod etiam Apostolus ad Ephes. 4. aperte insinuare videtur, cum dicit: *digne ambuletis vocatione qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate, solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Ex quibus patenter habetur, quod sicut omnes se debent inuicem supportare, ita pro inuicem debent esse solliciti, ne vnitas in eis rumpatur, vnitas autem spiritus in catholicis rumpitur, si papa efficeretur hæreticus, ergo omnes, qui sunt membra corporis Christi, debent esse solliciti, ne fides catholica, quę est fundamentum vnitatis spiritus, & omnium bonorum spiritualium, corrumpatur, & ita omnes tenentur audire illos, qui volunt perfidiam papæ hæretici satagentis fidem corrumpere orthodoxam ad occupandum periculo fidei publicare. *Discipul.* Debent ergo catholici aliquas occupationes dimittere & intendere illis, qui volunt perfidiam papæ hæretici diuulgare? *Magist.* Non dicunt isti, quod omnes teneantur omnes alias occupationes dimittere: sed dicunt, quod iudicandum est de audientia danda illis, qui volunt perfidiam papæ hæretici publicare: sicut iudicandum est de aliis actibus affirmatiuis, qui cadunt sub præcepto, quod non obligant ad semper: sed loco & tempore cum circunstantiis debitis requisitis, & ideo non est facile certam regulam dare in speciali, quo tempore tenetur quis de necessitate salutis audire illos, qui volunt perfidiam papæ hæretici diuulgare. Potest tamen dici, quod tunc ad hoc tenetur vnusquisq;, quando nō habet rationabilem excusationem, quare tunc eos minime audire teneatur. Si enim sit aliis occupationibus vtilibus & vrgentibus occupatus, potest rationabiliter respondere: *modo mihi non vacat audire*, si aūt non sit aliqualiter occupatus, nec impeditus: se excusare non pōt, si autē dimittit illos audire, vel q̄a de periculo fidei minime curat, aut q̄a reputat facta fidei ad se nullatenus pertinere, vel quia reputat papam catholicum, vt

ei com-

ei complaceat aut saltem ei nullatenus displiceat, non audiendo peccat mortaliter, & inter credentes damnabiliter papæ hæretico (licet nulli errori eius explicite credat) est merito computandus.

Disc. Cerno, quod isti non damnant omnes istos, qui nolunt audire eos, qui volunt perfidiam papæ hæretici diuulgare: sed tantummodo illos, qui absque rationabili causa eos audire recusant, putantes quod nec timor papæ, quem reputant catholicum: nec dilectio ad ipsum: nec odium ad publicantes perfidiam eius: nec aliquid tale eos valeat excusare: sed solummodo vtilior occupatio, cui sunt intenti, aut alicuius periculi maioris vitatio, diuulgationis inutilitas vel aliud simile eosdem apud Deum valeat excusare, & ad istam intentionem aliquas rationes (si quas audisti vel vidisti, aut etiam cogitasti sine magna discussione causa abbreuiationis breuiter tangendo) allega. *Magist.* Sexta ratio est hæc. Qui non est ex se sufficiens ad agendum recte ea, quæ incumbunt sibi, aliorum qui eum cupiunt informare debet audire consilia, sed quilibet debet esse sollicitus, sicut probatum existit, de fide catholica, ne per quemcunque aliqualiter subuertatur: debetque corrumpere fidem volentibus quantum sibi licet pro gradu suo & officio obuiare viriliter, ergo si non est sufficienter informatus de illis, qui volunt fidem destruere, debet audire eorum consilia, & informationes, qui eum cupiunt de talibus informare. Minor ex his quæ dicta sunt supra in ratione quinta videtur posse probari. Maior autem auctoritatibus diuinæ scripturæ insinuatur aperte. Ecclesi. 32. sic scribitur: *fili sine consilio nihil facies: & post factum non pœnitebis*, & Prouerbior. 13. c. vbi ait Salomo. *qui autem sapiens est audit consilia*, & idem in eodem ait: *qui autem cum consilio agunt, reguntur sapientia*, &, vt legitur Tobiæ 4. Tobias filium suum instruens ait: *consilium autem à sapiente semper perquire.* Ex quibus aliisque verbis quam pluribus colligitur euidenter, quod in arduis negotiis non solum audienda, sed etiam requirenda sunt consilia peritorum, cum ergo negotium fidei, quando scilicet fides catholica impugnatur præcipue ab illo, qui plurimos trahere potest ad suos errores, cuiusmodi est papa hæreticus, sit arduissimum negotium: in hoc casu oportet non solum audire, sed requirere consilium & informationes eorum qui perfidiam papæ hæretici non ignorant, vndecunque innotuit eis.

Discipul. Quamuis antea cogitauerim, quod rationes istæ nequaquam discuterentur prolixe: volo tamen contra istam mouere duas instantias, quarum prima est: quod quamuis in arduis peritorum sunt informationes & consilia requirenda: non tamen sunt requirenda, nisi ab his, ad quos huiusmodi spectant negotia. Negotium autem fidei quando papa esset hæreticus, non spectat nisi tantummodo ad prælatos, & non ad simplices nec ad laicos, vnde ad religiosos pauperes & ad alios, nisi essent Cardinales vel Patriarchæ aut episcopi, nullatenus pertineret, & ideo alii non tenerentur audire volentes perfidiam papæ hæretici declarare: præsertim si fuerit à superioribus eis iniunctum vel præceptum, quod eos audire non debeant. Secunda instantia est, quod quamuis in arduis sint consilia requirenda, non oportet consilia quærere, nisi quando videtur periculum imminere, & ideo illi qui nesciunt papam esse hæreticum, cum non sentiant ex perfidia papæ hæretici aliquod periculum imminere: non tenentur eos audire, qui volunt eos de perfidia papæ hæretici informare, hæ sunt instantiæ quæ rationem prædictam totaliter videntur refellere: & tamen quomodo respondere contingat ad ipsas, enarra. *Magist.* Putant nonnulli, quod istæ instantiæ ex ignorantia intelligentiæ scripturarum emanant, primam autem instantiam dicunt absurditatem perniciosam & periculosam & hæreticalem ac etiam stultissimam continere, quæ est illorum assertio & inuentio, qui suam desidiam, immo nequitiam pessimam palliare nituntur, est autem hæc absurditas, quod negotium fidei, quando papa esset hæreticus, nullo modo spectat ad simplices & pauperes, sed solummodo ad prælatos, puta Cardinales, archiepiscopos, & episcopos: & non ad pauperes religiosos, nec ad laicos, nec ad clericos sub episcopis constitutos, quam absurditatem Diabolicam arbitrantur ex astutia Diaboli ad subuersionem fidei adinuentam, quomodo enim defensio patriæ pertinebit ad omnes, si defensio fidei, quæ est amplius quam patriam defendere, non spectat ad omnes? aut quomodo defensio propriæ vitæ pertinebit ad subiectos simplices & pauperes, si defensio fidei, quæ debet esse vnicuique carior, quam vita corporalis non spectat ad omnes?

Discipul. An negotium fidei spectat ad omnes, discussum est *libro 6.* ideo de hoc ad præsens pertranseas: & tantummodo dic, quomodo respondetur ad hoc, quod dicitur quod si superiores iniunxerint subditis ne audiant illos, qui volunt perfidiam papæ hæretici diuulgare, non debent eos audire. *Magist.* Respondetur, quod in hoc casu est magna cautela & prudentia procedendum, & forma mandati est diligentissime inspicienda: aliæque circumstantiæ subtiliter sunt pensandæ. Ad cuius euidentiam dicitur esse sciendum, quod sicut ex sacris canonibus *3. quæst. 3. si quis episcopus & c. non enim, & c. si Dominus*, & aliis innumeris colligitur euidenter, non esse superioribus obediendum in omnibus, si enim aliquid præcipiunt, quod est contrarium scripturis diuinis, aut iuri naturali, aut vergat in patens dispendium honoris vel fidei orthodoxæ, vel communis boni, aut in salutis spiritualis & corporalis detrimentum: non debent eis subditi obedire: sed sententiam beati Gregorii debent in memoria retinere, qui (vt legitur *2. quæst. 7. capitul. admonendi,*) ait: *Admonendi sunt subditi, ne plus quam expediat sint subiecti: ne dum student plus quam necesse hominibus subiici compellantur vitia eorum venerari*, & ita in dispendium communis boni subditi superioribus nullatenus debent obedire. Per hoc ad propositum respondetur. Quod si subditis man-

mandant superiores, nedum vt tales volentes perfidiã Papæ hæretici declarare, nullatenus audiant, nullam causam rationabilem (quare audire non debeant) assignantes: subditi (tanquam sinceri fidei zelatores & fidem omni homini præferentes) eis rescribent, quod eos intendunt audire ad instar prælati, cui mandat Alexander tertius, vt habetur *extr. de hæreticis c. si quando*, quod si mandatum apostolicum adimplere non debeat, causam rationabilẽ (quare adimplere nõ valeat) per literas studeat intimare: ita in hoc casu subditi debent suis superioribus intimare, quod eorum mandatum adimplere non debeant, dum tamen in audiendo tales nullum sit periculum. Non audiendo enim posset grande fidei periculum imminere. Si autem in tali mandato causa rationabilis exprimatur, quare subditi audire non debeant volentes Papæ hæretici perfidiam declarare, quia sunt de calumnia, mendaciis vel detractione aut inimicitia conuicti, non essent (saltem in publico) audiendi: nisi verisimiliter appareat, quod vias scirent dare probabiles, quibus perfidia Papæ hæretici panderetur. In omnibus enim talibus non voluntatem prælatorum, qui forte timore, ambitione, vel cupiditate essent corrupti, sed honorem Dei, & defensionem fidei deberent attendere, & illud dictum Pet. Actor. 5. *obedire oportet Deo magis quam hominibus*, memoriter retinere. *Discip.* Dic ad secundam instantiam. *Magist.* Respondetur quod non solum arduis in negociis, vbi peritia propria non suppetit: tunc sunt peritorum consilia requirenda, quando quis videret periculum imminere: sed etiam quando eminens periculum nunciatur, maxime si à fide dignis & prouidis intimatur non volentibus denunciato periculo obuiare, attendat illud apostoli 1. ad Thessal. 15. *Cum dixerint pax & securitas, tunc & repentinus superueniet etiam interitus*, scil. Fidei orthodoxæ. Sicut in corporibus infirmorum postquam conualuerint, forte superueniet nonnullorum interitus corporalis. *Discip.* Breuiter tange alias rationes. *Magist.* Septima ratio est, quæ ex prædictis accipit fulcimentum. Quæ potest sic formari. Illi debent audiri, qui grande periculum omnibus imminere asserunt & affirmant, ne audire nolentes cum eos apprehendit periculum necessitate dicant intra se illud Sapient. 5. Pœnitentiam agentes & præ angustia spiritus gementes his scilicet qui nobis nunciauerunt pericula quæ super euenerunt nobis: *hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperii nos insensati vitam illorum existimabamus sine honore.* Vnde de nolentibus audire pericula nunciantes dicitur Ezech. 33. *audiens autem quisquis ille est sonitum buccinæ & non obseruauerit veneritque gladius & tulerit eum: sanguis ipsius super caput ipsius erit: sonum buccinæ audiuit, & non se obseruauit, sanguis eius in ipso erit.* Ille audit sonum buccinæ, qui audit in confuso, quod sunt aliqua imminentia pericula putantes: sed non obseruat se quicunque in speciali ad occurrendum periculis annunciantibus renuit informari. Et ideo cum periculum apprehendit ipsum, se per ignorantiam non potest excusare: sed sanguis ipsius super caput eius erit, sicut sunt aliqui volentes catholicos de perfidia Papæ hæretici informare, & grandia pericula futura populo Christiano prædicunt. Ergo qui non audierint diligenter informationes eorum, nequaquam poterunt per ignorantiam excusari, si Papa hæreticus infecerit populum Christianum. *Discip.* Auctoritas Ezechiæ loquitur de speculatore super specula, seu populum constituto. Et ideo si episcopus vel prælatus, qui est speculator super subditos constitutus nunciaret Papam esse hæreticum, & illi informationes nolint audire non essent per ignorantiam excusati. Secus est de illis, qui nunciant Papam esse hæreticũ, & non sunt speculatores super populum constituti. Quia tales audiri non debent. *Magist.* Dicitur quod ista responsio non impedit rationem prædictam: quia licet prædicta verba Ezechielis principalius intelligantur de speculatoribus super populum constitutis: tamen debent etiam de quibuscunque nuncitantibus imminentia pericula Papæ vel personæ cuiuscunque intelligi. Cuius ratio assignatur, quia propter charitatem & amicitiam, qua vnusquisque debet proximum suum diligere, sicut seipsum, quilibet quantum ad simplicem admonitionem & informationem ac simplicem instructionem mutuamque defensionem, & subuentionem, quantum licet cuicunque pro gradu suo & officio debet esse alterius speculator, custos, defensor, protector, adiutor, informator, consiliarius, & instructor: licet nullus debeat super proximum suum iurisdictionem, potestatem aut auctoritatem indebite vsurpare. Cum ergo quilibet debeat speculatorem nunciantem gladium venientem audire: quod non est verum tantummodo de speculatore, qui iurisdictione & potestate fungitur super alios, sed de quocunque speculatore ingruentia pericula aduertente: sequitur quod qui nunciant pericula, quæ intendit Papa hæreticus, licet non sint prælati, debent audiri. Octaua ratio est hæc. Vnusquisque tenetur audire illum, qui eum informare tenetur. Sicut discipulus tenetur audire doctorem: qui doctor tenetur discipulum informare. Et filius tenetur audire patrem: qui filium debet instruere. Sic etiam vicinus debet vicinum audire: si vicinus vicinum informare tenetur, ꝙ sacra scriptura insinuare videtur Eccl. 23. vbi scribitur, *vbi auditus non est, non effundas sermonẽ.* Ex quibus verbis colligitur, ꝙ vbi auditores nequaquã tenẽtur audire, nullus teneretur sermonẽ effundere. Quare vbi aliquis tenetur sermonẽ effundere, ibi sunt aliqui qui tenentur sermonem audire. Sed scientes Papam hæreticum niti fidem orthodoxã corrumpere, & seducere fideles de necessitate salutis tenentur (certis circumstantiis obseruatis) instruere fideles ignorantes de perfidia & intentione iniqua Papæ hæretici, vt se obseruent & pro loco, & tempore, modis sibi conuenientibus eidem hæretico toto posse resistant. Ergo & ignorantes Papam esse hæreticum debent audire eos, qui eos volunt de perfidia & iniquis conaminibus Papæ hæretici informare. Quod autem scientes Papam esse hæreticum teneantur ignorantibus eius perfidiam reuelare, probatur ex hoc, quia non minus debet vnusquisque præseruare (si potest) proximum à morte spirituali,

quam à morte corporali. Sed si videt alium volentem proximum suum neci tradere corporali, debet hoc ei vt sibi præcaueat intimare. Ergo multo magis si scit Papam hæreticum satagere omnes Christianos occidere spiritualiter eos inficiendo hæretica prauitate: debet inscios, (si conuenienter potest) de iniqua malitia Papæ hæretici informare. Nona ratio est hæc. Si quis tenetur peccata vitare, ita (si potest) tenetur pericula tam corporalia quam spiritualia tam in se quantum in aliis præcauere. Sed propter hoc quod quilibet tenetur vitare peccata debet corrigentem se audire. Ergo similiter tenetur audire illum, qui pericula tam corporalia quam spiritualia denunciare conatur. Sed declarantes perfidiam Papæ hæretici & pericula omnium fidelium, tam corporalia quam spiritualia denunciare noscuntur. Ergo audire eis negare non debet.

CAP. XI.

Vbi inquiritur de eis, qui laborant ignorantia damnabili, nolentes scil. scire Papam esse hæreticum, qui tamen vere est hæreticus, & quales sint censendi, & qualiter puniendi.

DIscipulus. Quantum intelligo omnes rationes prædictæ, etiam forte omnes aliæ quæ possunt fieri ad conclusionem eandem, duobus fundamentis inniti videntur. Quorum primum est, quod vnusquisque tenetur proximos suos sicut seipsum diligere, & eis facere quod vellet sibi fieri. Secundum est, quod fides catholica est omni homini præferenda, vt ob timorem, amorem, & fauorem, vel gratiam cuiuscunq; mortalis nullatenus omittatur, quod ad saluationem, exaltationem & dilatationē fidei Christianæ noscitur pertinere. Quare pro conclusione prædicta desine allegare: quia aliæ rationes eandem virtutem forte cum prædictis haberent. Nunc dic qua pœna secundum assertionem prædictam ignorantes ignorantia damnabili Papam esse hæreticum, & de eius perfidia nolentes informari, sunt plectendi, & an sint hæretici vel credentes, aut fautores Papæ hæretici reputandi. *Magist.* Respondetur, quod ad sciendum qua pœna ignorantes ignorantia damnabili Papam esse hæreticum: quia nolunt scire, vel etiam quia non curant aut contemnunt scire, sint plectendi, oporteret primo videre, an sint hæretici credentes, an fautores vel defensores Papæ hæretici iudicandi.

Disc. Ab hoc primo incipias. *Magist.* Nonnullis apparet, quod tales non sunt hæretici stricte accipiendo hæreticorum vocabulum. Nec sunt proprie fautores vel defensores Papæ hæretici. Quia fautio & similiter defensio aliquem actum positiuum exteriorem importare videntur. Tales autem ignorantes per hoc solummodo, quod nolunt vel non curant aut contemnunt scire Papam esse hæreticum, nullum actum exteriorem exercent. Ergo propter hoc solummodo non sunt fautores vel defensores Papæ hæretici iudicandi. Dicitur ergo quod sunt credentes, non quidem explicite erroribus Papæ (cum nesciant eum errare) sed sunt credentes ipsi Papæ hæretico ipsum esse catholicum damnabiliter reputantes. Et isto modo videtur accipi nomen credentium *extr. de hæreticis. excommunicamus primo.* Aliter autem accipitur nomen credentium eodem *capitulo excommunicamus 2.* Quod vero tales Papam esse catholicum, quando est hæreticus damnabiliter, reputantes credentes valeant nuncupari, videtur posse probari. Nam omnes damnabiliter errantes (& potissime ex adhæsione ad personam Papæ hæretici) vel sunt credentes, vel fautores, vel defensores, vel receptatores. Nō enim plures inueniuntur, qui propter crimen ex adhæsione ad personas hæreticorum secundum iura sunt puniendi. Sed qui damnabiliter reputat Papam esse catholicum, qui est hæreticus, non est ex hoc solummodo fautor vel defensor Papæ hæretici, sicut dictum est prius. Nec est propter hoc receptator Papæ hæretici. Ergo propter hoc solummodo debet inter credentes merito computari. Nec propter hoc est hæreticus iudicandus. Quia erroribus Papæ hæretici minime credit. Nec forte crederet, si sciret errores eius. Quia ex hoc solummodo peccat, quia non vult, aut contemnit, vel non curat Papam esse hæreticum. Nullum etiam præstando auxilium, consilium, defensionem, receptationem, vel fauorem: nec forte actu ei obedit, licet forsitan sit obedire paratus: imo potest contingere quod ex alia causa quam ex causa hæresis, puta propter contentionem inter eum & Papam hæreticum de temporalibus vel ex causa alia ei renuit obedire, paratus eum totus viribus impugnare: nolens tamen scire quod sit hæreticus: nec volens permittere quod hæreticus publicetur.

Discip. Dixisti secundum vnam assertionem, quod reputantes damnabiliter Papam esse catholicum (qui in rei veritate est hæreticus) debent censeri credentes. Ideo nunc dic secundum assertionem eandem, qua pœna tales sunt plectendi. *Magist.* Pœna eorum secundum assertionem præscriptam taxatur, *extra de hæreticis cap. excommunicamus primo,* cum dicitur: *credentes præterea, receptatores, defensores & fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere: statuentes firmiter, postquam quilibet talium fuerit excomunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure sit factus infamis, nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos huiusmodi, nec ad testimoniū admittatur: sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis successionē accedat: nullus*

nullus præterea ipsi super quocunque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte iudex extiterit, eius sententia nullam obtineant firmitatem, nec causa aliqua ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, nullatenus eius patrocinium admittatur, si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti, sed cum actore damnato damnentur. Et in similibus idem præcipimus obseruari. Ex quibus verbis colligitur, quod credentes, de quibus hic fit mentio, pœna hæreticorum sunt minime puniendi. Ex quo videtur patenter inferri, quod credentes, quorũ pœna hic taxatur, non sunt hæretici iudicandi: quia si essent hæretici, pœna hæreticorum essent merito percellendi. Et ita videtur aperte ostendi, quod aliter accipitur nomen credentium in isto *c. 1. & 1. cap. eiusdem c. excommunicamus 2.* vbi credentes hæretici iudicantur. Hic autem non reputantur hæretici. Patet ergo hic qua pœna credentes, qui damnabiliter reputant Papam esse catholicum (qui tamen est hæreticus) sint plectendi. Verumtamen circa pœnas credentium & aliorum in scripturis taxatas sunt diuersæ opiniones. Vna est quod credentes, receptatores, defensores & fautores hæreticorum ipso facto sunt solummodo excommunicationis sententia inuoluti, & si nunquam nominatim à prælatis ecclesiæ fuerint denunciati excommunicati: alias pœnas non incurrunt, si satisfacere contempserint infra annum. Alia est opinio, quod omnes prædicti omnes alias pœnas ab excommunicatione post annum incurrunt, si satisfacere infra annum contempserint, siue fuerint denunciati, siue non, excommunicati. *Discip.* Dixisti secundum vnam opinionem de illis, qui reputant Papam hæreticum esse catholicum: quia nolunt scire vel non curant scire eum esse hæreticum: nunc dic de illis, qui putant Papam esse hæreticum, qui tamen non contemnunt scire. *Magist.* Respondetur, quod si sint aliqui, qui nesciunt Papam esse hæreticum, & ignorantia eorum non est affectata, neq; crassa & supina: quia in nullo resisterent illis, qui eos vellent de perfidia Papæ hæretici informare, sed parati essent eos audire, non sunt pœna aliqua feriendi, propter hoc, nisi in aliquo alio delinquere conuincantur. Ignorantia enim talis eos excusat.

CAP. XII.

In quo ponuntur tres rationes probantes, quod talibus impugnantibus Papam hæreticum non est credendum. Quarum prima infra c. 24. huius soluitur. Secunda & tertia c. 26. soluuntur.

DIscip. Supra recitasti opinionem dicentem, quod volentes perfidiam Papæ hæretici declarare, debent audiri. Et quod nolentes eos audire credentes Papam hæreticum esse catholicum, sunt sententia excommunicationis inuoluti. Nunc autem dic, an talibus volentibus perfidiam Papæ hæretici declarare, fides debeat adhiberi. *Magist.* Vna assertio est, quod talibus minime est credendum. Quod probatur primo sic. Illud non debet quis facere, q̃ sacra pagina reprehendit. Sed fidem adhibere narrantibus aliquid sinistrũ de aliquo sacra pagina reprehendit. Eccl. 19. vbi sic scribitur: *Qui cito credit, leuis est corde & minorabitur.* Ergo homo nõ debet credere referentibus & narrantibus Papam esse hæreticum. Item, minus credenda sunt mala quę referuntur de aliquo, quam bona: quia vnusquisque pronior esse debet ad iudicandum bene de proximo quam male. Sed bona relata de aliquo non sunt statim credenda. Vnde & regina Saba cum multa excellentia audiuisset de Salomone, laudabiliter dicit ad Salomonem, vt legitur 3. Reg. 10. *Verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis & super sapientia tua: & non credebã narrantibus mihi donec ipsa veni & vidi oculis meis: & probaui quod media pars mihi nunciata non fuerat.* Ergo multo magis non debet quis credere narrantibus mala de aliquo. Et ita referentibus Papam esse hæreticum, minime est credendum. Secundo sic. Illud quod dissuadetur in scriptura diuina, minime est agendum. Sed credere narrantibus siue bona fide siue mala dissuadetur in scriptura diuina. Ergo non debet quilibet narrantibus fidem adhibere: & per consequens referentibus Papam esse hæreticum, fides est nullatenus adhibenda. Maior est manifesta: quia nihil dissuadetur in scriptura diuina, nisi peccatum, quod catholicus minime facere debet. Minor diuersis auctoritatibus scripturæ diuinæ aperte videtur posse probari Eccl. 19. sic scribitur: *Non omni verbo credas.* Et Ierem. 12. legitur: *Ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona.* Et Mich. 7. *Nolite credere amico.* Et Iohan. 4. *Nolite enim omni spiritui credere.* Ex quibus aliisque quampluribus colligitur, quod credere narrantibus dissuadet scriptura diuina. Quare licet aliqui narrent, quod Papa est hæreticus, eis nullatenus est credendum. Tertio sic. Nullum crimen est credendum de aliquo, antequam ordine iudiciario obseruato probatum extiterit. Sed per solam narrationem illorum, qui asserunt Papam secundum ordinem iuris minime est probatum. Igitur talibus referentibus Papam esse hæreticum fides debet nullatenus adhiberi. Minor, vt videtur, probatione non indiget: quia absque iudice vel non secundum ordinem iuris nullus debet condemnari. Maior per sanctos canones videtur aperte posse probari. Nam, vt legitur *30. quæst. 5. cap. 1. §. in certa*, Papa ait: *Quamuis enim vera sint non tamen credenda sunt: nisi quæ manifestis indiciis comprobantur: nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur: nisi quæ iudiciario ordine publicantur.* Idem narrat Sixtus Papa, qui (vt legitur *c. & q. prædictis c. nullum*) ait: *mala itaque audita nullum moueant: nec passim dicta absque certa probatione quisque vnquam credat, sed ante audita diligenter inquirat: nec præcipitando quicquam aliquis agat.*

agat. Item Augustinus (vt habetur *2, q. 3. c. in cunctis*) Constantino Mediolanensi episcopo, ait: *De vestra igitur sanctitate absit à Christianorum iudicio ea quæ maledicorum hominum rationibus conficta credimus in qualicunque modulo suspitionis adduci & sacri eloquii testimonium tenemus, vt mala malorum cum forsitan dicuntur nisi probata credi non debeant, sed citius probata vlcisci. Hæc igitur dixi, vt nimiæ lenitatis esse ostenderem, si qui mala grauia credere studeant, quæ probari non possunt.* Item Gregorius (vt legitur *distinct. 96. cap. si quid vero de quocunque clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iuste possit offendere, facile non credas, nec te ad vindictam res accendat incognita: sed præsentibus ecclesiæ tuæ senioribus diligenter est veritas perscrutanda.* Et eadem sententia sub eisdem verbis habetur *extr. de symonia, licet Heli.* Item Augustinus in epistola ad Vicentium (vt habetur *23. q. 4. quam magnum*) ait: *Facta nocentium quæ innocentibus demonstrari vel ab innocentibus credi non possunt, non coinquinant quenquam.* Ex quibus aliisque quam pluribus videtur aperte probari: quod mala de aliquo credi non debent, antequam secundum ordinem iuris manifeste probentur: & per consequens referentibus extra iudicium Papam esse hæreticum minime est credendum. *Discip.* Videtur quod istæ vltimæ auctoritates non faciunt ad propositum: quia loquuntur solum de iudicibus & prælatis: qui non debent credere ea, quæ deferuntur ad ipsos, antequam probentur aperte: cum hoc tamen stat, quod alii debeant credere his, quæ de perfidia Papæ hæretici nuntiantur. *Magist.* Hoc videtur irrationabiliter dictum: quia illi qui leuius decipi possunt, non debent esse promptiores ad credendum narranti quam alii. Sed alii quam iudices & prælati leuius decipi possunt: quia minorem peritiam & experientiam rerum habent, quam iudices & prælati. Ergo minus debent credere huiusmodi relationibus, antequam clare secundum iudiciarium ordinem sint probatæ.

Cap. XIII.

Ponitur pro conclusione seu assertione c. 11. quinq; distinctiones & septem conclusiones. Prima probatur hic, secunda & tertia, c. 14. quarta c. 15. quinta c. 16. sexta c. 17. septima probatur c. 21.

Discipulus. Quamuis præscripta assertio videtur bene fundata, tamen peto vt assertionem contrariam recitare digneris: & eam æque fulcire nitaris. *Magist.* Tenentes assertionem contrariam variis modis reputant distinguendum. Quorum prima distinctio sumitur ex Glossa *dist. 65. c. si quis,* quod duplex est credulitas: vna quæ spectat ad iudicem: alia quę spectat ad socios. Credulitas quæ spectat ad iudicem est illa, secundum quam iudex debet proferre sententiam. Credulitas quæ spectat ad socios est illa, qua quis extra iudicium credit socio. Secunda distinctio est: quia aut referentes perfidiam Papę hæretici vel quodcunque crimen alterius fuerunt ante prouidi & discreti & bonæ famæ: aut fures, criminosi & malæ famę: Tertia distinctio est: quia aut narrant tantum secundum famam, aut secundum certam scientiam. Quarta distinctio est, quia si referentes sunt criminosi & malæ famæ: aut ad assertionem relationis suæ adducunt alia legitima documenta, aut nulla. Quinta distinctio est: quia aut referunt notoria, aut illa quæ non sunt notoria, quæ tamen probari possunt. Iuxta has distinctiones tenent isti septem conclusiones. Quarum prima est, quod loquendo de credulitate, quæ spectat ad iudicem, nullus debet credere referentibus Papam esse hæreticum: nisi sit notorium, aut iudiciario ordine obseruato probatum. Secunda conclusio est, quod loquendo de credulitate, quæ est inter socios (secundum quod vnus socius extra iudicium credit alteri) nullus tenetur credere vni soli cuiuscunque famæ vel opinionis existat, asserens Papam esse hæreticum. Tertia conclusio, quod vni soli bonæ famæ & opinionis referenti per certam scientiam Papam esse hæreticum: potest quis credere absq; peccato, licet ei credere minime teneatur. Quarta conclusio est, quod pluribus honestis & discretis referentibus per certam scientiam Papam esse hæreticum, tenetur quis credere. Quinta conclusio est: quod referentibus prouidis, & honestis, per famam publicam Papam esse hæreticum, debet quis credere. Sexta conclusio est: quod quibuscunq; criminosis adducentibus legitima documenta, quod Papa est hæreticus, credendum est. Septima conclusio est: quod quibuscunque criminosis vel malæ famæ, si non declarauerint per legitima documenta Papam esse hæreticum, non est credendum.

Discip. Si prolixe istas conclusiones septem nitaris ostendere, librum nimis prolixum efficeres. Ideo eas succincte probes. *Magist.* Prima conclusio per auctoritates allegatas in capitulo præcedenti pro assertione contraria, sufficienter videtur esse probata. Nam auctoritates vltimæ asserunt manifeste, quod iudex non debet credere his quæ dicuntur, nisi probentur. Hoc est, non debet reputare sententiam super his quæ subiiciuntur esse ferendam, antequam sint aperte probata. Quod intelligendum est de illis quæ non sunt notoria: similiter aliis. Et ideo quicunque esset iudex Papæ hæretici, non deberet contra eum diffinitiuam

diffinitiuam sententiam ferre, antequam conuinceretur legitime, vel esset confessus: nisi esset notorium, ipsum esse hæreticum. In notoriis enim non est necesse ordinem iudiciarium obseruare. *Discip.* Nunquid ille qui esset iudex Papæ hæretici, potest absque manifesta probatione in iudicio Papam hæreticum detinere: vel aliter circa diffinitiuam coartare. *Magist.* Respondetur quod tanta & talis posset fieri iudici fides extra iudicium de perfidia Papæ hæretici & de imminente per eum periculo: quod iudex ante sententiam iudicialiter captam posset Papam hæreticum detinere. Quod probatur sic. Æque vel magis potest iudex detinere illum, de quo est facta sibi fides extra iudicium, qui maiori & periculosiori & perniciosiori crimine alligatur, quam alium de maiori solum suspectum. Quia fides de maiori crimine magis debet mouere iudicem ad detinendum criminosum quam sola suspitio de minori. Sed iudex potest detinere illum qui de minori crimine & minus periculosiori, quam sit crimen hæresis, est ei suspectus. Ergo multo magis potest detinere Papam hæreticum, de quo est sibi facta fides certa extra iudicium, quod est hæreticus, quod intendit fideles auertere à fide orthodoxa. Maior probatur auctoritate Alexandri tertii, qui (vt habetur *extra, de deposito c. 1.*) mandauit, vt furem suspectum iudices vel legati sub quæstione ad rationem ponerent, etiam si oporteret vinculis alligatum, donec reddere compelleretur pecuniam. Vbi dicit Glossa super verbo *quæstione: Nota quod suspecti torquendi sunt & in vinculis detinendi.* Ex quibus verbis patet, quod Alexander loquitur in casu, in quo non fuit conuictus, sed suspectus tantummodo. Et ita suspecti solummodo possunt in vinculis detineri. Item ex c. Caroli Imperatoris, vt *distinct. 19. cap. in memoriam*, sic habetur: *si vero (quod non decet) quilibet siue sit presbyter siue diaconus aliquam perturbationem machinando, & nostro ministerio insidiando redarguatur falsam ab Apostolica sede detulisse epistolam, vel aliud quod inde non venerit salua fide & integra apud Apostolicum humilitate, penes ipsum sit potestas, vt eum in carcerem aut in aliam detrudat custodiam: vsque quo per episcopum vel per idoneos suæ partis legatos apostolicam interpellet sublimitatem, vt potissimum sua sancta legatione dignetur discernere, & quid de talibus Romana lex statuit diffinire.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod ante sententiam, & antequam sit certum, aliquem esse falsarium, licite in carcere detinetur. Quod Glossa super verbo *carcerem*, aperte insinuat dicens: *si certum eum falsarium, deponitur 50. distinct. si episcopus, extra, de crimine falsi, ad falsariorum.* Sed vbi dubium est, fit, quod hic dicitur, in casu qui tantum sunt suspecti licite detinentur. Quod etiam *extra, de rescriptis, ex literis*, innuitur manifeste. Et hoc obtinuit consuetudo iudicum fidelium ecclesiasticorum & secularium. Igitur multo fortius si Papa est hæreticus: & suo iudici facta est fides de eius perfidia, etiam extra iudicium licebit eidem iudici præcipere (si periculum viderit imminere) Papam hæreticum etiam in vinculis detineri.

Discip. Contra hoc duæ occurrunt instantiæ. Prima est, quod aliter tractandus est Papa (quamuis efficiatur hæreticus) quam alii in ecclesiastica dignitate constituti. Ergo licet aliquando criminosi crimine hæresis irretiti valeant detineri: tamen Papa est nullatenus detinendus. Secunda est instantia, quod licet Papa efficitur hæreticus, tamen antequam degradetur, & traditus fuerit curiæ seculari, gaudet priuilegio clericali. Et per consequens absque excommunicationis vinculo nullus eum detinere valebit. *Magist.* Istæ instantiæ friuolæ reputantur. Vnde ad primam dicitur, quod quia Papa (si efficiatur hæreticus) ipso facto tam iure diuino quam iure humano est omni dignitate & auctoritate priuatus: & nullo gaudet priuilegio vltra alios episcopos effectos hæreticos: imò videtur, quod si non sit alius Papa, quando Papa est hæreticus, non potest recursus haberi ad Papam verum: quando autem Papa manente catholico, si alii episcopi efficiantur hæretici, potest haberi recursus ad Papam verum: oportet in hoc casu speciali aliquid obseruare circa Papam hæreticum, vt scilicet contra eum strictius & rigidius, quam contra episcopos, quando Papa est catholicus per inferiores iudices procedatur. Quia tunc non possunt habere recursum ad Papam verum. Si vero Papa labente in hæresim manifestam electores alium Papam nouum elegerint catholicum, videtur eodem modo procedendum per iudices inferiores Papa circa Papam hæreticum & circa alios episcopos hæretica labe respersos: nisi Papa hæreticus maiori vteretur potentia temporali. Tunc enim animosius & efficacius esset procedendum contra ipsum. Quia vbi instat maius periculum, ibi est fortius & plenius consulendum. Ad secundam instantiam respondetur, quod licet Papa hæreticus non careret omni priuilegio clericali, non propter hoc tamen iudex eius vel alius auctoritate iudicis detinens ipsum sententiam excommunicationis incurreret: quia licet iudici & aliis auctoritate eius violenter clericos detinere, *extr. de sen. excommunicationis, vt fama.*

Discip. Illa decretalis non loquitur, nisi de laicis, qui auctoritate prælatorum possunt capere clericos violenter. Ergo saltem nullus laicus siue sit rex siue princeps, vel alius valet capere Papam hæreticum absque sententia excommunicationis. *Magist.* Respondetur quod hoc generale est, quod omnis superior habens iurisdictionem coactiuam potest subditum detinere & capere absque sententia excommunicationis. Et ideo quia reputant se sufficienter probare, quod in casu laici habent iurisdictionem coactiuam super Papam hæreticum: de qua probatione visum est *libr. 6.* ideo dicunt, quod in casu possunt laici etiam absque auctoritate clericorum violenter Papam hæreticum detinere & in vinculis custodire. Cum vero dicis, quod decretalis allegata non loquitur, nisi de laicis, qui auctoritate superiorum possunt absque excommunicationis sententia clericos detinere, respondetur quod in illa decretali vnus solummodo casus excipitur, in quo licet laicis in

clericos manus inijcere violentas. Cum quo stat, quod multi alii casus excipiantur. Et ita potest aliquis laicus in casu in Papam hæreticum absque excommunicationis causa vel sententia manus inijcere violentas.

Disc. Miror quod cum nulla lex loquitur de Papa hæretico, isti ita turpiter de punitione Papæ hæretici loqui præsumunt, cum vbi leges deficiunt, oportet ad conditorem legum recurrere. Aliter enim liceret cuilibet in tali casu, vbi leges deficiunt, ad sensum suum recurrere, & propriæ inniti prudentiæ, contra illud Prouerb. 3. *ne innitaris prudentiæ tuæ.* *Magist.* Respondetur quod vbi est aliquid necessario agendum, si leges potissime deficiunt: quia in tali casu generali & singulari nulla lex specialis est edita: nec potest conuenienter absque periculo haberi recursus ad conditorem legum in scripturis diuinis ratione & industria naturali ac rationabili scientia præcellentem: recurrendum est ad peritos in prædictis & in legibus, si possunt haberi. Si autem iudex est omnibus prædictis instructus, ipse suo sensu vti potest in tali casu. Et ideo quia de Papa hæretico leges non sunt editæ speciales, quando Papa esset hereticus & ex perfidia eius periculum immineret: & non esset Papa catholicus, ad quem conuenienter posset haberi recursus: alii iudices inferiores scriptis diuinis & iuri naturali innitendo ipsum debite debent corrigere. *Discip.* Secundum ista magis esset innitendum in casu isto Theologis & in philosophia & scientia morali peritis quam Iuristis. *Magist.* Hoc nonnulli concedunt, sicut tactum est prius, quod vbicunq; emergit dubitatio inter Iuristas, quæ per aliquam legem expressam solui non potest, ad Theologos & Philosophos est vltimo recurrendum: ad quos spectat, si fuerint præcellentes, (licet nullum gradum in theologia & philosophia habuerint) de legibus quibuscunque profundius & certius (licet non promptius) iudicare, quam ad Iuristas, nisi Iuristæ in aliis scientiis fuerint excellentes.

CAP. XIV.

Probat secundam & tertiam conclusiones positas capitulo præcedenti: quæ etiam immediate in principio capituli ponuntur.

DIscipulus. De hoc disputatum est *libro primo.* Ideo conuertas te ad conclusionem in principio *cap. præcedentis* propositam. *Magist.* Secunda conclusio in proposito est hæc, loquendo de credulitate extra iudicium, secundum quod vnus socius credit alteri, nullus tenetur credere vni soli cuiuscunque famæ aut opinionis existat narranti Papam esse hæreticum. Hoc videtur posse sic probari. Nullus tenetur credere alium esse malum, antequam probetur. Ergo nullus tenetur credere Papam esse hæreticum, antequam probetur. Sed relatio vnius nihil probat. Ergo propter relationem vnius nullus tenetur credere Papam esse hæreticum. *Discip.* Istam conclusionem nolo discuti amplius, quia satis apparet mihi certa. Ideo tertiam conclusionem probare nitaris. *Magist.* Tertia conclusio est, quod vni soli bonæ famæ & opinionis asserenti Papam esse hæreticum potest quis credere absque peccato: licet sibi credere minime teneatur: quæ videtur sic posse probari. Si duo æqualis famæ & opinionis sibi contrariantur circa idem, licet alicui credere, cui vult illorum. Sed possibile est, quod Papa & aliquis alius apud eundem eiusdem famæ & opinionis, quo ad veritatem & bonitatem vitæ existunt. Ergo si vnus se gerit pro Papa catholico & alius dicit eum esse hæreticum, licet ei apud quem æqualis famæ & opinionis existunt credere, cui illorum voluerit. Et ita licet sibi credere asserenti Papam esse hæreticum. Item frustra alicuius peccatum alteri reuelatur, nisi liceat illi cui reuelatur credere reuelanti. Sed peccatum alicuius etiam occultum licite in secreto alteri qui potest prodesse & non obesse, reuelatur: imo nonnunquam reuelare debet. Ergo licet cui reuelatur credere reuelanti: & per consequens si aliquis etiam in secreto reuelet alii perfidiam Papæ hæretici licet credere reuelanti.

Discip. Hæc ratio in vno falso fundari videtur, quod videlicet licet alicui reuelare peccatum alterius occultum. Quod tamen esse illicitum multis modis videtur posse probari. Primo quidem, quia proditionem facere nulli est licitum. Sed reuelare crimen occultum est proditionem facere, teste Augustin. qui, vt legitur *2. quæst. 1. cap. si peccauerit*, ait: *Quia enim secretum fuit, quando in te peccauit: secretum quoque sit quando tu corrigis, quia peccauit in te. Nam si solus nosti, quia peccauit in te, eum vis coram omnibus arguere, non eris corrector, sed proditor.* Ergo non licet peccatum occultum alicuius alteri reuelare: quia sicut contigit aliquem prodere multis: ita conuenit prodere aliquem vni soli. Si igitur ille est proditor peccati occulti, qui multis reuelat: ita est proditor, qui vni soli reuelat. Item, quod fidelitati repugnat, nulli est licitum. Sed reuelare peccatum alicuius occultum, fidelitati repugnat, teste Salomone, qui Prou. 2. ait: *Qui ambulat fraudulenter reuelat arcana. Qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Ergo non licet peccatum proximi alteri reuelare. Item, non solum est detractor, qui falsum dicit, sed etiam qui peccatum occultum reuelat. Sed non licet verba detractoria loqui. Ergo nulli licet crimen occultum alicuius

alterius

alterius reuelare. Ex quo patenter infertur, quod nulli licet perfidiam Papæ hęretici alteri reuelare, si est occulta. Quia si quis perfidiam Papæ hæretici occultam reuelare præsumit, peccat mortaliter, Et ille, cui reuelat secreto, debet ipsum reputare peccare mortaliter. Quare ipsum pro criminoso debet habere in corde suo. Et per consequens ipsi nullatenus credere debet. Quia criminoso nunquam est credendum. Hęc sunt, quæ mouent me ad tenendum, quod nullus debet credere asserenti secrete esse Papam hęreticum. Porro quia non solum assertiones veras, sed etiam falsas debeam audire. Per ipsas enim nostra excitantur ingenia, iuxta sententiam Sapientis. Ideo pro assertione cōtraria satage allegare. *Magist.* Sunt quidam dicentes, quod licet non debeat quis passim crimen alicuius occultū alteri reuelare: tamen in casu, quando q̄s per certitudinem, non solummodo per famam scit aliquē aliquod crimen cōmisisse, vel etiā velle cōmittere: licet sibi nō omnibus, sed alicui reuelare secrete. Et ideo si Papa perfidia hęresis est respersus, & intēdit Christianos à fide auertere orthodoxa, licet vnus solet sciret, sibi liceret alicui principi aut regi vel alteri qui posset prodesse & non obesse crimen & intentionē Papæ maleuolam reuelare. Quod enim licet crimen alicuius occultum alteri reuelare, Aug. videtur asserere, qui *in Regula* sua docet, quod peccatum fratris prius præposito debet ostendi, q̄ testibus. Ergo licet alteri crimen fratris occultum pręposito reuelare. Itē, verus Christianus Christum debet in suis operibus imitari. Sed Christus crimen & intentionē peruersam Iudę occultam non solū vni, sed etiam pluribus reuelauit, cū dixit de ipso Mar. 14. *Vnus ex duodecim qui intingit mecum manum in catino me tradet.* Et Iohan. 12. sic legitur Christus dixisse Apostolis: *Amen amen dico vobis quod vnus ex vobis me tradet.* Et sequitur: *Ille est cui intinctum panem porrexero.* Et tamen intinxit panem, & dedit Iudæ Simonis Scariotis. Igitur licet peccatum alterius occultum aliis reuelare. *Discip.* Per istam rationem probaretur, quod liceret non vni soli, sed etiam omnibus reuelare peccatum alicuius occultum. Quia Christus non vni solum, sed omnibus aliis Apostolis peccatum Iudæ reuelauit. *Magist.* Respondetur, quod peccatum alicuius occultum non solum vni, sed etiam multis reuelare licet: quia omnibus illis qui possunt prodesse & non obesse. Hinc est quod quia omnes Apostoli præter Iudam erant tales, quod poterant prodesse & non obesse. Ideo omnibus reuelauit peccatū Iudæ. Hanc rationem videtur innuere Gloss. *2. q. 1. ca. si peccauerit.* Quæ super verbo *promptior* obiiciens ait: *sed nunquid Dominus prodidit crimen Iudæ cum dixit: qui intingit mecum manum?* &c. post respondens ait: *respondetur; poterant prodesse.* Ex quibus verbis colligitur, quod illis licet reuelare crimen alicuius occultum, qui possunt prodesse. Et ideo si multi sunt, qui prodesse possunt, multis crimen occultum licite reuelatur. Sed quia nonnunquam inuenitur, quod omnes possunt prodesse & non obesse: imo multi obessent: ideo omnibus nunquam debet reuelari crimen occultum, quod probari non potest. Quare cum magna cautela est crimen alicuius occultum alteri reuelandum. Quia nulli criminoso quantumcunq; sit prælatus, nulli de quo sciens peccatum occultum suspicatur, quod non sit constans in amore ad omnem proximum amicum & inimicum est pandendum peccatum occultum alterius. Quia de omni tali dubitandum est, an velit tantum prodesse & non obesse. *Discip.* Ergo secundum ista discipulus non tenetur reuelare peccatum occultum prælato suo in secreto. *Magist.* Conceditur quando sciens peccatum occultum alterius cognoscit prælatum suum aliquando peccasse mortaliter & etiam in secreto: vel dubitat eum nolle etiam pro morte vitanda peccare mortaliter. Si autem subditus in conscientia sua reputat prælatum suum esse talem, quod nec pro aliquo temporali commodo consequendo, nec pro morte corporali vitanda vellet peccare mortaliter: tunc crimen occultum fratris non posset prælato suo reuelare secrete, & omni alii, quem talem putat, si non decipitur, potest peccatum occultum reuelare: Quia talis est ille, qui potest prodesse & non obesse. Si autem alicui alteri crimen reuelat occultum, proditor & detractor est censendus: nec debet de peccato mortaliter aliter excusari, nisi probabiliter credat, quod reuelando bono communi aut peccatori proficiat.

CAP. XV.

Vbi ponitur quarta conclusio supra c. 13. posita, & probatur 4. rationibus, scilicet, Quod pluribus honestis & discretis referentibus per scientiam certam Papam esse hæreticum, tenetur aliquis credere extra iudicium, & notu ibidem de testibus adducendis.

Discipulus. Puto, quod ista materia multas habet difficultates annexas, quæ succinctè dilucidari non possunt. Ideo ipsam vsque ad tractatum *De gestis circa fidem altercantium orthodoxam* (in quo de detractoribus, impositoribus falsorum criminum, calumniantibus & proximorum diffamātibus seu diffamatoribus in particulari sollicite indagabo) sentio differendam. Nunc vero ad quartam conclusionem assertionis *cap. decim. tertio.* recitatæ accede. *Magist.* Quarta conclusio ibi posita est, quod pluribus honestis & discretis referentibus per scientiam certam Papam esse hæreticum tenetur aliquis credere extra iudicium. Quod videtur sic posse probari.

In actibus humanis illud, quod habet maiorem probabilitatem, magis credendum est. Sed maiorem probabilitatem habet, quod dictum multorum sit verum, quam quod dictum vnius. Cum ergo Papa sit vnus, licet ipse negaret se esse hæreticum, si multi assererent ipsum esse hæreticum, magis esset credendum multis, quam Papæ hæretico. Et ita credendum est Papam hæreticum esse. *Disc.* Ista ratio nihil probat. Quia nonnunquam plus credendum est vni, quam multis. *Mag.* Si hoc esset verum rationem pfatam minime impediret. Nam si plus credetur vni quam pluribus, hoc non est præcipue ppter maiorem dignitatem. Quia quilibet in dignitate constitutus plurium testimonio potest conuinci. Quod nõ esset verũ, si ex hoc ipso, ꝙ aliquis est in dignitate maiori cõstitutus, plus esset sibi soli credendum quam aliis multis. Ergo si est plus credendum vni quam multis: hoc est vel quia meliorẽ rationẽ habet ꝓ se, vel quia melioris vitæ, vel quia de causa est magis instructus, vel propter aliquã rationem consimilem. Si ergo Papa non est melioris vitæ, quam multi, q̧ dicunt eum esse hæreticũ, nec magis literatus in scripturis Diuinis, nec in aliquo alio excellit: nisi in sola dignitate Papali & annexis dignitati: non est magis sibi credendum quam multis. Igitur si multi asserunt, quod Papa est hæreticus, est eis credendum. Item, non minus est credendum aliquibus extra iudicium, quam in iudicio. Sed multis in iudicio asserentibus Papam esse hæreticum esset credendum. Aliter enim Papa nunquam posset conuinci de hęretica prauitate. Ergo multis asserentibus extra iudicium Papam esse hæreticum, est credendum. *Discip.* Ista ratio videtur peccare dupliciter. Primo, quia testes in iudicio sunt iurati. Extra vero iudicium non iurant. Magis autem credendum est iuratis, quam non iuratis. Ergo magis credendum est multis in iudicio, q̃ extra iudicium. Secundo, ad condemnandum Papam non sufficeret duos testes adducere: cum præsul non debeat condemnari nisi cum 72. testibus *2. q. 5. præsul.* Ergo nec duobus asserentibus extra iudicium Papam esse hæreticum, est credendum. *Mag.* Non habes mentem asserentium conclusionem supra scriptam. Non enim intendunt, quod quilibet audiens aliquos asserentes Papam esse hæreticum, statim fidem eis debeat adhibere. Sed volunt quod huiusmodi asserentes Papam esse hæreticum: antequam credatur eis, sunt cum maxima diligentia examinandi: vtrum scilicet sint parati iurare illa, quæ asserunt de Papa esse vera: vel vtrum possunt ea apertis ostendere documentis, pro qua hæresi dicunt Papam esse hæreticum: quomodo sciunt Papam huiusmodi hæresim affirmare: quomodo sciunt eum esse in sua hæresi pertinacem. Et tandem videtur expediens, quod talibus asserentibus Papam esse hæreticũ, antequam credatur eis, examinentur extra iudicium, & exigant iuramentũ quod circa ipsum Papã hæreticũ manifestam dicant veritatem, vt forte non minus tales asserentes Papam esse hęreticũ, anteq̃ credatur eis examinentur extra iudicium, quam essent examinandi in iudicio. Quamuis ad iurandum & alia facienda non debeant compelli extra iudicium, sicut in iudicio compelli valerent. Quibus rite factis credendum est eis extra iudicium, sicut in iudicio creditur. Licet credulitas in iudicio aliquem alium effectum possit & debeat habere, quam credulitas sola extra iudicium. Hæc maxime seruanda sunt circa extraneos ignotos, circa quos est sollicite inquirendum, cuius vitæ & opinionis extiterint. An etiam pro alia causa quam pro causa fidei habuerint occasionem male volendi Papæ. Per hoc respondetur ad primam instantiam, quam fecisti: quia ab asserentibus extra iudicium Papam esse hæreticum, videtur ad maiorem cautelam debere exigi iuramentum. Ad secundam videtur respondere Glossa super præallegatum *c. præsul.* quæ quærens ibidem: *Nunquid contra Papam duplicantur testes?* Et infra respondetur dicens: *non, imo duo sufficiunt, & in hoc est deterioris conditionis, quia ipse sine comparatione aliorum creatus est: & ideo sine spe venia damnandus est, vt Diabolus.* Dicunt tamen quod si duo tantum testes apparent Papam de hæretica prauitate accusantes, examinandi essent multum stricte, propter hoc quod Papa, qui est positus quasi signum ad sagittam, habet multos offendere. Et sic etiam dicunt, quod si quis audit duos viros sibi notos, bonos, sanctos & veraces, qui nec amore nec odio alicuius, nec timore nec cupiditate vellent alicui crimen imponere; asserentes se scire Papam hæresim manifestam & determinatam pertinaciter tenuisse, declarantes modum hæresis & pertinaciæ, debet credere eis & reputare Papam esse hæreticum. *Discip.* Quare dicunt isti, quod asserentes Papam esse hæreticum, examinandi sunt, an ea quæ dicunt de Papa possunt aperte ostendere documentis? *Magist.* Hoc dicunt propter hoc, quod asserunt dupliciter posse aliquos perfidiam Papæ hæretici declarare. Vno modo per testimonium proprium, si videlicet affirmant se audisse Papam asserentem pertinaciter hæresim determinatam & apertam; vel etiam docentem hæresim contrariam veritati catholicę, quam credere tenetur explicite. Puta si dicunt se audiuisse Papam asserere, quod fides Christiana est falsa: vel quod Christus non est verus Deus. Vel quod Christus non fuit passus: vel aliquid huiusmodi. Vel etiam si affirmant se audisse Papam pertinaciter asserere vel defendere quantamcunq; hæresim scripturę sanctæ aduersantem. Aliter possunt aliqui perfidiam Papæ hæretici declarare per testimonium proprium, seu per legitima documenta: puta si ostenderent Bullam Papę in qua diffiniretur hæresis manifeste: vel si ostenderẽt copiam Bullæ per regiones fidelium publicatam: etiam si ostenderent instrumentum vel scripturam autenticam modum quo Papa fuerit conuictus de prauitate hęretica continentem. *Discip.* Si habes alias rationes ad conclusionem prædictam adducas. *Magist.* Adhuc tertia ratio est hęc: Ad illa quę innocentiæ sunt, quilibet obligatur. Sed credere viris bonæ famæ & opinionis, cum aliqua asserunt & affirmant, ad innocentiam spectat, teste Ambrosio, qui, vt habetur *22. q. 4. c. innocens*, ait: *innocens credit omni verbo. Non vituperanda facilitas, sed laudanda bonitas.* Cum ergo viri boni & veraces asserunt & affirmant modo prædicto Papam esse hęreticum, eis audiens fidem adhibere tenetur. Quarta ratio est hæc: Illud non est omitten-

ten-

tendum, sine quo societas humana & conuersatio mutua hominum rite non posset conseruari. Sed nisi vnus alteri credat, nec humana societas, nec mutua conuersatio hominum rite potest conseruari. Igitur tenetur vnus alteri credere: nisi sit aliquo crimine irretitus, propter quod de falsitate debeat haberi suspectus. Cum autem credendum est in vno, & in omnibus: quia si aliquibus in vno credendum est, hoc non est, nisi quia præsumerentur veraces. Si enim non præsumerentur veraces, non esset eis credendum. Qui autem præsumitur verax, in omnibus dictis suis præsumitur verax. Ergo veracibus asserentibus Papam esse hæreticum est credendum. *Discip.* Per istam rationem probaretur, quod vni soli asserenti modo præexposito Papam esse hæreticum esset credendum. Quia præsumitur verax. Ergo in omnibus est sibi credendum. *Magist.* Respondetur quod secus est de vno & de pluribus. Quia plus est credendum pluribus quam vni. Et ideo propter assertionem multorum potest quis credere licite malum de alio quem plures asserunt esse malum. Sed quando vnus profert malum de aliquo, propter talem relationem non est magis præsumendum de illo, de quo malum narratur, eum esse malum, quam illum esse veracem, qui narrat. Et ideo nullus tenetur credere vni soli referenti Papam esse hæreticum. *Discip.* Non adducas plures rationes pro ista assertione seu conclusione: sed dic quem effectum debet habere ista credulitas. *Magist.* Respondetur distinguendo: quia aut illa credulitas fit iudici Papę hæretici, aut alii qui non est iudex eius. Si fit iudici Papæ hæretici, & qui faciunt talem credulitatem iudici sunt parati in iudicio eadem asserere, iudex ad condemnationem Papæ hæretici debet procedere. Si autem ista credulitas fit alii quam iudici, & sit talis credulitas quod Papa potest conuinci legitime: illi, qui taliter credunt Papam esse hæreticum, ipsum tanquam excommunicatum vitare tenentur. Et ideo ei nullatenus obedire debent: sed pro defensione fidei inquantum possunt modis sibi conuenientibus laborare tenentur: ne videlicet Papa hæreticus inficere valeat orthodoxos.

CAP. XVI.

Probat quintam conclusionem, c. 13. huius positam, scilicet quod viris prouidis & honestis referentibus per famam honestam Papam esse hæreticum, est credendum.

DIscipulus. Conclusionem quintam supra c. 13. præmissam discutias. *Magist.* Quinta conclusio est hæc. Viris prouidis & honestis referentibus per famam honestam Papam esse hæreticum, est credendum. Quæ sic probatur. Illis est credendum Papam esse hæreticum, propter quorum relationem Papa tanquam hæreticus est vitandus, *extra, de sententia excommunicationis, cum desideres.* Papa autem hæreticus est excommunicatus. Ergo propter solam famam publicam est vitandus. Et per consequens videtur quod referentibus Papam esse hæreticum per publicam famam est credendum. *Discip.* De hoc tactum est *libro sexto. c. 68.* vbi recitasti virtualiter opinionem eandem, quæ videtur mihi falsa. Nam quia constat quod sæpe publica fama est falsa, & sæpe ita diffamantur de crimine innocentes sicut nocentes, nullo modo videtur quod propter relationem publicæ famæ debeat Papa hæreticus censeri. Quia ita potest diffamari Papa catholicus, sicut hæreticus. *Magist.* Licet argumentum tuum non videatur habere colorem: tamen conclusio supradicta clarius, quam prius, ab aliquibus explicatur. *Discip.* Dic primo, quomodo argumentum meum non videatur habere colorem. *Magist.* Dicitur quod non obstante, quod ita diffamentur innocentes sicut nocentes, est tamen aliquis propter famam publicam euitandus, quemadmodum non obstante quod ita conuincuntur sæpe innocentes per testes, qui veraces creduntur sicut rei: tamen priusquam aliquis conuictus & damnatus fuit, siue innocens fuit siue reus, sententia est seruanda. Et si est sententia, quę sequestrationē à fidelium cœtu includat, est vitandus. *Disc.* De hac responsione in alio tractatu faciam mentionem. Ideo dic, quomodo prædicta conclusio explicatur. *Magist.* Distinguitur de referentibus per famam publicam, Papam esse hæreticum. Quia aut narrant famam publicam, quam sciunt à quibus orta fuit: aut quam nesciunt à quibus orta fuit, nec an aliæ aliquę personæ possunt veritatem famę probare. In primo casu videtur quod propter talem narrationem sit Papa hæreticus ab audientibus euitandus. In secundo casu non videtur quod debet euitari.

CAP. XVII.

Probat conclusionem sextam supra c. 13. positam, scilicet quod quibuscunque criminosis adducentibus legitima documenta, vel indicia manifesta, quod Papa est hæreticus, est credendum, & quomodo & qualiter, exponitur ibidem. Et etiam notatur distinctio inter legitima documenta & indicia manifesta. De legitimis documentis tractatur in 15. c. & 18. de indiciis manifestis c. 20.

DIscipulus. Illa conclusione dimissa, de qua te alias diligenter interrogabo seu interrogare intendo, dissere conclusionem sextam, supra *cap. decimo tertio.* recitatam. *Magist.* Conclusio sexta est, quod quibuscunque criminosis adducentibus legitima documenta vel indicia mani-

manifesta, quod Papa est hæreticus, est credendum. Non quidem quod propter assertionem criminosorum, sed propter ipsa documenta legitima & indicia manifesta credatur Papa esse hæreticus. *Discip.* Quæ sunt illa documenta legitima & indicia manifesta, propter quæ credendum est Papam esse hæreticum? *Magist.* De hoc tactum est supra *c. 15.* vbi dictum est, quomodo possunt aliqui perfidiam Papæ hæretici declarare per legitima documenta. *Disc.* Si illis aliquid est addendum secundum taliter opinantes, non differas explanare. *Magist.* Inter legitima documenta & indicia manifesta distinguunt. Nam *legitima documenta* vocant scripturas perfidiam Papæ hæretici absq; pallio comprobantes. *Indicia manifesta* vocant suspitiones seu præsumptiones, probabiliter perfidiam Papæ hæretici comprobantes. *Discip.* Pone exempla de prædictis. *Magist.* De legitimis documentis supra c. 15. posita sunt exempla. Quorum primum est de Bulla Papæ hæretici, in qua aliquis error contra doctrinam Ecclesiæ affirmatur. Secundũ est de copia Bullę eius. Tertium est de aliquo instrumento vel scriptura autẽtica modum, quo fuit Papa hæreticus cõuictus de hæresi, continente. Et quartũ potest esse vel scriptura autentica alicuius prælati vel principis transsumptum Bullæ, vel illius particulæ in qua error hæreticalis asseritur, continens. *Discip.* Antequam exemplifices de indiciis manifestis, peto vt tractes duo exempla prima de legitimis documentis: & primo primum. *Magist.* Quod propter talem Bullam Papæ hæresim asserentem sit credendum Papam esse hæreticum, sic videtur posse probari. Quia quod non esset credendum Papam esse hæreticum propter huiusmodi Bullam, aut hoc est quia Papa posset sub Bulla hæresim asserere absq; hæretica prauitate: aut quia taliter Bullæ fides minime esset adhibenda. Non propter primum, quia supra *lib. 4.* vides probatum aperte, quod Papa sub Bulla asserens hæresim est pertinax. Et per consequens hæreticus reputandus: quia non est paratus corrigi, & vltimata deliberatione hæresim diffiniuit. Nec propter secundum: quia Bullæ Papali fides debet adhiberi. *Discip.* Videtur quod isti sint sibiipsis contrarii. Nam asserere videntur, quod Papæ hæretico in nullo negotio est credendum. Ergo nec Bullæ suæ fides debet aliqualiter adhiberi. Et ita Papa propter suam Bullam minime est hæreticus reputandus. *Discip.* Dicunt quod ipsos nequaquam intelligis. Cum enim dicunt, quod Papæ hæretico nullo modo est credendum, intelligendum est pro se vel contra alium. Ei tamen sicut cuilibet criminoso credendum est contra se. Vnde si criminosus confiteatur factum suum, creditur sibi, quia aliter propter confessionem propriam minime damnaretur. Si tamen criminosus confiteatur vel asserat crimen alterius, sibi nullatenus est credendum. Similiter dicunt, quod diffinitioni hæreticali Papæ hæretici bene credendum est contra Papam, vt propter eam hæreticus iudicetur: sed Bullę huiusmodi in aliis non est credendum. Si enim in eadem Bulla vel alia Papæ hæretici aliquid asseratur contra fidem, vel etiam in præiudicium cuiuscunq; catholici, sibi nullatenus est credendum: quia nullo negotio supra alium Papæ hæretico est credendum.

CAP. XVIII.

In quo ponitur secundum documentum legitimum, scilicet de copia Bullæ Papæ hæretici, in qua hæresis affirmatur. Vbi etiam ponuntur duæ conclusiones, prima scilicet, quod de constitutione hæreticali Papæ solenniter & publice promulgata nullus tenetur se per ignorantiam excusare. Vbi notantur sex casus, in quibus ignorantia non excusat. Secunda vero conclusio probatur c. 19.

Discipulus. Dicas secundum exemplum de copia Bullæ Papæ hæretici, in qua hæresis affirmatur: quod propter talem copiam siue transsumptum Papa debeat hæreticus iudicari. *Magist.* Hoc videtur posse probari sic. In omnibus credendum est copiæ siue transsumpto Bullæ Papæ catholici. Ergo credendum est copiæ siue transsumpto Bullę Papę hæretici, in his quæ sunt contra ipsum. Antecedens videtur probatione minime indigere. Consequentia probatur propter hoc, quod tantum valet copia siue transsumptum Bullæ Papæ catholici (quantum ad omnia quæ continet) quantum valet ipsa Bulla hæretici Papæ contra se. Sed ipsa Bulla Papæ catholici valet quantum ad omnia quæ continet & includit. Ergo sicut in omnibus credendum est Bullæ Papæ catholici, ita quantum ad illa quæ sunt contra Papam hæreticum credendum est Bullæ Papæ hæretici. *Discip.* Videtur quod nec transsumptum Bullæ Papæ catholici, nec transsumptum Bullæ Papæ hæretici à criminosis vel infamibus diuulgatum fidem facere debeat cuicunque: quia sicut vita criminosorum debet esse suspecta, ita etiam tales transsumptiones statutorum vel ostensiones transsumptorum Papalium debent esse suspectæ, vt nullus talibus ostensionibus statutorum Papalium fidem debeat adhibere. Quia non debet quis propter criminosos credere illa esse vera transsumpta. *Magist.* Ad hoc respondetur distinguendo de diffinitionibus Papæ siue hæretici, siue catholici: quia aut sunt publice & solenniter promulgatę, aut non. De primis dicitur, quod ignorantia talium non excusat post duos menses. De secundis dicitur: quod de eis potest per ignorantiam excusari. Et per hoc dicitur ad argumentum, quod fecisti concedendo quod propter criminosos siue ostensionem transsumptorum Papalium à criminosis factam, nullus teneatur credere

Vnquam

vnquam Papam esse hæreticum. Tamen propter huiusmodi ostensionem transsumptorum Papalium continentium prauitatem hæreticam à criminosis factam, si aliquis in rei veritate ignorat Papam talem diffinitionem dedisse, debet inquirere veritatem. *Discip.* Hic deberent isti duo probare. Quorum primum est, quod de constitutione hæreticali Papæ publice & solenniter promulgatâ nullus tenetur se per ignorantiam excusare. Secundum est, quod propter verba criminosorum ignorantes talem constitutionem hæreticalem Papæ deberent quærere veritatem. Vnde de istis duobus velis differere: & non solum referas circa ipsa sententiam prædictorum, sed etiam aliorum. *Magist.* Circa primum sunt diuersæ sententiæ. Vna est, quod nullus de constitutione hæreticali Papæ post duos menses potest per ignorantiam se excusare. Nec potest in hoc casu ignorantiam allegare. Si allegat non est sibi credendum, nisi ignorantiam probauerit: quemadmodum nullus potest ignorantiam allegare de constitutione Papæ catholici post duos menses: quia eam omnes scire tenentur, & omnes ad eius obseruantiam obligantur. Et ista videtur sententia fuisse Glossatorum *decretalium* & *decretorum*. Vnde de sententia publice promulgata cardinalium infra legationem suam, de qua minus videtur, dicit Gloss. *extra, de postulationibus, ca. prim. Cum publice sententia illa fuerit publicata, eam ignorare non potest nec debet: & præsumitur eam scire 13. q. 2. qui & humanis. 16. dist. quod dicitis.* Et infra: *vbi enim allegatur ignorantia circa ea quæ plurimi sciunt & publice fiunt, non creditur nisi hoc fieri probet.* Item, Gloss. *extra, de constitutionibus. c. cognoscentes*, loquens de constitutione Papæ ait: *ex quo publice publicata est, tenetur ad ipsius obseruantiam. Et omnes obligat post duos menses à tempore publicationis elapsos.* Item, Gloss. *19. dist. ca. vltim.* ait: *nulli licet ignorare ea, quæ publice facta sunt.* Item, Gloss. *8. quæst. prim. cap. licet*, ait: *In his quæ publice facta sunt, non potest contradici.* Item, Gloss. *dist. 54. vbi*, ait: *vbi aliqua sunt publice facta, nemo auditur contradictor.* Ex quibus aliisque quamplurimis colligitur (vt habetur) quod non solum non auditur, qui allegat se ignorare constitutionem Papæ publice promulgatam, sed etiam qui allegat se ignorare alia quæcunque, quæ tamen publice facta sunt. Quia quamuis dicat se nescire Papam edidisse constitutionem, in qua assertio quæ est hæretica diffinitur, non est sibi credendum: quia ex quo talis constitutio hæreticalis est publice promulgata, quilibet præsumitur scire ipsam. *Discip.* In quo fundant se Glossæ prædictæ. *Magist.* In legibus ciuilibus & canonicis quamplurimis se fundant: de quibus sufficiat adducere Epistolam Innocentii tertii ad Decanum & Capitulum Senonense, quæ ponitur *extra de postulationibus, cap. prim.* in qua ponens allegationes procurationi Episcopi Altisiodorensis, volentis eundem Episcopum per ignorantiam excusare, & eam excludens sic ait: *Quoniam antequam idem Magister ad Sedem Apostolicam accessisset (nobis quasi pro certo constabat) quod Episcopus interdicti sententiam non seruasset: quod & idem Magister non negauit in fratrum nostrorum præsentia requisitus à nobis in ipsius Episcopi excusationibus allegans, quod sententiam latam nullatenus contra nos seruare tenebatur, quod ad eius notitiam nec per cardinalem tunc Apostolicæ Sedis legatum, qui eandem sententiam promulgauit, nec per deputati ad hoc executoris mandatum vel literas peruenisset.* Et infra: *quod nec sufficit, imo nec proficit ad excusationem prædicti Episcopi, cum cardinalis idem sententiam interdicti præsentibus multis solenniter ac publice promulgauit, & eadem interdicti sententia in regno Franciæ iam à multis publice cœperit obseruari: nec sit necessarium, cum constitutio solenniter editur ac publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel literas inculcare: sed illud solum sufficit, vt ad eius obseruantiam teneantur, qui nouerint eam solenniter editam ac publice promulgatam, & esset contra quosdam, qui Sardicense concilium non seruabant, tanquam illud non habuerunt aut perceperunt canonica auctoritate, in quo eis non facile facultas credendi tribuitur, cum idem penes illos in suis regionibus actum fuit & receptum.* Ex quibus verbis colligitur, quod constitutione aliqua publice ac solenniter promulgata, nulli eam ignorare licet: ita quod si fuit constitutio Papæ omnes ligat & omnes eam scire tenentur. Si autem fuit prælati inferioris omnes de sua iurisdictione debent scire ipsam. Ex eisdem etiam infertur, quod illa quæ publice fiunt nemini commoranti in loco vbi publice fiunt, licet ignorare. Ex quibus concluditur, quod si Papa constitutionem hæreticalem publice & solenniter promulgat, nemini licet ignorare ipsam.

Discip. Non apparet, quod omnes debeant scire constitutiones Papæ hæretici: cum non sit verus prælatus omnium. Ad nullius autem constitutiones constringuntur Christiani, nisi veri Papæ. Quia constitutio solius veri Papæ omnes astringit. *Magist.* Respondetur, quod ad sciendum constitutiones Papæ hæretici quilibet, qui nescit eum esse hæreticum, & reputat eum verum Papam, est astrictus. Sed postquam scit Papam esse hæreticum, non tenetur scire constitutiones eius posteriores, nisi sicut cæterorum hæreticorum scripta & dicta. In casu autem catholicus obligatur ad sciendum constitutiones & dicta hęreticorum: non ad probandum, sed ad improbandum. Ex quibus infertur, quod quilibet tenetur scire constitutionem hæreticalem Papæ nisi sint aliqui, qui per alium modum quam per constitutionem hæreticalem sciant ipsum esse hęreticum. Quod enim quilibet alius tenetur scire constitutionem hęreticalem Papę probatur: quia aut antequam scit constitutionem hæreticalem ipsius reputat eum verum Papam, aut non reputat eum verum Papam. Si reputat eum verum Papam: ergo tenetur scire constitutionem eius. Si non reputat eum verum Papam: hoc non est, nisi quia scit vel tenetur scire constitutionem hæreticalem eius. Et ita vel scit & tenetur scire constitutionem hæreticalem eius, si nescit eum esse hęreticum per alium modum.

Discip.

Discip. Nunquid secundum Glossam in nullo casu potest quis allegare se ignorare constitutiones Papæ, vel ea quæ publice fiunt. *Magist.* Respondetur quod secundum Glos. aliquando contingit talem ignorantiam allegare. Sed taliter alleganti minime est credendum, nisi ignorantiam probauerit, quam allegauit. Quam quidem aliquando potest probare iuramento: aliquando autem iuramentũ non sufficit. De hoc tamen Gloss. *di. 83.* diuersas recitat opiniones, dicens: *cum constitutio sit publice promulgata, quilibet tenetur eam scire vsq; ad duos menses, vt in autent. & noua constitut.* §. *1. secundum canones vero ad sextum mensem, vt 18. di. decreuimus. Quia ergo præsumebatur peruenisse ad istos, tenebantur ipsi probare ignorantiam, vt hic, & extra de electione, innotuit, & 1. q. 1. si quis autem. si noueritis.* Et infra: *Sed qualiter probatur aliquis se ignorasse dicto suo sacramento, vt 34. q. 2. in literis, vt no. 4. q. 5. quisquis. in fine. c. vlti. etiam alio modo si potest probando se fuisse in alio loco: & forte si præsumptio est contra eum, non crederetur suo iuramento. Discip.* Si conuentus aliquis vel collegium diceret se ignorasse, nunquid omnes iurabunt? *Magist.* Dico quod sufficit, quod Episcopus cum maioribus de capitulo iuret, vt *ff. de di. q. & de renunciatione.* Alii dicunt, quod eo ipso probatur ignorantia, quod non probatur scientia. *Disc.* Durum mihi videtur asserere, quod omnes teneantur scire constitutiones Papæ: quia tunc tenerentur omnes scire omnia decreta & omnes decretales summorum pontificum: quod rationabile non videtur: quia cum multis annis sciri non possunt. Ideo circa ꝑdicta aliam narra sententiam. *Mag.* Quorundam aliorũ est sententia, ꝙ Episcopi inferiores non tenentur scire q̃cunq; constitutionem Papæ, neq; hæreticalẽ neq; aliam, nisi fuerit per Episcopũ publicata. Dicunt enim ꝙ prælati immediate sub Episcopo constituti nõ tenentur scire constitutionẽ Papæ, nisi prælati sui indicauerunt eis: & sic vsq; ad laicos & alios curam animarũ non habentes, qui non tenentur scire constitutionẽ Papę nisi plebani seu rectores eorum, aut alii prælati superiores publicant eandẽ constitutionẽ Papæ inter ipsos. Sic etiã dicunt de religiosis, ꝙ religiosi subditi nullam constitutionẽ Papæ scire tenentur, antequam prælati eorũ publicauerunt eã inter ipsos. hæc sententia videtur posse ꝓbari. Primo sic: si q̃libet teneretur scire constitutionẽ Papæ post duos menses vel post sex: frustra Episcopi tenerentur eã publicare. Sed Episcopi tenentur publicare constitutionẽ Papæ. Ergo ante publicationem non omnes tenentur scire constitutionem Papæ. Maior videtur manifesta. Minor ostenditur sic. Nõ minus tenentur Episcopi publicare constitutionẽ Papæ q̃ ea quæ in conciliis prouincialibus singulis annis aguntur. Sed illa debent Episcopi publicare, sicut in concilio tali decernitur, vt habetur *di. 18 decernimus.* Ergo constitutiones Papæ nouiter editas publicare tenentur. Itẽ, nõ transitur ab extremo in extremũ, nisi per mediũ. Sed Episcopi sunt medii inter Papã & suos subiectos. Ergo non tenentur subiecti scire cõstitutiones Papę, nisi eis ꝑ Episcopos tanq̃ per mediũ intimentur. Tertio sic. Nullus potest ad impossibile obligari. Sed impossibile est illiteratos intelligere constitutiones Papæ: nisi prælati exposuerint eis. Ergo non tenentur eas scire, antequã per prælatos eorum fuerint eis expositæ. *Disc.* Ista sententia decreto Innocentii tertii superius allegato aduersari videtur, cum dicitur: *nec sit necessarium, cum constitutio solenniter editur & publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel literas inculcare.* Ex quibus verbis colligitur, quod nonnulli tenentur scire constitutionem solenniter editam & publice promulgatam, licet eorum auribus neq; ab ipso, neq; ab aliquo inferiori per speciale mandatum, vel literis fuerit intimata. Et ita ad hoc, quod teneatur scire constitutionẽ Papæ, illa publicatio præter primam quæ fit in curia Papæ requiritur. Item, non est consuetudo Ecclesiæ, ꝙ omnes constitutiones Papæ nouiter editæ priusquam obligent per Episcopos diuulgentur. Ergo prima solennis diuulgatio sufficit ad hoc, ꝙ constitutio Papæ obliget vniuersos. Hoc etiam Glos. super dicto capitulo Innoc. tertii videtur asserere, quæ dicit, quod *videtur sufficere quod per solam famam ad ipsum peruenit.* Item, præceptum superioris non minus obligat, quam præceptum inferioris. Ergo simpliciter diuulgatio facta ꝑ superiorẽ non minus obligat, q̃ diuulgatio facta per inferiorem. Sed diuulgatio constitutionis Papæ facta per Episcopum ligat inferiores Episcopo. Ergo non minus ligat omnes diuulgatio facta per Papã. Itẽ, sicut Episcopi sunt superiores Abbatibus, Decanis, Archidiaconis & huiusmodi inferioribus ꝑlatis, ita Archiepiscopi sunt superiores Episcopis. Sed constitutio Papæ ligat Episcopos, licet ad eos per Archiepiscopos nequaquã perueniat, *extra, de postul. c. 1.* Ergo & constitutio Papæ ligat inferiores Episcopis, licet Episcopi non publicauerint constitutionẽ eandẽ. Hac inter alia mouent me cõtra ꝑdictam sententiã. Ideo aliã sententiam libenter audire. *Mag.* Sunt q̃dam q Glossas de ista materia negare nolunt. Sed eas, vt affirmant, explanant de constitutione Papæ dupliciter diffinientes, aut enim publice feruntur non solũ in curia Papæ, sed in vniuersis regionibus Christianorum Papã de aliqua determinata materia constitutionẽ nouiter edidisse: aut talis rumor ad omnes regiones Christianorum vel aliquas non peruenit. Item, aut constitutio Papæ noua omnes tangit, aut aliquas determinatas personas vel aliqua collegia certa. Si itaque aliqua constitutio noua Papæ in eius curia solenniter & publice promulgatur, quæ omnes tangit, & publicus rumor, aut sermo de tali constitutione ad omnes regiones Christianorum peruenit: omnes conclusiones constitutionis huiusmodi scire tenentur, præcipue illi qui de facili per se vel per alios eam scire possunt. Ab hac tamẽ regula secundum quosdam excipiuntur milites, rustici, iuniores, & mulieres, qui constitutionem talẽ scire non tenentur. Et secundum quosdam vero, si eam de facili possunt scire, eam ignorare non debent: præcipue si sit constitutio, quæ bonum commune respiciat. Huius ratio assignatur talis. Ignorantia crassa & supina & peior nullum excusat. Sed ignorantia iuris quantum libet tangat quod per se potest de facili scire, est ignorantia crassa & supina vel peior. Ergo talis ignorantia nullum excusat. Maior probatur auctoritate Alexandri tertii: qui, vt habetur *extra, de ordinato ab eo*

ab eo qui renunciauit episcopatui, c. 1. ait: Si ab eodem sacros ordines scienter quis acceperit, qui indignum se facit, excusationem officii non habebit. vbi autem non scienter, poterit, nisi crassa & supina fuerit ignorantia, discretus pontifex dispensare. Ex quibus colligitur, quod ignorantia crassa & supina dispensationem licitam impedit: & per consequens ignorantia crassa & supina non excusat. quod Gloss. extra de electione. cap. innotuit, asserit manifeste dicens: ignorantia crassa & supina vel peior non excusat. minor, scilicet quod ignorantia iuris quantumlibet tangeret quod potest de facili scire, est ignorantia crassa & supina vel peior. & talis ignorantia est damnabilis. teste Augustin. qui, vt habetur distinct. 37. cap. vlti. ait: non omnis ignorans immunis est à pœna. ille enim potest excusari à pœna, qui quod disceret non inuenit. illis autem ignosci non potest, qui habentes à quo addiscerent, operam non dederunt. Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod ignorantia illa, quæ spectat ad ipsos, qui possunt faciliter scire, minime excusatur. quod etiam Apostolus 1. ad Corinth. 15. aperte insinuat, cum dicit: vt etiam recitatur dist. 37. §. vt itaque. qui ignorat ignorabitur. quod Gratianus ibidem dicit intelligendum de eo, qui noluit intelligere, vt bene ageret. vbi dicit Gloss. qui ignorat & qui negligit scire, vel qui contemnit scire. & infra: nec etiam excusatur quis per ignorantiam, qui potest habere copiam peritorum. ff. de iur. & fac. igno. regula, vel si sua prudentia faciliter potest id scire. Ex quibus verbis colligitur, quod omnes illos ignorantia non excusat, qui nolunt scire. qui ideo ignorant, quia non dant operam ad sciendum, qui negligunt scire, qui contemnunt scire, qui habent copiam peritorum, qui sua prudentia possunt scire. & ita omnis talis ignorantia est damnabilis: & per consequens est crassa & supina vel peior. Ex quo infertur, quod constitutio. Papæ quantum ad subiectum constitutionis contentæ in ipsa omnes tenentur scire, si omnes tangit & rumor de tali constitutione ad omnes regiones Christianorum peruenit: & nemini licet ignorare ea, de quibus in regione vbi moratur ignorare est publicus rumor. si autem rumor de tali constitutione non ad omnes regiones Christianorum peruenit, commorantes in regionibus in quibus nullus est rumor de constitutione talis Papæ eam scire non tenentur: quia ignorantia probabilis eos excusat. ignorans enim sicut errans quemadmodum insinuat Gloss. 1. q. 4. §. notandum, non est necesse quod sit nimis scrupulosus & diligens & curiosus in inquirendo: nec quod sit nimium negligens & dissolutus in inquirendo. ille autem, qui in regione moratur, vbi de constitutione Papæ noua nulla fit mentio, non est nimium negligens & dissolutus. ergo in inquirendo, ignorantia ꝓbabili laborat: & per consequens est merito excusandus, licet constitutioné Papæ non sciat. Si vero constitutio Papæ non tangit omnes, sed aliquas determinatas personas, puta tantummodo Episcopos, vel tantumōdo monachos, vel tantummodo presbyteros, seu rectores, vel aliquas alias certas personas, vel collegia, non omnes tenentur scire constitutionem eius: sed tantumōdo illi quos constitutio tangit: & illorum subiecti solumōdo, qui in regionib. manent, vbi inter tales personas de constitutione huiusmodi est publicus rumor. Per hoc dicitur ad propositum de constitutione hæreticali, propter quod cum talis constitutio Papæ omnes tangit, quia fidem omnium quantum in se est destruit & eneruat, omnes illi qui in regionibus commorantur in quibus est rumor publicus de constitutione tali scire tenentur nō ad seruandum, sed ad resistendum pro posse. Illi autem qui morarentur in regionibus, vbi non est rumor de tali constitutione, eam scire non tenentur. & ideo si eam non impugnant, per ignorantiam probabilem excusantur. Discip. Nunquid secundum istos ad hoc quod aliqui teneantur scire constitutionem hæreticalem Papæ, requiritur quod in omnibus ciuitatibus illius regionis fiat talis rumor? Mag. Respondetur distinguendo, quod manentium in aliqua regione quidam ex consuetudine in vna ciuitate morantur continue non transeundo de ciuitate in ciuitatem, quidam vero ad ciuitates diuersas proficiscuntur. primi non tenentur scire constitutionem hæreticam Papæ, antequā rumor de tali constitutione Papæ hæreticali ad ciuitatem peruenit. alii vero tenentur scire si in aliquam ciuitatem sunt soliti proficisci vbi rumor talis fuerit diuulgatus. Discip. Ista non videntur bene dicta, quia subditi & simplices non tenentur habere explicitam fidem de multis, quæ credit Ecclesia. ergo multo fortius non tenentur habere notitiam explicitam de constitutionibus Papæ hæreticalibus, quantumcunq; fuerit rumor, quod de fide constitutiones hæreticales edidit. Mag. Respondetur distinguendo de constitutionibus Papæ hæreticalibus: quia aut continent hæresim contrariam veritati catholicæ quam quilibet tenetur scire explicite, puta si diffiniret, quod fides Christiana est falsa, vel quod Christus non fuit mortuus, aut quod animæ reproborum minime cruciantur, aut quod non est alia vita futura, etiam talem constitutionem omnes manentes in ciuitatibus, ad quas rumor vel fama de constitutione tali peruenit, scire tenentur. quemadmodum veritatem contrariam tenentur explicite credere veritatem catholicam & pro illo loco & tempore eam exterius confiteri: ita hæresim contrariam debent discredere & mente & pro loco & tempore exterius reprobare & horrere. si vero non contineat talem hæresim contrariam veritati catholicæ, quam omnes tenentur credere explicite, est hæresis quæ contrariatur veritati quam aliqui credere tenētur explicite, & aliqui ad hoc non tenētur. illi qui non tenentur explicite credere veritatem contrariam hæresi distincte in constitutione Papæ non tenentur scire constitutionem Papæ hæreticalem: nisi in casu. illi vero qui tenentur credere explicite veritatem, tenentur etiam scire constitutionem Papæ hæreticalem, si fama de tali constitutione ad ciuitatem vbi morantur peruenit.

CAP. XIX.

In quo probatur duabus rationibus conclusio secunda posita cap. 18. immediate praecedenti, scil. quod propter verba criminosorum ignorantes talem constitutionem haereticalem Papae debent quaerere veritatem.

DISCIP. Nunc tracta secundum praemissa secundum quaesitum praecedentis capituli: an scilicet propter verba criminosorum asserentium constitutionem haereticalem Papae esse nouiter editam debeant ignorantes inquirere veritatem.

MAG. Respondetur, quod si aliqui criminosi diffamant Papam in genere dicentes: quod in constitutione sua haeresim diffinit, neque constitutionem neq; haeresim specificando, non est necesse propter verba eorum inquirere veritatem. si autem in speciali tam haeresim quam constitutionem specificant dicendo, *in tali constitutione Papa talem haeresim diffinit*: videtur quod illi, qui veritatem contrariam credere tenentur explicite, licet non debeant credere criminosis, debent tamen cauta sollicitudine quaerere veritatem, legendo scilicet in statuto constitutionem eandem. Hoc probatur primo sic. In dubijs via tutior est tenenda, *extra de spon. iuuenis. & de poen. dist. 7. c. si quis positus. & extra de homicidio, significasti. & c. ad audientiam.* sed quaerere veritatem de constitutione Papae, cum nuntiatur haeresim continere, est via tutior. quia omni caret periculo. non quaerere autem veritatem, magnum habet periculum: propter hoc nisi quaereretur veritas posset in nonnullis periclitari fides. ergo propter huiusmodi famam veritas sollicite est quaerenda. Secundo sic. propter assertionem de constitutione haereticali Papae est quaerenda veritas extra iudicium, propter quorum denuntiationem coram iudice esset veritas iudiciaria inquirenda. sed propter denunciationem criminosorum debet iudex Papae haeretici inquirere veritatem. nam criminosi in exceptis criminib⁹, inter quae est haeresis, ad denunciandum debent admitti. ergo etiam extra iudicium propter assertionem talem criminosorum veritas est quaerenda. DISCIP. Secundum canonicas sanctiones de nullo est inquisitio facienda, nisi fuerit grauiter diffamatus. ergo propter verba criminosorum nō est de Papa inquisitio facienda, nisi taliter fuerit diffamat⁹: quod absq; scandalo tolerari nō posset. MAG. Respondetur, quam iudicialis inquisitio, quae absq; grauatione & nota illius, de quo inquiritur, nequaquam fieri potest, non erit aliter facienda, nisi fuerit diffamatus. & de illa inquisitione loquuntur canonicae sanctiones: quia inquisitio veritatis quae fit extra iudicium quae in casu proposito solum per inspectionem scandalum & studium constitutionis haereticalis Papae fieri potest, facienda est etiam absq; praecedente infamia Papae: quia per talem inquisitionem veritatis nullum grauamen vel non infertur illi de quo inquiritur, licet postea inuenientes veritatem debeant Papam haereticum euitare. DISCIP. Ista responsio non videtur sufficere, quia propter verba criminosorum non est credendum, quod transsumpta ostensa sint vera transsumpta. ergo licet in illis transsumptis per criminosos ostensis inueniatur aliqua haeresis diffinita, non est credendum Papā esse haereticum. MAG. Ad hoc respondetur, quod in hoc casu non solum audiens relationem ostēdentium transsumpta huiusmodi debet illa transsumpta legere & studere, sed etiam diligenter inquirere, an sint vera vel falsa transsumpta: quod quia potest fieri absq; nota & grauamine Papę, & si est innocens ex abundanti cautela tenetur audiens huius criminosi huiusmodi inquirere veritatem huius.

CAP. XX.

Vbi ponuntur indicia manifesta, quae narrata & etiam visa causant vehementem suspicionem de assertione haereticali Papae & quod reuelantibus illa est credendum.

DISCIP. Quia raro aut nunquam inuenitur criminosus, qui publice se auderet offerre ad conuincendum Papam catholicum statuta haereticalia edidisse: & propter hoc ex hoc ipso, quod criminosi, si publice & manifeste etiam extra iudicium de Papa talia affirmarent, esset quaedam praesumptio, quod eorum assertio esset à veritate extranea. quapropter circa istam materiam nolo amplius immorari. ideo de indiciis manifestis, de quibus dictum est *supra* 17. velis dicere.

MAG. Sententia praedictorum, quod asserentibus extra iudicium indicia manifesta declarantia perfidiam Papae haeretici est credendum. Cuius ratio assignatur talis. Magis credendum est asserentibus indicia manifesta ad aliquod comprobandum, quam assertioni simplici aliquorū fide dignorū, cum ēt nunquam credatur vni, *de con. di. 4. paruulos. & c. cum itaq;*. ergo multo fortius asserētibus Papam esse haereticum, & similiter cum hoc asserentib. indicia manifesta, hoc est suspiciones & praesumptiones probabiles, quibus eius perfidia declaratur, est credendum. DISCIP. Pone exemplum, vt melius praedicta intelligam. MAG. Exempla multa possent poni, secundum ꝙ suspiciones seu ꝓsumptiones possunt esse quamplurimę, imo innumerae. Vnū autem potest esse tale. Ponatur quod Papa publice praedicet, quod Christus non fuerit verus Deus, aut quod nō fuerit passus aut aliquid tale, ꝙ est haereticū manifeste. Insuper omnes tenentes contrariū persequatur, destruat & cōfundat. omnes ēt suam doctrinam pestiferā defendentes, ꝓdicantes & docentes diligat, ꝓmoueat & exaltet. sint ēt aliq, ꝗ ignorent Papam talem haeresim praedicare, tenere & docere: & tamen sciunt

sciunt quosdam alios de eadem doctrina inter se altercationem habere: quorum quidam tenent catholicam veritatem & alii eam impugnant. hoc posito: si taliter ignorantes Papam hæreticā doctrinam pdicare, asserere vel tenere audierint post aliquos referentes, q talis est doctrina Papæ, & ad hoc confirmandum inducentes, quod defensores veritatis catholicæ Papa deprimit & confundit, docentes vero contrariam hæreticam prauitatē pmouet & exaltat. sicut ipsi ignorantes ēt Papā esse hæreticū manifeste conspiciunt taliter adducentib. indicia manifesta ad pbandū Papā esse hęreticum est credendum. quia p dicto eorum est psumptio violenta. Ex quo Papa talem doctrinam hæreticam defendentes diligit, iuuat & exaltat: & tenentes veritatem catholicā odit, psequitur & molestat. q psumptio magis ostēditur violenta, si nulla ratio appareat, quare istos deprimit & illos exaltat: nisi quia isti doctrinā talē negāt, & alii tenent eandem. quo ēt nimis vrgeri videntur, si Papa alios, quos ante diligebat, odit vel psequit, ex quo doctrinā suā hęreticā impugnare cœperūt: & econuerso eos, quib. fauorabiliter videbat, cariores habet, ex quo doctrinā suam hæreticā defenderunt, docuerunt, diuulgauerunt, asseruerunt vel tenuerunt. qa per talem psumptionem credendū est Papam esse hæreticum. Item, si Papa de hæresi diffamat⁹, maxime p viros literatos & in sacra pagina eruditos, petentes instanter & totus virib. laborantes, vt generale cōcilium celebretur ad discutiendum & examinandum illa, q Papæ tanquam hæreticalia imponuntur, se subiicere generalis concilii iudicio idem generale concilium ne celebretur impedire recusat: est contra ipsum pręsumptio violenta, quod est hæretica labe respersus. Item si de hæresi manifesta publice diffamatur, & ipse de tali hæresi se non purget, sed etiam prædicat, tenet & docet, est contra eum præsumptio violenta, quod est hæreticus manifestus, & ita asserentib. tales præsumptiones apertas ad probandum Papam esse hæreticum, videtur esse credendum.

DISCIP. Videtur quod ista dicta inter se repugnant. nam suspicio siue præsumptio non est credulitas, nec est causa credulitatis. cum ergo indicia manifesta non sint nisi quædam suspiciones seu præsumptiones, propter indicia manifesta non debet quis credere Papam esse hæreticum.

MAGIST. Respondetur quod differentia est inter scientiam & credulitatem. quia scientia est ex euidentia rei: credulitas autem non est ex euidentia rei. & ideo licet indicia manifesta, quæ sunt suspiciones seu probationes probabiles vel violentæ nunquam causant scientiam: causant sæpe tamen credulitatem: sæpe tamen non causant tam certam credulitatem, quod credens à sua credulitate neq; debeat nec possit recedere.

DISCIP. Quomodo posset probari, quod præsumptio probabilis vel violenta causet aliquam credulitatem? MAG. Hoc videtur aperte posse probari. Primo per hoc, quod iudex absque credulitate, quod reus sit damnandus, non debet ad sententiam condemnationis procedere: sed sæpe etiam diffinitiua sententia condemnationis de aliquo fertur propter solam præsumptionem, *extra de præsump. cap. afferte.* vbi dicit Gloss. super verbo *data*: hæc enim fuit sententia diffinitiua lata per solam præsumptionem. & c. quanto. & infra Glossa: violenta præsumptio quandoque sufficit ad condemnationem: ergo ad credulitatem nonnunquam sufficit violenta præsumptio.

Secundo probatur idem sic. Compurgatores alicuius se purgantis licite, iurant se credere, quod purgans se dicit veritatem, extra, de purgationibus vel de purgatione canonica: cap. de testibus. & cap. quotiens. & cap. vltim. sed talem credulitatem non habent, nisi ex sola præsumptione, qua præsumunt quod purgatus noluit periurare. ergo sola præsumptio sufficit ad credulitatem.

DISCIP. Videtur quod hic possit fieri difficultas de differentia inter pręsumptionem & credulitatem. quia tamen nō reputo eam multum vtilem ad propositum, quod intendo, nolo vt eam discutias: sed dic quem effectum habebit ista credulitas de perfidia Papæ hæretici, quæ solis præsumptionibus probabilibus vel violentis seu indiciis manifestis habetur. MAG. Respondetur, quod talis credulitas talem effectum debet habere. respectu personæ Papæ hæretici duplicem potest habere effectum, secundum quod varia potest esse præsumptio de perfidia Papæ hæretici, quia aut est talis præsumptio, quod non sufficit ad condemnationem, etiam si esset ordine iudiciario seruato probata: aut est præsumptio violenta, quod sufficit ad condemnandum Papam hæreticum, si probata extitit. propter primam præsumptionem & credulitatem Papa secreto est vitandus, sed non in publico. Quod enim sit in secreto vitandus, patet per hoc, quod quilibet qui creditur esse excommunicatus, est vitandus saltem in secreto. sed Papa propter credulitatem creditur esse excōmunicatus. igitur à tali credulitate saltem in secreto est vitandus. Quod autem non sit vitandus in publico propter talem credulitatem, videtur sic posse probari. nullus debet alium in publico tanquam hæreticum & excommunicatum vitare, nisi possit probari excommunicatus: vel nisi publica fama de excommunicatione eius possit probari excommunicatus. sed Papa propter talem præsumptionem solum neq; post potest probari excommunicatus: neq; potest probari fama quod est excommunicatus. ergo propter talem præsumptionem non est in publico vitandus. DISCIP. Potest esse, quod talis præsumptio sit publica vel etiam notoria. ergo fama est quod Papa est hæreticus: & per consequens fama est quod est excommunicatus. propter famam autem est aliquis tanquam excommunicatus, &c. etiam in publico deuitandus, *extra de sen. excom. cum consideres.* ergo propter talem præsumptionem debet Papa etiam in publico deuitari.

MAG. Respondetur, quod non propter solam præsumptionem talem, quæ non sufficit ad condemna-

condemnationem Papæ hæretici, quantumcunque publica sit, notoria potest haberi, quod Papa sit tanquam hæreticus publice diffamatus. aliter enim ex præsumptione nulla consurget infamia. & ideo propter tales præsumptiones solas non est Papa reputandus hæreticus vel excommunicatus.

DISCIP. Nonne lex dicit, ex leui causa probatur quis hæreticus? ergo propter præsumptionem probabilem est Papa reputandus hæreticus.

MAG. Ad hoc respondet Gloss. *extra de præsump. c. literas*, quod lex debet intelligi, quantum ad hoc, quod suspectus de hæresi habeatur: sed non vt condemnetur de hæresi. quod Innocent. tertius *cap. literas*, satis aperte insinuare videtur: *propter solam suspicionem quamuis vehementem nolumus eum de tam graui crimine* (scilicet hæresis) *condemnare*. Ex quibus verbis patet, quod non propter omnem præsumptionem est quis hæreticus reputandus, licet propter eam suspectus de hæresi habeatur.

DISCIP. Dixisti de præsumptione, quod non sufficit ad condemnandum eum de hæretica prauitate: nunc dic de alia. MAG. Dicitur, quod si est præsumptio tam violenta contra Papam, quod sufficeret ad condemnandum eum de hæretica prauitate, si fuerit in iudicio comprobata, credens propter talem præsumptionem Papam esse hæreticum, si potest eam probare in iudicio, tenetur Papam in publico tanquam hæreticum & excommunicatum vitare. DISCIP. Hoc videtur repugnare assertioni concilii generalis sub Innocent. tertio celebrati, quod, vt legitur *extra de hæreticis. cap. excommunica.* ait: *qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis qualitatem personæ propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur: ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur.* Ex quibus verbis colligitur, quod propter nullam præsumptionem seu suspicionem de hæretica prauitate est aliquis excommunicatus, licet sit excommunicandus. MAG. Ad hoc respondetur, quod verba præmissa concilii generalis intelligenda sunt de suspicione probabili, quæ non est adeo violenta, quod ad condemnationem sufficiat, non de illa quæ sufficit ad condemnationem. Quod non sit aliqua suspicio seu præsumptio, quæ ad condemnandum aliquem tanquam hæreticum sufficiat, & propter quam debeat hæreticus reputari, patet per verba, quæ immediate sequuntur verba præscripta, cum dicit concilium generale: *ita quod si per annum in excommunicatione perstiterit, ex tunc velut hæreticus condemnetur.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod est aliqua præsumptio, quæ sufficit ad condemnandum hæreticos: quia scil. ex hoc, quod aliquis in excommunicatione persistit per annum. propter suspicionem autem præcedentem de hæretica prauitate non habetur per certam scientiam, quod est hæreticus, sed solummodo præsumptiue.

CAP. XXI.

Vbi probatur septima conclusio supra c. 13. posita, scil. Quod quibuscunque criminosis & existentibus malæ famæ, si non declararent per legitima documenta aut manifesta indicia, Papam esse hæreticum, minime est credendum.

DISCIP. Postquam recitasti quem effectum debet habere credulitas hæretica per solam præsumptionem respectu Papæ: dic quem effectum debet habere respectu aliorum. MAG. Dicitur quod credentes propter solam præsumptionem Papam esse hæreticum, debent illis, qui Papam impugnant de prauitate hæretica, nisi constiterit eis legitimis documentis, quod calumniose vel malitiose procedunt, præbere defensionem, quam possunt, ac etiam consilium, auxilium & fauorem, & eos in nullo molestare. DISCIP. Hæc assertio mihi dependere videtur ex his, quæ dicta sunt *lib. 6. c. 33. vsque ad c. 55.* vbi allegasti quod impugnantes Papam hæreticum de hæretica prauitate sunt à catholicis defendendi. ideo circa primam noli insistere: sed circa septimam conclusionem *c. 13. istius septimi* recitatam. MAG. Septima conclusio est, quod quibuscunque criminosis & existentibus malæ famæ, si non declararent per legitima documenta aut manifesta indicia Papam esse hæreticum, minime est credendum. Hoc videtur posse probari sic. Nulli criminoso in quocunque negotio est credendum. igitur nec criminosis contra Papam est credendum de hæretica prauitate, si dictum suum nec per legitima documenta, nec per indicia manifesta probauerit. antecedens probari potest, vt videtur, per illa quæ dicta sunt *lib. 6. c. 79.* consequentia nullatenus probatione videtur indigere.

CAP. XXII.

In quo correspondenter etiam agitur de scriptis eorum, qui Papam hæreticum impugnant, & eum hæreticum esse nituntur conuincere, vtrum scil. talia sint videnda & prælegenda: & quod sic, probatur tribus rationibus.

DISCIP. Quantum ad opus istud mihi sufficiunt ea, quæ dicta sunt in genere, prædicto *c. 19. huius*. ideo ad materiam aliam annexam præcedentib. me conuerto. inquisiuimus enim supra, an imponentes Papæ hæretico perfidiam hæresis sint audiendi, & an eis fides debeat adhiberi. nunc autem interrogo, an scripta eorum, quæ perfidiam Papæ hæretici declarare nituntur, sint videnda, si in scripturis personam Papæ hæretici & doctrinam eius conati fuerint reprobare.

MAGIST.

MAGIST. Respondetur, quod scripta talium cum diligentia & studio sunt videnda. quia eisdem rationibus, quibus ostenditur, quod imponentes Papæ hæretico prauitatem hæreticam, debent audiri, videtur posse probari.

DISCIP. Allega rationes speciales, si quas habes.

MAG. Hoc videtur posse probari sic. magis legenda & videnda sunt scripta catholicorum hæreticam impugnantium prauitatem, quam scripta paganorum infidelium & hæreticorum, quæ catholicam reprobant veritatem. sed scripta paganorum & hæreticorum sunt legenda & videnda, non ad approbandum vel tenendum, sed ad reprobandum vel ad cõuincendum. ergo multo magis scripta perfidiam Papæ hæretici impugnantium & reprobantium sunt legenda & videnda. Maior probatione non indiget. Minor auctoritatibus manifestis videtur posse probari. Hieronymus enim, vt legitur dist. 37. cap. qui de mensa, ait: *qui de mensa & vino regis nolunt comedere ne polluantur, vtique si sapientiam atque doctrinam Babyloniorum scirent peccatum esse, nunquam acquiescerent discere, quod non licebat. discunt autem, non vt sequantur: sed vt iudicent & conuincant. quomodo si quispiam aduersus mathematicos velit describere imperitus matheseos risui pateat: & aduersus philosophos disputans, si ignorat documenta philosophorum. discant ergo ea mente documenta & doctrinam Chaldaicam, qua etiã Moyses omnem sapientiam Aegyptiorum didicerat.* Item Ambrosius, vt habetur *dist. prædicta, legimus,* ait: *legimus aliqua ne negligamur, legimus ne ignoremus, legimus non vt teneamus, sed vt repudiemus.* Ex quibus verbis patet, quod scripta philosophorum, paganorum & hæreticorum, & sunt legenda & videnda, non vt probentur, sed vt reprobentur. ergo multo magis scripta catholicorum declarantium perfidiam Papæ hæretici sunt legenda & videnda.

DISCIP. Hæc ratio non procederet, nisi constaret scribentes esse catholicos. quando autem non constaret eos esse catholicos, scripta eorum videnda non essent.

MAG. Nonnullis apparet, quod omnino hic deciperis. quia arguentes alios contra posuisse libros aduersus Papam & doctrinam eius aut reputant eos catholicos, aut hæreticos: aut dubitant nescientes an sint catholici vel hæretici. Si reputant eos catholicos, libros eorum non debent respuere, sed videre. si reputant eos hæreticos, libros eorum videre debent ad reprobandum errorem, & ad respondendum sophisticis argumentis eorum. exemplo sanctorum & Moysi & Danielis, qui libros infidelium perlegerunt. quomodo enim hæreticorum fallaciæ dissoluantur, nisi legantur? Si autem dubitant nescientes eos esse neque catholicos neque hæreticos, debent libros eorundem legere & videre, vt approbent, si sint catholici, vel reprobent, si fuerint hæretica labe respersi. DISCIP. Facias alias rationes.

MAG. Secunda ratio specialiter probat, quod ignorantes Papam esse hæreticum, scripta aliorum contra ipsum debent legere & videre. nam dubia de his maxime, quæ sunt necessaria ad salutem, sunt diligenter discutienda, teste apostolo primo ad Thessalon. *omnia autem probate, quod bonum est tenete.* vbi dicit, *probate.* Gloss. i. *ratione discutite, omnia probando incerta. certa ei non indigent discussione. & quod bonum est, id est, quod bonum inuenitur, tenete.* Ex quibus verbis colligitur, quod dubia, præsertim, si fidem & salutem tangant, sunt discutienda diligenter. sed illa quæ scribuntur contra Papam hæreticum, sunt necessaria ad salutem, quia spectant ad fidem, quæ est necessaria ad salutẽ. ergo nescientes an tales scribentes sint catholici vel hæretici, debent eorum scripta diligenter discutere & examinare. Tertia ratio est hęc. Illorum scripta sunt videnda, cum quibus est licitum disputare. quia per easdem rationes ore quis profert & scribit. quod autem debet audiri, debet etiam legi, si scribitur. Sed cum illis, qui dicunt & scribunt Papam esse hæreticum, licitum est disputare ad veritatem inueniendam. ergo & eorum scripta debent legi & videri.

CAP. XXIII.

Vbi consequenter agitur de illis, qui tali dicto vel scripto Papam, qui vere est hæreticus, impugnantibus minime credere vellent, aut certe eosdem audire recusarent; vtrum tales credentes Papæ hæretico sint censendi, & qua præterea plectendi.

DISCIP. Quia istæ rationes videntur mihi apparentiam aliqualem habere, reputo probabile, quod scripta catholicorum contra Papam hæreticum sunt nullatenus condemnanda, sed cõtra prædicta aliquæ obuiationes mihi occurrunt. nolo tamen hic eas tractare: sed inferius dabo tibi occasionem discutiendi eas. Ideo dic nunc breuiter, an illi, qui nolunt credere referentibus Papam esse hæreticum, quando in rei veritate esset hæreticus, & qui nolunt scripta catholicorum contra Papam hæreticum legere, nec videre, sunt inter damnabiliter credentes Papæ hæretico numerandi, & qua pœna sunt plectendi. MAG. Iuxta pertractata duas interrogationes proponis. ad quarum primam distinguendo respondetur, quod nolentium credere Papam esse hæreticum, quando esset hæreticus, quidam sunt qui damnabiliter nolunt hoc credere: vel quia nolunt de eius perfidia informari, vel quia licet sint informati, nolunt informationib. sufficientibus & fidem facientibus de perfidia Papæ hęretici adhibere fidem. quidam autem sunt vel esse possunt, qui absq; crimine nolunt credere Papam esse hæreticum; vtpote illi, per quos non stat, quin de perfidia Papæ hæretici informentur, & eisdem informationibus fidem facientibus de perfidia Papæ hæretici

tici credant & fidem adhibeant. Item damnabiliter recusantium credere Papam esse hæreticum, quidam sunt qui quamuis credant Papam esse hæreticum, in nullo possunt ei vel eius erroribus obuiare publice vel occulte: aliqui vero possent eius erroribus publice vel occulte obuiare. Dicitur ergo, quod nolentes credere informationibus rationabilibus facientibus fidem de perfidia Papæ hæretici, si possunt sibi vel eius erroribus obuiare, non solum credentes damnabiliter Papæ hæretico, sed etiam fautores eiusdem sunt censendi. Si vero in nullo possunt Papæ hæretico, nec eius erroribus obuiare, credentes & non fautores reputari debent. si vero aliqui sint, qui nolunt credere Papam esse hæreticum, quia non sunt de eius perfidia informati, nec per eos stat quod non informentur: nec fautores nec damnabiliter credentes Papæ hæretico sunt censendi.

DISCIP. Intelligo responsionem istorum quantum ad hoc. ideo dic, qua pœna illi qui damnabiliter renuunt credere Papam esse hæreticum sunt plectendi.

MAG. Ad hoc patet responsio per illa, quæ dicta sunt hic & superius. cap. 2. quia, vt dictum est ibi, tales sunt damnabiliter credentes. ibi autem dictum est, quod credentes sunt excommunicationis sententia innodati. igitur qui damnabiliter renuunt credere Papam esse hæreticum, sunt excommunicationis sententia & vinculo allegati.

DISCIP. Dic ad secundam interrogationem.

MAGIST. Ad ipsam respondetur, quod illi qui damnabiliter renuunt legere vel videre aut audire scripta catholicorum contra Papam hæreticum, si possunt obuiare Papæ hæretico vel eius erroribus, non solum credentes, sed etiam fautores eiusdem sunt habendi. si autem obuiare non possunt, solummodo credentes sunt putandi. & tam illi quam hi excommunicationis sententia sunt ligati. DISCIP. Nunquid quę dicta sunt prius secundum ista debent intelligi? MAG. Liquet quod grauius peccent illi qui credunt Papæ hæretico, quam aliis, eo quod Papa hæreticus est magis nociuus & magis periculosus quam alii hæretici.

CAP. XXIV.

Soluit rationem primam factam supra c. 12. probantem quod impugnantibus Papam hæreticum non sit credendum, notatur etiam ibidem de detractoribus: & quomodo vel quando malum de aliquo dictum sit credendum vel non credendum.

DISCIP. Propter illa, quæ in hoc loco dicta sunt, hic esset locus quærendi de fautoribus hæreticorum. sed antequam inquiram de his peto vt respondeas ad rationes supra c. 12. allegatas, quibus ostenditur, quod volentibus declarare perfidiam Papæ hæretici minime est credendum. puto enim, quod per responsiones, quas narrabis, siue aliquæ earum sint rationabiles siue irrationabiles, totam materiam de credentibus hæreticis clarius & magis profunde intelligam.

MAG. Ad primam dicitur, quod sacra pagina minime reprehendit omnes adhibentes fidem narrantib. aliquid sinistrum de aliquo, sed eum qui cito credit narrantib. mala de alio sacra pagina reprehendit, propter quod scribitur, quod qui cito credit, leuis est corde. Ad cuius euidentiam dicitur esse sciendum: quod non ideo dicitur aliquis damnabiliter cito credere, quia statim credit, quando aliquid siue bonum siue malum narratur de alio. nam & Dauid, vt legitur 2. Reg. 3. vt audiuit, Ioab interfecisse Abner, credidit, nec tamen in hoc peccauit. sed qui credit cito malum de proximo, leuis corde est. & si malum quod cito credit de proximo est peccatum mortale, credendo cito mortaliter peccat. Est ergo videndum, quis credit cito malum de proximo, & quis non credit cito. Dicitur igitur quod aliquis potest credere malum de aliquo dupliciter. quia vel credit malum de aliquo, quod ipsemet percipit de ipso, vel solummodo ex relatione seu narratione aliorum. Si autem aliquis credit malum de aliquo ex aliquo, quod ipsemet percipit de ipso, hoc potest esse dupliciter. aut illud potest fieri bene & male, aut tantummodo male. Si potest fieri bene & male: ergo vt communiter illud non fit, nisi male (licet in casu singulari & speciali & raro posset fieri bene.) Aut frequenter fit bene & frequenter fit male. sicut frequenter homines cum mulieribus bona intentione loquuntur: Sæpe etiam bona intentione visitant eas, & dant munera ipsis, ac diuersa solacia habent cũ eis: & sæpe cum eis mala intentione talia fiunt. si in hoc casu vel consimili aliquis credat peccatum mortale de alio, peccat mortaliter, quod est iudicium temerarium contra charitatem, quam habere debet ad proximum, quia illa quæ possunt fieri bene & male, in meliorem partem interpretari debemus, sicut dicit Beda, vt habetur *extra de regulis iuris, estote.* Si autem illud, ex quo quis credit malum de alio, est tale quod vt communiter fit male: raro autem vel nunquam fit bene, licet posset fieri bene, sic non peccat quis suspicando malum de alio. peccat tamen firmiter credendo malum de ipso. & multo magis peccat credendo malum grauius, quam sit illud, quod videt de alio: maxime si illud malum, quod credit de alio, est aliquod enorme excedens peccata, quæ ab hominibus communiter fiunt. sicut si quis videns aliquem multum iratum contra alium, crederet quod ille iratus intenderet eundem occidere, multo magis peccaret, quam solummodo credendo iram, quam videt esse peccatum mortale. & tamen credendo ipsum ex hoc solo, quod irascitur, peccare mortaliter (si iratus vltra non procedat) peccat mortaliter. Potest enim quis irasci multum & interesse contra alium zelo iustitiæ & intentione bona absque peccato mortali, & quandoque venialiter solum. veruntamen suspicando vel dubitando talem iram esse peccatum mortale

mortale in ipso non est peccatum mortale. Si etiam ex illis quæ habent aliquam speciem mali, quæ tamen possunt in casu fieri absque peccato mortali, quis credat aliud peccatum graue committere, peccat grauiter. & de hoc videtur poni exemplum. 34. dist. c. 1. vbi Nico. Papa scribens Aldino Archiepiscopo de immoderata familiaritate, quam habuit quidam Episcopus cum filia sua, noluit credere, quod idem Episcopus carnaliter peccauerat cum filia sua eadem, licet illa immoderata familiaritas habuit speciem mali, sed vult propter scandalum, quod eadem familiaritatem dimittat, scribens in hæc verba: Nicolaus, &c. relatum est apostolatui nostro de hoc Episcopo, quod cum quadam filia sua immoderatam tenuit familiaritatem. & ob illud mala fama orta sit ei: pro qua re à sanctitate tua cæterisque coepiscopis tuis ammonitus correctusque est: sed nullatenus emendatus. quæ res in hoc maxime displicet, & magis ac magis de se reddit opinionem deteriorẽ, quo beatitudini tuæ & coepiscoporum tuorum rationibus non obedit, & per inobedientiam in culpam prothoplausti relabitur. oportet igitur fraternitatem tuam synodale cũ Episcopis & suffraganeis tuis conuocare consilium, & salutarib. eloquiis Episcopum conuenire, atq; illi pastorali auctoritate præcipere, quatenus ab omnium bestiarum vel volucrum venatione penitus alienus existat, atq; ab immoderata filiæ suæ familiaritate se omnino cohibeat. quod si parere contempserit, & tam pro venationis inclinatione quam pro immoderata filiæ suæ conuersatione vitanda vobis ammonentib. obedire distulerit, à vestro collegio excommunicatus abscedat. quod si in hoc contumax apparuerit, à ministerio cessare debebit. Ex his verbis colligitur, quod Episcopus immoderatam familiaritatem habuit cum filia sua. & qualis fuit illa immoderata familiaritas, Glossa super verbo *fama* exprimit dicens: coram omnib. eam deosculabatur & ponebat manum in gremio eius. quod spem mali videtur habere, quia vt communiter osculum mulieris nimium iteratum & positio manus in gremium siue sinum ex immundo corde procedit, & cor impudicum prætendit, & tamen ex tali specie mali noluit nihilominus Nicol. Papa non solum credere, sed nec etiam suspicari, quod idem Episcopus in lapsum carnis inciderit, & etiam noluit quod ei indiceretur purgatio, non obstante mala fama ex hoc orta de ipso, testante Glossa, quæ ibidem ait: *non quod aliquid in ipso æstimaretur propter fœdus naturale, sed quia coram omnibus eam nimis osculabatur & ponebat manum in gremium eius, & ideo non fuit ei indicta purgatio.*

DISCIP. Quare non fuit ei indicta purgatio, ex quo extitit diffamatus, teste Nicolão, qui in verbis præmissis dicit, ob illud mala fama orta est ei?

MAG. Respondetur, quod purgatio non debet diffamato indici, nisi quando de crimine diffamatur. iste autem Episcopus de crimine, puta de lapsu criminis, minime extitit diffamatus: sed erat tantumodo diffamatus de imoderata familiaritate filiæ suæ, quæ quamuis fuerit imoderata, & vt comuniter imoderata familiaritas mulieris sit cum peccato mortali: tamen talis imoderatio potest carere peccato mortali: quia non omnis immoderatio est peccatum mortale. ideo iste Episcopus non fuit de crimine diffamatus. quare sibi non debuit indici purgatio: sed debuit ammoneri, quia etiam de venialibus ammonitio fieri potest.

DISCIP. Vnde accidit, quod aliquis credit malum de alio, ex illo quod frequenter fit bene & male, & ex illo quod habet spem mali & frequenter fit male, & nunquam vel raro bene.

MAG. Respondetur, quod vt communiter hoc prouenit ex duobus, ex hoc videl. quod taliter credentes malum de alio consimilibus criminib. publice vel occulte aut voluntate sunt infecti: & ideo iudicant de aliis, sicut sentiunt de seipsis. & quia credunt alios esse tales in actibus exterioribus etiam indifferentibus, quales sciunt esse seipsos publice vel occulte, aut secundum voluntatem & desiderium cordis. vnde sunt quidam, qui omnes suspiciosos & cito credentes crimina quæcunque de proximo reputant actu vel voluntate eisdem criminibus irretitos. prouenit etiam talis credulitas mala ex inimicitia vel odio aut ira, quam habent sic credentes ad illos, quos credunt esse malos: quia vnusquisq; malus cito credit malum de illo, quem odit.

DISCIP. Dic de credente aliquem esse malum ex aliquo, quod non potest fieri nisi male.

MAGIST. Dicitur quod qui credit aliquem esse malum, quia percipit per seipsum aliquid de eo, quod non potest fieri nisi tantummodo male: non peccat ex hoc quod credit malum de ipso. quia propter illa, quæ non possunt fieri bene, licitum est cuilibet iudicare & reputare malum illum qui facit. hæc est sententia Bedæ, vt habetur extra de regulis iur. estote. qui ait: quod scriptum est; Ex fructibus eorum cognoscetis eos, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, vt stuprum, blasphemia, furtũ, hæresis, & similia, de quibus nobis permittitur iudicare. Ex quibus verbis colligitur, quod propter illa, quæ non possunt fieri bene, licet credere aliquem esse malum.

DISCIP. Dic de isto, qui credit malum de alio solummodo propter relationem vel narrationem alicuius vel aliquorum.

MAG. De hoc, scilicet quando quis debeat credere malum de aliquo propter relationem vel narrationem alicuius vel aliquorum, & quando non debet, difficile vel impossibile est dare regulam generalem, quæ in nullo casu deficiat. quia aliquando credendum est extra iudicium dicto vnius: aliquando non est credendum dicto vnius etiam extra iudicium: aliquando credendum est dicto multorum, & aliquando non: quandoque etiam credendum est famæ, & quandoq; non est credendum famæ: interdum etiam credendum est præsumptionibus, quæ narrantur &

interdum illis minime est credendum. ista omnia, vt nonnullis apparet, per rationes apertas, exempla & iura possent copiose probari: sed propter prolixitatem vitandam videtur non esse insistendum. dicitur igitur, quod quemadmodum, vt habetur extra de testibus. c. præterea, iudex circumspectus & discretus debet formare motum animi sui ex argumentis & testimoniis, quæ rei aptiora esse compererit, ita etiam vnusquisq; audiens extra iudicium referentes malum de aliquo ad hoc, quod credat vel non credat, sæpe ex multis conscientiam suam formare tenetur: quia sæpe extra iudicium sicut in iudicio ad faciendum fidem de malo alterius, & si non possunt singula, tamen multa collecta simul iuuant.

DISCIP. Applica prædicta ad propositum.

MAGIST. Secundum ista dicitur aliquis cito credere malum de proximo, qui ex his solummodo, quæ possunt fieri bene & male, credunt ipsum esse malum. qui autem credunt ipsum esse malum ex his, quæ nunquam bono animo fieri possunt, non cito credunt. Iterum qui ex his, quæ possunt fieri bene & male & aliis multis concurrentibus simul, ex quibus simul potest quis licite informare conscientiam suam de malo proximi, non cito credit eum esse malum. Item si ex sola relatione malorum inimicorum aduersariorum causam habentium contra aliquem absq; aliis amminiculis quis ipsum credit esse malum, cito credit. qui autem credit ex relatione virorum fideliũ, præsertim sub iuramento asserentium per certam scientiam malum de proximo etiam extra iudicium, nõ cito credit. Iterum qui ex relatione malorum vel inimicorum aliis concurrentib. indiciis & amminiculis, quæ simul iuncta faciunt fidem credit, non cito credit. DISCIP. Satis apparet, ꝙ non est facile dare regulam generalem, qua cognoscatur, quando quis credit cito vel non credit cito extra iudicium, quia alio modo dicitur vnus credere cito in vno casu, & alio modo idem vel alter in alio casu. hoc generali omisso, dic alias vias secundum istos, quib. in speciali cognoscitur, quod credens Papam esse hæreticum credit cito vel non cito.

MAGIST. De hoc dicitur, quod videns Bullam hæreticalem Papæ & videns Papam esse hæreticum, non credit cito, nec peccat in aliquo, imo peccaret, si hæreticum eum non credit, quia scire tenetur, quod quamuis non omnis errans contra fidem sit hæreticus, tamen errans contra fidem & suum errorem solenniter vltimata deliberatione diffiniens, hæreticus est. Item videns transsumptum bullæ hæreticalis, & cognoscens quod est transsumptum bullæ, ac credens in ipso hæresim diffiniri; & ex hoc credens Papam esse hæreticum, non cito credit, imo credere tenetur de necessitate salutis: sicut credere tenetur, si videret bullam talis Papæ hæretici. Iterum si quis audit alios, qui hactenus bonæ famæ sunt, publice & constanter asserere, & paratos iurare, Papam hæresim manifestam, quam in speciali exponunt & exprimunt, solenniter diffinisse, quamuis neque bullam hæreticalem neq; transsumptum ostenderent, & ex hoc credens Papam esse hæreticum, non cito credit nec peccat credendo. Item audiens Papam publice ex determinata hæresi diffamari: nec Papa negat se illam docere, nec purgat in aliquo famam suam, non cito credit, si credit ipsum esse hæreticum. Item audiens à fide dignis Papam publice prædicare hæreses manifestas, & quod tenentibus, docentibus, prædicantibus & diuulgantibus ipsas fouet & eos diligit, promouet & honorat: tenentes autem contrarias veritates odit, persequitur & molestat, non credit cito, si credit ipsum Papam esse hæreticum. Item sciens quod Papæ à viris literatis hactenus prouidis & discretis reputatis hæreses manifestæ imponuntur, qui etiam petunt cum instantia fieri concilium generale: si Papa impedit celebrari concilium generale, nec suam declarat innocentiam de impositis criminibus manifestis, non cito credit, si ipsum credit esse hæreticum. qui autem videns in bulla Papæ assertionem aliam contineri, quæ sensum hæreticum potest habere: & nec ex antecedentibus, nec ex sequentibus, nec ex aliis dictis vel scriptis talis Papæ potest patenter inferri, quod sensus hæreticus de mente Papæ est, cito credit & peccat mortaliter, si sic credit eum esse hæreticum; quia maliciose peruertit assertionem Papæ. & idem est tenendum de assertionibus & opinionibus aliorum. Item qui videt aliquod scriptum Papæ, in quo nihil diffinitiue tanquam Papa determinat, sed tanquam priuata persona de diuersis tractandis docet & inquirit. & in eodem scripto hæresim reperit manifestam, cuius contrariam veritatem non tenetur Papa explicite credere; si propter talem hæresim credit Papam esse hæreticum, cito credit, licet non cito credat credendo ipsum errare. Si autem in scripto Papæ quæ reperiat hæresim manifestam, cuius contrarium tenetur credere explicite, & non solummodo recitatam, sed assertam aut opinatam vel etiam dubitatam, non credit cito, si credit Papam hæreticum ante dictum. vnde si quis legeret in libro, sermone seu scripto Papæ quocunque, quod Christus non fuit mortuus: quod non ascendit in cœlum: aut quod mortui non resurgent: quod non est infernus, vel aliquod tale, cuius contrarium Papa tenetur explicite credere, non crederet cito, qui statim crederet Papam esse hæreticum, postquam sibi constaret tale scriptum esse Papæ. Item, qui videns solummodo aliquas reportationes sermonum vel determinationum aut assertionum Papæ, in quibus hæresis, de qua non est mentio principalis, asseritur, si credit Papam esse hæreticum, cito credit & peccat mortaliter. si vero audit à fide dignis talem hæresim esse de mente Papæ, & quod est veraciter reportata & non ex errore, non credit cito, si credit Papam esse hæreticum. Item, qui audit aliquos criminosos, pestilentes, inimicos Papæ, leues, vel detractores conspirantes malum de aliis credentes faciliter referentes Papam esse hæreticum, cito credit, licet in rei veritate esset hæreticus. talibus enim nunquam in præiudicium alterius est credendum.

DISCIP.

DISCIP. Videtur quod credendum sit eis, quia non est verisimile, quod aliquis sit immemor tam sanitatis corporalis, quam spiritualis. sed tales si mendaciter Papam de hæresi diffamarent, essent in periculo tam corporis quam animæ, quia & damnabiliter mentirentur, & Papa de eis grauissimam sumeret vltionem.

MAGIST. Distinguitur de hoc: quia aut tales criminosi, pestilentes & huiusmodi solummodo in occulto diffamant Papam de hæretica prauitate, aut publice in speciali sibi imponunt hæreses manifestas, offerentes se probaturos Papam esse hæreticum, & tamen petentes iustitiam in primo casu non esset eis credendum. & qui eis credit, cito credit: nec etiam propter eorum verba in occulto est aliquo modo suspicandum vel præsumendum Papam esse hæreticum, quia verba in tali occulto non debent facere fidem, sed debent esse suspecta, vt nequaquam in præiudicium cuiuscunque credatur eisdem In secundo vero casu, licet talibus minime sit credendum, propter eos tamen licet suspicari Papam esse hæreticum, & dubitare de fidelitate eius in tantum quod quilibet quantum sibi licet pro gradu suo & officio tenetur de hoc quærere sollicite veritatem.

CAP. XXV.

Pertractat vnam difficultatem, scilicet an propter relationem detrahentium maior sit suspicio de aliquo habenda, vbi etiam notantur quædam valde necessaria de mendacio.

DISCIP. Aliqualiter distinguendo interrogo, an propter verba criminosorum & detractorum & huiusmodi pestilentium publice hæresim siue aliud crimen de aliquo asserentium maior suspicio sit habenda de Papa siue de alio prælato vel subdito diuite & potente vel paupere.

MAG. Ad hoc dicitur distinguendo, quod aut imponentes vel referentes crimen de alio sunt læsi, turbati vel prouocati qualitercunque ab eo, cui crimen imponunt, siue etiam sunt æmuli, inimici, aduersarii vel quocunque modo siue in agibilibus siue in speculabilibus notabiliter contrariantes eidem, siue in causa amici sui subditi prælati vel quomodolibet talibus adhærentes aut imponentes vel etiam referentes crimen de alio non sunt læsi. nec per aliquod factum aut dictum eius vel amicorum eius sunt prouocati contra ipsum, nec aliquam intentionem notabilem siue contrarietatem neque in speculabilibus neque in agibilibus habent contra ipsum. Si itaque aliqui diffamant vel imponunt siue referunt crimen de paupere amico secundum veritatem secundum opinionem ipsorum læsi vel quomodolibet perturbati contra ipsum: vel sunt inimici æmuli, aduersarii, perturbati vel aliquo modo contrariantes eidem, minus credendum est eis, quam si imponerent vel referrent crimen de Papa etiam dictis modis Papæ æmuli existentes, siue non. similiter si referentes crimen de Papa & de paupere nec ab vno nec ab alio sunt offensi: nec aliquam rationem contrarietatis vel inimicitiæ plus habent supra vnum quam supra alium, magis præsumendum est de referentibus crimen Papæ quam pauperis quod minime mentiantur. si vero referentes crimen de paupere contra ipsum nullam rationem contrarietatis vel inimicitiæ habet contra Papam, quem simpliciter infamant, habent rationem contrarietatis prædictæ; magis præsumédum est tunc de crimine pauperis quam de crimine Papæ. quod à veritate nequaquam aberrant, nec eidem proportionabiliter esse credendum, dicitur de omnibus supradictis, scilicet prælato & subdito & paupere.

DISCIP. Primum probare breuiter coneris.

MAG. Primum scil. quod minus credendum est aduersariis, qui erga pauperem sunt offensi vel turbati, quam aduersariis Papæ. Probatur primo sic. Tanto minus credendum est aduersariis alicuius imponentibus siue referentibus crimen de eo, quanto habent pauciora ipsos retrahentia à talibus diffamationib. & relationib. de ipso. sed aduersarii pauperis sunt huiusmodi: quia quicquid retraheret aduersarium pauperis à talibus, etiam retraheret aduersarium Papæ. si enim ex conscientia dimittit aduersarius pauperis referre talia de paupere: hoc etiam dimitteret aduersarius Papæ de Papa. si etiam dimittit ne inueniatur mendax, eadem ratione ne mendax inueniatur de Papa. si etiam dimittit ne scandaliset vel offendat: multo magis ex hoc silebit de Papa. & sic consimiliter quicquid tales retraheret à referendo malum de paupere, retraheret aduersarium Papæ ad referendum malum de Papa. multa vero retrahunt aduersarium Papæ à referendo malum de Papa quæ non retrahunt aduersarium pauperis à referendo de paupere: puta timor potentiæ Papæ. vnde per experientiam quotidianam videtur, quod nonnulli aduersarii Papæ timore potentiæ Papæ à relatione criminum eius se compescunt: qui tamen contra pauperes eis crimen imponendo vel imposita referendo linguas suas laxare impudenter non desinunt. similiter spes obtinendi beneficium vel honorem à Papa potest retrahere aduersarium eius à prædictis relationibus: non autem aduersarium pauperis, à quo beneficium vel honorem magnum sperare non potest. plura etiam alia retraherent & retrahunt aduersarium Papæ, quæ nequaquam aduersarium pauperis retrahere dinoscuntur. ergo minus credendum est aduersariis pauperis imponentibus sibi crimen vel impositum referentibus, quam aduersario Papæ sibi eadem facientibus.

Secundo sic. minus credendum est aduersariis eorum, qui citius & facilius & communius calumniam

lumniam, odium, persecutionem & infestationem aliorum incurrunt, quantum ad opus exterius, quam aduersarius illius, qui non ita cito, nec ita faciliter calumniam, odium & cætera incurrit. sed huiusmodi est pauper respectu Papæ. ergo minus aduersariis eius in talibus est credendum. Maior est manifesta: quia homines facilius maxime loquuntur de illis, quos calumniantur, persequuntur & odiunt, quam de aliis. Propter quod secundum iura testimonium inimici nullatenus est admittendum. Minor autem per scripturas diuinas probatur aperte. vnde Prouerb. c. 14. dicitur: *etiam proximo suo pauper odiosus erit, amici vero diuitum multi.* quod præcipue verum est de odio exteriori: quia licet sæpe diuites odium interius plurimum incurrant, quam pauperes, pro eo quod plures offendunt, sæpe tamen odientes diuites odium in exteriori opere minime manifestant. Item Salomon ibidem c. 4. *Diuitiæ addunt amicos plurimos: à paupere autem & hi quos habuit separantur.* & post: *multi colunt personam diuitis & amici sunt donum tribuentis: fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici lōge recesserunt ab eo.* Ex quibus patet, quod pauperes citius quam diuites odium incurrunt. Item Ecclesiastici 13. scribitur: *diues locutus est & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent: pauper locutus est, & dicunt, quis est hic? & si offenderit, subuertunt illum.* Item ibidem: *Diues commotus confirmatur ab amicis suis, humilis autem cum ceciderit expelletur & à notis. diuiti decepto multi recuperatores, locutus est superba, & iustificauerunt illum; humilis deceptus est, insuper & arguitur, locutus est sensate & non est ei datus locus.* Et Amos 4. sic scribitur: *Vaccæ pingues, qui estis in monte Samariæ, qui calumniam facitis egenis, & confunditis pauperes.* Ex quibus aliisque verbis quamplurimis aperte colligitur, quod pauperes cōmunius persecutionem, infestationem & calumniam patiuntur, quam diuites & potentes: & ideo minus credendum est aduersariis eorum, quam diuitum de ipsis sinistra narrantibus. magis igitur præsumendum de aduersariis Papæ, cum publice crimen hæresis vel aliquid sibi imponunt, quod dictum eorum non est à veritate totaliter alienum, quamuis si sint criminosi, eis sit fides nullatenus adhibenda, & multo minus crederet pauperibus crimen imponentibus, aut ab aliis impositum narrantibus vel diuulgantibus quoquo modo, quod maxime continet veritatem, quando pauper multos offendit & plurimos habet aduersarios diuites & potentes. In hoc enim casu scelerationr homo mundi vnico verbo potest de paupere infamiam falsissimā absq; diuino miraculo indelibilem sustinere. si enim mendacissimus crimen quodcunq; de paupere odioso confinxerit, & vni soli asserendo retulit, ille aliis dimulgabit, dicens, tale crimen tali imponitur, quod postea alii certissime narrabunt: & sic tale mendacium tanquam verum & certum ad omnes eius inimicos deueniet, & amicos tandem non latebit: & sic erit apud omnes (quamuis mendaciter) diffamatus. quare causa pauperis odiosi est diligentissime & strictissime perscrutanda, ne per potentiam & mendacia opprimatur.

DISCIP. Nunquid peccant mortaliter, qui conficta mendacia absque assertione solummodo recitando publicant & dimulgant.

MAG. Respondetur, quod peccant omnes tales mortaliter.

DISCIP. Istud videtur durum, cum videamus fere omnes relata crimina etiam non probata aliis narrare. Quod etiam hoc non sit peccatum mortale, videtur posse probari. quia relatio criminis, pro qua nullum damnum neq; in persona neq; in bonis temporalibus neq; in fama incurritur, non videtur peccatum mortale. sed sæpe crimina referuntur absque prædictis damnis illius de quo referuntur. ergo talis relatio non est semper peccatum mortale.

MAGIST. Ad primum istorum concedo, quod fere omnes adulti detractionis vitio quod est peccatum mortale sunt impliciti. quod Gloss. super illud Prouerb. 24. (cum detractoribus non commiscearis) testari videtur dicens: *Hoc sæpe vitio periclitatur pene genus humanum. vnde quamplurimi reperiuntur qui reputant se sanctos & sine peccato mortali: & tamen decies aliquandò vnā die aliis detrahendo & relata crimina enarrando, peccant mortaliter.*

DISCIP. Et quo ignorant grauitatem relationis criminum, quæ minime sunt probata, excusari videntur.

MAG. Respondetur quod ignorantia iuris, præcipue naturalis, non excusat: & ideo quamuis ignorent grauitatem criminis huius, non sunt excusati: quia de iure naturali est, quod nemo debet referre crimen de alio, nisi notorium vel confessum vel manifeste probatum, nisi constaret certitudinaliter, vel saltem probabiliter, quod ex tali relatione criminis ille, de quo refertur, nunquam imperpetuum iacturam in honore vel aliquo alio esset passurus. ignorantia ergo huius non excusat, quæ tamen in multis minime reperitur: quia multi legunt in scripturis grauitatem detractionis & à prædicantibus & docentibus verbum Dei: & tamen se ab huiusmodi vitio non compescunt. & ideo conceditur, quod sæpe omnes adulti hoc vitio damnabiliter sunt infecti. & sæpe magis ac grauius isto vitio laborant, qui sanctiores cupiunt reputari, vt de multis qui rarò vel nunquam reputant se peccare mortaliter vel volunt absq; peccato mortali censeri, & pro sanctis haberi, ita vt liceat viris sanctis & discretis iudicare, asserere & sentire, quod sæpissime peccant mortaliter & quod sunt homines malæ & reprobæ vitæ. Sicut enim licet ei, qui videt alium furari vel percutere innocentem aut etiam fornicari, aut audiuit alium blasphemare & fidem negare: licet absq; vitio iudicare quod furans, percutiens, fornicans, blasphemans, & fidem negans peccat mortaliter: ita ei qui audierit alium crimen falsum vel occultum, quod non est notorium neq; confessum, neq; potest aperte probari de proximo referētem, licet absq; vitio iudicare, quod peccat mortaliter cuiuscunque dignitatis, præeminentiæ, conditionis, status, opinionis aut famæ est. sic referens antedictus, etiam

etiam si putaretur quod Deus nulla miracula fecisset pro eo, nisi tali modo referret crimen alterius falsum vel occultum, quod certitudinaliter vel saltem probabiliter crederetur, quod talis relatio nunquam deberet obesse, neque in fama neque in alio modo ei, de quo tale crimen refertur.

DISCIP. Si ista essent vera, pauci his diebus saluarentur.

MAG. Respondetur, quod his diebus verificata est auctoritas Salomonis, qui Ecclesiastici primo ait: *Stultorum infinitus est numerus*; quanquam principalissime intelligendam nonnulli putant de illis, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, quales præcipue arbitrantur illos, qui iuxta testimonium Saluatoris *colantes culicem camelum deglutiunt, qui similes sunt sepulchris dealbatis, qui à foris quidem apparent hominibus iusti, intus autem pleni sunt hypocrisi & iniquitate.* quia foris & in incessu, veste, ieiuniis, orationibus & ceremoniis diuersa exempla sanctitatis ostendunt: intus autem pleni sunt inuidia, odio, ira, rancore, superbia, inani gloria & ambitione, ex quibus in persecutionem innocentium, detractiones, susurrationes, adulationes, simulationes, schismata, contentiones, & discordias, dolos, proditiones, variaque crimina spiritualia deteriora furto & fornicatione prorumpunt, qui tamen sancti volunt omnino putari.

DISCIP. De hac materia in speciali interrogabo te plura in tractatu *De gestis circa fidem altercantium orthodoxam.* ideo dic breuiter, quomodo respondetur ad secundum, quod tetigi.

MAG. Respondetur quod sicut *extra de iniuriis & damno. c. vlt.* qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur: sic qui aliquid facit, ex quo potest verisimiliter damnum contingere vel iactura, non est immunis à culpa, quia quilibet de necessitate salutis cauere tenetur, ne aliquid faciat maxime absque commodo proposito, ex quo potest damnum vel iactura proximo prouenire. propter hoc enim in lege diuina præcipiebatur, quod fodiens cisternam operiret eam, sicut habetur *Exod.* 21. quia ipsa operta non poterat bos vel asinus in eam cadere. propter hoc etiam, vt habetur ibidem, præcipitur, vt dominus bouis quem sciret cornupetam recluderet eum, quia ipso non recluso poterat hominem vel mulierem occidere. vnde & in hoc casu dominus non recludens ipsum, si aliquem occidebat, præcipitur occidi, cum sic legitur ibidem: *si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius, & contestati sunt dominum eius, nec recluserit eum dominus: occideritque virum, aut mulierem, & bos lapidibus obruetur, & dominum eius occident.* & ob eandem rationem cauebatur in lege, vt faciens nouam domum faceret murum tecti per circuitum. vnde Deutro. 22. sic legitur: *Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio & in praeceps ruente.* Ex quibus aperte colligitur, quod quilibet de necessitate salutis ea tenetur facere, quibus omissis potest damnum verisimiliter vel iactura proximo prouenire. ergo per eandem rationem quilibet de necessitate salutis tenetur ea omittere, quibus non omissis, sed factis, potest verisimiliter proximus damnum vel notabilem læsionem incurrere. sed ex relatione falsi criminis vel occulti maxime publica, potest verisimiliter damnum in fama vel honore siue aliis proximo prouenire, si licet forte tunc, quando refertur, nullum tale inferatur. quia aliquis eorum, qui audierit à primo referente, potest postea idem crimen in notabile detrimentum alterius enarrare. quare à remotione criminis talis de necessitate salutis quilibet abstinere tenetur, nisi forte ex leuibus & probabilibus coniecturis & vrgentibus arbitretur, quod nunquam in posterum nec ex ipso nec ex aliquo audientium ex occasione talis relationis aliquod eueniet detrimentum.

DISCIP. Circa hanc materiam magis quam proposuerim euagati sumus. ideo cæteris prætermissis vnam solummodo obiectionem contra primam conclusionem principalem peto secundum opinionem prædictam dissolui. Est autem obiectio talis. minus credendum est referentibus crimen de illo ad cuius condemnationem est cum cautela & diligentia procedēdum, quam referentibus crimen de illo ad cuius condemnationem non oportet cum tanta cautela procedere. sed cum maiori cautela procedendum est ad condemnationem Papæ & Prælatorum ac diuitum & potentum, quam subditorum & pauperum. ergo minus credendum est referentibus crimen de Papa potentibus & diuitibus & prælatis, quam referentibus de pauperibus & subditis, siue referentes fuerint criminosi & infames, siue fuerint bonæ famæ. Maior videtur aperta. Minor auctoritate Innocentii tertii probatur, quæ ponitur extra de accusationibus. cap. qualiter, secundo, ait: licet autem hoc sit obseruandum in subiectis, diligentius tamen obseruandum est in prælatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam, & quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnunquam ligare, frequenter odium multorum incurrunt & insidias patiuntur. & ideo sancti patres prouide statuerunt, vt ne accusatio prælatorum facile admittatur, ne concussis columnis corruat ædificium, nisi diligens adhibeatur cautela. propter quam non solum falsæ, sed maligne criminum impositioni ianua percludatur. Ex quibus colligitur, vt videtur, quod in procedendo contra prælatos, maior est adhibenda cautela, quam contra alios procedendo. quare minus credendum est, pro referentibus crimen de Papa, quam referentibus crimen de aliis quibuscunque.

MAG. Ad hoc respondetur, quod Innocentius in decretali prædicta considerauit ea, quæ frequentius accidunt, non ea quæ raro. & ideo quia sæpius accidit quod prælati multos offendunt. pauperes autem quia timent sibi, cauent ab offensis: & ideo tot nec tam potentes offendunt, sicut prælati. hinc vt frequenter de facto maior cautela adhibenda est, cum prælatus accusatur, defertur, denunciatur vel diffamatur, quam cum pauper. si tamen de facto pauper abie-

ctus

ctus & oppressus offenderet, tot & tam potentes & tam grauiter, sicut prælatus, maior cautela adhibenda esset, quando talis pauper diffamaretur vel etiam accusaretur ab æmulis vel prouocatis contra ipsum aut ab inimicis eorum, quam si prælatus diues & potens accusaretur vel diffamaretur à talibus. quemadmodum si aliquis omni auxilio destitutus impugnaretur iniuste ab æmulis æque potentibus, magis iuuandus esset quam diues & potens, quia per potentiam posset ab impugnantibus se tueri. si enim rex vel princeps tam pauperem rusticum quam Comitem diuitem potentem contra aduersarios æque potentes debeat defensare: necesse est quod maius auxilium pauperi quam Comiti potenti exhibeat. sic si pauper tot & tantos vel plures vel potentes habeat æmulos ipsum grauiter diffamantes vel quantumlibet impedientes, quapropter maiori auxilio indiget quam Papa. & ideo minus credendum est talibus æmulis pauperis, quam æqualibus vel minoribus æmulis Papæ.

CAP. XXVI.

Vbi soluuntur duæ aliæ rationes supra cap. 12. positæ, probantes quod talibus impugnantibus non sit credendum, vbi etiam notatur, quomodo & quando mala siue bona de aliquo narrata sint credenda.

DISCIP. De ista materia & annexis eidem puto quod scires quamplurima recitare, quæ ad tractatum *De gestis circa fidem altercantium orthodoxam* volo differri. ideo dic, quomodo respondetur ad rationes alias, quibus supra *cap.* 12. videtur ostendi, quod volentibus perfidiam Papæ hæretici declarare fides non debeat adhiberi.

MAG. Ad secundam rationem adductam ibidem respondetur, quod sæpe neque bona narrata de aliquo neque mala sunt credenda. quando enim nescitur, vnde vel à quibus fama siue bona siue mala habeat ortum, non est famæ credendum, neque bonæ neque malæ. similiter quando scitur, quod fama bona vel mala orta est ab inimicis, criminosis, maliuolis, maledicis, vel ab his qui faciliter credunt, vel rumores incertos libenter narrant & asserunt, vel à mendacibus & falsis hominibus, aut adulatoribus, ambitiosis vel auaris, histrionibus vel aliis quibuscunque, qui hominibus placere desiderant, non est tali famæ credendum. quando autem quis scit vel per se vel per alios fide dignos, quod fama bona vel mala ortum habet à fide dignis personis, nec sunt amici speciales nec inimici eius cuius famam diuulgant bonam vel malam, nec sunt ambitiosi nec hominibus placere desiderant, nec sunt mendaces nec detractores nec maledici, credere tali famæ bonæ vel malæ non videtur illicitum, ita tamen quod propter famam, malam de aliquo absq; certitudine sufficienti nullus ad actum præiudicialem illi, de quo est mala fama, prorumpat. & ideo personis fide dignis quæ non odio nec rancore asserunt & cupiunt declarare perfidiam Papæ hæretici est credendum, nisi aliquid eis contingat obiicere, quare eis minime est credendum. ad illud autem quod dicitur de regina Sabba, respondetur, quod quædam fama vaga de excellentia Salomonis saltem quantum ad ipsam peruenerat, de qua nesciebat, vnde vel à quibus ortum habuerit: & ideo eis tanquam prudens & sagax fidem adhibere nolebat. secus est de fama Papæ hæretici, quando bullam hæreticalem vel transsumptum per vniuersum orbem promulgatum ostendit. & ideo in hoc casu credere Papam esse hæreticum est licitum, debitum atq; iustum.

Ad tertiam rationem breuiter respondetur: quod credere narrantibus siue bona siue mala non vniuersaliter dissuadetur in scriptura diuina. sed omnibus & semper credere dissuadetur, propter quod signanter dicitur Ecclesiast. decimoquinto, non omni verbo credas, quia alicui credendum est & alicui verbo minime est credendum. ad aliud autem, quod adducitur de Hieremia 12. patet ex serie textus, quod loquitur de inimicis. nam ibidem præmittitur: fratres tui & domus patris tui etiam ipsi pugnauerunt aduersus te, & clamauerunt post te plena voce. & tunc immediate subiungitur, ne credas eis cum locuti fuerint tibi bona. & ita patet, quod loquitur de inimicis, quod nunquam eis est credendum iuxta illud Sapientis Ecclesiast. 12. non credas inimico tuo in æternum. sicut autem tu non debes credere inimico tuo in æternum: ita nec in æternum credere debes inimico alterius contra ipsum. Ad illud Mich. 7. Nolite credere amico: respondetur, quod loquitur de amico trahente ad infidelitatem vel peccatum. ad dictum Iohan. 4. Nolite omni spiritui credere. patet quia signanter dicit, omni spiritui credere: quia alicui spiritui nullatenus est credendum. propter quod subdit ibidem cui est credendum: sed probate spiritum si ex Deo sit. quamuis si qui dixerint Papam esse hæreticum, non statim credendum est eis, sed quia nunciant periculum esse oppositum orthodoxorum, probandi sunt, hoc est examinandi sunt sollicite, si legitima documenta attulerint ad probandum Papam esse hæreticum: puta si bullam ostenderint hæreticalem vel transsumptum ipsius publice & solenniter promulgatum, est credendum & dicendum Papam esse hæreticum.

Ad quartam rationem respondetur, quod maior falsa est, propter tres instantias, tum quia notorium est credendum, licet secundum ordinem iudiciarium minime sit probatum: tum quia confesso de crimine absque omni ordine est credendum: tum quia extra iudicium & in multis est credendum absque ordine iudiciario obseruato. ad omnes igitur auctoritates vnico verbo respondetur,

detur, quod omnes intelligendæ sunt de credulitate iudicis in iudicio, quando crimen impositum non est notorium, nec reus confitetur crimen impositum. & ideo si crimen hæresis Papæ imponitur, de quo coram iudice accusatur, iudex, nisi sit notoria hæresis Papæ, vel ipse confiteatur, non debet credere illa credulitate, quæ habenda est in iudicio, antequam ordine iudiciario obseruato probetur, licet credulitate quæ spectat ad aliquem non tanquam ad iudicem credere possit in casu Papam esse hæreticum. si enim aliqui fide digni, de quorum fidelitate iudex non dubitat, referunt assertione iudicii se audiuisse Papam negare fidem vel resurrectionem mortuorum, iudex potest credere eis illa credulitate, quæ inter socios habenda est, sed non debet habere illam credulitatem quæ ad iudicem spectat, antequam in iudicio probatum legitime extitit, nisi sit notorium iudici & aliis, vel nisi Papa in iudicio hæresim confiteatur.

CAP. XXVII.

[illegible] quæritur, qui sint probandi inter hæreticorum fautores, de quibus etiam distinguitur.

DISCIP. Quamuis cogitauerim per singula quæ allegata sunt pro sententia *supra cap. 13.* recitata discurrere: quia tamen prolixitatem magnam volo vitare, illis vsque post completionem huius operis remanentibus indiscussis, ad fautores hæreticorum & præcipue Papæ hæretici me conuerto, de quibus in primis peto vt dicas secundum vnam sententiam vel plures, qui fautores hæreticorum debent reputari.

MAGIST. De fautoribus hæreticorum distinguitur, quia aut fauent tantummodo personis hæreticorum, eis scilicet præbendo consilium & auxilium qualecunque, nihil de eorum erroribus penitus intromittendo, quomodo sæpe Christiani Iudæis, Sarracenis & aliis infidelibus fauent, quamuis eorum erroribus penitus non faueant, nec adhæreant. sæpe enim reges & principes fauendo Iudæis & infidelibus eos in officiis publicis præfecerunt: quamuis eorum errores minime approbarent. Christiani etiam qui, vt habetur *extra, de Iudæis & Sarracenis. c. ad liberandam*, Sarracenis consilium vel auxilium ad terræ sanctæ stipendium impendere arma, ferrum & galearum ligamina deferentes eisdem. illi etiam, qui eis galeas vel naues vendebant, poterant fautores Sarracenorum non immerito approbari: & tamen erroribus contra fidem non fauebant: nec fuerunt per Ecclesiam fautores prauitatis hæreticæ vel infidelitatis iudicati. aut fautores hæreticorum fauent eorum erroribus ipsos approbando, docendo, diuulgando, animo alliciendi vel attrahendi aliquos ad probationem eorum: & hi non solum fautores hæreticorum, sed etiam sunt fautores hæreticæ prauitatis. primi autem sunt fautores hæreticorum duntaxat: sed non sunt censendi fautores hæreticæ prauitatis.

DISCIP. Mihi apparet secundum prædicta, quod aliqui sunt vel possunt esse fautores hæreticorum, quamuis non sint fautores hæreticæ prauitatis. sed nunquid econuerso aliqui sunt vel possunt esse fautores hæreticæ prauitatis, quamuis non sint fautores hæreticorum?

MAGIST. Respondetur quod sic. sicut enim potest quis tenere doctrinam alicuius non propter eum, sed quia reputat eam veram: & tamen in nullo est fautor & amicus eius: imo potest esse æmulus & inimicus eius mortalis. ita potest quis fauere erroribus aliquorum, licet personis eorum non faueat, sed penitus aduersetur.

DISCIP. Ex his mihi videtur, quod isti habent de fautoribus ponere distinctionem trimembrem: quia aliqui sunt fautores hæreticorum tantummodo & non hæreticæ prauitatis: aliqui hæreticæ prauitatis & non hæreticorum: aliqui vero sunt fautores hæreticorum & hæreticæ prauitatis.

MAG. De hoc ita dicunt, vt eis imponis. DISCIP. Dic ergo secundum istos, quomodo fautores à criminibus, de quibus supra inquisiuimus, distinguuntur. MAG. De quibus fautorib. interrogas? DISCIP. Primo dic de fautoribus hæreticorum. MAG. De fautoribus hæreticorum adhuc distinguitur: quia quidam scienter fauent hæreticis, hoc est sciētes eos esse hæreticos. quomodo multi Christiani fauent scienter Iudæis & Sarracenis, quos sciunt esse Iudæos & Sarracenos: sicut etiam sæpe parentes fauent filiis & filii parentibus, quamuis sciunt eos esse hæreticos. Alii ignoranter fauent, quia ignorant esse hæreticos. primi scilicet, si qui fauent scienter & non fauent hæreticæ prauitati: non sunt credentes nec hæreticis nec eorum erroribus: quia non approbant ipsos errores, nec ipsos reputant inter catholicos numerandos. qui autem ignoranter fauent hæreticis, hoc est nescientes eos esse hæreticos, sunt aliquo modo censendi credentes: quia ipsos, qui sunt hæretici, credunt inter catholicos computandos. & sic laborant ignorantia damnabili affectata, videl. aut crassa aut supina damnabiliter sunt credentes hæretici & excommunicationis sententia sunt ligati. si autem laborant ignorantia probabili aut inuincibili, quæ non est damnabilis, sunt aliquo modo credentes, sed non damnabiliter censendi credentes. nec sunt de numero illorum credentium qui *extra de hæreticis c. excommunicamus*, primo, excommunicationis sententia innodantur.

DISCIP. Dic quomodo fautores hæreticæ prauitatis à credentibus distinguuntur. MAG. Fautores hæreticæ prauitatis sunt censendi credentes hæreticorum erroribus, de quibus legitur *extra de hæreticis. c. excommunicamus.* Secundi sunt credentes hæreticis, de quibus etiam fit mentio *extra de*

hæreticis. cap. excommunicamus, primo, quia fautores hæreticæ prauitatis & prauitatem hæreticam reputant catholicam veritatem, & ipsos auctores reputant catholicos vel saltem recte tenentes.

DISCIP. Dic de fautoribus tam hæreticorum quam hæreticæ prauitatis quomodo à credentibus distinguuntur.

MAGIST. Respondetur ad hoc, sicut dictum est de fautoribus hæreticæ prauitatis.

CAP. XXVIII.

In quo agitur de fautoribus hæreticæ prauitatis, vbi etiam datur distinctio inter credentes & fautores.

DISCIP. Iuxta distinctionem prædictam de fautoribus hæreticorum & hæreticæ prauitatis, de omnibus interrogabo diuersa. incipiam autem primo à fautoribus hæret[redacted]uitatis iudicandis.

MAGIST. Omnes modos fauendi hæreticæ prauitati non est facile numerare. & ideo videtur difficile dare regulam generalem, qua de omnibus cognoscitur an faueant vel non faueant hæreticæ prauitati.

DISCIP. Dic aliquos modos fauendi hæreticæ prauitati, ex quibus alii faciliter agnoscantur.

MAGIST. Quamuis fauere hæreticæ prauitati aliquomodo distinguatur à credere hæreticæ prauitati, quia fauor videtur actum exteriorem respicere; credere autem actum interiorem: tamen in omnibus modis exterioribus quibus aliquis ostendit aut declarat se credere hæreticorum erroribus, eisdem modis videtur fauere eisdem erroribus. & ideo quicunque dicit se erroribus adhærere, aut laudat eos tanquam catholicos, vel diuulgat tanquam consonantes veritati, vel legit, docet aut prædicat tanquam tenendo, vel scribit animo adhærendi, vel suadet, præcipit, cōsulit, aut quouis modo inducit alios ad tenendum eos, videtur hæreticæ prauitati adhærere. qui etiam quoquomodo prosequitur impugnantes errores eosdem, aut propter impugnationem huiusmodi quomodolibet aduersatur vel etiam infestat docentes, tenentes, & prędicantes contrariam veritatem, fautor prauitatis hæreticæ est tenendus.

DISCIP Sunt aliqui modi speciales, quibus sit quis dicendus fautor prauitatis hæreticæ à Papa hæretico si essent hæretici ad inuicem?

MAG. Difficile vel fere impossibile est secundum quosdam, quod aliquis faueat aliquo modo errori Papæ, quin possit eodem modo fauere errori alterius, quamuis si Papa esset hæreticus de facto aliquibus modis, aliqui fauerent erroribus eius, qui non fauerent de facto erroribus aliorum.

DISCIP. Qui sunt isti modi? MAG. Vnus modus est consentiendo affirmationi diffinitioni erroneæ Papæ hæretici contra fidem. si enim Papa esset hæreticus & contra fidem aliquid diffiniret: quicunq; diffinitioni suæ erroneæ consentiret, esset fautor hæreticæ prauitatis. Quicunque etiam consuleret vel induceret, aut hortaretur eum ad diffiniendum aliquid contra fidem esset fautor hæreticæ prauitatis. Quicunq; etiam solenniter in scholis diffinitionem suam hæreticalem legeret, & tanquam tenendam, vel super ipsam non approbando, vel approbando, Glossas, apparatus, literam, vel scripta quæcunq; componeret, esset fautor hæreticæ prauitatis. Quicunq; etiam (cum posset conuenienter) eandem diffinitionem hæreticalem minime impugnaret, esset inter fautores prauitatis hæreticæ numerandus, qui etiam impugnantes, detestantes & reprobantes diffinitionē prædictam ꝓpter hoc quomodolibet infestaret, diffamaret, reprobaret, vitaret vel vitandos aut quocunq; modo molestandos putaret, non esset à fautoria prauitatis hęreticę alienus. Qui etiam scripturas catholicas contrarias prædictæ diffinitioni, eo quod contrariæ essent eidem, teneri, legi, prædicari vel doceri præsumeret prohibere, inter fautores prauitatis hæreticæ esset non immerito computandus. Qui iuraret vel promitteret, quoquomodo diffinitionem talem Papæ se esse in perpetuum seruaturum, esset fautor hæreticæ prauitatis. qui etiam catholicas scripturas ad reprobandum diffinitionem hæreticalem Papæ positas in detestationem earum combureret tanquam erroneas, aut aliquod circa eas lubricum exerceret, à fautoria prauitatis hæreticæ nequaquā esset immunis. qui etiam in fauorem Papæ hæretici nouos errores confingeret, quemadmodum Sergiani in fauorem Sergii Papæ Episcopi secundum multos finxerunt errores, dicentes Papa non posse damnari, sicut in quodam antiquissimo opere edito contra Sergianos legi, esset inter fautores prauitatis hæreticę numerandus.

CAP. XXIX.

In quo specialiter agitur de fautoribus consentientibus diffinitioni Papæ hæreticali. vbi etiam de quadruplici distinguitur consensu.

DISCIP. Quoniam iuxta canonicas sanctiones ad cautelam futurum est aliquid faciendum: quia vt leges imperiales insinuant, & recta ratio dictat, prouidere quis debet, quod contingi potest.

potest. vnde & viri prudentes & prouidi & discreti pacis in tempore munitiones parant, fortes ædificant, ciuitates fabricant, diuitias congregant, & thesauros, propinquos & amicos confœderant, vt si eis rabies bellorum ingereret, hostilis aggressio facilius reprimatur. Idcirco quamuis his temporibus à Papa catholico fides catholica defendatur virilius, & hęretica prauitas animosius expurgetur, quia tamen potest contingere, vt si nostris diebus vel futuris Papa surgat hæreticus, sequaces & fautores quam plures habebit vel habiturus, qui veritatem catholicam reprobare & destruere aut extirpare, aut ad hæreticam prauitatem inducere satageret toto posse contra huiusmodi causam possibilem cupio me & alios præmunire, vt si vnquam talis casus acciderit, ego & alii orthodoxi sciamus, quos debeamus fautores hæreticæ prauitatis & Papæ hæretici reputare: propter quod de fautoribus hæreticę prauitatis discurrere: & in speciali te interrogare propono. Dic ergo primo de consentientibus diffinitioni hæreticali Papæ hæretici, an aliquis absque peccato mortali diffinitioni valeat consentire.

MAGIST. Ad euidentiam interrogationis tuæ nonnulli dupliciter distinguunt de consensu. Contingit enim dupliciter consentire diffinitioni hæreticali Papæ, scil. vel consentiendo quod Papa diffiniat assertionem, quæ est hæretica, vel consentiendo assertioni quæ per Papam hæreticum diffinitur. Si enim volens hæresim diffinire requirat aliorum consensum, posset vnus dicere; consentio assertioni, quia reputat eam veram: Et, consentio cum diffiniatis eam. & iste proprie consentiret diffinitioni Papæ hæretici. Alius vero posset respondere tali assertioni: quia reputo eam veram, sed non consentio quod diffiniatis eam. & iste non assentiret proprie diffinitioni, quæ est actus diffiniendi, consentiret tamen diffinitionē quæ potest vocari assertio diffinitiua. Quemadmodum fides aliquando vocatur actus credendi: & aliquando ipsum obiectum creditum. vnde & collectio articulorum, quos credimus, aliquando vocatur Fides, vt notat Gloss. *extra de sum. trin. & fid. cathol. cap. firmiter.* Alia distinctio ponitur de consensu, quam ponit Glossa *extra de officio dele. c. 1. dicitur: Nota quod quadruplex est consensus. scil. negligentiæ, consilii, cooperationis, & auctoritatis siue defensionis.*

DISCIP. Puto quod istas distinctiones, & diffinitiones intelligo. ideo iuxta membrum earum te interrogare studebo. dic ergo primo, an solummodo consentientes assertioni hæreticali Papæ non consentiendo quod diffiniat eam semper peccat mortaliter.

MAGIST. De assertione Papæ hæretici distinguitur. quia aut est talis assertio, quod consentiens tenetur credere explicite contrariam veritatem. & in hoc casu consentiens peccat mortaliter, & est hæreticus reputandus, secundum quod colligi potest *quarto huius c. 11. & 71.* aut assertio Papæ hæreticalis est talis, quod assentiens non tenetur credere explicite contrariam veritatem. & tunc aut in consensu est pertinax, aut non est pertinax. si est pertinax, peccat mortaliter & est hæreticus reputandus, & pœna hæreticorum plectendus. si vero non est pertinax, sed paratus est corrigi: & solummodo est deceptus, & quærit cauta sollicitudine veritatem, non peccat mortaliter, nec per consequens est hæreticus reputandus, nec Papæ fautor hæreticæ prauitatis.

DISCIP. Quid de illo qui exterius consentit assertioni Papæ, vel vt placeat vel vt saltem non displiceat, & corde dissentiat?

MAG. Respondetur, quod peccat mortaliter, quia in doctrina relationis aperte mentitur. & ideo magis peccat quam ille, qui ore & mente consentit. quia ille licet dicat falsum, tamen non mentitur: & ideo non peccat nisi venialiter: vel minus peccat quam ille qui ore consentit, & dissentiret corde. iste enim est falsus duplex, mendax & proditor agnitæ veritatis. & ideo merito est infamis omni spoliandus honore, & in perpetuum ab omni testimonio repellendus.

CAP. XXX.

In quo declarantur 4. modi consensus capitulo praecedenti positi, & in c. 31. agitur de consensu negligentiæ etiam in 32. de consensu consilii & cooperationis.

DISCIP. Hæc quæ dicta sunt de consentientibus assertioni Papæ tantummodo ex his quæ dicta sunt prius de credentib. & ex illis quæ tractata sunt *lib.* 4. dependere videntur. ideo transeas ad consentientes, quod Papa hæreticam diffiniat prauitatem, qui scilicet requisiti à Papa cōsentiunt, quod assertio, quæ in rei veritate est hæreticalis, diffiniatur solenniter tanquam catholica. & quod illis omnibus iniungatur, vt eam sicut catholicam teneant, sentiant & acceptent.

MAGIST. Dixi prius, quod quadrupliciter quis potest consentire. de quo igitur consentiente niteris?

DISCIP. Licet istam distinctionem quadrimembrem in genere aliquo modo intelligam: tamen ad consentientem diffinitionem hæreticalem Papæ hæretici ipsam nescio declarare. ideo in primis declara quomodo contingit quadrupliciter diffinitioni hæreticali Papæ hæretici consentire. MAGIST. Quod quadrupliciter consentire contingat diffinitioni hæreticali Papæ hæretici, nonnulli declarant dicentes, quod ille consentit consensu negligentiæ diffinitioni prædictæ, qui sciens eam esse hæreticalem non resistit.

Discip. Quomodo potest ostendi, quod non resistens ei consentit? Mag. Hoc pluribus sanctorum patrum auctoritatibus videtur posse probari. Ait enim Innocentius Papa, vt dicitur *dist.83.c.error: Error cui non resistitur, approbatur.* Ex quibus verbis sic arguitur. Error cui non resistitur approbatur. ergo diffinitio hæreticalis Papæ, cui non resistitur, approbatur. qui autem ipsum approbat, consentit eidem. ergo qui non resistit, consentit eidem. Item ibidem dicit Innocentius: *veritas cum minime defensatur, opprimitur.* Ex quibus verbis infertur, quod veritas contraria diffinitioni hæreticali Papæ, cum minime defensatur, opprimitur. qui autem veritatem opprimit catholicam, consentit contrariæ hæreticæ prauitati. qui vero non resistit, non defendit. ergo qui non resistit diffinitioni hæreticali Papæ, consentit eidem. Item ibidem subditur: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. & eandem sententiam sub eisdem verbis asserit Eleuterius Papa, vt habetur *2.q.7.c.negligere*, & Anastasius ad Damasum Papam, vt legitur *23.q.3.c.qui potest*, sic ait: *Qui potest obuiare & perturbare peruersos & non facit: nihil est aliud quam fauere impietati eorum, nec caret scrupulo, &c.* Ex quibus verbis colligitur, quod qui potest resistere diffinitioni Papæ & non resistit, consentit eidem. & idem, vt legitur *23.quest.3.cap.ostendit*, videtur asserere dicens: *Qui desinit obuiare cum potest, consentit* ergo qui non resistit diffinitioni hæreticali Papæ, consentit. Item Gregorius vt habetur *dist.83.cap.consentire*, ait: *Consentire videtur erranti qui ad resecanda quæ corrigi debent non occurrit.* ergo qui non resistit diffinitioni hæreticali Papæ, consentit eidem. quod intelligendum est, quando quis scit diffinitionem Papæ esse hæreticalem, & potest resistere & non resistit.

Discip. Dic de consensu consilii. Mag. Ille dicitur consentire consulendo, qui suadet & inducit Papam vel hortatur, quod assertionem quæ est hæreticalis, solenniter diffiniat & determinet esse tenendum. Discip. De consensu cooperationis.

Mag. Ille dicitur consentire cooperando diffinitioni hæreticali Papæ, qui assertionem Papæ hæreticalem solenniter diffiniendo dictat, scribit, & rationibus aut auctoritatibus quod sit tenenda & solenniter diffinienda probare molitur.

Discip. Ergo secundum ista quicunque scriberet talem diffinitionem, consentiret cooperando eidem.

Mag. Si quis scribit talem diffinitionem hæreticalem Papæ postquam existit promulgata, non intelligitur consentire cooperando actum diffiniendi siue determinandi, qui iam præcessit. qui autem scriberet eam ante actum diffiniendi, si intelligeret & aduerteret, quod assertio diffiniendi fidei repugnaret, intelligeretur consentire cooperãdo. si autem hoc non aduerteret, esset per ignorantiam excusatus.

Discip. De consensu auctoritatis siue defensionis.

Mag. Consensus auctoritatis & consensus defensionis distingui videntur, sicut auctoritas & defensio distinguuntur. auctoritas enim ad superiorem spectare videtur: defensio tam ad maiorem quam ad minorem potest pertinere. nam & superior potest inferiorem defendere: & inferior potest defendere superiorem. imo quamuis vnus habeat auctoritatem supra seipsum: potest tamen quis defendere seipsum, iuxta illud Roman. 2. *Vosmetipsos defendentes, charissimi.* Et Act. 12. *dixi, cum sim defensurus hodie me.* consensus ergo auctoritatis respectu diffinitionis papalis locum non videtur habere: cum Papa nullius auctoritate vel mandato possit aliquid diffinire. sed consensus defensionis potest habere locum respectu Papæ. potest enim aliquis consentire diffinitioni hæreticali offerens se diffinitionem defensurum eandem.

CAP. XXXI.

In quo agitur de consensu negligentiæ.

Discip. Omisso consensu defensionis, quousque tractauerimus de defensionibus hæreticorum: & omisso consensu auctoritatis, qui, vt videtur, respectu Papæ locum habere non potest, interrogabo te. Primo de consensu negligentiæ, si omnino talis per consensum peccet mortaliter.

Mag. Ista negligentia qua quis negligit resistere Papæ, quando assertionem hæreticalem diffinire solenniter siue determinare conatur (& ideo intelligitur consentire) videtur esse quædam taciturnitas. quamobrem videndum est, an omnis taciturnitas in hoc casu sit peccatum mortale: & an pro consensu sit habenda. Circa quam sunt diuersæ sententiæ. Vna est, quod aliqua taciturnitas in hoc casu est peccatum mortale, & aliqua minime. quia aliqua est habenda pro consensu, & aliqua pro consensu minime est habenda. taciturnitas enim illius, qui reclamando posset prædictam diffinitionem impedire, esset peccatum mortale: & pro consensu esset habenda. vnde si Papa requirendo concilium cardinalium aut aliorum super aliqua assertione hæretica diffinienda, vnus posset reclamando impedire Papam à diffinitione huiusmodi: quia forte esset tantæ opinionis & famæ in populo: vel tantæ potentiæ quod Papa ipso reclamante talem diffinitionem minime attẽtaret. si ille taceret, peccaret mortaliter: & eius taciturnitas esset pro consensu habenda. Si vero esset aliquis qui reclamando eam impedire non posset, tacendo non peccaret mortaliter: nec eius taciturnitas esset pro consensu habenda. Huic sententiæ Glossa *extra de præsumptionibus. c. nonne*, concordare videtur. ait enim: *melius dicas, vbi prohibitione mea possum prohibere quod fit, & taceo: tunc taciturnitas*

nitas

nitas pro consensu habetur. Si vero per prohibitionem meam non possum prohibere, quod fit: tunc non obest mihi taciturnitas. & hanc eandem diffinitionem ponit Gloss. *dist.* 27. *cap. diaco*, hoc etiam Glossa 2. *quæst.* 7. *cap. plerique* insinuare videtur, distinguens tres casus, in quibus taciturnitas minime nocet. taciturnitas non nocet ei qui non potest probare. Item non nocet ei qui non potest impedire vel etiam erubescit loqui. Item non nocet ei qui scit suum ius dubitare & post sequitur. alias semper obstat taciturnitas, vt *extra, de his quæ fiunt à præ. siue con. cap. continebatur. & 54. di. si seruus.* Ex quibus patet, quod si requisitus à Papa super aliqua assertione hæreticali diffinienda prohibere non potest, huiusmodi taciturnitas non nocet. si vero potest prohibere, taciturnitas nocet & est habenda pro consensu. DISCIP. Ista sententia probabilis mihi videtur. ideo ad intelligẽdam eã aliqualiter volo insistere. quare secundum istam sententiam dicas quid tenendum est de taciturnitate alicuius collegii: puta si Papa requireret collegium super huiusmodi diffinitione: nunquid, si taceret, peccaret mortaliter, & pro consentiente debeat haberi?

MAGIST. Respondetur, quod si totum collegium posset prohibere diffinitionem huiusmodi, collegium tacendo peccaret mortaliter, & pro consentiente deberet haberi. Si autem impedire non posset, taciturnitas non noceret.

DISCIP. Si collegium potens prohibere tacendo peccat mortaliter: quis ergo primo de omnibus peccat, non videtur, quia primus non peccat tacendo: quia ille prohibere non posset. & eadem ratione nec secundus requisitus peccat, nec tertius. & sic videtur quod nullus tacendo peccat. ergo nec totum collegium tacendo peccat.

MAGIST. Respondetur, quod primus tacendo peccat. Tum quia debet probabiliter suspicari, quia si ipse diffinitioni iniquę resistit, alii etiam resistent eidem. Tum quia ex quo nescit quod alii non concordabunt cum eo, potest probabiliter dubitare, an ipse reclamando vna cum aliis posset diffinitionem hæreticam impedire. In dubiis autem via tutior est tenenda siue sequenda. via autem tutior est quod reclamet. ergo tunc reclamare tenetur. Tum quia tacendo scandalisat alios præbens eis occasionem tacendi in causa fidei. ergo tacendo peccat mortaliter. ita secundus & tertius, & deinceps vsque ad minorem partem collegii. postquam autem maior pars collegii consenserit tacendo: ille qui postea fuit requisitus; si cernens quod maior pars collegii tacendo consenserit, & Papa propter minorem partem suam diffinitionem hæreticalem nequaquam dimittet: non peccat tacendo, ex quo per suam contradictionem prohibere non posset. & ideo respondetur, quod licet solus prohibere non posset, tamen posset cum aliis prohibere, & ideo quia non constat sibi, quod alii resistent, peccat tacendo.

DISCIP. Quid si Papa simul requirit omnes Cardinales, & non vnum ante alium, quis peccat, si omnes tacent? MAG. Dicitur quod in hoc casu peccant tacendo mortaliter, quia in hoc casu quilibet tenetur respondere, ac si esset primus requisitus. DISCIP. Dic aliam sententiam.

MAGIST. Alia sententia est, quod requisitus à Papa super aliqua assertione hæreticali diffinienda, si scit Papam obuiare doctrinæ ecclesiæ & tacet, siue etiam reclamando possit prohibere huiusmodi diffinitionem siue non, peccat mortaliter, nisi ex conditione tali, quod periculum fidei vel fidelium sequeretur. Primum probatur: quia ad exteriorem confessionem fidei quilibet est astrictus, quando requiritur, si ex omissione confessionis alii scandalizantur: quia quilibet tenetur vitare scandalum fratris sui. Sed Cardinalis siue possit prohibere diffinitionem hæreticalem Papæ siue non possit, si tacet requisitus de veritate fidei proximos scandalizat. quia per eius taciturnitatem alii possunt præsumere, quod hæreticæ consentiat prauitati. ergo siue reclamando possit diffinitionem impedire hæreticalem Papæ siue non, tenetur in hoc casu ne infirmos & simplices scandalizet ad exteriorem confessionem catholicæ veritatis.

Secundum, scilicet quod si ex conditione tali sequeretur periculum fidei vel fidelium; quia Papa hæreticus & complices sui ad exteriorem fidelium persecutionem vel ad magis diuulgandum errorem cum multorum periculo inflammarentur, tacens non peccaret mortaliter. probatur per illud Matth. 12. *Nolite sanctum dare canibus.* Ex quibus verbis colligitur, quod absque omni vtilitate bonorum & cum damno eorum & sine conuersione & emendatione malorum non est impiis & infidelibus catholica veritas propalanda. & ita in hoc casu tacere licet: nec tacens consentit. quemadmodum inter Sarracenos existens fidelis, inter quos non posset proficere, non intelligeretur eorum consentire erroribus, licet contra eos minime clamaret.

DISCIP. Dic quomodo secundum sententiam istam Glossæ, quæ in contrarium sonare videntur, debent intelligi.

MAGIST. Dicitur quod illæ debent intelligi de negociis, in quibus vertitur proprium commodum vel incommodum temporale ipsius taciturnitatis. vbi autem ex taciturnitate ipsius potest prouenire diminutio honoris diuini vel damnum spirituale proximorum: puta auersio à fide vel scandalum infirmorum per reclamationem aut contradictionem ipsius (licet non possit prohibere vel impedire siue retrahere Papam à sua intentione nefaria) posset tamen catholicos consolari & confirmare in fide, & ne crederent Papæ hæretico præseruare, reclamare tenetur. & ideo taciturnitas eius, per quam diuinus honor subtrahitur: & vtilitas proximorum necessario impediretur, non est absque peccato mortali. quia ista taciturnitas tam amori Dei, quam fidei manifestæ repugnat.

CAP. XXXII.

In quo dicitur de consensu consilii & cooperationis.

DISCIP. Quia non est verisimile, quod Papa requireret Cardinales super aliqua assertione hæreticali, quam diffinire vel determinare intenderet: & eosdem sustineret & non cogeret respondere. & ideo transeo ad consensum consilii. de quo dic an omnes consulendo consentientes, quod Papa quamcunque hæresim solenniter diffiniat & determinet, peccent mortaliter, & an sint fautores hæreticæ prauitatis.

MAGIST. Ad hoc respondetur, quod omnes consentientes huiusmodi peccant mortaliter, nec possent per quamcunque ignorantiam excusari. Quam vero peccent mortaliter, videtur aperte posse probari. Nam de consulente negari non potest: quin aperte & expresse sit consentiens. consentiens autem peccat. Papa autem diffiniendo siue determinando assertionem, quæ est hæretica, peccat mortaliter. ergo consulens, quod eam determinet, mortaliter peccat.

DISCIP. Quamuis mihi videtur probabile, quod consentientes consulendo diffinitioni hæreticali Papæ, si non possint per ignorantiam excusari, peccent mortaliter: videtur tamen quod ignorans assertionem Papæ esse hæreticam: per ignorantiam valeat excusari saltem à peccato mortali. nam si consulens Papæ, quod assertionem hæreticalem diffiniat, peccat mortaliter: peccatum suum est consimile peccato Papæ. peccatum autem Papæ est peccatum hæresis. ergo peccatum cõsulentis est peccatum hæresis. sed hoc non videtur, quia ignorans non ex ipso est hæreticus quod ignorans. ergo cum iste sit talis ignorans, non videtur quod sit hæreticus reputandus.

MAG. Adhuc requiritur quod iste consulens vltra ignorantiam addat pertinaciam, velle scilicet pertinaciter adhærere assertioni hæreticali. & ideo sicut Papa diffiniens est pertinax, & ideo peccat mortaliter: ita consiliarius eius participans sic in crimine est pertinax: & ideo nullo modo potest per ignorantiam excusari de peccato mortali.

DISCIP. Si non credit se in aliquo obuiare catholicæ veritati. quare non potest per ignorantiam excusari: quemadmodum ille, qui opinatur assertionem hæreticalem, excusatur: quia non credit se in aliquo obuiare catholicæ veritati.

MAG. Ideo iste non excusatur per quamcunque ignorantiam ad causam tam solennem, sicut debet esse papalis diffinitio, quia nullus debet procedere nec aliquis consulere debet, vt fiat, nisi sit certus certitudine sufficienti, quod talis diffinitio est consona veritati. Opinari tamen potest quis absq; tali certitudine. & ideo vnus peccat mortaliter, & alius minime.

DISCIP. Nunquid talis consiliarius Papæ hæretici est fautor hæreticæ prauitatis. MAG. Tenetur quod talis consiliarius est aperte fautor hæreticæ prauitatis, quod probatur sic. consiliarius magis expresse consentit, quam ille qui tacet, licet prohibere possit illud quod fit. sed qui tacet, cum prohibere potest, censetur fautor. ergo multo magis consiliarius censendus est fautor. quare consiliarius Papæ in diffinitione hæreticali fautor prauitatis hæreticæ est censendus. Hic sunt duo probanda. Quorum primum est, quod magis fauet consiliarius, quam ille qui tacet, quamuis prohibere possit. Secundum est quod qui tacet cum prohibere potest, fauet. Primum probatur. quia magis fauet committens quam omittens, cum fauere magis videatur peccatum commissionis quam omissionis. sed qui tacet quamuis prohibere possit, magis videtur habere peccatum omissionis. cõsulẽs autem peccatum commissionis committit. ergo magis proprie & magis directe fauet consiliarius Papæ hæretici tali diffinitioni quam tacens. Secundum, scil. quod qui tacet cum prohibere potest, fauet: & ideo tacens qui potest prohibere reclamando vel contradicendo tali diffinitioni est fautor hæreticæ prauitatis, multipliciter videtur posse probari. Primo quidem per Anastasium ad Damasum Papam, quod allegatum est supra cap. 30. cum dicitur, qui potest obuiare & perturbare peruersos & non facit, nihil aliud quam fauere impietati eorum videtur. & eandẽ sententiam fere sub eisdem verbis ponit Innocentius Papa, vt legitur *dist. 83. c. error.* & Iohan. 8. vt legitur *di. 86. cap. faciem*, & Eleutherius Papa, vt habetur 2. *quest.* 7. *cap. negligere.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod qui potest obuiare diffinitioni hæreticali Papæ, & non obuiat, fauet hæreticæ prauitati.

DISCIP. Verba prædicta quæ possunt obuiare & *c. negligere* debent intelligi de prælato. Vnde dicit Gloss. *2. q. 7. c. negligere*, quod illud capitulum, quod continet eandem sententiam cum verbis prædictis, debet intelligi de prælatis, vt 23. q. 4. *duo ista nomina & q. vlt. preterea.* & ideo qui esset prælatus Papæ: & non resisteret diffinitioni hæreticali eius, si posset, faueret impietati eius. cardinales autem requisiti super diffinitione hæreticali quam Papa intendebat facere siue taceant (cum possunt resistere) siue non taceant, non sunt prælati Papæ. quare prædicta de ipsis non debent intelligi.

MAG. Quod verba prædicta intelligi debeant de tacentibus siue negligentibus obuiare diffinitioni hæreticali Papæ, Glossa vbi pri' aperte insinuare videtur, tum quia dicit, *vel intellige*, (sc. illud negligere, cum possis perturbare) *de atrocibus, & vt quisque teneatur.* scilicet perturbare peruersos. sed diffinire hæreticam prauitatem est inter peruersitates atrocissimas merito computandum. ergo tali diffinitioni quilibet, qui potest, obuiare tenetur. & si non facit, fauet. tum quia Gloss. ibidem subdit: vel dic, quod quilibet tenetur prohibere proximum à peccato committendo 22. q. 5.

hoc

hoc videtur fecus in commisso. si ergo Papa intendit contra fidem catholicam diffinire, quilibet qui potest eum prohibere, tenetur. & si non prohibet, sibi fauere conuincitur. quod autem dicis de Glossa, quæ dicit: quod illud capitulum *negligere*, de prælatis debet intelligi: respondetur, quod Gloss. hoc dicit solummodo recitando. Vnde dicit, hæc verba alii intelligunt de prælatis.

DISCIP. Nunquid istorum opinio, quam hic recitat Gloss. potest saluari secundum prædicta?

MAGIST. Respondetur quod verificari potest iuxta diffinitionem, quam ponit Gloss. 23. q. 4. cap. 1. vbi dicit sic: *Aliter debent prælati corrigere delinquentes, alio modo socii. prælatus corrigit increpando, verberando, vt infra c. q. c. 400. similiter 2. q. c. dominus Deus.* Ex quibus verbis patet, quod duplex est correctio. vna quæ spectat ad prælatos: alia quæ spectat ad socios & inferiores. & sicut est duplex correctio: ita est duplex obuiatio, & duplex perturbatio peruersorum. quia omnis correctio quandam obuiationem & perturbationem annexam habere videtur. qui enim corrigit alium manifestum, qui obuiat & aliquo modo corrigitur, perturbatur: qui vel correctus corrigitur de eo à peccato, quo errat & perturbatur de peccato commisso vel voluntate committendi, si non corrigitur tunc perturbatur de reprehensione corrigentis siue corripientis. si igitur illa opinio, quam recitat Gloss. intelligat capitulum de obuiatione & perturbatione peruersorum, quæ spectat ad prælatos: sic potest verificari, non de alia. requisiti autem à Papa volente aliquid contra fidem catholicam diffinire seu determinare, non debent obuiare, tanquam prælati, nisi possent aperte probare, quod Papa in sua intentione peruersa esset pertinax: sed debent obuiare tanquam veri & synceri fidei zelatores, Papam scilicet consiliis, persuasionibus, & reprobationibus hæresis quam intendit à peccato quod proponit conuertendo & à diffinitione hæretica retrahendo, etiam si oportet cum perturbatione & indignatione Papæ.

DISCIP. Secundum ista si Papa publice requireret Cardinales vel alios super assertione hæreticali, quam diffinit solenniter siue determinare intendit, ipsi publice deberent reprehendere & corripere de intentione sua peruersa quod tamen auctoritate Innocentii tertii, quæ ponitur *extra de hæreticis. cap. cum ex iniuncto*, repugnare videtur. ait enim: *Nec quisquam sua præsumptionis audaciam illo defendat exemplo, quo asina legitur reprehendisse prophetam, vel quod dominus ait; quis ex vobis arguet me de peccato? cum aliud sit fratrem in se peccantem occulte corripere, quod quisque tenetur efficere secundum regulam euangelicam in quo casu sane potest intelligi quod Balaam fuit correptus ab asina. & aliud est delinquentem corripere manifeste: quod vtique nulli licet secundum euangelicam veritatem. nam qui etiam dicit fratri suo, fatue: reus est gehennæ ignis.* Ex quibus verbis colligitur, quod nulli subdito licet manifeste & publice corripere vel reprehendere superiorem suum prælatum: licet in occulto licite possit eum corripere. quare Cardinales & alii publice requisiti à Papa volente assertionem hæreticalem solenniter diffinire, non debent ei publice contraire, nec corripere manifeste. his etiam Glossa super verbo quicunque, concordare videtur, cum dicit: ad hanc correctionem quilibet tenetur secundum quod hic dicit. & hoc intellige de occulta correctione siue reprehensione, art. 23. quæst. 5. non putes: sed manifeste corripere pertinet ad prælatos vel ad eos qui habent potestatem aliquam in aliquos 23. quæst. 2. cap. duo ista & cap. forte. pater enim potest filium corripere: & prælatus subditum & manifeste & occulte. vnde Apostolus: argue, obsecra, increpa, & 45. dist. cap. 18. quæst. 1. qui autem. sed filius non potest publice reprehendere siue corripere patrem, nec subditus prælatum; vt hic sequitur in litera. & 21. dist. nolite. erubescit enim lex filios castigaturos parentes, in authenticis de nuptiis, si vero expectet, versus finem. & hæc est canonica correctio secundum euangelicam veritatem ait. occulta ad omnes, manifesta ad prælatos vel ad alios aliquam potestatem habentes pertineat. ex quibus videtur, quod Papa à nullo debet manifeste & publice corripi seu reprehendi.

MAG. Ad ista respondetur dupliciter. vno modo, quod Innocentius & Glossa loquuntur de reprehensione seu correctione coactiua vel punitiua. ista enim solummodo pertinet ad prælatos vel alios potestatem habentes: non autem loquuntur de quacunque manifesta & publica correctione seu reprehensione. Constat enim, quod qui aliquem in iudicio accusat de crimine vel etiam in iudicio de crimine ipsum denuntiat, aliquomodo ipsum publice & manifeste reprehendit sibi crimen publice imponendo, & de eo fieri iustitiam postulando: & ita reprehendit eum & corripit. manifestum autem est, quod annunciatio, accusatio & denunciatio in iudicio ad alios spectat, quam ad prælatos eorum qui corripiuntur & reprehenduntur. & ita aliqua correctio & reprehensio manifesta & publica spectat ad alios quam ad prælatos. sed correctio & reprehensio coactiua pertinet solummodo ad prælatos, vel ad alios in alios potestatem habentes. & ideo quamuis Cardinales vel alii requisiti à Papa super aliqua assertione hæretica diffinienda antequam constiterit, quod Papa in suo proposito est pertinax, ipsum non debeat reprehendere seu corripere coactiue vel aliqualiter puniendo. debet tamen de necessitate salutis assertionem suam hæreticalem reprobare, & ipsi efficaciter suadere, ne aliquo modo talem assertionem hæreticam diffinire præsumat.

Aliter respondetur, quod prædictæ responsioni non obuiat: quia Innocentius & Glossa loquuntur in aliis criminibus, quam in crimine hæreticæ prauitatis, quia subditi prælatum suum, vbi eum voluerunt in iudicio accusare, vel rite denunciare de crimine alio, quam de crimine hæresis, reprehendere seu corrigere manifeste non debent, quamuis possunt eum

reprehendere in occulto. de crimine autem hæresis possunt & debent prælatum suum reprehendere & corripere manifeste, etiam extra iudicium, si crimen eius publicum & manifestum extiterit. quod patet per exemplum de beato Paulo, qui beatum Petrum in publico reprehendit, sicut *lib. 5. cap. 2.* probatum extitit. quod etiam expresse Clemens, vt legitur *2. quæst. 7. cap. sacerdotes*, asserere videtur aperte, cum dicit: *sacerdotes & alii Ecclesiæ ministri omnesque plebes Episcopos suos diligere debent, & eorum præceptis obedire, etiam si ipsi aliter (quod absit) agant, quam debeant, nisi in fide errauerint.* cui Eusebius Papa *eisdem causa & q. cap. oues*, videtur concordare, cum dicit: *oues quæ suo pastori commissæ sunt, eum nec reprehendere nisi à fide exorbitauerit, nec vllatenus accusare possunt.* Ex quibus verbis colligitur manifeste, quod si Papa à fide errauerit, licet cardinalibus & aliis ipsum corrigere & arguere & reprehendere manifeste. & ita verba Innocentii & Glossæ superius allegata non debent intelligi, cum prælati crimine hæreticæ prauitatis sunt infecti.

DISCIP. Prosecuti sumus vnam probationem, qua patet, quod tacens quando potest prohibere diffinitionem hæreticalem Papæ est fautor prauitatis hæreticæ. nunc alias allegationes, si tibi occurrunt, adducas.

MAG. Non minus peccat, nec minus est fautor hæreticæ prauitatis ille, qui tacet, cum potest prohibere diffinitionem hæreticalem Papæ, quam ille est fautor iniectionis manuum violentę, qui talem violentiam prohibere potest & non facit. sed qui potest prohibere talem violentiam & non prohibet est fautor iniectionis & eandem pœnam incurrit cum illo. ergo qui tacet cum potest prohibere contradicendo, reclamando vel reprobando diffinitionem hæreticalem Papæ, est fautor hæreticæ prauitatis: quia est fautor hæreticalis diffinitionis seu declarationis Papæ. Maior licet euidens videatur, tamen probatur sic. Non minus tenentur requisiti super diffinitione hæreticali facienda defendere catholicam veritatem, quam quicunque teneantur clericos defendere: imò multo fortius & efficacius aut animosius defendenda est veritas orthodoxa, quam quicunque clericus vel prælatus. ergo non minus peccant illi qui tacendo non defendunt fidem, quam ille qui clericum non defendit.

Minor probatur auctoritate Innocentii tertii, qui, vt habetur extra de sententia excom. cap. quantæ, ait: non autem solos violentiæ huius auctores aliquorum præsumptio extimet puniendos, & fauentes & consentientes pari pœna plectendos catholica condemnat auctoritas, eos delinquentibus fauere interpretans qui cum possint manifesto facinori desinunt obuiare.

DISCIP. Glossa intendit, quod hoc debet intelligi de prælatis.

MAG. Alii dicunt sic: Glossa recitat ibi, quod de omnibus debet intelligi. sed quicquid sit de hoc, argumentum stare videtur. Nam nullus prælatus magis obligatur defendere clericum (præsertim sibi subditum) quam quilibet Christianus tenetur defendere fidem suam, cum potest. si ergo prælatus, qui clericum non defendit, interpretatur fautor violentiæ talis: multo magis qui non defendit fidem suam, cum potest, contra diffinitionem hæreticalem Papæ, interpretandus est fautor diffinitionis huiusmodi.

DISCIP. Si omnes rationes, quę in scripturis possunt fundari authenticis, induceres ad probandum, quod talis tacens est fautor talis diffinitionis, & prolixe tractares, opus nimis prolixum efficeres. ideo absque formatione rationum aliquas auctoritates, ex quibus sumi valeant argumenta, ad conclusionem præfatam coneris allegare.

MAG. Ad hoc valere videtur auctoritas Hieron. qui, vt habetur *dist. 86. cap. facientis*, ait: facientis proculdubio culpam habet qui cum potest corrigere, negligit emendare. Item dist. 83. sic legitur: mortem languentibus probatur infligere qui hanc (cum possit) non excludit. Item Innocentius, vt allegatum est supra dist. 83. cap. error, ait: error cui non resistitur approbatur, & veritas cum minime defenditur opprimitur. Item Ambrosius, vt habetur dist. 86. cap. pasce, ait: quisquis enim pascendo hominem seruare poteris, si non paueris, occidisti. Item Leo Papa, vt habetur extra de hæreticis. cap 3. ait: Qui alios cum potest ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat. Item Iohan. 8. vt habetur 22. quæst. 8. cap. præterea, ait: cum crimina, quæ potest emendare, non corrigit, ipse committit. Item Alexander tertius, vt habetur extra de homicidio. cap. sicut dignum, ait: qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit eum, occidit. ex quibus aliisque auctoritatibus quamplurimis consimilibus argumenta sumuntur ad probandum, quod quicunque reclamando, contradicendo, reprobando assertionē hæreticalem Papæ vel quocunque aliquo modo possunt eum retrahere, ne diffiniat hæreticam prauitatem, si tacent, sunt fautores hæreticæ prauitatis.

DISCIP. Quamuis vna ratione apparenti nisus sis probare, quod consentiens Papæ consulendo, quod hæreticam diffiniat prauitatem, est fautor prauitatis eiusdem: adhuc tamen eandem conclusionem auctoritatibus vel si malueris rationibus nitaris ostendere. & quia idem videtur iudicium de consulente non tacite, sed expresse & cooperante diffinitioni hæreticali Papæ quantum ad hoc, quod si vnus est fautor hæreticæ prauitatis, & alius (cum vterque expresse consentiat) sufficit mihi, quod probes consentientem tali diffinitioni hæreticali esse fautorem diffinitionis eiusdem. & hoc vel rationibus vel auctoritatibus, vt tibi placuerit.

MAGIST. Sunt nonnulli dicentes, quod quia raro & pauci existimant hactenus summum Pontificem, qui diffinitiones seu determinationes hæreticales solenniter ediderit, paucæ vel nullæ auctoritates poterunt reperiri, quæ de huiusmodi diffinitionibus Papæ hæreticalibus & consen-

consentientibus eis loquantur expresse: multæ tamen inueniuntur, quæ quamuis de eis non loquantur nominatim, tamen in genere faciunt mentionem. & ideo videtur eis, quod in hac materia magis rationibus demonstratiuis ex patrum auctoritatibus deductis, quam nudis auctoritatibus oporteat conclusionem propositam comprobare.

DISCIP. Placet quod rationes adducas: sed an sint demonstratiuę, vel sophisticę, post hoc opus totum inquiram.

MAG. Vna ratione ad probandum: quod omnes consentientes siue cooperantes diffinitioni hæreticali sunt fautores hęreticæ prauitatis, sis contentus ad præsens. est autem hæc ratio. qui communicat alicui in crimine prauitatis hęreticæ, est fautor prauitatis eiusdem: quia communicans alicui in crimine fauorem eidem (quantum ad idem crimen) impendit. sed consentiens diffinitioni hęreticali Papæ siue consulendo siue cooperando communicat eidem in crimine diffinitionis hæreticalis. ergo est fautor prauitatis eius. Maior videtur manifesta, cum eadem pœna plectatur criminosus & communicans ei in crimine. *extra de sententia excommunicationis. cap. nuper. & cap. super.* Minor aperte probatur auctoritate beati Augustini, qui, vt habetur *23. quæst.* 4. *cap. à malis*, ait: *duobus modis te non maculat malus, si ei non consentias & redarguas, hoc est communicare, non consentire. Communicatur quippe quando facto eius consortium voluntatis vel approbationis adiungitur. neque ergo consentientes malis sitis vt approbetis: neque negligentes vt non arguatis.* Ex quibus verbis clare colligitur, quod consentiens criminoso facto alicuius approbando vel volendo, & per consequens consulendo vel cooperando, communicat eidem. & ita consentiens diffinitioni hæreticali Papæ communicat eidem in crimine hæreticę prauitatis. & hanc etiam minorem aperte insinuat beatus August. contra Donatistas, & ponitur *causa & quæst. prædict. cap. si quis catholica*, qui ait: *communio malorum non maculat aliquem participatione factorum sed consensione factorum.* Ex quibus verbis patet, quod qui consentit factis malorum in crimine, communicat eis.

CAP. XXXIII.

In quo tractatur, qua pœna sunt plectendi consentientes diffinitioni Papæ hæreticali.

DISCIP. Post prædicta dic, qua pœna consentientes diffinitioni hæreticali Papę sunt plectendi; & an debeant hęretici iudicari.

MAG. Dicitur quod pœna hęreticorum sunt plectendi. nam consentientes & facientes pari pœna sunt plectendi. sed Papa determinans & diffiniens solenniter assertionem hęreticalem est hæreticus & pœna hæreticorum plectendus. ergo consentientes diffinitioni hęreticali suę, pœna hæreticorum sunt plectendi. Maior sanctorum patrum auctoritatibus asseritur. ait enim Lucius Papa, vt habetur 17. *q. 4. c. omnes*: *non solum qui faciunt rei iudicantur sed etiam qui facientibus consentiunt. par enim pœna facientes & consentientes comprehendit.* Item Nicolaus Papa, vt legitur 2. *q.* 1. *c. notum*: *facientem & consentientem par pœna constringit.* Item Alexander tertius, vt legitur *extra de offici. delegati. cap.* 1. ait: *Agentes & consentientes pari pœna scriptura testimonijs puniuntur.* Hoc etiam Gregor. *dist.* 89. *c. Tanta*; insinuat manifeste, vbi Gloss. super verbo, *excommunicatos*, ait; *non quod quandoque magis puniuntur consiliarii quam facientes.* hoc etiam dicto Gelasii Papæ, quod ponitur *di.* 86. *cap. duo*, aperte elicitur, cum ait: *Innocentius Papa Archadium Imperatorem, quia consensit quod sanctus Iohannes Chrysostomus à sede sua pelleretur, excommunicauit.* vbi dicit Glossa super verbo *consensit*, ait; *consentientem maiori pœna astringi quam facientem.* cui concordat Glossa *24. quæst. 3. cap. qui aliorum*, dicens: *nota quod plus punitur consulens quam faciens.* Ex quibus aliisque pluribus, probatur quod consentientes & facientes pari pœna sunt plectendi. quod ex verbis beati Pauli Roman. 1. accipitur, vt videtur, cum ait: *qui talia agunt digni sunt morte: non solum autem qui faciunt ea sed etiam qui consentiunt facientibus.* vbi dicit Gloss. *consentire est tacere cum possis arguere vel errorem adulando fouere.* si autem adulando fouere est consentire: multo magis consulere & cooperari est consentire. & per consequens consentientes & cooperantes diffinitioni hæreticali Papæ pari pœna sunt plectendi: & ita pœna hæreticorum feriri debent.

DISCIP. Ista maior, *consentientes & facientes pari pœna sunt plectendi*: non videtur vera de consentientibus consulendo tantummodo, quod Alexander tertius, vt habetur *extra de homicidio. cap. Sicut*, affirmare videtur, cum dicit: *qui vero se asserunt animũ regis inflammasse ad odium, vnde homicidium fuit secutum, dure & aspere, sed non seuere sunt puniendi*, sicut (supple) qui occidunt. ex quibus verbis videtur, quod inflammans & per consequens consentiens consulendo non ita punitur, sicut faciens. quod Glossa, *extra de officio delega.* asserit manifeste, dicens: *in secundo casu consilii minus punitur* (quam supple, faciens) plus tanquam negligens. Glossæ ergo, quæ dicunt, quod consulens plus punitur quam faciens, tam Alexandri tertii quam Glossæ vltime allegatæ repugnare videntur.

MAGIST. Respondetur, quod hoc regulare est, quod consulens & faciens pœna consimili puniuntur, vt si vnus est excommunicatus, alter est excommunicatus. & si vnus est suspensus, & alter similiter. quandoque tamẽ quantum ad aliquam circumstantiam pœnæ consimilis grauius punitur consulens quam faciens: & quandoq; econuerso. & ideo quantum ad conclusionem propositam sufficienter ostenditur, quod consentiens constitutioni hæreticali Papæ pœna hæreticorum est plectendus.

Cap. XXXIV.

In quo probatur, quod praedicti consentientes haeretici sunt censendi. vbi etiam plures mouentur quaestiones circa idem.

Discip. Dixisti secundum opinionem praedictam, quod consentientes diffinitioni haereticali Papae siue consulendo siue cooperando, nō solum poena haereticorum sunt plectendi: sed etiam haeretici sunt censendi. ideo ad propositum, quod sunt haeretici, aliqua motiua non differas allegare.

Magist. Quod omnes consentientes consulendo, inducendo, suadendo, suggerendo diffinitioni haereticali Papae sunt inter haereticos computandi, multis modis videtur posse probari. Primo sic: qui simili modo cum haeretico est culpabilis iudicandus, crimine haeresis est irretitus. haec videtur nota de se. sed omnes consentientes diffinitioni haereticali Papae sunt cum Papa haeretico simili modo culpabiles iudicandi. hoc ex verbis Isidori, quae recitat & probat, vt habetur 11. quaest. 3. qui consentit, colligitur euidenter, cum dicit: alius pater ait, si quis alterius errori consentit, sciat se cum illo simili modo culpabilem iudicandum. ergo omnes consentientes, quod Papa assertionem, quae est haeretica, diffiniat & determinet, sunt haeretici cum Papa iudicandi.

Secundo sic: Qui alicui communicat in crimine, simili crimine est irretitus. sed consentientes, quod Papa diffiniat prauitatem haereticam, communicat Papae in crimine haeresis. ergo crimine haeresis inuoluitur.

Tertio sic: omnes credentes pertinaciter erroribus haereticorum sunt haeretici reputandi. omnes autem consentientes, quod Papa solenniter diffiniat haereticam prauitatem, sunt credentes pertinaciter errori Papae. ergo sunt inter haereticos computandi. maior ex verbis Gregorii, quae ponuntur extra de haereticis, excommunicamus, secundo, patenter habetur, cum dicit, vt allegatum est supra. credentes autem eorum erroribus haereticos similiter iudicamus. minor claret: quia qui consentit errori, iudicandus est quod illi errori adhaereat. Quod etiam sint pertinaciter credentes, patet ex hoc, quod non solum consentiunt errori, quem Papa diffinit, sed etiam consentiunt pertinaciae suae, qua solenniter diffinit errorem. ergo non solum communicant Papae credendo errorem: sed etiam sibi communicant in pertinacia. ergo pertinaces & per consequens haeretici sunt censendi.

Quarto: non minus est haereticus reputandus, cuius consilio siue cooperatione crimen haereticae prauitatis committitur, quam ille est dicendus homicida, cuius consilio seu cooperatione homicidium perpetratur. sed ille, cuius consilio & cooperatione homicidium perpetratur, dicitur homicida. ergo omnes consulentes & cooperantes, quod Papa diffiniat assertionem, quae est haeretica, committunt crimen haereticae prauitatis: & per consequens sunt inter haereticos computandi siue numerandi. Maior non videtur probatione aliqualiter indigere. minor auctoritate Augustin. quae ponitur in *de poenitentia dist. 1. cap. periculose*, videtur aperte posse probari, cum dicit: *periculose se decipiunt, qui existimant, eos tantum homicidas, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos per quorum consilium, fraudem & exhortationes homines extinguuntur. nam Iudaei nequaquam dominum propriis manibus interfecerunt. Scriptum est enim: Nobis non licet interficere quenquam. sed tamen illis mors domini imputatur: quia ipsi cum lingua interfecerunt dicentes: crucifige, crucifige eum.* Ex quibus verbis patet, quod homicida censetur, qui consilio, exhortatione, & per consequens cooperatione hominem interfecit: cui Coelestinus tertius, vt legitur, *extra de cleri. pugnantibus in duello. cap. haereticus*, concordare videtur, cum dicitur: *homicidium tam dicto quam facto siue consilio aut defensione non est dubium perpetrari.* hinc Gloss. *extra de homicidio. cap. licet*, ait: *nota quod homicidium committitur, facto, consilio, defensione. i. d. si quis non dicam.* quod ex scriptura diuina videtur trahere fulcimentum: cum etiam secundum scripturam sacram ille dicatur occidere, cuius intuitu quis occidit, vt legitur 3. *Reg.* 21. vxor Regis Achab, non ipse Achab, iussit occidi Naboth Iezrahelitam, vt vineam suam traderet regi: & tamen dixit Helias Propheta ad eum, *occidisti & possedisti.* patet ergo quod aliter quam manu potest quis committere homicidium: quia consilio & etiam praecepto & cooperatione. ergo & eadem ratione perfidia haeresis potest consilio perpetrari.

Discip. Nunquid secundum istos potest aliter dici haereticus quam ille qui dicitur homicida, cuius consilio homicidium perpetratur.

Mag. Respondetur quod verius & magis proprie dicitur haereticus ille, qui consentit diffinitioni Papae haereticali, quam ille dicitur homicida, cuius consilio homicidium perpetratur. nam ille qui solum consilio committit homicidium, non habet rationem completissimam homicidii: eo quod nequaquam manu interfecit: sed ille qui consentit diffinitioni haereticali Papae, nihil deficit de completissima ratione haeretici: quia ad completissimam rationem haeretici sufficit, quod quis pertinaciter adhaereat assertioni contrariae catholicae veritati. haec autem ratio inuenitur ita in consentiente dictae diffinitioni, sicut in Papa diffiniente, licet istam pertinaciam vnus ostendit vno modo, & alius alio modo. quia vnus diffiniendo, & alius diffinitioni consentiendo. & ideo ita proprie est vnus reputandus haereticus, sicut alius. non autem ita est de homicidio, quia licet quis dederit consilium de homine occidendo, non propter hoc homo vere realiter occiditur.

Discip.

DISCIP. Puto quod pro opinione prædicta fortiora motiua quam sint præscripta non est facile inuenire: ideo ad præsens sufficiant. & dic an in aliquo casu consentientes dictæ diffinitioni valeant excusari.

MAG. Respondetur, quod in nullo casu neque per ignorantiam neque per timorem mortis possunt excusari à peccato mortali. quod non per ignorantiam, patet per hoc, quod actui tam solenni sicut debet esse diffinitio summi Pontificis circa illa quæ spectant ad fidem nullus debet assentire: nisi sit certus certitudine sufficienti. de assertione autem hæreticali nullus potest esse certus, sicut nec potest esse certus de falso; tali diffinitioni nullus consentire debet.

DISCIP. Quid si credit se esse certum, quod talis diffinitio continet catholicam veritatem: licet in rei veritate doctrinæ catholicæ aduersetur?

MAG. Respondetur, quod non sufficit quod quis credat se esse certum, sicut ad excusandum Sarracenos & Iudæos non sufficit quod credunt leges & sectas suas esse bonas, nec ad excusandum hæreticos sufficit quod credant se esse certos, quod non obuiant catholicæ veritati. quilibet ergo qui vult consentire diffinitioni Papæ debet esse certus, quod consonet catholicæ veritati: & non sufficit quod credat se esse certum: quia ignorantia iuris in hoc casu non excusat, licet forte attenuet.

DISCIP. Quare non potest quis consentiens diffinitioni hæreticali excusari à peccato mortali per timorem mortis?

MAG. Ad hoc respondetur, quod ideo minime excusatur, quia pro nullo metu debet quis peccatum mortale incurrere. de his *extra quæ vi metuve causa fiunt. cap. sacris 32. quæst. 5. ita ne.* quia, vt dicit Nicola. secundum quod legitur 31. *quæst. 3. Lotharius: cum nec occisores corporis sint timendi contra iustitiam homines impellentes, Saluatore dicente Matth. 10. nolite timere eos qui corpus occidunt: animam autem non possunt occidere.*

DISCIP. Nunquid per timorem mortis potest quis consentiens diffinitioni Papæ hæreticali excusari à perfidia hæreticæ prauitatis? MAG. Respondetur, quod timor mortis & forte grauium tormentorum excusaret consentientem à perfidia hæresis: sed timor perditionis bonorum & rerum & famæ seu cuiuscunq; rei temporalis minime excusaret, quin esset inter hæreticos computandus. DISCIP. Nunquid consentientes diffinitioni Papæ hæreticali omnibus pœnis (quibus Papa hæreticus) sunt plectendi.

MAG. Respondetur, quod vere & proprie sunt hæretici iudicandi. DISCIP. Nunquid cardinales consentientes tali diffinitioni sunt priuati potestate eligendi summum Pōtificem. MAG. Dicitur quod sic: quia sunt ipso facto, quod consenserunt, cardinalatus dignitate de iure priuati.

DISCIP. Quid si omnes consentirent præter vnum, nunquid ille vnus habet potestatem eligendi? MAG. Respondetur ꝙ sic: quia ius eligendi potest in vno solo remanere, vt notat Gloss. *de postulatione, gratum. & di. 7. si forte.* DISCIP. Quid si omnes electores cōsentirent diffinitioni tali? MAG. Dicunt quod in hoc casu potestas eligendi summum Pontificem deuoluitur ad Romanos alios præter Cardinales vel ad omnes vel ad aliquos tantum. DISCIP. De hac materia te interrogabo sollicite in tractatu *De gestis circa finē altercantium contra fidem catholicam.* ideo ipsa dimissa dic, an aliquis consentiens diffinitioni hæreticali Papæ esset eligibilis in summum Pontificem. MAG. Respondetur quod non: quia nullus hæreticus est eligibilis in summum Pontificem. crimen enim hæresis electo in Papam potest opponi, vt notat Glossa *extra de electione, licet.* DISCIP. Dic, quid esset faciendum Cardinalibus & aliis requisitis à Papa hæretico, vt suæ diffinitioni hæreticali præbeant consensum. MAG. Respondetur, quod vel debent de necessitate salutis publice & manifeste contradicere, reclamare & pro viribus obuiare, vel si videatur eis expediens, possunt publice vel occulte fugiendo ad loca tutiora se conferre, vt fortius & efficacius perfidiæ Papæ hæretici resistere valerent.

CAP. XXXV.

Vsque ad 42. tractat de Episcopis & Prælatis Ecclesiæ fautoribus hæreticæ prauitatis, & primo de diuulgantibus doctrinam Papæ hæretici. & ponuntur tres opiniones secundum ordinem.

DISCIP. Quia probabiliter æstimo, quod si vnquam aliquis Papa futurus temporali vallandus potentia, & qui plurimos exaltabit ad ecclesiasticas dignitates, rabie inficeretur hæretica: non solum tertiam partem stellarum, sed forte mille partes ecclesiæ militantis traheret cauda sua in abyssum prauitatis hæreticæ, vt iuxta sententiam beati Gregor. *tolerabilius tanta mala si vnquam euenerint valeamus suscipere, si contra ipsa per prouidentiæ clipeum fuerimus præmuniti.* post prædicta de consentientib. quod Papa assertionem hæreticalē solenniter & manifeste diffiniat, volo de Christianis diuersorū statuum & graduū, quomodo doctrinę pestiferę Papę hęretici valeant fauere, interrogare ꝗ plura. ꝓpono inq̄rere sigillatim de Episcopis & Prælatis, de doctorib. & magistris, de religiosis & regib. principib. & publicis potestatib. & de dignitatib. & vltimo de laicis & simplicib. nullam potestatem habentibus coactiuam.

Incipiendo ergo ab Episcopis & Prælatis, quorū nomine Patriarchas & Archiepiscopos ac Abbates & alios maiores Prælatos comprehendo, Peto primo, vt discutias, an Episcopi & Prælati prin-

ti principes & diuulgantes per se vel per alios doctrinam erroneam Papæ hæretici, sint fautores prauitatis hæreticæ reputandi.

MAGIST. Circa hoc possunt esse diuersæ sententiæ. vna quod scientes doctrinam Papæ veritati catholicæ obuiare: & eam per se vel per alios diuulgant & publicant, sunt fautores hæreticæ prauitatis & hæretici iudicandi. Si autem nesciunt eam veritati repugnare catholicæ, non sunt fautores hæreticæ prauitatis, & hæretici iudicandi. Primum probatur sic. illi sunt fautores hæreticæ prauitatis, qui scienter hæreticæ prauitati consentiunt non solum tacendo, sed etiam diuulgando, & vt teneatur, doceatur, & etiam defendatur opem dando. tales autem sunt Episcopi & Prælati, qui doctrinam Papæ hæretici prædictam diuulgant & publicant. ergo sunt fautores hæreticæ prauitatis.

DISCIP. Nunquid secundum istam opinionem tales censendi sunt hæretici? MAGIST. Respondetur quod sunt fautores hæreticæ prauitatis: quia in rei veritate prauitati hæreticæ fauent dando opem & operam, vt hæretica prauitas doceatur & teneatur: tamen non sunt hæretici, quia corde non credunt doctrinam, quam publicant esse veram. DISCIP. Quomodo probatur secundum.

MAGIST. Probatur hoc modo: omnes fautores hæreticæ prauitatis peccant mortaliter: quia fautoria hæresis cum puniatur graui pœna, puta pœna excommunicationis, est peccatum mortale. qui autem ignorant doctrinam Papæ hæreticam esse, & eam publicant & diuulgant per se & per alios, non peccant mortaliter. ergo non sunt fautores hæreticæ prauitatis. maior videtur manifesta. & minor probatur sic. qui præceptum superioris implet, quando tenetur, non peccat mortaliter, sed quando nescitur, an præceptum superioris sit iustum vel licitum, obediendum est præcepto superioris, teste Augustin. contra Manicheos, qui, vt habetur 23. *quæst.* 1. *cap. quiculpatur*, ait, *vir iustus si forte etiam sub rege & homine sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, si vice pacis ordinem seruans: quod sibi iubetur vel non esse contra Dei præceptum certum est; vel vtrum sit, certum non est: ita vt fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Ex quibus verbis colligitur, quod obediens præcepto superioris, quando non est certum præceptum eius esse contra præceptum Dei, non peccat. ergo qui publicat & diuulgat doctrinam Papæ, quam nescit esse contra catholicam veritatem, non peccat. & per consequens non est fautor hæreticæ prauitatis.

CAP. XXXVI.

In quo ponitur opinio secunda contraria secundæ parti seu conclusioni in capitulo præcedenti posita. & ibidem respondetur ad rationem factam cap. præcedenti pro secunda parte, quam ponit opinio.

DISCIP. Aliam sententiam tracta. MAG. Alia sententia est, quod omnes Episcopi & Prælati publicantes & diuulgantes solenniter coram sibi subiectis totam tenendam doctrinam erroneã Papæ hæretici, tanquam catholicam, sunt fautores hæreticæ prauitatis, siue sciant eam esse erroneam siue ignorent, hæc per rationem pro prima parte superioris sententiæ factam videtur aperte posse probari. Nam qui cõsentit dando opem vel operam, vt hæreticalis doctrina tanquam catholica doceatur & teneatur, est fautor hæreticæ prauitatis. sic sunt Episcopi & Prælati, qui per se vel per alios doctrinam erroneam Papæ hæretici tanquam catholicam publicant & diuulgant. ergo sunt approbati fautores hæreticæ prauitatis. minor euidens est. maior testimonio Pii Papæ ostenditur, qui, vt legitur *dist. 83. cap. quid enim prodest*, ait: *Quid enim prodest illi suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti.* q. d. nihil. ergo nihil prodest, vt excusetur à fautoria hæresis ille, qui consentit dando opem vel operam, vt error Papæ tanquam catholicus diuulgetur. Secundo sic. non minus peccare videtur, qui non resistit errori, quam qui errorem diuulgat, & tanquam catholicum publicat. sed qui non resistit errori, censetur ipsum approbare, secundum quod per plures auctoritates, quarum aliquæ sunt allegatæ, aperte probatur. ergo multo fortius qui errorem publicat & diuulgat, tanquam catholicum, eundem approbare dinoscitur. qui autem errorem approbat, fautor erroris existit. ergo Episcopi & Prælati publicantes & diuulgantes doctrinam erroneam Papæ hæretici, eiusdem doctrinæ hæreticalis sunt fautores.

Tertio sic. qui aliis offendicula erroris præparat, fautor erroris est censendus. sed qui doctrinam Papæ erroneam publicat & diuulgat, præparat audientibus offendicula erroris. ergo fautor erroris est censendus. Quarto sic. ille, qui doctrinam nouam hæreticalem Papæ tanquam catholicam publicat & diuulgat, sequitur opiniones falsas & nouas. Sed qui consequitur opiniones falsas & nouas, non solum fautor hæresum, sed etiam hæreticus est censendus, teste August. qui ait, vt legitur 24. q. 3. c. hæreticus: *Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi & maxime vanagloriæ principatusque sui gratia, nouas vel falsas opiniones vel gignit vel sequitur.* ergo Episcopi & Prælati, præsertim si vt aliquod commodum consequantur à Papa, & vitent incommodum, opiniones falsas & nouas Papæ publicant & diuulgant, non solum fautores, sed etiam hæretici sunt censendi. Quinto sic: qui aliis est causa & occasio fauendi & adhærendi pertinaciter hæreticæ prauitati, videtur esse fautor prauitatis eiusdem, & sibi imputari debet. sed Episcopi & Prælati publicantes & diuulgantes doctrinam erroneam Papæ hæretici sunt aliis causa & occasio fauendi & pertinaciter adhærendi eidem doctrinæ

ctrinæ erroneæ. ergo taliter publicãtes sunt fautores hæreticæ prauitatis: & si aliquando audientes eisdem fauerint & pertinaciter adhærere præsumpserint, publicantibus & diuulgantibus imputari debet. maior patet: quia ita punitur, qui causam præstat, sicut ipse faciens, sicut notat Glossa *extra de homicido. c. suscepimus.* quod etiam ex aliis sacris canonibus elicitur euidenter. quemadmodum enim qui causam damni vel occasionem dat, damnum dedisse videtur, *extra de iniuriis de damno dato. c. vlt.* ita qui causam aut occasionem peccati dat, peccare videtur. qui ergo causam & occasionem fauẽdi & adhęrendi doctrinæ erroneæ dat, peccat mortaliter. tale autem peccatum videtur ad fautoriam vel crimen hæresis debere reduci. ergo talis est fautor hæreticæ prauitatis reputandus. DISCIP. Videtur quod hæc ratio non procedat. nam secundum August. vt legitur *23. q. 5. c. de occidendis,* sæpe bonum & licitum potest esse occasio mali, & tamen tale malum habenti aut facienti bonum ex quo prouenit imputari non debet. ergo quãmuis ex prouulgatione & publicatione doctrinæ Papæ audientes faueant & adhæreant pertinaciter eidem doctrinæ erroneæ publicantibus imputari non debet. aliter enim sequeretur, quod nullus deberet aliquam doctrinam erroneam coram aliis ad improbandum legere, vel etiam recitare: quia ex tali recitatione posset contingere, quod aliqui audientes qui doctrinam huiusmodi nunquam ante audiuerant, fauere eidem inciperent, & pertinaciter adhærerent. MAGIST. Ista ratio faciliter (vt nonnullis apparet) refellitur. nam sicut ex dictis maiorum elicitur: si quis dat operam rei licitæ ac diligentiam debitam adhibet, ei minime imputatur, si aliquid mali inde acciderit. & in hoc casu loquitur August. in prædicto capitulo dicens: *absit vt ea quæ propter bonum & licitum facimus si per hæc præter nostram voluntatem quicquam mali accideret, nobis imputetur.* Si vero aliquis dat operam rei illicitæ, & debitam diligentiam non adhibet, si aliquid mali acciderit, sibi merito imputandum est, *extra de homicidio c. presbyterum. & c. continebatur,* & ex pluribus aliis sacris canonibus elicitur euidenter. Cum igitur qui doctrinam Papæ hæretici erroneam tanquam catholicam publicat & diuulgat, det operam rei illicitæ, & diligentiam debitam nequaquam adhibeat: si ex tali publicatione vel diuulgatione aliquis fauerit vel pertinaciter adhæserit doctrinæ erroneæ Papæ hæretici, publicanti & diulganti non immerito imputatur. secus autem de illo, qui publicat vel legit ipsam & improbat: quia non dat operam rei illicitæ. & ideo si aliqui audientes ex malitia propria eidem doctrinæ fauerint vel pertinaciter adhæserint, publicanti & diuulganti imputari non debet.

DISCIP. Dic quomodo secundum istam sententiam ad rationem in contrarium factam in præcedenti capitulo respondetur.

MAGIST. Ad istam respondetur, quod quando quis implet præceptum superioris, de quo non tenetur scire, antequam impleat, quod est contra præceptum Dei, non peccat implendo. si autem tenetur scire, quod est contra Dei præceptum, peccat implendo, licet nesciat hoc esse contra præceptum Dei. quia quantum ad id, quod quis tenetur scire, ignorantia non excusat. prælati autem & episcopi antequam publicent & diuulgent diffinitionem Papæ, tenentur scire an sit consona vel dissona catholicæ veritati: nec (antequam sciant) hanc diffinitionẽ Papæ aliqualiter debent publicare tanquam catholicam. circa enim publicationem authenticam & solennem eorum, quæ ad fidem spectant, est cautela diligentissima adhibenda: quia si erratur in fide, nullum bonum (imo etiam mors pro nomine Christi suscepta) potest proficere ad salutem, & ideo nullus circa causam cuiuscunque maiorem debet adhibere cautelam, quam circa ea quæ ad fidem spectant. cum ergo nullus episcopus vel prælatus debeat quemquam subditum suum de crimine damnare, antequam diligenter inquisiuerit veritatem: multo magis nullam doctrinam debet solenniter publicare (tanquam catholicam) antequam aperte cognouerit, quod est consona catholicæ veritati.

DIS. Ad episcopos vel prælatos examinare non pertinet doctrinam Papæ sibi sub bullis transmissam, sed tantummodo iuxta mandatum Papæ eam debent eorum subditis publicare. MAG. Videtur nonnullis, quod hic omnino à veritate recedis. nam secundum canones in rebus maioribus est maior inquisitio & examinatio facienda. *7. q. 2. c. vlt.* episcopi & prælati recipientes mandatum Papæ super prouisionibus clericorum & aliis rebus multo minoribus, quam sit catholica fides, sibi bullas missas licite examinant diligenter. quod eis esse licitum Alexander tertius asserit manifeste, vt habetur *extra de rescriptis c. si quando,* qui ait: *si quando aliqua fraternitati tuæ dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes.* & infra: *qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter consideres, aut mandatum nostrum reuerenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas.* Ex quibus verbis colligitur, quod licet recipienti mandatum Papæ qualitatem negotii, pro quo scribitur, examinare & discutere diligenter. ergo multomagis si Papa scribit aliquid, quod tangit fidem, scripturam sacram examinare & discutere oportet diligenter. & si inueniatur in ea aliquid fidei obuians orthodoxæ, est nullatenus publicandum. DIS. Forte episcopi & prælati non sunt in scriptura diuina excellenter instructi. quare ad eos profunde scripturam scrutari non spectat. & ideo non debent doctrinam Papæ discutere. MAGIST. Dicunt nonnulli, quod hoc est principium periclitationis fidei Christianæ, constituere episcopos & prælatos scripturarum diuinarum ignaros. quia iuxta sententiam Saluatoris, *si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*

DISCIP. De episcopis & prælatis non habentibus sacrarum literarum peritiam in tra-

ctatu *De gestis circa fidem altercantium orthodoxam* aliqua indagare studebo. nunc vero quomodo per istam sententiam ad auctoritatem August. respondere contingat, expone.

MAGIST. Dicitur quod August. loquitur de militante sub rege sacrilego, quando non tenetur scire an præceptum regis sit contra præceptum Dei: & cum hoc nescit. si vero miles ignorat præceptum regis esse contra præceptum Dei; & tamen tenetur scire, obediendo peccat. nam si rex præciperet militi, dicens, *interfice istum, quia colit Deum*, miles interficiendo peccaret. quia scire tenetur, quod nullus debet interfici propter hoc quod colit Deum.

CAP. XXXVII.

In quo ponitur tertia opinio medians inter duas præcedentes eas declarando.

DISCIP. Contingit ne aliter respondere ad interrogationem meam, *supra c. 35.* propositam? MAGIST. Vna est sententia, quæ inter prædictas sententias aliquo modo media esse videtur: Quia distinguit de erronea doctrina Papæ hæretici. aut enim assertio est explicite condemnata, vtpote quia sub propria forma est condemnata, vel quia est contraria alicui veritati explicite approbatæ: qualis est omnis veritas in scriptura diuina & determinationibus ecclesiæ assertiue contenta. aut assertio Papæ hæretici est solummodo implicite condemnata: qualis est omnis error, qui scripturæ diuinæ vel determinationibus ecclesiæ vniuersalis repugnat, cuiusmodi sunt multæ opiniones theologorum: qui circa ea, quæ ad fidem spectant, contrarie opinantur. quare constat, quod vna contrariarum illarum est erronea, & hæresis saltem implicite condemnata. quia veritas contradictoria est saltem implicite approbata, eo quod omnis veritas catholica quantumcunque latens & multis incognita est per vniuersalem ecclesiam in genere etiam implicite approbata. Si assertio Papæ erronea est solum implicite condemnata, diuulgantes eam & publicantes tanquam catholicam obediendo mandato Papæ, qui mandaret, quod talis assertio ab omnibus tanquam catholica teneatur, non sunt hæretici, nec fautores hæreticæ prauitatis, nec peccant mortaliter eam taliter publicando. quemadmodum theologi non peccant mortaliter docendo & tenendo assertiones, quæ in rei veritate sunt erroneæ & hæreticales, quas tamen non sciunt nec tenentur scire esse erroneas. Si vero assertio Papæ erronea est explicite condemnata, quia est contradictoria alicuius assertionis, quæ in scriptura diuina vel determinatione ecclesiæ sub forma propria continetur, vel patenter omnibus, sequitur ex assertione tali episcopi vel prælati, talem assertionem Papæ solenniter diuulgantes tanquam catholicam sunt fautores reputandi hæreticæ prauitatis; quia nullam assertionem debent solenniter publicare, antequam constiterit eis quod non est hæretica explicite condemnata: & si hoc non possunt faciliter scire per seipsos, debent consulere peritos.

DISCIP. Quid si periti dicunt eis, quod talis assertio Papæ non est explicite condemnata; sed est consona veritati.

MAGIST. Respondetur, quod non debet sufficere eis, quod periti hoc eis dicant solo verbo, sed debent petere ab eisdem peritis, vt eis euidenter ostendant, quod sit consona catholicæ veritati. quod si hoc facere periti non potuerint, debent supersedere & assertionem Papæ erroneam explicite condemnatam nullatenus publicare. quemadmodum episcopi & prælati, quando considerant, vel etiam dubitant, quod mandatum Papæ est eis præiudiciale, ipsum deserunt adimplere: & quod adimplere minime teneantur, multis & fortibus allegationibus probare nituntur. ergo multo fortius si assertio Papæ est consona catholicæ veritati, mandatum Papæ super tali publicatione facienda adimplere non debent: sed debent ostendere causas, quare tale mandatum implere non possunt. Si enim episcopi & prælati recipientes Papæ mandatum (quod eorum honori vel commodo temporali obuiare videtur) ipsum non implere tenentur, sed cum maxima diligentia allegare conantur, quod tale mandatum est præiudiciale; & ideo adimplere non debent. Si vero recipiunt mandatum Papæ super aliquo, quod ad fidem spectat, & non curant studiosissime per se & per alios indagare, an tale mandatum deroget quoquomodo honori diuino & fidei orthodoxæ sed statim absque omni deliberatione sufficienti præcipitanter assertionem erroneam tanquam catholicam publicant & diuulgant: ostendunt aperte, quod ea quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi. an enim per mandatum Papæ ab eorum diuitiis vel honore aliquid depereat diligentissime inuestigant. sed an per mandatum Papæ eorum fides catholica destruatur, penitus non attendunt. & ideo si diligentiam debitam non adhibent, & publicant solenniter hæreticam prauitatem, fautores hæreticæ prauitatis sunt censendi.

DISCIP. Non videtur licitum indagare, an sententia Papæ super aliquo, quod tangit fidem, sit consona veritati, quia si hoc esset licitum, liceret episcopis & prælatis de sententia Papæ super causa fidei disputare. quod non videtur verum; quia secundum Nicolaum Papam, vt legitur 17. q. 4. c. *nemini: nulli licet de iudicio sedis apostolicæ iudicare*, & per consequens nemini licet de eiusdem iudicio disputare. Tum quia de illius sententia in causa fidei, ad quam causæ fidei sunt vltimo deferendæ, non est licitum disputare. ille autem est Papa. ergo de sententia Papæ disputare non licet. MAGIST. Ista friuola reputantur. nam de sententiis iudicis & lite-

& literis ſummi pontificis tota die licite diſputatur: & cum ſollicitudine maxima examinantur, diſcutiuntur & videntur. Quod enim de ſententia Papæ licite diſputetur etiam in dubium reuoluendo, an ſit iuſte lata, probatur. nam de ſententia, quæ poteſt retractari, & in melius commutari, teſte Greg. qui vt habetur *35. q. 9. c. apoſtolica*, ait: *Apoſtolicæ ſedis ſententia tanta ſuper conſilii moderatione concipitur, tanta patientia & maturitate decoquitur, tantaque deliberationis grauitate profertur, vt nec immutari neceſſarium ducat, niſi forte ſic prolata ſit, vt retractari poſſit vel immutari, ſi ſecundum tenorem præmiſſæ conditionis exiſtat.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod apoſtolicæ ſedis ſententia retractari poteſt & etiã immutari. cui etiam Innocentius Papa, *cauſa & q. prædictis, capitulo veniam*, concordare videtur dicens: *Veniam nunc ad maximum Fotinum, quaſi ad quoddam thema, & quod mihi anxium eſt ac difficillimum maiorum meorum* (ſcilicet prædeceſſorum) *reuoluam* (hoc eſt, reuocabo ſententias contra Fotinum) *Fuerat de illo quoquo pacto* (id eſt aliqua fraude) *vt ipſi etiam comunitem iniſtis, aliquid vtique grauius conſtitutum. verum quoniam id quod per rumorem falſum, vt aſſeritis, ſurreptum huic ſedi & elicitũ per inſidias demonſtratur, quia res ad ſalutẽ rediit, veniã tantum vobis hinc admittentibus poſt condemnationem more apoſtolico ſubrogamus, tantiſque veſtris aſſertionibus vobiſque tam bonis tã caris non dare conſenſum omnibus duris rebus durius arbitramur.* Ex quib. colligitur, quod ſententia ſummi pontificis retractari poteſt. quod Nicolaus Papa, vt habetur ſequenti c. *ſententiam*, aſſerit dicens: ſententiam Romanæ ſedis non negamus poſſe in melius commutari, cum aut ſurreptum aliquid fuerit, aut ipſa pro conſideratione ætatum aut temporum ſeu grauium neceſſitatum diſpenſatione, quædam ordinare decreuerit. & infra: *quod tamen obſeruandum eſt quando illa* (videlicet Romana eccleſia) *diſertiſſima conſideratione hoc fieri diligenter proſpexerit.* Ex quibus colligitur, quod ſententia Romanæ ſedis poteſt retractari & in melius commutari. & per conſequens licet de tali ſententia diſputare, quomodo etiam ſuper literis & ſcripturis ſummi pontificis tota die coram iudice diſputatur & etiam litigatur, nullus, qui ſequitur, cauſas ignorat. ergo licet ſuper ſententia Papæ diſputare. DIS. Cauſa, quare ſuper reſcriptis in literis ſummi pontificis licite diſputatur, eſt: quia literæ ſæpe per reſcriptionem & falſas ſuggeſtiones impetrantur; quandoque etiam Papa multis ex cauſis decipi poteſt. vnde ſuper talibus literis diſputare licet. illa autem quæ emergunt contra fidem, & diffiniuntur per Papam, deliberatione maxima proferuntur, & ſuper illis diſputare non licet. MAGIST. Ex iſta ſententia putant nonnulli ſe per demonſtrationem probare. Quod ſententia Papæ ſuper aliqua difficultate fidei lata eſt per peritos, ad quorum notitiam peruenerit cum maxima diligentia & ſtudio examinanda, & ſuper ea diſputare licet. & ſi inuenta fuerit diſputando contraria veritati eſt penitus reſpuenda, & omnimode reprobanda. Primo probatur ſic. vbi eſt eadem cauſa, eundem debet habere effectum. cauſa autem, quare literæ Papæ, quæcunque ſint, inſpiciendæ diligenter ac videndæ & examinandæ ſunt, & quare de eis diſputare licet, & quare eis obedire in caſu nequaquã oportet; & quia Papa poteſt decipi. ſi enim Papa nullo modo poſſet decipi, prædicta non licerent. ſed Papa ita bene poteſt decipi circa ea quæ ſunt fidei, ſicut circa quæcunque alia. aliter enim Papa hæreticari non poſſet, cuius oppoſitum ſupra *libr. 5.* auctoritatibus, rationibus & exemplis multipliciter eſt oſtenſum. ergo literæ Papæ, quæ ſuper aliqua difficultate fidei emanare noſcuntur, diligentiſſime ſunt videndæ & examinandæ, & de iis diſputare licet. & ſi à quocunque prælato vel ſubdito, diſcipulo vel magiſtro, fuerint deprehenſæ à fide recedere orthodoxa, ſunt penitus reſpuendæ & efficaciter reprobandæ.

DISCIP. Quare ergo quotidie cernimus prælatos & alios de literis Papæ, quæ tangunt negotia tantum eccleſiaſtica, diſputare, & omnes timent diſputare de diffinitione Papæ ſuper his quæ ad fidem pertinent orthodoxam?

MAGIST. Cauſa multiplex aſſignari poteſt. vna tamen præcipua aſſignanda eſt ad præſens, quæ eſt defectus zeli catholicæ veritatis & amor terrenarum diuitiarum & honorum. quia enim multi Chriſtiani nihil aſperum, nihil difficile, nullum periculum, nullam indignationem alicuius potentis, quem timent, volunt pro fide catholica ſuſtinere, nec curant an fides proficiat aut deficiat. ideo nolunt diſputare de diffinitionibus Papæ, quia eius indignationem timent incurrere. pro temporalibus autem diuitiis & honoribus labores & pericula ſunt parati ſuſtinere. ideo (quia ex diſputatione de literis Papæ, quæ ipſorum tangunt negocia) ſperant honores vel diuitias adipiſci, vel ſaltem damnum vel periculum temporale euitare in diſputatione de huiuſmodi literis ſummi pontificis non verentur. & ſimiliter ſi de diſputatione ſuper ſententia Papæ hæretica honorem vel commodum ſperarent, de ipſa diſputare nullatenus formidarent.

DISCIP. Dic quomodo reſpondetur ad ſecundam, per quam probant. quod non licet alicui de ſententia Papæ ſuper fide catholica diſputare.

MAGIST. Quod quamuis ad ſummum pontificem ſunt cauſæ fidei deferendæ, quia tamen ſummus pontifex errare poteſt contra fidem, ſententia eius ſuper difficultate aliqua fidei Chriſtianæ eſt ſtudioſiſſime examinanda & diligentiſſime diſputanda. & ſi per diſputationem vel per aliquem modum fuerit deprehenſa à veritate deuiare catholica, eſt penitus condemnanda, & tanquam hæretica reputanda exemplo catholicorum, qui vt colligitur ex decretis, *di. 19. c. ſecundum eccleſia. & §. quia ergo & c. Anaſtaſius ſecundus*, diffinitionem hæreticalem Anaſtaſii hic ſollicite inſpexerunt, & an eſſet conſona catholicæ veritati quæſierunt attente, ſiue diſputan-

ſputando ſiue alio modo, quam cum inueniſſent contrariam fidei orthodoxæ tanquam hæreticam reſpuerunt. & ita conſtat quod de diffinitione Papæ antequam ſciatur eſſe catholica, eſt licitum diſputare.

DISCIP. Omnes catholici abſque omni inquiſitione debent ſupponere, quod diffinitio Papæ ſuper fide catholica ſit conſona fidei orthodoxæ. & Gregorius dicit, vt allegatum eſt ſupra, *apoſtolicæ ſedis ſententia præcipue ſuper his quæ ſpectant ad fidem, tanta ſemper conſilii moderatione concipitur, tanta patientia & maturitate decoquitur, tantaque deliberationis conſilii grauitate profertur, vt omnino recta ſit credenda.* ergo omnes debent præſumere ſententiam Papæ catholicam eſſe. quare eam examinare non debent; nec de ea diſputare licet.

MAG. Ad hoc reſpondetur, quod Gregorius loquitur de modo, qui ſeruari debet circa ſententiam apoſtolicæ ſedis: & etiam qui (vt frequenter) ſeruatus eſt. cum hoc tamen ſtat, quod talis modus poſſit omitti circa ſententiam Papæ, quemadmodum Anaſtaſius ſecundus talem modum circa ſententiam ſuam non ſeruauit. Et ideo quamuis ſententia Papæ (maxime circa fidem) tanta conſilii moderatione concipi debeat, tantaque maturitate patientiæ decoqui, & tanta deliberationis grauitate proferri, vt antequam contrarium euidenter appareat, præſumi debeat conſona veritati. quia tamen poteſt errare contra fidem, poteſt eſſe proprii ſenſus, & prudentiæ ac ſapientiæ propriæ nimis inniti, ac copioſitatis, præcipitationis, præſumptionis & temeritatis vicio laborare, non eſt tam firmiter & tam certitudinaliter præſumendum pro ſententia Papæ, quin debeat diligenter examinari, diſcuti & videri. & quando de ea (antequam non ſolum modo præſumptiue, ſed etiam euidenter conſtiterit quod à veritate non deuiat) liceat diſputare: quemadmodum de omnibus literis Papæ præſumendum eſt, quod antequam conſtiterit contrarium, quod eis oporteat obedire, non tamen debet iſta præſumptio eſſe violenta, vt non liceat literas Papæ examinare & inueſtigare ſollicite an eis oporteat obedire. Omnes ergo ſententiæ quæ contra fidem & bonos mores poſſunt emergere, examinandæ ſunt diligentiſſime & probandæ iuxta illud Apo. *omnia probate:* quod de illis, quæ dubia eſſe poſſunt, debet intelligi.

DISCIP. Contra prædicta, vna mihi adhuc occurrit obiectio. videtur enim, quod epiſcopi & prælati publicantes & diuulgantes doctrinam Papæ hæreticam non ſint fautores hæreticæ prauitatis. imo etiam videtur, quod hoc poſſunt facere abſque peccato mortali. nam minus eſt prædicare & diuulgare ſolummodo doctrinam hæreticalem alterius, quam publicare & docere hæreſim manifeſtam alienam vel propriam. Sed abſque peccato mortali poteſt quis ex ignorantia vel ſimplicitate prædicare publice & docere hæreſim manifeſtam, cuius contrarium in ſcripturis ſacris reperitur expreſſe, quia quamuis publice quis prædicet vel doceat hæreſim manifeſtam (ſi paratus eſt corrigi) non eſt hæreticus, & per conſequens non peccat mortaliter. ergo multo magis & fortius poſſunt prælati publicare doctrinam Papæ hæreticalem abſque peccato mortali. & per conſequens abſque fautoria hæreticæ prauitatis.

MAGIST. Ad hoc reſpondetur diſtinguendo: quia aut doctrina erronea Papæ eſt per ipſum ſolenniter diffinita, & ab eo tanquam Papa determinata, aut ipſe Papa aſſertionem erroneam ſolummodo prædicat & docet, aut tacet & ſolenniter non diffinit. Item, aut aſſertio hæretica Papæ eſt talis, quod epiſcopi & prælati tenentur explicite credere contrariam veritatem: aut eſt talis, quod non tenentur explicite credere, ſed ſolummodo implicite. Si itaque epiſcopi & prælati publicant & diuulgant ſolenniter per ſe vel per alios diffinitionem hæreticalem Papæ, ſunt fautores expreſſe prauitatis hæreticæ. ſi etiam publicant doctrinam Papæ hæreticalem, cuius contrariam veritatem tenentur credere explicite, peccant mortaliter, & ſunt cenſendi fautores hæreticæ prauitatis. Si vero publicant aliquam diffinitionem hæreticalem Papæ ſeu aliquam aſſertionem hæreticalem, quam abſque diffinitione ſolenni pertinaciter tenet & aſſerit: & ipſi publicantes contrariam tenentur credere explicite, peccant mortaliter, & ſunt cenſendi fautores hæreticæ prauitatis. Si vero non publicant aliquam diffinitionem hæreticalem Papæ, ſed aliquam aſſertionem eius hæreticalem, quam abſque diffinitione ſolenni pertinaciter tenet & aſſerit: & ipſi non tenentur explicite credere contrariam veritatem, non ſunt cenſendi fautores hæreticæ prauitatis, ſed antea examinari debent ſollicite, an ex ignorantia vel ſimplicitate vel pertinacia talem aſſertionem prædicant & diuulgant, & in hoc probantur publice prædicantes & docentes.

DISCIP. Quare qui diffinitionem Papæ hæreticalem publicant, ſunt fautores hæreticæ prauitatis; & publice prædicantes hæreſim manifeſtam, vel docentes non ſunt cenſendi fautores hæreticæ prauitatis, nec etiam peccare mortaliter?

MAGIST. Huius ratio aſſignatur talis. ſicut maior deliberatio requiritur ad iuramentum, quàm ad ſimplicem loquelam (& ideo grauius peccat periurus, quàm qui ſimplici loquela mentitur) ita cum maiori deliberatione debet Papa ſolenniter diffinire quàm abſque tali diffinitione ſolenniter docere vel etiam publice prædicare, & grauius peccat, ſi aſſertionem contra fidem diffinit ſolenniter, quàm ſi abſq; tali diffinitione aliquid contra fidem publice prædicat vel docet. ſi enim publice diffinit aliquid contra fidem, habetur pro tenente vltimata deliberatione aſſertionem ſuam contra fidem. ſed ſi ſolummodo prædicat vel docet contra fidem, non habetur propter hoc pro tenente vltimata deliberatione aſſertionem ſuam. & ideo

ideo post prædicationem publicam examinandus est, an sit paratus corrigi vel non. si inueniatur paratus corrigi, non est hæreticus reputandus. si autem non est paratus corrigi, pro hæretico est habendus. sicut Papa grauius peccat aliquid solenniter diffiniendo contra fidem, quàm solummodo publice prædicando vel docendo: sic grauius peccat qui solennem diffinitionem hæreticalem Papæ prædicat & diuulgat, quam qui eandem assertionem vel consimilem solum modo publice docet vel prædicat. & ideo publicando diffinitionem hæreticalem Papæ est fautor hæreticæ prauitatis, sed non solummodo publicè prædicando. DIS. Quare non requiritur tanta deliberatio ad publice docendum vel prædicandum, quanta requiritur ad aliquid solenniter diffiniendum? MAG. Actus publice prædicandi & docendi est multo communior & pluribus conuenit, quam aliquid solenniter diffinire. sicut simpliciter loquela est actus multo communior quam iuratio. & sicut non requiritur tanta deliberatio ad simplicem loquelam, sicut ad iuramentum (quia sæpe est loquendum & raro iurandum) ita non requiritur tanta deliberatio, cum quis publice docet & prædicat: sicut cum Papa aliquid tanquam catholicum diffinit solenniter. & ideo quia iste actus diffiniendi solenniter determinando aliquid tanquam catholicum exerceri non debet, nisi deliberatio vltimata præcedat. & in hoc casu est error inexcusabilis: quia ad hoc consilium nullus debet accedere, nisi sit sufficienter certus, qualiter non potest aliquis esse de falso. & propter consimilem rationem nullus debet prædicare solenniter diffinitionem Papæ tanquam catholicam circa ea quæ tangunt fidem, nisi sit certus, quod est consona veritati. & ideo excusabilis est, qui solenniter publicat diffinitionem hæreticalem Papæ tanquam catholicam. secus est de illis, qui non sunt prælati, ad quos solennis publicatio non spectat. & ideo si legunt vel recitant coram aliis multis diffinitionem hæreticalem Papæ, quam nesciunt esse hæreticalem Papæ, non sunt ex hoc ipso fautores hæreticæ prauitatis reputandi.

CAP. XXXVIII.

In quo agitur de episcopis & ceteris prælatis permittentibus alios docere & prædicare assertionem Papæ hæreticam. vbi probatur multis auctoritatibus & rationibus, quod omnibus modis debent resistere, quia alias sunt fautores & grauiter peccant.

DISCIP. Postquam autem discreuisti de episcopis & prælatis diuulgantibus & prædicantib. solenniter doctrinam hæreticalem Papæ per se vel per alios, tracta de episcopis & prælatis, qui siue publicent solenniter doctrinam hæreticalem Papæ siue non sustinent & permittunt, quod doctrina Papæ erronea in suis diœcesibus & inter suos subditos publicetur & doceatur & teneatur. nec sequaces Papæ hæretici talia præsumentes corrigunt vel castigant. peto enim scire, an literati tales episcopos & prælatos reputant fautores hæreticæ prauitatis peccare mortaliter, & qua pœna sint plectendi. dic autem primo modo de culpa eorum. MAG. Quidam dicunt quod episcopi & prælati talia sustinentes aut sciunt aut scire tenentur, quod sequentes Papæ doctrinam erroneam contra fidem tenent & docent: aut nesciunt nec scire tenentur: quia forte sequaces Papæ hæretici ita occulte & secrete procedunt, quod eorum excessus ad noticiam prælatorum peruenire non possunt. Item aut assertio Papæ hæretici est condemnata explicite, aut tantum implicite. si talis assertio est hæresis implicite tantummodo condemnata, prælati siue sciant sequaces Papæ docere & tenere doctrinam Papæ hæreticam, siue ignorent, non sunt propter hoc, quod non corrigunt taliter tenentes & docentes, fautores prauitatis hæreticæ reputandi; quemadmodum prælati & episcopi licet sciant theologos in suis diœcesibus (circa ea quæ ad fidem spectant) contraria opinari (& per consequens sciunt quod alteri tenent & docent errores) quia non est possibile quod vtraque contradictoriarum sit consona catholicæ veritati: tamen non tenentur eos corrigere, si neuter docet errorem explicite condemnatum. Si autem assertio Papę est hęresis damnata explicite, quia videlicet vel sub propria forma est ab ecclesia condemnata, vel eius contradictoria est expresse & patenter in scriptura diuina reperta, vel est expresse in determinatione ecclesiæ aperta, vel est apud omnes catholicos tanquam catholica diuulgata; puta si Papa assereret pertinaciter, vel solenniter diffiniret Christum non fuisse vere passum, aut nullam animam in inferno puniri, vel Christum non elegisse Iudam in apostolum, vel in Christo non fuisse duas voluntates, aut aliquid huiusmodi, in hoc casu episcopi & prælati, qui scirent vel tenentur scire sequaces Papæ tenere pertinaciter & docere doctrinam talem Papæ hæretici, essent fautores hæreticæ prauitatis, si sequaces Papæ hæretici minime coercerent. si autem nescirent, nec tenerentur scire, tales sequaces Papæ suos subditos taliter informare, nec scirent eos esse tales, non essent fautores hæreticæ prauitatis.

DIS. Tantummodo tractes prædictam materiam de episcopis & prælatis scientibus, vel qui tenentur scire sequaces Papæ esse in suis diœcesibus, qui docent doctrinam Papæ explicite condemnatam, quando scilicet est rumor & fama de talibus.

MAGIST. Dicitur quod in hoc casu episcopi sunt fautores hæreticæ prauitatis, si huiusmodi docentes & tenentes doctrinam Papæ hæretici non coherent. Quod enim episcopi in

hoc casu damnabiliter peccent, multis sanctorum auctoritatibus videtur aperte posse probari. ait enim August. vt habetur *dist. 83. & c. nemo: ita episcopus qui talia non corrigit magis dicendus est canis impudicus quam episcopus.*

DISCIP. Sicut ad episcopos non spectat corrigere Papam: ita nec sequaces Papæ. & ideo licet sequaces Papæ subditi episcoporum prædicent, doceant & teneant doctrinam Papæ hæretici hæreticalem, non sunt per episcopos cohercendi. MAG. Ista ratio putatur tam stulta, quod reprobatione non indiget: & tamen multipliciter reprobatur. Primo sic: quia ex hac ratione sequeretur, quod quamuis aliqui prædicarent, docerent & tenerent fidem Christianam esse falsam, & Christum fuisse prophetam falsum: non essent per episcopos corrigendi, sed tolerandi. Quod autem hoc absurdum sequatur, patet aperte. quia possibile est, quod aliquis Papa futurus teneat & solenniter diffiniat fidem Christianam esse falsam, & Christum fuisse falsum prophetam: quia nescitur an Antichristus erit Papa futurus. si ergo episcopi non debeant corrigere sequaces Papæ hæretici, ipsi nō debent in hoc casu corrigere publice prædicantes & docentes fidem Christianam esse falsam, & Christum fuisse falsum prophetam. quod omnes aures ecclesiæ horrerent.

DIS. Si Papa hæretic⁹ tā enormiter deuiaret à fide, sequaces eius essent per episcopos cohercēdi & corrigendi. sed si erraret in aliis, non essent sequaces eius per episcopos corrigendi. MAG. Ista responsio videtur nulla: quia ita episcopi tenentur corrigere vnam hæresim explicite damnatam, sicut aliam. omnem enim hæresim damnatam explicite debent episcopi extirpare de suis diœcesibus. & per consequens omnes hæreticos docentes, prædicantes seu tenentes quamcunque hæresim damnatam explicite cohercere tenentur. quare sequaces Papæ hæretici quamcunque hæresim damnatam explicite prædicantes, docentes, seu manifeste tenentes, sunt per episcopos castigandi. quia idem videtur esse de magnis & de his quæ hæreses paruæ videntur. DIS. Improbasti vno modo responsionem meā ad auctoritatem beati August. improba aliter. MAG. Quod sequaces Papæ hæretici sint per episcopos corrigendi, ostenditur sic. propter prauitatem hæreticam Papæ nullus est à iurisdictione episcoporum exemptus. Sed prædicantes & docentes quamcunque hæresim damnatam explicite essent per episcopos castigandi, si Papa esset catholicus. ergo propter hoc, quod sunt sequaces Papæ hæretici, non sunt à iurisdictione episcoporum exempti, & per consequens ita sunt per episcopos corrigendi, sicut si non essent sequaces Papæ hæretici. Item sequaces Papæ non sunt magis exempti à iurisdictione episcoporum, quam ipsemet Papa hæreticus. Sed cum Papa hæreticus sit omni dignitate priuatus (eo ipso quod fit hæreticus) esset ratione delicti de iurisdictione episcopi, in cuius diœcesi moraretur, sicut superius multipliciter ostensum est. ergo sequaces Papæ hæretici sunt per episcopos cohercendi. DIS. Quid si episcopus attentaret corrigere sequaces Papæ hæretici, & ipsi ad Papam appellarent, nunquid episcopus appellationi tali deferre deberet. MAG. Respondetur quod tali appellationi esset minime deferendum: tum quia à correctione appellare non licet, nisi corrigens modum correctionis crederet: tum quia ad hæreticum appellare non licet. & ita appellationi quæ fit ad Papam hæreticum est minime deferendum. DIS. Quid si tales appellarent ad concilium generale. MAGIST. Respondetur, quod cum tales tenerent hæresim damnatam explicite, non esset deferendum appellationi eorum.

DISCIP. Alias auctoritates vel rationes ad conclusionem principalem adducas. MAG. Quod episcopi, qui tales sequaces Papæ hæretici negligūt castigare, damnabiliter peccent, & sunt fautores hæreticæ prauitatis, probatur per easdem auctoritates, quibus supra. *c. 32. & 33.* est ostensum, quod qui tacent, cum possunt crimen prauitatis hæreticæ corrigere, & qui consentiunt prauitati hæreticæ, sunt fautores hæreticæ prauitatis. quia quamuis auctoritates aliæ & consimiles possent de subditis intelligi, tamen principalius intelligendæ sunt de prælatis. præter illas etiam sunt multæ aliæ ex quibus euidenter ostenditur, quod prælati qui negligunt sequaces Papæ hæretici castigare damnabiliter peccant, & sunt merito inter fautores hæreticæ prauitatis computandi. Leo enim Papa vt habetur *dist. 86. c. 1.* ait: *Inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis sunt referendæ quam ad desides negligentesque correctores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.* ex quibus verbis infertur, quod culpæ sequacium Papæ hæretici docentium hæreses damnatas explicite in diœcesibus episcoporum ipsis episcopis sunt imputandæ, si sequaces Papæ hæretici negligunt castigare: imo fautores prauitatis hæreticæ sunt censendi: quia illi, qui nutriunt prauitatem hæreticam, sunt fautores prauitatis hæreticæ. tales autem episcopi (vt ex verbis colligitur) nutriunt prauitatem hæreticam, quæ est grauis pestilentia, dum austeram dissimulant adhibere medicinam. ergo merito fautores prauitatis hæreticæ sunt censendi.

Item Greg. vt legitur *dist. 43.* Ephes. ait: *Ephesijs Paulus dixit, mundæ sunt manus meæ à sanguine omnium vestrūm, non enim subterfugi quo minus annunciarem vobis omne consilium Dei. mundus ergo à sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium annunciare noluisset. quia eum increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo pastor occidit.* Ex quibus verbis dupliciter patet, quod episcopi, qui non corrigunt sequaces Papæ hæretici, damnabiliter peccant. primo: quia ille

damnabiliter peccat, qui non est mundus à sanguine subditorum. sed episcopi negligentes corrigere subditos sequaces papæ hæretici à sanguine eorum non sunt mundi: quia consilium Dei hoc est dictu catholicam veritatem non eis annunciant. ergo non sunt mundi à sanguine eorum: & per consequens damnabiliter peccant. Item, ille damnabiliter peccat, qui alios occidit. sed episcopi qui non corrigunt eos tacendo occidunt, secundum sententiam beati Gregorii. ergo damnabiliter peccant. Item, pastores qui gregem sibi commissum non defendunt à lupis crudeliter inuadentibus, damnabiliter peccant. sed episcopi & prælati si non corrigunt & cohercent sequaces papæ hæretici manifestas hæreses prædicantes & docentes ac tenentes, & ad tenendum alios inducentes, non defendunt gregem dominicum à lupis sibi commissum, sed teste Esa. propheta sunt *canes muti non volentes latrare.* sunt etiam iuxta vocem dominicam mercenarii, non pastores: quia veniente lupo fugiunt, dum sequaces papæ hæretici atrociter per prauitatem hæreticam greges sibi commissos conantibus iugulare sub silentio se abscondunt. ergo damnabiliter peccant: & merito (si greges sibi commissi prauitate inficiantur hæretica) est eis tandem infectio imputanda. Item, illi sunt per episcopos cohercendi, cum quibus nec ipsi nec subditi communicare debent. sed nec ipsi episcopi, nec eorum subditi communicare debent cum hæreticis sequacibus papæ hæretici, 34. *quæst.* 3. *c. illud. & c. clericus. & c. cum quibus*; quia excommunicati sunt, *extr. de hæreticis, absoluendum, & c. excommunicamus.* ergo sequaces papæ hæretici sunt per episcopos cohercendi.

Quinto, principaliter videtur posse probari eadem conclusio, sic. Putridæ carnes sunt à corpore resecandæ per illum qui corporis curam gerit: ne totum corpus penitus corrumpatur. & similiter ouis scabiosa & morbida repellenda est à caulis per illum qui curam caularum gerit ne totus grex inficiatur: teste Hieronym. qui, vt habetur. 24. *quæst.* 2. *c. resecandæ*, ait: *Resecandæ sunt putridæ carnes & ouis scabiosa à caulis repellenda est, ne tota domus massa & corpus & pecora ardeat & corrumpatur & putrescat & intereat acrius. in Alexandria vna scintilla fuit: sed quoniam non statim oppressa est, totum orbem eius flamma populata est.* sed sequaces papæ hæretici sunt putridæ carnes reliquas partes corporis corrumpentes & sunt oues scabiosæ & morbidæ inficientes gregem, teste Hieronym. qui, vt legitur *di.* 45. *capi. illud*, ait: *Sicut ex vna oue morbida vniuersus grex inficitur: sic etiam ex vno fornicante vel aliud quodcunque scelus committente* (& per consequens vno hæretico doctrinam papæ hæretici publice prædicante) *plebs vniuersa polluitur*. ergo sequaces papæ hæretici tanquam putridæ carnes & oues scabiosæ sunt per episcopos à corpore resecandi, & à caulis fidelium repellendi.

Sexto, episcopi & prælati voce prophetica iubentur ab omnibus malis spiritualiter recedere & exire, & eos omnino non tangere, teste Esa. qui. 52. *c. recedite*, ait: *recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.* quod exponens beatus August. in lib. *de verbis domini*, & habetur 23. *quæst.* 4. *cap.* 1. ait: *tolerandi sunt quidem mali pro pace, nec corporaliter ab eis recedendum est, sed spiritualiter.* & idem, vt habetur *causa & quæst. prædictis, c. ecce*, inquit: *dicit propheta, recedite & exite inde, ne immundum tetigeritis quoquomodo. ergo malos pro pace tolerabimus, à quibus exire & recedere iubemur, ne tangamus immundum: istam recessionem spiritualiter intelligimus.* Ex quibus verbis patet aperte, quod prælati ab vniuersis malis spiritualiter tenentur recedere. cum igitur à sequacibus papæ hæretici spiritualiter non recedunt, nisi eos corrigendo & cohercendo, si possunt: ergo episcopi & prælati sequaces papæ hæretici debent corrigere & arcere. quod autem episcopi & prælati spiritualiter non recedant à talibus sequacibus, nisi cum eos (quando possunt) corrigunt & castigant, patet aperte per beatum August. qui, vt habetur. 23. *quæst.* 4. *c. ecce*, ait: *spiritualiter autem exire est facere quod pertinet ad correctionem malorum quantum licet pro gratia cuiuslibet salua pace.* & infra: *hoc ergo est ore non parcere, immundum non tangere, voluntate non consentire.* Item, vt habetur *causa & quæstione prædictis, c. ecce*, ait: *clamamus nos & dicimus vobis, recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis, scilicet tactu cordis tantummodo, non corporis. quid est enim tangere immundum, nisi consentire peccatis? quid est enim exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem, quod pro vniuscuiusque gratia atque persona salua pace fieri potest.* & infra: *quicquid inter nos malorum esse noscitis, quantum potestis, improbate vt corde recedatis, redarguite vt exeatis mente, & nolite consentire, immundum ne tangatis.* Item idem August. vt habetur *causa & quæst. eisdem. c. recedite*, ait: *quid est etiam exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem malorum quantum pro vniuscuiusque gratia atque persona salua pace fieri possit, displicuit tibi quod quisque peccauerat: non tetigisti immundum, redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam (si res exigit) congruam & quæ veritatem non violet disciplinam, existi inde.* & infra: *hoc est exire inde, hoc est immundum non tangere, & voluntate non consentire, & ore non parcere.* ex quibus verbis, vt videtur, colligitur euidenter, quod à malis quibuscunque & per consequens à sequacibus papæ hæretici prælati spiritualiter non recedunt, nisi faciant quod spectat ad correctionem eorum: nisi ore non parcant, nisi redarguant, nisi corripiant, nisi moneant, & quando possunt congruam adhibeant disciplinam. quare patenter infertur, quod sequaces papæ hæretici sunt per episcopos & prælatos arcendi.

DISCIP. Ex prædictis verbis Aug. colligitur, quod sequaces papæ hæretici, quando salua pace nequeunt coherceri, sunt æquanimiter tolerandi. ergo non est semper necesse, quod episcopi & plati eos corrigant & castigent. MAGIST. Ad hoc dupliciter respondetur. Primo, quia secus est

de crimine hæresis, & de aliis minoribus, quia hæretici totam salutem nituntur extinguere. & ideo ipsis resistendum est etiam vsque ad mortem, quia in decretis 7. q. 1. c. *aduersitas*, §. *hic tunc*, vel §. *cum vero*, sic legitur: *cum vero non prælatorum tantum sed totius ecclesiæ salus impugnatur* (scilicet fides) *necesse est vt ex aduerso ascendant, & in die belli seipsos vt murum opponant pro domo Dei, & animas suas pro ouibus suis ponant, vt exemplo suæ passionis attendant, quos sermone doctrina diutius confirmare non valent.* Ex quibus verbis colligitur, quod cum sequaces papæ hæretici totius ecclesiæ salutem quærunt destruere, fidemque impugnant, necesse est quod prælati se eis opponant etiam vsque ad mortem resistendo, & quantum vires suppetunt compescendo. Vnde cum hæreticis nullo modo in damnum fidei est pax habenda. pro istis enim dicit Christus Matth. 19. *nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.* & Luc. 12. *Putatis quia pacem veni mittere in terram, non dico vobis, sed separationem.* Ex quibus verbis colligitur, quod cum hæreticis non est pax habenda, vt propter eam prælati ab eorum correctione desistant. Aliter dicitur, quod vbi cernerent episcopi euidenter, quod de cohertione hæreticorum nullus fructus neque fidei neque fidelium prouenirét, & grauis oriretur catholicorum turbatio, episcopi possent à correctione cessare ad tempus. quod intelligendum est non tantum respectu sequacium papæ hæretici, sed respectu quorumcunque hæreticorum. & ita æqualiter omnino coerceri debent sequaces papæ hæretici, sicut sequaces imperatoris hæretici vel alterius diuitis & potentis. vbi enim prælati viderent, quod ex cohertione sequacium imperatoris hæretici graue fidei periculum immineret, absque omni fructu possunt à correctione cessare. Ita est etiam sciendum, vt videtur, de sequacibus papæ hæretici vel imperatoris, vel propter aliquam aliam causam, quæ ita reputari potest in sequacibus imperatoris hæretici, sicut papæ. nec ratione imperii, nec ratione regni est cessandum à cohertione papæ hæretici, sed ratione periculi, vel propter aliquam aliam causam, quæ ita reperiri potest in sequacibus papæ hæretici vel imperatoris hæretici, ratione cuius licet quandoque abstinere.

DISCIP. Prolixitatem quantum possumus euitemus, auctoritates tam scripturæ diuinæ quam sanctorum patrum, ex quibus possunt accipi argumenta ad probandum eandem conclusionem, allega, rationes ab eis non formando.

MAGIST. Pro hac conclusione exhortari videtur Esa. 45. c. dicens: *clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam & annuncia populo meo scelera eorum & domui Iacob peccata eorum.* Item Hiere. 23. scribitur: *væ pastoribus qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit dominus.* & post: *vos dispersistis gregem meum & eiecistis eos & non visitastis eos.* Item Ezech. 24. sic loquitur: *væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges à pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini. & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis. quod infirmum fuit, non consolidastis. & quod ægrotum erat, non sanastis. quod fractum est non alligastis. & quod abiectum est non reduxistis, quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate eis imperabatis, & cum potentia dispersæ sunt oues meæ eo quod non esset pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri,* sequacium scilicet papæ hæretici totam fidem deuastantium orthodoxam. Item Threnorum secundo: *prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pænitentiam prouocarent.* Item prælati huiusmodi increpantur Ezech. 13. cum dicit dominus: *non ascendistis ex aduerso, neque posuistis vos murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in domo domini.* & 33. c. sic habetur: *Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccinam, & populus non custodierit se, veneritque gladius, & tulerit de eis animam, ipse quidem in iniquitate sua captus est: sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Item Exod. 22. *maleficos non patieris viuere.* Item Deutro. 13. *Si surrexerit in medio tui propheta* &c. quære supra *lib. 6. c.* 99. Item ibidem: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus.* quære vbi prius. Item ibidem: *Si audieris in vna vrbium tuarum*, & cætera, quære vbi supra. Item Deu. 16. *cum reperti fuerint* &c. quære vbi prius. Hier. 3. dicit dominus *dabo vobis pastores iuxta nomen meum & pascent vos doctrina & scientia.* & Hiere. 6. *Pascet vnusquisque eos qui sub manu sua sunt.* item Mala. 2. *labia sacerdotis custodiunt sententiam* &c. Et Ezech. 3. *Si dicente me ad impium morte morieris non annunciaueris ei, neque locutus fueris vt auertatur à via sua impia & viuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram.* & ad Tit. 1. *oportet episcopum sine crimine esse & prius amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana & eos qui contradicunt arguere.* & post: *increpa illos dure, vt sani sint in fide.* Item primo Corinth. 5. *auferte malum ex vobis ipsis.* Item infra ad Ti. 5. *peccantes coram omnibus arguantur, vt cæteri timorem habeant.* Item ad Gala. 2. *cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.*

DISCIP. Sufficiant istæ auctoritates ex diuinis scripturis acceptæ: ideo aliquas auctoritates sanctorum patrum ad eandem conclusionem adducas. MAGIST. Huic Hieron. consentire videtur, cum dicit in prologo Bibliæ: *sancta quippe rusticitas solum sibi prodest. & quantum ædificat ex vitæ merito ecclesiam Christi, tantum nocet si destruentibus non resistat.* Item Innocentius 39. vt legitur *extr. de simonia. c. licet Heli*, ait: *licet Heli summus sacerdos in se bonus existeret, quia tamen filiorum suorum excessus efficaciter non corripuit & in se pariter & in ipsis animaduersionis diuinæ vindictam accipit, dum filius eius in bello peremptus est, & ipse corruens de sella fractis ceruicibus expirauit.* ad corrigendos ergo excessus subditorum tanto diligentius debet prælatus assurgere, quanto damnabilius eorum offensas deserit incorrectas. Et illa vltima sententia sub eodem verbo ponitur *ext. de accusationibus qualiter & quando.* Item idem *ext. de officio iudicis ordinarii. c. inrefragabili*, in consilio generali ait: *inrefragabili consti-*

constitutione sancimus, vt ecclesiarum prælati ad corrigendum subditorum excessus, maxime clericorum & formandos mores prudenter ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. vbi Gloss. dicit: *durum verbum est illud prælatis negligentibus subditorum correctionem.* Item Anacletus scribens cunctis, vt legitur. *83. di. capitul. nihil,* ait: *nihil illo pastore miserius, qui luporum gloriatur laudibus, quibus si placere voluerit atque ab his amari delegerit, erit & hinc ouibus magna pernicies. nullus igitur pastorum placere lupis & gregibus ouium potest.* Item papa Nicolaus, vt legitur *di. 43. cap. dispensatio,* ait: *Dispensatio est nobis cœlestis seminis iniuncta. ve si non sparserimus, ve si tacuerimus. quod cum electionis vas formidet, & clamet, quanto magis cuilibet exiguo metuendum est. metuendum est ergo, si non leue discrimen incumbit pontificibus siluisse quod congruit* &c. Item Gregor. vt legitur *di. 43.* ait: *sicut incauta locutio in errorem detrahit, ita indiscretum silentium eos qui erudiri poterant in errore derelinquit. sæpe namque doctores rectores improuidi humanam amittere gloriam formidantes loqui libere recta pertimescant.* cui concordat Hieronym. vt legitur *di. 45. cap. sed illud,* dicens: *sed illud non ociose transcurrendum est, quod vno peccante ira Dei super omnem populum venit, hoc quoque accidit, quando sacerdotes qui populo præsunt erga delinquentes beniuoli videri volunt & illi verentes peccantium linguas ne forte de eis male loquantur sacerdotalis seueritatis immemores nolunt complere, quod scriptum est: peccantem coram omnibus argue.* & infra: *dum vni parcunt, vniuersa ecclesia moliuntur interitum, quæ est ista misericordia, quæ ista bonitas, vni proficere & omnes in discrimen adducere?* Item Anacletus, vt legitur *di. 43. c. scimus,* ait: *Scimus autem multos ob illud infestare doctores suos vt eos perdant & placita propria voluntatis adimpleant: non propterea tamen doctores inquantum vires suppetunt à recta amulatione & bona intentione recedere debent, scientes quia beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam.* Item Leo papa, vt habetur. *24. quæst. 3. illud sane,* ait: *illud sane plurimum mihi displicere significo, quod interdictionis tuæ clerici quidam esse dicuntur, qui aduersariorum conueniant prauitati & vesaniæ vasis misericordiæ vasa misceantur, quibus inuestigandis & seueritate congrua cohercendis debet diligentia tua vigilanter insistere, vt his quibus prodesse non poterit correctio, non parcat abscisio. oportet & enim vos euangelici meminisse mandati, quod ab ipsa veritate præcipitur, vt si vos oculus aut pes aut dextra scandalisauerit manus, à compage corporis auferatur, quia melius sit his in seculo carere membris, quam cum ipsis in æterna supplicia ire. nam superfluo extra ecclesiam positis resistimus, si ab his qui intus sunt in eis quos decipiunt vulneramur, abiicienda prorsus pestifera hæc à sacerdotali vigore patientia est, quæ sibimet peccatis aliorum parcendo non parcit.* Item Greg. in Registro, vt legitur *extr. de regulis iuris. c. quamuis,* ait: *non potest esse pastorum excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit.* Item Cornelius, vt habetur *di. 47. c. quo ad nos pertinet: Conscientia nostra conuenit semper dare operam, ne quis culpa nostra de ecclesia pereat.*

DISCIP. Plures allegasti auctoritates, ex quibus accipere nescio argumentum ad probandum, quod episcopi & prælati debent cohercere sequaces pseudopapæ hæretici. quare da mihi vias, quibus auctoritates ad propositum valeam applicare.

MAGIST. Tribus propositionibus tanquam certis suppositis, satis potest conclusio suprascripta ex auctoritatibus allegatis inferri: quarum prima est hæc, quod non minus deberent episcopi & prælati corrigere hæreticos sibi subiectos, quam alios criminosos. Secunda est, quod omnes prælati & episcopi omnes sibi subditos hæreticos vel catholicos debent per se vel per alios non criminosos de veritate fidei informare, *extra, de officio iudi. or. inter cetera,* quod maxime veritatem habet, quando hæretici greges prælatorum à veritate nituntur auertere. Tertia est, quod sequaces papæ hæretici propter hoc à iurisdictione episcoporum & prælatorum minime sunt exempti, cum ipsemet papa hæreticus propter hoc, quod sit hæreticus, iudicio catholicorum reddatur subiectus.

CAP. XXXIX.

In quo determinatur, qua pœna sint plectendi episcopi & prælati, si subditos suos sequaces papæ hæretici non correxerint.

DISCIP. Nunc mihi apparet, quod ex omnibus auctoritatibus tam scripturæ diuinæ quam sanctorum patrum præscriptis scio sumere argumentum ad probandum, quod episcopi & prælati sequaces pseudopapæ hæretici cohercere tenentur, si possunt. ideo nunc dic, qua pœna si episcopi & prælati subditos suos sequaces papæ hæretici neglexerint cohercere, sint merito percellendi.

MAGIST. Respondetur, quod sint excommunicationis vinculo alligati, & ab officio suspendendi, & ab episcopali officio & ab omni alio deponendi. quod sint excommunicationis vinculo innodati, patet: cum sint fautores hæreticorum, quos non corrigunt & castigant, cum debent, & etiam hæreticæ prauitatis, quam de suis iurisdictionibus non extirpant. tales autem fautores sunt excommunicationis sententia innodati, *extra, de sententia excommunicationis, nouerit. & extra, de hæreticis, excommunicamus.* sunt etiam ab officio suspendendi, quia non minus ab officio est suspendẽdus, qui nõ impugnat hęreticos sequaces pseudopapę hæretici, quam qui non impugnant fornicatores. sed qui non impugnat fornicatores, est ab officio suspendendus, teste Gregor.

qui,

qui, vt legitur *dis. 83. c. si quis*, ait: *Si quis episcopus fornicationem presbyterorum, diaconorum vel crimen incestus in parochia sua precio vel precibus interueniente concesserit, vel commissum auctoritate officii non impugnauerit, ab officio suspendetur.* ergo episcopus, qui hæreticos sequaces papæ hæretici non impugnat, multo fortius est ab officio suspendendus. Quod vero episcopi, qui tales non cohercent, sint ab episcopali officio deponendi, testatur concilium generale sub Innocentio. 3. celebratum, in quo, vt habetur *extra, de hereticis. c. excommunicamus*, sic legitur: *Si quis autem episcopus super expurgando de sua diœcesi heretica prauitatis fermento negligens fuerit vel remissus, cum illud certis indiciis apparuerit, & ab episcopali officio deponatur; & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit & possit hereticam confundere prauitatem.* Quibus verbis clare videtur asserere, quod episcopus negligens suam diœcesim de prauitate hæretica expurgare est penitus deponendus. quare cum sequaces papæ hæretici à iurisdictione episcoporum nullatenus sint exempti, episcopus, qui eos non cohercet, est omnino deponendus. DISC. Verba concilii generalis non sunt intelligenda de episcopo non cohercente sequaces papæ hæretici, quia talis episcopus non est deponendus à papa, quia papa hæreticus talem episcopum magis confirmaret: nec ab aliquo alio archiepiscopo vel primate vel patriarcha, quia nullus eorum potest episcopum ab episcopali officio deponere. MAGIST. Respondetur, quod episcopus qui negligit sequaces papæ hæretici cohercere deponendus est à papa catholico, quandocunque fuerit canonice ad papatum assumptus. vnde accusandus est à catholicis coram papa catholico. & qui fuerit papa catholicus habet ipsum deponere. DISCIP. Quid facient interim subditi talis episcopi? MAGIST. Respondent quidam, quod subditi vitabunt ipsum tanquam hæreticum, & expectabūt papam futurum catholicum, qui deponet eum. idem facient de tali episcopo quod facerent de episcopo, qui propter abnegationem spontaneam fidei vel propter occasionem alterius episcopi vel sacerdotis manifeste & publice incurreret excommunicationis sententiam.

CAP. XL.

In quo tractatur de modo inquirendi respersos prauitate heretica, si papa hereticus efficiatur.

DISCIP. Dic breuiter & in summa, quid secundum priorem sententiam episcopis est agendum, si in suis diœcesibus sequaces papæ hęretici doctrinam eius erroneam prędicarent, docerent & tanquam catholicam diuulgarent. MAG. Respondetur, quod si episcopo per famam constiterit, quod papa in hęreticam inciderit prauitatem, dubitare debet, ne aliquis de grege suo perfidiam papæ sequatur. quia pusillanimes & ambitiosi, quorum magnus, imo forte infinitus est numerus, errorem capitis vel vt placeant vel vt non displiceant de facili amplectuntur, iuxta illud Eccl. 10. *secundum iudicem populi, sic & ministri eius. & qualis rector est ciuitatis, tales inhabitantes in ea.* iuxta illud, quod scribitur. *6. q. 1. c. sunt plurimi, §. verum: Capite languescente facile reliqua corporis membra inficiuntur, sicut scriptum est. Omne caput languidum & omne cor mœrens à planta pedis vsque ad verticem capi.* &c. & ita papa labe hæretica maculato timendum est, ne populum labe consimili inficiat. quare cum episcopus officium gerit speculatoris, cuius est diligentissime circumspicere, ne hostes appropinquent, sollicite debet inquirere an fama de perfidia papæ hæretici contineat veritatem: & qua hæresi est infectus. qua comperta scrutari per se & per alios debet attente, qualiter fidei obuient orthodoxæ. quo facto consequenter inuestiget, an aliqui hæresim papæ in gregem suum introducere moliantur, præsertim si fama est, quod aliqui in sua diœcesi doctrinam papæ hæretici imitantur, docent, publicant & prædicant & diuulgant, tanquam catholicam, & tenendam, iuxta præceptum Innocentii 3. qui, vt habetur *ext. de heretic. c. excommunicamus*, ait: *Addicimus insuper quod quilibet archiepiscopus vel episcopus per se aut per archidiaconum aut per alias idoneas & honestas personas bis aut semel saltem in anno parochiam propriam, in qua fama fuerit hereticos habitare, circumeat: & ibi tres vel plures boni testimonii viros & etiam si expedire videbitur totam viciniam iurare compellat. quod si quis ibidem hereticos sciuerit vel alios occulta conuenticula celebrantes seu à communi conuersatione fidelium, vita & moribus decedentes, eos episcopo studeant intimare. ipse autem episcopus ad prouinciam suam conuocet accusatos, qui nisi ab obiecto reatu se purgauerint, vel si post purgationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam, canonice puniantur.* ex quibus verbis colligitur, quod si fama est, quod in aliqua diœcesi sint aliqui hæretici sequaces papæ, episcopus debet eos cum diligentia debita inuestigare, & contra eos procedere secundū quod ordo iuris requirit. si autem per se eos nequiuerit cohercere, auxiliū inuocet brachii secularis. si enim pręlatus ecclesię pro defensione pauperum postulare debet auxilium seculare, vt legitur. *23. q. 3. c. Maximianus. & c. ab imperatorib. & q. 5. c. administratores*: multo magis pro defensione fidei Christianæ contra hæreticos sequaces papæ hæretici auxiliū seculare debet cum instantia postulare. ad quod faciendum publicæ potestatis debent iuramento ligari, sicut legitur *extra, de hereticis, excommunicamus §. moneantur.* insuper cum episcopi sciuerint papam hæretica prauitate respersum circa reparationem errorum suorum per se vel per alios debent insistere diligenter: tenenturque veritatem modis quibus possunt congruentibus publicare, & quantum possunt manifestare & occulte auribus omnium inculcare, ac reges & principes aliosque seculi diuites & potentes sanctis exhortationibus & consiliis animare, vt causam fidei defendant vniuersaliter & potentes. omnia prædicta multis modis, vt habetur, possunt demonstratiue probari.

DISCIP.

DISCIP. Tange breuiter aliqua media, quibus præscripta probari appareant. MAGIST. Argumenta ad probandum prædicta fundantur in quatuor propositionibus, quarum prima est hæc: quod episcopi & prælati nullam causam debent magis defensare, quam fidem Christi. Secunda est, quod sine fide recta nullum est spirituale bonum proficiens ad salutem. & tertia est, quod episcopi & prælati pro salute gregis debent animam suam ponere. Quarta est, quod pro veritate vsque ad mortem certare tenentur.

Cap. XLI.

In quo tractatur de episcopis & prælatis impugnatores papæ hæretici molestantibus, qua pœna sint plectendi.

DISCIP. Satis concipio, quomodo ex his possunt accipi argumenta ad probandum illa, quæ in c. præcedenti sunt asserta. ideo illis omissis circa episcopos & prælatos tracta de illis, qui impugnatores papæ hæretici & doctrinæ suæ erroneæ molestarent, persequerentur, & grauiter infestarent. MAGIST. De talibus tenetur à multis, quod sunt fautores hæreticæ prauitatis. si enim episcopi & prælati, qui tacent, & non corrigunt sequaces papæ hæretici, sunt fautores prauitatis hæreticæ computandi: sunt etiam tales proditores catholicæ veritatis & totius Christianitatis. nam si proditor est veritatis ille, qui non libere veritatem pronunciat, quam pronunciare oportet. 11. *q.* 3. *c. nolite*, multo fortius proditor est veritatis & totius Christianitatis, qui persequitur vel molestat defensores catholicæ veritatis & totius Christianitatis, quam papa hæreticus reprobat & confundit, persequitur & impugnat. DISC. Quod episcopi & prælati nō debent persequi quoquomodo impugnatores papæ hæretici, videtur ex tractatis sup. *libro 6.* vbi de impugnantibus papam pro prauitate hæretica defendendis dependere videtur. Si enim impugnatores papæ hæretici sunt à catholicis defendendi, non sunt ab eis aliqualiter impugnandi. quare nolo amplius hic probari, quod episcopi & prælati qui sciunt vel scire tenentur papam esse hæreticum, impugnatores papæ hæretici infestare non debent. Sed dic qua pœna episcopi & prælati, qui impugnatores papæ hæretici persequuntur & infestant, sunt merito feriendi. MAGIST. Sunt quidam dicentes, quod omnes tales pœna fautorum hæreticæ prauitatis sunt plectendi, vltra quam pœnam diuersi pro diuersis & specialibus modis persequendi & molestandi impugnatores papæ hæretici sunt diuersis pœnis & specialibus percellendi: quia pro diuersis iniuriis eis illatis sunt inferentes diuersimode puniendi. contingit enim eis iniuriari & in iudicio & extra iudicium multis modis: scilicet verbo & facto. verbo quidem cum diffamatione, detractione, contumeliis, derisione & maledictione. facto etiam tam in iudicio quam extra iudicium contingit eis multas iniurias inferri: quia possunt spoliari rebus suis, officiis & honoribus. & iterum possent incarcerari, detineri, mutilari, & occidi.

DISCIP. Cerno quod multæ iniuriæ secundum istam opinionem possunt impugnatoribus papæ hæretici per episcopos & prælatos inferri. de quibus tantum quatuor prosequere. Primo autem dic de spoliatione siue rerum siue officiorum. MAGIST. Respondetur, quod si episcopi & prælati impugnatores papæ hæretici rebus vel officiis duxerint spoliandos, vltra pœnam fautoriam hæreticæ prauitatis ad restitutionem rerum & officiorum sunt astricti: quia omne iniuste ablatum debet restitui. 10. *q.* 1. vnde & tales spoliatores illorum, qui impugnant papam hæreticum, sunt raptores & prædones censendi. quia nisi res ablatas restituerint, si possunt, sunt ecclesiastica sepultura priuandi, *ext. de raptoribus. c. super eo.* DISCIP. Dic de diffamatione. MAG. Dicitur quod si episcopi & prælati quoquomodo, siue per se siue per alios siue legendo siue publicando processus papæ hæretici defendendo contra impugnatores errorum suorum siue quocunque alio modo, diffamauerunt impugnatores eosdem vocando eos hæreticos vel schismaticos vel crimen aliud quodcunque, quod non est probatum legitime, eis imponendo: de necessitate salutis tenentur famam restituere eorundem, dicendo publice, si publice diffamauerunt; vel occulte, si occulte falsum se dixisse. quia non minus tenetur quis restituere famam, quam iniuste abstulit alteri, quam rem temporalem aliquam ablatam iniuste, cum fama sit temporalibus preciosior. & ideo sicut nunquam est extra peccatum mortale, qui non restituerit rem alterius quam abstulit iniuste si potest, ita semper est in peccato mortali qui famam alterius abstulit vel denigrat iniuste & si non restituerit si potest. sed prælati diffamantes impugnatores papæ hæretici, abstulerunt famam illorum iniuste. ergo eandem famam eis restituere de necessitate salutis sunt astricti.

DISCIP. Dic de violentia. MAGIST. Dicitur, quod si impugnatores papæ hæretici sunt clerici vel religiosi, quicunque in eos manus iniecerit violentas capiendo, detinendo, incarcerando, vel quocunque alio modo, sententiam excommunicationis incurrunt: & ab eodem sunt absoluendi à quo absoluendi essent, si ex alia causa in eosdem iniecerint manus violentas. & propter idem quicunque sunt in potestate constituti & eisdem non defendunt, sententiam excommunicationis incurrunt, *extra, de sententia excommunicationis, quanta.* DISC. Dic de morte.

MAG.

MAGIST. Dicitur quod quicunque episcopus vel alius siue fuerit legatus siue alio quocunque fungens officio impugnatorem papæ hæretici propter hoc curiæ tradiderit seculari, vel aliquid aliud fecerit vel mandauerit, aut ratum habuerit, ex quo sequitur mors alicuius impugnatoris papæ hæretici, irregularis efficitur, & omnem pœnam incurrit, quam incurreret si manibus propriis occidisset innocentem. hoc probatur sic. qui causam proximam dat homicidio, irregularis efficitur, teste Alexandro. 3. qui *extra, de homicidio, de cætero,* ait: *de cætero noueris quod diaconus, qui homicidio caussam proximam dedisse videtur, non videtur ad sacerdotium promouendus. qui autem impugnatorem papæ hæretici tradit curiæ seculari, vel aliquid aliud facit vel mandat fieri, ex quo mors sequitur corporalis, dat caussam proximam homicidio.* ergo irregularis efficitur, & omnem pœnam incurrit, quam homicida incurreret. DISCIP. Per istam rationem omnis prælatus, qui quemcunque clericum hæreticum vel alium tradit curiæ seculari, irregularis efficitur: quia causam proximam dat homicidio. sed constat quod tales non efficiuntur irregulares. ergo ista ratio non procedit. MAGIST. Ad hoc in simili, Glossa *ext. de homicidio. c. continebatur,* respondere videtur, vbi rationem assignat, quare vnus ex cuius ludo mors sequitur, irregularis efficitur, & alius ex cuius ludo etiam mors secuta est, irregularis non fit. vnde obiiciens contra illud per id quod habetur in capitulo *continebatur,* super verbo *rationem,* ait: *infra. c. proximo contra. ibi libere promouens ad ordines superiores, hic non sine licentia papæ. & idem casus videtur. quid ergo fines fecit diuersos?* & respondens ait: *solum hic dabat operam illicitæ rei ludendo cum laico: quod non licet. vel si etiam licitum fuisset, non adhibuit diligentiam, quam debuit, quia cum sciret ludi conditionem, non reliquit faltem à se. vnde fuit in culpa: quare promoueri ad superiores non debet sine licentia papæ, vt hic dicit. in c. sequenti, ludebat cum clerico & licito ludo: & de illo cutello non sperabatur aliquid mortale, & ille potius ingessit se proiiciendo alium ad terram: & sic non fuit in culpa.* Ex quibus verbis colligitur, quod si clerici dant operam rei licitæ, & debitam diligentiam adhiberent, quamuis ex facto eorum mors sequatur, irregularitatem nequaquam incurrunt. Si vero clericus dederit operam rei illicitę, vel dando operam rei licitæ, diligentiam debitam non adhibuit: si ex opere suo mors sequatur, irregularis efficitur. Cum ergo episcopi & prælati tradendo impugnatores papæ hæretici curiæ seculari non dent operam rei licitæ: quia non licet eis quomodo libet molestare impugnantes hæreticam prauitatem: si mors secuta fuerit, irregularitatem incurrunt. episcopi autem & prælati tradendo hæreticos & quosdam alios malefactores curię seculari, non dant operam rei illicitæ: quia hoc incumbit eorum officio. & ideo si debitam diligentiam adhibent, non efficiuntur irregulares, quamuis mors sequatur.

CAP. XLII.

In quo quæritur de magistris & doctoribus docentibus doctrinam papæ hæretici, si sint fautores prauitatis hæreticæ.

DISCIP. Nunc videamus de Doctoribus & Magistris, an docentes & tenentes doctrinam hæreticalem papæ hęretici sunt fautores hæreticę paruitatis. MAG. Quos comprehendis sub nomine Doctorum & Magistrorum. DISCIP. Per Doctores & Magistros omnes habentes officium prædicandi vel legendi catholicam doctrinam. MAG. Ergo inter Doctores & Magistros reputas numerandos non solum magistros theologiæ: sed etiam omnes Lectores vel Bachalarios theologiæ, & etiam Decretistas, qui legunt libros decretorum & decretalium: in quibus multa, quæ ad doctrinam spectant catholicam, continentur: ac etiam Plebanos, & eos qui auctoritate papæ vel alterius prælati habent officium prędicandi? DISCIP. Ita est. omnes enim prædicti docere habent catholicam veritatem. quamobrem differas, an omnes prędicti si docuerint publice vel tenuerint doctrinam hæreticalem papæ hæretici, sint fautores hæreticæ prauitatis, vel etiam inter hęreticos computandi. MAG. Dicitur distingendo: quia aut doctrina papæ erronea est talis, quod prædicti doctores & magistri tenentur explicite credere contrariam veritatem: Aut est talis quod eam credere explicite non tenentur. Item, aut prius sciuerunt papæ doctrinam esse hęreticam, erroneam, aut nesciuerunt. Item, aut doctrina papæ erronea est per ipsum solenniter diffinita seu determinata, aut non est solenniter diffinita, sed est solummodo prædicata pertinaciter vel asserta. si itaque doctrina papæ hæretica est talis, quod doctores & magistri tenentur explicite credere contrariam veritatem: quia videlicet est apud omnes catholicos diuulgata: vel si prius eã tanquam catholicam didicerunt, nec sunt obliti doctores & magistri docentes publice qualitercunque publice vel occulte doctrinam talem erroneam papæ hæretici, sunt fautores hæreticæ prauitatis & hęretici computandi; quia omnis docens vel tenens assertionem hæreticam, cuius contrariam veritatem tenetur explicite credere, est hæreticus iudicandus. Si autem doctrina papæ erronea est talis, quod doctores & magistri non tenentur explicite credere contrariam veritatem; nec est per papam solenniter diffinita seu determinata; docens eam aperte siue oceulte non est ex hoc solo fautor hæreticæ prauitatis, nec hæreticus iudicandus; sed est sollicite & diligenter exanimandus, an paratus sit corrigi. & siquidem paratus est corrigi (ita quod nullo modo de pertinacia possit conuinci) non est reus censendus. Si vero non sit paratus corrigi; sed pertinaciter

citer in doctrina papæ hæretici persistit, est fautor hæreticæ prauitatis, & hæreticus reputandus. Si autem magistri & doctores docerent publice doctrinam papæ erroneam, quam sciunt per ipsum solenniter diffinitam, & docent quod diffinitio huiusmodi papæ est tenenda, sunt fautores hæreticæ prauitatis, & hæretici reputandi, siue teneantur explicite credere veritatem contrariam, siue non teneantur explicite ipsam credere. Huius ratio assignatur: quia quicunque pertinaciter adhęret doctrinæ contra fidem, est hęreticus reputandus. sed doctores & magistri docentes diffinitionem papæ erroneam esse tenendam, pertinaciter doctrinæ erroneæ diffinitæ adhærent. quia qui asserit quod irreuocabiliter & in omnem euentum est adhærendum doctrinæ erroneæ: ipse pertinaciter adhærere eidem doctrinę censetur. quare est pertinax reputandus: & per consequens hæreticus est censendus. Item, non minus peccat doctor vel magister, qui publice docet diffinitionem papę hæreticam esse tenendam: quam si consensisset, quod papa doctrinam huiusmodi solenniter diffiniret. sed si doctor consensisset, quod papa doctrinam huiusmodi solenniter diffiniret, fuisset fautor hæreticę prauitatis. ergo docendo quod diffinitio eius erronea est tenenda, est fautor hæreticę prauitatis reputandus.

CAP. XLIII.

Docet, qualiter doctores catholici & prælati tenentur contra papam hæreticum ad bellum spirituale & corporale. & respondetur secundum auctoritates quasdam. quæ responsio deducitur ad tria inconuenientia, quæ consequenter in c. seq. & 45. pertractantur. & ad auctoritates c. 45. respondetur, & pro hac conclusione adducuntur 7. aliæ rationes infra c. 46.

DISCIP. Quia dubito, quod si vnquam aliquis papa potens, cui faueant reges & principes, erit hæreticus: spiritus mendax erit in ore omnium vel plurium prophetarum. i. doctorum, qui secundum beatum Greg. vt legitur *di. 43. c. sit rector*, per prophetas in sacro eloquio designantur: idcirco de doctoribus, qui forte erunt tempore papæ hæretici, plura interrogare propono, ad quæ tu breuiter studeas respondere. disseras imprimis, an doctores & magistri, si papa fuerit hęreticus, teneantur contra doctrinam eius erroneam prędicare & eam efficaciter reprobare.

MAGIST. Respondetur, quod pro loco & tempore debitis circumstantiis obseruatis omnes doctores siue fuerint magistri siue in aliquo gradu docendi officium habentes exercere in theologica facultate, si fuerint habentes tantummodo officium prædicandi ad populum, de necessitate salutis tenerentur doctrinam papæ erroneam, præsertim si apud illos inter quos prędicta exercent officia, fuerit diuulgata, efficaciter reprobare, & contrariam veritatem simpliciter affirmare. hoc videtur pluribus modis probari. Primo quidem sic. In omni certamine corporali & spirituali laus pręcipua bellatorum in hoc videtur consistere, quod suo duci indissolubiliter adhęrendo hostes eius quanto fuerint fortiores & periculosiores & perniciosiores, tanto magis expugnare conantur. sed in catholicorum exercitu contra agmina hæreticorum primum locum vel saltem non infimum bellatorum doctores obtinere videntur, cum secundum Inno. tertium, vt habetur *extr. de hæret. c. cum ex iniuncto*, sit quasi pręcipuus in ecclesia. & Honorius tertius, vt habetur *extr. ne clerici vel monachi secularibus negociis se immisceant. c. super specula*, prædicatores bellatores appellat: *qui vero theologiæ studium cupimus ampliare, vt dilatato tentorii sui loco funiculos suos faciat longiores, vt sit fides catholica circumcincta muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeat ascendentibus ex aduerso*, &c. vbi dicit Gloss. super verbo *Bellatorum. i. prædicatorum, qui possunt resistere hæreticis auctoritate diuinæ scripturæ, qui contra nos surgunt ex aduerso & impugnant nos.* ergo prædicatores & doctores quanto hęretici fuerint fortiores & periculosiores ac perniciosiores: tanto magis debent satagere, vt eis resistant, ac eos expugnent, eorum doctrinam auctoritatibus sacris & rationibus efficacibus reprobando. nullus autem hęreticus potest esse periculosior aut perniciosior exercitui catholicorum. quam papa hæreticus. nullus enim alius tantam poterit habere audaciam & sequelam tantam, quantam papa hæreticus. ergo contra ipsum debent prędicatores, doctores & magistri pręcipue & potissime toto posse insurgere eum aperte & per insidias ac omnibus modis congruentibus impugnando.

DISCIP. Ista ratio non videtur probare intentum; quia non licet cuilibet bellatorum bellum indicere. quia secundum beatum August. vt legitur. 23. *quæst. 1. cap. quid culpatur; suscipiendi bellum auctoritas atq; consiliũ penes principes est*. vbi dicit Glos. *nullus ergo bellator potest sine auctoritate principis*. Ex quibus verbis colligitur, quod omnes bellatores parati debent esse ad prælium, quando princeps iubet. sine tamen auctoritate principis nulli bellare licet. ergo si papa fiat hæreticus, indicetur; auctoritate tamen propria ipsum impugnare non debent. quamdiu enim ab ecclesia toleratur, doctores & magistri tacere debent.

MAGIST. Ista responsio nonnullis friuola videtur, quantum ad tria, quæ videtur innuere. primum est quod contra papam hæreticum non eo ipso quo fit hæreticus sed ex edicto principis bellum geritur spirituale. Secundum est quod papa hęreticus quamdiu ab ecclesia toleratur est nullatenus expugnandus. Tertium est quod in nullo casu sine auctoritate principis

licet alicui bellum generale siue particulare contra hostem suscipere. Ista enim tria quidam reputant omnino falsa. Quod enim primum sit falsum ostenditur. quia contra papam hæreticum tam à principe principum, scilicet à Domino nostro Iesu Christo, quam ab apostolis vicariis eius, est bellum indictum. quod enim Christus bellare spiritualiter cōtra papam si fiat hæreticus aperte mandauerit, apparet per illud Matth. 10. cum dicit, *non veni pacem mittere sed gladium.* per gladium potestas bellandi datur intelligi. Christus ergo omnes catholicos in bello spirituali constituit; præcipuum autem bellum catholicorum contra hæreticos esse videtur.

Nullus autem hæreticus perniciosior vel periculosior est papa hæretico ergo contra papam hæreticum præcipue est bellandum spiritualiter: nec expectandum est edictum principis. quia iam edictum à Christo principe est egressum. hoc etiam edictum auctoritate Christi beatus Paulus scribens ad Ephesios promulgauit, dum ait sic: *Accipite armaturam Dei vt possitis resistere in die malo.* & post: *calciati pedes in præparatione euangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumere & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* quod edictum licet omnibus quantum ad aliqua dirigatur, tamen quantum ad aliquid specialiter prædicatores & doctores videtur respicere. Dies enim mala, imo pessima erit, si vnquam papa potens regum, & principum munitus fauore in hæreticam prauitatem incidet. putant enim nonnulli, & probabile est, quod talis erit tribulatio catholicorum, qualis non fuit ab initio Christianitatis vsque modo: & tamen forte strages corporalis Christianorum pro fide nulla vel minima erit. multitudo enim Christianorum, licet pro temporibus forsitan papæ hæretici sit prælia innumera perpessura pro fide: tamen persecutionem nullam penitus sustinebit. quia absque coactione & violentia voluntate spontanea papæ hæretico adhęrebit. & forte paucissimi eidem resistere conabuntur. & tamen omnes monet apostolus armaturam Dei accipere, vt in die mala papæ hæretico possint resistere. prædicatores autem & doctores specialiter exhortatur, vt ad resistendum se pręparent, cum dicit: *calciati pedes in præparationem euangelii pacis.* vbi dicit Gloss. *id est ita vt sint parati ad prædicandum euangelium.* & quomodo se debent præperare, declarat, cum asserit: *assumendum gladium spiritus, quod est verbum Dei.* hoc enim ad prædicatores & magistros spectare dignoscitur: quorum est per verbum Dei tanquam gladium acutissimum omnes hæreticos, specialiter papam hæreticum, iugulare. & ita edictum de bello gerendo contra papam hæreticum, quod à Christo exierat, cum dicit, *non veni pacem mittere, sed gladium*, hoc Paulus publice promulgat, cum gladium spiritus quod est verbum Dei & ad expugnandum hæreticos asseruit assumendum. vnde & Gloss. ibi dicit: *de hoc gladio dominus ait: non veni pacem mittere, sed gladium.* de eodem etiam gladio loquuntur discipulus & magister. quare sequitur, quod edictum de bello gerendo contra hæreticos & specialiter contra papam hæreticum à Christo principe iam exiuit.

DISCIP. Absq; magna prosecutione alias auctoritates allega. ex quibus ostenditur, quod edictum de bello spirituali gerendo contra papam hæreticum à principe iam exiuit.

MAGIST. Hoc ex verbis Christi colligitur, cum dicit Matth. 16. *Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum & Saducæorum.* quod apostoli primo intelligentes de panibus, postea per informationem Christi intellexerunt, quia non dixerat cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Saducęorum. & quare hoc? nisi quia est contraria catholicæ veritati. ergo si doctrina papæ hæretici fuerit contraria catholicæ veritati, ab ea penitus est cauendum. hoc autem non facient prædicatores sine certamine spirituali. ergo edictum de bello gerendo contra papam hæreticum in simili à Christo iam exiuit. hoc etiam Christus insinuauit, cum dicit Matthæi. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. estote ergo prudentes sicut serpentes: & simplices sicut columbæ*: ne scilicet doctrina papæ hæretici vos seducat. Item Mar. 13. ait; *videte ne quis vos seducat.* Ex quibus verbis Christus omnes catholicos reddit cautos, ne doctrina erronea cuiuscunque siue papæ siue alterius seducantur, & vt se contra eam expugnandam animosius accingant. Item beatus Petrus 1. canonica sua capitul. 5. ait; *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam* &c. vsque *fortes in fide.* Si autem diabolo est per fidem resistendum, etiam papę hęretico, qui est de ducibus & principibus diaboli, oportet resistere orthodoxos.

DISCIP. Quamuis istæ & alię auctoritates quamplurimæ innuere videantur, quod oportet orthodoxos contra papam hæreticum bellum assumere; tamen non probat specialiter, quod prædicatores & doctores ac magistri debeant contra papam hæreticum prædicare & docere ac doctrinam eius publice reprobare.

MAGIST. Conceditur, quod auctoritates superius allegatæ & quamplures aliæ generales sunt omnibus catholicis bellum spirituale contra papam hæreticum indicentes. quia enim papa hæreticus fidem impugnat, & vna secundum apostolum est fides. ideo omnes catholici contra papam hæreticum bellum debent assumere, tanquam pro caussa communi quæ est vna omnium. veruntamen sicut in exercitu se ad bellum corporale præparantes non omnes idem habent officium, nec omnes corporaliter prælliantur. clerici enim licet non debeant corporaliter bellare; possunt tamen isto prælio interesse, vt hortentur & consulant quod expedit ad salutem. multi etiam seruitores bellatorum ad pręliandum minime sunt apti, nec etiam oēs bellatores eodem modo hostem impugnant. equites enim & pedites diuersimode hostes inuadunt; sic in

exercitu

exercitu catholicorum contra papam hæreticum nō omnes habent idem officium. quidam namque nesciunt doctrinam papæ erroneam per sacras scripturas efficaciter impugnare. & ideo non pertinet ad ipsos prædicando vel docendo per scripturarum testimonia reprobare. Alii vero officium prædicandi & docendi veritatem catholicam & expugnandi prauitatem hæreticam susceperunt. & ideo ad illos tanquam præcipuos bellatores spectat doctrinam papæ erroneam fortius expugnare. quare ex hoc ipso, quod omnibus orthodoxis videtur bellum contra papam hæreticum prædicatoribus doctoribus specialiter iniungi dignoscitur vt suum officium exercentes prædicando & docendo contra papam hæreticum & doctrinam eius insurgant. Alii vero qui scripturas ignorant bellatores spiritualiter corporaliter defendere, nutrire & etiam eis fauere in omnibus, quæ ad eorum spectant officium, contra papam hæreticum astringuntur. DISCIP. Adhuc restat prædicta obiectio. quia in omnibus auctoritatibus præallegatis de papa hæretico nulla fit mentio. ergo si per auctoritates ostenditur, quod prædicatores & doctores debent doctrinam papæ erroneam reprobare: & eadem ratione debent doctrinam erroneam cuiuscunque hęretici impugnare: ad hoc tamen minime sunt astricti. quia nullus prædicator aut doctor posset omnem doctrinam erroneam extirpare. MAGIST. Respondetur, quod quamuis in auctoritatibus allegatis mentio verbalis non fiat de papa hæretico: & ideo de omnibus hæreticis, imo de omnibus malis debent intelligi: principalius tamen debent intelligi de papa hæretico pro eo, quod ipse esset magis nociuus, quam alii hæretici minores in potentia siue minoris potentiæ & minorem sequelam habentes. si enim contra malos & seductores oportet bellum spirituale assumere: contra magis malos & qui leuius ac citius possunt decipere orthodoxos est fortius resistendum, quia cum papa hęreticus valeat plures facilius & citius seducere, quam alii hęretici minores, contra papam virilissime spiritualiter est resistendum & pugnandum.

CAP. XLIV.

In quo tractatur secundum inconueniens, quod sequeretur ex ratione data ad rationem factam c. præcedenti.

DISCIP. In responsione mea ad rationem principalem dixisti innui tria, quæ quibusdam falsa videntur. Tractasti autem de primo illorum, nunc differe de secundo. MAG. Secundum, quod tua responsio videbatur innuere, est, quod papa hæreticus, quamdiu ab ecclesia toleratur, est nullatenus expugnandus. Quod videtur quibusdam esse falsum propter falsam implicationem. Quia si papa hæreticus ab ecclesia toleratur, aut toleratur ab ecclesia catholica, aut ab ecclesia hæretica & schismatica. Si ab ecclesia hæretica & schismata, constat quod propter eius tolerantiam non est ab expugnatione papæ hæretici desistendum. Si autem toleratur ab ecclesia catholica, hoc non potest contingere, nisi quia ecclesia catholica ignorat papam esse hæreticum. si enim sciret ipsum esse hæreticum, eum nullatenus toleraret. sed propter ignorantiam ecclesiæ catholicæ non est ab expugnatione papæ hæretici cessandum, quando probari potest esse hæreticus. illi enim, qui sciunt papam esse hęreticum, si possunt probare eum esse hæreticum, debent hoc ecclesiæ catholicæ nunciare. quæ postquam quęsierit sollicite, & repererit papam hęreticum, nullatenus contra veritatem tolerabit. qui autem perfidiam papæ hæretici ecclesiæ catholicæ nunciarent, debent ipsum, si docendi habent officium, efficaciter reprobare. ergo quamuis ab ecclesia catholica ignorante papa hæreticus toleretur, non debēt prædicatores & doctores scientes eum esse hæreticum ab eius impugnatione cessare: & ita quamuis papa hæreticus ab ecclesia catholica, hoc est, à multitudine Christiani populi toleretur, est à scientibus eum esse hæreticum viriliter expugnandus.

DISCIP. Hic essent duo probanda, quorum primum est, quod ab ecclesia catholica papa hęreticus scienter nullatenus toleratur. Secundum est, quod illi qui scirent papam hęreticum deberēt hoc ecclesię catholicę nunciare, quando possent hoc ꝓbare. vnde ista duo coneris probare. MAG. Primum probatur sic. licet ecclesia catholica quantum ad ea quę facta sunt possit errare. vnde & ecclesia vniuersalis errauit, quantū ad ea quę facta sunt, quando mulierem venerabatur ꝓ papa. & sic etiā posset errare, si quis non baptisatus, qui crederetur esse baptisatus, vel aliquis occulte hęreticus eligeretur in papam, & ab ecclesia vniuersali ꝓ papa haberetur, tamē quantum ad ea quę iuris sunt diuini ecclesia errare non potest. Sed si ecclesia vniuersalis papam hęreticum toleraret, erraret quantum ad ea quę iuris sunt diuini, quia scienter haberet pro papa eum, qui iure diuino esset papatu priuatus, quod non esset sine errore iuris diuini: quia reputare hæreticum verum papam esset contra sacram scripturam: quia ex scriptura diuina colligitur euidenter, quod papa hæreticus non est verus papa, vt ostensum est in *lib. 6. c. 68*. ergo ecclesia catholica nunquam scienter papam hæreticum tolerauit.

DISCIP. Ista ratio non procedit: quia ecclesia catholica tolerando papam hæreticum non erraret, quantum ad ea quæ sunt iuris diuini, nisi papam hæreticum reputaret verum papam. sed ecclesia catholica posset tolerare papam hæreticum, licet non reputaret ipsum verum papam: quia multa tolerantur, quæ minime approbantur, teste Innoc. tertio, qui, vt habetur

extr. de praben. c. iam dudum, ait: *Cum multa per patientiã tolerentur, quæ si deducta fuerint ad iudicium exigente iusticia non debeant tolerari.* Ex quibus verbis colligitur, quod multa tolerantur quæ minime approbantur. & ita absque errore potest ecclesia catholica papam hæreticum tolerare. MAG. Respondetur, quod sicut ecclesia vniuersalis nunquam errabit quantum ad ea quæ sunt iuris diuini, ita nunquam vsque ad finem seculi ecclesia vniuersalis iusticia & charitate carebit, iuxta illud apostoli ad Ephe. 5. *Dilexit Christus nos*, (i. ecclesiam suam) *& tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse gloriosam ecclesiam non habentem maculam neque rugam aut huiusmodi: sed vt sit sancta & immaculata.* non enim esset sancta & immaculata, neque in charitate & iusticia radicata, si scienter papam hæreticum toleraret. quare nunquam ecclesia vniuersalis papam hæreticum tolerabit, si eum punire potest. & si eum punire non poterit, saltem ipsum specialiter verbaliter reprobabit. Ad cuius euidentiam dicitur esse sciendum, quod culpa ab ecclesia tolerari non debet, si potest eam punire. Tum, quia sunt mala quæ ab ecclesia tolerari non debent, si potest ea punire. Nam secundum Greg. habetur: *quædam sunt culpæ in quibus relaxari debet vindicta*, ita sunt quædam culpæ quæ minime sunt tolerandæ. Nam publicæ vtilitatis interest, ne crimina remaneant impunita, *extr. de sententia excommunicationis, vt famæ.* huiusmodi autem culpæ sunt illæ quæ præcipue committuntur in Deum & in bonum commune. 23. *q. 4. c. si ii. & c. si ea.* perfidia autem hæresis in papa hæretico in Deum committitur & in præiudicium fidei, quæ communis est omnium. & ideo perfidiam hæresis in papa hæretico nunquam ecclesia vniuersalis tolerabit: quia tolerando scienter prauitatem hæreticam in papa efficeretur ecclesia schismatica. quia ecclesia quæ schismatico scienter adhæret, schismatica est. ecclesia autem schismatica non est ecclesia catholica & vniuersalis. ergo ecclesia vniuersalis & catholica nunquam scienter perfidiam papæ hæretici tolerabit. quia eo ipso, quod est hæreticus, est etiam schismaticus. ideo non tolerabit ipsum habendo pro vero papa. licet forte multitudo Christianorum papam hæreticum tolerabit, & veri catholici persecutionem ab eo grauissimam sustinebunt: sed ipsum minime tolerabunt sibi tanquam vero papæ obediendo.

DISCIP. Recitasti quomodo probatur, quod ecclesia catholica nunquam scienter papam hæreticum tolerabit. nunc molire probare secundum, scilicet quod illi qui sciunt papam esse hęreticum, debent hoc ecclesię catholicę nunciare.

MAGIST. Hoc videtur posse probari sic. hoc debent catholici aliis catholicis, nescientibus reuelare seu nunciare, quod celatum vergeret in diuini honoris diminutionem & fidelium commune & notabile detrimentum, si celaretur. sed sic est in proposito. ergo catholici scientes eum esse hæreticum, hoc debent aliis reuelare, si possunt hoc ipsum reprobare.

Cap. XLV.

In quo tractatur tertium inconueniens, quod sequitur ex responsione data cap. 43.

DISCIP. Dissere de tertio, quod innuebat responsio mea ad rationem factam *supra c. 43.* vbi dixisti à quibusdam putari contrariam veritatem. MAGIST. Tertium, quod innuebat tua responsio, est, quod in nullo casu absque auctoritate principis nulli licet bellum siue generale siue particulare suscipere, hoc est absque auctoritate principis nulli licet alium occidere: quod non videtur verum. nam publicum latronem cuilibet licet absque auctoritate principis occidere: cum liceat vnicuique sine iudice se vindicare. *ss.* 1. & glo. notat 23. *q. 3. c. fortitudo. & q. 5. c. cum homo. & ext. de immunitate ecclesiarum. c. inter alias.* Item absque auctoritate principis seu iudicis licitum est cuilibet vim vi repellere, *di. 1. ca. ius naturale.* sed aliquando vis repelli non potest nisi inferens occidatur. ergo in hoc casu licet absq; auctoritate principis bellum saltem particulare suscipere. Item, non minus debet populus defendere patriam contra volentes ipsos occidere & patriam deuastare: quam priuata persona teneatur se & res proprias defensare. sed personæ priuatæ licet se & res proprias absq; auctoritate principis defensare & ne occidatur occidere. ergo multo magis toti populo in absentia principis, licet se contra hostes & ne occidantur bellũ suscipere generale. DISC. Ad quid nituntur isti istud certum reprobare? MAG. Hoc ideo probant, vt ex contraria veritate eliciant argumentum ad probandum, quod licet prędicatoribus & doctoribus siue magistris absque mandato cuiuslibet pręlati publice prædicare atq; docere doctrinam papę hæretici veritati catholicę aduersari. DISC. Quomodo? MAG. Hoc modo. bellum spirituale contra hostem spiritualem intentum cum non solum personã priuatam, sed etiam totam communitatem fidelium spiritualiter per hæreticam prauitatem vult extinguere, non est magis illicitum, etiam absque auctoritate principis mortalis inferioris Deo, quam sit bellum corporale contra volentem personã priuatam vel aliquem populum neci tradere corporali. sed licet absque auctoritate principis tam bellum particulare quam generale corporale sustinere. ergo multo magis licet prædicatoribus & doctoribus seu magistris absq; auctoritate principis mortalis contra papam hæreticum cupientem totam multitudinem orthodoxorum spiritualiter hæretica prauitate occidere, bellum spirituale suscipere. ergo licet eis doctrinam papæ hæretici erroneam efficaciter reprobare, & publice expugnare.

DISCIP.

DISCIP. Quomodo ad auctoritates respondetur, quę sonare videntur, quod absque auctoritate principis nulli licet bellum suscipere. MAG. Ad omnes datur vnica responsio: quia omnes intelligendæ sunt, quando auctoritas principis potest conuenienter haberi. si autem principis auctoritas conuenienter haberi non potest; vel propter eius absentiam vel propter eius imperitiam, seu propter eius maliciam: licet absque eius auctoritate ex iusta & rationabili causa bellum suscipere non solum particulare sed etiam generale. DISCIP. Ista responsio innuit, quod in pluribus casibus vel propter diuersas conditiones principis liceat absque eius auctoritate bellum suscipere. vnde prædicta per exempla declara. MAGIST. Istud per vnum exemplum videtur omnimode posse declarari. Ponatur enim, quod aliquis rex potens vel populus aliquam ciuitatem inuadat iniuste, satagens omnes ciues extinguere & ciuitatem funditus dissipare. si in hoc casu princeps ciuitatis est absens, ita quod ciues eius auctoritatem & consilium non possent requirere: vel princeps est alienatus à sensu: vel alias infirmus, quod eis non potest consulere: vel etiam ipsemet princeps malitiose conatur tradere ciuitatem; ciuitati licet pro se defendenda bellum suscipere, principe minime annuente, imo ipso pro viribus resistente. vnde per multa exempla posset ostendi, quod populi plures & communitates sæpius deposuerunt reges iuste & suos principes; & postea sibi principes elegerunt. ex quo patet, quod etiam populus absq; auctoritate principis potuit ex iusta caussa & rationabili contra principem deponendum bellum promouere.

Cap. XLVI.

In quo probatur pluribus rationibus, quod prælatis, doctoribus & magistris licet bellum spirituale contra papam hæreticum mouere, etiam sine licentia cuiuscunque superioris mortalis. & incipit in secunda ratione, quia prima posita est cap. 43.

DISCIP. Mihi videtur ostensum aperte, quod in pluribus casibus licet populo absque auctoritate principis bellum generale mouere. ex quo concludi potest, vt apparet, quod licet prædicatoribus & doctoribus contra papam hæreticum absque auctoritate prælati cuiuscunque mortalis bellum spirituale suscipere eius doctrinam erroneam improbando. nihilominus tamen peto, vt ad eandem conclusionem aliquas alias rationes adducas. MAGIST. Quod non solum sit licitum, sed etiam prædicatores & doctores teneantur doctrinam papæ erroneam reprobare, non requisita auctoritate prælati mortalis, videtur posse probari. Secundo principaliter sic. Qui officium susceptum vel commissum negligit exercere, est merito arguendus. talis enim seruo nequam, qui abscondit talentum sibi commissum, non immerito comparatur. facit enim contra præceptum apostoli scribentis. 2. ad Timoth. 4. *ministerium tuum imple.* sed ad officium prædicatorum & doctorum spectat veritatem catholicam affirmare; & prauitatem hæreticam confutare. quæ duo sunt opera sapientum, scilicet non mentiri; & de his quæ nouit mentientem manifestare posse. ergo ad prædicatores & doctores spectat perfidiam papæ hæretici confutare. DISCIP. Licet ad prædicatores & doctores pertineat prauitatem hæreticam confutare: non tamen spectat ad ipsos omnem hæresim confutare; quia nullus posset hoc facere. ergo per hanc rationem probari non potest quod ad eos spectat perfidiam papæ hæretici reprobare. MAGIST. Hæc responsio non sufficit, vt videtur multis. quia secundum beatum Greg. *secundum qualitatem auditorum debet formari sermo doctorum.* & videtur accepisse à beato Petro, qui, vt legitur 8. *quæst.* 1. *c. oportet*, ait; *Oportet eum qui docet & instruit animas rudes esse talem vt pro ingenio dicentium semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro capacitate audientis dirigere.* sic enim oportet diligentem doctorem & prædicatorem secundum varietatem temporum doctrinam suam audientibus ministrare; aut quando ab hæreticis de aliquibus erroribus specialiter inuaduntur per doctrinam prædicatorum & doctorum contra eosdem errores specialiter muniantur. Si ergo papa hæreticus suæ perfidiæ plures satagit illaqueare, & viri infideles laborant transcendere; oportet prædicatores & doctores suæ perfidiæ specialiter obuiare, & veritatem contrariam auditores salubriter informare. DISC. Puto quod hanc rationem intelligam; ideo alias non differas allegare. MAGIST. Tertio principaliter videtur sic posse probari; cui ex officio incumbit peccanti resistere, si non resistit, peccanti consentit; & consimili modo cum eo iudicandus est culpabilis. hæc est enim ratio, quare sæpe taciturnitas & dissimulatio imputantur prælatis, quæ tamen subditis minime imputantur. quia ad pręlatos & potestatem habentes spectat sæpe peccantibus obuiare; quod tamen ad subditos minime spectat. sed prædicatoribus & doctoribus ex officio suscepto incumbit perfidiæ papæ hæretici fidem corrumpere satagentis resistere. ideo enim, vt dictum est, officium prędicatorum & doctorum debent suscipere, vt doceant catholicam veritatem, & confutent hæreticam prauitatem. ergo si non resistunt papę hęretico, cum possunt, eius perfidiam reprobando, eidem consentiunt; & simili modo cum eo sunt culpabiles reputandi. vnde virtute istius medii omnes auctoritates. *supra cap.* 38. introductæ & aliæ quæ insinuare videntur, quod qui non resistit peccanti, cum potest, eidem consentire videtur, ad prædictam conclusionem possunt adduci. Quarto principaliter sic arguitur; Omnis perfidia inimicorum fidei odio est habenda, teste

psalmista, qui dicit: *iniquos odio habui.* & alibi ait: *omnem viam iniquam odio habui.* & rursus ait: *nonne qui oderūt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam. perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Ex quibus verbis colligitur, quod omnis nequitia & malitia odio est habenda. & quod inimici Dei odio sunt habendi. quod etiam ipse Saluator testatur Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem & vxorem & filios & fratres, non potest meus esse discipulus.* Ex quibus verbis colligitur, quod hoc est in omni homine odiendum, quod est Deo contrarium. perfidia autem papæ hæretici est Deo contraria. ergo odio est habenda. sed prædicatores & doctores odio non habent perfidiam papæ hæretici, nisi ipsum debitis circumstantiis obseruatis detestentur, persequantur & improbare nitantur. ergo prædicatores ipsam oportet perfidiam papæ hæretici reprobare. Maior videtur euidens. Minor aperte probatur. quia secundum beatum Gregorium: *Probatio dilectionis exhibitio est operis*, ita etiam probatio odii exhibitio est operis. & secundum eundem Greg. *amor non est ociosus:* sed multa operatur, si est. amor enim & odium sunt caussæ distinctæ, distinctos effectus habentes. & ideo sicut ex amore, si est, multi sequuntur effectus: ita etiam ex odio plures effectus emanant. quare ex odio si est vere respectu perfidiæ papæ hæretici in prædicatoribus & doctoribus, opera exteriora sequuntur. Persecutio autem est effectus odii, & similiter reprobatio & detestatio exterior. quare si prædicatores & doctores vere odiunt perfidiam & malitiam papæ hæretici, ipsam efficaciter persequuntur. quod August. vt habetur. 23. *quæst.* 4. *c. duo ista*, insinuare videtur dicens: *duo ista nomina cum dicimus, homo peccator, non vtique frustra dicuntur. quia peccator est corripe: & quia homo, miserere nec omnino liberabis hominem, nisi cum persecutus fueris peccatorem huic officio nominis inuigilet disciplina.* & infra: *ita nulli homini claudenda est misericordia, sicut nulli peccatori impunitas relaxanda.* Ex quibus colligitur, quod quilibet ex necessitate tenetur quantum sibi licet pro gradu suo & officio corripere, & persequi peccatorem. ergo prædicatores debent omnium hęreticorum doctrinam reprobare, imo omnem peccatorem persequi tenetur. ergo prædicatores & doctores oportet persequi congruenti modo sibi, scilicet reprobando perfidiam papæ hæretici. DISCIP. Ex hac ratione haberetur, quod prędicatores & doctores deberent omnium hęreticorum doctrinā erroneam reprobare, immo omnem peccatorem persequi tenerentur. quod eis impossibile esse dignoscitur. nullus autem ad impossibile obligatur. MAGIST. Ad hoc respondetur, quod sicut debemus diligere omnes proximos: & ideo papam tam hęreticum quā catholicum tenemur diligere: non tamen omnibus possumus actu speciali beneficia exhibere: sed debemus esse parati tēpore necessitatis pro posse omni indigenti succurrere: ita omnes iniquos inquantum iniqui sunt odire tenemur, & secundum prępartionem cordis omnes persequi astricti sumus. illum tamen, qui deterior est & magis perniciosus populo Christiano, fortius, quia honorem Dei conatur minuere, omnes catholici fortius & melius persequi astringuntur. & ideo cum papa hæreticus sit deterior & magis perniciosus populo Christiano, quam alii minus mali, illum singulariter persequi debent catholici vniuersi. & ideo prædicatores & doctores singulariter contra papam hæreticum debent suum officium exercere ipsum efficacissime & doctrinam suam erroneam reprobando. DISC. Si rationes alias cogitasti, allega. MAG. Quinto specialiter arguitur sic. Sicut oculi corporis mali, qui sibi & aliis partib. corporis minime vidēt illa, quæ sunt eis periculosiora & nociuiora: puta foueas, laqueos, hostes, bestias, & alia quæ possunt inferre corpori læsionem, inutiles reputantur: sic oculi corporis spiritualis, puta ecclesiæ, qui sibi & ecclesiæ nequaquā monstrāt pericula etiam imminentia ecclesiæ vniuersæ, inutiles sunt censendi. oculi autem ecclesiæ sunt prædicatores & doctores, qui bona & mala, virtutes & vitia, pericula & vtilia debent aliis & sibi videre & monstrare. maximum autem periculum imminet ecclesiæ Dei, quando papa est hæreticus. ergo si prædicatores & doctores vident, nec monstrant ecclesiæ periculum, ꝙ ex pfidia papæ hæretici ecclesiæ imminet orthodoxæ, inutiles sunt censendi. Sexto sic. sicut ad testem pertinet in iudicio phibere testimonium veritati: sic ad prædicatores & doctores in suis sermonibus & locutionibus asserere veritatem ac veritati testimonium perhibere. imo prædicatores possent verisimiliter merito appellari testes veritatis. Vnde quia à primo prædicaturi & docturi veritatem fuerunt testes veritatis poterant merito appellari, iuxta illud Redemptoris Act. 1. *Eritis mihi testes, Hierusalem & in omni Iudæa* &c. & vt legitur *eodem capitulo*, beatus Petrus dicit: *oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore quo introiuit & exiuit inter nos Dominus noster Iesus incipiens à baptismate Iohannis vsque ad diem qua assumptus est à nobis, testem resurrectioni eius nobiscum fieri vnum ex istis.* prædicatores ergo & doctores veritatis sunt testes veritatis. sed testes cum in iudicio examinantur, tenentur testimonium perhibere veritati. ergo prędicatores & doctores in sermonibus & lectionibus suis contra papam hęreticum, testimonium veritatis perhibere tenentur.

DISCIP. Ista ratio probare videtur, quod tunc solummodo prædicatores & doctores in suis sermonibus & lectionibus debeant contra papam hæreticum asserere veritatem, quando ad hoc in suis sermonibus compelluntur. quemadmodum testes tunc solum perhibere testimonium veritati tenentur, quando ad hoc per suos superiores artantur.

MAGIST. Ista responsio vel obiectio nulla est, vt quibusdam apparet. nam non solummodo testes debent perhibere veritati testimonium, quando ad hoc à suo superiore compelluntur; imo sæpe ad hoc ex conscientia sine omni coactione per superiorem astringuntur; quia sicut caritatis affectio, quam quilibet ad alium habere tenetur, suggerit vnicuique, vt quod vni prodest, & alteri non nocet, illud nequaquam prohibeat; sic eadem caritatis affe-

ctio

ctio mouet vnumquemque, vt quod alteri prodest, & sibi si faciat minime nocet, alteri faciat, iuxta regulam Saluatoris, qua vnusquisque iubetur alteri facere quod sibi vult fieri, quod nulli nocet nec corporaliter nec spiritualiter. sed sæpe facere testimonium veritati etiam coram non superiore suo sibi non nocet & alteri multum prodest: quia liberat eum à damno vel periculo absque detrimento sui. ergo tunc quamuis testis non fuerit à superiori compulsus, tenetur perhibere testimonium veritati. ergo consimiliter prædicatores & doctores, quando possunt liberare auditores suos, ne incidant in perfidiam Papæ hæretici, de necessitate salutis tenentur auditoribus suis veritatem contra Papam hæreticum indicare. DISCIP. Tenet ne aliqui modernorum doctorum mutuo se reprobantium, quod testis aliquando non compulsus à superiore tenetur perhibere testimonium veritati. MAGIST. Thomas de Aquino videtur asserere, secunda secundæ, q. 70. articulo. 1. *Si vero requiratur eius testimonium non auctoritate superiorum, tunc distinguendum est: quia aliquando requiritur testimonium alicuius auctoritate superiorum, aliquando vero non requiritur testimonium subditi superiorum auctoritate. cum in his, quæ ad iustitiam pertinent, obedire tenentur, non est dubium quin teneatur testimonium ferre in his in quibus secũdum ordinem iuris testimonium ab eo exigitur, puta in manifestis, in his in quibus infamia præcesserit. si autem exigatur ab eo testimonium in aliis, puta in occultis, in quibus infamia non præcessit, non tenetur ad testificandum. si vero requiratur eius testimonium non auctoritate superiorum, quibus subest, tunc distinguendum est: quia si testimonium requiratur ad liberandum hominem vel ab iniusta morte seu pœna quacunque vel à falsa infamia vel etiam ab iniquo damno, tunc tenetur homo ad testificandum. & si eius testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, vt veritatem annunciet alicui, qui ad hoc possit prodesse. dicitur enim in psalmista: Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate. & Prouerb. 24. erue eos qui ducuntur ad mortem. Et ad Rom. 7. dicitur: Digni sunt morte non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus. vbi Glo. dicit, quod consentire est tacere, cum possit redarguere.* Ex quibus verbis patet, quod testis tenetur testimonium perhibere veritati quandoque, quamuis per superiorem minime compellatur. & per auctoritates quas ipse adducit ostenditur quod prædicatores & doctores in suis sermonibus & lectionibus tenentur si possint auditores suos (ne incidant in perfidiam Papæ hæretici) præseruare; quia ad eundem spectat aliquem ab ingruenti siue imminenti periculo liberare, ad quem spectat alium à periculo in quod incidit si potest eripere.

DISC. Adhuc alias rationes ad conclusionem principalem allega. MAG. Septimo probatur eadem conclusio sic. Sicut aduocati patrociniũ causæ iustę pstare tenentur: ita prędicatores & doctores tenẽtur veritatẽ catholicam docere & prauitatẽ hæreticã reprobare. Sed aduocatus catholicorũ contra Papam hæreticum patrociniũ præstare tenetur: quia aduocatus patrociniũ prę̄stare tenetur causæ pauperũ. hoc enim opus est misericordiæ, ad ꝙ pro loco & tempore & aliis circumstantiis debitis obseruatis quilibet obligatur. ergo multo magis debet aduocatus catholicorum contra Papam hæreticum patocinium & defensionem impendere, eo quod causa fidei est causæ cuiuscunque pauperis præferenda. ergo consimiliter prædicatores & doctores in suis sermonibus & lectionibus debent præstando patrocinium causæ fidei Papam hæreticum eiusque doctrinam erroneam confutare. DISCIP. Non videtur quod aduocatus semper teneatur causis pauperum patrocinium impartiri. quia tunc oporteret ipsum omnia alia negotia & aliorum dimittere: & eadem ratione non semper tenentur prædicatores & doctores perfidiam Papæ hæretici reprobare. MAG. Non attendunt isti, quod semper aduocatus causis pauperum patrocinium teneatur impendere, nec quod semper omnes prædicatores & doctores hæreticum Papam debeant in suis lectionibus & prædicationibus reprobare: sed intendunt, sicut aduocatus, quando non apparet, quod per alium modum quam per suum iuuamen potest causa pauperis subleuari, tunc de necessitate salutis ei tenetur patrocinium exhibere; ita prædicatores & doctores oportet viriliter Papæ hæretico obuiare, quando non apparent alii prompti, qui causam fidei velint & valeant contra Papam hæreticum defendere. DIS. Adhuc rationes alias, si occurrunt, allega. MAGIST. Octaua ratio est hæc. Sicut ad accusatorem spectat crimen perniciosum reipublicæ, quod potest probare iudici accusare; ita ad prædicatores & doctores spectat errores pernitiosos contra contra fidem catholicam insurgentes reprobare. sed sciens Papam esse hæreticum & conantem à fide auertere orthodoxos; ipsum, si potest probare, accusare tenetur. ergo prædicatores & doctores scientes Papam hæreticum laborare fidem corrumpere orthodoxam, doctrinam suam erroneam probare tenentur. Maior videtur aperta. Minor probatur auctoritate Grego. qui vt legitur 2. q. 7. c. sicut, ait: *Sicut laudabile discretumque est reuerentiam & honorem exhibere prædicatoribus: ita rectitudinis & Dei timoris est si qua in eis sunt quæ indigent correctione nulla dissimulatione postponere, ne totum quod absit corpus morbus inuadat, si languor non fuerit curatus in capite.* Ex quibus verbis colligitur, quod ad rectitudinem Deique timorem spectat accusare quemcunque prælatum, qui totum corpus conatur inficere. cum ergo Papa totum corpus ecclesiæ hæretica prauitate molitur inficere, Papa hæreticus est à scientibus & reprobare valentibus accusandus.

CAP.

Cap. XXXXVII.

In quo ostenditur, quod si pauci aut solus vnus doctor theologus remaneat non consentiens doctrinæ Papæ hæretici, debet ei resistere toto posse, neque de victoria desperare.

DISCIP. Pro assertione prædicta ad præsens nolo plures rationes audire: quia satis videtur probabile, quod prædicatores & doctores, si simul concordant, debeant vnanimi et doctrinam Papæ erroneam reprobare. sed nunquid si multitudo prædicatorum & doctorum seu magistrorum consenserit Papæ hæretico fauerit vel non restiterit, audebunt pauci doctrinæ erroneæ obuiare? MAG. Sunt quidam dicentes, quod si pauci prædicatores & doctores in doctrina permanserint orthodoxa, & tota alia multitudo Papæ hæretico consensum & fauorem præbuerit, illi pauci debent illi resistere modis congruis toto posse: imo si vnus solus remaneret fixus in fide, deberet intrepide doctrinam erroneam Papæ hæretici improbare, exemplo Heliæ prophetæ, qui quamuis putasset se solum prophetam fidelem Dei fuisse relictum, à fide vera minime deuiauit: sed hæreticos & apostatas, quando fuit oportunitas, constantissime confutauit. & per consequens multo magis si aliquis prælatus cum paucis prædicatoribus & doctoribus sibi subiectis Papæ hæretico nullatenus consentiret, tota alia multitudine cum suis erroribus adhærente, illi prædicatores & doctores pauci vna cum prælato suo debent doctrinæ Papæ erroneæ contraire, deberetque prælatus dicere cum Matathia illud. 1. Machabe. 2. *& si omnes regi Antiocho* (hoc est Papæ hæretico) *obediunt, vt discedant vnusquisque à seruitute legis patrum suorum, & consentiant mandatis eius, ego & filii mei & fratres mei obediemus legi patrum nostrorum. propicius sit nobis Deus; non est nobis vtile relinquere legem & iustitias Dei: non audiemus verba regis Antochi* (id est Papa hæretici) *nec sacrificabimus transgredientes legis nostra mandata, & vt eamus altera via.*

DISCIP. Videtur quod si pauci resisterent toti residuo multitudinum Christianorum laborarent in vanum. ergo hoc attemptare & prædicare nullo modo deberent.

MAGIST. Respondetur, quod pauci non deberent de victoria desperare. imo vnus solus de victoria sperare deberet: quia vt habetur. 1. Macha. 3. *Non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo est fortitudo.* 1. Reg. 14. sic habetur: *Non est domino difficile saluare vel in multis vel in paucis.* 2. Parali. 19. sic habetur: *Domine non est apud te distantia, vtrum in paucis auxilieris aut in multis.* Ex quibus verbis patet, quod si pauci contra Papam hæreticum susciperent bellum (tota alia multitudine sibi adhærente) de victoria desperare non debent: quia bellum tale non est bellum eorum, sed bellum domini, qui est veritas, quæ super omnes vincit in veritate. ergo habentes fiduciam pro eadem certent vsque ad mortem, & Deus expugnabit pro eis inimicos eorum.

Cap. XXXXVIII.

In quo docetur, quomodo se debeant habere in casu prædicto doctores & prædicatores, ne fiant fautores hæreticæ prauitatis.

DISCIP. Auctoritates scriptæ mihi clare demonstrant, quod vnus catholicus posset secure bellum contra Papam hæreticum cum tota sua cohorte suscipere: nec deberet de victoria aliqualiter desperare. Dubito autem, vt si vnquam aliquis Papa futurus est hæreticus, pro multitudine Christianorum poterit dicere illud Saluatoris: *Putas ne filius hominis veniens inueniet fidem super terram*: quia reor quod paucissimi sibi resistent. puto enim quod tunc adimplebitur prophetia beati Pauli dicentis 2. ad Timoth. 4. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertent*: quia fabulas & errores Papæ hæretici multitudo præcipue magistrorum ambitiosorum & auarorum sequitur. idcirco peto vt ostendas secundum aliquorum sententias, quid paucis in sacra pagina eruditis siue fuerint magistri siue discipuli esset agendum, si Papa efficeretur hæreticus, & quid omnes prædicatores & doctores haberent agere, nisi omnes veritati fidei adhærerent.

MAG. Respondetur, quod si Papa de doctrina diffamaretur erronea, omnes prædicatores & doctores seu lectores vel magistri: imo etiam omnes literati quantum vniuscuiusque ingenio & scientiæ conueniret, deberent doctrinam Papæ erroneam videre, studere, & examinare, & discutere diligenter, exemplo illorum, de quibus dicitur Act. 17. *quotidie scrutantes scripturas, si hæc ita se haberent.*

DIS. Hic dicitur de illis, qui scrutantur continue veritatem: non de scrutantibus doctrinas erroneas. MAGIST. Respondetur, quod ad eos spectat scrutari veritatem & errores contrarios & doctrinas, testante Salomone, qui Ecc. 1. ait: *Dedique cor meum, vt scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque & stultitiam.* Ex quibus verbis colligitur, quod ita inuestigandi & discutiendi

sunt

sunt errores contra fidem: sicut catholicæ veritates. quia vt Sapiens testatur, *Idem est index recti & obliqui, & eadem est scientia contrariorum.* oportet ergo prædicatores & doctores errores Papæ hæretici examinare, studere & discutere diligenter. quia sic ad veritates plures, quas antea nescierunt, peruenient, teste Glo. accepta ab August. 1. Cor. 2. qui ait *ab aduersario mota quæstio discendi existit occasio.* DISCIP. Quid facient postquam doctrinam Papæ erroneam examinauerint diligenter? MAGIST. Respondetur, quod rationibus & scripturarum testimoniis contra eam quantum possunt debent se munire, ac illi qui scribendi gratiam receperunt, scribant & componant libros, tractatus, sermones, & epistolas, secundum quod videtur expediens ad reprobandum doctrinam Papæ erroneam. opera vero sua modis sibi possibilibus communicent & diuulgent, nominibus suis tacitis vel expressis, scilicet secundum quod expedire videtur. Quædam enim opera ratione auctorum videntur libentius. & tunc erit vtile nomen auctorum exprimere. interdum autem multi odio habent auctores, & tunc illis nomen auctorum operis expedit occultare, vt æmuli non quis dicat, sed quid dicatur, attendant. Illi vero, qui libros, tractatus & alia opera componendi gratiam minime habent, in scripturis authenticis, & etiam in operibus nouis, in quibus magis distincte doctrinam Papæ erroneam poterunt reprobare, se occupent studiose, vt cum tempus venerit oportunum, errores Papæ valeant efficaciter reprobare. Vnde tam illi, qui noua opera contra prauitatem Papæ hæretici ediderunt, quam alii prædicatores & doctores in lectionibus & sermonibus publicis ceterisque colloquiis, quando opportunitas loquendi affuerit, debent errores Papæ secundum gratiam eis datam efficaciter reprobare, & veritatem contrariam declarare, & quantum in eis est auribus omnium inculcare. Vnde nutu & verbo quid sentiant manifestent, dicantque vt more bellatorum qui hostes suos aperte & per insidias & omnibus modis licitis, quos excogitare valuerint, debellare nituntur: debent prædicatores & doctores seu magistri aperte & per insidias publice ac modis sibi conuenientibus perfidiam Papæ hæretici expugnare: nec aliter à culpa fautoriæ prauitatis hæreticæ sunt immunes. quia non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, *extra de homicidio, si est.* quod intelligendum est, cum quis potest manifesto facinori obuiare, & non apparet in promptu, quod per alium facinus manifestum valeat prohibere. & ideo si Papa hæreticus laborauerit inficere orthodoxos doctores & prædicatores regionum, ad quos doctrina pestifera Papæ hæretici perueniret, ne illarum incolæ regionum auerterentur à fide, viriliter obuiare deberent, nec carerent in hoc casu scrupulo societatis occultæ, nisi doctrinæ Papæ erroneæ obuiarent, si in regionibus illis non essent alii, qui doctrinæ Papæ erroneæ scirent, vellent, & possent resistere. & ita prædicatores & doctores in Francia commorantes tenentur doctrinam Papæ erroneam reprobare, priusquam doctrina eadem in Francia cœperit publicari, vel probabiliter dubitatur, quod aliquos corrumperet in Francia, nisi resistatur eidem. Sic prædicatores & doctores Italiæ debent ab eadem doctrina mortifera præseruare Italiam, vt si in aliqua sui parte infecta fuerit, debent conari purgare eandem. & consimiliter de prædicatoribus & doctoribus aliarum regionum, in quibus morantur, est dicendum. Si vero in Francia vel in alia regione sunt aliqui prædicatores & doctores seu magistri, qui sufficienter eandẽ regionẽ à dicta doctrina præseruant vel expurgant, alii prædicatores & doctores vel magistri regionis eiusdem non tenentur de necessitate salutis doctrinæ illi obuiare, ex quo per alios ei sufficienter resistit: sed vbi alii deficerent, ipsi se ponere murum pro fide catholica contra Papam hæreticum deberent. alioquin in fautoriam inciderent prauitatis hæreticæ iuxta auctoritatem superius allegatam, &c.

DISCIP. Videtur quod illa auctoritas & consimiles non debent de quibuscunque intelligi, sed de illis tantummodo, qui sic supra alios potestatem habent. quales non sunt prædicatores & doctores, nisi fuerint prælati.

MAGIST. Dicunt quidam, quod hic erras aperte: quia auctoritas illa & consimiles debent intelligi non solum de prælatis: sed etiam de sociis & subditis, quod per decretalem supra allegatam, *extra de homicidio*, satis videtur aperte probari. conditor enim decretalis illius, scilicet Alexander tertius, loquitur de occisoribus beati Thomæ Cantuariensis, & de illis, qui associauerunt eos, quorum diuersi diuersimode culpabiles extiterunt. de quibus dicit in hæc verba: *illi etiam qui non vt ferirent, sed vt persecutoribus opem ferrent, si forte per aliorum violentias impedirentur, paulo minori debent pœna mulctari, quia cum scriptum sit: Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberauit eum, occidit. constat autem ab homicidii reatu immunes non esse qui occisoribus contra alios opem præstant, nec carent scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare.* Ex quibus verbis colligitur, quod Alexander tertius quasi dupliciter probare conatur, quod qui opem occisoribus præstare venerint, à reatu homicidii minime sunt immunes. Primo modo per illud, *qui potuit hominem liberare*, &c. Secundo per illud, *nec carẽt scrupulo*, &c. ergo vtrunque illorum dictorum, scilicet *qui potuit hominem liberare*, &c. *nec caret scrupulo*, &c. de his, qui opem occisoribus præstare venerint, debet intelligi. illi autem non erant prælati occisorum, nec superiores militibus, qui erant occisores: sed erant socii vel famuli ac subditi eorundem. ergo tales auctoritates, *qui potuit hominem liberare, &c. nec caret scrupulo, &c.* & consimiles, non solum de prælatis & superiorib. super alios potestatẽ habentibus, sed & de omnibus debent intelligi quod verũ est pro tem-

pro tempore necessitatis, cum non apparet alius in promptu, qui velit & valeat proximum à periculo liberare. Quod etiam auctoritates tales, *qui potuit*, &c. *& nec caret*, &c. de sociis & de omnib: debeant intelligi, probatur secundo sic. Non minus tenetur quilibet socius subditus vel prælatus subuenire necessitati spirituali proximi quàm corporali. sed quilibet tempore necessitatis vbi non apparet alius, qui proximo subueniat, tenetur opera misericordiæ corporalia proximo (si potest) impendere. ergo multo magis quilibet subditus & prælatus opera misericordiæ spiritualia (si conuenienter potest, cum non apparet alius qui subueniat) tenetur tempore necessitatis proximo exhibere. manifesto autem facinori obuiare, cum quis conuenienter potest, & proximum tenetur (ne doctrina Papæ hæretici inficiatur erronea) præseruare & regionem totam, vel pro parte doctrina erronea Papæ infectam per sermones, informationes, exhortationes, & scripturas catholicas expurgare, & consimilia, quæ sunt inter opera misericordiæ spiritualia computanda. Ergo ad ista & consimilia tempore necessitatis, cum non appareant prælati, nec alii qui velint vel possint talia operari, quilibet siue socius siue subditus, qui conuenienter potest, ista debet proximis de necessitate salutis impendere. Ex quibus colligitur, quod si prædicatores & doctores seu magistri siue in sermonibus & lectionib. publicis siue per informationes occultas possunt aliquos vel aliquas à doctrina Papæ erronea retrahere & non faciunt: nec apparet alius, qui hoc faciat, sunt fautores hæreticæ prauitatis: nec carent scrupulo societatis occultæ, ex quo possunt (& non apparet alius qui velit & possit) manifesto facinori desinunt obuiare.

DIS. Quid si metu mortis tali facinori desinunt obuiare? MAGIST. Videtur quibusdam, quod si probabiliter crederent, quod si possunt aliquos à doctrina Papæ erronea reuocare, nec probabiliter reputarent, quod alio tempore si viuerent maiorē possent facere fructum: peccarent mortaliter omittendo metu mortis alios à doctrina erronea reuocare. verumtamen propter metum mortis excusarentur in tantum, quod sententiam excommunicationis nequaquam incurrerent. quemadmodum si quis inter Saracenos & infideles alios constitutus metu mortis negaret Christum, & veneraretur Machometum, peccaret mortaliter; sed sententiam excommunicationis euaderet.

CAP. XXXXIX.

In quo agitur de eis, qui impugnatores Papæ hæretici persequerentur: aut quomodo libet infestarent, quid sit tenendum. vbi ponuntur quinque conclusiones.

DISCIP. Inquisiuimus de prædicatoribus, si teneantur doctrinam Papæ erroneam reprobare. nunc dissere de illis prædicatoribus & doctoribus, qui impugnatores Papæ hæretici improbarent vel sequerentur, aut quomodolibet infestarent. MAGIST. Circa hanc interrogationem videtur aliquibus distinguendum, quod improbare impugnatores Papæ hæretici contingit dupliciter. Vno modo eorum assertiones per auctores & rationes solummodo conuincecere satagendo. Alio modo personis eorum detrahendo vel in propria irrogando aut persecutionem quamlibet procurando, vel contra ipsos alios prouocando, seu eis per se vel per alios molestiam quamlibet inferendo. Item aut assertio Papæ hæretici erronea est damnata explicite solummodo vel implicite. Item si est damnata, aut prædicatores aut doctores, qui non impugnant ipsum, possunt faciliter scire, quod assertio Papæ est damnata explicite, aut non possunt faciliter scire. Item aut sciunt Papam à viris in sacra pagina eruditis de certis articulis fortiter impugnari, aut nesciunt. DISCIP. Quomodo potest contingere, quod aliqua assertio Papæ erronea sit damnata explicite; & tamen prædicatores seu doctores hoc faciliter non possunt scire? MAGIST. Respondetur, quod hoc potest contingere propter ignorantiam prædicatorum & doctorum, & propter defectum librorum. multi enim sunt prædicatores & doctores tam simplices & tam paruam scripturarum habentes notitiam & peritiam, quod veritates quam plurimas sanctarū scripturarum ignorant, & de determinationibus ecclesiæ parum vel nihil sciunt. multi eorum propter inopiam scripturarum, in quibus veritates catholicæ plures explicite approbantur, & per consequens falsitates contrariæ reprobantur & condemnantur, faciliter peruenire non possunt. vt dicunt, pauci, præter Fratres Minores, habent *decretalem Nicolai tertii*, in qua explicite approbatur, quod abdicationes proprietatis omnium rerum Christus verbo docuit & exemplo confirmauit: & per consequens falsitas contradictionis explicite condemnata est. condemnationem etiam summorum pontificum, qui magistros quosdam Parisienses damnantes statum Mendicantium condemnauerunt, pauci habent, præter Fratres prædicatores & Minores. & ita multi ad illas scripturas continentes damnationem talium hæresium facile peruenire non possunt. quidam autem à peritis longe distant; nec adest eis opportunitas consulendi peritos. quare si non sunt in scripturis excellenter instructi, non facile scire possunt tales hæreses esse explicite condemnatas. DIS. De exemplis adductis in secundo tractatu *De dogmatibus Ioh. 22.* loquuntur, per quæ quamuis malitiose ab æmulis adducantur, intelligo quomodo aliqui prædicatores seu doctores de quibusdam hæresibus non possunt faciliter scire, an sint explicite condemna-

damnatæ. quamobrem enarra, qualiter per præscriptas distinctiones ad interrogationem propositam respondetur. MAG. Respondetur quinque conclusiones tenendo. Quarum prima est, quod prædicatores & doctores assertiones impugnantium Papam hæreticum de assertione, quæ non est damnata explicite, improbantes solo sermone intendendo, conuincendo per rationes & auctoritates, quod assertiones eorum cõtrariæ assertioni Papæ hæretici non continent veritatem, non sunt censendi fautores hæreticæ prauitatis, nec ex hoc solo sunt reputandi peccare mortaliter. Hæc conclusio probatur per hoc, quod catholici possunt absque fautoria prauitatis hæreticæ & peccato mortali circa assertiones catholicas, quæ non sunt explicite approbatæ, nec explicite condemnatæ, contrariè opinari, & opiniones suas contrarias rationibus & auctoritatibus fulcire. ergo licet Papa hæreticus & impugnatores eius teneant opiniones contrarias, absque fautoria prauitatis hæreticæ & absque peccato mortali possunt prædicatores & doctores assertionem Papæ quæ in rei veritate est hæretica (licet hoc nesciant) conari probare assertionem contrariam improbare.

DISCIP. Contra hanc probationem & conclusionem eius duæ obiectiones mihi occurrunt. Quarum prima est: quod si assertio Papæ non est damnata explicite tanquam hæretica: non erit propterea hæreticus iudicandus. ergo impugnantes Papam propterea asserendo eum esse hæreticum, sunt merito puniendi. Secunda obiectio est contra illud, quod dicitur & innuitur, quod licet prædicatores & doctores conantur auctoritatibus & rationibus improbare assertionem impugnantium assertionem Papæ hæreticam, non sunt censendi fautores hæreticæ prauitatis: hoc enim non videtur verum. nam nullus plus potest fauere hæreticæ prauitati, quàm conando eam auctoritatibus & rationibus approbare, & ostendere eam veram esse. si ergo aliqui moliuntur rationibus & auctoritatibus probare contrariam assertionem Papæ hæretici, quæ est hæretica, esse falsam, videtur quod censendi sunt fautores hæreticæ prauitatis.

MAG. Ad primam respondetur, quod licet assertio Papæ non sit damnata explicite; in casu tamen licitum est asserere & tenere Papam esse hæreticum. Ad cuius euidentiã dicitur esse sciendum, quod si assertio Papæ non est damnata explicite, aut Papa eam tenet solummodo opinando; & tunc licet scientibus in rei veritate eam esse hæreticam asserere, quod est hæretica; sed non licet eis dicere nec asserere Papam esse hæreticum; quia ex quo Papa solummodo opinando dicit eam, non est hæreticus reputandus. aut Papa talem hæresim non damnatam explicite non opinando, sed pertinaciter asserendo tenet, quæ est pertinacia. quia, sicut patet ex *quarto huius* diuersimode potest de pertinacia deprehendi. & in hoc casu licet catholicis scientibus Papam hæresim damnatam solummodo implicite pertinaciter asserere & tenere, non tantummodo affirmare assertionem Papæ esse hæreticam, sed licet eis sentire, quod Papa est hæreticus. periculose tamen hoc publice assererent: quia forte hoc reprobare non possent. & forsan extra concilium generale & in absentia catholici Papæ, quamuis esset verum, non debent hoc publice affirmare. Ad secundam obiectionem respondetur, quod ad fautoriam hæresis, quæ non est damnata, non sufficit, quod quis eandem rationibus & auctoritatibus munire conetur: sed vltra hoc requiritur, quod pertinaciter seu inique talem hæresim rationibus & auctoritatibus fulcire seu alias munire conetur: quemadmodum ad hæreticam prauitatem non sufficit, quod quis errando hæresi adhæreat; sed requiritur, quod pertinaciter adhæreat.

DISCIP. Indica quæ sunt aliæ conclusiones, quas tenet prædicta opinio. MAGIST. Secunda conclusio est, quod prædicatores & doctores qui impugnatores doctrinæ hæretici Papæ quantum ad assertionem non damnatam explicite, non solum rationibus & auctoritatibus, sed etiam detrahendo & improperia irrogando, aut contra eos alios prouocando, vel per se vel per alios molestiam quomodolibet inferendo impugnantibus, peccant mortaliter, & sunt fautores hæreticæ prauitatis. Quia qui propter bonum licitum infert alteri nocumentum notabile, peccat mortaliter. & si propter licitam impugnationem hæreticæ prauitatis infert alteri nocumentum, est fautor hæreticæ prauitatis. sed reputare assertionem Papæ hæreticam, licet non sit damnata explicite, est bonum & licitum. ergo prædicatores & doctores, qui propter impugnationem huiusmodi inferunt impugnantibus notabile nocumentum, peccant mortaliter: & sunt fautores hæreticæ prauitatis. hoc autem faciunt, qui eis detrahunt & etiam opprobria & contumelias irrogant, & contra eos alios prouocant, vel per se vel per alios molestiam irrogant. ergo peccant mortaliter, & sunt fautores hæreticæ prauitatis. Tertia conclusio est: Quod illi prædicatores & doctores, qui impugnatores Papæ hæretici propter assertionem explicite damnatam, quam non possunt faciliter scire esse damnatam explicite propter imperitiam in scripturis authenticis, aut propter defectum librorum, aut propter aliam quamcunque causam, propter quam nesciunt Papam de hæresi impugnare; impugnant assertionem Papæ solummodo rationibus & auctoritatibus satagendo munire, & assertionem contrariam rationibus & auctoritatibus tantummodo improbare tacendo, non peccant mortaliter, nec sunt fautores hæreticæ prauitatis censendi. Quia absque peccato mortali potest quis (dummodo pertinaciam non adiungat) opinando assertionem negare catholicam (etiam explicite approbatam) & contrariam assertionem hæreticam damnatam explicite opinari. si enim est aliquis non habens memoriam de historia *libri Regum*, qui absq; pertinacia diceret & rationibus aliquibus confirmaret, quod Dauid non

habuit

habuit plures simul vxores, nec peccaret mortaliter, nec esset fautor hæreticæ prauitatis. Sic dicũt aliqui, ꝙ licet quidã, qui nunquã viderunt Decretalem Nicolai tertii (*Exiit qui seminat*) opinarentur, & suam opinionem auctoritatibus & rationibus confirmare studerent, quod Christus habuit alicuius rei proprietatem, quamuis hoc facerent imitando Papam hæreticum, qui hoc diceret, non peccarent mortaliter, si dictam decretalem *Exiit*, faciliter habere non possent, nec scirent Papam propter assertionem prædictam à viris eruditis in sacra pagina impugnandum. quia opinari hæresim damnatam explicite nescienter potest quis absque peccato mortali & fautoria hæreticæ prauitatis, dummodo pertinacia nullatenus misceatur. Quarta conclusio est, quod prædicatores & doctores, qui impugnantes Papam hæreticum pro assertione damnata explicite hæretica, quam possunt faciliter scire damnatam explicite, & propter quam sciunt Papam de hæresi impugnari, reprobant aut impugnant, peccant mortaliter, nec à fautoria prauitatis hæreticæ sunt immnnes: quia tantum zelum debent habere de fide catholica, quod honori & fauori cuiuslibet mortalis præferre tenentur: quia cum nunciatur eis Papam in certo articulo contra fidem catholicam errare, se de eadem assertione intromittere approbando vel reprobando proponunt, non debent negligere, sed quærere diligenter, an assertio Papæ sit condemnata. & ita si possent facile scire assertionem eandem esse damnatam explicite, seu illam veritatem esse explicite approbatam, nullatenus à peccato mortali & fautoria hæreticæ prauitatis excusarentur, si impugnantes assertionem Papæ erroneam improbare præsumant. Quinta conclusio est; Quia prædicatores & doctores impugnatores doctrinæ erroneæ Papæ hæretici damnatam explicite siue sciant siue ignorent eam esse damnatam explicite propter impugnationem huiusmodi persequuntur eis detrahendo vel contumelias vel improperia irrogando, vel contra eos prouocando, seu aliter per se vel per alios molestiam quomodolibet inferendo, peccant mortaliter, & sunt fautores hereticæ prauitatis reputandi: grauius tamen peccant illi, qui sciunt doctrinam Papæ esse erroneam, quàm illi, qui ignorant.

DISCIP. Quare non possunt ignorantes per ignorantiam excusari? MAG. Respondetur, quod ignorantia iuris, quod semper quis scire tenetur, non excusat. hoc autem scire tenetur, quod impugnantes aliquam doctrinam tanquam erroneam non sunt aliqualiter molestandi, nisi certitudinaliter constet eos falsè vel inique impugnare doctrinam eandem. quare cum (si doctrina Papæ sit erronea) non possit constare, quod impugnatores ipsius propter solam impugnationem eam falsè impugnant & inique (quia huiusmodi impugnatio est licita) non sunt propter impugnationem huiusmodi aliqualiter molestandi.

Cap. XXXXX.

In quo specialiter inuehitur contra doctores doctrinam Papæ erroneam defendentes: qua scilicet pœna sint plectendi, & quibus vitiis inuoluti.

DISCIP. Puto quod ad probandum omnes conclusiones prædictas rationes & auctoritates quam plures (si cogitares) scires adducere, quas omnes causa breuitatis omitte, & dic breuiter, quid faciendum esset de doctoribus & magistris, qui doctrinam Papæ manifeste erroneam defendere aut excusare quomodolibet niterentur; doctrinas autem aliorum maxime pauperum disputabiles; imo veras & catholicas, licet doctrinis quorundam theologorum contrarias, damnare & peruertere, & ad malum sensum trahere conarentur? MAG. Respondetur, quod talium doctorum nequitia faciliter describi non potest: quia tales ab omni amore & zelo veritatis sunt penitus alieni, ostendentes aperte, quod nequaquam amore scientiæ aut veritatis magistratum ascenderunt, sed propter gulam aut honorem, aut diuitias obtinendas, in studio laborauerunt.

DIS. Quibus vitiis sunt tales censendi impliciti. MAGIST. Respondetur, quod tales sunt acceptatores personarum. talibus enim loquitur Esa. 5. c. dicens: *Ve qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendum ebrietatem, qui iustificatis impium pro muneribus* (hoc est pro beneficiis gratiis & honoribus obtinendis) *& iustitiam iusti aufertis ab eo* (veritatem suæ doctrinæ propriam peruertendo, & ad malum sensum vt placeant Papæ hæretico inique trahendo) sunt *potentes ad bibendum vinum*; quia inter alios fines malos quos sperant per magisterium obtinere impletio ventris cibi & potus infimum locum minime tenent, vt de his vere sic dicatur illud apostoli Phil. 3. *quorum Deus venter est*: quia propter ventrem & honorem & propter alia terrena consequenda & incommoda deuitanda laborant in studio & discunt. vnde & de quolibet tali doctore dicit Salomon Prouer. 38. *Qui cognoscit faciem suam in iudicio, non habet*, &c. Ille cognoscit faciem in iudicio, qui doctrinam manifeste erroneam non nititur excusare vel etiam defendere, quia à Papa est tradita & inuenta: doctrinam pauperis catholicam & excusabilem (vt Papæ hæretico placeat contra veritatem dicentis) ad malum satagit trahere intellectum, qui pro buccella panis, id est, pro vno bono conuiuio, vbi confusionem non metuit temporalem, catholicam paratus est defendere veritatem,

DIS-

DISCIP. Ex his coniecturo, quod si vnquam aliquis Papa hæreticus esset futurus manifestus, patebit aperte, qui doctores illius temporis zelo veritatis catholicæ & propter hæreticos conuincendos (si vnquam insurgent) in studio laborarunt: & qui propter terrena scientiæ operam impenderunt. MAG. Nonnullis apparet, quod hic falleris. quia, teste Christo, multi ad tempus credunt & in tempore tentationis recedunt. sed forte nonnulli, si Papa esset hæreticus, bono zelo in principio laborabunt, & cum venerit tribulatio per Papam hæreticum sustinenda, illi firmissime adhærebunt. DIS. Quamuis mihi non appareat, quod tempore futuro Papæ hæretici (si fuerit) non possit sciri, qui propter zelum veritatis studio vacare cœperunt: tamen satis videbitur manifeste, qui erunt sinceri & fortes fidei zelatores. ideo redi ad materiam in isto capitulo differendam, & enumera alia vicia, quibus doctores, de quibus hic est sermo, reputantur impliciti; nec cures alias probationes adducere. MAGIST. Doctores isti putantur fautores hæreticæ prauitatis ambitiosi, auari, adulatores, propter excusationem vel assertionem doctrinæ erroneæ Papæ hæretici: propter peruersionem autem aliarum doctrinarum putantur inuidi, malitiosi, innocentiæ persecutores, detractores, diffamatores, calumniatores, falsorum criminum impositores. vnde in Spiritum sanctum multipliciter peccare censentur. propter vtrumque autem vitium falsi, mendaces, fallaces, seductores, & fraudulenti credentur. DIS. Qua pœna essent tales plectendi? MAGIST. Respondetur, quod tales omnibus pœnis, quæ debentur vitiis superius enumeratis, essent merito percellendi. vnde dicitur, quod sunt excommunicati, & ab omni officio deponendi, imo videtur quibusdam, quod essent curiæ seculari tradendi, vel perpetuo carceri mancipandi.

CAP. LI.

In quo inquiritur de religiosis non resistentibus doctrinæ Papæ hæretici, vtrum sint fautores prauitatis hæreticæ, & qualiter in casu se habere debeant.

DISCIP. De prædictis posset longus tractatus fieri: sed quia cupio, quod finis cito isti tractatui imponatur, ideo ad religiosos censeo transferendum. de quibus interrogo, an religiosi, qui Papæ hæretico non resistunt, sint inter fautores hæreticæ prauitatis computandi. MAG. De religiosis distinguitur. quidam enim religiosi regulariter aliquos de fratribus suis ad studium theologiæ admittunt, pluribus etiam officium prædicationis & confessionis committunt, multique ex diuersis causis per mundum discurrunt, & de loco ad locum sæpius mouentur. magnam tamen communicationem habent inter se, quantumcunque sint per mundum dispersi. vnde accidit, quod ea quæ publice fiunt non solum in Curia Romana, sed etiam in studiis generalibus, & in aliis locis frequentabilibus facilius, certius, & distinctius cognoscuntur ab eis. Alii sunt religiosi, qui ex consuetudine in certis locis continue residentes sua loca non mutant, raroque exeunt claustra sua, nec aliquos de fratribus ad studia vel ad alia loca transmitunt, ac diuersis locis manentes paruam vel nullam inter se communicationem habere noscuntur. & ideo de his sæpe, quæ in curia Romana & in aliis locis frequentabilibus publicè fiunt, multa ignorant, quæ aliis minime sunt ignota. si ergo Papa esset hæreticus publicus, hoc est publicè diffiniens assertionem, quæ est hæresis explicitè condemnata, vel publice prædicans aut docens assertionem contra veritatem apud omnes catholicos diuulgatam: puta si publice prædicaret, Christum non fuisse natum de virgine, vel resurrectionem non esse futuram; aut non esse infernum, nec aliquas animas cruciari in inferno: contra prædictos religiosos esset violenta præsumptio, quod minime ignorarent Papam esse hæreticum: quia tales religiosi ea, quæ publice fiunt in curia Romana, non ignorant, cum tot literas sibi mutuo scribunt de nouitatibus, quæ contingunt, quod vix aliquid notabile fit in curia Romana, quin cito & in breui tempore in omnibus locis eorum per vniuersum orbem publice cognoscatur. & ideo si adhæserint Papæ hæretico, fautores sunt. cum eius perfidia fuerit publicata, præsumendum est, quod scienter adhærerent prauitati hæreticæ: & ideo fautores hæreticæ prauitatis sunt censendi, si dixerint vel tenuerint Papam esse catholicum & fidelem.

DISCIP. Quid si non dixerint Papam esse catholicum & fidelem, tamen sibi obediunt de eius fidelitate aliqualiter se intromittendo.

MAGIST. Respondetur à quibusdam, quod in hoc casu, si non possunt perfidiam Papæ ne transfundatur ad alios prohibere, non sunt censendi fautores hæreticæ prauitatis: sed sunt fautores hæretici putandi: quia ex quo perfidiam Papæ hæretici prohibere non possunt, nec credentes erroribus suis corrigere, nec ne alii credant eius erroribus impedire, tacendo de eius perfidia non videntur culpam incurrere: sed obediendo sibi à culpa minime sunt immunes. DIS. Dic de aliis religiosis. MAG. De aliis dicitur, quod non est præsumptio tam violenta contra eos, quod sciant vel teneantur scire Papam hæreticum esse. & ideo non sunt subito iudicandi fauere hæreticæ prauitati, vel quia peccent Papæ hæretico obediendo, sed examinandi sunt sollicite, an sciant Papã esse hęreticum: vel propter illa quæ audierunt teneantur hoc scire. & secundũ hoc vel

culpabiles vel à culpa liberi sunt censendi. si enim ignorant Papam esse hæreticum, & non laborant crassa ignorantia & supina obediendo Papæ hæretico, ab omni culpa sunt immunes. Si vero sciunt Papam esse hæreticum, quia vel ignorant vel quia nolunt scire, & laborant ignorantia crassa & supina obediendo Papæ hæretico, peccant mortaliter, nec possunt aliter excusari. DISCIP. Quid spectat ad religiosos facere, si Papa hæreticus fuerit? MAGIST. Respondetur, quod ad primos religiosos, si fuerint prædicatores vel confessores, aut lectores, quando prædicant vel legunt, aut confessiones audiunt, spectat debitis circumstantiis obseruatis, auditoribus suis perfidiam Papæ hæretici nunciare, vt caueant doctrinam pestiferam eius. Ad alios autem quando vadunt per mundum, vt (quando est opportunitas) illis, quibus loquuntur, non publice prædicando, sed loquela simplici perfidiam Papæ hæretici studeant nunciare. Ad alios autem religiosos, si sciuerunt Papam esse hæreticum, hoc spectat, quod sibi tanquam Papæ nullo modo obediant: & modis sibi congruentibus alios ab obedientia eiusdem reuocare tenentur.

Cap. LII.

In quo quæritur, de regibus & principibus in suis prouinciis & regnis admittentibus doceri doctrinam Papæ hæretici: vtrum tales fautores hæreticæ prauitatis sint censendi.

DISCIP. Consequenter de regibus & aliis publicis potestatibus & cōmunitatibus aliqua interrogare propono. Dic autem in primis, an reges, qui permitterent, & principes doctrinam Papæ hæretici in suis regnis & dominiis publicari & doceri, essent inter fautores hæreticæ prauitatis computandi. MAGIST. Videtur nonnullis de regibus & principibus distinguendum: quia aut sunt omnino illiterati, aut literati & noticiam sanctarum scripturarum habentes. si sunt in sacris literis eruditi, & doctrina Papæ erronea est tam patenter hæretica, quod omnes catholici in sacris literis eruditi sciunt eam esse hæreticam, reges & principes scientes per sacras literas doctrinam Papæ esse erroneam, sunt fautores hæreticæ prauitatis: si eam sustinent in suis regnis & dominiis publicari & doceri; nisi ex causis probabilibus & verisimilibus æstimarent, quod si opponerent se publicæ doctrinæ Papæ erroneæ, nulla exaltatio fidei vel vtilitas fidelium sequeretur. sed catholici per talem oppositionem regum & principum corporaliter & spiritualiter turbarentur, & plures propter talem turbationem vel contradictionem auerterentur à fide, & ad perfidiam Papæ hæretici se transferrent. DISCIP. Ista opinio casum pene impossibilem & incredibilem videtur innuere. non enim videtur credibile, quod si aliquis rex doctrinam Papæ hæretici in suo regno publicari & doceri omnimode prohiberet, tum quia propter hoc plures auerterentur à fide & ad doctrinam Papæ erroneam se transferrent. tum etiam si rex aliquis Papam hæreticum captiuaret, & neci corporaliter traderet; nec sibi nec suis magnum periculum immineret. videmus enim his diebus, quod non solum reges & principes: sed etiam ciuitates & castra satis paruæ potentiæ summo pontifici præsumunt resistere, nec tamen multi eorum corporaliter humiliantur; quanto magis si rex potens & diues Papam captiuaret hæreticum, qui nec esset magni generis & nobilis, nec liberos relinqueret diuites & potentes, periculum corporale nullatenus formidare deberet. vnde & hoc omnino mihi videtur probabile, quod rex absque periculo temporali posset secure Papam hæreticum captiuare & eum corporaliter trucidare. sed an hoc facere ex conscientia tenetur, non est mihi clarū. de quo casu aliqualiter pertractatum est *supra lib. 6.* ideo reuertere ad opinionem priorem, & narra quid teneant de regibus & principibus illiteratis. MAGIST. Dicitur quod reges illiterati, qui noticia scripturarum minime pollent, in plurimis excusantur, si permittant dictam doctrinam in suis regnis & dominiis publicari & doceri: quia propter scripturarum ignorantiam non tenentur statim prohibere doctrinam Papæ hæretici: præsertim si eis à literatis viris minime intimatur, quod doctrina Papæ sapit hæreticam prauitatem; & doctrina Papæ erronea est talis, quod est directe contra veritatem catholicam apud omnes catholicos diuulgatam. dicunt igitur isti, quod si doctrina erronea Papæ hæretici est contra veritatem catholicam apud omnes catholicos diuulgatam; reges quantumcunque illiterati, si scienter sustinerent eam in suis regnis & dominiis publicari, doceri & teneri: nisi probabiliter timeatur, quod ex prohibitione talis doctrinæ nulla spiritualis vtilitas sequeretur, & periculose catholici turbarentur, sunt inter fautores prauitatis hæreticæ computandi. Si vero doctrina Papæ hæretici erronea non est contra veritatem catholicam apud omnes diuulgatam: sed est contra veritatem catholicam, quam reges & principes credere explicite non tenentur, licet debeant eandem credere implicite, distinguitur. quia aut ad noticiam regum & principum per clamorem & rumorem vulgi publicum & manifestum peruenit, quod doctrina Papæ à viris literatis in scripturis diuinis, qui hactenus bonæ opinionis sunt & famæ, fortiter & efficaciter impugnatur. qui etiam petunt instanter, vt de Papa hæretico vel de se, si errauerint,

fiat

fiat iustitiæ complementum. aut talis notitia ad reges & principes peruenit ex zelo fidei, quam omni homini præferre tenentur; tunc debent diligentissime facere examinare doctrinam Papæ per sapientes, si habeant in regnis suis vel per alios, si in regnis non sint sufficientes ad examinationem talẽ, & secundum vnam sententiam prohibere debent ne doctrina talis in regnis eorum & dominiis publicetur & doceatur, antequã fuerit sufficienter discussa & examinata. secundum vero aliam sententiam, antequam constiterit legitime regibus doctrinam Papæ esse erroneam, eam prohibere non debent. In secundo etiam casu reges & principes prohibere doctrinam Papæ erroneam non tenentur; quia neque per certitudinem, neque per famam constat eis doctrinam Papæ esse erroneam.

CAP. LIII.

In quo ostenditur, quid agendum sit regibus potentiam Papæ non formidantibus, si perceperint à fide dignis doctrinam Papæ esse hæreticam.

DISCIP. Circa ista narrata peto, vt tria tantummodo probare coneris. Quorum primum est; quod si reges & principes, qui potentiam temporalem Papæ & suorum nequaquam metuerent, audierint Papam de doctrina erronea à viris in sacra pagina eruditis & qui semper antea bonæ opinionis & famæ fuerunt, fortiter impugnari, & ab eisdem peritis cum instantia petatur concilium generale, vt veritas fidei declaretur, tenerentur diligenter quærere veritatem & efficaciter laborare, vt per concilium generale vel alium modum congruum veritas fidei ostendatur; quod tamen prædicatores seu doctores non possunt faciliter scire. Secundum est, quod reges & principes, si per quemcunque modum legitime constiterit eis doctrinam Papæ esse erroneam, tenentur (ne publicetur & doceatur in suis regnis & suis dominiis) prohibere, si propter talem prohibitionem non timent dispendium populi Christiani. Tertium est, quod si rex aliquis propter potẽtiam temporalem Papæ hæretici vel suorum sequacium probabiliter & ex causis vrgengentibus formidaret, quod ex prohibitione doctrinæ Papæ hæretici in suo regno nulla vtilitas neque temporalis neque spiritualis fidelium sequeretur, sed magis catholici turbarentur, & plures auerterentur à fide, à tali prohibitione doctrinæ Papæ erroneæ cessare deberet. MAGIST. Primum & secundum simul videntur vna ratione posse probari, quæ talis est. ille ad quem spectat omnem prauitatem hæreticam extirpare, & ne in terra sibi subiecta pullulet impedire, tenetur modo prædicto de doctrina Papæ erronea taliter impugnata, qua Papa hæreticus omnes cupit inficere orthodoxos, diligenter inquirere, an sit consona vel dissona catholicæ veritati. si enim circa talem inquisitionem negligens appareret, propter negligentiam eius possent sibi subditi periculose corrumpi hæretica prauitate. sed reges & principes Christiani debent omnem hæreticam prauitatem extirpare, quantum in eis est: & ne in terris eis subiectis pullulet impedire. ergo si audiuerint doctrinam Papæ hæreticam, qua omnes cupit inficere orthodoxos, à viris peritis in sacra pagina impugnari, debent sollicite quærere veritatem, an scilicet doctrina Papæ erronea sit consona vel dissona catholicæ veritati. Maior istius rationis videtur euidens, & tamen probatur. Primò sic. cui conuenit potestas aliquid faciendi, omnia ad ipsum pertinere noscuntur, per quæ illud conuenienter facere potest. quemadmodum si aliqua causa alicui committitur super omnia, quæ ad ipsam causam pertinere noscuntur, plenariam recepit potestatem; & sic concesso principali conceditur accessorium, *extra de officio dele. c. propter & c. significa. & ca. prudenter. & c. suspicionis.* si ergo regibus & principibus competit hæreticam prauitatem, ne in terris sibi subiectis pullulet, impedire, & hoc interdum facere non possunt, nisi diligenter inquirant, an doctrina Papæ, ad quam omnes intendit cogere Christianos, sit consona vel dissona veritati. sequitur quod tunc saltem debent talem inquisitionem facere, quando eis per famam publicam nunciatur, quod doctrina Papæ, quam in terris eorum publicat e proponit, à viris peritis in sacris literis impugnatur, qui toto posse laborant, vt veritas fidei declaretur. Secundo probatur eadem maior, sic. Sicut ad eundem spectat de personis diffamatis inquirere & de accusatis secundum iuris ordinem iudicare: ita ad eundem spectat de aliqua prauitate publice nunciata diligenter inquirere veritatem, ad quem spectat eandem prauitatem si aperte perpetrata fuerit extirpare. sed ad reges & principes spectat prauitatem hæreticam Papæ hæretici, si eam aperte cognouerint in suis regnis & dominiis pullulasse, penitus extirpare. ergo ad eosdem spectat, si publice fuerit nunciatum, quod doctrina Papæ (quam in regnis eorum & dominiis plantare conatur) à viris eruditis tanquam hæretica impugnatur, diligenter inquirere veritatem. Tertio sic: Ad quem spectat periculis, quæ nouiter emergunt, obuiare: spectat ad eundem de periculis, quæ per famam publicam nunciantur, quærere veritatem. sicut ad quem spectat hostibus inuadentibus terram aliquam toto posse resistere: ad eundem spectat (si est publica fama, quod aliqui volunt eandem terram inuadere) diligenter inquirere veritatem. igitur si fama est super hæresi debet diligenter inquirere, an contineat veritatem, vt ad resistendum sit minime imparatus, quia secundum beatum Greg. *minus iacula feriunt, quæ præuidentur.* vnde & quidam saluberrimum

mum dans consilium; *prospice, qui veniunt hos casus esse ferendos. Nam leuius lædit, quicquid prævidimus ante.* cum ergo, si doctrina Papæ est erronea, non modicum periculum toti Christianitati immineat, ad quos spectat prauitatem hæreticam extirpare: ad eosdem spectat de doctrina Papæ, quæ tanquam hæretica à viris in sacris literis eruditis fortiter impugnatur, postquam per famam publicam hoc eis constiterit, diligenter inquirere veritatem. sic ergo probata est maior. minor, scilicet quod ad reges & principes spectat omnem prauitatem hæreticam de eorum terris & dominiis extirpare, & ne pullulet impedire, probatur sic. Qui propter hæreticos de terra sua fugere nō tenetur, nec tamen debet communicare eisdem, nec eosdem quomodolibet receptare, tenetur eos de terra fugare, vel etiam captiuare, vel penitus extirpare. reges autem vel principes propter Papam hæreticum vel sequaces eius non debet de terra sua recedere, nec debent communicare eisdem, nec eos quomodolibet recipere. ergo possunt eos de terra sua fugare, aut etiam captiuare, vel penitus extirpare. qui autem talem obtinet super hæreticos potestatem, debere terram suam de omni prauitate hæretica expurgare dinoscitur: quia terra de hæreticis expurgata dinoscitur iuste regulata. patet ergo, quod spectat ad reges & principes impedire, ne doctrina Papæ erronea in eorum regnis & dominiis diuulgetur, aut quomodolibet teneatur. qui autem potest facinus prohibere, & non prohibet, cum tamen hoc ad ipsum pertineat, eidem facinori fauet. reges ergo & principes, qui sciunt doctrinam Papæ esse hæreticam, laborant ignorantia crassa & supina: quia nolunt scire doctrinam Papæ esse erroneam, aut negligunt indagare. si non prohibent eam in suis regnis & dominiis, sunt inter fautores prauitatis hæreticæ computandi.

CAP. LIV.

Vbi agitur de regibus & principibus potestatem Papæ hæretici timentibus, aut quodcunque aliud incommodum temporale siue spirituale formidantibus, quid illis sit agendum, quod fuit tertium quæsitum capituli præcedentis.

DISCIP. Hæc, vt puto, ab his quæ tractata sunt *libro 6. c. 99.* dependent. ideo his omissis, quod sup. c. 52. promisisti, probare coneris. MAG. Tertium ibi promissum est, quod si rex aliquis propter temporalem potentiam Papę hæretici & suorum sequacium vel sibi fauentium probabiliter & ex causis vrgentibus formidaret, quod ex prohibitione doctrinæ Papæ hæretici in regno suo nulla vtilitas neque spiritualis neque temporalis fidelium sequeretur: sed magis catholici turbarentur, & plures auerterētur à fide, à tali prohibitione cessare deberent, & quod talis doctrina publicaretur & doceretur in regno suo sustinere. quod videretur posse probari. Primo sic; Oportet regem, sicut & quemlibet alium sapientem, extremam dementiam declinare. sed talis prohibitio esset extrema dementia, & frustra niti, & nihil nisi turbationem bonorum quærere. quoniam frustra niti & nil nisi odium quærere, extremæ dementiæ est, Hieron. attestante qui approbando sententiam cuiusdam ait in prologo Esdræ: *frustra autem, vt ait quidam, niti, nec aliud se fatigando nisi odium quærere, extremæ dementiæ est.* ergo rex, qui per prohibitionem huiusmodi nil nisi perturbationem fidelium quæreret, à tali deberet turbatione cessare.

Secundo sic: Non minus omittenda est prohibitio doctrinæ erroneæ Papæ, propter vitandam turbationem fidelium absque omni vtilitate eorum & etiam infidelium, quàm sit omittēda correctio propter schisma vitandum; quia schisma vitandum dinoscitur, quia est Christianitati nociuum; sed turbatio sic fidelium absque omni eorum vtilitate est Christianitati nociua. ergo sicut schisma vitandum est; ita tubatio fidelium absque eorum vtilitate est penitus declinanda. sed propter schisma vitandum est omittenda correctio, teste August. qui contra epistolam Parmeniani, vt legitur 23. q. 4. *cum quisque*, ait; *Cum quisque fratrum & Christianorum in ecclesiæ societate constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur, fiat hoc vbi periculum schismatis nullum est.* & infra: *quando cuiusquam crimen notū est & omnib. execrabile appareat, vt vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores, per quos posset schisma contingere, non dormiat seueritas disciplinæ.* Ex quibus colligitur, quod propter schisma vitandum à seueritate correctionis & disciplinæ oportet cessare. igitur & consimiliter propter turbationem fidelium declinandam oportet regem à prohibitione doctrinæ Papæ erroneæ, ad tempus cessare.

DISCIP. Dicitur forte, quod secus est, quando fides impugnatur, & quando alia peccata committuntur. licet enim à correctione aliorum excessuum sit cessandum propter schisma vitandum, tamen quando fides impugnatur, oportet illos, ad quos spectat, resistere; quia vt allegatum est, in decretis. 7. q. 1. *c. aduersitas.* §. *cum vero*, sic legitur: *Cum vero non prælatorum tantum, sed totius ecclesiæ salus quæritur* (fides impugnatur) *necesse est vt ex aduerso ascendant, & in die belli seipsos vt murum opponant pro domo domini, animas suas ponant pro ouibus suis, vt exemplo suæ passionis accendant, quos sermone doctrinæ diutius confirmare non valent.* Ex quibus verbis colligitur, quod cum fides impugnatur, prælati non debent tacere aut dissimulare; sed resistere debent vsque

ad sanguinẽ. ergo ratione consimili reges, quando impugnatur fides, vsque ad mortem tenentur resistere. quia sicut prælatos oportet ecclesiam defendere sermone, doctrina, & vita bona, ac tandem si oportuerit passione: ita & reges per potentiam temporalem ecclesiam defendere tenentur. quare si Papa hæreticus fidem impugnat, reges & principes dissimulare minime debent, imo sibi debent resistere viriliter & potenter etiam vsque ad mortem, iuxta illud Sapientis; *vsque ad mortem certa pro iustitia.* & eadem ratione certandum est magis vsque ad mortem pro fide, quàm pro quacunque humana iustitia aut patria vel subiectis aut re temporali quacunque. MAGIST. Respondetur quod rationem prædictam nequaquam intelligis, non enim intendit, ꝙ nunquam spectat ad reges & principes etiã vsq; ad mortem pro fide certare catholica: sed vult, ꝙ cum ex certatione nulla penitus speratur vtilitas, sed de notabili & periculosa & perniciosa turbatione probabili dubitatur, abstinendum est ad tempus à tali certamine exemplo beatorum Petri & Pauli ac aliorum plurimorum sanctorum, qui interdum non tantummodo certantibus minime restiterunt, sed etiam fugerunt de loco certaminis. vbi autem reges & principes ex certamine tali & resistentia ac prohibitione doctrinæ Papæ erroneæ fructum aliquem spiritualem sperarent, etiam vsque ad mortem oportet eos, si velint veri catholici reputari, doctrinæ Papæ resistere & eam in suis regnis & dominiis prohibere. quemadmodum prælati, quando exemplo suæ passionis possent subiectos accendere, quos sermone doctrinæ confirmare nullatenus poterint, debent ascendere ex aduerso & animas suas pro ouibus ponere. cum dicitur ergo, *cum vero non prælatorum tantum,* &c. Respondetur, quod quando fides impugnatur & ex passione speratur pro fide, quod catholici confirmabuntur in fide: tunc prælati debent mortem suscipere. si autem ex passione sua confirmationem fidelium non sperarent, sed timerent quod post mortem suam fideles infirmi in fide catholica fluctuarent, debent mortem fugiendo vel dissimulando vitare, & alio tempore, quo valerent fructum facere, expectare. cuius sententiæ videtur esse beatus Greg. qui in *libro dialogorum,* vt habetur 7. *q.* 1. *c. vbi,* ait: *Vbi omnino fructus de bonis deest, fit aliquando de malis labor superuacuus: maxime si è vicino causæ suppetant, quæ fructum valeant Deo ferre meliorem. sæpe agitur in animo perfectorum, quod silentio prætereundum non est: quia cum laborem suum sine fructu esse considerant, in loco alio ad laborem cum fructu migrant. vnde iste quoque egregius prædicator, qui dissolui cupiebat & esse cum Christo, cui Christus est viuere & mori lucrum, qui certamina passionum ipse non solum appetiit, sed etiam ad toleranda hæc etiam alios accendit, Damasci persecutionem passus, vt potuisset euadere, murum, sportam funemque quæsiuit, seque latenter deponi voluit. Nunquid vero Paulum dicimus mortem timuisse, quam seipsum pro amore Iesu attestatur appetere? sed cum in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, ad grauem laborem se alibi cum fructu seruauit. fortis etenim præliator Dei teneri intra claustra noluit, sed certaminis campum quæsiuit.* Ex quibus verbis colligitur, quod fidei zelatoribus licet intentione fructum faciendi maiorem campum certaminis pro tempore declinare. quare reges & principes, si viderint quod prohibitio doctrinæ Papæ erroneæ in regnis & terris sibi subiectis est ad honorem fidei & fidelibus fructuosa, doctrinam Papæ erroneam, ne inficere valeat orthodoxos, debent prohibere, & pro tali prohibitione tuenda etiam arma mouere. Exemplo sincerissimi zelatoris Dei legis Iudæ Machabei, qui suos confortans ad bellum pro lege diuina, vt habetur. 1. *Machab.* 3. ait: *accingimini filii potentes & estote parati in mane, vt pugnetis aduersus nationes, quæ venerunt disperdere nos & sancta nostra. quoniam melius est mori in bello quam videre interitum gentis nostræ & sanctorum.* Tamen si rex aliquis aperte videret, quod sine fructu fidelium & cum conturbatione perniciosa esset prohibere doctrinam Papæ erroneam, dissimulare deberet, & tempus aliud expectare, quo cum fructu maiori doctrinam eandem pestiferam prohibere & de suo regno penitus extirpare valeret. DISCIP. Rationem prædictam intelligo, licet casus prædictus, quem innuit, mihi penitus impossibilis videatur. ideo alias rationes ad assertionem eandem adducas. MAGIST. Tertia ratio principalis hæc est. Non minus dissimulanda vel toleranda est ad tempus conueniens doctrina Papæ erronea propter stragem corporalem & spiritualem vel etiam tantummodo spiritualem populorum & multorum, quam propter stragem corporalem multorum vitandam, siue propter alios excessus seueritatis, correctionis & iustitiæ detrahendum. sed propter stragem multorum vitandam sunt alia flagitia minime punienda, teste Augustin. qui scribens ad Bonifacium, vt habetur. *d.* 50. *c. vt constitueretur,* ait: *vbi per graues dissensionum scissuras non huius aut illius hominis periculum sed plurimorum strages spiritualis iacet, detrahendum est aliquid seueritati vt maioribus malis sanandis catholica sincera permaneat fides.* vnde consimiliter, vbi sine fructu plurimorum strages spiritualis iaceret; ita vt plurimi auerterentur à fide, si rex prohiberet doctrinam Papæ hæreticam. ergo à prohibitione huiusmodi est abstinendũ. Quarto sic: Sicut rex præceptis & statutis aut etiam, si oportuerit, materialibus armis debet doctrinam Papæ erroneam extirpare: ita prædicatores & doctores ac magistri apertis rationibus & scripturarum testimoniis debent doctrinam Papæ erroneam impugnare. sed prædicatores & doctores ac magistri non debent sine fructu & cum turbatione fidelium doctrinam Papæ erroneam expugnare, ipsa veritate testante, quæ ait Math 7. *Nolite sanctum dare canibus: nec mittatis margaritas ante porcos.* ergo nec rex sine fructu & cum turbatione fidelium debet in regno suo doctrinam Papæ erroneam prohibere. sed tempus in quo valeat cum fructu extirpare ipse expectare tenetur. Quinto sic: Quod non est ad gloriam Dei, est minime faciendum: quia nihil nisi ad gloriam Dei fieri debet teste apostolo, qui 1. ad Corinth. 10. ait: *Omnia*

quæ facitis in gloriam Dei facite. qui etiam ad Colo. 3. ait: *Omnia quæ facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Iesu Christi facite.* sed prohibitio doctrinæ Papæ erroneæ sine omni vtilitate & cum turbatione fidelium non esset ad gloriam Dei. ergo in hoc casu rex non debet in suo regno doctrinam erroneam prohibere.

Cap. LV.

Quærit, quid agendum sit publicis potestatibus, regibus inferiores si cognouerint aliquid de doctrina Papæ hæretici.

DISCIP. Quia reor, quod si vnquam aliquis Papa fieret hæreticus, omni regi Christianitatis (si sapienter & prudenter processerit) facile erit absque omni notabili periculo spirituali vel corporali de regno suo doctrinam Papæ erroneam extirpare. & ideo si rex aliquis sustineat doctrinam erroneam in regno suo in terris sibi subiectis doceri, publicari & teneri, hoc accideret aut propter defectum zeli ad catholicam fidem, aut propter defectum sagacitatis & prudentiæ, aut propter cupiditatem pecuniæ aut diuitias extorquendi à Papa hæretico, aut propter corruptionem aliam quæ ab omni rege Christiano elongari deberet. & ita opinor quod casus quẽ prædicta opinio innuit, nunquam euenerit. ideo circa eandem opinionem non amplius immoreris: sed ad publicas potestates & communitates te conuerte: & dic an publicæ potestates, regibus & principibus inferiores, & communitates, si sustinuerint sequaces Papæ hæretici doctrinam eius erroneam diuulgare, docere & tenere, debeant inter fautores hæreticorum & prauitatis hæreticæ computari. MAGIST. Publicæ potestates regibus & principibus inferiores, & communitates, quantum ad fidem catholicam defendendam & prauitatem hæreticam extirpandam, à regibus & principibus nequaquam differre videntur: nisi quo ad potestatem temporalem. quia minoris potentiæ sunt communitates, quam reges & principes. & ideo nonnullis apparet, quod per illa, quæ dicta sunt de regibus & principibus, patere potest, quid de aliis simplicibus potestatibus sit tenendum. si enim aliqua publica potestas vel communitas est tantæ potentiæ, quod cum fructu spirituali potest doctrinam Papæ erroneam prohibere, ad hoc tenetur de necessitate salutis. si vero est tam paruæ potentiæ temporalis, quod ex prohibitione doctrinæ illius sequeretur turbatio fidelium absque omni fructu spirituali eandem dogmatisari licite sustinebit, & ad tempus aliud expectabit. DISCIP. Quomodo scietur an aliqua potestas vel communitas sit tantæ potentiæ, quod cum fructu spirituali poterit doctrinam Papæ erroneam extirpare vel prohibere? MAG. Respondetur, quod nequaquam quæcunque persona vel communitas est tantæ potentiæ, quando pro rebus temporalibus vel pro honoribus obtinendis vel retinendis, vel pro quocunque damno vel incommodo temporali vitando auderet Papæ siue catholico siue hæretico rebellare, & si se sciret tantæ potentiæ reputari, quod auderet & posset pro fide defendenda doctrinam Papæ erroneam prohibere, ad hoc teneretur. quod si non fecerit, censeri debet zelum fidei catholicæ non habere. imo fautrix hæreticæ prauitatis est merito iudicanda, ad quamlibet n. personam & communitatem super alios potestatem habentem spectat sibi subiectos, cum potest, à prauitate hæretica præseruare. quod sic ostenditur. aut prælati sunt solliciti prauitatem hæreticam Papæ hæretici extirpare: aut sunt damnabiliter negligentes. si sint solliciti, & non possunt per se eas extirpare, brachium inuocent seculare. seculares autem prælatis, ecclesiæ requisiti tenentur fideliter adiuuare, vt prauitas hæretica confundatur. ergo in hoc casu tenentur doctrinam Papæ erroneam prohibere. si autem prælati in extirpando hæreses Papæ & sequacium eius sunt damnabiliter negligentes, in hoc casu debent seculares minime requisiti, si possunt cum fructu spirituali prauitatem hæreticam & hæreticos extirpare. ergo vbi veritas catholica ad hoc, vt defendatur & prauitas hæretica vt confundatur, requirit opem & operam secularium super alios potestatem habentium; ipsi (si possunt cum fructu spirituali) de necessitate salutis sunt astricti doctrinam Papæ erroneam prohibere, & totis viribus impedire, ne dogmatisetur, ne publicata inficiat orthodoxos.

Cap. LVI.

Tractat de simplicibus quid de illis sit agendum in casu.

DISCIP. Licet circa istam rationem possunt multa dubia & obiectiones multæ moueri, quia tamen ad ea potest per præcedentia faciliter responderi, pertranseo: & de simplicibus nullam super alios potestatem habentibus interrogo, an sint fautores hæreticorum & hæreticæ prauitatis, si doctrinæ Papæ erroneæ non resistunt. MAG. Ista interrogatio dupliciter potest intelligi. quia aut intelligitur de aliqua tota multitudine simplicium, nullam super alios potestatem habentium: aut intelligitur de quolibet simplici tali, si intelligitur primo modo. Dicitur, quod si est tanta multitudo, quod cum fructu spirituali potest doctrinam Papæ erroneam prohibere, censenda est fauere hæreticis & hæreticæ prauitatis, si non resistit. Hoc probatur primo sic. Non minus tenetur multitudo talis defendere fidem & resistere destruentibus eam,

eam, quam tenetur resistere inuadentibus inique & iniuste socium vel patriam. sed talis multitudo tenetur resistere inuadentibus inique vel iniuste socium vel patriam. 23. *quaest. tertia c. fortitudo.* ergo multo magis tenetur resistere (si potest) destruentibus fidem. quare si papa vult fidem destruere & haereticam inducere prauitatem, multitudo, quae potest sibi resistere, debet ei viriliter obuiare, & ne inficiat catholicos impedire. Secundo sic. ad quos spectat Christum defendere, ad eosdem spectat fidem eius defendere. sed ad multitudinem nequaquam super alios potestatem habentem pertinet defendere Christum, teste August. vt allegatum est supra. 23. q. 3. *cap. vltim.* vbi ait: *ostendit propheta, nec illos immunes esse à scelere, qui permiserunt principibus Christum interficere, cum prae multitudine timerentur, & possent illos à facto & se à consensu liberare.* ergo ad multitudinem spectat fidem Christi defendere: nec sunt immunes à scelere, si permittunt papae, praelatis, regibus, & principibus & publicis potestatibus quibuscunque fidem subuertere orthodoxam: si prae multitudine timentur, & possunt illos à facto & se à consensu liberare. quia sicut dicit Augustin. ibidem: *Qui desinit obuiare cum potest peruersis, & non facit, consentire videtur.* & ideo si multitudo Christianorum super alios potestatem nequaquam habentium posset resistere doctrinae papae erroneae, & non faceret, consentiret eidem. similiter multitudo simplicium in vno regno vel in vno Ducatu vel in vna ciuitate posset prohibere tam sequaces papae haeretici, quam dominum temporalē ne publicarent vel facerent aut permitterent publicari doctrinam papae erroneam, quam scirent esse erroneam, & non facerent, inter consentientes doctrinae erroneae papae computari deberent. & causa secundum istos saepe tacta est prius, quia videlicet nullius rei temporalis vel hominis mortalis cuiuscunque defensio magis spectat ad quemcunque hominem vel multitudinem Christianorum: quam defensio fidei orthodoxae. & ideo si multitudo in quocunque casu contra regem proprium vel dominum temporalē vel papam vel alium dominum quemcunque temporalem vel hominem deberet defendere, multomagis contra eundem debet defendere fidem, si potest. Constat autem, quod si papa vel rex aut dominus temporalis vellet omnes viros & mulieres paruulos & innocentes corporaliter trucidare, totam terram vastare, & ad solitudinem & ad desertum reducere, multitudo simplicium super alios potestatem nequaquam habentium deberet papae, regi, & cuicunque domino temporali resistere. ergo si papa, reges, & principes, aut alii domini temporales vellent fidem destruere, & ad falsam sectam sibi subiectos inducere, multitudo tenetur eis resistere, cum posset: quia aliter consentiret eisdem. veruntamen si multitudo propter imperitiam nesciret doctrinam papae esse erroneam, & ignorantia crassa & supina minime laboraret, excusaretur, quamuis doctrinae papae erroneae nullatenus obuiaret. quemadmodum turba Iudaeorum fuisset excusata de morte Christi, si ipsis nescientibus nec ignorantia crassa & supina laborantibus Christum principes occidissent. Si autem interrogatio tua intelligitur diuisim de simplicibus super alios potestatem nequaquam habentibus: sic dicitur, quod si vnus solus posset cum fructu dictae doctrinae resistere, & ad resistendum alios prouocare, si non resisteret, esset fautor haereticae prauitatis. veruntamen sicut simplices non semper tenentur scire doctrinam papae haeretici esse erroneam, quando praelati & alii maiores scire tenentur: quia non ita faciliter possunt scire, cum reges & principes ac quaedam aliae publicae potestates possunt saepe vocare peritos, & per eos cognoscere veritatem de doctrina papae haeretici, quos simplices vocare non valent. ita in multis casibus simplices non tenentur dictae doctrinae resistere, quando principes & aliae publicae potestates tenentur obuiare.

DISCIP. Hic essent multa quaerenda, quae breuitatis causa dimitto, & vnum tantum interrogo: an scilicet reges & principes ac publicae potestates teneantur vocare peritos, & quomodo debent per eos quaerere de doctrina praedicta.

MAGIST. Respondetur, quod alii tenentur vocare peritos, quod ex praedictis dependere videtur. Sed quomodo per eos debent inquirere veritatem superius est minime discussum, circa quod dicitur, quod publicae potestates, quae peritos vocauerunt, debent eis indicere iuramentum, vt dicant plenam & meram veritatem de doctrina papae, quae reputatur haeretica, eis fortiter comminando, quod si à veritate & conscientia deuiauerint in perpetuum confundentur, & firmiter promittendo, quod si plenam & veram veritatem dixerint, eos honoribus praemiabunt, & ab omni confusione ac impugnatione defensabunt.

DISCIP. Dubito, quod si vnquam aliquis papa est haereticus, multitudo peritorum firmiter ei adhaerebit. Et ideo necesse erit, si rex aliquis vel alius potens velit ab eis quaerere veritatem de doctrina papae haeretici, oportet eos per iuramenta & per horribilissimas comminationes constringere. sed dic, quid faciendum est de peritis, si respondere recusant.

MAGIST. Ad hoc respondetur, quod in hoc casu sunt habendi suspecti de haeretica prauitate: nec vnquam eis magno negocio est credendum, quia sic habetur. 20. q. 7. *Non potest erga homines esse fidelis, qui extiterit Deo infidelis.*

CAP. LVII.

Tractat de his qui sunt fautores, & qua pœna sint plectendi.

DISCIP. Quamuis quamplurima adhuc circa fautores hæreticæ prauitatis essent discutienda: illis tamen pro nunc omissis (quæ ad tractatum *de gestis circa fidem altercantium orthodoxam* reseruo) ad fautores tantummodo hæreticorum me transfero. de quibus discutias primo, qui sunt fautores hæreticorum, qui quamuis de erroribus eorundem se nullatenus intromittunt, personis tamen eorum fauent, præbendo eis auxilium vel consilium aut qualemcunque fauorem, non vt errores suos diuulgent, doceant & defendant, vt ditiores & maiores vel contra alios potentiores fiant. MAGIST. De talibus fautoribus hæreticorum dictum est *supra c.* 27. quantum pro nunc. DISCIP. Requiro hoc quantum ad hoc vt sciantur, qui sunt fautores hæreticorum: & qua pœna isti fautores hæreticorum sunt plectendi. MAGIST. Pœna taxatur explicite, *extr. de hæreticis.ca.excommunicamus.* §.*credentes.* ibi enim loquitur de pœna illorum, qui sunt fautores hæreticorum, & non sunt fautores hæreticæ prauitatis.

CAP. LVIII.

De communicantibus papæ hæretico: & quomodo sibi liceat communicare corporaliter.

DISCIP. Licet ex his, quæ sunt in isto capitulo pertractata, via videtur aperta ad sciendum & cognoscendum tam qui sunt fautores hæreticorum quam hæreticæ prauitatis: tamen circa vtrosq; vnam tantummodo difficultatem discutias, an scilicet communicantes & obedientes papæ hæretico vel cuicunque alii prælato hæretico, sunt censendi fautores tam hæreticorū quam hæreticæ prauitatis. MAGIST. Vnam interrogationem proponis, quæ tamen duas includit: quarum vna est de communicantibus papæ hæretico vel alii hæretico: & alia est de obedientibus ei. DISCIP. Ex quo dicis, quod interrogatio mea duas includit; dic quomodo distinguuntur. MAGIST. Respondetur, quod distinguuntur sicut communicare & obedire. multi enim cōmunicant alicui, qui nequaquam obediunt. & multi obediunt alicui seruando eius mandata antiqua vel noua sibi per literas intimata, qui tamen sibi nequaquam communicant. DISCIP. Dic ergo primo de communicantibus papæ hæretico. MAGIST. Contingit secundum quosdam communicare papæ hæretico multis modis. Vno modo corporaliter tantum, scilicet comedendo, bibendo, conuersando, loquendo: Alio modo ei in crimine quomodolibet consentiendo, ipsum videlicet quocunque modo, verbo vel scripto aut facto esse verum papam etiam & catholicum asserendo: qui primo modo tantum communicaret papæ hæretico, non esset propter hoc fautor tam hæreticorum quam hæreticæ prauitatis. Quod enim non esset fautor hæreticæ prauitatis, probatur ex hoc, quod secundum apostolum. 1. Corinth. 6. Cum infidelibus absque fauore infidelitatis licet taliter communicare. ergo per talem communicationem cum hæreticis non potest ostendi, quod communicans sit fautor hæreticæ prauitatis. Quod etiam non sit propter hoc fautor hæreticorum, patet ex hoc, quod inimicus inimico suo non fauet: & tamen contingit inimicum & insidiatorem taliter communicare; teste Sapiente Ecclesia.13. qui loquens de diuite pauperi iniuriam non faciente, sed pauperem consumente, ait: *Si habes conuiuet tecum & euacuabit te, & ipse non dolebit super te.* Ex quibus verbis colligitur, quod commune & communicare alicui potest esse absque omni fauore.

DISCIP. Satis apparet mihi, quod contingit alicui communicare absque fauore omni: imo ad detrimentum eius. sed nunquam contingit absque peccato communicare corporaliter tantum papæ hæretico?

MAGIST. Circa hoc possunt esse diuersæ sententiæ. vna, quod nullo modo licet cuicunque catholico communicare papæ hæretico. & hæc sententia videtur posse probari ratione scripturæ diuinæ, quæ omnes Christianos astringit. sed in scriptura diuina præcipitur, ne quis etiam corporaliter hæreticis communicare præsumat. ergo nulli Christiano licet communicare etiam corporaliter papæ hæretico. maior videtur nota. minor probatur auctoritate beati Iohannis, qui in canonica sua.2. ait: *Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert: nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis. qui enim dicit illi aue: communicat operibus eius malignis.*

DISCIP. Hæc auctoritas ad hanc conclusionem prolixe tractata est. *sup. libro.6.c.* 68. ideo si habes aliam auctoritatem, adducas. MAGIST. Hoc idem apostolus Paulus sentire videtur, qui ad Titum scribens ait: *Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita.* Ex quibus verbis patet, quod postquam constiterit papam esse hæreticum, est ab omnibus catholicis euitandus. ergo non est sibi corporaliter communicandum. DISCIP. Hæc etiam auctoritas adducta est ibidem. & ideo narra sententiam contrariam. MAGIST. Alia est sententia, quod in casu licet communicare corporaliter tantummodo papæ hæretico. Ad cuius euidentiam dicitur esse sciendum, quod corporalis communio cum hæreticis à iure diuino non prohibetur, sed tantummodo

modo à iure humano: quod exemplo & auctoritate probatur. Exemplo quidam Iuliani apostatæ, qui fuit hæreticus: cui Christiani licite communicauerunt corporaliter, vt habetur. 11. *quæst*. 3. *c. Iulianus*: quod non fecissent, si talis communio à iure diuino fuisset prohibita. hoc etiam consimili modo exemplo & auctoritate Bonifacii martyris videtur aperte probari. idem enim martyr, vt legitur. 11. *quæst*. 3. *c. antecessor*, scribens Zachariæ papæ. ait: *Antecessor prædecessoris vestri veneranda memoriæ Greg. dum me indignum ordinauit & ad prædicandum verbum Dei Germanicis gentibus misit, sacramento me astrinxit, vt canonicis & iustis episcopis & presbyteris in verbo & facto & consensu astipulator & adiutor fierem. hoc autem cum diuina gratia implere studui, falsos autem sacerdotes & hypocritas & seductores populorum vel corrigerem ad viam salutis, vel declinarem & abstinerem à communione ipsorum, quod ex parte seruaui & ex parte custodire & implere non potui: sed spiritualiter impleui sacramentum, quia in consensum & consilium eorum non venit anima mea, corporaliter autem omnino abstinere ab eis non potui.* Ex quibus verbis colligitur manifeste, quod iste martyr licite corporaliter communicauit hæreticis: quod tamen non fecisset, si talis communio cum hæreticis fuisset prohibita iure diuino.

DISCIP. Ex his verbis non habetur, quod illi falsi sacerdotes, quibus communicauit Bonifacius, essent hęretici: quia nec de hæreticis fit hic mentio.

MAGIST. Quod fuerint hæretici, testatur Zacharias, qui scribens eidem martyri (vt c. sequens ostendit) ait: *prædecessor noster bonæ memoriæ Gregorius atque huius sanctæ sedis apostolicæ præsul, dum ad prædicandum verbum Dei euangelii tuam commisit firmitatem in Germaniæ partibus in gentibus illis paganis & verbo pollicitationis illam nouit ante esse communitatē, ita vt orthodoxos episcopos & presbyteros vel quoscunque reperire potuisses in verbo exhortationis perfectos amplius confirmares & eis communicares quod factum est. si quos vero seductores episcopos aut presbyteros aut à recto fidei tramite deuiantes reperisses, nulla tibi cum eis esset communio, quod te Deo adiuuante vsque ad præsens spiritualiter obseruasse confessus es. vel si omnino propter principalem & humanum fauorem gentes Francorum, dum ad eos accessisses, corporaliter vero abstinere non valuisti cogente ecclesiarum Dei necessitate: & tamen in eorum consilio & communionis consensu anima tua non est coinquinata. itaque propter hoc, quod cum eis conuersatus es, non consentiens iniquitati eorum, nullum tibi est detrimentum coram Deo.* Ex quibus verbis colligitur, quod sacerdotes & episcopi, quibus communicauit Bonifacius martyr, fuerunt hæretici & pseudopresbyteri à recto fidei tramite deuiantes, quibus tamen communicando nullum detrimentum apud Deum incurrit. ergo talis corporalis communio non est à iure diuino prohibita.

DISCIP. Dic quomodo ex his concluditur, quod contingit communicare papæ hæretico absque peccato.

MAGIST. Hoc probatur sic. quod nec à iure naturali nec à iure diuino est prohibitum, & à iure humano in dispendium populi Christiani vel alicuius communitatis fidelium prohiberi non potest. quia ex quo lex humana pro communi vtilitate fieri debet, vt ex verbis Isidori, quæ ponuntur *di*. 4. *cap. erit autem*, colligitur manifeste, nulla lex humana ligare potest in eo casu, in quo si seruaretur in communitatis dispendium redundaret. sed communicare papæ hęretico non est prohibitum à iure naturali nec à iure diuino, vt probatum est. ergo nulla lex humana prohibere potest communicare papæ hæretico, quando talis prohibitio in alicuius communitatis populi Christiani dispendium redundaret: si posset contingere casus, propter potentiam temporalem papæ hæretici, si catholici nollent sibi communicare, quod ex hoc sequeretur dispendium alicuius regni vel regionis: quia forte totam regionem subuerteret. ergo in tali casu vel consimili nulla lex humana potest prohibere communicare papæ hæretico, dicto modo.

CAP. LIX.

Quæritur, quomodo liceat papæ hæretico spiritualiter communicare: & adducuntur quatuor rationes, quæ soluuntur infra. c. 54.

DISCIP. Videtur probabile, quod in hoc casu liceret communicare papæ hæretico, quemadmodum Bonifacius martyr, non obstante iuramento de non communicando hæreticis, corporaliter communicauit eisdem, & multi viri corporaliter communicauerunt Iuliano apostatæ, qui fuit hæreticus manifestus. ideo dic, an aliquo alio modo, quam corporaliter tantum, scilicet communicando sibi in diuinis, audiendo missam eius vel diuinum officium ab eo, aut ipsum facto, scripto vel verbo esse verum papam & catholicum asserendo, liceat cuicunque communicare papæ hæretico.

MAGIST. Circa hoc possunt esse opiniones variæ & diuersæ. Quarum prima est, quod papæ hæretico licet communicare in diuino officio, & eum habendo pro papa quousque per sententiam generalis concilii fuerit condemnatus. hæc assertio videtur multis modis posse probari. Primo sic non deterioris cōditionis est summus pontifex noui testamenti, quam fuerunt sacerdotes veteris testamenti. sed sacerdotes veteris testamenti in his quæ ad sacerdotale officium spectabant, non fuerunt vitandi ꝑpter prauitatē ante publicam damnationē eorum. ergo eadē ratione papa, qui est summus sacerdos nouę legis, non est ꝑpter hęreticā prauitatē deuitandus in his, quæ ad papale spectāt officiū, anteꝗ̄ fuerit per generale conciliū condemnatus. ergo licet cōmunicare papę hęretico in his, quę pertinent ad papatus officium. Maior videtur aperta. Minor ostenditur.

Nam

Nam sacerdotes veteris legis, qui prædicationi & doctrinæ Christi nequiter resistebant, fuerunt hæretici, eo quod contra fidem errabant & suo errori pertinaciter adhæserunt: & tamen Christus docuit, quod eis erat communicandum: etiam in eis, quæ ad sacerdotale spectabant officium, cum dixit leproso Matth. 8. *Vade & ostende te sacerdotibus, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Et Luc. 17. dicit Iesus leprosis: *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Ex quibus verbis colligitur, quod non obstante, quod illi sacerdotes fuerint hæretici, tamen Christus voluit quod leprosi communicarent eis in his etiam, quæ spectabant ad eorum officium. Hoc etiam Augustinus sentire videtur, qui loquens prophetis, qui populum suum propter idolatriam, & per consequens propter hæresim increpabant, vt habetur. 23. *quæst.* 4. *cap.* 1. ait: *Non enim prophetæ, qui hæc dicebant, populum suum dimiserunt: sed inter eos habitabant, quos increpabant, vnum cum eis templum intrabant, eadem sacramenta celebrabant.* Et idem, vt habetur *causa & q. prædictis. c. si quis.* ait: *communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum: sed consensione factorum.* Et vt legitur *causa & q. prædictis. c. recedite*, ait: *Recedite & exinde exite. pollutum & immundũ ne tetigeritis: sed contactu cordis, non corporis.* Et infra: *Clamauit Moyses ista, clamauit Esaias, clamauit Ieremias, clamauit Ezechias: videamus si dimiserunt populũ Dei, & se ad gentes alias transtulerũt. quã multis modis & quã vehementer increpauit Ieremias peccatores & sceleratos seductores populi Dei. Inter eos erat tamen, & cum eis vnum templum intrabat in eadem sceleratorum hominũ congregatione viuebat.* Ex quibus datur intelligi, quod prophetæ cum hæreticis & idolatris, quorũ tunc erat numerus nõ modicus, in populo idem templum & eadem sacramenta tractabant. Ergo cõmunicare hæreticis in diuinis & in aliis, quæ ad sacerdotale spectant officium, non erat illicitum. Ergo nec modo est illicitum communicare papæ hæretico in his, quæ ad papale spectant officium: saltem antequam fuerit per sententiam generalis concilii condemnatus.

Secundo, eadem assertio videtur posse probari: non est maius peccatum communicare hæreticis in diuinis, quam procurare & laborare quod ecclesiæ hæreticorum reddantur hæreticis ad ritus suos colendos in eis. sed hoc est licitum: quod probatur exemplo beati Iohann. papæ, in cuius Legenda sic legitur; *hic vocatus est à Theodorico rege Rauennam, quem ipse rex rogans misit Constantinopolim cum legatione ad Iustinum papam imperatorem orthodoxum, quia eodem tempore Iustinus imperator, vt religiosus, summo ardoris amore religionis Christianæ voluit hæreticos exiliari. nam summo feruore religionis Christianæ hoc consilio vsus est, vt ecclesias Arrianorum catholicis consecraret. pro hac causa rex Theodoricus hoc audiens exarsit in iram; & voluit totam Italiam gladio extinguere. eodem tempore Iohann. papa ægrotus infirmitate cum fletu ambulauit, & senatores & consules cum eo, scilicet Theodoricus Impertunus & Agapitus patricius, accipientes hoc in mandatis legationum, vt redderentur ecclesiæ hæreticis in partibus orientis. quod si non facerent, omnem Italiam gladio perderent.* Ex quibus verbis colligitur, quod licet ecclesias reddere hæreticis, & procurare quod reddantur eisdem. ergo consimiliter licet communicare hæreticis in diuinis; & per consequens licet communicare papæ hæretico in his, quæ ad papale officium spectant.

Tertio sic; quem debent fideles in aliquo officio tolerare, eidem possunt licite communicare, quantum ad ea quæ ad idem spectant officium: quia si non deberent ei communicare, deberent efficaciter laborare, vt eodem officio priuaretur. sed in aliquo casu saltem debent fideles papam hæreticum in papatus officio tolerare. ergo in aliquo casu saltem licet eis communicare papæ hæretico, quantum ad ea quæ ad papatus spectant officium. maior manifesta videtur. minor probatur; quia non minus tolerandus est papa hæreticus, quam doctrina hæretica ipsius, cum papa hæreticus non nisi propter doctrinam hæreticam debeat impugnari. sed sicut ostensum est, in aliquo casu est doctrina papæ hæretica toleranda. ergo etiam interdum est papa hæreticus tolerandus. Hoc etiam Augustinus sentire videtur, qui, vt legitur. 23. *quæst.* 4. *cap.* 1. ait: *tolerandi sunt mali quidem pro pace.* Ex quibus verbis colligitur, quod causa pacis conseruandæ sunt mali tolerandi. eadem autem causa eundem habet effectum. & vbi est eadem ratio, ibi debet esse idem ius. ergo si quidem mali caussa pacis obseruandæ sunt tolerandi, sequitur quod papa hæreticus causa pacis conseruandę tolerari debet.

Quarto: vitam Christi debent catholici imitari. sed Christus in his, quę ad religionem Christianam spectant, communicauit Iudæ, qui non solum proditor, sed etiam hęreticus existebat, qui ei sacram communionem dedit, vt ait August. in epistola ad Vincentium, & ponitur. 23. *quæst.* 4. *c. quam magnum.* ergo licet catholicis communicare hęreticis in his, quæ ad religionem Christianam spectant, & per consequens licet eis communicare papæ hęretico in his, quæ ad papatus spectant officium, antequam fuerit per sententiam generalis concilii condemnatus.

CAP. LX.

In quo ostenditur, quòd non licet cum papa manifesto hæretico spiritualiter communicare: quia tales aut sunt fautores, aut peccant mortaliter.

DISCIP. Aliam sententiam circa interrogationem propositam audire desidero. MAGIST. Alia sententia est, quæ de communicantibus papæ hæretico reputat distinguendum; quia aut communicantes papæ hæretico sciunt ipsum esse hæreticum, vel ignorant, aut laborant ignorantia

rantia affectata vel crassa vel supina, aut laborant ignorantia inuincibili & non crassa & supina. Communicantes scienter papæ hæretico in his, quæ spectant ad papatus officium vel cuiuscunque ecclesiastici ministerii, excepta susceptione baptismatis in necessitatis articulo: aut quocunque alio modo, quam corporaliter tantum, puta communicando sibi verbo, facto vel scripto, habendo eum pro vero papa, protestando vel asserendo eum facto vel scripto aut verbo esse catholicum, sunt fautores hæretici & hæreticæ prauitatis: Et peccatum fautorum hæreticorum & hæreticæ prauitatis incurrunt: nisi metu mortis vel forsitan grauium tormentorum sibi prædicto modo communicant. tunc enim non essent censendi fautores neque hæreticorum neque prauitatis hæreticæ, quamuis peccarent mortaliter.

DISCIP. Circa istam sententiam quatuor probanda mihi videntur. Quorum primum est, quod non licet prædicto modo communicare papæ hæretico. Secundum est, quod communicantes prædicto modo papæ hæretico absque metu mortis & grauium tormentorum sunt fautores hæreticorum & hæreticæ prauitatis. Tertium est, quod communicantes prædicto modo papæ hæretico metu mortis & tormentorum non sunt fautores hæreticorum vel hæreticæ prauitatis. Quartum est, quod taliter communicantes papæ hæretico peccant mortaliter. Pro istis quatuor itaque allegare conare. Primo tamen (vt assertionem prædictam magis intelligam: & sic pateat mihi via ad cognoscendum, an aliquid contineat veritatis) enumera illos modos distincte, quibus isti dicunt non licere communicare scienter papæ hæretico.

MAGIST. Dicunt quod nulli catholico licet scienter à papa hæretico audire missam vel aliquod diuinum officium: nec aliud suscipere sacramentum, excepto baptismo in necessitatis articulo: nec aliquam ecclesiasticam dignitatem: nec aliquod ecclesiasticum beneficium, puta, inquisitionem hæreticæ prauitatis, vel pœnitentiariam, aut aliquid aliud: nec liceat catholico dicere vel scribere aliquod verbum, quo papa vel catholicus asseratur: nec sibi quamcunque reuerentiam exhibere, qua quis aperte quod sit papa vel catholicus protestetur.

DISCIP. Puto quod assertionem prædictam quantum ad quatuor quæ dixisti probanda intelligam. ideo primum istorum probare coneris.

MAGIST. Quod non liceat communicare papæ hæretico scienter modo prædicto, probatur sic. nulli hæretico licet communicare scienter modo prędicto. ergo nec papæ hæretico licet communicare modo prædicto. Consequentia non solum patet per regulam scientiæ topicalis, qua dicitur quod à superiori cum distributione ad inferius consequentia tenet. sed etiam patet ex hoc, quod papa hæreticus nullo modo gaudet priuilegio speciali vltra episcopos hæreticos. & ita si aliis episcopis hæreticis non licet communicare scienter modo prædicto, etiam papæ hæretico non licet communicare scienter modo prædicto. antecedens autem auctoritatibus & exemplis ostenditur. In consilio enim Martini papæ, vt legitur. 1. *quæst*, 1. *c. non liceat*, sic scribitur: Non liceat cum hæreticis aut schismaticis orare. & in consilio Carthaginensi. 4. habetur. *24. quæst.* 3. *c. clericus*, sic legitur: *cum eis* (scilicet cum hæreticis & schismaticis) *neque orandū neq; psallendum*. Item Innocentius papa, vt habetur 1. *q.* 1. *c. constat*, ait: *constat multos vim passos esse atq; inuitos attractos repugnantesque ab hæreticis ordinatos. sed huiusmodi aliquis si post talem ordinationē non interfuit, cum illi conficerēt sacramenta, si communioni eorum particeps non est, si statim discedentibus illis pessimo consiliabulo eorum abrenunciauerit, & ad ecclesiam redeat: iste talis potest habere colorem aliquem excusationis. cæterum qui post mensem aut amplius redierunt, cum se considerarent ab hæreticis ordinatos, certe ab eis nihil receperunt: rei tamen sunt vsurpatæ dignitatis.* Ex quibus verbis colligitur, quod non licet ab hæreticis ordinari, nec communicare eis, cum conficiunt sacramentum; nec ab eis suscipere dignitatem. Item Leo papa, vt legitur. *c. sequenti*, testari videtur dicens: *Omnis cuiuslibet ordinis clericus qui catholicam deserens vnitatem hæretica vel schismatica communioni contagione se maculauerit, si ad ecclesiam redierit cum legitima satisfactione, & erroris sui damnatione, hoc in magno beneficio habeat, si adepta cum spe omnis promotionis in quo inuenitur ordine permaneat.* Ex quibus patet, quod nullus valet communicare hæreticis, nisi peccati maculam contrahendo. Quod etiam non licet modo prædicto communicare hæreticis, probatur exemplis. Primo quidem exemplo Ermigildi regis, qui etiam pro morte vitanda ab Arriano episcopo communionem accipere recusauit. de quo beatus Gregorius, vt habetur. *24. q.* 1. *c. vltimo*, narrat in hæc verba: *superueniente autem festiuitatis paschalis die, intempesta noctis silentio ad eum perfidus pater Arrianū episcopum misit, vt de eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atq; per hoc ad patris gratiam redire mereretur. sed vir Deo deditus Arriano episcopo venienti exprobrauit, vt debuit, eiusque à se perfidiam dignis increpationibus repulit, quia si exterius iacebat ligatus, apud se tamē in magno mentis culmine stabat securus. ad se itaq; reuerso episcopo Arriano pater infremuit: statimq; suos apparitores misit, constantissimum qui confessorem Dei illic, vbi iacebat, occiderent.* Aliud exemplū ponitur de Bonifacio martyre, de quo dictum est sup. qui licet corporaliter communicaret hæreticis, eis tñ quantum ad diuina vel etiam illa quæ spectant ad religionem Christianam communicare nolebat. vnde sic habetur 11. *q.* 3. *c. antecessor*, de seipso ait: *corporaliter autem ab eis omnino* (scilicet hæreticis) *abstinere non potui. dum enim venissem ad principem Francorū, cogente ecclesiarum necessitate, non tales ibi reperi, quales volui: sed tamen cōmunionem corporis Christi non cōmunicaui eis* Ex quib. auctoritatib. & exemplis aliisq; innumeris videtur aperte probatum, q̄ nō licet hæretico communicare, quantum ad illa, quę spectant ad religionem Christianam, excepta susceptione baptismi in casu, q̃uis in necessitate liceat cū hęreticis corporaliter cōuersari: à quibus tñ, vt docet Aug. est spiritualiter recedendū. spiritualiter autē ab eis recedere est iniqtati eorum in

nullo

nullo fauere, neque verbo, neque facto, neque scripto prætendere, quod pro catholicis sint habendi. DISCIP. Ostendisti vno modo, quod non licet catholico communicare scienter papæ hæretico, quantum ad ea quæ ad religionem Christianam spectare noscuntur: nunc proba idem aliis modis, si quos alios cogitasti. MAGIST. Hoc idem secundo probatur sic: nulli excommunicato communicare licet, quantum ad ecclesiastica sacramenta & ea quæ ad officium ecclesiasticum & iurisdictionem ecclesiasticam pertinere noscuntur: quia omnis excōmunicatus omnibus huiusmodi actibus legitimis est priuatus. papa autem hæreticus est excommunicatus excommunicatione maiori & papatu priuatus: sicut in præcedentibus, vt nonnullis apparet, est demonstratiue probatum. ergo nulli catholico licet prædicto modo scienter communicare papæ hæretico. DISCIP. Licet supra *lib. 6. cap. 72. 75. & 81.* rationibus & exemplis ostenderis, quomodo probatur, quod papa eo ipso, quod sit hæreticus, est papatu priuatus & excommunicatus absque congregatione noui concilii generalis: tamen peto, vt dicas nunc, an hæc tenentes in iure canonico se fundare nitantur. MAGIST. Isti fundant se in decretis summorum pontificum, vt tamen mentem eorum, quam aliqualiter explicaui *lib. 6. supra. c. 75.* perfecte intelligas, ac per hoc etiam (quamuis esset falsa) tradatur via ad intelligendum decreta summorum pontificum, quæ sum allegaturus, debes scire quod de hæresi papæ, sicut sæpe tactum est, distinguunt. quia aut tenet hæresim damnatam implicite, aut damnatam explicite. Si tenet pertinaciter hæresim damnatam explicite, & est notorium: non est necesse generale concilium congregari: sed quilibet hoc sciens eum pro damnato & excommunicato debet habere. Quod etiam quilibet sciens (ne fides catholica subuertatur) tunc quando fuerit oportunum nescientibus reuelare tenetur. aliter enim se minime curare de fide probabit aperte. Si autem hæresis papæ fuerit solummodo damnata implicite: quamuis papa pertinax in hæresi tali in rei veritate sit damnatus & excommunicatus, & papatu priuatus: non est tamen à catholicis ante damnationem explicitam hæresis suæ pro damnato & excommunicato habendus; sed tolerandus est quamdiu vixerit, quousque per generale concilium condemnetur.

DISCIP. Occasione istorum verborum duæ mihi interrogationes occurrunt. Quarum prima est. An papa per diffinitionem solennem vel alio modo manifesto ostendens se pertinaciter adhærere hæresi damnatæ duntaxat implicite: si postea generali concilio congregato eadem hæresis fuerit explicite condemnata; sit papa pro excessu præterito deponendus, vel fuisse depositus declarandus, etiam si voluerit generali cōcilio assentire: vel eo generali concilio nullatenus resistente, sed suam hæresim reuocante, sit papa verus & catholicus reputandus. Secunda autem est, an papa pertinaciter tenens hæresim damnatam duntaxat implicite, & postea ante omnem actionem vel impugnationem ad catholicam rediens veritatem debeat seipsum depositum reputare: licet omnes catholici habeant eum pro vero papa. Ad istas duas interrogationes sine magna discussione respondeas.

MAGIST. Ad primam respondetur, quod papa si in concilio generali legitime conuincatur pertinaciter adhæsisse cuicunque hæresi latenti qualitercunque scripturæ diuinę vel doctrinæ vniuersalis ecclesiæ obuianti, etiam si de ea nunquam antea mentio expressa fuisset, quantumcunque in generali concilio paratus sit corrigi, pro deposito est habendus, nec potest licite papali fungi officio, nisi in summum pontificem nouiter eligatur. Cuius ratio assignatur, quia omnis hęreticus siue occultus siue manifestus, siue pro hęresi damnata implicite vel explicite est damnatus priuatus & excommunicatus. cum ergo papa talis fuerit ante consilium hæreticus, licet non constiterit ecclesiæ, tunc fuit papatu priuatus, licet non haberetur pro priuato. ergo postquam constat ecclesiæ quod fuit hæreticus, ecclesia debet eum fuisse depositum reputare.

DISCIP. Ista responsio videtur omnino falsa. quia secundum iura, quæ sæpe prius tacta sunt, errans contra fidem qui paratus est corrigi, non est hæreticus reputandus. si ergo papa in concilio generali paratus est corrigi, nō est hæreticus reputandus: & per consequens pro damnato minime est habendus.

MAGIST. Ista instantia videtur omnino falsa. nam licet secundum iura & testimonia sanctorum errans qui paratus est corrigi, tunc non sit inter hæreticos computandus: multi tamen errantes contra fidem, possunt parati esse corrigi, qui prius parati corrigi non fuerunt, sed extiterunt penitus pertinaces. & ideo potest contingere, quod aliquis primo est hæreticus, quia tunc non est paratus corrigi: & tamen cum cœperit esse corrigibilis, non est hæreticus reputandus. Sic esset de papa, quia si primo quantumcunque latenter scripturæ diuinæ vel doctrinæ vniuersalis ecclesiæ aduersantem, & ideo non explicite, sed implicite tantummodo condemnatum solenniter diffiniret esse tenendum: tunc esset pertinax & hæreticus iudicandus: si tamen postea in concilio generali vel alias paratus esset corrigi, tunc non esset hæreticus, sed prius fuisset hæreticus. non ergo per hoc, quod errans contra fidem paratus est corrigi, potest ostendi quod prius non fuit hæreticus: sed per hoc declaratur, quod tunc non est hæreticus, quando paratus est corrigi.

DISCIP. Dic ad secundam interrogationem. MAG. Ad secundam consimiliter respōdetur, ꝙ papa pertinaciter tenens errorem contra fidem damnatum duntaxat implicite; si postea siue accusatur, siue diffamatur, siue in nullo penitus diffamatus cognoscat errorem suum, & sciat se errori contra fidem pertinaciter adhæsisse; debet seipsum depositum reputare &

tenun-

renunciare Papatui: quia dicit se scire à iure Diuino depositum: licet Ecclesia vniuersalis errans quantum ad id quod factum est & in facto consistit, reputauerit eum verum Papam. Quemadmodum Ecclesia vniuersalis errauit quantum ad id quod consistebat in facto, quando habuit mulierem pro Papa vero. *Discip.* Nunc allega illa decreta, in quibus fundant se dicentes deponendum Papam pertinaciter asserentem ac tenentem hæresim damnatam explicite, non est necesse generale concilium congregari. *Magist.* Ad hoc principaliter tria decreta adduci possunt: quæ ponuntur 23. q. 1. Ait enim Gelasius Papa, vt habetur ibidem, c. *Achatius, non est factus inuentor noui erroris: sed veteris imitator. Atq; ideo non erat necessarium vt aduersus eum noua scita prodirent: sed antiqua tantummodo reuocarentur.* Et infra: *Quicunq; enim in hæresim semel damnatam labitur, eius damnatione seipsum inuoluit.* Ex quibus verbis clare colligitur, vt videtur, quod si Papa erroris veteris imitator in hæresim, scilicet damnatam semel labitur, eadem damnatione inuoluitur. Nec est necesse, quod contra eum *noua scita* prodeant, id est noua statuta. Et per consequens non est necesse contra eum generale concilium nouiter congregari. Quia vt dicit Gloss. ibidem: *Hic est casus, in quo Papa in canonem latæ sententiæ incidit.* Pro illo autem casu, in quo quis incidit in canonem latæ sententiæ, pro quo Ecclesia scit distincte specialem esse sententiam promulgatam, non est necesse concilium generale congregari nouiter. *Discip.* Secundum istam auctoritatem non videtur, quod sit necesse contra Papam, qui incidit in hæresim damnatam implicite nouiter concilium conuocari: quia pro damnato non est necesse concilium conuocari. Papa enim si incidit in hæresim damnatam implicite est damnatus. Quia, vt dicit Gelasius. *Quicunq; in hæresim semel damnatam labitur, eius damnatione seipsum inuoluit.* Non autem distinguit inter hæresim damnatam implicite & explicite. Ergo nec nos debemus distinguere: & per consequens si Papa incidit in hæresim damnatam implicite damnatus est. Ergo pro eius damnatione non est necesse generale concilium congregari. *Magist.* Ad hoc respondetur, sicut tactum est, quod pro damnato, quem constat Ecclesiæ esse damnatum, non est necesse generale concilium conuocari: sed pro damnato quem non constat Ecclesiæ esse damnatum, necesse est in casu concilium conuocari ad inquirendum & declarandum eum esse damnatum. Sic est de Papa, si labitur pertinaciter manifeste in hæresim damnatam tantum modo implicite, quem viri periti in diuinis scripturis cum instantia magna asserunt hæreticum & hæresim pertinaciter affirmare. Quia tunc oportet concilium generale conuenire non ad deponendum Papam, sed ad declarandum & pronunciandum Papam esse hæreticum damnatum: quod accidit, si Papa incidit in hæresim damnatam explicite, non est necesse congregari concilium nec ad deponendum Papam hæreticum nec ad declarandum esse damnatum. *Discip.* Aliud decretum allega. *Magist.* Aliud decretum eiusdem, qui, vt legitur ibidem *c. maiores*, sic ait: *Maiores nostri diuina inspiratione cernentes necessarie præcauerunt, vt quod contra vnamquamque hæresim coacta semel synodus pro fidei communione & veritate catholica atq; Apostolica promulgasset, non finerent nouis post hoc retractationibus mutilari.* Et infra: *sed autore cuiuslibet infamia ac pariter errore damnato sufficere iudicauerunt, vt quisquis huiusmodi erroris aliquando communicator existeret, principali sententia damnationis eius esset obstructus. Sic Sabellium damnauit synodus: nec fuit necesse vt eius sectatores postea damnarentur. Sed pro tenore constitutionis antiquæ, qui vel prauitatis illius vel communionis extiterint participes, vniuersalis Ecclesia duxit esse refutandos. Sic Arrii, sic Eunomii Macedonii, & Nestorii synodus semel gesta condemnans vlterius ad noua concilia venire non sinit.* Ex quibus verbis colligitur, quod si Papa quicunq; vel alius pertinaciter adhærere præsumpserit errori damnato, eadem damnatione inuoluitur: nec est necesse concilium nouiter conuocari. Quod Felix Papa, vt ibidem dicitur, aperte testari videtur dicens: *Achatius non fuit noui (vel proprii) inuentor erroris, vt in eum noua scita prodirent: sed alieno facinori suam communionem miscuit. Itaq; necesse est vt in illam reciderat ista lance sententiam, quam cum suis successoribus per conuenientiam synodalem susceperat autor erroris.* Si igitur Papa labitur in damnatum errorem: non est necesse contra eum nouiter generale concilium congregari. Quod intelligendum est de omni errore damnato explicite, qualis est omnis error scripturæ Diuinæ vel doctrinæ vniuersalis Ecclesiæ patenter omnibus intelligentibus contradicens pariter & aduersans. Vnde si Papa sollenniter diffiniret, Abraham non habuisse plures vxores, aut Pharaonem non fuisse regem Ægypti, vel Ioab non fuisse filium Sannæ, aut aliquid huiusmodi, quod ad salutem videtur impertinens, esset hæreticus manifestus: nec esset necesse contra eum concilium generale congregare: sed statim quilibet sciens ipsum diffinisse solenniter vel alio modo pertinaciter tenuisse aliquod prædictorum vel aliquod consimile deberet eum pro deposito & pro damnato habere. *Discip.* Adducas alias rationes motiuas ad probandum, quod non licet communicare Papæ hæretico modo exposito *in principio huius capituli. Mag.* Hoc probatur tertio sic. Illi, qui nihil habet potestatis aut iuris, non licet communicare modo illo. Papa autem hæreticus nihil habet potestatis aut iuris, teste Cypriano, qui, vt legitur 24. q. 1. c. *didicimus. Didicimus omnes omnino hæreticos & schismaticos nihil habere potestatis aut iuris.* Ergo Papæ hæretico communicare non licet. Quarto probatur specialiter, quod non licet verbo, scripto, vel facto asserere, verum esse Papam, quia nulli licet mentiri neque verbo neq; scripto neq; facto. Sed qui credit eum esse hæreticum, & tamen eum asserit verum Papam, mentitur: cum non sit verus Papa, sed depositus tam à iure Diuino quam à iure humano, scilicet conciliis generalibus, sicut probatum est prius. Quibus subest Papa in causa hæresis, prout superius est ostensum. Ergo nullo scienti Papam esse hæreticum licet Papam vocare, nisi ratione alicuius adiectionis vel modi loquendi, vt per talem appellationem sane intelligentibus non intelligatur esse verus Papa. Licet enim vocare Papam hæreticum, Papam talium, qui sibi fauerent & habent eum pro Papa. Si etiam aliquis confirmando modo loquendi aliorum vocarent eum Papam sine aditione, non esset forte peccatum mortale.

CAP. LXI.

In quo probantur tres conclusiones capitulo praecedenti posita, scilicet secunda, tertia & quarta. Et ea quae ibi est secunda, probatur hic primo.

DIscipulus. In praeterito capitulo dixi, mihi visum fuisse quatuor esse probanda circa assertionem *in principio eiusdem capituli* recitatam, disseruisti de primo. Nunc autem breuiter de tribus sequentibus inuestiga. *Magist.* Primum illorum trium est, quod communicantes praedicto modo Papae sunt fautores haeretici & haereticę prauitatis. Quod videtur sic posse probari. Non minus sunt communicantes praedicto modo Papae haeretico fautores & suae haereticę prauitatis, quam illi qui sibi nunquam resistunt cum possint. Sed qui Papae haeretico non resistunt cum possint, sunt fautores haeretici & haereticae prauitatis, quemadmodum errare monstratur qui alios cum potest non reuocat ab errore, *extra, de haereticis, qui alios.* Ergo communicantes Papae haeretico sunt fautores haeretici & haereticae prauitatis. *Discip.* Istud argumentum procedit de illis, ad quos spectat Papae haeretico resistere, & pro viribus obuiare: non autem spectat ad omnes Papae haeretico resistere. Et ideo multi possunt absq; fauore vel fautoria haereticorum & haereticae prauitatis non resistere, sed communicare eidem. *Magist.* Istam responsionem nonnulli sicut insanissimam detestantur, affirmantes aperte, quod dicere quod possit esse aliquis catholicus, ad quem non pertineat pro loco & tempore si conuenienter potest Papae haeretico obuiare satagenti fidem corrumpere orthodoxam, sapit haeresim manifestam. Quia ex hoc sequitur euidenter, quod aliquis catholicus zelum fidei non tenetur habere: & quod ad aliquem catholicum defensio fidei modo sibi congruenti quando potest minime spectat. Quod infidelitatem sapere arbitrantur. Si enim quilibet modo sibi congruente (quando potest) socium, patriam, praelatum, Dominum temporalem, parentes, consanguineos, benefactores & amicos, pauperes, pupillos, viduas, & alias miserabiles personas, ac res temporales communes, & proximorum suorum, quando viderit periculum iniquum & euidens imminere, tenetur, quantum sibi licet pro gradu & officio defensare: sapitq; haeresim manifestam dicere, quod talis defensio ad quęcunq; non pertinet Christianum, quia hoc non est aliud quam dicere quod possit esse aliquis Christianus, qui proximos suos non teneatur diligere, qui indigentibus & in periculo constitutis cum non apparet alius, qui velit & possit subuenire, non debet subuenire, cum potest, qui proximo prodesse cum potest, nullatenus tenetur, & quod ad opera misericordiae quando potest nullatenus teneatur, quae omnia & consimilia scripturis Diuinis & bonis moribus aperte repugnant. Multo magis debet quilibet modo sibi congruenti cum potest fidē catholicam defendere: eo quod fides catholica, sine qua non est salus, vniuersis mortalibus quantum ad vitam temporalem, & cunctis rebus temporalibus praeferenda est: quae magis quam vita temporalis aliena vel propria defendenda est. Non autem fides defenditur, nisi Papae haeretico cupienti ipsam destruere resistatur. Ergo quilibet catholicus cum potest tenetur Papae haeretico pro posse resistere, debitis tamen circumstantiis obseruatis: quia ad hunc articulum obligamur praecepto affirmatiuo, quod nō obligat pro semper. Quamuis autem ad omnes spectat resistere Papae haeretico, non tamen ad omnes spectat eodem modo resistere Papae haeretico: sed ad praelatos doctores & officium praedicationis habentes spectat resistere, eius errores publice reprobando, & auditores in veritate catholica instruendo & efficaciter confirmando. Ad praelatos autem specialiter spectat sequaces Papae haeretici (ne doctrinam eius erroneam teneant & diuulgent aut asserant) prohibere, & poenis debitis coercere. Ad reges autem & principes & publicas potestates (si à catholicis fuerint requisiti, vel praelati in impugnando prauitatem haereticam fuerint negligentes damnabiliter) spectat per temporalem potentiam Papam haereticum & sequaces eius ne corrumpant catholicos impedire ipsos (si expediens fuerit) captiuando: & quousq; rite fuerit ordinatum (quid sit de eis agendum) in firma custodia (ne inficere valeant orthodoxos & simplices) detinendo. Ad omnes autem simplices & alios quoscunq; spectat alios impugnantes Papam haereticum & sequaces eiusdem tueri & defendere: ac omnibus praelatis regibus & principibus & aliis potestatibus publicis in his, quae rite agunt ad coertionem Papae haeretici obedire & resistere toto corde. Ad cunctos autē scientes Papā esse haereticum spectat ei in his quae ad religionem spectant Christianam nullatenus communicare. Ad hoc enim nos obligat praeceptum negatiuum, quod non solum semper, sed etiam obligat pro semper. *Discip.* Breuiter proba tertium & quartum, quae posita sunt *in capitulo praecedenti. Magist.* Tertium sic probatur. Qui negat Christum aut fidem Christianam metu mortis aut grauiorum tormentorum, non est haereticus reputandus. Ergo à simili qui communicat Papae haeretico in his quę ad religionem Christianam vel Papale spectant officium, metu mortis aut grauium tormentorum, non est fautor haeretici aut prauitatis haereticae reputandus. Quartum, scilicet quod communicantes Papae hęretico praedicto modo etiam metu mortis vel grauium tormentorum peccant mortaliter, probatur sic. Quod est in detrimentum fidei Christianae, est peccatum mortale. Communicare autem Papae haeretico, praedicto modo, est detrimentum fidei Christianae: ergo est peccatum mortale.

Cap. LXII.

In quo quæritur de eis, qui communicant Papæ hæretico, ignorantes ſecundum vtramq; ignorantiam; ſcilicet craſſam & inuincibilem.

DIſcipulus. Tractauimus de communicantibus ſcienter Papæ hæretico. Nunc videamus de communicantibus ignoranter eidem. Primo de laborantibus ignorantia craſſa & ſupina, an ſcilicet ſint cenſendi fautores hæretici & hæreticæ prauitatis: & de communicantibus Papæ hæretico & de ſequacibus eius. *Magiſt.* De ignorantibus ignorantia craſſa & ſupina: & tamen communicantibus Papæ hæretico & ſequacibus eius dicitur, ſicut de communicantibus eidem ſcienter: quod ignorantia talis non excuſat peccatum: cum ipſa ignorantia ſit damnabilis. *Diſcip.* Supra multa dicta ſunt de ignorantia iſta. Ideo nunc ſuccincte dic, qui communicantes Papæ hæretico ignoranter ſunt cenſendi laborare ignorantia craſſa & ſupina? *Magiſt.* Ex prædecentibus poteris hoc aperte colligere: quod illi, qui nolunt de hæreſibus Papæ hæretici informari: ſed informare volentes perſequuntur & moleſtant: & qui contemnunt ſcire Papam eſſe hæreticum: & qui facile poſſunt ſcire: ſunt ignorantes ignorantia craſſa & ſupina. *Diſcip.* Dic de communicantibus hæretico Papæ, qui ignorant ignorantia inuincibili & probabili. *Magiſt.* De illis dicitur, quod non peccant mortaliter, nec ſunt fautores hæreticorum: quia ignorantia talis eos excuſat. *Diſcip.* Qui ſunt cenſendi laborare ignorantia probabili? *Magiſt.* Illi qui neſcirent Papam hæreticum de hæreſi diffamari: & qui non eſſent capaces informationis, qua oſtenditur Papa eſſe hæreticus, vel non poſſent faciliter neq; per ſe neq; per alios Papam ſcire eſſe hæreticum: laborarent ignorantia probabili, & ſi communicarent eidem, excuſarentur à peccato mortali.

Cap. LXIII.

In quo agitur de obedientibus Papæ hæretico.

DIſcipulus. De iſtis quærere haberem multa: ſed ea ad tractatum *De geſtis circa fidem altercantium orthodoxam* reſeruo. Nunc autem dic breuiter de obedientibus Papæ hæretico, an ſcilicet ſint fautores hæretici & hæreticæ prauitatis. *Magiſt.* Reſpondetur, quod obedire Papæ hæretico contingit dupliciter. Vno modo in puris temporalibus & corporalibus: alio modo in ſpiritualibus vel in his quæ ad Papatus ſpectant officium. Item, contingit obedire Papæ hæretico ſcienter & ignoranter. Qui enim obediret Papæ hæretico in temporalibus vel in puris corporalibus: & talis obedientia nõ eſſet in nocumentum Eccleſiæ vel alterius perſonæ: nec eſſet in ſcandalum, ſed eſſet in ſaluationem corporalem obedientis & ad redimendum vexationem eius, non peccaret mortaliter. Si autem talis obedientia eſſet in nocumentum Eccleſiæ & perſonæ, vel in ſcandalum, obediens peccaret mortaliter, quia nullus propter mandatum vel præceptum hæretici (præſertim qui non eſt Dominus in temporalibus eius, cui præcipit) debet aliquid facere in nocumentum vel ſcandalum alterius cuiuſcunq;. Qui autem ſcienter obediret Papæ hæretico in ſpiritualibus, puta recipiendo ab eo Eccleſiaſticum beneficium, vel ordines, aut aliquid conſimile, peccaret mortaliter, & fautor eſſet hæretici & hæreticæ prauitatis. De obedientibus Papæ hæretico ignoranter, qui laborarent ignorantia craſſa & ſupina, dicitur ſicut de obedientibus ſcienter: quia talis ignorantia non excuſat. De ignorantibus ignorantia inuincibili dicitur: quod non peccant mortaliter, quia ignorantia eos excuſat.

Cap. LXIV.

In quo ſoluuntur rationes cap. 59. adducta, quæ videbantur contrariari iam dictis.

DIſcipulus. Circa interrogationem propoſitam ſupra *c. huius ſeptimi 59.* audiui diuerſas ſententias, pro quibus fortiter allegaſti. De allegationibus autem pro ſententia tecum poſt completionem huius operis conferam diligenter. Nunc autem peto, vt quomodo reſpondetur ad allegationes pro prima ſententia ſupra *eodem c. 59.* adductas non differas indagare. *Magiſt.* Ad primam illarum tripliciter reſpondetur. Vno modo, quod ſacerdotes veteris legis ad quos Chriſtus miſit leproſos, vt communicarent eis in his quę ſpectabant ad ſacerdotale officium, non erant hæretici. Quia Incarnatio Chriſti nondum fuerat diuulgata. Et ideo licet explicite in Chriſtum non crederent: non tamen erant hæretici iudicandi. Aliter dicitur, quod licet quidam ſacerdotes illius temporis fuerunt hæretici (non quia non credebant explicite in Chriſtum: ſed quia prædicationi Chriſti pertinaciter reſiſtebant) tamen præter illos ſacerdotes hæreticos fuerunt quidam alii, qui Chriſto pertinaciter minime reſiſtebant. Quorum aliqui in Chriſtum explicite non credebant, nec etiam ei pertinaciter reſiſtebant. Quidam forte explicite credebant in Chriſtum, & erant forte occulti propter metum Iudęorum. Vnde & de ſacerdotibus legitur Act. 6. quod *multa turba ſacerdotum obediebat fidei*: quod contigit ante mortem Beati Stephani. Et ideo non eſt ita probabile dicere, ꝙ aliqui ſacerdotes, qui manifeſte obedierunt fidei cito poſt mortem, quin crediderunt in Chriſtum ante mortem eius, licet occulte. Erant ergo aliqui ſacerdotes, qui non fuerunt hæretici: vel quia Chriſto nullatenus pertina-

citer resistebant: vel quia explicite credebant in eum. Ad quos potuit Christus leprosos transmittere, vt communicarent eis in his quæ ad sacerdotale spectabant officium: licet non miserit eos ad sacerdotes, qui fuerunt prauitate hæretica irretiti. Aliter respondetur, quod sicut Papæ hæretico licet communicare ignoranter, dummodo ignorantia non sit crassa & supina: ita tempore Christi fidelibus licuit communicare ignoranter sacerdotibus hæreticis. Illi ergo leprosi, quos misit Christus ad sacerdotes hæreticos, quia ignorabant eos esse hæreticos, & non laborabant ignorantia crassa & supina, licite potuerunt communicare eisdem. *Discip.* Contra istam responsionem, mihi occurrit duplex obiectio. Prima est: quod Christus sciuit sacerdotes esse hæreticos. Ergo ad eos non debuit mittere leprosos. Secunda est, quod ex quo Christus sciuit sacerdotes esse hæreticos, hoc debuit declarare leprosis. *Magist.* Ad primam respondetur, quod quamuis Christus sciuerit sacerdotes esse hæreticos: tamen potuit mittere leprosos ignorantes ad ipsos. Quia illis licuit, stante ignorantia, qua laborabant, communicare eisdem. Ad secundam respondetur, quod Christus non omnia omni tempore omnibus reuelauit: nec reuelare nisi quando voluit tenebatur. Et ideo quemadmodum non reuelauit Apostolis nequitiam Iudę: ita non reuelauit leprosis perfidiam sacerdotum. Et ideo licuit eis communicare eisdem. *Discip.* Quamuis licuisset leprosis communicare sacerdotibus hæreticis ignoranter: non tamen licuit Christo præcipere vel consulere leprosis communicare eisdem. Quia cui non licet communicare alteri, non licet eidem dare consilium alii vt eidem communicet. Sicut cui non licet communicare excommunicato, ei non licet dare consilium alii vt excommunicato cōmunicet. Si ergo Christo non licuit communicare sacerdotibus hæreticis: non licuit Christo dare consilium vt eisdem sacerdotibus communicarent. *Magist.* Respondetur, quod ista instantia fundatur in medio falso. Hoc scilicet, *cui non liceat communicare alteri, non licet dare consilium alii vt eidem communicet.* Exemplum habetur expressum in iure. *13. q. 3. c. quoniam multis.* Ex quo capitulo colligitur expresse, quod multis non licet communicare quibusdam excommunicatis: quibus tamen licet consulere & dicere vxoribus excommunicatorum filiis suis & aliis quibusdam personis enumeratis ibidem, quod excommunicatis communicent. Sic si tu scis Papam esse hæreticū manifestum, & quod probari potest hæreticus, cui non licet cōmunicare Papę hęretico, tibi nō licet consulere credenti Papā non esse hæreticū, & q non laborat ignorantia crassa & supina, vt eidē cōmunicet. *Disc.* Dic quomodo respondetur ad auctoritates Augustini, qbus videtur ostendi, φ licet cōmunicare hæreticis in his, quæ ad diuinū spectant officium. *Mag.* Ad auctoritates dupliciter respondetur. Primo, quia Aug. in omnibus illis auctoritatibus nō loqtur de malis, qui erant hæretici: sed de aliis malis aliisq; criminibus irretitis, qbus licuit quantum ad sacramenta veteris legis cōmunicare. Et à quibusdā recedendū non est corporaliter, sed spiritualiter. Aliter dicitur, φ quamuis non licuerit in veteri lege cōmunicare hæreticis & idolatris in perfidia sua manentibus: licuit tamen cōmunicare eisdem correctis & ostendentibus se correctos. Illi autē hæretici & idolatræ eo ipso, φ templum Dei ad orandū Deum & sacrificandū Deo & cætera faciendū, quæ p legē Dei pcipiebantur, eidē ostendebant facto se correctos: & ideo enim tēpore licuit cōmunicare eis: quia p tempore illo nō debuerunt hæretici reputari. *Disc.* Secundū istam responsionē liceret in diuinis, hæreticis cōmunicare, q se ostenderent esse correctos. *Mag.* Respondetur, φ alius modus recipiendi hæreticos reuertentes ad fidē ordinatus est inter Christianos, q̄ fuerit inter Iudæos. Forte enim vt Iudæi reciperentur nō aliud reqrebatur, quando de eis nō poterat fieri iustitia, nisi φ facto vel verbo ptestabantur se esse veros Dei cultores. Ad hoc autē, vt Christiani hæretici reuertentes ad fidē recipiantur ad communionē, quo ad Ecclesiastica sacramenta, hoc non sufficit; sed requiritur φ in speciali abnegent errorē quē tenuerunt: & φ à vinculo excōmunicationis quo tenebantur, p Ecclesiā absoluātur. Si autē fuerit platus, puta Papa, vel Episcopus, aut alia pditus dignitate, ad officium prælationis eius absq; electione noua nequaq̄ recipi debet: quia omnis hæreticus tam in iure Diuino q̄ in iure humano priuatus est omni Ecclesiastica dignitate. Aliter dicitur, quod in veteri lege non erat licitum interesse officio hæreticorum. Licitum tamen erat permittere hæretico, officio & sacrificio fidelium interfuisse. Et ideo quamuis in noua lege esset licitum hæreticos sustinere, audire diuinum officium à catholicis, nisi in contrarium esset per Ecclesiam ordinatum: nullo tamen modo licet catholicis officio hæreticorum interesse: & ita missa Papæ hæretici à nullo catholico debet audiri. Et eadē ratione in alio officio diuino sibi communicare non licet. *Disc.* Dic quomodo ad secundam rationem principalem respondetur. *Mag.* Respondetur, φ sicut minora mala sæpe permittenda sunt propter maiora vitanda: sic propter maiora mala vitanda, fas est permissionem minorum malorum procurare & etiā impetrare: quia licet ipsa quæ permittuntur sint mala & illicita: ipsa tamen permissio est licita. Et ideo permissionem malorū licet petere & etiam impetrare: licet commissio mali sit nullatenus impetranda. Et ideo beatus Ioh. Papa potuit licite impetrare, quod hæretici permitterentur in Ecclesiis catholicorū ritus suos celebrare, pter vitandā extinctionem Italię: quæ erat maius malū quam φ hæretici in Ecclesiis pmitterentur. Cū ergo dicitur, φ beatus Iohannes impetrauit vel pcurauit, quod Ecclesiæ hæreticis redderentur, dicitur φ ibi verbū *reddendi* accipitur pro verbo permittendi. Quia eo ipso quod Ecclesiæ permittebantur hæreticis, ipsi erant parati eas accipere. Et ideo pro vitanda extinctione Italiæ & gladio mali non fuit necesse plus impetrare, quam quod Ecclesiæ permittantur hæreticis. Et ideo beatus Iohannes solam permissionē huiusmodi impetrauit. Hoc autem fuit multo minus, quam in diuinis cōmunicare hæreticis. Sicut minus est permittere malū, quam committere malum. Ad tertiam rationem respondetur, quod non semper licet fidelibus alicui in aliquo officio communicare, quem debent in eodem offi-

officio tolerare. Quia sæpe tolerant, quia prohibere non possunt. Et ideo tolerantia talis est minime arguenda. Communicatio tamen cum eis esset omnino reprehensibilis iudicanda. Concedendum est ergo cũ Augustino, quod tolerandi sunt mali pro pace, quando aliter pax absq; omni fructu spirituali penitus turbaretur. Non tamen pro pace communicandum est malis in his quæ sunt contra Deum. Quemadmodum ritus Iudæorum licite tolerantur: celebrare tamen cum eis ritus eorum catholicis minime licet. Sic etiam sancti tolerauerunt idolatriam paganorum: quibus tamen in idolatria nullatenus comunicare debebant. Ad quartam rationem respondetur, quod Iudas non legitur fuisse hæreticus, sed proditor. Vnde etiam post proditionem dixit: *peccaui tradens sanguinem iustum.* Ex quibus verbis colligitur, quod Iudas post proditionem de Christo, quem iustum putauit, non erronee senserit: & ita non erat hæreticus. Vel si fuit hæreticus, non fuit hæreticus manifestus & publicus, sed occultus hæreticus. Occultus autem siue fuerit Papa, siue fuerit alius, non est in publico deuitandus.

CAP. LXV.

In quo agitur de defensoribus hæreticorum & hæreticæ prauitatis, & qui sint censendi esse tales.

Discipulus. Quamuis adhuc de fautoribus hæreticorum & hæreticæ prauitatis essent inuestiganda quamplura, de quibus applicando ad determinatas personas in tractatu *De gestis circa fidem altercantium orthodoxam* sollicite indagabo: tamen omissis illis transeo ad defensionem hæreticorum & hæreticæ prauitatis. De quibus inprimis peto vt narres mihi, qui defensores hæreticorum & hæreticæ prauitatis sunt censendi. *Magist.* Respondetur quod cum defendere rem aliquam sit ab impugnatione tueri vel impugnatæ contra impugnantem opem ferre. Impugnatio autem tripliciter fieri potest, scilicet verbo, scripto & facto. Contingit defendere hæreticos & hæreticam prauitatem secundum quod hæretici & hæretica prauitas possent multipliciter impugnari. Hæreticus autem impugnari potest facto alicuius, qui conatur hæreticum captiuare aut detinere aut iudici præsentare vel ad iudicium trahere, vt de eo fiat iustitiæ complementum. Potest etiam impugnari verbo, & hoc multipliciter: vel in iudicio, cum rite & debite accusatur, vel extra iudicium, cum eius perfidia per prædicatores & doctores prælatos aut alios non ignaros nescientibus, vt caueant, nunciatur. Scripto etiam impugnari potest in iudicio, cum contra eum scribitur: vel etiam extra iudicium, cum eius perfidia rationibus & auctoritatibus demonstratur & absentibus per Epistolas intimatur. Hæretica autem prauitas verbo & scripto poterit impugnari, Verbo quidem, cum in sermonibus aut locutionibus vel secretis colloquiis reprobatur. Scripto vero, cum ad reprobandum hæreticam prauitatem scripta à catholicis componuntur. Ex his verbis colligitur, quod contingit & hæreticos & hæreticam prauitatem multipliciter defendere. Et quot modis contingit hæreticos & prauitatem hæreticam impugnari, tot modis & forte pluribus defendi possent. Contingit ergo defendere hæreticos facto, impediendo videlicet ne capiantur aut detineantur, vel de his fiat iustitiæ complementum. Contingit etiam eos defendere verbo in iudicio & extra iudicium: allegando quod non sunt hæretici reprobandi vel reputandi. Scripto etiam contingit eos defendere libros & Epistolas componendo ad ostendendum & nunciandum, quod non sunt inter hæreticos computandi. Prauitatem etiam hæreticam contingit tripliciter defendere, scilicet verbo, facto, & scripto. Facto quidem dupliciter ad præsens. Vno modo ipsos impugnatores ab impugnatione prohibendo. Alio modo impugnationes & allegationes eorum scriptas extinguendo siue comburendo, siue alio modo, vel malitiose detinendo & impediendo ne ad notitiam perueniant aliorum. Verbo etiam contingit prauitatem hæreticam defendere allegando, quod non sit inter hæreses computanda. Et eodem modo contingit scripto hæresim defendere. *Discip.* Secundum prædicta de defensoribus hæreticorum & hæreticæ prauitatis essent quamplurima indaganda: sed abbreuiationis causa multa dimittam. Aliqua tamen quæram. Porro quia dubito, quod si vnquam aliquis Papa hæreticus perniciosior erit omnibus aliis hæreticis qui fuerunt vel erunt præter Antichristum magnum: si tamen idem Antichristus non erit Papa, interrogationes, quas faciam de defensoribus hæreticorum & hæreticæ prauitatis ad defensores Papæ hæretici & sequacium eius suarumque hæresum applicabo. Inprimis itaque dic qua pœna sint plectendi, qui de facto impediunt, ne de persona Papæ hæretici fiat iustitiæ complementum: tamen se de eius erroribus defendendis nullatenus intromittendo. *Magist.* Respondetur, quod tales impedientes & Papæ hæretico impedienti opem ferentes, ne de ipso fiat iustitiæ complementum, aut sciunt Papam esse hæreticum, aut ignorant. Et si ignorant, aut laborant ignorantia crassa & supina, quia nolunt aut contemnunt aut negligunt scire Papam esse hæreticum: vel laborant ignorantia probabili. Si sciunt Papam esse hæreticum vel ignorant & laborant ignorantia crassa & supina: & tamen eidem opem ferunt, ne fiat de eo iustitiæ complementum, & se de eius erroribus nullatenus intromittunt: imo asserunt forte manifeste eius errores esse contrarios catholicæ veritati, sunt defensores hæretici: sed non sunt directe defensores, nec approbatores hæreticæ prauitatis. Et ideo pœnam hæreticorum nequaquam incurrunt, sed in sententiam incidunt excommunicationis, & carere debent ecclesiastica sepultura, *extra, de hæreticis, sicut etiam extra, de sententia excommunicationis, nouerunt.* Aliæ etiam pœnæ eorum si in excommunicatione per annum persistunt, taxantur, *extra, de hæreticis, excommunicamus, primo.* Quædam etiam pœnæ eorum

speciales taxantur, *extra, de hæreticis, si aduersus.* Si autem ignorent Papam esse hæreticum, & laborent ignorantia probabili, nullam pœnam incurrunt. *Discip.* Nunquid scientes Papam esse hęreticum, vel etiam ignorantes laborantes ignorantia crassa & supina, ad quos spectat & qui possunt facere de Papa hæretico iustitiæ complementum, si negligunt, debent inter defensores Papæ hæretici computari? *Magist.* Vna est opinio, quod sunt defensores Papæ hæretici & pœnam defensorum incurrunt: quemadmodum illi ad quos spectat ex officio defendere clericum verberatum, sunt fautores eiusdem violentiæ & eandem pœnam incurrunt, si possunt defendere & non faciunt, *extra, de sententia excommunicationis, quam te.* Alia est opinio, quod tales non sunt defensores Papæ hæretici: quia defensio aliquem actum exteriorem importat. Tales autem nullum actum exteriorem ad dictam defensionem pertinentem exercent. *Discip.* Quid sentitur de illis, qui defendunt Papam hæreticum verbo vel scripto, asserendo & dicendo quod non est hæreticus reputandus? *Magist.* Hoc potest multis modis contingere. Vno modo, verbo vel scripto, asserendo & firmando quod errores ei impositos, quos in rei veritate pertinaciter tenet, non tenet neq; dicit neq; asserendo neq; opinando neq; recipiendo neq; aliquo modo: & quod errores impositos dicit tantum modo recitando. Alio modo, quod errores dicit & tenet tantum modo opinando & eos nullatenus pertinaciter asserendo. Alio modo, quod errores impositi Papę non sint inter hæreticos computandi. Si primo modo, quia aut sciunt se dicere falsum: & tunc vel laborant ignorantia crassa & supina, vel probabili, si sciunt se dicere falsum, non tamen crimen incurrunt mendacii: sed etiam scienter defensores Papæ hæretici sunt censendi; & pœnam defensorum incurrunt. Si autē nō sciunt se dicere falsum, & laborant ignorantia crassa & supina, quia nolunt scire vel contemnunt aut negligunt scire, quamuis secundum aliquos à crimine mendacii valeant excusari: tamen à crimine defensionis Papæ hęretici minime excusantur: & ideo in pœnam incidunt defensorum. Si vero nesciunt se dicere falsum, & laborant ignorantia probabili: nec crimen mendacii, nec crimen defensionis hæreticorum committunt: quia ab vtroq; crimine per ignorantiā probabilem excusantur. Consimiliter distinguitur de asserentibus Papam dicere aliquos errores impositos tantum modo opinando vel tantum modo recitando. Quia si sciunt vel credunt se dicere falsum, crimen mendacii & etiam crimen defensionis Papæ hæretici manifeste committunt. Si vero nesciunt, & laborant ignorantia crassa & supina, sunt defensionis hęreticæ crimine inuoluti. Si vero laborent ignorantia probabili, de vtroq; crimine excusantur. Si autem dicunt, quod errores impositi Papæ non sunt inter hæreticos computandi, non solum sunt censendi defensores hæretici: sed etiam sunt defensores hæreticæ prauitatis: quod verum est, si errores Papæ hæretici sunt explicite condemnati, & taliter defendentes Papam hæreticum pertinaciter tenent, quod errores impositi non debent inter hæreses reputari.

CAP. LXVI.

In quo agitur de pœna defensorum hæreticæ prauitatis.

D*iscipulus.* Si pro singulis assertionibus supra scriptis satageres allegare: timeo, quod prolixitatem fastidiosam legentibus generares. Ideo ad defensores hæreticæ prauitatis accede. De quibus peto, vt dicas, qua pœna sunt plectendi, qui sunt prauitatis hæreticæ defensores, siue defendant prauitatem hæreticam prohibendo impugnatores prauitatis eiusdem, vt eam impugnent eis, scilicet pro impugnatione prauitatis hæreticæ, qua Papa hęreticus maculatur, persecutionem & molestiam inferendo, siue allegationes eorum catholicas contra errores Papæ hæretici comburendo, aut quouis modo impediendo malitiose ne ad notitiam perueniant aliorum. *Magist.* Istis modis videtur quibusdam, quod infectus hæretica prauitate defenditur. De qua defensione nonnulli tenent, quod huiusmodi Papæ hæretici defensores non minus peccant quam Papa hæreticus, quia nec sunt minori pœna plectendi: imo dicunt, quod sunt hæretici reputandi. Quia sicut contingit facto mentiri secundū Ambrosium, vt habetur *23. q. 1. c. cauete,* itaquoq; contingit facto hæresi assentire & eam asserere. Et per consequens ex factis absq; verbis potest quis ostendi esse hæreticus manifestus. Prædicti igitur defensores hæreticæ prauitatis hæretici sunt censendi: & pœna hęreticorum sunt plectendi. Quod multis modis videtur posse probari. Hæc enim Vrbanus Papa, vt *24. quæst. 3. cap. qui aliorum,* sentire videtur, dicens: *qui aliorum errorem defendit: multo amplius damnabilior est illis qui errant: quia non solum ille errat, sed etiam aliis offendicula erroris præparat & confirmat. Vnde quia Magister erroris est; non tamen hæreticus dicendus est, sed etiam hæresiarcha dicendus est.* Ex quibus verbis colligitur, quod defensores errorum sunt hæretici reputandi, & damnabiliores errantibus. Ergo & pari pœna sunt plectendi. *Discip.* Ista auctoritas non videtur ad propositum: quia loquitur de defendentibus errores allegando pro eis siue verbo siue scripto. Quod patet ꝑ hoc, quod dicit, quod *aliis offendicula præparat & confirmat:* & per hoc quod dicit *Magister errorum est.* Ista enim ad allegandum pro erroribus pertinere videntur, & nequaquam spectant ad illos qui impugnatores errorum impediunt, persequuntur & molestant, & qui impugnatores destruunt vel impediunt, ne inter catholicos publicentur. *Mag.* Dicitur, quod instantia tua nulla est: quia licet auctoritas Vrbani prædicta de allegantibus ex pertinacia ꝓ erroribus aliorum verbo vel scripto debet intelligi: debet nihilominus intelligi & de defensoribus de facto aliorū errorū, eo quod defensores facto errorum modis præscriptis grauius peccare videntur, quam solummodo pro erroribus allegantes. Defendentes enim facto modis præscriptis errores

errores Papæ hæretici tam in Deum quam in proximum directe peccare noscuntur. Quia & veritatem catholicam manifestari impediunt: & ipsis impugnatoribus prauitatis hæreticæ grauiter iniuriantur, dum eorum personis molestiam inferunt: & in eorum infamiam aliquod ludibrium circa catholicas allegationes exercent. Qui autem pro erroribus aliorum solum verbo vel scripto pertinaciter allegare præsumunt, in Deum tantummodo peccare videntur. Et ideo si defensores (allegando solummodo pro erroribus) sunt damnabiliores illis, qui errant, multo magis illi qui in fauorem & defensionem errorum impugnatores eorum crudeliter persequuntur, & infamia eorum allegationes catholicas irreuerenter & probrose tractant, sunt damnatiores his, qui errant, si solummodo stant in errore, & nihil plus faciunt. Cum vero dicitur, quod Vrbanus loquitur de illo, qui aliis offendicula errorum præparat & confirmat, & de illo qui est magister errorum: quæ duo non conueniunt nisi allegantibus pro errore. Respondetur, quod vtrumque istorum potest aliquo modo persequentibus & destruentibus impugnatores errorum competere. Nam & remouens, prohibens aliquando causa vocatur. Potest etiam dici quodammodo magister errorum inquantum facto docet & monstrat quod errores sunt censendi. *Discip.* Alias allegationes ad eandem adducas assertionem. *Magist.* Hoc Isidorus, vt habetur *11. q. q. 3. cap. qui peccantibus*, testari videtur, dicens: *Qui peccantibus consenserit & defenderit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione seuerissima. Hoc etiam quidam sanctissimus pater ait: Si quis peccantem defendit, acrius quam ille qui peccauit coerceatur.* Ex quibus verbis colligitur, quod qui Papam hæreticum pro crimine hæresis persequendo impugnatores & impugnationes defendit, acrius quam Papa hæreticus coerceri debet. *Discip.* Ista auctoritas non loquitur nisi de defensione delinquentis, non de defensore prauitatis hæreticæ, & ita ad propositum esse non videtur. *Magist.* Respondetur, quod cum loquitur de defendente deliquentem in genere, debet etiam intelligi de defendente Papam hæreticum. Et per consequens debet intelligi de defendente hæresim, quam tenet Papa: quia maius vel non minus peccatum est defendere iniquitatem alicuius, quam defendere facientem iniquitatem; cum ille qui facit, si non esset iniquitas, defendi deberet. *Discip.* Potest ne probari aliter, quod huiusmodi defensores hæresis, cui Papa hæreticus irretitur, sunt pœna hæreticorum plectendi? *Mag.* Hoc videtur sic posse probari: consentientes eadē pœna, qua agentes, sunt plectendi: quod videtur de consentientibus Papæ consensu defensionis vel etiam auctoritatis potissime debere intelligi. Quod Glossa *extr. de offi. & po. iudic. delect. c. 1.* testari videtur, dicens: *in quarto casu defensionis seu auctoritatis magis peccant consentientes defendendo & auctoritatem præstando quam facientes, & magis sunt puniendi supra 24. q. 3. qui aliorum 11. q. 3. qui consentit.* Ergo defensores modis prædictis hæreticæ prauitatis pœna hæreticorum sunt plectendi.

Discipul. Audiui quorundam sententiam de his, qui factis defendunt hæreticam prauitatem. Nunc dic de illis, qui verbo vel scripto defenderunt doctrinam erroneam Papæ hæretici. *Magist.* De his breuiter dicitur, quod si doctrina Papæ erronea est talis, quod veritatem contrariam illi, qui doctrinam Papæ erroneam solum allegationibus verbo vel scripto nituntur defendere, credere tenentur explicite: tales defendentes sunt inter hæreticos computandi. Quia omnis qui negat veritatem, quam tenetur credere explicite, est inter hæreticos numerandus, & pœna hæreticorum plectendus. Si vero doctrina Papæ erronea sit talis, quod allegantes pro ea non tenentur credere explicite contrariam veritatem, qui eam defendunt solummodo allegando verbis vel scriptis, non sunt hæretici computandi, nec pœna hæreticorum plectendi: nisi quomodocunq; appareat, quod suis allegationibus pertinaciter innituntur, qualiter autem debeant conuinci de pertinacia ex his quæ tractata sunt supra *lib. 4.* debet posse patere. *Discip.* Ex hac sententia mihi sequi videtur, quod alequi aligantes verbo vel scripto pro doctrina Papæ erronea sunt censendi hæretici, & aliqui à prauitate hæretica sunt immunes. *Magist.* Conceditur quod hoc potest contingere secundum quod potest accidere, quod aliqui tenentur credere explicite veritatem contrariam doctrinæ Papæ erroneæ: & aliqui eam credere explicite non tenentur. Et secundum quod aliqui possunt suis allegationibus pertinaciter adhærere. Vnde ad cognoscendum, qui allegantes verbo vel scripto pro doctrina Papæ hæretici sunt hæretici reputandi & qui non sunt inter hæreticos computandi, & numerandi, oportet diligentissime considerare, qui tenentur explicite credere veritatem contrariam, & qui ad hoc minime sunt astricti: qui sunt pertinaces, & qui de pertinacia conuinci non possunt. *Discip.* Nunquid illi, qui allegarent pro doctrina Papæ hæretici, & non tenerentur credere explicite veritatem contrariam, nec pertinaciter conuinci valerent, deberent defensores hæreticæ prauitatis nuncupari? *Magist.* Respondetur secundum quod nomen defensionis hæreticæ prauitatis in iure accipitur, non deberent defensores hæreticæ prauitatis appellari. Quia nomen *defensionis* sic acceptum semper pertinaciam includit. *Discip.* Si prædicta de defensoribus contineant veritatem, aperta est distinctio inter defensores hæreticorum & hæreticæ prauitatis. Sed an ista distinctio à canonicis sanctionibus accipi possit ignoro. Vnde quid de hoc posset dici, expone. *Magist.* Quod ista distinctio ex canonicis statutis accipi posset, videtur tali modo posse probari. In quibusdam statutis canonicis defensores ab hæreticis distinguuntur. In quibusdam vero defensores hæretici appellantur. Ergo videtur quod vocabulum *defensorum* vel *defendendi* accipiatur prædicto modo æquiuoce. Antecedens, quoad vtraq; partem, ꝓbatur. Et primo quidē, quo ad primā partē, sic ꝓbatur. Innoc. tertius in concilio generali, vt loquitur *extr. de hæret. c. excommunicamus, 1.* sic ait: *Credētes*

praeterea, defensores, receptatores & fautores haereticorum excommunicationi decreuimus subiacere, firmiter statuentes vt postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempsit infra annum & extunc ipso iure sit factus infamis: nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis &c. Ex quibus verbis colligitur, quod plures poenas, quas constat haereticos incurrere ipso facto, & statim defensores haereticorum non incurrunt, nisi satisfacere contempserint infra annum. Nam bona haereticorum defensorum si satisfecerint infra annum, postquam fuerint excommunicatione notati, sunt minime confiscanda infra annum, vt ex verbis Innocentii allegatis & ex sequacibus colligi videtur apette. Bona vero haereticorum confiscanda sunt vel confiscari possunt etiam si infra annum ad fidem redierint veracem, teste eodem Innocentio tertio, qui, vt legitur *extra de haereticis c. vrgentis*, ait: *In terris vero episcopali nostrae iurisdictioni subiectis bona haereticorum statuimus publicari. Et in aliis idem praecipimus fieri per potestates & principes seculares, quos ad illud exequendum, si forte negligentes extiterint, per censuram ecclesiasticam appellatione remota volumus & mandamus. Nec ad eos bona eorum vlterius reuertantur, nisi eisdem ad cor reuertentibus & abnegantibus haereticorum consortium misereri aliquis voluerit.* Ex quibus verbis colligitur, quod vt Glossa dicit super verbo *misereri haereticis ad cor reuertentibus & satisfacientibus siue infra annum de sola misericordia restituantur bona.* Defendentibus autem non sunt bona infra annum auferenda. Ergo defensores, de quibus fit mentio in constitutione praedicta *Excommunicamus*, non sunt haeretici nec fautores haereticorum & haereticae prauitatis reputandi, sed defensores haereticorum tantummodo sunt censendi. Qui, sicut habetur *extr. de haereticis sicut ait, & cap. si aduersus, & extra de sententia excommunicationis cap. nouerit*, ab haereticis diffinitur. Secunda vero pars antecedentis rationis praedictae, scilicet quod quandoque defensores haeretici appellantur, probatur. Nam, sicut allegatum est supra *24. quaest. 3. qui aliorum*, defensores errorum alienorum probantur esse non solum haeretici: sed etiam de haereticis: quia in hoc quod defendunt aliorum errores sunt magistri errorum. Item, quod aliqui defensores sint haeretici reputandi, testatur Innocent. *extr. de verborum sig. cap. super quibusdam*, dicens: *Tua deuotio postulauit à nobis, qui sunt dicendi haeretici manifesti. Super quo duximus tibi respondendum, illos intelligendos esse manifestos haereticos, qui contra fidem catholicam publice dicunt aut profitentur seu defendunt errorem.* Ex quibus verbis colligitur & datur intelligi, quod defensores eorum sunt inter haereticos reputandi. Quod secundum quosdam intelligendum est, siue facto siue verbo, siue scripto, defendant errores, quod secundum eos iuxta modum praexpositum continet veritatem.

CAP. LXVII.

In quo agitur de receptatoribus haereticorum, & quomodo à defensoribus &c. distinguantur, circa quod plures per ordinem mouentur quaestiunculae. Vbi etiam nota de plenitudine potestatis.

Discip. De defensoribus haereticorum & haereticae prauitatis vsque ad tractatum *de dogmatibus Iohannis 22.* & tractatum *De gestis circa fidem altercantium orthodoxam* nola plura inquirere. Ideo ad receptatores transeo. De quibus verbis dic inprimis, quomodo à credentibus, fautoribus & defendentibus distinguuntur. *Magist.* Respondetur quod receptor & credens haereticis duo disparata videntur. Quia licet receptor possit esse credens, tamen potest etiam contingere, quod non sit credens: quia qui receptor est scienter haereticorum, non est credens, quia non credit eos esse catholicos, quos reputat haereticos: nec credit erroribus eorundem. Receptor vero haereticorum videtur esse fautor eorundem, quia qui recipit haereticos eis quodammodo fauet, cum etiam non impugnare haereticos quando quis debet eos impugnare, sit eis fauere. Omnis igitur receptor haereticorum est fautor eorum, sed non econuerso. Multi enim sunt fautores haereticorum, qui tamen non sunt receptores eorum. Receptor autem & defensor haereticorum disparata esse videntur. Nam quis potest esse defensor eorum, quamuis non sit receptor eorum: quia in eius dominio non morantur. Potest etiam quis esse receptor haereticorum, quamuis non sit defensor: quia scilicet eos à nulla impugnatione intendit defendere. *Discip.* Qui sunt receptores haereticorum? *Magist.* Respondetur, quod nomen *receptoris* secundum quod in iure accipitur, sonat in malum. Et ideo isti sunt receptores haereticorum qui cum possent haereticos de terra sua & dominio expellere, eos scienter vel ignoranter, ita tamen quod laborant ignorantia crassa & supina, permittunt in terra sua aut dominio absque custodia libere commorari. De istis loquitur Gloss. *extr. de haereticis excommunicamus 1.* super verbo *receptores*, dicens: *sine quibus haeretici diu manere non possunt. Discipul.* Secundum praedicta si Papa haereticus manens in dominio alicuius regis vel principis; aut alicuius alterius, tanta fulciretur potentia, quod dominus temporalis non posset eum expellere, nec quomodolibet detinere: talis Dominus non esset censendus receptor. *Magist.* Hic respondetur, quod talem Dominum temporalem impotentia excusaret. *Discip.* Potestne aliquid aliud excusare Dominum temporalem si non expellit Papam haereticum vel eius sequaces, de suo Dominio in terram non sibi subiectam? *Magist.* Respondetur, quod timor probabilis turbationis fidelium absque fructu spirituali potest excusare Dominum temporalem. *Discip.* Nunquid tenetur Dominus temporalis expellere Papam haereticum de suo dominio, si tantam habet potentiam temporalem, & non timet probabiliter turbatio-

turbationem fidelium absque fructu spirituali: quamuis ostendens non fuerit per prælatos ecclesiæ requisitus? *Magist.* De hoc tractatum est *libro 6. cap. 99. & vltimo*: vbi ostensum est, quod deficiente ecclesiastica potestate siue per impotentiam siue per damnabilem negligentiam, laici debent hæreticos coercere. *Discip.* Quid faciet Dominus temporalis, si scit Papam hæreticum manere in suo dominio, & non potest eum artare? *Magist.* Requiret auxilium catholicorum. Si autem alii nolunt auxiliari ei, excusatus est. *Discip.* Quid faciet populus, vbi moratur Papa hæreticus, si Dominus temporalis, quamuis possit, nolit Papam hæreticum coercere? *Magist.* Respondetur, quod populus non obstante quod Dominus temporalis sit receptor Papæ hæretici, si potest absque dispendio spirituali, debet Papam coercere, vbi sciret Papam hæreticum. Puta vbi sciret, si Papa aliquid assereret contra veritatem apud omnes catholicos diuulgatam, vt puta si diceret Christum falsum Prophetam, vel Christianam fidem esse falsam vel fictam: aut quod animæ reproborum in inferno minime cruciantur, vel aliquid huiusmodi, quod apud omnes catholicos tanquam catholicum diuulgatum existit: nec esset necesse, quod populus in hoc casu consuleret sapientes, nisi forte ad sciendum quomodo deberet procedere contra Papam hæreticum. Non enim propter persuasiones, allegationes vel verba quorumcunq; sapientum vel insipientum deberet quoquomodo in dubium reuocare, an Papa esset in tali casu hæreticus reputandus, & tanquam hæreticus euitandus, ac etiam puniendus. Imo quicunq; sapientes clerici vel laici, qui dicerent Papam in tali casu non debere à populo reputari hæreticum, essent à populo hæretici iudicandi. *Discip.* Quomodo potest populus absque auctoritate domini temporalis aliquid contra Papam hæreticum attentare, cum populus nullam habeat iurisdictionem omnino, sed in Dominum suum iurisdictionem transtulerit? *Magist.* Respondetur, quod quamuis in Imperatorem vel regem iurisdictionem transtulerit: iurisdictionem tamen, quam habet in fauorem fidei, quando Papa est hæreticus & remanet cum eis, & prælati & Domini temporales nolunt vel non possunt Papam coercere, à se transferre non potest; nec tali iurisdictioni potest renunciare: quia illa iurisdictio concessa est populo in fauorem fidei Christianæ.

Disc. Quo iure habet populus iurisdictionē huiusmodi super Papam hæreticū? non iure diuino: quia de hoc in iure diuino nulla fit mentio. Nec etiā iure humano: quia etiā in iure humano de hoc nulla fit mentio. Nec iure naturali, quia à iure naturali nullus habet super alium potestatē. Natura enim omnes fecit æquales. *Magist.* Respondetur, quod quamuis in iure diuino nulla de iurisdictione huiusmodi fiat mentio vocalis, sententialiter tamen hoc ex iure diuino & naturali ac humano simul colligitur. Nam ex iure diuino concluditur quod Papa factus hæreticus est papatu priuatus. Ex iure autem humano habetur, quod Papæ hæretico non est communicandum modo prædicto. Quod etiam corporaliter seruari debet, quando absque perniciosa turbatione fidei seruari potest. Eo quod nulli hæretico est communicandum modo prædicto. Item ex iure humano habetur, quod si Papa vel Dominus temporalis alicuius populi fiat hæreticus, totus populus à iurisdictione tam Papę quam Domini temporalis absoluitur, teste Gregorio tertio, qui vt habetur *extra. de hæreticis c. vltim.* ait: *absolutos se esse nouerint à debito fidelitatis, homagii & totius obsequii, quicunque manifeste lapsis in hæresim aliquo pacto quacunque firmitate vallato tenebantur astricti.* Ex iure autem naturali non quidem quod fuisset tempore naturæ institutæ, sed quod est pro tempore naturæ lapsæ, habetur quod populus propter perfidiam alicuius, qui non est superior eo, locum aut patriam relinquere non tenetur. Ex quibus concluditur, quod si Papa fiat hæreticus, & Dominus temporalis fauerit eidem, populus saltem iurisdictionem aliqualem obtinet super Papam hæreticum: quia ex quo Papa hæreticus iure diuino est papatu priuatus, non est superior populo, vbi moratur. Iure autem humano populus Papæ hæretico communicare non debet. Ergo debet Papam hæreticum deuitare. In iure autem naturali non tenetur propter Papam hęreticum patriam aut locum deserere aut relinquere. Ergo potest Papam hæreticum, ne eidem communicet, de loco suo expellere, vel eum in custodia detinere. *Discip.* Ista ratio non procedit, nisi Papa hæreticus se ingereret communioni populi. Ergo si non ingerit se communioni populi, populus nullam iurisdictionem habet super eum. *Magist.* Dicitur, quod sufficit quod per rationem prædictam probaretur populum in aliquo casu iurisdictionem aliquam, extendendo nomen iurisdictionis ad quamcunque potestatem expellendum vel etiam aliquem detinendum, super Papam hæreticum obtinere. Quia dicit, quod ex tali iurisdictione populi super Papam hæreticum multipliciter iurisdictionem contingit inferre. *Discip.* Causa breuitatis nolo, quod ex iurisdictione prędicta aliqua alia inferantur: sed dic secundum prædictam opinionem, si Papa hæreticus voluerit recedere, an populus debeat eum dimittere liberum abire, an eum teneatur in firma custodia detinere. *Magist.* Respondetur, quod populus tenetur eum in firma custodia detinere. Cuius ratio assignatur talis. Non minus debet vnaquæq; persona & multitudo fidelium esse sollicita de salute spirituali proximorum quam corporali: secundum quod ex verbis beati Augustini, quæ ponuntur *23. q. 4. cap. ipsa pietas*, quæ allegata sunt supra, colligitur euidenter. Sed si esset in populo aliquis, qui vallatus complicibus eundem populum & omnem alium catholicum corporaliter conaretur extinguere, populus non deberet liberum abire dimittere, sed ne alios populos Christianos occideret, detinere. Ergo si Papa hæreticus omnes catholicos spiritualiter per prauitatem hæreticam conatur necare, populus, cum quo moratur, non solum proprio periculo, sed etiam periculo aliorum fidelium, præcauendo ipsam detinere tenetur.

Discip.

Discip. Nunquid si populus permittat Papam hæreticum licite secum commorari, & suos dogmatizare errores, debet receptor hæreticorum censeri, si potest Papam hæreticum detinere? *Magist.* Respondetur quod sic. Quia ex quo spectat ad populum detinere Papam hæreticum, quando Dominus temporalis & prælati circa coertionem Papę hæretici sunt damnabiliter negligentes, si populus eum non detinet, debet receptor Papæ hæretici reputari. *Discip.* Nunquid quilibet de populo tali debet dici, quod sit receptor Papæ hæretici? *Magist.* Respondetur quod omnes, qui damnabiliter negligunt Papam detinere, vel qui tali negligentię consentiunt, sunt receptores Papæ hæretici. Qui autem alios exhortantur, quantum licet eis pro gradu suo paratique essent vna cum aliis Papam detinere, aut talem exhortationem metu mortis vel grauium tormentorum omittunt dolentes quod Papa hæreticus minime detinetur, non sunt inter receptores Papæ hæretici computandi. *Discip.* Nunquid tales, qui parati essent Papam hæreticum detinere, tenentur recedere, ne communicent Papæ hæretico? *Magist.* Respondetur quod si tales remanere in populo minime possunt, nisi communicant Papæ hæretico propter potentiam Papæ hæretici & suorum communicare possunt corporaliter Papæ hæretico: scilicet loquendo, comedendo, bibendo, & corporaliter conuersando insimul. Nec ad vitandum talem communionem cum notabili damno suo tenentur recedere. Sed antequam communicent Papæ hæretico aliter quam corporaliter tantum, puta in officio diuino, vel in his quæ ad Papatus spectant officium, maxime quantum ad ea quæ ordinis sunt, aut facto vel verbo profitendo eum esse Papam, debent de loco illo recedere. Quia taliter communicare Papæ hæretico nullus potest absque peccato mortali. Quilibet autem ante debet omnia mala tolerare, quam peccare mortaliter.

Discip. Prima pars istius sententiæ decretalis Innocentii tertii, quæ ponitur *extra, de his quæ vi metus ve causa fiunt cap. sacris*, repugnare videtur. Ait enim: *distinguimus vtrum aliquis, qui communicat excommunicatis inuitus, sit per coactionem astrictus, aut per metum inductus. In primo casu talem non credimus excommunicationem incurrere: cum magis pati quam agere conuincatur. In secundo licet metus culpam attenuet, quia cum quidam canones non eum prorsus excludunt, cum pro nullo metu quis peccatum mortale debeat incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari.* Ex quibus verbis colligitur, vt videtur, quod nullus metus etiam mortis excusat corporaliter communicantem excommunicato à peccato mortali. Cum ergo Papa hæreticus, qui incidit in canonem sententiæ promulgatę, vt notat Glossa *24. q. 1. cap. 1.* sit excommunicatus, sicut allegatum est supra, quicunque communicat Papæ hæretico etiam corporaliter tantummodo, excommunicationis sententia inquinatur. *Magist.* Ad hoc respondetur, quod Innocentius tertius in decretali prædicta de communicatione corporali nullam facit penitus mentionem. Et ideo pro morte vitanda licitum est cuicunque excommunicato communicare corporaliter. Et similiter pro notabili damno vitando, licet excommunicato communicare corporaliter. Nec potest ecclesia de plenitudine potestatis artare quemcunque contra suam voluntatem in tali casu excommunicatum vitare. Et ideo Innocentius loquitur de communione non corporali: sed de aliqua alia, puta in crimine vel alio modo, quæ absque constitutione humana noscitur interdicta.

Discip. Circa dictam responsionem duæ difficultates mihi occurrunt. Prima est, quod videtur, quod ecclesia, quæ etiam summum pontificem comprehendit, & penes quam plenitudo residet potestatis, potest præcipere cuilibet catholico, vt nullo metu mortis vel perditionis rerum excommunicato communicet. Aliter enim potestatis plenitudinem nequaquam haberet. Si autem ecclesia potest hoc præcipere: is, cui præcipitur, obedire tenetur. Secunda est: quia si ecclesia non potest aliquem obligare sub pœna excommunicationis, ne etiam metu mortis corporaliter communicet excommunicato. Videtur etiam per eandem rationem, quod per eandem pœnam non potest obligare fideles, ne aliter quam corporaliter excommunicato communicent. *Magist.* Ad primam respondetur, quod ecclesia non potest aliquem obligare sub pœna excommunicationis, ne metu mortis vel perditionis rerum communicet cum excommunicato. Cuius ratio assignatur talis. Ad illa quæ supererogationis sunt, vel excessiue grauia dignoscuntur, ad quæ quis nec iure diuino nec iure naturali nec spontanea voluntate noscitur obligari: non potest ecclesia de plenitudine potestatis fideles artare. Hæc enim est causa quare ecclesia non potest Christianos ad votum continentiæ vel virginitatis artare. Quia, vt lex sacra dicit, *virginitas suaderi potest, imperari non potest.* Similiter ecclesia non potest cogere Christianos religionem Mendicantium, vt Minorum, intrare. Quia hoc supererogationis est, & causa, quare ad ea, quæ supererogationis sunt, non potest ecclesia Christianos compellere, est, quia talia excessiue sunt grauia, ad quæ Christiani lege diuina vel iure naturali minime obligantur. Quare ad ea prælati Christianos obligare non debent: ne sint de numero illorum, de quibus dicit Christus Matth. 13. *Alligant enim grauia onera & importabilia & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere.* Ad ea ergo quæ sunt excessiue difficilia & grauia, non potest ecclesia regulariter obligare fideles: licet ex causa & pro culpa ad talia possit aliquos obligare. Quemadmodum aliquibus pro culpa præcedenti matrimonium interdicit, & aliquos in monasteria etiam inuitos statuit retrudendos. Cum igitur mortem suscipere & res suas amittere, & grauia tormenta subire, & talia consilia sint inter excessiue grauia computanda, ecclesia per nullam constitutionem potest regulariter Christianos in aliquo casu (in quo ad huiusmodi nec per legem diuinam nec per legem naturæ nec per voluntatem spontaneam obligantur) astringere, ad non cōmunicandum corporaliter

ter excommunicato, Christiani autem nullo prædictorum modorum ad hoc tenentur vel artantur. Quia si ad hoc aliquo prædictorū modorum essent astricti, etiam de dispensatione Papæ non possent aliqui communicare excommunicatis: quod constat esse falsum. Ergo ecclesia regulariter per aliquam constitutionem sub pœna excommunicationis quomodolibet obligare non potest, vt nec mortis metu vel amissionis rerum corporaliter communicet excommunicatis. Cum vero dicit, quod ecclesia tunc non haberet plenitudinem potestatis. Respondent quidam, quod summe necessarium esset his diebus, quod per sapientes iuramentis & horribilibus comminationibus per reges & principes ad veritatem dicendam artatos declararetur, quæ spectant ad plenitudinem potestatis, quam ecclesia noscitur obtinere. Dicunt n. quod aliqui literati (vt beneficia ecclesiastica consequantur) ita ampliant ecclesiasticæ potestatis plenitudinem, quod omnem iurisdictionem laicalem: imo omne dominium & proprietatem laicorum in quibuscunque rebus temporalibus manifeste euacuant. Quod tamen scripturæ diuinæ aperte repugnat: cum etiam infideles secundum scripturam sacram rerum temporalium habeant dominium & proprietatem. Nec tempore Apostolorum licuit ecclesiæ dominos infideles rebus temporalibus spoliare. *Discip.* Quomodo euacuant aliqui omnem proprietatem & dominium laicorum? *Magist.* Respondetur, quod sunt quidam dicentes, quod omne illud spectat ad plenitudinem potestatis ecclesiæ, quod non obuiat legi diuinæ, neq; legi naturali. Et in omnibus casibus omnes Christiani summo pontifici obedire tenentur. Quare cum non habere proprietatem temporalium & dominium nec legi diuinæ, nec legi naturæ repugnat: in hoc tenetur omnes laici summo pontifici obedire. Quare summus pontifex potest ad libitum de temporalibus laicorum disponere: & per consequens non sunt censendi ad proprietatem laicorum & dominium pertinere. *Discip.* De hac materia te exquisite interrogabo in tractatu *de dogmatibus Iohan. 22.* quare nunc tantummodo dic, cur non obstante plenitudine potestatis ecclesiasticæ ecclesia non potest obligare Christianos, vt etiam pro morte vitanda non communicent corporaliter excommunicatis. *Magist.* Respondetur breuiter à nonnullis, quod hoc ad plenitudinem potestatis ecclesiasticæ minime spectat. Quia sicut plenitudo potestatis ecclesiæ ad res laicorum, vt libere faciant de eis quicquid sibi placuerit, minime se extendit: ita etiam plenitudo potestatis ecclesiasticæ ad illa, quæ supererogationis & grauia sunt, nullatenus se extendit, vt scilicet illa valeat imperare, licet persuadere possit. *Discip.* Hoc quod plenitudo potestatis ecclesiasticæ ad grauia minime se extendit, *c. Caroli*, quod ponitur *dist. 19. c. in memoriam*, aduersari videtur. Ibi enim sic legitur: *Licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum: tamen feramus & pro deuotione toleremus.* Quibus verbis manifeste asseritur, quod ad grauia potestas summi pontificis se extendit, cum *vix ferenda* sunt inter grauia computanda. *Magist.* Respondetur, quod Carolus loquitur de his, quæ spectant ad officium summi pontificis. De aliis autem nequaquam intelligit. Vnde si Papa præciperet regi vel comiti, quod daret nepoti suo aliquam ciuitatem vel castrum, imo duos florenos, sibi nullatenus obedire esset astrictus. Multo fortius si tale quid præciperet pauperi, non teneretur sibi parere. *Discip.* Dic, quomodo respondetur ad secundam difficultatem, quam ego tetigi ante. *Magist.* Ad illam respondetur per prædicta, quod vbi aliquid à lege diuina vel iure naturali noscitur esse prohibitum, ibi potest ecclesia grauissimam pœnam transgredientibus infligere, & ad seruandum præceptum legis diuinæ & legis naturæ catholicos obligare. Vbi autem non est, nisi præceptum humanum, nisi ex causa rationabili non voluntaria non potest ad seruandum idem præceptum catholicos sub graui artare pœna, quin saltem pro morte vitanda posset quis tale præceptum prætergredi. In tali enim casu ἐπιείκεια interpretatur legem humanam non esse seruandam in illo intellectu, quem verba prima facie sonare videntur. Sic, sicut allegatum est supra, Bonifacius martyr iuramentum suum, quod præstitit de non communicando hæreticis, interpretatus fuit: quam interpretationem Zacharias summus pontifex approbauit. Cum igitur communicare corporaliter excommunicatis non est prohibitum à lege diuina, neque à lege naturæ, per nullum præceptum humanum possunt regulariter Christiani constringi, quin pro morte vitanda possint communicare excommunicatis. Sed pro causa & pro culpa aliqui & pro aliquo tempore omnes possunt astringi, ne cum aliquo excommunicato communicent & pro morte vitanda. Vnde & tale quid posset accidere circa Papam hæreticum, quod omnes Christiani possent astringi ne communicarent eidem, etiam pro morte vitanda. Sed hoc non est regulare de omnibus Christianis omni tempore respectu omnium excommunicatorum. Sed communicare excommunicato aliter quam corporaliter, puta in crimine, vel in his quæ ad ecclesiasticum officium pertinent, quo excommunicatus fungi non potest, est prohibitum à lege diuina. Ideo ibi potest ecclesia adiicere pœnam excommunicationis, vt nullus Christianus taliter communicet excommunicato etiam pro morte vitanda.

CAP. LXVIII.

Vbi demonstratur, qua pœna sint plectendi receptores papæ hæretici, & sequacium eius.

DIscipulus. Aliqua quæ in præsenti recitasti, aliquibus forsan videbuntur obscura, quæ in tractatu *De gestis circa fidem altercantium orthodoxam* te faciam explicare. Ideo illis omissis dic, qua pœna receptores Papæ hæretici & sequacium eius sunt plectendi. *Magist.* Circa hoc possunt esse opiniones contrariæ. Vna quod pœna hæreticorum sunt plectendi: quia hæretici sunt censendi. Hæc opinio videtur esse Glossę *extra de hæreticis. cap. excommunicamus primo, §. credentes,* quæ super

super verbo *receptores*, ait: *sine quibus hæretici diu manere non possunt, ar. ff. de offic. præsid. congruit. & ff. de receptoribus lib. 1. Vnde merito isti sunt puniendi: imo grauius delinquunt, quia aliorum errorem defendunt, 24. q. 3. qui aliorum. Et ideo simili pœna cum hæreticis puniuntur 11. q. 3. qui consentit.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod receptores hæreticorum grauius delinquunt, quã hæretici, & simili pœna puniendi sunt. Alia est opinio, quod illi qui solum sunt receptores hæreticorum & non approbant eorum errores, licet timore vel cupiditate tracti, aut ex aliqua causa mala eos nolunt de terra sua fugare, nec etiam detinere, non sunt hæretici reputandi, nec sunt etiam quo ad omnia, pœna hæreticorum plectendi. Quia multi scientes inter hęreticos & receptores hæreticorum expresse distinguunt, & taxantes pœnã receptoris hæreticorum moderatiorem pœnam infligunt, sicut patet *extra de hæreticis cap. excommunicamus §. credentes.* Hoc autem ex *eodem capitulo §. moneantur*, colligitur euidenter, vbi legitur: *Si vero Dominus temporalis requisitus & monitus ab ecclesia terram suam purgare ab hæretica fœditate neglexerit, per metropolitanum & cæteros comprouinciales episcopos excommunicationis periculo innodetur. Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo pontifici, vt extunc ipse vasallos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponet catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis absque vlla contradictione possideant.* Ex quibus datur intelligi, quod Dominus temporalis, licet sit receptor hæreticorum, vtpote quia quamuis requisitus & monitus ab ecclesia terram suam non purgat ab hæretica prauitate: non est statim per eam omnium hæreticorum pœna plectendus: quia bona sua non sunt statim publicanda, nec terra sua est ab his catholicis statim occupanda: quam pœnam hæretici ipso facto incurrunt: quia Papa hæreticus etiam occultus de iure nihil possidet, *dist. 8. quo iure.*

Discip. Ista opinio secunda magis videtur mihi consona statutis sanctorum patrum: ideo quomodo ad Glossam, quæ videtur esse in contrarium, respondetur declara. *Magist.* Dupliciter respondetur. Vno modo, quod Glossa non est autentica, & aperte veritati repugnat: ideo est neganda. Nec videtur inconueniens negare Glossas decretorũ cũ etiã iste textus decretorũ aperte negetur, eo ꝙ in textu assertiones erroneæ inserantur, sicut patet *23. q. 4.* Sed obiicitur, vbi narrat Gratianus ꝙ tẽpore Achab missi fuerunt duo quinquagenarii ad Heliam, qui dicerent, *homo Dei, rex Israel vocat te.* Quod tamen est hæresis explicite condemnata: quia contraria veritas est explicite approbata, quia quod hoc accidit tempore Othoziæ, mortuo rege Achab, in scriptura diuina inuenitur expresse. Et ipse Gratianus, si dicto illi pertinaciter adhæsisset, fuisset hæreticus manifestus. Quia autem ex sola ignorantia absque omni pertinacia dixit prædictam hæresim opinando, quod sibi ex hoc contigit, quia memoriam *quarti libri Regum* tunc actualiter non habebat. Vnde super verbo *Achab*, dicit Glossa: *confudit historiam. Non enim Achab misit illos quinquagenarios: sed rex Othozias. Nec etiam illud contigit sub Othozia.* Et ita patet, quod etiam Glossa negat textum *libri decretorum.* Glossa etiam in plerisque locis reprobat Gratianum, sicut patet *11. quæst. 3. euidenter itaque & 12. q. 1. cap. 1.* in aliis locis pluribus. Et ideo dicunt, quod multo fortius licet negare Glossas, quæ (vt dicunt) nonnunquam diuinæ scripturæ repugnant: interdum etiam catholicas sanctiones allegant inepte. Quod (vt dicunt) ex hoc accidit, quod Glossatores in scripturis sacris & scientiis Philosophicis nequaquam periti fuerunt. Et ideo quam plura capitula iuris canonici ex scripturis diuinis & originalibus sanctorum accepta nequaquam profunde & perfecte intelligere potuerunt. Aliter dicitur, quod Glossa prædicta non dicit receptores hæreticorum grauius de iure quam hæreticos aut consimiliter puniendos, sed transeundo de receptoribus hæreticorum ad defensores hæreticorum dicit eos grauius puniendos, & quod grauius deliquerunt. Quod bene intelligendum est de defensoribus hæreticorum & continet veritatem.

Cap. LXIX.

In quo quæritur, an omnes receptores, fautores, defensores doctrinæ hæreticæ & Papæ hæretici eadem sint pœna plectendi.

D*iscipulus.* Post inquisitionem distinctam, licet propter ampliationem materiæ, breuem de credentibus, fautoribus, defensoribus, & receptoribus hæreticorum, peto vt absque probationibus maximis causa prolixitatis vitandæ dicas aliquam opinionem, an omnes credentes, & similiter si omnes fautores, & omnes defensores, & omnes receptatores Papæ hæretici & aliorum hæreticorum sint æqualiter reprehensibiles iudicandi. *Magist.* Respondetur, quod aliquos esse magis vel minus aut æqualiter reprehensibiles indicandos, dupliciter potest intelligi, scil. secundum diuinum iudicium & humanum. Secundum iudicium diuinum, illi sunt magis reprehensibiles iudicandi, qui ex maiori contemptu Dei vel ex maiori negligentia peccant in aliquo prædictorum. Hoc autem notum est soli Deo. *Discip.* Non intendebam quærere, nisi qui essent reprehensibiles iudicandi secundum humanum iudicium; & hoc non simpliciter, sed quo ad aliquid, & quo ad quid. Nolo enim intricatas & secundum aliquos fantasticas quæstiones in hoc opere pertractari. *Magist.* Ad intentionem tuam dicunt nonnulli, quod secundum humanum iudicium credentium hæreticis & hæreticæ prauitati grauius peccant literati quam illiterati. Quia literati cæteris paribus possunt facilius cognoscere veritatem. Item grauius peccant cæteris paribus Theologi, quam alii.

Et

& inter Theologos grauius peccant illi, qui magis nutriti fuerunt in contraria veritate. Si enim aliquis Papa vel alius dogmatizaret & asserere conaretur errores quorundam magistorū Parisiensium, scilicet à summis pontificibus condemnatos, qui statum Mendicantium, scil. Prædicatorum & Minorum erronee damnauerint, inter omnes credentes erroribus illis Papæ vel alteri Prædicatores & Minores grauius delinquere noscerentur. Quia quanto aliquis magis cognoscit vel habet cognoscere veritatem status sui: tanto magis peccat, si veritatem negat eandem. Cum ergo ad prædicatores & Minores specialissime spectat cognoscere veritatem status sui, magis quam alii, cùm sint in notitia status sui nutriti, si cupientes papæ placere, vel ex alia causa credunt erroribus, quibus status eorum damnatur, magis quam alii cæteris paribus peccare noscuntur. Et si illi errores in fidem impingant, non solummodo ordinum suorum, sed etiam proditores Christianitatis sunt censendi. Nec vnquam Christianitas de eis poterit confidere tempore tentationis. Si enim ille est proditor veritatis, qui non liberè pronunciat veritatem, quam pronunciare oportet *2. q. 3. notate*: multo fortius est ille proditor veritatis, qui credit errori, quem antea reputauit errorem. In casu ergo prædicto & in omni consimili prædicatores & maiores vltra omnes peccarent credendo huiusmodi erroribus. Inter ipsos autem grauius peccant literati, siue sint magistri, siue discipuli. Sæpe enim his diebus discipuli superant magistros in veritatis cognitione. Nam quia acceptatores personarum ad magisterium ambitiosos exaltant, plures magistri istis temporibus rursum indigent, vt doceantur quæ sunt elementa exordii sermonum Dei, & facti sunt quibus lacte opus sit non solido cibo. Et ideo literatiores siue sint discipuli siue magistri grauius peccant credendo erroribus. *Discip.* Qui peccant grauius inter fautores Papæ hæretici aut sequaces eius? *Magist.* Respondetur, quod reges & principes scienter fauentes Papæ hæretico ratione potentiç temporalis, qua absq; periculo etiam temporali valent sibi resistere, grauius peccant qua alii. Nam alii, qui non tanta vallantur potentia, absque forti aliquali periculo Papæ hæretico resistere non videntur: & ita timor periculi attenuaret peccatum eorum. Ex isto autem concluditur, quod quanto aliqui maiorem defensionem haberent, quam alii: tanto grauius peccarent Papæ hæretico fauendo. Si enim aliquis rex vel princeps omnes resistentes Papæ hæretico in dominio suo manentes defenderet vel minime impugnaret, multo grauius delinquerent, qui manentes in dominio illius regis vel principis Papæ hæretico aliquo modo fauerent; quam alii commorantes in dominiis regum & principum, qui resistentes Papæ hæretico nequaquam defenderent, sed persequerentur, vel persequi & molestari ab aliis minime prohiberent.

Discip. Mirum videtur, quod reges & principes in hoc casu grauius peccarent quam prælati? cum magis pertineat ad prælatos obuiare Papæ hæretico quam ad reges & principes. M. Respondetur, quod quidam prælati inter principes ratione temporalis potentiæ computantur. Et ideo illi prælati fauendo Papæ hæretico peccarent grauissime. Quia peccatum aliorū aliquo modo attenuaret timor periculi temporalis. Cum vero dicis, quod ad prælatos temporales & magis magistros, quam reges & principes &c. Respondetur, quod ad omnes spectat obuiare Papæ hæretico. Quia sicut notat Gloss. *extr. de hæret. vrgentis; quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam & publicum crimen committi c. erunt & Manichæos.* Sic etiam, vt habetur *dist. 1.* ius publicum est in sacris & in sacerdotibus & magistratibus. Vbi dicit Gloss. *qui lædit sacerdotes vel res sacras, ab omnibus tanquam pro publico crimine potest accusari.* Multomagis ius publicum in fide Christiana consistit, & multo fortius qui lædit & impingit in fidem catholicam, tanquam pro publico crimine, potest ab omnibus accusari. Quare omnes tenentur Papæ hæretico tanquam publicum crimen committenti resistere. Ad reges igitur & principes spectat Papæ hæretico obuiare. Et hoc etiam spectat ad prælatos, qui etiam inter principes nullatenus numerantur: sed quodammodo aliter: quia ad reges & principes spectat contra Papam hæreticum exercere potentiam temporalem: nisi essent aliqui, qui vellent sponte ex instinctu diuino subire martyrium, quemadmodum legio Thebeorum ad martyrium sponte se obtulit, licet si voluisset armis materialibus restitisset. Ad prælatos autem, qui non sunt principes, spectat scripturarum sermonibus & sanctis exhortationibus secularis auxilii brachium inuocando Papæ hæretico obuiare. Porro quia reges & principes essent extra timorem periculi, quamuis Papam hæreticum impugnarent. Multi autem prælati absque periculo temporali Papam hæreticum impugnare non possunt. Ideo reges & principes Papæ hæretico fauendo grauius peccarent, quam prælati in periculo constituti. Et etiam religiosi ac priores & doctores, qui essent extra periculum: quamuis Papam hæreticum non impugnarent, Papæ hæretico fauendo grauius peccarent quam reges & principes: pro eo quod maiorem notitiam habent veritatis: & se ad opera spiritualia (inter quæ impugnatio Papæ hæretici non obtinet infimum locum.) se artius obligauerunt.

Discip. Nunquid sufficit regibus & principibus defendere impugnantes Papam hæreticum? *Magist.* Respondetur quod non: quia si non potenter, cum poterint, impugnauerint Papam hæreticum: sed solummodo defenderint impugnantes, non erunt calidi neq; frigidi, sed tepidi. Et ideo incipiet eos Deus euomere de ore suo. Et consimiliter esset iudicandū de regibus & principibus, si alios sequaces, viles & pauperes Papæ hæretici acriter inuaderent: & ipsum Papam hæreticum satagerent excusare. Tales enim nequaquam aduerterent illud Deut. 1. *Paruum audietis vt magnum: nec accipietis cuiuslibet personam.* Quia Dei iudicium est cor nō accendere. Et quamuis in omnibus iudicibus potestatem habentibus sit damnabile, tamen in regibus & principibus multo damnabilius &

ignominiosius esse dinoscitur. Acceptio n. ꝑsonæ Papę hæretici in regibus & principibꝰ, qui eius potentiã tẽporalẽ nullatenus ꝑtimescũt, vel cõtẽptui fidei Christianæ, aut stolidæ fatuitati, aut nimio defectui zeli ad fidẽ Christianã, aut auaritiæ effrenatæ, vel pusillanimitati, aut stolidæ vanitati, vel alicui alio vitio, ꝙ dignitati regiæ & etiã principũ est ꝓbrosum, debet ascribi. *Disc.* Dic qui inferiores regibꝰ & principibꝰ grauiꝰ peccant fauendo Papę hæretico: vtrũ videl. ꝓlati vel doctores, clerici seculares vel religiosi? *Mag.* Resp. ꝙ quoad aliq d ꝓlati grauiꝰ peccãt q̃ doctores, quia n. ꝓlati curã simpliciũ susceperũt, & eos nõ diligẽter informauerũt cõtra errores Papæ: q̃tũ ad hoc, grauiꝰ peccãt q̃ magistri, qui curã illorũ minime gerũt. Illi autẽ qui sunt ꝓlati & doctores grauissime peccant. Ratione a. sciẽtiæ maioris qua ꝑpollẽt doctores vltra ꝓlatos simplicis literaturæ grauiꝰ peccãt doctores q̃ ꝓlati huiusmodi. Religiosi a. cæteris parib. grauiꝰ peccãt fauendo Papæ hæretico, q̃ clerici seculares, inter quos illi peccarẽt grauissime, quorũ statũ vel aliquid cõtingẽs statũ eorũ Papa hæreticus erronee cõdẽnaret. *Disc.* Qui peccãt grauius, fautores Papæ hæretici, vel credẽtes erroribus Papæ hæretici? *Mag.* Resp. ꝙ si sint fautores aliqui Papæ hæretici, qui nõ sunt credẽtes eiꝰ erroribꝰ: credẽtes (eo ꝙ sunt hæretici) grauiꝰ peccãt, q̃ fautores qui nõ sunt credẽtes. Aliter dicitur, ꝙ quia fautores peccant sciẽter: & illi q sunt credentes ignorãter peccãt; fautores grauiꝰ peccãt q̃ credẽtes. *Disc.* Qui peccãt grauius, fautores vel defensores Papæ hæretici? *Mag.* Resp. quia omnis defensor hæreticorũ est fautor eorũ nõ ecõuerso. Ideo qui sunt Papæ hæretici defensores, grauius peccãt, q̃ qui sunt tantũmõ fautores. *Disc.* Qui peccãt grauiꝰ inter defensores Papæ hæretici? *Mag.* Resp. ꝙ inter scienter defensores Papæ hæretici, grauiꝰ peccãt reges & principes ac potẽtes, qui potẽtiã Papæ hæretici nõ formidãt. Inter defensores aũt ignorãter Papæ hæretici qui laborãt ignorãtia crassa & supina, dãnabilior est in ꝓlatis (& grauius peccãt) & in doctoribꝰ & religiosis, q̃ in regib. & principibus, qui rebꝰ secularibꝰ ex officio sunt intẽti. *Disc.* Dic de receptorib. Papæ hæretici, q grauiꝰ peccãt. *Mag.* Resp. ꝙ q̃to receptores Papæ hæretici muniũtur maiori potẽtia tẽporali, & minus timent potentiã temporalẽ Papæ hæretici, tanto grauius peccant. Et ideo grauius peccaret rex potẽs, recipiẽdo Papã hæreticũ, q̃ Dux vel Baro, aut Castrũ vel Ciuitas, nisi ex aliqua causa rex plus haberet timere potentiã temporalẽ Papæ hæretici, quã alius minoris potentiæ temporalis. Et ex istis concluditur, ꝙ cęteris paribꝰ inter omnes reges & principes ille, qui maioris esset potentiæ, & quẽ plus timeret Papa hæreticus contra Deũ & Christianitatẽ delinqueret, si Papam hæreticũ minime impugnaret.

CAP. LXX. *In quo quæritur, quare periculum immineret fidei catholicæ, si aliquando contingeret Papam fore hæreticum.*

DISC. De Papa hæretico, aut credentibus, fautoribus, defensoribus, receptoribus Papæ hæretici, vt modo mihi videtur, nonnulla discussimus: nunc autẽ rogo, vt de grauitate periculi tempore Papæ hæretici, si vnq̃ aliquis Papa à fide deuiabit catholica, perscruteris, an scil. tempore Papæ hæretici graue imminebit periculum Christianis? *Mag.* Interrogatio tua, vt eã proponis, aliquid supponit, & aliquid quærit. Supponit n. ꝙ aliquis erit Papa hæreticus. Quærit autẽ, quale tunc periculũ Christianis instabit. De isto vero, quod supponit, fuerunt opiniones: quibusdam dicentibus, ꝙ esset futurus Papa hæreticus. Aliis dicentibus, ꝙ temerariũ fuit & est dicere, ꝙ erit Papa hæreticus, & temerariũ est negare. Circa illud etiam, ꝙ interrogatio tua quærit, sunt diuersæ opiniones. Vna est, ꝙ si vnquã aliquis Papa fuerit hæreticus, non graue periculum fidelibus imminebit: quia cardinales, prælati & magistri statim sibi resistent. Aliqui etiã reges & principes, ac alii seculares potenter assistent. Et ideo statim perfidiam Papæ hæretici extirpabunt. Alia est opinio, quæ de futuris non reputat diuinandum. Tenentes enim opinionem illam dubitant, ꝙ si vnquam erit Papa hæreticus, grauissimo periculo catholici exponentur. Ita quod timent, ꝙ maius instabit periculũ Christianis, si aliquis Papa diu victurus est hæreticus, q̃ si tota Christianitas à Sarracenis vel aliis infidelibus caperetur. *Disc.* Miror, ꝙ aliqui de hoc valeant dubitare: quia si Sarraceni omnes regiones Christianorũ per potentiã subiugarent, omnes Christianos extinguerent vel subderent seruituti. Papa a. hæreticus hoc minime attẽtaret. Et ita istorũ opinio ratione carere videtur: de te tamen motiuũ eorũ audire desidero. *Mag.* Si affectas scire motiuũ eorũ, primo opinionẽ eorũ intelligas. *Disc.* Puto ꝙ intelligo. *Mag.* Nõ apparet, quia tu videris intelligere de periculo corporali specialiter: ipsi a. intelligũt de periculo spirituali: quãuis etiã secũdario intelligãt de periculo corporali: q͞a dubitãt ꝙ Papa hæreticus, nisi refrenetur timore catholicorũ, cogitabit omnes Christianos extinguere vel cogere aliã sectã suscipere. *Disc.* Narra motiuũ eorũ intelligẽdo de periculo spirituali. *Mag* Motiuũ eorum est tale. Quanto quis pluribus modis, quorum vnus non impedit alium, sed quilibet efficacior fit per quemlibet, nititur aliquẽ expugnare, tanto illũ citius expugnabit, vel dubitandum est si citius superabit. Sed si Papa esset hæreticus, pluribus modis quam Sarraceni (quibus tota Christianitas non posset corporaliter obuiare) conabitur populum Christianum expugnare, & spiritualiter iugulare. Modi autem impugnandi, quibus vteretur, essent æque efficaces vel efficaciores, quam modus impugnandi Sarracenorum. Vnusquisq; modus alium nequaquam impediet: sed quilibet quemlibet efficaciorem reddet. Ergo Papa, si esset hæreticus, citius quã Sarraceni, populũ Christianum superabit. Spiritualiter autem superari & in anima cruciari periculosius est & peius, q̃ morti succumbere corporaliter. Igitur grauius periculum imminebit vel imminere poterit populo Christiano, si Papa efficeretur hæreticus, q̃ si Sarraceni totam terram Christianorum suæ subderent ditioni. *Disc* Qui sunt illi modi, quibus Papa, si esset hæreticus, catholicos & Christianos populos impugnaret? *Mag* Respondetur, ꝙ catholicos & sibi resistentes forte non minus acerbe, q̃ Sarraceni, corporaliter procuraret inuadi: quia mandaret episcopis & inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vt eos vbicunq; possent satagerent captiuare, & nisi à suo proposito resilirent, eos traderent curiæ seculari: qui, vt Papæ hæretico complacerent, & ab eo aliquod beneficiũ obtinerent, tanquam beluæ crudelissimæ mandatum Papæ hæretici totis viribus conarentur effectui mancipare. Secundo, Papa si esset hæreticus, per scripturarum testimonia ad suum sensum retorta Christianos inuaderet, & multos traheret ad suam voluntatem: eo ꝙ intelligentiam scripturarum nequaquam habentes ad verum intellectum venire nescirent. Tertio, impugnaret Christianos per speciem veritatis & religionis, cui non adhærere videretur multis stultum & insanum. Quarto, impugnaret catholicos per ecclesiasticam auctoritatem, cui non obedire putaretur à nonnullis inobedientiæ crimen incurrere. *Disc.* Probabile mihi videtur, quod istis modis & aliis Papa, si esset hæreticus, niteretur Christianos suis erroribus subiugare, vt eos spiritualiter iugularet. Sed Christiani sibi nequaquam acquiescerent: imo nec etiam tolerarent: sed statim de eo facerent iustitiæ complementũ. Quare cum ipse esset vnus, cui omnes resisterent Christiani: Sarraceni autem quamplurimi: nullo modo tantũ posset imminere periculum, si Papa efficeretur hæreticus, sicut si Sarraceni sibi terram Christianorũ subiicerent. *Mag.* Resp. ꝙ si Christiani vellẽt Papæ hæretico obuiare, non incumberet eis tantum periculum spiritualiter, sicut si Sarraceni regiones Christianorũ sibi subiicerent: Sed dubitant isti, ꝙ multitudo Christianorũ Papæ hæretico nullatenus obuiaret: imo suis erroribus inhæreret, ipsiq; sponte faueret. *Disc.* Vnde posset accidere, ꝙ multitudo Christianorũ Papæ hæretico adhæreret? *Mag.* Dicunt, ꝙ ex multis causis forte acciderent, & aliqui adhærerent ex vna causa, alii ex alia. *Discip* Enumera aliquas causas, ex quibus posset accidere. *Magist.* Dicitur, quod vna causa, ex qua aliqui Papæ hæretico adhærerent, est falsa & erronea æstimatio, quam habent nonnulli de Papa. *Discip.* Quæ est illa falsa & erronea æstimatio? *Magist.* Respondetur, quod est multiplex. Quidam enim putant, ꝙ Papa peccare non potest: quemadmodum quidam imaginatur, ꝙ in *quodã loco antiqua* legi in fauorem

Sergii

Sergii Papæ tradiderunt. Vnde quidam (vt audiui) his temporibus publice dicunt, quod Papa est Deus in terris, non quidem sicut omnes sacerdotes dicuntur dii, qui tamen peccare possunt: sed sic, vt male facere nequaquam possit, & in terris omnia quæ vult possit. Quidam putant, quod Papa contra fidē errare non potest. Quidā putant, ꝙ licet Papa peccare & errare cōtra fidē possit, de omnibus tamen quę facit debemus supponere, quod sint bene facta: & de nullo ꝙ facit licet nobis iudicare, quod sit male factum. Quidam putant, quod licet valeamus reputare aliqua facta Papæ esse mala, & male facta: tamen nulli licet Christiano Papam arguere vel iudicare, reprehendere aut aliquam contra eum iudicialiter ferre sententiam. Et ex his quatuor æstimationibus falsis de Papa, & ex qualibet earum accideret, quod Papa effecto hæretico ei Christiani aliqui adhærebunt. *Discip.* Primæ duæ æstimationes falsæ mihi videntur. De quarta autem tractatum est prius. Ideo dic secundum illos, in quo tertia æstimatio à veritate recedit. *Magist.* Dicitur quod quantum ad omnia quæ non possunt bono animo fieri, est contraria veritati. Quicquid enim Papa fecerit, quod non potest bono animo fieri, nec recta intentione, licet cuilibet hoc scienti iudicare de Papa, ꝙ male facit & inique, & quod peccat mortaliter. Vnde si viderem Papam fornicantem, simoniam committentem, vel mentientem in doctrina religionis, aut in proximi nocumentum, vel innocentem aliquem diffamantem, vel aliquid contra Deum præcipientem, aut aliquid huiusmodi, liceret mihi & deberem iudicare non quidem iudicialiter, sed certa credulitate, Papam peccare mortaliter. *Discip.* Secundum istam sententiam ita possem licite iudicare de Papa, quod male facit, sicut de quocunque alio Christianorum. *Magist.* Respondetur quod non: quia multa licent Papæ, quæ aliis illicita dignoscuntur. Et ideo de talibus si faciat ea Papa, non licet iudicare, quod Papa malefaciat ea: de aliis hoc non licet. Patet hoc, quia sunt aliqua, quæ sunt illicita Papæ, quæ tamen aliis licent, & de talibus licet iudicare, quod Papa peccat: sed de aliis hoc minime licet. *Discip.* Videtur autem, quod isti parum reputant de persona Papæ: licet forte de officio Papæ multum æstiment. *Magist.* Isti reputant Papam hominem mortalem, peccabilem, innumeris periculis spiritualibus subiectum. Multos autem summos pontifices, qui fuerunt, reputant fuisse viros sceleratissimos, omni confusione dignos: & quia licet hoc asserere & sentire: & ita de quolibet summo pontifice licet hoc sentire in speciali, quandocunque facit aliquid, & constat eum facere, quod bono animo nequaquam facere potest. Vnde assertionem, quā dicitur, quod debemus reputare bene factum quicquid fecerit, hæresim perniciosissimam & periculosissimam arbitrantur.

Discip. Sunt ne aliquæ aliæ æstimationes falsæ & erroneæ, quæ facerent multos Papæ hæretico adhærere? *Magist.* Respondetur quod sic. Putant enim quidam, quod coertio Papæ hæretici spectat solummodo ad concilium generale. Quidam autem putant, quod coertio Papæ hæretici spectat solummodo ad clericos, & nullo modo ad laicos: nisi fuerint per prælatos ecclesiæ requisiti. Quidam vero putant, quod coertio & similiter vitatio hæretici Papæ solummodo spectat ad cardinales. Quidam putant, ꝙ solummodo spectat ad maiores prælatos ecclesiæ: puta ad patriarchas & episcopos. Quidam putant, quod simplices & laici de spiritualibus nihil facere debent, nisi quod fuerit eis per episcopos suos iniunctum. Et ideo de Papa hæretico se intromittere non debent, nisi quod eis præceperunt episcopi eorundem. Quidam dicunt, quod quamdiu Papa hæreticus toleratur à multitudine Christianorum, nullus debet eum aliqualiter impugnare. Quidam putant, quod multitudo est in omnibus sequenda. Et ideo ille pro Papa est habendus, quem multitudo Christianorum habet pro Papa. Ex his omnibus æstimationibus, & qualibet illarum, aliisque quam plurimis ęstimationibus falsis & erroneis accideret: quod si Papa fieret hæreticus, quam plures ei firmiter adhærerent.

Discip. Dixisti vnicam causam diuisam in plures, ex qua accideret, quod si Papa efficeretur hæreticus: & quod Christiani plures adhærerent eidem. Ideo nunc dic alias causas, ex quibus hoc accideret. *Magist.* Alia causa siue occasio secundum istos, quare multi Christiani Papæ hæretico adhærerent, est timor mundanus siue humanus, iunctus diffidentię, qua vnus Christianus diffideret de alio. Et ista causa oritur ex defectu zeli ad catholicam fidem. Quia enim multi propter catholicam fidem nollent aliquod detrimentum corporis vel rerum incurrere, vel saltem non magnum. Et ideo nescientes, an alii Christiani nollent eis assistere contra Papam hæreticum, ab impugnatione Papæ hæretici omnino desisterent, & eidem cum aliis adhærerent, saltem quousq; aliquis potens inciperet Papam hæreticum impugnare. Putant enim tenentes opinionem prædictam, quod si Papa esset hæreticus: & aliquis rex potens eum inuaderet cum toto posse: multi, qui prius Papæ hæretico adhæserunt, eum fortissime impugnarent. Et hæc est vna causa secundum istos, quare reges & principes & alii potestates, qui temporalem potentiam Papæ hæretici non timerent, grauius peccarent, quam alii, si Papæ hæretico fauerent. Quia eorum negligentia esset quam pluribus occasio Papæ hæretici adhærendi. Alia causa siue occasio, quare multi adhærerent Papæ hæretico, est cupiditas & ambitio. Cupiditas enim obtinendi diuitias & pecunias, ac beneficia ecclesiastica & honores à Papa hæretico, multos faceret eidem consentire.

Cap. LXXI.

In quo inquiritur, qui sint reputandi idonei ad impugnationem Papæ hæretici, & prærogatiuam vnam quam debent tales habere declarat.

D*Iscipulus*. De impugnatione Papæ hæretici sæpefecimus mentionem, de quibus vnum obsecro vt pertractes, qui videlicet ad impugnandum Papam hæreticum sunt idonei reputandi. *Magist.* Ad hoc respondetur, quod omnes catholici discretionem habentes ad impugnandum Papam hæreticum, vno modo vel alio debent idonei reputari. *Discipul.* Ista responsio est tam generalis, quod ad mentem meam nequaquam vadit. Scio enim, quod cum Papa hæreticus sit omnium fidelium inimicus, omnes fideles rationes vtentes ad impugnandum ipsum aliquomodo idonei sunt censendi: oportet tamen quod inter ipsos sint quidam, qui sint quasi duces, directores & capita aliorum de quibus interrogationem, quam proposui, intellexi. *Magist.* Respondetur quod virtutibus excellentes, in sacris literis eruditi, in arduis rebus experti, & potentia præditi temporali, vt sint duces & capita impugnantium Papam hęreticum, sunt censendi idonei. Contingit enim dupliciter Papam hæreticum impugnare, scil. corporaliter contra ipsum, si oportuerit, materialia arma mouendo: & spiritualiter tam ipsum quam errores eius auctoritatibus & rationibus conuincendo. Primo modo potentia præditi temporali debent idonei reputari ad Papam hæreticum impugnandum. Secundo modo in sacris literis eruditi sunt idonei, vt sint quasi duces & principales impugnatores Papæ hæretica prauitate maculati. Virtutum autem eminentia & rerum experientia opportunæ videntur vtrisque, vt sicut oportet & quando oportet Papam hæreticum & complices eius impugnet. *Discip.* Adhuc ista responsio est magis generalis, quam vellem. Vnde precor vt secundum aliquam sententiam aliquas prærogatiuas speciales assignes, quibus oportet principales impugnatores Papæ hæretici præeminere ad hoc, quod idonei censeantur. *Magist.* Speciales prærogatiuæ tales sunt innumeræ. *Discip.* Aliquas paucas tange. *Magist.* Dicunt quidam, quod ad hoc, quod quis impugnator Papæ hæretici idoneus censeatur, requiritur quod sit firmiter stabilitus in veritatibus contrariis Papæ hæretici erroribus, vt scilicet nulla ratione ab illis veritatibus possit auelli. Vnde quantum ad veritates illas assertiones suas neq; correctioni Papæ, neq; correctioni concilii generalis, nec correctioni angelorum de cœlo debet submittere: sed quemadmodum beatus Paulus scripsit Gal. 1. dicens: *Sed licet nos aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Ita quilibet impugnator idoneus Papæ hæretici, dicat in corde suo & proferat ore, cum fuerit opportunum: licet ego, aut Papa, aut concilium generale, aut tota congregatio Christianorum, aut tota multitudo angelorum de cœlo, errores Papæ hæretici annunciare asserere vel affirmare præsumpserit, anathema sit. Ideo autem non debet impugnator idoneus Papæ hæretici assertiones suas, quantum ad veritates contrarias erroribus Papæ hęretici alicuius correctioni submittere: quia illas veritates non tanquam ab homine, sed tanquam à Deo, qui correctione non eget, traditas suscepit, amplectitur & veneratur. Et ex isto (vt dicunt) eliditur error quorundam dicentium, quod aliquis Christianus fidem suam debet supponere correctioni beatissimi Papæ. Quod probant per exemplum de beato Hieronymo, qui fidem suam didicerat in ecclesia, in qua nutritus fuit, correctioni & iudicio beatissimi Papæ. Sed hoc dicunt isti esse erroneum, imo hæreticum manifeste. Quod exemplis & ratione probare conantur. Primo quidem exemplo beati Pauli, qui, vt legitur ad Gal. 2. cum reprehenderet Papam, scil. beatum Petrum, assertionem suam correctioni Papæ nequaquam submisit: imo voluit, quod Papa se suæ correctioni submitteret. Ideo enim repræhendit eum, vt de excessu commisso in præiudicium euangelicæ veritatis corrigeret. Secundo probant hoc exemplo clericorum Romanorum, qui se à communione Anastasii Papæ secundi abegerunt. De quibus constat, quod assertionem suam correctioni Papæ nullatenus submiserunt.

Disc. Forte diceretur istis, quod clerici illi assertionē suam nō submiserunt correctioni Papæ hæretici, qualis fuit Anastasius secundus: sed submiserūt correctioni futuri summi pontificis catholici. *Mag.* Hoc sufficit, quod Anastasium secundum reputauerunt hæreticum propterhoc, quod assertioni eorum, quam acceperant à sanctis patribus, contradixit. Et propter eandē rationem quicunq; futurus Papa postea contradixisset, eundem hæreticū reputassent. Quare nullius hominis correctioni volebant assertionē suam submittere. Et ideo dicunt isti, quod Christianus assertionē catholicā Papæ correctioni non debet submittere. Quod etiam ratione probare nituntur. Nam veritatem infallibilem & immutabilem non debet quis illius correctioni submittere, qui falli potest & errare. Ergo tales veritates nullus debet correctioni Papæ submittere, vnde minimam veritatem contentam in scriptura diuina non debet quicunque submittere correctioni Papæ: quia sicut certa discussione non indigent, ita & correctione non indigent. Quare etiam cum omnia asserta in scripturis diuinis sint certa, nulla correctione egent. Quare nullius correctioni debent subiici. Cum vero dicitur, quod beatus Hieron. fidem suam, quam didicerat in ecclesia, supposuit correctioni Papæ beatissimi. Respondetur, quod hoc simpliciter est falsum: quod tamen ex verbis Hieron. male intellectis elicitur. Vnde vt mentē beati Hieron. cunctis aperiā, ponantur verba eiusdem. Qui, vt habetur, 24. q. 1. c. *hæc est fides*, ait: *hæc est fides, Papa beatissime, quam in catholica ecclesia didicimus, quamq; semper tenuimus, in qua si minus perite aut parum caute forte aliquid positum est, emēdari cupimus à te, qui Petri sedē tenes & fidem.*

fidem. Si autem hæc confeßio nostra Apostolatus tui iudicio comprobetur, quicunque me culpare voluerit, se imperitum aut maleuolum vel etiam non catholicum, sed hæreticum comprobabit. Ex quibus verbis concludunt quidam, quod beatus Hieron. fidem suam, quam in ecclesia didicerat, supposuit correctioni beatissimi Papæ. Sed dicunt alii, quod ista verba beati Hieronymi minus bene intelligunt. Non enim intendit Hieronymus fidem suam, quam didicerat in ecclesia, correctioni beatissimi Papæ supponere: quia si Papa illi fidei contradixisset, beatus Hieronymus hæreticum ipsum reputasset. Didicit enim Hieron. in ecclesia, quod Christus fuit verus Deus & verus homo: cui si Papa obuiasset, pro hæretico pessimo Hieron. eum habuisset. *Discip.* Quid ergo supposuit beatus Hieronymus correctioni Papæ? *Magist.* Respondetur, quod beatus Hieron. absolute nihil supposuit correctioni Papæ, sed conditionaliter tantum: quod verba eius aperte declarant, cum dicit: *in qua si minus perite, aut parum caute forte aliquid positum est, emendari cupimus à te &c.* quæ verba (sicut patet) sunt conditionalia. *Discip.* Saltem ex forma verborum apparet, quod Hieron. fidem suam, quam didicerat in ecclesia, conditionaliter supposuit correctioni Papæ. Quia primo dicit: *Hæc est fides, Papa beatissime, quam in catholica ecclesia didicimus.* Et post adiungit: *in qua si minus* &c. *Magist.* Respondetur, quod quamuis absque periculo Hieron. potuerit conditionabiliter fidem suam supponere correctioni Papæ: quia conditionalis nihil ponit. Vnde & hæc conditionalis vera est: si in euangelio aliquid falsum asseritur, corrigendum est: tamen beatus Hieron. in verbis præmissis non intendebat fidem suam supponere correctioni Papæ: sed expositionem suam circa fidem intendebat conditionaliter supponere correctioni Papæ, vt iste sit sensus verborum suorum: id est circa quam scilicet fidem exponendam & explanandam, si minus perite aut parum caute forte aliquid est positum, emendari cupimus à te &c. Quemadmodum si quis Postillator euangelii diceret: hoc est euangelium: in quo si aliquid minus bene dixi, paratus sum corrigere.

CAP. LXXII.

In quo enumerantur aliæ prærogatiuæ, in quibus debent præeminere tales impugnatores idonei.

Discipulus. Si te prædicto modo circa alias prærogatiuas, quibus præeminere debet impugnator idoneus Papæ hæretici dilatares; multis lectoribus operis huius fastidium generares. Ideo alias succincte percurras. *Magist.* Aliæ prærogatiuæ impugnatorum Papæ hæretici assignantur. Quarum aliquæ sunt communes impugnantibus corporaliter & spiritualiter Papam hæreticum: aliquæ vero sunt propriæ impugnantibus spiritualiter Papam hæreticum. Vnde oportet eos, qui corporaliter vel spiritualiter Papam hæreticum magnam sequelam habentem satagunt impugnare, tanquam directores & capita aliarum nouarum viarum existere inuentores. Quia sicut (teste beato August. ad Bonifacium) vt legitur *dist. 50. cap. vt constitueretur*, infirmitates nouæ & extraneæ emergentes cogunt multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum: ita casus noui & extranei emergentes cogunt industrias ad occurrendum vias nouas & extraneas inuenire. Cum ergo sit valde extraneum atque rarum, quod Papa sit prauitate infectus hæretica: ad Papam viriliter impugnandum oportet vias extraneas cogitare, præsertim si potentum fuerit fauore munitus. Quicunque vero contra Papam hæreticum voluerit solummodo vti rationibus, erit forsitan similis medico imperito, qui vult vno colyrio oculos curare. Non sufficit autem impugnatori idoneo Papæ hæretici contra ipsum vias extraneas inuenire, nisi cum fuerit expediens ipsas curauerit effectui mancipare, vt videlicet non timeat aggredi nouitates. Quamuis enim nouitates inutiles, perniciosæ & periculosæ sint omnino vitandæ: nouitates tamen perutiles & necessariæ & salubres sunt carius amplectendæ. Non est aptus ad quæcunq; ardua peragenda, qui omnes horret nouitates. Si Alexander Macedo aggredi nouitates timuisset, maiorem partem mundi sibi nullatenus subdidisset. Si ciuitas Romana nouitates minime accepisset, nunquam pacem in vniuerso orbe fecisset. Quid loquar de sanctis hominibus & Apostolis? si nouitates inducere formidassent, ad nouam legem gentes nullatenus conuertissent. Non sunt ergo nouitates penitus respuendæ: sed sicut vetusta, cum apparuerint onerosa, sunt omnimode abolenda: ita nouitates cum vtiles, fructuosæ, necessariæ, expedientes secundum rectum iudicium videbuntur, sunt animosius amplectendæ. Non autem sufficit impugnatori idoneo Papæ hæretici nouitates, cum opportunum fuerit, attentare, nisi etiam cum expediens fuerit periculis & laboribus & etiam morti si oportuerit se exponat. Qui enim omnia pericula expauescit, similis est illi, de quo dicitur Eccles. 2. *Qui obseruat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet.* Rursus, si habet diuitias, debet esse paratus expensas effundere: quia nulla eleemosyna corporalis extra articulum necessitatis extremæ est ita necessaria. Neque enim monasteriorum constructio, neq; pauperum quorumcunq; sustentatio, neq; ecclesiarum ædificatio, neq; miserabilium personarum defensio, neq; captiuorum redemptio, neque pro terræ sanctæ recuperatione largitio, potest æquiparari expensis, quæ fiunt ad impugnandum Papam hæreticum & fidem catholicam defendendam & exaltandam: eo quod exaltatio & defensio fidei catholicæ est omnibus temporalibus præferenda. Amplius, impugnator idoneus Papæ hæretici perditionem rerum bonorum & famæ nullatenus expauescat. Hæc enim omnia sunt inter bona minima computanda. Nec propter ista est defensio fidei aliqua-

tenus omittenda. Quamuis enim vnusquisque, si conuenienter potest famam suam, quæ inter omnia bona temporalia videtur præeminere, ad ædificationem proximi & propter scandalum euitandum seruare teneatur: propter ipsam tamen seruandam non est defensio fidei derelinquenda. Quia absq; fama est salus: & sæpe fama est causa perditionis æternæ. Et ideo qui de perditione famæ nimium contristatur, vt aliquid spectans ad honorem Dei vel salutem suam vel proximorum omittat, non est dignus regno Dei. Talis enim cum Apostolo nequaquam propter proximum omnia velut stercora arbitratur, sed *gloria vexatur inani*, omnia opera sua faciens vt ab hominibus videatur. Iterum, impugnator idoneus Papæ hæretici omnem duplicitatem euitet, ne scilicet facto, verbo vel scripto patenter ostendat, quod ipsum habet pro vero summo pontifice. Quamuis enim nonnunquam licitis & vtilibus simulationibus vti expediens censeatur: tamen vti duplicitate, quæ falsitatem includit, semper est illicitum reputandum. Teste sapiente, qui Eccles. 2. ait: *Væ duplici corde & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Sit insuper in prosequendo negocio fidei contra Papam hæreticum calidus, non tepidus. Tepidus enim in hoc negocio, præsertim si est magnus & potens, non solummodo de ore Dei euometur, sed etiam pauperibus & simplicibus sibi adhærentibus erit causa & occasio confusionis & destructionis, non tantum modo temporalis, sed etiam forsitan spiritualis. Quia si non feruenter defendit eos, Papa hæreticus & complices sui tanquam beluæ crudelissimæ ipsos tam spiritualiter quam corporaliter satagerent trucidare. Oportet etiam impugnatores idoneos Papæ hæretici amore & concordia fortius adiuuari: ne se dissensionibus & contentionibus odiosis, & æmulationibus, & schismatibus disiungentes facilius desolentur. Quia teste Saluatore: *Omne regnum diuisum contra se desolabitur, & omnis ciuitas vel domus contra se diuisa non stabit.* Quare impugnatores Papæ hæretici quantumcunq; iustam causam habuerint, non sperent, quod per ipsos tam laudabilem finem accipiant si inter se discordes extiterint damnabiliter & diuisi. Tales enim non sunt de semine illorum per quos fides orthodoxa exaltabitur: sed per aliam occasionem Deus causam fidei feliciter terminabit. Impugnator igitur idoneus Papæ hæretici gloriam propriam minime quærat, quasi velit, quod per ipsam solummodo victoria habeatur, sed gaudeat per quemcunq; causa fidei licite adiuuatur: nec facta nec consilia minorum despiciat: quia sæpe paruulis reuelantur, quæ à sapientibus & prudentibus absconduntur. Sit consiliarius assidue inquisitiuus & interrogatiuus viarum & modorum, quibus est contra Papam hæreticum procedendum. Quia teste Salomone: *Erit salus, vbi erunt multa consilia.* Et quamuis minorum consilia sæpe minime sint spernenda: tamen à sapientibus est maxime in hoc casu consilium requirendum: ne aliquis de sapientia propria, tanquam sit sufficiens, quoquo modo confidat. Si enim mille carentes potentia temporali, quorum quilibet sapientia Salomonem excederet, Papam hæreticum regum & principum fauore fulcitum satagerent impugnare, aliorum consilio indigerent: nec tamen propter hoc pauciores & minus sapientes aliqualiter debent formidare contra Papam hæreticum bellum accipere. Quia quamuis nihil de contingentibus omittere debeant, in sua tamen sapientia vel virtute sperare non debent: sed in virtute Dei, quæ, si certauerit vsque ad mortem, expugnabit pro eis inimicos eorum. Quamobrem nullam multitudinem eorum adhærentium Papæ hæretico expauescant. Quia, sicut allegatum est supra, teste Iuda Machabeo, *non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis aut in paucis.* Et Exodi 23. vnicuique fideli in hæc verba mandatur: *non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies.* Cuius rationem assignat Psalmista dicens: *defecit sanctus, diminutæ sunt veritates à filiis hominum, vana locuti sunt vnusquisq; ad proximum suum.* Et alibi ait: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Rationem etiam eiusdem assignat Salomon Eccles. 1. dicens: *Stultorum infinitus est numerus.* Nec Esaias rationem eius tacuit, cum dicit: *Omne caput languidum & omne cor mœrens à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Imo etiam Saluator ipse rationem dicti prioris expressit, cum dicit Matth. 7. *Lata porta & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui intrant per eam. Quam augusta & arta via, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inueniunt eam.* Et alibi ait: *multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Ex quibus verbis aliisque innumeris nonnulli accipiunt argumenta ad probandum, quod propter quantamcunq; multitudinem adhærentium Papæ hæretico non debent pauere paucissimi contra Papam hæreticum patenter insurgere. Ante omnia tamen ab omni peccato mortali se seruare tenentur: quia, sicut non est speciosa laus in ore peccatorum, ita defensio vel impugnatio hæreticæ prauitatis pars cœlestium coram Deo est minime pretiosa, licet vtilis aliis esse possit. Oportet igitur impugnatorem idoneum Papæ hæretici, non solum peccata carnalia, sed etiam spiritualia declinare. Propter quod nonnulli putant, quod his diebus essent paucissimi impugnatores idonei Papæ hæretici: quia fere totum mundum, tam clericos quam laicos, tam religiosos quam seculares dubitant peccatis mortalibus spiritualibus, fornicatione & furto peioribus, enormiter irretitos, vt ambigant non minus modo, quam tempore Noe, verificari illud Gen. 6. *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate.*

CAP. LXXIII.

In quo enumerantur quaedam speciales praerogatiuae, tantummodo spiritualiter impugnantibus Papam haereticum competentes.

DIscipulus. De isto vltimo dicto vehementer admiror: cuius tamen motiua in tractatu *De gestis circa fidem altercantium orthodoxam* sollicite indagabo: nunc autem cum plures praerogatiuas tetigeris, quibus secundum quorundam sententiam oportet impugnatores idoneos Papae haeretici praeeminere, quae omnes communes impugnatoribus corporaliter & spiritualiter Papam haereticum mihi videntur: numera aliquas praerogatiuas speciales, quibus expedit praeeminere impugnatores Papae haeretici per testimonia scripturarum praecipue, si Papa haereticus errore coloratos & latentes conatus fuerit diffinitiue populis Christianis tradere. *Magist.* Dicitur quod huiusmodi impugnatores idoneos Papae haeretici oportet sanctarum habere intelligentiam scripturarum, vt scilicet non solum memoriam verborum retineant, sed intellectum capiant veritatis. Quia, teste Hier. vt legitur *1. q. 1. ca. Marcion: non in verbis scripturarum est Euangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Multi enim quamuis memoria vigeant, vt literas multas retineant, & prompte quae voluerint recitent & allegent, carent tamen iudicio & acumine rationis, ita vt ad verum intellectum aliquando per seipsos nesciant peruenire. Et de istis potest verificari illud Apostoli *2. Thim. 3. semper addiscentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Tales autem nō sunt idonei ad impugnandum errores occultos & latentes. Alii sunt vigentes rationis iudicio, quamuis in memoria deficere videantur; & illi, quamuis interdum cum magno labore & tarde, sunt idonei errores occultos & latentes ac coloratos Papae haeretici impugnare. Quamuis enim saepe sint imperiti sermone & eloquentia careant & ornatu verborum, non tamen scientia: quia illi sciunt ex paucis multa elicere. Et illi perspicue vident, quae veritati sunt contraria, quae consona, quae antecedentia, quae consequentia, quae impertinentia sunt censenda, qui etiam rationes sophisticas & auctoritates male intellectas non de facili seducuntur. Per quam autē scientiam rationis iudicium ad praedicta potissime adiuuetur, *libro 9. De optimo genere addiscendi* poteris inuenire. Qui autem memoria & iudicio praepollent, quod raro accidit, vt quidam aestimant, qui essent in sacris literis eruditi, essent maxime idonei impugnatores errorum Papae infecti prauitate haeretica. Oportet autem impugnatores idoneos Papae haeretici summe cauere, ne assertiones ipsius ambiguas contra mentem eius vel etiam praeter mentem ipsius ad peruersum nitantur trahere intellectum: & multo fortius assertiones eius veras in omni sensu peruertere minime debent. Si enim aliquod fecerint praedictorum, praesertim scienter, vel etiam ex ignorantia crassa & supina, non solum corām Domino peccare mortaliter iudicabuntur, sed etiam apud intelligentes maligni & inuidi aut iniusti apparebunt. Inprimis igitur mentem ipsius ex omnibus dictis eius, quando assertio non est ambigua, inuestigent. Si enim assertio eius non est ambigua, sed sensum habens tantum modo falsum, non est necesse ad alia dicta eius recurrere. Cum vero patuerit manifeste sensum eius esse erroneum, non cauillose, non per auctoritates male intellectas, non per assertiones dubias, de quibus est licitum disputare, non per rationes fantasticas non intelligibiles & intricatas, non per dicta illorum, quos licitum est negare: sed per scripturas autenticas bene & sane intellectas, aut per rationes apertas, euidentes, irrefragabiles, studeant reprobare & fundare solidissime contrariam veritatem. Haec autem omnia amore faciant veritatis & odio falsitatis, vt ira, rancore vel odio personae Papae haeretici nulla moueantur. *Disc.* Cum instarem, quod hoc opus inciperes, arbitrabar breuem tractatulum *De haereticis* nos facturos: qui praeter aestimationem meam in longum aliquantulum est protensus, quem si omnes difficultates nunc mihi de Papa haeretico eiusq; complicibus occurrentes tibi differendas exponerem, oporteret extendere in immensum. Sane cum opera prolixa pluribus dignoscantur ingrata modernis, sit hic primus sermo noster de haereticis consumptus. Nunc autem beneuolentiae tuae gratias ago, quod personam induens recitantis votis meis, nunc abbreuiando, nunc falsas sententias recitando, & pro eis fortiter allegando: nunc ad rationes probabiles respondendo: nunc argumentationes sophisticas soluendo: nunc veritates absq; probationibus referendo, & quantum ad omnia alia descendere studuisti. Istum autem modum vtilem reputaui: quia sic nec ad probandum, nec ad reprobandum aliquid praescriptorum amor & odium tuae personae quemcunq; mouebit: sed omnibus legentibus materia datur cogitandi. Puto enim, quod cum ista fuerint diuulgata, tum propter raritatem, tum propter vtilitatem viri literati & intelligentes (zelum veritatis & boni communis habentes, quae vera sunt rationibus manifestis & testimoniis scripturarum apertis) satagent confirmare: & quae falsa sunt, reprobare studebunt. Tum etiam (vt aestimo) cum mentem tuam coeperis aperire de praedictis opera facies manifesta & praeclara, plana veritate referta, ad omnium vtilitatem fidelium & Dei omnipotentis honorem. Cui gloria, laus & imperium in secula seculorum, Amen.

EXPLICIT LIBER SEPTIMVS PRIMAE PARTIS PRINCIPALIS DIALOGORUM.

SECVNDA PARS PRINCIPALIS DIALOGORVM EST DE DOGMATIBVS PAPÆ IOHANNIS 22. QVÆ DIVIDITVR IN DVOS TRACTATVS. IN PRIMO PONVNTVR ERRORES

res eiusdem, ac probantur rationibus suis propriis per eundem factis. In secundo vero rationes soluuntur, reprobantur atq; destruuntur rationibus & auctoritatibus sanctorum, probantes animas purgatas ante diem iudicii non videre facialiter Deum.

PROOEMIVM,

In quo ponitur prima ratio pro assertione, seu haresi prima Papa Iohannis 22. scilicet quod auima purgata non vident facialiter Deum ante diem iudicii, qua probatur ratione & auctoritatibus, ad quas respondetur & veritas opposita probatur.



VErba oris eius iniquitas & dolus: ait Psalmista, per spiritum præuidens Prophetice protestationem seu reuocationem verbalem fictã, siue retractationẽ friuolam, Ioannis, vicesimi secundi superstitiosam iniquitatem hæreticam, imo & dolum mortiferum, continentem. Et in eadem protestatione, retractione, seu reuocatione (vt in sequentibus apparebit) per rationes hæreticales hęresim manifestam probare conatur, & vulpinam malitiam ad simplices seducendos verbis ambiguis & dolosis nititur palliare. Sane vt hoc euidentius ostendatur, ipsam protestationem vel reuocationem (vt reportata à quibusdam extitit) ponemus per particulas, impugnationes proprias submittendo.

Reportationes igitur supradicta in hac verba incipiunt.

ANno Domini millesimo trecentesimo 33. legi die Lunæ tertio Ianuarii: *Dominus Iohannes, 22. tenuit consistorium publicum: in quo primo fecit legi allegationes & rationes aliquorum* (vt dixi) *qui tenent, quod anima sanctorum purgata non vident clare, & facialiter Deum. Quibus allegationibus & rationibus lectis, per clericos suos, sicut ipsemet ordinauit & voluit, in eodem consistorio ipsemet verbo & cum magno feruore probare est nisus, quod anima sanctorum purgata non vident facialiter Deum vsque post diem iudicii, rationes suas breuiter repetendo: qua fundantur in quinque viis, seu fundamentis.* Hæc sunt verba reportantium illa quæ audiuerunt & viderunt narrantium.

CAP. I.

In quo ponitur prima ratio Iohannis 22. probans heresim principalem.

SVa prima ratio fuit, quod *cum visione clara sanctorum non stat spes. Sed anima sanctorum sperant corporum resurrectionem vsque ad diem iudicii. Igitur vsque tunc non habent claram Dei visionem. Maior* (vt dicit) *patet per beatum Thomam prima secunda. Minor patet per sacram scripturam. Tunc quia Iob dicit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Tum quia in Apoc. anima sanctorum martyrum postulant, & murmurando implorant vindictam de sanguine proprio.* Hæc ratio præter hæresim principalem, aliam hæresim manifestam includit: quæ est, quod omnis sperans aliquod futurum, non videt clare diuinam essentiam. Quia per hoc, quod animæ sanctorum sperant corporum resurrectionem, probare conatur, quod non habent claram Dei visionem. Quę probatio nulla esset, nisi teneret, quod omnis sperans aliquod futurum non habet claram Dei visionem. Quod autem hoc sit hæreticum liquet aperte. Constat enim, quod Christus ante passionem suam gloriam impassibilitatis & immortalitatis sperauit. Si igitur, qui sperat aliquod futurum, non videt diuinam essentiam: sequitur quod Christus ante passionem, & resurrectionem, diuinam essentiam minime videat. Hæc ratio confirmatur. Quia ex persona Christi Psalmista: *In te Domine speraui, non confundar in aeternum*, dum scilicet insultabitur mihi habenti similitudinem corporis peccati. Igitur Christus aliquando sperauit: & tamen Christus ab instanti suæ conceptionis vidit diuinam essentiam. Igitur non omnis, qui sperat aliquid futurum, caret visione diuina. Hoc idem patet de angelis, qui hominum resurrectionem futuram sperant; qui tamen vident Deum, iuxta illud Matt. 8. *Angeli eorum semper vident faciem patris.* Igitur non omnes, qui sperant aliquid futurum &c. Hæresi igitur supradicta faciliter reprobata: respondendum est ad

est ad rationem sophisticam, quam in fulcimentum principalis erroris adducit. Ad cuius euidentiam est sciendum: quod quamuis visio facialis Diuinæ essentię, & actus sperandi visionem eandem, simul stare non possunt: visio tamen facialis, & actus sperandi aliquid aliud, quam illā visionē facialem, simul stant in eodem. Anima enim Christi (quia ab instanti suę cōceptionis vidit diuinam essentiam) visionem illam non sperauit: sed sperauit resurrectionem corporum, quæ futura est. Porro quia ille in dictis Thomæ se fundare videtur: ideo, vt pateat euidenter, quod ipse Thomam nequaquā intelligit, etiam propter illos, qui doctrinam Thomæ recipiunt, ostendendum est, quod prædictus Thomas asserit manifeste in *secunda secundæ q. 18. art. 2.* in solutione primæ rationis dicit in hæc verba: *Christus & si esset comprehensor, & per consequens beatus, quantum ad diuinam fruitionem: erat tamen similiter viator, quantum ad passibilitatem naturæ, quam adhuc gerebat. Et ideo gloriam impassibilitatis & immortalitatis sperare poterat.* Et infra in solutione tertiæ rationis: *non tamen ita quod haberet virtutem spei: sed magis ex virtute charitatis, sicut etiam qui charitatem habet Dei, eadem charitate diligit proximum.* Infra ait: *cum spes sit virtus Theologica, habens Deum pro obiecto: principale obiectum spei est gloria animæ, quæ in fruitione Diuina consistit, non autem gloria corporis.* Ex his patet aperte, quod iste doctor tenet, quod habens talem actum sperandi, non habet spem, quæ virtus Theologica est. Si autem spes accipiatur pro actu sperandi, quemadmodum fides quandoq; accipitur pro actu credendi: de qua Aug. dicit: *Fides secundum quam credimus quod non videmus*: quod notatur in Glo. *extra de summa Trinitate & fide catholica, firmiter.* Sic dicendum est, quod cum visione clara non stat actus sperandi respectu visionis diuinæ: sed cum visione clara stat actus sperandi quædam alia futura non habita. Cum tamen dicit, quod hoc patet per Thomam *prima secundæ.* Respondetur, quod Thomas ibidem intendit, quod cum clara visione non stat spes, quæ est virtus Theologica: cum ipsa tamen stat actus sperandi aliquid adhuc futurum, quemadmodū (prout adductum est) exemplificabat de Christo, in quo fuerunt simul visio clara & actus sperandi gloriam impassibilitatis & immortalitatis. Quod enim dicit, quod *animæ sanctorum sperant corporum resurrectionem vsq; ad diem iudicii*: hoc conceditur, quia sperant non per spem, quæ est virtus theologica, quæ primo est respectu gloriæ animæ: sed per actum sperandi, qui secundum quosdam à charitate Dei procedit, secundum quosdam à Deo & Diuina essentia, secundum quosdam ab habitu spei acquisito, quæ non est virtus Theologica, secundum quosdam à desiderio corporis reuniendi. Et istæ opiniones non sunt discutiendę ad præsens. Sed hic tenendum est, quod absq; habitu spei, quæ est virtus Theologica, sanctorum animæ per actus sperandi sperant corporum resurrectionem, non visionem diuinæ essentiæ. Quando minor probatur auctoritate Iob, *in nouissimo die* &c. dicendum est, quod per illa verba probatur, quod animæ sanctorum sperant corporum resurrectionem. Sed non probatur per eam, quod animæ sanctorum habent spem, quæ est virtus theologica: vel actum sperandi, qui non stat cum visione clara. Cum autem eandem minorem probare conatur per hoc, quod in Apoc. legitur, vt dicit, quod *animæ sanctorum postulant & murmurando implorant vindictam de sanguine*, dicendum, quod auctoritatem Apoc. non bene allegat. Quamuis enim in Apoc. dicitur, quod *clamant voce magna dicentes, vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Ex quibus verbis sequitur, quod desiderant, implorant & sperant vindictam de sanguine proprio. Et ideo habent actum sperandi & etiam visionem claram & perfectam: non tamen habetur in Apoc. quod animæ sanctorum murmurando implorent vindictam prædictam. Nomen enim *murmurandi* in scriptura Diuina vel semper vel frequentius in mala significatione accipitur, & aliquam speciem tristitiæ videtur annexam habere. Sanctorum autem animæ nullum actum eliciunt, nec aliquam tristitiam habent. Et ideo non est concedendum, quod murmurant de dilatione vindictæ. Videtur igitur in verbis prædictis, cum dicit, *murmurando implorant*, etiam nouam hæresim manifestam innuere: quod scilicet sancti in cœlo non sunt ab omni malo culpę & pœnæ penitus liberati.

CAP. II.

In quo ponitur secunda ratio pro errore capituli præcedentis, quæ tria hæretica assumit, & duo ambigua, quæ ordine suo perscrutantur, & errores confutantur.

SEquitur in reuocatione ficta & friuola, secunda ratio, quam fecit, quæ fuit talis. *Vltra visionem claram Diuinæ essentiæ animæ non possunt exaltari, quia vltra summum nihil altius est. Et certum est, quod illa visio clara est summa exaltatio animarum. Sed in die iudicii Deus sanctos & illorum animas exaltabit. Igitur vsque tunc non vident facialiter Deum: alias tunc non exaltarentur.* Minorem huius rationis probat: *quia vsque ad diem iudicii supplicamus & petimus, vt nos exaltet in salutem paratam. Quoniam animæ sanctorum, vt habetur in Apocalypsi, vsque ad diem iudicii erunt sub altari, & post diem iudicii super altare videbunt Deum facie ad faciem, vt exponit Beatus Bernhardus.* Probatur etiam auctoritate Beati Petri dicentis 1. Petr. 5. *Vt nos exaltet in salutem* &c. Hæc verba huius protestationis seu reuocationis intellecta, sicut ipse ea intelligit, plura hæreticalia & alia ambigua disputabilia continent manifeste. Primum hæreticale est, quod anima videns Diuinam essentiam ad maiorem gradum perfectionis exaltari non potest. Secundum hæreticale est, quod si anima alicuius videt Diuinam essentiam, totus

homo compositus ex anima illa vidente diuinam essentiam & carne exaltari non potest. Quod ista duo contineant verba prædicta, patet aperte, quia in eis asseritur manifeste, quod si animæ sanctorum nunc videant facialiter Deum, nec animæ sanctorum, nec ipsi sancti exaltarentur in die iudicii. Tertium hæreticale, quod animæ sanctorum vsq; ad finem iudicii non vident facialiter Deum. Primum ambiguum siue multiplex & disputabile est, quod vltra visionem claram diuinæ essentiæ non possunt exaltari. Secundum quod visio clara est summa exaltatio animarum. Quod autem primum, scilicet quod anima videns diuinam essentiam ad maiorem gradum perfectionis exaltari non potest, sit erroneum, probatur primo. Si anima Beati Pauli adepta est beatitudinem, & secundum veritatem & secundum istum adipiscetur maiorem & perfectionem gradum visionis diuinę, quam in raptu habuit. Igitur videns diuinam essentiam ad maiorem gradum perfectionis, scilicet visionis diuinę potuit exaltari. Minor est manifesta secundum omnes. Maior probatur primo auctoritate Aug. ad Orosium, qui ait: *Taliter raptus fuerat Paulus in tertium cœlum, ad intellectualem visionem in Deum: non per corpus, nec per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa veritas cerneret.* Ex his verbis habetur, quod anima Pauli in raptu vidit Deum. Secundo probatur idem auctoritate eiusdem Aug. li. 22. super Genesi ad literam, qui ait, quod *mente conspicitur ita secreta & remota, & omnino arrepta à sensibus carnis atq; mundata, vt illa quæ in cœlo sunt & ipsam substantiam verbumq; Domini, per quod facta sunt omnia in charitate Spiritus sancti ineffabiliter valent videre Deum & audire, non incongruenter arbitramur & illuc esse Apostolum raptum.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod Beatus Paulus raptus fuit ad visionem substantiæ Dei: & tamen anima Pauli post mortem eius ad clariorem visionem extitit exaltata. Quod etiam Paulus in raptu viderit diuinam essentiam habetur in Glo. 2. *Cor.* 12. qua dicit sic: *tertium* (supple cœlum) *spirituale, vbi angeli & sanctæ animæ fruuntur Dei contemplatione. Ad quod cum dicit se raptum sanctus Paulus, significat quod Deus ostendit ei vitam, in qua videndus est in æternum.* Et post: *scio hominem huiusmodi raptum, id est contra naturam eleuatum, vsq; ad tertium cœlum, id est cognitionem diuinitatis.* Et post: *tertium cœlum est intellectualis visio, quando nec corpora nec imagines eius videntur, sed in incorporeis substantiis intuitus mentis mira Dei potentia figitur. Ad hanc raptus est Apostolus, vt ipsum Deum in se, non in aliqua figura videret.* Et post: *hoc est tertium cœlum, scilicet visio, qua Deus videtur facie ad faciem. Et iste est Paradysus* (*si dici potest*) *etiam Paradysorum.* Et post: *ad tertium cœlum se raptum dicit, quasi diceret, non humano sensu vidi* (*& si in corpore anima existente videret*) *ne sit contra illud, quod Deus dicit Moysi: non videbit me homo & viuet. Tunc enim Apostolus non fuit homo, id est secundum vsum sensuum corporis: sed ablatus est ei omnis sensus hominis: quia necesse est abstrahi ab hac vita mentē, quando in illius ineffabilis visionis lucem assumitur.* Et post; *non sic incredibile est quibusdam sanctis nondum ita defunctis, vt sepelienda cadauera remanerent, etiam istam excellentiam reuelationis fuisse concessam. Sic igitur non credimus pro tanto Apostolo doctori gentium rapto vsq; ad istam excellentissimam visionem. Voluit enim Deus demonstrare vitam, in qua post hanc videndus est in æternum. Et cur non dicatur ista Paradysus regio, vbi anima, vbi ipse Deus est, vbi scilicet ipsam Dei substantiam verbum Dei & Spiritum sanctum ineffabiliter videt?* Post. *Hoc est tertium cœlum, ad quod se raptum dicit Apostolus, vbi illi* (scilicet angeli) *Deum vident. Et post tertium cognitio etiam diuinitatis, ad quam raptus est Apostolus.* Et post: *raptus est in Paradysum: id est in eam tranquillitatem, qua fruuntur illi, qui sunt in cœlis Hierusalem: & sic videre potuit, quod nunquam corporeis sensibus impeditus videre posset.* Et post: *audiuit arcana verba, id est percepit intimationem de secreta Dei scientia.* Ex his tria colliguntur aperte. Primum est, quod Beatus Paulus vidit diuinam essentiam in raptu, & in hoc verbis prædictis pluries sententialiter & verbabiliter replicatur, secundum quod sanctæ animæ nunc vident Deum, cum dicatur, *tertium cœlum esse spirituale, vbi angeli & etiam animæ sanctæ, vbi scilicet ipsum Dei verbum ac Spiritum sanctum ineffabiliter vident.* Ex quibus sequitur secundum quod anima videns Deum potest exaltari ad clariorem visionem. Quia anima Beati Pauli nunc clarius videt Deum, & videbit post iudicium, quam vidit in raptu, & animæ sanctæ clarius videbunt eum post iudicium quā modo videant. Tertium quod sequitur ex prædictis est, quod inuentor hæresum prædictarum frustra & inaniter iactat se studuisse originalia sanctorum, ex quo in communissimis Glossis ex originalibus sanctorum acceptis ista tam patenter expressa non vidit. Secundo sic: quando aliqua forma eadem secundum speciem participatur ab vno, & ab alio minus perfecte, non est dicendum quin Deus de potentia absoluta possit aliquem participantem talem formam minus perfecte ad eundem gradum eiusdem formæ si sibi complacuerit exaltare. Talis enim forma potest augeri. Igitur non est impossibile eam de minori gradu ad maiorem transire. Sed visio Diuinæ essentiæ ab vno participatur perfectius, & ab alio minus perfecte. Vnus enim clarius videt diuinam essentiam, quam alius. Sicut enim distat stella à stella secundum Apostolum 1. *ad Cor.* 15. sic vna anima clarius videt quam alia. Quod manifeste asserit August. in *libro de correctione*, & recitatur *de pœnitentia, dist. 4. cap. in domo*, qui ait sic: *Parat nos sibi & se nobis, vt maneat in nobis & nos in eo, quantum quisque erit particeps eius plus vel minus, pro diuersitate meritorum. Et hæc est multitudo mansionum.* Igitur non est dicendum, quod Deus non possit animam videntem Deum ad clariorem gradum visionis, si voluerit, exaltare.

Secundum hæreticale, quod continet verba prædicta, est, *quod si anima alicuius videt Diuinam essentiam, totus homo compositus ex anima illa vidente essentiam Diuinam & corpore exaltari non potest.* Hoc enim verbo Apostoli *ad Philippens. c. 2.* apertissime obuiat & repugnat. Dicit enim Apostolus, loquens de Christo: *humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod Christus post mortem, quando corpus gloriosum assumpsit, à Deo extitit exaltatus: & tamen ante mortem & tempore mortis anima

anima Christi vidit diuin. essentiã. Igitur homo cõpositus ex corpore & anima poterit exaltari, licet anima eius viderit diuinã essentiam. Hęreticalis etiam assertio supradicta verbis Beati Petri repugnat. Loquens enim Beatus Petrus, vt habetur Act. 2. de Christo post passionem suam ait: *Hunc Iesum resuscitauit Deus, cuius nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promißione Spiritus sancti accepta à patre, effudit* &c. Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod Christus in resurrectione sua fuit exaltatus, licet antea viderit Diuinam essentiam. Igitur consimiliter licet animæ sanctorum videant ante diem iudicii Diuinam essentiam, tamen cum corpora gloriosa in resurrectione sument, poterunt sancti ex corpore & anima constituti per Diuinam potentiam exaltari. Et ita assertio supradicta sapit hæresim manifestam. Amplius assertio memorata sancto Euangelio contradicit. Glorificatio enim poterit exaltatio nuncupari. Sed Christus postquam anima sua vidit Diuinam essentiam, fuit glorificatus. Quod Beatus Iohan. Euangelista 7. cap. aperte insinuat dicens: *In nouißimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus & clamabat: Si quis sitit veniat ad me & bibat, qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat spiritus datus: quia ille nondum erat glorificatus.* Ex quibus verbis innuitur, quod ille post prædicationem suam & passionem; & per consequens postquam anima eius vidit Diuinam essentiam, fuit glorificatus. Igitur etiam postea fuit exaltatus. Ex quo sequitur euidenter, quod anima alicuius poterit primo videre facialiter Deum, & ipse compositus ex corpore & anima poterit postea exaltari; & ita licet animæ sanctorum facialiter nunc videant Deum, tamen ipsi sancti in iudicio constituti ex anima & corpore poterunt exaltari.

Tertium hæreticale contentum in verbis prædictis est, *quod animæ sanctorum vsque ad diem iudicii non vident facialiter Deum.* Hoc autem in diuersis operibus est multipliciter improbatum. Ideo hoc pro nunc breuissime improbabo, & per vnicam auctoritatem Apostoli demonstrabo, quod animæ sanctorum in cœlo facialiter vident Deum. Ait enim 2. Corinth. 5. *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus & non per speciem.* Ex quibus verbis liquide constat, quod Apostolus probat, quod dum sumus in corpore, à Domino peregrinamur, per hoc quod ambulamus per fidem & non per speciem. Ex qua argumentatione Apostoli ista propositio patenter accipitur: quicunque ambulat per fidem & non per speciem, peregrinatur à Domino. Sed Apostolus desiderabat ante diem iudicii esse præsens apud Deum, & non peregrinari à Domino, ipso testante, qui post verba prædicta subiungit: *Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Deum.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod Apostolus desiderabat non peregrinari à Domino, sed esse præsens apud Deum ante diem iudicii: quia hoc desiderabat, dum esset peregrinus in corpore diu ante diem iudicii. Igitur desiderabat non peregrinari Deo, sed esse apud Deum ante diem iudicii. Sed, sicut acceptum est ab Apostolo: quicunque ambulat per speciem & non per fidem, non peregrinatur à Deo. Et per consequens, quilibet qui non peregrinatur à Deo, ambula per speciem & non per fidem. Igitur Apostolus desiderabat ambulare per speciem, & non per fidem ante diem iudicii. Quod minime desiderasset, si sciuisset animas sanctorum ante diem iudicii Diuinam essentiam non visuras.

Primum ambiguum siue multiplex & disputabile contentum in verbis prædictis est: quod vltra visionem claram Diuinæ essentiæ animæ non possunt exaltari. Hoc enim potest habere multiplicem intellectum. Vnus est, quod vltra claram visionem Diuinæ essentiæ animæ non possunt exaltari ad quemcunque gradum clarioris visionis, nec ad aliquam perfectionem vel gaudium vel honorem, quod vel quem nunc minime habent. Et iste sensus est erroneus: quia vltra claram visionem, quam nunc habent animæ sanctorum, exaltabuntur ad aliquod gaudium actuale, quod nunc minime habent. Tunc enim gaudebunt de completione ciuitatis cœlestis, & de vnione sua cum corporibus gloriosis. Et ideo tunc exaltabuntur ad aliquam perfectionem, quam modò non habent. Sic enim anima Christi post resurrectionem quodammodo extitit exaltata: quia tunc recepit gaudium de impassibilitate & immortalitate corporis Christi. Tunc enim ipsa anima Christi ab omni dolore & tristitia fuit penitus aliena: & ita exaltata ad statum, quem non habuit ante resurrectionem Christi, teste Christo, qui dixit, *anima mea tristis est vsque ad mortem.* Alius intellectus verborum prædictorum est iste: vltra claram visionem Diuinæ essentiæ non possunt animæ exaltari ad aliquam perfectionem distinctam specie à clara visione Dei maiorem & perfectiorem clara visione & fruitione Dei. Et ideo animæ post iudicium, licet exaltabuntur ad clariorem visionem, non tamen visione distincta specie à visione præcedente. Gaudium etiam, quod habebunt de completione ciuitatis cœlestis & assumptione corporum gloriosorum, non erit maius, neque perfectius visione clara & fruitione quam nunc habent. Et ita iste sensus in nihilo concludit intentum istius protestantis, seu reuocantis. Sed primus sensus, si esset verus, euidenter inferret intentum eius. Et ideo assertionem prædictam accipit in sensu primo, propter quod errat aperte.

Sed diceret aliquis, quod ille non accipit verba prædicta secundum intellectum primum. Quia tunc haberet concedere, quod tunc videns Diuinam essentiam nihil posset aliud recipere nec desiderare quod non diceret. Quia tunc anima Christi non potuisset desiderare resumptionem seu assumptionem corporis gloriosi. Ad hoc dicendum est: quod ipse concedit, inquiens quod infertur. Nam alibi dicit hæc verba: *visio facialis prædicta non compatitur secum desiderium alicuius alterius rei.*

Quæ

Quæ apertissime sunt hæreticalia reputanda: quia Euangelio contrariantur. Cum Christus, qui vidit diuinam essentiam, dicat Lucæ 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum*. Ex quibus verbis patenter infertur, quod visio facialis compatitur secum desiderium alicuius rei. Secundum ambiguum & disputabile contentum in verbis prædictis est, quod visio clara est summa exaltatio animarum. Hoc enim potest habere multiplicem intellectum. Quorum vnus est iste: inter omnes exaltationes animarum distinctas specie clara visio est summa. Et inter modernos de hoc sunt diuersæ opiniones: quibusdam dicentibus, quod visio clara Dei est summa perfectio animæ quia perfectior est fruitione diuina. Aliis dicentibus, quod ideo est summa, quia est fruitio diuina. Non enim ponunt quod visio Dei, fruitio aut dilectio patriæ, realiter distinguantur. Aliis asserentibus, quod clara visio Dei non est summa: sed fruitio aut dilectio patriæ est altior & perfectior visione. Et ideo negant visionem claram esse summam exaltationem animarum, dicentes quod fruitio, seu dilectio Dei est altior.

Alius intellectus verborum prædictorum est iste. Visio clara est sic summa exaltatio animarum, quod animæ videntes clare Deum ad nullam perfectionem specie distinctam maiorem illa quam habent potuerunt exaltari. Et iste sensus verus est, siue visio sit perfectior, siue fruitio. Quia nunquam habebunt animæ in se formaliter aliquam perfectionem distinctam specie à visione Dei perfectiorem visione & dilectione seu fruitione Dei. Tertius sensus est iste. Visio clara sic est summa exaltatio animarum, quod anima videns Deum nullo modo neque ad vlteriorem gradum visionis Diuinæ, neque ad quodcunque aliud perfectius, vel imperfectius visione Dei poterit exaltari. Et iste est sensus istius protestantis vel æquiuocantis. Quia aliter prędicta verba nullo modo possunt inferre conclusionem inten am. Sed iste sensus est erroneus, vt ex prædictis patet aperte. Nam ex his verbis sequitur euidenter, quod anima Christi non vidit Deum ante resurrectionem vel ante mortem Christi, quia potuit contristari. Postea autem ad statum omnis impassibilitatis extitit exaltata. Sensus enim prædictus Magistro *Sententiarum* aperte repugnat, qui *libro 2. dist. vndecim.* dicit, angelos videntes Deum in congregationem & beatitudinem proficere dicens, in hæc verba: *Illa vero quod alii superius dicunt, probabilius videtur, quod angeli vsque ad iudicium in scientia & in aliis possunt proficere.* Et ita anima videns Deum, potest ad aliud exltari. Nec est hoc negandum, cum omnis exaltatio sit de minori secundum speciem ad maius secundum speciem. Cum etiam sæpe in humanis exaltationibus videmus tales retentis maioribus dignitatibus ad minores compossibiles maioribus exaltari. Vnde & nonnunquam cardinalis ad officium summi pœnitentiarii postea exaltabitur, cardinalatu retento: sic animæ sanctæ videntes Deum retenta Dei visione, ad aliquid aliud minus visione diuina poterunt exaltari & etiam ad clariorem visionem Dei.

His visis ad rationem istius est facile respondere. Cum enim primo dicit, *vltra visionem claram Diuinæ essentiæ non possunt exaltari*. Patet ex prædictis, quod hoc in hoc sensu, quem habet iste de ipsa & ex quo sequitur conclusio quam intendi, est erronea: quia vltra visionem claram, non clarissimam Diuinæ essentiæ, est visio clarior, ad quam possunt animæ exaltari. Vnde vltra albedinem non intensissimam, est intensior: & vltra charitatem non perfectissimam, est charitas perfectior.

Cum secundo dicit (*vltra summum nihil est*) dicendum, quod hoc etiam potest habere multiplicem intellectum: quia aliquid dicitur summum multipliciter. Aliquid enim est simpliciter summum, & eo nihil est altius. Aliud autem dicitur summum secundum speciem, sicut inter omnes species coloris albedo potest esse summa, & inter omnia genera visionum visio intellectualis dicitur summa. Aliter potest aliquid summũ esse quadam aggregatione: quia scilicet omnia possibilia ad perfectionem alicuius spectantia comprehendit. Secundum quem modum beatitudo, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus, potest dici summa. Aliter dicitur aliquid summum in vna specie, per quem modum intensissima albedo potest dici summa. Et visio animæ Christi est summa inter omnes charitates charitas. Sic etiam inter reges vnus potest dici summus, & maximus. Accipiendo igitur summum primo modo, sic summo nihil est altius. Accipiendo summum secundo modo, sic summo nihil distinctum specie, est altius. Nam in genere virtutum nulla virtus distincta à charitate est altior charitate: vna tamen charitas est altior alia. Sic in genere cognitionum Dei nulla cognitio distincta à visione clara Dei, est altior visione clara Dei, vna tamen visio clara Diuinæ essentiæ est altior alia. Visio enim, qua videt Deum anima Christi, est clarior visione qua angelus videt Deum. Et ideo quamuis visio clara Dei sit summa inter cognitiones, quibus Deus cognoscitur: non est tamen inconueniens, quod animæ primò videant Deum minus clare, & postea exaltentur ad clariorem visionem. Sic summo nihil est inter illa, quæ possunt eidem rei competere altius, licet Deus sit altior tali summo. Accipiendo autem summum tertio modo, sic summo nihil est altius in tali specie. Vnde intensissima nigredine nullus color niger est altior ipsa, tamen est aliquis alius color altior. Sic enim patet, quod summum potest capi multipliciter. Et ideo ista: *summo nihil est altius*, habet varios sensus: quorum vnus est verus, & alius falsus. Cum vero accipit tertio, quod visio clara est summa exaltatio animarum, patet per prædicta, quod ista varios habet sensus falsos. Quia ista falsa est accipiendo summũ tertio modo. Accipiendo etiam summum quarto modo est falsa: quia visio clara, quã nunc habent animæ sanctæ, non est summa exaltatio animarũ, ꝓ eo ꝙ non est clarissima visio, quam habebunt. Habituræ enim sunt post iudiciũ clariorem. Accipiendo

piendo autem summum primo modo, sic non est ad propositum, accipiendo autem secundo modo, sic diuersæ sunt opiniones, sicut dictum est: quibusdam dicentibus, quod clara visio est perfectior dilectione seu fruitione Dei, & illi dicerent quod visio clara est summa exaltatio animarum sic accipiendo summum. Aliis dicentibus, quod dilectio seu fruitio est perfectior & altior visione, & illi dicerent, quod visio non est summa exaltatio animarum, sed fruitio.

Cum vero quarto dicit, quod *in die iudicii cum Deus sanctos & illorum animas exaltabit:* ista conceditur sub isto intellectu, quod animæ sanctorum tunc habebunt clariorem visionem Dei: & etiam gaudium de visione corporum gloriosorum, & de completione ciuitatis Hierusalem & aliis multis, & ista erit exaltatio animarum, sanctos vero, id est personas integras compositas ex corpore & anima, exaltabit, quod tunc dabit eis beatitudinem perfectam, quam ipsi prius non habuerunt: imo nec ipsi videbunt prius Deum, licet animæ sanctorum & non ipsi modo videant Deum. Dicendum est, quod male infert, si propositiones præcedentes sane intelligantur. Si autem intelligantur, sicut isti intelligunt, secundum quod dictum est, sic ex propositionibus hæreticalibus infert conclusionem hæreticam. Intelligit enim: quod visio clara sic est summa exaltatio animarum, quod anima videns Deum nihil potest acquirere, nec aliquo modo proficere, nec aliquid non habitum desiderare. Et iste sensus est erroneus: quia sequeretur, quod anima Christi non vidisset Deum ab instanti conceptionis Christi.

Cum autem sexto dicit, *alias tunc non exaltarentur:* hoc non sequitur ex præcedentibus, sicut ostensum est, quia, sicut dictum est, quamuis sanctorum animæ videant Deum, tamen animæ ad clariorem visionem poterunt exaltari, & ipsi sancti, quando resurgent in corpore ad visionem diuinæ essentiæ, & impassibilitatem & alias dotes corporis & animæ poterunt exaltari. Cum sic conatur probare minorem, scilicet quod *Deus in die iudicii sanctos, & illorum animas exaltabit*, per hoc quod *vsque ad diem iudicii sunt sub altari, & post diem iudicii videbunt Deum facie ad faciem.* Dicendum est, quod iste textum libri *Apocalypsis* male intelligit, non enim ideo animæ martyrum dicuntur sub altari vsq; ad diem iudicii, quia non vident deitatem Christi, sed tantum humanitatem, sicut iste textus falsè exponitur: sed dicuntur sub altari, quia absconsæ nobis & existentibus in inferno, & in purgatorio, saltem multæ ab omni malo protectæ clare Deum vident & ipso fruuntur. Porro quia quantum ad hoc motiuum in beato Bernardo nititur se fundare, verba eiusdem beati Bernardi non intelligit, quia non intendit, nisi quod sancti secundum animas collocantur sub Christo, & Deum vident, donec ipsi sancti integri & perfecti secundum corpus & animam procedant, completo numero fratrũ, & participent regnum. Sed forte diceret aliquis: si sancti tunc participant regnum, & regnũ est visio Dei: igitur antea non habebunt visionem Dei. Ad hoc dicendum, quod licet quandoque regnum vocatur clara visio Dei, sicut etiam regnum Dei nonnunquam vocatur ecclesia præsens: tamen interdum regnum Dei appellatur beatitudo consummata comprehendens animæ & corporis beatitudinem & istud regnum Dei de communi lege sancti ante diem iudicii nequaquam participabunt: imo ipsi ex anima & corpore constituti non habebunt de communi lege prius visionem Dei, sed animæ ipsorum tantummodo, & de isto regno & gloria animæ & corporis loquitur ibi. Sed adhuc quæreret aliquis, quomodo sancti erunt super altare post iudicium secundum beatum Bernardum, cum nunquam erunt super Christum? Ad hoc potest responderi dupliciter, vno modo, quod in scriptura diuina non legitur, quod animæ sanctorum post iudicium erunt super altare, nec memini me legisse, quod hoc Bernardus dicat. Aliter potest dici, quod ideo possunt dici animæ super altare post iudicium, quia tunc non erunt post iudicium quibusdam electis absconditæ: tunc autem dicuntur sub altari: quia videntes Deum quasi absconsæ consolantur & gaudent in Deo: gloria enim earum latet plures electos, & plures existentes in inferno, & ideo possunt dici sub altari, quia ibidem absconditæ. Cum vero vltimo allegat beatum Petrum dicentem: *prout nos exaltet in salutem* &c. Dicendum est, quod auctoritas Petri non facit pro isto, quia beatus Petrus loquebatur hominibus integris ex anima & corpore constitutis, & verum est, quod illi exaltabuntur ad visionem claram in die iudicii, & non ante, de communi lege, quia licet animæ multorum antea clare videant Deum, tamen homines compositi ex corpore & anima, de communi lege antea non videbunt Deum, & per istum modum omnes fere auctoritates, quas pro hæresi supradicta in duobus maximis tractatibus & prolixis adducit, soluuntur: quia loquuntur de electis compositis ex corpore & anima, qui de communi lege Deum ante diem iudicii non videbunt.

CAP. III.

Ponit tertiam rationem pro hæresi principali, quæ innititur huic fundamento, scilicet quod cum clara visione non stat doctrina, seu notitia alicuius de nouo.

TErtia via, super quam se fundauit, est: quia, prout dicit, *visio beata non stat cum doctrina: quia quicunque clare videt Deum, videt & omnia, secundum Gregorium dicentem: quid est quod non videt qui videntem omnia videt? sed secundum beatum Augustin. De cura pro mortuis agenda, animæ sanctorum illa quæ fiunt hic apud viuentes, ex se non cognoscunt, sed eis innotescunt, aut per animas nouiter deceden-*

cedentium seu morientium, aut per reuelationes angelorum, qui curam habent ...
nem immediatam à Deo, cum igitur non videant omnia, per consequens nec faci...
ratio eius tertia in vna hæresi manifesta est fundata: quod scilicet clar...
esse non potest, vel saltem non est sine omniscientia, quia asserit manife...
la ignorant: igitur omnia sciunt, sed hæc hæresis scripturæ diuinæ ape...
stolus ad Ephes. 3. *Mihi enim omnium sanctorum minimo data est gratia hac*:...
gabiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absco...
creauit, vt innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam mul...
bus verbis vltimate colligitur, quod angeli sancti ante incarnationem ...
la secreta de incarnatione Christi ignorabant, angeli tunc viderunt D...
dentes Deum omnia sciunt: imo multa ignorant. Quod vero secun...
Angeli sancti videntes Deum aliqua de incarnationis mysterio ignora...
missa asserit manifeste, dicens in persona beati Pauli & exponens verb...
est mihi euangelizare, & illuminare, & videre, quid hoc est? quia per hoc aliqu...
hoc didicerunt, & hoc, quod ait euangelizare: dico ita, vt multiformis sapienti...
notescat per ecclesiam, quæ dona Dei recipit: id est per Apostolos in ecclesia prædi...
id est pro diuersis ordinibus angelorum, qui sunt in cœlestibus, id est in cœlo, v...
que beatus Hieronymus angelicas dignitates supra memoratum mysterium aliq...
impleta est passio Christi, & Apostolorum prædicatio per gentes dilatata. Vnd...
xerunt: Quis est iste, qui venit de Edom? & in Psal. Quis est iste rex gloriæ. Non...
phetis: sed etiam potestatibus cœlestibus multiformis sapientia Dei per ecclesiam...
mis igitur dicitur Dei sapientia: quia multipliciter multas species, & form...
testates per ecclesiam agnouerunt. Ex his omnibus colligitur euidente...
Deum aliquid accreuit per ecclesiam, & quod aliquid didicerunt per ...
sterium redemptionis humanæ, quod ante redemptionem & passio...
stolorum non intellexerunt ad purum seu plenum: & quod multiform...
Angelis Deum videntibus reuelata, & quod Angeli multitudinem sap...
quibus omnibus patenter concluditur: quod visio beata stat cum d...
qui clare vident Deum, vident omnia, & quod aliqui qui facialiter vid...
atque aliqua eis docentur, & quod eis aliquid reuelatur, & quod non f...
cialiter clare Deum, quæ omnia iste negat aperte in verbis præmissis.

Sed dicet aliquis, Augustinus præmissis obuiare videtur, qui su...
Angelis: *non latuit eis mysterium regni cœlorum, quod tempore opportuno*...
quo ex hac peregrinatione liberati, eorum cœtu coniungamur. Sed ad hoc re...
Magister *Sententiarum libro 2. dist. 11.* ad eandem obiectionem responde...
dicit enim Glossa: *ne videantur sibi contradicere in prædictis sacra pagina*...
Augustinus, ita potest declarari, quod factum est, & vt illis qui maioris dignitatis...
illa nunciata sunt, cognita fuerunt experta vtpote familiaribus nunciis, illis vero...
cognita essent. Ex quibus verbis liquet aperte: quod licet Angeli ...
dem cognouerunt, quidam tamen Angeli videntes Deum minoris d...
uerunt, & ita non omnes videntes Deum omnia vident.

Item, quod non omnes videntes omnia sciant, sed ignorant aliqu...
tur dicens, Matth. 24. *De die autem illa & hora nemo nouit, neque Angeli c*...
Deum, licet non omnia sciant.

Amplius, Apostolus Paulus in raptu viderat diuinam essentiam, ...
men Paulus non omnia nouit, & ita non omnis videns Deum scit omn...

Rursus, de Christo singulare dicit Apostolus ad Collo. 2. *In qu*...
scientiæ absconditi. Igitur istud nulli alii videnti Deum debet attribui, h...
lare animæ Christi, quod ipsa sola inter spiritus videntes Deum habe...
bis euangelicis Iohan. 3. posse probari videtur. Soli enim Chr...
mensuram, igitur solus Christus habuit omnem scientiam, & ita...
rare.

His visis distinguendo, facile est rationem prædictam refellere. ...
visio beata non stat cum doctrina: dicendum est, quod hæc est erronea, ...
vero secundo dicit probando per hoc minorem: quia *quicunque clare v*...
Gregor. dicentem: quid est quod non videt qui videntem omnia videt? D...
dicit Magister Sententiarum *libro 2. distinct. 11.* dicens in hæc verba: *Gr*...
Angelis: quid est, quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt? videtur dicere q...
sit quod nesciant, sed accipiendum est hoc de his, quorum cognitio beatum facit co...
sterium trinitatis & vnitatis pertinent, hæc sunt verba Magistri sentent...
li videntes Deum non omnia sciunt, & quod Gregorius non loc...
rarum, sed de his quæ spectant ad mysterium trinitatis & vnitati...
infert dicens: *& per consequens secundum beatum Gregorium, qui vi*...

rant aliqua qua apud viuentes fiunt: *nec docentur de aliquo*: *nec reuelatur eis aliquid quod prius non viderunt*. Dicendum est, quod ex verbis Gregorii male intellectis (vt ostensum est per Magistrum sententiarum) infert tres conclusiones erroneas. Prima est, quod qui facialiter vident Deum, non ignorant aliqua. Secunda est, quod non docentur ab aliquo. Tertia est, quod non reuelatur eis aliquid, quod prius non viderint, quas esse erroneas superius per Apostolum Paulum & Glossam est probatum. Auctoritas Augustini, quam adducit, secundum bonum intellectum est concedenda, quia siue dictum Augustini intelligitur de mortuis videntibus Deum, siue de aliis: concedendum est, quod non omnia sciunt omnes mortui, quæ hic aguntur, quia, sicut ostensum est, etiam videntes Deum non omnia vident. Et ideo cum vltimo concludit dicens: *cum igitur non videant omnia*: *& per consequens non facialiter clare vident Deum*. Dicendum est, quod non sequitur, sicut nec sequitur, angeli boni non viderunt omnia, puta incarnationem: igitur non viderunt clare Deum.

CAP. IV.

Ponit tres vias, siue tres suppositiones. Quibus suppositis secundum singulas ratiocinando procedit, conclusionem principalem probando. Ex prima via, siue suppositione format tres rationes, qua etiam confutantur, secunda via ponitur capitulo 5. & tertia capitulo 6.

SEquitur in potestatione friuola memorata, quia dicit, quod ad videndam & inuestigandam veritatem istius conclusionis debet attendere tria. Primum est, cui merces claræ visionis promittitur. Secundus est tempus, pro quo merces promittitur. Tertium ad quid futurum iudicium generale ordinatur. His præmissis, in quibus tres vltimas vias fundat, statim subiunxit de eo, cui promittitur, in quo consistit prima via suæ probationis sic. *Si attendamus, cui illa merces in sacra pagina promittitur, certum est quod toti supposito. Probatur primo: quia Iacobus ait: beatus vir qui suffert tentationem &c. & certum est, quod anima non est vir. Secundo ad idem. Quia Christus dicit: omnis qui reliquit patrem &c. vitam aternam habebit &c. certum est: quod illi, quibus loquebatur, erant supposita, & non anima separata. Ad idem est, quod Christus dicit: vos qui reliquistis omnia &c. certum est, quod illi qui erant hic, erant beatus Petrus & alia supposita, & non eorum anima separata. Item merces illa reddetur pro operibus misericordia. Vnde Christus dicet in iudicio: esuriui & mihi dedistis &c. sed certum est, quod suppositum, & non anima separata, dedit eleemosynam: igitur supposito, & non anima separata reddetur merces.* Post tres rationes prædictas ponit alias tres sumptas ex tribus notabilibus, quæ dicit esse attendenda. Prima autem ratio eius, quæ hic ponitur, est hæc. *Visio beata est reddenda toti supposito, & non anima separata, igitur anima sanctorum in cælo non vident Deum.* Ista ratio est quasi principalius motiuum ipsius pro hæresi supradicta, propter quod ipsam sæpe replicat, & reputat ipsam irrefragabilem, ponens enim ipsam in sermone, qui incipit, *Gaudete in Domino*, & in tractatu, qui incipit. *Quare vtrum anima sanctorum* &c. Antecedens ipse probat sic, *visio illa, qua est merces, reddetur illi, cui promittitur, sed merces promittitur supposito & non anima separata, igitur* &c. Minor probatur tribus auctoritatibus, & vna ratione. Sed ista fundamento hæreticali innititur: quod scilicet merces non nisi supposito & non animæ promittitur. Ad euidentiam eius est veritas elucidanda. Secundo, hæresis fundamento hæreticali præfato contraria est probanda. Tertio discurrendo per auctoritates, quas adducit, sunt illa quæ apparent in contrarium repellenda. Circa primum est sciendum, quod ista est catholica veritas, quod merces quæ includit gloriam animæ & corporis, soli supposito seu homini integro ex corpore & anima constituto promittitur, & illa de communi lege non dabitur ante diem iudicii generalis, merces autem, quæ non includit gloriam animæ & corporis, sed solum gloriam animæ: scilicet visionem Dei, & fruitionem, promittitur animæ antequam corpus resumpserit, & ideo ista merces dabitur multis animabus à corpore separatis. Est tamen aduertendum, quod gloria animæ datur: & dabitur multis animabus ante iudicium, respectu quarum non dicitur proprie merces, quia non dicitur merces propter meritum illarum, sed potest dici merces earum propter meritum Christi, quod promittitur. Secundum est, quod visio diuinæ essentiæ animabus ante vniuersale iudicium est promissa. Primum sic ostenditur: animabus decedentium nihil purgandum habentibus requies promittitur. Hanc non oportet probare, quia nota est, & inuentor hæresis memoratæ eam non negat, cum concedat expresse in multis locis animas separatas esse in quiete, sed ista quies est quædam merces, quæ datur multis animabus propter meritum earum, igitur animabus aliqua merces promittitur.

Iterum, esse in cœlo, videre & gaudere de humanitate Christi est merces, ista enim dabuntur omnibus electis propter meritum Christi, & aliquibus propter meritum proprium simul, & meritum Christi, sed ista animabus sanctis promittitur, igitur animabus separatis aliqua merces promittitur. Quod vero visio Dei aliquibus animabus promittitur, Saluator noster Iohan. 7. innuit manifeste dicens: *pater quos dedisti mihi volo vt vbi ego sum, & sint illi mecum, vt videant claritatem meam quam dedisti* &c. Ex quibus verbis colligitur, quod Christus prædicando promisit, quod omnes qui erunt ibi vident, & videbunt claritatem deitatis Christi, & ita illis visio Dei promittitur. Sed forte diceret aliquis, quod Christus loquitur de claritate sua secundum humanitatem, quam vident animæ separatæ in cœlo.

Sed hæc euasio est nulla: quia Christus loquitur de claritate, quam habuit antequam mundus esset, ipso ibidem dicente ad patrem: *clarifica me tu pater apud temetipsum claritate quam habuit priusquam mundus esset apud te*, illa autem claritas, quam habuit Christus antequam mundus esset, est claritas deitatis: igitur qui sunt in cœlo cum Christo, vident claritatem deitatis eius.

Hæc de ista materia ad præsens sufficiant, quoniam non est intentionis meæ in hoc opere principalem hæresim, per exquisita media improbare: sed motiua hic adducta repellere, & tertio per illa quæ adducit discurram. Cum itaque dicit: *si attendamus cui merces illa in sacra pagina promittitur: certum est quod toti supposito*, verum est, quod aliqua merces promittitur toti supposito: quia illa quæ gloriam animæ & corporis comprehendit, aliqua autem promittitur in communi, supposito & animæ separatæ, & illæ sunt multæ, esse enim cum Christo in cœlo, similiter gaudere, & videri humanitatem Christi, est merces quædam, quæ tamen promittitur & toti supposito, & animæ separatæ. Consortium Dei & Angelorum est quædam merces, quæ toti supposito & animæ separatæ promittitur. Quia, teste Ambrosio, animæ separatæ ad gaudium transeunt Angelorum. Etiam supposita post iudicium ad Angelorum consortium perducentur, sic etiam visio Dei est merces: & tamen promittitur, & toti supposito, & animæ separatæ purgatæ. Et ideo licet mille millia auctoritatum adduceret ad probandũ quod merces, quæ est visio promittitur toti supposito: eadem facilitate diceretur, ꝙ nõ posset per eas probare, ꝙ merces quæ est visio nõ promittitur animabus purgatis: imo habitatio cœlestis & ꝓmittitur toti supposito & ꝓmittitur animæ separatæ. Cũ igitur dicit beatus Iacobus: *beatus vir q̃ suffert temptationẽ*: concedendũ est, ꝙ hic ꝓmittitur corona vitæ toti supposito, sed ista ꝓpositio est tota affirmatiua, ideo ex ipsa nõ sequitur negatiua ista: scilicet, *corona vitæ non ꝓmittitur animæ separatæ*. Esto etiã ꝙ in his verbis non ꝓmitteretur corona vitæ animæ separatæ: ex hoc nõ posset inferri, nisi Sophistice, quod alibi non promittitur corona vitæ animæ separatæ, sæpe enim in scriptura sacra aliquid, quod in vno loco non promittitur, in alio loco promittitur, veruntamen potest dici, quod in his verbis promittitur corona vitæ & toti supposito & animæ separatæ. Ex hoc enim, quod promittitur toti supposito post iudicium: promittitur & animæ postquam fuerit corporaliter expurgata. Cum vero dicit, *certum est quod anima non est vir*. Ista est cauillosa & puerilis deductio, si enim omnino probaret, quod animæ separatæ non promittitur corona vitæ quia anima non est vir: probabitur sibi, quod nulli mulieri promittitur corona vitæ, quia certum est quod nulla mulier est vir, promittitur autem in auctoritate Iacobi corona vitæ & viris & mulieribus, quia per nomen *viri* subintellexit & mulieris, quia in multis quod dicitur de viris, intelligendum est etiam de mulieribus, sic etiam quamuis beatus Iacobus non exprimat nomen animæ: tamen intelligendum est, quod ex hoc ipso, quod corona vitæ promittitur viris, intelligitur etiam promissa animabus sanctis purgatis. Cum autem dicit, quod Christus dicit: *omnis qui reliquit patrem &c. vitam æternam habebit &c. certum est, quod illi quibus loquebatur erant supposita & non anima separata*: totum hoc est concedendum, sed ex hoc non sequitur, quod animæ non promittitur visio Dei, quia ex affirmatiua tali non sequitur negatiua, Christus enim loquebatur suppositis, & aliqua dixit illis non tantum pro suppositis, sed etiam pro animabus suis, ideo cum dixit hoc etiam, *vitam æternam habebit*, hoc non tantum dixit pro suppositis, sed etiam pro animabus, postquam fuerint purgatæ, cum autem dicit ad idem, quod Christus ait: *vos qui reliquistis omnia &c. & certum est quod illi erunt Petrus & alia supposita & non eorum animæ separatæ*, dicendum est, quod ista verba possunt intelligi de suppositis tantum, quia supposita & non animæ separatæ sedebunt super sedem iudicantes duodecim tribus Israel, sed non sequitur, quod iste honor promittitur suppositis & non animabus separatis. Cum vero vltimo dicit, quod *merces illa reddetur pro operibus misericordiæ, vnde Christus dicet in iudicio, esuriui & dedistis mihi &c. sed certum est quod suppositum & non anima separata dedit eleemosynam, igitur supposito & non animæ separatæ reddetur*. Dicendum, quod merces illa multis reddetur non pro operibus misericordiæ, multi enim saluabuntur, qui nullum opus omnino misericordiæ fecerunt, & licet illa merces sit multis reddenda pro operibus misericordiæ: non tamen reddetur illis suppositis tantummodo pro operibus misericordiæ: scilicet quæ supposita fecerunt opera misericordiæ: sed etiam pro operibus misericordiæ reddetur animabus illorum ante diem iudicii generalis, patet igitur, quod ratio ista & aliæ allegationis præscriptæ non plus concludunt de visione Dei, quam de habitatione cœlesti, quia ita promittitur habitatio cœlestis toti supposito, sicut visio Dei. Item, si ratio illa concluderet hæresim memoratam: sequeretur per eandem rationem, quod ante iudicium nulla anima separata saluabitur: & nulla anima separata damnabitur, nam sicut toti supposito clara visio Dei promittitur & toti supposito Christus damnationem si non crediderit comminatur dicens, vt legitur Matt. vlt. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*. In quibus verbis constat aperte, ꝙ Christus aperte loquitur de suppositis: quia totus homo credit & baptisatur. Si igitur propter hoc quod visio clara Dei toti supposito promittitur, sequiretur quod animæ separatæ non viderent Deum, eandem rationem per hoc quod Christus comminatur damnatione toti supposito, contingeret inferri quod animæ separatæ ante diem iudicii nec erunt saluæ nec damnatæ, quod catholicus nullus ignorat esse hæreticum.

CAP.

CAP. V.

In quo ponitur ratio procedens secunda via: scilicet de tempore, quae soluitur.

SEquitur nunc alia via de tempore: pro quo merces praedicta promittitur, vbi dicit, quod *si attendatur sacra scriptura, inuenitur solum post iudicium, primo, quia post iudicium dicetur: venite benedicti patris mei, percipite regnum, & illud: cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis & vos &c. & hoc: gaudete quia merces vestra multa est in coelo.* Hic ponit tertiam rationem ex tempore, quo reddetur merces, & potest sic formari. Merces praedicta, scilicet visio Dei, reddetur solum post diem iudicii, igitur animae sanctę ante diem iudicii non videbunt Deum, consequentia videtur manifesta, antecedēs probatur per illud Matthaei 15. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum* &c. Sed haec ratio accipit haeresim, quam probare deberet, quia accipit, quod merces, quae est visio, non promittitur, nisi pro tempore post iudicium, quod deberet probare. Et ideo non restat hic, nisi respondere ad probationem suam, quae propter saepe dicta est exclusa, quia, sicut dictum est, visio Dei promittitur toti supposito, & illa promissio, quae de communi lege est facta, non implebitur ante iudicium, promittitur etiam animae visio nihil purgandum habenti, & illa promissio fit pro tempore etiam ante iudicium generale, cum hoc tamen stat, quod promissio quae fit animae nihil purgandum habenti ante dictum iudicium impleatur, & ita patet, quod ex illa auctoritate: *veniti benedicti* &c. non potest inferri, quod animae sanctae antea non videbunt Deum, sed potest inferri, quod homines integri ex corpore & anima de communi lege antea non videbunt Deum. Sed si quaeratur, vbi promittitur dicta merces animae nihil purgandum habenti? dicendum, quod Christus, vt legitur Lucae 13. mercedem promisit omni animae purgatae, cum dixit latroni, *hodie mecum eris in paradiso*, hoc enim non dixit latroni ꝑ supposito, sed pro anima eius, & non solū pro anima eius, sed pro anima purgata, quae vadit ad paradisum ꝑ paradisum autē, de quo fit mentio, intelligitur beatitudo regni coelestis, quae nō est sine visione. Et quod de tali intellexerit Christus, ostenditur ex serie euangelici textus, nam dicente latrone ad Iesum: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*, respondit Dominus: *amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Ex quibus verbis datur intelligi: quod idem intelligebat Christus per paradisum, quod intelligebat latro per regnum Christi, sed latro per regnum Christi intelligebat gloriam Christi, quae non est sine visione clara Dei. Igitur Christus per paradisum intellexit visionem Dei, vt iste sit sensus: hodie mecum eris in paradiso, id est, sicut ego video & videbo deitatem, ita tu mecum hodie videbis clare deitatem eandem. Ex his aliisque pluribus, quae causa breuitatis omittuntur, patenter habetur: quod falsum asserit, cum dicit, quod in scriptura sacra inuenitur quod visio Dei promittitur solum pro tempore post iudicium: quia promittitur animabus purgatis pro tempore ante iudicium ibi, sicut dictum est: *bodie mecum eris in paradiso*, & Ioh. 17. vbi Christus dixit: *volo vt vbi ego sum & ipsi sint mecum vt videant claritatem meam*, & primae ad Cor. 13. Cum dicit Apostolus, *videmus nunc per speculum in aenigmate*, tunc aūt quando prophetiae euacuabuntur facie ad faciē, prophetiae autem, de quibus loquitur Apostolus, non sunt in coelo. Igitur animae q̄ sunt in coelo, vident facie ad faciem. Quod etiā dicta visio iam sit data, asserit manifeste scriptura diuina, quia Apoc. 6. dicit beatus Ioh. *data sunt illis sanctis* (secundum animam) *singulae stolae albae*, quae sunt visiones Dei. Quando vero dicit, *post iudicium dicetur, venite benedicti patris mei percipite regnum* &c. verum est, quod tunc dicetur suppositis integris, & ideo istud ante iudiciū non implebitur, quia supposita integra de communi lege antea non percipient regnum Dei, cum hoc tamen stat, quod animae multorum antea videbunt Deum. Cum autem allegat illud Christi, *cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae: sedebitis & vos*, dicendum est, quod istud non implebitur ante iudicium generale, cum hoc tamen stat quod animae Apostolorum nunc videant Deum. Multa enim, & diuersa sunt promissa Apostolis: quorum aliqua sunt modo impleta, aliqua vero implebuntur in die iudicii, sed post diem iudicii cessabunt, sicuti *sedebitis super sedes iudicantes duodecim tribus Israel*, nam post diem iudicii minime iudicabunt, aliqua vero implebuntur in die iudicii, & sine fine manebunt, sicut quod erunt in anima & corpore gloriosi. Igitur per hoc, quod in die iudicii sedebunt Apostoli super sedem iudicantes &c. non poterit probari, quod ante diem iudicii animae eorum non videant essentiam diuinam, cum constet ipsum esse haeresim manifestam. Cum vero vltimo dixit hoc: *gaudete, quia merces vestra multa est in coelo*, hoc non est ad propositum: quia constat secundum istum, quod merces animarum multa est in coelo, quia secundum eum vident & gaudent de humanitate Christi, gaudium enim est secundum istum multum. Manifestum est igitur, quod non tantum merces suppositorum post iudicium erit in coelo, sed etiam merces animarum nunc in coelo est multa, & ideo per verba praedicta probari nullo modo potest, quod animae sanctae nunc non vident Deum: sicut per ipsa probari non potest, quod nunc vident humanitatem Christi.

Cap. VI.

Ponit rationem procedentem ex tertia suppositione seu via supra c. 4. proposita, qua etiam impugnatur & soluitur.

SEquitur: *Si etiam attendatur tertium, scilicet ad quid generale iudicium Dei ordinatur, videtur quod frustra fiat iudicium, si merces illa ante iudicium animabus reddatur.* Hic ponitur vltima ratio eius pro hæresi memorata, quæ ex his quæ dicta sunt contra priores conuincitur manifeste, per ipsam enim probaretur, quod animæ sanctorum nec sunt in cœlo nec aliquod gaudium habent, quia secundum illam rationem frustra fieret iudicium generale, si animæ sanctorum nunc gauderent. Si enim dicat iste, quod quamuis animæ sanctæ aliquod gaudium nunc habeant, tamen illud iudicium tunc non fiet frustra, quia animæ sanctæ tunc visionem Dei percipient, & tota supposita suscitabuntur, & in regnum Dei intrabunt. Eadem facilitate diceretur, quod quamuis animæ sanctæ nunc videant Deum: tamen illud iudicium tunc non fiet frustra: quia tunc animæ clariorem visionem habebunt, & toti homines integri ex corpore & anima constituti tunc gloriam corporis & animæ obtinebunt. Ad rationem itaque breuiter est dicendum, quod iudicium generale non fiet frustra: licet animæ sanctorum nunc videant diuinam essentiam: quia illud generale iudicium ad multa alia ordinatur, ordinatur enim, vt supposita integra ex corpore & anima constituta gloriam corporis & animæ tunc percipiant: quamuis animæ quorundam prius perceperunt, ordinatur etiam, vt gloria omni animæ, quæ prius vidit diuinam essentiam, augeatur, fiet etiam vt multæ animæ, quæ prius non viderunt diuinam essentiam, quia purgatæ non fuerunt, tunc corporibus vnitæ percipient visionem Dei. Fiet etiam, vt mali extunc non solum in anima, sed etiam in corpore crucientur, ordinatur etiam ad hoc, quod extunc cessat omnis status merendi & demerendi, propter ista igitur erronee dicitur, quod frustra fieret iudicium generale, si animabus separatis visio clara antea redderetur. Cum infertur: igitur videtur, quod frustra fiat iudicium, si merces illa ante iudicium animabus reddatur, de mercede, quæ gloriam animæ & corporis comprehendit, posset concedi, sed illa merces non redditur animabus separatis: quia glorificatio corporis ante iudicium de communi lege non reddetur.

Cap. VII.

In quo recitatur causa talis positionis & modus reuocationis, & sunt circa ista sex consideranda, primum deducitur in hoc capitulo, secundum in sequenti, & sic consequenter.

SEquitur: *Et quia non est dicendum, quod illud iudicium est solum verbale, inane & fictum, idcirco super ista quæstione vigilemus positis motiuis pro hæresi sæpe fata.* Hic inuentor istius atque defensor verbalem, fictam & friuolam ponit detestationem seu reuocationem, & in hac parte sunt sex, quia primo iste ponit motiuum, quare prædictam materiam indagauit. Secundo dicit, quod conclusioni suæ amore veritatis adhæsit. Tertio manifestat, quare ipse prædictam assertionem suam voluit promulgare, & publice prædicare. Quarto dicit, quod non fuit intentionis suæ aliquid dicere contra fidem, & ideo quandam fecit protestationem seu reuocationem, vt ne de hæresi condemnetur. Quinto verbis dolosis & ambiguis se non pertinaciter referre pro assertione prædicta prætendit. Vltimo narratur, quod de reuocatione sua petiuit fieri publicum instrumentum.

Dicit igitur, quod ideo super ista quæstione voluit vigilare, quia iudicium generale non est solum verbale, inane & fictum. In his verbis cum assertiones & motiua pro assertione sæpe dicta refert, aperte insinuat, quod iudicium generale est frustra, inane & fictum, si animæ sanctorum ante iudicium videant Deum, sed hoc in præcedentibus euidentius est manifestum.

Cap. VIII.

Deducit & narrat secundum, quare scilicet suæ conclusioni adhæsit, cuius motiuum nullum esse conuincitur.

SEquitur: *Et in conscientia mea dico, quod libenter essemus pro alia conclusione & libentius quam pro ista conclusione negatiua: si vera ostenderetur & necessaria, & si clarum esset in fide, quod animæ sanctorum nunc viderent faciem Dei, nullus haberet tamen defendere istam fidem, nec defendere plusquã nos, sum enim Christi vicarius licet indignus, & vicarius generalis plus habet defendere honores principaliter, quam quicunq; particularis vicarius.*

Item, *Quomodo posset aliquis credere, quod si anima patris mei vel matris meæ videret clare faciem Dei, quod ego vellem negare: absit. Vnde vbi veritas probaretur clarius, ita libenter & amplius staremus pro conclusione*

sione affirmatiua. Hic dicit, quod suæ assertioni amore veritatis adhæsit. Quod ostendit per hoc, quod libentius esset pro conclusione alia, si sibi probaretur esse vera. Si per hoc credit de hæresi excusari, turpiter est deceptus. Nam quilibet hæreticus amore veritatis, quam credit, suæ hæresi pertinaciter noscitur adhærere, & tamen hoc non obstante, hæretici de sua prauitate hæretica nullatenus excusantur. Igitur quantumcunque amore veritatis, sicut credit, adhæret conclusioni nephariæ prædictæ: scilicet quod *animæ sanctorum in cœlo non vident Deum:* tamen per hoc de hæresi nullatenus excusatur. Quod autem omnis hæreticus, imo Iudæi & pagani amore veritatis, quam credunt, suis adhæreant erroribus, auctoritatibus manifestis ostenditur. Hieronymus enim, vt habetur *24. quæstion. 3. cap. hæresis*, dicit in hæc verba: *hæresis ab electione dicitur, quod scilicet eam vnusquisque sibi eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.* Ex quibus verbis manifeste colligitur, quod hæretici illas tenent & eligunt assertiones, quas reputant veriores, & ita suis hæresibus amore veritatis, quam credunt, adhærent libentius, quamuis multi eorum tenerent contrarias, si eis probarentur esse veræ: & tamen per hoc de hæresi nullatenus excusantur, igitur nec iste per hoc poterit de hæresi excusari. De Iudæis etiam idem probatur auctoritate Christi dicentis Iohan. decimosexto. *Venit hora vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod Iudæi quodam veritatis amore persequebantur Apostolos: nec tamen propter hoc fuerunt excusandi, igitur nec iste est de hæresi excusandus propter hoc, quod libentius teneret contrarium sui erroris, si sibi ostenderetur esse verum. Item Apostolus de Iudæis ad Roman. 4. dicit: *Testimonium perhibebo illis, quod æmulationem quidem Dei habent, sed non secundum scientiam*, vbi dicit Glossa, *pro dilectione Dei putant se facere: sed veram dilectionem Dei non habent.* Ex quibus verbis potest patenter inferri, quod potest quis hæreses impie defensare, putans se hoc facere veritatis amore: licet verum veritatis amorem non habeat, & ideo de erroris defensione non est excusatus, & ita per hoc, quod iste credit assertionem suam esse veram, & libentius teneret sibi contrariam, si crederet eam esse veram: non potest de hæresi excusari, licet per hoc possit haberi, quod hoc facit falso veritatis amore. Paulus ante conuersionem suam persequebatur ecclesiam Dei: & negabat incarnationem Christi: pro qua libentius laborasset, si fuisset sibi probata, & tamen hoc non obstante de errore damnabiliter non potuit excusari. Igitur licet iste credat assertionem suam esse veram: & libentius teneret contrariam, si sibi esse vera & necessaria probaretur: non poterit per hoc de prauitate hæretica excusari, sed per hoc haberi potest, quod quodam falso veritatis amore assentit errori, rursum per verba prædicta non potest plus haberi, nisi quod iste ignoranter errat, sed ignorantia non semper excusat in casu isto: sicut inferius ostendetur, igitur per verba prædicta non potest de prauitate hæretica excusari. Quod ignorantia non semper excusat, patet manifeste per illud Actuum tertio, quod dicit Petrus perfidis Iudæis: *fratres scio, quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod Iudæi ignoranter suis erroribus adhærebant, & tamen per talem ignorantiam non poterant excusari, sic licet iste ignoranter teneat & defendat hæresim prædictã, & libentius vellet assertionem contrariam credere si sibi probaretur esse vera: Tamen per hoc non poterit de prauitate hæretica excusari, per talem enim modum omnes Iudæi, Sarraceni & pagani, idolatræ, & hæretici, imo vniuersaliter omnes errantes possunt se de suis erroribus excusare. Vix enim posset aliquis inueniri, qui non diceret, quod libentius teneret assertionem contrariam, si sibi probaretur aperte esse vera. Quis enim diceret, quod libentius diceret falsum quam verum? Patet igitur ex prædictis, quod iste inuentor hæresis memoratæ per verba prædicta, & similia non poterit excusari. Est tamen aduertendum, quod licet præcise per talia verba non possit errans contra fidem de prauitate hæretica excusari: non tamen est dicendum, quod omnis errans contra fidem nitens se per verba talia excusare, est hæreticus reputandus, quia potest quis errans contra fidem in casu aliquo satagens se per verba talia excusare de prauitate hæretica, immunis existere, sed iste inuentor hæresis sæpe dictæ nullo modo valet de prauitate hæretica excusari, sicut inferius ostendetur. Cum igitur dicit: *libenter essemus pro alia conclusione & libentius, quam pro ista negatiua conclusione*, dicit, non asserendo nec opinando, sed tantummodo recitando, si vera & necessaria ostenderetur, quare per prædicta verba non potest de hæresi excusari, sicut ostensum est prius. Cum autem dicit: *si clarum esset in fide, quod animæ vident nunc faciem Dei, nullus haberet tantum defendere istam fidem, nec defenderet plusquam nos.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod ipse non credit animas sanctorum nunc videre faciem Dei, quia dicit: quod *si esset clarum, nullus defenderet plusquam ipse*: sed ipse non defendit, imo impugnat. Igitur non credit hoc esse clarum in fide. *Sum enim Christi vicarius*: etiam ista verba sonant, quod sic deberet defendere, quia tamen sæpe vicarius generalis defendere honorem domini principalis, quam particularis, plus debet. Item, *quomodo posset aliquis credere, quod si anima patris mei vel matris meæ videret clare faciem Dei, quod ego vellem negare, absit.* Ex his etiam verbis notatur, quod non credit animam cuiuscunque separatam clare videre faciem Dei. *Vnde vbi veritas probaretur clarius, libenter & amplius staremus pro conclusione affirmatiua quam negatiua:* hic insinuat, quod non tenet conclusionem negatiuam, nisi amore veritatis, sed per talia verba de prauitate hæretica minime excusatur.

Cap. IX.

Ostendit tertium: scil. quæ ratio induxit Ioh. 22. ad hanc hæresim promulgandam & prædicandam: & hanc assignat fuisse studium in originalibus sanctorum.

SEquitur: *licet nos, postquam fuimus in isto statu, studuimus singulariter sanctorum originalia & acceptauimus quæstiones, quas faciunt in ista materia, & frequenter in sermonibus fecimus mentionem, & maxime vtile fuit: quia alii vel non habent originalia, vel non curant studere in eis. Sunt enim hodie studentes & alii applicati quibusdam scripturis, & illas habent pro euangeliis & epistolis: & amplius parum quærunt, & ideo quia ista studuimus in originalibus: ista proposuimus, ista inquisiuimus.* Hic assignat rationes, quare assertionem prædictam voluit promulgare & publice prædicare, quia scilicet propter hoc ipse habuit & studuit originalia sanctorum, vt dicit: & alii vel non habent vel non student, & propter hoc istam assertionem tanquam ignotam aliis voluit tanquam catholicam diuulgare, sed istis verbis aperte insinuat, vnde sibi acciderit, quod inter hæreses est prolapsus, quia enim in originalibus sanctorum & in scripturis diuinis absque doctore & sine scholastico exercitio, aliisque scientiis, quæ sacræ Theologiæ famulari noscuntur, nequaquam prius acquisitis, studere præsumpsit, non recte intelligens ex auctoritatibus male intellectis, quamplures assertiones hæreticales nisus est inferre, & ideo magister erroris extitit, & nunquam fuit discipulus veritatis, non attendens illud Hieronymi ad Paulinum: *hæc à me præscripta sunt breuiter, neque enim epistolares agnitiones euagare longius patiebantur, vt intelligeres te in Scripturis sacris sine præuio monstrante semitam non posse ingredi*, nec mirum, cum secundum eundem ibidem, quia *qui variam supellectilem & vilia opuscula fabricant, absque doctore esse non possunt, quod cupiunt*, quomodo igitur iste inscius primitus, minus etiam peritus, in senectute sua studere incipiens originalia sanctorum, ipsa sine doctore intelligat: cum vix aut nunquam valeat vnicus reperiri viuens, qui metaphysicam sine doctore addiscat? reuera iste videtur delirus senex, quem beatus Hieronymus inter alios temere præsumentes Scripturas sacras docere, antequam discant, acriter reprehendit dicens ibidem: *sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnis vendicat.* Et parum post: *hanc garrula anus: hanc delirus senex: hanc sophista verbosus: hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant.* Cum igitur dicit (*postquam fuimus in isto statu: studuimus singulariter originalia sanctorum*) ostendit vnde sibi contigit, quod tot hæreses dogmatizauit, quod scilicet studuit originalia sanctorum, quæ nequaquam intelligit: & tamen se intelligere putat, & ideo ad suas hæreses ipsa repugnantia molitur pertrahere. Cum vero dicit (*& attendimus quæstiones suas, quas faciunt in materia ista*) quia & si à pueritia sanctorum originalia studuisset, ad multorum contentorum in eis verum intellectum nullatenus peruenisset: quanto magis senex, qui à pueritia fluctibus seculi insistebat: & postquam fuit ad istum statum assumptus, occupationibus extitit infinitis implicitus: ad verum intellectum profundarum & subtilium veritatum, quæ in sanctorum auctoritatibus inseruntur, nequaquam attinget. (*Et frequenter in sermonibus fecimus mentionem*) verba sanctorum erronee peruertendo. (*Et maxime vtile fuit*) imo pernitiosum extitit, & nociuum. Quia per sermones suos ambitiosos, quam plurimos ad negandam fidei agnitæ veritatem, & ad probandam, tenendam, docendam & defendendam hæreticam prauitatem induxit, ac inter Christianos dissensiones, æmulationes, & schismata seminauit (*Quia alii vel non habent originalia, vel non curant studere in eis. Sunt enim hodie studentes & alii applicati quibusdam scripturis, & illas habent pro euangeliis & epistolis, & amplius parum quærunt*) hoc putant nonnulli veritatem de multis habere, qui sunt magistri antequam discipuli, sed propter aliorum imperitiam & ignorantiam ista determinatio nullatenus excusatur. (*Et ideo quia ista studuimus in originalibus, ista proposuimus, ista inquisiuimus*) male studuit originalia, & ideo hæreticalia multa proposuit & defendit.

Cap. X.

Ostendit quartum, scilicet quod ficta est Iohannis XXII. reuocatio, seu retractatio, quæ sub verbis cuiusdam friuolæ protestationis est facta.

SEquitur: *Nunquam tamen meæ intentionis fuit dicere aliquid contra fidem, & si aliquid diximus, totum ex tunc reuocamus.* Hic ponitur protestatio, seu retractatio, vel reuocatio ficta & friuola inuentoris hæresis sæpe dictæ. Circa istam partem facienda sunt tria. Primo enim probandum est, quod verba prædictą ipsum non excusant, quin fuerit & adhuc sit hæreticus. Secundo ostendendum est, quod assertor hæresis ante dictæ, licet posset conuerti ad catholicam veritatem, tamen nullo modo poterit excusari, quin sit hæreticus. Tertio dicendum est, qualiter reuocationem oportet ipsum facere, si velit inter catholicos reputari: quæ scilicet declararet ipsum non esse hæreticum: licet per nullam reuocationem poterit declarare, se non fuisse hæreticum.

Ad euidentiam istorum sunt aliqua notanda, quorum primum est: quod duæ sunt differentiæ credendorum. Quædam enim sunt credenda explicite, & quædam sunt credenda implicite, patet aperte: quia nullus Christianus debet totam fidem Christianam ignorare, igitur sibi non sufficit solummodo credere fidem Christianam esse veram: sed oportet quod aliquid explicite credat, quod ad fidem pertinet Christianam, & ita quilibet catholicus aliquid credere tenetur explicite. Quod Augustinus super Iohan. prout recitatur *de consecr. distinctio. 4. cap. 1.* aperte insinuat, dicens: *Necessarium est visibile sacramentum aqua ad ablutionem visibilis corporis, sicut necessaria est doctrina inuisibilis fidei ad sanctificationem inuisibilis anima.* Ex his aperte colligitur, quod quilibet Christianus debet aliqua addiscere de fide Christiana, quæ credat explicite. Item idem Augustinus, vt habetur distinctione prædicta, cap. *ante baptismum cathecizandi debet hominem præuenire officium, vt fidei primum cathecuminus accipiat rudimentum,* & cap. sequenti sic legitur: *Ante vigesim. dies baptismi ad purgationem exercismi cathecumini currant, in quibus vigesim. diebus omnino symbolum, quod est, Credo in Deum patrem omnipotentem, spiritualiter doceantur.* Ex his patet, quod baptisati fidem suam antequam ad alia se transferant, debent addiscere, quod etiam ex tractatu *de eo distinction. quart. cap. symbolum, & cap. cathecismi, & cap. non licet, & cap. postquam,* patenter habetur. Ex quo patenter infertur, quod quisquam catholicus aliqua credere tenetur explicite. Quod vero aliqua sunt credenda implicite, est manifestum. Nam quilibet catholicus tenetur credere totam scripturam diuinam, quam tamen ignorat, & ita non possunt eam credere explicite, sufficit igitur eis, quod credant eam implicite. Porro, quia multi doctrinam Thomæ recipiunt: pro illis adducenda sunt verba ipsius, quibus ostenditur distinctio supra dicta, ait itaque secunda secundæ quæstio. 2. cap. quint. articul. quint. *Quantum igitur ad primum prima credibilia, qua sunt articuli fidei non solum tenetur homo implicite credere: sed etiam explicite, quantum ad alia credibilia non tenetur homo explicite credere: sed solummodo implicite vel in præparatione animi, inquantum paratus est credere quicquid in scriptura diuina continetur.* Ex his patenter habetur, quod aliqua sunt credenda explicite, & aliqua implicite. Secundo notandum, quæ sunt illa, quæ sunt credenda explicite. Circa quod notandum, quod aliqua sunt credenda ab omnibus Christianis de communi lege: quia omnes Christiani de communi lege ea credere tenentur explicite. Alia vero credenda non sunt ab omnibus explicite de necessitate: sed ab aliquibus tantum. Prima credenda explicite sunt illa, quæ sunt apud omnes catholicos, tanquam catholica diuulgata, cuiusmodi sunt articuli fidei contenti in *Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem.* Illos enim articulos fidei omnes Christiani tenentur credere & addiscere, præter quos etiam sunt nonnulla alia, quæ omnes tenentur credere explicite, licet in dictis articulis non contineantur: sicut quod animæ reproborum infernum descendunt, vbi grauiter puniuntur: quod animæ electorum, qui sunt in purgatorio, erunt in cœlo, quod dæmones in inferno torquentur: quod sunt aliqui alii sancti in cœlo & boni, & similia, quæ ideo ecclesia catholica credere tenetur explicite, quia sunt veritates explicitæ catholicæ apud omnes catholicos tanquam catholicæ diuulgatæ. Aliqua vero sunt credenda explicite non ab omnibus, quia non omnes catholici tenentur credere ea explicite: sed illi scilicet, qui sciunt ipsa in scriptura diuina, aut in doctrina ecclesiæ contineri, quia illi, qui tenentur scire scripturam diuinam & doctrinam ecclesiæ, multa tenentur credere explicite: ad quorum fidem explicitam alii tenentur. Propter quod prælati & maxime prælatus prælatorum, id est summus Pontifex, multa tenentur credere explicite, quæ alii non tenentur explicite credere. Propter illos autem, quæ doctrinæ Thomæ adhærent, sunt verba eiusdem de hac materia recitanda, ait itaque secunda secundæ quæstio. 2. articul. 6. *Explicatio fidei ad inferiores homines, oportet quod perueniat per maiores, & ideo sicut superiores angeli, qui inferiores illuminant, habent pleniorem notitiam de rebus diuinis quam inferiores, vt Dionysius dicit 12. cap. cœlestis Hierarchia: ita superiores homines, ad quos pertinet alios erudire, tenentur habere pleniorem notitiam de credendis & magis explicite credere.* Ex his patet, quod de intentione istius doctoris est, quod aliqui tenentur aliqua credere explicite, ad quorum fidem explicitam alii non tenentur. Sed quæreret forte aliquis, quæ sunt illa credenda explicite ab aliquibus, & non ab omnibus? Ad quod potest responderi, quod illa sunt in duplici differentia, quædam enim sunt, quæ de necessitate spectant ad officium aliquorum, sicut qui habent officium prædicationis aliqua tenentur credere explicite, ad quæ alii non tenentur, quædam vero sunt ab aliquibus credenda explicite, & non ab omnibus, quia ad aliquorum peruenit notitiam, quod in scriptura diuina, aut in doctrina vniuersalis ecclesiæ explicite continentur: licet hoc ad notitiam omnium nequaquam peruenerit. Sicut aliqui sciunt in literis sacris contineri, quod Abraham habuit plures vxores, & quod Helisæus prophetauit post Heliam, & quod Christus fugit in Ægyptum: & ideo illi tenentur explicite credere supradicta. Aliqui autem ignorant hæc in sacris literis reperiri, & illi non tenentur illa credere explicite, sed implicite solum, & sic loquendo de credere explicite, potest contingere, quod laicus tenetur aliquid explicite credere, ad quod credendum explicite episcopus aliquis etiam in Theologia Magister minime tenetur, si enim laicus sciret in scriptura diuina reperiri, quod Amasias fuit filius Ioas, ipse teneretur hoc credere explicite, episcopus autem in Theologia Magister, si non teneret in memoria, quod hoc reperitur in scriptura diuina, non teneretur pro tunc hoc credere explicite. Isto igitur modo accipiendo credere explicite ab aliquo, omne credibile potest esse credendum explicite ab aliquo, quia nullum est credibile, quin aliquis possit scire in scriptura diuina vel doctrina ecclesiæ explicite vel implicite contineri

tineri, qui autem scit illud in scriptura diuina siue explicite, siue implicite contineri, tenetur illud credere explicite, ideo &c. & ex hoc sequitur, quod aliquis tenetur vno tempore solum aliquid credere implicite, & alio tempore tenetur illud credere implicite, ideo &c. Et hoc quidem Thomas aperte insinuat dicens: *quantum ad aliqua credibilia non tenetur homo explicite credere: sed solum implicite vel in præparatione animi, inquantum paratus est credere, quicquid in scriptura diuina continetur, sed tunc hoc solum tenetur credere explicite, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri.* Hæc allegatio fit pro illis, qui tenent doctrinam Thomæ.

Tertio notandum, quod hæretici sunt in duplici differentia, quidam enim sunt scientes hæretici: & quidam sunt hæretici non scientes. Illi sunt scientes hæretici, qui sciunt se Christianæ fidei obuiare, sicut apostatæ à fide, qui fidem Christianam arbitrantur falsam. Illi sunt hæretici nescientes, qui putant se tenere fidem Christianam: sed reputant & tenent pertinaciter quandam fidem esse Christianam, quæ in rei veritate non est. Multi enim fuerunt hæretici, qui putabant se solos catholicos, & omnes alios eis contrarios à veritate catholica deuiare. Hæc distinctio ex verbis beati Augustini, quæ ponuntur *6. quæstion. 1. cap. quæro*, patenter accipitur, ait enim: *quæro enim quis peccet grauius, qui nesciens hæresim incurrit, an qui scienter ab auaritia, id est ab idolatria non recessit? secundum illam regulam, qua peccata scientium peccatis ignorantium præponuntur, auarum conscientia vincit in scelere, sed si forte hunc faciat in hæresi ipsius sceleris magnitudo, quod facit in auaritia scientis admissio, hæreticus nesciens auaro scienti coæquatur*, vbi dicit Glossa super verbo *nesciens*: *Iste est ignorans hæreticus, qui sequitur opinionem, quam putat veriorem, & 24. quæstion. 3. cap. hæresis.* Ex his patenter habetur, quod aliqui sunt scientes hæretici, & aliqui nescientes. Quod etiam probatur, quia Arrianus Sabellius & alii plures damnati fuerunt hæretici: sed non fuerunt scientes hæretici, quia scripturæ diuinæ & doctrinæ Apostolicæ & ecclesiæ vniuersalis putabant se firmiter adhærere, & in illa doctrina se fundare putauerunt, igitur non fuerunt scientes hæretici, quemadmodum apostatæ à fide decedentes negant Christianam fidem, & Scripturam sacram, dicentes eam esse falsam & fictam. Fuerunt igitur prædicti hæretici nescientes, & nonnulli scientes.

Quarto sciendum, quod errantes contra fidem Christianam aberrant ipso facto, & hoc contingit dupliciter: quia aut errant contra veritatem, quam tenentur explicite tenere vel credere: sicut si quis assentiret Christum non fuisse mortuum, putans hoc ad fidem Christianam minime pertinere. Quidam autem errant contra veritatem, quam non tenentur credere explicite: sicut si aliquis putat Christum non fugisse in Ægyptum. Et quidem adhuc contingit dupliciter, quia quidam errant pertinaciter, nec parati sunt corrigi. Quidam vero errant, sed parati sunt corrigi. Ista quatuor prædicta possunt per exempla aperta probari: sed videtur, quod probatione non egent. Primi autem errantes sunt hæretici manifesti, & similiter secundi, & tertii, sed non quarti, quod per multas rationes & auctoritates aperte vel apertas posset ostendi, sed causa breuitatis vnica auctoritas adducetur, qua quatuor prædicta probantur. Est autem auctoritas Augustini, quæ ponitur *24. quæstion. 3. cap. dicit Apostolus*, qui ait: *qui sententiam suam, quamuis peruersam aut falsam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt: sed à seductis & in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint: nequaquam sunt inter hæreticos computandi.* Ex his verbis patenter infertur, quod scientes errantes contra Christianam veritatem sunt hæretici reputandi, quia secundum verba præmissa errans contra fidem, qui non est paratus corrigi, est hæreticus; sed hæreticans scienter contra fidem non est paratus corrigi: quia errans contra fidem debet corrigi per regulam fidei Christianæ, qui ergo regulam fidei putat falsam, non est paratus corrigi, igitur est inter hæreticos computandus. Secundo ex verbis prædictis concluditur, quod errans contra veritatem catholicam, quam tenetur explicite credere, est hæreticus reputandus: quia talis non quærit cauta sollicitudine veritatem: nec paratus est corrigi. Constat enim quod iste, qui non credit hoc, quod credere non solum implicite, sed explicite tenetur de necessitate salutis, non quærit cauta sollicitudine veritatem, nec paratus est corrigi. Igitur est inter hæreticos numerandus secundum auctoritatem Augustini prædictam. Tertio ex auctoritate præscripta euidenter ostenditur, quod errans pertinaciter contra veritatem catholicam, quam non tenetur explicite credere, est hæreticorum numero aggregandus. Nam errans pertinaciter contra fidem catholicam, quam non tenetur explicite credere, defendens enim pertinaci animositate falsam & iniquam sententiam comprobatur, quia defendens pertinaciter sententiam falsam contrariam veritati, quam non tenetur explicite credere propter solam pertinaciam, & non solum propter defensionem inter hæreticos numeratur, sed defendens pertinaci animositate falsam & iniquam sententiam, secundum Augustin. inter hæreticos computatur, igitur errans pertinaciter contra fidem catholicam, quam non explicite tenetur credere, hæreticus est censendus. Quarto ex auctoritate supra dicta infertur, quod errans non pertinaciter contra catholicam veritatem, quam non tenetur credere, non est inter hæreticos computandus, quia talem dicit Augustin. inter hæreticos minime computandum, talis enim paratus est corrigi per regulam fidei Christianæ, & ideo non errat scienter contra fidem, quærit etiam cauta sollicitudine veritatem, & ideo non contra aliquid, quod tenetur credere explicite, errat; quia etiam paratus est corrigi, non errat pertinaciter: sed ex sola simplicitate, vel ignorantia errat, & ideo non est inter hæreticos computandus.

Quinto notandum est, quod non solum per verba prædicationis dogmatizantes seu per determinatio-

minationes, diffinitiones, assertiones verbales errantes contra veritatem de pertinacia cõuincuntur, verumetiam per facta & opera sæpe pertinaces probantur. Ille enim, qui præsumptione violenta potest cõuinci negare aliquam veritatem catholicam, quam prius agnouit esse catholicam, est pertinax reputandus. Item iste qui correctus legitime se non emendat. Item ille, qui molestat aut persequitur catholicam veritatem contrariam defendentes & prauitatem hæreticam impugnantes. Item ille qui recusat se subiicere correctioni & emendationi illius vel illorum, cuius vel quorum interest. Item ille qui de veritate pœnituit informari. Item ille qui ad suum tenendum errorem, alios pœnis vel præceptis vel iuramentis commouit & coegit. Item qui coegit alium veritatem catholicam abiurare, est pertinax reputandus. His enim in numeris aliisque quampluribus est errans de pertinacia conuincendus, & inter hæreticos computandus.

Sexto notandum est, quod differentia est inter protestationem & reuocationem, protestationem enim quantum ad propositum spectat, potest facere tam ille, qui errat, quam ille qui non errat contra fidem, errans enim contra fidem protestatur, quod non intendit aliquid dicere contra fidem, & talis protestatio si est vera, declarat protestantem non errare vel non dicere aliquid scienter contra fidem, & in hoc ostendit, quod non est scienter hæreticus, sed non suffragatur sibi, quin possit esse nesciens hæreticus, non errans etiam contra fidem protestatur per hoc ostendens, quod si erraret, non erraret nisi ex simplicitate vel ignorantia, non ex pertinacia, reuocatio autem non pertinet nisi ad errantem tantummodo, qui enim non errat, non debet aliquid reuocare, sed qui errat contra fidem, cum cognouerit se errasse, tunc debet facere tam reuocationem quam protestationem, quod debet fateri se errasse, & debet promittere, quod de cætero contra fidem nequaquam errabit.

Septimo notandum est: quod reuocatio, quam facit errans contra fidem, non debet esse conditionalis, sed debet esse pura & absque omni conditione. Sicut enim pœnitentia de peccato commisso non debet esse conditionalis, sed sine conditione: ita non debet quis errans reuocare errorem suum sub conditione, sed absolute. Vnde quod aliqui errantes contra fidem, & etiam aliqui non errantes ex consuetudine reuocant aliqua sine conditione dicentes: *si aliquid dixi vel dixero contra fidem, reuoco totum*: talis reuocatio magis dicenda est protestatio, quam reuocatio, talis enim non fatetur se errasse, sed fatetur, quod non dixit vel dicet scienter contra veritatem, & quod si sciuerit se dixisse aliquid contra fidem, paratus est reuocare. Magna autem est differentia inter reuocationem & protestationem. si sciret aliquid dicere contra fidem, talis enim non reuocat, sed protestatur se paratum reuocare, si se cognouerit contra fidem errasse vel errare.

His visis probanda sunt tria, quæ in principio istius capituli præmissa sunt: Quorum primum est intentio hæresis sæpe dictæ (scilicet quod *animæ sanctorum in cœlo non videbunt clare Deum ante diem iudicii*) non potest per verba, quæ hic dixit, aliqualiter excusari, quin fuerit & adhuc sit hæreticus. Quod probatur sic: per verba communia catholicis & hæreticis obduratis & perfidis non potest tenens hæresim contrariam veritati catholicæ, quam tenetur credere explicite excusari, quin fuerit & adhuc sit hæreticus. Quia hæretici verba talia communia catholicis & hæreticis proferentes, morem simiæ imitantur: quæ cum sit expers penitus rationis, in quibusdam gestibus & actibus sequi animal rationale conatur, licet non sit *1. quæstion. 1.* sic qui sunt hæretici cum sunt à fide catholica alieni, in quibusdam verbis catholicos imitantur, sed frustra, quia per talia minime excusantur. Sed verba prædicta, quæ iste profert, sunt communia catholicis & hæreticis obduratis & perfidis, dicunt enim catholici: dicunt & omnes nescientes hæretici, quantumcunque obdurati & perfidi: quod non est intentionis eorum aliquid dicere contra fidem, & si aliquid dixerint, reuocant totum, talem enim protestationem & reuocationem, quæ magis dicenda est protestatio quam reuocatio, omnes Sabelliani, omnes Arriani, omnes Donatistæ, omnes Græci & cæteri hæretici vniuersi (quia alios sibi contrarios reputabant hæreticos & se catholicos) saltem protestati fuissent: qui tamen per talem protestationem nullatenus excusati fuissent. Igitur cum iste teneat hæresim contrariam veritati, quam tenetur credere explicite, per verba huiusmodi minime excusatur, quin fuerit & adhuc sit hæreticus. Et si dicatur, quod per illam rationem nullus errans contra fidem per talem protestationem excusaretur, quin esset hæreticus, cum talis protestatio sit sic communis catholicis & multis hæreticis: quia omnibus hæreticis, qui sunt nescientes hæretici, secundum quod tenens, aut prædicans hæresim contrariam veritati catholicæ. Probabiliter potest dici: quod nullus errans pertinaciter apud Deum per talem protestationem poterit excusari: licet apud ecclesiam, quæ decipi potest, possit errans contra veritatem catholicam (quam non tenetur credere explicite) excusari; si per alium modum de pertinacia conuinci non possit, & tunc quidem eum non excusat solummodo protestatio huius, sed simul per huiusmodi protestationem & defectum probationis per alium modum de pertinacia conuincendi.

Sed qui tenet, docet, aut prædicat hæresim contrariam veritati catholicæ, quam tenetur credere explicite, & hoc ipse scit: constat posse de hæretica prauitate conuinci, & ideo talis per protestationem huiusmodi nullo modo poterit excusari. Octauo igitur ista duo sunt probanda. Primum est, quod iste, qui prædicat, & tenet hæresim contrariam veritati, quam tenetur credere explicite, statim absque maiori inquisitione, est hæreticus iudicandus. Secundum quod licet talis possit conuerti ad catholicam veritatem, tamen nullo modo nec per protestationem prædictam, nec

nec alio modo quocunque poterit excusari, quin fuerit hæreticus. Primum aperte probatur sic. Illa veritas quæ est apud omnes catholicos, tanquam catholica diuulgata, est ab omnibus credenda explicite. Hoc ex notabili tertio supra scripto colligitur euidenter, sed quod animæ sanctorum in cœlo clare vident Deum, postquam iste ad Papatum fuit assumptus, & ante fuit apud omnes catholicos, tanquam catholica diuulgata, & quamdiu postquam iste Papatui præsidebat, nullus casus eam in dubium reuocauit, igitur tenebatur & tenetur etiam eam credere explicite, sicut illam, Christus fuit passus. Ex quo sequitur, quod iste tenet & prædicat hæresim contrariam veritati, quam tenetur credere explicite. Quare statim sine maiori inquisitione vel examinatione hæreticus est iudicandus. Hoc enim ex quarto notabili suprascripto colligitur euidenter, ibi enim probatum est, quod omnis talis errans est hæreticus manifestus, & ideo quando constat, quod talis errat, est hæreticus reputandus. Hoc etiam aliter consimiliter probatur. Qui teneret & doceret Christum non fuisse passum, & mortuum: ideo esset statim hæreticus reputandus, quia apud omnes catholicos tanquam catholicum diuulgatur, quia Christus fuit passus & mortuus, igitur quicunque negat veritatem, quæ apud omnes tanquam catholica diuulgatur, est hæreticus reputandus. Nec est de tali quærendum, an paratus sit corrigi, vel non paratus sit corrigi: an protestetur, vel non protestetur: sed statim est hæreticus reputandus. Aliter enim inter errantes contra illa, quæ tenetur credere explicite: & inter errantes contra illa, quæ non tenentur credere explicite: differentia assignari nequiret. Item errans contra fidem (si debet de hæretica prauitate excusari) oportet quod per ignorantiam excusetur, errans igitur contra fidem, qui laborat ignorantia (quæ non excusat nisi probetur) antequam probet, non debet per ignorantiam excusari. Similiter qui errat contra veritatem (quæ apud omnes catholicos est tanquam catholica diuulgata) nec ignorat talem veritatem esse apud omnes tanquam catholicam diuulgatam: non laborat ignorantia, quæ ipsum apud ecclesiam excusat, nisi ignorantiam talem probauerit. Quia secundum sanctos canones, *illa quæ publice fiunt, nemini licet ignorare.* Et si talem ignorantiam allegauerit, ipsam probabit *9. quæstion. 1. ordinationes, in textu, & in glossa*, igitur qui negat catholicam veritatem communiter apud catholicos diuulgatam, si protestando qualitercunque se voluerit per ignorantiam de prauitate hæretica excusare: oportet quod ignorantiam huiusmodi probet. Vnde si iste posset probare legitime, quod nunquam audiuit aliquem catholicum prædicare, tenere, docere, vel asserere animas sanctorum in cœlo videre Deum; posset de prauitate hæretica excusari: sed aliter non. Sicut etiam si quis negans Christum fuisse passum, per protestationem huiusmodi, scilicet quod non intenderet aliquid dicere contra fidem: & si diceret, totum reuocaret, de prauitate hæretica excusaretur, nisi per alium modum de pertinacia conuinceretur. Sic ergo pro prolixitate vitanda probatum est vnica ratione: quod per sacros canones asserentes, quod nulli licet ignorare ea quæ publice fiunt, geruntur & tenentur, posset multipliciter confirmari: quod inuentor hæresis sæpefatæ, per illam protestationem quam fecit, nullo modo possit excusari, quin fuit, & adhuc sit hæreticus.

Secundum autem probandum est: quod licet possit conuerti ad catholicam veritatem, tamen nullo modo, nec per protestationem prædictam, nec alio modo quocunque poterit excusari, quin fuerit hæreticus. Quod breuiter sic probatur. Qui in rei veritate est hæreticus, licet posset conuerti: tamen nullo modo poterit excusari, quin fuerit malus, sed iste fuit hæreticus, igitur licet possit conuerti ad catholicam fidem: tamen non poterit excusari, quin fuerit hæreticus. Maior est manifesta. Minor probatur. Primo per prædicta, quia prædicauit, & docuit hæresim contrariam veritati catholicæ, quam tenetur credere explicite, igitur fuit hæreticus. Secundo probatur sic, sicut patet ex quinto notabili, errans contra catholicam veritatem non solum vincitur per verba, quæ asserit: sed etiam per facta & opera, & ideo ad conuincendum istum de pertinacia & prauitate hæretica, non solum attendenda sunt verba ipsius, sed simul cum verbis consideranda sunt opera eius, per quæ aliquis de pertinacia conuincitur manifeste. Præterea sic. Errans contra fidem, qui prædicantes, docentes, vel defendentes, aut tenentes catholicam veritatem, & impugnantes hæreticam prauitatem persequitur, & molestat, est hæreticus iudicandus, sicut tactum est in quinto notabili suprascripto. Sed iste prædicantes & tenentes catholicam veritatem, scilicet quod animæ sanctorum in cœlo vident Deum: & impugnantes contrariam hæreticam prauitatem, persequitur & molestat, igitur hæreticus est censendus. Maior istius rationis est manifesta: Quæ tamen multis modis ostenditur. Primo modo sic, reprobi circa fidem sunt hæretici reputandi, qui autem prædicantes veritatem catholicam & prauitatem hæreticam impugnantes persequitur & molestat, est reprobus circa fidem: quia damnabiliter veritati resistit, qui sunt autem damnabiliter veritati resistunt, reprobi circa fidem, teste Apostolo, qui 2. ad Tim. 2. ait: *Quemadmodum autem Ioannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem:* & per consequens sunt hæretici iudicandi. Secundo sic, errans contra fidem, qui persequitur & molestat veritatem catholicam confitentes, & prauitatem hæreticam impugnantes: non quærit cauta sollicitudine veritatem, nec paratus est corrigi, talis autem hæreticus est manifestus, secundum Augustinum, vt habetur *24. quæstion. 3. dicit Apostolus*, igitur tales persequentes veritatem catholicam confitentes, sunt hæretici manifesti. Item sic: Grauius peccat & delinquit, qui catholicam veritatem impugnat, quam qui non recipiunt prædicatores catholicæ

tholicæ

tholicæ veritatis: & tamen peccant mortaliter, testante ipsa veritate, Matthæi decimo quæ ait: *quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate excutite pulverem de pedibus vestris, amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorreorum in die iudicii, quam illi ciuitati.* Igitur grauius vel non minus peccant: qui ideo alios persequuntur vel molestant, quia catholicam tenent vel prædicant veritatem, & prauitatem impugnant hæreticam. Sed peccatum tale & tam graue non est sine pertinacia. Igitur tales sunt pertinaces, & per consequens hæretici censendi. Sic igitur probata est maior: quod errans contra fidem, qui prædicantes & asserentes catholicam veritatem, aut impugnantes hæreticam prauitatem persequitur & molestat, est hæreticus iudicandus. Minor autem, quod isti prædicantes & tenentes animas sanctorum in cœlo videre Deum, & impugnantes contrariam hæreticam prauitatem persequitur & molestat, per opera eius aperte probatur. Primo: quia ideo, vt fertur, quendam prædicatorem Magistrum in Theologia carceri mancipauit. Secundo, quia, vt dicitur, volentes prædicare veritatem catholicam priuauit sermonibus consuetis. Tertio quia, vt narratur, quondam amicos suos suadentes sibi veritatem prædictam, male portauit. Quarto, quia (sicut fertur) scripta defendentium veritatem prædictam, conatur peruertere, & arripere eos in verbis, vt sic eos cogat à veritate consona cessare. Ista & alia multa, quæ dicitur fecisse in defensores veritatis catholicæ consistunt in facto, & ideo non per rationem, vel auctoritatem, sed per testes & alia documenta legitima sunt probanda.

Secundo, per opera eius ostenditur, quod est hæreticus manifestus, nam errans contra fidem, qui in fauorem sui erroris reprobos & malignos promouet & exaltat: hæreticus est censendus: quia talis non est paratus corrigi, & per consequens est hæreticus reputandus. Sed inuentor hæresis sæpedictæ in fauorem erroris sui reprobos, vt refertur, promouet & exaltat, igitur est hæreticus censendus. Maior est manifesta. Minor in facto consistit, & ideo per legitima documenta est probanda. Ex dictis aperte colligitur, quod duo promittebantur probanda in principio istius capituli: quod scilicet assertor hæresis antedictæ possit conuerti ad catholicam veritatem: tamen nullo modo poterit excusari, quin fuerit hæreticus.

Tertio principaliter est dicendum, quale reuocationem ipsum oportet facere: si velit inter catholicos reputari, qui scilicet declaret ipsum non esse hæreticum: licet per nullam reuocationem poterit declarare se non fuisse hæreticum. Ad cuius euidentiam est sciendum, quod errantes primo modo, secundo & tertio, de quibus dictum est in tertio notabili, ad hoc quod debeant catholici reputari, necesse est quod simpliciter & absolute sine omni conditione (sicut dictum est in quinto notabili) reuocent suum errorem, & fateantur se errasse. Errantes autem quarto modo, de quo dictum est in quinto notabili suprascripto, si cognouerint se errasse primam reuocationem absque omni conditione ad hoc, quod pro catholicis habeantur satisfacere restringuntur. Si autem aliquis errauerit quarto modo, non tenetur aliquid reuocare proprie loquendo: sicut ante dictum est in sexto notabili: sed sufficit sibi facere protestationem, nisi per alia verba eius, aut opera possit de pertinaci animositate conuinci. Ex istis duo liquide constant. Primum est, quod omnes hæretici, siue scientes sint hæretici, siue nescientes hæretici (de quorum differentia dictum est in tertio notabili suprascripto) & omnes catholici, qui sciunt se ex ignorantia vel ex simplicitate contra fidem errasse: ad hoc quod pro catholicis habeantur, tenentur errorem suum pure & absolute & simpliciter sine omni conditione, notificatione, & palliatione reuocare, & se errasse confiteri. Secundum est, quod catholicus errans ex sola simplicitate non tenetur aliquem errorem reuocare, sed si nihil habetur contra ipsum, nisi quod talem errorem tenuit absque omni pertinacia opinando, antequam sibi constiterit quod errauit: sufficit quod protestetur se ex intentione nihil dixisse: etiam quod paratus est reuocare, si cognouerit se errasse.

Primum istorum auctoritate, exemplis, & ratione probatur, auctoritate quidem: Primo Leonis Papæ *prim. quæstion. septim. cap. saluberrimum*, euidenter ostenditur. Ait enim: *Saluberrimum, & spiritualis medicinæ vtilitate plenissimum est, vt siue presbyteri, siue diaconi, siue subdiaconi, aut cuiuscunque ordinis clerici, qui se videri correctos volunt, atque ad fidem catholicam, quam quidem amiserant, rursum reuerti ambiunt, prius errores suos, & ipsos auctores erroris à se damnatos sine ambiguitate fateantur, & sensibus prauis etiam peremptis, nulla desperandi supersit occasio, nec vllum membrum talium possit societate violentari: cum per omnia professio propria cœperit illis obuiare.* Ex quibus euidenter colligitur, quod omnes errantes contra fidem, qui volunt videri correcti, suos errores reuocare tenentur. Sed dices forte, ex hac auctoritate videtur posse inferri, quod qualitercunque errantes teneantur errorem suum reuocare, si voluerint videri correcti: cuius tamen oppositum assumitur in secundo, quod sequitur ex dictis. Ad hoc est facile respondere: quod errantes primo modo, secundo, tertio & quarto, si errasse cognouerint, tenentur velle videri correcti, & ideo pure & sine omni conditione suos errores reuocare tenentur. Errantes autem quarto modo, si se errasse nequaquam cognouerunt, non tenentur de hoc velle videri correcti pro tunc: sed nec tenentur tunc scire se errasse. Ad prædictam conclusionem est concilium Martini Papæ: in quo, vt legitur prim. quæstion. septim. cap. *si quis episcopus vel alicuius episcopi presbyter aut diaconus vel accolitus opinionem offenderit: & ob hanc causam fuerit excommunicatus, nullus episcopus*

in communione eum recipiat, nisi prius in communi concilio, porrecto fidei suæ libello, satisfaciat omnibus, ita liberam suam teneat purgationem, hoc idem & de fidelibus laicis sit decretum, si in aliqua hæresis opinione fuerint nodati. Ex quibus verbis datur intelligi: quod omnes errantes contra fidem, qui errores suos reuocare tenentur, pure suam debent confiteri fidem, & per consequens pure & absque conditione suos errores reuocare. Hoc etiam ex decret. Papæ Lucii, quod ponitur *extra, de hæreticis, ad abolendam*, potest intelligi, vel colligi euidenter. Verum quia auctoritates prædictæ, & alia de ista materia, ad intellectum peruersum possunt trahi, sunt duo notanda. Quorum primum est, quod in auctoritatibus prædictis quædam ponuntur, quæ sunt de iure humano & positiuo. Aliquid autem continent, quod est de iure diuino, quod omnes summi Pontifices, & omnia generalia concilia mutare non possunt. Asserunt autem auctoritates præfatæ, quod errantes contra fidem errorem suum reuocare pure tenentur, quod verum est secundum legem diuinam, quantum ad simplicitatem reuocationis, præsertim si aliqui scandalizati fuerint de errore, debent enim errorem dimittere, & propter scandalum eruendum fateri se errasse, & veritatem catholicam fateri, iuxta illud Matthæi decimo. *Omnis igitur qui confitetur me coram hominibus: confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est*, & ad Romanos 4. *corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Quod autem secundum concilium Martini Papæ errantes debeant libellum fidei suæ in concilio communi porrigere: & secundum Lucium Papam, hæretici debent suam hæresim abiurare: & ex iure humano & ex iure positiuo (quod ex causa iusta instituitur) potest ex rationabili causa mutari.

Secundo sciendum est, quod hæretici sic tenentur suum errorem reuocare, quod debent simpliciter & pure fateri grauiter se deliquisse, & ideo secundum canonicas sanctiones, sunt grauiter puniendi, sed ignorantes contra fidem ex sola simplicitate & ignorantia absque omni pertinacia, licet pure & sine omni conditione debeant reuocare suum errorem, non tamen tenentur fateri se errando peccasse, saltem mortaliter. Nec post reuocationem huiusmodi est eis pœnitentia imponenda: nisi forte sponte vel ad cautelam, vel ex humilitate voluerint pœnitentiam sustinere. Nec propter talem errorem sunt infamia aliqua notandi. Et sic auctoritatibus patet, quod omnes hæretici siue scientes, siue nescientes, si voluerint correcti videri, & etiam omnes catholici errantes, postquam cognouerunt se errasse, pure & sine omni conditione & sine palliatione suum debent reuocare errorem, fatendo se errasse, & protestando, quod de cætero scienter contra catholicam veritatem nequaquam intendant errare.

Hæc eadem assertio aperte probatur exemplis. Primum exemplum habetur in decretis *1. quæstion. septim. cap. maximum*, vbi de quodam hæretico dicit Leo Papa: *Maximum quoque ex laico reprehensibili licet ordinatum, tamen si Donatista iam non est, & à spiritu schismaticæ prauitatis alienus est, ab episcopali (quam quoquo modo adeptus est) non repellimus dignitate. Ita vt ipse libello ad nos directo catholicum se esse manifestet.* Ex quibus verbis habetur, quod iste quondam Donatista pure & sine omni conditione debuit manifestare se esse catholicum. Quod facere nequaquam potuit, nisi pure, & sine omni conditione hæresim abnegando. Secundum exemplum ponitur, *ca. Donatum*, de quodam alio, de quo idem Leo Papa sic ait: *Donatum autem Sciatensem ex Nouatiano (vt comperimus) cum sua plebe conuersum, ita Dominico gregi volumus præsidere, vt libellum fidei suæ ad nos meminerit dirigendum, quo & Nouatiani dogmatis damnet errorem, & plenissime confiteatur catholicam veritatem.* Ex his colligitur, quod iste Donatus debuit plenissime catholicam veritatem confiteri, igitur & debuit pure & sine omni conditione prauitatem hæreticam abnegare. Tertium exemplum ponitur *de consecration. distinction. secund. cap. ego Berengarius*, vbi clare habetur, quod Berengarius pure, & sine omni conditione & palliatione sane reuocauit errorem, imo anathematizauit dicens: *Ego Berengarius, indignus ecclesiæ sancti Mauricii Andegauensis diaconus, cognoscens veram catholicam & Apostolicam fidem anathematizo omnem hæresim: præcipue eam, de qua hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur panem & vinum*, &c. Ex his verbis patenter habetur, quod iste pure, & sine omni conditione ac palliatione reuocauit errorem. Quartum exemplum de beato Augustino, qui quandoque prædicauit errorem, absolute, pure & sine omni conditione reuocauit eundem. Vnde in *epistola ad Vincentium*, & ponitur *vigesim. tert. quæstion. sext. cap. vides*, sic dicit: *mea primitus erat sententia, neminem ad Christi veritatem cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberem, quos apertos hæreticos noueram. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis tantum, sed demonstrantium superabatur exemplis.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod beatus Augustinus pure & sine conditione fatebatur opinionem suam superatam à veritate fuisse, & ita opinionem suam pure sine omni conditione reuocauit. Non enim in reuocatione necesse est vti verbo reuocandi: sed sufficit verbis æquipollentibus vti. Si enim dicit quis: *reprehendo hanc opinionem meam*, vel *sententiam*: vel, *dico esse falsam*, aut *contra veritatem*: imo si dicit, *fateor assertionem contrariam esse veram*: vel verba æquipollentia profert: in rei veritate, pure, & sine omni conditione, errorem suum prætendit reuocare: Et isto modo Augustinus errores suos reuocauit quamplures, ipsomet testante: qui in principio libri Retractationum ait: *iamdiu id facere cogitabam, atque disponebam, quod nunc adiuuante Domino aggredior, quia differendum esse non arbitror, vt opuscula mea siue in libris, siue in epistolis, siue in tractatibus, cum quadam seueritate iudiciaria recenseam, & quod me offenderit velut censorio stylo denotem. Neque enim quisquam nisi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit.*

Sed

Sed si dicit, non es debuisse à me dici, quæ postea etiam mihi displicerent, verum dicit, & mecum facit, eorum quippe reprehensor est, quorum & ego sum. Et postea ait: *quicunque ista lecturi sunt, non me imitentur errantem, sed in melius proficientem.* Ex his aliisque quampluribus verbis beati Augustini concluditur aperte, quod beatus Augustinus errores suos pure & sine conditione voluit reuocare. Vnde & in libro Retractationum de se, & de suis opinionibus loquens sæpe vtitur talibus verbis: *temere dictum est, minus considerate dictum est; hoc improbo: & non approbo: nec illud mihi placet.* Ex quibus modis loquendi colligitur euidenter, quod Augustinus plures errores pure & sine omni conditione ac palliatione reuocauit: licet plura dicta sua non reuocauerit in libro Retractationum, sed retractauit exponendo, quem de ipsis habuit intellectum. Sed forte quæreret aliquis, an Augustinus fuerit hæreticus, ex quo plures errores contra fidem docuerat. Ad quod dicendum est, quod Augustinus post conuersionem suam, propter nullum errorem fuit hæreticus reputandus, quia nullum errorem contrarium veritati catholicæ: quæ apud omnes catholicos tanquam catholica existit diuulgata: nec aliquem errorem contra veritatem catholicam, quam tenebatur credere explicite: tenuit, etiam opinando, sed ex sola ignorantia aut simplicitate errauit, quæsiuitque cauta sollicitudine veritatem: quam postquam inuenit, statim correxit se, ac loco & tempore opportunis pure, & sine omni conditione reuocauit errorem, & confitebatur plenissime catholicam veritatem.

Sic igitur manifeste est ostensum, quod tam omnes hæretici, quam catholici ex ignorantia contra fidem errantes, postquam cognouerint se errasse, pure & sine omni conditione errores suos reuocare tenentur, & hæc eadem assertio ratione probatur. Nam quilibet catholicus loco & tempore opportunis, aliis circumstantiis necessariis debitis obseruatis, pure, & sine omni conditione confiteri tenetur catholicam veritatem. Confessio autem catholicæ veritatis est reprobatio contraria hæreticæ prauitatis antea tentæ, & pure & sine conditione reuocatio hæreticæ prauitatis.

Sic igitur quilibet loco & tempore opportunis, aliis circumstantiis debitis & necessariis obseruatis, pure & sine conditione, postquam nouit se errasse, errorem reuocare tenetur. Amplius secundum Augustinum in *epistola ad Vincentium*, & ponitur *23. quæstion. 7. cap. vltimo*, quod quasi *nemo potest gaudere se esse correctum, nisi doleat se fuisse peruersum*, & secundum Gelasium, vt *24. quæstion. 2. cap.* legitur, *nulli nisi corrigenti se est venia concedenda.* Igitur consimiliter, nemo potest gaudere se ad catholicam veritatem esse reuersum, nisi doleat se à veritate catholica deuiasse, & per consequens qui contra fidem errauit (& si vere & non ficte reuertitur) omnem dimittit hæreticam prauitatem & errorem contrarium, nec potest ante errorem perfecte, meritorie & virtuose dimittere, nisi satisfaciat illis, quos prius scandalizauerit: vel quibus dedit occasionem errandi, quod nequaquam facere potest, nisi pure & sine omni conditione reuocando errorem. Igitur talem reuocationem eum facere oportet, si idem catholicis satisfacere cupit. Istæ autem rationes non procedunt de hæreticis errantibus non manifestis, sed occultis: quia illis sufficit ad veritatem redire catholicam, & qui damnabiliter errauerunt, confiteri debent secundum formam ecclesiæ sacerdoti, licet rationes procedant de hæreticis, & errantibus manifestis & publicis, qui alios scandalizauerunt, vel saltem aliis occasionem errandi dederunt, & quod debent isti pure, & sine omni conditione reuocare errores.

Tertio idem probatur ratione, sicut peccata sunt purganda, sic reuocandi sunt errores, sed secundum Calixtum Papam, vt habetur *extra de pœnitentiis & remissionibus, cap. prim.* manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda, nec sunt sub conditione expurganda. Igitur errores manifesti, & diuulgati non sunt secrete nec sub conditione: sed pure & simpliciter reuocandi. Sic ergo patet, quod omnes hæretici & omnes reuocantes, postquam cognouerint se errare, pure & sine omni conditione suos errores reuocare tenentur: vel occulte saltem coram Deo, si sint occulti, & non publici, & errores suos non publicauerunt, quia illis quos scandalizauerunt, vel quibus saltem occasionem errandi dederunt, satisfacere obligantur: Secundo probandum est, quod errans contra catholicam veritatem, quam non tenetur explicite credere, ex sola simplicitate vel ignorantia absque omni pertinacia: antequam cognouerit se errasse, non tenetur errorem aliquem reuocare: sed sufficit protestari, quod paratus est reuocare, si se errare cognouerit. Quod probatur sic, nullus tenetur mentiri. Igitur talis non tenetur recognoscere se errare: quamdiu sibi non constat quod errauerit, & sic errorem reuocare non debet. Sed diceret aliquis: quod per hanc rationem nullus hæreticus nescienter teneretur suam hæresim reuocare: quia mentiri non dicit se errasse, ex quo credit se nunquam errasse. Ad hoc potest dici, quod per rationem prædictam bene probatur, quod hæreticus nescienter stante conscientia, qua putat se veritatem tenere, non debet reuocare errorem: sed illam conscientiam tenetur dimittere: & non tenetur hæresim tenere. Sed qui errat contra veritatem, quam non tenetur explicite credere, non tenetur de necessitate salutis conscientiam talem dimittere, nec mortaliter peccat conscientiam talem habendo, antequam cognouerit se errare, & ideo non est simile de hæretico, & de tali errante.

Ex prædictis concluditur manifeste, qualem reuocationem debet facere inuentor hæresis prædictæ, si velit inter catholicos reputari, quæ scilicet declaret ipsum non esse hæreticum pro hæresi memorata: licet per nullam declarationem poterit declarare se non fuisse hæreticum: quia

ipse pure & sine omni conditione, ac palliatione dictam hæresim reuocare tenetur, his verbis vel æquipollentibus: *Abnego hæresim quam probaui & docui, quia asserui quod animæ sanctorum in cœlo non clare vident Deum, consentio autem fidei orthodoxæ, ac corde & ore confiteor, quod animæ sanctorum purgatæ in cœlo sunt Deum facialiter, clare videntes.* Quod autem talem reuocationem facere tenetur, ex præmissis ostenditur. Nam ostensum est, quod omnes errantes contra veritatem catholicam, quam credere tenentur explicite, suum errorem, pure & sine omni conditione reuocare tenentur. Sed iste errat contra veritatem catholicam, quam credere tenetur explicite. Igitur dictam hæresim pure, & sine omni conditione reuocare tenetur. Et ideo cum dicit: *nunquam tamen nostræ intentionis fuit dicere aliquid contra fidem*: per hæc verba minime excusatur, sicut nec Græci, Iacobitæ, Georgiani, Arriani, Sabelliani, Donatistæ, & alii hæretici quamplurimi minime excusantur: licet non fuerit intentionis eorum aliquid dicere contra fidem, licet enim excusetur per hoc, quod non fuerit scienter, vel sciens hæreticus: non tamen poterit excusari, quin fuerit saltem nesciens, vel nescienter hæreticus. Duobus autem modis debet conuinci. Primo, quia non credit veritatem, quam debet credere explicite, & ideo posito hoc: quamuis per solas probationes conuinci non posset: tamen conuincitur per opera sua, cum ostendunt pertinaciam manifestam: & quod non quærit cauta sollicitudine veritatem: & quod non est paratus corrigi. Cum autem dicit: *quod si aliquid dixerimus, &c. ex nunc reuocamus*: quamuis hic vtatur verbo reuocandi, tamen ista non est reuocatio proprie loquendo, sed est magis protestatio. Et ideo hic probanda sunt duo. Primo, quod hic non ponitur reuocatio proprie dicta, secundo, quod ista protestatio sibi non prodest. Quod vero non sit hic reuocatio, patet: quia conditionalis nihil ponit, hæc autem est conditionalis, igitur non est reuocatio alicuius erroris. Secundo, quia reuocatio est erroris confessio, qui autem dicit aliquid conditionaliter, nihil profitetur, igitur &c. Tertio, quia catholicus, qui nunquam errauit, nullum debet reuocare errorem, prædicta autem verba potest & debet dicere omnis catholicus, igitur hæc nulla est reuocatio. Quarto, talia verba etiam diceret omnis nesciens siue nescienter hæreticus, qui errori suo pertinaciter adhæreret, putans eum esse catholicam veritatem: & tamen talis per talia verba nullum intendit reuocare errorem, igitur talia verba reuocationem non continent. Secundo probatur: quod dicta protestatio sibi minime prodest. Primo, quia protestatio tunc non prodest, cum quis facit in contrarium, *extra de sensibus, cap. olim, & de constitutionibus tantum*, sed iste facit multa contra protestationem prædictam: quia per multa facta & opera ostendit se ad reuocandum nullatenus esse paratum, sicut ostensum est prius, igitur talis protestatio tali minime prodest. Secundo: quia protestatio conditionalis minime prodest protestanti, quare ignorantia vel simplicitas non excusat, quia in diffinitionibus & obiectis fidei taliter protestantur catholici, vt insinuent se errare (si errant) non ex pertinacia aliqua, sed ex ignorantia vel simplicitate sola. Et ideo talis protestatio in diffinitionibus valet solummodo, quando protestans potest per simplicitatem vel ignorantiam excusari. Sed quod iste istis modis excusari non valeat, constat aperte. Primo non simplicitate, quia ex multa deliberatione, meditatione & studio dicit, & cum hoc prædicat hæresim sæpe dictam. Nec valet per ignorantiam excusari: quia ignorantia illorum, quæ quis scire tenetur, nequaquam excusat, ipse autem tenetur scire, quod hæc est veritas catholica, scilicet quod animæ sanctorum in cœlo clare vident Deum: Quia hoc tenetur ipse scire explicite, cum sit veritas apud omnes catholicos diuulgata, igitur per ignorantiam excusari non potest. Tertio probatur sic: per protestationem communem catholicis & hæreticis non potest errans contra catholicam veritatem, quam tenetur credere explicite, excusari, hoc ex præcedentibus satis apparet, sed talis protestatio est communis catholicis, & hæreticis nescienter, omnes enim tam isti, quam alii protestantur, vel protestari possunt esse parati, quod si aliquid dixerint contra fidem, totum reuocant, & iste in hoc casu errat contra veritatem catholicam, quam tenetur credere explicite, igitur per talem protestationem minime excusatur, nec talis protestatio sibi prodest. Quarto sic: si talis protestatio sibi prodesset, eadem ratione prodesset neganti quantamcunque veritatem catholicam, sed hoc est manifeste falsum: quia tunc liceret cuicunque prædicare publice, quod Christus non est passus, nec mortuus, nec natus de virgine, & quod non est alia vita perpetua post istam vitam: & quod bona opera non prosunt post mortem: & quod Deus non est diligendus: & quod non est obediendum Deo: & alia consimilia prædicare liceret, absque metu hæreticæ prauitatis, si prædicans protestaretur dicens: *ista dico & teneo, tamen non est intentionis meæ aliquid dicere contra fidem, & si aliquid dixi, totum ex nunc reuoco*, sed hoc est inconueniens manifestum. Igitur sicut nec illis, ita nec isti talis protestatio prodest.

Cap. XI.

Vbi ponitur quintum recitatum supra capitulo septimo, scilicet dolosa reuocatio, qua confutatur.

Sequitur: *Si quis magnus aut paruus aliquid habet pro conclusione affirmatiua, secure det mihi & libenter recipiemus.* Hic narratur, quō inuentor erroris prædicti verbis dolosis & ambiguis se nō pertinaciter

zelare

zelare pro assertione prædicta prætendit. Sed dolus eius, cum dicit: *si quis magnus, aut paruus aliquid habet pro conclusione affirmatiua, secure det mihi.* Et hoc ex eius operibus perpenditur euidenter. Nam ex persecutione, quam infert zelatoribus catholicæ veritatis, constat aperte, quod qui daret sibi aliquid pro veritate, suo errori contraria; se periculo & confusioni exponeret, eo quod zelatores & defensores catholicæ veritatis, eius gratiam perdunt, & indignationem incurrunt: licet interdum forte erga aliquos callide suam indignationem occultet. Hoc in facto consistit, ideo non per rationem, vel auctoritatem, sed per facta eius aut opera debet ostendi. Cum vero dicit: *libenter recipiemus*: suam dolositatem & malitiam per verba ambigua molitur abscondere. Nam potest quis allegationes suas contra opinionem suam libenter recipere, vel ad reprobandum, vel ad respondendum, vel ad inuestigandum, quæ suæ opinioni dissentiunt, vel ad discutiendum, vel ad probandum. Primis tribus modis videtur probabile: quod ipse libenter reciperet allegationes pro parte affirmatiua, vt scilicet eas reprobet, vel eis respondeat, vel quæ suo errori dissentiunt, inuestiget, & eas (si viderit tempus) destruat, & confundat. Sed ad discutiendum & probandum, facta eius ostendunt, quod non libenter recipiat allegationes contra suum errorem.

CAP. XII.

Deducit sextum capitulo 7. assignatum.

SEquitur: *Et super hoc statim petiuit fieri publicum instrumentum: & solutum est consistorium.* Hic vltimo narratur, quod de reuocatione sua, vel protestatione petiuit fieri publicum instrumentum: sed per præcedentia patet, quod iuxta processum præcedentem, tale instrumentum sibi non poterit suffragari. Eo quod prædicta protestatio sibi minime prodest. Omnia suprascripta, quæ de meo protuli: sicut & dicta mea & opuscula vniuersa correctioni, & emendationi illius vel illorum, cuius vel quorum interest, submitto: paratus, si cognouero, quod aliquid dixerim contrarium veritati, omnimode reuocare. Si vero assertiones istius, vel opera aliter recitauerim, quam veritas habeat, reportatoribus imputetur.

Explicit primus tractatus.

SECVNDVS TRACTATVS

IN QVO RATIONES IOHANNITARVM CONFVTAT, PROBANTES quod anima purgata, vel sanctorum in cœlo non vident Deum facialiter.

CAP. I.

Ostendit modum procedendi huius tractatus.

QValis est rector ciuitatis, tales sunt inhabitantes in ea.* Quia subiectis existit quodammodo naturale (vel vt placeant, vel vt displiceant) suis se rectoribus conformare. Affectant autem rectores præcipue, vt sectæ suæ (quantum ad ea quæ fidei, & religionis existimant) subiecti feruentius acquiescant. Et ideo cum rector infectus fuerit hæretica prauitate, quia ei placere desiderant, prauitate consimili inuoluuntur, quia exemplum erroris vehementer ostenditur, quando errans timore potentiæ honoratur. Cum igitur rector in Auinionica ciuitate circa visionem animarum sanctarum in cœlo, damnabiliter (vt fertur) noscitur errare: consequens est, quod qui ei cupiunt placere, errorem istius non metuant publicare: & rationibus & auctoritatibus quauis scriptura communire. Sane licet plures in sacris literis eruditi præfati rectoris errorem de visione animarum sanctarum in cœlo, in diuersis operibus reprobauerunt luculenter, fundamentaque suorum sequacium eliserunt euidenter: assertiones tamen & motiua quorundam, qui in fauorem rectoris prædicti, quod animæ sanctæ in cœlo non vident Deum, publice prædicare, asserere, & docere præsumunt, in præsenti opusculo confutare conabor. Non tamen principalem errorem improbare studebo. Quia in aliis operibus inquisitius eius poterit improbatio reperiri: sed ad quasdam rationes sophisticas, quas ad muniendum prædictum errorem adducunt, satagam respondere. Et quorundam errores, quos incidentaliter dogmatizant, breuiter reprobabo.

CAP. II.

Primam rationem soluit, quæ ex eo procedit, quod tempus credendi, quod vsque ad diem iudicii durabit, non patitur secum tempus Deum beatifice videndi.

QVod igitur animæ sanctæ in cœlo non vident Deum, quidam sic probare nituntur. Tempus credendi, & tempus beatifice Deum videndi non compatiuntur se inuicem: secundum doctri-

nam Apostoli in multis locis, quia fidei succedit visio. Sed tempus credendi (secundum omnes sanctos) durabit vsq; ad diem iudicii. Igitur animæ sanctorum Deum non vident, nec videbunt. Quamuis istius rationis solutio exquisita *in tractatu contra tractatum prædicti Rectoris*, in quo probare conatur, quod animæ sanctæ in cœlo non vident Deum, potuerit inueniri, ipsam tamen volo hic aliter pertractare. Maior itaque rationis præscriptæ sensum habet falsum, nam si intelligatur, quod tempus credendi & tempus Deum beatifice videndi, nullo modo sunt simul, pro diuersis falsa est: quia constat, quod quantum ad angelos, est nunc tempus Deum beatifice videndi, & pro Christo est etiam nunc tempus Deum beatifice videndi: quia Christus & angeli nunc beatifice vident Deum, & tamen pro viatoribus tempus est nunc credendi. Si autem intelligitur, quod in eodem tempus credendi, & tempus Deum beatifice videndi non stant simul, conceditur. Cum autem dicitur, quod tempus credendi durabit vsque ad diem iudicii, verum est in viatoribus: quoniam in cœlo non est tempus nunc Deum credendi esse trinum & vnum. Sed quod fides sit in omnibus viuis & mortuis, probatur per illud Apostoli ad Ephes. 4. *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam vero prophetas, alios vero euangelistas, alios autem pastores & doctores ad societatem sanctorum in opus mysterii & ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, iste autem occursus non erit ante diem iudicii, igitur fides durabit in omnibus tam viuis quam defunctis vsque ad diem iudicii. Ad hanc probationem est facile respondere, quia Apostolus in verbis prædictis intendit ostendere: quod vsque ad diem iudicii stabit prælatio, Glossa teste, quæ super verbo *donec*, ait: quod *tamdiu durabit hæc prælatio etiam ordinata: donec & in die iudicii nos omnes, qui sumus in vnitate fidei*, &c. Prælatio autem illa, de qua Apostolus loquitur, non est nunc in cœlo quantum ad alias sectas, igitur per verba Apostoli non potest probari, quod fides sit nunc in cœlo: sed fides est & erit vsque ad iudicium in vita mortali, & hoc est verum: quod in mortali durabit spes vsq; ad diem iudicii. Sed forte diceret aliquis, quod Glossa asserit ibi, quod fides remanebit in omnibus quousque omnes occurramus in vnitate fidei, quia dicit: *quæ prælatio durabit donec in diem iudicii, omnes in vnitate fidei, id est in vna & non discrepante fide, igitur vsque ad illam occurramus*. Ex quibus colligitur, quod omnes saluandi occurrent in die iudicii in vna & non discrepante fide, igitur vsque ad illum occursum omnes tenebunt fidem, igitur vsque ante illum occursum nullus saluandus erit sine fide, & per consequens non videbit Deum. Sed ad hoc respondetur, quod male allegatur Glossa, quia non est intentio Glossæ, quod durabit prælatio donec omnes occurramus in vnitate fidei: quia multi in fine prælationis occurrent non in fide, sed in clara visione: sed est intentio quod prælatio durabit donec omnes qui sumus, quamdiu sumus in vita præsenti in vna, & non discrepanti fide occurremus. Aliqui tamen occurrent in clara visione: & aliqui occurrent in fide. Et quod sic debeat intelligi Glossa, patet, quia dicit: *donec in die iudicii omnes, qui sumus in vnitate fidei: & in vna & non discrepante fide, quamdiu scilicet sumus in vita præsenti*: non autem pro vita post mortem. Nec vnquam dixit Apostolus, quod fides in omnibus defunctis saluandis remanebit.

Cap. III.

Adducit aliam rationem probantem idem, quæ fundatur super oratione ecclesiæ in canone, vbi dicitur, qui nos præcesserunt & dormiunt, &c.

Rursus pro errore prædicto taliter allegatur. Ad hoc scil. quod animæ sanctæ in cœlo Deum minime sunt visuræ, est oratio ecclesiæ, quæ dicit pro defunctis: *Qui nos præcesserunt & dormiunt in somno pacis*: pro quibus orat ecclesia, vt lucem viuendi Deus eis concedat in futurum, scilicet post diem iudicii. Et si dicatur eis, quod hæc oratio est pro defunctis, quorum animæ sunt in purgatorio: Hoc improbare conantur dicentes: quod hoc non est verum, quia in oratione ecclesiæ præmittitur, quod *dormiunt in somno pacis*, & non pœnæ & afflictionis. Ex quibus clare patet, quod oratio illa non fit pro animabus in purgatorio existentibus: sed pro illis animabus, quæ sunt in pace & quiete, & exspectant post vltimum iudicium, & non ante, Dei visionem & suam beatificationem. Vt istius allegationis peruersitas clarius demonstretur, est primo sciendum, quod *pacis* vocabulum accipitur multipliciter in scripturis. Vno modo importat concordiam vnius ad alterum, teste Glossa quæ super illud ad Romanos decim. quint. *Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo*, qui, *vt repleat vos pace habita in credendo, id est concordia adinuicem*. Et super illud ad Romanos decimo quarto, *non est enim regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax*: dicit Glossa: *pax, id est concordia, quæ est effectus iustitiæ*. Aliter accipitur *pax* pro reconciliatione ad Deum, quæ est per charitatem, sicut accipitur pax, cum dicit Apostolus ad Roman. 1. *Gratia vobis & pax à Deo Patre*, etiam teste Glossa, quæ ait ibidem: *sicut gratia Dei est, qua donantur nobis peccata: ita pax est, qua ex inimicis reconciliamur Deo*. Sic enim accipit pacem Apostolus in ead. epist. c. 5. dicens: *Iustificati igitur ex fide pacem habeamus*, test. Gl. quæ ad idem: *habeamus pacem ad Deum, quia ibidem ei reconciliati sumus*, sic etiam accipitur pax ad Col. 3. cum dicit Apost. *pax Christi exultet in cordibus vestris*, teste Glossa quæ dicit ibidem: *pax Christi, id est quam Christus habuit in se & haberi præcepit: vel quam inter Deum & hominem fecit: exultet in cordibus vestris, causa exultationis, quia vtrum-*

vtrumque erit, si habeatur charitas, quæ veram habet pacem, quæ puro corde custoditur, pax enim dici non potest, quæ non habet charitatem, charitas vero semper secum habet pacem.

Tertio accipitur pax pro tranquillitate mentis, & iste modus accipiendi pacem prędictis modis minime contrariatur: quamuis inter ipsum & alios aliqua distinctio valeat assignari, & ideo tam isto modo quam secundo modo accipitur pax. Cum dicit Apostolus ad Romanos primo: *gratia vobis & pax*, teste Glossa, quæ ibidem ait: *& pax, id est reconciliatio ad Deum & tranquillitas mentis*: sic etiam accipitur in aliis salutationibus epistolarum beati Pauli, sicut Glossa asserit manifeste. Sed sicut mentis tranquillitas est duplex, vna scilicet perfecta quæ omnem anxietatem & afflictionem excludit: alia imperfecta quæ aliquam afflictionem secum compatitur: ita pax est duplex, vna quæ omnē afflictionem excludit, de qua dicitur in Psal. *mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur multitudine pacis*. Alia est pax quæ non omnem anxietatem & afflictionem excludit: quam optabat Apostolus discipulo suo Timotheo dicens: *gratia* (supple, sit tibi) *& misericordia & pax*: id est tranquillitas mentis & prælibatio vitæ æternæ, sit tibi secundum vitam æternam pax, quæ tranquillitas mentis potest haberi, vnde & tranquillitatem mentis sanctæ Apostoli habuerunt in hac vita: & tamen omni afflictione minime caruerunt. Vnde & Christus dixit Apostolis: *pacem meam do vobis*, quibus tamen dixit, *in mundo pressuram habebitis*, quibus ante dixit: *Hæc locutus sum vobis vt in me pacem habeatis*, sic igitur prædictis modis accipitur pacis vocabulum in scripturis, licet etiam aliter accipi possit. Ex prædictis aliisque quam pluribus, quæ causa abbreuiationis omitto, liquide constat, quod non omnis pax omnem pœnam, afflictionem & anxietatem excludit, sed aliquam secum compatitur.

Ad allegationem igitur per suprascripta contingit dupliciter respondere. Vno modo, quod in illa oratione, *memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis*, orat ecclesia pro illis, qui in purgatorio puniuntur, quia licet grauiter affligantur, pacem tamen quæ est reconciliatio ad Deum, noscuntur habere. Qui enim in charitate cum venialibus decesserunt, reconciliationem, quam ad Deum habuerunt in hac vita, minime perdiderunt. Et ideo in purgatorio existentes, pacem habent ad Deum, licet grauiter affligantur. Quemadmodum Apostoli & Prophetæ & Martyres & alii sancti, quando etiam affligebantur grauissime, pacem & reconciliationem habuerunt ad Deum. Et ideo concedendum est, quod animæ in purgatorio existentes dormiunt in somno pacis, licet non dormiant in somno illius pacis, quæ omnem pœnam & afflictionem excludit. Quare pro illis ecclesia conuenienter orat, vt scilicet post vnam pacem diuina clementia aliam eis largiatur, vnde & istam duplicem pacem, quarum vna est post aliam, quam tamen non excludit oratio prædicta ecclesiæ, aperte insinuat, cum dicit: *cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis, ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus locū refrigerii, lucis & pacis, vt indulgeas deprecamur*. His liquide constat, quod ecclesia pro illis, qui dormiunt in somno pacis, tantum exorat vt eis locum pacis indulgeat, dormiunt etiam in somno pacis: & tamen orat ecclesia, vt ad locum pacis perueniant: quia licet dormiant in somno pacis, quæ est reconciliatio ad Deum, ad locum tamen pacis, quæ omnem anxietatem & afflictionem excludit, nullatenus intrauerunt. Et ita patet aperte, quod dicta allegatio ex ignorantia multiplicis nominis *pacis* procedit, si enim isti inter pacem & pacem sciuissent distinguere, siluissent. Sicut autem est distinguendum inter pacem & pacem: sic etiam distinguendum est inter quietem & quietem, de multiplici enim quiete legitur in scriptura diuina, sed de duplici quiete solummodo ad præsens loqui sufficiat. Est enim quædam quies ab actibus vitiorum, de qua dicitur Esaiæ primo: *quiescite agere peruerse*, & ista quies non omnem afflictionem & pœnam excludit, cum ista quies in præsenti (saltem ad tempus) possit haberi. Alia est quies, quæ erit in vita æterna, quæ omnem pœnam & afflictionem excludit, animæ igitur in purgatorio existentes in Christo quiescunt ab omnibus actibus vitiorum: quia nullum actum vitiosum committunt, sed quietem æternam, quæ omnem pœnam & afflictionem excludit, minime sunt adeptæ, orat igitur ecclesia, vt animæ quiescentes in Christo ab omnibus actibus vitiorum ad locum refrigerii, qui caret omni afflictione, ducantur. Cum igitur dicunt isti, quod animæ in purgatorio non dormiunt in somnō pacis, si intelligant (vt series dictorum suorum insinuat) quod nullo modo dormiunt in somno pacis, errant aperte, quia hoc non est aliud, quam dicere, quod non essent reconciliatæ ad Deum, sed animæ illæ dormiunt in somno pacis, quamuis in afflictione & pœna: quia non omnis pax pœnam & afflictionem excludit. Aliter ad allegationem prædictam potest dici: quod ecclesia in oratione prædicta non solum orat pro animabus in purgatorio existentibus, sed etiam orat pro animabus sanctis in cœlo, vt scilicet animæ sanctæ quæ dormiunt in somno pacis, resumptis corporibus ad locum refrigerii, lucis & pacis, quæ vltimum gradum essentialem & accidentalem pacis æternæ, quem quandoque habituræ sunt, includit, perueniant, quam pacem animæ in cœlo ante diem iudicii non habebunt. Quamuis enim nunc videant Deum, & sint beatæ: beatitudo tamen earum, & per consequens pax earum æterna erit post iudicium augmentata, quia tunc clarius videbunt Deum, & de resumptione corporum & completione ciuitatis æternæ & aliis pluribus tunc post gaudebunt.

Cap. IV.

Ponit tertiam rationem probantem idem quod prius.

AMplius quidam prædictum errorem, quod animæ in cœlo non vident Deum, sic probare nituntur. Ambrosius enim *in lib. de Pomo mortis* dicit, quod *anima purgata post claustrum corporum, visione spirituali, qua est per speciem, vident Deum*, & certum est, quod nulla species est ita medium efficax, sicut humanitas Christi hominis &c. Sed ista allegatio prædictum errorem aperte conuincit. Nã qui videt Deum p speciem, clare videt Deum, videre enim per speciem distinguitur cõtra videre per speculum & in ænigmate, & per consequens distinguitur cõtra notitiam illam, quæ est per fidem, quod Apostol. 2. ad Cor. 5. aperte insinuat dicens: *Per fidem enim ambulamus & non per speciem*, vbi dicit Glo. *& est illuminatio per speciẽ: modo per speciem tantum illuminamur non per speculum: homini enim mortalem vitam adhuc agenti non potest contingere, vt dimisso atque discusso omni nubilo fantasiarũ corporaliũ serenissima & incommutabili tanta veritatis luce potiatur: & mente penitus à consuetudine vita humana alienata, constanter & indeclinabiliter illi adhæreat.* Ex his verbis aperte colligitur, ꝙ visio Dei per speciem à cognitione distinguitur, & quod visio Dei per speciem cum fide non manet, quare si secundum beatum Ambrosium (vt iste allegat) animæ purgatæ post claustrum corporum visione, quæ est per speciem, vident Deum: sequitur quod non ambulant tunc per fidem, si autem per fidem tunc non ambulant, clare vident Deum. Cum autem iste dicit, quod nulla species est tam medium efficax, sicut est humanitas Christi hominis, multipliciter errat. Primo in hoc, quod adducit in probatione, quod visio Dei per speciem, de qua loquuntur sancti, fit per creaturam mediam repræsentantem diuinam essentiam, quod falsum est: quia species illa per quam debent sancti sanctos in cœlo videre & Deum: non est aliqua creatura, sed est ipsa diuina essentia, teste Glossa, quæ super illud Apostoli 2. ad Corinth. 5. *per fidem enim ambulamus, non per speciem*, dicit primo, *non per præsentiam eorum ambulare*, igitur per speciem, est ambulare per præsentiam diuinæ essentiæ, vt scilicet ipsa diuina essentia per seipsam & non per creaturam aliam videatur, hoc etiam Glos. 2. ad Corinth. 12. super illud Apostoli: *Scio hominem in Christo ante annos 14. in corpore* &c. asserit manifeste, & loquens de visione intellectuali non per aliquam creaturam ait: *vbi & Deus videtur non per corporalem visionem, vt in Synai Moyses: vel spiritualem, vt vidit Esaias & Iohannes in Apocalypsi, sed per speciem & non in ænigmate.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod visio, qua Deus videtur per speciem, non est per aliquam creaturam: sed per ipsam diuinam essentiam. Vnde & Glo. ibidem subdit: *Hoc modo visionis petiuit Moyses videre Deum in substantia, qua Deus est, quam in multis figuris viderat & facie ad faciem ei locutus fuerat, vt quia ibi illud est in illa specie, qua Deus est, certius videtur.* Ecce quod aperte asseritur, quod quando videtur Deus in sua substantia, videtur in specie, qua Deus est: & per consequens visio Dei per speciem non est per mediam creaturam, sed est per ipsam diuinam essentiam suam, vnde & Glos. subdit ibidem, quod *vbi id est in aliqua claritate speciei, nemo videns in istis sensibus Deum videt: hoc est tertium cœlum, scilicet visione qua Deus videtur facie ad faciem & iste est paradisus (si potest dici) paradisorum.* Ex quibus verbis patet, quod visio Dei non per mediam creaturam est visio, qua Deus in claritate speciei suæ videtur, & per consequens visio Dei per speciem est visio Dei non per mediam creaturam. Quod Glos. super illud 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate: tunc autem facie ad faciem*, testatur aperte dicens: *Tunc autem videbimus facie ad faciem, id est in similitudine à simili recto vultu se intuentium. Est enim quædam visio huius temporis & altera futuri. Ista est per fidem: illa erit per speciem.* Ex quibus verbis euidenter habetur, quod visio Dei per speciem distinguitur à visione per fidem, & visio Dei per speciem est illa, quam vocat ibi Apostolus facie ad faciem: non autem per mediam creaturam, igitur visio Dei per speciem de qua loquitur Apostolus, & alii sancti, non est per humanitatem Christi, nec per aliquam aliam creaturam. Errat igitur iste, cum dicit, visionem Dei per speciem esse per mediam creaturam, sic secundum alios errat & asserit, quod nulla species est ita medium efficax, sicut humanitas Christi hominis. Tum quia secundum eos natura aggregata medium est magis efficax, quã humanitas Christi hominis. Tum, quia secundum eosdem visio intuitiua Dei, qua anima Christi videntis Deum est medium ita efficax ad videndum Deum, sicut humanitas Christi. Qui enim videt humanitatem Christi, non necessario videt illam visionem, qua anima Christi videt diuinam essentiam secundum ipsos. Ita visio Dei creata est medium efficax magis quam humanitas Christi.

Cap. V.

In quo ponitur quarta ratio ad idem probandum innitens auctoritati beati Bernardi.

ITem pro conclusione prædicta taliter allegatur beatus Bernardus, fecit enim sermones specialiter, quod animæ sanctæ non vident Deum ante diem iudicii nec diuinam essentiam immediate: sed bene vident Christi humanitatem, igitur non est dicendum, quod animæ sanctæ in cœlo nunc vident Deum. Sed istam allegationem repellere non est difficile, eo quod in manifesto falso fundatur, non enim sermonem fecit Bernardus, quod animæ sanctæ ante diem iudicii diuinam essentiam non vident immediate, illam enim visionem nunquam negat à sanctis in cœlo: licet à sanctis ante diem iudicii negaret beatitudinem consummatam. Porro quia verba beati Bernardi, ex quibus huiusmodi

iusmodi ignari occasionem possunt sumere opinandi, quod beatus Bernard. senserit animas nunc in cœlo non videre Deum vel diuinam essentiam immediate: in quodam opere sunt tractata & exposita diligenter: ipsa ordine tunc duxi præsentibus inserendum, sententiam tamen aliquorum verborum ipsius, quæ prædictum errorem sonare videntur, censui recitandum, & quomodo debent intelligi breuissime declarabo, beatus igitur Bernar. in quodam sermone *de omnibus sanctis* loquens de animabus sanctis in cœlo, docet & asserit, quod *animæ sanctæ in cœlo sunt in atriis, & non in domo Dei, habent gustum lætitiæ, sed non habent satietatem gloriæ: sunt securæ, sed non sunt beatæ, habent diuitias spiritus, sed non libertatem domus illius torrentis voluptatis.* Ex quibus aliisque consimilibus apparet, quod beatus Bernardus in diuersis operibus & sermonibus noscitur affirmare: posse inferri videtur, quod animæ sanctæ in cœlo non vident Deum nunc, nec ante diem generalis iudicii sunt visuræ.

Sed si variæ significationes vocabulorum, quibus vtitur Bernard. istis non essent ignotæ, nullatenus æstimarent beatum Bernardum prædictum errorem sensisse. Ad cuius euidentiam est sciendum, quod sicut nomen *beatitudinis* in diuersis locis, multis modis accipitur: sic etiam plura vocabula & termini quibus beatus Bernardus vtitur, loquendo de ista materia, multipliciter accipi possunt: licet quædam illorum non omnibus eisdem modis accipi debeant, quibus nomen beatitudinis accipi reperitur. Nomen autem *beatitudinis* aliquando operationem intellectualem vere optimam secundum speciem noscitur importare. Et illo modo quicunque videt Deum, est beatus, siue optima operatio intellectualis naturæ secundum speciem sit visio Dei siue fruitio, quia nec visio de fruitione, nec fruitio talis à visione diuinæ essentiæ separatur. Aliter accipitur *beatitudo* pro statu huiusmodi operationis intellectualis naturæ optimo secundum speciem & omne bonum tam essentiale quam accidentale (quod vnquam eiusdem naturæ intellectualis conuenit) includente, sic dicitur beatitudo esse status omnium bonorum aggregatione perfectus: cui scilicet nihil deest de omnibus bonis, quod vnquam habebit. Et istam beatitudinem vocat beatus Bernardus *beatitudinem consummatam*: à quibusdam *integra beatitudo*, tam primo modo quam secundo modo dicta est nuncupata. Dicitur etiam beatitudo status perfectorum & in gratia existentium, vt sunt iusti in hac vita, & animæ purgandorum post mortem. Sic beatus Iacobus loquitur, cum dicit: *beatus vir qui suffert tentationem: quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*, similiter etiam loquitur Psalmista, cum dicit: *beati immaculati in via, beati qui scrutantur testimonia eius*, sic dixit Christus Petro, *beatus es Simon Bariona, quia sanguis & caro non reuelauit tibi.* Et alibi: *beati pauperes, beati qui lugent, beati mites* &c. Quanquam autem propter prosperitatem mundanam dicuntur esse beati, teste Christo qui dicit: *beatum dixerunt populum cui hæc sunt.* Sic etiam secundum vnum sensum potest intelligi illud Malachiæ 4. *nam beatos dicimus arrogantes.* Prima beatitudo omnem molestiam, anxietatem, pœnam, afflictionem excludit nunc de facto: licet desiderium maiorem perfectionem vel aliquod commodum acquirendi compatitur, & ideo interdum non vocatur beatitudo consummata: scilicet quæ est status omnium bonorum essentialium & accidentalium aggregatione perfectus. Secunda beatitudo omnem molestiam, afflictionem, anxietatem, & etiam desiderium acquirendi maiorem perfectionem vel commodum futurum excludit, & ideo beatitudo consummata & integra potest merito appellari. Tertia beatitudo nec desiderium habendi maiorem gradum perfectionis vel commodum aliquod acquirendi vel anxietatem & pœnam excludit. Quarta beatitudo falsa est, quamuis appareat beatitudo multis. Quemadmodum autem beatitudo diuersas significationes habet: sic etiam tales termini, *domus Dei*, & *regnum cælorum, inebriatus amore Dei*: & plures alii, quibus vtitur beatus Bernardus diuersimode accipi possunt. Quandoque enim important beatitudinem, quæ est status omnium bonorum aggregatione perfectus: quæ omne desiderium commodum quodcunque vel maiorem gradum perfectionis habendi excludit. Aliquando termini tales important beatitudinem primo modo dictam: quæ desiderium habendi maiorem gradum perfectionis beatitudinis essentialis & commodum futurum nequaquam excludit. Per istam distinctionem respondetur ad omnes auctoritates beati Bernardi quæ sonare videntur, quod animæ sanctæ in cœlo non vident Deum: quia nunquam eis negat visionem diuinæ essentiæ: licet neget eis esse in domo Dei: gloriæ satietatem habere: esse beatas: habere torrentem voluptatis: & quædam alia negat eis. Ex quibus tamen videtur inferri, quod animæ sanctæ in cœlo non vident Deum, sed si verba bene intelligantur & sane, ex eis hoc inferri non potest, Bernard. enim huiusmodi terminos *domus Dei, torrens voluptatis*: & similes accipit primo modo: scilicet secundum quod beatitudinem consummatam, quæ est status omnium bonorum accidentalium & essentialium importare noscuntur, non accipit huiusmodi terminos: sed secundum quod important præcise beatitudinem, quæ est optima operatio intellectualis naturæ: qualis est visio diuinæ essentiæ, vel fruitio quæ sine visione minime repitur. Nihil aliud igitur beatus Bernar. intelligit, nisi quod animę sanctę in cœlo ante diem iudicii, quamuis videant diuinam essentiã, non tamen carent omni desiderio habendi maiorem gradũ visionis eiusdem: nec carent omni expectatione delectationis futuræ non habitæ, quia expectant resumptionem corporum & completionẽ ciuitatis æternæ: de quibus sunt delectationem modicã habituræ. Vnde quamuis habeant stolam animæ: corporis tamen stolam non habent, beatus igitur Bernard. in verbis de hac materia à sanctis aliis in sententia discordare nolebat: sed eandem sententiam intendit, quam expressit beatus Gregor. cum dixit 4. *libro Dialogorum* loquens de animabus sanctis in cœlo: *Hæc eis nimirum crescit in iudicio, quod nunc animarum stola, postmodum vero etiam corporum beatitudine perfruuntur, vnde*

in ipsa

in ipsa carne gaudebunt, in qua dolores pro Domino cruciatusq; tulerunt. Pro hac quippe geminata stola eorum scriptum est: in terra sua duplicia possidebunt. Hoc etiam ante resurrectionis diem de sanctorum animabus scriptum est: sunt data illis singula stola alba, & dictum est eis, vt requiescerent tempus adhuc medicum, donec compleatur numerus seruorum & fratrum eorum. Qui itaq; multipliciter singuli binas in iudicio stolas habituri sunt: quia modo animarum tantummodo, tunc autem animarum & corporum simul gloria latabuntur. Hanc inquam sententiam beatus Bernardus aliis verbis (licet quantum ad aliquid obscurioribus) volebat exprimere, cum dixit in quodam sermone de omnibus sanctis: *Tres sunt sanctarum animarum status: Primus in corpore corruptibili. Secundus in requie. Tertius in beatitudine consummata. Hic est tertius status in requie, qui omnem pœnam & afflictionem excludit, in quo stola anima est collocata, sed secundus status non est in beatitudine consummata: quia adhuc stola corporum non habetur.* Vocat autem Bernar. *beatitudinem consummatam*, cui nihil deest vnquam habendum. Et isto modo secundum beatum Gregor. & Bernar. secundus status animarum sanctarum non est in beatitudine consummata: quia adhuc deest stola corporis, quæ postmodum est habenda. Tertius autem status est in beatitudine consummata: quia nihil vnquam habendum tunc deerit, tunc enim habebuntur stolæ binæ.

Eandem etiam sententiam expressit beatus Bernar. cum post verba prædicta subiunxit: *Primus denique in tabernaculis: secundus in atriis: tertius in domo Dei. Hic enim secundus status est in atriis: quia anima sancta ante diem iudicii ad vltimum gradum beatitudinis nequaquam peruenient, nec stolam corporis de communi lege sunt antea habitura. Tertius autem status est in domo Dei, hac est tunc ad tantam gloriam anima & corporis, quod nunquam vlteriorem percipient.* Et hanc sententiam ab aliis verbis voluit explicare, cum dicit: *in tabernaculis gemitus pœnitentia: in atriis gustus latitia: in domo societas gloria.* Hæ animæ sanctæ in secundo statu gustant lætitiam de visione essentiæ: sed adhuc desiderium habent amplius degustari, & ita satietatem, quæ omne desiderium firmiter excludit, minime sunt adeptæ in te, hoc est in Deo: sed quando conferet gloriam corporis & stolā animæ: præhabitam perficiet, & hæc est satietas gloriæ, illa scilicet satietas, quæ omne desiderium cuiuscunque futuræ delectationis excludit. Quam etiam satietatem vberem domus Dei *torrentem voluptatis* vocat. Nec ex verbis eiusdem contra catholicam veritatem iam diuulgatam prædictam iam à sanctis patribus explicatam, vlla calumnia colligatur: sed verba ipsius aliorum sanctorum patrum assertionibus & scripturæ diuinæ sententiis concordant.

Cap. VI.

Respondet ad quintam rationem pro dicto errore.

ITem pro dicto sępe errore arguitur sic, Apostolus dicit ad Corrinth. 18. quod *omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium*, vbi dicit Glo. quod *licet vnus hic accipiat brauium, sed in alia vita omnes simul: & ita ante diem iudicii nulla anima sancta habebit brauium visionis diuina essentia.* Sed isti, vt suos errores scripturis autenticis valeant confirmare, alias auctoritates scripturæ (quæ verum sensum scripturarum, quæ pro eis sonare videntur) aperte declarant, nolunt attendere, si enim Glossam super ista verba Apostoli ad Hebr. 11. (*& hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt non acceperunt repromissionem Deo nobis aliquid melius prouidente: vt non sine nobis consummarentur*) legissent, & rationem intellexissent, Glossam super verbis Apostoli: *vnus accipit brauium*: pro suo errore nullatenus allegassent. Quia tamen Glossa, quam isti peruertunt & truncant, dicit ibidem: *mōstratur hoc exemplo, quanta est vtilitas legis nostra, in qua non vni sed omnibus promissa est palma, quod non est in illo statu huius seculi in illa expectatione, ibi enim tantum vnus accipit brauium, & cateri victi discedunt, qui similiter laborauerunt, hic autem non est sic, quotquot enim currunt, si perseueranter currunt, accipiunt brauium, & qui prior venerit, expectet non vt coronetur brauio illo, quod est stola anima cum posteriori: sed expectet* (secundum Glossam) *vt coronetur brauio illo, quod est stola corporis cum posteriori.* Quod Glossa super verbum præscriptum Apostoli, cum dicit ad Hebr. 11. *Hi omnes testimonio fidei probati*, etiam asserit euidenter dicens: *& hi tanta per fidem antiqui fideles operati sunt vel passi pro fide, & tamen hi omnes probati testimonio fidei* (id est quod fides de his perhibuit) *non adhuc perceperunt repromissionem: id est plenam corporis & anima beatitudinem, id est duas stolas, id est si singulas Deo pro nobis aliquid melius prouidente ne consummarentur & profiterentur sine nobis, vt in communi gaudio omnium maius fieret gaudium singulorum, si enim singulas acceperunt, non tamen geminam stolam habebunt vsque ad communem resurrectionem, vt omnium consummatio fidelium simul fiat.* His verbis patenter ostenditur, quomodo Glo. intelligi debeat cum dicit: *qui prior venerit, expectet vt coronetur cum posteriori*, quia expectat quantum ad vnam stolam corporis, & non expectat quantum ad aliam stolam, scilicet quantum ad stolam animæ. Merito igitur Glo. ista concordans expresse cum beato Gregor. 4. lib. Dialogorum sicut supra allegatum ẹxtitit, istis fantasticis scripturis metricis, quæ homini hæretico desiderant placere, debent præferri, & illis specialiter, quia Deus eos confundet, veritas est carius amplectenda & virilius defendenda.

Cap. VII.

Respondet ad sextam rationem sape dicti erroris.

ADhuc pro eodem errore allegatur sic, ad Tim. 4. scribit Apostolus: *Reposita est mihi corona iustitia quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Ex quibus nituntur isti concludere, quod Apostolo ante

Io ante diem iudicii corona iustitiæ, quæ est visio essentiæ diuinæ, non reddetur: & ratione consimili nec aliis reddetur. Sed ista verba Apostoli recte intellecta, pro prædicto errore non faciunt. Nam dupliciter possunt intelligi, vno modo de die resolutionis beati Pauli: vt iste sit sensus: *reposita est mihi corona iustitiæ*, quantum ad stolam animæ, *quam reddet mihi Dominus in illa die* resolutionis meæ, de qua prius dixerat: *ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Et secundum istum intellectum pro eodem accipit tempus suæ resolutionis & illam diem in qua redditurus erat sibi Dominus coronam iustitiæ. Aliter possunt verba prædicta intelligi de vltima die iudicii: & tunc intendit Apostolus loqui de corona iustitiæ, quantum ad stolam corporis: quia stola corporis Apostolo & aliis de communi lege ante diem generalis iudicii non reddetur. Et hoc est, quod quidam dixere, quod Apostolus loquitur de supposito communi & integro & ex corpore & anima composito, cui corona iustitiæ ante diem iudicii generalis non reddetur. Quia licet anima sit prius coronam iustitiæ habitura: totus tamen homo integer, ex corpore & anima constitutus, non stolam animæ, nec stolam corporis ante diem generalis iudicii habebit. Vnde quamuis anima beati Pauli nunc videat Deum, & ita habeat stolam vnam: tamen beatus Paulus integer ex corpore & anima constitutus, nunc non videt Deum. Quia non est nunc ex corpore, & anima constitutus.

Cap. VIII.

In quo arguitur contra solutionem secundam in præcedenti capitulo ad auctoritatem Apostoli datam, & hoc per auctoritatem Iohannis in Apocalypsi.

Sed contra illud vltimum de suppositis, & in fulcimentũ erroris prædicti, taliter allegatur. Beatus Iohannes vidit animas interfectorũ propter verbum Dei esse vsq; ad diem iudicii sub altari id est, sub altari humanitatis Christi. Et certum est, quod subiectione potestatis & dignitatis erunt sub humanitate Christi, etiam post diem iudicii, vel post iudicium. Quod ergo tunc ascendant super altare: ideo erit post diem iudicii per ascensum contemplationis, & ad videndum iudicium immediate. Sed illa allegatio sic dicentes inuoluit dupliciter, primo: quia capitaneo suo obuiat, quod eos ipsi reddit obnoxios, secundo, quia agnitam veritatem impugnant: quod Deo reddit eos obnoxios. Quod enim capitaneo suo reddat eos obnoxios, patet aperte, quia cuidam errori suo obuiant manifeste, ipse enim tenet, dogmatizat, & prædicat: quod Christus post diem generalis iudicii non regnabit. Isti vero hoc docent aperte, quod animæ post diem iudicii generalis subiectione potestatis & dignitatis erunt sub humanitate Christi, & per consequens post iudicium generale erit potestatiue super animas regressurus. Secundo, ista allegatio dicta Deo & eius veritati, cui resistunt, reddit ipsos obnoxios, eo quod scripturam diuinam ad peruersum conantes trahere intellectum, dicunt animas sanctas in cœlo non videre Deum. Vt autem appareat, quod prædictum errorem ex verbis scripturæ quam allegant elicere nequeant. Primo namque allegant non integre, sed truncate verborum seriem libri *Apocalypsis*, ex quibus præfatum errorem conantur concludere. Et quod errorem suum ex eis trahere nequeant est monstrandum. Secundo, quomodo verba illa intelligi debeant, est sciendum. Series igitur verborum, ex quibus isti probare nituntur, quod animæ sanctæ in cœlo nunc non vident Deum, est talis. *Et cum aperuisset quintum sigillum: vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei & propter testimonium quod habebant: & clamabant voce magna dicentes: vsque quo Domine sanctus & verus non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? Et data sunt illis stola alba: & dictum est illis vt requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleantur eorum conserui & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.* Ex quibus isti eliciunt, quod animæ in cœlo modo non vident Deum. Ex quibus beatus Gregor. & alii sancti patres volebant concludere oppositum, quod animæ sanctæ in cœlo beatitudinem animæ, quæ est visio Dei vel non sine visione Dei & non corporis sunt adeptæ. Ex verbis etiam prædictis licet notum & apertum sit, quod animæ sanctæ sub altari Dei quiescunt, tamen quod erunt post iudicium iuxta altare Dei mentio non habetur, nec valet: modo sunt sub altari Dei: igitur post iudicium erunt iuxta altare Dei, quemadmodum non sequitur: nunc requiescunt (sicut ex verbis eisdem colligitur) igitur post iudicium minime requiescent. Quod enim nunc requiescant, patet, cum in verbis præscriptis sic legatur: *dictum est illis vt requiescerent adhuc modicum tempus donec compleantur conserui eorum* &c. Ex quibus tamen concludi non potest, quod completo numero conseruorum nullatenus requiescent, quemadmodum ex hoc quod dicitur Matth. 1. *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*: concludi non potest, quod primogenito nato cognoscebat eam, & ideo consimiliter ex hoc, quod beatus Iohannes vidit animas interfectorum nunc esse sub altari, concludi non potest, quod post iudicium non erunt sub altari Dei. Licet (sicut postea ostendetur) concedi possit sub sano intellectu, quod animæ sanctæ post iudicium generale erunt sub altari Dei. Ex his patenter habetur, quod per verba *Apocalypsis* supra scripta cõcludi non potest, quod animæ sanctæ in cœlo nunc non videant Deum, ex hoc ꝙ nunc sunt sub altari Dei, & quod clamant, & ꝙ respondetur eis ꝙ requiescant donec impleatur numerus conseruorum eorũ & fratrum ipsorũ. Ex quibus nõ sequitur, ꝙ nunc non vident Deũ. Vt aũt habeatur verus intellectus pscriptorum verborum: est scien-

est sciendum, quod illud, quod est sub aliquo, quodammodo videtur absconditum: sed quod est supra aliquid, altum & manifestum apparet. Quorum vtrumque ipse Saluator insinuat dicens, Matt. 5. *Non potest abscondi ciuitas supra montem posita: neque accendunt lucernam: & ponunt eam sub modio: sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Quia igitur animæ nunc in cœlo sunt multis electis, & etiam malis absconditæ: ideo nunc dicuntur esse sub altari Dei. Quia licet Deum videant, sicut vt à ciuibus ciuitatis supernæ minime abscondantur, nobis tamen, & illis qui sunt in purgatorio, & in inferno, nequaquam apparent. In die autem iudicii generalis electis omnibus apparebunt, reprobi etiam, tam homines quam dæmones, aperte videbunt eas ascendere in cœlum, & ita quodammodo erunt supra altare Dei, hoc est, non erunt illo modo absconditæ, quomodo nunc constat eas abscondi, & iste est verus intellectus beati Bernardi, cum loquitur de ista materia. Ipse enim in quodam sermone de omnibus sanctis sic ait: *In hunc igitur locum Saluator descendens contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit, eductosque vinctos de domo carceris sedentes in vmbra mortis* (hoc est secundum aliquos, quiescentes, sed in tenebris & in vmbra mortis) *iam tunc quidem sub altari Dei collocauit: assumens eos in tabernaculo suo in die malorum, & protegens eos in abscondito tabernaculi sui, donec veniat tempus quo procedant, vel completo numero fratrum, & percipiant regnum, quod eis paratum est ab origine mundi.* Ex quibus verbis colligitur, quod secundum Bernardum, ideo animæ sanctæ sub altari Dei sunt: quia in tabernaculo Dei sunt absconditæ, & non quidem Deo & ciuibus cœlestis Hierusalem: sed nobis, & aliis qui sunt in purgatorio & in inferno. Si enim constet nobis, animas Apostolorum, & quorundam aliorum sanctorum esse in cœlo: hoc tamen nunc constat in sola fide. In die autem iudicii omnes electi clare videbunt animas, quas nunc credunt esse in cœlo. Et ita quodam modo sunt sub altari, sub intellectu isto, quod multis electis sunt nunc absconditæ. Et ideo nunc possunt secundum alium intellectum dici sub altari Dei, eo quod tunc erunt, sicut modo sunt, sub domo & protectione. Quare si potest catholice dici, quod animæ sanctæ & sancti integri ex corporibus & animabus constituti, qui erunt sub altari, post iudicium generale videbunt clare Deum: sequitur euidenter ex hoc, quod animæ sanctæ in cœlo nunc non vident Deum, cum aperte dicat, quod *completo numero fratrum percipient regnum, quod eis paratum est ab origine mundi.* Sed forte diceret: si nunc perciperent regnum eis paratum ab origine: sequitur quod tunc non percipient, & per oppositum: si nunc non possident, nunc non vident Deum. Ad hoc potest multipliciter responderi, vno modo, quod secundum beatum Bernardum sancti & integri ex anima & corpore constituti, imo percipient regnum eis paratum ab origine mundi, & ita beatus Bernardus non intendit negare animas sanctas percepisse regnum eis paratum ab origine mundi, & si hoc negaret, determinationi summi pontificis & doctrinæ vniuersalis ecclesiæ contradicere videretur, nam, vt legitur *extra de hæreticis c. maiores.* Innocentius tertius ait: *& si originalis culpa remittebatur per circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur: non tamen perueniebatur ad regnum cœlorum, quod vsque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, sed per sacramentum baptismi Christi sanguine inebriati culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cœlorum etiam peruenitur, cuius ianuam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reserauit.* His verbis patenter habetur seu asseritur, quod animæ sanctæ iam peruenerunt ad regnum cœlorum: & per consequens perceperunt regnum eis paratum ab origine mundi. Cui alludit doctrina vniuersalis ecclesiæ, cum in laudem martyrum fideles cantare non cessent: *Istorum autem est regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, & peruenerunt ad præmia regni.* Sed forte diceret aliquis, quod sicut *regnum cœlorum*, secundum beatum Gregor. aliquando præsens ecclesia dicitur: ita & regnum cœlorum locus cœlestis & naturalis aliquando vocatur, & ideo quamuis animæ sanctæ non videant Deum: potest tamen concedi, quod sunt in regno cœlorum. Sed istæ assertiones sanctorum patrum peruerterent sententiam, quandocunque enim sancti loquuntur de regno cœlorum percipiendo post vitam præsentem accipiunt regnum cœlorum, vt visionem Dei claram includit, & sic accipit Bernardus, cum dicit in auctoritate superius allegata, quod *percipient regnum quod est eis paratum*, sed non tunc primo percipient secundum animam: licet tunc primo percipiant regnum secundum corpus, & ideo totus homo integer non ante percipiet de communi lege regnum cœlorum. Aliter potest dici, quod licet animæ sanctæ iam perceperint regnum, quod in visione Dei consistit: animæ tamen sanctæ non perceperunt illud regnum, quod omnem perfectionis gradum & delectationem habendã includit, per quod regnum Bernardus intelligit beatitudinem consummatam, quæ scilicet omnem delectationem & perfectionem vnquam habendam includit, & ita Bernardus aliter accipit quodcunq; regnum cœlorum, vt pro regno futuro accipiatur, quam communiter alii doctores & patres sancti: licet etiam in multis locis sic aliquando regnum cœlorum vtatur, regnum itaque, quod est beatitudo cui nihil deest habendum, animæ ante diem iudicii non habebunt: habent tamen visionem Dei nunc, quamuis quasi in abscondito, quod Glossa super illud Psalmi: *abscondens eos in abscondito faciei tuæ*: insinuare videtur, cum dicitur: *dum mali turbabuntur, ipsi* (sancti scilicet) *erunt in abscondito faciei tuæ videntes te Domine*, & ita nunc animæ sanctæ sunt occultæ: ideo sub altari Dei, sed in die iudicii erunt manifestæ. Quemadmodum Christus nunc est occultus: sed tunc erit manifestus, teste Glossa, quæ super illud Psalmi: *sede à dextris meis*, ait: *sede secundum quod homo in pectoribus misericordia, & iterum, sede occultus, donec regnes manifestus.* Cum igitur (dicunt isti) certum est, quod subiectione potestatis & dignitatis erunt animæ sanctæ sub humanitate Christi, etiam post iudicium: conceditur, quod in hoc non errant, licet in hoc suo Magistro (quamuis forsitan ignoranter) inueniantur aduersi. Si enim aduertissent, quod Magister eorum tenet, quod Christus post iudicium non regnabit,

bit, vt creditur: tacuissent, quia ipsi cupiunt esse tales, qualis doctor eorum. Sed tamen quia dicunt, quod post diem iudicii ascendent super altare, vt videant Deum immediate, & non ante, aperte errant, sicut alibi est ostensum. Et auctoritas ex *Apocalypsi* sumpta, eis minime suffragatur, sicut ex præcedentibus liquide patet.

Cap. IX.

Friuolam euasionem Iohannitarum elidit, & confutat ratione vnica.

NOn solum autem pro errore prædicto friuolas allegationes adducunt: sed etiam ad euacuandas auctoritates, errores eorum apertissime conuincentes, responsionem vanissimam dare conantur dicentes: quod auctoritates & scripturæ sanctorum (si quæ inueniuntur dicentes, quod animæ nunc videant Deum facialiter) accipiendæ sunt & intelligendæ secundum locutionem deuoti affectus, secundum quod sancti meditatione deuota frequenter, vbi erat affectus eorum, & vbi secundum affectum loquebantur, accipiunt præteritum pro præsenti, & præsens pro futuro. Sed ista responsio est friuola, quæ improbatione non indiget, & eam vnica ratione breuiter improbabo. Quod enim sancti loquendo de visione animarum sanctarum non vtantur præterito pro præsenti, & præsenti pro futuro, sic patenter ostenditur. Vbicunque sancti loquuntur de visione animarum sanctarum, non vtuntur præterito pro præsenti ad monstrandum tantum suum affectum ad sanctos, sed ad monstrandum veritatem de visione earum pro præsenti. Sancti autem frequenter cum loquuntur de visione animarum sanctarum, solum loquuntur ad monstrandum veritatem de visione earum pro præsenti, igitur non vtuntur præsenti pro futuro, sed pro præsenti. Maior est manifesta: quia si vterentur præsenti pro futuro, in nullo monstrarent veritatem pro præsenti, sed pro futuro magis. Minor etiam legenti auctoritates sanctorum apparet indubia, nam beatus Gregorius in *4. libro Dialogorum*, cum interrogaretur à Petro: *quid est quod si animæ sanctæ modo sunt in cœlo, quod in die iudicii pro sua iustitia retributione recipient?* Respondet in hæc verba: *hoc eis nimirum crescit in iudicio, quod nunc animarum stola: postmodum vero etiam corporum beatitudine perfruuntur*, & tamen post asserit, quod animabus nunc datæ sunt singulæ stolæ albæ, & infra affirmatur, quod non scient omnia, tunc non loquebantur solummodo secundum affectum, sed veritatem de beatitudine & visione animarum sanctorum pro præsenti voluit declarare, igitur non vtebantur præsenti pro futuro, sed pro præsenti. Innocentius etiam Tertius sicut legitur *extra, de celebratione missarum, cum Martha*, dicit, quod sancti orationibus nostris non indigent pro eo, quod cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt, non tamen voluit suum ad sanctos affectum monstrare: sed etiam de beatitudine earum pro præsenti declarare vult veritatem, igitur minime vsus est præsenti pro futuro, vel præterito pro præsenti.

Cap. X.

Confutat quoddam dictum Iohannitarum, dicentium scilicet, quod simplices non habeant de quæstione fidei se intromittere.

CÆterum ad simplices seducendos dicunt præfati sequaces errorum, quod simplices inferiores de quæstione prædicta non debent se intromittere. Et si aliquis dicat, *Christianus sum: volo scire fidem & veritatem, ideo moueor ad quærendum de hoc, quia simplex sum.* Isti respondent dicentes: *Dico tibi, crede explicite, quod ecclesia explicauit: & alia implicite, donec ecclesia aliter declaret.* Sed in ista assertione duos insinuant errores, quorum primus est: quod simplices non debent se intromittere de quæstione prædicta, & iste error in quodam alio *Tractatu* reprobatus existit. Secundus error est, quod simplices non debent explicite credere, nisi quod ecclesia explicauit, vocando ecclesiam, papam & Cardinales, quia de illa ecclesia isti loquuntur, sicut de pluribus assertionibus eorum patenter habetur. Sed quod hoc sit erroneum, probatur aperte, nam quilibet Christianus credere debet omne illud, de quo in speciali est certus, quod ex contentis in scriptura diuina sequitur euidenter, sed alii, quam papa & Cardinales possunt esse certi de multis quæ sequuntur euidenter ex contentis in scriptura diuina: quæ tamen papa & Cardinales nunquam declarauerunt, imo forte quæ papa & Cardinales nunquam in speciali cognouerunt: sed tantum implicite crediderunt, igitur possunt Christiani & quandoq; tenentur explicite credere aliqua, quæ papa & Cardinales nunquam explicite declarauerunt. Maior est manifesta. Quia qui certus est de antecedente, & consequentia: certus est de consequente. Et ita qui credit explicite antecedens, & certus est de consequentia, quia consequens ex antecedente infertur, de consequente dubius esse non potest. Cui illud Philosophi alludit, *simul induces cognouit*, quamuis enim aliquis possit esse de maiore certus, & tamen dubius vel contrariæ opinionis de conclusione: tamen si certus est de maiore & de minore, quas applicat ad conclusionem: de conclusione dubius esse non potest. Qui igitur explicite credit aliqua, quæ legit in scriptura diuina: etiam de quocunq; est certus, quod euidenter sequitur ex illis: de illa conclusione esse dubius non potest, Et per consequens, vel scit eam, vel explicite credit. Et ideo si est conclusio, quæ per rationem demonstrari potest: sequitur quod explicite credit eam, & non potest non credere eam explicite, quamdiu aduertit, quod ex contentis in scriptura diuina sequitur euidenter. Minor quamuis videa-

tur probatione minime indigere, tamen auctoritatibus venerabilium patrum probatur aperte. Ait enim Augustinus, vt legitur 24. q. 3. cap. vltimo: *Ideo diuina prouidentia multos diuersis erroribus hæreticos esse permittit, vt cum interrogant nos ea quæ nesciunt, possunt catholici per scripturas diuinas, quæ nesciuerint prius, addiscere,* per consequens ipse est certus p solas scripturas diuinas de his, quæ papa & Cardinales nullatenus declarabant. Ad hoc etiã est auctoritas accepta ab August. super illud Apostoli, 1. Cor. 11. *oportet hæreses esse, vt qui probati sunt in nobis manifesti fiant,* quæ potest adduci, ait enim Glossa: *Omnes inimici ecclesiæ vel errore cæcati vel malitia deprauati prosunt, quia si accipiunt potentiam corporaliter affligendi, exercent eius patientiam, si enim male sentiendo aduersantur, exercent eius sapientiam. Ab aduersario enim mota continue discendi existit occasio, multa quippe ad fidem pertinentia dum hæreticorum inquietatione exagitantur, vt aduersus eas defendi possint, & considerantur diligentius, & interrogantur celerius, & probantur instantius.* Et infra: *prosunt igitur hæretici, non verum docendo, quod nesciunt, sed ad verum quærendum & adipiscendum catholicos excitando.* Ex quibus verbis patenter colligitur, quod catholici, & hæretici excitati, multas possunt ignotas veritates per scripturas sacras addiscere: licet eas papa & Cardinales hactenus non attentauerunt declarare. Vnde & dicunt nonnulli, quod occasione hæresum, quas Magister istorum & rector solenniter diffiniuit, & publice prædicauit, in nonnullis pullulant innumeræ veritates, quarum sunt multæ redargutæ iam in scripturis, quæ toti communitati Christianorum tam laicorum, quam clericorum fidelium inæstimabilem fidelitatem seu vtilitatem inferent (vt putant firmissime) in futurum, quas tamen veritates etiam præcedentes summi pontifices & Cardinales catholici nullatenus declarant: quia occasionem declarandi ante tempora illius rectoris minime habuerunt. Sed forte diceret aliquis, quod simplices non debent credere, nisi ea quæ papa & Cardinales tradunt credere explicite: nec debent inuestigare secreta scripturæ, sed communibus debent esse contenti: imo etiam de intellectu proprio non debent præsumere vt aliquid credant explicite, nisi quod eis papa & Cardinales tradiderint. Sed qui ista assereret, nouorum esset inuentor errorum. Nã licet simplices non teneantur regulariter explicite credere, nisi illa quæ iam nunc credenda sunt à clero explicite declarata, tamẽ simplices legendo scripturas diuinas rationis acumine (quo & simplices non omnino carent) aliquid (quod papa & Cardinales minime declarauerunt) aduertunt euidenter sequi ex scripturis diuinis: hoc possunt & debent in hoc casu explicite credere: nec tenentur papam & Cardinales consulere, quia papæ & Cardinalibus scripturam sacram præferre tenentur. Sed diceret forte aliquis, quod simplices saluantur in fide maiorum, igitur non debent habere fidem explicitam de aliquo, nisi de quo papa & Cardinales habent fidem explicitam, ideo videtur inconueniens dicere, quod aliquid sit spectans ad fidem catholicam, de quo papa & Cardinales non habent fidem explicitam. Sed respondetur, quod simplices saluantur in fide propria: quia si ipsi non habent fidem in se, non saluantur. Est tamen quidam modus saluandi, quia saluantur in fide maiorum, quia quantum ad multa sufficit eis credere implicite, quod maiores credunt explicite, quod verum est, si maiores explicite habent fidem eandem, quam minores: & minores non aduertunt aliquid sequi ex scriptura diuina, nisi quod maiores sequi percipiunt. Cum vero dicitur, papa & Cardinales habent fidem explicitam de omnibus quæ spectant ad fidem catholicam. Dico quod hoc non est semper verum: cum sæpe non habeant fidem explicitam de omnibus illis, qui necesse fuerit eos credere explicite. Cum vero præassumitur in ratione, quod simplices non debent inuestigare secreta scripturæ diuinæ, istud non est verum: quia tunc nullus simplex deberet præsumere vacare studio scripturæ sacræ, & ita nullus deberet in scriptura sacra studere, antequam esset papa vel Cardinalis, quia omnis studens in scriptura sacra oportet quod aliquando incipiat, quando autem quicunque incipit studere in scriptura sacra, quoad notitiam scripturarum sacrarum est inter simplices computandus, igitur nullus antequam esset papa vel Cardinalis deberet incipere studere in sacris scripturis. Cum autem assumitur, quod simplices non debent de intellectu proprio præsumere, vt aliquid credant explicite, nisi quod papa & Cardinales crediderunt. Dicendum est, quod simplices non debent præsumere de proprio intellectu, sed scripturæ sacræ firmiter adhærere: vt quod euidenter conspexerint ex sacris scripturis inferri, hoc explicite credant, siue fuerit siue non fuerit à papa & Cardinalibus declaratum. Et ratio huius est, quia papa & Cardinales non sunt regula fidei nostræ: quia licet papa catholicus & Cardinales catholici deberent doctores esse fidei Christianæ: ita quod quicquid secundum regulam fidei docuerint vel diffinierint, hoc sit à fidelibus firmiter sentiendum: tamen si aliquid contra regulam fidei, quam scriptura diuina docet, docuerint aut diffinire præsumpserint, non sunt sequendi, sed à catholicis arguendi, & tanquam hæretici deuitandi. Errantes igitur inebriati dicentes, quod homo Christianus nihil debet explicite credere, nisi quod papa & Cardinales declarant, qui volunt contra Apostolum, papam dominari fidei nostræ: & qui non quærunt intelligere veritatem, sed ea quæ suo rectori & magistro sunt placita: auribus simplicium nullatenus sunt audiendi, sed sunt tanquam euersores fidei repellendi. Hæc autem contra dicta sufficiant, si autem dicta eorum aliter, quam se habeat veritas, reprobaui, mihi nullatenus imputetur: quia sub illa forma mihi declarata fuerunt, intentionis autem meæ est solummodo falsam sententiam, & ipsius quicunq; assertores fuerint, & non alios, improbare, si autem dixi imperite: correctionem charitatiuam nullatenus recusabo.

EXPLICIT SECVNDVS TRACTATUS secundæ partis.

TER-

TERTIA PARS PRINCIPALIS DIALOGORVM TRACTAT DE GESTIS DIVERSORVM CHRISTIANORVM, ET DIVIDITVR IN NOVEM TRACTATUS, quorum quilibet subdiuiditur in diuersos libros.

DIscipul. Salomonis vtcunq; sequendo vestigia proposui in animo meo, quærere & inuestigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole, in ecclesia scilicet militante: de qua non omnes Christiani his diebus consimiliter opinantur. Quia enim quidam circa fidem catholicam altercantur se hæreticos mutuo appellantes: quidam eorum apud quosdam, & alii apud alios veram existimant ecclesiam consistere militantem, proinde ad tertiam partem *Dialogi* nostri (quam ab initio *de gestis circa fidem altercantium orthodoxam* volui appellari) nostram intentionem vertamus, quantum nostræ occupationes & studia præsentis cōgruāt temporis qualitati, quia vt beatus asserit August. ad Bonifacium militem, & habetur 23. q. 4. c. si ecclesia: *omnia debent suis temporibus conuenire*: quam in nouem tractatus volo secari, quorum vnumquemq; in diuersos libros censeo diuidendum, primi namq; duo erunt præparatorii & præambuli ad sequentes, in quibus de gestis diuersorum Christianorum scrutabimur.

Primus quidem disputando de potestate papæ & cleri.

Secundus de potestate & iuribus Romani Imperii, in quo quamplurima de iuribus regum ac principum ac etiam laicorum aliquorum tractabimus.

Tertius de gestis Ioh. 22. quem nonnulli putant propter hæreticam prauitatem diu antequam de hoc mundo migraret, omni dignitate ecclesiastica fuisse priuatum. Alii ipsum fuisse catholicum & in vero papatu finisse dies suos existimant.

Quartus de gestis Domini LODOICI de Bauaria: quem aliqui verum Imperatorem non reputant, alii contrarium arbitrantur.

Quintus de gestis Benedicti 12. quem multi, sed non omnes, tanquam summum pontificem venerantur.

Sextus de gestis fratris Michaelis de Celena.

Septimus de gestis & doctrina fratris Giraldi Odonis, quorum vnum quidam, alii alium verum Generalem ordinis Fratrum Minorum affirmant.

Octauus de gestis fratris Guilhelmi de Ockam.

Nonus de gestis aliorum Christianorum, regum, principum, & prælatorum ac subditorum laicorum ac clericorum secularium religiosorum Fratrum Minorum & aliorum, qui alicui & aliquibus de prænominatis personis adhærent, obediunt, consentiunt, communicant, fauent vel quomodolibet præbere auxilium, aut consilium dignoscuntur, vel ipsos, aut eorum aliquem impugnant, molestant, vel reprehensibilem aut reprehensibiles arbitrantur. *Magist.* Tam tua instantia, quam desiderium perficiendi prædicta aggredi mihi suadet: sed timor calumniam incurrendi illorum, qui forsitan dicent me audere illicite disputare de potestate summi pontificis, dissuadet: præsertim cum leges etiam Canonicæ & ciuiles videantur asserere, quod sacrilegium incurrit, qui præsumit de auctoritate principis disputare, ideo si tibi videtur de præfatis me nullatenus intromittā: maxime cum ad libros necessarios non valeam (vt æstimo) peruenire. *Disc.* Timor non te retrahat memoratus: quia sicut videmus catholicos de fide absq; periculo iustæ calumniæ ad exercitium disputare. Doctores enim sacræ Theologiæ de fide in scholis publice disputant, & contra veritatem fidei quos sciunt acutius arguentes nullum crimen incurrunt: licet nec tunc nec vnquam postea veritatem quęstionis disputatę determinent, baccalarii etiam & prudentes, quantum possunt fortius irreprehensibiliter, imo sępe laudabiliter contra veritatem arguunt & allegant, sic de potestate summi pontificis ad exercitium contingit laudabiliter disputare. Cum igitur contra potestatem papæ neq; asserendo neque dubitando aliquid sis dicturus, sed solummodo recitando: sicut pro toto isto *Dialogo* peractum est inter nos à principio de potestate papæ & omnibus aliis, quæ commemoraui tractanda, nullatenus metuas indagare. Præsertim cum sciam te paratum omnem veritatem de potestate papæ & aliam quam teneris explicite credere, opportunis loco & tempore, quando erit expediēs, occulte & publice confiteri. Nec librorum carentia te retardet: quia licet non possis facere opus perfectum, aliquid tamen facere non erit inutile: quia occasionem faciendi opera perfecta copiam librorum habentibus ministrabis. *Mag.* Quod absq; assertione & dubitatione falsa liceat recitare, & in persona dicere aliorum: quodq; non sit necesse omni tempore ore veritatem, etiam catholicam confiteri (cū cadat sub præcepto affirmatiuo, quod semper obligat, sed non pro semper) multis modis posset ostendi. Ideoq; malignorum paruipendens calumnias, tuę instantiæ acquiescam: & ad exercitanda studiosorū ingenia tā circa potestatem papæ q̄ circa alia quæ duxeris inquirenda: etiam sententias & opiniones quas reputo erroneas, imo hæreticas recitabo: pro quibus quo voluero fortius allegabo: quod etiam tu poteris interdum facere, si tibi videbitur. Incipe igitur sine mora primum tractatum.

TRACTATVS PRIMVS DE POTESTATE PAPÆ ET CLERI.

LIBER PRIMVS.

CAP. I.

In quo recitantur quinq; opiniones de potestate summi Pontificis, prima & sibi contraria pertractantur à capitulo 2. vsq; ad cap. 9. secunda cap. 10. tertia cap. 11. & quarta cap. 13. quinta vero cap. 16.

DIscip. Claues regni cælorum esse datas à Christo Romano pontifici, id est beato Petro, Christianorum non ambigit (vt æstimo) multitudo, quare non dubito, quin sit à Christo aliqua potestas concessa. Plures etiam auctoritates sanctorum patrum videntur asserere q aliquam ex humana ordinatione acceperit potestatem. Ad quarum vtramq;: si vtramq; habeat interrogabo quamplura. Quam videlicet & quo iure, diuino scilicet an humano, habeat potestatem super spiritualia & ecclesiasticas personas: quam & quo iure super laicos in spiritualibus, quam & quo iure super res & iura temporalia, quæ ad solam Romanam spectant ecclesiam: quam & quo iure super res & temporalia iura, quæ ad alios clericos pertinere noscuntur: quam & quo iure super personas, res & iura temporalia fidelium laicorum: & quam & quo iure super res infidelium & etiam personas ipsorum. Postea autem nonnulla similia de potestate cleri perscrutari propono, ante omnia autem interrogare decreui, an potestas papæ ad omnia, quæ non sunt contra legem diuinam, neque contra ius naturæ, se extendat. Hæc enim interrogatio videtur comprehendere omnia prædicta de potestate papæ, & forte ex sententia & opinionibus circa ipsam, quas recitare studebis, dabitur mihi occasio de singulis in speciali quærendi. *Mag.* Circa hanc interrogationẽ diuersæ & aduersæ inueniuntur sententiæ. Vna est, quod papa tam in spiritualibus quã in temporalibus, talẽ ex ordinatione Christi habet plenitudinem potestatis, vt regulariter & in omni casu omnia possit, quæ non sunt expresse contra legem Dei neq; contra ius naturæ. Alia est, quod talem plenitudinem potestatis habet ex iure diuino in spiritualibus non in temporalibus. Tertia est, quod talem potestatis plenitudinem habet partim ex ordinatione Christi, partim ex ordinatione humana. Quarta est, quod talem plenitudinem potestatis non habet nec à iure diuino nec à iure humano: neque regulariter neque casualiter siue in casu, & circa hanc sunt modi diuersi ponendi. Quinta est quod talem plenitudinem potestatis simpliciter non regulariter neq; à iure diuino neq; à iure humano habet: sed casualiter siue in casu habet talem plenitudinem potestatis à iure diuino siue ex speciali ordinatione Christi.

CAP. II.

In quo probatur prima opinio capitulo præcedenti recitata.

DIsc. Istas discutiamus sententias, vt acutius & profundius valeamus intelligere veritatem, pro prima igitur aliquas allegationes adducas. *Mag.* Prima sententia in verbis euangelii, imo ipsius Christi fundari videtur: qui, vt legitur Matt. 16. dixit Petro: *Tibi dabo claues regni cælorũ: & quodcunq; ligaueris* &c. *& quodcunq; solueris* &c. Ex quibus verbis colligitur quod Christus dedit beato Petro, & per cõsequens successoribus eius, absq; exceptione plenitudinem potestatis, vt omnia possit: quia verbo generali omnia debent comprehendi, *di. 19. si Romanorum, & 1. q. 1. sunt nonnulli, & 24. q. 3. putat. Discip.* Ista allegatio impugnari potest, vt videtur, nam sæpe verbum generale non est generaliter intelligendũ, *extr. de iureiur. ad nostram & 1. q. 1. iudices*, vnde & verbum generale sæpe restringitur, vt notat Glo. *extr. de appel. sua nobis*, cuius exempla quamplurima in scripturis diuinis habentur, *Matt.* enim 3. dicitur, q exibat ad eum omnis regio trans Iordanem & baptizabantur in Iordanẽ ab eo, & tamen multi non exibant nec baptizabantur à Iohanne. Et *Luc.* 3. dicitur, q cogitantibus omnibus de Iohanne, ne forte ipse esset Christus, & tamen multi hoc minime cogitauerunt: quia nec illi qui non credebant in Christum: nec illi qui Iohannẽ non putauerunt ꝓphetam. Alia exempla innumera possunt adduci, in q͂b⁹ verbũ generale non debet generaliter intelligi, sed restringi. Dimittentur tamẽ ad præsens omnia, ꝑter quædã pauca, q̃ de potestate & subiectione loquuntur: sicut & verba Christi ꝓmissa. Ait itaq; Apostolus ad Eph. 5. *Vt ecclesia subiecta est Christo: ita & mulieres viris suis in omnibus*, vbi verbũ *in omnibus* non debet generaliter absq; omni exceptione, etiã quo ad licita, intelligi, qa vxores non sunt in omnibus licitis subiectæ viris: cũ quoad multa licita vir & vxor ad paria iudicentur, *extr. de diuortiis c. gaudemus.* Apostolus etiã ad Collosen. 4. ait: *Filii obedite parẽtibus ꝑ omnia*, & post: *Serui obedite ꝑ omnia Dominis carnalibus*, & ad Eph. 9. ait: *Serui obedite Domini carnalibus cũ omni timore & tremore*, & 1. ad Tim. 9. *Quicunq; sunt subiugo serui, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur*, & ad Titũ: *Seruos Dominis suis esse subditos in omnibus esse placentes*, & Pet. 2. sic legitur: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ ꝓpter Deũ*, & post: *Serui subiecti estote in omni tẽpore Dominis, non tantũ bonis & modestis, sed etiã discolis.* Et 1. ad Tim. 2. ait Apostolus: *Mulier in silẽtio discat cũ omni subiectione.* In q͂bus omnibus verba generalia nõ debent generaliter absq; omni exceptiõe intelligi, qa in multis nec mulieres viris, nec filii parẽtibus, nec serui Dñis, nec fideles

omni-

omnibus hominibus sunt subiecti, igitur consimiliter per hoc, quod Christus dixit Petro: *Quodcunq; ligaueris* &c. non potest intelligi, quod omnes mortales in omnibus absque omni exceptione successoribus beati Petri sint subiecti, vt in omnes homines quoad omnia de se licita, plenitudinem tam in temporalibus quam in spiritualibus habeant potestatis. *Magist.* Ista obiectio duobus modis repellitur: Primo, quia si secundum canones sacros, vbi canon non excipit aut diffinit aut determinat, nec excipere nec diffinire nec determinare debemus, *31. quaest. 1. quod si dormierit, & q. 5. consuluisti, 55. si euangelica*, multo fortius vbi Dominus non excipit, diffinit vel determinat, nec nos excipere, diffinire nec determinare debemus. Sed Christus concedendo Petro potestatem super omnes nihil excepit, nec diffiniuit, nec determinauit, sed indistincte & generaliter dixit: *Quodcunque ligaueris* &c. igitur nec nos aliquid debemus ab eius potestate excipere, aut eam aliquo modo diffinire vel determinare. Petrus igitur in omnibus temporalibus & spiritualibus accepit à Christo plenitudinem potestatis. Amplius, beneficium principis largissime interpretandum est, *extra de Simonia. c. vltim. & extra de dict. ex parte*, igitur & potestas collata Petro à principe principum Christo largissime interpretanda est, vt ab eius potestate nec in spiritualibus nec in temporalibus aliquid penitus subtrahatur. Secundo repellitur obiectio supradicta auctoritate Innoc. tertii, qui (vt legitur *extra de maio. & obe. c. sane*, ait: *Dominus dixit ad Petrum, & etiam Petrus dixit ad successores: quodcunque ligaueris* &c. *nihil excipiens, qui dixit: quodcunque ligaueris* &c. Ex quibus verbis colligitur, quod à potestate data à Christo beato Petro & successoribus eius neque in temporalibus neque in spiritualibus aliquid est excipiendum, habet igitur papa talem plenitudinem potestatis à Christo.

Cap. III.

Vbi secundo probatur prima opinio, per hoc, quod Papae est in omnibus obediendum, quod probat auctoritatibus tribus & rationibus duabus.

Discip. Super praemissam auctoritatem Saluatoris postea reuertemur, ideo alias allegationes adducas. *Magist.* Quod papa habet in temporalibus & spiritualibus talem plenitudinem potestatis, probatur. Ille cui ex praecepto diuino est in omnibus obediendum & in nullo penitus resistendum, habet immediate à Deo huiusmodi plenitudinem potestatis, papae autem ex praecepto diuino obediendum est in omnibus, & in nullo resistendum penitus, teste Grego. qui, vt habetur *d. 12. c. praeceptis*, ait: *Praeceptis Apostolicis non dura superbia resistatur, & per obedientiam quae à sancta Romana ecclesia & Apostolica auctoritate iussa sunt salutifere impleantur*, & infra: *cuius auctoritate sanctionem omnes teneant sacerdotes, qui nolunt Apostolicae Petrae, super quam Christus vniuersalem fundauit ecclesiam, soliditate diuelli.* Ex quibus verbis colligitur, quod propter auctoritatem concessam à Christo Romanae ecclesiae est in omnibus obediendum, & in nullo penitus resistendum. Hoc etiam Stephanus papa, vt habetur *di. 19. c. enimuero*, videtur asserere, cum ait: *Enimuero in speculum & exemplum sancta Romana ecclesia, cui nos Christus praeesse voluit, ab omnibus quicquid ordinauit, perpetuo & irrefragabiliter obseruandum est* &c. Ex quibus verbis colligitur, quod propter ordinationem Christi Romanae ecclesiae obediendum est in omnibus. Hinc Leo papa, vt habetur eadem di. *c. ita Dominus*, ait: *huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in omne corpus diffunderet*, & infra: *hanc Petrae istius sacratissimam firmitatem Deo, vt diximus, aedificante constructam nimis impia vult praesumptione violare, quisq; eius potestati tentat cōtrauenire.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod qui potestati Petri & successorum eius aliquo modo inobediens inuenitur, Dei ordinationem infringit, quare ex ordinatione Christi est, quod papae obediendum est in omnibus. Quod etiā ratione probatur, quia illi ex ordinatione obediendum est in omnibus, cuius omnia praecepta accipienda sunt tanquam diuina voce prolata, sed omnia praecepta papae sicut & sanctiones eius accipienda sunt tanquam diuina voce prolata, *di. 19. sic omnes*, igitur ex ordinatione Dei est ei obediendum in omnibus. Amplius illi ex praecepto Dei est in omnibus obediendum, qui absq; haeresi non potest esse schismaticus, & omnes alii possunt esse schismatici, tanquā ab illo diuisi. Sed papa non potest esse schismaticus, nisi fiat haereticus, omnes autem alii possunt esse schismatici, licet non statim sint haeretici, igitur papae est ex praecepto Dei in omnibus obediendum. Maior probatur per hoc, quod ille, cui non est obediendum ex praecepto Dei, in omnibus potest multa praecipere, in quibus alii sibi obedire non tenentur. Quare propter praecepta huiusmodi in quibus sibi non tenentur obedire, potest inter praecipientem & illos quibus fiunt praecepta huiusmodi oriri discordia, diuisio, dissensio, & scissura, & per consequens schisma, quia *schisma*, quod Graecum nomen est, scissuram notat *24. q. 1. c. schisma*, in illo igitur casu vel praecipiens vel illi quibus fiunt huiusmodi praecepta est schismaticus vel schismatici, sed illi, quibus fiunt praecepta, non sunt schismatici: cum non sint non obediendo aliquo crimine irretiti, ex quo nullatenus obedire tenentur. Quare praecipiens est schismaticus reputandus propter iniusta praecepta: licet non fiat haereticus. Minor, quo ad primā partem sc. quod papa absq; haeresi non possit esse schismaticus, probatur p hoc, quod schismaticus dicitur ille, qui ab ecclesiae vniuersalis vnitate recedit *24. q. 1. schisma & c. loquitur Dominus & c. alienus & c. quia ex sola*, sed papa nisi fiat haereticus ab vniuersalis ecclesiae vnitate non recedit: cum ab ipso quamdiu manet in fide Petri vnitas vniuersalis ecclesiae incipiat, *24. q. 1. loquitur Dominus*, igitur papa nisi fiat haereticus, schismaticus esse non potest. Secunda pars manifeste patet: quia omnis à papa absq; haeresi saltem in principio non obediendo vniuersali ecclesiae in his in quibus te-

netur potest fieri schismaticus. Ex his colligitur quod ex præcepto Dei seu ex ordinatione Christi, Petro & successoribus eius est in omnibus obediendum: & in nullo penitus resistendũ, igitur ex ordinatione Christi papa habet tam in spiritualibus quam in temporalibus plenitudinem potestatis, vt omnia possit, quæ non sunt de se illicita, ita vt per solam humanam ordinationem, vel voluntatem non possunt fieri illicita. *Disc.* Priusquam ad alias allegationes procedas, refer quare dicitur quod papa ex ordinatione Christi omnia potest, quæ non sunt de illicita &c. *Mag.* Hoc dicitur propter vota, iuramenta, promissiones, pacta, & alia quæcunq; per quæ homines se obligant ad illa, ad quæ alias minime obligantur, quia per talia in nullo penitus derogatur potestati papę, quin talibus quibuscunque non obstantibus omnia possit & in omnibus sit obediendum ei, eo quod in omnibus talibus potestas & auctoritas papæ intelligitur semper excepta, *extra de iureiurando, veniens, & extra de electionibus. significasti.*

Cap. IV.

In quo tertio probatur duodecim rationibus prima opinio.

Discip. De ista materia in speciali tangemus in diuersis locis: ideo alias allegationes adducas. *Mag.* Quod papa habeat ex ordinatione Dei talem plenitudinem potestatis, probatur: quia qui omnibus legibus positiuis est solutus habet talem plenitudinem potestatis, quia qui non habet talem plenitudinem potestatis, aliqua lege humana potest constringi: eo quod non habet potestatem supra omnes leges humanas, papa autẽ legibus est solutus, ita quod est supra omnes leges humanas: cum etiã leges impiales possit dissoluere, sicut plures canones videtur asserere, *di. 19. quæcunq;* igitur papa habet ex ordinatione Dei talem plenitudinem potestatis. Amplius, vicarius Christi habet plenitudinẽ potestatis ex ordinatione eiusdem Christi: cum Christus habuerit huiusmodi plenitudinem potestatis & in committendo Petro vices suas nihil in talibus sibi interdixit, igitur papa habet talem ordinationem potestatis ex ordinatione Christi, cum sit Christi vicarius. Rursus papa habet plenitudinem potestatis, sed non habet aliquam potestatẽ ab homine, ergo ex sola ordinatione Dei habet plenitudinem potestatis. Minor colligitur & habetur ex diuersis canonibus sacris *2. q. 6. c. decreto & c. qui se scit,* etiam diuersi canones sacri videntur asserere, vnde Innoc. tertius, vt habetur *extra de iudiciis, nouit,* ait: *Cũ enim non humanæ constitutioni, sed diuinæ potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad officiũ nostrum spectet de quocunq; mortali peccato corripere quemlibet Christianum.* Et beatus Anacletus, vt habetur *di. 22. c. sacrosancta,* ait: *Hæc vero Apostolica sedes caput & cardo, vt præfatum est, à Domino & non ab alio constituta* &c. Ex quibus verbis colligitur, quod papa nullam potestatem habet ab homine. Quod etiam ratione videtur posse probari. Nã nullus est dicendus hæreticus ꝓpter hoc, quod negat à quocunq; potestatem, quam à solo homine habere dignoscitur, quia talis licet erret, non tamen errat contra scripturam sacram, q̃ non est ab homine, sed à Deo, sed ꝗ negat à papa potestatem suam, est hæreticus reputandus, vt testatur Nicolaus papa, secundum ꝙ habetur *d. 22. c. 1.* igitur papa à solo Deo recipit potestatem. Item quod papa habeat plenitudinem potestatis à Deo, ostenditur, nam ab eodem habet Romanus Pontifex plenitudinem potestatis & potestatẽ concedendi indulgentias, vt innuitur *ext. de pœn. & re. cum ex eo,* in fine, sed Romanus Pontifex habet à solo Deo & non ab homine potestatẽ concedendi indulgentias, igitur à solo Deo habet plenitudinem potestatis. Item, ille habet à Deo plenitudinem potestatis, de cuius iudicio & potestate non est licitum iudicare, nec etiã disputare in dubium reuocando potestatem eiusdem, q̃a de potestate eius, ꝗ non habet à Deo plenitudinem, de cuius etiã iudicio licet iudicare, si non secundũ potestatem sibi concessam, sed vsurpatã præsumpserit iudicare, sed nemini licet iudicare vel etiã dubitando de iudicio & potestate summi pontificis disputare, ergo à Deo habet plenitudinẽ potestatis. Maior videtur esse eiusdẽ, minor per auctoritates diuersas ostenditur, ait enim Nicolaus papa, vt habetur *9. q. 3. patet ꝓfecto sedis Apostolicæ, cuius auctoritate maius nõ est iudiciũ, à nemine fore retractandũ: nec cuiquã de eius liceat iudicare iudicio.* Et Gelasius papa, vt habetur *eisdẽ causa & q. c. ipsi,* ait: *nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, sententiãq; eius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt.* Et *17. q. 4. si quis,* sic scribitur: *de iudicio summi pontificis alicui disputare non licet,* & ibidem sic legitur: *committunt etiã sacrilegiũ, qui contra legis sanctitatẽ diuinæ aut nesciendo committunt aut negligendo violãt & offendunt aut qui de principali iudicio certant & disputant.* Et *eisdẽ causa & q. c. nemini,* vbi dicit Nicolaus papa: *Nemini de sedis Apostolicæ iudicio iudicare aut illius sententiã retractare permissum est,* videlicet ꝓpter ecclesiæ Romanæ primatũ Christi munere in beato Petro Apostolo diuinitus collatũ. Ex his atq; aliis multis colligitur, ꝙ papa potestatem concessam à Christo Romanę ecclesiæ nemini licet iudicare aut disputare de eius iudicio aut potestate, ergo habet à Christo plenitudinẽ potestatis. Quod adhuc tali ratione probetur. Ab eodem habet papa plenitudinem potestatis, à quo habet claues regni cœlorum, sed claues regni cœlorũ habet à Christo, ergo & plenitudinẽ potestatis habet à Christo. Minor patet ex verbis Christi, quæ dixit Petro Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Maior probatur: quia omnis potestas, quam habet papa, spectat ad claues, eo quod omnis potestas papæ aut est ordinis aut iurisdictionis. Potestas autem quam habet ratione ordinis spectat ad claues secundum omnes. Potestas etiam quam habet ratione iurisdictionis spectat ad claues, teste August. qui scribens ad Bonifacium, vt habetur *dist. 50. c. vt constitueretur,* ait: *Vt constitueretur in ecclesia ne quisquam post alicuius criminis pœnitentiam clericatum accipiat: vel ad clericatum redeat: vel in clericatu maneat non desperatione indulgentiæ sed rigore factum est disciplinæ, alioquin contra claues datas ecclesiæ agitur, de quibus dictum est: quodcunque solueris*

neris super terram, erit solutum & in cœlis. Ex quibus verbis colligitur, quod potestas puniendi criminosos, quæ competit ecclesiæ Romanæ, iurisdictionis, non ordinis, spectat ad claues ecclesiæ, igitur ratione consimili omnis talis potestas, quæ competit ecclesiæ ratione iurisdictionis spectat ad easdem claues. Quod Papa habeat à Christo immediate plenitudinem potestatis, probatur, quia cui ab aliquo concessum est maius, ab eodem & minus concessum videtur *ext. de decimis. ex parte 27. qu. 2. sunt qui dicunt,* sed maius est dispensare contra Deum & contra Apostolum, quam posse ea, quæ nec sunt contra legem diuinam, nec contra ius naturæ. Et Papa autem habet à Christo potestatem dispensandi contra Deum & contra Apostolum, teste Glos. quæ *25. q. 1. sup. c. sunt quidem,* ait: *satis potest sustineri, quod Papa contra Apostolum dispensat: non tamen in his quæ pertinent ad articulos fidei, & eodem modo dispensat in euangelio interpretando ipsum, & ext. de fo. compe. licet, in fine.* Hoc etiam probatur exemplis. Nam Papa dispensat contra Deum in iuramento & in voto. Nam Dominus per prophetã: *vouete & reddite,* & Matt. 5. *Redeant Domino iuramenta tua,* & tamen in his dispẽsat Papa *15. q. 6. iuratos, ext. de voto. c. in multis,* ergo multo fortius Papa potest omnia, quæ non sunt contra legem Dei nec contra ius naturæ. Præterea ille habet plenitudinem potestatis, vt omnia possit, cuius sententia siue iusta, siue iniusta est timenda: & eiusdem præceptum siue iustum, siue iniustum est timendum & seruandum, sed sententia Papæ siue iusta, siue iniusta est timẽda *2. q. 3. sententia,* ergo Papa omnia potest. Adhuc ille, qui à nemine reprehendi debet pro quocunq; facto, habet plenitudinem potestatis à Christo, vt omnia possit, quia si nõ haberet talẽ plenitudinẽ potestatis, posset excedere potestatem suam: & per consequẽs in talib. peccaret, quilibet autem peccator, etiã prælatus, potest & debet corripi & reprehendi de omni peccato: maxime si non timetur probabiliter, quod ex correctione fiet deterior, iuxta illud euangelii: *Si peccauerit in te frater tuus vade,* &c. quod ad omnes extenditur, vt ex sacris canonib. colligitur, Papa autem à nemine debet reprehendi seu corripi, *dist. 40. si Papa,* igitur Papa habet plenitudinem potestatis, vt omnia possit, sed non habet talem plenitudinem potestatis ab homine, ergo habet eam à Christo. Amplius, qui non potest contra fidẽ errare, habet plenitudinẽ potestatis à Deo, vt omnia possit, quia qui non potest contra fidem errare, non potest errare contra bonos mores, & per consequens quicquid fecerit, irreprehensibile est & licite factũ, & ita omnia potest quæ vult. Papa aũt non potest contra fidem errare. Ad quod probandum adductę sunt allegationes plures *in prima parte huius Dialo. li. 5. c. 4.* ergo Papa habet à Christo plenitudinẽ potestatis. Præterea qui habet à Christo plenitudinẽ potestatis super cõcilium generale: habet etiã multo fortius à Christo plenitudinẽ potestatis super alios. Papa aũt habet à Christo plenitudinẽ potestatis sup conciliũ generale, talem aũt potestatem non habet à cõcilio generali: cum vnũ concilium non possit alii legem vel subiectionẽ imponere, quia nõ habet imperium par in parẽ, igitur si habet eam: habet ipsam ab aliquo superiori cõcilio generali, superior aũt non est, nisi Christus, ergo si Papa habet talem plenitudinẽ potestatis super generale conciliũ, habet ipsam à Christo, restat ergo probare, quod Papa habeat talem plenitudinẽ potestatis, id est talem potestatem super conciliũ generale, quod per auctoritates manifestas videtur ostendi, ait n. Pascasius Papa, vt habetur *ext. de elect. significasti: Cum omnia concilia per ecclesiã Romanã auctoritatem & facta sint & robur acceperint, & in eorum statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas,* & Gratian. *25. q. 1. si igitur,* ait: *Sacri canones ita aliquid constituunt vt suæ interpretationis auctoritatem sancta Romana ecclesia conseruent, ipsi namque soli canones valent interpretari, qui ius habent condendi eos, vnde in nonnullis capitulis conciliorum, cũ aliquid obseruandum determinetur, statim subinfertur; nisi auctoritas Romanæ ecclesiæ obuiet: vel, salua tamen in omnib. Apostolica auctoritate.* Ex quibus aliisq; quamplurimis colligitur, quod Papa habet super generale concilium plenitudinem potestatis, ergo multo fortius habet plenitudinẽ potestatis super omnes alios. Præterea qui habet potestatẽ à Christo super ista, quæ sunt super naturalẽ æquitatẽ, multo magis habet potestatem à Christo super omnia licita, quæ naturali æquitati non obuiant. Quia cui cõcessum est maius, & minus concessum esse videtur, sed Papa habet potestatem super illa, quæ naturali obuiãt æquitati, ergo habet à Christo plenitudinem potestatis: vt omnia possit quæ sunt licita, & naturali æquitati non obuiant. Maior videtur probatione minime indigere. Minor probatur, nam pueros, qui seipsos nesciunt regere, habere curam & regimen animarum rationali obuiat æquitati, quę ratio naturalis dictat, quod qui nescit se regere, non debet alios gubernare, imo & veritas euangelica hoc insinuat, cum Christus dicat Matt. 15. *Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Hoc etiã Alexander III. sequens dictamen rationis rectæ, vt habetur *ext. de ætate & qualitate præficiendorum, c. indecoris,* videtur innuere dicens: *Indecoris est vt ii debeant ecclesias regere, qui non nouerunt gubernare seipsos: cum ad ecclesiarum regimen tales personæ sint admittendæ, qui discretione præmineant & morum fulgeant honestate,* cui Gregor. IX. (vt habetur *ext. de electio. cum in magistrum*) concordare videtur dicens: *cum in magistrum assumi non debet, qui formam discipuli non assumpsit: nec perficiendus qui subesse non nouit,* &c. Ex quibus aliisque quampluribus patet, quod æquitas naturalis exigit, quod pueri qui nec se, nec alios regere sciunt, ad regimen & curam animarum assumi non debent. Et tamen contra hanc naturalem æquitatem potest Papa præcipere, teste Glos. quæ vt habetur *ext. de ætate & qualitate præficiendorum, super c. eam te,* ait: *si ex certa scientia scriberet Papa pro minori, eius mandato esset obediendum, quia sacrilegii instar obtinet dubitare an is sit dignus, quem princeps elegerit 17. q. 4. §. qui autem, & cap. de crimine sacrilegii l. 2.* hoc etiam Alexander Tertius mandasse videtur, vt habetur *ext. de ætate & qualitate præficiendorum,* ex ratione, qui pueros infra decennium constitutos non remouet ab ecclesiis, quæ erant eis concessæ per episcopum Couenirensem: sed scienter tolerat eos & mandat vt tolerentur.

Cap. V.

Vbi arguitur contra primam opinionem, scilicet quod sit falsa, periculosa, perniciosa, & haereticalis.

Discip. Pro praedicta opinione allegationes retigisti: & aestimo fortiores: ideo pro ea ad praesens alias non adducas, quia istae soluentur patenter: sed ad alias in contrarium posset forsitan leuiter responderi. *Magister.* Sunt nonnulli, qui opinionem praescriptam falsam, periculosam, pernitiosam ac haereticalem aestimant, quod multipliciter probare conantur. Lex enim Christiana ex institutione Christi est lex libertatis respectu veteris legis: quae respectu nouae legis fuit lex seruitutis. Sed si Papa haberet à Christo talem plenitudinē potestatis, vt omnia possit, quae non sunt contra legem diuinam, nec contra legem naturae: lex Christiana ex institutione Christi esset lex intolerabilis seruitutis: & multo maioris seruitutis quam fuerit lex vetus, ergo Papa non habet à Christo talem plenitudinem potestatis, tam in spiritualibus quam in temporalibus. Maior auctoritatibus apertissimis scripturae diuinae videtur posse probari, beatus enim Iacobus in canonica sua ca. 1. eam vocat *legem perfectae libertatis*, dicens: *Quicunque prospexerit in lege perfectae libertatis, & permanserit in ea non auditor obliuiosus factus, sed factor operis: hic beatus erit in facto suo.* Et Apostolus ad Galat. ait: *neque Titus qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circuncidi: sed propter introductos falsos fratres, qui introierant exploraturi libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent, quibus nec ad horam cessimus subiectioni, vt veritas euangelica permaneat apud vos.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod lex euangelica est lex libertatis, per quam Christiani à seruitute sunt erepti vltra in seruitutem minime reducendi. Quod etiam Apostolus cap. quint. videtur asserere dicens: *vtinam & abscindantur, qui vos conturbant, vos enim in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem succurrite inuicem.* Item beatus Petrus, vt habetur Actuum decimo quinto ait: *Quid tentatis Deum imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Ex quibus verbis colligitur, quod Christianis non est tam graue iugum seruitutis impositum, sicut fuit positum super Iudaeos. Vnde beatus Iacobus ibidem post verba Petri dixit: *Ego iudico non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum: sed scribere ad eos vt abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocato sanguine*, & haec sententia Iacobi ab Apostolis & senioribus, imo à Spiritu sancto extitit approbata. Vnde & ibidem subiungitur: *Tunc placuit Apostolis & senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam qui cognominatur Bersabas, & viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum epistolam continentem hac: Apostoli & seniores fratres.* Et post: *visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis onerum, quam necessaria: vt abstineatis ab immolatione simulacrorum & sanguine suffocato & fornicatione: à quibus custodientes vos bene agetis.* Ex quibus colligitur, quod Christiani per legem euangelicam sunt à seruitute multiplici liberati, & quod lex euangelica est lex minoris seruitutis, quam fuerit lex vetus. Quod Augustinus ad inquisitiones Ianuarii, vt habetur *distinction. duodecim. cap. omnia*, videtur innuere manifeste, dicens de quibusdam, qui Christianam religionem seruitute nimia oppresserunt: *quamuis enim neque hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamen religionem (quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei voluit esse liberam) seruilibus oneribus premunt, adeo vt tolerabilior sit conditio Iudaeorum: qui etsi iam tempus liberationis non agnouerunt, legalibus tamen sacramentis, non humanis praesumptionibus subiiciuntur.* Item Apostolus ad Galatas quart. *Non sumus ancillae filii, sed liberae, qua libertate Christus nos liberauit, state, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* Et Apostolus secund. ad Corinth. tert. *Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Ex quibus omnibus colligitur, quod maioris libertatis est lex noua quam vetus. Minor autem praedictae allegationis, quod scilicet lex noua siue euangelica esset intolerabilis seruitutis, & maioris quam fuerit lex vetus: si Papa haberet ex institutione Christi talem plenitudinem potestatis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, videtur probatione nullatenus indigere.

Si enim hoc esset, omnes Christiani essent serui: & nullus esset liberae conditionis, omnes enim essent serui summi Pontificis, & summus Pontifex tantam potestatem in temporalibus haberet super Imperatorem, & reges & principes, & laicos vniuersos, ac omnes omnino Christianos, & quantum ad personam, & quantum ad res ipsorum, quantam vnquam Dominus temporalis habuit, vel habere potuit super quemcunquem seruum. Ita quod Papa libere posset priuare reges & principes, ac omnes alios Christianos regnis & omnibus rebus: reges & principes quibuscunque aliis subdere, & constituere eos seruos ipsorum. Haec enim & similia non sunt contra legem diuinam nec contra legem naturae: quia si essent contra legem diuinam, vel legem naturae, ipsismet regibus & aliis Christianis essent illicita: & per consequens nullis liceret res suas alteri dare, vel se alterius subiicere potestati. Et ita constat, quod lex Christiana esset maioris seruitutis, quo ad temporalia, quam lex vetus, si Papa in temporalibus haberet huiusmodi plenitudinem potestatis, quia illi qui erant sub lege Mosaica, nulli mortali erant in temporalibus tali modo subiecti, quia tale dominium, nec rex nec summus Pontifex habebant. Vnde & Naboth Israelites laudabiliter denegauit dare & vendere vineam suam regi cupienti emere ipsam. Esset etiam lex moderna maioris seruitutis,

uirtutis, quoad spiritualia, siue quoad illa, quæ pertinent vel pertinere possunt ad exteriorem cultum diuinum, quam fuerit lex Mosaica, quia si Papa haberet talem plenitudinem potestatis, plures & grauiores huiusmodi obseruantias corporales imponere regibus & principibus ac omnibus Christianis, quam fuerint in lege veteri ordinatæ, nec cuicunque Christiano liceret in huiusmodi non obedire, si Papa haberet talem plenitudinem potestatis. Ex istis concluditur, quod prædicta opinio de plenitudine potestatis summi Pontificis non solum falsa, sed etiam hæreticalis est habenda, cum sit manifeste contra Scripturam sacram, asserentem quod lex Christiana est lex libertatis: & per consequens Christiani non fiunt serui cuiuscunque mortalis per legem Christianam, sed liberi sunt, quantum est de ratione euangelicæ legis. Est etiam (vt dicunt) perniciosa & periculosa: quia si Papa vteretur tali potestate priuando reges & alios Christianos regnis & rebus suis pro suæ voluntatis arbitrio, & eos subiiciendo seruituti vel operibus seruilibus, orirentur schismata & dissensiones, bella, guerræ inter Christianos: etiam periculum & dispendium totius Christianitatis.

CAP. VI.

In quo ponitur euasio prædictæ rationis de libertate euangelica, secundum primam opinionem, & probatur duabus rationibus, ad quas respondetur infra c. 7.

DIscipulus. Quia, vt puto, istud est principalius vel de principalibus fundamentis & motiuis, quare quidam dicunt, quod Papa non habet talem plenitudinem potestatis. Ideo contra ipsum volo obiicere, vt responsionibus, quas recitabis ad obiectiones contra ipsum, quale sit magis appareat. Videtur itaque, quod lex Christiana non dicatur in Scripturis sacris lex libertatis: quia per eam Christiani fiant liberi, ne sint subiecti in omnibus summo Pontifici, quod innuit motiuum præcedens. Sed dicitur lex libertatis: quia per eam Christiani efficiuntur liberi à seruitute peccati vel legis Mosaicæ. Vnde & plures auctoritates adductæ expresse loquuntur de libertate à seruitute legis Mosaicæ: sicut illa *ad Galat. 2. & 5.* & illa *Actuum 15.* & illa *ad Galat. 4.* Aliæ autem auctoritates intelligi possunt de libertate à seruitute peccati, igitur per ipsas probari non potest, quod Christiani per legem Christianam efficiuntur liberi à seruitute, qua tenentur summo Pontifici: ne sc. in omnibus temporalibus & spiritualibus sint sibi subiecti, quæ non sunt contra legem Dei, nec contra legem naturæ. Vnde & quod auctoritates scripturæ diuinæ non debeant intelligi de libertate & subiectione, qua subduntur Christiani summo Pontifici, ratione probatur. Nam si lex Christiana esset taliter lex libertatis, nulli liceret se subdere summo Pontifici vel alii cuicunque mortali. Et ita, vt quidam dicunt Fratres Minores, si per regulam suam tenentur in omnibus obedire summo Pontifici, eorum regula esset hæreticalis, quia esset contra legem Christianam, quæ est lex libertatis liberans Christianos ne homini sint subiecti. Amplius secundum beatum Iacobum, vt allegatum est, lex Christiana est *lex perfectæ libertatis*, perfecta autem libertas omni seruituti repugnat, ergo si lex Christiana est lex libertatis liberans Christianos, ne homini sint subiecti: sequitur quod nullus debet esse seruus hominis cuiuscunque. Et ita reges & principes & alii laici, & etiam ecclesia nullos seruos haberent, quod legibus ciuilibus & sacris canonibus obuiat manifeste. Propter ista videtur, quod motiuum præscriptum non probatur, quod Papa non habeat plenitudinem potestatis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tu autem narra, quomodo respondetur ad ista.

CAP. VII.

Vbi ponitur confutatio prædictæ euasionis, expositionis & rationis contra primam opinionem, & ad rationes capituli præcedentis respondetur.

MAgister. Ad primum istorum dicitur, quod quamuis auctoritates specialem faciant mentionem de libertate à seruitute Mosaicæ legis: tamen omnes intelligi debent ab omni seruiture tanta, quanta fuit seruitus Mosaicæ legis, & hoc saltem quo ad aliqua negatiue, vt scilicet nullus per euangelicam legem obligetur ad tantam seruitutem, quanta fuit seruitus veteris legis, licet aliqui Christiani ratione delicti vel ex voluntate, seu alia quacunque occasione (non tamen per legem Christianam) tanta seruitute vel maiori teneantur astricti. Si enim Christiani quacunque seruitute, quo ad opera exteriora, tanta vel maiori, quanta fuit seruitus veteris legis, per legem euangelicam tenerentur, non posset lex euangelica magis dici lex libertatis, quam lex Mosaica: quantumcunque liberati essent à seruitute Mosaicæ legis.

Qui enim liberatur ab vna seruitute, & premitur alia æquali vel maiori: non est magis liber, quam prius extiterat. Sicut qui liberatur ab vno vinculo corporali, & alio æquali vel fortiori constringitur, non est solutus, sed magis ligatus. Cum vero lex euangelica secundum veritatem scripturæ diuinæ sit lex magis libertatis, quam vetus lex: legem euangelicam Christiani neque seruituti legis Mosaicæ, neque cuicunque alii seruituti exteriori maiori vel tantæ, quanta fuit seruitus veteris legis, subduntur. Quare etiam auctoritates illæ, quæ occasione seruitutis veteris legis de liberta-

bertate Christianorum loquuntur, de libertate ab omni seruitute tanta, quanta fuit seruitus veteris legis debent intelligi. Quare cum seruitus, qua aliquis alteri obligatur in omnibus obedire, quæ non sunt contra legem diuinam: nec contra legem naturæ, sit maior, quam fuerit seruitus veteris legis: etiam de libertate ab illa seruitute auctoritates præscriptæ debent intelligi. Et ita, vt dicunt isti, per ipsas probatur aperte, quod memorata opinio de plenitudine potestatis summi Pontificis est hæreticalis, tanquam contraria diuinæ scripturæ. *Discipulus.* Antequam procedam contra ista obiicio, quia non videtur, quod quamuis Papa haberet huiusmodi plenitudinem potestatis: Christiani essent pressi maiori seruitute, vel tanta, quanta fuit seruitus veteris legis. Nam talem potestatem habent aliqui prælati religiosi super fratres suos, vel possent habere. Quia possunt aliqui religiosi promittere in omnibus obedientiam prælatis suis: & tamen illi religiosi non premerentur tanta seruitute, quanta fuit seruitus veteris legis: quia nec tales religiosi essent serui, non enim religiosi sunt serui suorum prælatorum: nec prælati sunt Domini fratrum suorum. *Magister.* Huic respondetur, quod quamuis Papa possit habere talem potestatem supra illum, qui voluerit fieri seruus Papæ, & se in omnibus subdere potestati ipsius: tamen nec Papa, nec aliquis prælatus religiosus habet talem potestatem super quoscunque religiosos: qui scilicet vouent vel vouerunt obedientiam, paupertatem, & castitatem, quia religiosi tales quicunq; regulam quam vouent seruare tenentur. Propter quod nec Papa, nec alius habet talem plenitudinem potestatis super ipsos, nec ipsi sunt serui Papæ, vel alterius prælati, secundum quod nomen seruorum in scientiis legalibus frequenter accipitur, quia nec Papa, nec alius potest eos occupare in seruilibus operibus, dimissis illis, quæ spectant ad substantiam regulæ suæ: nec potest eis præcipere vt habeant proprium vel contrahant matrimonium: quæ tamen sunt licita de se, licet facta sint illicita religiosis per votum sponte ab eis emissum. *Discipulus.* De potestate Papæ super religiosos postea disseremus, ideo de hac materia amplius ad præsens non loquaris. Sed narra an secundum istos non solum per hoc, quod auctoritates introductæ affirmant legem Christianam esse legem libertatis, sed etiam per alia verba in auctoritatibus eisdem accepta possit probari, quod Christiani per legem euangelicam tanta seruitute minime constringuntur, quanta fuit veteris legis. *Magister.* Dicunt, quod per auctoritates prædictas posset hoc probari; non tamen æque patenter per omnes. *Discipulus.* Dic, per quas dicunt isti hoc patentius posse probari. *Magister.* Dicunt, quod per acceptam de *Actibus 15. ca.* patenter hoc probatur, nam Apostoli inspiratione Spiritus sancti nunciauerunt gentibus libertatem à iugo seruitutis ad consolationem ipsarum, & ne dolerent se per seruitutem onerosam inquietari. Vnde Iacobus (vt allegatum est) dixit: *ego iudico non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum*, & de ipsis gentibus conuersis ad Deum recepta epistola Apostolorum seniorum super prædicta libertate sic scribitur eodem cap. *Quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione*, sed si conuersi ex gentibus liberati fuissent à seruitute legis Dei, & maiori seruitute Petri & successorum eius fuissent subiecti: & de inquietatione maiorum non immerito doluissent, & materiam consolationis minime habuissent. Ab omni igitur seruitute maiori: & tanta, quanta fuit seruitus legis Mosaicæ, liberati fuerunt. Quod in verbis Apostolorum insinuatur, cum dicitur: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, vt abstineatis*, &c. Si enim nihil vltra oneris voluerunt eis imponere: noluerunt eis imponere seruitutem neque maiorem, neque tantam, quanta fuit seruitus veteris legis. *Discipulus.* Videtur quod ista verba *nihil vltra imponere vobis oneris*, non debeant tam generaliter intelligi. Nam licet Apostoli non imposuerint Christianis onera veteris legis: imposuerunt eis tamen multa præter illa, quæ nominantur in verbis præmissis. Multos enim canones condiderunt, in quibus præceperunt multa, præter illa quæ enumerantur in verbis prædictis, sicut patet in decretis *distinction. decim. sext. cap. propter, & duodecim. quæst. prim. cap. dilectissimis, & cap. sint manifeste, & cap. ex his*, verba igitur præmissa *Actuum decimo quinto*, solum debent intelligi de onere legis Mosaicæ. *Magister.* Ad hoc respondetur, quod licet Apostoli plures canones condiderint & præceperint multa præter illa, quæ enumerantur *Actuum decimo quinto*, nihil tamen præceperunt subditis minime requisitis & non consentientibus, nisi quæ erant de lege diuina & iure naturali: & necessitas vel vtilitas publica postulabat: & quorum præceptio absque dispendio non poterat prætermitti: in quibus & qualibus nunc summus Pontifex obtinet potestatem.

Discipulus. Istud vltimum dictum (vt puto) non potest ad intentionem dicentium verbis breuibus explicari, ideo ipso dimisso ad præsens, quia de ipso post tractabimus: Dic an per aliquam aliam auctoritatem prius adductam dicant isti patenter posse probari, quod Scriptura loquens de libertate legis euangelicæ debeat intelligi, etiam de libertate ab alia seruitute, quam à seruitute legis Mosaicæ. *Magister.* Hoc dicunt posse ostendi auctoritate Apostoli, cum dicit secundo ad Corinth. tertio. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas*, ibi enim Apostolus non loquitur specialiter de libertate à seruitute legis veteris: sed magis generaliter, igitur intelligit Apostolus, quod vbi est Spiritus Domini: ibi non solum est libertas à seruitute veteris legis: sed etiam ibi libertas est ab omni seruitute, quoad opera exteriora: quæ est tanta, quanta fuit seruitus veteris legis.

Quod auctoritatibus sanctorum Patrum ostenditur, nam per illam auctoritatem Apostoli, sancti Patres probant, quod licet clericis, inuitis episcopis, monasteria monachorum intrare, ait enim Vrbanus Papa, vt legitur *19. quæstion. 2. cap. duæ*: *Qui Spiritu Dei aguntur, lege Dei ducuntur, &*

quis

quis est, qui possit Spiritui sancto digne resistere? quisquis igitur hoc Spiritu ducitur. etiam episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate, iusto enim lex non est posita: sed vbi spiritus Dei est, ibi libertas, & si spiritu Dei deducimini, non estis sub lege. Innocentius Tertius *ext. de regularibus, c. licet,* ait: *Licet quibusdam monachis.* Et infra: *quia tamen vbi spiritus Dei est, ibi libertas, & qui spiritu Dei aguntur non sunt sub lege, & quia lex non est posita iusto.* Ea ratione hoc videtur illis concessum fuisse, ne quis ex temeritate vel leuitate in iacturam, vel iniuriam sui ordinis sub prætextu maioris religionis ad alium ordinem transuolaret. Ex quibus colligitur, quod per libertatem concessam Christianis probatur, quod licet clericis ad religionem,& religiosis ad arctiorem transire: quod tamen probari non posset, si per libertatem Christianorum Apostolus intelligeret tantummodo libertatem à seruitute Mosaicæ legis. Hoc etiā per auctoritatem Augustini superius allegatam videtur posse expresse probari. Nam Augustinus in verbis illis per libertatem, quam Christiana religio ex misericordia Dei consecuta est, illos iudicat arguendo, qui eandem religionem diuersis oneribus opprimebant, adeo vt tolerabilior sit cōditio Iudæorum, quā Christianorum: qui tamen oneribus legis Mosaicæ Christianos minime deprimebant. Igitur intendit Augustinus, vt Christiana religio non solum sit liberata ab oneribus veteris legis: sed etiam ab aliis oneribus, quæ æqualiter vel magis premant, quam onera Mosaicæ legis. *Discipulus.* Dic, quomodo respondetur ad rationes, quibus supra *capitulo sexto* visus fui probare: quod auctoritates adductæ *cap. quint.* non debent intelligi de libertate à subiectione, qua Christiani secundum primā sententiam summo Pontifici sunt subiecti. *Magister.* Ad primam ipsarum respondetur secundum quosdam, quod auctoritates de libertate euangelicæ legis non debent, quo ad omnes intelligi affirmatiue, sed quo ad multos negatiue: sicut tactum est primo, quemadmodum illa verba Apostoli: *Spiritus sit vnus vxoris & viri,* & illa Saluatoris: *In ore duorum vel trium stat omne verbum,* & multæ aliæ debent intelligi negatiue, non enim illi, qui erant serui ante conuersionem ad fidem, per conuersionem fiebant liberi: sed per legem euangelicam nullus ducebatur ad maiorem seruitutem, quam erat seruitus veteris legis. Et ideo licet per euangelicam legem non fiat seruus Papæ: absque tamen transgressione eiusdem legis potest quis, si sponte voluerit se facere seruum Papæ, vel si ex alia iusta & licita causa fiat seruus Papæ: in nullo derogatur euangelicæ legi, quia lex euangelica licet non inducat huiusmodi seruitutem, non tamen prohibet. Quod autem ibidem accipitur, quod Fratres Minores tenentur in omnibus obedire Papæ: dicunt isti falsum esse, licet quidam Fratres Minores (vt fertur) hoc non teneant dicentes, quod liceret eis & tenentur etiam accipere vxores, si sola voluntate Papæ hoc præciperetur, de quibus postea in hoc tractatu, & etiam in *nouo tractatu huius tertiæ partis nostri Dialogi* tractabimus. Fratres enim Minores non tenentur obedire Papæ præcipienti aliquid contra substantiam regulæ suæ, & ideo regula eorum non hæreticalis, sed catholica est censenda. Ad secundam rationem, quam fecisti, respondetur quod lex Christiana non dicitur lex libertatis, quia liberat Christianos ab omni seruitute: sed quia non premit Christianos tanta seruitute, quanta pressi fuere Iudæi, & ideo licet regibus & aliis Christianis seruos habere, licet per legem Christianam nullus Christianus fiat seruus cuiuscunque. Et ad beat. Iacobum dicitur, quod non intendit legem Christianam esse legem perfectæ libertatis, vt nullus Christianus cuicunque homini sit subiectus, Christiani enim Papæ sunt subiecti: & multis principibus & aliis Christianis subduntur. Sed ideo dicit eam esse legem perfectæ libertatis: quia per eam religio Christiana paucis sacramentis & sacramentalibus, seu ceremonialibus ex institutione diuina subiicitur: & per ipsam nullus Christianus seruus cuiuscunque mortalis efficitur, nec etiam nisi in his, quæ spectant ad necessitatem vel vtilitatem ipsius aut reipublicæ alicuius hominis subditur potestati. Quare pro se & omnibus populis vniuersis & prælatis ecclesiæ dicit Apostolus 2. ad Corinth. vltim. *Non enim possumus aliquid aduersus veritatem: sed pro veritate.* Et post hoc: *Absens scribo, non vt præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem & non in destructionem vestram.* Ex quibus colligitur, quod Apostoli nullam potestatem habuerūt à Deo super fidelibus, nisi quæ ad vtilitatem subiecti vel communitatis cuiuscunq; inducit. Etiam quia paucis diuinis est supposita sacramentis, merito debet dici lex perfectæ libertatis, præsertim respectu legis Mosaicæ, quæ quampluribus sacramētis & ceremoniis vix portabilibus subiectos inuoluit, non tamen dicitur lex perfectissimæ libertatis, in perfectione enim sunt gradus, quare non omne perfectum est perfectissimum reputandum, perfectissima autem libertas in hac vita mortali nequaquam habebitur.

CAP. VIII.

In quo probantur duo, sc. quod non omnes Christiani sunt serui Papæ: & quod multi Christiani habent proprietatem & dominium rerum temporalium.

DIscipulus. Adhuc vt intelligatur profundius, quale sit motiuum præcedens, cupio audire aliquas allegationes præter scriptas, ad probandum quod non omnes homines sunt serui summi Pontificis, ex quo isti opinantes inferre nituntur, quod Papa non habet ex institutione Christi talem plenitudinem potestatis. *Mag.* Quod non omnes Christiani sint serui summi Pontificis secundum strictissimam significationem huius nominis *seruus*, quod tamen secundum istos sequeretur, si Papa haberet tam in temporalibus, quā in spiritualib. huiusmodi plenitudinē potestatis, multis modis ostenditur. Seruus enim nullā proprietatem seu dominium cuiuscunq; rei temporalis, dū manet

seruus

seruus, potest habere: quia quicquid acquirit seruus, Domino acquirit & ipsius Domini est, reges autem & principes, ac alii quamplurimi Christiani habent dominium & potestatem quamplurium rerum temporalium, ergo non omnes homines sunt serui Papæ: secundum illam significationem nominis *serui*, secundum quam Dominus potest vendere, dare, & alienare seruum suum, & ab eo omnem rem temporalem propria voluntate auferre, quod tamen sequeretur, si Papa haberet in temporalibus talem plenitudinem potestatis. *Discipulus*. Quomodo probatur, quod reges & principes & plures alii Christiani habent proprietatem & dominium rerum temporalium? *Magister*. Hoc multis modis ostenditur, nam illi habent dominium & proprietatem rerum temporalium, per quorum iura temporalia possidentur, *distinction. 8. quo iure*, ergo Imperatores & reges habent dominium & proprietatem rerum temporalium. Amplius: illi habent dominium & proprietatem rerum temporalium, quorum legibus etiam summi Pontifices pro cursu temporalium rerum legibus Imperatorum & regum vtuntur, sed summi Pontifices pro cursu temporalium rerum legibus Imperatorum & regum vtuntur, *distinction. 10. quoniam idem, & distinctio. 96. cum ad virum*, ergo imperatores & reges habent proprietatem & dominium rerum temporalium. Rursus: episcopi interdum præter res ecclesiæ habent res proprias *12. quæst. 1. cap. episcopi, & cap. manifesta, & c. certe, & ca. sicut manifeste*, ergo alii, quam Papa possunt proprietatem & dominium rerum temporalium possidere. Adhuc: reges & principes ac alii fideles laici donant res temporales ecclesiis, ergo habent proprietatem & dominiũ rerum temporalium. Item Iudæi & infideles habent proprietatem rerum temporalium, ergo multofortius reges & principes Christiani habent huiusmodi rerum temporalium proprietatem. *Discipulus*. Istud est ita diuulgatum, tam in legibus ciuilibus & canonicis, quam in communi opinione hominum, quod non curo pro ipso plures allegationes adducere. De quo tamen possem quærere: an sit hæreticum dicere, nullum Christianum habere proprietatem temporalium rerum: quod vero ad tractatum *de iuribus Romani Imperii* reseruare propono. Ideo reuertere ad probandum, quod non omnes Christiani sunt serui Papæ. *Magister*. Hoc aliter probatur, seruus non potest habere alium seruum, sed plures laici habent seruos, *distinction. 54. cap. 1. & 2. & cap. quicunque*, & in multis aliis capitulis, ergo non omnes homines sunt serui Papæ. Amplius: multi ab ecclesia consequuntur libertatem, *12. quæstion. 2. si quos de seruis ecclesiæ, & cap. episcopus, & cap. libertati*, & in multis aliis capitulis habetur, quod non omnes homines sunt serui summi Pontificis, multi ergo homines sunt liberi. Quod Saluator testari videtur dicens Matth. 17. *filii sunt liberi*, & Apostolus ad Gal. 4. ait: *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est vnusquisque vsque ad præfinitum tempus à Patre.* Ex quibus verbis colligitur, quod cum venerit tempus præfinitum à Patre, differt à seruo, & per consequens tunc nec Papæ, nec alterius est seruus.

Cap. IX.

In quo probatur, quod Papa non habet plenitudinem potestatis in temporalibus, octo rationibus, & est secunda opinio primo capitulo posita.

DIscip. Puto me aduertere, quomodo isti per libertatem Christianorum probare nituntur, quod Papa non habet talem plenitudinem potestatis, præsertim in temporalibus, ideo pro eadem opinione adhuc aliter allegare coneris. *Mag.* Hoc aliis modis videtur posse probari, nam vicarius non habet maiorem potestatem (inquantum vicarius) quam ille cuius est vicarius, ergo Papa in quantum vicarius Christi; non habet maiorem potestatem in temporalibus, quam habuerit Christus in quantum homo passibilis & mortalis. Sed Christus inquantũ homo passibilis & mortalis non habuit huiusmodi potestatem in temporalibus: cum non habuerit dominium omnium temporalium: nec alii fuerint serui eius secundum strictam significationem nominis seruorum, ipso testante, qui, vt habetur Ioh. 15. dixit Apostolis: *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat Dominus eius*, ergo Papa non habet huiusmodi plenitudinem potestatis. *Disc.* De fundamento istius allegationis satis poterit inueniri *in quarto tractatu tertiæ partis istius Dialogi*, ad quam pertinet exquisite disserere de paupertate Christi, ideo hac dimissa adduc alias. *Magister*. Probatur idem sic. Qui non debet se secularibus negociis implicare, non debet habere in secularibus talem plenitudinem potestatis, Papa autem non debet se secularibus implicare, ergo non habet nec habere debet talem plenitudinem potestatis in secularibus. Maior probatur: Quia frustra datur alicui potestas, quam exercere non debet. Vnde & reges accipientes à Deo potestatem iudicandi, ac iustitiam & iudicium faciendi, & non facientes sæpe in sacris litteris arguuntur. Sapientiæ sexto sic dicitur Regibus peruerse vel negligenter exercentibus officium regni: *data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis*, &c. vbi dicit Glossa: *Nota quod quilibet debet facere ea, quæ suæ conditioni conueniunt*, & per consequens illa potissime debet quis facere, ad quæ facienda ex speciali ordinatione Dei accepit potestatem, qui igitur specialiter ex institutione & ordinatione Christi accepit in secularibus plenitudinem potestatis: potissime etiam vltra alios debet se secularibus implicare negociis, ne in commissa sibi potestate negligẽtem & desidem se ostendat. Minor, quod Papa scilicet non debet se negociis secularibus implicare, patenter videtur ostendi per Apostolum 2. ad Corinth. 2. cap. dicentem: *Nemo militans Deo implicat se negociis*

negociis secularibus, vt ei placeat cui se probauit. Cum igitur Papa præcipue inter omnes Deo debeat militare, vt ei placeat: ipse minus quam alii debet se negociis secularibus implicare, hinc ex canone Apostolorum, vt legitur *distinction. octuagesim. oct. cap. episcopus*, sic habetur: *Episcopus autem sacerdos aut diaconus nequaquam seculares curas assumant, sin aliter, deiiciantur*, & cap. *episcopus*, sic scribitur: *Episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet: sed lectioni & orationi & verbo prædicationis tantummodo vacet*, & 21. quæstion. 5. cap. 1. sic legitur: *Apostolorum statuta sunt quæ dicunt: nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus, proinde aut clerici sint sine actionibus dominorum, aut actores sine officio clericorum.* Ex quibus aliisque quampluribus canonibus sacris, quæ habentur *decim. sext. quæstion. septim. [illegible]nulli, & distinction. 88. per totum, & 21. quæstion. 3. cap. placuit, & cap. Cyprianus, & cap. mollitiis, & [illegible] & cap. sacerdotum, & extra, ne clerici vel monachi secularibus se negociis immisceant, per totum*, & aliis locis quam multis colligitur, quod clerici episcopi non debent se secularibus negociis implicare, & per consequens Papa præcipue debet à talibus abstinere. Tum quia inter episcopos & clericos est præcipuus atque primus, & maxime debet in spiritualibus occupari. Tum quia præcipue tenet locum Apostolorum, & specialiter principis Apostolorum, qui hoc docuerunt & fecerunt, quos debet potissime imitari. *Discipulus.* Non oportet summum Pontificem se in omnibus vitæ Apostolicæ conformare: quia Apostoli abdicarunt proprietatem temporalium rerum, *extra, de ver. sig. lib. 6. cap. exiit*, & tamen Papa potest habere proprium, ergo similiter Papa potest se implicare multis secularibus negociis, quibus se minime implicauerunt [illegible]. *Magister.* Ad hæc respondent isti, quod licet Papa non teneatur in omnibus vitæ A[illegible]nformare: tamen nihil est sibi [illegible]iter iniunctum à Christo, quod Apostolicæ vi[illegible] ideo cum implicari secularibus negociis repugnet vitæ Apostolicæ, inferunt isti, quod [illegible] specialiter iniunctum Papæ à Christo. Quare nec sibi data specialiter est à Christo plenitudo potestatis in secularibus, cum teneatur exequi potestatem, quam specialiter habet [illegible]dinatione & constitutione Christi. *Disc.* Aliter nitaris allegare pro opinione præscripta. *Magi.* [illegible] Papa non habet talem in spiritualibus & temporalibus plenitudinem potestatis ostenditur. Na[illegible] est minor & minister, & seruus aliorum, in quos non debet exercere potestatem, non habet super eos tam in spiritualibus, quam in temporalibus plenitudinem potestatis. Nam qui habet super alios talem potestatis plenitudinem, est Dominus eorundem, nullus enim Dominus maiorem potestatem, quam plenitudinem potestatis potest habere super quoscunque, nullus autem respectu eiusdem est seruus & dominus: qui etiam habet plenitudinem potestatis super alios præcipue potest & debet exercere potestatem in eos. Papa autem est minor & minister, & seruus Christianorum, in quos non debet exercere potestatem, teste Christo, qui, vt legitur Matth. 22. dixit Apostolis: *Scitis quod principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit seruus vester*, & Matthæi 24. dixit Christus: *qui maior est vestrum, erit vester minister.* Et Marc. 9. dixit: *Si quis voluerit primus esse, erit quasi omnium nouissimus & omnium minister*, & 10. cap. *Scitis quod ii, qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum potestatem habent ipsorum, non ita autem est in vobis, sed quicunque voluerit fieri maior, erit vester minister: & quicunque voluerit primus esse, erit omnium seruus.* Et vt habetur Lucæ 20. Christus dixit Apostolis: *Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sic minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.* Ex quibus patet, quod primus spiritualis inter Christianos, scil. Papa, est minor & minister & seruus aliorum, in quos potestatem exercere non debet, igitur non habet talem plenitudinem potestatis. *Discipulus.* Ista allegatio in simili tractata est aliquantulum diffuse *libro sexto primæ partis istius dialogi cap. 3.* ideo ipsa omissa, alias cures adducere. *Magister.* Quod Papa non habet talem plenitudinem potestatis, sic probatur. Nam qui non est constitutus à Christo iudex secularis, non habet in secularibus talem plenitudinem potestatis à Christo, Papa non est constitutus à Christo iudex secularium, teste beato Petro, qui, sicut legitur in epistola Clementis, vt habetur *vndec. quæstion. septim. te quidem*, ait: *Te quidem oportet irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abiicias, ne fideiussor existas, ne aduocatus litium fias, ne ve in aliqua occupatione prorsus inueniaris mundialis negocii occasione perplexus, neque enim iudicem, neque cognitorem secularium negociorum te hodie vult ordinare Christus*, igitur Papa non habet talem, præsertim in secularibus plenitudinem potestatis. Item, qui non est dominus clericorum, non habet super eos plenitudinem potestatis, Papa autem non est dominus clericorum, teste beato Petro, qui in canonica sua prima cap. 5. ait: *neque vt domina[illegible] clero*, ergo Papa non habet etiam super clerum talem plenitudinem potestatis. Amplius, n[illegible]em potestatem habet Papa in terris suæ temporali iurisdictioni subiectis, quam in aliis ter[illegible] non sunt suæ temporali iurisdictioni subiectæ, ergo non habet in omnibus talem plenitudinem potestatis. *Discipul.* Dicerent primi opinantes, quod omnes terræ temporali iurisdictioni Papæ subiectæ sunt. *Mag.* Huic Innocentius Tertius obuiare videtur, qui, vt habetur *extr. de hæreticis, vergentis*, terras suæ temporali iurisdictioni subiectas distinguit ab aliis, dicens: *In terris vero temporali nostra iurisdictioni subiectis bona hæreticorum statuimus publicari: & in aliis idem præcipimus fieri per potentes & principes seculares. Discipulus.* Adhuc aliam allegationem adducas. *Magister.* Aliter probatur, quod Papa specialiter in temporalibus non habet talem plenitudinem potestatis, nam omnis potestas in temporalibus est ab illo, qui habet in temporalibus plenitudinem potestatis, vt omnia possit in temporalibus, quæ nec iuri diuino, nec iuri naturæ repugnat, sed potestas imperialis & regalis aliorumque principum laicorum non est à Papa. Vnde

& rex Franciæ superiorem in temporalibus non recognoscit, *ext. qui filii sunt legitimi, per venerabilem,* ergo Papa non habet in temporalibus talem plenitudinem potestatis. *Disc.* De distinctione potestatum spiritualis & secularis, & an potestas sit à Papa, diffuse tractabimus *in secundo tractatu istius tertia partis nostri dial.* ideo allegationem aliam adducas. *Mag.* Quod Papa non habeat in temporalibus plenitudinem potestatis, ostenditur. Nam cõtra illum, qui habet in temporalibus talem plenitudinem potestatis, nulla currit præscriptio, contra Papam autem currit præscriptio, saltem centenaria, *ext. de prescript. si diligenti,* igitur Papa non habet in temporalibus talem plenitudinem potestatis.

Cap. X.

Vbi ponitur secunda opinio capitulo primo recitata, scilicet quod Papa habet plenitudinem potestatis in spiritualibus, & probatur quatuor rationibus & duabus auctoritatibus.

DIsc. Hæc ad præsens de prima sententia, quam supra *c. 1.* recitasti, sufficiat, ideo ad secundam sententiam *eod. cap.* recitatam te conuerte. *Mag.* Sententia illa duas partes includit, vnam sc. affirmatiuam, & aliam negatiuã. Prima est, quod Papa habet ex ordinatione Christi talem plenitudinẽ potestatis in spiritualibus. Secunda est, q̃ non habet ex ordinatione Christi talem plenitudinem potestatis in temporalibus. *Disc.* Allega primo pro prima parte. *Mag.* Quod Papa in spiritualib. talem habeat plenitudinem potestatis ex ordinatione Christi probatur. Quia sicut ea, quæ sunt secularia debet disponi per principem secularem: ita quæ sunt spiritualia, sunt per summum Pontificem ordinanda & disponẽda, sed princeps supremus secularis habet in secularibus plenitudinem potestatis. Amplius: Christus dedit Petro plenitudinem potestatis, cum dixit: *Quodcunque ligaueris super terram,* &c. sed nõ dedit plenitudinem potestatis in temporalibus, ergo dedit sibi plenitudinem potestatis in spiritualibus. Rursus, qui potest omnem hominem de quocunque peccato corripere, & pœna debita coercere, habet in spiritualibus plenitudinem potestatis, Papa autem potest omnem hominem de peccato corripere, *ext. de iudiciis, nouit,* igitur Papa habet in spiritualibus plenitudinem potestatis. Iterum, omnia spiritualia possunt ad causas Dei reduci, sed omnes causæ Dei spectant ad summum Pontificẽ: quia spectant ad episcopos & clericos, *dist. 96. si Imperator,* inter episcopos autem Papa est primus, ergo omnes causæ Dei spectant ad ipsum, quare in spiritualibus habet plenitudinem potestatis. Hoc Iulius Papa sentire videtur: qui, vt habetur *dist. 11. ca. nolite,* ait: *Satis enim indignum est, quemcunque vel Pontificum vel ordinum consequentium hanc regulam refutare, quam B. Petri sedem & sequi viderit & docere, multum enim conuenit, vt totum corpus ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet, quæ inde auctoritatem habet, vbi Dominus totius ecclesiæ posuit principatum.* Et Nicolaus Papa eadem *dist. c. consequens,* ait: *Consequens est, vt quid ab huius sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione proprias tantum sequendo voluntates remoueatur,* vbi Glossa super hoc verbo *plena,* dicit: *Papæ auctoritas plena est: aliorum episcoporum semiplena.* Ex quibus verbis colligitur, quod Papa habet à Christo, saltem in spiritualibus, plenitudinem potestatis.

Cap. XI.

In quo pertractatur tertia opinio primo cap. recitata, vbi etiam specialiter probatur, quod Papa accepit aliquam potestatem à conciliis generalibus.

DIscipulus. Si Papa habet talem plenitudinem potestatis à Christo, tam in temporalibus, quam in spiritualibus, non est dubium quin à Christo habeat in spiritualibus plenitudinem potestatis, quare allegationes, quæ supra *capitulo primo* pro prima sententia sunt adductæ, pro ista secunda parte secundæ sententiæ etiam possunt adduci, & ideo pro ista nolo ad præsens plures allegationes audire. Similiter pro secunda parte eiusdem secundæ sententiæ possunt allegari plura, quæ tacta sunt *supra capitulo quinto, septimo, octauo & nono.* Quare sententia ista dimissa, tertia quæ tacta est supra *capitulo primo* nitantur discutere. Circa quam primo modum ponendi audire desidero. *Magister.* Illa sententia ponit, quod Papa habet tam in spiritualibus, quam in temporalibus talem plenitudinem potestatis, partim ex ordinatione Christi, partim ex ordinatione humana: dicens, quod Papa habet immediate à Christo plenam potestatem in foro pœnitentiali, iuxta illud Matthæi decimo sexto. *Quodcunque ligaueris super terram,* &c. Habet etiam à Christo potestatem docendi totum populum Christianum, secundum illud Iohan vltim. *pasce oues meas.* Habet etiam à Christo potestatem distribuendi & conferendi ecclesiasticas dignitates, iuxta illud verbum Christi ad Petrum, Iohan. prim. *Tu vocaberis Cephas,* id est caput. Ex hoc enim quod caput est, habet in membra influere diuersa officia conferendo. Habet etiam à Christo, quod maiora negocia ecclesiæ sunt ad ipsum referenda, ex hoc ipso, quod cõstituit ipsum caput aliorum. A conciliis autem generalibus habet potestatem, quantum ad omnia quæ spectant ad regimen totius populi Christiani, quorum potestas non est sibi specialiter à Christo concessa. *Discipul.* Circa

ista

istam sententiam multa essent tractanda, quæ vel plura eorum tacta sunt in his, quæ dicta sunt circa primam sententiam, vel tangentur cum discutietur vltima sententia, quæ supra *cap. primo* extitit recitata. Vnde vnum tantummodo, quod ista sententia ponit, volo vt aliquibus allegationibus fulcire coneris: quod videlicet Papa aliquam receperit à conciliis generalibus potestatem. Hoc enim illis auctoritatibus obuiare videtur, quæ dicunt, quod concilia generalia robur habent, & auctoritatem à Romana ecclesia. *Magister.* Quod Papa aliquam potestatem acceperit à conciliis generalibus, videtur posse tali modo probari. Papa habet potestatem aliquam à canonibus, & non nisi à canonibus generalium conciliorum, ergo à conciliis generalibus habet aliquam potestatem. Prima diuersis auctoritatibus sanctorum videtur posse probari, ait enim Iulius Papa scribendo Orientalibus episcopis, vt habetur distinct. 17. cap. regula: *regula vestra nullas habet vires nec habere poterit, quoniam nec ab orthodoxis episcopis hoc concilium actum est, nec Romana ecclesia legatio interfuit, canonibus præcipientibus, sine eius auctoritate concilia fieri non debere.* Ex quibus verbis colligitur, quod à canonibus est præceptum, quod solus Papa habeat auctoritatem congregandi concilia. Item Gelasius Papa, vt habetur *9. quæstion. 3. cap. ipsi*, ait: *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius voluerunt deferre: ab ipsa vero nusquam appellare debere sanxerunt, ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicare: sententiamque eius constituerunt non oportere dissolui: cuius potius sequenda decreta mandauerunt.* Ex quibus verbis colligitur, quod à canonibus non à Christo immediate habet Papa, vt liceat omnibus appellare ad ipsum, & quod ab ipso appellare non licet: & quod ipse potest de tota ecclesia iudicare: & quod ipse nullius subest iudicio: & quod eius sententia in omnibus est tenenda: & per consequens, quod eius præceptis est in omnibus & ab omnibus obediendum. Ex quo infertur, quod Papa à conciliis generalibus habet plenitudinem potestatis, quantum ad omnia, quæ non sunt sibi immediate concessa à Christo. Item Gregorius, vt habetur *2. quæstion. 7. cap. decreto*, ait: *Liceat post auditionem primatum diœceseos, si necesse fuerit nos appellare; & nostra auctoritate, aut ante ius, aut ante legatos de nostro latere missos, iuxta decreta Patrum, suas exercere atque diffinire actiones.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod à decretis Patrum habet Papa, vt liceat appellare ad ipsum. Item Pelagius Papa, vt habetur *distinction. 17. cap. multis*, ait: *Maiores vero ac difficiliores quæstiones, vt sancta synodus statuit, & vt beata consuetudo exigit, ad sedem Apostolicam semper deferantur.* Ex quibus verbis colligitur, quod à synodo & consuetudine, & non immediate à Christo habet Papa, vt maiores causæ deferantur ad ipsum. Item Nicolaus Papa, vt habetur *11. quæstion. 6. c. arguta*, ait: *Priuilegia tamen Apostolicæ sedis vos obliuioni tradere nullatenus debuistis, quibus venerandi canones iudicia totius ecclesiæ ad hanc deferri iubent.* Ex quibus verbis videtur haberi, quod Papa à canonibus acceperit potestatem. Item beatus Petrus potestatem accepit à collegio, *distinction. 11. in nouo. distinction. 17. huic & 3. quæstion. 6. dudum*, ergo & Papa potestatem potest accipere à concilio generali. *Discipulus.* Probare nunc niteris, quod Papa habet plenitudinem potestatis, siue à Christo, siue ab humana ordinatione. *Magister.* Hoc videtur posse ostendi pluribus auctoritatibus sanctorum Patrum. Hoc enim Gregorius testari videtur *secund. quæstion. 6. decreto.* Et Iulius Papa *eadem causa & quæstion. cap. qui se.* Hoc etiam Innocentius Tertius in concilio generali, vt habetur *extra, de pœnitent. & remission. cap. cum ex eo*, videtur asserere manifeste. Quod etiam ratione probatur, quia ille, cui obediendum est in omnibus, habet vel à Christi ordinatione, vel ab ordinatione humana, aut partim ab vna, & partim ab alia plenitudinem potestatis, sed Papæ obediendum est in omnibus: teste Gregorio, qui (vt habetur *distinction. decim. non. cap. nulli*) ait: *Nulli fas est velle, vel posse transgredi Apostolicæ sedis præcepta, nec nostræ dispensationis ministerium*, &c. *Sitque alienus à diuinis & à pontificalibus officiis, qui noluerit præceptis obtemperare Apostolicis.* Hoc etiam Stephanus Papa, vt habetur *4. distinction. quoniam vero*, vt allegatum est prius, affirmare videtur. Et Iulius Papa, vt habetur *vigesim. quint. quæstion. secund. cap. amputato*, ait: *Ea vero quæ sunt ab Apostolis eorumque successoribus ad huiusmodi sanctæ sedis examen ab antecessoribus instituta, nulla desidia negligantur, nulla dissensione violentur, nulla contractatione turbentur.* Ex quibus verbis colligitur, quod Papæ est obediendum in omnibus, igitur habet plenitudinem potestatis, vel immediate ex institutione Christi, vel ab ordinatione humana, aut partim ab vna, & partim ab alia.

CAP. XII.

In quo arguitur contra opinionem tertiam in præcedenti capitulo recitatam, probando, quod neque auctoritate Christi Papa sit dominus omnium in temporalibus.

DIscipulus. Contra istam sententiam nitaris allegare. *Magister.* Sunt quidam, qui istam sententiam non reputant hæreticalem, sicut primam: tamen ipsam falsam & irrationabilem ac periculosam existimant. Falsam quidem existimant: Quia ex ipsa, sicut ex prima, sequitur, quod omnes Christiani sunt serui summi Pontificis, accipiendo nomen *serui* secundum significationem eius strictissimam, secundum quam in sententiis legalibus accipitur & vocatur. Qui enim habet siue ex ordinatione diuina, siue ex ordinatione humana, siue partim ex vna & partim ab alia, plenitudinem potestatis, tam in spiritualibus, quam in temporalibus super omnes Christianos (vt omnia possit, quæ non sunt contra legem Dei, nec contra legem naturæ, ita vt ab eius potestate per nullum actum

humanam se posset, quicunque in quocunque, quod non est illicitum d
ris subtrahere) habet super omnes Christianos tantum dominium tem
habere potuit quicunq; Dominus super seruum suum. Si igitur Papa ha
nos talem plenitudinē potestatis, Papa haberet plenissimum dominium
reges & principes & alios vniuersos: omnes etiam essent serui eius, & pos
sine omni culpa, & absq; omni causa priuare quemcunque regem regn
posset regem subiicere cuicunq; rustico ad suæ arbitrium voluntatis: &
obedire: nec posset rex quicunque in talibus vel consimilibus sibi licit
reputant & absurdum. *Discipulus.* Dic, quare isti non reputant istam op
ponat omnes Christianos esse seruos, & scriptura diuina asserat legem e
tatis, & per consequens illa opinio scripturæ diuinæ repugnat, quare v
ut prima, secundum istos hæreticalis debeat æstimari. *Magister.* Dicu
esse respondendum per aliqua, quæ dicta sunt prius. Nam auctoritates
tes legem Christianam esse legem libertatis, negatiue debent intelligi, &
eos est hæreticalis, quia ex ipsa sequitur, quod omnes Christiani per leg
ui summi Pontificis, & per consequens lex euangelica nec negatiue, n
libertatis: sed etiam lex horrendissimæ seruitutis. Ista autem opinio te
Christiani sint effecti serui summi Pontificis per legem euangelicam: s
tur, quod omnes Christiani per voluntariam submissionem facti sunt s
enim, quod sponte & voluntarie omnes Christiani submiserunt se in o
non erat sibi cōcessa à Christo immediate. Et hæc quidem saltem in alic
stiani. Vnde & rex aliquis posset se facere saltem in casu seruum summi
subdendo se in omnibus potestati Papæ. Si essent etiam solummodo d
ni, vel paulo plures, possent omnes se facere seruos Papæ, hoc tamen s
factum, ideo hæc opinio non est hæreticalis, sed falsa. Quod enim ho
quod hæc opinio sit falsa, probatur per leges innumeras ciuiles & cano
sunt serui & quidam liberi. *Disc.* Quare dicunt isti præscriptam opinion
Hoc dicunt, quia si Papa haberet huiusmodi potestatem, posset imm
communitati Christianorum, posset enim Papa, si fieret occultus hære
secta paganorum vel aliqua alia infidelium, leuiter exponere totam Ch
enim spoliare solo præcepto suo, omnes Christianos rebus suis, sc. arm
bus deberent contra inimicos defendi, quo facto infideles vocati per
tem pro eis, & postea publice assentientem eis, possent leuiter omnen

Cap. XIII.

In quo pertractatur quarta opinio, quæ diuersos modos

DIscipulus. Nunc videamus de quarta sententia, quæ tacta est *supra c.*
Papa talem plenitudinem potestatis non habet, neque ab institu
tione humana, neque regulariter, neque casualiter. Sed diuersimode p
nim dicunt, quod Papa nullam potestatem habet à Christo vltra alios
q̄ potestatem, sicut & alii sacerdotes, super alios. Nullam tñ potestatem
pœnitentiæ: sed habet potestatem docendi & informandi laicos, sicut
tem coactiuam aliqualem non plenam habet à communitate fidelium
mano Pontifici, & nulli sacerdoti, aliqualem tribuebant super totam
testatem. Aliqui vero dicunt, quod Papa à Christo immediate habet
omnes Christianos: non tamen plenam in omnibus, neque in spiritu
bus. Ab hominibus vero fidelibus nullam recepit potestatem, neque
Nonnulli vero dicunt, quod Papa in spiritualibus habet potestatem, n
sto, in temporalibus vero nullam habet potestatem spiritualem à Chris
tamen plenam, sed limitatam, prout fideles limitare voluerunt. *Disc.*
tinent, quæ si discuteremus prolixe, oporteret nos forsitan tædium leg
ter transeamus. Præsertim cum occasione eorunda omnia tangemus inf
tur primo, vnde mouentur primi dicentes, quod Papa nullam potestat
sacerdotes. *Mag.* Istud dicunt propter auctoritates, quæ ponūtur *dist. 93*
recitaui supra *prima parte istius dial. li. 5. 18. c.* in quibus asserere videtur Hi
cerdos ex ordinatione seu institutione Christi est maior alio, neque in
tione. Hoc etiam videtur posse probari per hoc, quod Apostoli fueru
quantum fuit ex ordinatione Christi *dist. 21. c. in nouo. 24. q. 1. c. loquitur*
Christo super alios sacerdotes non habuerunt aliquam po
mnes sacerdotes, quantum est ex speciali ordinat
sti, sunt pares successoribus beati Petri.

CAP. XIV.

In quo arguitur contra opinionem quartam, in capitulo præcedenti pertractatam, aliquibus auctoritatibus & duabus rationibus.

DIscip. Dic breuiter, an aliqui nitantur istam assertionem repellere. *Mag.* Hoc quidam erroneum reputant, & sacris canonibus apertissime obuiare, qui ponuntur *dist. 21. c. quamuis, & c. sacrosancta & 9. q. 3. c. cuncta, & 24. q. 1. cum beatissimus*, quos etiam allegaui *prima parte huius dialogi li. 5. ca. 10.* Hæc etiam assertio Innocentio III. refragari videtur, qui, vt habetur *ext. de maioritate & obedientia, solitæ*, sicut & allegatum est prius, dicit se non constitutioni humanæ, sed potestati diuinæ inniti, ergo Papa ex Deo immediate habet aliquam potestatẽ super omnes Christianos. Quod & ratione probatur, quia nulla cõmunitas, præcipue magna, est bene & conuenienter ordinata, quæ nullum caput habet, quia teste Salomone Prou. 11. *Vbi non est gubernator, populus corruet*, sed communitas fidelium fuit optime & congruentissime ordinata à Christo, igitur Christus dedit caput cõmunitati fidelium: sed nõ nisi Petrum, ergo Petrus fuit à Christo constitutus caput vniuersorum fideliũ. Amplius, non minus congrue & vtiliter est ordinatus à Christo populus Christianus, quã fuerit populus Hebræorum, sed ille populus ex ordinatione diuina habuit caput, saltem in spiritualibus, sc. summum sacerdotem, qui omnibus aliis sacerdotibus fuit superior, ergo & populus Christianus ex ordinatione Christi habet vnum caput, quod est superius omnibus aliis sacerdotibus Christianis. Quod etiam Marcellus Papa, vt habetur *2. quæstion. 1. cap. rogamus*, & Innocentius Tertius *extra de translatione*, & omnes Patres sancti tenere videntur.

CAP. XV.

In quo iterum probatur, quod Papa nullam potestatem plenariam coactiuam habet à Christo immediate, sed tantummodo limitatam, & hoc à fidelibus.

DIscipulus. Dic nunc, quare præfati opinantes dicunt Papam nullam potestatem coactiuam accepisse à Christo. *Magister.* Hoc dicunt propter hoc, quod (secundum eos) tota communitas fidelium debet [illegible] supremo, qui potestatem habeat coactiuam, subesse, à quo omnes alii iudices potestatem coactiuam accipiant, ille autem non esse debet Papa: quia tunc tota iurisdictio laicorum periret, ergo nullam Papa recepit potestatem coactiuam à Christo. *Disc.* Istam materiam conabor tecum discutere in tractatu *de iuribus Romani imperii*. Et ideo isto, & etiam quibusdam aliis prætermissis, nitaris allegare pro vltimo dicto: quod sc. Papa in temporalib. nullam potestatem specialẽ habet immediate à Christo, sed à suis fidelibus: non tamen plenam sed limitatam, prout fideles limitare volebant. *Magister.* Quod Papa in temporalibus nullam potestatem habuit immediate à Christo, videtur diuersimode posse probari. Nam sicut Imperator se habet ad tẽporalia, ita Papa se habet ad spiritualia, inquantum recepit immediate à Christo potestatem, sed Imperator nullam potestatẽ habet in spiritualibus, ergo Papa in temporalibus nullam potestatem habet immediate à Christo. Amplius, sicut allegatum est *prius 9. c.* secundum Scripturas sacras & canones: Papa non debet se secularibus negociis implicare, & per consequens non est sibi specialiter cõmissum à Christo, vt se implicet secularibus negociis, quare (vt videtur) à Christo immediate nullam recepit in temporalibus potestatem. *Discipul.* Quomodo probatur, quod Papa habet à fidelibus potestatem in temporalibus? *Magi.* Hoc ponitur propter canones sacros, per quos habetur, quod Papa in multis casibus se de temporalibus intromittit, *ext. de foro competenti, c. licet, & ext. de iudiciis, c. nouit, & ext. qui filii sunt legitimi, per venerabilem*, & in multis aliis locis innumeris habetur, quod Papa iurisdictionem temporalem exercet: quam tamen non habet à Christo, sicut dicitur prius esse probatũ, ergo habet eam à fidelibus. Quod tali ratione probatur. Nam Papa non habet immediate à Christo iurisdictionem maiorem in vna regione quam in alia, sed de facto & de iure maiorem iurisdictionem exercet in temporalibus in vna regione quam in alia, igitur illam potestatem non habet immediate à Christo, habet ergo eam ab aliquo alio, & non nisi à fidelibus, ergo ab ipsis fidelibus aliquam habet in temporalibus potestatem: non tamen plenam, sed limitatam. Quia fideles tribuendo in temporalibus potestatem, nullatenus se constituerunt seruos eius, ergo plenitudinem potestatis minime conferebant.

CAP. XVI.

In quo ponitur opinio quinta, sc. quod Papa non habet à Christo potestatem disponendi regulariter de temporalibus, sed eam habet casualiter.

DIscipulus. Ad sententiam quintam tactam *sup. c. 1.* transeamus: quam primo satagas explicare: & inde qualiter intelligi debeat explana. *Magister.* Illa sententia (sicut dixi) tenet, quod Papa talem plenitudinem potestatis in temporalibus & spiritualibus, vt omnia per potentiam ordinatam

vel absolutam possit, quæ non sunt contra ius diuinum, nec contra ius n
riter & simpliciter neque à iure diuino, neque humano, sed ex ordinati
no habet casualiter, siue in casu & secundum quid huiusmodi plenitudi
cundum quosdam debet intelligi, Papa à iure diuino, siue ex ordination
disponendis se intromittere minime debet, quamdiu temporalia prout
disponuntur, nisi accipiendo temporalia à laicis pro sua sustentatione
ideo non habet potestatem à Christo regulariter disponendi & ordinand
reges & principes, & alios laicos spectare noscuntur. Casualiter tamen
cet temporalia per alios in periculum communitatis Christianorum, vel a
stiana tractarentur, vel in casu consimili conuerterentur ad malum, & r
vellet & posset huiusmodi periculis viam præcludere, Papa à iure diuino
di de temporalibus, quicquid pro bono communi & saluatione fidei &
di periculis necessario faciendum sibi recta ratio dictaret, & ita in tali ca
lia quodammodo, & secundum quid plenitudinē potestatis, non quia t
sua, quo ad dominium & proprietatem, nec quod posset ad libitum sup
hil potest rex vel alius laicus facere de quacunque re temporali, quin ide
hoc fieri expediret, & non esset alius, per quem conuenienter fieri pote
haberet plenitudinem potestatis in temporalibus simpliciter, sed tantu
militer in spiritualibus non habet à iure diuino regulariter & simpliciter
potestatis, quare sine culpa & absque causa non potest præcipere fidelib
nis sunt: imo etiam multa alia, non enim absq; culpa & sine causa potest
contrahat matrimoniū, neq; voueat virginitatem & castitatem: & tame
uinum, neq; ius naturale: sed vtrumq; licite fieri potest. Et sic de multis a
spectant, super quæ Papa à iure diuino regulariter & simpliciter non obt
tis: super quæ tamen casualiter obtinet plenitudinem potestatis secundu
tione delicti, aut propter aliquam notabilem necessitatem vel vtilitatē, c
lum imminet periculum, potest præcipere cuicunq; quicquid in spiritu
Dei vel naturæ. Et ita secundum istos Papa potest casualiter à iure diuin
in temporalibus habere plenitudinē potestatis: non simpliciter, sed secu
sit plenissima potestas, est tamen gradis, singularis & quam magna. Pe
peria & regna transferre, reges & principes, aliumq; laicum quemcunq;
priuare, aliisq; conferre. In spiritualibus etiam omnia potest in casu. Ex
& in particulari, in quibus prædicta potest vel aliquid prædictorum non
potest dari doctrina vniuersalis, per quam absq; errore sciatur ma
talia Papa & quando non; & qualia potest in vno casu & qualia in alio.
casu, quæ in alio casu minime potest.

Cap. XVII.

Narrat, quam potestatem dederit Christus regulariter

Discipul. Quamuis inter prædicta aliqua sint mihi obscura, quæ forsi
lucidabis, tamen pro nunc præscriptam opinionem, quo ad illa ob
planare. Sed cū dixeris breuiter (secundum illam sententiam) quam po
Petro regulariter & successoribus eius, & quā dederit ei casualiter in casu
dum eandem opinionem, quam potestatem aut iurisdictionem Christu
& in ipso successorib. eius. *Mag.* Dicitur quod Christus constituit B. Petru
tum aliorū Apostolorum & vniuersorum fideliū: dans ei regulariter in sp
propter regimen cōmunitatis fideliū quantum ad bonos mores, & quas
fidelium sunt de necessitate facienda vel omittenda, omnem potestatem
sed prouide, & ad vtilitatē communem committerentur vni homini; a
eam coactiuā absq; omni detrimento ac dispendio notabili & enormi i
principū & aliorum quorumcunq; laicorum vel clericorū, quæ eis iure
ante vel post institutionem legis euangelicæ competebant. In tempora
lariter solummodo ius petendi temporalia pro sua sustentatione & sui
potestatem siue in spiritualibus, siue in temporalibus habent nunc
successores beati Petri, scilicet Romani Pontifices. Omnem autem p
ter vltra istam habuerunt vel habent summi Pontifices ex humana cond
tanea submissione, vel ex consensu expresso vel tacito, aut propter impo
malitiam hominum aliorum; vel ex consuetudine, vel quomodocunq
runt & obtinent.

Disc. Ista narratio continet multa mihi obscura: quæ vt melius intellig
hi studeas explicare: & qualiter distinguitur ab aliis opinionibus, declar

Christum constituisse B. Petrum caput, principem & prælatum aliorum Apostolorū ac vniuersorū fidelium, intendit elidere opinionem tenentem quod beatus Petrus non fuit caput ecclesiæ ex institutione Christi: sed solummodo ex electione, seu institutione Apostolorum, seu aliorum fidelium. Per spiritualia autem, de quibus fecit mentionem, intelligit illa quæ ex institutione euangelicæ legis sunt propria euangelicæ legi in nulla alia lege, saltem humana vel secta reperta, sicut sunt dispensatio sacramentorum nouæ legis, ordinatio sacerdotum, & clericorum institutio, vel promotio illorum, qui debent regere & instruere populum Christianum, etiam in his quæ spectant ad fidem & cultum diuinum, & similia. Per hoc autem quod dicit *Christum dedisse beato Petro potestatem quo ad spiritualia, quæ sunt de necessitate facienda, vel de necessitate omittenda*, intendit excludere à regulari potestate Petri illa spiritualia, quæ supererogationis sunt: quæ scilicet sunt consilii & non præcepti. Et vniuersaliter omnia, sine quibus conuenienter regi potest populus Christianus, & absque quibus quamuis fiant, vel omittantur, nec fides nec boni mores periclitantur. Et ideo non potest papa regulariter præcipere Christiano, quod seruet virginitatem, vel contrahat matrimonium, aut paupertatem assumat, vel diuitias retineat, possideat, vel quando non tenetur ex præcepto Dei, eleemosynam faciat vel non faciat. Licet in casu plura talia præcipere posset, & si extra casum vtilitatis vel multa talia præceperit, præceptum suum non tenet, sed est nullum: nec ille cui fit, tenetur ei obedire, etiam si propter hoc eum excommunicauerit, talis sententia tanquam continens intolerabilem errorem esset nulla & minime formidanda, nec de necessitate seruanda. Per hoc autem quod dicit, *dans ei omnem potestatem in terris, quæ non periculose, sed prouide & ad vtilitatem communem committerentur vni homini*, intendit excludere à regulari potestate papæ omnem potestatē, quæ si vni homini committeretur regulariter, posset faciliter periculum notabile toti communitati fidelium imminere: cui non posset absque miraculo, vel cum maxima difficultate via præcludi. Propter quod quamuis de necessitate sit aliquis successurus summo pontifici: tamen papa non habet potestatem ordinandi quis debeat sibi succedere. Propter hoc etiam est quædam sententia tenens, quod quamuis electio summi pontificis sit de necessitate facienda: tamen papa non habet à Christo potestatem regulariter ordinandi, quomodo & à quibus debeat eligi summus pontifex. Quia si talem potestatem haberet regulariter papa immediate à Christo, cum papa, tanquam homo peccabilis (sicut cæteri erroribus, prauis affectionibus, negligentiis ac malitiis & nequitiis valeat irretiri) posset faciliter ex negligentia vel malitia relinquere totam Christianitatem absque potestate eligendi summum pontificem, per quod periclitaretur bonum commune.

Posset enim ex causa vel propter culpam priuare Cardinales potestate & iure eligendi summum pontificem, quo facto vel negligendo vel ex malitia differendo vel tempus sufficiens ordinandi non habendo, posset mori antequam de electoribus summi pontificis ordinaretur. Et ita periculum & detrimentum boni communis tota Christianitas sine potestate & iure eligendi summum pontificem remaneret. Et ideo secundum istam sententiam talis potestas non est regulariter concessa à Christo summo pontifici, nec etiam aliqua alia potestas, quæ periculose concederetur vni personæ, propter quod secundum eos nullo modo est Dominus omnium temporalium, quia tale Dominium esset nimis periculosum fidelibus. Per hoc autem quod tenet Christum dedisse papæ *libertatem absque omni notabili & enormi detrimento & dispendio iurium temporalium Imperatorum* &c. intendit asserere, quod papa quicunque, quo ad personam suam, est liber, & nequaquam regulariter subiectus homini cuicunque, etiam si ante electionem suam fuisset seruilis conditionis, vel alio modo imperatori aut regi vel alii Christiano vel non Christiano: quia libertas vnius hominis quo ad personam suam non est notabiliter damnosa imperatori vel alii. Et ideo papa quantumcunque fuisset seruus, eo ipso quod est papa vel electus in papam, in libertatem eripitur. Casualiter tamen papa, puta si efficiatur hæreticus vel in quocunque crimine appareat incorrigibilis, & de eo scandalizatur ecclesia, humano iudicio est subiectus: & debet per hominem iudicari, & pœnam debitam sustinere de iure. Per hoc autem quod dicit, Christum dedisse regulariter beato Petro quo ad huiusmodi *aliqualem iurisdictionem etiam coactiuam absque detrimento & dispendio notabili & enormi iurium temporalium* &c. intendit dicere, quod papa habet à Christo regulariter potestatem puniendi crimina mere ecclesiastica, quæ scilicet committuntur directe in legem Christianam quo ad illa quæ sunt propria legi Christianæ, & quæ non ab aliis sectis crimina immediate reputantur. Ita tamen, quod talis punitio non sit in notabile damnum & præiudicium aliorum, qui minime peccauerunt. Et si seruus alienus committat crimen ecclesiasticum, papa potest ipsum punire: ita tamen, quod Dominus serui absque culpa sua notabile damnum non incurrat. Per hoc quod dicit Christum dedisse beato Petro & successoribus eius *libertatem & iurisdictionem & potestatem huiusmodi absque detrimento & dispendio notabili & enormi iurium temporalium imperatorum, regum & aliorum, quæ eis iure naturali & ciuili ante vel post institutionem legis euangelicæ competebant*, intendit astruere quod per hoc, quod beatus Petrus & successores eius erunt ad summum sacerdotium sublimati, imperatores & reges & alii siue fideles, qui fuerunt ante vel post institutionem legis euangelicæ, suis iuribus temporalibus minime priuabantur, sed ipsa retinebant, nec regulariter papæ in temporalibus subiiciebantur. Sed veri imperatores & reges & Domini rerum suarum temporalium ac seruorum & subditorum sibi sicut antea remanebant, nec efficiebantur serui cuiuscunque, nec regulariter præceptis papæ tenebantur quo ad temporalia obe-

obedire. Nec sententia papæ excommunicationis, vel alia, si fuerit lata contra imperatorem vel alium, quia præceptis huiusmodi non obedit, aut iura sua defendit, regulariter tenet: Sed tanquam continens intolerabilem errorem est nulla penitus reputanda, & minime formidanda quantumcunque non seruetur. Per hoc autem quod dicit Christum dedisse beato Petro in temporalibus solummodo *ius petendi temporalia pro sua sustentatione & officii sui executione*, vult excludere omnem opinionem tenentem, quod papa in temporalibus habet regulariter plenitudinem potestatis, vel etiam potestatem de temporalibus disponendi vel quamcunque iurisdictionem temporalem super imperium, vel quamcunque aliam regionem. Et etiam opinionem tenentem quod papa non habet aliquod ius exigendi quæcunque temporalia. Per hoc enim, quod dicit vltimo capitulo, quod *omnem potestatem, quam regulariter vltra istam quam habuerunt vel habent summi pontifices ex humana ordinatione* &c. intendit, quod successores beati Petri licet non excesserint in potestate aliqua beatum Petrum, quam haberent ex sola ordinatione Christi & ex iure diuino: tamen magnam tam in temporalibus quam in spiritualibus obtinuerunt ex iure humano, quæ non habuit beatus Petrus. Et quod potestas papæ ex iure humano potest augeri: & quod vnus summus Pontifex habet vel habere potest maiorem potestatem vel meliorem quam alius. Et hæc de primo libro dicta sufficiant.

Explicit primus liber.

INCIPIT LIBER SECVNDVS PRIMI tractatus huius tertia partis.

CAP. I.

In quo inquiritur, vtrum expediat toti communitati fidelium vni capiti principi & prælato fideli subesse.

DISCIP. Quoniam ista quinta assertio via media inter alias quatuor incedendo cum qualibet illarum in quibusdam concordat, & in aliquibus discrepare dignoscitur, ipsam quo ad alias partes eius exquisite discutere, etiam alias quodammodo pertractare: ideo de ipsa aliquantulum inquiramus, incipientes à prima eius particula. *An* scilicet *Christus constituerit beatum Petrum caput, principem & prælatum aliorum Apostolorum & vniuersorum fidelium.* Ad cuius intelligentiam pleniorem ante omnia conferendo scrutemur: an expediat toti communitati fidelium vni capiti, principi & prælato fideli sub Christo subiici & subesse, primo autem pro parte affirmatiua nitaris allegare. *Magister.* Quod toti congregationi fidelium expediat vni capiti fideli sub Christo subesse videtur multis modis posse probari. Nam vni corpori expedit vnum caput habere, corpus enim sine capite imperfectum esse dignoscitur, cum principaliori membro sit orbatum. Corpus vero habens capita duo vel plura, monstruosum esse videtur, omnes autem fideles sunt vnum corpus: teste Apostolo ad Rom. 12. *Multi, inquam, vnum corpus sumus in Christo*, ergo cunctis fidelibus expedit vni capiti subesse, illud autem caput non debet esse infidele: quia omnia alia membra, præcipue in his quæ spectant ad salutem animæ, conaretur inficere, igitur debet esse fidele. *Discipulus.* Ista allegatio videtur deficere: eo quod non probat, quod illud caput debeat esse sub Christo: imo per ipsam ostendi videtur, quod vniuersi fideles non debent vni capiti sub Christo subesse: cum Christus sit caput totius ecclesiæ, vt Apostolus ait *ad Ephes. 1.* & in pluribus aliis locis asserit manifeste. Ex quo sequitur quod (cum corpus habens duo vel plura capita, monstruosum debeat reputari, vt innuit allegatio supra dicta) tota congregatio fidelium non debeat vni capiti sub Christo subesse: sed oportet ipsam solum Christum pro capite venerari. *Magister.* Nonnullis apparet, quod ista obiectio faciliter potest excludi, quia quamuis Christus sit caput ecclesiæ: tamen sub Christo oportet quod sit aliud caput eiusdem ecclesiæ, quod sub Christo curam eius gerat: eo quod ecclesiæ esse debet vicarius rector, qui corporaliter sit præsens eidem: qui eam visibiliter regat: ad quem fideles (cum necesse fuerit) pro variis necessitatibus corporaliter possint accedere: per quem modum Christus ecclesiam minime regit, quia solummodo inuisibiliter regit, nisi aliquando in casu. Licet ergo Christus sit caput: tamen homo mortalis fidelis debet esse caput, quamuis sub capite, nec tamen propter hoc monstruosum est putandum corpus. Constat enim, quod episcopus est caput respectu sibi subiectorum, & rex est caput sibi subditorum: & tamen omnes habent vnum caput Deum. Quãuis ergo corpus naturale esset monstruosum, si haberet duo capita naturalia vel plura, quorum vnum non est caput alterius: tamen vnum corpus mysticum potest habere plura capita spiritualia, quorum vnum sit sub alio: nec hoc est monstruosum, sed naturale & multis expediens & decorum. *Discip.* Alias allegationes ad eandem quæstionem adducas. *Mag.* Idem sic probatur, expedit vni ouili, vt ab vno pastore regatur & pascatur: quod Saluator ipse insinuare videtur, cum dicit (vt habetur Ioh. 10.) *Fiet vnum ouile & vnus pastor*, tota autem congregatio fidelium est vnum ouile, ipso pastore supremo testante: qui (vbi prius) dixit: *alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili: & illas me oportet adducere & vocem meam audient & fiet vnum ouile* &c. Igitur expedit, quod tota congregatio fidelium vni subsit pastori, non solummodo Christo, qui inuisibiliter pascit ecclesiam, sed etiam visibili, qui sensibiliter pascat: imo etiam fideli, & non infideli, quia ille foret lupus & fur

sut in dispergendo, mactando, & perdendo oues Christi. Amplius, omni populo expedit vni rectori subesse, teste Salomone, qui Prouerb. 11. ait: *Vbi non est gubernator, populus corruet*, dicens: *vbi non est gubernator*: non, vbi non sunt gubernatores, vbi etiam videtur innuere manifeste, quod vbi non est vnus gubernator, populus corruet, tota autem congregatio fidelium est vnus populus: licet plures populos partiales includat, teste beato Iohanne, qui Apocalyp. 21. c. ait: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt*, ergo expedit toti vniuersitati fidelium vni capiti & gubernatori subesse. Rursus, communitas illa, quæ optime regi non potest multitudine iudicum, qui possunt inter se circa causas & negotia contrariari, & etiam in totius communitatis periculum discordare, expedit vt vno supremo rectori & capiti subsit, qui possit omnibus indicare iudicii veritatem, quod Deus ipse in populo suo ordinare videtur, Deuter. 17. dicens: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram: & iudicium intra portas tuas videris variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniens ad sacerdotes Leuitici generis & ad iudicem qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem.* Sed communitas fidelium etiam ad ea quæ sunt propria religioni Christianæ, & quæ ad fideles iudices & rectores minime spectant, multitudine iudicum, qui possunt circa causas & negotia huiusmodi in communitatis periculum discrepare, conuenienter regi non potest: cum in diuersis prouinciis, diœcesibus & ciuitatibus necesse sit distinctos constituere iudices & doctores, igitur expedit toti communitati fidelium, vt pro huiusmodi casibus subsit vni capiti & rectori fideli & non infideli: quoniam infidelis in talibus iudicium omnino subuerteret, & nequaquam veritatem iudicii indicaret.

Disc. Videtur quod auctoritas in hac allegatione adducta contra opinionem militet: quia ex ipsa colligitur, quod in tali casu non est recurrendum ad vnum caput vel iudicem, sed ad plures, cum dicat expresse: *veniesque ad sacerdotes Leuitici generis ad iudicem*, igitur in veteri lege fuit recurrendum ad plures in huiusmodi casu. Quod ex verbis, quæ sequuntur, probari videtur, cum dicitur: *Facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus*, & post: *Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino tuo, & decreto iudicis, morte morietur homo ille.* Ex quibus verbis, vt videtur, datur intelligi, quod in huiusmodi casu vltima decisio causæ pertinebat ad plures. *Magister.* Respondetur tibi, quod de præcepto Dei vnus debet esse in populo Iudaico iudex supremus, caput omnium atque rector siue sacerdos siue alius: qui tamen de consilio sacerdotum decidere debuit causas maiores: & ita recurrendum fuit tunc ad vnum tanquam ad caput & iudicem supremum, & ad plures tanquam ad consiliarios capitis & iudicis. *Disc.* Adhuc alias allegationes ad idem adducas. *Magist.* Alia allegatio potest esse talis. Illis, qui in vna fide & quibusdam eisdem ritibus & obseruantiis concordare tenentur, expedit vnum habere caput: quod saluo alio iure ad huiusmodi veritatem transgressores cogat vel saltem inducat, quia absque tali capite faciliter diuiderētur in diuersas sectas & hæreses atque in obseruantias & ritus illicitos. Sed tota communitas Christianorum in vna fide ac quibusdam eisdem ritibus & obseruantiis concordare videtur, quia, vt testatur Apostolus ad Eph. 4. *Vna fides, vnum baptisma*, ergo toti communitati fidelium expedit vnum caput habere fidele, non infidele: quoniam infideles ad fidem contrariam ac obseruantias & ritus illicitos fideles inducerēt. Adhuc illis, qui subsunt diuersis iudicibus potentibus errare circa maiora negotia, expedit vnum caput habere, ad quod eadem maiora negotia referantur, per quod iudicentur iuste & rite. Quod Moyses de consilio Ietro cognati sui ex recta ratione moti sapienter fecisse in populo sibi commisso videtur, de quo Exod. 8. sic legitur: *Quibus auditis Moyses fecit omnia quæ ille* (scilicet Ietro) *suggesserat: & electis viris strenuis de cuncto Israelitico constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, quadragenarios, & decanos, qui iudicabant populum omni tempore, quicquid autem grauius erat, referebāt ad eum: faciliora tantummodo iudicantes*, qui etiam, vt habetur Deut. 1. dixit inferioribus iudicibus: *Si difficile aliquid vobis visum fuerit, referte ad nos, & ego audiam.* Fideles autem per latitudinem orbis dispersi subsunt in his quæ ad religionem pertinent Christianam, diuersis iudicibus & prælatis, quorum multi sæpe sufficientem non habent maiorum negotiorum peritiam, ergo expedit toti communitati fidelium vnum caput habere, ad quod huiusmodi maiora negotia referantur. *Discip.* Ad istas duas rationes simul potest dupliciter responderi, vno modo, quod tam pro transgressoribus seu nolentibus compellendis ad vnitatem fidei & obseruantiarum ac rituum ecclesiasticorum, quam pro maioribus negotiis recurrendum est ad concilium generale, non ad aliquam vnam personam. Aliter, quod recurrendum est ad iudicem supremum secularem, qui habet tam de spiritualibus quam temporalibus iudicare. *Mag.* Primam istarum quidam impugnant per hoc, quod cum fideles per prouinciarum quamplurium latitudinem sint diuisi, difficiliter & in longo tempore generale conciliū congregatur: & non absque grauissimis laboribus & expensis, quare cum tales casus omni anno etiam pluries possunt contingere, non expedit communitati fidelium ꝑ omni tali casu generale cōcilium congregari, quare ad leuius in huiusmodi casibus præcauēdum periculis expedit, vt communitas fidelium habeat vnū caput & prælatū, qui huiusmodi habeat potestatē, ad quam ꝓ supremis ꝑlatis cum excesserint puniendis & aliis maioribus negotiis, ad quæ sufficit vnius hominis pitia & potentia, terminandis recurratur. Secunda respōsio ꝑ hoc repellitur, ꝙ sicut ante ascensionē Christi & etiā aliquo tēpore post nullus erat fidelis secularis & laicus, q potestatē vel iurisdictionē secularē haberet: ita etiam posset adhuc contingere: & tamē pro huiusmodi casibus expediret cōmunitati fideliū prouideri, ergo expedit communitati fidelium vt habeat vnum caput præter potestates & iudices lai-

laicos, quod in huiusmodi habeat potestatem, quia imperator aut rex aut alius princeps secularis non habet ex officio suo super fideles potestatem: cum aliquando imperator ac omnes reges & principes seculares fuerint infideles & adhuc possent esse. Aliter autem infidelis in talibus posset habere potestatem super fideles, qui in omnibus perperam iudicaret. *Discipulus.* Adhuc aliquas allegationes adducas. *Magister.* Alia allegatio potest esse talis. Non expedit communitati fidelium vt multi inter eos & præcipue super alios potestatem habentes absque omni timore correctionis & pœnæ temporalis delinquere valeant insolentes, quia, vt habetur *6. q. 1. ex merito*, capite languescente cætera membra inficiuntur, quare cum prælati fidelium, sicut & cæteri, proni sunt ad malum: pro eo quod, vt ait concilium Tolletanum, vt habetur *12. q. 1. c. 1.* omnis ætas ab adolescentia in malum prona est, summe expediens est fidelibus, vt prælatos, quos diuinus timor à malo non reuocat, temporalis saltem pœna cohibeat à peccato, *extra, de vita & honestate clericorum c. vt clericorum*, ergo expedit congregationi fidelium, vt habeat vnum caput, quod etiam vniuersos prælatos valeat corrigere, si in periculum religionis Christianæ deliquerunt. Nec valeat dicere, vt quibusdam apparet, quod talis correctio spectet ad iudicem laicum: quia sicut tactum est prius, ante non fuit laicus fidelis, qui aliquam iurisdictionem haberet super quoscunque, & adhuc esset possibile, quod omnes laici fideles infidelium potestati subderentur. Igitur præter iudicem laicum expedit, vt aliquis prælatus fidelis super alios prælatos habeat potestatem in huiusmodi. Item, idem est expediens toti & parti, paruis & magnis, sicut idem iuris est in toto & in parte, paruis & magnis, *extra de appellationibus c. maioribus 14. q. vltima c. vltima* sed cuilibet populo fideli partiali expedit vt habeat vnum episcopum, qui sit caput in spiritualibus, & non plures, *7. quæstio. 1. in apibus*, vbi dicit Hieronym. *Ecclesiarum singuli episcopi, singuli archiepiscopi, Diaconi & omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur*, igitur toti communitati fidelium expedit vnum caput habere. Præterea expedit communitati fidelium vt in his quæ ad religionem pertinent Christianam, illo regimine gubernetur, quod politiæ optimæ seculari maxime assimilatur, politia autem optima secularis est regnum, teste Aristotel. qui 8. Ethicorum, ait: *Politiæ autem sunt species tres, æquales autem transgressiones, puta corruptiones harum, sunt autem politiæ quidem regnum & aristocratia, tertia autem, quæ à preciis, quam Timocratiam dicere conueniens videtur. Politiam autem consueuerunt ipsam vocare plures, harum autem optima quidem regnum*, & post loquens de tyrannide, ait: *manifestum in hac quoniam pessima, pessimum autem contrarium optimo.* Ex quibus verbis colligitur & patenter habetur, quod regnum inter omnes politias est optima, vnius autem regni est vnus rex, qui omnibus præest, igitur & toti multitudini fidelium expedit, vt vnus omnibus præsit. Adhuc, non minor vnitas capitis requiritur in tota communitate fidelium, quam in tota vniuersitate mortalium, sed expedit toti vniuersitati mortalium, vt vnus omnibus principetur, igitur etiam expedit toti communitati fidelium, vt habeat vnum caput quod præsit fidelibus vniuersis.

CAP. II.

In quo arguitur in contrarium eius, quod in primo cap. dicebatur, & ad primam respondetur cap. 15. ad alias vero cap. 19. ad secundam vero respondetur cap. 29. inferius.

Discipulus. Ex ista ratione coniicio, quod ex his quæ potero inuenire in *secundo tractatu istius tertiæ partis Dialogi primi libri*: vbi tractatur an expediat toti mundo, vni principi seculari subesse: potest perpendi faciliter, qualiter pro vtraque parte hoc valeat allegari. Omnia enim illa vel plura possunt ad istam materiam applicari, ideo pro ista assertione præscripta noli amplius allegare: sed leuius ad assertionem contrariam studeas pertransire, pro ipsa paucas allegationes & breues inducendo. *Mag.* Quod communitati fidelium non expediat vni capiti sub Christo subesse, videtur sic posse probari. Nullum iniustum est expediens communitati fidelium. Sed vnum esse caput & principari vniuersis fidelibus est iniustum. Multi enim inter fideles sunt æquales vel nesciuntur esse inæquales & prudentia & virtute & omnibus conditionibus, quæ ad bonum caput & principem requiruntur. Sed iniustum est, vt aliquis sibi similibus & æqualibus principetur. Quod Aristoteles tertio politicæ, & c. 15. testari videtur, cum dicit: *Similibus secundum naturam idem iustum necessarium & eandem dignitatem secundum naturam esse, quare siquidem inæqualibus æquale alimentum habere vel vestimentum nociuum corporibus, sic habent & quæ circa honores sunt, similiter autem & inæqualem æquales, propter quod quidem vel magis principari quam subiici iustum.* Ex quibus verbis colligitur, quod iniustum est vt aliquis sibi similibus & æqualibus principetur, quorum enim est eadem virtus & sufficientia, eorum debet esse æqualis honor & dignitas, quemadmodum in naturalibus quæ non habent virtutem digestiuam æqualem, non debent recipere alimentum æquale. Ergo non expedit, vt vnus sit caput totius communitatis fidelium. Amplius: Id quod est inutile, non expedit congregationi fidelium, sed vnum caput præesse congregationi fidelium est inutile, quia caput quod non potest in operationem debitam, est inutile reputandum. Operatio autem debita capitis quod membris cæteris principatur, est in iniquitates irrumpere, delinquentem pœnis congruis coercendo, igitur qui non potest impios coercere, inutiliter principatur. Quod Sapiens Ecclesiast. 7. videtur innuere dicens:

Noli quærere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis & ponas scandalum in agilitate tua, qui autem præesset congregationi fidelium, non posset delinquentes debite castigare: cum talis castigatio seu punitio præcipue multitudinis & potentum absque potentia temporali communiter sine diuitiis copiosis exerceri non possit. Hinc rex, ad quem spectat cohibere crimina, secundum quod testatur beatus Cyprianus, vt habetur *23. q. 5. c. rex debet*, potentia debet & diuitiis abundare teste Aristotele, qui 8. Ethicorum ait: *Non enim est rex qui non per se sufficiens & omnibus bonis superexcellens est, talis autem nullo modo indiget.* Qui autem præest congregationi fidelium, non propter hoc diuitiis abundaret. Tum quia tempore Apostolorum, quando fuit congregatio fidelium optime gubernata, nullus fidelis præpositus aliis diuitiis abundabat. Tum quia Christus nullas diuitias pro quocunque prælato fidelium ordinauit, sed magis consuluisse videtur vt nunc fideles præcipui victu & vestitu essent contenti. Hinc Apostolus 1. ad Tim. 6. pro se & aliis qui fidelibus præerant, ait: *Habentes alimenta & quibus tegamur his contenti sumus.* Tum quia si caput fidelium diuitiis abundaret, cum imperatores & reges ac principes seculares diuitiis affluant inter ipsos & caput fidelium cum inuicem in multis communicent & insimul habitent, dissensiones & guerræ periculosissimæ faciliter orirentur: quia inter diuites, qui insimul commorantur, leuiter nascuntur lites & iurgia, ex quibus ad pugnas & guerras proceditur. Cuius exemplum habemus *Gen. 13.* vbi propter diuitias facta est rixa inter pastores Abraham & Loth, & Abraham timuit ne inter se & Loth quamuis essent sancti & propinqui propter copiam facultatum, si manerent simul, periculosa dissensio oriretur. Ibidem enim sic legitur: *Erat quippe substantia eorum multa & nequibant habitare communiter, Vnde & facta est rixa inter pastores gregum Abraham & Loth*, & postea: *dixit igitur Abraham ad Loth, ne quæso sit iurgium inter me & te & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus: ecce vniuersa terra coram te est: recede à me obsecro.* Inter diuites igitur de facili discordiæ suscitantur. Vnde & nonnulli existimant dissensiones, guerras, pugnas & prælia, ac ciuitatum & regionum destructiones & vastationes, innumeraque alia mala, quæ in Italia multis retroactis temporibus, & adhuc non desinunt, acciderunt, ex diuitiis Romanæ ecclesiæ processisse: fuissetque expediens toti ecclesiæ Dei, vt eadem Romana ecclesia paupertatem Apostolorum & modum eorum viuendi (omnibus pompis quo ad vasa, vestes & supellectilem vniuersam ac scutiferos & alios quomodolibet seruientes atque quæcunque alia procul motis) facto & opere imitata fuisset, nullatenus igitur, vt nonnullis apparet, expedit communitati fidelium vnum caput habere. Rursus: Expedit communitati fidelium, vt regatur à pluribus, ergo non expedit sibi vt subsit vni capiti & prælato, antecedens videtur posse probari per rationes consimiles illis, quas Aristoteles *3. politicæ* allegat ad ostendendum, quod melius est ciuitatem regi optimis legibus quam optimis hominibus, & pluribus optimis, quam vno optimo viro. Quarum aliquæ ad propositum possunt taliter applicari. Per illum vel illos expedit regi totam congregationem fidelium, cuius vel quorum iudicium est certius & melius in iudicando & discernendo, quæ sint procuranda tanquam communia toti communitati fidelium, & quæ tanquam inutilia & nociua sunt penitus repellenda, & cuius vel quorum est plura talia perpendere & videre. Absque enim plena talium certaque peritia nulla communitas potest commode gubernari: quia ipse Saluator Matth. 15. ait. *Si cæcus cæcum ducat, & ambo in foueam cadunt.* Sed plures melius & certius in talibus iudicant & discernunt, ac plura talia perpendunt & vident, quam vnus solus.

Vnde & Aristoteles 3. politicor. c. 13. ait: *Conuenientes disceptant & consiliantur & iudicant, hæc autem sunt iudicia omnia de singularibus secundum vnumquodque igitur oportet quicunque fore deteriora, sed est ciuitas ex multis: sicut concenatio comparata pulchrior vna & simplici, propter hoc iudicat melius turba vna, quam vnus quicunque* & cap. 14. ait: *Inconueniensque forte vtique esse videbitur, si melius perciperet quis duobus oculis & duabus auribus, & ageret duobus pedibus & manibus, quam multi multis.* Hoc enim inconueniens est dicere quod vnus duobus oculis & duabus naribus melius aut plura percipiat: & quod vnus melius aut plura operetur duobus pedibus & duabus manibus, quam multi multis pedibus & multis manibus. Multi igitur certius & plura vident. Vnde & Act. 15. legitur, quod *conuenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc*: scilicet de quæstione, quæ super circumcisione seruanda inter beatos Paulum & Barnabam ac quosdam Christianos alios vertebatur. Apostolus etiam Paulus, vt ipse testatur *ad Gal.* contulit cum aliis Apostolis Euangelium ne forte in vacuum curreret ac cucurrisset. Ex quibus verbis colligitur, quod plura & certius vident plures quam vnus & optimus, teste Innoc. papa, qui, vt habetur *distin. 20. cap. de quibus*, ait: *Facilius & eadem ratione certius inuenitur, quod à pluribus senioribus quæritur.* Hinc est quod pro difficilioribus & maioribus negotiis ecclesiasticis, quando imminerit, generale concilium congregatur, igitur expedit toti congregationi fidelium, vt pluribus quam ab vno regantur.

Amplius, ab illo vel illis expedit regi communitatem fidelium, cuius vel quorum appetitus siue voluntas est minus corruptibilis & peruertibilis à malitia, concupiscentiis, affectionibus & passionibus prauis, oportet enim principem esse virtuosum & bonum ac passionum minime sectatorem. Impii enim & qui sequuntur passiones & affectiones prauas, non sunt digni aliqualiter principari, teste Salomon. qui Prouerb. 28. ait: *regnantibus impiis ruina homin.* & 29. *Cum impii sumpserint principatum, gemet populus.* Hic Sapiens ille Ietro rationi rectæ assentiens dedit consilium Moysi, vt solummodo bonos viros præficeret populo, dicens: *Prouide tamen de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderunt auari-*

auaritiam, & constitue ex eis tribunos &c. Et Aristoteles 3. politicor. c. 2. ait: *ἐπιεικεῖς, id est virtuosos principari oportet*. Plures autem sunt minus peruertibiles & corruptibiles à malitiis, concupiscentiis, affectionibus & passionibus prauis, quam vnus. Igitur magis expedit communitati fidelium regi à pluribus, quam ab vno. Maior istius rationis etiam innumeris auctoritatibus tam Philosophorum quam fidelium posset ostendi: sed videtur tam nota, quod non oportet eam plus probare. Minor videtur posse probari multis modis. Ait enim Aristo. 3. poli. c. 8. *Multos enim quorum vnusquisque est non studiosus virtutis, tamen contingit, cum conuenerint, esse meliores illis* (scilicet paucis & per consequens multo magis vno) *non vt magis studiosus, sed simul omnes veluti comportare censum his, qui vna expensa elargiti sunt, multis enim existentibus vnamquamque partem habere virtutis & prudentiæ & fini congregatorum quasi vnum hominem multitudinem & multorum pedum & multarum manuum prorsus habentem, sic & sic, quæ circa mores & circa intellectum.* Ex quibus verbis colligitur, quod melius est totam multitudinem principari, quam paucos etiam virtuosos. Ex quo infertur, quod melius est plures regere, quam vnum solum. Item, cap. 14. quærit, vtrum vnus princeps difficilius poterit peruerti & corrumpi, quam plures etiam boni viri, dicens: *Si plures sint boni viri & ciues, vtrum magis incorruptibilis sit princeps?* & respondetur dicens: *sed magis plures quidem numero: boni autem viri.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod plures sunt magis incorruptibiles & imperuertibiles à passionibus prauis, quam vnus, vnde & videtur concludere, quod melius est ciuitatem regi à pluribus, quam ab vno, dicens: *aut palam quod plures scilicet melius regent quam vnus.* Vnde & ibidem videtur concludere Aristot. quod aristocratia, quæ est principatus plurium bonorum, est eligibilior & melior quam regnum, quod est vnius, dicens: *Si itaque plurium principatum, bonorum autem virorum omniumque aristocratiam ponendum, eum autem, qui vnius regnum & cum potentia & sine potentia existente principatu si sit accipere plures.* Ex prædictis omnibus concluditur, quod melius est communitatem fidelium regi à pluribus, quam ab vno, qui sit omnium aliorum caput & princeps & prælatus.

CAP. III.

Exponit aliqua, quæ in præcedenti capitulo in arguendo fuerunt assumpta: & diuidit communitates secundum intentionem Aristot. 1. politicorum & determinat principaliter de prima.

DIscipul. Quia superius Aristotelem allegasti in *Politicis* & etiam *Ethicis*, & es inferius forsitan allegaturus compluries, qui pluribus vocabulis vtitur, quorum significationes puris Iuristis & aliis qui in Philosophia morali minime studuerunt, sunt ignota. Ideo vt tractanda melius intelligantur ab illis, significationes aliquorum huiusmodi vocabulorum studeas explicare, vna cum hoc (sub breui compendio) quis & qualiter secundum intentionem Aristotelis in *Politicis* & *Ethicis* debeat aliis principari, prout alii qui ipsum intelligunt, exponunt. Cum enim ipse de hac materia diffuse tractauerit, & in multis rationabiliter processisse putetur, non modica occasio tribuetur studiosis intelligendi, quis & qualiter inter catholicos debeat alios tam in spiritualibus quam in temporalibus gubernare. *Magister.* Quamuis quod petis non reputem facile: tamen satisfacere voluntati tuæ conabor, & tibi intentionem Aristotelis in hoc secundum opinionem quorundam, cum quibus tamen non omnes concordant, in omnibus recitabo. Dicitur igitur quod Aristoteles *1. Poli.* ponit tres communitates, in quibus aliquis vel aliqui debet vel debent principari aliis. Quarum prima secundum eum est *domus*: quæ tres combinationes, communitates seu coniugationes complectitur, scilicet eam quæ est viri ad vxorem: & illam quæ est patris ad filium: & illam quæ est Domini ad seruos. Prima autem combinatio vocatur ab Aristotele *nuptialis*. Secunda potest vocari *paterna*, & eam Aristoteles vocat *celmostinam*, id est factiuam filiorum. Tertiam vero Aristoteles vocat *despoticam*, id est dominatiuam, *despotes* enim est idem quod Dominus, & *principatus despoticus* est principatus dominatiuus.

Vt tamen hæc melius intelligantur, dicitur esse sciendum, quod huiusmodi vocabula *Dominus*, *Dominans*, *Dominator* & consimilia non eadem significatione in diuersis scripturis & scientiis accipiuntur, sed æquiuoce: propter cuius æquiuocationis ignorantiam sæpe ignoratur intellectus auctorum vtentium talibus vocabulis, secundum sensus contrarios. Omissis autem variis significationibus huiusmodi vocabulorum *Dominus*, *Dominans*, *prædominans*, *Dominium*, *Dominantium*, & consimilium, quibus diuersimode vtuntur interdũ Philosophia naturalis & moralis, & legalis scientia, ac vulgaris locutio; illæ, quibus sæpe vtuntur scripturæ diuinæ, duæ sunt tantummodo, quæ videntur ad propositum exponendæ. Est igitur sciendum secundum istos, quod *Dominus* vno modo dicitur respectu subiectorum liberorum quidem: quibus scilicet dominatur quis non principaliter propter vtilitatem propriam, sed principaliter propter vtilitatem subditorum, & talis Dominus non vocatur ab Aristotele despotes, nec principatus, quo talis principatur vocatur ab eo despoticus. Aliter dicitur *Dominus* respectu subiectorum non liberorum, sed seruorũ, qui sunt possessio domini, quemadmodũ aliæ res temporales dicuntur possessio alicuius, & talis Dominus vocatur ab Aristotele *despotes* & *principatus* eius vocatur *despoticus*, qui despotes, sicut possidet res alias temporales propter vtilitatem propriam, & non propter vtilitatem earum, sic principatur seruis principaliter propter vtilitatem propriam, & non propter vtilitatem seruorum; licet sæpe secundum Aristotelem idem sit expediens ser-

seruis & Domino. Quare licet inueniatur ab Arist. *in Politi.* quod rex sit Dominus sibi subiectorum: tamen nusquam inuenitur, quod debet dici despotes, vel quod principatus regalis debeat despoticus appellari: licet quandoq; principatus tyrannicus, despoticus nominetur propter similitudinem magnam inter despoticum & tyrannicum principatum. Quia proprie loquendo principatus despoticus non est tyrannicus. Sicut enim aliqui iuste sunt serui secundum Aristotelem: tam illi scilicet qui à ratione deficiunt, vt nesciant regere seipsos, licet corpore sint robusti, vt aliis valeant deseruire, qui secundum Aristot. dicuntur naturaliter serui: quam illi qui sunt serui secundum legem, quia in bello iusto capiuntur, vel aliter fiunt serui aliorum. Sic principatus despoticus, qui est solummodo respectu talium seruorum, est iustus & licitus atque bonus. Principatus autem tyrannicus est iniustus, illicitus atq; malus, vnde & secundum Aristot. tyrannis est pessima politia.

Præter principatum despoticum, quo paterfamilias principatur seruis in domo, est principatus paternus, quo filiis tanquam liberis principatur: quibus secundum Arist. regaliter & non despotice principatur. Non quod principatus paternus sit principatus regalis: quia principatus regalis non est nisi respectu ciuitatis vel regni: quod maius est ciuitate, & vt plurimum plures ciuitates complectitur. Sed pater dicitur filiis regaliter principari: non quidem quando domus, in qua principatur, est pars vici vel ciuitatis aut regni: sed in domo, quæ non est pars communitatis perfectioris, qualiter Adā principabatur filiis suis, & Noe filiis suis, antequam filii illi diuersas domos haberent. Talis autē principatus paternus, licet non dicatur regalis stricte loquendo, potest tamē dici regalis propter magnam similitudinem ad principatum regalem stricte sumptum. Sicut enim in regno habēte regem, qui propriissime & autentice dicitur rex, vnus existens principatur omnibus liberis principaliter ꝓpter vtilitatem subiectorum secundum voluntatem suam, non secundum legem, secundum Aristot. *3. poli. c. 15.* Quod qualiter debeat intelligi, postea exponitur sic. In domo, quæ non est pars communitatis perfectioris, quandocunq; est talis pater, principatur filiis principaliter propter vtilitatem ipsorum secundum voluntatem suam, non secundum legem, ita vt filios delinquentes omni pœna, qua expedit, valeat castigare, possitq; de ipsis & ipsis facere quæcunq; redundant in vtilitatem ipsorum: quibus quia non principatur principaliter propter vtilitatem propriam, non despotice, sed quodammodo potest dici regaliter principari. In domo autem quæ est pars vici vel ciuitatis pater non principatur filiis regaliter: quia non habet tantam potestatem super filios, vt principetur eis secundum voluntatem suam, non secundum legem. Etiam in multis quæ pertinent ad vtilitatem ipsorum, nec pro multis delictis potest eos pœna, qua expedit, coercere secundum quod talis vindicta est illi, qui principatur in vico vel in ciuitate aut in regno seruanda. Paterfamilias autem in domo principatur vxori neq; despotice neq; regaliter, non despotice, quia non est serua: nec regaliter, quia non debet principari ei secundum voluntatem suam, sed secundum legem matrimonii. Neq; enim tantam potestatem habet vir super vxorem, quantam habet pater super filios, quando non est pars perfectioris communitatis, principatur ergo vir vxori principatu politico.

Hic enim principatus viri super vxorem assimilatur principatui politico, in hoc scilicet, quod in principatu politico principantes secundū virtutem & sapientiam antecellunt sibi subiectos: sic naturaliter vir excedit vxorem secundū sapientiam & virtutem, nisi aliquid accidat pręter naturam, secundū Arist. *1. Poli.* sicut contingit in masculis effœminatis, per quem modū intelligenda sunt, quæ dicta sunt superius de principatu despotico & paterno: quando scilicet natura non deficit in despote vel patre. Si enim natura ex aliqua causa deficeret in patre vel despote, non esset iustum naturale despotem aut patrem, seruis vel filiis principari, quorum tamen principatus sunt naturales, id est ex ratione naturali, non ex institutione humana prouenientes, quando natura non deficit in patre vel despote. Tres autem prædicti principatus ad œconomiam, id est ad gubernationem domus spectant, & sic accipitur *œconomia* ab Aristotele in Philosophia morali, licet *œconomus* in iure vocetur ille, cui res ecclesiastica gubernanda mandatur, vt qui administrat res canonicorum, qui in quibusdam ecclesiis appellatur *præpositus*.

CAP. IV.

Determinat de secunda communitate, quæ dicitur vicus.

MAgister. Secunda communitas, quæ est perfectior domo, vocatur *vicus*: quia ex multis domibus constat, tanquam ex partibus, nec tamen ad tantam perfectionem attigit, vt ciuitas sit & debeat appellari, ista autem communitas si non sit pars perfectioris communitatis (scilicet ciuitatis aut alterius comprehendentis multos vicos seu vicinias aut ciuitates) & in ipsa multitudo domorum processit ex vno parente superstite, rationabile est vt ab illo regatur secundum voluntatem, non secundum legem, quantum ad illos qui processerunt ab ipso, si in eo natura non deficit, quemadmodum filii reguntur à patre. Quantum ad vxores autem, quarum non est parens, rationabile est, vt politice principetur, quia ratio exigit vt leges matrimonii conseruet, secundum quam vir & vxor in multis ad paria iudicantur. Si autem multitudo domorum vici non processit ab vno parente superstite, rationabile est vt aliquo regimine simili regimini, quo regitur ciuitas, gubernetur.

Cap. V.

Determinat de tertia communitate, quæ dicitur ciuitas.

Magist. Tertia communitas est, quæ ex pluribus vicis componitur, vocatur *ciuitas*, quam dicit Aristot. *1. poli.* esse principalissimam omnium communitatum, quod dicitur veritatem habere de communitatibus simul habitantium, non de communitate habitantium in distantibus locis & in pluribus ciuitatibus, qualis communitas est *Regnum* vel *Ducatus*: quod etiam potest communitas appellari, quia est illorum qui simul communicant in multis & ab vno principante reguntur, & multa, quæ dicuntur de ciuitate, proportionaliter intelligenda sunt de regno & quacunque communitate, quæ plures complectitur ciuitates. *Ciuitas* autem est multitudo ciuium habitantium ciuitatem, quorum ordo vocatur politia, sine ordine enim nulla est ciuitas. Nisi enim habeat principantem vel principantes & subiectos, non est ciuitas appellanda, in qua diuersi & diuersimode sunt subiecti saltem sæpe & in perfectissima ciuitate. Quidam enim reperiuntur subiecti tanquam serui vel mercenarii aut bannansi. Dicuntur autem *bannansi*, qui naturaliter seu corporaliter operantes opere suo maculant corpus, & isti in ciuitate, quæ temperata & rationabili vtitur politia, non sunt proprie ciues. Alii autem in ciuitate sic sunt subiecti, quod aliquo modo participant principatum, quia quamuis non principentur, tamen aliquo modo ad principatum attingunt: quia ad iudicium vocantur & consilium, vel eligunt principantem, aut electores principantis. Principans autem in ciuitate aliquando vocatur ab Aristotele *policernia*. *Policernia* autem secundum quosdam tres habet significationes. Primo autem significat impositionem ordinis politiæ. Secundo impositorem ipsius. Tertio significat ipsum ordinem impositum, qui est politia, & ita *policernia* in vna significatione idem est, quod Dominus & principans in ciuitate.

Cap. VI.

Diuidit politias in duas species principales.

Magister. Politiarum autem duæ sunt species primæ: sicut & duæ sunt species propriæ principatuum siue prælationum, & principantium siue prælatorum seu rectorum. Omnis enim principatus aut ordinatur principaliter ad bonum seu conferens commune bonum, scilicet principantis & principantium & etiam subiectorum: aut non ordinatur ad bonum commune. Si ordinetur ad bonum commune, sic est principatus temperatus & rectus. Si non ordinatur ad bonum commune, est principatus vitiatus & transgressio: quia est corruptio & transgressio principatus temperati & recti atq; iusti. Politia igitur omnis, aut est temperata & recta: vel est vitiata & transgressa. Politiæ autem temperatæ & rectæ tres sunt species principales & impermixtæ Prima est, quando principans est vnus, & vocatur *regalis monarchia*: in qua dominatur vnus solus propter cõmune bonum, & non principaliter propter propriam voluntatem & conferens. Et huiusmodi politia secundum Arist. *8. Ethic.* est optima secundum optimum modum ipsius., sunt enim ipsius modi plures, secundum ipsum, *3. poli. c. 16.* sed potissimus ipsius modus videtur, quando aliquis regnat & principatur in regno, non secundum legem, sed secundum voluntatem suam. Quod quidam sic intelligunt. Ille dicitur principari & regnare secundum voluntatem suam, & non secundum legem, qui regnat propter commune bonum omnium & nullis legibus humanis pure positiuis vel consuetudinibus alligatur: sed est supra omnes huiusmodi leges, licet legibus naturalibus astringatur. Et ideo talis rex non habet iurare nec promittere se seruaturum quascunq; leges vel consuetudines humanas introductas, licet expediens sit ipsum iurare, quod leges naturales pro vtilitate communi seruabit, & quod in omnibus quæ spectant ad principatum assumptum commune bonum intendet, non priuatum. Talis rex potest dici habere plenitudinem potestatis respectu scilicet eorum, quæ bonum commune respiciunt, non priuatum. Talis autem principatus differt à principatu tyrannico: quia ille est propter commune bonũ, differt etiam à principatu despotico, quia principatus despoticus est principaliter propter bonũ proprium principantis, quemadmodum dominium bestiarum & aliarum rerum temporalium est propter bonum possidentis. Principatus autem regalis est propter bonum commune, & ideo nõ dicitur proprie principatus despoticus, & tamen rex talis est quodammodo Dominus omnium, sed aliter q̃ in principatu despotico: quia in principatu despotico principans habet tantum dominium, q potest vti suis seruis & bonis aliis quibuscunq;, quæ ad suum pertinent principatum talem, non solum propter bonum commune, sed etiam propter bonum proprium, dummodo contra legem diuinam vel naturalem nihil attentet. Sed principans in principatu regali prædicto non potest vti subiectis & bonis eorum qualitercunq; sibi placet propter bonum proprium, & ideo sibi non sunt serui, sed naturali libertate gaudent: quia ad naturalem libertatem spectat, vt nullus possit vti liberis propter vtilitatem vtentis, sed non est contra naturalem libertatem, vt quis rationabiliter vtatur liberis ad bonum commune: cum quilibet teneatur bonum commune præferre priuato. *Discip.* Secundum ista principatus despoticus esset maior & perfectior tali principatu regali: quia maiorem potestatem includeret, principans enim despotice potest vti seruis & bonis eorum propter vtilitatẽ tam cõmunem quam priuatam, rex autem nisi propter vtilitatem communem, igitur est maior & perfectior. *Magist.* Respondetur, quod principatus despoticus est quodammodo maior: quia ad plura quodammodo se extendit, sed ex hoc ipso est imperfectior, seu quia bonum multorum est melius, quam vnius bonum; seu quia detrimentum boni multorum nullam perfectionem sed imperfe-

perfectionem importat. In principatu autem despotico est detrimentum multorum ex hoc ipso, quod despotes potest vti sibi subiectis & bonis eorum ad propriam vtilitatem, & ideo talis potestas maior imperfectionem boni melioris, scilicet boni multorum includit. Propter quod principatus despoticus non solum qui est vnius patrisfamilias in vna domo, sed qui esset vnius regis in vno regno: & per consequens qui est vnius imperatoris in toto orbe, esset simpliciter imperfectior principatu tali regali. Præter istum principatum regalem sunt alii principatus regales diuersimode deficientes ab isto: conuenientes tamen in hoc, quod sunt Monarchiæ quædam. Quidam enim principatus vnius Monarchiæ deficit ab isto, quantum ad intentionem boni communis, quia scilicet non est institutus totaliter ꝓpter bonū commune, sed etiā ꝓpter bonum proprium, & talis principatus regalis aliq͂d habet de principatu Tyrannico vel despotico: & est quodāmodo mixtus ex principatu despotico, tyrannico, & regali. In quantum enim quo ad aliqua intēdit bonū commune: & in quantū vnus solus principatur, habet aliquid de principatu regali. In quantū vero bonū proprium etiā intendit, habet aliq͂d de principatu tyrannico & despotico, & ideo est quodāmodo mixtus ex principatibus illis, vnde & aliquis principatus regalis & tyrannicus vocatur ab Aristo. Principatus autem vnius interdū deficit à sępe dicto principatu regali quantum ad potestatem, quod scilicet nō habet illam plenitudi[illegible] potestatis, quam habet principatus regalis præfatus. Et talis principatus regalis dicitur secundū [illegible]ia licet vnus principetur, modo tamen principatur secundum voluntatē, sed quibusdam [illegible] consuetudinibus humanitus introductis astringitur, quas tenetur seruare, & ipsas se seruaturum iurare vel promittere obligatur, & quanto plures tales leges & consuetudines seruare tenetur, tanto magis recedit à memorato principatu regali, & ideo forte his diebus non est in vniuerso orbe talis principatus scilicet primus regalis. Secundum Aristot. nullus est dignus tali regno, nisi sapientia & virtute & bonis omnibus tam corporis quam animæ, quam etiam exterioribus bonis, scilicet amicis & diuitiis, superexcellat. Aliter enim timendum est, ne ad tyrannidem se conuertat, vnde & propria bona debet habere vel ex se vel ex assignatione illorum, quibus præest, vt bona liberorum nequaquam sibi approprier, nec etiam quoquomodo accipiat, nisi euidens vtilitas vel manifesta necessitas hoc exposcat. Isti principatui regali etiam summæ opponitur *tyrannis*, quæ est transgressio & corruptio eius, quæ est prima species & pessima politiæ vitiatæ, quia tyrannis non intendit bonum subiectorum, nisi per accidens, sed principaliter intendit bonum proprium, siue bonum proprium sit bonum etiam aliorum, siue sit malum ipsorum. Fiunt autem tyranni secundum Aristo. *5. Politi. c. 8.* sæpe ex Demagogis, sunt autem *Demagogi*, ducentes populum secundum voluntatem suam de beneplacito populi, non tanquam reges aut Domini vel Tyranni seu ius regendi populum aut imperandi habentes: sed quasi procuratores & concionatores seu monitores instigant populum ad illa, quæ populo placent id est quibus populus credit, & ideo Arist. vocat eos *4. Politic. c. 3.* adulatores, tales enim sæpe, postquam sibi vnierint populum, incipiunt propter potentiam tyrannizare: & etiam inuoluntariis dominari. Fiunt etiam Tyranni nonnunquam ex regibus, quia, vt dicit Aristo. *8. Ethicorum,* malus rex tyrannus fit, si enim secundum legem incipiat principari inuoluntariis propter bonum proprium, fit tyrannus, si incipiat principari voluntariis propter bonum proprium, fit proprie despotes. Cuius principatus nonnunquam *Tyrannis* ab Aristotele vocatur, propter similitudinē magnam ad despoticam: non tamen Tyrannis proprie est despotia, sicut ex supradictis patere potest. Ex prædictis colligi potest, quod principatui regali, præsertim potissimo, non solum Tyrannis proprie dicta, sed etiam principatus despoticus aliquo modo opponitur, vel est principatus ita disparatus, vt nullus vnus principatus possit esse regalis & despoticus respectu eorundem: quod tamen aliquis dominetur regaliter, & aliquis despotice, inconueniens non videtur.

CAP. VII.

In quo tractatur de aristocratia, & sibi opposita oligarchia politiæ speciebus.

MAgist. Secunda species politiæ temperatæ & rectæ atq; iustæ vocatur *aristocratia*, in qua scilicet aliqui pauci viri & optimi principantur propter bonum commune multitudinis, & non ꝓpter bonum proprium. Quia licet habeat plures species, vt docet Aristo. *3. politicorum c. 1.* tamen prima & optima species eius est, quando in sublimando aliquos in principatum aristocraticum potest haberi, & habetur respectus solummodo ad virtutes scilicet intellectuales & morales, non ad diuitias, nec ad potentiam, nec ad amicos, nec ad quæcunq; quæ possent absq; bonitate & sapientia reperiri. Politia autem intemperata & vitiata atq; transgressa, quæ ad aristocratiæ directe opponitur, vocatur *oligarchia*, quando aliqui scilicet diuites vel potentes vel qualitercunq; insignes propter bonum proprium principantur, in tantum quod si etiam optimi viri principarentur propter bonum proprium, & non principentur propter bonum multitudinis, dicentur esset oligarchice principari: & principatus eorum esset oligarchicus reputandus. Et ideo quicquid sit in electione principantium vel sublimatione seruando respectum ad aliā prærogatiuam quam ad sapientiā & virtutem (puta ad diuitias vel potentiam vel genus vel amicos vel dignitatem vel superioritatem seu maioritatem vel sequelam, aut quamcunq; aliam excellentiam) obligarchicum est habendum. Nec tamen est hoc semper reputandum, quia ex causa propter bonum finem, licet in huiusmodi ad aliquam aliam prærogatiuam vel excellentiam habere respectum, tam aristocratiæ quam oligarchiæ sunt diuersæ species, de quibus non est tractandum ad præsens.

Cap. VIII.

In quo determinat de tertia ſpecie politiæ, quæ Timocratia dicitur, & ſibi oppoſita Democratia.

MAg. Tertia ſpecies politiæ temperatæ & rectæ ac iuſtæ diuerſis nominibus appellatur, vno nomine vocatur communi nomine *politia*, quod in vna ſignificatione eſt commune ad omnem politiam rectam & non rectam. In alia ſignificatione ſignat ſolummodo quandam ſpeciem politiæ, quæ alio nomine *timocratia* nominatur, de qua ſunt diuerſæ opiniones, vna eſt, quod timocratia ſiue politia communi nomine dicta eſt illa, in qua principantur multi propter bonum commune, ſiue ſint optimi ſiue non optimi: ſiue ſint diuites ſiue pauperes, ita quod politia per ſe per multitudinem diſtinguitur ab ariſtocratia. Alia eſt, quod politia eſt illa, in qua principantur aliqui egeni virtuoſi propter bonum commune. Alia eſt, quod politia eſt illa, in qua principantur aliqui neq; optimi neque mali, ſed mediocres propter virtutem & bonum commune, ita quod per defectum virtutis & bonitatis diſtinguitur ab ariſtocratia. Sed quæcunque politia debeat appellari timocratia vel politia tanquam nomine communi: politia vitiata & transgreſſa vocatur *democratia*, quando ſcilicet populus principatur vel ordinat & conſtituit principantem, non propter bonum commune, quæ ſpecies diuerſas complectitur. Sicut autem omnium politiarum temperatarum optima eſt regnum, & poſt eam ariſtocratia, & vltimo timocratia: ſic politiarum intemperatarum ſiue vitiatarum peſſima eſt tyrannis, & poſt ipſam oligarchia, ſed in democratia minima peruerſitas reperitur, ſecundum Ariſto. *8. Ethicorum.*

Cap. IX.

In quo quibuſdam aliis rationibus probatur, quod magis expedit communitatem regi ab vno, quam à pluribus.

D*Iſcip.* Expoſuiſti, vt æſtimo, ſignificationes vocabulorum extraneorum ſecundum quorundam opinionem, quæ frequentius in auctoritatibus Ariſtotelis iam allegatis & allegandis ponuntur, ideo noli plura exponere, ſed ad quæſitum principale reuertere, & qualiter ad allegationes ſupra *primo & ſecundo capitulo huius ſecundi* pro opinionibus diuerſis & aduerſis inductas ſecundum ipſas reſpondere contingat, ſtudeas recitare. Veruntamen antequam ipſas reſponſiones enarres, peto vt aliquas allegationes adducas ad probandum quod magis expediat toti communitati fidelium regi ab vno quam à pluribus. *Mag.* Quod petis, dupliciter intelligi poteſt, quia dupliciter contingit plures regere ſibi ſubiectos, vno modo, vt plures diuerſos habeant ſibi ſubiectos, itaq; regimen plurium ad eoſdem minime ſe extendat, quemadmodum plures archiepiſcopi regunt omnes in vna regione diffuſa exiſtentes: & diuerſa regna à diuerſis regibus, quorum nullus eſt ſub alio & quandoq; ipſis nullus præeſt, reguntur. Aliter plures regunt ſibi ſubiectos: ſic ſcilicet, quod omnes eoſdem habent ſubiectos, quibus communi conſilio principantur, quemadmodum in ariſtocratia & politia ſtricte ſumpta, ac in politiis vitiatis & tranſgreſſis eiſdem oppoſitis, ſcilicet in oligrachia & democratia reperitur. Siue primo modo ſiue ſecundo modo intelligas, potes ſuperius *primo cap. huius ſecundi* ad id quod petis allegationes aliquas inuenire. Quia aliquæ earum non ſolum probant, quod expedit communitati fidelium regi ab vno & non à pluribus primo modo, ſed etiam videntur oſtendere, quod expedit ei gubernari ab vno & non à pluribus ſecundo modo. Quare non videtur neceſſe ad id ꝙ petis plures allegationes adducere. *Diſc.* Quamuis ad id ꝙ peto poſſunt allegationes aliquæ ſupra inductæ allegari, & etiam plura circa conſimilē materiam, ex quibus potero plura aduertere circa hoc petitum, q̄ dicentur in *ſecundo tractatu huius Dialogi li. 3.* tamen volo vt aliquas ſpeciales allegationes inducas ad probandum, ꝙ magis expedit communitatem fidelium regi ab vno, q̃ à pluribus ſecundo modo. *Mag.* Hoc videtur poſſe ſic probari. Illo regimine expedit magis regi communitatē fidelium, quod magis aſſimilatur regimini & principatui naturali, quia ſicut ars ſi eſt recta imitatur naturam, ita principatus, ſi eſt rectus, imitatur & aſſimilatur principatui naturali, & p conſequēs principatus, qui magis aſſimilatur principatui naturali, eſt rectior & pfectior, & p conſequens magis expediens. Sed regimen ſiue principatus vnius, quando ſcilicet vnus ſolus regit multos & præſidet eis, magis aſſimilatur principatui naturali, quam regimen ſeu principatus plurium, quare tale regimen aſſimilatur principatui regali, qui eſt vnius. Principatus autem regalis magis aſſimilatur principatui naturali, quam principatus ariſtocraticus vel politicus ſtricte ſumptus, quia magis aſſimilatur cōmunitati, quæ eſt domus, in qua principatur vnus paterfamilias. Vnde & principatus patrisfamilias regalis quodammodo eſſe videtur, teſte Ariſt. qui *poli. 1. c. 10.* ait: *Paterfamilias principatur natis regaliter*, & eodē c. dicit. *Puerorum autem principatus regalis, & ꝙ enim genuit & ſecundum amorem principans & ſecundum ſenectutem eſt: quod quidem regalis ſpecies principatus.* Ex quibus verbis colligitur, quod principatus regalis aſſimilatur communitati, quæ eſt domus, in qua principatur vnus & non plures, neq; primo modo neque ſecundo modo. Communitas autem domus eſt naturalis ſecundum Ariſtotel. qui 1. poli. in prologo ait: *In omnem quidem igitur diem communitas conſtituta ſecundū naturam domus eſt*, quibus verbis habetur, quod communitas illa, quæ eſt domus, eſt ſecundū naturā & naturalis principatus, ergo regalis magis aſſimilatur principatui naturali, quam ariſtocraticus & politicus ſtricte ſumptus. Et per conſe-

consequens principatus ille, qui magis assimilatur regali scilicet in quo vnus regit & non plures, magis assimilatur principatui naturali: & per consequens est perfectior & melior atq; magis expediens. Ex quo infertur, quod magis expedit communitatem fidelium ab vno regi quam à pluribus, etiam secundo modo. *Discipul.* Videtur quod ista allegatio non concludit, quare principatus regalis magis assimilatur communitati illi, quæ est domus quam principatus politicus, in quo principantur plures. Quia secundum Aristot. *1. Politi. c. 2. & 10.* communitatis illius, quæ domus est, quæ est communitas œconomica, sunt tres partes, quarum vna est *despotica*, alia *nuptialis*, & tertia *paterna*. Et ideo sunt ibi tres principatus specie differentes scilicet *despoticus*, quo paterfamilias principatur seruis. *Politicus*, quo paterfamilias principatur vxori, & *regalis*, quo paterfamilias principatur liberis siue natis. Ait enim Aristot. *Quoniam tres partes œconomicæ erant, vna quidem despotica, de qua dictum est prius, vna autem paterna, tertia autem nuptialis, etenim mulieri praeest & natis tanquam liberis quidem, ambobus autem non eodem modo principatur, sed mulieri quidem politice: natis autem regaliter.* Ex quibus verbis colligit, quæ dicta sunt: & infertur, quod non magis assimilatur communitati domus principatus regalis quam politicus. Quia sicut vni parti assimilatur principatus regalis: ita alteri parti assimilatur principatus politicus. Quare, vt videtur, non magis assimilatur principatus regalis principatui naturali, quam principatus politicus: cum principatus, quo paterfamilias in domo principatur vxori, cui assimilatur principatus politicus, sit naturalis: sicut principatus, quo principatur natis cui assimilatur principatus regalis. Quia teste Aristot. eodem ca. dicente: *Masculus natura fœmella principalior, nisi aliqualiter constet præter naturam & scimus & perfectum est*, scilicet principalius minore & imperfecto. Ex quo concluditur, quod masculus naturaliter principatur vxori, & pater natis. Quod de masculo, respectu vxoris, patenter dicit Aristoteles 1. Poli. ca. 3. *adhuc autem masculum ad fœminam natura, hoc quidem melius: hoc autem deterius, & hoc quidem principans: hoc autem principatum.* Ex istis infertur, quod ex hoc quod principatus regalis assimilatur principatui naturali, probari non potest, quod sit melior & perfectior principatu aristocratico & politico stricte sumpto. *Magister.* Istam responsionem quidam negare nituntur dicentes, quod licet tam principatus regalis quam politicus & etiam aristocraticus, imo omnis principatus rectus assimiletur aliquo modo principatui naturali: tamen principatus regalis magis assimilatur principatui naturali perfectiori & meliori, quam principatus politicus stricte sumptus. Principatus enim patrisfamilias respectu natorum principalior est & perfectior atque melior quam principatus quo principatur vxori. Tum quia principatus respectu liberorum est melior quam principatus respectu vxoris. Quia inter liberos sunt masculi, qui meliores sunt fœminis, sicut supra per Aristotelem est probatum, principatus autem meliorum subiectorum semper est melior, secundum eundem *1. Poli. cap. 3.* Tum quia principatus, quo paterfamilias principatur vxori, est propter principatum quo principatur natis: quia propter prolem procreandam vxor principaliter est ducenda. Tum quia pater naturaliter plus diligit filios quam vxorem; quia naturaliter seu naturali coniunctione & perfectiori sunt sibi cõiuncti quam vxor, & ita in communitate domus principalissimus & aptissimus & naturalissimus principatus est ille, quo paterfamilias principatur natis: cui assimilatur principatus regalis, ergo principatus regalis est perfectior aliis principatibus in communitate domus. Adhuc, principatus regalis similior est principatui naturali, quo paterfamilias principatur natis quam principatus politicus principatui quo paterfamilias principatur vxori. Nã regalis principatus assimilatur principatui paterno tam quo ad vnitatem principantis, quam quo ad plenitudinem potestatis; quia in vtroq; principatu est vnus principans: & vterque habet plenitudinem potestatis, quia in vtroq; principatu est vnus principans super sibi subiectos. Principatus autem politicus licet assimiletur principatui, quo paterfamilias principatur vxori, in hoc quod neuter principans habet plenitudinem potestatis: tamen in hoc differt, quod in principatu politico principans non est vnus sed plures. In principatu autem naturali quo paterfamilias principatur vxori, principans est vnus, siue habeat plures vxores siue vnam, & ita principatus regalis magis assimilatur principatui naturali, quam principatus patrisfamilias respectu vxoris. Ex quo concluditur, quod magis expedit communitatem fidelium regi ab vno quam à pluribus.

Cap. X.

Vbi iterum vnica ratione probatur, quod magis expedit communitati fidelium regi ab vno, quam à pluribus.

Discipulus. Hic possemus multa scrutari de principatu regali & plenitudine potestatis: tam patris respectu natorum, quam regis respectu sibi subiectorum. Sed quia hæc postea forte habebunt locum: ideo ipsis pertransitis aliam allegationem adducas ad probandum, quod magis expedit communitati fidelium regi ab vno quam à pluribus. *Magist.* Hoc iterum quidam sic probant. Illud regimen est maxime expediens communitati fidelium, quo amicitia & concordia maxime conseruatur, & seditio, quæ est cuiuslibet communitatis corruptio, deuitatur, teste Arist. qui 2. poli. c. 3. ait: *Amicitiam putamus maximum omnem bonorum communitatibus, sic enim vtique minime seditiones faciunt*, & 8. eiusdem c. 1. ait: *Videtur autem & ciuitates continere amicitiam: & legis positores magis circa ipsam student, quam iustitiam, concordia enim simile animi quid amicitia videtur esse, hanc autem maxime appetunt*, hoc etiam ipsa veritas Matt. 12. insinuare videtur, cum dicit: *Omne regnum diuisum contra se desolabitur: & omnis ciuitas aut domus* &c.

Cap. XI.

In quo inuestigatur, quis debeat omnibus principari, & qualis debeat esse.

DIscipulus. Satis quidem modo allegationibus plurimis, quanquam multo plures adducere posses, probasti quod vnus in principatu ecclesiæ esse debeat, quia maius bonum & maior vnitas & concordia ex hoc generatur & nutritur. Qualis tamen ille debeat esse, libenter scire vellem. *Magister.* Circa id, quod petis tibi explanari, duo sunt modi dicendi. Quidam enim dicunt, quod nullus debet cæteris omnibus principari, nisi reliquos omnes sapientia & virtute præcellat. Alii vero dicunt, quod aliquis potest reliquis omnibus principari, quamuis non præstet omnibus sapientia & virtute, & iste modus iterum diuersificatur. Quoniam quidam dicunt, quod si in populo Christiano nullus inuenitur excellentior cæteris, si tamen aliquis bonus inueniatur, talis erit eligendus in papam. Sed si nullus inueniatur bonus & idoneus, nullus est ad tantum beneficium sublimandus. Secundum alios vero, siue inueniatur aliquis bonus siue non, tamen aliquis est in summum pontificem eligendus, & ad hoc probandum tali innituntur rationi; Quoniam melius est qualecunque caput habere, quam capite omnino carere.

Cap. XII.

In quo iterum arguitur pro primo modo dicendi, etiam superius c. 2. probato: & eadem argumenta possunt contra tertium modum induci, & argumenta soluuntur infra c. 16.

DIscip. Quoniam secundum modum dicentium, quod aliquando ecclesia deberet esse sine principe & pastore, satis irrationabilem reputem, cum hoc totam politiã destruat & hierarchicũ, quare vt pro ipso aliquas alleges rationes non curo, ipsum tanquam vanum relinquamus. Alius vero modus eiusdem secundi modi dicentiũ, quod qualitercunq; aliquis sit si alius inuenitur melior & dignior in summum pontificem possit eligi, primo modo dicendi omnino repugnat. Quare aliquas rationes & auctoritates in contrarium adducas, nam per eas primus modus magis confirmabitur. *Magist.* Contra illum modum dicendi & pro primi confirmatione arguitur primo ab aliis sic. Ille debet eligi in pastorẽ respectu cuius cæteri possunt dici & appellari grex, sed respectu nullius dicuntur grex, nisi eius qui singulos præcellit scientia & sanctitate, igitur nullus tal s debet eligi in summum pontificẽ, qui sit æqualis cæteris. Maior videtur probatione non indigere, minor vero probatur. Quoniam pastor debet singulis præstare ducatum scientia, vt habetur *di. 63. Ephesios, & 8. q. 1. audacter*, in fi. Similiter & vitæ sanctitate, vt scribitur *11. q. 3. præcipue*, & per consequens in huiusmodi præcellere singulos debet. Item idem patet auctoritate Simachi papæ, quæ scribitur *1. q. 1. vbi sit*, inquit: *Vtilissimus computandus est nisi præcellat scientia & sanctitate, qui est honore præstantior.* Præterea *præstantior & sanctior est ad sacerdotium eligendus & singulis præferendus*, vt inquit Hieron. Et Leo papa, qui, vt habetur *dist. 63. si forte*, sic inquit; *Is metropolitani iudicio præferatur qui maioribus iuuatur studiis & meritis.* Et Ambros. *Diaconi & presbyteri cunctum populum vitam secularem in omnibus ducentem debent conuersatione & sermone præire*, igitur & quantumcunq; sanctos debet vita & conuersatione præire, qui singulis debet præesse, plures aliæ possent adduci rationes & auctoritates, quas gratia breuitatis transire oportet.

Cap. XIII.

Probat idem quod prius, scilicet quod nullus debet præesse semper cunctis fidelibus: nisi omnes alios superet virtute & sapientia, & hoc duabus rationibus, ad quas respondetur cap. 17.

DIscipulus. Si aliquæ aliæ allegationes tibi occurrunt ad probandum, quod nullus debet præesse cunctis fidelibus, nisi omnes superet in sapientia & virtute, adducas. *Magist.* Hoc adhuc probatur sic. Non minor sapientia & virtus requiritur ad principantem in spiritualibus toti congregationi fidelium, quam ad regem, qui in temporalibus præsidet sibi subiectis, vt Aristo. *7 politicorum ca. 13.* velle videtur: cum secundum ipsum non est iustum aliquos semper principari (qualiter principantur reges, & etiam summi pontifices) & alios semper subiici: nisi differant à subiectis sibi, quantum dii & heroes differunt ab hominibus, qui sunt simpliciter secundum ipsum omnibus hominibus excellẽtes. Ait enim sic: *Si igitur fuerint tantum differentes alteri ab alteris, quantum Deos & heroes æstimamus ab hominibus differre, vt confestim primo secundum corpus multam habentes excellentiam, demum secundum animam & indubitata sit & manifesta excellentia principantium respectu subiectorum palam: quia melius vitam suam &c.* Illud enim quod est excellentius & perfectius, quamdiu manet tale, natum est principari illis, qui ab excellentia tanta deficiunt. Quando autem non inueniuntur tales, qui differant ab aliis, quemadmodum differunt dii & heroes ab hominibus: tunc non est iustum, vt aliqui eorum principentur aliis secundum totam vitam suam. Sed iustum est, vt omnes quodammodo communicent principatu, vt scilicet omnes qui sunt æquales in sapientia & virtute, vicissim principentur: primo aliqui, & postea alii, vt Arist. ibidem velle videtur dicens: *Quoniam ante hac non facile accipere, neq; (sicut apud Indos ait Silax) esse reges tantum differentes à subiectis, manifestum quod propter multas causas intrari omnes communicare, eo quod est secundum partem principari & subiici, vt scilicet nullus principetur toto tempore vitæ suæ, sed illi aliquando subiiciuntur.* Cuius rationem assignat dicens: *Quod enim æquale, idem omnibus similibus.* Ex quibus verbis ratio talis elicitur. Iniustum est vta-

vt aliquis semper principetur sibi æqualibus & similibus, ergo quando aliqui sunt similes, iniustum est, vt aliqui eorum semper principetur, & alii subiiciantur. Quare concluditur, quod si inter fideles sint multi similes inter se in sapientia & virtute, iniustum est vt vnus eorũ semper toto tempore vitæ suæ principetur: & alii semper subiiciantur. Quare cum Papa toto tempore vitæ suę debeat pręesse fidelib. vniuersis, iniustũ est vt aliquis efficiatur Papa, si alii inueniuntur sibi similes in sapientia & virtute. Iniustum est igitur, vt aliquis fiat Papa, nisi sapientia & virtute fideles superet vniuersos. Amplius: principatus Papalis est perfectior principatu regali, teste Gregorio Nazianzeno, qui, vt legitur *distinct. 10. c. suscipitis*, ait scribens Imperatoribus Constantinopolitanis: *dedit & nobis potestatem: dedit principatum multo perfectiorem principatibus vestris.* Nullus autem est dignus principatu regali, nisi superet alios sapientia & virtute: imo omnibus bonis, vt Aristoteles videtur asserere *8. Ethicor.* sicut allegatum est supra *cap. 2. huius secundi.* Quod etiam probatur ex hoc, quod regnum est secundum aristocratiam institutum, secundum Aristotelem *lib. 5. politicorum cap. 8.* in aristocratia autem principantur illi, qui sunt cæteris meliores, secundum eundem *4. politicorum c. 5.* igitur & in regno nullus debet principari regaliter; nisi cæteros antecellat. Vnde & Deus, quando primo regem populo suo prætulit, optimum totius populi elegit, testante Samuele, qui de ipso, scil. Saule pro tempore illo dixit 1. Regum 10. *Certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis ei in omni populo*, ergo multo fortius, nullus est dignus principatu Papali, nisi omnes præcellat sapientia & virtute. Ergo quando non inuenitur aliquis, cuius excellentia tanta sit indubitata & manifesta (cum excellentia principantium debeat esse indubitata & manifesta, secundum Aristotelem, vt dictum est prius *in primo c.*) tunc nullus est ad summum Pontificem eligendus: sed assumendi sunt plures excellentiores aliis, qui aristocratice vel politice omnes alios regant.

Cap. XIV.

Vbi probatur secunda pars secundi modi dicendi, scilicet quod magis expedit populo Christiano regi ab vno, qui etiam non cunctos excellat sapientia & virtute, quam à pluribus. Quod probat exemplis veteris Testamenti & Noui.

DISCIPULUS. Ex rationibus istis mihi dedisti occasionem cogitandi quamplura, tam pro conclusione ad quam inducuntur, quam contra, necnon etiam circa totam materiam, quam in principio *huius secundi* cœpimus pertractare. An scilicet expediat congregationi fidelium vni prælato subesse, ideo exquisitius quam proposuerim ipsam, & quæ prius tacta sunt, intendo discutere, & quantam virtutem rationes pro vna parte, & pro alia allegatæ obtineant inuestigare. Inprimis autem aliquas allegationes inducas ad probandum, quod quamuis in omni populo Christiano nullus esset, qui omnes alios virtute & sapientia superaret; melius esset populum Christianum regi ab vno, quam à pluribus; secundum quod tenet secundus modus ponendi, qui recitatus est superius *capitulo vndecimo huius secundi.* *Magister.* Hoc sic videtur posse probari. Tale regimen maxime expedit toti congregationi fidelium, quo Deus tam in Veteri Testamento, quam in Nouo voluit populum suum gubernari, cum ipse omnis regiminis virtuosi & vtilis sit optimus & sapientissimus instructor. Sed Deus tam in Veteri Testamento, quam in Nouo voluit totum populum suum gubernari ab vno, qui per totam vitam suam esset omnium gubernator, quamuis non esset omnes alios in sapientia & virtute præcellens. Nec enim inuenitur, quod aliquis iudex & rex in veteri Testamento omnes alios excelleret sapientia & virtute. Sanctus etiam Petrus non videtur fuisse sanctior vniuersis Apostolis & aliis orthodoxis. Sanctus enim Iohannes Apostolus in amore Christi, & per consequens in sanctitate & virtute ipsum præcessisse videtur. Sancto etiam Paulo sapientia videtur fuisse inferior. Igitur non obstante, quod non inueniatur aliquis Christianus, qui excellat omnes alios sapientia & virtute, est tamen aliquis ad summum Pontificum eligendus, qui Christianorum omnium sit prælatus.

Cap. XV.

In quo respondetur ad rationem primam supra c. 2. huius factam pro primo modo dicendi.

DISCIPULUS. Vt mihi & aliis detur occasio inueniendi circa prædicta clarius veritatem, ad omnia, quæ pro assertionibus contrariis sunt adducta, responsiones aliquas studeas recitare. Primo autem narra, quomodo respondetur ad illa, quæ contra secundum modum ponendi supra *cap. 2.* recitantur: & quæ pro eo quod vltimo allegasti militare videntur, ille enim modus ponendi habere aliquam apparentiam mihi videtur. *Magister.* Ille modus ponendi est bipartitus, dicitur vno modo, quod si in populo Christiano non inueniatur aliquis excellentior omnibus aliis; & tamen inueniatur idoneus atq; bonus aliquis; talis est eligendus in Papam. Sed si nullus inueniatur bonus & idoneus, nullus est ad tm̃ beneficium sublimandus. Aliter dicitur, quod siue inueniatur idoneus siue non, aliquis est ad summũ Pontificium eligendus: quia melius est qualemcunq; in caput habere q̃ capite omnino

mnino carere. *Discipulus.* Primo narra, quomodo secundum primum istorum modorum respondetur. *Magister.* Ad primam allegationem, quæ inducitur supra *cap. 2. huius secundi*, quæ in auctoritate Aristotelis fundari videtur, qui videtur asserere iniustum esse, vt aliquis principetur sibi similibus & æqualibus: Respondetur, quod si in aliqua communitate omnes essent boni, & nullatenus peruertibiles per malitiam in actu vel potẽtia, iniustum esset vt aliquis principaretur sibi similibus & æqualibus in sapientia & virtute: quia tunc nulla ratio apparet, quare plus deberet vnus quam alius principari, sed quando in aliqua communitate sunt multi aut plures peruersi, vel qui peruerti possunt: & cum maior pars & potentior voluntarie sustinet principatum vnius, vt à tali voluntate auerti non possint: tunc expedit vt vnus super omnes accipiat principatum, dummodo inueniatur talis, qui sit dignus principari deterioribus, eo quod aliter non esset bonus vel idoneus reputandus. Si autem est aliqua pars tam potens, quod possit seditionem periculosam toti communitati suscitare: quæ compesci non posset; & principatum vnius vellet nullatenus sustinere: tunc non esset aliquis omnibus sibi similibus & aliis præferendus: sed esset talis principantis institutio ad tempus aliud differenda, quemadmodum enim interdum propter malitiam subditorum episcopus licite deserit ipsos etiam penitus renunciando regimini, *extra de renuncia, nisi cum pridem septim. quæstion. prim. hoc tamen seruandum*: sic propter malitiam aliquorum quandoque licet institutionem principantis differre, & ideo quamuis regulariter expediat toti communitati fidelium, vt aliquis vnus, qui omnibus aliis præsit, ad summum sacerdotium eligatur: tamen si esset tanta malitia alicuius partis Christianorum, quæ posset exponere totam Christianitatem periculo, & nullo modo vellet vni summo sacerdoti obedire : non esset tunc aliquis ad tale officium eligendus, sed esset eius electio differenda. Sicut enim sæpe permittuntur minora mala, vt maiora vitentur, *distinction. tert. cap. omnis*: sic nonnunquam omittuntur bona quædam, etiam magna, vt maxima pericula declinentur. Aristoteles intelligit, quod iniustum est, quod aliquis aliquibus similibus in virtute & æqualibus principetur, nisi ex aliqua vtilitate vel necessitate expediat ordinare, vt aliquis etiam sibi similibus & æqualibus & non solum æqualibus & dissimilibus principetur. Ad rationem vero Aristotelis, qua absolute & sine distinctione vel modificatione videtur probare, quod iniustum est, quod aliquis sibi similibus principetur: quia æqualibus secundum virtutem debetur æqualis honor & dignitas. Respondetur, quod quando conuenienter & vtiliter fieri potest, vt æqualibus æqualis honor & dignitas tribuatur, hoc faciendum est, in quo casu loquitur Aristoteles, tamen quando non est possibile, aut non est vtile, vel est minus vtile, præsertim communi bono, quod æqualis honor & dignitas æqualibus conferatur : tunc absque omni iustitia, imo iusta electione vel sorte, aut quouis alio licito modo aliquis, quo ad dignitatem & honores, potest similibus & æqualibus præferri. Et si alii in hoc turbarentur, & ad seditionem faciendam prouocarentur: efficerentur dissimiles & inæquales secundum virtutem alteri, cui prius æquales & similes extiterant, tanquam ambitiosi & inuidi præferentes honorem proprium bono communi: cum magis periclitari vellent bonum commune vel minime procurari, quam aliquem eis cum vtilitate communi præferri. Exemplum autem Aristotelis de habentibus æqualem vel inæqualem virtutem digestiuam; & de habentibus æquale vel inæquale corpus (quia æqualibus secundum virtutem digestiuam, vel corpus expedit habere æquale alimentum vel vestitum, quod nocet inæqualibus secundum virtutem digestiuam & corpus) non concludit vniuersaliter absque omni exceptione, quod æqualibus & similibus secundum virtutem debeat dari idem honor & dignitas, quia in ministrando alimentum & vestitum æqualibus vel inæqualibus secundum virtutem digestiuam corporis solummodo attenditur propria virtus, & proprium vniuscuiusque ipsorum, quid scilicet expediat vel noceat vnicuique ipsorum diuisim. In distribuendo autem honores & dignitates quandoque solum attenditur meritum & dignitas illorum, quibus debent distribui, quia tunc iniustum est, vt æqualibus inæqualis honor seu dignitas tribuatur, & tunc bonum est exemplum Aristotelis. Quandoque autem non solum attenditur meritum & dignitas honorandorum, sed etiam attenditur vtilitas publica, quæ melius procuratur principaliter per vnum quam per plures, & tunc quia maior respectus habendus est ad bonum commune, quam ad meritum & dignitatem honorandorum, iustum est vt æqualibus & similibus secundum virtutem non æqualis honor & virtus tribuatur.

Cap. XVI.

Respondet rationibus cap. 12. adductis.

Discipulus. Quia contra istum modum videntur specialiter allegari ea, quæ allegata sunt prius *cap. 12. & 13.* ibi enim ostenditur, quod nullus debet præferri cunctis fidelibus, nisi præcellat virtute & sapientia vniuersos, cuius contrarium tenet prædictus modus ponendi, ideo narra, qualiter respondetur ad ipsa. *Magister.* Ad illa, quæ *12. cap.* inducuntur, respondetur quod regulariter, quando inuenitur aliquis, qui veritate & sapientia omnes alios superet & excellat, ille præferendus est in summum Pontificem, & regulariter peccant, qui scienter talem dimittunt: & essent quasi merito potestate eligendi priuandi, & in hoc casu loquuntur auctoritates inductæ, quando autem non inuenitur aliquis talis, sed multi sunt similes & æquales secundum virtutem, tunc non est eligendus talis,

cum

[illegible] nullus sit talis, nec tamen propter hoc debet differri electio quousque inueniatur talis, sed sufficit tunc vnus æqualium vel similium in sapientia & virtute habendo respectũ ad aliquid aliud, quod [illegible] suffragetur eidem, vt eligatur. *Discip.* Quamuis istam responsionem (vt puto) intelligam: tamen qualiter ista opinio auctoritates *supra 12. cap.* allegatas (quæ forte contra ipsam militare videntur) exponit, ignoro, ideo breuiter discurre per ipsas: & dic quem intellectum habent de ipsis. *Magister.* Ad illam rationem, quæ dicit, quod talis debet eligi, respectu cuius cæteri grex dicantur. Respondetur, quod potest habere duplicem intellectum verum. Vnus est, quod quando aliquis eligitur talis, elegi debet respectu cuius cæteri boni & mali dici possint merito grex. Alius est, quod quia in ecclesia semper inueniuntur mali, debet eligi talis respectu cuius cæteri, id est mali, grex dicantur. Non tamen est possibile vt eligatur talis respectu, cuius eminentes in sapientia & virtute possint dici grex. Ad aliam, quæ ponitur *1. quæstion. 1. cap. vilissimus*, id est valde vilis est putandus, nisi præcellat malos & indignos tanto honore, scientia, & sanctitate: sed non est vilissimus reputandus, quamuis non præcellat scientia & sanctitate eminentes secundum sapientiam & virtutem. Ad tertiam, quæ est Hieronymi, respondetur quod quando est aliquis præstantior, sanctior, &c. ille ad sacerdotium eligendus est: quando autem non est talis, sufficit eligere præstantiorem, sanctiorem, doctiorem & in omni virtute eminentiorem omnib. malis & stultis in populo. Ad auctoritatem Leonis Papæ consimiliter dicitur, quod quando est aliquis optimus, ipse est eligendus: quando non est aliquis optimus, eligendus est bonus. Ad auctoritatem Ambrosii dicitur, quod diaconi & presbyteri sanctum populum vitam ducentem in omnibus secularem, debent conuersatione & sermone præire, conceditur: sed non oportet, quod præeant illos ex populo, qui ducunt vitam singulariter sanctam. *Discipulus.* Puto me non ignorare, qualiter ista opinio intelligat omnes canones sacros, qui in hoc contra ipsam militare videntur. Sed dic an teneat electionem debere cassari, si non eligatur optimus, quando optimus & excellentior omnibus inuenitur. *Magister.* Tenet quod quia propter scandala, turbationes, seditiones etiam, sæpe tolerantur minora mala vt maiora vitentur: ita potest electio boni non optimi, quando inuenitur optimus, licite non cassari & sæpe periculosissime cassaretur. *Discipulus.* Nunquid non obstante, quod talis electio cassari non debeat, tenetur electus bonus non consentire electioni de se factæ, vel cedere, si iam consenserit, quando aliquis optimus est dimissus? *Magister.* Respondetur, quod talis quando optimus alius inuenitur, si absque periculo vel turbatione notabili valeat non consentire, vel cedere, si consenserit, de necessitate salutis tenetur non consentire vel cedere: maxime si cum bono exemplo & ædificatione totius communitatis fidelium hoc facere possit. Aliter enim damnabiliter bonum vel honorem proprium bono communi præferret.

Cap. XVII.

In quo respondetur ad rationes & auctoritates cap. 13. adductas.

Discipulus. Dic nunc qualiter respondetur ad illa, quæ supra *13. capitulo* sunt adducta. *Magister.* Omnia illa fundantur in hoc (vt videtur) quod nullus est dignus principatu regali, nisi superet omnes alios sapientia & virtute, secundum quod Aristoteles *in politicis* & etiam *in Ethicis* sentire videtur: vt nullus debeat esse rex, nisi sit optimus & melior secundum sapientiam & virtutem omnibus sibi subiectis. Ad quod non dicitur, quod est secundum Aristotelem vniuersaliter absque omni exceptione verum. Ad cuius euidentiam dicitur esse sciendum, quod principatum regalem pluribus modis contigit adipisci, de quibus ad præsens sufficit enumerare duos. Quorum vnus est, quando aliquis à subditis voluntarie sublimatur in regem. Alius est, quando quis voluntarie de principatu despotico, quem iuste adeptus fuit, ad principatum regalem se transfert. Si primo modo debeat quis ad principatum regalem regulariter assumi, assumendus est optimus secundum sapientiam & virtutem, si inuenitur talis, & nullum iustum impedimentum impedit promotionem eius. Et si tale genus inueniatur, quod tali modo excedat omnes alios, iustum est regulariter vt tale genus regnet. Et sic intelligit Aristoteles *2. politicorum & 16.* cum dicit: *Cum igitur sic genus totum & alios vnum acciderit esse differenter secundum virtutem tantum, vt excedat quæ illius ea, quæ aliorum omnium: tunc iustum est genus hoc esse regale & dominans omnium: & regem vnum hunc, sicut & dictum est prius.* Si autem non inuenitur; inueniuntur tamen multi boni: aliquis eorum assumendus est, cuius principatum alii ei similes & æquales in sapientia & virtute propter commune bonum patienter & libenter ferre tenentur. Qualiter autem assumi debeat, postea, si volueris, poteris inquirere. Si autem secundo modo peruenerit quis ad principatum regalem: puto quia primo obtinuit dominium regionis totius & omnium habitantium in ea, siue per occupationem, siue per donationem, siue peremptionem, siue per iustum bellum, siue quocunq; alio modo iusto: & postea renuens principatum despoticũ contentus est solo principatu regali, vt sc. principaliter velit principari eis propter bonum & conferens subditorum, non propter bonum propriũ (qualiter principatur despotes) poterit iuste potiri principatu regali, quamuis non sit optimus hominum, quia ex hoc quod partem iuris sui dimittit, & partem retinet, non est iniustus censendus, licet non sit optimus. Ad Aristotelem autem, qui innuit *7. politicorum, cap. 13.* quod non est iustum aliquos semper principari, nisi tm̃ differant

rant à subditis, quantum dii & heroes differunt ab hominibus. Respondetur multis modis. Vno modo, quod hoc est verum, si attendatur solummodo meritum & dignitas principantis: non autem si attenditur vtilitas boni communis. Aliter dicitur, quod hoc est verum de iusto naturali in particulari, puta quod non est iustum naturale, vt isti principentur omnibus aliis, nisi tali modo differant ab omnibus illis, quibus principantur, per quem modum iustum est, vt ille vir principetur vxori suæ vel vxoribus, & pater filiis, & iste Dominus seruis, qui naturaliter sunt serui secundum Aristotelem *prim. politicorum.* Sed non est verum de iusto positiuo, nam sæpe fit iustum & naturale, vt aliquis dominetur multis sibi similibus & æqualibus in communitate perfecta: quia si sunt tot similes & æquales secundum virtutem, quod non possunt vtiliter omnes simul principari: & tamen talis communitas sine principante non potest consistere secundum Aristotelem. Et quia non est iustum naturale, vt magis isti principentur quam illi, necesse est quod per iustum positiuum determinetur, quod isti principentur, vel simpliciter secundum totam vitam suam vel ad tempus. Et sicut non obstante, quod non sit iustum naturale, vt iste principetur secundum totam vitam suam sibi similibus & æqualibus, qualiter intelligit Aristoteles: tamen ex causa fieri potest iustum positiuum, quod Aristoteles negare non intendit. *Discipulus.* Quomodo potest esse iustum naturale, quod aliquis principetur sibi similibus: & tamen non est iustum naturale, quod iste principetur similibus: & sic de singulis? *Magister.* Respondetur, quod ista interrogatio tua procedit ex ignorantia primitiuorum, scilicet logicalium, quæ nullus desudans cuicunque scientiæ ignorare deberet, aliter enim procederet sophistice, quando putabit se demonstratiue procedere. Dicitur igitur, quod sicut tam vniuersalis quam particularis est necessaria, cuius tamen quælibet singularis est contingens: ita possibile est, quod particularis sit secundum iustitiam naturalem, & tamen nulla singularis erit secundum iustitiam naturalem. Quare possibile est, quod aliquem debere principari sibi similibus, sit iustum naturale: & tamen non est iustum naturale istum debere principari sibi similibus, & sic de singulis, & sicut possibile est, quod propositio cathegorica de disiuncto extremo, in qua subiiciuntur termino discreto contento sub aliquo termino communi sit necessaria: & tamen quod disiuncta correspondens cum modo necessitatis sit falsa, & ideo nulla singularium illarum sit necessaria. Ita potest contingere, quod talis sit vera: istum vel illum, & sic de singulis principari sibi similibus est iustum naturale: si sit cathegorica de disiuncto subiecto: & tamen quod disiunctiua sit falsa, & per consequens quælibet singularis est falsa. Vt igitur secundum istos absque omni deceptione in talibus procedatur, diligentissime est cognoscenda differentia inter propositionem disiunctiuam & de disiuncto extremo: & inter propositionem de eisdem terminis acceptam in sensu compositionis & in sensu diuisionis secundum quosdam: vel inter diuersos sensus propositionum talium secundum amphibologiam, secundum nonnullos. Quod sæpe propter ignorantiam diuersitatis inter tales propositiones & sensus, intellectus auctorum in pluribus ignoratur, dum putantur vnum habuisse sensum, vt habent alium, imo quandoque habuerunt contrarium & variis modis sophismata fiunt in talibus (quamuis ignorantur à multis) dum vnus sensus vel propositio æquiualens sophistice infertur ex alio, aut econuerso ex propositione in vno sensu accepta, vel ex vno sensu inferuntur illa, quæ non ex ipso, sed ex alio sensu loquuntur. Vel econuerso, vnus sensus sophistice concluditur ex illis: Ex quibus alius sensus vero argumento potest inferri. Pluribus etiam aliis modis fiunt sophismata in talibus propter ignorantiam distinctionis huius sensus earundem propositionum secundum vocem.

Discipulus. Recitasti duos modos respondendi ad Aristotelem: nunc recita alium, sic occurrerit. *Magister.* Aliter dicitur, quod non est iustum aliquos vel aliquem semper principari, nisi tantum differant, vel differat à subiectis, quantum differunt dii & heroes ab hominibus: si probabiliter timetur, quod æquales, si non æqualiter honorentur, periculosas dissensiones & seditiones procurabunt. *Discipulus.* Secundum ista discurre per auctoritates, quæ allegatæ sunt *supra capit. quart.* *Magister.* Primam auctoritatem Aristotelis concedit ista opinio, sicut sonat. Ad secundam dicitur, quod quando sunt plures æquales in aliqua communitate perfecta, vult Aristoteles, quod expedit omnes participare principatum secundum partem, id est quandoque principari, quandoq; subiici: quãdo probabiliter timetur, ꝙ aliter periculosæ seditiones orientur, nisi quilibet qui est æque dignus aliquando principetur. Si autem de huiusmodi seditione minime formidatur, expedit si aliquis inuenitur idoneus, vt vnus tanquam rex omnibus principetur, etiam secundum totam vitam suam: nisi præsumatur, quod velit principatum regalem in tyrannidem conuertere: vel timetur de aliquo alio modo, quod posset propter aliquam malitiam accidere. Ad aliam autem per Aristotelem: *quod enim æquale, idem similibus*, responsum est prius. Ad aliam cum accipitur ab Aristotele, quod nullus est dignus principari regulariter, nisi superet omnes alios omnibus bonis. Respondetur, quod hoc verum est, si solummodo attendantur meritum, & dignitas personæ illius, qui debet esse rex, non habendo respectum ad bonum commune. Ad aliam, cum accipitur, quod regnum est secundum aristocratiam institutum, in qua solummodo principantur, qui sunt cæteris meliores. Respondetur, quod si in aliqua communitate volente Aristocratice regi, inueniuntur aliqui pauci cæteris meliores, iustum est, quod illi nisi aliquid aliud impediat, cæteris principentur. Si autem non inueniuntur aliqui pauci, qui sunt cæteris meliores: sed sunt multi in sapientia & virtute æquales; & tot, quod non esset expediens omnes principari: tunc non potest

fieri,

fieri, vt principantes aristocratice sint cæteris meliores: & tamen principatus aristocraticus est toti communitati expediens, si principatum regalem noluerit sustinere. Et vtilius tunc erit aliquos paucos de æqualibus ad principandum omnibus assumere, quam principatum politicum oligarchicum vel democraticum instituere. Ad illud, quod dicitur, Deum elegisse optimum de toto populo in primum regem Israel, scilicet Saulem: Respondetur, quod Saul non erat melior secundum virtutem & sapientiam omnibus aliis. Samuel enim erat multo melior illo: & forte complures alii ipsum virtute & sapientia excesserunt, propter tamen staturam proceram ipsius dicebatur, quod non erat ei similis in omni populo, quia, vt habetur ibidem: *altior fuit in omni populo ab humero & sursum.* Ex isto colligunt multi, quod non est necesse vniuersaliter absque omni exceptione semper eligere meliorem in regem, quia Samuel non fuit electus in regem: & tamen fuit multo melior Saule.

Discipulus. Dic breuiter applicando prædicta ad Papam: quomodo respondetur ad præscripta [illegible]rum probare videntur, quod nullus tanquã Papa præesse debet cunctis fidelibus, nisi omnes superet sapientia & virtute. *Magister.* Dicitur, quod si inueniretur aliquis catholicus, cuius excellentia talis esset nota: ille (nisi aliquod singulare specialiter impediret) deberet præferri toti communitati fideliũ. Ita q̃ si aliquis alius eligeretur, vel etiam ante præsidens extitisset, minus perfectus amore communis boni ei de necessitate salutis cedere teneretur: nisi cessionem huiusmodi aliqua specialis ratio impediret. Si autem non inueniretur aliquis, qui taliter excederet, de æqualibus esset aliquis assumendus. Quia quamuis non sit iustum naturale vel diuinum, vt iste assumatur: tamen iustum naturale est, vt aliquis assumatur. Et ideo, quia non omnes æquales debent præesse: expedit vt si non possit rationabiliter aliter, quam per sortem: quod per sortem aliquis de æqualibus præferatur. Quemadmodum Apostoli propter omnimodam æqualitatẽ, quam perpenderunt inter Matthiam & Ioseph, qui vocabatur Bersabas, dederunt eisdem sortem, & eum super quem sors cecidit ad Apostolatus officium assumpserunt. Si autẽ aliqui discernuntur in aliquibus inæquales, quamuis nõ in sapientia & virtute: tunc ad inæqualia potest respectus haberi pro temporis qualitate. Quia in vno tempore posset haberi iuste respectus ad vnum: & in alio tempore ad contrarium, vno enim tempore posset iuste haberi respectus ad amicorum potentiam: & alio tempore ad carentiam amicorum: & sic de aliis à sapientia & virtute: putant quidam consimiliter esse dicendum.

CAP. XVIII.

In quo notantur quinque vtilitates principatus monarchici & regalis, propter quas magis expedit regi ab vno, quam à pluribus.

DIscipulus. Audiui quomodo respondetur ad illa, quibus videbatur probatum, quod nullus deberet fieri summus Pontifex & caput cunctorum fidelium, nisi excelleret omnes alios sapientia & virtute. Nunc narra, quomodo respondetur ad illa, quibus supra *cap. 2. huius secundi* ostenditur, quod nõ expedit communitati fidelium subiici vni capiti & prælato, quia expedit sibi, quod regatur à pluribus. Ante omnia enim peto, vt dicas, propter quam vtilitatem secundum istos magis expedit communitati fidelium regi ab vno, quam à pluribus. *Mag.* Huius dicunt esse vtilitates plures. Quarum vna est, quod facilius habetur accessus ad vnum, quam ad plures. Propter hoc quod plures non semper reperiuntur in eodem loco, non modicum autem expedit subiectis, pro diuersis necessitatibus facilem posse habere accessum ad principantem, propter quod principes tam seculares, quã ecclesiastici sunt reprehensibiles reputandi, qui inaccessibiles exhibent se subiectis. Alia vtilitas est, quod vnus principans facilius potest regulariter (quando occurrit necessitas) facere iudicium & iustitiam, & pericula vitare, quam plures. Si enim vnus est principans, quandocunq; oportet facere iudicium & iustitiam, & periculum aliquod vitare, non est necesse quod alium præstoletur. Si autem essent plures principantes, quamuis necesse esset celeriter talia expedire, nec sine periculo differri valeret, oporteret vnum alium vel alios expectare. Tertia vtilitas est, quod facilius potest corrigi vnus, si exorbitauerit, quam plures, quia plures habent plures defensores quam vnus. Quarta est, quod cum sine consilio multorum nulla possit bene regi magna communitas, iuxta illud Salomonis Prouerbiorum 24. *erit salus, vbi multa consilia.* Vnde in laude dicitur Romanorum *1. Machabæor. 8.* quod quotidie consulebant trecenti viginti, consilium agentes semper de multitudine, vt quæ digna sunt gerant: melius regetur eorundem communitas, si vnus aliis principetur, qui de tempore & loco consilii, & omnibus (puta de consiliariis admittendis, vel repellendis, & consimilibus) valeat ordinare: quam si principarentur plures, quorum vnus alium (etiam si machinarentur in malum rei publicæ) non posset faciliter excludere à consilio, & cæteris quibusque agendis. Quinta vtilitas est, quia plura negocia & pluribus modis, & cum minori labore potest expedire vnus, quam plures: quia pluribus modis potest accidere impedimentum, ne plures simul de eisdem negociis diffiniant. Propter has & alias vtilitates plures dicunt isti, quod magis expedit communitati fidelium regi ab vno optimo viro, quam à pluribus optimis, & similiter magis expedit sibi regi ab vno & sapiente, qui de consilio velit agere sapientum, qui aliter non est bonus: quam à plurib. bonis & sapientibus. Hinc (vbi prius) dicitur ad laudem Romanor. q̃ committunt vno homini magistratum

strum suum super singulos annos dominari vniuersæ terræ, & omnes obediunt vni, & tamen, vt allegatum est, trecenti viginti erant consiliarii quotidie consiliantes, hinc Abimelech, vt habetur *Iudicum 9.* astute suasit per fratres matris suæ viris Sichen, vt acciperent eum in Dominum, prætendens id quod fuit eis vtilius, si ipse fuisset bonus, dicens: *loquimini ad omnes viros Sichen: quid vobis est melius, vt dominentur vestri septuaginta viri omnes filii Ieroboali, an vt dominetur vobis vnus vir.*

Cap. XIX.

In quo ponuntur responsiones ad rationes secundi capituli, probantes, quod non expedit magis communitati fidelium regi ab vno fideli, quam à pluribus. Et primo respondet ad tertiam, deinde ad sequentes. Ad primam & secundam allegationes, respondetur supra capitulo 15.

Discipulus. Audiui vtilitates aliquas, propter quas isti dicunt, quod magis expedit communitati fidelium regi ab vno fideli, quam à pluribus, nunc narra, quomodo respondetur ad allegationes, quæ contrarium probare videntur, quæ supra *capitulo 2. huius secundi* sunt inductæ. *Magister.* Ad tertiam illarum, cum adducitur, quod per illum vel illos maxime expedit regi totam congregationem fidelium, cuius vel quorum iudicium est melius, vel certius in iudicando & discernendo, quæ sunt procuranda tanquam vtilia, & quæ tanquam inutilia & nociua sunt repellenda. Respondetur, quod hoc non est vniuersaliter verum, licet sit verum in casu. Constat enim, quod iudicium concilii generalis, in quo conuenire debent meliores & sapientiores de omnibus prouinciis & regionibus Christianorum, est certius & melius quam iudicium vnius vel paucorum, qui in aliquo vno loco valent continue commode commorari: Et tamen non expedit semper esse concilium generale pro communitate fidelium gubernanda, quamuis etiam pro quibusdam negociis specialibus, quæ per vnum vel paucos non possunt congrue expediri, sit expediens concilium generale conuocari, & sequi ipsius sententiam. Pro negociis autem, quæ per vnum vel pauciores possunt vtiliter expediri, non expedit congregari concilium generale, & ita regulariter magis expedit communitatem fidelium regi ab vno vel paucis, quam à concilio generali. Sic etiam expedit magis communitati fidelium regi ab vno sufficienter optimo vel bono vtente consilio, quam à pluribus simul principantibus: quia melius est, vt plures, absque quorum consilio non bene regeretur communitas fidelium, sint tantummodo consiliarii vnius optimi aut boni, qui possit eos, quando erit expediens, inuitare & omnes, aut quosdam vocare & diuersis diuersa committere, quam quod huiusmodi omnes sint principantes siue rectores. Quia necesse esset sæpe omnes conuenire pro negociis, quæ possent expediri per paucos. Aliæ etiam difficultates & incommoditates plures acciderent, quæ vitantur, si vnus bonus aut optimus, habens consiliarios sufficientes & æque bonos, sicut essent plures principantes, regit. Principatus enim neque sapientiam, neque bonitatem largitur. Ad Aristotelem autem, qui probare videtur *in politicis*, quod magis expedit communitatem regi à pluribus optimis, quam ab vno: quia turba melius iudicat, quam quisquam vnus. Respondetur, quod plures melius & certius sæpe iudicant quam vnus: & turba melius, quam vnus, & ideo bene requiritur disceptatio, consiliatio & iudicium plurium: non tamen tanquam principantium necessario, sed sæpe sufficit vt adsint tanquam consiliarii solummodo. Ita enim disceptat, consiliatur & iudicat discernendo inter bonum & malum, iustum & iniustum, ille qui solummodo est consiliarius habens intentionem bonam, sicut si esset principans & participans, sæpe etiam pro agendis sufficit deliberatio & iudicium vnius solius, & ideo magis expedit toti communitati fidelium, quod principetur vnus supremus principans, qui negocia, pro quibus ipse solus sufficit, expediat per seipsum, & alia pro quibus peritia ipsius solius non sufficit, expediat de consilio aliorum, quam quod principentur tales plures, quos pro omnibus negociis paruis & magnis facilibus & difficilibus oporteat conuenire.

Ad aliam auctoritatem Aristotelis, quæ videtur asserere, quod multi multis oculis, & multis auribus, plura percipiunt & melius, quam vnus duobus oculis & duabus auribus: & similiter multi plura possunt operari multis manibus & multis pedibus, quam vnus duabus manibus & duobus pedibus. Et ita magis expedit regimen plurium, quam vnius. Respondetur, quod si vnus bonus & sapiens regat communitatem fidelium non solum vtitur duobus oculis & duabus auribus, ac etiam duabus manibus & duobus pedibus, sed interdum vtitur multis modis huiusmodi organis, & magis expedit, quod interdum vtatur solummodo duobus oculis & duabus manibus, quam multis. Interdum vero magis expedit, quod vtatur multis quam solum duobus. Et ideo magis expedit toti communitati fidelium, quod regatur ab vno, qui aliquando, prout expedit, vtatur sua sufficientia propria, aliquando aliena, quam à pluribus qui absque necessitate ad omnia expedienda conueniant.

Ad illud, quod ibidem accipitur Actuum decim. quint. *conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc*: quasi semper magis expediat negocia terminari & diffiniri per plures, quam per vnum. Respondetur, quod aliquando magis expedit negocia terminari per plures quam per vnum: & aliquando magis expedit, quod tractentur per vnum. Et ideo expedit communitati fidelium, vt regatur ab vno optimo vel

vel saltem bono, qui solus aliqua negotia & quæstiones tractet & diffiniat; aliqua vero tractet cum aliis pluribus vel paucioribus, secundum quod erit expediens, & diffiniat. Et ideo in casu, de quo fit mentio *Actuum 15.* erat expediens, vt de verbo illo, non vnus solus, sed plures exquirerent. Et conuenerunt Apostoli & seniores, non quidem omnes principantes communitati fidelium, sed tanquam necessarii & vtiles vni principanti, & capiti omnium pro fauore vel consilio. Quandoq; enim vocantur aliqui ad aliquos tractatus, in quibus sufficit sapientia vnius magis pro fauore præstando contra resistentes vel inobedientes, quam pro consilio requirendo.

Ad Innocent. vero Papam, cum dixit, quod *facilius inuenitur quod à pluribus senioribus quæritur*. Respondetur, quod hoc de multis dubiis continet veritatem: quando tamen ad alicuius inuentionem sufficit vnus solus, qui tunc non indiget fauore vel auxilio, aut consilio plurium, melius est quod quæratur & inueniatur ab vno quam à pluribus.

Ad aliam vero allegationem, quæ fundatur in hoc, quod plures sunt minus peruertibiles & corruptibiles & malitiis & concupiscentiis & passionibus prauis quam vnus. Et per consequens magis expedit communitati fidelium à pluribus regi quam ab vno, quia magis expedit sibi regi ab illo vel illis, cuius vel quorum voluntas minus est peruertibilis & corruptibilis à passionibus prauis. Respondetur, quod aliquo modo voluntas vnius est minus peruertibilis & corruptibilis à passionibus prauis & affectionibus, quam plurium. Ad cuius euidentiam dicitur esse notandum, quod voluntatem plurium vel multitudinis esse peruertibilem dupliciter potest intelligi: vel quod sit peruertibilis secundum se totam accipiendo totam sincathegoreumatice vel secundum partem. Primo modo voluntas plurium est minus peruertibilis, quam voluntas vnius. Secundo modo voluntas plurium est magis peruertibilis quam voluntas vnius determinati: puta voluntas illius vel istius. Citius enim & facilius peruerti potest & corrumpi aliqua multitudo secundum partem, quam vnus solus. Quia ad corruptionem cuiuslibet de illa multitudine corrumpitur illo modo & peruertitur ipsa multitudo. Quia quamuis non peruertantur singuli, tamen in multitudine ipsa aliqua peruersio reperitur. Et quia ad bonitatem & idoneitatem principantis requiritur, quod nec etiam secundum partem sit peruersus: ideo magis expedit communitati fidelium regi ab illo, qui etiam secundum partem est minus peruertibilis. Talis autem est vnus, & non plures. Et ideo magis expedit communitatem fidelium regi ab vno quam à pluribus.

Ad auctoritatem Aristo. quæ accipitur ex *3. politicorum ca. 8.* respondetur, quod in casu, quando pauci non sufficiunt ad perfecte videndum, quid est agendum & quid omittendum, quamuis aliquo modo perpendant imperfecte: tunc expedit multitudinem conuenire, non quidem ad principandum, sed ad deliberandum & inueniendum, quid est toti communitati expediens, & ad consulendum quid facere principans teneatur. Quod si principans nollet sequi eorum consilium, & immineat periculum notabile, haberent corrigere ipsum. Ideo autem in tali casu expedit multitudinem conuenire prædicto modo: quia omnes simul sunt aliquid melius, quam pauci: & tam circa mores quam circa intellectum possunt plura videre. Quando autem pauci sufficiunt ad videndum perfecte, quid est agendum & quid omittendum, non expedit multitudinem conuenire ad tractandum, sed melius est quod conueniant pauci sufficientes tamen. Et ideo quando vnus sufficit, non oportet conuenire multos. Et si vnus non sufficit ad inueniendum quid necesse est fieri, expedit vt quot sufficiant (multos vel paucos) valeat conuocare, & procedere de consilio eorundem, ita vt non principentur cum eo. Per prædicta patet, quomodo respondetur ad auctoritatem Aristotelis, cũ innuitur quod plures sunt magis imperuertibiles quam vnus. Quia dicunt, quod vno modo sunt magis imperuertibiles, & alio modo sunt magis peruertibiles: non quidem vt omnes simul peruertantur facilius, quam aliquis vnus determinatus, sed quia facilius inuenitur peruersitas inter eos, quam in vno determinato: quia quocunq; eorum peruerso, reperitur inter omnes peruersitas, quamuis non oporteat quod in aliquo vno determinato reperiatur peruersitas. Ad bonitatem autem & idoneitatem principantis requiritur, quod nulla in ipso sit peruersitas. Et ideo quando reperitur peruersitas in aliqua multitudine, etiam in vno solo illius multitudinis, eo ipso illa multitudo non est idonea ad principandum, iuxta Apostolum ad Gal. 5. *modicum fermenti totam massam corrumpit*. Quare magis expedit communitati fidelium vt regatur ab vno, quam à pluribus simul principantibus, & vicem vnius gerentibus. Quia non ita faciliter reperitur peruersitas in vno, sicut in quacunq; multitudine, cuius ille vnius sit pars & alius cum eo qui ita peruerti potest sicut ipse. *Disc.* Secundum ista sequitur, quod similiter nunquam essent vocandi plures, nec etiam multitudo, ad consilium: cuius oppositum non solum Aristoteles & alii, sed etiam ista opinio tenet. Patet consequentia: quia facilius inuenitur peruersitas in multitudine, & inter quosq; plures quam in vno solo. Peruersitas autem summe fugienda est. *Mag.* Respondetur, quod quandocunq; vnus sufficit ita quod nec consilio nec fauore indiget aliorum, non sunt vocandi plures. Quia frustra fit per plures, quod æque bene potest fieri per vnum. Sed quando vnus non sufficit ad perfecte videndum vel agendum id quod agendum est: tunc expedit vocare plures, vel pro consilio, vel pro auxilio, vel pro fauore. Quia sicut inter plures & in multitudine potest inueniri peruersitas: ita inter plures & in multitudine maior scientia & prudentia & bonitas reperitur. Et ideo quando vnus non sufficit, conuenire debent plures: quamuis hoc possit esse indifferens ad bonum & ad malum. Plures enim conuenientes interdum bene, & interdum male procedunt. Et ideo quando propter bonitatem eorum, qui conuenire habent, probabiliter creditur, quod recte consulant & faciant, agendum est vt conueniant, si vnus non sufficit.

 Quando

Quando autem probabiliter inuenitur, quod à rectis itineribus deuiabunt, impediendi sunt ne conueniant. Quia melius est nihil agere quam malum facere. Vnde si probabiliter creditur, quando aliq ad generale conciliũ conuocantur, ꝙ nõ rite conciliũ celebrabunt, impediendi sunt ne conueniant. Si autẽ probabiliter creditur, ꝙ rite concilium celebrabunt, agendum est vt conueniant, nisi credatur quod minus vtilitatis faciant quã sit incommoditas, quam incurrerent ex laboribus & expensis.

Discip. Nunc narra, quomodo respondetur ad verba Aristotelis, quibus videtur concludere, quod Aristocratia melior & eligibilior est, quam regnum. *Mag.* Respondetur, quod non intendit Aristoteles concludere, quod simpliciter & semper melior est & eligibilior Aristocratia quam regnum. Quando enim tota multitudo principantium in Aristocratia non est secundum se totam ita peruertibilis, sicut vnusquisq; qui esset de illa multitudine, & maior est prudentia & etiam virtus seu bonitas in tota multitudine, quam in vno, tunc potest accidere quod melius sit vt plures principentur Aristocratice, quam vnus. Quia ille, qui regaliter principaretur, potest peruerti aliis nõ peruersis. Peius est autem quod aliquis peruertatur, quando solus principatur, quam quando principatur cum aliis. Si enim peruertatur, quando principatur cum aliis, minora & pauciora mala facere potest regulariter, quam si solus principans peruertatur. Et ideo quandoq; melior est & eligibilior Aristocratia, quã regnum. Sæpe tamen & communius, & ideo quodammodo simpliciter, melius est regnum quam Aristocratia propter vtilitates, quæ dictæ sunt prius *c. 18.* & propter alias plures. Et hinc est quod antiqui rationabiliter aliquando Aristocratiam mutabant in regnum: aliquando regnum in Aristocratiam. Sicut de Romanis & aliis quam pluribus gentibus, possent poni exempla quam plura. Aliquando enim principabantur reges: & aliquando plures simul, & plures tam Romani quam aliæ gentes huiusmodi transmutationes fecerunt.

Cap. XX.

In quo specialiter quæritur, vtrum expediat communitati fidelium habere potestatem transmutandi principatum Aristocraticum in principatum regalem, & econtra, quod sic. Prima opinio probatur decem rationibus, ad quas respondetur infra c. 27.

Discipulus. Occasione eorum, quæ vltimo recitasti, interrogandum duxi, an scilicet secundum istam opinionem expediat communitati fidelium, vt habeant potestatem transmutandi principatum Aristocraticum, in principatum similẽ principatui regali, & econuerso: ita vt habeant potestatem constituendi vnum summum pontificem, qui omnibus aliis præsit, & habeant etiam potestatem constituendi seu eligendi simul plures summos pontifices, qui æqualem potestatem habentes simul Aristocratice regant, & præsint fidelibus aliis vniuersis. Vt vnum principatum in alium indifferenter (sicut videbitur expedire) valeat transmutare ad modum, quo gentes principatum Aristocraticum rationabiliter transmutarent in regalem: & econuerso. *Magist.* Circa hoc sunt diuersæ opiniones: & stante opinione, quæ ponit quod aliquibus aliquando melior est principatus Aristocraticus principatu regali: & aliquando eisdem præcellit principatus regalis: vna est quod expedit communitati fidelium, vt habeat talem potestatem transmutandi principatum Aristocraticum in principatum vnius summi sacerdotis, & econuerso, secundum quod necessitas & qualitas temporis vnum principatum vel alium exigit & requirit. *Discip.* Pro ipsa potest taliter allegari, sicut expedit, vt secundum varietatem temporum statuta varientur humana: *extra, de consanguinitate, reprehensibilem:* sic expedit, vt secundum varietatem temporum principatus varientur humani. Sed Ecclesia Christi habet potestatem principaliter super humanos principatus, quantum ad omnia quæ sibi expediunt. Ergo habet potestatem variandi huiusmodi principatus. *Discip.* Dici posset, quod principatus, quo summus sacerdos principatur cunctis fidelibus, non est humanus, sed diuinus. Quia à solo Deo institutus existit. Ergo non decet, & per consequens non expedit, vt etiam supra principatum Papalem habeat potestatem. *Magist.* Hæc responsio impugnatur. Quia licet principatus Papalis sit quo ad hoc diuinus, quod Christus ordinauit ipsum debere esse in Ecclesia, quantum ad multa tamen videtur esse humanus. Nã ad homines ꝑtinet ordinare, quis assumi debeat ad ipsum, & qui debent eligere, & q debent assumptum corrigere, si correctione indigeat, & consimilia. Ergo consimiliter quantum ad hoc erit humanus, quod per homines debeat ordinari, an vnus tantummodo vel plures quando expedierit ad talem assumi debeant principatum. Amplius, communitati fidelium quantũ ad omnia, quæ necessaria sunt pro his quæ sunt ꝓpria Christianis, optime est prouisum: & non minus bene, q̃ cuicunq; cõmunitati vel genti, vt in omnibus talibus quantũ ad omnia quæ expediunt & vt expediunt habeat potestatem. Sed si Ecclesia haberet potestatẽ transmutandi principatum, qui inciperet esse minus expediens, in alium principatum magis expedientem, melius est prouisum, quam si potestatẽ huiusmodi nõ haberet. Ergo cum in talibus sit optime prouisum sibi, potestatẽ habet transmutãdi principatum vnius in principatũ plurium, si aduerterit ꝙ sit magis expediens, vt regatur à pluribus principatu Aristocratico, quam ab vno solo. Rursus, non minus expedit communitati fidelium, vt habeat potestatem tollendi principatus, qui incipiunt esse onerosi vel minus vtiles, quam tollendi consuetudines onerosas, cum nihil possit plus nocere Ecclesiæ, quam principatus onerosus & inutilis, iuxta sententiam August. qui, vt legitur *dist. 81. nemo*, ait: *nemo quippe in Ecclesia amplius nocet, quam qui peruerse agens nomen vel ordinem sanctitatis & sacerdotis habet.* Ex quo colligitur, quod nihil amplius nocet Ecclesiæ quam princeps peruersus, & principatus peruersus.

Quare

Quare si Ecclesia animaduertat, quod Ecclesia peruerse vel minus vtiliter regitur, ex hoc vnus solus omnibus principetur, expedit vt habeat potestatem talem principatum in alium (qui pro tempore erit vtilior) transmutare. Adhuc, non impedit Ecclesiæ illi principatui alligari, qui potest in principatum pessimum transmutari. Sed principatus, quo principatur vnus solus, potest in principatum pessimum transmutari. Quemadmodum principatus regalis, non obstante quod sit optimus: tamen quantum est ex natura principatus, potest in tyrannidem (qui est principatus pessimus) transmutari, secundum quod Aristo. *in Ethicis* asserit & probat aperte. Ergo non expedit Ecclesiæ, vt principatui, quo principatur vnus solus, taliter astringatur, quod non possit illum in principatum alium, scilicet Aristocraticum, vtiliorem pro tempore transmutare. Præterea, vt etiam lex ciuilis testatur: *in rebus nouis constituendis euidens debet esse vtilitas, vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est.* Ex quo colligitur, quod propter euidentem vtilitatem est nouitas facienda; ita etiam vt recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est. Sed non magis est recedendum à iure, quam à principatu. Quia in omni communitate nihil potest esse magis seruandum, quam ius. Quod enim iuri non congruit, nullo modo est seruandum. Ergo propter euidentem vtilitatem est nouitas facienda, vt recedatur à principatu, qui diu rationabilis & æquus apparuit, quare si appareat euidenter Ecclesiæ pro aliquo tempore, quod maior vtilitas proueniat Ecclesiæ ex principatu Aristocratico, quo plures simul regent communitatem fidelium, quam ex principatu vnius, est talis nouitas facienda, vt à principatu vnius, qui æquus visus est & vtilis, recedatur. Item, quod in fauorem & vtilitatem inductum est aliquorum, non debet in eorum damnum & dispendium retorqueri. Sed principatus, cui debeant subdi vniuersi fideles, inductus est in fauorem & vtilitatem cunctorum fidelium. Ergo si aliqua species principatus incipit esse dispendiosa fidelibus vel minus vtilis, expedit vt illa species principatus in aliam vtiliorem pro tempore transmutetur. Quare Ecclesia habet potestatem constituendi Principatum Aristocraticum super cunctos fideles, si perpendunt, quod principatus vnius incipit esse dispendiosus fidelibus. Amplius, secundum Leonem Papam, vt legitur *dist. 45. c. licet enim: Quod prouisum fit ad concordiam, tendere non debet ad noxam.* Ex quo concluditur, quod quicquid prouisum est ad concordiam, tollendum est, si tendit ad noxam. Sed principatus vnius summi pontificis prouisus est ad concordiam cunctorum fidelium, scilicet vt vnus præesset aliis, ne fieret schisma, secundum Gloss. ibidem. Igitur si principatus vnius summi pontificis tendit ad noxam, id est, ad amorem damnandi seu tyrannice principandi vel etiam ad schisma periculosum inter Christianos: sicut si videlicet maior & potentior temporaliter, aut æqualis pars Christianorum nullo modo vult sustinere principatum vnius summi pontificis, & tamen vult sustinere principatum Aristocraticum multorum simul regentium, quorum quilibet sit summus pontifex, quemadmodum aliquando fuerunt simul plures imperatores, & aliquando in eadem causa sunt plures iudices æqualem potestatem habentes: tollendus est saltem ad tempus principatus vnius regali principatui similis: & instituendus est saltem quousque prædicta mala seu pericula & consimilia cessent, Aristocraticus principatus. Rursus, cessante causa cessare debet effectus, *extra, de appellationibus, cum cessante.* Sed communis vtilitas est causa, quare vnus summus pontifex debet præesse cunctis fidelibus. Ergo si ex principatu vnius non prouenit communis vtilitas, sed commune dispendium, talis principatus pro tunc cessare debet. Ergo communitas fidelium habet tunc potestatem instituendi alium principatum. Amplius, in cunctis Ecclesiis seruari debet, quod maior pars iudicat obseruandum, *extra, de his quæ fiunt à maiori parte capituli. c. 1. & dist. 65. c. 1. & 2. & 3. extra, de electio. licet.* Igitur si maior pars fidelium reputat instituendum principatum Aristocraticum super totam communitatem fidelium, habet tunc potestatem instituendi alium principatum. Et talis principatus instituendus est. Ex quo infertur, quod Ecclesia seu communitas fidelium habet potestatem instituendi huiusmodi principatum. *Discip.* Vt notat Glossa super allegatum capitulum, *extra, de his quæ fiunt à maiori parte capituli, Non semper statur maiori parti, nec pluralitati, vt hic & 21. dist. Nicena, & supra de elect. Ecclesia vestra, & infra.* Illud regale est, vt semper stetur maiori parti. Sed maior pars est illa, quæ maiori pietate & ratione vtitur *9. dist. sana quippe. & 60. dist. multi,* in fine, *4. dist. 2. iurisiurandi.* Hoc etiam Glossa *dist. 60.* super capitulum vltimum sentire videtur, dicens: *non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur 23. q. 4. sicut. & 10. q. 1. sunt nulli. Est enim hoc argumentum, quod pars illa quæ iustiori rationi innititur, maior dicitur, licet sit minor, dist. 31. Nicena 19. in canonicis. & 4. q. 3. & extra, de testi. in nostra.* Ex his habetur aperte, quod non semper standum est maiori parti. Quare quamuis maior pars Christianorum iudicaret principatum vnius transmutandum esse in Aristocraticum principatum, non esset tamen hoc faciendum. *Magist.* Ista responsio impugnatur. Quia licet non semper sit standum est maiori parti, sed aliquando minori: tamen semper standum est maiori parti, nisi à minori parte probetur aperte, quod non est standum maiori parti. Hoc colligitur ex Gloss. super allegato c. supra *De his quæ fiunt à maiori parte capituli,* quæ ait post præallegata verba: *præsumitur pro pluralitate 61. dist. nullus: nisi in contrarium probetur, vt hic patet. & 23. dist. illud. & supra de elect. dudum.* Et ibidem super vocabulo *offensum,* ait: *non sufficit obiicere, nisi probetur.* Cum ergo non possit probari, quod non est standum maiori parti, si pro vtilitate communi voluerit transmutari principatum vnius summi pontificis in Aristocraticum principatum: sequitur quod in hoc standum est maiori parti fidelium. *Discip.* Videtur quod rationabiliter potest ostendi, quod in hoc non est standum maiori parti Christianorum, si decreuerit instituere Aristocraticum principatum super cunctos fideles. Quia minor pars in contradicendo maiori iustiori niteretur ratione. Nam minor pars inniteretur Diuinæ ordinationi, quæ omni præ-

 ualet

ualet ordinationi humanæ. *Magist.* Nonnullis apparet, esto quod Christus ordinasset vnum summum pontificem debere cunctis fidelibus principari, quod pro vtilitate communi potest Ecclesia instituere alium principatum. Quod tali modo probatur, necessitas & vtilitas parificantur, vt Alexand. tertius insinuare videtur, *extra, de æqualitate & ætate præficienda, quaris.* Sed pro necessitate licet facere contra præceptum Diuinum etiam expressum in his, quæ non sunt de se mala: sed solum sunt mala, quia sunt prohibita. Ergo etiam pro vtilitate communi licet facere contra præceptum Dei & ordinationem Christi. Ergo esto, quod Christus ordinasset vnum summum pontificem esse præficiendum cunctis fidelibus: liceret fidelibus pro communi vtilitate alium instituere principatum, saltem ad tempus. Maior videtur manifeste probata: quæ etiam probatur ex hoc, quod necessitas & pietas parificantur, vt innuit Gregorius nonus *extra, de feriis. c. vltimo.* Pietas autem vtilitatem includit. Ergo necessitas & vtilitas parificantur, & per consequens quod si necessitas facit licitum, vtilitas etiam facit licitum. Minor multis modis ostenditur. Hoc enim Beda super Marcum, & habetur *extra, de Regulis Iuris. cap. quod non est,* patenter videtur asserere dicens: *quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit. Nam & Sabbatum custodiri præceptum est: Machabei autem in Sabbato sine culpa pugnauerunt.* Ex quibus verbis aperte videtur haberi, quod Machabei ex necessitate licite fecerunt contra expressum mandatum Diuinum. Hoc etiam Christus ipse *Matth. 12. & Luc. 6.* expresse docere videtur dicens, quod Dauid & qui cum eo erant, contra præceptum Diuinum panes propositionis licite comederunt: eo quod explicite præcepit Deus, ne quis nisi sacerdos dictos panes comederet. Ex quibus aliisque quampluribus colligitur, quod regula, scilicet *Necessitas legem non habet,* quæ ponitur *extra, de consuetudine, quanto:* Et illa: *Necessitas legi non subiacet, extra, de obseruantia ieiuniorum. c. 2.* Et illa, *Necessitas in legibus excipitur, extra de iureiurando, querelam:* Et consimiles non tantum de legibus humanis positiuis, sed etiam de legibus diuinis positiuis, nisi in eisdem legibus diuinis contrarium caueatur, debet intelligi, vt necessitas legi Diuinæ positiuæ non subiaceat. Secus est de lege naturali & de lege Dei. Naturali, quia legi illi necessitas subiacet; nec potest aliqua necessitas excusare. Adhuc, quod non obstaret talis ordinatio Christi ordinationi, ostenditur. Nam non minorem potestatem super principatum sacerdotum mutandum habent Christiani in lege noua, quam habuerunt illi qui erant sub lege veteri constituti. Sed non obstante præcepto Dei de vno summo pontifice constituendo *Exodi 29.* prout etiam habetur in *decretis. dist. 21. §. 1.* postea Dauid constituit plures summos pontifices, vt colligitur ex *1. Paralip. cap. 44.* Vnde & Euangelista *Luc. 2.* testari videtur, quod tempore Christi erant simul plures principes sacerdotum. Ergo & Christiani habent potestatem constituendi plures summos pontifices, non obstante quod Christus ordinauerit aliquem vnum esse in summum pontificem sublimandum.

Cap. XXI.

Vbi arguitur in contrarium, scilicet quod Ecclesia non habet potestatem taliter transmutandi principatus. Et hoc 7. rationibus, ad quas respondetur, ad primam c. 22. ad secundam c. 25. ad tertiam & sequentes c. 26.

Discipulus. Puto te adduxisse fortiora motiua pro opinione præfata. Ideo pro opinione contraria nitaris allegare. *Magist.* Quod Ecclesia non habeat potestatem transmutandi summum pontificium in Aristocraticum principatum vel quemcunq; alium, videtur posse probari. Nam teste Christo, Matth. 10. *non est discipulus supra magistrum suum: nec seruus supra dominum suum.* Omnes autem Christiani discipuli sunt & serui Christi. Christus autem ordinauit & voluit quod vnus esset summus pontifex & caput omnium Christianorum. Quod in facto ostendit, cum ordinauit solum beatum Petrum in summum sacerdotem. Vnde Anacletus Papa, qui fuit tempore Apostolorum, hoc testatur, vt habetur *di. 21. c. in nouo,* dicens: *In nouo testamento post Christum à Petro sacerdotalis incipit ordo, quia ipsi primo pontificatus in Ecclesia datus est, dicente Domino ad eum: tu es Petrus* &c. Ergo omnes Christiani non habent potestatem tollendi summum sacerdotium, & instituendi quemcunq; alium principatum. Amplius, nulli Christiani, nec maior pars nec minor, habent potestatem tollendi vnitatem Ecclesiæ. Quia quicunq; scindit Ecclesiam, est schismaticus reputandus. Nulli autem multitudini Christianorum quantumcunq; magnæ licet in Ecclesiam schisma inducere. Vnitas autem Ecclesiæ in hoc videtur consistere, vt habeat caput, quod sub Christo omnibus principetur, teste beato Cypriano, qui, vt habetur *24. q. 1. c. loquitur,* ait: *loquitur Dominus ad Petrum, Ego dico tibi, quod tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Super vnum ædificat Ecclesiam. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat & dicat: sicut misit me pater & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, cum & vnitatem manifestaret vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant vtiq; cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi & honoris & potestatis: sed ab vnitate exordium proficiscitur, vt Ecclesia Christi vna monstretur.* Et infra: *quam vnitatem tenere firmiter & vendicare debemus (maxime nos Episcopi qui in Ecclesia Dei præsidemus) vt Episcopatum quoq; ipsum vnum atq; indiuisum probemus. Nemo fraternitatem fallat. Nemo veritatem fidei præuaricatione perfida corrumpat. Episcopatus vnus est singularis. In solidum pars tenetur.* Ex quibus verbis colligitur, quod vnitas Ecclesiæ, quæ firmiter est tenenda, ab vno procedit, & vnum Episcopatum requirit. Ergo nulli multitudini Christianorum licet Episcopatum vnum in principatum Aristocraticum vel alium transmutare.

Rursus:

Rurſus: ſicut nulla eſt vel poteſt eſſe Eccleſia, niſi Apoſtolica: ſic nullus eſt in Eccleſia, nec eſſe poteſt verus, licitus & principatus primus, ſcilicet Epiſcopatus ſeu pontificatus, niſi Apoſtolicus. Quod Pelagius allegans beatum Auguſt. clare teſtari videtur, dicens 24. q. 1. c. pudenda: *nullam aliam* (ſcilicet Eccleſiam) *eſſe conſtat, niſi quæ in Apoſtolica radice eſt fundata: à quibus* (ſcilicet Apoſtolis) *ipſam fidem vniuerſo orbe propagatam eſſe non poteſt dubitari. Quod vt nobis licet notiſsimum ſit, beati Auguſtini teſtimonio approbemus. Audi quid in quodam opere ſuo dicat præclariſsimus doctor Eccleſiæ. Ait enim: Quod ſi nullo modo rectè dici poſsit Eccleſia, in qua ſchiſma eſt, reſtat vt quoniam Eccleſia nulla eſſe non poteſt, quam ea quæ ſit in Sedis Apoſtolicæ per ſucceſsiones Epiſcoporum radice conſtituta, nullorum hominum malitia (etiam ſit nota excludi non poſsit, ſed pro temporum ratione toleranda iudicetur) vllo modo valeat extinguere.* Ex quibus verbis colligitur, quod in Eccleſia nullus eſt verus principatus, niſi qui per ſucceſſionem Epiſcoporum eſt continuatus in Apoſtolica Sede. Sed ſi inſtitueretur principatus Ariſtocraticus vel quicunque alius, ille non eſſet Apoſtolicus, nec in Sede Apoſtolica per ſucceſſiones conſtitutus. Ergo non eſſet licitus reputandus. Prӕterea Papa in Eccleſia Dei habet plenitudinem poteſtatis. Quod ergo Papa non poteſt, multo fortius nec aliqua multitudo Chriſtianorum. Sed Papa non poſſet ordinare ſeu conſtituere, quod poſt deceſſum eius vel eo conſentiente & volente alius principatus quam pontificatus ſummus eſſet in Eccleſia Dei. Cum omnes Chriſtianos regi ab vno ſummo pontifice ſpectat ad generalem ſtatum Eccleſiæ, contra quem Papa diſpenſare non poteſt, vt teſtari videtur Gloſſa 25. q. 1. ſuper capitulum, *quæ ad perpetuam.* Ergo nec aliqua multitudo poteſt inſtituere alium principatum. Adhuc, illud non poteſt aliqua multitudo Chriſtianorum, per quod hæreticam incurreret prauitatem. Sed ſi quæcunque multitudo inſtitueret alium principatum, cui ſubderentur omnes Chriſtiani, ipſo facto hæreticam prauitatem incurreret: quia priuilegium Romanæ Eccleſiæ conaretur auferre. Qui autem, vt teſtatur Nicolaus Papa 22. q. 1. Romanæ Eccleſiæ priuilegium ab ipſo ſummo Eccleſiarum omnium capite auferre conatur, hic procul dubio in hæreſim labitur. Ergo nulla multitudo Chriſtianorum poteſt inſtituere principatum alium primum quam principatum Romanæ Eccleſię, qui in hoc conſiſtit, vt vnus pontifex ſummus omnibus Chriſtianis principetur. Præterea in vno Epiſcopatu non poſſunt eſſe duo Epiſcopi: nec in vno Archidiaconatu duo Archidiaconi 7. q. 1. *In apibus*, & ſunt verba Hieronymi. Igitur multo fortius in Eccleſia Dei non poſſunt eſſe duo aut plures ſummi pontifices. Conſtat autem quod Eccleſia Dei non debet carere omni ſummo pontifice. Ergo Eccleſia non habet poteſtatem inſtituendi alium principatum principalem, quam ſummum pontificem vnius qui omnibus aliis principetur. Amplius, non licet quibuſcunque Chriſtianis facere conditionem Eccleſię deteriorem, quo ad temporalia: quamuis ſit licitum meliorare ipſam. *Extra, de donationibus, fraternitatem. extra de reſtitutione in integrum. c. 1.* Ergo multo magis non licet quibuſcunq; habere conditionem Eccleſiæ deteriorem quo ad ſpiritualia. Vnum autem ſummum pontificem Chriſtianis omnibus principari ad ſpiritualia ſpectat. Quia principatus huiuſmodi ſpiritualis eſt *diſt. 10. ſuſcipitis.* Ergo non licet quibuſcunq; Chriſtianis principatum huiuſmodi in deteriorem vel minus bonum quemlibet tranſmutare. Principatus autem Ariſtocraticus, & quilibet alius eſt minus bonus quam principatus, quo vnus ſolus principatur: cum talis principatus ſit regalis vel ſimilis regali. Ergo non licet quibuſcunq; Chriſtianis principatum Ariſtocraticum vel alium loco principatus vnius ſummi pontificis inſtituere quoquo modo.

CAP. XXII.

In quo oſtenditur, quomodo ad præcedentes rationes ſecundæ opinionis reſpondet prima opinio.

DIſcipulus. Propter apparentiam magnam, quam allegationes pro opinione vtraq; inductę habere videntur, cupio eas magis diſcutere, & audire quomodo ſecundũ diuerſas opiniones reſpondetur ad ipſas. Vnde primo refer, quomodo opinio prima ad allegationes vltimo adductas nititur reſpondere. *Mag.* Ad primam, quæ fundatur in hoc, quod omnes Chriſtiani non poſſunt contra ordinationẽ Chriſti: reſpondetur p ea, quæ conata ſunt probare *c. 21.* quod videl. neceſſitas, & vtilitas faciunt licitũ aliquod, ꝙ alias tanquam ordinationi Chriſti contrariũ eſſet illicitum. Et non obſtante, quod omnes Chriſtiani ſint diſcipuli & ſerui Chriſti, & non ſint ſupra ipſum: tamen ex neceſſitate vel vtilitate poſſunt aliquid contra ordinationem eius, hoc eſt, contra verba & facta eius ſecundum ꝙ prima facie ſonare videntur: Non tamen contra intentionem (quia ipſe vult, quod in verbis eius vrgens neceſſitas & euidens vtilitas ſint exceptæ, vbi aliquid ordinat vel facit) cuius contrarium legi naturali minime aduerſatur: & ipſe non explicat ꝙ neceſſitas & vtilitas nullatenus recipi deberent. Quod aliter quã prius probare conatur. Nã Chriſtus præcipit Apoſtolis, vt habetur Mat. 5. *non reſiſtere malo. Sed qui percuſſerit eos in vnam maxillam, præbeant & aliam.* Et tamen Apoſtolo Paulo percuſſo licuit dicere principi ſacerdotum: *percutiat te Deus paries dealbate.* Vbi teſtatur Auguſtinus in ſermone *de puero centurionis*, & ponitur 23. q. 1. c. *paratus.* Quemadmodum igitur ſecundum Auguſtinum ibidem, pcepta illa de patientia magis ſunt ad prӕparationem cordis, quàm ad opus, ꝙ in aperto fit, vt teneatur in ſecreto animi patientia cum beneuolentia. In manifeſto autem id fiat, ꝙ eis videatur prodeſſe, quibus bene velle debemus. Sic circa ordinationem Chriſti de vno ſummo pontifice conſtituendo ſeruandum eſt id, quod magis prodeſt Eccleſiæ ſuæ pro cuius vtilitate ordinauit vnum ſummum pontificem conſtituendũ, vt ſcilicet quando expedit Eccleſiæ quod ſint plures, fiant plures, qui Ariſtocratice regant Eccleſiam. Hæc reſponſio videtur taliter poſſe confirmari. Quia ſi licet facere contra

verba præcepti magis expressi, cõtra verba præcepti minus expressi licebit facere. Sed præceptũ Christi de patientia data Apostolis *Matth. 5.* magis expressum fuit, quam præceptum de vno summo pontifice constituendo post Petrum. Quia expresse dixit absq; omni modificatione & exceptione siue determinatione; *ego autem dico vobis non resistere malo* &c. Nusquam autem inueniri potest, quod dixerit; dico vobis quod constituatis summum pontificem post Petrum, vel consimilia verba. Ergo si contra verba expressa Christi de patientia licet venire, non contra mentem. Quemadmodum & ipsemet Christus fecit, vt testatur August. vbi prius, vbi dicit: *Liquido ostenditur, quod ipse Dominus exemplum singulare patientiæ, cum percuteretur in faciem, respondit, si male locutus sum, exprobra de malo. Si autem bene, quid me cadis?* Nequaquam igitur præceptum suum, si verba sua intueamur, impleuit. Neque enim percutienti præbuit alteram partem, sed potius prohibuit ne faceret. Multo magis contra verba Christi non expressa de vno summo pontifice constituendo liceret facere Christianis, vt scilicet non constituant vnum, sed plures summos pontifices, quando hoc expedit Ecclesiæ Christi. Christus expressis verbis nullum casum excipiendo, præcepit non iurare, dicens Matth. 5. *Ego autem dico vobis, non iurare omnino: neque per cœlum* &c. Et post: *Sit autem sermo vester est, est, non, non. Quod his amplius est, à malo est.* Et tamen non obstante isto præcepto Christi expresso, licet in casu iurare, *extra, de electi. significasti. Et extra de iureiurando. Et si Christus 22. q. 1. non est*: vbi asserit August. quod iurare licet propter infirmitatem vel incredulitatem eorum, qui non aliter ad fidem mouentur. Ergo multo magis non obstante, quod Christus fecerit Beatum Petrum summum pontificem & caput omnium Christianorum, licet Christianis propter communem vtilitatem totius Ecclesiæ plures simul constituere summos pontifices, si hoc aliquando expediat. Rursus, Christus præcepit Apostolis Matth. 10. ne possiderent aurum vel argentum, aut pecuniam, & ne haberent duas tunicas vel portarent calciamenta. Et tamen manifesta necessitate cogente, licebat eis contra ista venire, implendo, scilicet mentem Christi non verba. Quod ipse satis insinuare videtur dicens Apostolis Lucæ 22. *Quando misi vos sine sacculo & pera & calciamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, nihil: dixit eis: sed nunc qui habet sacculum tollat: similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Ex quibus verbis Beda elicit quandam regulam generalem, quod scilicet *non obstante præcepto Christi alia est regula viuendi tempore pacis, alia tempore persecutionis.* Ex qua regula Bedæ potest quædam alia generalior colligi: quod propter necessitatem & vtilitatem licet venire contra ordinationem Christi. Si enim non obstante præcepto Christi, alia est regula viuendi tempore pacis, alia tempore persecutionis: ratione consimili non obstante præcepto Christi, alia est regula viuendi in casu necessitatis & vtilitatis, alia extra casum necessitatis & vtilitatis. Cum non nisi propter necessitatem & vtilitatem sit alia regula viuendi tempore pacis, alia tempore persecutionis. Si enim nulla apparet necessitas nec vtilitas propter persecutiones regula viuendi præsertim nullatenus est imitanda. Propter necessitatem igitur & vtilitatem licet non implere verba Christi. Igitur non obstante quacunq; ordinatione Christi de vno summo pontifice constituendo, licebit, si euidens vtilitas hoc exposcit, plures constituere summos pontifices, qui Aristocratice gubernent totam vniuersitatem fidelium. Amplius, licet ex causa differre electionem summi pontificis. Igitur licet pro tempore constituere alios, qui gubernent communitatem fidelium.

CAP. XXIIII.

In quo arguitur & probatur, quod non licet facere neq; contra verba, neq; contra intentionem præcipientis, & præsertim præcepti Diuini, tribus rationibus. Ad quas respondetur capitulo immediate sequenti.

D*iscipulus.* Allegationes præscriptæ, & aliquæ aliæ prius adductæ fundantur in hoc, quod licet venire contra verba Diuini præcepti & Christi, licet non contra mentem seu intentionem præcipientis. Quæ aliquam apparentiam habere videntur. Ideo contra fundamentum eorum obiiciam, vt tam fundamentum quam dictas allegationes & consimiles melius intelligam & aduertere valeam, an quid contineant veritatis. Videtur igitur, quod nullo modo licet venire contra verba Diuini præcepti seu Christi, nec propter necessitatem nec propter vtilitatem. Nam de similibus simile est iudicium habendum. Igitur eodem modo censendum est de quocunque præcepto Diuino, & de omnibus. Sed præceptum de matrimonio inter virum & vxorem non soluendo sic obligat, quod in nullo casu excepto casu expresso à Christo, scilicet fornicationis, vel propter quamcunq; necessitatem vel vtilitatem licet vxorem dimittere, vt testatur ipsemet Christus *Matth. 5 & 19. & Marc. 10.* ergo omne præceptum Diuinum sic obligat, quod in nullo casu, qui non sit expressus à Deo vel à Christo, propter necessitatem & vtilitatem liceret venire contra præceptum Diuinum. Alias propter necessitatem & vtilitatem liceret non baptizare, vel aliter baptizare quam institutum est à Christo, puta in vino vel alio aliquo liquore, si aqua haberi non possit, & baptismus differri non possit. Liceret etiam conficere corpus Christi de alio pane quam triticeo, quando panis triticeus haberi non possit. Liceret etiam, quando vinum haberi non possit, conficere sanguinẽ Christi de aqua vel alio liquore. Et sic omnia sacramenta mutare liceret propter necessitatem & vtilitatem.

Rursus

Rursus, nulli licet venire contra verba alicuius præcepti, nisi qui habet potestatem dispensandi circa tale præceptum, vel interpretandi idem præceptum. Sed nullus potest dispensare contra præcepta diuina, nec interpretari eadem præcepta. Ergo nulli licet venire contra verba præcepti diuini. Ex his concluditur, quod si Christus ordinauit vnum summum pontificem esse præficiendum cunctis fidelibus, nullo modo licet Christianis quibuscunque plures simul constituere summos pontifices. Ista sunt, quæ mihi videntur efficacius improbare assertionem prædictam. Ideo narra, quomodo respondetur ad ipsa. Et incipias ab vltimo: quia forte aliquæ responsiones ad alia dependent ab illo.

CAP. XXIIII.

In quo de potestate interpretandi & dispensandi de præceptis quasi præambulis aliquibus notatur. Deinde respondetur ad rationes capituli præcedentis: & primo ad tertiam.

MAgist. Obiectio illa mentionem facit de duobus, scil. potestate dispensandi circa præceptum Dei siue Christi: & de potestate interpretandi præceptum Dei siue Christi. Quantum ad primum dicitur, quod Christiani quicunque non habent potestatem dispensandi contra præceptum diuinum seu Christi, nisi dispensatio, interpretatio siue iuris declaratio appelletur. Qualiter Gloss. *25. q. 1. super c. sunt quidem*, loqui videtur dicens, quod *Papa dispensat in euangelio, interpretando ipsum*. Cui concordare videtur assertio quorundam Iuristarum dicentium: *dispensatio dicitur declaratio siue commutatio*. Sic potest dispensare scil. Papa de voto & de his quæ fiunt de iure diuino & naturali: dummodo subsit necessitas vel vtilitas & compensabilitas. De potestate autem interpretandi præceptum Dei siue Christi, & per consequens dispensandi prædicto modo quid dicendum sit secundum quandam opinionem ex prolixa nostra disputatione *De potestate interpretandi dicta & statuta aliorum prima parte nostri Dialogi lib. 6.* potest aduertere studiosus. De qua pauca recitabo; nonnulla addendo. Dicitur itaque, quod non est necessaria interpretatio alicuius dicti, præcepti, seu statuti diuini vel humani, nisi propter ignorantiam alicuius, cui necessaria est interpretatio: quia vbi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi, vt notat Glossa, *extra de consuetudine* super cap. *cum dilectus*. Ad illum igitur interpretatio pertinet, qui scit intellectum illius, quod interpretandum est, quando scil. aliquis alius dubitat de vero intellectu eius. Multi autem periti sciunt verum intellectum præceptorum Dei & Christi. Et ideo præcepta illa possunt interpretari illis qui nesciunt: quia huiusmodi interpretatio non est nisi expositio vel declaratio, seu manifestatio veri intellectus præceptorum Dei. Et ita Christiani habent potestatem interdum interpretandi præceptum diuinum, quando scil. sciunt verum intellectum illius. Si autem nesciretur verus intellectus alicuius præcepti Dei, quia nesciretur intentio Dei in præcipiendo, nec per rationem nec per scripturas alias, sed solum modo per reuelationem Dei possit sciri. Sicut secundum quosdam verus intellectus litteralis multarum prophetiarum, quæ ponuntur in *libro Apocal.* & aliis scripturis propheticis, non potest sciri, nisi per reuelationem nouam: tunc interpretatio talis præcepti expectanda est à solo Deo. Sed intellectus præceptorum siue ordinationum Dei de patientia conseruanda, iuramento non præstando, de non portando sacculo siue pera, & de summo pontifice constituendo, & multorum aliorum, & scitur à pluribus Christianis & sciri potest per rationem & scripturas. Ideo interpretari possunt Christiani periti talia præcepta, siue ordinationes, & secundum veram interpretationem ipsa seruare debent. Nec est semper inhærendum verbis etiam Christi, sed menti, secundum Gloss. *43. q. 1.* super *c. paratus*, quæ ibidem specialiter loquitur de verbis Christi. *Discip.* Secundum ista non magis liceret Papæ interpretari verba Dei & Christi, quam alteri sapienti & in sacris litteris erudito: nec plus esset credendum Papæ in huiusmodi quam alteri sapienti. *Magist.* Respondetur, quod non aliter licet Papæ interpretari verba Dei vel Christi quam alteri; nec magis est credendum sibi in huiusmodi quam alteri sapienti. Imo in huiusmodi sunt magis periti quam Papa, ipsi Papæ præferendi, vt habetur *dist. 20. §. 1.* Vbi habetur, quod diuinarum scripturarum tractatores in sacrarum scripturarum expositionibus summis pontificibus præferuntur. Veruntamen si interpretatio seu expositio Papæ fuerit catholica nullam habens errorem, est quodammodo magis autentica quam interpretatio alterius eruditi. Quia extunc nulli licebit publice contrarium opinari & tenere scienter. Quod non est verum de eadem interpretatione, si esset solummodo alterius eruditi. Quia si non esset de aliquo, quod quis teneretur explicite credere, liceret alii non obstante huiusmodi interpretatione publice opinando tenere contrarium, licet non pertinaciter. Si autem interpretatio Papæ esset erronea & non consona veritati, liceret cuilibet scienti eam non esse consonam veritati manifeste & publice reprobare. Et quilibet hoc sciens pro loco & tempore de necessitate salutis ipsam impugnare deberet. *Discip.* Secundum ista Papa nullo modo posset dispensare contra Apostolum aut scripturam sacram. Cuius contrarium videtur Gloss. *25. quæst. 1.* super c. *sunt quidam*, dicens: *Sustineri potest quod Papa contra Apostolum dispensat: non tamen in his quæ pertinent ad articulos fidei. Magist.* Dicitur, quod Glossa accipit ibi *dispensare* pro interpretari, siue declarare intellectum Apostoli; quod Papa potest.

Discip. Isto modo potest dispensare in his, quæ pertinent ad articulos fidei: quod tamen negat Glossa. Potest enim declarare verum intellectum illorum, quæ pertinent ad articulos fidei, sicut & aliorum. *Magist.* Respondetur, quod articulos fidei, qui ponuntur *in Symbolo*, de quibus loquitur Gloss. non potest aliter interpretari, quam interpretati sunt. Quia quoad sensum litteralem sufficienter interpretati sunt & declarati. Sed multorum aliorum articulos, qui inueniuntur in scripturis sacris, potest Papa, si est peritus, noua interpretatione interpretari. Quia in speciali non inueniuntur taliter interpretati à prioribus, quin pro multis simplicibus, imo peritis, noua & explicita interpretatione indigeant, quam multi etiam literati ex omnibus scripturis summorum pontificum & tractatorum diuinarum scripturarum colligere nescirent. Nec est nec fuit aliquis summorum pontificum aut Doctorum ita peritus, quin potuit aut posset continue & semper in intelligentia scripturæ diuinæ proficere, etiam si viueret mille annis aut pluribus, inueniendo nouiter sensus catholicos litterales, qui sunt aliorum sensuum fundamenta studendo in scripturis sacris. Et hoc propter difficultatem intelligendi scripturam sacram in diuersis locis. *Discip.* Satis dixisti de ista obiectione. Nunc narra, qualiter respondetur ad primam obiectionem, quam adduxisti in c. præcedenti. *Magist.* Ad illam allegationem dicitur, quod de similibus simile iudicium est habendum, quando non prohibetur nec explicite nec implicite simile haberi iudicium. Vbi autem prohibetur explicite vel implicite de similibus simile habere iudicium, ibi non est habendum simile iudicium de similibus. Abraham enim ex quo recepit mandatum de filio immolando, tenebatur parare se ad filium suum occidendum innocentem: & tamen ne occideret alios innocentes, debuit sibi cauere. Quia simpliciter erat sibi præceptum, vt immolaret filium suum, & non alios. Et ideo alium intellectum non potuit elicere ex verbis præcepti, nisi quem primo sonabant. Et ita erant expressa omni ambiguitate carentia, quod non erat ibi locus interpretationi; nec aliquem alium intellectum potuit elicere. Ex quibus verbis Dei nec etiam per rationem potuit alium elicere intellectum, cum non ignorauerit Deum esse Dominum vitæ & mortis. Quamuis ergo esset simile de præcepto Dei super matrimonio non soluendo, siue super vxore non dimittenda, & quocunq; alio præcepto Dei: tamen nõ est nec esset simile iudiciũ quo ad omnia habendũ de præcepto prædicto & quocunq; alio præcepto Dei. Quia Christus excipiendo vnum casum specialẽ, in quo liceat dimittere vxorẽ, alios casus prohibuit. Quia quod de vno conceditur, de aliis negatur. *dist. 25. c. qualis 15. q. 3. de crimine 45. dist. c. disciplina 1. q. 1. per Esaiam.* Quæ regulæ tenent, vbi tenet argumentum à contrario argumento, quod fortissimum est in iure, vt leges dicunt. In multis autem aliis præceptis Dei & Christi speciales casus non excipiuntur explicite. Ideo in eis non plus est intelligendus vnus excipi quam alius. Quare ex aliis locis scripturæ diuinæ colligendum est, an aliquis casus debeat intelligi, licet non exprimatur: & an sit eadem ratio excipiendi talem casum in vno præcepto & in alio: & an præcepta sint consimilia quantum ad genus præceptorum, puta an præcepta naturalia vel positiua, an aliquid naturale & aliquid positiuum. Si enim sint simpliciter præcepta iuris naturalis, nullus casus excipi debet, propter quamcunq; necessitatem vel vtilitatem, nisi Deus specialiter aliquem exciperet. Quemadmodum non obstante præcepto iuris meri naturalis de nullo innocente scienter interficiendo Deus præcipiendo Abrahæ, vt immolaret filium suum, specialem exceptionem fecit. Si autem sint præcepta mere positiua, casus necessitatis & vtilitatis ita debet excipi in vno, sicut in alio, nisi ex scripturis specialiter colligi possit, quod in aliquo tali præcepto non est excipiendus casus necessitatis & vtilitatis. Et ita de præceptis similibus simile potest haberi iudicium. Ad sequentem allegationem respondetur, quod non sequitur ex prædictis, quod liceat omnia sacramenta mutare. Quia aliud est præceptum mutare, & aliud præceptum omittere. Et similiter aliud est sacramenta mutare, & sacramenta omittere. Et ideo quamuis nonnunquam liceat aliqua sacramenta omittere, non licet tamen illa mutare. Propter quod nulli licet baptisare in vino vel in alio liquore, quam in aqua: nec licet conficere corpus Christi in pane triticeo & in vino. In casu tamen propter necessitatem vel vtilitatem licet omittere aliqua sacramenta.

CAP. XXV.

Vbi probatur, quod pluralitas summorum pontificum non scindit ecclesiæ vnitatem, & hoc per responsionem ad secundam rationem c. 21. factam.

NVnc expone quomodo sustinetur, quod licet Christianis propter vtilitatem vel necessitatem constituere plures summos pontifices: non obstante quod non liceat eis scindere vnitatem ecclesiæ, quæ consistit in hoc quod vnum caput sub Christo omnibus principetur, in quo fundabatur secunda allegatio superius inducta *cap. 21.* *Magist.* Respondetur, quod nullis Christianis licet scindere vnitatem ecclesiæ. Sed absq; vnitate summi pontificis potest vnitas ecclesiæ perdurare. Vacante enim apostolica sede manet vnitas ecclesiæ. Et ita non existente summo pontifice potest vnitas ecclesiæ permanere. Nec scissa est ecclesia propter hoc, quod nullum habet summum pontificem. Alioquin sæpe scinderetur ecclesia, cum sæpe nullus sit summus pontifex. Et ita omni schismate caret ecclesia absque vno summo pontifice. Et per consequens ex hoc, quod essent plures

res summi pontifices simul regentes ecclesiam non posset inferri, quod scissa esset ecclesia. Ad auctoritatem autem beati Cypriani respondetur, quod loquitur in casu, in quo plures discordes gererent se taliter pro summo pontifice, quod quilibet eorum diceret apud se solum esse pontificatum & ecclesiam. Quemadmodum accidit tempore beati Cypriani, de Cornelio & Nouatiano: propter quorum discordiam dixit Cyprianus verba præscripta, sciens quod Cornelius erat verus summus pontifex & non Nouatianus.

Si autem propter necessitatem vel vtilitatem absque discordia de consensu fidelium plures simul haberentur in Apostolica sede & concorditer regerent ecclesiam Dei, ex pluralitate huiusmodi summorum pontificum nullum periculum schismatis sequeretur, quia nec inter ipsos summos pontifices, nec inter eis subiectos aliqua esset scissura. Quemadmodum si in eodem episcopatu essent plures episcopi se mutuo adiuuantes, nulla propter hoc in eodem episcopatu esset scissura. Et ex isto sumitur argumentum ad probandum, quod absque omni schismate & diuisione vnitatis ecclesiæ possent propter necessitatem vel vtilitatem esse simul plures summi pontifices. Nam idem iuris est in parte, quod in toto: & in paruis, quod in magnis. Sed in eodem episcopatu possunt simul esse duo episcopi *7. q. 1. c. non est autem & c. petisti & c. quia vero.* Ergo consimiliter propter necessitatem vel vtilitatem possent esse simul plures summi pontifices. Et quamuis nunquam fuit factum, tamen fieri posset. Quemadmodum licet ante tempora August. nec post legitur, quod episcopo existente incolumi, alius fuerit in eodem episcopatu episcopus ordinatus. Et tamen de beato Augustino hoc legitur factum. Nam *6. q. 1. c. non autem*, sic habetur: *Non autem hoc tantum scripsimus gratulandum, quod Augustinus episcopatum acceperit, sed quod Dei gratia hanc curam meruerit Affricana ecclesia, vt verba cœlestia Augustini ori perciperet: qui ad maiorē dominici muneris gratiam nouo more prouectus & consecratus est, vt non succederet in cathedra episcopus, sed accedens ecclesiam incolumi Valeriano Iponensis ecclesiæ episcopo coepiscopus August. factus est.* Si igitur propter vtilitatem eccesiæ Iponensis plures fuerunt simul in Iponensi ecclesia episcopi: multo magis propter vtilitatem vniuersalis ecclesiæ plures esse possunt Apostolici simul.

Discip. Contra hoc est Gloss. super eodem c. *non autem*, quæ dicit in hæc verba: *nunquid eodem modo possent esse plures Apostolici? argumentum quod non, supra c. factus dicens. Et Dominus tantum vnum constituit 24. q. 1. loquitur & c. quicunq;. Contra quod non potest dispensari 25. q. 1. sunt quidam. Præterea, quia vna est catholica ecclesia & vnum caput, tamen plures imperatores fuisse legimus, sed hic non est ita: quia offenderetur illa regula, scil. Vnam sanctam ecclesiam.* Ex quibus verbis colligitur, quod articulo fidei obuiat, plures esse Apostolicos simul, illi videlicet articulo, *Vnam sanctam ecclesiam catholicam.* *Magist.* Respondetur, quod Gloss. ibi non loquitur assertiue, sed solummodo allegando. Vnde dicit, *argumentum quod non.* Et ideo non determinat partem illam, sed tantummodo argumentatur pro ipsa. Quæ argumenta concludunt, quod non possunt esse duo Apostolici contrarii & discordes, quorum vterq; vel alter dicat & asserat se solum esse Apostolicum, & non alium, vel quorum alter non sit legitime Apostolicus constitutus. In quo casu legitur illud capitulum allegatum *factus*: quia loquitur de Cornelio & Nouatiano, quorum Cornelius rite & legitime fuit electus, sicut idem capitulum asserit & testatur. Nouatianus autem non propter necessitatem vel vtilitatem ecclesiæ, sed per ambitionem cum scandalo & diuisione ecclesiæ gradum Apostolicum vsurpauit, testante sequenti c. in quo sic habetur: *Nouatianus episcopus non est, qui Cornelio episcopo in ecclesia à 26. episcopis factus adulter & extraneus episcopus fieri à desertoribus per ambitum nititur.* De quo in lib. 6. Ecclesiasticæ historiæ c. 35 sic habetur: *Nouatianus ecclesiæ Romanæ presbyter elatione quadam tumidus spem penitus eis salutis adimebat, etiam si digne pœnituissent: ex quo & princeps hæreseos extitit Nouatianorum, qui ab ecclesia separati superbo nomine seipsos Catharos, id est mundos, appellabant. Ob quam rem concilium sacerdotale celeberrimum in vrbe Romana congregatum est, episcoporum quidem 60. presbyterorumq; totidem cum Diaconis plurimis. Præterea etiam per singulas quasq; prouincias de hac re magna deliberatione habita decretis signatur, quid facto opus sit, certamen initur. Igitur Nouatum quidem cum his qui eum mentis elatione tumidum sequerentur, quiq; ad humanam istam & nihil fraternæ charitatis sententiam seruantem declinarent, alienum etiam ab ecclesia.* Et ita extat etiam & alia epistola Cornelii ad Fabianum Antiochiæ episcopum scripta, edocens singula quæq; de Nouato, quis qualisque fuerit vel vita vel moribus, & quomodo ab ecclesia declinauerit. In qua refert, quod episcopatus cupiditate, quam intra latenter gerebat, in hęc omnia mala deciderit. Et infra: *Sydonius & Cornelius qui valde clari in confessoribus habebantur, eo quod circa tormentorum genera superauerant. Sed isti*, inquit, *cum diligentius perspexissent agere eum* (scilicet Nouatum) *cuncta fraudibus & dolis, mendaciis atque periuriis, & quia bonitatem adhuc solum simularet, vt deciperet ignorantes, relicto eo vel potius consecrato ad ecclesiam cum magna festinatione reuersi sunt, & præsentibus presbyteris & episcopis scilicet & laicis. Primo quidem errorem suum. tunc deinde & illius fallacias confitentur.* Addidit præterea & hoc in hac epistola: quod *cum semper fratribus iurare solitus erat episcopatum se omnino non capere, subito & ex improuiso velut nouum plasma episcopus apparuit, scilicet qui disciplinam & instituta ecclesiastica vendicabat, episcopatum, quem non à Deo acceperat præsumebat. Tribus nanque episcopis simplicibus hominibus & omnium ignaris de remota Italia parte adhibitis, imo potius subtili ab eo circumuentione deceptis, imaginariam magis quam legitimā ab eis extorqueret manus impositionē.* Et infra: *addidit autem & hoc, quod idem ipse Nouatus in iuuentute spiritu immundo vexatus fit.*

Et cum

Et cum tempus aliquantulum consumpsisset apud exorcistas, ægritudine incurreret grauem, ita a vt desperaretur, & quod iacens in lecto pro necessitate confusus sit, nec aliqua in eo, quæ baptismum sequi solent, solenniter adimpleta sint, nec signaculo crismatis consummatus sit. Vnde nec spiritum sanctum vnquam potuit promereri. Ex quibus verbis colligitur, quod Nouatus & summo episcopatu erat indignus, & non legitime sacerdotium vsurpauit, ac multis fraudibus & fallaciis vtebatur. Quare ecclesiam scindebat. Sed si dignus existens de consensu vnanimi catholicorum fuisset assumptus, non fuisset propter hoc scissa ecclesia, nec apostolicorum pluralitas concorditer gubernantiũ ecclesiam vnitati ecclesiæ repugnat. Quemadmodum episcoporum pluralitas non obuiat vnitati episcopatus, nec pluralitas principantium aristocratice in ciuitate, ciuitas destruit vnitatem. Nec propter hoc offenderetur ille articulus fidei *Vnam sanctam ecclesiam*: quia propter pluralitatem apostolicorum propter necessitatem vel vtilitatem de vnanimi consensu fidelium assumptorum non fierent plures ecclesiæ: sed remaneret vna propter vnitatem fidei & concordiam Apostolicorum eadem mente vnoq; consilio cæteris principantium orthodoxis. Cum igitur dicit Cyprian. vt allegatum est, quod *ab vnitate exordium proficiscitur, vt ecclesia Christi vna monstraretur.* Respondetur, quod quando necessitas aut vtilitas non requirit pluralitatem apostolicorum, in quo casu loquebatur Cyprian. vnus debet esse apostolicus, vt ecclesia Christi non solum per vnitatem fidei, baptismi & cæterorum, quæ enumerat Apostolus *ad Ephes. 4.* sed etiam per vnitatem apostolici, in quem vnanimiter consentiunt catholici, monstrantur vna. Quando autem necessitas vel vtilitas Apostolicos plures exposcit, sufficit quod ecclesia sit vna per vnitatem illorum, quæ enumerat Apostolus *ad Ephes. 4.* per quorum vnitatem est vna, quando vacante Apostolica sede nec vni nec pluribus Apostolicis subditur ecclesia, inter quæ vnum Apostolicum minime ponit cum de vnitate ecclesiæ loquitur, dicens: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ: vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium qui est super omnes & per omnia & in omnibus nobis.* In quibus oportet, quod fideles vnitatem seruent, siue habeant aliquem Apostolicum siue nullum, siue etiam habeant vnum Apostolicum siue plures. Quandocunq; tamen expedit, vnum Apostolicum ecclesia debet habere: nec vnitas ecclesiæ monstraretur, nisi (quando expediret & posset) ecclesia vni Apostolico subderetur. Et sic prædicta verba intelligit Cyprian. Quod ex verbis eiusdem sequentibus (quæ etiam sunt superius allegata) ostenditur, cum dicit: *Quomodo vnitatem tenere firmiter & vendicare debemus maxime nos episcopi, qui in ecclesia Dei præsidemus, vt episcopatum quoque ipsum vnum atq; indiuisum probemus.* Ex quibus verbis colligitur, quod secundum beatum Cyprianum, non solum Apostolatus, sed episcopatus esse debet vnus atq; indiuisus: & tamen, sicut prius probatum est, in eodem episcopatu ex necessitate vel vtilitate simul plures possunt esse episcopi. Et per consequens in apostolatu possunt esse plures Apostolici. Aliter enim minus in necessariis esset prouisum Apostolatui, quam episcopatui. Sicut igitur in eodem episcopatu possunt esse plures episcopi: ita in apostolatu possunt esse plures Apostolici. Et tamen propter vnitatem voluntatum & cæterorum, quæ enumerat Apostolus, & episcopatus & apostolatus vnus & indiuisus manebit. Quemadmodum propter vnitatem voluntatum plurium aristocratice principantium in eadem ciuitate remanet ciuitas vna, cuius vnitas vera interdum melius seruatur per plures, quam si vnus solus principaretur: licet si nihil singulare obsisteret, melius regeretur ab vno.

CAP. XXVI.

In quo ostenditur, quod pluralitas summorum pontificum non impedit, quin sint omnes Apostolici & successores Petri atque vicarii Christi. Et hoc inter respondendum ad tertiam; & continenter ad alias rationes supra cap. huius secundi adductas.

DISCIPULUS. Vertas te ad alias allegationes, quæ supra *cap. 21.* sunt adductæ: & narra breuiter, quomodo respondetur ad ipsas. *Magist.* Ad illam, quæ fundatur in hoc, quod nullus est verus in ecclesia principatus, nisi Apostolicus: qualis non esset principatus plurium præsidentium orthodoxis. Respondetur, quod quamuis propter necessitatem vel vtilitatem essent plures principantes catholicis, tamen principatus eorum esset Apostolicus, & quilibet eorum essent vere successor beati Petri & vicarius Christi. Quemadmodum si essent plures Imperatores, quilibet eorum esset verus Imperator. Et ita quamuis simul essent plures Apostolici, tamen ecclesia esset vere in Apostolica radice fundata, esset principatus Apostolicus vere per successiones episcoporum absque omni schismate continuatus, si vnanimes pro vtilitati communi de concordi voluntate fidelium plures simul in Apostolica sede sederent. Quemadmodum Imperium Romanum fuit vnum & idem per successiones Imperatorum continuatum, quando fuerunt simul plures Imperatores, & quando fuit vnus solus. Sic etiam in diuersis regnis simul aliquando fuerunt plures reges, scilicet pater & filius: & tamen idem fuit regnum & per successiones regum continuatum. *Discip.* Si autem essent plures Apostolici, simul ipsi aristocratice regerent vniuersitatem fidelium, & principatus eorum esset aristocraticus reputandus. Sed principatus Apostolicus non est principatus aristocraticus, sed magis regalis, iuxta illud 1. Pet. 2. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.* Et in Apocal. dicit beatus Iohannes:

Fecit

[illegible] *regnum sacerdotale*: ergo si essent plures Apostolici, principatus regalis esset in Aristocraticum mutatus: & per consequens non esset Apostolicus. *Magist.* Respondetur, quod principatus Apostolicus nõ esset in alium transmutatus: quia in principatu nulla esset varietas potestatis: sed esset solummodo pluralitas principantium non de necessitate principatus, sed propter vtilitatem aliam vel necessitatem. Differt autem Aristocraticus principatus à principatu regali magis per diuersam potestatem, quam per vnitatem & pluralitatem principantis & principantium. Quia in hoc saltem principatus Aristocraticus differt à principatu regali, quod vnus principantium Aristocratice absq; speciali commissione alterius non potest exercere ea, quæ ad Aristocraticum pertinent principatum. Quod non est in principatu regali, nec esset in principatu plurium Apostolicorum, si plures simul essent.

Discip. Dic qualiter ad sequentem allegationem respondetur. *Magist.* Multipliciter respondetur. Vno modo, quod Papa non habet potestatem præficiendi alium in summum pontificem: quia summus pontifex de fidelibus præfici debet. Et ideo Papa non habet omnino plenitudinem potestatis. Aliter dicitur, quod Papa non habet regulariter, sed casualiter, potestatem præficiendi alium in summum pontificem: quando videlicet videret imminere periculum fidelium seu fidei, nisi alius præficeretur vel singularem vtilitatem, si alius ordinaretur, & non posset faciliter requirere consensum fidelium, & periculum esset in mora. Cum vero dicitur, quod Papa non potest dispensare contra statum generalem ecclesiæ. Respondetur, quod Papa non potest regulariter dispensare contra illa, quæ explicite vel implicite continentur in scripturis sacris: nec etiam contra ea, quæ ad iura pertinent aliorum: tamen causaliter ex causa iusta & rationabili potest inducere nouitates, quæ fidei non repugnant. Et ideo ex causa rationabili posset alium constituere summum pontificem, qualiter secundum quosdam beatus Petrus alium fecit summum pontificem ipso viuente. Regulariter tamen hoc facere Papa non potest: & si fecerit minime tenet. Ad aliam allegationem dicitur, quod fideles ex causa instituendo plures summos pontifices, nequaquam incurrerent hæreticam prauitatem. Quia priuilegium ratione ecclesiæ traditum sibi à Christo non auferetur ab ea. Quia remaneret eadem Romana ecclesia habens potestatem præficiendi sibi & vniuersitati fidelium vnum summum pontificem: & etiam plures, quando expedierit. Ad aliam dicitur, quod in vno episcopatu possunt esse duo episcopi, sicut accidit tẽpore beati Hieron. de Augustino & Valerio, qui simul fuerunt episcopi Iponensis ecclesiæ, sicut ostensum est supra. *Discip.* Glossa super illud *capitulum 7. q. 1. non autem*, videtur dicere, ꝙ Valerius & Augustinus non regebant simul episcopatum eundem. *Magist.* Dicitur, quod talis Glossa, si esset, manifeste corrumperet textum. Quia textus dicit expresse, quod incolumi Valerio Iponensis ecclesiæ episcopo coepiscopus Augustin. factus est. Sed si Valerius cessisset: August. non fuisset factus coepiscopus. Ergo eodem tempore regebant eundem episcopatum. Nec Gloss. asserit contrarium: sed dubitatiue loquitur dicens, *forte Valerius cessit administrationi Augustini*. Ad Hieronymum autem dicitur: quod ipse intendit, quod regulariter & absq; aliqua causa non debent esse plures episcopi in eodem episcopatu: ex causa tamen possunt esse. Ad vltimam respondetur, quod fideles propter necessitatem vel vtilitatem sufficienter mouentem & inducentem constituendo plures summos pontifices, non facerent conditionem ecclesiæ deteriorem, quo ad spiritualia, sed meliorarent eam. Quia in tali casu magis expediret ecclesiæ regi ab vno quam à pluribus. Cum autem dicitur, quod principatus Aristocraticus & quilibet alius est minus bonus, quam principatus regalis. Respondetur, quod quantum ad naturam principatur est minus bonus: interdum tamen melior est quodam modo, quia principatus regalis. Quemadmodum multæ medicinæ in se deteriores sunt cibis, qui competunt sanis: & tamen nonnunquam meliores sunt quibusdam ægris. Et ideo licet quantum est de natura rei sit melius, quod principetus vnus solus, quia, vt dicit Glossa super sæpe allegatum capitulum 7. q. 1. non dum, *facilius expeditur administratio per vnum quam per plures ff. de administrat. tutor. l. 3. §. vltimo.* Quod communiter habet veritatem, non tamen semper, quia in aliquo casu potest esse melius, quod principentur plures, & quandoq; facilius expeditur administratio per plures, quam per vnum.

Cap. XXVII.

In quo respondet ad rationes supr. c. 20. factas, probantes, quod in casu possint eligi, siue constitui plures summi pontifices.

Discipulus. Recitasti quomodo respondetur secundum vnam opinionem ad allegationes ostendentes, quod fideles non possunt instituere plures Apostolicos simul: nunc secundum opinionem contrariam narra, quomodo respondetur ad allegationes contrarias adductas *supr. c. 20. huius secundi*: quibus ostenditur, ꝙ non licet fidelibus plures constituere principantes communitati fidelium, siue quod possunt alium principatum, quam Apostolicum instituere; siue quod solum modo possint ad statum Apostolicum simul prouehere. *Magist.* Secundum tenentes, quod nullo modo possunt simul esse plures Apostolici: respondetur ad primã allegationẽ, ꝙ statuta humana, quæ diuinis præceptis nõ obuiant, variari possunt. Sic etiam principatus, qui ordinationi diuinæ minime aduersantur, variare licet: sed non illos, quorũ aliquis repugnaret ordinationi diuinæ. Plures autem simul

ſimul eſſe Apoſtolicos, obuiaret ordinationi Chriſti, qui vnum conſtituit. Et ideo non licet conſtituere ſimul plures Apoſtolicos. Ad ſecundam dicitur, quod in hoc cõmunitati fidelium quantum ad omnia neceſſaria optime eſt prouiſum, quod diligendo & obediendo Deo fidelibus omnia cooperantur in bonum ſecundum Apoſtolum. Et ideo licet quandoque eſſet melius & magis expediens, plures Apoſtolicos præſidere, quam vnum, ſi non eſſet contra ordinationem Chriſti: tamen melius eſt & magis Chriſtianis expediens propter ordinationem Chriſti ſubeſſe & obedire vni Apoſtolico quam pluribus. Ad aliam reſpondetur, quod conſuetudines, quæ ſunt conſonæ ordinationi Chriſti, quamuis inciperent eſſe oneroſæ, per Chriſtianos tolli non poſſent. Quemadmodum leges diuinæ datæ populo Iudaico quamuis fuerint oneroſæ iuxta verba Petri, quæ leguntur *Actor. 15.* tamen per eundem populum tolli non poterant: ſic quamuis principatus vnius ſolius Apoſtolici inciperet eſſe oneroſus, tamen tolli non poſſet, ſed tolerandus eſſet, quemadmodum ſunt tolerandi mali prælati.

Ad aliam reſpondetur, quod expedit eccleſiæ propter bonum obedientiæ ſi eſt voluntas Dei, illi principatui obligari, qui poteſt in peſſimum tranſmutari. Quemadmodum propter bonum obedientiæ expedit eccleſiæ propter præceptum Dei prælato peſſimo obedire. Et ideo licet principatus vnius ſummi pontificis poſſet per malitiam eius tranſmutari in peſſimum, quia poteſt effici tyrannus: tamen propter bonum obedientiæ expedit eccleſiæ ſuſtinere eundem. Ad aliam rationem reſpondetur, quod propter euidentem vtilitatem eſt nouitas facienda, ita vt recedatur ab eo iure humano, quod diu æquum viſum eſt. Sed propter nullam vtilitatem recedendum eſt à iure diuino, ꝙ diu æquum viſum eſt. Sic etiam à principatu humanitus inſtituto propter vtilitatem euidentem recedendum eſt: ſed non à principatu à Chriſto inſtituto: quemadmodum à ſacerdotio Leuitico propter nullam vtilitatem licebat Iudæis recedere. Principatus autem Apoſtolicus ſic eſt diuinitus inſtitutus, vt vnus ſolus debeat principari. Quare propter nullam vtilitatem talis principatus in Ariſtocraticum vel alium transmutandus eſt: nec aliquo modo licebit fidelibus plures Apoſtolicos conſtituere. Ad aliam reſpondetur, quod principatus vnius ſummi pontificis non poteſt eſſe diſpendioſus Chriſtianis, niſi propter malitiam ſummi pontificis principantis vel propter malitiam ſubiectorum. Et ideo principatus ille non eſt transmutandus in alium: ſed corrigendi ſunt illi, propter quos tendit ad noxam, vel accidit diſpendium Chriſtianis. Per idem reſpondetur: quod quia interdum illud, quod prouiſum eſt ad concordiam, propter malitiam aliquorum tendit ad noxam: non ideo ipſum eſt tollendum, ſed corrigendi ſunt illi, propter quos tendit ad noxam. Ad aliam dicitur, quod non ſemper ceſſante cauſa ceſſat affectus, ſicut in multis caſibus patet. Ad aliam reſpondetur, ſicut reſponſum eſt: quod non ſemper eſt ſtandum maiori parti, nec pluralitati. Et ideo licet maior pars Chriſtianorum vellet conſtituere plures Apoſtolicos ſimul, non eſſet ſtandum cum eis, quia maiori rationi minor niteretur, ſcil. ordinationi Chriſti, qui inſtituit vnum ſolum Apoſtolicum. Ad allegationes in contrarium dicitur, quod pro neceſſitate non licet facere contra præceptum diuinum expreſſum, niſi quando poteſt colligi ex ſcripturis, quod neceſſitas eſt excepta in legibus diuinis. Non autem poteſt haberi ex ſcripturis, quod in ordinatione Chriſti de vno Apoſtolico conſtituendo aliqua neceſſitas ſit excepta. Et ideo nec propter neceſſitatem nec propter vtilitatem ſunt plures Apoſtolici conſtituendi. Ad vltimam reſpondetur, quod Dauid ex inſpiratione diuina fecit illam diuiſionem ſacerdotum. Et ideo ſi Deus ordinauerit, poſſent conſtitui plures Apoſtolici: ſed abſq; præcepto diuino hoc legitime minime fieri poſſet.

CAP. XXVIII.

In quo narrantur aliqui caſus, in quibus ſecundum opinionem tenentem plures ſimul poſſe eſſe Apoſtolicos, liceret illos eligere.

D*iſcipulus.* Narraſti ſecundum opinionem vnam, quod quando expediret, liceret Chriſtianis conſtituere plures Apoſtolicos. Nunc indica, an ſecundum eandem opinionem licet in aliquo caſu plures conſtituere Patriarchas ſeu primates nullum ſuperiorem habentes, quorum nullus pro Apoſtolico ſit habendus. *Magiſt.* Secundum vnum modum ponendi opinionem præſcriptam liceret (ſi cõmunitati fideliũ expediret) plures tales conſtituere Patriarchas ſeu primates. Quod ponit propter plures cõditiones, quæ adductæ ſunt ſupra *24. c. huius ſecũdi* ad probandũ, ꝙ liceret plures Apoſtolicos ſimul habere. Secundum alium modũ ponendi hoc nullo modo liceret. *Diſc.* Secundum primũ modum habendi explica alios caſus poſſibiles, in q̃bus liceret plures tales Patriarchas ſeu primates habere. *Magiſt.* Dicitur, quod vnus caſus eſſet, ſi Papa & Cardinales efficerentur hæretici, & Romani fauerent eiſdem, aut nollent catholicum in ſummum pontificem eligere. Tunc enim liceret quibuſcunq; prouinciis & regionibus (quæ hoc concorditer vellent) ſibi vnum primatem eligere, qui in cauſis ſpiritualibus, omnibus aliis præſideret. Et ideo ſi aliquæ prouinciæ concordarent in vnum, & aliæ in alium, poſſent plures tales primates non habentes ſuperiorem, quorum nullus eſſet Apoſtolicus, præeſſe Chriſtianis, quouſq; de alio prouideretur vniuerſitati fidelium. Alius caſus eſſet, ſi propter hæreſim Papæ vel diſcordiam eligentium Apoſtolica ſedes diu vacaret, ita vt negotia communia eccleſiæ per ipſam expediri non poſſent, quemadmodum aliquando vacauit ſex annis. Tunc enim liceret prouinciis, quæ vellent ſibi conſtituere primatem modo prædicto, qui negotia communia

munia illarum prouinciarum expedire valeret. Alius casus esset, si catholici omnes præter paucos, per bella intestina vel per infideles aut schismaticos, aut aliter taliter premerentur, quod ad Apostolicum verum non possent habere recursum. Et tunc diuersæ prouinciæ possent conuenire ad præficiendum sibi vnum caput. Tunc enim liceret quibuscunq; & quotcunq; prouinciis (quæ possent & vellent) sibi constituere vnum primatem, qui super omnes potestatem haberet. Et ita possent aliquæ prouinciæ in vna parte mundi vnum, & aliæ in alia parte mundi alium constituere sibi primatem. Quare possent licite fieri plures tales patriarchæ seu primates. *Disc.* Aliquas allegationes adducas, quod in prædictis casibus vel aliis possent plures constitui huiusmodi primates seu patriarchæ. *Magist.* Hoc videtur posse probari. Nam, vt habetur *dist. 1. c. ius ciuile*, vnaquæq; ciuitas & populus potest sibi ius proprium diuina humanaq; causa constituere. Vbi dicit Glossa super vocabulo, *ciuitas*: *Sic aliqua ecclesia ius sibi statuit, vt infra 11. dist. catholicam, & de conse. dist. 3. pronunciandum.* Et super vocabulo *humana*, ait: *prima contemplatione Dei & hominum in reuerentia Dei & vtilitate hominum.* Ex quibus colligitur, quod quælibet ecclesia & quilibet populus Christianus potest sibi auctoritate propria ius proprium statuere pro vtilitate sua. Ergo à simili vel multo fortius potest sibi pro reuerentia Dei & vtilitate hominum constituere caput & prælatum: quia parum est ius esse in ciuitate, nisi sint qui iura regere possint & reddere. *ff. de origine iuris. l. 11.* Amplius, cui licet cedere iuri suo, eidem licet super se superiorem recipere. Sed patriarchis & primatibus pro vtilitate communi licet cedere iuri suo. Ergo multo magis licet eis super se superiorem recipere pro communi vtilitate. Si autem licet episcopis, patriarchis, & primatibus: multo magis hoc licet inferioribus. Et per consequens possunt, si volunt super se constituere vnum caput, cui omnes subsint.

Discip. Isti opinioni sacri canones obuiare videntur, quibus statuitur & asseritur, quod noua dignitas non potest constitui sine licentia Papæ. *extr. de constitu. Cum accessissent, 22. dist. c. 1. & extra de consuetudine, cum olim.* *Magist.* Respondetur, quod quando potest haberi recursus ad Papam non est noua dignitas constituenda absq; licentia Papæ: in quo casu loquuntur canones sacri. Sed quando non potest haberi recursus ad Papam catholicum, tunc pro vtilitate communi licet aliquo modo nouam constituere dignitatem duraturam saltem vsque quo possit haberi ad Papam recursus. Sicut enim difficultas aliud admittit vel permittit, quod alias prohiberetur, sicut notat Gloss. *extra de ecclesiis ædificandis. super c. ad audientiam*: Ita etiam impossibilitas aliquid admittit vel permittit, quod alias prohiberetur. Quare propter impossibilitatem recursus habendi ad Papam, licet tales constituere patriarchas vel primates, quamuis hoc prohibeatur de sacris canonibus, qui intelligendi sunt loqui, quando potest haberi recursus ad Papam. Quemadmodum canones prohibentes quosdam excommunicatos absolui ab alio quam à Papa, intelligendi sunt, quando excommunicatus potest ad Papam recurrere, non quando ne recurrat ad summum pontificem impeditur, *extra de sententiis excommuni.* Quamuis & in aliis pluribus sacris canonibus idem habetur. Sic etiam quando non potest recursus haberi ad Papam, vel non expedit, potest constitui nouus primas sine licentia Papæ, si alicui nationi, aut regioni, vel regionibus, aut prouinciis fuerit expediens & necessarium, qui saltem auctoritatem & potestatem habebit, quousque per Papam fuerit aliter legitime & vtiliter ordinatum.

Cap. XXIX.

In quo respondetur ad rationem supra cap. 2. factam de diuitiis, quibus abundare debet, qui vult præesse.

Discipulus. Ad plures allegationes supra *c. 2. huius secundi* inductas ad probandum, quod non expedit communitati fidelium vni capiti sub Christo subesse, responsiones recitasti, occasione quarum aliqua annexa tractauimus, circa quæ quasdam opiniones & quosdam modos ponendi recitasti, quas & quos nolo ad præsens amplius pertractari. Ideo illis omissis ad aliud tempus, narra qualiter respondetur ad secundam allegationem supradicto *c. 2. huius secundi* adductam. Sed breuiter, quia alias de fundamento ipsius intendo tecum exquisite conferre. *Magist.* Illa allegatio in hoc fundari videtur, quod sine diuitiis, quibus carere debet caput fidelium, nemo potest efficaciter & vtiliter subditis principari. Ad quam respondetur, quod potestas principandi Christianis in his, quæ ad legem pertinent Christianam, sic est instituta à solo Deo, quod per legem Christianam & solam ordinationem Christi à potestate & iurisdictione seculari Christiani minime sunt exempti. Vnde à tempore Apostolorum & multis post temporibus Christiani potestati & iurisdictioni etiam infidelium subiecti fuerunt in criminibus secularibus & aliis, quæ specialiter ad legem Christianam nullatenus pertinebant. Propter quod caput Christianorum non habet regulariter potestatem puniendi seculares iniquitates pœna capitis & aliis corporalibus pœnis, propter quas taliter puniendas principaliter potentia temporalis & diuitiæ sunt necessariæ. Sed talis punitio potestati seculari principaliter & regulariter est concessa. Pœna igitur spirituali solummodo potest Papa regulariter corrigere delinquentes. Et ideo non est necessarium, quod temporali potentia præcellat vel temporalibus abundet diuitiis: sed sufficit, quod Christiani sibi prompte obediant.

Cap. XXX.

Soluit rationes capituli primi huius probantes, quod expediat communitati fidelium vni capiti sub Christo subesse.

Discipulus. De hac materia tecum postea disputabo: ideo ipsam pertranseas, & qualiter secundum opinionem, quæ tenet quod non expedit communitati fidelium vni capiti sub Christo subesse, respondeatur ad allegationes inductas superius *primo c. huius secundi* cura referre. *Magist.* Ad primam illarum respondetur, sicut tactum est ibidem, quod Christus est caput fidelium: ideo Christiani non subsunt vni capiti sub Christo. Ad ratione autem in contrarium respondetur, quod non est necesse, vt sub Christo sit vnus rector totius ecclesiæ, sed sufficit quod sint plures diuersas regentes prouincias, quemadmodum sunt plures reges gubernantes plura regna. Ad aliam dicitur, quod expedit vni ouili, in quo oues simul morantur, regi & pasci ab vno pastore mortali. Vni autem ouili, in quo omnes oues non simul morantur, sufficit vt regantur à principe pastorum, scilicet Christo. Ad tertiam respondetur per idem, quod omni populo simul moranti expedit vni rectori mortali subesse, non autem vni populo comprehendenti plures populos in locis distantibus habitantes. Sed tali populo sufficit subesse Christo. Ad quartam respondetur, quod non omni communitati, quæ non potest regi absq; multitudine iudicum, qui possunt circa causas & negotia contrarias habere sententias, expedit vni rectori supremo subesse. Quia cõmunitas huiusmodi potest esse tanta, quod nullus vnus homo mortalis & in multis deficiens sufficit ad ferendum & determinandum omnia negotia, circa quæ possunt alii iudices discordare. Et ideo cum communitas fidelium sic possit esse tanta, quod nemo mortalis possit omnia huiusmodi negotia sustinere, expedit communitati fidelium vt regatur à pluribus, non ab vno. Ad quintam consimiliter respondetur, quod quia vnus non sufficit ad cogendum vniuersos fideles ad seruandã vnitatem fidei ac rituum & obseruantiarum, quos omnes Christiani seruare tenentur: ideo expedit communitati fidelium vt regatur à pluribus, qui ad huiusmodi vnitatem omnes compellant. Ad sextam respondetur, quod potentibus errare circa maiora negotia expedit habere vnum caput, quando vnus sufficit ad huiusmodi negotia omnia terminanda. Sed nemo sufficit ad huiusmodi negotia, quæ possunt oriri inter Christicolas terminanda. Ideo non expedit sibi habere vnum caput sub Christo, sed plura. Ad septimam respondetur, quod non expedit communitati fidelium, vt multi inter ipsos & præcipue prælati, valeant delinquere insolenter, quando contra tale periculum potest remedium absque maiori periculo adhiberi. Sed maius periculum potest imminere communitati fidelium, si haberet vnum caput, quam habendo plura: quia cum facilius per malitiam inficiatur vnus quam plures, magis timendum est ne inficiatur per malitiam vnus principans vniuersis fidelibus quam plures principantes eisdem. Sed secundum sententiam sapientis Ecclesiastici 10. *Secundum iudicem populi sic & ministri eius, & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Cui concordat Anselmus, qui, vt habetur *6. q. 1. cap. ex merito* ait: *capite languescente cætera corporis membra inficiuntur.* Vbi dicit Gloss. *Componitur orbis regis ad exemplum.* Et per consequens corrupto capite quorumcunq; Christianorum de corruptione subditorum probabiliter est timendum. Ergo magis timendum est de generali vel fere de generali corruptione seu infectione Christianorum, si habuerint omnes vnum caput, quam si habuerint plura, licet magis esset timendum de aliqua particulari corruptione alterius partis Christianorum, si Christiani habeant plura capita. Ergo maius periculum imminet Christianis, si habeant omnes vnum caput, quod potest vniuersaliter, vel fere omnes Christianos inficere, quam si habeant plura, quorum nullum potest omnes vel fere omnes inficere, sed tantummodo sibi subiectos, quia non est tantum timendum, quod plura capita simul corrumpantur, sicut vnum solum. *Discip.* Quare addit ista opinio *fere*, cum dicit, quod *magis est timendum de generali vel fere generali corruptione*? *Magist.* Additur *fere*, propter promissionem Christi dicentis Matth. vltim. *Vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*, propter quam nullatenus est timendum, quod vnquam propter malitiã vnius capitis erit generalis corruptio seu infectio omnium Christianorum. Quia talis corruptio Christianorum obuiaret promissioni Christi præscriptæ. Sed fere generalis corruptio Christianorum promissioni illi nullatenus repugnaret: Staret enim eadem promissio Christi, si sub vno peruerso vel infecto capite omnium Christianorum inficerentur omnes præter duos vel tres. Quare non esset aliqualiter metuendum, quod vnum caput omnium Christianorum inficeret omnes Christianos: sed credendum esset si inficeretur, quod inficeret fere omnes. Propter quod si Papa efficeretur hæreticus, præsertim habens potentiam temporalem vel cui potentes temporaliter adhærerent, formidandum esset ne fere omnes Christianos inficeret hæretica prauitate. Sed si essent plura capita Christianorum, non ita faciliter omnia simul inficerentur. Sed vno infecto in moribus vel hæretica prauitate sæpe aliud remaneret sanum in moribus & in fide cum sibi subiectis.

Discip. Alias allegationes sequentes prosequere. *Magist.* Ad octauam respondetur, quod non semper idem est expediens toti & parti, magnis & paruis, nec vniuersaliter nec cum exceptione idem iuris est in toto & in parte, in magnis & in paruis, Licet hoc verum sit, quando est eadem ratio de toto & parte de magnis & paruis. Et ideo licet sit expediens, quod vno populo partiali fideli præsit vnus episcopus, non expedit tamen quod toto populo fideli præsit vnus solus.

Cum

Tum quia omnia negotia vnius populi partialis potest sustinere vnus solus: nullus autem vnus potest sustinere omnia negotia etiam maiora omnium Christianorum. Tum quia minus malum est, vt populus partialis & paruus inficiatur ab vno episcopo, quam vt totus vel fere totus populus Christianus inficiatur ab vno capite, quod omnibus præsit. Ad nonam dicitur, quod quamuis regnum sit optima politia in vna ciuitate secundum Aristotelem, qui solummodo loquitur de politiis, quæ in ciuitatibus custodiuntur, vt in verbis eius quampluribus in *lib. politicorum* colligitur: tamen regnum non est optima politia in toto orbe, nec in omni parte orbis. Quia totus orbis & diuersa regna melius reguntur à pluribus, quorum nullus sit superior alio, quam ab vno solo, propter rationes tactas superius. Per hoc ad allegationem vltimam respondetur, quod non expedit vniuersitati mortalium, vt regatur ab vno monarcha totus orbis, sed regulariter expedit vt regatur à pluribus, quorum nullus sit superior alio, quamuis in aliquo casu, qui possit accidere, magis expediret quod totus orbis regeretur ab vno, quam à pluribus. Et hæc de secundo libro.

INCIPIT TERTIVS LIBER, IN QVO PERTRACTATVR, QVIBVS *scripturis de necessitate salutis credere tenemur. Et ponuntur diuersæ opiniones.*

CAP. I.

In quo ponitur prima opinio, quæ probat, quod tantummodo scripturis canonicis & generalium conciliorum est de necessitate salutis credendum. Et hoc quinque allegationibus, ad quas respondetur infra cap. 8. 9. 10. & 11.

DIscipulus. Quamuis regulariter minime expediret totam vniuersitatem fidelium vni capiti fideli sub Christo subesse: tamen videtur, quod nullus catholicus debeat dubitare, quin pro necessitate temporis, vel propter excellentiam beati Petri, vel ex alia causa speciali nobis fortassis ignota, aut de potentia absoluta, Christus potuit constituere beatum Petrum caput, principem & prælatum aliorum Apostolorum & vniuersorum fidelium. Ideo specialiter nunc scrutemur, an de facto Christus tantam beato Petro contulit dignitatem. Verum quia istius inquisiti & aliorum compluriũ discutiendorum inferius, nec vna pars, nec alia aliter quam per scripturas vel auctoritates potest ostendi: circa scripturas autem recipiendas sunt diuersæ opiniones & aduersæ: quibusdam dicentibus quod solummodo scripturæ canonicæ & generalium conciliorum debent de necessitate salutis admitti; aliis aliter sentientibus. Ideo licet qualis fides scripturis aliis, quam canonicis, debeat adhiberi, in *prima parte huius Dialogi* (in qua quæsiuimus, quæ assertio catholica, quæ hæretica est censenda) disseruimus aliquantulum exquisite: sed tamen propter dicta quorundam, quæ tunc non habuimus, non tædeat nos aliqualiter tangere de eodem. Circa hoc ergo diuersas opiniones cum motiuis earum non te pigeat recitare. *Magist.* Vna opinio tenens, quod nullam scripturam irreuocabiliter veram credere vel fateri tenemur de necessitate salutis æternæ, nisi eas quæ canonicæ appellantur, vel eas quæ ad has de necessitate sequuntur, aut scripturarum sanctarum sensum dubium habentium eas interpretationes seu determinationes, quæ per generale fidelium seu catholicorum concilium essent factæ, in his præsertim in quibus error damnationem æternam induceret, quales sunt articuli fidei Christianæ. Quod enim interpretationibus concilii generalis sit talis præstanda credulitas, patet. Quia pie tenendum est, quod tales interpretationes sunt nobis ab eodem spiritu reuelatæ. Quod ex scriptura ostenditur. Nam veritas ipsa Matth. vltimo dicit: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Vnde Rabanus ait: *ex hoc intelligitur, quod vsque in finem seculi non sunt defuturi in mundo, qui diuina mansione & inhabitatione sunt digni*: quibus scilicet ad fidei conseruationem Spiritum sanctum pie tenendum est semper adesse. Vnde Hieron. *Quod igitur vsque ad consummationem seculi cum discipulis se esse promittit: & illos ostendit semper esse victuros, & se nunquam à credentibus recessurum.* Idem aperte conuincitur Actuum 15. dicente Apostolorum & fidelium congregatione, post ambiguitatem illius & terminationem: *visum est enim Spiritui sancto & nobis.* Asseruerunt enim & asserit scriptura ipsorum determinationem in dubietate illa circa fidem factam esse à Spiritu sancto. Cum igitur fideliũ congregatio seu concilium generale per successionem, vere representet congregationem Apostolorum & seniorum, ac reliquorum fidelium in determinandis scripturæ dubiæ sensibus in quibus maxime periculum æternæ damnationis induceret error: verisimile, quinimo certum est, deliberationi vniuersalis concilii Spiritus sancti dirigentis & reuelantis adesse virtutem. Hoc autem deductione infallibili (vt asserunt) ex scriptura vim sumente patere potest. Quoniam frustra dedisset Christus legem salutis æternæ, si eius verum intellectum, & quem credere fidelibus est necessarium ad salutem, non aperiret eisdem hunc quærentibus, & pro ipso inuocantibus simul, si circa ipsam pluralitatem fidelium errare fineret. Quinimo talis lex non solum foret ad salutem inutilis, sed in hominum æternam perniciem tradita videretur. Et ideo pie tenendum est, determinationes conciliorum generalium in sensibus scripturæ dubiis à Spiritu sancto originem sumere.

Cap. II.

In quo ponitur secunda opinio, quæ tenet vltra primam, scilicet quod etiam decretis & decretalibus summorum pontificum & Apostolorum canonibus, qui in Biblia non habentur, & dictis Doctorum ab ecclesia approbatorum, est fides indubia adhibenda. Ad allegationes pro secunda tertia & quarta parte adductas respondetur infra c. 25.

Discipulus. Opinionem aliam recitare non differas. *Magist.* Alia est assertio, quod non solum scripturis canonicis & determinationibus seu interpretationibus conciliorum generalium est de necessitate salutis præstanda firma credulitas: sed etiam decretis & decretalibus epistolis summorum pontificum, nec non & Apostolorum canonibus, qui in Biblia non habentur, & dictis Doctorum ab ecclesia approbatorum, est fides absque dubitatione aliqua adhibenda. Quod enim Apostolorum canonibus supra dictis sit fides certissima adhibenda, videtur asserere Zephernius Papa. Qui, vt habetur *distin. 16. c. sexaginta*, ait: *sexaginta sententias Apostoli perscripserunt, cum aliis quamplurimis epistolis, & seruandas eas esse censuerunt.* Item Leo Papa, vt habetur in eadem *distinct. cap. Clementis*, ait: *Clementis librum, id est Petri Apostoli itinerarium, & canones Apostolorum, numerant patres inter Apocrypha, exceptis 150. quæ decreuerunt orthodoxæ fidei adiungenda.* Item sexta synodus, vt legitur eadem *distinct. cap. placuit*, ait: *placuit huic sanctæ synodo, vt amodo confirmata & rata sint canones Apostolorum 85. cap.* Hoc idem testatur Isidor. Qui, vt ibidem habetur, ait: *propter eorum auctoritatem cæteris conciliis præponimus canones, qui dicuntur Apostolorum: licet à quibusdam Apocryphi dicantur: quam plures eos receperunt, & sancti patres eorum sententias, synodali auctoritate roborauerunt, & inter canonicas posuerunt constitutiones.* Ex his colligitur, quod saltem quibusdam canonibus Apostolorum est credulitas adhibenda indubia.

Quod vero decretis & decretalibus summorum pontificum credulitatem ac reuerentiam catholici debeant exhibere, testantur & Nicolaus Papa & Agatho Papa, quorum assertiones habentur *distinct. 19. cap. si Romanorum & c. sic omnes.* Ad quod etiam probandum aliæ auctoritates sanctorum patrum possent adduci, quæ abbreuiationis causa non allegantur ad præsens.

Quod vero dictis Doctorum ab ecclesia approbatorum oporteat credere *distinct. 15.* affirmari videtur, vbi diuersorum patrum recipienda enumerantur opuscula. Hoc etiam ratione probatur. Quia assertiones summorum pontificum non solum in diffinitione causarum & negociorum sunt recipiendæ: sed etiam in expositione scripturarum sanctarum, quibus in expositione scripturæ præferuntur sancti patres tractatores diuinarum scripturarum, *dist. 20. §. 1.* Igitur expositiones huiusmodi tractatorum recipiendæ sunt. Quod vero dicta summorum pontificum etiam in expositione seu interpretatione scripturę sint recipienda, Hormisda Papa videtur asserere, qui, vt habetur *distinct. 15. cap. si ille*, ait: *nemo mihi, alia qualibet contra auctoritatem sedis Apostolicæ, vel contra 318. episcoporum & reliquorum canonum constituta obiiciat: quia quicquid contra illorum diffinitionem, in quibus Spiritum sanctum credimus locutum, dictum fuerit, recipere non solum temerarium, sed etiam periculosum esse non dubito.* Huic consentire videtur Nicolaus Papa: qui vt legitur *25. quæst. 2. cap. si quis*, ait: *si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro catholica fide, vel ecclesiastica disciplina, pro correctione imminentium vel futurorum malorum à sedis Apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.* Hoc idem per alios canones quamplurimos affirmari videtur.

Cap. III.

In quo ponitur tertia opinio vltra præcedentes, ponens quod etiam doctoribus ab ecclesia non approbatis est fides adhibenda, & hoc probat septem rationibus, ad quas respondetur capitulo 26.

Discipulus. Est ne alia opinio aliquid superaddens prædictæ? *Magist.* Est quorundam opinio, quod non solum Christiani tenentur prædictis firmiter adhærere: sed etiam doctoribus, qui non sunt ab ecclesia approbati, & qui se inuicem reprobant, etiam circa illa quæ contingunt catholicam fidem, quantum ab ea in quibus omnes vel plures & præcipue magis famosi concordant, alii scil. Christiani credere constringuntur.

Discip. Scio plures, qui hoc sentire videntur, sed non sum memor quod audierim vel viderim quenquam eorum hoc auctoritate vel ratione probare. Ideo tu ad hoc allegationes aliquas nitaris inuenire. *Magist.* Quod hoc pluribus modis probari possit, apparet. Nam illis oportet adhibere fidem, quibus non credere est iniquum. Sed non credere doctoribus est iniquum, teste

teste Leone Papa, qui, vt habetur *24. q. 3. c. quid autem*, ait: *quid autem iniquius est, quam impia sapere, & sapientibus doctoribusq; non credere?* Ergo doctoribus est credendum, præsertim quantum ad illa, in quibus omnes vel plures & magis famosi consentiunt. Amplius, in intelligendis scripturis diuinis, illis [illegible] credendum, à quibus scripturæ sunt discendæ, teste beato Clemente, qui, vt legitur *distinct. 37.* [illegible] *relatum*, ait: *oportet ab eo scientiam discere scripturarum, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi* [illegible]. Igitur maioribus est credendum. Doctores autem sunt maiores. Ergo oportet doctoribus credere. Item præsumendum est pro multitudine & maxime sapientum *distinct. 19. in canonicis. Et* [illegible] *nullus inuitus*. Sed illis credendum est, pro quibus præsumitur. Igitur credendum est multitudini doctorum, cum inter sapientes debeant computari. Rursus, ille prudentiæ suæ innititur, qui ea quę sibi credenda seu tenenda videntur, doctorum assertionibus præsumit præponere, vt colligitur ex verbis Hieron. quæ ponuntur *extra de constit. ne innitaris*. Nemo autem prudentiæ [illegible] inniti, Salomone hortante Prouerb. 3. qui ait: *ne innitaris prudentiæ*. Ergo assertionibus, quibus concordant doctores, nullus debet sententiam suam præponere. Et per consequens omnes alii doctorib⁹ in huiusmodi credere constringuntur. Præterea, fide dignorum testimonio est credendum. Doctores autem, qui fide digni sunt censendi, testes sunt assertionum suarum, quemadmodum Apostoli appellantur testes Christi, quia euangelicam ausi fuerunt asserere veritatem. Ergo quando doctores concordant, præsertim famosi, alii credere tenentur eidem. Adhuc vnicuiq; experto & perito in aliqua scientia est credendum. Doctores autem Theologiæ sunt experti & periti in theologica facultate. Ergo credendum est eisdem.

CAP. IV.

In quo ponitur quarta opinio media inter alias scilicet quod de necessitate salutis non tenentur fideles credere, nisi contentis in Biblia & scriptoribus eiusdem & vniuersali ecclesiæ & Apostolis.

DIscipulus. Si est aliqua opinio, quæ omnibus obuiet suprad ctis, ipsam audire desidero, vt mihi detur occasio intelligendi profundius veritatem. *Magist.* Est quædam opinio, quæ viam eligens mediam prædictis omnibus in aliquo aduersatur: tenens q scripturæ diuinæ contentæ in Biblia, & eiusdem sacræ scripturæ scriptoribus, & vniuersali ecclesiæ, atque Apostolis, absq; vlla dubitatione in omnibus est credendum. Nullis aliis, quantacunque doctrina vel sanctitate præpolleant, est in omnibus absque omni exceptione fides necessario adhibenda. Ita quod nec in concilio generali, si esset congregata vniuersalis ecclesia, nec decretis aut decretalibus, vel assertionibus summorum pontificum, nec doctorum dictis (siue fuerint ab ecclesia approbati, siue non fuerint approbati) est necessario credulitas in omni dicto & casu absque omni exceptione præstanda: licet in multis negari non debeant, & quo ad multa Christiani ipsis credere teneantur. *Discip.* Istam opinionem alias non audiui nec legi Ideo vt cognoscam quod aliquid apparentiæ vel veritatis contineat, ipsam intendo aliqualiter tecum discutere. Videtur primo, quod sibiipsi repugnet. Nam sicut qui in vno criminosus ostenditur, in nullo negocio admittendus est tanquam testis veritatis, sed suspectus est habendus. Ita qui in vno errat vel errare potest, in nullo sibi necessario est credendum, sed merito potest haberi suspectus: quod sicut errat in vno, ita errat in alio. Quod de intentione August. videtur esse aperte, secundum quam si in scripturis diuinis aliquod mendacium etiam minimum reperiretur, ei fides esset minime adhibenda. Vnde dicit in prima epistola ad Hieron. vt habetur dist. 9. cap. *si ad scripturas sanctas admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid eis remanebit auctoritatis?* Quasi diceret, nihil. Si ergo concilio generali, summis pontificibus & quibuscunque doctoribus non est necesse in omnibus credere: sequitur, quod in nullo est eis fides necessario adhibenda. Cuius oppositum opinio prædicta tenere videtur. Videtur ergo quod sibimet repugnet. Tu vero narra, quomodo ad hæc opinio eadem respondere conatur *Magist.* Respondetur, quod secus est de criminoso, & de errante vel potente errare absq; omni crimine & peccato. Criminoso enim in nullo credendum est: vnde nec ad testimonium debet admitti. Ex quo enim damnabiliter à regula rationis recessit, non est firmiter præsumendum, quod rationem & veritatem velit in quocunq; tenere: nisi forte in aliquo, quod ad concupiscentiam vel commodum eius absque omni contrario suæ voluntati pertineat. Sed de errante aut potente errare absq; omni crimine & peccato, nisi forte veniali, non est præsumendum, quod velit scienter aliquid asserere contrarium veritati. Vnde & errantes in quibusdam, & opiniones falsas non scienter nec culpabiliter absque assertione, adhæsione vel defensione temeraria vel pertinaci aut damnabili tenentes, ad perhibendum testimonium veritati in iudicio, & extra debent admitti, & in multis debet adhiberi fides eisdem. Et ideo quamuis secundum istam opinionem non sit necessarium in omni dicto & casu abq; omni exceptione credere concilio generali, Romanis pontificibus & doctoribus quibusq;, tamen in multis est credendum eisdem: quemadmodum eorum testimonia sunt etiam in iudicio admittenda. Sed si generale concilium quodcunq; vel Romanus pontifex, aut quicunq; doctor scienter vel culpabiliter aliquod falsum assereret vel defenderet, vel quomodolibet adhæreret, nulli assertioni eius nisi aliter de eius veritate constaret, esset fides vel credulitas firmiter adhibenda. *Discip.* Contra ista auctoritas August. militare videtur. Ideo dic quomodo isti respondent ad istam. *Magist.* Respondetur, quod August. loquitur de scripturis, qua-

ris quarum omnibus partibus est eadem ratio præstandi fidem. Et de omnibus talibus verum est: si vna sola pars inueniretur falsa, nulli parti talis scripturæ esset credendum, propter hoc quod ibi sic scribitur. Talis autem est scriptura diuina: quia cuilibet assertioni contentæ in ipsa, ideo fides præstanda est, quia instinctu Spiritus sancti ibidem est scripta & asserta. Sed quando est aliqua scriptura totalis, & non eadem ratio præbendi credulitatem cuilibet parti eius: quamuis vna pars admittatur, alia potest non admitti: quemadmodum libri Philosophorum & Poetarum & aliorum gentilium ac etiam secularium pro parte admittuntur & pro parte repelluntur. *dist. 37. §. sed econtra & c. turbat & c. si qui veri.* Dicit Gloss. *accipi argumentum, quod testes & instrumenta possunt in parte rata haberi, pro parte non.* Sic etiam donatio pro parte est valida, pro parte non, argumentum *17. q. 4. quast.* Et vtor pro me, quo non vtor contra me, vt notat Gloss. *dist. 9. c. 1.* sic dicitur quod generali concilio & aliis in vno casu est credendum & in alio non: quia non est eadem ratio credendi in omnibus.

Cap. V.

Assignat causam, quare non sit credendum in singulis concilio generali.

Discipulus. Quod recitasti de differentia inter criminosum errantem seu errare potentem absque peccato, quantum ad hoc quod non criminoso, sed alii est sæpe credendum, apparentiam videtur mihi habere: ex quo plura cogitandi est mihi data occasio. Nunc autem dic, quare tenet prædicta opinio, quod non est credendum in omnibus absq; omni exceptione generali concilio & aliis qui non fuerunt scriptores scripturæ diuinæ, qui nec soli ecclesiam vniuersalem constituunt. *Magist.* Hoc dicit propter hoc, quod concilium generale & omnes alii supradicti possunt errare etiam culpabiliter contra veritatem orthodoxam & aliam. *Discip.* Si concilium generale potest errare, multo fortius & Romanus pontifex, & quælibet alia congregatio partialis, ac quilibet doctor & scriptor, qui non fuit scriptor sacræ scripturæ, errare valebit. Et si non in omnibus absque omni exceptione est concilio generali credendum: multo magis aliis in omnibus absque omni exceptione minime est credendum. Quare sufficiat nobis ad præsens hoc de concilio generali tractare scil. opinionem præscriptam. Sane de his & aliis, quæ spectant ad ipsam *primam partem nostri Dialogi lib. 5. c. 26. & 27. 28. & 29.* aliquantulum diffuse tractauimus. Ideo circa hoc noli hoc diu morari, sed aliqua motiua breuiter tange absque deductione prolixa. *Magist.* Motiua ibi tractata fundantur principaliter in hoc, quod vna est sola ecclesia, scil. militans vniuersalis & tota (cuius concilium generale est solum modo pars) quæ non potest errare contra fidem. Et in hoc, quod illa congregatio, quæ valet ex voluntate humana dissolui & cessat (cuiusmodi est concilium generale) potest contra fidem errare. Et in hoc quod omnes illæ personæ, quæ existentes in diuersis locis possunt contra fidem errare, possunt etiam, si ad eundem locum conuenerunt. Et in hoc, quod nulla vocatio humana facta pluribus personis, præsertim paucis, potest eas confirmare in fide. Et in hoc, quod congregati in concilio generali non sunt dicendi non posse errare, neq; propter sapientiam eorundem, neq; propter sanctitatem, neq; propter auctoritatem vel potestatem, neq; propter promissionem factam à Christo, quæ saluari potest, si fides in aliis extra concilium generale remaneat. Quibus additur allegatio talis. Omnis congregatio illorum, qui pauci sunt respectu aliquorum catholicorum etiam prælatorum potest contra fidem errare: quia non est tenendum necessario, quod quidam pauci sint in fide confirmati, quantumcunq; insimul congregentur. Quamuis enim sæpe legatur, quod præsumendum est pro multitudine, vt notat Gloss. *dist. 19. in canonicis*: non tamen ita legitur, quod præsumendum sit pro paucitate. Cum igitur non sit taliter pro multitudine præsumendum, quin liceat credere multitudinē posse errare, dicente Domino Exod. 23. *Non sequeris turbam ad faciendum malum*: multo minus præsumendum est pro paucitate. Et per consequens non est necesse credere quoscunq; paucos, quorum nullus confirmatus est in fide, non posse errare. Sed pauci Christiani etiam respectu episcoporum possent sufficere ad celebrandum concilium generale, sicut sæpe respectu multitudinis prælatorum pauci ad generale concilium conuenerunt. Nam vt legitur in decretis *dist. 18. c. sexta synodus*, in generali concilio Anquiritano fuerunt solummodo 18. patres: in Antiocheno fuerunt patres 30. in Arelatensi fuerunt 19. in quodam alio Arelatensi fuerunt 11. patres. In alio Arelatensi fuerunt 18. in concilio Aurasicensi fuerunt 16. in Empanensi fuerunt 16. in Aureliensi fuerunt 31. In Auernensi fuerunt 15. in Maticensi fuerunt 21. in Lugdunensi fuerunt 17. in alio Lugdunensi 20. Igitur concilium generale potest errare contra fidē. Amplius, illa congregatio potest errare contra fidem, quę ad hoc, quod autentica sit censenda, indiget ab homine confirmari, qui valet contra fidem errare. Quia non magis confirmatur in fide indigens confirmatione, quam confirmans. Sed concilium generale, vt sit autenticum & vt eius assertio vel diffinitio sit reputanda autentica, & vt auctoritatem obtineat, indiget confirmari à Papa, qui potest contra fidem errare, teste Gelasio Papa, qui, vt habetur *23. q. c. 1.* ait loquens de sede prima, per quam Papam intelligit, quod *vnamquamq; synodum sua auctoritate confirmauit & cōtinuata moderatione custodit.* Cui concordare videtur Pascasius Papa, qui, vt habetur *extr. de electi c. significasti*, ait: *cum omnia concilia per ecclesiā Romanā auctoritatem & facta sint & robur acceperunt.* His consentit Iulius Papa, qui vt habetur *distinct. 17. cap. regula*, ait: *nec vllum ratum est aut erit vnquam concilium, quod eius*, (scil. Romanæ ecclesiæ) *non fuerit fulcitum auctoritate.* Hinc Gratianus *25. quast. 1. §. his ita respondetur*, loquens de sacris canonibus etiam generalium conciliorū ait: *sacri quidē canones ita aliquid constituunt, vt sua interpretationis auctoritatē sancta Romana ecclesia reseruet.*

Et

Et his aliisq; quampluribus colligitur, quod concilium generale Papa confirmat, & ei auctoritatem praestat. Papa autem potest errare contra fidem. Igitur etiam concilium generale potest errare contra fidem. Et ita non est necessarium in omnibus absq; omni exceptione credere concilio generali: praesertim cum secundum quosdam aliquando errauerit, vt eis apparet, & *in prima parte istius Dialogi li. 5.* extitit probatum.

CAP. VI.

Vbi ostenditur, in quibus credendum est concilio generali, & in quibus non.

DIscipulus. Sicut superius recitasti *c. 6.* quamuis secundum istam opinionem non sit simpliciter necessarium credere in omnibus (absq; omni exceptione) concilio generali: tamen secundum eandem in multis negari non debet, & quo ad multa Christiani tenentur eidem credulitatem praestare. Ideo ista duo vltima nunc secundum opinionem saepe dictam declara. *Magist.* Ad euidentiam istorum dicitur esse sciendum, quod eorum quae asseruntur per concilium generale, quaedam consistunt in facto, quia videlicet cōcilium generale narrat & asserit illa, quae facta sunt: quemadmodum historia scripturae Diuinae narrat rem gestam. Quaedam autem non consistunt in facto, sed in ipsa natura rei, de qua loquitur. Sicut cum narrat & asserit ea, quae spectant ad naturam Dei & creaturarum siue simplicium siue compositarum, vel etiam illarum quae vnitatem solummodo aggregationis vel ordinis habere noscuntur. Per istam distinctionem conatur ista opinio declarare praescripta dicens: quod si concilium generale erraret siue circa illa quae consistunt in facto, siue circa alia, ille cui hoc constaret, ei credere non deberet, & eidem liceret in hoc contradicere, & negare concilium generale. Ille autem, cui hoc non constaret, quantum ad illa quae facti sunt deberet credere assertioni & testimonio concilii generalis, praesumendo quod concilium generale quantum ad illa quae facti sunt, nihil assereret, nisi quae essent sibi certa. Quemadmodum etiam iudex tenetur credere testibus, etiam quos non potest repellere, & reputare debet idoneos & veraces, licet in rei veritate deponant falsum. Nec iudex ignoranter credendo falsis testibus peccat: imo peccaret, si non crederet, ex quo nihil habet contra ipsos, vnde suspicari possit quod falsum dicant. Sic fideles ignoranter credentes concilio generali erranti non peccant in huiusmodi: imo si nollent adhibere fidem, peccarent, ex quo nihil habent contra concilium generale. Si autem concilium generale erraret circa alia, quam circa ea quae facti sunt (puta illa, quae de Deo vel creaturis in sacris literis asseruntur) nulli Christiano, cui hoc non constaret, liceret assertionem concilii generalis negare, nec de ea publice disputare, nisi aliqui periti, & opinionis laudabilis impugnarent eandem. Et hoc propter scandalum euitandum, & vt concilio generali à quolibet, qui nescit ipsum errare circa huiusmodi, honor & reuerentia debita deferatur: Debentq; singuli etiam qui assertionem contrariam antea tenuissent, nō tamen fuissent certi explicite pro assertione concilii generalis praesumere, & quasi conditionaliter adhaerere, si scilicet non est contraria catholicae veritati, ita vt publice non teneant opinionem contrariam etiam opinando, in mente tamen possunt opinari contrarium, & sollicite scrutando scripturas quaerere veritatem. Si autem concilium generale non errat circa huiusmodi, quae non consistunt in facto, nulli licet maxime publica assertione ipsum negare, nec contrarium opinari, aut quomodolibet etiam dubitando publice defensare, etiam si prius opinatus fuisset contrarium. Cum de contrario, etiam ex quo est falsum, nemo possit esse certus, licet quis deceptus posset putare se esse certum. Si autem non errat circa ea, quae in facto consistunt, ei omnes Christiani sine dubitatione credere debent, quia cum non errat, non possunt Christiani probabiliter suspicari, quod aliquo decipiatur errore in asserendo, vel narrando veritatem rei gestae.

CAP. VII.

Exponendo praecedens capitulum 6. quaerit, quare aliter debent se habere Christiani adhaerendo in concilio generali in his quae sunt facti: & aliter in his, quae sunt scientiae & iuris.

DIscipulus. Ista opinio multa tenet, quae magna discussione indigere videntur. De quibus forsan postea conferam tecum. Sed omissis ad praesens aliis, solummodo dicas, quare dicit aut innuit, quod aliter se possunt & debent habere Christiani in adhaerendo concilio generali, cum asserit aliquid circa ea quae facti sunt, & cum aliquid asserit circa alia, illa scilicet quae scientiae sunt, & non facti. *Magist.* Vt hoc melius intelligas, scire debes, quod ea quae facti sunt in multiplici differentia sunt. Quaedam enim explicite in scripturis Diuinis habentur, sicut quod Apostoli circumibant cum Christo, quod Paulus fuit Romae, & huiusmodi quae in libris historialibus Bibliae affirmantur. Quaedam vero non reperiuntur in Biblia, sed ab aliis quam à scriptoribus Bibliae, eorum accipitur certitudo, qui ipsa explicite in suis inseruerunt historiis. Quaedam autem in huiusmodi solum habentur implicite, ita quod absq; subtili deductione ex illis minime elici possunt. Quaedam autem in libris huiusmodi non habentur, sed ipsis narrantibus per seipsos sunt nota. Et de istis principaliter intelligit opinio supra scripta. Rursus, non solū eorū quae facti sunt, sed etiam aliorū quędam continentur in scripturis diuinis explicite, & quaedam implicite, ita quod nisi à doctis cum magno labore, & studio ex illis quae in scripturis habentur, inferri non possunt. Et de istis etiam locuta est memorata opinio.

Ex his dicitur, quod quia pauciores homines rarius decipiuntur, vel decipi possunt in factis & gestis, quę per seipsos cognoscunt, quam in his, quæ solummodo ex aliis subtili & multis incognita ratiocinatione eliciunt. Ideo magis creditur hominibus in his quæ asserunt se vidisse, vel audiuisse, aut aliquo sensu alio percepisse, quam in his quę ex dictis aliorum, vel etiam ex sibi notis arguendo concludunt.

Vnde & sępe Doctori Theologiæ de aliquo facto testimonium perhibenti, multi absq; dubio credunt: qui tamen opinionibus eius, quantum ad ea quæ sunt scientiæ & iuris (quamuis firmissime, imo pertinaciter adhæreat eis) non credunt. Imo ipsum errare & falsa dicere, & asserere firmissime putant. Quia tenent quod scienter non diceret falsum, & arbitrantur, quod de illo quod est facti est certus, quem deceptum circa alia, scilicet scientiæ & iuris arbitrantur. Sic dicunt de concilio generali, quod cum asserit aliquid quod facti est, quod dicit per seipsum cognoscere, vel inuenisse explicite in scripturis diuinis, vel in libris illorum, quibus quantum ad illa quæ asseruntur se cognoscere per seipsos, est credendum ab omnibus, qui de contrario non sunt, vel non possunt esse certi, semper est adhibenda fides concilio generali, nisi possit probari contrarium. Quo ad alia autem, quæ taliter minime cognoscuntur, sed solummodo arguendo ex aliis accipitur eorum notitia à peritis & scientibus argumenta sophistica à veris discernere, non est necessarium, tantam credulitatem præstare concilio generali. Eo quod notum est per certum plures literatos, & qui periti putantur, quantumcunq; sint in concilio generali, nescire in multis sophismata à veris argumentis discernere. Quia tamen plurimi fallaciarum naturam ignorantes: etiam qui memoriam literarum supra alios habere noscuntur, non solum in Theologia & Philosophia, sed etiam in scientiis legalibus paralogisantur, credentes demonstrationem & infallibile facere argumentum, quando (quamuis ignoranter) sophistice omnino procedat. Ideo quando in generali concilio congregati, præsertim si pauci sint, sicut aliquando fuerunt solummodo vndecim, quemadmodum probatum est prius, & in scientia discernendi sophisticas rationes à veris sunt minime eruditi, vel non sunt notabiliter excellentes, non est tanta fides adhibenda eisdem, quando ratiocinando ex aliis quamuis indubiis, aliquam assertionem determinant, quanta adhibenda eis esset, si aliquid quod facti est, assertiue proferrent, firmiter affirmando, hoc vel per seipsos euidenter cognoscere, vel per illos quibus omnino in huiusmodi est credendum.

CAP. VIII.

Ad rationem primæ opinionis primo respondet quarta opinio, ostendendo quod concilium generale non innititur reuelationi diuinæ, neq; Spiritui sancto, nisi secundum influentiam generalem: & hoc duabus rationibus.

DISCIPULUS. Reor me aduertere intellectum opinionis prædictæ: quæ quo ad multa fundatur in hoc, quod concilium generale potest contra fidem errare: cuius contrarium tenet & probare conatur prima opinio superius *1. c.* recitata. Ad cuius allegationes narra qualiter ista opinio vltima nititur respondere. *Magist.* Ad primam cum innuit, quod pie tenendum est interpretationes concilii generalis esse nobis reuelatas ab eodem spiritu, à quo reuelatæ sunt Diuinæ scripturæ. Respondetur, quod non est necesse, nec semper oportet omnes Christianos hoc credere, quia concilium generale sæpe innititur vel inniti potest sapientiæ humanæ: quæ deuiare potest à vero. Et ideo non oportet de necessitate salutis credere: quod quicquid concilium generale diffinit circa fidem tenendum, quod illud diffiniat tanquam sibi reuelatum à Deo, & quod tunc spirituali reuelationi innititur. Quod pluribus modis videtur probari. Nam vbi aliquid speratur reuelandum à Deo, non studio & meditationi humanæ, sed solummodo orationi vel aliis bonis operibus oportet insistere: vel saltem minus oportet insistere studio, quam aliis operibus bonis.

Hinc est quod cum Daniel speraret somnium Nabuchodonosor & interpretationem eius sibi reuelandam à Deo, socios suos hortabatur, vt non per studium, quamuis essent docti, sed per orationem & supplicationem à Deo tantum quærerent sacramentum. Quod postea per orationem se asseruit Daniel consecutum, cum dicat ca. 2. *Tibi Deus patrum nostrorum confiteor, teq; laudo, quia sapientiam & fortitudinem dedisti: & nunc ostendisti mihi, quæ rogauimus te: quia sermonem regis aperuisti nobis.* Hinc etiam Christus, quia promisit Apostolis se reuelaturum eisdem, quæ oporteret eos loqui, cum ducendi essent ante reges & præsides, ipsis inhibuit ne studio tunc vacarent, dicens eis, vt habetur Matth. *1. Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus patris mei, qui loquitur in vobis.* Quando igitur per reuelationem aliquid solummodo est sperandum, non est studio & meditationi humanæ, sed orationi vacandum. Sed cum in concilio generali est quæstio fidei terminanda, meditationi scripturarum insistitur. Ergo non per reuelationem est necessaria quæstio fidei in concilio generali terminanda, sed per sapientiam, quæ habetur & haberi potest per studium & meditationem humanam, poterit eadem quæstio terminari, licet Deus de gratia speciali ipsam valeat reuelare. Non est tamen tenendum certitudinaliter, quod per reuelationem habeatur, nisi Deus hoc miraculose & aperte reuelet. Amplius, quando certitudinaliter tenendum est aliquid per reuelationem habendum, pro eodem adipiscendo non ad sapientiores, sed ad meliores, siue sint literati siue illiterati, siue clerici siue laici, siue sint viri siue fœminæ: vel ad Prophetas, est rationabiliter recurrendum.

Quia

[illegible] sapientioribus, sed melioribus Deus communiter sua secreta reuelat. Quod veritas ipsa te- [illegible] dicit, Matth. 11. *Confiteor tibi Domine pater cœli & terra, quia abscondisti hæc à sapientibus* [illegible] *reuelasti ea paruulis.* Hinc sanctus ille rex Iosias, vt habetur 3. *Reg* 22. cum vellet per re- [illegible] voluntatem Dei de verbis voluminis reperti in templo, misit ad Elchiam sacerdo- tem [illegible] etiam ipsos sacerdotes & peritos legis Diuinæ: & ab ipsis sacerdotibus & peritis legis veritatem minime requisiuit, licet Malachiæ 2. dicantur: *labia sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirunt ex ore eius.* Quia ex ore sacerdotis, qui scientiam & legem Dei explicite scire tenetur, requirenda est lex Dei, quantum ad illa quæ per exercitationem & meditationem in lege haberi possunt. Quantum ad illa autem, quæ per reuelationem sunt habenda, ad habentes spiritum Prophetiæ, si qui sint, & ad sanctiores, quorum orationes sunt Deo magis acceptæ, est principaliter recurrendum. Nec quantum ad huiusmodi est necessario magis lex requirenda ex ore sacerdotis & summi pontificis, quam ex ore viduæ vel laici literas nescientis. Sed pro quæstione fidei terminanda in concilio generali, ad sapientiores magis literatos, siue sint meliores siue non, etiam secundum communem opinionem hominum recurritur. Ergo non est tenendum necessario, quod semper per reuelationem Diuinam quæstio fidei terminetur. Ex his colligitur, quod non est necesse tenere semper quæstionem fidei per reuelationem in generali concilio terminari: sed tenendum est (nisi contrarium reueletur miraculose à Deo) quod Deus permittit, vt congregati in concilio generali, in diffiniendo quæstionem fidei, & in aliis, secundum proprium sensum procedant, assistente sibi Diuina influentia generali. Et ideo conceditur, quod non est impossibile, concilium generale errare. Quod adhuc iuxta prædicta tali modo probatur. Existentes in concilio generali, tractantes, & deliberantes, ac diffinientes quæstionem fidei, aut innituntur præcise reuelationi Diuinæ, aut innituntur sapientiæ & virtuti humanæ. Primum non potest dici: quia tunc iuxta prædicta pro quæstione fidei terminanda non oportet consulere in sacra scriptura peritos, nec volumina Diuina mente reuoluere, nec opus esset cogitare quomodo esset quæstio fidei terminãda: sed totum esset committendum Deo, solummodo per orationem inuocando ipsum, qui solus potest reuelare quamlibet catholicam veritatem. Quod tamen non fit, quando quæstio fidei est in generali concilio. Quoniam de ipsa deliberant, & veritatem ex literis sacris nituntur elicere, vt iuxta scripturas Diuinas de ipsa diffiniant. Quod concilia generalia de ipsa fecisse hactenus dignoscuntur: Quia per scripturas sacras diffinierunt subortas ex scripturis fidei quæstiones. Ergo existentes in concilio generali, volentes quæstionem fidei terminare, non committunt totum Deo, ab ipso per solam orationem diffinitiones quæstionis fidei postulantes. Ergo innituntur sapientiæ & virtuti humanæ: quia peritiæ innituntur, quam habent de scripturis, & quam per meditationem sollicitam habere possunt. Sed cum in omnibus, quæ innituntur sapientiæ & virtuti humanæ, error poterit reperiri. Ergo existentes in concilio generali circa quæstionem fidei terminandam possunt errare. Nec est necesse tenere, quod congregati in concilio generali semper & in omnibus tractatibus suis, etiam quando tractatur de quæstione fidei terminanda, aliter dirigantur à Spiritu sancto, quam Papa, quando tractat negotia cum cardinalibus in consistorio suo: vel quam patriarchæ seu primates aut Archiepiscopi vel metropolitani, quando celebrant concilia prouincialia: aut aliter quam Episcopi & alii prælati, quando de Ecclesiasticis disponunt negociis. Licet aliquando accidit, & adhuc poterit accidere, quod ad concilium generale venientes, specialiter à Spiritu sancto dirigantur: & quod eis miraculose veritates aliquæ reuelantur: & quod Deus eos miraculose ab omni errore præseruet: ac diffinitionem eorum circa fidem, & alia ordinata per ipsos manifestis confirmet miraculis. Sed absque operatione miraculi non est necesse tenere, quod aliter aliquid reueletur à Spiritu sancto vocatis ad concilium generale, quam conciliis prouincialibus, & aliis congregationibus Christianorum, de quibus constat, quod non sic dirigantur à Spiritu sancto, quin possint errare tam in moribus quam in fide. Ergo non est necesse asserere contrarium de omni concilio generali. Item, illa congregatio potest errare contra fidem, quæ potest in negotiis male procedere, & malo exitu terminari. Sed hæc de concilio generali possunt contingere. Nam, vt habetur 7. q. 1. c. principatus, *difficile fit vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Ex quo patet, quod omnis congregatio, quæ malo potest inchoari principio, potest non bono exitu terminari. Concilium autem generale potest inchoari malo principio. Concilium enim generale congregandum est per Papam, vt habetur *dist. 17. per totum.* Papa autem cum possit peccare & damnari, ac contra fidem errare mala intentione & corrupta: imo intentione aliquid diffiniendi contra catholicam veritatem, potest congregare generale concilium. Igitur concilium generale malo principio, & corrupta intentione congregatum, malo exitu peragi potest. Et per consequens poterit contra fidem errare.

CAP. IX.

In quo respondetur ad alias rationes primæ opinionis.

DIscipulus. Indica quomodo antedicta opinio ad alias allegationes supra *cap. 1. huius tertii* adductas respondere conatur. *Magist.* Ad illam, quæ in promissione Christi *Matthæi vltimo* est fundata: respondetur, quod Christus futurus est cum Ecclesia vniuersali vsq; ad consumationem seculi.

Et

Et ideo (vt dicit Rabanus, sicut allegatum est) *vsq; in finem seculi non sunt defuturi in mundo, qui diuina mansione & inhabitatione sunt digni.* Ex quibus verbis Rabani colligitur, quod dicta promissio Christi non debet intelligi de concilio generali. Tum, quia non dicit, non sunt defuturi in concilio generali: sed dicit, *in mundo.* Tum quia raro concilium generale est in mundo. Vniuersalis autem Ecclesia semper vsq; ad consummationem seculi erit in mundo. Ergo secundum Rabanum illa promissio Christi, non de concilio generali, sed de vniuersali Ecclesia debet intelligi, vt pie & absq; dubio est tenendum semper Spiritum sanctum adesse vniuersali Ecclesiæ. Sic etiam Hieronymus de vniuersali Ecclesia intelligit, cum dicit, Christum nunquam à credentibus recessurum, quia semper erunt vsque ad consummationem seculi aliqui Christo credentes, siue concilium generale sit, siue non sit. Ad illam allegationem, quę in *Actibus 15.* est fundata, respondetur dupliciter. Vno modo quod determinatio facta per Apostolos, & seniores, de qua fit mentio *Actuum 15.* facta fuit per reuelationem Spiritus sancti miraculosam, qualis adhuc fieri posset in concilio generali. Sed non est necesse quod fiat, nec semper fuit facta, nec forte semper fiet quandocunq; celebrabitur concilium generale. Nec est inconueniens dicere, aliquas reuelationes factas Apostolis: tamen tales non posse fieri in omni concilio generali.

Aliter dicitur, quod Apostoli & seniores absq; reuelatione Spiritus sancti tunc facta eis, ex verbis Christi quæ ab ore eius audierant, & ex factis eius quæ viderant, collegerunt determinationem illam. Viderunt enim ipsum non seruasse legalia multa, & ceremonialia, qui & docuerat eos, non esse necessarium seruare eadem. Quare absq; reuelatione speciali poterant scire, quod credentes conuersi ex gentibus, ad huiusmodi seruanda minime tenebantur. Vnde & Apostolus Paulus ante congregationem illam hoc constanter asseruit. Quod non fecisset, nisi certus de hoc antea extitisset. Et quamuis si omnes alii contradixissent, ipse tamen à sua sententia minime recessisset, ipso attestante, cum ait ad Galatas 1. *Licet nos aut angelus de cœlo* &c. nec tamen pertinax extitisset, licet omnibus aliis restitisset. Et quia circa verum scienter assertum non potest pertinacia inueniri. Cum ergo dixerunt Apostoli, & seniores: *visum est Spiritu sancto & nobis* &c. sub tali intellectu dixerunt, sub quali dixit Apostolus 1. Corinth. 12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritui sancto.* Quia omnia bona sunt à Spiritu Sancto, quamuis Deus in omni tali sermone non faciat nouum miraculum. Et eodem modo respondetur ad auctoritates plurimas asserentes sententialiter, quod sancti patres in conciliis generalibus congregati, illa quæ diffinierunt, statuerunt, & egerunt, à Spiritu sancto inspirati fecerunt. Et per consequens interpretationes, quas fecerunt circa dubia fidei diffinienda, eis reuelata fuerunt. Quia non ideo dicuntur à Spiritu sancto fuisse inspirati, quia ipsis tunc Spiritus sanctus vltra influentiam Spiritus sancti, quæ ad omne opus placens Deo requiritur, aliquod modo speciali, & non solito inspirauit: sed quia Spiritus sanctus ipsos monuit ad rectam diffinitionem fidei faciendam, sicut omnes monet ad quæcunq; opera meritoria exercenda. Propter quod iuxta sanctorum patrum sententiam, concilia generalia, quæ rite, iuste, sancte, & canonice celebrata fuerunt, sunt ab omnibus catholicis deuotissime suscipienda, amplectenda & veneranda. Si tamen non fuissent catholice celebrata, quamuis omnes Episcopi orbis terræ præsentes affuissent, non essent à fidelibus recipienda, sed penitus respuenda. Et si quæratur, quis habet iudicare, an fuerint catholice celebrata? Respondetur, quod quia non diffinierunt aliquid, nisi quod potest elici ex scripturis diuinis: ideo periti in scripturis & habentes aliarũ sufficientem intelligentiam scripturarum, habent iudicare per modum firmæ assertionis, quod diffinita ab eis sunt catholice diffinita. Summi autem pontifices si nõ fuerint præsentes, sed tantummodo auctoritate eorum, præsentibus legatis ipsorum, celebrata fuerunt autentice, iudicare habent quod catholice extiterint celebrata. Si autem summus pontifex pręsens fuerit, sufficit quod autenticet ipsa. *Discip.* Nunquid secundum istam opinionem licet alicui, cui non constat concilium generale rite, & catholice celebratum fuisse, negare illud, quod est per idem concilium diffinitum vel saltem dubitare? *Magist.* Respondetur per distinctionem. Quia tua interrogatio est generalis, non specificans an concilium generale catholice diffiniat, vel erronee. Quia aut concilium generale catholice diffinit aliquid esse credendum, aut erronee. Si catholice: nulli licet publice negare, vel etiam publice dubitare taliter diffinitum. Nulli etiam licet pertinaciter occulte vel etiam mentaliter de tali etiam diffinito dubitare. Non tamen tenetur quis, etiam cui constat generale concilium catholice diffinisse, explicite & absolute absq; omni contradictione explicita & implicita, siue subintellecta credere taliter diffinitum: sed sufficit quod credat implicite. Si vero aliquid diffinitur erronee per generale concilium, siue per congregationem quæ à multitudine fidelium generale concilium æstimatur, ille qui nescit generale concilium siue talem congregationem errare, præsumere debet pro tali concilio vel congregatione, non tamen præsumptione tam violenta, quin probatio sit in contrarium admittenda. Sicut præsumendum est pro sententia iudicis, quamuis in rei veritate iniusta fuerit & iniqua, donec probetur vel constet contrarium. Et ideo postquam per sacras scripturas constitit tale concilium errasse, (siue approbetur, siue reprobetur à Papa) tali generali concilio nullatenus est credendum, sed ab omnibus scientibus etiam publice pro loco & tempore reprobandum. *Discip.* Dic quomodo respondetur ad allegationem sequentem. *Magist.* Ad illam quæ consistit in hoc, quod congregatio fidelium, seu concilium generale per successionem vere repræsentat congregationem Apostolorum, seniorum, ac reliquorum fidelium. Respondetur, quod sola Ecclesia vniuersalis illam congregationem perfectissime repræsentat. Et illa sola sibi succedit proprie & primo. Et ideo illa sola errare non potest. Concilium autem generale

nequa-

nequaquam perfectissime repræsentat eam, nec ipsum illi primo succedit. Neq; successio illa, quam Christus promisit, cesset, ex quo sæpe cessat concilium generale. Illam tamen congregationem Apostolorum & aliorum repræsentat & quodammodo sibi succedit. Quemadmodum Papa cum collegio cardinalium aliquo modo repræsentat congregationem eandem, & aliquo modo succedunt: qui tamen tam in pertinentibus ad fidem, quam in moribus possunt errare. Et ita per repræsentationem & successionem huiusmodo probari non potest, quod concilium generale errare nequit.

CAP. X.

Vbi pro quinta allegatione primæ opinionis in 1. c. duplicem distinctionem ponit, per quas etiam respondetur ad eandem.

DIscipulus. Narra quomodo respondetur ad vltimam allegationem adductam ad probandum, quod concilium non potest errare, quæ consistit in hoc quod frustra dedisset Christus legem salutis æternæ, si eius verum intellectum quærentibus minime reuelaret. *Magist.* Respondetur per duplicem distinctionem. Quarum prima est, quod eorum quę in conciliis generalibus determinantur & determinari possunt, & similiter quę possunt esse dubia circa fidem: quædam sunt quæ ex scripturis diuinis deductione infallibili possunt inferri, ita quod quamuis nec illud quod infertur, nec illud vel illa ex quo vel ex quibus infertur, possit vel possunt naturali ratione esse notum vel nota: tamen illatio potest naturaliter esse nota, cum etiam illatio falsi ex falso & falsis possit naturaliter & infallibiliter esse nota. Quædam sunt quæ ex scripturis diuinis infallibili deductione inferri non possunt: quemadmodum beatum Hieronymũ & beatam virginem esse corporaliter in cœlo ex scripturis certitudinaliter haberi non potest. Sicut etiam nec, quod illi de quibus dicitur Matth. 10. *Multa corpora sanctorum surrexerunt cum eo* &c. corporaliter ascenderint in cœlum, nec quod corporaliter non ascenderunt, infallibiliter deduci non potest ex scripturis diuinis.

Secunda est, quod dubium circa fidem siue circa diuina, & ea quæ spectant ad salutem potest esse duplex. Quia aliquod est, cuius notitia explicita est necessaria ad salutem: & aliquod, cuius notitia explicita non est necessaria ad salutem. Per hoc respondetur ad allegationem prædictam, quia in concilio generali proponitur aliquod dubium terminandum, quod ex scripturis Diuinis deductione infallibili & naturaliter nota saltem sapientibus & peritis potest inferri: aut proponitur aliquid terminandum, quod ex scripturis Diuinis inferri non potest, sed per solam reuelationem Diuinam potest haberi. Rursus aut necessaria est fidelibus notitia illius, quod proponitur in generali concilio determinandum, aut non est necessaria fidelibus. Si illud quod proponitur in concilio generali potest infallibili deductione ex scripturis Diuinis inferri, & notitia eius est necessaria fidelibus, non exclusa oratione & aliis operibus bonis, debent sapientes in concilio generali congregati diligentissime scrutari scripturas sacras, exemplo illorum, de quibus dicitur Actor. 17. *Susceperunt verbum cum auiditate quotidie scrutantes.* Si enim hæc ita se habeant, ne concilium generale & quilibet catholicus tentare Dominum videatur, cum aliquid sibi incumbit agendum, debet facere quicquid rationabiliter & prouide potest, exemplo Abrahæ, qui secundum August. *in quæstionibus Genesis* & habetur *23. q. 2. c. quæritur*, cum ingrederetur Ægyptum, timens propter pulchritudinem vxoris Ægyptios, quod potuit, fecit: quod non potuit Deo commisit, in quem sperauit.

CAP. XI.

Quoniam 10. c. quintæ allegationi primæ opinionis non ex toto, sed incomplete respondit: ideo nunc completam solutionem & ad formam repetit & soluit.

DIscipulus. Per prædicta narra, quomodo respondetur ad allegationem contrarium opinantium. *Magist.* Respondetur, quod cum accipiunt, *frustra dedisset Christus legem salutis æternæ, si eius verum intellectum & quem credere fidelibus est necessarium ad salutem, non aperiret eisdem hunc quærentibus, & pro ipso inuocantibus simul, sed circa ipsum fidelium pluralitatem errare sineret*; respondetur, quod si per pluritatem fidelium, hoc est Christianorum recte credentium intelligant totam Ecclesiam seu congregationem fidelium, loquendo de vero intellectu cuiuscunq; contenti in lege Diuina, qui est necessarius ad salutem secundum quod verba eorum prætendunt: & de apertione talis intellectus per scripturas vel reuelationem congregatis in concilio generali concedo antecedens. Nam & quando celebratur concilium generale & quando non celebratur multa necessaria ad salutem aperiuntur vel aperiri possunt tam per scripturas quam per reuelationem miraculosam illis, qui non sunt in concilio generali, per quos ad existentes in concilio generali potuerunt peruenire, si digne extiterit celebratum vel fuerit necessarium Christiano populo ad salutem. Et ita ex hoc probari non potest, quod necesse sit credere determinationes conciliorum generalium in sensibus scripturæ dubiis a Spiritu sancto suæ veritatis originem habere illo modo, quo scripturæ Diuinæ eius sunt scriptoribus inspiratæ. Tum, quia intellectus legis necessarius ad salutem potest aliis aperiri vel per scripturas vel per miraculosam operationem. Quod non debet mirabile vel incredibile reputari, cum plures sæpe sapientiores & meliores non conueniant ad concilium generale, quam sint ibi congregati:

possitq;

possitq; generale concilium intentione corrupta vocari. Et etiam quamuis intentione recta fuerit congregatum, poterit tamen non rite postea celebrari, cum ibi congregati non sint nec in fide, nec in gratia, & bonis moribus confirmati: sed forte aliquando vel omnes vel plures fuerint aut esse poterint peccatis grauibus inuoluti. Et ideo lex Christi non est inutilis, nec in hominũ tradita perniciem. Quia siue verus intellectus ipsius reueletur, vel aliter manifestetur existentibus in concilio generali; siue non venientibus ad idem concilium generale, vtilis poterit esse ad salutem æternam, ipsam pie quærentibus atq; recte. Multa enim quo ad intellectum legis Diuinæ, reuelauit Deus, & in modis aliis manifestauit peritis viris, & sanctis, & imperitis, qui ad generale concilium minime conuenerant: & non solum quia celebratur generale concilium, sed in tempore concilii generalis: & adhuc potens est Deus facere idem: tum quia intellectus legis ad multa potest aperiri per considerationem scripturarum, absq; hoc quod Spiritus sanctus modo speciali aperiat quibuscunq; intellectum ipsarum. Tum quia in concilio generali multa dubia circa fidem declarari possunt, quæ non sunt necessaria ad salutem. Tum quia ostensum est prius, quod concilium generale, seu quod concilium generale à maiori parte Christianorũ putatur, potest errare contra fidẽ. Si vero taliter opinantes per pluralitatem fidelium intelligant maiorem partem fidelium, siue Christianorum, & per intellectum legis intelligant absq; omni exceptione intellectum cuiuscunq; contenti in lege diuina: & intelligant loqui de quærentibus intellectum ipsum: pro omni tempore nego antecedens. Item, si quæsierint huiusmodi intellectum & pro ipso inuocauerint, multipliciter errare possunt: nihilominus tamen antecedens non haberet veritatem, quod patet. Primo, quia non frustra esset lex salutis æternæ data Christo, quamuis maior pars fidelium, imo omnes præter paucissimos, vel præter vnum, errarent non solum damnabiliter, sed execrabiliter circa ipsum etiam circa intellectum, qui est necessarius ad salutem. Nec esset frustra data lex, licet omnes Christiani præter paucos vel vnum damnabiliter errarent circa ipsum: quia tota fides Christiana absq; hoc, quod frustra esset data lex salutis æternæ in vno solo posset saluari. Quemadmodum in triduo tota fides in sola matre Redemptoris nostri permãsit. Secundo, multa sunt contenta in scripturis diuinis, quorum verus intellectus primus & literalis non est omni tempore necessarius ad salutem: quamuis ab existentibus in concilio generali quæratur solutio tam per meditationem vehementem in scripturis, quam per orationem, ita vt ipsum omnino diffinire proponant. Non est igitur necessarium credere, quod Deus aperiat ipsis per scripturas vel per reuelationem miraculosam huiusmodi. Quia quamuis Deus non deficiat Ecclesiæ suæ, scilicet congregationi fidelium in necessariis, tamen non semper præbet se ad illa, quę non sunt necessaria ad salutem, sine quibus potest esse salus, quamuis ipsa nitantur precibus continuis impetrare.

CAP. XII.

In quo contra duo prædicta obiicit & replicat in secunda parte solutionis: ad quas respondetur capitulo 13. & 14.

DIscipulus. Contra prædicta obiiciam aliqua: vt cum audiero responsiones ad ipsa, clarius intelligam, an præscripta aliquid contineant veritatis. Hoc itaq; videtur, quod nullo modo sit credendum, quod concilium generale possit diffinire contra catholicam veritatem. Nam sicut illi sæpe accipiunt, qui opinantur prædicta, Deus nunquam deficiet in necessariis congregationi fidelium, quæ est Ecclesia Dei. Sed concilium generale non diffinire aliquid contra fidem est necessarium Ecclesiæ suæ. Tum, quia totam Ecclesiam Dei non exponi periculo hæresis & errorum est necessarium Ecclesiæ Dei. Si autem concilium generale aliquid diffiniret contra fidem, tota Ecclesia Dei exponeretur periculo hæresis & erroris. Quia nemo tunc inueniretur, qui posset aut sciret defendere fidem contra concilium generale. Tum, quia non induci in tentationem est necessarium Ecclesiæ Dei. In oratione enim, quam Christus fideles docuit vniuersos, hoc petitur. Christus autem non docuit in Oratione Dominica petere nisi necessaria. Ergo non induci in tentationem est necessarium Ecclesiæ Dei. Tota autem Ecclesiæ Dei induceretur in tentationem grauissimam, si concilium generale aliquid diffiniret contra fidem. Ergo non diffinire aliquid contra fidem est necessarium Ecclesiæ Dei. Ex quo infertur, quod credendum est, concilium generale non posse errare contra fidem. Tum, quia illud concilium, quod est suscipiendum sicut sanctum Euangelium, non potest errare cõtra fidem. Concilium autem generale recipiendum est, sicut sanctum Euangelium, teste Greg. qui, vt habetur *di. 15. sicut*, ait: *Sicut sancti Euangelii quatuor libros, sic quatuor concilia recipere & venerari me fateor.* Igitur concilium generale errare contra fidem non potest. Tum quia vniuersalis Ecclesia errare non potest. Diffinitio autem & iudicium generalis concilii tanquam diffinitio vniuersalis Ecclesiæ debet haberi, quia vniuersali consensu constituta videtur, vt Gregorius vbi prius videtur asserere, dicens: *Cunctos vero, quas præfata veneranda concilia personas respuunt, respuo, & quas venerantur complector: quia dum vniuersali sunt constituta consensu, se & non illa destruet, quisquis præsumit absoluere, quos ligant, aut ligare quos absoluunt.* Huic Gelasius Papa concordare videtur: qui, vt habetur *15. q. 1. c. confidimus*, ait: *Confidimus quia nulla causa venerationis Christianus ignoret vnuscuiusq; synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesia probetur assensu, nullam exequi magis sedem præ cæteris oportere, quam primam.* Ex quibus colligitur, quod id quod fecit concilium generale, ab vniuersali fit Ecclesia. Et per consequens concilium generale errare non potest.

Se-

Secundo, contra prædicta specialiter, quo ad hoc quod dicit, quod non omnium contentorum in lege diuina verum intellectum esse omni tempore necessarium ad salutem, obiici potest. Nam si alicuius contenti in lege diuina verus intellectus & primus non esset omni tempore necessarius ad salutem, frustra illud fuisset positum in ipsa lege diuina, cum ipsa lex diuina non nisi propter salutem electorum fuit data. Sed posset dici de eo, vt quid membranas occupat? *dist.* 19. *si Romanorum.* vbi dicit Glossa: *Ex hoc accipitur argumentum, quod nullum verbum positum in aliqua scriptura debet vacare, nec poni superflue.* Verus ergo intellectus & primus omnium contentorum in ipsa lege diuina est necessarius ad salutem.

Amplius: verus intellectus eorum, quæ in noua lege traduntur, fuit necessarius ad salutem illis, qui fuerunt summi in veteri testamento. nam necesse fuit maiores in veteri testamento, trinitatis, & incarnationis mysterium explicite, & non solum implicite credere. ergo cuiuslibet expresse scripti in lege diuina, tam noua, quàm veteri intellectus verus est necessarius ad salutem, vt saltem aliqui primum explicite credant, & non ignorent. Hæc sunt inter alia, quæ possunt obiici contra prædicta, ad quæ aliquas responsiones audire desidero.

CAP. XIII.

Quod concilium generale possit errare, obiectiones respondendo defendit.

DISCIP. Ad primum respondetur per distinctionem de necessario, quia aliquid esse necessarium ecclesiæ Christi dupliciter potest intelligi: vel quia est vtile: vel quia sine illo non est nec vnquam erit salus.

Primo modo, accipiendo necessarium, concilium generale non diffinire aliquid contra catholicam veritatem est necessarium ecclesiæ Dei, sicut Papam non errare nec diffinire aliquid contra fidem est necessarium, id est vtile. sed quantum ad omnia talia necessaria, Christus non semper adest ecclesiæ: quinimo contraria permittit, vel potest permittere euenire. vnde & plures summi pontifices errauerunt pertinaciter contra fidem.

Secundo modo, accipiendo necessarium; concilium generale non errare contra fidem, non est necesse ecclesiæ: quia quamuis concilium generale erret, in multitudine fidelium, posset tamen per veram & catholicam fidem saluari. quinimo haberet scripturas sacras, quibus errorem concilii generalis posset conuincere manifeste, si diffiniret aliquid contra ipsas. si autem diffiniret aliquid esse tenendum, tanquam de necessitate fidei, quod tamen non esset necesse credere, per easdem scripturas possent Christiani alii aperte ostendere, quod taliter diffinitum ad fidem minime pertineret.

Cum autem accipitur, si concilium generale diffiniret aliquid contra fidem, tota ecclesia Dei exponeretur periculo hæresis & erroris. Respondetur per distinctionem de periculo. est enim quoddam periculum tantummodo imminens seu circumstans: & est periculum inuoluens seu prosternens. Periculo imminenti seu circumstanti totam ecclesiam Dei exponi, negari non debet, sed concedi. hoc enim fatetur ecclesia ipsa, cum in quadam Collecta dicit: *Deus qui nos in tantis periculis constitutos*, &c. à quibus liberari deposcit, cum alibi dicit: *à cunctis nos mentis & corporis defende periculis.* talibus periculis expositus fuit apostolus Paulus, sicut ipse fatetur. 2. *Corinth.* 1. & à quolibet se liberatum fuisse dicit. c. 1. cum ait: *de tantis periculis eripuit nos.* In tali periculo etiam fuit aliquando tota ecclesia Dei, quæ erat sub veteri testamento, Deuterono. 20. *Dominus Deus vester in medio vestri est, pro vobis contra aduersarios dimicabit, & eruet vos de periculis.* tali enim periculo se exponere ex causa rationabili est laudabile iudicandum. Vnde etiam in laudem præliantium contra infideles dixit Delbora, vt habetur Iudicum. 5. *sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum.* Inuoluens periculum seu prosternens est duplex: scilicet spirituale & corporale. sed neutri exponetur tota ecclesia Dei: licet corporaliter multi ex fidelibus inuoluantur nonnunquam. Spirituale autem finaliter nullus electus incurreret, & de tali periculo videtur intelligere Sapiens, cum Ecclesiastici. 3. ait: *Qui amat periculum, in illo peribit.* si itaque concilium generale diffiniret aliquid contra fidem, poterit tota ecclesia Dei exponi periculo hæresis & erroris. primo modo, accipiendo periculum, quemadmodum aliquando quia non potuit concilium generale conuocari, Christianitas quo ad multos fuit periculo hæresis conuoluta, & quo ad alios impugnata, teste Isidoro, qui, vt legitur di. 15. ait enim: *In præcedentibus namque donis persecutione feruente, docendarum plebium minime dabatur facultas: inde Christianitas in diuersas hæreses scissa est.* Posset tamen contingere, quod quamuis generale concilium diffiniret aliquid contra fidem, ecclesia Dei non exponeretur periculo; quia posset contingere, quod congregati in concilio generali essent pauci & viles tam in re quam in hominum reputatione, respectu illorum, qui ad illud concilium generale minime conuenissent. Et tunc illorum leuiter error extirparetur per multitudinem meliorum & sapientiorum & famosiorum illis, quibus etiam multitudo simplicium adhæreret, magis scilicet quàm decem vel duodecim aut quindecim, per quos possit generale concilium celebrari. quemadmodum in concilio Arelatensi tantummodo vndecim patres fuerunt. *dist.* 16.

sexta: quamuis tunc multiplicati fuerunt Christiani, & plures occupauerunt prouincias, quam diebus nostris. Periculo autem inuoluenti seu etiam prosternenti nequaquam exponeretur tota ecclesia Dei, quamuis concilium generale diffiniret aliquid contra fidem: quia remanerent aliqui vel multi vel pauci, qui tali diffinitioni erroneæ minime consentirent: sed pro loco & tempore contradicerent manifeste.

DISCIP. Saltem multitudo Christianorum, maxime laicorum & simplicium, prosternenti exponeretur periculo. potissime si Papa esset præsens in tali concilio, atque errori huiusmodi consentiret: & Papa cum consentientibus sibi potentior esset aliis. quod tamen pro inconuenienti debet haberi.

MAGIST. Respondetur, quod in tali casu magis timendum est de periculo clericorum in sacris literis peritorum & aliorum, quàm de multitudine laicorum, id est simplicium: præsertim quando multitudo clericorum per auaritiam, ambitionem, simoniam, & alias vias prauas ad ordines, dignitates, & beneficia ecclesiastica peruenisset, & aliis esset criminibus irretita. quia plura & maiora temporalia amitteret, quàm simplices laici, si Papæ temporaliter præualenti perseueranter resisterent: & ab obtinendis dignitatibus & beneficiis ecclesiasticis clericos repelleret Papa, non laicos. Propter quod procliuiores essent clerici ad assentiendum errori Papæ & concilii generalis, quia vt testatur Iohannes Papa, prout legitur. 16. q. 2. c. 1. *Humani moris est illum vereri, cuius iudicio & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur.* clerici etiam propter sacrarum literarum maiorem noticiam, quam habent vel tenentur habere (& quia quæstio fidei licet spectet ad laicos, *dist. 86. c. vbi nam*, principalius tamen pertinet ad clericos) magis peccarent & grauius quàm laici. & ideo magis verendum esset, ne Deus eos permitteret ruere in errorem. multitudo insuper Christianorum (dum tamen alii vel saltem vnus fidelis remaneat) potest inuoluenti periculo hæresis & erroris (aliis exigentibus peccatis ipsorum) exponi. quibus in hæreticam prauitatem labentibus valet ille qui de lapidibus potest suscitare filios Abrahæ, vel de aliquibus ipsorum aut de aliis, quando voluerit numerum Christianorum augere.

DISCIP. Indica breuiter, qualiter respondetur ad allegationes sequentes, quibus probatur concilium generale non posse errare contra fidem.

MAGIST. Ad ista, quibus accipit, quod ecclesia Dei induceretur in temptationem grauissimam, si concilium generale aliquid contra fidem diffiniret. Respondetur, quod totam ecclesiam Dei induci in temptationem dupliciter intelligi potest. vel vt temptationi succumbat & ne hoc accidat, petitur in *Oratione Dominica*: & nunquam eueniet, nec eueniret, quamuis concilium generale contra fidem erraret. vel vt temptatione impugnetur, quæ grauiter infestetur. & hoc poterit euenire, teste beato Iacobo, qui c. 1. suæ canonicæ ait: *omne gaudium existimate fratres charissimi, cum in temptationibus variis incideritis.*

Ad allegationem sequentem tenentem, quod generale concilium recipiendum est, sicut sanctum Euangelium secundum Gregorium. Respondetur, quod hoc intelligendum est de generali concilio rite, iuste & catholicè celebrato. secundum quod dicitur, omnes apostolicæ sedis sanctiones debere accipi. sicut si voce Petri essent firmatæ secundum Gratianum *dist.* 19.

Hoc autem intelligi debet de illis sanctionibus vel decretalibus epistolis, in quibus nec præcedentium patrum decretis, nec euangelicis præceptis aliquid contrarium inuenitur: ita tamen, quod hoc vocabulum, sicut omnimodam similitudinem nequaquam importet, sicut nec Math. 5. cum dicit Christus: *estote perfecti sicut pater vester cælestis perfectus est.* nec illud c. 22. *diliges proximum tuum sicut teipsum.* nec illud Iohannis 20. *sicut misit me pater & ego mitto vos.* quamuis enim generale concilium aliquid rite & catholice diffiniat & determinet: & ideo sit sicut sanctum euangelium suscipiendum. Sanctum tamen euangelium cum maiori reuerentia & deuotione suscipiendum est quàm concilium generale quodcunque.

Ad aliam autem allegationem accipientem, quod diffinitio generalis concilii tanquam diffinitio vniuersalis ecclesiæ debet haberi. Respondetur, quod concilium generale non debet regulariter occulte seu secrete aut paucis scientibus celebrari: sed vulgandum est per vniuersalem ecclesiam, hoc est per omnes regiones in prouincia, in qua seu in quibus catholici commorantur, generale concilium conuocari debere, quatinus omnes catholici tacite vel expresse consentiant, & quasi auctoritatem tribuant, vt ad concilium profecturi eorum nomine circa ordinanda & diffinienda in generali concilio canonicè & catholicè atque rite procedant, vt merito quicquid catholicè & licite statuerint vel diffiniuerint, vniuersali statuatur & diffiniatur assensu. At vero si quid indigne aut illicite, & non canonicè vel non catholicè statuerint vel diffiniuerint, vniuersalis ecclesiæ nullatenus statutum vel diffinitum probetur assensu. Talis enim assensus ad nihil illicitum potest extendi: quia talis assensus ecclesiæ vniuersalis est secundum intentionem assentientium interpretandus, quemadmodum iuramentum secundum intentionem iurantis interpretari debet, vt notat Glossa *extra de iureiurando. super c. quintauallis.* Quando igitur concilium generale rite conuocatur, & in omnibus catholicè & sancte procedit, quicquid

fecerit

fecerit, ab vniuersali ecclesia fieri est putandum. & ideo de tali concilio generali loquitur Gregorius & Gelasius. Si autem aliquid fecerit illicite & non catholice, minime vniuersalis ecclesiæ probatur assensu. quia vniuersalis ecclesia, quamuis consenserit, quod conuocaretur concilium generale, non tamen putanda est nec expresse nec tacite aliquod illicitum consentire. Aliter respondetur, quod postquam acta generalis concilii per vniuersos catholicos populos fuerunt promulgata, si nullus contradicens aut impugnans apparet, sunt putanda ab vniuersali ecclesia approbata. & de talibus conciliis loquuntur Gregorius & Gelasius. Si autem acta generalis concilii non fuerunt apud omnes populos catholicos diligenter exposita, non est dicendum, quod tale concilium generale sit explicite ab vniuersali ecclesia approbatum, licet si sancte & catholice fuerit celebratum, possit dici implicite ab vniuersali ecclesia approbatum.

DISCIP. Istud est calumniabile, vt videtur. nam non minus ligat quicquid statuitur vel diffinitur per concilium generale, quam statutum apostolicæ sedis. sed illud vniuersalem ligat ecclesiam, *ex. de constitutionibus, omnium.* nec oportet ad hoc, vt liget, quod omnium auribus inculcetur, *extra de postula. ad hoc.* Igitur & quicquid statuitur vel diffinitur a concilio generali vniuersalem ligat ecclesiam: & per consequens pro approbato ab vniuersali ecclesia est habendum. MAGIST. Respondetur, quod statutum apostolicæ sedis etiam post duos menses non ligat, nisi illos ad quos ipsius noticia poterat peruenire. quia ignorantes præsertim ignorantia inuincibili, minime ligat, *extra de constitu. cognoscentes.* Sic etiam quod statuitur vel diffinitur in concilio generali, non ligat vniuersalem ecclesiam, nisi per vniuersalem ecclesiam fuerit legitime diuulgatum. & ideo non est censendum explicite approbatum ab vniuersali ecclesia, antequam taliter publicetur. non oportet autem taliter diffinitum singulorum auribus inculcare: sed sufficit taliter publicare, quod nullus se possit si in contrarium venerit per ignorantiam excusare.

CAP. XIV.

In quo respondetur ad illud, quod secundo & principaliter obiicitur, c. 12. Contra illud quod non omnium contentorum in lege diuina verus intellectus est omni tempore necessarius ad salutem.

DISCIP. Nunc superest tractare ista, quæ secundo obiecta sunt contra dicta superius c. 12. quibus videtur ostensum; quod omnium contentorum in scripturis diuinis verus intellectus & primus omni tempore necessarius ad salutem. narra igitur quomodo opinantes illi respondent ad ipsa.

MAGIST. Ad primum illorum, cum dicitur, quod frustra esset positum in scriptura illud, cuius verus intellectus non est omni tempore necessarius ad salutem. Respondetur, quod falsum assumitur. Quia ad hoc, quod aliquid non frustra ponatur in scriptura diuina, sufficit quod aliquando (licet non omni tempore) eius verus intellectus & primus sit necessarius ad salutem. Quemadmodum veritas ipsa multa dixit & protulit nequaquam frustra, quorum tamen intellectus verus non erat tunc necessarius ad salutem. mater enim sua sanctissima nunquam aliquo necessario ad salutem extitit destituta. & tamen quando Christus dixit sibi & patri putatiuo Lucæ 2. *(quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse?)* ipsa verum intellectum & primum illorum verborum Christi non concepit, cum immediate subiungatur ibidem; *& ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos.* quæ tamen sicut prius habetur, *mater eius conseruabat in corde suo*, verum intellectum ipsorum postea habitura. Christus etiam dixit apostolis, vt legitur Lucæ. 16. *Ecce ascendimus Hierosolymam & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. tradetur enim gentibus, & illudetur & flagellabitur, & conspuetur. & postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget.* quorum verborum verum intellectum tūc minime habuerunt. Quia immediate subiungitur: *& ipsi nihil horum intellexerunt. erat enim verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.* Eisdem etiam dixit Christus, vt habetur Ioha. 16. *modicum & iam non videbitis me: & iterū modicum & videbitis me: quia vado ad patrem.* quorum tamen verborum verum intellectum non habuerunt, quia de ipsis scribitur ibidem. *dixerunt igitur ex discipulis eius adinuicem: quid est hoc quod dixit nobis, modicum & non videbitis me?* & post: *nescimus quid loquitur.* Ex quibus aliisque quampluribus colligitur manifeste, quod plura dixit Christus apostolis, quorum intellectum verum minime tunc habuerunt. Ex quo concluditur, quod verus intellectus illorum tunc non erat apostolis necessarius ad salutem. Cum igitur tunc essent in statu salutis, nihil defuit eis quod tunc erat eis necessarium ad salutem. Et tamen constat, quod tunc Christus non dixisset talia frustra. Ergo a simili poterunt in scripturis diuinis aliqua contineri, quamuis eorum intellectus verus & primus non sit omni tempore necessarius ad salutem.

DISCIP. Forte dicerent ad ista, quod non est inconueniens aliqua in scripturis diuinis haberi, quorum verus intellectus non est omni tempore omnibus catholicis necessarius ad salutem; quemadmodum illa quæ dixit matri & apostolis, non erant eis necessaria ad salutem.

verus tamen intellectus omnium, quæ in scripturis diuinis habentur, semper est aliquibus (& si non omnibus) necessarius ad salutem.

MAGIST. Vt videtur aliis, hoc non valet: quia qua ratione plurium intellectus, quæ Christus dixit matri suæ & apostolis, tunc nulli fidelium erat vllatenus necessarius ad salutem: ratione consimili non est inconueniens aliqua reperiri in scripturis diuinis, quorum verus intellectus nulli pro aliquo tempore est necessarius ad salutem. & tamen illa non sunt frustra posita in scripturis, nec frustra mebranas occupant: quia verus intellectus ipsorum pro aliquo tempore erit aliquibus necessarius ad salutem, quo tempore idem intellectus aliquibus aperietur, vel per inuestigationem humanam ex scripturis, vel per reuelationem, si verus intellectus ipsorum humana intentione vel eruditione haberi non potest. propter quod etiam nullum verbum in scriptura diuina vacat, nec aliquid est superflue positum. quia quamuis multa sunt in ea, quorum verus intellectus non est semper necessarius ad salutem, aliquibus tamen aliquando necessarius erit. Cum autem accipitur, quod verus intellectus eorum, quæ in lege noua traduntur, fuit necessarius ad salutem illis qui fuerunt sub veteri testamento: respondetur, quod aliquorum, puta incarnationis & trinitatis, & non omnium erat verus intellectus literis explicitus necessarius ad salutem. quia multa continentur in lege noua, quorum verus intellectus literalis nulli in veteri testamento extitit reuelatus, quod veritas ipsa videtur asserere, cum dicit, vt habetur Math. 13. *Multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.* & eadem sententia habetur Luc. 10.

CAP. XV.

Contra solutionem præcedentis capituli 14. dicentis quod aliqua in lege diuina scribuntur non frustra aut superflue: & tamen quod eorum intellectus non per studium sed per solam reuelationem haberi possit; arguitur duabus rationibus, ad quas respondetur capitulo 18. inferius & 20.

DIS. Vnum in præmissis innuitur. s. c. 14. quod probabile omnino non videtur, q. sc. aliqua in sacris literis habentur, quorum verus intellectus & primus solumodo per reuelationem diuinam haberi potest, quia quamuis posset alicui videri, quod aliqua in scripturis sacris non essent superflue posita, quorum verus intellectus per studium & meditationem in scripturis haberi non posset: sed quod per solam reuelationem diuinam haberi possit; tamen hoc non videtur probabile. quia ita posset Deus reuelare verum intellectum ipsorum, si non essent scripta, sicut, postquam sunt scripta. Cum igitur ex scripturis nulla capiatur vtilitas, nisi intelligantur: sequitur, quod illa, quorum intellectus per solam reuelationem valet haberi, prius inutiliter omnino scribuntur. Rursus non solum talia inutiliter, sed etiam periculose essent scripta. Quia ista scriptura, quæ non potest intelligi, ad cuius tamen intellectum capiendum possunt niti legentes, & circa quam (si non intelligatur) periculose contingit errare, videtur esse periculosa legentibus. sed ad capiendum intellectum quorumcunque, quæ in scripturis diuinis habentur, possunt niti legentes; circa quæ si errauerint, periculose errabunt. Quia, vt ait Hieronymus, & habetur 24. q. 3. c. hæresis, *quicunque aliter scripturam intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, à quo scriptura est, licet ab ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.* igitur periculose talia essent scripta. volentes enim ad verum intellectum ipsorum peruenire, & non valentes, laberentur faciliter in errorem. Hæc inter alia sunt, quibus prædicta assertio posse improbari videtur. tu narra, quomodo respondetur ad ipsa, primo tamen nitaris pro opinione illa allegare.

CAP. XVI.

In quo probatur rationibus; quod multa sunt in scripturis diuinis, quorum verus intellectus solum per reuelationum haberi potest.

MAGIST. Quod plura contineantur in scripturis diuinis, quorum verus intellectus & primus virtute humani ingenii ex literis sacris colligi nequeat, sed per reuelationem diuinam solummodo possit haberi, videtur posse probari. Nam verus intellectus & primus proferentis orationem ambiguam habentem multos sensus haberi non potest, nisi proferens orationem eandem, quem intellectum habeat, aperte declaret. Si quis dixerit, Iohannes cantat missam, cum plures appellantur hoc nomine; audiens non sciet de quo loquens intelligit, nisi ipse sibi reuelet. Vnde & propter hoc videtur (vt nititur declarare quædam opinio, quam tractauimus *prima parte istius dialogi libro 7.*) quod quando lex aliqua vel constitutio habet plures sensus, à conditore est inter-

interpretatio requirenda. Nemo .n. alius potest scire intellectum, quem habuit legis conditor in condendo. Plures autem orationes ambiguæ in scripturis diuinis habentur. nam secundum doctrinam sanctorum patrum, non solum voces, quæ in orationibus ponuntur, sunt signa: sed etiam res significatæ per voces sunt signa aliarum rerum. Vnde & veritas ipsa (vt testatur Gregorius in *Omelia super parabolam seminantis*) insinuauit aperte, quod semen verbum, ager mundum, volucres dæmonia, spinæ diuitias signant. vna autem & eadem res plures alias res contrarias etiam in scripturis sacris significat. Leo etiam aliquando signat verbum, vt ibi, *vicit Leo de tribu Iuda*: aliquando diabolum, vt ibi: *tanquam Leo rugiens*, &c. aliquando virum fortem; aliquando crudelem. ergo orationum ambiguarum, quarum non parua inuenitur in sacris literis multitudo, cum res significant, verus & primus intellectus non haberi potest, nisi ipse reuelet (scilicet Deus) qui huiusmodi orationes reuelauit. Hæc allegatio & conclusio principalis declaratur & confirmatur per aliam in exemplis fundatam apertis. Nam plura reuelata fuerunt Prophetis ac viris contemplatiuis in sapientia sublimissimis diuinorum; vel aliis, per quos ad Prophetas & viros illuminatos à Deo peruenerunt; ad quorum intellectum verum & primum ipsi Prophetæ antequam fuerit reuelatus eisdem, non poterant peruenire. ergo ratione consimili & multo maiori intellectus verus & primus illorum, qui solummodo ænigmatice & sub similitudinibus & figurationibus rerum in scripturis diuinis reuelata sunt à Deo, haberi non pôt, nisi Deus reuelet eundem. consequentia aperta videtur. Antecedens multis probatur exemplis. Iohannes enim euangelista singulariter illuminatus à Deo plura sibi in Apocal. reuelata minime intellexit, antequam intellectus eorum sibi reuelaretur à Deo. vnde & expositione multorum indiguit. postquam enim vidit, vt legitur Apocalypsis 17. *mulierem sedentem super bestiam ebriam de sanguine sanctorum*, dixit ei angelus: *quare miraris. ego dicam tibi sacramentum mulieris & bestiæ.* Minime tamen intellexit, antequam angelus ei dixit. & ita ad verum intellectum & primum illius reuelationis ante aliam non peruenit. Sic etiam mysterium septem stellarum, & septem candelabrorum, de quo legitur. *c.* 1. antequam Christus reuelauit sibi, ipse Iohannes minime intellexit. Vnde & Christus dixit eidem post visionem prædictam: *scribe igitur quæ vidisti & quæ sunt & quæ oportet fieri.* post hæc; *mysterium septem stellarum, quas vidisti in dextra mea, & septem candelabra aurea. septem stellæ angeli sunt septem ecclesiarum, & candelabra septem, septem ecclesiæ sunt.* Idem etiam Iohannes, vt habetur 7. *c.* interrogauit ab vno de senioribus; *hi qui amicti sunt stolis, qui sunt, & vnde venerunt?* respondit; *domine mi tu scis.* quasi diceret; quamuis ego viderim eos, tamen nescio qui sunt & vnde venerunt: sed tu scis. & ita ad verum & primum intellectum visionis illius Iohannes, antequam sibi ille senior reuelauit, non peruenit. Ioseph etiam, de quo habetur *Gen.* 41. verum & primum intellectum somnii, quod sibi Pharao enarrauit, per reuelationem accepit. vnde & Pharao dixit eidem. *ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es.* sic etiam interpretationem veram somniorum pincernæ & pistoris Pharaonis per reuelationem accepit. nequaquam enim virtute humani ingenii poterat scire, quod tres propagines & tria canistra in somniis illis plus signabant tres dies, quàm tres ebdomadas, vel tres menses, vel tres annos. Per reuelationem igitur solummodo post quam fuerunt sibi prædicta somnia, interpretationem veram agnouit. Vnde & ipse, vt habetur 49. c. dixit: *nunquid non Dei est interpretatio?* quasi dicat; ille qui fecit vos somniare, & quid vera significarent somnia vobis minime indicauit, mihi interpretationem poterit reuelare. Item Daniel plurium visionum, quas viderat, verum & primum intellectum (antequam doceretur) non accepit. Capitulo enim 7. post visionem quatuor ventorum & quatuor bestiarum, subiungitur; *horruit spiritus meus: ego Daniel territus sum in his, & visiones capitis mei conturbauerunt me. accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his: qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me.* capit. etiam 8. post aliam visionem subiungitur. *cum ego Daniel inquirerem intelligentiam: ecce stetit in conspectu meo quasi species viri: & audiui vocem viri inter Vlai & clamauit, & ait Daniel, fac intelligere istum visionem.* Ex his aliisque quam pluribus euidenter colligitur (vt videtur) quod prophetis & illuminatissimis viris omnique sapientia diuina & humana peritis, plura reuelata fuerunt: quæ tamen antequam docerentur à reuelante, non intellexerunt. Vnde & sæpe prophetis plures visiones fuerunt ostensæ, quarum postea interpretatio extitit reuelata: Sicut *Ieremiæ* 1. *&* 13. & *Ezechiel.* 17. & *Esaiæ.* 5. & aliis locis quampluribus. Sicut etiam Christus parabolas, quas loquebatur turbis, apostolos docebat, vt legitur *Matthæi.* 4. Si ergo prophetæ & viri illuminatissimi plurium, quæ viderunt, non poterant nisi per nouam reuelationem nouum & primum accipere intellectum: multo magis alii ænigmaticarum visionum non possent ad verum & primum intellectum pertingere nisi reueletur alicui, qui aliis manifestet eundem. Cum igitur in scripturis diuinis quàmplures visiones & parabolæ ænigmaticæ & obscuræ, imo obscuriores quam sint quædam per reuelationem expositæ habeantur, sequitur quod plura in scripturis diuinis habentur, ad quorum verum & primum intellectum nemo valeat absque reuelatione pertingere. Amplius: sensus verus & primus orationis habentis sensus catholicos, quam ad quem libet illorum, potest quilibet trahere sicut vult, haberi non potest, nisi indicauerit ille, qui protulit eam. Quia ex quo trahi potest ad diuersos sensus, maxime vocis, non potest sciri, quem illorum intenderet proferens, nisi ipse exprimat. præsertim si non potest elici aliquis sensus nec ex verbis antecedentibus, nec consequentib. proferentis verba. Multa autem verba plurium visionum & parabolarum & ænigmaticarum locutio-

num in sacris literis conscriptarum habere possunt diuersos sensus catholicos, ad quorum quemlibet potest quilibet, prout voluerit, trahere ea. vnde & diuersi sancti talia verba quam plura diuersimode exponunt. Alii etiam absq; omni periculo eadem verba aliter quam sancti ad diuersos sensus traxerũt; & adhuc alii ad alios trahent. Quod etiam patet ex hoc, quod secundum beatum Clementem, vt habetur 27. di. c. relatum, *multa verba sunt in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisque elegerit.* ergo multo magis possunt trahi ad diuersos sensus catholicos. Ex quo concluditur, quod de ipsis verus & primus intellectus Dei reuelantis absque noua reuelatione sciri non potest. Amplius multa sunt in scripturis diuinis, quæ mystice solummodo debent intelligi, sicut docet Gregorius *in Moralibus* in diuersis locis. imo secundum eundem plura si intelligerentur literaliter, generarent errorem. sensus autem mysticus, qui potest accipi ex verbis diuinis virtute ingenii humani absque reuelatione speciali, non est ita approbandus à catholicis, vt coæquetur illis, quæ habentur in Biblia, vel recipiantur ad aliquid in fide catholica confirmandum, nisi alibi in scripturis diuinis habeatur expresse. quod Augustinus etiam, Hieronymus & Gregorius sentire videntur. Nam secundum Augustinum, vt habetur dist. 9. *in diuersis capitulis, scriptura diuina est literis & expositionibus omnium episcoporum & aliorum præponenda, ita vt solis scriptoribus Biblia deferendus sit hic timor & honor, vt non credantur errare in aliquo.* qualis honor & timor nulli deferendus est post ipsos. secundum Hieron. etiam in *prologo in libris prouerb* & Gregorium *in Moralibus* liber Iudith, Tobiæ, & Machabæorum, ecclesiasticus atque liber Sapientiæ non sunt recipiendi ad confirmandum aliquid in fide. Dicit enim Heronymus, sicut Gregorius. *Iudith & Tobia & Machabæorum libros legit quidem eos ecclesia, sed inter canonicas scripturas non recipit. sic & hæc duo volumina, scilicet Ecclesiastici & Sapientiæ legit ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Sed expositiones episcoporum & aliorum, qui fuerunt post scriptores canonicarum scripturarum, non sunt maioris auctoritatis, quàm libri prædicti. igitur sensus quicunque, quem colligunt ex scripturis diuinis, nisi alibi habeatur ex scripturis diuinis, non est cum illa reuerentia suscipiendus, vt debeat allegari ad confirmandum aliquid in catholica fide: sensus autem verus & primus cuiuscunque reuelati à Deo in scripturis valet ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. ergo multorum in scripturis diuinis sensus verus & primus absque reuelatione diuina haberi non potest. Adhuc non magis virtute ingenii humani potest haberi sensus verus & primus aliquorum mysticorum diuinorum, quàm parabolarum humanarum. sed multarum parabolarum & locutionum mysticarum, seu ænigmaticarum humanarum primus sensus proferentis virtute ingenii humani sæpe haberi non potest, nisi proferens manifestet. quomodo n. vxor Samsonis quamuis subtilissima extitisset, peruenisset ad sensum primum sui problematis, nisi forte à casu, quando dixit: *de comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*: nisi ipse reuelasset eidem? Ita enim potest per comedentem, & etiam fortem significari vrsus, vel elephas, aut draco, vel cete maris, aut alia bestia fortior leone, vel minus fortis sicut leo. Per cibum etiam & per dulcedinem non solum mel, sed etiam aliæ res dulces comestibiles significari possunt. Alia etiam res per comedentem, & fortem: & rursus alia res per cibum, & alia per dulcedinem conuenienter significari potest. Cum igitur, vt testatur apostolis 1. Corinth. 2. *Nemo sciat hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est*: nullo modo vxor Samsonis, virtute humani ingenii (quantumcunque fuisset instructa) sciuisset, quod Samson intelligebat per comedentem & fortem, leonem: & per cibum atque dulcedinem, mel: nisi ipse sibi dixisset. Ergo multo fortius verus & primus intellectus visionum, & reuelationum diuinarum haberi non potest virtute humani ingenii. quia sicut dicit apostolus 1. Cor. 2. *quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei.* Præterea primus intellectus minus obscuri, non potest haberi virtute ingenii humani. Ergo multo fortius primus intellectus illorum, quæ sunt magis obscura, virtute humani ingenii haberi non potest. Consequentia videtur probatione minime indigere. Antecedens videtur posse probari auctoritate beati Grego. secundum quem (vt videtur) primus intellectus, quem habuit Christus in parabola seminantis (quæ est minus obscura, & minus ænigmatica, quàm multæ visiones & reuelationes, quæ non sunt expositæ per reuelationem in scripturis) virtute ingenii humani haberi non potuit. dicit enim super parabolam illam: *Quis mihi vnquam crederet, si spinas, diuitias interpretari voluissem.* quasi diceret, nullus. Et tamen absque illa interpretatione, primus intellectus parabolæ haberi non potuit: quia Christus exponendo prædictam parabolam sic interpretatus est. Ergo primus intellectus aliarum parabolarum, visionum, & reuelationum, quæ per Deum reuelantem non sunt expositæ, virtute humani ingenii haberi non potest.

Cap.

CAP. XVII.

In quo idem probatur, scilicet quod multa sint in sacra scriptura, quorum verus intellectus per solam reuelationem haberi potest, multis auctoritatibus.

DISCIP. Deduxisti ratiocinationes fundatas in scripturis ad probandum conclusionem prędictam. nunc ipsam per auctoritates nitere confirmare. MAGIST. Nonnullis apparet, quod auctoritatibus tam scripturarum canonicarum, quam aliarum, potest ostendi: de quib. adducam paucas. hæc enim videtur Daniel dixisse. c. 12. vbi sic legitur: *Tu autem Daniel sermonem claude, & signa librum vsq; ad tempus statutum.* Ex quibus verbis potest intelligi, vt videtur, quod quidam sermones reuelati Danieli, ita sunt clausi, vt nemo possit absq; reuelatione ad primum eorum intellectũ pertingere. Item, vt legitur *Act.* 8. Dixit Philippus Eunucho legenti Esaiam prophetam: *putas ne intelligis quæ legis?* Qui ait: *Quomodo possum, si nõ aliquis ostenderit mihi?* quasi diceret, nullo modo. Ex quibus verbis habetur, quod ex verbis scripturæ, quæ legit Eunuchus, non potest aliquis primum intellectum ipsorum colligere, nisi ab alio doceatur. Ergo ratione consimili aliorum quæ æque vel magis obscura sunt, non potest primus intellectus haberi, nisi reuelatus appareat. Item psalmista ait: *da mihi intellectum* &c. quasi diceret, ad primum intellectum multorum legis tuæ scrutando peruenire non potero, nisi tu reueles. ideo da mihi intellectum primum eorum. Plura enim sunt in lege antiqua statuta, quorum nulla ratio potest per hominem assignari. quare præcepit illa Deus filiis Israel. Sicut illa: *non arabis in boue & asino. non indueris vestimento, quod ex lana linoq; contextum est* &c. & per consequens primus intellectus talium contentorum in lege absq; reuelatione haberi non potest. Hinc Hieronymus in prologo Bibliæ ait ca. 7. *quis enim digne exprimit tria & quatuor scelera Damasci, Gazæ, & Tyri, & Idumeæ* &c. Ex quibus verbis colligitur, quod prophetia Amos prophetæ digne explicari non potest, nisi per reuelationem diuinam. Hoc etiam beatus Gregorius super Ezechielem omelia. 15. videtur asserere, dicens: *scriptura sacra tota quidem propter vos scripta est, sed non tota intelligitur à vobis, multa quippe in illa ita aperte scripta sunt, vt pascant paruulos. Quædam vero obscurioribus sententiis, vt exerceant fortes, quatenus cum labore intellecta plus grata sint. nonnulla autem ita in ea clausa sunt, vt dum intelligimus agnoscentes infirma nostra cæcitatis ad humilitatem magis quam intelligentiam proficiamus.* Ex quibus verbis habetur, quod aliqua sunt in scripturis sacris, quæ intelligere non valemus. loquitur enim beatus Gregorius in persona omnium viatorum & fortium, qui obscuriores nouerunt elucidare sententias. Constat, quod per reuelationem, quæque scripta sunt, possunt intelligi, & eorum potest primus intellectus haberi. Idem etiam Gregorius pro se & pro omnibus aliis catholicis. 3. *libro Moralium. ca.* 17. loquens de amicis Iob, ait: *vtrum continuis septem diebus & septẽ noctibus cum afflicto Iob sederint, an certe diebus septem & noctibus totidem instantia ei crebra visitationis adhærerent, ignoramus. Sæpe enim rem quamlibet, tot diebus agere dicimur, quamuis eisdem diebus ad eam continue non vacemus. Sæpe vero scriptura sacra sic totum pro parte, sicut pro toto partem ponere consueuit.* Ex quib. verbis colligitur, quod cum scriptor libri Iob determinate intendit loqui de septem diebus & septem noctibus continuis vel non continuis, quia de his vel de illis scriptura illa fuerit vera, & non de vtrisque, sequitur quod nos ad primum intellectum verborum illorum determinate non possumus peruenire.

CAP. XVIII.

In quo monstratur, quod multa sint in lege diuina, quorum primus intellectus per solam reuelationem possit haberi. nec defendit obiectionibus & replicis respondendo capitul. 15. supra adductis.

DISCIP. Nolo plures allegationes audire pro assertione præscripta. sed cupio scire, quomodo respondetur ad allegationes in contrarium superius. *cap.* 15. inductas. Ideo narra aliquas responsiones ad ipsas.

MAGIST. Ad primam, quæ consistit in hoc, quod talia essent superflue posita in scripturis diuinis, si primus intellectus ipsorum antequam essent impleta absque reuelatione diuina haberi non posset. Respondetur, quod non superflue posita sunt, quia scripta sunt ad exercitationem, quia in talibus verbis multiplices latent sensus præter primum sensum reuelantis, quos dum illi, qui in exponendis scripturis diuinis allegorice, tropologice ex huiusmodi ænigmatice reuelatis eliciunt, vtiliter occupantur. Quemadmodum beatus Gregorius *in Moralibus* sibi profecit & aliis, verba beati Iob diuersimode exponendo: & tamen ad illum intellectum, quem habuit Iob in pluribus verbis, absque reuelatione (nisi forte à casu) non potuit peruenire. Verba enim plura Iob modis innumeris à beato Gregorio & aliis poterant exponi: quibus tamen modis beatus Gregorius ipsa nequaquam exposuit. Et ita verba Iob plures sensus possunt habere; præter illum, quem habuit. Quis ergo scit, quod

beatus Gregorius sensit, quod actualiter in mente Iob habuit in proferendo verba illa expresse? non videtur quod ipsemet Greg. hoc sciuit. Et ideo forte aliquando beatus Gregor. ad illum sensum, quem actualiter Iob intendebat, verba Iob exposuit, & tamen ipse hoc nesciuit. Sic etiam verba Iohannis *in Apoc.* & aliorum prophetarum, multos sensus possunt habere, teste Hieronym. qui in prologo Bibliæ ita ait: *In verbis singulis.* (sc. Apoc.) *multiplices latent intelligentiæ.* Sed quem intellectum habuit beatus Iohannes vel Christus reuelans, hoc nullus exponens Apoc. certitudinaliter sciuit, nisi cui Deus reuelauit.

DISCIP. Contra istud obiici potest: quia verba scripturæ diuinæ eodem spiritu (scilicet spiritu sancto) exposita sunt, quo sunt scripta. ergo eundem sensum, quem habuit reuelans, habuerunt & exponentes. quare exponentes verba diuinæ scripturæ, ad primum intellectum ipsorum peruenerunt. Amplius, omnes sensus catholici eorundem verborum, sunt æque primi: quia non est ratio, quod vnus sit primus magis, quam alius. scil. omnes sensus, secundum quos beatus Gregorius exposuit verba quæque Iob, sunt catholici. ergo quilibet eorum est æque primus. Et ita beatus Gregor. peruenit ad primum intellectum omnium verborum Iob. Et consimili ratione alii sancti exponentes Apoc. & alias prophetias, atque quæque obscura scripturæ diuinæ ad primum intellectum peruenerunt.

MAGIST. Ad primum istorum respondetur, quod quia omne verbum est à spiritu sancto: & omnis sapientia à domino Deo est (vt legitur *Eccles.* 1.) ideo scripturæ diuinæ, quando non erroneæ exponuntur, quo sunt traditæ. Sed quia traditæ à solo Deo fuerunt, & nequaquam virtute ingenii humani inuentæ sunt. Expositiones autem non erroneæ, sanctorum saltem, sæpe virtute ingenii humani assistente diuina influentia generali, ex scripturis & ratione infallibili fuerunt inuentæ. Ideo non omnino eodem modo, verba scripturæ diuinæ, eodem spiritu sancto sunt scripta, & à viris sanctis exposita. Propter quod expositiones sanctorum non sunt tantæ auctoritatis, quantæ sunt illa, quæ scripta sunt in scripturis canonicis. Si tamen expositiones huiusmodi per certitudinem exprimerent intellectum verborum scripturæ diuinæ, eiusdem essent auctoritatis. Non quia ab expositoribus sunt simpliciter expresse, sed quia in canone Bibliæ reperiuntur. Sic etiam si plures (puta. 10. vel 20. magistri, lectores vel prædicatores verbi diuini aut alii, his temporibus sacras literas exponentes, eandem auctoritatem ænigmaticam & obscuram in Apoc. vel prophetia alia scriptam, secundum diuersum exponerent intellectum, non erroneum, sed verum & sanum, posset aliquo modo concedi, quod quilibet istorum, eodem spiritu, eandem auctoritatem exponerent. Quia omnis sensus verus & sanus est à spiritu sancto, à quo inspirati, locuti sunt scriptores literarum sanctarum: eodem modo esset quælibet expositionum huiusmodi à spiritu sancto, quo modo ab ipso scripturæ diuinæ sunt traditæ. Si etiam quilibet sensuum prædictorum inueniretur sentētialiter in Biblia, quamuis vnus eorum in vno loco & alius in alio, quilibet eorum esset tantæ auctoritatis, quantæ sunt alia quæ scripta sunt in Biblia. Non quia ab aliquo istorum exprimitur, sed quia sententialiter in Biblia reperitur. Et tamen non omnis, imo forte nullus talium sensuum esset primus intellectus & verus illius textus, quem tales exponentes exponerent. Si autem nullus istorum reperiretur sententialiter nec implicite nec explicite in canone Bibliæ: tamen quilibet illorum esset verus & sanus: certum esset, quod nullus esset primus sensus auctoritatis expositæ à quolibet istorum, vel saltem hoc non constaret: & tamen quilibet illorum esset aliquomodo à spiritu sancto. cum omnis doctrina sana & quæ secundum pietatem est, sit aliquomodo à spiritu sancto.

Ad secundum dicitur, quod primus intellectus verborum scripturæ diuinæ, quantum ad illa quæ à solo Deo reuelata fuerunt, est ille propter quem fuerunt principaliter reuelata. sicut illorum verborum, quæ angelus dixit Danieli vel beato Iohanni vel aliis prophetis, & quæ etiam in prophetiis inspirata fuerunt, & quæ Christus dixit discipulis suis: primus sensus est ille, propter quem inspirata vel prolata fuerunt. Vnde primus sensus parabolarum Christi est ille, quem Christus postea discipulis suis expressit, quia propter illum principaliter protulit eas: & tamen multos alios sensus possunt habere. Quantum autem ad illa verba scripturæ diuinę, quæ homines siue boni siue mali dixerunt, primus intellectus est ille, quem in mente habuit ille qui protulit. Sicut primus intellectus probleumatis Samsonis fuit ille, quem actualiter cogitauit. quod tamen probleuma sub eisdem verbis potuisset & adhuc posset alius proponere, & alium intellectum habere: qui intellectus esset primus intellectus eiusdem proferentis. & ita alius esset intellectus probleumatis Samsonis in quātum prolatum fuit ab ipso: & alius esset intellectus eorundem verborum, si alius eadem verba sub alio intellectu proferret. Quemadmodum istorum verborum non variatorū; Rex pręcepit fures suspendi. Alius cōmuniter est intellectus primus eorū, qui proferunt ea in Francia: & illorū, qui proferunt ea vel scribunt in Anglia: & illorū, qui proferunt ipsa in Castella. quia Franci cōmuniter intelligerent ipsa de rege Franciæ; Anglici de rege Angliæ; & alii de rege Castellæ, & audientes ipsa in diuersis regnis, diuersum ex eis capiunt intellectum. Si autem eadem verba proferuntur in ciuitate vel patria, quæ secundum veritatem vel secundum opinionem hominum nulli regi est subiecta, audiens ipsa ex ipsis verbis præcise, ad primum intellectum proferentis peruenire non posset. Quia non posset scire, an intelligeret de rege Castellæ vel alio; propter hoc, quod ista verba proferens potest intelligere de vno rege vel de alio, secundum quod fuerit placitū voluntati; cuius volūtas ab alio sciri nō potest, nisi Deus vel ipsemet sibi voluerit reuelare.

Et

Et si duo vel plures proferant verba prædicta, & de diuersis regibus ipsa intelligant, diuersus erit intellectus primus istorum verborum inquantum proferuntur ab vno, & inquantum proferuntur ab alio.

Cap. XIX.

Contra primam solutionem præcedentis capi. dupliciter arguit & soluit. Primo contra illud scilicet quod beatus Gregorius non peruenit ad primum sensum beati Iob. Secundo contra illud, scilicet quod multa sunt scripta, quorum nullus sensus est authenticus.

DISCIP. Adhuc dupliciter obiiciam contra prædicta. Non enim videtur bene dictum, quod beatus Gregor. non peruenerit ad primum intellectum verborum beati Iob. Quia de multis verbis Iob, quæ non debent ad literam sed mystice duntaxat intelligi: sicut de illis: *pereat dies, in qua natus sum*: & de multis aliis asserit manifeste, quod Iob ipsa intellexit, sicut ipse exponit. Quod non fecisset, nisi sciuisset illum fuisse primum intellectum Iob. Quia secundum prædicta ille est primus intellectus verborum alicuius, quem proferens actu habet in mēte. Rursus secundum prædicta, multa essent verba in scriptura diuina, quæ quamuis legi possint & debeant ad ædificationem plebis, & conuertendo ipsa in sensus morales & alios, qui absque eis ab ingeniosis hominibus accipi valent (quemadmodum fabulæ poetarum & aliorum fingentium bruta fuisse locuta, & multa tractasse, atque aliæ vtiliter applicari possint ad mores informandos) tamen ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam, & ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, & ad firmandam fidem in re dubia, essent nullatenus alleganda. Cum primus intellectus ipsorum haberi non possit, & alii intellectus eorum authentici minime sint putandi: nisi per alias scripturas vel assertiones, quæ refelli non debeant, valeant demonstrari. Cuius tamen contrarium sanctos patres fecisse cognouimus. August. enim ad Bon. vt habetur *23. q. 6. ca. schismatici*, per *vias & sepes* schismaticos intelligit. de huiusmodi loquitur Christus Lucæ. 14. inter hæreses & schismata volens per eadem verba probare, quod hæretici intrare ecclesiam sunt cogendi. Et tamen per *vias & sepes* ita possunt intelligi alia crimina, sicut hæreses & schismata. vnde & alii criminosi sunt per seueritatem ecclesiasticam coercendi. nec habetur, quod Christus ibi per *vias & sepes* intellexerit hæreses & schismata. Innocentius etiam tertius, vt habetur *extra, de maior. & obedien. solita*, & alii plures per illa verba dicta Hieremiæ 1. *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna*, probant quod imperium sacerdotio est subiectum. & tamen quod illa verba Hieremiæ 1. de papa respectu imperii debeant intelligi, nequaquam reuelatum est à Deo. MAGIST. Ad primum istorum respondent quidam dicentes, quod quemadmodum literatus quidam in libro, quem de *præstigiis fortunæ* composuit, sæpe tali expositione & modo loquendi vsus est: *contigit*, id est contingere potuit: *quandoque eueniet*, id est si quando euenire contigerit: Sic etiam beatus Gregor. cum sępe sententialiter dixit, *Iob dixit*, *intellexit*, vel *dicere voluit*: nihil aliud dicere intendebat, nisi quod Iob sic intelligere potuit. sed quod actualiter Iob sic intellexerit, non intendebat asserere. Et ad hoc designandum sepe tali modo loquendi vtitur beatus Greg. *aliter possunt verba Iob intelligi*: per hoc insinuans, quod sępe nō intendebat asserere, cum dixit, *sic intellexit Iob*, quod tunc Iob in mente talem habuit intellectum, sed quod talem habere poterat intellectum. Sic etiam multi prædicantes, & exponentes sacras scripturas, de diuersis sanctis viris & fœminis, vel alia determinata materia, tali modo loquendo vtuntur: *de hoc sancto prophetauit vel locutus est Esaias* vel *Hieremias*, vel alius propheta, aut alius scriptor alicuius partis scripturæ canonicæ. Et tamen si recte sapiunt, non intendunt, quia tunc propheta, vel alius in mēte de tali sancto vel materia loqui volebat, sed quod intelligere poterat, aut quod de tali materia talia verba possunt intelligi. Et ad hoc designandum intelligentes, frequenter talibus verbis vtuntur: *talia verba scripturæ diuinæ de hoc vel de hoc possunt exponi*. DISCIP. Possunt ne adduci aliqua exempla ex scripturis pro tali modo loquendi. MAGIST. Videtur quibusdam quod sic. Vnde Exo. 8. dicitur de magis Pharaonis: *feceruntque similiter malefici incantationibus suis, vt educerent ciniphes*, idem facere conati fuerunt. In Iob etiam dicitur: *Quis resistit Deo*, id est, resistere voluit. *& pacem habuit?* Si enim *resistit*, ponitur pro resistere voluit: & *fecerunt* ponitur pro facere conati fuerunt, videtur quod *intellexit*, possit poni pro intelligere potuit. DISCIP. Dic quomodo respondetur ad secundam obiectionem, quam adduxi. MAG. Nonnulli concedunt, quod verba scripturæ, de quorum primo intellectu per certitudinem non constat, adduci ad probandum illa sola, quæ in contentionem veniunt aliorum, non debent. Ad manuducendum tamen & ad persuadendum vel aliquomodo declarandum aliquid, de quo est contentio, sub aliquo sensu sano, non erroneo, adduci possunt. Quemadmodum ad persuadendū aliquomodo articulos fidei, & etiam ea quæ per solam reuelationē possunt cognosci, rationes & argumenta à sanctis & aliis adducuntur: quæ tn̄ ad probandū huiusmodi sufficienter allegari non debent. Et ideo quemadmodū sancti similitudines & naturales rationes assumunt ad declarandum, quomodo tres psonæ sunt vnus Deus: & quomodo corpus Christi vere est in sacramento altaris, & similia: Sic etiam sanctus Augustin. per verba Saluatoris de viis & sepibus voluit declarare, quod hæretici & schismatici intrare ecclesiam sunt cogendi. Si tamen de hoc esset appatens contentio, per illam solam auctoritatem Christi sufficienter probari non posset.

Sic

Sic etiam per verba diuina dicta Hieremiæ (vt allegatum est supra) declarari potest, quod imperium est aliquomodo indignius sacerdotio & summo pontificatu. quod tamē per verba illa ostendi non posset, nisi aliunde constaret. Quemadmodum per quasdam similitudines & rationes naturales à sancto Augustino & aliis quibuscunq; adductas, sufficienter declarari non posset, quod tres personæ sunt vnus Deus, etiam apud Christianos, nisi per alium modum certitudinem ipsius acciperent. Propter quod, vt quidam putant, per illa verba Hieremiæ non potest ostendi, q imperium est à papa, vel quod imperator, aut alius rex quicunq; est vasallus papæ; nec aliquid aliud, nisi quod p alias vias potest sufficienter ostendi. Sic generaliter aliqui arbitrantur, quod per nullū sensum mysticum cuiuscunq; auctoritatis scripturæ diuinæ potest aliquid sufficienter ostendi, nisi constet quod idem sensus mysticus est primus intellectus scribentis, aut reuelantis, vel docentis: vel nisi alibi in sacra scriptura tanq̃ sensus primus sententialiter habeatur: aut per aliā viam manifestam irrefragabiliter possit ostendi. Ex quo videtur posse concludi, quod de stulta temeritate excusari non possit, qui per solos sensus mysticos scripturæ diuinæ (quos nec ex aliis locis scripturæ possunt argumento euidenti inferre, nec per rationem irrefragabilem possunt concludere, nec p certam ac specialem ac miraculosam reuelationem certificati sunt de ipsis) aliqua futura contingentia audent prædicere, vel futura quando euenient (quę absq; determinatione tēporis in sacris literis sunt prædicta) asserere non formidant: Vel quæq; alia non metuunt affirmare, quæ p aliam viam indubiam & apertam manifestare non possunt. Cuilibet enim tali videtur Iohan. Apoc. vlt. comminari, cum dicit: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas.* cui Salomon videtur alludere, cum ait Prouer. 30. *nec addas quicquam verbis illius, & arguaris inueniarisq; mendax.* Tales enim temerarii, & prauitati hæreticæ propinqui, credentes se ad omnium contentorum in scripturis sacris primum posse pertingere intellectum, minime imitantur humilitatē beati Aug. qui quāuis fuerit in scripturis supra alios eruditus, fatetur se non omnia intelligere, quæ in scripturis diligentissime legit. Vnde pertractans 10. de ciuitate Dei verba beati Pauli apostoli ad Thess. 2. vbi dicitur: *Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tempore,* ait &c. *Quid autem ait, & nunc quid detineat scitis. i.e. quid sit qua causa sit dilatio eius, vt reueletur in suo tempore, scitis quoniam hoc scire illos dixit aperte, hoc dicere voluit. Et ideo nos, qui nescimus quod illi sciebant, peruenire cum labore ad id quod sensit apostolus cupimus, non valemus: præsertim quia & illa quæ addidit hunc sensum faciunt obscuriorem. Nam quid est: iam enim mysterium iniquitatis operatur tantum. qui modo tenet, teneat donec de medio fiat, & tunc reuelabitur iniquus. Ego prorsus quid dixerit, me fateor ignorare.* Quid in Epistola ad Rom. vt habetur *dis. 9. ca. ego solus,* insinuare videtur, dicens: *Si aliquid in eis* (scil. scripturis canonicis) *ostenderetur, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimo quam mendosum esse codicem, vel non esse assecutum interpretem quod dictum est, quod me minime intellexisse non ambigam.*

DISCIP. Verba prædicta de apponentibus & addentibus aliqua contraria verbis scripturæ diuinæ debent intelligi non de apponētibus & addentibus, quæ ex aliis locis scripturæ nequeant extrahi euidenter. Aliter enim sancti patres complura verba scripturæ mysticè exponendo grauiter deliquissent. Imo videtur, quod per verba saluatoris possit ostendi; quod verba huius scripturæ aliter, quam per reuelationē miraculosam possint intelligi, cum ait discipulis suis Matt. 24. *Cum videritis abhominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta stante in loco sancto qui legit intelligat.* Ex quibus verbis colligitur, quod Christus insinuauit aperte, intellectum primum prophetæ Danielis, de quo ibi fit mentio, aliter quam per reuelationem miraculosam posse haberi. MAG. Ad hoc respondetur, quod quadrupliciter potest aliquid addi scripturis diuinis. Quia potest addi aliquod falsum. Potest etiam eis apponi verum: non tñ tanquam primus intellectus scripturæ. Potest etiam eis addi verum tanquā primus intellectus ipsarum possibilis haberi ex sola meditatione scripturarum supposita influentia diuina. Potest etiā eis addi verum tanquam primus intellectus haberi possibilis per reuelationem vel alicuius facti noui exhibitionem apertam. Qui primo modo aliquid apponit vel addit scripturis diuinis, quandoq; pertinax hæreticus est censendus; quandoq; vero errans solummodo est putandus secundum diuersitatem falsi, quod additur, & etiam secundum varietatē adhęsionis addentis. Si vero apponatur eis aliquod verum, quod non est primus intellectus scripturæ, non tanq̃ primus intellectus, sed solummodo tanq̃ verum, nequaquam scripturę contrarium; sed tanquā ædificans ad salutem, vel aliquomodo ad declarationem catholicæ veritatis, laudabiliter addi potest. & sic sancti veritates plurimas sacris literis addiderūt. Tertio modo potest addi aliquid scripturis, tanquā primus intellectus possibilis haberi ex meditatione scripturarum. Et si vere sic potest haberi, potest addi laudabiliter ad ea. quia sic addere non est aliud, q̃ dicere explicite & aperte, quod scriptura dicit implicite & latenter. Si autem talis intellectus vere ex scripturis haberi non potest, (& tamen apponitur tanquam primus intellectus) falso apponitur. & aliquando apponens est tantummodo errans. aliquando hæreticus est censendus. asserere enim pertinaciter aliquid esse primum intellectum scripturæ diuinæ, quod non est, sapit hæresim manifestam; quia quamuis verum, quod apponitur, non sit falsum, nec contrarium catholicæ veritati, tamen assertio, qua dicitur esse primus intellectus scripturæ, est erronea atque falsa. Quarto modo potest aliquid addi scripturis, tanquam primus intellectus, dummodo habeatur per reuelationem vel per exhibitionem apertam noui facti, vt sancti apostoli per reuelationem nouam plurium parabolarum Christi, à Christo exponente ipsas acceperunt primum intellectum. Sic etiam discipuli videndo statuam Cæsaris poni in templo poterant accipere primum

mum intellectum prophetiæ Danielis. Sic etiam discipuli, vt habetur Ioan. 2. videntes Christum resurrexisse à mortuis cœperunt intellectum illorum verborum Christi: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* post hæc enim verba ibidem subiungitur: *ille autem dicebat de templo corporis sui.* Dum ergo resurrexit à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ & sermoni, quem dixit Iesus.

CAP. XX.

In quo respondetur ad secundam obiectionem capituli 15.

DISCIP. Vt expediamus nos de ista materia, narra quomodo respondetur ad secundam obiectionem, quam *cap. 15.* induxi. MAGIST. Respondetur ad ipsam, quod sicut scriptura sacra & in locis planis & aliis obscurioribus, quorum tamen primus virtute ingenii humani potest accipi intellectus, pie legentibus fructuosa existit, licet aliis occasio sit errandi (vnde & communiter omnes hæretici hęreses suas in scripturis diuinis fundare conati sunt.) Sic etiam illa, quorum primus intellectus absque reuelatione haberi non potest, salubria sunt, & vtilia legentibus ea, non ad capiendum primum intellectum ipsorum. Sed ad humilitatem & alios sensus mysticos capiendos, licet periculosa & mortifera sunt superbis atque stultis, qui altiora se quærunt & inuestigant, quæ minime apprehendere valent.

CAP. XXI.

Iterum probat opinionem capitulo primo recitatam, & hoc pluribus allegationibus, ad quas respondetur infra. 23. & 24. capitulis.

DISCIP. Quia opinio supra *primo cap.* recitata quamuis concedat, quod scripturis canonicis & determinationibus generalium conciliorum sit certa credulitas adhibenda, tamen hoc generaliter negat de scripturis aliis quibuscunque. ideo videamus an illa sit consona veritati. primo autem pone opinionem cum motiuis eiusdem. MAGIST. Opinio prædicta ponitur & probatur in hæc verba. Quod autem scripturis aliis, quæ scilicet humano spiritu reuelante sunt traditæ, nemo certam credulitatem aut veritatis confessionem præbere teneatur, apparet. Quoniam nulli scripturæ falsum signari potenti tenetur quis firmiter credere aut ipsam tanquam veram simpliciter confiteri. hoc autem patiuntur scripturæ innitentes humanæ inuentioni singularis personæ, aut collegii partialis. Possunt enim à veritate deficere, vt experientia palam est. habetur etiam in Psal. *ego autem dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Scripturæ vero canonicæ non sic: quia non sunt ab humana inuentione, sed immediate traditæ Dei inspiratione, qui non potest falli, nec fallere vult. Hanc enim sententiam & differentiam humanarum & diuinarum scripturarum aperte confirmat August. 19. epistolarum ad Iohannem, cum dixit: *ego enim fateor charitati tuæ omnino solum ex omnium scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc honorem timoremque deferre, vt nullum earum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. ac si in eis offeratur literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est: vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantacunque sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorrent, persuadere poterant.* Sed hoc idem replicat & admonet in prologo libri *de Trinitate*, cum dixit: *noli lector sic meis literis quasi scripturis canonicis inseruire, sed in illis & quod non credis cum inueneris, incunctanter crede: in istis* autem (scil. meis) *quod certum non habeas, nisi certum intellexeris, noli firmiter tenere.* Idem quoque dixit *in epistola ad Fortunatianum*, & aliis pluribus libris. Idem quoque videtur sensisse Hieronymus in *expositione Catholicæ fidei*, cum dixit: *nouum & vetus testamentum recipimus in eo librorum numero, quot sancta catholica ecclesia tradit auctoritas.* Aug. ergo scripturas proprias à canonicis separauit: nec ipse, qui tantæ fuit sanctitatis auctoritatis & scientiæ, suas traditiones canonicas appellare præsumpsit. Hoc enim impium est, & sacrilegii modus quidam. quoniam circa humana traditione dicta vel scripta, error & falsum contingere potest: quod in canone secundum veritatem dicto, nullatenus euenire contingit. Propter quod etiam ex *concilio Carthaginensi 3.* prohibitum reperitur valde, *ne sub nomine harum* (canonicarum scilicet) *aliæ quæuis scripturæ legantur.* vnde legitur ibidem & in Isidori Codice continetur hæc series: *Item placuit, vt præter scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine diuinarum scripturarum. sunt autem canonicæ scripturæ Genesis,* & cætere, quæ de volumine Bibliæ numerantur ibidem.

Cap. XXII.

Arguit in contrarium eorum, quæ dicta sunt cap. primo & immediate præcedenti, & ex his quæ possunt inferri ex eadem opinione & eius dictis.

DISCIP. Primo contra istam assertionem nitere allegare. MAGIST. Nonnullis apparet, quod ex ista possint plures absurditates inferri. Quarum prima est, quia ex quo scriptores scripturæ canonicæ de hoc seculo migrauerunt, nullorum mortalium scripturis credulitas est præbenda: & ita nulli mortales essent ad ferendum testimonium admittendi in quocunque casu. Quantæ autem & quot absurditates ex ista sequuntur, nullus sanæ mentis ignorat. Quod autem ista absurditas ex assertione præscripta sequatur, manifeste apparet. Nam quorum scripturis quibuscunque non est præstanda certa credulitas, ipsorum verbis minime est credendum. quia qui potest falsum asserere in scripto, in solo verbo falsum asserere potest. Secunda absurditas, quod nulli historiæ, nulli Legendæ cuiuscunque sancti, nullis gestis de summis pontificibus, aliis clericis, imperatoribus, regibus, & aliis hominibus fidelibus vel infidelibus, quæ non in scripturis canonicis continentur, sed in aliis scripturis, est credendum. Ex quo vlterius concluderetur, quod dubitare licet, an præter episcopos, imperatores & reges in quibuscunque partibus orbis terrarum, de quibus in scriptura diuina & conciliis generalibus fit mentio: & præter illos, quos scimus nunc & vidimus præsidere, vnquam fuerint alii quemcunque fidelem vel infidelem populum gubernantes. Vel saltem dubitare de quolibet alio in speciali non erit illicitum, cum de aliquibus ipsorum validiori testimonio, quàm per scripturam canonicam constare non possit. Sequitur etiam, quod nulli esset illicitum credere, quod postquam scripta est scriptura diuina, Deus nullum fecit miraculum: quod ipse non vidit, vel non cognouerit per seipsum. Nec fortiori testimonio, quam per scripturas sanctorum patrum, quæ tamen non sunt canonicæ, sibi liquere potest. Ex quo concluditur, quod dubitare licet, an quicunque canonizati per Romanam ecclesiam sint legitime propter vitam & miracula cathalogo sanctorum ascripti, quia potissime de hoc liquet per Legendas ipsorum. Alia absurditas sequitur, quod videlicet libris antiquis, instrumentis productis ex archiuis publicis & scripturis quæ factæ sunt calumniis, & aliis quibuscunque, quæ non reperiuntur in Biblia, fides esset nullatenus adhibenda. Cuius contrarium in sacris legibus, & canonibus imperialibus reperitur expresse. Ex hac enim absurditate infertur aperte, quod per huiusmodi libros, instrumenta & scripturas nunquam esset ferenda sententia, quia per illas scripturas, quibus non est adhibenda fides, sententia ferri non debet. sicut nec est ferenda sententia per testes, quibus credere non oportet.

Cap. XXIII.

In quo respondetur ad allegationes supra capitulo 21. adductas.

DISCIP. Istæ allegationes contra præscriptam assertionem ad præsens sufficiant: nunc dic, quomodo respondetur ad motiua eius. Ad primum cum dicitur, quod nulli scripturæ falsum significari potenti tenetur quis firmiter credere, aut ipsam tanquam veram simpliciter confiteri. Respondetur, quod si ista propositio intelligeretur de scriptura vel de scriptore, posset cõcedi aliquomodo, quia scripturæ falsæ aliquomodo, præsertim postquam constiterit, quod ipsa est falsa, adhibere fidem non debet hoc sciens. Sed multæ sunt scripturæ non canonicæ, quæ hoc minime patiuntur, nec quod hoc minime patiatur per experientiam constare potest. Multæ enim sunt scripturæ non solum sanctorum patrum, sed infidelium philosophorum, & aliorum, imo & hæreticorum, in quibus nullum falsum poterit reperiri. Quamuis enim hæretici in quibusdam scripturis errauerint, quidam tamen eorum in quibusdam aliis nullatenus errauerunt. Vnde & Origenes licet (vt fertur) turpissime errauerit, sicut recitat beatus Aug. 11. *de ciuitate Dei*, tamen in multis scripturis eius nullus error apparet. Et ideo multis scripturis infidelium licet adhibere fidem. Sed si intelligatur de scriptore (vt videlicet quamuis alicui scripturæ alicuius, scilicet non scriptoris scripturæ canonicæ) adhibenda sit fides: (non quia à tali scriptore est scripta, sed quia per scripturas canonicas aut per rationem naturalẽ potest ostendi, quia nullam contineat falsitatem.) Tamen ipsi scriptori potenti falsum asserere, seu significare, nõ tenetur quis firmiter credere. Et ideo scripturam eius non est necesse tanquã veram simpliciter confiteri, nisi possit aperte probari, quod est consona scripturis canonicis, vel rationi euidenti naturali, maiorem apparentiam habere videtur. Et tñ sic intellecta à veritate aliena videtur. Ad cuius declarationem dicitur esse sciendum, quod sicut secundum iura canonica & alia, aliqua est præsumptio, in cuius contrarium est aliqua probatio admittenda & alia, in cuius contrarium nulla probatio est admittenda. Ita potest aliquis alii homini vel assertioni credere, & ipsam cõfiteri tanquã veram dupliciter. Quia vel credulitate tam certa, vt nullã velit in contrarium probationem admittere vel audire, aut credulitate firma; non tamen tam certa, quin reputet quod sit probatio in contrarium audienda, si quis fide dignus offerat se contrarium probaturum. Primo modo, nulli scriptori cuiuscunq; scripturæ nõ canonicæ in omnibus dictis aut scripturis eius est credendum. Alicui tamen assertioni eius taliter credere

credere licet & oportet in quatuor casibus. Puta, si assertio eius patenter & aperte per scripturas canonicas, per assertionem vniuersalis ecclesiæ, per rationem naturalem euidentem, præsertim consonam catholicæ fidei, vel bonis moribus, aut per apertum miraculum possit ostendi. Secundo modo, pluribus aliis quam scriptorib. scripturæ canonicæ in multis aliis q̃ in prædictis quatuor casibus, est credendum. quia summis pontificibus, conciliis generalibus, & aliis sanctis episcopis, & doctoribus, atq; fide dignis viris, & ab ecclesia ꝓbatis, quantum ad ea quæ facti sunt, quæ videl. per seipsos, vel per alios fide dignos, quibus credere tenebantur, potuerunt cognoscere. Et peccat, qui eis non credit: quia reuerentiam, quam Deus tantis viris adhibuit, denegare præsumit. Qui n. eis & huiusmodi non crederet, dubitaret an scienter in huiusmodi mentirentur. Et ita sine causa ipsos non crederet esse veraces. In huiusmodi ergo credendum est eis. propter quod non solum per testes, sed etiam per libros antiquos, & instrumenta, quæ de falsitate conuinci non possunt, & scripturas antiquorum, licite iudex fert sententiam, & peccaret si non ferret. Quantum autem ad illa, quæ pure sunt scientiæ & non facti, scripturis sanctorum patrum & auctorum ac consiliorum est reuerentia exhibenda. Quia doctrina eorum minime est spernenda, sed sollicite attendenda, & cum diligentia audienda, præsertim cum de aliquo pertinēte ad fidem vel mores quæritur veritas, de quo in scripturis suis tradiderunt, quod senserunt. & qui doctrinam eorum, cum posset, negligeret legere, si erraret, de temeritate plectibili esset merito arguēdus. Quia contra pręceptū Salomonis, prudentię seu peritiæ propriæ conuinceretur inniti. Doctrina insuper eorundem, si in aliqua sui parte videatur contraria veritati, pie & sane exponenda est, si potest, & ad verum intellectum trahenda. Et quamuis ad sanum intellectum trahi non possit, non sunt statim de hæretica prauitate notandi: licet errantes debeant reputari. Nonnullis tamen apparet, quod quantum ad decretales & constitutiones ac diffinitiones solennes summorū pontificum, & aliorū episcoporū ac generalium prouincialium & episcopalium conciliorū, & etiam capitulorum & collegiorum quorumcunq; intendentium alios ad suam assertionem firmiter defensandam cogere & artare: & quantum ad alias scripturas eorundem, & aliorum est discretio facienda. Quia si in primis scripturis inuenitur aliquid catholicæ veritati contrarium, statim auctores eorum sunt hęretici reputandi: quia de pertinacia ex hoc ipso, quod cogunt alios suo errori ptinaciter adhærere, possunt manifeste conuinci. Si in illis error aliquis reperitur, cuius contrarium tenens vel scribens, eundem errorem non tenetur explicite credere: non est statim auctor huiusmodi scripturæ erroneæ hæreticus iudicandus, sed est de prauitate hæretica excusandus, nisi per alios modos (de quibus multa diximus in *prima parte istius Dialogi lib.* 4.) de pertinacia conuinci valeat apertissimis documentis. Porro licet viri huiusmodi venerabiles in aliquo aperte conuincantur errare, & ideo liceat eis, qui de hoc sunt certi, ipsos quantum ad hoc negare & improbare: in aliis tamen quibuscunque, de quibus non est certum ipsos errare, præsumendum est pro dictis eorum, ita vt absque temeritate culpari non possint neque in genere, neque in specie. & quanto plures virorum huiusmodi in aliqua sententia concordauerint, tanto magis præsumendum est pro eadem, non tamen sic, quin in contrarium valeat audiri probatio. Et quamuis in his, quæ purè sunt scientiæ seu peritiæ, præsumendum est pro huiusmodi scripturis ipsorum, tamē fortius præsumendum est pro scripturis eorundem quantum ad illa quæ facti sunt: quia fortius pręsumendum est ipsos nolle mentiri, quam per ratiocinationes non esse deceptos. Et ideo in his, quæ facti sunt, præsertim de his quæ per seipsos se insinuant cognoscere, tenetur quilibet credere ipsis, nisi per fide digniores de contrario certus existat. DISCIP. Contra prædicta obiici potest, quia non est necesse credere alicui testimonio, per quod infallibilis certitudo haberi non potest. Sed per humanum testimonium haberi nō potest infallibilis certitudo, etiam cum de aliquo testimonium perhibet multitudo, teste Moyse, imo Deo per Moysen *Exod.* 21. qui ait: *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ vt à vero deuies.* ergo non est necesse credere humano testimonio cuicunque. & per consequens non est necesse credere quibuscunque scripturis illorum, quorum testimonium est humanum tantummodo reputandum. cuiusmodi sunt scriptores omnes præter illos, qui scripturas scripsere diuinas. MAGIST. Ad hoc respondetur, quod sæpe necesse est credere testimonio, quamuis per ipsum infallibilis certitudo haberi non possit, saltem credulitate illa, contra quam (non obstante quod dubitatione careat) debeat, aut possit admitti probatio. Alioquin in nullo negocio, quibuscunque testibus, qui non sunt confirmati in gratia, plusquam vniuersali ecclesiæ esset credendum. Quare propter testimonium huiusmodi non esset à iudice contra aliquem ferenda sententia. Sæpe igitur testimonio fide dignorum omni exceptione maiorum, qui reprobari aut conuinci de falsitate non possunt, est credendum: quamuis per ipsum certitudo infallibilis haberi non possit. In huiusmodi enim sufficit certitudo possibilis & sufficiens, quamuis non sit infallibilis. Cum autem accipitur, ꝙ per testimonium humanum certitudo haberi nō potest. Respondetur, ꝙ quamuis per humanum testimonium præcise excluso omni testimonio speciali diuino, infallibilis certitudo haberi non possit, tamen concurrente diuino testimonio certitudo infallibilis potest haberi, & nonnunquam per diuinū testimoniū possumus esse certi, quod humanum testimoniū debet infallibile reputari. Si enim humanum testimonium per diuinū miraculū apꝓbetur, de infallibilitate eius debemus esse certi. de quo ēt infallibiliter possumus esse certi, si ab vniuersali ecclesia pręsertim in his quę sunt necessaria ad salutē, fuerit apꝓbatū. ꝓpter ꝓmissionē Christi, ex qua colligitur, ꝙ Christus nunquā deficiet ecclesiæ in his, quæ sunt necessaria ad salutem.

CAP. XXIV.

Vbi respondetur ad reliquas allegationes pro prima opinione factas capit. 21. scilicet ad Augustinum, Hieronymum, & concilium Carthaginense.

DISCIP. Sufficiant ista ad præsens, de allegatione præscripta. ideo dic, qualiter ad auctoritates sequentes, opinio memorata respondet. MAGIST. Quantum ad auctoritates Augustini & Hieronymi. Primo respondetur, quo ad hominem dicens, quod contrarium opinantes ipsos nequaquam allegare deberent, cum teneant quod non est necesse aliis credere scripturis quàm canonicis, quæ in Biblia continentur: quare vel frustra prædictas auctoritates allegant, vel opinionem propriam facto negant, cum allegando Augustinum & Hieronymum pro opinione sua firmanda, facto ostendant quod auctoritatibus Augustini, qui non fuerunt scriptores alicuius partis Bibliæ, est credendum. Ad rem autem respondetur primo, ad auctoritatem Augustin. aut Hieronymi, quod intentio August. ibidem est, quod vniuersaliter absque omni exceptione, solis scriptoribus Bibliæ ille timor deferatur & honor, vt eo ipso, quod ibi aliquid inuenitur, credatur absque omni probatione in contrarium audienda, esse verum. Alii autem multi ita legendi sunt, vt quamuis in multis præcipue in his quæ facti sunt, debeat eisdem credi: tamen non in omnibus, quæ facti sunt, vel scientię seu peritiæ eo ipso debeat aliquid reputari verum tam certitudinaliter, quod nulla probatio in contrarium possit admitti, quia ipsi ita senserunt, cum errare potuerunt, licet non semper errauerint, & aliqui eorum in nulla scriptura aliquod falsum protulerunt assertiue. Et ideo assertiones eorum in his quæ sunt scientiæ seu peritiæ, nec sunt taliter necessario recipiendæ à legentibus, nisi easdem vel per scripturas sacras vel per irrefragabilem rationem vel approbationem vniuersalis ecclesiæ vel per operationem miraculi possint ostendere, quod sint consonæ veritati. In his autem, quæ facti sunt, quæ asserunt vel per seipsos, vel fide dignorum relatione legitima cognouisse: ipsis tanquam fide dignis est credendum, nisi per alios credibiliores possit contrarium probari. Quia in huiusmodi non est inconueniens, quod plus credatur vni, quàm alteri. Quemadmodum secundum quosdam in historiis & translationibus plus credendum est Hieronymo, quam Augustino. Veruntamen dicitur, sicut tactum est supra, quod pro assertionibus omnibus doctorum approbatorum ab ecclesia, præsumendum est, quousque de contrario constet. quemadmodum præsumitur pro assertione iudicis, & etiam multitudinis, antequam constiterit contrarium. Notandum autem, quod Augustinus in auctoritate illa loquens de scriptoribus aliis, à scriptoribus canonum Bibliæ, inter hos scriptores & illos non distinguit. Et ideo siue fuerint summi pontifices, siue alii: siue scripserint aliquid in concilio generali, siue extra: consimile de eis iudicium est habendum, vt in his quæ scientiæ sunt vel iuris, non ideo aliquid putetur certitudinaliter modo prædicto esse verum, quia ipsi ita scripserunt, nisi id aliquo prædictorum modorum, scilicet per scripturam diuinam, vel rationes irrefragabiles, aut operationem miraculi, aut per approbationem vniuersalis ecclesiæ persuadere valuerint. Consimiliter ad auctoritatem aliam Augustini dicitur, quod scripturæ suæ non sunt tantæ auctoritatis quantæ sunt diuinæ. cum hoc tamen stat, quod in quibusdam sit ei credendum, & quod non est negandus, nisi ab illo, qui certus est ipsum à veritate recedere. Et eodem modo dicitur ad auctoritatem Hieronymi, quod solum nouum & vetus testamentum recipi debent inter scripturas canonicas, & tamen pluribus scripturis aliis, quo ad multa, est credendum. Et in multis negari non debent. Et eodem modo respondetur ad concilium Carthaginense, quod ipsum solummodo prohibet præter scripturas canonicas, quæ sunt Genesis & cæteræ, quæ de Biblia numerantur, alias legi sub nomine diuinarum scripturarum. cum quo stat, quod legendæ sunt, & quod alicuius auctoritatis sunt, ita vt quo ad multa negari non debeant, & in multis sit credendum eisdem.

CAP. XXV.

In quo ostenditur, in quibus quarta opinio cum secunda conuenit, aut discordat, & qualiter. Et primo quod canonibus apostolorum in omnibus sit credendum. in quo quarta cum secunda & tertia conuenit. & ibidem ponuntur responsiones pro 2. & 3. dicto capit. 2.

DISCIP. Nunc secundum præscriptam opinionem supra ca. 4. recitatam, narra quomodo respondetur ad illa, quæ supra. 2. cap. ostendunt, quod decretis & decretalibus summorum pontificum & canonibus apostolorum, qui in Biblia non habentur, & dictis doctorum ab ecclesia approbatorum est fides absq; dubitatione aliqua adhibenda.

MAGIST. Opinio illa concedit, quod canonibus apostolorum, quamuis non inserantur in Biblia, est adhibenda certa credulitas. quia quamuis non sint inscripti in scripturis canonicis, scriptores tamen scripturarum canonicarum fuerunt & auctores earum. Et ideo recipi debent cum reuerentia & credulitate firma, ita vt non liceat credere, quod aliquid contentum in eis sit falsum aut peruersum.

DISC. Licet teneamur credere, quod nullus scriptorũ Bibliæ in scribendo quãcunq; partẽ Bibliæ errare

errare potuerit: sicut nec potuit errare prædicando vel verbis asserendo aliquid, quod tunc fuit scriptum, vel post fuit scribendum in quacunque parte Bibliæ: tamen non artamur credere, quod nullus eorum potuerit errare in scripturis aliis à Biblia: sicut nec cogimur credere, nullum eorum potuisse errare alia asserendo, quæ non erant scripta nec scribenda in Biblia. Cum ergo nequaquam credere astringamur, quod semper quilibet eorum in verbis & factis tenuerit veritatem (nam & beatus Petrus princeps aliorum apostolorum aliquando ad veritatem minime ambulauit) non tenemur ergo credere, quod in aliis scripturis à canone Bibliæ nunquam dimiserit veritatem. MAGIST. Ad hoc respondetur dupliciter. Vno modo, quod quamuis quilibet apostolorum per se à veritate deuiare potuerit, sicut & Petrus: tamen collegium apostolorum errare non potuit. Vnde & quando Petrus errauit, nequaquam errauit collegium apostolorum, sed vnus eorum, scilicet Paulus, ipsum correxit. vnde videtur quod illa promissio Christi Matthæi vltimo, *vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, non tantum debeat intelligi de vniuersali ecclesia, sed etiam de collegio apostolorum pro tempore eorundem, quia ipsis immediate fuit dicta promissio, & in ipsis fuit facta vniuersali ecclesiæ. Cum igitur *Canones apostolorum* dicuntur fuisse totius collegii apostolorum, videtur quod non sit dubitandum, quin quicquid contineatur in eis, nullo modo sit falsum aut peruersum. Aliter dicitur, quod *Canones apostolorum* per vniuersalem ecclesiam, quæ tunc parui numeri fuit, approbati fuerunt. Ecclesia autem vniuersalis errare non potest. Et ideo nihil erroneum aut iniquum continetur in eis.

DISCIP. Quomodo respondetur ad allegationes, quibus ostenditur, quod decretis & decretalibus summorum pontificum adhibenda est fides. MAGIST. Ad illos datur responsio Graciani. *dist.* 19. hæc autem est, quod videlicet illis adhibenda est fides, in quibus nec præcedentium patrum decretis nec euangelicis præceptis aliquid contrarium inuenitur. Si autem aliquid illicite & non canonice scripserunt, repudiandum est ab illo, qui hoc cognoscit. de illis vero, quæ sunt consona veritati, intelligunt Nicolaus papa & Agatho papa & alii sancti patres, qui de hoc loquuntur.

DISCIP. Quid faciendum esset de decretalibus summorum pontificum, qui continerent aliquid erroneum aut peruersum, si catholici hoc nescirent. MAGIST. Pro hac materia potes recurrere *ad septimum librum primæ partis istius Dialogi*, vbi de hoc multa discussimus. DISCIP. Hoc non obstante, dic breuiter, quid de hoc sentit opinio *sup. cap.* 2. recitata. MAGIST. Illa opinio tenet, quod si aliqua decretalis summi pontificis in rei veritate est contraria fidei aut bonis moribus, illi qui hoc ignorant præsumere debent pro ipsa: non tamen sic, quin possint & in casu teneantur probationem in contrarium admittere. Si vero aliqui, præcipue literati & scientiæ excellentis vel etiam mediocris, se offerant probaturos decretalem summi pontificis esse cōtrariam fidei vel bonis moribus, aut non esse recipiendam inter scripturas authenticas: Alii eorum probationes audire tenentur, præsertim si periculum fidei aut morum aut etiam personarum immineat. quia in hoc casu quilibet Christianus salutem fidei, bonorum morum, & personarum catholicarum erroneæ decretali summi pontificis & honori temporali ipsius præferre tenentur. & quicunque commode potest audire rationes monstrantes, decretalem papæ esse erroneam seu hæreticalem, & noluerit, si ipsam defenderit, vel etiam pro ipsa præsumpserit, credens & fautor prauitatis hæreticæ est censendus. quia ignorantia talem non excusat, eo quod talis ignorantia est affectata vel crassa & supina, quæ non excusat. DISCIP. Videtur quod probationes contra decretales summorum pontificum sunt minime audiendæ: quia ratione consimili audiendæ essent probationes contra sacram scripturam. Et ita doctor vel literatus alius, qui commode posset & non legeret libros hæreticorum & philosophorum, contra scripturam sacram peccaret: quod tanquam inconueniens est habendum. MAGIST. Ad hoc respondetur, quod non est simile de sacra scriptura & de decretali summi pontificis. quia firmiter est tenendum, quod scriptura sacra errare non potest. ideo nisi aliqua causa moueat specialis non oportet legere vel audire aliquam probationem contra ipsam, qualescunque & quotcunq; affirment se posse probare aliquid contra eam. Sed de papa firmiter catholici literati præcipue & intelligentes ac ratione vigente credere obligantur, quod potest errare: & per consequens quod contra quamcunq; scripturam ipsius, præsertim in his, quæ scientiæ seu peritiæ sunt, de qua in speciali non constat, quod est consona scripturæ sacræ vel rationi euidenti vel assertioni vniuersalis ecclesiæ: vel per diuinum miraculum confirmata debet audiri probatio. Et ideo nolentes audire probationes contra decretales papæ, cum possunt: si errant per ignorantiam, nullatenus excusantur. Sed de quolibet illorum verificaretur illud apostoli: *ignorans ignorabitur*. DISCIP. Qualiter respondetur ad allegationes, quibus ostenditur, quod dictis doctorum ab ecclesia approbatorum est credendum. MAGIST. Respondetur ad eas, quod dictis doctorum taliter est credendum & præsumendum pro ipsis, si non constet aperte, quod obuiant veritati. Et ideo opuscula eorum recipienda sunt cum reuerentia, non tamen sic, quin liceat credere, quod aliquid poterat reperiri in eis contrariū veritati. Quia de facto vnus contrariatur alteri, & per cōsequens aliquis eorū errauit. quia cōtraria non possunt simul esse vera. Iste tñ honor deferendus est eis, vt nullus credatur fuisse pertinax in assertione falsæ sententiæ. Et ideo nullus eorum de prauitate hęretica est notandus. sed pręsumendū est de quolibet, q tanta sollicitudine, quanta potuit, quæsiuerit veritatē, quamuis nō semper inuenerit. Ad illud, q accipitur, quod assertionib. summorū pontificum & in expositione sanctarum scripturarum est

credendum, quibus tamen præferuntur expositiones doctorum. Respondetur, quod assertionibus huiusmodi summorum pontificum credendum est modo præposito. Et ideo eodem modo credendum est dictis doctorum ab ecclesia approbatorum. Ad illud autem Hormisdæ papæ respondetur, quod intelligit de illis, quę à sede apostolica sunt catholicæ constituta seu diffinita, pro quibus præsumendum est, nisi probatio euidens in contrarium affirmetur. Et eodem modo dicitur ad canonem Nicolai papæ.

Cap. XXVI.

In quo respondetur ad rationes cap. 3. huius adductas probantes quod etiam doctoribus ab ecclesia minime approbatis est fides indubia adhibenda.

DISCIP. Restat secundum opinionem sępe dictam, vt narres, quomodo respondetur ad allegationes inductas *capit. 3.* quibus quod etiam doctoribus ab ecclesia minime approbatis, quo ad ea in quibus omnes vel plures eorum & pręcipue magis famosi concordant, alii fidem adhibere tenentur. MAGIST. Ad primam illarum allegationum, cum accipitur, quod teste Leone papa, non credere doctoribus est iniquum. Respondetur, quod intentio Leonis ibidem est, quod non credere doctoribus ab ecclesia approbatis, quo ad ea quæ sunt consona pietati, est iniquum impia sapiendo. Et ideo præmittit ibidem, *quid est iniquius quam impia sapere* &c. Sed non credere doctoribus, qui se mutuo reprobant, non est iniquum. DISCIP. Secundum hoc non aliter credendum est doctoribus approbatis ab ecclesia, quam non approbatis: quia sicut iniquum est impia sapiendo non credere aliis doctoribus, qui sunt ab ecclesia minime approbati: Et ita non aliter credendum est istis, quam illis. MAGIST. Respondetur, quod impia sapere contingit dupliciter: scilicet impie seu pertinaciter, vel non impie & non pertinaciter. Quemadmodum etiam in his quæ fidei sunt, contingit errare pertinaciter & non pertinaciter: & ita contingit errare impie & non impie. Nunquam autem vel raro discreditur doctoribus ab ecclesia approbatis, quando dicta eorum possunt haberi impia sapiendo, nisi impie: quia raro & eorum quidam in nullis penitus errauerunt. Sed sæpe contingit impia sapiendo non impie tamen non credere doctoribus ab ecclesia minime approbatis: cum etiam sapiendo impia contingat in multis non credere eis, cum in multis errent. quod ex contrarietate inter ipsos perpenditur euidenter. Propter quam cõtrarietatem tam crebram & fantasticorum assertionem pro assertionibus eorum est minime præsumendum. Et ideo aliter credendum est doctoribus ab ecclesia approbatis, quam aliis. Propter sanctitatem enim & veritatem ac vtilitatem doctrinæ doctorum ab ecclesia approbatorum reuerentia tanto merito debetur eisdem, vt nemo, qui non est certus eos vel eorum aliquem defecisse, debeat quodcunque dictum eorum vel alicuius ipsorum negare contrarium sapiendo aut aliquã assertionem alicuius eorum ad falsum aut peruersum trahere intellectum, antequam mentem & motiua eorum vel alicuius eorum, si potest, viderit diligenter. Sed tantam reuerentiam non tenemur doctoribus ab ecclesia minime approbatis necessario exhibere: præsertim cum studere in libris eorum propter diuersas opiniones indociles & fantasticas ac vix opinabiles assertiue vel opinatiue insertas in eis impedimentum maximum præstet scientiæ necessariæ & vtili ecclesiæ Dei.

DISCIP. Dic qualiter respondetur ad allegationem sequentem. MAGIST. Respondetur, quod scripturę diuinæ principaliter docendæ sunt à doctoribus ab ecclesia approbatis: & ab illis, qui sunt veritatis & non propriarum opinionum amatores: qui in docendo in diuinis literis & aliis authenticis scripturis ac rationibus irrefragabilibus solam veritatem, non inanem gloriam aut fauorem cuiuscunq; quærentis se fundare nituntur, parati opiniones proprias reuocare, si eas per se vel per alios doctores vel discipulos excellentes vel parum intelligentes cognouerint veritati quomodolibet aduersari: non autem ab illis, qui opiniones vel assertiones proprias vel sui ordinis, collegii, nationis, amicorum vel adhærentium aut fauentium vel cuiuscunq; personæ qualitercunq; coniunctæ, relictis aut spretis opinionibus seu assertionibus aliorum verioribus vel probabilioribus, tenent aut defendunt, vel teneri cupiunt aut defendi. DISCIP. Quid si aliquis superior vel prælatus voluerit cogere sibi subiectos approbare, & tenere opiniones seu doctrinam alicuius doctoris ab ecclesia minime approbati? MAGIST. Dicitur, quod talis prælatus peccaret mortaliter, & omnes cõsentientes sibi & fauentes. DISCIP. Nunquid secundum opinionẽ istam artantes sibi subiectos ad defendendum opiniones doctoris vel doctorum huiusmodi sunt hæretici cõputandi, si inter opiniones illas aliqua in rei veritate scripturæ diuinæ repugnant, quamuis non patenter sed latenter? MAG. Respondetur, quod tales sunt hęretici reputandi, licet doctor tales opiniones inueniens possit à prauitate hęretica excusari: qa deceptus absq; pertinacia, opinionem suam, quæ est in rei veritate hæretica, quis hoc nesciat, poterit diuulgare. Sed pœnis, & statutis, aut minis, vel terroribus, aut psecutionib. quibuscunq; arcẽtes, seu cogẽtes sibi subiectos ad tenendũ opinionẽ huiusmodi & tali artationi seu coactioni cõsentientes de pertinacia excusari nõ valent. De taliter artantib. seu cõsentientibus intelligi debet illud Vrbani, quod habetur *24. q. 3. c. Qui aliorum*, cum ait: *Qui aliorũ errorem defendit, multo amplius est damnabilior illis qui errant. quia non solũ ille errat, sed etiã aliis offendicula erroris præparat, & confirmat, quantum in eo est, cogendo alios per huiusmodi artationem seu obligationem, errori pertinaciter adhærere. Vnde quia magister erroris est, per compulsionem huiusmodi non tantum hæreticus, sed etiam hæresiarcha dicendus est.*

DISCIP.

DISCIP. Alias allegationes prosequere. MAGIST. Ad aliam, quæ accipit, quod pro multitudine & maxime sapientum præsumendum est. Respondetur, quod non est semper pro multitudine sapientum taliter præsumendum, vt in illis, quæ scientiæ sunt, aliquis multitudini sapientum, qui non sunt ab ecclesia approbati, credere teneatur, antequam inuenerit per scripturas sacras, aut rationem euidentem, vel operationem miraculi, aut per assertionem vniuersalis ecclesiæ, quod eorum assertio sit consona veritati: licet pro eis taliter præsumere liceat, vt eorum assertio minime reprobetur aut negetur, nisi constiterit quod obuiat veritati.

Ad aliam cum accipitur, quod ille prudentiæ suæ innititur, qui ea quæ sibi tenenda vel credenda videntur doctorum assertionibus præsumit præponere, secundum quod innuit Hieronymus *extra, de constitutionibus.ca.ne innitaris.* Respondetur, quod Hieronymus ibidem loquitur de decretis patrum, qui fuerunt scriptores scripturæ diuinæ, & de pluribus ab ecclesia approbatis: Non autem de aliis, qui se inuicem reprehendunt, & reprobant. Quia ad illos non oportet regulariter recurrere, licet in casu tenetur quis, quid senserint indagare.

Si enim dicant, se opiniones suas accepisse à scripturis diuinis, non sunt opiniones huiusmodi reprobandæ, seu spernendæ vel negandæ ab eo, qui non est certus eas esse contrarias veritati, antequam motiua earum viderit diligenter. Si enim opiniones eorum fuerint catholicæ, & in sacris fundatæ scripturis, qui eas negauerint, præsertim assertores eorum persequendo, vel persequentibus in hoc fauendo, nolens notitiam eorum catholicam, quamuis commode possit, legere vel audire attendere, non potest de prauitate hæretica excusari. quia talis errans, qui non quærit cauta sollicitudine veritatem, quando tenetur quærere, est inter hæreticos computandus, prout insinuat August. vt habetur 24. *quæst. 3. c. dixit apostolus.* Et ita in casu non solum illi in insipientiam damnabilem cadunt, secundum Leonem papam, vt habetur 24. quæst. 3. cap. quid autem: *Quid autem iniquius, quam qui ad cognoscendam veritatem aliquo impeditur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas literas, non ad euangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt?* sed etiam illi, qui ad dicta aliorum, qui etiam non sunt ab ecclesia approbati, vel etiam sunt ab ecclesiasticis & clericis reprobati erronee & iniuste non recurrunt eorum motiua legere negligentes, suæ prudentiæ vel forsitan aliorum prudentiæ erroneæ innituntur. non autem illi qui scripturas sacras & doctrinam sanctorum patrum & aliorum opiniones scrutantur sollicite, cum eas possunt habere, suæ prudentiæ reprehensibiliter innituntur, licet inuentiones proprias validis munitas rationibus quorumcunque & quotcunque doctorum aliorum opinionibus, qui non sunt ab vniuersali ecclesia approbati, præponant.

Ad aliam allegationem, cum accipitur, quod fide dignorum testimonio est credendum. Respondetur, quod fide dignorum testimonio in his quæ facti sunt omnes credere debent, nisi sint aliqui qui sciant eos à veritate declinare. sed in his quæ scientiæ sunt aut iuris aut peritiæ, non est necesse omnes credere testimonio fide dignorum, etiam qui nesciunt eos errare, nec quo ad omnia in quibus non errant. & hoc quia notum est, quod vacantes scientiis etiam doctores, qui nullum falsum assererent, scienter errant in his quæ scientiæ sunt & artium, cum etiam peritissimi errauerint, & multa huiusmodi ignorauerint.

Ad vltimam dicitur per prædicta, quod non omni experto in aliqua arte est credendum in omnibus, eo quod multorum non habet experientiam neque peritiam, quæ tamen spectant ad artem. & ideo potest in multis errare & sophisticis rationibus decipi.

Explicit liber tertius.

INCIPIT LIBER QVARTVS, IN QVO VNA TANTVM QVÆSTIO PRINCIPALITER TRACTATVR: SCIlicet vtrum Christus constituerit Petrum principem aliorum apostolorum, vel non. & ponuntur diuersi modi dicendi.

Cap. I.

In quo ponitur prima opinio: scilicet quod Christus non constituit Petrum principem & prælatum aliorum apostolorum & vniuersorum fidelium, sed fuit æqualis cæteris apostolis. probatur rationibus & auctoritatibus, ad quas respondetur infra c. 25.



DISCIP. Postquam conferendo quæsiuimus, quæ scripturæ recipiendæ sunt ad ecclesiastica dogmata confirmanda, ad principale reuertamur intentum. an videlicet Christus de facto cōstituerit beatum Petrum principem & prælatum aliorum apostolorum & vniuersorum fidelium. circa quod diuersas opiniones studeas recitare. MAGIST. Vna opinio est, quod Christus de facto beatum Petrum non constituit principem & prælatum aliorum apostolorum, & vniuersorum fidelium, quod multis modis videtur posse probari. Et primo quidem ostenditur, quod nullus apostolus ex ordinatione Christi, cæteris apostolis nec quantum ad dignitatem sacerdotalem essentialem, nec quantum ad aliquam aliam potestatem, fuit superior. Quod videtur conuinci ex *Lucæ* 22. c. nam tribuens Christus apostolis potestatem eucharistiæ consecrandæ, inquit ad eos: *hoc est enim corpus meum, quod pro vobis datur. hoc facite in meam commemorationem*: id est, hoc faciendi potestatem habete, proferendo tamen verba consimilia, quando actum hunc exercere debetis, videlicet, *hoc est corpus meum*. nec dixit hæc verba plus ad Petrum, quam ad alios. non enim dixit ei Christus: fac & aliis apostolis sic faciendi potestatem tribuas, sed dixit *facite* in plurali, & omnibus indifferenter.

Item, idem quoque per omnia faciendum est de clauium potestate, siue his eisdem verbis traditę fuerint apostolis, siue aliis aut alio tempore. vt de his, quæ habentur Iohann. 10. postquam enim Christus dixit apostolis: *sicut misit me pater & ego vos mitto. insufflauit & dixit eis: accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. Dicit ergo Christus; *mitto vos sicut me misit pater*: nec dixit Petro, aut alteri apostolo singulariter: mitto te, sicut pater &c. & tu alios mitte. Nec rursum dicitur: Christus insufflauit ei: sed dixit *eis*, non vni per alterum. Nec dixit Christus ad Petrum; accipe spiritum sanctum, & aliis postmodum tribue. sed dixit, *accipite* in plurali, vt indifferenter omnibus loquens.

Item apostolus ad hanc quæstionem diffiniendam, vt videlicet nemo credat aliquem apostolorum prærogatiuam habuisse seu auctoritatem super alios, ipsam expresse remouet à Petro: de quo fortasse videbatur hoc magis propter aliqua sibi à Christo singulariter dicta, & quia senior cæteris erat. Vnde 1. ad Gal. ait: *Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. sed econtra cum vidissent, quod creditum est mihi euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis. qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter gentes. & cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus & Cephas & Iohannes, qui videbantur columnæ esse, dederunt dexteras mihi & Barnabæ societatis* &c. Qui igitur operatus fuit Petro in apostolatum, operatus fuit & Paulo. Hic autem fuit Christus. igitur huiusmodi officium non suscepit à Petro, & similiter nec apostoli reliqui. vbi in Glossa secundum August. hoc amplius exprimens inquit: *Illi qui videbantur esse aliquid, scilicet Petrus & alii qui fuerunt cum domino, nihil contulerunt, id addiderunt mihi. In quo quod non illis inferior sum, quia à domino Deo perfectus sum, vt nihil esset quod in collatione perfectioni adderent*. Ecce quod Paulus non fuit inferior Petro, nec aliis. Consequenter ad hanc intentionem subiungit Gloss. *Cum vidissent, quod euangelium præputii creditum est mihi, vt fideli, sicut Petro circumcisionis*. Ecce quod æque principaliter missus fuit Paulus, quemadmodum & Petrus. & non à Petro aut apostolorum aliquo, sed à Christo immediate. Quod amplius exprimens apostolus eodem 1. cap. sic ait: *Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrem*. vbi Gloss. secundum Amb. *Paulus apostolus non electus neque missus ab hominibus, scilicet ab Anania, vt quidam dicebant, vel ab aliis, vt quidam ab apostolis electi & missi fuerunt*. denique parum infra subdit secundum August. *Cæteri ei apostoli videbantur esse maiores, quia priores: iste minimus, quia nouissimus. sed inde apparet dignior, quia priores constituti sunt per Christum adhuc ex parte hominem id est mortalem: nouissimus vero per Christum iam totū Deum, id est ex omni parte immortalem, & vt Deum patrem, qui hoc fecit per filium. Atque vt aperiret cum dixerit: neque per hominem: subdit: qui suscitauit eum à mortuis. & ita dignius constituit me per immortalē Christum, quā alios per mortalem.*

Rursus

Rursus confirmans hoc apostolus eodem c. ait: *Notum enim vobis facio euangelium fratres, euangelisatum à me, quia non est per hominem docentem me vel mittentem. & vere non est ab homine. neque enim accepi illud ab homine, neque didici ab homine, vbi homo eligeret me ad euangelisandum vel mihi iniungeret. non didici ab homine docente me, sed per reuelationem Iesu Christi.* Ecce quod neque Petrus, neque alius, aut homo quisquam elegit, misit aut iniunxit Paulo mysterium euangelii. Idem quoque videndum est de apostolis reliquis. Nullam ergo potestatem, eoque minus coactiuam iurisdictionem habuit Petrus à Deo immediate super apostolos reliquos, neque instituendi eos in officio sacerdotali, neque segregandi eos seu mittendi ad officium prædicationis: nisi quod hoc sane concedi potest, ipsum fuisse priorem aliis ætate vel officio, fortasse secundum tempus aut in apostolorum electione, qui eum propterea reuerebantur merito. quamuis hanc electionem ex scriptura nemo conuincere possit.

Adhuc ergo per signum ostenditur, quia beatum Petrum nullam sibi assumpsisse singulariter auctoritatem supra reliquos apostolos inuenimus ex scriptura, sed magis cum ipsis æqualitatem seruasse. non enim sibi assumpsit auctoritatem determinandi, quæ dubia erant euangelii prædicatione, quod pertinet ad doctrinam; sed quæ dubia fuerunt in hoc ex communi deliberatione apostolorum & aliorum fidelium magis doctorum determinabant, non Petri aut alterius apostoli seorsum determinatione. Vnde *Actuum* 15. Dissensione orta inter prædicatores euangelii, an oporteret circumcidere incircumcisos fideles ad salutem æternam consequendam, quibusdam dicentibus oportere: Paulo vero & Barnaba reclamantibus contra hoc: *conuenerunt apostoli & seniores videre de verbo hoc, super quod locuti sunt Petrus & Iacobus non oportere.* quorum sententiæ seniores & reliqui consenserunt apostoli. Vnde subditur infra: *tunc placuit apostolis & senioribus cum omni ecclesia eligere viros & mittere Antiocham, &c. scribentes per manus eorum.* & fuit modus scribendi modo deliberandi conformis, & talis: *apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochia & Syria, & Cicilia, fratribus ex gentibus, salutem, &c.*

Similiter habetur hoc infra continuata sententia, cum dicitur: *placuit ergo nobis collectis ex nobis eligere viros & mittere ad vos.* Et parum post infra: *visum enim est, Spiritu sancto & nobis nihil vltrà imponere vobis oneris.* non ergo determinauit Petrus supradicta dubia circa fidem de plenitudine potestatis. Deliberauit ergo dubium, elegit & scripsit fidelium doctorum congregatio. Hac etiam auctoritate validum fuit sic determinatum, atque mandatum. Congregatio enim apostolorum amplioris fuit auctoritatis, quàm solus Petrus aut alter apostolus. Vnde ab ipsa Petrum legimus missum in Samariam, vt apparet Actuum 8. *Cum igitur audissent apostoli, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Iohannem.* Petrus igitur seruauit æqualitatem cum cæteris apostolis iuxta præceptum Christi dicentis Mathæi. 23. *Nolite vocari rabbi. vnus est enim magister vester Christus. omnes autem fratres estis.* Confirmatur hæc senentia per apostolum ad Gal. 2. vbi ait; *Ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis euangelium, quod prædico in gentibus.* vbi Glo. secundum August. *& non didici ab illis tanquam maioribus à Petro scilicet, nec aliis principalioribus apostolorum, de quibus infra dicetur, sed contuli cum eis tanquam cum amicis.*

Idem rursus infra eodem, cum dixit apostolus: *cum autem venisset Cephas Antiocham, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat,* &c. vbi Glossa secundum Hieronymum: *ipsi nihil mihi contulerunt: sed ego contuli Petro.* & subiungit consequenter: *ego restiti ei tanquam par. hoc enim non auderet facere, nisi sciret se non imparem fore.*

Ecce ergo, quod Paulus fuit par officio & dignitate Petro, non inferior, licet Petrus fuerit ætate senior, & tempore prior pastor. Item Augustinus de quæstionibus noui & veteris testamenti. q. 44. ait: *Eodem die, id est Penthecostes, lex lata est, quo & Spiritus sanctus decidit in discipulos, vt auctoritatem caperent, & scirent euangelicum ius prædicare.*

Amplius, sicus Petrus Antiochæ legitur electus in episcopum per multitudinem aliorum apostolorum confirmatione vel consecratione non indigens, sic & apostolorum reliqui præfuerunt in aliis prouinciis absque Petri scientia institutione vel consecratione aliqua. fuerunt enim per Christum consecrati sufficienter. propter quod similiter opinandum horum apostolorum successores non indiguisse aliqua confirmatione successorum Petri. quinimo multi successores aliorum apostolorum fuerint electi & instituti episcopi rite, ipsorumque prouincias rite & sancte rexerunt absque institutione vel confirmatione de ipsis facta per successores Petri. & extitit hoc sic legitime obseruatum vsque ad tempora Constantini Imperatoris, qui quandam præeminentiam & potestatem tribuit episcopis & ecclesiæ Romanorum super cæteras mundi ecclesias. Item, æqualitatem Petri & apostolorum signauit apostolus ad Gal. 2. cum dixit: *dexteras dederunt mihi, &c. Iacobus, Petrus atque Iohannes, vt nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.* Dexteras societatis: igitur & æqualitatis. Ex Glossa secundum Augustin. satis ostensum est sup. quamuis hoc dictum apostoli sic sit apertum, vt Glossa non egeat: Quod etiam ex *epistola Hiero. ad Eluandrum* patet, cum dicit, omnes episcopos siue Romæ siue alibi eiusdem sacerdotii atq; meriti seu potestatis à Christo collatæ immediate. Si autem B. Petrus à quibusdam sanctorũ princeps apostolorum scribatur, dictum est large ac improprie sumendo vocabulũ *principis.* & nisi sic, aperte contra Christi sententiam & oraculum est, vt Mat. 20. & Luc. 22. inquit: *Principes gentium dominan-*

dominantur eorum, vos autem non sic. ideoque dicendum est sic sanctos locutos, non propter potestatem aliquam à Christo super apostolos sibi datam immediate, sed forsitan quia ætate senior, aut quia Christum prius est confessus, fuisse verum Dei consubstantialem filium, vel quia forte fuit in fide feruentior atque constantior; aut quia cum Christo conuersatus & frequentius vocatus in consiliis & secretis. vnde apostolus ad Gal. 2. *Iacobus & Cephas*(id est, Petrus) *& Iohannes videbantur columnæ esse.* vbi Glo. secundum Ambr. *quia honoratiores erant in apostolis, quia semper in secretis cum domino fuerunt.* Item quod Petrus super apostolos nullam à Christo habuerit potestatem, probatur auctoritate Christi potestatem huiusmodi interdicentis & dicentis Matthæi 23. *vos autem nolite vocari rabbi. vnus est enim magister vester: vos autem fratres estis omnes.*

CAP. II.

In quo probatur, quod Petrus non erat caput & princeps aliorum apostolorum, per auctoritates doctorum.

DISCIP. Præter prædictas allegationes, si occurrant aliæ ad probandum, quod Petrus non erat caput, princeps & prælatus aliorum apostolorum, recita. MAGIST. Eusebius Cæsariensis talem superioritatem videtur negare à Petro, & asserere quod fuerit inferior Iacobo fratre domini. Dicit enim in Ecclesiastica historia li. 2. ca 1. *Iacobum, qui & Iustus cognominatus est ab antiquis, virtutum merito, & insignis vitæ priuilegio, primum historiæ tradiderunt suscepisse ecclesiam, quæ etiam Hierosolymis est.* Sicut Clemens in *sexto disputationum libro* asserit dicens: *Petrus enim & Iacobus, & Iohannes post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso fuerint pene omnibus prælati, tamen non sibi vendicant primatus gloriam, sed Iacobum, qui dicebatur Iustus, episcopum apostolorum statuerunt.* Ex quibus verbis colliguntur duo. Primum est, quod Petrus non fuit Prælatus à Deo omnibus aliis apostolis, cum in verbis contineatur & scripturis, quod Petrus & Iacobus & Iohannes post assumptionem saluatoris prælati fuerunt à domino pene omnibus. igitur saltem Petrus non fuit prælatus Iacobo & Iohanni. Secundum est, quod Iacobus per electionem Petri & Iohannis fuit prælatus factus aliorum apostolorum. & per consequens Iacobus fuit superior Petro, tanquam episcopus Petri, & aliorum apostolorum. Item in eadem Ecclesiastica historia lib. 3. c. 21. sic habetur: *In vrbe Romana Clemens quoque tertius post Paulum & Petrum pontificatum tenebat.* Ex quibus verbis videtur haberi, quod non plus erat pontifex Petrus in Roma quàm Paulus. Idem videtur haberi lib. 4. cap. 5. vbi sic dicitur: *Romæ autem vicesimo primo anno memorati principatus sexto 21. annis ecclesiæ gubernaculis functo Thelesforus septimus ab apostolis subrogatur.* Et libro 4. capi. 11. sic habetur: *Effloruit apud Alexandriam Clemens eodem vocabulo, quo & ille in vrbe Roma apostolorum & successor & discipulus vocitatus.* Clemens igitur successor fuit apostolorum. & per consequens vterque apostolus eodem fungebatur officio, quo & Clemens. ergo & Paulus fuit summus pontifex in vrbe Roma. Item B. Anacletus hoc sentire videtur: qui, vt legitur *dist. 21. c. in nouo*, ait: *Hic ergo*(scilicet Petrus) *ligandi soluendi primus potestatem accepit: ille à domino primumque ad fidem virtute suæ prædicationis populum adduxit, verbo instituit: cæterique apostolici pari consortio honorem & potestatem acceperunt, ipsumque eorum principem esse voluerunt.* Item B. Cyprianus, vt habetur 24. q. 1. capi. loquitur, ait: *Hoc erant vtique cæteri apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi, & honoris & potestatis.* Ex quibus verbis tam Anacleti quam Cypriani videtur, quod cæteri apostoli tam quantum ad honorem, quàm quantum ad potestatem, pares fuerunt B. Petro. ergo non fuit princeps eorum, nec superior eis quoad officium & potestatem.

CAP. III.

In quo ponitur secunda opinio de inæqualitate apostolorum, scilicet quod Christus beatum Petrum constituerit caput & principem aliorum apostolorum, quod probatur duabus auctoritatibus, quæ soluuntur, & solutiones confutantur. c. 4. & 5. vsque ad c. 10.

DISCIP. Si alia est opinio circa istam materiam, ipsam cum suis motiuis non differas pertractare. MAGIST. Alia est opinio tenens, quod Christus constituerit beatum Petrum caput, principem & prælatum aliorum apostolorum: & quod Petrus fuit ipsis superior. quod multis modis ostenditur. Hoc enim ex verbis Christi, quæ recitantur *Ioh. vlt.* videtur posse probari. ad Petrum enim Christus singulariter dixit: *Pasce oues meas: pasce agnos meos.* replicans eandem sententiam. & per consequens, cum Christus non distinxerit inter has oues & illas, primus & vniuersalis pastor etiam apostolorum immediate à Christo beatus Petrus institutus fuisse videtur. quod ibidem Chrisostomus expresse videtur asserere, cum ait: *Ex numero enim apostolorum erat Petrus, & os discipulorum, & vertex collegii. vnde & negatione debita mittit ei prælationem fratrum.* DISCIP. Ex his, quæ legi tam in historiis authenticis, quàm etiam in scripturis sanctorum patrum, quorum nonnullæ sententiæ in decretis habentur, mihi videtur, quod omnium Christianorum, præsertim obedientium Romanæ ecclesiæ fuerit communis sententia, beatum Petrum fuisse institutum à Christo caput & principem omnium fidelium. Quæ tamen sententia his temporibus impugnatur. & ad motiua in quibus scriptura diuina fundari videtur, ex intentione serietius respon-

spondetur. ideo vt mihi & aliis præbeatur occasio subtilius intuendi, an priores fuerint in hoc decepti, motiua præcedentium cum responsionibus modernorum (quorum propono tecum discutere diligenter) responsiones eorum non truncate, sed integre recitabo. & tunc recitabis, quomodo vere & realiter, aut apparenter seu sophistice valeat reprobari. MAGIST. Dicitur igitur ad motiuum præscriptum, quod sensus secundum Glossam præallegatorum verborum Christi, scilicet *pasce oues meas*, &c. est, quod oues pascere est credentes, ne deficiant, confirmare: terrena subsidia, si necesse est, subditis prouidere: exempla virtutum præbere: aduersariis obsistere, fide, scilicet: peccantes corrigere. Et subditur in Glo. *& cum tertio audit à Petro se diligi, iubet pascere oues. terna negationi redditur trina confessio, ne minus amori lingua seruiat quam timori.* Ex hoc autem non aliud conuincitur, nisi quod ipsum pastorem ouium Christus instituit: non tamen ex hoc sequitur, quod ipsum super reliquos apostolos prætulerit, quoad auctoritatem vel dignitatem priorem. nec rursum sequitur ex hoc, alios apostolos non fuisse institutos pastores. oppositum enim vtriusque consequentis iam dicti stat cum antecedente: videlicet cum sermone Christi prædicto.

Testatur autem prædictis, quod ecclesia catholica cantat de omnibus apostolis indifferenter: *vere dignum & iustum est, æquum & salutare, te domine suppliciter exorare, vt gregem tuum pastor æterne non deseras, sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias, vt eisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores.* Ecce apostolos in plurali rectores, vicarios & pastores per Christi collationem immediatam: non autem solum aliquem rectorem, vicarium aut pastorem constitutum per Christum. Interroganti vero, cur Christus hoc Petro singulariter dixerit? dicendum vtique est, quod Christus quandoque sermonem dirigebat in personam propriam, vt in remissione peccatorum, sanatione infirmorum, & suscitatione mortuorum. quandoque dirigebat sermonem ad alterum in personam omnium aut plurium, vt Ioh. 5. *vade & amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat.* vnde idem officium Christus committendo Petro, ille loquebatur in persona omnium apostolorum, sicut ipsemet testatur hunc modum loquendi suum Matth. 13. cum dixit; *quod vni ex vobis dico, omnibus dico.* Specialiter tamen ad Petrum direxit sermonem, quia senior erat; vel quia charitate ardentior, vel vt significaret ecclesiæ futuræ quales debeant pastores institui.

Quoniam ætate maturi, ex qua signatur prudentia seu scientia. Et charitate pleni, ex qua significatur cura & diligentia, quas debent habere pastores. Aut fortasse ne videretur tanquam abiectior relinqui, quia Christum negauerat. Quod sapere videtur Glossa, cum dicit; *trina negationi redditur trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quàm timori.* Hoc enim certissime constat quod omnibus *Math. vlti.* dictum est indifferenter; *Euntes ergo docete omnes gentes*, nec dixit Petro, vade & alios mitte. in quo signauit omnibus auctoritatis æqualitatem.

Sicut etiam *Matth. 13. ca.* prædicto induximus, dum ad eos inquit Christus; *nolite vocari rabbi*, supple inuicem, aut vnus super reliquum vel reliquos. *vnus enim est magister vester. vos autem omnes fratres estis.*

Audiendum est valde probabiliter, atque secundum veritatem mihi videtur, quod pro tanto dixit Petro, *pasce oues meas*, vt sibi simpliciter, sicut & Moysi propter sui constantiam committeret populum Israel, qui duræ ceruicis populus fuit versus Deum, vt apparet *Exod.* 33. vt inducit apostolus per Esaiam *Actuum vlti.* Et quoniam propter hunc populum conuertendum & saluandum principaliter venerat. vnde Matth. 15. *non sum missus nisi ad oues quæ perierant domus Israel.* non sum missus, principaliter supple. ideo huiusmodi populi curam beato Petro specialiter commisisse videtur, cum dixit; *pasce oues meas.* Et videtur hic fuisse apostoli aperte sententia, cum ad Gal. 1. dixit; *cum vidissent, quia creditum est mihi euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis*, &c. vbi secundum Aug. *Cum vidissent quod euangelium præpucii à Domino creditum est mihi vt fideli ita principaliter, sicut & Petro euangelium circumcisionis.* Christus enim dedit Paulo, vt ministraret Iudæis.

Ita tamen dispensatio distributa est illis: vt etiam Petrus gentibus prædicaret, si sic causam exegisset, & Paulus Iudæis. nec video, quod aliunde Paulus vel alter sanctus assumere poterit populum Iudaicum specialiter & principaliter fuisse Petro commissum, nisi ex eo quod Christus illi dixit; *Pasce oues meas*; cum dicat Paulus *ad Gal.* 2. sibi creditum euangelium præputii quemadmodum Petro circumcisionis. si namque creditum erat euangelium vniuersaliter Petro plus quam Paulo vel aliis apostolis, inconuenienter vtique dixisset Paulus verba prædicta: quinimo totus eius sermo prædictus fuisset inanis, & comparatio quam etiam fecit in eo.

Ad Glossam autem ex Chrysostomo sumptam vna responsio datur, quæ generalis est ad illas & ad plures alias quæ idem sonant. Dicitur igitur, quod auctoritatem nullam essentialem, quam sacerdotalem isti vocant, neque auctoritatem aliquam pastoratus & excellentiam super reliquos apostolos Christus immediate Petro tradidit; sed ab illo & cæteris inuicem remouit, vt alibi

vt alibi conantur ostendere per scripturas & expositiones sanctorum doctorum. propter quod (vt dicunt Christum, & apostolum, & ipsorum quorundam & glossatorum alibi dicta sequentes) declinant sententiam, quam superinducta scripturæ loca & alia quæque similia dicere videntur de tali primatu seu principalitate aliter, quàm alibi dicunt, scilicet 10 *&* 21. *secunda editionis sui operis*. quoniã talis sentẽtia nec est canonica, nec canonicam sequitur; quinimo ipsorum aliqui oppositum dixerunt alibi exponendo scripturam ex propria sententia sequentes consuetudinem: & magis attendentes quædam dicta famosa quàm verba scripturæ. Quis enim eorum esset maior inter se discipulis quærentibus Christum respondisse semper inter ipsos æqualitatem esse debere, & prioritatem auctoritatis ab ipsorum quocunque negasse. Si intendebat beatum Petrum constituisse ipsis principaliorem & caput. denique Christus non dabat reliquis mandatum, vt Petro subessent in officio pastorali: ne tantum mysterium lateret eos & ipsorum successores, quando tunc erat caput ecclesiæ. Nusquam enim legitur in scriptura tale mandatum fuisse datum apostolis. quomodo etiam dexteras dedit Petrus Paulo societatis: imo dare mandatum debuit tanquam superior. Quare materia hæc huiusmodi sententiæ oppositum clamat aperte.

CAP. IV.

Responsionem ad prædictam Christi autoritatem impugnat. Quodque prædicta Christi verba Petro in persona propria & non aliorum dirigebantur, tribus rationibus multisque sanctorum auctoritatibus amplissime probat.

DIS. In verbis præscriptis non solũ habetur, quomodo ad præadductam allegationẽ tenentes sententiã contrariã satagunt respondere; sed et plures allegationes pro sententia contraria cõtinentur. Et ideo si vis nunc omnia discuti, oportet me non solum opponentis seu improbantis, sed etiam respondentis personam assumere. & tu vtrunque facias; sic forsitan magnam partem istius materiæ disseremus. MAG. In verbis istorum duæ responsiones principales habentur. Quarum prima in hoc principaliter videtur consistere, quod Christus illa verba, *pasce oues meas*, dirigebat ad Petrum in persona omnium apostolorum, licet aliqua alia quasi incidentaliter videatur adiungere. Ideo primo ante omnia aliquas allegationes adducam, quibus videtur posse probari, quod Christus verba prædicta dirigebat ad Petrum in persona propria, & non in persona omnium apostolorum. Quod ostenditur primo sic. Verba per quæ aliquis promouetur ad aliquam dignitatem, vel officium, ad illum cui dicuntur in propria persona, non in persona aliorum diriguntur. Alioquin cum per verba aliqua aliquis instituitur in seculari vel ecclesiastica dignitate, omnes alii, præsertim eiusdem conditionis vel meriti, intelligerentur in eadem dignitate instituti. & ita si Imperator per literas vel ore proprio talibus verbis vel consimilibus, instituo, aut facio te iudicem, comitem, ducem, aut aduocatum talis vel talis regionis aut ciuitatis: omnes alii intelligerentur institui in eadem dignitate. Et sic idem eadem ratione esset de institutione rectorum, plebanorum, & aliorum quorumcunque prælatorum ecclesiæ sentiendum. Quod quàm sit absurdum, nulli debet existere dubium, vt videtur. Sed per prædicta verba fuit in dignitate & officio & pastorali constitutus: sicut & prædicti opinantes concedunt, cum dicunt, quod ipsum pastorem omnium Christus instituit. Ergo illa verba dirigebantur ad beatum Petrum in persona propria: & non in persona quorumcunque aliorum.

Amplius: Si verba prædicta dirigebantur ad beatum Petrum in persona aliorum. Aut ergo dirigebantur ad beatum Petrum in persona omnium aliorum Christianorum, aut in persona apostolorum & omnium presbyterorum, aut tantummodo apostolorum, aut omnium aliorum solummodo, qui erant præsentes cum Christo & beato Petro. Primum non potest dici; quia tunc quilibet fidelis fuisset constitutus pastor ecclesiæ. Nec isti possunt dicere secundum, cum dicunt, quod ista verba dirigebantur ad beatum Petrum in persona omnium apostolorum, de aliis presbyteris nullam facientes ibidem penitus mentionem. Nec possunt dicere tertium, quod tunc fuisset data aliqua auctoritas beato Petro & ceteris apostolis super alios presbyteros, quod isti negant. Nec possunt dicere quartum, quia tunc non fuisset data eadem potestas siue auctoritas omnibus apostolis; cum non omnes fuerint tunc præsentes; Quia de apostolis solummodo erant præsentes Petrus & Thomas & duo filii Zebedei. tum quia tunc fuisset data maior potestas aliquibus aliis, quàm quibusdam apostolis. quia tunc erant alii præsentes, scilicet Nathanael & duo alii ex discipulis Christi, vt patet *Ioh.* 21.

Rursus quod de vno conceditur, de alio negatur. *di.* 45. *disciplina*. 1. *q.* 1. *c. per Esaiam.* sicut quod de vno negatur, de aliis conceditur. *di.* 25. *qualis* 15. *q.* 3. *decime.* igitur consimiliter verba, quæ dicuntur vni, ad alios minime diriguntur. sed verba præmissa dixit Christus soli Petro: ergo ad alios minime diriguntur. & per consequens non dirigebantur ad Petrum in persona aliorum apostolorum. DISCIP. Ista allegatio efficax non apparet. quia non est vniuersaliter verum, quod illud, quod dicitur de vno, de aliis negatur. cum secundum assertiones sanctorum patrum, quod vni dicitur vel conceditur, ad omnes extenditur. *di.* 5. *ad eius. di.* 38. *ignorantia.* 16. *q.* 1.

prædi-

prædicatur. ergo illa verba memorata à Petro ad alios debent extendi. MAGIST. Respondetur, quod verum est, regulas prædictas non esse vniuersaliter veras, quin aliquando fallant. tamen illa regula: *quod de vno dicitur, de alio negatur*, in casu isto de beato Petro non fallit, sed tenet.

Cuius ratio assignatur. Quia sicut quando conceditur vnum, conceduntur omnia consimilia, vt innuit beatus Gregorius, prout habetur *dist. 4. denique*, & notat Glossa ibidem. Et consimiliter omnia conceduntur, quæ sunt eiusdem censuræ, *extra, de exceptionibus, cum inter.* tamen vno concesso, non conceduntur omnia dissimilia, nec illa quæ non sunt eiusdem censuræ. Sic quod vni dicitur, ad alios extenditur, qui sunt eiusdem conditionis. & est eadem ratio dicendi vni & aliis. & ita expedit, vt dicatur aliis, sicut vni. & vbi ad hoc; quod aliquid intelligatur aliquibus dici, non oportet vt illis explicite, & nominatim & æquipollenter dicantur. Sed in proposito non fuit expediens, vt in eadem dignitate constituerentur alii apostoli. ideo illa verba Christi dicta beato Petro non extendebantur ad alios.

Rursus, nullus (sicut tactum est supra) promouetur per aliqua verba ad aliquam dignitatem, nisi de ipso per ea fiat mentio specialis, aut æquipollens speciali quo ad ipsum. Quemadmodum licet quod de iure communi conceditur vni, intelligatur alii eiusdem conditionis esse concessum: tamen quod ex priuilegio conceditur vni, non intelligitur alii, etiam eiusdem conditionis & meriti esse concessum, nisi explicite hoc dicatur, vel mentio etiam priulegii fiat de ipso. *7. q. 1. petisti. & 6. q. 1. huic.* Sed per verba illa Christi tanquam per priuilegium speciale fuit beatus Petrus ad dignitatem sublimatus. In ipsis autem nulla fit mentio de aliis apostolis. ergo ad alios apostolos minime debent extendi. Ista responsio colligi potest ex Glossa. *dist. 5. super capi. ad eius vero concubitum.* quæ ait in hæc verba super verbo *vni: Ergo quod vni conceditur, per consequens aliis videtur esse concessum sicut supra ca. denique. Et hoc verum est: vbi de iure communi aliquid conceditur. secus est, si ex priuilegio. & 15. q. 1. huic. & 8. q. 1. c. petisti.* Ex prædictis conuincitur, quod sancti tractantes verba Christi præmissa, & sententialiter, & verbaliter asserentes per eadé verba, specialiter soli Petro commissam esse dominicarum ouium curam, rectum intellectum eorum & catholicum expresserunt. & quod alius intellectus ipsorum nisi patenter distorqueantur, non solum contra ipsa, sed etiam contra præcedentia & sequentia (si inspiciantur omnia diligenter) haberi non potest.

Sed vt liquido pateat, quod nonnullis appareat, quod ista fuit sanctorum sententia, de multis paucas eorum autoritates adducam. Ait itaq; sanctus Maximus episcopus in sermone de Petro & Paulo, qui incipit, *Gloriosissimos: Iam necessarium terminum reor, vt proprias eorum & apostolorum Petri & Pauli, specialesque virtutes (prout ariditas nostra lingua ingeniique tenuitas patitur, imo vt misericors Deus annuit) proloquamur.* Et infra: *Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad patrem pascendas ouiculas suas ouesque commendat, vt quos ille pietate miserationeque redemerat, hic fidei suæ virtute seruaret & recte ei arbiter occultorum Dei filius, pascendas oues suas tuendasque commisit, cui nouerat in nutriendo grege dominico, nec studium deesse nec fidem.* Ex quibus datur intelligi, quod cum sanctus ille primo dicat, se velle proloqui proprias specialesque virtutes apostolorum: & postea in speciali de beato Petro præscripta subiungat: ipse voluit, quod oues Christi generaliter soli Petro pascendæ essent commissæ per verba Christi præmissa. Item Gregorius super illud Ioh. 21. *manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis*, ait: *Iam credo quod charitas vestra aduertat, quid est, quod Petrus rete ad terram: ipsi quippe sancta ecclesia est commissa, ipsi specialiter dicitur: Simon Iohannis amas me? pasce oues meas.* Ex quibus verbis colligitur, quod Petro in propria persona, non aliorum, dixit Christus: *pasce oues meas.*

Item sanctus Leo Papa in quodam sermone de ascensione domini, qui incipit: *Post beatam & gloriosam*, ait: *Petro apostolo supra cæteros post regni claues ouilis dominici cura mandatur intelligi:* quod per illa verba, *pasce oues meas, Petro erat commissa cura totius dominici gregis.* Item Ambrosius in sermone, qui legitur in festo sancti Petri ad vincula, ait: *Cum tertio interrogaretur à Domino: Simon amas me, respondit: Domine tu scis quia diligo te. & ait Dominus, pasce oues meas, & hoc tertio. Quod quidem (vt dictum est) ad operationem prioris profecit erroris. qui enim dominum tertio negauerat, tertio confitetur: & quotiens culpam delinquendo incurrerat, totiens gratiam diligendo conquirit. videte qualiter fletus profuit Petro. antequam fleret, lapsus est: postquam fleuit, electus est. & qui ante lachrymas præuaricator extitit, post lachrymas assumptus est, & alios regendos accepit, qui prius seipsum non rexit.* Ex quibus verbis colligitur, quod illa verba, *pasce oues meas*, dirigebantur ad beatum Petrum in persona propria, non aliorum, cum per ipsa ad regimen ecclesiæ assumptus est, & rector aliorum effectus. nemo autem per verba, quæ dicuntur alteri, eligitur, neque assumitur, neque rector aliorum efficitur. Prædictis beatus Grego. super illud Math. 16. *Maria Magdalena, Maria Iacobi.* &c. concordare videtur, pro vt habetur *dist. 50. cap. considerandum*, cum dicit: *Considerandum nobis est, cur omnipotens Deus eum, quem cunctæ ecclesiæ præferre disposuerat, ancillæ vocem pertimescere & seipsum negare permisit, quod, nimirum magnæ actum esse pietatis dispensatione cognoscimus, vt is, qui futurus erat pastor ecclesiæ, in sua culpa disceret, qualiter aliis misereri debuisset. prius itaque præposuit eum sibi, & tunc præposuit cæteris.* Ex quibus verbis colligitur, quod Petrus post passionem domini cunctæ ecclesiæ præferebatur à Deo, cum constet Deum illud, quod de eo disposuerat, impleuisse. non autem legitur, quod Deus prætulerit eum cunctæ ecclesiæ, nisi cum dixit ei: *pasce oues meas.* igitur illa verba dirigebat ad eum Christus in propria persona, & non in persona aliorum

aliorum apoſtolorum. *Item* hoc Ambroſius, vt habetur. *di.* 50. *ca. fidelior*, teſtari videtur, cum dixit: *Fidelior factus eſt Petrus, poſtquam ſe fidem perdidiſſe defleuit. atque ideo maiorem gratiam reperit, quam prius amiſit, tanquam bonus paſtor tuendum gregem accepit.* Ex quibus verbis colligitur, quod Petrus poſtquam perdidit fidem, paſtor gregis dominici fuit effectus. Sed non niſi tunc, vel tunc potiſſime, quando dixit ſibi Chriſtus: *paſce oues meas.* Ergo tunc factus fuit paſtor. nemo autem fit paſtor, aut prælatus per verba, quæ in ſingulari dicuntur alteri. Ergo eſto, quod Chriſtus feciſſet alios apoſtolos paſtores æquales Petro: ſaltem per verba, quæ in ſingulari dixit Petro, dicens: *Paſce oues meas*; nullus alius apoſtolus fuit factus paſtor eccleſiæ, neque æqualis, neque inferior Petro. Ergo illa verba dirigebat Chriſtus ad Petrum in propria perſona non in perſona aliorum. Hoc etiam Bernardus ad Eugenium Papam affirmat aperte, ſicut poſtea patebit. Qui etiam idem ſentire videtur in quodam ſermone *de ſeptem panibus*, dicens: *Teſtis eſt Petrus, cui poſt trinam negationem totius eccleſiæ paſtoralis cura commiſſa eſt: ſed nonniſi quando ſibi dixit Chriſtus: paſce oues meas.* Ergo illa verba Chriſti dirigebantur ad eum in perſona propria, non in perſona aliorum. Quod ex canonibus Paſchaſii Papæ *extra, de electio. ca. ſignificaſti*, & Innocen. tertii, *extra de maioritate & obedientia, ca. ſolitæ*, patenter habetur.

Cap. V.

Vbi ad prædictæ reſponſionis declarationem reſpondet magiſter, oſtendens, quando verba Chriſti vni dicta ad alios diriguntur, & quando non.

DISCIP. Allegaſti contra illud: in quo prima reſponſio ſupra *ca.* 3 recitata fundari videtur. Ideo nunc tracta alia, quæ opinantes illi videntur aſſerere reſpondendo, per quæ argumentum adductum euacuare & ſuam reſponſionem declarare nituntur. Et primo incipias ab illo, quod dicitur, quod Chriſtus tali modo loquendi vſus eſt, quod ſcilicet aliquando aliqua verba dixit vni, & tamen dirigebat ipſa ad illum, cui loquebatur in perſona aliorum. quod ipſe ſolus teſtatur, cum dixit. Math. 13. *quod vni dico, omnibus dico.* MAGIST. Nonnullis apparet, quod per illa quæ dicta ſunt in præcedenti ca. intelligentibus patet aperte, quomodo illud ad propoſitum nihil facit; quia verum eſt quod Chriſtus aliquando tali modo loquendi vſus eſt; quia interdum loquendo vni dirigebat ſermonem ad alios. ſed hoc non fuit, niſi quando fuit eadem ratio docendi aliquid vnum & alios. Quod accidit, quando aliquis inducitur ad agendum vel non agendum aliquid, ſiue ad credendum vel non credendum aliquid, quod alii ita tenentur agere vel non agere, credere vel non credere. Sicut ille, cui dicitur in ſingulari & vniuerſaliter, vbi ille cui aliquid dicitur & alii conſimiliter ſe habent & habere debent, ſiue tenentur ſe habere ad illud quod dicitur. Quod veritatem habet in illo, de quo præceſſerat ſermo Chriſti, cum poſtea dixit Math. 13. *quod aũt vni dico, omnib. dico: vigilate*, Ita indiguerunt, & indigẽt alii viatores vigilare, qñ neſciunt, qñ dominus veniet, ſicut apoſtoli. Sed qñ alii non conſimiliter ſe habẽt vel nõ tenẽtur cõſimiliter ſe habere ad illud, de quo eſt ſermo; tunc ꝙ dicitur vni non propter hoc intelligitur aliis dictum. Non enim quando dominus dixit Petro; *vade ad mare & mitte hamum*, &c. omnes alii diſcipuli, & apoſtoli, qui hoc audierunt, currere cum Petro tenebantur ad mare. Sic quando Chriſtus dixit Petro Ioh. vlti. *ſequere me*; noluit vt Petrus intelligeret illud eodem modo eſſe dictum aliis, ſicut ſibi. Propter quod interroganti Petro de Iohanne: *Domine hic autem quid?* reſpondit ei Ieſus: *ſi eum volo manere donec veniam, quid ad te, tu me ſequere.* ſic dico, non ſemper quod dicitur vni intelligitur aliis eſſe dictum. Quod etiam non videtur veritatem habere, quando aliquid dicitur vni, vt præficiatur alteri, ſicut in propoſito fuit. Per prædicta patet (vt videtur quibuſdam) falſum eſſe (quod tamen poſt recitationem verborũ Chriſti & Gloſſæ dicunt opinantes præfati) quod ex hoc non aliud conuincitur, niſi quod ipſum paſtorem Chriſtus inſtituit; non tamen ex hoc ſequitur, quod ipſum ſuper reliquos apoſtolos ad auctoritatem vel dignitatem priorem prætulit. Nec rurſum ſequitur ex hoc, alios apoſtolos non fuiſſe inſtitutos paſtores. Errant enim aperte; quia etiam ſequitur, quod Chriſtus Petrum paſtorem inſtituit, & quod conſtituit eum priorem auctoritate & dignitate apoſtolis aliis. Quia per verba illa Chriſtus non conſtituit aliquem alium paſtorem, quàm Petrum, ſicut aliquibus demonſtratiue probatum videtur. & etiam non diſtinxit inter oues has Chriſti & illas. ergo etiam ſuper alios apoſtolos, qui erant oues Chriſti, conſtitutus fuit per illa verba beatus Petrus.

Cum autem dicitur, nec rurſum ſequitur ex hoc alios apoſtolos non fuiſſe inſtitutos paſtores; non errant, ſi intelligantur verba, ſicut prima facie ſonant. quia non obſtantibus illis verbis Chriſti, apoſtoli fuerunt conſtituti paſtores per alia verba Chriſti. ſed poſtea per illa verba dicta Petro ſingulariter: *paſce oues meas*, ſubiiciebantur Petro, retenta auctoritate & dignitate aliis apoſtolis, ante conceſſa à Chriſto.

Cap.

CAP. VI.

Ad reliquas tres allegationes pro declaratione prædictæ responsionis tertio capitulo factas respondet.

DISCIP. Narrasti quomodo improbatur responsio ante scripta: nunc narra, qualiter respondetur ad illa, quæ in responsione eadem allegantur ad probandum æqualitatem aliorum apostolorum Petri. MAGIST. Ad euidentiam illarum allegationum, & multarum aliarum. Primo dicitur esse notandum, quod Christus non sic commisit etiam pastoralem Petro super apostolos omnes & cunctos fideles; vt ea, quæ ipse fecerat reuocandi potestatem absque causa iusta Petro concederet; nec sic vt ab omni regimine & cura apostolorum, & aliorum fidelium (etiam innotescente fidelibus) abstineret; quinimo voluit quod illa, quæ fecerat, seruarentur. & fidelibus sæpe innotuit ipsum post ascensionem suam suum esse vicarium. Et postquam fecit Petrum vicarium suum plura fecisse miraculose, & potestatiue. Per hoc dicitur ad illud, quod allegatur de præfatione, quæ de apostolis legitur & cantatur, quod Christus apostolos in plurali rectores vicarios & pastores constituit; non tamen per verba illa, *pasce oues meas*, sed per alia: omnes tamen subdidit rectori, vicario & pastori supremo, scilicet Petro: quamuis hoc non dicatur in præfatione illa, sed ex scriptura canonica, quæ maioris auctoritatis habetur. Aliter dicitur, quod Deus multa dicitur facere, quæ tamen facit mediantibus aliis & ideo cum in præfatione præscripta non dicatur, quod Christus nullo modo mediate constituerit apostolos operis sui vicarios; ex ipsa inferri non potest, quod non constituerit eos mediante Petro. Et per consequens multo minus potest ex ea concludi, quod non constituerit eos rectores vicarios, & pastores sub supremo pastore vicario & rectore, scilicet Petro.

Ad aliam, cum dicitur, quod omnibus Matthæi vlti. indifferenter dictum est, *euntes igitur docete omnes gentes*: non dixit Petro, vade & alios mitte. Respondetur, quod auctoritas docendi data fuit omnibus apostolis immediate à Christo; nec alii apostoli eam habuerunt à Petro. sed ex hoc non sequitur, quod non fuerint inferiores Petro. Constat enim, quod in potestatibus secularibus multi inferiores imperatore & rege dignitates obtinent seculares: quas tamen ab isto imperatore aut rege minime habuerunt, sed à prædecessore receperunt. quo tamen non obstante, isto imperatori, aut regi sunt inferiores, & eidem sunt subiecti. Sic etiam prælati inferiores nonnulli veras habent ecclesias & dignitates: & tamen non à superiori superstite, sed à prædecessore instituti fuerunt; nec alia institutione postea indiguerunt. Ergo multo fortius poterant apostoli alii auctoritatem docendi habere à Christo & non à Petro: & tamen esse inferiores beato Petro. Et ideo quamuis per illa verba, quæ dixit Iesus apostolis; *euntes ergo docete omnes gentes*, &c. non possit probari, quod Petrus fuit superior aliis apostolis; tamen ex hoc non sequitur, quod Petrus non fuit superior, sed par. Quia superioritas eius ex aliis ostenditur, sicut probatum est. quamuis ergo Christus non dixerit Petro vade, & alios mitte, sed quando dixit apostolis; *euntes ergo docete omnes gentes*, &c. tamen quando dixit sibi; *pasce oues meas*, implicite dixit, mitte saltem alios; quos non misit specialiter Christus. Quia concedendo siue imponendo sibi curam omnium generalem, iniunxit simul ea, sine quibus eadem cura salubriter geri non potest. Quemadmodum concesso principali, omnia accessoria conceduntur. *extra de officio delegatorum, præcedente.* Non ergo, cum dixit Christus *euntes ergo docete omnes gentes*, significauit in omnibus auctoritatis æqualitatem, sed solummodo docendi iniunxit officium, quod æqualitatem auctoritatis inter doctores non requirit.

Ad aliam vero, cum dixit Christus apostolis; *nolite vocari rabbi*, &c. multipliciter respondetur. vno modo, quod hoc dixit apostolis & aliis antequam aliquem ex eis præficeret alijs in prælatum. quia hoc dixit ante passionem suam, dum ipse & non alius erat prælatus fidelium. Aliter dicitur, quod Christus verba sua ibidem de supremo & primo rabbi & magistro volebat intelligi, vt scilicet præter Deum seu Christum nullus primus seu supremus rabbi, pater, & magister fidelium putaretur. Neque enim Christus voluit, vt fidelium quilibet eum qui genuit, ipsum non haberet, pro patre vel ipsum recusaret vocare patrem, sed voluit vt Deum superiorem patre carnali pro patre superiori & principaliori haberet. sic proportionaliter de rabbi & magistro dicendum videtur. Ad cuius euidentiam dicitur esse sciendum, quod sæpe moris est scripturæ aliquod negare ab aliquo, cui primo & principalissime, seu anthonomatice non conuenit; licet secundario & non principaliter anthonomatice de ipso dicatur. Sic enim dixit apostolis Mat. 10. *cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini.* & post; *non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris mei qui loquitur in vobis* scilicet primo & principaliter. qui tamen secundario tanquam moti à principali erant qui loquebantur. Sic etiam dixit Christus, vt habetur Lucæ 18. *nemo bonus nisi solus Deus*; scilicet essentialiter & primo: & tamen angeli boni, & beati in cœlo atque iusti omnes sunt boni. Sic dicitur in proposito, quod Christus in verbis istis solummodo voluit, quod Deus & Christus principaliter & quasi anthonomatice haberetur pro patre, rabbi & magistro, & nullus alius.

Cap. VII.

In quo auctoritates in tertia allegatione tertii capituli exponuntur.

DISCIP. Nunquid potest probari, quod verba illa Christi non debent intelligi, sicut ipsi prædicti opinantes intelligunt. MAG. Videtur quibusdam, quod sic. dicunt enim, quod ista allegatio & consimiles sunt similes illi allegationi, in qua se fundant quidam hæretici dicentes, quod nulla ex causa licet iurare propter hoc quod Christus dixit Mat. 5. *Ego aut dico vobis, non iurare omnino.* Quia sicut illi dixerunt, quod nulli in quocunq; casu licet iurare propter prædictum præceptum Christi: sic isti videntur dicere, quod nullo modo est concedendum Christum instituisse aliquem apostolum superiorem aliis, propter prædicta verba, quibus eis videtur æqualitatem iniungere. Sed sicut non obstantibus Christi verbis præmissis de iuramento licet in casu iurare: Ita non obstantibus verbis illis, quibus æqualitatem quandam fidelibus videtur imponere, licet vocari rabbi & magister & pater. Primo igitur ostenditur, quod intellectus, quem prædicti opinantes videntur habere de præfatis verbis Christi, non possit stare. Secundo explicabitur verus & catholicus intellectus illorum verborum, vt nonnullis apparet. Quod igitur Christus non intenderit illis, quibus loquebatur, per illa verba sic æqualitatem iniungere, vt ab eis præsertim pro futuris temporibus omnem superioritatem excluderet, multis apparet modis. Nam Christus dirigebat verba illa non solum ad apostolos, sed etiam ad omnes suos discipulos, imo etiam ad turbas. Sic enim ibidem præmittitur: *tunc locutus est Iesus ad turbas ad discipulos suos dicens: super cathedram,* &c. sed non intendebat ab omnibus, saltem pro futuris temporibus, omnem inæqualitatem & superioritatem excludere. Tunc enim nunquam ex ordinatione Christi aliquis inter fideles fuisset superior aliis. & per consequens Petrus per ordinationem Christi nunquam fuisset superior quibuscunque constitutus à Christo: quod etiam opinantes prædicti negant. Et ita Christus æqualitatem omnimodam auctoritatis nec apostolis nec aliis tunc iniunxit. Amplius si Christus tunc apostolis æqualitatem auctoritatis iniunxit: ergo non licuit apostolis postea contra idem præceptum Christi, nec Petrum nec alium per se superiorem constituere. Quod tamen isti negant, dicentes quod apostoli elegerunt & constituerunt Petrum superiorem se. Imo sequitur, quod nec quibuscunque Christianis liceret aliquem super se eligere superiorem, cum Christus ibidem non ad solos apostolos, sed etiam ad alios discipulos præsentes, & futuros intenderit verba prædicta dirigere, & vtrosq; instruere. Tunc enim poterat Christus dicere illud quod dixit Matth. 13. *quod vobis dico omnibus dico.* DIS. Forte dicerent isti, quod licet Christus sic apostolis iniunxerit æqualitatem auctoritatis, non tamen interdixit eis, quin ex iusta causa possent postea aliquem super se constituere. MAGIST. Istud quibusdam non placet. nam si Christus non interdixit apostolis, & per consequens nec aliis, quin ex causa iusta posset postea aliquem super se constituere superiorem, multo magis sibiipsi non imposuit legem, quin postea posset vnum apostolum præferre aliis. Ergo per illa verba, quæ dixit *Math. 13.* non potest ostendi, quod postea Christus non prætulit aliis apostolis beatum Petrum: licet posset ostendi, quod per illa verba quæ recitat *Math. 13.* non prætulerit eum aliis apostolis. quod conceditur à quibusdam. Rursus, apostoli verba illa Christi sicut prima facie sonant, non seruabant, quia sententialiter, & vocaliter se vocabant & reputauerunt se magistros, & patres & rabbi. Ait n. apostolus 1. Tim. 2. *veritatem dico non mentior doctor gentium.* Si autē doctor, & magister. Vnde. & 2. Tim. 1. ait: *ego prædicator, & apostolus, & magister gentium.* Et in eadem epistola vocat Timotheum *dilectum filium.* Si autem Timotheus fuerit filius, ipse reputauit se patrem. Et eidem scribit ca. 5. *seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.* Ex quibus verbis colligitur, quod licebat Timotheo vocare seniores, patres. & tamen Christus dixit: *Patrem nolite vocare vobis super terram.* Et beatus Iohannes. 1. epistola sua ca. 2. ait: *scribo vobis filioli.* & infra: *Et nunc filioli manete in eo.* Ex quibus verbis colligitur, quod licuit illis, quibus scribebat B. Iohannes, vocare eum patrem. Sententialiter ergo apostoli vocauerunt se magistros, & rabbi: quod nequaquam fecissent, si Christus interdixisset eis talibus vocabulis se vocare. quia non dubium est committere in legem, qui tam mentem quàm verba legis transgreditur. Nequaquam igitur Christus omnimodam æqualitatem auctoritatis tunc apostolis pro temporibus futuris iniunxit. Oportet ergo alium quam prædictum promissorum verborum Christi quærere intellectum. Ad quorum euidentiam dicitur esse notandum, quod Christus omnia verba illa, *nolite vocari rabbi; patrem nolite vobis vocare super terram, nec vocemini magistri,* dixit propter Phariseos & Scribas, qui ambitiosi dignitatum erant, & Honorum & vehementes inanis gloriæ amatores: qui propter huiusmodi omnia opera sua fecerunt. de quibus Saluator dicit ibidem: *omnia vero opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* vbi eos de inani gloria aperte notauit. quos etiam de ambitione notauit, cum dixit: *Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab omnibus rabbi.* Dicitur igitur, quod cum Christus occasione vitiorum Phariseorum & Scribarum (scilicet inanis gloriæ, & ambitionis) post præmissa verba de Phariseis & scribis subiunxit: dicit discipulis suis omnibus: *Vos autem nolite vocari rabbi,* &c. Non æqualitatem auctoritatis discipulis suis iniunxit: nec etiam tunc interdixit omnem superioritatem. Sed ipsos volens ad humilitatem inducere, ambitionem & inanem gloriam dissuasit, prohibendo, vel consulendo, ne extra casum necessitatis quæ

tatis quæ etiam vtilitatem includit (vt notat Glossa. *extra de iureiurando, Etsi Christus*) magisterium: imo quamcunque prælationem, & superioritatem; aut maioritatem appeterent, vel etiam nominibus importantibus dignitatem aut superioritatem vocari gestirent. Quod non tantum per præcedentia in eadem serie, sed etiam per sequentia potest patentius declarari. Quia non magis interdixit cuilibet eorum omnem auctoritatem & superioritatem per illas negatiuas: *nolite vocari rabbi, nec vocemini magistri:* quã interdixerit eis subiectionem, quæ est respectu superiorum auctoritate per verba sequentia, cum dixit: *Qui maior est vestrum, erit minister vester.* Sed per illa verba noluit indicare, quod maior inter eos deberet esse subiectus aliis prælatis. Ergo per alia verba, scilicet per negatiua, noluit eis omnimodam æqualitatem auctoritatis iniungere: Sed ipsos ad humilitatem contra ambitionem & inanem gloriam incitare. propter quod post omnia verba præscripta subiunxit: *Qui autem se exaltauerit humiliabitur.*

CAP. VIII.

Vbi impugnatur secunda responsio tertio capitulo posita.

DISCIP. Discute secundam responsionem, quam sæpe dicti afferunt opinantes. MAG. Illa responsio consistit in hoc quod per illa verba, *pasce oues meas*, specialiter beato Petro propter sui constantiam commissus fuit populus Israel, qui duræ ceruicis fuit versus Deum.

Sed nonnullis videtur, quod hæc responsio oppositum illius, quod tenet, patenter concludit. Nam si per illa verba *pasce oues meas:* commissa fuit Petro cura populi Israel. Et Christus in illis verbis inter has oues & illas de populo Israel non distinxit: nec aliquas oues excepit: ergo omnium ouium Israel fuit cura commissa beato Petro. Inter oues autem Israel præcipue fuerunt apostoli: ergo per illa verba fuit commissa cura reliquorum apostolorum beato Petro.

DIS. Forte responderent opinantes prædicti, quod licet Christus in illis verbis. *pasce oues meas*, non distinxerit inter has oues & illas, nec aliquas tunc exceperit: tamen alibi distinxit, & aliquas (scilicet apostolos) manifeste excepit. Tunc enim videtur apostolos excepisse, quando eos misit sicut Petrum, & eandem potestatem dedit eis, quam dedit Petro, cum dixit omnibus, vt habetur Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis super terram*, &c. Et tamen dixit eis, vt habetur Io. 20. *Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Et cum omnibus dixit Math. vlt. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, In nomine Patris*, &c. Et cum omnibus dixit, vt legitur Mat. vlt. *Euntes in mundum vniuersum prædicate euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, &c. In omnibus his videtur Christus apostolos ab aliis fidelibus [illegible] distinxisse, & eos à potestate Petri penitus exemisse. Quia cum verba illa, *pasce*, &c. dicta Petro fuerint generalia: & generale deroget speciali, *extra de rescriptis ca.* 1. Sequitur quod illis verbis generalibus dictis Petro derogatum est specialiter quoad apostolos, quibus Christus dedit specialiter potestatem eandem, quam Petro, sicut per prædicta patet vt videtur. MAGIST. Hæc responsio impugnatur, quod licet Christus dederit apostolis aliquam potestatem specialem, nunquam tamen concessit eis potestatem generalem vel æqualem potestati Petri. verbo enim generaliori vsus est in præficiendo Petrum, scilicet verbo pascendi: quod communius est, quàm verbum docendi, vel baptizandi, aut aliud tale. Quibus verbis vsus est in concedendo potestatem in aliis apostolis. Et ideo quamuis aliquando distinxerit Christus inter apostolos & alias oues suas; ac ipsos quoad aliquid exemerit aliquomodo à potestate Petri; tamen quando dixit Petro: *pasce*, &c. ipsum præficiendo omnibus non distinxit inter ipsos & alios. Et ideo ipsos non exemit nec manere exemptos voluit seu liberos à potestate Petri; nisi quantum ad illa, quæ expressit, in concedendo eis potestatem specialem. Propterea non fuerunt exempti à potestate Petri, nisi quantum ad officium prædicationis, baptizandi, ligandi & soluendi à peccatis. Et si qua alia Christus expressit, quando eis contulit aliquam potestatem. Cum ergo dicis, quod mandatum speciale derogat generali; conceditur, quantum ad ista, quæ exprimuntur in speciali mandato, non quantum ad alia.

Et ideo mandatum datum apostolis de baptizando, prædicando, docendo, soluendo & ligando derogabat mandato illi dato Petro: *pasce oues meas*, quantum ad illa solummodo, quæ Christus iniunxit apostolis. Et tamen non in casu omni. quia si huiusmodi excessissent, ratione delicti, etiam quoad illa fuissent subiecti Petro; quia exempti ratione delicti sortiuntur forum & priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, *extra de regularibus cap. licet. & 11. q. 3. priuilegium.*

DISCIP. Ista impugnatio contra veritatem militare videtur; quia apostoli non solummodo fuerunt prædicatores & doctores habentes potestatem baptizandi, ligandi & soluendi; sed etiam fuerunt à Deo constituti pastores, teste apostolo *ad Eph. 3* Vbi loquens de Christo ait; *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios autem euangelistas, & alios pastores & doctores.* Ex quibus verbis colligitur, quod Christus ita constituit alios apostolos pastores, sicut Petrum; & per consequens vocaliter seu sententialiter ita dixit cuilibet alii apostolo: *Pasce oues meas*, sicut Petro. Ex quo concluditur, quod omnem potestatem importatam per verbum

pascendi dedit aliis, sicut Petro. quia talem potestatem nullis magis dedit, quam apostolis: Ergo apostoli eandem auctoritatem habuerunt in omnibus cum Petro.

MAGIST. Huic obiectioni tuæ respondetur, quod Christus, qui etiam nunc ecclesiam non desinit inuisibiliter gubernare, secundum apostolum quosdam mediante Petro constituit pastores. Nec apostolus dicit, quod Christus dedit absque ministerio Petri quosdam pastores; sed quod dedit pastores, quia dedit eos mediante ministerio & auctoritate Petri. quod verum est.

CAP. IX.

In quo respondetur ad auctoritates ex apostolo & Glossa adductas supra capitulo tertio huius.

DISCIP. Dic nunc breuiter, quomodo respondetur ad auctoritatem apostoli & Glossæ, quæ adducuntur ad probandum æqualitatem specialiter beati Pauli ad Petrum.

MAGIST. Ad omnes illas auctoritates respondetur per ea, quæ dicta sunt prius; quia licet alii apostoli à beato Petro non fuerint constituti à Christo pastores vniuersalis ecclesiæ: nec super vniuersalem ecclesiam habuerint potestatem eandem, quam habuit Petrus: tamen beatus Paulus officium prædicationis habuit immediate à Christo, quod officium, antequam vidisset ipsum, vel Petrus sciret ipsum fuisse conuersum, exercuit: quia de ipso scribitur Act. 9. *Surgens baptizatus est. & cum accepisset cibum confortatus est. Fuit autem cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot.* Et quod continuo ingressus Paulus in Synagogis prædicabat Iesum, quoniã hic est filius Dei. & quod tunc nullam auctoritatem habuerit prædicandi à Petro, videtur per illa, quæ sequuntur; cum dicitur: *Cum autem venisset in Hierusalem, temptabat iungere se discipulis. & omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad apostolos, & narrauit illis quomodo in via vidisset dominum. & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Iesu.* Quod autem dixit apostolus, sibi creditum esse euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis. Dicunt quidam, hoc non esse dictum ab apostolo, quia Paulus fuerit tantum doctor & prædicator gentium, Petrus solummodo Iudæorum: cum hoc scripturæ canonicæ repugnare apertissime videatur. Vterque enim auctoritatem & potestatem habuit prædicandi tam præputio quàm circumcisioni: hoc est tam gentibus quam Iudæis. & aliquando vterque prædicauit vtrisque. & de Paulo quidem manifeste patet *Act. 9. 7. 13. & 14.* quod prædicauit Iudæis. Quod autem fuerit etiam doctor gentium, ipse *in epistolis* suis asserit. quod etiam de ipso apostolica testatur historia. De Petro etiam patet idem. prædicauit enim Iudæis, vt ex multis locis liquet; qui gentibus scilicet Cornelio & aliis, sicut patet *Act.* 10. prædicauit. Sed ideo dicit apostolus sibi creditum esse euangelium præputii, & Petro circumcisionis; quia Paulus magis erat intentus conuersioni gentium, & Petrus Iudæorum. Ita vt sæpe & in diuersis prouinciis prædicauerit duntaxat Iudæis, teste Eusebio in Ecclesiastica historia. qui li. 3. ca. 2. ait: *Petrus Pontum & Galathiam, Bithuniam, Capodociam, cætera, sed confines prouincias. Iudæis duntaxat prædicans, circuisse deprehenditur.* & tamen sibi licebat gentibus prædicare, quemadmodum Paulo fuit licitum prædicare Iudæis. Quod Glossa, quam prædicti opinantes in responsione nunc tractata adducunt, asserit manifeste dicens; *Ita tamen dispensatio distributa est illis, vt etiam Petrus gentibus prædicaret, si causa exegisset, & Paulus Iudæis.* Quod etiam ex *Ecclesiastica historia* asserente, quod Petrus & Paulus Romanam fundauerunt ecclesiam (sicut post dicetur) colligitur euidenter.

Cum autem dicit Glossa ista, euangelium præputii ita principaliter esse creditum Paulo, sicut euangelium circumcisionis Petro. Respondetur, quod hoc dicit Glossa propter hoc, quod Christus immediate tradidit Paulo officium prædicandi, & sine Petro; ita quod officium prædicandi non habuit à Petro, & tamen Paulus quodammodo erat subiectus Petro etiam quantum ad prædicationis officium; quia si in officio sibi à Christo commisso excessisset, fuisset corrigendus à Petro.

Cum autem accipitur in ratione præfata, quod nec Paulus nec alter sanctus potuerit aliunde assumere, populum Iudaicum specialiter & principaliter fuisse Petro commissum; nisi ex eo, quod Christus illi dixit; *pasce oues meas.* Respondetur, quod Paulus plura dixit de Christo & apostolis, quæ ex canonicis noui testamenti scripturis non accepit. Dixit enim. 1. Cor. 15. *deinde visus est* (scilicet Christus) *plusquam quingentis simul.* Et vt legitur Act. 20. *Beatus est magis dare quàm accipere.* & tamen ista in scripturis noui testamenti prioribus non habentur. Sic etiam potuit dicere de beato Petro, tanquam ille qui gestorum Petri pro magna parte habebat notitiam, quod sibi erat creditum euangelium circumcisionis. quamuis nec ex illo verbo *Pasce oues meas,* nec ex aliquo alio, quod aliquis acceperit, ante eum scripserit.

CAP. X.

Vbi iterum pertractantur verba Christi quæ dixit ad Petrum, Pasce oues meas.

DISCIP. Quia, sicut antea dixi, multi vel omnes tenentes Christum constituisse beatum Petrum caput & principem aliorum apostolorum: per illa verba Christi, *pasce oues meas*, hoc principaliter probare conantur. Ideo illa verba volo adhuc amplius discuti, vt melius intelligam veritatem eorum. Videtur igitur *primo*, quod (sicut alii innuunt) per illa verba probari non potest, quod beatus Petrus fuerit constitutus princeps & prælatus quorumcunque. Quia verbis & exemplis & etiam subsidio corporali potest quis pascere alios, quamuis super eos nullam habeat auctoritatem omnino. ergo per hoc, quod dixit Christus Petro, *Pasce*, &c. nullam ei auctoritatem super alios pascendo commisit omnino. MAGIST. Videtur quampluribus, quod ista responsio minime satisfacit. Nam sicut in concessione beneficii, priuilegii, concessio indefinite & simpliciter facta, intelligitur generaliter, *extra, de priuile. Quia circa.* Sic etiam commissio potestatis vel officii indefinite & simpliciter facta, debet intelligi vniuersaliter, vt scilicet omnia intelligantur esse concessa seu commissa, quæ non sunt prohibita, & de quibus est eadem committendi vel concedendi ratio, & de quibus non est verisimile seu probabile, quod committens seu concedens ea in speciali commisisset minime seu concessisset. Quia qui nihil excipit, & potuit excipere, totum concessisse seu commisisse videtur, vt sacri canones protestantur. Sed Christus in verbis illis: *Pasce oues meas*: aliquid importatum per verbum pascendi commisit beato Petro, & iniunxit. ista autem commissio seu iniunctio indefinite & simpliciter facta fuit. Ergo omnia intelliguntur esse commissa, quæ non inueniuntur prohibita, & de quibus est eadem ratio committendi. de quibus non est verisimile seu probabile, quod ipsa committens in speciali minime commisisset. *Sed per verbum pascendi non solum importatur pascere alios verbo & exemplo, ac subsidio corporali: sed etiam potestatiue & cum auctoritate*, præsertim secundum quod verbum *pascendi* in scripturis sacris & expositionibus sanctorum patrum accipitur. Quod copiose posset ostendi. sed sufficiat pauca adducere. Ait itaque Ezechiel, imo Dominus per Ezechielem prophetam 88. ca. dicens: *ve pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.* & post: *quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, quod perierat non quæsistis.* Errantes autem oues quærere, & reportare inuentas, spectat ad potestatem habentem super oues. Et veritas ipsa, vt habetur Ioh. 10. ait; *Qui autem intrat per hostium pastor est ouium. huic enim ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim & educit eas. & cum proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequitur.* Ex quibus verbis Christi ac aliis, quæ sequuntur, colligitur, quod pastor fidelium Christi pastori ouium irrationabilium, quantum ad officium, assimilatur. Sed ille ex officio aliquam habet superioritatem & potestatem super oues domini sui. Ergo etiam pastor ouium Christi, quæ sunt fideles, ex officio potestatem & auctoritatem habet super easdem. Quod in expositionibus & assertionibus sanctorum patrum tam patenter & euidenter inuenitur, quod hoc probare per ipsos videtur omnino superfluum. Ergo Christus sibi per verba illa: *pasce oues meas*; aliquam potestatem super oues suas beato Petro commisit: præsertim cum non inueniatur prohibuisse sibi omnem penitus potestatem & auctoritatem. Fuit etiã eadem ratio concedendi sibi auctoritatem aliquam, & potestatem super omnes, & cõmittendi sibi pascere oues Christi, bonis verbis & exemplis. Quia ita indigebant rectore & potestatem habente super ipsas, sicut indigebant pastore, qui ædificando bonis verbis & exemplis Christi oues pauisset. Et ideo non est verisimile, nec probabile, quod talem potestatem sibi in speciali minime concessisset. Ex quibus relinquitur, quod Christus aliquam potestatem concessit per illa verba, & commisit beato Petro.

CAP. XI.

In quo iterum pertractantur verba eadem in præcedenti capitulo improbata.

DISCIP. Hic possem allegando ex dictis infirmare, quod Christus omnem etiam potestatem ac plenitudinem potestatis (talem, qualem Papæ attribuit prima sententia *primo huius*. 1. c. recitata, super oues suas) cõmisit Petro, ex quo illa commissio indefinite & simpliciter facta est: sed de hoc postea cõferam tecum. Ideo ad aliam allegationem ad probandum, quod per illa verba: *Pasce*, &c. Christus non constituit Petrum superiorem aliis apostolis, me conuerto. Videtur itaque, quod sæpe indefinita non æquipollet vniuersali, sed potest verificari etiam pro vno singulari. Cum ergo Christus indefinite dixerit, *pasce*. &c. hoc potest intelligi de aliquibus ouibus etiam absque hoc, quod intelligatur de omnibus. & per consequens absque hoc, quod intelligatur de apostolis. Non ergo per illa verba potest ostendi, quod B. Petrus fuit superior reliquis apostolis. MAG. Putant quidam, quod huic allegationi potest faciliter responderi. nam li-

cet tam in iudicatis quàm in aliis non semper verbum indefinite prolatum generaliter debeat intelligi; tamen quando alicui committitur potestas super aliquos, verbum indefinite prolatum generaliter debet intelligi, vt nullus tunc intelligatur exceptus, nisi per alia possit probari exceptus. Cuius ratio assignatur. quia sicut iudices non debent esse incerti, quia de similibus simile iudicium est habendum. Ergo quando committitur potestas seu prælatio alicui super aliquos, prolatum tantum indefinite debet intelligi: quemadmodum nec procuratores nec tutores, nec arbitri, sicut testantur leges tam canonicæ quàm ciuiles, & ratio hoc suadet: ita & prælati & subditi non debent esse incerti, imo omnes quibus idem est commune, debent intelligi: nisi aliunde possit ostendi, quod aliqui sint excipiendi. Aliter enim subditi in illo casu essent incerti. ergo per illa verba; *pasce oues meas*, omnes fideles Christi debent intelligi: ne oues pascendæ à Petro sint incertæ, nisi de aliquibus aliunde ostendatur, quod sint exceptæ. Quod de apostolis ostendi non potest: sicut dicunt multi respondentes ad omnes allegationes, quibus ostenditur, quod apostoli erant à potestate Petri excepti.

CAP. XII.

Principatum Petri super alios probat per hæc verba, tu est Petrus & super hanc, *&c. cuius contrarium arguitur auctoritatibus & rationibus, ad quas responde- tur capitulo 18. 19. & 20.*

DISCIP. Allegationem, qua probatur, quod Petrus fuit superior ceteris apostolis per hoc quod Christus sibi dixit, *pasce oues meas*, diffuse tractauimus, ideo ad allegationem aliā pro assertione eadem te conuerte. MAGIST. Hoc tali modo probatur. Christus singulariter dixit Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam & tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Per quæ verba Christus expresse videtur pronunciasse beatum Petrum futurum caput & fundamentum ecclesiæ præsertim mortuo Christo. DISCIP. Quidam præcedens motiuum nituntur repellere, etiam ad hoc tali modo respondent dicentes: caput & fundamentum ecclesiæ vnicum esse & fuisse ordinatione immediata Dei: & hoc Christum: apostolorum vero neminem etiam in absentia Christi. quemadmodum per scripturam indubie, vt dicunt, conuincunt, prout recitatum est supra *primo huius ca. 3.* Cum igitur dicitur, *super hanc petram*, &c. dicunt secundum Glo. & asserunt, *super hanc petram*. id est super Christum, in quem credis. vbi Glossa nihil addit. *Tu es Petrus*. id est à me petra, ita vt mihi retineam fundamenti dignitatem. Petrum autem vocauit Christus, id est constantem in fide. Quod isti non negant, qui & dicunt, quod esto quod aliis constantior fuerit, & merito perfectior: non propter hoc dignitate prior, nisi forte tempore. Quod confirmatur per Augustinum dicentem in libro Retractationum: *dixi in quodam loco de apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra ædificata sit ecclesia. Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse, quia à domino dictum est, tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Et super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: tu es Christus filius Dei viui: ac si Petrus ab hac petra appellatus, personam ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur. non enim dictum est illi: tu es petra. sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus est Simon.* sicut enim Christo scilicet tota ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Et potest de hoc ratio assignari secundum scripturas. quoniam Petrus, quamdiu viator extitit, errare potuit & peccare per sui arbitrii libertatem. vnde Christum negasse legitur, & quandoque ad veritatem euangelii ambulasse non recte. talis autem non poterat esse fundamentum ecclesiæ. Sed ille solus fuit Christus, vt apparet. 1. Cor. 3. qui aberrare non potest eo quod ab instanti suæ conceptionis etiam fuerit confirmatus. Vnde apostolus vbi supra: *Fundamentum autem aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Et quod addebatur. *tibi dabo claues regni cælorum*: nullam Petro super reliquos apostolos auctoritatem tribuit. Quoniam hanc eandem iudiciariam potestatem cæteris apostolis tribuit secundum Hieronymum & Rabanum, quorum Glossas alibi inducunt. Amplius Christus potestatem clauium illi non videtur tradidisse per hæc verba. inquit enim: *tibi dabo*, quod sonat futurum, non dixit do. Sed Ioh. 20. indifferenter omnibus dixit: *Accipite Spiritum sanctum & quorum remiseritis peccata*, &c. Esto tamen, quod Petrus his verbis potestatem hanc recepisset: non concluditur ex hoc, nisi quod tempore prius fuerit pastor institutus. Et quod illi singulariter has tradidit Christus claues, significare voluit ecclesiæ vnitatem in fide, ad quam fideles inuitauit Christus per singularem clauium traditionem siue promissionem, vt Glossa dicit. Vel fortasse quia Christum Dei filium esse, primum constanter & manifeste confessus est: primum tempore dotatur clauibus & honoratur, aut honorari permittitur, vt sic etiam confitendi Christum palam & constanter per huiusmodi præmium vel promissum ceteris præberetur exemplum. Non tamen propter hoc conuincitur ipsum fuisse ceteris dignitate seu auctoritate priorem, quamuis hoc plures Glossatorum dicere videantur à se, non habentes hoc à scriptura. Significat autem infallabiliter (vt dicunt) eos verum dicere, quæ habetur. *Matth. 20. & Luc. 22.* vbi Christus quæsitum hoc aperte diffiniens dixit, nullum esse ipsorum superiorem aliis. *Facta enim erat contentio inter eos quis eorum esset maior*, & idem habetur Mat. 23. ad quos sic inquit Christus, *vos autem* (inuicem supple) *nolite vocari rabbi. vnus enim est magister vester. vos autem omnes fratres estis*, id est æquales. non ergo excedit aliquem. Et est ridiculum, quod magis credere debeamus auctoritati Glossæ, quàm Christi, quicunque fuerit

fuerit ille Glossator, etiam sanctus. & maxime cum hoc non dicat tanquam Glossator, sed proprio sensu. Series enim scripturæ tam manifesta est, quod Glossa non eget. Amplius, Glossatores ipsi oppositum dicunt exponentes apostolum *ad Gal. 2.* hæc est prior responsio, quam nitaris improbare;& qualiter ad motiua, quæ pro se adducit, valeat responderi secundum aliquorum opinionem studeas enarrare.

CAP. XIII.

Assertores oppositi eius quod capitulo 12. in principio dictum est improbato.

MAGIST. Sunt quidam, qui prædicta opinantes, quo ad totam interpretationem seu expositionem præscriptorum verborum Christi, specialiter de temeritate & præsumptione nituntur arguere: quia esto (vt dicunt) quod præcise per illa verba: *Tu es Petrus* &c. nude intellecta nō posset patenter contra proteruos ostendi, quod Petrus erat superior aliis apostolis. Tamen per ipsa & alia verba scripturæ canonicæ, & expositiones seu assertiones probatorū virorum, probari potest, quod illa verba Christi sic debent intelligi, vt credatur per ipsa tunc primatus super omnes fideles fuisse Petro promissus. Et esto, quod non esset necesse credere viris quantumcunq; probatis post scriptores scripturæ canonicæ in his, quæ pure sunt scientiæ seu peritiæ: tamen omnino esset temerarium reputandum tam probatis viris (præsertim illis, qui discipuli apostolorum fuerūt, à quibus intellectum scripturæ canonicum audierunt vel vicini apostolorū operibus extiterunt) absque infallibili probatione contradicere, quoquomodo intellectum contrarium affirmando. Quia enim (vt leges ciuiles astruunt & Glo. *24. q. 1. super c. pudenda* notat) nihil est ita indubitatū, quin sollicitam recipiat dubitationem, & etiam contradictionem. Et ideo contra multorum verborum scripturæ sacræ catholicum sensum multa possunt obiici & adduci etiam apparēter. Nam secundum beatum Clementem, vt recitatur di. 37. c. relatum: *Sunt multa verba in scripturis diuinis, quæ possent trahi ad eum sensum, quem sibi vnusquisq; præsumpserit.* Tamen hoc fieri minime debet: quia (vt dicit ibidem beatus Clemens) *ex ipsis scripturis sensum capere veritatis oportet.* Et ideo oportet ab eo scientiam discere, qui eam à maioribus secūdum veritatem sibi traditam seruat, vt ipse possit eam, quam recte suscipit, competenter asserere, & intellectum verborum Christi, cum dixit: *Tu es petrus* &c. qui accipi ex scripturis potest, vt eas intelligunt præcipue viri probati, qui eum à maioribus & præcipue ab apostolis didicerunt. Et esto (sicut tactum est) quod non esset simpliciter necessarium credere eis, tamē horribilis & omnino stulta esset temeritas contradicere ipsis, maxime absque infallibili ratione, quæ etiam aduersarios & viros intelligentes aperte conuinceret.

CAP. XIV.

Pertractat intellectum verborum Christi: scilicet tu es Petrus &c. quomodo per ea Christus principatum super alios apostolos Petro tradiderit.

DISCIP. Circa responsionem prædictam, quam allegando esse temerariam ostendisti, nitaris nunc probare circa intellectum illorum verborum Christi: *tu es petrus* &c. quod credere tenemur aliis quam scriptoribus scripturæ canonicæ. MAGIST. Hoc (vt quibusdam apparet) tali modo probatur. fide dignis viris omni exceptione maioribus est credendum in his, quæ vocaliter seu sententialiter cognouisse se asserunt per ipsos vel per alios, quibus credere tenebantur seu quæ dicuntur tanquam à se cognita altero modorum illorum. Talia enim taliter cognita, quamuis ad ea, quæ scientiæ sunt valeant pertinere, tamen aliquomodo spectare possunt ad ea, quæ facti sunt. vel saltem cognitio, qua asseruntur cognosci inter ea quę facti sunt, cōputari potest. In his autem quæ facti sunt fide dignis viris est credendum, vt probatum est. 3. *huius. c.* 21. Aliter enim pro veracibus & fide dignis minime haberentur, quod irreuerentia damnabili non careret. Sed fide digni viri omni exceptione maiores sententialiter asserunt, se non per ratiocinationem vel studium seu meditationis virtutem, sed per seipsos vel alios, quibus credere tenebantur, cognouisse prædicta verba Christi. *tu es petrus* &c. sic debere intelligi, vt per ea intelligatur primatus super apostolos & omnes alios fideles fuisse beato Petro datus vel cōmissus à Christo. Plures enim fide digni & probatissimi viri, qui fuerunt apostolorum discipuli vel per apostolorum discipulos in literis sacris instructi, prædictum intellectum illorum verborum Christi asseruerunt expresse. omni autem probabilitate carere videtur, quod viri studiosi & literati sacrarum scripturarum indagatores solertissimi cum beato Petro & aliis apostolis & apostolorum discipulis fuerūt conuersati, & prædictorum verborum Christi verum ab ipsis nō didicerunt intellectum, præsertim cum verus intellectus ipsorū ad sciendum, cui vel quibus tanquam prælato vel pręlatis fideles obedire deberent: & cui tanquam prælato summo instituto à Christo parere minime tenerentur, fuerit necessarius toti ecclesię Christi. Non enim sunt oues extra periculum ignorantes, quem tanquam verum pastorem debeant sequi. multo autem improbabilius videtur, quod huiusmodi viri apostolorum & discipulorum ipsorum discipuli falsum circa prædicta verba Christi docuerint intellectum. & ita debent tenere fideles, quod ille est verus intellectus prædictorum verborum Christi, quem apostolorum discipuli & à discipulis apostolorum edocti firmi-

firmiter asserebant. quia illum intellectum non acceperunt solummodo per ratiocinationem ipsum ex verbis illis tantummodo concludendo: sed acceperunt eum ab apostolis, qui eos verum intellectum ipsorum sollicite docuerunt, tanquam necessarium toti ecclesiæ Dei. & ideo didicerunt eum, non tanquam notum eis per viam scientiæ seu ratiocinationis: sed tanquam expressum eis & dictum ab apostolis, quibus credere tenebantur: quia apostoli verum intellectum eorundem verborum certissime agnoscebant. propter quod dicere, viros fide dignos & probatos apostolorum discipulos vel à discipulis apostolorum edoctos falsum intellectum verborum docuisse, est dicere ipsos non per ratiocinationem sophisticam deceptos: sed scienter fuisse mentitos. quia scienter dixissent intellectum contrarium illi, quem ab apostolis didicerunt. quod non est vacuum irreuerentia & blasphemia detestanda.

CAP. XV.

Assumptum capitulo præcedenti probat: scilicet primatum Petri per expositionem Anacleti.

DISCIP. Aliquorum fide dignorum & probatorum testimonia, qui fuerint apostolorum discipuli, vel ab eorum discipulis saltem mediate instructi, asserentium sæpe dicta verba Christi: *tu es Petrus* &c. præmissum debere intellectum habere, audire desidero. MAGIST. Hoc Anacletus papa, qui fuit apostolorum discipulus, & ab ipsis discipulis, imo à beato Petro in scripturis diuinis instructus, de quo improbabile omnino videtur, quod nesciret, an Petrus reputaret se super alios apostolos superioritatem habere: & qualiter Petrus intellexerit verba Christi præmissa: de quo nullatenus est credendum, quod falsum intellectum eorundem verborum scienter docuerit, & in scriptutis reliquerit. eundẽ intellectum verborũ illorum patenter astruit & expresse. qui, vt habetur in decretis *dist. 22. c. sacrosancta*, ait: *Sacrosancta Romana & apostolica ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso Saluatore domino nostro primatum obtinuit, sicut beato Petro apostolo dixit, tu es Petrus, & reliqua vsque, soluta sunt in cœlo. Adhibita est societas in eadem Romana vrbe beatissimi Pauli apostoli vasis electionis: qui vno die, vnoque tempore, cum Petro gloriosa morte coronatus est. & ambo sanctam Romanam ecclesiam consecrauerunt, atque aliis vrbibus omnibus in vniuerso mundo tam sua præsentia quam venerando prætulerunt triumpho.* & infra: *inter beatissimos apostolos quædam fuit discretio potestatis.* Et post: *licet omnes essent apostoli, Petro tamen à Domino concessum est, & ipsi inter se voluerunt id ipsum, vt reliquis omnibus præesset apostolis. & Cephas i. caput & primatum teneret apostolatus.* Ex quibus, vt videtur, patenter habetur, quod secundum Anacletum, qui fuit papa ante Clementem, vt testatur *Ecclesiastica historia lib. 2. cap. 14.* & qui fuit cum Petro apostolo conuersatus, Christus illis verbis: *Tu es Petrus* &c. promisit Petro vel dedit primatum. Et quod dederit sibi vel promiserit primatum, non solum super alios fideles, sed etiam super apostolos, patet, cum dicit, quod inter apostolos erat discretio potestatis, & quod præerat aliis apostolis, non solum de voluntate apostolorum, sed etiam de concessione seu ordinatione domini, cum dicat, *licet omnes essent apostoli, Petro tamen à domino concessum est* &c. Ex præscriptis etiam verbis Anacleti potest accipi alia ratio principalis ad probandum, quod Petrus de ordinatione Christi præfuit aliis apostolis. Nam sub quo intellectu Christus dixerit Petro, vt habetur Iohann. 1. *tu vocaberis Cephas*, Anacletus hoc exprimit manifeste, cum asserit, Petrum fuisse Cephas, quia caput & primatum tenuit apostolatus. Cum itaque Anacletus vir fuerit eruditus & sanctus, & cum Petro conuersatus, verisimile non videtur, quod ignorauerit, quomodo Petrus illa verba intellexerit, quæ dixit sibi Christus: *tu vocaberis Cephas*. nec est aliquomodo credendũ, quod mentiretur scienter: & in hoc, quod per seipsum cognouerit, falsum astrueret: licet crederetur, quod in his, quæ pure sunt scientiæ seu rationis, decipi posset. ergo Anacletus illorum verborum intellectum: *tu vocaberis Cephas*, quem habuit Petrus, expressit. Petrus autem illorum verborum verum habuit intellectum. Ergo Anacletus in verbis præscriptis illorum verborum verum protulit intellectum. Et per consequens Christus intendebat, quod Petrus vocandus erat Cephas, & caput, & princeps omnium aliorum apostolorum. Et per consequens tunc erat futurus pastor & prælatus eorum. Allegatio suprascripta taliter confirmatur. Moris erat apostolorum & discipulorum ipsorum mox, cum contra veritatem aliqui insurrexerunt, errores ipsos comprimere & publice confutare: ita vt cuicunque in hoc parcendum minime reputaret. Vnde & beatus Paulus Petrum, cum non ambularet recte ad euangelii veritatem, reprehendit, vt legitur *ad Gal. 2.* Sed in nulla inuenitur *historia* vel *Chronica*, quæ à catholicis habeatur, quod aliquis apostolus vel discipulus apostolorum super prædicta assertione reprehenderit Anacletum: quorum tamen tunc temporis plurimi erant hæresim & errorum orientium vigilantissimi correctores & correptores, quorum gesta & scripta ad nostra tempora peruenerunt. ergo omni verisimilitudine caret, quod beatus Anacletus in hoc errauerit, & animas in errorem induxerit.

CAP. XVI.

Hoc idem, scilicet primatum Petri, probat per expositionem Marcelli & Cypriani.

DISCIP. Orthodoxorum aliquorum aliorum, sed paucorum testimonia adducas ad probandum, quod prædictus fuerit intellectus illorum verborum Christi: *tu es Petrus* &c. MAG. Hoc sentit Marcellus papa & martyr, qui propter propinquitatem temporis apostolorum vel discipulorum ipsorum absq; omni dubitationis scrupulo poterat scire, quomodo apostoli & ipsorū discipuli intellexerunt verba illa Christi. ait enim, vt habetur in *decretis 24. q. 1. c. rogamus: Rogamus vos fratres dilectissimi, vt non aliud doceatis neq; sentiatis quam quod à beato Petro apostolo & patribus accepistis. ipse enim est caput totius ecclesiæ. cui ait dominus tu es petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Idem etiam videtur sentire Cyprianus martyr: qui etiam propter similem propinquitatem ad tempora apostolorum non videtur ignorasse, quomodo apostoli intellexerunt verba illa Christi. ait enim, vt habetur *24. q. 1. c. loquitur. Loquitur dominus ad Petrum: ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam. Super vnum ædificat ecclesiam: & quamuis apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat & dicat, sicut misit me pater & ego mitto vos: accipite spiritum sanctum: tamen vt vnitatem manifestaret ab vno suam auctoritatem disposuit.* Ex his aliisque quam pluribus colligitur, ꝙ probatissimi & literatissimi viri de vero intellectu scripturæ sacrę, maximam curam habentes, qui per dicta aut scripta apostolorum aut discipulorum ipsorum verum intellectum prædictorū verborum Christi certitudinaliter accipere potuerūt, eadem verba Christi intellexerunt modo prædicto. Quare absque temeritate idem intellectus negari non potest, præsertim cum nullus inueniatur apostolorum discipulus, aut qui vicinus fuerit eorum temporibus, qui intellectum illum neget aut affirmet contrarium.

CAP. XVII.

Ostendit per quæ verba Christus primatum promisit Petro.

DISCIP. Antequam procedas vlterius, dic secundum aliquam opinionem, per quæ verba inter illa, quæ dixit Christus Petro, cum dixit: *tu es petrus* &c. sibi primatum super apostolos & omnes fideles promisit.

MAGIST. Vna est opinio dicens, quod Petrus, sicut & quilibet successorum, duplicem habuit potestatem. vnam scilicet ratione ordinis, & aliam ratione administrationis. hanc duplicem potestatem ponit Glo. *di 21. super ca. in nouo.* Prima potestas promissa fuit Petro per illa verba: *tibi dabo claues regni cœlorum & quodcunque ligaueris* &c. secunda promissa fuit sibi per illa verba, *super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* primam autem recepit ante secundam. quia primam recepit simul cum aliis apostolis, quando Christus dixit sibi & aliis apostolis: *accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. tunc enim omnes illi potestatem ligandi atque soluendi receperunt. quia potestas retinendi vel remittendi peccata est potestas ligandi & soluendi. Secunda autem potestatem recepit, quando Christus dixit sibi: *pasce oues meas.* & licet ista potestas pascendi fuerit data Petro post potestatem ligandi atque soluendi: tamen absque ipsa potest inueniri. Istā enim potestatem habet quilibet electus in summum pontificem, quamuis non sit sacerdos, qui solus habet potestatem ligandi & soluendi: & est tunc verus papa, quantum ad hanc potestatem. *di. 23. in nomine.* & per istam potestatem, quam vltimo percepit Petrus, factus fuit Petrus cæteris omnibus superior & prælatus. & ideo per illa verba, *super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, fuit primatus Petro promissus.

CAP. XVIII.

Soluit rationem primam 12. cap. adductam: qua probatur, quod per illa verba, Tu es Petrus *& c. non potest ostendi principatus Petri. Et soluendo probat multipliciter, quod non solum Christus, sed etiam Petrus dictus est fundamentum ecclesiæ.*

DISCIP. Intellexi, quomodo improbatur responsio suprascripta. nunc indica, qualiter respondeatur ad motiua, quibus se munire conatur. MAG. Ad primum, cum accipiunt, vt adductum est supra c. 12. Caput & fundamentum ecclesiæ vnicum esse & fuisse ordinatione immediata Dei; & hoc Christum; apostolorum vero neminem &c. respondetur, quod hoc tam scripturę canonicæ, quā expositoribus approbatis scripturarū sanctarū aperte repugnat. Apoc. enim 21. sic habetur: *murus ciuitatis habens fundamenta 12. nomina apostolorū.* ex quib. verbis colligitur, quod apostoli fuerunt aut sunt fundamenta militantis ecclesiæ vel triumphātis. Ciuitas enim illa, vel est ecclesia militans, vel triumphans. & si quidem est militans, habetur intentum. si quidem est triumphans, sequitur ꝙ apostoli multo fortius fuerunt fundamenta ecclesiæ militantis. quia non magis est solus Christ⁹ fundamentū ecclesię militantis, quā triū phantis. Dicere ergo, ꝙ nullo modo fuit aliqs apostolus fundamentū ecclesię, apte sacrę scripturę repugnat. Hoc ēt assertionibus sanctorum patrum asserentium, beatum Petrum fuisse fundamentum ecclesiæ & ecclesiam super ipsum fuisse fundatam, & ædificatā, obuiat manifeste. Ait n. sanctus Aug. in sermone de cathedra sancti Petri: *recte ergo ecclesia natalem sedis illius colit, quem apostolus pro ecclesiarum salute suscepit, dicente domino:*

tu es

tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. *Petrum itaque fundamentum ecclesiæ nominauit. & ideo digne hoc fundamentum ecclesia colit, super quam ecclesiastici ædificii altitudo consurgit. vnde conuenienter Psalmus, qui lectus est, dicit: Exaltent eum in ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum, dum eum dominus in ecclesia exaltari præcepit. quia dignum est, vt fundamentum hoc in ecclesia honoretur, per quod cœlum ascenditur.* Vbi dicunt, notandum esse, quod tribus vicibus August. nominat Petrum fundamentum ecclesiæ. Item Hieron. super illud Matth. 18. *venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi. Quid est hoc, quod ait? & ego dico tibi? quia tu mihi dixisti, tu es Christus filius Dei viui. & ego dico tibi, non sermone casso & nullo habente opus: sed dico tibi quia meum dixisse fecisse est: quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: sicut ipse lumen apostolis donauit vt lumen mundi appellarentur & cætera, quæ ex domino sortiti sunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. ac secundum metaphoram recte dicitur ei: ædificabo ecclesiam meam super te.* Ecce quod secundum Hieronymum Christus dixit Petro, *ædificabo ecclesiam meam super te.* ergo ecclesia Christi fuit ædificata super Petrum. Ille autem, super quem ædificatum erat ædificium ecclesiæ, potest fundamentum ecclesiæ appellari. quia fundamentum est illud, super quod erigitur ædificium. Item beatus Leo papa in sermone de festo apostolorum, qui incipit, *Omnium quidem sanctorum*, ait loquens de beato Petro: *Iam Anthiochenam ecclesiam, vbi primum Christiani nominis dignitas est exorta, fundauerat.* Fuit igitur beatus Petrus fundamentum ecclesiæ Anthiochenæ; & eadem ratione Romanæ. Item Beatus Maximus in sermone, qui incipit: *Gloriosissimos*, ait: *Hic est Petrus, cui Christus dominus communionem sui nominis libenter indulsit. vti enim, sicut apostolus docuit, petra erat Christus: ita quod per Christum Petrus factus est petra, dicente ei domino: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Nam sicut in deserto dominico sitiente populo aqua fluxit de petra: ita vniuerso mundo perfidiæ ariditate lassanti de ore Petri fons salutifera confessionis emersit.* Ex quibus verbis colligitur, quod non solum Christus, sed etiam Petrus erat petra illa, super quam Christus suam erat fundaturus ecclesiam. Quare aliquo modo cocedi debet, quod Petrus erat fundamentum ecclesiæ. Item hoc dicit Gregor. qui, vt habetur *di.* 12. *c. præceptis*, ait: *cuius auctoritatis sanctionem omnes teneant sacerdotes, qui nolunt ab apostolica petra (supra quam Christus vniuersaliter fundauit ecclesiam) soliditate diuelli.* Super apostolicam ergo petram, id est super Petrum apostolum, fundata est vniuersalis ecclesia. Item Eusebius Cæsariensis in *Ecclesiastica historia libro 3. c.* 4. asserit manifeste, apostolos fundasse ecclesias, dicens: *si qui constans in fide, & æmulatores verbi reperti sunt, etiam qui regendas ecclesias, quas apostoli fundauerunt, susceperunt.* Item Nicolaus papa, vt habetur *extra de verborum significationibus ca. exiit*, hoc idem asserit manifeste, cum dixit volens de apostolis facere mentionem: *primi fundatores militantis ecclesiæ prout ab ipso fonte (scilicet Christo) hauserant, in volentes perfecte viuere per doctrina ipsorum alueos deriuarunt.* Fuerunt ergo apostoli, & non solum Petrus, fundamenta ecclesiæ, & etiam fundatores.

CAP. XIX.

Respondit ad aliqua motiua capitulo 12. adducta.

DISCIP. Qualiter respondetur ad motiua opinantium prædictorum, quibus probare nituntur, quod solus Christus erat fundamentum ecclesiæ. MAGIST. Ad primum eorum, cum adducitur Glossa interlinearis, qua probatur, quod Christus sibi videtur retinuisse fundamenti dignitatem. Respondetur per distinctionem de *fundamento*, quia quoddam est *fundamentum* ecclesiæ primarium & principale, absque quo nulla potest fundari ecclesia. & illud *fundamentum* est sol Deus siue Christus. Aliud est *fundamentum* ecclesiæ secundarium, sine quo poterat fundari ecclesia, sine quo tamen non fuit fundata de facto, & tale fundamentum non est solus Deus nec solus Petrus: imo omnes apostoli sic fuerunt fundamenta ecclesiæ, inter quos tamen quodammodo principalius & vniuersalius fundamentum fuit beatus Petrus. Glossa autem loquitur de fundamento primo modo dicto, & non de fundamento secundo modo dicto. Consimiliter dicitur ad auctoritatem Aug. sumptam ex libro Retractationum, quod August. non reprobat dictum suum de apostolo Petro, quo asseruit, ꝙ in illo tanquã in petra ædificata sit: sed dicit se aliter sæpe exposuisse, vt sc. per petram intelligatur Christus, tanquam petra principalis, super quam principaliter ædificata est ecclesia. Non n. in fundamento ædificii materialis ponitur semper vnica petra, sed sæpe plures, & vna sup aliã: & ita per distinctionem talẽ petræ concordantur auctoritates sanctorũ patrũ, quæ repugnare videntur. nequaquã igitur Aug. dictũ suum reprobat aut reuocat vel corrigit, sed declarat & asserit, ꝙ locus scripturæ quem volebat exponere, alium potest habere sensum, qui priori sensui minime contradicit. sed per distinctionme prædictam vnus est cum alio cõcordandus. Non n. Aug. semper reprobat aut corrigit quæ retractat: sed aliqua dicitur retractare, quia iterũ ipsa tractat declarando ipsa & cũ aliis concordando. Ad rationem, qua sæpedicti opinantes ꝓbare nituntur, ꝙ beatus Petrus non fuit fundamentũ ecclesiæ: quia fundamentum ecclesiæ non potest errare nec peccare. Respondetur, ꝙ principale fundamentũ ecclesiæ, sine quo totũ ædificium rueret, imo sine quo nullo modo construi posset, nec peccare nec errare potest aut potuit. & illud fuit Christus, nõ Petrus. sed secundariũ fundamentum, sine quo poterat erigi totũ ædificium ecclesiæ, potuit errare & peccare, quãuis inquantum fuit fundamentũ actualiter fundando nõ potuerit errare nec peccare. Quando n. Petrus negauit Christũ, & quãdo postea ad veritatem euangelii nõ recte ambulauit, nõ actu fundauit ecclesiã: sed qñ primo post Christum prædicando veritatẽ apostolos ad veram fidem conuertit, tunc nouellam fundauit ecclesiam. Ad auctorita-

ctoritatem autem apostoli *Cor.* 3. respondetur, quod apostolus ibi locutus est de principali fundamento ecclesiæ, non de secundario. & certe fundamentum principale nemo aliud ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Est autem sciendum secundum quosdã, sicut dictum est prius, ꝙ modus scripturæ sæpe est negare aliquid ab illis, quib. non competit principaliter, quamuis secundario competat. Sic enim dixit Christus Luc. 18. *Nemo bonus nisi solus Deus.* Sic etiam de Iohanne Baptista dicitur: *non erat ille lux*, Ioh. 1. Et tamen sicut apostoli erant lux, dicente eis Christo Matt. 5. *Vos estis lux mundi.* Sic & beatus Ioan. Bapt. fuit lux. Fuit enim *lucerna ardens & lucens*, Ioh. 5. Cum ergo dicitur, quod Christus potestatem clauium non videtur Petro tradidisse per hæc verba: *Tu es petrus* &c. Respondetur, quod tunc Christus non tradidit Petro potestatem clauium, sed promisit. nec etiam tunc præfecit eum reliquis apostolis, sed promisit. Et ideo qualiter & quibus præfecit eum, ex istis verbis: *tu es petrus*, vltimate nequaquam colligi potest, nisi referendo ad ipsa verba, quibus scil. postea præfecit eum, scilicet illa: *Pasce oues meas.* & tamen ex istis verbis, *super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, potest ostendi aliquo modo, quod promisit sibi primatum super omnes. ex quo indefinite dixit, *ecclesiam meam*, non distinguendo inter hanc ecclesiã particularem & illam. An autem Christus eandem potestatem clauium tribuerit aliis apostolis, postea poteris (si tibi placebit) inquirere. Cum autem dicitur, quod Christus potestatem clauium non tradidit per hæc verba: *tu es petrus.* sed Ioh. 20. quando indifferenter omnib. dixit: *Accipite spiritum sanctum: & quorum remiseritis* &c. Respondetur iuxta præmissa. *sup. c.* 17. quod potestatẽ clauium, quæ competit ratione ordinis, accepit Petrus simul cum aliis apostolis per verba præscripta *Ioh.* 20. aliam tamen potestatem accepit super apostolos, cum Christus sibi dixit: *pasce oues meas.* Cũ vero dicitur: Esto quod Petrus his verbis potestatem hanc accepisset, non concluditur ex hoc, nisi quod tempore prius fuerit pastor institutus. Respõdetur, quod si Petrus illis verbis: *tu es petrus* &c. potestatem aliquam recepisset, illam potestatem recepisset super oẽs, qui erant de ecclesia Christi. quia (sicut tactum est prius) in collatione potestatis super aliquos certi debent esse, super quos confertur potestas. quia sicut prælatus debet esse certus, ita subditi debẽt esse certi. Cum ergo nec per illa verba, nec per quæcunq; præcedentia vel subsequẽtia appareat, ꝙ Christus aliquos de ecclesia sua specialiter exceperit seu exemerit: si per illa Petrus recepisset super aliquos de ecclesia Christi, eandem recepisset super omnes potestatem. Et ideo Christus per illa verba non solum significare voluit ecclesiæ vnitatem in fide: sed etiam vnitatem capitis præferendi ecclesiæ vniuersę. Nec tantummodo tempore prius dotatur clauibus: & honoratur aut honorari promittitur, vt isti dicunt sibimetipsis in hoc etiam contradicendo, quia secundum eos simul tempore omnib. apostolis Christus contulit clauium potestatem. Sed per illa verba: *tu es petrus* &c. vltra clauium potestatem communem sibi & aliis apostolis, quæ eis ratione ordinis competebant, alia fuit sibi promissa potestas super omnes. & ideo per illa verba: *tu es petrus* &c. intellecta, vt ea intellexerunt apostoli & eorum discipuli, aperte conuincitur, Petrum fuisse cæteris dignitate siue auctoritate superiorem. Et ideo Glossatores dicentes, non acceperunt hoc à se, sed à scriptura intellecta, vt eam intellexerunt apostoli. qui intellectus ab ipsis apostolis vsq; ad ipsos serie tractatorum, & scriptorum catholicorum sibimet succedentium, & asserentium ipsum, peruenit.

CAP. XX.

Soluit residua motiua ca. 12. adducta.

DISCIP. Narra, qualiter respondetur ad allegationem sequentem. MAGIST. Ad illam allegationem, cum accipitur; ꝙ series euangelii, quæ habetur *Matth.* 20. & *Luc.* 22. vbi Christus hanc quæstionem diffinit, cum contentio esset inter eos, quis eorum esset maior. Et Matt. 23. cum dixit Christus, *nolite vocari rabbi:* ostendit nullum fuisse superiorem aliis. Respondetur dupliciter. vno modo, ꝙ omnia illa verba Christi intelligẽda sunt pro tẽpore illo, quo dicta fuerũt à Christo: & pro tempore ante exaltationem Petri super reliquos apostolos. Tunc enim solus Christus fuit prælatus omnium. & nullus apostolus fuit tũc prælatus, sed solummodo apostolus. Aliter dicitur, ꝙ Christus nõ intendebat imponere eis æqualitatem excludentẽ superioritatẽ prælationis, saltem pro tempore futuro; sed ipsos ad humilitatẽ exhortãs imponebat eis omnẽ æqualitatẽ excludentem omnẽ superioritatẽ superbæ, iniustæ, asperæ, & tyrannicæ potestatis. quemadmodũ Sapiens Eccl. 33. Rectori superioritatem cõcedit, & quandã æqualitatem iniungit, cũ dicit: *rectorẽ te posuerũt: noli extolli. esto in illis quasi vnus ex ipsis.* Sicut ẽt 3. c. maiori non solũ æqualitatem, sed ẽt quandã inferioritatem inducit, dicens: *quãto magnus es, humilia te in omnib. humilitas enim quandã infirmitatẽ importat.* Sic etiã Christus exemplo sui, qui maior existens se minorẽ exhibuit; maiorib. nõ solũ æqualitatem, sed etiã minoritatem quandã suasit, dicens Luc. 22. *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor. & qui præcessor est, sicut ministrator. Nã quis maior est, qui recũbit, an qui ministrat? nõne qui recũbit? ego autẽ in medio vestrũ sum, sicut qui ministrat.* Christus igit̃ nec *Mat.* 20. nec *Luc.* 22. nec *Mat.* 23. omnẽ superioritatẽ plationis apostolis interdixit: sed ipsos ad humilitatẽ inducẽs omnẽ superioritatẽ iniustã & illicitã, ac modũ regẽdi fastuosum & iniquũ amouit. Nec mouere debet, ꝙ Christ⁹ dixit Mat. 23. *oẽs autem vos fratres estis:* quasi omnẽ æqualitatẽ inter eos esse tenendã insinuãs. Nã nec ẽt inter fratres est omnimoda æqualitas obseruãda. sed sępissime expedit, vt vnus aliis præferatur, quemadmodum sæpe à Deo & sanctis viris in scripturis diuinis legim⁹ fuisse factũ. Cum vero accipitur, ꝙ mirandum est, si magis credere debeamus auctoritati Gloss. ꝙ Christi. Respõdetur, ꝙ nemo magis debet credere cuiquã Glos. vel sancto, quã Christo: tñ sępe ꝑ viros sanctos, q glosas vel scripta alia ediderunt, & præci-

præcipue per illos, qui ab apostolis instructi fuerũt, quis sit catholicus intellectus verborũ Christi addiscimus. & ideo quandocunq; verba Christi possunt esse ambigua, plectenda est temeritas ab assertionibus & expositionibus huiusmodi virorum recedere, & interpretationi seu expositioni propriæ adhærere. DISC. Forte dicerent isti, quod verba Christi, quæ adducunt, non possunt esse ambigua. vbi autem verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi, vt notat Glo. *extr. de consuetudine, cum dilectus.* MAGIST. Multis apparet, quod istud sit irrationabiliter dictum. Nam multa verba Christi, quæ apertiora videntur, possunt esse ambigua. ergo & ista possunt esse ambigua. & de prædictis constat, quod possunt esse ambigua, cum prædicti opinantes aliter ipsa intelligant, quam multi alii literati viri & intelligentes & qui expositionem per similia & multos alios modos ostendunt. DISC. Quid dicitur ad hoc, quod isti dicunt, multos Glossatores dicere oppositum. MAG. Respondetur, quod Glossatores nusquã dicunt oppositum si intelligantur sane.

CAP. XXI.

Petri principatum super alios probat per illa verba Christi: Ego autem rogaui pro te Petre, vt non &c.

DISCIP. Aliam allegationem pro prælatione Petri adducas. MAGIST. Hoc ostenditur Luc. 22. cum ad ipsum specialiter dixit Christus: *Ego autem rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua: sed tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* apostolorum ergo & aliorum fidelium prima cura pastoralis & confirmatio beato Petro commissa fuit propter suæ fidei firmitatem. pro qua ne deficeret, specialiter Christus orasse videtur, ne deficeret in ipso, neque in ipsius aliquo successore. *confirma*, inquit, *fratres tuos*, cum te principem apostolorum constituerim. Hoc autem non solum intelligendum est de apostolis, qui tunc erant, vt roborarentur à petra: sed etiam de omnibus fidelibus. Et parum infra subdit: *Per pœnitentiam obtinuit Petrus. scilicet vt esset antistes mundi.* DISCIP. Responsionem præcedentium opinantium ad istam allegationem recitabo. dicunt itaque, quod ex verbis Christi inferri non potest, quod Christus Petrum, reliquorum apostolorum prælatum fecerit. Quod probatur per scripturam. Quia Paulus contulit Petro in euangelio: non econtra. hoc autem per Gloss. probatur ibidem, quæ ait: *sicut ego te orando protexi, ne deficeres: sic tu infirmiores fratres confirma, ne de venia desperent. intelligens per fratres indifferenter fideles.* Quod dicens Petro, voluit alios apostolos intelligere facturos. vnde Mat. 13. *quod vni dico*: vel secundum aliam literam, sensum tamen eundem, *quod vobis dico, omnibus dico.* An forsitan illud Petro singulariter dixit. Etiam Gloss. hoc sentire videtur. quoniam præsciebat Christus Petrum se negaturum, vnde *tu aliquando conuersus*, id est exemplo tuæ pœnitentiæ, eo quod verbo & sui exemplo, qui veniam meruerat, infirmos in fide singularius confortare seu confirmare valeat. Hæc est eorum responsio, de qua cupio scire, an omnibus opinantibus contrarium appareat non valere. MAGIST. Videtur quibusdam apparentia non carere. quia, vt videtur, per illa verba Christi præcise nõ posset ostendi, quod Christus fecerit beatum Petrum prælatum & principem aliorum. Et ideo si inueniantur sancti exponere verba illa de primatu Petri, tenendum est quidem, quod sensus ille est verus: non tamẽ tanquam sensus literalis verborum illorum Christi, sed tanquam sensus mysticus. cuius veritas ex aliis verbis Christi literaliter intellectis potest sufficienter ostendi.

CAP. XXII.

Primatum Petri vnica ratione probat, quæ multis sanctorum auctoritatibus fulcitur.

DISCIP. Adhuc aliquas sed paucas allegationes adducas ad probandũ superioritatem Petri respectu aliorum apostolorum. MAGIST. Hoc tali modo probatur. Quod à temporibus apostolorum vsque ad tempora nostra prælati & doctores ecclesiæ, sibi continua serie succedentes, & populi eius subiecti senserunt, ab omnibus catholicis est tenendum firmiter. Hæc, scilicet maior, auctoritate August. in libro *contra Manicheos*, & habetur in decretis *dis. 11. c. palam*, videtur aperte posse probari, cum dicit: *Palam est, quod in re dubia ad fidem valeat auctoritas catholicæ ecclesiæ, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus apostolorum vsq; ad hodiernum diem, succedentium sibimet episcoporum serie, & tot populorum consensione confirmatur.* Quæ nihilominus (quia quidam dicunt, vt patet supra auctoritates aliorum, quam scriptorum scripturæ canonicæ & generalium conciliorũ non esse recipiendas) ratione probatur. Nam etiam secundum contrarios vniuersalis ecclesia errare non potest. quare quod sensit & sentit vniuersalis ecclesia, firmiter est tenendũ. vniuersalis autem ecclesia solummodo cõprehendit prælatos ecclesiæ & populos sibi subiectos. quare ꝙ prælati ecclesiæ sibi continua serie succedentes, & populi sibi subiecti à temporib. apostolorum vsq; ad tempora nostra senserunt, firmiter est credendum. Sed prælati ecclesiæ ab ipsis vsq; ad hæc tempora cum populis subiectis sibi tenuerunt & senserunt, Petrum fuisse superiorem aliis apostolis. Hoc tenuit Anacletus papa (vt allegatum est sup.) qui in hoc veritatem non potuit ignorare. Beatus etiam Clemens papa apostolorum discipulus idem sensit. qui, vt habetur *di. 80. ca. in illis*, ait: *Nec inter ipsos apostolos par fuit institutio: sed vnus præfuit omnibus & non alius quam Petrus.* Hoc etiam sentit Eusebius Cæsariensis: qui, quia in doctrinis, traditionibus: & scripturis illorum, qui fuerunt discipuli apostolorum & à discipulis eisdem edocti, fuit imbutus, quid præcedentes senserint, minime

minime ignorauit, de quo nullo modo præsumendum est, quod falsum scienter docuerit, cui nullus prælatorum ecclesiæ aut doctorum postea contradixit: & per consequens omnes tacendo consenserunt eidem, ait itaque in *Ecclesiastica historia*, quam transtulit beatus Hieronymus, *lib. 2. capitulo decimoquarto. Claudii temporibus clementia diuina prouidentiæ probatissimum omnium Apostolorum maximum fidei magnificentia & virtutum merito primorum principem Petrum ad vrbem velut animaduersum humani generis communem pernitiem repugnaturum deducit quendam & magistrum militiæ suæ scientem diuina prælia gerere & virtutum castra ductare.* Hoc sentit beatus Hieronymus, & Ambrosius, beatus Augustin. beatus Marcellus Papa, beatus Cyprianus, sicut per auctoritates ipsorum in locis diuersis superius allegatis patet expresse. Ab omni autem verisimilitudine alienum videtur, quod prædicti viri scripturarum canonicarum, historiarum, cronicarum, gestorum, consuetudinum, & traditionum vniuersalis ecclesiæ diligentissimi scrutatores nescierunt, quid circa rem tam necessariam toti ecclesiæ Christi senserint Apostoli & discipuli eorundem, de quibus etiam est nullatenus præsumendum, quod scienter falsum tenuerint, quare tenendum est, quod assertio supradicta ab ipsis Apostolis per cronicas & historias fide dignas, quarum nos fortassis aliquas non habemus, & per traditionem & consuetudinem vniuersalis ecclesiæ vsque ad ipsos continuatam ad eosdem peruenit. Assertionem autem suprascriptam tenuerunt omnes alii prælati & doctores ecclesiæ à temporibus beati Syluestri vsque ad tempora nostra, sicut multipliciter posset ostendi. Præmissis autem prælatis & doctoribus in eadem assertione catholici populi consenserunt: quia nullus inuentus est populus catholicus, qui contradiceret eis, ergo hæc assertio est vniuersali ecclesiæ tribuenda, & per consequens firmiter est tenenda *Discipulus.* Forte dicent aliqui, quod non omnes populi Christiani hoc senserunt, nam fertur, quod Græci, qui fuerunt Christiani & catholici, antequam Romani, hoc non tenent, & ita non omnes populi Christiani hoc vsque ad tempora nostra crediderunt. *Magister.* Hæc responsio ab aliis impugnatur. Nam Græci, dum erant catholici, doctorum catholicorum sequentes doctrinam in hoc consenserunt. Non enim legitur & videtur probabile, qnod populus Græcorum, antequam diuiderentur à Romana ecclesia, secutus non fuerit doctrinam catholicorum doctorum, doctores autem ipsorum assertionem prædictam publice docuerunt, & reliquerunt in scriptis. Eusebius enim Cæsariensis, qui Græcus fuit, & in scriptis omnium doctorum Græcorum peritus (vt ex *Ecclesiastica historia*, quam composuit, liquido patet) hoc docuit & scripsit, vt ex supradictis patet, ergo Græci, dum erant Catholici, prædictam sententiam tenuerunt. Errores autem ipsorum postquam se à Romana ecclesia diuiserunt, allegationem prædictam nullo modo impediunt, quare secundum Latinos tenendum est, quod Petrus omnibus aliis erat superior. *Discipulus.* Aliter forte aliqui responderent ad allegationem prædictam, dicentes quod quamuis omnes populi Christiani consenserint prælatis & doctoribus fidei in assertione præscripta, non tamen omnes de populo, ergo allegatio antescripta non procedit. *Magister.* Ista responsio per hoc refellitur, quia secundum Apostolum ad Roman. 8. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem*: quando scilicet periclitatur fides. Non sufficeret igitur aliquibus paucis de populo corde tenuisse assertionem contrariam, si esset catholica, nisi etiam ipsam ore publice contradicendo errantibus confessi fuissent. Cum ergo non legatur, quod à temporibus Apostolorum vel discipulorum eorundem vsque ad tempora Patrum nostrorum, quicunq; etiam pauci de populis Christianis assertioni publice contradixerunt memoratæ: tenendum est, quod eadem assertio vniuersali ecclesiæ debet ascribi, vniuersalis autem ecclesia nullo tempore, etiam paruo, errare potest contra fidem, & in his quæ iuris sunt pertinentia ad fidem vel bonos mores: licet secundum quosdam in his, quæ facti sunt, scilicet habendo aliquem pro Papa vel bono viro, licet non sit, & in consimilibus possit errare, ergo prædicta assertio firmiter est credenda.

Cap. XXIII.

Principatum Petri vnica ratione probat, quæ est in his, quæ sunt fidei & morum fundata. Eamque vna confirmatione corroborat.

Discip. Adhuc pro ratione, fundata tamen in his quæ sunt fidei morum, conare probare, quod Petrus fuit cæteris Apostolis ex ordinatione Christi superior. *Mag.* Videtur quibusdam hoc tali modo posse probari. Christus ab Apostolis & ecclesia corporaliter recessurus instituit caput & rectorem ecclesiæ vniuersalis: qui secũdum optimum modum regiminis ecclesiam gubernaret. Christus n. qui ecclesiæ suæ in necessariis non deficit, ecclesiam suam acephalam non reliquit, nã habere caput est inter cætera maxime necessarium ecclesiæ, ergo Christus aliquod caput dedit ecclesiæ, non autem instituit caput ecclesiæ seu rectorem secũdum debiliorem seu minus perfectum modum regiminis, ne facto videretur præcepisse ecclesiæ, q caput secundum optimũ modum regiminis minime sustinerent, cum omnis Christi actio sit nostra instructio, optimus aũt modus regiminis est regimen vnius, vt vnus oẽs alios regat, quia talis modus regẽdi maxime principatui regali, qui est optimus secundum philosophos in hoc nõ errantes: & principatui paterno, qui est naturalis, assimilatur, ergo Christus vnũ caput dedit vniuersali ecclesiæ, & nõ plura, non aũt alium, q̃ Petrum, quia nunq̃ aliquis catholicus tenuit, q aliquis alius Apostolus, vel nõ Apostolus, fuit caput & princeps aliorũ Apostolorũ. Hæc allegatio cõfirmatur, quia Christus fecit Apostolos capita, pastores & rectores aliorum fi-

delium, etiam secundum aduersarios, sicut per præfationē Apostolorum, q̃ allegant, aperte patet, aut ergo præfecit aliquod caput collegio Apostolorum: & habetur intentum, quia nullum alium præfecit illi q̃ Petrum, aut nullum caput præfecit Apostolorũ collegio: ꝙ absurdũ videtur, quia ex hoc plures absurditates sequerentur. Quarum prima est, quod Christus collegium Apostolorum reliquisset acephalum. Secunda est, ꝙ vniuersalem ecclesiam non secundum dispositionem optimam ordinasset: quia tunc solumō est aliqua societas seu cōmunitas optime ordinata, qñ habet vnum caput, & regitur ab vno, & non à pluribus, eo quod simpliciter melius est regi ab vno, q̃ à plurib. etiam optimis, quemadmodum principatus regalis secundum Philosophum est principatui aristocratico præferendus. Tertia est, quod Christus ex hoc ecclesiam docuisset, nec vni prælato, nec vni collegio debere subesse, quia Christus non præfecit Apostolos aliis fidelibus tanquam collegium, sed tanquam singulares personas, dispergendi enim erant Apostoli in vniuersum orbem ad regendum fideles minime congregandi, & ideo tanquam collegium non regebant. Cum enim aliqui aliquid faciunt, tanquam collegium, simul esse debent. Si ergo Christus Petrum non præfecit vniuersali ecclesiæ, & multominus aliquem alium Apostolum: sed solummodo præfecit Apostolos tanquam singulares personas, exemplum dedit ecclesiæ, vt nec vni prælato, nec vni collegio obediret.

Cap. XXIV.

Præcedentis capituli rationem duplici impugnat ratione, sed vtrique rationi respondet.

Disc. Prædicta forte aliqui impugnarent. Primo: quia licet regimen vnius de se sit optimũ, tñ aliqñ per accidens & in casu non est optimũ, quia quando sunt plures æquales, vel nullus omnes alios meritis & sapientia excedit, non expedit, vt vnus omnibus aliis præsit. Hoc (vt quibusdam videtur) ex multis quæ allegata sunt *secundo huius* potest aperte probari, quod Petrus meritis & sapientia oēs alios nullatenus præcellebat. Sapientia enim videtur minor fuisse Paulo. Meritis autem Iohanne videtur fuisse inferior. Ergo communitas fidelium non fuit optime ordinata, si Petrus fuisset à Christo cæterorum Apostolorum & omniũ fidelium caput institutus. Amplius; Christus recedens corporaliter ab ecclesia, ipsam in optima conditione reliquit, quantum permittit hæc vita, sed melius est, vt ecclesia habeat potestatem mutandi modum regendi quandocunq; expedit, quã quod alligetur determinato modo regendi, eo quod quilibet modus regendi in pluribus casibus potest esse nociuus vel minus vtilis, quemadmodum principatus regalis, qui est vnius, quamuis de se sit optimus, tamen in multis casibus magis expedit, quod plures principentur aristocratice, quam vnus regaliter. Christus ergo non dedit vnum caput ecclesiæ nec Petrum, nec alium; sed dedit ecclesiæ potestatem instituendi sibi vnum caput vel plura, secundum quod ei expedire videtur. *Mag.* Ad primum istorum respondetur, ꝙ licet regulariter non expedit, vt vnus principetur pro tota vita sua sibi æqualibus: nec principatus vnius in tali casu sit regulariter optimus: tñ casualiter potest principatus vnius esse optimus. In tali casu, sc. si inæquales sint tales, quod de eis probabiliter præsumatur, quod prompte ac spōte seu voluntarie in omnibus licitis & iustis, prout expedit, velint obedire vni: licet etiam sit meritis & sapientia minor. Causa enim secundum aliquos, quare non expedit, vt aliquis principetur sibi similibus & æqualibus, est: ne subiecti valeant dicere colorate, iniustum est æqualem eis dominari, & ipsos subesse, hæc autem causa locum non habet, si æquales vel maiores ex humilitate vel obediētia aut amore rei publicæ vel cōmunis vtilitatis, prompte & sponte velint subesse. Apostoli aũt scientes ordinationem Christi ex humilitate & obedientia, promptissimi erant obedire Petro pro toto tempore vitæ suæ. Et ideo licet Apostoli etiam omnes fuissent æquales vel maiores Petro: melius fuit, vt ipse præesset aliis Apostolis & vniuersis fidelibus, quam vt præessent plures. De aliis enim ab Apostolis, & maxime illis, qui proni erant ad dissensionem & inobedientiam, planum apparet, quod Petrus meritis & sapientia præcessit eos, & ideo debuerunt rationabiliter esse subiecti. Ad secundum respōdetur, quod Christus instituendo Petrum, caput omnium fidelium ecclesiam suam in optima dispositione, quo ad genus regendi reliquit: quia eligendo & præficiendo vnum cunctis fidelibus, facto docuit ecclesiam, quod optimum genus regendi, vt scil. sit vnum caput & rector omnium, debet omnino seruare, si potest absque detrimento boni cōmunis. Plus aũt profuit ecclesiæ, quod Christus, qui sciuit certissime, quis esset magis idoneus ad regendũ, præfecit Petrum: q̃ si ecclesia, quæ non nisi per coniecturã scire potuit maiorem idoneitatem ipsius, elegisset eũdem. Christus itaq; (secundum quosdã) præficiendo vnum, alligauit ecclesiã suam optimo generi regiminis extra casum manifestæ necessitatis & vtilitatis. Præficiendo aũt non quemcunq; vnum, sed Petrum, qui vel in ecclesia simpliciter optimus inter omnes, vel optimus & maxime idoneus est ad regendum: innuit facto, quod non totaliter ecclesiam suam optimo generi obligauit: quin in casu manifestæ necessitatis vel vtilitatis posset illum modum regendi omittere vel mutare, nullum scilicet eligendo, vel eligendo plures, si id communitati fidelium manifeste expediret, vel aliquod illorum facere cogeretur. Sicut aliquando oportuit fideles dimittere per plures annos vacare Apostolicam sedem. Vnde sicut legitur in Legenda sancti Marcellini Papæ & martyris, temporibus Diocletiani & Maximiniani Imperatorum, quod post mortem prædicti Marcellini Papæ seueritate persecutionis per præfatos imperatores in Christianos agitante, vacauit sedes Apostolica annis septem mensibus sex, diebus viginti quinque. Cessante tamen necessitate, vel vtilitate, ad optimum modum regendi,

(vt vnus sit caput vniuersalis & rector) redire tenentur, & ideo Christus præficiendo Petrum omnibus, ecclesiam suam, quo ad genus regiminis in optima dispositione reliquit.

Cap. XXV.

Soluit rationes, quibus probatur capitulo primo, quod Christus non instituit Petrum super alios Apostolos.

Discipulus. Puto, quod si prædicta, quibus ostenditur, quod Petrus fuisset superior aliis Apostolis, possent solui, omnia alia quæ pro eodem allegari possunt, de facili refelli valerent, ideo causa breuitatis omissis aliis, qualiter ista assertio ad allegationes, quæ supra *prim. cap. huius quarti* sunt inductæ, respondeat, non differas indicare. *Magister.* Ad primam illarum, quæ de potestate conficiendi corpus Christi procedit. Respondetur, quod potestas conficiendi corpus Christi omnibus Apostolis, quos Christus ante passionem suam elegit, data fuit immediate à Christo: quia ipse eos sacerdotes ordinauerat: & quantum ad hanc potestatem, omnes Apostoli erant pares. Quemadmodum nunc omnes sacerdotes in hoc sunt Apostolico pares: licet ex causa valeat Apostolicus sacerdotibus interdicere executionem huius potestatis. Ad aliam de potestate clauiũ dicitur à quibusdam, quod Apostoli omnes ex speciali priuilegio Christi fuerunt pares B. Petro inquantum claues peccata specialiter in foro pœnitentiali respiciunt: in aliis autem fuerunt inferiores eo. Christus ergo, quando dixit omnibus Apostolis: *sicut misit me Pater*, &c. tanquam prælatus & superior Petro, omnes etiam misit, & omnibus potestatem dedit super peccata, quos tamen postea B. Petro subiecit: absq; tamen reuocatione illorum, quæ eis in speciali concesserat. Et ideo quamuis tunc non dixerit Petro: mitto te, & tu alios mitte: quia tunc non fecit eum prælatum aliorum, tamen postea cum dixit: *pasce oues meas*: dedit ei potestatem mittendi alios, qui non erant specialiter missi à Christo: quos tamen ex causa iusta & necessaria posset certis prouinciis deputare. Ad aliam allegationẽ sumptam ex verbis Pauli *ad Gal. 2.* respondetur, quod intentio Pauli, cum dicit; *mihi enim qui videbantur aliquid esse, nihil contulerunt*, &c. fuit, quod Paulus quantum ad doctrinam, non fuit inferior Petro, neq; reliquis Apostolis, nec fuit primo missus ad prædicandum à Petro, quia antea prædicauit tanquam immediate missus à Christo, cum quo tamen stat, quod in aliis fuit inferior Petro. Et ideo conceditur, ꝙ officium prædicandi, siue Apostolatus, Paulus non suscepit à Petro, sed ex hoc non sequitur, quod Petrus non fuit prælatus eius. Sicut multi religiosi prædicatores verbi Dei tempore Clementis Papæ V. vel Bonifacii VIII. non habuerunt officium prædicandi à Bonifacio Papa vel Clemente: & tamen Bonifacius Papa, aut Clemens fuit prælatus eorum, quia habuerunt officium prædicandi à prædecessore vel prędecessoribus. Si Paulus recepit officium prædicandi à prædecessore Petri, sc. Christo. Ad auctoritatẽ ibidem adductam secundum August. respondetur: quia secundum Augustin. Petrus & alii Apostoli, qui fuerunt cum Domino, *nihil contulerunt*, id est addiderunt Paulo, quantum ad doctrinam euangelicam. Et ideo in doctrina non fuit inferior Petro ac aliis Apostolis, quia à Domino fuit ita ꝑfectus in doctrina, quod perfectioni suæ doctrinæ nihil addere potuerunt. Qui tamen, quo ad multa alia sibi addere valuerũt: sicut & de facto addiderunt, cum dederunt sibi & Barnabæ *dexteras societatis*. Inferioritas ergo, quam negat Augustinus à Paulo, est solummodo inferioritas doctrinæ euangelicæ, de qua loquitur ibi Paulus. Et ideo conceditur illud, quod isti concludunt, quod quodammodo æque principaliter missus fuit Paulus, quemadmodum & Petrus, sc. ad prædicandum, quia quando primo fuit missus ad prædicandum, non fuit missus neque à Petro, neque ab aliquo alio homine. Et hoc intendit Apostolus, cum dicit 1. cap. *Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem*, &c. Et sic dicitur intelligenda Glossa Ambrosii ibidem allegata, quia tunc Apostolus non fuit missus ab Anania, neque ab aliquo alio puro homine. Ex qua Glossa notatur, quod Apostolus loquitur ibidem de sua prima missione, quando aliqui poterant putare eum missum fuisse ab Anania, à quo tunc extitit baptizatus. Et sic etiam de prima missione dicitur intelligenda Glossa, quæ idem secundum Augustin. consequenter adducitur, quia Paulus tunc non fuit missus ab aliquo homine mortali, sicut cæteri Apostoli: sed à Christo, qui tunc extitit immortalis, & secundum hoc habuit quandam prærogatiuam supra alios: quorum tamen non erat prælatus. Et ideo ex verbis Augustini non potest ostendi, quod Paulus auctoritate fuit superior Petro, quamuis dicat, quod Paulus fuerit dignior, ita ex eodem non potest ostendi, quod non fuerit inferior auctoritate. Quare à simili licet inueniatur dictum à sanctis, ꝙ Paulus fuerit par Petro: non potest tñ inueniri, quod Paulus fuerit par quantum ad prælationem. Quia sufficit, ꝙ fuerit par, quantũ ad aliqua alia: puta quantum ad doctrinã & auctoritatẽ prædicandi in hoc, ꝙ non habuit primo auctoritatẽ prædicandi à Petro, nec mediate, nec imediate, sed à Christo, & quo ad alia plura. Quia sicut nõ omnes, qui dicũtur similes, in omnib. sunt similes, sic nec oẽs qui dicuntur pares, sunt pares in omnibus. Et eodem modo respondetur ad auctoritatem aliã Apostoli, cum dicit: *Notum vobis facio euangelium*, &c. quia ex hoc sequitur, ꝙ Paulus immediate missus fuit à Christo: quẽ nec Petrus, nec alius Apostolus tunc elegit, nam Christus tñ misit aut iniunxit Paulo ministeriũ euangelii, sed ex hoc nõ sequitur, ꝙ non fuit subiectus Petro. Quemadmodũ ex hoc, quod Deus immediate sæpe misit Esaiã, & alios prophetas ad prædicandũ, & increpãdum idolatras & alios impios, inferri non põt, quod nõ fuerint auctoritate inferiores summo Pontifice, aut supremo rectore populi Israelitici. Qualem aũt potestatẽ, & in quib. habuerit Petrus super Paulum & alios Apostolos,

postea valebis inquirere. Ad aliam allegationem, quæ in hoc consistit, quod nō inuenitur in scriptura Petrum sibi assumpsisse aliqualē potestatem super cæteros Apostolos: sed magis cum ipsis æqualitatem seruasse. Respondetur, quod multa fecerunt Apostoli, quæ non reperiuntur in Biblia: quorum tamen multa, licet non omnia, ad nos per scripturas discipulorum Apostolorum, & aliorum fidelium peruenerūt. Et ideo licet ex scripturis canonicis contra proteruos, efficaciter non posset cōuinci, quod Petrus vsus fuit auctoritate sibi cōcessa super Apostolos, sed magis de facto æqualitatē seruauit: non tamen propter hoc esset dicendum, ipsum nō fuisse huiusmodi vsum potestate. Nec ex hoc, quod legitur aliquando ipsum seruasse æqualitatē cum aliis, potest inferri, quod nunquam sua fuerit vsus auctoritate seu potestate, quia sancti prælati sæpe exemplo Christi, qui prælatus existens venit ministrare, suam potestatem nequaquam exercent: sed tāquam seruos, vel etiam inferiores se exhibent sibi subiectis. An autem assumpserit sibi auctoritatē determinandi illa, quæ erant dubia circa euangelium, vel voluerit in hoc deferre Iacobo, aut toti collegio, cuius erat pars, postea poterimus inuestigare. Quod enim saltem toti collegio poterit fidelium in hoc deferre aut etiam tenebatur, multi tenentes prælatum fuisse vniuersorum concedunt: quia vt multi dicunt, in causa fidei summus prælatus fidelium est inferior vniuersali ecclesia, & etiam concilio generali.

CAP. XXVI.

In quo probatur scriptura authentica, quod Petrus aliquando fuit vsus potestate sua super alios.

DISC. Dic an videatur aliquib. quod in aliquo authentico valeat reperiri, quod Petrus fuerit aliquādo vsus potestate sua super alios Apostolos. *Mag.* Nonnullis apparet, quod hoc ex verbis Clementis, qui *gesta B. Petri* minime ignorauit, colligitur euidenter, qui, vt habetur *di. 80. c. in illis*, ait: *In illis vero ciuitatibus, in quibus olim apud ethnicos primi flamines eorum atque primi legis doctores erant, episcoporum primates vel patriarchas B Petrus poni præcepit, qui reliquorum episcoporum causas, & maiora negocia in fide agitarent. In illis autem, in quibus dudum apud prædictos ethnicos erant eorum archiflamines, quos tamen minores tenebant, quā memoratos primates, archiepiscopos institui præcepit, qui episcoporum tantum vocabula sortiretur.* Ex quibus verbis habetur, quod B. Petrus de facto disposuit nō solum de episcopis & archiepiscopis, sed etiam de supremis primatibus & Patriarchis, qui erant in ecclesia Dei. Supremi autē & primi primates seu Patriarchæ (quibus vocabulis idem importatur) vt eodem loco habetur, successores sunt Apostolorum. Nam, vt ait Lucius Papa, vt recitatur ead. *dist. 80. c. vrbes: In ipsis vero vrbibus Apostoli, eorum successores Patriarchas & primates posuerunt.* In quibus verbis Lucius Papa Patriarchas & primates Apostolorum successores appellat. Patet igitur ex supradictis, quod beatus Petrus aliquando fuit vsus sua auctoritate in alios Apostolos.

Explicit quartus liber primi tractatus tertiæ partis.

TRACTATVS SECVNDVS,

DE IVRIBVS ROMANI IMPERII,

LIBER PRIMVS.

INCIPIT LIBER PRIMVS SECVNDI TRACTATVS TERTIAE PARTIS, INQVIRENS vtrum expediat toti generi humano vnum Imperatorem vniuerso orbi praeesse, & quibus virtutibus debeat praeeminere, & à quo sit Romanorum Imperium, & si possit destrui.

PROLOGVS.

DISC. Scripturæ diuinæ Romanos pro tempore, quo mūdi imperiū acquirere laborarunt, multis & magnis laudū præconiis noscūtur extollere, sicut in *li. Machab.* legimus manifeste. Proinde post tractatū *de potestate Papæ & cleri*, tractatus *de iurib. Romani Imperii*, quem nonnulli literati ex sacris literis nituntur elicere subnectatur, præsertim cū occasione Romani Imperii quidā, quorū gesta, sicut & multorū maiorū, in tractatib. secuturis (ad quos isti *duo primi tertiæ partis nostri dial.* sunt præparatorii & præambuli) intendimus discutere, de fide altricari cœperint orthodoxa. Præsens aūt tractatus tres libros cōtineat, quorū primus inquirat an toti generi humano expediat vnū Imperatorem vniuerso orbi præesse, quib. excellētiis seu gratiis morib. & virtutibus Imperator mundi debeat præfulgere; à quo Romanū processit imperium; & an de iure seu destrui seu cassari, minui, diuidi valeat seu trāsferri. Secūdus, quæ iura habeat Imperator Roman. super tēporalia, inuestigat, tertius perscrutat, an Imperator Roman. super spiritualia habeat potestatē aliq., vel sit capax sup spiritualia potestatis. *Mag.* Eorū perfecta cognitio, q tractāda cōmemoras, ex libris sacræ Theologię, vtriusq; iuris, canonici videl. & ciuilis, philosophiæ moralis, & ex historiis Romanor. atq; Imperatorū & sumorum Pontificū & aliarū gentiū esset patentius extrahenda & solidius munienda, de quib. solummō *Bibliā* & *Decretū* cum *quatuor libris Decretalium* spem habeo obtinendi. Quare ne forsitan opus imperfectum, imo ridiculosum faciamus, videtur consultius desistendum. *Disc.* Quamuis his diebus opus perfectū facere nequeamus, cū de materia tam necessaria (vtpote quæ totum tangit genus humanum) opus speciale, vt æstimo, est nullatenus ab alio attentatum; vtile erat penitus non silere, vt alios copiam librorum habentes ad faciendum perfecta opera prouocemus. Puto enim quod ex disputatione nostra futuræ veritatis & iustitiæ ac rei publicæ zelatores aduertent aperte veritates quamplurimas circa præmissa in detrimentum communis boni latentes illos, qui alios regendo vel consulēdo vel informando

mando seu erudiendo gubernan', animabuntur periti, qui eorum, quæ iusta sunt & vtilia, fuerunt amatores, de præfatis opera facere exquisita: falsa, quæ recitabimus, efficaciter improbando, & vera quæ narrabimus rationibus & auctoritatibus irrefragabilibus fulciendo, in hoc enim tractatu, sicut in toto isto *dialogo*, nihil nisi recitando dicemus propter quod circa quærendas sentẽtias siue opiniones veras & falsas, stolidas, fanticastas recitabimus, quas fortius munire cõnabor. Non solum enim verorum assertio & declaratio, verum etiam pro falsis & fantasticis sententiis allegationes apparentes (licet sophisticæ) ad manifestationem, diuulgationem & exaltationem sæpe occasionaliter conferunt veritati, quia per eas studiosorum excitantur ingenia, ex ipsarum irrationabilitate veritas cõtraria clarius elucescit, cum opposita iuxta se posita magis appareant, & veritas exagitata magis splẽdescat in lucem, & arguendo, opponendo, disputando, & ad allegationes contrarias respondẽdo veritas elucidetur. Quare nequaquam propter librorum penuriam est opus tam vtile dimittendũ, pręsertim cum in pręnominatis libris, quos potes habere, plurima quę tangunt discutienda valeas reperire, & plurima quæ legisti (vt opinor) à tua memoria non penitus exciderunt, vel verba vel sententiam recitando possis cum opportunitas fuerit allegare. *Magister*. Importunitate me vincis, vt totum tractatum aggrediar, qui vt dubito in præiudicium veritatis & iustitiæ nimias essem passurus calumnias malignorum, si in ipso quid circa inuestiganda sentiam explicare, ideoque vt tu vis de opinionibus recitandis, quid reputem approbandum, in hoc tractatu nullatenus indicabo, per hoc enim veritas non incurret periculum, sed vitabit, eo quod propter approbationem meam & arbitror nullus veritati firmius adhæreret, sed plures vt timeo ex odii inuidia & rancoris malitia ipsam verbis & factis acerbius nequius impugnarent, quod de aliis à quibusdam famulante inuidia fieri mihi non ignoro. Veruntamen si vnquam aduertero, quod quid teneam exprimendo veritas quærit exaltari, hoc expressis verbis non differam diuulgare, cum igitur velis omnino componi hunc tractatum, ipsum accelera exordiri.

CAP. I.

In quo principaliter quæritur, vtrum expediat toti generi humano pro communi hominum salute & vtilitate vni Imperatori seu principi seculari subesse, & arguitur vndecim rationibus quod sic, ad quas respondetur infra capitulo sexto, & tribus sequentibus.

D*iscipulus*. Romani iura imperii, non iura, sed iniuriæ & iniustitiæ ac crudeles tyrannides non indigne censeri deberent, si nullatenus expediret vnum Imperatorem seu principem cunctas mũdi prouincias gubernare: Cum Romani super vniuersum orbem sibi vsurpauerunt principatum, quo circa de iuribus imperii Romani plurima quæsiturus, & ante omnia, an expediat esse vnum Imperatorem totius orbis interrogare decreui, aut ad totius generis humani commodum & vtilitatem pertineat totum orbem terrarum in temporalibus vni imperatori seu principi seculari subesse. Circa quod diuersas & aduersas sententias enarra. *Magister*. Circa hanc interrogationem, quam proponis, est vna opinio: quod per vnum principem secularem, qui non incongrue imperatoris nomine censetur, mundus, quo ad temporalia, optime regeretur. Nec sufficienter paci & quieti totius societatis humanæ potest per aliud regimen prouideri. *Discipulus*. Pro ista opinione allegare conare. *Magist*. Ista opinio videtur multipliciter posse probari. Nam illud regimen est maxime vniuerso expediens, per quod mali facilius, iustius & efficacius ac salubrius coercentur: & boni viuunt quietius inter malos. Ob hoc enim sunt rectores & principes maxime constituti, teste beato Petro, qui in *canonica sua prima cap. 2.* duces asserit missos à regibus *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*. Cui concordat beatus Paulus *ad Rom. 13.* dicens: Potestates seculares esse à Deo ad terrorem malorum & securitatem bonorum, vbi sic inquit: *Vis autem non timere potestatem bonum fac & habebis laudem ex illa, Dei enim minister est tibi in bonum, si autem malefeceris time, non enim sine causa gladium portat*. Horum sanctorum Apostolorum sententiam secutus est beatus Augustinus, qui vt legitur *23. q. 5. cap. non frustra*, ait: *Non frustra sunt instituta, potestas regis, ius cognitoris, vngulæ carnificis, arma militis, disciplina damnantis, seueritas etiam boni principis. Habeant omnia ista modos suos, causas, rationes, & vtilitates. Hæc omnia cum timentur, & mali coercentur, & boni quieti inter malos quietius viuunt*. Ab his ita minime discrepare videtur. Nã propter idem factæ sunt leges & instituti sunt principes seculares. Vnde principes ministri sunt legis, & imperator *lex animata* vocatur. Sed leges sunt factæ vt malorũ audacia coerceatur, & boni tuto viuant, *dist. 4. facta sunt leges, & ext. de hæreticis, in prologo*, ibi scil. *lex proditur*. Igitur vt coerceantur mali & boni quiete viuant, est regimen principum institutum. Sed per regimen vnius principis secularis, qui super vniuersum orbem habeat potestatem, mali facilius, salubrius, efficacius, iustius ac seuerius coercentur: & boni quietius viuunt inter malos. Tum quia talis princeps mundi esset maioris potẽtiæ & securioris ad malos fortius comprimendos, & bonos potentius defendendos: sine qua, vt pluribus, nec mali coercentur, nec boni sunt tuti. Tum quia pauciores essent, vt oppressores bonorum & fautores malorum. Tum quia si non esset vnus princeps mundi, sed plures superiorem non habẽtes, quam plurimi essent promptiores & audaciores ad sustinendum guerras & bella, quã si omnes vni principi obedirent. Vnde & videmus, vt sæpius periculosiores & crudeliores guerras inter reges & principes ac comites, qui vni principi obtemperare recusant: quam inter subditos, qui vni prin-

cipi seculari sunt parentes. Tempore autem guerrarum & bellorum insolescunt mali, & boni multipliciter turbantur. Igitur quod vnus sit rector & princeps mundi, qui super omnes mortales habet potestatem, orbi expedit vniuerso. Amplius, sicut spiritualia per sacerdotes, & viros ecclesiasticos ministrantur; & temporalia per principes seculares & laicos disponuntur, teste B. Petro, qui in ordinatione Clementis, vt habetur 11. qu. 1. c. *Sicut enim*, ait: *sicut enim impietatis crimen est tibi, ô Clemens, neglectis verbi Dei studiis sollicitudines seculares suscipere: Ita vnicuique laicorum crimen est, nisi inuicem sibi etiam studiis, quæ ad communem vsum vitæ pertinent, operam fideliter dederint.* Et idem eadem causa & q. c. *te quidem*, ait ad eundem Clementem: *neque enim iudicem, neque cognitorem secularium negociorum hodie te ordinare vult Christus, ne præfocatus præsentibus hominum curis non possis verbo Dei vacare. Hæc vero opera, quæ tibi minus congruere diximus, exhibeant sibi inuicem vacantes laici.* Quam doctrinam beati Petri, beatus Paulus confirmare videtur 1. ad Corinth. 6. *Secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Ex quibus verbis innuere videtur, quod per *contemptibiles in ecclesia*, qui laici vocantur, secularia negocia sunt tractanda: quemadmodum spiritualia sunt per clericos disponenda. Hanc doctrinam Apostolicam sancti Patres doctores in suis scriptis postmodum tenuerunt. Nicolaus etiam Papa, vt legitur in decretis *dist 96. cap. cum ad verum*, ait: *cum ad verum ventum est, vltra sibi nec Imperator iura Pontificatus accipiat, nec Pontifex nomen Imperatoris vsurpet. Quoniam idem mediator Dei & hominum Christus Iesus actibus propriis & distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent: Et Pontifices pro successu temporalium rerum imperialibus legibus vterentur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & Deo militans minime se negociis corporalibus implicaret: ac vicissim non ille rebus diuinis præesse videretur, qui esset negociis secularibus implicatus.* Hanc eandem sententiam fere eisdem verbis ponit beatus Cyprianus, vt legitur *distinction. 4. cap. quoniam idem.* Prædicta etiam ponit Nicolaus Papa, vt habetur eadem distinction. cap. *Imperium*, cum ait: *Imperium vestrum suis publicæ rei quotidianis administrationibus debet esse contentum, non vsurpare quæ sacerdotibus Domini solummodo conueniunt.* Ex quibus & aliis quasi innumeris sanctorum assertionibus & sacris canonibus, qui habentur in decretis *distinction. decim. cap. certum, & cap. suscipitis, & distinction. 96. cap. denique, cap. duo sunt, & cap. si Imperator, & distinction. 88. cap. episcopus*, & aliis locis quampluribus legitur & colligitur, quod sicut spiritualia per clericos, ita sunt temporalia per laicos disponenda. Sed quamuis totus mundus esset ad fidem conuersus vniuersitati fidelium expediret vni summo Pontifici in spiritualibus obedire non solum inquantum spiritualia concernunt clericos, sed etiam inquantum concernunt laicos. Igitur vniuerso orbi expedit vni imperatori in temporalibus subesse, non solum inquantum temporalia concernunt laicos: sed etiam inquantum concernunt clericos & summum Pontificem, vni principi seculari subesse. Rursus, simile iudicium tenendum est de toto & de parte, in magnis & in paruis, *extra de appell. & 14. q. vlt. cap. vlt. & extr. de præ. cap. maioribus.* Sed cuilibet regno partiali, quod est pars mundi, expedit quod vni principi seculari sit subiectum: alioquin omnia regna mundi iniqua vel inutilia aut nociua essent habenda. Igitur similiter expedit, vt totus mundus vni seculari principi sit subiectus. Adhuc, omnes qui communicationem in temporalibus habent adinuicem aut habere possunt, vt quilibet posset inuenire pariter & nocere, non optime gubernantur, nisi vni summo principi quo ad temporalia sint subiecti. Tum quia omnes tales vnum populum constituunt, sed secundum Salomonem Prouerbiorum 2. *vbi non est gubernator, populus corruet*, ergo si in omnibus communionem habentibus non est gubernator, aut præpositus, de eorum ruina & dispendio probabiliter est timendum. Dicens enim Salomon: *vbi non est gubernator*, non, vbi non sunt gubernatores, *populus corruet*, insinuare videtur, quod nullus populus vnus quantumcunque magnus poterit absque vno gubernatore consistere. Tum quia vt omnes communicationem adinuicem habentes vni ouili & vni gregi comparantur, vbi autem est vnum ouile & vnus grex, debet esse vnus pastor, ipsa etiam veritate testante, quæ ait Iohan. decim. *fiet vnum ouile & vnus pastor*, eadem etiam veritate testante, quæ ait Matthæi vigesim. sext. *percutiam pastorem & dispergentur oues gregis*, dicens autem, *pastorem*, & non pastores, videtur innuere, quod vnus grex seu ouile vnum pastorem principalem, non plus debent habere. Tum quia omnes, qui communicationem adinuicem habent, vel habere possunt, vnam ciuitatem, vnum collegium, vnam gentem, vnum regnum efficiunt vel efficere possunt, & nisi efficiunt vnum, sunt nullatenus ordinati, sed monstruosum est corpus & ciuitas & collegium, & gens atque regnũ, quod nulla vel plura capita habet. Quare omnes, qui communionem habere possunt adinuicem in temporalibus, vni principi seculari debent esse subiecti, nec poterit aliter optime gubernari. Sed omnes mortales, quocunque spacio terrarum distantes adinuicem possunt habere communionem, ita vt vnum populum, vnum ouile, vnum gregem, vnum corpus, vnam ciuitatem, vnum collegium, vnam gentem, vnum regnum efficiant vel efficere valeant, nisi eos disiungat malitia. Hinc Apostolus ad Roman. duodecim. *vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*, manifeste insinuans, quod sicut omnes mortales non solum fideles, sed infideles, abrenunciando diabolo per fidem & amorem, debent Christo firmius adhærere: Ita omnes si bene fuerint ordinati, corpus vnum esse debent. Etiam Salomon Prouerbiorum decimo ait: *frater qui iuuatur à fratre, quasi ciuitas firma*, innuens, quod sicut omnes mundi mortales sunt fratres, ita nisi malitia obuiet, debet vnam efficere ciuitatem. Hinc Sapient. sexto. Sapiens increpans reges iniquos ait: *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & scrutabitur cogitationes: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod quamuis

nis propter peccata malorum multi sunt reges à Domino constituti. Qui etiam, vt habetur Iohan. 34. *propter peccata ipse regnare fecit hypocritam:* tamen totus mundus vnum regnum est. Quare quo ad temporalia, vnum principem secularem debet habere. Item, illud regnum est optimum, per quod potissime & perfectissime, quantum est possibile pro præsenti vita, discordia ab vniuersitate fidelium remouetur, & tollitur, per quod concordia & iustitia præcipue conseruantur. Sed si vniuersitas fidelium vni principi seculari fuerit subiecta, efficacius tolletur inter mortales discordia, quam si plures fuerint principes vnum superiorem non habentes. Tum quia vbi pluralitas, ibi discordia. Tum quia sicut vnum regnum speciale per discordiam contra se diuisum desolabitur, teste veritate ipsa *Luca 11.* ita si vniuersitas mortalium habendo plures principes nequaquam vni subiectos fuerit per discordiam contra se diuisa, desolationem incurret, igitur expedit vniuersitati mortalium vni principi seculari obedire. Item, illud regimen est vniuersitati mortalium expediens, per quod iurgia & litigia (ad quæ prona est natura mortalium) æquius & conuenientius deciduntur. Sed conuenientius iurgia & litigia inter litigantes, si vnum habuerint iudicem, vel dominum, aut principem, deciduntur, quam si habuerint plures qui vni minime sint subiecti. Si enim litigantes, quorum vnus alteri damnum vel nocumentum intulit, aut ius suum pluribus regibus vel principibus superiorem non habentibus sint subiecti, facilius poterit periclitari iustitia, nec apparet sub quo iudice tutum sit vtrique parti litigare, quia aut offensus litigabit sub Domino proprio, vel iudice per Dominum proprium constituto; aut litigabit sub rege proprio offendentis, vel iudice per illum deputato. Si offensus litigat coram Domino seu rege proprio vel iudice constituto per ipsum: ille merito poterit esse suspectus offendenti, *extra de officio iudicis dele. c. tamen quæ & insinuante. Periculosum est sub suspecto iudice litigare*, vnde quodammodo naturale est suspectorum iudicium insidias declinare, *3. q. 5. quia suspecti.* Igitur non est tutum vtrique parti litigare sub rege seu Domino offensi, seu iudice constituto per ipsum, nec est etiam tutum vtrique parti litigare sub rege vel Domino offendentis, vel iudice constituto per ipsum: quia ille poterit esse suspectus offenso per iura prædicta, & ita litigantes si habuerint plures Dominos superiorem non habentes, de facili poterit periclitari iustitia. Quare vniuersitati mortalium expedit vnum principem summum habere, ad quem tanquam ad communem iudicem possint quicunque litigantes recursum habere, in quo per dominium tam offenso quam offendenti suspitionem non irrationabiliter amouebit. Præterea, illud regimen seu dominium est expediens vniuersitati mortalium, per quod non solum inferiores, sed etiam superiores si deliquerint, iuste poterunt castigari.

Aliter enim pax societatis humanæ (quæ tam dulcis est, vt propter ipsam etiam bella gerantur, secundum Augustin. vt habetur *23. quæst. 1. c. noli*) non poterit conseruari, nec iustitia (quam colere est summum bonum in rebus, secundum Gregor. vt habetur *12. q. 2. cap. cum deuotissimam*) tenebitur, nisi quantum possibile est caueatur ne superiores delinquere valeant insolenter, vt ex verbis Innocentii 3. quæ ponuntur *extra de accusatione, qualiter & quando*, potest colligi, vt videtur. Si enim fuerint multi reges seu principes in diuersis mundi partibus superiorem non habentes, libere & impune pacem & iura minorum perturbare valebunt. Sed si omnes reges fuerint imperatori subiecti, non solum inferiores, sed etiam superiores, si deliquerint, poterunt legitime castigari. Igitur toti mundo est expediens, vt vnus imperator regibus & principibus præsideat vniuersis, & super vniuersitatem mortalium iurisdictionem habeat coactiuam. Amplius, inter omnes mortales debet esse connexio, vt quilibet respectu alterius sit inferior vel superior, aut ambo inferiores respectu eiusdem, vt inter omnes vera fiat concordia, & quilibet cuilibet reuerentiam vel dilectionem impendat, & hoc colligitur ex auctoritate Gregor. & Bonifacii papæ, quæ ponitur *distinct. 89. cap. ad hoc*, vbi sic loquitur: *Ad hoc dispensationis prouisio gradus diuersos & ordines constituit esse distinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret & ex diuersitate connexio, & recte officiorum gereretur administratio singulorum, neque enim vniuersitas alia poterat ratione subsistere*, sed talis non est inter cunctos mortales connexio, nisi vnus præsideat omnibus aliis, igitur expedit vniuersitati mortalium, vt mundus per vnum principem gubernetur. Rursus, illud regimen, quod Deus inter mortales propter peccatum multitudinis non promittit, sed aufert, est melius illo, quod Deus propter peccata multitudinis punienda introducit. Sed quod supra vniuersitatem mortalium non dominetur vnus, sed multi, ordinat Deus propter peccata mortalium punienda, teste Salomone, qui Prouerbior. 28. Ait: *propter peccata terra multi principes eius.* Igitur similiter vniuersitati mortalium expediret, quod omnes essent subiecti vni. Item, si non expedit vniuersitatem mortalium vni imperatori subesse: Aut hoc est propter insufficientiam humanam, quia nullus poterit sufficiens reperiri pro orbe vniuerso regendo: aut propter nimiam potentiam temporalem vnius Domini totius, qua posset secundum libitum in subiectos debacchare. Sed insufficientia nō impedit: sicut insufficientia humana non impedit, quin vnus debeat etiā si vniuersitas mortalium conuersa esset ad fidem, toti mundo in spiritualibus præsidere. Nec nimia potentia impedit: qa proportionabiliter ita potest totus mundus resistere crudelitati vnius imperatoris totius orbis, sicut potest vnum regnum partiale resistere regi. Nec posset maiorem habere potestatem imperator totius mundi super totum mundum, quam vnus rex super vnum regnum partiale. Sed potentia regis non impedit, quin vnus rex debeat

præesse vni regno. Igitur nec potentia imperatoris impedire debeat vniuerso orbi præesse. Præterea, si non expediat vniuerso orbi vnum imperatorem præesse, non est iustum, vt vnus omnibus dominetur, si autem non est iustum nec expediens, est iniquum vnum omnibus aliis dominari, sed nō est iniquum: quia esset contra ius, aut igitur contra ius naturale, aut contra ius positiuum, sed non contra ius naturale: quia tunc semper fuisset iniquum, & ita nunquam fuisset quis verus imperator mundi, quia imperium vsurpatum contra ius naturale non esset verum imperium. Nec etiā contra ius positiuum: quia ius positiuum, quo cauetur, ne aliquis sit imperator totius mundi, non posset institui, nisi ab vniuersitate mortalium. Sed vniuersitas mortalium hoc nunquam instituit, sed magis contrarium. Igitur non est iniquum, vnum super vniuersum orbem habere imperium, quare expediens est censendum.

Cap. II.

In quo ponitur secunda opinio contraria primæ capitulo præcedenti recitatæ, & motiua eiusdem, quæ sunt sex in numero, ad quæ respondetur infra capit. 11.

Discipul. Puto quod pro assertione prædicta fortiora recitasti motiua, quæ copiam librorum habentes poterunt maiorum sententiis multipliciter communire, idcirco circa interrogationem meam, aliam opinionem enarra. *Magist.* Alia opinio est contraria, quod non expedit mundo, vt vniuersitas mortalium vni imperatori seu principi seculari sit subiecta. *Discip.* Istius opinionis motiua scire desidero. *Magister.* Pro ista opinione potest multipliciter allegari. Primo: nam illud, cuius contrarium est à Deo ordinatum, non est mundo expediens, omne enim contrarium ordinationi diuinæ perniciosum est & malitiosum & non expediens est censendum. Sed diuisio regnorum ita vt diuersis regibus non habentibus superiorem subsint, non est à Deo vetitum, sed ordinatum, vt patet *3. Reg. 12. & 13.* Dominus voluit filios Israel duos reges habere quorum neuter esset alteri subiectus, & qui superiorem regem non haberent. Igitur vnum principem secularem cunctis mortalibus dominari non est expediens iudicandum. Amplius, idem iuris est in magnis & in paruis, & in toto & in parte, sicut per plures sacros Canones superius est ostensum. Sed quemcunq; regem seu principem secularem parti mortalium etiam illis, qui iustissimis vtuntur legibus, præsidere non est expediens, illud enim quod displicet Deo, non est expediens, sed solum Israeliticum, qui erat pars mortalium & iustissimis vtebatur legibus, quia Dominicis, esse subiectum regi vel principi seculari displicebat Deo, ita vt diceret ad Samuelem, vt habetur *1. Reg. 8.* quando populus prædictus regem petebat: *audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi, non enim te abiecerunt, sed me, ne regem super eos.* Igitur multo magis vnum principem secularem regnare super vniuersum orbem (etiam si conuersus esset totus ad fidem) non est expediens, Adhuc, illud regimen est magis expediens vniuersitati mortalium in statu culpæ, quod magis assimilatur regimini, quod fuisset, si homines in statu innocentiæ permansissent (quia illud quod magis assimilatur meliori, est magis expediens.) Sed si homines in statu innocentiæ permansissent, vnus non fuisset imperator omnium aliorum. Igitur in statu culpæ non est expediens, vt vnus omnibus aliis dominetur.

Rursus, quod iuri gentium obuiat & repugnat, non est expediens reputandum, cum ius gentium sequatur naturale, quia, vt habetur *dist. 1.* ius gentium est idem apud omnes gētes, quale est solummodo ius naturale, cui nulla valet consuetudo aut multitudo vel ius positiuū quomodolibet derogare, *extra de consuetu. cum tanto*, sed vniuersitatem mortalium vni principi seu imperatori subesse iuri gentium obuiat & repugnat. Cum quia bella & captiuitates sunt iura gentium seu de iure gentium, *dist. 1. ius gentium*, quæ cessarent, si vnus imperator vniuersitati mortalium imperaret. Tum quia de iure gentium connubia inter alienigenas prohibentur, *eadem dist. & ca.* quod non potest intelligi de quibuscunq; aliegenis, quia tunc essent connubia inter quoscunque diuersarum prouinciarum prohibita, igitur intelligitur de alienigenis, quæ nullam communionem dicuntur habere adinuicem, quales non sunt quicunque, qui sunt vni imperatori vel Domino subiecti. Omnes enim qui vni Domino subiecti possunt & in multis casibus debent habere communionem adinuicem se mutuo adinuicem adiuuando & inuicem defendendo. Igitur non est expediens neque æquum, vniuersitatem mortalium vni imperatori seu principi obedire. Item, illi non debent vni principi vel imperatori obedire, qui nec vnum iugum ducere debent, nec inter se communionem habere tenentur, nec licite ad eundem iudicem pro iudicio etiam sustinendo recurrunt. Mortalium autem quidam sunt fideles, sed fideles cum infidelibus non debent idem iugum ducere, Apostolo prohibente 2. ad Corinth. 6. cum ait: *nolite iugum ducere cum infidelibus*, nec debent societatem cum eis vel communionem habere pacificam, Domino attestante, qui dicit Matthæi 10. *Nolite arbitrari quod venerim mittere pacem in terram: non veni pacem mittere sed gladium* &c. Deuternomii 7. præcipitur expresse fidelibus, vt infideles percutiant vsque ad interemptionem, nec ineant cum eis fœdus, nec misceantur vxoribus eorum. Quod etiam docet Apostolus 2. Corinth. 6. dicens: *Quæ enim participatio iustitia cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Quibus concorditer dicit Sapiens Ecclesiastic. 13. *Quæ communicatio sancti ho-*

bo homini ad canem? nec etiam debent fideles ad iudicem infidelium pro iudicio recurrere, testante Apostolo, qui, vt habetur *prima ad Corinth 6.* fideles, qui coram infidelibus litigant, acriter reprehendit, dicens: *Ad verecundiam vestram dico sic, non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum, sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles.* Ex quibus verbis colligitur, quod fideles ab infidelibus, quantum ad litigationem in iudicio, & quantum ad omnem pacificam cõmunionem & participationem, debent penitus separari. Igitur vni imperatori seu principi seculari non debet vniuersitas mortalium esse subiecta. Præterea: Ille non debet vniuersitati mortalium præsidere, qui eorum non potest debite gerere curam, sed nullus potest debite gerere curam vniuersitatis mortalium: cum quilibet sit insufficiens ex se vnius parui regni curam habere, testante Salomone, qui, vt legitur *2. Paralip. primo*, loquens ad Deum ait: *quis enim potest hunc populum tuum, qui tam grandis est, iudicare?* quasi diceret, nullus, igitur multo fortius nemo potest digne vniuersitatem mortalium iudicare.

CAP. III.

Recitat opinionem tertiam circa quæsitum capitulo primo, & probatur vnica ratione, ad quam respondetur capitulo 12. huius.

DIscip. Aliam recita opinionem circa interrogationem prædictam. *Magister.* Alia est opinio circa hanc: quod expediret vnum principem non secularem, sed ecclesiasticum vniuersitati mortalium præsidere. *Discipulus.* Pro ista opinione possumus inuenire multa in tractatu *de potestate papæ & cleri*, ideo pauca pro eius confirmatione adducas. *Mag.* Pro ista opinione potest taliter allegari. Inter cæteras excellentias, quibus debet princeps, & qui in temporalibus præsidet, subditos superare, sapientia videtur esse præcipua. Vnde & Salomon, qui sapientiam postulauit à Deo, vt digne posset regere populum Dei in temporalibus, à Deo legitur manifeste commendatus, cum dixit sibi Dominus 2. Paral. primo: *quia hoc magis complacuit cordi tuo, & non postulasti diuitias & substantiam & gloriam, neque animas eorum, qui te oderunt, sed nec dies vitæ plurimos, petisti autem scientiam & sapientiam, vt iudicare possis populum meum, super quem te constitui regem, sapientia & scientia data sunt, diuitias autem & substantium & gloriam dabo tibi.* Et idem Salomon Prouerbiorum primo dicit: *intelligens possidebit gubernacula.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod principi præcipue est necessaria prudentia & sapientia, sed magis sapientia requiritur in viris ecclesiasticis, quam in secularibus, igitur non secularis princeps, sed ecclesiasticus dignus est toti mundo præesse.

Disc. Ista ratio non videtur mihi procedere: quia qui aliis præest in temporalibus, debet alios præcedere in sapientia mundana & peritia negotiorum secularium: non autem sapientia alia. Sed seculares præcedunt in sapientia mundana: licet ecclesiastici præcellant in sapientia diuina. Ergo qui præsidet in temporalibus, debet esse secularis, & non ecclesiasticus: laicus, & non clericus. *Magister.* Istam improbationem quidam nituntur improbare, quia ex scripturis diuinis colligitur, quod qui præest aliis in temporalibus, non solum in sapientia mundana, sed etiam in sapientia diuina & lege Dei debet esse peritior: eo quod rex, qui in temporalibus præest, debet in lege Dei assidue meditari, dicente Deo, qui loquens de rege Deut. 17. ait: *Postquam autem sederit in solio regni sui, describat sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ.* Iosue autem, qui in temporalibus præsidebat, præcepit Dominus dicens: *non recedat volumen legis huius de ore tuo, sed meditare in eo diebus ac noctibus, vt custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo.* Ex quibus colligitur, quod in temporalibus præsidens non solum in sapientia mundana & secularium negotiorum peritia, sed etiam in sapientia diuina debet alios superare.

CAP. IV.

Ponit opinionem quartam, quam probat vnica ratione, ad quam respondetur infra capitulo tertiodecimo.

DIscipulus. Adhuc circa interrogationem meam, aliam opinionem audire desidero. *Magister.* Sunt quidam dicentes, quod non est expediens vnum principem secularem neque ecclesiasticum vniuersitati mortalium præsidere: nec etiam est expediens, quod plures seculares vel ecclesiastici superiorem non habentes in diuersis prouinciis aut regnis diuersis mortalibus dominentur, sed mundus optime regeretur, si plures simul mundi dominium obtinerent, quemadmodum in pluribus ciuitatibus vel communitatibus non vnus solus, sed plures regere dignoscuntur. *Discipul.* Pro ista opinione motiua adducas. *Magist.* Ista opinio videtur posse taliter fulciri. Illud idem regnum vel dominium est mundo vniuerso expediens, in quo pauciores errores accidunt & peccata: quia per tale dominium vel regimen iustitia, pax & concordia omnium procuratur, & etiam conseruatur. Sed si plures sapientes & virtuosi dominarentur vniuersitati mortalium, pauciores errores fierent, & peccata in regendo, quam si vnus solus omnes alios gubernaret: quia sicut veritas iustitiæ, quæ à multis quæritur, facilius inuenitur *2. dist. de quibus*, ita multi difficilius errant, quam vnus solus. Huic Salo-

Salomon *Prouerbiorum 13. & 14.* assentit salutem esse, vbi multa sunt consilia. Hinc etiam *primi Machabeorum 8. ca.* post multas laudes Romanorum dicit, quod *quicunque audiebant nomen eorum, timebant eos. Quibus vero vellent auxilio esse, vt regnarent, regnabant, quos autem vellent, regno deturbabant, exaltati sunt valde. Et in omnibus istis nemo portabat diadema, nec induebatur purpura, vt magnificaretur in ea. Et quia curiam fecerunt sibi, & quotidie consulebant trecentos viginti consilium agentes semper de multitudine, vt quæ digna sunt gerant. Et committunt vni homini magistratum suum per singulos annos dominari vniuersa terra: & omnes obediunt vni, & non est inuidia neque zelus inter eos* &c. Ex quibus verbis manifeste habetur, quod Romani in hoc laudabantur, quod nulli supra se regalem dignitatem nec diadema committebant: licet vnum per singulos annos ordinabant, qui auctoritate non propria, sed sibi à senatu commissa, vniuersæ terræ Romanis subiectæ dominabatur. Igitur magis expedit vniuersitati mortalium plures simul præsidere omnibus, quam vnum solum.

CAP. V.

Ponit quintam opinionem quodammodo mediam inter alias, quam probat tribus rationibus.

DIscipulus. Si est alia opinio circa interrogationem meam enarra. *Magist.* Alia opinio est, quod secundum diuersitatem qualitatem & necessitatem temporum expedit regimina & dominia mortalium variari: ita quod aliquando sit expediens vnum principem secularem vel ecclesiasticum præesse mortalibus vniuersis: interdum expedit plures simul seculares vel ecclesiasticos omnes alios gubernare. Nonnunquam vero sit vtile plures principes superiorem non habentes diuersis mundi partibus præsidere. *Discipulus.* Istam assertionem nitaris aliquibus allegationibus communire. *Magist.* Istam assertionem pluribus modis posse fulciri videtur. Nam sicut leges pro communi vtilitate debent institui, *distinct. 4. erit autem*: sic principes, rectores & Domini, tam seculares quam ecclesiastici, pro communi vtilitate præ cæteris sunt præponendi, quam etiam ipsi magis, quam propriam procurare tenentur. Si enim vtilitati communi propriam præposuerint, non rectores seu principes vel Domini, sed tanquam tyranni sunt censendi, vtilitas autem communis per vnum principem aliquando secularem vel ecclesiasticum, qui vniuersis dominaretur, videtur melius procurari, quam per plures non habentes superiorem, siue simul regentes, siue in diuersis prouinciis residentes, eo quod interdum multitudo mortalium sæpe minus sustineret dominium vnius principis secularis vel ecclesiastici, quia sapientia, iustitia & aliis virtutibus (quæ requiruntur in principe) præfulgenti quam multorum, nonnunquam autem magna multitudo mortalium nullatenus sustineret dominium vnius, sed voluntarie se subderet dominio multorum, vel simul regentium vel diuersarum prouinciarum curam gerentium, & per consequens tunc per plures melius procuraretur communis vtilitas, quam per vnum solum. Quare pro diuersitate & necessitate temporum expedit vnum vel plures mortalibus dominari. Amplius, illo modo regitur optime vniuersitas mortalium, qui magis assimilatur illo modo regendi, quo Deus disposuit populum Israeliticum regi sibi per veram fidem subiectum. Sed Deus disposuit populum Israeliticum sibi subiectum aliquando regi per vnum principem secularem, Dauid enim & Salomon super totum populum Dei regnauerunt. Interdum per vnum principem sacerdotem. Hely enim sacerdos totum populum Israeliticum iudicauit, nonnunquam per plures reges, quorum nullus esset alteri subiectus. Roboam enim & Ierobeam super populum Israeliticum in diuersis regionibus regnauerunt. Igitur secundum diuersitatem & necessitatem temporum est expediens, vt vniuersitas mortalium vni vel pluribus principibus siue rectoribus sit subiecta. Rursus, ille modus regendi vniuersitatem mortalium, qui aliquando fuit licitus & iustus, est expediens reputandus, quia omne iustum & licitum est iudicandum expediens. Sed aliquando mundus licite & iuste regimini vnius principis, interdum regimini plurium subdebatur. Igitur adhuc talis modus varius regendi vniuersitatem mortalium, secundum diuersitatem ac qualitatem & necessitatem temporum, est expediens æstimandus.

CAP. VI.

In quo respondetur ad primam rationem capituli primi.

DIscipulus. Ista opinio cum aliis opinionibus contrariis, quantum ad aliqua, concordare dignoscitur, à quibusdam etiam in multis discrepare videtur, vel forte à qrima secundum intellectum aliquorum in nullo discordat, licet quantum ad verba ei obuiare videatur, proinde siue omnino sit eadem cum prima opinione intellecta (vt quidam eam intelligunt) siue in aliquo repugnet: cupio scire, qualiter tenentes istam opinionem vltimam respondere nituntur ad allegationes adductas pro aliis opinionibus, in quantum sunt vel videntur contra istam. Primam itaque allegationem pro prima opinione, quæ in hoc consistit, quod si vnus princeps secularis dominaretur cunctis prouinciis, & mali securius artarentur, & boni quietius viuerent, pertractemus. Dic igitur quomodo respondetur ad eam. *Magister.* Respondetur, quod quamuis regula-

gulare sit & vt frequentius accidit, quod vno principe seculari dominante cunctis, & mali districtius coercentur, & boni quietius viuunt inter malos: hoc tamen in casibus specialibus fallit. *Discipul.* Explica igitur aliquos casus (paucos tamen) in quibus dicunt hoc fallere, quia forte explicatis paucis potero alios cogitare per memetipsum. *Magister.* Vnus casus est, in quo dicunt sub vno principe mundi nec malos strictius coerceri, nec bonos quietius viuere, & est, quando aliqua multitudo ex malitia recusantium obedire vni est tam magna & tam fortis, quod seditiones & guerras periculosas in notabile dispendium reipublicæ & bonorum contra mundi monarchiam concitare præsumerent, à quibus cessarent, si diuersi principes seculares superiorem non habentes diuersas mundi prouincias gubernarent.

Discipulus. Vt expressius atque manifestius hunc casum intelligam; velim vt eius aliqua exempla inducas. *Magist.* Quamuis res manifesta probatione non egeat: tamen vt votis tuis satisfaciam, vnum exemplum ex *gestis Romanorum* adducam de Iulio Cæsare, qui quia Romanum imperium, quod prius in potestate Senatus & Consulum erat, solus occupare voluit, innumeræ consecutæ sunt seditiones, factiones, & strages. Nam tota vrbs Romana in bella intestina & ciuilia scissa est, itaque tot cædes exortæ sunt, quod vix superessent coloni, qui agros colerent, vnde etiam plurimi quam optimi ciues & reipublicæ defensores crudeli morte interempti sunt: mali autem ad insolentiam & intolerabilem superbiam prouecti, vnde necesse fuit Romanum imperium, quod multorum, vtpote totius Senatus consilio & prouidentia in immensum excreuit, ad vnius dominium redactum paulatim decrescere. Item in aliis factionibus & bellis ciuilibus tam Romanis, quam aliis manifeste videtur, quomodo dum vnus multis potentibus prædominari vult, maximam sæpe concitat reipublicæ perturbationem, & bonorum exilia, aut occisionem. Quapropter in casu, quo multi nollent sufferre dominationem vnius, expediret reipublicæ plures diuersis concorditer præesse. *Discipul.* Videor mihi nunc casum hunc intelligere. Nam sæpe id contigisse & quotidie contingere posse non ambigo, ideo paucis adhuc vnum casum mihi recita. *Magister.* Alius casus est: quando princeps totius mundi per potentiam temporalem crudelitate tyrannica sæuiret contra bonos viros reipublicæ amatores & malos sibi in tyrannide sua fauentes & auxiliantes promoueret, veluti de multis tyrannis in historiis legere possumus, vt de Nerone Romanorum imperatore crudelissimo, qui parricidia in vxores, affines & necessarios suos complura commisit, tantaque mala perpetrauit, quod cætera regna ad rebellionem inuitauit, & tandem hostis à Senatu iudicatus in seipsum quoque manus conuertit, & suiipsius carnifex fuit. Similiter satis manifestum est, quantum perniciosus bonis viris Imperator extitit Domitianus: qui nisi solus imperium obtinuisset, tantam necem bonis ciuibus & optimis inter nobiles inferre non potuisset. Idem de aliis multis declarari posset. Sed hæc satis sint. In his duobus igitur casibus, sub vno principe mundi monarcha, insolescerent scilicet mali, & boni quamplurimum turbarentur, propter quod si mundus nec de iure nec de facto esset vni principi seculari subiectus: & ex assumptione alicuius ad monarchiam mundi, siue propter malitiam assumendi, probabiliter timeretur quod insolescerent mali, & boni turbarentur: non esset aliquis pro tempore illo ad totius mundi dominium assumendus. *Discipul.* Modum ponendi apud istos ex his, quæ nunc recitasti, magis aduerto, ex quibus etiam cognosco, quod omnes casus, in quibus isti dicunt malos insolescere posse & bonos turbari, sub vno totius mundi monarcha, ad duos præmissos modos, seu casus possunt reduci: quia secundum eos, vt æstimo, nunquam minus arcerentur mali, & boni minus quiete viuerent sub vno principe, quam sub pluribus, nisi propter periculosam rebellionem aut malitiam singularem alicuius multitudinis potentis & magnæ, volentis concitare periculosas guerras, vel propter malitiam vel ignorantiam, vel negligentiam principis, in quibus casibus secundum eos sic nunquam fuisset de iure aliquis princeps ad totius mundi dominium assumendus. Quamobrem noli explicare plures casus, in quibus secundum eos minus arcerentur mali, & minus quiete boni viuerent sub vno Domino totius mundi, quam sub pluribus. Sed cupio bene scire, an secundum eos non obstante malitia cuiuscunque multitudinis nolentium obedire vni: & non obstante, quod probabiliter apparet, quod nullus esset de illis, qui posset assumi ad mundi imperium, & qui vellet & sciret vti iuste & legitime huiusmodi dignitate: esset aliquis assumendus ad imperatoriam dignitatem seu maiestatem, postquam de iure aliquis fuisset Dominus totius mundi, per electionem vel per successionem. *Magister.* Si volueris, postea habebis occasionem quærendi, cum inuestigabimus, an Romanum imperium possit destrui seu cessare. *Discipulus.* Hoc non obstante, dic breuiter, quid ad hoc isti responderent. *Magister.* Quidam eorum dicunt, quod in prædictis casibus esset assumptio cuiuscunque ad mundi imperium differenda; quia nihil, quod est in rei publicæ detrimentum, est agendum: præsertim si ex ordinatione humana & non ex diuina lege, nec ex lege naturæ processit, & ideo quamdiu assumptio alicuius ad mundi imperium esset in detrimentum reipublicæ, siue propter malitiam subditorum, siue propter insufficientiam assumendi, non esset talis assumptio attentanda: quia quod prouisum est ad concordiam, non debet tendere ad noxam,

distinct. 95. licet.

Cap.

Cap. VII.

In quo respondetur ad tres probationes minoris primæ rationis capituli primi.

Discipul. Intelligo, quomodo isti dicunt malos posse insolescere, & bonos turbari: & magis sub vno principe omnium, quam sub pluribus, ideo dic quomodo ad probationes, quæ adducuntur in contrarium, respondetur. *Mag.* Ad primam, quæ in hoc consistit, quod si vnus esset princeps & Dominus vniuersitatis viuentium, ille esset potentior ad arcendum malos, & tenendum bonos. Respondetur, quod nonnunquam aliquis est Dominus totius mundi de iure, non de facto: quia multi sibi sunt rebelles; ideo potest accidere, quod Dominus & princeps totius mundi sit minoris potentiæ ad coercendum malos & tuendum bonos, quam multi, quibus nulli vel non tot rebellare nituntur. Ad secundam probationem & tertiam, quæ in hoc consistunt, quod si vniuersitas mortalium vni esset subiecta, pauciores essent oppressores bonorum, minusque essent homines proni ad guerras & ad bella: quam si essent plures superiorem non habentes in diuersis regionibus dominantes. Respondetur, quod hæc possent contingere & accidere, si vnus sapiens & iustus potenter de facto omnibus principaretur, sed non est necesse, quod semper ex vnius dominio de iure minuatur multitudo opprimentium bonos, & refrenetur audacia concitandi guerras & bella: quia vno de iure omnibus dominante tam ex singulari malitia alicuius magnæ multitudinis hominum iniquorum quærentium bonum proprium & non commune, quam ex malitia, ignorantia & negligentia vnius omnibus imperantis potest augeri tam multitudo opprimentium bonos, quam audacia concitandi guerras & bella, & modi alii turbandi bonos: à quibus quandoq; etiam cessarent plures non habentes superiorem præsidentem, possibile est etiam, quod inter paucos moleste ferentes aliquid eis propositum plures populos prouocarent, vna cum eis vt superiori rebellent, & bonos opprimant, guerras & bella faciendo, etiam potest euenire, vt simul vno existente Domino totius mundi stulto vel deside, aut contra bonos tyrannice sæuiente, mali sunt audaciores ad opprimendum bonos & concitandum guerras, quam si plures sapientes & iusti diuersis regionibus præsidentes essent. Quare contingere potest, quod magis insolescent mali, & minus quiete viuant boni, si vnus vniuersitati mortalium dominetur, quam si plures superiorem non habentes diuersas regerent regiones.

Cap. VIII.

In quo respondetur ad secundam rationem capituli primi.

Discip. Dic quomodo secundum istos valeat sustineri, quod non semper expediat vniuersitati mortalium vnum secularem præesse, non obstante quod sicut spiritualia per clericos, ita temporalia per laicos disponuntur, ex quo secunda allegatio *supra c. 1.* adducta nititur concludere, quod sicut vnus princeps ecclesiasticus præest omnibus aliis in spiritualibus: ita expedit vnum principem secularem in temporalibus omnibus præsidere. *Magister.* Ad hoc dupliciter respondetur, vno modo, quod non est omnino simile de præsidente in spiritualibus, & de præsidente in temporalibus: quia quod in spiritualibus vnus præsideat vniuersis fidelibus (etiam si totus mundus esset conuersus ad fidem) est immediate ex speciali ordinatione diuina & non humana, vt ex sacris canonibus, qui ponuntur in decretis *dist. 21. c. quamuis & dist. 22. c. omnes & c. sacrosancta*, & in aliis locis quamplurimis colligi potest, & ideo nisi Deus aliter ordinaret, & hoc fidelibus reuelaret, omnes fideles etiam (si vniuersi mortales suscepissent fidem) deberent vno summo pontifici in spiritualibus obedire: quia non est in potestate hominum diuinam ordinationem aliqualiter immutare. Sed quod vnus princeps secularis in temporalibus toti mundo præsideat, est ex ordinatione humana, quæ (quia non est de iure diuino, nec de iure naturæ) potest licite per homines mutari, quia omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem resoluitur, *extra de regulis iuris, omnis.* quamobrem antequam vnus princeps secularis cunctis mortalibus præsideret, poterant licite, qui volebant ex causa iusta & rationabili non consentire, quod aliquis assumeretur ad imperium totius mundi, quia quando libertati siue potestati siue iuri aliquorum detrahitur, omnium consensus est requirendus & habendus, *dist. 54. c. 1.* Ita similiter si ex causa aliqua vnum principem ad monarchiam mundi assumi esset in detrimentum notabile boni communis, non esset pro tunc ad imperium aliquis promouendus. Aliter poterit dici, quod quamuis Christus ordinauerit, quod omnes fideles debeant vni summo pontifici obedire: quia tamen ista ordinatio Christi fuit affirmatiua, & non negatiua, bene obligat ad semper, sed non pro semper, & sic non est necesse, quod omnes fideles omni tempore vni papæ obediant, cum etiam hoc non sit possibile, eo quod necesse est sedem illam sæpe vacare, & quamuis omnes fideles debeant esse semper parati pro loco & tempore & modo debito, summo pontifici obedire: electio tamen summi pontificis, quando sedes vacat, ex rationabili causa & manifesta potest deferri ad tempus, non solum paruum, sed etiam magnum: vt sic ex causa rationabili dilata huiusmodi electio per plures dies, aliquando per plures menses, nonnunquam vero per plures annos: (vnde aliquando sedes illa per sex annos vacabat) ita ex causa licita potest deferri ad centum annos vel ducentum vel plures, & consimiliter de assumendo ad mundi imperium potest dici. *Discipul.* Aduerto, quod ista vltima responsio, quantum ad aliqua, proportionabiliter dicit de assumendo ad summum

mum sacerdotium,& summum imperium promouendo : quia ita ex causa potest deferri sublimatio vnius,sicut alterius. Sed vellem scire, an sicut fideles non possunt statuere, quod nunquam aliquis in summum pontificem eligatur, ita mortales non valeant ordinare, quod nunquam aliquis ad mundi imperium exaltetur. *Magister*. Respondetur,quod nec possunt,nec vnquam licite potuerunt mortales statuere, quod nunquam aliquis ad mundi imperium sublimaretur : quia nihil statui licite potest in perpetuum duraturum : quod aduersatur illi, quod est regulariter expediens bono communi,licet in casu posset bono communi nocere. Sed vnum principem cunctis mortalibus præsidere,est regulariter expediens bono communi cunctorum mortalium : licet posset in casu nocere. Igitur absolute (quod nunquam aliquis ad imperium promoueatur) statui minime potest, licet cum aliquibus modificationibus aut specificationibus seu conditionibus hoc licite posset ordinari, quod ad tempus nullus promoueretur ad huiusmodi dignitatem.

CAP. IX.

Respondet tertiæ rationi primi capituli.

DIscip. Narra, quomodo regulariter,licet non in omni casu,sit expediens cunctos mortales vni principi seculari subesse,non obstante quod expediens sit cuilibet regno partiali habere vnum regem,cum idem sit habendum de toto & de parte iudicium,sicut idem iudicium est habendum in magnis & in paruis,super quibus ratio tertia fundatur supra pro prima opinione in *primo capitulo* recitata. *Magister*. Dupliciter respondetur, vno modo, quod non est semper consimile iudicium habendum de toto & de parte,sicut nec semper idem iuris est in magnis & in paruis: quia sæpe quantitas rei diuersitatem iuris inducit,*extr. de symonia,& si quæstiones,& 12.q.2.c.bona rei & 1.q.1.iudices*. Deinde nonnunquam magna nocent,& non parua,nam & modicũ quod nocet,non nocet,vt notatur in Glossa *prologi decretalium*, & *extra de rubricis,si propositione*, sed quando est eadem ratio de toto & de parte,& de magnis & de paruis,tunc simile iudicium de eis est habendum : & idem ius est in eis,quia vbi est eadem ratio,ibi debet esse idem ius,*extra de constitutionibus,translato*, nunc autem non est semper eadem ratio de toto mundo & de vno regno particulari : quia, sicut insinuatum est superius, potest contingere propter singularem & insolitam iniquitatem alicuius multitudinis præpotentis, vel insufficientiam assumendi,quod vnum præficere omnibus erit in detrimentum boni communis: & vnum præficere vni regno particulari erit ad vtilitatem incolarum eiusdem regni,& ideo in tali casu non est semper similiter iudicandum de toto mundo,& de vno regno partiali. Aliter dicitur, quod etiam sæpe non expedit, quod vni regno vnus rex præficiatur,imo sicut quandoque diuersi episcopatus sunt vniendi *16.q.1.& temporis qualitas*,sic expediret interdum reipublicæ diuersa regna vniri, & vnum super plura regna regnare, & quando non esset vnus princeps mundi, quanto plura regna vnirentur,tanto vtilius regerentur,si aliquis iustus ipsa ad vtilitatem communem, non ad propriam gubernaret.

CAP. X.

In quo datur responsio generalis ad omnes rationes residuas capituli primi, scilicet 4. vsq; ad finem capituli, & hoc applicando solutionem singulis.

DIscipulus. Prolixe tractare residuas rationes pro prima opinione *supra 1. c.* allegatas fastidium forte legentibus generaret,ideo si ad ipsas vna posset dari responsio, libenter audirem. *Magist*. Nonnullis apparet,quod ratione vnica dissoluuntur,eo quod omnes cõcludunt regulare esse,quod esset expediens totum mundum vni principi seculari subesse,quod tamen fallit in casibus, de quibus casibus istæ rationes non concludunt. *Discipulus*. Ista responsio mihi nimis generalis esse videtur, ideo nullo modo rationalis apparebit,nisi ad rationes illas applicetur specialiter, illam igitur breuiter ad omnes alias nitere applicare. *Magist*. Quarta ratio *supra c.1.* adducta, quæ fundatur in hoc, quod cum omnes vniuersi mortales,qui possunt communionem in temporalibus habere adinuicem,non optime gubernabuntur, nisi vni principi seculari sint subiecti, & ideo expedit omnia vni imperio subiacere.Sed per hoc nequaquam concludi videtur,quod omnes volentes communionem adinuicem habere non optime gubernabuntur,nisi vni principi seculari sint subiecti, ideo in casu non expedit omnes vni imperio subiacere , quare in casu optimus modus gubernandi mortales propter iram impeditur,& ideo interdum propter singularem malitiam subditorum vel propinquitatis , aut insufficientiam ad imperium assumendi,vniuersitas mortalium optime gubernari non valet, ideo in aliquibus casibus melius est relicto optimo regimine,eo quod haberi non potest,diuersas prouincias diuersis principibus subiacere,quam in multorum perniciem vnum principem sibi mundi dominium vendicare,& eligentibus illis,qui si communitas mortalium esset bene disposita, & de iure & de facto dignum & idoneum ad mundi imperium promouere deberent. Quinta vero ratio, quæ in hoc consistit, quod si vniuersitas mortalium vni fuerit principi seculari subiecta efficacius tolletur inter mortales discordia,quam si fuerint plures principes superiorem non habentes, ad hoc elicitur, quod quamuis regulare sit efficacius tolli discordias per principatum vnius,quam per plures,hoc tamen fallit in casibus,de quibus dictum est prius. Sexta ratio,quæ ex hoc virtutem habere videtur, ꝙ iurgia & litigia æquius deciduntur,si omnes mortales habeant vnũ iudicem supremum,quam si fuerint

Eeee

rint plures iudices supremum non habentes. Euacuatur per hoc, quod hoc habet regularem veritatem, quando omnes obedirent vni, & de iure & de facto, fallit tamen in casibus, de quibus sæpe facta est mentio superius. Ad septimam rationem, quæ fundatur in hoc, quod si vniuersitas mortalium esset vni subiecta, non solum inferiores, sed etiam superiores, etiam reges, si delinquerent, poterunt legitime castigari, quod non contingeret, si essent plures principes superiorem non habentes. Respondetur, quod regulariter verum est, quando nulla multitudo potenter rebellaret contra principem mundi, qui potenter & iuste regnaret, fallit tamen, quando Dominus mundi de iure taliter non regnat. Octaua ratio, quæ fundatur in hoc, quod inter vniuersos mortales talis debet esse connexio, qualis esset respectu alterius, si sit superior vel inferior, vt colligitur ex auctoritate Gregor. & Bonifacii papæ. Per hoc dissoluitur, quod absque tali connexione cunctorum mortalium vniuersitas non est optimo regimine gubernata, & ideo inter mortales talis debet esse connexio, & per consequens omnes mortales (si optime, quantum permittit conditio mortalium, essent dispositi) vni principi deberent esse subiecti, sed quia talis connexio per malitiam impeditur: ideo potest in casu contingere, quod etiam talis connexio cunctorum mortalium, etiam de iure non existat. Nona ratio, quæ consistit in hoc, quod plures principes dominari mortalibus ordinauit Deus propter peccata hominum punienda, & per consequens tale dominium plurium principum non est optimum. Bene concludit, quod dominium vnius principis super totum mundum est melius plurium principum dominio superiorem non habentium: quod quandoque propter indignitatem hominum & iusto Dei iudicio tale dominium de facto haberi non potest, ideo in casu expediens est, quod etiam de iure & ad tempus cesset tale dominium, vt nullus de facto ad tale dominium subleuetur. Decima ratio, quæ consistit in hoc, quod si non expedit vniuersitati mortalium vni imperatori subesse, aut hoc propter influentiam hominum, aut propter nimiam potentiam temporalem talis imperatoris ex insufficienti diuisione procedit: quia propter neutrum illorum accideret, vel propter insolitam & singularem malitiam subditorum, vel quia pro aliquo tempore determinato non constat, quod possit inueniri aliquis idoneus ad huiusmodi dignitatem. Ad vndecimam rationem, quæ consistit in hoc, quod si non semper est expediens vnum imperatorem cunctis mortalibus dominari, hoc esset contra ius naturale, aut contra positiuum. Respondetur, quod cum ius naturale sit naturale præceptum, sicut colligi potest ex Glossa quæ ponitur *distinct. 1. ius naturale:* sicut naturalis præcepti est differentia duplex, ita iuris naturalis differentia duplex potest inueniri. Præceptum autem naturale quoddam est absolutum absque omni conditione, modificatione seu determinatione, sicut: *Nõ coles Deum alienum, Non mœchaberis*, & huiusmodi. Quoddam autem non est absolutum, sed cum aliqua conditione, modificatione vel specificatione seu declaratione, sicut *vti alieno inuito Domino. Si fueris in extrema necessitate constitutus, abscinde vnum membrorum tuorum, pro sanitate corporis conseruanda*, & consimilia. Sic est duplex ius naturale: quoddam absolutum, & quoddam cum aliqua modificatione vel specificatione, & huiusmodi. Contra ius naturale primo modo dictum, non oportet vnum imperatorem cunctis mortalibus præsidere: quia tunc in nullo casu vnquam posset imperator aliquis vniuersis mortalibus præsidere, sed vnum imperatorem cunctis mortalibus præsidere potest esse contra ius naturale secundo modo dictum, quia ratio naturalis dictat, quod non debet vnus imperator dominari cunctis mortalibus, quando huiusmodi dominium esset in detrimentum & perniciem reipublicæ & boni communis. Ita etiam huiusmodi dominium regulariter esset iustum & expediens & consonum rationi & iuri naturali, sed in casu potest esse iniquum & iuri naturali secundo modo dicto contrarium.

Cap. XI.

In quo respondetur ad rationes capituli secundi huius.

Discipulus. Audiui, quomodo respondetur ad rationes, quibus videtur posse probari, quod semper & in omni casu sit expediens, vnum principem secularem cunctis mortalibus præsidere vel dominari, in temporalibus, nunc audire desidero, quomodo soluuntur rationes *supra 2. c.* adductæ, quibus videtur posse probari seu ostendi, quod nunquam expediat vniuersitati mortalium in temporalibus vni principi seculari subesse. *Magister.* Ad primam rationem, quæ in hoc consistit, quod diuisio regnorum à Deo, qui optime omnia regit & disponit &c. respondetur, quod Deus aliqua fecit propter peccata malorum plectenda, & illa expediunt, quando puniendi sunt mali, sed sæpe quãdo non sunt puniendi mali, non expediunt, sed contraria, diuisio autẽ regnorum fuit à Deo in pœnã peccati malorum, & ideo quando non essent sublimandi reges ad puniendum peccata, quæ impii commiserunt, sed ad vtilitatem bonorum, & ad conseruandum & præseruandum à malis committendis, esset expediens, quod omnia regna essent vni principi supremo subiecta. Ad secundam rationem, quæ fundatur in hoc, quod Deo displicebat petitio populi Israelitici, qui iustissimis legibus vtebatur, quando petebat regem sibi dari, multipliciter respondetur. Vno modo, quod non ideo illa petitio displicebat Deo, quia petebant malum: sed quia mala voluntate, & mala intentione petebãt, mala quidem intentione petebant: quia ideo petebant regem supra se, vt in hoc essent similes infidelibus. Vnde & dixerunt, vt habetur primi Reg. 8. *Constitue nobis regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersa habent nationes*, & sequitur: *Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt, nequaquam: rex super nos erit, & erimus nos quoque sicut omnes gentes*, mala etiam voluntate pete-

petebant regem: quia tanquam ignari & stulti petierunt regem, vt hac occasione regimen Samuelis, qui eos iustissime rexerat, declinarent, quod Deus ipse, qui corda intuebatur eorum, testatus fuit, vt videtur, cum dixit Samueli: *iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto vsque ad diem hanc, sicut dereliquerunt me & seruierunt diis alienis, sic etiam faciunt tibi.* Ex quibus verbis colligitur quod voluerunt inique declinare regimen Samuelis.

Discipulus. Non videtur, quod ipsi desiderabant abiicere regimen Samuelis, sed filiorum suorum, qui iniusti & impii fuerunt, & ideo merito fuerunt depellendi. Nam ibidem sic legitur: *Factum est autem, cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israel,* & post: *& non ambulauerunt filii eius in viis eius, & declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israel venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, & filii tui non ambulant in viis tuis, constitue nobis iudicem seu regem, vt iudicet nos.* Ex quibus verbis colligitur, quod contentabantur in regimine Samuelis: sed displicebat eis regimen filiorum suorum. *Magist.* Respondetur, quod quamuis noluerunt expresse dicere, sibi displicere regimen Samuelis, tamen innuebant verbis, cum dixerunt: *tu senuisti,* quasi dicerent, amodo non es aptus ad regendum, quod autem allegauerunt malitiam filiorum eius, non fuit nisi ad palliandum suam malam voluntatem: quia principaliter intendebant abiicere Samuelem, quod ex verbis Dei superius dictis datur intelligi. *Discip.* Ad istam rationem vnam responsionem audiui dari: nunc dic aliam. *Magister.* Aliter respondetur, quod quamuis, vt sæpe dictum est, plus regulariter expediat, vt rex in temporalibus dominetur: tamen in casu non expedit, quando autem expedit, & quando non, licet sæpe latet homines, & [illegible]s & malos: hoc tamen Deum, cui nuda sunt & aperta omnia vera, nunquam latet, & ideo cum [illegible] illos petitores, q non expediret eis regem habere, petitio eorum Deo displicuit, quia absque hoc, q interrogarent eum, qui ordinauerat [illegible] aliter regi q per regem sciens, quod non expediret eis regem habere, indiscrete & imprudenter ac importune petebant regem, non enim debebant petere mutationem modi regendi ordinati à Deo, antequam Deum interrogassent: quamuis habere regem non sit regulariter malum, imo regulariter est bonum, & in casu malum. Tertia ratio, quæ in hoc fundatur, quod illud regimen est melius, quod magis assimilatur regimini, quod fuisset si homines in statu innocentiæ remansissent: quia vnum imperatorem omnium minime habuissent. Per hoc excluditur, quod propter diuersitatem inter statum innocentiæ & naturæ lapsæ non semper illud regimen est melius in statu naturæ lapsæ, quod magis assimilatur illi regimini, quod fuisset in statu innocentiæ, sicut nec regimen illud est melius in statu naturæ lapsæ, quod magis assimilatur regimini, quod est in statu naturæ gloriæ, quia tunc melius esset, quod quilibet regeret seipsum, & quod nullus regimen super alios seu prælationem haberet: quia regimen seu prælatio non erit in statu gloriæ. Ad quartam, quæ consistit in hoc, quod vnum imperatorem cunctis mortalibus dominari est contra ius gentium, quod est ius naturale: & per consequens nunquam est expediens siue licitum, hæc per illa, quæ dicta sunt in *præcedenti c.* videtur posse repelli. Nam illud, quod est contra ius gentium, licet ipsum sit iniquum, non tamen semper est iniquum, imo quandoq; est regulariter æquum & licitum, & in casu iniquum, pro eo quod ius gentium saltem quo ad multa non est ius naturale absolutum absque omni modificatione vel conditione, determinatione vel specificatione: sed est ius naturale conditionatum modificatum specificatum seu determinatum vel cum specificatione aliqua seu distinctione. Nam sicut habetur in decretis *dist. 1. ius gentium,* ad ius gentium spectant bella, captiuitates, seruitutes: quæ tamen non sunt de iure naturali absolute absque omni modificatione: etiam quia tunc contraria nunquam essent licita, quia illa quæ sunt contra ius naturale absolutum, nunquam sunt licita, sed semper sunt illicita & indispensabilia, *extra de consuetudine, c. causato,* [illegible]. 9. quod licet ita quod vnum imperatorem omnibus dominari, bella, captiuitates atque iurgia [illegible] alienigenas sint interdum de iure gentium, & ideo valeant pertinere ad ius naturale conditionatum modificatum, seu cum aliqua specificatione seu determinatione, non tamen sunt semper [illegible] quia non spectant ad ius naturale absolutum, quod non variatur, sed inuariabile perseuerat, [illegible] *licet & dist. 6. §. his ita.*

[illegible] ratio fundata in hoc, q mortalium quidam sunt fideles, quidam sunt infideles, qui non debent idẽ iugum ducere, nec ad inuicem communionẽ seu pacificam societatem habere, nec ad eundem iudicem pro iudicio suscipiendo recurrere: & per consequens non debent vni imperatori subesse, multipliciter videtur posse elidi. Primo, quia licet fideles non deberent ducere iugũ infidelium cum infidelibus, nec debeant cum infidelibus communionem seu societatem pacificam habere, quando infideles impugnarent fideles, vel aliquid facerent in contumeliam imperatoris vel curatoris, aut niterentur fideles trahere ad peccatum mortale: nec fideles deberent recurrere ad iudicium infidelis, si pro iudicio subeundo esset: tamen licitum esset fidelibus ducere iugum infidelium cum infidelibus, & cum eis communionem seu pacificam societatem habere, quando nihil mali molirentur, & cum eis ad iudicem fidelium pro iudicio sustinendo recurrere, & ideo licet non esset licitum fidelibus vni imperatori omnium mortalium infideli subesse: videtur tamen tam infidelibus, quam fidelibus licitum vni imperatori fideli subesse. Secundo quia fideles non debent idem iugum spirituale ducere cum infidelibus: possunt tamen licite cum eis ducere idem iugum temporale, vnde & multi fuerunt fideles tam in nouo quam in veteri testamento, idem iugum temporale ducentes cum infidelibus principi infideli obedientes, fideles etiam licite communionem & pacificam societatem possunt habere cum infidelibus, sicut & multi sancti habuerunt, licet non in peccato, nec contra

honorem Dei, licet etiam in casu fideles ad iudicem infidelem pro iudicio suscipiendo recurrere, exemplo multorum sanctorum, qui hoc fecerunt, & ita posset esse expediens in casu, quod etiam vnus imperator infidelis cunctis mortalibus præsideret: tum quia accidit quod quidam sunt fideles, & quidam alii, alii autem mortales fuere fideles, & adhuc posset contingere. Sexta ratio in hoc consistens, quod nullus est sufficiens ad gerendum curam cunctorum mortalium: per hoc refellitur, quod licet nullus sit sufficiens ad gerendum curam cunctorum absque omni periculo, dispendio & incommodo omnium subditorum: multi tamen ad hoc habent sufficientiam, quam conditio naturæ lapsæ permittit, propter quam vtilius est vniuersitati mortalium vni subesse quam pluribus: sic etiam licet nullus sit sufficiens sine omni dispendio ad regendum vnum regnum paruum, vtilius est tamen vni regno partiali, vni Domino quamplutibus subiacere. Vnde & Salomon, licet aduerteret quod nullus populum Israeliticum posset absque omni defectu in nullo deficiens iudicare, regimen tamen non renuit, sed sapientiam ad regendum perfectius & dignius postulauit.

Cap. XII.

In quo respondetur ad rationem capitulo tertio, pro opinione tertia inductam.

Discip. Ad motiuum pro tertia opinione *supra c.3.* recitata, an expediret mundo vnum principem, scilicet ecclesiasticum, non secularem, præsidere: alia adducas. *Mag.* Motiuum illud consistit in hoc, quod sapientia, quæ maxime est necessaria præsidenti siue in temporalibus siue spiritualibus, magis in ecclesiasticis quam in secularibus inuenitur, ad quod respondisti, quod in ecclesiasticis inuenitur maior sapientia de diuinis, non de humanis. Quam responsionem aliqui improbare nituntur per hoc, quod secundum legem diuinam rex debet esse aliis peritior in his, quæ ad legem diuinam spectant, in qua debet continue meditari. Sed alii hanc obiectionem conantur excludere asserentes, quod quamuis ex præcepto, quod habetur *Deuterno. 17.* vt allegatum est, deberet rex legere legem Dei omnibus diebus vitæ suæ, congruis videlicet horis: magis tamen ad lectionem huiusmodi sacerdotes Dei præcepto tenebantur, & ideo quamuis rex non debuerit totaliter sapientiæ diuinæ esse ignarus, non tamen tenebatur sacerdotes in sapientia diuina præcellere: præsertim cum sapientiam diuinam publice docere non debeat, quia nullus rex debet vsurpare sibi officium prædicationis: quod tamen officium ad sacerdotes spectat. *Discipulus.* Ad hoc videtur ista responsio posse impediri, quoniam ille est magis idoneus in temporalibus præsidere, qui non solum in sapientia diuina, sed etiam in sapientia humana & peritia negotiorum secularium alios debet præcellere: teste Salomo. Prouerbior. 1. qui ait: *intelligens gubernacula possidebit*, qui etiam 17. c. ait: *seruus sapiens dominabitur super stultis.* Sed prælati ecclesiastici non solum in sapientia diuina, sed etiam in sapientia humana & peritia negotiorum secularium alios debent præcellere, *distinct. 39. §. vno & c. 1.* vbi Gregor. loquens de episcopo constituendo ait: *Hoc tempore talis regiminis arte debet constitui, qui non solum de salute animarum, verumetiam de extrinseca vtilitate & cautela sciat esse sollicitus* & 16 q. 1. c. *nulli episcoporum*, sic legitur: *de episcopo, cum sit optimus prospector, ita prospiciat, vt vniuersa sibi commissa oues à se maxime alantur, atque in necessitatibus adiuuentur.* Ex quibus verbis sequitur, quod prælati ecclesiastici debent alios in peritia negotiorum secularium præcellere, quare non princeps secularis, sed ecclesiasticus debet non immerito propter maximam peritiam etiam in temporalibus, cunctis mortalibus præsidere. *Magister.* Respondetur, quod quamuis propter malitiam aut negligentiam laicorum sæpe fuerit opportunum, vt prælati ecclesiastici dispensationem quarundam temporalium rerum recipiant: & ideo tunc negotiorum secularium debent habere notitiam: non tamen excellentissimam huiusmodi negotiorum peritiam debent habere, sed eis sufficit mediocris, propter quod, vt lex testatur, & notatur in Glo. *dist. 37. c. 1.* opprobrium est prælatis ecclesiasticis, si velint esse periti disciplinarum forensium, vnde & leges ciuiles prohibentur audire, *extra ne cle. vel mo. super specula.* cum enim nemo perfectissimam notitiam ciuilium legum & secularium negotiorum vna cũ perfectissima scientia sacrarum literarum possit acquirere: & ideo prohibentur monachi & clerici leges audire, vt plenius sacræ paginæ insistant: restat, quod prælati ecclesiastici non debent in peritia negotiorum secularium alios superare, cum in notitia sacrarum literarum præcellere debeant vniuersos. Quare regulariter prælatus ecclesiasticus non debet in temporalibus, mortalibus præfici vniuersis, ne, vt testatur beatus Petrus, secundum quod legitur in decretis *11. q. 1. c. quædam*, prænotatis præsentibus hominum curis non possit verbo Dei vacare. Licet igitur in aliquo casu in temporalibus, quando nõ inueniretur aliquis laicus idoneus, posset ad tempus aliquis ecclesiasticus curam omniũ gerere: hoc tamen regulariter sustineri non debet: eo quod iuxta Apostolicam sententiam ecclesiastici tali curæ & sollicitudini circa temporalia, nisi ex singulari causa, & in quantum minus possunt, se implicare non debent. Cui concordat beatus Petrus, qui, vt legitur in decretis *ext. 1. c.* in ordine Clement. ait, *te quidem oportet irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abiicias, ne fideiussor existas, ne aduocatus litium fias, ne aliqua cautione occupatione inueniaris mundani negotii occasione perplexus.*

Cap. XIII.

In quo respondetur ad rationem cap. 4. pro quarta opinione inductam.

DIscipulus. De ista materia plura poterunt legentes in tractatu *de potestate papæ & cleri* inuenire, ideo ad motiuum adductum *supra cap. 4.* pro quarta opinione te conuerte, & recita quomodo respondetur ad ipsam. *Magister.* Motiuum illud ad probandum, quod illud regimen mundi est optimum, quod est plurium sapientum, similiter, in hoc consistit, quod quando plures regunt simul, pauciores errores accidunt & peccata. Ad quod respondetur, quod illud motiuum videtur probabilitatem habere, si errores & peccata in regendo ex sola imperitia vel defectu consilii solum contingerent: Et si vnus princeps secularis absque consilio sapientum sibi subditos gubernare deberet, sed quia errores & peccata in regendo non ex sola imperitia, sed etiam ex mala voluntate & negligentia eueniunt, & princeps sibi subditos debet regere de consilio sapientis, nec est aliquis promouendus ad principatum, nisi qui est melior & prudentior aliis, & de quo probabiliter æstimetur, quod quando oportet & expedit, velit requirere consilium sapientum, ideo regulariter principatus vnius virtuosi & prudentis præualet principatui plurium virtuosorum & sapientum. Quia enim tantum mortales proni sunt ad discordiam & ad quærendum quæ sua sunt nimis, & non quæ sunt boni communis: ex quibus turbatio tranquillitatis & pacis corruptio & alia mala quasi infinita proueniunt, ab his maxime, qui super alios potestatẽ habent. Quando autem essent plures rectores, quorũ nullus altero esset superior, facilius accideret discordia, q̃ si vnus esset superior aliis: eo q̃ nullus discordat à seipso, facilius etiam plures, qui à superiori refrenari non possent, quærerent propriã vtilitatem, q̃ si vnus dominaretur aliis, ideo regulariter minus timendũ esset deturbatione pacis & iustitiæ & aliis malis, quæ ex defectu boni regiminis ꝓuenire noscuntur, si vnus esset rector, q̃ si plures essent simul rectores, quorum nullus esset superior alio: præsertim cum facilius sit populo, emendare vnum rectorem (si taliter exorbitauerit) vt sit puniendus vel etiam amouendus, quam plures. Nec obstat, quod veritas iustitiæ, quæ à multis quæritur, facilius inuenitur: & quod salus est, vbi multa consilia, quia, sicut dictum est, princeps virtuosus & sapiens, quando expedit, requirit consilia sapientum, & facit scilicet veritatem quæri à pluribus, qui multo melius potest regere consiliarios quærentes veritatem & modum debitum quærendi pro loco & tempore, quod vnicuique videtur eis imponere, quam possent ipsimet cõsulentes, si nullus haberet potestatem super alium: præsertim cum vnus rector habens super omnes consiliarios potestatem de modo consulendi consiliarios possit vnumquemque eorum requirere: & cuius consilium viderit sanius, acceptare. Et ideo quantumcunq; expediat veritatem in causis arduis quæri à pluribus, vtile est vt vnus super omnes alios consulentes quærendi veritatem habeat potestatem. Hinc est quod quamuis, vt allegatum est *supra c. 4.* Romani fecerunt sibi curiam, vt quotidie consulerent 322. consilium agentes de multitudine, vt habetur *1. Macchabeor. 8.* tamen, vt ibidem legitur, commiserunt vni homini magistratum summum, & omnes obediebant vni regulariter, igitur melius est, quod vnus virtuosus & prouidens habeat mundi imperium, quam plures.

Cap. XIV.

Vbi incipit inuestigare, quibus virtutibus debeat pollere imperator: & primo de fide.

DIscipulus. Hactenus inquisiuimus, an toti generi humano expediat vnum imperatorem seu principem secularem vniuerso orbi præesse: & aliqualiter exquisite pertractauimus opinionem dicentem, quod regulariter est expediens, vt omnes mortales vni seculari principi in temporalibus sint subiecti, nunc autem intendo tecum inuestigare (quamuis breuiter) quibus excellentiis seu gratiis, virtutibus & moribus imperator mundi debeat præfulgere. Æstimo autem, quod fides, iustitia, veritas, peritia, potentia, diuitiæ, liberalitas, & fortitudo in imperatore mundi maxime requiruntur, ideo de istis aliqua breuiter interrogare propono, primo an imperator mundi veram fidẽ & catholicam teneatur habere? *Magist.* Nonnullis apparet, quod interrogatio tua dubitationem non habet, cum quilibet etiam mortalis adultus habens vsum rationis teneatur esse fidelis, præsertim si in fide potuerit informari, sed forsan quærere intendebas, an aliquis posset esse verus imperator, qui non habeat veram & catholicam fidem, de quo sunt multæ opiniones diuersæ & aduersæ.

Cap. XV.

Inquirit vtrum imperator debeat habere notitiam scripturarum, & respondet secundum diuersas opiniones.

DIscipulus. De isto secundo inquiram aliqualiter postea exquisite, ideo transeo ad peritiam necessariam imperatori. Et primo cupio scire, an imperator mundi, si fuerit catholicus, teneatur habere peritiam scripturæ diuinæ? *Magist.* Circa hoc sunt diuersæ opiniones. Vna, quod imperator mundi, si fuerit catholicus, peritiam legis diuinæ & sacrarum literarum debet habere. Quia non minoris perfectionis debet esse imperator catholicus in nouo testamento, quam fuerit rex in veteri testamento. Sed rex in veteri testamento debuit habere peritiam literarum sacrarum, & in lege diui-

uina continue meditari. Igitur imperator catholicus perfectius debet ista habere. Item, ad imperatorem catholicum spectat fidem Christianam, quæ in sacris literis continetur, defendere: & impugnatores ipsius vltione debita castigare, nullus autem defendere potest, quod ignorat, igitur imperator catholicus perfectius debet ista habere, scilicet literarum sacrarum peritiam. Alia est opinio: quod quamuis deceat imperatorem catholicum aliqualem literarum sacrarum habere peritiam, vt saltem sciat legem vel legendo intelligere literaliter scripturas sacras: non tamen est simpliciter sibi necessarium peritiam talem habere: pro eo quod absque tali peritia potest temporalia vtiliter & iuste disponere, quod solummodo ad imperatorem dignoscitur pertinere. *Discip.* Nunquid imperator tenetur notitiam legum ciuilium habere? *Magist.* Vna est opinio, quod sic, quia cum imperator sit summus iudex in temporalibus, non minorem peritiam legum, secundum quas est ferenda sententia, debet ipse habere, quam iudices inferiores. Sed iudices inferiores tenentur habere notitiam legum ciuilium, secundum quas iudicare tenentur. Igitur multo magis debet imperator legum ciuilium habere peritiam. Alia est opinio, quod non tenetur de necessitate legum ciuilium habere peritiam: licet valde conueniens sit & vtile, vt peritia tali non careat, multi enim fuerunt imperatores & reges iusti, imo sancti, qui legum ciuilium peritiam minime habuerunt: qui tamen omnino didicissent leges, si de necessitate ad earum notitiam obligati fuissent, nec est simile de imperatore aut rege & aliis iudicibus inferioribus, quia enim imperator in imperio mundi, & rex in regno suo, solutus est legibus, nec tenetur de necessitate iudicare secundum leges, quemadmodum iudices inferiores secundum leges de necessitate iudicare tenentur: ideo non requiritur tanta notitia legum in imperatore aut rege, sicut in inferioribus iudicibus. *Discip.* Ex prædictis mihi probabile videtur, quod decet promouendum in imperatorem & regem tam sanctarum scripturarum quā legum profundam habere notitiam: & quod talis, si inueniretur, ante omnes alios (cæteris paribus) esset promouendus in imperatorem: & tunc in regem, quando per electionem non per successionem debet quis regni gubernacula suscipere. Sed nunquid si promotus in imperatorem vel regem non esset profundus in notitia sacrarum scripturarum & legum ciuilium, deceret eum desistere vel insistere studio pro huiusmodi excellenti notitia acquirenda: vel etiam si esset excellens in tali notitia debeat circa meditationem huiusmodi assidue occupari? *Mag.* Respondetur, quod laudabile esset imperatori aut regi vacare cum discretione huiusmodi studio, quantum posset, ita tamen, vt per tale studiū non impediretur à sibi commissis. Negligere autem sibi subditos, & regni, imperii aut regnum alteri committere, vt tali studio insistat, in imperatore & rege est reprehensibile & damnabile reputandū: quia talis curam debitam subditis non impendit, & de ipso verificatur illud Apostoli: ***qui suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit & est infideli deterior.*** Si enim prælatus ecclesiasticus propter vtilitatē subditorum vitam contemplatiuam debet nonnunq̄ prætermittere, & actiuæ intēdere, vt ex sacris canonibus colligitur *8.q.1.ca.olim & c. inscriptis & c. qui episcopatum:* multo fortius imperator aut rex debet omittere tale studium, vt regimen debitum non solum per alios, sed etiam per seipsum subditis impendat. *Disc.* Nunquid imperator debet habere excellentem notitiam secularium negotiorum? *Mag.* Respondetur, quod ille, qui cæteros antecellit in peritia secularium negotiorum, & qui alios in sensu naturali & iudicio rationis excellit, cæteris paribus, debet ante alios in imperatorem aut regem, qui per electionem ad regni gubernacula assumitur, promoueri. Sensus enim naturalis & excellens rationis iudicium intelligit, quod in promouendo literatura, facundia, eloquentia, experientia, & memoria quilibet excellens videtur præferri debere: cum in promouendo ad officium temporale etiam breui tempore duraturum excellenti iudicio rationis interdum tam litteratura quā experientia debeat anteferri. Postquam autem ad imperium aut ad mundi gubernacula fuerit quis assumptus, peritiæ secularium negotiorum, & notitiæ iuris naturalis, & præcipue illius circa q̄ contingit errare vel dubitare etiam eruditum, & cuius notitia ad suum spectat officium principaliter, debet insistere, & magis quam notitiæ scripturarum sacrarum, vel secularium scientiarum, vel legum quarumcunq;, nisi magis per eas quam per alium modum valeat peritiam secularium acquirere. *Disc.* Quare dicitur, quod insistendum est notitiæ iuris naturalis, circa quod contigit errare aut dubitare etiam eruditum? videtur enim, quod nullum est tale ius naturale, omnis enim ignorantia iuris, circa q̄ contingit errare peritos, videtur excusare contra facientē, ideo enim ignorantia facti excusat, quia etiā peritos fallit, vt notat Glo. *di.38.c.1.* Igitur si circa ius naturale contingit errare peritos, ignorantia talis iuris excusare valeret. Rursus, omnis ignorantia probabilis excusat, sed ignorantia, quæ potest inueniri in peritis, potest esse probabilis, ideo aliqua ignorantia iuris naturalis excusaret, cuius contrarium notat Glo. *dist.30.c.1.* & Gratianus *1.q.1.* qui notandum dicit, quod omnis ignorantia iuris naturalis omnibus adultis damnabilis est. Ex quibus videtur colligi posse, quod nullū est ius naturale, circa quod contingit errare aut dubitare peritos. *Mag.* Respondetur, quod iura naturalia reperiuntur in duplici differentia. Quædam enim sunt principia per se nota, vel ex talibus principiis immobilibus per se notis sequuntur & sumuntur, & circa talia iura nemo potest errare vel etiam dubitare: ipsa tamen ignorare potest, quia potest de ipsis nunquam cogitare, & talis ignorantia neminem excusat: q̄a talia iura naturalia, licet quis antea nunq̄ cogitauerit ea, statim cognoscit, quādo secundū ea aliquis tenetur facere aliq̄d vel omittere, nisi absq; omni deliberatione & regula rationis velit q̄s ad actū ꝓcedere, vel actum talem omittere: q̄a ignorātia talis iuris in tali casu ex damnabili negligentia vel contemptu procedit, & ideo non excusat. Si enim ex aliqua occasione nitetur occidere aliquem innocentē, qui nunq̄ nocuit, statim si deliberare velit, & breuiter, an debeat ipsum occidere, con-

concludit, quod nō debet ipsum occidere. Et ideo si absq; omni deliberatione ipsum occiderit, talis ignorantia ipsum non excusat. Alia sunt iura naturalia, quæ ex primis principiis iuris patenter, & absque magna deliberatione seu consideratione eliciuntur, quemadmodum in scibilibus quædam conclusiones ex primis principiis patenter, & absque magna consideratione concluduntur etiam à minus eruditis, & talis ignorantia iuris naturalis non excusat: quia potest quilibet absq; magno studio statim illa iura naturalia scire, & de tali ignorantia iuris intelligitur dicta maior. Alia sunt iura naturalia, quæ à paucis etiam peritis, & cum magna attentione & studio, & per multa media colliguntur ex primis iuribus naturalibus, circa quæ etiam periti interdum habent opiniones contrarias, quibusdam putantibus ea esse iusta, & quibusdam ea esse iniusta, & ignorantia talis iuris naturalis excusat præcipue in omittendo aliquid facere, quod tamē faciendum esset, si non ignoraret, nisi sit ignorantia crassa & affectata. Talium igitur iurium naturalium notitiæ acquirendæ debet imperator insistere diligenter: quia alia iura, scilicet primo modo & secundo modo dicta, leuiter, quando erit necesse, sibi ostendentur, nec huiusmodi iurium & secularium negociorum peritiam & perfectam notitiam acquiri expedit, etiam vt plures consiliarios secum habeat sapientes, exemplo Romanorum, qui, vt est allegatum prius, constituerunt 32. qui quotidie consulebant & consilium agentes de multitudine, quia teste Salomone Prouerbiorum decimo quinto. *Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium, vbi vero plures consiliarii sunt, confirmantur*, & Prouerbior. secund. ait, quod est salus, *vbi multa sunt consilia*. *Discipulus*. Doctrina sapientis obuiare videtur, imperatorem habere multos consiliarios. Quia Ecclesiastic. 6. sic legitur, *multi pacifici sint tibi, & consiliarius tibi sit vnus de mille*. *Magister*. Respondetur, quod consilium de diuersis & ex diuersis causis requiritur, aliquando enim requiritur consilium de secreto, quod periculosum est reuelare, nisi fidelibus & amicis ac discretis. Interdum requiritur consilium de publicis, vel de illis quæ absque periculo reuelari possunt infidelibus, inimicis & fatuis. Iterum, quandoque requiritur consilium aliorum, vt tot consiliariorum habeatur consensus, quo habito illud, quod deliberatum est, efficiatur magis autenticum, etiam cum maiori ordinatione & amoris reuerentia vel timore ab aliis suscipitur. Quandoque autem requiritur consilium, vt quærens consilium illud, quod deliberatum est, per consiliarios exequatur. Nonnunquam requiritur aliquorum consilium, vt quærens consilium notitiam iuris vel facti, quod ignorat, per eorum responsionem acquirat: qua habita quid agere debeat, animaduertat, multotiens vero requiritur consilium aliquorum, vt quærens consilium probet & experiatur eorum consilia, & eorum discretionem, vel prudentiam, aut fidelitatem, vel affectionem, seu voluntatem, vel contra se vel erga alios. Quando igitur requiritur consilium de secretis, quod periculosum est reuelare, pauci debent esse consiliarii: quia solummodo probati fideles amici & discreti. Quando autem requiritur consilium, vt deliberatum per consiliarios executioni demandetur, requirendi sunt pauci: quia solummodo fideles sapientes & amici tantum, & in his duobus casibus intelligenda est auctoritas Ecclesiastici superius allegata. Quando autem requiritur consilium de publicis, vel de his quæ possunt sine periculo reuelari, requiritur consilium solummodo, vt habeatur consiliariorum consensus, quo habito illud, quod deliberatum fuerit efficiatur magis autenticum, vel vt quærens consilium per responsionem consiliariorum notitiam iuris vel facti, quod ignorat acquirat: vel vt ipsorum habeat experientiam, vt probet discretionem seu prudentiam vel fidelitatem aut affectionem vel voluntatem: multi debent esse consiliarii numero in tali casu. Quandoque etiam non est absurdum, consilium impiorum vel maleuolorum requirere: quia quandoque sapiens ex eorum responsione etiam ipsis nocere volentibus & decipere intendentibus, quid sibi erit agendum, prospiciet. Quemadmodum non solum ex bonis operibus sapientum: sed etiam ex malis operibus fatuorum sapiens accipit disciplinam, teste Salomone Prouerbiorum vigesimo quarto, qui ait: *per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrtica operuerunt superficiem eius spina, & materia lapidum destructa erat: quod cum vidissem posui in corde meo & exemplo didici disciplinam.*

Cap. XVI.

Inquirit de iustitia, quomodo in ipso Imperatore vigere debeat.

Discipulus. Licet de peritia vel prudentia necessaria imperatori possemus (vt arbitror) magnum volumen efficere: tamē ad præsens prædicta sufficiant, ideo ad iustitiam, quæ necessaria est imperatori, vt æstimo, me conuerto, cupio autem scire, an imperator debeat semper in omni casu rigorem iustitiæ exercere. *Magister*. Respondetur, quod imperator debet quandoque iustitiam totaliter prætermittere, vel differre ad tempus: interdum vero decet eum, imo de necessitate tenetur, rigorem iustitiæ temperare mansuetudine: quandoque autem de necessitate salutis tenetur rigorem iustitiæ exercere. *Discipulus*. Ista possunt, vt puto, innumeris rationibus & auctoritatibus demonstrari: sed abbreuiationis causa omittamus, de vno tantummodo cupio ad præsens sententias diuersas audire: an videlicet apud imperatorem in exercendo iustitiam omnes pœnæ pro quocunq; crimine sint arbitrariæ, vt liceat ei pecuniariam pœnam vel aliam pro quocunque crimine insligere? *Magist*. Circa hoc diuersæ reperiuntur sententiæ. Vna est, quod apud imperatorem omnes pœnæ sunt arbitrariæ, vt liceat ei pro quocunq; casu & pro quocunque crimine quodcunq; genus pœnarum insligere.

gere. Quæ videtur hac ratione fulciri. Vbi pœna non est taxata in iure, quæ pœna sit infligenda, arbitrio iudicis inferioris committitur: nec irrationabiliter: quia ex quo non est ius expressum secundum quod debeat punire, relinquitur quod secundum suum arbitrium puniri debeat. Sed Imperator est super omnia iura positiua. Igitur secundum nullum ius positiuum tenetur punire crimen alicuius, & per consequens tenetur punire crimen alicuius pro suo arbitrio: & poterit quodcunque genus pœnarum infligere. Alia est sententia, quod non semper Imperator exercendo iustitiam potest, quodcunque genus pœnarum pro suo arbitrio pro omni crimine infligere. Pœna enim pecuniaria non debet semper esse contentus, sed aliam debet infligere. Similiter etiam non semper debet sufficere sibi infligere pœnam, scilicet verberum, vel deportationis, vel proscriptionis, vel exilii. Sed tenetur pœnam mortis, vel mutilationis vel incarcerationis vel detentionis perpetuæ imponere. Et sæpe huiusmodi pœnam nec ratione amicitiæ, nec consanguinitatis, nec ratione voluntatis, aut aliqua alia occasione licet sibi remittere. Cuius ratio assignatur: quia sicut vbi certa pœna non est statuta in iure, iudex inferior debet procedere æquitate seruata, *extra, de translationibus, cap. vltimo*. Ita Imperator, quia est supra positiua iura, & non est super æquitatem naturalem, scilicet in exercendo iustitiam, non vult ex causa infligere pœnam statutam in iure, tenetur de necessitate infligere pœnam æquitate seruata, secundum quod bonum commune & salutem subditorum viderit postulare, & maxime bonorum. Sæpe autem absque dispendio communis boni & periculo obedientium bonorum pœna & pecuniaria, vel deportationis, aut proscriptionis, vel exilii malefactorem minime castigaret, teste Ambrosio, qui in libro *de officiis*, & ponitur in decretis *vigesim. tert. quæstion. 4. cap. & est iniusta*, ait: *Si quis latronem filiis deprecantibus motus etiam lachrymis coniunctis eius inflexus absoluendum putat, ac adhuc latrocinandi aspiret effectus, nonne innocentes tradet exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem?* Hinc etiam Hieronymus, vt legitur *distinction. quadragesim. quint.* loquens de istis, qui parcunt malis, ait: *Dum parcunt vni, vniuersa ecclesia moliuntur interitum, quæ ista bonitas est? quæ ista misericordia est, vni parcere, & omnes in discrimen adducere?* Ex quibus colligitur, quod si Imperator inferendo regi vel principi malefactori consanguineo vel alicui sibi coniuncto aut alieno appareret affectus turbandi imperium aut bonum commune vel innocentes solum modo pœnam pecunialem vel aliam quamcunque, per quam à persecutione malæ voluntatis minime perfectæ reprimeretur, peccat mortaliter & damnabiliter transgreditur æquitatem, quam sequi tenetur. Igitur in huiusmodi casu, huiusmodi malefactor siue fuerit rex, siue princeps consanguineus, vel alienus pœnam mortis corporalis aut incarcerationis perpetuæ, aut aliquam aliam pœnam, per quam à malis operibus & potentia mala faciendi penitus reprimatur, debet infligere.

Discipulus. Videtur quod Imperator valeat licite tam grauem pœnam etiam ei, qui incidisset in crimen læsæ maiestatis, vel aliud quodcunque flagitium commissum remittere: quia iudex in puniendo debet in humaniorem partem declinare, *extr. de transactio. cap. vltim.* & sententia, quæ misericordiam vetat, fugienda est, *dist. 50. pondere*, potest igitur Imperator licite cuicunque flagitioso misericordiam facere ei pœnam mortis vel quamcunque aliam remittendo. *Magister*. Hic respondetur, quod si Imperator quemcunque criminosum cognouerit perfecte emendatum, ita vt deseruerit omnem voluntatem malefaciendi; nec aliquis prosequitur contra eum iniuriam suam: potest ei Imperator omnem pœnam remittere, si autem non fuerit emendatus perfecte, sed probabiliter timetur, quod habita facultate intendit iterare vias suas malas, & se consuetis itineribus vel aliis implicare: non licet Imperatori ei omnem pœnam corporalem remittere, nec ei liceat talem misericordiam facere: quia talem minimam faciendo non declinaret in humaniorem partem, nec esset misericors, sed crudelissimus & inhumanissimus atque impius reputandus, teste August. qui ad Lucanum, vt habetur *23. quæst. 5. cap. qui vitiis*, ait: *qui vitiis nutriendis parcet, & fauet ne contristet peccantium voluntatem, tam non est misericors, quam qui non vult accipere cultrum puero, ne audiat plorantem*, cui etiam concordat Hieron. qui super Esa. & legitur eisdem, *ca. & q. 1. c. non est*, ait: *non est crudelis, qui crudeles iugulat*, talis igitur misericordia est iniusta misericordia, vt ait Ambro. imo est impiissima misericordia, & deterior adulterio & rapinis, furto & aliis criminibus q̃ plurimis, quæ apud oẽs enormia reputantur. *Disc.* Ista sententia videtur aliqualiter habere apparentiam: recita quomodo ad motiuum alterius sententiæ respondetur, quod etiam non omni apparentia caret. *Magister*. Respondetur, quod iudices inferiores, vbi non est ius expressum, non possunt nec debent pro libito suo punire secundum arbitrium: sed in tali casu debent taliter arbitrari, vt æquitas seruetur, vt scilicet iudex puniat tali pœna, quæ magis expedit rei publicę & conseruationi iustitiæ, & qua delinquens efficacius corrigatur, quia secundum Augustin. vt dicitur in decretis *23. q. 5. prodest*, & plectendo & ignoscendo hoc solum licite agitur, vt vita hominum bene corrigatur.

Cap. XVII.

In quo consequenter succincte quærit de aliis virtutibus, si debeant inesse imperatori.

DIscipulus. Si de aliis virtutibus & moribus, quibus decet Imperatorem ornari, tractemus diffuse, opus nimis prolixum faceremus, ideo arbitror, quod ista duo scilic. peritia & discretio, sunt maxime necessaria Imperatori ad regendum vtiliter sibi subiectos: imo quasi videntur sufficere, tamen

men ista ab aliis, quando erunt opportuna, separari non possunt, breuissime transeamus, vt ad latentiora & quæ minus discussa sunt ab aliis, citius veniamus, præsertim cum in opere *de optimo genere dicendi legalia*, qui habuerint eos, potuerunt quamplurima de virtutibus necessariis Rectoribus inuenire: Primo itaque de veracitate, quandocunq; decet imperatorem, tenere breuiter videamus, dic igitur, an per aliquam sententiam imperator debeat veracitate fulgere, vt sicut non licet ei aliquod falsum asserere, vel aliquid dolose vel fraudulenter promittere, quod non intendit soluere: sic non liceat ei promissum aliqualiter reuocare, vel non complere, seu differre. *Magister*. Putant quidam, quamuis imperator nec male promissa soluere, nec illa quæ promisit licite, & postea perpenderit esse nociua, teneatur soluere: sed teneatur rescindere, sicut & erubescere minime debet, si aliquid illorum melius, quæ prius dixit, inuenerit, competentem correctionem eis impendere, nec debet expectare, vt ab aliis corrigatur. Tamen alia promissa non debet aliqualiter reuocare, nec absque causa manifesta differre. Cauere etiam debet, ne cito vel leuiter aliquid asserat vel promittat, nisi certus sit, quod sit asserendum vel promittendum.

Discipulus. De potentia, diuitiis & liberalitate simul videamus, an sint imperatori opportunæ. Videntur enim diuitiæ repugnare liberalitati: quia ad liberalem spectat effundere diuitias, per quod diuitiæ euacuantur. *Magister*. Nonnulli æstimant, quod sine istis non potest bene administrari imperiale officium: quia iurisdictio sine coertione nulla est censenda, *extra, de officio delega. cap. pastoralis, & cap. ex literis*, multomagis imperialis auctoritas absque coertione nulla est, coertio autem sine potentia exerceri non potest. Igitur potentia in imperatore requiritur, potentia autẽ maxime roborari videtur per diuitias, eo quod potentia absque amicis aut saltem obedientibus non videtur posse persistere, amici autem & obedientes diuitiis acquiruntur, teste Salomone, qui Prou. 19. ait: *diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem & ii quos habuit separantur*, & 7. ca. ait: *Multi colunt personam potentis: & amici sunt dona tribuentis, fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo*, & Eccl. 6. sic legitur: *Vtilior est sapientia cum diuitiis, sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia*, & c. 10. dicit, quod *pecuniæ obediunt omnia*, diuitiæ igitur sunt imperiali excellentiæ optimæ propter amicos & obedientes acquirendos, sed amici & obedientes nequaquam diuitiis acquiruntur & tenẽtur, nisi liberaliter effundantur; nec addunt amicos: & nisi per prodigalitatem consumantur, amici cito perduntur, igitur liberalitas pro amicis & obedientibus acquirendis & tenendis maiestati imperiali opportuna videtur. *Discipul*. Est ne fortitudo sic necessaria imperatori? *Ma*. Fortitudo, quæ est virtus animæ, debet in imperatore præcellere, sed fortitudo corporalis, quæ est corporis robur, non est ita necessaria in imperatore, quamuis enim valde deceat imperatorem fortitudine corporali & arte præliandi præcellere, non est tamen simpliciter necessaria, nec aliis excellentiis præferenda, nec sapientiæ, iustitiæ & aliis virtutibus præponenda, teste Sapiente, qui Sapient. 7. ait: *Melior est sapientia quam vires: & vir prudens magis quam fortis*. & Eccl. 9. ait Salomon: *Dicebam ego, sapientiam esse meliorem fortitudine*, & post eodem cap. *Melior est sapientia quam arma bellica*, & Prouerb. 19. ait: *Melior est patiens sapiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.*

CAP. XVIII.

Tractat quæstionem secundam huius libri, vtrum scilicet Romanum imperium fuerit à Deo, vel ab hominibus, & ponit tres opiniones, quarum tertiam prosequitur, & eam probat decem rationibus capitulis sequentibus, ad quas etiam respondetur, prima vero opinio probatur c. 26. huius & secunda 27.

DIscipulus. Postquã disputatiue quæsiuimus, an expediret mundo vni imperatori subesse, & quibus virtutibus imperator mundi præcellere debet, ad Romanum imperium descendamus: inquirẽtes primo, à quo Romanum processit imperium, vtrum videl. fuerit ab hominibus, vel à Deo. *Mag*. Vna est opinio, quod imperium fuit à Deo cõstitutum, & non ab hominibus. Alia est quod fuit primo institutum à Deo, & tamen per homines, sc. per Romanos. Tertia opinio est, ꝙ verum imperium Romanum fuit à Papa. Dicunt enim, quod Constantinus M. postquam fuit conuersus ad fidẽ catholicam, illam inordinatam potestatem, qua forte antea allegatiue vtebatur, humiliter ecclesiæ resignauit, sc. summo Pontifici, & recepit iterum à Christi vicario, successore sc. Petri ordinatam diuinitus potestatem imperii: qua deinceps ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum legitime vteretur, & qui prius vtebatur potestate permissa, deinde fungeretur auctoritate concessa, dicunt igitur isti, quod antequam Constantinus reciperet Romanum imperium à successore beati Petri, non verum imperium habuit, sed vsurpatum ab hominibus, & permissum à Deo, non concessum nec ordinatum. *Disc*. Quia constat mihi, quod ista vltima opinio fuit cuiusdam, qui erat de maioribus totius mundi prælatus: ideo ipsam volo tecum magis exquisite disputando discutere, allegando pro ipsa & contra ipsam ac etiam allegationibus respondendo, vt studiosi occasionem accipiant intelligendi catholicam veritatem, quæ plurimos, qui literatissimi vocantur, forte latet, primo igitur pro ipsa studeas allegare. *Magister*. Ista opinio, quæ videtur sententialiter in Glossis supra Decretum & Decretales sæpius recitari, & etiam approbari, quamplurimis rationibus fundatis in dictis maiorum videtur posse probari. Vnde & Gloss. *distinct. 96. cap. ad verum*: Ab eo est imperium

perium Romanum, qui potest Imperatorem deponere, sicut insinuat Glossa prædicta, Papa deponit Imperatorem *15.q.6.cap. alius*, *& cap. iuratos*, igitur verum imperium Romanum est à Papa. *Discipul.* Ista allegatio videtur aperte deficere, & Glossa allegata videtur male allegare capitula, quæ adducit. Et ideo qualiter ad hæc respondetur, manifesta. *Magister.* Dicitur, quod capitulum primum non loquitur de Imperatore Romano, sed de rege Francorum. Verba enim illius cap. sunt hæc: *Alius Romanus Pontifex* (Zacharias scilicet) *regem Francorum non tam pro suis iniquitatibus, quam pro eo, quod tantæ potestati erat inutilis, à regno deposuit, & Pipinum Caroli Imperatoris patrem in eius locum substituit, omnesque Francigenas à iuramento fidelitatis absoluit*, in quibus verbis de Imperatore nulla fit mentio, igitur per illud cap. non potest probari, quod imperium Romanum sit à Papa, licet videatur probari, quod regnum Francorum sit à Papa. *Discipulus.* Si concederetur quod regnum Francorum sit à Papa, videtur posse concludi, quod Romanum imperium sit à Papa, quia non est maior ratio de regno Franciæ, quam de Romano imperio. *Magister.* Ad istam obiectionem diuersi diuersimode conantur respondere. Dicunt enim quidam, quod non est simile de Romano imperio, & de regno Franciæ, quia magis, vt dicunt, potest subesse regnum Franciæ Papæ, quam Romanum imperium, nam, vt dicunt, regnum Franciæ fuit antiquitus tam de iure quam de facto subiectum Romano imperio: & adhuc est de iure, teste Glossa, *ext. qui filii sunt legitimi, per venerabilem*: vbi dicit Papa: *Cum rex Franciæ superiorem in temporalibus minime recognoscat de facto, tamen de iure subest Romano imperio*, & Glossa, *distinctio. 2. ius Quiritum*, ait: *Imperator & princeps totius mundi. ff. ad L. Rhod. l. qui leuanda*, dicitur: Qui igitur non vult esse sub Romano imperio, nec hæreditatem habere potest ibidem, & Glossa, *ext. de primis priuilegiis, cap. super specula*, asserit manifeste, quod leges Romanorum Imperatorum debent de iure ab omnibus obseruari, licet de facto non ab omnibus obseruentur. Ex quibus aliisque quampluribus colligitur, quod regnum Franciæ de iure est subiectum Romano imperio, quare Imperator Romanus (cui est subiectum) potest committere Papæ, sicut & aliis, potestatem deponendi regem Franciæ pro diuersis iniquitatibus, in quibus non posset committere Papæ potestatem deponendi Imperatorem, quare saltem ex commissione Imperatoris & Romanorum potest regnum Franciæ esse magis subiectum Papæ, quam Romanum imperium. Quod confirmatur [illegible] quod Imperator Romanorum non est magis subiectus Papæ, quam princeps, qui de iure [illegible] peratori.

Si igitur rex Franciæ de iure subest imperatori: Imperator non est magis [illegible] quam rex Franciæ. Aliter dicunt quidam, quod Papa auctoritate Papali nec imperatorem nec regem Franciæ potest deponere, nisi pro hæresi, tamen Papa auctoritate Romanorum posset pro quibusdam aliis causis deponere imperatorem, & auctoritate Francorum potest quibusdam aliis causis deponere regem Francorum, & hæc Glossa super cap. allegato sentire videtur, quæ super verbo *deposuit*, ait: *dicitur deposuisse, quia deponentibus consensit, recipiendo scilicet ab eis potestatem deponendi: ideo quasi vna cum eis deposuit.* Aliter dicitur, quod Zacharias Papa deponendo regem Francorum misit falcem suam in messem alienam, potestatem vsurpando sibi ex officio nullatenus competentem, quod & alii summi Pontifices in præiudicium laicorum facere dignoscuntur, teste Gloss. quæ *extra de foro competent. cap. si quis clericus*, ait: *Papa siue sint negligentes* (scilicet laici) *in exhibendo iustitiam clericis, siue non, quotidie concedit literas clericis contra laicos super quacunque quæstione, & ita vsurpat iurisdictionem aliorum, contra quod dicit cap. proximo super verbo nouit, vbi sic loquitur: Non putet aliquis, quod iurisdictionem istius illustris regis Francorum turbare minime intendamus: cum ipse iurisdictionem nostram nec velit, nec debeat impedire.*

Discipulus. Dixisti motiua aliquorum, quare male Glossa allegat *cap. alius*, nunc dic, quare eadem Glossa male allegat *cap. iuratos.* *Magister.* Hoc videtur quibusdam, quia illud capitulum nullam facit mentionem de imperatore: sed de quodam milite, qui vocabatur Hugo, cui iurauerant quidam alii milites, nec Papa ibi deposuit dictum Hugonem de dignitate vel potestate sua: sed tantum mandauit, vt præciperetur militibus, vt non seruirent Hugoni prædicto, hoc autem non fuit deponere prædictum Hugonem: quia cum Dominus aliquis excommunicatus est, vasalli sui ei obedire vel communicare non debent, & tamen propter excommunicationem suam Dominus nõ deponitur à Dominio suo: nec etiam tollitur obligatio, qua vasallus ei tenetur, teste Glossa, quæ. *11. q. 3. cap. Iulianus*, ait: *verum est, quod excommunicatio non tollit obligationem, qua vasallus est obligatus Domino suo: sed tantum effectum obligationis. Vnde Domino absoluto ei obedire tenentur.* Sed propter prædicta & nonnulla alia plura nonnullis apparet, quod per illud capitulum probari non potest, quod Papa deponere possit imperatorem: quoniam, vt videtur aliquibus, quod ad Papam non spectat de iure deponere imperatorem, quia nõ maiorem potestatem habet super imperatorem & Romanum imperium, quam super alios reges, & alia quæcunq; regna, quia si maiorem potestatẽ haberet super imperatorem, q̃ super alios reges, aut haberet talem potestatem à iure diuino, aut à iure humano, nõ à iure diuino: quia in tota scriptura diuina non legitur, quod aliqua potestas sit tradita Papæ super imperatorem Romanũ, quæ non sit sibi concessa super alios reges, nec habet potestatẽ à iure humano: quia non videtur, ꝙ aliquis sibi dederit vel dare potuerit huiusmodi potestatem: quia si aliquis dedit vel dare potuit huiusmodi potestatẽ, aut fuit imperator, aut inferior imperatore, nõ imperator: quia non potuit dare talem potestatem super imperatorem, & non super alios reges. Tum quia nõ potest imperator magis subiicere imperatorem Papæ quam alios reges. Tum quia non habet imperium ꝑ imperatorem. Tum quia si imperator, qui dedit talem potestatem Papæ super imperatorem, nõ fuit subie-

subiectus Papæ, & imperator sequens fuit subiectus Papæ; imperator sequens non fuit verus successor: quia quando successor est magis subiectus, quam prædecessor, non est vera successio in ius alterius, ita imperator sequens non esset verus imperator, & per consequens imperator, qui taliter subiugasset Romanum imperium Papæ, fuisset destructor imperii quantum in se est, vel fuisset, & per consequens nihil egisset, quia nullus imperator valet destruere imperium, & quicquid egerit ad destructionem imperii, non teneret de iure: sed etiam per successorem suum de iure & de facto in irritum esset reuocandum, nec aliquis inferior imperatore dedit vel dare potuit talem potestatem Papæ super imperatorem, ex quo imperator dare non potuit eam, propter hoc nonnullis apparet, quod ratio illa est inualida ad probandum, quod verum imperium Romanum est à Papa.

CAP. XIX.

Adducit aliam rationem probantem, quod imperialis potestas sit à Papa: ad quam etiam respondetur & obiicitur.

DIscipulus. Aliam igitur rationem ad probandum idem adducas. *Magister.* Aliam rationem innuit Gloss. vbi prius, quæ potest sic formari. Ab illo enim est imperium, cui datæ sunt claues cœlestis & terreni imperii, sed beato Petro, & per consequens successoribus suis, datæ sunt claues cœlestis & terreni imperii. Vnde Nicolaus Papa, vt legitur *22. dist. ca. 1.* sic dicit: *Christus Romanam ecclesiam solus ipse constituit & fundauit, & supra Petram fidei mox nascentis erexit, qui beato Petro claui gero æterna vitæ simul terreni & cœlestis imperii iura commisit*, ergo Romanum imperium est à Papa. *Discipulus.* Ista ratio fortis mihi videtur, & tamen si aliqui nitantur respondere ad ipsam, enarra. *Mag.* Nonnulli volunt eam repellere, quia dicunt, quod auctoritas Nicolai, in qua fundatur ratio ista, si intelligatur, sicut intelligunt eam illi, qui eam adducunt, plures absurditates, imo certi errores aperte sequuntur. Prima absurditas siue error est, quod omnia regna sunt à Papa: & quod nullus est verus rex, nisi qui regnum suum suscipit à Papa. Nam in tota sacra Scriptura vel quacunque scriptura autentica nullatenus inuenitur, quod Christus aliter plus commiserit beato Petro iura Romani imperii, quam iura aliorum regnorum. Si igitur per auctoritatem illam potest ostendi, quod Romanum imperium est à Papa, & quod non est verus imperator, nisi qui suscipit imperium à Papa; sicut tenet opinio, in cuius fulcimentum est adducta ista ratio: sequitur quod omnia alia regna sunt à Papa: & ita alii reges non sunt veri reges, nisi regna sua à Papa suscipiant, quare cum nulli vel pauci sua regna suscipiant à Papa, nulli vel pauci sunt veri reges. *Discipulus.* Satis videntur reges sua regna suscipere à Papa, ex quo parati sunt sibi obedire, qui etiam, si placeret Papæ, præparati essent resignare sua regna Papæ, & ipsa ab eo suscipere. *Magister.* Multi istud negarent. Vnde de rege Franciæ specialiter, vt notatur *extra de elect. qui filii sunt legitimi, cap. per venerabilem*, testimonium perhibet, quod superiorem in temporalibus non recognoscit: & tamen rex Franciæ est verus rex, nec vnquam fuit aliquis, qui putauit se in temporalibus superiorem habere.

Discipulus. Nunc videtur mihi, quod auctoritas Nicolai prius allegata potest in præiudicium regum, & specialiter regis Franciæ, intelligi. Sed quæso dic ibi, quid illi per auctoritatem prædictam Nicolai Papæ, & opinionem pro qua adducitur intelligunt, sicut & verba sonant, & quæ etiam arbitrantur, sicut iura omnium regnorum Christus commisit beato Petro, quod omnes reges tenentur recognoscere Papam superiorem, etiam in temporalibus, de rege Franciæ & de aliis regibus & principibus, qui etiam in temporalibus Papam minime recognoscunt superiorem, an scilicet eorum error sit talis, quod sit inter hæreses computandus? *Magister.* Dicunt nonnulli, quod si prædicta opinio vera est, error iste debet inter hæreses computari: quia secundum opinionem illam ex sacra Scriptura colligitur, quod Christus sic omnia iura omnium regnorum cōmisit B. Petro, quod omnia regna [illegible] legitima sunt à B. Petro summo Pontifice: & summus Pontifex etiam in temporalibus est superior omnibus regibus, sed omnis error, qui obuiat scripturæ diuinæ, est inter hæreses numerandus, asserere autem quod aliquis rex non debet recognoscere in temporalibus superiorem in terris, est contra scripturam diuinam, & per consequens hæreticum est censendum. *Disc.* Nunquid secundum istam opinionem rex Franciæ & alii tenentes istam assertionem, sunt inter hæreticos numerādi? *Magister.* Si ista assertio sit hæreticalis, & rex Franciæ vel alius non tenet eam pertinaciter: non est propterea hæreticus reputandus. Si autem sit hæreticalis, & rex Franciæ vel alius pertinaciter adhæreret eidem hæreticus est censendus, qualiter autem debeat quis de pertinacia conuinci, in *primo tractatu huius Dialogi libro quarto*, est aliqualiter indagatum. *Discipulus.* Recitasti secundum opinionem quorundam, vnam absurditatem quamplures includentem, sequentes ex auctoritate Nicolai Papæ intellecta, vt ista opinio eam intelligit, nunc autem secundum alios dic, an aliqua alia absurditas siue error sequatur ex eadem secundum intellectum eundem. *Mag.* Alia absurditas secundum quosdam sequitur ex ipsa: sci. quod regnum cœleste sit à Papa: quia ita asserit ista auctoritas, quod Christus commisit beato Petro iura cœlestis imperii, sicut terreni. Si igitur ex ista auctoritate potest concludi, quod terrenum imperium sit à Papa, eadem ratione concluditur ex ipsa, quod cœleste imperium sit à Papa: quod videtur absurdissimum. Tum quia ante Christum esset Papa supra cœleste imperium. Tum quia sine auctoritate Papæ multi recipiuntur in cœlesti imperio. Tum etiam quod

quod quando sedes vacat, multi recipiuntur ad cœleste imperium. *Discip.* Audiui, quomodo aliqui moliuntur ex auctoritate Nicolai Papæ intellecta, prout intelligit opinio in *præcedenti cap.* recitata, plures absurditates & errores concludere. Nunc dic, quomodo isti illam auctoritatem intelligunt: ex quo potero adducere, quomodo ad allegationem, quæ fundatur super ipsam, respōdere nituntur. *Magister.* Dicunt, quod sicut Nicolaus Papa per imperium cœleste non intelligit imperium, quod possidet ecclesia triumphans: quia illud regnum non datur à Papa, sed à Deo: licet Papa habeat claues illius, & sit clauiger, non dominus illius imperii, sic per terrenum imperium non intelligit imperium temporale, quod possidet imperator: sed per tale cœleste imperium supra bonos in ecclesia militante per terrenum imperium intelligit malos, super quos Papa noscitur potestatem habere. Aliter dicitur, quod Nicolaus Papa non dicit, quod commisit B. Petro dominium cœlestis & terreni imperii, sed iura, & ideo terrenum imperium non est à Papa: & tamen Papa habet aliquod ius in terreno imperio, quando à Christiano gubernatur. Tum quia habet potestatem spiritualem super imperatorem. Tum quia habet ius participandi carnalia ab imperio, cui ministrat spiritualia. Iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus: non est mirum, si carnalia vestra metamus.*

CAP. XX.

Adducit tertiam rationem ad probandum tertiam opinionem capitulo 18. positam, ad quam respondetur & obiicitur.

DIscipulus. Aliam allegationem pro opinione prædicta adducas. *Magister.* Aliam rationem innuit Glossa, *distinction. decim. capit. quoniam idem.* Ex qua ratio talis potest sumi. Ab illo est Romanum imperium, qui transfert & transferre potest de vna gente ad aliam. Sed Papa transtulit imperium de Græcis ad Germanos, *extra de electione, venerabilem.* Igitur imperium Romanum est à Papa. *Discipulus.* Ista ratio videtur insolubilis: & tamen cupio scire, an aliqui nitantur eam refellere. *Magister.* Putant aliqui, quod ex ratione intellecta, vt aliqui eam intelligunt, sequitur absurditas manifesta, quod videlicet Papa potest transferre quæcunque regna Christianorum & aliorum de domo in domum, & de gente in gentem, & ita potest transferre regnum Franciæ in Anglicos & Theutonicos, aut Hispanos, vel alios, secundum quod transtulit Romanum imperium de Græcis in Germanos. Quod autem ista absurditas sequatur, probant per quoddam fundamentum, per quod multi nituntur probare quamplurima circa materiam istam. Est autem hoc fundamentum, quod etiam tactum est prius: scilicet quod nullam potestatem spiritualem dedit Christus beato Petro super Romanum imperium, quin illam dedit super regnum Franciæ & alia regna quæcunque, quod duobus modis ostendere moliuntur.

Primo probatur sic. In tota Scriptura sacra, vbi fit mentio de potestate Papæ collata sibi à Christo, nulla fit mentio specialis de Romano imperio: nec ab illa potestate aliquod regnum eximitur. Cum enim dixit Christus beato Petro: *quodcunque ligaueris*, &c. cum iterum dixit: *pasce oues meas*, non plus à tali potestate eximitur regnum Franciæ vel aliquod aliud quam Romanum imperium, & idem in omnibus auctoritatibus, quibus probatur potestas specialis Papæ. Cum enim dicitur Genesis primo: *Fecit Deus duo luminaria magna*, &c. per quæ intelligit regnum & sacerdotium. Et cum dicitur Ieremiæ primo: *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna.* Et cum dicitur Lucæ vigesimo secundo, *ecce duo gladii hic*, & in similibus, nulla fit mentio specialis de aliquo regno, nec intelligitur specialiter exemptum à potestate data Petro à Christo magis quam Romanum imperium, quod non acceperit super Franciam & alia regna. Quare si ex potestate data beato Petro à Christo, Papa potest transferre Romanum imperium de gente in gentem: poterit eadem potestate transferre regnum Franciæ de gente in gentem.

Secundo probant idem sic, non fuit maior potestas beato Petro data super Romanum imperium, quam super partes Romani imperii, vel super regna quæ erant subiecta Romano imperio, sed quando Christus dedit beato Petro potestatem Papalem, regnum Franciæ, sicut & alia regna, fuit pars Romani imperii, vel subiectum Romano imperio, igitur non maiorem potestatem recepit beatus Petrus à Christo super Romanum imperium, quam super regnum Franciæ. *Disc.* Forte dicerent aliqui, quod dominium regni Franciæ erat subiectum Romano imperio, & omnem potestatem, quam habuit Papa super Romanum imperium, habuit etiam super regnum Franciæ. Sed modo non habet eam, quia regnum Franciæ non est subiectum Romano imperio. *Mag.* Ista responsio multis videtur absurda. Tum, quia per rebellionem regni Franciæ vel exemptionem Papa non debuit aliqua potestate priuari. Tum, quia potestas, quam habet Papa ex ordinatione Christi, non potest mutari nec auferri ab eo per aliquem inferiorem Christo. Tum quia tunc Papa, qui fuit post rebellionem vel exceptionem regni Franciæ, non fuisset æqualis potestatis cum Papa qui præcessit, & ita non fuit verus successor eius. *Discipulus.* Recitasti quomodo impugnatur: nunc narra quomodo responderetur ad ipsam. *Mag.* Respōdetur, quod per qualem potestatem & auctoritatem Papa Zacharias deposuit regem Franciæ, & Pipinum instituit, vt allegatum est supra: per talem & consimilem transtulit Romanum imperium de Græcis in Germanos: regemque Franciæ non deposuit auctoritate vel potestate sibi data à Christo, sed hæc fecit auctoritate Frā-

corum,

eorum, qui sibi illa vice auctoritatem & potestatem dederunt talem. Vel secundum Glossam super illud ca. *alius: Dicitur deposuisse, quia deponentibus consensit.* Sic Papa non auctoritate vel potestate sibi data à Christo, sed auctoritate Romanorum talem potestatem dederunt, illa vice transtulit Romanum Imperium de Græcis in Germanos. Vel potest dici transtulisse, quia transferentibus consensit. *Discip.* Ista responsio videtur fundari in illa opinione, quæ ponitur, quod Papa habet veram potestatem à Christo immediate, scil. potestatem in spiritualibus & ius percipiendi carnalia necessaria sibi pro sustentatione & exercendo officia sua habet aliquam à conciliis generalibus auctoritatem à congregatione fidelium, saltem per tacitum assensum ipsorum à diuersis gentibus vel Imperatoribus vel principibus vel huiusmodi. De qua opinione poteris inuenire quamplurima in tractatu *De potestate Papæ & cleri.* Ideo ad præsens quamplures impugnationes illius responsionis omittam, & vnam adducam, quæ talis est. Quando aliquid fieri dicitur à Sede Apostolica, non intelligitur fieri per aliquam potestatem concessam personæ Papæ solum; sed intelligitur fieri auctoritate officii concessi à Christo sibi & commissi. Decretalis autem illa *venerabilem* dicit, Sedem Apostolicam transtulisse Imperium de Græcis in Germanos, verba enim Decretalis sunt hæc. *Istis principibus & ius & potestatem eligendi regem in Imperatorem postea promouendi cognoscimus, vt debemus, ad quos de iure & antiqua consuetudine noscitur pertinere, præsertim cum ad eos ius & potestas huiusmodi à Sede Apostolica prouenerit, quæ Romanum Imperium in personam Magni Caroli à Græcis transtulit in Germanos.* Igitur Papa auctoritate officii commissi sibi à Christo transtulit Romanum Imperium. *Magist.* Respondetur ad impugnationem istam, quod sæpe Apostolica Sedes accipitur pro Papa, & sæpe illud quod fit à Papa inquantum Papa, dicitur fieri à Sede Apostolica. Et ideo quia Papa habens potestatem à Romanis transtulit Imperium, Sedes Apostolica dicitur transtulisse Imperium.

CAP. XXI.

Tertiam rationem adducit, ad probandum id, quod prius, quæ etiam impugnatur, & ad eam respondetur.

DIscipulus. Adhuc allegationes alias pro opinione prædicta discutiamus. *Magist.* Pro eadem opinione allegatur August. sic. Ab illo habet Imperator Romanum Imperium, à quo postquam electus est examinatur, confirmatur & inungitur, consecratur & coronatur, & cui iurat. Sed Imperator Romanus postquam est electus examinatur à Papa, confirmatur, inungitur, consecratur, & coronatur, & ei iurat. *extra, de electione ca. venerabilem. & di. 63. tibi Domino.* Ergo Imperator Imperium habet à Papa. *Discip.* Ista ratio videtur includere multas particulas. Dic ergo secundum aliquam sententiam, an per hoc, quod electus in Imperatorem examinatur à Papa, possit ostendi, quod Imperator Imperium recepit à Papa. *Magist.* Dicunt quidam, quod non. Nam & legati examinari debent ab illis, ad quos mittuntur *dist. 97. nobilissimus*, vbi dicitur Gloss. *Legati sine periculo non recipiuntur. Vnde in eis maior est facienda examinatio.* Et tamen legationis officium non est ab ipsis. Ergo per examinationem probari non potest, quod examinatus non habet officium suum ab examinante. Tum quia licet examinare literas Papales. *extra, de crimine falsi & falsariorum*: & tamen examinatores huiusmodi non habent super literas examinatas aliquam potestatem. Ergo per hoc, quod electus in Imperatorem examinatur à Papa, inferri non potest, quod Imperator habet Imperium à Papa. Examinatur ergo electus in Imperatorem à Papa, non vt Papa conferat sibi Imperium, sed ne Papa & alii habeant, pro Imperatore vnum, qui non est electus legitime. Et per consequens, qui non est verus Imperator. Quemadmodum volentes vti literis Papalibus examinant eas, ne literas falsas pro veris recipiant. *Discip.* Video quare dicitur, quod per examinationem probari non potest, quod Imperium sit à Papa. Nunc refer, quid dicitur de confirmatione. *Magist.* Dicitur, quod in nulla scriptura autentica antiqua inuenitur, quod Imperator fuerit confirmatus à Papa. Vnde & in Decretali *venerabilem*, quæ magis sonare videtur, quod Imperium sit à Papa, de confirmatione non fit mentio. Vnde dicitur, quod Imperator antiquitus non confirmabatur à Papa. Si autem aliquis postea confirmatus fuerit à Papa, ex simplicitate vel humilitate Imperatoris processit: non tamen potuit legem Imperatori imponere. *Discip.* Nunquid per inunctionem, consecrationem, coronationem ostendi potest, quod Imperium sit à Papa? *Magist.* Dicitur quod non: quia alii reges inunguntur, consecrantur, & coronantur ab Archiepiscopis & Episcopis regnorum suorum, & tamen non habent ab ipsis sua regna. *Discip.* Nunquid per iuramentum potest ostendi, quod Imperium sit à Papa. *Magist.* Dicitur quod non: quia non potest probari, quod aliquis Imperator præstiterit aliquod iuramentum Papæ, quam illud quod fecit Otho Imperator Iohanni. Sed iuramentum Othonis non fuit iuramentum fidelitatis & subiectionis, quod præstat vasallus Domino suo pro feudo quod recepit ab ipso: ad quod probandum, tam iuramentum Othonis prædicti, quam iuramentum quod præstat vasallus Domino suo, adducuntur. Iuramentum autem Othonis habetur *dist. 63. c. tibi Domino*, tale fuit: *tibi Domino Iohanni Papæ ego rex Otho promitto & iuramentum facio per Patrem, Filium & Spiritum sanctum, per hoc lignum viuificæ crucis, & per has reliquias sanctorum, quod si permittente Deo Romam venero, sanctam Romanam Ecclesiam & te rectorem ipsius exaltabo secundum meum posse, & vitam aut membra neque ipsum honorem, quem habes, mea voluntate aut meo consilio aut meo consensu aut exhortatione perdes. Et in Romana ciuitate nullum placitum aut ordinationem faciam de omnibus, quæ ad te aut Romanos pertinent, sine consilio tuo. Et quicquid de terra sancti Petri ad nostram potestatem peruenerit tibi reddam. Et cuicunque regnum Italicum commisero, iurare*

 faciam

faciam illum, vt tui adiutor sit ad defendendum terram sancti Petri secundum meum vel suum posse. Forma autem, qua iurat vasallus Domino suo, est hæc, vt dicit Hostiens. *Iuro ego super sancta Dei Euangelia, quod à modo inantea ero fidelis tibi, sicut debet esse vasallus Domino suo: nec illud, quod mihi sub nomine fidelitatis commiseris, pandam alii me sciente ad eius detrimentum.* Aliam formam ponit idem Hosti. quæ talis est: *Ego Titius iuro ad sancta Dei Euangelia, quod ab hac hora inantea vsq; vltimum diem vitæ meæ ero fidelis tibi Caio Domino meo contra omnem hominem.* De istis formis iurandi nonnullis apparet, quod iuramentum Othonis Imperatoris non fuit iuramentum fidelitatis. Tum quia in illo iuramento nulla fit mentio de fidelitate. Tum quia esto, quod per aliqua verba eiusdem iuramenti aliqua fidelitas debeat intelligi, per nulla verba tamen posita in illo iuramento intelligitur fidelitas illa, quam debet vasallus Domino. Non enim omnis fidelitas est fidelitas, quam debet vasallus Domino. Nam nonnunquam quis debet seruare fidelitatem hosti suo: quia fides hosti est seruanda *23. q. 1. noli.* Et tamen fidelitas illa, quam debet vasallus Domino, non est hosti seruanda. *Discip.* Videtur, quod iuramentum Othonis fuit iuramentum fidelitatis ex hoc, quod iurauit sibi, quod nunquam vitam aut membra aut honorem perderet sua voluntate, consilio vel exhortatione. Hoc autem spectat ad iuramentum fidelitatis *22. q. vlt. ca. de forma*, vbi sic legitur: *Qui Domino suo fidelitatem iurat, ista sex semper in memoria habere debet, incolume, tutum, honestum, vtile, possibile, facile. Incolume videlicet, ne sit in damnum Domino suo de corpore suo.* Ex quibus verbis colligi potest, quod qui iurat alicui, ne sit ei in damnum de corpore suo, iurat sibi fidelitatem. Hoc autem continetur in prædicto iuramento Othonis. Ergo iurauit Papæ fidelitatem. *Magist.* Dicitur, quod non omnis, qui iurat alicui, ne sit ei in damnum de corpore suo, iurat sibi fidelitatem, quam debet vasallus Domino suo. Nam sicut legitur *1. Reg 30.* Dauid iurauit puero Ægyptio, qui ductu suo eum erat ad Amalechitas, qui percusserunt Sicheleth, quod nō occideret eum, & non traderet eum in manum Domini sui: & tamen Dauid non iurauit illi puero fidelitatem, quam vasallus debet Domino suo. Et per consequens ex hoc, quod Otho iurauit Papæ, quod sua voluntate aut consilio non perderet vitam aut membra, non exhibuit sibi iuramentum fidelitatis: imo quamuis iurasset sibi, quod nihil mali ei vnquam faceret, non posset concludi, quod iurasset ei fidelitatem, quam debet vasallus Domino suo: licet iurauerit ei, quod nihil noceret sibi. Abimelech similiter iurauit Isaac. Sic legitur enim Gen. 26. *Ad quem locum cum venissent de Geraris Abimelech & Achosat ad amicos illius, & Phicol Dux exercitus, locutus est eis Isaac: quid venistis ad me hominem, quem odistis & expulistis à vobis? Qui responderunt. Vidimus Dominum esse tecum & idcirco nunc diximus: sit iuramentum inter nos & iuremus fœdus, & non facias nobis quicquid mali. Et post surgentes mane iurauerunt sibi mutuo.* Ex quibus verbis colligitur, quod Isaac iurauit illi, cuius non erat vasallus: & econuerso, quod noceret ei. Et per consequens licet Otho iurasset Papæ, quod non sibi in damnum nec de corpore suo nec secreto vel munitionibus neq; de iustitia sua, neq; possessionibus, neq; de quocunq; pertinente ad ipsum, non posset ex hoc concludi, quod iurasset sibi fidelitatem, quam debet vasallus Domino suo, quod non continetur in iuramento, quousq; ad vltimum diem vitæ suæ foret sibi fidelis contra omnem hominem, sicut vasallus Domino suo. Sed videtur, quod Otho Imperator poterat iurare fidelitatem, & subiectionem Papæ absque hoc, quod iuraret sibi fidelitatem quam debet vasallus Domino suo. Nam sicut habetur *extra, de iureiurando, ego Episcopus*, Episcopi iurant illam fidelitatem Domino Papæ: & tamen non iurant sibi illam fidelitatem, quam debet vasallus Domino: quia Episcopi non sunt vasalli Papæ, sicut nec Papa est Dominus ipsorum, iuxta illud Beati Petri: *Neq; dominantes in clero. Magist.* Respondetur, quod sermo est de iuramento, quod dicitur debere fieri ab Imperatore ratione Imperii Romani, quod dicitur esse à Papa: quia dicitur, quod nullus est verus Imperator Romanus, nisi percipiat Romanum Imperium à Papa. Ex quo concluditur, quod Imperator debet infeudari à Papa: & per consequens Imperator est vasallus Papæ. Ex quo sequitur, quod si debet iuramentum præstare Papæ pro Romano Imperio, debet sibi iurare fidelitatem, quam debet vasallus Domino suo. *Discip.* Videtur, quod Otho iurauit Papæ Iohanni fidelitatem illam, quam debet vasallus Domino: quia vocat eum Dominum suum, cum dicit: *tibi Domino Iohanni Papæ. Magist.* Respondetur, quod sicut ibi Otho vocat Papam Dominum: ita Papa vocat Imperatorem Dominū suum *11. q. 1. sacerdotibus.* Igitur sicut ex tali modo loquendi non potest concludi, quod Papa est vasallus Imperatoris: ita ex modo tali loquendi Othonis non potest concludi, quod Imperator est vasallus Papæ. Igitur quod Otho vocat Papam Dominum suum, non est quia Papa est eius Dominus temporalis: sed propter prærogatiuam officii & dignitatis: quemadmodum sæpe Domini temporales vocant etiam Mendicantes Religiosos *Dominos*, propter prærogatiuam sanctitatis & religionis: non quia reputant se vasallos eorum. Qui & modus loquendi sæpe legitur in scripturis Diuinis. *Discip.* Nunquid tenebatur Otho etiam non requisitus iurare Domino Papæ? *Magist.* Respondetur, quod Otho spontanea voluntate iurauit Papę Iohanni. Ad tale autem iuramentum cogi non potuit. Quod tali ratione probatur. Nam non plus ex ordinatione Christi tenetur Imperator Papæ pro Romano Imperio, quam rex Franciæ & quicunq; alii pro regnis suis. Sed rex Franciæ & multi alii reges non tenentur iurare Papæ, nisi voluerint. Ergo nec Imperator. Et ex hoc concluditur, quod Imperator non habet Imperium à Papa, nec est vasallus eius: quia vasallus tenetur iurare Domino suo potissime si fuerit requisitus.

CAP. XXII.

Ponit duas alias rationes idem probantes quod prius: ad quas etiam respondetur.

Discipulus. Tange breuiter aliquas alias rationes pro sæpe dicta opinione. *Magist.* Alia ratio est: Papa supplet defectum Imperii, vacante Imperio, *extra, de foro compe. cap. licet.* Ergo imperium dependet à Papa. *Discip.* Dic breuiter quomodo respondetur ad illam rationem. *Magist.* Dicitur, quod sicut Papa ex auctoritate sibi data à Christo non intromittit se de temporalibus, vacantibus aliis regnis multis: nec etiam est tutor aliorum regnorum vel hæredum eorum infra ætatem legitimam: sic Papa auctoritate Papali sibi data à Christo non intromittit se de Imperio, vacante illo. Sed quod intromittat se, si rite faciat, intromittit se auctoritate Romanorum vel Electorum, ad quos spectat specialiter supplere defectum Imperii, Imperio vacante, qui potestatem suam transferre possent in Papam. *Discip.* Aliam rationem adducas. *Magist.* Alia ratio est. Papa habet vtrumq; gladium, materialem scilicet & spiritualem. Ergo Imperium est ab ipso. *Discip.* Dic quomodo respondetur ad istam. *Magist.* Dicitur, quod Papa non habet vtrumq; gladium, teste Nicolao, qui, vt legitur *30. q. 2. cap. inter hoc*, loquens de Ecclesia, ait: *Gladium non habet, nisi spiritualem: non occidit, sed viuificat. Discip.* Glossa respondet ibidem, quod Ecclesia non habet gladium nisi spiritualem, quoad executionem: habet tamen gladium materialem quasi reconditum in vagina, cuius executionem Imperatori committit. In gremio enim fidelis Ecclesiæ ambo gladii sunt reconditi. Vnde quisquis ibidem non fuerit, neutrum habet. Quod probatur per hoc, quod Dominus non dicit Petro, abiice gladium, sed *conuerte gladium in vaginam*, vt scilicet Petrus non per seipsum, sed per Imperatorem potestatem gladii communicet. Potestas enim gladii materialis apud Ecclesiam est implicita: sed per Imperatorem, qui eam recepit, explicatur. In cuius signum summus pontifex, quando coronat Cæsarem, exhibet sibi gladium in vagina contentum, quem acceptum princeps euaginat, & vibrando innuit se illius executionem accepisse. *Magist.* Ista ratio à nonnullis, qui eam hæreticalem reputant, multipliciter improbatur. *Discip.* Quia illa opinio, quam modo tractamus, hæreticalis æstimatur: ideo breuiter narra, quomodo illa ratio improbatur. *Magist.* Improbatur primo sic. Rex Franciæ & alii reges quam plures non recipiunt gladii potestatem à Papa: etiam quando regnare incipiunt, ipsum de nullo requirunt, nec pro coronatione, nec pro alia potestate concedenda ipsis. Ergo nec Imperator recipit gladii potestatem à Papa. Secundo, quia extra Ecclesiam est gladii potestas. Aliter enim nullus paganus fuisset vere princeps. Tertio: quia quando Christus dixit Petro: *Conuerte gladium tuum in vaginam*, post resurrectionem factus fuit pastor, licet prius fuit Apostolus *dist. 50. considerandum, & cap. fideliter*. Igitur per illa verba non potest ostendi, quod potestas gladii fuit data Papæ à Christo. Quarto: quia alii reges accipiunt coronam ab Episcopis vel Archiepiscopis regnorum suorum, per quam designatur auctoritas & etiam potestas temporalis: & tamen illi non habent ab Episcopis vel Archiepiscopis regnorum suorum Dominium. Omnem enim gladii potestatem & administrationem temporalem habent ante coronationem, quam habent post: & multo magis recipiunt in coronatione, quam clerici confirmati in consecratione, & tamen ante consecrationem consequuntur omnia, quæ sunt iurisdictionis, *extra, de translatione Episcoporum c. 1.* Quinto, quia electus in Imperatorem, ante coronatur in regem, quam in Imperatorem à Papa coronetur. Omnis autem rex habet potestatem gladii materialis. Ergo antequam Imperator recipiat à Papa gladium in vagina contentum, habet etiam quo ad executionem gladium materialem.

CAP. XXIII.

Adducit sextam rationem ad idem: vbi etiam propter illam rationem determinatur, quod Papa non potest omnia sine omni exceptione.

Discipulus. Ista ratio apparenter refellitur: ad quam postea forte redibimus. Ideo tange aliam rationem ad eandem conclusionem. *Magist.* Alia ratio talis est. Ab ipso est potestas Romani Imperii, qui à Christo recepit potestatem ligandi omnia & soluendi. Sed talem potestatem dedit Christus beato Petro, qui, vt legitur Matth. 16. dicit ei: *Tu es Petrus, & super hanc* &c. vsq; *erit solutum & in cælis.* Igitur Beatus Petrus omnia potuit. Et per consequens potuit dare Imperium Imperatori. *Disci.* Quamuis de fundamento illius rationis plura poterimus inuenire in tractatu *De potestate Papæ & cleri*: tamen dic breuiter hic, an omnes consentiunt, quod absq; omni exceptione Papa omnia possit. Videtur enim quod sic: cum Innocentius tertius videtur hoc consentire & dicere, sicut legitur *extra, de maior. & obe. c. solet.* ait: *Nunc vis non illud tanquam notissimum omittamus, quod Deus dicit ad Petrum, & etiam Petrus dicit ad successores eius: quodcunq; ligaueris super terram erit* &c. *nihil excipiens, cum dicit: quodcunq; ligaueris* &c. *Magist.* Dicere quod Papa sine omni exceptione omnia possit, multi reputant hæresim, etiam loquendo de illis, quæ fieri possunt ab homine. Tum, quia nihil potest quod est contra ius diuinum vel ius naturale. Tum quia multa non potest, quæ nec sunt contra ius diuinum, nec contra ius naturale, quorum multa ab aliis fieri possunt. *Discip.* Quod Papa non possit illa, quæ sunt contra ius diuinum vel ius naturale, non dubito. Ideo non ponas exemplum de illis: sed breuiter tange ali-

aliqua exempla, quæ alii adducunt ad probandum, quod Papa non potest omnia, quæ nec sunt contra ius diuinum nec naturale. *Mag.* Primum exemplum est: quod Papa non potest sibi substituere successorem, qui post ipsum sit Papa 8. *q.* 1. *c his omnibus.* Secundum est: quia quod infideles suscipiunt fidem non est contra ius diuinum vel naturale, sed consonum. Et tamen Papa non potest cogere infideles suscipere fidem. *dist.* 35 *de Iudæis. & 13. q. 5. ad fidem. & c. qui a nos.* Tertium est: quod non potest compellere aliquem absq; culpa intrare religionem 20. *q* 3. *c. presens.* Quartum est: quod non potest alicui præcipere absq; culpa & causa patenti, quod quis seruet virginitatem, teste Ambrosio, qui, vt legitur 32. *q. c. integritas,* ait: *Sola autem est virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest. Res magis est voti quàm præcepti.* Ex verbis istis sumitur quintum exemplum, quod scilicet nihil supererogatiuum potest præcipere alicui sine culpa & absq; causa: nec continentiam nec ieiunium, nisi ratione delicti, vel causa patenti posset alicui præcipere 74. *dist. cap. gesta.* vbi dicit Beatus Gregorius. *Sicut iniustum est, vt nemo credere compellatur inuitus: ita censendum puto, ne quisquam insons ab ordinis sui ministerio deiiciatur iniuste.* Ex quibus verbis sic arguitur. Papa de plenitudine potestatis non potest deiicere iniuste aliquem. Igitur nec de plenitudine potestatis potest aliquem inuitum compellere credere, nisi ratione delicti vel ex causa. Sextum est: quod Papa non potest dispensare cum Monacho, vt habeat proprium, vel contrahat matrimonium, *extra, de statu Monachorum. ca cum ad monasterium.* Vbi sic dicitur: *Abdicatio proprietatis & custodia castitatis adeo est adiuncta regulæ monachali, vt contra eum nec summus pontifex possit licentiam indulgere.* Septimum est: quod Papa absque causa non potest in quocunque voto dispensare, teste Gloss. *extra, de voti & voto, redemptione, cap. non est voti.* Quæ ait super verbo *adimplere: Non est securus quo ad Deum, cum quo Papa dispensat, nisi subsit causa dispensandi. Sicut non dicitur absolutus, qui causam excommunicationis supprimit: habebit tamen exceptionem, quo ad Ecclesiam ille, cum quo sine causa dispensatum est, quo ad Deum sibi allegatio non valebit.* Octauum est, quod Papa non potest alienare prædia & possessiones Ecclesiæ, nisi ex causa & debito modo 12. *q.* 2. *cap. non liceat.* Vbi Symachus Papa ait: *Non liceat Papæ prædium Ecclesiæ alienare quoquo modo*: scilicet ad placitum suum: sed in casu & debito modo posset alienare. Nec Papa hic imponit legem successori suo, sed ostendit, quid de iure non potest, vt dicit Gloss. *dist.* 60. *cap. si Papa non potest.* Nonum est, quod quondam non potuit cogere subdiaconos ad continentiam, secundum Beatum Gregor. vt legitur 27. *quæst* 2. *c. multorum. & dist.* 31. *ante triennium,* qui reprobat constitutionem antecessoris sui. Qui, vt dicit Glossa super cap. *ante triennium,* ordinauit, vt subdiaconi, qui non promiserant continentiam, vel contenti essent vxoribus suis tantum, vel beneficiis priuarentur. Postea ibidem prædecessor Gregorii fecit constitutionem, in qua præcise prohibuit, vt subdiaconi nullo modo commiscerí deberent vxoribus suis. De qua constitutione scribit Beatus Gregorius dicens: *Ante triennium olim omnium Ecclesiarum subdiaconi Siciliæ prohibiti fuerant* (scilicet à Pelagio Papa) *vt more Romanæ Ecclesiæ suis vxoribus nullatenus miscerentur. Quod mihi durum videtur atque incompetens, vt qui vsum incontinentiæ non inuenit, neque castitatem promisit, compellatur à sua vxore separari, ac per hoc (quod absit) in deterius cadat.* Vbi Gloss. in assignando casum huius capituli loquens de illa constitutione Pelagii, dicit sic: *Sed illa constitutio fuit iniqua. quod aliquis, qui non promiserit continentiam, cogeretur continere: retractatur hic à Gregor & constituitur hic, quod si qui diaconi non sunt, non cogantur continere, nisi velint. Si qui autem in futurum ordinandi, non admittantur, nisi promittat continentiam.* Et Gloss. super verbo *durum,* dicit: *Sic statutum Pelagii fuit contra Euangelium, ex quo excipitur sola fornicatio. Et ideo reprobatum fuit.*

Discip. Si constat, quod illud, quod præcepit Pelagius Papa, fuit contra Euangelium, illud exemplum non probat, quod Papa non potest omnia, quæ non sunt contra ius diuinum vel naturale. *Magist.* Respondetur, quod istud statutum Pelagii fuit tam contra Euangelium, quam contra libertatem siue ius illorum subdiaconorum & vxorum suarum. Quia cogere voluit subdiaconos continere, non obstante Euangelio & libertate siue iure tam subdiaconorum quam vxorum eorundem. In potestate enim subdiaconorum de consensu vxorum suarum fuit continere: nec hoc erat contra Euangelium. Sed illam potestatem subdiaconorum & vxorum suarum non potuit ab eis auferre Papa Pelagius, vt testatur Gregor. ergo non potuit omnia, quæ sunt contra ius diuinum & contra ius naturale. Et ex ista sententia concludit Gregor. quod Papa nihil potest contra libertatem & ius vnius Christiani etiam in spiritualibus, nisi ratione delicti vel caussa manifesta. Quoniã nullum potest priuare iure suo & libertate sua sine culpa & absque causa. Et ideo nisi ratione delicti vel ex causa non potest alicui præcipere continentiam, nec ieiunium, nec Eleemosynam, ad quod non tenetur sine consensu suo, nec aliquid simile. *Discip.* De hoc, & sicut de aliis, in tractatu *De potestate Papæ & cleri* plura poterimus inuenire: ideo breuiter tange plura exempla. *Magist.* Decimum est: quod non potest cogere aliquem subdiaconum nolentem suscipere prælationem, vt notatur in Gloss. 23. *q.* 4. *c. displicet.* Vndecimum est, quod non potest statuere, ne de hæresi accusetur, testante Gloss. quæ *dist.* 60. *c. si Papa,* quærit: *nunquid Papa possit statuere, ne de hæresi accusetur?* Et respondens ait, *non: quia per hoc periclitaretur tota Ecclesia.* Et consimili ratione non posset statuere, ne possit qualitercunque accusari de illo crimine, pro quo potest deponi. Sed pro alio crimine quocunque potest in casu Papa deponi, teste Glossa ibidem, quæ ait: *Certe credo, quod si notorium est crimen eius quodcunque & inde scandalum Ecclesiæ & incorrigibilis sit, quod inde possit accusari,* & per consequens iudicari. Quia accusatio coram iudice fieri debet. Igitur non potest statuere, ne possit pro quocunq; crimine accusari & iudicari. Duodecimum est: quod non potest compellere aliquem ad confitendum peccatum, quod alteri confessus est, qui absoluere potuit. Quia confessio sacramentalis cuidam diuino Imperio subiacent

iacens est, non humano. Tertiúdecimum est: quod Papa non potest compellere aliquem, vt contrahat matrimonium. Cuius rationem reddunt aliqui dicentes, quod secundum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed soli Deo. Omnes homines natura sunt pares: puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem & prolis generationem, sicut de matrimonio contrahendo, vel virginitate seruanda, vel aliquo huiusmodi. Quartumdecimum est; quod Papa in temporalibus legitimare non potest, vt notatur *extra, qui filii sunt legitimi, per venerabilem*. Quintumdecimum, quod includit quamplura; est quod Papa extra metas iurisdictioni suæ temporali subiectas non potest illa, quæ Dominus temporalis super seruos inquantum serui sunt. *Discip.* Istud exemplum habet vigorem ex hoc; quod non omnes homines sunt puri serui summi pontificis. Quia si Papa omnia posset, quæ non sunt contra ius naturale, nec contra ius diuinum, ipse posset omnia in Imperatores & reges, principes, ac generaliter in omnes mortales, quæ potest Dominus quicunque in quemcunque seruum suum: & ita nullus nisi Papa esset liber, sed omnes essent serui sui. Licet autem de isto, sicut de multis aliis, quæ ad potestatem Papæ & cleri spectant, possumus multa inuenire *in tractatu primo huius tertiæ partis nostri Dialogi*: breuiter tamen hic allegare conare, quod non omnes homines sunt puri serui Papæ. *Magist.* Hoc multipliciter videtur posse probari. Primo sic: Reges & principes ac alii laici habent proprietatem rerum temporalium. Seruus autem non habet proprium. Igitur non omnes homines sunt puri serui Papæ. Secundo: differentia est inter seruos Ecclesiæ & aliorum. Igitur non omnes homines sunt serui summi pontificis. Tertio: non omnem eandem potestatem habet Papa in cunctis suæ iurisdictioni subiectis, & in aliis suæ iurisdictioni temporali non subiectis. Igitur non omnes sunt serui summi pontificis. Quarto sic: aliqui sunt Domini principales, qui non habent Dominos, *extra de hæreticis, excommunicamus*. Igitur non omnes homines sunt serui Papæ. Quinto: si omnes homines essent puri serui Papæ: Papa posset ad libitum alienare quamlibet rem temporalem. Igitur posset ad libitum alienare prædia Ecclesiæ, quod est contra illud *12. q. 2. non liceat Papæ*. Sexto sic: Papa non debet dominari super clerum, iuxta illud canonicæ Petri, *non dominantes in clero*. Igitur clerici non sunt serui summi pontificis.

CAP. XXIV.

Adducit quatuor rationes probantes, quod Imperialis potestas sit à Papa: ad quas etiam respondetur.

Discipulus. De ista materia habeo postea occasionem loquendi. Ideo breuiter comple rationes pro opinione, quam nunc discussimus. *Magist.* Quod Imperium sit à Papa, tali ratione probatur. Imperium fuit à Christo. Quia ipse non solum fuit sacerdos, sed etiam fuit rex omnium temporalium, in cuius signum ipse aliqua fecit vt Imperator, & aliqua sicut sacerdos, vt not. Gloss. *dist. 10. c. quoniam idem*. Igitur Papa, qui est vicarius Christi in terris, est Dominus Imperii. *Discip.* Dic quomodo respondetur ad rationem istam? *Magist.* Dupliciter respondetur. Vno modo, quod hæreticum est dicere, quod Christus inquantum homo mortalis fuit in temporalibus rex. *Discip.* De hoc satis habebimus in *tractatu tertio tertiæ partis huius Dialogi*. Ideo dic, quomodo aliter respondetur. *Magist.* Aliter respondetur sic: quod non semper vicarius habet omnem potestatem, quam habet ille, cuius est vicarius. Et ideo licet Christus fuisset rex in temporalibus, & ab eo fuisset Imperium: ex hoc concludi non posset, quod Imperium esset à vicariis Christi. *Discip.* Aliam rationem allega. *Magist.* Alia ratio est: sacerdos veteris legis fuit super reges & regna, teste Deo, qui dixit Ieremiæ Prophetæ & sacerdoti. Ierem. 1. *Ecce constitui te hodie super gentes & super regna*. Igitur multo magis summus sacerdos nouæ legis est super Imperium. *Discip.* Narra, quomodo respondetur ad hanc. *Magist.* Multipliciter respondetur. Vno modo sic: quod sacerdos veteris legis non fuit super reges, nisi in spiritualibus, & non in temporalibus. Et ideo summus sacerdos est super Imperatorem in spiritualibus, & non in temporalibus. Aliter dicitur; quod summus sacerdos nouæ legis non assimilatur summo sacerdoti veteris legis. Et ideo esto, quod summus sacerdos veteris legis fuisset super regem: ex hoc inferri non posset, quod summus sacerdos nouæ legis esset super Imperatorem. Aliter dicitur; quod licet Ieremias fuit sacerdos, non tamen fuit summus sacerdos. Et ideo per auctoritatem illam non potest probari, quod Imperium sit à summo sacerdote nouæ legis; nisi etiam posset per eandem rationem probari, quod Imperium est à sacerdote inferiori summo pontifice: quod tamen non est verum. *Discip.* Adducas aliam rationem. *Magist.* Alia ratio talis est. Summum sacerdotium & Imperium intelliguntur per solem & lunam, de quibus dicitur Genes. 1. *Fecit Deus duo luminaria magna* &c. Ergo sicut luna recipit lumen à sole: ita Imperator recipit potestatem à Papa. *Discip.* Qualiter respondetur ad istam rationem? *Magist.* Respondetur, quod licet per solem & lunam intelligantur summum sacerdotium & Imperium: non tamen omnino eodem modo se habet Imperium ad summum sacerdotium, quo se habet luna ad solem. Hoc enim dato concluderetur oppositum conclusionis rationis præfatæ. Tum quia, sicut luna non est à sole; sed ambo sunt à Deo: ita Imperium non est à summo sacerdotio, sed ambo sunt vel essent ab alio. Tum, quia tunc sicut luna habet aliquam virtutem & aliquam potestatem, quam non habet à sole, scilicet supra aquas & humores: ita Imperator habet aliam potestatem, quam non habet à Papa. Ideo dicitur, quod quantum ad aliquid est simile

de ſole & luna, & de ſummo pontifice & Imperatore, & quantum ad aliquid non eſt ſimile. Quantum enim ad hoc, eſt ſimile: quia ſicut ſol eſt nobilior & dignior luna, ſic ſummum ſacerdocium eſt nobilius & dignius Imperio, quemadmodum ſpiritualia ſunt digniora temporalibus. Item, ſicut luna recipit lumen à ſole, ſic in multis Imperator debet recipere directionem à Papa, quando eſt catholicus bonus & ſapiens, ſcilicet in cauſis diuinis. Quantum autem ad multa alia, non eſt ſimile, ſicut dictum eſt. *Diſcip.* Adhuc aliam rationem adducas. *Magiſt.* Alia ratio talis eſt. Eccleſia eſt vnum corpus: ergo habet vnum caput. Sed Imperator non eſt caput. Ergo Papa eſt caput Eccleſiæ. A capite autem deriuatur virtus in membra. Ergo Imperator eſt membrum Eccleſiæ, & non caput: & per conſequens recipere debet virtutem à Papa, ſicut à capite. Ergo Imperium eſt à Papa. *Diſcip.* Dic, quomodo reſpondetur ad hoc. *Magiſt.* Reſpondetur, quod Papa eſt caput Eccleſiæ, quæ eſt congregatio fidelium. Et ideo in ſpiritualibus ſubeſt Imperator Papæ. Ergo illam virtutem ſpiritualem directionem recipere debet à Papa. Sed quia Papa non eſt caput in temporalibus: ideo Imperator in temporalibus non ſubeſt ei, nec Imperium recipere debet ab ipſo.

Cap. XXV.

In quo improbatur opinio tertia, ſupra cap. 18. recitata, & iam in præcedentibus capitulis probata: vbi probatur illud dictum opinionis, ſcilicet quod nullum Imperium poteſt eſſe verum Imperium, niſi à Papa, eſſe hæreticum.

Diſcipulus. Aliquantulum diffuſe reſpondendo & arguendo tractauimus opinionem tertiam ſupra *capitulo 18.* recitatam. Nunc autem deſidero ſcire, quomodo improbatur. *Magiſt.* Iſta opinio duo dicit. Primum eſt, quod Imperium eſt à Papa. Secundum eſt, quod nullum poteſt eſſe verum Imperium, niſi à Papa. Primum quidam dicunt eſſe falſum. Secundum autem dicunt eſſe hæreticum.

Diſcip. Tractes primo ſecundum, & narra qualiter dicunt aliqui illud eſſe hæreticum. *Magiſt.* Quod ſit hæreticum quidam nituntur ſic oſtendere. Quod repugnat ſcripturæ Diuinæ eſt hæreticum reputandum. Sed non poſſe eſſe verum Imperium, niſi à Papa, repugnat Diuinæ ſcripturæ. Nam per ſcripturam conſtat, vt dicunt, aperte quod plures pagani fuerunt veri Imperatores. Hoc etiam teſtatur Euangeliſta Lucas 2. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Ex quibus colligitur, quod Octauianus, de quo ibidem fit ſermo, fuit verus Imperator. Item, Matthæi vigeſim. ſecund. dicit Chriſtus Iudæis: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod ille fuit verus Cæſar: & tamen non habuit Imperium à Papa, imo fuit paganus & infidelis. Ergo verum Imperium, verum dominium temporale, vera iuriſdictio temporalis, & vera poteſtas gladii materialis, fuit & eſſe poteſt apud infideles, & extra Eccleſiam catholicam. Licet infideles nonnunquam & forte vt plurimum tali poteſtate legitima abutantur: ſed ex abuſu inferri non poteſt, quod dignitas vel poteſtas ſit minus vera, teſte Auguſtin. qui, vt legitur in decretis *decim. tert. quæſt. quint. neque enim*, ait: *Nec tyrannica perſecutionis peruerſitas eſt laudabilis, ſi regia clementia tyrannice ſubditos tractet: nec vituperatur ordo regiæ poteſtatis, ſi rex crudelitate tyrannica ſæuiat. Aliud namque eſt iniuſta poteſtate velle iuſte vti: & aliud iuſta poteſtate iniuſte velle vti.* Ex his verbis datur intelligi, quod vera poteſtate & vero dominio poteſt quis abuti, & ita ex abuſu infidelium probari non poteſt, quod apud eos non ſit verum dominium, nec vera poteſtas gladii materialis.

Diſcip. Quantum ad quid iſti impugnantes reputant opinionem prædictam hæreticam, vt puto, intelligo. Ideo ſolummodo auctoritates, quibus probare conantur, quod apud infideles ſit verum dominium temporale, & vera poteſtas gladii materialis adducas. *Magiſt.* Ad hoc adducunt auctoritates tam Veteris quam Noui Teſtamenti, quam etiam auctoritates ſanctorum patrum & maiorum. Abraham enim, vt habetur *Geneſ. vigeſim. tert.* noluit gratis recipere ſpeluncam duplicem, vt ſepeliret in ea vxorem ſuam, ſed emit eam ab Effron infideli: quod tamen non feciſſet, ſi Effron in ea verum ius nullatenus habuiſſet. Iacob etiam fidelis indicauit, quod Laban infidelis verum dominium aliquarum rerum temporalium habebat, cum dicit ei, vt legitur Gen. 31. *Quicquid tuum apud me inueneris, aufer.* Et poſt: *quid inueniſti de cuncta ſubſtantia Domus tuæ?* Et poſt: *oues tuæ & capræ tuæ ſteriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi.* Itē, Gen. 39. *Benedixitque dominus domui Ægyptii propter Ioſeph, & multiplicauit tam in ædibus quam in agris cunctā eius ſubſtantiam.* Ergo iſte infidelis habuit verum dominium rerum. Item, quadrageſim. prim. cap. loquens de legitima poteſtate Pharaonis ait: *Omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur.* Et quadrageſim. quint. ſcribitur: *Emit ergo Ioſeph omnem terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis, ſubiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius.* Et ſequitur: *En vt cernitis & vos & terram veſtram Pharao poſſidet.* Item, Deut. 2. ſcribitur, quod Deus dedit quibuſdam infidelibus verum dominium terrarum. Vbi ſic legitur: *tranſibitis terminos fratrum veſtrorum filiorum Eſau, qui habitant in Seir, & timebunt vos. Videte ergo diligenter, ne moueamini contra eos, neque enim dabo vobis de terra eorum quantum poteſt vnius pedis calcare veſtigium: quia in poſſeſſionem Eſau dedi montem Seir. Cibos emetis ab eis pecunia & comedetis. A-*

quam

quam emptam haurietis & bibetis. Et post: *dixitque Dominus ad Moysen: Non pugnabis contra Moabitas, nec ineas aduersus eos prælium, non enim dabo tibi quicquam de terra eorum, quia filiis Loth tradidi in possessionem.* Et post: *Locutus est Dominus ad Moysen dicens: Tu transibis hodie terminos Moab, vrbem nomine Ar, & ascendes in vicinia filiorum Amon. Caue ne pugnes contra eos, nec mouearis ad prælium. Non enim dabo tibi de terra filiorum Amon: quia filiis Loth dedi eam in possessionem.*

Item, vt legitur *3. Reg. 9.* Salomon dedit Hiram regi Tyri, qui non est de filiis Israel, sponte 20. oppida in terra Galileæ: quæ tamen non dedisset ei sponte, si ille non fuisset capax alicuius dominii aliquarum temporalium rerum. Item *3. Regum. 9.* Præcepit Dominus Heliæ Prophetæ, vt vngeret Azael in Regem super Syriam: qui tamen erat infidelis. Constat autem, quod regnum datum à Deo est verum regnum. Ergo infidelis fuit capax veri regni, & veri dominii, aut veræ potestatis temporalis. Item *2. Paral. c. vltimo. Et 1. Esdra. cap. 1.* sic legitur: *Suscitauit Dominus spiritum Cyri regis, qui iussit prædicari in vniuerso regno suo: Hoc dicit rex Cyrus Persarum, omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Hierusalem.* De quo etiam dicitur Esa. 45. *Hæc dicit Dominus meus Domino meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam.*

Item Thob. 2. legitur, quod cum Anna vxor Thobiæ, hœdum caprarum detulisset domui eius, cum vocem balantis vir eius audisset, dixit: *videte ne sit furtiuus: sed reddite eum Dominis suis: quia non licet nobis aut de furto aliquid edere aut contingere.* Ex quibus verbis colligitur, quod infideles, inter quos habitabat Thobias, habebant verum dominium rerum. Item Dan. 2. dicit Daniel ad regem infidelem Nabuchodonosor: *Tu rex regum es & Dominus cœli regnum, fortitudinem & Imperium & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri, volucres cœli dedit in manu tua, & vniuersa sub ditione tua constituit.* Item 5. cap. sic legitur: *Dominus altissimus regnum & magnificentiam gloriam & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo.* Ex quibus colligitur, quod Nabuchodonosor habuit verum regnum & Imperium. Non enim dat Deus falsum Imperium & regnum, sed verum. Item Herodes erat infidelis: & tamen erat verus rex Iudææ. Vnde de eo dicitur Matth. 2. cap. *Cum natus esset IESVS in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis regis.* Et Luc. 1. dicitur: *Fuit in diebus Herodis regis sacerdos quidam nomine Zacharias.*

Item Matth. 17. legitur Christum interrogasse Petrum dicens: *Quid tibi videtur Simon, reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis an ab alienis? Et ille dicit, ab alienis. Et dicit illi IESVS, Ergo liberi sunt filii.* Ex quibus verbis colligitur, quod alieni non sunt liberi à tributo, sed filii. Et per consequens alieni de iure debent tributum. Ex quo sequitur, quod reges etiam infideles sunt veri reges, quia de illis loquebatur Christus. Item Luc. 3. sic legitur: *venerunt autem publicani, vt baptizarentur, & dixerunt illi,* (scilicet Iohanni Baptistæ) *Magister quid faciemus? at ille dicit, Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis.* Publicani ergo licite poterant facere ea, quæ constituta erant eis: quæ tamen ab infidelibus fuerunt constituta. Item subiungit: *interrogabant autem illum & milites dicentes: Quid faciemus & nos? & ait illis, Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Si autem contenti debeant esse stipendiis, quæ à paganis principibus receperunt, ipsi principes verum Dominium illorum, quæ dabant militibus, habuerunt: quia non licet militibus recipere stipendia ab his, qui nihil habent, sed vsurpant solummodo tyrannice aliena.

Item Iohan. 19. dicit IESVS Pilato: *Non haberes in me potestatem vllam, nisi data esset tibi desuper.* Potestas autem desuper data est legitima, & non vsurpata. Ergo Pilatus habet legitimam potestatem, licet non legitime vteretur ea. Item ad Roman. 13. ait Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo ordinata sunt.* Vbi Apostolus de potestatibus infidelium loqui videtur, de illis videlicet, quibus Romani præstiterunt tributa. Dicente enim Apostolo: *Ideo enim tributa præstatis.* Et post: *reddite ergo omnibus debita. Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.*

Romani autem non reddebant tributa, nisi Cæsari & subditis eius, qui erant infideles. Ergo infideles etiam habuerunt potestatem ordinatam à Deo: & ita habuerunt veram potestatem temporalem. Item, 1. ad Corinth. 7. ait Apostolus: *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Seruus vocatus es: non sit tibi curæ.* Ante vocationem ergo ad fidem est aliquis seruus: & per consequens aliquis est Dominus eius.

Item ad Timoth. 6. *Quicunque sunt sub iugo serui, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia sunt fratres sed magis seruiant quia fideles.* Vbi Apostolus inter seruos habentes Dominos infideles videtur distinguere, & Dominos fideles, & seruos habentes Dominos infideles præcipit honorari. Quod minime faceret, nisi aliqui infideles essent vere Domini.

Item Beatus Paulus asseruit se esse ciuem Romanum, sicut patet *Actorum 16. & 22.* non fuit autem ciuis Romanus, nisi auctoritate & concessione Romanorũ: cum etiam tunc non fuisset Romæ. Ergo Romani habuerunt verã potestatẽ, qua poterant aliis ciuilitatem Romanã concedere. Itẽ, vt legitur *Actor. 24.* Paulus dicit ad Lisiam paganum: *Ex multis annis esse te iudicem genti huic sciens, bono animo pro me*

satis faciam. Vbi Paulus paganum verum iudicem recognouit. Item, vt legitur *Actorum 25.* Cæsarem verum iudicem reputauit, cum appellauit ad ipsum, dicens: *ad tribunal Cæsaris sto. Vbi oportet me iudicari.* Et post: *Cæsarem appello.* Item beatus Petrus epistola 1. cap. 2. *Subiecti estote omni creaturæ propter Deum, siue regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis.* Tunc autem nulli Christiani erant reges & Duces. Et ita beatus Petrus regibus & Ducibus infidelibus Christianos voluit esse subiectos. Item ibidem subdit: *Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* In quibus verbis innuit, quod etiam discoli possunt esse veri Domini, & quod est eis obediendum.

Hoc etiam quamplurimis sanctorum testimoniis, vt quibusdam apparet, posset ostendi: sed adducam pauca. Vnde Ambrosius ait, vt habetur in decretis 13. q. 1. c. *Iulianus Imperator, quamuis esset apostata, habuit tamen sub se Christianos milites, quibus cum dicebat: producite aciem pro defensione rei publicæ obediebant ei.* Et Augustinus de eisdem ait de eodem: *Iulianus extitit infidelis Imperator, nonne extitit apostata & iniquus idolatra? vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in cælo erat. Quando volebat, vt idola colerent, vt thurificarent, præponebant Deum. Quando autem dicebat: producite aciem, ite contra gentem illam: statim obtemperabant, Dominum æternum cum Domino temporali recognoscentes.* Iulianus ergo quamuis Apostata fuerit, verus Dominus & verus Imperator erat. *Discip.* Istud videtur nimis absurdum, quod videlicet apostata hæreticus fuerit verus Imperator & verus Dominus in temporalibus: cum hæretici nullam rem temporalem de iure possideant, vt colligitur manifeste ex sacris canonibus, *dist. 8. cap. iure & extra de hæreticis, excommunicamus & 23. q. 7. per totum.* Iulianus ergo non fuit verus Imperator, nec verus Dominus rerum temporalium. Quod Gloss. super præallegatum c. Ambrosii insinuare videtur, dicens. *Adhuc Iulianus tolerabatur ab ecclesia, ne suscitaret scandalum aduersus Christianos.* Ergo Iulianus, quamuis toleraretur aduersus Christianos ab ecclesia, non fuit verus Imperator: & quod plus est, nullam habuit dignitatem secularem. *Magist.* Respondetur; quod non est de iure diuino, quod hæretici nihil proprium habeant: sed de iure humano priuarentur dominio rerum temporalium, habebant verum dominium rerum temporalium. Et ideo quia tempore Iuliani, apostatæ & hæretici non fuerunt priuati temporalibus, Iulianus fuit verus Imperator & verus Dominus rerum temporalium. Postea autem per humana iura Imperatores & Papæ hæretici fuerunt priuati Dominio rerum temporalium. Et ideo extunc non fuerunt veri Domini temporalium rerum. Et pro illo tempore loquitur canon, non tamen pro tempore quo fuit Iulianus. Ad Glossam autem adductam dupliciter respondetur. Vno modo, quod Iulianus tolerabatur verus Imperator ab ecclesia, & non habens Imperium verum, sed solum vsurpatum. Aliter dicitur, quod Glossator ibi non habuit memoriam rerum gestarum tempore Iuliani. Quia Iulianus (vt legitur in diuersis scripturis autenticis) suscitauit scandalum, quod potuit aduersus Christianos. Sed ecclesia tolerauit eum, qui non potuit eum de facto priuare Imperio. Et si per sententiam priuasset, iam primo non profuisset, sed nocuisset ecclesiæ. *Discip.* Aliqua dicta maiorum pro eadem assertione adducas. *Magist.* Hoc ex *legenda sancti Mauritii & sociorum eius* colligitur, in qua leguntur sic dixisse milites: *sumus, Imperator, tui: sed tamen serui, quem libere confitemur, Dei. Tibi debemus militiam, sed illi innocentiam.* Et ille Imperator, scil. Maximianus, extitit infidelis. Item Paulus & Iohannes, vt legitur in *Legenda* eorum, dixerunt Iuliano apostatæ: *Non faciemus tibi hanc iniuriam, vt præponamus tibi qualemcunque personam* (scil. secularem) *Dominum tibi præponimus qui fecit cælum & terram.* Ergo isti sancti Iulianum apostatam reputauerunt verum Imperatorem.

CAP. XXVI.

Vbi probatur opinio prima supr. cap. 18. recitata; scilicet quod Imperium Romanum est institutum à Deo.

DIscipulus. Quamuis illa opinio, quæ ponit, quod Imperium est à Papa, esset amplius discutienda, & specialiter quo ad hoc, quod ponit, quod Imperium est à Papa: quia tamen de hoc, quod ponit, quod Imperium est à Papa: quia tamen de hoc & de aliis, quæ illa opinio includit, erit aliquando occasio loquendi, quando tractabimus alias opiniones. Ideo breuiter videamus de opinione illa, quæ ponit, quod Imperium Romanum est institutum ab hominibus: pro qua allegare conare. *Magist.* Pro ista opinione adducitur auctoritas Iohannis Papæ, qui vt habetur in decretis *distinct. 96. cap. si Imperator,* ait: *habet* (scilicet Imperator) *priuilegia potestatis suæ, quæ pro administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est.* Vbi dicit Glossa super verbo *diuinitus: non est igitur à Papa. Nam Imperium à solo Deo est. Vt 23. quæst. 4. quæsitum.* Item eodem cap. Iohan. Papa loquens de Imperatore ait: *Neque contra eum* (scilicet Deum) *tendat, à quo omnia constituta sunt, & contra illius beneficia pugnare videtur, à quo propriam consecutus est potestatem.* Item beatus Cyprianus, vt habetur *dist. 10. Quoniam idem,* & Nicolaus Papa, vt legitur *distinct. 96. cap. cum ad verum,* eandem sub eisdem verbis sententiam dicentes: *Idem mediator Dei & hominum homo actibus propriis & dignitate distinctis officia potestatis vtrumque discreuit.* Et dicit Gloss. *imo videtur contra: quia non discreuit, sed confudit,*

cum

cum ipse vnus & idem vtrumque officium gessit per se, vt notaret, quod de eodem fonte precesserunt. Nam dicit lex, quod summa à Deo nobis dona data sunt, scilicet sacerdotium & Imperium, in autent. Quomodo oportet episcopos, in principio, colla. 1. Item Innoc. Papa, vt habetur *23. q. 4. c. quaesitum*, loquens de potestatibus secularibus ait: *Meminerant enim* (maiores scilicet) *à Deo potestates has sibi concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei ministerio esse datum in huiusmodi vindices. Quomodo ergo reprehenditur factum, quod auctore Domino videtur esse concessum.* Ex quibus verbis colligitur, quod potestates seculares sunt à Deo. Ergo potestas secularis potissime est à Deo. Haec omnia confirmantur per Apostolum dicentem ad Corinth. 13. *non est potestas nisi à Deo. Discip.* Dic breuiter, quomodo illa opinio improbatur. *Magist.* Improbatur per hoc, quod quia non legitur vbi Deus per ipsam vel per alium constituerit Imperatorem. Ideo ista opinio eadem facilitate contemnitur, sicut probatur. *Disc.* Quomodo respondetur ad motiua illius opinionis. *Magist.* Vnico verbo respondetur, quia cum dicitur, quod potestas Imperialis & vniuersaliter omnis potestas licita & legitima est à Deo, non tamen à solo Deo. Sed quaedam est à Deo per homines, & talis est potestas Imperialis, quae est à Deo, sed per homines.

CAP. XXVII.

In quo probatur secunda opinio supra cap. 18. recitata, & hoc rationibus & auctoritatibus sacrae scripturae.

D*Iscipulus.* Nunc opinionem, scilicet tertiam, tactam supra *cap. 18.* tractemus. *Magist.* Illa opinio tenet, quod Romanum Imperium fuit primo institutum à Deo, & tamen per homines scil. per Romanos. Et hoc testari videtur Gloss. *dist. 17.* quae ait: *Habet Romana ecclesia auctoritatem à Deo, sed Imperator à populo.* Vtcunque legimus. Hinc etiam Gloss. *dist. 2. lex est constitutio populi*, ait: *Olim populus constituit leges, sed hodie transtulit hanc potestatem in Imperatorem.* Ab illo autem est Imperium, qui Imperatori contulit potestatem condendi leges. Ergo à populo est Imperium. Item, ab illis fuit Imperium Romanum, qui caeteras nationes Romano Imperio subdiderunt & qui dominium gentium subiugatarum, cui volebant, commiserunt, & modum dominandi ac regendi obedientes Romanis prout & quando eis visum fuit, incitauerunt. Sed hoc fecerunt Romani de gentibus subiugatis ab eis. Habetur enim 1. Macha. 8. vbi sic legitur: *Et audiuit Iudas nomen Romanorum, quia sunt potentes viribus.* Et post. *Et audiuerunt praelia eorum & virtutes bonas, quas faciunt in Galatia: quia obtinuerunt eos, & duxerunt sub tributum, & quanta fecerunt in regione Hispaniae.* Quod autem dominium subiugatorum & obedientium eis, cum volebant, commiserunt, insinuatur ibidem, cum dicitur: *in omnibus istis nemo portabat diademata, nec induebatur purpura, vt magnificaretur in ea.* Et post. *Et committunt vni homini magistratum.* Et infra: *sinunt per singulos annos dominari vniuersa terra sua: & omnes obediunt vni, & non est inuidia neque zelus inter eos.* De mutatione autem modi dominandi & regendi obedientes habetur in scripturis fide dignis. Aliquando enim habuerunt reges, aliquando consules, aliquando vnum qui mutabatur singulis annis. Vltimo autem Imperatorem elegerunt, qui absque mutatione omnibus imperaret. Ergo à Romanis fuit Romanum Imperium institutum. *Discip.* Non videtur, quod à populo Romano fuerit Imperium verum, sed solummodo vsurpatum. Nam Romani alios oppresserunt. *Magist.* Ad hoc dupliciter respondetur. Primo, quod Romani cernebant, quod necessarium fuit pro vtilitate communi totius mundi vnum Imperatorem vniuersis mortalibus dominari. Ideo qui contradixerunt vnitati Imperii, tanquam impedientes boni communis, potestas ordinandi de Imperio ad Romanos, & ad alios in hoc eis consentientes extitit deuoluta. Et ex tunc poterant Romani licite contradicentes & rebelles suo Imperio subiugare. Aliter dicitur, licet Romani primo & per multa tempora post iniuste compulerunt alios sibi subesse: tamen postquam alii coeperunt consentire dominio Romanorum, Romani super ipsos verum Imperium acceperunt. Ideo postquam totus orbis sponte consensit in dominium & Imperium Romanorum, idem Imperium fuit verum Imperium, iustum & bonum.

Discip. Nunquid ad hoc, quod Imperium Romanum super totum mundum esset verum Imperium, oportuit quod totus mundus consentiret Imperio Romanorum? *Magist.* Respondetur, quod teste Glossa *extra de constitutionibus, cum omnes*, quoniam aliqui plures vnum sunt collegium, quantum ad illa quae sunt ex necessitate facienda, sufficit quod à maiori parte fiant. Omnes autem mortales sunt vnum corpus & vnum collegium: ita necesse fuit tempore, quo Romani coeperunt dominari cunctis mortalibus. Ergo tunc temporis maior pars mundi etiam aliis contradicentibus potuit Imperatorem praeficere toti mundo, nec requirebatur consensus omnium. Etiam quando reges & principes praeficiebantur, non fuit necesse, quod omnes consentirent: sicut etiam si aliqua patria esset inuasa ab hostibus, posset maior pars etiam contradicentibus quibusdam facere sibi vnum caput pro patriae defensione.

Discip. Videtur secundum ista, quod Romani iuste & absque peccato subiugauerunt vniuersum orbem, quod tamen non videtur: cum beatus Augustinus reprehendat in eis libidinem dominandi. *Magist.* Respondetur, quod si Romani ordinando de Imperio ex solo amore boni communis & rei publicae moti fuissent, & non ex libidine dominandi, aut vanam gloriam non

inten-

intendissent, nec aliquam intentionem corruptam habuissent, in hoc absq; peccato fuissent, & forte aliqui eorum in acquirendo Imperium vel consentiendo acquisitioni Imperii minime peccauerunt. Si autem intendebant bonum proprium, vt dominarentur aliis, vel augerent diuitias, peccauerunt. Hæc beatus August. vt habetur in decretis *23. q. 1. cap. militare*, ait: *Militare non est delictum, sed propter prædam militare est peccatum, nec rem publicam gerere criminosum est: sed ideo agere rempublicam, vt diuitias augeas, videtur esse damnabile.* Ergo à simili laborare ad subiugandum vni principi, non est peccatum: sed hoc facere propter vanam gloriam, vel ad incutiendum timorem aliis, vel ex libidine dominandi, videtur damnabile reputandum. *Discip.* Nunquid si Romani in acquirendo Romanum Imperium habuerunt intentionem corruptam, ita vt peccarent damnabiliter, fuit Imperium taliter acquisitum, vsurpatum, illicitum & non verum quondam? Ergo videtur, quod non erat verum Imperium, si fuit taliter acquisitum ex intentione corrupta: quia nulla res temporalis acquisita illicite & iniuste transit in verum dominium acquirentis. Quod August. videtur asserere, vt habetur *23. q. 7. c. 1.* vbi ait, quod *iure diuino cuncta iustorum sunt, & nullo iure impii habent illa, quæ sunt aliorum*, scil. iustorum. *Magist.* Respondetur, quod non obstante corrupta intentione Romanorum Imperium acquisitum de consensu populorum fuit verum Imperium: quia corrupta intentio non impedit aquisitionem veri Dominii. Qui enim emit rem aliquam mala intentione, non propter hoc non acquirit verum Dominium rei emptæ. Et qui mala intentione recipit rem à donatore, qui eam donare potest, recipit etiam verum dominium rei donatæ & illa mala intentio nec in transferente rem aliquam temporalem, nec in recipiente translationem impedit acceptionem veri dominii. De auctoritate autem August. dicunt aliqui, quod quidam male intelligant eam. Non enim intendit August. quod in iure diuino cuncta sunt iustorum quo ad verum dominium: quia tunc nullus peccatorum haberet verum dominium alicuius rei temporalis. Et ideo quandocunq; aliquis rex vel aliquis Dominus princeps, vel alius Dominus peccaret mortaliter, verum dominium omnium rerum suarum transiret in iustos, & non remaneret penes aliquem peccatorem. Vult igitur August. quod iure diuino cuncta sunt iustorum quo ad dignitatem meriti. Hoc est, soli iusti sunt digni vero Dominio temporali, & nullus peccator est dignus quacunque re temporali. Vnde indigne possidet. *Discip.* Adhuc videtur, quod Romanum Imperium, antequam illud resignaret Constantinus, non fuit verum Imperium: quia foris omnia ædificant ad gehennam, dicente Apostolo ad Roman. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Igitur extra ecclesiam nulla est à Deo ordinata potestas. Item, Constantinus non resignasset Imperiũ, nisi aduertisset, ꝙ non habuit verũ Imperiũ. Igitur antea Romanũ Imperium nõ fuit verũ Imperiũ. *Mag.* Respondetur, ꝙ non est vniuersaliter absq; omni exceptione verum, quod omnia quæ foris sunt ædificant ad gehennam. Non enim infideles peccant mortaliter in omni actu. Obstetrices enim, de quibus legitur *Exod. 1.* non peccauerunt mortaliter vel venialiter in mentiendo. Multi autem alii infideles in multis actibus suis non peccant mortaliter. Quod autem dicit Apostolus, *quod non est ex fide* &c. Dicitur Apostolum intelligere, quod illud, quod fit extra conscientiam, est peccatum, siue fiat à fidelibus siue ab infidelibus. Cum autem dicitur, quod Constantinus rex resignauit Imperium, dicunt in scripturis antiquis hoc minime inueniri. Sed quædam scripturæ insinuant, quod Constantinus dederit Apostolicæ sedi Imperialem honorem. Nam, vt legitur in decretis *dist. 96. Constantiuus*, in gestis beati Siluestri sic loquitur: *Constantinus Imperator quarta die sui baptismi priuilegium Romanæ ecclesiæ pontifici contulit, vt in toto orbe terrarum pontifices vel sacerdotes ita hunc habeant caput, sicut iudices regem.* In quo priuilegio ita inter cætera legitur: *vtile iudicamus vna cum omnibus satrapis nostris, & vniuerso senatu, optimatibus, & cuncto populo, Imperio Romanæ ecclesiæ subiacenti, vt sicut beatus Petrus in terris Vicarius Filii Dei videtur esse constitutus: ita & pontifices ipsius principis Apostolorum in terris principatus potestatem amplius quam terrena Imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam à nobis nostroq; Imperio obtineant eligentes nobis ipsum principem Apostolorum vel eius vicarios firmos apud Deum esse patronos. Et sicut nostra est terrena Imperialis potentia, ita eius sanctam Romanam ecclesiam decreuimus & veneranter honorare & amplius quam nostrum Imperium terrenumq; tronum sedem sacrosanctissimam beati Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem & gloriam dignitatem & vigorem & honorificentiam Imperialem, atq; decernentes sancimus, vt principatum teneat tam supra quatuor sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam: quam etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum ecclesias Dei. Et pontifex, qui per tempora sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ extiterit celsior, & princeps cunctis sacerdotibus & totius mundi existat: & eius iudicio, quæ ad cultum Dei vel fidem Christianorum vel stabilitatem procuranda fuerint, disponantur.* Et infra: *Ecclesiis beatorum Apostolorum Petri & Pauli pro continuatione luminariorum possessionum prædia contulimus.* Et infra: *Ecce tam palatium nostrum, quam Romanam vrbem & omnes Italiæ siue Occidentalium regionum prouincias, loca, ciuitates, beatissimo pontifici & vniuersali Papæ Siluestro concedimus atque relinquimus, & ab eo & successoribus eius per pragmaticum constitutum decreuimus disponenda, atq; iure sanctæ Romanæ ecclesiæ concedimus permanenda.* Ex his verbis colligitur, quod Constantinus non assignauit Papæ Imperium, tanquam non habens potestatem legitimam recipiendi Imperium, & quod antea non habuisset verum Imperium, sed ex deuotione & Imperiali munificentia concessit ei ea, de quibus in prædictis verbis & ab aliis ibidem, vt scil. de omnibus temporalibus, de quibus mentio fit, Papa Siluester nihil habuit, nisi ex dono Constantini, non ex resignatione alicuius prius iniuste detenti: nec vnquam Constantinus fatebatur, quod ante baptismum non habuerit verum Imperium.

Cap. XXVIII.

In quo probatur, quod Imperium non est à Papa.

Discipulus. Cum ista opinio teneat, quod verum Imperium sit à populo Romano; & per consequens non fuit à Papa: nunc alias rationes speciales adducas ad probandum, quod Imperium non fuit à Papa. *Magist.* In Glossa super Decreta & Decretales aliquæ rationes adhuc innuuntur. Dicit enim Glossa *distinct. 4. c. quoniam idem, quod Imperium non habetur à Papa, & quod Papa non habet vtrumq; gladium. Nam exercitus facit Imperatorem, vt dist. 93. legimus.* Ex qua sic arguitur. Ab illo non est Imperium, qui non facit Imperatorem. Sed Imperator non fit à Papa: quia fit ab exercitu. Igitur Imperium non est à Papa. *Discip.* Per istam rationem Imperium non est à populo, sed ab exercitu. *Magist.* Respondetur, quod exercitus non facit Imperatorem, nisi auctoritate populi Romani. Hanc enim potestatem propter periculum, quod poterat imminere, ne moriente Imperatore in exercitu, exercitus careret capite & Domino, populus Romanus commisit exercitui potestatem eius ad eligendum Imperatorem. *Discip.* Dic aliam rationem. *Magist.* Aliam rationem innuit Gloss. *extra, qui filii sunt legitimi c. causam*, dicens: *Prius fuit Imperator quàm coronam reciperet à Papa & gladium ab altari. 69. distinct. legimus quod ante fuit Imperator quàm Apostolatus.* Cum igitur prius non fuit Apostolatus, sequitur quod Imperium non est à Papa. *Discip.* Istæ duæ rationes videntur approbare, quod Imperium non fuit primitus à Papa, sed non probant quod modo Imperium non sit à Papa. Potestas enim ordinandi de Imperatore à Papa videtur nunc procedere, licet non fuit à principio penes ipsum: imò ante fuit Imperium, quam Papa. *Magist.* Dicunt quidam, quod per illas rationes probatur aperte, quod Imperium non est à Papa, inquantum Papa est vicarius Christi & successor beati Petri. Et hoc principaliter intendunt, qui tenent opinionem istam. *Discip.* Alias rationes adducas. *Magist.* Aliam rationem innuit Gloss. *dist. 10. c. quoniam idem*, si ab ipso Papa habetur Imperium, licite appellaretur ad ipsum in temporalibus: quod prohibet Alexander & dicit, quod illa non contingunt iurisdictionem suam *extr. qui filii sunt legitimi cap. causam.* Ab Imperatore autem contingit appellare ad illum, à quo est Imperium. *Discip.* Per istam rationem semper potuit fieri appellatio ab Imperatore: quia semper Imperator habuit Imperium ab aliquo. *Magist.* Concedo, quod in aliquibus casibus semper licuit appellare ab Imperatore: in quibus tamen casibus fuit licitum ab aliis iudicibus appellare. Leges igitur, quæ dicunt, quod non est appellandum ab Imperatore, non sunt intelligendæ de quibusdam causis singularibus, quæ raro vel nunquam accidunt, sed de aliis. Quemadmodum canones sacri, qui dicunt, quod non est appellandum à Papa, nisi de causa hæresis: quia pro hæresi licet appellare à Papa. *Discip.* Aliam rationem adducas. *Magist.* Aliam rationem innuit Glossa vbi prius, dicens: *Item ecclesiæ soluerunt tributum Imperatori vt 2. q 2. magnum.* Ab illo non est Imperium, qui soluit tributum Imperatori. Ergo Imperium non est à Papa, si Papa soluit tributum Imperatori.

Cap. XXIX.

In quo inquiritur, vtrum Romanum Imperium possit transferri: quod sic, probatur tribus exemplis. Et nota ibidem, quis & qualiter possit transferre.

Discipulus. Adhuc circa originem Romani Imperii plura restarent tractanda, de quibus forte postea occasio loquendi occurret. Ideo ad præsens illis omissis inuestigemus, an Romanum Imperium licite cassari, minui vel diuidi valeat vel transferri. Inquiramus itaq; primo, an Romanum Imperium potest transferri. *Magist.* Quod Romanum Imperium potest transferri, tribus exemplis probatur. Primum exemplum est, quod translatum fuit de Romanis in Græcos *69. dist. Constantinus.* Secundum exemplum est, quod translatum fuit de Græcis in Romanos in personam Caroli magni *extr. de electione venerabilem.* Tertium exemplum est, quod fuit translatum de Francigenis in Theutonicos. Vnde Glossa *63. distinct. ego Ludouicus*, ait super verbo, *Francorum*: *nota Imperium Francorum prius fuisse: sed postea Theutonici virtutibus Imperium promeruerunt. Discip.* Dubitandum non videtur mihi; quin Romanum Imperium transferri potest de gente in gentem. Sed qualiter aliquis valeat transferre, videtur magnum dubium multis. Dic ergo secundum opinionem aliquorum, qualiter possit transferri Imperiū. *Mag.* Impeiū Romanorū trāsferri multipliciter potest intelligi. Vno modo, vt sic transferatur Imperium à Romanis, vt non sit plus Romanū Imperium, ac si Romani nullum ius habeant speciale in Impeio plusquam cæteræ nationes. Alio modo potest transferri Imperium, vt tamen remaneat Romanum Imperium, & vt aliquam potestatem vel ius speciale habeant Romani in Imperio plusquam cæteræ nationes. Et hæc translatio adhuc multipliciter potest intelligi. Vno modo, quod detur Imperium alicui, cuius progenies iure successionis possideat Romanum Imperium. Alio modo, vt statuatur quod de certa natione vel gente Imperator eligatur, puta si ordinaretur quod nullus eligeretur in Imperatorem, nisi Theutonicus. Alio modo, vt alicui personæ vel personis detur potestas & ius eligendi Imperatorem de quacunq; natione.

Discip.

Discip. Quis habet potestatem transferendi Imperium vno modo vel alio modo? *Magist.* Respondetur, quod potestas transferendi Imperium vno modo vel alio modo principalissime est apud vniuersitatem mortalium, sicut & apud ipsam principalissime constituendi Imperium. Quare si vniuersitas mortalium vellet, posset Romanum Imperium de quacunq; gente transferre in aliam. *Discip.* Nunquid posset vniuersitas mortalium (exceptis Romanis) transferre Imperium Romanum à Romanis? *Magist.* Respondetur, quod sine culpa Romanorum & absq; causa patenti totum residuum mundi non posset transferre ab eis contradicentibus Imperium: quia non debent priuari sine culpa & absq; causa iure suo: tamen pro culpa Romanorum & ex causa rationabili posset residuum mundi ab eis transferre Imperium. Quia, vt legitur distinct. 93. *Orbis maior est vrbe.* Quod non solum est verum de orbe includente vrbem, eo quod totum maius est sua parte: sed continet veritatem de orbe includentem vrbē. Et ita ex causa vel ꝑ culpa Romanorū potestas transferēdi est penes residuū orbis. Potestas autē transferendi Imperium à Romanis, est penes Romanos secundū vnā sententiā. Quia enim potest vnusquisque cedere iuri suo, & alii concedere, possunt enim Romani cedere iuri suo, quod habent super Imperium: & idem ius in alium vel in alios transferre. Quemadmodum populi Romani potestatem condendi leges & regendi Imperium, transtulerunt in Imperatorem. Verum tamen de modo transferendi Imperium per Romanos sunt diuersæ sententiæ. Vna est, quod Romani non potuerunt nec possunt à se transferre Imperium primo modo: ita videlicet quod nullum ius retineant speciale super Imperium plus quam cæteræ nationes. Sicut enim Imperator non habet legem imponere Imperatori, quia non habet Imperium par in parem: & ita non potest priuare successorem eo iure, quod habet: ita populus Romanus non potest imponere legem populo sequenti: nec potest ipsum priuare omni iure, quod habet super Imperium. Et ita populus Romanus non potest cedere omni iuri, quod habet super Imperium. Alia est sententia, quod populus Romanus potuit cedere omni iuri, quod habuit super Imperium: qui etiam omne ius potuit transferre in alios. Licet enim priuato pacto iuri publico minime derogetur, *extra de foro compe. si diligenti:* tamen pacto consensu totius communitatis, quod tangat alios tanquam per ius publicum eidem iuri publico derogatur, dum modo illud ius publicum non sit ius diuinum, nec ius naturale, sed ius positiuum vel humanum. Quamuis n. clericus aliquis non possit renunciare priuilegio clericali, quod est concessum toti collegio clericorum: tamen collegium clericorum potest priuilegio renunciare. Cum igitur ius, quod habent Romani super Imperium, sit ius humanum positiuum, licet fuerit ius publicum concessum etiam communitati Romanorum, de consensu totius communitatis Romanorum poterit derogari eidem iuri. Et ita de consensu eorum potest idem ius totaliter transferri in alium vel alios.

Cap. XXX.

In quo inuestigatur, quomodo Romani potuerunt transferre ius Imperii ad Papam.

D*iscipulus.* Secundum istam sententiam Romani potuerunt totum ius suum, quod habebant, transferre in Papam super Imperium, & poterat esse Imperium à Papa. *Magist.* Secundum vnam sententiam Romani non solum potuerunt, sed etiam de facto transtulerunt ius in Papam. Et extunc Imperium fuit à Papa, & tunc Papa habuit vtrumq; gladium, non tamen quo ad executionem, sed quo ad hoc, quod poterat committere cui volebat materialis gladii potestatem. Et per hoc soluitur secundum sententiam illam multorum canonū & glossarum super Decreta & Decretales apparens contrarietas. *Discip.* Si Romani transtulerunt totum ius in Papam, vel transferre poterant in Papam: igitur transtulerunt vel transferre potuerunt in eum executionem gladii materialis vel gladium materialem quo ad executionem. *Magist.* Respondetur, quod Romani poterant transferre ius totum ad Papam & potestatem, quam habebat totalis multitudo Romanorum: non tamen transferre poterant totum ius, quod habebat aliqua persona vel alia particularis & specialis multitudo Romanorum. Nam non poterant sibi dare omne ius, quod habebat Imperator Romanus: nec omne ius, quod habebant senatores vel præfectus vrbis. Et ita iura partialia Romanorum, personarum vel congregationum seu collegiorum, aut communitatum particularium, non poterant transferre in papam. Executionem autem gladii non habebat totalis communitas Romanorum: sed habebat eam Imperator, vel aliqua persona alia sub eo, vel aliqua communitas particularis. Et ideo executionem gladii materialis non poterat communitas Romanorū transferre in Papam. *Disc.* Secundum istam opinionem Papa non habet in temporalibus vel in spiritualibus plenitudinem potestatis, vt omnia possit. *Magist.* Ista opinio reputat hæreticū dicere, quod Papa omnia possit: quia quod omnia possit, non habet à Deo, nec ab homine, nec ab hominibus. Quia à Deo immediate non habet gladium materialem, quo ad executionem; nec quo ad hoc quod possit committere executionem gladii materialis ab homine vel ab hominibus habere potest. *Discip.* Quod ius igitur transtulerunt Romani vel transferre poterant in Papam super Romanum Imperium? *Magist.* Respondetur, quod poterant sibi transferre & conferre potestatem ordinandi de promouendo in Imperatorem, vt scilicet ipse eligat Imperatorem, vel aliis committeret potestatem eligendi. *Discip.* Constat per dicta maiorum, quod Papa in multis se intromittit de Imperatore & Imperio. Et secundum opinionem istam

Papa

Papa super Imperatorem vel Imperium non habet aliquam potestatem specialem à Deo plusquam super alios reges & regna quæcunque: sed solummodo à Romanis. Quid igitur de facto transtulerunt Romani in Papam super Imperium? *Magist.* Respondetur, quod nemo potest hic dicere, nisi libere & diligenter vidisset Priuilegia Papæ vel registra fide digna, vel scripturas autenticas de huiusmodi translatione vel collatione iuris super Imperium facta Papæ: eo quod Romani poterant conferre Papæ pinguius ius vel minus pingue super Imperium. Poterant etiam tale ius dare sedi Apostolicæ vel solummodo personæ Papæ. Poterant etiam dare Papæ pro vna vice vel pro pluribus. *Discip.* Nunquid in hac vita est adhibenda fides soli personæ Papæ, dicentis in ipsum totum ius Romanorum super Imperium esse translatum, licet per scripturas autenticas vel alias probationes hoc nequaquam ostenderet? *Magist.* Quod assertioni vnius quantacunq; fulgeat dignitate nunquam est credendum in præiudicium aliorum, patet *6. q. 2. per totum.* Ideo assertioni solius Papæ in præiudicium Romanorum est in hac parte fides minime adhibenda, nisi probationes adhibeat competentes. *Discip.* Nunquid Papa potest sibi vendicare ius & potestatem disponendi de Imperio propter hoc, quod consueuit se intromittere de Imperio disponendo? Consuetudo autem legitima dat iurisdictionem, & per consequens ius & legitimam potestatem? *Magist.* Respondetur, quod in his quæ Papa præscripsit legitime contra Romanos, Papa habet ius & potestatem: & in aliis non.

CAP. XXXI.

Quæris vtrum Romanum Imperium possit cassari, aut diuidi.

DIscipulus. Inuestigauimus breuiter, an Romanum Imperium possit transferri: nunc inquiramus, an diuidi, minui, destrui seu cassari potest. Primo igitur videamus, an Romanum Imperium destrui valeat vel cassari. *Magist.* Respondetur, quod Imperium Romanum pro eo quod est Imperium totius mundi, destrui vel cassari valeat, potest tripliciter intelligi. Vno modo sic, quod simpliciter destruatur vt Imperium quod nunc est Romanorum, nec apud Romanos, nec apud alios de iure remaneat. Alio modo sic, quod Imperium nec remaneat apud Romanos, nec vnquam ex quacunq; causa sit reuersurum ad ipsos. Tertio modo sic, quod Imperium non remaneat apud Romanos, potest ex causa reuerti ad ipsos. Isto modo & secundo magis proprium videtur dici, quod Imperiũ Romanum esset translatum, quam destructum vel cassatum. Primo modo diceretur proprie Romanum Imperium esse destructum seu cassatum. *Discip.* Nunquid primo modo posset ipsum Imperium Romanum destrui vel minui? *Magist.* Respondetur, sicut tactum est *supr. cap. 8.* quod de iure licite Romanum Imperium minui vel destrui potest: quia sicut antequam esset Romanum Imperium, statui non potuit etiam per vniuersitatem mortalium, quam nunquam aliquis ad totius mundi Imperium assumeretur: ita quod postquam omnes mortales vni Imperio sunt subiecti, etiam omnibus consentientibus statui vel ordinari minime potest, quod Imperium penitus destruatur: quia hoc esset in detrimentum boni communis.

Discip. Nunquid potest Romanum Imperium destrui secundo modo? *Magist.* Vna est sententia, quod illo modo destrui potest, vt scilicet ad Romanos nunquam conuertatur. Sed taliter ab eis auferri non potest absq; culpa manifesta Romanorum. Talis enim posset esse culpa eorum, quod possent totaliter priuari Imperio: quia sicut persona quæcunq; in se & in posteris suis ꝓ culpa sua potest priuari omnibus bonis suis temporalibus ac honoribus iuribus & priuilegiis quibuscunq;: ita etiam quæcunq; vniuersitas seu communitas particularis propter culpam suam potest priuari in perpetuum quocunque honore & iure speciali. Alia sententia est, quod communitas Romanorum propter quamcunque culpam non potest in perpetuum priuari quodcunq; iure & honore speciali vel Imperio Romano: quia talis priuatio perpetua posset redundare in detrimentum totius vniuersitatis mortalium. Ergo non est licita reputanda. *Discip.* Ista ratio non concludit, quod sicut quemcunq; priuare omni iure suo possit redundare in detrimentum boni communis: non sequitur, quod omnis priuatio esset censenda illicita. *Magist.* Respondetur, quod quemcunque priuari omni iure suo, sic vt antequam sententia executioni mandetur, nullus posset eum reuocare propter quemcunque aduentum, neq; est licitum neq; iustum. Vnde quamuis aliquis absolute propter quodcunque crimen damnaretur ad mortem: semper aliquæ conditiones generales subintelliguntur. Quemadmodum in omni iuramento, promisso, voto & pacto aliquæ conditiones generales debent subintelligi. Posset igitur communitas Romanorum absolute propter culpam priuari omni iure speciali & priuilegio, quod habet super Romanum Imperium: & tamen aliquæ conditiones generales debent intelligi. Et ideo quia communitas Romanorum penitus deleri non debet, igitur talis sententia nunquam contra Romanos sic debet ad executionem mandari: quoniam potest ex aliqua causa reuocari. Possunt autem Romani propter culpam vel ex causa sic priuari Imperio, vt nunquam absq; noua collatione illius vel illorum, qui potest vel possunt eis conferre Imperium, iuste valeant Imperium adipisci, nisi omnes alii propter culpam iuste Imperium amitterent.

Discip. Nunquid tertio modo potest Imperium cassari vel diminui, vt scilicet Romanum Imperium non remaneat apud Romanos: potest tamen ex causa reuerti ad ipsos? *Magist.* Respondetur, quod sic. Quia potest transferri de Romanis ad alias gentes. *Discip.* Potest ne Romanum Imperium

diuidi vel diminui. *Magist.* Vna est opinio, quod absque consensu expresso vel tacito totius vniuersitatis mortalium Romanum Imperium non potest diuidi vel minui: quia si priuata persona vel communitas particularis seu partialis non debet priuari iure suo, multo fortius communitas vniuersalis mortalium non debet priuari iure suo. Imperium autem Romanum principalissime spectat ad communitatem vniuersalem mortalium: quemadmodum dominium rerum temporalium ad eandem communitatem principalissime spectat. Vnde pro tota communitate mortalium dicit Deus ad primos parentes: *Replete terram, subiicite eam & dominamini piscibus maris.* Igitur communitas mortalium non debet priuari iure suo super Imperium absque consensu. Si autem Imperium minueretur vel diuideretur, communitas mortalium aliquo iure, quod habet super Imperium, priuaretur. Quia postquam aliqua temporalia sunt diuisa inter partes alicuius communitatis non sunt totius communitatis. Igitur Romanum Imperium non potest minui vel diuidi, saltem absque consensu tacito vel expresso communitatis mortalium.

Discip. De potestate destructionis, diuisionis, minutionis aut translationis Romani Imperii essent tractanda quamplurima: sed quamplura eorum postea locum habebunt: ideo ad præsens ipsa inuestigare dimitto. Vnum tamen interrogo: vtrum scilicet aliqua pars communitatis mortalium absq; suo consensu expresso vel tacito valeat priuari iure suo. *Magist.* Respondetur, quod propter culpam quælibet persona vel quælibet communitas partialis potest priuari iure, quod habet in communi super Imperium: Ita vt totum ius illius ad alios deuoluatur: sicut nonnulli putant, quod totum ius Imperii deuolutum sit ad Christianos propter culpam hæreticorum & Iudæorum & aliorum infidelium: vt ita valeant libere Christiani disponere de toto Imperio, sicut vnquam potuit tota communitas mortalium.

Discip. Adhuc circa istam materiam quæro, an aliquis Christianus vel alius absque causa sponte & libere valeat renunciare omni iuri, quod in communi habet super Imperium. *Magist.* Circa hoc diuersæ sunt opiniones. Vna est, quod licet omni tali iuri renunciare. Vnde & Fratres Minores, vt dicitur, omni tali iuri licite renunciauerunt: quia omni iuri humano & positiuo licet renunciare. Alia opinio est, quod tali iuri renunciare non licet. Tale autem ius in communi est ius publicum. Et ideo ei renunciare non licet.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECVNDVS, VBI INQVIRITVR, QVÆ IVRA habeat Imperator super temporalia.

CAP. I.

In quo quæritur, vtrum potestas Papæ & Imperatoris sint potestates distinctæ.

DIscipulus. Sicut, canonibus sacris testantibus, *ordo ecclesiasticus confunditur, si sua iurisdictio vnicuiq; non conseruatur, extra de accu. sicut olim, in Gloss. & 11. q. 1. peruenit.* Sic ordinem mortalium manifestum est confundi, si vnicuiq; præsidenti in temporalibus & maxime supremo sua iura non seruantur. Seruari autem non possunt, nisi cognoscantur. Et ideo post prædicta, quæ sunt iura & potestas Romanorum Imperatorum censeo indagandum. Primo autem inquiram, quæ iura & quam potestatem habet Imperator super temporalia. Vt tamen à fundamentis eorum incipiam, ante omnia quæro, an potestas Imperatoris & Papæ potestas sint distinctæ potestates, an vna sit ex alia aut non. *Magist.* Tenent multi, quod sunt potestates distinctæ.

Discip. Si aliqua decreta maiorum consonent assertioni, adducas. Forte enim ex illis melius intelligam omnia, quæ circa hanc materiam recitabis. *Magist.* Multi canones sacri & plures Glossæ super Decreta & Decretales videntur asserere, quod sunt potestates distinctæ. Vnde Nicolaus Papa, vt habetur *96. cap. cum ad verum*, ait: *Cum ad verum ventum est, vltra sibi nec Imperator iura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen Imperatorium vsurpauit.* Vbi dicit Glossa: *Cum istæ potestates sint diuisæ, quod Imperator non habet gladium à Papa.* Item habetur eadem distinctione cap. *Duo sunt quippe, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur, auctoritas sacra pontificum & potestas regalis.* Vbi Glossa super vocabulo *principaliter*, ait: Neuter pendet ex reliquo. *Et ita est argumentum pro Imperatore.* Item Glossa *extra qui filii sunt legitimi cap. causam*, super verbo *quod ad regem*, ait: *sic patet quod iurisdictio temporalis à spirituali diuisa est & distincta.* Item Glossa *distinct. 10. cap. Imperium*, super verbo *administrationibus*, ait: *Distincta est enim potestas sua à potestate pontificali.* Item Gregor. vt legitur *de priuilegiis cap. sicut*, ait: *Sicut in iudiciis laicorum priuilegia turbare nolumus: ita eis præiudicantibus nobis volumus moderata auctoritate resistere.* Vbi dicit Glossa *sic est argumentum, quod ecclesia non vult iura alterius sibi arrogare: quia iurisdictio distincta esse debet.* Item Innocent. vt legitur, *extra de iudiciis*, ait: *Aut non putet aliquis, quod iurisdictionem illustris regis Francorum perturbare aut minuere intendimus: cum ipse iurisdictionem nostram nec velit nec debet impedire. Discipulus.* In his verbis non fit mentio de Imperatore, sed de rege Francorum. *Magister.* Ex his verbis habetur,

habetur, quod potestas regis Francorũ distincta est à potestate Papæ. Et p consequens à fortiori potestas Imperatoris. Tum quia maior est potestas Imperatoris, quam potestas regis Francorum. Tum quia (sicut tactum est supra) non videtur in scripturis, quod sit aliqua potestas tributa Papæ super Imperatorem, quam non habeat super regem Franciæ. Item Glossa super verbo Innocentii, quæ ait: *Propter hoc quod hic dicitur, patet quod ecclesia vel Papa non habet vtrumq; gladium.* Et infra: *non igitur de temporali iurisdictione debet se intromittere, nisi in subsidium, scil. cum iudex secularis est negligens.* Item, sicut allegatum est supra, Cyprianus, vt legitur dist. 96. cap. *cum ad verum*: *Actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusq; discernit*, scilicet Christus. Vbi Glossa super verbo *discernit*: *Cum ergo istæ potestates sunt distinctæ: licet sit argumentum quod Imperium non habetur à Papa. Et ego credo potestates distinctas esse: licet Papa quandoq; vtramq; potestatem sibi assumat.* Ex his aliisque quampluribus colligitur, quod potestas Papæ & Imperatoris sunt distinctæ potestates.

CAP. II.

Ostendit secundum quid distinguuntur hæ duæ potestates.

DIscip. Quod sunt distinctæ potestates, videtur q non debet in dubiũ reuocari: sed qualiter distinguuntur ignoro. Ideo dic secundũ aliquam sententiã, qualiter distinguuntur. *Magist.* Dicitur q per hoc distinguuntur, q Papa habet potestatem in spiritualibus & Imperator in tẽporalibus. *Discip.* Istam assertionem (si potes) auctoritatibus aliquibus fulcire nitaris. *Magist.* Ista assertio quampluribus auctoritatibus posset muniri. Ait enim Innocentius tertius, vt scribitur *extra de maioritate & obedientia, cap. solitæ*: *Non negamus quin præcellat Imperator in temporalibus illos duntaxat, qui ab eo recipiunt temporalia. Sed & pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima corpori præfertur.* Item Cyprianus, vt habetur *distinct. 10. cap. quoniam*: Idem & Nicolaus Papa, vt legitur *distinct. 96. cap. cum ad verum*, dicunt officia istarum potestatum esse distincta à Christo, vt Christiani Imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent: & pontifices pro cursu temporalium tantum Imperialibus legibus vterentur: quatenus spiritualis actio à corporalibus distaret incursibus, & Deo militans minime negotiis secularibus se implicaret, ac vicissim non ille rebus diuinis deditus videretur, qui esset negotiis secularibus implicatus. Item idem Nicolaus eadem distinct. cap. *denique* sic ait: *denique hi sunt, quibus tantum humanis rebus & non diuinis præesse permissum est, quomodo de his, per quos diuina ministrantur, iudicare præsumant, penitus ignoramus.* Item Gregorius Nazianzenus scribens Imperatoribus Constantinis, vt habetur *distinct. 10. cap. suscipitis*, ait: *Suscipitis ne libertatem verbi? libenter accipitis quod lex Christi sacerdotali vos subiicit potestati, atque istis tribunalibus subdidit. Dedit enim & nobis potestatem: dedit & principatum multo perfectiorem principatibus vestris. Nunquid aut iustum vobis videtur, si cedat Spiritus sanctus carnis: si à terrenis cœlestia separentur, si diuinis præferantur humana?* Item Innocent. tertius, vbi prius, ait: *Fecit Deus duo luminaria magna in firmamento cœli. Luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti. Vtrumq; magnum, & alterum maius* Et infra: *Ad firmamentum ergo cœli hoc est vniuersalis ecclesiæ, fecit Deus duo luminaria magna, id est duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas, & regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est spiritualibus, maior est: quæ vero carnalibus, minor. Vt quanta est inter lunam & solem diuersitas, tanta inter reges & pontifices esse cognoscatur.* Ex his aliisq; auctoritatibus innumeris, (quarum aliquæ sunt adductæ *supr. cap. 1.*) colligitur, quod Imperator habet potestatem in temporalibus, & Papa in spiritualibus.

CAP. III.

Vbi quæritur, quæ sint temporalia, & quæ spiritualia. Et respondetur sub vndecim diuisionibus.

DIscipulus. Sufficienter videtur ostensum, quod potestas Imperatoris respicit temporalia, carnalia, secularia, & humana: & potestas papalis spiritualia. Sed quæ sunt temporalia & spiritualia, perfecte non intelligo. Ideo quę sunt temporalia & carnalia, secularia & humana, quæ respicit potestas Imperialis, inuestigare coneris. *Magist.* Quibusdam videtur, quod quæ sunt illa, in quibus consistit Imperialis potestas, ex diuersis distinctionibus, quę in diuersis scripturis habentur, colligitur. *Discip.* Libenter audiam distinctiones illas. *Magist.* Vna est, quod hominum quidam sunt carnales, & quidam spirituales. Et hæc distinctio habetur expresse ad Corinthios *cap. 2. & 3.* Vbi Apostolus ait manifeste: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* Et post: *Spiritualis autem iudicat hæc omnia: & ipse à nemine iudicatur.* Alia distinctio est, quod quædam sunt personæ ecclesiasticæ, & quædam seculares. Hæc distinctio colligitur ex verbis Hieronymi, quæ ponuntur *12. q. 1. cap. duo sunt*, vbi ait: *duo sunt genera Christianorum. Est autem vnum genus, quod mancipatum est diuino officio & deditum contemplationi & orationi, quibus ab omni strepitu temporalium rerum vacare conuenit, vt sunt clerici & Deo deuoti*, scilicet conuersi. Et infra: *Aliud vero genus est Christianorum, vt sunt laici. λαὸς enim Græce est populus Latine.* His licet temporalia possidere, sed non nisi ad vsum. Alia distinctio est, quod rerum quædam sunt ecclesiasticæ, & quædam temporales seu seculares. Hæc distinctio ex diuersis sacris

cris canonibus sumitur: qui quasdam vocant res ecclesiasticas, per hoc insinuantes, quod quædam sunt seculares. Vnde in concilio Antiocheno, vt habetur *12. quæst. 2. c. episcopus*, sic legitur: *episcopus ecclesiasticarum habet rerum potestatem.* Alia diuisio est: causarum quædam sunt ecclesiasticæ, & quædam seculares *12. quæst. 1. §. 1. in Gloss.* Alia est, quod criminum quædam sunt ecclesiastica, & quædam secularia. Hæc diuisio innuitur ibidem. Alia est, quod pœnarum quædam est ecclesiastica siue canonica, alia secularis siue legalis. Hæc diuisio sub his verbis, quod pœnarum alia est canonica, alia legalis, in diuersis doctoribus innuitur. Alia est, quod quidam sunt iudices seculares, quidam ecclesiastici. Hoc ex multis canonibus colligitur. Alia est, quod negotiorum quædam sunt temporalia, quædam spiritualia. Hanc diuisionem innuit Apostolus, cum dicit 2. ad Corinh. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Cum enim dicit, quædam negotia esse secularia, à quibus abstinent militantes Deo, insinuat aliqua esse spiritualia, à quib⁹ non abstinent. Alia est, quod dignitatum alia est ecclesiastica, alia secularis. Alia est, quod quædam sunt leges seculares, & quædam ecclesiasticæ. Hæc diuisio ponitur in decretis *distinct. 3. §. 1.* cum dicitur: *Omnes hæ species secularium legum sunt partes. Sed quia constitutionum alia ciuilis, alia ecclesiastica* &c. Alia est, quod iurisdictionum alia est temporalis, alia est spiritualis. Hæc diuisio ex his, quæ allegata sunt supra *cap. 1. huius secundi*, colligitur euidenter.

CAP. IV.

Dat differentiam inter secularia & spiritualia.

DIscipulus. Puto, quod multæ tales distinctiones inueniuntur in scripturis: quare non adducas alias. Æstimo enim, quod ex istis habeo occasionem intelligendi alias, & inuestigandi de potestate, quam Imperator super diuersa temporalia noscitur habere: quia tamen ex prædictis adhuc nescitur, qualiter carnalia, secularia, & humana à spiritualibus & ecclesiasticis ac diuinis distinguuntur: ideo inter ipsa aliquam breuem differentiam secundum opinionem aliquorum assigna. *Magist.* Sunt quidam dicentes, quod prædicta vocabula, scilicet *temporalia, carnalia, spiritualia* &c. in diuersis scripturis accipiuntur æquiuoce: quæ tamen cum quæritur, quam potestatem habent laici in temporalibus & in spiritualibus, ad vnam significationem restringuntur, vt per *temporalia* intelligantur illa quæ respiciunt regimen humanum, vel humani generis in solis naturalibus constituti absque omni reuelatione diuina, quæ seruarent illi qui nullam legem præter naturalem & positiuam humanam susciperent, & quibus nulla alia lex esset imposita. Per *spiritualia* autem intelliguntur illa, quæ respiciunt regimen fidelium inquantum diuina reuelatione instruuntur. *Discip.* Secundum ista Imperatores & alii infideles de multis intromiserunt se de regendo sibi subiectos, quæ ad temporalia vel spiritualia minime pertinebant. *Magist.* Hoc conceditur. Omnia enim quæ spectabant ad culturam & falsorum Deorum iniquitatem, nec inter temporalia nec spiritualia sunt numeranda: sed superstitiosa sunt censenda.

CAP. V.

Quæritur, vtrum Imperator per vniuersum mundum habeat iurisdictionem super temporalia. Et ponit duas opiniones. Primam pertractat in hoc cap. & secundam cap. sequenti.

DIscipulus. Arbitror me aliquantulum intelligere, quomodo temporalia à spiritualibus distinguuntur. Ideo ad potestatem Imperatoris super temporalia descendens, interrogo primo, an Imperator verus Romanorum per vniuersum mundum super temporalia habeat hanc potestatem, ita vt cunctæ regiones mundi ei in temporalibus subiiciantur. *Magist.* Circa hoc sunt diuersæ opiniones, sicut tactum est supra. Vna est, quod de iure omnia regna mundi sunt subiecta in temporalibus Imperatori Romanorum.

Discip. Quamuis superius *libro primo cap. 28.* aliquas Glossas super decreta & decretales hanc opinionem tenentes adduxeris: adhuc tamen aliquas alias, si quæ sint, allega. *Magist.* Glossa *distinctione 63. cap. Adrianus*, super illo verbo, *per singulas prouincias*, insinuare hoc videtur dicens: *Ergo in Francia & in Hispania vnus est Imperator. 72. quæst. 1. cap. amplius. Quod concedo: nisi probent se exemptos esse ab Imperatore. Vt 23. quæst. 8. ecce. Vnde & hic à capite suo dabunt tributum Imperatori, cum probent se exemptos. Et ff. de censibus L. vltima. Si enim dicunt se non subesse Romano Imperio: Igitur per consequens dicunt se non habere aliquid proprii, vt supr. d. st. 1. ius Quiritum. Fatemur igitur Imperatorem esse Dominum mundi, vt ff. ad L. Rhod. qui leuanda.* Sed non est maior ratio, quod Francia & Hispania sunt

subiectæ

subiectæ Romano Imperio, quam alia regna. Igitur vniuersa regna fidelium & infidelium sunt subiecta Imperatori de iure, licet non de facto. Item Glossa *extr. de elect. venerabilem*, super verbo *in Germanos*, sic ait: *Sicut Imperium mundi translatum est in Theutonicos. Nam ipsi habent regimen Romanæ ecclesiæ 9. distinct. 3. in dum. Et sic patet quod Imperium non est apud Græcos: licet largo modo appelletur Imperium, extra de maioritate & obedientia, cap. solitæ. Sicut & rex Francorum & Scotorum dicitur rex: quoniam extra ecclesiam non est Imperium, & 4. q. 1. §. sed illud. Sed est Imperator ille super Reges, 7. q. 1. c. in apibus. Et omnes nationes sub eo sunt 11. q. 1. hæc si quis, ibi, volumus. Ipse enim est princeps mundi & Dominus ff. ad L. Rhodiam, qui le. Et hæc deprecatio. Et etiam Iudæi sub ipso sunt. supra de iudæis, Iudæi: & omnes prouinciæ. Et 43. dist. Adrianus. Et omnia sunt in potestate Imperatoris, 8. dist. quo iure descendis & 23. q. 8. conuenior.* Item Glossa *dist. 1. ius Quiritum*, quæ pro parte allegata est prius, dicit, quod *Iudæi vtuntur iure Romano, & vocantur Romani: quia omnes vocantur Romani subiecti Romano Imperio, prout dicitur populus Romanorum habere filios in potestate, prout etiam sunt gentiles sub Romano Imperio. Nam Imperator est princeps totius mundi ff. ad L. Rhod. qui leuanda. Qui igitur non vult esse sub Romano Imperio, nec hæreditatem habere potest, nec alia quæ hic de iure humano enumerantur.* Item Gloss. *23. q. 8. cap. conuenior*, super verbo *omnia infert*, ait: *Igitur omnia sunt Imperatoris, vt supra distinct. 8. quo iure.*

Discip. Satis apparet esse opinio aliquorum; Imperatorem Romanorum esse principem seu Dominium totius mundi. Pro qua opinione nitere allegare. *Magist.* Hæc opinio in vno principio fundari videtur principaliter: quod tale est. Imperio Romano aliquando totus mundus fuit subiectus, & ipsum Romanum Imperium non est priuatum aliquo Dominio cuiuscunq; regni, quod sibi fuit subiectum. Igitur adhuc omnia regna Imperio Romano sunt subiecta. *Discip.* Quo modo probatur, quod totus mundus fuit subiectus Romano Imperio? *Magist.* Hoc testatur Euangelium, cum dicit: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Hoc etiam testatur Constantinus; qui, vt allegatum est supra *distinct. 96. Constantinus* ait: *Discernentes sancimus, vt principatum teneat* (scilicet sedes Romana) *tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam, quàm super omnes in vniuerso orbe terrarum ecclesias Dei. Hæc omnia vero, quæ per hanc Imperialem maiestatem & sacra personalia diuinalia decreta statuimus & confirmamus, vsq; in finem mundi illibata & inconcussa manere decreuimus. Vnde coram Deo viuo qui nos regnare præcepit, & coram eius terribili iudicio obtestamur omnes nostros successores Imperatores & cunctos optimates & satrapas, etiam amplissimum senatum, & vniuersum populum in toto orbe terrarum nunc & in posterum, nulli eorum quoquo modo licere aut confringere aut in quoquã conuelli.* In quibus quidem verbis Constantinus ostendit, vniuersum orbem terrarum sibi fuisse subiectum, non quidẽ de facto; quia tunc aliqui populi rebellauerunt. Igitur de iure &c. *Discip.* Quomodo probatur, quod Romanum Imperium non fuit priuatum iure & dominio, quod habuit super quodcunq; regnum vel prouinciam? *Magist.* Hoc sic probatur. Si Romanum Imperium fuit priuatum iure & dominio, quod habuit super quodcunque regnum vel prouinciam, aut fuit priuatum à iure, vel ab homine. Non à iure: quia de tali priuatione nullum ius habetur, quia nec diuinum nec humanum. Nec ab homine: quia nullus homo inferior Imperatore, qui erat Dominus mundi, poterat priuare Imperatorem tali iure aut Dominio.

Videtur, quod illa ratio non procedit. Primo, quia Imperium Romanum potuit priuari tali iure & tali dominio per potentiam regnorum rebellantium. Quia, vt legitur *extra de regulis iuris cap. omnis: Omnis res ex quibuscunque causis nascitur, per easdem dissoluitur.* Romanorum autem Imperium acquisiuit ius & dominium super alia regna per potentiam gladii. Igitur per potentiam gladii potuit perdere idem ius & dominium. Secundo, quia Imperator Romanorum per negligentiam suam & culpam potuit perdere iurisdictionem suam quam habuit super multa regna. Nam sicut notatur in Gloss. *22. q. vlt. cap. de forma*: eadem fide tenetur quis subdito suo, sicut subditus Domino. Et si non fecerit, priuatur Dominio, quod habuit in vasallo. Si igitur Imperator iniuste tractauit alio, ua regna, vel non defendit ea in necessitate, iuste perdidit iurisdictionem, quam habuit super ipsa. Tertio: quia præscriptione iura tolluntur. Poterant igitur alia regna præscribere contra Imperium. Et sic Imperator potuit perdere ius & Dominium, quod habuit super quædam regna. *Magist.* Nonnullis apparet, quod istæ rationem præscriptam nequaquam impediunt.

Primum non: quia, sicut tactum est prius, licet magna pars mundi fuit per potentiam gladii subiugata Imperio, omnes tamẽ sponte postea consenserũt subdi eidẽ Imperio. Et ideo extunc per potentiã gladii dissolui non poterat. Secundũ, quod est de culpa Imperatoris vel Romanorũ, quod etiam non impedit (vt videtur) quia nec in eo vel in eis apparet tanta culpa, quod Romanum Imperiũ priuari debuit iure & dominio, quod habuit super quæcunq; regna. Esto tamen, quod talis culpa commissa fuisset: non tamen debuit Imperium absq; sententia vniuersitatis mortalium aut alicuius vel aliquorum gerentis vel gerentium vicem eiusdem vniuersitatis tali iure priuari. Nulla autem talis sententia per vniuersitatem mortalium aut alicuius vel aliquorum gerentis vel gerentium vicem eiusdem vniuersitatis data fuit contra Romanum Imperium. Igitur Romanum Imperium tali iure vel dominio minime est priuatum. Nec tertium de præscriptione præscriptã rationem impedire videtur. Tum quia non apparet, quod vnquam aliquis in hoc præscripserit contra Romanum Imperium: quia nullus potuit se bona fide alienare à Romano Imperio. Et ideo quicunq; se alienant se à Romano Imperio, alienant se à sola potentia. Tum: quia sicut in spiritualibus & ecclesiasticis contra obedientiam & visitationem non præscribitur: sic contra Dominium Romani Imperii nullus potest præscribere.

Quod patet ex hoc, quod præscriptio in temporalibus est ex iure Imperiali. Imperator autem nunquam fecit legem vel statutum, quod aliquis posset præscribere taliter contra Romanum Imperium. Igitur nulla in hoc casu poterit allegari præscriptio.

CAP. VI.

Adducit secundam opinionem, tenentem, quod Imperator nunc non est Dominus totius mundi: & hoc tribus rationibus, ad quas respondetur cap. 8. & 9.

DIscipulus. Recita opinionem contrariam. *Magist.* Alia opinio est, quod licet aliquando Imperator Romanorum fuerit domin' totius mundi: nunc tamen non est Dominus omnium nationum. *Discip.* Pro ista opinione aliquas allegationes coneris adducere. *Magist.* Pro ista opinione allegatur primo sic. Quod Papa approbat, & nos approbare debemus, & pro veritate tenere debemus. *distinct. 19. si Romanorum.* Sed Papa videtur approbare assertionem Francorum & aliorum, qui asserunt se non esse Imperio subiectos. Si enim opinionem illorum minime approbaret, nihil deberet statuere propter assertionem ipsorum præferentium, quod sonaret in approbationem assertionis eiusdem. Sed vt legitur *extra, de priuilegiis, super specula:* Papa propter hoc, quod Franci & alii subtrahentes se ab Imperio Romano legibus Imperialibus non vtuntur, statuit quod ius ciuile Parisiis, vel in aliis ciuitatibus, seu aliis locis vicinis nullatenus doceatur vel audiatur, quod in assertionem vel approbationem dictæ assertionis Francorum vel aliorum sonare videtur. Igitur eandem assertionem approbare & veram reputare debemus.

Discip. Forte dicerent alii, quod Papa non fecit tale statutum, quia approbauerit dictam assertionem Francorum: sed quia voluit, quod litterati magis Theologiæ insisterent, & quia frustra tale statutum dimisisset ad insinuandum se non approbare assertionem illam, quia propter hoc litterati & alii opinionem suam nullatenus reliquissent. *Magist.* Videtur multis, quod ista responsio non impediat præscriptam rationem: quia Papa, ad quem spectat omnia peccata & errores corrigere, insinuare debuit dictam assertionem, si est falsa, se nullatenus approbare. *Discip.* Aliam rationem adducas ad idem. *Magist.* Alia ratio talis est. Sancti canonizati ab ecclesia non sunt credendi existere in peccato mortali, aut in rebellione damnabili, vel alia iniuria decessisse. Sed plures fuerunt sancti reges & alii, qui Imperatorem minime recognouerunt superiorem in temporalibus, & in hoc finierunt dies suos. Exemplum de sancto Ludouico rege Francorum, & pluribus regibus Angliæ. Igitur vere non fuerunt subditi Romano Imperio.

Discip. Forte dicerent alii, quod isti sancti nesciuerunt se esse subiectos Romano Imperio: & si sciuissent, hoc facto & verbo recognouissent. Quare per ignorantiam iuris ciuilis poterant excusari. *Magist.* Apparet aliis, quod hæc responsio non sufficit: quia reges & principes tenentur scire, an habeant superiorem vel non. Ignorantia autem iuris, quod quis tenetur scire, non excusat *1. quæst. 4. sed notandum.* Igitur reges & principes per talem ignorantiam nullatenus fuerunt excusati.

Discip. Forte dicerent aliqui, quod reges illi & principes non tenebantur habere tantam peritiam iurium ciuilium & historiarum, vt cognoscerent se subiectos Romano Imperio. *Magist.* Ad hoc dicitur, quod debuerunt ab aliis inquirere, si nesciuerunt per seipsos, teste Glossa quæ dicit *distinctione 36. cap. 1.* ait: *non excusatur quis per ignorantiam, qui potest habere peritorum copiam.*

Discip. Ad hoc respondetur, quod non inuenerunt peritos, qui in hoc eos instruerent: quia multi periti sunt, qui magis desiderant destructionem Romani Imperii quam exaltationem, & simplices tantum, quantum possunt, informant, quod non omnes mortales sunt subditi Romano Imperio. Non autem oportet, quod reges & principes ac alii laici sint nimis solliciti inquirendo, an sint subiecti Romano Imperio, teste Glossa, *72. quæst. 4. sed notandum.* Ad hoc autem, quod quis probabiliter dicatur errare, non requiritur, quod sit nimis diligens, scrupulosus & curiosus in inquirendo: nec quod sit nimis negligens & dissolutus in inquirendo. Et ita adhuc reges & principes per ignorantiam poterunt excusari, licet non cognoscant se esse subiectos Romano Imperio. *Magist.* Contra hoc obiicitur; quia de bono communi debent maxime reges & principes summe esse solliciti, licet non debeant esse nimis diligentes, scrupulosi, & curiosi. Sed ex Romano Imperio dependet bonum commune totius generis humani. Igitur circa hoc præcipue reges & principes summam diligentiam adhibere tenentur. *Discip.* Aliam rationem, si occurrat, allega. *Magist.* Adhuc pro opinione prædicta allegatur sic. Ad officium summi pontificis summe spectat instruere laicos & potissime reges & principes, ex quibus obedientia aliorum dependet in his, quæ spectant ad fidem & iustitiam & bonos mores. Sed si de iure omnes mortales sunt Romano Imperio subditi, contra iustitiam agunt reges & principes, qui subiici Ro-

mano

mano Imperio recusant. Igitur de hoc debent pontifices, Imperatores, reges & principes instruere diligenter. Hoc autem non fecerunt plures sancti summi pontifices: quod tamen fecissent, si hoc ad iustitiam pertineret. Aliter enim de bono communi & salute eorum, ex quibus rationem reddent Deo, non fuissent solliciti. Igitur non est probabile, quod omnes mortales sunt modo subiecti Romano Imperio. *Discip.* Videtur quod hæc ratio dupliciter potest impediri. Vno modo dicendo, quod summi pontifices ignorauerunt omnes mortales debere subiici Romano Imperio. Hoc enim ad ius ciuile spectat. Ipsi autem iuris ciuilis non tenentur esse periti, nec in his quæ spectant ad ius ciuile, tenentur fideles instruere. Aliter potest dici, quod summi pontifices aduerterunt reges & principes & alios laicos nullo modo velle acquiescere admonitioni, qua deberent esse Romano Imperio subditi. Et ideo tacuerunt, iuxta illud Salomonis Prouerb. 23. *in auribus insipientium ne loquaris. Despiciunt enim doctrinam eloquii tui. Magist.* Nonnullis apparet, quod neutra istarum rationum impedit præscriptam rationem. Prima non: tum quia non est verisimile, quod summi pontifices ignorauerunt omnes esse subiectos Romano Imperio, si continet veritatem, præsertim cum hoc Glossatores canonum & decretorum, quæ summus pontifex ignorare non debet, asserere manifeste videantur. Tum secundo, quia licet summus pontifex non teneatur habere peritiam excellentem iuris ciuilis, non tamen debet ignorare omnino omnia, quæ sunt iuris ciuilis: imo illa quę tangunt totam vniuersitatem mortalium, scire tenetur. Aliter enim de multis peccatis mortalibus, quę redundarent in periculum totius Ecclesiæ, non posset corripere Christianos, quia de illis quæ nescit esse peccata, non debet eos corrigere. Igitur cum omnes mortales esse subiectos Romano Imperio omnes tangat, ita vt quicunque scienter recusat subesse Romano Imperio, si est ei subiectus, peccat mortaliter. Hoc summus pontifex ignorare non debet, quia de illis, quæ à pluribus & communiter fiunt, debet scire, an sint peccata mortalia vel nō. Secunda responsio, vt videtur, non impedit rationem illam. Nam non constabat summis pontificibus, quod omnes laici, qui non subdebant se Imperio, erant ita obstinati, quod nullo modo vellent de veritate informari. Ergo saltem experiri debebant, an doctrinam veram in hac parte volebant recipere. Item constat, quod multi fuerunt sancti reges & alii laici quamplures, qui iustitiam dilexerunt & bonum commune, & odio habebant omnem iniustitiam. Aliter enim omnes reges & alii laici extitissent delectatores iniquitatis: & per consequens in statu damnationis fuissent. Igitur parati fuerunt de omni iustitia spectante ad ipsos informari. Et per consequens parati fuerunt erudiri, quod iure essent subiecti Romano Imperio, vel penitus à subiectione huiusmodi liberati. Amplius, aliqui sunt in veritate subiecti Romano Imperio de iure: & tamen nolunt de facto esse subiecti. Et tales nihil iuste possident: quia tales nihil possident iure Imperatoris, teste Beato Augustin. qui *super Iohan.* & ponitur in decretis *dist. 8. quo iure*, ait: *Iure igitur humano dicitur: hæc villa mea est, hic seruus meus est, hæc domus mea est.* Et infra: *Noli ergo dicere, quid mihi & regi? quid tibi ergo & possessioni? per iura regum possidentur possessiones. Dixisti, quid mihi & regi? noli dicere possessiones tuas: quia ipsa iura renunciasti humana, quibus possessiones possidentur.* Et idem Augustin. ad Vincentium, vt legitur *vigesim. quart. quæst. septim. cap.* ait: *Res quæcunque terrena nullo tempore possideri à quocunque potest, nisi iure Diuino, quo cuncta iustorum sunt: vel iure humano, quod in potestate regis terra est.* Ex quibus verbis colligitur, quod nullus subiectus Imperatori vel regi aliquid iuste possidet, nisi iure Imperatorum vel regum. Et per consequens si omnes nationes de iure sunt subiectæ Romano Imperio, nullus rex vel princeps aut alius laicus aliquid iuste possidet, qui renunciat iuri Imperatoris, & non vult esse subiectus Imperatori. Hinc Gloss. *dist. prim. ius Quiritum*, vt allegatum est superius, ait: *Qui non vult esse sub Romano Imperio, nec hæreditatem habere potest nec alia quæ hic de iure humano* (scilicet Romanorum) *enumerantur.* Omnes igitur reges & principes ac laici, qui recusarent esse sub Romano Imperio, nihil iuste possiderent: sed de omnibus, quæ iniuste possident, non possunt facere eleemosynam, nec aliquid alicui donare, nec oblationes publicas, nec holocausta siue sacrificia. Quia licet in casu de quibusdā illicite acquisitis possit eleemosyna fieri, vel oblatio aut sacrificium: tamen de iniuste possesso nullum prædictorum fieri potest. Peccant etiam omnes clerici & religiosi, qui extra tempus necessitatis & aperte recipiunt dona, eleemosynas, oblationes vel sacrificia de illis, quæ possident de facto non de iure reges & principes ac alii laici, qui Romano Imperio subdi recusant.

CAP. VII.

Iterum probat, quod Imperator non sit Dominus omnium temporalium, & hoc vnica ratione, ad quam etiam respondetur.

DIscipulus. Adhuc allega pro opinione præmissa. *Magist.* Pro ista opinione allegatur sic. Quod Imperator Romanorum non sit Dominus omnium temporalium, sacri canones asserere videntur, quod sunt plures, qui non habent superiorem; quod tamen non esset verum, si omnes seculares essent subiecti Romano Imperio. Innocentius namq; tertius, vt legitur *extra, de hæreticis, excommunicamus*, ait: *Si vero Dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia suam terram purgare neglexerit ab hæretica fœditate* &c. Et infra: *eadem nihilominus lege seruata circa eos, qui non habent Dominos principales.* Item, idem *extra, qui filii sunt legitimi, per venerabilem*, ait: *Insuper cum rex Franciæ superiorem in temporalibus non recognoscat, sine iuris alterius læsione in eo se iurisdictioni nostræ subdere potuit.*

Item, Glossa *extra, de foro competenti. c. ex transmissa*, loquens de ipsa ait: *Licet concedat clerico contra laicum: dum tamen alium superiorem habet, non concedit laico contra clericum.* Ex his colligitur, quod sunt plures laici, qui superiorem non habent: & per consequens non omnes sunt Imperatori subiecti. *Discip.* Licet ista allegatio appareat fortis: tamen secunda auctoritas de rege Francorum non videtur ad propositum pertinere. Tum quia Glossa ibidem, vt allegatum est *primo huius cap. 18.* asserit, quod rex Francorum de iure subest Romano Imperio. Tum, quia Innocentius non dicit, quod rex Franciæ non habet superiorem in temporalibus, sed quod rex non cognoscit superiorem. Potest enim aliquis habere superiorem, licet non recognoscat. *Magist.* Non nullis apparet, quod neutrum istorum concludit, istam auctoritatem Innocentii non monstrare intentum: sed quod ex verbis Innocentii allegatis elicitur, quod idem Innocentius regem Franciæ vere & iuste minime cognoscere superiorem in temporalibus, cum asserit; quia rex in temporalibus superiorem minime recognoscit, ideo sine læsione iuris alterius potuit se iurisdictioni Papæ subiicere. Sed si rex falsè & iniuste recognosceret minime in temporalibus superiorem, non oportet propter hoc sine læsione alterius iuris se subiicere iurisdictioni Papæ: quia falsa & iniusta abnegatio Dominii alterius non tribuit abnegato potestatem subiiciendi se iurisdictioni alterius absq; læsione veri Domini sui. Innocentius igitur reputat, quod rex vere & iuste non recognoscit superiorem in temporalibus. Ex hoc concluditur, quod primum non valet. Etiam secunda Glossa videtur contrariari textui, cum Glossa dicit quod rex Franciæ de iure subest Imperio. Et textus dicat, quod quia rex Franciæ non recognoscit superiorem, potest se subiicere iurisdictioni Papæ: quod tamen non esset, si de iure subiectus esset Imperio, quod esset in præiudicium Imperatoris, si esset subiectus. *Discipulus.* Occasio est apparenter exclusa, ac per hoc præscripta allegatio videtur amplius confirmari: tamen narra, quomodo respondetur ad ipsam. *Magister.* Ad primam Decretalem respondetur, quod loquitur de his, qui de facto non habent Dominos principales: quia illi non minus tenentur obedire Papæ circa hæreticos expurgandos. Ad secundam dicitur, quod loquitur de rege Franciæ, pro quo Imperator reputari videtur saltem de facto, quia scilicet rex Franciæ non est subiectus, eo quod nec verbo nec facto sibi ostendit de iure dominari debere regi Franciæ. In quo casu propter errorem vel negligentiam Imperatoris Papa non potestate data sibi à Christo, sed quia ex consuetudine obtinet talem iurisdictionem circa regem Franciæ: si se subiiceret, nihilominus super ipsum iurisdictionem haberet Papa: non quia rex Franciæ falsè & iniuste non recognoscit Dominium Imperatoris, sed quia Imperator negligit propria iura vel ignorat, quæ iura habeat super regem Franciæ & alios laicos vniuersos. Sicut enim iudex Ecclesiasticus potest se immiscere seculari iurisdictioni, cum iudex secularis negligit facere iustitiam, *extra de foro competenti, ex tenore. & c. licet, in Glossa*, ita Papa potest in multis casibus supplere ignorantiam vel negligentiam Imperatoris circa subiectos eidem. *Discip.* Si Papa potest implere negligentiam vel ignorantiam Imperatoris exercendo iurisdictionem temporalem circa regem Franciæ: igitur eadem ratione poterit priuare Imperatorem iure & dominio, quod habet Imperator super regem Franciæ. *Mag.* Respondetur, quod Papa nulla potestate, quam habet vel à Christo vel à consuetudine licita, potest priuare Imperium à tali iure & dominio: quemadmodum non potest destruere imperium. *Discip.* Nunquid potest Imperator eximere regem Franciæ vel alium, ne vllo modo subsit Imperio? *Magist.* Respondetur, quod licet Imperator possit multas libertates concedere regi Franciæ & aliis: tamen nullo modo potest regnum Franciæ vel aliud totaliter ab Imperio separare, vt nullo modo subsit Imperio. Quia hoc esset destruere Imperium, quod non potest Imperator. *Discip.* Dic quomodo respondetur ad Glossam superius allegatam. *Magist.* Respondetur, quod Glossa illa loquitur de laico, qui de facto non habet superiorem: habet tamen de iure omnino laicus fidelis & infidelis, quod subsit Imperatori.

CAP. VIII.

Respondetur ad primam rationem, supra c. 6. adductam.

DIscipulus. Videtur, quod apparenter ad rationem adductam *c. 7.* respondisti: Ad rationes autem, quæ allegatæ sunt *c. 6.* ego responsiones aliquas recitaui: præter quas audire cupio aliquas, si ad ipsas aliter respondetur. *Magist.* Ad primam illarum, quæ in hoc consistit, quod illud, quod approbat Papa, nos approbare tenemur: Respondetur, quod hoc est verum, quando Papa auctoritate Papali aliquid diffiniendo & determinando approbat iuste & catholice. Si autem Papa non diffiniendo nec determinando aliquid approbat, & non iuste: illud propter hoc approbare nō tenemur. Vnde & Innocentius quartus, quamuis esset Papa, noluit opiniones suas autenticas reputari. Similiter nec opinio Innocentii quinti, quam etiam approbauit, postquam fuit Papa, non tenemur aliter approbare. Nunc autem non inuenitur, quod aliquis Papa diffiniendo & determinando approbauit, non omnes mundi prouincias vel regnum Franciæ non subiici Romano Imperio, & omnino hoc non approbare astringimur. Esto autem, quod aliquis Papa diffiniendo & determinando hoc approbasset: quia tamen hoc non iuste approbasset, non tenemur idem approbare. *Disc.* Contra istam responsionem duo occurrunt. Primum est, quod secundum istam responsionem non tenemur plus approbare, quod approbat Papa, quam quod alius Episcopus vel alius peritus in scripturis sacris noscitur approbare. Quia quicquid Episcopus vel peritus in scripturis sacris iuste & catholice approbat, & nos approbare tenemur, eo quod omnem iustitiam & omne quod est catholicum approbare debe-

debemus. Secundum quod occurrit, est, quod si non tenemur approbare illud, quod Papa etiam determinando & diffiniendo approbat, sequitur quod possemus illud reprobare: quod videtur esse contra quandam constitutionem Papalem, quam dicitur fecisse in ordine Fratrum Minorum, qua cauetur, vt fertur, quod postquam quæcunq; conclusio fidei deducta fuerit ad fidē Apostolicam, extunc antequam fuerit per Ecclesiam determinata, nullus frater audeat vnam vel aliam partem approbare, eligere vel affirmare. Si enim postquam conclusio alia in curia fidei cœperit agitari, nullus debet nec vnam partem nec aliam approbare: & per consequens neutram partem debet reprobare: multo fortius illud, quod Papa approbat, nullus aliqualiter debet reprobare. *Magist.* Ad primū istorum respondetur, ꝙ plus debemus approbare illud, quod Papa approbat, quam illud quod approbat quicunque inferior ipso Papa: quia quando Papa approbat aliquid (nisi simus certi, quod errat contra fidē vel iustitiam) possumus & debemus in casu illo publice & occulte omnibus modis probare. Illud autem, quod inferior Papa vel alius approbat, licet non simus certi quod errat, possumus etiam coram aliis publice dubitare, vel opinionem negare, & contradicere assertioni eiusdem, licet si non errat, nō debeamus asserere pertinaciter contrarium, cum nullum falsum pertinaciter debemus asserere. Ad secundum dicitur, quod si Papa etiam diffiniendo, determinando errat contra fidem, vel bonos mores, vel contra iustitiam, (& hoc constat nobis) possumus & debemus ipsum apertissime reprobare; sic etiam, si quæcunq; conclusio fidei inceperit in curia ventilari, quicunq; per scripturas sacras vel determinationes catholicas Ecclesiæ est certus de veritate, potest & debet partem veram eligere, approbare & differere, & partem falsam respuere & reprobare. Vnde quod nonnulli putant, quod cōstitutio illa facta inter ordinem Fratrum Minorum à Papa, vt fertur, est hæretica, sapiens manifeste peiorem hæresim, quæ vnquam fuit inuenta à quocunq; hæretico, ita quod peior hæresis non potest inueniri nec posset. *Disc.* In auribus meis recitas quoddam mirabile. Ideo volo de hoc tecum breuiter conferre: licet in aliis operibus quorundam poterimus plura inuenire: quia forte hoc opusculum ad manus aliquorum perueniet, qui opera alia non videbunt. Dic igitur breuiter secundum prædictos opinantes, quę est illa hæresis pessima, quam sapit illa constitutio ante dicta, & quare est pessima, & quæ absurditates secundum præfatos opinantes sequuntur ex ipsa. *Magist.* Hæresis pessima, vt dicunt isti, quam secundum eos sapit constitutio ante dicta, est quod Papa sic dominatur fidei Christianæ, vt tota fides Christiana, quam Christiani credere astringuntur, sic pendet ex approbatione, diffinitionē & determinatione cuiuslibet Papæ, quod nullus Christianus debet firmiter credere aliquid spectans ad fidem, antequam sibi constet, quod Papa, qui pro tempore fuerit, hoc tenet & approbat. Dicunt enim, quod hæc hæresis pessima est, quia secundum eam posset Papa mutare totam fidem, & omnes articulos fidei, & facere articulos contrarios articulis contentis in *Symbolo Apostolorum*. Et ita in tota fide Christiana nihil esset certum & immutabile: sed tota dependeret ex voluntate Papæ. Et Euangelium & totam scripturam posset destruere, & facere nouam scripturam contrariam, cui omnes Christiani, quamdiu Papa vellet, adhærere deberent: quam tamen posset mutare successor suus. Et ita quilibet Papa posset dare Christianis nouam legem, quam pro tempore suo, & quousq; reuocaretur per successorem, ipsam tenerentur accipere & approbare. Quo nihil peius posset dici contra fidem Christianam. Absurditates autem quamplures præter illas concludunt per scripturas posse sequi ex constitutione prædicta. Dicunt plures inferri ex gestis temporis nostri; quarum vna est, quod nullus Frater Minor quantumcunq; literatus & doctus debet amodo asserere nec approbare, quod mundus non fuit ab æterno, nec etiam quod fuerit ab æterno. Alia est, quod nullus Frater Minor deberet approbare amodo, quod in diuinis sit aliqua distinctio in personis. Alia est, quod nullus eorum debet approbare, quod homo quantumcunq; iustus non conuertitur in diuinam essentiam, quemadmodum in sacramento altaris panis conuertitur in corpus Christi. Alia est, quod nullus eorum debet asserere amodo, quod Beatus Petrus nec aliquis alius homo, qui non est Christus verus Deus & verus homo, non creauit stellas, nec quod sine tali homine Deus sciret quicquam facere. Alia est, ꝙ nullus eorum amodo debet asserere, quod creaturæ Dei non sunt purum nihil. Quod omnes illæ absurditates, & quamplurimæ aliæ consimiles sequuntur ex constitutione prædicta, probant ex hoc, ꝙ omnia prædicta & alia similia absurdissima opinabatur quidam Magister in Theologia de ordine Fratrum Prædicatorum nomine Aycardus Theutonicus, de quibus accusatus fuit primo vel denunciatus, & primo Archiepiscopo Coloniensi, in cuius curia datis auditoribus Aycardo prædicto præscripta & alia consimilia ventilata fuerunt. Qui postea veniens in Auinionem, assignatis sibi auditoribus, se prædicta docuisse & prædicasse non negauit. Pro quibus non fuit damnatus, nec assertiones suæ præscriptę, & aliæ statim damnatæ fuerunt: sed cardinalibus traditæ fuerunt, vt deliberarent, an inter hæreses essent computandæ. Præceptum etiam fuit quibusdam Magistris in Theologia, vt supra hæc communem deliberationem haberent. Et ita notorium est, quod omnes assertiones præfatæ & plures aliæ consimiles Aycardi prædicti in curia agitatæ fuerunt: nec postea Papa aliquis determinauit quæstiones seu conclusiones prædictas. Igitur de omnibus nec vnam partem nec aliam debet aliquis Frater Minor eligere, nec approbare seu affirmare. Et consimiliter si in curia ventilarentur, an Christus fuit natus de virgine, vel an Beata Maria fuerit virgo, vel an resurrectio mortuorum sit futura, vel aliquod simile, non liceret asserere nec vnam partem nec aliam.

CAP.

Cap. IX.

In quo respondetur ad secundam & tertiam rationes, supra cap. 6. adductas.

Discipulus. De ista constitutione Papæ, vt formatur quæstio, potest variis modis excusari: & quomodo omnes excusationes viis quamplurimis impugnantur, & deterius, vt videtur, pluribus reprobantur, vt in *quodam opere cuiusdam* potero inuenire: ideo hic plura de ipso audire non cupio. Dic itaq;, quomodo ad secundam rationem in *6. cap* positam superius respondetur. *Magist.* Respondetur, quod Imperator non requisiuit reges & alios, vt recognoscerent eum suum superiorem: & ideo si illi parati fuissent recognoscere Imperatorem suum superiorem, si hoc eis patenter fuisset ostensum, per ignorantiam sufficienter de omni peccato excusandi fuissent. Cum autem dicitur, quod reges & principes de bono communi debent esse solliciti, & per consequens debuerunt summe esse solliciti quærere, an essent Romano Imperio (à quo dependet bonum commune) subiecti. Dicitur, quod licet summe debeant esse solliciti de bono communi: non tamen tenentur esse summe solliciti de omni eo, quod spectat ad bonum commune, & quod leuiter ab eis sciri non potest: præsertim cum non inueniuntur sapientes, qui eos ad hoc admoneant. Et ideo licet ex vniuersali Imperio dependeat bonum commune: quia tamen reges & principes plures & multi alii laici non poterant leuiter scire, se esse subiectos Imperatori: nec Imperator ad hoc requisiuit eos: nec sapientes eos monebant, vt de hoc essent solliciti, per ignorantiam excusantur. Sed contrarium asserebant multi, qui pro sapientibus habebantur. Ideo tenebantur de hoc non esse solliciti. *Discip.* Dic quomodo ad rationem tertiam respondetur. *Magist.* Respondetur, quod licet summi pontifices debebant instruere & docere reges & principes de his, quæ spectant ad fidem & iustitiam & bonos mores, non tenentur tamen de omnibus talibus eos instruere: quia non possent. Et nullus ad impossibile obligatur. Et ideo sufficit summis pontificibus in licitis & sanctis instruere illis de illos, quæ magis vtilia & necessaria erant pro temporibus suis: quia doctrina peritorum & prælatorum debet qualitati temporum conuenire. Propterea enim quia temporibus plurimorum summorum pontificum erat magis vtile & necessarium reges & principes ac laicos alios aliis instrui, quam quod essent Romano Imperio subiecti, non tenebantur illis temporibus illos in hoc instruere: præsertim cum Imperatores non requisiuerunt alios inferiores, quod eos superiores suos recognoscerent. Et forte tunc expediebat illam veritatem tacere: quamuis nunquam expediuit asserere contrariam falsitatem. Ex his patet ad rationem, quod secundum istos multi recusabant subdi Romano Imperio: qui tamen in hoc mortaliter non peccabant, quia ignorantia probabilis excusauit eos. Et per hoc respondetur ad vltimũ, quod tangitur in *eodem ca.* quia multi, qui de iure sunt subditi Romano Imperio, & tamen nolunt subdi eidem, iuste possident ea, quæ possident: quia sunt bonæ fidei possessores credentes se iuste & licite possidere, & dominium verum habere. Et ideo iuste & licite possunt ea dare, & de eis Eleemosynam & sacrificia facere. Clerici etiam, qui putant eos iustos possessores, si non laborant ignorantia crassa & supina, possunt ab eis Eleemosynas, sacrificia & oblationes accipere. Et cum dicitur, nihil tales possident iure Imperatorum. Respondetur, quod etiam iure Imperatoris quodammodo possident: quia huiusmodi bonæ fidei sunt possessores: quia propter hoc, quod sunt bonæ fidei possessores, auctoritate etiam iurium Imperialium possunt multa præscribere & vsurpare, & per continuationem temporum verum dominium acquirere.

Cap. X.

Inquirit de potestate Imperatoris super malos: vtrum Imperator possit pro quocunq; crimine punire. Et recitat tres opiniones. Secunda ponitur ca. 11. tertia ca. 13. & ad probationes minoris rationis in 8. ca. adducta respondetur infra capitulis 16. 17. & 18.

Discipulus. Hactenus inquisiuimus, an cunctæ mundi regiones Imperatori sint subiectæ. Et intelligo de illis, quæ ad iurisdictionem temporalem seu patrimonium Ecclesiæ minime spectant. Nam de illis, quæ spectant ad Ecclesiæ patrimonium *in tertio huius* erit sermo: de quibus in tractatu *De potestate Papæ & cleri* plura poterimus inuenire. Nunc autem ad personas, quæ non sunt de iurisdictione temporali Ecclesiæ, descendamus. Et primo videamus de malis, quam potestatem videlicet habet Imperator super malos, an videlicet Imperator pro omni crimine possit punire malos sibi subiectos. Et quia, sicut tactum est supra *cap. 3. huius secundi*, criminum quædam sunt Ecclesiastica, quædam secularia; inquiramus hic solummodo de criminibus secularibus: quia de criminibus Ecclesiasticis tractabimus in *tertio huius secundi*. Cupio itaq; inquirere, an Imperator valeat punire omnes subiectos pro quocunque crimine seculari, quod non est Ecclesiasticum. *Magist.* Circa hoc sunt diuersæ sententiæ. Vna est, quod pro omni crimine seculari potest Imperator punire omnes sibi subiectos. Quod tali ratione probatur. Idem pro eodem crimine non est à diuersis iudicibus puniendus: quorum vnus non est sub alio, vel qui non habent ab aliquo vno & eodem principe potestatem. Ex hoc enim (vt patet) posset periculosa contentio & seditio inter

ipsos

ipsos iudices oriri, dum vterq; vellet ad suum forum trahere criminosum: quod tamen nequaquam fieri posset. Sed ad iudicem Ecclesiasticum spectat punire criminosos pro diuersis criminibus secularibus. Ergo pro illis criminibus non debet Imperator punire eosdem. Maior huius rationis videtur de se patens. Minor per sacros canones videtur posse probari. Ex consilio enim Iohannis Papę, vt habetur *extra, de officio iudicis ordinarii, perniciosa*, sic legitur: *habent enim Episcopi singularum vrbium in suis diœcesibus potestatem liberam adulteria inquirere, & scelera vlcisci, & iudicare.* Ex quibus verbis colligitur, quod omnia crimina secularia sunt per Episcopos punienda. Quia adulterium, quod etiam apud infideles & sola lege naturæ contentos putatur crimen. Tum quia indistincte dicit *& scelera*. Igitur omnia scelera intelligit. Item, Innocentius tertius, vt habetur *extra, de iudiciis, nouit*, ait: *nullus, qui sit sanæ mentis, ignorat quoniam ad officium nostrum spectet de quocunq; peccato mortali corrigere quemcunque Christianum: & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coercere.* Ex quibus verbis colligitur, quod quilibet Christianus pro quolibet crimine est per iudicem Ecclesiasticum puniendus. Item, Calixtus Papa, vt habetur *24. quæst. 3. cap. si quis*, ait: *Si quis Romipetas & peregrinos & Apostolorum limina & aliorum sanctorum oratoria visitantes capere, seu rebus, quas ferunt, spoliare, & mercatores nouis Theloneorum & Pedagiorum exactionibus molestare tentauerit, donec satisfecerit, communione careat Christiana.* Item, ex Concilio Agatens. vt legitur eisdem *cap. & quæst. cap. itaque*, sic habetur: *itaque censuimus homicidas & falsos testes à communione Ecclesiastica submouendos, nisi pœnitentia & satisfactione crimina diluerint admissa.* Ex quibus etiam patet, quod capientes etiam laicos spoliatores, & qui Theloneis & Pedagiis molestant indebite mercatores, homicidæ & falsi testes per iudicem Ecclesiasticum puniuntur: & tamen constat, quod ipsa sunt secularia crimina. Item, iudex Ecclesiasticus punit incendiarios *23. quæst. vltim. cap. pessimam*. Item, punit illos, qui filios occidunt *extra, de illis qui filios occiderunt, de infantibus.* Et eos, qui exercent torneamenta, *extra, de torneamentis, cap. felicis. & cap. ad audientiam.* Et sagittarios, *extra, de sagittariis cap. vno.* Et stupra, *extra, de adulteriis & stupris cap. 1. & cap. adulterium*, per totum. Et raptores, *extra, de raptoribus, cap. 1.* & tamen ista sunt crimina secularia. Igitur crimina secularia sunt per iudicem Ecclesiasticum punienda. Quod etiam ex auctoritatibus Diuinæ scripturæ videtur posse probari. Ait enim veritas Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus* &c. Ex quibus colligitur, quod ad Ecclesiam spectat etiam de peccatis, quæ committuntur in proximum, quæ constat esse secularia, quemlibet corrigere Christianum. Item, Apostolus *2. ad Corinth. 6.* reprehendit Corinthios, qui litigabant apud iudices infideles, qui erant seculares: & quia non deferebant iudicium Ecclesiæ, quæ debuit iudicare inter fratrem, etiam de secularibus, dicens: *Nescitis quoniam angelos iudicabimus: quanto magis secularia.* Igitur de seculari pertinet ad iudicem Ecclesiasticum iudicare: & per consequens per iudicem Ecclesiasticum sunt criminosi & pro criminibus secularibus puniendi.

CAP. XI.

In quo ponitur secunda opinio contraria primæ, scilicet quod ad secularem iudicem & non ad Ecclesiasticum spectat iudicare de criminibus secularibus.

DIscipulus. Recita sententiam contrariam. *Magist.* Alia sententia est, quod ad Imperatorem & iudicem secularem solummodo spectat pro criminibus secularibus plectere criminosos, illos videlicet, qui criminibus secularibus sunt subiecti. *Discip.* Ista sententia duo asserit. Primum est, quod ad iudicem secularem spectat punire huiusmodi criminosos tantum. Secundum est, quod hoc non spectat ad Ecclesiasticum iudicem. Primo igitur allega pro primo. *Magist.* Quod ad iudicem secularem spectat punire huiusmodi criminosos, tam auctoritatibus sacræ scripturæ, quam sacris canonibus videtur posse probari. Apostolus enim loquens de potestatibus secularibus, ait ad Roman. 13. *principes non sunt* &c. Item, Beatus Petrus in canonica sua prima cap. 2. ait: *Subiecti estote omni creaturæ humanæ propter Deum.* Ex quibus auctoribus videtur posse probari, quod crimina, præcipue secularia, per seculares iudices sunt plectenda. Et etiam sacris canonibus videtur ostendi, vt habetur ex Concilio Teuronens. vt legitur *23. q. 5. cap. incestuosi*, sic habetur: *Incestuosi, parricidæ, homicidæ multi apud nos reperiuntur: sed aliqui ex illis nolunt sacerdotum admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, quos oportet per secularem potentiæ disciplinam à tam praua consuetudine coerceri.* Item, Cyprianus *in nono genere Abusionum*, habetur eisdem *cap. & quæst. c. rex.* ait: *Rex debet furta cohibere, adulteria punire, impios de terra perdere, parricidas & periuros non sinere viuere, filios suos non sinere impie agere.* Ex quibus aliisq; quampluribus colligitur, quod huiusmodi crimina sunt à iudicibus secularibus punienda.

CAP.

Cap. XII.

Probat, quod non spectat ad iudicem Ecclesiasticum criminosos punire. Et hoc tribus rationibus: ad quas respondetur infra cap. 19. unica responsione.

D*iscipulus.* Iam manifestum puto ad seculares iudices pertinere punire pro criminibus secularibus criminosos sibi subiectos. Ideo pro hoc non curo plures allegationes audire. Ideo nitere allegare pro secundo, quod ad iudices Ecclesiasticos non spectat punire huiusmodi criminosos. *Magister.* Hoc auctoritatibus sanctorum patrum videtur posse probari. Hoc enim August. *super Amos Prophetam,* & ponitur *23. quaest. 25. sunt quaedam*, videtur asserere. Qui sic ait: *Sunt quaedam enormia flagitia, quae potius per mundi iudices, quam per antitistes & rectores Ecclesiarum vindicantur. Sicut cum quis interficit pontificem Apostolicum, Presbyterum, Episcopum, siue Diaconum, huiusmodi reos reges & principes mundi damnant. Ergo non sine causa gladium portant, qui talia scelera vindicant. Sunt enim maxime constituti propter homicidas, raptores, vt etiam illos damnent, & alios suo timore compescant.* Ex quibus verbis patet, quod raptores & homicidae non sunt per iudicem Ecclesiasticum puniendi. Et simili ratione omnia alia crimina secularia non debent per ipsum puniri. Amplius, omnia crimina secularia videntur per eundem iudicem punienda. Et qui ab aliquibus eorum plectendis excluditur, de nullis eorum licite iudicare potest. Sed aliqua secularia crimina, scilicet quae morte, aut truncatione membri, vel effusione sanguinis sunt plectenda, per Ecclesiasticum iudicem minime vindicantur; *extra, ne clerici vel monachi secularibus se immisceant negotiis. cap. clerici. & cap. sententiam. extra, de raptoribus, in Archiepiscopatu. & 23. quaest. vltim. his à quibus dist. 51. aliquantos.* Igitur nec alia secularia crimina sunt per Ecclesiasticum iudicem punienda, nisi super criminosos iurisdictionem habeat secularem. Rursus, punitiones omnium secularium inter curas singulares & negotia secularia computantur: Sed iudicibus Ecclesiasticis curae seculares & negotia secularia sunt interdicta, teste Apostolo, qui ad Timoth. 2. ait: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Cui concordat canon Apostolorum, ex quo legitur *dist. 84. cap. Episcopus,* sic habetur: *Episcopus aut sacerdos Diaconus nequaquam seculares vires assumant. Sin aliter, deiiciatur.* Et ex Concilio Carthaginens. in eadem *dist. cap. Episcopus*, sic habetur: *Episcopus nullam rei familiaris curam ad se reuocet: sed lectioni & orationi & verbo praedicationis tantummodo vacet.* Et Beatus Cyprianus, vt legitur *21. quaest. 5. cap. hi qui,* ait: *Qui in Ecclesia Domini ad ordinem clericorum promouentur, in nullo ab administratione Diuina aduocentur, nec molestiis vel secularibus negotiis alligentur, nec ab altaribus & sacrificiis recedant, sed die & nocte coelestibus rebus & spiritualibus seruiant.* Ex quibus & sacris canonibus, quae ponuntur *dist. 88. cap. decernit, & cap. consequens, & cap. perlatum est, & extra, ne clerici vel monachi, cap. 1. & cap. sed nec procuratorum, & cap. clericis, & extra de vita & honestate clericorum, cap. clerici, & 21. quaest. 3. cap. 1. & cap. placuit, & cap. Cyprianus, & cap. sacerdotium*, colligitur, quod iudices Ecclesiastici curis & negotiis secularibus se immiscere non debent. Igitur ad ipsos non spectat de criminibus secularibus iudicare: alioquin iudiciorum ordo confunditur, si vnicuiq; iudici sua potestas non seruatur. Et per consequens qui iudicare illos praesumit, qui pertinent ad alium iudicem, tanquam mittens falcem suam in messem alienam, iudiciarium ordinem confundit, & potestatem alterius perturbare & impedire conatur. Quod sacri canones detestantur *dist. 96. cap. cum ad verum, extra, de iudiciis, nouit, extra, de priuilegiis, sicut in iudiciariis.* Cum ergo criminibus secularibus irretiti per secularem iudicem sunt plectendi, eos iudex Ecclesiasticus punire non debet: sed eos debet relinquere iudicibus secularibus puniendos. Quemadmodum Papa causas seculares iudicibus secularibus (ne videatur iuribus ipsorum detrahere) relinquit, *extra, qui filii sunt le. cap. causam. & cap. late. extra, de foro competent. cap. si quis. & cap. ex transmissa. & cap. verum. & cap. licet tenor. & extra de probationibus. cap si duobus*, vbi Alexander tertius sic dicit: *Denique quod quaeris, si à tali iudice ante iudicium vel post, ad nostram audientiam fuerit appellatum, an huiusmodi teneat appellatio? tenet quidem in his, quae sunt nostrae temporali iurisdictioni subiecta: in aliis vero, etsi de consuetudine Ecclesiae teneant Papali, secundum iuris rigorem credimus non tenere legem.* Vbi Gloss. super verbo *tenet*, ait: *Et ita patet, quod iurisdictio temporalis non pertinet ad Ecclesiam: nec de ea debet se intromittere in praeiudicium iudicis secularis.*

Cap. XIII.

Ponit mediam viam inter duas iam dictas opiniones, per quam possint concordari. Vbi etiam notatur, quod ad Ecclesiam spectat duplex punitio.

D*iscipulus.* Auctoritates allegatae circa praemissa ita videntur esse contrariae, vt omnino alterae sint, nisi per sententiam seu assertionem, quae mediet inter opiniones praescriptas, valeant concordari. Ideo gestio scire, an sit aliqua sententia media inter sententias prius recitatas. *Magist.* Nonnullis apparet, quod auctoritates praedictae possunt per vnam sententiam mediam concordari. Ad

Ad cuius euidentiam dicitur eſſe ſciendum, quod ad eccleſiam ſpectat duplex punitio ſeu correctio, vna in foro pœnitentiali: alia in foro contentioſo, prima ſpectat ad iudicem eccleſiaſticum reſpectu cuiuslibet Chriſtiani pro quocunque peccato, & de illa multæ auctoritates loquentes de illa materia debent intelligi, & iſtam nulla auctoritas allegata negat ab eccleſiaſtico iudice. Secunda correctio in criminibus ſecularibus in triplici caſu ſpectat ad iudicem eccleſiaſticum. Primus eſt, quando criminoſi iurisdictioni temporalis iudicis eccleſiaſtici ſunt ſubiecti. Secundus eſt, quando non eſt iudex ſecularis, vel quando iudex ſecularis eſt negligens facere iuſtitiam vel crimina punire. Tertius eſt, quando iudex ſecularis nullam poteſt delinquenti pœnam inferre, cui tamen poteſt iudex eccleſiaſticus pœnam inferre, quod contingit, quando de iure eſt crimen manifeſtum: ſed perſona delinquens eſt ignota, quemadmodum fuit de illo, de quo legimus *5. q. 1. c. quidam malignus ſpiritus*, qui ſcripſit libellum famoſum contra Caſtorium notarium ac reſponſalem, quem Grego. pœna excommunicationis aſtrinxit neſciens quis eſſet, quomodo iudex ſecularis, quamdiu ignorauit perſonam delinquentis, nulla potuit pœna punire, & iſto modo ſæpe iudices eccleſiaſtici excommunicationis ſententiam proferunt in fures & alios delinquentes occultos, contra quos iudices ſeculares nullo modo poſſunt procedere.

Cap. XIV.

In quo obiiciendo ponuntur ſex caſus, in quibus cauſa ſecularis ſpectat ad iudicem eccleſiaſticum.

Diſcipulus. De primo caſu & tertio prædictorum nolo hic diſcutere, quia directe ſpectare videntur ad tractatum *de poteſtate papæ & cleri*, ſed ſecundum cupio aliqualiter tecum diſcutere. Primo autem cupio ſcire, an ſit aliquis alius caſus à prædictis, in quo iudex eccleſiaſticus ſecundum prædictos opinantes inuito iudice ſeculari valeat plectere criminibus ſecularibus irretitos, qui iuriſdictioni ſeculari eccleſiæ minime ſunt ſubiecti. *Magiſter.* Videtur eis, quod in nullo caſu poſſet hoc iudex eccleſiaſticus, niſi forte ſit aliquis caſus, qui valeat reduci ad aliquem prædictorum. *Diſcipul.* Contra hoc eſt Glo. expreſſe, vt videtur, *extra de foro compe. c. licet*, quæ dicit in hæc verba, ſuper verbo *vacante*: *Iſte ergo eſt vnus caſus, in quo iudex eccleſiaſticus poteſt ſe immiſcere iuriſdictioni ſeculari, ſcilicet cum ſuperior non inueniatur. Alius eſt, cum iudex ſecularis negligit facere iuſtitiam, vt patet in c. proximo, arg. 23. q. 5. adminiſtratores. Tertius eſt, cum aliquid ambiguum fuerit & difficile & inter iudices variatur, extra qui filii ſint legitimi, per venerabilem. Quartus caſus eſt in omni crimine eccleſiaſtico, puta in vſura & ſacrilegio, & conſimilibus, vt 5. q. 2. c. 1. & 12. q. 11. c. nulli liceat, & infra de vſuris qui, qui metus cauſa. Quintus caſus eſt cum per denunciationem criminis quis defertur ad iudicem eccleſiaſticum, vt ſupra c. proximi nouit. Item ratione connexitatis, quia poteſt iudex eccleſiaſticus iudicare de dote, ex quo cognoſcit de matrimonio, de dono dato inter virum & vxorem, de prudentia.* Ex iſta Glo. aperte patet, quod præter omnes prædictos ſunt tres caſus, ſcilicet tertius, qui hic eſt enumeratus, & quintus & ſextus, in quibus poteſt iudex eccleſiaſticus immiſcere ſe iuriſdictioni ſeculari. Et per conſequens in quibus poteſt punire criminibus ſecularibus irretitos: licet non ſint iuriſdictioni ſeculari eccleſiæ ſubiecti, & licet iſta videantur manifeſta ex Gloſſa, tamen dic quomodo reſpondetur ad ipſa. *Magiſter.* Reſpondetur, quod in quibuſdam caſibus poteſt iudex eccleſiaſticus inſtruendo, monendo, & etiam præcipiendo immiſcere ſe cauſis ſecularibus: in quibus tamen crimina ſecularia inuito iudice ſeculari (qui paratus eſt exhibere iuſtitiæ complementum) punire non poteſt, nec etiam valet in eis diffinitiuam proferre ſententiam: ſed proferenda eſt ſententia à iudice ſeculari, qui iuſtitiam facere eſt paratus, & ſi ſic intelligit Gloſ. prædicta, eſt conſona veritati, ſi autem aliter intelligit, ſacris canonibus contradicit. *Diſcip.* Quibus canonibus contradicit? *Magiſter.* Dicitur, quod contradicit canoni Alexan. tertii, qui, vt legitur *extra, de foro compe. c. ex tranſmiſſa*, ait: *Ex tranſmiſſa nobis inſinuatione Be. & VV. militum eccleſiæ tuæ intelleximus, quod cum R. de Caſmiale eos ſuper quadam poſſeſſione coram Trecen. epiſcopo traxiſſet in cauſam: nobilis vir de Capis eorum Dominus ſub debito fidelitatis inhibuit ei, ne de ſeculari feudo in iudicio eccleſiaſtico reſponderet, & ita per Dominum feudi cauſam iubeas terminari: & ſi ipſe malitioſe diſtulerit, tu ei debitum finem imponas.* Ex quibus verbis colligitur, quod iudex eccleſiaſticus de cauſa ſpectante ad iudicem ſecularem, ſe intromittere non debet, imponendo per ſententiam finem cauſæ, ſi iudex ſecularis poteſt & vult iuſtitiam facere. Item dicunt, quod illud contradicit canoni Innocentii, qui, vt habetur ibidem *c. ex tenore*, ait: *nos igitur attendentes, quod ſic ſumus cum viduis iniuſtitiam debitores, quod aliis iniuſtitiam facere non debemus: mandamus quatenus, niſi ſit talis cauſa, quæ ad eccleſiaſticum iudicem noſcatur pertinere, ei ſuperſedere curetis, dummodo per iudicem ſecularem ſuam poſſit iuſtitiam obtinere, alioquin non obſtante contradictione ipſius, cauſam ipſam ratione præuia terminetis.* Ex quibus verbis colligitur, quod iudex eccleſiaſticus cauſæ ſeculari ſuperſedere debet, quandocunque iuſtitia poteſt per iudicem ſecularem obtineri.

Cap. XV.

In quo reſpondetur ad tertium caſum, capitulo præcedenti in obiectione adductum.

D*iſcipulus.* Cum iſti dicunt, quod nunquam eccleſiaſticus iudex poteſt, vel debet punire [illegible]nibus ſecularibus inuolutos, vel iudicialiter ſe intromittere de cauſa ſpectante ad iudicem ſecularem, diffinitiuam proferendo ſententiam, quando iudex ſecularis poteſt & vult iuſtitiæ plenitudinem adhibere, dic quomodo ad iſta, quæ Glo. præſcripta allegat, in contrarium reſpondetur. *Mag.* Ad iſtud, quod adducitur de difficili & ambiguo in tertio caſu, quem ponit: reſpondetur, quod ſæpe inter ſeculares iudices iudicium difficile & ambiguum proſpicitur, cuius veritas abſque auctoritate ſcripturarum ſacrarum iudicari non poteſt: & in illo caſu recurrendum eſt præcipue ad ſummum pontificem, ad quem ſpectat potiſſime in hoc caſu iudicare iudicii veritatem: non quidem, in cauſa aliqua ſpeciali, proferendo diffinitiuam ſententiam, quando iudex ſecularis, cognita veritate, paratus eſt facere iuſtam ſententiam, ſed per auctoritatem ſcripturæ diuinæ debet indicare iudicii veritatem docendo, monendo & etiam præcipiendo, ſi oportet, vt quod iudex ſcilicet ſecularis, cuius intereſt iuſtitiæ faciat complementum: quod ſi iudex ſecularis non voluerit, vel non potuerit, ſummus pontifex in pluribus caſibus poteſt ferre iuſtam ſententiam, & in quibuſdam caſibus, ſcilicet in cauſis ſanguinis, debet hoc aliis committere. *Diſcipul.* Poteſtne iſta reſponſio aliqua ratione fulciri? *Magiſt.* Videtur, quod hæc reſponſio tali ratione poteſt muniri, in auctoritate Domini Innocentii allegata immediate dicitur, *quod ſi difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & non lepram, & iudicium inter portas videris variari, venies ad ſacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem, qui illo tempore fuerit* (per quos Innocentius intelligit ſummum pontificē & coadiutores) *qui indicabunt iudicii veritatem.* Sed conſtat, quod circa cauſas ſanguinis difficile & ambiguum poteſt apparere iudicicum: poteſtque circa eos iudicium ſecularium variari. Igitur in caſu pro cauſis ſanguinis eſt ad ſummum pontificem recurrendum: non quod exerceat iudicium in cauſis ſanguinis, ſed vt iudicet in genere, quale iudiciū à ſecularibus iudicibus in talibus cauſis debeat exerceri. Igitur ſimiliter in quibuſcunque cauſis ſecularibus ciuilibus vel criminalibus, quandocunque inter iudices ſeculares difficile & ambiguum apparet iudicium, & inter eos iudicium variatur, recurrendum eſt potiſſime ad pontificem, vt indicet iudicii veritatem, non diffiniendo ſed docendo & monendo, & ſi neceſſe fuerit præcipiendo, iuxta illud Malachiæ 2. *labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam & legem exquirent ex ore eius.* *Diſcipulus.* Per iſtam rationem ſufficeret, quod in tali caſu iudices ſeculares recurrerent ad aliquem in ſacris literis eruditum, qui eis per ſcripturas ſacras ſciret indicare iudicii veritatem. *Magiſt.* Reſpondetur, quod ſi iudices ſeculares parati eſſent (comperta veritate iudicii iuſtitiam perhibere) ſufficeret, quod ad eruditum in ſacris ſcripturis recurrerent: ſed quia poſſet contingere, quod iudices ſeculares vel nolunt audire ſeu acceptare iudicii veritatem, vel nollent etiam facere iuſtitiam, etiam cognita veritate, ideo poſſent eſſe quam plures caſus, in quibus neceſſe eſſet recurrere ad illum, qui habet præcipiendi auctoritatem principibus ſecularibus, vt iuſtitiam facerent, qui (etſi nollent) poteſt per ſe, vel per alios ſupplere negligentiam vel malitiam eorundem.

Diſcip. Vnde habet ſolus pontifex hanc poteſtatem? *Mag.* Sicut inuenire poteris in tractatu *de poteſtate papæ & cleri.* Circa hoc ſunt diuerſæ ac contrariæ opiniones. Vna eſt, quod hoc habet ex Chriſti ordinatione expreſſa, alia eſt, quod hoc habet ex conſuetudine rationabili & præſcripta. *Diſcipulus.* Videtur, quod iſta Innocentii textui aperte repugnat, nam Innocentius in decretali *per venerabilem*, non dicit, quod cum difficile & ambiguum proſpicitur iudicium, ad ſummum pontificem ſpectat indicare iudicii veritatem ſolummodo docendo & præcipiendo, ſed ſic quod ad ipſum pertinet in hoc caſu iuriſdictionem temporalem exercere, dicit enim hæc verba: *Verum etiam in aliis regionibus, certis cauſis inſpectis temporalem iuriſdictionē caſualiter exercemus: non quia alieno iuri præiudicare velimus, ſed quia ſicut in Deuteronomio continetur, ſi difficile & ambiguum* &c. & infra: *in quibus cum aliquid fuerit difficile & ambiguum, ad iudicium eſt ſedis Apoſtolicæ recurrendum, cuius ſententiam ſi ſuperbiens contempſerit obſeruare, mori præcipitur, id eſt per excommunicationis ſententiam velut mortuus à communione ſeparari.* Ex quibus verbis colligitur: quod papa in caſu prædicto temporalem exercendo iuſtitiam fert ſententiam. *Magiſter.* Reſpondetur, quod ſicut quædam verba Innocentii in eadem *decretali* videntur quaſi violenter exponenda, vt ab hæretica prauitate ſaluentur: ſic verba iſta ſane debent exponi, ne perperam & iniuſte iuribus imperatoris & aliorum laicorum præiudicare monſtrentur.

Diſc. Quæ ſunt illa verba Innocentii, quæ ſunt violenter exponenda, vt ab hæretica prauitate ſaluentur? *Magiſter.* Nonnullis apparet, quod iſta verba Innocentii ſunt: *cum Deuteronomii lex ſecunda interpretatur ex vi vocabuli comprobatur: vt quod ibi decreuimus, in nouo teſtamento debeat obſeruari*: niſi violenter exponantur, ſapiunt hæreſim manifeſtam: ſcilicet quod ceremonialia veteris legis in nouo teſtamento debeant obſeruari, eo quod ceremonialia, quæ videntur, decernuntur, ſicut patet fere per totum. *Diſcipulus.* Innocentius intelligit, quod illa quæ decernuntur *in Deuteronomio*, ſpiritualiter obſeruanda ſunt in nouo teſtamento, non ad literam, nec ad ſenſum literalem.

Magiſter.

Magist. Videtur quod hoc non sufficit, nam illo modo omnia ceremonialia & quæcunque continentur in aliis libris *Pentateucon* & in aliis libris veteris testamenti sunt seruanda in nouo testamento, teste Gratiano, qui *distinct. 6.* dicit: *sunt in lege quædam moralia, vt, non occides* &c. *quædam mystica, vtpote sacrificiorum præcepta, vt de agno, & his similia*, moralia mandata ad naturale ius spectant, atque nonnullam imitationem recepisse monstrantur, mystica vero quantum ad superficiem & à naturali iure probantur aliena, sed quantum ad moralem intellectionem inueniuntur sibi annexa, ac per hoc sunt & ad superficiem videntur esse imitata: tamen secundũ moralem intelligentiam, imitabilitatem nescire probantur. Innocentius autem simpliciter dicit illa, quæ *in Deuteronomio* decernuntur, seruanda esse in nouo testamento, innuens quod illa, quæ decernuntur in aliis libris *Pentateucon*, non sunt seruanda in nouo testamento, aut ergo intellexit, quod illa quæ decernuntur in Deuteronomio, sunt seruanda in nouo testamento secundum sensum literalem, & hoc est hæreticum: aut secundum sensum moralem, & sic illa quæ decernuntur in aliis libris, sunt seruanda in nouo testamẽto. *Discipul.* Quomodo possunt exponi verba Innocentii superius scripta, quod nec vnum sapiant errorem, nec alium, quod scilicet ceremonialia, quæ Deutronomii decernuntur, sunt secundum superficiem literæ in nouo testamento seruanda, vel quod ceremonialia vel mystica, quæ in aliis libris decernuntur, non sunt seruanda secundum moralem intelligentiam in nouo testamento? *Magist.* Potest dici, quod Innocentius intelligit, quod non solum ex natura rei videtur haberi, quod illa quæ decernuntur in Deuteronomio secundum moralem intelligentiam seruanda sunt in nouo testamẽto: sed etiam quod hoc habetur ex vi vocabuli, eo quod *Deuteronomium* lex secunda interpretatur. *Discipul.* Nunc dic, quomodo exponuntur alia verba eiusdem Innocentii, ne iuribus imperatoris & aliorum laicorum præiudicare monstrentur. *Magist.* Dicitur, quod verba præscripta Innocentii intelligenda sunt, quando imperator & alii clerici non volunt secundum veritatem iudicii facere iustitiæ complementum, tunc enim potest papa casualiter iurisdictionem temporalem exercendo in causis spectantibus ad imperatorem & alios laicos, diffinitiuam ferre sententiam.

CAP. XVI.

In quo respondetur ad probationes minoris argumenti, supra capitulo 10. adducti.

DIscipulus. Quia ista tertia sententia auctoritates, quæ videntur contrariæ, nititur concordare, & nullam vult negare: discurramus per eas, & videamus secundum istam sententiam, quomodo debent intelligi, per hoc enim melius ad veritatem istius forsan materiæ potero peruenire. Dic itaque primo, quomodo secundum opinionem istam decretalis illa debeat intelligi: scilicet *extra de officio iudicis ordinarii, perniciosam.* supra 10. c. allegata.

Magist. Vno modo respondetur, quod decretalis ista loquitur de potestate inquirendi, vlciscendi & iudicandi adulteria & alia scelera clericorum, & illorum, qui temporali iurisdictioni episcoporum sunt subiecti. Aliter dicitur, quod loquitur indistincte de omnibus, quando iudices seculares negligunt adulteria & alia scelera secularia debita animaduersione punire, sic enim in multis regionibus iudices ecclesiastici puniunt fornicationes & alia plura scelera, quia iudices seculares talia crimina non puniunt, vel fauent huiusmodi criminosis, & ideo si iudices seculares de fornicationibus, adulteriis & huiusmodi criminibus secularibus, debitam & sufficientem sumerent vltionem, iudices ecclesiastici de ipsis puniendis, inuitis iudicibus secularibus & prohibentibus, se intromittere non deberent.

Discipulus. Hæc responsio, quantum ad crimen adulterii, veritati videtur contraria, cum adulterium, crimen ecclesiasticum sit censendum, & ad iudicem ecclesiasticum spectat, nam ad eundem iudicem spectat crimen adulterii, ad quem causæ matrimoniales pertinere noscuntur, sed causæ matrimoniales ad iudicem ecclesiasticum spectant, vt notat Glo. *de foro compe. ex tenore,* allegans *c. extra de officio delega. causam quæ & c. extra de consan. & affini. ex literis.* igitur & crimen adulterii spectat ad ecclesiasticum iudicem. *Mag.* Respondetur, quod tam crimen adulterii, quam causa matrimonialis, aliquo modo spectat ad iudicem ecclesiasticum, & aliquo modo ad iudicem secularem. Cuius ratio assignatur. Quia matrimonia non solum reperiuntur apud fideles lege ecclesiastica & diuina vtentes: verum etiam apud infideles & sola lege naturæ contentos, & ideo causa matrimonialis, in quantum matrimonium est à lege diuina, spectat ad ecclesiasticum iudicem, & in quantum est à lege naturæ, spectat ad iudicem secularem. Similiter crimen adulterii, in quantum est contra matrimonium, prout est à lege diuina, spectat ad iudicem ecclesiasticum. In quantum autem est contra matrimonium, prout est à lege naturæ, spectat ad iudicem secularem. Vnde crimen adulterii, in quantum est contra prohibitionem diuinam vel ecclesiasticam, est puniendum per iudicem ecclesiasticum: sed adulterium, vt est contra matrimonium, vt à lege naturæ est, per secularem iudicem est puniendum. Et ideo si non est contra legem naturæ, quod vnus vir habeat plures mulieres, sed sit solum contra legem diuinam & ecclesiasticam, qui prius contraheret cum vna, & postea cum alia, quàm cognosceret, pro adulterio non esset puniendus, per iudicem secularem, quia iudex secula-

ris, post solam legem naturæ non iudicarent ipsum adulterum, sed puniendus esset per iudicem ecclesiasticum, qui per legem diuinam vel ecclesiasticam ipsum adulterum puniret. *Discip.* Dic qualiter respondetur ad decretalem Innocentii tertii, *extra, de iudiciis, nouit.* *Magister.* Dicitur, quod Innocentius signanter dicit, ad suum officium pertinere de quocunque peccato mortali quemlibet Christianum corrigere: non tamen semper spectat ad ipsum punire quemlibet Christianum de peccato mortali quocunque de foro contentioso, hoc enim esset totaliter absorbere potestatem puniendi crimina, quam habet imperator & alii iudices seculares. Quando tamen correctus de peccato mortali contemnit correctionem, & non est aliquis iudex secularis, qui contemnentem pro peccato commisso plectat: digne potest papa ipsum per districtionem ecclesiasticam coercere: in eo casu loquitur Innocentius: quem etiam (licet sit iudex secularis, qui sufficienter ipsum punit) pro primo crimine seculari potest punire pro contemptu, quo contemnit correctionem ecclesiæ, quia iste contemptus, quando est criminalis, debet inter crimina ecclesiastica computari. *Discipul.* Videtur, quod quando papa coercet quemlibet Christianum pro quocunque peccato mortali, non totaliter absorbetur potestas imperatoris, & aliorum laicorum, qui crimina secularia habent puniendi potestatem, quia alia est pœna canonica, & alia legalis, & ideo quamuis criminosus à iudice puniatur seculari, pœna legali, poterit nihilominus pro eodem crimine puniri à iudice ecclesiastico pœna canonica. *Mag.* Hoc videtur pluribus irrationabile, quia, sicut habetur *extra de iudiciis, at si clerici,* nullus debet duplici pœna puniri, quando vna sufficit. Et ideo qui per iudicem secularem pro aliquo crimine sufficienter punitur, per iudicem ecclesiasticum alia pœna puniri non debet, hoc consuetudo ecclesiæ conseruat, quia raptores & homicidæ & alii scelerati, quando coram iudice seculari conueniuntur & pœna condigna plectuntur, ecclesia eis nullam pœnam publicam imponit, nec extra forum pœnitentiæ pœnitentibus de eis se aliqualiter intromittit. *Discipulus.* Dic quomodo respondetur ad alios canones, qui in eodem 10. c. adducuntur. *Mag.* Respondetur, quod omnes debent intelligi, quando iudices seculares in puniendo huiusmodi scelera negligentes sunt: vel quando huiusmodi scelerati sunt occulti, ita quod in iudicio conuinci non possunt.

Cap. XVII.

In quo respondetur ad auctoritates sacræ scripturæ capitulo 10. adductas.

DIscipulus. Specialiter desidero scire, quomodo secundum eandem assertionem respondetur ad auctoritates, quæ de sacris literis adducuntur. *Magist.* Ad auctoritatem Saluatoris: *si peccauerit in te frater tuus* &c. multipliciter respondetur. Vno modo, quod intelligitur, quando iudex secularis negligens est in faciendo iustitiam. Aliter dicitur, quod per illa verba Saluatoris non tribuitur aliqua potestas iudicibus ecclesiasticis plus quam iudicibus secularibus, nam ibi non capitur ecclesia pro viris ecclesiasticis, qui clerici appellantur: sed pro congregatione fidelium vniuersali vel particulari, quæ clericos & laicos comprehendit, dicunt enim, quod in tota scriptura diuina non capitur hoc nomen *ecclesia* specialiter pro clericis: licet sic sæpe capiatur in canonibus sacris. Voluit igitur Saluator, quod peccatum delinquentis post secretam correctionem & adhibitionem testium, vltimo diceretur alicui congregationi fidelium laicorum, vel clericorum, vel simul vtrorumque, quod si non audiret, haberetur sicut Ethnicus & publicanus. Aliter dicitur, quod per illa verba ecclesiæ nulla datur potestas puniendi peccantes: sed solummodo attribuitur ei potestas corrigendi absque punitione aliqua. Nam per illa verba nihil plus attribuitur ecclesiæ, quam fratri, in quem peccatur, & testibus adhibitis, sicut enim dicitur: *si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos testes.* Et sicut dicitur *si illos non audierit, dic ecclesiæ,* ita dicitur, *& si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus,* per quæ verba innuitur, quod vltimo debet facere ecclesia illud, quod prius fecit frater, in quem spectabatur, & quod fecerunt testes adhibiti, quo facto ille, in quem peccatur, debet ipsum peccantem reputare Ethnicum & publicanum. Quia ibi dicitur, *sit tibi sicut Ethnicus & publicanus,* hoc est vita eum sicut Ethnicum & publicanum amore iustitiæ & propter bonum commune. Vel, vt boni inter malos quiete viuant, trade eum iudici, qui de eo faciet complementum iustitiæ. Sed per prædicta verba Saluatoris non tribuitur Fratri, in quem peccatur, nec testibus adhibitis, potestas puniendi fratrē delinquentem, sed solummodo corrigendi. Igitur per eadem verba solummodo attribuitur ecclesiæ potestas delinquentem corrigendi. Quod tali ratione probatur, non magis licet fidelibus præiudicare imperatori & aliis laicis fidelibus, quam infidelibus: nec magis debent istis vel illis præiudicare vsurpando potestatem puniendi reos, qui puniendi sunt per illos: aut in negando eis censum, vel dignitatem temporalem in eorum præiudicium vsurpando. Sed Christus noluit, vt fideles præiudicarent imperatori infideli, negando ei censum, cum dixerit Matth. 12. *reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris:* nec voluit, quod aliquis fidelium vsurparet sibi aliquam dignitatem temporalem in præiudicium imperatoris infidelis, in cuius signum noluit fieri rex temporalis super Iudæos, *Ioh. 6.* igitur etiam per prædicta verba noluit tribuere fidelibus potestatem puniendi reos, qui essent plectendi per alios.

Cap.

CAP. XVIII.

In quo respondetur ad auctoritatem Apostoli supra cap. 10. vltimate inductam.

Discipulus. Recita quomodo respondetur ad auctoritates Apostoli *1. Corinth. 6.* cum dicit: *Nescitis quoniam angelos iudicabitis: quanto magis secularia? Magister.* Respondent, quod Apostolus in illo c. non intendit prohibere Corinthiis in omni casu apud infideles iudicare: nec intendit asserere, quod soli fideles habeant secularia iudicare, & ideo non reprehendit omnes illos, qui in quocunq; casu requirebant iudicium infidelium: sic enim tam verbis quam factis sibimetipsi fuisset contrarius, sed reprehendit solummodo illos fideles, qui indiscrete aut malitiose aut scandalose apud infideles & iniquos iudicari volebant. Ad cuius intelligentiam dicitur esse sciendum, quod sicut iudex, cũ prospexerit aliquos velle litigare coram se, primum debet inducere partes, vt inter se componant, antequam incipiant litigare, *extra de transactionibus, vt extra de symonia, querelam 5. q. 2. si primates 90. dist. c. studendum*, vbi sic loquitur: *studendum est episcopis, vt dissidentes fratres siue clericos siue laicos ad pacem magis quam ad iudicium coerceant*, sic prælatus alicuius collegii specialis potest inducere subditos suos, vt si vnus aduersus alterum negotium habuerit, prius magis componant quam ad iudicium conueniant, & si inter se non potuerint amicabiliter componere, potest eos introducere, vt quando voluerint absque præiudicio iudicis superioris, primo litigent coram iudice vel iudicibus constituto vel constitutis, aut electo vel electis per ipsos vel per collegium, antequam recurrant absque necessitate ad iudicem extra idem collegium. Sic possent monachi propter multa scandala & inconuenientia euitanda ordinare inter se, vt si monachus haberet causam aduersus monachũ, vel monasterium aduersus monasterium, concordarent, si possent, antequam venirent ad iudicium episcopi, & si non possent absque iudicio concordare, quod antequam ad iudicium episcopi venirent, ipsam causam coram aliquibus monachis cõstitutis iudicibus vel electis à partibus vel à collegio agitarent: quo ordinato monachi, qui indiscrete vel malitiose aut scandalose relicto iudicio monachorum recurrerent ad iudicium episcoporum, essent merito arguendi: quamuis illi, qui necessitate compulsi, vel ex causa rationabili ad iudicium episcopi recurrerent, non essent reprehendendi, sed in casu laudandi. Ad propositum dicitur, quod Apostolus considerabat, quod aliqui Corinthii indiscrete vel malitiose aut etiam scandalose relictis iudicibus fidelibus, qui erant constituti vel constituendi pro causis fidelium terminandis, apud infideles iudicari volebant absque omni necessitate & vtilitate, & hos reprehendit Apostolus: non illos (si qui fuerint) qui compulsi, vel per aduersarios, vel ne auctoritati infidelium præiudicarent, licite iudicari volebant apud eos, vnde & ipsemet Paulus non refugit iudicium Cæsaris, dicens (sicut legitur Actuum 25.) *ad tribunal Cæsaris sto: vbi me oportet iudicari, Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti, si enim nocui, aut dignum aliquid morte feci, non recuso mori, si vero nihil est eorum, quæ accusant me, nemo potest me illis donare: Cæsarem appello.*

CAP. XIX.

Respondetur rationibus supra capitulo 12. adductis.

Disc. Auctoritates adductæ supra *ca. 11.* non videntur isti tertiæ sententiæ obuiare. Ideo noli indicare, an aliqui respondere conentur ad ipsas, sed dic, quomodo respondetur ad auctoritates & rationes *duodecimo capitul.* allegatas: quia illæ videntur tertiæ sententiæ obuiare. *Mag.* Vno modo respondetur ad ipsas, videlicet quod illæ concludunt, quando seculares iudices non inueniuntur circa punitiones criminum secularium negligentes, vnde secundum istam opinionem, si laici circa illa temporalia dispensanda, & circa negotia secularia & curas seculares ac circa crimina secularia punienda in nullo inuenirentur defectuosi, seu negligentes vel desides, cleri & maxime episcopi de huiusmodi in nullo se intromittere deberent, sed deceret eos, omnia huiusmodi committere laicis, etiam res ecclesiasticas dispensandas, vnde ad literam, sicut verba sonant, ea quæ sacri canones (sicut allegatum est, supra c. 11.) circa hoc præcipiunt, adimplere deberent: & tantummodo verbo prædicationis ac lectioni & orationi vacare.

CAP. XX.

Vbi inquiritur, quam potestatem habeat imperator super bonos, & primo vtrum in omnibus licitis sibi sit magis obediendum.

Discipulus. Quæsiuimus, quam potestatem habet imperator super malos: nunc inuestigemus, qualem potestatem obtineat super bonos sibi subiectos, vtrum sibi omnes teneantur in omnibus obedire. *Magister.* Respondetur, quod in illicitis & iniustis nullus debet sibi obedire.

Discipul. Nunquid in omnibus licitis omnes sibi debent obedire, ita vt peccent, qui sibi recusauerint in licito quocunq; obedire?

Magister. Respondetur, quod non ex hoc ipso, quod aliquis in aliquo licito sibi non obedierit, est iudicandus peccare, si enim alicui præcipiat ieiunare, vel non bibere vinum, vel aliquid tale, quod ad officium imperatoris non pertinet, sibi obedire minime tenetur, sed in his, quæ spectant ad regimen populi temporalis: & hoc in temporalibus quilibet obedire sibi tenetur.

Discipul. Nunquid in huiusmodi quilibet tenetur magis obedire imperatori, quam cuilibet alteri: puta regi suo, aut Duci, aut Marchioni, aut alteri Domino suo immediato, videtur enim, quod quemadmodum episcopus est superior abbate, & tamen hoc non obstante in multis monachi magis tenetur obedire abbati quam episcopo: ita non obstante, quod imperator sit superior regibus, ducibus, & aliis Dominis temporalibus, tamen subditi aliorum dominorum magis tenentur obedire Dominis suis immediatis, quam imperatori? *Magist.* Respondetur, quod sicut secundum multos papa est immediatus prælatus omnium Christianorum in spiritualibus, ita vt omnes in omnibus huiusmodi magis debeant sibi obedire, quam cuicunque alteri prælato inferiori: ita imperator est Dominus in temporalibus omnium immediatus, ita vt in his quæ spectant ad regnum mortalium magis sit obediendum imperatori, quam cuicunq; Domino inferiori, quod beatus August. super *epistolam ad Roma.* sentire videtur, qui super illud verbum, *qui resistunt, sibiipsis damnationem acquirunt*, ait: *Si quid ipse proconsul iubeat, & aliud imperator, nunquid dubitat illo contempto, illi esse seruiendum?* Idem in *lib. Confessionum 2.* & ponitur *dist. 8. c. quicunque*, ait: *In potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur.* Est igitur semper magis obediendum imperatori, quam cuicunque alteri Domino inferiori. *Discip.* Ex istis videntur duo sequi inconuenientia. Primum est, quod omnes sunt serui imperatoris: & quod vnus non est magis seruus quam alter, nec vnus respectu imperatoris est magis liber, quam alius, quia qui æque alicui obedire tenentur, sunt æqualiter serui illius, vel æqualiter liberi. Igitur si omnes subditi imperatoris tenentur sibi, tanquam Domino immediato, in omnibus, quæ spectant ad regimen populi, obedire, omnes æqualiter sunt serui illius vel æque liberi. Secundum inconueniens, quod sequeretur, est: quod quicunque veniret ad bellum pro Domino suo contra imperatorem, committeret crimen læsæ maiestatis, quia quicunque est immediate subditus imperatori, committit crimen læsæ maiestatis, si cogitat de morte imperatoris: quod facit ille, qui venit ad bellum mortale contra imperatorem, quid autem dicitur de istis, enarra. *Magist.* Ad primum dicitur: quod non sequitur ex prædictis, quia, sicut dictum est prius, subditi imperatoris non in omnibus tenentur sibi obedire: sed in his tantum, quæ spectant ad regimen populi: hoc est, in his, quæ sunt necessaria ad regendum iuste & vtiliter populum sibi subiectum, & ideo si præciperet aliquid, quod est contra vtilitatem populi sibi subiecti, non tenerentur sibi obedire: sed in his, quæ sunt necessaria ad regendum iuste & vtiliter populum sibi subiectum, & inde est, quod serui imperatoris & liberi non tenentur sibi æqualiter obedire: sed in multis tenentur sibi obedire serui, in quibus non tenentur liberi, nam serui ad solum præceptum imperatoris omnia bona, quæ tenent, tenentur sibi dimittere absque hoc, quod aliquam vtilitatem communem prætendant, sed ad hoc liberi non tenentur, nec imperator potest eis hoc præcipere absq; vtilitate boni communis, imo etiam neq; absq; manifesta vtilitate & necessitate. In multis etiam aliis tenentur serui imperatoris sibi obedire, in quib⁹ liberi minime sunt adstricti. Dignitati enim humani generis derogaret, si omnes essent serui imperatoris, & ideo derogaretur eidem, si imperator in omnibus posset tractare liberos, sicut seruos, quare cum imperator teneatur procurare ea, quæ spectant ad dignitatem & vtilitatem totius humani generis, & nullo modo debet velle liberos tractare sicut seruos, quare etiam liberi nō tenentur sibi obedire in omnibus, in quibus serui. Ad secundum dicitur, quod quicunq; venit cum quocunque Domino suo ad bellum iniustum contra imperatorem, incidit in crimen læsæ maiestatis, & pœna criminis etiam læsæ maiestatis est puniendus & plectendus. Quod imperatores Honorius & Arcadius in *14. libro eodem ad Legem Iuliam & pœna criminis læsæ maiestatis* testari videntur, & habetur *6. q. 1. si quis*, vbi ait: *si quis cum militibus vel priuatis barbaris etiam scelestam inierit factionem, aut factionis ipsius susceperit sacramentum, & dederit de nece etiam illustrium virorum, qui consiliis & consistorio nostro intersunt, Senatorum etiam (nam & ipsi pars corporis nostri sunt) vel cuiuslibet postremo, qui nobis militat, cogitauerit eadem enim seueritate voluntatem sceleris, qua effectum, puniri iura voluerunt, ipse quidem, vtpote maiestatis reus, gladio ferietur, bonis eius omnibus fisco nostro addictis, filii vero eius, quibus vitam imperatoria speciali benignitate concedimus, paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni* (hoc est hæreditarii) *criminis exempla metuuntur, à materna & à successione omnium proximorum habeantur alieni.*

Discipul. Hoc beato Augustino obuiare videtur, qui asserit, quod si quis vadat ad bellum etiam iniustum, dummodo non constet sibi esse iniustum, non peccat, ait enim, vt legitur *23. q. 1. c. quid culpatur*: *Vir iustus, si forte etiam sub rege hodie sacrilego militet, recte potest* (*illo iubente*) *bellare, si vice pacis ordinem seruans, quod sibi iubetur, vel non esse contra præceptum Dei certum est, vel vtrum sit, certum non est, ita vt fortasse reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendit ordo seruiendi.* Ex quibus verbis colligi potest, quod si rex vel alius duxerit milites suos ad bellum etiam iniustum contra imperatorem, si non est certum militibus, quod bellum Domini sui est iniustum, licite contra imperatorem bellare possunt.

Magist. Respondetur ad hoc, quod si bellatores cum Domino suo pugnant contra alium, qui non est Dominus eorundem, excusantur à peccato, licet bellum sit iniustum; dummodo hoc ignorarent, & non laborarent ignorantia supina & crassa. Sed si vadunt ad bellum cum Domino

suo

suo inferiori contra dominum suum superiorem, & præcipue contra imperatorem (qui est dominus eorum immediatus) non excusantur à crimine læsæ maiestatis, si bellum est iniustum, licet hoc ignorent, quia magis debent præsumere pro imperatore, quod habeat iustum bellum, quam pro domino eorum inferiori, ideo cum non sunt certi, quod dominus eorum inferior habeat bellum iustum contra imperatorem, non excusantur à crimine læsæ maiestatis.

CAP. XXI.

Vbi quæritur, vtrum potestatem habeat imperator super res temporales: & ponitur prima opinio responsalis, scilicet quod non, quæ probatur septem rationibus: ad quas respondetur infra capitulo 24.

D*iscipul.* Disputauimus, quamuis breuiter, de potestate imperatoris super personas: nunc videamus de potestate ipsius super res temporales, an videlicet ipse sit dominus omnium temporalium rerum, quæ ad ecclesiam minime spectant. *Mag.* Circa hoc sunt diuersæ opiniones siue sententiæ, vna est, quod imperator omnium rerum huius mundi non est dominus. *Discipu.* Pro ista opinione aliquas allegationes adducas. *Magister.* Hæc assertio videtur multipliciter posse probari. Primo sic: Imperator non est dominus illarum rerum, quæ nullius hominis sunt, & quæ occupanti conceduntur. Sed multæ sunt res, quæ nullius hominis sunt, & quæ occupanti conceduntur, *distinction. prim. ius naturale*, dicitur in textu & in Glossa, igitur imperator non est dominus huiusmodi rerum. Amplius, qui est dominus quarumcunque rerum temporalium, eas, si vult vendere potest; *1. quæst. 1. cap. eos qui*, vbi sic legitur: *Omnis enim dominus quod habet, si vult, vendit, siue seruum, siue aliquod aliud eorum quæ possidet*, sed imperator non potest vendere, sicut nec alienare, multas res temporales, quia tunc posset vendere & alienare imperium: quod non est verum, igitur imperator non est dominus omnium temporalium rerum. Rursus, qui rem temporalem alteri donat, alienat à se dominium illius rei, sed imperatores multas res donauerunt non solum clericis, sed etiam laicis. Igitur illæ res à dominio imperatoris sunt alienatæ. Item, qui in distributione rerum temporalium habet portionem specialem, non est dominus aliarum partium, quæ aliis conceduntur. Sed imperator capiens prædia in bello iusto habet portionem specialem, *distinct. 1. ius militare*, vbi sic legitur: *ius militare est belli inferendi solennitas*, & infra: *Item prædæ decisio, & personarum quarumlibet pro laboribus iusta diuisio, ac principis portio*, ergo imperator non est verus dominus aliarum partium. Item, res fisci propriæ sunt imperatoris, vt notat Glossa, *extra de iudiciis, cap. cum venissent*, sed res fisci à rebus aliis distinguuntur, quia quorundam & non omnium res confiscantur, *6. quæstion. 1. §. verum*, igitur imperator non est dominus omnium rerum temporalium. Item, si imperator est dominus omnium temporalium rerum, quæ ad ecclesiam minime spectant, aut omnes res sunt communes imperatori & aliis: aut sunt propriæ imperatoris. Sed non sunt communes imperatori & aliis, quia tunc nullæ res essent propriæ: nec sunt propriæ imperatori, quia tunc nullus alius haberet dominium alicuius rei, nec aliquis alius posset dicere, mea est hæc res; cum imperator solus posset dicere, hæc res est mea, si est sua propria, eo quod, sicut dicit Glossa, distinction. prim. cap. ibidem, *dicitur aliquid meum esse, & per consequens iudicatur tuum non esse, ff. de procreation. pomp. in fine*, igitur imperator non est dominus omnium temporalium rerum. Rursus, si imperator est dominus omnium rerum temporalium, aut est dominus omnium huiusmodi rerum iure diuino, naturali vel humano, non iure diuino, quia, vt dicit Augustin. super Ioh. & ponitur *distinct. 8.* quod *iure diuino domini est terra & plenitudo eius; pauperes & diuites Deus de vno limo fecit: pauperes & diuites vna terra portat.* Igitur imperator non est dominus omnium temporalium rerum, iure diuino præsertim, teste Augustin. ibidem per ius diuinum, quod in scripturis diuinis habemus. Nunquam autem legitur in scripturis diuinis, quod Deus dedit imperatori dominium omnium rerum temporalium. Nec imperator est dominus huiusmodi rerum iure naturæ: quia iure naturæ omnia sunt communia, nec iure humano: quia iura humana sunt secundum iura imperatorum, *di. 8. quo iure.* Imperator autem non potuit sibi appropriare dominium alienarum rerum, igitur iure imperatoris, quod est ius humanum, imperator non est dominus omnium rerum temporalium.

CAP. XXII.

Ponit secundam opinionem præcedenti omnino contrariam, quæ probatur 5. rationibus.

D*iscipulus.* Pro opinione contraria libenter audiam aliquas rationes. *Magister.* Opinio contraria, quæ ponit, quod imperator est dominus omnium rerum temporalium, videtur posse fulciri pluribus rationibus. Nam ille, qui est dominus totius mundi, est dominus omnium illorum, quæ sunt in mundo, & per consequens est dominus omnium rerum temporalium. Sed imperator est dominus totius mundi, sicut probatum est *supra capitulo 5. huius secundi.* Igitur imperator est dominus omnium temporalium rerum. Item, si est dominus aliquarum personarum, est dominus rerum spectantium ad easdem personas. Sed imperator est dominus omnium, saltē qui non sunt clerici, vel

spectantes ad ipsos. Igitur saltem est Dominus omnium rerum pertinentium ad illos, qui sunt sibi subiecti. Item, ille in cuius potestate sunt omnia, est Dominus omnium temporalium rerum: quia res temporales potissime videntur esse in potestate Domini. Sed in potestate imperatoris sunt omnia, sicut testatur Glossa, *extra de clement. venerabilem*, quæ allegata est supra *quinto capitulo huius secundi*, igitur imperator est dominus omnium rerum temporalium. Rursus, non minus est imperator dominus omnium rerum, quæ sunt illorum, qui sunt in imperio suo, siue de regno suo, quam rex est dominus omnium rerum illorum, qui sunt de regno suo Sed rex est dominus omnium rerum, quæ sunt illorum, qui sunt in regno suo. Igitur Imperator est dominus omnium rerum, quæ spectant ad illos, qui sunt de imperio. Maior videtur nota. Minor probatur per illud, quod legitur *secund. Regum octau.* vbi sic habetur: *dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, & ait: Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis; filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum: filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & futarias & pannificas: agros quoque vestros, & vineas & olïueta optima tollet & dabit seruis suis: sed & segetes vestras & vinearum redditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis suis: seruos etiam vestros & ancillas & iuuenes vestros & asinos auferet & ponet in opere suo: greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei serui.* Ex quibus colligitur, quod omnia, quæ habebant, pertinebant ad ius regis: & per consequens ad dominium eius, præsertim cum sint serui eius, cum dicitur expresse, *vosque eritis ei serui*, quicquid enim seruus habet, domini sui est, & quicquid seruus acquirit, domino acquirit. Amplius, non minus sunt omnia de imperio imperatoris, quam antiquitus illa, quæ pertinebant ad regna regum infidelium, erant eorum. Sed illa, quæ pertinebant ad regna regum infidelium, erant ipsorum. Igitur omnes res temporales, quæ spectant ad imperium & ad illos, qui sunt de imperio, sunt imperatoris. Maior euidens est, vt videtur. Minor probatur per illud, quod legitur Genes. decimo quarto. *Reduxitque* (scilicet Abraham) *omnem substantiam & Loth fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque & populum.* Et post: *dicit autem rex Sodomorum ad Abraham: da mihi animas, cætera tolle tibi, qui respondit: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ, quod à filo subteguminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Ex quibus verbis colligitur, quod Abraham reputauit ista, quæ reduxerat, fuisse regis Sodomorum, reduxerat autem multa, quæ erant illorum, qui erant de regno illius regis, igitur Abraham reputauit, quod etiam illa, quæ spectabant ad ipsos, qui erant de regno eius, erant ipsius regis. Et hoc confirmatur per aliqua in *libro de Patriarchis*, & habetur *vigesim. tert. quæstion. quint. capitul. dicat*, qui ait: *dicat aliquis, cum ipse vicerit, quomodo dixerit ad regem Sodomorum, nihil sumam: cum præda vtique in potestate victorum fuerit, deceret militarem disciplinam, vt regi seruentur omnia.* Ex quibus colligitur, quod præda, quam capiunt militantes sub rege, est regis, & tamen præda est victorum, & ista præda militum victorum principaliter est regis, licet etiam aliquo modo sit ipsius militis. Igitur eadem ratione alia bona, quæ sunt in regno, sunt principaliter ipsius regis.

CAP. XXIII.

Ponit tertiam opinionem mediam inter prædictas capitulis præcedentibus.

D*Iscipulus.* Si est aliqua opinio, quæ mediet inter opiniones prædictas, non differas recitare. *Magister.* Est vna opinio, quod imperator non est sic dominus omnium rerum temporalium, quæ etiam minime spectant ad ecclesiam, vt ad libitum suum liceat sibi vel valeat de omnibus huiusmodi rebus, quod voluerit, ordinare, est tamen Dominus quodammodo omnium pro eo, quod omnibus huiusmodi rebus quocunque contradicente, potest vti & eas applicare ad vtilitatem communem, quandocunque viderit communem vtilitatem esse præferendam vtilitati priuatæ. Ad cuius euidentiam est sciendum, quod rerum quædam sunt mobiles & quædam immobiles, & vtrarumque quædam spectant solummodo ad imperatorem, quarum nullus alius habet dominium vel dispensationem, nisi ex speciali commissione imperatoris, quæ possunt vocari *imperiales res & res fisci.* Quædam sunt, quæ spectant ad alios, quæ aliquo modo sunt dominorum earum rerum mobilium. Quæ specialiter spectant ad imperatorem, imperator sic est dominus, quod potest de eis quicquid voluerit ordinare, absque hoc, quod ad restitutionem aliquam teneatur, aurum enim & argentum, & lapides pretiosos, vestes, arma, animalia & omnes alias res mobiles potest vendere, donare, legare, & alienare, prout voluerit, absque hoc quod ad restitutionem teneatur, licet enim peccaret illicite rex mala causa res huiusmodi alienando, non tamen teneretur eas imperio vel aliis restituere. Quarundam etiam rerum immobilium ita est dominus, vt taliter dare vel alienare potest aliqua castra, vel aliquos agros, vineas & ciuitates, vnde in talibus habet dominium & ius pinguissimũ. Quarundam autem rerum immobilium non habet ius & dominium ita pingue, quia non potest eas vendere, donare vel legare vel alienare: sicut imperium & regna, quorum alienationes redundarent in notabile detrimentum imperii, & ideo alienare non potest: & si alienaret de facto, talis alienatio nõ teneret de iure, sed omnia essent ad ius imperii reuocanda: & ipse si posset reddere teneretur, est tamen quodammodo Dominus talium, inquantum potest eas vendicare & defendere, & eis vti pro vtilita-

vtilitate communi:nec aliquis alius ius in eis habere dignoscitur. Rerum etiam spectantium ad alios habet dominium inquantum ex causa & pro communi vtilitate populi,&propter delictum possidentium potest ab eis auferre, & sibi appropriare,vel aliis donare. Quia tamen hoc non potest pro suo arbitrio voluntatis,sed pro culpa possidentium,vel ex causa,sc. pro vtilitate communi:ideo non habet in eis dominium ita pingue, sicut in rebus primis, quas potuit, sicut placuerit, sibi alienare ad libitum,ita vt qualitercunque alienauerit(saltem conferendo obedientibus)alienatio tunc teneat, nec sit per aliquem reuocanda.

CAP. XXIV.

Respondet ad rationes 21. capituli.

DIsc. Secundum istam opinionem discurramus per allegationes pro opinionibus primis omnino contrariis *sup.21. & 22. ca.* recitatis: & videamus quid ista opinio sentit de ipsis, dic itaq; primo, quid dicendum est de illis rebus,quæ nullius hominis sunt? *Mag*. Ad hoc dicitur, quod illarum, quæ nullius hominis sunt,dominium principale post dominium diuinum,est penes totum genus humanum,quia dominium temporalium rerum dedit Deus primis parentibus pro se & posteris suis, sicut ex *Gen.c.1.*colligitur,imperator tñ nihilominus est dominus quodammodo omnium rerũ huiusmodi inquantũ pro vtilitate cõmuni potest eas sibi taliter appropriare, vt occupanti non concedantur, nisi de beneplacito imperatoris,vt imperatori assignẽtur,si hoc vtilitati cõmuni prospexerit expedire. *Disc*. Nunquid potest imperator iubere ad libitum suum, vt nullus inferior eo tales res sibi appropriaret? *Ma*. Respondetur quod non,ideo enim imperatori certa stipendia siue redditus,seu res temporales sunt determinatæ & pro suis vsibus assignatæ, vt res aliorum non recipiat, & res, quæ nullius hominis sunt,occupãti dimittat,nisi pro culpa vel ex causa,vel pro vtilitate cõmuni viderit,quod eas debet appropriare sibi. *Disc*. Dic, quomodo respondetur ad rationem secundam,quæ in hoc cõsistit, quod dominus temporalis potest eas vendere,si vult: quod non potest imperator. *Mag*. Respõdetur, quod dominus temporalium rerum,qui habet in eis diuinum & ius pinguissimum, potest eas vẽdere si vult,& de tali dominio loquitur decretum *1.q.1.* sed tale dominium non habet imperator respectu omnium temporalium rerum,sed solum respectu quorundam. *Disc*. Quid dicitur de tertia ratione,quæ fundatur in hoc,quod imperatores multas res donauerunt. *Magist*. Dicitur,quod sæpe multi donant res plures,& tamen retinent sibi dominium principale earundem rerum, & ideo imperator potest alienare à se multas res:non tamen sic,quin in casibus multis ipsas valeat reuocare,& pro vtilitate cõmuni eas sibi appropriare: & ideo semper remaneat aliquomodo dominus earundem. *Discip*. Dic, quomodo respondetur ad quartam,quæ accipit, quod imperator de præda capta in bello iusto habet portionem specialem. *Mag*. Dicitur, quod licet ius pinguius habeat portione speciali sibi assignata,est tamẽ dominus quodammodo omnium aliarum portionum, inquantum pro vtilitate cõmuni potest eas sibi appropriare. *Disc*. Dic, qualiter respondetur ad quintam rationem de rebus fisci. *Mag*. Respondetur,quod quamuis imperator in rebus fisci habeat pinguius ius,quam in aliis,propter tamen rationes dictas, in omnibus etiam aliis habet aliquo modo dominium. *Disc*. Quid dicitur de sexta,quæ accipit,quod si imperator est dominus omnium,aut omnes res sunt communes,&c. *Mag*. Dicitur,quod quia imperator non est eodem modo dominus omnium rerum temporalium : sed vno modo est dominus suarum,&alio modo aliarum,ideo nec omnes res sunt cõmunes,nec propriæ: sed quædam sunt propriæ imperatoris,ita quod nullius alterius sunt,& nullus alius habet proprietatem in ipsis : quædam vero appropriantur aliis, quarum tamen quodammodo est imperator dominus,inquantum potest ab illis tollere pro vtilitate communi. *Disc*. Narra,qualiter dicitur ad rationẽ septimam,quæ in hoc consistit, quod imperator non est dominus omnium nec iure diuino, nec humano,&c. *Mag*. Respondetur, quod imperator est dominus omnium modis prædictis iure humano: quia sicut imperium est ab hominibus, & à Deo mediantibus hominibus: ita dominium, quod habet imperator, est ab hominibus & per consequens iure humano habet dominium omnium huiusmodi rerum. Et cum dicitur, quod iura humana sunt iura imperatorum, *dist.8.quo iure.* Respondetur, quod tempore Augustini, qui dicit illa verba, quæ habentur *dist.8.c.quo iure*, iura humana fuerunt iura imperatorum : quia tunc populus transtulit potestatem condendi leges in imperatorem, sed aliquando iura humana non fuerunt iura imperatoris: quia prius fuerunt humana iura, quam iura imperatorum, sed est quodammodo dominus omnium iure populi, qui populus trãstulit in imperatorem tale dominium omnium rerum, quod dedit Dominus primis parentibus & posteris suis, & pro vtilitate communi possit eisdem & de eis disponere & ordinare, prout vtilitati communi viderit expedire.

CAP. XXV.

Respondet rationibus 22. capitulo adductis pro secunda opinione.

DIsc. Nũc breuiter narra, qualiter respõdetur secundũ opinionẽ tertiã ad rationes adductas *sup.c.22.* pro opinione secũda. *Ma*. Ad primã dicit,ꝙ impator nõ est sic dominus totius mũdi,vt ad libitum

bitum suum posset facere de omnibus hominibus mundi, quod sibi placeat: sed quia in his, quæ spectant ad bonum commune, omnes sibi obedire tenentur, & ideo non est dominus omnium temporalium rerum, nisi modis prædictis *supra cap. 23.* Et ad secundam respondetur per idem, quod qui est dominus personarum, est quodammodo dominus rerum spectantium ad sibi subiectos vel ad personas easdem, & ideo imperator est dominus omnium rerum spectantium ad sibi subiectos: quia potest eis vti pro vtilitate communi, non tamen ad libitum suum absq; rationabili causa. Ad tertiam dicitur, ꝙ omnia sunt in potestate imperatoris, quia omnia potest accipere sibi pro vtilitate cōmuni: non tñ ad libitum suum, & ideo est dominus isto modo, quo dictum est prius, non aliter. Ad quartā respondetur, quod rex est quodammodo dominus omnium, quæ sunt in regno suo, non tñ sic, quod ad libitum possit de eis, quod voluerit ordinare: sed quia potest omnia tollere pro bono cōmuni, & isto modo prædixit Deus, quod omnia, quæ erant filiorum Israel, debebant spectare ad ius regis. *Disc.* Videtur quod non solum spectat ad illud ius regis accipere, quæ erant subditorū suorum pro vtilitate cōmuni, sed ꝓ vtilitate propria, sc. regis. Cum in auctoritate allegata ibidem dicatur expresse; *filios vestros tollet, & ponet in curribus suis: & constituet aratores agrorum, & messores segetum*, & post: *agros quoq; vestros & vineas & olueta optima tollet & dabit seruis suis.* Ex quib. aliisq; omnibus, quæ ponuntur in auctoritate allegata colligitur, quod ad ius regis spectabat omnia posse tollere seu accipere pro vtilitate priuata regis. *Mag.* Respondetur, quod vtilitas regis est communis vtilitas, vnde sicut qui peccat in regem, peccat quodam modo in omnes subiectos sibi: sic qui aliquid facit regi, hoc videtur quodammodo facere in omnes sibi subiectos, & ideo quando rex propria negocia non posset expedire per proprias res & proprios seruos, posset tollere pro negociis propriis expediendis, & res & seruos aliorum & filios subiectos sibi, vt in hoc subueniret vtilitati communi, & isto modo Deus dicit, quod omnia illa pertinebant ad ius regis, quando autem non erat in tali necessitate, non poterat hoc facere, & ideo vt legimus *1. Regum 21.* Naboth Israelita noluit dare, nec communicare, nec vendere vineam suam regi Achab: quia videbat, quod rex ex nulla necessitate quærebat eam, nec propter bonum commune, sed solummodo ex auaritia, & cupiditate. Sic etiam omnis multitudo Israel, vt habetur *3. Regum 21.* dicit ad Roboam filium Salomonis: *Pater tuus durissimum iugum nobis imposuit*, insinuando, quia contra iustitiam & legitimam potestatem regis oppresserat eos, quamuis igitur rex posset tollere res & seruos per filios subditorum, & applicare vtilitati suæ quando propria non sufficiunt, & vtilitas communis impediretur, nisi negocia regis propterea expedirentur: hoc tamen non potest, quando hoc in vtilitatem communem minime redundare videtur. *Discipulus.* Hoc videtur valde vrgere, quod Deus dicit: *vosque ei eritis serui*, serui enim nihil proprium habent. *Magister.* Respondetur, quod non ideo dicit eis, *vosque ei eritis serui*, quia futuri erant seruilis conditionis, & non liberi: cum legitur *3. Regum 9.* quod de filiis Israel non constituit Salomon seruire quenquam: sed erant viri bellatorum & ministri omnium, & principes & duces eius, & præfecti curruum & equorum: sed erant futuri serui, large capiendo vocabulum *seruorum* pro subditis; qui in certis casibus tanquam liberi sunt subiecti, cum Domino seruire censentur.

Discipulus. Dic, quomodo respondetur ad quintam rationem. *Magister.* Respondetur, sicut ad rationem præcedentem: quod omnia, quæ sunt in regno, sunt regis quoad potestatem vtendi eis pro bono communi, nō quo ad potestatem disponēdi de eis ad libitum suum, absq; vtilitate communi, & sic præda capta in bello iusto est regis, & est aliquo modo militum, scilicet quo ad potestatem diuidendi eam, & distribuendi militibus, qui ceperunt eam iuste: tamen absque personarum acceptione, hoc dicit Gloss. *distinct. 2. ius militare*, dicit, quod *principis sunt omnia, quoad tuitionem: sed ipse tenetur omnia diuidere secundum merita personarum, vt supra distinction. 2. ius militare, sic dantur episcopo decima, vt diuidat eas 12. quæstion. 2. cap. concesso, super verbo, omnia.* hinc etiam dicit Glossa, *23. quæst. 5. cap. dicat*, super verbo *omnia: si sub aliquo militetur, tota præda est domini: sed ipse tenetur æqualiter diuidere secundum qualitatem personarum, vt supra distinction. 2. ius militare, sic decima dantur episcopo, vt diuidat eas 12. quæstion. 1. concesso.* Quod igitur dicitur, quod iure gentium nostra fiunt, quæ capimus in bello §. *de adquis. rerum do. naturale.* §. *vltimo*, verum est, quod capientis est, sed tamen tenetur illud dare domino, vt diuidat secundum merita hominum.

CAP. XXVI.

Quæris, vtrum Imperator tantam in temporalibus habeat plenitudinem potestatis, quantam habet Papa in spiritualibus, & adducit vnam opinionem, quæ probatur 5. rationibus, ad quas respondetur infra capitulo 28.

DISC. Quæsiuimus de aliquibus in speciali, quam super ipsa imperator habeat potestatem, nunc quero in generali, an in temporalibus imperator habeat plenitudinem potestatis: quemadmodum secundum multos Papa in spiritualibus potestatis plenitudinem habere dignoscitur. *Magister.* Circa hoc sunt assertiones diuersæ, vna est, quod imperator in temporalibus sic habet plenitudinem potestatis, quod omnia potest, quæ non sunt contra ius diuinum, vel contra ius naturale, ita quod in omnibus huiusmodi tenentur sibi obedire omnes sui subiecti. *Discipul.* Pro ista opinione allegare nitere. *Mag.* Pro ista opinione potest multipliciter allegari, qui enim nulla lege humana astringitur, sed solummodo lege diuina & lege naturali obligatur, omnia potest, quæ non sunt contra aliquam

legum

legum prædictarũ, sed imperator nulla lege humana astringitur, sed legibus diuinis & naturalibus: quia (sicut habetur *ff. de legibus*, & Glossa recitat *extra de constitutionibus, canonum*) imperator legibus solutus est, igitur in temporalibus sic habet plenitudinem potestatis, vt omnia possit, quæ non sunt contra leges diuinas & naturales. Amplius, ille habet in temporalibus plenitudinem potestatis, cuius voluntas in huiusmodi lege legis habet vigorem, sed quod principi (præcipue imperatori) placuit, legis habet vigorem, igitur imperator in huiusmodi habet plenitudinem potestatis. Rursus, ille habet plenitudinem potestatis in temporalibus, cuius etiam error ius facit in temporalibus, igitur in temporalibus habet plenitudinem potestatis. Item, si aliquis subiectus imperatori possit iuste resistere imperatoris præcepto in temporalibus, quod non est contra ius diuinum, nec contra ius naturale, oportet quod aliquo iure possit sibi resistere, quia hoc recte possumus, quod iure possumus, aut igitur potest sibi resistere iure diuino aut naturali, aut humano, non iure diuino, aut naturali: quia, sicut dictum est, præceptum eius non est contra aliquod illorum iurium, nec iure humano: quia, sicut habetur *distinction. octau. capitulo, quo iure*, & allegatum est supra iura humana iuri imperatoris non sunt contraria, quia ipsa iura humana per imperatores & per reges seculi Deus distribuit generi humano, igitur iure imperatoris nullus potest eius præcepto resistere, quia imperator in omnibus huiusmodi omnia potest. Præterea illud, ad quod societas humana se obligat, eadem societas seruare tenetur, sed societas humana obligat se ad obediendum generaliter regibus: & per consequens multo magis imperatori. Ait enim Augustinus *libro secundo Confessionum*, vt habetur *distinction. octau. quæ contra*: *Generale quippe pactum est societatis humanæ, obtemperare regibus suis*. Igitur in temporalibus generaliter obediendum est imperatori, vt omnia possit, quæ non sunt contra ius diuinum & naturale.

CAP. XXVII.

Ponit opinionem secundam præcedenti contrariam.

DIscipulus. Recita assertionem oppositam. *Magister.* Assertio contraria est, quod imperator non habet in temporalibus plenitudinem potestatis, vt omnia possit, quæ non sunt contra ius diuinum, nec naturale: sed limitata est potestas, vt quo ad liberos sibi subiectos & res eorum solummodo illa potest, quæ prosunt ad communem vtilitatem.

Discipulus. Pro ista assertione aliquas allegationes adducas. *Magister.* Pro ista taliter allegatur, ille non habet plenitudinem potestatis, vt omnia possit, cuius leges non pro priuato commodo, sed pro communi vtilitate fieri debent, si enim haberet plenitudinẽ potestatis, posset condere leges non solum pro communi vtilitate, sed etiam pro priuata & vtilitate propria vel aliena, & etiam quacunque de causa, dummodo non esset contra ius diuinum, nec contra ius naturale, sed leges imperiales & cæteræ fieri debent non pro priuato commodo, sed pro communi vtilitate, teste Isidoro, qui, vt legitur *dist. 4. c. erit autem*, ait: *Erit autem hæc lex honesta & iusta possibilis secundum naturam & secundum consuetudinem patriæ, loco, temporeq́, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquem per obscuritatem in captione cõtineat nullo priuato commodo, sed pro communi vtilitate conscripta*. Igitur imperator non habet talis potestatis plenitudinem, vt omnia possit, nisi quæ sunt pro communi vtilitate. Amplius, si imperator in huiusmodi habet talem plenitudinem potestatis, omnes alii reges & principes, & alii laici sibi subiecti essent puri serui ipsius, nam dominus nõ habet maiorem potestatem super seruos, quam quod omnia possit præcipere eis, quæ non sunt contra ius diuinum, nec contra ius naturale: imo forte nec tantam potestatem habet super eos. Si igitur imperator nõ solum possit ista, quæ sunt pro communi vtilitate, sed etiã alia quæcunq; in temporalibus, quæ non sunt contra ius diuinum, nec cõtra ius naturale, oẽs alii sibi subiecti essent veri serui sui. Rursus, Papa non habet potestatem plenariã in spiritualibus, quia ea quę sunt supererogationis non potest alicui præcipere, sicut virginitatẽ, ieiunium in pane & aqua, intrare religionẽ, & huiusmodi. Igitur multomagis imperator in temporalib. non habet talem plenitudinẽ potestatis. Item, imperator non habet maiorem potestatem in temporalibus, quam habuit populus, cũ imperator habeat potestatem suam à populo, vt allegatum est supra, quia populus plus iurisdictionis aut potestatis non potuit transferre in imperatorem, quam habuit. Sed populus nunquam habuit talem potestatis plenitudinem, vt possit præcipere cuilibet de populo omne illud, quod non est contra ius diuinum aut contra ius naturale: quia non poterat præcipere ista, quæ non erant de necessitate facienda, teste Glossa, *extra de constitution. cum omnis*, secundum quam in talibus, quæ de necessitate facienda nihil potest fieri nisi omnes consentiant. Ergo si populus præcipit aliquid alicui de populo, quod non est de necessitate faciendum, non tenetur illud facere, nisi velit, restat igitur, quod imperator non habet talem potestatis plenitudinem. Præterea falsare, alienare, vendere, dare, vel legare, non est contra ius diuinum, nec contra ius naturale: & tamen imperator hoc non potest, igitur non habet plenitudinem potestatis. Rursus, imperator non habet periculosam potestatem bono communi, sed talis plenitudo potestatis esset periculosa bono communi, posset enim omnes subditos ad paupertatem redigere: quod esset contrarium bono communi. Item, potestas, quæ solummodo est constituta propter solam communem vtilitatẽ, non se extendit, nisi ad illa, quæ ad communem vtilitatem ordinantur, & per consequens non se extendit ad omnia, quæ sunt contra ius diuinum, aut contra ius naturale. Sed potestas imperialis

est

est solummodo constituta ad vtilitatem communem, igitur non se extendit ad illa, quæ ad communem vtilitatem non pertinent. Confirmatur hoc ratione, illud quod non ordinatur ad finem debitum, inordinatum videtur, quod autem est inordinatum, non est licitum iudicandum, sed finis institutionis imperatorum est communis vtilitas. Igitur quod imperator auctoritate imperiali facit, & non ordinat ad vtilitatem communem, est inordinatum: & per consequens illicitum. Ex quo infertur, quod imperator auctoritate imperiali non potest omnia, quæ non sunt contra ius diuinum, nec contra ius naturale: sed solum illa, quæ ad vtilitatem communem proficiunt.

Cap. XXVIII.

Respondet rationibus supra capitulo vigesimo sexto adductis.

D*Iscipulus.* Quia ista opinio secunda communitati mortalium & bono communi, pro qua quilibet zelare tenetur, sonare videtur, scire desidero, quomodo ad rationes pro opinione contraria respondetur. Dic itaque qualiter respondetur ad primam, *cap. 26.* adductam. *Magist.* Respondetur ad ipsam distinguendo de lege humana, quarum quædam sunt leges imperatorum & aliarum personarum & communitatum particularium imperatori subiectarum, quę ciuiles possunt appellari. Quædam sunt quodammodo totius communitatis mortalium, quæ ad ius gentium spectare videntur: quæ quodammodo sunt naturales, & quodammodo humanæ siuę positiuæ: sicut ex his, quæ dicta sunt *huius partis capit. 10. & 11.* colligi potest. Imperator nequaquam astringitur de necessitate, licet deceat eum viuere secundum leges suas, seruatis legibus, quæ spectant ad ius gentium, pro eo quod omnes gentes & potissime rationales & ratione viuentes tali iure vtuntur, prout imperator ad idem astringitur: nec licet sibi eas irregulariter transgredi, nisi in casu, in quo viderit eas derogare vtilitati communi. Vnde non liceret sibi generaliter prohibere occupationes sedium, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, legatorum non violandorum religionem, & alia quæ ad ius gentium spectare videntur. Imperatorem autem non habere plenitudinem potestatis, vt omnia possit in temporalibus, quæ non sunt contra ius diuinum & naturale absolutum, de quo dictum est *huius capitulis 11. & 12.* spectat ad ius gentium, sicut & aliquos esse liberos & non pure seruos ad ius gentium pertinere dignoscitur, & quod vnum sequitur ex alio, & ideo hac lege astringitur imperator, quæ tamen humana est, quia de consensu omnium mortalium contradicentes contrarium posset seruari pro lege. *Discipulus.* Dic quomodo respondetur ad rationem secundam. *Magister.* Ad illam dicitur, quod illud, quod placet principi, scilicet imperatori, rationabiliter & iuste propter bonum commune legis habet vigorem, quando hoc explicat manifeste, si autem aliquid placet non propter bonum commune, sed propter priuatum, non propter hoc legis habet vigorem, scilicet iuste, sed inique & iniuste. *Discipulus.* Ista ratio, sicut & opinio præcedens cap. præcedenti recitata veritati & auctoritati imperatorum derogare videtur, nam secundum præscripta imperator nullam posset condere legem, nisi generalem, quæ respicit bonum commune. Ex quo sequitur, quod nullum posset priuilegium concedere cuicunque, quia priuilegia sunt priuatæ scilicet legis, non communia seu generalia, *dist. 8. secundum quod quadam, & c. priuilegia*, sed imperatorem non posse priuilegium speciale concedere cuicunque tam veritati, quam auctoritati imperatoris derogare videtur. *Mag.* Ad hoc respondetur, quod quęlibet priuata persona & quodlibet particulare collegium est pars totius communitatis, ideo bonum cuiuslibet priuatæ personæ & cuiuslibet particularis collegii, est bonum totius cõmunitatis, & ideo illud ad bonum commune poterit redundare, & ordinari valebit, quare si imperator concedendo specialia priuilegia aliquibus personis vel collegiis particularibus, ratione non errante, contra bonum commune, priuilegia iusta sunt, & ad bonum commune spectantia, si autem non intendit modo prædicto bonum commune, sed concedit huiusmodi priuilegia ex amore priuato, vel alia causa minus iusta, priuilegia illa non sunt iusta, sed iniqua & iniusta: & concedens vitiũ acceptionis personarum incurrit, de quo minime excusatur. *Disc.* Dic qualiter respondetur ad rationem tertiam. *Mag.* Dicitur, quod error principis probabiliter ius facit, facit itaque, vt alii teneantur obedire, nisi appareat eis, quod error principis est contra ius diuinum, aut naturale, aut bonum cõmune, quia si sic, error principis non facit ius. *Discipulus.* Qualiter respondetur ad quartam rationem. *Magister.* Respondetur per ista, quæ dicta sunt superius in responsione ad primam rationem, quia sæpe præcepto imperatoris, quod nec est contra ius diuinum nec naturale, potest quis resistere iure humano, non quidem ciuili, sed iure gentium, sicut dictum est. Ad argumentum dicitur, quod loquitur de iuribus humanis ciuilibus, non de iure gentium, sed iura ciuilia sunt iura imperatorum & regum, sed ius gentium non est imperatorum, nec regum per institutionem ipsorum, licet posset per ipsorum approbationem & obseruantiam. *Discipul.* Dic, quid sentit ista opinio de vltima ratione. *Magister.* Hoc sentit, quod generale pactum est societatis humanæ obtemperare regibus suis in his, quæ spectant ad bonum commune, & ideo obligata est societas humana ad obediendum generaliter imperatori in his, quæ ad vtilitatem communem proficiunt: non in aliis, in quibus non dubitat, quod nequaquam bono communi proficiant.

Cap.

CAP. XXIX.

Quærit, si electus in imperatorem statim valeat se intromittere de regno in temporalibus disponendo, & ponit tres opiniones.

DISC. Postremo discutiamus succincte, an electus in regem seu imperatorem eoipso, quod est electus antequam electio præsentetur, vel etiam notificetur Papæ, de iure valeat & debeat se intromittere de regno in temporalibus disponendo. *Mag.* Ad hoc secundum diuersas opiniones, quæ recitatæ sunt superius, diuersimode respondetur. Nam secundum illos, qui dicunt, quod imperium est à Papa, electus nullam administrationem habet de iure, antequam confirmetur à Papa. Secundũ illos qui dicunt, quod imperium non est à Papa plus, quam regnum Franciæ vel regnum aliud quodcunq; fidelium: & quod imperator non est plus subiectus Papæ in temporalib. quam rex Franciæ; ita quod quicunq; electus in regem seu imperatorem Romanor. eoipso, quod est electus, absq; hoc q electio præsentetur vel notificetur Papæ, habet plenam administratioñe in temporalibus, & potest & debet se intromittere de imperio seu regno Romano. Sed quia p Romanos vel illos, in quos Romani auctoritatẽ suam iusq; & potestatem seu imperium trãstulerunt, ex causa pro bono cõmuni ordinauerunt, quod antequam electus se intromitteret de regno vel imperio, electio sua præsentetur, quẽadmodum electio Papæ ante ordinationem suam præsentabatur imperatoribus, *dist. 63. c. Agato.* *Disc.* Omnino mihi videtur, quod si imperium est à Papa, & imperator debet præstare iuramentum fidelitatis Papæ, sicut vasallus domino suo, quod electus se intromittere non debet de regno, nisi electio Papæ præsentetur, & Papa declarauerit voluntatem, an velit quod electus intromittat se de regno. Nunc aliam opinionem prosequere, & pro ipsa nitere allegare. *Ma.* Quod electus statim debet administrare, videtur multipliciter posse probari. Nam consuetudo in talib. rationabilis maxime est spectanda & conseruanda, sed consuetudo rationabilis fuit ab initio, quod electus statim se intromittat, antequam præsentetur electio Papæ, imperatores enim tam fideles, qui fuerunt imperatores veri, q̃ infideles, nullam electionem præsentauerant Papæ, nec ipsum in aliquo requirebant. Quidã etiam imperatores, qui coronati fuerunt à papa in imperatores, licet præsentauerunt & notificauerunt Papæ electionem suam, quando coronationem Romę corona aurea susceperunt, prius tamen administrauerunt & coronabantur alia vel aliis corona vel coronis, igitur ista consuetudo seruãda est, vt statim electus administrare incipiat. Amplius, electus ad istam dignitatem secularem, pro qua nõ est alteri subiectus, non tenetur alteri electionem suam præsentare, antequam administret, sed electus in imperatorem seu regem Romanorum, non est pro Romano regno subiectus Papæ; cum pro regno Romano nõ sit vasallus Papæ, igitur administrare debet, licet non præsentauerit electionẽ suã Papę. Rursus, non magis est rex Romanorum subiectus Papæ, quam alii reges quicunque: quia neq; iure humano, &c. sed multi sunt reges fideles, qui etiam ministrãt absq; hoc, quod notificent aliquid Papæ vel de seipsis, vel de morte prædecessorum suorum, siue suorum patrum, igitur & rex Romanorũ statim debet administrare. *Disc.* Videtur quod iure humano Romanorum rex est magis subiectus Papæ, quam multi alii reges: quia eligitur auctoritate Papæ, qui instituit electores, qui eum debent eligere. *Ma.* Aliis videtur, quod illud non obstat; quia ius humanum aut est ius imperatorum, aut regũ, aut ius canonicum, quod est summorum Pontificum, sed iure imperatoris non est rex Romanorum subiectus Papæ plus quam alii reges, nec iure canonico. Tum quia summus Pontifex non plus potuit sibi subiicere regem Romanorum, quam alios reges, & ita si potuit sibi subiicere regem Romanorũ, posset per eundem modum sibi subiicere regem Franciæ & quoscunq; alios reges. Tum qui non potest tollere leges aliquas, non potest sibi subiicere conditorem aliarum legũ; sed Papa non potest tollere leges imperiales, teste Gloss. quæ *dist. 10. c. constitutiones, ait: nunquid igitur legibus semper derogatur per canonem? absit: nisi quo ad causas spirituales,* & infra: *nec posset Papa leges tollere, nisi quo ad suum forũ,* igitur Papa per nullum canonem siue ius canonicum potuit sibi subiicere regem Romanorum, qui legum est conditor. *Disc.* Adhuc conare roborare opinionem pręmissam. *Mag.* Rursus, quod rex Romanorum, eo quod est electus, administrare debeat, antequam electio præsentetur Papæ, probatur. Quia electus, qui non indiget ab aliquo confirmari, potest administrare, antequam sua electio pręsentetur alteri, quia omne ius & potestatem administrandi, quam habet electus, aut habet per confirmationem, aut electionem. Vnde etiam episcopi & alii, qui confirmantur & consecrantur, per ipsam consecrationem nullam administrationem acquirunt, sed quæ administrationis sunt, habent per confirmationem. Papa autem per electionem omnem administrationem habet, *dist. 23. nomine,* qui igitur non indiget confirmatione, eoipso quod est electus, omne ius administrandi habet. Sed electus in regem Romanorum non indiget confirmari à Papa. Vnde & Innocent. III. qui *extr. de electione, venerabilem,* magis explicare videtur, quid Papa facit in electione regis Romanorum, de confirmatione nullam facit mentionem, nec legitur, quod antiquitus aliquis electus in regem Romanorum, etiam fidelis, sic fuerit à Papa confirmatus, igitur electus in regem Romanorum, statim per ipsam electionem habet ius administrandi.

Explicit liber secundus.

INCIPIT LIBER TERTIVS TRACTATVS SECVNDI TERTIAE PARTIS DIAlogi, *in quo inuestigatur, quam potestatem habeat Imperator super res ac personas ecclesiasticas.*

CAP. I.

Quærit quæstionem principalem, s. quam potestatem habeat imperator super personas spirituales.

DISC. In scripturis diuinis non memini me legisse omnem potestatem in spiritualibus imperatori (si esset catholicus) denegari, ideo an imperator super spiritualia aliquā potestatem habeat, vel sit capax huiusmodi potestatis, *hoc tertio libro* inuestigare propono, porro non solum gratia, virtutes, dona Dei, sacramenta, iura ecclesiastica, & causæ ecclesiasticæ, ac res ad ecclesias pertinentes, & huiusmodi, quæ specialiter ad clericos spectare dicuntur, sed & personæ seu homines inter spiritualia cōputantur, ideo de potestate imperatoris super spiritualia quæsiturus, à personis spiritualib. inchoabo. In primis aūt duxi quærendum, an imperator super aliquas personas spirituales habeat potestatē. M. Nonnullis apparet, quod personæ seu homines possunt dici spirituales dupliciter. Quidam n. dicuntur spirituales, quia secundum spiritum & legem Christianam (quæ lex spiritualis est) virtuose viuūt, & de spiritualibus sic loquitur Apost. *1 ad Cor. 2.* cum dicit: *nos aūt non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritū qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus. spiritualia spiritualib. cooperantes.* Alii possunt vocari spirituales (licet non viuāt secundum spiritū virtuose) quia sunt spiritualib. officiis spiritualiter deputati: sicut sunt clerici & religiosi, quorum multi nō spiritualiter viuunt, nec vitā virtuosam, sed carnalem & vitiosam ducere dignoscuntur: ita vt laici vitę cōparatione ipsos & episcopos, qui inter clericos sunt maiores, habeāt iudicare, teste Hieron. qui, vt habetur *8 q. 1. c. vereor*, ait: *plurimi in populis episcopos iudicent subtrahentes se ab ecclesiastico gradu, & ea quæ episcopo conueniunt non exercentes.* Super homines spirituales primo modo dictos, quamplures laici & sibi subiecti spirituales primo modo accipiendo vocabulum, sunt censendi. Quia non secundum carnem, sed secundum spiritum sunt viuentes. De hominibus spiritualibus secundo modo dictis sunt opiniones contrariæ, quibusdam dicentibus imperatorem super eos nullam potestatem habere, aliis asserentibus contrarium.

CAP. II.

Quærit, an electio Papæ spectet ad imperatorem, & recitat opiniones duas, secunda ponitur cap. sequenti, prima opinio probatur sex rationibus, ad quas respondetur cap. 4. huius.

DISC. De hominibus spiritualibus secundo modo dictis solum modo quærere intendebā. Ideo ꝓsequamur de ipsis à summo ipsorum, sc. à summo Pontifice inchoantes: inuestigantes primo, an imperator in electione summi Pontificis potestatem habeat, seu ius aliquod, vel habere possit. Secūdo an supra ipsum in summū Pontificem constitutum aliq̄ habeat vel habere valeat potestatem: primo aūt cupio indagare, an electio summi Pontificis possit personæ imperatoris cōpetere. *Mag.* Circa hoc sunt assertiones contrariæ, prima est, quod personæ imperatoris non potest cōpetere tale ius, q̄diu manet imperator. *Disc.* Pro ista assertione aliquas allegationes adducas. *Mag.* Pro ipsa potest multipliciter allegari. Qui n. non est capax iurium spiritualiū, non potest habere ius eligendi summū Pontificem, quia ius eligendi summum Pontificē videtur primum locum inter iura spiritualia obtinere. Sed imperator & alii laici non sunt capaces iuriū spiritualiū, teste Gl. *ext. de iudiciis, quanto*, quæ ait: *Laicus ius tale* (sc. ius patronatus) *potest possidere, cū non sit mere spirituale, sed ei annexū: sed alia iura spiritualia iure possidere non potest*, igitur ius eligendi summū Pontificem nō potest imperatori cōpetere. Amplius, sicut Papa prȩest spiritualib. ita imperator in temporalibus, sed iura temporalia siue sȩcularia, maxime quæ potissimū locū inter iura secularia habere noscuntur, nullo modo possunt cōpetere summo Pōtifici & aliis clericis, vt iura causas sanguinis exercendi, quę præcipue iura, secularia censenda videtur. Igitur iura præcipue spiritualia, inter quæ ius eligendi summū Pontificem videtur primū, nullo modo potest cōpetere imperatori & aliis. Rursus, ille qui solum modo actibus secularib. debet esse contentus, non est capax potestatis, aut iuris eligendi summum Pontificem; quia eligere summum Pontificem inter actus spirituales est enumerandus. Sed imperator tm̄ modo secularibus debet esse contentus, teste Nicol. Papa, qui ait *dist. 10. c. imperiū*: *Imperium vestrū suis publicæ rei quotidianis administrationib. debet esse contentū, non vsurpare quæ sacerdotib. Domini solū conueniunt*, vbi dicit Gl. *Distincta est n. potestas sua à potestate Pontificali, vt infr. c. quoniā, & 96. di. cū ad verum.* Alioquin si vsurpet eorū officia, lepra percutiatur, vt Azias *2. q. 7. c. §. ite cum Baalā*, igitur imperator nō est capax huius iuris eligendi summum Pōtificem. Præterea potestates distinctæ habēt actus distinctos, teste Nicol. Papa, qui, vt legitur *di. 96. c. cū ad verū*, ait: *idē mediator Dei & hominū homo Christus Iesus actib. propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusq; discreuit.* Sed potestas secularis & ecclesiastica, sunt potestates distinctæ, igitur habent distinctos actus, cōstat aūt, ꝙ actus eligēdi summū Pontificē conuenit potestati ecclesiæ, igiṫ non cōpetit potestati seculari, & ꝑ consequēs imperator talē actū exercere non potest. Itē, sicut in corpore humano diuersa mēbra habēt diuersos actus, *Iob. 22.* ita in corpore ecclesię diuersa mēbra diuersos actus habere debent. Vnde Gregor. vt habetur *di. 89. singula*: *in ecclesia corpore multa membra sunt secundum veridicam sententiā Pauli in vno eademq; spirituali corpore conferendū est officiū hoc vni, alii cōmittendum est illud*, & infr. *Sicut indecorū est vt in corpore humano, vt alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum nociuum simulq; turpissimum est, si singula rerum mysteria personis totidem non fuerint distributa.* Sed clerici & laici sunt diuersa membra, igitur actus habent distinctos, eligere autem summum Pontificem spectat ad clericos, *distinction. 22. in nomine*, ergo nullo modo poterit ad laicos pertinere. Item, imperator & alii

&alii laici non possunt eligere Patriarchas, archiepiscopos & episcopos & aliarũ ecclesiarum collegiatarũ prælatos, igitur multo fortius non possunt eligere summum Pontificẽ. Consequentia manifesta videtur. Antecedens per sacros canones videtur posse probari. Ait enim Adrianus Papa, vt habetur *distinction. 63. capit. 1. Nullus laicorum principum vel potentum semet inserat electioni vel promotioni Patriarchæ Metropolita aut cuiuscunque, ne videlicet inordinata & incongrua fiat electio vel confusio vel contentio, præsertim cum nullam in talibus potestatem quenquam potestatiuorum vel cæterorum laicorum habere conueniat.* Et Gregorius Nonus, vt habetur *extra de electione, cap. sacrosancta*, ait: *Ius eligendi in collegiata ecclesia non cadit in laicum*, & eo. ca. *Massana*, ait: *Edicto perpetuo prohibemus ne per laicos electio Pontificu præsumatur: quæ si forte præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem, non obstante contraria consuetudine, quæ dici debet potius corruptela*, vbi dicit Glossa super vocabulo *consuetudine*, quod *talis consuetudo, quia non est rationabilis, non potest præscribi.* Ex quibus verbis colligitur, quod ex nulla consuetudine possunt laici habere ius eligendi prælatos, & per consequens non possunt habere ex iure humano: quia quicquid potest tribuere ius humanum, potest consuetudo tribuere, constat autem, quod laici non habent ius eligendi ex iure diuino: quia tunc eo priuari non possent, & per consequens nullomodo possunt habere ius eligendi ipsos & prælatos ecclesiarum collegiatarum: quod quamplurimi alii sacri canones, qui habentur *distinction. cap. si per ordinationem, & cap. non est, & cap. omnis, & cap. non licet, & 79. cap. si quis pecunia, & 16. quæstion. 1. 7. cap. si quis deinceps, & 16. quæstion. 1. cap. quoniam, & capit. si quis episcopus, & quæstion. 2. cap. sane, & cap. si quis clericus, & cap. constitutum, & cap. nullus, & cap. per laicos, & cap. non placuit, & cap. laicis*, & aliis locis quamplurimis videtur assentire manifeste.

Cap. III.

Recitat opinionem secundam contrariam primæ.

DIscipulus. Assertionem prædictæ contrariam libenter audirem. *Magister*. Assertio contraria prædictæ est, quod licet imperator specialiter ratione imperatoriæ dignitatis non habeat ius eligendi summum Pontificem, vel alios prælatos inferiores: inquantum tamen Christianus catholicus & fidelis, ius eligendi summum Pontificem potest sibi competere, ita quod imperialis sublimitas non reddit eum non capacem huiusmodi dignitatis, potestatis siue iuris: imo quodammodo reddit eum magis dignum huiusmodi potestatis vel iuris. *Discipulus*. Pro ista assertione aliqua motiua profer in medium. *Magister*. Pro ipsa multipliciter allegatur. Nam ipsa potestas vel ius potest imperatori competere, quam vel quod de facto alii reges habuerunt. Sed de facto aliqui reges habuerunt potestatem, siue ius eligendi summum Pontificem. Igitur talis potestas siue ius potest imperatori competere. Maior videtur nullatenus probatione indigere, minor autem auctoritatibus videtur manifeste & aperte probari, nam *ex historia Ecclesiastica*, vt legitur *distinction. sexagesim. tert. capitulo Adrianus*, vbi sic habetur: *Adrianus Papa Romam venire Carolum regem ad defendendas res ecclesiæ postulauit*, & infra; *deinde Romam reuersus* (scilicet Carolus rex) *ibi constituit synodum cum Adriano Papa in Patriarchia Lataranensi, in ecclesia sancti Saluatoris, quæ synodus celebrata est à centum quinquaginta tribus episcopis & abbatibus & religiosis. Adrianus autem Papa cum vniuersa synodo tradidit Carolo ius & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatem quoque patriciatus ei concessit, insuper episcopos, archiepiscopos per singulas prouincias ab eo conuestituram accipere diffiniuit, vt nisi à rege laudetur & inuestiatur episcopus, à nemine consecretur, & quicunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodauit: & nisi resipisceret, bona eius publicari præcepit.* Item Leo Papa, vt in eadem distinctione capitulo, *in synodo*, sic ait: *In synodo congregata Romæ in ecclesia sancti Saluatoris, & ad exemplum beati Adriani Apostolicæ sedis antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo regi Francorum & Longobardorum, patriciatus dignitatem ac ordinationem Apostolicæ sedis & inuestiturarum episcoporum concessit: ego quoque Leo seruus seruorum Dei episcopus cum cuncto clero ac Romano populo constituimus, confirmamus & corroboramus & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus, atque largimur* Domino Ottoni primo *regi Theutonicorum, eiusque successoribus huius regni Italiæ in perpetuum sibi facultatem eligendi successorem, atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi: ac per hoc archiepiscopos seu episcopos, vt ipsi ab eo inuestituram accipiant & consecrationem, vnde debent, exceptis his quos imperator Romano Pontifici & archiepiscopis concessit, & vt nemo deinceps cuiuscunque dignitatis vel religionis eligendi successorem vel patricium vel Pontificem summæ sedis Apostolicæ, aut quemcunque episcopum ordinandi habeat facultatem absque consensu ipsius imperatoris*, & infra: *si à clero & à populo quis eligatur episcopus, nisi à supradicto rege laudetur & inuestiatur, non consecretur.* Ex his colligitur, quod aliqui reges in imperatores promouendi, potestatem & ius eligendi summum Pontificem habuerunt, igitur talis potestas vel ius potest imperatori competere.

Item ex concilio colligitur, vt habetur eadem *distinction. 63. capitulo, cap. cum longe*, sic: *Cum longe lateque diffuso tractatu terrarum commeantium impenditur celeritas nunciorum, quo aut nequeant regibus audientibus decedentis præsulis transitus notificari, aut de successore morituri episcopi libera principis electio expectari*, & infra: *vnde placuit omnibus Pontificibus Hispaniæ atque Galiciæ, & saluo priuilegio vniuscuiusque prouinciæ licitum maneat deinceps Tholetano Pontifici, quousque regalis potestas elegerit, & iam dicti episcopi Tholetani iudicium dignos esse probauerit, in quibuslibet prouinciis in præcedentium sedibus præficere præsules.* Ex quibus verbis sequitur, quod aliquando reges habuerunt potestatem eligendi episcopos.

Amplius, imperator & laici possunt interesse electionibus episcoporum. Igitur imperatori potest competere ius eligendi summum Pontificem, consequentia tenet: quia de vno & de alio videtur esse eadem ratio. Antecedens probatur per illud Synodi, quod ponitur *dist. 63. c. Adrianus*, vbi postquã synodus diffiniuit, vt nullus semet inserat electioni episcoporum, subiungit ibi hæc verba: *Si vero quisquam laicorum ad contractandum vel cooperandum inuitatur ab ecclesia: licet huiusmodi laico cum reuerentia, si forte voluerit obtemperare sese assistentibus*, vbi dicit Gloss. *hic inuitantur laici ad electionem*. Ex quibus verbis colligitur, quod laici saltem inuitati in electione episcoporum votum habere possunt, & ita potestatis huiusmodi sunt capaces.

Item, vt habetur *dist. 63. c. Valentinianus*, Episcopus Mediolanensis, quando fuit electus beatus Ambrosius, dicit sic: *Nostis aperte eruditi diuinis eloquiis, qualem oporteat esse Pontificem, & quia non decet eum verbo solo, sed etiam conuersatione gubernare subiectos, & totius populi semetipsum imitatorem virtutis ostendere, testemque doctrinæ conuersationem bonam habere, talem itaque in Pontificali constituite sede, cui & nos, qui gubernamus imperium, sincere nostra capita submittamus, & eius monita, dum tanquam homines delinquemus, necessario veluti curantis medicamina suscipiamus*, post quæ verba immediate subiungitur: *hæc enim cum dixisset imperator, petiit synodus, vt magis ipse decerneret sapiens & pius existens.* Ex quibus verbis, vt videtur, infertur aperte, quod secundum assertionem synodi prædictæ imperator poterat eligere episcopum Mediolanensem, quamuis noluerit, vnde & ait Episcopis illis: *super vos*, inquit, *est talis electio*, ex quo enim imperator eligere recusauit, ad episcopos illos pertinebat electio.

Rursus, non minus pertinebat imperatori ius vel potestas eligendi summum Pontificem, quam concedere episcopatus, pro suæ voluntatis arbitrio ad preces summi Pontificis: quoniam minus esse videtur eligere summum Pontificem, quam summum Pontificem rogare debere imperatorem, vt ipse imperator concedat episcopatus personis idoneis ad preces summi Pontificis, vnde Leo Papa, vt habetur *dist. 63. c. Reatina*, scribit Lotario & Ludouico Augusto, ait: *Vestram mansuetudinem deprecamur, quatenus Colono humili diacono eandem ecclesiam ad regendum concedere dignemini, vt vestra licentia accepta ibidem Deo adiuuante consecrare valeamus episcopum, sin autem in prædicta ecclesia nolueritis, vt præficiatur episcopus, Tusculanam ecclesiam, quæ viduata existit, illi vestra seueritas dignetur concedere, vt consecratus à nostro præsulatu Deo omnipotenti vestroque imperio grates peragere valeat.* Ex quibus verbis habetur: quod imperator poterat concedere episcopatus personis idoneis, ergo & sibi potest competere ius eligendi summum Pontificem.

Item, illi potest compete ius eligendi summum Pontificem, cuius iussione potest fieri ordinatio summi Pontificis, sed iussione imperatoris potest fieri ordinatio summi Pontificis, quia ex *gestis Romanorum Pontificum*, vt legitur *distinction. 63. ca. Agatho*: *Agatho Papa accepit ab illo* (scilicet imperatore) *diualem* (id est regiam) *epistolam, secundum suam postulationem, per quam leuata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione summi Pontificis: sic tamen, vt si contingeret post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam vrbem secundum antiquam consuetudinem, vt cum eorum conscientia & iussione debeat ordinatio prosperari*, igitur imperatori potest competere ius eligendi summum Pontificem. *Discipulus.* In verbis præscriptis quoddam insinuatur mirabile, quod scilicet electio summi Pontificis debuit præsentari imperatori, antequam ordinaretur in summum Pontificem. Ex quo sequi videtur, quod electus in summum Pontificem per imperatorem debuit confirmari: quia electio aliqua nulli debet præsentari, nisi ad quem etiam pertinet eandem confirmare. Si igitur electio summi Pontificis imperatori debuit præsentari, eadem electio debuit confirmari ab eodem. *Magister.* Videtur, quod non semper ad eundem pertinet confirmare aliquam electionem, cui debet præsentari, vnde & nonnullis apparet, quod electio imperatoris debet nunc præsentari summo Pontifici, per quem tamen minime est confirmandus, præsentabatur etiam electio summi Pontificis imperatori, non vt imperator confirmaret eandem electionem, sed vt imperator examinaret eandem, qua examinata imperator consentiret eidem electioni, & mandaret vt omnes subiecti sibi haberent electum pro vero summo Pontifice, postquam esset ordinatus. Hoc Gratianus in supradicta *distinction. 63. §. principibus*, testari videtur, cum ait: *principibus vero ac imperatoribus electiones Romanorum Pontificum atque aliorum episcoporum referendas vsus atque constitutio tradidit pro schismaticorum atque hæreticorum discußionibus, quibus nonnunquam ecclesia Dei concussa periclitabatur, contra quos legibus fidelißimorum imperatorum frequenter ecclesia Dei munita legitur.* Repræsentabantur ergo electiones catholicorum principibus, vt eorum auctoritate roborata nullus hæreticorum vel schismaticorum auderet contraire: & vt ipsi principes tanquam deuotissimi filii in eum consentirent, quem sibi in patrem eligi viderent, vt ei in omnibus suffragatores existerent: sicut secundum quosdam modo repræsentatur electio imperatoris summo Pontifici, non vt Papa electionem confirmet, vel vt imperialem sibi conferat dignitatem, cum eoipso quod sit electus sit imperator verus: sed vt auctoritate Papæ electio imperatoris sic roborata, nullus clericorum, vel adhærentium Papæ, qui imperii dissipationem affectant, quorum (vt creditur) est his temporibus maxima multitudo, audeat contraire, & vt ipse Papa tanquam zelator imperii & boni communis consentiat in eum, & eidem in omnibus, maxime in coertione malorum, coadiutor existat. *Discipulus.* Pro assertione vel opinione prædicta nitere adhuc allegare. *Magister.* Videtur, quod prædicta assertio possit tali ratione probari, si imperatori non possit competere ius eligendi summum Pontificem, hoc erit, quia hoc aliquo iure irreuocabili, vel indispensabili exti-

tit

tit prohibitum. Sed cum in nullo iure prohibeatur imperatori eligere summum Pontificem, ita posset eligere sicut quicunque alius, sed nullo iure irreuocabili siue indispensabili prohibetur imperatori eligere summum Pontificem, igitur ius eligendi summum Pontificem potest sibi competere. Maior videtur clara, & minor probatur: quia si imperatori prohiberetur eligere summum Pontificem, aut prohiberetur iure diuino, aut naturali, aut iure humano, sed non prohibetur iure diuino: quia ius diuinum in scripturis diuinis habemus *distinction. octau. quo iure*, sed nunquam legitur in scripturis diuinis, quod imperator electioni summi Pontificis non debeat interesse, igitur hoc iure diuino minime prohibetur. *Discipulus.* Videtur quod hoc sit prohibitum iure diuino, saltem implicite. Nam solis ecclesiasticis viris, qui sunt successores Apostolorum, à iure diuino potestas eligendi prælatos inferiores summo Pontifici conceditur, ergo multo fortius à iure diuino huiusmodi potestas eligendi summum Pontificem solis viris ecclesiasticis est concessa, & per consequens nō potest imperatori competere. Antecedens probatur per hoc, quod solis Apostolis, qui erant ecclesiastici viri, concessa fuit potestas eligendi LXXII. discipulos, quorum officium gerunt inferiores prælati *distinction. 21. capit. in nouo*, ait: *videntes autem ipsi Apostoli messem esse multam, & operarios paucos, rogauerunt dominum messis, vt mitteret operarios in messem suam, vnde ab eis electi sunt 72. discipuli, quorum typum gerunt presbyteri: atque in eorum loco sunt constituti in ecclesia.* Si igitur soli Apostoli habebant potestatem eligendi successorem 72. discipulorum: soli successores Apostolorum habent potestatem eligendi successorem 72. discipulorum, quales sunt inferiores prælati, igitur ex iure diuino habetur, scilicet euangelico, quod soli viri ecclesiastici habent ius eligendi prælatos, & per consequens ex iure diuino concluditur, quod nec imperator, nec alius laicus potest habere ius eligendi summum Pontificem. *Magister.* Ad hoc respondetur: quod quamuis Christus voluerit, quod Apostoli rogarent ipsum, vt mitteret operarios scilicet 72. discipulos in messem suam, non tamen voluit vt soli successores Apostolorum in Apostolica dignitate haberent potestatem eligendi successores 72. discipulorum. Ex hoc enim sequerentur duæ absurditates, vna est, quod canonici ecclesiarum cathedralium non possent habere ius eligendi episcopos, quia illi non sunt successores Apostolorum. Alia est, quod diaconi cardinales & presbyteri non possunt habere ius eligendi summum Pontificem, cum non fuerint successores Apostolorum: quia qui non potest habere ius eligendi episcopos inferiores, non potest habere ius eligendi summum Pontificem.

Discipulus. Arguendo dixisti, quod iure diuino non prohibetur imperatori eligere summum Pontificem: nunc eandem argumentationem prosequaris. *Magister.* Iure etiam naturali videtur, quod imperator minime prohibeatur eligere summum Pontificem: quia hoc dictamini rationis naturalis minime videtur obuiare. Nec prohibetur iure humano irreuocabili siue indispensabili: quia omne ius humanum, quo prohibetur, est canonicum vel ciuile, sed vtrumque est reuocabile seu dispensabile, ergo nullo iure humano irreuocabili, seu indispensabili, prohibetur, quare ergo ius eligendi summum Pontificem potest imperatori competere.

CAP. IV.

Respondet rationibus capitulo secundo pro prima opinione adductis.

DIscipulus. Allegationes pro ista opinione secunda tam euidentes mihi videntur, vt non curem ad ipsas responsiones audire, & ideo dic, quomodo ad allegationes in contrarium respondetur. *Magister.* Ad primam earum dicitur: quod imperator & alii laici multorum iurium spiritualium sunt capaces.

Quia sunt capaces omnium illorum iurium spiritualium, quæ possunt alicui competere, non propter ordinationem quam habeat, nec propter aliquod diuinum officium cui mancipatus existat: sed propter communem vtilitatem ecclesiæ, hoc est congregationis fidelium, & ideo cum ius eligendi summum Pontificem non competat alicui ratione ordinis, nec ratione officii, cui habens ius eligendi sit mancipatus, sed propter communem ecclesiæ vtilitatem, vt scilicet ecclesia habeat caput, quod ipsam regat, ideo hoc ius potest cadere ad imperatorem & alios laicos. Quod enim plurium iurium spiritualium laici sunt capaces, vt etiam causas spirituales valeant terminare, hoc testatur Glossa *extra de iudiciis, c. decernimus*, dicens: *Papa vero ciuiles, criminales & spirituales causas potest laico delegare, octuages. octau. distincti. Honoratus decim. qu. tert. illud dec. quart. distin. verum, & 63. distinction. in synodo, & Adrianus, & 4. quæstion. 6. illud.* Igitur quod dicit Gloss. allegata ibidem, quod laici mere spiritualia possidere non possunt: si intelligat de iuribus mere spiritualibus, quæ nulli competere possunt, nisi ratione ordinis, vel diuini officii est aliquis deputatus, sicut est ius consecrandi ecclesias, ordinandi clericos, & celebrandi missas, & quæ huiusmodi sunt iura mere spiritualia, nec secundum iura diuina, nec secundum iura humana possunt laico competere, si autem intelligat, quod iuribus mere spiritualibus, quæ ideo dicuntur iura mere spiritualia, quia solum ad officium spirituale non seculare tantummodo & principaliter ordinantur, sic secundum constitutiones & consuetudines humanas, quæ iam ordinatæ sunt & de facto obseruantur, seculares iura mere spiritualia possidere non possunt: quæ tamen possiderent, si huiusmodi constitutiones & consuetudines humanæ essent reuocatæ, quæ ex causa rationabili reuocari possent: quemadmodum aliquando constitutiones contrariæ & consuetudines humanæ rationabiliter consetuabantur, & ideo

huiusmodi iurium laici sunt capaces absolute, quãuis non saluis constitutionibus & consuetudinib. humanis, quæ nunc seruantur. Ad secundũ dicitur, quod sicut aliqua secularia Papæ conuenire possunt, licet præsit in spiritualibus: sic aliqua iura spiritualia possunt cõpetere imperatori, licet præsit in temporalibus siue in secularibus, & ideo sicut iura potissime spiritualia, non potest habere imperator: huiusmodi autem ius spirituale potissime, non est ius eligendi summum Pontificem: sed huiusmodi ius potissime spirituale est illud ius, quod ratione ordinis competit ecclesiasticis viris: quale ius cadere non potest in laicum. Ad tertium dicitur, quod imperator inquantum imperator secularibus debet esse contentus, & hoc intendit Nicolaus Papa *distinction. decim. imperium.* Sed tamen imperator inquantum Christianus, Catholicus & Romanus, potest intromittere se in spiritualibus. Et ita licet non ratione imperatoriæ dignitatis, tamen inquantum Christianus & Romanus, potest imperator habere in eligendo summum Pontificem potestatem. Ad quartum dicitur, quod quia potestas secularis & ecclesiastica, sunt potestates distinctæ: ideo actus, qui competunt aliquibus ratione huiusmodi potestatum, sunt distincti, persona tamen habens potestatem, potest habere aliquem actum talem, qualem habet persona alia, habens aliam potestatem, alioquin Papa nec quicunque alius ecclesiasticus prælatus posset habere quemcunque actum iurisdictionis siue potestatis secularis, eligere aũt summum Pontificem non competit laico ratione potestatis secularis, & ideo qui habet potestatem secularem, potest etiam habere actum & ius eligendi summum Pontificem. Ad quintam respondetur dupliciter: vno modo, quod sicut membra diuersa in corpore humano habent quædam officia propria & quædam communia, motum enim sentire possunt omnia membra humana, percutere & portare & plura alia potest homo diuersis membris mediantibus. Alia autem sunt membrorum officia propria; sicut videre, audire, & huiusmodi, sic in corpore ecclesiæ sunt quædam officia communia clericis & laicis: & quædam propria clericis, quedam propria laicis, eligere autem prælatum (nisi per consuetudinem & constitutionem humanam aliter ordinetur) ad vtrosque, quia eius officium est commune clericis & laicis, spectat, & ideo licet eligere summum Pontificem competat clericis: nihilominus potest competere laicis. Aliter dicitur, quod non est omnino simile de membris in corpore humano, & de membris in corpore ecclesiæ, licet enim simile sit quantum ad multa, officia enim propria membrorum in corpore humano ex natura sibi competunt, ita vt vnũ membrorum defectum alterius (ex necessitate quacunque) complere non possit, sed membra in corpore ecclesiæ, quantum ad multa officia & quodammodo propria possunt mutuo defectus suos supplere, potest enim clericus supplere vicem & defectum secularium etiam quo ad illa, quæ sunt quodammodo secularibus propria, sicut potest per multa, quæ prius tacta sunt probari, sic etiam laici possunt in multis supplere defectum & negligentiam, ac etiam malitiam clericorum. Licet igitur quantumcunque corpus ecclesiæ esset optime dispositum, quantum permittit status vitæ præsentis, diuersa officia diuersis committi debent, quando tamen corpus ecclesiæ diuersos defectus in diuersis membris patitur, non est inconueniens, imo necessarium, quod vni diuersa committantur officia: & quod vnum membrum alterius fungatur officio, & ideo est, quod eligere summum Pontificem esset quodammodo proprium clericis, non est inconueniens, quod in casu summum Pontificem vel eligat solus imperator, vel cum aliis. Ad sextam dicitur, quod modo imperator & alii laici non possunt eligere prælatos ecclesiarum collegiatarum, quia hoc est per constitutiones humanas prohibitum, & ideo quando non fuerit prohibitum per constitutiones humanas, tunc poterunt archiepiscopos, episcopos & aliarum ecclesiarum collegiatarum prælatos eligere, omnes igitur canones dicentes, laicos non debere interesse electionibus prælatorum, & ius eligendi non cadit in aliquem laicum, loquuntur pro tempore, pro quo laicis prohibitum est eligere prælatos per constitutiones humanas. Et cum dicitur, quod laici ex nulla consuetudine possunt habere ius eligendi prælatos, quia, sicut allegatum est, talis consuetudo non est rationabilis, nec potest præscribi. Respondetur, talem consuetudinem non esse rationabilem nec posse præscribi, non est ex natura rei, sed ex constitutione humana, multa enim sunt inpræscriptibilia per solam consuetudinem humanam, talis enim consuetudo non est modo rationabilis, quia est contra iura, & modo non potest præscribi, quia hoc ius (ne scilicet præscribatur) est ordinatum per iura humana, quæ ex causa rationabili abrogari valerent, sic igitur licet de facto constitutum sit, ne imperator & alii laici non habeant ius eligendi summum Pontificem & alios prælatos: hoc tamen posset eis competere, si per constitutiones humanas irreuocabiles non esset prohibitum.

CAP. V.

Mouet incidentaliter quæstionem circa dicta capitulo præcedenti, scilicet vnde huiusmodi habeat imperator potestatem, scilicet eligendi summum Pontificem, ad quam respondetur dupliciter secundum duplicem intellectum quæsiti, & pro ratione ad secundum intellectum quæsiti adducuntur tres rationes, ad quas respondetur infra capitulo 7.

DIscipul. Si imperatori potest competere ius eligendi summum Pontificem: primo dic, quid sit secundum opinionem illam, vnde hoc habet. *Magister.* Dupliciter potest tota dubitatio intelligi, vno modo, vt sit capax potestatis siue iuris, alio modo, vt sit sensus, vnde habet hoc ius, scilicet eligẽdi

di summum pontificem. Si intelligitur primo modo, vnde habet imperator, quod sit capax huius potestatis siue iuris. Respondetur, quod talem capacitatem habet ex hoc ipso, quod est Christianus catholicus & discretus & Romanus, si enim esset imperator, & non esset Christianus, non esset capax huius iuris, quia nullus præterquam Christianus potest habere ius eligendi summum pontificem, illos enim, qui foris sunt, illa quæ religionis Christianæ sunt tractare non *decet*: hoc excepto, quod in casu necessitatis possit alius quam Christianus baptizare, si etiam esset imperator & Christianus: sed non catholicus, sed hæreticus, quamdiu talis existeret, potestatem seu ius eligendi summum pontificem non haberet, quia nullus hæreticus manens hæreticus est capax huius iuris. Si enim esset imperator Christianus & catholicus, sed non discretus, hoc est non habens vsum rationis, sed in furorem versus, quam diu talis existeret, non esset capax huiusmodi iuris vel potestatis, saltem vt posset in actum exire, quamuis enim si prius haberet huiusmodi potestatem, siue ius, & in furorem postea verteretur, non ex eo ipso huiusmodi potestatem vel ius amitteret: tamen si primo esset alienatus à sensu, sibi non deberet huiusmodi potestas siue ius conferri, nec etiam posset sibi conferre, sic vt possit stante alienatione actum potestatis huiusmodi exercere. Si autem interrogatio tua intelligitur secundo modo, à quo scilicet imperator habet vel habere potest huiusmodi potestatem siue ius. Respondetur dupliciter, vno modo, quod imperator huiusmodi potestatem seu ius potest habere à summo pontifice: quia summus pontifex ius eligendi papam posset concedere clerico vel clericis, laico vel laicis, prout sibi placuerit. Quod probatur tripliciter. Primo sic: quia qui est caput in spiritualibus omnium Christianorum, habet disponere & constituere à quo sit caput eligendum: præsertim cum Christus ordinauit specialiter & explicite, à quo debeat eligi idem caput, sed papa est caput omnium Christianorum, igitur ad ipsum pertinet ordinare, quis debeat eligere summum pontificem, & per consequens à solo papa potest habere imperator ius eligendi papam vel summum pontificem. Secundo sic: Qui potest summum pontificem sibi successorem ordinare, potest cui vult summum pontificem & eius successorem eligendi committere, & eius successor cui vult potest concedere ius eligendi successorem. Sed beatus Petrus ordinauit summum pontificem sibi successorem, scilicet beatum Clementem, igitur & successor eius potest concedere cui vult potestatem eligendi summum pontificem. Tertio sic: per sacros canones, quorum plures allegati sunt *c. 3. huius tertii*, papa concessit aliquando regibus aut aliis ius eligendi, & non illicite, ergo nullus potest habere ius eligendi summũ pontificem, nisi à papa. Aliter dicitur, quod imperator eo ipso, quod est Christianus catholicus discretus & Romanus, habet ius eligendi summum pontificem: nisi eidem iuri tacite vel expresse renunciet, vel electio summi pontificis, vel potestas & ius eligendi de consensu Romanorum alicui personæ vel personis determinatæ vel determinatis concessa extiterit, ita vt Romani non habeant à papa potestatem ius eligendi summum pontificem. Quod tali ratione probatur, Christus taliter ordinauit ecclesiam, vt ei in necessariis nequaquam non deficeret vel defecerit: vel vt nullus homo per suam negligentiam vel malitiam quocunque necessario priuare possit eandem. Sed inter alia necessaria ecclesiæ, non est minimum, vt sint aliqui, qui decedente summo pontifice ius habeant eligendi summum pontificem successurum, in hoc ergo Christus non defecit ecclesiæ: nec posuit in potestate cuiuslibet, vt possit per negligentiam suam aut malitiam hoc necessario ecclesiam Dei priuare, sed si nullus haberet ius eligendi summum pontificem, nisi à papa, posset papa per negligentiam suam vel malitiam priuare totam ecclesiam potestate vel iure eligendi summum pontificem, posset enim primo siue ex causa rationabili vel irrationabili priuare illos, qui non habent ius eligendi summum pontificem eodem iure, & antequam idem ius aliis cõcederet, posset præueniri morte, vel per negligentiam vel per malitiam, collationem eiusdem iuris vsque ad finem vitæ suæ differre, & ita penes nullos remaneret ius eligendi summum pontificem, quare hoc necesse est ecclesiæ, ne ipsa ecclesia per præuentionẽ mortis papę, vel per negligentiam aut malitiam priuata maneret, ita quod absque miraculo speciali posset ecclesia nec vniuersalis nec particularis papam habere. Ex quo infertur, quod ius eligendi summum pontificem non est à papa, & ideo ius habent eligendi Romani non à papa, sed eo ipso quod sunt Christiani & catholici.

Discip. Per rationem illam probatur, quod Romani non habent ius eligendi summum pontificem, quia si sic, per negligentiam aut malitiam possent Romani priuare totam ecclesiam iure eligendi summum põtificem, possent enim renunciare eidem iuri, absque hoc, quod ius eligendi summum pontificem aliis quibuscunq; concederẽt, igitur tunc remaneret ecclesia absq; iure eligendi summũ pontificem. Item, omnes Romani habentes ius eligendi summum pontificem, possent fieri hæretici vel se conuertere ad aliã sectam: quo facto ius eligendi papã amitterent, igitur tota ecclesia Dei remaneret sine iure & potestate eligendi summũ põtificem. Amplius, si Romani non habent ius eligendi summum pontificẽ à papa, quo iure habent ius eligendi summũ pontificẽ? aut diuino: aut humano nõ diuino, quia nõ legitur in scripturis diuinis, ꝙ Deus dederit eis tale ius, nec iure humano: quia ius humanum aut est ciuile aut canonicum, iura ciuilia sunt iura imperatorum & regũ, & iura canonica sunt iura summorum pontificum, igitur Romani haberent ius eligendi ab imperatoribus vel regibus, vel à summis pontificibus, sed non habent huiusmodi ius eligendi ab imperatoribus, ergo à solis summis pontificibus habent huiusmodi ius eligendi. Et ita eligendi ius est à solo papa. Ista sunt ꝓpter quæ apparet, quod opinio ista & allegata ratio pro ipsa probabilitatem habere nõ videntur: sed tamen narra quomodo respondetur ad ipsa.

Magister. Ad primum istorum respondetur, quod opinio illa non dicit, quod soli Romani in omni casu habeant ius eligendi summum pontificem. Ad cuius euidentiam dicitur esse sciendum: quod summus pontifex non solum est prælatus & episcopus Romanorum, sed etiam aliorum, & ideo in casu electio summi pontificis potest spectare ad quoscunque catholicos, quorum est prælatus & episcopus. Cum igitur dicitur, quod si Romani haberent ius eligendi summum pontificem, possent per negligentiam aut malitiam priuare totam ecclesiam Dei iure eligendi summum pontificem. Respondetur, quod hæc ratio concluderet, si nulli alii à Romanis in casu nullo haberent ius eligendi summum pontificem, nunc autem licet Romani, eo quod sunt Christiani & catholici, habent ius eligendi summum pontificem: tamen si renunciarent iuri illi, vel efficerentur hæretici, eo ipso alii catholici, quorum etiam papa est episcopus, & etiam prælatus, possent eligere summum pontificem. *Discipulus.* Si alii catholici habent ius eligendi summum pontificem, eo quod summus pontifex est episcopus & prælatus omnium catholicorum, quare non eligunt semper cum Romanis summum pontificem: cum omnes illi debeant prælatum eligere, qui habent ius eligendi? & quare plus eligunt Romani, quam alii, si ita habent alii ius sicut Romani? *Mag.* Id quod quæris, secundum istam opinionem aperit viam respondendi, ad secundum, quod quæris, ideo secundum opinionem illam recitabo, qualiter respondetur ad secundum, ad quod dicitur, quod summus pontifex est quodammodo proprius episcopus Romanorum, in quantum videlicet Romani non habent alium in episcopum, & alii omnes præter ipsos habent proprios episcopos, & ideo rationabiliter ad solos Romanos pertinet summi pontificis electio, quando sunt catholici, quia tamen eo ipso, quod quis est episcopus Romanorum, est episcopus omnium Christianorum: & ideo alii, licet pro casu aliquo habent ius eligendi, non tamen cum Romanis, quia licet semper habeant ius eligendi summum pontificem, non tamen ius eligendi habent, nisi pro casu, quando electio non spectaret ad Romanos. *Discip.* Hoc videtur falsum: imo videtur ita facile ad alios pertinere, sicut ad Romanos: cum summus pontifex æque bene sit prælatus immediatus aliorum, sicut Romanorum. *Mag.* Ad hoc respondetur, quod secundum rectam rationem electio præficiendi semper debet concedi (si fieri potest) paucis, qui faciliter possunt conuenire, ne si concederetur multis, qui non possent faciliter conuenire propter difficultatem conueniendi, differretur electio in notabile detrimentum boni communis, & eorum quibus est rex præficiendus. Quia igitur Romani respectu aliorum catholicorum sunt pauci: & summus pontifex nihilominus (sicut dictum est) est quodammodo proprius episcopus eorum, quia non habent alium episcopum, sicut alii catholici: ideo rationabiliter alii catholici non habent ius eligendi summum pontificem, nisi quando electio non spectaret ad Romanos, quando Romani vel ex renunciatione iuris, vel apostasia, vel hæretica prauitate, carerent iure eligendi. Per hoc patet responsio ad id quod quæsisti, nam ideo catholici non eligunt semper cum Romanis, quia licet habeant ius eligendi, non tamen habent ius eligendi pro omni casu: sed solummodo pro casu, quando ius eligendi ad Romanos minime pertineret. Ex his concluditur, quod Romani si possint cedere iuri eligendi summum pontificem, siue omnes efficerentur hæretici, siue à fide apostatæ, non possunt priuare ecclesiam iure eligendi summum pontificem, quin in tali casu haberent alii catholici ius eligendi summum pontificem.

CAP. VI.

Respondet tertiæ obiectioni capituli præcedentis, vbi etiam notatur, quod triplex est ius naturale, & quomodo omne ius naturale potest vocari diuinum.

DIscipulus. Dic qualiter respondetur ad illud, quod accepi, quod Romani nec iure diuino, nec iure humano habent ius eligendi summum pontificem.

Mag. Ad hoc respondetur, quod extendendo ius diuinum ad omne ius naturale, Romani ex iure diuino habent ius eligendi summum pontificem.

Disc. Ista responsio obscura mihi videtur, ideo secundum istam opinionem cupio declarari, primo autem declara secundum eam, quare dicitur extendendo ius diuinum ad omne ius naturale: secundo quare omne ius naturale potest vocari ius diuinum.

Mag. Primum distinguitur propter tres modos iuris naturalis. Vno enim modo dicitur ius naturale illud, quod est conforme rationi naturali, quæ in nullo casu fallit, sicut est, *non mœchaberis, non mentieris, & huiusmodi.* Aliter ius naturale est, quod seruandum est ab illis, qui sola æquitate naturali absque omni consuetudine vel constitutione humana vtuntur, quod ideo est naturale, quia est contra statum naturæ institutæ, & si omnes homines viuerent secundum rationem naturalem aut legem diuinam, non esset faciendum nec seruandum, secundo modo, & non primo, ex iure naturali omnia sunt communia: quia in statu naturæ institutæ omnia fuissent communia, & si post lapsum omnes homines secundum rationem viuerent, omnia deberent esse communia, nihil proprium, proprietas enim propter iniquitatem inducta est *12. q. 1. cap. dilectissimis*, isto modo loquitur Isidorus *5. libro Ethimolo.* & ponitur in decretis, *di. 1. ius naturale*, cum dicit, quod secundum ius naturale est communis omnis omnium possessio & omnium vna libertas, non enim communis omnium possessio, & omnium vna libertas est de iure naturali primo modo dicto, tunc enim nullus posset licite sibi aliquid appropriare, nec aliquo iure gentiū & ciuili posset aliquis fieri seruus, quia ius naturale est immutabile

primo

primo modo & inuariabile, ac indispensabile, *dist. 5. §. nunc autem, & dist. 6. §. his itaque respondetur*. Constat itaque, quod aliqui iure gentium licite sunt serui, teste beato Gregorio, qui, vt inquit *12. q. & c. cum redemptor*, ait: *salubriter agitur si homines quos ab initio natura liberos protulit & ius gentium iugo substituit seruitutis, vt in ea natura, in qua nati fuerãt, manumittentis beneficio libertati reddantur*. Ex quibus verbis colligitur, ꝙ iure naturali omnes homines sunt liberi, & tamen aliqui iure gentium sunt serui. Ex quo concluditur, ꝙ ius naturale illo modo accepto vocabulo non est immutabile: Imo bene licet contra statuere, vt iuri fiat contrarium. Tertio modo dicitur ius naturale illud, quod ex iure gentium vel aliquo facto humano euidenti ratione colligitur, nisi de consensu illorum, quorum interest, statuatur contrarium, quod potest vocari ius naturale ex suppositione, sicut secundum Isidorum vbi supra. Ius naturale est de potestate rei, vt commodatæ pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. Ista enim non sunt iura naturalia primo modo, nec secundo: quia nec fuissent in statu naturæ institutæ, nec essent inter illos, qui secundum rationem viuentes sola æquitate naturali absque consuetudine, & constitutione humana essent contenti, quia inter illos nulla res esset deposita vel commodata, nec aliquis alteri vim inferret, igitur sunt iura naturalia ex suppositione, quia supposito quod res & pecuniæ sunt appropriatæ iure gentiũ, vel aliquo iure humano, euidẽti ratione colligitur, ꝙ res deposita & pecunia commodata debet restitui, nisi ex causa per illum vel per illos, cuius vel quorum interest, contrarium ordinaretur. Similiter supposito, quod aliquis violentiam de facto iniuriose inferat alii, quod non est de iure naturali, sed contra ius naturale, euidenti ratione colligitur, quod licet per vim violentiam talem repellere. Propter istos itaque tres modos iuris naturalis, dicunt isti, quod Romani ex iure diuino habent ius eligendi summum pontificem, extendendo ius diuinum ad omne ius naturale, qua si solummodo extenderetur ad ius naturale primo modo dictum, qualiter accipitur ius naturale *dist. 5. §. 1. & dist. 6. §. his itaque respondetur*, quod ex solo iure diuino eligendi ius summum pontificem non habent.

Discipul. Quia istam distinctionem iuris naturalis alias non audiui, volo obiicere contra eam, vt ex solutione obiectionum secundum opinionem istam magis intelligam, an contineat aliquid veritatis. Videtur itaque ista distinctio verbis Isidori in præallegato capitulo *ius naturale* apertissime obuiare. Tum quia dicit Isidorus: *ius naturale est commune omnium nationum, eo quod vbicunq; in statu naturæ nõ constituta aliqua habentur*. Ista non possunt competere secundo membro huius prædictæ distinctionis: quia illa quorum contraria possunt esse licita secundum ius gentium, non sunt communia omnium nationum, nec vbicunque habentur in statu naturæ, quia non habentur ibi, vbi contraria secundum ius gentium obseruantur. Tum, quia ibidem dicit Isidorus: *hoc autem si quid huic simile est, iniustum nunquam, sed naturale æquumque habetur*, hoc neque de secundo membro, neque de tertio potest veritatem habere, omne enim illud, quod dicitur ius naturale secundo modo, potest esse iniustum, ex quo contrarium potest esse de iure gentium, quod enim iuri gentium est contrarium, censendum est iniustum. Illud etiam, quod dicitur naturale tertio modo, potest esse iniustum, ex quo contrarium potest esse de legẽ naturæ secundo modo dicto, cum de iure naturali illo modo dicto sit, quod nulla pecunia commodetur, nulla res deponatur: quia secundum ius naturale sic accepto vocabulo, illa omnia sunt communia, & ita secundum illud ius nulla pecunia potest commodari, nec aliqua res deponi. Ista sunt, quæ mouent me contra distinctionem prædictam: ideo dic qualiter respondetur ad ipsa.

Magist. Ad ista duo respondetur, vno modo quod quædam verba in prædicto modo capiendi ius naturale intelligi debent solummodo de iure naturali primo modo dicto, & quædam de aliis, ideo verba quæ obiicis de iure naturali primo modo dicto debent intelligi, & sic contra prædicta non videntur concludere. Aliter dicitur, quod illa verba quæ obiiciendo accipis de omni iure naturali intelliguntur: & sane debent intelligi. Cum igitur dicit Isidorus: *Ius naturale est commune omnium nationum*, cum omnes nationes indispensabiliter obligantur ad ipsum, & ideo in statu naturæ hoc est ius rationis, quæ nunquam fallit, habetur autem ius secundo modo dictum ius naturale, quod sic est commune omnium nationum, quod omnes nationes, nisi ex causa rationabili ordinetur contrarium, tenentur ad ipsum, & ideo est ex statu naturæ, hoc est rationis naturalis, antequam contrarium statuatur per ordinationem humanam, ideo enim dicebatur, quod omnia sunt communia, antequam de consensu hominum appropriarentur. Ius vero naturale tertio modo dictum est commune omnium nationum ex suppositione, si scilicet omnes nationes statuerunt vel fecerunt illud, quo ius illo modo dictum euidenti ratione colligitur, & ideo in statu naturæ, hoc est naturalis rationis, habetur, illo supposito ex quo tali modo intelligitur. Consimiliter dicitur de illis verbis, quæ secundo allegas: *hoc autem & si quid simile* &c. quod possunt de secundo membro intelligi naturale æquum, quia habetur, nisi contrarium aliquo iure humano ex causa rationabili constituatur. Ius etiam naturale tertio modo dictum aliquo modo nunquam est iniustum, sed semper vt naturale & æquum, vt habetur illo supposito: ex quo euidenti ratione colligitur, nunquam iniustum sed semper naturale æquum est, quia habetur ibi per illum vel illos, cuius vel quorum interest ordinare contrarium.

Discipulus. Videtur quod ista sint inconuenienter dicta, quia secundum ista illud verbum semel positum in verbis præmissis Isidori accipitur æquiuoce. *Magister.* Hoc non reputatur inconueniens, quia hoc notat Glossa *distinctio. 63. c. nosse*, dicens: *nota verbum semel positum hic æquiuoce ponitur: Sic 28. dist. presbyterum*. *Discipulus.* Declarasti secundum opinionem præscriptam: qua-

quare dicit Romanos habere ius eligendi summum pontificem ex iure diuino, extendendo ius diuinum ad omne ius naturale: Nunc dic secundum eandem, quare dicit omne ius naturale vocari diuinum. *Magist.* Hoc ideo dicunt: quia omne ius, quod est à Deo, qui est conditor naturæ, potest vocari ius diuinum, omne autem ius naturale est à Deo, qui est conditor naturæ, igitur &c. Tum quia omne ius, quod explicite continetur in scripturis diuinis, potest vocari diuinum ius, quia diuinum ius in scripturis diuinis continetur, vt habetur *dist. 8. c. quo iure*, omne autem ius naturale in scripturis diuinis explicite vel implicite continetur, quia in scripturis diuinis sunt quædam regulæ generales, ex quibus solis vel cum aliis colligi potest, quod omne ius naturale primo modo, secundo modo, & tertio modo dictum, licet in eis non inueniatur explicite, sit ius diuinum.

Discip. Declarasti secundum opinionem præscriptam duo quæ videbantur obscura: nunc dic qualiter secundum eandem rationem ex iure diuino habent ius eligendi summum pontificem. *Mag.* Ad hoc dicitur, quod Romani ex iure naturali tertio modo dicto habent ius eligendi summum pontificem, supposito enim, quod aliquibus sit aliquis prælatus vel princeps vel rector præficiendus, euidenti ratione colligitur, quod si per illum vel per illos cuius vel quorum interest, non ordinetur, illi quibus est præficiendus habent ius eligendi, & præficiendi eis, vnde nullus dari debet ipsis inuitis, hoc multis exemplis & rationibus posset probari: sed adducam paucas Et prima est ad hoc, quod vniuersitati mortalium nullus præfici debet, nisi per electionem & consensum eorum. Amplius: quod omnes tangit, debet tractari per omnes, quod autem debeat aliquis præfici aliis, omnes tangit, igitur per omnes tractari debet. Rursus, quorum est sibi facere iura, illorum est, si voluerint, eligere caput. Sed populus quicunque & ciuitas potest sibi proprium ius facere, quod ciuile vocatur, *distinct. 1. ius ciuile.* Igitur & populus & ciuitas potest sibi proprium ius facere & caput eligere, & ita semper spectant ad illos, quibus est aliquis præficiendus, præficiendum eligere, nisi per illum vel illos, cuius vel quorum interest contrarium ordinetur. Quod ideo dicitur, quia illi possunt saltem in multis casibus cedere iuri suo, & transferre ius suum in alium vel alios, per quem modum licet populus ex iure naturali tertio modo dicto, vel secundo modo, habet ius condendi leges, illam tamen potestatem transtulit in imperatorem, & ita in potestate imperatoris fuit transferre in aliquem vel aliquos ius eligendi. Similiter illi, quibus est aliquis præficiendus, sunt in huiusmodi subiecti alicui superiori, ille superior potest ordinare, quod illi non habent ius eligendi, licet habeant ius eligendi ex iure naturali secundo modo dicto, si scilicet nec per ipsos, nec per superiorem esset contrarium ordinatum, & ita videtur istis, quod propositio præaccepta est euidens reputanda. Sed summus pontifex est specialiter quodammodo præficiendus Romanis: quia non habent episcopum alium. Igitur ipsi ex iure naturali tertio modo dicto, id est ex iure naturali ex suppositione, ex hoc scilicet supposito quod debent habere episcopum, habent ius eligendi ipsum, nisi per ipsos Romanos vel alium superiorem Romanis, qui habeat in huiusmodi potestatem, statuatur contrarium vel ordinetur. Ipsi enim Romani potuerunt cedere iuri suo, vel transferre ius eligendi summum pontificem in alium vel alios, poterant etiam transferre ius constituendi electores summi pontificis. Superior etiam Romanis, qui in huiusmodi habuerit potestatem, potest concedere ius eligendi aliis quam Romanis, sed ille superior fuit Christus, & non papa. Et ideo Christus & non papa poterat priuare Romanos iure eligendi summum pontificem, sed Christus non priuauit Romanos iure eligendi summum pontificem, quando enim Christus præfecit beatum Petrum omnibus Christianis dans sibi potestatem, vt vbi vellet sedem eligere, ita vt ibi esset quodammodo proprius illorum episcopus, non priuauit eos iure illo, quod omnibus competit, quibus est aliqua præficiendi potestas, siue secularis, siue ecclesiastica, nisi per illos quibus est præficienda potestas secularis, vel ecclesiastica, vel per superiorem contrarium ordinetur, igitur cum beatus Petrus elegerit sedem Romæ, sequitur quod Romani habent ius eligendi successorem beati Petri, qui eis præficiendus est in spiritualibus, & ita Romani ex iure diuino extendendo ius diuinum ad quodcunque ius naturale, habent ius eligendi summum pontificem.

Discipul. Videtur secundum istam opinionem, quod melius diceretur, quod ex iure gentium Romani habent ius eligendi suum episcopum, quia hoc est de iure gentium, quod omnes, quibus est aliquis præficiendus, habeant ius eligendi præficiendum, nisi cedant iuri suo, vel superior eis ordinet contrarium. *Magist.* Quamuis multa, quæ spectat ad ius gentium, sunt iura naturalia tertio modo dicto iure naturali, tamen secundum istam opinionem magis proprie dicitur, quod Romani habeant ius eligendi episcopum suum ex iure naturali tertio modo dicto, quam ex iure gentium: pro eo, quod ad ius gentium non spectat habere episcopum catholicum, sed hoc spectat ad ius diuinum præficiendi & etiam eligendi ab illis, quibus est præficiendus, licet ad ius gentium spectat: spectat nihilominus ad ius diuinum pro eo quod concludi potest ex illis, quæ in scripturis sacris habentur vna cum aliis, & illa duo supposita, ex quibus colligitur, quod Romani habent ius eligendi episcopum suum, spectat ad ius diuinum, quamuis diuersimode, vnum autem solum spectat ad ius gentium, & propter hoc magis proprie dicitur, quod Romani habent ius eligendi episcopum suum à iure diuino, siue ex iure naturali tertio modo dicto, quam ex iure gentium. Isti tamen, qui de verbis non curant contendere, dicunt quod sufficit eis, quod Romani habeant ius eligendi episcopum suum ex hoc ipso, quod debent habere episcopum: & quod illi, quibus est præficiendus aliquis, ab illis debet eligi, nisi cedant iuri suo, vel per superiorem contrarium ordinetur.

netur. Vtrum tamen debeat dici proprie loquendo, quod Romani habent ius eligendi ex iure diuino, vel ex naturali tertio modo dicto, vel potius simul ex iure diuino, & iure gentium, magnam vim non faciunt. Apparet tamen nonnullis, quod magis proprie dicitur, quod habeant ius eligendi simul ex iure diuino & ex iure gentium. Et ideo cum quaeritur an habeant ius eligendi ex iure diuino, vel humano, dicunt, quod nec ex solo iure diuino, nec humano, sed vtroque simul, extendendo ius humanum ad ius gentium, & non solum ciuile, siue canonicum.

Cap. VII.

Respondet tribus rationibus adductis pro responsione ad secundum intellectum quaesiti, data supra capitulo quinto.

DIscipulus. Ista opinione diffuse aliquantulum declarata videamus qualiter secundum eam ad allegationes in contrarium inductas *superius 5. ca.* respondetur. *Magister.* Ad primum respondetur: quod quo ad ea, in quibus sufficienter & vtiliter iure diuino & iure naturali catholicis est prouisum, non habet papa potestatem aliquam immutandi in praeiudicium quorumcunque catholicorum & in detrimentum, seu periculum boni communis, & ideo caput in spiritualibus omnium Christianorum non habet plenam potestatem ordinandi & statuendi, in quibus debet eligi caput, cum ius eligendi ex iure diuino & naturali competat Romanis, praesertim cum si haberent plenam potestatem, hoc posset redundare in detrimentum & periculum boni communis, sicut ostensum est prius.

Discipulus. Quare dicunt isti, quod papa non habet in hoc plenam potestatem, cum secundum eos nullam habet potestatem in hoc, ex quo Romani habent ius eligendi ex iure diuino? *Magister.* Non dicunt, quod papa in nullo casu habeat potestatem quo ad hoc: imo volunt etiam, quod papa ex ordinatione Christi & ex potestate collata sibi à Christo, in aliquo casu habeat potestatem ordinandi illos, qui debeant eligere suum successorem. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod Christus sufficienter prouidit ecclesiae suae in omnibus necessariis, ideo committendo ecclesiam suam beato Petro, dedit beato Petro & successoribus eius plenitudinem potestatis in spiritualibus, quo ad omnia necessaria ecclesiae suae saluo iure aliorum, quando debite volunt & possunt vti iure suo: ita vt papa in omnibus necessariis spiritualibus possit supplere defectum illorum, qui nolunt vel non possunt vti iure suo, & ideo quia ex iure diuino Romani habent ius eligendi episcopum suum, papa non habet potestatem ordinandi de electione eadem in praeiudicium Romanorum, quando Romani vellent & possent ad bonum commune vti iure eodem. Similiter quia in casu catholici alii habent ius eligendi summum pontificem: ideo papa non habet potestatem ordinandi de eadem electione, quando in tali casu alii catholici vellent optime & opportune vti eodem iure, sed si Romani & alii catholici nollent aut non possent vti iure eodem, tunc papa non habet potestatem ordinandi de electione successoris sui. *Discip.* Quare isti dicunt, quod papa habet in huiusmodi plenitudinem potestatis quo ad necessaria: & non dicunt absolute, quod habet plenitudinem potestatis in omnibus. *Magist.* Hoc dicunt, quia ipsi putant, quod Christus dedit legem tam perfectae libertatis, quod reuocatis ceremonialibus veteris legis papa super Christianos nullam habet potestatem, nisi quo ad illa, quae praecepta sunt vel prohibita à Deo: & quo ad illa quae de necessitate sunt facienda, vnde quod aliquis faciat aliquid, quod est supererogationis, nulli potest praecipere nisi in casu, quando esset de necessitate faciendum, & tunc non debet reputari supererogationis, sed necessariũ: sicut propter culpam posset alicui praecipere ieiunare in pane & aqua, vel intrare monasterium, vel aliquid huiusmodi, sed in tali casu non esset illi supererogationis, sed necessarium, quia impletio debitae promissionis est inter necessaria computanda. *Discipulus.* Quid dicunt, ad quod accepi, quod Christus non ordinauit explicite, à quo debeat eligi caput Christianorum, igitur hoc relinquitur papae? *Mag.* Dicitur quod Christus de hoc nihil ordinauit specialiter & explicite, ideo voluit, quod quo ad hoc cuilibet conseruarentur iura sua, si ex iure gentium, quo scilicet gentes rationabiliter vtuntur, habent, & ideo quo ad hoc nullam potestatem commisit papae in praeiudicium Romanorum. *Disc.* Dic qualiter respondetur ad secundam allegationem adductam superius *eodem capitulo quinto.* *Mag.* Respondetur, quod gesta sanctorum non semper ad communia sunt trahenda, & ideo saepe ex illis, quid debeat fieri de huiusmodi lege probari non potest: licet frequenter ex eis quid in casu valeat fieri possit ostendi. Ex hoc igitur, quod beatus Petrus sibi successorem instituit, quid papa valeat facere ex ordinatione speciali Christi probare nequit: ex hoc tamen elici posset, quid papa posset, qui esset talis in omnibus, qualis fuit beatus Petrus. Hoc autem dicit Gratianus, vt habetur *dist. 8. q. 1. his omnibus.* Illud autem beati Petri, quod scilicet dignitatem pontificalem tradidit beato Clementi, ab illis valet in argumentum assumi, quid tales sustinuerunt, qualem sibi beatus Petrus successorem quae fruit. *Disc.* Si papa habet potestatem eandem, quam habuit beatus Petrus: quare non potest sibi substituere successorem, sicut beatus Petrus substituit? *Mag.* Ad hoc respondet Glo. dupliciter, vno modo, vbi prius, super verbo *beatus*, vbi quaerit: *nunquid papa adhuc posset facere sibi successorem?* & respondet dicens, *non: quia hoc esset immutare statum ecclesiae, vt patet 25. q. 1. quae ad perpetuam, & quia statutum facit in illud tempus, quo non est futurus iudex.*

Discipulus. Nunquid ista in nullo placent aliis? *Magister.* Dicitur quod non: scilicet quia

quia neutra ratio responsionis valet, vt videtur eis, prima non: quia papa potest immutare statutum ecclesiæ, quo ad ea super quæ habet potestatem à Christo. Sicut enim rex potest iubere aliquid, quod neque ante ipsum quisquam, nec ipse vnquam iusserat, *8. distinct. quæ contra*: ita etiam papa aliquid noui potest iubere, & multa quæ consueuerunt fieri ex causa rationabili reuocare. Secunda etiam ratio non placet eis, quia per illam rationem probatur, quod nullus episcopus etiam de licentia papæ posset sibi eligere successorem, cuius contrarium habetur *7. q. 1. petisti*. *Discip.* Dic aliam responsionem. *Magister.* Aliter respondetur: quod si beatus Petrus fecit sibi successorem ex speciali reuelatione vel inspiratione Christi, hoc fecit de voluntate & consensu Romanorum catholicorum, qui habebant ius eligendi. *Discipul.* Vtrumque istorum ex quo non habetur per scripturas, ea facilitate contemnitur, quam probari nititur. *Mag.* Dicitur, quod alterum istorum fuisse, patenti ratione conuincitur, & ideo non vtrumque debet contemni. *Discipulus.* Dic quomodo respondetur ad tertiam allegationem *capitulo quinto* adductam. *Mag.* Ad hoc respondetur, quod quamuis ius eligendi Romanum episcopum habuerunt Romani ex iure naturali tertio modo dicto: istud tamen ius & potestatem instituendi electores poterant in alium, vel in alios multipliciter transferre: quemadmodum canonici omnes ecclesiarum cathedralium habent ius eligendi episcopum, & tamen possunt alteri id concedere, quia variis modis possunt concedere potestatem illam vni vel duobus, aut pluribus de seipsis: possunt etiam concedere potestatem eligendi *extra de electione, causamque*. Romani igitur potestatem instituendi electores poterant concedere summo pontifici: poterant etiam ius eligendi concedere aliquibus paucis de seipsis. Summus etiam pontifex, sicut dictum est prius, in casu habet potestatem ordinandi de electione successoris, ipse etiam papa quamuis vocem in electione papæ habere non possit, in quantum tamen Romanus est, potest simul cum aliis Romanis tractare & ordinare, quibus committi debeat ius eligendi: qui etiam in quantum catholicus in concilio generali, quod gerit vicem omnium Christianorum catholicorum, potest cum Romanis & aliis catholicis tractare & ordinare, quibus vel cui sit potestas eligendi summum pontificem: non obstante, quod ius eligendi pertinuerit ad Romanos. Concedendum est igitur, quod papa concessit aliquando quibusdam regibus ius eligendi summum pontificem, vel aliquando aliis: sed hoc non fecit, quod ipse solus semper habuit potestatem huiusmodi ius concedendi: sed quia Romani, vel in eum solum, vel in eum & alios simul, qui gesserunt vicem Romanorum, & aliis transtulerunt illud ius eligendi. Vnde etiam Adrianus papa, sicut habetur *distinct. 63. c. Adrianus*, non solus, sed ipse & Synodus celebrata Romæ, in qua plures fuere Romani, tradiderunt Carolo regi Francorum ius & potestatem eligendi summum pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem. Leo etiam papa, vt habetur *dist. 7. c. in Synodo*, non solus, sed cum toto clero & populo Romano concessit Ottoni primo regi Theutonicorum summæ sedis Apostolicæ pontificem ordinandi, & ita Romani tali concessione concesserunt: quod facere potuerunt, sicut dictum est prius. Et ideo licet imperator ex eo, quod est catholicus & Romanus, habuit potestatem & ius eligendi cum Romanis aliis: tamen quod solus habuit ius eligendi absque aliis Romanis, hoc aliquando habuit à papa & aliis Romanis, quia etiam posset habere à solo papa, si Romani transtulerunt ius suum in papam, vel etiam si Romani in ordinando de electione summi pontificis inuenirentur in detrimentum ecclesiæ negligentes, & satis probabile est, quod Romani tale ius & potestatem transtulerunt in papam, & ideo ex tunc potuit papa solus cōcedere ius eligendi summum pontificem, vel imperatoribus, vel vicinis episcopis, vel Cardinalibus, vel Romano clero, vel Canonicis alicuius ecclesiæ Romanæ, vel aliis, prout vidisset vtilitati ecclesiæ conuenire. *Discip.* Si Romani ex iure diuino habent ius eligendi Romanum episcopum: quomodo possunt transferre ius in papam, cum nulli liceat venire contra ius diuinum? *Mag.* Respondetur, quod contra illud, quod est sic de iure diuino, quod explicite prohibetur vel præcipitur in iure diuino, vel ex solis contentis explicite in iure diuino colligitur, nulli licet venire, sed contra illud quod est de iure diuino, quod colligitur ex aliquo contento in iure diuino implicite, & ex iure naturali secundo modo dicto, licet venire ex causa rationabili, sicut etiam ex causa rationabili licet venire contra ius naturale secundo modo dictum: quia quamuis testantibus sanctis patribus de iure naturæ omnia sunt communia, tamen licet res temporales appropriare. Isto modo Romani habent secundo modo ius eligendi Romanum episcopum, & non primo modo, ideo licet eis ex causa contra hoc ius venire.

Cap. VIII.

Quæris, in quibus casibus potestas eligendi summum pontificem reuertatur ad Romanos, & respondetur tantummodo in vnico casu, quæ responsio probatur infra, c. 9. & hoc secundum vnam opinionem, aliæ opiniones ponentur infra c. 14.

DIscip. Quia res de facili ad naturam suam reuertuntur, interrogare decreui, si Romani potestatem ordinandi de electoribus Romani episcopi in summum pontificem transtulerunt, an in aliquo casu, & in quo ius eligendi & potestas ordinandi de electoribus papę secundum istam opinionem reuertatur ad Romanos.

Mag. Ad hoc diuersimode respondetur, vno modo dicitur, ꝙ solum modo in vno casu ius eligendi & potestas ordinandi de electoribus reuertitur ad Romanos: puta si papa & electores oēs infecti fuerint

fuerint hæretica prauitate. vnde si Papa & omnes cardinales efficerentur hæretici,& Romani remanerent catholici, de fide & bono communi, inquantum spectaret ad ipsum, curam competentem habentes,eo ipso Romani haberent ius eligendi & etiam potestatem de electoribus ordinandi, si, quando imperator solus habuerit ius eligendi Papa & etiam imperator fuissent facti hæretici,Romani eo ipso recuperassent ius eligendi & potestatem de electorib. ordinandi. DIS. Istam opinionem volo quod aliquantulum tractemus diffuse. ideo antequam alleges pro ipsa,vt magis addiscam, an aliquid veritatis contineat, opto vt aliqua circa ipsam declares.primo igitur dic, quare innuit opinio ista,quod ius eligendi non reuertitur ad Romanos, nisi Papa efficeretur hæreticus. videtur,quod si soli cardinales vel alii electores,si alii essent, efficerentur hæretici , reuerteretur ius eligendi ad Romanos,quia eo ipso,quod Cardinales,vel alii electores, efficerētur hæretici, essent priuati iure eligendi. Sed eo ipso, quod aliqui priuantur electione siue potestate eligendi, ius eligendi deuoluitur ad alios ; ad quos spectat de iure. ergo non oportet,quod Papa efficiatur hæreticus ad hoc, quod ius eligendi reuertatur ad Romanos. MAG. Ista opinio intelligit, quod Papa superstite ius eligendi non reuertitur ad Romanos,quamuis cardinales vel alii electores, si essent alii, sicut aliquādo fuerunt alii, efficerentur hæretici, nisi etiam Papa efficeretur hæreticus. quia licet cardinales eo ipso,quod efficerentur hæretici, essent priuati iure eligendi: tamen Papa catholicus superstes non esset propter hoc priuandus potestate ordinandi de electoribus.Sed si Papa esset mortuus, eo ipso quod cardinales efficerentur hæretici, ius eligendi illa vice reuerteretur ad Romanos. DIS. Quare dicitur, quod ius eligendi illa vice reuertitur ad Romanos? MAG.Ideo dicitur,quia postquam post mortem Papæ vel etiam post infectionem Papæ hæretica prauitate, eligendus esset Papa catholicus,qui etiam haberet potestatem ordinandi de electoribus, sicut & alii prædecessores sui, posito quod Romani transtulerint ius & potestatem suam in Papam ratione officii & non ratione personæ.

DIS. Quare dicit ista opinio, quod in isto casu reuerteretur non solum ius eligendi, sed etiam potestas ordinandi de electoribus? MAGIST. Hoc dicitur, quia sæpe aliqua multitudo habet ius eligendi, & tamen non expedit, quod omnes eligant: quia multi mouerentur, malo zelo, & sæpe non possent in personam idoneam conuenire. aliquotiens etiam non possent in vnum locum congruum conuenire. & ideo expedit,quod ordinent,qui debeant eligere, committendo vni personæ vel personis paucis respectu totius multitudinis distinctis,& zelum fidei ac boni communis habentibus ius eligendi. propter hoc enim ab antiquo electiones prælatorum concessæ fuerunt clericis, quia licet omnes clerici & laici habuerunt ius eligendi: de consensu tamen laicorum propter hoc,quod clerici erant sapientiores & sanctiores laicis,ordinatum fuit, quod ipsi soli haberent ius eligendi. & ideo quando laici essent discretiores & meliores clericis, ius eligendi deberet auferri à clericis, & dari laicis,quia illa quæ spectant ad bonum commune, & non competunt aliquibus ratione ordinis aut officii diuini, cui mancipati existunt, per sapientiores & meliores & per quos potest bonum commune melius prosperari,sunt tractanda. & ista fuit causa,quare plures Romani pontifices,in quantum Romani,vna cum aliis Romanis,quibusdam imperatoribus, licet essent laici, dederunt ius eligendi summum pontificem. DISCIP. Quare dicit ista opinio, quod in casu prædicto ius eligendi reuerteretur ad Romanos, si Romani remanerent catholici. MAG. Hoc dicunt,quia si Romani cum Papa & electoribus efficerentur hæretici, vel de electione summi pontificis,ex qua pendet bonum commune Christianitatis, essent in detrimentum Christianæ religionis negligentes vel desides, ius eligendi non reuerteretur ad Romanos. DIS. Ad quos reuertetur vel deuoluetur? MAG. Dicitur quod deuoluetur ad alios Christianos catholicos debite de electione facienda sollicitos. DIS. Hoc videtur irrationabiliter dictum: quia alii catholici sunt in tanta multitudine, quod non possent in aliquem vnum locum conuenire ad tractandum de electione futuri pontificis. MAG. Respondetur, quod in tali casu prouinciæ vel diœceses aut multitudines & quæcunque personæ diligentiam, quam deberent, minime adhibentes ad eligendum summum pontificem, eo ipso essent iure eligendi & potestate de electione facienda ordinandi priuatæ,& ius eligendi deuolueretur ad alios: ita quod si vnus solus clericus vel laicus remaneret, qui vt deberet esset sollicitus de electione facienda, ius eligendi deuolueretur ad ipsum. DIS. Quid si nullus esset sollicitus, vt deberet? MAG. Respondetur, quod sicut nunquam vsque ad finem mundi fides deficiet, ita semper aliquis erit in gratia & debito modo sollicitus de his, quæ sunt necessaria Dei ecclesiæ. Si autem nullus esset sollicitus, sed omnes essent negligentes circa electionem summi pontificis necessario faciendam, omnes essent extra gratiam & in peccato mortali, quod nunquam eueniet.

Cap. IX.

Rationibus probat responsionem datam ad quæsitum c. præcedenti.

DISCIP. Quantum volo, explicasti vel explicare curasti opinionem prædictam. Ideo nunc incipe allegare pro ipsa,aut primo conare respondere,quod electores quicunq; summi pontificis siue cardinales, siue imperator, siue aliqui quicunque clerici vel laici, si efficerentur hæretici, eo ipso essent priuati iure eligendi summum pontificem.MAG. Hoc videtur multi-

pliciter posse ꝓbari. primo sic: Illi qui non sunt de corpore ecclesiæ, nõ possunt eligere caput ecclesiæ. quia caput ecclesiæ à mẽbro vel mẽbris ecclesiæ solummodo eligi debet. Sed hæretici quicunque siue cardinales siue alii nõ sunt de corpore ecclesiæ. quia oẽs hæretici per hæresim exeunt ecclesiam, teste beato Cypriano, qui vt legitur, 1.q.1.c. *si quis*, ait: *Si quis de ecclesia hæretica præsumptione exierit, à semetipso damnatus est.* ergo hæretici non habent ius eligendi summum pontificem. Amplius, illi cui catholici per præceptum iuris Dei communicari non debent, non habent ius eligendi summum põtificem. quia electoribus summi pontificis communicare tenẽtur catholici, quomodo elegerunt audiendo. Sed hæreticis per præceptum iuris Dei catholici communicare non debent. teste B. Paulo, qui ad Titum tertio ait. *hæreticum hominem post primam & secundam correctionem deuita.* Et B. Iohannes canonica sua ait: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eũ in domũ, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit ei aue, cõmunicat eius opinionib. malignis.* super quib. verbis dicit Beda, vt legitur. 24.q.1.c. omnis: *hoc Iohannes de hæreticis siue schismaticis euitandis, quæ verbis docuit, etiam factis exhibuit. Narrat enim de illo auditor sanctissimus eius Polycarpus Smyrneorum antistes: Quia tempore quodam, cum apud Ephesum balneas lauandi gratia fuisset ingressus, & vidisset ibi Cherinthum exire, continuo discessit non lotus: dicens, fugiamus hinc, ne & balnea ipsa nos corrumpant, in quibus Cherinthus lauatur inimicus veritatis.* Ex quibus aliisque quam pluribus colligitur, quod hæreticis catholici communicare non debent. ergo hæretici cardinales vel alii ius eligendi summum pontificem habere non possunt. Rursus, qui habendus est sicut ethnicus & publicanus, ius eligendi summum pontificem habere non potest: quia infideles, scilicet ethnici, non sunt capaces talis iuris. sed hæreticus habendus est sicut ethnicus & publicanus, teste Hieronymo, qui, vt legitur. 24.*q.1.c. omnibus*, ait: *Hanc domũ,* (scilicet ecclesiam Dei) *si quis corrigentem corripientemque contempserit sit tibi, inquit, tanquam ethnicus & publicanus.* ergo hæreticus iure eligendi summum pontificem, si habuerit, est priuatus. Præterea, qui nihil potestatis ac iuris habent, non habet ius eligendi summum pontificem, ꝙ non minimum inter iura ecclesiastica est censendũ. Sed hæretici nihil potestatis ac iuris habent, teste B. Cyp. qui, vt legitur, 24.*q.1.c. didicimus*, ait: *didicimus omnino hæreticos & schismaticos nihil potestatis habere ac iuris.* ꝙ de iure ecclesiastico intelligit Cyp. quia iura secularia poterant aliquando habere hæretici. ergo hæretici ius eligendi summum pontificem habere non possunt. Item, inimici fidei Christianæ & omnium catholicorum non possunt habere ius eligendi caput omnium catholicorum, per quod pro fide Christiana etiam morti, si oportet, se debent exponere. Sed cardinales, si sunt hæretici, sunt inimici fidei Christianæ & omnium catholicorum. ergo cardinales, si sunt hæretici, non habent ius eligendi summum pontificem. Præterea, qui habent ius eligendi summum pontificem, in terra, vbi est electio celebranda, sunt tenendi per catholicos & fouendi. Sed cardinales vel alii, qui habuissent ius eligendi summum pontificem, si efficiantur hæretici, in nulla terra catholicorum sunt tenendi vel fouendi, perhibente concilio Lateranensi testimonium ex quo, vt legitur *extra de hæreticis. c. sicut*, sic habetur: *sub anathemate prohibemus, ne quis eos* (scilicet hæreticos) *in domo vel in terra sua tenere vel fouere, negotiationem cum eis exercere præsumat.* ergo cardinales si efficiantur hæretici, non habent ius eligendi summum pontificẽ.

CAP. X.

Inuestigat, si habentes ius eligendi summum pontificem facti sint hæretici, & ab hæresi resipiscant, vtrum ius eligendi recuperare possunt.

DISCIP. Ex quo secundum istam opinionem cardinales si efficiantur hæretici, non habent ius eligendi summum pontificem, sed amittunt huiusmodi ius eligendi: nunquid ipsis reuertentibus ad catholicam fidem, recuperant idem ius? MAGIST. Respondetur, quod si cardinales efficiantur hæretici quantumcunq; occulti, non recuperant ius eligendi summum pontificem, quamuis reuertantur ad orthodoxam fidem, & culpam hæreticæ prauitatis per pœnitentiam diluant: nisi idem ius de nouo conferatur eisdem. & idem dicitur de quocunque cardinali, si aliquis eorum efficiatur hæreticus aliis remanentibus in catholica veritate. quia ex tunc non poterit eligere, nisi de nouo ius eligendi conferatur eidem. DIS. Pro ista assertione aliquas allegationes adducas. MAGIST. Hæc assertio taliter posse probari videtur. Nulla dignitas ecclesiastica per hæreticam prauitatem amissa retineri potest sine dispensatione. ergo similiter nullum ius ecclesiasticum siue spirituale per hæreticam prauitatẽ amissum poterit recuperari absq; noua collatione eiusdem iuris, nisi ex sola ordinatione Christi competat eis. & per consequens, si cardinales per hæreticam prauitatem ammittant ius eligendi summum pontificem, idem ius recuperare non poterunt absque collatione noua eiusdem iuris: Cum cardinales immediate ex sola ordinatione Christi non habeant ius eligendi summum pontificem, sed mediante ordinatione humana.

DIS. Hæc ratio non videtur concludere. Nam quod dignitates ecclesiæ per prauitatem hæreticam amittantur, non est ex natura rei, sed ex constitutione ecclesiæ. Ecclesia n. volens punire hæreticos statuit vt ecclesiasticas dignitates amitterent, quas possent, si non obuiaret constitutio ecclesiæ, retinere. quia potestates spirituales, quæ non sunt maiores dignitatibus ecclesiasticis,

sticis, remanent in hæreticis: sicut potestas conficiendi corpus Christi, si hæreticus est sacerdos, & potestas conferendi ordines, si est episcopus. ergo etiamsi non obuiaret constitutio ecclesiæ, dignitates ecclesiasticas retinerent. Ex quo infertur, quod hæretici retinent iura spiritualia, quæ prius habuerunt, nisi per constitutionem ecclesiæ priuentur eisdem. Sed nulla inuenitur constitutio ecclesiæ, per quam cardinales, si efficiantur hæretici, priuentur iure eligendi summum pontificem. ergo absque collatione noua recuperant idem ius, si ad veritatem redierint orthodoxam. MAGIST. Nonnullis apparet, quod ista responsio non sufficit. Nam, vt dicunt, hæretici non per solam constitutionem ecclesiæ, sed eo ipso quod sunt hæretici (etiamsi nulla constitutio ecclesiæ esset) amittunt ecclesiasticas dignitates, quantum ad omnia quæ à viatorib. amitti possunt. quod sic probatur. Non est maior ratio de vno spirituali amissibili, quod amittatur, absque constitutione ecclesiastica per hæreticam prauitatem, quam de alio: quia qua ratione diceretur, quod cum hæretica prauitate posse stare vnum spirituale amissibile, eadem facilitate diceretur hoc de quocunque alio spirituali amissibili. Sed aliquod est spirituale amissibile, quod ex natura rei non stat cum hæretica prauitate, quamuis nulla esset constitutio. ergo nullum etiam spirituale amissibile stat cum hæretica prauitate. maior videtur clara. Minor probatur. Nam papalis dignitas, quantum ad omnia amissibilia, quæ sunt propria dignitati papali absque omni constitutione ecclesiæ per hæreticam prauitatem amittitur. quod sic ostenditur. Nullus potest ligari sententia canonis, nisi, quamuis non esset lata sententia canonis, sit minor & inferior conditore eiusdem canonis. Sed Papa, si efficiatur hæreticus, ligatur sententia canonis conditi à prædecessore suo, teste Glossa, quæ 24. *q*. 1. *c*. 1. ait: *Hic est casus in quo Papa Papam ligare potest, in quo Papa in canonem latæ sententiæ incidit.* nec obuiat regula illa, quia par parem soluere & ligare non potest: quia si Papa hæreticus est, in eo quod hæreticus est, minor est quolibet catholico. quia lex factum notat sine sententia. ergo Papa effectus hæreticus minor est conditore canonis, quo ligatur, etiamsi idem conditor nullam publicet sententiam. Ex quo infertur, quod dignitas papalis omni constitutione amittitur per hæreticam prauitatem.

DISCIP. Non videtur verum, quod omne ius spirituale amissibile per hæreticam prauitatem amittatur absque constitutione ecclesiæ: & quod non possit recuperari absque noua collatione eiusdem iuris. Nam ius eligendi summum pontificem est ius spirituale, vt isti dicunt: & tamen si Romani efficerentur hæretici, non amitterent illud ius: quia tunc ipsis redeuntibus de hæresi non recuperarent ius eligendi, per rationem prædictam.

Similiter si Romani & cardinales omnes, qui habent ius eligendi, efficerentur hæretici, ius eligendi illa vice deuolueretur ad alios catholicos. quo posito, ponatur iterum, quod omnes alii Christiani efficiantur hæretici, præter decem. quo posito, omnes Christiani præter illos decem amitterent ius eligendi summum pontificem. quo posito, de Christianis hæreticis redeant ad fidem catholicam 20. & illi 10. qui prius erant catholici labantur in hæresim: tunc quæritur, an isti 20. reuersi de hæresi habent ius eligendi summum pontificem, aut non habeant. si habent ius eligendi: ergo absque noua collatione recuperauerunt ius spirituale, quod prius amiserant per hæreticam prauitatem. si non habent ius eligendi: ergo tota ecclesia Dei esset priuata iure eligendi summum potificem: & per consequens Christus non in omnibus necessariis sufficienter prouidit ecclesiæ.

Item ius patronatus est ecclesiæ & ius spirituale, & tamen quamuis amittatur per hæreticam prauitatem, absque noua collatione poterit recuperari. nam si aliquis patronus fiat hæreticus, amittit ius patronatus. sed si retineat rem, ratione cuius est patronus, & redierit ad fidei veritatem, recuperat ius patronatus, quod amiserat: quia ius patronatus transit cum vniuersitate, multo magis reuertitur ad illum, penes quem remanserat dominium rei, ratione cuius erat patronus. Item dignitates ecclesiæ per hæreticam prauitatem amissæ recuperantur absque noua electione. ergo & iura spiritualia propter hæreticam prauitatem amissa recuperari poterunt absque noua collatione eorundem iurium. Consequentia videtur aperta, quia eadem ratio videtur de vno & de alio. Antecedens auctoritatibus manifestis videtur posse probari. ait enim Augustinus, vt habetur. 23. *q*. 4. *c*. *ipsa pietas*, loquens de Donatistis hæreticis. *Habeant ergo de præterito detestabili errore, sicut Petrus habuit de mendacii timore amarum dolorem: & veniant ad ecclesiam Christi veram, id est catholicam matrem. sint in illa clerici, sint in illa episcopi vtiliter, qui contra eam fuerunt hostiliter: non inuidemus, imo amplectimur, hortamur, optamus religiosissime.*

Item ex 6. Synodo, vt legitur 1. *q*. 7. *c*. *conuenientibus*, sic habetur: *Religiosissimi monachi dixerunt, sicut receperunt vniuersales sex synodi ab hæresi reuertentes, ita & nos recepimus. Sancta synodus dixit, placet omnibus nobis: & iussi sunt Basilius episcopus Anichirii & Theodorus episcopus Mireæ ciuitatis, & Theodosius sedere in gradibus & sedibus suis.* & infra: *Constantinus episcopus Cypri dixit, sufficienter ostensum est quod ab hæreticis venientes recipiendi sunt.* Item Grego. vt habetur *dist*. 12. *c*. *nos consuetudinem*, loquens de Donatistis episcopis reuertentibus ad fidem, ait; *Sufficiat autem* (illis episcopis Donatistis venientibus ad catholicam fidem) *commissæ sibi plebis curam gerere.* propter ista videtur, quod prædicta sunt consona veritati. tu vero dic quomodo respondetur ad illa.

MAGIST. Ad primum istorum dicitur, quod si Romani omnes efficerentur hæretici, ius eligendi summum pontificem amitterent, & secundum quorundam assertionem non recu-

perarent ius eligendi, licet ab hæresi reuerterentur ad fidem. Sed secundum aliam recuperarent idem ius, propter hoc, quod immediate ex ordinatione Christi & iure gentium habent ius eligendi.

DISCIP. Vbi ordinauit Christus, quod Romani haberent ius eligendi summum pontificem? MAGIST. Respondetur, quod tunc hoc ordinauit, quando fecit beatum Petrum caput & pontificem omnium Christianorum, dans ei potestatem eligendi sibi locum, vbi poneret sedem suam, & non priuauit illos, quorum eligeret esse episcopus quodammodo proprius, iure eligendi, & ibi præficiendi, quod eis competit ex iure gentium, quamuis non sic, quin licite posset ordinare etiam fieri contrarium.

DIS. Dic quomodo respondetur ad secundam obiectionem, quam feci. MAG. Quibusdam apparet, quod ista obiectio sit fantastica, vt responsione censeatur indigna. ponit enim casum, qui nunquam euenit, nec est probabile quod vnquam debeat euenire. DIS. Videtur aliis, quod illa obiectio non est ita fantastica, quod quamuis casus ille nunquam euenerit, posset tamen accidere, & temerarium est dicere, quod nunquam eueniet. ideo videtur vtile ipsum discutere, quia ex discussione illorum, quæ nunquam vel raro accidunt, profundius & subtilius intelliguntur ea quæ sæpe eueniunt. siue ergo illa obiectio fuerit fantastica, siue non: Dic qualiter respondetur ad ipsam, quia sicut scire mala sæpe est vtile, & discutere falsa frequenter ad cognitionem confert plurimum veritatis: ita discutere fantastica multotiens valet ad cognoscendum illa, quæ vera & solida dinoscuntur. MAG. Respondetur ad ipsam, quod si omnes Christiani efficerentur hæretici, præter 20. qui non essent Romani, illi immediate ex speciali ordinatione Christi haberent ius eligendi summum pontificē, & si postea. 20. Romani redirent ad catholicam veritatem, & illi. 10. efficerentur hæretici. 20. redeuntes ad fidem immediate ex speciali ordinatione Christi recuperarent ius eligendi summum pontificem, quod prius amiserant propter hæreticam prauitatem. DIS. Vbi ordinauit Christus ista? MAG. Dicitur quod Christus specialiter ista ordinauit & prouidit ecclesiæ, quando specialiter dixit Mat. vlt. *Vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* tunc promisit, quod nusquam vsque ad consummationem seculi in necessariis deficeret ecclesiæ suæ. Et ideo quia habere potestatem eligendi summum pontificem est necessarium ecclesiæ Dei: tunc insuper catholici vel omnes vel aliqui qualescunq; fuissent antequam haberent potestatem eligendi summum pontificem, ordinauit pariter. quare si essent solummodo. 20. catholici & laici, & non Romani, qui ante fuissent hæretici: illi viginti catholici immediate ex speciali ordinatione & promissione Christi haberent ius eligendi summum pontificem: quia non esset maior ratio, quod vnus illorum 20. haberet ius eligendi quam alius: & ita omnes haberent ius. DIS. Ista prioribus repugnare videntur: quia secundum ista cardinales effecti hæretici possent recuperare ius eligendi summum pontificem absque noua collatione eiusdem iuris. ponatur enim, quod cardinales primo efficiantur hæretici, & postea vel aliqui eorum redeant ad catholicā fidem, & omnes alii efficiantur hæretici. tunc quæritur, an isti cardinales redeuntes de hęresi habēt ius eligendi, aut nō habent? Si habēt, ergo recuperauerūt ius eligēdi absq; noua collatione eiusdē iuris, eo ipso quod redierunt ad orthodoxā fidē. si non habent ius eligendi, & non sunt alii catholici per casum illū: ergo tota ecclesia Dei caret iure eligendi summum pontificem. MAG. Respondetur ad hoc, quod cardinales ius eligendi, quod habent ex ordinatione humana, puta ex concessione Papæ vel Romanorum, in nullo casu recuperant eo ipso quod reuertuntur ad fidem absq; noua collatione eiusdem iuris. & sic intelliguntur illa, quæ prius dicta sunt de hoc. Sed ius eligendi quod competit eis ex ordinatione Christi, possunt (saltem in casu, quando non essent alii catholici) recuperare eo ipso quod redirent ad veram fidem. DIS. Quare plus recuperant ius elegendi, quod habent ex ordinatione Christi eo ipso quod redeunt ab hæresi ad catholicam fidem, quam ius quod non habent nisi ex ordinatione humana? MAG. Huiusmodi ratio assignatur: quia ab eodem est idem ius primo esse collatum, & post amissionem restitutum. & ideo quia Christus ordinauit & promisit, quod nullum vnquam necessarium deficeret ecclesiæ suæ: ideo ordinauit, quod hæretici in tali casu, quando non sunt alii catholici, eo ipso quod redeunt ad fidem, restituatur eis ius eligendi. sed per nullam ordinationem humanam habetur, quod si cardinales efficiantur hæretici eo ipso quod reuertantur ad fidem, recuperent ius eligendi. & ideo non habent tale ius absque noua collatione. posset tamen inueniri, quod eo ipso recuperarent ius eligendi catholici.

DIS. Dic quid dicitur de iure patronatus amisso propter hæreticam prauitatem. MAG. Dupliciter dicitur. vno modo, quod recuperatur idem ius: quia hoc per ordinationem humanam concessum est: quia sicut ius patronatus transit cum vniuersitate, ita recuperatur recuperata re, ratione cuius habet aliquis ius patronatus. aliqui dicunt, quod ius patronatus non recuperatur: sed specialiter datur illi, qui rem recuperat. DIS. Dic quid dicitur de dignitatibus ecclesiasticis propter hæreticam prauitatem amissis, quæ dicuntur recuperari absque noua collatione vel electione. MAG. Dicitur, quod episcopatus & aliæ ecclesiasticæ dignitates, si propter hæreticam prauitatē amittantur, non recuperantur absq; noua electione vel aliquo æquiualēti nouæ electioni, cuiusmodi est dispensatio, qua aliquando dispensabatur cum hæreticis, vt reciperent dignitates, nec propter hæreticam prauitatem amiserant. in illis n. dispensatio æqualet electioni, oēs autem auctoritates inductæ, intelligi debent ita, vt hæretici ad dignitates amissas recipiuntur & non aliter,

aliter, teste Leone Papa, qui vt habetur. 1. q. 1. c. *si quis heretica*, ait: *si quis heretica communionis contagione se maculauerit hoc in magno beneficio habeat si adempta omni spe promotionis, in quo inuenitur, ordine permaneat.*

Cap. XI.

Recitat opinionem tenentem, quod si cardinales omnes hæreticarentur electio summi Pontificis ad Romanos deuolueretur.

DISCIP. Assertio supra *capitulo* 8. recitata tenet, quod cardinales pro crimine hæresis potestate eligendi Papam priuantur; & non pro alio crimine, de quo nunc esset videndum. sed quia hoc ex sequentibus apparebit: ideo nunc excipe ostendere secundum assertionem illam, quod si cardinales omnes, qui soli nunc habent electionē, efficiantur hæretici an ius eligendi reuertitur ad Romanos. MAG. Hoc videtur diuersis rationibus posse probari: quia si Papa & omnes cardinales efficiantur hæretici, aut ius eligendi est penes alios catholicos, aut in tota ecclesia Dei nulli catholici habent ius eligendi summum pontificem, si penes alios est ius eligendi, & nulli alii quam Romani habent ius eligendi: quia minus videtur de aliis, quod ius eligendi deuoluatur ad ipsos, quam de Romanis. ergo Romani habent in hoc casu ius eligendi summum pontificem. Si autem nulli catholici habent ius eligendi: ergo tota ecclesia Dei esse priuatat potestate eligendi summū pontificem, & ita non esset in necessariis sufficienter prouisum ecclesię Dei. Amplius, non videtur aliquomodo credendum, quod minus per iura diuina vel humana sit prouisum ecclesiæ Romanæ, si electores & prælati ipsius priuentur potestate eligendi, quam aliis ecclesiis inferioribus, si electores ipsorum prælatorum ex aliquo casu priuentur potestate eligendi. sed huiusmodi inferioribus ecclesiis est prouisum, *extra de elec.* nec pro defectu credendum est, quod per iura diuina vel humana sit prouisum Romanæ ecclesiæ, quomodo prçlatus eligi debeat, si sede vacante electores ipsius potestate eligendi priuentur. quod accideret, si omnes cardinales vna cum Papa mortuo, in hæreticam prauitatem caderent. non autem aliter est prouisum nec per iura humana nec per iura diuina, nisi quod electio reuertitur ad Romanos. qui similiter ex iure diuino & iure gentium habuerunt ius eligendi. quia electio ad superiorem deuolui non potest, sicut contigit per iura humana de aliis ecclesiis. igitur in hoc casu electio summi pontificis ad Romanos reuertitur. DIS. Ista ratio non videtur concludere. nam iura ad ea, quæ frequentius eueniunt, aptantur: quia ex his, quæ forte vno casu accidere possunt, iura non constituunt. quod ei semel aut bis fit, contemnunt legislatores vt leges sacræ testantur. sed quod electores prælatorum aliarum ecclesiarum priuentur potestate eligendi, sæpe contingit. quod autem electores summi pontificis potestate eligendi priuentur, nunquam accidit vel raro. ergo quamuis per iura debeat prouideri, per quem vel per quos sunt præficiendi prælati aliis ecclesiis, si illi, quibus concessa est electio, potestate eligendi priuentur, non tamen oportet quod iura prouideant, qualiter eligi debeat Romanus pontifex: licet illi, quibus concessa est electio potestate eligendi priuentur. MAG. Ista obiectio multos non mouet propter duo. primo: nam licet iura sæpius aptentur ad ea, quæ frequentius accidunt: tamen quandoq; iura aptantur ad ea quæ raro contingunt, & maxime vbi periculū spirituale totius cōmunitatis fidelium vertitur, nisi ius subueniat sed si priuatur potestate eligendi illis, quib. data est electio summi pontificis, nullo iure neq; diuino neq; humano subueniatur ecclesiæ, vt possit habere summum pontificem, spirituale periculum immineret toti ecclesiæ. ergo si casus contingat, aliquo iure subuenitur ecclesiæ. Cum igitur super hoc non inuenitur ius humanum, recurrendum est ad ius diuinum, vt scilicet reuertatur electio ad Romanos. qui similiter ex iure diuino & iure gentium habent ius eligendi summum pontificem. Secundo quia sicut notat Glo. *di.* 28. *c. de Syracusane*, cautela debet adhiberi ex eo quod solet aliquis fieri, *vt* 93. *c. Affros*, & ex *di.* 23. *c. in nomine* potest colligi manifeste. Sed sæpe accidit, quod electores summi pontificis propter hęreticam prauitatem fuerunt potestate eligendi priuati. Igitur saltem tunc de iure humano debuit prouideri, qualiter esset eligendus summus pontifex. si hoc non fuit prouisum nisi iure diuino: quia tunc super hoc non fuit editum aliquod ius humanum. igitur ex iure diuino & ratione euidendi colligitur. qualiter sit eligendus summus pontifex, si electores priuentur potestate eligendi, & non sit Papa, qui valeat aliis electionem concedere. hic non videtur aliud probandum, nisi quod sæpe accidit, quod electores summi pontificis propter hæresim fuerunt potestate eligendi priuati. quod probatur per hoc, quod sæpe imperatores habuerunt potestatem eligendi summum pontificem, qui postea propter prauitatem hæreticam fuerunt eadem potestate priuati, teste Gratiano, qui *di.* 63. *c. quia qua verum*, ait: *frequenter etiam in hereticorum perfidiam prolapsi* (scilicet imperatores) *catholici matris ecclesia vnitatem impugnare conati sunt: ideo sanctorum statuta patrum aduersus eos prodierunt, vt semet electioni non insererent.* DIS. Videtur quod imperatores priuati non fuerunt potestate & iure eligendi summum pontificem, sed quod renunciauerunt huiusmodi iuri, quod dicit idem Gratianus eadem dis. c. *sanctorum*. quia ex his constitutionibus deprehenditur, imperatores renunciasse priuilegium, quod de electione summi pontificis Adrianus Papa Imperatori Carolo & ad imitationem eius Leo Papa Othoni primo regi Theutonicorum fecerat. MAG. Respondetur, quod plures imperatores, etiam de quibus non legitur in decretis, habuerunt ius eligendi summum pontificem, quorum aliqui perdiderunt idem ius propter hæreticam prauitatem, aliqui renunciauerunt eidem iuri: & ita vtrunq; dictum Gratiani continet veritatem pro diuersis imperatoribus.

CAP. XII.

Quarit ad quos Romanos deuoluatur electio Papæ mortuo & cardinalibus prauitate hæretica infectis & respondetur sub opinionibus quatuor, ad primas tres & earum rationes respondetur capitulo sequenti.

DISCIP. Si ius eligendi Romanum episcopum reuertitur ad Romanos electoribus priuatis iure eligendi, & non existente Papa, qui de electione valeat ordinare, ad quos Romanos reuertitur, vtrum scilicet ad omnes vel ad aliquem & aliquos tantum.

MAGIST. Circa hoc sunt diuersæ opiniones, vna est quæ reuertitur ad imperatorem Romanorum. Cuius ratio assignatur, quoniam quando aliqui electores priuantur iure eligendi, electio reuertitur ad illum, vel illos qui ante immediate habuerunt ius eligendi summum pontificem; sed antequam cardinales qui post imperatorem habuerunt ius eligendi immediate habuit imperator ius eligendi summum pontificem. igitur si cardinales propter hæreticam prauitatem priuantur iure eligendi Romanum episcopum, ius eligendi reuertitur ad imperatorem.

Alia assertio est: quod si cardinales efficiantur hæretici & non sit Papa qui de electoribus valeat ordinare ius eligendi, reuertitur ad canonicos ecclesiæ vbi est sedes Papæ. Quia cessante priuilegio recurrendum est ad ius commune, sed cardinales non habent ius eligendi, nisi ex priuilegio speciali. igitur si priuilegium illud propter prauitatem hæreticam perdiderint, recurrendum est ad ius commune. est autem ius commune quod canonici ecclesiarum cathedralium habent ius eligendi episcopos, igitur in hoc casu ad canonicos ecclesiæ vbi est sedes Papæ reuertitur ius eligendi summum pontificem. Alia est assertio, q in hoc casu electio summi pontificis deuoluitur ad totum clerum Romanam. Quia quod soli clerici cathedralis ecclesiæ habent ius eligendi summum pontificem est ex priuilegio Papali, ius autem commune est, quod totus clerus habeat ius eligendi. igitur ex quo ius eligendi summum pontificem non sit ex priuilegio Papali cōcesso ecclesiasticis ecclesiæ, vbi est sedes Papæ, vel si fuit eis concessum, postea fuit eis ablatū, quādo fuit cardinalibus datum, & cessante priuilegio recurrendum est ad ius commune relinquitur, quod si cardinales efficerentur hæretici, electio ad totum clerum Romanum reuertitur. Quod autem sit ius commune, quod totus clerus habeat ius eligendi, videtur testari Gratianus, qui, vt legitur. *dist. 63. §. ex his*, ait: *Sicut electio summi pontificis non à cardinalibus tantum, imo etiam ab aliis religiosis & ecclesiasticis auctoritate* Nicolai *Papa est facienda: ita est & episcoporum electio non à canonicis tantum, sed ab aliis religiosis clericis, sicut in generali synodo Innocentiii, habita Roma* constitutum est. Vnde idem Innocentius, c. *obeuntibus sane episcopis, quando vltra tres menses vacare ecclesiam sacrorum patrum prohibent sanctiones, sub anathematis vinculo interdicimus, ne canonici de sede episcopali ab electione episcoporum excludant religiosos viros, sed eorum consilio honestam & idoneam personam in episcopum eligant. quod si exclusis religiosis viris electio facta fuerit, quod absque eorum consensu factum fuerit, irritum habeatur & vacuum.* Ex quibus apparet, quod secundum ius commune ad totum clerum spectat electio. Alia est assertio, quod si cardinales efficiantur hæretici, electio reuertitur ad populum & clerum Romanum, ita quod ad omnes Romanos reuertitur, non quod omnes eligant, quia nisi essent valde pauci, hoc absq; confusione, quæ est vitanda in huiusmodi, fieri non posset, sed vt de consensu omnium expresso vel tacito ordinatur, quod quis vel qui vicem omnium impleat vel impleant episcopum suum eligendo possent Romani in hoc casu committere vices suas imperatori catholico, qui vice omnium eligeret Romanum episcopum. Pro hac assertione sic arguitur, si aliquis vel aliqui à Romanis posset vel possent iure diuino solo vel iure humano solo in casu sibi vendicare ius eligendi summum pontificem, aut hoc posset vel possent iure diuino solo aut iure humano solo, vel simul iure diuino & humano. non solo iure diuino: quia hoc ex scripturis sacris probari non potest. Nec solo iure humano: quia omnia iura humana de hoc propter canonica vel illud quod concessum fuit cardinalibus, quando fuit solum cardinalibus concessum ius eligendi abrogata fuerunt. nec iure gentium potest ab aliis vel ab aliquibus Romanis specialiter vendicare tale ius: quia secundum ius gentium ad omnes spectat eligere præsidem eis vel ordinare, quem eligere debeant. quia secundum ius gentium, quod omnes tangit, per omnes tractari debet. relinquitur ergo, quod ad omnes Romanos, tam clericos quam laicos ius eligendi reuertatur: vt si de consensu omnium tacito vel expresso ordinetur, qualiter summus pontifex eligi debeat. Amplius, quando potestas non habetur ex solo iure diuino, deficiente iure ciuili tam ecclesiastico quam seculari, recurrendum est ad ius gentium, quod est antiquius & communius, quam ius ciuile & ecclesiasticum siue seculare. *Sed omnes Romani, non aliqui habuerunt ex iure diuino & iure gentium ius eligendi Romanum episcopum. ad quod probandum probationes sunt adductæ prius. ergo si circa electionem summi pontificis omnia iura ciuilia, canonica & secularia defecerint, quod accideret, si omnes cardinales efficerentur hæretici, virtute iuris diuini & iuris gentium simul potestas eligendi Romanum episcopum reuerteretur ad Romanos.

DIS. Videtur, quod ista ratio non procedit, nisi virtute iuris abrogati, quod nullo modo reuerti potest, quod si ad aliquod ius abrogatur, perinde est, ac si nūquam fuisset, sed ius gentiū, quo Romani aliquādo potuerunt eligere Romanum episcopum, quoad eos abrogatum est. ergo virtute illius iuris potestas eligendi Romanū episcopū nō reuertitur ad Romanos. MAG. Respōdetur, quod virtute iuris penitus abrogati nulla potestas reuertitur. sed ius gentium cum iure diui

no simul quo Romani poterant eligere Romanum episcopum, non potest penitus abrogari, nisi pro tempore, quo secundum ius canonicum alii habent ius eligendi. & ideo cessante illo iure ciuili & ecclesiastico, statim ius gentiũ tale reuertitur, sicut quia de iure naturali est, quod omnia sunt communia. ideo cessante iure gentium & ciuili, quibus aliquid sit proprium, statim reuertitur ius naturale, vt omnia sint communia, sicut fuerunt ante omnem ordinationem humanam.

Cap. XIII.

Respondet ad rationes pro tribus primis opinionibus capitulo praecedenti adductas.

DISCIP. Quia ista assertio aliquam apparentiam habere videtur, dic qualiter secundum eam ad allegationes pro assertionibus contrariis respondetur. MAGIST. Ad allegationem pro prima assertione dicitur, quod non semper, quando electores priuantur iure eligendi, ius eligendi reuertitur ad eos, qui immediate ante habuerunt ius eligendi: quia sæpe in tali casu ius eligendi ad superiores deuoluitur, nonnunquam etiam reuertitur ad eos, qui ex antiquiori & communiori iure habuerunt ius eligendi. & ideo licet imperator immediate ante cardinales habuisset ius eligendi (si cardinales efficiantur hæretici) ius eligendi non reuertitur, nec reuoluitur, ad imperatorem solum, sed reuertitur ad ipsum & alios Romanos simul, vt ipse cum aliis Romanis debeat ordinare, quomodo debeat eligi Romanus pontifex. in hoc tamen habet quandam prærogatiuam imperator super alios Romanos, quo ad electionem summi pontificis, vt sine eo (saltem si eius præsentia conuenienter haberi potest) Romani non debeant ad eius summi pontificis electionem procedere nec de electoribus ordinare.

DISCIP. Quid si imperator vellet impedire electionem summi pontificis, quando cardinales effecti essent hæretici: vel si nollet etiam se intromittere, etiam requisitus per Romanos. MAGIST. Respondetur quod in hoc casu Romani possent, & deberent absque imperatore ad electionem procedere. quia sicut dictum est prius potestas eligendi summum pontificem non competit imperatori, inquantum imperator iure diuino vel iure gentium simul: sed competit sibi inquantum catholicus & Romanus in quibus secum conuenirent Romani alii. & ideo sicut alius Romanus non potest impedire Romanos quin in hoc casu debeant ad electionem procedere. quia sicut dictum est prius potestas eligendi summum pontificem &c. Ita nec imperator poterat eos impedire.

DISCIP. Si imperator non habet ius eligendi, virtute iuris diuini & iuris gentium nisi inquantum catholicus & Romanus igitur in hoc alii Romani pares sunt ei. ex quo infertur quod quo ad hoc non plus est vocandus vel requirendus aut expectandus imperator, quam alii Romani. MAGIST. Ad hoc respondetur, quod quamuis imperator & alii Romani sunt quodammodo pares (quo ad hoc quod qualem potestatem & quale ius habet imperator in electione summi pontificis, talem potestatem & tale ius habent alii Romani) tamen quando deberent eligere vel de electione, vel de electoribus tractare: alii Romani deberent in multis imperatori deferre. quemadmodum in aliis electionibus sapientiorib. & potentioribus: melioribus & dignioribus est in multis ab aliis deferendum. & ideo sine imperatore quando zelat debito modo pro religione Christiana: alii Romani (si conuenienter potest haberi eius præsentia) non debent ad eius electionẽ procedere: imo in casu debent omnes alii sibi soli ius eligendi committere. quemadmodum sicut allegatum est prius quidam summi pontifices & alii Romani quibusdam imperatoribus totum ius eligendi dederunt. & tunc imperator vice omnium deberet eligere Romanum pontificem.

DISCIP. Dic qualiter respondetur ad allegationem pro secunda assertione adductam? MAGIST. Respondetur quod licet modo sit commune ius canonicum quod clerici cathedralis ecclesiæ habent ius eligendi episcopum: tamen aliquando non fuit ius commune. sed ius commune fuit quod clerus & populus haberent ius eligendi. & illud ius est communissimum & antiquissimum, & ideo (cessante omni priuilegio & iure speciali) ad ius communissimum & antiquissimum est recurrendum. quamobrem si omnes cardinales efficerentur hæretici ad ius communius & antiquius est recurrendum, & non ad aliquod speciale ius aliarum ecclesiarum. hoc autem est ius diuinum & ius gentium virtute cuius vel quorum iurium Romanis, scil: clericis & laicis, competit ius eligendi summum pontificem. Et per hoc respondetur ad allegationes pro tertia assertione, quia licet aliquando fuerit ius commune, quod episcopi electio spectaret ad totum clerum, & non ad solos clericos cathedralis ecclesiæ, sicut probant auctoritates inductæ: non tamen semper fuit ius commune: nec fuit ius communissimum, sed per solam institutionem humanam ecclesiasticam fuit tantum ius commune. & ideo si cardinales efficiantur hæretici, & quod papa sit hæreticus vel mortuus, deficiat omnia iura humana instituta de electione Romani pontificis recurrendum est ad ius diuinum & ius gentium, virtute quorum electio ad plebem humanam, scilicet clerum & populum Romanum, reducitur.

Cap. XIV.

Ponit 4. opiniones responsiuas quæstionis supra capitulo octauo huius, quæ probantur rationibus, ad quas respondetur capitulo sequenti immediate.

DISCIP. Supra *capitulo octauo* quæsiui, an in aliquo casu, & in quo ius eligendi Romanum episcopum reuertatur ad Romanos, & tu dixisti, quo ad hoc diuersimode respondetur. Recitasti autem vnum modum respondendi. nunc autem recita alium. MAGIST. Aliter respondetur, quod non solum pro hæretica prauitate, sed etiam pro fautoria hæreticæ prauitatis, si videlicet omnes cardinales sint fautores hæreticæ prauitatis, & papa sit mortuus, vel hæreticus, ius eligendi summum pontificem reuertitur sic ad Romanos. Pro hac opinione taliter allegatur. Qui fauet hæreticæ prauitati, videtur sic hæreticam prauitatem defendere. non enim videtur, quod alius fauor, quam defensio, possit ei impendi. sed defendens hæreticam prauitatem damnabilior est hæretico, teste Vrbano papa, qui, vt habetur 24. *q.* 3. *c. qui aliorum*, ait: *qui aliorum errorem defendit, multo & amplius damnabilior est illis, qui errant: quia non solum ille errat, sed etiam aliis offendicula erroris preparat & confirmat. vnde quia magister erroris est, non tantum hæreticus, sed etiam heresiarcha dicendus est.* ergo defendens hæreticam prauitatem dignus est omni pœna, qua digni sunt hæretici. Item, qui fauet erroribus hæreticorum: inter credentes eorũ erroribus est merito numerandus. & per consequens hæreticus est censendus, teste Greg. 11. qui, vt habetur, *extra de hæreticis. c. excommunicamus* 2. ait: *credentes eorum erroribus hæreticos similiter iudicamus.* ergo si omnes cardinales faueant hæreticæ prauitati, tanquam hæretici iure eligendi Romanum pontificem sunt priuati.

Aliter respondetur, quod cardinales (non solum si faueant hæreticæ prauitati, sed etiam si sint fautores papæ hæretici, viui vel mortui, vel aliorum hæreticorum) iure eligendi priuantur, & electio ad Romanos reuertetur, etiam si papa est hæreticus, vel mortuus, aut de iure depositus. Pro hac opinione taliter allegatur. pro quocunque crimine papa ipso facto seu iure à papali dignitate deponitur, pro eodem crimine cardinales cardinalatu priuantur: & per consequens ius eligendi quod eis competit ratione cardinalatus amittunt. sed papa (si est fautor hæreticorum) ipso facto seu iure à papatu deponitur. ergo & cardinales propter fauorem hæreticorum iure eligendi priuantur. maior videtur probatione minime indigere. Minor exemplo probatur. nam Anastasius secundus propter fauorem hęreticorum fuit depositus. non enim legitur de ipso, nisi quod fauerit Fotino & Achacio hæreticis. nam in decretis. 19. *di. c. Anastasius*, sic habetur: *Anastasius secundus natione Romanus, fuit temporibus Theodrici regis. eodem tempore multi clerici se à communione ipsius abegerunt, eo quod communicasset sine consilio episcoporum vel presbyterorum & clericorum cuncta ecclesia catholica diacono Thessalonicen. nomine Fotino, qui communicauerat Achatio: & quia voluit occulte reuocare Achatium, & non potuit, nutu diuino percussus est.* In quibus verbis non habetur, nisi quod Anastasius fauit Fotino & Achatio: & tamen fuit depositus. ergo propter fauorem hæreticorum papa deponitur.

Aliter respondetur: quod cardinales non solum propter hæresim & fauorem hæreticæ prauitatis, vel hęreticorum, sed etiam propter schisma priuantur iure eligendi summum pontificem. Hoc taliter videtur posse probari. Quia qui nihil potestatis aut iuris habet, non habet potestatem eligendi summum pontificem neq; ius. Sed cardinales si efficiantur schismatici, nihil iuris aut potestatis habent, teste beato Cypriano, qui, vt habetur 24. *q.* 1. *c. didicimus*, sicut allegatum est prius, ait: *didicimus omnino hæreticos & schismaticos nihil potestatis habere & iuris.* ergo cardinales schismatici non habent ius eligendi summum pontificem. Item, qui sunt extra ecclesiam, non habent ius eligendi summum pontificem. sed cardinales schismatici sunt extra ecclesiã, teste beato Cypriano, qui (vbi prius) ait: *si autem foris cuncti schismatici, & hæretici non habent spiritum sanctum. & ideo apud nos manus eis imponitur, vt hic accipiatur, quod illic non est nec dari potest, manifestum est, nec remissionem peccatorum per eos dari posse, quos constat spiritum sanctum non habere.* Ex quibus verbis euidenter videtur haberi, quod omnes schismatici sunt extra ecclesiam. Vnde & beatus Cyprianus Nouacianum extra ecclesiam & inter aduersarios & antichristos reputauit computandum, solummodo quia fuit schismaticus, dicens vbi prius: *Nouacianus nec debet nec potest excipi, quominus ipse quoq; extra ecclesiam cõsistens & contra pacem ac dilectionem Christi faciens, inter aduersarios & antichristos computetur.* ergo omnes schismatici sunt extra ecclesiam. ergo si oẽs cardinales efficerentur schismatici, tanq̃ extra ecclesiã existentes ius eligendi amittunt. Et p consequens in hoc casu ius eligẽdi reuertitur ad Romanos, sed cardinales (si efficiantur hæretici) iure eligendi priuantur. igitur etiam si sint fautores hæreticæ prauitatis, eodem iure priuantur.

Aliter respondetur, ꝙ non solũ propter pdicta crimina, sed etiam si papa existente hæretico vel mortuo, videl. cardinales, noluerint eligere, dicẽtes se nõ velle eligere, vel etiam per malitiam aut per damnabilẽ negligentiam in notabile detrimentũ & periculũ Christianę religionis distulerint eligere summum pontificẽ, priuati sunt iure eligendi, & electio reuertitur ad Romanos. Pro hac opinione taliter allegatur. nõ minus ꝓuisum est Romanæ ecclesiæ cõtra pericula, quæ pericula ei accidere possunt, quã aliis fidelib. Si enim minus esset ei ꝓuisum quantũ ad ea, quę ordinãda sunt per rectores ipsius, ipsi rectores essent de negligẽtia damnabili reprehensibiles iudicandi. quia vbi maius periculũ vertitur, cautius & sollicitius est agendũ. sed ecclesiis aliis sufficienter est ꝓuisum, si electores, qui debent eligere, per malitiam, vel negligentiam distulerint eligere. quia si infra tres

menses

mensses non elegerint, priuantur potestate eligendi ea vice, & potestas prouidendi ad superiorem deuoluitur. igitur etiam Romanæ ecclesiæ est prouisum, qualiter papa eligi debeat, si cardinales per malitiam vel damnabilem negligentiam in notabile detrimentum & periculum religionis Christianæ distulerint eligere. sed non est prouisum aliter, quam quod electio ad Romanos conuertatur. igitur saltem pro illa vice cardinales essent priuati potestate eligendi, & ius eligendi reuertetur ad Romanos.

CAP. XV.

In quo respondetur rationibus pro opinionibus capituli præcedentis adductis.

DISCIP. Quomodo autem ad rationem istam vltimam potest responderi, & qualiter responsio valeat improbari, potest appetere ex his, quæ tractata sunt superius 10. cap. ideo ad præsens nolo, quod de ista responsione & opinione, pro qua adducitur hic, amplius te intromittas. sed indica quomodo respondetur secundum opinionem, quæ recitata est supra. c. 8. ad rationes pro opinionibus aliis recitatis capitulo præcedenti: & allegationes adducas. MAGIST. Ad allegationes pro secunda opinione adductas respondetur: quod pro omni fauore hæreticæ prauitatis (quæ non est in fauente absque hæretica prauitate) essent cardinales priuati iure eligendi summum pontificem, & reuerteretur ius eligendi ad Romanos. Pro alio fauore non essent priuati, sed priuandi iure eligendi summum pontificem. an autem possit esse aliquis fauor hæreticæ prauitatis absque hæretica prauitate in fauente ex his quæ dicta sunt *libro 7. primæ partis huius Dialogi* aduertere poterit studiosus. Ad allegationem pro tertia opinione respondetur, quod licet papa (si efficiatur hæreticus) sit ipso facto & ipso iure depositus, sicut in *prima parte Dialogi huius libro sexto* per quamplurimas rationes probatum existit. Et ideo licet pro fauore hæreticæ prauitatis (quæ non est absq; hæresi in fauente) sit papa depositus ipso facto: tamen pro solo fauore hæreticorum absque fauore errorum ipsorum non est papa ipso facto depositus: imo secundum aliquos nec etiam deponendus, nisi incorrigibilis appareat, & de eo scandalizetur ecclesia. Cum autem dicitur, quod Anastasius secundus non fuit depositus nisi pro fauore hæreticorum. Respondetur, quod non est verum: imo fuit depositus pro hæresi & fautoria hæreticæ prauitatis, quod ex textu *dist. 19.* & glo. vt videtur, colligitur euidenter. ait enim Gratianus eadem dist. §. hoc autem: *Anastasius enim secundus fauore Anastasii imperatoris, quos Achacius post sententiam in se prolatam sacerdotes & leuitas ordinauerat, acceptis officiis rite fungi debere decreuit*, & erronee, supple.) vnde in §. sequenti dicit Gratianus: *quia ergo illicite & non canonice, sed contra decreta prædecessorum & successorum suorum hæc rescripta dedit, vt probat Felix & Gelasius, qui Achacium ante excommunicauerunt, & Hormisda qui ab ipso Anastasio tertius eundem Achacium postea damnauit: ideo à Romana ecclesia repudiatur, & à Deo percussus fuisse legitur.* Item Glo. super c. *Anastasius*, super verbo *abiegerunt*, ait: *Hi non recesserunt* (scilicet clerici) *ab Anastasio ante sententiam, quia inciderat in hæresim iam damnatam.* Tunc super verbo *communicauerat*, dicit Glo. *Hic communicauit* (scilicet Anastasius) *cum Achacio hæretico in maleficio. vnde potuit transire* (scilicet excommunicatio) *ad tertiam personam.* Ex quibus verbis colligitur, quod Anastasius fuit hæreticus & fautor hæreticæ prauitatis. & ideo fuit depositus ipso iure, & fuit excommunicationis sententia innodatus. Ad allegationem pro quarta opinione respondetur, quod non omnes schismatici sunt omni iure priuati. & de illis loquitur beatus Cyprianus. omnes enim schismatici, quamdiu sunt schismatici, non sunt capaces ecclesiasticarum dignitatum. & ideo Nouatianus secundum Cyprianum non potuit esse papa. schismatici autem nõ possunt habere executionem alicuius iuris ecclesiastici: licet aliqua iura ecclesiastica possunt habere, dummodo non sunt hæretici. & ideo cardinales propter solum schisma absque hæresi non perdunt ius eligendi summum pontificem; quamuis non debeant eligere, quamdiu in schismate perseuerant. Et per idem breuiter respondetur ad allegationem pro quarta opinione adductam. quamdiu enim in tali malitia & negligentia perstiterint, cõstat quod de facto sunt tali iure priuati. Si autem resipiscant, idem ius eis debetur.

CAP. XVI.

Quærit, vtrum imperator sit iudex ordinarius papæ. & ponuntur diuersi modi dicendi, & primus ponitur hic, qui tenet quod non.

DISCIP. Quamuis in *prima parte nostri Dialogi li. 6.* tractauerimus, an imperator sit iudex ordinarius summi pontificis. & cum ibidem circa hoc opiniones contrarias allegationibus pluribus conatus fueris confirmare: hic tamen de hac materia conferamus, vt excitemus alios tractatulum hunc visuros, qui primam partem huius operis forsitan non habebunt, ad solicite perscrutandum, an imperator supra papam iam in summo pontificio cõstitutum aliquam habeat vel habere valeat potestatem. Inuestigemus autem primo, an imperator ratione imperatoriæ dignitatis sit in aliquo casu iudex ordinarius papæ.

MAGIST. Circa hoc sunt diuersæ assertiones & aduersæ. vna est, quod imperator ratione imperatoriæ dignitatis, non est iudex ordinarius in quocunq; casu summi pontificis. DISCIP. Pro ista assertione allega. MAGIST. Pro ista assertione potest taliter allegari. si imperator, inquan-

inquantum imperator, esset iudex ordinarius papæ, aut esset suus iudex in causa ecclesiastica, aut in causa seculari. non in ecclesiastica: quia solum ad iudicem ecclesiasticum spectat. ideo enim dicitur causa ecclesiastica, quia debet coram ecclesiastico iudice agitari. nec in causa seculari: quia nec in causa criminali nec ciuili. quod non in criminali causa seculari probatur. quia, sicut legitur *di. 40. c. si papa*, ex gestis Bonifa. papæ martyris habetur: *huiusmodi culpam istic idem redarguere nullus mortalium præsumit, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide deuians.* Ex quibus verbis colligitur, quod papa pro sola deuiatione à fide est ab aliquo iudicandus. deuiatio autem non est culpa secularis. ergo pro nulla culpa seculari est papa ab imperatore vel ab alio iudicandus. Nec imperator est iudex ordinarius papæ in causa seculari ciuili: cum etiam in tali causa (sicut neque in causa criminali) sit iudex ordinarius cuiuscunque episcopi, teste Bonifacio, qui, vt habetur 11. *q. 1. c. nullus*, ait: *nullus episcopus neq; pro ciuili neq; pro criminali causa apud iudicem quemlibet ciuilem, siue militarem producatur.* relinquitur ergo ex prædictis, quod imperator inquantum imperator in nulla causa est iudex ordinarius papæ.

DISCIP. Vt mihi occasio sit intelligendi profundius istam materiam, pro ista assertione multas auctoritates adducas, etiam illas, quas in *prima parte dialogi* tetigisti. quia nolo, vt postea mihi referas exquisite, qualiter assertio contraria ad ipsas nititur respondere. per hunc enim modum incitabimus alios ad veritatem acutius indagandam, & nobis ipsis intellectus auctoritatem adducendarum clarius apparebit. MAGIST. Pro ista opinione auctoritates quamplurimæ adducuntur. Gelasius enim papa, vt habetur 9. *q. 3. c. cuncta*, ait: *Cuncta per mundum nouit ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli ius habeat resoluendi, vtpote quæ de omni ecclesia fas habeat iudicandi.* Item Melchiades, vt habetur 12. *quæst. 1. c. futura*, ait: *Idem præfatus princeps* (scilicet Constantinus) *donaria immensa contulit & fabricam templi primæ sedis beati Petri instituit, adeo vt sedem imperialem relinqueret, & beato Petro suisque successoribus profuturis concederet. Idem vero præsidens sanctæ synodo, quæ apud Nicenam congregata est, cum querelam quorundam coram se conspiceret deferendam, ait: vos à nemine iudicari potestis, quia Dei solius iudicio reseruamini. dii etenim vocati estis, & idcirco non potestis ab hominibus iudicari.* Item Gelasius papa, vt habetur 9. *quæst. 3. c. cuncta*, ait: *Cuncta per mundum nouit ecclesia, quod sacrosancta Romana ecclesia fas habeat de omnibus iudicandi, neq; cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus: sed nec illa præterimus quod apostolica sedes sine vlla synodo præcedente & soluendi quod synodus inique damnauerat: & damnandi nulla existente synodo actus quos oportuit habuit facultatem.* Item Gelasius papa, vt habetur *dist. 96.* scribens Anastasio imperatori ait: *Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam posse regi voluntatem.* Item Innocentius papa, vt legitur 9. *quæst. 3. c. nemo*, ait: *Nemo iudicabit apostolicam sedem iustitiam temperare desiderantem. neque enim ab Augusto. neque ab omni clero, neq; à regibus, neque à populo iudex iudicabitur.* Item Iohannes papa, vt habetur *di. 96. c. si imperator*, ait: *Si imperator catholicus est (quod salua pace ipsius dicimus) filius est non præsul ecclesiæ. Lex autem erubescit filios castigatores esse parentum.* ergo nullo modo imperator potest esse iudex papæ, qui pater est omnium. Item Symachus papa, vt habetur 9. *quæst. 3. c. aliorum*, ait: *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare: sed sedis istius præsulem suo sine quæstione reseruauit arbitrio. voluit beati Petri apostoli successores cœlo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam habere conscientiam. nolite æstimare eas animas inquisitoris non habere formidinem, quas Deus præ cæteris suo reseruauit examini.* & infra: *Sanctorum voce pontificum dignitatem sedis eius factam toto orbe venerabilem esse, dum illi quicquid fidelium est vbique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur.* Item Nicolaus papa *di. 21. c. nunc autem*, ait: *quoniam prima sedes non iudicabitur à quoquam.* Item Antherius papa, vt habetur 9. *q. 3. c. facta*, ait: *facta subditorum iudicantur à nobis: nostra vero à domino iudicantur.* Item Sixtus papa, vt habetur 2. *quæst. 5. c. mandastis*, cum fuisset accusatus à quodam scriba, episcopis ait: *facto consilio cum magna examinatione satisfaciens omnibus, licet euadere aliter satis potuissem, suspicionem tamen fugiens coram omnibus me purgaui: & me scilicet à suspicione & æmulatione liberans, sed non aliis, qui noluerint, aut sponte hoc non elegerint, faciendi formam dans.* Ex quibus verbis colligitur, quod papa in nullo casu tenetur se purgare, si fuerit diffamatus. Ex quo infertur, quod nullius tenetur subire iudicium. vnde Gloss. ibidem super verbo *potuissem* ait: *papa autem nullo modo potest iudicari.* Item Gelasius papa, vt habetur 9. *q. 3. c. ipsi*, ait loquens de sede Romana: *ab ipsa vero nunquam prorsus appellare debere sanxerunt sancti canones: ac per hoc illam de tota ecclesia iudicare, ipsam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, sententiamque eius constituerunt non oportere dissolui: cuius potius sequenda decreta mandauerunt.* di. 27. §. *hinc etiam*, legitur: *nec antedictæ sedis* (scilicet Romanæ) antistitem minorum *subiacuisse iudicio.* & infra: *Episcopi vero in synodo residentes congregata auctoritate eiusdem Simachi dixerunt: Simachus papa sedis apostolicæ præsul ab huiusmodi opinionibus impetitus quantum ad homines respicit, sit immunis & liber, cuius causam totam Dei iudicio reseruamus.* Item Nicolaus papa, vt habetur 9. *quæst. 3. c. patet*, ait: *patet profecto sedis apostolicæ, cuius auctoritate maius non est, iudicium à nemine fore retractandum: neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.* iuxta quod Innocentius papa Rufo & cæteris episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait: *Nemo vnquam apostolico culmini, de cuius iudicio non licet retractari, manus obuias audacter intulit: nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit iudicari.* Et beatus Gelasius papa: *Nec de eius* (id est Romanæ ecclesiæ) *iudicio canones vnquam præceperunt iudicari iudicio, sententiamque illius constituerunt non oportere dissolui, cuius potius sequenda decreta mandauerunt.* Ex prædictis omnibus videtur colligi, quod nec imperator, nec alius, iudex est iudex Romani pontificis.

DISCIP.

DISCIP. Post auctoritates, aliquas rationes ad eandem assertionem probandam allega. MAGIST. Hæc assertio ratione probatur. Nam minor non est iudex maioris, *di. 21. c. inferior. c. denique.* imperator & quilibet alius est minor Romano pontifice, teste Nicolao papa, qui hoc asserit, vt habetur *di. 116. c. duo.* vbi ad idem beatum Ambrosium allegat dicens: *Qui* (scilicet Ambrosius) *in scriptis suis ostendit, quod aurum non tam preciosius est plumbo, quam regia potestate sit altior ordo sacerdotalis. hoc modo circa principium sui Pastoralis scribens? Honor, fratres, & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. si regum fulgori compares & principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem conferas. quippe cum videas regum colla & principum submitti genibus sacerdotum: & osculata eorum dextera, orationibus eorum credant se excommunicari vel muniri.* Hoc etiam testatur Innocentius tertius, qui (vt legi extra *de maioritate & obedientia c. solita*, loquens de pontificali dignitate, seu auctoritate & potestate regali) ait: *Illa quæ præest diebus, id est, spiritualibus, maior est. quæ vero carnalibus, minor est: vt quanta est inter solem & lunam, tanta inter pontifices & reges differētia cognoscatur.* Ex his aliisque quam pluribus colligitur, quod imperator est minor papa. ergo non est iudex eius. Amplius, nemo est iudex iudicis sui. sed papa est iudex imperatoris, cum ipsum valeat excommunicare, & imperator ei subsit: & sibi debeat obedire, teste beato Clemente, qui vt legitur *2.* quæst. 3. c. *Si autem nobis episcopis non obedierint omnes presbyteri, & reliqui clerici, omnesque principes tam maioris ordinis quam inferioris, atque reliqui populi, non tantum infames sed etiam extorres à regno Dei & consortio fidelium & à liminibus sanctæ Dei ecclesiæ alieni erunt.* Hoc asserit Gelasius papa, vt habetur *di. 96. c. duo*, ait: *Talibus igitur institutis, talibusque fulti auctoritatibus, plures namque pontificum alii reges, alii Imperatores excommunicauerunt. nam si speciale aliquid de personis principum requiritur exemplum: Beatus Innocentius papa Archadium imperatorem, quia consensit, vt sanctus Iohannes Chrysostomus à sua sede pelleretur, excommunicauit.* ergo nunc imperator non est iudex papæ: cum papa sit iudex ipsius. Quod etiam papa sit iudex imperatoris, ostenditur. Nam sicut se habet corpus ad animam humanam, sic princeps corporis ad principem animarum. sed corpus animæ subest quantum ad regimen. ergo princeps corporum scilicet imperator, subest regimini principis animarum, scilicet papæ. Rursus, imperator non est iudex illius, qui legibus imperialibus est solutus: & qui mundanis legibus nequaquam astringitur, teste beato Nicolao papa, qui, vt habetur 23. *quæst. 2. c. inter hæc*, ait: *Beata Dei ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus.* Et idem, vt habetur *di. 10. c. lege*, ait: *Lege imperatoris non in ecclesiasticis omnibus controuersiis vtendum est.* Et infra: *Imperiali iudicio non possunt iura ecclesiastica dissolui.* Ex quibus patet, quod papa legibus imperialibus nequaquam astringitur. Quod & patet ex hoc, quod papa non astringitur canonibus papalibus, nec etiam canonibus generalium conciliorum. ergo nec astringitur legibus imperialibus, quæ sunt sacris canonibus postponendæ, teste Gratiano, qui 10. dist. §. 1. ait: *Constitutiones vero principum ecclesiasticis constitutionibus non præeminent, sed obsequuntur.* & eadem di. §. *ecce*, ait: *Ecce constitutiones principum ecclesiasticis legibus postponendæ sunt.* Et idem, vt legitur 2. quæst. 3. §. *hinc autem colligitur*, dicit, quod *seculi leges non dedignantur sacros canones imitari:* ergo papa legibus imperialibus est solutus. & per cōsequens imperator non est iudex papæ. Item, imperator non est iudex episcoporum inferiorum & clericorum; vt ex innumeris canonibus sacris colligitur. ergo non est iudex papæ.

CAP. XVII.

Inquirit idem quod prius: & ponit sententiam omnino contrariam sententiæ priori ca. præcedenti posita. vbi etiam ponuntur diuersi modi dicendi circa vnitatem iudicis inter fideles. & sunt quinque in numero. secundus impugnatur in hoc ca. tertius in ca. 19. quartus cap. 20. & quintus ca. 21.

DISCIP. Istæ allegationes pro assertione prædicta sufficiant. ideo ad assertionem contrariam te conuerte. MAGIST. Circa assertionem contrariam varii sunt modi ponendi.

DISCIP. Recita illos modos varios. MAGIST. Vnus modus ponendi est, quod imperator ratione imperatoriæ maiestatis de omni crimine tam ecclesiastico quam seculari habet iudicare, & papam ipsum (si est probatum contra ipsum crimen dignum depositione) deponere. DISCIP. Aliquas allegationes adducas ad probandum, quod imperator debet papam pro omni crimine iudicare. MAGIST. Ad hoc plures rationes sunt inductæ *prima parte huius dialogi libro 6. ca. 3. 4. & 5.* quibus non facile erit inuenire fortiores. ideo non videtur necesse, quod circa alias rationes adducendas me fatiges.

DISCIP. Non est inutile, vt etiam rationes ibi factas aliter, quam ibi, tractemus: ideo alias tangas, & alias coneris inducere. MAGIST. Quod imperator possit & debeat papam pro omni crimine iudicare, quampluribus viis ostenditur. quarum vna (quæ etiam est in *prima parte* tacta istius *Dialogi*) sumitur ex vnitate summi iudicis, quam omnis communitas bene ordinata habere debet. Nam omne regnum, omnis ciuitas, omne collegium, & omnis communitas debet habere vnum solum iudicem simpliciter supremum: vel plures summos idem officium habentes seu gerentes vicem vnius, à quo

vel

vel à quibus omnes alii debent iudicari. ergo tota vniuerſitas mortalium, ſi fuerit bene ordinata & gubernata, habet vnum ſimpliciter ſummum iudicem, vel plures habentes idem officium, à quo vel quibus omnes alii debent iudicari. religio autem Chriſtiana non impedit aut deſtruit bonam diſpoſitionem communitatis mortalium. ergo nihil inuenitur in ea repugnans optimæ diſpoſitioni vniuerſitatis mortalium. Ex quo concluditur, quod in nullo obuiat religioni Chriſtianæ. quia quicquid inuenitur in ea eſt conueniens optimæ diſpoſitioni mortalium: & per conſequens vnum habere ſummum iudicem vel plures idem habentes officium tenentes locum vnius, à quo vel à quibus alii omnes pro omni crimine debeant iudicari, non repugnat religioni Chriſtianæ. ſed iſte ſummus iudex non eſt papa: nec etiam papa habere poteſt tale officium. Ergo ipſe papa debet ab illo ſummo iudicari. Ille autẽ ſummus iudex eſt imperator, qui de iure eſt princeps & dominus totius mundi. ergo imperator habet iudicare papam pro omni crimine.

DISCIP. Iſta ratio mihi aliqualiter eſt obſcura. ideo antequam eam probes, vnum declara. per hoc enim melius intelligam, an aliquid probabilitatis contineat. dic igitur, quid intelligis per vnum iudicem ſummum, vel plures idem officium habentes?

MAGIST. Hoc dicitur propter diuerſum modum principandi, ſcilicet regalem, ariſtocraticum, & politicum: de quibus in morali Philoſophia tractatur. nam in principatu regali vnus eſt ſolus iudex ſummus. in aliis autem ſunt plures ſummi, à quorum nullo ſeorſum eſt aliqua referenda ſententia: ſed ex deliberatione communi & conſenſu ipſorum vel ſaltem valentioris partis ſecundum leges ipſorum & conſuetudines approbatas eſt ſententia proferenda. & ita tunc ſunt iudices plures ſummi: idem tamen officium habentes, & eandem penitus poteſtatem, ita vt ſæpe in omnibus ſunt æquales. & ideo gerunt vicem vnius & locum vnius tenent.

DISCIP. Rationem tactam perficias. MAGIST. Circa eam non videtur aliquid probandum, niſi quod in nullo obuiat religioni Chriſtianæ, vnitati mortalium vnum habere ſummum iudicem vel plures ſummos idem habentes officium: quod ex illis, quæ dicta ſunt *primo cap. huius* videtur poſſe probari, quia vniuerſitas mortalium nequaquam optime gubernatur, niſi vni principi, qui dominetur omnibus, ſit ſubiecta. ad quod probandum plures rationes ſunt ibidem adductæ.

DISCIP. Dimittamus ad præſens loqui de vniuerſitate mortalium, quorum aliqui ſunt fideles, & aliqui infideles: & ideo forte nullo modo concordarent in vnum iudicem, qui omnes alios de omni crimine iudicaret: & loquamur de tota communitate fidelium, quorũ aliqui ſunt laici. & videamus an iſta communitas non poſſit eſſe optime ordinata, quantum permittit ſtatus vitæ præſentis, niſi tota habeat vnum iudicem ſolum & ſummum, à quo alii pro quocunque crimine debeant iudicari. MAGIST. Quia tota communitas fidelium non habet talem vnicum iudicem ſummum, poteſt poni pluribus modis. DISCIP. Explica modos illos, vt de aliquibus eorum, vel de ſingulis conferamus. MAGIST. Vnus modus ponendi poteſt eſſe, vt diuerſa regna vel prouinciæ habeant diuerſos iudices ſummos, qui vni ſuperiori minime ſint ſubiecti. Alius eſt, vt reſpectu eorundem ſint diuerſi iudices ſummi non habẽtes idem officium, ſecundum modum expoſitum, qui eoſdem pro eiſdem delictis habeant iudicare. Alius eſt, vt vna pars habeat vnum ſummum iudicem à quo etiam pro quocunque exceſſu debeat iudicari. & alia pars habeat alium ſummum iudicem à quo etiam pro quocunque crimine habeat iudicari. ſicut ſecundum quoſdam omnes clerici habent vnum ſummum iudicem talem, ſcilicet papam: & omnes laici imperatorem. Alius eſt, vt vna pars habeat vnum ſummum iudicem, à quo ſolo vel auctoritate ipſius pro quocunque delicto debeat iudicari. alia autem pars pro aliquibus delictis debeat iudicari ab vno ſummo iudice, & pro aliis ab alio: ſicut ſecundum quoſdam omnes clerici pro quocunque delicto debent iudicari à papa, & pro aliis à iudice ſeculari. Alius eſt, vt ſit vnus ſummus, qui habeat facere iudicium de omnibus, vno vel paucis exceptis. ſicut ſecundum vnam aſſertionem ex lege humana ſolus papa eſt exceptus à iuriſdictione iudicis ſecularis. ſed omnes alii clerici ſola libertate eis conceſſa ab imperatoribus & regibus à iudicio ſecularium iudicum ſunt exempti. DISCIP. Si ſint alii modi ponendi negatiuam prædictarum aſſertionum ad improbandum iſtos: puto quod valeant reduci ad iſtos. ideo ſufficit adducere motiua, quæ allegari poſſunt pro iſtis vel ad improbandum iſtos. Dic ergo quomodo improbatur prima. MAGIST. Quomodo poſſit oſtendi & allegari, quod non ſit expediens diuerſa regna vel prouincias habere diuerſos ſummos iudices, qui nulli ſuperiori ſint ſubiecti, ex his quæ allegata ſunt *primo huius cap.* 1. poteſt aduertere ſtudioſus.

DISCIP. Conuerte te ad ſecundum, & indica quomodo poteſt improbari ille modus dicendi, qui tenet, quod non eſt contra diſpoſitionem bonam communitatis fidelium, vt reſpectu eorundem ſint diuerſi iudices ſummi vel non habentes idem officium: ſicut aliqui ponunt de papa & imperatore. quia vterque ſeorſum ſine requiſitione & conſenſu alterius poteſt eundem pro eodem delicto percellere. MAGIST. Hoc multis rationibus improbatur. Primo ſic. Delinquentes non poſſunt debito modo puniri, niſi citentur vel capti ducantur ad iudicem, ſed ſi ſunt plures iudices, quorum quilibet ſeorſum abſq; alio poteſt iudicare reum, poterit cõtingere vt nec citatus valeat comparere, nec captus aut capiendus valeat iudici præſentari. nam poterit contingere, ꝙ vterq; iudex ſuam iuriſdictionẽ cupiens exercere citet reum ꝓ eodem tempore, vel quod vterq; ad ipſum capiendũ mittat familiam. Si autẽ vterq; citetur ab vtroq; aut comparebit coram

vtroq;

vtroq; & hoc est sibi impossibile: aut comparebit coram vno solo, & tunc faciet alteri iniuriam, coram quo non comparet: cum non plus tenetur comparere coram isto, quam coram illo. & rursum, ab illo coram quo non compareret absque culpa illius de contumacia punietur: aut coram neutro comparebit: & tunc delictum eius erit impunitum. Si etiam vterq; illorum iudicum mittat familiam ad capiendum reum, aut altera illarum familiarum aut vtraq; erit inobediens domino suo. aut inter se pugnabunt, vt reus per potentiam perducatur ad iudicem, quibus pugnantibus euadet. & sic in populo seu communitate periculosa orietur seditio, & remanebunt crimina impunita. quare communitas, in qua talia ex potestate iudicum orirentur, est pessime gubernata. Amplius, ex huiusmodi pluralitate iudicum omnis vtilitas publica & reorum impeditur punitio. Quia poterit contingere, quod isti iudices voluerint subditos ad diuersa loca pro eodem tempore pro criminosis plectendis vel pro tractandis negociis, quibus conuocare non possunt ad diuersa loca aut eodem tempore conuenire. ergo & punitio malefactorum & communis vtilitas impeditur & de facili seditio orietur. quare talis communitas est pessime & periculosissime ordinata. Rursus, absque necessitate & vtilitate est pluralitas fugienda: quia frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora. sed pluralitas huiusmodi iudicum omni necessitate aut vtilitate caret: quia omnia melius disponerentur per vnum, quam per plures. dicitur ergo quod ex tali pluralitate faciliter orietur guerra & seditio ac discordia tam inter ipsos iudices sua potestate vti volentes, quam etiam inter ipsos subditos, quorum aliqui ex diuersis causis, imo innumerabilibus possunt inclinari, vt vni obediant & non alteri. alii autem poterunt ad alium inclinari. ideo communitas, quæ habet diuersos iudices summos, quibus vel quorum vno seorsum absque alio valeat punire eosdem delinquentes, pessima & periculosissima est censenda. quod veritas etiam apertissime testari videtur, quæ Matthæi 6. ait: *Nemo potest duobus dominis seruire. aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit & alterum contemnetur.* Ex quibus verbis habetur, quod nemo debet habere duos dominos vel duos iudices, quorum vnus non est sub alio. DISCIP. Ista auctoritas non videtur concludere opinioni: quia Christus loquitur de dominis contrariis, qui actu contraria iubent. MAGIST. Hæc responsio ab aliis minime satisfacit: quia Deus loquitur non solum de dominis contrariis actu, hoc est qui actu contraria iubent: sed etiam de illis, qui proni sunt ad iubendum contraria, & de quibus est probabiliter formidandum quod inter se dissentientes iubebunt contraria. Cum ergo nostra natura humana sit prona ad dissentiendum: non immerito est timendum quod si eadem communitas habuerit duo capita, ipsa inter se erunt dissentientia: quia quot capita, tot sententiæ & opiniones, *dist.* 19. *dist.* 10. *sicut in sacramentis*. quare timendum est, quod capita illa siue domini iubebunt contraria. Ex quo infertur, quod nullus subditus poterit eis seruire. & per consequens ista communitas, quæ habet plura capita, est pessime ordinata. Ex quo concluditur, quod si communitas fidelium habet duos summos iudices, scil. imperatorem & papam: est periculosa societas reputanda. Et consimili ratione infertur, quod absque periculis manifestis non possunt in eodem regno vel prouincia aut in ciuitate esse duo iudices supremi super eosdem, ecclesiasticus videl. & secularis: præsertim in illo regno, prouincia vel ciuitate, quod vel quæ superiorem de facto in temporalibus non recognoscit. Ad hæc roboranda adduci potest assertio veritatis, quæ Matth. 12. ait: *Omne regnum contra se diuisum desolabitur: & omnis domus vel ciuitas contra se diuisa non stabit.* Ex quibus verbis colligitur, quod omnis communitas & congregatio propinqua diuisioni est propinqua desolationi & ruinæ. Cum ergo communitas seu congregatio fidelium sit propinqua diuisioni, si habeat duos iudices supremos: quia capita diuersa sunt prona ad dissentiendum: sequitur quod communitas seu congregatio fidelium est propinqua desolationi & ruinæ. & per consequens contra bonum cõmune est, vt supra se duos habeat iudices supremos. Ad hoc etiam adducitur auctoritas Hieron. qui, vt legitur, *7. quæst. 1. c. in apibus*, ad Rusticum monachum ait: *In apibus princeps vnus est. grues vnam sequuntur ordine literato: imperator vnus: iudex vnus prouinciæ. Roma autẽ condita duos fratres simul reges habere non potuit, & fratricidio dedicatur. in Rebecca vtero Esau & Iacob bella gesserunt: singuli ecclesiarum episcopi, singuli archiepiscopi, singuli archidiaconi, & omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur.* In quibus verbis Hieronymus probat aperte per plura exempla, quod in eadem ecclesia non debeant esse plures prælati, quorum vnus non est sub alio. per quem æque aperte vel apertius potest ostendi, quod in eadem communitate non debent esse plures iudices supremi. Quia si per vniuersitatem principis in apibus potest ostendi vnitas episcopi in vna dioecesi, & vnitas archiepiscopi in vno archiepiscopatu: eadem ratione per vnitatem principis in apibus potest ostendi vnitas iudicis supremi super vnam cõmunitatem seu congregationem. Item, si ex hoc quod grues vnam sequuntur ordine, ostenditur vnitas episcopi & archiepiscopi in dioecesi: Consimili ratione ex hoc ostenditur vnitas iudicis supremi super vnam communitatem. Consimiliter si ex hoc, quod Roma condita duos fratres simul reges habere non potuit, sed fratricidio extitit dedicata, ostenditur vnitas episcopi & archiepiscopi & aliorum rectorum ecclesiæ: multo fortius ex eodem potest probari vnitas iudicis supremi super eandem communitatem, vt scilicet non sint duo: scilicet ecclesiasticus & secularis. Quia non minus præsumendum videtur, quod iudex secularis aduersabitur ecclesiastico vsque ad interitionem: quemadmodum vnus fratrum conditorum Romæ alium interfecit, quam iudex ecclesiasticus alteri iudici ecclesiastico, vel vnus episcopus alteri episcopo. Si ergo per exemplum duorum fratrum, quorum vnus occidit alterum: probari potest quod non debent esse duo episcopi in eodẽ episcopatu. multo fortius

per idem exemplum potest ostendi quod super communitatem fidelium non debent esse duo iudices: quorum vnus sit secularis & alius ecclesiasticus. Et propter illud patet, quod si per exemplū de Esau & Iacob, qui in vtero matris bella gesserunt, potest ostendi, quod non debent esse duo episcopi in vna diœcesi: multo fortius probari potest per idem exemplum, quod super communitatem fidelium non debent esse duo iudices summi, sc. ecclesiasticus & secularis. Hoc etiam verba Hiero. sonare videntur: qui vult quod vnius prouinciæ debet esse vnus iudex. non autem dicit, quod vnius prouinciæ debet esse vnus iudex ecclesiasticus, vel vnus iudex secularis. quasi vellet solummodo excludere pluralitatem iudicum ecclesiasticorum, & non pluralitatem iudicum secularium: sed dicit indistinctè, quod vnius prouinciæ est vnus iudex, volens per hoc pluralitatem omnem iudicum summorum quorumcunq; excludere. & ita super communitatem fidelium nō expedit esse plures iudices qualescunque summos.

Præterea, ista ordinatio communitatis non est bona, ex qua prouenit, quod potentior eiusdem communitatis valentis magnam sequelam habere ad impatientiam & iracundiam prouocetur contra alium potentiorem in eadem communitate: qui etiam poterit magnam habere sequelam. quia ex tali ordinatione sequuntur dissensiones, seditiones, & guerræ. Sed si in communitate fidelium ordinetur, quod sint sc. duo iudices summi, sc. papa & alius: ex tali ordinatione sequitur faciliter, quod vnus contra alium ad impatientiam & iracundiam ꝓuocetur: quia sicut dicit poeta: *Omnis potestas impatiens consortis est.* cui satis videtur alludere August. vt legitur 23. q. 7. c. *qui à nobis*, ait: *Quis enim auarus quærit compossessorem? quis dominandi cupiditate inflammatus, vel fastu dominationis elatus desiderat habere consortem?* q.d. nullus talis. ergo ordinatio communitatis nō est bona nec laudabilis, vbi sunt plures iudices summi nullum habentes superiorem. Ex quibus supra dictis concluditur, quod si in communitate fidelium fuerint plures iudices summi, siue plura capita simpliciter prima: qui vel quæ eosdem pro eisdem criminibus habeant coercere, & eisdem de eisdem præcipere: Sequitur manifeste, quod eadem communitas fidelium semper erit disposita discordiis, dissensionibus, seditionibus, pugnis, & guerris: tam inter capita ipsa contraria inuicem, quam inter subditos, quorum aliqui adhærebunt vni & alii alteri. & ideo pauci erunt vel nulli, quin vnum odio habebunt & alterum diligent. & per consequens vnū sustinebunt & alium si poterunt impugnabunt. ita semper erit timendum, quod non erit pax in communitate seu congregatione.

CAP. XVIII.

In quo obiicitur contra ea, quæ dicta sunt capitulo præcedenti.

DISCIP. Vt possim videre profundius, an ista aliquam verisimilitudinē habeant, contra ipsa obiiciam. Videtur enim per ista, quod omnis communitas, cui præsiderent plures & idem habentes officium, ita vt nullus sine consilio & consensu aliorum aut valentioris partis debet aliquid præcipere vel statuere seu ordinare aut aliquem coercere, non possent ex[illegible]nienter nec vtiliter statuta obseruare. quia omnia inconuenientia, quę deducta sunt ex pluralitate iudicum summorum in communitate fidelium super eosdem ex pluralitate præsidentium idem habentium officium seu gerentium vicem vnius, possunt inferri. Poterunt enim tales plures præsidentes reos ad diuersa loca citare, vel mittere familias diuersas, vt capiantur & ad diuersa loca ducantur, sicut processit ratio prima. Poterit etiam subditos pro eis plectendis, vel quibusdam negociis pertractandis ad diuersa loca vocare, sicut processit secunda. Frustra etiam regeretur quęcunq; communitas per plures huiusmodi præsidentes, cum possit regi per vnum secundum quod tertia ratio ꝓcessit. Nemo etiam poterit taliter diuersis dominis contraria iubere volentibus seruire iuxta auctoritatem Saluatoris: *Nemo potest duobus dominis seruire.* Talis etiā communitas propinqua erit desolationi & ruinæ propter hoc, quod plures huiusmodi præsidentes proni sunt ad sibi dissentiendum iuxta auctoritatē aliam Saluatoris: *Omne regnū in se diuisum desolabitur* &c. Per exempla etiam Hiero. quæ ponit 7. q. 1. *ca. in apibus*, potest ostendi quod non expedit esse plures huiusmodi præsidentes. Per hoc etiā, quod *omnis potestas impatiens est consortis*, probari potest, quod in nulla communitate debent plures tali modo præesse, sicut nec in aliquo episcopatu debent esse plures episcopi quomodolibet præsidētes. semꝑ enim videtur, quod si fuerint plures qualitercunq; in eadē communitate præsidentes, timor erit de dissensionibus, contentionibus, seditionibus, rixis, pugnis, & guerris. si prędicta concludāt, quod non debēt plures esse iudices summi in communitate fideliū, sc. ecclesiasticus & secularis, qui habent eosdē criminosos pro eisdem sceleribus coercere. etiam & ista concludere videntur contra modum, qui nunc in ecclesia esse videtur. ¶ Amplius, multę communitates sunt bene ordinatæ, in quibus tñ idem subest plurib. rectoribus. Ergo communitas fidelium poterit esse bene ordinata, licet in ipsa plures summi iudices pręsint eisdē. Antecedens patet: quia videmus, quod idē est vasallus pluriū dominorum & regum, quorum nullus est sub alio. Idem etiam clericus subest diuersis episcopis pro diuersis ecclesiis seu beneficiis, & in eadem causa eiusdem possunt esse plures iudices tam ordinarii quam delegati, & etiam arbitri, *extra de sentent. & remiss. in capitulo vltimo: & extra de rescriptis, cum contingat.* ita videtur ostendi, quod allegationes præscriptæ non concludunt intentum. tu autem indica, quomodo respondetur ad ipsas. MAGIST. Ad primam obiectionem respondetur, quod vbicunque in ea-

in eadem communitate sunt plures præsidentes & idem habentes officium seu vicem gerentes vnius, non est optime disposita, sed est a b optima dispositione deficiens. quia optima dispositio communitatis est, quod sit vnicus præsidens summus in ipsa. ab ipsa tamen optima dispositione sæpe est necesse recedere propter diuersos casus. Quia aliquando subditi vnum nullatenus sustinerent: aliquando nullus posset inueniri qui sufficeret solus præesse. Vnde ex multis causis potest contingere, quod melius sit plures præesse quam vnum: licet melius esset disposita communitas, si vnus præsidens posset conuenienter haberi: ita vt quæcunque communitas præcipue notabiliter magna, quæ gubernatur à pluribus summis in eadem communitate nequaquam optimo regimine gubernatur: sicut tamen sæpe periclitantes in mari optimum modum nauigandi coguntur dimittere propter pericula euitanda, & nonnunquam viatores vias meliores compelluntur relinquere & longiorem ac deteriorem eligere: & frequēter multa bona ex causis necessariis omittuntur, & multotiens dispensatiue, qui alias essent indigni, multiplici ratione ad diuersa officia promouentur. sic nonnunquam ex causa rationabili necesse est optimum modum præficiendi relinquere, scilicet regimen vnius solius, & præsidentiam plurium acceptare.

DISCIP. Per istam rationem responderi potest ad omnes rationes præcedentis capituli, inquantum probant, quod in communitate fidelium non debent esse plures iudices summi, scil. ecclesiasticus & secularis: quia solummodo probant, vt dicit ista responsio, quod si esset communitas fidelium optime disposita, vnum summum caput seu iudicem habere deberet. non autem est necessarium, quod communitas fidelium, quæ obnoxia est variis tribulationibus & pressuris, semper sit optime disposita. poterit ergo plures iudices summos, scilicet ecclesiasticum & secularem habere, ita vt fideles omnes sint eisdem pro eisdem delictis subiecti.

MAGIST. Ad hoc respondetur, quod propter tribulationes & aduersitates, quas sustinere posset communitas fidelium ex singulari malitia Christianorum posset contingere: quod pro aliquo tempore expediens esset, quod tota esset subiecta duobus supremis iudicibus: tunc tamen nimis periculosissime ab optima dispositione recederet. & ideo non debet tale regimen, nisi in casu singularissimo, sustineri. quare quantum potest conari tenetur, vt habeat solummodo vnum iudicem summum, qui omnes malefactores pro quibuscunq; criminibus per se vel per iudices inferiores ipso, à quibus ad ipsum licet rationabiliter appellare, habeat coercere. Iste autem iudex non potest nec debet esse papa. quia papa ex ordinatione Christi quantum potest, se debet à negociis secularibus sequestrare. ergo si optime sit ordinata communitas fidelium, vnum iudicem secularem summum habebit, qui non debet esse alius quam imperator Romanus, quando est catholicus: sane vt intelligeres, quod allegationes præcedentis capituli concludunt: sed allegationes addunt vnum, quod nullus Christianus debet negare, vt eis videtur, quod scilicet nec per ordinationem Christi, nec per ordinationem apostolorum, nec per ordinationem summorum pontificum Christianæ fidei zelatorum, nec per ordinationem generalium conciliorum rite celebratorum, nec per ordinationem quorumcunque iustorum, optimus modus regendi fideles, quantum permittit status vitæ præsentis, qui & seruatus est inter multos fideles, & inter infideles laudatur secundum rationem viuere cupientes hoc esse vtile communitati fidelium: licet quandoq; tota communitas fidelium talem optimum modum regendi propter malitiam hominum nō valeat adipisci. ergo ex isto inferunt, quod ex ordinatione Christi papa non habet iurisdictionem vniuersalem pro omni crimine super totum populum Christianum. Et per consequens ordinationi Christi non repugnat, quod aliquis alius super populum Christianum habeat potestatem. & hoc concludunt allegationes præscriptæ *in c. præced.* vel saltem videntur necessario concludere allegationes illæ quod tota communitas seu congregatio fidelium non optime regitur, si habeat plures iudices, qui eosdem pro eisdem criminibus habeant cohercere. & talis modus regendi per diuersos huiusmodi summos iudices non fuit ordinatus à Christo.

DISCIP. Indica quomodo ad secundam obiectionem respondetur. MAG. Conceditur quod multæ communitates sunt bene ordinatæ, in quibus idem subest pluribus rectoribus. sed istæ non sunt optime ordinatæ, in quibus idem subest pluribus rectoribus non habentibus superiorem. Licet igitur aliquis possit esse vasallus plurium dominorum, & in hoc aliquam habeat vtilitatem, quia plura feuda tenet: tamen maiorem vtilitatē haberet, si pro omnibus feudis illis esset vasallus vnius solius: licet in casu vtilius sit sibi habere plures dominos quam vnum solum. sed hoc est propter malitiam domini vnius, vel aliquorum aliorum inquantum ab optima ordinatione mortalium aliquis vel aliqui recedit vel recedūt, qualia etiam damna patiantur sæpe illi, qui plures dominos habent magis quam illi qui soli domino sapienti & iusto sunt subiecti, experientia docere videtur. Cum secundo accipis tibi pro exemplo, quod idem clericus est subiectus diuersis episcopis pro pluribus ecclesiis vel beneficiis. Respondetur, quod illud exemplum est ad oppositum: quia quod idem clericus sit subditus pluribus episcopis pro diuersis beneficiis est contra ius commune: & per dispensationem solummodo fieri potest. quare licet in casu ex aliqua speciali causa cum ordinatione bona clericorum stet, quod talis sit subditus pluribus episcopis: hoc tamen non stat cum optima ordinatione ipsorum. quia melius clerici regerentur, si posset semper seruari ius commune, vt nullus clericus haberet plura beneficia in pluribus episcopatibus. Cum autem pro tertio exemplo dicis, quod in eadem causa possunt esse plures iudices &c. Respondetur, quod iudices illi habent superiorem iudicem, & non sunt summi. ideo aliquando vtile est,

quod sint plures non summi: præsertim cum illi iudices non sunt diuersi, vt vnus pro libito possit absq; alio in casu procedere: imo vicem vnius gerunt. & tamen quod sint plures, hoc accidit ex aliqua causa speciali, quæ non haberet locum, quando litigantes essent optime dispositi, quantum permittit conditio litigantium. propter quod melius disponi videntur litigantes, quando concorditer eligunt siue compromittunt in vnum, quam quando in vnum discordant, & quã quando omnino diuersos volunt habere. & sic est de omnibus litigantibus, quod illi minus à bona dispositione recedunt, qui nisi alia causa specialis impediat, sub vno iudice cupiunt litigare.

CAP. XIX.

Tractat tertiam opinionem ca. 17. positam. & contra eam arguit ex rationibus contra secundam opinionem ca. prædicto adductis.

DISCIP. Visum est de secundo modo ponendi communitatem fidelium non habere vnum summum iudicem, qui ponitur *supra ca.* 17. nunc videamus de tertio, qui dictus est *ibidem.* MAG. Qualiter ille modus discuti valeat, ex illis quæ tractata sunt *primo huius ca.* 1. *vsque ad ca.* 13. patere poterit studioso. DISCIP. Hoc non obstante, de isto modo ponendi aliquid specialius videamus, an scilicet optimæ ordinationi communitatis fidelium obuiet & repugnet, vt clerici pro omni crimine iudicentur à papa vel aliis iudicibus ecclesiasticis inferioribus: & etiam omnes laici à iudice seculari: quia contra istum modum ponendi totam communitatem fidelium non habere vnum iudicem summum rationes *ca.* 17. adductæ non videntur concludere: quia secundum istum modum nec aliquis deberet citari aut vocari à diuersis ad diuersa loca: nec aliquis cogetur duobus dominis seruire: nec super eosdem plures potestatem habebunt: nec aliqua potestas cõsortis erit impatiens, secundum quæ rationes istæ processisse videntur. vel ergo declara secundam opinionem *supra ca.* 17. recitatam, quomodo allegationes istæ concludunt contra tertium modũ, de quo nunc quæro loqui: vel aliquas alias allegationes conaris adducere. MAGIST. Licet secundum opinionem *supra ca.* 17. recitatam modus regendi communitatem fidelium de quo *cap. præcedenti & ca.* 17. tractauimus, sit multo perniciosior isto modo, de quo nunc vis conferre. & ideo istæ allegationes multo patentius concludunt contra illum modum, quam contra istum, cum eædem allegationes vel aliquæ illarum conuincunt, vt videtur, istum modum regendi communitatem fidelium ab optimo modo & puniendi reos deficere. primæ autem duæ allegationes contra istum modum inefficaces apparent. sed tertia contra ipsum aliquam apparentiam habere videtur: eo quod tota cõmunitas fidelium posset regi per vnum. Frustra autem fit per plures, quod fieri potest per pauciores. ergo tales duo rectores. sc. ecclesiasticus & secularis illo modo frustra ponuntur. Quarta allegatio fundata in auctoritate Saluatoris *Matth.* 6. nequaquam videtur concludere contra istum modum: sed fundata in auctoritate Saluatoris Matth. 12. *omne regnum contra se diuisum desolabitur* &c. contra istum modum tali modo adducitur. non solum illa societas est propinqua desolationi & ruinæ quæ est cõtra se diuisa: sed etiam illa, quæ ex modo regendi est disposita diuisioni propinqua, iuxta auctoritatem Saluatoris. sed si communitas fidelium habeat duas partes, quarũ vna habeat iudicem summum, & alia alium: communitas illa est disposita ad diuisionem & diuisioni propinqua. quia propter assiduam mutuam cõmunionem subditorũ & summorum iudicũ, qui sicut oẽs mortales sunt proni ad dissentiendum contra se faciliter diuiderentur. ergo si tali modo regatur communitas fideliũ piculosa est cẽsenda. Alia autem allegatio fundata in auctoritate beati Hieronymi, videtur efficaciter concludere contra illum modũ: quia per exempla, quæ adducit Hieronymus, non solum probatur vnitas plati super vnum populum siue supra vnam multitudinem hominum: sed ẽt probatur vnitas prælati super vnum locũ, in quo subiecti morantur, vt in vna diœcesi, quæ certam regionem comprehendit, sit tantũ vnus episcopus: & in vna prouincia sit tantum vnus archiepiscopus. ergo per eadem exempla non tantum probatur vnitas iudicis summi super aliquem locum, in quo sibi subiecti morantur, vt in eodem loco nullus alius sit iudex summus quorumcunq; in illo loco morantium, sicut in diœcesi Parisiens. est vnus solus episcopus: & in prouincia Mediolan. est vnus solus archiepiscopus. Sequens allegatio etiam contra istum modum videtur concludere, quod potestas non solum est impatiens consortis super eosdem subiectos: sed etiam impatiens est consortis in eodem loco. sicut enim iudex aliquis nollet, quod subditi sui essent alterius subditi; ita nollet, quod aliquis alius haberet potestatem in loco vbi subditi sui morantur. ergo non solum est periculosa societas fidelium, si sint plures iudices super eosdem populos vel subditos; sed etiam periculosa est societas fidelium, si in eodem loco etiam super diuersos subditos fideles fuerint plures summi iudices constituti. & ita non expedit, quod clerici habeant vnum summum iudicem ecclesiasticum, scilicet papam; & laici vnum summum iudicem, scilicet imperatorem; cum clerici & laici in eisdem locis simul commaneant.

DISC. Video qualiter præscriptæ allegationes adducuntur contra istum modũ ponendi. ideo cõtra eundẽ modũ ponendi coneris alias inuenire. MAG. Videtur ꝙ contra eundẽ modum ponẽdi potest aliter allegari. Nã, vt allegatũ est 1. *huius c.* 1. illud regimen est expediens vniuersitati morta-

mortalium: & eadem ratione toti congregationi fidelium, per quod iurgia & litigia, ad quæ prona est natura mortalium, æquius & conuenientius deciduntur. sed iurgia & litigia, quæ oriri possunt ex causis innumeris inter clericos & laicos, æquius & conuenientius deciduntur, si omnes tam clerici, quam laici habent vnum summum iudicem, sub quo omnes debent litigare, quam si habeant plures iudices tales, scilicet ecclesiasticum & secularem. nam si orta materia litis inter clericos & laicos coram ecclesiastico iudice, qui non sit summus iudex laicorum, debeant litigare, merito laici habebunt eum suspectum. Consimiliter si debeant litigare coram iudice seculari, qui non est iudex clericorum, non indigne clerici habebunt eum suspectum. ergo absque rationabili suspicione non dirimetur litigium aliquod inter clericos & laicos, si non est omnium vnus iudex summus. Amplius (vt communiter) maiores & plures occasiones discordiarum, contentionum, seditionum, præliorum & guerrarum ac rixarum emergunt inter morantes simul, quam inter distantes, si simul morantes non habent vnum iudicem summum, cuius metu ab huiusmodi refrenentur. Sed inter distantes valentes ad inuicem communicationem habere sæpe contingunt occasiones malorum huiusmodi. Ergo multo magis timendum est, ne talia inter morantes simul emergant, nisi habeant vnum summum iudicem, qui omnes impedientes tranquillitatem & pacem habeat coercere. Rursus, nulla communitas simul viuentium vita politica est optime ordinata, nisi sit ciuiliter vna. vnde fideles sicut sunt vnum corpus in Christo, *ad Rom. 12.* ita etiam debent esse vnum corpus seu collegium in vita ciuili. sed communitas illa, quæ habet diuersos summos iudices seu diuersa capita siue rectores, non est ciuiliter vna: sicut illi, qui non habent vnum regem, non sunt vnum regnum. Sed communitas seu congregatio fidelium vel est optime ordinata, vel laborare debet, vt sit optime ordinata & ciuiliter: quia vita ciuilis pro eo, quod includit diuersas partes & diuersos modos ponendi, competit religioni Christianæ & vitæ gratiæ non repugnat. ergo communitas fidelium, si non est vna, quia non habet vnum summum iudicem, qui malefactores omnes per seipsum vel per iudices constitutos ab ipso seu inferiores eo habeat castigare ad habendum vnum huiusmodi summum iudicem, vt sit optime ordinata ciuiliter: etiam ciuiliter vna debet efficaciter laborare. & ita non expedit, vt in communitate fidelium sint plures iudices summi, quorum vnus clericos, & alius laicos debeat castigare.

Cap. XX.

In quo impugnatur quartus modus dicendi supra ca. 17. huius assignatus.

DISCIP. Nunc videamus qualiter impugnatur quartus modus ponendi, communitatem fidelium non habere vnum iudicem summum, sicut *ca.* 17. recitatur. MAGIST. Iste modus tenet, sicut dictum est ibi, quod vna pars fidelium, scilicet clericorum, habet vnum summum iudicem, à quo solo vel à iudicibus inferioribus eo debet iudicari: præsertim si circa iustitiam exhibendam non fuerit negligens aut remissus. pro quibusdam autem delictis iudicari debet, præsertim si circa iustitiam exhibendã non fuit negligens aut remissus, sicut & iudex summus à summo iudice alterius partis, scilicet à papa vel iudicibus ecclesiasticis inferioribus ipso. Sed quibusdam apparet, quod talis communitas non est optime disposita ciuiliter: quia ista communitas nõ est optime ciuiliter ordinata, in qua quantum permittit status vitæ præsentis occasiones discordiarum & litium ac seditionum, rixarum, præliorum & guerrarum minime amputantur. sed in communitate fidelium, si prædicto modo fuerit ordinata, non amputantur quantum est possibile pro statu præsentis vitæ occasiones malorum huiusmodi. nam non minima occasio talium est, si diuersi iudices simul & eodem tempore eundem reum, præsertim diuitem & potentem, ad diuersa loca & iudicia trahere moliantur. poterit autem contingere, quod aliquis laicus potens & diues committat diuersa scelera: quorum aliqua ad iudicem secularem, & alia ad iudicem ecclesiasticum pertineant punienda, quare poterit euenire, quod tam iudex secularis quam ecclesiasticus voluerit ipsum trahere ad suum forum, quod pro eodem tempore est impossibile. ergo ex hoc orietur contentio & seditio, rixa & guerra inter iudices ipsos: & per consequens inter subditos ipsorum. quare tali supposita pluralitate iudicum in communitate fidelium pax & tranquillitas subditorum & iudicum erunt leuiter dissipata. Contra istum etiam modum ponendi videntur concludere oẽs allegationes tam *primo huius ca.* 1. quàm in hoc *tertio ca.* 17. inductæ ad probandũ, ꝙ est expediens, ꝙ tota cõmunitas mortaliũ habeat vnũ principem, qui sit dominus omniũ, & ꝙ est expediens vt tota cõmunitas fidelium habeat vnũ summum iudicem, qui oẽs alios fideles habeat, si deliquerint, coercere. quamuis n. plura inconuenientia sequuntur ad secundum modum ponendi & tertium superius. 18. & 19. *ca.* impugnatos, q̃ ad istum: tamen ad istum multa sequuntur, secundũ quod per allegationes illas vel aliquas earum posset ostendi. DISC. Breuiter tange allegationes, per quas alios modos ponendi improbasti. quia forte ex deductione earũ, quam ibi fecisti, aduertetur, an aliquam apparentiã habeant contra istum modum. MAG. Si laici sint subditi tam iudici ecclesiastico quam iudici seculari: quamuis pro diuersis casibus poterit contingere, quod vterq; istorum iudicũ pro casu spectante ad ipsum & pro cõmunibus negociis ad ipsum & laicos spectantibus pertractandis ipsos laicos eodem tempore ad diuersa loca vocare voluerint. cui ergo obedient laici? aut vtrique, ꝙ est impossibile: aut neutri: & tunc talis communitas non est optime

ordinata. quia illa communitas non est conuenienter disposita, in qua subditi superiori suo aut non debent aut non possunt obedire. si obediant vni & non alii: illi cui non obediunt, faciunt iniuriam & ipsum offendunt: à quo pro contumacia punientur. Amplius, per talem pluralitatem iudicii communis vtilitas laicorum impedietur: quia non poterunt obedire vtriq; iudici summo, si pro communib. negociis vocati fuerint eodē tempore ad loca diuersa. Rursus, nemo iuxta sententiā Saluatoris potest duob. dominis seruire. ergo laici iudici seculari & ecclesiastico, qui proni sunt ad dissentiendum, seruire non poterunt. Item, iudex secularis & ecclesiasticus ex causis innumeris poterunt diuidi contra se. quare tota communitas fidelium faciliter desolabitur. Adhuc, sicut testatur Hiero. In vna diœcesi debet esse vnus episcopus, & in vna prouincia vnus archiepiscopus, cuius vtilitatem per multa exempla probat. ergo super laicos debet esse tātum vnus iudex summus, non tantum de eisdem criminibus, sed etiam pro omnibus, vt de omnib. criminibus ab vno solo iudice summo & aliis iudicibus inferioribus eo debeant iudicari. Rursus, omnis potestas est consortis impatiens, & præcipue super eosdem subditos, & pro causis diuersis. ergo iudex secularis erit impatiens, si iudex ecclesiasticus super laicos habeat potestatem. etiam eodem modo iudex ecclesiasticus habens super laicos aut clericos potestatem erit impatiens, si iudex secularis super eosdem habeat potestatem. quare cito ad iracundiam, & per consequens ad contentionem, rixam & bellum & guerram prouocabuntur. Concluditur ergo, quod communitas fidelium non erit optime gubernata ciuiliter, etiam quantum ad vitam politicam, nisi tota & omnis pars eius habeat vnum iudicem & rectorem supremum, de cuius iurisdictione immediata vel mediata in omni casu ab eo vel à iudicibus inferiorib. eo omnis alius pro quocunq; delicto debeat iudicari.

Cap. XXI.

In quo impugnatur quintus modus dicendi sup. c. 17. assignatus.

DISCIP. Audiui qualiter secundus modus & tertius & quartus ponendi communitatem fidelium, non habere vnicum summum iudicem, sicut *c. 17.* recitati sunt, impugnantur: nunc audire desidero, quomodo impugnatur quintus. MAG. Quintus est quorundam, qui ponunt q̃ imperator est iudex in omni casu omniū Christianorum, præter quam papæ. quia papa exceptus est totaliter à iurisdictione imperatoris & cuiuslibet mortalis. omnes autē alii clerici solummodo sunt excepti per priuilegia imperatorum & regum. Iste autem modus taliter impugnatur. Sicut non absq; periculo dissipationis, tranquillitatis & pacis duæ multitudines hominum simul in eodem loco morantur, si non habent vnum summum iudicem, qui malefactores coerceat: sic non absq; periculo dissipationis, tranquillitatis & pacis moratur aliquis non subiectus cum alio vel cū aliis, qui potestatem & magnam sequelam potest habere. talis enim propter sequelam, quam potest habere, est pro multis non immerito computandus: sed papa propter altitudinem officii, quo fungitur, potest habere maximam sequelam Christianorū. ergo si non est subiectus summo iudici Christianorū, non morabitur cum ipso absq; periculo dissipationis, tranquillitatis & pacis.

Cap. XXII.

Positis fundamentis rationum omnium pro opinionibus adductarum: secundum fundamentum magis probat, scilicet quod laici non sunt in omnibus subiecti summo pontifici.

DISCIP. Cerno quod ratio, quam *à 17. ca.* vsq; hic tractauimus, fundatur in duobus. Quorum primum est, quod nulla communitas seu congregatio mortalium, nec vniuersalis nec particularis est optime disposita, nisi vnum caput seu rectorem summum habeat, cui omnes nullo excepto, quo ad omnia quæ pro communi vtilitate sunt necessario facienda, sint subiecti, & quod multum apparentiæ videtur habere. quia vbi non est vnitas, non est facile concordiam conseruare. non est autem vna congregatio seu multitudo neque vniuersalis neque particularis: quæ non habeat vnum caput seu rectorem, quia, vt testatur beatus Cypria. prout legitur *24. q. 1. ca. loquitur* vbi est vnitas, oportet quod eius origo ab vno incipiat: quia, vt dicit ibidem, *ab vnitate exordium proficiscitur.* in quacunque communitate seu congregatione est vnitas: illa vnitas ab vno incipit. ille autem vnus non est nisi caput & rector communitatis. ergo nulla communitas est vere vna, nisi illa, cuius caput & rector est vnus, ita vt omnes alii sint membra ipsius. Item, vnitas communitatis seu congregatio non est nisi vnitas ordinis secundum superioritatem & inferioritatem, vt quilibet respectu alterius sit inferior siue superior: vel plures sint inferiores respectu vnius superioris: quia vbi essent plures superiores respectu vnius inferioris, non esset verissia vnitas, quæ est optima dispositio communitatis. oportet igitur quod summus in communitate potissima sit vnicus: & ita videtur multum apparens, quod nulla communitas nec particularis nec vniuersalis est optime ordinata, nisi habeat vnum caput vel rectorem, cui omnes alii sunt subiecti. vnde & vna domus non est optime disposita, nisi habeat vnum patremfamilias: nec vna villa, nec vna ciuitas, nec vnum regnum optime gubernatur, nisi ab vno summo regatur. Et ideo omnes volentes secundum rationem politice viuere, vnum caput summum constituerent super omnes. Secundum, in quo videtur fundari ista ratio, est quod imperator & alii laici

non

non sunt in omnibus, quæ spectant ad gubernationem ipsorum & correctionem, si deliquerint subditi summo pontifici. quod vt videtur non habet tantam apparentiam, sicut primum. ideo pro isto alias allegationes adducas. MAGIST. Pro ista poteris tu colligere allegationes quamplures *ex primo huius ac pluribus ca. specialiter. c. 28. & ex secundo huius. c. 1. & 12. & 14. & 15.* DISCIP. Pro isto secundo fundamento præscriptæ rationis alias speciales allegationes adducas: vel alias prius tactas magis exquisite pertracta. MAG. *Primo huius c. 28.* tacta est vna allegatio, quæ nonnullis apparet multum fortis, quæ talis est. ille non est inferior alio, quoad illa, in quibus ab ipso ad istum alium appellare non licet. quia in omnibus, in quibus vnus iudex est inferior alio, licet appellare ad illum superiorem vel saltem ad superiorem ipso. sed in multis causis non licet appellare ab imperatore ad Papã, ergo ad multa imperator non est inferior Papa. quod per sacros canones probatur aperte. Fabianus Papa, vt habetur 2. *q. 6. c. 1.* ait: *Licet appellatori viciatam causam remedio appellationis subleuare.* Idem eadem *causa & q. c. liceat*, ait: *liceat etiam in criminalibus causis appellare, nec vox appellandi negatur eo quod in supplicio sententia destinauerit.* Ex his colligitur, quod vbicunque habet iudex superiorem ad superiorem potest appellare. Minor, scilicet quod in multis causis non est appellandum ab imperatore ad Papam, multis modis probatur. hoc enim Glo. 2. *q. 6. c.* super verbo *sacerdotum*, videtur asserere dicens: *ergo à seculari iudice ad Papam potest appellari: quod verum est vacante imperio, vt extra de foro compe. licet alias, & extra de appellationibus, sed duobus.* Item Glo. eodem ca. super verbo *in communi* ait: *primo publice, vt secularis iudex audiat seculares causas, ecclesiasticus ecclesiasticas audiat. & sic planum est, quod dicitur in textu. sed cum dicit Anacletus: coram patriacha aut primate ecclesiastico & coram patricio secularia negotia iudicentur.* Ex quibus verbis colligitur, quod in negotiis secularibus à iudice seculari: & per consequens ab imperatore non est appellandum ad Papam. DIS. Si secundum Glossam primam vacante imperio licet appellare ad Papam. ergo Papa habet disponere de imperio: & per consequens imperator ratione imperii est inferior Papa. & ita etiam non vacante imperio, licet appellare ab imperatore ad Papam etiam in secularibus causis. MAG. Respondetur tibi, quod Papa vacante imperio nihil habet disponere de imperio, nisi auctoritate imperatoris instituentis eum vicarium suum, vel auctoritate aliorum scilicet Romanorum vel principum, quibus concessa est potestas ordinandi quis debeat gerere vicem imperatoris vacante imperio. & ideo si vacante imperio contingit appellare ad Papam, hoc est, inquantum Papa gerit vicem imperatoris & locum imperatoris tenet. qui autem gerit vices alterius & locũ eius tenet, est inferior eo in hoc. quia semper vicarius est inferior eo, cuius est vicarius. ergo Papa est in hoc inferior & minor imperatore: & per consequens ab ipso imperatore non licet appellare ad Papam. DISCIP. Licet ista instãtia apparenter videatur exclusa, tamen adhuc videtur posse ostendi, quod pro negociis seu causis secularibus liceat ab imperatore & aliis secularibus iudicibus appellare. Nam ad illum licet appellare, qui potest causam viciatam subleuare. sed si causa secularis in foro seculari vel coram iudice seculari fuerit viciata: quia imperator vel alius iudex secularis non vult facere iustitiæ complementum: Papa potest causam taliter viciatam subleuare, & ad ipsum vel alium iudicem ecclesiasticum est recurrendum pro iustitia obtinenda, *extra de foro competen. c. ex transmissa. & c. verum. & c. licet, & c. ex tenore.* ergo licet appellare ab imperatore & aliis iudicibus secularibus ad Papam. MAG. Respondetur, quod etiam in decretalibus, quæ maiorem iurisdictionem & auctoritatem Papę & iudicibus ecclesiasticis tribuere videntur, nunquam inuenitur, quod si imperator neglexerit facere iustitiam in causa seculari, eo ipso possit Papa auctoritate Papalis officii & ex ordinatione Christi in eadem causa facere iustitiæ complementum, licet ex consuetudine inquantum imperator scit & approbat, vel saltem scit & non prohibet, sed colorans hoc faciat, Papa & iudices ecclesiastici in quibusdam regionibus iudicant de aliquibus criminibus pure secularibus, irrequisito omni iudice seculari: quod tamen eis ex iure diuino non competit. Et hinc est, quod ex consuetudine obtinent Papa & ecclesiastici iudices, quod quando iudex secularis negligit facere iustitiam, ad ipsos recurritur, quæ quidem consuetudo si iudices seculares in illis regionibus fuerint notabiliter negligentes, potest ex causa rationabili præscribi; præsertim si imperator hoc sciens ipsam duxerit tolerandam. Cum ergo dicis, quod ad illum licet appellare, qui potest causam viciatam subleuare. Respondetur, quod hoc non est generaliter verum vocando causam viciatam, omnem quæ iusta sententia minime terminatur; quia appellatio semper debet fieri ad maiorem & causam taliter viciatam, quæ scilicet iuste minime terminatur: potest quandoque minor supplendo negligentiam maioris subleuare. sicut etiam in conferendo beneficio & aliis disponendis potest minor supplere negligentiam superioris. *extra de elec. c. in cunctis. extra de concess. præbendarum. c. nulla. & c. quia diuersitatem. extra de institutionibus. graue. & 9. q. 3. cum simus. & 89. di. volumus.* vbi dicit Gloss. *arg. quod si prælatus non vult vel negligit facere, quæ debet, tunc ea debent supplere subditi.* hoc etiam colligitur ex concilio Sardicen. quod ponitur *dist. 65. c. vltimo*, vbi dicit Glos. quod *si subditi negligunt facere quod debent: debeat suppleri à maiori vel per se vel per alium, & econuerso.*

Ex quibus aliisq; quampluribus patet, quod inferiores possunt supplere negligentiam superioris; cum etiam sæpe possunt superiores corrigere & cohercere, teste Egino Papa, qui, vt legitur 9. *q. . c. saluo*, ait: *saluo in omnibus Romanæ ecclesiæ priuilegio nullus metropolitanus absq; ceterorum comprouincialium episcoporum instantia aliquorum audiat causas. quia irrita erunt aliter, antequam in cõspectu omnium eorũ*

erunt ventilatæ: & ipse si fecerit, coherceatur à fratribus. cui concordare videtur Anitius Papa, quidem *causa 9.c.si autem.*aut:c. *si autem aliquis metropolitanorum inflatus fuerit & sine omnium comprouincialium præsentia, vel consilio episcoporum vel causas eorum, vel eas tantum quæ ad propriam suam pertinent parrochiam agere aut grauare eos voluerit, ab omnibus districte corrigatur, ne talia deinceps præsumere audeat. si vero incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, ad hanc apostolicam sedem, cui episcoporum iudicia referri præcepta sunt, eius contumacia referatur, vt de eo vindicta fiat.* Ex prædictis colligitur, quod minor potest supplere negligentiam maioris.& ideo non semper ille, qui potest causam vitiatam subleuare, est maior. & per consequens non potest semper appellari ad ipsum. quare licet Papa suppleat negligentiam iudicum secularium:& si suppleret negligentiam imperatoris terminando causam, quam imperator terminare negligeret: non posset per hoc ostendi, quod ab imperatore liceat appellare ad Papam: nec quod imperator in talibus sit minor Papa. DIS. Quod minor valeat supplere negligentiam superioris, hoc non est nisi auctoritate canonis conditi à concilio, quod est superius illo inferiori, qui potest supplere negligentiam superioris, *extra de conces. preben. quia diuersitatem.* sed Papa auctoritate talis canonis vel legis non supplet negligentiam iudicum secularium vel imperatorum: sed auctoritate propria. ergo ex officio maior est imperatore in talibus, & etiam omnibus aliis iudicibus secularibus.

MAGIST. Respondetur tibi, quod sicut inferiores auctoritate legis supplent negligentiam superioris: ita Papa virtute consuetudinis, quæ æquipollet legi, supplet negligentiam iudicum secularium. Et ideo auctoritate officii sui non supplet negligentiam talem.& ideo non est maior in huiusmodi causis secularibus. DIS. cuius auctoritate vel consensu potest introduci talis consuetudo, quæ tribuat Papæ huiusmodi potestatem? MAGIST. Ad hoc tibi respondetur vno modo, quod potest introduci huiusmodi consuetudo auctoritate vel consensu tacito, vel expresso imperatoris & iudicum secularium, quibus potest placere, quod Papa negligentiam suppleat eorundem, aut possunt scienter tolerare, quod hoc faciat Papa. Aliter dicitur, quod pôt introduci auctoritate populi, qui velint vel consentiãt, ꝙ Papa huiusmodi habeat potestatẽ. aliter dicitur, ꝙ pôt introduci auctoritate siue ratione naturalis rationis, quę dictat, ꝙ iustitia est nullatenus negligẽda, quin semper in cõmunitate seruetur. DIS. Nũquid possent imperator & iudices seculares talem consuetudinem tollere? MAG. Respondetur, quod secundum istam assertionem, quæ ponit, quod talis consuetudo potest introduci de consensu tacito vel expresso imperatoris & iudicum secularium imperator posset eam tollere; sed non alii iudices seculares. quia enim præscriptio est à iure imperiali, & non ab inferioribus iudicibus. ideo enim hoc non potest Papa præscribere contra imperatorem, si expresse & ex certa scientia tolerat huiusmodi consuetudinem. sed contra alios iudices seculares inferiores præscribere potest Papa. Si tamen imperator reuocaret huiusmodi consuetudinem, aut aliquomodo negligeret facere iustitiam, vel etiam permitteret alios iudices inferiores negligere iustitiam, & nullatenus sustineret, quod Papa, vel alius suppleret tam perniciosam negligentiam, & omnibus verisimiliter huiusmodi confusio incorrigibilis appareret, esset tanquam destructor & peruersor iustitiæ de dignitate imperiali deponendus.

Cap. XXIII.

Probat, quod Papa est inferior Imperatore iurisdictione coactiua.

DISCIP. Diffuse tractata est ratio prima, quam incepi. *c.* 1.17. ad probandum, quod imperator est iudex Papæ, & quod Papa est inferior eo, quoad iurisdictionem coactiuam. Ideo nunc alias rationes adducas. MAG. Ista ratio comprehendit duas tactas *in prima parte istius Dialogi. li.6 c.4. &* 5. talis est. Papa non est magis exemptus à iurisditione coactiua imperatoris & aliorum seculariũ iudicum, quam fuerunt Christus & apostoli. sed Christus inquantum homo mortalis & apostoli, fuerunt ab imperatore, quantum ad iurisditionem coactiuam, iudicati. ergo consimiliter & Papa. Maior est manifesta. Minor probatur, quantum ad vtramque partem. quod enim Christus fuerit inferior imperatore & aliis iudicibus secularibus, quantum ad iurisditionem coactiuam, probatur. quia qui potest accusari & contra quem possunt alii testificari, iudicari potest. sed Christus poterat accusari, quod ipsemet testatur, cum Ioh. 8. dicit: *quis ex vobis arguet me de peccato?* quibus verbis concessit Christus aliis potestatem accusandi ipsum. Quod etiam testatur Innocen. 3. *extra de hereticis, cum ex iniuncto,* dicens: *Nec quisquam suæ præsumptionis audacia illo defendat exemplo, quod asina legitur reprehendisse prophetas, vel quod dominus ait: quis ex vobis arguet me de peccato?* & infra? *Rursus aliud est, quod prælatus sponte de sua confisus innocentia subditorum se accusationibus supponit, in quo casu præmissum domini verbum debet intelligi.* Ex quibus verbis colligitur, quod Christus poterat accusari. ergo & poterat iudicari ab illo coram quo poterat accusari. DIS. Istud non concludit intentum: imo contrarium ex ipso colligitur, quod Christus solummodo sponte, sicut innuunt præmissa verba, se supposuit accusationibus subditorum. & ita Christus non potuit iudicari, nisi quia voluit. & per consequens iudices non erant superiores Christo. Ex quo infertur, quod exemplo Christi non potest concludi de Papa, quod teneatur subire iudicium imperatoris. sed quod Papa sponte potest se subiicere accusationibus aliorum, vt plures sacri canones testantur. MAGIST. Videtur aliis, quod verba præmissa probant intentum: scilicet quod Chri-

Christus poterat accusari, ita quod iudices, qui accusatores audire debebant, non poterant repellere volentes accusare Christum, nisi ex causa: puta si non apparerent legitimi accusatores, vel aliomodo repellerentur ab accusatione secundum iura, ex quo Christus dedit iure volentibus accusare potestatem accusandi. & per consequens ex tali potestate data Christo erant iudices superiores Christo, in quantum erat homo mortalis: & Christus sic fuit eis inferior, licet sponte fuit passibilis & mortalis.

[Et hæc de tertia parte Dialogorum pro nunc tibi sufficiant.]

Hæc postrema verba inclusa non videntur esse Auctoris Occami, sed editoris, qui hoc opus malignè truncauit, & sex totos tractatus, quos habes in Prologo huius tertia partis enumeratos, abrupit, quibus speciatim & hypotheticè vniuersam causam inter Ludouicum Bauarum Imperatorem & Iohannē ac Benedictum Papas controuersam Auctor exposuisse dicit, liberius aliquantum in Papas inuehendo, & Imperatorem excusando, quàm offensio primi editoris ferre poterat, vt videre est in præfatione Ascensii huic Dialogo præfixa.

GVILHELMI DE OCKAM

Compendium errorum Papæ.

INCIPIT COMPENDIVM ERRORVM IOANNIS PAPÆ XXII. EDITVM ET COMPILATVM A FRATRE GVILLERMO OCKAM DE ORDINE FRATRVM MINORVM.

Secundum Bokkyg super sacram scripturam, quatuor sunt sensus scripturæ sacræ, videlicet hystoricus, allegoricus, tropologicus, & anagogicus. Vnde sensus historicus secundum Isid. Ethi. li. 1. ca. vltimo. *historia*, inquit, *est rei gestæ narratio, per quam ea quæ in præterito tempore facta sunt dinoscuntur.* Allegoria est, quando per factum vnum figuratur factum aliud, pertinens ad instructionem fidei de Christo & ecclesia, sicut per Noe in arca *Gen.* 7. figuratur Christus in ecclesia. etiam per serpentem eleuatum in palo, *Num.* 21. figuratum Christus eleuatus in cruce & per Goliam victum à Dauid significatur diabolus victus à Christo. & sic de aliis. Vnde allegoria aliud sonat: & aliud significat. Tropologia est, quando per factum vnum intelligitur aliquid faciendum, quod pertinet ad morum informationem & honestatis conuersationem. Vnde tropologia est moralis locutio ad instructionem morum & correctionem siue apertis siue figuratis sermonibus prolata. Anagogia est expositio, qua inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, *Rom.* 1. Vnde dicitur ab *ana* quod est sursum, & *goge* quod est ductio, quia ducit nos sursum ad intelligentiam de supracœlestibus.

INCIPIT PROLOGVS.

Locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odii circundederūt me, & expugnauerūt me gratis, qui se dicunt apostolos: sed inuenti sunt mendaces & tyranni persequentes innoxios, promouentes perfidos, diffamantes catholicos, exaltantes schismaticos, odientes probos, veritatem opprimentes, & totis suis conatibus viisq; possibilibus hæreticam extollentes intrepide prauitatē. Venit prohdolor tempus, de quo vaticinans B. apostolus Paulus. 2. Tim. 4. *Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: & à veritate quidem auditum auertentes, ad fabulas autem conuertentur.* quæ reuera prophetia diebus nostris (quod lamentando refero) est penitus adimpleta. Nam *insurrexerunt in me* & alios viros vtique realiter Christianos, fideles, catholicos, & orthodoxos, *testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.* Qui, vt intentum suum horrendum ad finem possint optatum perducere, scripturas sacras subuertunt, dicta sanctorum denegant, sacros canones legesq; ciuiles reprobant. Defendentes veritatem molestant, persequuntur & captiuant, & vsque ad interemptionem absque misericordia cruciant. Et vt multa verbis paucis concludam: Regem etiam & legem diuinam, legemque humanam, fronte meretricia, ausuque execrabili subuertere & satagunt & festinant. Sunt ne iuuenes & omnino illiterati talia nephanda etiam fabricantes? sed vt inferius luce clarius apparebit, sunt seniores populi, pontifices, scribæ, & pharisæi, necnon legisdoctores, veluti fuerunt qui Christum crucifixerunt, vt signanter possimus dicere verbum Dan. 13. scriptum: *Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.* Per istos, i[..]q[..]iam, inductus sum cum aliis Christicolis, cum iniuria in Pathmos deportatus. Non tamen sumus extra spem auxilii vel præmii positi: quia manus Dominii non est abbreuiata, & confidimus in altissimo, quod cum honore in Ephesum remeabimus, & iniurias Christi confessoribus, imo veraciter imprudenter illatas, pro loco & tempore his, qui nunc ignorant, aperte ostendemus. Quod si Deus noluerit, certus sum quod neque mors, neque vita, neque angeli neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque tribulationes, neque minæ, neque promissa, neq; alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, seu defensione fidei Christianæ, pro qua labores & erumnas didicimus

cimus tolerare. Nec tamen inuite, quantum ex parte est veritatis catholicæ defendendæ, licet gementes doleamus, quod tot diebus nostris, qui videbantur esse columnæ in ecclesia Dei, & qui deberent fidem Christianam vsque ad sanguinem defendere, in hæresum foueam & errorum se præcipitant & labuntur: imo cum gaudio omnes iniurias, blasphemias & persecutiones pro Christi amore sustinemus. Scientes quod, vt scribit apostolus 2. ad Thim. 3. *Omnes qui pie volunt viuere in Christo persecutionem patientur.* Et quoniam, vt ait idem apostolus. 1. ad Cor. 11. *Oportet hæreses esse vt qui probati sunt manifesti fiant.* posuimus facies nostras, vt petram durissimam; volentes & cupientes cum Dei adiutorio in negotio fidei multipliciter probari, vt probati possimus mundo manifestari: nec propter insidias hominum impiorum manum ad aratrum positam sauciati persecutionibus retrahemus. intelligentes voce veritatis Matth. 5. esse dictum: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* & 1. Pet. 3. *Si quid patimini propter iustitiam, beati.* Et Psal. ait: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.* Si quid autem scripsero in præsenti opusculo, quod scripturæ vel doctrinæ sanctorum seu sacrosanctæ ecclesiæ assertioni repugnet & aduersetur, correctioni præfatæ ecclesiæ catholicæ, non ecclesiæ malignantium, non hæreticorum, non schismaticorum, nec eorum fautoribus me, & dicta mea subiicio & expono.

CAP. I.

De erroribus Papæ.

DIues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducunt, pauper locutus est, & dicunt, quis est hic? & si offenderit, subuertent illum. verba ista Eccl. 13. scripta possum ego & quidam alii Christiani pauperes non immerito ruminare, qui de necessitate salutis contra quosdam diuites mundi huius, qui confidunt in multitudine diuitiarum, pro iustitia certamus. Et quia in numero visibiliter sumus, licet in rei veritate plures sint nobiscum, quam cum illis: sumusq; rebus pauperes, ac Mammona iniquitatis omnino carentes: ab aliis, qui plus sapiunt quā oportet sapere ad sobrietatem, blasphemamur, diffamamur, & derisioni habemur, factiq; sumus opprobrium abundantibus, & despectio superbis. Et quia de facto inimici nostri sunt iudices, per quos fallidica & fraudulenta informatio, imo deformatio ad aures plurimorum fidelium tam principum quam inferiorum clericorum & laicorum de gestis nostris circa negotium fidei dinoscitur peruenisse: quod videlicet veritati resistimus, & errores ac hæreses pertinaciter defensamus: duxi Deo primo causam nostri certaminis, absque fermento mendacii, succincto sermone pandere, vt nescientes mortifera tormenta impudentium virorum, & veritatem rei gestæ, discant qualibus molestamur iniuriis, quibusq; excessibus fides catholica opprimitur, teritur, & calcatur.

Existens itaq; Ioh. vicesimussecundus in sede B. Petri (in cuius curia nonnunquam fui) dicens se esse sapientem, stultus factus est volens esse legisdoctor, non intelligens ea quæ loquebatur, neque de quibus affirmauit, quæque nunquam didicerat, temere docere præsumpsit, & qui prius non fuit discipulus veritatis, factus est magister hæresum. In arcum enim prauum conuersus, duo principaliter agere attemptauit; Romanū videlicet Imperium vel sibi subiugare vel penitus lacerare, & professionem pauperum fratrum Minorum erroneam esse & illicitam quibusdam documentis insanis declarare, vt istis peractis criminibus totum mundum subiiceret suæ ditioni. Et quia ad tam execrabile desiderium suum instinctu hostis generis humani adinuentum, si possibile fuisset, implendum, opus habuit mendaciis abundare, scripturas sacras vtriusq; testamenti vna cum doctrinis sanctorum & sententiæ ministris ecclesiæ reprobare, leges criminales deserere, atque alumnos Christi affligere, persequi, & molestare, tres destitutiones scripsit, quas *constitutiones* vocaliter appellauit. Quarum prima, *Ad conditorem canonum*, Secunda *cum inter nonnullos*: Tertia, *quia quorundam*, incepit. in quibus sui conceptus pestiferi dementiam detexit euidenter & monstrauit. Nam dictas destitutiones erroribus, hæresibus, mēdaciis, & sophismatibus, fermentans, in fide & bonos mores damnabiliter impegit, & in præiudicium Christi & Christianitatis contra veritates catholicas intrepide scripsit, docuit, & affirmauit.

CAP. II.

IN prima quidem destitutione sua, videlicet *Ad conditorem*, Primus error suus est, quod reseruatio dominii rerum, quibus aliqui religiosi vtuntur, facta per summum pontificem ad statum perfectionis minime prodest. Quem errorem ponit sub his verbis: *Ipsis quidem fratribus quantum ad statum perfectionis nequaquam profuit retentio dominii supradicta*: Iste igitur error est idem cum quodam alio errore suo, quo affirmat, quod abdicatio proprietatis similium rerum tam in speciali quam in cōmuni ad perfectionem non prodest. & ideo inferius, vbi ista verba ponit, similiter tractabitur.

Secundus error in eadem destitutione insertus est, quod via præcipue disponitur ad caritatem per amputationem solicitudinis, quam ipsa temporalia in acquirendo, conseruādo & dispensando exigunt. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Cum enim perfectio vitæ Christianæ principaliter & essentialiter in charitate persistat, quæ ab apostolo vinculum perfectionis dicitur, & quæ vnit seu iungit aliqualiter hominem suo fini, ad quem per contemptum bonorum temporalium & ipsorum expropriationem via disponitur: per hoc præcipue, quod sollicitudo, quam ipsa temporalia in acquirendo, conseruando, & dispensando exigunt: (quæ plerunq; ab actu charitatis retrahit) amputantur.* Hæc sunt verba eius, quæ veritati aperte contradicunt. Tum quia magis disponitur via ad charitatē per amputationē amoris inordinati ad temporalia, qui non potest esse effectus charitatis: quam per amputationem sollicitudinis, quam exigunt tēporalia. Tum quia sollicitudo circa temporalia potest esse effectus charitatis & ex pura charitate pro-

procedere, sicut patet in illis, qui in charitate fundati propter eleemosynas faciendas, propter hospitalitatem sectandam, propter pauperes vestiendos, propter captiuos redimendos, propter peregrinos suscipiendos, & alia pietatis opera exercenda, die noctéque circa temporalia laudabiliter sollicitantur. Tum quia magis disponitur via ad charitatem per votum paupertatis, quam per amputationem sollicitudinis, quam exigunt temporalia: quia actus vouendi paupertatem est difficilior atque perfectior, quam carentia sollicitudinis, quam exigunt temporalia. Quare iste error est merito reprobandus.

Tertius error in prædicta destitutione insertus est, quod expropriatio siue abdicatio bonorum temporalium per votum nihil potest conferre ad perfectionem, si eadem siue æqualis sollicitudo perseueret post expropriationem quæ inerat. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Restat quod si sollicitudo eadem post expropriationem huiusmodi, quæ ante ipsam inerat, perseueret, ad perfectionem huiusmodi talis expropriatio valet nil conferre.*

Verba eius erronea & virulenta, in quib. veritati contradicit & perfectionem virorum religiosorum in officiis specialiter constitutorũ dirimit & annullat. Nam constat, quod abbates, priores, & ceteri religiosorum prçlati, nec non inferiores in officiis ordinis sui cõstituti maiorẽ de communi lege habent sollicitudinem circa temporalia acquirenda, conseruanda & dispensanda post votum paupertatis & expropriationis propter officia assumpta vel eis iniuncta: quam in nouiciatu ante expropriationem talem habuerant. Nec propter hoc sequitur, quod expropriatio, quam vouerunt, nihil eis confert ad perfectionem. imo expresse sequitur contrarium, vt ait Anselmus: qui in lib. suo *de similitudinibus* aperte dicit, *quod opus bonum factum cum voto plus valet, quàm factum sine voto.* ¶ Quartus error est, quod carentia dominii Romanæ ecclesiæ reseruati, non reddit carentem pauperiorem, quàm si res ipsas cum dominio obtinerent. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Adhuc nec vtique profuit dictis fratribus ordinatio supradicta, quantum ad hoc, quod propter carentiam talis dominii, se pauperiores dicere valeant: quàm si ipsas cum illo, quo carere debent, dominio obtinerent.* Qui error est contra determinationem ecclesiæ Romanæ. nam *extra de ver. significatione. lib. 6. c. exiit qui seminat,* expresse dicitur, quod per carentiam talis dominii abdicantes magis à temporalibus elongantur. Est etiã contra rationem. nam ille est pauperior quantum ad res temporales, qui non potest ipsas in iudicio repetere, nec pro eis in iudicio litigare, quam si talia posset pro temporalibus rebus exercerere. Item qui habet tale dominium est ditior, cum possit res huiusmodi vendere & pro sua vtilitate alienare. Igitur carens tali dominio est pauperior, quàm si huiusmodi dominium obtineret. ¶ Quintus error suus est, quod quantum ad res vsu consumptibiles vsus facti non potest à proprietate seu dominio separari. Et vocat res vsu consumptibiles, vt postea apparebit, illa quæ in cibo & potu, pecunia & vestimentis consistunt. vsum autem facti vocat actum vtendi, cuiusmodi est actus manducandi, bibendi, induendi, & huiusmodi. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Dicere siquidem quod in talibus rebus* (sc. vsu consumptibilibus) *vsus iuris vel facti separatus à proprietate rei seu dominio possit constitui, repugnat iuri & obuiat rationi.* Hæc sunt verba eius, quæ sacræ scripturæ aperte contradicunt. Nam, vt habetur *Gen. 27.* Iacob habuit simplicem facti vsum vestimentorum Esau fratris sui ab omni proprietate & dominio separatum. Vnde ibidem sic legitur: *Vestib. Esau valde bonis, quas apud se Rebecca domi habebat, induit eum.* sc. Iacob. Sacerdotes etiam veteris testamenti habebant vsum facti panum propositionum, & cuiusdam determinatæ partis quorũdam sacrificiorum: & tamen non habebant proprietatem & dominium illorum. quia non poterant illa vendere, nec donare. nec de illis aliquid ordinare, nisi solummodo manducare. Sacerdotes etiam nouæ legis habent vsum paramentorum in altari ab omni proprietate & dominio separatum. Ista hæresis posset infinitis auctoritatibus scripturæ diuinæ & sanctorum auctoritatib. ac rationib. veridicis & exemplis reprobari. ¶ Sextus error est, quod ius vtendi in rebus vsu consumptibilib. separate à proprietate seu dominio non potest constitui vel haberi. Hunc errorẽ ponit sub his verbis: *In rebus consumptibilibus vsu nec ius vtendi, nec vsus facti separata rei proprietate seu dominio possunt constitui vel haberi.* Iste error militat contra veritatem. Nam licentia vtendi etiam secundum istum, qui in quodam alio loco dicit sic: *Si quis alicui licentiam concedat vtendi re sua visibili* (*ita quod licentiam teneat*) *constat quod habet ius vtendi re illa, cuius licentia est concessa.* igitur secundum ipsum licentia est ius vtendi. Manifestum est autem, quod aliquis potest habere licentiam vtendi vestibus alterius sine omni proprietate & dominio. Ergo potest habere ius vtendi rebus vsu consumptibilibus ab omni proprietate rei & dominio separatum. ¶ Septimus error est, quod vti re aliqua nihil aliud est proprie, quam fructus rei seu vtilitatem in solidum vel pro parte recipere, quæ ex ea potest salua rei substantia prouenire. Istum errorem ponit sub his verbis: *Cum enim vti re aliqua nihil aliud sit proprie, quam fructus rei seu vtilitatem aliquam in solidum vel pro parte recipere, qui ex illa potest salua rei substantia prouenire.* Hæc verba sua sunt erronea. ex quibus sequitur aperte, quod nullus possit vti cibo vel potu, quia ex illis non prouenit communiter vtilitas salua rei substãtia. Quare dictum suum est erroneum reputandum. Quod & auctoritatibus similiter & rationibus posset euidenter & copiose probari. ¶ Octauus error est, quod illa re vti quis nequit, ex qua eius salua substãtia, nulla põt sibi prouenire vtilitas. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Restat quod re illa vti quis nequeat, ex qua eius salua substantia nulla sibi potest prouenire vtilitas, qualeis res vsu consumptibiles esse constat.* Hæc verba eius insana sacræ scripturæ & doctrinæ sanctorum ac etiam rationi aduersa sunt. Beatus enim Paulus 1. ad Tim. 5. scribit. *vtere modico vino propter stomachum*: tamen aliæ auctoritates innumeræ possent adduci

adduci idem probantes demonstratiue. ratio indicat, quod contigit vti alimentis & rebus diuersis, quæ ipso vsu consumuntur.

Nonus error est, quod actus vtendi sine iure aliquo non potest in rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi. Hunc errorem ponit sub his verbis: *nec actus ipse vt ndi sine iure aliquo potest in rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi.* Hæc verba eius vesana, ex quibus sequitur, quod furans vestes alterius vel aliam rem quocunque vsu consumptibilem, statim cum vsu habet ius vtendi ipsa. & per consequens non iniuste debet dici ipsa vti.

Decimus error est, quod rebus vsu consumptibilibus non contingit vti, sed abuti. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Licet in rebus vsu consumptibilibus nec ius vtendi nec ipsum vti possit constitui vel haberi, ipsis tamen poterit quis abuti.* Hæc verba eius detestanda. Ex quo sequitur, quod Christus & apostoli, quotiens comederunt & biberunt & se induerunt, rebus vsu consumptibilibus abutebantur: quod est hæreticum, & blasphemum. Similiter ex dicto errore sequitur, quod quicunque sacerdos vtitur speciebus in sacramento altaris, cum sint vsu consumptibiles, abutitur illis speciebus. quod est erroneum & iniquum. *Abuti.* enim cõmuniter & maxime in scriptura diuina sumitur pro male vti. Vndecimus error est, ꝙ abuti exigit. ꝙ cum actu superbia rei consumatur. Hunc errorem ponit sub his verbis: *sed abuti exigit, quod cum actu superbia rei huiusmodi consumatur.* Hæc verba eius aperte dissona sunt scripturæ diuinæ. vnde Gen. 34. dixerunt filii Iacob de Sichen: *nunquid vt scorto abuti debuere sorore nostra?* & Ecclesiastici 25. dicitur de muliere mala: *à carnibus tuis abscide illam, ne super te abutatur.*

Duodecimus error est, quod actus vtendi non est in rerum natura. Hunc errorem ponit sub his verbis: *quod non est, nequaquam haberi potest. Patet autem, quod actus ipse antequam exerceatur, aut etiam dum exercetur, aut postquam perfectus est, in rerum natura non est.* & infra: *cum actus est in fieri, nec adhuc illud est in rerum natura, cum esse rem perfectam significet, quod quamdiu est in fieri, nõ potest actui conuenire. Quod enim de actu, qui est in fieri, præteriit, iam non est. Quod autem fit, instantaneum vel momentaneum est, & tale quod magis intellectu percipi potest quam sensu. Adhuc prius actum completum licet ex facto ipso prædicta res, à qua fuerit res ipsa haberi valeat: factum tamen ipsum, quod iam transiit, non habetur.* Hæc verba eius tam hæretica, quàm ridiculosa. Ex quibus sequitur, quod nullus actus successiuus potest esse in rerum natura: quia ita bene concluditur per argumentum suum de quocunque actu successiuo, sicut de actu vtendi, qualis est manducatio, potatio, indutio, & huiusmodi. Et per consequens Christus nunquam processit de vtero virginis, neq; creuit, neque prædicauit, neque passus fuit, neque resurrexit, neq; in cœlos ascendit: cum quilibet istorum sit actus successiuus. Quare verba sua insana & hæretica sunt merito reputanda.

Tredecimus error est, quod protegere & defendere res pauperum paruas & viles etiam per procuratores derogat honori summi pontificis & Romanæ ecclesiæ. Hunc errorem ponit sub his verbis; *Rursus nedum fratribus ipsis ordinatio prædicta non profuit, sed etiam occasionaliter sacrosancta Romana ecclesia non leuiter detrahit & detraxit* Nonnunquam vero *præfata ecclesia, derogatur honor, si ipsam oportet nunc in foro ecclesiastico, nunc in foro seculari, interdum quoq; coram pedaneis iudicibus, & plerunq; pro rebus paruis & vilibus continue litigare.* Hæc verba eius insana & arrogãtia plena hæresum diuinæ scripturæ contrarium concludentia, quod videlicet protectio & defensio subditorum in iudicio derogat honori prælati. Cum tamen prælatus ex suo officio subditos protegere & defendere teneatur. Vnde Esa. 1. reprehenduntur prælati de negligentia circa defensionem pauperum & miserabilium personarum, dicente propheta: *pupillo non iudicant, causa viduæ non ingreditur ad illos.* Et supra: *quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.* Et Psal. canit: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatorum liberate.* Quartusdecimus error est, ꝙ dominium quarundam rerum, quib. quidam religiosi vtuntur, Romanæ ecclesiæ reseruatum, est nudum, ænigmaticum & verbale. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Nolentesq; in posterum sub prætextu seu pallio talis dominii temporalis, verbalis, nudi, & ænigmatici,* &c. Vnde circa istum errorem est notandum, quod iste error concordat cum primo errore *in hoc opusculo* tacto, vbi dicit, quod retentio dominii rerum, qua nonnulli religiosi vtuntur, non prodest ad statum perfectionis. Et parum prius ait; *non ipse vsus fratrum dici debet: sed potius Romana ecclesia dominium esse simplex.* Et infra; *quod autem dominium Romana ecclesia reseruatum, simplex censeri debeat, ex hoc patet: quia ex illo nullum eidem ecclesiæ temporale obuenit hactenus comodum, nec speratur quod obuenire debeat in futurum.* Ex quibus omnibus colligitur, quod retentio dominii, inutilis est ad perfectionem. & dominium verbale, nudum, & ænigmaticum idem important apud ipsum. Et ita ipse reputat dominium ad perfectionem inutile & Romanæ ecclesiæ simplex, nudum & ænigmaticum & verbale illud dominium, ex quo nullum prouenit commodum temporale. Quod est tam contra fidem, quam contra determinationem ecclesiæ Romanæ. Conta fidẽ vtiq; est: quia si dominium est simplex, verbale, nudum & ænigmaticum, propter hoc quod ex eo non prouenit commodum temporale; sequitur, quod nullum esset commodum spirituale. Quia si esset commodum spirituale, dominium posset reddi non simplex, & non verbale, nec nudũ & ænigmaticũ: sed reale & proficuũ ad æterna. Est etiã contra determinationem ecclesiæ in Decre. *Exiit qui seminat.* vbi habetur *retentio nanq; dominii talium rerum cum concessione vsus facta pauperib. non est infructuosa domino, cum sit meritoria ad æterna, & professioni pauperum oportuna, quæ tanto sibi censetur vtilior, quanto commutat temporalia pro æternis.* Hi errores sententialiter pariter & literaliter quam pluribus alijs, quos causa breuitatis omitto in destitutione *Ad conditorem canonum*, expresse continentur.

CAP.

CAP. III.

SEquitur videre errores in destitutione, *Cum inter nonnullos*, assertos & dogmatizatos. Primus itaque error in ea assertus est, quod scriptura sacra testatur erroneum, Christum & apostolos non habuisse res temporales, quoad dominium in speciali nec etiam in communi. Hunc errorē ponit sub his verbis: *cum inter nonnullos viros scholasticos sæpe contingat in dubium reuocari, vtrum pertinaciter asserere redemptorem nostrum, & dominum Iesum Christum, eiusque apostolos non habuisse in speciali aliqua, nec etiam in communi, hæreticum sit censendum. diuersis diuersa, & aduersa sentientibus circa illud: nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem huiusmodi pertinacem cum scriptura sacra (qui in plerisque locis ipsos nonnulla habuisse asserit) contradicat expresse, ipsamque scripturam sacram, per quam vtique fidei orthodoxæ probantur articuli, quæ ad præmissa fermentum aperte supponat continere mendacii: ac per consequens quantum in ea est totam euacuans fidem catholicam reddat eius probationem admodum dubiam & incertam, deinceps erroneam fore censendam & hæreticam de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto.* Hæc verba eius venenosa, quæ similiter cum eis postea reprobantur.

Secundus error est, quod sacra scriptura testatur, Christum & apostolos in rebus, quas habuerunt, habuisse ius vtendi eis ciuile & mundanum.

Tertius error est, quod scriptura sacra testatur Christum & apostolos in rebus, quas habuerunt, ius donandi ciuile & mundanum habuisse.

Quartus error est, quod scriptura sacra testatur, Christum & apostolos in rebus, quas habuerunt, habuisse ius vendendi ciuile & mundanum.

Quintus error est, quod sacra scriptura testatur Christum & apostolos in rebus, quas habuerunt, habuisse ius aliquod ex ipsis acquirendi ciuile & mundanum.

Sextus error est, quod sacra scriptura testatur Christum & apostolos res, quas habuerunt, vendidisse, donasse, & alia ex ipsis acquisiuisse iure ciuili & mundano, seu ipsos potuisse talia fecisse supponit.

Septimus error est, quod nisi Christus & apostoli habuissent in rebus (quas sacra scriptura testatur ipsos habuisse) ius vtendi, vendendi, donandi, & aliqua ex ipsis acquirendi ciuile & mundanum, gesta eorum fuissent immunda. Hos errores ponit sub his verbis: *Rursumque in posterum pertinaciter affirmare, quod redemptori nostro prædicto, eiusque apostolis in his, quæ eos habuisse sacra scriptura testatur, nequaquam ius ipsis vtendi competierit: nec ipsa vendendi seu donandi ius habuerint: aut ex ipsis aliqua acquirendi (quæ tamen de præmissis fecisse sacra scriptura testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expresse: cum talis assertio ipsorum vsum & gesta euidenter includat in præmissis non iusta: quod vtiq; in vsu gestis seu factis redemptoris nostri Dei & hominis sentire nephas est) sacræ scripturæ cōtrarium, & doctrinæ catholicæ inimicum dicimus: atque assertionem ipsam pertinacem de fratrum eorundem consilio, deinceps erroneam fore censendam merito ac hæreticam declaramus:* Hæc verba eius, de quibus intelligit de iure vtendi, vendendi, & donandi, & aliqua ex eis acquirendi ciuili & mundano: sicut ex verbis suis in sequenti destitutione sua sc. *quia quorundam*, apparet manifeste. vbi dicitur in hæc verba: *Rursum asseruisse dicuntur publice huiusmodi assertores, quod abdicatio iuris in cuiuscunq; rei proprietate & in vsu eius est sancta & meritoria propter Deum, & à Christo in seipso seruata apostolisque imposita, & ab ipsis sub voto assumpta, nec per hoc vsus facti ad sustentationem naturæ in Christo & apostolis conuincitur esse non ius: sed tanto iustior atque perfectior & Deo acceptior, ac mundo exemplarior, quando penitus renunciatum fuerit omni iuri, per quod & sic vtens probatur vsu huiusmodi quomodolibet, contendere vel iudicio litigare. Quæ quidem assertio continet multa falsa: cum neq; Christum expropriationem prædictā omnis iuris in cuiuscunq; rei proprietate, & in eius vsu in se seruasse, nec etiam imposuisse apostolis, neque sub voto ab ipsis fuisse receptam, euangelica seu apostolica doceat historia: sed contrarium euidentius manifestet.* Hæc verba eius venenosa intentionem explicantia verborum supradictorum, in quo manifeste contradicit veritati. Tum quia scripturæ diuinæ falsum imponit, dicens ipsam testari Christum & apostolos habuisse in rebus, quibus vsi fuerunt, ius vtendi, vendendi, donandi, & aliqua ex eis acquirēdi ciuile & mundanū: & quod talia de huiusmodi rebus fecerint: quod est aperte mendacium, quia hoc in scriptura diuina nequaquam reperitur. imo omnia, quę in scriptura sacra de rebus Christi & apostolorum habentur, absq; iure ciuili & mundano possunt saluari. Tū quia determinationi ecclesiæ aduersatur, quæ dicit *extra de verbo. signi. exiit: Dicimus, quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum, meritoria est & sancta.* Quam etiam Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmauit. Quam etiam primi fundatores militantis ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserant, volentes perfecte viuere per doctrinæ ac vitæ alueos deriuarunt. Tum quia B. Aug. obuiat. qui *De ciuitate Dei* loquens de apostolis dicit: *dixerunt enim illi potentes: Ecce reliquimus omnia: & secuti sumus te. hoc votum potentissime vouerant. Sed vnde hoc eis, nisi ab illo de quo hic continuo dictum est; dans votum voventi?* Ex quibus claret, quod se exorbitat à tramite rectæ viæ.¶ Quantum autem ad alium errorem in ista destitutione, *Cum inter nonnullos* dogmatizant, qui dicit: *quod si nec Christus, nec apostoli habuissent in rebus, quib. vsi fuerunt, ius ciuile, & mūdanum ipsis vtendi, vendendi, & alia ex ipsis acquirendi, actus & gesta Christi & apostolorū fuissent iniusta:* dupliciter delinquit. Primo, quia omnia, quæ Christus & apostoli fecerunt de rebus, quibus vsi fuerunt, facere poterant de licentia concedentium res ipsas, vel dominio remanente penes Deum, aut penes congregationem cunctorum fidelium absq; tali iure, secundum quod Romana ecclesia determinat de rebus, quibus vtuntur fratres Minores. Secundo, quia semetipsum hæreticat eo quod prius diffiniuit, quod nullus potest habere ius vtendi re-

bus vsu consumptibilibus. & hic determinat, quod nisi Christus & apostoli habuissent ius vtendi rebus, quas ipsos habuisse scriptura sacra testatur, actus & gesta eorum fuissent iniusta. Hi septem sunt in destitutione, *Cum inter nonnullos*, expressi & asserti.

CAP. IV.

RESTAT nūc videre errores in destitutione tertia, *quia quorundam*, contra fidem & bonos mores seminatos.

Quorū primus, ꝙ, illa quæ per clauem scientiæ sunt à summis pontificib. in fide & moribus diffinita, possunt à suis successoribus in dubium reuocari, & eorum contraria affirmari. Hunc errorem in hæc verba ponit; *sed autem in ratione prædicta præmittitur, videlicet quod illa, quæ per clauem scientiæ in fide & moribus sunt à summis pontificibus diffinita, nequeunt à suis successoribus reuocari in dubium, nec contrarium affirmari: licet secus sit (vt dicunt) in his, quæ per clauem potestatis per summos pontifices. Et prorsus quod hoc sit contrarium veritati. patet euidenter ex sequentibus.* hæc verba eius, ex quibus sequitur, quod in potestate summi pontificis est fidem nostram pro libito suo mutare: ita quod vnus summus pontifex potest in dubium illud reuocare, & eius contrarium statuere, & affirmare, quod prædecessor suus diffiniuit ad fidem & bonos mores pertinere. & per consequens fides esset in potestate hominum: quod est contra illud Apostoli. 1. ad Cor. 2. *fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* & infra ca. 3. *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* ¶Secundus error est, quod non est aliqua clauis scientiæ. Iste error ex pluribus verbis eius habetur, de quibus pauca subiicientur. quæ sunt hæc: *Sicut lumen materiale clauigerum in vsu clauis materialis dirigit, sic & scientia clauigerum spiritualem in vsum clauis potentiæ dirigit. Et quasi quantum ad hæc, obtinet etiam vice lucis. Et hoc Saluator noster in promissione clauium facta beato Petro sensisse videtur expresse, cum post illam immediate subiunxit: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum, &c. nulla de scientia habita mentione.* Hæc sunt verba, quibus & aliis quàm pluribus conatur negare clauem scientiæ esse clauem ecclesiæ. quod est contra euangelium manifeste. Nam vt habetur Lucæ. 11. Saluator noster ait: *Ve vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ, &c.*

Tertius error est, quod vita euangelica, quam Christus & apostoli tenuerunt, non excludit proprietatem in communi. Hunc errorem ponit sub his verbis: *concludi potest, quod vita euangelica, quam Christus & apostoli tenuerunt, habere in communi aliqua non excludit, cum sine proprio viuere non exigat, quod sic viuentes nihil habeant in communi.* hæc verba eius, quæ determinationi Romanæ ecclesiæ contradicunt manifeste, vt superius probatum est in sexto errore contento in destitutione, *cum inter nonnullos.* ¶ Quartus error est, quod ordo Fratrum Minorū habet vsum iuris in rebus, quib. vtitur. Hunc errorem ponit sub his verbis: *In declarationibus quoq; Gregorii, Innocentii, Alexandri prædecessorum nostrorum, quæ eandem regulam absque confirmatione aliqua declarauerunt, similiter nulla fit mentio prorsus de prædictis: imo per eos euidenter ostenditur, quod habere licet ipsis fratribus vsum iuris ad ipsum ordinem pertinere.* Hæc verba eius, in quibus dupliciter errat. primo quia Gregorio, Innocentio & Alexandro, summis pontificibus falsum imponit, sicut per declarationes eorundem patere potest intuenti. Secundo quia aperte contradicit determinationi ecclesiæ Romanæ. Nam in decretali, *Exiit qui seminat*, sic habetur: *Condecens fuit & professioni, quæ vouit Christum pauperem in tanta paupertate sectari, omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario vsu fore contentam. nec per hoc, quod proprietatem vsus, & rei cuiuscunque dominium à se abdicasse, simplici vsui omnis rei renunciatum esse conuincitur. qui inquam, vsus non iuris, sed facti tantummodo nomen habens: quod facti est tantum in vtendo præbet vtentibus nihil iuris.*

Quintus error est, quod nulla communitas potest aliquem actum realem exercere. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Nam quidam, quæ singulorum sunt, personam quintam exigunt & requirunt. ordo autem vna persona non est: sed repræsentata & imaginaria potius est censenda. quare quæ facti sunt sibi conuenire nequeunt.* Hæc verba eius, quæ ita bene concludunt de quolibet alio collegio & de vnaquaque vniuersitate, congregatione & multitudine, sicut de ordine Fratrum Minorum. Sed iste error repugnat scripturæ diuinæ. nam Exo. 32. sic habetur: *sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* & Lu. 1. dicitur: *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi.* & 8. Regum. 5. scribitur: *infunde turbæ vt comedant.* ¶Sextus error est, quod persona imaginaria & repræsentata potest habere ius vtendi, sed non vsum facti. Hunc errorem ponit sub his verbis: *quæ facti sunt sibi* (scilicet personæ imaginariæ & repræsentatæ) *vere conuenire nequeunt, licet ei possint congruere quæ sunt iuris.* Hæc verba eius in quibus dupliciter errauit. Primo, quia ius vtendi nulli enti imaginario & repræsentato siue fantastico potest conuenire. Secundo quia contradictionem includit, quod illi, qui potest habere ius vtendi, non possit competere vsus facti.

Septimus error est, quod euangelica veritas & apostolica testantur in plerisq; locis, apostolos post eorum reditum à prædicatione, pecuniam portasse. Hunc errorem ponit sub his verbis. *Nec obstat quod Christus portare pecuniam apostolis, dum ipsos ad prædicandum mitteret, interdixit. Quod tamen antequam eos mitteret, ipsis non legimus fuisse interdictum. Quodque post reditum pecuniam portauerunt, in plerisque locis euangelica veritas & apostolica dicta testantur.* Hæc verba eius falsa & erronea, quib. scripturam sacram obfuscat & diffamat. Nam quamuis videatur de beato Petro Matt. 17. quod staterē in ore piscis acceperit: de aliis tñ apostolis nō legitur, ꝙ pecuniā portauerint. quinimo oīa, quæ de apostoolis qauntū ad pecuniā in sacra scriptura leguntur, saluari possunt ponendo, ꝙ alii ab apostolis exce-

excepto Iuda perditionis filio, pecuniam (de qua fit mentio) contrectabant & portabant.

Octauus error est; quod quando Christus misit apostolos ad prædicandum præcepit eis quod non portarent pecuniam. Hunc errorem ponit sub verbis his: *praterea Aug. dicit expresse, quod illud non fuit praceptum, sed potestas recipiendi necessaria ab his quibus pradicabant euangelium, quod seruare apostolis licuit, vel licuit etiam non seruare.* Hæc verba eius hæretica: in quibus dupliciter peccat. Primo, quia sacræ scripturæ obuiat & repugnat. Nam Mat. 10. legitur sic: *Hos duodecim misit Iesus pracipiens & dicens: In viam gentium ne abieritis.* & infra: *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris.* Et Mar. 6. sic habetur: *vocauit 12. & cœpit eos mittere binos,* &c. & infra: *& pracepit eis, ne aliquid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neq; zonam.* & Luc. 9. scribitur: *nihil tuleritis in via, neq; virgam, neq; peram, neque pecuniam.* Secundo peccat, quia falsum B. Aug. mendaciter imponit, cum August. contrarium dicat manifeste.

Nonus error est, quod in determinatione ecclesiæ contenta in decretali, *Exiit qui seminat,* non continetur sustentatio Christi & apostolorum eius in nudo & simplici vsu facti consistere. Hunc errorem ponit sub his verbis *adhuc non apparet ipsum* (sc. Nicolaum tertium) *dixisse: scilicet sustentationem Christi & apostolorum eius in solo & nudo ac simplici consistere vsu facti.* Hæc verba eius contraria determinationi Nicolai tertii, de qua loquitur euidenter. quia licet Nicolaus tertius non ponat verbaliter sustentationem Christi & apostolorum eius in solo & nudo ac simplici vsu facti consistere: hic tamen sententialiter asserit, & affirmat, cum dicat, Christum abdicationem proprietatis omnium rerum, tam in speciali, quam in communi, verbo docuisse, & exemplo firmasse, & apostolos in volentes perfecte viuere, per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos, hoc idem diriuasse.

Decimus error est, quod Christus habuit proprietatem in loculis. hunc errorem posuit sub multis verbis, de quibus pauca subiiciuntur. quæ sunt hæc: *praterea si diceretur Christum in loculis habuisse tantummodo simplicem vsum facti, frustra diceretur, quod in persona infirmorum ipse Christus loculos habuisset.* Hæc verba eius expresse sunt contraria dictis sanctorum, qui dicunt illos loculos fuisse pauperum. & in illis erat tradita forma pecuniæ ecclesiæ, in qua prælatus ecclesiæ non habet proprietatem. Vnde & B. Hieron. super illud Matt. 18. *piscem qui primo ascenderit,* &c. sic ait: *tanta paupertatis fuit Dominus, vt vnde tributa pro se & apostolis solueret, non haberet.* quod si quis obiicere voluerit, quoniam Iudas portauit in loculis suis pecuniam: respondebimus, quod res pauperum in vsus suos conuertere nephandum duxit. Et per consequens loculi illi non erant Christi quo ad proprietatem. Vndecimus error est, quod habere proprietatem rerum temporalium in communi in nullo derogat altissimæ paupertati. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Nec hoc* (sc. habere in communi etiam quoad proprietatem alia) *derogat (iuxta dictum Greg. 9.) altissima paupertati.* Hæc verba eius contraria determinationi ecclesiæ sunt, sicut superius est ostensum. & simul cum hoc Gregorio Papæ nono, falsum imponentia manifeste.

Duodecimus error est, quod determinatio ecclesiæ posita (*Exiit qui seminat*) contradicit (quantum ad simplicem vsum facti rerum, quo fratres Minores vtuntur) declarationibus Greg. Innocētii, & Alexandri, summorum pontificum. Hunc errorem ponit sub his verbis; *Quod autem dicitur, in declaratione Nicolai pradecessoris nostri pradicti contineri, quod fratres Minores in rebus, qua eis obueniunt, habēt tantum simplicem vsum facti: dicimus, quod si ipse intellexerit simplicem vsum facti denudatum omni iure, ita quod Fratres seu Ordo nullum habet ius vtendi, hoc est expresse contra declarationes Gregorii, Inno. & Alexandri summorum pontificum pradictorum.* Hæc verba eius mendosa, quibus aperte summis pontificibus prædictis falsum imponit. Nam sicut per declarationes eorundem potest patere intuenti, omnes illi pōtifices, quos enumerat, cōcordari debent cum Nicolao tertio, in hoc quod Fratres Minores in rebus, quibus vtuntur, debent solummodo habere simplicem vsum facti.

Decimustertius error est, quod est impossibile simplicem vsum facti absque iure ab aliquo obtineri. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Dicimus, quod est impossibile vsum facti simplicem absque iure aliquo, quod nihil est ad quantum ipsum, vt improprie potest dici posse iure aut vsu non consumptibili ab aliquo obtineri* Hæc verba eius prophana, ex quibus sequitur, quod fur & latro immediate, vt vtitur re quacunq; furtim sublata, habet ius vtendi ea, & per consequens licite vtitur ipsa. quod est iniquum & blasphemum. Decimusquartus error est, quod actus vtendi sine iure est iniustus. Hunc errorem ponit sub his verbis; *Praterea si simplex vsus, denudatus omni iure haberi posset ab aliquo, constat quod actus vtendi huiusmodi esset reputandus iniustus.* Hæc verba eius. ex quibus sequitur, quod sacerdos in altari vtens speciebus sacramenti, & paramentis alienis, in quibus nullum habet ius, exercet actum non iustum. Per consequens peccat; quod est hæreticum euidenter.

Quintusdecimus error est, quod euangelica & apostolica historia docet Christum non renunciasse omni iuri, in cuiuscunque rei proprietate, & in vsu eius. per quod potest sic vtens pro vsu huiusmodi quomodolibet contendere & in iudicio litigare.

Sextusdecimus error est, quod euangelica & apostolica historia docet, Christum talem expropriationem apostolis minime imposuisse.

Septimusdecimus error est, quod euangelica & apostolica historia docet, talem expropriationem ab apostolis nequaquam fuisse receptam. Hos tres errores ponit sub his verbis; *Asseruisse dicūtur publice huiusmodi assertores, quod abdicatio iuris in cuiuscunq; rei proprietate in vsu eius est sancta & meritoria propter Deum, & in Christo à seipso seruata, apostolisque imposita, & ab ipsis sub voto assumpta, nec per hoc vsus facti ad sustentationem natura in Christo & apostolis conuincitur esse non iustus: sed tanto iustior, atque per-*

fectior, & Deo acceptior & mundo exemplarior, quanto plenius renunciatum fuerit omni iuri, per quod possit sic vtens pro huiusmodi quomodolibet contendere, vel in iudicio litigare. Quæ quidem assertio continet multa falsa: cum neque Christum expropriationem prædictam omnis iuris in cuiuscunque rei proprietate & in vsu eius in se seruasse: nec etiam imposuisse apostolis; neque sub voto ab apostolis fuisse receptum, euangelica seu apostolica doceat historia. sed contrarium euidentius apostolica doceat historia, Christum tali iuri non renunciasse: nec ab apostolis talem renunciationem receptam fuisse: nec eis talem renunciationem imposuisse. imo quod Christus talem renunciationem docuerit, scriptura dicit expresse, cum dicit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* Certum est aût, quod per venditionem & in pauperes factam distributionem omni iuri renunciatur. Ergo Christus talem renuntiationem docuit. Si autem hoc docuit, non dicendum quod in se idem non seruauerit, cum Act. 1. dicatur: *cœpit Iesus facere & docere.* Quod etiam docuerit in iudicio non contendere, patet Mat. 5. vbi sic habetur: *qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* & Lucæ 6. scribitur: *qui aufert quæ tua sunt ne repetas.* Quod etiam talis expropriatio fuerit recepta, patet ex determinatione ecclesiæ in decretali, *Exiit qui seminat.* Et ex verbis Aug. sicut superius in. 6. errore destitutionis, *Cum inter*, est aperte monstratum.

Octauusdecimus error est, quod ad fidem & bonos mores non pertinet Christum & apostolos non habuisse nisi simplicem vsum facti in his quæ habuerunt. Hunc errorem ponit sub his verbis; *dicant nobis assertores huiusmodi verbi legant, quod ad fidem vel mores pertineat Christum & apostolos non habuisse in his quæ habuerunt nisi simplicem vsum facti. profecto hoc ad fidem non pertinet.* Et infra: *hoc autem scriptura sacra non habet, sed poterit in ea contrarium reperiri.* Hæc verba eius, quæ determinationi Romanæ ecclesiæ expresse contradicunt, atque scripturæ sacræ falsitatem imponunt. in Decreta. vero *Exiit qui seminat*, aperte dicitur, quod talis vita propter Deum assumpta est meritoria & sancta. quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmauit. & per consequens tam ad fidem quàm ad bonos mores noscitur pertinere. Falsum etiam sacræ scripturæ imponit, cum dicit, quod contrarium in ea possit reperiri. quia in nulla parte scripturæ diuinæ reperiri poterit, Christum & apostolos dominium rerum temporalium abdicasse & solo simplici vsu facti fuisse contentos, non pertinere ad fidem, & bonos mores. Hi vero 18. errores cum pluribus aliis causa breuitatis omissis, in destitutione, *quia quorundam*, sunt verbaliter & sententialiter, vt scriptum est, traditi & affirmati.

CAP. V.

De appellatione Fratrum Minorum à Papa Iohane XXII. & recessu eorundem ab eius obedientia & communione.

PRo istis autem erroribus, & quam pluribus aliis hic, vt prædicitur, omissis, necnon & apertis mendaciis ac calumniosis diffamationibus, blasphemiisque adiunctis, in tribus prædictis suis detestationibus contentis, & diffinitiue promulgatis, fuit actor eorundem, scilicet Iohan. 22. sæpius reprehensus à diuersis personis: Et vt pestiferas suas reuocaret assertiones, vel saltem cessaret ab eisdem, per Cardinales suos & alios publice & quotidie ammonitus fuit & rogatus. Nec profuit correptio cuiuscunq; quinimo correptores suos & ammonitores in tantum terruit, quod etiam cardinales episcopi & in theologica facultate magistrati, qui aliquando fortissime sibi restiterant, & ipsum reprehenderant de suis erroribus prophanis, & detestandis, timentes ipsius iniuriam, à suis correptionibus salutiferis, ne damna temporalia incurrerent, pauidi cessauerunt. Quidam etiam Frater de Ordine Minorum, Frater Bona gratia de Pergamo, dictum Iohann. in consistorio suo, publice, & in scriptis corripuit, ac vt ab erroribus resiliret ammonuit & suasit: necnon ab ipsis erroribus in sua potentia appellauit. cuius rei gratia prædictum fratrem Bona gratia, ipse Iohannes contra iura & iustitiam statim capi fecit, & tetro carceri crudeliter mancipauit: vbi fere per annum integrum absque aliqua causa detinuit & afflixit. Cernens itaque reuerendus pater Frater Michael de Cesena Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister & Doctor sacræ theologiæ, prædictum Iohannem 22. contra fidem, & bonos mores effrenate debacchari, & pertinaciter errores suos perniciosos defendere & affirmare. Atque ex hoc prospiciens fidei Christianæ intolerabile periculum & scandalum imminere; ad quod præcauendum de necessitate salutis pro posse tenebatur. Audiensque quod scilicet in faciem dictus Iohannes 22. determinationem ecclesiæ in decretali, *Exiit qui seminat*, contentam, & in consilio generali approbatam pluries & furiose audientibus quampluribus asseruit & pronunciauit hæreticam, occurrendum [illegible] fuit esse malitiæ, & adhærentibus sibi religiosis viris Fratre Francisco de Esculo, Fratre Guillermo de Ockam sacræ theologiæ professoribus, & Fratre Bona gratia de Pergamo vtriusque iuris perito, cum quibusdam aliis à dicti Iohannis 22. erroribus tanquam perniciosis & pestiferis, ad sanctam matrem ecclesiam & ad consilium generale futurum, iuste & absque dolo, in loco tuto congregandum & celebrandum per ammonitionem in conuentu Fratrum Minorum, rite, & legitime appellauit. Et ex hinc præceptum secutus euangelicum & apostolicum, atque approbatum exemplum, necnon discretam industriam ab ipsius Iohannis obedientia & communione cum sibi adhærentibus proinde recessit.

Et in partes Tusciæ ad ciuitatem Pisanam Deo fauente properans, appellationem suam pro iniuriis & grauaminibus sibi & fidei Christianæ multipliciter irrogatis interpositam solenniter publicauit. Quod autem in huiusmodi recessu suo de Auinione Generalis Minister

cum

cum sibi adhærentibus secutus fuerit præceptum euangelicum, patet euangelium intuenti. Nam Mat. 18. Saluator noster præcepit dicens: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solū. si te audierit, lucratus es fratrem tuum. si autē te non audierit, adhibe adhuc tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. quod si non audierit, dic ecclesiæ. si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Notum est autem, quod præfatus Io. 22. sæpius in occulto, & postea in patulo fuit correptus à pluribus sine omni fructu. imo cum damno quia seipso peior & durior fuit effectus, ac in suis erroribus pertinacius radicatus. dictum etiam fuit ecclesiæ: cum publice in consistorio suo coram suis cardinalibus & aliis prælatis (qui quando sunt catholici, pars ecclesiæ sunt censendi) fuerit legitime per fratrem Minorem (quem seipso, vt præscribitur, trusit in carcerem) correptus de erroribus suis & reprehensus. Quare ex quo audire renuit, à catholicis ipsum huiusmodi scientibus, tanquam ethnicus & publicanus merito est euitandus. Et per consequens fuit ab eo recedendum. Quod etiam idem recessus fuerit secundum præceptum euangelicum relatus claret: cum *ad Tim. 3. c.* apostolus Paulus prædicando scribat, *hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est eiusmodi, & delinquit, cum sit iudicio proprio condemnatus.* Quod adhuc idem recessus secutus fuerit exemplum approbatum, patere potest iura perscrutanti. nam in decre. *di. 19. c. Anastasius* sic habetur: *Anastasius 2. natione Romanus fuit temporibus Theodorici regis, eodem tempore multi clerici se à communione illius abegerunt: eo quod communicasset sine consilio episcoporū vel presbyterorum, clericorū & cuncta ecclesia catholica, diacono Thessalonicensi nomine Fotino: qui communicauerat Achacio.* Vbi non dicitur, quod Anastasius Papa docuerit vel scripserit hæreses vel errores: sed solummodo, quod communicauerat Fotino, qui communicauerat Achacio hæretico. Et tamen multi clerici ab eius communione laudabiliter se abegerunt. Quod tandem recessus de Auinione præscriptus ab industria discreta processerit, quia ab ipsius Iohannis tyrannide declinandum, docet multiplex experimentum. Nouerunt enim plures mundi partes ipsum fuisse tyrannum crudelissimum, humanum sanguinem vltra modum sitientem: qui offensus nunquam destitit, donec suum offensorem, si sibi fuerit possibile, sine misericordia de mundo extirpasset: sicut per plura exempla hic causa breuitatis omissa, posset aperte ostendi. Quod etiam in facto isto patuit euidenter. nam quam cito sibi innotuit, quod Generalis Minister cum sibi adhærentibus ab eo pro causa fidei appellauerat, & à sua recesserat curia & communione, statim misit per terram, & per mare, gentem magnam armatam ad ipsos capiendos, seu potius trucidandos, promittens dona maxima cuicunque personæ eosdem viuos vel mortuos sibi reducenti. Insuper & literas diffamatorias, horrenda mendacia, & iniquas calumnias, execrabiles blasphemias continentes, ad prælatos & alios contra ipsos per mundum celerius destinauit. In quibus ipsi Generali Ministro & sociis sua propria tantummodo, grauia & detestanda iniq; & mendaciter imposuit, & aduersus eos pro posse mundum concitauit, vt vel sic præfatos Fratres ab opere Deo grato spiritus scilicet inspiratione incepto peruersis suggestionibus maliuole impediret. Sed certe cogitauit consilia, quæ non potuit stabilire. Nam quantoplus conabatur ipsos confundere, capere & molestare: tanto ex alto prospiciens Deus suos fideles, pro amore suo periculis & persecutionibus se strenue exponentes, dextera sua saluifica defendit & protexit. Postquam vero appellatio Generalis Ministri fuit in Pisis solenniter publicata, & ad diuersas mundi partes transmissa & destituta: necnon ad ipsius Iohann. pñtiā apportata, suæ salutis immemor, volens in oculis simplicium immunis ab impositis sophistice apparere, & in insaniis suis nihilominus perdurare, destitutiones suas (iam per appellationem Generalis Ministri clarissime reprobatas) tanquam sanas & catholicas synodo defensare, ad appellationem Generalis Ministri respondere præsumpsit. Pro qua responsione facienda quartā edidit destitutionem, *Quia vir reprobus nunciauit.* In qua priores errores in hæreses replicans & confirmās, & se pertinacissimum hæreticum ostendens, plures alias hæreses patentiores & detestabiliores prioribus adinuenit, quos in ipsa sua destitutione diffiniendo scripsit & docuit, ac sub bulla sua mundo tradidit tanquam catholicas veritates omnem excusationem, quam prius pro ipso excusando dare poterat (quod videlicet non fuisset hæreticus pertinax) plene & patenter repellens & excludens.

CAP. VI.

Alios 32. errores positos in 4. destitutione Iohan. 22. enumerat, quæ incipit: quia vir reprobus.

NVnc autem restat errores in dicta destitutione *quia vir reprobus*, dogmatisatos ordinate videre, & breuiter reprobare. & quidem errores prius reprobatos, & in destitutione ista replicatos & assertos absque vlteriori reprobatione scribens pertransibo. Primus itaq; error in libello, *quia vir*, assertus, est quod in rebus vsu consumptibilibus ius vtendi separate à proprietate rei seu dominio non potest constitui vel haberi. Hunc errorem ponit sub his verbis; *dicimus enim quod verum est, quod dicta constitutio docet & asserit, quod in rebus vsu consumptibilibus nec ius vtendi nec primum vti potest constitui vel haberi.* Secundus error est, quod actus vtendi non potest esse in rerum natura. Hūc errorem ponit sub his verbis: *quod non est, haberi non potest. actus autem vtendi in rerum natura non est, nec antequam quis vtatur, nec postquam vsus est, necdum est in actu vtendi.* Tertius error est, quod omnia quæ erant communia credentibus (de quib. fit mentio *Act. 2. & 4.*) erant eis propria quoad dominium seu proprietatem introductam à iure ciuili & mundano, scilicet à iure imperatorum. Hunc errorem ponit sub his verbis: *illis* (scilicet credentibus) *omnia quæ possidebant, inter eos erant communia. &*

quod ista communio, quoad dominium seu proprietatem intelligi debeat, ex eo patet: quia quod prius ante conuersionem Iudaeorum ipsis fuerat proprium, postquam credentes effecti fuerint fuit inter eos communicatum. Constat autem, quod illa quae possidebant ante conuersionem erant illis quantum ad dominium propria. alias enim illa communicare non poterant. Quare sequitur, quod fuerunt quoad proprietatem seu dominium inter eos communicata. Hæc verba eius. ex quibus patet, quod quoad proprietatem & dominium, qualia erant prius propria bona temporalia ante conuersionem Iudæorum: postea effecta fuerunt communia. sed hoc est erroneum, scripturæ sacræ (vt patet in *Actibus apostolorum 4. ca.*) & doctrinæ sanctorum contrarium, sicut in allegationibus peritorum ostenditur manifeste.

Quartus error est, quod bona credentium, de quibus habetur *Actuum* 4. antequam venderentur, fuerunt effecta communia. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Cum igitur prius dicat, quod inter credentes erant omnia communia: & post subiungat, quod agri vendebantur & domus: euidenter apparet, quod illa antequam venderentur, erant effecta communia.* Hæc verba eius hæretica; tam sacræ scripturæ (quā ipse allegat) quam doctrinæ sanctorum aduersa, sicut in aliis operib. est aperte ꝓbatū.

Quintus error est, quod apostoli post missionem Spiritus sancti habere poterant in Iudæa proprietatem & dominium prædiorum & aliorum mobilium. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Si quaeratur, quare apostoli agros & domos in Iudaea non possidebant, sed potius illi vendentes habebant precia in communi? Respondet Melchiades Papa dicens: Futuram transituram ecclesiam in gentes apostoli praeuidebant. Idcirco in Iudaea praedia minime sunt adepti. Et si Melchiades Papa videtur supponere, quod credentes ante venditionem praediorum illa nequaquam habuerunt in communi, cum dicat, quod in Iudaea illa minime sunt adepti, dicimus, Melchiades pro tanto dicit apostolos in Iudaea non fuisse adeptos praedia, quia non sic adepti fuerunt, vt illa sibi intenderent retinere: & ideo non videbantur ea fuisse adepti: cum is, qui sic rem adipiscitur, vt eam in continenti à se abdicare debeat, adeptus proprie non dicatur. Ex praedictis patet, quod apostolis fuit licitum praedia retinere in Iudaea, si voluissent. Nec voto conclusi sunt, quod illa non retinuerunt, sed voluntate propria, qui se non contracturos moram inibi, sed transituros prouidebant ad gentes.* Hæc verba eius hæretica, quæ doctrinæ sanctorum & determinationi ecclesiæ obuiant & repugnant.

Sextus error est, quod vsus facti non potest competere communitati. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Vsus facti communitati non conuenit: cum vsus talis personam vnam exigat.* Hæc verba eius, quæ sacræ scripturæ sunt contraria, cum dicatur Exo. 31. *Sedit populus manducare & bibere.* & 4. Regum. 4. *Infunde turbae vt comedant.*

Septimus error est, quod quilibet apostolorum habuit proprietatem & dominium non solum in communi, sed etiam in speciali post Spiritus sancti missionem. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Videtur etiam quod patenter possit dici, quod post distributionem bonorum vsu consumptibilium, quae fiebat inter apostolos & credentes alios (vt dicit Actuum 2. & 4.) quilibet portionis sibi assignatae proprietarius & dominus posset dici.* Et infra: *cum ergo dicat, quod nullus egens erat, pro eo quod vnicuique diuidebatur, prout opus erat, supponit aperte quod idem quod vnicuique dabatur diuisim cuilibet erat proprium.* Hæc verba eius hæretica, quæ tam sacræ scripturæ, quam allegat, quam dictis sanctorum & determinationi sanctæ Romanæ ecclesiæ expresse contradicunt. Nam Actuum. 2. sic legitur: *Omnes etiam qui credebant pariter & habebant omnia communia.* Et ca. 4. sic scribitur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna in Domino, nec quisquam eorum quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Constat autem quod apostoli fuerunt primi & præcipui inter credentes. igitur ipsis apostolis post aduentum Spiritus sancti nihil fuit proprium, vt tenet error istius. Hoc etiam doctrina sanctorum & ecclesiæ determinare docet euidenter.

Octauus error est, quod bona temporalia vsu consumptibilia (de quo fit mentio *Actuum 2. & 4.*) ante distributionem erant propria apostolorum. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Cum igitur daretur ab illis, qui dare poterant* (scilicet apostolis) *& illis qui recipere poterant, scilicet ea quae ad vitae humanae sustentationem pertinebant: videtur quod dominus quilibet fuerit portionis eius, quae sibi fuerit assignata. Et ita patet, quod habentibus temporalia est locutus, cum dixerit, quod det ei quia à se petit. quod non potest facere: cum dare sit accipientis facere dominium. quod non potest aliquis facere, nisi dominium etiam quoad temporalia obtineret.* Hæc verba eius: ex quibus manifeste colligitur, quod ipse intelligit, quod apostoli erant domini illarum rerum, quas credentib. dimiserunt. Et per consequens, quod illæ res nunquam fuerunt communes. quia non ante distributionem, cum secundum ipsum tunc proprie fuerunt apostolorum. Nec post distributionem, cum quilibet fieret proprietarius portionis sibi assignatæ. Qui error quantum ad vtranque sui partem est scripturæ diuinæ contrarius & etiam doctrinæ sanctorum, sicut in operibus maiorum aperte est monstratum.

Nonus error est, quod B. Petrus post missionem Spiritus sancti habebat proprietatem & dominium rerum temporalium in speciali. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Caligae & vestimenta assignata Petro proprie quoad dominium erant Petri. quare videtur quod pecunia, panis, vinum, & res aliae vsu consumptibiles sibi diuisim pro vitae sustentatione assignatae similiter eius essent.* Hæc verba eius scripturæ sacræ, doctrinæ sanctorum, & determinationi ecclesiæ sunt aduersa, sicut prolixe in aliis operibus est ostensum. & hoc vnica auctoritate pandetur. Vnde Greg. super illud Mat. *Ecce nos reliquimus omnia,* sic dicit: *multum reliquit, qui nihil sibi retinet. multum reliquit, qui quantumlibet paruum, totum deseruit. multum igitur Petrus dimisit, quoniam cum re possessa & concupiscentiis habendi renunciauit.*

Decimus error est, quod votum viuendi sine proprio, non se extendit ad illa, quibus necessario eget vita humana. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Nec votum viuendi sine proprio videtur, quod*

se ex-

se extendit ad talia, quibus necessario eget vita humana. Hæc verba eius erronea, quæ expresse contradicunt sacris sanctionibus & doctrinæ sanctorũ asserentium, ꝙ monachi & alii vouentes viuere sine proprio respectu naturalium rerum in vsu consumptibilium non debent habere proprietatem.

Vndecimus error est, ꝙ apostoli non reliquerunt temporalia ꝑ abdicationem dominii. Hunc errorem ponit sub verbis multiplicibus, & in fine sic concludit: *Quare relinquitur, quia per illa verba relictis omnib. secuti sunt eum, non potest concludi apostolos à se dominiũ omnium temporalium abdicasse.* Hæc verba eius, quæ sacræ scripturæ, doctrinæ sanctorum, & determinationi ecclesiæ repugnat, sicut in diuersis operibus maiorum est diffuse probatum.

Duodecimus error est, quod si primi parentes non peccassent, omnia fuisset communia quo ad dominium & proprietatẽ. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Ista scriptura* (sc. decretum Clementini papæ positum 12. q. 1. c. *Dilectissimis*) *supponit quod si primi parentes non peccassent, omnia cõmunia fuissent quo ad dominiũ & proprietatẽ.* Hæc verba eius, quæ sunt erronea, loquendo de dominio ciuili & mũdano, ꝑ quo contingit in iudicio litigare & res vendicare. sed talis litigatio & rerum vendicatio in statu innocentiæ non fuisset. Igitur in statu innocentiæ non fuisset tale dominium seu proprietas: quis fuisset dominium accipiendo dominiũ pro potestate rem alienandi. sed de tali dominio non intelligit ille. Item in isto errore falsum imponit beato Clementi papæ. Nam Clemens papa tenet expresse contrarium illius, quod iste dicit. Vnde verba Clementis 12. q. 1. c. *dilectissimis*, posita sunt hæc: *Communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominib. communis esse debet. sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud. & sic inter mortales facta est diuisio. Et sicut nõ potest diuidi aer nec splendor solis, ita nec reliqua quæ data sunt hominibus ad habendum deberent diuidi.* Hæc verba Clementis, quæ non intentum istius habent, sed contrarium expresse concludunt.

Tertiusdecimus error est, ꝙ apostoli non emiserunt votum paupertatis. Hunc errorem ponit sub multis verbis, de quibus pauca adducam. Vnde dicit sic: *Item in eo, quod dicit beatum Augustinum dixisse apostolos vouisse rerum omniũ abdicationem, dicit falsum. Hoc enim beatus August. non dixit.* Et infra: *dic mihi, quod est illud votũ, quod vouerat? Certe dici nõ potest, quod votum illud esset abdicationis dominii seu proprietatis omnium rerum temporalium, cum de hoc in præcedentib. seu sequentibus nullam fecerit mentionem,* hæc verba eius. Beatus August. asserit omni rei veritati aperte contraria. Vnde dicit Aug. vt superius allegatum est; *dixerant enim illi potentes; Ecce nos relinquimus omnia & secuti sumus te. hoc votum potentissime vouerant.* Alii etiam sancti vna cum beato Augusti. dicunt, quod in voto paupertatis religiosi tenent figuram apostolorum.

Decimusquartus error est, quod paupertas euangelica rerum vsu consumptibilium dominium & proprietatem non excludit. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Ad id autem, quod dicit, quod paupertas euangelica rerum vsu consumptibilium dominium & proprietatem excludit, dicimus, quod est falsum: imo illarum rerum supponit scriptura sacra ipsos* (scil. apostolos) *ad minus in communi habuisse proprietatem & dominium.* Hæc verba eius erronea sacræ scripturæ falsum imponentia, & cum hoc sunt determinationi ecclesiæ & sanctorum doctrinæ contraria, sicut alibi est probatum.

Decimusquintus error est, ꝙ quotiescunq; sacra scriptura attribuit vsum rebus vsu consumptibilibus, sumit *vsum* pro consumptione rei. Hunc errorẽ ponit sub his verbis: *Dicimus, quando sacra scriptura vsum in talibus rebus vsu consumptibilibus attribuit, pro rei consumptione ipsum sumit.* hęc verba eius contraria scripturæ diuinæ, cum dicatur 2. Reg. 13. *Filiæ regum virgines huiusmodi vestibus vtebantur.* Quod etiam per aliquas auctoritates posset ostendi copiose.

Decimussextus error est, quod in rebus vsu cõsumptibilibus nullus alius vsus, quã consumptio assignari potest. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Nec alius vsus valet, nisi sumptus in rebus vsu consumptibilibus, nec esse potest.* Hæc verba eius, quæ sacræ scripturæ, & doctrinæ sanctorum (sicut sæpius est probatum) sunt expresse contraria.

Decimusseptimus error est, quod Christus non consuluit apostolis, quod omnia temporalia quo ad proprietatem & dominium relinquerent. Hunc errorem post multa alia verba ponit sic: *Dicimus falsum esse quod hoc consuluerit* (sc. Christ⁹) *apostolis vel discipulis suis ad minus quod non haberent in commune.* Hęc verba eius determinationi ecclesię in decretali, *Exiit qui seminat*, posita expresse sunt cõtraria. vbi dicitur, ꝙ Christus abdicationẽ omniũ tẽporaliũ quantũ ad dominiũ, tã in speciali q̃ in cõmuni, verbo docuit & exẽplo firmauit. Nec est verisimile, ꝙ hoc nõ docuit apostolos & discipulos suos, cũ alios hoc docuerit secundũ euangeliũ, & secundũ ecclesiæ Romanæ determinationem, ac ẽt secundũ doctrinã sanctorũ. ¶ Decimusoctauus error est, ꝙ Christus inquantum homo mortalis fuit rex habens regni dominiũ tẽporale. Hunc errorẽ ponit in hæc verba: *quæritur vtrum Christus alicuius rei tẽporalis dominium habuit & quale? Quod a. dominiũ temporaliũ rerum habuit, sacra scriptura tam in veteri testamẽto q̃ in nouo in multis locis testatur. multi quidẽ prophetæ eum regem futurum populi Israelitici prædixerunt. & per consequens habere regni dominium prophetauerunt.* Hæc verba eius hæretica sacræ scripturæ & doctrinæ sanctorum ac determinationi ecclesiæ sunt aduersa. Nam Matth. 8. scribitur: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi reclinet caput suum.* Quæ verba Christus nequaquam dixisset, si rex in temporalibus extitisset. Item Aug. super illud Ioh. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo*: dicit sic: *Audite Iudæi & gentes circumcisionem, audite præputiũ, audite omnia regna terræ, quia Christus nõ impediuit dominationẽ vestrã in hoc mundo. Quia dixit; regnũ meũ non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille maior expauit, & tot infantes occidit.*

Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo. quid vultis amplius? venite ad regnum, quod non est de hoc mundo: venite credendo. Et his verbis alludit Rabanus super epistolam Petri dicens: *Manifeste ex hoc verbo regnum Christi non terrenum, sed cœleste ostendit esse.*

Decimusnonus error est, quod totus Psalmus, *Eructauit cor meum* &c. loquitur de rege temporali & sponsa eius ecclesia. Hunc errorem ponit sub his verbis: *vnde totus ille loquitur Psalmus de rege isto & sponsa eius.* Hæc verba eius erronea, quibus scripturis sacris falsum imponit aperte. Nam dictus Psal. non loquitur de rege carnali seu temporali: sed solummodo de rege spirituali, sicut in aliis maiorum operibus est visum luculenter.

Vicesimus error est, quod Christus inquantum homo viator habuit à tempore suæ conceptionis vniuersale dominium rerum temporalium, sicut verus rex & dominus in temporalibus. Hunc errorem ponit sub his verbis: *præmissa autem* (scilicet regnum & vniuersale dominium) *habuit Iesus inquantum Deus ab æterno, eo ipso, quod Deus pater genuit eum: & inquantum homo ex homine, scilicet à tempore suæ conceptionis ex Dei datione.* Hæc verba eius hæretica catholicæ ecclesiæ Dei sunt inimica. Nam Christus docuit renunciationem dominii rerum temporalium ad perfectionem pertinere, cum Matth. 19.c. cuidam dixerit adolescenti: *Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni sequere me.* Et per consequens renunciare temporalibus propter Deum ad magnã pertinet perfectionem. sed constat, quod nullus fuit Christo perfectior. Ergo Christus dominio temporalium renunciauit. Ex quo sequitur, quod non fuit temporalis rex, sicut iste hæreticus dogmatizat. Quod etiam patet *Mat.* 8. & *Lucæ* 19. sicut superius est ostensum. vbi Christus fatetur se non habere dominium, necesse est referre. Vnde Ioan. Chrysostomus super dicta verba Christi, *Vulpes foueas habent*, dicit sic: *aspice qualiter paupertatem, quam dominus docuerat, per opera monstrat. non erat ei mensa, non candelabrum, non domus, nec quicquam talium.*

Vicesimusprimus error est, quod Christus inquantum homo viator habuit dominium aliquarum rerum temporalium non à tempore suæ conceptionis, sed postea successiue modis aliis. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Et nihilominus habuit dominium aliarum rerum temporaliũ, non à tempore suæ conceptionis, sed postea successiue modis aliis, vtpote ex collatione fidelium, vel emptione acquisitarum rerũ.* Hæc verba eius tam hæretica, quam priori hæresi contraria. Quod autem hæc sint prioribus dictis suis contraria, aperte patet. Nam in priori hæresi dicit, quod Christus habuit vniuersale dominium à tempore conceptionis suæ. Hic autem dicit, quod dominium aliarum rerum habuit, non à tempore conceptionis suæ, sed postea modis aliis. quæ duo dicta expresse contradicunt. Quod etiam sit hæretica, patet tam per determinationem ecclesię, quam per doctrinam sanctorum. Determinatio namq; ecclesię, sicut superius est ostensum, dicit, quod abdicationem dominii, omniũ temporalium tam in speciali quam etiam in communi Christus verbo docuit, & exemplo firmauit. Cui determinationi doctrina sanctorum consonat & alludit.

Vicesimussecundus error est, quod Christus inquantum homo habuit temporale dominiũ vestimentorum & calciamentorum, loculorum, panis, & vini. Hunc errorem ponit sub multis verbis, de quibus pauca adducentur. vnde dicit sic: *Certe narrant ipsum* (scilicet apostoli & discipuli sui) *habuisse aliqua, licet pauca habuit vestimenta.* Et infra: *Item beatus Iohannes Baptista videtur supponere, quod habuit calciamenta.* Et infra: *Item Iohannes supponit ipsum loculos habuisse.* Et infra: *& quod loculi essent Iesu, patet per Augustinum.* Et infra: *quod autem interdum habuerit, patet ad minus in cœna illa, in qua eucharistiæ instituit sacramentum.* Hæc verba eius hæretica doctrinæ sanctorum & determinationi ecclesiæ aduersa sunt, sicut prolixe in maiorum operibus est declaratum. Et de calciamentis quidem dicit beatus Bernardus ea quæ sequuntur: *nec credas quod esset calciatus. quia nec ipse nec discipuli eius calciamentis vtebantur:* Hæc verba beati Bernard. in tractatu *de 7. horis, hora tertia* tradita & asserta.

Vicesimustertius error est, quod Christus non potuit renuntiare regno & dominio temporali. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Euidenter apparet ipsum* (scilicet Christum) *regno & dominio non renunciasse prædictis. imo videtur quod nec potuerit renunciasse. & si fecisset, contra ordinationes patris fecisset.* Hæc verba eius insana, ex quibus sequitur hæresis, quam sæpe asseruit, prædicauit & pertinaciter defensauit, ꝙ videl. omnia de necessitate eueniunt, & quod Deum aliter vel aliud facere quã facit contradictionem includit. sed hoc est erroneum, iniquum & blasphemũ. dominium etiã suum, quod videl. Christus non poterat renunciare regno & dominio temporali, est expresse contrariũ doctrinæ sanctorum & ecclesiæ Romanæ determinationi, prout in aliis operib. est ostensum.

Vicesimusquartus error est, quod regnũ & dominiũ temporale non corrumpetur, sed sine fine durabit. Hunc errorem ponit isto modo. volens enim probare ꝙ Christus non renunciauit dominio & regno temporali, & quod nec potuit renuntiare, adducit pro se Danielem prophetam dicentem in hæc verba: *Dicitur enim Dan. 2. vbi de eius regno fit mentio: Sic suscitabit Deus cœli regnũ, quod in æternum non dissipabitur: & regnum eius alteri non tradetur. Item Dan. 7. dicitur sic. Dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi tribus & linguæ seruient ei. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* hęc adductio eius; ex qua manifeste sequitur, ꝙ regnum Christi, de quo ipse loquitur, in ꝑpetuum durabit. & constat tam per præcedentia, q̃ per subsequentia, quod ipse intelligit de regno mundano & temporali. Igitur secundũ ipsum regnum mundanũ & temporale, quod non est aliud, quã mundus iste, in æternum durabit. Ex quo sequitur, quod ista vita mortalis semper durabit. & per consequens quod nunquam erit resurrectio generalis mortuorum. quod est hæreticum, & contra articulum fidei manifeste.

Vicesi-

Vicesimusquintus error est, quod carentia dominii rerum temporalium non fecit Christum pauperem, sed carentia perceptionis fructus & obuentionis rerum, quarum dominus erat. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Ad illud autem quod [illegible] quod scriptura sacra ipsum* (scil. Christum) *fuisse pauperem & egentem in plurib. locis testatur, dicendum [illegible] carentia dominii fecit eum pauperem & egenũ, sed potius carentia perceptionis fructus & obuentionis [illegible], quarum dominus erat.* Hæc verba eius hæretica tam sacræ scripturæ quam doctrinæ sanctorum & determinationi ecclesiæ expresse sunt cõtraria. Vnde, sicut superius allegatum est, ipse Christus de seipso dicit Matt. 6. Et Lucæ 19. *Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Quod quantum ad facti simplicis vsum non dicit, sed quantum ad dominium & proprietatem. Item Apost. 2. Cor. 6. ait: *Scitis enim gratiam domini nostri Iesu Christi, propter nos egenus factus est, cum esset diues.* nec Christus vlla terrena felicitate præfulgens, sed Christus crucifixus per totum orbem terrarum prædicatur.

Vicesimussextus error est, ꝙ temporale dominiũ à perceptione commodi in perpetuũ separatum, diuitem non facit habentẽ. Hunc errorẽ ponit sub his verbis: *Nudum enim dominium separatum in perpetuum ab omni perceptione cõmodi rei, habentẽ non facit diuitem.* Hæc verba eius erronea & scripturę diuinæ aduersa sunt. Nã ecclesiastes 6. ca. sic habetur: *Vir cui Deus dedit diuitias & substantiã & honorẽ, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatẽ Deus vt comedat ex eo [illegible] vorabit illud.* vbi expresse habetur, ꝙ res faciunt possidentem diuitem, quamuis [illegible] cipiat commodum, quod etiam dicat rem. Nam non ex hoc solo dicitur homo [illegible] aliter percipit commodum rei, cuius est dominus: sed etiam ex hoc, quod potest [illegible] quando sibi placebit quamuis nunquam percipiat.

Vicesimusseptimus error est, quod dominium temporale separatum ab omni perceptione commodi rei est inutile reputandũ. Hunc errorẽ ponit cum verbis in priori errore recitatis dicens: *dominium separatũ in perpetuum ab omni perceptione cõmodi rei habentẽ non facit diuitem, cum sit inutile reputandum.* Hęc verba erronea sua sunt & absurda. Nam dominium temporale, quamuis careat in perpetuum omni perceptione commodi rei temporalis, potest esse vtilissimum propter commodum speciale secundum quod diffinit decretalis, *Exiit qui seminat*, vt superius est ostensum.

Vicesimusoctauus error est, quod Christus in aliquibus gessit se pro rege & domino temporali.

Vicesimusnonus error est, ꝙ Christus non fuit pauper propter carentiã dominii & regni tẽporalis: sed quia se eorũ fructib. & prouentibus non iuuabat. Hos duos errores simul hoc modo ponit: *Christus rex regum & dominus dominantium quo ad perceptionẽ fructuum regni & rerum temporalium, nisi in valde paucis, pro rege vel domino se non gessit, ꝓpter quod merito pauper dici potuit voluntarius & egenus, non ꝓpter carentiã dominii siue regni, sed propterea, quia se eorum fructib. & prouentibus non iuuabat.* Hæc verba sua virulenta: ex quib. duæ hæreses ꝓdictæ colliguntur. cum dicit, ꝙ Christus non gessit se pro rege vel domino tẽporali, nisi in valde paucis. Vbi aperte supponit & vult, ꝙ in aliquibus se gessit pro rege & domino temporali, quod est hęreticũ. Nec in tota scriptura diuina reperitur, quod se gessit pro rege vel domino temporali, sed contrariũ, cum Christus expresse dixerit Io. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Item Lucæ 12. Christus ostendit se non esse regẽ & dominum in temporalibus, cum negauerit se esse iudicẽ & discussorem temporaliũ rerum cuidã sibi dicenti: *Magister dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem.* Respondens Iesus ait: *Quis me constituit iudicem aut diuisorẽ super vos?* quasi dicat, nullus. hoc etiã plurib. auctoritatibus sanctorum posset aperte probari. Secundã hęresim, ꝙ videl. Christus non fuit pauper ꝓpter carentiam dominii & regni tẽporalis, non posset expressius ponere q̃ ponit. Quæ hæresis est manifeste contra scripturã diuinã, & doctrinã sanctorum, & determinationẽ ecclesiæ, sicut est ostensum prius. Et adhuc vna auctoritate ostẽditur. Vnde Zach. 9. dicitur: *Iubila filia Hierusalem; ecce rex tuus venit tibi iustus & saluator, ipse pauper & ascendens super asinam &c.*

Tricesimus error est, ꝙ Christus non dedit aliq̃ aliam legem viuendi apostolis, quam aliis discipulis. Et intelligit per discipulos quoscunq; alios ad fidem conuersos. Hanc hæresim ponit sub his verbis: *Nec reperimus, quod Christus Iesus dominus noster aliã legem viuendi discipulis dederit, & aliam apostolis suis. imo beatus Clemens in quadam epistola sua, cuius pars recitatur 12. q. 1. c. dilectissimis, expresse supponit, quod eadẽ erat apostolorũ & discipulorum vita dicens: Communis vita omnib. est necessaria, & maxime his qui vitam apostolorum & etiã discipulorum imitari volunt.* Hæc verba eius prophana, in quib. quod ꝑ discipulos intelligat oẽs ad Christum conuersos, ex aliis suis verbis propriis colligitur manifeste. Vnde parũ ante dicit in hæc verba: *de discipulis autẽ constat, quod aliqui habuerunt multa à Ioseph ab Arimathia legitur Io. 19. ꝙ erat discipulus Iesu. Matth. autem 27. legitur, quod erat diues homo discipulus Iesu. Item constat, quod Symon leprosus erat discipulus Iesu. & tamen legitur Matth. 26. quod Iesus in Bethania erat in domo eius. Item Lazarus, Martha, & Maria Magdalena, quæ erant eius discipuli, habebant multa bona. Vnde legitur de eis Ioh. 11. quod castrum dictum Bethania erat Mariæ Magdalenæ & Marthæ, & quod in Bethania fecerunt ei cœnam magnam, in qua Martha ministrabat, Lazarus autem erat vnus ex discumbentibus cum eo. Maria vero accepta libra vnguenti nardi pistici pretiosi vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis. de Thabita quoque quæ interpretatur Dorchas, quam Petrus suscitauit à mortuis, legitur Actuum 9. quod erat discipula & plena operibus bonis & eleemosynis, quas faciebat. & quod omnes viduæ flentes ostenderunt Petro tunicas & vestes, quas faciebat ei Dorchas. Ex quibus patet, quod ista, non obstante discipulatu, temporalia habebat, de quibus faciebat eleemosynas prædictas.*

Hæc

Hæc verba eius, ex quib. expresse habetur, quod per discipulos intelligit omnes Christianos tunc ad Christum conuersos. Et quod Christus non legem dedit apostolis plusquã omnibus aliis ad ipsum conuersis. Quod est manifeste hæreticum & scripturę diuinæ contrarium. Vnde in istis verbis tripliciter errat. Primo cum dicit, quod Christus nullã aliam legẽ viuendi dedit apostolis plusquam aliis Christianis, cum tres euangelistæ dicant aperte contrariũ. Vnde Matth. 10. legitur: *Hos duodecim misit Iesus præcipiens & dicens: in viam gentium ne abieritis.* Et infra: *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis.* Et Marci 6. sic habetur: *vocauit duodecim & cœpit eos mittere binos.* Et infra: *Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, nec peram, non panem, neq; in zonis æs.* Et Lucæ 9. scribitur: *Conuocatis autem duodecim discipulis, dedit illis virtutem & potestatẽ.* Et infra: *Nihil tuleritis in via, neq; virgam, neq; peram, neq; pecuniam.* Ista autem præcepta non fuerunt data omnib. aliis Christianis, quos iste hæreticus vocat discipulos. Igitur alia lex viuendi fuit data apostolis, q̃ aliis Christianis. Secundo errat in verbis supradictis; quia secundũ verba sua licuit apostolis, postquã ad apostolatum assumpti fuerunt, imo et post missionem spiritus sancti habere in speciali & sigillatim diuitias tẽporales, & dominia castrorum, & villarũ, & bonorum temporalium quorumcunque. Nam secundum ipsum Christus non dedit aliã legem viuendi apostolis, quam cæteris Christianis, quos vocat discipulos, sed discipuli, quos ipse enumerat, & apostolis in lege viuendi æquiparat, habuerunt in speciali & sigillatim, postquã apostoli fuerunt ad apostolatum assumpti, bona temporalia [illegible], vt patet de Ioseph ab Arimathia, quem nominat, & etiam de cæteris, quos ipse in eadẽ serie enumerat & describit. Sed hæc dicere de apostolis, tam sacræ scripturæ, quam doctrinæ sanctorum, & determinationi ecclesiæ obuiat & repugnat. Et iste in hoc ordine pro tricesimo potest computari.

Tricesimusprimus error est, quod in verbis memoratis superius hæreticus errat: quia falsum beato Clementi summo pontifici impudenter imponit, sicut decretum eiusdem Clementis intuenti potest apertè patere.

Tricesimussecundus error est, quod præceptũ Christi datum seu consilium. *Mat. 5. & Luc. 6.* de non contendendo in iudicio, & de non repetendo sua in iudicio, fuit datum solummodo habentib. temporalia in ꝓprio. Hunc errorẽ ponit sub his verbis: *Constat a. quod illa verba: Qui vult tecũ in iudicio contendere, & tunicam tuã tollere, dimitte ei & pallium, posita Mat. 9. & Luc. 6. intelliguntur de his, qui in proprio temporalia obtinebant. loquitur enim illis dominus, qui tunicam habebant & pallium. cum dicit: Qui voluerit tunicã tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Hæc verba eius, quæ veritati & doctrinæ sanctorum sunt aperte contraria, sicut diffuse in maiorib. operibus est aperte monstratum. Sunt etiam contra doctrinam beati apostoli Pauli, veluti epistolam ipsius 1. *ad Cor. 6.* patet intuenti.

Hos 32. errores (cum plurib. aliis erroribus, hæresibus, falsitatibus, diffamationibus, vanis obiectionibus, excusationibus & responsionibus hic causa breuitatis omissis) præfatus hæreticus in dicta sua destitutione *quia vir reprobus*, in derogationem Christi & fidei Christianæ, omniumq; fidelium Christianorũ scribit, asserit, & dogmatizat. Declarãs & demõstratiue ostendens seipsum esse pertinacem hæreticũ, ex deliberatione & certa scientia hæc & alia flagitiosa documenta cõtra fidem & bonos mores impudenter fulminantẽ. Prædicta vera destitutione (*quia vir*) cum errorib. & hæresibus in ipsa contentis ad notitiã Generalis Ministri ſpeditiſ deducta, & diligenter inspecta & examinata, ipse Generalis cum sibi adhęrentibus tam ab auctore tanq̃ ab hæretico pertinaci, quam ab ipsa destitutione tot & tantis hæresibus fermẽtata ad sanctam matrẽ ecclesiam, & ad concilium generale in loco tuto & rite & legitime congregandum & celebrandum, existens tunc temporis in Alemania superiori, ciuitate Mondensi, in loco Fratrum Minorum publice & solenniter appellauit, Appellationemq; suam tam in Auinion. quã ad alias mundi partes transmittens, qualis in ea fuit doctrina qualiaq; errorum commenta & hæresum ꝑ scripturas sacras, doctrinam sanctorũ & sacros canones, necnon & per rationes irrefragabiles, quibus in præallegata destitutione, *Quia vir*, asserta & dogmatisata obuiant & repugnant, luce clarius declarat.

CAP. VII.

Svpradicti autem errores & hæreses cum aliis quamplurib. (vt ꝓdicitur) hic causa breuitatis omissis, in prænominatis libellis siue destitutionibus dogmatisati non suffecerunt antedicto hęretico. Quinimo alias hæreses cuilibet fideli horrendas in sermonib. suis publice docuit, & pertinaciter defensauit & affirmauit. Quos sermones viri fide digni reportantes de verbo ad verbum scripserunt. Vnde anno domini M.ccc.xxxi. in festo Omnium Sanctorum publice fecit sermonẽ assumpto pro themate: *Memento operum patrum vestrorũ.* in quo sermone [illegible]uit, docuit, & affirmauit, ꝙ animæ in cœlo beatæ non vident visione faciali, nec intuentur diuinã essentiã, nec ante diem iudicii generalis sunt visuræ. Quam hęresim in diuersis aliis sermonib. suis approbando recitauit, & pertinaciter affirmauit. Pro qua etiam hæresi fulcienda vnũ magnum opus composuit, ꝙ vidi & legi. Necnon vnum opus solenne à quodam magno viro factum in contrarium, pro veritate catholica defensanda, & prædicta hæresi confutanda, manu mea conscripsi. Vnde in prædicto sermone dicit in hęc verba: *animæ iustorum vsq; ad diem iudicii erunt sub altari. i. e. sub protectione & cõsolatione humanitatis Christi. Sed postquam Christus venerit ad iudicium, erunt supra altare, id est supra Christi humanitatem. Quia post diem iudicii videbunt sancti & contemplabuntur, non solum Christi humanitatem, sed etiam eius diuinitatem, vt in se est. videbunt enim patrem & filium & spiritum sanctum. Animæ igitur sanctæ ante diem*

diem iudicii sunt sub altari i.e. sub protectione & consolatione humanitatis Christi, sed post diem iudicii ipse eleuabit eas, vt videant ipsam diuinitatem. Et infra: *In gaudium non introibit anima sine eodem corpore.* Hæc sunt verba sua, quibus & multis aliis conatur ostendere, quod animæ sanctorum ante diem iudicii generalis non videbunt essentialiter diuinam essentiam. Sed hoc est hæreticum & contra scripturam sacram *Apoc. 6.* vbi dicitur: *data sunt illis singula stola alba.* Quam auctoritatem sancti exponunt de visione diuinæ essentiæ, qua nunc fruuntur animæ separatæ. Vnde Greg. 4. lib. Dialogorum dicit in persona Petri: *nosse velim, si nunc ante resurrectionem corporum in cælo recipi valeant anima iustorum.* Et respondet dicens: *Hoc neque de omnibus iustis fateri possumus, neque necessario de omnibus negamus. Nam sunt quorundam iustorum anima, qua à cœlesti regno quibusdam mansionibus adhuc differuntur, in quo dilationis damno, quid aliud innuitur, nisi quod de predicta iustitia aliquid minus habuerunt. & tamen luce clarius constat, quod perfectorum anima iustorum, vt huiusmodi carnis claustra exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur.* Et infra quærit in persona Petri inquiens: *Si igitur anima iustorum sunt in cœlo: quid est, quod in die iudicii pro iustitia sua retributione recipient?* & respondet dicens: *hoc eis nimirum crescit in iudicio, quod nunc animarum sola, postmodum ac corporum beatitudine perfruuntur. Vnde in ipsa carne gaudebunt, in qua dolores pro Domino & cruciatus pertulerunt. Pro hac quippe geminata eorum gloria scriptum est. In terra sua duplicia possidebunt. hic ante resurrectionis diem de sanctorum animabus scriptum est: Data sunt illis singula stola alba. & dictum est ipsis, vt requiescant adhuc modicum tempus, donec impleatur numerus conseruorum & fratrum eorum. qui vtique nunc singulas acceperunt, binas in iudicio stolas habituri sint: quia modo animarum tantummodo, tunc autem & animarum & corporum simul in gloria latabuntur.* Et idem: *fit in electis quoddam mirabilius: quia non solum eos cognoscunt, quos in hoc mundo nouerant, sed velut visos ac cognitos recognoscunt beatos, quos nunquam viderunt. Nam cum aliquos patres in aterna illa hæreditate viderint eos incognitos per visionem non esse, quos in opere semper nouerit: quia cum illis omnes communi claritate Deum conspiciunt. quid est, quod ibi nesciant, vbi scientem omnia sciunt?* hæc Gregorius.

Approbando autem præfatam hæresim, adiunxit secundam in sermone alio, qui incipit: *Tolle puerum & matrem eius* &c. Quæ est, quod animæ reproborum non puniuntur in inferno ante diem iudicii generalis. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Israel interpretatur videns Deum, vel visio Dei. De ista visione satis fuit dictum his diebus. Vbi etiam dixi, quod Deus non est magis promotus ad damnandum, quam ad retribuendum seu pramiandum. Quia non prius damnabit malos, quam pramiabit bonos. Sed dictum est, quod beati ante diem iudicii non ibunt in vitam aternam. Igitur nec mali ante diem iudicii ibunt in pœnam aternam in infernum, vbi erit fletus & stridor dentium.* Hæc verba sua hæretica tam sacræ scripturæ quam doctrinæ sanctorum aduersa. Vnde Iob. 21. scribitur: *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et Luc. 16. scribitur: *Mortuus est autem diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans dixit, pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Et infra: *hic vero consolatur, tu autem cruciaris.* Et infra: *Testetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Et Gregorius 4. libro Dialogorum 9. ait: *Si esse sanctorum animas in cœlo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet vt per omnia iniquorum animas esse credas in inferno. Nam sicut electos beatitudo latificat, ita credi necesse est, quod à die exitus sui ignis reprobos exurat.* Et infra: *Colligere possumus ex dictis euangelicis, quod incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis enim voce, quia diues mortuus in inferno dicitur sepultus. Cuius anima, quod in igne teneatur, insinuat vox diuitis, qua Abraham deprecatur dicens: Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Cum igitur peccatorem damnatum diuitem ignibus perhibet, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget?

Tertiam hæresim ponit in dicto sermone: *Tolle puerum* &c. quæ est, quod Dæmones non sunt nec erunt in inferno ante diem iudicii generalis. Hunc errorem ponit sub his verbis: *Non enim damnati* (scilicet Dæmones) *possent nos temptare, si essent intrusi in infernum. & ideo non est dicendum, quod sint in inferno, sed quod sint in isto aere caliginoso, vnde patet eis via ad temptandum nos. ergo non videntur adhuc esse Dæmones in inferno, sed supra infernum. Vltimum autem iudicium erit tunc, quando ipsi dæmones includentur in inferno. Nescio quod magis clare possent dicere euangelicum, quod dæmones non sint in inferno, quam quod dicit: venisti ante tempus torquere nos.* Et infra: *Patet euidenter, quod dæmones non sunt in inferno, sed extra. & sunt supra nos & iuxta nos.* Hæc verba eius hæretica scripturæ diuinæ contraria & doctrinæ sanctorum aduersa. Vnde in Apoc. 2. c. dicitur sic: *Vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clauem abyssi & cathenam in manu sua, & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus & Sathanas, & ligauit eum per annos mille & misit eum in abyssum.* & 2. Petri 2. scribitur, quod *angelis peccantibus non pepercit*, sed respuentibus in inferno cruciandos tradidit.

Quartam hæresim ponit in præfato sermone: *Tolle puerum.* quæ est, quod Christus non regnabit prius diem iudicii, nec vlterius habebit regnum. Hanc hæresim ponit sub his verbis: *tunc* (scilicet post iudicium generale) *intrabunt omnes electi cum Christo in gloria, quando Christus dicet: Venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis paratum ab origine mundi. & mali ibunt in supplicium aternum quando dicetur eis. Ite maledicti in ignem aternum, qui praparatus est diabolo & angelis eius. tunc (secundum quod dicit apostolus) Christus tradet regnum Deo patri. & ipse Christus vltimo non regnabit in regno suo. i.e. in regno Dei. Non dico quod non sit rex, nec oportet: sed bene dico, quod est rex vsque ad diem iudicii.*

Quia

Quia modo habet illuminare, defensare & gubernare regnum suum, & ipsum custodire: sed tunc post iudicium tradet regnum Deo patri. sed quod dicit apostolus: tunc dico, quod non regnabit, nec illuminabit, nec reget, nec gubernabit. Hæc verba eius hæretica & aduersa directe scripturæ sacræ. Vnde Luc. 1. de Christo & regno eius habetur sic: *regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Et Dan. 2. sic scribitur: *Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur; & regnum eius alteri non tradetur.* Et infra ca. 7. sic legitur: *Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.*

Quintam hæresim ponit in sermone suo, qui incipit: *Gaudete semper in domino.* quæ est, quod in diuinis nulla est distinctio. Hanc hæresim ponit sub his verbis: *Beati in patria videbunt magnam nouitatem, sc. Deum trinum & vnum. & est mirabilis vanitas, credere tres personas ad inuicem non distinctas. Nam filius non distinguitur à patre, neque spiritus sanctus à patre & filio, qui procedit ab eis: & tamen tres personæ sunt; & hi tres vnum sunt.* Hæc verba eius hæretica & fide catholicæ inimica. Vnde Athanasius in symbolo suo: *Alia est persona patris, alia filii, alia spiritus sancti.* Item *extra, de summa trinitate & fide catholica. c. damnamus,* sic habetur: *nos sacro approbante concilio credimus & confitemur, quod distinctiones sunt in personis, & vnitas in vnitate.*

Sextam hæresim ponit in quodam alio sermone suo publice prædicante; qui sic incipit: *Psallite domino, qui habitat in Syon.* quæ est, quod in diuinis filius est maior patre. Hãc hęresim ponit sub his verbis: *Quod autem ille, qui est incarnatus, sit maior, testatur Psalmistà, cum dicit: Magnus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non est finis. Verus enim filius Dei incarnatus est magnus, & salua reuerentia patris & spiritus sancti maior vtroque. Nam licet pater sit Deus, & spiritus sanctus sit Deus: tamen pater non est incarnatus, nec spiritus sanctus humanatus, sed solus filius. Et in hoc maior est patre & spiritu sancto.* Hęc verba eius hęretica tam sacræ scripturæ quam doctrinæ sanctorum aduersa. Vnde Ioh. 14. sic habetur: *pater maior me est.* Et Athanasius in Symbolo suo sic scribit: *Aequalis patri secundum diuinitatem; minor patre secundum humanitatem.* Et Psalmista loquens de Christo secundum humanitatem dicit: *Minuisti eum paulo minus ab angelis.* Et apostolus ad Hebr. 2. dicit: *Cum autem qui modicum ab angelis minoratus est, vidimus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.*

Item septima hæresis est, quam ponit in quodam alio suo sermone publice prædicato, qui incipit: *Iusti tulerunt spolia impiorum* &c. Quæ est, quod omnia de necessitate eueniunt, sic quod Deus non possit facere aliud vel aliter quam facit. Hanc hęresim ponit sub his verbis: *Sicut impossibile est Deum esse mutabilem, ita quod tunc non esset Deus: ita impossibile est, quod illa, quæ Deus de sua potentia ordinata facit: posset aliter facere quam facit. Et ideo impossibile est, quod saluaret hominẽ de absoluta potẽtia sine sacramẽto baptismi, & sine habitu caritatis. Quia sic est ordinatum ab æterno de Dei potentia ordinata, quæ idẽ est quod Deus, & mutari non potest.* Et parum post: *Vnde distinguunt quidam & dicunt, quod multa potest Deus in potestate absoluta, quæ nõ potest de potentia ordinata. sed illud est falsum & erroneũ: quia potentia Dei absoluta & ordinata idem sunt & non distinguuntur ab inuicem.* & infra: *Impossibile est, quod Deus de potentia absoluta possit facere aliud quam faciat de potentia ordinata, quia idem sunt.* Et post: *cum istæ potentiæ sint idem quod Deus: si Deus potest facere aliquid de potentia absoluta, quod non facit, vel non faciat de potentia ordinata: tunc esset mutabilis in seipso, & non esset Deus. Sicut igitur summum impossibile est Deum non esse Deum, ita summum impossibile est & erroneum dicere Deum posse aliquid facere de potentia absoluta aliter, quam facit vel faciat de potentia ordinata.* Et infra: *si igitur Deus de potentia absoluta potest aliquid facere, quod non facit de potentia ordinata, sequeretur, quod effectus potentiæ ordinatæ posset à Deo frustrari & mutari: & tunc non esset opus. Sequeretur etiam, quod Deus in seipso non solum esset mutabilis, sed sibiipsi & suæ potentiæ contrarius. & tunc non esset Deus.* Et post: *patet igitur quod erroneum & falsum est dicere, & etiam impossibile, quod Deus de potentia absoluta possit facere aliter siue alia, quam faciat de potentia ordinata.* Hæc verba eius hæretica omnipotentiam Dei limitantia, imo annihilantia aperte sunt. Quæ quidem verba tam per scripturam sacram, quam per doctrinã sanctorum lucide confutantur. Vnde Sap. 11. sic habetur: *Quidam errantes colebant mutos, serpentes & bestias superuacuas immisisti illis multitudinem mutorum, aliquando in vindictam, vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. non enim impossibile erat, quod opus manus tuæ, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa, immitteret illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas, aut ignotas bestias, aut vaporem igneum spirãtes, aut odorem fumi proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes: quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere: imo & sine his vno spiritu occidi poterant.* & per consequens Deus potuit fecisse aliter & aliud quam fecit. Quod etiam veritas ipsa Matth. 26. testatur, dicens: *an putas, quia non possum rogare patrem meum vt exhibeat mihi plusquã 12. legiones angelorum?* Ex qua auctoritate colligitur, quod filius potuit rogasse, quod non rogauit: & pater exhibere, quod non exhibuit. Et istam veritatem beatus Augustin. in multis locis affirmat. Vnde in Enchiridion dicit sic: *omnipotentis voluntas multa potest facere, quæ non vult nec facit. potuit enim facere, vt 12. legiones pugnarent contra illos, qui Christum cœperunt.*

Et idem Augustin. in li. de natura & gratia, dicit sic: *dominus Lazarum suscitauit à corpore. nunquid dicendum est, quod non potuit Iudam suscitare in mente. potuit quidem, sed noluit.* Et super Gen. ait idem August. *talem potuit Deus hominem fecisse, qui nec peccare posset nec vellet.* Et 13. li. de trinit. sic ait: *fuit & alius modus nostræ liberationis possibilis Deo, quia omnia potest: sed nullus alius nostræ miseriæ sanandæ fuit conuenientior.* Ex quibus luce clarius patet, quod Deus multa posset alia & aliter facere quam faciat.

Has septem hæreses cunctorum auribus fidelium perhorrendas supradictus hæreticus in suis sermonibus publice docuit, & pertinaciter affirmauit.

Quos

Quos sermones fide digni præsentialiter in ipsis sermocinationibus suis existentes de verbo ad verbum (quantum fuit eis possibile) conscripserunt. Et vt venenum mortiferum in eisdem fulminatum absentibus innotesceret, & per scripturas autenticas lucidius reprobaretur, per diuersa mundi climata celerius destinarunt.

CAP. VIII.

Nota cauillationem derisoriam.

VIsis pro parte hæresibus & erroribus per Iohannem 22. dogmatizatis: restat nunc quibusdam obiectionibus cauillosis succinctè respondere. Et prima quidem obiectio est, quod non potest Papa hæreticari, nec contra fidem errare. Sed huic cauillationi leuiter potest obuiari. Primo quidem exemplo in sacra scriptura fundato. Vnde Beatus Petrus, qui fuit Papa longe melior & sanctior Iohanne 22. errauit in fide. Quia contra veritatem Euangelii, vt Beatus Paulus aperte fatetur ad Gal. 2. sic inquiens: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Et infra: *sed cum vidissem, quod non recte ambulauit ad veritatem Euangelii, dixi Cephæ coram omnibus, si tu (cum Iudæus sis) gentiliter & non Iudaice viuis: quomodo gentes cogis Iudaisare?* Et tibi expresse affirmat Apostol. quod Beatus Petrus non ambulauit ad veritatem Euangelii. Et per consequens contra fidem errauit. Quare sequitur, quod Papa potest contra fidem errare. Veruntamen Beatus Petrus non fuit hæreticus, quia errori sui pertinaciter non adhæsit: imo correptionem Beati Pauli benigne suscipiens continuo se correxit. Et si suo errori pertinaciter adhæsisset, fuisset hæreticus infallibiliter iudicandus. De isto etiam errore Petri habetur in decr. *2 quæst. 7. volo,* vbi sic legitur: *Petrus cogebat gentes Iudaisare, & à veritate Euangelii recedere: cum Iudæi gregem faciebant & à cibis gentilium latenter se subtrahebant. Par autem est in se & exorbitare, & alios verbo & exemplo à fide deiicere.* Secundum exemplum habetur de Papa Marcellino contra fidem commisso, vt habetur in decretis 21. d. vbi sic legitur: *Tempore Diocletiani & Maximiani Romanorum Augustorum, Marcellinus Episcopus vrbis Romæ, qui postea insignis martyr effectus est, adeo compulsus est à paganis, vt templum eorum ingressus, grana thuris super prunas imponeret. Cuius rei gratia collecto vniuersorum Episcoporum concilio & inquisitione facta, hoc idem pontifex se egisse confessus est.* Ex quibus verbis colligitur, quod Papa potest contra fidem errare: & per consequens hæreticari. Veruntamen propter hunc errorem non fuit Marcellinus hæreticus: quia non fuit pertinax, sed metu mortis idolis thurificans de crimine per ipsum commisso pœnituit, & sufficienter se correxit. Tertium exemplum habetur de Gaio Papa, qui compellente Diocletiano, de cuius genere erat, vt legitur in Chronicis, incensum idolis imposuit: sed postea pœnituit coram centum & 80. Episcopis. Quartum exemplum est de Papa Liberio, qui tempore Constantii, Constantini Magni consensit hæresi Arrianæ: quē Eusebius vrbis Romæ presbyter hæreticū declarauit. De quo Liberio sic scribit Hieronym. *tædio exilii victus Liberius & in hæretica prauitate subscribens, Romā quasi victus intrauit.* Et in lib. Pontificum de eodem Liberio sic habetur: *Eusebius autem presbyter vrbis Romæ cœpit ipsum Liberium declarare hæreticum, multiq; per eius doctrinam communionem Liberii vitabant, populum congregatum in Domino confortabant. Tenetur à Constantio, ipso Liberio dicente: tu solus Christianus es in vrbe Romā. Qui respondit: sic in Domino confidimus, quia fideles nos innominet Christus.* Et infra: *cui dixit Liberius nonne Iulii fungimur vicibus? ait illi Eusebius. Si perseuerasses, inquit, in fide, quam in persecutione primo tenere visus eras, ac ipsa res te docet & declarat.* Quintum exemplum habetur de Anastasio Papa 2. De quo habetur in decret. dist. 19. vbi sic legitur: *Anastasius 2. Episcopus fauore Anastasii Imperatoris, quos Achatius hæreticus post sententiam in se prolatam sacerdotes vel Leuitas ordinauerat, acceptis officiis rite fungi debere decreuit.* Et post: *Quod igitur illicite & non canonice, sed contra decreta prædecessorum & successorum suorum, hæc rescripta probat & dedit, Felix & Gelasius, qui Achatium & Anastasium excommunicauerunt, & Hormisda, qui ab ipso Anastasio tertius eundem Achatium postea damnauit. Ideo à Romana Ecclesia repudiatur.* Per prædicta exempla & plura alia hic caussa breuitatis omissa euidenter ostenditur, quod Papa potest contra fidem errare; & per consequens hæretica prauitate maculari. Quod etiam per auctoritates quamplures posset probari, de quo pauca adducam. Vnde in decret. dist. 40. sic legitur: *huius (scilicet Papæ) culpas redarguere præsumat nullus mortalium, quia cunctos ipse iudicaturus, à nemine iudicatur, nisi deprehendatur à fide deuius.* Vbi aperte supponitur, quod Papa potest à fide deuiare: & per consequens hæreticari: Quod aperte asserit Gloss. *2. 4. quæst. 1. cap. arrecta,* quæ dicit: *Quæro de qua Ecclesia intelligas, quod dicitur, quod non possit errare. Non de ipso Papa, qui Ecclesia dicitur, vt 64. di. quicunq; & 7. quæst. 1. Scire debes, quia certum est quod Papa potest errare, vt infra di. Anastasius. & 40. dist. si Papa.* Præterea qui potest cadere in sententiam latæ sententiæ, & fieri minor quocunq; catholico, potest errare contra fidem, & hæretica prauitate maculari. Sed Papa est huiusmodi *24. q. 1. Achatius.* Quæ sub verbis (*quicunq; in hæresim damnatam labitur, ipsa damnatione seipsum inuoluit*) dicit sic: *hic est casus in quo Papa Papam ligare potest, in quo Papa in canonem latæ sententiæ incidit.* Nec obuiat regula illa, quia par parem soluere vel ligare non potest: quia si Papa est hæreticus, in eo quod est hæreticus, minor est quocunq; Episcopo catholico: quia factum notat Ecclesia sine sententia.

Secunda obiectio cauillosa est, quod Papa non habet superiorem in his. Et ideo de factis suis nullus debet se intromittere. Sed ista cauillatio non valet. Nam de factis illius, qui non habet superiorem in terris mortales non habent iudicare. Sed de factis Papæ saltem in crimine hæresis habent mortales iudicare, sicut patet de Papa Anastasio *2. dist. 19. cap. Anastasius.* Et de Marcellino Papa

dist. 21. c. nunc autem. Et de Liberio Papa, quem Eusebius hæreticum declarauit. Et de Simacho Papa, qui successit Anastasio, de quo habetur *dist. 27. hic etiam*, vbi dicitur in hæc verba: *Simachus Papa in Romana Synodo, dignitate sua expoliatus, primus pristino statui reddi decernitur, vt tunc veniret ad caussam. Et si ita recte videretur accusantium propositionibus respondere dignanter visa est maximo numero sacerdotum atq; meretur effectum. Et cum postmodum ordinaretur, quomodo accusandus esset præfatus Papa, vt diceret occurreret: sed ab æmulis est impeditus.* Ex quibus aliisq; quampluribus apparet, quod Papa potest accusari & iudicari. Et per consequens quod saltem in crimine hæresis habet superiorem in terris. Quod aperte testatur Glossa Ordinaria *dist. 12. c. Anastasius*, super verbo *consilio*, quæ dicit: *videtur igitur quod Papa tenetur requirere consilium Episcoporum: quod verum est, vbi de fide agitur. Et tunc synodus maior est Papa 15. d. c. sicut sancti.* Præterea qui potest de Papatu deponi, habet superiorem super quem deponitur. Sed Papa potest propter crimina sua deponi de Papatu. Vnde de Papa Iohanne 12. sic habetur in Chronicis: *erat venator & totus lubricus, adeo quod publice fœminas tenebat. Propterea quidam cardinalium & Romanorum scripserunt occulte Ottoni principi Saxonum, vt scandalo compatiens Ecclesia sine mora Romam properaret. Hoc Papa percipiens Iohanni Diacono Cardinali, tanquam huius facti Consiliario, nasum & alteri Iohanni subdiacono, qui literas scripserat, manum amputari fecit. Hic cum frequenter per Imperatorem & clerum de sua correctione fuisset monitus, non correctus, præsidio Imperatoris de Papatu destitutus communi voto Leo Papa eligitur.*

Tertia obiectio cauillosa est, quod à Papa non potest appellari. Sed ista cauillatio leuiter refellitur per prædictam. Nam ab illo, qui habet superiorem, potest appellari, sicut ostensum est in caussa. Sed Papa habet superiorem, quia concilium generale. Cum etiam Papa hæreticus effectus minor sit quocunque catholico, vt ponit Gloss. *24. quæst. 1. cap. Achatius*, vt superius allegatur. Igitur à Papa potest appellari. Præterea ab illo potest appellari, qui potest de hæresi accusari. Sed Papa potest de hæresi accusari, sicut patet de Symacho Papa, qui fuit accusatus de hæresi *2. quæst. 7. Item, Balaam.* Imo Papa non posset constituere, quod non posset accusari de hæresi, vt aperte dicit Glossa *dist. 40. cap. si Papa*, quæ loquens de Papa ait: *hic specialiter fit mentio de hæresi. Ideo & si occulte statueret, quod non posset accusari de hæresi Et respondet dicens: respondeo quod non, quia ex hoc periclitaretur tota Ecclesia.* Ex quibus verbis aperte habetur, quod Papa potest de hæresi accusari. Et per consequens in illo casu ab eo poterit appellari. Item, ab excommunicato licet appellare. Sed Papa effectus hæreticus est ipso facto excommunicatus, vt notat Gloss. *29. q. 1. can. Achatius*, quæ, vt sæpius est allegatum, dicit: *hic casus in quo Papa incidit in canonem latæ sententiæ.* Præterea effectus hæreticus nullam habet potestatem siue iurisdictionem, vt patet *24. q. 1. c. didicimus*, vbi dicitur: *Didicimus omnes omnino hæreticos & schismaticos nihil habere potestatis aut iuris*, vbi de Papa hæretico nulla fit exceptio. Ergo ab ipso in hæresim lapso poterit appellari.

Quarta obiectio cauillosa est: Ad Fratres Minores non pertinet de caussa fidei se intromittere, sed solummodo ad prælatos, cuiusmodi sunt Cardinales Archiepiscopi & Episcopi. Sed ista cauillatio faciliter expugnatur. Quia quæstio fidei ad omnes pertinet Christianos, & non solum ad prælatos: imo etiam ad laicos. Vnde etiam in decretis *dist. 96. c. vbi nam*, dicit Nicolaus Papa: *vbi nam legistis Imperatores antecessores vestros synodalibus conuentibus interfuisse: nisi forsitan de quibusdam, vbi de fide tractandum est, quæ causa vniuersalis est, quæ omnium communis est: quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet Christianos.* Igitur ad minores pertinet de causa fidei se intromittere, cum sint de numero Christianorum reputandi. Quod etiam ratione patet. Nam quod omnes tangit, ab omnibus tractari debet. Sed fides Christiana omnes tangit Christianos. Igitur omnes Christiani de fide impugnanda habent se intromittere, & ipsam quantum possunt defensare. Præterea qui errori, cum potest, non resistit, ipsum errorem conuincitur approbare, vt patet per sacros canones quamplures. Vnde Innocent. Papa, vt habetur *dist. 83. cap. error*, dicit sic: *Error, cui non resistitur approbatur; & veritas cum minime defensatur, opprimitur: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Et Leo Papa, vt habetur *extra, de hæreticis. cap. qui alios*, ait: *qui alios cum potest ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat.* Et ideo Papa, vt habetur *dist. 86. c. facientis*, inquit: *Facientis procul dubio culpam habet: qui quod potest corrigere, negligit emendare.* Ex quibus aperte patet, quod si Fratres Minores nolunt fautores hæresum supradictorum reputari, debent & tenentur viis eius possibilibus eisdem resistere, & fortiter obuiare.

Quinta obiectio cauillosa est, quod quamuis Iohannes 22. errores & hæreses dogmatizauerit quamplures, tamen de pertinacia non potest conuinci. Et ideo præsumendum est, quod talia dixit solummodo recitando. Sed ista cauillatio potest multipliciter confutari: eo quod multipliciter eum fuisse pertinacem potest demonstrari. Primo, quia sæpius & legitime admonitus erroribus resistentes hostiliter verbis & factis est persecutus, ipsos diffamando, excommunicando, quos potuit etiam capiendo, incarcerando. Et plures in diris sceleratos suis erroribus consentientes ad dignitates Ecclesiasticas promouit & exaltauit. Quarto quia nullum permisit magistrari Parisiis in Theologica facultate, nisi prius tactis sacrosanctis iuraret, quod constitutiones suas supradictas sanas & catholicas in perpetuum reputaret, & nunquam ipsas impugnaret. Quinto quod Parisiis prædictos in Theologia magistrandos ad statum ascendere magisterii non permisit, nisi prius veritates catholicas suis destitutionibus contrarias tactis sacrosanctis tanquam hæreses abiurarent. Sexto quia cum appellantes ab eo & suos errores impugnantes ad generale concilium rite & legi-

legitime congregandum & celebrandum appellauerit: & se ad veniendum ad ipsum concilium in loco tuto constitutum paratos obtulerunt, volentes mundo ostendere ipsorum innocentiam, ipse ne fieret concilium similiter impediuit, nolens suas nequitias discuti & ventilari. Ex prædictis alijsque quampluribus aperte claret, quod ipse Iohannes 22. fuit pertinacissimus hæreticus iudicandus.

Sexta obiectio cauillosa est, quod cum multitudo Christianorum prædictum Iohannem 22. vsq; ad mortem pro Papa habuerint, & absq; impugnatione dictorum suorum eidem obedierint, Fratres Minores ipsius impugnatores, eo quod pauci fuerunt, debebant se multitudini per omnia conformasse. Sed huic cauellationi respondet ipse Deus, qui Exod. 33. c. præcipit dicens: *non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero deuies.* Quæ auctoritas sufficiat pro illa obiectione.

Septima obiectio cauillosa est, quod non potest negari, quin ipsi Fratres Minores Iohanni 22. se opponentes sunt excommunicati. Cum ipse Iohannes 22. sæpe & sæpius per se & per alios sententiam excommunicationis protulit contra eos. Sed ad istam cauillationem leuiter potest responderi: eo quod canonicæ sanctiones aperte testantur, nullum hæreticum quicquam habere potestatis aut iuris. Vnde Cyprianus, vt *14. q. 1. c. didicimus*, ait: *didicimus omnes omnino hæreticos & [illegible] habere potestatis aut iuris.* Item, eadem *ca. 1. quæst. si ergo*, sic habetur: *si ergo Episcopus in [illegible] mutatam lapsus est, antiqua excommunicatione damnatus alios damnare non potest.* Excommu[illegible] alios excommunicare non valet. Certum est autem, quod omnis hæresis est damnata & omnis hæreticus est excommunicatus per concilium generale, vt habetur *extra de hæreticis. c. excommunicamus. & c. excommunicamus secundo.* Igitur Iohannes 22. incidit in hæreses damnatas: & ideo fuit excommunicatus. Et per consequens alios excommunicare non potuit. Item, c. & q. prædictis, *si autem*, sic habetur: *Si autem ex corde suo nouam hæresim confinxerit: ex quo talia prædicare cœpit, neminem damnare potuit: quia non potest damnare quicquam iam prostratus.* Et eodem c. & 9. *Item cum Dominus*, sic habetur: *Liquido constat eum, qui ab integritate catholicæ fidei recedit, maledicendi vel benedicendi potestatem minime habere dignoscitur. Catholicum namq́, vtpote se superiorem, maledicere non valet, in alienum à fide tanquam in sibi æqualem, sententiam dare non potest.* Et eodem *c. 2. q. his auctoritatibus*, dicitur sic: *his auctoritatibus perspicue monstratur, ex quo aliquis contra fidem tentat aliqua dicere, nec deiicere aliquem valet, nec damnare.* Ex quibus luculenter ostenditur, quod prædictus Iohannes 22. hæresi, vt probatum est, multipliciter maculatus Fratres Minores ab ipso appellantes & eius hæreses improbantes excommunicare nõ potuit quoquomodo. Rursum esto sine præiudicio, quod Iohannes 22. non fuisset hæreticus (quod falsum est) adhuc sua excommunicationis sententia in prædictos fratres lata omnino fuisset nulla. Nam per appellationem rite interpositam eximitur appellans à potestate & iurisdictione illius, à quo appellauit, *extra, de appell. c. proposuit.* Et appellatione pendente non potest nec debet in præiudicium appellantis aliquid innouari, nec ei grauamen aliquod inferri *2. q. 7. c. appellatione. & ff. nihil innouari appellatione pendente. l. 1. & 16.* Ad quem appellatum est habet de tali appellatione cognoscere, & non is, à quo appellatum est, *extra, de ap. c. vt debitus. & c. cum speciali.* Si autem ille, à quo appellatur, posset de tali appellatione cognoscere, in caussa propria ius sibi dicere posset. Sed nullus debet in caussa propria ius sibi dicere, *23. quæst. 4. c. inter querelas. & q. 5. de occidendis. & q. 4. c. ne quis in causa iudicet vel ius sibi dicat*, per totum. Sed Iohannes 22. prius & contra appellationem legitime interpositam, & non ante Fratres præfatos Minores de facto (licet de iure non posset) excommunicauit. Quare esto, quod idem Iohannes tunc temporis fuisset verus Papa: quod non est verum: sententia sua contra commemoratos Fratres lata, nulla fuit omnino reputanda.

Octaua obiectio cauillosa est, quod quantumcunq; Iohannes 22. errauerit, & pertinax hæreticus fuerit: successor suus Dominus Benedictus 12. est catholicus & verus Papa. Et ideo supranominati Fratres, Iohanni 22. resistentes, in hoc quod Benedicto 12. non parent, imo, vt dicitur, ipsum realiter impugnant, damnabiliter delinquunt, & incidunt in pœnas rebellibus Romanæ Ecclesiæ à iure taxatas. Sed huic cauillationi breuibus verbis respondetur, quod solo nomine Benedictus duodecimus incidit in laqueum tortuosum, qui errores & hæreses prædecessoris sui defendendo, & approbando suos & suas facit esse. Ipse enim doctrinam pestiferam prædecessoris sui approbat, & potenter defendit, ostendens se cum prædecessore suo præfato hæreticum esse manifestum, vt signanter de eo posset dici verbum Eccles. 30. c. sic scriptum, vbi sic legitur: *Mortuus est pater illius, & quasi non est mortuus. Similem enim sibi reliquit post se.* Quare non debet dici Papa catholicus, sed fautor hæretici & hæreticę prauitatis. Imo hæreticus & peior quam fuerit prędecessor suus, teste Vrbano Papa, qui, vt habetur *24. quæst. 3. c. qui aliorum*, dicit in hęc verba: *Qui aliorum errorem defendit, multo est damnabilior illis qui errant. Quia non solum ille errat, sed etiam aliis offendicula erroris præparat & confirmat. Vnde quia Magister erroris est, non tamen hæreticus, sed etiam hæresiarcha dicendus est.* Præterea iste nomine non re Benedictus 12. ideo in sacra Pagina Magister, & ideo citius & virilius deberet hæresibus resistere, & fidem catholicam defendere, quam prædecessor suus, qui in Facultate Theologica omnino fuit ignarus. Ergó fauendo hæresibus & hæreticæ prauitati, nec non ipsis hæreticis damnabilior est censendus, quam prædecessor suus. Et per consequens non summus pontifex, sed imus pontifex est merito nominandus. Amplius, iste nomine non re Benedictus peior est hæresis auctor, quam fuerit prædecessor suus: quia simpliciter conatur totam fidem catholicam ponere in voluntate & dispositione sua & successorum suorum, sicut in quadam constitutione, imo verius destitutio-

tutione, quam ordini Fratrum Minorum, vt fertur, tenendam imposuit, indicat manifestè. Quæ quidem destitutio præfatam hæresim retro seculis inauditam continens talis est: *Districtius inhibemus, ne postquam super negotio fidei quæstio seu dubitatio aliqua, super qua sunt opiniones aduersæ vel diuersæ, deducta fuerit ad Apostolicæ Sedis examen, quisquam extunc alterutram partem declinare, eligere vel approbare præsumat, sed super ea Sedis eiusdem iudicium seu declaratio expectetur.* Hæc verba eius veneno plena. Ex quibus expresse sequitur, quod nulli reuelato à Deo, si super eo moueatur quæstio seu dubitatio coram Papa, de quo etiam possunt esse opiniones diuersæ & aduersæ, debet aliquis Frater Minor, nec per consequens aliquis Christianus firmiter adhęrere. Quia non debet secundum præfatam destitutionem suam alterutram partem eligere, determinare vel approbare: sed voluntatē Papæ in hoc expectare. Sed de omni reuelato à Deo potest quæstio mota deduci ad examen summi pontificis: & etiam possunt esse opiniones diuersæ & aduersæ. Ergo nulli tali reuelato à Deo debet Frater Minor, & per consequens nec Christianus ante sententiam summi pontificis firmiter adhærere, sed voluntatē summi pontificis totaliter expectare. Et idem potest dici de articulis fidei, & de omni contento in scripturā diuina. Quia super quolibet articulo fidei, & sub omni contento in scriptura diuina, potest moueri quæstio, & ad examen deduci summi pontificis: super quo possunt esse etiam opiniones diuersæ & aduersæ. Ergo secundum mandatum istius nomine non re Benedicti 12. nulli articulo fidei in scriptura sacra contento, si super ea moueatur quæstio, quę ducatur ad examen summi pontificis, & super eo possunt esse opiniones diuersæ & aduersæ, debet aliquis Frater Minor, nec per consequens Christianus quicunq; quamcunq; partem determinare, eligere vel approbare. Quod est erroneum, iniquum & blasphemum. Nam ex eo sequitur, igitur si talis quæstio: fuit Deus ab æterno vel non? vel, est Christiana fides vera vel non? & sic de aliis quibuscunq; quæstionibus moueatur coram summo pontifice, cum possunt de huiusmodi quæstione esse inter catholicos & hæreticos opiniones diuersæ & aduersæ: talis quæstionis nullus Frater Minor (& eadem ratione nullus Christianus) debet veritatem confiteri, donec summus pontifex suam declarauerit voluntatem. Quod non est aliud, quam fidem nostram totaliter in arbitrio hominis constituere, & quid credere debeamus ab eo expectare. Sed hoc sapit hæresim manifestam, cum dicat Beatus Paulus Apostolus 1. Cor. 2. *Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Vnde licet ille nomine non re Bened. 12. prædecessori suo, in doctrina hæretica nunquam participasset, nec hæreses ipsius tanquam propriam defendisset & approbasset: tamen propter istam solam hęresim, cuius est auctor, inuentor & institutor, est inter hæreticos computandus, & ab omnibus catholicis facta ipsius scientibus merito detestandus. Cum dogmatisans contra fidem catholicam maxime scienter non solum à iure humano, sed etiam à scriptura sacra sit aperte excommunicatus. Etiam si esset possibile, quod angelus de cœlo doceret contra fidem, dicente Beato Paulo ad Gal. 1. *Si nos aut angelus de cœlo euangelisset vobis præterquam euangelisauimus vobis, anathema sit.* Et post: *Si quis vobis euangelisauerit, præter id quod accepistis, anathema sit.* Verumtamen quia ista hæresis cum pertinentiis suis, aliisq; nomine non re Benedicti, 12. tangentibus est in quodam opere speciali maiori à me diffuse tractata, discussa & reprobata: Ideo de ipsa ad præsens non plus me intromitto. Sed ne prolixitas odiosa compluribus tædium generet, finem huic opusculo in hoc loco concedo.



IODO-

IODOCI BADII ASCENSII, PROFESSORIS Regii Parisiensis

SVMMARIA, SEV EPITOMATA CXXIV. CAPITVLORVM OPERIS XC. DIERVM M. GVILHELMI DE OCKAM, DILIGENTER COLLECTA.

SVMMARIA, SEV EPITOMATA OPERIS NONAGINTA DIERUM, M. Guilhelmi de Ockam.

OPeris nonaginta dierum correspondentis *sexto tractatui tertiæ partis Dialogi* M. Guilhelmi de Ockam, quod à nonaginta diebus, quibus compilatum est, inscribitur, centum & viginti quatuor in eo contentorum capitulorum Epitomata seu summaria ad lecturorum vtilitatem colligimus. Sed primo compendiosam operis diuisionem præponemus.

Operis nonaginta dierum diuisio.

Diuidit itaq; opus hoc in quatuor partes. Quarum prima continet prologum seu præfationem ipsius Ockam. Secunda procœmium constitutionis *Quia vir reprobus*. Tertia tres tractatus secundum tres constitutiones Iohannis 22. in ea discussas. Quarta vero & vltima conclusionem continet. Prima pars, quia præfationis loco ponitur, nullum habet capitulum. Secunda pars vnum continet capitulum. Tertia 122. quia tres habet tractatus, quorum primus tractat de constitutione *Ad conditorem canonum*, incipit cap. secundo. Secundus tractat de constitutione *Cum inter*, & incipit cap. 82. Tertius tractat de constitutione *Quia quorundam*, & incipit cap. 120. Quarta pars vnum duntaxat habet capitulum continens conclusionem, & incipit cap. vltim. hoc est 124. dicti operis.

In prologo prælibatur operis huius materia, de qua tractaturius est: Et eiusdem diuisio.

Capitulum primum continet in prima sua parte exordium constitutionis *Quia vir reprobus*. In secunda autem eius parte ponitur dicti textus impugnatio. Nam in cæteris fere capitulis hic seruatur procedendi modus, vt prima capituli parte recitentur verba textus impugnati, hoc est Iohannis 22. In secunda eadem verba per Guilhelmum Ockam declarantur. In tertia autem quotiens aliquid contra appellantem, hoc est Fratrem Michaelem Cezena constitutum est, recitantur per dictum M. Guilhelmum Ockam dictæ constitutionis impugnationes. In vltima autem parte, quæ aliquando tertia est, aliquando quarta, semper notantur & exponuntur verba textus. In primo autem capitulo quia verba textus de se patent, non ponitur explanatio eorundem: sed quia appellantem taxant, impugnantur ab aduersariis in quatuor. Primo autem nituntur ostendere, quod depositio dicti Fratris Michaelis, de qua in litera fit mentio, de facto processit, & nullo modo de iure. Secundo quod propter missionem libellorum suorum non sit reprobandus. Tertio quod propter eandem non sit hæreticus iudicandus. Quarto quod impugnationes factæ contra tres dictas constitutiones Iohannis 22. sint validæ censendæ. Primum probatur duabus viis: in quarum prima probatur incidentaliter, Quod liceat in causa hæresis à Papa appellare. Secundum probatur in secunda parte: tertium in tertia: & quartum infertur in quarta, vbi ad literæ declarationem acceditur.

Primæ constitutionis capitula.

Capitulum secundum. In prima parte recitat principium impugnationis appellantis contra constitutionem *Ad conditorem*: & contra eam ab impugnato instatur. In secunda parte ponitur primæ partis explanatio, & modi procedendi impugnantium declaratio. In tertia parte recitantur eorundem impugnationes, quibus probant falsum esse, quod in rebus vsu consumptibilibus nec vsus iuris nec vsus facti potest à rei proprietate seu dominio separari. Pro cuius declaratione decem fiunt. Primo ponitur quadruplex huius nominis *vsus* acceptio. Secundo quid *vsus facti* sit declaratur. Tertio quid *vsus iuris*, & quomodo diuiditur. Quarto quid *ius vtendi*, & quomodo ab vsu iuris differt. Quinto qui sint *simplices vsuarii*. Sexto quæ sint res vsu consumptibiles, & quomodo pecunia inter eas sit. Septimo, quid *dominium* sit, & quomodo varie accipiantur hæc nomina, *Dominium*, *Dominus*, *Dominator*, *Dominari* & similia in diuersis scientiarum facultatibus. Octauo quid pro-

proprietas in ſcientiis legalibus ſignificet. Nono quomodo varie accipiantur hæc vocabula, *meum, tuum, ſuum, ipſius, habere*. Decimo inferuntur ex dictis Iohannis vigeſim. ſecund. duo errores: quorum primus eſt, quod vſus facti ſeparatus à proprietate rei in rebus vſu conſumptibilibus haberi non poteſt. Secundus eſt, quod in talibus rebus ius vtendi ſeparatum à proprietate ſeu dominio rei haberi non poteſt, de quibus agitur cap. 3. parte tertia. In quinta parte capituli ponitur notatio literalis.

Cap. 3. In prima parte recitantur verba Iohannis 22. quibus circa ea, quæ impugnantur, intentionem ſuam exprimit, vt declaratur in ſecunda parte. In tertia parte recitantur repugnationes aduerſariorum eius, quo ad quatuor dicta. Primum quod in rebus vſu conſumptibilibus ius vtendi haberi non poteſt. Secundum, quod in eiſdem rebus ius vtendi à dominio non ſeparetur. Tertium, quod in eiſdem rebus actus vtendi haberi non poteſt. Quartum quod huiuſmodi rebus non contingit vti, ſed abuti. Primum dictum impugnando oſtendunt rationes impugnati ad intentum eius non facere. Circa quod plura de vſura & de contractibus, qui fiunt in fraudem vſuræ. Item, de vſurario, in quo ſecundum Chryſoſtomum differt à locante, & alia notatu digna adducuntur. Oſtenditur etiam, vt in margine notatum eſt, quod iuri naturali renunciare non licet. In quarta parte notatur & explicatur litera: & nonnulla inſeruntur notanda de materia vſurarum.

Cap. 4. In prima parte impugnatus ad ea, quæ impugnans propoſuit, nititur reſpondere, vt declaratur in ſecunda parte. In tertia parte pro impugnatione prædictorum aſſignantur ab impugnatoribus tria puncta, vt in principio recitatur. Habentur autem multa ſcitu digna, quæ in marginibus indicantur. Inter quæ ſunt de iure vtendi communiſſimo collato *in primis parentibus toti* generi humano. Item, de iure, quo res, quæ in nullius eſt dominio, occupanti conceditur. De primis credentibus, quod non habebant liberum dominium diſponendi ad libitum de rebus oblatis, ſicut ante habuerunt. Item, quod ſacra ſcriptura non ſemper ſeruat in narrando ordinem rei geſtæ. Item, quod ad concordandum ſcripturas tempora diſtinguenda ſunt. Item, de bonis Eccleſiaſticorum, quo iure ad eos ſpectent. Item, de modo arguendi peccante per fallaciam ſecundum quid ad ſimpliciter. Quorum plura notantur in quarta parte, quæ literam exponit.

Cap. 5. In prima parte continuatur reſponſio impugnati, vt declaratur in ſecunda. In tertia parte recitantur impugnationes aduerſariorum, qui ex dictis quatuor errores colligunt. Quorum primus eſt, quod communitas primorum credentium habuit domos & agros quo ad dominium & proprietatem. Secundus, quod Apoſtoli habuerunt prædia in Iudæa. Tertius, quod ideo in Iudæa non retinuerunt prædia, quia tranſituri erant ad gentes. Quartus, quod Apoſtolis licuit prædia in Iudæa & apud gentes poſſidere. Qui errores ibidem improbantur. Quartus autem præcipue auctoritate ſancti Thomæ de Aquino. In quarta parte explanantur verba textus: & notatur de cauſarum alicuius rei multitudine & ſufficientia, & de aliis quibuſdam.

Cap. 6. In prima parte proſequitur ſequentem particulam, quæ declaratur in ſecunda parte. In tertia autem impugnantur dicta Iohannis 22. Et declaratur incidentaliter, quomodo non omne ius dat ciuilem actionem, ſed ſolummodo ius fori. Item, in quo licentia poteſt vocari ius, & in quo non. Item, de iure fori & de iure poli diſtinguitur, & communitate omnium fidelium, & aliqua ſpeciali. Et de Apoſtolis & aliis credentibus. Oſtenditur etiam multiplicitas huius nominis *vſus*, & quæ ſignificationum eius ſit propria cenſenda. Item, acerbius inuehitur in præfatum Iohannem 22. & iudicatur ſcientiarum ſermocinalium ignarus; cum tamen logica ſecundum doctores ſanctos, Auguſtinum, Anſhelmum & Hieronymum ſit neceſſaria ad Theologicas difficultates. Quin & alia cognitu iucunda ibidem reperies. In quarta parte exponitur textus literaliter.

Cap. 7. In prima parte ponitur alia pars conſtitutionis dictæ, quæ in ſecunda parte declaratur. In tertia impugnatur, & in quarta literaliter exponitur.

Cap. 8. In prima parte recitat reſponſionem impugnati ad obiectionem appellantis, qua nititur oſtendere, quod doctrina dicti impugnati omnem religionem habentem votum paupertatis deſtruat, vt dilucide declaratur in parte ſecunda. In tertia parte impugnatores contra reſponſionem impugnati quadrupliciter procedere recitantur. Primo, comprobando aſſertionem appellantis, videlicet quod impugnatus omnem huiuſmodi religionem deſtruat. Secundo demonſtrando, quod ſpecialiter confundat regulam Beati Franciſci. Tertio, oſtendendo quomodo vſus facti (vt ſæpe tactum eſt) à proprietate & dominio in rebus vſu conſumptibilibus poſſit ſeparari. Quarto mentem appellantis ſpecificando. In quarta parte explicando literam inſeritur, quod propter modum loquendi Iuriſtarum non eſt modus loquendi Theologorum improprius reputandus. Infertur etiam concluſio principalis appellantis, ſcilicet quod Fratres Minores conſumunt res, neq; vt proprias, neq; vt communes eis quantum ad dominium.

Cap. 9. In prima parte recitat mentem impugnati. Qui (vt clarius habetur in ſecunda parte) aſſerit, quod poſt diuiſionem rerum inter primos credentes quilibet tam Apoſtolus quam alius erat Dominus & proprietarius portionis ſibi aſſignatæ. In tertia parte recitantur improbationes impugnantium, qui tres errores & dictis impugnati colligunt & improbant. Et improbando primum errorem ſubtiliſſime concludunt Iohannem 22. qui determinationem Eccleſiæ ſiue hæreticam dicat ſiue non, eo quod eam improbet, hæreticus ſit cenſendus. Multis præterea auctoritatibus ſanctorum oſtenduntur Apoſtoli omnium bonorum temporalium proprietatem abdicaſſe.

No-

Notantur etiam quatuor modi temporalia abdicandi. Item assignatur duplex paupertas actualis & habitualis. Ostenditur praeterea de clericis, de quibus rebus possent condere testamenta. Soluuntur deinde rationes impugnati. Pro quo primum ostenditur, quod verbum *dare* accipitur multipliciter. Plura sunt notanda passim in hoc capitulo, vt legenti patere potest. In quarta parte notatur & exponitur littera. In quo per exempla monstratur multiplicitas horum vocabulorum *meum, tuum, suum, eius, ipsius*, & similium possessiuorum, & etiam huius verbi *habere*. Et inquiritur, cuius erant quantum ad dominium caligae, quibus vtebatur beatus Petrus. Subduntur duae causae, propter quas primi credentes voluerunt omnia esse communia.

Cap. 10. In prima parte recitat textum impugnati, qui, vt patet in secunda parte, proponit aliam obiectionem appellantis ad eandem in sequenti capitulo responsurus. In tertia parte, quia verba appellantis sunt, approbando ea mentem eorum explanant. Quod idem in quarta parte iuxta consuetudinem idem faciendo ostenditur, quomodo monachi habentes proprietatem rerum in communi ab altissima paupertate Apostolorum & Minorum decidunt.

Cap. 11. In prima parte recitat responsionem impugnati ad obiectionem appellantis recitatam in capitulo praecedenti. In secunda declarat eandem. In tertia recitat impugnationes aduersariorum, qui primo improbant assertionem impugnati. Secundo respondent ad auctoritates per eum adductas. Et quantum ad primum praemittitur, qualiter sensus scripturae diuinae non est nude accipiendus, sed respectiue ad accidentia & sequentia. Et subduntur duae conclusiones. Quarum prima est, quod Apostoli reliquerunt omnes possessiones, quo ad dominium tam speciale quam commune. Et hanc probant quadrupliciter. Secunda conclusio est, quod Apostoli omnium reliquerunt tam in speciali quam in communi, tam mobilium quam immobilium rerum proprietatem, quam probant determinationibus summorum pontificum, Nicolai tertii, Bonifacii octaui, & Clementis quinti. Ex verbis autem Nicolai tertii in decretali *Exiit*, quatuor conclusiones inferuntur de paupertate & abdicatione dominii. Distinguitur etiam triplex superfluum, & duplex sollicitudo circa temporalia: de quibus inuestigatur vtra sit necessitatis. Inquiritur etiam, an abdicatio proprietatis rerum in speciali & in communi exponat hominem periculo. In quarta parte notantur verba textus.

Cap. 12. In prima parte, vt declaratur in secunda, recitat euasionem impugnati, nitentis verba beati Petri, *Ecce nos reliquimus omnia* &c. demonstrare intelligenda esse non de modo relinquendi quantum ad proprietatem, sed quantum ad affectionem & curam, maxime earum rerum, sine quibus haec vita transiri non potest. In tertia parte recitantur impugnationes vtriusque. Ostenditur enim, quomodo Apostoli omnia reliquerunt quo ad dominium & proprietatem, & non solum quo ad affectionem & curam. Et hoc sex rationibus. Item quod etiam illa reliquerunt quoad dominium & proprietatem, sine quibus haec vita transiri non potest: & hoc tripliciter. In quarta parte notantur verba textus.

Cap. 13. In prima parte ponuntur verba Iohannis 22. In secunda declarantur eadem. In tertia probantur. In quarta litteraliter explicantur. Principaliter autem ostendunt impugnatores erroneum esse asserere, res quascunque ab Apostolis post missionem Spiritus sancti, quo ad dominium & proprietatem possessas.

Cap. 14. In prima parte recitatur responsio impugnati ad obiectionem factam ab appellante per verba beati Clementis recitata *12. q. 1. cap. dilectissimis*, vt latius patet in secunda parte. In tertia parte ponitur reprobatio dictae responsionis. Ostendendo, quod erroneum est, quod primi parentes, si non peccassent, habuissent tale dominium rerum in communi, quale nunc habent rerum possessores quo ad dominium. Notatur praeterea quale dominium habuissent primi parentes: & quomodo diuersarum rerum diuersi sunt modi vtendi. Et quomodo potestas vtendi angelis fuerit eis differenter, de aliis rebus concessa. In quarta parte exponendo literam, multa notatu dignissima inseruntur de statu primorum parentum. Ostenditur praeterea quibusdam exemplis, quod non semper communia, dum diuiduntur, eodem modo fiunt propria, quo fuerunt communia, & conuerso. Distinguuntur etiam tria tempora primorum parentum, in quibus varie se habuerunt quo ad rerum dominia.

Cap. 15. In prima parte recitat aliam partem constitutionis, in qua, vt declaratur in secunda parte, impugnatus per dictum capitulum Clement. conatur ostendere, quod Apostoli & eorum discipuli ante conuersionem Iudaeorum, de quibus in actibus fit mentio, aliqua possidebant. In tertia parte ponitur eiusdem impugnatio. In quarta litteralis explanatio.

Cap. 16. In prima parte, vt declaratur in secunda, impugnatus nititur probare falsum esse, quod dixit appellans, Apostolos scilicet post verba Petri, *Ecce nos reliquimus* &c. vsos fuisse rebus consumptibilibus vsu, cum in talibus vsus reperiri, vt asserit, nequeat. Quae omnia improbantur in tertia parte. In quarta exponitur textus.

Cap. 17. In prima parte, vt declaratur in secunda, recitat responsionem impugnati, praetendentis Augustinum non voluisse dicere, quod Apostoli vouerunt abdicationem rerum in communi & in speciali: sed tantummodo Dominum sequi. In tertia parte contra hanc responsionem impugnatores sex ostendunt. 1. quod Apostoli abdicationem rerum vouerunt in speciali. 2. quod in speciali & in communi. 3. quod Augustinus hoc sensit. 4. quod etiam illarum rerum, quas scriptura eos habuisse testatur, abdicationem vouerunt.

Quintum quod vita Fratrum sancti Augustini & aliorum proprietatem in communi habentium ad summam altissimæ paupertatis Apostolorum perfectionem non attingat. Sextum quod medium, quo vtitur impugnatus, est inualidum. In vltima parte declaratur textus.

Cap. 18. In prima parte recitat, & in secunda explicat consequentem constitutionis particulam, in qua impugnatus respondet ad illud, quod in obiectione præmissa tangebat appellans de religiosis figuram Apostolorum tenentibus, dicens quod illud capitulum loquitur de monachis, qui possunt habere mobilia & immobilia in communi. Ergo & Apostoli. In tertia parte prædicta impugnantur propter tres errores. Ostenditur etiam quod duplex est perfectio: Et similiter duplex impedimentum perfectionis. Item quod habere possessiones ecclesiasticas diminuat vel impediat de perfectione. Ponitur item in quadam responsione triplex differentia possessionis propriorum & communium. Quarta pars declarat textum.

Cap. 19. In prima parte recitat, & in secunda explicat aliam partem constitutionis, in qua impugnatus recitat obiectionem appellantis. In tertia parte ostenditur impugnatum non recte recitasse verba appellantis, quæ ibidem subduntur. Et in quarta parte declarantur.

Cap. 20. In prima parte recitat & in secunda declarat aliam partem constitutionis, in qua impugnatus ad obiectionem, quam in capitulo præcedenti recitauerat, conatur respondere, dicens quod procedat ex falsis, cum assumit Leuitas habuisse vsum tantum Decimarum. Et deinde declarat causam, quare Dominus Leuitis dominium Decimarum dederit. In tertia parte prædicta impugnantur tria probando. Primum, quod impugnatus appellanti falsum imponit. Secundum quod auctoritates recitatæ non id prætendunt, quod impugnatus. Demonstraturq; quomodo sacerdotes & Leuitæ habeant dominium in oblationibus & Decimis. Tertium quod appellans intentum suum ex auctoribus bene concludat. In quarta parte declarando litteram ostenditur triplex differentia eorum, quæ diuinis vsibus applicantur. Item in quibus rebus ecclesiastici habent dominium.

Cap. 21. In quatuor partibus, quibus recitat, declarat, improbat & exponit textum. Principaliter per impugnatores ostenditur appellantis verba truncate ab impugnato recitata.

Cap. 22. In prima parte responsionem impugnati ad obiectionem præcedentis capituli recitat. In secunda eandem declarat, ostendendo quomodo impugnatus velit euadere, dicendo quod perfectissima paupertas plus consistat in animo quam in rebus, & in preparatione animi plus quam in effectu. Cuius contrarium asseritur in tertia parte. In quarta parte declaratur textus.

Cap. 23. In prima parte impugnatus respondendo asserit, quod paupertas euangelica non excludat proprietatem, cum constet Apostolos habuisse dominium rerum in communi. In secunda parte declaratur dictum impugnati. In tertia improbatur propter duos errores. Adduciturq; auctoritas beati Thomæ contra contrarium asserentes. In quarta parte expositionem litteralem solitam inuenies.

Cap. 24. In prima parte, vt declaratur in secunda, impugnans nititur ostendere, quod abdicatio, quam Fratres Minores profitentur, non excludat sollicitudinem. In tertia parte impugnatur illud dictum. In quarta declaratur textus.

Cap. 25. In prima parte, vt ostenditur in secunda, recitat responsionem impugnati ad obiectionem appellantis, quæ innititur auctoritati beati Remigii dicentis, quod *Apostoli quantum ad abdicationem temporalium fuerunt ad dignitatem primi hominis reuocati, in qua fuisset vsus rerum sine proprietate.* Hæc declarantur in secunda parte. In tertia declaratur intentio appellantis. In quarta verba eius.

Cap. 26. In prima & secunda partibus recitat & explicat aliam particulam constitutionis, in qua impugnatus ad obiectionem præmissam respondet quantum ad illud, quod ibi dicitur, primos parentes habuisse vsum absque dominio, dicens quod ipsi primi parentes saltem post illam benedictionem *Crescite* &c. habuerunt rerum dominium. In tertia parte impugnantur prædicta, eo quod ad mentem appellantis nihil faciant. Notantur præterea quædam de dominio communi & speciali, quod vocatur proprietas, quod non fuisset in statu innocentiæ. In quarta parte exponitur littera.

Cap. 27. In duabus primis partibus recitat & explicat, quale secundum impugnatum fuit illud dominium in statu innocentiæ, scilicet an proprium an commune. Et determinat impugnatus, quod Adam primo habuit dominium proprium omnium rerum temporalium. Quod probat ratione & auctoritate. In tertia impugnantur prædicta propter duos errores. Primus est, quod illa benedictio *Crescite* &c. fuit data Adæ extra Paradisum ante formationem Euæ Secundus ꝙ Adam ante formationem Euæ habuit dominium proprium rerũ temporalium. Vnde declaratur, quare aliquod dominium dicatur proprium. In quarta parte explanando litteram & soluendo quasdam instantias habentur quædam notatu dignissima de modo intelligendi & exponendi scripturas. Et quomodo in eis non seruatur semper ordo rei gestæ in narrando, vt probatur exemplariter.

Cap. 28. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad capitulum Clementis *12. q. 1. dilectissimis*. In tertia improbatur responsio eius ostendendo, quod non procedat ad mentem appellantis, qui non negat primos parentes habuisse qualecunq; dominium temporalium: sed negat eos habuisse dominium, quod vocatur proprietas, qua aliquid est huius, quod non est illius. Quarta pars expositiua est litteræ.

Cap. 29. In duabus primis partibus recitat & declarat obiectionem appellantis, quæ est secundum

dum euangelium: seruus potest vti pecunia domini sui absq; dominio & proprietate. In reliquis duabus ponuntur annotationes quædam super litteram.

Cap. 30. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad dictam obiectionem dicentis, quod seruus nec vtitur nec abutitur pecunia Domini sui mutuando, quia ipse non facit translationem Dominii, sed Dominus eius. In tertia parte impugnatur dicta responsio ostendendo, quod seruus ille euangelicus vsus sit pecunia Domini sui. In quarta notantur verba impugnati.

Cap. 31. In duabus primis recitat & explicat aliam obiectionem appellantis factam per decretalem *Exiit*. In tertia autem parte ostenditur, quomodo truncate recitatur obiectio appellantis ab impugnato. In quarta parte exponitur littera.

Cap. 32. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionē impugnati ad dictam obiectionem, quæ prætendit, quod illa decretalis debeat intelligi de rebus quæ non consumuntur vsu. Item quod dicta decretalis non fuit ab vniuersali ecclesia in Viennensi concilio approbata, nec de consensu Fratrum promulgata. In tertia parte impugnantur prædicta quo ad octo puncta, in quibus dicunt impugnatum errasse. Primum quia dicit quod dicta decretalis non intelligatur de rebus vsu consumptibilibus. Secundum quia dicit proprietatem tantum in rebus vsu consumptibilibus reperiri, & non vsum facti, nec ius vtendi. Tertium quia dicit, quod in rebus vsu consumptibilibus vsus rei non potest penes vnum & dominium penes alium remanere. Cuius contrarium ostenditur multis exemplis. Quartū quia dicit, quod in omnibus rebus consumptibilibus per vsum siue per abusum vsuarii, substantia rei desinit esse. Quintum quia dicit diffinitionem Nicolai tertii non tenere in rebus vsu consumptibilibus: quod improbant ex illa & aliis constitutionibus successorum eius. In quibus declaratur expropriationem Fratrum debere intelligi de omnibus rebus tam in speciali quam communi. Sextum est, quod decretalis *Exiit* quantum ad hoc non est per vniuersalem ecclesiam approbata. Septimum quod dicit eam in concilio Viennensi non esse confirmatam. Octauum quia dicit eandem non esse de Fratrum consilio & consensu promulgatam. In quarta parte notatur & exponitur littera.

Cap. 33. In prima parte recitat, & in secunda declarat partem constitutionis subsequentem: in qua impugnatus incipit respondere ad obiectiones appellantis contra secundam assertionem ab ipso appellante impugnatam. In tertia parte notatur littera.

Cap. 34. In duabus primis partibus resumit dictam obiectionem per quoddam dictum *Num.* 18. In tertia parte exponitur littera.

Cap. 35. In duabus primis partibus recitat & declarat aliam partem constitutionis, in qua impugnatus respondet ad obiectionem præmissam, dicens, quod Leuitæ non habuerunt in decimis tantum simplicem facti vsum, sed & dominium. Nititurq; ostendere, quod aliud est dare alicui rem in vsum, & dare ipsi vsum facti: & ꝙ ex Dei statuto non habetur vsus in rebus vsu consumptibilibus. In tertia parte tria impugnatur. Primo quia appellans non posuerat dictionem exclusiuam tantum in appellatione sua. Secundo quia dictam obiectionem impugnatus non soluit, sed concedit propositum appellantis. Tertio quod erroneum est dicere, quod ex Dei statuto vsus in rebus vsu consumptibilibus haberi non potest. Quia multæ res datæ sunt in vsum ex Dei statuto, prout probatur auctoritatibus sacræ scripturæ. Soluitur igitur ratio impugnati. In quarta parte exponitur & notatur littera.

Cap. 36. Recitat quasdam auctoritates, quas appellans inducit ad ostendendum, quod vsus reperiatur in multis rebus vsu consumptibilibus. Tandem littera paucis declaratur.

Cap. 37. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad dictas auctoritates. In tertia parte impugnando responsionem eius multa declarantur scitu digna de variis propositionibus de huiusmodi materia loquentibus, vtrum concedi debeant. Concluditurq; quod peritus Theologus & Philosophus debeat absolute concedere, quod contingit vti rebus vsu consumptibilibus. Et idem videtur de Iuristis. In quarta parte notatur littera.

Cap. 38. Recitat & explicat quandam obiectionem de pecunia, qua contingit vti, & tamen inter res vsu consumptibiles numeratur. Deinde subditur improbatio, eo quod de hoc nulla facta fuerit mentio in obiectionibus contra assertionem prædictam.

Cap. 39. In duabus primis partibus recitat & declarat aliam partem constitutionis, in qua impugnatus redit ad completius respondendum auctoritatibus superius allegatis, dicens quod secundum leges neq; vsusfructus neq; ius vtendi, quod est seruitus, neq; ius vtendi quod non est seruitus, potest in rebus vsu consumptibilibus reperiri. In tertia parte prædicta responsio impugnatur tanquam impertinens. In quarta parte notantur & exponuntur verba textus.

Cap. 40. In duabus primis partibus recitat & declarat consequentem dictæ constitutionis particulam, in qua impugnatus nititur ostendere, ꝙ nemo potest vti reb⁹ vsu consumptibilib⁹: eo ꝙ nullus potest habere fructū vel vtilitatē aliq̃ ex illis salua rerū substantia. Et ꝙ inde est secundū Chrysostomū, ꝙ non licet recipere mercedē ꝓ pecunia mutuata. In tertia parte impugnantur prædicta ꝓpter quatuor errores. Quorū primus est, ꝙ non cōtingit vti reb⁹ vsu consumptibilib⁹, capiendo *vti* ꝓprie, ꝙ fuit etiā impugnatū supra cap. 6. Secundus est, quod qui vtitur ꝓprie loquendo re aliqua, habere debet fructum vel vtilitatē ex ea, salua rei substantia. Tertius est quod nullus ex re vsu consumptibili potest habere fructum vel vtilitatem salua rei substantia: cuius contrariū ostenditur in vsu pecuniæ.

Quintus

Quartus quia dicit, quod secundum Chrysostomum ideo pro pecunia mutuata non licet mercedem recipere, quia non contingat ea vti salua rei substantia. Quod falsum esse probant ostendentes longe aliam esse ratione etiam secundu Chrysostomu, videl. quia per mutuum transfertur dominium pecuniæ. Et ideo non licet recipere vltra valorem eius. De qua materia pulchra differuntur. Similiter quare magis liceat locanti domum vel agrum recipere vltra valorem domus, quam mutuanti pecuniam. Notatur tamen casus, in quo etiam ex pecunia ad pompam concessa mercedem sine vsura contingit exigi. In quarta parte exponitur & notatur littera.

Cap. 41. In duabus primis partibus recitat & explicat particulam constitutionis, in qua impugnatus dicit, quod licet vti non posset reperiri in rebus vsu consumptibilibus: tamen in eis consumptio & actus consumendi possunt reperiri. Nec tamen separantur à Dominio. In tertia parte impugnantur hæc in tribus. Primo quia per hæc dicta impugnatus ostendit se prius impertinenter locutum fuisse de vsu & vti. Secundo quia erroneum est dicere quod actus consumendi in rebus huiusmodi non possit à dominio separari. Tertio quod ratio impugnati est erronea & inualida. Ostenduntur etiam multa notatu digna de multiplicitate vtendi, & separandi. In quarta parte notatur & exponitur textus. Et pulchra inseruntur.

Cap. 42. Recitat & explicat partem constitutionis, in qua impugnatus, quasi epilogando quædam prius dicta, dicit, quod constitutio sua *Ad conditorem* loquitur, sicut decretalis *exiit*, scilicet secundum leges, secundum quas *vsus* & *vti* proprie sumendo non habent locum in rebus vsu consumptibilibus. In tertia parte improbantur prædicta per quandam legem.

Cap. 43. In duabus primis partibus recitat & explicat aliam partem constitutionis, in qua impugnatus expressius, quam ante, respondet ad auctoritates inductas supra Cap. 36 dicens, quod omnes illæ auctoritates accipiunt *vsum* & *vti* pro rei consumptione: & ita improprie. In tertia ponitur huiusmodi responsionis impugnatio. Ostenditurq; quod scientiæ posteriores non possunt damnare modum loquendi scientiarum priorum. In quarta parte notatur littera.

Cap. 44. Recitat & declarat aliam obiectionem: probatq; quod qui negat propositionem multiplicem, intelligitur negare omnem sensum eius, nisi sit consuetum talem propositionem accipi potius in vno sensu quam in alio. Notatur etiam littera.

Cap. 45. Recitat & declarat responsionem impugnati dicentis, quod appellans tanquam ignarus arguit legislatorem, arguendo constitutionem *Ad conditorem*, quæ loquitur de vsu, sicut leges. In tertia parte impugnantur prædicta. In quarta declarando litteram notatur quomodo rubricæ sæpe sunt de rebus, quæ contradictionem includunt, sicut in Physica *de vacuo & infinito*: & tamen auctores ita intitulantes non debent reprehendi, nisi postea in tractando dicant huiusmodi res esse.

Cap. 46. recitat & declarat aliam obiectionem appellantis, probantis per verbum Augustini, quod *abusus* est illicitus vsus, & quod ideo Christus cibo & potu non abusus, sed vsus fuerit. Declaratq; tandem litteram.

Cap. 47. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad dictam obiectionem, qui concedit conclusionem illatam ad sensum per se præexpositum. In tertia parte ostenditur, quod sicut ipse impugnatus capit terminos ad placitum suum: sic etiam appellans tanquam Doctor Theologiæ potuit vti isto termino *abuti*, vt capitur in sacra scriptura & Doctoribus sanctis. Deinde exponit litteram.

Cap. 48. In duabus primis partibus recitat & declarat aliam obiectionem appellantis, probantis quod non valeat dicere, quod *abuti* debeat sumi pro consumtione rei, eo quod abuti semper in mala significatione sumitur in sacra scriptura. In vltima exponitur littera.

Cap. 49. In duabus primis partibus recitat & exponit particulam constitutionis, in qua impugnatus respondet ad obiectionem immediate præmissam. Et quantum ad hoc, primo ostenditur, quod *abuti* potest sumi pro consumptione. Et quod *abusus* in bona significatione sumitur secundum leges, & etiam secundum diuinam scripturam. Et ideo oportet, quod omnis abusus sit illicitus. In tertia parte prædicta responsio improbatur ex tribus. Primo, quia non respondet ad mentem appellantis, quam ibi copiose declarat. Secundo quia falsum dicit asserendo, quod legislatores loquentes proprie de rebus, quæ vsu consumuntur, negant vsum in omni sua significatione propria locum in rebus consumptibilibus habere. Tertio quia erroneum est, quod ille abusus, prout capitur ab impugnato, sit illicitus, cui non competit ius vtendi & hoc deducendo ad inconueniens; videlicet quod status Fratrum Minorum sic esset illicitus, & ecclesia errasset ipsum approbando, & beatum Franciscum canonizando. In quarta exponitur littera.

Cap. 50. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati, dicentis quod *abusus* pro consumptione rei sumitur, eo quod hæc præpositio *ab* auget sensum dictionis, qui per compositionem præponitur. In tertia parte dicta impugnantur. In quarta exponuntur litteraliter.

Cap. 51. In duabus primis partibus recitat & declarat aliam constitutionis particulam, in qua impugnatus concludit, quod *abusus* in legibus Imperatorum in bona significatione accipitur. In tertia responsio eius improbatur.

Cap. 52. In duabus primis partibus idem, quod in præcedenti capitulo, ostenditur per auctoritatem Hieremiæ *cap. 18*. In tertia parte improbatur. In quarta literaliter notatur.

Cap. 53. Recitat & declarat obiectionem appellantis, probantis quod diffinitio, quam dicta constitutio dat de *vti*, non sit vera diffinitio. Et ostendentis, quod sicut non est licitum cuicunq; de nouo

nouo imponere vocibus significationes, sic non est licitum cuicunq; diffinitiones nouas dissonas diffinitionibus maiorum assignare.

Cap. 54. Recitat & declarat responsionem impugnati ad obiectionem præmissam, dicentis quod diffinitio sua est vera, prout ostendit per diffinitionem *vsus*, quæ habetur consimilis. In tertia parte præmisso, quod hoc verbum *vti* non habet tot significationes, quot habet hoc nomen *vsus*. Primo dicitur, quod licet *vsus* in vera significatione sic diffiniatur: *Vsus est ius vtendi rebus alienis salua rerum substantia*: tamen *vti* sic diffiniri non potest: *Vti nihil aliud est proprie, quàm fructum rei seu vtilitatem* &c. Secundo dicitur, quod esto quod *vsus* in vna significatione diffineretur prædicto modo: ex hoc tamen non sequeretur, quod non possit aliter proprie diffinire, eo quod eiusdem vocabuli æquiuoce sumpti possunt esse plures diffinitiones propriæ. In quarta ponitur expositio & notatio litteralis.

Cap. 55. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad hoc quod appellans dixerat suam diffinitionem non esse consonam diffinitionibus sanctorum, dicens quod hoc non est inconueniens. Quia aliter accipitur à sanctis, & aliter in decretali *Exiit*, & in constitutione *Ad conditorem*. In tertia parte impugnant prædictam responsionem. Primo quia non respondet ad mentem appellantis. Secundo quia sibiipsi contradicit. In quarta parte notantur verba textus.

Cap. 56. In duabus primis partibus recitat & declarat aliam partem constitutionis, in qua impugnatus reprehendit appellantem quantum ad modum loquendi in hoc, quod ponit simplicem vsum facti in rebus: cum tamen modus loquendi non sit vsitatus à sanctis Doctoribus. In reliquis duabus improbantur & notantur prædicta.

Cap. 57. Recitat vltimam obiectionem appellantis &c.

Cap. 58. Recitat & declarat responsionem impugnati, quæ per quatuor dicta procedit. Tertio improbat prædicta quatuor dicta tanquam falsa. Quorum primum est, quod Nicolaus tertius per verba sua in decretali *Exiit*, non concessit simplicem vsum facti. Secundum est quod quoad res vsu consumptibiles accepit *vsum* improprie. Tertium quod non concessit Minoribus vsum facti. Quartum quod si decretalis *Exiit* intellexerit de vsu facti proprie loquendo, non valeret, quia esset impossibilis. Hæc, inquam, improbatur in tertia parte. Et soluitur vna instantia de vsu necessariæ sustentationis. Et similiter ibi declaratur, quare dicitur *simplex vsus facti*. In quarta parte notatur verba textus.

Cap. 59. Recitat & declarat tertiam assertionem impugnati, quam appellans reputauit erroneam. Quæ est, quod nullus actus vtendi potest esse licitus absq; iure vtendi. In vltima parte exponitur litera.

Cap. 60. In duabus primis partibus recitat & declarat partem constitutionis, in qua impugnatus resumit obiectionem appellantis contra dictam tertiam assertionem. Et stat obiectio in hoc, quod impugnatus loquitur de iure ciuili & mundano. Et tale ius nunquam habuerunt Apostoli in multis rebus, quarum tamen habuerunt vsum licitum. In tertia parte impugnando prædicta quinq; facit, vt ibi patet. Inprimis autem scitu dignum est notabile de differentia inter vsum iustum & licitum. Et de triplici acceptione huius nominis *iustitia*. Et proportionabiliter, quomodo actus potest dici tripliciter iustus. In quarta parte exponuntur verba textus.

Cap. 61. In duabus primis partibus recitat & declarat aliam partem dictæ constitutionis. In qua impugnatus respondet ad obiectiones appellantis, dicens quod appellans sibi falsum imponit. Quia constitutio sua *Ad conditorem* loquitur de vsu, pro quo competit ius vtendi, quod est aliud à iure vtendi. In tertia parte ponitur impugnatio prædictorum duo faciendo. Primo, declarando intentionem impugnati, & quomodo ponit ius vtendi esse licentiam seu licitam potestatem vtendi, & quod licentia vtendi non est sine iure vtendi. Secundo prædictam assertionem improbando. Et ibi primò distinguitur multiplex ius vtendi. Quoddam enim est naturale, & quoddam positiuum. Et quomodo ius naturale semper, sed non pro semper sufficit ad vtendum tempore necessitatis extremæ. Et subditur & soluitur quædam instantia, in qua notatur respectu cuius priuilegium est ius, & respectu cuius non est ius, sed gratia. Deinde ponitur licentia duplex: quarum altera ad placitum concedentis reuocari non potest, altera potest. Tertio reprobatur illa assertio, qua impugnatus dicit, quod aliquid potest habere ius vtendi, quod est licentia vtendi absque iure agendi. Et circa hoc ponuntur duæ conclusiones. Prima est, quod non omnis licentia vtendi est ius vtendi. Quæ probatur quadrupliciter. Soluitur etiam quædam instantia concedendo, quod licet Fratres Minores non habeant ius positiuum in rebus, quibus vtuntur: habent tamen in eis aliquod ius vtendi, scilicet naturale pro tempore necessitatis solum. Et sic cum habeant licentiam vtendi rebus pro alio tempore, quam pro tempore necessitatis extremæ, cum tamen non habeant ius vtendi, nisi pro tempore necessitatis extremæ, sequitur quod licentia vtendi non est ius vtendi. Secunda conclusio est, quod qui habet ius agendi positiuum re aliqua determinata, habet ius agendi seu repetendi iudicialiter, eo quod vnicuique licet repetere suum cū debitis circūstantiis. In quarta parte exponitur litera.

Cap. 62. Recitat & explicat in primis duabus partibus expositionem, per quam impugnatus ostendit, quod constitutio *Quia quorundam*, non loquitur de iure vtendi, quod est proprium, quod tamen sibi imponit appellans: sed de iure vtendi communi. In tertia parte hoc impugnatur propter tria. Primo quia illa constitutio loquitur de iure contentioso. Ergo de iure agendi. Et circa hoc soluitur quædam instantia. Ibi etiam declaratur, quod sæpe verbum indefinite prolatum nequaquam vniuersaliter debet intelligi. Et deinde ponuntur responsiones ad rationes contentas in constitutione, *Quia quorundam*, & specialiter per distinctionem de iustitia & iusto prius positam.

Et

Et sic soluitur illud argumentum, quo probatur impugnatus quod exercens aliquem actum, qui nullum ius habeat exercendi ipsum, iniustus conuincitur. Similiter quod ille non est iustior, qui non habet ius vtendi, quam qui habet respectu rei, qua vtitur, & similia. Secundo ostenditur, quod constitutio *quia quorundam*, loquitur de iure vtendi proprio, non solum collegio, sed etiam personæ. Tertio probatur, quod verba quæ adducuntur ex constitutione *quia quorundam*. plures errores includunt. Quorum primus est, quod Ordo Fratrum Minorum habet vsum iuris in rebus, quibus vtuntur. Secundus error est, quod Ordo Fratrum Minorum est persona repræsentata & imaginaria. Tertius est, quod quæ facti sunt, Ordini nequeunt conuenire. Quartus est quod licet ordini non possint conuenire ea quæ sunt facti: ei tamen possunt conuenire quæ sunt iuris. Et vtrumque quod improbatur. In quarta parte ponitur responsio litteralis.

Cap. 63. Resumit quandam responsionem appellantis ad rationem impugnati supra positam capitulo 59. Vbi arguitur, quod vsus concessus Fratribus non est sine iure vtendi, quia alias esset illicitus. Ad quod respondet appellans, quod sufficit licentia vtendi ad hoc quod non sit illicitus &c.

Cap. 64. Primo ponit & secundo exponit partem constitutionis, in qua impugnatus prædictam responsionem appellantis reprobare conatur, dicens quod falsum est, quod aliquis possit habere licentiam sine iure. Probat de religioso, cui conceditur licentia consentiendi in electionem de se factam, qui etiam per hoc habet ius consentiendi. In tertia vero parte huius capituli reprobatur prædicta ratio, quia appellans non dicit vniuersalem, scilicet quod omnis, qui habet licentiam, non habeat ius. Imo sicut dictum est capitulo 61. aliquando concessa licentia ius quoddam acquiritur, & aliquando non, prout hic & ibidem declaratur. In quarta vero parte ponitur responsio ad litteram.

Cap. 65. In prima & secunda partibus recitat & explicat secundam rationem, quam adducit impugnatus ad probandum, quod qui habet licentiam vtendi re aliqua habet ius vtendi eadem. Et est ratio talis, qui vtitur re aliqua de licentia alterius sine iure; aut vtitur iuste, vel iniuste. Si iuste, ergo iure, *extra de verborum significationibus. cap. ius datis. & 14. q. 4. quid dicam.* Si iniuste, concordat cum constitutione *Ad conditorem* &c. In tertia vero parte ad reprobationem & solutionem dictæ rationis proceditur quinq; faciendo. Primo ponitur distinctio de *iure*: quia quandoq; accipitur pro iure fori: quandoq; vero pro iure poli. *Ius fori* vocatur iustum, quod ex pactione seu ordinatione humana vel diuina explicite constituitur. Et probatur ibidem, quomodo non debet ad placitum cuiuslibet violari, sicut nec mores, nec leges populi, respectu cuius sunt leges. *Ius* vero *poli* vocatur æquitas naturalis, quæ absque omni ordinatione humana & etiam diuina pure positiua est consona rationi rectæ pure naturali vel acceptæ ex his quæ diuinitus nobis reuelata sunt. Ideo est quod ius poli vocatur ius naturale; quandoq; vero ius diuinum. Quoniam multa sunt consona rationi rectæ iure naturali & diuino: sicut consonum est rationi rectæ sumptæ ex credibilibus, quod euangelium prædicantes inde sustententur: quamuis tamen per solam rationem pure naturalem hoc probari sufficienter non possit: sicut nec quod illa quæ prædicant, sint vera &c. Secundo in hoc capitulo ostenditur, quod quando in altercatione præsenti contenditur, an vsus rerum possit esse absque iure vtendi: tam appellans quam impugnatus loquuntur de iure fori, quo quis potest in iudicio litigare. Tertio distinguuntur quinq; modi habendi ius ad res temporales. Primo ex meriti dignitate: & isto modo soli iusti digni sunt, & impius non est dignus pane, quo vescitur. Secundo modo ex debiti necessitate vel honestate: & isto modo superflua diuitum sunt pauperum: & similiter bona ecclesiæ, quia debent elargiri pauperibus, qui ad talia habent ius diuinum. Quoniam per ius diuinum diuites & ecclesiastici tenentur talia indigentibus exhibere. Tertio modo dicuntur temporalia esse aliquorum iure poli: & simul quandoque iure fori & conscientia bona. Et sic res, quibus quis vtitur in articulo necessitatis extremæ sunt illius, siue sint illius iure fori siue non. Quarto modo dicuntur res esse aliquorum sinceritate conscientiæ. Et sic temporalia sunt illorum, qui non ex auaritia vel mala intentione detinent, sed ratione. Quinto modo aliqua sunt alicuius iure fori tantummodo, vel quo ad dominium & proprietatem, vel quo ad vsumfructum, vel ad vsum nudum: & sic de similibus. Quarto replicatur distinctio de iustitia & iusto supra posita. Quinto respondetur ad formam argumenti ante positi, concedendo, quod ille qui re vtitur ex licentia, vtitur iuste, capiendo *iuste* à iustitia tertio modo dicta: quia vtitur conformiter rectæ rationi, & sic iure vel iuste vti est bene moraliter vti, non quidem iure fori, sed iure poli. Quia omne quod recte fit absque iure fori, fit iure poli. Et circa hoc soluitur vna instantia declarando, quod non solum in extremæ necessitatis articulo licet vti rebus iure poli, sed etiam in aliis casibus. Et consequenter ibi declaratur, quomodo ius commune naturale, cui licet renunciari non possit, habeat tamen limitari & coartari, ne in multis casibus in actum exeat circa res temporales habendas & appropriandas. Licet non possit ex toto sic coartari, quin in necessitate omnia sint communia. Et extra talem necessitatem sufficit sola permissio vel licentia Domini ad hoc, quod quis re aliena vtatur iure poli, absque alio nouo iure, prout hic probatur. Et in quarta parte ponuntur notabilia super literam, vbi ostenditur qualiter omne quod bene & iuste possidetur, iure possidetur, & quomodo bonus vsus à iure vtendi non separatur loquendo de iure poli, quod est potestas conformis rectæ rationi absque pactione. Ibi etiam ostenditur, quod ius fori non semper est ex pactione conformi rectæ rationi, sed aliquando discordanti: quia multa possidentur iure fori, quæ non bene possidentur, vt ait Augustinus. *Male*, inquit, *possidet*, qui

qui male vtitur suis & qui aliena præsumit. Quod etiam multa bene possideantur, quæ iure fori minime possidentur, probat hic: quia qui legitime præscribit rem alienam ante præscriptionem completam bene possidet: & tamen ante illam nullo iure fori possidet, sed solum iure poli. Quare &c.

Cap. 66. In duabus primis partibus recitat & declarat obiectionem impugnati contra rationem suam præmissam dicens. Nec obstat, quod Isidorus inter iustum & iniustum ponit fas medium, cum dicit: *Transire per agrum alienum, fas est, ius non est* &c. Ad quam respondet, quod Isidorus non intendit ponere actum medium inter iustum & iniustum: sed quod aliquid est licitum de iure diuino, quod non est licitum de iure humano. In tertia parte reducuntur verba Isidori contra impugnatum, vt ibi patet. In quarta exponendo litteram declaratur exemplariter, quomodo inter iustum & iniustum per abnegationem ponitur medium: & quomodo refert dicere affirmatiue: *Aliquid de iure diuino licet.* Et dicere negatiue: *Aliquid non est de iure diuino illicitum* &c. Et alia multa huiusmodi.

Cap. 67. In duabus primis partibus recitat & declarat quartam assertionem impugnati. Videlicet, quod actus vtendi re vsu consumptibili separatus à iure vtendi haberi non potest: eo quod nullus actus vtendi potest esse in rerum natura. Quia nec ante actum, nec in actu, nec post actum. In tertia parte, dicta improbantur. Differuntur præterea multa de successiuis, quomodo habeant esse: Et an ipsum esse solummodo rem perfectam significet. In quarta parte exponendo verba textus habentur multa subtilia ex physica de tempore, motu, mutatum esse, & similibus.

Cap. 68. In duabus primis partibus recitat & declarat quandam obiectionem appellantis; inferentis; quod ex verbis impugnati superius recitatis destruerentur gesta Christi & Apostolorum eius. In tertia parte ostenditur quomodo dicta obiectio truncate ab impugnato recitatur: & quomodo contra eum ratio eius retorquetur. In quarta parte declaratur littera.

Cap. 69. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad dictam obiectionem appellantis. Quam quidem obiectionem impugnant in tertia parte, ostendendo quod non respondeat ad mentem appellantis: Et quod quinq; irrationabilia contineat, vt ibidem patet. In quarta parte exponitur litera.

Cap. 70. Recitat & declarat responsionem impugnati ad secundam obiectionem appellantis, quæ fuit, quod per rationem impugnati nullus posset habere vsum rerum consumptibilium non vsu. Ad quam respondet concedendo conclusionem, loquendo de vsu facti. In tertia ostenditur, quod conclusio ab impugnato concessa, est erronea & vana. In quarta parte exponitur & notatur littera.

Cap. 71. In prima parte resumit & in secunda declarat quandam aliam assertionem positam ab impugnato, quam appellans impugnat, eo quod ponit, quod si vsus in rebus vsu consumptibilibus posset constitui, ille tamen vsus non esset simplex, nec à dominio & proprietate separatus. Quia per talem actum & cum ipso actu & in ipso actu res huiusmodi consumitur. In tertia parte hæc impugnantur propter duo. Primum, quia erroneum est dicere, quod vsus simplex non potest esse à dominio separatus. Et ob hoc ponitur multiplex acceptio horum terminorum *Simplex, Simplicitas, Simpliciter*, secundum diuersos modos loquendi in diuersis scientiis. Ostenditur etiam, quomodo actus vtendi multipliciter potest dici simplex. Secundum, quia in ratione impugnati tres continentur errores, vt patet ibidem. In quarta parte exponitur littera.

Cap. 72. Recitat & explicat aliam obiectionem appellantis continentem duas instantias. Quarum prima est, quod nec vestis, nec panis semper consumitur in principio actus. Secunda est quod sicut quis habet dominium serui sui, ita habet dominium panis in ore serui existentis. Et tandem ponitur breuis expositio literalis.

Cap. 73. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad præmissam obiectionem, dicentis appellantem constitutioni suæ falsum imponere, scilicet quod intelligat, quod per primum actum, qui est vsus imperfectus, res consumatur. Quia constitutio solum intellexit de actu perfecto, per quem res consumitur. In tertia parte ad impugnandum prædicta distinguitur primo triplex modus, quo actus potest dici perfectus. Secundo declaratur intentio appellantis, & quomodo ratio eius maneat insoluta. Deinde arguitur contra prædictam responsionem. In quarta parte exponendo literam notatur duplex actus vtendi, scilicet perfectus & imperfectus. Et ponitur differentia inter consumi & consumptum est.

Cap. 74. In duabus primis partibus recitat & explicat assertionem impugnati, quam appellans reputat erroneam. Et continet tres partes. Primo enim dicit, quod carentia dominii in rebus, quibus Fratres Minores vtuntur, non prodest eis quantum ad statum perfectionis, eo quod per eam non sint pauperiores. Secunda igitur est, quod carentia dominii omni temporali commodo denudati pauperiorem non efficit non habentem. Tertia est quod tale dominium est nudum verbale & ænigmaticum. De quibus inferius amplius differetur. In vltima parte ponitur notatio literalis.

Cap. 75. In duabus primis partibus recitat & declarat obiectiones appellantis contra assertionem præfatam, quæ consistit in hoc, quod Christus abdicationem talis dominii consuluit, & Apostoli acceptauerunt, & religionum institutores imitati sunt. Vltima parte exponitur littera.

Cap. 76. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad obiectiones appellantis contra assertionem præmissam. Et primo dicit, quod appellans truncate recitat verba constitutionis; quia omittit rationem, per quam probatur, quod retentio dominii facta per Papam non profuit Fratribus quantum ad statum perfectionis, eo quod Minores non minus sollicitè

inuenti sunt post huiusmodi retentionem dominii à Nicolao tertio factam, quam antea. In tertia parte impugnantur dicta eius propter tres errores. Quorum primus est, quod abdicatio proprietatis omnium temporalium in speciali & in communi ad statum perfectionis non pertinet. Ad quem improbandum multa notatu digna ibidem habentur, ostendendo quomodo ex possessione temporalium amor eorum nascitur & augetur, & impedimentum fit amoris diuini. Et contra quod abdicatio proprietatis omnium temporalium disponit ad perfectionem, eo quod remouet diuitias, quarum vermis est superbia. Soluuntur etiam obiectiones de perfectis diuitibus, cuiusmodi fuerunt Abraham, Iacob & Iob. Ostenditur præterea quomodo potest aliquid intelligi pertinere ad perfectionem quadrupliciter. Et quomodo aliquid multipliciter dicitur difficile. Et quis proprie sit status perfectionis. Et quod non est inconueniens, quod vnus status excedat alium in vno, & excedatur ab eodem in alio. Et in solutionibus declaratur, quomodo differenter diuitiarum possessio & earum abdicatio sint instrumentum virtutis & perfectionis. Consequenter discutitur, quomodo possessio diuitiarum ad statum perfectionis prælatorum spectet: & quod intelligendum est eam ad talem statum pertinere non per se, sed quodammodo per accidens. Et quod in casu magis expediret communitati fidelium bona communia ecclesiæ committere laicis iustis, bonis & industriis dispensanda, quam ipsis prælatis, supplendo eorum negligentiam, aut vt ipsi prælati liberius diuinorum contemplationi vacent. Item in solutione ad instantiam, quæ fit de bonis ecclesiarum ad ecclesiasticos spectantibus, declaratur primo, quomodo bona à fidelibus Deo oblata ad duo ordinantur. Secundo, quomodo bona ecclesiæ dicantur communia. Et quomodo sint dispensanda ecclesiasticis non solum indigentibus, sed etiam habentibus aliunde viuere. Laicis autem non nisi in necessitate indigentiæ. plura consequenter de bonis ecclesiasticis pertractantur. Item quomodo punire pœna corporali ad prælatos pertinet. Item quomodo ecclesiasticarum rerum dispensatio posset vtiliter laicis competere. Additur in solutionibus instantiarum quomodo non solum magnarum diuitiarum abdicatio ad statum perfectionis faciat, sed etiam paruarum. Secundus error principaliter ibidem improbatus est, quod præcipue via disponitur ad charitatem per amputationem sollicitudinis circa temporalia. Cuius contrarium ostenditur eo quod amputatio amoris inordinati magis ad eam disponat. Non enim omnis sollicitudo circa temporalia mala est, sicut omnis inordinatus amor. Tertius error est, quod per abdicationem dominii huiusmodi non amputatur sollicitudo temporalium. Addunt his duo mendacia diffamatoria ab impugnato contra Minores commentata. Pro quorum impugnatione ostenditur, quomodo Minores nec per se nec per alium possunt pecunias pertractare. In quarta parte ponuntur notabilia circa litteram.

Cap. 77. In duabus primis partibus recitat & explicat subsequentem particulam constitutionis. In qua impugnatus rursum nititur probare, quod carentia dominii, quam vouent Minores, non reddat eos pauperiores. In tertia parte prædicta assertio & probationes eius impugnantur propter quatuor errores. Primus est quod dicit Minores propter carentiam dominii Romanæ ecclesiæ reseruati non effectos pauperiores. Quo improbato ad solutionem cuiusdam instantiæ ostenditur, quomodo Papa per tale Dominium effectus sit ditior. Adduntur præterea duæ opiniones de potestate Papæ super bona temporalia ecclesiarum. Quarum prima est, quod Papa in rebus ecclesiæ non habet plenitudinem potestatis. Et quod ex intentione fidelium diuersæ res diuersis ecclesiis & monasteriis sunt specialiter assignatæ, à quibus sine culpa & causa rationabili auferri non debent, vt exemplariter probatur de bonis Templariorum. Alia est opinio contraria priori. Secundus error est, quod dominium rerum, quibus Fratres vtuntur, Romanæ ecclesiæ reseruatum, est nudum, verbale, ænigmaticum & simulatum. Tertius error est, quod dominium omni temporali & corporali commodo denudatum est inutile, verbale & ænigmaticum. Quartus est, quod carentia huiusmodi dominii non reddit carentem pauperiorem. In quarta parte notando litteram ostenditur, quomodo accidat statui Fratrum Minorum, quod ecclesia Romana reseruauit sibi dominium rerum ipsis quo ad vsum concessarum. Ostenditur præterea, quomodo res, quarum Fratres vsum habent, & res ecclesiasticæ, non ita libere ad Papam pertinent, sicut res laicorum ad laicos. Et quomodo Papa peccaret mortaliter ditando parentes suos de huiusmodi bonis: & similiter retinentes huiusmodi bona, & alia quamplurima ibidem notantur.

Cap. 78. In duabus primis partibus recitatur & explicatur responsio impugnati ad secundum, quod in prædicta obiectione tangit appellans, scilicet quod Christus tribuisset simulatam & fallacem doctrinam consulendo omnia relinquere volentibus ad perfectionem attingere. Vnde dicit, quod Christus nec Apostolis nec discipulis consuluit, quod non haberent aliqua saltem in communi. In tertia parte improbatur dicta responsio duo ostendendo. In quarta notantur verba litteræ.

Cap. 79. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad tertium, quod tangit dictus appellans, dicens quod sancti religionum sacrarum institutores errassent huiusmodi paupertatem euangelicam instituendo & seruando. Ad quod dicit, quod falsum est, eos eam instituisse aut à Religiosis præterquam à Minoribus obseruatam. In tertia parte improbatur dicta responsio ostendendo, quod ad medium in quo se appellans fundat, non respondeat impugnatus. In quarta exponitur littera.

Cap. 80. In duabus primis partibus recitat & declarat aliam obiectionem appellantis, qua probauit de Leuitis, quod habuerunt vsum rerum, quarum Deus habuit dominium. In tertia ostenditur, quod obiectio appellantis ab impugnato truncate & peruerse recitetur. Vnde repetitur in forma. Et multa inferuntur contra impugnatum ostendendo ipsum hæresim sapere. In quarta exponitur littera.

Cap. 81 In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad dictam obiectionem, dicentis quod *Numeri 18.* expresse habetur, quod Deus dederit Leuitis etiam dominium decimatum, & non tantum vsum. In tertia parte impugnatur huiusmodi responsio euasiua, ostendendo quod appellans non dixerit Leuitas in nullis rebus habere dominium: neq; id oportere dici ad concludendum intentum suum. Ad quod suffecerit probasse ipsos aliquarum rerum vsum habuisse, quarum non ipsi, sed Deus dominium habuerit. Ex hoc enim infertur, quod vsus possit à dominio separari. Ostenditur etiam, quomodo dominium Domini, quamuis esset omni temporali commodo denudatum, non erat nudum, verbale, ænigmaticum aut simulatum. In quarta parte exponitur litera.

Secundæ constitutionis capitula.

CAp. 82. Aggreditur impugnationes constitutionis *Cum inter.* In prima enim parte recitantur duo dicta eiusdē constitutionis. In quorum primo declaratur hæreticum esse affirmare, *Deinceps Christum & Apostolos nihil habuisse in speciali nec in communi.* In secundo declaratur hæreticum esse affirmare, quod non habuerint ius vtendi, vendendi, & donandi, aut commutandi illa, quæ sacra scriptura asserit eos habuisse. In secunda parte hæc declarantur. In vltima parte improbantur dicta, primo notando, quomodo male dicatur *Deinceps* &c. quia declaratio Papæ non facit nouas hæreses. Secundo, quomodo erroneum asseruit impugnatus.

Cap. 83. In duabus primis partibus ostendit, qualiter impugnatus dicit appellatum verba prædictæ constitutionis imperfecte recitasse. Vnde melius recitantur, vt clarius in secunda parte declaratur. In tertia ostendunt verba omissa nihil facere pro impugnato, sed contra impugnatum. Et in quarta exponendo textum declarant quomodo Christus nullius rei habuerit dominium, nec se pro Domino gesserit, sicut nec Apostoli; qui pecuniæ vsum in tempore extremæ necessitatis, non dominium habuerunt.

Cap. 84. Recitat & declarat, quomodo impugnatus exprimit intellectum, quem appellans dictæ constitutioni imponit, dicens quod secundum appellantem dicta constitutio loquitur de iure proprietatis, & dominii ciuilis & mundani. Et deinde in tertia parte improbatur dicta recitatio, tanquam truncata & imperfecta, vt patebit in sequenti capitulo.

Cap. 85. Recitat & declarat, quomodo impugnatus nititur ostendere appellantem imposuisse constitutioni suæ, quod loquitur de iure proprietatis & dominii, de quo tamen non facit mentionem. In tertia parte ostendunt appellantem nihil falsi imposuisse. In quarta declaratur textus.

Cap. 86. Recitat & declarat, quomodo impugnatus dat quandam responsionem generalem ad obiectiones appellantis, dicendo quod omnes vnico verbo repelluntur per hoc, quod constitutio de dominio mentionem non facit. In tertia parte ostendunt, quod licet de hoc ibi non fiat mentio vocalis, tamen ille est sensus, quem dictæ obiectiones prætendunt, intelligendo scilicet de dominio humano.

Cap. 87. Recitat & declarat principalem assertionem appellantis, videlicet quod Christus & Apostoli nullius rei temporalis proprietatem habuerunt, neque in communi, neque in speciali. Et consequenter ponitur declaratio litteralis, in qua ostenditur, quod dicta assertio appellantis non est pertinax.

Cap. 88. In duab⁹ primis partibus recitat & declarat aliam partē constitutionis, in qua impugnatus primo ponit hanc conclusionē, ꝙ dominiū rerum temporalium non iure humano & mundano, sed diuino fuerit introductū. Et per consequens, ꝙ iure diuino sunt dominia aliqua. Pro quo ostenditur, q d ius diuinum, & quo iure facta sit rerum diuisio, vt patet in textu & declaratione eius. In tertia parte proceditur ad impugnationem textus, & ex eo illatorum, ponendo primo quinque conclusiones. Quarum prima est, quod in statu innocentiæ nullum fuit dominium proprium. Secunda quod primum dominium proprium fuit post lapsum iure humano seu ordinatione humana introductum. Vbi multa pulchra in solutionibus obiectionum habentur de diuisione illa, & diuisorum dominio. Tertia conclusio est, quod iure humano absque legibus regum contra alios principatus & magistratus distinctorum multa rerum dominia introducta fuerunt. Quarta est, quod aliarum rerum temporalium diuersa & distincta dominia immediata ordinatione diuina introducta fuerunt. Quinta conclusio est, quod post promulgationem Euangelii nulla dominia à iure diuino, neque ex speciali collatione Dei fuerunt introducta. Vnde probatur, quod Christus illis, quos panibus & piscibus pauit, non dedit illorum dominium, sed vsum simplicem. Soluitur præterea obiectio de clericis, qui videntur ordinatione Dei ex prędicatione viuere. Ostenditur etiam duplex ius diuinum, speciale & generale. Et alia multa, quæ ibi clarissime habentur. Secundo ponuntur quatuor errores impugnati. Tertio in quarta parta discurrendo per litteram ostenditur, quid proprie iure diuino possideatur. Multa insuper notatu dignissima differuntur de rerum dominio, quo iure, & à quibus habeatur.

Cap. 89. In duabus primis partibus recitat & declarat, quomodo impugnatus nititur ostendere, quod dominium rerum temporalium nullo iure humano potuit dari hominibus, sed diuino tantum, eo quod Deus est Dominus omnium rerum, sine cuius voluntate dari non possunt. In tertia

ostenditur, quod hoc non est contra appellantem, qui non intendit negare, quod dominium temporale commune primo fuerit à Deo, à quo primum dominium datum fuit hominibus. Sed non sequitur, quod prima diuisio dominiorum non fuerit inducta à iure humano, quo alicui competit dominium proprium, sic quod potest illud in alterum transferre absq; reuelatione, quod hoc Deo placeat. Demum exponitur litera.

Cap. 90. Recitat & explicat aliam partem constitutionis, in qua impugnatus ostendit, quid per ius humanum circa rerum dominium est inductum, dicens quot modi acquirendi dominium, & modi agendi pro temporalibus in iudicio. Deinde exponitur littera.

Cap. 91. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad auctoritates pro contraria assertione allegatas. In tertia parte impugnando dictam responsionem reprehendit duos errores impugnati. Primus est, quod dicit, ius ciuile formulas duntaxat actionum induxisse. Ad cuius euidentiam ponitur iuris ciuilis & iuris naturalis multiplex acceptio. Secundus est, quia dicit Augustinum non assertiue, sed disputatiue dixisse verba per appellantem adducta. In quarta parte notatur & declaratur littera.

Cap. 92. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionē impugnati ad secundam auctoritatem ab appellante adductam, dicens quod beatus Clemens per *iniquitatem* non intellexit ius gentium, sed peccatum primorum parentum. In tertia parte impugnatores retorquent responsionem in respondentem. In quarta exponendo litteram notatur primo, quod licet in statu innocentiæ communis vsus omnium fuisset, non tamen expediuit post peccatum propter pronitatem hominum ad dissentiendum & male agendum. Secundo multipliciter exponitur hoc verbum *Per iniquitatem*, quod habetur in *cap. dilectißimis* allegato. Exponitur etiam illud euangelicum: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*.

Cap. 93. Accedit ad principalem quæstionem, in qua quæritur, vtrum Christus & Apostoli habuerunt alicuius rei temporalis dominium. In prima enim parte primo recitantur quindecim auctoritates, per quas impugnatus nititur ostendere, quod Christus fuit rex in temporalibus. Secundo octo, per quas conatur probare, quod Christus inquantum homo, fuit Dominus temporalium. Tertio determinat tempus, quando Christus habuit regnum & dominium. In secunda parte declarantur prædicta. In tertia parte improbantur, distinguendo de triplici regimine: & quomodo huiusmodi vocabula *rex* & *Dominus* varie accipiantur. Ostenditur deinde, quomodo Christus potuerit concedi rex & Dominus omnium. Et quomodo non regnauerit temporaliter, nec habuerit dominium vniuersale: & quomodo Cæsar fuerit Christo viuente verus Imperator, nec à Christo recognouerit dominium suum, nec Christus ab aliquo alio. Item pulchre ostenditur, quomodo vtile fuerit Christi fidelibus, quod Christus obtinuit summum sacerdotium, & etiam quod abdicauit rerum temporalium dominium. Et quomodo successor Christi, hoc est beatus Petrus, non obtinuerit per talem successionem alicuius rei temporalis dominium: & multa alia. In quarta parte discurrendo per litteram soluuntur omnes auctoritates per impugnatum adductæ, multaq; scitu digna disseruntur, quæ ibidem faciliter inuenias.

Cap. 94. In duabus primis partibus recitat & declarat quomodo impugnatus conatur probare, quod Christus præter vniuersale rerum dominium, quod ab initio habuit ex Dei datione, postea quarundam rerum temporalium dominium acquisiuit. Aliis modis, scilicet vel emptione vel collatione. Quod probat multis auctoritatibus & exemplis, vtpote de vestimentis eius, de calciamentis & de loculis, de pane & vino in cœna dicens, quod eorum habuit dominium. In tertia parte dicta improbantur ostendendo quatuor. Primo quod Christus nullius rei habuit dominium. Secundo quod non habuit calciamenta etiam quo ad vsum. Tertio specialiter quod non habuit proprietatem loculorum. Quarto concluditur quomodo aliquas res habuerit absque dominio & proprietate. In quarta parte declarando textum soluuntur auctoritates. Et soluitur etiam quæstio, qua quæritur: Cuius erant Christi vestimenta quo ad dominium? Item quomodo Christo consentiente Iudas, qui erat Apostolus, portabat loculos & pecuniam. Et quædam alia notatu digna ibidem inuenies.

Cap. 95. Primo recitat & secundo explicat partem subsequentem constitutionis, in qua impugnatus nititur probare, quod Christus regno & dominio non renunciauit: imo quod nec potuit illi renunciasse, quia fecisset contra ordinationem patris, qui regnum ipsius Christi in perpetuum durare ordinauerat. In tertia parte improbantur prædicta inferendo ex dictis impugnati duos errores. Quorum primus est, quod Christus non longe ante passionem habuit regnum temporale & dominium seu proprietatem temporalium. Secundus est quod ideo Christus nullo modo potuit renunciare regno & dominio, quia sic faciendo fecisset contra ordinationem patris sui. Pro cuius impugnatione ostenditur primo, quod ratio impugnati ad hoc probandum assumit, quod omnia de necessitate eueniunt. Contra quod quia hæreticum est, probant primo quod non omnia de necessitate eueniunt. Secunda quod nulla quantum ad diuinam potentiam de necessitate eueniunt. Tertio quod si Christus habuit huiusmodi regnum & dominium, ipse potuit eisdem renunciare. Quarto declaratur quomodo debeat intelligi, quod in Deo est duplex potentia, scilicet absoluta & ordinata, & quomodo Deus potest aliqua facere de potentia absoluta, quæ non facit de potentia ordinata. Et quinto ad rationes, quæ pro dicta hæresi adducuntur, respondetur. Et hoc faciendo exponitur litera.

Cap. 96.

Cap. 96. In duabus primis partibus recitat & declarat partem dictæ constitutionis, in qua impugnatus nititur ostendere, quod non obstante, quod Christus habuit regnum temporale & vniuersale rerum dominium, ipse fuit pauper & egenus, non propter carentiam dominii, sed propter carentiam perceptionis fructuum. Quod probat rationibus, auctoritatibus & exemplis. In tertia parte impugnantur prædicta propter quatuor errores. Primus est, quia dicit, Christum non fuisse pauperem propter carentiam dominii, sed propter carentiam fructuum &c. Cuius primo contrarium probatur. Secundo quod congruebat ipsum suscipere huiusmodi defectum. Tertio quod nobis expediebat Christum huiusmodi dominium abdicasse. Vnde in solutione cuiusdam obiectionis declaratur, quomodo carentia proprietatis debeat reputari defectus in statu naturæ institutæ. Secundus error impugnati est, quod dicit, quod nudum dominium in perpetuum ab omni temporali commodo separatum habentem non faciat diuitem. Tertius error est, quod omne dominium à perceptione temporalis commodi in perpetuum separatum, est inutile reputandum. Quartus est, quod Christus in quantum homo in quibusdam paucis pro rege vel Domino se gessit. In cuius improbatione ostenditur, quod Christus fugando de templo vendentes & ementes gessit officium ostiarii, & non Imperatoris. Et quod sententia Magistri Sententiarum est merito præferenda sententiæ Iuristarum: Qui cum se intromittunt de difficultatibus theologicis, vltra verba, quæ à Theologia receperunt, falcem mittunt in messem alienam. Quapropter quando de suo aliqua inserere præsumunt, facile in errorem incidunt. In quarta parte exponitur & notatur littera.

Cap. 97. In duabus primis partibus recitat & declarat partem constitutionis, in qua impugnatus discutit vtrum Apostoli habuerunt aliquarum rerum dominium in speciali vel in communi: & vtrum eis licuerit pro temporalibus in iudicio litigare. Et præmittuntur distinctiones duæ. Primo de tempore, quo cum Christo fuerunt, & post. Secundo de tempore, antequam ad prædicationem mitterentur, vel postquam à prædicatione reuersi fuerant. Secundum quas distinctiones postea ad quæstionem respondebit. Nihil autem hic impugnatur: quia nihil disseritur, sed textus paucis explanatur.

Cap. 98. In duabus primis partibus recitat & explicat, quomodo iuxta membra præmissæ diuisionis impugnatus determinat, quod Apostolis antequam ad prædicationem mitterentur, nulla temporalia interdicta fuerunt. Et hoc probat vnica ratione. In tertia parte impugnantur prædicta. In quarta exponendo litteram soluuntur auctoritates per impugnatum adductæ. Et ostenditur quadruplex expositio illius, quod dicitur, quod *Christus egrediens de Synagoga* &c.

Cap. 99. In duabus primis partibus recitat & declarat secundam rationem impugnati ad probandum, quod Apostolis, antequam ad prædicandum mitterentur, nulla temporalia interdicta fuerunt: eo quod dum eos ad prædicandum misit, tunc eis aliqua interdixit. In tertia parte ostenditur inefficacia prædictæ rationis: declarando primo, quomodo aliquo interdicto prius generaliter: postea non frustra illud idem interdicitur specialiter, quod exemplis declaratur. Et per ipsam inefficax ratio impugnati ostenditur. In quarta parte ponitur expositio litteralis.

Cap. 100. In duabus primis partibus recitat & explicat tertiam rationem impugnati ad probandũ, quod Apostolis antequam ad prædicandũ mitterentur, nulla temporalia fuerunt interdicta, per hoc quod Christus non dedit aliam legem viuendi Apostolis & aliis discipulis. Sed aliis discipulis non fuit interdictum temporalia habere, vt probat quatuor exemplis. Ergo nec discipulis. In tertia parte impugnantur prædicta: & ostenditur esse erroneum dicere, quod Christus non dederit aliam legem viuendi Apostolis & quibuscunq; discipulis. In quarta parte exponendo litteram ostenditur triplex fuisse discipulorum differentia.

Cap. 101. In duabus primis partibus recitat & declarat quartam rationem impugnati pro assertione prædicta, quæ potest sic formari. Christus non indixit Apostolis aliam vitam, quando fecit eos Apostolos, quam prius habuerunt. Ergo cum antequam essent Apostoli, non dimiserunt omnia temporalia, sequitur quod nec postea. In tertia parte prædicta impugnantur. Primo quia ex scripturarum testimoniis minime probatur, quod cum Christus ex discipulis fecit Apostolos aliam vitam non indixit. Secundo, quia insinuatur, quod tunc Christus eos Apostolos ordinauerit, quando misit eos ad prædicandum. Cuius contrarium ostenditur ex serie textus: & soluitur obiectio de Matthæi electione. In quarta parte exponitur littera.

Cap. 102. In duabus primis partibus recitat & declarat responsionem impugnati ad quæstionem ab eo propositam iuxta secundum membrum suæ distinctionis, dicentis primo, quod Apostolis pro tempore quo ad prædicandum mittebantur, aliqua temporalia fuerunt interdicta. Quod tribus auctoritatibus probat. Et addit, quod illud præceptum fuit temporale, hoc est ad tempus datum. In tertia parte ostenditur prædictorum quadruplex error. Primo cum dicitur, quod huiusmodi præceptum fuerit temporale. Secundo cum imponit beato Augustino, quod dixisset, illud non fuisse præceptum, sed potestatem eis concessam. Ad cuius impugnationis euidentiam ostenditur, quod Christus mittens Apostolos ad prędicandum, aliqua eis præcepit, aliqua permisit, & aliqua interdixit. Tertio cum asserit præceptum datum 72. Discipulis, etiam temporale fuisse, scil. tempore viæ tantum. Quarto cum dicit patere ex dictis suis, quod quidam prædictorum 72. habuerunt largas possessiones, cum solum ostensum sit de Ioseph, Simone leproso, Dorca & aliis, qui non erant de 72. ad prædicandum missis. In quarta parte exponitur littera.

Cap. 103. In duabus primis partibus recitat & declarat aliam partem constitutionis, in qua impugnatus respondet ad propositam quæstionem iuxta tertium membrum distinctionis eiusdem. Vnde specialiter probat, quod Apostolis, postquam fuerunt de prædicatione reuersi, licuerit habere omnia, quæ eis pro tempore prædicationis præcedentis fuerant interdicta. Et ad hoc probandum [illegible] adducit exempla. In tertia parte ostenditur ipsum errare in hoc, quod dicit Apostolos post reuersionem à prædicatione habuisse panes, pisces, tunicas, pecuniam, & gladios quo ad dominium & proprietatem. In quarta parte exponendo litteram soluuntur auctoritates per impugnatum adductæ & quædam obiectiones curiosæ & scitu dignæ soluuntur.

Cap. 104. Prosequitur primum membrum secundæ distinctionis dicens, quod pro illo tempore [illegible], quantum ad temporalia circa Apostolos immutatum. Et ibidem distinguit de tempore ante vel post missionẽ Spirit' sancti. Deinde in vltima parte ponitur duplex illius dicti intellect'.

Cap. 105. In duabus primis partibus prosequitur secundum membrum dictæ secundæ distinctionis, ostendendo quod Apostoli & quidam alii post missionem Spiritus sancti habebant omnia communia quod ad dominium: licet non gentiles pòst eorum conuersionem. Et ita distinguitur inter Iudæos conuersos & inter gentiles conuersos. In vltima parte exponitur littera.

Cap. 106. In duabus primis partibus recitat & declarat aliam partem dictæ constitutionis, in qua impugnatus pertractat assertionem contrariam assertioni appellantis, dicentis ꝙ illa non erant Apostolis communia. Quod ipse impugnatus reprehendit ducendo ad hoc inconueniens: quod sic dicendo Apostoli essent à numero fidelium excludendi, cum dictum sit, quod fidelibus omnia erant communia. In tertia parte impugnatores tria contra impugnatum asserunt. Primum, quod appellanti falsum imponit, dicentes eo quod non neget Apostolis omnimodo fuisse communia. Quomodo autem communia habuerint declarant. Secundum est, quod intentũ suum impugnatus non probet sufficienter; eo quod arguendo à magis communi ad minus commune sine distributione committat fallaciam consequentis. Tertium quod non respondet ad quæstionem secundum debitum intellectum, quem declarando duo faciunt. Primo ostendunt quod communio, de qua mentionem fecit, non solum vna die, sed multo tempore durauit. Secundo quod Apostoli toto tempore post missionem Spiritus sancti caruerunt proprietate & dominio temporalium, saltem quod esset alicui Apostolorum proprium, vel etiam speciali collegio ipsorum. Et ad hoc adducunt plures rationes soluendo quasdam obiectiones interpositas. In quarta declarantur & notantur verba textus.

Cap. 107. In duabus primis partibus recitat & declarat quomodo impugnatus prosequitur aliud membrum dictæ diuisionis positæ capitulo 103. ostendens quod communicauerunt sua. Et ad hoc quatuor auctoritates adducit. In tertia parte improbant dictum eius, eo quod nihil ad propositam quæstionem faciat, neq; bene probetur. In quarta exponitur litera.

Cap. 108. Accedit ad tractandum hanc quæstionem: vtrum licuerit Apostolis pro rebus temporalibus litigare. Vnde in duabus primis partibus recitatur & declaratur, quomodo impugnatus improbat assertionem appellantis super hac re. Qui tenet, quod eis non licuerit in iudicio litigare, fundans se in tribus auctoritatibus sacræ scripturæ, ostendensq; quomodo contendere in iudicio, licet stet cum perfectione essentiali, diminuit tamen perfectionem supererogationis & secundariam. Deinde exponuntur verba textus.

Cap. 109 In duabus primis partibus recitat & declarat, quomodo impugnatus reprobat assertionem appellantis, ostendendo ꝙ auctoritates, in quibus se fundat, non probent intentũ eius. In tertia parte oppositũ ostenditur retorquendo in impugnatũ varios errores: & ostendendo verba Christi de non contendendo in iudicio dicta esse tã pfectis, q̃ non pfectis: & tam habentib' ꝓpria, q̃ non habẽtibus. Et quomodo aliud est esse perfectum, & esse in statu perfectionis. Et quomodo multiplex est perfectio: vnde tres colliguntur perfectorum gradus. In quarta parte exponendo litteram declarant, quomodo dupliciter contingit transferre dominium donando. Et similiter quomodo mutuum dupliciter in scripturis sacris accipitur: & alia complura.

Cap. 110. In duabus primis partibus recitat & declarat subsequentem particulam constitutionis, in qua impugnatus nititur ostendere, quod verba sæpe dicta non erant Apostolis iniuncta: eo quod tunc cum ea verba *Matth. 5.* dicerentur, non essent adhuc Apostoli. In tertia parte declarando litteram & oppositum ostendendo multa subtiliter disseruntur de ordinatione Apostolorũ, & de tẽpore ordinationis eorundẽ. Additur notabile, ꝙ sæpe in scripturis prius gesta post narrantur: & econuerso.

Cap. 111. In duabus primis partibus recitat & declarat, quomodo impugnatus nititur probare, ꝙ Apostolis licuit contra sibi iniuriantes & sua auferentes in iudicio contendere. In tertia parte improbãt probationem eius, eo quod Apostolis nulla fuerunt ꝓpria in cõmuni vel speciali, ꝓ quib' cõtendere possint. Itẽ declarant quomodo quis potest fratrẽ suũ fraternaliter corripere, & propter bonum commune denunciare ecclesiæ extra iudicium. Et ꝙ etiam Papa fraternaliter debeat corripi, maxime si in hæresim cadat. In quarta parte declarando verba constitutionis plura notanda inseruntur.

Cap. 112. Recitat & declarat probationem impugnati, qua nititur probare, quod prædicta verba Christi de non contendendo in iudicio fuerint omnibus dicta. Et hoc duabus auctoritatibus, Euangelii, scil. & Augustini. Quod impugnatores reprobant ex eo, quod contradicat dictis suis prioribus *capitulo 109.* Nouissime super litteram declaratur, quomodo dicta verba omnibus dicta fuerint, sed diuersimode: quia aliis sub præcepto, & aliis sub consilio &c.

Cap. 113. In duabus primis partibus recitat & declarat, quomodo impugnatus probet appellantem

tem male intellexisse verba Apostoli, 1. ad Cor. 6. *Iam quidem delictum est in vobis, quia iudicia habetis*, ꝑtēdens illa verba esse dicta his, qui nō abdicauerāt rerū dominia. In tertia parte ostēdūt impugnatores ea omnibus esse dicta, quāuis Apostolus eam Epistolam ad Corinthios scribat. Quia qui virtutē & bonos mores docent ad paucos scribentes, omnes docere volunt. Soluunt etiam rationes, quibus probatur, quod non semper sit peccatum litigare in iudicio. In quarta exponitur litera.

Cap. 114. In duabus primis partibus recitat & declarat mentem impugnati circa auctoritates prætactas, volentis quod verba Christi non semper seruanda sint in executione operis, sed in præparatione animi. In tertia parte dicunt ipsum errare primum in hoc, quod dicit indistincte illa præcepta Christi non esse seruanda in executione operis: Cum & præceptorū & eorum quibus præcipiuntur magna sit differentia. Pro quo præmittunt octo notabilia. Primo quod habere diuitias & pro eis contendere potest esse sine peccato. Secundo quod eas abdicare propter Deum melius est & ad perfectionem spectat. Tertio quod eas non repetere litigando in iudicio melius & perfectius est quam repetere. Quarto quod huiusmodi repetitio raro fit sine peccato. Quinto quod in scripturis & præceptis sanctorum etiam licita quandoq; prohibentur, vt magis bonum obtineatur. Sexto quod licitum est se astringere voto ad non facienda, quę implicant ad peccatum. Et similiter ad non habenda, dum modo sine illis vita humana posset transigi. Septimo, quod dicta Christi præcepta in monte diuersa sunt: quia alia affirmatiua, alia negatiua &c. Octauo quod ad perfectionem spectat aliquid velle fugere, eo quod ad peccatum implicat, quod in casu meritorum est suscipere, vt patet de prçlaturis. Ex quibus concluditur, ꝙ præcepit Apostolis etiā in operis executione seruare ꝓceptū de abdicatione dominii & nō litigādo in iudicio: eo ꝙ ad peccatū implicant. Affirmatiua autē consilia nō semper in executione seruari debent, eo ꝙ non semper expediant. In quarta parte declarantur verba textus.

Cap. 115. In duabus partibus recitat & declarat intellectum verborum Apostoli secundum impugnatum dicentem, quod non interdixerit Corinthiis simpliciter litigare & fugere quæcunq; litigia: sed duntaxat fraudulenta & iniuriosa, vel etiam iusta, sed coram infidelibus. In tertia parte impugnatores reprobant prædicta. Primo quia Apostolus interdixit eis omnes contentiones malas & iniquas, quæ non semper fraudulentæ aut iniuriosæ sunt. Secundo quia etiam licita litigia Apostolus dissuasit. Vnde multa vtilia in casu, eo quod ad peccatū implicant, passim in scriptura dissuadentur: similiter per quæ maius bonum impeditur, vt matrimonium impediens virginitatem. In quarta parte declarando & notando verba textus, inquiruntur multa de peritia secularium rerum, quæ ad Episcopum spectat.

Cap. 116. In duabus primis partibus recitat & declarat repetitq; probationes impugnati, ad probandum verba Christi antedicta de præparatione cordis non de executione operis esse intelligenda. In tertia parte inualidantur probationes eius, ostendendo quod solum de quibusdam consiliis affirmatiuis procedant. Ostenditur etiam, quomodo aliquid est licitū in vno & non in alio; Et quomodo multiplex est defensio. Et complura alia notatu digna. In quarta parte declaratur litera.

Cap. 117. In duabus primis partibus recitat & declarat sententiam propriam impugnati de prędicta materia dicentis, quod non habentibus propria non licuit pro aliquibus tanquam pro propriis litigare: sed qui habebant communia (quales iudicat Apostolos) licuit pro illis vt pro communibus litigare sine scandalo & fraude ex auctoritate curam habentis. In tertia parte contra prædicta duo probant. Primum est quod Apostolis non licuit pro rebus quibuscunq; tanquam pro suis litigare. Et ad hoc adducitur triplex ratio. Et soluitur instantia de Episcopis pro rebus suis sine peccato litigantibus. Secundum est quod Apostolis non licuit pro rebus temporalibus tanquam pro communibus litigare in iudicio. Ad quod probandum adducuntur quinq; rationes. Et soluitur obiectio de prælatis Ecclesiæ &c. In quarta parte declarantur verba textus.

Cap. 118. In duabus primis partibus recitat & declarat, quomodo impugnatus conatur probare, quod pluribus religiosis licet pro communibus litigare. Imponit autem appellanti, quod asseruerit, quod nullis viris perfectis liceat vtcunq; pro rebus communibus litigare. Ex quo sequeretur, omnes, qui bona cōmunia defendere tenentur, esse in statu damnationis. In tertia parte dicunt, quod impugnatus non procedat ad mentē appellantis. Qui nō dicit quibuscunq; perfectis prohibitum ꝓ suis litigare: sed perfectissimis perfectione superogationis, quibus præceptum est, omnium rerum abdicare dominium. Quales erant Apostoli, & non Minores. In quarta exponitur litera.

Cap. 119. In duabus primis partibus recitat & declarat, quomodo impugnatus probet per quinque auctoritates, quod Episcopis pro rebus Ecclesiarum suarum liceat litigare. In tertia concedunt impugnatores conclusionem, sed negant quod propterea Apostolis licuerit litigare in iudicio. Episcopi enim non tenent locum Apostolorum in omnibus, sed ab eorum summa perfectione deficiunt. Ideo licet Episcopis, vt minus perfectis, quæ non licent Apostolis, vt patet de Episcopis Orientalibus vxorē ducentibus, & de aliis quibuscunq; possessiones habētibus. In quarta exponitur litera.

Tertia constitutionis capitula.

CAp. 120. Accedit ad tertiam partem principalem. In cuius duabus primis partibus recitatur & declaratur, quomodo impugnatus conatur respondere ad obiectiones factas ab appellante contra constitutionem *Quia quorundam*. Vnde primo dicit, quod appellans dictam constitutionem impugnare molitur: quia non ponit scientiam aliquo modo esse clauem Ecclesiæ. In tria parte dicunt impugnatores, quod obiectionem appellantis truncate recitet: nec pauca de huiusmodi claue disseruntur, maxime ex declaratione Rabani. In quarta parte notatur litera.

Cap. 121. In duabus primis partibus recitat & declarat aliam partem constitutionis, in qua impugnatus respondet ad obiectionem in præcedenti capitulo recitatam, dicens quod illa verba Christi: *Væ vobis legisperitis qui tulistis clauem scientiæ* &c. non sunt intelligenda de clauibus Ecclesiæ, eo quod Christus ibidem loquitur scribis & Pharisæis, quibus claues Ecclesiæ datæ non fuerunt. Ostendunt etiam, quomodo humilitas & fides possunt dici claues. In tertia parte impugnatores duo faciunt. Primo ostendunt, quod erroneum est dicere, quod clauis scientiæ nullo modo est clauis Ecclesiæ. Secundo ostendunt, quod per obiectionem impugnati non cassatur ratio appellantis. In quarta parte exponendo literam ostenditur, quomodo clauis scientię dupliciter accipitur. Et alia multa de clauibus notantur, ostenditurq; quod non derogat sacræ scripturæ ponere plures claues, quam duas.

Cap. 122. In duabus primis partibus pertractat secundam assertionem, quam impugnat appellans, in qua impugnatus dicit sibi falsum impositum, videlicet quod dixisset, quod Papa in his quæ ad fidem & mores pertinent, potest suorum prædecessorum diffinitiones reuocare & contrarium statuere. In tertia parte id ipsum dixisse, nec false impositum esse, ex dictis eius ostendunt, deinde inconuenientiam & perniciem illius erroris ostendunt. In quarta exponitur litera.

Cap. 123. recitat & declarat, quomodo impugnatus sibi falsum impositum asserat, & obiectionem appellantis reiiciat. In tertia parte tria contra impugnatum affirmantur. Primum, vt dictum est, quod ex constitutionibus eius patenter infertur, quod Papæ liceat prædecessorum suorum diffinitiones in dubium reuocare & contrarium statuere. Pro quo improbando multa notatu digna adducuntur; præcipue quomodo diuersimode aliqua diffiniuntur per clauem scientiæ & per clauem potentiæ ab ipso Papa. Et quomodo solus Papa potest diffinire, quamuis quiuis peritus possit aliquid esse catholicum aut hæreticum asserere & declarare. Secundum quod impugnatus de facto multa reuocauit à prædecessoribus suis diffinita & per Ecclesiam approbata, vt patet reuocando veritates Nicolai tertii contentas in decretali *Exiit*, & dogmatizando totidem hæreses contrarias. Tertium est, quod ex dictis patere dicunt ad fidem catholicam pertinere, asserere quod Christus & Apostoli solum simplicem facti vsum habuerunt in rebus temporalibus, abdicato omni dominio. In quarto notando verba textus ostenditur in solutione obiectionis, quod illa constituta per Iohannem 22. non sunt tenenda, quæ constituit reiecta claue scientiæ per prauitatem hereticam, per quam Papali dignitate priuatum dicunt. Epilogando etiam ostenditur, in quibus locis scripturæ habeatur, quod Christus & Apostoli omnium dominia abdicauerunt retento solo vsu facti &c.

Cap. 124. & vltimum. In duabus primis partibus recitat & declarat conclusionem totius operis, in qua impugnatus ostendit caussam constitutionum suarum, quas sigillo suo munitas validas haberi præcipit. In tertia parte impugnatores ex huiusmodi corroboratione eum pertinacem & hæreticum manifestum esse concludunt. Vnde quamplurima notatu dignissima differunt, vtpote de duplici hæresi damnata explicite & implicite. Et vtrius assertor debeat hæreticus conuinci & condemnari. Soluuntur item duæ obiectiones, quarum prima est fratris Giraldi Odonis: quem impugnatores etiam hæreticum affirmant & fautorem hæreticæ prauitatis: Colliguntq; nouem conclusiones erroneas & hæreticas ab eo assertas. In quarta parte notando literam ostenditur, quomodo pertinax debeat impugnatus conuinci. Tandem ponitur peroratio autoris, hoc est Guilhelmi de Ockam, qui caussam huiusmodi operis, quare ipsum compilauerit, & quare sic appellauerit, declarat. Admonens Lectores, si quid repugnans offenderint, diuersis opinionibus diuersorum, quas ipse duntaxat recitauit, adscribant. Hæc sunt præcipue in hoc opusculo notanda. Præter quæ diligens lector multo plura comperiet, & sibi vt libuerit, annotabit.



M. GVILHELMI OCKAMI
OPVS

NONAGINTA DIERVM, CONTRA ERRORES IOHANNIS XXII. PAPÆ, DE VTILI DOMINIO RERVM ECCLESIASTICARVM, ET ABDICATIONE BONORUM temporalium in perfectione status Monachorum & Clericorum.

OPVS NONAGINTA DIERVM SEXTI

Tractatus tertia partis Dialogi Magistri Guilhelmi Ockam: quem ideo Opus nonaginta dierum nuncupat, quod ipsum nonaginta dierum spatio compleuerit. In quo de gestis Fratris Michaelis de Cezena more recitatoris subtiliter pertractat, correspondenter ad id, quod spoponderat se facturum in sexto tractatu tertia partis Dialogi.

PROOEMIVM INCIPIT.

Doctoris gentium & Magistri Beati Pauli irrefragibili authoritate decernitur, *omnia esse probanda*, id est, *ratione discutienda*, secundum Glossam. Quinimmo iuxta illud Philosophi: *Dubitare de singulis, non est inutile.* Quia, sicut dicit quidam Sapientum non minimus: *Non omne quod verisimile est, statim verum est.* Sicut sæpius, quod primum incredibile est, videmus non continuo falsum. Crebro siquidem faciem mendacii veritas retinet: crebro mendacium specie veritatis occultatur. Diligenter itaq; examinanda sunt omnia & probanda, ne præcipitanter falsa pro veris à nimis credulis approbentur. Tunc autem efficatius examinantur omnia & probantur, exagitataq; veritas magis splendescit in lucem, cum pro vtraq; parte contradictionis fortius & acutius allegatur. Proinde cum multa asserta in constitutione, *Quia vir reprobus*, (pro quibus in eadem constitutione multiplicius allegatum existit) nonnulli satagant impugnare: ideo ipsorum motiua duxi præsentibus inserenda, vt vtriusq; partis allegationibus electis, ipsa veritas clarius elucescat. Vt autem apertius dictæ constitutionis sciatur intentio, qualiterq; contra ipsam obiectiones aduersariorum procedant magis appareat. Ne quis dicat, quod verba, non mentem impugnant, tota constitutio per particulas cum reprobationibus est ponenda. Deinde obiectiones & responsiones impugnantium annectentur. Ad subiiciendas vero obiectiones (cum nesciam) minime respondebo, Sed quod constitutionis antedictæ conditor respondeat, ardenter affecto. Oportet autem in primis materiam, intentionem & modum procedendi istius constitutionis exprimere. Est igitur materia istius constitutionis appellatio Fratris Michaelis de Cezena, quam reprobare & damnare molitur. Intentio vero est, Christianos à doctrina eiusdem Fratris penitus reuocare. Modus autem procedendi ex diuisione patebit. Diuiditur vero hæc constitutio in tres partes: videlicet in prooemium seu prologum, Tractatum, & conclusionem. Prima pars incipit: *Iohannes Episcopus seruus seruorum Dei, Quia vir reprobus.* Secunda: *Inprimis itaq;* Tertia versus finem, ibi: *Præmissa quoque.*

CAP. I.

Iohannes Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Quia vir reprobus Michael de Cezena dudum Magister Generalis Ordinis Fratrum Minorum, qui suis excessibus exigentibus dicti ministeriatus officio per nos de Fratrum nostrorum consilio priuatus & inhabilis redditus ad quecunq; dignitatis officia obtinenda fuerat, iustitia exigente, conuersus in vaniloquium, non intelligens quæ loquitur, neque de quibus affirmant, in illam prorumpit insaniam, quod tres constitutiones nostras, videlicet illam constitutionem: Ad conditorem canonum: Cum inter: & Quia quorundam: nisus est multipliciter impugnare, asserendo inter alia hæreticum quod dicta constitutio Cum inter, catholicum asserit: & catholicum, quod constitutio eadem hæreticum declarauit. Et vt sua insania pluribus esset nota, libellos suos continens impugnationes prædictas ad diuersas mundi partes & studia destinare ac ipsos affigi in portis Ecclesiarum vel locis aliis publicis temeritate plectibili attentauit. Propter quæ & plures ipsius excessus alios, fuerit de eorundem Fratrum consilio, fautor hæreticorum & hæreticus, exigente accidia, declaratus: prout in huiusmodi sententiis latius continetur. Licet impugnationes prædictæ adeo sint inualidæ, notoria, quod sint responsione indignæ: Quia tamen in ipsis impugnationibus arma sumit contra legem ex lege, ac Euangelium impugnat ex Euangelio: & de veris fingens mendacia, prout ad mendacium veritatem; ne simplicium corda possint inficere erronea ac hæretica sua dicta, succincte duximus suis oppositionibus (vt sequitur) respondendum.

Ista

ISta verba, quoad quatuor, ab aduersariis impugnantur. Primo enim ostendunt, quod depositio Fratris Michaelis, de qua fit hæc mentio, nulla fuit: & quod de facto processit, & nullo modo de iure. Secundo ostendunt, quod propter missionem libellorum suorum per mundum debet nullatenus reprobari. Tertio quod propter talem missionem libellorum, de quibus fit hic mentio, minime debuit hæreticus iudicari. Quarto quod impugnationes dictarum trium constitutionum *Ad conditorem, Cum inter,* & *Quia quorundam*: validæ sunt censendæ. Primum scilicet quod depositio Fratris Michaelis nulla fuit, & quod de facto processit, & nullo modo de iure, multis modis probare conantur. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod sæpe dictus Frater Michael ante omnem depositionem & sententiam latam contra ipsum à Præsidente, qui postea ipsum deposuit, tanquam ab hæretico & pro causa hæresis legitime appellauit, licet occulte: quod secundum iura licet, quando aliter ex appellatione mortis periculum immineret. In quo casu fuit Frater Michael antedictus, vel saltem hoc potuit probabiliter suspicari. Hoc viso duabus viis probare conantur, quod dicta depositio nulla fuit: & quod adhuc Frater Michael est verus Generalis Minister.

Prima via sic arguitur. Post appellationem vel prouocationem legitime interpositam non est aliquid innouandum: & per consequens, ille à quo appellatur vel prouocatur, non potest deponere appellantem vel prouocantem. Et si de facto deponit, depositio nulla est censenda. Frater autem Michael à Præsidente prædicto legitime appellauit seu prouocauit. Hanc probant, quia pro caussa hæresis licet à Papa (etiam catholico) appellare seu prouocare: quamuis talis appellans seu prouocans, si caussam, quam apponit, non probauerit, pœna debita sit plectendus. Ergo Frater Michael memoratus, qui legitime appellauit ab iurisdictione Præsidentis præfati, appellatione præcedente fuit exceptus: & per consequens dicta depositio nulla fuit. Quod autem à Papa pro caussa hæresis appellare vel prouocare cuilibet liceat Christiano, multi probare contendunt. Primo, quia ab omni habente superiorem in aliqua caussa, licet pro eadem caussa ad eundem superiorem iudicem appellare *2.q.6.placuit*. Sed Papa in caussa hæresis habet iudicem superiorem. Nam Papa potest pro hæresi iudicari. *dist.4. Si Papa*. Imo sic notatur in Glossa, Papa non posset statuere, quod non posset de hæresi accusari: quia ex hoc periclitaretur tota Ecclesia. Qui autem potest de hæresi accusari: habet superiorem à quo poterit iudicari: ergo Papa habet in causa hæresis superiorem: quod Gloss. dist. 19. asserit manifeste dicens. Quod vbi de fide agitur Synodus est maior Papa: igitur à Papa pro causa hæresis est licitum appellare. Secundo probatur idem. Sicut ab alicuius communione & obedientia licet in aliquo casu recedere, ab eodem est licitum prouocare: quia maius est ab obedientia alicuius & communione recedere, quam ab eodem appellare, vel prouocare ab eodem. Sed pro causa hæresis licet à communione & obedientia Papæ recedere. Hoc exemplo & ratione probatur. Exemplo quidem: quia sicut habetur *distinct.19.* multi clerici Romani à communione & obedientia Anastasii Papæ secundi, qui cõmunicauit hæreticis, se laudabiliter abegerunt. Idem & ratione probatur: Quia non solũ licet, sed etiam necessarium est ad salutẽ ab obedientia & communione excommunicatorum recedere, quando scilicet sciuntur excõmunicationis sententiam incurrisse. Sed Papa si fiat hæreticus excommunicationis vinculo est ligatus, *extra, de hær. excommunicamus*. Ergo qui sciunt eum talem, ipsum vitare tenentur. Patet igitur, quod pro caussa hæresis licet ab obedientia & cõmunione Papæ recedere. Ergo licitũ est pro caussa hæresis appellare seu prouocare. Multis aliis viis ostendunt, quod in causa hæresis licitum est à Papa appellare vel prouocare. Ex quo concludunt quod Frater Michael propter appellationem interpositam ante decisionem causæ deponi non potuit: etiam supposito, quod ille à quo appellauit, in nullo in rei veritate à fide catholica deuiasset.

Secunda via sic arguitur. Hæreticus est omni potestate, auctoritate, & Ecclesiastica dignitate priuatus, etiã si Papali videatur pręditus dignitate. Nam omnes hæretici quibuscunq; nominibus censeantur, iudicio & sententiæ generalis concilii sunt subiecti: imo etiã Papa si efficiatur hæreticus, nõ solũ sacris canonibus conciliorũ, sed etiam canonibus summorum pontificũ est subiectus, secundũ quod notat Glo. *24.q.1.c.1.* dicens: *Hic est casus, quando scilicet aliquis in hæresim labitur, in quo Papa in canonem lata sententia incidit.* Nec obuiat ista regula: Quia *par parem soluere vel ligare non potest*. Quia si Papa hæreticus est, minor est quolibet catholico. Papa igitur si efficiatur hæreticus, sententiæ generalis cõcilii est subiectus. Sed per generale concilium sub Innoc. 3. celebratum omnes hæretici quibuscunq; nominibus censeantur, sunt excommunicati & damnati. Ergo omnes hæretici quibuscunq; nominib^9 censentur, sunt omni potestate, auctoritate & Ecclesiastica dignitate priuati. Ergo nullum possunt prælatum deponere. Sed qui deposuit prædictum Fratrem Michaelem, vt isti impugnatores affirmãt & multis modis ostendunt, sicut in eorum patet libris quampluribus, tunc fuit hæreticus manifestus. Ergo ipsum deponere nullo modo valebat. Et ex illo concludunt, quod etiam congregatio celebrata Parisiis ipsum nequiuit deponere. Tum quia dicta congregatio de mandato & in fauorem hæretici extitit celebrata. Tum quia multi veri Ministri, ad quos destitutio Generalis Ministri spectare dignoscitur, exclusi fuerunt. Tum quia multi, qui non fuerunt veri Ministri, admissi fuerunt. Tum quia dicta congregatio Parisiis non fuit secundum formam in regula traditam legitime conuocata, & illa destitutio prædicti Fratris Michaelis nulla fuit. Ex quo sequitur, quod alterius institutio nulla fuit: & ita secundum istos sæpedictus Frater Michael verus Generalis Minister Ordinis Fratrum Minorum est censendus. De ista materia & contingentibus eam plures libri prolixi sunt editi: in quibus prædicti impugnatores motiua adducunt quamplurima, obiectiones refellunt, & quę possunt oriri dubia declarare nituntur. Quare quæ hic ex industria omittuntur, in operibus aliis requirantur.

Secun-

Secundo ex prædictis præfati impugnatores moliuntur à parte ostendere, quod prædicta missio libellorum per mundum est nullatenus reprobanda. Nam quod fit modo debito ad declarationem catholicæ veritatis, est minime reprobandum. Prædicti autem libelli fuerunt appellationes Fratris Michaelis pro fide catholica interiectæ. Ergo licite publicatæ fuerunt: quia licitum est cuilibet appellationem seu prouocationem legitimam publicare. Ergo prædicta missio debet nullatenus reprobari.

Tertio nituntur isti probare, quod propter talem missionem appellationum suarum non debuit sæpe tactus Frater Michael hæreticus iudicari. Tum quia pro facto legitimo non debet aliquis hæreticus iudicari. Dicta autem diuulgatio appellationum fuit legitima: quia pro fide defendenda catholica acceptata. Tum quia (quamuis erret etiam contra catholicam veritatem) paratus tamen est corrigi, si errasset, non est censendus hæreticus, cum non sit pertinax. Sic autem est hic: Quia præfatus Frater Michael in omni appellatione sua, se & omnia dicta sua correctioni sanctæ matris Ecclesiæ & concilii generalis subiecit & exposuit. Igitur etiam quamuis errasset in fide, non est hæreticus aliqualiter iudicandus. Et si dicatur, quod non est paratus corrigi, ex quo iudicium Papæ recusat, imo determinationem ipsius impugnat. Ad hoc respondent defensores Fratris Michaelis, dicentes quod ex quo legitime appellauit, non debet se iudicio illius, à quo appellauit, submittere: imo ipsum debet publice recusare. Addunt autem quod prædictus Frater Michael debet apud omnes catholicos excusari: imo fidelis & catholicus reputari, pro eo quod in iudicio comparere legitime toto posse laborat. Ille autem à quo appellauit, tanquam suspectus ab omnibus reputandus, quia tanquam conscius suorum errorum (dicunt isti impugnatores) ad iudicium generalis concilii, à cuius iurisdictione in causa hæresis nullus noscitur Christianus exemptus, venire recusat: imo quod generale concilium ad veritatem declarandam catholicam congregetur non permittit, in hoc reddens se suspectum, vt de ipso videatur impletum illud Saluatoris: *Qui male agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Hæc à me præscripta sunt breuiter, eo quod de prædictis disserere est extra intentionem meam in hoc opere principalem. De quarto, an scilicet impugnationes dictarum trium constitutionum, scilicet *Ad conditorem*: *Cum inter*: & *Quia quorundam*, sint validæ, ex sequentibus apparebit.

His visis est ad literam accedendum. (*Iohannes Episcopus*) Dicunt isti impugnatores, quod damnabiliter retinet sibi hoc nomen (*Dudum Minister Generalis*) Dicunt quod ista priuatio & inhabilitatio nulla est de iure. Quia per appellationem legitimam ab omni iurisdictione priuantis fuit exemptus. Imo etiam dicunt, quod sine omni appellatione fuisset exemptus à iurisdictione eiusdem: quia ex quo lapsus fuit in hæresim, omni fuit potestate & auctoritate priuatus. (*Impugnare*) Dicunt quod impugnare quascunq; scripturas contra fidem orthodoxam est licitum. (*Declarauit*) Dicunt quod erronee determinauit. Et ideo licitum est, quod est determinatum in ipsa, catholice reprobare. (*Attentauit*) Dicunt quod hoc fuit licitum, ex quo istæ appellationes nihil erroneum continebant. (*Hæreticus*) Dicunt quod non fuit hæreticus, etiam si errasset, quia paratus fuit corrigi. Qualiter cætera, quæ sequuntur, impugnant, in sequentibus apparebit. Vnde sequitur.

CAP. II.

In primis itaque hæreticus istam constitutionem (*Ad conditorem canonum*) *in eo nititur impugnare, quod dicta constitutio proba e intendens, quod Fratres Minores sine proprio viuere profitentes in rebus, quæ vsu consumuntur, non sunt censendi simplices vsuarii, asserit, quæ sequuntur.* Dicere *scilicet* quod in talibus rebus, *scil. quæ vsu consumuntur*, vsus iuris vel facti separatus à proprietate rei seu dominio possit constitui repugnat iuri, obuiat rationi. *Et infra*: In rebus vsu consumptibilibus nec ius vtendi nec vsus facti separata à rei proprietate, seu dominio possunt constitui, seu haberi.

Hæc verba constitutionis prædictæ (vt dicit iste hæreticus) sacræ scripturæ, & sacris canonibus & diffinitionibus sanctorum, ac etiam determinationi sanctæ Romanæ Ecclesiæ *obuiant manifeste. Quod autem sacræ scripturæ repugnent per illud, quod legitur Actuum Apostolorum 2. & 4. capitulis aperte probatur, vt dicit. In secundo enim cap. dicitur sic*: Omnes qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia: possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illas singulis, prout cuique opus erat. *Quarto vero capitulo scribitur*: Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat. *Et paulò post*: Nec quisquam egens erat inter eos. Quotquot enim erant possessores agrorum & domorum vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebantur, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebant autem singulis prout vnicuique opus erat, & panem frangebant circa domum sumentes cibum cum exultatione. *Hæc ibi: Hoc autem vocabulum* suum, *ipsi exponunt sic*: suum, id est, proprium, *vt patet 12. quæst. 1. c. Scimus. & cap. Nobis. & ca. Non dicatis. Et per Augustinum circa principium Regulæ suæ & Gloss. ordinariam super verbum* habebant omnia communia, *quæ dicit*: Indicium fraterni amoris est omnia possidere, & nihil proprium habere. *Ex quibus verbis (dicit iste hæreticus) insinuatur aperte, quod nullius rei temporalis, nec vsu consumptibilis, nec non consumptibilis vsu habebant credentes proprietatem: quia res consumptibiles vsu, scilicet possessiones, agros, domos & substantias (Glossa i.* pecora) *vendebant; & ipsa nec in speciali nec in eorum communitate retinebant. Illas autem res, quas lex, quæ in istis de vsufructu constituitur, vsu consumptibiles esse testatur, scilicet pecunias pro pretio rerum venditarum acceptas, & panes de quibus habetur ibi mentio specialis,*

in

in communi habebant & diuidebant singulis, prout cuiq; opus erat: & nullus ex eis aliquid suum, id est, proprium esse dicebat: sed erant illis omnia communia: & sic quilibet eorum habebat vsum rerum vsu consumptibilium absque proprietate & dominio [illegible], à proprietate seu dominio separatum. Ex quibus concludit, quod dicta assertio & doctrina in dicta con[illegible]one contenta obuiat Diuinæ scripturæ & omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis rerum temporalium destruit & confundit: quia secundum hoc quilibet religiosus, quando vteret[illegible] rebus vsu consumptibilibus, proprietarius censeretur. Hæc sunt verba istius hæretici: in quibus includit procul dubio multa falsa, ad quæ, vt sequitur, respondemus.

IN ista parte incipit tractatus istius constitutionis, quæ in tres partes principales diuiditur. Primo siquidem respond[illegible] ad obiectiones contra constitutionem (*Ad conditorem*) Secundo respondetur ab [illegible]ctiones contra constitutionem (*Cum inter.*) Tertio ab obiectiones contra constitutionem (*Quia quorundam.*) Secunda incipit ibi: *Rursus iste hæreticus, Cum inter nonnullos, satagit impugnare.* Tertia pars incipit versus finem ibi: *Adhuc iste hæreticus constitutione, Quia quorundam.*

Prima pars diuiditur in quinque partes iuxta quinque contenta in dicta constitutione *Ad conditorem*, quæ sæpe dictus Frater Michael tanquam erronea reprobare conatur. Secunda pars incipit ibi: *Adhuc dicit iste hæreticus constitutionem prædictam.* Tertia ibi: *Rursus dictus hæreticus dicit dictam constitutionem* &c. Quarta ibi: *Adhuc iste hæreticus dictam constitutionem.* Quinta ibi: *Rursus dictus hæreticus dictam constitutionem impugnare nititur.* Prima pars adhuc diuiditur in septem partes, secundum quod ad septem obiectiones contra primam constitutionem istius acceptam de constitutione *Ad conditorem canonum* respondetur. Secunda pars incipit ibi: *Item, ad probandum quod asserit.* Tertia ibi: *Adhuc iste veritatis.* Quarta ibi: *Rursus nititur:* Quinta ibi: *Præterea dicit iste.* Sexta ibi: *Adhuc ad ostendendum.* Septima ibi: *Rursus dicit quod prædicta assertio.* Prima pars adhuc d[illegible]itur in duas partes. Primo enim ipsa impugnatio recitatur. Secundo respondetur ad ipsam [illegible] parte immediate sequenti: *Dicimus enim.*

In prima igitur parte ostendetur, quomodo nec vsus facti, nec vsus iuris in rebus vsu consumptibilibus possit à rei proprietate seu dominio separari: quod in constitutione *Ad conditorem* asseritur. Frater Michael in sua appellatione impugnat, per illud Actuum 2. & 4. *erant illis omnia communia.* Quia dicit ipse, quod ex quo secundum veritatem scripturæ omnia erant illis communia, nullius rei vsu consumptibilis proprietatem habebant. Et tamen constat, quod habebant vsum facti rerum vsu consumptibilium. Ergo in rebus vsu consumptibilibus potest vsus facti à proprietate & dominio separari. Hæc est virtus impugnationis superius recitatæ, quam impugnatores prędicti defensare nituntur. Dicunt autem, quod quia impugnatus sub multiplicitate vocabulorum errores conatur inducere, & molitur prosternere veritatem, ad euidentiam dicendorum quosdam terminos in hac constitutione sæpe vsitatos volunt exponere: considerando videlicet, quid sit vsus: quid vsus facti: quid vsus iuris: quid ius vtendi: qui sunt simplices vsuarii: quę sunt res vsu consumptibiles: & quæ non sunt vsu consumptibiles: quid dominium: quid proprietas: quomodo accipiantur talia vocabula, meum, tuum, suum & huiusmodi.

Circa primum, quid sit *vsus*: dicunt quod hoc nomen *vsus* in scripturis variis modis quadruplicibus accipi potest. Vno modo accipitur secundum quod disting[illegible] à fruitione, secundum quod vsus & fruitio sunt actus voluntatis, quando aliquid assumitur in facultate voluntatis. Et sic raro vel nunquam accipitur vsus in scientia legali. Aliter secundo accipitur *vsus* pro actu vtendi re aliqua exteriori. Et sic accipitur vsus in omni facultate, quæ vtitur hoc nomine *vsus.* Et isto modo accipitur *vsus* Iudicum 19. *Habentes panem & vinum in meos, & ancillæ tuæ vsus.* Tertio modo accipitur *vsus* pro consuetudine aliquid faciendi. Sic accipitur primo Regum 17. cap. cum dicit Dauid armatus: *Non possum sic incedere: quia nec vsum habeo.* Sic etiam accipitur, *dist. 11. ca. consuetudinis, & extra de consuet. cap. Cum consuetudinis.* Quarto modo accipitur *vsus* pro quodam iure speciali, quo quis valet vti rebus alienis, salua rerum substantia. Et isto modo accipitur *vsus* in scientiis legalibus & in scripturis, qui modos loquendi scientiarum legalium imitantur. Nec recolunt (vt asserunt) quod *vsus* hoc modo in Theologia vel Philosophia vnquam accipiatur. Sic ergo dicunt hoc nomen *vsus* his modis posse accipi: nec tamen negant quin alio modo accipiatur, siue inueniatur acceptum.

De *vsu facti* dicunt, quod vsus facti est actus vtendi re aliqua exteriori: sicut inhabitare, comedere, bibere, equitare, vestem induere, & huiusmodi. Hoc per scripturam Diuinam & per scientiam legalem, ac etiam per dicta illius impugnati declarant. Dicitur enim, sicut allegatum est superius, Iudicum 19. *Habentes panem & vinum in meos, & ancillæ tuæ vsus.* Constat autem, quod isti vsus erant, comedere panem & bibere vinum. Igitur *vsus* pro actu comedendi & bibendi nonnunquam accipitur. Item, Institut. de vsu & hab. §. 1. sic habetur: *Qui fundi vsum nudum habet, nec vlterius habere intelligitur, quam vt oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis, lignis ad vsum quotidianum vtatur.* In quibus verbis cum dicitur *ad vsum quotidianum*, *vsus* non accipitur pro iure, cum inconuenienter diceretur, ad ius quotidianum vtatur. Accipitur ergo *vsus ibi* pro actu vtendi, quo quis ius tale habet, quod vocatur *vsus nudus*, quo valet oleribus, pomis, & huiusmodi vti. Sed actus, quo quis vtitur oleribus & pomis, est actus comedendi. Ergo actus comedendi vocatur vsus etiam in iure ciuili. Et eadem ratione actus bibendi, & vestiendi, ac consimiles possunt vocari vsus. Item, quod actus comedendi vocatur vsus facti, etiam per dicta istius impugnati ostenditur.

In

In hac enim constitutione, quia *vir reprobus*, dicit in hæc verba: *vsus facti* (supple est) *vtentis proprius, quod non potest dici alterius, nec communicabilis. Patet enim quod actus comedendi Petri sic erat sibi proprius, quod non poterat dici aliis esse communis* Ex quibus verbis patenter habetur, quod hic actus comedendi vocatur vsus facti, & eadem ratione vocatur actus bibendi, & vestiendi, ac consimiles possunt vocari vsus facti. Si igitur omnis actus, quem exercet aliquis circa rem extrinsecam, scilicet comedendo, bibendo, vestiendo, legendo in libro, equitando & huiusmodi, vocatur vsus facti, & additur *facti*, ad discernendum talem vsum ab vsu iuris. Isti tamen non negant *vsum facti* posse accipi alio modo.

De *vsu* vero *iuris* dicunt, quod *vsus iuris* est quoddam ius positiuum determinatum, institutum ex ordinatione humana, qua quis habet licitam potestatem & auctoritatem vtendi rebus alienis, salua rerum substantia. Vnde & sic diffinitur in iure: *Vsus est ius vtendi rebus alienis salua rerum substantia*. Vsus autem sic dictus diuidi potest in nudum vsum & in vsumfructum. *Nudus vsus* est, cum quis habet ius vtendi re aliena, salua rerum substantia. Sed hoc ius non potest alteri vendere, nec locare, nec gratis concedere. Sed cum quis conducit domum, habet ius habitandi in domo cum sua familia, sed hoc alteri vendere non potest, nec concedere nec locare. Similiter qui habet nudum vsum fundi, habet ius morandi in fundo, si voluerit, habet etiam ius percipiendi quosdam fructus crescentes in fundo secundum determinationem iuris ciuilis, sed tale ius alteri vendere, concedere, & locare non potest.

Vsusfructus est pinguius ius in rebus alienis, salua rerum substantia, quia qui vsumfructum habet, non solum ipsa re vti potest, sed omne ius suum potest alteri vendere, concedere & locare. Sic igitur cum dicitur, vsus nudus, *nudus* additur ad differentiam vsusfructus. Vnde & *vsus iuris* quandoque accipitur communiter: & sic est commune ad vsum nudum & vsumfructum. Quandoque vero accipitur magis specialiter; & sic accipitur pro vsu nudo, qui ab vsufructu distinguitur, quemadmodum hoc nomen *consuetudo*, quandoque accipitur communiter pro iure humano scripto & non scripto: quandoque specialiter pro iure humano non scripto, secundum quod ex *decretis distinctione prima* colligitur euidenter. Qualitercunque ergo accipiatur *vsus iuris*, semper est ius quoddam, & non est actus vtendi. Vnde qui conducit domum ad habitandum, habet vsum iuris in domo, licet sit extra domum, & actu non inhabitet eam. Additur autem *iuris*, ad differentiam vsus facti, qui est actus quidam exercitus circa rem exercitam, secundum quod in iure accipitur: qualiter etiam in Theologia sæpe accipi inuenitur.

Quarto exponunt, quid est *ius vtendi*: dicentes, quod *ius vtendi* est potestas licita vtendi re extrinseca, qua quis sine culpa sua, & absque causa rationabili priuari non debet inuitus: & si priuatus fuerit, priuantem poterit in iudicio conuenire. Dicitur (*Potestas licita*) ad differentiam potestatis illicitæ, qua fur sæpe vtitur rebus alienis. Multi etiam alii frequenter per potestatem illicitam propriis rebus vtuntur. (*Qua quis sine culpa sua*) etiam ponitur ad differentiam gratiæ, qua sæpe alicui conceditur potestas licita vtendi re aliqua, qua tamen ad libitum concedentis (absque enim culpa sua & causa) licite priuari potest, solummodo, quia concedens concessam reuocat potestatem: sic inuitati pauperes à diuite, habent licitam potestatem vtendi cibis & potibus positis ante se, quos tamen inuitans ad placitum suum poterit amouere: & si amouerit, non poterunt inuitati propter hoc inuitantem in iudicio conuenire, nec aliquam actionem habent contra ipsum, & talis potestas sæpe vocatur *gratia* in iure. Vnde notat Glossa ordinar. *deci. quæstion. tert. Cauendum*, quod *si episcopus habet sumptus, vnde possit expendere, non debet alios grauare. Nam potius videntur hæc peti ex gratia, quam ex iure.* Glossa etiam *extra de postulatis, bona memoria*, notat quod *si aliqui vocantur ad aliquam electionem de gratia, tunc nec ius nec commodum sibi acquirunt: & ita inter ius & gratiam est discretio facienda.* Ius igitur vtendi competit habenti vsumfructum, & non solum illis, sed sæpe competit habenti dominium & proprietatem. Vnde & in diffinitione vsus ponitur ius vtendi tanquam genus: cum dicitur, *vsus est ius vtendi rebus alienis salua rerum substantia*. Ex quo patet aperte, quod non omne ius vtendi est vsus: quia si omne ius vtendi esset vsus, prima particula diffinitionis vsus, quæ ponitur loco generis, esset conuertibilis cum diffinito: & reliquæ particulæ essent superfluæ, quamuis igitur omnis vsus iuris sit ius vtendi: non tamen omne ius vtendi est vsus iuris, qui distinguitur à dominio & proprietate. Sed omne ius vtendi rebus alienis, salua rerum substantia, est vsus. Et si dicatur, quod ius vtendi est seruitus: nullus autem habet in re propria seruitutem: ergo qui habet dominium rei non habet ius vtendi re illa, cuius habet dominium.

Item, nonnunquam habet aliquis rei alicuius dominium & proprietatem, qua tamen licite vti non potest: sicut qui rem propriam alteri locauit, ipsa re vti non potest non illicite, igitur dominium rei seu proprietas non est ius vtendi. Ad primum istorum dicunt isti impugnatores: quod licet inueniatur in iure, quod omnis vsus est seruitus: & quod omnis seruitus est ius vtendi: forte tamen non inuenitur, quod omne ius vtendi est seruitus: & si hoc inueniretur, diceretur quod ius vtendi acciperetur magis stricte, & non communiter pro omni iure vtendi qualitercunque: nec esset hoc inconueniens; quia sicut beatus Augustinus multis exemplis ostendit *decim. quint. de Trinitate*, idem vocabulum aliquando generaliter, aliquando specialiter seu particulariter accipitur. Dicunt igitur isti, quod licet nullus iure proprio habeat seruitutem: tamen aliquis habet ius vtendi re propria.

Non enim omnes, qui propriis rebus vtuntur, rebus illis vtuntur iniuste: nec etiam vtuntur eis semper de gratia alterius maioris, ergo de iure vtuntur eis: cum omnis, qui re vtitur aliqua, aut vtitur eadem iniuste & licite, aut de gratia alterius, aut de iure quod habet iure, sic igitur dominus rei, in qua alius nullum ius habet, cum non vtatur ipsa re iniuste & illicite, nec de gratia alterius, vtitur ipsa de iure quod habet in re, igitur habet in ista re ius vtendi: licet in illa re non habeat seruitutem: quia non omne ius vtendi est seruitus: licet econtrario sit. Ad secundum dicunt, quod licet dominium rei non sit ius vtendi re ipsa, quandocunque voluerit: sæpe tamen habens dominium rei, habet simul cum dominio ius vtendi re, quando sibi placuerit: quandoque tamen retinet dominium, & ius vtendi concedit alteri, vel gratis vel pro pretio: & ita concesso, quod dominium rei seu proprietatis non sit ius vtendi, non oportet concedere, quod qui habet dominium rei, non habet ius vtendi eadem re.

Quinto declarant, quid intelligant per *simplices vsuarios*. Dicunt ergo, quod hoc nomen *vsuarius* fictum est ab hoc nomine vsus: ideo sicut hoc nomen *vsus* dupliciter accipitur, scilicet pro vsu iuris, & pro vsu facti: licet etiam aliis modis accipiatur. Ita hoc nomen *vsuarius* dupliciter accipi potest. Vno modo, vt conueniat in significatione cum hoc nomine *vsus*, secundum quod accipitur pro vsu iuris; vt ille dicatur vsuarius, qui habet vsum iuris, sed ille dicitur proprietarius, qui habet proprietatem rei, & tunc *simplex vsuarius* vocatur ille, qui habet vsum nudum, vel saltem qui nullum ius habet præter vsum iuris, & isto modo dicunt isti impugnatores, quod Fratres Minores sunt simplices vsuarii: quia nec isto modo sunt vsuarii, cum vsum, de quo est sermo in scientiis legalibus, & nunquam Theologia, non habeant. Aliter potest accipi hoc nomen *vsuarius*, vt in significatione conueniat cum hoc nomine *vsus*, secundum quod accipitur pro vsu facti: & sic dicitur vsuarius, qui habet vsum facti rei. *Simplex* autem *vsuarius* dicitur ille, qui habet vel habere potest vsum facti rei per carentiam omnis iuris, quo pro re vel vsu facti rei valeat in iudicio vel nomine proprio vel nomine collegii litigare, & isto modo, dicunt isti, quod Fratres Minores sunt simplices vsuarii.

Sexto explanant, quæ sunt res vsu consumptibiles; & quæ non sunt vsu consumptibiles. Dicentes, quod res vsu consumptibiles sunt illæ, quæ ipso vsu, id est actu vtendi vel penitus consumuntur, quantum ad vtentem: vel vt communiter deteriorantur, & tandem consumuntur, huiusmodi sunt cibus & potus, medicinæ, vnguenta, pecuniæ, vestimenta, & similia. Pecunia enim quamuis quando de ea res emitur, quantum ad suam substantiam, minime consumatur, imo etiam nec deterioratur: tamen quantum ad ementem consumitur, hoc est totaliter cessat esse sua, ac si in sua consumeretur substantia. Vestes etiam licet vsu facti primo nullatenus consumantur: tamen vt communiter deteriorari incipiunt, & tandem consumuntur. Aliæ autem res, quibus vti contingit, vocantur res non consumptibiles vsu: sicut domus, quæ ex inhabitatione non deterioratur, nisi forte per accidens, & aliæ consimiles dicuntur non consumptibiles vsu. Et quia posset aliquis dicere, quod ille impugnatus accipit res vsu consumptibiles magis stricte, ideo secundum ipsum pecuniæ & vestimenta non debent inter res vsu consumptibiles computari, ac de hoc motæ instantiæ de vestibus & pecuniis apparenter contra ipsum essent exclusæ, ideo ostendunt isti impugnatores, quod ille impugnatus pecuniam atque vestes inter res vsu consumptibiles reputat computandas: & de vestimentis quidem exprimit manifeste. Nam in ista constitutione *Quia vir reprobus* dicit in hæc verba: *Constat quod vestimenta quotidiana inter res vsu consumptibiles computantur.* De pecunia etiam hoc idem insinuat, *in responsione ad secundam obiectionem*, sicut patebit ibidem. Vestes ergo & pecuniæ etiam secundum istum impugnatum, sunt inter res vsu consumptibiles computandæ.

Septimo isti impugnatores, quid per *dominium* intelligi debeat, manifestant. Dicentes, quod huiusmodi nomina *dominium*, *dominus*, *dominator*, *dominari*, & huiusmodi, à diuersis facultatibus æquiuoce & variis modis accipiuntur. Aliter enim accipiuntur in philosophia morali, aliter in philosophia naturali, & aliter in modo loquendi vulgari, & aliter in scientia legali, & ideo cum secundum beatum Augustinum Theologia quodammodo omnes scientias apprehendat, talia nomina in diuersis locis scripturæ diuinæ accipiuntur æquiuoce. Hoc itaque nomen *dominium* sæpe in philosophia morali accipitur pro potestate, qua quis libere potest in actus contrarios, & sic dicunt, quod homo est dominus, & habet dominium actuum suorum: bruta autem non habent dominium actuum suorum. Sic etiam accipitur dominari secundum vnam expositionem *Genes. quart.* cum dicit Dominus ad Cain: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Aliter accipiuntur talia vocabula pro habitu virtuali, quo quis secundum rationem rectam regit passiones suas, & sic dominari accipitur Prouer. sext. cum dicitur: *Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Aliter accipiuntur talia vocabula pro violento & vsurpato regimine super aliquos, qui tali regimini non possunt vel non audent resistere, & tale dominium Petrus in epistola sua prima capit. quinto, senioribus interdicit dicens: *Pascite qui est in vobis gregem Domini, prouidentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque vt dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo.* Sic etiam quandoque vulgariter dicitur, quod mulier dominatur viro suo, & seruus domino, & socius socio. Aliter accipiuntur huiusmodi vocabula pro potestate rem aliquam debito modo regendi, & sic nonnunquam dicitur puer dominari equo domini sui. Aliter accipiuntur aliqua talia vocabula in philosophia naturali pro potestate

testate rem aliam corrumpendi, & sic dicitur, quod in omni mixto est aliquod elementum prædominans, tamen dicunt, quod non recolunt se legisse, quod hoc nomen *dominus* in tali significatione inueniatur.

Aliter accipiuntur talia vocabula in scientia legali: scilicet pro potestate quadam speciali vendicandi rem temporalem aliquam, & defendendi, ac tenendi, & disponendi. Et dicunt *potestate quadam speciali*: quia licet aliqua potestas vendicandi rem temporalem, &c. *Dominium* appelletur in iure, non tamen omnis talis potestas vendicandi rem, &c. dominium nominatur. Qui enim domum conduxit, habet potestatem vendicandi domum, si expellatur illicite: & etiam defendendi, si aliquis eum domo spoliare tentauerit, habet etiam potestatem inhabitandi domum, & de domo aliqualiter disponendi: nec tamen propter hoc dominium habere dignoscitur. Non igitur omnis potestas vendicandi rem temporalem, &c. dominium nuncupatur, & tamen constat quod dominium est potestas vendicandi rem temporalem, &c. Oportet igitur diffinitionem propriam seu descriptionem dominii, de quo in iure sæpe fit mentio, indagare. Dicunt autem isti impugnatores, quod diffinitionem propriam dominii non legerũt in aliqua scriptura autentica: & ideo volentes diffinitionem dominii assignare de dominio secundum quod accipitur in iure, distinguunt: Dicentes, quod dominiorum rerum temporalium, quoddam est dominium diuinum, de quo ad præsens non intendunt: aliud est dominium humanum; & illud est duplex. Quoddam enim competit hominibus in statu innocentiæ ex iure naturali vel diuino, de quo dicitur primis parentibus Genes. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur supra terram.* Aliud est, quod competit hominibus ex iure positiuo, vel ex institutione humana, & de isto dominio in iure ciuili & canonico sæpe fit mentio. Et dominium sic acceptum dupliciter accipi potest, communiter siue large, & specialiter siue stricte. Dominium communiter siue large isti impugnatores sic diffiniunt: *Dominium est potestas humana principalis vendicandi & defendendi in humano iudicio rem aliquam temporalem.* Et *potestas humana* separat hoc dominium à diuino dominio *Principalis* separat hoc dominium ab vsu nudo, & vsufructu, & ab omni alio iure, quod aliquis habet à dominio principali, & etiam à potestate procuratoris, qui habet potestatem rem aliquam nomine alterius vendicandi. Vnde licet habens vsum nudum, & vsumfructum habeat potestatem vendicandi rem, & etiam defendendi illam: tamen potestatem habuit ab alio, qui sibi vsum vel vsumfructum concessit, iure primo sibi retento, absque acquisitione noui iuris. Sic etiam licet creditor habeat potestatem vendicandi rem impignoratam: imo etiam & nonnunquam hanc potestatem vendicandi rem & dominium transferendi: non tamen habet eiusdem rei dominium, quia illam habuit ab alio, qui iure primo retento, ius aliud minime acquisiuit. Hæc particula in humano iudicio separat hoc dominium à dominio, quod competit homini ex iure naturali, vel ex iure diuino primario.

Separat etiam hoc dominium ab omni gratia & licentia vtendi re aliqua: licet etiam stricte accepto vocabulo gratiæ & licentiæ excludantur, cum dicitur, *vendicandi*, sic communiter accepto dominio, dicunt isti impugnatores, quod prælati & viri ecclesiastici habent dominium rerum ecclesiasticarum. Quod etiam sacris canonibus declarare nituntur. Nam beatus Gregorius, vt recitatur *duodec. quæstion. secund. capit. Ecclesiasticis*, ait: *Quia igitur Theodorum virum eloquentissimum, consiliarium nostrum, mancipiorum cognouimus ministerio destitutum: ideo puerum nomine Acosimum natione Siculum iuri dominioque suo dari tradique præcipimus, quem quoniam ex nostra auctoritate iam possidet, huius necesse fuit pro futuri testimonio temporis scripti ac robore largitatis auctoritate fulciri, quatenus Domino protegente secure eum semper sine vllius retractationis suspitione, vt dominus, valeat possidere.* Ex his verbis apparet, quod ille Theodorus ius habuerit & dominium serui, quem possedit vt dominus: & eadem ratione clerici aliarum rerum ecclesiasticarum habent dominium. Hoc etiam idem Gregorius, prout legitur *decim. sext. quæstion. quart. capitulo penultimo*, insinuare videtur, qui scribens Petro Subdiacono ait: *Volumus accedente te ad Panormitanam ciuitatem quæstionem ipsam tali ratione discutere, dominio rei apud possessorem, sicut hactenus possessum est, videlicet permanente.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod ecclesia rei, de qua agebatur, dominium possidebat.

Amplius dicunt isti impugnatores, quod qui habet proprietatem rei, habet dominium rei. Prælati autem & viri ecclesiastici habent proprietatem rerum ecclesiasticarum, teste beato Gregorio, qui, vt recitatur *12. quæstion. cap. vltim.* quandam domum, hortum & hospitia cuidam Religiosæ tradi præcepit iure proprietatis possidenda. Igitur illa Religiosa res temporales iure proprietatis possidere valebat. Episcopi etiam proprias ecclesias habere noscuntur, sicut patet *3. quæst. 1. cap. 1. & qu. 2. ca. Audiuimus*, & in multis locis habetur, quod episcopi & monachi res proprias habent, ergo prælati & viri ecclesiastici habent dominium rerum ecclesiasticarum. Hoc etiam in decretali Nicolai Tertii *Exiit qui seminat*, habetur expresse, quod res omnes, quibus Fratres Minores vtuntur, in dominium & proprietatem ecclesiæ Romanæ receperunt. Hoc etiam ratione probatur. Nam constat per sacros canones, quod prælati & viri ecclesiastici ius habent in personalibus rebus, sed discurrendo per singula iura, quibus temporalia possidentur, in multis rebus nullum ius habent præter dominium, licet enim in aliquibus rebus habeant vsumfructum, & in aliquibus vsum: sicut ex verbis Augustini, quæ ponuntur *17. quæstion. vltima, cap. vltim.* elici potest: tamen tale ius in multis aliis, quæ ab omni iure laicorum alienatæ noscuntur, nullatenus habent. Videtur igitur, quod in eis habent dominium

minium aliquale. Dicunt igitur isti impugnatores, quod multarum rerum habent prælati ecclesiæ, & ecclesiastici viri dominium. Vnde illarum rerum ecclesiasticarum, quæ libere absque conditione à fidelibus sunt donatæ ecclesiæ, Ecclesia in eis aliquo modo habet dominium: quia licet in talibus rebus non habeat ecclesia ita plenam potestatem dispensandi, sicut laici habent in suis: tamen ecclesiastici habent ita plenam potestatem nomine ecclesiæ in iudicio vendicandi; nec ipsi debent ecclesia absque causa priuari, sicut nec laici rebus suis: licet aliquæ personæ ecclesiasticorum valeant facilius rebus deputatis eis, ex causa priuari, & ita cum habeant hanc potestatem vendicandi & defendendi in iudicio res ecclesiæ: & talis potestas ad nullum spectat principalius quam ad episcopos: relinquitur quod habent aliquo modo dominium.

Aliter accipitur humanum dominium magis stricte, vt isti impugnatores affirmant, & dominium strictissime sumptum tali modo diffiniunt. Dominium est potestas humana principalis rem temporalem in iudicio vendicandi, & omni modo, qui non est à iure naturali prohibitus, pertractandi. Et per istam vltimam particulam excluditur ius, quod clerici in rebus temporalibus noscuntur habere: quia licet habeant potestatem principalem vendicandi, &c. non tamen possunt res ecclesiasticas ad suum libitum pertractare. Multisque modis possunt laici de suis temporalibus ordinare, qui clericis sunt penitus interdicti.

Ista est diffinitio dominii strictissime sumpti secundum istos: & quanto aliquod ius in rebus magis ab ista diffinitione recedit, tanto magis recedit à dominii plenitudine. Vnde quanto aliqui magis vel minus artantur ad certos modos dispensandi & tractandi res suas: tanto magis vel minus dominium in rebus constat eos habere, propter quod idem homo sæpe pinguius dominium habet in quibusdam rebus suis: & in aliis habet minus pingue: sicut nonnulli pinguius dominium habent in rebus mobilibus, quas libere absque calumnia possunt dare, vendere, & legare: & in rebus suis immobilibus habent minus dominium, quia res illas non possunt vendere, dare, vel legare, cum hæredes suos de rebus immobilibus exhæredare non valeant. Forte autem ex ordinatione humana est rationabiliter institutum, quod tale dominium plenum nullus habeat in re sua quacunque; quin videlicet ex causa aliqui modi tractandi rem suam sibi valeant interdici: vt communiter cum dominium præcipue rerum mobilium (secundum quod frequentius & forte semper accipitur in iure ciuili, & vt communius accipitur in iure canonico) potestatem vendendi, dandi, & legandi includit. De potestate vendendi testatur Tharasius Constantinopolitanus episcopus, qui (vt habetur *1. quæst. 1. c. eos*) ait: *Omnis enim dominus, quod habet, si vult, vendit, siue seruum, siue aliud eorum quæ possidet.* De potestate etiam legandi satis aperte canones Apostolorum insinuant, in quibus (vt habetur *12. quæstio. 1. cap. Sint manifeste*) sic dicitur: *Sint manifeste res propriæ episcopi: si tamen habet res proprias & manifeste dominicas, vt potestatem habeat de propriis rebus moriens, sicut voluerit, & quibus voluerit derelinquere.* De potestate etiam dandi, iura ciuilia & canonica manifeste loquuntur. Tale autem dominium non habent viri ecclesiastici in quibuscunque temporalibus, quæ Deo à fidelibus sunt oblata: quia omnes clerici ad certos modos dispensandi res ecclesiasticas sunt astricti in tantum, quod aliter dispensando vel tractando peccant mortaliter, nisi forte per ignorantiam vel modum alium valeant excusari, si etiam res ecclesiæ aliter dederint, legauerint vel alienauerint quocunque modo, quam est eis concessum, res illæ poterunt per iudicem reuocari. Et de tali dominio sæpe loquuntur iura canonica, quæ affirmant, quod clerici rerum ecclesiasticarum nequaquam sunt domini, sed procuratores vel dispensatores, secundum quod per plurimos sacros canones posset copiose probari: sed alias apparebit.

Octauo isti impugnatores ostendunt, quid per *proprietatem* intelligunt. Dicunt enim, quod hæc nomina *proprium & proprietas* aliter accipiuntur in logica, & aliter in scientia legali, sed qualiter accipiantur in logica, non oportet in hoc opusculo pertractare. In legalibus autem scientiis, sc. in iure ciuili, & in iure canonico, sæpius *proprietas* accipitur pro dominio rei, vt idem sit proprietas & dominium: quamuis etiam forte aliter nonnunquam accipiatur, & ideo sicut *dominium* multipliciter accipitur; ita & *proprietas* dupliciter iuxta duos vltimos modos dominii.

Nono dicunt, talia vocabula, *meum, tuum, suum*, habere in significatione conuenientiam cum eisdem, & in diuersis locis accipiuntur æquiuoce. Aliquãdo enim important dominium, & proprietatem etiam, prout ille impugnatus affirmat: & ideo hoc per exempla probare videtur superfluum. Aliter illa vocabula important licitam potestatem vtendi re aliqua, vel vsum rei ad hospitium vel deputationem alicuius rei ad vsum alicuius, sic dicitur vulgariter, quod inuitatus habet hospitium, & sæpe dicit, hoc est meum hospitium: cum tamen non habet hospitii proprietatem, & de isto modo accipiendi huiusmodi vocabula inferius, cum agetur de dominio & regno Christi, multa ponentur exempla, ideo ad præsens pertranseo. Aliis etiam modis, de quibus dicetur inferius, accipi possunt, & accipiuntur ista vocabula. Istas distinctiones ponunt isti impugnatores: quia, vt dicunt, per eas patebit, tam impugnati quam fratris Michaelis impugnantis intentio: & qualiter sub multiplicitate vocum iste impugnatus errores conatur deducere, qualiterque impugnati rationes faciliter improbantur: & impugnantis rationes insolubiles euidenter apparent. Dicunt etiam, quod aliqua prædictorum vocabulorum aliter accipi possunt: sed ista ad præsens eis sufficiunt.

His visis dicunt isti impugnatores, quod ex præmissis euidenter concluditur, quod in verbis dictis, quæ impugnat, duo errores continentur aperte: quorum primus est, quod vsus facti à

proprie-

proprietate rei seu dominio in rebus vsu consumptibilibus haberi non potest. Secundus est, quod in talibus rebus vsu consumptibilibus ius vtendi separatum à proprietate rei seu dominio haberi non potest. Verum quia hæc duo, quæ isti impugnatores putant erronea, iste impugnatus in ratione ad obiectionem superius recitatam asserit & confirmat: ideo impugnationes ipsorum vsque ad partem sequentem, in qua ponitur istius impugnati ratio, differunt. Tertium autem, quod in verbis præmissis habetur, videlicet quod in quibusdam rebus vsu consumptibilibus non potest haberi vsus iuris à proprietate seu dominio separatus. Isti impugnatores concedunt proprie sumpto vsu iuris: quia dicunt, quod illa negatiua habet vnam causam veritatis veram, quæ est ista: In talibus rebus vsu consumptibilibus non potest haberi vsus iuris: quia vsus iuris est ius vtendi rebus alienis, salua rerum substantia: & ideo proprie vsus iuris in multis rebus consumptibilibus vsu, non potest constitui vel haberi: & per consequens vsus iuris separatus à dominio seu proprietate non potest in talibus rebus haberi.

Ex quo dicunt, quod istam propositionem Fratres Minores in rebus, quæ vsu consumuntur, non sunt censendi simplices vsuarii: non intendunt in omni sensu negare, nec eius oppositum in omni sensu concedere: quia, sicut dictum est, si hoc nomen *vsuarii* conueniat in significatione cum hoc nomine *vsus*, prout sumitur pro vsu iuris, sic concedunt quod Fratres Minores nec rebus, quæ consumuntur vsu, sunt simplices vsuarii, quia nec in istis sunt vsuarii, eo quod in nullis rebus habent vsum iuris. Si autem nomen *vsuarii* conueniat in significatione cum hoc nomine *vsus*, vt accipitur pro vsu facti: sic concedunt, quod Fratres Minores sunt simplices vsuarii, hoc est, vtuntur rebus nullum habentes ius, per quod valeant in iudicio litigare.

Postea videndum est de littera (*Vsus iuris vel facti.*) Ex hoc habetur aperte, quod etiam ille impugnatus distinguit inter vsum iuris & vsum facti. Explanet igitur, quis est vsus facti, quis non sit vsus iuris: & non poterit nisi dicendo, quod actus vtendi, sicut actus comedendi, bibendi, inhabitandi, equitandi, & huiusmodi sunt vsus facti. (*Nec ius vtendi.*) Hic deberet ostendere, quid est ius vtendi: quod ponitur in diffinitione vsus iuris. (*Suum esse dicebat.*) Hic hoc vocabulum *suum* accipitur secundum quod importat dominium seu proprietatem rei, licet alio modo accipi posset. (*Sancti exponunt sic suum, id est proprium*) verum est quod in illo loco ita exponunt: in quibusdam autem aliis locis aliter exponunt hoc vocabulum *suum*. (*Absque proprietate & dominio*) verum est de dominio, quod potestatem dandi, vendendi, & ligandi includit. Sequitur

CAP. III.

Dicimus enim & verum est, quod dicta constitutio docet & asserit, quod in rebus vsu consumptibilibus nec ius vtendi, nec ipsum vti potest constitui vel haberi, licet nec ius vtendi, nec ipsum vti in rebus illis haberi possit vel constitui ipsis, tamen potest, sicut dicit dicta constitutio, quis abuti. Abuti autem, secundum eandem constitutionem (dum tractat de rebus vsu consumptilibus) sumitur pro consumptione rei, & quod ius vtendi in talibus rebus non possit constitui, probat dicta constitutio ex diffinitione vsus, qui talis est: Vsus est ius vtendi alienis rebus salua rerum substantia, id est ius percipiendi fructus seu vtilitatem aliam in totum vel pro parte suo nomine, qui possunt ex re, in qua vsus constituitur, prouenire. Constat autem quod in rebus vsu consumptibilibus, quamdiu earum substantia salua & integra permanet, nulla potest vtilitas prouenire, vtpote in pane & in vino, ex quibus nullus fructus vel vtilitas potest colligi seu haberi, substantia salua rei. Quare euidenter relinquitur, quod in rebus talibus vsu consumptibilibus ius vtendi separatum à proprietate seu dominio nequeat constitui seu haberi, & per hoc beatus Iohannes Chrysostomus *rationem reddit, quare pecunia mutuata, vsura, sicut merces pro domo vel re alia vsu non consumptibili locata licite recipi nequaquam possit: dicens, quod in re vsu non consumptibili, vt in domo vel agro, habens ista non solum habet proprietatem seu dominium, sed ex illis salua rei substantia ac proprietate rei & dominio, fructum seu vtilitatem aliam percipit, vt patet in domo, in qua habitat: & sicut ex ea commodum inhabitationis habet sibi dominus saluo dominio remanente, sic ex agro quoque fructus recipit agri salua rei substantia, & dominio remanente. Et ideo quia locans fructus rei seu vtilitatem aliam prouenientem ex ea, retento sibi dominio, conductori concedit: nec illa sibi fructus seu vtilitatem domus vel agri finita locatione repetit, non est mirum si pro his precium recipere possit, mutuans autem pecuniam in eum, cui mutuat, pecunia transfert dominium, non fructum aliquem, nec vtilitatem aliam, quæ ex ea salua rei substantia valeat peruenire: & tantundem ab eo cui mutuauit postea repetit, quare vltra illud, quod mutuauit, à recipiente mutuum licite recipere nequit, vt legitur* octuagesim. octau. distinction. cap. Eiiciens. *Quod autem ipsum vti ab aliquo haberi nequeat, dicta constitutio, sequens Augustini sententiam positam in* libro Confessionum *clare probat: quia quod non est, haberi potest nequaquam, actus autem in rerum natura non est, nec antequam quis vtatur, nec postquam vsus est, nec dum est in actu vtendi, prout latius prosequitur dicta constitutio: quare relinquitur, quod haberi non potest.*

In parte ista iste impugnatus ad præsentem impugnationem nititur respondere. Et diuiditur ista pars in duas partes: quia primo circa illa, quæ impugnat, suam explicat intentionem, & eandem probare conatur. Secundo ad illa, quæ tangunt impugnationem prædictam, respondetur in parte immediate sequenti, cum dicit: *Ad illud autem quod dicit*, &c. In prima igitur parte primo tria proponit: quorum primum est, quod in rebus vsu consumptibilibus non potest

ius vtendi constitui vel haberi. Secundum est, quod in rebus vsu consumptibilibus non potest ipsum vti, id est, actus vtendi, constitui vel haberi. Tertium est, quod licet in rebus vsu consumptibilib. non contingat vti: ipsis tamen contingit abuti, hoc est consumere: quia *abuti* re vsu consumptibili, accipitur pro consumptione rei. Deinde ibi: *& quod ius vtendi*, &c. pro tertia parte dicitur, quod ius vtendi in rebus vsu consumptibilibus non possit constitui vel haberi. Prima pars accipitur ex diffinitione vsus, qui talis est: *Vsus est ius vtendi rebus alienis salua rerum substantia*, id est ius percipiendi aliquam vtilitatem salua rei substantia, quod in rebus vsu cōsumptibilibus reperiri non potest: quia salua substantia rerum vsu cōsumptibilium non potest ex eis vtilitas prouenire. Secundo probat idem per Iohannem Chrysost. qui per hoc reddit rationem, quare pro pecunia mutuata vsuram licite non conuenit accipere. Demum ibi, *quod autem ipsum vti*, &c. ostendit, quod ipsum vti, id est actus vtendi in rebus vsu consumptibilibus haberi non potest.

Istum processum quo ad quatuor principaliter isti impugnatores satagunt improbare. Primo quo ad hoc quod dicit, quod ius vtendi in rebus vsu consumptibilibus haberi non potest. Secundo quantum ad hoc q in persecutione dicit, quod in talibus rebus vsu cōsumptibilibus ius vtendi separatum à proprietate & dominio haberi non potest. Tertio quo ad hoc quod dicit, quod in rebus vsu consumptibilibus actus vtendi haberi non potest. Quarto quo ad hoc q dicit, quod rebus consumptibilibus non conuenit vti, sed abuti. Circa primum primo improbant ipsum dictum in se, secundo improbant vtramq; rationem, per quā ipsum dictum ostenditur. Ad euidentiam primi dicunt, quod duo sunt notāda: quorum primum est, quod principalis intentio istius impugnati in hac materia est damnare assertionem Fratrum Minorum, qui dicunt se habere in rebus vsu consumptibilib. simplicem facti vsum absq; omni iure vtendi, quemadmodum in decretali Nicolai III. quæ incipit *Exiit qui seminat*, habetur. In dicta enim decre. *Exiit*, continetur expresse, quod Fratres Minores in omnib. rebus, quib. vtuntur, habent simplicem facti vsum nihil iuris, quod Fratres Minores dicunt sic debere intelligi: quod videl. rebus cōsumptibilibus vsu & rebus non consumptibilib. vsu de licentia seu gratia concedentis vtuntur absq; omni iure humano, quo pro se vel vsu rei valeant in iudicio litigare. Ex quo inferunt isti impugnatores, quod cum præsumendum sit, quod iste impugnatus assertionē prædictam Fratrum Minorum ad rem & non ad nomen satagit improbare, ipse eodem modo & in eadē significatione vtitur huiusmodi terminis, *Ius vtendi, vsus facti, simplex facti vsus*, & similibus quo modo & in qua significatione vtuntur prædicti Fratres Minores, præsertim cum huiusmodi terminis non vtantur in significatione extranea, sed modum suum loquendi ex auctoritate scripturæ accipiant. Si enim iste in alia significatione terminos tales acciperet, quam Fratres Minores, ipsos ad rem nullatenus impugnaret, sed per æquiuocationem & sophistice ipsos velle, apud non intelligentes & simplices diffamare conuinceretur aperte. Quod vero in significatione extranea non vtantur huiusmodi terminis, probant ex hoc quod modum suum loquendi à decretali *Exiit* in corpore iuris inserta accipiunt. De hoc etiam postea plenius differetur. Secundo dicunt esse notandum, quod ius vtendi accipitur hic communius, quam pro vsu iuris, & ita licet aliquando ius vtendi inueniretur accipi specialiter pro vsu iuris, tamen non ita hic specialiter accipi potest, sed accipitur magis communiter: quia, vt patet hic ex processu impugnati, ipse accipit *ius vtendi*, vt ponitur in diffinitione vsus. Vt autem ponitur in diffinitione vsus, accipitur communius, quam pro vsu tantum, ergo vt hic est sermo de iure vtendi, *ius vtendi* est ius communius quam vsus, cum ponitur in diffinitione vsus tanquam genus.

His visis, dicunt isti impugnatores, quod erroneum est dicere, ius vtendi in rebus vsu consumptibilibus non posse constitui vel haberi: sed probant sic. Habens potestatem & dominium rerum vsu consumptibilium: puta panis & vini, in quibus alius nullum ius habet, potest vti eis: quia potest manducare panem & bibere vinum, manducare autem panem & bibere vinum est vti pane & vino: quod non solum ex scripturis diuinis seu sanctorum, sed etiam ex iure ciuili, & ex dictis istius impugnati colligitur euidenter. Ait enim Apostolus prim. ad Tim. quint. *Vtere modico vino*, & Iosuæ quinto sic legitur: *Defecit manna, postquam comederunt de frugibus terræ: nec vsi sunt vltra cibo illo filii Israel.* Et Augustinus, prout recitatur *distinction. quadragesim. prim. capitulo quisquis*, loquens de cibis & aliis ait: *Quisquis rebus prætereuntibus restrictius vtitur, quam sese habent mores eorum, cum quibus viuit: aut intemperans, aut superstitiosus est.* Et, sicut adductum est prius, lex ciuilis ait: *Qui fundi vsum nudum habet, nihil vlterius habere intelligitur, quam vt oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis, lignis ad vsum quotidianum vtatur*, & iste impugnatus, sicut est superius recitatum, in ista constitutione, *Quia vir reprobus*, ait: *Vsus facti sic est vtenti proprius, quod non potest dici alterius, nec communicabilis.* Patet enim, quod actus comedendi Petri sic erat sibi proprius, quod non poterat dici aliis communis.

Ex his & aliis quam pluribus patenter apparet, quod conuenit vti pane & vino & aliis comestibilibus: & quod actus comedendi [illegible] vtendi. Negari ergo non potest, quin habens dominium & proprietatem panis & vini potest vti pane & vino, quare ergo si vtitur, aut vtitur iniuste pane, aut de gratia vel licentia alterius, aut de iure. Non potest dici quod iniuste: quia tunc, quandocunque comederet proprium panem & vinum proprium biberet, iniuste vteretur pane & vino. Ex quo sequitur manifeste, quod peccaret: quod erroneum est censendum. Nec potest dici, quod talis vtitur pane & vino de gratia vel licentia alterius: quia

posſi-

positum est, sicut sæpe accidit, quod nullus alius habeat ius in tali pane & vino, cuius licentia requiratur ad hoc quod Dominus vtatur pane suo & vino. Si autem detur tertium, quod vtatur pane & vino suo de iure, igitur habet ius vtendi pane & vino, ergo in rebus vsu consumptibilibus potest ius vtendi constitui vel haberi. Et hoc ex dictis istius impugnati probatur aperte. Nam secundum ipsum omnis vsus facti iure vtendi est iniustus, sed non est necesse, quod omnis vtens pane & vino habeat vsum iniustum, igitur vtens pane & vino potest habere ius vtendi. Sed dicet aliquis, quod iste impugnatus non accipit *vti* pro actu comedendi vel bibendi aut consimili: quia actus comedendi non est actus vtendi secundum eum, sed est actus abutendi. Sed illud non valet: tum, quia ostensum est prius, quod actum comedendi vocat vsum facti: & vsum facti vocat actum vtendi, igitur actus comedendi est actus vtendi. Tum quia, si non vocaret actum comedendi, actum vtendi in nullo improbaret illos, quos redarguit, nisi sophistice & solummodo vocaliter, non ad mentem contradiceret eis: quia illi loquentes de actu vtendi, loquuntur de actu comedendi, bibendi, & huiusmodi, quem modum loquendi seruant iura diuina & humana, sicut ex præcedentibus patenter habetur, ergo si actum comedendi & bibendi non vocat actum vtendi, æquiuoce & per nouas impositiones vocum procedit contra ipsos. Per æquiuocationes autem & nouas impositiones vocum facile est omnia improbare. Tum quia, si actus comedendi potest vocari actus abutendi, multo fortius potest vocari actus vtendi: cum sæpe scripturæ loquentes de comestione vtantur verbo *vtendi*: & neque scripturæ diuinæ nec leges Canonicæ vel ciuiles intendentes specialiter loqui de actu comedendi, vnquam vtantur verbo *abutendi*, secundum quod inferius apparebit: tum quia vocando actus comedendi, bibendi, vestiendi & huiusmodi actus abutendi tenet tota controuersia inter istum impugnatum & Fratres Minores: quia dicerent Fratres Minores, quod vocando actus comedendi, bibendi, vngendi, vestiendi & consimiles actus abutendi ipsi habent simplicem facti abusum, absque omni iure humano abutendi: & quod abusus facti potest in rebus vsu consumptibilibus à proprietate rei & dominio separari, & quod ecclesia Romana habet dominium & proprietatem in omnibus rebus vsu consumptibilibus, quibus vtuntur Fratres Minores, ipsis Fratribus Minoribus simplici abusu retento: & ita nihil ageret contra Fratres Minores, nisi quod deberent vti verbo *abutendi*, loquendo de rebus abusu consumptibilibus, quando vtuntur verbo *vtendi*. Patet ergo secundum istos, quod ius vtendi potest in rebus vsu consumptibilibus reperiri: hoc est, potest quis habere ius comedendi, bibendi, vestiendi.

Secundo isti impugnatores reprobant vtramque rationem, per quam iste impugnatus conatur ostendere, quod ius vtendi non potest in rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi. Ad cuius euidentiam differentia tacta superius inter vsum & ius vtendi est ad memoriam reuocanda, cum enim ius vtendi ponatur in diffinitione vsus tanquam genus, constat quod aliqua differentia est inter vsum & ius vtendi: & quod ius vtendi est communius & generalius quam vsus, cum sit genus vel positum loco generis. Ex quo patenter apparet, quod per diffinitionem vsus inferri non potest, quod ius vtendi non potest in rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi: quia per diffinitionem inferioris non potest concludi aliquid à superiori negandum: sicut per diffinitionem hominis non potest inferri aliquid ab animali debere negari, sicut per diffinitionem hominis nullo modo cõuenit probare, quod nullum animal est irrationale: ita per diffinitionem vsus iuris, qui proprie sumptus non in omnibus rebus vsus consumptibilibus haberi potest, nullo modo probare conuenit, quod nullum ius vtendi potest in rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi.

Forte autem aliquis pueriliter cauillabit dicens, quod per diffinitionem inferioris conuenit aliquid negare à superiori particulariter sumpto: licet non vniuersaliter sumpto, ergo per diffinitionem vsus potest ostendi, quod aliquod ius vtendi non potest in rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi. Ad hoc impugnatores isti respondent dicentes: quod verum est, quod per diffinitionem vsus potest ostendi, quod aliquod ius vtendi non potest in omnibus rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi: quia illud ius vtendi, quod est vsus iuris proprie sumptus, non potest in omnibus rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi, & ideo concedunt, quod aliquod ius vtendi non potest quis habere in pane & in vino: quia non illud, quod est vsus proprie sumptus: aliquod tamen aliud ius vtendi potest quis habere in pane & in vino. Vtrum autem illud ius sit proprio nomine nominatum, vel sit innominatum, non est curandum ad præsens, sicut enim secundum iura plures sunt contractus innominati, ita forte sunt vel possunt esse plura iura innominata, hoc est non habentia propria nomina & vniuoca, sed communia tantum. Ius enim non scriptum non est proprio nomine nominatum: cum videatur solummodo nomine consuetudinis appellari. Consuetudo autem, sicut habetur in *decretis dist. 1.* nomen commune est ad ius scriptum, & non scriptum: licet, vt ibidem dicitur §. *Cum itaque*, Ius non scriptum generali nomine consuetudinis appelletur, sic igitur concedunt isti impugnatores, quod vsus iuris proprie sumptus & illud ius vtendi, quod est vsus iuris, non potest in omnibus rebus vsu consumptibilibus reperiri: nec vnquam Fratres Minores dixerunt se habere talem vsum: imo constanter negant se habere talem vsum. Aliud tamen ius vtendi potest in rebus huiusmodi constitui & haberi.

Secundo isti impugnatores secundam rationem istius impugnati reprobare conantur, asserentes ipsum falsum assumere, cum dicit beatũ Iohan. Chrysostomũ per hoc, quod ius vtendi non potest in rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi, reddere ratioñe, quare pro pecunia mutuata non licet vsurã recipere, quod, vt euidẽter ostendãt, verba B. Ioh. Chrysostomi, in quibus se fundat iste impugnatus,

adducunt in medium, quæ sunt hæc, vt habetur distin. 88. c. Eiiciens: *Super omnes mercatores maledictus est plus vsurarius. Ipse namque rem datam à Deo vendit, non comparatam vt mercator: post fœnus rem suam repetit, tollens aliena cum suis. Mercator autem non repetit rem venditam. Dicit aliquis: qui agrum locat, vt agrariam accipiat: aut domum, vt pensionem accipiat: non est similis ei, qui pecuniam dat ad vsuram? absit. Primo quidem: quoniam pecunia non est disposita nisi ad emendum. Secundo quoniam agrum habens arando accipit ex eo fructum: & habens domum vsum mansionis capit ex ea: & ideo qui locat domum vel agrum suum, vsum dare videtur, & quodammodo mutare videtur cum lucro lucrū: ex pecunia reposita nullum vsum capit. Tertio, ager vel domus veterascit. Pecunia spiritualiter homines intelliguntur.* Hæc sunt verba beati Iohannis Chrysostomi, in quibus iste impugnatus se fundat. Ex quibus euidenter apparet, quod de iure vtendi pecunia non loquitur, nisi per dominium pecuniæ intelligatur ius vtendi pecunia, & ita constat aperte, quod per hoc, quod ius vtendi in rebus vsu consumptibilibus non potest constitui vel haberi, non reddit rationem, quare ex pecunia mutuata non licet vsuram recipere: cum de hoc, scilicet an ius vtendi in rebus vsu consumptibilibus possit constitui vel haberi, nullam faciat penitus mentionem. Per aliud ergo reddit rationem Chrysostomus ibidem, quare peior est vsurarius mercatore. Vnde in illo capitulo *Eiiciens*, Iohannes Chrysostomus primo ostendit, quod omnis mercator tanquam malus est de ecclesia abiiciendus. Secundo dicit, quod vsurarius est peior mercatore. Tertio assignat rationem, quare peior est vsurarius mercatore. Quarto quærit, an locans domum vel agrum debeat similis vsurario reputari. Quinto assignat rationes, quare locans domum vel agrum non est similis vsurario. Hæc quatuor vltima facit Iohannes Chrysostomus in verbis superius recitatis: Porro quia ex ratione, quam assignat beatus Iohannes Chrysostomus, quare vsurarius peior est mercatore, habetur quæstionis fundamentum, quare locans domum vel agrum non debet vsurario similis reputari: ideo illa ratio est videnda. Est autem ratio illa. Ille qui est transferens dominium alicuius rei in alterum: & postea eandem rem quantum ad valorem repetit, & aliquid vltra: peior est illo, qui transferens dominium alicuius rei non repetit eandem quantum ad valorem, & aliquam vtilitatem. Sed mercator transferens dominium rei, quam vendit, accepto isto precio rei venditæ nihil repetit vltra, vsurarius autem transfert dominium pecuniæ mutuatæ: & postea petit eandem pecuniam quantum ad valorem, & aliquid vltra, igitur vsurarius peior est mercatore, & hoc intendit Iohannes Chrysostomus, cum dicit: *Post fœnus rem suam quantum ad valorem repetit tollens aliena cum suis*, hoc est aliquid vltra valorem rei suæ. Ex ista ratione patenter elicitur ista propositio, quod transferens dominium alicuius rei non debet petere pro eadem aliquid vltra valorem eiusdem rei, cuius transfert dominium. Et ista est ratio, quare pro pecunia mutuata non licet vsuram recipere: quia mutuans pecuniam alteri transfert à se dominium pecuniæ, qui autem transfert dominium rei non debet pro eadem re petere aliquid vltra valorem eiusdem rei. Hoc accipi potest ex auctoritate Augustin. quæ ponitur *14. q. 3.* Igitur mutuans pecuniam non debet aliquid petere vltra valorem pecuniæ: & per consequens pro pecunia mutuata non licet vsuram recipere, & ista est vna regula, quare pro pecunia mutuata non licet vsuram recipere. Quæ ex verbis Iohannis Chrysostomi colligi potest, licet ille idem ipsam non assignaret, quare pro pecunia mutuata non licet vsuram recipere: quia, sicut clare patet intuenti Chrysostomus in toto illo capitulo non intendit rationem istius veritatis assignare: sed intendit assignare rationem, quare peior est vsurarius mercatore: & quare locans domum vel agrum non est similis vsurario existimandus.

Visa igitur ratione, quare pro pecunia mutuata non licet vsuram accipere: quamuis ad eandem veritatem, dictam rationem Chrysostom. ibidem nequaquam assignet: considerandæ sunt rationes Chrysostomi, quare locans domum vel agrum non est similis vsurario iudicandus. Tres autem rationes assignare videtur, quare locans domum vel agrum non est similis vsurario: quia mercator differt ab vsurario in tribus. Primo in hoc quod pecunia non est ad aliud ordinata quam ad emendum, hoc est ad contractus humanos exercendos. Domus autem & ager sunt ad aliud ordinati: & ita qui locat domum vel agrum non est similis ei qui dat pecuniam, & ita per istam rationem non assignatur ratio: quare non licet pro pecunia mutuata vsuram recipere: sed assignatur differentia inter vsurarium & locantem domum vel agrum suum. Ex ista tamen differentia potest elici ratio, quare non licet pro pecunia mutuata vsuram recipere: & tamen licet pro agro locato vel domo aliquid recipere. Nam ex quo pecunia non est disposita nisi ad emendū: qui dat pecuniam ad vsurā, transfert à se dominium pecuniæ quare vltra valorē pecunię non licet sibi recipere: quia transferens dominiū nō debet exigere vltra valorem rei cuius transfert dominium à se. Locans autem agrū vel domū, non trāsfert à se dominium domus vel agri, quare domum vel agrum post tempus pro quo locauit potest repetere tanquam rem propriam: & quia à se transtulit potestatem vtendi domo vel agro pro tempore isto, & eandem potestatem vtendi domo vel agro non gratuito concessit illi cui locauit, pro translatione illius potestatis vtendi domo potest aliquid petere. Et ex isto posset declarari, quod quemadmodum multi sunt contractus, qui ex forma non possunt censeri nomine vsurarum, possunt tamen fieri in fraudem vsurarum: sicut patet de venditione fundi ea lege, vt quandocunque soluitur pretium fundus, ad vendentem reuertatur. Ita locatio domus vel agri licet ex forma non sit contractus vsurarius, posset tamen fieri in fraudem vsurarum: puta si maius pretium, quam valeat domus vel ager, pro locatione reciperetur.

Secunda differentia, quam assignat Chrysostomus inter vsurarium & locantem domum vel agrum, est talis. Habens domum vel agrum, aliquam vtilitatem habere potest ex domo vel agro: & ita qui

qui locat alteri domum vel agrum ſibi retento dominio concedit conductori poteſtatem recipiendi vtilitatem ex domo vel agro, & ideo non transfert in eum dominium domus vel agri, ſed transfert in eum talem poteſtatem recipiendi vtilitatem ex domo: & priuat ſeipſum pro iſto tempore tali poteſtate, igitur quodammodo mutat lucrum cum lucro, quare licite aliquid recipit pro translatione talis poteſtatis, ſed ex pecunia repoſita non recipit aliquam vtilitatem (niſi forte per accidens) & ita non eſt ſimile de locante domum vel agrum, & de dante pecuniam ad vſuram, quare locans non transfert dominium rei locatæ: ſed poteſtatem recipiendi aliquam vtilitatem ex re locata. Dans autem ad vſuram, transfert dominium pecuniæ, & non transfert poteſtatem recipiendi vtilitatem ex pecunia, retento ſibi dominio pecuniæ, ergo locans domum vel agrum non eſt ſimilis vſurario: & tamen ex hoc patet, quare mutuans pecuniam nõ debet aliquid vltra valorem pecuniȩ exigere. Non enim poteſt pecuniam exigere tanquam rem propriam: quia translata fuit per mutuum proprietas pecuniæ, ergo tantum exiget valorem pecuniæ, ergo non poteſt vſuram exigere, quia vſura eſt aliquid vltra valorem pecuniæ mutuatæ, & ex iſto patet, quare tradens pecuniam alteri ad pompam ſecundum leges poteſt aliquid recipere vltra pecuniam: quia tradens alteri non gratuito pecuniam ad pompam, non transfert dominium pecuniæ, ſed retinet ſibi dominium pecuniæ, quare pecuniam illam tanquam rem propriam licet repetere. Et quia tradens pecuniam ad pompam non gratuito, transtulit illam poteſtatem recipiendi aliquam vtilitatem ex pecunia iudicio recipientis pecuniam ad pompam, poteſt pro translatione illius poteſtatis aliquid recipere. Et ex iſto patet vlterius, quod licet talis traditio pecuniæ ad pompam non ſit ex forma contractus vſurarii, poſſet tamen fieri in fraudem vſurarum: & tunc non liceret vltra pecuniam traditam aliquid recipere. Nec obſtat hoc, quod ſcilicet contingit transferre poteſtatem recipiendi vtilitatem ex pecunia tradita ad pompam dicto Chryſoſtom. cum dicit, *ex pecunia repoſita nullum vſum capis*: quia Chryſoſtomus loquitur de vſu, ad quem pecunia, in quantum pecunia, eſt principaliter ordinata.

Tertia differentia, quam aſſignat Chryſoſtomus inter locantem domum vel agrum, & dantem ad vſuram, talis eſt. Ager vel domus veteraſcit: pecunia autem non veteraſcit, quare locans domum vel agrum, non eſt ſimilis danti pecuniam ad vſuram; quia vnus accipit rem, quæ veteraſcit: & alius, quæ non veteraſcit. Eſt autem aduertendum, quod domus vel ager, ſi non ſæpius reparetur vel colitur, veteraſcit, quare vt non veteraſcat, oportet locantem expenſas apponere, circa pecuniam autem vt non veteraſcat non oportet expenſas apponere, quare cum locans domum vel agrum non transferat dominium domus vel agri: & conductor non tenetur domum vel agrum conſeruare ad expenſas ſuas: rationabiliter poteſt locans domum vel agrum ad conſeruandum domum vel agrum à conductore ex domo vel agro aliquid recipere, non ſolum pro vtilitate, quam habet conductor ex re locantis, ſed etiam ad conſeruandum ſeipſum indemnem, ſed mutuans pecuniam, cum pecunia non veteraſcat, nec tales ſumptus requirat, non debet ipſe mutuans pro tali conſeruatione indemnitatis ſuæ aliquid recipere, & ita differentia eſt inter locantem domum vel agrum, & dantem pecuniam ad vſuram.

Ex iis omnibus patet, quod in toto proceſſu Chryſoſtomi nulla ſit mentio de iure vtendi, an poſſit in rebus vſu conſumptibilibus conſtitui vel haberi, an non poſſit: & quod principalis ratio, quare non licet pro pecunia mutuata vſuram recipere, eſt quia pro re cuius transfertur dominium non licet vltra valorem aliquid recipere. Qualiter autem debeat intelligi, quod dicunt leges, quod licet contrahentibus ſe inuicem decipere, ad præſens pro prolixitate vitanda eſt minime differendum. Ex prædictis inferunt iſti impugnatores, quod per neutram rationem ſuperius poſitam inferri poteſt, quod ius vtendi non poteſt in rebus vſu conſumptibilibus conſtitui vel haberi.

Deinde ſecundo iſti impugnatores improbant prædicta principaliter, quo ad hoc quod dicitur, quod ius vtendi in rebus vſu conſumptibilibus ſeparatum à proprietate ſeu dominio non poteſt conſtitui vel haberi. Hoc enim (vt dicunt) iuri diuino, iuri naturali & humano aperte repugnat. Quod enim repugnet iuri diuino, oſtendunt per illud Deuter. 23. c. *Ingreſſus vineam proximi tui comede vuas quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum, ſi intraueris ſegetem amici tui, franges ſpicas & manu conteres, falce autem non metes.* Ex his verbis habetur aperte, quod Iudæi ex ordinatione diuina, & per conſequens ex lege diuina, habebant ius comedendi vuas & grana ſpicarum: quorum tamen non habebant dominium & proprietatem: quia dominium vuarum & ſpicarum ad dominos agrorum & vinearum pertinebat, quod patet ex hoc, quia Domini agrorum & vinearum vuas & ſpicas colligere poterant, & collectas comedere, & gratis dare valebant: quod alii non poterant, ergo Domini agrorum & vinearum etiam vuarum & ſpicarum habuerunt dominium & proprietatem: licet etiam alii, antequam vuæ & ſpicæ colligerentur, haberent ius vtendi, hoc eſt ius comedendi vuas & grana ſpicarum. Sed forte diceret aliquis, quod alii non habebant ius comedendi vuas & grana ſpicarum, ſed habebant tantum licentiam comedendi, quod per hoc poſſe probari videtur: quia Apoſtoli, ſicut legitur *Mat. 12.* transeuntes per ſata & eſurientes cœperunt vellere ſpicas & manducare: & ita vtebantur licentia ſibi à lege diuina conceſſa: & tamen non habebant in ſpicis ius vtendi, cum omni iuri renunciauerint, ergo illa licentia vtendi ſeu comedendi non erat ius vtendi ſeu comedendi.

Ad hoc iſti impugnatores reſpondent, ꝙ illa licentia erat ius quo ad illos, qui iuri illi renunciare nolebant, & ꝙ licentia illa erat ius, patet: quia nullus per inferiorem Deo ſine culpa & abſque cauſa legitima tali licentia debuit priuari inuitus: imo ſi aliquis ſine culpa ſua & abſque cauſa legitima

tali

tali licentia fuisset priuatus inuitus, habuisset actionem contra priuantem, & ideo illa licentia erat ius quoddam, & differebat à licentia, qua quis dat alicui licentiam vtendi veste sua cum potestate reuocandi, quandocunque sibi placuerit: quia illa licentia assimilatur priuilegiis, quæ concedens quandocunque sibi placuerit, poterit reuocare: & tamen priuilegiatus contra alios priuare volentes haberet actionem, & ideo, sicut priuilegia leges sunt censendæ, *dist. 3. Priuilegia*, ita illa licentia legis & iuris nomine poterat appellari. Cum vero accipitur, qud Apostoli vtebantur illa licentia: & tamen non habebant ius vtendi. Dicunt isti impugnatores, quod Apostoli renunciauerunt illi licentiæ: & ideo tunc non vtebantur illa licentia seu ordinatione diuina: sed vtebantur licentia iuris naturalis seu iure naturali, cui renunciare non poterant. Tempore enim necessitatis saltem extremæ habet quilibet ex iure naturæ potestatem vtendi illis, sine quibus sustentari non potest. Vnde & Christus ibidem probat ex Dauid, qui tempore necessitatis auctoritate iuris naturæ comedit panes propositionis, quod discipuli licite in sabbatho etiam spicas, quæ ad alienum pertinebant dominium, vellebant & manducabant: quia necessitas non habet legem.

Secundo isti impugnatores moliuntur ostendere, quod prædicta assertio destruit ius naturale. Nam quilibet in extrema necessitate constitutus habet ius vtendi re vsu consumptibili, sine qua de hac vita migraret: & tamen dominium talis rei propter hoc non acquirit, quia nec Dominus rei ante consumptionem ipsius perdit dominium, nec indigens ea ipsius rei acquirit dominium, quod patet ex hoc, quod cessante necessitate extrema ante consumptionem rei, nec illi licet retinere rem talem, nec peccat Dominus eandem rem tanquam propriam repetendo. Hoc aperto declaratur exemplo. Nam si aliquis fuerit in tali articulo constitutus, quod nisi veste sibi præsente se cooperuerit, moretur: ille tunc habet ius cooperiendi se veste illa: nec aliquis licite absque peccato mortali ipsum poterit prohibere, nisi per alium modum eius necessitati succurreret. Si autem illa necessitas ante consumptionem vestis cessaret, ipse eam non potest inuito Domino retinere: & Dominus, sicut prius, potest de ea ad libitum suum ordinare, ergo stante necessitate iste habuit ius vtendi veste absque dominio & proprietate: & ita esto quod ius vtendi in rebus vsu consumptibilibus, quæ statim actu vnico consumuntur, non posset à proprietate & dominio separari, sicut in cibo, potu, vnguentis, & huiusmodi: tamen in rebus, quæ non statim consumuntur, sed multis durant temporibus, potest ius vtendi à proprietate & dominio separari. Constat enim, quod potest quis vestem conducere ad vtendum: qua conducta habet ius saltem ad tempus vtendi ipsa. Hoc etiam patet exemplo: quia hospites locant lectisternia sua hospitibus, & multa alia, quæ tandem vsu consumuntur, quamuis non consumantur primo actu vtendi: & ita hospites habent in eis ius vtendi, in quibus tamen non habent dominium & proprietatem.

Tertio isti impugnatores ostendunt, quod prædicta assertio repugnat iuri ciuili. Nam, sicut est sæpe superius allegatum, lex dicit, quod *qui fundi vsum nudum habet, nihil vlterius habere intelligitur, quam vt oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis, lignis ad vsum quotidianum vtatur.* Ex quibus verbis habetur aperte, quod qui fundi vsum iuris habet potestatem vtendi oleribus, pomis, floribus & huiusmodi quæ inter res vsu consumptibiles computantur, aut ergo potestas vtendi huiusmodi rebus vsu consumptibilibus est licita, aut illicita, non potest dici quod illicita; quia tunc vtendo huiusmodi rebus peccaret, quod est omnino contrarium veritati. Si vero illa potestas vtendi est licita: aut igitur competit habenti nudum vsum solummodo de gratia aut de iure, non solummodo de gratia, constat: quia sæpe emitur vsus nudus fundi, & per consequens emitur potestas annexa vtendi huiusmodi rebus quæ crescunt in fundo. Posset etiam habens vsum nudum, si tali potestate vtendi oleribus pomis &c. priuaretur inuitus, priuantem in iudicio conuenire, ergo non habet talem potestatem de gratia tantummodo. Competit ergo talis potestas sibi de iure: & per consequens talis potestas vtendi rebus vsu consumptibilibus est ius vtendi, vel saltem tali potestati est ius vtendi annexum, sed habens vsum nudum fundi, non habet olerum, pomorum, florum & huiusmodi rerum dominium & proprietatem: quia tales res non potest vendere, dare, nec legare: sed solummodo ipse potest vti eis cum sua familia, ergo in huiusmodi rebus ius vtendi est à proprietate & dominio separatum. Sed diceret aliquis, quod ex hoc sequeretur, quod rerum vsu consumptibilium esset proprie vsus iuris, quod isti impugnatores negant. Ad hoc dicunt isti impugnatores, quod rerum vsu consumptibilium, saltem quæ vnico actu consumuntur, non est proprie vsus iuris. Dicunt tamen quod vsui iuris nonnunquam est ius vtendi rebus consumptibilibus vsu annexum. Vnde dicunt quod quandoque vsui iuris non est annexum aliquod ius vtendi quacunque re vsu consumptibili: sicut cum quis habet nudum vsum domus, tali vsui iuris nullum ius vtendi rebus consumptibilibus vsu est annexum: quia habet solum potestatem inhabitandi domum & non plus, quandoque autem vsui iuris ex ordinatione humana, vel ex pacto est annexum ius vtendi rebus vsu consumptibilibus aliquibus vel omnibus, quæ nascuntur in re, cuius habet vsum iuris, sicut est de vsu fundi, & ita ius vtendi huiusmodi rebus vsu consumptibilibus non est vsus iuris proprie, sed est vsui iuris annexum, & est forte ius innominatum nomine proprio: habet tamen hoc nomen commune ius vtendi.

Tertio principaliter isti impugnatores hoc, quod dicitur in verbis istius constitutionis superius recitatis, scilicet quod *actus vtendi in rebus vsu consumptibilibus haberi non potest*, multipliciter improbare conantur, sed quia de hoc erit tractatus in sequentibus specialis: ideo hic vnica impugnatio breuiter adducetur, quæ talis est. Si actus vtendi in rebus vsu consumptibilibus haberi non posset: hoc non est, nisi quia actus vtendi est successiuus & non totus simul. Vnde & hanc rationem istius assertionis

tionis hic impugnatus assignat: sed hoc non potest impedire, quin actus habeatur: quia sicut actus est successiuus, ita etiam annus est successiuus: & tamen anni habentur, teste scriptura diuina, quæ 3. Reg. 1. ait: *Rex Dauid senuerat, habebatq; ætatis plurimos annos*, ergo non obstante, quod actus vtendi sit successiuus, nihilominus haberi potest.

Quarto principaliter impugnant isti prædicta, quo ad hoc quod dicitur, quod rebus vsu consumptibilibus non conuenit vti, sed abuti, sed de illa fiet postea mentio specialis: Ideo hic pertranseo.

His visis aliqua notabilia circa literam sunt videnda. (*Docet & asserit*) ex hoc notant isti impugnatores, quod ille impugnatus non est paratus corrigi, sed est errorum suorum defensor pertinax & assertor, (*nec ipsum vti.*) Ex hoc patet quod *ipsum vti* vocat vsum facti: quia in impugnatione, ad quam iste impugnatus hic incipit respondere, non fit mentio de aliquo *vti*, nisi de vsu facti, (*potest constitui vel haberi.*) De hoc in impugnatione nulla fit mentio: sed supponitur tanquam per scripturam sacram clarum & euidens, quod contingit vti rebus vsu consumptibilibus, & probabatur, quod talis vsus facti potest à proprietate & dominio separari, & ideo dicunt isti impugnatores, quod illud non est hic ad propositum, sed totaliter est impertinens reputandum. (*Abuti*) Dicunt isti impugnatores, quod ille modus loquendi de rebus vsu consumptibilibus in scripturis diuinis reperiri non potest: sed scriptura sacra loquendo de rebus vsu consumptibilibus vtitur verbo *vtendi*, & non verbo *abutendi*; vel saltem non debemus vtentes verbo *vtendi* aliquatenus reprobare. (*Ex diffinitione vsus.*) Primo dicunt isti impugnatores, quod iste procedit sophistice, dum conatur aliquid à superiori negare per diffinitionē inferioris, (*cum ius vtendi sit communius quam vsus: qui vsus est ius vtendi alienis rebus, salua rerum substantia.*) Ex his verbis concedunt primo isti impugnatores, quod ius vtendi sit communius quam vsus, sicut dictum est prius. Secundo notant isti impugnatores, quod hæc non est diffinitio vsus vniuersaliter sumpti: vel non est diffinitio vsus in omni significatione huius nominis vsus: tum quia vsus rerum propriarum est vsus ita proprie dictus, sicut vsus rerum alienarum: tum quia vsus rerum vsu consumptibilium est proprius vsus, sicut vsus rerum quæ non consumuntur vsu. Ita enim proprie dicitur, ille habet vsum cibi & potus: sicut, ille habet vsum fundi. Igitur hic non diffinitur vsus in omni significatione sua: sed in quadam significatione speciali, quæ non est magis proprie significatio quam alia. (*Nulla potest vtilitas prouenire.*) Dicunt isti impugnatores, quod hoc est falsum de multis rebus consumptibilibus vsu: quia ex vestibus potest magna vtilitas prouenire salua rerum substantia, (*vtpote in pane & vino.*) Dicunt quod exemplificat insufficienter: quia licet non proueniat vtilitas ex pane & vino, dum integra manet eorum substantia: aliter tamen est de vestibus. Etiam causa est: quia panis & vinum actu vnico consumuntur, multæ autem vestes post plures actus integræ manent. (*Quare euidenter relinquitur quod in rebus talibus vsu consumptibilibus ius vtendi separatum à proprietate seu dominio nequeat constitui seu haberi.*) In illa illatione dicunt quod deficit: quia ex quo arguit per diffinitionē vsus, debet illam conclusionē inferre: Vsus in talibus rebus non potest constitui seu haberi, & illam conclusionem in vno sensu concedunt isti impugnatores: quia si accipiatur vsus pro vsu iuris stricte & propriissime sumpto, concedunt quod vsus non potest in omnibus rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi, sed ex hoc non sequitur, quod ius vtendi non potest in talibus rebus constitui vel haberi: nec etiam sequitur, quod in talibus rebus non conuenit vti. Et si dicatur, quod ex hoc sequitur quod hæc etiam est concedenda in aliquo sensu: Non conuenit vti rebus consumptibilibus vsu: quia hoc nomen *vsus*, & hoc verbum *vti* in significatione conueniunt. Ad hoc respondent isti impugnatores, quod quamuis hoc sit concedendum in vno sensu: Nullus habet vsum rerum consumptibilium: hæc tamen in nullo sensu debet concedi: Nullus potest vti rebus vsu consumptibilibus. Vnde dicunt, quod talis argumentatio peccat: Nullus potest habere vsum rerum vsu consumptibilium: ergo nullus potest vti rebus vsu consumptibilibus, quia antecedēs potest habere sensum verum: & consequens nullū sensum habet verum. Causa autem, quare peccat talis consequentia, est, q̄a fundatur in vna regula, quæ habet multas instantias, & specialiter habet istam in ꝓposito. Hæc enim regula fallit, Nomen & verbū, quorum vnū deriuatur ab alio, conueniunt in omni significatione, sicut & hæc fallit, Duo nomina, quorū vnum deriuatur ab alio, conueniunt in omni significatione. Exemplū primi accipitur ab Anselmo. *De similitudinibus c. 1.* q̄a secundū ipsum hoc nomen *voluntas* accipitur tripliciter: scil. instrumentū volendi, & affectio eiusdē instrumenti, & velle vel vsus ipsius instrumenti: & tamen hoc verbum *velle* non accipitur vnq̄ nisi pro actu ac vsu instrumenti, saltem in creaturis. Non ergo hoc verbum *velle* habet tot significationes, quot habet hoc nomen *voluntas*: & ita non conueniunt in omni significatione. Exemplū secundi accipitur ex beato Hieronymo, & epistola Tharasi Constanti. episcopi. Nā *diuinus* & *diuinatio* sunt duo nomina, quorum vnum deriuatur ab alio: & tamen plures significationes habet hoc nomen *diuinus*, q̄ hoc nomen *diuinatio*. Nam secundum Tharasum Constantinopolitanum episcopum, vt habetur *1. q. 1. c. Eos qui*, beatus Petrus potest dici *diuinus Apostolus*: & ita hoc nomē *diuinus* accipitur in bona significatione: & constat, q͂ accipitur sæpe in mala significatione, ergo potest accipi in bona significatione & mala. Hoc autem nomen *diuinatio* semper accipitur in mala significatione, nunquam in bona: teste Hieronymo, q̄ vt habetur *1. q. 1. c. Nunquam*, ait: *Nunquam diuinatio in bonam partem accipitur*, ergo hæc duo nomina *diuinus* & *diuinatio* non in omni significatione conueniunt, & ideo non sequitur, beatus Petrus fuit diuinus: ergo vtebatur diuinatione: sicut nec sequitur, voluntas hominis est immutabilis & immortalis: ergo velle hominis est immutabile & immortale, sic etiam, quia hoc nomen *vsus* & hoc verbū *vti* non conueniunt in omni significatione, eo q͂ hoc nomen *vsus* habet plures significationes, q̄ hoc verbum *vti*. Nam hoc nomen *vsus* quandoq; significat actum vtendi, quandoq; quoddam ius determinatū, hoc

autem

autem verbum *vti* semper significat actum vtendi, & nunquam nisi forte nominaliter sumptum significat tale ius, ideo non sequitur, nullus potest habere vsum rerum consumptibilium vsu: ergo non potest vti rebus consumptibilibus vsu, sicut non sequitur, nullus viator potest mutare voluntatem suam: ergo nullus viator potest mutare velle suum. Nec sequitur, nullus bonus vtitur diuinatione: ergo nullus bonus est diuinus. Causa autem, quare nulla consequentiarum prædictarum valet, est: quia in qualibet consequentiarũ illarum accipiuntur duo vocabula, quorum vnum deriuatur ab alio: & tamen vnum habet plures significationes quam aliud, & istius ignorantia, vt dicunt isti impugnatores, fecit illum impugnatum sæpe ex auctoritatibus habentibus aliquem sensum verum inferre Sophistice consequentia nullum habentia sensum verum: & ita per æquiuocationes & multiplicitates conatur [illegible] errores inducere. (*Et per hoc beatus Iohan. Chrysostomus rationem reddit* &c.) Dicunt isti impugnatores, quod falsum assumit, quia an ius vtendi possit in rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi: imo etiam an ius vtendi separatum à dominio seu proprietate possit in talibus rebus constitui vel haberi, Iohan. Chrysostomus, nullam penitus facit mẽtionem, sicut patet textum allegati capituli intuenti. (*Iure vsus non consumptibili, vt in domo vel in agro*) vsq; ibi (*Mutuans autem pecuniam*) hoc totum verum est, sed non est ad propositum, vt dicunt isti impugnatores. (*Pecunia trãsfert dominium*) illud est ratio quare pro pecunia mutuata non licet vsuram recipere, quia scil. mutuans transfert à se dominium pecuniæ, & ideo non debet recipere vltra valorem pecuniæ quam mutuauit. Quod autem ius vtendi pecunia possit haberi vel non possit haberi: qa etiam ius vtendi pecunia separatum à dominio seu proprietate possit haberi, vel non possit haberi, hoc accidit: quia siue possit haberi, siue non, ex quo mutuans transfert dominium pecuniæ, non potest iuste petere postea nisi valorem pecuniæ, ergo nihil vltra potest recipere. Vnde sicut vendens domum propter hoc ꝙ transfert à se dominium domus, non debet petere nisi valorem domus: licet emens domũ non solum habeat dominium domus, sed etiam ius vtendi domo & etiam vtilitatem ex domo. Ita qui transfert à se dominium pecuniæ licet recipiens postea dominium & proprietatem pecuniæ haberet ius vtendi pecunia, & etiam vtilitatem ex pecunia, non debet transferens à se dominium pecuniæ recipere aliquid vltra valorem pecuniæ, & ita si pecunia sibi reddatur, non debet aliquid vltra exigere. (*Non fructum aliquem nec vtilitatem aliquam*) illud nihil facit ad propositum, quia siue ille, qui recipit pecuniam mutuo, habeat aliquem fructum seu vtilitatem aliquam ex pecunia siue non habeat, mutuans pecuniam non debet exigere nisi valorem pecuniæ in eadem specie, si vult, cuius transtulit dominium, maxime cum contractus mutui debeat esse contractus gratuitus. Vnde sicut qui commodat alicui equum gratuite, non debet exigere nisi equum, quantumcunq; alius habuisset vtilitatem ex equo: ita mutuans pecuniam non debet exigere, nisi pecuniam, quantumcunq; alius habuisset vtilitatem ex pecunia, & ita cum ex pecunia non proueniat aliqua vtilitas (sicut vt communiter nulla vtilitas prouenit ex pecunia reposita) in hoc differt vsurarius à mercatore secundum Chrysostomum. Ratio ergo, quare mutuans pecuniam non habet vsuram exigere, est quia mutuans pecuniam transfert à se dominium pecuniæ, sed quod ex pecunia proueniat vtilitas vel non proueniat, nihil facit ad hoc, quod etiam alio probatur exemplo. Vendens alterius equum non debet, nisi iustum pretium equi exigere: & tamen ex equo potest vtilitas prouenire salua substantia equi. Vnde vendens alteri equũ non potest equum exigere, & aliquid vltra propter vtilitatem, quam potuit habere ex equo: sed potest exigere iustum pretium equi: & hoc quia transtulit à se dominium equi, & ideo non potest exigere equum tanquam rem propriam: Sed locans domum vel agrum non transfert à se dominium domus vel agri, sed transfert à se potestatem recipiendi vtilitatem ex domo vel agro pro tempore locationis: & ideo domum vel agrum repetet tanquam rem propriam, & exiget aliquid propter potestatem recipiendi vtilitatem translatam in alium. Et ita, sicut non est simile de locante rem & de vendente rem, quia vendens transfert dominium, locans non transfert dominium: ita etiam propter idem non est simile de locante rem & de mutuante pecuniam: quia vnus transfert dominium rei, alius non. Et illa est causa, sicut dictum est, quare concedens pecuniam ad pompam potest repetere pecuniam & aliquid vltra. Potest enim repetere pecuniam tanquam rem propriam: & potest etiam recipere aliquid propter hoc, quod transtulit à se potestatem vtendi pecunia. Dicunt insuper isti impugnatores, quod esto quod ex pecunia non posset aliqua vtilitas salua substantia rei prouenire: & ꝙ propter hoc mutuans pecuniam non debet pro pecunia mutuata vsuram recipere: ex hoc tamen nõ sequitur, quod nullus potest habere ius vtendi pecunia: sicut nec ex hoc sequitur, quod nullus potest habere ius abutendi pecunia, sic etiam, sicut non sequitur: Nulla potest vtilitas ex pecunia salua substantia pecuniæ prouenire: ergo nullus potest habere ius abutendi pecunia separatum à dominio seu proprietate. Ita non sequitur, quod nullus potest habere ius abutendi pecunia à proprietate seu dominio separatum. Vnde totus processus istius impugnati ita concluderet de iure abutendi, sicut de iure vtendi, præsertim cum ius vtendi sit communius quam vsus iuris. (*Augustini sententiam.*) Hic falsum imponit Augustino, vt dicunt isti impugnatores, quia dicunt, quod Augustinus in *libro Confessionum* nunquam hoc dixit, & ideo dicunt, quod ille impugnatus verba Augustini non adduxit in medium, quia si adduxisset, vt dicunt, apparuisset omnibus, quod falso allegasset Augustinum. (*Actus autem vtendi in rerum natura non est.*) Dicunt isti impugnatores, quod ista ratio est similis rationi quorundam Philosophorum antiquorum, propter quam negabant tempus & motum & omnia successiua, quæ in *quarto physicorum* habet dissolui, & non hic.

CAP.

CAP. IV.

AD *illud autem, quod dicit*: Ex prædictis scripturis sacris insinuatur aperte, quod nullius rei temporalis nec vsu consumptibilis, nec non consumptibilis vsu proprietatem credentes habebant: *Dicimus, si intelligat, quod in speciali proprietatem non habebant credentes, verum esse quod dicit pro tempore illo primo, pro quo dicta scriptura loquitur, quia hic expresse scriptura prædicta dicit Actuum 4. ibi, cum dicit*: Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat. *Si autem intelligat, sicut & intelligo, vt per ea quæ proponit inferius clare patet, quod credentes nullius rei proprietatem habebant etiam in communi, scripturis prædictis contradixit expresse, cum dicat, quod istis (scilicet credentibus) omnia quæ possidebant erant communia inter eos, & quod illa communio quo ad dominium & proprietatem intelligi debeat, ex eo patet, quia illud, quod prius ante conuersionem Iudæorum ipsis fuerat proprium, postquam credentes effecti fuerunt, fuit inter eos communicatum. Constat autem, quod illa quæ possidebant ante conuersionem erant illis quantum ad dominium propria, alias enim illa communicare non poterant, quare sequitur, quod fuerunt quo ad proprietatem seu dominium inter eos communicata, quod de rebus non consumptibilibus vsu scriptura prædicta Actuum 4. aperte dicit, nisi violentia sibi fiat. Cum enim dixisset*: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat: sed erant eis omnia communia, *parum post sequitur*: nec quisquam egens erat inter eos, *& causam huius volens reddere subdit*: Quotquot enim erant possessores agrorum & domorum vendentes pretia portabant ante pedes Apostolorum *&c. Cum ergo prius dicat, quod inter credentes omnia erant communia: & post subiungat, quod agri vendebantur & domus, euidenter apparet quod illa erant effecta communia antequam venderentur. Alias enim sequeretur, quod remansissent istorum, quorum prius erant propria, & per consequens, quod ipsi ante ipsorum venditionem remansissent proprietarii, cuius tamen contrarium dicit scriptura prædicta, cum dicit, quod* nec quisquam eorum qui possidebat, aliquid suum esse dicebat.

Postquam in parte præcedenti impugnatus circa illa quæ impugnabantur suam intentionem expressit, hoc ad illa quæ impugnãs proposuit, nititur respondere. Et diuiditur illa pars in quinq; , secundum quod ad quinq; tacta in illa impugnatione respondet. Secunda incipit in parte immediate sequente ibi: *Ad illud autem quod voles.* Tertia autem ibi: *Ad id quod sequitur.* Quarta autem ibi: *Quantum autem ad illud.* Quinta ibi: *Ad vero quod dicit ille hæreticus.*

In prima ergo parte respondet ad hanc propositionem, acceptam in appellatione impugnantis, & probatam ex scripturis: *Credentes* (de quibus fit mentio Actuum 2 & 4.) *nullius rei temporalis nec vsu consumptibilis, nec rei non consumptibilis vsu proprietatem habebant*, distinguens ipsam, quod potest habere duplicem intellectum: quia aut potest intelligi de proprietate in speciali, & sic exponit eam pro aliquo tempore: vel potest intelligi de proprietate in communi, quem intellectum appellanti imponit, & illum intellectum negat: quia dicit, ꝙ scripturæ prædictæ repugnat, cum dicit, quod credentibus omnia quæ possidebant erant communia quo ad dominium & proprietatem. Et primo quidem ostendit in genere, ꝙ omnia erant illis communia quo ad dominium & proprietatem. Secundo ostẽdit specialiter, quod res non consumptibiles vsu, vt puta domus, ager & huiusmodi, erant omnibus communes quo ad dominium & proprietatem, ibi *quod de rebus non consumptibilibus vsu* &c. Primum ostendit tali ratione, illa quæ ante conuersionem Iudæorum, de quibus ibi fit mentio, erant eis ꝓpria: post conuersionem erant eis effecta communia, sed ante conuersionẽ omnia erant eis propria quo ad dominium & proprietatem, ergo post conuersionem erant eis communia quo ad dominium & proprietatem. Maior illa videtur sibi manifesta, minorem probat per hoc, quod si ante conuersionẽ non fuissent bona eorum eis communia, non habuissent potestatem communicandi illa bona communitati credentium. Secundum scilicet quod res non consumptibiles vsu, sicut domus ager & huiusmodi erant toti communitati fidelium communes quo ad dominium & proprietatem, probat sic. Ager & domus vendebantur postq̃ omnia quæ credentes habebant erant facta communia toti communitati credentium. Hanc probat dupliciter. Primo sic ex ordinatione textus *Actuum Apostolorum*; quia primo dicitur, quod *omnia erant illis communia*: & postea dicitur quod *nullus erat egens inter eos*, cuius causa assignatur, quia *quotquot erant possessores agrorum* &c. ergo ante venditionem agrorum omnia erant communia.

Secundo probat eadem ducens ad inconueniens: quia si ager & domus non fuissent effecti communes antequam venderent, ante venditionem remansissent ꝓprii illorum, quorum fuerant ante conuersionem, ex quo sequitur, ꝙ post conuersionem & ante venditionem domorum & agrorum ipsi fuissent ꝓprietarii, quod repugnat scripturæ, cum dicit: *Nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suũ esse dicebat.* Videtur ergo, ꝙ domus, ager & huiusmodi res nõ consumptibiles vsu efficiebantur communes toti communitati credentium, anteq̃ venderẽtur, sed res huiusmodi prius erant ꝓpriæ quo ad dominium & ꝓprietatem, ergo postea fuerunt communes quo ad dominium & proprietatem. Sic igitur impugnatus id ꝙ dicitur in *Actibus Apostolorum* de communitate bonorum credentium, & de vẽditione domorum & agrorũ & rerum non consumptibilium vsu: sic intelligit, ꝙ videlicet illi Iudæi conuersi, de quibus ibi fit mentio, statim facta conuersione omnia quæ habebant mobilia & immobilia dederunt toti illi communitati credentium transferendo in totam communitatem illam id dominium ꝙ prius ipsi habuerant, postea possessiones vendebant in nomine totius communitatis, & non nomine alicuius in speciali, quibus venditis pretium illarum rerum inter eos diuidebatur, & vnusquisq; habuit dominium & proprietatem possessionis sibi assignatæ.

Circa illa, quæ dicuntur hic, isti impugnatores sic procedunt. Primo enim eliciunt quædam notabilia,

tabilia, quę etiam iste impugnatus habet cōcedere. Secundo explicant intentionem appellantis circa illam ꝓpositionem, q̄ iste hic impugnat. Tertio plura quæ asserit hic iste impugnatus, reprobare conantur. Circa primū dicunt isti impugnatores, ꝙ ex dictis istius impugnati patet aperte, ꝙ etiam secundū eum duplex est ꝓprietas, scil. in speciali & in cōi, siue specialis & cōis. Ex quo sequitur vlterius secundum notabile, ꝙ dominium est duplex sc. in speciali & in cōi. Ex quo sequitur tertium notabile, ꝙ vsus facti, sicut actus comedendi & bibendi, pōt à dominio in speciali separari. Quartū notabile, ꝙ elicitur ex dictis istius impugnati, est ꝙ dominiū, de quo loquitur iste impugnatus, in hoc casu mundanū & ciuile dominium est: quia est ptās vel habens annexam potestatem libere vendendi donandi, & sicut sibi placuerit disponendi res quarū habetur dominiū. Nam ipse vult, ꝙ illi conuersi de Iudæis quale dominiū spāle habuerant ante conuersionē, tale dominiū toti cōitati credentium conuersoꝝ dederunt, sed Iudæi conuersi ante conuersionē suam habuerunt in rebus suis pdictum dominiū: sc. ciuile & mundanū, ꝙ est ptās vel habens annexā potātem vendendi &c. Nam Iudęi legibus Romanorū quantum ad res tpales subiecti fuerunt, & ita dominiū rerum ciuile & mundanū habebant, vnde res suas ad placitum vendere poterant & dare, & de eis libere ordinare, ergo tale dominium ciuile & mundanū cōitati dederunt. Secundo isti impugnatores intentionē explicant appellantis, dicentes ꝙ appellans ibidē solummodo intendebat ꝓbare, ꝙ primi credentes nullius rei proprietatē habebant in speciali, reputans certū ex hoc posse ꝓbari, quod vsus facti rerum consumptibiliū vsu, pōt à proprietate & dominio etiā in communi separari. Vnde ad euidentiā intentionis appellātis faciunt duo. Primo enim ꝓbant, quod si vsus facti rerum consumptibilium vsu, scil. actus comedendi, bibendi, & induendi & huiusmodi pōt separari à dominio in speciali, ꝙ etiam potest separari à proprietate & dominio in cōi. Secundo exponunt qualē proprietatem habebant primi credentes in rebus quas habebant: & qualem non. Ex hoc concludentes, ꝙ ille impugnatus solummodo sophistice reꝓbat appellantē. Ad euidentiā primi dicunt isti impugnatores esse sciendū, ꝙ prout ex diuersis assertionibus impugnati & appellantis euidenter apparet, ex hoc controuersia orta est inter ipsos: ꝙ appellans dicebat Ordinem Fratrum Minorū seu Fratres Minores habere vsum rerū vsu consumptibilium absq; ꝓprietate & dominio earundē, tam in speciali q̄ etiam in cōi: ita ꝙ nec Frater aliquis in speciali, nec totus Ordo in cōi habet dominiū vel proprietatē cuiuscunq; rei vsu consumptibilis, nolens per hoc excludere Fratres ab illo dominio, quod cōpetit toti generi humano, si aliquod est tale: nec volens excludere Fratres à dominio totius cōitatis fideliū, si dominiū commune alicuius rei tēporalis habet tota cōitas fidelium: sed volebat excludere Fratres ab omni dominio, p quod possent in iudicio litigare ꝓprio Fratri vel toti Ordini fraterno. Ille au. ē impugnatus volebat ꝓbare p multas rationes, ꝙ in rebus vsu consumptibilibus vsus facti nō potest à tali dominio spāli & cōi separari, & contra illam assertionē ille appellans ꝓuocauit ostendens multis rationibus, ꝙ vsus facti in huiusmodi rebus pōt à ꝓprietate & dominio ciuile & mundano separari, tā in speciali q̄ in communi. Non omnes rationes tamen ꝓbant istam conclusionem æque directe & æque immediate, q̄uis ex qualibet ratione appellantis q̄busdā veris assumptis possit conclusio illa deduci. Vnde prima ratio appellantis primo & immediate concludit, ꝙ vsus facti in rebus consumptibilibus pōt à ꝓprietate & dominio speciali separari. Ex quo potest inferri vlterius, ꝙ vsus facti pōt à proprietate & dominio cōi separari, ꝙ isti impugnatores ostendunt sic. Vsus facti non magis nec minus reqrit dominiū commune q̄ speciale, sed vsus facti pōt in huiusmodi rebus separari à dominio speciali, sicut ꝓbat prima ratio appellantis, ergo pōt separari à dominio in cōi. Et qdem quod vsus facti possit separari à dominio cōi, est tam manifestum, quod negari non pōt. Nam constat, quod ꝓprietarii habentes ꝓprietatē & dominium in speciali rerū vsu consumptibiliū habent vsum facti earundem rerum separatum à dominio cōi: quia illę res non sunt cōes, sed ꝓpriæ sibi. Sed quia forte dicet ille impugnatus, quod licet vsus facti in rebus vsu consumptibilibus possit separari à dominio spāli, sicut in reliquis habentibus vsū hmōi rerū absq; dominio spāli: & etiam à dominio cōi, sicut patet in laicis habentibus spāle dominium huiusmodi rerū, & ita vsus facti pōt separari ab vtroq; dominio diuisim, non tamen ab vtroq; coniunctim sc. simul tā à dominio spāli quam communi. Vnde in laico vsus facti separatur à dominio communi, sed non à dominio in speciali, in Religioso vero separatur à dominio speciali, sed non à dominio communi, & propter hoc diceret forte, quod non potest separari ab vtroq; dominio simul & cōiunctim. Ideo isti impugnatores ostēdunt, quod vsus facti in huiusmodi rebus pōt separari ab vtroq; dominio simul, quemadmodū dicunt Fratres Minores, quod habent vsum facti huiusmodi rerū consumptibilium vsu: & tamen nō habent earundē dominium, nec in speciali nec in communi. Ex quo orta est tota discordia quantū ad separationē vsus facti in huiusmodi rebus à dominio & ꝓprietate inter istū impugnatum & appellantē. Porro quia vsus facti in hmōi rebus est duplex, sc. licitus & illicitus: ideo de vtroq; vsu facti ꝓbant, quod potest simul ab vtroq; dominio separari. De illicito videtur omnino certū. Nam fur, qui furatus est panē & vinum, si vtatur ipsis, non ꝓpter hoc acquirit dominium neq; speciale neq; cōe ipsorum, ergo ille vsus facti ab vtroq; dominio separatur, quod etiā vsus licitus possit ab vtroq; dominio separari, ostendunt rationibus & exēplis. Prima ratio talis est: ad hoc ꝙ vsus facti alicuius non sit illicitus, duo communiter videntur sufficere. Primum est, quod talis vsus facti nō sit volenti vti inhibitus. Secundum quod habeant licentiam vtendi ab illo, qui potest licentiam talem concedere, sed ista etiam possunt haberi absq; dominio speciali & cōi: sicut aliqs, cui non est inhibitum seu prohibitum certam vestem induere, potest habere licentiā induendi talem vestem à dño absque concessione dominii specialis vel communis, ergo vsus licitus vestis potest ab vtroque domi-

dominio separari. Secunda ratio talis est: Sicut dominium commune non est magis inefficax ad faciendum vsum facti esse licitum, quam dominium speciale, quia ita licite vtitur aliquis re communi, si aliquid aliud speciale non obstat, sicut re propria, ita licita potestas vtendi non est magis inefficax ad faciendum vsum facti esse licitum quam dominium commune, ergo ad hoc quod vsus facti sit licitus, sufficit licita potestas vtendi communissima, ita quod dominium non requiritur, licet sæpe ad aliud requiratur, sed licita potestas vtendi communissima est potestas vtendi, quam Deus in primis parentibus toti humano generi dedit post peccatum vel ante, ergo omni dominio amoto, & nullo alio obstante, stante tali potestate vtendi potest vsus facti esse licitus. Si ergo est aliqua res vsu consumptibilis, quæ sub nullius est dominio, illa potestas vtendi communissima sufficit ad hoc, quod aliqs eadem re licite vtatur, si aliud non obstat, ergo talis rei vsus facti potest esse licitus absq; omni dominio: & per consequens vsus facti licitus rei vsu consumptibilis potest ab omni dominio speciali & communi separari. Illa ratio magis patebit, si declarata fuerit per exemplum. Ponatur igitur, quod sit aliqua res, puta vestis habita pro derelicta, quæ in nullius bonis sit, nec ad alicuius spectet dominium neq; speciale neq; commune. Ista veste potest quis licite vti saltem in necessitate extrema: licet nolit acquirere dominium quodcunq; eiusdem vestis, non enim ad hoc, quod licite vtatur ipsa, est necesse quod acquirat dominium eius commune, nec etiam dominium eius speciale, igitur ad hoc, quod licite vtatur veste, sufficit potestas vtendi data à Deo: & ita licitus vsus facti vestis potest separari à dominio speciali & communi, licet non à potestate vtendi, cui nemo potest renunciare. Sed forte obiiciet aliquis contra hanc rationem dupliciter, primo, quia talis potestas vtendi data toti generi humano est quoddam dominium: & ita cum actus vtendi licitus non possit separari à tali potestate vtendi, non poterit separari ab omni dominio. Secundo, quia non videtur, quod sit talis licita potestas vtendi data toti humano generi, cui renunciari non possit: quia tunc fur haberet licitam potestatem vtendi re quam furatus est; quod videtur absurdum. Ad primam istorum dicunt, quod talis potestas vtendi non debet vocari dominium; sicut nec licita potestas vtendi dominio, quam habet conducens domum, debet vocari dominium domus: quia semper dominium, de quo in iure ciuili & canonico fit mentio, est aliquid aliud à potestate vtendi: ita quod sola potestas vtendi non est dominium. Si autem omnino contendas quod talis potestas vtendi data toti humano generi debet vocari dominium, dicunt quod de vocibus non intendunt contendere. Dicunt tamen, quod esto, quod talis potestas vtendi vocetur dominium, adhuc stat argumentum, quod licitus vsus facti potest separari in rebus consumptibilibus vsu, ab omni dominio speciali & communi, quod sit proprium alicui collegio speciali, quale est collegium Fratrum Minorum vel consimile, quod appellans solum modo probare volebat. Vnde loco istius termini *licita potestas vtendi communissima*, ponatur ille terminus *dominium communissimum*: & arguatur sic: sicut dominium commune non est magis efficax ad faciendum vsum facti esse licitum quam dominium speciale: ita dominium communissimum, quod datum fuit toti generi humano, non est magis efficax ad faciendum vsum facti esse licitum, quam dominium speciale minus commune. Et fiat vlterius argumentum de dominio communissimo, sicut prius argutum est de licita potestate vtendi communissima: & concludatur, quod vsus facti huiusmodi potest esse licitus absq; dominio speciali & communi, quod sit proprium alicui collegio speciali.

Ad secundum dicunt, quod fur habet licitam potestatem vtendi communissimam respectu rei, quam furatus est, sed aliquid aliud obstat, quare tunc non potest licite vti, quia scilicet res est appropriata alteri, qui non dedit specialem potestatem vtendi furi, & ideo illa potestas communissima quasi ligata est, ne possit in actum, nisi tempore necessitatis extremæ deduci, sic ergo patet secundũ istos, quod licitus vsus facti potest esse in rebus vsu consumptibilibus absq; omni dominio speciali & communi, quod sit proprium alicui collegio speciali. Ex prædictis dicunt isti patere, quod ille impugnatus solum sophistice reprobat appellantem. Nam intentio appellantis est loqui de dominio inuento humanitus, per quod potest quis in iudicio pro rebus temporalibus litigare. Loquendo autem de tali dominio constat, quod qua ratione vsus facti in rebus vsu consumptibilibus potest separari ab vno dominio: eadem ratione potest separari ab omni dominio inuento humanitus. Et ita ostendere quod vsus facti non fuit separatus in primis credentibus à dominio communi, sed à dominio speciali, non est ad rem, nec appellantem vere sed sophistice reprobare. Et ex isto patet, quod licet impugnatio appellantis non concludat, quod quilibet illorum habeat vsum facti rerum consumptibilium vsu, ab omni dominio humanitus inuento speciali & communi separatum: tamen concludit directe, quod Apostoli habuerunt vsum facti rerum consumptibilium vsu à dominio speciali & communi: quod esset proprium Apostolorum collegio separatum. Et ex hoc & prædictis patet, quod tres conclusiones ex ratione appellantis sequuntur. Prima est, quod quilibet istorum scilicet conuersorum & Apostolorum ac discipulorum ipsorum Apostolorum habuerit vsum facti rerum consumptibilium vsu, ab omni dominio speciali & communi pleno & libero, quod vocatur dominium ciuile & mundanum, separatum. Secunda: quod quilibet illorum habuit vsum facti rerum consumptibilium vsu ab omni dominio speciali separatum. Tertia, quod quilibet Apostolorum habuit vsum facti vsu consumptibilium ab omni dominio speciali & communi: quod esset proprium collegio Apostolorum separatum. Istam conclusionem eandem probant isti impugnatores per exempla quam plurima. Primum exemplum accipitur ex dictis istius impugnati. Nam secundum ipsum (sicut patet in verbis superius recitatis) pro aliquo tempore omnia erant Aposto-

lis & primis credentibus communia. Sed constat, quod Apostoli pro illo tempore non erant omnino nudi, ergo pro primo tempore vtebantur vestibus, quæ pertinebant ad dominium totius communitatis, ergo vsus illarum vestium separatus fuit à dominio speciali cuiuscunque Apostoli, & à dominio communi totius collegii Apostolorum: & ita eadem ratione vsus facti huiusmodi rerum, quibus Fratres Minores vtuntur, potest separari à dominio speciali cuiuscunque Fratris Minoris, & à dominio communi totius ordinis eorundem Fratrum. Secundum exemplum est de habente vsum fundi, qui habet licitum vsum pomorum, olerum, florum, & huiusmodi: quorum tamen non habet dominium & proprietatem, neque in speciali neque in communi. Tertium exemplum est de Iudæis tempore veteris legis, qui licitum vsum facti vuarum & spicarum habere poterant in agris & vineis alienis, vt patet *Deuteronom. 23.* quorum tamen non habebãt proprietatem & dominium neque in speciali neque in communi. Quartum exemplum est de hospitibus, qui licite vtuntur cibis, potibus, mappis, lectisterniis, & multis aliis vsu consumptibilibus absq; dominio communi & speciali. Quintum exemplum est de seruis, qui licite vtuntur rebus vsu consumptibilibus dominorum suorum, quorum non habent dominium neque speciale neque commune. Sextum exemplum est de filiofamilias, qui vtitur rebus, quorum non habet dominium nec speciale nec commune. Septimum est de sacerdotibus, qui sæpe vtuntur vestimentis diuino cultui deputatis, quorum non habent dominium neque in speciali neque in communi. Octauum exemplum de celebrante, qui vtitur speciebus panis & vini, quæ tamen ad eius non spectant dominium neque speciale neque commune. Sic igitur patet, quod ex hoc, quod per primam rationem appellantis ostenditur, quod vsus facti fuit separatus in primis credentibus quo ad res vsu consumptibiles à dominio speciali, potest probari quibusdã veris coassumptis, quod vsus facti in huiusmodi rebus potest à dominio speciali & cõi separari.

Secundo circa explicationem intentionis appellantis isti impugnatores exponunt, qualem proprietatem habuerunt primi credentes in rebus, quas habebant postquam omnia facta fuerunt communia, dicentes quod (sicut tactum est prius.) proprietas est duplex, quemadmodum dominium est duplex, quoddam enim dominium est ciuile & mundanum, quod est potestas rem in iudicio vẽdicandi & de re ad libitum disponendi, & hoc vocatur à nonnullis *dominium liberum & absolutum*, ab aliquibus vocatur *plenum dominium*. Aliud est dominium, quod est potestas principalis vendicandi rem in iudicio, quale dominium, sicut ostensum est prius, habẽt nunc de facto clerici in rebus ecclesiæ: tamen pro cauillationibus amouendis dicunt isti impugnatores, ꝙ potestatum principalium vẽdicandi rem in iudicio, quædam est principalis, quædam principalior, & quædam principalissima. De membris istius distinctionis non duxi exemplificandum ad præsens, per ipsam tamen multæ obiectiones possibiles fieri possunt excludi. Dicunt igitur isti impugnatores, quod primum dominium vel proprietatem non habebant primi credentes in rebus, quas habebant: quia ex ordinatione ipsorum, quam forte mutare non poterant, ita fuit constitutum inter eos, vt de rebus, quas habebant omnes de communitate illa, sustentaretur vnusquisque secundum quod indigeret, nec poterant res illas in alios vsus conuertere, nec per modum alium alienare, & ita non habebant dominium liberum siue plenum in illis rebus. Dominium secundo modo dictum, quod fuit dominium simile Dominio, quod habent nunc clerici in rebus ecclesiæ, habuerunt secundum aliquos primi credentes, & hoc vel tota communitas omnium ibidem fidelium, vel communitas illorum qui nõ erant Apostoli. Nõ enim videtur verisimile, si infideles res illas abstulissent, quin aliq fideles habuissent potestatem easdem res in iudicio repetendi. Nec videtur fuisse vtile & expediens, ꝙ tota communitas fideliũ tali potestate se priuasset inter tot infideles & cupidos constituta. Videtur ergo, quod in rebus istis talem potestatem in communi habuerunt primi credentes: & hoc vel tota communitas, vel aliqua pars communitatis, Apostoli tamen, vt dicunt, non habuerunt talem proprietatem nec in speciali nec in communi: sic quod talis proprietas competiisset soli collegio Apostolorum, vt postea patebit.

Circa tertium principale istius totius partis dicunt isti impugnatores, ꝙ in responsione istius impugnati superius recitata duo errores principaliter continentur. Primus est, quod omnia, quæ erant communia primis credentibus, erant communia quo ad dominium tale, quale in ipsis bonis ante suam conuersionẽ habuerant. Secundus est, ꝙ domus, ager & huiusmodi immobilia erant communia toti communitati, quo ad dominium & ꝓprietatem. Primum errorẽ impugnant per hoc, ꝙ scripturę sacræ repugnat. Ad cuius euidentiã dicunt esse sciendũ, quod Iudæi conuersi ante conuersionẽ suam tale dominiũ habuerunt in bonis suis, ꝙ de eis poterant libere ordinare vendendo, donando, ac etiam vni dare plus, alteri minus ad suæ placitum voluntatis. Vnde dominium liberum habuerunt in ipsis bonis suis, sed postquam conuersi fuerunt ad fidem, & bona sua credentium communitati dederunt: communitas illa non habuit tale dominium in bonis ipsis: quia illa communitas non habuit potestatem vendendi aliquam rem datam, nisi pro aliquo sustentando de communitate. Iterum, illa communitas non habebat potestatem donandi plus minus indigenti, & minus magis indigenti: imo etiã non habebat potestatẽ dandi multũ minus indigenti, & nihil penitus magis indigenti, ergo cõmunitas illa non habuit tale dominium in bonis illis, quale habuerunt Iudæi ante conuersionem suam. Iterũ, quilibet Iudæus ante conuersionem suam habuit potestatẽ transferendi dominiũ rei suæ in liberum dominium alterius, ita quod poterat sic rẽ suam dare alteri, ꝙ alter haberet potestatẽ dãdi, vendendi & legandi eandem rẽ ad suę libitum voluntatis, sed talem potestatẽ non habuit illa communitas in rebus temporalibus sibi à Iudæis conuersis collatis: & per consequens illa communitas non habebat tale dominium seu proprietatem, quale habuerunt Iudæi ante conuersionem suam,

quod

quod enim tale dominium non habuit illa communitas, expresse probatur per illud Actuum 2. cap. *Diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat*, & per illud eodem capitulo: *diuidebant singulis prout cuique opus erat*, vbi dicit Glossa ordinaria: *non secundum personas & munera, sed secundum indigentiam*. Ex quibus verbis euidenter colligitur, quod illa communitas non poterat licite secundum placitum suæ voluntatis res illas collatas dispensare, nec plus dare minus indigenti, & minus magis indigenti: nec poterat illa bona diuidere secundum dignitatem personarum, nec secundũ munera oblata, vt plus daret illi qui plura & maiora dedit, & minus illi, qui nihil vel minora communitati dedit, sed tenebatur distribuere illa bona secundum indigentiam personarum, vt magis indigenti plus daret, & minus indigenti minus daret, & ideo quantum ad hæc communitas illa magis potestatem dispensandi modo limitato, quem transgredi non licebat, quam dominium in illis bonis videbatur habere. Tamen quantum ad potestatem vendicandi, si iniuste ablata fuisset, videtur in istis bonis aliquale dominium habuisse: sed non tale, quale habuerunt Iudæi, qui bona sua communitati dederunt, antequã conuerterentur ad fidem, & ideo dicunt isti impugnatores, quod scripturæ diuinæ repugnat de communitate credentium habuisse tale dominium in rebus datis sibi à fidelibus, quale habuerunt dantes antequam conuerterentur ad fidem. Sed quia diceret aliquis, quod iste impugnatus non intendit, quod omnino tale dominium habuerit communitas illa, quale habuerunt Iudæi ante conuersionem. Ideo probant isti impugnatores, quod ratio sua, per quam probat, quod communitas illa habuerit dominium illorum bonorum, æque concludit de tali dominio, quale habuerunt Iudæi ante conuersionem suam, sicut de alio qualicunque. Nam eadem facilitate, qua dicis, quod illud, quod primo proprium ante conuersionem postea fuit communicatum inter eos, & tamen non habuerunt post dominium tale, quale prius habuerant: eadem facilitate dicetur, quod illud quod erat primo proprium, postea fuit communicatum absque omni proprietate & dominio, quia aliquid potest esse commune multis, quamuis non sit eis commune quantum ad dominium seu proprietatem, sicut per leges imperiales & diuersorum regnorum mores ac consuetudines diuersarum regionũm, ac per iura canonica posset copiose probari. Potest enim aliquid esse commune multis per licitam potestatem vtendi vel abutendi absque omni dominio & proprietate, sicut in veteri lege vuæ & grana spicarum erant communes quantum ad licitam potestatem comedendi in agro & vinea aliena, quæ tamen non erant communes quantum ad dominium & proprietatem, & ita ex hoc, quod aliquid primo est proprium, & postea commune, æque potest probari, quod communitas habet dominium tale quale habuerit ille, cuius res fuit propria, sicut potest probari, quod habuerit qualecunque dominium.

Secundus error contentus in verbis prædictis, vt dicunt isti impugnatores, est, quod domus, agri, pecunia, & omnia immobilia, erant communia toti communitati credentium quo ad dominiũ & proprietatem, ita quod nullus post conuersionem suam de illa multitudine habebat alicuius talis rei dominium & proprietatem in speciali, sed iste error, vt dicunt isti impugnatores, scripturæ sacræ repugnat. Nam sicut legitur Actuum quinto, Petrus dixit Ananiæ vni de numero credentium post venditionem agri: *Nonne manens tibi manebat & venundatum in tua erat potestate?* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod ager ante venditionem erat ipsius Ananię, quo ad dominium & proprietatẽ: Aliter enim falsum dixisset beatus Petrus: *Manens tibi manebat*, hoc est, poteras libere tibi agrum retinere, nec tenebaris eum vendere, sed libere poteras eum vendere vel tenere, ergo ager ille nunquam fuit totius communitatis quantum ad dominium & proprietatem. Amplius, Actuum 4. sic loquitur: *quotquot enim erant possessores agrorum aut domorum vendentes afferebant pretia eorum & ponebant ante pedes Apostolorum*. Et postea subditur: *Ioseph autem, qui cognominatus est Barsabas ab Apostolis, quod est interpretatũ, filius consolationis, Leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit illum & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum*. Ex quibus verbis datur intelligi, quod possessores domorum & agrorum nomine ꝓprio, & ex propria voluntate huiusmodi agros & domos vendebant: nec vnquam legitur, ꝙ ex ordinatione vel mandato communitatis vendebant huiusmodi res, ergo semper ante venditionẽ eorũ fuerunt vendentium quo ad dominium & ꝓprietatem in speciali. Rursus hoc auctoritate Grego. probatur aperte. Gregorius enim, vt habetur 17. q. 1. ca. *Ananias Deo pecunias vouerat, quas post Diaboli victus persuasione subtraxit*. Ex qbus verbis habetur expresse, ꝙ Ananias vouit Deo pecunias, quas ꝓ vendito agro recepit, sed nullus vouet Deo rẽ alienam, neq; rem communitatis, sed rem propriam, igitur istæ pecuniæ, anteq̃ Ananias voueret Deo, fuerunt ipsius Ananię. Aliter enim ipse non habuisset potestatem vouendi illas pecunias Deo plus, quam quicunq; alius de communitate, ergo illæ pecuniæ fuerunt ipsius Ananiæ post venditionem agri. Ex quo sequitur, ꝙ ager ante venditionem fuit ipsius Ananiæ & non communitatis, erroneum igitur est dicere, vt asserunt isti impugnatores, ꝙ domus, ager & huiusmodi erant totius communitatis quo ad dominium & proprietatẽ. Ad rationem vero, ꝑ quam ꝓbatur, respondent faciliter dicentes: ꝙ sæpe scriptura diuina non seruat ordinem rei gestę. Nam tentator semel tantum Christum assumpsit in sanctam ciuitatem, & semel tantũ in montem excelsum. Et tamẽ Matthęus Euangelista primo narrat, ꝙ Diabolus eum in sanctam ciuitatẽ: & postea narrat, ꝙ assumpsit eum in montem excelsum, sicut patet *Matth. 4.* Lucas vero c. 4. istas duas assumptiones recitat ordine contrario, ergo alter istorũ in scribendo non seruauit ordinem rei gestæ. Alia exempla innumera in scriptura possent adduci: sed illud vnũ tam apertum sufficiat. Non ergo ordo rei gestæ ex ordine scribendi potest semper sufficienter ꝓbari. Vnde & sæpe factum posterius præmittitur, & postmodum facta priora ad declarationem facti posterioris, de quo sermo præcesserat,

ſubduntur, ſicut enim beatus Mattheus primo dicit Chriſtum natum de virgine, & poſtea volens declarare qualiter natus eſt, narrauit quomodo antequam naſceretur de vtero mater eius inuenta eſt à Ioſeph habens in vtero de Spiritu ſancto: & tamen habuit in vtero de ſancto Spiritu antequam Chriſtus ex eius vtero naſceretur: & ita factum poſterius prius narratur. Ordo igitur rei geſtæ non ſemper ex ordine ſcribendi, ſed ſæpe ex diuerſis locis ſcripturæ, & ſæpe ex ratione colligi debet. Vnde & *tertio Regum 2. c.* narratur, quod Roboam filius regnauit, & poſtea 14. c. narratur, quæ fuit mater eius. Et tamen per rationem colligi debet, quod priuſquam regnaret, habuit matrem. Sic igitur in propoſito, quamuis primo dicatur Actuum 4. *Nec quiſquam eorum quæ poßidebant aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant eis omnia communia*: & poſtea dicatur: *neque enim eorum quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum ac domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum* &c. tamen ille non fuit ordo rei geſtæ, ſed primo vendebantur poſſeſſiones & ſubſtantiæ: quibus venditis, vendentes ponebant pretia ante pedes Apoſtolorum, vouentes & offerentes Deo pretia communia. Vnde primo præmittitur, quod *omnia erãt communia*: ſed poſtea narratur modus per quem facta fuerunt communia, quia per venditionem poſſeſſionum & ſubſtantiarũ & oblationem pretii rerum venditarum factam ſponte Deo. Et ꝙ iſte fuerit ordo rei geſtę, ex diuerſis locis textus, & ex auctoritate beati Gregorii teſtantis, quod Ananias Deo vouit pecunias, quas ꝓ agro ſuo receperat, colligitur euidẽter, ſicut oſtenſum eſt prius, & tamen in ratione accipitur, quod niſi illa vendita fuiſſent communitatis quo ad dominium & proprietatem, illi quorum fuerunt ante conuerſionem, remanſiſſent ꝓprietarii. Dicunt iſti impugnatores, quod proprietarii fuerunt ante venditionem & ante oblationem pecuniarum Deo: & cum dicitur, quod hoc repugnat ſcripturæ dicenti: *Nec quiſquam eorum quæ poßidebat aliquid ſuum eſſe dicebat* [illegible] Dicunt, quod ſi ille impugnatus ſciret diſtinguere tempora, poſſet concordare ſcri[illegible] alio tempore dicitur: *Nec quiſquam eorum quæ habebat aliquid ſuum eſſe dicebat*: & pro [illegible] citur ꝙ *poſſeſſores agrorum & domorum vendentes afferebãt* &c. Nec eſt verum, quod tempore [illegible] citur: *nec quiſquam eorum* &c. præceſſit tempus ꝓ quo dicitur, quod *poſſeſſores agrorum* [illegible] ille impugnatus. Ex cuius verbis colligi poteſt, ꝙ ſecundum ipſum primi credentes [illegible] tudinẽ habuerunt de ſuis temporalibus ordinandis, q̃ de fide diſcenda, & vita ſua quo [illegible] ordinanda: q̄a ſi fidem addiſcendam & vitã ſuam quo ad ſpiritualia ordinandam (puta quo [illegible] berent Deum diligere, ſeruireq; eidẽ, & placere) præpoſuiſſent ordinationi temporaliũ [illegible] lo tempore priori, ipſis temporaliũ ſuorum ꝓprietas & dominium remanſiſſet: & ita pro [illegible] pore fuiſſent proprietarii, ꝙ ille negat: & tamen quod hoc fuerit verum declaratur; quia [illegible] ſtoli, qui doctores erant & patres primorũ credentium, nequaquam doctrinã magiſtri ſui o[illegible] tradiderint, q̄ ait: *Primum quærite regnũ Dei & iuſtitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.* Nec [illegible] dũ, ꝙ Apoſtoli primo credentes informauerint ad dandum temporalia ſua communi[illegible] anteq̃ eos induxerint ad fidem verã addiſcendam, & quõ deberent vitã ſuam quo ad ſpiri[illegible] nare: imo ſi hoc feciſſent credentibus occaſionẽ ſuſpicandi dediſſent, ꝙ eorum tempo[illegible] ſent, & ꝓpter hoc eis fidẽ prædicaſſent: ꝙ minime eſt credendum. Primo ergo B. Petrus [illegible] corde ex verbis ſuis de fide & ſacramento baptiſmi ſuſcipiendo & aliis ſpiritualibus, cũ [illegible] formauit: & poſtmodũ ipſi credentes bona ſua vendebant, & pretiũ ad communem [illegible] omniũ ſpontanee offerebant, & ita toto tempore, quo ante venditionẽ rei circa ſpiritu[illegible] fuerunt, rerũ ſuarũ ꝓprietarii remanſerunt. Quod autẽ primo circa ſpiritualia fuerunt oc[illegible] lo textũ Actuũ Apoſtolorum patenter elicitur, vbi poſt ſermonẽ B. Petri de credentibus ſic [illegible] (ſcil. verbis B. Petri) *auditis compuncti ſunt corde & dixerunt ad Petrũ & reliquos Apoſtolos* [illegible] *fratres?* Ex q̄bus verbis datur intelligi, ꝙ iſti prompti erant informationem Petri & alior[illegible] lorum tenere & ſeq. Qualem aũt informationem B. Petrus eiſdem tradidit, ibidẽ [illegible] citur, *Petrus vero ait ad illos, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrũ in* [illegible] *mißionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti, vobis enim eſt hæc repromiſſio* [illegible] *ſtris, & omnibus qui longe ſunt, quoſcunq; aduocauerit Dominus Deus noſter.* Aliis etiã verbis plu[illegible] catus eſt, & exhortabatur eos dicens: *ſaluamini à generatione illa praua*, in illa informatio[illegible] te, ꝙ de ordinatiõe bonorũ ſuorũ nulla fit mentio ſecundũ B. Petrum memorem [illegible] ſtri, dicentis Marci vltimo: *Euntes in mundũ vniuerſum, prædicate Euangelium* [illegible] *& baptizatus fuerit, hic ſaluus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* In quã de tempo[illegible] dis mentio non habetur, poſtq̃ Iudæos de fide Chriſti inſtruxerat, quęrentes [illegible] de pœnitentia agenda, de ſuſcipiendo baptiſmo, de dono Spiritus S. recipiendo [illegible] infidelitate, non de temporalibus informauit: cuius doctrinã recipientes à ſpiritualibus [illegible] vnde ibidẽ immediate ſubiungitur: *Qui ergo receperunt ſermones eius, baptizati ſunt &* [illegible] *animæ circiter tria millia.* Erant autẽ perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ, & communica[illegible] rum ſuorum temporalium: ſed à baptiſmo & aliis ſpiritualibus inceperunt, ergo illo [illegible] prietarii remanſerunt, non enim eſt credibile, quod poſtquam crediderunt, antequam [illegible] tur, ſua temporalia communitati dederunt, proprietarii ergo remanſerunt.

Poſt hoc circa literã aliqua ſunt notanda. (*proprietatẽ*) illud eſt verbũ appellantis, ꝙ [illegible] dicunt principaliter debere ſumi hic ꝓ ꝓprietate ſpāli ciuili & mundana, qualẽ ſecundum [illegible] ſanctorũ & ſacros canones clerici & religioſi non hñt in rebus eccleſiæ. Vnde dicunt [illegible] eſt duplex: vna eſt communis, alia eſt ſpecialis. Communis adhuc eſt duplex, & [illegible] lis. Vna qua poteſt proprietarius, ſiue ſit perſona ſingularis ſiue communitas, de re [illegible] vendendo, donando, legando, alienando, & vtendo ac conſumendo, ſi eſt res vſu con[illegible]

ad suæ libitũ voluntatis, & illo modo, vt prius, accipitur proprietas in iure canonico & in iure ciuili, & talẽ proprietatem nec cõmunem nec specialẽ habẽt religiosi in quibuscunq; rebus temporalibus: nec clerici in rebus ecclesiæ: quia temporalia ad certos vsus & certum modum disponendi sunt eis concessa, & propter hoc sæpe absolute & sine distinctione dicitur, quod nõ habent proprietatem in huiusmodi rebus: & quod non sunt domini huiusmodi rerum, teste Alexandro III. *ext. de donationib. c. fraternitatẽ*, dicens: *Cum episcopus & quilibet prælatus ecclesiasticarũ rerum sit procurator, non dominus*, &c. & Aug. vt habetur *12. q. 1. c. vlt.* idem dicit: *talem proprietatẽ non habuerũt primi credentes in rebus communib.* ideo absolute dicit appellans, quod primi credentes nullius rei neq; vsu cõsumptibilis, neq; non cõsumptibilis vsu, postquam sc. omnia fuerunt facta cõmunia, proprietatem habebant: quia proprietatẽ nec specialẽ, nec cõmunem habebant. Alia est proprietas non tã specialis q̃ communis, quæ est potestas rem vendicandi in iudicio, licet nõ sit potestas de re libere disponendi vendẽdo, donãdo, legãdo, alienando, & vtendo ad libitũ, & talem proprietatẽ non specialẽ, sed cõmunem habebant primi credentes, & hoc vel tota cõmunitas secundum aliquos, vel altera pars cõmunitatis, sc. illa à qua erat cõmunitas specialis, sc. Apostolorũ distincta pro tempore illo, ꝙ tempus nõ incepit ab initio cõuersionis primorũ credentium, sed incepit postq̃ baptizati & in fide instructi inceperunt confirmare necessitatẽ multorum credentiũ, qui non habebant, vnde poterant ex propriis sustentari (*nullius rei proprietatẽ habebant*) illud verũ est accipiendo proprietatẽ primo modo dictã. (*Omnia quæ possidebant erant cõmunia inter eos*) verũ est, ꝙ erant cõmunia quantum ad potestatẽ vtendi & sustentandi se: sed nõ erãt cõmunia quantũ ad proprietatẽ primo modo dictã secundum ꝙ intendit ille impugnatus (*& ꝙ illa cõmunia*, &c.) Hic incipit prima ratio ad probandũ, ꝙ omnia erant cõmunia quantum ad proprietatẽ primo modo dictã (*illud quod prius ante conuersionẽ Iudæorum ipsis fuit propriũ, postquam credentes effecti fuerunt, fuit inter eos cõmunicatum.*) Illa est maior rationis suæ, in qua, sicut patet, nõ ponitur dominiũ, nec proprietas, nec aliqua talis declaratio quo ad dominiũ & proprietatem, & ideo secũdum rectam formã arguendi non deberet poni in cõclusione. Et ideo ex illa maiori conclusio sua nõ deberet inferri: sed solũmodo deberet illã conclusionem inferre; omnia fuerunt inter eos cõmunicata: & nõ illã, q̃ infertur: quia semper ex forma est fallacia secundũ quid ad simpliciter, qñ in tali modo arguẽdi altera determinatio ponitur in minori & in conclusione, quæ nõ ponitur in maiori, sicut hic: omne currẽs est animal: homo nunc primo est currens: ergo homo nunc primo est animal, quia hæc determinatio *nunc primo* ponitur in minori & in cõclusione, sed non ponitur in maiori: imo maior accipit sine determinatione tali. Consimiliter est hic talis fallacia: illud ꝙ prius ante cõuersionem ipsis fuerat proprium, postq̃ credentes effecti fuerunt, fuit inter eos cõmunicatum: sed illa quæ possederant ante conuersionem fuerunt eis própria quo ad potestatem dandi plus minus indigenti: & minus vel nihil plus magis indigenti: ergo postquam fuerunt conuersi, illa, quæ possederunt, fuerunt inter eos communicata, quo ad potestatem dandi plus minus indigenti; & minus vel nihil magis, plus indigenti, & consimilis fallacia ex forma est in argumento suo: quia hæc determinatio *quo ad dominium & proprietatem* accipitur in minori & consequentia, & nõn in maiori. Sed forte dicet aliquis, quod ille impugnatus accepit maiorem suam sub hoc sensu: Illud quod prius ante conuersionem Iudæorum ipsis fuerat proprium, postquam credentes effecti fuerunt, fuit eodem modo, quo primo fuerat proprium, inter eos communicatum, & tunc bene sequitur conclusio: quia eadem determinatio, quæ ponitur in minori & in conclusione, subintelligitur virtualiter in maiori. Ad hoc dicunt isti impugnatores, quod maior sub illo sensu est falsa, imo dicunt, quod sic intellecta est erronea reputanda: quia bona Iudæorum ante conuersionem illo modo fuerunt propria eius, quod poterant libere eã dare suis consanguineis, nihil vel parum dando extraneis, illo autem modo non erant communia communitati crẽdentium: sicut nec illo modo bona ecclesiæ sunt modo communia. Multis etiam modis aliis erant illa bona propria Iudæis ante conuersionem, quibus non erant communicata postea inter eos: quod ex præcedentibus colligitur euidenter, & ita patet clare, quod ille sophistice arguit (vt dicunt isti impugnatores) dicentes, quod si modos arguendi sciuisset, nunquam per illud sophisma nec per consimilia, quæ frequenter adducit, veritatem catholicam impugnasset. (*Constat aũt, quod illa quæ possidebant ante conuersionem, erant illis quantum ad dominium propria.*) Illa est minor rationis suæ, in qua ponitur hæc determinatio *quantum ad dominium*, quæ in maiori minime posita fuit: etiã ita sophistice arguit (*quare sequitur quod fuerunt, quo ad proprietatem seu dominium inter eos communicata*) hęc est conclusio rationis suæ, circa quam isti impugnatores duo notant. Primum est, quod in hac cõclusione ponitur hęc determinatio *quo ad proprietatem seu dominiũ*, quę nequaquam fuit posita in maiori, & ideo sophistice infertur illa conclusio. Sicut posito, quod aliquis volens intrare religionem conferat alicui monasterio monachorum omnia bona sua, quorum prius habuit dominium libere, sic ꝙ potuit illa dare, vendere & legare, ac etiam alienare ad libitum, & arguatur sic: Illa quæ erant isti propria, postea omnibus de monasterio, quod intrauit, sunt communicata, sed prius erant propria, quo ad potestatem dandi vel vendendi, legandi, & quomodolibet alienandi, igitur postea sunt communicata, quo ad potestatem dandi, vendendi, legandi, & quomodolibet alienandi, certum est, quod arguitur sophistice: quia constat, quod conclusio secundum sacros canones falsa est, & præmissæ sunt veræ, igitur dicunt, ꝙ argumentatio istius est sophistica reputãda. Secundo notãt isti impugnatores, quod cum iidem termini nõ debeant accipi æquiuoce in præmissa & conclusione: *dominium*, ꝙ ponit hoc tã in minori q̃ in cõclusione, nõ accipitur æquiuoce, sed in minori accipitur *dominiũ* ꝓ dominio ciuili & mũdano, ꝙ est potestas alienãdi, vendẽdi, donãdi, legãdi, & vtẽdi re ad placitũ, q̃a secundũ iura

ra ciuilia rerum suarum vnusquisque est moderator & arbiter, ergo eodem modo accipitur dominiū hoc in conclusione, cum dicitur quod illa bona Iudæorum fuerunt cōmunicata quo ad dominium: & ita secundum illum impugnatum communitas fidelium credentium habebat dominium ciuile & mūdanum, quod est potestas dandi, vendendi, &c. (*In rebus illis communibus*) quod est omnino falsum & erroneum: quia tenebantur credentes de illis temporalibus sustentare, & non poterant ea alienare ad libitum (*quod de rebus non consumptibilibus vsu*, &c.) illud dicunt isti impugnatores omnino esse falsum, sicut ex pręcedentibus patet aperte (*nisi violentia sibi fiat.*) Dicunt isti impugnatores, quod violētia fieret scripturæ, si diceretur, quod immobilia erant communicata credētibus, quo ad dominium & proprietatem: quia sicut ex scriptura patet, ipsi spontanee vēdebant huiusmodi res: & ita illæ semper ante venditionem erant suæ propriæ, & non communes. (*Cum ergo prius dicat, quod inter credentes erant omnia cōmunia*) male arguit. Prius scribitᵘʳ: ergo prius fuit factum: quia, sicut ostēsum est, ordo scripturæ non semper sequitur rei gestæ ordinem. (*Ipsi ante venditionem illorum remansissent proprietarii*) illud, quod ille impugnatus habet pro vltimo incōuenienti, habent isti impugnatores pro vero. Cum dicit (*nec quisquam eorum quæ possidebant*, &c.) illud dicit scriptura pro tempore post venditionem omnium & allationem pretiorum: & ita illi, quod dicitur, quod ante venditionem proprietarii remanserunt, nullatenus aduersatur.

Cap. V.

A*D illud autem, quod volens probare, quod rerum vsu non consumptibilium credentes non habuerūt dominium etiam in communi, subiungit sc.* quia res non consumptibiles vsu vendebant: & ipsas nec in speciali, nec in eorum cōmunitate retinebant, *dicimus, quod ex hoc non sequitur, quod ante venditionem illarum rerū non habuerunt dominium: sed bene sequitur, quod post venditionem illud non retinuerint: & hoc est verum, per vēditionem n. perfectam in ementes transtulerūt dominium, quia illud sibi non retinuerunt, & si quæratur, quare Apostoli agros & domos non retinuerunt in Iudæa, sed potius illis venditis habuerunt precia eorum in cōmuni. Respondet Melchiades Papa dicens*: futuram (*id est transituram*) ecclesiā in gentibus (*id est ad gentes*) Apostoli prouidebant: ideo prædia in Iudæa minime sunt adepti. *Et si dicatur, quod Melchiades videtur supponere, quod credentes etiam ante venditionem prædiorum illa nequaquam habuerunt in communi, cum dicat, quod illa* in Iudæa minime sunt adepti: *dicimus quod Melchiades pro tanto dixit Apostolos in Iudæa non fuisse adeptos prædia, quia nihil sic adepti fuerant, vt illa sibi intenderent retinere: & ideo non videbantur ea fuisse adepti: cum, qui sic rem adipiscitur, vt eam in continenti à se abdicare debeat, adeptus proprie non dicatur. Ex prædictis patet, quod Apostolis fuit licitum in Iudæa, si voluissent, retinere prædia, nec voto compulsi sunt, quia non retinuerunt voce propria, quia se non contracturos moram inibi, sed transituros se prauidebant ad gentes.*

In illa parte respondet ad secundam, quod accepit appellans, quod videlicet primi credentes non retinuerunt res non consumptibiles vsu, nec in speciali nec in communi, & circa hoc duo facit. Primo enim respondet per distinctionem distinguens duo tempora, sc. tempus ante venditionem, & post venditionem: vnde dicit, quod post venditionem non retinuerunt dominium, sed ante venditionem bene habuerunt dominium huiusmodi rerum in communi. Et secundo ibi (*si quæratur*) mouet quæstionem, quare Apostoli domos & agros in Iudæa non retinuerunt. Ad quam respondet secundum Melchiadem Papam, quia sc. sciuerunt ecclesiam transituram ad gentes. Tertio ibi (*Et si dicatur*) obiiciendo contra prædictam responsionem, respondet, vt plane habetur in litera. Vltimo ibi (*Ex prædictis patet*) concludit ex prædictis, quod licitum fuit Apostolis habere in Iudæa prædia.

Sed isti impugnatores dicunt, in istis verbis quatuor contineri errores. Quorum primus est, quod communitas credentium habuit domos & agros, quo ad dominium & proprietatem. Secundus est, quod Apostoli habuerunt prædia in Iudæa. Tertius est, quod Apostoli ideo non retinuerunt prædia, quæ habebant in Iudæa, quia transituri fuerunt ad gentes. Quartus est, quod Apostolis licuit in Iudæa, & inter gentes prædia possidere. De primo errore dictum est in parte præcedenti, vbi ostensum est, quod Iudæi conuersi domos & agros non dederunt communitati, sed tanquam res proprias vendiderunt, & postea pretium sponte obtulerunt communitati.

Secundus error hic contentus, vt dicunt isti impugnatores, est quod Apostoli habuerūt prædia in Iudæa, ꝙ hoc dicat ille impugnatus, patet aperte, ait enim: *dicimus quod Melchiades pro tanto dicit Apostolos in Iudæa non fuisse adeptos prædia, quia non sic adepti fuerunt ea, quod illa sibi intenderent retinere.* Ex quibus verbis clare colligitur, ꝙ Apostoli in Iudæa prædia habuerunt, quamuis illa intenderent minime retinere. At hoc isti impugnatores reprobare nituntur, primo sic: Constat quod Apostoli nō habuerunt in Iudæa aliqua prædia, præter prædia conuersorum ad fidem. Vnde & de illis prędiis videtur ille impugnatus intendere, sed ostensum est prius, quod illa prędia semper ante venditionem ipsorum remanserunt propria illorum, quorum prius fuerunt: ergo illa prædia ante venditionem ipsorum ad proprietatē & dominiū Apostolorum minime pertinebāt, nec pertinebant ad eorū dominium post venditionē, ergo Apostoli post passionē Christi in Iudæa prædia minime habuerunt. Secundo sic: Apostoli quantū ad consiliū paupertatis imitatores Christi fuerunt, sed Christus, non obstante, ꝙ non erat de Iudæa regulariter trāsiturus, ante mortē suam in Iudæa prædia non recepit, cū ipse dicat Matt. 8. *Vulpes foueas habent & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*, ergo nec Apostoli in Iudæa receperūt. Ex hoc patet, quod prædia Iudæorū conuersorū nequaq̄ in totius communitatis dominiū transierunt. Cū sit igitur verisimile, ꝙ Apostoli sequerentur vitā Christi & modū viuendi eiusdē, sed Christus nullū prædium pro se vel suo collegio speciali recepit; sed tū sustinuit, ꝙ mulie-

mulieres sibi & suis discipulis de suis facultatibus ministrarent, sicut patet *Luc. 8.* & quod loculi ℘ pauperibus indigentibus portarentur: ita Apostoli pro se prædia minime receperunt, sed permiserunt ꝙ fideles de precio suorum bonorum Apostolorum & aliorũ indigentias subleuarent. Tertio illud sic ostenditur, summi sacerdotes sequentes Apostolos non fuerunt pauperiores ipsis Apostolis, sed plures summi sacerdotes post Apostolos prædia à fidelibus minime receperunt, licet prædiorum pretia reciperent, ergo multo magis Apostoli prædia conuersorum in Iudæa minime receperunt. Maior est manifesta, & inferius multis modis probabitur. Minor probatur auctoritate Vrbani Papæ, qui, vt habetur *12. q. 1. c. videntes*, ait: *Videntes autem summi sacerdotes & alii atque Leuitæ, & reliqui fideles plus vtilitatis posse conferre, si hæreditates & agros, quos vendebant, ecclesiis, quibus præsidebant, episcopi traderent: eo quod ex sumptibus eorum tam præsentibus quam futuris temporibus plura & elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam deducentibus, quam ex precio ipsorum, cæperunt prædia & agros, quos vendere solebant, matricib. ecclesiis tradere & ex sumptibus eorum viuere.* Ex quibus verbis euidenter colligitur, quod in primitiua ecclesia & diu post, talis fuit cõsuetudo, quod fideles, qui alios fideles vitam communem ducere cupientes de bonis suis sustentare volebant, ipsis prædia non dederunt, sed prædia vendiderunt & ex precio vitam cõmunem ducentibus necessaria ministrarunt. Postea autem cæperunt (sicut Vrbanus Papa dicit) prædia & agros matricibus ecclesiis tradere, nequaquam ergo Iudæi conuersi sua prædia dederunt Apostolis: sed, sicut textus *Actuum Apostolorum* eloquitur manifeste, ipsi sua prædia vendiderunt, & precium ante pedes Apostolorum pro sustentandis fidelib. posuerunt. Sed contra illa obiici potest, primo per capitulum allegatum Melchiadis Papæ, qui insinuare videtur, quod ecclesia inter gentes prædia magna obtinuit, ergo fideles nõ vendiderunt prædia, sed ecclesiæ tradiderunt. Secundo quia posteriores Apostolis non erant sapientiores, neq; maiorem curam habentes de fidelib. sustentandis quam Apostoli, si ergo sicut dicit Vrbanus Papa, Episcopi posteriores ordinauerunt ℘ vtilitate cõmunem vitam ducentium, quod non precia, sed prædia ecclesiis traderentur: Videtur ꝙ multo magis hoc ordinauerunt Apostoli. Ad primum illorum isti impugnatores respondent, dicentes quod Melchiades nequaquã dicit, quod ecclesia, hoc est collegium communem vitam ducentiũ, prædia tempore Apostolorum obtinuit: sed explicat manifeste, quod tempore Constantini imperatoris prædia sunt adepta. Aliter dicunt, responsioni prædictæ non obuiat, quod in Iudæa pro tempore Apostolorum, nec ecclesia, quæ est congregatio illorum, qui diuino cultui sunt specialiter deputati, nec tota congregatio fidelium, nec aliqua pars illius congregationis prædia sibi retinuit, inter gẽtes autem tempore Apostolorum, licet congregatio illorum, qui erant diuino cultui specialiter deputati: & ita congregatio communem vitam ducentium in communi prædia non haberet, sed de precio prædiorum & eleemosynis sustentaretur: multi tamen erant fideles inter gentes, qui prædia habuerunt & retinuerunt; & ita inter fideles in Iudæa, & inter fideles inter gentes tempore Apostolorum fuit differentia manifesta, quo ad retentationem prædiorum. Ad secundum dicunt isti impugnatores, quod aliquid est expediens pro vno tempore, quod pro alio minus expediens, imo aliquãdo nociuum dignoscitur, & ideo quamuis Apostoli fuerunt sapientiores & maiorem sollicitudinem de communi vtilitate gerentes, quam sequentes eos: ipsi tamen vitam Christi sequentes nec prædia habere volebant, nec quod congregatio vitam communem ducentium haberet prædia ordinauerunt: quia tunc non erat ita necessarium, sicut postea fuit. Christiani etiam qui fuerunt vicini Apostolis, hoc non seruabant: & tamen non fuerunt minoris sapientiæ, nec minoris feruoris ad commune bonum quam posteriores, & hoc quia tunc non ita expediebat. Quarto probatur, quod Apostoli in Iudæa prædia minime habuerunt per hoc, quod Apostoli omnia temporalia abdicauerunt, quo ad dominium & proprietatem sicut per Scripturam sacram, doctrinam sanctorum & determinationem ecclesiæ constat aperte: sed de illa materia erit postea sermo prolixus: ideo ad præsens transeo.

Tertius error, vt dicunt isti impugnatores, hic contentus est quod Apostoli ideo non retinuerunt prædia quæ habebant in Iudæa: quia transituri fuerunt ad gentes. Hoc dicunt isti impugnatores esse erroneum pro eo, quod in his verbis insinuat impugnatus Apostolos inter gentes prædia habuisse & retinuisse. Si enim propter hoc tantummodo Apostoli prædia, quæ in Iudæa habebant, nõ retinuerunt, quia transituri erant ad gentes, igitur quando venturi erant ad gentes, si gentes eis prædia offerre volebant, ipsi retinere oblata prædia intendebant. Constat autem, quod multi fideles inter gentes Apostolis prædia obtulerunt, ergo Apostoli oblata prædia receperunt & retinuerũt, sed hoc constat esse falsum: quia nusquam legitur, quod Apostoli inter gentes prædia receperunt. Vnde & Apostolus Paulus, qui erat doctor gentium & magister, etiam sæpe sumptus à gentibus recipere recusauit, quia pro victu suo manibus propriis laborauit, & prim. Timoth. sext. ait: *Habentes autem alimenta & quibus tegamur his contenti simus.* Ex quibus patet, quod Paulus inter gentes prædia non recepit, & idem constat de Apostolis aliis.

Quartus error (vt dicunt isti impugnatores) est, quod Apostolis licuit in Iudæa & inter gentes prædia possidere, sed illud, vt dicunt isti impugnatores, scripturæ diuinæ repugnat. Nam quibus interdicitur congregare thesauros, eisdem interdicitur prædia possidere. Nam de prædiis thesauri congregantur & sæpe expedit & est rectæ consonum rationi prædia possidentes congregare thesauros eo, quod sæpe absque thesauro rite coli, conseruari & defendi non possunt. Christus autem congregare thesauros Apostolis interdixit, dicens Matthæi sexto. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furan-*

furantur, ergo Christus Apostolis interdixit prædia possidere, vel saltem ne possiderent consuluit Apostolis, ergo doctrinam & consimilia sui magistri sequentibus prædia minime licuit possidere.

Amplius, quibus interdicitur sollicitudo de crastino, ipsis interdicitur prædiorum possessio: quia prędia possidentes per se vel per alios de prædiis futuris temporibus disponendis sollicitudinem magnam oportet habere. Christus autem sollicitudinem de crastino interdixit, dicens Matthæi sexto. *Nolite solliciti esse in crastinum*, ergo eis interdicta fuit prædiorum possessio: & per consequens eis non licuit prædia possidere. Rursus, ea quæ ad pericula spiritualia & peccata inclinant, sine quibus vitam conuenienter transigere contingit, Apostoli reliquerunt. Aliter enim de placendo Deo minus fuissent solliciti, sed prædia, sicut & diuitiæ, ad spiritualia pericula & peccata inclinant, teste Apostolo, qui prim. ad Timo. sext. ait: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in perditionem & interitum*, ergo Apostoli prædia reliquerunt. Sed forte diceret ille impugnatus, quod Christus noluit Apostolos, dum esset cum eis, prædia possidere: quin tamen post eius abscessum prædia possiderent, minime interdixit. Sed hoc dicunt isti impugnatores stare non posse. Nam non est perfectorum de maiore perfectione ad imperfectionem vel minorem perfectionem transire. Apostoli autem saltem post aduentum Spiritus sancti, perfecti fuerunt, ergo nullam perfectionem, quam à Christo acceperant, & secum seruauerant, relinquere debuerunt. Sed dum erant cum Christo, prædia minime habuerunt, nec habere voluerunt, vt Christo perfectius adhærerent, ergo post aduentum Spiritus sancti multo magis prædia habere non debebant. Vnde si Apostoli, qui non erant omnino perfecti, imo prædia, perfectionis amore minime habuerunt: multo magis post aduentum Spiritus sancti, quando erant in omni perfectione magis quam antea radicati, & ad quos tunc principaliter in terris gubernatio spectabat fidelium perfectionis amore, &, vt exemplum darent fidelibus, omnia debuerunt propter Deum relinquere, & vt suspitionem tollerent, quod propter temporalia prædicarent, nequaquam prædia debuerunt habere. Ad hæc nulla religio est perfectior in paupertate, Apostolica paupertate. Multi autem sunt religiosi, qui prædia non solum in speciali, sed etiam in communi habere recusant. Patet de Fratribus Prædicatoribus & aliis Mendicantibus, ergo multo magis Apostoli nequaquam prædia debuerunt habere.

Porro quia ille impugnatus, quantum ad istas quatuor assertiones de prædiis Apostolorum, vt dicunt isti impugnatores, doctrinæ Fratrum Prædicatorum obuiat & repugnat, primo ordinem eorum destruit & confundit manifeste insinuans, quod paupertatem Apostolicam nullatenus imitantur proprietatem prædiorum à se penitus abdicando, ideo pro ipsis & eorum doctrinam sequentibus, quid de illa materia sentiat Thomas doctor eorum adducunt. In libro itaque *contra doctrinam retrahentium à religione prim. capit. decim. quint.* ait: *Manifestum est igitur secundum expositiones præmissas, Apostolis interdictum fuisse, ne agros vel vineas, vel alia huiusmodi bona immobilia possiderent. Quis autem dicat, nisi hæreticus patens, diuinissimam instructionem à Christo perfectioni euangelicæ derogare?* Ex quibus verbis euidenter habetur, quod interdictum fuit à Christo Apostolis, ne prædia possiderent: & quod sapit hæresim secundum illum dicere, quod possessionum carentia derogat euangelicæ perfectioni, & ita cum Apostoli euangelicam perfectionem nequaquam reliquerint, constat eos prædia minime possedisse. Item illud in eodem capitulo dicit: *Est autem vlterius considerandum, qualiter præmissa Domini præcepta, scilicet nolite possidere aurum, fuerunt ab Apostolis obseruata.* Et infra: *quod autem nihil temporalium possiderent, aut etiam in via deferrent, ante tempus passionis aperte ostenditur ex hoc, quod legitur Lucæ vigesimo secundo, vbi Dominus discipulis suis dicit: quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt: nihil. Sed quia ibi subdit: dixit ergo eis, sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter & peram, posset alicui videri, quod Dominus totaliter præcepta priora relaxauerit: sed hanc relaxationem quantum ad personas Apostolorum imminentis persecutionis tempore, referendam apparet ex verbis Bedæ, qui dicit: Non eadem viuendi regula persecutionis & pacis tempore discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicandum, quid tollerent in via præcepit: mortis vero instante periculo & tota simul gente pastorem gregemque persequente, congruam ipsis regulam decernit, permittens vt tollant victui necessaria, donec sopita insania persecutorum, tempus euangelizandi redeat. Et subdit: vbi nobis quoque dat exemplum ex iusta nonnunquam causa instante, quædam de nostri propositi rigore posse sine culpa intermitti.* Hæc verba Bedæ. Ex quibus concludit Thomas, *& ex quo etiam apparet, ad rigorem euangelicæ disciplinæ pertinere, quod aliquis careat omni possessione terrena. Quid autem super hoc Apostoli post passionem seruauerunt, & seruandum tradiderunt, aperte in Actibus Apostolorum docetur. Legitur enim Actuum quarto, quod multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant istis omnia communia. Et ne aliquis dicat, eos habuisse possessiones communes: puta agros & vineas, aut aliquid huiusmodi: hoc persequentia excluditur. Sequitur enim: quotquot possessores domorum ac agrorum erant vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebantur, & ponebant ante pedes Apostolorum. Ex quo patet hanc esse euangelicæ vitæ obseruantiam ab Apostolis obseruatam, vt ea quæ ad necessitatem vitæ pertinent, possideantur communiter, possessionibus omnino abdicatis.* Ex his verbis colligitur euidenter, quod Thomas in quatuor obuiat manifeste isti impugnato: quorum primum est, quod omnia præcepta Christi data Apostolis & discipulis de obseruantia paupertatis, sicut quod non possiderent aurum, &c. & consimilia, nunquam

nisi

nisi dispensatiue ad tempus relaxata fuerunt. Cuius oppositum tenet ille impugnatus, sicut postea apparebit. Secundum est, quod ad euangelicæ vitæ obseruantiam spectat possessionibus etiam carere in communi. Tertium est, quod Apostoli nec in Iudæa nec inter gentes possessiones, nec in communi nec in speciali habuerunt, nec licuit eis habere. Ex quo sequitur, sicut postea ostendetur, quod Apostoli vouerant omnibus possessionibus in speciali & in communi carere. Quartum est, quod possessiones, de quibus fit mentio *Actuum 4. capit.* quas vendebant, non erant communes, sed erant propriæ ante venditionem, & precia earum communicata fuerunt. In istis, & in his quæ sequuntur ex eis, ille impugnatus doctrinæ Thomæ contradicit aperte. Vnde idem Thomas contra quosdam Magistros Parisienses destruentes euangelicam paupertatem, *capitulo sexto*, multis modis conatur ostendere, quod actualis paupertas, quæ est per abdicationem proprietatis omnium temporalium, ad euangelicam pertinet paupertatem, quam & Apostoli seruauerunt. *Vnde*, sicut arguit, *euangelica perfectio maxime in Apostolis claruit, sed ipsi paupertatem actualem habuerunt sua omnia relinquentes*, & infra sic ait: *Vlterius ostendamus, quod illa perfectio, qua aliquis propria relinquit, non requirat possessionem diuitiarum in communi. Primordium enim huius perfectionis in Christo & in Apostolis fuit: sed ipsi non leguntur sua relinquentes aliquas possessiones habuisse in communi: imo potius legitur, quod nec etiam domus habebant ad manendum, vt satis probatum est.* Et infra: *Item Augustinus dicit in tertio libro de doctrina Christiana: quod illi, qui conuersi ex Iudæis fuerunt ad Christum, in primitiua ecclesia, quia proximi spiritualibus fuerunt, tam capaces extiterunt Spiritu sancto, vt venderent omnia, eorumque precium indigentibus distribuendum ante pedes Apostolorum ponerent.* & infra: *Non enim hoc vllas ecclesias gentium fecisse scriptum est: quia non tam proprie inuenti erant, qui simulacra manu facta Deos habebant.* hoc Augustinus, ex quibus infert Thomas: *Ex quo patet, quod Augustinus præfert perfectionem ecclesiæ primitiuæ Iudæorum perfectioni ecclesiæ ex gentibus, in hoc, quod omnia sua vendiderunt pauperibus distribuendo: sed ipsi ita vendiderunt propria, quod nullas possessiones in communi seruauerunt sibi.* Ex his colligitur euidenter, quod secundum illum Apostoli nullas possessiones habuerunt, nec habere licite potuerunt. Et quod illi, de quibus fit mentio *in Actibus*, possessiones suas non tanquam communes, sed tanquam proprias vendiderunt, dicit enim quod vendiderunt propria: & ita illæ possessiones nunquam communes fuerunt. Ex hoc dicit infra expresse in hæc verba: *Apostoli reseruabant pecunias & etiā colligebant, vt sanctis pauperibus, qui prædia sua vendiderant propter Christum, necessaria ministrarent, nec tamen illas pecunias habebant de aliquibus possessionibus, sed ex eleemosynis fidelium.* Apostoli igitur illas possessiones habuerunt. Et si dicas, quod saltem habebant pecunias, & seruabant secundum Thomam. Dicendum quod vel Thomas sibiipsi contradicit in hoc, quod prius dixerat, quod præceptum de pecunia non portanda non fuerat nisi dispensatum ad tempus: vel loquitur illo modo loquendi, quo dicitur, quod qui per alium facit, per seipsum facere videtur, vt dicatur, quod Apostoli reseruabant pecunias, quia ordinauerunt quod alii reseruarent.

His visis, est ad litteram transeundum. (*Vendebant*) s. illi quorum erant. (*Nec in eorum communitate retinebant*) quia res, quas vendebant, ad communitatis dominium minime pertinebant. (*Ex hoc nō sequitur, quod ante venditionem illarum rerum non habuerunt dominium.*) Dicunt isti impugnatores, quod ex hoc quod illi, quorum erant ante conuersionem, vendebant illas res tāquam proprias, sicut ex textu Actuum Apostolorum bene colligitur. (*Vnde sequitur quod communitas illa, rerum illarum non habuit dominium: quia Apostoli domos & agros non retinebant in Iudæa.*) Causa est, quia non retinebant illa, quæ non habebant: prædia autem non habebant in Iudæa illo tempore, nec vnquā, ideo non retinebant. (*Respondet Melchiades Papa.*) Dicunt isti impugnatores, quod Melchiades non respondet ad illam quæstionem; quare Apostoli domos & agros non retinebant in Iudæa. Sed potest dici, quod respondet ad illam quæstionem, quare nulli fideles illo tempore domos retinebant in Iudæa: sicut postquam gentes conuersi fuerunt, multi fideles inter ipsos prædia retinebant. Vnde illa videtur fuisse intentio Melchiadis Papæ: quod quia Apostoli præuidebant, quod fideles de Iudæis conuersis, qui prædia habuerunt, vel omnes vel plures ex eis, transituri erant ad gentes, consuluerunt eis Apostoli, quod omnia prædia sua distraherent, & pro salute animarum suarum de precio debite ordinarent, & quod nulli communitati communem vitam ducentium aliqua prædia darent. Causa autem, quare consuluerunt omnibus, quod prædia sua distraherent, cum tamen forte non omnes prædia possidentes ad gentes fuerunt transituri, potuit esse illa, quia Apostoli ignorabant vel si per reuelationem Spiritus sancti sciuerunt, dicere noluerunt, qui erant transituri ad gentes, & qui non, & ideo voluerunt omnes esse paratos, & secundum illam explanationem textus Melchiadis sic debet legi. *Apostoli præuidebant futuram ecclesiam in gentibus* (hoc est, multos de ecclesia transituros ad gentes) *idcirco communem vitam ducentes in Iudæa prædia minime sunt adepti, etiam pro breuissimo tempore*, & tunc litera est plana, & sensus apertus.

Est tamen aduertendum, quod vnius rei possunt esse multæ causæ: quarum quælibet aliquando est causa sufficiens, aliquando vero nulla est causa sufficiens, & ideo quamuis fuerit vna causa, quam assignat Melchiades, quare communem vitam ducentes in Iudæa prædia minime sunt adepti: hæc tamen forte non fuit præcisa causa, quamuis forte fuerit causa sufficiens, & ideo propter aliam causam poterant etiam inter gentes esse aliqui communem vitam ducentes, qui prædia minime sunt adepti. Aliter potest dici, quod Melchiades non intendit causam assignare, quare Apostoli non retinebant prædia in Iudæa pro seipsis: sed quia non recipiebant nec retinebant prædia pro aliis, puta pro subditis suis. (*Quia non sic adepti fuerunt*, &c.) Hoc dicunt isti impugnatores

nullo

nullo modo continere veritatem : quia Melchiades absolute dicit sine omni determinatione: *minime sint adepti.* (*Cum qui sic rem adipiscitur, vt eam in continenti à se abdicare debeat, adeptus proprie non dicatur.*) Illud dicunt à veritate penitus alienum. Quia constat, quod mercator emens rem, vt eam statim vendat, adipiscitur ipsam : quia qui acquirit liberum dominium alicuius rei, proprie eam adipiscitur, maxime si obtinet liberam possessionem eius. (*Apostolis licitum fuit in Iudæa, si voluissent, retinere prædia.*) Hic dicunt isti impugnatores duos errores obuiantes perfectioni Apostolicæ contineri. Quorum primus est, quod Apostoli prædia in Iudæa habuerunt. Secundus, quod licuit eis habita prædia retinere. (*Nec voto compulsi sunt*) hic est, vt dicunt, alius error, scilicet quod votum dimittendi vel non habendi prædia minime emiserunt, sed voluntate propria, illud posset habere vnum sensum verum, scilicet quod spontanee prædia dimiserunt: sed intendit ibi ille impugnatus omnem obligationem spontaneam præcedentem excludere, & ideo dicunt isti impugnatores secundum mentem istius hic errorem includi. (*Quia se non contracturos moram*) hæc non est causa, vt dicunt isti impugnatores, sed quia proprietatem omnium temporalium prius per votum reliquerant.

Cap. VI.

AD *illud autem, quod subsequenter dicit, quod* res vsu consumptibiles in communi credentes habebant: & sic quilibet eorum habebat rerum vsu consumptibilium vsum facti, *dicimus quod si intelligat, quod erant eis communia, quo ad proprietatem seu dominium, verum dicit. Si vero intelligat, quod non fuerunt quo ad proprietatem seu dominium, sed tantum quo ad simplicem facti vsum, eum errare dicimus, & Scriptura sacra contradicit supradicta, & quod scriptura illa determinatiue supponat res vsu consumptibiles, quo ad proprietatem seu dominium credentibus fuisse communes, patet: dicit enim,* omnia istis, *sc. credentibus,* fuisse communia: *& quia qui omne dicit, nihil excludit, sequitur quod dictum illud etiam res vsu consumptibiles comprehendit. Quæro ergo, quo ad quid erant istis communia bona illa, aut dicet ille hæreticus, quod erant communia, quo ad vsum facti: aut quo ad ius vtendi seu vsum fructum seu possessionem: aut quo ad dominium seu proprietatem, hæc enim secundum decretalem illam* Exiit, *in rebus temporalibus reperiri consueuerunt: quod tamen verum est in rebus non consumptibilibus vsu, quantum autem ad simplicem vsum facti, quod res illæ, scilicet vsu cõsumptibiles, communes fuerint, dici nequaquam potest, primo quidem, quia in reb. talibus, scilicet vsu consumptibilibus, vsus facti sumendo vsum proprie, locum habere non potest. Vsus enim sumptus proprie requirit, quod cum ipso vsu substantia rei remaneat salua, vt ex prædictis patet, quod in rebus consumptibilibus nequit esse. Item, quia vsus facti sic est vtentis proprius, quod non potest dici alterius, nec communicabilis sibi, patet enim, quod actus comedendi Petri sic erat sibi proprius, quod non poterat dici aliis esse communis. Quare communio prædicta non potest intelligi, quo ad simplicem vsum facti. Rursus, quia vsus facti communitati non conuenit, cum talis vsus personam veram exigat: quam non gerit communitas, sed potius imaginariam seu repræsentatam. Ad hæc, non potest dici, quod respectu iuris vtendi seu vsusfructus dicta communio possit dici : cum in rebus talibus, scilicet vsu consumptibilibus, iura prædicta, scilicet ius vtendi seu vsusfructus, constitui nequeant, vt ex eorum diffinitionibus, quas ponit dicta constitutio,* Ad conditorem canonum, *patet. Item, nec quo ad possessionem dicta communio potest dici: quia si loquamur de possessione, quæ ius est, illa communio inter credentes secundum eum esse non potuit, cum ipse asserat Apostolos nullum ius habuisse in istis temporalibus, sed tantum simplicem vsum facti, si autem loquamur de possessione quæ facti est, illa sic est cuiuslibet possidentis propria, quod non est communis alicui, nec etiam communicabilis, sicut de vsu facti dictum est supra, quare sequitur, quod res illæ vsu consumptibiles, quæ inter ipsos erant effectæ communes, quo ad proprietatem & dominium, sint communes inter ipsos effectæ.*

In illa parte respondet ad tertium, quod in impugnatione tangitur appellantis, accepit enim appellans, quod credentes res vsu consumptibiles habebant in communi. Ad illud respondet ille impugnatus, dicens quod illa propositio potest habere duplicem intellectum, vnus intellectus est, quod credentes illi habebant res vsu consumptibiles quo ad dominium & proprietatem, & illum intellectum dicit esse verum, sed est contra appellantem. Alius intellectus potest esse ille, credentes habebant res vsu consumptibiles in communi, quo ad simplicem facti vsum, & illum intellectum dicit esse falsum, quem attribuit appellanti. Secundo ibi (*& quod scriptura illa, &c.*) probat, quod credentes habebant in communi res vsu consumptibiles, quo ad dominium & proprietatem per locum à diuisione, sic, quia constat quod primi credentes habuerunt res vsu consumptibiles in communi, ita q̃ res illæ erãt omnib. communes, aut ergo fuerunt quo ad vsum facti: aut quo ad ius vtẽdi seu vsumfructum: vel quo ad possessionem: vel quo ad dominium & proprietatem. Illam diuisionem esse sufficientem per decretalem *Exiit*, probat, quæ ponit prædicta in rebus temporalibus reperiri, sed istæ res vsu consumptibiles non fuerunt communes credentibus, quo ad simplicem vsum facti, quod tribus rationib. probare conatur. Primo sic. In rebus vsu consumptibilibus simplex vsus facti proprie sumẽdo reperiri non potest, ergo illæ res vsu consumptibiles non fuerunt communes credentibus, quantum ad simplicem vsum facti. Secundo sic: vsus facti sic est proprius vtentis, quod alteri communicari non potest, patet de actu comedendi, ergo illę res vsu consumptibiles non fuerunt communes quantum ad simplicem facti vsum. Tertio sic: vsus facti communitati conuenire non potest: quia vsus facti exigit veram personam, qualis non est communitas, ergo illæ res non fuerunt communes, quantum ad simplicem facti vsum. Secundo probat secundam partem diuisionis prædictæ, sc. quod illæ

illæ res vsu consumptibiles non fuerunt communes credentibus quantum ad ius vtendi seu vsumfructum: quia in talibus rebus prædicta iura, sc. ius vtendi & vsusfructus, nequeunt reperiri. Tertio probat tertiam partem, sc. quod illæ res vsu consumptibiles non fuerunt cõmunes quantum ad possessionem: quia si sic; aut ergo quantum ad possessionem, quæ est iuris; aut quantum ad possessionẽ, quæ est facti. Primum non potest dici secundum appellantem: quia secundum eum, vt dicit ille impugnatus, primi credentes non habuerunt in temporalibus aliquod ius, sed tantum simplicem facti vsum. Secundum etiam dari non potest: quia possessio quæ est facti non potest esse communis, sicut nec vsus facti. Relinquitur ergo, sicut dicit ille impugnatus, quod illæ res erant communes, quantum ad dominium & proprietatem.

Circa illam partem isti impugnatores sic procedunt. Primo enim explicant rationem appellantis. Secundo ostendunt, quod ratio istius impugnati, per quam probat, quod illæ res erant communes, quantum ad dominium & proprietatem, non concludit. Circa primum dicunt, quod intẽtio appellantis est dicere, quod res vsu consumptibiles fuerunt communes primis credentibus, quãtum ad potestatem releuandi suas indigentias mediate vel immediate per ipsas. Ad cuius euidentiam est sciendum, quod illarum rerum consumptibilium vsu quædam erant pecuniæ, & quædam erant aliæ res, quæ in cibo & potu consistebant. Et forte fuerunt adhuc aliquæ aliæ. Aliis rebus à pecunia licebat forte omnibus vti, sed pecunia vti fuit quibusdam licitum, & quibusdam non fuit licitum, sicut Apostolis non fuit licitum, & tamen per illas pecunias poterant Apostoli aliquomodo suas indigentias releuare inquantum alii poterant necessaria ad victum de pecuniis emere, & Apostolis assignare. Et ita licet Apostoli non reciperent pecuniam per se vel per interpositam personam: tamen quodammodo mediate per pecuniam suas indigentias subleuabant, inquantum alii emebant illa, quæ erant necessaria Apostolis ad suas indigentias subleuandas, & ita omnia illo modo erant communia omnibus quantum ad potestatem, scilicet supradictam. Et secundo erant omnia communia omnibus, quantum ad potestatem petendi suas indigentias subleuari per res illas. Tertio erant communes vel omnibus vel aliis omnibus præterquam Apostolis, quantum ad ius vendendi & repetendi si iniuste ablatæ fuissent: & quantum ad ius etiam defendẽdi in iudicio, si aliquis eas à fidelibus indebite petiuisset. Et ita accipiendo dominium & proprietatem communiter, sicut distinctum est prius, illæ res fuerunt communes vel simpliciter omnibus, vel omnibus, exceptis Apostolis, quantum ad tale dominium & proprietatem in communi. Sed non erant communes quibuscunque credentibus, quantum ad dominium ciuile & mundanum, quo possent res illas ad placitum dispensare, aut etiam libere vendere & donare, & de tali dominio & proprietate loquitur ille impugnatus, & ideo dicunt, quod hic aperte errat dogmatizando, quod res vsu consumptibiles erant communes illis credentibus, quantum ad tale dominium & proprietatem, sicut ostensum est prius. Et ex illo concludunt isti impugnatores, quod Apostoli non habuerunt dominium & proprietatem in speciali: nec etiam in communi, quantum ad speciale ipsorum collegium illarum rerum vsu consumptibilium: quia res communes nõ sunt proprie alicuius, nec aliquibus de illa communitate: sed res illæ vsu consumptibiles fuerunt communes omnibus credentibus, ergo non fuerunt propriæ alicui Apostolo, nec toti collegio Apostolorum: & tamen habuerunt vsum facti illarum rerum, ergo habuerunt vsum facti à proprietate & dominio separatum, & de hoc superius patuit, & infra patebit. Secundo ostẽdunt isti impugnatores, quod ratio, per quam ille impugnatus probare conatur, quod res illæ vsu consumptibiles fuerunt communes, quantum ad dominium & proprietatem, accipiendo dominium, sicut ille accepit, sc. pro dominio quod est potestas libere dispensandi & ordinandi de re ad illius placitum voluntatis, cuius est dominiũ, non concludit: imo etiam de nullo dominio concludit. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod ille impugnatus vtitur hic istis terminis *vsus facti, ius vtendi, vsusfructus, possessio, proprietas* eodem modo, quo vtitur ipsis Nicolaus Tertius in decretali *Exiit*. Vnde & hic ille impugnatus per dictam decretalem *Exiit*, suam diuisionem esse sufficientem probare molitur, cum dicit: *hæc enim secundum decretalem illam Exiit, in rebus temporalibus reperiri consueuerunt*, in dicta autem particula illius decretalis *Exiit ius vtendi* non accipitur communissime pro quocunque iure vtendi: sed accipitur pro iure vtendi quo valet aliquis pro vsu rei in iudicio litigare, & vsum à iudice petere si negatur. Quod enim ibidem *ius vtendi* non accipiatur communissime, patet aperte. Nam secundum ipsum Fratres in rebus, quibus vtuntur, nihil iuris habent. Alibi tamen dicit, quod Fratres in extremæ necessitatis articulo constituti possunt iure poli sustentationi naturæ prouidere. Et ita aliquod ius vtendi rebus, quibus natura sustentetur, possunt habere Fratres, non ergo Fratres Minores carent omni iure, nomine iuris communissime sumpto, oportet ergo cum Nicolaus dicit Fratres in rebus, quibus vtuntur, nihil iuris habere: & per consequens nõ habent ius vtendi, quod ius vtendi ibidem strictius accipiatur. Accipit ergo ius vtendi pro iure, quo habens ius potest in iudicio pro vsu rei litigare. Hoc etiam patet ex alio, quia secundum eundem Nicolaum in eadem decretali *Exiit*, vsus facti quo Fratres Minores rebus vtuntur, facti tantummodo nomen habens quod facti est in vtendo tantum, præbet vtentibus nihil iuris. Et postea subdit: *rebus Fratres vti licite possunt durante concedentis licentia*. Ex his verbis euidenter colligitur, quod Nicolaus Tertius inter ius & licentiam manifeste distinguit, & quod licentiam negat esse ius: & tamen communissime accipiendo ius pro omni licita potestate, licentia posset vocari ius, sed licentia talis, de qua loquitur Nicolaus Tertius, quæ nullam dat actionem, non potest vocari ius, quo potest quis pro re vel vsu rei in iudicio litigare.

Et in hoc secutus fuit Isidorum, qui, vt habetur *distinct. 1. cap. omnes*, ait: *transire per agrum alienum fas est: ius non est*, vbi dicit Glossa: *licet sit aequum iure diuino: tamen non est ius, id est non dat ciuilem actionem*. Ex his manifeste colligitur, quod nonnunquam accipitur *ius* pro iure, quo valet quis in iudicio litigare, & ita accipit Nicolaus Tertius *ius vtendi*, pro iure, quo valet quis pro vsu rei in iudicio litigare, cum ergo ille impugnatus hic alleget Nicolaum, debet eodem modo accipere ius vtendi, quomodo accipit Nicolaus Tertius. Secundo dicunt isti impugnatores, quod *vsus facti* potest dupliciter accipi, scilicet pro actu vtendi, vt pro actu comedendi, bibendi, vestiendi, &c. Aliter potest accipi pro potestate licita talem actum eliciendi.

His visis dicunt, quod ratio non concludit, imo ex ipsa sequeretur, quod Fratres Minores res multas haberent quo ad dominium & proprietatem. Nam constat, quod res multae concessae sunt Fratribus in communi, & nulli Fratri in speciali, etiam res vsu consumptibiles, & per consequens tales res etiam vsu consumptibiles sunt cōmunes Fratribus Minoribus, aut ergo communes sunt Fratrib. quantum ad vsum facti, & hoc non secundū illum, quia vsus facti est cuilibet proprius secūdum ipsum, aut quo ad ius vtendi seu vsumfructum: quod non potest dici, quia fratres talia iura habere nō possunt secundum Nicolaum III. aut quo ad possessionem, & tunc aut quo ad possessionem, quae est ius, & hoc dici non potest, quia Fratres non habent tale ius secundum Nicolaum III. aut quo ad possessionem, quae est facti, & hoc dici non potest, quia possessio facti est cuilibet propria & nulli communicabilis, relinquitur ergo quod sunt cōmunes quantum ad proprietatē & dominium, & ita clare patet, ꝙ propositio istius impugnati aequaliter probat de Fratribus Minoribus, quod habent res cōmunes non solum vsu consumptibiles, sed etiā non consumptibiles vsu, quantum ad dominium & proprietatem, sicut probat de primis credentibus, quod res non consumptibiles vsu erant eis cōmunes ad dominium & proprietatem. Quare cum hoc non sit concedendum de Fratrib. etiam secundum illum impugnatum, qui dicit solos Fratres Minores profiteri viuere sine proprio: & per consequens Fratres Minores nullas res habent communes quantum ad dominium & proprietatem, sicut habent alii Religiosi. Euidenter ergo concluditur, quod ratio praedicta de primis credentib. non cōuenit, sicut nec Fratribus Minoribus, licet secundum rei veritatem non sit omnino simile de primis credentibus & de Fratribus, sicut nec est simile de tota communitate fidelium, & de vna communitate partiali & speciali. Nam sicut non est expediens, quod tota communitas fidelium quātum ad omnem sui partem voto castitatis se astringat, & tamen est expediens, quod aliqua cōmunitas partialis fidelium voueat castitatem: ita licet sit conueniens, quod vna religio partialis abdicet à se omne ius vtendi, quo valeat pro temporalibus in iudicio litigare, tamen non est conueniens, quod tota congregatio fidelium omne tale ius à se abdicet: quia expedit, quod aliqui fideles potestatem habeant bona fidelium defendendi, illo autem tempore, quo credentes omnia sua fecerunt cōmunia, ipsi erant vel tota cōmunitas fidelium, vel fere tota: ita quod pauci vel nulli praeter ipsos erant tunc fideles, & ideo non videtur fuisse conueniens, quod à se abdicauerit omne ius in tēporalibus, quę habebant. Per hoc patet responsio ad rationem istius impugnati: quia si intelligat per vsum facti, sicut intelligit solummodo actum vtendi, sicut actum comedendi, bibendi & huiusmodi: sic est diuisio sua insufficiens, si ius vtendi accipiatur, sicut accipitur in decretali *Exiit*, quam allegat: quia sicut aliquid potest esse multis commune, quod non est commune nec quo ad ius facti, qui est actus vtendi: nec quo ad ius vtendi, quo valet quis pro vsu rei in iudicio litigare: nec quo ad vsumfructum: nec quo ad possessionem: nec quo ad dominium seu proprietatem. Hoc multis probatur exemplis. Primum est de Fratribus Minoribus, qui saepe multas res habent communes: & tamen nullo praedictorum modorum, sed sunt eis communes quantum ad licitam potestatem vtendi, quamdiu durat licentia concedentis. Secundum exemplum est de inuitatis ad mensam alicuius, quibus illa, quae apponuntur coram omnibus, simul & coram nullo determinatae, sunt eis communia, antequam incipiant actualiter vti ipsis: & tamen nullo praedictorum modorum sunt eis communia, sed sunt eis communia quo ad licitam potestatem vtendi. Diceret aliquis forte ad illud exemplum, quod illa sunt eis communia, quo ad possessionem facti, sed non excludit exemplum, quin etiam vocando talem praesentiam rerum possessionem facti possint aliqua fieri communia absque omni possessione tali: puta si aliquis diues daret aliquibus pauperibus licentiam intrandi domum suam, & vtendi omnibus, quae inuenirent in mensa apposita: illa tunc per talem licentiam effecta essent communia, quantum ad licitam potestatem vtendi ante verum actum vtendi, & absque omni iure vtendi, quo valerent vsum in iudicio vendicare, si concedens suam licentiam reuocaret: & sine omni vsufructu & sine dominio & proprietate, & sine possessione etiam tali, quae esset rerum praesentia, & ita aliquid est commune, & tamen nullo praedictorum modorum. Tertium exemplum de seruis & famulis, qui habent communem licentiam vtendi ad necessitatem aliquibus rebus domini sui, quibus nulla est certa portio assignata in illis, illa enim sunt communia, & tamen nullo praedictorum modorum, patet per membra singula discurrendo, sunt ergo communia alio modo: quia quantum ad licitam potestatem vtendi pro suis necessitatibus subleuandis, quousque dominus ordinaret. Posset enim eis per modum alium prouidere.

Multa alia exempla possent adduci, sed illa ad praesens sufficiant: quia per illa, vt dicunt isti impugnatores, patet expresse, quod diuisio sua, sicut ipse eam intelligit, est insufficiens reputanda. Cum vero allegatur Nicolaus, dicunt quod Nicolaus Tertius magis communiter accepit *vsum facti* quam ille: quia Nicolaus Tertius non solum accepit vsum facti pro actu vtendi

sicut

ſicut pro actu comedendi, bibendi & inhabitandi & huiuſmodi: ſed accepit etiam *vſum facti* pro licita poteſtate vtendi, quomodo accepit vſum beatus Clemens, prout recitatur *duodecim. quaſtion. 1. cap. dilectiſsimis*, cum dicit: *Communis enim vſus omnium, qua ſunt in hoc mundo omnibus eſſe hominibus debuit*, &c. vbi non accipitur *vſus* pro actu vtendi, nec pro vſu qui eſt vſus iuris nudus, & pro vſu fructu, ſed accipitur pro licita poteſtate vtendi, & ſic accipit *vſum facti* Nicolaus, vnde *ſimplicem vſum facti* vocat licitam poteſtatem vtendi, cui non eſt neceſſario annexum ius, quo vſum valeat in iudicio vendicare, nonnunquam tamen *vſus facti* vocat actum vtendi.

Sed forte aliquis dubitaret circa prædicta, an *licentia* debeat ius vocari? Ad hoc dici poteſt ad præſens, quod an licentia poſſit vocari ius communiſſime accepto nomine iuris, eſt inferius indagandum. Ad præſens autem ſufficit, quod non debet vocari ius, quo valeat quis rem vel vſum rei in iudicio vendicare vel defendere quo quomodo. Sed adhuc quæreret aliquis, quomodo accepit Nicolaus Tertius *ius vtendi*? Ad hoc poteſt dici, ſaluo meliori iudicio, quod licet *ius vtendi* communiter, & tamen proprie ſumptum communius ſit, quam vſusfructus & nudus vſus, tamen ſtricte ſumptum eſt idem quod nudus vſus. Et ſic Nicolaus Tertius in decretali *Exiit* videtur accipere *ius vtendi*, & ſic accepto iure vtendi, an Nicolaus Tertius, cum dicit: *cum in rebus temporalibus ſit conſiderare præcipuum proprietatem, poſſeſsionem, vſumfructum, ius vtendi & ſimplicem facti vſum, & alterius*, &c. ſufficienter enumeret omnia, quæ poſſunt in rebus temporalibus reperiri vel non, ad præſens eſt nullatenus inquirendum, præſertim cum Nicolaus Tertius enumerauit illa, quæ ad ſuum intentum ſufficiunt.

Viſo, quomodo diuiſio iſtius impugnati, vt eam intelligit, eſt inſufficiens, & ita quantum ad formam arguendi ratio ſua eſt ſoluta, tamen illa ſolutio ad primos credentes, de quibus facta eſt ratio, applicetur. Et vt videatur, quomodo erant omnia iſtis communia, eſt per membra ſingula diſcurrendum. Cum igitur primo accipitur, quod illæ res non erat communes omnibus credentibus, quantũ ad ſimplicem facti vſum. Dicunt iſti impugnatores, quod illa poteſt concedi, ſi ſimplex facti vſus excludat omne ius, quia dicunt, quod inter illos credentes erant aliqui, qui vel gerentes vicem totius communitatis, vel alicuius congregationis partialis, poterant res illas, ſi ablatæ fuiſſent ab infidelibus, in iudicio vendicare, & ita vel tota communitas, vel aliqua pars communitatis ius habebat in rebus communibus, quo valebant in iudicio litigare. Communitas tamen ſpecialis Apoſtolorum nullo modo tale ius habebat, & ita Apoſtoli vtendo aliquibus rebus communibus habebant actum vtendi ſeparatum ab omni dominio ſpeciali & communi proprio collegio Apoſtolorum. Sic igitur accepto *ſimplici vſu facti*, non ſolum pro actu vtendi, ſed etiam pro licita poteſtate vtendi ſeparata ab omni iure, quo quis valeat in iudicio litigare, concedi poteſt quod res illæ non erant communes omnibus, quantum ad ſimplicem vſu facti, nec appellans vnquam dixit, quod erant communes omnibus, quantum ad ſimplicem vſum facti, ſic accepto ſimplici vſu facti. Si autem *ſimplex vſus facti* accipitur pro licita poteſtate vtendi, cui non neceſſario eſt annexum ius, quo quis valeat litigare in iudicio: ſic fuerunt omnia communia quantum ad ſimplicem facti vſum, hoc tamen propter Apoſtolos intelligendum eſt ſane, quibus non erat licitum vti pecunia; ſed tantum licitum erat eis vti illis, quæ de pecunia emebantur, & licet hoc ſit verum ſecundum impugnatores, tamen rationes ſuæ, vt dicunt, non concludunt. Vnde dicunt, quod prima ratio ſua accepit errorem apertum, cum dicitur, quod in rebus vſu conſumptibilibus vſus facti ſumendo *vſum* proprie, locum habere non poteſt, hoc enim vt dicunt, erroneum eſſet cenſendum.

Ad cuius euidentiam dicunt eſſe ſciendum, quod aliquod nomen vel vocabulum habet ſæpe plures ſignificationes, quarum quælibet eſt propria. Vnde dicunt, quod ſemper in primo modo æquiuocationis quælibet ſignificatio eſt propria, licet in ſecundo modo, ſi vna ſibi principalis & communior ſit propria, & ſecundaria aut minus communis ſit impropria. Nunc autem ita eſt, quod hoc nomen *vſus* habet plures ſignificationes: quia aliquando accipitur pro actu vtendi, aliquando pro quodam iure determinato, quo quis determinato modo vellet vti rebus alienis. Prima autem ſignificatio huius nominis *vſus* eſt principalior & communior: tum quia prius inuenta, tum quia in pluribus ſcientiis & modo loquendi vulgari ſæpius vſitata. Nam hoc nomine *vſus* in prima ſignificatione vtuntur omnes ſcientiæ, quæ vtuntur hoc nomine *vſus*. Sic enim Theologia, Philoſophia moralis, medicina, & legales ſcientiæ vtuntur hoc nomine vſus. Et modus etiam loquendi vulgaris in eadem ſignificatione vtitur hoc nomine *vſus*, ſed alia ſignificatione eius non vtuntur nec Theologia, nec moralis Philoſophia, nec medicina, nec vulgaris modus loquendi, ſed ſolummodo legales ſcientiæ & ſcripturæ, quæ modum loquendi ſcientiarum legalium imitantur, vtuntur hoc nomine *vſus* in ſecunda ſignificatione, hoc auctoritatibus innumeris manifeſte poſſet probari: ſed pro prolixitate vitanda minime adducuntur.

Prima ergo ſignificatio *vſus*, ſecundum quod accipitur pro actu vtendi, eſt principalis & communior ſignificatio huius nominis *vſus*, nec eſt à ſignificatione alia deriuata vel accepta, ergo illa eſt propria ſignificatio eius, licet etiam forte alia ſit propria. Cum igitur actus comedendi, bibendi & huiuſmodi in Theologia, Philoſophia morali, medicina, vulgari modo loquendi & in ſcientiis legalibus vocentur *actus vtendi & vſus*, ſicut per innumeras auctoritates poſſet oſtendi, conſtat quod actus comedendi & bibendi & huiuſmodi eſt proprie vſus. Ex quo patenter infertur, quod *vſus facti*, qui proprie vocatur actus vtendi, proprie in rebus vſu conſumptibilibus reperitur, & quamuis vſus

facti proprie reperiatur in rebus vsu consumptibilibus, tamen vsus iuris non reperitur proprie in omnibus rebus vsu consumptibilibus. Vnde ille terminus *vsus iuris* habet duas significationes, vnam propriam: & secundum illam concedendum est, quod vsus iuris reperitur in rebus non consumptibilibus vsu. Aliam habet significationem impropriam: & secundum illam conceditur, quod vsus iuris reperitur in quibusdam rebus vsu consumptibilibus, nullo tamen modo debet negari vsum facti in rebus vsu consumptibilibus reperiri proprie sumpto vsu. Sed forte dicet aliquis, quod tales distinctiones multiplicitatum vocabulorum, & declarationes vocabulorum, ad scientias spectant sermocinales, non ad scientias reales, nec ad scripturas de rebus: & ita cum tractatur de rebus, sicut in proposito tractatur de rebus & non de sermonibus, talia minime sunt adducenda. Ad hoc isti impugnatores respondent dicentes, quod in omnibus scripturis & argumentationibus impugnantibus veritatem defectus, qui admittuntur in ipsis debet veritatis amator patentius explicare, ne in errorem simplices inducantur, iste autem impugnatus, vt dicunt isti impugnatores, per multiplicitates terminorum & nominum & abusiuos & extraneos modos loquendi, prophanas vocum nouitates & modorum loquendi communium reprobationem molitur errores inducere, prosternere veritatem, Scripturas sacras ad falsum trahere intellectum, doctrinam sanctorum subuertere, determinationem ecclesiæ reprobare, decretales summorum Pontificum annullare, hæreticare catholicos innocentes, & religiones confundere, ac fidem destruere orthodoxam, ideo dicunt, quod huiusmodi multiplicitates & modos loquendi oportet euidentius explanare: quia ipsis declaratis expressius omni intelligenti patebit, quod doctrina istius impugnati ab omni veritate est vacua, plena erroribus, nullam habens apparentiam, vel colorem; imo existimant, quod si illa, quæ ad sermocinales spectant scientias, didicisset & intellexisset: etsi non veritatis amore, tamen ex timore verecundiæ scripturas suas nullatenus publicasset, quantæ autem vtilitatis pro intelligendis scripturis, imo quantæ necessitatis sint sermocinales scientiæ, sancti canonicæ scripturæ tractatores euidenter exponunt.

Augustinus enim in libro secundo *de ordine rerum* asseruit manifeste, quod ad quæstiones difficiles Theologiæ tractandas nullus debet sine scientia disputandi accedere. Anselmus etiam docet, vnumquemque Theologiam volentem addiscere prius in rudimentis grammaticæ & logicæ fundari debere, & Hieronymus, vt recitatur *distinction. trigesim. tert. capitulo, si quis*, ait: *Si quis grammaticam artem nouerit, vel dialecticam recte loquendi rationem habeat, & inter vera & falsa diiudicet, non improbamus.* Quia ergo ille impugnatus, vt dicunt isti impugnatores, propter ignorantiam multiplicitatis vocum & modorum per diuersa sophismatum diuerticula in multas incidit falsitates, ad suas clarius manifestandas multiplicitates vocum & fallacias, per quas sua peccant sophismata, patenter oportet detegere: quia aliter sua sophismata insoluta manebunt.

Prima itaque ratio sua falsum assumit, cum dicit, quod in rebus vsu consumptibilibus *vsus facti* proprie sumendo, locum habere non potest, quia *vsus facti*, sicut dictum est, proprie significat actum comedendi, bibendi, & huiusmodi. Cum vero probat, quod vsus proprie sumptus requirit, quod cũ ipso remaneat rei substantia salua: illa si habet veritatem, debet intelligi de vsu iuris, non de vsu facti. Et ita per eam probatur, quod vsus iuris in omnibus rebus vsu consumptibilibus proprie locum habere non potest, sed ex hoc non sequitur, quod vsus facti in ipsis proprie habere locum nõ potest: & ita prima ratio errorem accipit apertum, vt dicunt isti impugnatores, hoc tamen non obstante, illam debet concedere, quod illæ res erant communes omnibus quantum ad vsum facti, & hoc accipiendo vsum facti, quantum ad licitam potestatem vtendi ipsis rebus communibus, vel aliquib. emptis de aliis rebus communibus, quod dicunt propter Apostolos, quibus non licebat vti pecunia, quæ tamen debet inter res illas vsu consumptibiles computari.

Secunda etiam ratio non concludit, quia procedit de vsu facti, qui est actus vtendi, & non de potestate vtendi modo prædicto.

Tertia ratio, vt dicunt isti impugnatores, assumit quædam erronea, quæ sunt ita ridiculosa, vt nequaquam improbatione, sed derisu indigeant. Primum est, quod vsus facti communitati non cõuenit, illud, quod dicunt isti impugnatores, esse erroneum, quia scripturæ diuinæ repugnat. Populus enim est quædam cõmunitas, & tamen populo conuenit vsus facti. Ait enim Apostolus 1. Cor. 4. *Sedit populus manducare & bibere*, & illud habetur *Exod. 31.* In aliis etiam locis scripturæ patenter vsus facti populo, plebi turbæ & ita communitatibus multis tribuitur. Secundum erroneum in ratione prædicta contentum, vt dicunt, est, quod communitas gerit personam imaginariam seu repræsentatam, hoc enim videtur contrarium veritati, etiam repræsentata nequeunt agere realiter, sed ecclesia est quædam communitas, quæ multos potest actus reales exercere, habet enim ecclesia iurisdictionem magnam, per quam potest iudicare inter litigantes, res ecclesiæ defensare, & multa alia facere, quæ nequeunt personæ imaginariæ repræsentatæ conuenire. Hoc per multas auctoritates scripturæ diuinæ, & per sacros canones multipliciter posset ostendi, sicut dicunt isti impugnatores, quod est tam derisorium, quod non oportet rationibus vel auctoritatibus improbare, hoc etiam, vt dicunt, dicta istius impugnati repugnat.

Nam in constitutione sua (*quia quorundam*) asserit manifeste, quod Ordo Minorum non est persona imaginaria & repræsentata; & eadẽ ratione, alia cõmunitas non est persona imaginaria & repræsentata. Ad rationẽ igitur dicũt isti impugnatores: cõitati põt vsus facti cõuenire: quia põt mãducare & bibere & vestiri, & cũ dicitur, talis vsus vnam & verã personam exigit. Dicunt, quod interdum vsus

facti, sicut vnus actus comedendi & bibendi, requirit vnicam personam, licet aliquis sit alius actus, qui non requirit vnicam personam, sed plures personas, sicut de tractu nauis, qui non vnicam personam, sed multas personas veras requirit, & ita omnis actus requirit veram personam: & hoc vel vnam vel plures. Cum vero dicit, quod communitas non gerit veram personam, dicunt, quod communitas non est vna vera persona, sed est plures veræ personæ. Vnde populus est multi homines cōgregati in vnum, sicut communitas fidelium est multi fideles profitentes. Et ideo cum dicit, quod communitas gerit personam imaginariam seu repræsentatam, dicunt, quod illud est ridiculosum: quia communitas non est aliquid fantasticum nec imaginarium, sed veræ personæ: sicut grex porcorum non est aliquid fantasticum: nec ciuitas est aliquid fantasticum aut fictum, sed est veræ res plures, non vnica.

Deinde isti impugnatores respondent ad illud membrum, quod res vsu consumptibiles non fuerunt communes credentibus, quantum ad ius vtendi seu vsumfructum: dicentes, quod accipiendo *ius vtendi* stricte, sicut in decretali *Exiit*, illæ res non fuerunt communes credentibus, neque quo ad ius vtendi, neque quo ad vsumfructum: quia illæ res non fuerunt alicuius alterius, quam illorum credentium, & ideo non habebant in eis tale ius vtendi, id est nudum vsum iuris, neque vsumfructum. Accipiendo tamen *ius vtendi* communius, sic fuerunt illæ res communes vel omnibus credentibus, vel aliquibus quo ad ius vtendi.

Et quia dicitur, fuerunt cōmunes omnibus credentibus, vel aliquibus quo ad ius vtendi sumptum communiter propter Apostolos: inde intentio istorum quantum ad Apostolos est hic aliqualiter declaranda. Dicunt igitur isti impugnatores, quod nec est intētio appellantis, nec ipsorum in suis traditionibus indagare, an Apostoli habuerunt in temporalibus aliquod ius vtendi, imo etiā aliquale dominium & proprietatem cōmunem collegio suo speciali & toti residuo communitatis fideliū, vel illorum qui bona cōmunia ecclesi. pensanda receperunt: sed intētio eorum est, ꝙ Apostoli in rebus temporalib. non habuerūt dominium, vel proprietatem, nec aliquod ius vtendi, etiam cōmuniter accepto iure vtendi pro iure, quod actionē dat ciuilem, proprium collegio Apostolorum, quēadmodum nolunt discutere, an Fratres Minores nunc habeant ius vel dominium communiter accepto dominio in rebus communibus totius ecclesiæ, in quibus, sicut ostensum est, prius vel tota cōmunitas omnium fidelium, vel cōmunitas aliquorum fidelium, non omnium habet aliquale dominium: sed intendunt asserere, ꝙ nec totus ordo Fratrum Minorum: nec aliqua pars Ordinis habet aliquod dominium vel ius, quo possit quis in iudicio litigare, quod sit proprium toti Ordini vel alicui parti eius, & propter hoc sæpe vtuntur tali modo loquendi: tota communitas credentium, vel aliqua pars habuit ius aliquod in reb. communibus, quia si Apostoli habuerunt ius cōmune collegio suo & aliis, etiam debet dici, quod tota cōmunitas habebat ius in huiusmodi rebus. Si aūt Apostoli non habebant ius cōmune sibi & aliis, cum certum sit quod non habuerunt proprium, nec aliquib. Apostolis, nec alicui Apostolo, neq; toti collegio Apostolorum: tunc debet dici, ꝙ altera pars cōmunitatis omniū fideliū, qui tunc erāt; aliquod ius habuit in huiusmodi rebus. Apostoli aūt secundū illū modū habebāt tm̄modo licitā potestatē vtendi reb. emptis de pecunia q̄ erat cōmunis, & etiā habebāt licitā potestatem vtendi rebus aliis post distributionem factam per illos ad quos distribuere pertinebat.

Et ad illud, quod de possessione, dicunt quod illæ res communes fuerunt vel omnibus credentibus vel aliquibus quantum ad *possessionem*, quæ est ius possidendi seu detinendi, nec hoc negat appellans, licet dicat Apostolos nullum ius proprium Apostolis vel eorum collegio in illis temporalibus habuisse, sed tantum simplicem facti vsum, per exclusionem omnis iuris proprii collegio Apostolorum & cuilibet Apostolo.

Ad conclusionem autem, quam vltimo infert, quod illæ res erant effectæ communes quo ad dominium & proprietatem. Dicunt quod erant communes vel toti communitati, vel alicui parti communitatis, quo ad aliquale dominium seu proprietatem: sed non ad tale dominium, quale iste impugnatus ipsos asserit habuisse.

Circa literam aliqua sunt notanda. *(Si vero intelligat quod non erant eis communia quo ad proprietatē seu dominium)* hic recitat verba appellantis, quod licet intelligat, quod non erant eis cōmunia quo ad proprietatem seu dominium illo modo, quo accepit ille impugnatus proprietatem seu dominium, puta accipiendo dominium pro dominio quod nonnulli vocant *dominium liberum*, quomodo res ecclesiæ non sunt communes, quo ad proprietatem seu dominium. Diceret tamen appellans, quod erant communes omnibus vel aliquibus quo ad dominium, alio modo accipiendo dominium, sicut tactum est prius *(sed tantum quo ad simplicem facti vsum.)* Hic falsum imponit appellanti, vt dicunt, quia sicut patet in tota illa impugnatione, de simplici facti vsu, præcipue cum dictione exclusiua, nullam facit penitus mentionem *(Aut quo ad ius vtendi seu vsumfructum.)* Hic innuit quod pro eodem accipiatur *ius vtendi* & *vsusfructus*, quod non est verum. Cætera patent per ea, quæ dicta sunt superius.

CAP. VII.

QVantum autem ad illud, quod postea hæreticus dicit, videlicet: *Et sic quilibet eorum habebat vsum rerum vsu consumptibilium absque dominio & proprietate, siue à proprietate & dominio separatum:* dicimus, quod illud infert ex falsa suppositione, quam fecerat prius. *Dixerat enim quod res vsu consumptibiles inter credentes erant communes tantum, quo ad simplicem vsum facti. Et ex hoc concludit, quod quilibet eorū*

absque dominio & proprietate habeat rerum vsu consumptibilium vsum facti, vnde cum primum sit falsum, scilicet quod res vsu consumptibiles essent communes inter credentes tantum quo ad simplicem vsum facti: imo erant communes quo ad dominium seu proprietatem, vt superius est probatum, patet illud, quod ex eo concluditur, esse falsum, sc. quod quilibet haberet in rebus talibus simplicem vsum facti. Praeterea patet alia ratione esse falsum: quia vsus facti haberi nequit ab aliquo, vt superius est ostensum.

In ista parte respondet impugnatus ad quartum, quod appellans tangit in impugnatione superius recitata. Inferebat enim appellans, quod quilibet eorum (scilicet credentium) habebat vsum rerum vsu consumptibilium absque proprietate & dominio, siue à proprietate seu dominio separatum. Ad quod ille impugnatus respondet, dicens quod illud infert appellans ex falsa suppositione, sc. quod res erant communes inter credentes, tantum quo ad simplicem facti vsum, quod (vt dicit) patet esse falsum ex praecedentibus: quia ostensum est, quod illae res erant communes, quo ad dominium seu proprietatē. Secūdo dicit conclusionē illatā esse falsam: quia vsus facti nequit haberi.

Sed isti impugnatores illa, quae hic dicuntur, impugnant dupliciter. Primo quia appellanti falsum imponit, cum asserit ipsum dixisse res vsu consumptibiles fuisse communes credentibus, tātum quo ad simplicem facti vsum: quia, sicut patet intuēti, de simplici facti vsu in tota illa impugnatione appellantis nulla fit mentio, & ideo appellans non inferebat, quod quilibet eorum habebat tantum simplicem facti vsum rerum vsu consumptibilium à dominio separatum, sed inferebat, quod quilibet habebat vsum rerum vsu consumptibilium à proprietate seu dominio separatum. Intendens loqui de dominio speciali, & de dominio communi ciuili & mundano: quod *dominium liberum* appellatur. Secundo impugnant isti praedicta quo ad hoc, quod dicit, quod vsus facti haberi nequit ab aliquo. Hoc enim multis modis conantur ostendere erroneum, sicut postea apparebit.

Nunc ad literam accedatur, *(Habebit vsum)* dicit appellans *vsum:* & non dicit tamen *simplicē vsum facti, (absq; dominio)* sc. speciali, & absq; dominio communi ciuili & mundano, quo potest dominus res suas prout voluerit ordinare *(dixerat enim superius,* &c.) Patet clare, quod nunquam hoc dixerat *(ex hoc concludit,* &c.) Falsum est secundum istos, quia nec concludit illud, quod ille impugnatus dicit, nec illud ex quo dicit eum concludere, & ita in toto isto processu vsque ibi: *Praeterea,* appellanti falsum imponit *(vsus facti haberi nequit)* de hoc inferius differetur.

Cap. VIII.

Ad illud vero, quod dicit ille haereticus, quod dicta doctrina, sc. quod in rebus vsu consumptibilibus vsus iuris vel facti à proprietate seu dominio separatus non potest constitui nec haberi, omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis rerum temporalium destruit & confundit: quia secundum hac quilibet religiosus, quando vteretur rebus vsu consumptibilibus proprietarius censeretur, dicimus, quod mentitur aperte. Omnes enim religiones, praeterquam beati Francisci, quorum professores ad viuendum sine proprio astringuntur, confitentur se habere posse secundum suas Regulas, & habere etiam tam res vsu consumptibiles, quam non vsu consumptibiles, quo ad proprietatem & dominium in communi, licet aliqui per statuta superaddita Regulis, quantum ad aliqua immobilia suas Regulas duxerint restringendas, quare professores dicti non possunt vti rebus, si vsus propriè sumatur, vt superius est probatum: possent tamen res huiusmodi consumere, vtpote panem comedendo & vinum bibendo & sic de aliis, sed per actum consumendi talia non sunt censendi proprietarii, cum ipsa non vt propria consumere, sed vt communia sunt censenda. Actusque consumēdi res huiusmodi nequaquam ab ipso communi dominio separatur, sicut si duo habentes panem communem, illum indiuisim comederent, neuter propter hoc panis, quem comederent, proprietarius fieret, nec diceretur comedisse panem proprium, sed communem.

In ista parte ille impugnatus respondet ad quintum, quod in impugnatione tangitur appellantis, quod videlicet doctrina istius impugnati omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis omnium temporalium destruit & cōfundit, & diuiditur in duas partes, quia primo ad hoc directe respondet. Secundo suam intentionem circa praecedentia magis expresse declarat in parte immediate sequenti: *Videtur etiam quod probabiliter.* Respondet ergo ad quintum superius tactum, dicens quod doctrina sua non confundit omnem religionem, quia omnes religiones, praeterquam B. Francisci, fatentur se habere res vsu consumptibiles, & non consumptibiles, quo ad dominium seu proprietatem in communi, & ideo non sunt censendi proprietarii: quia actus eorum circa res huiusmodi vsu consumptibiles à communi dominio separantur.

Sed isti impugnatores circa illam partem sic procedunt. Primo n. ostendunt, quod omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis omnium temporaliū ille impugnatus destruit & confundit. Secundo ostendunt quod specialiter destruit & confundit religionem B. Francisci. Tertio ostendunt, quod vsus facti respectu rerum vsu consumptibilium potest à dominio speciali & communi separari. Quarto ex dicendis intentionem appellantis in hac parte declarant.

Primo ergo ostendunt, quod ille impugnatus omnem talem religionem destruit & confundit: quia ex doctrina sua sequitur euidenter, vt dicunt, quod omnis religiosus habet vel licite habere potest dominium rerum vsu consumptibilium in speciali, quod probant sic, si vsus facti huiusmodi rerum vsu consumptibilium non potest à dominio seu à proprietate tam communi, quam speciali separari, ergo qui habet vsum facti huiusmodi rerum, & non habet earundem rerum dominium cōmune, habet earundem rerum dominium speciale, sed quilibet talis religiosus, sicut quilibet monachus & Frater Praedicatorū, ac quilibet alius pōt habere vsū facti hmōi rei ū absq; dominio cōmuni, sicut si aliquis dat vni soli praedicatori, vel vni soli monacho licentiā vtendi aliqua veste vel alia re vsu consum-

consumptibili, ipse licite potest vti re tali vsu consumptibili, sed non habet in re illa dominium commune sibi & aliis Fratribus suis: quia intentio concedentis fuit concedere licentiam vtendi vni soli, & per consequens non habet in re illa dominium commune, & tamē habet vsum facti, & per illum impugnatum vsus facti non potest ab omni dominio separari, ergo tunc habet dominium speciale. Ex quo sequitur manifeste, ꝙ quilibet religiosus vtendo rebus vsu consumptibilibus potest licite fieri ꝓprietarius in speciali: quod est omnem religionem confundere & destruere. Sed forte diceret aliqͣs, ꝙ talis acquirit dominium commune, nō speciale, quia monachus quicquid acquirit monasterio acquirit, & eadem ratione qcquid Frater prædicator vel alius religiosus acquirit, Ordini suo acquirit. Sed, vt dicunt isti impugnatores, hoc non concludit, quia, cum dicitur: *quicquid monachus acquirit, monasterio acquirit*, non debet vniuersaliter intelligi de omni re, quæ acquiritur alicui monacho quo ad licitam potestatem vtendi. Si enim aliquis accommodat vni monacho equum suum ad equitandū, non propter hoc aliquis alius de monasterio habet potestatem equitandi equum. Similiter si aliquis inuitat monachum ad comedendum, non propter hoc intelligitur alios monachos inuitare. Illud ergo, *quicquid monachus acquirit monasterio acquirit*, debet intelligi de illis, quæ monachus acquirit quo ad dominium, quale est possibile monacho conuenire, quando scilicet ille, à quo acquirit rem, dominium eiusdem rei à se intendit transferre. De illis autem, quæ monachus acquirit quo ad licitam potestatem vtendi tantummodo, non habet vniuersaliter veritatem. Et causa differentiæ est: quia monachus non potest habere cuiuscunque rei dominium speciale qualecunque: sed potest habere licitam potestatem vtendi aliqua re vsu consumptibili & non consumptibili specialem. Secundo ostendunt, quod ille impugnatus specialiter destruit & confundit religionem beati Francisci: quia secundum ipsum hæc religio beati Francisci caret omni dominio seu proprietate speciali & communi, sed vsus facti secundum eundem in rebus vsu consumptibilibus non potest ab omni dominio speciali & communi separari, ergo religio beati Francisci debet omni vsu facti in rebus vsu consumptibilibus carere, sed talis religio, quæ aliquem obligaret ad carendum omni vsu facti in huiusmodi rebus, est illicita: qͣ inobseruabilis, ergo religio beati Francisci est illicita reputanda, & ita religionem illam destruit & confundit. Tertio ostendunt, ꝙ vsus facti in huiusmodi rebus vsu cōsumptibilibus potest ab omni speciali dominio & etiam communi separari, & hoc quidem ex dictis istius impugnati infertur aperte. Nam secundum eum Fratres Minores non habent dominiū rerum quarumcunq; nec in speciali nec in communi: & tamen habent vsum huiusmodi rerum, igitur &c. Quarto isti impugnatores ex prædictis intentionem appellantis in hac parte declarant dicentes: ꝙ appellans intentionē istius impugnati ex diuersis dictis & rationibus eiusdem concepit. Ex rationibus autē eius sequitur euidenter, ꝙ vsus facti in rebus vsu consumptibilibus non pōt à proprietate seu dominio spāli aliqualiter separari, & vt hoc pateat, est vna ratio ipsius breuiter pertractanda. Ille enim impugnatus ideo ponit vsum facti non posse à ꝓprietate seu dominio in rebus vsu consumptibilibus separari: quia ꝑ vsum facti substantia rei consumptibilis vsu consumitur, & ꝑ consequens vsus facti nō potest in hmōi rebus à ꝓprietate seu dominio separari, sed ex illa ratione sequitur, ꝙ vsus facti in huiusmodi rebus non pōt à proprietate seu dominio speciali separari, quia si ideo nō potest in hmōi rebus vsus facti à proprietate seu dominio separari, qͣ per talem vsum facti substantia rerum non consumitur, & dominium principalissime consumitur per vsum facti, quia dominium cōe non ita directe consumitur per vsum facti alicuius, sicut dominiū spāle, ergo per illam rationem vsus facti in huiusmodi rebus non potest separari à dominio spāli. Appellans ergo volens illū impugnare ad mentē magis q̄ ad verba ꝓbauit, quod vsus facti pōt in huiusmodi rebus separari à dominio speciali, & quod qui ponit (sicut ille) ꝙ vsus facti non potest in hmōi rebus à speciali dominio separari, omnē religionem habentem votū abdicationis ꝓprietatis omnium temporaliū destruit & cōfundit, qͣ si vsus facti non pōt in hmōi rebus separari à dominio speciali, oēs religiosi comedendo, bibendo, sunt proprietarii reputandi. Sed forte dicet aliqͣs, quod ille impugnatus concedit, ꝙ vsus facti in hmōi rebus pōt à dominio speciali separari. Dicit enim ꝙ aliquis pōt comedere panem, non vt proprium, sed vt cōem. Ad hoc dicunt isti impugnatores, ꝙ in hoc sibiipsi contradicit, quia ex aliis dictis eius seqtur, ꝙ vsus facti in huiusmodi rebus non pōt separari à dominio spāli. Vnde & propter hoc, sicut patebit inferius, dicit ꝙ votum viuendi sine ꝓprio ad res huiusmodi minime se extēdit. Ex quo patet, quod religiosi secundū ipsum habent dominiū speciale in huiusmodi rebus, quod non ꝓpter aliud ponere potest, nisi quia secundū ipsum vsus facti nō potest in hmōi rebus separari à dominio speciali. Ad hoc aliter isti impugnatores declarant intentionem appellantis, dicentes quod ille impugnatus, cū loquitur de dominio, quod habebant primi credentes in rebus vsu consumptibilibus, & à quo dicit vsum facti in rebus huiusmodi separari non posse, est dominiū liberum ciuile & mundanū, tale autem dominium est quodammodo dominium speciale, & ita ille impugnatus habet dicere, quod vsus facti in huiusmodi rebus non potest separari à dominio speciali, & ex hoc sequitur manifeste, quod opinio eius omnem religionem habentem votum abdicationis proprietatis destruit & confundit.

Post hæc est ad literam accedendum, (*præterquam beati Francisci.*) Hic aperte concedit, quod religio beati Francisci caret omni proprietate & dominio communi & spāli, & ita vel illa religio est inobseruabilis & illicita: vel vsus facti potest ab omni dominio speciali & cōi in rebus vsu consumptibilibus separari, (*quo ad proprietatem & dominium in communi*) hoc de dominio libero, quæ est potestas de rebus libere ordinandi, non habet veritatem de alio dominio, de quo dictum est prius, potest concedi, dici tamen possunt vti rebus consumptibilibus vsu, si *vsus* proprie sumatur, hoc dicunt isti

isti impugnatores omni veritate carere: quia sicut propria locutio est, cum dicimus, aliquos vti huiusmodi rebus consumptibilibus vsu, talis enim modus loquendi vsitatus fuit in Theologia, & in aliis scientiis, ac etiam in vulgari locutione, antequam scientiæ legales essent inuentæ. Et ita propter modum loquendi scientiarum legalium posteriorem non debet prior modus loquendi improprius reputari. Vnde *vti* proprie sumptum est commune ad actum consumendi & ad multos alios actus, qui non sunt actus consumendi. Potest tamen dici, quod *vsus iuris*, quæ est vna significatio specialis huius nominis *vsus*, non potest proprie in rebus, quæ actu vnico consumuntur, aliqualiter reperiri, sed de tali vsu non intendit appellans, vnde quantum ad intentionem appellantis ita sufficit sibi, quod actus consumendi res consumptibiles vsu potest ab omni proprietate & dominio speciali & communi separari, sicut vsus facti potest taliter separari, & ita dicunt isti impugnatores, quod ille impugnatus mentem appellantis non tangit in aliquo, sed verba eius per quasdam nouas impositiones vocum calumniari molitur, (*cum ipsa non vt propria consumere, sed vt communia sunt censenda*) hoc secundum illum non habet veritatem de Fratribus Minoribus, ergo Fratres Minores consumunt res, neq; vt proprias neq; vt communes, ergo actus consumendi huiusmodi res potest ab omni dominio speciali & communi separari: quæ est principalis conclusio appellantis in hac parte. (*Actusque consumendi res nequaquam à communi dominio separatur.*) Illud potest habere verum sensum de aliis religiosis à Fratribus Minoribus, sicut ex prædictis apparet: & tamen si intelligeretur de omnibus religiosis, esset omnino falsum.

Cap. IX.

Videtur etiam quod probabiliter possit dici, quod post distributionem bonorum vsu consumptibilium, quæ fiebat inter Apostolos & credentes alios, vt dicitur Act. 2. & 4. *quilibet portionis sibi assignatæ proprietarius & dominus posset dici. Et hoc scriptura prædicta Act. 4. videtur expresse supponere, cum dicit*: nec etiam quisquam erat egens inter ipsos, *& quare hoc, reddit rationem subiungens*: Quotquot enim possessores agrorum & domorum erant vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebantur & ponebant ante pedes Apostolorum, Diuidebant autem singulis prout cuiq; opus erat. *Cum ergo dicat, quod nullus egens erat, pro eo quod vnicuiq; diuidebatur prout opus erat, supponit aperte, quod illud quod vnicuiq; dabatur diuisim, cuilibet erat proprium.* Diuidere *enim est diuisim aliquibus diuersas partes rei alicuius dare. Cum igitur daretur ab istis, qui dare poterant scilicet Apostolis: & illis qui recipere poterant ea quæ ad vita humana sustentationem pertinebant: videtur, quod Dominus quilibet fuerit eius portionis, quæ sibi fuerat assignata. Alias non videretur verum, quod dicitur, quod egentes non essent, nisi plus post diuisionem haberent in assignata sibi portione, quam ante. Prima constat, quod vestimenta quotidiana inter res vsu consumptibiles computantur, post communionem autē prædictam, de qua fit mentio in præallegato ca. Actor. 4. in Actibus legitur quod Angelus Petro dixit ei*: præcingere & calcia te caligas tuas. *Item dixit ei*: circunda tibi vestimentum tuum *&c. vbi clare supponit Angelus, quod caligæ & vestimentum assignata Petro, proprie quo ad dominium erant Petri, quare videtur quod pecunia, panis, vinū & res aliæ vsu consumptibiles sibi diuisim pro vita sustentatione assignatæ, similiter eius essent. Nec votum viuendi sine ꝓprio videtur, quod se extendat ad talia, quibus necessario eget vita humana. Præterea ex illo capitulo Act. 4. probari non potest, quin credentes de bonis istis communibus ex diuisione Apostolorum licite recipere potuerint, & vt proprium obtinere. Scriptura enim prædicta quantū ad hoc nihil aliud adducit, nisi ꝙ sequitur*: Multitudinis credentium erat cor vnū & anima vna, nec quisquā eorum quæ possidebat, aliquod suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. *Per verba autem illa videntur isti omniū, quæ possidebant, à se dominium abdicasse, & illud transtulisse in communitatem. Non autem videntur se astrinxisse, quin si detur eis de bonis illis communibus, quo ad sustentationem vitæ suæ possint licite recipere, & vt propria retinere: imo hoc scriptura prædicta sacra supponit aperte, cum dicit*: diuidebantur autem cuique prout opus erat. Diuidere *autem est, sicut prædictum est, alterius rei diuisas partes aliquibus dare.*

In parte ista intentionē suam circa præcedentia specialiter quantū ad diuisionem bonorum, q̄ erat facta inter Apostolos & alios credentes, expressius manifestat, dicens primo, ꝙ q̄libet Apostolorū & aliorum credentiū post distributionem illam, de qua fit mentio Actor. 2. & 4. dominus fuit & ꝓprietarius portionis sibi assignatæ. Secundo ibi (*& hoc scriptura*) probat pluribus rationibus, ꝙ quilibet eorum erat proprietarius portionis sibi assignatæ. Ratio autem prima potest sic formari. Ille qui non est egens, ꝓ eo quod sibi datur illud ꝙ sibi opus est, est proprietarius & dominus illius ꝙ sibi datur, sed inter Apostolos & credentes alios nullus erat egens ꝓ eo quod vnicuiq; dabatur prout opus erat, sicut Act. 4. habetur, ergo vnusquisq; eorum fuit ꝓprietarius & dominus portionis sibi assignatæ. Secunda ratio potest sic formari, quando aliquid inter aliquos diuiditur, vnusquisq; est ꝓprietarius & Dominus portionis sibi assignatæ: quia *diuidere* est diuisim aliquas partes diuersas diuersis dare. Illud aūt quod alicui datur, fit ei ꝓprium, sed illa cōia diuidebantur inter Apostolos & alios credentes, igitur quilibet eorum post diuisionē fuit proprietarius & dominus portionis sibi assignatæ. Tertia ratio potest similiter formari. Illud ꝙ datur ab illo qui potest dare, & datur illi qui potest recipere fit ꝓprium illius cui datur, sed necessaria ad vitæ sustentationē dabantur ab istis qui poterant dare sc. ab Apostolis, & dabantur illis q̄ poterant recipere, ergo quilibet eorū fuerat proprietarius & dominus portionis sibi assignatæ. Quarta ratio potest sic formari. Ille qui ante diuisionem habet rem aliq̄ in communi, & qui post diuisionem illius rei habet in portione sibi assignata plusq̄ habebat ante diuisionem, habet in portione sibi assignata ꝓprietatem & dominium in speciali: sed credentes post diuisionem communiū habebant plus in portionibus suis quā ante: quia aliter non fuisset verum, ꝙ non

non erant egentes, ergo quilibet eorum fuit proprietarius & Dominus portionis sibi assignatæ. Tertio principaliter ibi (*Præterea constat*) probat specialiter de beato Petro, & eadem ratione de aliis Apostolis, quod erat proprietarius & dominus portionis sibi assignatæ, & hoc probat duabus auctoritatibus, vt patet in litera. Ex quibus infert, ꝙ eadē ratione Petrus erat ꝓprietarius & dominus pecuniæ, panis & vini, & cuiuslibet alterius rei, quæ sibi ꝑ diuisionem extitit assignata. Quarto ibi (*Nec votum viuendi* &c.) cuidam tacitæ obiectioni respondet, posset enim aliqs dicere, ꝙ per rationes prædictas quilibet religiosus post diuisionem panis & vini & huiusmodi rerum vsu consumptibiliū qlibet eorum est proprietarius & dominus portionis sibi assignatæ. Ad hoc respondet dicens, ꝙ votum viuēdi sine proprio non se extendit ad illa, quibus necessario eget vita humana, ex hoc insinuans esse concedendum, ꝙ quilibet religiosus post diuisionem factam inter eos est ꝓprietarius & Dominus portionis sibi assignatæ. Quinto ibi (*Præterea ex illo capitulo*) ostendit quod per librum Actuum Apostolorum probari non potest, quin credentes poterant de bonis communibus recipere & vt proprium retinere, & quia non aliud dicitur nisi ꝙ *multitudinis credentium erat cor vnum* &c. per quæ verba licet possit ostendi, quod primo omnia bona sua communitati dederunt, tamen probari non potest, quod non poterant postea de illis aliquid proprium recipere & tenere, imo potest ostendi quod poterant: quia scriptura testatur, quod illa diuidebantur. *Diuidere* autem est alicuius rei diuisas partes aliquibus dare, quod autem datur, fit proprium eius cui datur, ergo quilibet eorum habuit proprium.

Sed impugnatores dicunt, in verbis præmissis plures contineri errores. Quorum primus est, quod quilibet Apostolorum erat proprietarius & Dominus portionis sibi assignatæ. Secundus est quod qlibet alius de numero credentium erat proprietarius & Dominus portionis sibi assignatæ. Tertius est quod votum viuendi sine proprio non extendit se ad ea, quibus necessario eget vita humana. Alios plures errores minus principales, de quibus in responsione ad rationes illius impugnati circa literam apparebit prædictis verbis asserunt contineri. Dicunt autem isti impugnatores, quod quia ille impugnatus in hac parte non vadit ad verba, sed ad mentem suam de Apostolis & religiosis, quasi totum venenum suum effundens explicatur manifeste, ideo circa pręmissa diligentius volunt insistere, dicunt itaq;, quod primus error sapit hæresim manifestam.

Ad cuius euidentiam dicunt primo esse notandum, quod in illo errore sc. quod quilibet Apostolus habebat dominium rerum in speciali, religiosis omnibus aduersatur, licet enim fuerint quidam Fratres Prædicatores & nonnulli de quibusdam aliis Ordinibus, qui dixerunt Apostolos habuisse dominium & proprietatem aliquarum rerum in communi: omnes tamen vsq; ad tempora istius impugnati dixerunt, ꝙ Apostoli nullius rei temporalis dominium vel proprietatem habuerunt in speciali: & in hoc dixerunt se vitam Apostolicam imitari habendo sc. aliqua in communi quantū ad aliquale dominium vel proprietatem: & nihil habendo penitus in spāli quoad dominium seu ꝓprietatem, iste autem omnibus contradicit asserens, quod habuerunt ꝓprietatem & dominiū in speciali. Sed quod hoc sit erroneum, isti impugnatores multis modis ostēdere moliuntur. Et qa quodammodo expressius determinatio ecclesiæ & doctrina sanctorum isti errori contradicunt & obuiant: ideo à determinatione & auctoritatibus sanctorum incipiunt in scriptura diuina postmodum se fundantes, ꝙ enim prædicta assertio, determinationi ecclesiæ obuiet & repugnet, ostendunt. Ait enim Nicolaus papa in decretali *Exiit* per vniuersalē ecclesiam hactenus approbata: *Dicimus quod abdicatio proprietatis huiusmodi rerū tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est & sancta: quā & Christus viam perfectionis ostendens, verbo docuit, & exemplo firmauit, quamque primi fundatores militantis ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte viuere, per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos deriuarunt.*

His expressius dici non posset, quod Apostoli proprietatem omnium rerum temporalium abdicarunt: & ita nullius proprietatem habuerunt in speciali. Sed dicit ille impugnatus, ꝙ illa decretalis *Exiit* non fuit per vniuersalem ecclesiā approbata, hoc autem, vt dicunt isti impugnatores, istū impugnatum nequaquam excusat. Tum quia illa decretalis *Exiit*, ex quo nullus catholicus sibi multis temporibus contradixit, per taciturnitatem fuit ab omnibus approbata: quia sicut error, cui non resistitur, approbatur *dist. 83. c. Error*: ita veritas catholica, cui non resistitur, debet pro approbata censeri, tum quia esto, quod non fuit ab vniuersali ecclesia approbata, tamen ex hoc, quod ille impugnatus assertionem dictæ decretalis impugnat, assertionem contrariam esse catholicam diffinitiue & solenniter approbando. Dicunt isti impugnatores, quod siue vna assertio fuerit hæretica, siue alia, se demonstratiue probare, quod ille impugnatus modo non est papa. Est autem eorum ratio talis: aut assertio Nicolai tertii, quod Apostoli omnis rei temporalis proprietatem abdicauerunt, est hæretica: Aut assertio contraria istius impugnati, quod Apostoli habuerunt proprietatem etiam in speciali, est hæretica. Hanc oportet necessario illum impugnatum concedere, quia secundum ipsum altera istarum, imo sua assertio in scriptura sacra est fundata. Si assertio prædicta istius impugnati est hæretica, cum sit eiusdem pertinax defensator, ꝙ probatur ex sua determinatione solenni & vltimata, & ex sententiis & pœnis, quas negantibus & resistentibus in sua constitutione infligit, ex persecutione, quam appellantibus & defensoribus assertionis contrariæ inferre non cessat, ex coactione, qua alios ad assertionem suam irreuocabiliter defendenda iurare compellit, ex abiuratione, qua cogit multos assertionem contrariam abiurare, ex recusatione, qua de veritate renuit: informari sequitur, vt dicunt, demonstratiue, quod ipse est hæreticus reputandus. Si autem est hæreticus, non est verus papa: quia nullus hæreticus est verus papa, sicut in aliis allegationibus quamplurimis rationibus & auctoritatibus probare conantur.

Si au-

Si autem assertio Nicolai tertii fuit hæretica: ipsemet Nicolaus tertius fuit hæreticus reputandus. Hanc conditionalem probant: quia si Nicolaus tertius in prædicta assertione errauit, cũ ipsam diffinitiue ꝓtulerit, omnibusq; Christianis tenendã sub comminatione pœnarũ tradiderit. Seqtur euidẽter, ꝙ eidem assertioni hæreticę firmiter & irreuocabiliter adhærebat. Ex quo patẽter infertur, ꝙ nõ fuit paratus corrigi, si autẽ non fuit paratus corrigi fuit inter hæreticos cõputandus, & si sic nõ fuit verus papa, & si non fuit verus papa, veros Cardinales nullo modo creauit. Et ꝑ consequens Cardinales creati ꝑ ipsum, verũ papã eligere minime potuerunt. Et ita posteriores summi pontifices nõ fuerunt veri summi pontifices: nec ꝑ consequens veros Cardinales creauerunt. Ex quo sequitur, ꝙ ille ab illis, qui non fuerunt veri Cardinales, electus nunq̃ fuit verus papa. Sed quia forte diceret aliquis, quod Nicolaus tertius erat hæreticus: & ideo veros Cardinales non creauit, & tamen summi pontifices sequentes fuerunt veri pontifices summi, quia ab aliis Cardinalibus, qui creati fuerunt à prædecessoribus Nicolai tertii, extiterunt electi. Sed illa esset friuola & vana euasio: quia si Nicolaus tertius fuit hæreticus propter dictam assertionem, sequitur necessario, quod Nicolaus quartus, & Bonifacius octauus, & Benedictus secundus, & Clemens quintus, qui eandem assertionem Nicolai tertii *in suis constitutionibus* asseruerunt & approbauerunt, fuerunt hæretici, sed omnes, qui elegerunt illum impugnatum in summum pontificem, fuerunt creati à Nicolao tertio, vel Nicolao quarto, vel Bonifacio octauo, vel Benedicto II. vel Clemente quinto, ergo non fuit à veris electoribus aliquo modo legitime & rite electus: & per consequens nunquam fuit verus papa. Illam rationem dicunt isti impugnatores esse demonstratiuam & insolubilem ad probandum, quod ille impugnatus, siue sit hæreticus siue non sit hæreticus, non est modo verus papa, &, vt dicunt, omnes cauillationes, quæ possent contra ipsam adduci, aliis in allegationibus euidenter excludunt.

Amplius isti impugnatores per auctoritatem sanctorum dictam assertionem improbare nituntur. Ait enim Hieronymus in epistola ad Exuperantium: *Nemo Apostolis pauperior fuit: & nemo tantum pro Domino dereliquit*, ergo Apostoli fuerunt pauperrimi, sed illi qui retinent rerum dominium in speciali non sunt pauperrimi, ergo Apostoli non habuerunt rerum dominium in speciali. Item Augustinus super secundam epistolam ad Corinth. ait: *Hoc fuit Apostolis gloriosum: quod sine sollicitudine a nomine possidenti non solum ea quæ in possessionibus erant, sed etiam ipsos earum dominos possidebant.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod Apostoli nihil habebant nomine possidendi, & per consequens multo magis nihil habebant iure dominii in speciali. Item Hieronymus ad Demetriadem virginem ait: *Apostolici fastigii perfectæq; virtutis est omnia vendere & pauperibus distribuere, & sic leuem atq; expeditum cum Christo ad cœlestia subuolare.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod ad Apostolicum spectat fastigium omnia vendere & pauperibus distribuere, qui autem omnia vendit & pauperibus distribuit, nullius rei dominium habet saltem in speciali, ergo ad Apostolicum fastigium spectat nullius rei dominium habere in speciali. Item Hieronymus ad Elbediam ait: *Si vis esse perfecta, & stare in primo fastigio paupertatis, fac quo fecerunt Apostoli. Vende omnia quæ habens & da pauperibus, & sequere Saluatorem, & nudam solamque crucem nuda sequaris.* Ex his verbis colligitur euidenter, quod Apostoli nullius rei dominium retinuerunt saltem in speciali. His concordat beatus Gregorius super Euangelia, qui exponens illud Matth. 4. *Relictis retibus secuti sunt eum*, ait: *Ad vnius iussionis vocem Petrus & Andreas relictis retibus secuti sunt Saluatorem, ad vnum domini præceptum hoc quod habere videbantur obliti sunt*, & infra: *sed forte aliquis tacitis cogitationibus dicit: Sed quid aut quantum vtique ille piscator ad vocem Dominicam dimisit, qui pene nihil habuit? Sed in hac re affectum potius debemus considerare quam censum, multum reliquit qui nihil sibi retinuit: multum reliquit qui quantumlibet parum totum deseruit: qui cum re possessa etiam concupiscentia habendi renunciauit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod Apostoli nihil retinuerunt quo ad dominium & proprietatem saltem in speciali. Ex his aliisq; quampluribus auctoritatibus, vt dicunt isti impugnatores, euidenter apparet Apostolos nullius rei proprietatem habuisse in speciali. Istam autem doctrinam sanctorum & ecclesiæ dicunt in scriptura diuina fundari, quod probant primo specialiter de pecunia: quia beatus Petrus pecuniæ in speciali proprietatem nõ habuit, cuius contrarium ille impugnatus asserit manifeste. Ait enim beatus Petrus: *Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Ex quibus verbis euidenter colligitur, quod beatus Petrus pecuniam non habebat. Sed forte dicet ille impugnatus, quod beatus Petrus tunc pecuniam non habebat, quia pecuniam, quæ sibi fuerat assignata, expenderat vel dederat pauperibus, sed sic exponere scripturam est ipsam, vt dicunt isti impugnatores, peruertere. Nam secundum doctrinam sanctorum, ideo beatus Petrus carebat pecunia, non quia pecuniam sibi assignatam expenderat, sed vt præceptum sui magistri de non habenda pecunia custodiret, hoc expresse Chrysostomus testari videtur. Ait enim Omelia vltima super Matthæum: *Si bonum esset aurum habere hoc, vtique dedisset Christus Apostolis, qui ineffabilia eis bona tribuit. Nunc autem non solum non dedit, sed habere prohibuit. Ideoque Petrus non solum non verecundatur, sed decoratur in paupertate, dicens: Argentum & aurum non est mihi.* Et Ambrosius super Lucam, ait: *Apostolus Petrus primus dominicæ sententiæ executor ostendens, non esse in vacuum effusa Domini præcepta, cum posceretur à paupere, vt ei aliquid pecuniæ largiretur, ait: Argentum & aurum non habeo: tamen non tam in hoc gloriatur Petrus, quod argentum & aurum non habeat: quam quod seruet Dei mandatum, qui præcepit: Nolite possidere aurum, hoc est dicere: Vides me Christi discipulum & aurum à me requiris? Aliud multo pretiosius auro nobis donauit.* Et Bernardus ad Eugenium papam libro 2. ait: *Nec locus*, inquit, *ocio, vbi sedula vrget sollicitudo omnium ecclesiarum. Nam quid aliud dimisit tibi sanctus Apostolus? quod habeo*, inquit,

inquit, hoc tibi do, quid illud vnum? scio nec aurum nec argentum, cum ipse dicat, argentum & aurum non est mihi, & infra: *esto quod alia quacunque ratione hoc vendices, sed non Apostolico iure, nec enim ille tibi dare potuit, quod non habuit.* Ex his patet aperte, quod beatus Petrus non ideo non habuit pecuniam, quia pecuniam sibi assignatam expenderat: sed quia Domini præceptum seruare volebat, quod Glossa super illud verbum Petri: *Argentum & aurum* &c. asserit manifeste, dicens: *memor illius præcepti: Nolite possidere aurum nec argentum, pecuniam, quæ ad pedes Apostolorum ponebatur, non sibi retinebat, sed ad vsus pauperum, qui sua patrimonia reliquerant, reseruabat, hoc est reseruari mandabat. Non enim ipsemet beatus Petrus custodiuit pecuniam, sed quis custodiret, ordinauit.*

Secundo ostendunt eandem conclusionem isti impugnatores, sic, sicut Apostoli seruabant consilium Christi de castitate & obedientia, ita etiam seruabant consiliũ Christi de paupertate, sed Christus docuit & consuluit abdicationem proprietatis omnium temporalium in speciali, igitur Apostoli seruabant idem consilium. Maior videtur aperta. Minorem probant per illud consilium, quod dedit Christus adolescenti quærenti, quid sibi deesset, ex quo mandata seruauerat, Matth. 19. dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni & sequere me.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod Christus consuluit abdicationem proprietatis omnium temporalium: quia per venditionem omnium & largitionem eorum factam pauperibus constat proprietatem auferri, sequitur ergo ꝙ Apostoli nullius rei proprietatem habebant in speciali. Ex quo ille adolescens, si voluisset fuisse perfectus, nullius rei proprietatem in speciali habuisset. Sed diceres, videtur posse ꝓbari, quod illa auctoritas non concludat. Primo quia non est verisimile, quod Christus consuluerit sibi, quod vestimenta sua vẽderet, & ad eum nõ vestitus, sed nudus veniret, & ita illa verba Christi licet generaliter prolata sint: tamen non sunt ita generaliter intelligenda, quin aliquarum rerum poterat proprietatem & dominium retinere. Secundo quia per hanc auctoritatem non probatur, quod postea non debuit proprietatem habere: sed pro tunc debeat à se proprietatem abdicare. Vnde non dixit sibi Christus: *vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus: & nunquam alicuius rei de cætero proprietatem acquiras,* ergo Christus ei potestatem acquirendi proprietatem rerum in speciali minime dissuasit. Sed illæ obiectiones non concludunt. Nam licet Christus in suo consilio principaliter intendebat proprietatem omnium temporalium abdicare: vnicum tamen modum abdicandi proprietatem temporalium (qui forte illi adolescenti erat conueniens) expressit vocaliter.

Ad cuius euidentiam est sciendum, quod quadruplex est modus temporalia abdicandi à sanctis hactenus vsitatus. Vnus est temporalia dando pauperibus, & ille modus aliquando absq; venditione, & aliquando per venditionem congrue exercetur. Nã absq; venditione pecuniæ ea quæ in cibo & potu consistunt, ac vestes aliquæ, & nonnullæ res aliæ conuenienter distribuuntur pauperibus, possessiones autem magnæ, villæ, ciuitates & castra, vasa pretiosa, & etiam vestes pretiosæ, & res aliæ multæ absq; venditione nequaquam dãtur conuenienter pauperibus: quia eleemosynæ sunt faciendæ pauperibus, vt sustententur, non vt ditentur. Alius modus abdicandi temporalia est relinquendo parentibus, sicut enim qui naturaliter moritur, nonnulla bona sua parentibus ordinare relinquit; ita etiam qui moritur morte ciuili propter Deum, omnia dimittendo & religionem intrando, sæpe tenetur secundum Deum aliqua bona sua parentibus reliquisse. Tertius modus relinquendi proprietatem temporalium est conferendo bona sua ecclesiæ, per quem modum primi credentes possessionibus suis vel substantiis venditis pretia communitati credentium conferebant. De istis tribus modis abdicandi proprietatem temporalium legitur in libro Prosperi, sicut recitatur *1. q. 2. c. sacerdos,* vbi sic scribitur: *Sacerdos, cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis accipit à populo dispensanda: & fideliter dispensat accepta, quia omnia sua aut reliquit pauperibus, aut eis distribuit, aut ecclesiæ rebus adiunxit.* Quartus modus abdicandi proprietatem temporalium est sua pro derelictis habendo, & ille modus absq; causa speciali seruari non debet; quia communitati fidelium expedit, quod vnusquisq; de rebus suis recte disponat, & illo modo loquitur beatus Hieronymus ad Paulinum dicens: *Si habes in potestate rem tuam, vende, si non habes, proiice,* vbi sic ex præcedentibus & sequentibus patet aperte, quod beatus Hieronymus Paulino suadet, ne propter ordinationem rerum suarum conuersionem suam procrastinet. Christus ergo ad abdicationem proprietatis omnium tẽporalium adolescentem exhortans, vnum modum expressit, alios modos insinuans, vt ille sit sensus: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes,* quæ sc. non expedit parentibus tuis relinquere, nec est necesse tecum ad vsum facti afferre, & quæ non conuenienter, nisi vendantur, dantur pauperibus, & hoc, si ipsa habes in tua potestate, non enim Saluator volebat, quod ille adolescens pecunias, si quas haberet, primo venderet, & postea daret pauperibus, nec volebat, quod si de iure aliqua parentibus relinquere tenebatur, quod illa vẽderet & daret pauperibus, nec etiam consulebat, si aliquas possessiones suas in sua potestate non habebat, sed oportuisset, quod eas longo tempore per iudicium acquisisset, quod primo eas recuperaret & venderet, & tandem daret pauperibus, & demum ad Christi sequelam veniret, nec etiam hortabatur, quod vestes, quibus induebatur, si Apostoli non habuerunt habitum distinctum, & omnes res alias venderet & daret pauperibus, vt sic non vestitus veniret ad ipsum, sed perfectionem euangelicam adolescenti declarans voluit, quod rebus, quas in sua potestate habebat, recte dispositis & omnibus abdicatis quo ad ꝓprietatem ad sequelã sui veniret. Et ita, sicut ille potuit, non obstante consilio Christi de venditione omniũ pecunias, si quas habebat sine omniũ venditione pecuniarũ præuia, statim dare pauperibus, ita si tenebatur potuit aliqua parentibus suis reliquisse, sicut etiam implendo mentem Christi potuit, si Apostoli & discipuli nõ haberent distinctum habitum, vestes aliquas secum ad vsum, non ad proprietatem afferre.

Ad

Ad secundam obiectionem isti impugnatores respondent, quod iuxta sententiam Christi dicentis: *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei*: perfectio semel assumpta absq; imperfectione relinqui non potest, nisi forte in casu necessitatis, vel ex alia causa rationabili & vrgente, ipsam quis saltem ad tempus relinquere cogeretur. Cum ergo Christus abdicationem proprietatis omnium temporalium tanq̃ ad perfectionem pertinentem consuluerit adolescenti: abdicatio talis semel assumpta absq; imperfectione relinq non potest, & ita Christus dans consilium perfectionis, manifeste consuluit omnia temporalia pro omni tẽpore abdicare quo ad ꝓprietatem. Quarto eandem veritatem, vt dicunt isti impugnatores, ostendunt per verba Christi, qui, vt habetur Lucæ 14. ait: *Sic ergo ex vobis qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Ex quibus verbis datur intelligi, ꝙ volentes Christi esse perfecti discipuli, omnibus quæ possidebant, renunciabant, non autem renunciabant omnibus quantũ ad vsum facti, ergo renunciabant quantum ad ꝓprietatem, saltem in speciali. Et ꝙ verba Christi prædicta debeant intelligi de renunciatione omnium quãtum ad ꝓprietatem, auctoritatibus sanctorũ patenter videtur posse probari. Beatus enim Gregorius super Euangelia, dicta verba pertractans ait: *Certe cum sequentibus noua mãdata proponeret, dixit: Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Ac si aperte dicat: qui per vitã veterem aliena concupiuistis, per noua conuersationis studiũ & viam largiamini*, per largitatem autem ꝓprietas abdicatur, ergo verba Christi secundum beatum Gregorium de renunciatione, quæ est abdicatio proprietatis, debent intelligi. Item Ambrosius Homelia 16. super Genesim ait: *Christus Dominus noster sacerdotibus suis, quid præceperit audiamus: qui non renunciauerit omnibus q̃ possidet, non potest meus esse discipulus*, & infra: *Negat Christus suum esse discipulum, quem viderit aliquid esse possidentem: & eum qui non renunciat omnibus quæ possidet*, & infra: *Festinemus transire à sacerdotibus Pharaonis, quibus terrena possessio est, ad sacerdotes Domini, quibus in terra pars non est, quibus portio Dominus est, talis enim erat & ille, qui dicebat tanquam egentes & multos locupletantes, vt nihil habentes & omnia possidentes.* Ex his verbis clare datur intelligi, quod qui perfecte verbum implet Christi prædictum: *Nisi quis renunciauerit*: sunt tales, quibus in terra pars non est: & quibus portio Dominus est, tales autem sunt, qui nullius rei ꝓprietatem habent in speciali. Apostoli autem cupiebant verba Christi implere perfecte, & non minus perfecte, quam alii, ergo ipsi omnibus renunciauerunt quantum ad proprietatem saltem in speciali. Alias auctoritates scripturæ diuinæ quamplurimas contra assertionem præfatam adducunt, quas causa breuitatis omitto.

Ad hæc, isti impugnatores quinto per rationes in scripturis fundatas autenticis prædictam assertionem satagunt reprobare. Est autem prima ratio talis, paupertas Apostolorum non fuit minor nec imperfectior quam paupertas monachorum & aliorum Religiosorum Mendicanttum & non mendicantium, sed monachi & alii Religiosi vouent paupertatem, quę est abdicatio paupertatis omnium temporalium in speciali, ergo & paupertas Apostolica abdicationem proprietatis omnium temporalium in speciali includebat. Hæc ratio confirmatur auctoritate beati Gregorii, qui, vt habetur 16. q. 1. cap. *Ex auctoritate*, asserit monachos figuram Apostolorum tenere, nõn autem monachi, eo quod monachi, tenent figuram Apostolorum, quo ad officii dignitatem, nec quo ad sacramentorum dispensationem, ergo tenent figuram Apostolorum quo ad propriorum renuntiationem, quod expresse notat Glossa 12. q. 1. c. *videntes*, dicens: *Episcopi tenent locum Apostolorum, vt hic scilicet quo ad dignitatem: monachi quo ad renunciationem propriorum & communem vitam.* Ex quo sequitur, quod Apostoli propriis renunciauerunt quo ad proprietatem saltem in speciali, hoc etiam auctoritate beati Hieronymi superius allegata, qui ait: *Apostolis nemo fuit pauperior* &c. probatur manifeste &c. Secunda ratio talis est. Fratres Prædicatores & Minores non perfectius perfectionem Euangelicam imitantur, quam Apostoli, sed Fratres Prædicatores & etiam Minores per abdicationem proprietatis omnium temporalium in speciali perfectionem Euangelicam imitantur, vnde & de Fratribus Prædicatoribus simul & de Fratribus Minoribus, vt ille impugnatus in sua constitutione, *Quia quorundam*, affirmat Alexander quartus in *Condemnatione libelli contra statum prædicatorum & Minorum* editum, dicit in hæc verba: *Cum insuper iidem Fratres propter Deum omnia reliquerint, exilia vitæ subsidia mendicantes, Christumque imitentur pauperem, perfectionem euangelicam amplexando, propter quod euidenter apparet eos in statu non solum saluandorum existere, sed etiam perfectorum, & per suæ religionis obseruantiam, quæ quidem ipsius perfectionis euangelicæ tenet firmam in æternæ retributionis præmio præcellentem gloriam promereri.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, ꝙ Fratres Prædicatores & Minores propter Deum omnia quo ad proprietatem in speciali relinquentes, perfectionem Euangelicã amplexantur, & perfectionis Euangelicæ tenent formam, ergo & Apostoli, qui non imperfectius perfectionem Euangelicam imitati fuerunt, nullius rei proprietatẽ in speciali habuerunt. Postremo ꝓpter eos, qui dicta Thomæ recipiunt, isti impugnatores ostendunt, quod prædicta assertio sententiæ Thomæ penitus aduersatur. Vnde in libro suo cõtra Magistros Parisienses c. 6. ait: *Multo est laudabilius, quod aliquis omnibus suis datis, etiam seipsum Deo det, quod ad Apostolicam perfectionem pertinet. Vnde dicit Hieronymus ad Lucinum hæreticum: Seipsum offerre Deo proprium Christianorum est & Apostolorum, quæ totum censum, quem habuerant, Domino tradiderunt.* Item in eodem capitulo, sicut adductum est prius, ait: *Euangelica perfectio maxime in Apostolis claruit: sed ipsi actualem paupertatẽ habuerunt sua omnia relinquentes. Vnde Petrus dixit Mat. 19. Ecce nos reliquimus omnia. Et Hieronymus dicit ad Ebidiam: si vis esse perfecta* &c. Ex quibus concludunt: Ergo actualis paupertas ad Euangelicam perfectionem pertinet. Ex his clare patet, quod Apostoli sua omnia reliquerunt, nec valet dicere, quod reliquerunt omnia, licet non quo ad proprietatem neq; in speciali neq; in communi: secundum quod dicit ille impugnatus.

Nam

Nam secundum Thomam, Euangelica perfectio maxime in Apostolis claruit. Sed ad perfectionem Euangelicã pertinet omnia reliquisse quo ad proprietatem saltem in speciali. Ergo Apostoli omnia reliquerunt secundum eum, quo ad proprietatem in speciali. Quod autem secundum Thomam reliquisse omnia quo ad proprietatẽ in speciali, ad Euangelicã perfectionem pertineat, patenter in multis locis affirmat. Vnde in libro suo contra quosdam Magistros Parisienses ab Alexandro 4. condemnatos, ipsorũ de paupertate recitans opinionẽ c. 6. ait: *Asserunt etiam paupertatem laudari in scripturis non actualem, qua aliquis rebus temporalibus se exspoliat, sed habitualem, qua aliquis rem temporalem contemnit corde, et iam si res possideat. Ad destructionem huius erroris hoc modo procedemus. Primo ostendemus ad perfectionem Euangelicam pertinere non solum paupertatem habitualem, sed etiam actualem, quæ fit per abiectionem temporalium*. Ex his verbis clare patet, quod secundum istũ abdicatio omnium temporaliũ quo ad ꝓprietatẽ in speciali ad Euangelicã pertinet perfectionẽ. Quia ipse loqtur de abdicatione illa ꝙ vocat paupertatem actualẽ, quæ à religiosis Mendicantibus omnia quo ad proprietatẽ in speciali dimittentibus ꝓpter Deũ, assumitur: q̃a illam prædicti Magistri Parisiens. impugnare volebãt, & ille eã in libro illo defendit. Nullũ est ergo dubiũ, quin ille Doctor loquatur de actuali paupertate, quæ est abdicatio omniũ temporaliũ quo ad proprietatẽ in speciali secundũ ipsum. Et ꝙ actualis paupertas ad Euangelicam perfectionem pertineat, probat ipse vbi prius 19. rationibus in auctoritatibus sanctorũ fundatis.

Secundo isti impugnatores alium errorem in verbis præmissis istius impugnati asserunt cõtineri: quod videlicet quilibet alius de numero credentium post diuisionem factã erat proprietarius & dominus portionis sibi assignatę. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendũ, quod illa cõmunitas credẽtiũ non durabat vna die tantũ, neq; duobus tantũ, imo nec tantũ paucis diebus: sed tempore multo durauit, ꝙ ex diuersis scripturis autenticis dicunt posse probari. Hoc supposito ex textu Actuum Apostolorum ostendunt, quod illa bona post diuisionẽ factam nõ erant propria illis, quibus dabantur quo ad dominium & proprietatem in speciali. Nam illa diuisio non fiebat nisi ad credentiũ indigentias subleuandas. Vnde in textu habetur sic: *Erant eis omnia communia*. Et sequitur: *Neq; eorum quisquã egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum ac domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant & ponebant ante pedes Apostolorum & diuidebant singulis prout cuiq; opus erat*. Ex his verbis euidenter colligitur, ꝙ illa bonorum diuisio ex charitate Fraternitatis processit, qua cupiebant singulorum indigentias releuare. Sed illa diuisio bonorum temporalium inter aliquos, quæ fit solummodo ad indigentias singulorum releuandas, dat cuilibet facultatem vtendi siue consumendi secundum modum istius loquendi illa, quæ sic sunt necessaria, & nullam proprietatem tribuit singulis in speciali: tum quia absq; tali proprietate in speciali vita humana congrue sustentatur: tum quia si quilibet fieret proprietarius & Dominus in speciali portionis sibi assignatæ, principalis intentio diuidentiũ faciliter posset frustrari. Possent enim aliqui illorum, quibus esset facta diuisio, si fieret proprietarii & Domini portionũ suarum in speciali, portiones suas alteri dare vel aliis extra communitatẽ vendere vel donare. Quod si darent extra communitatẽ, vel necesse esset eorũ indigentias minime releuare, vel ab aliis aliquã partem portionis suæ subtrahere, quorũ vtrumq; esset intentionem principalẽ diuidentiũ frustrare. Nullus ergo credentium in Ecclesia fuit proprietarius & Dominus in speciali portionis sibi assignatæ: sed tamen fuerunt illæ portiones sibi assignatę, non ad dandum nec vendendũ, sed tantum ad suas indigentias releuandas. Si enim quilibet illorum habuisset potestatẽ dandi vel vẽdendi portionem sibi assignatã, cito potuisset frustrari tota & principalis intentio illorum: sed rebus suis venditis eorum pretia communitati dederunt. Nam si aliqui illorum prima die dedissent aliis vel in communitate vel extra communitatem portiones suas, aliqui fuissent multum ditati, & aliqui multũ egentes: & ita frustrata fuisset eorũ intentio, per quã quantum in eis fuit optabant, ꝙ nullus egens esset inter eos. Ex his, vt dicunt isti impugnatores, patenter habetur, quod illa verba: *Erant eis omnia communia*, non dicebantur pro vna die tantũ: ꝙ tamen oporteret secundũ ipsum impugnatũ. Nã si duobus diebus fuerunt eis communia omnia: In istis duobus diebus nullus manducauit, neq; bibit: quia nullus manducauit aut bibit, nisi portionẽ sibi assignatã, aut cibũ vel potũ emptũ de portione sibi assignata. Sed in illis duobus diebus nulla fuit eis portio assignata, si nulla portio fuit communis. Ergo in illis duobus diebus nullus manducauit neq; bibit. Quod non continet veritatẽ. Cõstat ergo ꝙ illa cõmunio omniũ non durauit vna die, nec vna hora diei, sed multis diebus durauit: & tamen constat, ꝙ in istis diebus portiones singulis assignabantur. Ergo nullus eorũ fuit proprietarius & Dominus in speciali portionis sibi assignatæ. Secundo isti impugnatores sic arguunt: communẽ vitã ducere nõ est ꝓ vna hora omnia habere cõmunia, quemadmodũ hæredes alicuius ipso mortuo habent omnia cõmunia, qui postea statim diuidunt inter se: sed cõmunẽ vitã ducere est de communibus sustentari. Qui ergo cõmunẽ vitã ducit, de bonis cõmunibus sustentatur, sicut ex auctoritate Beati Gregor. quæ ponitur *12. q. 1. c. Quia tua*, & ex auctoritate Vrbani eisdem *ca. & q. c. Scimus*, colligitur euidenter. Sed primi credentes communem vitam duxerunt, teste Clemente, qui, vt habetur *12. c. 1. dilectissimis*, ait: *Istius enim consuetudinis more retento, etiam Apostoli eorumq; discipuli, vt prædictum est, vna nobiscum & vobiscum communem vitam duxerunt*. Ergo de bonis omnibus sustentari fuerunt omnes. Ergo portiones singulis assignatę cõmunes erant, non ꝓprię, quoad dominiũ in speciali, quemadmodũ nec portiones monachis assignatæ sunt eis propriæ, ita ꝙ ipsarum habeant dominiũ in speciali. Dicet autem aliquis forte ignarus, quod sustentati fuerunt de bonis, quæ prius fuerunt communia: & tali modo communẽ vitam duxerunt. Sed hoc friuolũ est. Nam si duo fratres diuidant hæreditatem communẽ, & postea vterq; viuat de portione sua, nõ dicuntur ꝓpterea communẽ vitã ducere. Ergo

consimiliter si illi credentes in primitiua Ecclesia diuiserunt bona communia quo ad proprietatē: & quilibet postea vixit de portione sibi assignata, nullatenus duxerunt communem vitam. Tertio sic arguunt. Regulæ sanctorum, scilicet Basilii, Benedicti, & Augustini, quas suis fratribus tradiderunt, quo ad abdicationem rerum temporalium ex modo viuendi credentium in primitiua Ecclesia acceptæ fuerunt. Vnde Greg. *12. q. 1. c. quia tua*, scribens Augustino monacho Anglorum Episcopo ait: *Quia tua fraternitas monasterii regulis erudita seorsum nō debet fieri à clericis suis in Ecclesia Anglorū, quæ auctore Deo nuper ad fidē perducta est. Hanc debet instruere conuersationē, quæ initio fuit pluribus nostris, in quibus nullus eorū ex his q̄ possidebant propriū habebat, sed erāt illis omnia cōmunia.* In hoc cōcordat beat. Basil. qui quærentibus fratribus suis, vtrū liceret habere aliquod propriū, respondit in hæc verba: *hoc est contrariū testimonio, ꝙ in Actibus Apostolorū de istis, q̄ quærebantur, prius scriptū est. Ibi enim ita dicitur: quia nemo ex bonis suis quicquā propriū esse dicebat, sed erant illis omnia cōmunia.* Et August. in Regula sua ait: *Nō dicatis aliq̄ propriū, sed sint vobis omnia cōmunia. Sic enim legitur in Actibus Apostolorū, & in Regula beati Bened. habetur.* Ex q̄bus patet, ꝙ ad exemplar modi viuendi credentiū, de q̄bus in Actibus Apostolorum fit mentio, religiones instituerunt. Sed mandatū est, & infra ꝓbatur, ꝙ religiosi sanctorū p̄dictorū Regulas profitentes nō sint Domini & ꝓprietarii in speciali portionū quæ eis assignantur. Ergo nec illi credētes erant Domini & proprietarii in speciali portionū sibi assignatarū. Quarto sic arguunt. Perfectioni credentiū in primitiua Ecclesia est minime detrahendū. Sed dicere, ꝙ ipsi primo omnia propria diuiserunt, statim proprietatē sumserunt, est eorū pfectioni detrahere. Ergo hoc minime est dicendum. Vltimo isti impugnatores propter eos, q̄ dicta Thomæ sequuntur, verba ipsius adducunt, q̄ in libro *cōtra retrahentiū à religione, c. 15.* cōtra seipsum obiiciens p decretū Melchiadis Papæ, ad illud decretū respondet in hæc verba: *Sed si quis recte cōsiderat, hæc p̄missis non contrariantur. Ecclesia enim in sui primordio in omnibus suis mēbris talis fuit, qualis postmodū vix apud pfectos quosq; inuenitur. Sicut enim natura, sic & gratia debuit à pfectis initiū sumere. Et ideo Apostoli secundū istū statū fideliū vitā ordinauerunt pfectam conuenientē. Vnde dicit Hier. in libro de Illustribus viris: Apparet primū talē Christo fuisse Ecclesiā, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt, vt nihil cuiusquā ꝓprium sit, nullus inter eos diues nec pauper: patrimonia egentibus diuidantur, vt orationi vacent & psalmis, doctrina quoq; ac continentiæ. Hic autē modus viuendi pfectioni congruus fuit apud primos credentes, non solū in Iudæa sub Apostolis, sed etiā apud Ægyptū sub Marco Euangelista, vt ibidē Hier. ostendit, & in secundo libro Ecclesiasticæ historiæ narratur. Processu vero temporis multi in Ecclesiam erant intraturi, q̄ ab hac perfectione deficerent: ꝙ non erat futurum ante Iudæorum excidiū, sed Ecclesia apud gentes multiplicata. Quod postquam contigit, vtile iudicauerunt Ecclesiarū p̄lati, vt prædia & agri Ecclesiis conferrentur, non propter perfectiores quosq;, sed propter infirmiores, qui ad priorum fidelium perfectionem accedere non valerent.* Ex his patenter habetur, & quod secundum illum Doctorem primi credentes perfectius reliquerunt temporalia quam posteriores. Et quam monachi eorum paupertatem imitantur, quamuis non omnes id ipsum attingant, quia omnes, qui possessiones habent in communi, ab eorum perfectione deficiunt. Et ita nullius proprietatem habuerunt in speciali: sicut & monachi nunc habere noscuntur.

Tertius error, vt isti impugnatores affirmant, contentus in verbis prædictis est, ꝙ votū viuendi sine proprio, ad ea q̄bus necessario eget vita humana, minime se extendit. Illa assertio efficacius quam per regulas profitentium viuere sine proprio improbari non potest. Ideo primo ad reprobandum assertionem præfatam verba Regularum adducunt. In regula autem Beati Benedicti sic scribitur: *Ne aliquis præsumat aliquid dare aut accipere, nec aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neq; codicem, neque tabulas, neq; graffinium: sed nihil omnino, quippe quibus nec corda sua, nec voluntas licet habere in propria potestate. Omnia vero necessaria à patre monasterii sperare, nec quicquam habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omniaq; sint omnibus communia, vt scriptum est: nec quisquam aliquid suum esse dicat aut præsumat.* Et alibi in eadem Regula sic dicitur: *vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem, vbi habitant, vel aeris temperiem dentur.* Et infra: *Accipientes noua, vetera semper reddant, in præsenti reponenda vestiario, propter pauperes, & pedules. Et quodcunq; est vestimentum, dum accipiunt nouum, reddant. Femoralia hi, qui in via diriguntur, de vestiario accipiant: qui reuertentes lota ibi restituant.* Ex his aliisq; quamplurimis verbis Beati Benedicti claret aperte, quod monachi eiusdem Regulæ professores nullius omnino rei debent habere proprietatem in speciali. In qua etiam de vestimentis, quibus necessario vita eget humana, fit mentio specialis. Ergo votum viuendi sine proprio ad ea quibus eget vita humana se extendit. Item, Augustin. in Regula sua ait: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Et infra: *Vestras vestes in vnum habeatis sub vno custode vel duobus vel quot sufficere possint ad eas excutiendas, ne tinea lædantur.* Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario, si fieri potest. Ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur: vtrum hoc recipiat vnusquisq; quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat. Ex his patet, quod secundum Regulam Beati Augustini nullus debeat habere proprietatem in speciali cuiuscunque rei, & de vestimentis est hic specialiter interdictum, cum tamen constet quod vestimentis necessario eget vita humana. Item, in Regula Beati Francisci continetur expresse, quod Fratres *sibi nihil approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem.* Ex quo patet, quod votum Fratrum Minorum viuendi sine proprio ad res, quibus necessario vita eget humana, se extendat. Ista impugnatores ratione probare conantur. Est autem prima ratio talis: qui non est in propria potestate, sed in potestate alterius, nullius rei proprietatem in speciali potest habere. Hæc enim est ratio, quare seruus nihil possidet proprium, quia est res Domini sui. Et ita omnis res, qua vtitur, & non est aliena, est Domini sui. Sed religiosi vouentes viuere sine proprio non sunt in propria potestate, sed in potestate illius, cui obedientiam promiserunt.

Ergo

Ergo nullius rei possunt habere proprietatem in speciali. Confirmatur. Nulla res quantumcunq; ipsa egeat vita humana, potest esse magis in potestate alicuius, quam proprium corpus & propria voluntas. Sed nec proprium corpus nec propria voluntas religiosi vouentis viuere sine proprio est in potestate ipsius. Ergo multo magis nulla res est sic in potestate ipsius, vt ipsius proprietatem habeat in speciali. Hæc ratio per auctoritates, quibus asseritur, quod seruus nihil possidet, & quod qui ab alio possidetur ipse nihil possidet, & quod monachus est seruus, & quod monachus non habet liberum arbitrium, & quod non habet velle nec nolle, & quod abnegauerit semetipsum & propriam voluntatem: posset confirmari, sed causa prolixitatis vitandę minime adducuntur. Secunda ratio talis est: si votum viuendi sine proprio ad ea, quibus necessario vita eget humana, minime se extendit: ergo licet monachis & aliis religiosis proprietatem & dominium in speciali panis & vini, vestimentorum & huiusmodi possidere: quia istis necessario vita eget humana. Sed hoc est inconueniens, tum quia tunc prælatus eorum non posset de huiusmodi rebus, postquam eis essent assignatæ, aliqualiter ordinare, ipsis inuitis. Quia prælatus religiosorum de rebus alienis intromittere se non debet. Et ita si præciperent eis prælati quod res huiusmodi communicarent aliis, obedire nullatenus tenerentur: & per consequens illa assertio aufert à religiosis obedientiam manifeste. Tum quia tunc possent res huiusmodi eis assignatas dare, vendere & legare ad suæ placitum voluntatis. Et ita religiosi de rebus huiusmodi condere testamenta, quemadmodum Episcopi & alii clerici habentes res proprias præter res communes Ecclesiæ, de rebus propriis possunt condere testamenta. Imo sequeretur magis absurdum, videlicet quod religiosis liceret proprietatem pecuniarum in speciali habere. Quia quibus licet rem propriam vendere eisdem licet habere in speciali pretium eiusdem rei. Sed per prædictam assertionem licet religiosis habere proprietatem in speciali huiusmodi rerum. Ergo licet eis vendere easdem. Et per consequens licet pecuniam, pro qua res venduntur huiusmodi habere in speciali: quod est inconueniens, & decretali Innocentii tertii *extra, de sta. mo. Cum ad monasterium*, repugnat aperte.

Tribus prædictis assertionibus, quas isti impugnatores erroneas reputant improbatis: ad rationes adductas in litera respondere nituntur. Ad quas, vt dicunt, manifestius dissoluendas, dicunt quod verbum *dandi* & verbum *diuidendi* sæpe in scripturis accipiuntur æquiuoce. De verbo *dandi* patet: quia *dare* aliquando rem alteri, est facere rem esse accipientis quo ad dominium & proprietatē, maxime in speciali. Hanc significationem non oportet per auctoritates ostendere. Aliquando vero rem *dare* alteri, non est facere rem esse accipientis quo ad dominium & proprietatem, maxime in speciali: sed *dare* est rem assignare vel tradere. Sic accipitur Gen. 3. cum dicitur de muliere: *Tulit de fructu illius & comedit, deditq; viro suo*: quæ tamen non fecit fructum illum esse viri sui quo ad proprietatem & dominium in speciali. Sic etiam accipitur Matth. 9. cum dicitur de Saluatore: *Acceptis quinq; panibus & duobus piscibus aspiciens in cœlum benedixit & fregit & dedit discipulis*: quibus tamen Saluator non dedit panes & pisces quo ad dominium & proprietatem in speciali, sed tradidit eis ad distribuendum turbis. Sic etiam accipitur Matth. 25. vbi sic dicitur, *Homo peregre proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta* &c. Vbi dicunt isti, quod verbum *dandi* accipitur pro verbo tradendi: quia seruis, de quibus ibi fit mentio, non fuerunt data bona illa, vt fierent eorum quo ad dominium eorum in speciali, sed erant tradita eis vt lucrarentur in eis. Secundo dicunt, quod etiam verbum *diuidendi* accipitur dupliciter. Aliquando enim quod diuiditur, fit illorum quibus diuiditur quo ad dominium & proprietatem. Sic inter fratres diuiditur hæreditas: quia quilibet eorum fit proprietarius & Dominus portionis sibi assignatæ. Sic accipitur Lucæ 12. cum quidam de turba dixit Christo: *Magister dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem*. Aliquando autem *diuidere* non est facere portiones diuisas esse illorum, quibus assignantur quo ad dominium & proprietatem: sed *diuidere* est certas portiones aliquibus assignare & tradere. Et sic accipitur Numeri 4. cap. cum dicitur *Aaron & filii eius intrabunt ipsique disponent onera singulorum & diuident quid portare quis debeat*. Illa tamen portanda diuisa Leuitis nequaquam fiebant eorum quoad proprietatem seu dominium neque in speciali neq; in communi. His visis dicunt isti, quod ille impugnatus prædictos errores sub multiplicitate vocum conatur adducere: quia, vt dicunt, rationes eius vocibus vtuntur æquiuocis. Vnde ad primam rationem dicunt, quod maior est falsa, accipiendo verbum *diuidendi* pro verbo tradendi & deputandi rem ad vsum alicuius: quia inter monachos multorum monasteriorum nullus inuenitur egens pro eo q; cuilibet datur, hoc est assignatur, illud quod sibi opus est. Et tamen nullus eorum est proprietarius & Dominus portionis sibi assignatæ. Minor vero est vera accipiendo verbum *diuidendi* pro verbo assignandi vel tradendi ad vsum. Eadem responsio daretur ad illam rationem, si tam in maiore quam in minore acciperetur præcise verbum *dandi*, vel præcise verbum *diuidendi*. Ad secundam rationem dicunt quod maior est erronea, accepto verbo *diuidendi* illo modo, quo accipitur in Actibus Apostolorū. Quia ibi accipitur verbum *diuidendi* pro verbo assignandi diuisa ad vsum. Et ita dicunt, quod in illa ratione additur nouus error, scilicet quod accipiendo verbum *diuidendi* pro verbo assignandi vel deputandi diuisa aliquibus ad vsum aliquem, quando aliquid diuiditur inter aliquos, quilibet eorum fit proprietarius & Dominus portionis sibi assignatæ. Sic enim quando res religiosorum diuiduntur inter eos, & certæ partes assignantur diuersis, quilibet fieret Dominus & proprietarius portionis suæ. Quare quilibet monachus esset proprietarius & Dominus in speciali cellæ sibi assignatæ & lecti atq; equi, si diuersi equi diuersis monachis assignantur ad equitandum. Sic ergo, vt dicunt isti, maior illius secundæ rationis est falsa. Cum vero probatur, quod *diuidere* est diuisim

 aliquas

aliquas partes diuersas diuersis dare. Dicunt, quod accipiendo *diuidere* in prima significatione, & *dare* in prima, concedunt. Accipiendo autem *diuidere* in secunda significatione, & *dare* in prima, falsum est. Et cum dicitur, quod datur alicui fit ei proprium: negatur accipiendo *dare* in secunda significatione sua. Et illo modo conceditur, quod bona illa distribuebantur Apostolis & aliis credentibus, & non aliter. Per idem respondent ad tertiam rationem, quod accipiendo *dare* in prima significatione concedunt maiorem: in secunda significatione negant maiorem: in secunda significatione negant maiorem. Et sic accipi debet in minori, si minor habet aliquo modo veritatem. Ad quartam rationem, quæ maiorem apparentiam videtur habere, dicunt quod maior est erronea, cum dicitur: omnis qui post diuisionem alicuius rei habet in portione sibi assignata plus quam habebat ante diuisionem, habet in portione sibi assignata proprietatem & dominium in speciali: quia cellulæ & lecti ac vestes & aliæ res diuiduntur inter monachos, ita quod cuilibet assignatur certa cella, lectus, vestes & res alia, quilibet illorum habet in re sibi assignata plus quam ante: quia habet licitã potestatẽ vtendi, quã antea non habebat: & tamen nullus eorum habet in eadem dominium & proprietatem in speciali. Sic fuit de primis credentibus, quod quilibet eorũ habuit post diuisionem licitam potestatẽ vtendi portione sibi assignata absq; alia diuisione, qualem potestatẽ antea non habuit. Sicut diuersi venientes ad aliquam ciuitatem, postquam ad diuersa hospitia sunt charitatiue recepti, quilibet in hospitio sibi gratis concesso habet aliquid plusquam prius: quia habet licitam potestatem manendi in ipso absq; alia concessione, quam ante concessionem non habuit: & tamen in hospitio non habet proprietatem & dominium neq; in speciali neq; in communi.

Ad auctoritates, q̃bus postea probat, quod Petrus fuit ꝓprietarius & dominus caligarũ & vestimẽtorũ: Respondent, ꝙ illa non erant Petro quo ad dominiũ & proprietatẽ saltem in speciali, sed quo ad vsum. Et de hoc magis patebit super literã. Cum vero vltimo dicit ille impugnatus, ꝙ per illa verba, *multitudinis credentium* &c. non potest ꝓbari, ꝙ non poterant postea recipere de istis cõmunibus, & vt ꝓpria retinere. Respondent isti impugnatores, ꝙ per illa verba & sequentia, sicut deductum est contra secundã assertionẽ, potest probari, ꝙ ideo dederunt pretia rerũ suarum cõmunitati, ne aliquis quantũ suppeteret eis facultas essent egens inter eos. Et ideo ne aliquis eorum extra communitatem daret vel venderet aliquã portionẽ, ac etiam daret alteri intra cõmunitatẽ, & ita vnus multum abundaret, & alter egeret: ordinauerunt, ꝙ portiones illæ assignarentur ad eorum indigentias releuandas, & non ad dominium vel proprietatem in speciali. Et quod hoc fuerit eorum intentio, ex textu & expositionibus sanctorum, vt dicunt isti, constat aperte.

His visis aliqua circa literam sunt notanda (*Videtur etiam*) quamuis hoc non videatur asserere illa quæ sequuntur: omnia tamen postea diffinitiue & assertiue determinant. (*Proprietarius & Dominus*) Ex his verbis isti impugnatores eliciunt duas primas assertiones principales, quas asserunt esse erroneas. (*egens*) Id est, mendicus, quod veritatem habuit pro aliquo tempore, quis forte non pro omni tempore sequenti. Sed ex hoc nõ potest concludi, ꝙ aliquis eorũ erat proprietarius, sicut sæpe monachi, serui filiifamilias, & alii multi nõ sunt egentes, id est, mendici, sed quo ad vsum abundãt, & tamen non sunt proprietarii. (*Afferebant pretia eorum quæ vendebant*) Hic notant quod possessiones nunquam fuerunt communes tantummodo pretia facta fuerunt cõmunia. (*Diuidebant*) Hoc est assignabant, sicut inter monachos cuilibet assignatur portio sua. Inter quos etiam sæpe res immobiles & aliæ non consumptibiles vsu diuiduntur: (*prout cuiq; opus erat*) Ex hoc colligitur, quod nulli fuit aliqua portio assignata ad diuidendum vel vendendum aut legandum, sed tantummodo ad suam indigentiam subleuandam, & ad se sustentandum. Et ita nulli fuit aliqua portio assignata, vt esset eius quo ad dominium seu proprietatem in speciali. (*Supponit aperte quod illud quod vnicuique dabatur diuisim cuiuslibet erat proprium*) Hoc negant, imo dicunt, quod eo quod dicitur prout vnicuiq; opus erat, supponit, quod non dabatur nisi ad releuandum indigentiam cuiuslibet: quod verum est, considerata serie tota textus ibidem. (*Diuidere enim est diuisim* &c.) Dicunt quod *diuidere*, vt accipitur in Actibus Apostolorum, vbi de prædicta diuisione fit mentio, est dare, accipiendo *dare* pro verbo tradendi vel assignandi ad vsum, non accipiendo *dare* pro facere rem esse accipientis, quo ad dominium seu proprietatem in speciali. (*Cum ergo daretur ab illis qui dare poterant, scilicet Apostolis*) Ex his verbis isti impugnatores imponunt impugnato nouum errorem. Quia cum in toto isto processu accipit *dare* pro transferre dominium ab vno in alium, sequitur quod Apostoli dando illa bona singulis dominium illorum à se in alios transtulerunt. Et ita secundum ipsum ista bona prius erant Apostolorum quantum ad dominium & proprietatem in speciali, sicut post diuisionem facta sunt singulorum quo ad proprietatem seu dominium in speciali. Et ex isto errore, vt dicunt, sequitur alius error, scilicet quod illa bona diuisa nunquam fuerunt communia credentibus: quia si ante diuisionem fuerunt propria Apostolorum, ex quo Apostoli poterant dare illa bona: & post diuisionem fuerunt propria singulorum, nunquam fuerunt communia credentibus, quamuis posset dicere, quod fuerunt communia collegio Apostolorum, & illis qui recipere poterant quo ad vsum, sed non quo ad dominium seu proprietatem in speciali. (*sustentationem*) tantummodo non ad vendendum nec dandum. (*Videtur quod quilibet fuerit Dominus* &c.) male infert, sed deberet inferre, quod quilibet habuerit potestatem vtendi portione sibi assignata, qualem ante diuisionem non habuit. (*Alias non videretur verum, quod dicitur, quod egentes non essent*) Illa ratio est ad oppositum. Ideo enim illa erant diuisa inter eos quo ad diuidendi potestatem portionibus sibi assignatis, non quo ad dominium seu proprietatem in speciali, ne essent egentes.

Quia

Quia facilius possunt aliqui fieri egentes, quando aliqua bona diuiduntur inter eos quo ad proprietatem in speciali, vt libere possint ea vendere & donare, quam quando diuiduntur inter eos ad vsum sine potestate vendendi & dandi. Qui enim aliquam portionem recipit quo ad dominium seu proprietatem in speciali, statim potest rem dare & reddere se egentem. Non sic ille, qui portionem suam recipit tantummodo ad vtendum. Et ideo ne essent egentes, ordinatum fuit inter credentes, ne aliquis posset dare portionem suam: sicut nunc inter monachos ordinatum est, ne aliquis vendat vel det absq; licentia superioris rem aliquam. Et propter hoc conseruantur, ne sint egentes. Si enim monachi & alii religiosi possent dare & vendere portiones suas, sæpe efficerentur egentes, qui nunc abundant. Sed forte videbitur alicui, quod secundum istos impugnatores primi credentes habuerunt in portionibus sibi assignatis simplicem vsum facti. Ex quo dicunt, quod dictæ portiones non erant eis assignatæ, nisi ad vtendum tantummodo. Ad hoc dicunt, quod illi credentes non habuerunt tantum simplicem vsum facti: quia licet per diuisionem non erant portiones assignatæ, nisi ad vtendum: tamen ante illam diuisionem habuerunt in eis ius quoddam commune, quod per diuisionem minime perdiderũt. Et ita semper vltra vsum facti ius aliquod habuerunt. (*nisi post diuisionem plus haberent.*) Illud est verum. Sed illud plus non est dominium seu proprietas in speciali, sed est licita potestas vtendi, quam habuerunt per diuisionem: quemadmodum monachus non habet licitam potestatem dormiendi in camera aliqua, antequam sibi per superiorem fuerit assignata. (*Præterea constat quod vestimenta quotidiana* &c.) ex hoc notant isti impugnatores, quod secundum impugnatum nullus potest vti vestibus quibuscunq; absq; dominio & proprietate, ex quo dicit vestes inter res vsu consumptibiles computandas: & secundum ipsum nullus potest vti rebus vsu consumptibilibus absq; dominio & proprietate. (*Caligas tuas*) Dicunt isti impugnatores, quod ille impugnatus per multiplicitatem & æquiuocationem talium vocabulorum *meum, tuum, eius, ipsius, habere* & huiusmodi conatur simplices in errores inducere, quod credent Apostolos habuisse dominium & proprietatem in speciali, & quod Christus habuit dominium in speciali & alios plures errores per multiplicitatem talium vocabulorum satagit palliare, & puritatem corrumpere fidei orthodoxæ. Et ideo dicunt, quod talia vocabula *meum, tuum, suum, nostrum, vestrum, eius, ipsius, habere*, & huiusmodi in scripturis, variis modis & æquiuoce accipiuntur. Aliquando enim denotant dominium & proprietatem in speciali: sicut accipitur in Actibus, cum dicitur: *nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat* &c. Et etiam Genes. 14. dixit Abraham ad regem Sodomorum: *Non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Aliquando important curam & custodiam. Et sic dicitur Iohan. 19. de Beato Iohanne: *Accepit eam* (scilicet virginem Mariam) *in suam*: quæ tamen non fuit sua quo ad dominium seu proprietatem. Sic etiam dicit sæpe vulgariter famulus de equo Domini sui: *Ille est equus meus* quia sibi est ad custodiam deputatus. Aliquando important vsum facti & licitam potestatem vtendi: sicut peregrini & alii sæpe dicunt se habere hospitium. Et vnus dicit, *hic est hospitium meum*: alius, *hic est hospitium meum*: quorum tamen non habent dominium & proprietatem, sed licitam potestatem vtendi, scilicet inhabitandi. Sicut dicitur primo Maccabęorum 12. ca. vbi habetur quod Spartiatæ scripserunt Iudæis in hęc verba: *Pecora nostra & possessiones nostræ vestræ sunt: & vestra nostra.* Quod non debet intelligi quo ad dominium & proprietatem, sed quo ad licitam potestatem vtendi, & in tempore necessitatis. Sic etiam in Regula Fratrum Minorum, quod habeant duas tunicas, vnam cum caputio & aliam sine caputio, quæ voluerint habere, scilicet ad vsum, non quo ad proprietatem. Aliquando important locum originis. Sicut Lucæ 4. *Nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Aliquando consuetudinem habitandi, iuxta illud Matth. 9. *Venit in ciuitatem suam*: quæ non erat sua quoad dominium & proprietatem, sed quia ibi consueuerat habitare. Aliquando important sanguinis propinquitatem: sicut *ille est pater meus: Ille est filius tuus.* Aliquando important totum vel partem; sicut, *ille habet manus suas* Aliquando important prælationem aut dominationem: sicut, *Ille est Episcopus meus: Ille est Archidiaconus eius: Ille est rex tuus.* Multis aliis modis accipiuntur huiusmodi vocabula. Et ideo dicunt, quod cum dixit Angelus Petro: *calcia te caligas tuas*: illæ caligæ non erant Petro quo ad dominium seu proprietatem, sed erant suæ quo ad licitam potestatem vtendi vel calciandi. Et si quæras, cuius fuerunt quo ad dominium seu proprietatem? dicunt isti impugnatores, quod postea respondebunt, vbi tractabitur, an Apostoli habuerunt alicuius rei dominium in communi. (*Vestimentum tuum*) dicunt quod vestimentum erat Petro quo ad licitam potestatem vtendi, non quo ad dominium seu proprietatem autem in speciali.) *Vbi clare supponit Angelus quod caligæ & vestimentum assignata Petro propria erant quo ad dominium Petri.*) Hic primo notant isti impugnatores, quod quicquid prius videbatur dixisse sub dubio, hic asserit manifeste. Secundo dicunt quod angelus hic non supponit, quod caligæ & vestimenta erant propriæ Petro: sed supponit, quod ipse habuit potestatem vtendi eis. (*Quare videtur quod pecunia*) quod hic specialiter dicit Petrum habuisse pecuniam quo ad proprietatem & dominium in speciali, inferius tractabitur. (*Nec votum viuendi sine proprio*) In hoc isti impugnato Thomas contradicit expresse in libro suo *contra doctrinam detrahentium*, vbi dicit: *Ea quibus vtuntur religiosi ad sustentationem vitæ non sunt eorum quantum ad proprietatem dominii. Sed dispensantur ad vsum necessitatis ipsorum ab his, qui horum dominium habent quicunq; sint illi.* Hæc ille. Vbi de Fratribus Minoribus loqui videtur: quia respondet ad obiectionem illorum, qui dicebant esse impossibile, quod aliquis nihil in communi vel proprio possideat: quia necesse est quod comedant & bibant & induantur, quod facere non possunt, si nihil haberent. Ad quam obiectionem per verba superius recitata respondet. Ex quibus, vt dicunt isti impugnatores, clare patet,

quod secundum Thomam in rebus vsu consumptibilibus vsus potest à proprietate & dominio separari. (*Praeterea ex illo capitulo Act. 4. non potest probari quin credentes* &c.) Hoc negant isti, sicut superius est deductum. (*Scriptura enim prædicta quantum ad hoc nihil aliud dicit nisi quod sequitur; multitudinis credentium* &c.) Dicunt hoc esse falsum: quia præter verba hic recitata, Scriptura prædicta dicit: *Neque enim quisquam eorum egens erat inter illos.* Ex quibus verbis & verbis hic recitatis concluditur, quod diuisio illa fuit tantummodo ad sustentandum omnes: & non quod aliquis haberet potestatem dandi vel vendendi portionem suam. Et ita nullus eorum habuit proprietatem portionis suæ in speciali. Ad cuius euidentiam dicunt isti impugnatores, quod ex duabus caussis credentes in primitiua Ecclesia voluerunt omnia esse communia, & nihil habere proprium in speciali, nec ante diuisionem: nec post, scilicet ex perfectionis amore, & vt nullus esset egens inter eos. Et ex vtraq; causa sequitur, quod nullus eorum habuit proprietatem in speciali portionis suæ post diuisionem. Si enim habuissent proprietatem in speciali portionis suæ ad perfectionem religiosorum posterioris temporis, qui nullius rei proprietatem habuerunt in speciali, minime peruenissent: cum tamen sancti dicant, eos fuisse perfectiores. Vnde & ex perfectionis amore dicunt eos omnes possessiones in communi reliquisse. Et ita ex perfectionis amore, qui vigebat in eis, apparet quod nullius rei proprietatem in speciali post diuisionem habuerunt. Ex secunda caussa, quare omnia voluerunt esse communia, patet idem: quia aliter forte cito fuissent aliqui egentes inter ipsos. (*Non autem videntur se astrinxisse* &c.) Dicunt isti impugnatores, quod se astrinxerunt, ne perfectionem priorem dimitterent: & ne aliquis esset egens inter ipsos. (*Imo hoc scriptura prædicta sacra supponit aperte.*) Hic asserit manifeste, vt isti dicunt, quod prius videbatur absq; assertione proferre. (*Diuidere autem est sicut prædictum est alicuius rei diuisas partes aliquibus dare*) Dicunt isti impugnatores, quod hoc est verum accipiendo verbum *dandi* pro verbo tradendi seu assignandi vel deputandi. Et sic nihil facit ad propositum istius: quia sic dari non est facere rem esse accipientis quo ad dominium seu proprietatem.

CAP. X.

Item, ad probandum, quod asserere, quomodo in rebus, quæ vsu consumuntur, non possit haberi vsus à dominio separatus, obuiet scriptura sacra: adducit illud, quod Petrus Domino dixit Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. *Quod secundum eum non potest intelligi, quod Apostoli reliquerint omnia quantum ad vsum: quia constat ex scriptura sacra, quod postea rebus vsu consumptibilibus vtebantur. Igitur reliquerunt omnia tam consumptibilia quam non consumptibilia vsu quantum ad dominium & proprietatem, vt probatur, sicut ipse dicit* 12. q. 1. c. dilectissimis. *Quia qui dicit omnia, nihil excipit. Et sanctus Gregorius super illo* relictis retibus, *dicit,* quod multum reliquit, qui nihil sibi retinuit: qui quantumlibet parum, totum deseruit. *Ergo dicere quod vsus rerum consumptibilium non potest separari à proprietate & dominio, sacra scriptura obuiat & repugnat. Et confirmat hoc, sicut dicit, quod Apostoli abdicationem omnium rerum vouerunt secundum Augustinum* 17. de ciuitate Dei. *Ad quorum exemplar religiosi, qui figuram Apostolorum tenent, vt dicitur* 19. q. 1. c. Ex auctoritate, *vouent abdicationem omnium rerum vsu consumptibilium, non tamen quantum ad vsum. Quare sequitur secundum eum, quod Apostoli vouerunt, & religiosi vouent abdicationem dominii & proprietatis omnium rerum vsu consumptibilium & non consumptibilium vsu. Hæc dicta eius.*

Postquam in parte præcedenti ille impugnatus respondit ad primam obiectionem appellantis: Hic ad secundam respondet. Et diuiditur in duas partes: quia primo obiectionem recitat appellantis: Secundo respondet ad ipsam in parte immediate sequenti. Est autem obiectio talis. Apostoli diuiserunt proprietatem omnium rerum consumptibilium vsu & non consumptibilium vsu: & non diuiserunt vsum facti rerum consumptibilium vsu. Igitur vsus facti in rebus huiusmodi potest à proprietate & dominio separari. Confirmatur: quia Apostoli vouerunt & religiosi vouent abdicationem omnium temporalium: sed non vouent abdicationem vsus facti in rebus vsu consumptibilibus. Ergo vouerunt Apostoli & vouent religiosi abdicationem dominii huiusmodi rerum.

Ad euidentiam istius obiectionis dicunt isti impugnatores, esse sciendum, quod licet illa obiectio primo & directe ex forma verborum probet, quod vsus facti potest separari à proprietate & dominio in speciali: tamen secundario suppositis quibusdam veritatibus, quæ licite negari nō possunt, probat quod vsus facti potest separari ab omni dominio in speciali & in cōmuni, quo valeat aliquis pro re vel vsu rei in iudicio litigare. Confirmatio autem non probat tantum, nisi per consequentiam: sicut aliqualiter patet ex præcedentibus, & magis ex sequentibus apparebit.

Sed accedamus ad textum (*Ecce nos reliquimus omnia*) debet intelligi quod reliquerunt omne dominium rerum temporalium, quod esset proprium cuicunq; Apostolo vel toti collegio Apostolorum, quantum ad dominium & proprietatem, qua valerent in iudicio litigare. (*Vouerunt*) hoc licet in scripturis diuinis vocaliter non legatur, tamen ex scripturis & expositionibus sanctorum colligitur, vt dicunt isti. (*Figuram Apostolorum tenent*) non tamen omnes secundum omnem gradum perfectionis Apostolos imitantur: sed in aliquo gradu imitantur, & in aliquo deficiunt. (*Vouent abdicationem*) temporalium, quantum ad omnem proprietatem in speciali: & quantum ad omnem proprietatem etiam in communi: Habent tamen vnam proprietatem, quæ est potestas de re libere disponendi. Talem enim proprietatem in nulla re temporali habent monachi neq; in speciali, neq; in communi. Habent tamen vnam proprietatem in communi communiter dictam, qua possunt rem nomine communitatis suæ specialis vendicare in iudicio, & etiam defensare. Sed Apostoli etiam talem proprietatem in quacunq; re temporali minime habuerunt.

CAP.

CAP. XI.

AD *hoc dicendum, quod per verba illa*: Ecce nos reliquimus *&c. non potest concludi, quod quo ad dominium seu proprietatem reliquerint ea. Reperimus enim hæc verba dicta de Petro, Iacobo, & Iohanne Luc. 5 vbi dicitur*, quod subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum. *Et tamen post verba illa legitur Matth. 4. quod* Iesus ambulans iuxta mare Galileæ vidit Petrum & Andream mittentes retia in mare, quibus ait: venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Qui continuo relictis retibus secuti sunt eum. *Et quod illud, quod dictum est Luc. 5. præcesserit illud quod dictum est Matth. 4. dicit Augustinus in libro* de concordia Euangelistarum expresse. *Item post illud, quod legitur Matth. 4. habetur Matth. 8. quod* venit Iesus in domum Petri. *Ergo domus adhuc remanserat Petri. Item Matth. 26. legitur quod*, vnus ex his qui erant cum Iesu (*videlicet Petrus, vt dicitur Iohan. 18.*) exemit gladium & percutiens seruum pontificis amputauit auriculam eius. *Cui Iesus ait*: Conuerte gladium tuum in locum suum. *Ergo gladius erat Petri. Item Luc. 22. dictum est Petro & aliis Apostolis*: qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet (*scilicet gladium*) vendat tunicam suam & emat gladium. *Item Actor. 12. dixit Angelus Petro*: præcingere & calcia te caligas tuas. *Item dixit ei*: circunda tibi vestimentum tuum & sequere me. *In quibus sacra scriptura euidenter supponit, quod post illa verba posita Luca 5 de Petro & Iacobo & Iohanne*: Relictis omnibus secuti sunt eum, *scriptura sacra prædicta supponunt eum habuisse & retia & domum. Et post illa verba Petri*: Ecce nos reliquimus omnia, *etiam notatur gladium & vestes habuisse, vt sua. Quare relinquitur, quod per verba illa*; Relictis omnibus secuti sunt eum, *non potest concludi Apostolos à se dominium omnium temporalium abdicasse. Item de Matthæo legitur Luc. 5. quod cum Iesus dixisset Matthæo*, sequere me: *quod ipse* surgens relictis omnibus secutus est eum. *Et statim sequitur, quod Matthæus, qui & Leui dicebatur*, fecit ei magnum conuiuium in domo sua. *Vnde patet, quod quantumcunque de eo dicat scriptura, quod relictis omnibus secutus est eum, non sequitur quod, quo ad Dominium reliquerit ea, cum statim subdatur, quod in domo sua fecerit sibi conuiuium magnum.*

IN ista parte ille impugnatus ad prædictam obiectionem respondet. Et diuiditur in quinq; partes. In prima respondet ad auctoritatem illam: *Ecce nos reliquimus omnia* &c. In secunda ad capitulum Clementis *12. q. 1. dilectissimis*. Tertio ad illud quod dicitur Apostolos post illa verba: *Ecce nos* &c. habuisse vsum rerum vsu consumptibilium. Quarto ad illud, quod tangitur de voto Apostolorum. Quinto ad illud, quod adducitur de monachis tenentibus figuram Apostolorum. Secunda pars incipit ibi: *Item non obstat*. Ttertio ibi: *Item in eodem quod dicit quod Apostolis*. Quarta ibi: *in eo quod dicit*. Quinta ibi: *Item non obstat c. illud 16. q. 1.* Prima diuiditur in tres. Primo enim ad illam auctoritatem respondet, ostendens quod non debet intelligi, quod Apostoli reliquerunt omnia quo ad dominium & proprietatem. Secundo declarat, quod est alius modus relinquendi ibi & propter hoc. Tertio redit ad ostendendum propositum principale ibi: *de Iacobo autem*. In prima igitur parte dicit, quod per illa verba Petri: *Ecce nos reliquimus omnia*, non potest ostendi, quod reliquerint omnia quo ad dominium & proprietatem. Nam post consimilia verba dicta de Petro, Iacobo & Iohanne leguntur aliqua habuisse quo ad dominium & proprietatem, scil. tam mobilia quam immobilia. Sed post verba prædicta Petri legitur Petrus aliqua habuisse quo ad dominiū & proprietatē. Ac post verba de beato Matthæo ipse legitur aliqua habuisse. E. per talia verba: *Nos reliquimus omnia* &c. & æquipollentia non potest concludi, quod omnia reliquerint quo ad dominium seu proprietatem. Et ad hoc probandum septem auctoritates scripturę adducit.

Sed isti impugnatores illa reprobare conantur. Procedunt autem sic. Primò eius assertionem impugnant: Secundò ad auctoritates, quas ille allegat pro se respondent. Ad euidentiam primi dicunt esse sciendum, quod sicut teste Clemente, vt habetur *distinct. 27. c. Relatum*, multa verba sunt in scripturis diuinis, quæ possunt trahi ad eum sensum, quem sibi sponte vnusquisque præsumpserit: sed non oportet. Ita verba beati Petri, cum dixit *Ecce nos reliquimus omnia*, nude accepta, & non vt relata ad antecedentia & consequentia & alia loca scripturæ diuinæ, posset quis ad eum sensum trahere, vt aliter quam quo ad dominium & proprietatem dicat beatus Petrus se & alios Apostolos omnia reliquisse. Sed non debemus talem sensum contra veritatem scripturarum accipere: sed ex ipsis scripturis sensum oportet capere veritatis. Et ideo ex sacrarum serie scripturarum conantur ostendere, quod cum beatus Petrus dixit: *Ecce nos reliquimus omnia*: intellexit de modo relinquendi omnia quo ad dominium seu proprietatem. Et hoc tam in speciali quam in generali quo ad communitatem ipsorum Apostolorum. Et hoc loquendo de dominio seu proprietate, quo valet quis in iudicio litigare, aut etiam auctoritate propria vel suæ communitatis rem aliquam dare vel vendere aut locare aut circa rem aliquam contractum exercere: quia de tali dominio loquitur ille impugnatus. Primò autem probant isti impugnatores, quod Apostoli reliquerunt omnes possessiones quo ad proprietatem seu dominium tam in speciali quam in communi. Secundo probant, quod vniuersaliter omnia reliquerunt quo ad proprietatem seu dominium tam in speciali quam in communi. Primam conclusionem, cuius contrarium dicit ille impugnatus, probant primo sic. Non imperfectiorem modum relinquendi possessiones tradidit Christus Apostolis sub præcepto vel consilio, quam consuluit illi adolescenti, occasione cuius dixit beatus Petrus verba prædicta: *Ecce nos reliquimus omnia*. Sed illi adolescenti prædicto consuluit relinquere omnes possessiones tam in speciali quam in communi, dicens ei: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus*

quæ verba secundum omnes de vendendis possessionibus debent intelligi. Quod ex ipso textu colligitur euidenter, vt scribitur: *Cum audisset adolescens verba hac, abiit tristis. Erat enim habens multas possessiones.* Vendita autem & data pauperibus nec in speciali nec in communi habentur. Ergo consuluit Christus adolescenti prædicto omnes possessiones relinquere tam in speciali quam in communi. Ergo eundem modum relinquendi omnia indixit Apostolis sub consilio vel præcepto. Constat autem quod Apostoli præcepta Christi & consilia impleuerunt. Ergo Apostoli omnes possessiones in communi & in speciali reliquerunt. Secundo sic arguunt. Primo, Petro dicente: *Ecce nos reliquimus omnia*: quæ verba secundum omnes debent intelligi de omnibus possessionibus, licet secundum aliquos non debeant intelligi de omnibus mobilibus. Quia, sicut dicitur, vestes suas minime reliquerunt. Quærunt isti impugnatores, aut intellexit de modo relinquendi cum intentione redeundi seu reassumendi possessiones relictas? aut cum intentione minime reassumendi & nunquam habendi? Primum non potest dici: quia de eodem modo relinquendi omnia locutus est Petrus, quando dixit: *Ecce nos reliquimus omnia.* Et Christus, quando dixit ibidem subiungens: *Et omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut vxorem aut filios aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet* &c. Sed Christus locutus est de modo relinquendi cum intentione minime reassumendi: quia reliquisse domum aut agros cum intentione reassumendi, non est opus magnæ perfectionis. Christus autem ex magno præmio, quod relinquenti domum aut agros promisit, ostenditur de opere magnæ perfectionis locutus fuisse. Igitur loquitur de modo relinquendi cum intentione non assumendi. Ergo de eodem modo relinquendi intellexit verba sua Petrus, cum dixit: *Ecce nos reliquimus omnia.* Qui autem relinquit aliquas possessiones cum intentione nunquam rehabendi; relinquit eas quantum ad dominium & proprietatem: tum quia frustra sibi proprietatem & dominium retineret: tum quia qui relinquit bona temporalia cum intentione nunquam rehabendi, vel de eisdem recte disponit, scil. vendendo vel dando ac legando: vel ipsa habet pro derelictis. Et siue vno siue alio prædictorum modorum relinquat bona quæcunque, ipse relinquit quo ad dominium & proprietatem: quia vendentes, dantes & legantes post confirmationem testamenti: & similiter habentes bona pro derelictis relinquunt ipsa quantum ad dominium & proprietaté. Relinquitur ergo quod Apostoli omnes possessiones, de quibus nullo contradicente verba Petri prædicta debent intelligi, reliquerunt quo ad dominium & proprietatem. Tertio sic arguunt: paupertas Apostolica non fuit minor nec imperfectior paupertate Religiosorum sequentium ipsos. Hæc ex dictis & probatis *capitulo nono* præcedenti colligitur euidenter. Sed plures sunt Religiosi Mendicantes, nullas possessiones habentes in communi. Ergo multo magis Apostoli non habuerunt possessiones in communi. Et si dicat aliquis, quod nulla est religio habentium quęcunq; in communi, quin etiam aliqua immobilia habeant in communi: quia habent domos & hortos in communi. Et ita per hanc rationem non probatur, quin Apostoli aliqua immobilia habuerint in communi, licet non amplas possessiones. Sed isti impugnatores dicunt hoc non valere: quia dicunt, quod causa, quare tales religiosi habent aliqua immobilia in communi, est quia simul conuersantur & morantur. Et ideo conueniens est, quod domos & hortos habeant in communi, sicut quædam mobilia habent in communi. Sed Apostoli nequaquam simul manebant, nisi aliquando ad breue tempus aliqui eorum simul morabantur. Et ideo sicut possessiones non habuerunt in communi, ita etiam domibus & hortis caruerunt in communi. Quarto sic arguunt. Paupertas Apostolica paupertati Christi debuit esse conformis. Sed Christus non habuit possessiones etiam in communi, quia habens possessiones etiam in communi habet vbi caput suum reclinet, & vbi moretur. Christus autem non habuit vbi caput suum reclinaret, ipso testante Matth. 8 qui ait; *Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Ergo etiam Apostoli possessiones & domos quascunque in communi minime habuerunt. Porro quia illa communio hactenus paucos habuerit contradictores, & multos habuerit defensores: quia omnes Religiosi mendicantes & Doctores eorum, vsque ad tempora istius impugnati, ipsam firmiter tenuerunt, & in scriptis reliquerunt, sicut de Thoma patet in speciali supra *capitulo sexto.*

Ideo secundam conclusionem, scil. quod Apostoli omnia mobilia & immobilia, consumptibilia vsu & non consumptibilia vsu, reliquerunt quantum ad dominium & proprietatem, tam in speciali quam etiam in communi, fortius isti impugnatores probare conantur. Hanc enim multi religiosi mendicantes, & quidam alii consueuerunt impugnare. Sed quod Apostoli reliquerunt omnia tam in speciali quam etiam in communi, isti impugnatores ostendunt, & quia plures summi pontifices hanc assertionem non solum sententialiter sed etiam vocaliter diffinierunt, & firmiter tenuerunt. Ideo illam assertionem primo per sententiam plurimorum pontificum satagunt confirmare, dicentes, sicut allegatum est supra *capitulo 9.* Nicolaus tertius sententialiter & vocaliter diffiniuit dicens in hæc verba: *Dicimus quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerũ tam in speciali quam etiam in communi propter Deum, meritoria est & sancta: quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmauit: quamque primi fundatores militantis ecclesiæ prout ab ipso hauserant, in volentes perfecte viuere per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos deriuarunt.* Ex his verbis quatuor colliguntur aperte. Primum est, quod abdicatio proprietatum omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi spectat ad perfectionem. Secundum est quod Apostoli hanc abdicationem ab ipso Christo acceperunt & didicerunt. Tertium est quod Apostoli hanc abdicationem in se seruauerunt. Quartum est quod Apostoli hanc abdicationem aliis seruandam exemplo & doctrina tradiderunt. Et ita clarius dici non

posset

posset, quod Apostoli omnia reliquerunt quo ad dominium & proprietatem tam in speciali, quam etiam in communi. Istam eandem sententiam tenuit postea Bonifacius octauus, qui eadem verba *lib. 6. decretalium* compilato, per ipsum inseruit, & ita per solennem approbationem, illam sententiam fecit suam. Clemens etiam quintus decreta. *Exiit*, in qua verba continentur prędicta, approbans eandem sententiam fecit suam. Et ita patet aperte, quod plures summi pontifices hanc assertionem firmiter & irreuocabiliter tenuerunt. Propter quod isti impugnatores putant demonstratiue per hoc se probare, quod ille impugnatus modo non est verus Papa: quam probationem hic non replico, quia posita est superius *cap. 9*. Viso autem quod hæc assertio est per plures Romanos pontifices solenniter diffinita & determinata, ostendunt isti impugnatores, quod hæc diffinitio Romanorum pontificum in scripturis diuinis & doctrina sanctorum patenter est fundata. Et secundum quod quatuor in prædictis verbis Nicolai tertii continentur, vt dictum est, quatuor conclusiones probare nituntur. Quarum prima est, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum ad perfectionem spectat. Secunda est quod Christus talem abdicationem docuit. Tertia quod Apostoli abdicationem huiusmodi seruauerunt. Quarta quod talem abdicationem alios docuerunt.

Quod autem talis abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum ad perfectionem spectet, multis modis ostendere moliuntur. Primo sic: Omnis abdicatio superfluitatis rerum temporalium ad perfectionem spectat. Hoc videtur tam euidens quod probatione non indiget. Sed retentio proprietatis siue in speciali siue in communi est quædam superfluitas temporalium rerum: quia omnia in rebus temporalibus quæ non sunt necessaria ad sustentationem licitam humanæ naturæ, sunt inter superflua computanda. Natura autem ita licite sustentatur in temporalibus sine retentione proprietatis siue in communi siue in speciali, sicut cum retentione talis ꝓprietatis: E. omnis retentio ꝓprietatis siue in cōmuni siue in speciali est quędā superfluitas temporaliū rerū. E. abdicatio omnis talis proprietatis ad perfectionē spectat. Contra illam rationē obiici potest. Nam nō videtur, quod omnis retentio vel habitio proprietatis rerū in cōmuni sit inter superflua cōputanda: quia omnis superfluitas est vitiosa. Et per consequens omnes retinentes superflua sunt vitiosi. Ex quo sequitur, ꝙ omnes habentes ꝓprietatem quarumcunq; rerum in communi sunt vitiosi: quod non est aliqualiter concedendum. Ad hoc isti impugnatores respondent dicentes, quod aliquid dicitur esse superfluum tripliciter. Vel quia vitiosum & nociuum, sicut comestio dicitur esse superflua, quia nocet naturæ & generat morbum. Aliter dicitur superfluum, ꝙ de se est nocumenti occasio, sicut cum aliquis comedit quod de se nocere non potest, potest tamen esse nocendi occasio. Tertio dicitur aliquid superfluum quod nec est nociuum nec nocendi occasio. non est tamen necessarium, sicut sæpe comedere vnam fabam, neq; est nociuum nec posset nocere: esset tamen inutile & non necessarium. Ad propositum dicunt, quod retentio proprietatis quarumcunq; rerum in communi vel in speciali est superflua tertio modo: quia non est necessaria, cum sine ea possit sustentari natura humana: imo etiam sine ipsa contingit exercere alia, quæ ad distincta spectant officia, sicut studere, legere, cantare, scribere & alia quæ ad reliqua spectant officia. Retentio etiam proprietatis rerum in communi est superflua secundo modo, quia est nocendi occasio, cum enim vnusquisq; vt communiter magis amet rem, cuius habet proprietatem in communi, magisq; sollicitetur circa ipsam, quam circa rem, in qua penitus nullam habet proprietatem, retentio proprietatis rerum in communi amoris superflui & nociui, ac etiam sollicitudinis superfluæ & nociuæ potest esse occasio. Et ideo talis retentio est superflua secundo modo. Primo vero modo nec retentio proprietatis rerū in communi, nec retentio proprietatis etiam maximarum diuitiarum in speciali est de se superflua, quia non est de se nociua: imo in casu potest vtraque esse meritoria. Ad formam igitur obiectionis respondent, quod omnis superfluitas primo modo dicta est vitiosa. Sed non omnis superfluitas secundo modo & tertio modo dicta est vitiosa. Sed omnis talis superfluitas in diuitiis potest esse vitiosa. Sed forte obiiciet aliquis, quia etiam abdicatio proprietatis omnium rerum in communi potest esse vitiosa: quia potest esse nocumenti occasio.

Ad hoc respondent, quod talis abdicatio non est de se occasio nocumenti vel mali: & ideo non minus spectat ad perfectionem. Quia non omne quod potest esse occasio mali, deficit à perfectione. Corpus enim Christi ab aliquo sumptum indigne est occasio mali sumentis, nec tamen deficit à perfectione. Sed illud quod de se & communiter est occasio mali, ad perfectionem non pertinet. Retentio autem proprietatis rerum etiam in communi inclinat ad amorem & sollicitudinem nociuam circa temporalia. Et ideo ad perfectionem non pertinet. Et si dicatur, quod tunc religiosi retinentes proprietatem rerum in communi non essent perfecti, nec essent in statu perfectionis.

Ad hoc respondent dicentes, quod religiosi retinentes proprietatem rerum possunt esse perfecti, sicut habentes proprietatem magnarum diuitiarum, possunt esse perfecti. Vnde reges & principes retinentes suas diuitias in speciali possunt esse perfecti: tamen talis retentio non pertinet ad statum perfectionis. Sed nunquid sunt religiosi retinentes proprietatem rerum in communi in statu perfectionis?

Ad hoc respondent, quod tales sunt in statu perfectionis, non propter retentionem proprietatis rerum in communi, sed propter abdicationem proprietatis rerum in speciali

propter

propter Deum. Et ita abdicatio eorum ad perfectionem spectat. Sed retentio proprietatis in communi non spectat ad perfectionem. Et ideo licet sint in statu perfectionis, non tamen sunt in statu maximæ perfectionis: sed à maxima perfectione quantum ad hoc deficiunt. Secundo isti impugnatores sic arguunt. Sollicitudo circa temporalia est impedimentum caritatis & perfectionis, ipsa veritate testante, quæ Matth. 6. ait: *Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui verbum Dei audit & sollicitudo istius seculi & fallacia diuitiarum suffocat verbum & sine fructu efficitur.* Sollicitudo ergo temporalium fructum impedit spiritualium. Licitum ergo & bonum quanto magis tollit sollicitudinem huius seculi & temporalium, tanto magis ad perfectionem spectat. Sed abdicatio proprietatis omnium temporalium in communi est licita & bona, sicut inferius ostendetur, & magis tollit sollicitudinem circa temporalia, quam abdicatio proprietatis in speciali tantum: quia quamuis interdum aliquis ex bona causa vel mala sollicitudinem tantam adhibeat circa temporalia, quorum non habet proprietatem nec in speciali nec in communi: sicut aliquis circa temporalia, quorum habet proprietatem in communi: tamen vt communiter & quantum ad inclinationem quam ingerunt temporalia maiorem sollicitudinem adhibent homines circa communia bona, quam circa illa quæ nec sunt propria nec communia, quemadmodum licet interdum aliquis sit magis sollicitus circa communia quam circa propria. Vnde legimus multos propria propter communia neglexisse. Tamen vt communiter homines sunt magis circa propria quam circa communia solliciti. Homines etiam quorum natura corrupta ad cupiditatem est prona, quanto magis aliqua bona temporalia spectant ad ipsos, tanto circa illa sunt magis solliciti. Sed bona temporalia magis spectant ad illos, quibus sunt communia quantum ad dominium & proprietatem in communi, quam ad illos quorum non sunt quantum ad dominium & proprietatem in communi neque in speciali. Ergo homines ex ipsis bonis communibus inclinantur ad maiorem sollicitudinem exhibendam circa ipsa, quam si non essent communia. Et ita manifeste patet, quod abdicatio proprietatis in speciali & in communi ex natura sua magis tollit sollicitudinem circa temporalia, quam abdicatio proprietatis in speciali tantum. Ergo magis spectat ad perfectionem. Tertio sic arguunt. Quod ex magnitudine amoris diuini procedit, ad perfectionem spectat. Sed abdicatio proprietatis omnium temporalium in communi & in speciali propter Deum ex magnitudine amoris diuini procedit. Qui enim omnia abdicat tam in communi quam in speciali, propter aliquem finem hoc facit. Aut ergo propter Deum, aut propter aliquod temporale. Non propter aliquod temporale: quia talis stultus esset censendus, præsertim cum per talem abdicationem non posset consequi aliquod temporale, nisi forte à casu. Si autem abdicat omnia in speciali, & etiam in communi propter Deum: Ergo talis abdicatio ex amore diuino procedit, & ita ad perfectionem spectat. De illa conclusione fiet postea tractatus specialis. Quia ipsam specialiter reprobat iste impugnatus, vt in sequentibus apparebit.

Secunda conclusio hic probanda est, quod Christus docuit prædictam abdicationem proprietatis omnium temporalium in communi. Quam rem isti impugnatores ostendunt. Primo sic: Quicquid Christus consuluit, ipse docuit (Consulere enim in Christo fuit docere) sed Christus consuluit omnia relinquenda quantum ad dominium & proprietatem, tam in speciali quam etiam in communi. Quia cuidam principi interroganti, quid faciendo vitam æternam possidebo, vltimate respondit dicens, Luc. 18. *Omnia quacunq; habes vende & da pauperibus.* Ex qua responsione euidenter colligitur, quod consuluit abdicationem proprietatis omnium quæ habebat tam in speciali quam etiam in communi: quia exprimendo modum, per quem illa quæ abdicantur, omnino abdicantur quantum ad omnem proprietatem in communi & in speciali, venditionem videlicet, cum dixit: *Omnia quacunq; habes vende.* Insinuauit aperte, quod si oportuisset illum principem ad sustentationem naturæ aliquid retinere, puta cibum, aut potum, vel vestem, illud non debuit, si volebat Christi consilium adimplere, quo ad proprietatem in speciali vel in communi aliqualiter retinere, sed ad sustentandum naturam tantummodo. Fuit ergo hæc intentio Christi, cum dixit: *Omnia quæ habes, vende,* hoc est, omnium quæcunq; habes, ita à te proprietatem abiicias, ac si essent vendita, vt quæ potes conuenienter vendere, vendas. Quæ vero vendi non possunt, sicut sunt pecuniæ, illas nihilominus à te alienes, dando pauperibus vel quibus teneris. Si autem aliqua habes, quibus pro sustentanda natura carere non potes, vel quia nullus est, qui necessaria tibi ministret, vel ex aliqua alia rationabili causa, illorum nihilominus proprietatē ita à te abiicias, ac si essent vendita vsu tantummodo licito tibi retento. Et ita constat secundum istos, quod Christus in verbis prædictis consuluit talem abdicationem omnium temporalium, qualis per venditionem rerum, & erogationem factam pauperibus habetur. Constat autē, quod res, quæ venduntur & dantur pauperibus, quo ad omnem proprietatem in speciali & in communi penitus abdicantur. Ergo talem abdicationem Christus consuluit. Secundo sic arguunt. Christus *Matth. 6.* indixit Apostolis sub consilio vel præcepto amotionem omnis sollicitudinis, quæ non est necessaria, dicens: *Dico vobis ne solliciti sitis animæ quid manducetis,* neque *corpori vestro quid induamini.* Et post: *Nolite ergo solliciti esse dicentes: quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur?* Et post: *Nolite ergo solliciti esse de crastino.* Ex quibus verbis patenter colligitur, quod omnem sollicitudinem etiam circa illa, quæ in cibo, & potu, & vestimentis consistunt, sine quibus vita humana sustentari non potest, quæ non est necessaria, & sine qua contingit sustentari naturam, & ea quæ ad officium cuiuslibet pertinent exercere, Christus præcepit vel consuluit amouendam. Et ille intellectus verborum Christi ex sententia Augustini patenter habe-

be-

betur. Vnde super verba prædicta dicit in sermone Domini in monte: *non hoc dicit, vt illa non procurent, quantum necessitatis est, sed vt non illa faciant quicquid euangelii prædicatione iubentur.* Ex quibus verbis Augustini datur intelligi, quod omnem sollicitudinem, quæ non est necessitatis, Christus ab Apostolis voluit amouere, solummodo sollicitudinem, quæ necessitatis est, relinquendo eisdem. Sed proprietas rerum temporalium in communi non est necessitatis: nec etiam solicitudo de tali proprietate acquirenda vel conseruanda est necessitatis. Ergo Christus omnem proprietatem tempo-ra[illegible]communi, & omnem sollicitudinem de proprietate tali à perfecte ipsum sequi volentibu[illegible]it amouendas. Sed forte dicet aliquis, quod habere sollicitudinem de proprietate rerum in communi habenda, est necessitatis: quia qui abdicat omnem proprietatem in speciali & in communi, fami & periculo se exponit. Quod non licet, quamdiu homo habet quod faciat. Ergo retinere proprietatem rerum saltem in communi est necessitatis. Ad hoc dicunt isti impugnatores, quod talis nequaquam famis periculo se exponit, sicut nec religiosi mendicantes habentes aliqua in communi, quæ eis ad naturam sustentandam non sufficiunt, nisi aliqua de nouo mendicent. Vnde sicut illi religiosi mendicant res ad proprietatem in communi, ita possunt alii mendicare res consimiles ad licitum vsum absque omni proprietate in communi. Nec secundi plus quam primi se exponunt periculo: quia natura ita sustentatur per licitum vsum absque omni proprietate in speciali & in communi, sicut per licitum vsum cum omni proprietate in communi. Et idem est de aliis actibus, qui debent per temporalia exercere. Ita enim celebrat aliquis missam in vestimentis, quorum non habet proprietatem neque in speciali, neque in communi, sicut in vestimentis, quorum habet proprietatem in speciali vel in communi. Igitur talis proprietas non est necessitatis. Ergo Christus eam consuluit abdicandam. De aliis verbis Christi, quibus idem consuluit in diuersis locis occasione sumpta ex assertionibus istius impugnati patebit.

Tertia conclusio hic probanda est, quod Apostoli abdicationem huiusmodi seruauerunt, quam isti impugnatores ostendunt primo sic. Apostoli Christi seruauerunt eius consilia. Sed Christus consuluit omnem proprietatem rerum in speciali & in communi abdicandam, sicut ostensum est. Ergo Apostoli abdicationem huiusmodi seruauerunt. Secundo sic: paupertas nullorum post Apostolos fuit maior nec perfectior paupertate Apostolorum. Hoc auctoritate Hieronymi superius allegata patet expresse: qui asserit, neminem fuisse pauperiorem Apostolis. Hoc est etiam consonum rationi. Per Apostolos enim post Christum fundata fuit religio Christiana. Religio autem Christiana maxime docet rerum temporalium contemptum. Igitur & perfectissimam paupertatem. Igitur perfectissima paupertas in Apostolis debuit relucere. Sed aliqui post Apostolos omnem proprietatem rerum temporalium in speciali & in communi reliquerunt. E. & Apostoli abdicationē huiusmodi seruauerunt. Tertio sic: Apostoli tēporalia non q̄rebant, nisi ad necessitatē tantū modo: q̄a vltra necessitatē quærere est quodammodo superflue quærere. Quærere a. superflue est aliquomodo à perfectione deficere. Quod de Apostolis in hoc casu est nullatenus p̄sumendū. Sed ꝓprietas rerū siue in speciali siue in cōmuni non est necessitatis: quia sine ea valet quis omnia quæ ad ipsam p̄tinent exercere. E. Apostoli in reb' nullā ꝓprietatem habuerunt. Quarto sic: Qui in reb' temporalib' nō quærunt nec habent nisi vsum, nō habent in eisdē ꝓprietatē neq; in cōmuni neq; in speciali. Sed Apostoli in rebus temporalibus non habuerunt nisi vsum. Vnde Apostolus ad Philip. vltimo: semel & bis in vsum mihi misistis. Vbi dicit Gloss. q̄ ab August. accipitur: in vsum præter quem nihil est quærendū. Et Hieron. super illud Apostoli, 1. Thim. 6. *Habentes alimenta & quibus tegamur*; dicit sic: *habentes alimenta & quibus tegamur, vt ostenderet non quærere nisi vsum.* Apostoli ergo non quærebant in rebus temporalibus nisi vsum. Vsus autem post haberi sine omni proprietate in speciali & in communi. Ergo Apostoli nullam proprietatē quærebant in rebus temporalibus. Sed dicet ille impugnatus, ꝙ vsus nō potest in multis rebus à proprietate separari. Et ita in istis Apostoli quærentes vsum quærebāt & proprietatē saltē in communi. Hoc refellunt isti impugnatores dicentes, ꝙ esto quod vsus iuris, de quo loquuntur Iuristæ, non possit à proprietate separari, tamen vsus, de quo loquitur Apostolus in auctoritate prædicta, & de quo loquuntur auctoritates Augustini & Hieronymi, siue debeant vocari proprie vsus siue abusus secundum modum istius impugnati loquendi, potest à proprietate in communi & in speciali separari. Quia auctoritates prædictę loquuntur de vsu, qui est actus comedendi & bibendi & huiusmodi, aut licita potestas actus huiusmodi exercendi. Constat autem, quod huiusmodi actus & licita potestas actus huiusmodi exercendi, possunt à proprietate communi & speciali separari, sicut probatum est prius, & amplius inferius ostendetur. Ergo vsus siue sit proprie vsus, siue non sit proprie vsus, de quo loquuntur auctoritates, potest à proprietate communi & speciali separari. Apostoli autem talem vsum solummodo, de quo loquuntur auctoritates prædictæ, quærebant. Ergo nullam proprietatem communem nec specialem quærebant.

Quarta conclusio, quam isti impugnatores probare conantur, est quod Apostoli abdicationē huiusmodi alios docuerunt. Quod ꝓbatur per hoc, ꝙ omnē doctrinā, q̄ à Christo acceperāt, alios docuerunt, iuxta illud Matth. vltimo: *Euntes igitur docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; mandaui vobis.* Sed Apostoli à Christo acceperant, quod ad perfectionem spectat vitæ Christianæ omnium rerū temporalium proprietatem in speciali & in communi abdicare. Ergo etiam hoc alios docuerunt. Sed hoc videtur contrariū veritati: quia si Apostoli docuissent abdicare omniū tēporaliū ꝓprietatē in speciali vel in cōmuni; hoc maxime docuissent primos credētes, dicentes, quod, sicut iuxta verba beati Petri, quæ ponuntur *8. q. 1. c. Oportet.*

Oportet

Oportet eum qui docet, & instruit animas rudes, esse talem, vt pro ingenio discentium possit semetipsum aptare: Ita etiam oportet eum, qui docet esse talem, vt pro necessitate temporum & personarum, & aliarum circumstantiarum qualitate, semetipsum aptare possit. Responderi potest, quod in ecclesia primitiua, quando multitudo infidelium catholicos persequentium abundabat, & tamen per potestates etiam infideles, aliqualis fidelibus fiebat interdum iustitia, erat conueniens, vt primi conuersi ex Iudæis omnem proprietatem in communi, etiam & in speciali, qua libere, sicut ante conuersionem, valerent de rebus temporalibus ordinare, à se penitus abdicarent, quodam nouo modo proprietatis rerum in communi, & ante illa tempora forsitan inaudito modo vsu retento, quo res, quæ prius erant propriæ, pro derelictis nequaquam haberent, nec talem proprietatem, qualem prius habuerant, in personam aliam vel communitatem transferrent, & tamen pro eis, si ab infidelibus detentæ fuissent aut ablatæ, vel vendicatæ, potuissent in iudicio coram infidelibus litigare. Et ideo hoc eos Apostoli docuerunt, quia pensata conditione personarum, inter quas mulieres, etiam simplices habentes paruulos nutriendos, extiterunt, fuit conueniens vt aliqualem proprietatem, quæ raro vel nunquam in iure vocatur proprietas, retinerent. Postmodum vero Apostoli altiorem paupertatem alios docuerunt. Et quamuis hoc nō legeretur, nihil tamen esset negandū: quia multa docuerunt Apostoli, quæ non scripserunt. Et de multis est absque dubio concedendum, quod docuerint fideles, quamuis in scripturis autenticis minime habeantur: secundum quod per exempla de diuersis Apostolis posset aperte probari. Ex his, isti impugnatores nituntur concludere, quod verba Petri, cum dixit: *Ecce nos reliquimus omnia*, de abdicatione proprietatis omnium in speciali & in communi debent intelligi. Quia illa verba fuerunt beati Petri, postquam fuit ad Apostolatum sumptus & ad prædicandum missus, & de prædicatione reuersus, sicut habetur *Luc. 9.* Et postquam doctrinam Christi de sollicitudine necessariorum ad victum & vestitum non habendum audierat, & postquam consilium Christi de venditione omnium temporalium datam adolescenti aduerterat. Quare cum non sit aliquatenus præsumendum, quod Petrus volebat Christum per æquiuocationem vel ambiguum modum loquendi aut verba duplicia aliquo modo decipere, constat quod Petrus de illo modo relinquendi omnia intellexit, quomodo Christus omnem sollicitudinem circa temporalia abiiciendam docuerat. Et quomodo, quando Apostolos ad prædicandum misit, eos docuerat aurum, argentum, pecuniam non possidere. Et quomodo docuerat adolescentem omnia abdicare. Sed Christus sollicitudinem temporalium dissuadendo proprietatem specialem & communem temporalium dissuasit, sicut ostensum est, interdicendo etiam Matth. 10. possessionem auri & argenti & pecuniæ, proprietatem specialem & communem rerum huiusmodi interdixit. Consulendo etiam adolescenti omnium abdicationem, proprietatem & communionem omnium abdicandam admonuit. Ergo etiam Petrus nolens sub verbis ambiguis vel multiplicibus se iactare, cum dixit: *Ecce nos reliquimus omnia.* Et de modo relinquendi omnia, quæ Christus prius docuerat & suaserat, & consuluerat, intellexit. Quasi diceret beatus Petrus: Ecce fecimus quemadmodum docuisti. Docuisti enim omnem sollicitudinem, quæ non est necessitatis, penitus deserendam. Et per consequens omnem proprietatem in speciali & in communi, cum non sit necessitatis, omnino cauendam. Docuisti etiam aurum & argentum & pecuniam in speciali vel in communi minime possidenda. Insuper docuisti, quod omnia quæ conuenienter vendi possunt, sunt vendenda & pauperibus erroganda: & eadem ratione omnem proprietatem in speciali & in communi omnium temporalium abdicandam. Et ideo nos tuis doctrinis & monitis adhærentes reliquimus omnia, omnem proprietatem specialem & communem omnium temporalium abdicando. Quia talem modum abdicandi omnia docuisti. Et ideo sciens Petrus se & alios Apostolos omnia reliquisse eo modo, quo Christus docuerat omnia relinquenda, confidenter & cum audacia magna quæsiuit, quid ergo erit nobis! quasi diceret: Et omnia relinquendo & te sequendo fecimus, sicut nos & alios docuisti. Quid ergo erit nobis præmii?

Post prædicta isti impugnatores ad auctoritates, quas iste impugnat, in fulcimentum suæ assertionis adducit. Respondent dicentes, quod in omnibus per æquiuocationes & multiplicitates vocum procedit. Quia, sicut dictum est *cap. 9.* talia vocabula *meum, tuum, suum, nostrum, vestrum, eorum, ipsius*, & huiusmodi in diuersis locis accipiuntur æquiuoce, sicut ibidem declaratū extitit. Ad primam igitur auctoritatem acceptam ex euangelio Lucæ concedunt, quod ex illis verbis, *relictis omnibus secuti sunt eum*: non potest inferri: quod tunc omnia reliquerint quo ad proprietatem in speciali & communi, quia pene sunt diuersi modi relinquendi omnia. Et ideo dicunt, quod ex verbis Petri, cum dixit: *Ecce nos reliquimus omnia*, non posset inferri, quod intellexerit de modo relinquendi omnia quo ad proprietatem in speciali & communi, nisi ille intellectus ex aliis verbis scripturæ eliceretur. Quia igitur ex diuersis locis scripturæ patenter elicitur, quod Petrus loquitur de primo modo relinquendi, quem Christus prius docuerat. Et Christus prius docuerat modum relinquendi omnia quo ad proprietatem in speciali & in communi. Ideo concedi debet, quod Petrus de tali modo relinquendi intellexit. Sed cum dicit Lucas de modo relinquendi omnia quo ad proprietatem in speciali & in communi, præsertim cum Petrus Iacobus & Iohannes non fuerint tunc ad Apostolatum assumpti. Quod patet ex Glossa ibidem, quæ super illo verbo: *Ex hoc iam eris homines capiens*, ait: *Nondum elegit in Apostolum, sed prædicitur ei quod est aliquando eligendus.* Et ita patet, quod ille impugnatus non potest plus concludere, nisi quod ex istis verbis Petri: *Ecce nos reliquimus omnia*, non habendo respectum ad præcedentia & sequentia & alia loca scripturæ, non potest concludi, quod

quod reliquerunt omnia quo ad proprietatem in speciali & in communi. Et hoc concedunt. Ex istis tamen verbis & aliis concluditur intentum eorum, vt dicunt; & hoc sufficit: quia principaliter probare conantur, quod dicere Apostolos non reliquisse proprietatem in speciali & in communi scripturæ sacræ repugnat. Cum vero dicit, quod reperimus post idem dictum Lucæ 5. *Relictis omnibus secuti sunt eum*, scil. Petrus, Iacobus & Iohannes. Et tamen postea dicitur de Petro & Andrea, vt legitur Matth. 9. *Relictis retibus secuti sunt eum*, concedunt isti impugnatores, quod Lucas non intellexit de modo relinquendi omnia quo ad proprietatem specialem & communem. Sed ex hoc non sequitur quod Petrus non intellexerit de tali modo relinquendi. Quia sæpe vnum vocabulũ in diuersis locis scripturæ æquiuoce & diuersis modis accipitur. Et tunc quare vno modo accipitur in vno loco; & alio modo in alio ex diuersis locis, & ex antecedentibus & sequentibus, ac etiam ex ratione interdum colligere oportet. Cum autem secundo dicit, quod post illud *Matth. 4.* legitur Matth. 8. quod *venit Iesus in domum Petri*. Ergo domus adhuc remanserat Petri. Dicunt isti, quod intelligendo, quod domus illa erat Petri quod ad proprietatem, errat aperte. Quia secundum ipsum illud, quod dicitur Matth. 4. *Relictis retibus* &c. præcessit illud, quod dicitur Matth. 8. quod *Iesus venit in domum Petri*. Sed secundum Glossam super illud Matth. 4. *Relictis retibus* &c. *secuti sunt eum: sic quod amplius ad propria non reuersi*. Igitur si Petrus postea ad domum, quam prius habuerat, fuit reuersus, non fuit reuersus ad eam sicut ad propriam. Et ita tunc non erat propria Petri. Quod etiam testatur Gregor. dicens super illud Matth. 4. *Relictis retibus secuti sunt eum. Tanta à sequentibus dimissa sunt, quanta à non sequentibus concupisci potuerunt*. Ex quibus verbis datur intelligi, quod Petrus tunc nullam domum quo ad proprietatem sibi retinuit. Dicunt ergo, quod illa domus dicebatur Petri, non quo ad proprietatem, sed quo ad consuetudinem habitandi. Quia Petrus ibi consueuerat habitare. Illo enim modo dicit viator etiam peregrinus aliquam ciuitatem interdum ingrediens; *illud est hospitium meum*: quia ibi consueuerat habitare. Vnde sicut Bethsaida dicebatur ciuitas Andreæ & Petri, vt legitur *Ioh. 1.* tamen non erat ipsorum quo ad proprietatem: quia tunc pauperes non fuissent: sed erat ipsorum quo ad originem. Et Nazareth dicebatur Mariæ & Ioseph, *Luc. 2.* quæ tamen non erat ipsorum quo ad proprietatem & dominium, sed quo ad consuetudinem ibidem manendi. Ita ista domus poterat dici Petri, quia ibi consueuerat habitare. Potuit etiam dici Petri domus, si aliquando fuit Petri. Vnde & sæpe res vendita vel donata vocatur illius, qui eam vendidit vel donauit. Sic etiam Bethlehem dicebatur ciuitas Dauidis, sicut patet Luc. 2. *Natus est Iesus in Bethlehem Iuda ciuitate Dauid*; quæ tamen tunc non erat Dauid: sed ideo illo tempore vocabatur ciuitas Dauid, quia aliquando fuerat eius. Modi ergo loquendi in scripturis sunt sollicite attendendi: quia scriptura diuina modos loquendi communes & vulgares non abiicit. Et propter hoc multa verba scripturæ potest aliquis ad suam trahere voluntatem. Sed non oportet: quia non sensum semper, quem possunt verba sonare, sed quem series scripturarum prætendit debet extrahere orthodoxus. Quod vero tertio dicit de gladio, quem Petrus exemit, non concludit, quia ille gladius potuit dici Petri, alio modo quam quo ad proprietatem. Potuit enim dici Petri quantum ad consuetudinem vel actum portandi, iuxta quem modum loquendi dicit aliquis de gladio, quem consueuit portare, quamuis sit domini sui, *Iste est gladius meus*. Sicut famulus dicit de equo domini sui, quem consueuit equitare: *Ille est equus meus*. Ad auctoritatem vero Lucæ 22. super literam apparebit. Ad illud vero de libro actuum: *Calcia te caligas tuas & circunda tibi vestimentum tuum*, dicunt, sicut responderunt prius *cap. 9.* Ad vltimum de Matthæo concedunt, quod per illa verba non potest concludi, quod Matthæus tunc reliquerit omnia quo ad proprietatem: sed dicunt quod non est simile de illis verbis dictis de Matthæo, & de verbis Petri propter eam, quæ est dicta prius de verbis dictis Lucæ 5. de Petro, Iacobo & Iohanne.

Nunc etiam per literam transcurrendum. (*Per illa verba: Ecce nos reliquimus omnia*, &c. *non potest concludi* &c.) Isti impugnatores concedunt, sicut dictum est, quod per illa verba præcise non relata ad antecedentia & consequentia, & ad alia loca scripturæ, non potest concludi &c. & hoc sufficit appellanti. (*in domum Petri*) hoc est in domum, in qua Petrus consueuerat habitare: quia forte Petrus & Andreas erant ita pauperes, quod ante vocationem primam non habebant domum, nisi conductam: vel in domum Petri, quę aliquando fuerat Petri. (*Ergo domus adhuc remanserat Petri*) Male infert, sicut ex ostensis apparet. Ex hoc notant isti impugnatores, quod secundum illum impugnatum Apostoli nec mobilia nec immobilia reliquerunt quo ad dominium & proprietatem. (*Exemit gladium suum*) Quia scilicet consueuit ipsum portare: vel quia tunc actu portabat. Et si quæras, cuius fuit gladius ille quo ad dominium & proprietatem? Ad hoc dicunt isti impugnatores, quod hoc ad eos non pertinet indagare: quia secundum beatum Hieronymum in multis melius est dubitare, quam aliquid temere diffinire. Sicut etiam dicit Origenes, quod ignoratur, quando Iesus venit in domum Simonis, de quo dictum est prius. Si tamen dicerent, quod ille gladius erat alicuius alterius, à quo eum acceperat ad portandum, hoc improbari non posset, vt dicunt. (*In locum suum*) Ex hoc posset argui, quod ille locus erat gladii quo ad dominium & proprietatem, si hoc vocabulum *suum* semper notaret dominium & proprietatem. Et ideo dicunt, quod *suum, meum, tuum* & huiusmodi accipiuntur ęquiuoce: quia ex eis præcise non potest probari aliquid esse alicuius quo ad dominium & proprietatem, nec non esse. *Tollat similiter & peram*) hoc dictum fuit dispensatiue secundum Bedam: per illam tamen dispensationem non concedebatur, quod haberent

dominium & proprietatem sacculi & peræ, sed quod portarent. Vnde cum Christus dixisset discipulis suis Luc. 10. *Nolite portare sacculum neque peram* &c. duo interdixit eis, scil. proprietatem huiusmodi rerum & facultatem vel actum portandi huiusmodi. Passione autem imminente dispensauit cum eis quantum ad secundum, non quantum ad primum, sicut tempore necessitatis extremæ licitum est tollere etiam aliena ad vtendum.

Non autem est licitum proprietatem rei alienæ sibi aliqualiter vendicare. (*Vendat tunicam*) hoc potest fieri tempore necessitatis extremæ absque dominio & proprietate: sicut si aliquis habens tunicam alienam esset in articulo necessitatis extremæ, quod si non venderet tunicam & emeret sibi necessaria, moreretur: ipse tunc haberet licitam potestatem vendendi tunicam, cuius tamen propter hoc non haberet dominium & proprietatem; sicut creditor in multis casibus potest vendere rem impignoratam, cuius tamen non acquisiuit dominium & proprietatem. (*Emat gladium*) hoc secundum nonnullos doctores mystice, non ad litteram debet intelligi. Vnde Basilius prædicta verba pertractans ait: *Non iubet Dominus portare marsupium & peram, & emere gladium, sed prædicit futurum, quod* (scil. Apostoli) *obliti tempore passionis donorum & legis Domini auderent sumere gladium.* Sæpe enim scriptura vtitur imperatiua sermonis specie loco prophetiæ. In pluribus tamen libris non inuenitur *accipiat, tollat* vel *emat*: sed *tollet* vel *emet*. (*Habuisse.*) Vno modo vel alio, scil. vel quo ad proprietatem & dominium, vel quo ad licitam facultatem vtendi, vel quo ad actum vtendi, vel per alium modum. Vnde *habere* in diuersis locis accipitur æquiuoce. Quandoq; enim importat dominium & proprietatem: quandoq; potestatem vtendi: quandoque actum vtendi: quandoque originem: quandoque consuetudinem habitandi vel aliquid faciendi per aliud: & quandoque quis dicitur habere partem, sicut etiam totum habet partes, & partes habent totum, & prælatus habet subditos, & subditi habent prælatum. Vnde modos accipiendi *habere*, est difficile enumerare: quia licet quidam Sapiens in quodam loco ponat octo modos, quibus dicitur *habere*, tamen præter illos sunt multo plures. Ex diuersis igitur locis scripturæ qualiter vnum dictum interdum debet intelligi, oportet accipere. (*Per verba illa, relictis omnibus secuti sunt eum, non potest concludi* &c.) Hoc conceditur: & tamen per illa verba Petri habito respectu ad antecedentia, & consequentia, potest hoc concludi.) *Quantumcunque de eo dicat scriptura, quod relictis omnibus secutus est eum, non sequitur, quod quo ad dominium reliquit ea.*) Concedunt: quia per alia loca scripturæ non potest haberi, quod illa verba debeant intelligi de modo relinquendi omnia quo ad dominium & proprietatem: sicut est de illis verbis Petri: *Ecce nos reliquimus omnia*, sicut ostensum est prius.

CAP. XII.

Sed propter hoc Petrus Matth. 19. cum Dominus dixisset vni, qui non erat de discipulis: Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni & sequere me. *Petrus dixit*: Ecce reliquimus omnia *&c. Non dixit, vendidimus omnia & dedimus pauperibus: sed dixit:* Nos reliquimus omnia. *Possunt enim res temporales quo ad curam & affectionem illarum sine dominii abdicatione relinqui. Vel*, reliquimus omnia, *scil. præter illa, sine quibus potest hæc vita transiri, sicut sunt alimenta, vel pro alimentis necessaria, quibus non est verisimile quod ipsi renunciarent, vt probant scriptura prædicta, & alia multa, de quibus dicetur latius infra in obiectionibus, quas ille hæreticus facit contra constitutionem:* Cum inter.

Postquam in parte præcedenti ille impugnatus ostendit, quod per verba Petri non potest ostendi, quod Apostoli reliquerint omnia quo ad dominium & proprietatem: hic amplius hoc declarans, ostendit quod est alius modus relinquendi omnia, quam quo ad dominium seu proprietatem: ostendens quod duobus modis omnia reliquerunt quo ad dominium seu proprietatem. Primus modus est, quod Apostoli omnia reliquerunt quo affectionem & curam. Alius modus, quod reliquerunt omnia præter illa, sine quibus non potest hæc vita transiri, cuiusmodi sunt alimenta, vel pro alimentis necessaria.

Sed isti impugnatores impugnant prædicta quantum ad duo principaliter. Ostendendo videlicet primo, quod Apostoli omnia reliquerunt, non solum quo ad affectionem & curam, sed etiam quo ad dominium seu proprietatem. Secundo [illegible] ostendunt, quod etiam reliquerunt omnia, sine quibus non potest hæc vita transiri quo ad dominium & proprietatem. Primum ostendunt primo sic: Perfectius est relinquere temporalia quo ad affectionem & curam: & etiam quo ad dominium & proprietatem, quam quo ad affectionem & curam tantummodo. Aliter enim omnes religiosi frustra relinquerent omnia quo ad dominium & proprietatem. Sed Apostoli perfectissime omnia reliquerunt. Ergo non solum omnia reliquerunt quo ad affectionem & curam: sed etiam quo ad dominium & proprietatem. Secundo sic arguunt: qui relinquunt actu omnia & etiam voluntatem habendi, non relinquunt solummodo omnia quo ad dominium & proprietatem: quia qui retinet dominium & proprietatem, non abdicat voluntatem habendi: imo etiam non abdicat principalē modū habēdi, qui est habere iure dominii & ꝓprietatis. Apostoli autē reliquerunt voluntatē habendi omnia temporalia, teste Gloss. Luc. 18. quæ sup illa verba Petri: *Ecce nos reliquimus omnia.* ait: *etiā voluntatē habendi.* Et eadē verba dicit Glos. sup illa verba Petri Matt. 19. *Ecce nos reliquim⁹ omnia* Et hoc testatur Greg. qui, sicut allegatū est pri⁹, sup illa verba Matt. 4. *Relictis retibus secuti sunt eū* ait:

Multum

Multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit, qui cum re possessa etiam concupiscentiæ habendi renunciauit. Qui autem possessa deserit, & concupiscentiæ habendi renunciat, dominium abdicat & proprietatem. Hoc autem fecerunt Apostoli secundum Gregor. Ergo reliquerunt omnium dominium & proprietatem. Tertio sic arguunt: Relinquere aliqua dupliciter potest intelligi: quia relinquere vno modo, idem est, quod prius habitum dimittere. Sicut dicitur Iohan. 4. *Reliquit igitur mulier hydriam suam, & abiit in ciuitatem.* Sic etiam accipitur Matth. 4. cum dicitur: *Relictis retibus secuti sunt eum:* Quamuis aliter accipiatur *relinquere* in prima auctoritate, & aliter in secunda. Quia mulier sic reliquit hydriam suam, quæ tamen forte non erat accommodata sibi, & ideo forte dicebatur sua: non tamen reliquit voluntatem habendi ipsam. Petrus autem & Andreas sic reliquerunt retia, quæ prius habuerant, quod reliquerunt voluntatem habendi. Aliter *relinquere* aliqua accipitur pro nolle habere ipsa. Non enim quando dicit Petrus: *Nos reliquimus omnia*, ipse intellexit omnia habuisse & omnia dimisisse. Hoc enim falsum fuisset: quia pauperes erant Apostoli. Intellexit ergo: *Relinquimus omnia* id est, Nolumus aliqua habere: & ita reliquerunt voluntatem habendi quæcunq;. Qui autem relinquit voluntatem habendi quæcunq;, relinquit dominium & proprietatem quorumcunq;. Et ita Apostoli quo ad dominium & proprietatem omnia reliquerunt.

Quarto sic arguunt, Si Apostoli reliquerunt omnia quo ad affectionem: aut reliquerunt omnia quo ad omnem affectionem, scil. illam, quæ est necessitatis & illam quæ non est necessitatis. Cum enim nullus in hac vita possit sine temporalibus sustentari, necesse est quod vnusquisq; naturam suam cupiens sustentare aliquam affectionem habeat ad temporalia: & ita aliqua affectio est necessitatis, & aliqua non est necessitatis. Aut Apostoli reliquerunt omnia quo ad omnem affectionem, quæ est necessitatis: aut quo ad aliquam affectionem, quæ non est necessitatis. Primum dici non potest, quia in hoc fuissent Apostoli vitiosi censendi. Nec secundum dici potest, quia hoc est de necessitate salutis. Et ita Petrus dicens: *Ecce nos reliquimus omnia*, nihil ad supererogationẽ pertinens expressisset. Intellexit ergo beatus Petrus, quod omnia reliquerunt quo ad omnem affectionem, quæ non est necessitatis. Qui autem relinquit omnia quo ad omnem affectionem, quæ non est necessitatis, relinquit affectionem habendi proprietatem temporalium: quia illa non est necessitatis.

Quinto sic arguunt: Si Apostoli reliquerunt omnia quo ad curam, aut quo ad curam quæ est necessitatis, quod dici non potest. Omnis enim in hac vita degens oportet quod aliquam curam habeat de temporalibus aut reliquerunt omnia quo ad curam, quæ non est necessitatis. Et si hoc: aut ergo reliquerunt omnia quo ad talem curam actualem: & hoc non fuisset magnæ virtutis in Apostolis. Sic enim omnes boni & mali relinquunt omnia quo ad curã actualem. Aut relinquunt omnia quo ad curam quæ non est necessitatis, non solum abdicando curam actualem, sed etiam relinquendo voluntatem habendi curam, quæ non est necessitatis. Et ex hoc sequitur, quod Apostoli omnia reliquerunt quo ad dominium & proprietatem: quia qui relinquit aliqua nolendo habere curam de ipsis, quæ non est necessitatis: aut ipsa habet pro derelictis, vt concedantur occupanti. Et sic relinquit dominium & proprietatem. Aut ipsa dat, vel vendit, aut alicui alienat à se: & sic adhuc relinquit dominium & proprietatem. Aut relinquit voluntatem habendi curam de ipsis retinendo proprietatem vt nullus habeat curam de ipsis. Et hoc est de rebus suis male disponere, quod vitio carere non potest. Et ideo quod Apostoli tali modo reliquerunt omnia quo ad curam, est minime concedendum.

Sexto sic arguunt, aut Apostoli habuerũt intentionẽ resumendi ea, quæ reliquerunt, aut nõ habebant intentionẽ resumendi, si habebãt intentionẽ resumendi beatus Petrus dicẽdo: *Ecce nos reliquimus omnia*, de parua perfectione se iactasset. Si a. non habebant intentionẽ resumendi, vel igitur de rebus suis quantumcunq; paruis cõmuniter ordinauerunt ipsa dando, aut vendendo, aut aliter à se dominium abdicando. Vel si non poterant vel non expediebat de eis ordinare, ipsa pro derelictis habebant: & ita proprietatem & dominium reliquerunt. Nullo enim modo est virtuosi taliter res suas negligere, vt ipsa velit quo ad proprietatem & dominium retinere, & tamen non eas congrue moderari: quia hoc reipublicæ est nociuum. Dicunt igitur isti impugnatores, quod Apostoli reliquerunt omnia, non in principio, sed postquam fuerunt ad apostolatum assumpti, quo ad perfectionem & curam, quæ non est necessitatis. Et propter eandem rationem reliquerunt omnia quo ad dominium & proprietatem. Quæ proprietas non est necessitatis. Nec videtur aliqua ratio, qua reliquerunt omnia quo ad affectionem & curam, quin reliquerint illa quo ad dominium & proprietatem. Tum quia sicut cura & affectio non sunt necessitatis, ita proprietas non est necessitatis. Tum quia retentio proprietatis non debet esse sine cura: quia hoc reipublicæ est nociuum. Et ideo retinere proprietatem rerum, & nolle curam habere de eis nec per se, nec per alium, non laudabile, sed vituperabile est censendum. Sequitur ergo, quod cum Apostoli reliquerint omnia quo ad affectionem & curam propter Deum omnia reliquerunt quo ad dominium & proprietatem. Causa autem, quare Petrus dixit, *reliquimus omnia*, & non, *vendidimus omnia*, super literam apparebit.

Secundo isti impugnatores conantur ostendere, quod Apostoli illa, sine quibus non potest hæc vita transiri, reliquerunt quo ad dominium & proprietatem. Quod probant primo sic. Non minus sub verbis Petri, cum dixit: *Ecce nos reliquimus omnia*, comprehenduntur illa, sine quibus non potest hæc vita transiri, quam sub voto religiosorum, qui cupientes paupertatem Apostolicam imitari, viuere sine proprio profitentur. Sed sub voto talium religiosorum comprehenduntur illa, sine quibus hæc vita transiri non potest, sicut ostensum est prius. Igitur sub verbis Petri comprehendun-

tur illa, sine quibus hæc vita transiri non potest. Apostoli igitur vitæ necess[illegible]uerunt, [illegible] religiosi. Sed non reliquerunt ea quo ad facultatem & actum vtendi. Ergo reliqu[illegible] ea quo ad dominium & proprietatem. Secundo sic. Non magis generaliter dicitur in Actibus Apostolorum de primis credentibus, quod *erant eis omnia communia*, quam Petrus dixit de se & coapostolis suis: *Ecce nos reliquimus omnia*: quia non magis generaliter sunt prædicta verba in Actibus, quam verba Petri. Sed ille impugnatus propter illa verba in Actibus conc[illegible]quod non solum illa, sine qui[illegible] potest hæc vita transiri: sed etiam illa, sine quibus non potest transiri vita, illa fuerunt eis comm[illegible]. eadem ratione propter generalitatem verborum Petri [illegible]edi, quod Apostoli reliquerunt etiam illa, sine quibus non potest hæc vita transiri, sed no[illegible]erunt illa quo ad facultatem & actum vtendi. Igitur reliquerunt illa quo ad dominium [illegible]rietatem. Confirmatur hæc ratio: quia abdicatio primorum credentium non erat verisimili[illegible]am abdicatio Apostolorũ: sed per illum impugnatum primi credentes reliquerunt omnia, sine quib[illegible] non potest hæc vita transiri quo ad proprietatem in speciali. Ergo & Apostoli reliquerunt omnia, sine quibus non potest hæc vita transiri quo ad proprietatem saltem in speciali. Et ita verba Petri ad illa, sine quibus non potest hæc vita transiri, debent extendi.

Tertio arguunt sic. Verba Petri prædicta: *Ecce nos reliquimus omnia*, extendi debent ad illa, de quibus Christus antea locutus fuerat: quia occasione Christi ad adolescentem, & de adolescente, cui dixerat: *Si vis perfectus esse vade & vende* &c. dixit Petrus verba prædicta. Sed Christus antea locutus fuerat de pecunia. Quia, vt habetur *Luc. 18.* Christus videns illum tristem factum, dixit, quam *difficile qui pecuniam habent, in regnum cælorum intrabunt*. Ergo & verba Petri ad pecuniam debent extendi, & tamen sæpe pecuniæ pro alimentis sunt necessariæ. Ergo verba Petri ad necessaria vitæ debent extendi. Confirmatur hæc ratio: quia secundum Augustinum de doctrina Christiana, & ponitur 1. q. 3. *Totum quicquid homines habent in terra, omnia quorum domini sunt, pecunia vocatur, seruus, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum est pecunia dicitur.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod omnia quæ pecunia vendi possunt & emi, debent sub nomine pecuniæ comprehendi. Alimenta autem & alia sine quibus hæc vita transiri non potest, vendi possunt & emi. Ergo possunt nomine pecuniæ comprehendi. Sed ostensum est, quod verba Petri ad pecuniam debent extendi. Ergo etiam ad illa, sine quibus hæc vita transiri non potest, debent extendi.

Nunc ad literam accedamus. (*Sed propter hoc*) scil. contigit reliquisse omnia, dominium & proprietatem minime abdicando. (*Cum Petrus dixit: Ecce nos* &c.) Dicunt isti impugnatores, quod hoc falsum est. Quia non propter illam causam dixit; sed dixit hoc, *ecce* &c. vt declararet se & suos discipulos fecisse, quod audiuit tunc Christum adolescenti consulere. Et ideo sequitur, quod intellexit de modo relinquendi omnia quo ad proprietatem. (*non dixit, nos vendidimus omnia*) quia falsum dixisset. Quamuis enim vendidissent omnia sua, non propter hoc vendidissent omnia, quia multa erant, quæ non erant sua, quæ non poterant vendere. Vt igitur Petrus omnia comprehenderet & sua, & non sua, non dixit, vendidimus omnia: quia falsum dixisset: sed dixit, *reliquimus omnia*, hoc est nostra, abiiciendo proprietatem ipsorum: & reliquimus aliena, nolendo neq; dono neq; emptione, neque aliquo alio quouismodo vnquam habere proprietatem ipsorum, sicut quodammodo relinquuntur aliena, dum potestas habendi proprietatem ipsorum penitus abdicatur. Et isto modo verba Petri generalissime de omnibus temporalibus propriis & alienis debent intelligi. Dicunt tamen isti impugnatores, quod licet Petrus non dixerit, vendidimus omnia nostra: non tamen hoc negauit, nec ex scriptura potest probari, quod sua nequaquam vendidit. Imo multæ auctoritates Hieronymi sonare videntur, quod sua vendiderit. Nam, sicut allegatum est supra, Hieronymus ad Ebidiam ait: *Si vis esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerant Apostoli: Vende omnia quæ habes* &c. Ex quibus verbis datur intelligi, vt videtur, quod Apostoli omnia sua vendiderunt. *Dedimus pauperibus*) Petrus hoc non dixit: non tamen negauit se aliqua dedisse pauperibus. (*Possunt enim res temporales relinqui quo ad curam* &c.) hoc verum est: sed locum in Apostolis, postquam fuerint ad Apostolatum assumpti, non habuit. Et ideo concedunt, quod ex istis verbis solummodo non potest concludi, quod Apostoli omnia reliquerint quo ad dominium. Ex intellectu tamen illorum verborum, qui debet colligi ex serie scripturarum, hoc concluditur euidenter, vt dicunt. Appellans autem magis voluit arguere ex intellectu verborum, quam ex ipsis verbis. Ideo, vt dicunt, habent intentum. (*Vel reliquimus omnia præter illa sine quibus hæc vita transiri non potest*) Dicunt quod talis exceptio non potest colligi ex scripturis, sed oppositum ex scripturis patenter habetur. Ideo talis exceptiua concedi non debet. (*Quibus non est verisimile quod renunciauerint*) verum est quo ad licitam potestatem vtendi: tamen verisimile est, vt ex scripturis elicitur, quod istis renunciauerint quo ad proprietatem & dominium. (*Hoc probant scripturæ prædictæ*) Dicunt quod illæ probationes per æquiuocationem procedunt. Et ideo nullæ sunt censendæ. *Et alia multa de quibus dicitur* &c. vbi isti impugnatores respondebunt ad eas, & quomodo per æquiuocationem procedunt ostendere conabuntur.

CAP.

CAP. XIII.

De Iacobo autem & Iohanne dicitur Matth. 4. quod relicto patre suo Zebedeo in naui cum mercenariis secuti sunt eum. Certe patrem non reliquerunt, vt ei renunciauerint, & postea non habuerint eum, imo eius filii remanserunt: quia illa verba non concludunt, quod per verba illa, nos reliquimus omnia, *intelligantur à se omnia temporalia saltem illa de quibus sacra scriptura dicit contrarium, quo ad proprietatem & dominium abdicasse.*

ASsignatis duobus modis relinquendi, quibus ille impugnatus asserit Apostolos omnia reliquisse: hic redit ad propositum principale, ostendens quod per illa verba; *Ecce nos reliquimus omnia*, non potest concludi, quod Apostoli omnia quo ad dominium reliquerunt, simul cum hoc insinuans vnum alium modum saluandi verba Petri absq; hoc quod omnia reliquerit quo ad proprietatem: dicens quod sicut per illa verba Matthæi 4. dicta de Iacobo & Iohanne, *relicto patre suo Zebedeo* &c. non potest concludi, quod non amplius habuerunt eum pro patre: ita ex illis verbis Petri, *Ecce nos reliquimus omnia*, non potest concludi quod reliquerint quo ad proprietatem: quia licet reliquissent aliqua quo ad dominium, non tamen illa de quibus dicit scriptura contrarium, vt verba Petri; *Reliquimus omnia*, intelligantur cum illa expositione, præter illa de quibus scriptura dicit contrarium.

Sed isti impugnatores dicunt illam responsionem non valere: & quod insuper errorem includit. Quod probatio non valeat, ostendunt: quia omnis modus relinquendi, qui competebat Apostolis ex doctrina Christi, fuit possibilis, conueniens & laudabilis atque virtuosus. Sed modus relinquendi patrem ne sit pater, non est possibilis neque conueniens neque laudabilis. Modus autem relinquendi patrem, quantum ad assistentiam seu præsentiam & obsequium corporale propter sequelam Christi est conueniens & laudabilis. Ergo verba dicta de Iacobo & Iohanne, cum dicitur, *relicto patre suo* &c. de tali modo relinquendi debent intelligi. Et ita consimiliter verba Petri de modo relinquendi laudabili & perfecto debent intelligi. Talis est modus relinquendi omnia quo ad dominium & proprietatem: ideo &c. Error qui, vt dicunt isti impugnatores, continetur in verbis prædictis, est quod Apostoli postquam fuerunt ad apostolatum assumpti, & etiam post missionem Spiritus sancti, habuerunt proprietatem rerum in speciali: quia illæ res, quas dicit scriptura Apostolos habuisse, non dicit fuisse Apostolorum, sed alicuius vnius Apostoli. Patet de singulis, de quibus ille impugnatus exemplificat, sicut de domo Petri, tunica, caligis, vestimento & huiusmodi. Ergo aliquis Apostolorum fuit proprietarius in speciali: quod improbatum est prius. Et contra hoc etiam inferius inferius arguetur.

Nunc accedatur ad textum: *(Relicto)* quantum ad præsentiam corporalem, *(vt pro patre postea non habuerunt eum)* quia hoc non fuisset laudabile, sed dissonum rationi. *(Verba illa non concludunt* &c.*)* Conceditur quod per verba illa nude accepta, cum sint de se multos sensus habentia, nullum sensum determinatum ex his præcise absque aliis contingit concludere: sed ex intellectu illorum, qui ex aliis locis elicitur bene concludit intentum suum appellans, vt dicunt isti impugnatores. *(Saltem illa* &c.*)* hic elicitur assertio prædicta, scil. quod Apostoli habuerunt in speciali proprietatem illarum rerum, quas scriptura asserit eos habuisse: quam esse erroneam isti impugnatores affirmāt. *(Scriptura dicit contrarium.)* Dicunt quod scriptura nunquam dicit contrarium. Quamuis scriptura dicat aliqua verba, quæ scripturarum ignari possunt trahere ad contrarium.

CAP. XIV.

ITem non obstat capitulum dilectissimis 12. q. 1. *quod pro se dictus hæreticus inducit, in quo beatus Clemens scribens condiscipulis suis Hierosolymis habitantibus cum beato Iacobo episcopo Hierosolymitano, æquiparat statum Apostolorum & ipsorum discipulorum ac Iudæorum Hierosolymis post missionem Sancti Spiritus conuersorum, quantum ad modum habendi illa temporalia statui primorum parentum in statu innocentiæ constitutorum. Et dicit ibi:* Quantum ad statum prædictum primorum parentum, quod communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit. Sed per iniquitatem alius dixit, hoc esse suum, & alius illud. Et sic inter mortales facta est diuisio. *Proculdubio illa scriptura supponit, quod si primi parentes non peccassent, omnia communia fuissent quo ad dominium & proprietatem. Quod patet in eo, quod dicit, quod* per iniquitatem *id est, per peccatum primorum parentum, alius dixit hoc esse suum: & alius illud. Et sic inter mortales facta est diuisio. Hæc autem diuisio facta fuit eius rei, cuius prius erat communio. Diuisio autem facta est rerum, & non vsus simplicis facti, vt patet: quia alius dicebat hoc suum esse: & alius illud. Non dicit, quod vnus diceret vsum huius rei suum esse, & alius alterius: sed dicebat vnus rem aliquam, & alius aliam suam. Sicq; patet, quod rerum dominia, non quo ad vsum diuisio fuit facta. Et per consequens sequitur, quod ante diuisionem quo ad rerum dominia: communio erat. Et hoc clarius per sequentia patet in* eodem capitulo, *vbi sequitur:* & sic non potest diuidi aer: neque splendor solis, ita nec reliqua quæ communiter data sunt omnibus hominibus ad habendum. *Vbi manifeste dicit, omnia temporalia communiter data fuisse omnibus hominibus ad habendum: non dicit, quo ad facti vsum, sed dicit ad habendum, quia vsus facti haberi nullatenus potest, vt superius est probatum. Ergo si data fuerunt eis, & ab illo scilicet Deo, qui dare potuit, dicendum est, quod Domini fuerunt effecti. Quia* dare est *accipientis rem facere.*

POstquam ille impugnatus respondit ad illa verba Petri *Ecce nos reliquimus omnia*, hic respondet ad capitulum Clementis, *Dilectiss. mis*: quod ad probandum vsum posse separari à proprietate & dominio appellans inducit. Et diuiditur in duo: quia primo ostendere conatur, quod per illud capitulum Clementis non potest ostendi, quod in statu innocentiæ fuisset vsus facti separatus à dominio vel proprietate. Ostendens, quod si primi parentes non peccassent, omnia quibus vsi fuissent, fuissent eis communia quo ad dominium. Secundo per illud capitulum Clementis probare molitur, quod Apostoli & eorum discipuli ante conuersionem eorum de quibus ibidem fit mentio, aliqua possidebant, quæ postea communicauerunt Iudæis conuersis. Primum dupliciter conatur ostendere. Primo sic: illa fuissent vel fuerunt communia quo ad dominium seu proprietatem in statu innocentiæ: quæ postea diuisa fuerunt quo ad dominium: sed res ipsæ fuerunt diuisæ, quo ad dominium post peccatum primorum parentum. Ergo res ipsæ fuerunt vel fuissent communes quo ad dominium seu proprietatem, si primi parentes non peccassent: & ita ibi non fuisset vsus à proprietate & dominio separatus. Secundo ibi (*& hoc clarius*) probat secundo modo, quod omnia ibi fuerunt communia quo ad dominium. Quia illud, quod datur aliquibus ab illo qui potest dare, datur eis quo ad dominium: ita quod Domini efficiuntur illorum quæ dantur. Sed res erant datæ à Deo omnibus hominibus ad habendum, igitur domini efficiebantur: & per consequens in statu innocentiæ fuisset vsus à proprietate seu dominio non separatus.

Sed isti impugnatores dicunt, quod ille in omnibus non solum erronee, sed etiam cauillose & sub vocum multiplicitate procedit. Vnde dicunt, quod licet verbis præmissis multi contineantur errores, de quibus super literam apparebit: tamen est vnus error principalis, quem per duas rationes prædictas probare molitur. Scilicet quod tale dominium rerum temporalium haberent primi parentes, & habuissent si non peccassent, quale nunc habent illi qui habent dominia rerum. Ille error, vt dicunt, patenter elicitur ex hoc, quod dicit, beatum Clementem non solum comparare, sed etiam æquiparare statum Apostolorum & ipsorum discipulorum ac Iudæorum Hierosolymis post missionem Spiritus sancti conuersorum; quantum ad modum habendi illa temporalia primorum parentum in statu innocentiæ constitutorum. Cum igitur secundum illum impugnatum, vt prius, patuit, Apostoli & eorum discipuli ac ibi Iudæi conuersi habuerunt tale dominium, quale Iudæi conuersi habuerunt ante conuersionem ipsorum. Sequitur, quod tale fuit dominium primorum parentum, quale est nunc dominium mundanorum. Quia dominium primorum parentum fuit tale, quale fuit dominium Apostolorum & prædictorum: & æquiparat Clemens secundum ipsum statum istorum statui illorum, quantum ad modum habendi temporalia. Et dominium Apostolorum & prædictorum fuit tale, quale fuit Iudæorum conuersorum ante ipsorum conuersionem. Et illud fuit dominium mundanorum. Igitur dominium primorum parentum fuit tale, quale est dominium mundanorum. Sed hoc dicunt isti impugnatores esse erroneum. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod dominium temporalium datum primis parentibus fuit potestas rationabiliter regendi ac gubernandi temporalia absque eorum resistentia violenta, ita quod domini violentiam vel nocumentum inferre non poterant. Vnde quantum ad talem potestatem super terrena & specialiter super animalia, dicitur Eccles. 18. *Dominus Deus de terra creauit hominem.* Et post: *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram, posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum & volatilium.* De potestate autem regendi & gubernandi, aut ordinandi & disponendi quædam alia dicitur Gen. 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem & posuit eum in paradiso voluptatis vt operaretur & custodiret illum.* Ex quibus verbis recte intellectis datur intelligi, quod in rebus, quarum primi parentes gubernationem habebant, nihil contra eorum voluntatem accidisset: & ita talis perfecta potestas regendi & disponendi temporalia fuit dominium, quod datum fuit primis parentibus. Propter quod dixit eis Deus Genes. 1. *Replete terram, & subiicite eam*, hoc est ad placitum vestrum regite & disponite eam: *& dominamini piscibus maris & volatilibus cæli*, hoc est perfectam potestatem, cui non poterunt resistere habete super pisces maris & volatilia cæli & vniuersa animantia, quæ mouentur super terram. Præter illud autem dominium data fuit ipsis & animantibus terræ potestas vtendi quibusdam rebus determinatis: ita quod aliquibus vti poterant, & non aliis. Vnde Genes. 1. postquam Deus dederat primis parentibus potestatem subiiciendi terram & dominium omnium animalium, sic scribitur: *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli & vniuersis quæ mouentur in terra & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum.* Ex his verbis datur intelligi, quod herbæ & ligna huiusmodi data erant communiter hominibus & aliis animalibus ad vescendum. Vnum autem lignum, non obstante generali potestate vescendi homini data erat exceptum, vt habetur Genes. 2. cum dicitur, *ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quacunque die comederis ex eo, morte morieris.* Secundo isti impugnatores dicunt esse notandum: quod diuersarum rerum diuersi sunt modi vtendi. Vnde alius est vsus illorum quæ manducari non debent: & illorum quæ manducari licet. Eiusdem etiam rei sunt diuersi modi vtendi: quia eadem re diuersis modis vti contingit, sicut pecunia contingit vti ad pompam, & etiam ad aliam rem emendam. Sic pane contingit vti comedendo, & ipsum pro alia re permutando. Tertio dicunt, quod licet primis parentibus fuerit data potestas vtendi

omnibus

omnibus temporalibus vno modo vel alio: Illa tamen potestas vtendi non erat dominium, quod à Deo fuit ipsis collatum: tum quia habuerunt potestatem vtendi angelis, non quidem coactiue, sed per alium modū, quod ex verbis Beati Augustini super illud 1. Corinth. 3. *Omnia enim vestra sunt*, colligitur manifeste. Et tamen super Angelos non receperunt dominium: tum quia cessante illo dominio non cessauit omnis potestas vtendi. Aliqua tamen potestas vtendi rebus, quarum eis fuit datum dominium, à dominio illo minime differebat. Gubernare enim & disponere est quidam actus vtendi. Et ideo potestas taliter disponendi fuit potestas vtendi. Et ita fuit dominium: non tamen ex hoc sequitur, quod omnis potestas vtendi fuerit tale dominium. Illa enim potestas data fuit aliis animalibus, quibus non fuit datum dominium. Ex his arguunt isti impugnatores contra assertionem prædictam: scilicet quod dominium primorū parentum fuit tale, quale est dominium mundanorum. Quia dominium primorum parentum fuit potestas ad libitum disponendi de temporalibus, quorum habuerunt dominium, secundum quod patet per auctoritates superius allegatas. Sed dominium mundanorum, & etiam dominium quod secundum illum impugnatum habuerunt Apostoli, & eorum Discipuli, ac etiam dominium quod habuerunt Iudæi conuersi in temporalibus istis, non fuit talis perfecta potestas de rebus ad libitum disponendi & regendi: quia si illud dominium habuissent, habuissent etiam ipsum in pecora, & alia animalia, quæ tamen non ita obediebant eis, sicut obediuissent hominibus, si in statu innocentiæ permansissent. Et ita illud dominium istorum non fuit tale, quale fuit primorum parentum, vt dicunt isti impugnatores: quia illa potestas, quam dedit Christus discipulis suis, dicens Lucæ 10. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones & super omnem virtutem inimici & nihil vobis nocebit*. Et similiter illa, quæ dixit Marcus recitans verba Christi: *In nomine meo dæmonia eiicient, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*. Et vniuersaliter potestas faciendi miracula multo magis assimilatur dominio dato primis parentibus, quam dominium mundanorum vel aliorum in rebus temporalibus, quod habent quicunq; ex ordinatione humana. Imo dicunt, quod dominium, quo dicitur de puero vel famulo, quod dominatur equo domini sui: quia potest regere ad suæ placitum voluntatis: & vniuersaliter omnis potestas violenta, cui resisti non potest, quantum ad aliquas conditiones morales, magis assimilatur dominio primorum parentum quam dominium quod habent quicunq; in rebus temporalibus ex pacto humano præter dominium naturale. Dominium ergo quod fuit Apostolorum & Discipulorum ipsorum ac Iudæorum conuersorum, non fuit tale dominium, quale fuit dominium primorum parentum.

Amplius, aut dominium primorum parentum fuit naturale: aut aliquid superadditum naturæ. Si fuit naturale: tunc non fuit nisi potestas naturalis corporis & sapientiæ naturalis, qua volebant omnia absq; ipsorum resistentia gubernare. Ad talem autem potestatem constat, quod non reducti erant illi, de quibus in actibus fit mentio: quia natura in eis, quantum ad defectus naturales, fuit minime reparata. Si autem dominium fuit aliquid superadditum naturæ: constat quod fuit aliquid absolutum: quia aliter animalia habuissent æqualem potestatem resistendi habenti tale dominium, sicut non habenti: sicut nunc habent æqualem virtutem resistendi, postquam aliquis effectus est eorum Dominus, sicut ante. Tale autem absolutum super naturale non fuit in illis, de quibus fit in Actibus mentio. Ergo non habuerunt tale dominium, quale habuerunt primi parentes.

Ad rationem primam istius impugnati respondent, quod aliquarum rerum, quarum primo fuit communio, postea facta fuit diuisio, sed tamen non omnino eodem modo: quia alio modo fuerunt communia, & postea propria; sicut econuerso sæpe alio modo aliqua sunt propria, & postea alio modo fiunt communia. Vnde primo aliqua sunt propria quo ad dominium liberum siue plenum: postea vero fiunt cōmunia absq; tali dominio libero siue pleno: sicut patet de intrantibus monasteria, & cōferentibus bona sua eisdem monasteriis. Sed forte instabit ille impugnatus, quod præter dominium quod fuit talis perfecta potestas subiiciendi & regendi, & quasi vincendi seu superandi quod habuerunt primi parentes in statu innocentiæ, habuerunt dominium, quod per peccatum minime perdiderunt, quamuis perderent primum. Nam nulli possunt inter se diuidere aliqua bona quo ad distincta dominia, nisi prius habeant dominium commune in diuidendis. Sed primi parentes vel filii eorum diu post peccatum diuiserunt inter se bona temporalia quo ad distincta dominia. Ergo post peccatum habuerunt commune dominium. Sed illud non acquisierunt per peccatum. Ergo ante peccatum habuerunt dominiū cōmune. Ad hoc dicunt isti impugnatores, quod primi parentes post peccatum non habuerunt dominium commune omnium temporalium proprie loquendo de dominio: sed habebant potestatem appropriandi sibi, & etiam acquirendi commune dominium: quia quæ in nullius bonis sunt, occupanti conceduntur. Et ideo illa proprietas non fuit proprie dominium commune, sicut nec modo potestas appropriandi seu acquirendi illa, quæ cœlo terra mariq; capiuntur, est proprie dominium commune. Quia si esset proprie commune dominium nullus deberet sibi appropriare aliqua ipsorum absq; communitatis consensu. Et ideo si concedatur, quod illa potestas appropriandi fuit commune dominium, dicunt isti impugnatores, quod tale dominium non fuisset in statu innocentiæ, si primi parentes non peccassent, quia ibi non fuisset potestas appropriandi. Et si quæratur, vnde igitur habuerunt primi parentes talem potestatem appropriandi res temporales, quam non habuerunt ante peccatum? Dicunt isti, quod habuerunt illā potestatem ex natura corrupta, quia ex dictamine rationis naturalis conuincitur, quod expedit posse peccantibus, quod etiam habeant potestatem appropriandi sibi aliqua, nisi eorum aliqui eadem potestate sponte se priuent, ita quod nullus debet in principio cogi talem potestatem dimittere.

Ex isto patet, quod esto quod in primis parentibus in principio non fuerit vsus facti ab omni dominio separatus quo ad res consumptibiles, tamen in vtroq; ipsorum, talis vsus fuisset ab omni proprietate separatus: quia licet vterq; habuisset dominium tale, neuter tamen habuit proprietatem. Quia illa res tēporalis dicitur propria, quæ ita est vnius, quod non est alterius hominis. Et ideo modo certum est, quod nulla fuit proprietas. Et ex illo sequitur, quod quodlibet dominium ex iure positiuo introductum sit idem, quod proprietas. Dominium tamen si debet vocare dominium, quod competit absq; omni iure positiuo diuino & humano, non est idē quod proprietas. Patet etiā ex prædictis, quod in statu innocentiæ fuisset actus vtendi separatus à rebus vsu consumptibilibus nō à dominio, quod est perfecta potestas subiiciendi & regendi, sed ab omni dominio, quod inter mortales est inuentū. Claret insuper ex prædictis, quod Apostoli & eorum Discipuli ac Iudæi conuersi, nec habuerunt tale dominium, quale habuerunt primi parentes ante peccatum: nec habuerunt tale dominium, si tamen vocari debet dominiū, quale habuerunt primi parentes ante diuisionem rerum: quia illi habuerunt potestatem appropriandi sibi illa quorum habuerunt tale dominium. Apostoli autem & discipuli ac Iudæi conuersi non habuerunt talē potestatem appropriandi sibi cōmunia, sicut probatū est prius.

Ad secundam rationem respondent isti impugnatores, quod illud argumentum non concludit de dominio, quale haberunt mortales post peccatum. Si autem intelligatur de alio dominio, non est ad propositum.

His dictis circa literam aliqua sunt notanda. (*Æquiparat statum Apostolorum* &c.) Hoc dicunt esse falsum: quia Beatus Clemens comparat & non æquiparat: licet aliquo modo assimilet, quantum ad modum habendi illa temporalia. Illud potest aliquo modo concedi sic, scilicet quod Beatus Clemens assimilet vnum statum alteri quantum ad modum habendi temporalia quo ad vsum facti, non quantum ad modum habendi quo ad dominium: quia nunquā aliqui mortales habuerunt tale dominium temporalium, quale habuerunt primi parentes in statu innocentiæ. Imo illud ipsimet primi parentes perdiderunt: quia primis parentibus inobedientibus Deo, omnia eis inobedientia sunt effecta. Vnde & de terra dixit sibi Deus: *spinas & tribulos germinabit tibi*. Veruntamen sicut natura non fuit omnino destructa, ita nec illud dominium fuit omnino destructum, ita tamen fuit diminutum & deterioratum, quod nomine dominii non debuit appellari. Propter quod Deus benedicens Noe & filiis eius, sicut patet *Genes. nono*, licet potestatem prius habitam in statu innocentiæ insinuaret, non esse destructam, dicens: *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ* &c. tamen talem potestatem dominii nomine nullatenus appellauit. (*Communis vsus*) Hoc est, similis potestas vtendi cum debitis circumstantiis absque omni appropriatione. (*Sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum* &c.) Verum est quod si nunquam fuisset iniquitas, nunquam fuisset appropriatio talis. Et sic inter mortales post peccatum facta est diuisio quantum ad dominium & proprietatem. (*Omnia communia fuissent quantum ad dominium*) Hoc est verum quo ad perfectam potestatem subiiciendi: quia quilibet saltem cum peruenisset ad perfectam ætatem, habuisset talem potestatem seu proprietatem. Hic insinuat & loquitur de proprietate, qualis est inter mortales. Et talis non fuisset in statu innocentiæ, nec vnquam de tali proprietate loquitur scriptura, cum loquitur de dominio primorum parentum ante peccatum. Vnde proprietas secundum quod hoc nomine scientiæ legales vtuntur, licet significet idem, quod dominium, accipiendo dominium, quod competit ex iure positiuo, non tamen significat idem, quod dominium, accipiendo *dominium* secundum alias significationes, de quibus dictum est in principio istius opusculi. Vnde quamuis dicatur, ille dominatur animo suo: nō propter hoc dicitur, quod ille habet proprietatem animi sui, quia secundum illum modum loquendi, tunc maxime dominatur quis voluntati suæ, quando relinquit propriam voluntatem, & committit se voluntati alterius, & prompte facit, quicquid alius sibi suadet & imponit: sic etiam licet dicatur de famulo, quod dominatur equo Domini sui, non propter hoc dicitur, quod habet proprietatem equi. Et ita plures significationes habet hoc nomen *dominium*, quam hoc nomen *proprietas*. Et propter hoc dicunt isti impugnatores, quod ille impugnatus in toto illo processu sub verbis ambiguis & obscuris ac cauillosę procedit. (*quod patet*) dicunt isti, quod illa quę sequuntur nullo modo faciunt patere illud, quod intendit. (*Hæc autem diuisio facta fuit eius rei, cuius prius erat communio*) Hic dicunt isti impugnatores, quod illa diuisio fuit eiusdem, cuius prius erat communio. Sed non eodē modo fuit res diuisa, quo prius fuerit cōmunis, & ideo ex hoc, quod postea fuit propria quo ad dominium, non potest concludi, quod prius erat communis quo ad dominium. Et quia ille impugnatus hic & alibi fundat se in virtute talis propositionis: Quando aliqua communia diuiduntur, illa eodem modo sunt propria, quo prius fuerunt communia, & econuerso: quia illa negata processus diuersi nullum habent colorem. Ideo isti impugnatores plura adducunt exempla ad probandum falsitatem dictæ propositionis & cuiuslibet consimilis. Primum exemplum inexpugnabile eis apparet, & est de creditoribus habentibus communia pignora aliquorum collegiorum, vel etiam aliquarum singularium personarum. Nam constat per iura, quod isti creditores habentes pignora communia in casu licite possunt vendere quibuscunq;, qui non sunt prohibiti emere ista pignora communia. Vendant ergo vnum pignus vni mercatori, & aliud alii, & aliud tertio. Hoc posito hęc est diuisio illorum, quæ prius erunt communia: & tamen non eodem modo sunt diuisa, quo prius erant communia. Nunc enim sunt diuisa & propria quo ad dominium & proprietatem: quæ tamen non erant prius communia quo ad dominium & proprietatem: quia creditores dominium & proprietatem minime habuerunt. Item, si aliqui habentes communes pecunias partem pecuniarum diuidant

uidant inter mercatores & partem inter monasteria, dominium à se totaliter transferendo, pecuniæ datæ monasteriis non eodem modo fiunt propriæ monasteriis, quo pecuniæ datæ mercatoribus fiunt propriæ ipsis, & ita non eodem modo fiunt illæ pecuniæ proprię monasteriis, quo prius fuerant communes dantibus eas.

Tertium exemplum est de abbate vel alia reuerenda persona dante Eleemosynam de bonis cōmunibus pauperibus secularibus: quia illæ Eleemosynæ datæ fiūt propriæ quo ad liberam potestatē dandi, vendendi & alicui alienandi ac legandi: & tamen illo modo non fuerunt communes. Ergo illa diuisa non eodem modo fiunt propria, quo fuerunt prius communia. Quartum exemplum est de conferente bona aliqua alicui monasterio: quia illa fiunt communia, quæ prius fuerunt propria: non tamen eodem modo sunt facta cōmunia, quo prius erant propria. Modo enim non sunt communia quo ad liberū seu plenū dominium: neq; quo ad potestatem libere dandi, vendendi & alicui alienandi: & tamen illo modo prius erant propria. Et ita secundum istos patet aperte, quod licet aliqua diuidantur, quæ prius erant communia, non est necesse, quod eodem modo fiant propria, quo prius fuerunt communia, nec econuerso. (*Diuisio autem facta est rerum*) hoc conceditur. (*& non vsus simplicis facti*) Hoc etiam conceditur, si intelligatur cum dictione excludente pro illo tempore, quo primum facta est rerum diuisio. Tamen sæpe postea fit inter multos diuisio, tantum quo ad potestatem habendi simplicem vsum facti, sicut patet de Fratribus Minoribus, quibus diuiduntur cellæ & aliæ res multæ. Idem est de seruis & inuitatis sępe ad mensam alicuius. (*Non dicit quod vnus diceret vsum rei suum esse: & alius alterius*) Verum est, quod hoc non dicit: & tamen hoc non negauit. Vnde prima diuisio rerum facta inter mortales fuit, & quo ad dominium & quo ad potestatem vtendi: quia regulariter, nisi in certis casibus, qui habet dominium rei, habet potestatem vtendi re: licet aliquando aliquis habeat dominium rei, & tamen careat potestate vtendi re, saltem ad tempus. Patet de rebus impignoratis: & ita inter dominium rei & licitam potestatem vtendi re, est differentia manifesta. (*Sicque patet, quod rerum quo ad dominia, non quo ad vsum fuit facta diuisio*) Hoc consequens secundum istos includit duas partes, vnam affirmatiuam, quod, scilicet quo ad dominia fuit facta diuisio, & illa est vera. Aliam negatiuam, quod, scilicet non fuit diuisio facta quo ad vsum: & hæc est falsa, accipiendo *vsum* pro potestate vtendi, quo modo accipit Clemens in prædicto capitulo *Dilectissimis*: quia particulariter facta fuit diuisio quo ad dominia: ex hac sequebatur diuisio quo ad potestatem vtendi. Tamen licet ita fuerit inter illos, qui res primitus diuiserunt: tamen inter quosdam alios posteriores sæpe facta est alio modo diuisio: quia sæpe quo ad potestatem vtendi tantummodo. (*Et per consequens sequitur quod ante diuisionem quo ad rerum dominia communio erat*) Istud secundum eos nullo modo sequitur, etiam licet consequens esset verum: non tamen sequeretur ex præmissis, quia, sicut ostensum est, licet aliquæ res inter aliquos diuidantur, non tamen oportet, quod isto modo fiant propriæ, quo prius fuerant communes, patet de vendentibus pignora communia mercatoribus. Dicunt tamen isti impugnatores, quod licet in proposito gratia materiæ non vi argumenti concederetur, quod ante primam diuisionem rerum res fuerint isto modo quo ad dominium, quo nunc omnes res, quæ in nullius bonis sunt, quæ occupanti conceduntur, sunt quodammodo communes quo ad dominium omnibus hominibus, vel saltem illis qui tali dominio non renunciauerunt inquantum habent potestatem diuidendi & appropriandi sibi ista quæ capiunt. Tale tamen dominium non fuit primorum parentum ante peccatum, nec fuisset in statu innocentiæ, si non peccassent, sed ante peccatum habuerunt tantummodo dominium, quod est perfecta potestas subiiciendi & regendi aliqua temporalia, & potestatem vtendi huiusmodi rebus, non autem tunc habuerunt dominium quod est potestas appropriandi & diuidendi res inter se quo ad dominia, sed tale dominium habuerunt post peccatum ante diuisionem rerum, quia in tempore medio inter tempus innocentiæ & primam diuisionem rerū habuerunt potestatem diuidendi res inter se & appropriandi sibi eas. Et ita fuit triplex tempus, scil. ante peccatum, in quo tempore habuerunt dominiū, quale nunquam aliq postea habuerūt. Secundum tempus fuit post peccatum, & ante diuisionem rerū. Et in isto tempore habuerunt potestatem diuidendi & appropriandi sibi res. Et si talis potestas vocetur dominiū, potest concedi, quod habuerunt dominiū commune rerū. Tertiū tempus fuit post diuisionem rerum. Et tunc inceperūt dominia propria, qualia nunc sunt mundanorū. (*Et hoc clarius*) Dicūt isti quod nullo modo patet intelligenti. (*Communiter data sunt*) hoc est concessa sunt. Vnde & verbum *dandi* nonnūquam accipitur pro verbo concedendi. Vnde sæpe quis dat, quod non habet, quia concedit quod non habet. (*Ad habendum*) *habere*, sicut dictum est prius multipliciter accipitur. Vnde & vnus modus habendi est habere quo ad licitam potestatem vtendi, & ita data sunt ad habendum, quo ad licitam potestatem vtendi, & etiam quo ad dominium ante peccatum, quod est potestas perfecta regendi &c. & post peccatum quo ad dominium, quod est potestas diuidendi inter se & appropriandi sibi: si tamen debet vocari dominium ista potestas. (*Non dicit quo ad vsum facti*) verum est, quod non dicit verbaliter, non tamen negauit, neq; verbaliter neq; sententialiter. Sed sententialiter dixit accipiendo vsum facti pro licita potestate vtendi: quia cum dixit: *data sunt ad habendum*, debet intelligi, sicut dictum est, quod data sunt ad habendum quo ad licitam potestatem vtendi. (*Vsus facti haberi nullatenus potest*) hoc, dicunt isti impugnatores, est erroneum, de quo inferius disseretur, (*Domini fuerunt effecti.*) Concedi potest vno modo accipiendo dominium, sed non accipiendo dominium pro tali dominio, quale est dominium mundanorum, vel quale fuit dominium primorum credentiū, si tamen dominium appellari debet. (*Dare est accipientis facere*) Sicut verbum *dandi* accipitur multipliciter, secun-

secundum quod declaratum est prius: ita etiā verbum *accipiendi* accipitur multipliciter. Aliquando enim importat dominium; aliquando importat vsum vel potestatē vtendi, aliquando importat custodiam; & aliis modis accipi potest. Similiter *facere esse accipientis*, æquiuoce accipitur: vel quod faciat rem esse accipientis quo ad dominium: vel quo ad potestatem vtendi: vel quo ad custodiam, & multis aliis modis. Vnde sicut aliquid dicitur esse alicuius multipliciter vel quo ad dominium, vel quo ad potestatem vtendi, vel quo ad custodiam, vel quo ad originem, & aliis modis quasi innumeris: ita etiam facere rem esse accipientis multipliciter dicitur, & non semper importat dominium. Propter quod etiam sic dare rem, vt sit aliquo modo accipientis, non semper importat dominium: imo aliquando nec importat dominium, nec potestatem vtendi. Et ita dicunt isti impugnatores, quod iste impugnatus per verba multiplicia errores conatur inducere.

CAP. XV.

Deinde subiungit Beatus Clemens sic: Istius enim consuetudinis morte retento, Apostoli eorumq; discipuli vna nobiscum & vobiscum cōmunem vitam duxerunt. Vt enim bene nostis, erat multitudinis credentium cor vnum, & anima vna. Nec quisquam eorum aut nostrum de his quæ possidebat esse dicebat aliquid suum, sed omnia nobis & istis erant communia. *In quibus verbis supponit Beatus Clemens aperte, quod ante conuersionem illorum Iudæorum, de qua mentio habetur* Act. 2. & 4. ca. *Apostoli & eorum discipuli aliqua possidebant ibi, cum dicit*: Apostoli eorumq; discipuli, vna nobiscum & vobiscum: *Et loquitur de Iudæis conuersis, qui communem vitam duxerunt. Et in quo erat illa communis vita, declarat, dicens*: erat enim multitudinis credentium cor vnum, & anima vna. Nec quisquam eorum (*scilicet Apostolorum: & ipsorum discipulorum, de quibus locutus est supra*) aut nostrum (*scilicet Iudæorum conuersorū*) de his quæ possidebat. *Ecce aperte dicit, quod Apostoli & discipuli aliqua possidebant ante. Sequitur*: aliquid suum esse dicebat, sed omnia nobis, (*scilicet conuersis*) & istis (*scilicet Apostolis*) & eorum discipulis erant communia. *Sic quod per prædictum capitulum clare patet, quod ante conuersionem Iudæorum prædicta Apostoli & eorum discipuli aliqua habebant: & quod ista communicauerunt Iudæis conuersis: & quod Iudæi conuersi communicauerunt Apostolis & discipulis eorum similiter quæ habebant. Ita quod quisquam eorum, scilicet Apostolorum & discipulorum ac Iudæorum conuersorum, eorum quæ possidebat, nihil esse suum dicebat, sed omnia erant communia inter ipsos.*

In parte ista iste impugnatus per prædictum capitulum Clementis conatur ostendere, quod Apostoli & Discipuli, ante conuersionem Iudæorum, de quibus in Actibus fit mentio, aliqua possidebant: quia dicit, quod ex dicto capitulo colligitur, quod Apostoli & eorum discipuli communicauerunt Iudæis conuersis illa quæ habebant: & econuerso. Igitur ante dictam conuersionē aliqua possidebant.

Sed isti impugnatores magis volentes, vt asserunt, impugnare mentem quam verba, dicunt quod licet verba prædicta istius impugnati extense accepto vocabulo *possidendi* sensum verum possent habere: tamen accipiendo vocabulum *possidendi* magis stricte pro eo quod possidetur iure proprietatis & dominii, sicut accipit ille impugnatus, verba illa erronea sunt censenda, quantum ad hoc quod asserunt Apostolos ante conuersionem dictorum Iudæorum aliqua iure proprietatis & dominii possedisse, & illa communitati credentium contulisse: quia vt dicunt, & probatum est prius, & inferius amplius ostendetur, Apostoli postquam fuerunt ad Apostolatum assumpti, nihil iure proprietatis & dominii possidebant, hoc est detinebant ad vsum vel facultatem vtendi.

Quod vt appareat videamus literam. (*Istius enim consuetudinis*) scilicet communem vitam ducendi. Communem vitam duxerunt, viuendo videlicet de communibus. Non enim hic *vita* accipitur pro primo actu animæ: sed accipitur pro sustentari, vt dicatur communem vitam ducere, qui de cōmunibus sustentatur. Et ideo, quando communia diuiduntur inter ducentes communem vitam, adhuc remanent aliquo modo communia, sicut prius: sed diuiduntur, vt pro illo tempore quilibet licite vtatur portione sibi assignata. Et ideo quandocunq; credentes sustentabantur de diuisis, adhuc erant communia. (*Quæ possidebat*) Super hoc dicit Glossa in decretis sic: *dic possidebat, id est, detinebat, sicut superius dicitur possidere.* Ex illa Glossa clare patet, quod in Actibus & in ca. prædicta Clementis verbum *possidendi* accipitur pro verbo detinendi: illo modo super dicitur *possidere*, id est, detinere: qui tamen nullum habet dominium in his, quæ possidet seu detinet. Et ita ex isto toto capitulo non potest concludi, nisi forte quod Apostoli aliqua detinebant antea vel cum dominio vel sine dominio. Aliud notant isti impugnatores, quod cum dicitur, *quæ possidebat*, debet referri ad tempus illud, quo erant communia, non ad tempus præcedens: quia dicitur *possidebat*, quod est verbum temporis imperfecti: *non possederat*, quod est verbum temporis plusquamperfecti. Et ideo necesse est, quod ibi accipiatur verbum *possidendi* pro verbo detinendi, & non pro habere dominium. Quia aliter esset oppositio in adiecto: *Nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat*: quia ille esset sensus, nec quisquam eorum, quorum tunc habebat dominium, aliquid suum esse dicebat. (*Omnia nobis & istis erant communia*) scilicet quo ad potestatem sustentandi per illa vno modo vel alio: & ita secundum istos ex hoc non potest probari, quod erant omnibus Apostolis & aliis communia, quo ad dominium etiam tale, quale conuersi, & forte aliqui Discipuli Apostolorum habuerunt. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum: quod de discipulis Apostolorum erant aliqui, qui ante dictam communitatem credentium poterant habere in speciali, & in communi, sicut inferius declarare nitentur. (*Supponit Beatus Clemens aperte quod ante conuersionem* &c.) Dicunt quod accipiendo verbum *possidendi* pro verbo detinendi, nec aperte supponit nec negat. Tamē est verum, siue supponatur, siue non.

non. Sed accipiendo verbum *possidendi* pro habere iure proprietatis & dominii: sic est omnino contra intentionem Clementis. (*Communem vitam duxerunt.*) Expositum est prius. (*Apostoli & Discipuli aliqua possidebant ante.*) Verum est quo ad Apostolos, quod aliqua possidebant ad facultatem vel actum vtendi. (*Erant communia* &c.) Ad sustentandum omnes, scilicet Apostolos, & alios. Ad hoc enim erant, vt scilicet omnes sustentarentur. (*Aliqua habebant*) ad vsum. (*Illa communicauerunt Iudæis conuersis.*) Volendo scilicet quod Iudæi conuersi vterentur eis, si indigerent. (*Communicauerunt Apostolis.*) Non dando eis proprietatem ipsorum, sed volendo quod Apostoli sustentarentur de eis, si indigerent. (*Quæ possidebant.*) Detinebant, sicut prius. (*Suum*) id est, proprium.

CAP. XVI.

Item in eo, quod dicit, quod Apostoli post Petri verba illa: Ecce nos reliquimus omnia *&c. vsi sunt rebus consumptibilibus vsu: dicimus esse falsum: quia in rebus vsu consumptibilibus, vsus proprie sumptus haberi nequit, nec istis aliquis potest vti, vt superius est ostensum.*

In illa parte respondet ad illud, quod assumpsit appellans, quod Apostoli post verba Petri: *Ecce nos reliquimus omnia*, rebus vsu consumptibilibus vtebantur, dicens hoc esse falsum: quia in talibus rebus, *vsus* proprie sumptus haberi non potest.

Sed isti impugnatores dicunt, quod in his verbis tres dogmatizat errores: & præter hoc intentionem appellauit, & rationem minime tangit. Primus error, vt dicunt, hic contentus est, quod Apostoli post illa verba Petri: *Ecce nos reliquimus omnia*, rebus vsu consumptibilibus minime vtebantur. Secundus est, quod in rebus consumptibilibus *vsus* proprie sumptus haberi non potest. Tertius est, quod talibus rebus non potest vti. Primum, vt dicunt, est omnino erroneum: quia contra scripturã diuinam in multis locis, quæ Apostolos asserit post verba Petri prædicta cœnasse cum Christo & comedisse ac bibisse. Secundum improbatum est prius, vbi ostensum est, quod *vsus* proprie sumptus in talibus rebus potest haberi. Et de tertio etiam dictum est prius. Secundo dicunt isti impugnatores, quod iste impugnatus intentionẽ appellantis minime tangit. Appellans enim nõ plus probare intẽdit, nisi ꝙ potest quis manducare & bibere, & vestibus indui, ac actus consimiles circa res vsu cõsumptibiles exercere, absq; eorũ dominio seu proprietate. Vtitur autẽ talibus vocabulis *vsus, vti* & consimilibus: quia talibus vtitur scriptura diuina, cuius modũ loquendi nemini est licitum reprobare. Vnde quantum ad mentem appellantis sufficit ostendere, ꝙ actus consulendi res vsu consumptibiles, siue consumptio huiusmodi rerum, potest à proprietate & dominio separari. Cum igitur constet, quod Apostoli consumpserint res vsu consumptibiles post illa verba Petri: *Ecce nos reliquimus omnia*, in istis rebus non habuerunt dominiũ seu proprietatem; Appellans habet intentum scilicet ꝙ actus consumendi res vsu consumptibiles potest à proprietate & dominio separari: quia quantũ ad mentem appellantis tantũ valet dicere actus consumendi potest in huiusmodi rebus à ꝓprietate seu dominio separari, sicut quod vsus potest in huiusmodi rebus à proprietate seu dominio separari.

Explicemus itaq; literam. (*Vsi sunt*) Hic est modus loquendi scripturæ Diuinæ. Vnde Iosue 5. *Defecitq; manna postquam comederunt de frugibus terræ: nec vsi sunt vltra cibo illo filii Israel.* Et ita appellans seruat modum loquẽdi scripturæ. (*Dicimus esse falsum.*) Hic dicunt isti impugnatores, quod hoc Diuinæ scripturæ repugnat. Quia sicut patet per auctoritatem præallegatam sumptam ex Iosue 5. Qui manducat res vsu consumptibiles, vtitur eis. Certum autem est, quod manducauerunt res vsu consumptibiles. Igitur vsi fuerunt eis. Vnde dicunt, quod licet assertio istius, cum dicit quod Apostoli nequaquam vsi fuerunt rebus consumptibilibus vsu, sit tam ridiculosa & puerilis, vt qui non viderunt scripturas ipsius, vix credere possint, quod hoc asserat, & videatur multis quod intellectus, qui proprie ex verbis istius colligitur, nulli homini, qui habet vsum rationis, debet imponi, sed tantummodo isti impugnato in hoc & in consimilibus ignorantiam modorum loquendi, & conatus errores inducendi per nouas vocum impositiones &c. deberet ascribi. Et tamen propter hoc nequit de hæresi excusari: quia secundum Beatum Hieronymum ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. (*In rebus vsu consumptibilibus vsus proprie sumptus haberi nequit*) Illud dicunt omnino esse erroneum, quia licet posset concedi, quod in rebus vsu consumptibilibus, vsus iuris proprie sumptus haberi nequit: hæc tamen, *in huiusmodi rebus vsus proprie sumptus haberi nequit*, est nullatenus concedenda: & hoc, quia scriptura dicit, & aliæ scientiæ proprie loquendo concedunt, quod contingit habere vsum rerum vsu consumptibilium: sed non concedunt, quod proprie loquendo contingit habere vsum iuris talium rerum. Imo nullæ scientiæ nisi legales vtuntur vocabulo vsus in tali significatione. (*Nec istis aliquis potest vti.*) Istud dicunt esse omnino erroneum, sicut inferius ostendetur. (*Vt superius est ostensum*) scilicet sophistice, vt dicunt isti.

CAP. XVII.

Item in eo, quod dicit Beatum Augustinum dixisse, vouisse rerum omnium abdicationem, dicit falsum. Hoc enim Beatus Augustinus non dixit: sed cum recitasset, Apostolos dixisse: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, *subiunxit:* Hoc votum potissime vouerant. *Dic mihi, quid est illud votum quod vouerunt? Certe dici non potest, quod votum illud esset abdicationis dominii, seu proprietatis omnium temporalium rerum: cum de hoc in præcedentibus, seu subsequentibus nullam fecerit mentionem. Quid igitur est illud votum? Certe videtur quod vouerant se Dominum secuturos: de quo immediate mentio habita erat ibi,* secuti sumus te.

Et

Et si dicatur, quod imo vouerant se relicturos omnia, & Dominum secuturos: quia præcesserant verba illa, cum dixisset: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. *Dicimus, quod non est verisimile, quod Beatus Augustinus intellexerit, quod in voto huiusmodi, scilicet quod reliquimus omnia, intelligantur illa comprehensa, quæ Scriptura sacra postea asserit eos habuisse: sicut sunt, quæ ipsos habuisse superius est probatum. Item, non est intelligendum, quod Beatus Augustinus intellexerit, quod ipsi Apostoli vouerunt nihil habere aliud in communi: cum intendens iuxta vitam Apostolicam suam religionem fundare, loquens suis fratribus sic dixerit in Regula sua:* sit anima vna, & cor vnum in Domino, & non dicatis aliquid proprium: sed sint vobis omnia communia: & distribuatur vnicuiq; vestrum, prout opus erit. *Et sequitur: sic enim legistis in Actibus Apostolorum, quia* eis erant omnia communia: & distribuebantur vnicuiq; prout opus erat. *Cum igitur Beatus Augustinus, & eius fratres, res habuerint, & habeant in communi: non est reuocandum in dubium, quin Beatus Augustinus Apostolos habuisse supposuerit in communi. Quare per auctoritatem prædictam Augustini, iste hæreticus nequaquam potest concludere, quod Apostoli voto abdicauerunt omnium rerum dominium, nec quod illud abdicauerunt in proprio & in communi.*

In parte ista iste impugnatus respondet ad illud, quod de voto Apostolorum in obiectione præmissa tangit appellans. Dicens primo quod Beatus Augustinus non dicit Apostolos vouisse abdicationem omnium rerum. Secundo dicit, quod fuit illud votum, de quo loquitur Augustinus, ibi: *Quid igitur* &c. dicens, quod vouerunt sequi Dominum. Tertio ibi: *Et si dicatur,* obiicit contra se. Quarto ibi: *Dicimus,* respondet primo dicens: quod Augustinus sub primo voto comprehendit illa, quę scriptura Apostolos asserit habuisse. Secundo ibi: *Item non est,* dicit quod Augustinus non intellexit, quod Apostoli abdicauerunt omnia in communi. Quod conatur probare per hoc, quod regula Beati Augustini est fundata iuxta vitam Apostolicã: & tamen fratres sui habent aliquid in communi. Vltimo ibi, *quare per auctoritatem,* concludit ꝙ per auctoritatẽ Beati August. non potest cõcludi, ꝙ Apostoli abdicauerunt dominiũ omnium rerũ: nec ꝑ illud abdicauerunt in proprio & in communi.

Sed isti impugnatores impugnãt prædicta quantum ad sex. In primo enim ostendunt, quod Apostoli vouerunt abdicationem proprietatis omnium rerum in speciali. Secundo quod vouerunt abdicationem proprietatis omnium in speciali & in communi. Tertio quod Augustinus hoc sensit. Quarto quod specialiter probant, quod vouerunt abdicationem dominii illarum rerum, quas Scriptura asserit eos aliquo modo habuisse. Quinto quod licet Regula Beati Augustini iuxta vitam Apostolicam sit fundata: tamen non tangat ad vltimam perfectionem vitæ Apostolicæ. Sexto quod medium per quod probat Apostolos habuisse dominium aliquarum rerum in communi, non concludit.

Primum, scilicet quod Apostoli vouerunt abdicationem proprietatis omnium temporalium in speciali, ostendunt primo sic. Ad perfectionem vitæ Apostolicæ pertinebat perfectionem semel assumptam postea nequaquam relinquere, iuxta illud Saluatoris Lucæ 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum & aspiciens retro aptus est regno Dei.* Ad quem autem pertinet perfectionem assumptam nequaquam relinquere, ad eundem pertinet se in eadem perfectione voto firmare. Ad perfectionem igitur vitæ Apostolicæ pertinebat se in assumpta perfectione voto firmare. Sed teste Beato Petro, cum dicit: *Ecce nos reliquimus omnia,* Apostoli proprietatem omnium temporalium abiecerunt: sicut ostensum est prius, & inferius amplius ostendetur. Igitur Apostoli se in dicta temporalium abiectione voto firmauerunt, & per consequens vouerũt abdicationem proprietatis omnium temporalium saltem in speciali. Secundo sic arguunt. Votum religiosorum profitentium regulam beati Augustini, vel regulam beati Benedicti, non est perfectius voto Apostolorum de eodem. Sed Apostoli vouerunt aliquam paupertatem, & dicti religiosi etiam vouent paupertatem. Ergo votum paupertatis prædictorum religiosorum non est perfectius, quam fuerit votum paupertatis Apostolorum. Dicti autem religiosi vouent abdicationem proprietatis omnium temporalium in speciali. Ergo Apostoli vouerunt abdicationem proprietatis omnium temporalium saltem in speciali. Tertio sic: sicut qui aliquam rem perfecte relinquit, ipsam non potest resumere: sic qui perfecte relinquit voluntatem habendi, non potest voluntatem habendi resumere. Vnde perfecte relinquere voluntatem habendi, non est à voluntate habendi desistere. Tunc enim quilibet quando dormiret relinqueret voluntatem habendi. Sed ad laudem Apostolorum, dicit Glossa super illud Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*: quod *ipsi reliquerunt voluntatem habendi.* Et Gregorius dicit, quod *Petrus & Andreas dimiserunt desideria habendi.* Ergo voluntatem habendi non potuerunt resumere. Sed qui sic relinquit voluntatem habendi, quod eam resumere nequit, vouet non habere. Si enim non voueret, posset resumere, sicut prius. Apostoli ergo vouerunt non habere temporalia. Quod debet intelligi quantũ ad proprietatem & dominium: ita vouerunt abdicationem proprietatis omnium temporalium saltem in communi. Quarto sic: Apostoli non imperfectius seruauerunt consilia Euangelica, quam Pharisæi, scribæ & alii sub lege veteri constituti, seruauerunt consilia legis veteris. Non enim obliti fuerunt verborum sui Magistri dicentis Matth. 5. *Dico autem vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum. Audistis quia dictum est antiquis* &c. vbi Christus insinuauit aperte, quod legem Euangelicam debuerunt Apostoli perfectius seruare, quam antiqui seruauerunt legem Mosaicam. Et ideo non imperfectius debuerunt seruare consilia Euangelica, quam illi seruauerint consilia veteris legis. Sed nonnulli Pharisæi & Scribæ ac alii sub lege veteri constituti, nonnulla consilia legis veteris sub voto seruauerunt. Patet de Nazareis *Numer. sext. & tert. cap.* vbi scribitur: *Hoc offeretis Domino in solennitatibus vestris præter vota & oblationes spontaneas.*

Et

Et sequitur: *si quis virorum votum domino vouerit*, &c. Ex quibus aliisque quampluribus colligitur euidenter, quod antiqui in veteri lege multa vouerunt, ad quæ alias minime tenebantur. & in hoc, quod se voto astrinxerunt perfectius fecerunt: quia idem opus factum cum voto melius est ceteris paribus quàm sine voto, secundum quod postea ostendetur. ergo apostoli multo magis quàm illi consilia euangelica seruare vouerunt. sed abdicatio proprietatis omnium temporalium est consilium euangelicum, teste ipsa veritate, quæ ait: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, &c. ergo apostoli talem abdicationem sub voto seruauerunt.

Secundo isti impugnatores ostendunt, quod apostoli etiam vouerunt abdicationem proprietatis omnium rerum in speciali & in communi. Nam votum apostolorum paupertatis non fuit imperfectius voto paupertatis quorumcunque religiosorum eos sequentium. sed nonnulli religiosi, puta Fratres Minores, vouent abdicationem proprietatis omnium in speciali & in communi, sicut postea ostendetur. ergo & apostoli votum huiusmodi emiserunt. Confirmatur, quia omnis religio quantum ad tria vota principalia in religione, scilicet obedientiæ, paupertatis, & castitatis, à vita apostolica sumpsit originem, fuitque vita apostolica forma & exemplar omnium religionum quantum ad illa tria vota. igitur conueniens fuit, vt nulla religio sequens in aliquo istorum trium votorum apostolicam vitam excederet: sed, sicut dictum est, religio Fratrum Minorum vouet abdicationem proprietatis omnium in speciali & etiam in communi. igitur & vita apostolica idem votum emisit.

Tertio isti impugnatores ostendunt, hanc fuisse intentionem B. Augustini; quia cum dicit beatus Augustinus, *hoc votum potentissime vouerant*; aut debet referri ad totum, cum dicit apostolos dixisse, *ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te*: aut debet referri ad vltimam partem, scilicet, quod vouerunt sequi Christum. Si detur primum, habetur propositum, scilicet quod vouerunt relinquere seu dimittere omnia tam in speciali quam in communi. quia apostoli dicentes; *ecce nos dimisimus omnia*, locuti sunt de isto modo dimittendi omnia, quo Christus viam perfectionis docens consuluit omnia dimittenda, cum dixit cuidam: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*: sed tunc docuit omnia dimittenda tam in speciali quam in communi: quia quæ venduntur & pauperibus erogantur, tam in speciali quam in communi dimittuntur. Igitur si votum apostolorum debet intelligi de vtroq; sc. de dimittendo omnia, & de sequendo Christum, sequitur quod sub voto omnia dimiserunt tam in speciali quam in communi. Si autem detur secundum, scilicet, quod vouerunt tantummodo sequi Christum, quærunt isti impugnatores, si apostoli vouerunt sequi Christum, aut vouerunt eum sequi corporaliter tantum, aut spiritualiter, eius videlicet implendo consilia & præcepta. Primum non potest dici, quia sic nullius fuisset perfectionis illud votum. Multi enim Christum corporaliter sequebantur sine omni virtute. hoc etiam est contra Glossam Mat. 4. super illud: *Relictis omnibus secuti sunt eum*. quæ ait: *Incessu pedum, sed magis obedientia & affectu, amplius ad propria non reuersuri*. Ex quib. verbis patenter habetur, quod licet apostoli incessu pedum Christum secuti fuerint: magis tamen obedientia & affectu ipsum sunt secuti. Si detur secundum, scilicet quod vouerunt sequi Christum spiritualiter eius præcepta & consilia adimplendo. igitur magis principalia eius consilia magis vouerunt. consilia autem principalia Christi fuerunt obedientiæ, castitatis & paupertatis. ergo sicut apostoli vouerunt obedientiam, quam docuit Christus, cum dixit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum*: ita vouerunt paupertatem, quam Christus docuit, cum dixit: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus*. sed tunc Christus docuit abdicationem omnium in speciali & in communi. ergo apostoli secundum intentionem B. August. omnium abdicationem in speciali & in communi vouerunt. Amplius, si apostoli non tantum sequebantur Christum, sed etiam vouerunt sequi Christũ, hoc fuit, quia sequi Christũ ex voto est perfectius & deo gratius, quã sequi Christũ sine voto. Alia. n. causa, vt videtur, assignari non põt: sed vbi est eadẽ causa, debet esse idẽ effectus; sicut vbi est eadẽ ratio, debet esse idem ius. ergo si sequi Christum ex voto est perfectius, quam sine voto, & dimittere omnia ex voto est perfectius quam sine voto: ergo si apostoli ex voto secuti sunt Christum, ex voto omnia dimiserunt. Sed instabit aliquis contra prædicta dicens, quod illæ rationes non concludant: quia si concluderent, sequeretur quod vouissent omnia consilia Christi, cum nequaquam specificetur votum ipsorum, & non magis potest concludi, quod vnum consilium Christi vouerunt quam aliud. Sequeretur etiam, quod omnia quæcunque fecerunt, ex voto fecerunt. Cum omne bonum factum ex voto sit perfectius quàm sine voto. Sed isti impugnatores dicunt, quod illa non concludunt. Dicunt enim ad primum, quod quamuis votum apostolorum minime specificaretur, tamen ex quo vouerunt, rationabiliter concedi debet quod illa vouerint potissime, quæ Christus artius consulebat, & quæ inter opera exteriora ad fidem veram suscipiendam infideles maxime poterant prouocare. Ex quo ipsi in voto & aliis operibus suis doctrinam Christi tenere, & ad eandem doctrinam alios prouocare verbis & factis principaliter studebant. Sed inter consilia Christi, consilia paupertatis, castitatis, & obedientiæ, videntur à Christo strictius imposita & edocta. Per ista etiam maxime prouocari poterant infideles ad doctrinã Christi suscipiendam. Vnde apostoli per paupertatem specialiter reddiderunt se non suspectos, ne quis crederet ipsos propter aliquod temporale, doctrinam euangelicam prædicare: vt sic nullus eos mala intentione veritates inauditas docere putaret. & ita relinquitur, quod apostoli specialiter seruare paupertatem assumptam vouere debebant. Aliter à prædictis minime discordan-

do. Dicunt quod votum apostolorum specificatur quantum ad paupertatem, cum Augustinus loquens de paupertate apostolorum & sequela Christi statim dicat, *hoc votum potissime vouerant.* Ad secundum dicunt isti impugnatores, quod bona, quæ faciunt sancti, sunt in triplici differentia. quædam enim proponunt perpetuo custodire. quædã sunt quæ licet non proponant nec expediat inperpetuum obseruare, tamen firmiter & irreuocabiliter ex magna deliberatione se facturos proponunt. quædam vero sunt, quæ faciunt sancti cauta deliberatione, & diligenter aduertunt, quod in voluntate faciendi talia debent se minime firmare. Prima & secunda decet, & expedit voto firmare, sed non tertia. Nunc autem apostoli paupertatem perpetuo seruare volebant: & ideo vouerunt eandem. Alia autem quæ vouere non fuit expediens, sine voto fecerunt. Vnde quamuis specialiter bonum opus factum ex voto, quando vouere est licitum & expediens, sit perfectius ceteris paribus, quam sine voto: tamen vouere non est semper expediens neque licitum: imo est interdum illicitum, quia non semper debet quis se firmare in isto, quod facere mente proponit.

Quarto specialiter probant isti impugnatores: quod apostoli vouerunt abdicationem proprietatis illarum rerum, qua scriptura sacra eos aliquomodo asseruit habuisse: cuiusmodi fuerunt caligæ, vestimentum, tunica, gladius, & huiusmodi. hoc probant sic: Votum religiosorum se extendit ad talia. sed votum paupertatis apostolorum non fuit minus vtile quam votum paupertatis religiosorum quorumcunque. ergo votum paupertatis apostolorum ad huiusmodi se extendit. De hoc dictum est superius, & magis dicetur inferius: ideo hic breuius pertransitur.

Quinto isti impugnatores probare nituntur, quia licet regula beati Augustini sit fundata iuxta apostolicam vitam; tamen non attingit ad vltimam perfectionem apostolicæ vitæ. Quod probant primo sic. carere possessionibus in communi ad perfectionem spectat. alioquin omnes religiosi mendicantes frustra possessiones in cõmuni abiecerunt. sed apostoli non poterant habere possessiones in communi, sicut vouentes illam regulam B. Augustini possunt habere possessiones in communi. ergo ad vltimam perfectionem paupertatis apostolicæ nequaquam attingunt. Secundo sic; ad perfectionem apostolicæ paupertatis pertinebat pecuniam minime possidere, sicut patet Matth. 10. vbi sic dicitur. *Nolite possidere neque aurum, neque argentum neque pecuniam, in zonis vestris.* Ad hoc autem vouentes regulam B. Augustini minime astringuntur. ergo ad vltimam perfectionem paupertatis apostolicæ non attingunt. Sexto conantur ostendere, quod medium per quod probat apostolos habuisse dominium & proprietatem aliquarum rerum in communi, non concludit; sed concludit, quod non habuerunt proprietatem cuiuscunq; rei in speciali. quia quando aliqua regula iuxta aliam, ad quã nequaquam attingit, est fundata ex defectu perfectionis in secunda regula, non potest ostendi idem defectus in prima; sicut ex carentia alicuius perfectionis in imperfectiori non potest argui carentia eiusdem perfectionis in perfectiori. Non enim sequitur: imperfectius caret hac perfectione. ergo perfectius caret eadem. Sed regula beati Augustini, sicut dictum est, licet sit fundata iuxta regulam apostolicæ vitæ, tamen ad vltimam perfectionem eiusdem non attingit. habere aũt aliquarum rerum dominium in communi est quidam defectus perfectionis, non quidem essentialis, sed paupertatis. ergo ex hoc quod ista perfectio non est de essentia regulæ beati Augustini, non potest inferri, quod non fuerit de substantia apostolicæ vitæ. Quod autem medium supradictum concludat apostolos non habuisse quarumcunque rerum proprietatem & dominium in speciali, ostendunt sic; quando aliqua regula iuxta aliam est fundata, ad cuius vltimam perfectionem nequaquam attingit, quicquid perfectionis reperitur in regula secunda, reperitur in prima. Sed regula beati Augustini est fundata iuxta regulam apostolorum, & perfectionis est abdicare proprietatem & dominium omnium in speciali: & hoc faciunt vouentes regulam beati Augustini. ergo multo perfectius hoc fecerunt apostoli. & ita apostoli nullius rei habuerunt proprietatem & dominium saltem in speciali.

Circa literam vero notanda sunt plura [*hoc enim beatus Augustinus non dixit.*] Dicunt isti quod hic aperte verba beati Augustini peruertit, quod, vt dicunt, apparet ex serie verborum Augustini, quæ sunt hæc. *De terra ergo suscitatus est ille supra omnes diuites pauper: & de illo stercore erectus supra omnes populos opulentos: ille inops vt sederet cum potentibus populi. quibus ait: sedebitis super sedes duodecim & sedem gloriæ hereditate dans eis, dixerant enim potentes illi: Ecce dimisimus omnia, & secuti sumus te. hoc votum potentissime vouerant, sed vnde hoc eis nisi ab illo de quo continuo dictum est. Dans votum vouenti?* hæc Augustinus. Ex quibus verbis datur intelligi, quod votum, de quo posterius loquitur Augustinus ad totum præcedens debet referrri, vt asserat ipsos vouisse etiam abdicationem omnium, cum dixerunt: *Ecce nos dimisimus omnia*: & obedientiam, cum dixerunt, *& secuti sumus te.* [*Dici non potest quod votum illud esset abdicationis dominii, &c.*] Dicunt quod illud votum comprehendit abdicationem dominii & proprietatis omnium temporalium, & etiam sequelam Christi, quæ in perfecta obseruantia præceptorum & consiliorum Christi consistit, quæ etiam votum abdicationis proprietatis omnium rerum includit. & ita aperte insinuat Augustinus, quod apostoli vouerunt abdicationem proprietatis omnium tam in specie ipsam abdicationem specificando: *Ecce nos dimisimus omnia*, quàm etiam in genere perfectam obseruantiam præceptorum & consiliorum Christi promittendo, ibi, *& secuti sumus te.* [*cum de hoc in præcedentibus seu subsequentibus nullam fecit mentionem.*] dicunt quod licet de voto non fecerit vocaliter mentio-

mentionem: tamen de illo, quod cadebat sub voto, fecit in præcedentibus mentionem expressam, cum dicit: *Dixerant enim potentes illi. Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.* propter quod cum immediate subiunxit, *hoc votum potentissime vouerant:* per hoc propositum hanc completam sententiam immediate ante prolatam intelligit. Et ita constat, quod de abdicatione proprietatis omnium temporalium fecit in præcedentibus mentionem: & postea asseruit, quod non solum abdicauerunt omnia, sed quod ad talem abdicationem seruandam se voto astrinxerunt. [*videtur quod vouerant se Dominum secuturos*] hoc est verum præcipue de sequela spirituali per obseruationem mandatorum & consiliorum ipsorum: & ita ex hoc ipso, vt dicunt isti, quod vouerant se dominum secuturos, potest concludi quod vouerant abdicationem proprietatis omnium rerum. quia hoc ad perfectam sequelam Christi pertinebat. [*de quo immediate mentio erat ibi, secuti sumus te*] non solum de hoc erat mentio: sed etiam specialiter erat mentio de abdicatione proprietatis omnium, ibi: *Ecce nos dimisimus omnia.* [*Non est verisimile quod B. Augustinus intellexerit, quod in voto huiusmodi, scilicet quod reliquimus omnia, intelligantur illa comprehensa quæ sacra scriptura eos postea asserit habuisse.*] Dicunt isti impugnatores, quod in hoc sibiipsi contradicit: quia in his verbis concedit illud quod in obiectione præmissa, ad quam hic respondet, fuit acceptum, scilicet quod vouerant se relicturos omnia, & dominum secuturos: cum tamen antea dixerit manifeste, quod dici non potest, quod votum illud esset abdicationis dominii, seu proprietatis omnium rerum temporalium. Secundo dicunt, quod hic omnino loquitur irrationabiliter: quia sicut constat, quod B. August. in voto abdicationis, quę in sua regula continetur, comprehendit illa quę asserit postea fratres suos posse habere illa, verisimile est quod in voto huiusmodi apostolorum: *Ecce nos reliquimus omnia,* intelligat illa esse comprehensa, quæ tamen eos scriptura sacra asseruit habuisse. & hoc quia voto abdicationis proprietatis omnium rerum non obuiat habere aliqua quoad facultatē vtendi, & quoad actum vtendi. & quòd aliomodo quàm quoad facultatem vtendi & actū vtendi, apostoli res quascunque habuerint non legitur. & ideo sicut non obstante voto abdicationis proprietatis omnium in speciali, de quo dicit August. in Regula sua: *non dicatis vos habere aliquod proprium: sed sint vobis omnia communia,* possunt fratres sui aliquid habere. Vnde postea dicit: *certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere, sine superioris licentia debere. quod si propinquus, vel amicus, vel quilibet fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primo quidem priori insinuetur: & sic suscipiatur, si ipse mandauerit: de quo tamen nil fiat aliud, nisi quod priori placuerit.* Ex quibus verbis datur intelligi: quod non obstante voto abdicationis proprietatis, Augustinus voluit quod aliqua susciperent & haberent, quæ tamen essent sub voto comprehensa: quia voluit quod non reciperentur vt propria. ita verisimile est quod beatus Augustinus intellexerit, quod in voto huiusmodi apostolorum: *Reliquimus omnia,* intelligantur omnia comprehensa, quæ sacra scriptura eos postea asserit habuisse: quia non habuerunt ipsa vt propria, sed habebant ipsa tantummodo quoad licitam potestatem vtendi & quo ad actum vtendi. [*Quæ ipsos habuisse*] Verum est quo ad licitam potestatem vtendi, non quo-ad dominium & proprietatem. [*Item non est intelligendum quod beatus Augustinus intellexerit, quod ipsi apostoli vouerunt non habere aliquid in communi.*] Hoc isti negant, quia dicunt, quod Augustinus intellexerit ipsos non habere aliquid quomodo Christus consuluit adolescenti dimittere omnia, cum dixit: *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* quia occasione illius dixit Petrus in persona omnium apostolorum: *Ecce nos reliquimus omnia.* sed Christus consuluit adolescenti dimittere omnia in speciali & in communi: quia vendita & data pauperibus dimittuntur in speciali & in communi. ergo apostoli sic vouerunt non habere aliquid, nec in speciali nec in communi. quod debet intelligi quo ad proprietatem & dominium. quia nō habere aliquid ēt in speciali quo ad vsum facti nulli est licitum, iuxta vitam apostolicam. Conuenienter dicitur *iuxta vitam apostolicam:* quia Regula beati Augustini in pluribus distat à vita apostolica: & tamen in multis imitatur ipsam. & ideo non est simpliciter vita apostolica, sed iuxta eam est fundata. [*Cum igitur beatus Augustinus, & eius Fratres res habuerint, vel habeant in communi, non est reuocandum in dubium, quin beatus Augustinus apostolis habuisse supposuerit in communi.*] Dicunt isti quod male infert, quia ex hoc quod regula beati Augustini est fundata iuxta vitam apostolicam: & in multis distat ab ipsa: quicquid perfectionis est in regula beati Augustini, quoad essentialia, religioni debet attribui apostolicæ vitæ. & ideo ex hoc quod Fratres sancti Augustini nullius rei proprietatem habent in speciali, debet inferri quod apostoli nullius rei proprietatem habuerint, saltem in speciali: quia hoc pertinet ad votum paupertatis: quod est essentiale omni religioni perfectæ. Sed habere proprietatem rerum in communi, non pertinet ad perfectionem paupertatis religiosorum: imo deficit ab vltimo gradu perfectissimæ paupertatis. ergo ex hoc, quod inuenitur in Fratribus sancti Augustini, non debet argui quod vitæ apostolicæ competebat: sicut ex hoc, quod habere possessiones magnas in communi, nō obuiat Regulæ beati Augustini: non potest concludi quod apostoli poterant habere magnas possessiones in communi. [*Quare per auctoritatem prædictam Augustini iste hæreticus nequaquam potest concludere, quod apostoli voto abdicauerint omnium rerum dominium.*] Dicunt isti primo, quod mendaciter vocat appellantem hæreticum. Secundo dicunt, quod per auctoritatem Augustini potest concludere, quod apostoli omnium rerum dominium abdicauerunt: cum super abdicationis dominii omnium rerum votum emiserunt. [*Nec quod id abdicauerint in proprio & communi.*]

Magis proprie dixisset *in speciali & communi*, quia conuenienter dicitur, quod proprium potest haberi in speciali vel in conuenientia secundum ipsum. non sic autem conuenienter dicitur, quod proprium potest haberi *in proprio & communi.* Dicunt etiam, quod ex processu Augustini & diuersis assertionibus eius potest concludi, quod apostoli abdicauerint omnium rerum dominium in speciali & communi: & de hoc latius dicetur inferius.

CAP. XVIII

Item non obstat capitulum illud 16. q. 1. cap. Ex auctoritate, per ipsum superius allegatum: imo facit potius contra ipsum. Loquitur enim de monachis, qui vt dicitur ibi, figuram apostolorum tenent. Constat autem quod monachi habent mobilia & immobilia quoad proprietatem & dominium in communi, vt probatur 18. q. 2. c. In nullo. quare videtur quod & apostoli habuerint seu potuerint habere talia in communi. Verum est tamen, quod in Iudaea non retinuerunt immobilia, sed ea potius vendiderunt: quia prouidebant ad gentes ecclesiam transituram, vt probatur Act. 2. & 4. ca. & 12. q. 1. ca. futuram.

In ista parte respondet iste impugnatus ad illud, quod in obiectione praemissa tangit appellans de religiosis, figuram tenentibus apostolorum, dicens: quod illud capitulum de religiosis non facit pro appellante, sed contra ipsum: quia illud capitulum loquitur de monachis, qui possunt habere mobilia & immobila in communi. ergo & apostoli potuerunt, non tamen retinuerunt in Iudaea, quia praeuidebant ad gentes ecclesiam transituram.

Sed isti impugnatores dicunt hic tres errores improbatos superius replicari: quorum primus est, quod apostoli semper potuerunt habere dominium & proprietatem possessionum in communi. Secundus est quod in Iudaea tales possessiones habuerunt post missionem Spiritus sancti. Tertius est quod possessiones huiusmodi vendiderunt. Secundo dicunt, quod medium per quod primum errorem probare conatur, non habet apparentiam nec colorem. De praedictis tribus assertionibus dictum est prius, & postea diffuse dicetur. Ideo probant quod medium suum primam assertionem non probat. Nam licet monachi figuram teneant apostolorum quantum ad renunciationem propriorum, status tamen monachorum possessiones habentium in communi non est omnino idem cum statu apostolorum, nec ad perfectionem status apostolorum attingit: sed in parte, non totaliter imitatur. Ex quo colligitur euidenter, quod nihil quod ad perfectionem non pertinet. ex hoc quod reperitur in statu monachorum, potest de statu apostolorum inferri: sed habere immobilia seu possessiones in communi, licet nequaquam perfectioni essentiali repugnet, tamen ad perfectionem non pertinet: imo altissimae perfectioni paupertatis obuiat manifeste, quia ad paupertatem altissimam nequaquam attingit, imo repugnat altissimae paupertati. ergo ex hoc, quod habere possessiones in communi competit statui monachorum, nequaquam concludi potest, quod apostolis competebat. Sed forte obiiciet aliquis contra praedicta dicens, quod secundum sententiam Prosperi, vt habetur. 12. q. 1. ca. *Expedit, facto Paulini ostenditur, quod propria debent propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse facultates ecclesiae, quae sunt pro facto communi possideri.* Ex quibus verbis aperte colligitur, quod possidere possessiones in communi, perfectioni impedimentum non praestat: & ita non repugnat altissimae paupertati. Ad hoc respondent isti impugnatores, distinguendo tam de perfectione quam de impedimento perfectionis, dicentes quod perfectio, de qua nunc loquimur, est duplex. quaedam, scilicet essentialis, quae reddit hominem perfectum: ita est charitas perfecta, qua habita perfecte est homo perfectus quantumcunq; caret aliis secundum actum, licet aliis virtutibus stante illa charitate perfecta secundu praeparationem animi carere non possit. Alia est perfectio quasi essentialis vel secundaria, quae in aliis virtutibus à charitate inuenitur: sicut si dicatur paupertas perfecta vel castitas perfecta, & sic de aliis. Secundo distinguunt de impedimento perfectionis, dicentes quod aliquid dicitur impedimentu perfectionis, quia perfectioni repugnat aut de perfectione diminuit. Secundo dicitur impedimentum perfectionis, quod communiter & quasi ex natura sua in hominibus ad vitia inclinatis est occasio diminutionis perfectionis: non tamen semper ex ipso sequitur diminutio perfectionis. secundu hoc dicunt ad praemissam obiectionem, quod possidere quoad dominium & proprietam facultates ecclesiae non est impedimentum primo modo perfectionis primo modo dictae: quia potest quis esse perfectus in charitate absque diminutione charitatis perfectae, quae potest haberi in via, licet facultates ecclesiae possideat. sed possidere dicto modo facultates ecclesiae, est impedimentum primo modo dictum perfectionis secundo modo dictae, quia de virtute paupertatis diminuit. Non enim perfectissimus gradus paupertatis stat cum tali possessione facultatum ecclesiae. Vnde ita est de tali possessione ecclesiae respectu perfectionis primo modo dictae & secundo modo dictae, sicut est de castitate coniugali respectu castitatis & virginitatis. Castitas enim coniugalis non necessario diminuit aliquid de perfectione castitatis. Quia ita potest esse perfecta charitas in vtente coniugio, sicut in virgine. charitas tamen vtentis coniugio necessario diminuit de perfectissimo gradu castitatis, quia ad virginitatem nequaquam attingit: nec quantumcunque sit perfectior virgine in charitate aureolam virginitati debitam consequetur. sic licet quis possidens possessiones ecclesiae sit ita perfectus in charitate, sicut carens eis,

non ta-

non tamē erit ita pauper. Sic licet possessio facultatū ecclesiæ non sit impedimentum primo modo dictum perfectionis primo modo dictæ; est tamen impedimentum illius perfectionis, scilicet charitatis accipiendo impedimentum secundo modo, quia quasi ex sua natura est occasio minus diligendi Deum & nimiæ sollicitudinis circa temporalia. Sed forte dicet aliquis, quod secundum ista esset per omnia eodem modo impedimentum perfectionis possessio communium, sicut possessio propriorum: quia possessio propriorum non necessario diminuit de caritate, licet possit esse occasio diminutionis caritatis vel diminutionis actus caritatis: necessario tamen de paupertate diminuit, & ita sine impedimento perfectionis possunt possideri propria, sicut communia. Dicunt isti impugnatores, quod possibile est, quod sine diminutione caritatis & per consequens perfectionis primo modo dictæ, possideantur propria in speciali. Et ita quantum ad multa simile est de possessione propriorum & de possessione communium. Est tamen in multis aliis differentia. Primo quia, vt communiter propriorum possessio magis inclinat ad amorem & sollicitudinem circa temporalia quàm possessio communium. Secundo quia plus distat à gradu perfectissimo paupertatis. Vnde & habentes propria quodammodo ditiores sunt habentibus communia. Et carentes propriis sunt quodammodo pauperiores, quam habentes propria. Tertio quia non est tanta necessitas & vtilitas boni communis & pauperum possidere propria, sicut possidere communia. Et propter istam causam, sicut tangit Prosper in præallegato capitulo; *Viri perfecti perfectionis amore debent propria contemnere*, quia raro aut nunquam retentio propriorum ex charitate proximorum & zelo cōmunis boni procedit: & tamen viri perfecti absque impedimento perfectionis primo modo dictæ possunt communia possidere: quia charitas proximorum & zelus communis charitatis hoc sæpe requirunt. Et ideo secundum Gregorium, vt habetur 8. q. 1. *In scripturis: Sicut toto desiderio debemus occupationem fugere: ita si desit qui prædicet onus occupationis libenti necesse est humero subire.* Sic viri perfecti toto desiderio possessionum communium dispensationem fugiunt: & tamen si desit qui communia rite dispenset, possessionum communium onus amore proximorum libenter suscipiunt. Et ex hoc, vt dicunt, euidenter colligitur, quod quemadmodum occupatio vitæ actiuæ sæpe est occasio diminutionis actus diligendi Deum; ita possessio communium sæpe est occasio minoris feruoris & amoris diuini, & ideo sicut licet vita contemplatiua secundum se sit excellentior quam vita actiua, tamen nonnunquam propter vtilitatem communem vita contemplatiua intermittitur: & vitæ actiuæ insistitur à perfectis; ita licet carentia possessionum in communi secundum se sit melior quàm habere possessiones in communi, tamen aliquando propter vtilitatem communem perfecti absque impedimento perfectionis, hoc est absque omni diminutione charitatis, imo ex abundantia charitatis communia ad dispensandum suscipiunt. In hoc tamen aliquem gradum paupertatis quamuis meritoriæ secundum actum dimittunt: quamuis secundum præparationem animi altissimam paupertatem retineant. sic etiam posset aliquis absque impedimento perfectionis, hoc est, absque diminutione charitatis totius mundi dominium retinere.

Est tamen differentia inter possessionem propriorum & communium, sicut tactum est: quia necesse est ad possidendum communia viros bonos eligere; & ideo necesse est viros bonos se multis periculis etiam spiritualibus exponendo communium possessionem suscipere. sed non sic est necesse eligere aliquos ad propria possidendum. Ex prædictis igitur apparet, quod habere possessiones in cōmuni licet non de charitate, tñ de altissima paupertate diminuit.

Apostoli autem non solum in charitate, sed etiam in paupertate fuerunt perfectissimi, quod non solum decens, imo etiam necessarium videtur fuisse; vt scilicet tanquam primi fundatores post Christum nouæ ecclesiæ, non solum doctrina, sed etiam vita ad perfectissimum mundi contemptum alios inuitarent. Perfectissimus autem mundi contemptus est per abdicationem propriorum & communium ergo & apostoli talem abdicationem seruare debuerunt.

Nunc textum more solito declaremus. [*Facit potius contra ipsum.*] Dicunt quod facit pro ipso: quia sicut non solum perfectior charitas non reperitur in monachis quàm in apostolis; sed etiam nec maior obedientia, nec maior castitas, quantum ad animam reperitur in monachis quàm in apostolis. ita nec maior paupertas reperitur in monachis quàm in Apostolis. sed monachi nullius rei proprietatem etiam vsu consumtibilis habent in speciali. ergo apostoli nullius rei vsu consumptibilis proprietatem habuerunt in speciali; & tamen tamen constat quod apostoli habuerunt vsum facti rerum consumptibilium vsu. ergo vsus facti in huiusmodi rebus potest à proprietate & dominio in speciali separari. sed non est maior ratio quod possit separari à dominio in speciali quàm à dominio in communi; imo ex hoc quod potest separari à dominio in speciali, poterit etiam separari ab omni dominio. & hæc est principalis conclusio appellantis, scilicet quod vsus facti respectu rerum vsu consumptibilium potest à proprietate & dominio separari. [*Figuram apostolorum tenent.*] Non tamen ad perfectionem eorum attingunt; sed in pluribus non in omnibus imitantur. & ideo licet ex hoc, quod monachi carent omni proprietate in speciali, argui possit, quod apostoli caruerunt omni proprietate in speciali, non tamen ex hoc quod monachi habent immobilia, vel etiam mobilia in com-

communi, argui potest quod apostoli habuerunt aliqua in communi. [*Quoad proprietatem &* *dominium in communi.*] Hoc potest concedi de dominio, quod est potestas vendicandi in iudicio rem, quæ non est alterius quoad dominium. non est autem verum de dominio, quod est potestas de re ad libitum disponendi. [*Quare videtur quod & apostoli habuerunt, &c.*] Dicunt quod male infert, quod monachi habent mobilia & immobilia in communi. ergo & apostoli habuerunt vel habere potuerunt: quia habere huiusmodi diminuit de gradu altissimæ paupertatis. & ideo ex hoc, quod monachi ab illo gradu deficiunt, non potest argui. quod apostoli in hoc defecerunt. [*In Iudæa non retinuerunt immobilia.*] Verum est: quia non habuerunt. [*quia potius vendiderunt.*] Hoc dicunt omnino esse erroneum: quia tantum possessiones & prædia vendiderunt, sicut patet in Actibus. [*Ideo apostoli quia præuidebant ad gentes ecclesiam transituram.*] Hæc non fuit causa, quare apostoli vendiderunt, quia apostoli post missionem Spiritus sancti nullam possessionem vendiderunt: sed hæc fuit causa vna, quare de consilio apostolorum suas possessiones vendiderunt: huius tamen fuerunt aliæ causæ. [*Vt probatur Act. 1. & 4.*] Hoc ibi non probatur, sed ostenditur, quod possessiones suas conuersi vendiderunt, non apostoli [*& 12. q. 1. ca. futuram.*] ibi de venditione apostolorum nulla fit mentio, vt patet intuenti.

Cap. XIX.

Adhuc iste veritatis & fidei inimicus ad probandum, quod in rebus, quæ vsu consumuntur, possit haberi vsus à dominio separatus, arguit sic. Omnes decimæ terræ siue de frugibus siue de pomis arborum domini sunt, vt habetur Leuitici vlt. Vsus autem decimarum tantum est Leuitarum, vt habetur Nume. 18. Constat autem, quod illæ decimæ sunt de frugibus & pomis, quæ sunt res consumtibiles vsu. quare cum dominium decimarum sit domini, & vsus earum sit Leuitarum: Sequitur quod in rebus vsu consumptibilibus haberi potest vsus à dominio separatus

Hic iste impugnatus nititur respondere ad tertiam obiectionem appellantis. & primo ipsa obiectio recitari videtur. Secundo respondetur ad ipsam in parte immediate sequenti.

Sed isti impugnatores dicunt, quod ille impugnatus male & peruerse recitat hic obiectionem appellantis. Nam verba appellantis sunt hæc. *Tertio ostenditur quod dicta assertio scripturæ diuinæ repugnat. Nam sicut habetur Numeri 18. Leuitici vlt. Dominium decimarum siue de pomis siue de frugibus terræ, quas res vsu consumptibiles esse constat, fuit & est Dei, dominium ecclesiæ est Dei: sed vsus illarum fuit & est ministrorum Dei. ergo vsus rerum vsu consumptibilium potest à proprietate & dominio separari, & eius oppositum manifeste obuiat scripturæ diuinæ.* Ex his patet, quod obiectio non est sub eisdem verbis, vt superius, recitata. qualiter autem in sententia differat, super literam apparebit.

Est autem, vt dicunt, intentio appellantis, quod dominium quod est potestas de re ad libitum ordinandi quantum ad multa, quæ sacerdotibus & Leuitis legis veteris competebant, ipsi Leuitæ & sacerdotes nequaquam habebant; vsum tamen illarum rerum habebant. Ex quo volebat appellans concludere, quod in huiusmodi rebus consumptibilibus vsu, vsus potest à tali dominio separari. & eadem ratione potest vsus in huiusmodi rebus ab omni dominio separari: quia dicunt, vt patebit inferius, omnes rationes istius impugnati æque concludere de vno dominio & de alio; & ita si vsus huiusmodi rerum potest à tali dominio, quod est potestas de re libere ordinandi, separari: sequitur per consequentiam, quod vsus huiusmodi rerum potest ab omni dominio separari.

Sed paucis exponamus textum. [*Domini sunt.*] id est domino principaliter offeruntur, nec dabantur Leuitis nisi propter dominum. [*vsus autem decimarum tantum est Leuitarum*] in verbis appellantis hæc dictio tantum minime inuenitur, sicut patet intuenti verba superius recitata. & ideo in hoc in sententia verba, quæ imponit iste impugnatus, distant à verbis appellantis.

Cap. XX.

Ad hoc dicendum, quod iste arguit euidenter ex falsis. quod enim dicit Leuitas habuisse vsum tantum decimarum: falsum dicit, vt probatur Num. 18. ca. per eum in contrarium allegato. vbi Dominus sic dicit: Filiis Leui dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis. Ex quibus patet, quod Leuitæ non tantum vsum in decimis, sed etiam dominium habuerunt.

Nec obstat, quod in eodem capitulo dicitur, quod in vsus Leuitarum & necessaria dominus decimas separauit. Aliud est enim alicui in vsum rem aliquam dare: & aliud alicui dare vsum alicuius rei. Vbi enim vsus rei visibilis conceditur alicui, vsus tantum rei & non dominium sibi intelligitur esse datus. sed vbi alicui res datur in vsum nedum vsus rei, sed & dominium intelligitur esse datum.

Vnde cum dicitur in præallegato capitulo: quod in vsus Leuitarum & necessaria Dominus separauit, declarauit Dominus, ad quid vel propter quid Leuitis decimas dedit. quia enim de frugibus & fructibus dupliciter nos viuimus; vno modo comedendo, ad quod primo & principaliter sunt concessi, iuxta illud Gen. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam. verum quia nonnunquam qui abundat in talibus deficit in aliis necessariis ad vitam humanam, voluit dominus, quod Leuitæ possent non solum de frugibus illis comedere, sed de illis quoad alia vitæ necessaria vendendo & permutando sibi prouidere. & ideo dicit in vsus & necessaria. & ita dicendum est de verbis illis in eodem ca. contentis ad Aaron prolatis, vbi dominus sic dixit: vniuersa frugum initia quæ gignit humus & domino deportantur, cedent in vsus tuos. Illarum autem rerum dominium concessit illis dominus, [illegible] In quo Dominus ad Aaron loquens sic dixit: Omnis oblatio & sacrificium, & quicquid pro peccato [illegible] redditur mihi

mihi, & cedit in sancta sanctorum, tuum erit & filiorum tuorum sequitur: primitias autem quas vouerunt & obtulerunt filii Israel, dedi tibi & filiis & filiabus tuis iure perpetuo. Ex quibus patet quod non solum in decimis, nec in rebus prædictis aliis, Aaron & Leuitæ vsum, sed & dominium habuerunt.

In parte ista iste impugnatus ad prædictam obiectionem nititur respondere. Dicens, quod ex falsis procedit, cum assumit Leuitas habuisse vsum tantũ decimarum. quòd esse falsum ostendit per capitulum allegatum *Numeri* 18. Secundo ibi: *nec obstat*, respondet quibusdam verbis eiusdem capituli, quæ contrarium sonare videntur: dicens quod aliud est dare alicui vsum rei, & dare alicui aliquid in vsum. Qui enim dat vsum, non dat dominium. Sed qui dat in vsum, rem aliquam dat eiusdem rei dominium. Et ideo cum dicitur in eodem capitulo. *In vsus Leuitarum* &c. ostenditur, quod Dominus dederit Leuitis dominium decimarũ. Tertio ibi: *quia enim de frugibus*, assignat causam, quare Dominus dedit Leuitis dominium decimarum, vt scilicet ex eis acquirerent alia necessaria vitæ vendendo & permutando. Quarto ibi, *& idem dicendum est*, respondet ad alia verba eiusdem capituli, quæ videntur esse contra ipsum, ostendens per verba eiusdem capituli, quod illarum rerum dedit Dominus dominium Aaron & Leuitis.

Circa istam partem isti impugnatores sic procedunt. Primo enim ostendunt, quòd iste impugnatus appellanti falsum imponit. Secundo declarãt intentionem auctoritatum, quibus probare molitur, quod Leuitæ habuerunt dominium decimarum & aliarum oblationum & sacrificiorum. Tertio explicant mentem appellantis. Circa primum dicunt, quod iste impugnatus imponit appellanti, quod secundum eum Leuitæ habuerunt tantum vsum decimarum: cum tamen istam exclusiuam nusquam ponat. Et ita dicunt, quod falsum sibi imponit. Circa secundum dicunt, quod quædam distinctio tacta superius est ad memoriam reuocanda. scil. quod dominium est duplex. quoddam enim est dominium, quod est potestas principalis, quamuis non semper principalissima, vendicandi rem in iudicio ac etiam defendendi. Aliud est dominium, quod supra dictam potestatem addit potestatem de re libere ordinandi. Dominium primo modo dictum videntur sacerdotes & Leuitæ in omnibus rebus eis ex diuina ordinatione vel sponte oblatus à populo habuisse. Nam si aliquis decimas, primitias, partem sacrificiorum, quæ sacerdotibus debebantur, & etiam panes propositionis furatus fuisset, ipsi habuissent potestatem vendicandi in iudicio, sicut modo episcopi, & personæ ecclesiæ habent potestatem vendicandi ius ecclesiæ in iudicio, si fuerint ablatæ vel iniuste detentæ. Et ideo sicut aliquo modo conceditur, quod viri ecclesiæ habent dominium rerum ecclesiasticarum: ita potest concedi, quod sacerdotes & Leuitę veteris legis habuerunt aliquo modo dominium decimarum & aliarum rerum sibi à Deo concessarum. Non enim videtur, quod à rebus temporalibus magis fuerunt expropriati, quam ministri ecclesiæ in noua lege. Sed dominium secundo modo dictum non habuerunt sacerdotes & Leuitæ in omnibus rebus eis assignatis: & tamen in multis earum ius habebant & potestatem vtendi. Potestas tamen vtendi respectu aliquarum rerum magis distabat ab isto dominio, & respectu aliarum minus distabat à dominio, isto modo, dicto. Nam respectu aliquarum rerum habebant potestatem vtendi absque omni potestate vendendi, donandi, permutandi aut quomodolibet alienandi, vel de eis disponendi, sicut fuit de panibus propositionũ, quos soli sacerdotes in loco sancto debebant comedere. Aliquas autem res familiæ suæ dare poterant ad vescendum. vnde Numeri 18. scribitur: *Primitias autem quas vouerunt & obtulerunt filii Israel tibi dedi & filiis ac filiabus tuis iure perpetuo: qui mundus est in domo tua vescetur ex eis.* Ex his dicitur, quod auctoritates, quas iste adduxit ad probandũ, ꝙ habebant dominium oblationum sacrificiorum & huiusmodi, non concludunt de dominio secundo modo dicto: sed videntur cõcludere de dominio primo modo dicto. Tertio isti impugnatores explicant mentẽ appellantis dicentes, ꝙ appellans per rationẽ prædictã intendebat directe cõcludere, quod vsus facti in rebus vsu cõsumptibilibus potest separari à dominio, ꝙ est libera potestas vendendi, donandi rem, & de illa ad libitũ disponendi, supponens tanquam certũ, quod si vsus facti in huiusmodi rebus potest à tali dominio separari, ꝙ & vsus facti in huiusmodi rebus potest ob omni dominio separari. Et de hoc patebit inferius. Quod a. ratio sua ꝓbet, quod vsus facti in huiusmodi rebus potest à tali dominio separari, videtur eis apertũ. Nam de plurimis decimis & oblationib. & sacrificiis sacerdotes & Leuitæ non habebãt aliq̃ potestatem quomodolibet disponendi, nisi potestatẽ comedendi tantũmodo. vnde Deut. 26. sic legitur. *Quando cõpleueris decimã cunctarũ frugũ tuarũ, anno decimarũ tertio dabis Leuitæ & aduenæ & pupillo & viduæ, & comedant iuxta portas tuas & saturẽtur.* Ex his verbis datur intelligi, ꝙ quemadmodum aduenæ & pupilli non habebãt nisi tantũ modo potestatẽ comedendi de huiusmodi decimis, ita nec Leuitæ habebant potestatẽ aliter disponendi de huiusmodi decimis, quã tantummodo comedendo: & ita dominium liberũ ꝓprie dictum nullatenus habuerũt, & tñ habuerunt vsum facti. ergo in decimis huiusmodi fuit vsus facti à tali dominio separatus. & itẽ Leuit. 21. sic legitur: *Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias domino, nec panes Deo suo: vescetur tamen panib. qui offeruntur in sanctuario.* Ex quib. verbis datur intelligi, ꝙ talis poterat vti panibus, in quibus tñ nullum habebat dominium saltem quod est potestas vendendi &c. Nec solũ est verũ de sacerdotib. & Leuitis ꝙ habebãt vsum facti à tali dominio separatũ: imo ẽt alii sępe habebãt vsum facti in huiusmodi rebus à tali dominio separatũ. Nam de nõnullis oblatis & sacrificiis Deo habebãt potestatem vtendi, sc. comedendi, de quib. aliud nihil facere potuerunt. vnde Deut. 12. sic habetur: *Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo,*

venietis & offeretis in illo loco holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atq; donaria, primogenita boum & ouium, & comedetis in conspectu domini Dei vestri. & post: *Illuc omnia quae praecipio conferetis holocausta & hostias & primitias manuum vestrarum & quicquid praecipuum est in muneribus quae vouistis Deo: ibi epulabimini coram domino Deo vestro: vos ac filii & filiae vestrae, famuli ac famulae, atq; Leuites, qui in vestris vrbibus commoratur.* Et infra: *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti, vini & olei tui: primogenita armentorum & pecorum, & omnia quae voueris & sponte offerre volueris & primitias manuum tuarum, sed coram domino Deo tuo comedes ea in loco quem elegerit dominus Deus tuus ac filia, seruus ac famula atq; Leuitae qui manent in vrbibus tuis.* Et infra: *Quod autem sacrificaueris & voueris domino, tolles & venies ad locum, quem elegerit dominus, & offeres oblationes tuas: carnem & sanguinē super altare domini Dei tui, sanguinem hostiarum fundens in altari: carnibus autem ipse vesceris.* Ex his verbis aliisq; quamplurimis euidenter datur intelligi, quod sanctificata & oblata domino, comedendi potestatem habebant, sed non de eis aliquid aliud ordinandi. & ita habuerunt vsum facti à tali dominio separatum. imo videtur, quod in talibus nullum dominium habuerunt: quia illa simpliciter erant oblata & sanctificata Deo: & eis erat concessa potestas tantummodo comedendi. Esto etiam, quod offerentes habuissent dominium, quod est potestas vendicādi rem in iudicio: filii tñ & filiae, serui & famulae talem potestatem minime habuerunt, & tamen habuerunt vsum facti. ergo vsus facti quo ad illos in huiusmodi rebus fuit ab omni dominio separatus.

Sequitur videre aliqua circa literam. [*Iste arguit euidenter ex falsis*] hoc negant. [*Quod enim dicit Leuitas habuisse vsum tantum decimarum*] dicuntur quod appellanti falsum imponit. [*Dedi omnes decimas Israel in possessionem* &c. *Ex quibus patet, quod Leuitae non tantum vsum in decimis, sed etiam dominium habuerunt.*] Dicunt quod hoc non patet ex verbis scripturae praemissae: licet ex istis & aliis patere possit, quod Leuitae in quibusdam decimis habuerunt ius comedendi, non tñ habuerunt in omnib. dominium, quo valerent de decimis ad suum libitum ordinare: quia, sicut ostensum est prius, *dare* non semp accipitur pro cōferre dominium rei datae. [*Nec obstat quod in eodem ca. dicitur quod in vsus Leuitarū & necessaria dominus decimas separauit*] illud obstat, vt dicunt isti: quia aliquarum decimarum habebant vsum & potestatem vtendi absq; omni potestate de eis aliter disponendi: & ita habuerunt vsum absq; dominio libero & proprietate, quae est potestas de re ad libitum disponendi. [*Aliud est enim alicui in vsum rem aliquam dare, & aliud dare alicui vsum alicuius rei.*] Ista assertio cōtinet duas particulas, in quarum vtraq; ponitur hoc nomen *vsus*, sicut de se patet. Et si quidem in vtraq; particula accipiatur *vsus* vniuoce, & eodem modo, dicunt isti quod est omnino irrationabiliter dictum: quia si in vtraq; particula accipiatur *vsus* pro iure quodam determinato vtendi, constat quod non est aliud secundum rem dare rem aliquam in vsum talem, & dare alicui talem vsum iuris rei. si etiā accipitur in vtraq; particula pro potestate vtendi: constat quod non est aliud, sicut non est aliud alicui in potestate vtendi rem aliquam dare, & dare alicui potestatem vtendi eadem re. Sicut si accipiatur pro actu vtendi non est aliud: quia non est aliud dare alicui rem in actum vtendi, & dare sibi actum vtendi: nisi forte dicas, quod dare in actum vtendi est dare potestatem vtendi: sed tunc non acciperetur vsus vniformiter in vtraq; particula, nec esset sic ad ppositum istius. Si autem hoc vocabulum *vsus* aequiuoce & differenter accipiatur in vna particula, & in alia, sic potest concedi. vnde si in prima particula hoc nomen accipiatur pro potestate vtendi, & in secunda pro vsu iuris determinati, sic potest concedi: sicut aliud est dare alicui rem aliquam in potestatem vtendi, & dare vsum rei qui est ius quoddam ciuile. vnde nonnunquam dat aliquis alicui potestatē equitandi equum suum: cui tamen non confert tale ius ciuile vtendi. sed isto modo nihil facit ad intentionē istius impugnati. [*Vbi enim vsus alicuius rei inuisibili conceditur: vsus tantum rei & non dominium sibi intelligitur datum esse.*] Si hoc vocabulum *vsus* accipitur pro vsu determinato iuris ciuilis, quod est quoddā ius distinctum à dominio & vsufructu, continet veritatem. sed isto modo in tota obiectione praemissa non accipit vsum appellans: nec sic vnquam accipitur nomē *vsus* in scriptura diuina. Si vero nomen *vsus* in verbis praemissis accipitur pro potestate vtendi: sic aliqñ continet veritatem, & aliquando falsitatem: quia qui dat sic potestatē vtendi, vt à se transferat dominium, si alius est capax, & vult recipere, dat etiam dominium: quandoq; autē dat potestatē vtendi dominio sibi retento. Idem potest dici de illo, qui dat vsum accepto vocabulo *vsus* pro actu vtendi. [*sed vbi alicui res datur in vsum, nedū vsus rei, sed etiā dominium intelligitur esse datū.*] Si hoc vocabulū *vsus* accipiatur pro vsu iuris determinati, q̄ diffinitur sic: *Vsus est ius vtendi rebus alienis* &c. Dicunt isti, quod est simpliciter falsum. quia implicat contradictionē. s. quod aliqs haberet talē vsum alicuius rei, & dominiū eiusdē: quia sequeretur, quod esset res aliena & propria. Si a. accipitur vocabulum *vsus* pro potestate vtendi, sic adhuc est falsum, vt dicunt: quia saepe datur alicui hospitiū vel res alia in potestatē vtendi, nō tñ propter hoc intelligitur dominiū esse datum. Et quia iste impugnatus hoc dictum suum neque ratione neq; auctoritate probat, eadē facilitate contemnitur qua probatur. [*cum dicitur in praeallegato ca. quod in vsus Leuitarū & necessaria dominus separauit. Declarauit dominus ad quid vel propter quid Leuitis decimas dedit.*] hoc concedunt isti. [*quia enim de frugib.* &c.] hoc non impugnant. [*Voluit dominus quod Leuitae possent non solū de frugib. illis comedere, sed etiā de illis quo ad alia vitae necessaria vendendo vel permutando sibi prouidere.*] Hic dicunt istum impugnatum contra sacrā scripturā errare: quia, sicut patet Leuitici vlt. Fruges, de quib. est sermo, sanctificabantur domino. vnde Leuit. vlt. sic habetur: *Omnes decimae terrae siue de frugibus, siue de pomis arborū, domini sunt & illi sanctificatur.* sed sanctificata domino, vendere non licebat: imo nec licebat sanctificata domino, omnib. dare indifferenter ad vescendum. Vnde

Leuiti.

Leuit. 23. ca. sic scribitur: *Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his, quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Omnis alienigena non comedet de sanctificatis: inquilinus sacerdotis, & mercenarius non comedet ex eis.* & infra: *Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his quæ sanctificata sunt, & de primitiis non vescetur.* Ex his aliisq; quampluribus colligitur euidenter, quod non licebat sacerdotibus, & Leuitis dare sanctificata indifferenter omnibus ad vescendum: & per cõsequens multo magis non licebat vendere ipsa vel permutare: & ita non omnia quæ dabantur eis, ad hoc dabantur eis, vt vendendo, ac pmutando sibi prouidere liceret. Quia de sanctificatis nullatenus hoc licebat. & ideo dixit, *in vsus & necessaria*: patet quod non ideo dixit, quia nonnullis tantum vti debebant & vendere aut permutare minime poterant. [*Et idem dicendum est de illis verbis in eodem capitulo contentis, ad Aaron prolatis: vbi Dominus sic dixit, vniuersa frugum initia* &c.] Hic etiam dicunt isti, quod errat: quia, vt dicunt, nõ licebat sacerdotibus vendere primitias, aut etiam permutare. Vnde dicunt quod esto, quod cum dicit Leuitas & sacerdotes habuisse dominium decimarum, primitiarum, oblationum, sacrificiorum, & huiusmodi: per æquiuocationẽ huius vocabuli *dominium* posset aliqualiter glosari: tamen cum dicit eos potuisse vendere, & permutare huiusmodi, nullo modo potest excusari: & specialiter de initiis frugum, de quibus hoc fit mentio, quod ex verbis scripturæ colligitur euidenter. Nam post verba prædicta sequitur immediate: *qui mundus est in domo tua, vescetur ex eis.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod immundi in domo sacerdotis talibus frugum initiis vesci non poterant. ergo multo magis non debuerunt vendi, aut etiam permutari. Debebat ergo sacerdos, & qui mundi erant, in domo sua vesci huiusmodi frugum initiis. & per consequens non licebat sibi ea vendere, vel permutare. & ideo dicunt, quod iste errat, cum dicit. [*Et idem dicendum est* &c.] Secundo isti impugnatores notant ex istis verbis & prædictis, cum dixit. [*Voluit Dominus* &c.] Quia in tota ista serie verborum, per dominium intelligit potestatem, qua potest quis rem vendere & permutare, & de ea sibi necessaria prouidere. Quare dicunt, quod accipiendo dominium, sicut ipse accipit, omnino erroneum est, quod sacerdotes & Leuitæ in omnibus huiusmodi rebus habuerunt dominium. [*Domino deportantur.*] Quia Domino principaliter offeruntur. [*Cedent in vsus tuos.*] Hoc est, dabuntur tibi ad vtendum. s. ad comedendum, vel aliquo alio modo conuenienti vtendum. Et de istis constat, quia non poterãt ea vendere, nec permutare. [*Illarum autem rerum dominium accessit illis Dominus.*] Hoc dicunt omnino esse falsum, accipiendo dominium, sicut iste intelligit. s. pro potestate vendendi & permutandi. [*& in eodem ca. patet.*] Dicunt quod in eodem ca. patet contrarium sicut ostendent statim post. [*Redditur mihi.*] Dicunt hic isti impugnatores, quod aliquid reddere Deo non est aliud quã dominiũ rei relinquere, & diuinis vsibus applicare. hoc autẽ sunt in triplici doctrina. quædam n. ex speciali ordinatione Dei diuinis vsib. applicantur, quia per ipsa colitur Deus, sicut fuerũt in veteri lege templũ, vestes, vasa & huiusmodi. & ista solũmodo ad dominium Dei ptinere videntur, ita ꝙ in nulli⁹ bonis sunt: nec tñ pro derelictis habẽtur, nec occupanti cõceduntur, sed diuino cultui deputãtur. talia fuerũt multa in lege veteri, quę vẽdere aut pmutare aut quomodolibet alienare nulli licebat. & ideo ad nullius hominis dominiũ pertinebãt: & si ablata fuissent, aut iniuste detenta, nullus habuisset potestatẽ tanq̃ sua, sed tanquã Dei in iudicio vendicandi. Talia fuerũt arca Dei, mẽsa propositionis, vestes quas fecit Moyses Aarõ fratri suo & filiis eius ad vtendũ, sicut habetur Exo. 28. & alia multa, q̃ nõ poterãt aliquomõ alienare. & ideo multis talib. vtebãtur, in quib. nullũ habebant dominiũ. Aliqua vero sunt diuino cultui deputata ex generali ordinatione Dei, & speciali ordinatiõe humana, sicut sunt vestes, quib. nunc vtũtur sacerdotes, & multa alia quę in ecclesiis repiuntur. & ista aliquomodo ad dominiũ humanũ ptinere vidẽtur, inquantũ homines habẽt potestatẽ ipsa vel in ppria forma vel in alia forma alienãdi & vendẽdi & ad aliorũ verũ & liberũ dominiũ trãsferendi & vendendi. Tertia sunt, quę nequaq̃ diuino cultui deputãtur, sed ad sustentandũ seruiẽtes Deo specialiter assignãtur. & de talib. potest, vt videtur, concedi, ꝙ aliqualiter ministri Dei habẽt eorũ dominiũ, inquantũ habẽt potestatẽ ipsa tanquã sua vsui suo applicãdi, & in iudicio vẽdicandi, vel defendendi cõtra vendicantes iniuste. De istis tñ quędam fuerunt in veteri lege, quæ ministri Dei nõ poterant aliquo modo alienare, sed tm̃ consumere. [*tuũ erit & filiorũ tuorũ*] non quantũ ad potestatẽ vendẽdi & pmutandi, sicut intelligit iste impugnat⁹: sed quantũ ad potestatẽ comedendi, ꝙ per verba imediate sequentia declaratur aperte, cũ dicitur: *in sanctuario comeditis illud mares tantũ comedent ex eo, quia consecratũ est domino.* Ex quib. verbis datur intelligi, ꝙ illud erat Aaron & filiorũ eius quantũ ad licitã potestatẽ comedendi, non ad aliũ vsum nec quantũ ad potestatẽ vendẽdi & permutãdi: & ita tunc vsus facti separabatur à dominio tali, ꝙ est potestas de re libere ordinandi. [*Dedi tibi & filiis tuis* &c.] non quantũ ad potestatẽ vendẽdi & permutãdi: sed quantũ ad potestatẽ comedẽdi, ꝙ ex verbis imediate sequẽtib. euidẽter apparet, quib. dicitur: *Qui mũdus est in domo tua, vescetur ex eis.* Ex quib. verbis colligitur, ꝙ non aliã potestatẽ vtendi habebãt, nisi comedendi tantummodo. [*Ex quib. patet, ꝙ nõ solũ in decimis, nec in reb. prædictis Aaron & Leuitæ vsũ, sed dominiũ habuerunt.*] Contrariũ sequitur omnino accipiẽdo *dominiũ*, sicut accipit iste. s. pro potestate vendendi, permutandi &c. q̃a res pdictas nõ poterãt vendere, nec ẽt pmutare.

CAP. XXI.

Rursus nititur ostendere, quod dicere, quod simplex vsus facti nõ possit haberi in reb. vsu consumptibilib. à dominio separatus est vitã Christi & apostolorũ eius impugnare. quia perfectio paupertatis, sicut & aliæ perfectiones consiliorũ euangelicorũ fuerũt in Christo & in apostolis perfectissime. & cõstat secundũ eum, quod paupertas euangelica excludit sollicitudinẽ, quã requirit ꝓprietas seu dominiũ tẽporalium rerũ. Ex quo sequitur secundũ eum, quod vsus rerum vsu cõsumptibilium potest à proprietate & earum dominio separari.

In

In parte ista iste impugnatus respondet ad quartam obiectionem appellantis contra primam assertionem impugnati. Et primo recitat obiectionem. Secundo suam ponit rationem in parte immediate sequenti ibi: *ad hoc dicendum*. Est autem obiectio talis. Christus & apostoli perfectissime seruauerunt euangelicam paupertatem. sed euãgelica paupertas excludit omne dominium. ergo nullius rei habuerunt dominium: & tamen habuerunt vsum rerum vsu consumptibilium. ergo in rebus vsu consumptibilibus potest vsus facti à proprietate & dominio separari.

Sed isti impugnatores dicunt, quod truncate obiectionem recitat supradictam. vnde in appellatione Minorum hæc obiectio ponitur sub his verbis: *Quarto ostenditur, quod dicta assertio vitã Christi & apostolorum eius impugnat. quia perfectio paupertatis sicut & perfectiones aliæ consiliorum euangelicorum, fuit in Christo & apostolis perfectissime. & constat quod paupertas euangelica proprietatem & dominium rerum vsu consumptibilium excludit. quia excludit sollicitudinem, quam requirit proprietas seu dominium rerum,* sicut plane probant auctoritates in appellatione prolixa inductæ. *sed paupertas euangelica non excludit vsum rerum vsu consumptibilium. ergo vsus rerum consumptibilium potest à proprietate earum & dominio separari.* hæc verba Appellationis, quæ aliqualiter, quamuis non multum in sententia, distant à verbis superius recitatis.

Quæ vt clariora sunt, declaremus. [*quod vsus simplex facti*] dicunt quod de hoc in verbis prędictis nulla fit mentio: licet hoc intendat appellans [*fuerunt in Christo & apostolis perfectissime*] non solum secundum præparationem animi, sed etiam secundum opus exterius, sicut isti ostendere moliuntur. [*excludit sollicitudinem*] non tamen omnem, quia non necessaria.

Cap. XXII.

AD *hoc dicendum, quod concedimus, quod perfectio paupertatis in Christo & apostolis perfectissime fuit: perfectio siquidem paupertatis euangelicæ plus consistit in animo, vt scil. animus amore istis temporalibus non adhæreat, quam in carentia temporalium rerum. Hanc autem paupertatem perfectissime habuit Christus, & post eum apostoli eius. & per consequens perfectionem paupertatis euangelicæ habuerunt.*

In parte ista ad obiectionem pręmissam nititur respondere. & diuiditur in tres partes, scil. quod ad tria tacta in dicta obiectione respondet. secunda pars incipit in parte immediate sequenti ibi: *Ad illud autem*. Tertia ibi, *ad illud autem quod dicit*. dicit ergo quod perfectio paupertatis euangelicæ perfectissime fuit in Christo & apostolis. sed illa magis consistit in animo, quam in carentia rerum temporalium: & illam habuerunt perfectissime.

Sed dicunt isti impugnatores, quod licet verba prædicta pure affirmatiue accepta, nullum videantur continere errorem: tñ si secundum intentionem dicentis intelligantur negatiue. sc. quod paupertas euangelica fuit perfectissime in Christo & in apostolis quantum ad præparationem animi & non quantum ad carentiam rerum temporaliũ. Dicunt, quod talis intellectus est omnino erroneus. veruntamen quia hoc ex istis verbis præcise colligi nequaquam potest: ideo de hoc ad præsens minime differetur, sed postea de hoc in loco suo prolixe tractabitur.

Nunc satis est verba textus explanasse [*plus consistit in animo*] hoc verum est: tamẽ consistit etiam in carentia rerum. [*& per consequens perfectionem paupertatis euangelicæ habuerunt*] dicunt isti, quod licet antecedens fuerit verum, & similiter consequens: tñ consequentia nulla est. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendũ, ꝙ quando aliqua duo sunt de essentia alicuius, quorum vnum est perfectius, & aliud minus perfectũ, ex hoc ꝙ habetur magis perfectũ, non potest inferri quod perfectio totius habetur. sicut ex hoc, quod anima est in cœlo, non potest concludi, quod pfectus homo sit in cœlo. sed ad essentiam euangelicæ paupertatis pertinent duo. sc. non adhærere temporalib. nimio amore, & carere temporalibus. ergo ex hoc, quod apostoli habuerũt primum, non potest inferri quod habuerunt perfectionem euangelicæ paupertatis. Quod autem ad essentiam euangelicæ paupertatis pertineat carentia rerum temporalium, in parte sequẽti conabuntur ostendere.

Cap. XXIII.

AD *illud autem, quod dicit: Paupertas euangelica rerum vsu consumptibilium dominium & proprietatem excludit. dicimus, quod est falsum, imo illarum rerum supponit scriptura sacra ipsos apostolos ad minus in communi habuisse proprietatem & dominium, vt probatur act. cap. 4. vt est superius ostensum.*

Hic respondet ad secũdum, quod in obiectione pręmissa tangebatur. sc. quod paupertas euangelica proprietatem excludit: dicens hoc esse falsum, quia apostoli habuerunt aliquarum rerum proprietatem & dominium, saltem in communi.

Sed isti impugnatores dicunt hic duos errores includi. quorum primus est, ꝙ paupertas euangelica rerum dominium & proprietatẽ non excludit. Secundus est ꝙ apostoli habuerunt aliquarum rerum dominiũ in communi. Quod primũ sit erroneũ, probare conantur. Primo sic. illa paupertas est præcipue euangelica reputanda, quæ singulariter in euangelio edocetur, & volentibus doctrinã euangelicam perfecte sequi iniungitur. Non n. videtur quod propter aliam rationẽ aliqua paupertas debeat euangelica nuncupari, sicut illa, nec aliqua paupertas debet apostolica appellari, nisi quam apostoli docuerunt vel facto seruauerũt. sed paupertas quæ in euangelio singulariter edocetur, omne dominiũ & proprietatem excludit. Nam in nullo loco euãgelii paupertas, q̃ Christus docuit, magis explicari videtur, quàm quando Christus viam pfectionis quærenti respondit: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperib.* qui autem omnia vendit, & dat pauperib. omne dominiũ, propriũ, & cõmune relinquit. ergo paupertas euangelica omne dominium & proprietatẽ excludit. Secundo sic arguunt. Paupertas euangelica nõ est minor paupertate

que-

quorumcunq; religiosorũ.sed paũptas aliquorũ religiosorũ, puta Fratrũ Minorum, omne dominium & ꝓprietatem excludit, sicut inferius ostendetur.ergò & paupertas euãgelica omne dominium & ꝓprietatem excludit. Tertio sic: cuiuslibet doctrinæ pfectæ moralis est docere, qualiter tam actus interiores quã exteriores virtuosus debeat exercere.sed doctrina euangelica, prout tractat de paũptate, est doctrina perfecta moralis.ergo non tm̃ docet, qualiter qs debeat esse pauper quantũ ad actũ interiorẽ.s.quantũ ad præparationẽ animi:sed & quantũ ad opus exterius.s.quantum ad carentiã temporalium rerũ. Sed abdicare omnium tẽporalium rerum dominium & proprietatem propter Deũ, est op' virtuosum paupertatis: quia secundũ Nicolaum tertiũ in decretali. *Exiit* talis abdicatio propter Deũ meritoria est & sancta.ergo ad doctrinã euangelicã spectat abdicationẽ huiusmodi suadere. Ex quo sequitur, ꝙ talis abdicatio, paupertas euãgelica est cẽsenda. Dicunt igitur isti impugnatores, ꝙ paupertas euangelica illa vocatur, q̃ singulariter in euangelio explicite traditur & docetur:& q̃ omne dominiũ & proprietatem, quo videl. quis in iudicio valet litigare, excludit. Hęc n. paupertas licet in veteri lege cõtineatur implicite, sicut & oẽs perfectiones consiliorũ euangelicorũ:in ipsa tñ minime explicatur propter ꝙ nec aliqs legitur tunc ipsam seruasse. Vnde & ex hoc quarto ostendunt, ꝙ paupertas euangelica omne dominiũ & proprietatẽ excludit. nam sicut lex euangelica est quodãmodo pfectior veteri lege, ita paupertas euangelica aliquid pfectionis addit vltra perfectionẽ paupertatis antiquorũ patrum. hæc de se videtur patẽs: & tñ probatur auctoritate Greg. qui primo libro Moralium ait: *Nec dũ præcepti virtus emicuerat, qua omnia relinqui præceperat. sed tamẽ beatus Iob eandẽ præceptionis vim in corde seruabat: quia nimirũ substantiã suã reliquerat mente, qua sine delectatione possidebat.* Ex quib. verbis clare datur intelligi, ꝙ licet beatus Iob totam substantiã suam mente reliqrit: quia tñ substantiam suam actualiter retinebat, virtus ꝓcepti omnia relinquendi nondũ pfectissime, quãtum ad omnem perfectionẽ, q̃ in euangelio suadetur, emicuit. & ita paupertas, q̃ in euãgelio docetur explicite, aliquid perfectionis addit vltra paupertatem, q̃ sancti patres seruabant. sed ipsi omnia reliquerunt secundũ præparationem animi, & nõnulli etiam quantum ad affectionem & curam, teste apostolo ad Hebr. 11. qui de quibusdam ait: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis & in cauernis terræ.* ergo ad euangelicã paupertatẽ pertinet actualis abdicatio omnis dominii & proprietatis omnium rerum temporalium. Quinto sic arguunt. lex euangelica est perfectissima ergo docet extremos gradus virtutum. Extremus autem gradus paupertatis est abdicatio omnis dominii & proprietatis. ergo lex euangelica talem docet paupertatẽ. & per consequens talis abdicatio ad euangelicam pertinet paupertatem.

Quia vero isti impugnatores asserunt manifeste, ꝙ ista assertio istius impugnati est error quorundam Magistrorum Parisiens. olim per Alexand. 4. condemnatus: & per Doctores Ordinum Prædicatorum & Minorum multipliciter reprobatus. ideo dicunt isti, ꝙ iste impugnatus hic incidit in errorem per Romanos pontifices. s. Alex. 4. & Innoc. 4. condemnatum. Quod autem magis appareant, verba prædicti Alexandri quarti in quadam decretali eius, q̃ incipit: *non sine multa,* adducunt. Ait autem sic: *Cum insuper iidem Fratres omnia reliquerint propter Deũ, exilia vitæ subsidia mendicantes, Christumq; pauperem imitentur perfectionẽ euangelicã amplexando: propter ꝙ euidenter apparet, eos nõ solum in statu saluandorũ existere, sed etiam perfectorũ per suæ religionis obseruantiã, quæ quidẽ ipsius perfectionis euangelicæ tenet formã in æterna retributionis primo præcellentem gloriã promereri.* Et infra: *Volumus, & per apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestrũ omnes Magistros, Doctores, & alios, qui siue in scholis, siue in prædicationibus, seu alibi contra præmissa vel aliquid ipsorum attentauerint, vel in posterum attentabunt, ex parte nostra monere studeatis.* Et infra: *Certũ terminum præfigendũ eisdem dictũ suum reuocent publice, male se dixisse fatentes, illaq; detestentur penitus & retractent asserendo contrariũ, & illud etiam fideliter prædicando.* Et infra: *Nos nihilominus auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne quisquam præmissa vel aliquod præmissorũ pertinaciter astruere, vel quomodolibet defensare præsumat. quicunq; id præsumpserit; tanquam contumax & ecclesiæ Romanæ rebellis ab omnibus fidelibus habeatur.* Ex his verbis colligunt isti tria. Primum est, quod ad euangelicam paupertatem spectat abdicatio omnis proprietatis in speciali & communi. Secundũ est, quod constitutionibus istius impugnati nulla est fides penitus adhibenda. Tertium est, quod omnes tenentes assertionem prædictam tanquam contumaces & rebelles Romanæ ecclesiæ sunt censendi. Primum declarant sic. Illa abdicatio, quæ perfectionem euangelicam amplexatur & perfectionis tenet formam, ad euangelicam pertinet paupertatem. sed abdicatio proprietatis omnium rerum in speciali & in communi perfectionem euangelicam amplexatur, & perfectionis euangelicæ tenet formam. cum Alexander prædictus de Fratribus Minoribus, qui talem abdicationem voueant in verbis præmissis asserat manifeste: ergo huiusmodi abdicatio ad euangelicam pertinet paupertatem.

Nec valet dicere, quod Alexander ibidem loquitur de Fratribus Prædicatoribus & Minoribus: & tamen Fratres Prædicatores habent aliquarum rerum dominium in communi. Nam licet loquatur de vtrisque: tamen loquens de paupertate eorum affirmat aperte, quod Fratres Minores, qui huiusmodi abdicationem voueant, perfectionem euangelicam amplexantur, & perfectionis euangelicæ tenent formam. ergo abdicatio ad euangelicam pertinet paupertate. vnde licet eos coniungat, tamen intendit, quod vtrorumque paupertas ad euangelicam paupertatem pertinet; quamuis paupertas istorum quantum ad aliquem gradum sit perfectior paupertate illorum. Vnde paupertas euangelica vltra omnem paupertatem præcedentium patrum addit

addit duos gradus.s. in abdicatione proprietatis omnium in speciali se voto firmare, & in abdicatione omnium tam in speciali quam etiam in communi se voto firmare. & ita vtrorumque paupertas ad euangelicam pertinet paupertatem: imo etiam paupertas monachorum magnas possessiones habentium in communi à paupertate euangelica non debet excludi, quamuis ipsam nõ ita perfecte imitetur, sicut paupertas eorum qui non habent possessiones etiam in communi. Secundo colligunt isti ex prædictis, q̃ constitutionibus istius impugnati nulla est fides penitus adhibenda: quia non maioris auctoritatis est iste, quam fuerit Alexander quartus. Sed secundũ istum decretali p̃dictæ Alexandri quarti, fides est minime adhibenda, cum doctrinam falsam secundum istum contineat. falsæ autem doctrinę nulla debet fides adhiberi ergo nec constitutionibus istius est fides aliqualiter adhibenda. Vnde dicunt isti, quod iste reprobando doctrinã summorum pontificum omnem doctrinam summorum pontificum ostendit omni auctoritate carere. quare & doctrinæ suæ nullus cogitur adhærere, & si de facto alios cogit suam doctrinam defendere, facto sibiipsi contrarius inuenitur. Tertio concludunt isti ex præmissis, quod oẽs tenentes assertionem istius impugnati contumaces & rebelles Romanæ ecclesiæ sunt censendi. Nam ex quo constitutionibus istius impugnati est minime adhæredum, sicut ostensum est prius, decretali prædicta Alexandri quarti omnes tenentes abdicationẽ Fratrum Minorum. s. perfectionem euangelicã minime amplexari & perfectionis euangelicæ formã non tenere, sunt contumaces & rebelles ratione ecclesiæ iudicati. hoc autem tenent oẽs, q dicunt, euangelicam paupertatem dominium rerum & ꝓprietatem nequaquam excludere. ergo oẽs dictam assertionem tenentes contumaces & rebelles Romanæ ecclesiæ sunt censendi. Ex quo inferunt quod omnes cõsentientes vel approbantes constitutiones istius de hac materia, ac eas tanquam approbandas, legentes, approbantes, exponentes, scribentes, prædicantes vel eis quomodolibet adhærentes, sunt contumaces & rebelles Romanæ ecclesiæ reputandi. Insuper isti impugnatores propter eos, qui doctrinam Thomæ sequuntur, verba eiusdem prædictam assertionẽ tanquam erroneam reprobantis adducunt. Dicũt enim, quod in libro suo, quem edidit contra prædictos Magistros Parisiens. ca. 6. pertractans, & ꝓ rubrica præmittens: *Vtrum religioso liceat omnia sua relinquere, ita quod nihil sibi possidendum remaneat nec in proprio nec in communi*; assertiue pronuntiat verba, quæ sequuntur, dicens: *Prædictis autem non contenti aduersarii veritatis religionum omnium fundamentum ab ipso domino firmiter collocatum nituntur euertere, videl. paupertatem, dicentes illicitum fore omnibus suis dimissis pauperem religionem ingredi, quæ possessiones ac redditus non habeat*. Et infra loquens de Vigilantio hæretico, ait: *Nec solum cõtentus fuit Iouinianum imitari, consilium de virginitate euacuans, sed superaddere ausus est, vt etiam consilium de paupertate seruanda omnino destrueret. Vnde Hieronymus de eo dicit, quod autem asserit eos melius facere, qui vtuntur rebus suis & paulatim fructus possessionum pauperibus diuidunt, quam illos qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur, non à me ei, sed à Deo respondebitur: Si vis esse perfectus, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Matt. 19. Hic autem error per successiones errantium vsq; ad hodierna tempora peruenit, & in hæreticis quibusdam, qui Cathari nominantur, permansit & adhuc permanet, sicut patet in quodam tractatu cuiusdam desiderii Heresiarchæ Lombardi nostri temporis, quem edidit contra catholicam veritatem: in quo inter cætera condemnat statum eorum, qui relictis omnibus egere volunt cum Christo. Nuper autem (quod est horribile) antiquus error renouatus est ab his, qui fidem defendere videbantur, & more errantium in peius procedentes, non sunt contenti diuitias paupertati æquare, vt Iouinianus: vel diuitias paupertati præferre, vt Vigilantius: sed paupertatem totaliter condemnare, dicentes non esse licitum omnia sua pro Christo relinquere, nisi talem religionem intret, quæ possessiones habeat: vel nisi talis de labore manuum viuere intendat. Asserunt etiam paupertatẽ laudari in scripturis non actualem, qua scilicet aliquis rebus temporalibus se expoliat, sed habitualem, qua aliquis rem temporalem contemnit corde, & si res possideat*. Hic explicat sententialiter assertionem prædictam istius impugnati, qui ponit quam euangelica paupertas omnium rerum temporalium dominium & paupertatem nequaquã excludit, quia euangelica paupertas maxime laudatur in scripturis. & ideo si euangelica paupertas nõ excludit omnem dominium temporaliũ, actualis paupertas, quæ excludit omnem dominium, non maxime laudatur in scripturis, vt dicunt prædicti aristes secundum Thomam.

Sed istum errorem Thomas multis rationibus reprobare conatur: quarum plures, vt isti impugnatores dicunt, contra assertionem prædictam sunt euidentes: & auctoritates assumunt sæpedictam assertionem apertissime conuincentes. Et ideo dictarum seriem rationum duxi præsentibus inserendam. post verba itaque supradicta subiungit immediate Thomas dicens: *ad destructionem huius erroris hoc modo procedemus. Primo ostendemus ad perfectionem euangelicam pertinere, non solum paupertatem habitualem, sed etiam actualem, quæ fit per abiectionem temporalium rerum. Secundo ostendemus, quod hæc perfectio manet, etiam si possessiones in communi non habeantur. Tertio quod hæc perfectio etiam in his qui possessionibus carent non semper requirit manuum laborem. Quarto soluemus ea quæ pro se inducunt. Ad ostendendum autem paupertatẽ actualem ad euangelicam perfectionẽ pertinere, assumatur primo quod dicitur Matth. 19. Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes & da pauperib. sed ille, qui sua vendit & pauperib. tribuit, non solum habitualem paupertatẽ eligit, sed actualem. ergo actualis paupertas ad euangelicã perfectionem pertinet. Item, perfectio euangelica consistit imitatione Christi. sed Christus non solum voluntate, sed etiam realiter pauper fuit. Vnde dicitur Matt. 17. super illud, Vade ad mare: Glossa Dominus tantæ paupertatis fuit, vt vnde tributum solueret, non haberet. & Luca 9. vulpes foueas habent &c. Dicit Glossa: ego sum tantæ paupertatis, vt nec hospitium quidem habeã, nec meo vtar tecto. & per multas alias auctoritates de facili hoc ꝓbari potest. ergo actualis paupertas ad perfectionem euangelicã pertinet. Item, euangelica perfectio maxime in apostolis claruit. sed ipsi actualem paupertatem habue-*

habuerunt sua omnia relinquentes. Vnde Petrus dixit Matt. 19. Ecce nos reliquimus omnia &c. & Hiero. ad Elbidiam. Si vis esse perfecta & in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt apostoli, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & nudā solamq; crucē virtute nuda sequaris & sola. ergo actualis paupertas ad euangelicā perfectionem pertinet. Itē Marci 10. super illud: quam difficile qui pecunias habēt &c. Glos. aliud est pecunias habere, aliud amare. Multi habēt & nō amant: multi nō habēt, & amant. Itē alii habent & amāt: Alii vero nec habere nec amare se gaudēt. qui tutiores sunt? qui cū apostolo dicere possunt: Mihi mūdus crucifixus est & ego mūdo. ergo actualis paupertas & habitualis sic præferenda est habituali paupertati. Itē idē potest haberi Mat. 19. per Glossam super illud: Diues difficile intrabit in regnum cœlorū. Glossa, de omnib. tutius est, nec habere nec amare diuitias. Item Iacobi secundo. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo. Gloss. inopes rerum temporalium. hoc autem non est nisi per actualem paupertatem. ergo actualiter pauperes electi sunt à Deo. Item Luca 14. Nisi quis renunciauerit omnib. quæ possidet. Glossa, hoc distat inter renunciare omnib. & reliquisse omnia: quia renunciare conuenit omnibus, qui ita licite vtuntur mundanis, quæ possident, vt tamen mente tendāt ad æterna. Reliquisse est tantummodo perfectorum, qui omnia temporalia postponunt & solis æternis inhiant. Ergo relinquere, quod pertinet ad actualem paupertatem, est euangelicæ perfectionis: sed renunciare, quod pertinet ad habitualem, secūdum Glossam prædictam, est de necessitate salutis. Item Hieronymus in epistola contra Vigilantium post verba supra inducta subiungit: Ad eum loquitur (sc. Dominus) dicens: Si vis perfectus esse &c. qui vult esse perfectus, qui cum apostolis patrem, nauiculā & rete dimittit, iste, quem tu laudas, secundus ac tertius gradus est. sc. qui fructum possessionum dat pauperibus: quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis & tertiis esse præferenda. ergo patet, quod præferendi sunt, qui omnia sua dimiserunt illis, qui de fructibus possessionum, quas retinent, pauperibus diuidunt. Item Hieronymus in epistola ad Rusticum monachum: Si habes substantiam vende, & da pauperibus: si non habes, grandi onere liberatus es, nudū Christum nudus sequere: durum, grande, difficile, sed magna sunt præmia. & multa alia huiusmodi ex epistolis Hieronymi accipi possunt, quæ de actuali paupertate necesse est vt intelligantur, quæ causa breuitatis dimittuntur ad præsens. Item August. dicit in libro de ecclesiasticis dogmatibus: Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius est pro intentionem sequendi dominium simul donare & absolutum à sollicitudinibus egere cum Christo. & sic idem quod primus. Item Ambrosius in libro de Officiis: Nullum adminiculum præstant diuitiæ ad vitam beatam: quod euidenter Dominus notat in euangelio dicens: Beati pauperes, quoniam vestrum est regnum cœlorum. Itaque paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur mala, non solum impedimento non esse ad vitam beatam, sed adiumento esse euidentissime probant. sed hoc non potest intelligi de paupertate habituali, qua homo diuitias subiicit: quia hac à nullo putātur impedimēta beatitudinis. ergo oportet quod intelligitur de paupertate actuali, qua omnia abiicit. Item Gregorius dicit in homil. 8. secundæ partis super ezechielem: Cum quis aliquid suum vouet Deo, & aliquid non vouet, sacrificium est: cum vero omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouit, holocaustum est. sed holocaustum erat dignissimum sacrificium. ergo perfectissimum opus est omnia sua propter Deum dimittere. Item Greg. in prologo Moralium: Cum enim adhuc me cogeret animus præsenti mundo quasi specie tenus deseruire, cœperunt multa contra me ex eiusdem mundi cura succrescere, vt in eo iam non specie, sed quod est grauius mente retinerer, quæ tandē cuncta sollicite fugiens portum monasterii petii, & relictis quæ sunt mundi, ex huius mundi naufragio solus euasi. Ex quo patet, quod periculosum est res mundi possidere: quia earū possessio periculose mentem retinet: & ideo laudabilius est possessionem rerū temporalium à se abiicere per actualem paupertatem, vt mens à cura diuitiarum liberetur. Item Chrysost. dicit in libro qui dicitur, nemo læditur nisi à semetipso: quid apostolos penuria rerum corporalium læsit? nonne in fame & siti & nuditate degebant? & pro his clari, maximi & magnifici habebantur, atque ingentem per hoc fiduciā quæsierant apud Deum? Ex quo patet, quod actualis paupertas, quæ in penuria rerū consistit, ad apostolicam perfectionē pertinet. Item Bernardus dicit ad Senon. Archiepiscopū: Felix qui nihil sibi intētat ex omnibus, quæ habet, non foueā, vt vulpes, non tanquā volucres nidum, non loculos quomodo Iudas, non domos sicut nec Maria locum in diuersorio, imitatus profecto illum qui non habebat vbi reclinare caput. Ex quo patet, quod nihil omnino possidere in mundo ad Christianam perfectionem pertinet. Item 1. q. 2. c. Si quis: Profecto perfectior est ille, qui se rebus mundi expoliat, aut qui cū nihil habuerit, nec habere desiderat: quam ille, qui ex multis quæ possidet aliquid ecclesiæ præstiterit. Ex quo patet, quod nihil possidere ad perfectionē Christianā pertinet. Item eum, qui vacat contemplationi diuinæ, magis opus esse à rebus mundanis liberum, quam eos qui contemplationi philosophicæ vacabant. Sed philosophi, vt libere philosophiæ vacarent, laudabiliter mundi substantiam abiiciebant. vnde Hieronymus dicit ad Paulinum presbyterum de institutione monachorū: Socrates ille Theban[illegible] homo quōdā ditissimus, cum ad philosophandū Athenas pergeret, magnū auri pondus abiecit: nec putauit se [illegible] virtutes simul & diuitias possidere. ergo multo magis ad vacandum contemplationi diuinæ laudab[illegible] posse: & relinquere. Vnde super illud Matt. 19. Si vis perfectus esse &c. dicit Glossa interlinearis: Ecce co[illegible]c est omnia sua [illegible] euangelium pertinet. Itē præmium excellens non debetur, nisi merito excellenti sed præm[illegible] contemplatiua, quæ ad [illegible]um excellens. s. iudiciaria potestas debetur actuali paupertati, sicut patet Mat. 19. super illud. Vos qui reliquis[illegible]s &c. Dicit Glossa. Qui reliquerunt omnia & secuti sunt dominū, hi iudices erunt: qui licita habentes re[illegible]e vsi sunt iudicabuntur. ergo in actuali paupertate meritū excellens consistit. Itē 1. Cor. 7. Apostolus consilium [illegible]dans de virginitate seruanda rationem assignat, vt. s. sine sollicitudine sint. sed abiectio diuitiarum maxi[illegible]e facit hominem sine sollicitudine: quia diuitiæ suis possessorib. de necessitate multas sollicitudines inferunt. v[illegible]de Luc. 8. Diuitiæ per spinas signantur, quæ verbum sua sollicitudine suffocant in cordibus auditorum. ergo sic[illegible]t virginitas, ita & actualis paupertas ad euangelicam perfectionem pertinet. Ex his verbis (vt dicunt isti) colliguntur octo, q̄ doctrinę istius impugnati aperte repugnāt. quorum primum est, quod [illegible] abdicatio proprietatis omnium temporalium in speciali & in communi propter Deum a[illegible] perfectionem spectat: quia de illa abdicatione loquitur iste Doctor in h. cap. quod ex rubric[illegible], quam toti capitulo præmittit, ex pluribus rationib. supradictis, quæ de illa abdicatione concludunt, patenter apparet. Secundū est, φ perfectior est talis abdicatio proprie-

tatis paupertate, q̃ in sola præparatione animi seu voluntate consistit. Tertium est quod abdicatio proprietatis omnium rerum ad euangelicam pertinet paupertatem: quia paupertas q̃ pertinet ad euangelicam perfectionem, pertinet ad euangelicam paupertatem: quia paupertas ad nullam euangelicam perfectionem potest immediatius pertinere, quàm ad euangelicam paupertatem. talis autem abdicatio, q̃ est actualis paupertas, quam Christus consuluit, cum iuueni dixit: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus*: ad euangelicam perfectioné pertinet, sicut iste Doctor in multis locis cõcludit. ergo ad euangelicã ꝑtinet paupertatẽ. Quartũ est, ꝙ Christus non solum fuit pauper voluntarius, sed ẽt realiter per carentiam ꝓprietatis omnium temporaliũ. Quintum est, quod apostoli quo ad proprietatem omnia reliquerunt. Sextum est ꝙ actualis paupertas, quæ in penuria rerum consistit, ad apostolicam perfectionem ꝑtinet. Septimum est, quod illa præferenda est habituali paupertati, sicut virginitas castitati coniugali. Octauum est ꝙ actuali paupertati debetur iudiciaria paupertas. Multa alia ex prædictis verbis istius Doctoris colligi possunt, quæ doctrinæ istius impugnati omnino repugnant.

Secunda assertio in supradictis verbis contenta, quam isti impugnatores dicũt esse erroneam, est quod apostoli habuerunt aliquarum rerũ dominium in communi. de quo dictum est prius, & ostensum, quod apostoli omnium rerum in cõmuni abdicauerunt dominiũ: ita quod collegium apostolorũ nullius rei habebat dominiũ ꝓprium illi collegio: ꝙ adhuc conãtur ostendere. Primo sic: Paupertatem euangelicã apostoli perfectissime seruauerunt. sed ad pauptatem euangelicam spectat abdicatio ꝓprietatis omniũ rerum in speciali & in cõmuni, sicut ostensum est prius. ergo apostoli talẽ abdicationem seruauerunt: & ita nullius ꝓprietatem habuerunt in communi, ita ꝙ nulla res erat propria cuicunq; apostolo vel soli collegio apostolorum. Secundo sic: apostoli perfectioné euangelicã essentialem alicui religioni ꝑfecte semel assumptã, nisi forte tempore necessitatis, q̃ legem non habet, nullatenus dimiserunt. sed secundum istum & secundũ veritatem, post conuersioné primorũ credentiũ, q̃n omnia fuerunt cõmunia, nec aliquis apostolus, nec totũ collegium apostolorũ habuit aliq̃ rem sibi ꝓpriam: quia quilibet fuit communis aliis ẽt secundum istum. abdicatio autem ꝓprietatis huiusmodi est essentialis alicui religioni perfectę, & ad euangelicam pertinet perfectioné. ergo apostoli istam perfectioné, postquã eam assumpserunt, nullatenus dimiserunt. ergo saltẽ post tempus conuersionis dictorũ credentium apostoli nullius rei proprietatẽ habuerunt, q̃ essent propria alicui apostolo, vel toti apostolorũ collegio. Tertio sic: apostoli debuerunt quantum poterant tollere illis, quibus ꝑdicabant omnẽ occasionem suspicandi, quod propter temporalia ꝑdicarent. Vnde & propter hoc Beatus Paulus ab illis, quibus ꝑdicabat, sumptus necessarios nolebat recipere. sed q̃n temporalia à ꝑdicantibus tam in speciali quam etiã in cõmuni quo ad ꝓprietatẽ & dominiũ respuuntur, magis tollitur occasio suspicandi, ꝙ propter tẽporalia prædicant, q̃ q̃n recipiuntur in cõmuni quo ad dominiũ. ergo apostoli cupientes quantum poterant omnẽ huiusmodi suspitioné auferre, nec in speciali, nec in communi ꝓprietatem & dominiũ rerũ temporalium receperunt. Ideo dicunt isti impugnatores, ꝙ propter 4. rationes apostoli, qdquid in rebus temporalib. nõ fuit eis necessariũ ad sustentationẽ vitę & executioné sui officii, dimiserunt. Primo. s. vt vitæ & doctrinæ Christi se ꝑfectius cõformarent. Secundo vt fidelib. & infidelib. exẽplariores se præberẽt, ac per hoc ad fidẽ & vitã bonã efficacius prouocarẽt. Tertio vt omnẽ sollicitudiné præter necessariã circa temporalia deuitarẽt, ac p hoc peccandi occasiones auferrẽt, & cõtemplationi, prædicationi, & aliis bonis spiritualib. operã darẽt liberius. Quarto vt mundũ esse calcandũ apertius demõstrarent, si sine retẽtione dominii in cõmuni poterãt sustẽtari in cõmuni, & actus ꝑtinẽtes ad suũ officiũ exercere. nec n. cibi & pot⁹ ꝓpter retentioné dominii, in cõmuni, melius nutriunt: nec ꝓpter tale dominiũ act⁹, q̃ p res tẽporales exercẽtur, sunt aliqualiter meliores. ergo apostoli omne dominiũ ꝓpriũ ipsorũ collegio, reliquerũt. Nunc textũ, vt instituim⁹, declaremus [*Paupertas euãgelica rerũ vsu cõsumptibiliũ dominiũ & ꝓprietatẽ excludit.*] Si intelligatur de gradu ꝑfectissimo euãgelicę paupertatis, sic excludit dominium in speciali & in cõmuni. Sed si intelligatur de gradu nõ ꝑfectissimo euãgelicę paupertatis, sed min⁹ ꝑfecto, sic excludit do- [illegible] ũ & ꝓprietatẽ liberã, q̃ est potestas de re ad libitũ ordinãdi. aliã ꝓprietatẽ saltẽ cõmunẽ, q̃ est minim[illegible] ꝑdicandi in iudicio, nõ excludit. Vnde dicũt esse sciendũ, ꝙ ante tẽpora Christi non le- potestas v[illegible] cõmunitatẽ, q̃ duceret cõmunẽ vitã, ita ꝙ oẽs res vsu consumptibiles & non congitur fuisse aliq[illegible] mmunes. sed Christ⁹ docuit apostolos ducere vitã cõmunẽ, vt omnia essent eis sumptibiles essent co[illegible] etate & dominio proprio, ipsorũ collegio: dãs in hoc formã viuẽdi com- communia ab omni ꝓp[illegible] si q nollẽt oẽm ꝓprietatẽ penit⁹ abdicare. & sic ꝓpter hoc pecuniã muniter cũ aliquali ꝓprietate, [illegible] oẽm proprietatẽ & dominiũ abdicare, communẽ vitam du voluit in loculis reseruari, vt q nolle[illegible] rist⁹ tñ nullã proprietatẽ in loculis reseruauit, & ita com- cerẽt aliqualẽ proprietatẽ reseruãdo. Ch[illegible] etatẽ in speciali & in cõmuni, siue aliqualem pro- munẽ vitã ducentes siue abiiciãt omnẽ propri[illegible] tur. [*Illarũ rerũ supponit scriptura sacra &c.*] hoc prietatẽ retineãt, paupertatem euangelicam imita[illegible]

CAP. [illegible]XXIV.

dicunt prius probatum esse falsum.

Ad illud 4. q dicit, quod abdicatio proprietatis & dominii sollicitu[illegible] nẽ excludit, dicimus similiter ꝙ est falsum. & quod talis abdicatio nõ excludat sollicitudinẽ, patet. Cõstat enim quod si Dominus seruo cõcedat peculium, quamquam proprietas seu dominium peculii in seruum non cadat, non propterea seruus à sollicitudine est immunis. Alias iniuste repr ehendisset Dominus seruum negligentem, de quo agitur Luc. 19. quia pecuniam à domino sibi traditam non tradiderat ad vsuras. & hoc videmus ad sensum, quod ille, ad quem rei vtilitas pertinet sine dominio, magis est circa rem illam sollicitudinem habens, quam sit nudus Dominus eius: vt ad sensum

Videtur potest in fratribus Minoribus, qui nudum vsum facti se habere in talibus asserunt, qui circa illa magis sunt solliciti, quam Romana ecclesia, ad quam illarum rerum dominium asserunt pertinere.

Hic iste impugnatus respondet ad tertium, quod in præmissa obiectione tangebatur. s. abdicatio dominii & proprietatis, sollicitudinem excludit, dicens hoc esse falsum. Cuius falsitatem per duo exempla. s. de seruo, cui Dominus concedit peculiũ, & de Fratrib. Minorib. probare molitur. Sed isti impugnatores dicunt: quod hic cauillose procedit, nec mẽtem nec verba tangit appellantis. Nam appellans non dicit, quod abdicatio huiusmodi excludit omnem sollicitudinem: sed dicit, quod excludit sollicitudinem, quam requirit proprietas seu dominium rerum. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, ꝙ sollicitudo multiplex inuenitur. Est enim sollicitudo naturalis necessitatis, qua quilibet de natura sustentanda tenetur aliquomodo esse sollicitus. Istam sollicitudinem abdicatio proprietatis omnium rerum nequaquã excludit. Alia est sollicitudo seruilitatis, qua seruus vel famulus ac mercenarius de his, quæ sibi à Domino cõmittuntur, debet esse sollicitus. & hanc sollicitudinem voluntaria abdicatio huiusmodi proprietatis excludit. Vnde nec serui, nec obligati Romano impio, nec manentes tali sollicitudini obligati recipiendi sunt ad religionem. Alia est sollicitudo compassiuæ pietatis; qua quis ad releuandam ꝓximi indigentiã est sollicitus: sicut sunt illi, q̃ faciunt eleemosynas, & tenent hospitalitatem. Hanc sollicitudinem vt plurimũ abdicatio proprietatis omnium rerum in speciali & communi excludit. non tñ omnem sollicitudinẽ talem abdicatio ista excludit in omni casu: quia in aliquo casu huiusmodi abdicantes proximo subuenire tenentur. sed abdicatio ꝓprietatis in speciali non in communi, sollicitudinem istam non excludit. Nã multi religiosi obligati ad hospitalitatẽ, hanc sollicitudinem habere tenentur. Alia est sollicitudo potestatiuæ auctoritatis: qua potest quis temporalia in iudicio vendicare, & ꝓ eis diuersimode litigare. & hanc sollicitudinem requirit proprietas rerum seu dominium. Istam vero excludit paupertas euangelica in suo pfectissimo gradu, quia qui caret rei ꝓprietate in speciali & in communi, non potest pro re, nomine proprio vel suæ communitatis in iudicio litigare. Primam sollicitudinẽ paupertas euangelica non excludit: sed quartã, q̃ est ad propositum: quia nõ est necessaria viris perfectis. & ita apparet quod dictum appellantis, cum dicit, quod *paupertas euangelica excludit sollicitudinem*, quam requirit *proprietas seu dominium rerum*, continet veritatẽ: quia intelligit de euangelica paupertate in suo perfectissimo gradu, & de sollicitudine potestatiua, qua potest quis pro temporalib. in iudicio litigare. Ex istis apparet, quod exẽpla istius impugnati de seruo & Fratribus Minoribus pro ipso non faciunt. Nam licet seruus habeat sollicitudinem seruilitatis, non tñ habet illam quam requirit proprietas seu dominium rerum: nec tñ ipse seruat euangelicam paupertatẽ, quia paupertas sua nõ est voluntaria, sed coacta. Fratres vero Minores licet aliquam sollicitudinẽ habeant, quia naturalis necessitatis, non tñ habent illam, quam requirit ꝓprietas seu dominium rerũ. Non enim possunt pro rebus in iudicio quomodolibet litigare: quod tñ potest ecclesia Romana saltem per procuratores suos. Ad illud autem, quod dicit, ꝙ abdicatio proprietatis & dominii sollicitudinem excludit, dicunt isti: quod iste impugnatus truncate recitat verba appellantis. Quia appellans dicit, quod *excludit sollicitudinem, quam requirit proprietas seu dominium rerum*. & istud est incalumniabile: quia manifestũ est, quod sollicitudinem illam excludit. Vnde abdicatio ꝓprietatis & dominii in communi & in speciali excludit sollicitudinẽ, quam requirit proprietas & dominium rerum in speciali, vt. s. nomine proprio non possit pro re in iudicio litigare. Abdicatio vero proprietatis & dominii in communi & in speciali excludit illam sollicitudinẽ, quam requirit ꝓprietas & dominiũ rerum in speciali vel in cõmuni. quia nec nomine proprio, nec nomine suæ cõmunitatis potest ꝓ re in iudicio litigare. Hanc a. sollicitudinẽ requirit talis proprietas: licet &t plures sollicitudines sæpe requirat, q̃ ad sollicitudinẽ est quarto modo dictã possunt aliquomodo reduci. ¶ Verum quid textus dicat, videamus. [*Dicimus similiter quod est falsum.*] Dicunt isti, ꝙ ex pdictis patenter constat, ꝙ hic dicit verum esse falsum. [*Talis abdicatio non excludit sollicitudinẽ*] Dicunt isti, quod si dixisset quod non excludit omnẽ sollicitudinẽ, verũ dixisset: quia non excludit sollicitudinẽ naturalis necessitatis, & &t compassiuæ pietatis; sub sollicitudine minime cõprehendunt. Vnde Chrysost. super illud Matt. *Nolite possidere aurũ neq; argẽtum* &c. Ait: *Ex hoc patet quod eos angelos, vt ita dicã, constituit ab omni eos soluens vita huius sollicitudine, vt vna detinerentur cura, quæ est doctrina ecclesiæ.* quod Chrysost. dicens, apostolos ab omni huius vitæ sollicitudine absolutos, sollicitudinẽ naturalis necessitatis sub vocabulo sollicitudinis minime cõprehendit. Quamuis ergo appellans dixisset euangelicam paupertatẽ omnem sollicitudinem excludere, deberet nullatenus reprehendi, sed sane intelligi, cum modũ loquendi sanctorũ imitatus fuisset. tñ hoc non dixit, sed dixit ꝙ *excludit sollicitudinem quam requirit ꝓprietas* &c. Dicunt pterea, quod cum iste dicit, quod talis abdicatio non excludit sollicitudinẽ, errat à parte; quia constat quod illã sollicitudinem, qua qs nomine proprio vel sui collegii litigat in iudicio pro rebus excludit. [*Non propterea seruus à sollicitudine est immunis.*] Verum est quod non est immunis ab omni sollicitudine: est tñ immunis ab illa sollicitudine, q̃ requirit ꝓprietas, seu dominium. [*Pecuniã sibi à Domino traditam non tradiderat ad vsuras.*] Ex hoc patet, quod seruus ille aliquam sollicitudinẽ debebat habere; non tñ illam, quam requirit ꝓprietas. [*Ille ad quã rei vtilitas ptinet, sine dominio magis est circa illam rem sollicitus quam sit nudus Dominus eius.*] Dicunt quod istud non est ad propositum, nec continet veritatẽ, quod non sit ad propositum. patet, quia talis nõ habet illam sollicitudinẽ, quam requirit proprietas, licet habeat aliam; nec continet veritatẽ, quia sæpe ille, ad quam vtilitas rei pertinet de reparatione

& conseruatione rei nequaquam est sollicitus. patet de conducentibus domos, equos, & res alias multas, quarum habent vtilitatem, de quarum tñ conseruatione & reparatione parum sollicitantur, sed oportet Dominos circa eas sollicitudinē adhibere. [*Vt ad sensum videri potest in Fratrib. Minoribus, qui nudū vsum facti se habere in talib. asserunt.*] Sed nudus vsus facti posset accipi pro vsu iuris, qui sic diffinitur: *Vsus est ius vtendi rebus alienis* &c. Dicunt isti, ꝙ Fratres Minores non haberent nudum vsum facti: quia dicunt, se nullum ius habere. [*circa secunda magis sunt solliciti*] dicunt ꝙ loquēdo de sollicitudine, q̄ requirit rerum ꝓprietas, Fratres Minores circa res istas nullo modo sunt solliciti: quia nullatenus litigant pro rebus in iudicio. Et de ista sollicitudine loquutus est appellans. Et si dicas, ꝙ aliqui Fratres in iudicio litigant pro rebus illis, dicunt isti, quod illi pseudoFratres sunt censendi [*quam Romana ecclesia*] Dicunt isti, ꝙ hoc est falsum, quia Romana ecclesia procuratores suos & officiales instituit, qui de rebus fratrum vsibus deputatis debent esse solliciti: eas, si iniuste ablatæ fuerint vel detentæ, in iudicio repetendo nomine Romanæ ecclesiæ: & eas, si quis vendicauerit indebite, defendendo. hæc antē sollicitudo Fratrib. Minoribus nō potest cōpetere. hoc dicunt isti, specialiter patet ꝑ priuilegium Martini papæ, qui de talibus procuratoribus constituendis prouide ordinauit. & ita Romana ecclesia circa res Fratrum vsibus deputatas, sollicitudinem sufficientem adhibuit, quam Fratres Minores exercere non valent.

Cap. XXV.

P*Raterea dicit iste hæreticus, quod vitæ apostolorum repugnat doctrina prædicta: quia secundum eam quantum ad abdicationem proprietatis rerum temporalium fuerunt apostoli secundū beatū Remigiū ad dignitatē primi hominis reuocati. sed primus homo & eius posteri, si stetissent in originali iustitia, habuissent vsum rerum vsu consumptibilium sine proprietate & dominio earundem, secundum beatum Clementem (vt dicit.) ad quod probandum inducit 12. q. 1. c. dilectissimis. quare dicere, quod in rebus vsu consumptibilibus non potest vsus à proprietate & dominio separari, est vt dicit vitam apostolorum & religiosorum apostolos in abdicatione proprietatis omnium rerum imitantium impugnare.*

In parte ista iste impugnatus respondet ad quintam obiectionē appellantis, q̄ est talis. Apostoli secundū beatū Remigiū quantū ad abdicationē temporalium fuerūt ad dignitatē primi hominis reuocati. sed in statu innocentiæ fuisset vsus rerum consumtibiliū vsu absq; proprietate & dominio. ergo vitæ apostolorum repugnat doctrina ꝓdicta. Ex hoc patet, quod iste appellans nō intendit ꝑ obiectionē istam primo probare, ꝙ in rebus vsu consumptibilibus potest vsus facti à proprietate & dominio separari: sed intendit principaliter & directe probare, quod apostoli habuerunt vsum facti à proprietate & dominio separatū. Sed textū breuiter videamus. [*Ex quo sequitur cōclusio prima secundū beatū Remigium.*] Auctoritas beati Remigii in appellatione breui nō ponitur, sed in maiori: q̄, vt magis pateat obiectio appellantis, est præsentibus inserenda. Dicit itaq; sic beatus Remigius super illud Mat. 10. *Nolite possidere aurū* &c. *Ostendit Dominus in his verbis ꝙ sancti prædicatores reuocati sunt ad primi hominis dignitatē: qui quamdiu cœlestes possident thesauros, ista nō concupiuit: sed mox vt peccata illa admisit, ista desiderare cœpit.* [*habuissent vsum rerum vsu consumptibilium sine proprietate & dominio earū*] quia nulla fuisset inter eos quantū ad dominium appropriatio rerū. [*vitā apostolorū*] qui nullā rem sibi appropriare volebant.

Cap. XXVI.

A*D quod dicendū, quod illud, quod ipse dicit, quod primi parentes in statu innocentiæ in nullo habuerūt dominium, sed tantū simplicem facti vsum, ad minus post illā benedictionē* Crescite *&c. Scriptura sacra contradicit expresse. Legitur n. Gen. 1. c. quod Dominus primus parentib. dixit*: Crescite & multiplicamini, & replete terrā & subiicite eā. *Alia litera loco eius, quod supra dicitur*, & subiicite eam, *habet* & dominamini ei. *& illā ꝓsequitur Aug. in* lib. super Gen. ad literā, *& in* libro de ciuitate lib. 14. c. 21. *& sequitur*: Et dominamini piscib. maris & volatilib. cœli & vniuersis animantibus, q̄ mouentur sup terram. *Ex quib. euidenter apparet, primos parentes post benedictionem prædictā, & terræ & pisciū maris, ac volatilium cœli & vniuersorum animantium, quæ mouentur super terram. dominium in statu innocentiæ habuisse.*

In parte ista iste impugnat⁹ ad obiectionē ꝓmissam nititur respōdere. & primo respōdet ad illud, ꝙ accepit de statu innocētiæ, quod primi parētes habuissent vsum rerū cōsumptibilium vsu, absq; dominio & proprietate earundē. Secundo ad capitul. Clemētis ibi: *Nec obstat*. Prima pars diuiditur in duas: q̄a primo ondit, quod primi parētes habuerūnt in statu innocētiæ temporaliū rerū dominiū huiusmodi rerū. Secūda ibi: *Et si quæratur*. Primo ergo respōdendo ad obiectionē dicit, ꝙ primi parentes saltē post illā benedictionē *Crescite* &c. habuerūt rerū dominium, ꝙ probat ꝑ verba *Gen.* superius recitata. ¶Sed isti impugnatores dicūt, istū impugnatū hic cauillose ꝓcedere: nec ad mētē vadit appellātis, quia appellās intēdit loqui de dominio proprio alicui ꝑsonæ, vel collegio speciali. Ad ꝙ insinuandū aperte semꝑ vel frequenter cū loquitur de dominio, vocabulū proprietatis adiungit, tali modo vel æquiualenti; *dominiū seu proprietas*: vt ꝑ hoc det intelligere, ꝙ loquitur de dominio, ꝙ in scientiis legalib. vocatur *proprietas*. Illud a. dominiū, ꝙ in scientiis legalib. & in scripturis modū loq̄ndi scientiarū legaliū seruantib. vocatur *proprietas*, et proprium alicui personę singulari, vel collegio speciali, virtute cui⁹ contra aliā personā vel collegiū, si rē cuius habet tale dominiū vēdicauerit vel detinuerit, pōt in iudicio litigare, agēdo vel defendendo. Et ꝙ dominium, ꝙ vocatur *proprietas* vel *proprium*, sit tale dominiū, probare nituntur. Ad cui⁹ euidentiā dicunt esse sciendum, quod sicut omne ꝙ dicitur propriū, conuenit alicui homini & non alii, vel aliis: sic est etiam de proprietate, quod ideo proprietas appellatur, quia conuenit alicui vel aliquibus, & non alii vel aliis. Dominium igitur, quod vocatur proprietas: aut ideo dicitur proprietas, quia conuenit homini vel hominibus, & nō alii homini, vel aliis hominib. Aut dicitur proprietas homini vel hominibus, & nulli alteri, vel aliis extra genus humanū. Si detur primum, habetur intentum,

quod dominium de quo loquitur appellans est proprium vni personæ singulari, vel alicui collegio speciali. Secundum dici non potest: quia nullius rei habet homo dominium, quin eiusdem rei habeat aliquis extra genus humanum dominiũ. & de Deo quidem est certum: quia *Domini est terra & plenitudo eius*. de angelis etiam extendendo nomen domini, ad tale dominium, quale habuerũt primi parentes in statu innocentiæ, videtur habere veritatẽ. Non n. minus sunt subiectæ vniuersæ aliæ creaturæ nunc angelis, quam tunc fuerunt primis parentibus. Dominium etiam illud, ꝙ vocatur *proprietas*, nullomodo fuit in statu innocentiæ: nec fuisset vnquam, si primi parentes non peccassent, quia nulla res taliter alicui personæ singulari, vel collegio speciali appropriata fuisset & ita etiam *dominium*, quod competebat primis parentibus, æquiuoce sit dicendum dominium, respectu dominii, de quo locutus est appellans, & de quo iura loquuntur, patet quod iste cauillose contra ipsum procedit, nec in aliquo tangit mentẽ eius. Concedendum est igitur, quod primi parentes habuerunt dominium temporalium: sicut & potest dici, quod angeli habent dominium dæmoniorum, & rerum temporalium: quia dæmones & res temporales angelis subiiciuntur, & ipsi dominantur eis. sed de tali dominio non est sermo in appellatione appellantis.

Nunc ad explanationem literalem. [*Primi parentes in statu innocentiæ in nullo habuerunt dominium.*] Quamuis hoc habeat vnũ sensum verum: quia verũ est secundũ istos, accepto vocabulo *dominii* ꝓ dominio, ex quo opponuntur contractus humani, & etiam actiones in iudicio. quia nullum tale dominium habuerunt primi parentes. Non enim tales contractus, sicut emptio, venditio, donatio, conductio, mutuum, & huiusmodi aliæ actiones in iudicio fuissent in statu innocẽtiæ: & ideo nullum tale dominium habuerunt: cum hoc appellans sub verbis prædictis non dicat. sed dicit: *primus homo & posteri eius, si stetissent, habuissent vsum rerum vsu consumptibilium, sine proprietate & dominio earundem*. In quibus verbis euidenter insinuat, quod loquitur de dominio, quod in iure vocatur proprietas: & nullum tale dominium habuerunt primi parentes in statu innocẽtiæ. Vnde quamuis concedendum sit in aliquo sensu, quod primi parentes habuerunt dominium in statu innocentiæ rerum temporalium, non tñ est concedendũ, quod habuerunt tunc proprietatem rerum temporalium. & hoc, quia hoc nomen *dominium* habet aliquas significationes, quas nõ habet hoc nomen *proprietas*: sicut econuerso hoc nomen *proprietas* habet aliquas significationes, quas nõ habet hoc nomen *dominium*, licet forte in scientiis legalibus nunquã accipiatur in illis significationibus hoc nomen *proprietas* [*sed tantum simplicem facti vsum.*] De hoc appellans hic nullam penitus facit mentionem, quamuis habeat veritatem: secundũ ꝙ simplex vsus facti excludit omne ius, quo valet quis in iudicio litigare. tale enim ius in statu innocentiæ non fuisset. [*scriptura sacra contradicit expresse.*] Dicunt isti, quod nulla est contradictio: quia contradictio est oppositio vnius & eiusdem, non nominis tantum, sed rei & nominis, iuxta sententiam sapientis. Aliter autem accipit appellans *dominium* & scriptura diuina in illo loco *Gen. 1.* licet in multis aliis locis vtatur scriptura *dominio* nomine dominii, quomodo vtitur hic appellans: & ita licitum fuit sibi illo modo vti vocabulo dominii, ex quo scriptura sacra & scientiæ legales sic vtuntur. *Dominamini*: hoc est, potestatiue vtimini eis. [*dominium in statu innocentiæ habuisse*] hoc verum est de dominio, quod est vigor potestatiuus regendi & vtendi eis ad solatium, & aliis modis licitis. sed tale dominium non habent vllo modo mortales in multis rebus temporalibus. De dominio autem, quod vocatur proprietas temporalium, non habet veritatem: quia tale dominium tunc non fuit.

CAP. XXVII.

ET si quæratur, vtrum illud dominium proprium fuerit vel commune. videtur dicendum, quod si tempore benedictionis prædictæ solus Adam formatus erat, & non Eua, sicut ordo scripturæ sacræ euidenter innuit: cum illa benedictio fuerit data Adam extra paradisum existente; Eua vero formata fuerit, ipso Adam in paradisum translato, vt patet Gen. 1. c. & 2. videtur, quod ante formationem Euæ dominium temporale Adæ proprium fuerit, non cõmune. Commune quidẽ esse non potuit: cum solus pro tempore illo fuerit: & respectu vnius, qui nunquam alios socios habuit, nihil commune dici possit. Et videtur hoc expresse dici Eccl. 17. c. vbi dicit sic. Deus creauit de terra hominem & secundum imaginem suam fecit illum. Et sequitur: Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram, & posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum & volatiliũ. Ex quibus patet, quod solus dominatus fuit. Ex quo sequitur ipsum solum pro illo tempore dominium habuisse: quia secundum Dionysium de diuinis nominibus c. 12. A dominio dicitur Dominus, dominans & dominator. Vnde cum de solo Adam dicatur, quod dominatus est bestiarum & volatilium: sequitur, quod & solus Dominus fuit. & quod Eua tunc formata non esset, patet: quia statim post illa verba: & dominatus est bestiarum & volatilium, sequitur. Creauit ex ipso adiutorium simile sibi. Hoc idem videtur sentire Damascenus. 1. c. vbi loquens de primo parente sic dicit: Hunc igitur hominem conditor masculum construxit: statuit & tribuit ei suiipsius diuinam gratiam: & in gratia & in communione eius per hanc ipsam fecit. Vnde & animalium nominatorem prophetica, vt suorum donorum dominator effecit. Alia litera habet, vt suorum seruorum dominator fecit; & sequitur: Fecit ex ipso auxiliatricem ipsius &c.

Ostenso secundũ istum impugnatũ, ꝙ primi parentes habuerunt in statu innocentiæ dominiũ & ꝓprietatem rerum temporalium. Hic ꝗrit, quale fuit illud dominiũ, proprium sc. an commune. & determinat, ꝙ Adam habuit primo dominium proprium omnium temporalium. ꝙ probat tali ratione: Dominiũ, quod competit vni soli, q nunq̃ habuit socios, est dominiũ ꝓprium. sed Adam habuit dominiũ ante formationẽ Euæ. Hoc probat auctoritate Eccl. 17. c. & auctoritate Iohannis Damasceni. ergo Adam habuit dominium proprium temporaliũ. ¶ Sed isti impugnatores dicunt, in verbis præmissis duos errores principaliter contineri: quorum primus est, quod illa benedictio

Crescite &c. fuerit data Adę extra paradisum ante formationẽ Euę. Secund⁹ est, ꝙ Adam ante formationẽ Euæ habuit dominiũ ꝓprium temporaliũ. Quod primũ sit erroneũ reputandũ, ex serie text. *Gen.* I. conátur ostendere. ibi n. sic scribitur: *Creauit Deus hominẽ ad imaginẽ suam: ad imaginẽ Dei creauit illũ, masculũ & feminã creauit eos: benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram & subiicite eam: & dominamini piscib. maris, & volatilib. cœli, & vniuersis animãtibus, quæ mouentur super terrã*. Ex quib. verbis clare patet, ꝙ Deus masculũ & feminam creauit, quib. benedixit. vnde & oẽs particulæ benedictionis eiusdẽ in plurali, nõ in singulari numero, ꝓferuntur. ergo illa benedictio post illã formationẽ Euæ data fuit: & ꝙ hoc congruũ fuerit, rõne ꝓbatur. Nã in illa benedictione ꝑceptũ de prole multiplicãda cõtinetur. proles a. ꝑ virũ absq; muliere multiplicari non potuit. ergo congruũ fuit, ꝙ post formationẽ mulieris idẽ ꝑceptum imponeretur: & ita benedictio illa ante formationẽ Euæ data non fuit. Secundus error, vt dicunt isti, est ꝙ Adã ante formationẽ Euę habuit dominiũ ꝓprium temporaliũ rerum. Ad cuius euidentiã dicunt esse sciendũ, ꝙ dominiũ non dicitur esse ꝓprium: quia de facto cõuenit vni soli. Tunc n. si oẽs monachi vnius abbatiæ morerẽtur vel occiderentur ꝑter vnum: ille vnus haberet dominiũ proprium omnium bonorũ eiusdem abbatiæ, & esset tunc ꝓprietarius reputãdus: ꝙ omnino falsum est censendũ. Nõ ergo dicitur dominium proprium, qa de facto cõuenit vni soli: sed dicitur ꝓprium, qñ ita appropriatur vni, quod absq; vnius donatione vel venditione, aut legatione, aut aliquo alio humano contractu, quo dominium rei transfertur in aliquẽ, vel saltẽ sine aliquo actu vel morte illius, alteri nõ potest cõpetere. Propter quod si aliquis fundaret aliquod monasteriũ, & multis bonis dotaret: primus q efficeretur monachus in eodẽ monasterio nõ haberet dominiũ proprium illorum bonorum, nec esset tunc ꝓprietarius reputandus: quia absq; eius donatione & venditione & omni alio humano contractu, quo dominium rei transfertur in aliquẽ; & absq; omni actu eius & morte, si alius fiat monachus in eodẽ monasterio, secundus haberet earundẽ rerum dominiũ aliquale sicut primus. Ex hoc concludunt isti, ꝙ posito ꝙ Adam habuerit dominiũ rerum temporalium aliquale; non tale, quale modo habẽt homines, ante formationẽ Euæ; non propter hoc habuit dominiũ proprium earundẽ, quia dominiũ rerum, ꝙ absq; omni donatione, venditione, & alia humana ordinatione, qua rerum dominiũ transfertur in aliquẽ, & actu & morte illius potest ad alium ꝑuenire, non est propriũ alicui. sed dominiũ temporaliũ rerũ ad Euã absq; omni ordinatione Adæ & actu & morte eius poterat ꝑuenire; imo in statu innocentiæ nunq̃ ꝑ ordinationẽ ipsius ꝑuenisset ad ipsum; qa in statu innocẽtiæ nunq̃ vnus de se in alterũ alicuius rei transtulisset dominiũ, sed q̃libet vbicunq; rem inuenisset sibi ad vtendũ vel ẽt ad solatiũ opportunum ipsam absq; ordinatione alterius accepisset. ergo Adã dominiũ ꝓprium nõ habuit ante formationẽ Euæ. Hęc ratio cõfirmatur; quia Adã absq; culpa sua nullo debuit ꝓprio priuari; & ꝑ consequens ante formationẽ Euæ nõ habuit proprium dominiũ, qa si habuisset formata Eua, eodẽ dominio ꝓprio fuisset absq; culpa sua priuatus. sed Eua formata ita habuit dominiũ omniũ, sicut Adã. ergo Adã Eua tunc formata, nõ habuit dominiũ ꝓprium. Sic igitur dicunt isti, ꝙ esto ꝙ dominiũ rerum fuerit datũ Adæ ante formationem Euæ; nõ tñ habuit tunc dominiũ ꝓprium; qa illud dominiũ nõ fuit sibi datum ꝑ se solo, sed pro se & muliere formãda de ipso, ac ꝓ omnib. posteris eorundẽ; nec ad ipsum pertinebat Eua formata sibi aliꝙ cõferre dominiũ. ¶Illa a. q̃ iste adducit ꝓ assertionib. supradictis, super literã dissoluentur. [*Videtur dicendũ*] licet hic videatur loq minime assertiue; tñ postea hoc asserit manifeste. [*tẽpore benedictionis prædictæ*] sc. *Crescite* &c. *multiplicamini* &c. qa de nulla alia benedictione pri⁹ fecerat mentionẽ. [*Solus Adã formatus erat*] hoc dicunt esse erroneũ, sicut ostensum est prius [*hoc ordo scripturæ euidenter innuit*] hic notãt duo. Primo, ꝙ hic asserit manifeste, ꝙ pri⁹ videbatur nõ sub assertione, sed cõditionaliter protulisse; qa dicere ordinẽ scripturę aliqd euidẽter ĩnuere, est eidẽ firmiter inhærere, si, q hoc dicit, de veritate scripturę nõ dubitat. Secundo notãt hoc dictũ suũ esse aperte falsũ, cum ordo scripturę hoc nõ ĩnuat; & verba scripturę oppositũ aperte demonstrent, sicut per verba benedictionis ꝑdictę clare patet. Et si dicatur, ꝙ ordo scripturę ĩnuit, ꝙ benedictio illa fuerit data ante formationẽ Euæ; tum qa illa benedictio ante ponitur in scriptura, q̃ mod⁹ formationis Euæ describatur; qa illa benedictio ponitur *Gen.* I. c. Formatio a. Eue describitur *in* 2. c. Tũ quia illa benedictio fuit data ante præceptum de comedendo ex omni ligno paradisi, & ante præceptum de non comedendo ex ligno scientię boni & mali. sed illud præceptũ fuit datum soli Adæ ante formationem Euæ. ergo illa benedictio fuit data ante formationem Euæ. Ad primum istorum dicunt, quod sicut illa benedictio ponitur in textu, antequam describatur modus formationis Euæ; ita etiam antequam describatur modus formationis Euæ, dicitur *masculũ & feminam creauit eos*. Et tñ constat, quod Dominus ante formationẽ Euæ feminam non creauit, quia Eua fuit prima femina à Deo creata. & ideo sicut anteq̃ describatur modus formationis Euę, per anticipationem dicitur Deum creasse feminam. Ita per anticipationem dicitur Deum masculo & feminæ benedixisse. Ad secundam videtur nonnullis dicendum, quod illa benedictio non fuit data ante præceptum de comedendo &c. licet dominium ante fuerit datum; quia videtur eis, quod istud dominium non fuit nisi naturale vel concreata potestas potenter vtendi & gubernandi res, quarum habebant dominium; & ita à principio habuit Adam tale dominium, propter quod videtur eis, quod cum Dominus dixit; *Dominamini piscibus maris* &c. magis fuit ꝑceptum exercendi dominium, quam collatio dominii. sicut cum dixit *Multiplicamini*, non conferebat potestatem multiplicandi prolẽ: sed de exeundo in actũ potestatis prius collatę dedit ꝑceptum. & ita quicquid sit de tẽpore collationis dominii, constat ꝙ benedictio illa fuit data post formationẽ Euæ. [*cũ illa benedictio fuerit*

data Adā extra paradisum existente.] Hoc dicunt omni veritate carere; quia illa benedictio nō fuit data ante præceptū de comedendo; & tamen illud præceptum fuit datū Adam in paradiso existente. Nec obstat, quod prius fit mentio de benedictione illa, quam de prædicto præcepto: quia sicut ostensum est prius & postea amplius ostendetur, ordo literæ non semper sequitur ordinem rei gestæ. [*Videtur quod ante formationem Euæ dominium temporalium Adæ proprium fuerit, non commune*] hoc non sequitur ex prædictis, etiam posito, quod antea habuerit dominiū [*Commune quidem esse non potuit, &c.*] Hic dicunt, quod aliquando aliquid dicitur *commune*, quia communicandum. Vnde dicit Glo. dist. 1. *dic communia, id est, communicanda tempore necessitatis.* Aliter dicitur *commune*, quod de facto conuenit pluribus. Primo modo fuit illud dominium commune, etiam posito quod ante formationem Euæ Adam habuerit dominium. quia illud dominiū communicandum fuit Euæ, nō ab Adā, sed à Deo: nec Adam illud sibi appropriare valebat. & ideo *commune* fuit, hoc est, communicandum: & commune sic sumptum extra tempus necessitatis, distinguitur contra proprium, secundum quod commune & proprium diuidunt dominium. Et ideo quod de facto & actu conueniat pluribus, vel non conueniat, hoc accidit. sed si extra tempus necessitatis ad dominium est communicandum, non ex contractu humano habentis dominium, dicitur *commune*, secundum quod commune distinguitur contra proprium. [*Respectu vnius qui nunquam aliquos socios habuerit, nihil commune dici posit.*] Istud est falsum de illo, quod dicitur commune, quia communicandum. Vnde sicut aliquid potest dici commune, quod competit vni, qui de facto nullos socios habet, sicut patet, si vnus solus monachus de aliquo monasterio remaneret superstes, qui propter hoc non esset proprietarius, ita potest aliquid dici commune respectu vnius, qui nunquam de facto habuit socios. & hoc quia communicandum est aliis. nec aliis aduenientibus valet illud ipsis appropriare. [*Dedit ei potestatem*] Scilicet vtēdi ad libitū, & regendi seu ordinādi. [*Et dominatus est bestiarum, &c.*] Hoc est potestatem habuit bestias & volatilia cœli ad placitum ordinandi. [*Ex quib. patet quod solus dominator fuit.*] Dicūt hic isti, quod de facto solus tunc fuit actualiter dominator. Ex hoc tamen non sequitur, quod habuit tunc dominium proprium. quia dominium proprium importat, quod res, cuius est dominium proprium, non sit alteri communicanda modo superius dicto. videtur tamē nonnullis, quod tunc non fuerit Adam dominator. Quia illud, quod dicitur ibi *in Ecclesiast.* per anticipationē dicitur. [*Ex quo sequitur ipsum solū pro illo tēpore dominiū habuisse.*] Dicunt, ꝙ quamuis concederetur, quod ipse tunc solus habuit dn̄ium actu, ex hoc tn̄ non sequitur, quod habuit dn̄ium ꝓprium: sicut ex hoc non sequitur, quod fuit proprietarius. Quemadmodū non sequitur, vnus solus monachus aliis mortuis, habet actu dn̄ium rerū monasterii determinate: ergo ipse est proprietarius. [*Cum de solo Adam dicitur, quod dominatus est bestiarū & volatiliū, sequitur quod ēt solus dominus fuit*] Male arguit, vt isti dicunt: quia sæpe aliquid in vno loco dicitur de vno solo, nec tamen propter hoc negatur ab aliis. De solo n. *Iesu* dicitur Mat. 23. *Relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniā.* Nec tn̄ ex hoc sequitur, quod ipse solus sine discipulis abiit extra ciuitatē. Et de hoc sunt exēpla innumera, ꝙ aliquid dicitur de vno solo, nec tn̄ ꝓpter hoc negatur de aliis. [*Et ꝙ Eua tūc formata nō esset: patet quia statim post illa verba: & dominatus est bestiarū & volatiliū: sequitur, creauit ex ipso adiutoriū simile sibi.*] Hic dicūt ꝙ male arguit. quia arguit virtute istiꝰ medii, hoc est posterius scriptū; ergo fuit posterius factū: ꝙ infinitas capit instātias: qa nō semp ordo scripturę sequitur ordinē rei gestæ, ꝙ per illud Ecclesiastici supra allegatū: euidenter ostendunt. Nam ibi sic scribitur *Deus de terra creauit hominē: & secundū imaginem suam fecit illum,* & iterū: *cōuertit illū in ipsum: & secundū se vestiuit illū,* &c. & sequitur: *Et dedit illi ptātē eorū quæ sūt super terrā. Posuit timorē illius super oēm carnē, & dominatus est bestiarum & volatiliū. Creauit ex ipso adiutoriū simile sibi: cōsiliū & linguā, & oculos & aures, & cor dedit illis.* In quib. verbis constat, ꝙ sapiēs ordinem rei gestæ q̄tum ad oīa nequaquam seruat. Prius n. narrat, quod dominus dedit hoī numerum dierum & tēpus, antequam de muliere faciat mentionem: & tn̄ constat quod Eua, antequam Adam numerum dierum haberet, formata fuit; qa eadē die, qua Adā creatus erat, ipsa fuit formata. sic ergo ordo scripturæ nō semper sequitur ordinē rei gestæ. & hoc ēt exemplo. 1. Mach. 3. c. euidenter ostēditur, vbi sic legitur; *Et surrexit Iudas qui vocabatur Machabeus, filius eius, pro eo & adiuuabant eum oēs fratres eius, & vniuersi qui se coniunxerant patri eius: & præliabatur prælium Israel cum leticia, & dilatauit gloriam populo suo, & induit se loricam sicut gygas, & succinxit se arma bellica sua in præliis, & protegebat castra gladio suo.* Vbi constat, quod ordo rei gestæ non in omnib. conseruatur. Non n. prius præliabatur Israel cum lætitia, & postea Iudas se armauit. Constat ergo, quod in scripturis non semper ordo rei gestæ seruatur; & ideo ex hoc, quod post illa verba *& dominatus est bestiarum & volatiliū cœli:* subditur; *Et creauit ex ipso adiutorium simile sibi:* sic probari non potest, quod Adam ante formationem Euæ habuit dominium rerum; quamuis hoc nonnulli concedāt, dicentes tn̄, quod illud dominium non fuit proprium reputandum; quia non pro se solummodo, sed ēt pro aliis quodammodo recepit. [*Hoc idē videtur sentire Damascenus*] dicūt quod Damascenus hoc nō sensit. [*Alium nominatorem prophetice, vt suorum donorum dominator effecit.*] Dicūt per anticipationem esse dictum; quidam tamen concedunt, quod tunc habuit dominium, sed non erat dominium proprium, sed commune, hoc est communicandum, & nullo modo appropriandum. [*& sequitur fecit ex ipso auxiliatricem ipsius.*] Dicunt quidam, hoc fuisse antea factum, licet hic posterius à Damasceno narretur.

CAP. XXVIII.

Nec obstat capitulū dilectissimis in cōtrariū allegatū. Per illud. n. concludi nō pōt, ꝙ primi parentes tēporalium dominium non habuerunt, sed quod illud non habuerint diuisim: imo ex auctoritate philosophi, quam B. Clemens

in eodem capitulo adducit, concludit euidenter ipsos habuisse dominium in communi. Ipsi [illegible] *ut non potest diuidi aer, neque splendor solis, ita nec reliqua, quæ communiter data sunt ad haben*[illegible] *bere. Ex quibus verbis clare patet, philosophum* [illegible] *temporalia fuisse data communiter om*[illegible] *hominibus: & si data fuerint ab illo, qui dare poterat, videlicet Deo, & ei qui capax fuit, sicut homo, sequ*[illegible] *rum dominium factum fuit. Nec Philosophus induxit comparationem aeris & splendoris solis* [illegible] *lia respectu dominij, ut sicut non habebant dominium aeris & splendorem solis, sic nec haberent do*[illegible] *poralium rerum; sed respectu indiuisionis tantum illam comparationem induxit. sicut enim* [illegible] *potest diuidi aer nec splendor solis, ita nec reliqua, quæ communiter data sunt hominibus a*[illegible] *debere, sed communia sunt habenda. De aere tamen beatus Augustinus.* [illegible] *aeris, quod ego reddidero, possis reducere: illud tamen non poteris* [illegible] *reddi potest. Nam & naribus alimenta nos capere mediti dicunt: quod* [illegible] *restando possum restituere, vt ad te ductum naribus censeatur.*

In ista parte iste impugnatus respondet ad capitulum Clementis per [illegible] bare volebat, quod primus homo & posteri eius, si in statu innocentiæ per[illegible] sum rerum vsu consumptibilium absque proprietate & dominio earundem. Dicens p[illegible] per illud capitulum potest concludi, quod primi parentes habuerunt dominium in [illegible]: quia auctoritas philosophi, quam beatus Clemens inducit, ostendit, quod temporalia [illegible]ta hominibus ad habendum: & per consequens ad eorum spectant dominium. Secu[illegible]bi, *Nec philosophus*, soluit quandam obiectionem. posset aliquis dicere, quod philosophus [illegible]omparat aerem & splendorem solis ad temporalia. ergo sicut aer & splendor solis non [illegible] ad dominium mortalium, ita etiam non deberent habere dominium temporalium. A[illegible]od respondet dicens, quod philosophus non inducit illam comparationem respectu domini[illegible], sed respectu indiuisionis.

Tertio ibi: *de aere tamen*, inducit auctoritatem Augustini, per quam probare videtur, quod aeris quantum ad aliquam partem habet vnusquisque dominium proprium. Sed dicunt isti impugnatores, quod hic, sicut in aliis, cauillose procedit. Non enim appellans negat in omni sensu primos parentes in statu innocentiæ dominium temporalium habuisse; sed negat ipsos habuisse dominium quod vtatur proprietas, quo valet quis dicere. Hoc ita est meum, quod non est tuum: & illud ita est tuum, quod non est meum. & ita loquitur de mente beati Clementis, qui ait: *Communis enim vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit: sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum: & alius illud.* Ex his verbis euidenter datur intelligi, quod ante iniquitatem non debuit vnus dicere, hoc esse suum, & alius illud: sed hæc verba *meum & suum*, quamuis semper spectent ad dominium (quod vocatur proprietas) ergo ante iniquitatem non habuit aliquis dominium, quod vocatur proprietas. & ista est intentio appellantis: quia non intendebat plus probare, nisi quod vsus facti in rebus vsu consumptibilibus potest ab omni dominio, quod vocatur proprietas, separari.

Dominium autem, quod habuerunt primi parentes in statu innocentiæ, est totaliter alterius rationis ab isto dominio. nec illud dominium videtur fuisse proprium primis parentibus, sicut videtur fuisse commune illis & angelis. Si enim iuxta sententiam Saluatoris diabolus princeps huius mundi vocatur propter potestatem, quam vsurpatiue exercet in hoc mundo: videtur quod multo magis angeli principes & domini istorum temporalium poterunt appellari propter potestatem quam super ea obtinere noscuntur. Nec videtur, quod minorem potestatem habeant super ea, quam habuerunt primi parentes in statu innocentiæ, & quam eorum posteri habuissent, si in statu innocentiæ perstitissent. licet angeli non ita eis indigeant, sicut illi indiguissent. sed aliquo indigere, dominium non requirit: quia Deus, qui nullo modo indiget, perfectissimus vniuersorum est Dominus. Constat igitur, quod appellans loquitur de dominio, quod vocatur proprietas: & de illo verum est secundum istos, quod vsus facti in rebus vsu consumptibilibus, potest ab omni dominio separari. De aliis dicetur super literam.

[*Per illud enim concludi non potest, quod primi parentes temporalium dominium non habuerunt.*] Illud non habet veritatem, vt dicunt de dominio, quod vocatur proprietas, de quo locutus est appellans. De alio autem dominio, quale habent angeli, & habuerunt commune cum hominibus, potest concedi. sed tunc non est ad propositum. sed quod illud non habuerunt diuisim hoc concedunt quia necessarium est. [*Imo ex auctoritate philosophi, quam Beatus Clemens eodem capitulo adducit, concluditur euidenter ipsos habuisse dominium in communi.*] Nullo modo concluditur ibidem de dominio, quod habuerunt primi parentes in statu innocentiæ: sed concluditur de dominio, quod est potestas diuidendi, & appropriandi res temporales, quod habuerunt primi parentes post peccatum ante diuisionem rerum, licet philosophus hoc nescierit. sed de tali dominio non est locutus appellans. [*Sicut non potest diuidi aer, nec splendor solis, ita nec reliqua, quæ communiter data sunt ad habendum, diuidi debere.*] Ex his verbis clare patet (vt dicunt isti) quod philosophus non loquitur de alio dominio, quam de illo dominio, quod est potestas diuidendi & appropriandi. Tale autem dominium non fuit in statu innocentiæ nec fuisset, si stetisset, quod totum genus humanum non habuisset in illo statu potestatē diuidendi & appropriandi res temporales. & ita non loquitur de dominio, quod fuit in statu innocentiæ. [*fuisse data communiter omnibus ad ha-*

ad habendum.] Verú est: & ideo post peccatum habuerunt potestatem vtendi omnibus, sicut communibus, absque omni appropriatione. [*Si autem fuerunt ab illo qui potuit, vtpote Deo, & ei qui capax fuit, sicut homo: sequitur quod eorum dominium factum fuit* [illegible] conclusio vera sit in vno sensu, tamen male arguit: quia aliquando accipiendo verbum [illegible] significatione, non sequitur: hoc datum ab eo, qui dare potest, & illi qui capax est, ergo dominus efficitur. Sæpe enim aliquis dat alteri hospitium, hoc est concedit hospitium alteri ad morandum ad tempus; & tamen ille non efficitur dominus, licet sit capax dominii. Dicunt igitur, quod iste vocabulis vtens æquiuocis hic & sæpe alibi in suis argumentationibus fallaciam æquiuocationis committit, non est ad eum aliter respondendum. quia ad sophismata per æquiuocationem peccantia est recta responsio, vocum multiplicitatem [illegible] [*Sicut non habebant dominium aeris & splendoris solis, sicut nec haberent dominium temporalium rerum.*] Dominium aeris, splendoris solis primi parentes minime habuerunt; habebant tamen dominium aliarum rerum, licet non dominium quod vocatur proprietas. [*sed respectu indiuisionis tantum illam comparationem inducit.*] Istud nonnulli concedunt, quia sicut non poterant diuidere aerem & appropriare sibi, aere in suo loco manente; nec splendorem solis: ita non debebant, si omnes fuissent boni, diuidere temporalia & appropriare sibi. Post peccatum tamen poterant diuidere temporalia & appropriare sibi; & ita aliquod dominium habuerunt super temporalia, quale non habuerunt super aerem & splendorem solis. [*Si aliquid aeris quod ego reddidero,* &c.] Augustinus intendit, quod aer manens in loco suo extra corpus humanum appropriari non potest; aer tamen in alimentum receptus quodammodo appropriatur, sicut & cetera alimenta.

CAP. XXIX.

Adhuc ad ostendendum, quod in rebus vsu consumptibilibus vsus facti possit à dominio separari, adducit quod legitur Luca. 19. vbi dominus seruo, cui pecuniam ad negociandum tradiderat, & eam tenuerat ociosam, dixit: serue nequam; quare non dedisti pecuniam meam & ego veniens eum vsuris exegissem? *Ex qua auctoritate patet, vt dicit, quod in pecunia prædicta seruus vsum habebat actualiter, & dominus proprietatem eiusdem. quare cum pecuniam esse de rebus vsu consumptibilibus lex prææallegata testetur expresse secundum eum, prædicta doctrina sancto euangelio contradicit.*

Hic iste impugnatus recitat obiectionem appellantis, quæ est quod secundum euangelium seruus potest vti pecunia domini sui absque dominio & proprietate. Cuius responsionem capitulo sequenti videbimus: nunc literam declaremus.

[*Quare non dedisti.*] Ex hoc patet quod aliquis potest dare illud, cuius non habet dominium & proprietatem: quia seruus non habuit dominium & proprietatem pecuniæ, quam tamen dare debuit: verbum igitur *dandi* æquiuoce in diuersis locis accipitur. [*Pecuniam meam.*] Ex hoc notant isti quod quando actualiter seruus debebat vti pecunia, illa pecunia erat dominii. & ita vsus pecuniæ fuisset à proprietate & dominio separatus. [*Prædicta doctrina sancto euangelio contradicit*] quia secundum euangelium seruus potest vti pecunia domini sui: quamuis pecuniæ eiusdem non habeat dominium & proprietatem; quod negat doctrina prædicta.

CAP. XXX.

Ad hoc dicendum, quod sicut probatum est supra, impossibile est in rebus vsu consumptibilibus quenquam vsum habere vel simplicem vsum facti. Nec obstat scriptura prædicta. vsus enim pecuniæ imo potius abusus non est ipsam simpliciter alicui tradere: sed taliter tradere, quod consumpta quoad dominium censeatur. Vnde licet seruus actualiter pecuniã mutuanti tradat, per traditionem solam sine translatione dominii nequaquam vsus sed abusus potius fuisse pecunia potest dici. sed per trãslationem dominii habetur pro consumpta pecunia: quam quidem translationem, non seruus sed dominus, cuius nomine fiebat, mutuum facit. Vnde cum seruus nomine domini mutuasset, ipse dominus videtur vsus, imo abusus potius fuisse pecunia, & non seruus. Præterea seruus, qui iussu domini pecuniã mutuat, non debet dici habere vsum seu abusum simplicem facti, cũ ius habuerit per concessionẽ huiusmodi mutuãdi.

In ista parte iste impugnatus ad præmissam obiectionem respondet: & reddet dupliciter. Primo seruus non vtitur nec abutitur pecunia domini sui mutuando: quia non facit translationem dominii, sed dominus vtitur seu abutitur potius pecunia, cuius nomine fit translatio dominii. Secundo respondet, quod seruus in tali pecunia non habet simplicẽ vsũ facti, cũ habeat ius mutuandi. Sed dicunt isti impugnatores, quod hoc est isti impugnato omnino conclusum: & ideo dicunt, quod euasionem quærit tam friuolam, quod improbatione non indiget. Contra ipsum tamen propter simpliciores (vt asserunt) volunt arguere ostendendo, quod seruus ille, si dedisset mutuum, pecunia vsus fuisset, licet nomine domini sui. Nam qui tradit pecuniam, & transfert dominium eiusdem pecuniæ nomine alterius, vtitur pecunia nomine alterius. sed seruus, de quo fit mentio in euangelio supradicto, si fecisset iuxta voluntatem domini sui, sicut alii serui eius, tradidisset pecuniam domini sui ad mensam; & eiusdem nomine transtulisset dominium, sicut alii serui transtulerunt dominium pecuniæ traditæ sibi. ergo vere pecunia vsus fuisset, licet nomine domini sui. Ex quo sequitur, quod habuisset vsum ab omni dominio, & proprietate speciali, & in communi separatum. Amplius, non minus vtitur pecunia, qui nomine alterius mutuat pecuniam, quam qui nomine alterius emit rem aliquam de pecunia ipsius. sed qui emit alterius nomine vere vtitur pecunia; quia cum emptio sit quidam contractus humanus factus per pecuniam, qui vere emit, vere vtitur, vel abutitur pecunia. sed aliquis vere emit rem vel emere potest de pecunia alterius: quod non solum experientia quotidie docet, sed etiam scriptura diuina testatur. 3. enim Regum cap. 10. scribitur: *Educebantur equi Salomonis*

monis de AEgypto & de Choa. Negociatores enim regis emebant de Choa & statuto pretio perducebant. Ex quibus verbis colligitur, quod negociatores Salomonis vere emebant equos de pecunia Salomonis. ergo vere vtebantur, vel abutebantur secundum modum istius loquendi ineptum (vt dicunt) pecunia. ergo consimiliter, qui vere mutuat pecuniam nomine alterius, vere vtitur vel abutitur ea: & ita potest quis habere vsum vel abusum ab omni proprietate & dominio separatum. Rursum, seruus secundum istum potest nomine domini mutuare pecuniam. Ponatur ergo quod mutuet pecuniã nomine domini, tunc quæritur aut tantummodo tradit pecuniam nomine domini, aut cum traditione pecuniæ transfert dominium? Primum non potest dici, quia nomine domini potest seruus tradere pecuniam domini sui alicui, quamuis non mutuet eam nomine domini: sicut potest eam penes aliquem deponere nomine domini sui non mutuando eam eidem. Si detur secundum, habetur propositum: quia qui tradit pecuniam & transfert dominium in eundem nomine alterius vtitur vel abutitur ipsa nomine alterius: sicut qui nomine proprio tradit alicui pecuniam & transfert dominium in eundem, & non donat eam nomine proprio, vtitur ea. Sic ergo patet quod seruus potest vti vel abuti pecunia domini sui. qui autem vtitur nomine alterius, vtitur. ergo seruus potest vti pecunia domini sui. Item non minus vtitur pecunia, qui mutuat pecuniam: quam qui expendit pecuniam. sed aliquis expendendo pecuniam domini sui vere vtitur ipsa licet domini sui sit. Confirmantur rationes prædictæ: quia non minus exercet aliquem actum, qui exercet ipsum nomine alterius, quam qui exercet aliquem actum de mandato alterius. sed qui exercet aliquem actum de mandato alterius, vere exercet actum illum: sicut qui manducat de mandato alterius vere manducat: & qui occidit alium de mandato alterius, vere occidit. ergo qui exercet actum aliquem nomine alterius, vere exercet actum illum. sed sicut actus comedendi cibum est actus vtendi cibo vel abutendi cibo: & actus bibendi vinum est actus vtendi vel abutendi vino: ita actus mutuandi pecuniam est actus vtendi pecunia: & actus emendi rem de pecunia est actus vtendi pecunia: & actus expendendi pecuniam est actus vtendi pecunia. Sicut igitur qui mãducat & bibit de mandato alterius, vere & realiter vtitur vel abutitur cibo & potu: ita qui mutuat pecuniam, & emit rem de pecunia, & expẽdit pecuniam nomine alterius, vere & realiter vtitur vel abutitur pecunia. sed experientia quotidiana & scriptura diuina testantur, quod aliquis potest mutuare pecuniam, emere de pecunia. & expendere pecuniam alienam nomine alterius, ergo per experientiam & scripturam diuinam constat, quod verè & realiter contingit vti vel abuti pecunia aliena. & ita vsus facti potest in pecunia à proprietate & dominio separari. Notant igitur isti impugnatores, quod licet aliquæ obiectiones appellantis directe & primo excludant tantummodo, quod vsus facti in rebus vsu consumptibilibus potest separari à proprietate & dominio specialiter: & per consequentiam concludant, quod potest separari ab omni dominio & proprietate communi & speciali. Ista tamen ratio (vt dicunt) demonstratiue & directe concludit, quod vsus facti quantum ad pecuniam potest ab omni dominio seu proprietate communi & speciali separari: quia seruus in pecunia domini quam mutuat vel expendit, nullum habet dominium seu proprietatem neque specialem neque communem. Cum igitur secundum venerabilem Anselm. li. I. Cur Deus homo: *Siue vno siue pluribus argumentis veritas inexpugnabiliter monstretur æqualiter ab omni dubitatione defenditur:* & quia veritas prædicta, vt dicunt, quod in reb. vsu consumptibilib. vsus facti potest ab omni proprietate seu dominio separari, hoc argumento inexpugnabiliter demonstratur, ipsa est absq; omni dubitatione tenenda, etiam si alia argumenta ipsam minime demonstrarent. Secundo isti impugnatores dicunt secundã rationẽ istius impugnati nõ esse ad ꝓpositũ. Quod de simplici vsu facti, & an seruus habeat ius mutuãdi pecuniam, in obiectione præmissa nulla fit mentio. & ideo ad præsens de illa ratione eius nullatenus differetur: quia inferius conuenientiorem locum habebit. ¶ Nunc paucis textum prosequamur. [*Impossibile est in reb. vsu consumptibilibus quenquã vsum habere.*] Dicunt isti, quod hic replicat errorẽ sæpius recitatum, de quo post tractabitur. [*vel simplicem vsum facti*] Dicunt quod hoc erroneum: & tamẽ de hoc in obiectione præfata nulla fit mentio [*vsus enim pecuniæ, imo potius abusus*] Dicunt quod magis proprie dicitur vsus pecuniæ, quam abusus pecuniæ, nisi quando quis male vtitur pecunia: sicut magis proprie dicitur vsus cibi & potus, quã abusus cibi & potus, nisi quis male vtatur cibo & potu: quia scriptura diuina, philosophia & medicina, cum de cibo & potu fit mentio, nũquam vtuntur verbo abutendi, nisi in mala significatione. sc. pro male vti, sed semper vtuntur verbo vtendi. [*Sed taliter tradere, quod cõsumpta quoad dominiũ cẽseatur*] hoc potest facere seruus, licet dominus suus dormiat, & nullum actum tunc neque interiorem neq; exteriorem circa eum exerceat: imo etiam licet actum vtẽdi, qui est mutuare pecuniam, tũc haberet dummodo hoc seruo nequaquam constiterit: & ideo dominus tunc non dicitur vti pecunia vel abuti, nisi quia præcepit aliquando vti pecunia: & ita cum secundum istum vsus pecuniæ vel abusus sit eam tradere taliter, quod consumpta quoad dominium censeatur: & hoc facit realiter seruus, licet de mandato domini; sequitur quod seruus vere & realiter vtitur vel abutitur pecunia. & ideo dicunt isti, quod iste hic sibiipsi contradicit aperte. [*Per translationem dominii, habetur pro consumpta pecunia*] hoc concedunt isti [*quã quidem translationem non seruus, sed dominus, cuius nomine fiebat mutuum, facit.*] Hanc dicunt esse falsam: quia seruus facit illam translationem, licet de mandato domini. & ideo quamuis concedi debeat sub aliquo sensu: sed dominus facit illam translationem: quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur: sicut dicimur posse, quod per amicos possumus: non tamen debet negari, quod seruus

uus fa-

nus facit: quia vterq; quodammodo illam translationem facit, sed vnus de mandato alterius. & ideo vere facit, quia qui facit aliquid de mãdato alterius, vere facit: nec ꝑpter hoc minus facit q̃ de mãdato alterius facit, licet propter hoc aliquando minus ascribatur vel imputetur eidem. [*Vnde cum seruus nomine domini mutuasset*] ex hoc patet, quod secundum istum seruus potest mutuare pecuniã nomine domini. sed mutuare pecuniam est vti pecunia, sicut equitare equum est vti equo: & inhabitare domum est vti domo. ergo seruus potest vti pecunia domini sui licet nomine domini sui [*ipse dominus videtur vsus.*] hoc sub aliquo sensu concedi potest: sicut præcipiens aliquem occidi, aliquomodo dicitur ipsum occidere. Alius tamen qui de præcepto occidit, vere occidit. [*& nõ seruus*] dicunt quod ista negatiua ex affirmatiua præmissa non sequitur, sicut patet per exemplum de occidente aliquem de mandato alterius. [*seruus qui iussu domini mutuat non debet dici habere vsum vel abusum simplicem facti.*] Hanc negant: & quod sit neganda in simili postea conabuntur ostendere. [*cum ius habuit per concessionem huiusmodi mutuandi*] dicunt quod iussio vel concessio talis ius nullum dat.

CAP. XXXI.

Rursus dicit, quod prædicta assertio determinationi sanctæ Romanæ ecclesiæ obuiat & repugnat: quia in decretali, quæ incipit (Exiit qui seminat,) *per vniuersalem ecclesiã (vt dicit) approbata, & in concilio Viennensi confirmata, diffinitur quod Fratres Minores habent vsum facti omnium rerum, quibus vtuntur, absque omni dominio & proprietate. de quo vsu sic dixit:* qui vsus non iuris sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum in vtendo præbet vtentibus nihil iuris *Manifestum est autem (vt dicit) quod Fratres Minores habent vsum facti rerum vsu consumptibilium. ergo in rebus vsu consumptibilibus potest vsus facti à proprietate & dominio separari.*

In parte ista impugnatus respondet ad aliam obiectionem appellantis contra primam assertionem de constitutione *Ad conditorem*, acceptam. Et primo obiectionem ponit. Secundo respondet in parte immediate sequenti. Est autẽ obiectio talis secundum Nicolaum tertium in decretali *Exiit*: Fratres Minores habent vsum facti omnium rerum, quib. vtuntur, & tamen non habet dominium seu proprietatem. ergo in rebus vsu consumptibilibus potest vsus facti à proprietate & dominio separari. Dicunt isti impugnatores, quod iste impugnatus hic omittit aliqua exempla, per quæ assertionem prædictam appellans nititur probare. vnde immediate post obiectionem præmissam subiungit appellans hæc verba: *Allegationes autem ad auctoritates pro prædictis rationibus in appellatione prolixa perfectissime continentur.* Ista eadem conclusio, scilicet quod vsus facti in rebus vsu consumptibilibus potest à proprietate & dominio separari, declaratur in Appellatione eadem per iura canonica & ciuilia copiose, & etiam per multa exempla, scilicet de seruo, filiofamilias, religiosis, nunciis dominorum, & habente vestem accõmodatam, qui habent vsum rerum vsu consumptibilium sine proprietate & dominio earundem. Hæc verba appellantis, quæ iste nec recitat nec ad ipsa respondet: quia (vt dicunt) ad exempla de seruo, filiofamilias & nunciis dominorum & habente vestem accommodatam, nullam responsionem poterit inuenire. seruus enim cum sit possessio dñi sui, proprietatem vestis, qua vtitur, nequaquam habet. filiusfamilias et, cum sit in potestate patris, vestis, qua induitur, non habet proprietatem. Idem ius est de multis, quib. vtuntur nuncii dominorum. qui etiam vestitur veste accomodata, non habet proprietatem eiusdem: & ita omnes prædicti habent vsum facti rerum consumptibilium vsu proprietate speciali & communi separatum. [*Qui vsus non iuris*] sc. quo valeat pro re vel vsu rei in iudicio litigare. [*sed facti tantummodo nomen habens*] hoc est, vocatur vsus facti, & non vsus iuris [*Nihil iuris*] quo valeat in iudicio litigare.

CAP. XXXII.

Ad hoc dicendum, quod, sicut dicit dicta constitutio Ad conditorem canonum verba prædicta intellexit, conditor illius canonis Exiit, de reb. quæ non consumuntur vsu, quod per præcedentia & sequẽtia probatur satis claré. Ante enim præposuerat, quæ sequuntur: Cum in rebus temporalibus sit considerare præcipue proprietatem, possessionẽ, vsum factum, fructum, & simplicem facti vsum, &c. Et post sequitur: Condecens fuit ei professioni, quæ spõte deuouet Christum pauperem in tanta paupertate sectari necessario vsu facti fore contentam. Cum autem prædicta, sc. proprietas, vsusfructus, ius vtendi, & vsus facti sumptus proprie nequeat in rebus vsu consumptibilibus reperiri: sed proprietas tantum vt patet ex diffinitionibus vsusfructus & vsus: apparet quod de rebus vsu consumptibilibus in quibus præmissa nequeunt reperiri, non intellexit conditor canonis verba illa. Hoc etiam apparet per eã, quæ in eadem constitutione postea subsequuntur. Sequitur enim, quod prædictis (sc. quod Fratres sint vsu facti contenti) non obuiat quod ciuilis prouidentia in humanis rebus constituit: videlicet non posse vsum vel vsufructum à dominio perpetuo separari, ne dominium semper abscendente ab eo vsufructu dominis inutile redderetur: quæ quidem lex de rebus illis intelligitur, quarum penes vnum vsus rei, & penes alium dominium possit sc. inutile remanere: quod nequaquam in rebus vsu consumptibilibus potest esse, cum in illis per vsum seu abusum vsuarii, substantia talis rei esse desinat: & per consequens, proprietas etiam inutilis non subsistat: sicut dicitur in constitutione Ad conditorem canonum *supradicta. Si autem velit iste hæreticus, quod dicta constitutio* Exiit, *diffinierit, quod Fratres Minores in rebus vsu consumptibilibus habeant simplicem vsum facti, dicimus quod diffiniuit impossibile: & per consequens diffinitio de iure non teneret. Cum enim sit impossibile in rebus vsu consumptibilibus vsum iuris vel facti habere à dominio separatum: cum hoc rationi obuiet & iuri repugnet statutum à quocunque factum in contrarium non tenet. Item in hoc, quod dicit, quod dicta constitutio fuit per vniuersalem ecclesiam approbata, dicimus quod quantũ ad hoc, sc. quod Fratres Minores in rebus vsu consumptibilibus habeant vsum facti, nunquam fuit per vniuersalem ecclesiam approbata. Dicimus etiam, quod non fuit in Viennensi concilio confirmata. Nec hoc poterit per constitutionem aliquam vel aliter approbare: imo nec de Fratrum consilio fuit promulgata.*

Hic

Hic ad ſupra poſitam obiectionem reſpondet, dicens primo, quod decretalis *Exiit*, debet intelligi de rebus, quæ non conſumuntur vſu: quod per duo dicta decretalis in ipſa conatur oſtendere. Secundo quod ſi intelligatur de rebus vſu conſumptibilibus, non tenet. Tertio quod dicta decretalis quoad hoc quod Fratres Minores in rebus vſu conſumptibilibus habeant vſum facti, nunquam fuit per vniuerſalem eccleſiam approbata. Quarto quod non fuit in Viennenſi cõcilio confirmata. Quinto quod non fuit de Fratrum conſilio promulgata.

Sed iſti impugnatores dicunt, iſtum erraſſe quoad octo. Primo in hoc quod dicit Nicolaum tertium non debere intelligi de rebus, quæ conſumuntur vſu. Secundo quantum ad hoc, quod dicit, quod proprietas tantum poteſt in rebus vſu conſumptibilibus reperiri, non poſſeſsio, nec ius vtendi, nec vſus facti. Tertio quantum ad hoc, quod dicit, quod in rebus vſu conſumptibilib. non põt penes vnum vſus rei, & penes alium dominium remanere. Quarto quãtum ad hoc, ꝙ dicit ꝙ in omnibus rebus vſu conſumptibilibus per vſum, ſiue abuſum vſuarii ſubſtantia rei deſinit eſſe. Quinto quantum ad hoc, quod dicit, quod ſi diffinitio Nicolai intelligatur de rebus vſu conſumptibilibus, ipſa non tenet. Sexto quod dicta decretalis, quoad hoc, non fuit per vniuerſalem eccleſiam approbata. Septimo quod non fuit in Vienenſi cõcilio confirmata. Octauo, quod non fuit de Fratrum conſilio promulgata. ¶Primo itaq; iſti impugnatores nituntur probare iſtum errare in hoc, quod dicit decre. *Exiit*, de rebus conſumptibilibus non debere intelligi. Primo ſic: ait nanq; Nicolaus tertius: *porro cum ipſa regula expreſſe contineat, quod Fratres nihil ſibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem. ſitque declaratum per eundem prædeceſſorem Greg. 9. & nonnullos alios hoc ſeruare debere, tam in ſpeciali quam in communi, quam ſic artam abdicationem venenoſis obtrectationibus aliquorum inſenſata deprauauit aſtutia, ne Fratrum eorundem perfectionis claritas, talium imperitis ſermonibus laceretur. Dicimus quod abdicatio proprietatis huiuſmodi omnium rerum tam in ſpeciali quam etiam in communi, propter Deum meritoria eſt, & ſancta: quam etiam viam perfectionis Chriſtus oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmauit.* Ex his verbis clare datur intelligi, quod Fratres Minores nullius rei proprietatem debent habere, nec in ſpeciali nec in communi; & tamen ſecundum Nicolaum tertium poſſunt vti reb. conſumptibilib. vſu. ergo in eis poteſt ſecundum Nicolaum vſus facti à proprietate & dominio ſeparari: & ita de huiuſmodi rebus debet intelligi. Item infra dicit idem ſic. *Nec quiſquam ex his inſurgat erronee: quod taliter propter Deum proprietatem omnium abdicantes tanquam homicidæ ſui, vel temptatores Dei, viuendi diſcrimini ſe committant. Sic enim ſeipſos committunt diuinæ prouidentiæ in viuendo, vt viam non contẽnant prouiſionis humanæ, quin vel de his quæ offeruntur liberaliter, vel de his quæ mendicant, vel de his quæ conquiruntur per laborem ſuum ſuſtententur.* Ex his verbis colligitur euidenter, quod Fratres Minores illarum rerum abdicant proprietatem, de quibus ſuſtentantur. ſed certum eſt, quod de rebus vſu conſumptibilibus ſuſtentantur. ergo rerum vſu conſumptibilium abdicant proprietatẽ. Ex quo ſequitur, quod cum dicit Nicolaus; *qui inquam vſus non iuris, ſed facti tantummodo nomen habens, quod facti eſt tantummodo in vtendo præbet vtentibus nihil iuris,* non tantum de rebus non conſumptibilibus vſu, ſed etiam conſumptibilib. vſu intelligit. Item infra dicit idem & quidem ibi: quod *non eſt aliqualiter præſumendum, quod hæc cuncta deficerent, ſicut nec ceteris, ſic nec ipſis Fratribus iure poli extremæ neceſſitatis articulo, ad prouidendum ſuſtentationi naturæ, via omnibus extrema neceſſitate detentis conceſſa præcluditur.* Ex his patet, quod Nicolaus de omnibus, quibus ſuſtentari poteſt humana natura, intelligit; & ita intelligit de rebus conſumptibilibus vſu, quibus natura potiſsime ſuſtentatur. Item infra dicit: *Ne autem talis abdicatio proprietatis omnimodo renunciationem vſus rerum cuiquam videatur inducere. Nam cum in reb. temporalibus ſit conſiderare præcipuum, proprietatem poſſeſsionem, vſufructum, ius vtendi & ſimplicem vſum facti, & vltimo tanquam neceſſario egeat, licet primis carere poſſit vita mortalium, nulla prorſus poteſt eſſe profeſsio, quæ à ſe vſum neceſſariæ ſuſtentationis excludat.* Ex his patenter habetur, quod ſecundum Nicolaum Fratres Minores vouent abdicationem proprietatis omnimodæ. ergo vouent abdicationem proprietatis vſu conſumptibilium: quia ſi retinerent proprietatem rerum vſu conſumptibilium, non vouerent abdicationem proprietatis omnimodæ: quinimo poſſent eſſe ditiores multis caſtra & ciuitates habentibus. ſæpe enim diuitiæ rerum vſu conſumptibilium, ſicut vini, frumenti, olei & huiuſmodi, diuitias poſsidentium caſtra & ciuitates excedunt. Si ergo Fratres non vouerunt abdicationem proprietatis huiuſmodi rerum vſu conſumptibilium, non vouerant abdicationem proprietatis omnimodæ. Item ex eiſdem verbis colligitur, quod Nicolaus intelligit de rebus, quæ ad ſuſtentationem neceſſariam requiruntur. tales autem ſunt res vſu conſumptibiles. ergo ſecundum eum talis abdicatio non excludit ſimplicem facti vſum rerum vſu conſumptibilium. ergo contingit habere ſimplicem facti vſum rerum conſumptibilium vſu, & carentiam proprietatis earum. Item ſubiungit idem ſic; *Verum condecens fuit ei profeſsioni, quæ ſponte deuouit Chriſtum pauperem in tanta paupertate ſectari omnium abdicare dominium, & rerum ſibi conceſſarum neceſſario vſu fore contentam.* Ex his clare patet, quod ſecundum Nicolaum Fratres omnium abdicant dominium; & per conſequens abdicant dominium rerum vſu conſumptibilium. Itẽ dicit, quod rerum conceſſarum neceſſario vſu ſunt contenti. ergo ex hoc ſequitur quod omnibus rebus ſibi conceſſis licite vti poſſunt, ſed res vſu conſumptibiles ſunt eis conceſſæ. ergo huiuſmodi rebus poſſunt vti; quod iſte negat. Item idem ſubdit Nicolaus; *Nec per hoc, quod proprietatem vſus & rei cuiuſque dominium à ſe abdicaſſe videntur, ſimplici vſui omnis rei nunciatum eſſe conuincitur: qui inquam vſus non iuris ſed facti tantummodo nomen habens, quod facti eſt tantum, in vtendo præbet vtentibus nihil iuris: quinimo neceſſariarum rerum ad vitæ tam ſuſtentationem, quam ad officiorum ſui ſtatus*

exeeu-

[illegible]: excepto quod de pecunia infra subiungitur, moderatus vsus secundum eorum regulam & veritatem omnimodam concessus est Fratribus: quibus rebus Fratres licite vti possunt durante concedentis licentia. Ex his verbis patet expresse, quod Nicolaus de omnibus rebus concessis fratribus non consumptibilibus vsu, & consumptibilibus vsu intelligit: quia ipsemet explicans intentionem suam dicit expresse, quod moderatus vsus rerum necessariarum ad vitæ sustentationem, & ad officiorum sui status executionum Fratribus est concessus. Constat autem quod res vsu consumptibiles sunt fratribus necessariæ ad vitæ sustentationem. ergo moderatus vsus rerum vsu consumptibilium fratribus est concessus. ergo verba prædicta cum dicit, *qui inquam vsus non iuris*, &c. de omnibus rebus consumptibilibus & non consumptibilibus necessariis fratribus debent intelligi. Et infra dicit sic: *Profecto non fuit confessoris Christi regulam constituentis intentio: quinimo contrarium in ipsa conscripsit, contrarium in viuendo seruauit: & cum ipse temporalibus ad necessitatem vsus fuerit, & in pluribus locis in regula, vsum tale licere fratribus manifestat. Dicit nanque in regula: quod clerici faciant diuinum officium, ex quo habere poterunt Breuiaria.* Ex quo patenter insinuat, quod fratres sui habituri essent vsum Breuiariorum & librorum, qui sunt ad diuinum officium oportuni. In alio quoque capitulo dicitur, quod *ministri & custodes pro necessitatibus infirmorum & aliis Fratribus induendis per amicos spirituales sollicitam curam gerant secundum loca & tempora e[illegible]idas regiones.* Alibi etiam exhortans fratres per congruum laboris exercitium, ad ocium euita[illegible]m dicit, quod *de mercede laboris pro se & suis fratribus corporis necessaria recipiant.* In alio quoq; capitulo continetur, quod *Fratres vadant pro eleemosyna confidenter.* Et infra: *Ex quibus omnibus satis claret ex regula, ad victum, vestitum diuinum cultum, & sapientiale studium necessariarum rerum vsum fratribus esse concessum.* Ex quibus verbis patenter habent, quod Nicolaus intelligit de rebus necessariis ad victum & vestitum. Tales autem res necessariæ ad victum & vestitum sunt res vsu consumptibiles: & ita constat, quod vbicunque loquitur Nicolaus de abdicatione omnium, quam Fratres vouent: & de vsu rerum eis concessarum res vsu consumptibiles comprehendit. Ex prædictis concludunt isti, quod secundum Nicolaum tertium Fratres Minores nullius rei consumptibilis habent dominium, neque in speciali neque in communi: & tamen secundum ipsum Fratres Minores habent vsum facti rerum vsu consumptibilium. ergo vsus facti rerum vsu consumptibilium potest ab omni proprietate speciali & communi separari. Secundo concludunt quod contingit habere simplicem facti vsum rerum vsu consumptibilium: quia dicit Nicolaus tertius. *Cum in rebus temporalibus sit considerare præcipuum proprietatem, possessionem, vsu, fructum, ius vtendi, & simplicem facti vsum, & vltimo tanquam necessario egeat, licet primis carere possit vita mortalium, nulla prorsus pōt esse professio, quæ à se vsum necessariæ sustentationis excludat.* Ex quib. verbis clare colligitur, quod vsus necessariæ sustentationis pertinet ad simplicem vsum facti. sed vsus necessariæ sustentationis est respectu rerum consumptibilium vsu. ergo contingit habere simplicem vsum facti respectu rerum consumptibilium vsu. ¶Secundo isti impugnatores moliuntur ostendere, quod iste errat, cum asserit, quod prædicta. sc. possessio, vsufructus, ius vtendi, & vsus facti in rebus vsu consumptibilibus nequeunt reperiri, sed proprietas tantum. Primo quia secundum prædicta in rebus vsu consumptibilibus potest vsus facti reperiri. ergo non reperitur in eis tantum proprietas. Secundo quia potest quis conducere vestem ad vtendum per diem. ergo talis habet ius vtendi: & tamen tunc non habet proprietatem. ergo in veste non tantum reperitur proprietas. Pecunia etiam, quæ inter res vsu consumptibiles computatur, dari potest ad pompam, cum non sit mutuum, sed potius commodatum, seu locatio, secundum Glossam eadem. conducens pecuniam ad pompam habet ius vtendi pecunia ad pompam: & tamen non habet proprietatam eius: quia conducens rem non habet proprietatem rei conductæ. ergo in pecunia non solum proprietas, sed etiam ius vtendi poterit reperiri. Quia etiam in rebus vsu consumptibilibus posit haberi ius vtendi sine proprietate, probatum est supra *cap. 3.*

Tertio isti impugnatores probant istum errare in hoc, quod dicit, quod in rebus vsu consumptibilib. non pōt vsus rei penes vnum: & dominium penes alium remanere; quod dicunt esse falsum. Primo de famulo expendente pecuniam domini sui: & de eo, qui vtitur pecunia ad pompam: & de emente res diuersas de pecunia domini sui: & de seruo vtente veste domini sui: & de fratribus vtentibus rebus alienis de licentia concedentium, & de ventente veste locata seu conducta. Quarto isti impugnatores asserunt istum errare, cum dicit, quod in rebus vsu consumptibilibus per vsum seu abusum vsuarii, substantia talis rei esse desinit, contrarium istius ad sensum appareat. Constat enim, quod nec per vsum, nec abusum pecuniæ, substantia pecuniæ desinit esse, licet nonnunquam dominium pecuniæ præcedens vsum pecuniæ nec substantia nec dominium pecuniæ desinit esse, sicut cum quis vtitur pecunia ad pompam. Item manifestum est, quod sæpe nec per vsum nec per abusum vestis substantia vestis non desinit esse. tunc enim non posset quis sæpius vti eadem veste; quod sacræ scripturæ repugnat aperte. Exodi enim 28. sic scribitur: *Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ, à renibus vsque ad femora: & vtentur eis Aaron & filii eius, quando ingredientur tabernaculum testimonii.* In quibus verbis insinuatur aperte, quod post vsum feminalium ipsorum. substantia remanebat. hoc idem insinuatur in Actibus, cum angelus dixit Petro: *Calcia te caligas tuas, & circunda tibi vestimentum tuum.* Item sicut traditio pecuniæ cum translatione dominii, est vsus vel abusus pecuniæ secundum istum, sicut patuit supra *capitulo* 19. ita traditio vini, panis & aliarum rerum vsu consumptibilium cum translatione earundem est quidam vsus vel abusus, & per consequēs venditio & simplex permutatio rerum vsu consum-

ptibilum potest esse vsus vel abusus earum. sed per venditionem vel per mutationem substantia rei nequaquam desinit esse. ergo non semper per vsum vel abusum rei vsu consumptibilibus substantia rei desinit esse.

Quinto dicunt eum errare, cum dicit, quod si Nicolaus intellexit de rebus vsu consumptibilibus, diffinitio sua non tenet. Nam cum constet (vt dicunt) quod iste intellexit de rebus vsu consumptibilibus, & non consumptibilibus vsu, si diffinitio sua non tenet. Eadem ratione non teneret diffinitio Greg. noni, Alexan. quarti, Innocen. quarti, & Clementis quinti: qui omnes idem quoad abdicationem Fratrum Minorum, cum Nicolao tertio diffinierunt: determinantes, quod Fratres Minores nullius rei temporalis debent proprietatem seruare. Vnde Greg. 9. in declaratione sua sic ait: *Praeterea cum in ipsa regula contineatur expresse, quod Fratres nihil sibi approprient, nec dominium, nec locum, nec aliquam rem ac ipsi processu temporis contaminari timeant ordinis potestatem praesertim cum iam dixerint aliqui proprietatem mobilium pertinere ad totum ordinem in communi: nobis fuit humiliter supplicatum, vt in hoc & animarum dignaremur prouidere periculis, & totius ordinis potestati. Dicimus itaque quod nec in communi nec in speciali debent proprietatem, sed vtensilium & librorum & eorum mobilium; quae licet habere, ordo vsum habeat*, &c. Item Alexander quartus [illegible] Innocentius quartus sic diffiniunt: *Dicimus quod nec in speciali nec in communi debent habere: sed loc*[illegible] *domorum ac vtensilium & librorum & eorum, quae licet habere, ordo vsum habeat*, &c. Et Clemens qui[illegible] in decretali. *Exiuit de paradiso*, ait: *Proinde cum vir sanctus paupertatis promissae in regula modum exprimens, dicit in eadem: Fratres sibi nihil approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tanquam peregrini & aduenae in hoc seculo in paupertate & humilitate domino famulantes vadant pro eleemosina confidenter: sic quod declaratum est per nonnullos praedecessores Romanos pontifices hanc expropriationem debere intelligi tam in speciali quam in communi: propter quod, & rerum omnium oblatarum concessarum & donatarum fratribus quarum vsum facti, scilicet ordini, vel ipsis fratribus licet habere, proprietatem & dominium in se & Romanam ecclesiam receperunt, dimisso scilicet ipsis fratribus in eis tantummodo simplici facti vsu.* Et infra: *Dicti ordinis professores pro nulla re temporali possunt in iudicio experiri.* Ex his euidenter apparet, quod praedicti summi pontificis diffinierunt, Fratres Minores nullius rei proprietatem habere neq; in speciali neq; in communi. & per consequens secundum istos nullius rei vsu consumptibilis habent proprietatem: & tamen secundum ipsos habent vsum huiusmodi rerum. ergo secundum ipsos in huiusmodi rebus potest vsus à dominio & proprietate separari. Ex quo sequitur, quod si diffinitio Nicolai non tenet, nec istorum diffinitio tenet: & ita omnes isti errassent; quod est temerarium reputandum.

Sexto dicunt eum errare, cum dicit, quod decretalis *Exiit*, quoad praedictam assertionem, non est per vniuersalem ecclesiam approbata. Nam omnis assertio publice per vniuersam ecclesiam promulgata, si per nullum catholicum reprobatur, per vniuersalem ecclesiam approbatur. Nam si talis assertio est catholica & fidelis, constat quod vniuersalis ecclesia ipsam nullatenus reprobando noscitur approbare. Si autem est erronea, & teste Innocentio, vt habetur *dist. 93. Error: Error: cui non resistitur, approbatur*: si nullus catholicus talem assertionem erroneam reprobat, vniuersalis ecclesia ipsam conuincitur approbare. Cum ergo ante tempora istius impugnati nullus fuerit inuentus catholicus, qui reprobauerit dictam assertionem in decretali praefata contentam: sequitur quod ipsam vniuersalis ecclesia approbauit. Amplius: Vniuersalis ecclesia dictam decretalem *Exiit*, approbauit, nihil in ea penitus reprobando. qui autem aliquid absolute approbat, nullam partem reprobando omnem partialem approbare conuincitur. Aliter posset aliquis licite omnia scripta haereticorum absque periculo approbare: quia nullum inuenitur scriptum cuiuscunque haeretici, quin multas contineat veritates. relinquitur igitur, quod vniuersalis ecclesia omnem assertionem contentam in decre. *Exiit*, approbauit: & ita praedictam assertionem approbauit. Septimo dicunt eum errare, cum dicit istam decretalem non fuisse Vienensi concilio confirmatam: quia de ista assertione fiebat in praedicto concilio examinatio specialis, quae in constitutione edita tempore concilii & per concilium confirmata est inserta. ergo ista assertio est in generali concilio confirmata.

Octauo dicunt eum errare, cum dicit, quod haec constitutio non de Fratrum concilio promulgata: quia non est verisimile, quod constitutio cum tanta maturitate digesta super tanto negocio absque Fratrum concilio emanasset: nec ipse ponit, quod de Fratrum concilio non fuerit promulgata. *Nunc accedatur ad literam* [*Verba praedicta intellexit conditor illius canonis Exiit, de rebus quae non consumuntur vsu.*] Istud dicunt esse omnino erroneum, & contra mentem dictae constitutionis: quia de omnib. rebus, quibus Fratres vtuntur, intellexit. [*cum in rebus temporalib. sit considerare, &c.*] Istud habet veritatem: non tamen in omni re temporali est omnino ista considerare, sed in aliquibus est omnia illa considerare, & non in omnibus. [*sed proprietas tantum*] hoc dicunt esse erroneum: quia simplex vsus facti reperitur in rebus vsu consumptibilibus: quia nullomodo potest negari accipiendo simplicem vsum facti, sicut Nicolaus tertius accipit in dicta decretali *Exiit*. Nam ipse accipit simplicem vsum facti pro actu vtendi, cui non est annexum necessario aliquod ius, quo valet quis rem vel vsum rei in iudicio vendicare. Ex quo non potest carere vita mortalium. talis autem vsus est actus comedendi, bibendi, induendi & huiusmodi & ita accipit vsum facti pro manducare & bibere, ac alios actus circa eas exerceri. ergo in talib. reb. conuenit reperire simplicem facti vsum. Quod vero Nicolaus tertius accipiat simplicem vsum facti. & vsum facti ac etiam necessarium vsum pro actu comedendi, bibendi, &c. patet. Nam cum dixisset; *cum in rebus temporalib. sit considerare*

donare præcipuũ,proprietatẽ,possessionẽ,vsufructũ,ius vtendi & simplicem vsum facti, imediate subiunxit: *licet primis cavere possit vita mortalium, nulla prorsus potest esse profeßio. qua rei vsum necessariæ sustentationis excludat.* Ex quibus verbis apparet, quod simplicem vsum facti vocat vsum necessariæ sustentationis. Constat autem quod vsus necessariæ sustentationis est huiusmodi, quibus homo sustentatur. Item postea concludit Nicolaus tertius: *Ex quibus omnibus satis claret ex regula ad victum, vestitum, dominicum cultum, sapientiale studium, necessarium rerum vsum, fratribus esse concessum.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod necessarius vsus illarum rerum, quæ ad victum & vestitum spectant, fratribus est concessus. tunc quæritur, quis est ille necessarius vsus: Aut est actus comedendi, bibendi, & induendi: aut aliquis alius vsus? Si detur primum, habetur intentum, quod Nicolaus tertius vocat necessarium vsum, actum comedendi, bibendi & huiusmodi. Secundum non potest dari: quia ille vsus non esset, nisi vsus, qui vocatur vsus iuris, qui inuentus est à iuristis, quem fratres secundum Nicolaum tertium non habent, cum vsus facti, quem habent, nihil tribuat eis. & ita constat, quod Nicolaus vocat simplicẽ facti vsum, necessarium vsũ, & dicitur necessarius, quia requiritur ad sustentandum naturam, vel ad aliquid aliud faciendum: quod necesse est fieri. Simplicem autem facti vsum, vocat actum, qui non habet necessario annexum ius quodcunq;, quo quis valeat in iudicio litigare. huiusmodi est actus comedendi, bibendi & huiusmodi: quia licet interdum actus comedendi habeat tale ius annexum: hoc tamen accidit: & ideo vocatur simplex vsus. [*vt patet ex diffinitionibus vsufructus & vsus.*] Dicunt quod istud non est ad propositum. Nam vsus, qui diffinitur sic; *Vsus est ius vtendi rebus alienis*, &c. est vsus iuris, & nõ est simplex facti vsus, de quo loquitur Nicolaus. & ita per illam diffinitionem nõ põt concludi, quod simplex facti vsus, de quo loquitur Nicolaus, nequit in reb. vsu consumptibilibus reperiri. [*Apparet quod de rebus vsu consumptibilib.* &c.] Dicunt, quod male infert, quia Nicolaus intelligit de rebus in quibus proprietas & simplex vsus facti possunt inueniri. & huiusmodi sunt res vsu consumptibiles, in quib. præmissa tñ aliqua præmissorum possunt in rebus vsu consumptibilibus reperiri. & hoc sufficit ad hoc ꝙ de eis intelligat Nicolaus. [*In rebus humanis constituit.*] Ex hoc apparet, ꝙ non est ex natura rei, sed ex constitutione humana. quare non repugnat naturæ rei perpetuo vsum à dominio separari: sed repugnat iuri positiuo ciuili. [*Quæ quidem lex de reb. illis intelligitur, quarum penes vnum vsus rei*, &c.] Hoc concedunt. [*Quod nequaquam in rebus vsu consumptibilibus potest esse.*] Hoc negant. patet in vestibus. imo in cibo & potu, in seruo qui habet vsum, & dominus suus habet dominium, tamen non habet illum vsum, de quo loquitur lex illa: quia illa lex loquitur de vsu iuris, quem non habet seruus, sed habet vsum facti. [*Cum in iu... per vsum seu abusum vsuarii, substantia talis rei esse desinat.*] hoc in quibusdam est verum, & in quibusdam falsum: sicut est ostensum superius secundum istos. [*Dicimus quod quantum ad hoc, scilicet, quod Fratres Minores habeant in rebus vsu consumptibilibus vsum facti, nunquam fuit per vniuersalem ecclesiam approbata.*] Constat, quod accipiendo vsum facti, sicut accipit Nicolaus, etiam secundum istum, sicut patebit inferius, scilicet pro actu comedendi, bibendi, &c. ista assertio fuit per vniuersalem ecclesiam approbata, siue Nicolaus tertius loquitur proprie siue improprie, de quo posterius differetur.

CAP. XXXIIII.

Adhuc dicit iste hæreticus constitutionem prædictam Ad conditorem canonum, *errorem alium continere, in eo quod continet, quæ sequuntur: Rursus non simplex vsus facti, qui neque seruitus, nec pro illo competit ius vtend , in talibus rebus, (scilicet vsu consumptibilibus,) potest constitui vel haberi. cum enim vti re aliqua, nihil aliud sit proprie quam fructus rei seu vtilitatem aliquam in solidum vel pro parte recipere, quæ ex ea possunt salua rei substantia prouenire, restat quod re illa vti quis nequeat, ex qua salua substantia, nulla potest sibi prouenire vtilitas, quales res vsu consumptibiles esse constat. Ex quibus patet. ꝙ nec vsus qui est seruitus personalis, nec ius vtendi, quod non est seruitus, sed mere ius personale, nec actus ipse vtendi sine iure aliquo, possunt in rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi: cum quodlibet præmissorum exigat, quod ex re ipsa, salua rei substantia poßit habenti ius vtendorum, seu vtendi ex re ipsa vtilitas aliqua prouenire. quod vtique in rebus nequit vsu consumptibilibus reperiri. & inf a: Licet autem in rebus vsu consumptibilibus, nec ius vtendi, nec ipsum vti poßit constitui vel haberi, ipsis tamen poterit quis abuti. Abuti autem dum tractatur de rebus vsu consumptibilibus pro rei consumptione sumitur, quod ei opponitur, quod est vti. Vti quidem supponit, quod cum vsu salua rei substantia maneat: sed abuti exigit, quod cum actu huiusmodi rei substantia consumatur, cum abuti nihil aliud, quam contra naturam vsus vti in hac materia proprie dici poßit.*

Postquam iste impugnatus respondit ad obiectiones appellantis contra primam assertionem: Hic incipit respondere ad obiectiones eiusdem contra secundam assertionem impugnatam. & diuiditur in tres partes, secundum quod ad hoc, quæ tangit appellans, respondit, partes patebunt in prosequendo. Circa primam partem primo ponit assertionem impugnatam. Secundo impugnationem in parte immediate sequenti. Tertio ad obiectionem nititur respondere, ibi *Ad hoc dicendum.*

Assertio autem hic impugnata principaliter est, quod non contingit vti rebus consumptibilibus vsu. ¶ [*Simplex vsus facti*] secundum istos illi primo inuenerunt vti hoc modo loquendi, acceperunt simplicem vsum facti pro actu circa rem exteriorem exercito: qui non requirit in exercente ius aliud, quo pro tali actu exercendo quis valeat in iudicio litigare. & isto modo actus comedendi est simplex vsus facti: quia istum actum potest quis exercere, licet nullum ius habeat exercendi eundem actum. quo iure si impediretur, valeret impediente in iudicio conuenire. *Cũ n. vti*

re aliqua nihil aliud sit proprie.&c. Dicunt istam diffinitionem in nullo authentico inueniri: & si esset diffinitio ipsius *vti*, non esset diffinitio eius in omni sua propria significatione, sed in aliqua significatione speciali: quia tunc hoc vocabulum *vti* esset æquiuocum: sicut hoc nomen *vsus* est æquiuocum, habens plures significationes, quarum multæ sunt propriæ. Vnde significatio huius nominis *vsus*, secundum quod accipitur pro actu comedendi, bibendi & huiusmodi, non est minus propria quam quæcunq; alia [*Restat quod re illa vti quis nequeat*, &c.] Dicunt, quod infert falsum ex falso: [*quales res vsu consumptibiles esse constat*] dicunt, quod nunquam vel vix potest aliqua res vsu consumptibilis reperiri, quin ex ipsa substantia salua possit mediante aliquo actu vtendi aliqua vtilitas prouenire licet sint multæ res, circa quas si quis exerceat actum vtendi, ad quem principaliter ordinantur, nulla vel parua potest vtilitas prouenire, salua ipsarum substantia, sicut sunt illa quæ in cibo & potu, & multa quæ in medicinis consistunt. multæ vero sunt res vsu consumptibiles, ex quibus deterioratis potest vtilitas prouenire, salua ipsarum substantia: licet quis circa eas exerceat actum ad quem principaliter ordinantur, sicut vestes. Aliqui vero sunt, quarum nec substantia deteriorat proueniente vtilitate ex ipsis, sicut pecuniæ: quia licet sæpe dominium pecuniæ consumatur tamen, substantia pecuniæ manet salua [*Nec ius vtendi, quod non est seruitus, sed mere personale, nec actus vtendi sine iure aliquo possunt in rebus vsu consumptibilibus constitui vel haberi.*] Vtrumque dicunt esse erroneum. de iure vtendi probatum est: quia actus vtendi sine iure aliquo non potest esse, nisi sicut actus comedendi, vel bibendi, aut huiusmodi: qui, vt constat, potest in rebus vsu consumptibilibus reperiri. [*Cum quidem licet præmissorum exigat, quod ex re ipsa salua rei substantia*, &c.] Hoc negant: ipsis tamen poterit quis abuti, licet *abuti* in vna significatione sit idem, quod valde vti secundum grammaticos. & sic posset concedi, quod in rebus vsu consumptibilibus contingit abuti: ex quo sequitur quod eis contingit vti. tamen abuti nunquam in tali significatione, cum de rebus vsu consumptibilibus fit mentio, in scriptura sacra accipitur. [*Abuti autem dum tractatur de rebus vsu consumptibilibus pro rei consumptione sumitur.*] In theologia & philosophia non sic accipitur. [*Vti quidem præsupponit quod cum vsu salua rei substantia maneat.*] Hoc dicunt omnino falsum, accipiendo *vti*, sicut in theologia accipitur. Vnde cum dixit Paulus. *vere modico vino*: non præsupposuit quod substantia vini remaneret salua. [*Sed abuti exigit quod cum actu huius rei substantia consumatur.*] Hoc dicunt omnino erroneum de pecunia, qua contingit abuti secundum istum: & tamen substantia pecuniæ non consumitur. licet nonnunquam dominium pecuniæ consumatur. [*Cum abuti nihil aliud quam contra naturam vsus vti, in hac materia proprie posset dici.*] Hic dicunt isti, quod iste ignorat propriam vocem: quia concedit expresse illud, quod improbare intendit: quia concedit, quod abuti est proprie contra naturam vsus vti. ergo *abuti* est proprie vti: quia contra naturam vsus vti est vti. ergo qui abutitur rebus vsu consumptibilibus, proprie vtitur rebus vsu consumptibilibus. & ita contingit vti rebus consumptibilibus vsu: quia tamen negat.

CAP. XXXIV.

HAEC verba constitutionis. Ex quibus apparere dicit hæreticus supradictus, quod dicta constitutio in eo quod dogmatizat, quod nec vsus facti nec actus vtendi haberi potest in rebus consumptibilibus vsu: quod nullus huiusmodi rebus vsu consumptibilibus vti potest, quamuis eis abuti possit: abusu, qui contra naturam vsus existit, sacræ scripturæ obuiat manifeste. Ad quod probandum inducit illud Leui. 27. vbi dicitur, quod omnes decimæ terræ siue de frugibus, siue de pomis arborum domini sunt. & Nume. 18. dicitur de Leuitis, quod nihil aliud possidebunt decimarum oblatione cõtenti quas in vsus eorum & necessaria separaui. ex quibus liquet (vt dicit) quod vsus in rebus vsu consumptibilibus ex Dei statuto habetur.

Hic contra præmissam assertionem primam obiectionem subiicit appellantis. quæ in hoc consistit, quod Nu. 18. habetur, quod Deus dedit decimas rerum vsu consumptibilium in vsum Leitarum. ergo poterant habere vsum rerum consumptibilium vsu.

[*Nec vsus facti nec actus vtendi.*] Sæpe vsus facti, & actus vtendi accipiuntur pro eodem. potest tamen vsus facti accipi pro potestate vtendi, vt distinguitur etiam ab actu vtendi. [*Nihil aliud possidebunt*] sc. ex prima diuisione terræ promissionis [*in vsus eorum*] hoc est ad vtendum eis.

CAP XXXV.

AD hoc dicendum quod iste in prædictis manifeste se fundat in falsis. quod enim Leuitæ in decimis tantum habuerunt simplicem facti vsum, falsum est: & qui dicit expresse illo capitulo Nu. 18. per ipsum allegato: vbi sic dominus dicit: Filiis Leui dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis. *Ex quo patet, quod Leuitæ non tantum vsum in decimis sed etiam dominium habuerunt. nec obstat, quod in eodem capitulo dicitur quod in vsus Leuitarum & necessaria dominus decimas separauit. Aliud est enim alicui dare in re aliqua vsum facti, & aliud rem alicui in vsus eius & necessaria dare, vt superius est ostensum. Ad illud autem quod dicit, quod vsus in rebus vsu consumptibilibus ex Dei statuto habetur dicimus quod est falsum: quia in tota scriptura sacra non habetur mentio de simplici vsu facti.*

Hic ad præmissam obiectionem respondet dicens, quod Leuitæ non habuerunt in decimis tãtum simplicem facti vsum sed etiam dominium: & quod est aliud dare rem in vsum, & dare alicui vsum facti: & quod ex Dei statuto non habetur vsus in rebus vsu consumptibilibus, quia de simplici vsu facti in scriptura sacra nulla fit mentio.

Sed dicunt primo isti impugnatores ꝙ iste appellanti falsum imponit. Secundo ꝙ obiectioné non tangit, & concedit propositum. Tertio ꝙ aperte errat cum dicit, in vsum rebus vsu consumptibilib. ex Dei statuto non haberi. Dicunt itaq; primo, ꝙ iste appellanti falsum imponit, cum asserit

asserit eum dixisse Leuitas in decimis tantum habuisse simplicem facti vsum. hoc enim non dicit, sed tantummodo dicit, quod habuerunt vsum in huiusmodi rebus, cum quo stat quod habuerit ius vtendi huiusmodi rebus: imo ex hoc quod habuerunt vsum in huiusmodi rebus, non sequitur quod non habuerunt dominium in eisdem. Secundo dicunt quod obiectionem non tangit, & tamen concedit propositum. nam cui datur aliquid in vsum, ille potest habere vsum eiusdem rei, quæ sibi data est in vsum. sed decimæ multarum rerum vsu consumptibilium fuerunt datæ Leuitis in vsum etiam secundum istum. ergo Leuitæ poterant habere vsum earundem decimarum. Minorem ipse concedit: maior probatur per eum. nam sicut patuit supra capitulo. 10. ipse dicit, quod vbi aliquid alicui datur in vsum, nedũ vsus rei sed et dominium intelligitur esse datum. ergo quãdo aliquid datur in vsum, tam vsus quam dominium datur. sed cui datur vsus rei, ille potest habere vsum rei. ergo quãdo aliqua res datur in vsum: ille potest habere vsum rei. & ita cũ decimis aliquarum rerum vsu consumptibilium datæ fuerint Leuitis in vsum, secũdum istum Leuitæ potuerunt habere vsum earundem: & ita dicunt, quod iste expresse concedit propositum appellantis, cum dicit quod decimæ fuerunt datæ Leuitis in vsum. Tertio dicunt, quod errat aperte, cum dicit vsum in rebus vsu consumptibilibus ex Dei statuto non haberi. nam in illis rebus habetur vsus ex Dei statuto, quæ ex Dei statuto datæ sunt in vsum. sed multæ res vsu consumptibiles datæ sunt in vsum ex Dei statuto. Patet de decimis in auctoritate præallegata: & de frugum initiis ibidem, cum dicitur: *Vniuersa frugum initia, quæ gignit humus, & domino deportantur, cedent in vsus tuos.* Et Deuteronom. 24. *Si vindemiaueris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in vsus aduenæ, pupilli ac viduæ.* Ex his patenter colligitur, quod nonnullæ res vsu consumptibiles datę sunt in vsum, ex Dei statuto. Ergo in huiusmodi rebus habetur vsus ex Dei statuto. confirmatur ergo: si huiusmodi res ex Dei statuto datæ sunt in vsum, datæ sunt in vsum iuris aut in vsum facti. non in vsum iuris: quia tunc Leuitæ & sacerdotes & aduenæ, pupilli, ac viduæ habuissent vsum, & alii dominium: quod est contra veritatem, & contra istum. ergo huiusmodi res vsu consumptibiles datæ sunt in vsum facti. & per consequens vsus facti potest in rebus huiusmodi reperiri: quod iste negat. Ratio vero, per quam dictam assertionem prouocare conatur, non valet (vt isti dicunt) quia quamuis de simplici vsu facti sub istis vocibus vel aggregatis mentio in sacra scriptura minime habeatur, tñ de re non habetur mentio in scriptura: quia per simplicem vsum facti, non intelligit appellans nisi vsum, cui non est necessario annexum ius, quo quis valeat in iudicio litigare. & talis vsus est actus comedendi, bibendi, & huiusmodi, de quibus actibus sæpe fiat mentio in scriptura. ¶ [*In prædictis manifeste se fundat in falsis.*] Dicunt quod hoc est scripturæ sacræ falsitatem imponere, cum in prædictis non se fundet nisi auctoritate scripturæ: sicut patet per verba obiectionis præmissæ. [*Quod enim Leuitæ in decimis tantum habuerint simplicem vsum facti.*] Hoc non dixit appellans, qui in tota illa parte non intendit probare, nisi quod Leuitæ habuerunt vsum in rebus cõsumptibilibus vsu. [*Sed etiam dominium habuerunt.*] Potest concedi ꝙ habuerunt dominium, sed non plenum. [*Et aliud rem alicui in vsus eius.*] Ex hoc sequitur, quod cui datur res in vsum, ille vsum rei potest habere: & ita si decimæ fuerunt datæ Leuitis in vsus, potuerunt habere vsum eorum. cetera sunt impugnata per istos, in isto & aliis capitulis.

CAP. XXXVI.

Adhuc dicit hæreticus prædictus, quod vbicunque sacra scriptura de vsu rerũ consumptibilium vsu loquitur: semper manifestat, quod quis rebus vsu consumptibilibus potest vti, sicut patet 1. ad Tim. 5. Vbi apostolus dicit: Vtere modico vino. *Et secundi Reg. 13. ibi.* Filiæ regis virgines vestimentis huiusmodi vtebantur. *Et Num. 18. ibi:* Vniuersa frugum initia quæ domino deportantur, cedent in vsus tuos. *Et parum post:* Carnes vero in vsũ tuũ cedent. *Et Iud. 19. ibi.* Habentes panẽ & vinũ in vsus, & ancillæ tuæ vsus. *Et Deut. 24. in fine, & Iosue 5. ibi:* Nec vsi sunt vltra, *&c. Et Leuiti. 7. ibi:* In vsus varios, *&c. & Hest. 5. & Exod. 28. Item et patet (secundũ eum) per auctoritates sancti Clementis* 12. q. 1. c. dilectissimis, *& sancti Aug.* dist 41.

In ista parte nititur respondere ad quasdam auctoritates scripturæ, quas pro se inducit appellans. & primo recitat eas: secundo respondet ad ipsas in parte immediate sequenti. Auctoritates patent de se. ¶ [*Quod proprie conuenit & veraciter eis vti.*] quia talis locutio aliquis potest vti rebus consumptibilibus vsu est propria & vera [*cedent in vsum tuos*] hoc est, tu vteris eis.

CAP. XXXVII.

Ad hos dicendum, quod constitutio prædicta Ad conditorem canonum, *loquitur de vsu & de vti secundum quod diuiditur vsus contra dominium & proprietatem & contra vsumfructum & ius vtendi, secundum decretalem illam* Exiit, *qua dicit ista scilicet vsumfructum, proprietatem & ius vtendi ac simplicem vsum facti in temporalibus reperiri: cuius gratia dicta constitutio* Ad conditorem canonum *fuit facta.*

Hic ad prædicta respondet insinuans, quod aliter loquitur de vsu & vti, quam auctoritates scripturæ superius allegatæ.

Sed dicunt isti impugnatores, quod hoc concedit iterum appellantis: & tamen ad obiectionem non respondet. Quod concedat intentum, patet, quia si iste accipit *vsum & vti*, secundum quod Nicolaus tertius accipit in decretali prædicta: & nihilominus ille, sicut ostensum est *capitulo* 32. concedit & dicit, quod Fratres habent vsum rerum consumptibilium vsu, scilicet alimentorum & vestimentorum. ergo ipse debet concedere, quod contingit vti rebus consumptibilibus vsu. Amplius, vsus diuisus contra proprietatem & dominium & contra vsumfructum & contra ius, non est nisi actus comedendi, bibendi vel huiusmodi, & facultas actus huiusmodi exercendi: quia vsus iuris non diuiditur contra ius vtendi, cum vsus iuris sit ius vtendi reb. alienis, &c.

ergo si accipit *vsum* & *vti* secundum quod diuiditur contra prædicta, debet concedere quod rebus vsu consumptibilibus contingit vti. Secundo dicit, quod ad obiectionem appellantis non respõdet, quia obiectio illa fundatur in hoc, quod scriptura sacra dicens quod talibus rebus consumptibilibus vsu cõtingit vti: & quod contra vsum earum vere & proprie loquitur. Ad hoc autem iste non respondet. Ex his etiam concludunt, quod sub abusu vocum introducere conatur errores. Error n. vt dicunt, quem principaliter in hac parte intendit inducere, est quod Fratres Minores non possunt manducare & bibere, & indui vestimentis, nisi habeant proprietatem & dominium earundem rerum. Si autem vteretur vsitato modo loquendi in theologia & in scientiis philosophiæ, ad errorem prædictum nullum posset inuenire colorem. & ideo vtitur hoc nomine *vsus* in vna significatione, quæ non inuenitur nisi solummodo in scientiis legalib. in qua significatione accepto hoc nomine *vsus* simpliciter concedi debet, quod Fratres Minores non hñt vsum rerum cõsumptibilium vsu: quia in illa significatione simpliciter debet concedi, quod nullarum rerum nec consumptibiliũ vsu nec non consumptibilium vsu hñt vsum: quia non hñt tale ius vtendi rebus alienis, &c. ꝙ vocatur *vsus*: & ex hoc colorem inuenit ad concludendum, quod Fratres Minores nõ habent vsum rerum vsu consumptibilium à proprietate & dñio separatum. Ex hoc cõcludens sophisticè, quod Fratres Minores non possunt manducare & bibere, & aliis reb. vsu consumptibilib. vti, nisi habeant proprietatem & dñium earundem rerum. quia vero ex æquiuocatione huius nominis *vsus* ita colorem inuenit ad persuadendum, licet sophisticè, prædictum errorem, vt isti dicunt. Ideo explicare nituntur, quæ positiones in hac materia dñt concedi in quo sensu, & quæ negari. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod cum ablative dicitur rerum consumptibilium vsu, semper iste ablatiuus *vsu* coniunctus cum verbo vel nomine *consumendi* sic dicendo *res cõsumptibiles vsu* vel *reb. consumptibilib. vsu*, vel in alio casu: vel sic, *res quæ consumuntur vsu*: Iste ablatiuus *vsu* accipitur pro comestione, induitione, bibitione vel aliquo alio tali actu, quo res consumitur. Nam cum panis consumitur vsu, nullus vsus potest dari, quo consumatur nisi comestio vel aliquis alius actus, qui non magis proprie potest vocari vsus, quam comestio. Et ita constat, quod iste ablatiuus *vsu* accipitur pro comestione bibitione & huiusmodi actib. quib. res consumũtur. Hoc viso dicunt, quod si in ista Fratres Minores non hñt vsum rerum consumptibilium vsu: iste accusatiuus *vsum* accipiatur pro eadem significatione, in qua accipitur iste ablatiuus *vsu*: ista esset simpliciter neganda in illo sensu. Si vero iste accusatiuus *vsum* accipiatur pro alia significatione, puta pro vsu iuris, qui sic diffinitur: *Vsus est ius vtendi rebus alienis*: & sic dicunt quod est concedenda. Similiter eodem modo accipiendo *vsum*, hæc est concedenda: Fratres Minores non habent vsum rerum consumptibilium vsu à proprietate & dominio separatum. Aliter accipiendo *vsum*, ista debet negari, sicut in eadem significatione accipiendo *vsum* hæc est concedenda: Fratres Minores non hñt vsum rerum consumptibilium vsu à proprietate seu dominio separatum: quia nullius rei hñt talem vsum. sed quamuis tales negatiuæ in aliquo sensu concedantur: tamen affirmatiuæ, quæ eis contradicere secundum vocem videntur, non dñt absolute sine distinctione negari. Quamuis in vno sensu possint negari, & in alio concedi & minus necessarium est eas distinguere cõcedendo, quam negando, pro eo quod ex scriptura diuina, quæ maioris est auctoritatis, quam quæcunque legalis sciã, absolute accipiuntur: quæ scriptura diuĩa nunquam vtitur hoc nõie *vsus* in illa significatione, in qua debent negari. Ex isto dicunt, quod theologi & philosophi, qui de scientiis legalibus se nullatenus intromittunt, absolute dñt concedere, quod aliquis potest habere vsum rerum consumptibilium vsu: & sine distinctione negare, quod nullus põs habere vsum rerum consumptibiliũ vsu, ẽt quia de alia significatione *vsus*, in qua affirmatiua põt habere vnũ sensum falsum, & negatiua vnum sensum verum, se minime intromittunt. qui autem peritus est in scientiis legalibus nec affirmatiuam, nec negatiuam debet concedere vel negare, nisi præsupposita distinctione huius nõis *vsus*: cum in scientiis legalib. hoc nomen *vsus* in vtraq; significatione accipiatur, sc. pro vsu iuris, qui est ius vtendi reb. alienis, &c. & pro comestione, & bibitione & aliis actibus circa res temporales exercitis. & ita dicendum est de illis, qui hoc nomine *vsus* tam secundum ꝙ accipitur in theologia & philosophia, quam secundum ꝙ accipitur in scientiis legalibus, vti proponunt. Quia ergo iste impugnatus absolute negat, quod aliquis potest habere vsum rerum consumptibilium vsu, ꝙ scriptura diuina absolute determinat, quamuis non sub eadem serie verborum, dicunt quod erroneus, imo hæreticus est censendus: quia secundum B. Hiero. *Ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis.* Sicut quamuis posset credi, ꝙ licet diceret, ꝙ nullus posset manducare vel bibere, ꝙ hoc non sentiret: tamen si hoc diceret & pertinaciter defensaret, esset hæreticus reputandus, cum hoc scripturæ diuinæ, quæ est regula fidei, aduersetur aperte. Per prædictam ẽt patet, quod purus theologus, & similiter purus philosophus absolute debet concedere, quod contingit vti reb. consumptibilib. vsu: & absolute negare, quod non contingit vti reb. consumptibilibus vsu, & idem videtur de iuristis: quia licet in iure hoc nomen *vsus* habeat tales duas significationes, de quibus dictum est prius, tamen forte non inuenitur in iure, quod hoc verbum *vti* acceptum verbaliter vnquam accipiatur nisi pro actu qualis est comestio, bibitio, inhabitatio, equitatio, emptio, & hmõi, de quib. actib. non est æquiuocum sed vniuocũ: & ideo dñt absolute concedere, ꝙ reb. vsu consumptibilib. contingit vti & absolute negare, ꝙ reb. vsu consumptibilib. non contingit vti. Si tñ inueniretur ĩ iure, ꝙ hoc verbum *vti* acceptũ verbaliter nõ posse accipere tur pro tali actu circa rem temporalem exercito, sed ẽt denotaret vel importaret vsum, qui est ius

quo ddam

quoddam positiuum determinatum, de quo dictum est supra: sic cum distinctione deberent concedere, ꝙ contingit vti omnib. rebus vsu consumptibilibus: & ꝙ non contingit vti omnib. rebus consumptibilibus vsu: & eodem modo propositis cum distinctione deberent vtramq; negare: qa vtraq; haberet vnũ sensum verum & vnũ sensum falsum. Ex istis dicunt isti patere, ꝙ quicquid sit de propositionibus, in quibus ponitur hoc nomen *vsus*, & hoc verbũ *vti*, nullo modo debet negari, quin Fratres Minores possint manducare & bibere & vestibus indui absque omni dominio & ꝓprietate rerum. Et ita iste nihil habet de intento principali. Principalis n. intentio appellantis in hac parte est ꝓbare, ꝙ contingit manducare, bibere, indui alios actus circa res vsu consumptibiles exercere, absq; proprietate & dominio earundem [*Loquitur de vsu & vti secũdum quod diuiditur* &c.] & ita accipitur ꝓ actu vtendi, qualis est inhabitatio, comestio &c. quia sic non accipitur pro iure. ergo accipitur pro actu circa rem temporalẽ exercito. [*Ac simplicem vsum facti.*] hic simplex vsus facti, accipitur pro actu circa rem temporalẽ exercito, q̃ ad hoc vt fiat nõ requirit, ꝙ exercens ipsum habeat ꝓprietatem eiusdem rei, nec possessionẽ q̃ est ius, nec vsufructum, nec ius vtẽdi, quo valet quis in iudicio litigare. Talis est actus comestio induitio, inhabitatio. Potest n. aliquis etiam licite de licentia alterius inhabitare domũ, & manducare, ac bibere, & actus huiusmodi exercere: licet non habeat aliq̃ p̃dictorum. & tunc habet tm̃ simplicem vsum facti qui autẽ habet aliquod prædictorum, potest habere simplicẽ vsum facti. sed præter simplicem vsum facti, habet aliq̃d aliud, puta proprietatem, vel ius vtendi, vel aliquid aliud [*cuius gratia*] scilicet ad reprobandum secundum istos.

Cap. XXXVIII.

Ste etiam hæreticus ad ostendendum, quod pecunia inter res vsu consumptibiles numeretur, allegat legem, quæ ex prædictis patet.

Hic recitat vnam obiectionem de pecunia, qua conuenit vti: & tamen inter res vsu consumptibiles numeratur. Sed dicunt isti impugnatores, quod de hoc in obiectionibus contra istam assertionem, quod non conuenit vti rebus consumptibilibus vsu, nulla fit mentio.

Cap. XXXIX.

Constat autem quod secundum leges in rebus vsu cõsumptibilibus, neq; vsufructus, neq; ius vtendi quod est seruitus, nec etiam ius vtendi, quod non est seruitus, sed mere ius personale, potest constitui vel haberi, vt probatur. ff. de vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur l. 1. & l. 2. & ff. de iureiu. l. Sed & si possessori §. sed si rerum, *cum multis similibus.*

In parte ista iste impugnatus redit ad declarandum intentionem suam, & ad completius respondendum auctoritatibus superius allegatis. Et primo ostendit, quod in rebus vsu consumptibilibus neq; vsufructus, neq; ius vtendi, quod est seruitus, neq; ius vtendi quod non est seruitus, poterit reperiri, accipiendo *vsum* & *vti*, vt leges accipiunt. Secundo conatur ostendere, quod nemo põt vti rebus consumptibilib. vsu: & hoc in parte imediate sequẽti. Tertio ostendit, ꝙ cõsumptio põt in rebus huiusmodi reperiri, ibi: *Licet autẽ in rebus.* Quarto quasi dicta recapitulat ibi: *Dicimus ergo.* Quinto ad auctoritates inductas respondet ibi: *Licet autẽ, vt prædictũ est.* Dicit ergo quod secundũ leges, neq; vsufructus, neq; ius vtendi, quod est seruitus, neq; ius vtendi, quod nõ est seruitus, potest in rebus vsu consumptibilibus reperiri. Sed isti impugnatores dicunt, ista non esse ad propositum sed istum cautiose ꝓcedere: quia ex hoc, quod vsufructus nõ potest in omnib. rebus vsu consumptibilibus reperiri: & ex hoc, quod est aliquod ius vtendi speciale quod est seruitus. & aliquod ꝙ non est seruitus, non potest in rebus vsu consumptibilib. reperiri, non potest inferri, quod nullũ ius vtendi potest in rebus vsu cõsumptibilib. reperiri. & ideo esto, quod leges dicant aliquod ius vtendi non reperiri in omnib. rebus consumptibilibus vsu, nihilominus concedendum est, quod aliquod ius potest in rebus talib. inueniri, sicut per iura diuina & humana superius est ostensum.

[*In rebus vsu consumptibilib.*] forte in aliquibus rebus vsu consumptibilibus potest vsufructus, vel saltem vsus reperiri, sed non in omnib. Aliquæ enim res vsu consumptibiles, sicut vestes & multæ aliæ locari possunt saltem ad tempus.

Cap. XL.

Tem nec quisquam vti talib. rebus potest, sumendo proprie vti. Vsus *enim seu vti si sumatur proprie secundum leges requirit quod ex re illa, in qua vsum habere se asserit, vel qua vult vti, possit fructus vel vtilitatem aliquam assequi. substantia salua rei: quod non potest in rebus vsu consumptibilibus reperiri. Et ex hoc beatus Ioan. Chrysost. rationem reddit, quare mutuans pecuniam pro mercede pecuniam recipere nequeat licite: cum locans agrum vel domum hanc licite recipere possit, vt dictum est supra. Ex quibus patet, quod in rebus vsu consumptibilibus vsus haberi nequeat: nec quis ipsis etiam vti possit, cum hoc iuri repugnet, & obuiet rationi.*

Hic conatur ostendere, quod nemo potest vti rebus vsu consumptibilibus: quia nullus potest habere fructum vel vtilitatem aliquam ex huiusmodi rebus, salua rerum substantia: & hoc (dicit) est ratio, quare Chrysostomus dicit, quod non licet recipere mercedem pro pecunia mutuata.

Sed dicunt isti impugnatores, quod verba istius prædicta continent quatuor errores. Primus, quod non contingit vti rebus consumptibilibus vsu proprie sumendo *vti*. Secundus est, quod qui vtitur proprie re aliqua, habet fructum vel vtilitatem ex re, salua rei substantia. Tertius est, quod ex nulla re vsu consumptibili potest quis habere fructũ vel vtilitatẽ salua rei substantia.

Quartus quod per hoc, quod ex pecunia non potest quis habere vtilitatem, salua rei substantia, reddit rationem Chrysostomus, quare pro pecunia mutuata non licet mercedem recipere. Quod primum sit erroneum, ex his quæ dicta supra cap. 6. liquet aperte, vt isti dicunt. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod negare vsum in rebus vsu, consumptibilibus omni sensu, ita, vt dicunt, recte obuiat scripturæ diuinæ quod nullo modo poterit palliari. Et ideo iste nititur hoc negare non omnimodo, sed proptie accipiendo *vti*, vt talis locutio non sit propria. Aliquis potest vti rebus consumptibilib. vsu. Sed hoc dicunt isti esse omnino irrationabiliter & erroneæ dictum. Nam sicut patet ex dictis supra *cap. 6.* principalior & communior & magis vsitata est significatio huius nominis *vsus* secundum quod accipitur pro comestione & actib. exercitis circa res temporales: quam illa significatio, secundum quam accipitur secundum iuristas pro quodam iure determinato. ergo non minus proprie accipitur in illa significatione, quam in alia. ergo locutio scripturæ sacræ, cum dicit aliquem habere vsum rerum consumptibilium vsu, non est minus propria, quam locutio scientiarum legalium, cum dicunt aliquem habere vsum fundi, vel domus. Et confirmatur, quia scriptura diuina præcessit legales scientias: & per consequens ante fuit scriptura diuina, quam hoc nomen *vsus* acciperetur pro tali iure: quia nunquam inuenitur, quod aliquis vsus fuerit hoc nomine *vsus* in illa significatione, antequam legales scientiæ scriberentur. Scriptura ergo diuina, quæ incepit à Moyse præcessit illam significationem huius nominis *vsus*. Quæritur ergo, cum Moyses dixit Exo. 28. *Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ à renibus vsque ad femora, & vtentur eis Aaron & filii eius.* Et cum dixerit Num. 18. *Vniuersa frugum initia, quæ gignit humus, & quæ Domino deportantur, cedent in vsus tuos.* & post: *Carnes vero in vsum tuum cedent.* aut loquebatur proprie, aut loquebatur improprie. si tunc loquebatur ae proprie: ergo semper postea talis modus loquendi fuit proprius. quia propter nouam significationem alicuius vocabuli superuenientem, non debet modus loquendi scripturæ diuinæ, qui primo fuit proprius, postea censeri improprius. ergo improprie dicitur. Adhuc, quod [illegible] s. sc. fœminalibus, & carnibus, & frugibus contingit vti. Si dicas: quod Moyses tunc lo[illegible] proprie: hoc sine ratione dicis, quia tunc hæc vocabula *vsus* & *vti*, nõ habebant [illegible] gis propriam quam illa esset, qua vtebatur Moyses. Dicunt igitur isti, quod talis modus loquendi est [illegible] prius: nec vnquam fuit Doctor, vel expositor scripturæ diuinæ, qui dixerit quod locutio talis [illegible]. Et sic proprie sumendo *vti* vere dicitur, quod quis potest vti rebus cõsumptibilibus [illegible], vt dicunt isti, cõtentus in verbis præmissis est, quod [illegible] proprie loquendo [illegible] potest fructum vel vtilitatem ex re salua rei substantia, quod in hoc [illegible] (vt dicunt isti) loquitur ex prædictis: quia aliquis proprie loquendo vti [illegible] quis habere ex eis vtilitatem, salua eorum substantia. [illegible] nullus ex re vsu consumptibili potest habere vsum vel vtilitatem [illegible], vt dicens capit instantiam de pecunia: quia substantia pecuniæ per [illegible] pe dominium pecuniæ non maneat saluum vtenti. Falsum est etiam, [illegible] sicut etiam sensui patet. Quartus error secundum eos, quod [illegible] quare pro pecunia mutuata nõ licet mercedem recipere. quia illa [illegible] euidenter.) Sed ratio est: quia per mutuum transfertus dominium [illegible] pere vltra valorem pecuniæ: quia hoc est generale in omni [illegible] dominium rei, quod non licet recipere vltra valorem rei. quod præcipue [illegible] omnib. notus est valor rei: propter quod pro vno pane, de cuius valore constat, non licet [illegible] recipe vltra valorem panis, quando venditur panis. Vbi a. non est notus valor rei, licet contrahentibus, secundum leges se decipere: quamuis apud Deum ille, cui notus est valor rei, si decipit alium, non sit immunis à peccato. valor autem pecuniæ notus est: & ideo qui transfert dominium pecuniæ, nihil debet recipere vltra valorem pecuniæ. & istam rationem tangit Glossa. *14. q. 2. c. Si feneraueris*, quia *in illis quæ consistunt in numero, pondere & mensura, transfertur dominium*. In equo autem & domo non transfertur dominium: ideo pro equo & domo potest quis licite recipere: non autem pro his, quorum transfertur dominium vltra quid potest recipere. Sed forte dices, si locans domum vel equum potest recipere vltra valorem domus & equi, quia potest recipere domum & equum & aliquid vltra: quare etiam mutuans pecuniam nõ potest recipere, vltra valorem pecuniæ. s. pecuniam & aliquid vltra? Dicunt isti, quod locans domum vel equum retinet dominium domus & equi: & ideo potest repetere dominium & equum tanquam rem propriam: & pro illo quod concessit alteri, potest aliquid recipere; quia sic nunquam recipit valorem illius quod transtulit in alium. sed mutuans pecuniam non potest repetere pecuniam tanquam rem propriam, quia tamen dominium pecuniæ transtulit potest petere valorem pecuniæ, sed non plus.

[*Vsus enim seu vti si sumatur proprie secundum leges requirit*, &c.] Istud dicunt esse falsum; quia leges hoc non dicunt de vsu in omni significatione propria huius nominis vsus; quia si hoc dicerent, reprobarent modum loquendi scripturæ diuinæ; & per consequens non essent approbandæ. Volunt tamen leges quod vsus iuris nõ inuenitur proprie in omnib. rebus consumptibilibus vsu. sed cum hoc stat, quod alius vsus quod vsus iuris inueniatur proprie in rebus consumptibilibus vsu. [*quod nõ potest in rebus vsu consumptibilibus reperiri,*] hoc dicunt esse falsum, sicut ostensum est. [*Chrysost. rationem reddit* &c.] dicunt hoc esse falsum, sicut dictum est. [*cum locans agrum vel domum* &c.] Ratio, quare potest recipere mercedem, est; quia repetit domum vel agrum tanquam rem propriam. Pro potestate vero recipiendi vtilitatem ex agro vel domo recipit aliquid; non tamen valorem agri vel domus:

sed

sed valorem illius potestatis, quam alteri concessit. [*In rebus vsu consumptibilib. haberi vsus nequeat*] hoc de quibusdam rebus vsu consumptibilibus habet vnum sensum verum, & alium falsum: quorum tñ vterq; est proprius, quia vtraq; significatio vsus est propria. [*Nec quis ipsis etiam vti possit*] dicunt ꝙ hoc nullum sensum verum habet: quia hoc verbum *vti* verbaliter sumptum non habet tot significationes, quod habet hoc nomen *vsus*. si tamē inueniretur quod haberet aliquem sensum verum, non propter hoc esset negandum ipsam habere sensum falsum.

CAP. XLI.

Licet autem in rebus talibus sc. vsu consumptibilibus, vsus *vel vti locum sibi proprie non vendicent. consumptio tamen & actus consumendi locum habet, vt dicit constitutio prædicta: qua tamen non possunt dici simplicia: nec à rei quæ consumitur, dominio separata, cum ipsa rei consumptione eius dominium pereat, & prorsus desinat esse, vt probat dicta constitutio.* Ad conditorem canonum, *quæ sic dicit. Præterea si in rebus vsu consumptibilib. posset vsus constitui vel haberi, nequaquam simplex, nec à rei substantia proprietate seu dominio separatus, vsus huiusmodi posset dici: cum per talem vsum. i. e. vtendi actum, & in ipso actu, & cum ipso actu, res consumatur huiusmodi: nec actu sine ipsius rei consumptione esse valeat vsus talis. Ex quo patet, quod vsus talis nec simplex nec separatus à dominio potest dici: & hoc patet, cum per talem facti vsum, proprietas & dominium ipsius rei perire noscatur.*

In parte ista dicit, quod licet *vti* non possit in rebus vsu consumptibilibus reperiri, in ipsis consumptio, & etiam actus consumendi poterit reperiri. & tñ actus consumendi in talibus non erit à proprietate seu dominio separatus: quod dicit esse probatum in cōstitutione. *Ad conditorem*, in qua ad hoc probandum, talem innuit rationem: Actus consumendi non separatur ab illo, ꝙ per ipsum actum consumitur: sed dominium rerum vsu consumptibilium consumitur per actum consumendi: ergo actus consumendi à dominio minime separatur.

Sed isti impugnatores circa prædicta tria facere moliuntur. Primo enim declarare conantur, quod ex illis, quæ hic dicit iste impugnatus, apparet quod illa, q̄ dixit superius de *vsu* & *vti*, impertinentia ad propositum sunt. Secundo ostendunt ipsum errare, cum dicit, quod actus consumendi in rebus vsu consumptibilibus, non potest dici simplex, nec à ꝓprietate seu dominio separatus. Tertio ꝙ ratio, per q̄ prædictam assertionem probare conatur, multipliciter deficiat, nituntur ostendere. Quod igitur illa, q̄ superius iste impugnatus dixit de *vti* & *vsui* impertinentia ad ꝓpositum sunt censenda, ostendunt. Nam principalis intentio appellātis est ostendere, quod actus comedendi, bibendi, induendi, & huiusmodi circa res consumptibiles vsu, siue vocentur actus vtendi, siue actus consumendi, siue actus abutendi, siue aliter quomodocunq; possūt à proprietate & dominio separari, & ꝙ fratres Minores habent huiusmodi actus, qualitercunq; vocentur absq; dominio seu proprietate rerum circa res tales actus exercent. tota igitur præcedens disputatio de *vsu* & *vti*, an possint in rebus vsu consumptibilibus reperiri, fuit impertinens. nec iste impugnatus per ipsam intentionem appellantis euacuauit, sed ex ipsa in plures errores & abusiuos modos loquendi incidit manifeste (vt dicunt) quia cum hic dicat, quod actus consumendi nō potest à proprietate seu dominio separari: ad oēs rationes & exempla, quibus ꝓbat appellās, quod actus comedendi, bibendi, induendi & huiusmodi possunt à proprietate & dominio separari, sibi restat respondere. Secundo isti impugnatores ostendunt istum errare, cum dicit, quod actus cōsumendi in rebus vsu consumptibilibus non potest à proprietate & dominio separari.

Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendū, quod actus consumendi quidam est illicitus & iniustus, & quidā est licitus, & quidam neq; est iustus neq; iniustus: & de quolibet istorum ostendunt, quod potest à proprietate & dominio separari. De iniusto quidem patet aperte. Nam si fur furatur panem & vinum, & consumit ea: talis habet actum consumendi iniustum absq; dominio & proprietate: quia per hoc quod consumit panem & vinum, non acquirit dominiū panis & vini. Similiter si creditor vestem impignoratā consumit, actus ille consumendi vestem est à ꝓprietate & dominio separatus, & ita actus consumendi iniustus potest à proprietate & dominio separari. De secundo etiam ostendunt, scil. quod actus licitus cōsumendi potest à proprietate & dominio separari. Hoc patet per exempla inducta superius *capitul.* 4. de apostolis & habente vsum fundi, de comedentibus vuas & grana spicarū in agris & vineis alienis, tempore veteris legis: & de hospitibus, & de seruis, & filiofamilias, & de sacerdotib. celebrantibus & consumentibus species sacramenti altaris: qui oēs habent licitum actum consumendi res consumptibiles vsu, quarum tamen non habent dominiū & ꝓprietatem. Tertio ostendunt idē de actu consumendi, q neq; est iustus neq; iniustus. Nā bruta animalia habent actus cōsumendi res vsu consumptibiles, quarum tñ non habent dominiū & proprietatē. Similiter si etiam alienati à sensu consumant res alienas, ipsi habent actū consumendi neque iustum neque iniustum: quia tales actus non imputatur eis neque ad laudem, neq; ad vituperium; & tamen per talē actum consumendi, ꝓprietatem seu dominium non acquirunt. Verumetiam ante vsum rationis sæpe habent actum consumendi absque dominio seu proprietatē. Tertio principaliter nituntur ostendere, quod ratio, per quam probat, quod actus consumēdi à proprietate seu dominio minime separatur, multipliciter deficit; imo erronea est censenda. Ad cuius euidentiam dicūt esse sciendum, ꝙ aliquid consumi per aliquē actū potest multipliciter intelligi. Vno modo, ꝙ aliqua res absoluta p actū aliquē desinat esse sicut p digestionem cibi, & potus. cibus enim & potus vere desinunt; & per actionē ignis in res quas cōburit, illæ res desinunt esse. Alio modo dicitur aliquid consumi p aliquē actum, qñ per aliquē actū aliqua res absoluta desinit habere respectum vel appellationem aliquam respectiuam. Sic dicitur pecunia consumi

consumi quãdo expenditur: quia definit esse illius, cuius prius fuit: & tñ nulla res ibi [illegible] finit esse, nec corrumpitur. Tertio dicitur aliquid consumi per aliquem actum, quando [illegible] spectus vel appellatio respectiua desinit inhærere alicui vel verificari de aliquo. Et isto [illegible] tur dominium alicuius consumi: imo sic dominium Dei respectu alicuius rei potest consumi [illegible] sc. Deus desinit esse Dominus illius rei, per hoc ꝙ ipsa res consumitur: licet ipse Deus [illegible] esse. Sed iste modus quantum ad rem non multum differt à secundo & primo: quia [illegible] potest reperiri sine secundo & primo simul. Dicunt etiam ꝙ forte sunt alii modi, quibus potest [illegible] aliqđ consumi p aliquem actum: sed isti eis sufficiunt. Secundo dicunt esse notandum, ꝙ aliquid [illegible] dici [illegible] esse separatum ab alio: quia alteri non vnitur, siue aliud sit in rerũ natura, siue non. Sic dicuntur [illegible] liquæ substantiæ separatæ à materia: quia nõ vniuntur materiæ: & non minus separatæ [illegible] à materia, si nulla materia esset in rerum natura. sic etiam anima post mortem dicitur separata [illegible] corpore: quia non vnitur corpori vt forma: & non minus dicitur separata à corpore, post comp[illegible] incinerationem, & destructionem corporis quam ante. Ex his arguunt contra prædictam [illegible] onem istius: & primo contra minorem, quam ponit explicite, cum asserit, ꝙ ipsa rei cõsumptio[illegible] rei dominium perit: & p consequens consumitur. quia aut intendit, quod dominiũ consume[illegible] ipsa consumptione, aut intendit quod dominiũ alicuius alterius perit ipsa consumptio[illegible] dicat primum, accipit quod debeat probare. Deberet enim [illegible], quod semper consumens [illegible] bet aliquod dominium rei, quam consumit: quod non probat, sed accipit sine probatione. [illegible] dicunt isti, quod sæpe per actũ consumendi nullum dominiũ consumentis perit, nec consumitur. Quando enim fur furatur panem & vinum, & consumit ipsa, nullum dominiũ furis perit, vel consumitur per actum consumendi illius. Ita est de seruis consumentibus res dominorum suorum, & de Fratribus Minoribus, qui consumendo res eis concessas, nullum dominium ipsorum Fratrum perit vel consumitur; quia in illis rebus nullum dominiũ habent. Si autem intendit, ꝙ per actum cõsumendi perit & consumitur dominium alicuius alterius, q̃ non est cõsumens; nihil potest ex ipso concludere; quia tunc maior esset falsa, virtute cuius deberet arguere. s. quod actus consumendi non separatur ab illo, quod per actum consumitur; quia accipiendo *consumi* per aliquem actum tertio modo, sic per actum consumendi consumitur vel perit. Accipiendo *perire* pro consumi, dominium actuale Dei perit in re illa, q̃ consumitur; hoc est per actum consumendi Deus [illegible] actualiter Dominus rei consumptæ secundum Augustinum, & tñ actus consumendi est separatus à dominio Dei; sicut per actum consumendi seruorum consumitur dominium dominorum, & tñ actus consumendi seruorum est separatus à dominio dominorum; similiter p actum consumendi subditorũ consumitur dominium generale & mediatum, quod habent reges & principes [illegible] rebus consumptis per actus subditorum; & tñ actus consumendi in subditis est separatus à dominio [illegible] gum & principum. Patet ergo per hoc, quod dominium alterius consumentis perit vel consumitur per actum [illegible] sumendi, non potest ꝓbari quod actus consumentis non est à ꝓprietate [illegible] dominio separatus. Nec valet dicere, quod ideo actus consumendi non est separatus à ꝓprietate seu dominio, q̃a dominium rei consumptæ non est, & nihil separatur ab eo quod non est. [illegible] non valet tum quia dum durat actus consumendi, durat dominium; & ideo licet actus [illegible] di non sit separatus à dominio post consumptionem, est tñ separatus à dominio ante [illegible] sumptionis, quamdiu durat actus consumendi; tum quia licet dominium non esset, adhuc [illegible] actus separatus à dominio; sicut anima dicitur separata à corpore, postq̃ corpus desinit esse, quia non est vnita corpori; ita ille actus diceretur separatus à dominio, quia nõ est vnitus dominio. Sed adhuc forte dicet, sicut innuit; quod ideo actus consumendi non est à rei dominio separatus, quia substantia rei perit per actũ consumendi. Sed dicunt isti, quod hoc non valet; quia per hoc quod substantia perit per actum consumendi, & substantia rei non est in alio, quam sit actus cõsumendi, bene põt ꝓbari quod actus cõsumendi non est separatus à substantia rei; sed ex hoc non sequitur, quod non sit separatus à dominio, qñ nullũ dominiũ rei est in consumente, & aliquod dominium est extra consumentẽ. Porro quia vt isti dicunt, vltima euasio istius est, quod actus consumendi n[illegible] est nec esse potest in rerũ natura. & illud quod non est, non est separatũ ab aliquo, ex quo sequitur quod actus consumendi non est separatus à dominio rei: ideo ipsi ostendunt, quod actus consumendi est in rerum natura; & per consequens si non est cum dominio rei, est separatus à dominio rei. Quod a. actus consumendi sit in rerum natura, ostendunt ad p̃sens per dicta istius. Primo quia illud, quod nõ est in rerũ natura, non habet locũ in rebus vsu consumptibilibus; quia illud, [illegible] non est, nullibi habet locũ. sed secundum istũ actus consumendi habet locũ in rebus consumptibilibus vsu. ergo actus cõsumendi est in rerum natura. Item illud, per quod vera substantia perit vel consumitur, est vel fuit in rerum natura. sed secundum istum, per actum [illegible] sumendi substantia rei desinit esse, & perit seu consumitur. ergo est vel fuit in rerum natura [illegible] actus consumendi est in rerum natura, vel est coniunctus cum dominio, vel separatus à dominio; sed sæpe non est coniunctus dominio; ergo sæpe est à dominio separatus. Consumptio tñ & actus consumendi locum habet. ergo actus consumendi est in rerum natura. ¶ Istis sic visis paucis verbis textum explicemus. [*Quæ tamen non possunt dici simplicia*] hoc, vt dicunt isti, sine ratione asseritur; quia secundum Nicolaum tertium aliquis est simplex vsus facti. ergo & aliquis est simplex actus consumendi; cum actum consumendi vocet Nicolaus vsum facti, sicut ostensum est prius; quia omnis actus cõsumendi est vsus facti, sed nõ econuerso. & nõ est maior ratio, quod aliquis vsus facti possit

dici

facti simplex, q actus consumendi. Vnde iste impugnatus deberet exprimere, quis vsus est simplex vsus facti. sed hoc (vt isti dicunt) non facit: quia hoc faciendo esset sibiipsi contrarius. [*Nec à rei quæ consumitur dominio separata*] hoc improbatum est prius [*cum ipsa rei consumptione eius dominium pereat*] si loquitur de dominio consumptibilis, dicunt isti, quod sæpe est falsum. Si loquitur de dominio alterius, non est ad ppositum [*si in rebus vsu consumptibilibus &c.*] hoc negant [*cum per talem vsum .i.e. vtendi actum &c.*] Ex hoc sequitur, q actus vtendi est in rerũ natura: quia per illud, q nihil est, nihil perit [*res consumatur huiusmodi.*] Ex hoc & alio vero .sc. quod res non distat ab actu, potest inferri, q actus non est separatus à substantia rei: sed ex hoc non sequitur, q non est separatus à dominio rei. [*Ex quo patet, quod vsus talis &c.*] dicunt quod hoc nullo modo patet [*cum per talẽ facti vsum proprietas & dominiũ ipsius rei perire noscatur.*] Si loquitur de dominio consumentis, falsum est, propter falsam implicationem: quia implicat consumentem habere dominium rei, quod sæpe est falsum. Si loquitur de dominio alterius, patet quod nihil concludit.

Cap. XLII.

Dicimus ergo, quod decretalis Ad conditorem canonum *de vsu & vti loquitur, sicut decretalis* Exiit *loquebatur: quæ de ipsis loquitur secundum quod leges loquuntur, secundum quas impossibile est loquendo de illis proprie, sicut dicta decretalis* Ad conditorem *loquitur, & dicit expresse in* §. *Rursus nec simplex vsus facti, ibi, cum dicit. Cum enim vti re aliqua nihil sit aliud proprie &c. Locum habeant in rebus consumptibilibus vsu: sed in ipsis consumptio & consumendi actus locum habent, vt probatur* ff. de vsufructu earum rerum quæ vsu consumuntur. l. hoc senatus. §. 1. & §. 2. ff. de iureiurando. l. sed & si possessori §. sed si rerum.

Hic epilogat vel explicat quædam dicta prius, dicens quod constitutio *Ad conditorem* loquitur, sicut decretalis *Exiit*: & ita loquitur sicut leges loquuntur, secundum quas *vsus & vti* proprie sumendo non habẽt locum in rebus consumptibilibus vsu, sed consumptio & actus consumẽdi.

Sed isti impugnatores dicunt, ipsum falsum asserere cum dicit quod secundum leges *vsus & vti* proprie sumendo non habent locum in rebus vsu consumptibilibus: quod ad præsens per vnicam legem sæpe allegatam ostendunt. Dicit enim lex, q *qui fundi vsum nudum habet, nihil vlterius habere intelligitur quã vt oleribus, pomis, floribus, fœno, stramentis, lignis ad vsum quotidianum vtatur.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod oleribus, pomis, floribus & huiusmodi, quæ sunt res vsu cõsumptibiles, secundũ leges contingit vti: & quod in illis *vsus & vti* pprie locum habent: cum dicit, *ad vsum quotidianum vtatur.* l. oleribus, pomis &c. Nec lex loquitur ibi improprie, cum ibi vtatur *vsu & vti* in significatione communi, & quam primo habebant hæc vocabula, & in quo vsitantur in omni facultate, quæ vtitur istis vocabulis.

Istis sic visis paucis verbis textum explicemus. [*Loquendo de illis proprie*] etiam proprie loquendo *vsus & vti* habent locum in rebus consumptibilibus vsu.

Cap. XLIII.

Licet autem, vt predictum est, in rebus vsu consumptibilib. vsus *proprie loquendo locum non habeat: tamen frequenter dicitur, quod quis in illis vsum habeat vel eis vtatur: sed quotiens hoc contingit,* vsus vel vti *pro rei cõsumptione debent sumi. Sic dicimus, quod quotiens sacra scriptura vsum in talibus rebus vsu consumptibilib. attribuit, pro rei consumptione ipsum sumit. vt patet in illa auctoritate;* Vtere modico vino. *Sumitur enim* vti *pro consumere, id est pro bibere. Constat enim vinum bibendo consumi: & per hoc patet responsio ad alias auctoritates inductas. Hoc saluo, quod illa Numeri 18. capitulo, vbi dicitur.* Vniuersa frugum initia quæ domino deportantur, cedent in vsus tuos, *falso modo inducitur, vt superius est ostensum.*

Hic ad auctoritates inductas supra *capitul.* 36. expressius, quam ante, respondet dicens, quod omnes illæ auctoritates accipiunt *vsum & vti* pro rei consumptione: & ita improprie.

Sed dicunt isti impugnatores, quod hic modos loquendi destruit approbatos, quos negando nititur seminare. Nunquam enim aliquis ante istum ausus fuit dicere, quod scriptura sacra asserens vsum in rebus vsu consumptibilibus reperiri, & quod huiusmodi rebus contingit vti, loqueretur improprie. Eadem enim facilitate, qua iste dicit, quod scriptura sacra loquitur improprie de vsu, & quod hoc nomen *vsus* habet aliam significationem secundum leges, quam sit illa secundum quam accipitur in scriptura diuina: posset dici, quod scriptura sacra loquitur semper improprie, quandocunq; vtitur aliquo vocabulo, quod in aliqua alia facultate inuenitur aliam significationem habere: & ita scriptura diuina loqueretur improprie dicens, quod *Deus creauit cœlum & terram*: quia ibi aliter accipitur verbum *creandi*, quam in iure canonico, vbi capitur scilicet pro promouere ad aliquam dignitatem: sicut dicitur, papa creare cardinales. Loqueretur etiam scriptura improprie dicens: *In principio erat verbum*, quia *principium* sæpe accipitur pro principio magnitudinis, secundum quam significationem non habet veritatem dictum Euangelistæ. Manifeste igitur decorat scripturæ diuinæ, qui dicit, quod scriptura diuina loquens de vsu rerum consumptibilium, loquitur improprie, quia quandoque leges aliter accipiunt *vsum*: cum citius deberet dici è conuerso, quod leges loquuntur improprie, vbi accipiunt *vsum* in alia significatione, quam accipiatur in scriptura diuina.

Nam sępe qñ vocabulũ transfertur, sicut *homo*, primo significat animal rationale, de qua significatione trãsfertur ad significandũ hominẽ pictũ: & ista significatio, qua significat hominẽ pictũ, dicitur significatio hominis im ppria. Prima a. significatio hominis dicitur ppria: & ita est de aliis.

Sed

Sed hoc vocabulum *vsus* non transferebatur de significatione, secundum quam accipiunt leges, vbi loquuntur de vsu iuris, aliter quam loquatur scriptura diuina ad significationem illam secundum quam accipitur in scriptura sacra. Nequaquam enim scriptura sacra accepit vocabula quæcunque à legibus: sed forte econuerso conditores legum hoc vocabulum *vsus* à significatione prima, quæ est eadem in scriptura sacra, & in medicina, scientia morali, ac vulgari modo loquendi, in quibus conditores legum periti fuerunt, saltem in morali scientia & vulgari modo loquendi, transferendo propter aliquam similitudinem, vel aliquam aliam causam ad quandam aliam significationem, secundum quam accipitur in legibus, & non in scriptura sacra. ergo significatio secundum quam accipitur hoc vocabulum *vsus* in legibus & non alibi, ante deberet dici impropria, quam significatio secundum quam accipitur in scriptura sacra, & ita ante deberet dici, quod leges loquũtur improprie, cum in significatione secunda vtuntur vocabulo *vsus*, quam scriptura sacra, quæ vtitur eodem vocabulo *vsus* in significatione, de qua ad aliam vocabulum *vsus* est translatum. Ex eodem patet, quod cũ leges vtuntur vocabulo in significatione *vsus* in vtraq; significatione: sc. secundum quod accipitur in sacra scriptura, & secundũ quod tantũmodo accipitur in legibus: citius deberet dici, quod leges ipsæ loquuntur improprie, q̃n accipiunt *vsum* illo modo, quo nequit in omnib. rebus vsu consumptibilibus reperiri: q̃ quando accipiũt *vsum* pro rei cõsumptione, quia q̃n accipiunt vsum pro rei consumptione, accipiunt vsum, sicut accipiunt vsum, qui loquuntur in scriptura sacra. Est tñ aduertendũ, quod *vsus* in scriptura sacra non solum accipitur pro rei consumptione, sed etiam pro aliis actibus, q̃ non sunt rei consumptiones: quia *vsus* est nomen commune vel vniuocũ vel æquiuocum ad consumptionẽ rei, & ad alios actus, qui non sunt consumptiui. Ex his dicunt isti patere, quod modos loquendi destruit approbatos: quibus destructis manifestos errores. s. quod in rebus vsu consumptibilibus non contingit vti, quod nullus potest habere vsum facti rerũ vsu consumptibiliũ à dominio separatũ, & alios multos conatur inducere. Quare dicunt, quod ẽt si sensum verum haberet, sicut non habet, secundum quod alibi est monstratũ, doctrina sua tanquã scripturæ sacræ non cõgruens, sed aduersans, esset minime sustinenda.

[*Quotiens hoc contingit vsus vel vti pro rei consumptione deberet sumi.*] Dicunt isti, quod *consumptio* dupliciter accipi potest: vno modo pro consumpto esse, alio modo pro motu seu alteratione præcedente consumptum esse. Si accipiatur primo modo hic consumptio, dicunt istum errare cum dicit, quod *quotiens hoc contingit* &c. quia sic scriptura sacra vtitur *vsu & vti* aliter, quãpro tali significatione i.e. pro consumpto esse, sicut patet Exod. 18. ibi: *Vtetur eis.* (sc. fœminalibus) *Aaron & filii eius.* & 29. ibi, *Vestem autem sanctã, qua vtetur Aaron, habebunt filii eius post eum.* Et 39. ibi; *Vestes quoque, quib. sacerdotes vtuntur* &c. Et Deut. 22. ibi; *Nec vir vtetur veste fœminea.* secundo Reg. 13. ibi; *Huiusmodi enim filiæ regis virgines vestibus vtebantur*, & in multis aliis locis. Accipiendo autẽ consumptionem pro motu vel alteratione p̃cedente, adhuc non est verum, accipiendo *consumi* in prima significatione, de qua dictum est *supra c. 37.* quia sæpe dicitur, quod vtitur quis pecunia, q̃ tñ illo modo nequaquã consumitur. [*quotiens sacra scriptura vsum in talibus rebus vsu consumptibilibus attribuit pro rei consumptione ipsum sumit.*] falsum est accipiendo *consumptionem* primo modo, sicut patet per auctoritates prius inductas: & forte secundo modo etiam accipiendo est falsum. Sed de hoc est ad præsens minime disserendum. [*Vt patet in illa auctoritate. vtere modico vino: sumitur enim vtere pro consume.*] scilicet secundo modo accipiendo consumere. [*Constat enim vinum bibendo consumi*] secundo modo accipiendo consumi [*falso modo inducitur.*] Dicunt q̃ recte inducitur: quia per eam probatur aperte, q̃ cõtingit carnium vsum habere, quæ inter res vsu consumptibiles computantur.

Cap. XLIV.

Adhuc iste hæreticus dicit, quod dicere quod sint aliquæ res vsu consumptibiles, & tamen non contingit illis vti, contradictionem implicat manifestam.

Hic respondet ad aliam obiectionem, quam tangit appellans. & primo ponit eam: secundo respondet in parte sequenti. Obiectio autem de se patet.

Ad cuius euidentiam dicunt isti impugnatores, quod quãdo quis absolute sine omni distinctione negat aliquam propositionem multiplicem habentẽ diuersos sensus, intelligitur negare omnẽ sensum eiusdem, nisi cõsuetum sit talem propositionem accipi in vno sensu & non in alio. Tunc enim propter consuetudinem accipiendi propositionem multiplicem in vno sensu & non in alio, intelligitur sæpe negare sensum consuetum, & non alium. Sed ista propositio *non contingit vti rebus vsu consumptibilibus*: vel habet vnum sensum tantũ, vel si habet plures, ille sensus in quo accipitur vti illo modo quo accipitur in scriptura sacra est magis consuetus, vel non minus vsitatus quam alius. ergo qui negat istam propositionem absolute sine distinctione intelligitur omnem sensum, vel saltẽ communem sensum negare. sed iste impugnatus propositionem illam: *contingit vti rebus consumptibilibus vsu*: absolute sine omni distinctione sæpe negauit. ergo potuit merito appellans sibi imponere, quod ipsam negauit vniuersaliter: & sic accepto vsu, sicut in sacra scriptura accipitur, quia sic accipitur magis communiter. sed sic contradictionem implicat manifestam dicere, quod sint aliquæ res vsu consumptibiles, & tñ non contingit illis vti: quia nullæ res dicuntur vsu consumptibiles, nisi quia contingit illis vti. ergo si sunt res vsu consumptibiles, & non contingit illis vti, contingit illis vti, & non contingit illis vti. [*Contradictionem implicat*] hoc est verum accipiendo *vsum & vti*, vt accipiuntur in theologia, qui est consuetus modus accipiendi prædicta vocabula.

CAP. XLV.

P*Rofecto per hoc, vt ignarus & insciu, legislatorem arguit, qui rubricam posuit* de vsufructu earum rerum quæ vsu consumuntur. *Vnde constitutio loquitur secundum quod legislator & leges plerunq; loquuntur, sumendo vsum pro abusu. i. e. pro consumptione rei: quia nec alius vsus, nisi videl. consumptio in rebus vsu consumptibilibus esse potest. & ideo dicit lex.* ff. de iureiurd. etiam possessionis. §. sed si rerum: Sed si rerum, in quibus vsufructus constitui non potest, propter abusum. *i. e. propter rei consumptionem &c. & glossa super rubr.* ff. de vsufructu earum rerum, quæ vsu consumuntur, *super illo verbo* vsu, *qua dicit.* i. e. quasi vsu. *Expresse ibi innuit, quod vsus ibi ponitur improprie.*

Hic respondet ad obiectionem, dicens: quod ex ipsa sequitur, quod legislator male posuit rubricam *de vsufructu* &c.

Sed dicunt isti impugnatores, quod ipse non euadit, quin ex verbis suis, quæ asserit in constitutione *Ad conditorem*, negando simpliciter posse aliquem vti rebus consumptibilib. vsu: sequitur quod contradictionem includit aliquas res esse vsu consumptibiles: & tamen non contingit illis vti. quia tamen quantum ad hanc materiam magis est disputatio ad nomen, quam ad rem, ipsam aliis derelinquunt.

[*Vt ignarus & inscius.*] Ista sunt vocabula contumeliosa, quæ, vt dicunt isti, à veritatis amatoribus sunt vitanda. [*Legislatorem arguit*] dicunt, quod non arguit legislatorem: quia non imponit legislatori, quod dixerit aliquas res esse vsu consumptibiles: & tñ non contingit illis vti, quia nec inuenitur quod legislator dixerit, ꝙ nemo potest vti rebus consumptibilibus vsu. [*Rubricam posuit de vsufructu* &c.] Dicunt isti, ꝙ sæpe ponitur ab auctorib. rubrica de his quæ contradictionẽ includunt. Exempla multa sunt ad hoc. Ponitur n. rubrica *de vacuo* in philosophia, & tñ vacuum esse secundũ philosophiam contradictionem includit. Ponitur etiam rubrica *de infinito* etiam secundum magnitudinem & tamen secundum philosophiam aliquid esse infinitam magnitudine molis contradictionem includit. Alia multa exempla possent adduci: sed ista sufficiant. Ratio autem, quare ponuntur tales rubricæ, quia rubricæ sæpe ponuntur, nõ vt illa ostendantur esse, q̃ importantur per rubricas, sed vt ostendantur non esse: & ꝙ non sunt monstretur. & ideo esto, ꝙ illa rubrica includeret contradictionẽ *de vsufructu earum rerum quæ vsu consumuntur*: ex hoc legislator argui nequaquã posset, nisi postea legislator in tractatu assereret hoc esse possibile. [*sumendo vsum pro abusu. i. e. pro consumptione rei*] leges sumunt *vsum*, etiam pro cõsumptione rei & aliter. [*Nec alius vsus nisi videl. consumptio in rebus vsu consumptibilib. esse potest.*] Hoc dicunt esse erroneũ: tum quia contingit vti rebus vsu consumptibilibus illo vsu, q distinguitur contra fruitionẽ, de quo loquitur August. dicens, ꝙ *vti est sumere aliquid in facultatẽ voluntatis*, & tamen ille vsus non est consumptio: tum quia ligna sunt res vsu consumptibiles: quia cõbustione consumuntur, & tñ alius vsus quá consumptio in ipsis poterit reperiri: tum quia contingit vti pecunia ad pompá, & tñ ille vsus non est consumptio: imo nulla est res, qua non cõtingat, vti absq; consumptione. [*Vsufructus constitui nõ potest.*] Differentia est inter *vsum* & inter *vsufructum*, sicut patet ex his q̃ dicta sunt *secundo capit.* Et ideo licet vsufructus non posset constitui in rebus vsu consumptibilibus: ex hoc nõ sequitur, quod vsus non potest haberi de eis: & maxime accipiendo *vsum*, sicut in theologia accipitur. [*quasi vsu, expresse ibi innuit ꝙ vsus ponitur ibi improprie.*] Dicunt ꝙ *quasi* non est semp nota improprietatis. Nam dicit apostolus: *quasi tristes, semper autẽ gaudentes*: & tñ *tristes*, non accipitur ibi improprie: quia vere & proprie opus fideles in hac misera vita esse tristes, quamuis de multis etiam gaudere conueniat. & ideo ex hoc, quod dicitur *quasi vsu*, non potest argui, quod *vsus* ibi accipiatur improprie.

CAP. XLVI.

A*Dhuc dicit hæreticus, quod cum secundum Aug. lib. 1. de doctrina Christiana: abusus sit illicitus vsus, ex prædictis sequi videtur, quod Christus & apostoli & alii sancti viri, quotiens actus comedendi, bibendi & induendi exercuerunt, totiens rebus huiusmodi sunt abusi: quod sentire vel dicere impium est & blasphemum.*

Hic respondet ad aliam obiectionem appellantis, quam primo recitat: secundo soluit in parte sequenti. Obiectio est satis patens, licet sit recitata truncate.

[*Abusus sit illicitus vsus*] hoc est verum de abusu, quo creaturæ rationales abutuntur rebus, secundum quod theologia loquitur de abusu. [*Sunt abusi quod sentire* &c.] hoc est verũ accipiendo *abuti*, sed quod in scriptura sacra accipitur *abuti* respectu rerum consumptibilium vsu.

CAP. XLVII.

A*D quod dicimus, quod Christus & apostoli & alii sancti viri panẽ comedendo & vinũ bibendo abusi sunt rebus illis, sicut abusus in constitutione prædicta sumitur: in qua pro rei consumptione accipitur, sicut ex eius serie manifeste patet.*

Hic ad pdictam obiectioné respondet cõcedendo conclusioné illatá. Sed dicunt isti impugnatores, quod quia iste impugnatus facit hic difficultatem de significatione eius termini *abuti*, & voces sunt significatiuæ ad placitũ; ideo nolunt hic multũ insistere. Dicunt tñ, ꝙ appellans, quia Doctor sacræ theologiæ vsus est termino *abutendi*, secundũ ꝙ in scriptura sacra, qñ de rebus consumptibilib. vsu fit mentio, accipitur; & secundũ quod in aliis sciẽtiis & originalib. sanctorũ ac in vulgari & in cõmuni modo loqndi accipitur; & ideo loqndo secundũ ꝙ catholici fideles loquuntur communiter; nõ immerito habuit ꝓ impio & blasphemo dicere, quod Christus & apostoli ac alii sancti viri comedẽdo, bibẽdo & induẽdo abutuntur rebus maxime cũ modũ loqndi August. seruauerit. Vnde si Augustinus dixit, quod *abusus est illicitus vsus*, potuit appellans dicere, quod dicere

Christum & apostolos abusos fuisse rebus est impium & blasphemum. Ad Augustinum autem iste non respondet: & ideo dicunt, quod obiectionem non soluit.

CAP. XLVIII.

Sed contra hoc dicit hæreticus supradictus, quod hoc, videl. quod abuti sumitur pro consumptione rei, non valet: tum quia quod sic debeat accipi, nec ratione nec auctoritate probatur: tum quia abuti re non voce semper in mala significatione sumitur: sicut patet Gen. 34. & Hester. vltimo: & 1. Cor. 9. & aliis pluribus locis.

Hic recitat obiectionem aliam appellantis, quæ patet de se. [*Quod abuti sumitur pro consumptione rei*] appellans intelligit, ꝙ consumptio rei non est vna significatio adæquata huius nominis *abusus*, licet aliquis abusus sit consumptio rei: sicut rationale non est vna significatio adæquata animalis, licet aliquod animal sit rationale: vel sub aliis verbis intelligit, quod abusus & consumptio rei nō sint conuertibilia, licet aliquis abusus sit consumptio rei: quia nec omnis abusus est consumptio rei, nec omnis consumptio rei est abusus [*quod sic debeat accipi*] scil. quod omnis abusus sit consumptio rei. [*Abuti re non voce semper in mala significatione accipitur*] hoc est, *abusus* secundum quod accipitur in scriptura & in philosophia, & in communi modo loquendi, semper significat malum, etiam culpæ vel in abutente, vel in illo quo abutens abutitur, sicut inferius ostendetur.

CAP. XLIX.

Ad hoc dicimus, quod illud, quod dicit, nec ratione nec auctoritate probari, quod verbū abuti pro rei cōsumptione sumatur, euidenter est falsum. ff. de vsufr. earum rerū q̄ vsu consumuntur. l. hoc senatus. §. Si pecuniæ, *dicitur sic*: si pecuniæ sit vsusfructus legatus, vel earum rerum, q̄ in abusu consistunt, nec cautio interueniat, videndū finito vsufructu, an pecunia q̄ data sit vel cæteræ res q̄ in absumptione consistunt, condici possint. *vbi patet, quod legislator in rebus, quæ vsu consumuntur, promiscue vtitur verbis istis, abusu videl. & consumptione & eadem lege. §. vbi dicitur sic*: Quæ in vsufructu pecuniæ diximus vel cæterarum rerum, quæ sunt in abusu, eadem ēt in vsu dicenda sunt. *Item ff. de iureiurando. l. sed & si possessori. §. sed si rerum. dicitur sic*: sed si rerum vsusfructus propter abusum. *i. e. propter rei consumptionem*, constitui non potest *&c. Vbi aperte abusum pro consumptione recipit legislator. Ex quib. patet, quod legislatores loquentes proprie de rebus, quæ vsu consumuntur, negant vsum in illis habere locum, & abusum locum habere concedunt. Qui quidem abusus. i. e. rei consumptio, si fiat ab eo, cuius ius abutendi. i. e. consumendi competit, erit licitus: si vero ab eo, cui ius non competit, illicitus est censendus.*

Hic iste impugnatus ad præmissam obiectionem respondet. & potest diuidi in quatuor partes. Primo enim ostendit, quod *abuti* potest sumi pro rei consumptione per auctoritates. Secundo per rationē in parte sequenti. Tertio ostendit, ꝙ *abusus* potest sumi in bona significatione legib. imperator ibi, *Falsum insuper dicit.* Quarto ostendit idē auctoritate scripturæ diuinæ ibi, *adhuc reperimus.* In hoc ergo textu, primo ostendit ꝙ *abuti* sumatur ꝓ rei consumptione. secundo ibi: *Ex quibus patet* &c. infert ꝙ legislatores negant proprie vsum in rebus consumptibilibus vsu. tertio ibi: *qui quidem abusus*, declarat quis abusus est licitus? quia ille cui competit ius abutendi & quis est illicitus? quia ille qui fit ab eo qui non habet ius abutendi.

Sed isti impugnatores circa hoc tria conantur ostendere. Primū est, ꝙ non respondet ad mentem appellantis. Secundū est ꝙ falsum dicit, cū asserit, ꝙ legislatores loquētes ꝓprie de reb⁹, q̄ vsu consumuntur, negant vsum in illis locū habere. Tertius est quod errat aperte dicēs, quod ille abusus accipiendo *abusum*, vt ille accipit, est illicitus, cui non competit ius abutendi.

Circa primum dicunt, quod nō est intētio appellantis dicere, ꝙ nunq̄ *abusus* accipiatur pro cōsumptione rei quoquomodo. Nā si fur furatur panē & manducat eum, potest dici quod abutitur pane: vel si q̄s aliter vtitur pane, māducando ipsum aliter q̄ cōuenit, potest dici quod abutitur pane, & tn̄ cōsumit panē. sed intentio eius est, quod abusus & cōsumptio rei nō conuertuntur: & ꝙ abusus secundū ꝙ accipitur in scriptura sacra & in philosophia & communi modo loquendi, non plus accipitur ꝓ cōsumptione rei q̄ vsus. sed sicut vsus est, q̄d cōmune ad aliquā consumptionē rei & alios actus vtēdi, ita ēt abusus est q̄d cōmune ad aliquā consumptionē rei & aliquos alios actus. Ex hoc patet, ꝙ leges nō sunt cōtra appellantē: q̄a leges aliter loquūtur, quā philosophia & theologia & vulgaris modus loq̄ndi. Nec plus sunt cōtra appellantē, quā cōtra scripturā diuinā: q̄a appellans vtitur terminis illis in eadē significatione, in qua vtitur scriptura diuina. Ex hoc cōcludūt isti impugnatores. ꝙ iste impugnat⁹ poti⁹ deberet negare modū loq̄ndi scripturę legū, dicendo ꝙ *nō est abutendū rebus cōsumptibilib. vsu*, q̄ modū loquēdi scripturę diuinę. dicēdo, ꝙ *nō conuenit vti rebus cōsumptibilib. vsu* q̄a q̄ vtitur duab. sciētiis. s. supiori & inferiori: & vult reputari peritus in eis: citius debet negare modū loquēdi sciētię inferioris, q̄ sciētię supioris. sed iste impugnat⁹ vtitur theologia & sciētiis legalibus, & peritus vult reputari in eis. imo, vt dicūt isti q̄uis nunquā theologiā didicerit, vult esse Doctor Doctorū theologiæ, & oēs q̄stiones theologiæ intricatissimas subito diffinire. Constat autē, ꝙ theologia est supior omni legali sciētia. ergo citius deberet negare modū loquēdi legalis sciētię, dicendo ꝙ *non est abutendū rebus consumptibilib. vsu*; quā modū loq̄ndi theologiæ, dicēdo ꝙ *non cōtingit vti rebus cōsumptibilib. vsu*; cū theologia in plerisq; locis absolute affirmet, quod rebus talib. contingit vti. Secundo dicūt, quod falsum dicit, afferēs quod legislatores loq̄ntes ꝓprie de rebus, q̄ vsu cōsumūtur, negant *vsum* in omni significatione sua ꝓpria in illis locum habere. Dicunt enim quod legislatores loquentes proprie de rebus consumptibilibus vsu, asserunt *vsum* in aliqua significatione propria in illis locum habere, sicut ostensum est supra *cap.* 42. Sciendum est igitur secundū istos, quod leges proprie loquēdo concedūt vsum in rebus cōsumptibilib.

vsu,

vsu:quia concedunt in eis proprie loquendo vsum facti, nec vnq̃ dicunt tales locutiones esse improprias:Iste vtitur cibo,& potu:iste vtitur veste: ille vtitur pecunia, tñ proprie loquendo negant vsum iuris in eis. Vnde secundũ leges *vsus iuris* dupliciter accipi potest, sc. proprie & improprie. si proprie accipiatur:non est ponendus in rebus consumptibilibus vsu. Improprie vero sumptus potest concedi in eis. Dicunt igitur isti, ꝙ quia iste impugnatus nescit distinguere inter magis cõmmune & minus commune:& ignorat quod aliqñ nomen minus commune improprie dicitur de aliquo, de quo tamẽ magis commune ꝓprie dicitur:sicut homo pictus improprie dicitur,& tamẽ proprie vocatur corpus. ideo putat, quod illud, ꝙ leges dicunt de vsu iuris. sc. quod improprie, nõ proprie in rebus vsu consumptibilibus inuenitur, dicitur de *vsu*, quod est nomen magis cõmune, quam sit *vsus iuris*. s. quod vsus non inueniatur ꝓprie dici de rebus consumptibilibus vsu. Veruntamen propter illos, qui in fundamentis communib. omnium scientiarum sunt minus instructi, dicunt esse sciendum:ꝙ sicut vocabulũ æquiuocũ potest de eodẽ affirmari & negari propter multitudinem significationum:ita idem vocabulũ æquiuocum potest de eodem dici proprie & improprie ꝓpter diuersitatem significationum, ex quibus oriũtur diuersi sensus propositionum. sed tamen tunc non debet negari illud vocabulum æquiuocum dici proprie. sed est concedendum, ꝙ dicitur proprie & improprie. Sic dicunt esse de legibus: quod quamuis inuenirẽtur asserere, quod *vsus* improprie reperitur in rebus vsu consumptibilibus vsu, quia tunc accipere nt *vsum* pro vsu iuris:tamen non negant *vsum* dici proprie de rebus consumptibilibus vsu, quia constat secundum leges quod *vsu* proprie sumptus inueniatur in rebus consumptibilibus vsu.

Tertio dicunt istum errare, cum dicit quod ille abusus est illicitus, cui non cõpetit ius vtendi, accipiendo *abusum*, sicut accipit iste. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod iste accipit hic *ius abutendi* non pro iure naturali:quia illud competit omnibus & essent tunc falsum, quod dicit, quod si fiat ab eo cui competit ius abutendi, actus est licitus:quia ius naturæ cõpetit omnib. non tamẽ omnes qui abutuntur secundũ modum istius loquendi licite abutuntur. fures enim sæpe abutuntur rebus illicite, & tñ omne ius naturale cõpetit:licet tale ius naturale non semper faciat actum abutendi esse licitum. Accipit ergo *ius abutendi* pro iure positiuo: quia omne ius vel est ius naturæ vel ius positiuum. sed accipiendo *ius abutendi* pro iure positiuo dicunt, quod erroneum est, quod actus, qui fit ab eo cui non competit ius est illicitus: quia ex hoc sequeretur, quod omnes Fratres Minores vtendo vel abutendo rebus haberent actus illicitos, cum non habeant in rebus ius positiuũ, quod sufficiat ad licitũ actum vtendi vel abutendi:& ita status fratrum Minorum esset status illicitus & errasset vniuersalis ecclesia statũ huiusmodi approbando seu acceptãdo Beatus etiã Franciscus & alii sancti eiusdẽ Ordinis decessissent in peccato mortali. Ex pdicta etiam assertione seqretur, quod qcunq; facit aliquid de gratia non de iure, haberet actũ illicitum. & ita q̃ de gratia aliquorũ electorũ interesset electioni alicuius plati, non de iure, peccaret: quod est falsum manifeste. quod hoc sequatur patet:qa qua ratione posset aliquis interesse electioni alicuius prælati de gratia nõ de iure:eadẽ ratione posset quis vti veste alterius de gratia non de iure.

[*Quia verbum abuti pro rei consumptione sumatur*] scil. sicut conuertibile cum ipso: & hoc secundum quod accipitur in theologia & philosophia ac cõmuni & vulgari modo loqndi [*si pecunia sit vsusfruct. legatus.*] Ex hoc patet, quod non solũ vsus, sed et vsusfructus in rebus vsu consumptibilib. reperitur:tñ potest dici, quod vsusfructus improprie sumptus, & nõ proprie in rebus vsu consumptibilibus reperitur. *Vsus* vero ꝓpter diuersas significationes, quas non oẽs habet vsusfructus tam ꝓprie sumptus q̃ improprie sumptus, potest in rebus vsu consumptibilib. reperiri: quia vna significatio ꝓpria huius nominis *vsus*, q̃ est cõmunis ad actus circa res temporales exercitos:proprie habet locũ in rebus vsu cõsumptibilibus. Aliã vero habet significationẽ impropriã, q̃ est significatio impropria vsus iuris:& secundũ illam et in rebus vsu consumptibilib. reperitur. tales autẽ duas significationes non habet vsusfructus. & ideo licet vsusfructus ꝓprie sumptus non reperiatur in rebus consumptibilib. vsu:vsus tñ ꝓprie sumpt⁹ poterit repiri; quia vsus habet plures significationes ꝓprias, sicut innuunt isti *c.2.*& secundũ vnã reperitur in rebus consumptibilib. vsu, secundũ vero aliã non reperitur in eis. [*In abusu consistunt*] sic nõ accipitur *abusus* in theologia, nec in ꝓphetia, nec in vulgari modo loqndi [*permiscue vtitur*] si intelligat, quod vtitur eis legislator, sicut cõuertibilibus, negandũ est; quia nõ omnis cõsumptio rei est abusus; si intelligat quod sic vtitur eis, quod vnum potest verificari de alio, saltẽ particulariter cõcedunt: qa aliqs abusus est consumptio rei; & aliqua cõsumptio rei est abusus. Esto etiã, quod legislator humanus vteretur eis, sic quod secundũ eum omnis abusus esset cõsumptio rei, tamẽ non sic vtitur legislator diuinus, cuius modũ loqndi imitatur appellans, & consimiliter dicunt ad alias auctoritates legũ inductas. [*Ex quibus patet* &c.] Dicunt quod male infert; quia non sequitur, legislatores concedunt abusum in rebus consumptibilibus; ergo negant proprie vsum in eis; imo sicut ostendetur in seqũti capitulo per verba istius ex hoc ipso, quod concedunt in eis abusum proprie sicut iste dicit, concedunt in eis proprie vsum. vnde ex forma propositionum ista stant simul, quod sit in eis proprie abusus & proprie vsus; quia abusus sic sumptus & vsus non opponuntur. [*Si vero ab eo, cuius non competit, illicitus est censendus*] dicunt esse falsum; quia potest fieri licite ab eo, qui habet licentiam vtendi, licet ius non habeat.

Cap. L.

Item quod abusus pro consumptione ponatur, congruit rationi, præpositio enim sensum dictionis, cui per compositionem præponitur, augere vel diminuere consueuit. vnde patet, quod rationi congruit, quod per illam præpositionem ab sensus huius dictionis vsus, cui per compositionem præponitur, augeatur.

Hic ostendit per ratioñe, quod *abusus* pro consumptione rei sumitur: quia hæc præpositio *ab* auget sensum dictionis, cui per compositionem præponitur.

Sed isti impugnatores hic faciunt tria. Primo n. concedunt, ꝙ conclusio quam vltimo infert, est vera. Secundo ostendunt quod q̃uis ipsa sit vera, tñ ratio per quã iste ꝓbat eam, non valet. Tertio ostendunt quod ex ipsa sequitur, ꝙ ita proprie debet cõcedere vsum in rebus vsu consumptibilibus, sicut abusum. Dicunt ergo primo, cõcedendo ꝙ hæc ꝓpositio *ab* sensum dictionis vsus auget: q̃a secundũ grammaticos vna significatio huiusmodi verbi *abuti* est valde vti: hæc tñ significatio in theologia non est in vsu: imo videtur omnino recessisse ab vsu. Secundo dicunt, quod licet hęc sit vera: tñ ratio, ꝑ quam probat ipsam, nõ valet. quãuis n. hęc ꝓpositio *ab* aliquãdo augeat sensum dictionis, cui per cõpositionem ꝓponitur: non tñ semp auget sensum huius dictionis vsus: sed est fallacia cõsequentis arguendo à particulari ad singularẽ determinatã. quod autẽ hæc ꝓpositio *ab* non semper augeat sensum dictionis, cui per cõpositionem ꝓponitur, patet ꝑ exempla innumera, sicut de *abducere, ablactare, absistere* & aliis multis. Tertio dicũt, quod ex istis verbis suis sequitur, ꝙ *vsus* ꝓprie inuenitur in rebus consumptibilibus vsu. Nam vbi sensus dictionis per dictionẽ augetur, à dictione cõposita ad simplicem est cõsequentia bona: & vbi proprie habet locum dictio composita, ibi habet proprie locum dictio simplex. Sicut sequitur, ille absorbet; ergo sorbet: & vbi habet locum proprie absorbere, ibi habet locum proprie sorbere: sicut illud quod est proprie album, per augmẽtum est albũ proprie. Si ergo hæc præpositio *ab* auget sensum huius dictionis *vsus*, cum dicitur *abusus*: vbi proprie inuenitur abusus, ibi etiã proprie inuenitur vsus: q̃a si non inueniretur proprie vsus, sensus huius dictionis *vsus* nõ esset auctus, sed magis diminutus vel destructus. Et ex isto sequitur, ꝙ si *abusus* est proprie consumptio rei, quod ẽt vsus est proprie consumptio rei: q̃a omnis abusus est vsus secundum istũ: quia omne quod est aliquale, per augmentum est tale: & quod augetur secundum aliquid, nõ desinit esse quale prius fuit per aduentum illius quod auget ipsum. Auget itaque aliquando & aliquando non.

[*Rationi congruit quod per illam præpositionem ab* &c.] Dicunt, quod non congruit rationi, sed congruit voluntati instituentium. vnde significata vocabulorum non per rationem, sed per vsum loquentium & auctores probari debent.

Cap. LI.

Falsum insuper dicit in eo, quod dicit, quod abusus quotiens re, non voce dicitur, accipitur in mala significatione. In legibus enim imperatorum abusus cum de rebus vsu consumptibilibus vsu agitur, in bona parte communiter sumitur, vt superius est probatum.

Hic concludit, quod *abusus* in legibus imperatorum in bona significatione accipitur.

Sed isti impugnatores dicunt, ꝙ non vadit ad mentẽ appellantis: q̃a appellãs sumit *abusum*, vt sumitur in theologia: & sic accipitur semp in mala significatione, cum de rebus vsu consumptibilibus fit mentio. [*Quotiens re non voce accipitur in mala significatione*] hoc est, vt in theologia & philosophia naturali accipitur: vel in mala significatione, quia significat malum culpæ abutentis, vt illo modo, quo quis abutitur in theologia.

Cap. LII.

Adhuc reperimus, quod in scriptura sacra abusus in bona significatione sumitur. Vnde Hiere. 18. *propheta Deo loquens dicebat sic*: Fiant corruentes in conspectum tuo in tempore furoris tui abutere eis: *vbi* abutere *non pro actu illicito, sed pro licito debet sumi cum in Deo abusus in mala parte sumptus non cadat. tantum autem valet dicere*, abutere eis, *ac si diceret, consume: sicq; patet quod abusus etiam in scriptura sacra pro consumptionę sumitur, & in significatione bona.*

Hic ostendit, quod *abusus* in scriptura sacra accipitur in significatione bona, sicut patet Hier. 18. Sed isti impugnatores dicunt istam obiectionem contra appellantẽ non valere: tum quia scriptura loquitur ibi improprie. loquendo autem improprie, nõ est inconueniens aliquid attribuere alicui, & tamen ꝓprie loquendo hoc ab eo negare: tum quia etiã ibi potest dici, quod *abutere* accipitur aliquo modo in mala significatione. Primũ declarant, quia *abuti* ꝓprie secundũ quod in theologia accipitur est peruerse ad finẽ consonum naturæ rei vti. hoc declarari posset per auctoritates Bibliæ, in quib. de *abuti* fit mentio: quia Deus sæpe creaturas rationales earum exigentibus culpis ad finẽ dissonum naturę earũ adducit; & tunc Deus dici potest improprie *abuti* huiusmodi rationalib. creaturis; & ideo queadmodũ furor, ira & huiusmodi imꝓprie attribuũtur Deo; ita ẽt *abuti* improprie attribuitur Deo, & ita patet ꝙ ista obiectio nõ est cõtra appellantẽ; q̃a nusq̃ inuenitur, quod *abuti* proprie sumptum accipiatur in bona significatione in scriptura diuina. Secundo dicunt, quod ibi potest dici, quod abuti potest accipi in mala significatione. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendũ, quod sæpe vocabulũ significat vnum principaliter, & aliud secundario. sæpe etiã significat vnũ in recto, & aliud in obliquo; & ꝑ consequẽs vtrumq; pertinet aliquo modo ad significationẽ eius. Ex hoc dicunt ad propositũ, quod *abuti* secundũ ꝙ accipitur à Hieremia, licet non significet malum culpæ in Deo, connotat tñ vel importat, & ꝑ consequens significat aliquo modo malum culpę in illis, quibus optabat Deum abuti. Et ita ibi accipitur in mala significatione

non

non ex parte Dei, sed ex parte aliorum. Dicunt vltra, quod ibi non accipitur *vti* pro consumptione rei: tum quia homines non vocantur res vsu consumptibiles: tum quia non optabat propheta, quod Deus consumeret eos, sed magis quia humiliaret eos, & ad bonum conuerteret.

[*In scriptura sacra abusus in bona significatione sumitur*] sed improprie. [*Furoris tui*] hic *furor* accipitur improprie [*abutere eis ac si diceret, consume eos*] dicunt, quod male exponit scripturam: quia dicit *abutere eis*, hoc est puni & humilia ac confunde eos [*pro consumptione sumitur*] dicunt quod falsum est: sed pro punitione & humiliatione sumitur & in significatione bona, sed improprie.

Cap. LIII.

Adhuc dicit iste hæreticus, quod illa diffinitio, quam dat de vti *dicta constitutio, non est vera diffinitio, neque consona diffinitionibus, quas dant Sancti.*

Hic respondet ad aliam obiectionem appellantis: & primo recitat ipsam: secundo soluit in parte sequenti. Obiectio patet de se. Ad cuius euidentiam dicunt isti impugnatores, ꝙ sicut non est licitum cuicunq; voces de nouo imponere. si enim liceret alicui voces nouiter instituere, posset talis hæresim quamcunq; dogmatizare: & postea significationes vocũ ad suum placitũ explicare: & ita posset docere, ꝙ Christus non est Deus & homo: & quod non fuit natus de virgine, & postea se exponere: sic non est licitum cuicunque diffinitiones nouas non consonas, sed dissonas distinctionibus maiorũ vocabulis assignare: cum diffinitiones, vt sæpe, exprimant, quid vocabula significent. Ex hoc dicũt, quod cum diffinitio, quam iste dat de *vti*, sit dissona diffinitionibus sanctorum & maiorum, ipsa est merito reprobanda. Nec est vera diffinitio: quia nusquam inuenitur, quod *vti* acceptum verbaliter sit conuertibile cum illa diffinitione.

Cap. LIV.

Ad hoc dicimus, quod illa diffinitio, descriptio seu notificatio, quam dat dicta constitutio de vti, *conueniens est & vera. Dicit enim, quod vti re aliqua nihil aliud est quam fructus rei seu vtilitatem aliam in solidum* vti *pro parte recipere, qui ex ea possunt salua rei substantia prouenire. & quod sit conueniens patet. Vsus enim diffinitur sic: Vsus est ius vtendi rebus alienis salua substantia rei. Ex quo sequitur, quod vti proprie loquendo requirit, quod cum ipso vsu remaneat substantia salua rei: & quod ex ea possit vtendi vtilitas aliqua prouenire.*

Hic ad præmissam obiectionem respondet: & diuiditur in tres partes. Primo conatur ostendere, quod diffinitio sua de *vti* est conueniens. Secundo respondet ad hoc, ꝙ tangit appellans, ꝙ diffinitio sua non est consona dictis sanctorum in parte immediate sequenti. Tertio repræhendit modum loquendi appellantis ibi: *præterea iste hæreticus.* Dicit ergo, quod diffinitio sua est vera, quod ostendit per diffinitionem *vsus*, quæ habetur consimilis. Sed dicũt isti impugnatores, quod hic est ad memoriã reuocandum, quod dictũ est supra. s. quod hoc verbum *vti* acceptũ verbaliter nõ habet tot significationes, quod habet hoc nomẽ *vsus*. hoc verbum enim *vti* sumptũ verbaliter, semp notat actum: hoc nomen vero *vsus* significat actum eundem, quem significat hoc verbũ *vti*. & ꝑter actum significat ius quoddã, quod potest dici haberi sine actu. sicut enim multi habent dominiũ rei sine actu exercito circa rem: ita multi habent vsum, quod est ius quoddã vtendi rebus alienis &c. absq; omni actu, sicut aliquis habet vsum domus, licet ipsam actualiter nequaq̃ inhabitet. & potest quis habere vsum fundi, licet sit extra fundũ, & nullũ fructũ actu ex fundo recipiat. Ex isto dicunt patere, ꝙ licet *vsus* in vna significatione sic diffiniatur: *Vsus est ius vtendi rebus alienis, salua rerum substantia*: Vti tamen non debet sic diffiniri: *Vti nil aliud est proprie quam fructus rei seu vtilitatem aliã* &c. & hoc, quia hoc verbum *vti* non conuenit cum hoc nomine *vsus* in illa significatione, sed in alia: & hoc per exemplum declarant. Nam sicut vsus se habet ad vti, sic se habet voluntas ad velle: & tñ quia *voluntas* habet plures significationes quam hoc verbum *velle*: ideo licet voluntas sic diffinitur: *Voluntas est potentia qua primo & libere valet ad opposita*: non tamen Velle posset sic diffiniri: *Velle est ferri primo & libere in opposita*: & licet voluntas sic diffiniretur: *Voluntas est potentia incorporalis potens ferri in opposita*: non tamen velle posset sic diffiniri: *Velle est actus incorporalis qui fertur in opposita*: & ita est de multis aliis: quod sæpe duo vocabula sic se habent, quod vnum deriuatur ab alio: & tñ quia vnum habet plures significationes, potest habere aliquam diffinitionẽ, qualem ꝓportionaliter aliunde habere non potest, sicut patet de *diuino* & *diuinatione*, & multis aliis. ita dicunt esse in ꝓposito, quod *vsus* habet aliquam diffinitionem, qualem proportionabiliter *vti* habere non potest: sed præter illã diffinitionem *vsus* potest habere aliam, & illi proportionabiliter consimilem potest hoc verbum *vti* habere: quia si diffiniatur *vsus*, vt significat actum vtendi, *vti* aliquo modo cõsimiliter diffinietur, imo eadem erit diffinitio vtriusque. Secundo dicunt, quod esto, quod *vti* in vna significatione diffiniretur modo prædicto: ex hoc tamen non sequitur, quod non potest aliter proprie diffiniri. Quia, sicut iste insinuat, eiusdem vocabuli æquiuoci possunt esse plures diffinitiones, quarum vtraque sit æque propria, sicut significationes sunt æque propriæ. Constat autem quod hoc verbum *vti* proprie in vna significatione importat actum comedendi, bibendi, vestiendi, & huiusmodi. ergo illis poterit aliqua diffinitio ipsius *vti* competere. & ita esto, quod prædicto modo diffiniretur, adhuc tamen potest aliter proprie diffiniri; quia illa non esset sola diffinitio propria ipsius *vti*. Vnde dicunt, quod quamuis multa verba circa hanc materiam possent exponi; in hoc tamen errat aperte scripturam reprobando diuinam, quod dicit neminem posse vti rebus consumptibilibus vsu proprie loquendo; & quod proprie loquendo *vti* nihil est aliud quam fructus rei &c.

[*Nihil est aliud proprie* &c.] sed hoc additum *proprie* nullo modo potest bene exponi ad intellectum istius, vt dicunt impugnatores isti, nec *vti* posset omni modo diffiniri sicut *vsus*. [*Ex quo sequitur quod vti proprie loquendo requirit quod cum ipso vsu* &c.] Hoc non sequitur: quia *vti* non conuenit cum *vsu* in illa significatione: & esto quod *vti* in vna significatione propria hoc requireret: ex hoc non sequitur, quod non habet aliam significationem propriam, in qua hoc nũ requirat. & ita stat appellantis intentum, quod proprie loquendo rebus vsu consumptibilib. contingit vti.

CAP. LV.

AD illud autem, quod dicit, quod dicta diffinitio non est consona diffinitionibus, quas dant sancti: dicimus quod non est inconueniens, quod eiusdem rei diuersimode consideratæ dentur diffinitiones diuersæ. Sancti autem qui ipsum vti diffiniunt, ipsum vti sumunt aliter, quam sumat constitutio antedicta. respectu enim finis ipsum vti accipiunt, videl. ad quem finem res, quibus vtuntur, ordinentur. & secundũ hoc Aug. dicit, quod vti est res, quæ in vsum veniunt, referre ad ea, quibus est fruendũ. Decretalis autem Exiit (*cuius occasione constitutio* Ad conditorem canonum *facta fuit*) *de vsu loquitur, non prout res ad finem est ordinabilis, sed prout contra dominium seu contra proprietatem ac vsumfructum, ac ius vtendi diuiditur. & ideo non est mirum, si per sanctos aliæ diffinitiones de vsu datæ fuerint: cum ipsum vti aliter sumpserit, quam sumat constitutio antedicta.*

Hic respondet ad hoc, quod accepit appellans, ꝙ diffinitio sua non est consona diffinitionibus sanctorum: dicens, quod non est inconueniens, ꝙ eiusdẽ rei sint plures diffinitiones. & ideo non est absurdum, quod vti diffiniatur aliter q̃ sancti diffiniunt: quia aliter accipitur à sanctis, & aliter in decre. *Exiit* & in constitutione *Ad conditorem*.

Sed dicunt isti impugnatores, quod hic deficit in duobus. Primo quia ad mentẽ appellantis nequaquam respondet. Secundo, quia sibiipsi contradicit. Quod ad mentẽ appellantis nequaquam respondeat, conantur ostendere. non enim appellans negare volebat eiusdem rei posse esse diffinitiones diuersas: imo concederet, quod *vti* posset diuersimode diffiniri: sed supposuit tanquã certum, quod sancti, & maxime Augustinus, qui de *vti* multum exquisite tractauit in diuersis locis, non loquuntur de *vti* semper improprie: imo proprie loquebantur. Cum igitur diffinitio istius impugnati de *vti* non sit consona, nec eadem in sententia cum diffinitionibus sanctorum de *vti*, sequitur manifeste, quod non solum diffinitio istius de *vti* non est propria, imo siue ista sit propria, siue impropria, siue nulla, aliqua alia ab ista est ꝓpria diffinitio ipsius *vti* & ita male dicit affirmãs, quod sola sua diffinitio de *vti* est propria, cum diffinitio sanctorum de *vti* sit propria. Ex quo sequitur, quod cum diffinitio sanctorum de *vti* conueniat nobis respectu rerum consumptibilium vsu rebus consumptibilibus proprie *vti* contingit: quod iste negat. Secundo dicunt, quod iste contradicit sibiipsi, cum dicit, quod decre. *Exiit*, & sua *Ad conditorem* loquitur de vsu, prout diuiditur contra dominium seu proprietatem & vsumfructum ac ius vtendi: tum quia constat quod decretalis *Exiit* loquitur de vsu, qui est actus comedendi, bibendi, induendi & huiusmodi, qui proprie possunt in rebus consumptibilibus reperiri: quod iste negat. tũ quia vsus distinctus contra ius vtendi non est ille vsus, qui sic diffinitur: *vsus est ius vtendi rebus alienis*: ergo loquitur de alio vsu, quam sit ille vsus: alius est vsus facti. *vsus* autem *facti* etiam secundum istum, sicut ostensum est supra, comprehendit actum bibendi, comedendi &c. ergo ille vsus, qui distinguitur contra ius vtendi in rebus vsu consumptibilibus, proprie reperitur.

[*Ipsum vti sumunt aliter* &c.] tamen proprie sumunt, & proprie loquebantur aliter sumendo ipsum *vti*. [*Vti est res quæ in vsum veniunt referre ad ea quibus fruendum est.*] hic licet sit diffinitio seu notificatio Augustini, tamen propria est. Ex qua sequitur, ex quo est propria, quod rebus vsu consumptibilibus conuenit proprie vti: quia proprie conuenit referre res vsu consumptibiles ad ea quibus fruendum est. [*cuius occasione* &c.] sc. ad reprobandum ipsam [*ac ius vtendi diuiditur*] ille est vsus facti [*si per sanctos aliæ diffinitiones*] tamen proprie [*cum ipsum vti aliter sumpserit*] sed proprie. [*quam sumat constitutio antedicta*] quæ aliter accepit *vti* secundum istos, quam aliquis vnquam ante ipsum.

CAP. LVI.

PRæterea iste hæreticus loquendo de vsu & de vti extra modum loquendi scripturæ sacræ & sanctorum se ponit. dicit enim in rebus vsu consumptibilibus locum habere absq; iure aliquo simplicem vsum facti. profecto modus iste loquendi nec in nouo testamento, neque in veteri, neque in scripturis sanctorum aliquibus, sicut credimus, poterit reperiri. Præterea aduertat iste hæreticus, si Augustini diffinitio conueniat dictis suis, ipse dicit, quod in rebus vsu consumptibilibus potest haberi vsus simplex à dominio separatus. Aug. autem dicit, quod vti est res quæ in vsu veniunt referre ad ea quibus est fruendum. Proculdubio dicta diffinitio eius dictis non conuenit, cum de rebus loquatur dicta diffinitio: & ipse de simplici vsu facti dicendo: Vti est res quæ in vsum *&c.*

Hic reprehendit appellantem, quantum ad modum loquendi, quo ad hoc quod ponit simplicem vsum facti in rebus: tum quia talis modus in Biblia vel in libris Sanctorum minime reperitur: tum quia talis modus loquendi non conuenit cum diffinitione, quam ponit Augustinus de vti.

Sed impugnatores dicũt, ꝙ iste reprehendit hic appellantẽ iniuste. Primo qa licet iste modus loquendi sub eisdẽ vocibus simul iunctis non inueniatur in nouo nec in veteri testamento, nec in

libris

libris sanctorũ dogmatizatorum ab ecclesia: inuenitur tñ in scripturis authenticis summorũ pontificum. Isto n. modo loquendi vtitur Nicolaus tertius in decretali Exiit cum dicit: *Cum in reb. temporalibus sit considerare præcipuum proprietatem, possessionem, vsumfructum, ius vtendi & simplicem facti vsum.* & infra: *Nec per hoc, quod proprietatem vsus & rei cuiuscunq; à se dominium abdicasse videantur, simplici vsui renunciatum esse conuincitur.* & Clemens quintus in decretali Exiui, ait: *quas & quarum vsus facti licet habere, dimisso ipsis fratribus tantummodo simplici vsu facti.* & ita reprehendere appellantem propter istum modum loquendi est reprehendere modum loquendi summorum pontificum. Secundo quod iniuste reprehendat eum, patet, quia modus loquendi, qui non inueniatur modo loquendi scripturæ diuinæ contrarius, sed congruens, est nullatenus arguendus. Nam secundum Glossam primæ Thy. vlt. *Non omnes, sed prophana solum vocum nouitates sunt vitandæ. Sunt enim doctrinæ religionis congruentes, verborum quadam nouitates.* Licet igitur iste modus loquendi esset nouus cum tamen sit à multis temporibus vsitatus, si est congruens scripturæ diuinæ, est minime arguendus. quod vero sit congruens scripturæ diuinæ, ostenditur, quia per simplicem facti vsum non intelligit appellans, nisi vsum facti quæ non necessario habet ius annexum, quo valeat quis pro vsu rei in iudicio litigare. sed multos habuisse talem vsum ex scriptura diuina conuincitur, sicut superius patet, & posterius amplius ostendetur, ergo iste modus loquendi est congruus ad exprimendum, qualem vsum contingit habere in rebus, secundum quod scriptura diuina sumit vsum. Tertio dicunt, quod reprehendit eum iniuste, cum intendit eum reprehendere, quia diffinitio Augustini non conuenit dictis suis, propter hoc n. est minime arguendus: quia quando voces sunt æquiuocæ, licet vti illis vocibus non solum in vna significatione, sed etiam in alia. *Vsus* autem æquiuoce accipitur in diuersis locis. & ideo licet vti hoc nomine alio modo, quam in determinato loco loquitur Augustinus, præsertim cum Augustinus alibi vtatur eodem modo hoc vocabulo *vsus* [*Extra modum loquendi scripturæ sacræ & sanctorum seponit*] verum est, dicunt isti vocaliter: modo tamen loquendi eorum minime aduersatur. Nec etiam negat modum eorum loquendi, sed virtualiter ex scriptura diuina & libris sanctorum accipitur. Sed modus loquendi istius impugnati modo loquendi Bibliæ aduersatur, cum neget modum loquendi Bibliæ, & sanctorum, dicens, quod *rebus vsu consumptibilibus non contingit vti absq; iure.* Aliqñ n. est absq; iure. constat n. quod fur comedendo panem, quem furatus est, habet simplicem facti vsum, quia habet actum comedẽdi panem: & tñ sine iure, imo contra ius. Aliqñ vero inuenitur sine iure, sed non sine licentia. Aliquotiens inuenitur cum iure, accipiendo simplicem facti vsum in vna significatione eius. [*Profecto iste modus loquendi, &c.*] verum est ꝙ nõ inuenitur vocaliter: sicut nec iste, *res vsu cõsumptibiles*: neuter tñ modus loquendi est à sapientib. reprobandus: quia vterque scripturæ sacræ est congruens. [*Si Augustini diffinitio conueniat dictis suis*] nec repugnat nec conuenit: quia aliter accipit *vsum* ibi Augustinus, & aliter appellans. Alibi tamen realiter conuenit modus loquendi Augustini cum dictis appellantis. [*cum de rebus loquatur dicta diffinitio*] principaliter loquitur ibi Augustinus de actu, qui est *vti*, & secundario de rebus. Diffinit enim *vti*: & ita principaliter loquitur de *vti*: ipse de simplici vsu facti. ita principaliter: & tamen nihilominus loquitur de rebus, respectu quarum potest esse simplex vsus facti.

CAP. LVII.

ADhuc dicit iste hæreticus, quod prædicta assertio determinationi sanctæ Romanæ ecclesiæ obuiat in sæpedicta decretali Exiit, *dicente sic. In his quæ ad victum & vestitum & diuinum cultum ac sapientiale studium pertinent, necessarium vsum rerum fratribus esse concessum. Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod contingit vti rebus pertinentibus ad victum & vestitum, quas constat, esse res consumptibiles vsu.*

Hic respondet ad vltimam obiectionem appellantis contra assertionem prædictam. & post recitat ipsam. Secundo soluit in parte immediate sequenti. Obiectio patens est de se.

Dicunt isti impugnatores, quod iste impugnatus vnam obiectionem positam in appellatione dimittit, quæ talis est: Præterea quibus vti non contingit, non contingit abuti: quia cum vti & abuti sint contraria nata sunt fieri circa idem. si ergo nõ contingit vti rebus consumptibilibus: eis non contingit abuti. ¶[*Necessarium vsum.*] Necessarium vsum vocat actum circa rem exteriorem temporalem, sine quo non potest conseruari natura.

CAP. LVIII.

DIcimus quod per verba ista non concessit fratribus simplicem vsum facti: imo hoc ipso, quod ipsis vsum concessit, si concessio valuit ius ipsis vtendi concessit: & sic in illum non habuit simplicem vsum facti. Et si dicas, quod imo nullum ius concessit. Dicimus, quod quantum ad res vsu consumptibiles posuit vsum improprie, pro rei consumptione. nec est nouum, quod idem verbum ponatur improprie, & proprie respectu diuersorum. Præterea decretalis prædictam dicit, necessarium vsum rerum in his quæ ad victum & vestitum pertinent Fratribus esse concessum. Nõ dicit, vsum facti. & sic nihil facit pro eo: & si omnino dicat, quod conditor canonis intellexit de vsu facti, sumendo vsum, *proprie dicimus quod cum in talibus rebus vsus constitui nequeat neque haberi, vt probat dicta constitutio, & est probatum supra in articulo primo: Dicta constitutio contineret quantum ad hoc impossibile: & per consequens cum constitutio possibilis esse debeat, non valeret: non tamen illa fuit conditoris intentio, vt probat constitutio ad conditorem canonum antedicta.*

In parte ista ad obiectionem præmissam respondet. Et quatuor ponit rationes. Prima est quod per verba illa decretalis *Exiit*, non habetur, quod concessit Fratribus simplicem facti vsum. Secunda

cunda est, quod Nicolaus accepit ibi vsum improprie, & illa ponitur ibi: *& si dicat*. Tertia, quod decretalis *Exiit* non loquitur ibi de vsu facti, & ponitur ibi *preterita*. Quarta quod si decretalis *Exiit* loquitur de vsu facti, proprie ipsa est impossibilis, & non tenenda, & illa ponitur ibi; *& si omnino*.

Sed isti impugnatores dicunt prædicta verba continere quatuor falsa: primum est, quod dominus Nicolaus per illa verba non concessit simplicem vsum facti. Secundum est quod Nicolaus quo ad res vsu consumptibiles accepit vsum improprie. Tertium est quod non concessit eis vsum facti. Quartũ q̃ si decretalis *Exiit*, intellexerit de vsu facti proprie loquendo, non valeret, quia esset impossibilis. Quod aũt primũ, sc. q̃ Nicolaus non concessit fratrib. simplicẽ facti vsũ sit falsum, ꝓbare conantur. Nicolaus n. dicit in dicta decretali *Exiit*, in hæc verba: *non talis abdicatio proprietatis omnimoda renunciationem vsus rerum cuiquam videatur inducere. Nam in rebus temporalibus sit considerare præcipuum proprietatem, possessionem vsum fructum, ius vtendi & simplicem facti vsum, & vltimo tanquam necessario egeat licet primis carere possit vita mortalium, nulla prorsus potest esse professio, quæ à se vsum necessaria sustentationis excludat*. Ex quibus verbis colliguntur duo: quorum primum est, quod Nicolaus Fratribus tribuit simplicem facti vsum. Nam illum vsum, quo necessarie eget vita mortalium, tribuit Fratribus. sed simplici vsu facti necessario eget vita mortalium secundum Nicolaum, cum dicat, *licet primis carere possit*. Ex quo sequitur, quod vltimo sc. simplici vsu facti necessario eget vita mortalium: ergo attribuit Fratribus simplicem facti vsum. Secundum quod colligitur ex prædictis est, quod Nicolaus tertius per simplicem vsum facti intelligit vsum necessariæ sustentationis cõprehendit sub simplici vsu: dicit: *licet primis carere possit vita mortalium, nulla prorsus potest esse professio, quæ à se vsum necessaria sustentationis excludat*. Quæ verba essent penitus inconnexa, nisi per vltimum, sc. simplicem facti vsum, intelligeret vel comprehenderet vsum necessariæ sustentationis. Constat ergo quod Nicolaus per simplicem facti vsum vel intelligit vsum necessariæ sustentationis, vel sub simplici facti vsu vsum necessariæ sustentationis comprehendit. Et ex isto sequitur euidenter, quod Nicolaus tertius tribuit & concedit Fratrib. simplicem facti vsum ex quo concedit eis vsum necessariæ sustentationis. Item idem Nicolaus sic dicit: *Verum concedens fuit ei professioni, qua se sponte deuouit Christum pauperem in tanta paupertate sectari omnium abdicare dominiũ & rerum sibi concessarum necessario vsu fore contentam. Vbi per hoc proprietatem vsus & rei cuiuscunq; dominium à se abdicasse videtur simplici vsui omnis rei renunciatum esse conuincitur*. Ex his verbis patet, quod per vsum necessariæ sustentationis simplicẽ facti vsum intelligit. Et si diceret forsitan impugnatus, q̃ per vsum necessariæ sustẽtationis intelligit simplicẽ vsum, non simplicẽ vsum facti. Vñ dicit, *simplici vsui omnis rei*, &c. Nõ dicit, simplici vsui facti: dicũt, q̃ nõ est verũ. Nã q̃ p simplicẽ vsũ intelligat simplicẽ vsum facti, patet p illa, q̃ post verba præmissa immediate sequuntur. Ait n. *qui inquã vsus non iuris sed facti tantummodo nomẽ habens* &c. Ex quib. clare patet q̃ loquitur de simplici vsu facti, & ita per vsum necessariæ sustentationis intelligit simplicem vsum facti, vel econuerso, & quodcunq; horum detur, sequitur sicut tribuit Nicolaus Fratribus vsum necessariæ sustentationis, ita tribuit eis simplicem vsum facti. Ex hoc sequitur, quod tribuit Fratribus simplicem facti vsum respectu rerum consumptibilium vsu. Nam vsus necessariæ sustentationis est respectu rerum vsu consumptibilium: quod ex verbis Nicolai colligitur, cum ait: *Quinimo necessariarum rerum tam ad vitæ sustentationẽ quam etiam officiorũ sui status executionem, excepto de pecunia infra subiungitur, moderatus vsus secundum eorum regulam & veritatẽ omnimodam, concessus est Fratribus, quib. reb. Fratres licite vti possunt*. Ex quib. verbis patet, quod distinguit res necessarias ad vitæ sustentationem ab aliis rebus: & non nisi sicut res vsu consumptibiles, à reb. non consumptibilib. vsu. ergo vsus necessariæ sustentationis est respectũ rerum vsu cõsumptibilium. & oĩs vsus sustentationis est simplex vsus facti. ergo aliquis simplex vsus facti est respectum rerum consumptibilium vsu secundum Nico. Ex prædictis potest colligi, vt videtur, quod non sp simplex vsus secundum Nicolaum excludit ius & proprietatem: tũ quia tunc simplici vsu facti non necessario egeret vita mortalium: quia vita mortalium non necessario eget aliquo, quod necessario excludit ius & proprietatem. Multi n. diuites substentantur sine omni vsu excludente ius & proprietatem: cum multi sp vtantur rebus propriis & non alienis, tum quia vsus necessariæ sustentationis est simplex vsus facti. Vsus aũt necessariæ sustentationis non semper excludit ius & proprietatem, sicut dictum est de multis diuitib. ergo nec simplex vsus facti sp excludit ius & proprietatem. Et si dicatur, quod hoc est contra Nico. tertium, qui loquens de vsu necessariæ sustentationis ait: *qui inquã, vsus nõ iuris sed facti tantummodo nomẽ habens, q̃ facti est tantũ in vtẽdo prebet vtentib. nihil iuris*. Ex quib. verbis videtur, q̃ vsus necessariæ sustentationis excludit oẽ ius positiuum, & per consequens ꝓprietatem. Adhuc dicunt isti, q̃ Nicolaus non loquitur ibi de vsu necessariæ sustentationis ĩ cõi sed loquitur determinate de vsu necessariæ sustentationis Fratrum Minorum. Et verum est, q̃ aliqs vsus necessariæ sustentationis, licet non qa est vsus necessariæ sustentationis, sed propter abdicationẽ oĩs iuris annexã excludit omne ius & ꝓprietatem. & sic dicendum est consimiliter de simplici vsu, q̃ aliqs simplex vsus fcĩ ꝓpter abdicationem oĩs iuris annexã excludit omne ius positiuum. sed non oĩs simplex vsus facti excludit omne ius: q̃uis in vna significatione oĩs simplex vsus facti excludat ius & ꝓprietatem. Ex prædictis colligitur euidenter, q̃ oĩs vsus necessariæ sustentationis est simplex vsus facti in vna significatione, non econuerso. Secundo colligitur q̃ oĩs vtens re quacunq; vsu consumptibili vsu, vel non consumptibili vsu, habet simplicẽ vsum facti: hoc est, habet aliquẽ actũ vtendi qui põt separari ab oĩ iure licet non sp separetur ab oĩ iure. Omnis n. actus exterior vtendi re temporali, de quo nunc est sermo, est indifferens ad actum licitũ,

& illicitum. & ita omnis talis est simplex vsus facti hoc est, est vsus, qui potest esse sine omni iure immo potest esse contra ius & illicitus. quod ergo dicunt Fratres Minores singulariter habere vsum simplicem facti, debet intelligi cum dictione exclusiua vel æquipollenti, sic: Fratres Minores habent in rebus, quibus vtuntur tantum simplicem vsum facti, vel non habent ius, sed simplicem vsum facti. Et si quæratur: ad quid ergo additur *simplex*, cum sufficeret dicere habent, tantum vsum facti. Dicunt quod additur *simplex* ad insinuandum, quod talis vsus facti non necessario habet annexum quodcunq; ius. hoc autem non insinuatur ita sine hac dictione *simplex*: cum dicitur, *vsus facti*: sicut cum dicitur, *simplex vsus facti*. Secundo dicunt isti impugnatores, quod aliud falsum continent verba prædicta, quod Nicolaus videlicet in verbis præmissis accepit *vsum* improprie. quod enim hoc sit falsum, ostendunt: quia Nicolaus accepit ibi *vsum*, sicut accipitur in scriptura sacra & in doctrina sanctorum & in medicina, & in philosophia morali & naturali, ac etiam in uulgari modo loquendi. Sed scriptura sacra, ac philosophia, & vulgaris modus loquendi sic loquendo de vsu non loquuntur improprie: nec vnquam auditum est, quod aliquis intelligens dixerit talem modum loquendi: *iste vtitur cibo & potu, vel consimili*, esse improprium. ergo Nicolaus sequens modum loquendi scripturæ diuinæ, & philosophiæ, & vulgaris locutionis accepit proprie vsum. Tertium falsum contentum in verbis prædictis secundum istos, est quod Nicolaus tertius non concessit Fratribus vsum, quo necessario eget vita mortalium. talis est *simplex vsus facti*, sicut patet ibi: *Cum in rebus temporalibus, &c.* Sed simplex vsus facti, est vsus facti. ergo concessit eis vsum facti. hoc non solum sententialiter, sed etiam vocaliter explicat manifeste. Nam loquens de vsu concesso Fratrib. ait: *qui inquam vsus non iuris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum, in vtendo prabet vtentibus nil iuris.* Ex quibus verbis patet indubie, quod vsum facti concessit Fratribus. Ex quo patet vlterius: quod vsus facti distinguitur ab vsu iuris: & quod potest esse sine vsu iuris. Quartum falsum est, quod si decretalis *Exiit* intellexerit de vsu facti proprie loquendo, non valeret: quia esset de impossibili. quod n. hoc debeat reputari falsum, patet: quia constat quod Nicolaus intelligit de vsu facti, sicut ostensum est: sed vsum facti reperiri in his, quæ pertinent ad victum & vestitum, non est impossibile, sicut ostensum est. ergo propter hoc non debet iudicari decretalis *Exiit*, non valere. [*Per verba illa non concessit Fratribus simplicem vsum facti.*] Hoc patet esse falsum, quia concessit eis necessarium vsum. sed vsus necessarius est simplex vsus facti, sicut ostensum est: ergo &c. [*Si concessio valuit in ipsis vtendi concessit.*] Hoc est falsum & contrarum isti impugnato (vt dicunt isti.) quod sit falsum patet, quia aliquid conceditur absq; iure. quod sit contrarium impugnato patet, quia secundum eum in huiusmodi rebus, quæ ad victum pertinent & vestitum, non potest haberi ius vtendi, sed bene proprietas: & tamen possunt concedi. ergo possunt concedi sine iure vtendi. [*Et sic in illis non habent simplicem vsum facti.*] Male infert secundum istos: quia simplex vsus facti potest esse cum iure vtendi, quamuis non necessario requirat ius vtendi: sicut actus comedendi potest esse cum iure comedendi, licet non requirat necessario ius comedendi ad hoc quod sit in rerum natura [*posuit vsum improprie pro rei consumptione.*] Innuit, quod consumptio rei sit vsus improprie: quod falsum est, imo aliqua consumptio rei est proprie vsus. Non omnis tamen consumptio est proprie vsus. [*non dicit vsum facti.*] verum est, quod ibi non dicit vocaliter vsum facti, sed supra dixit simplicem vsum facti. & ex verbis decretalis *Exiit*, patēter habetur, quod vsus necessarius est vsus facti; quia vsus necessarius non est vsus iuris, quia multi sustentantur & sua officia exequuntur absq; vsu iuris, sicut patet de Fratribus Minoribus, & etiam de illis qui in rebus, quibus vtuntur, non habent dominium & proprietatem qui sustentantur & sua officia exequuntur absq; vsu iuris. Vsus ergo iuris non est necessarius ad victum & vestitum & diuinum cultum ac sapientiale studium. ille ergo vsus qui est necessarius ad prædictam, est vsus facti, & per consequens qui loquitur de vsu necessario ad prædicta, loquitur de vsu facti sententialiter, quamuis non semper vocaliter. [*dicta constitutio contineret quantum ad hoc impossibile.*] hoc & illa quæ immediate præcedunt dicunt esse falsa [*non tamen illa fuit conditoris intentio*] hoc dicunt esse contra intellectum etiam omnium æmulorum, qui ante ipsum fuerunt [*vt probat constitutio ad conditorem.*] dicunt quod sophistice probat & male.

CAP. LIX.

RVrsus dictus hæreticus dicit dictam constitutionem Ad conditorem canonum, *errorem alium continere in eo quod continet quæ sequuntur: Præterea, inquit, si simplex facti vsus absq; iure vtendi haberi posset ab aliquo constat quod non iustus esset actus vtendi huiusmodi reputandus: cum ille vsu fuerit, cui ius non competebat vtendi. talis autem vsus. sc. non iustus, ad perfectionis statum nequaquam pertinet, nec perfectioni aliquid adiicit: sed potius sibi repugnare. ac detrahere noscitur manifeste: & infra, loquens de vsu facti concesso Fratribus secundum quod in decretali* Exiit *continetur sic dicit: Ex quo sequitur, quod vsus facti, de quo ordinate loquitur, de tali intelligi debeat, qui iustus sit & pro quo competat ius vtendi.*

Postquam in parte præcedenti iste impugnatus respondit ad obiectiones appellantis contraria secundam assertionem suam: hic respondet ad obiectiones appellātis cōtra tertiā assertionē, q̄ reputat appellans erroneā. Et diuiditur in tres ptes. Prīo recitat suā assertionē. Secundo recitat obiones appellātis īmediate ī pte sequēti. Tertio rñdet ad obiectiones ibi: *Ad hoc dicimus.* Est igitur assertio hæc recitata, q̄ īpugnare intēdit appellās, φ null' actus vtēdi pōt esse licitus absq; iure vtendi. [*Nō iustus esset actus vtēdi hmōi reputādus.*] Hęc est affirmatiua de termino infinito; q̄a nō est ibi necessario infinitans, vt iste sit sensus, actus vtēdi hmōi esset reputādus nō iustus [*Talis aūt vsus. s. nō iustus ad perfectionis statū nequaquā pertinet.*] hęc habet vnū sensū falsū, sicut patebit inferius. siue hēat sensū verū, siue nō. [*Sed potius sibi repugnare ac detrahere nōscitur manifeste*] hæc ēt habet sensum falsum. [*Qui iustus sit & pro quo competat ius vtendi*] hoc includit fasum, vt patebit.

CAP.

Cap. LX.

Iste hæreticus volēs imponere constitutioni, quod non dicit, quod prædicta constitutio intelligit loqui de iure vtendi ciuili & mundano, quod est ius proprium, pro quo datur actio in iudicio, sicut patet in hac constitutione Ad conditorem *& in constitutione, quæ incipit:* Quia quorundam, *in qua hic, vt dicit, manifestat aperte, de quo asserit inferius se dicturum. Hæc autem asserit obuiare sacræ scripturæ dicenti Mat. 19. in persona apostolorū.* Ecce nos reliquimus omnia, &c. *Ex quo, vt dicit, per doctores catholicos patet, quod reliquerūt ius agendi in iudicio: quod non stat cum tali perfectione superrogationis, quæ implicat aliquod peccatum, sicut probat apostolus 1. ad Corinth. 3. dicens:* Iam quidem omnino delictum est in verbo, quia iudicia habetis inter vos. *& ideo (vt dicit Christus iniunxit perfectis vt non litigent neque contendant in iudicio Matth. 5. & Luc. 6.*

Hic iste impugnatus recitat obiectionem appellantis contra assertionem prædictam, quam reputat erroneam: quæ consistit in hoc, quod impugnatus loquitur de iure ciuili & mundano, per quod datur actio in iudicio. De tali autem iure dicit appellans, quod apostoli non habuerunt tale ius: & tamen habuerunt licitum vsum multarum rerum. ¶ Ad euidentiam prædictæ obiectionis & aliarum isti impugnatores faciunt quinq;. Primo n. adducunt obiectiones alias appellantis contra prædictam assertionem, quas iste ex scientia certa dimittit. Secundo notant de quo vsu fit hoc sermo. Tertio declarant de quo iure locutus est appellans & etiam impugnatus. Quarto ostendunt differentiam inter vsum iustum & licitum. Quinto explicant intentionem appellantis quantum ad obiectionem p æmissam. ¶ Dicunt igitur isti impugnatores, quod appellans post verba, quæ recitat iste, vt suam magnam intentionem exprimeret, immediate subiunxit dicens: *Præterea nullus de multitudine credentium aliquod ius proprium habebat, vt dicitur Act. 4. Tunc constat quod quilibet apostolorū & illorū de multitudine credentiū habebat vsū rerū vsu consumptibiliū & nō habebat ius ciuile & mūdanū. ergo dicere, ꝙ nō possit haberi vsus facti absq; tali iure vtēdi contradicit scripturæ sacræ. Præterea ēt talis assertio diffinitioni sanctæ Romanæ ecclesiæ obuiat maniseste ꝙ patet ex pluribus. Primo ex eo ꝙ dicta decretalis Exiit dicit, ꝙ in reb. tēporalib. est considerare proprietatē, possessionem, vsumfructum, ius vtendi, & simplicem facti vsum, & quod vltimo tanquam necessario egeat, licet primis carere possit vita mortalium, nulla prorsus potest esse professio, quæ à se vsum necessariæ sustentationis excludat. Ex quibus verbis clare patet, quod vita mortalium potest licite carere proprietate, possessione, vsufructu, & iure vtendi: & contenta esse simplici vsu facti rerū necessariarum ad vitam. & ita potest haberi vsus simplex facti absque iure vtendi, secundum ecclesiæ determinationem. Secundo ex eo, quod in eadem diffinitione ecclesia insinuatur, quod nec per hoc quod proprietatem vsus & rei cuiuslibet dominium abdicasse videtur, simplici vsui renunciatum esse conuincitur. Ex quibus verbis clare patet, quod dicta professio Fratrum Minorum ius proprium abdicauit: & per consequens ius vtendi ciuile, quod est ius proprium & sic habent vsum facti simplicem, absque tamen iure vtendi. Tertio ex eo, quod eadem decretalis dicit sic. Qui inquam vsus non iuris, sed facti tantummodo nomen habens quod facti est tantum in vtendo præbet vtentibus nihil iuris. Ex quibus verbis patet, quod licet habere licitum vsum absque iure vtendi. Item vsus facti licitus fuisset in statu innocentiæ, in quo non fuisset ius vtendi ciuile per leges introductum. ergo vsus facti licitus potest à tali iure vtendi ciuili (de quo iste loquitur) separari:* Hæc verba appellationis prædictæ. Post quæ quibusdam interpositionis, quæ iste impugnatus inferius recitabit, concludit appellans dicens: *Ex prædictis patet, quod ipse errat, cum dicit, quod ordinatio domini Nicolai debet intelligi de vsu. pro quo competit ius vtendi, quia non debet intelligi de vsu, pro quo competit ius vtendi, sed de vsu pro quo competit licentia vtendi.* Hæc verba Appellationis, q̄ vt dicunt isti impugnatores impugnatus omisit ꝓpter duo. Primo quia ad ipsa nesciunt rationē quācunq; habentē apparentiam inuenire. Secūdo ne ex ipsis pateret expressius, quomodo obiectiones & aliæ appellantis rationes insolubiles perseuerant. ¶ Secundo isti impugnatores notant, de quo vsu fit hic sermo, dicentes: quod hoc non fit sermo de vsu rerum consumptibilium tātum: sed de vsu facti quarumcunq; rerum respectu quarum contingit habere vsum facti & ideo dicunt quod iste impugnatus non poterit recurrere ad illam miseram fugam, dicendo quod alii sumunt vsum improprie, & ipse proprie, sicut fecit respondendo ad obiectiones contra secundam assertionem. ¶ Tertio isti impugnatores declarant de quo iure vtendi locutus est appellans, & etiam impugnatus, dicentes quod appellans & impugnatus locuti sunt de iure vtendi, secundum quod loquitur decretalis *Exiit*. quod appellans taliter locutus sit de iure vtendi, ex eo patet, quod ad defensionem dictæ decretalis *Exiit*, animam & corpus exponit. quod autem iste impugnatus locutus fuerit sic de iure vtendi patet nam ipse expresse supra *capitulo* 37. 42. & 55. dicit constitutionē *Ad conditorem* fuisse factam gratia decretalis *Exiit*, & ꝙ ideo loquitur de vti & vsu, sicut loquitur decretalis *Exiit*. ergo eadem ratione loquitur de iure vtendi sicut loquitur decretalis *Exiit*. ¶ Ad sciendum ergo quomodo iste appellans & iste impugnatus loquuntur de iure vtendi, videndum est, quomodo decretalis *Exiit*, occasione cuius orta est inter prædictos appellantem & impugnantum controuersia, accepit ius vtendi, & quantum ad hoc dicunt isti impugnatores, quod decretalis *Exiit*, sumit ius vtendi pro iure humanitus instituto seu humanitus acquisito vel inuento, quo valet quis in iudicio litigarè & quod sic accipiat dicta decretalis, probare conantur. Omne enim ius vtendi aut est ius naturale aut ius positiuum sed Nicolaus non accepit ius vtendi pro iure naturali: tum quia dicit, quod iure vtendi potest carere vita mortalium, ibi: *licet primis* (sc. proprietate possessionum, vsufructu & iure vtendi) *carere possit vita mortalium*, &c. Iure autem naturali non potest carere vita mortalium: quia tali iuri nullus renunciare potest. ergo non accepit ius vtendi pro iure naturali: tum quia secundum Nicolaum Fratres Minores nullum ius vtendi habent in temporalibus, sicut ex præcedentibus patet aperte: sed secundum eum

habent

habent ius vtendi naturale, cum dicat; *ipsis iure poli ad prouidendum sustentationi natura viam non esse conclusam*.ergò nō accepit ius vtendi pro iure naturali.Sumit ergo ius vtendi pro iure positiuo.ius autem positiuum vtendi qualitercunque accipiatur,vel est humanum vel diuinum. sed Nicolaus in decretali *Exiit*, non accepit ius vtendi pro iure diuino positiuo: quia iure diuino positiuo nihil in his temporalibus possidetur.licet enim Iudæi & aliqui alii,sicut habetur *Deut*. 2. aliqua posséderunt iure diuino positiuo, nunc tamen nullus posidet aliquid iure positiuo diuino. Accepit ergo Nicolaus tertius ius vtendi pro iure diuino positiuo humano. illud non potest intelligi ,nisi duplex: vel illud quo quis absque culpa & causa priuari non debet, quo potest aliquid in iudicio experiri, vel illud quod competit solummodo ex gratia & licentia, quo non potest quis contra quemcunque in iudicio experiri. sed Nicolaus tertius in decretali *Exiit*,non accepit ius vtendi secundo modo.quia cum dicat expresse, quod vsus Frarum Minorum est absque omni iure vtendi: & tamen secundum eum non est sine licentia; constat quod ius vtendi distinguitur à licentia. Nicolaus tertius ibi accipit ius vtendi pro iure, quo valet quis pro vsu rei iudicio experiri. & sic semper loquitur appellans de iure vtendi, licet aliquando etiam strictius,& non solum isto modo loquatur de iure vtendi.

Quarto isti impugnatores ostendunt differentiam inter vsum iustum & vsum licitum. Ad cuius euidentiam est sciendum,quod nomen *iustitia* tripliciter accipi potest vno modo accipitur, pro quadam virtute particulari distincta ab aliis tribus virtutibus cardinalib. habente materiam specialem distinctam à materia cuiuslibet alterius virtutis cardinalis, secundum quam homo iuste operatur ad alterum. Secundo accipitur *iustitia* pro quadam virtute cardinali,quæ vocatur *iustitia legalis*, quæ omnes actus virtutum ordinat ad bonum commune. Tertio accipitur *iusticia* pro debita ordinatione actus ad rationem,vel aliam operationem:& ita secundum quosdam vocatur *iusticia* metaphorice sumpta. & istius opinionis fuit Thomas. 2.2. q.56. articulo secundo, vbi ait: *Iusticia ergo proprie dicta requirit diuersitatem suppositorum: & ideo non est nisi vnius hominis ad alterum. sed secundum similitudinem accipiuntur in vno & eodem homine diuersa principia actionum quasi diuersa agentia,sicut ratio irascibilis & concupiscibilis:& ideo metaphorice in vno & eodem homine dicitur iustitia esse.secundum quod ratio imperat irascibili & concupiscibili:& secundum quod hoc obediunt rationi,& vniuersaliter secundum quod vnicuiq; parti hominis attribuit, quod ei conuenit.vnde philosophus in 5.Ethicorum,hanc iustitiam appellat secundum metaphoram dictam*. & post dicit, quod *iustitia qua fit per fidem in nobis, est per quam iustificatur ipsius, quæ quidem in ipsa debita ordinatione partium animæ consistit. Hoc autem pertinet ad iustitiam metaphorice dictam ,quæ potest inueniri etiam in aliquo solitariam vitam agente*. Ex his patet,quod actus potest dici tripliciter iustus, vel quia est actus elicitus à iustitia particulari: & sic sunt multi actus humani liciti & meritorii, qui non sunt iusti: sicut actus castitatis,fortitudinis,misericordiæ,& liberalitatis,& alii multi. Aliter dicitur actus iustus, qui elicitur vel imperatur à iustitia legali, qua vult aliquis legi obedire. Et sic secundum philosophiam moralem Aristotelis multi sunt actus aliarum virtutum etiam exteriores in comparatione ad alterum, qui licet posint esse iusti, quia possunt imperari à iustitia legali,possunt tamen non esse iusti ipsis existentibus virtuosis: quia posibile est,quod de illis nulla sit lex humana penit' instituta. Aliter dicitur actus iustus à iustitia, tertio modo dicta, siue illa iustitia debeat metaphorice vocari iustitia, siue etiam proprie.& isto modo omnis actus licitus est iustus,quia est bonus & vere consonus rationi.etiam sic patet differentia inter vsum licitum & vsum iustum,quia accipiendo *iustum* primo modo & secundo modo,sicut proportionaliter accipitur iustitia multi sunt vsus liciti,qui non sunt iusti. Tertio modo accipiendo iustum, omnis actus licitus est iustus secundum eos,qui ponunt quod omnis actus humanus est bonus vel malus moraliter.

Quinto ex prædictis isti impugnatores explicant intentionem appellantis,dicentes quod appellans intendit concludere,quod potest quis habere vsum licitum & iustum tertio modo rerum consumptibilum vsu & non consumptibilium vsu absque iure vtendi,quo quis valeat in iudicio litigare licet non posit habere vsum iustum primo modo dictum absque iure vtendi tali.

[*quod non dicit*]. verum est quod non dicit vocaliter sub eisdem verbis:hoc tamen dicit sententialiter,vt inferius ostendetur.[*intendit loqui de iure vtendi ciuili & mundano.*]hoc isti impugnatores postea probare nitentur.[*Reliquerunt ius agendi in iudicio*]quia apostoli reliquerunt omnia,quæ in rebus temporalibus non erant necesitatis nec vtilitatis pro tempore illo cuiusmodi fuit ius agendi in iudicio, quantum ad ipsos apostolos, licet vtile tunc fuerit, quod aliqui alii fides haberent ius agendi in iudicio pro temporalibus rebus. [*non stat cum tali perfectione supererogationis*] licet posit stare cum perfectione caritatis, sicut licet actus coniugalis non stet cum illa perfectione supererogationis,quæ est virginitas,stat tamen cum perfectione caritatis[*Christus iniunxit perfectis, vt non litigent &c.*] hoc Christus iniunxit volentibus perfectisimam paupertatem exteriorem seruare: & tamen posibile est sine diminutione charitatis in iudicio litigare.

CAP. LXI.

AD hæc dicimus, quod dicta constitutio aperte & expresse loquitur de vsu, pro quo competit ius vtendi: quod est aliud à iure agendi. potest enim alicui competere ius vtendi, cui non competit ius agendi. quare dicimus, quod imponit constitutioni, quod nec intellexit nec dixit. Vtrum autem tale ius sit mundanum & ciuile: & an pro illo apostolis competierit ius agendi dicetur inferius in his, quæ opponit iste hæreticus contra constitutionem: Cum inter,

In par-

In parte ista iste impugnatus respondet ad obiectiones appellantis præmissas. & diuiditur in duas partes: quia primo ad ꝑmissa respondet. secundo quandā responsionē appellantis ad rationem istius impugnati, quæ supra c. 59. innuitur, conatur excludere, ibi: *Item dicit dictus hæreticus.* prima in duas diuiditur. Primo dicit, quod constitutio *Ad conditorem* loquitur de vsu, pro quo competit ius vtendi. Secundo ostendit, quod cōstitutio, *quia quorundā* nō loquitur de iure, quod est proprium in parte immediate sequenti. Dicit ergo primo, ꝙ appellans falsum imponit, quia constitutio *Ad conditorem* loquitur de vsu pro quo competit ius vtendi, quod est aliud à iure agendi.

Sed isti impugnatores circa prædicta sic procedunt. Primo enim declarāt intentionem impugnati in hac parte. Tertio hæc dicta improbare conantur. Quantum ad primum, dicunt quod iste impugnatus ponit hic ius vtendi esse licentiam vtendi. seu licitam potestatem vtendi, vel talem licentiam non posse esse sine iure vtendi, quod ex verbis eiusdem ostendunt. Nam cito post præmissa dicit in hæc verba: *Sed hic iste hæreticus inter ius & licentiam videtur facere differentiam, supponens, quod aliquis habeat licentiam vtendi ab eo, qui eam potest concedere, & quod non habeat ius vtendi quod tamen euidenter est falsum.* Ex quibus verbis colligitur, quod licentia vtendi est ius vtendi secundum istum: vel non est sine iure vtendi imo sequitur ꝙ ipsa licentia vtendi est ius vtendi secundum ipsum, quia potest quis dare alicui licentia vtendi nihil aliud sibi concedendo. ¶Secundo isti impugnatores prædictam assertionem improbare conantur. Ad cuius euidentiam primo distingūt de iure vtendi. secundo distingunt de licentia. tertio assertionem prædictam impugnant. Circa primum dicunt, quod ius vtendi est duplex. quoddam enim ius vtendi naturale: aliud est ius vtendi positiuum. ius vtendi naturale commune est omnibus hominibus: quia ex natura, non ex aliqua constitutione superueniente habetur. Verum tamen licet omnis homo habeat omni tempore tale ius vtendi, non tamen habet tale ius vtendi rebus pro omni tempore. illi enim, qui nullas res proprias habent, neq; communes, licet habeant ius vtendi rebus alienis, non tamen habēt ius vtendi rebus alienis, nisi pro tempore necessitatis extremæ. in quo tempore virtute iuris naturæ omni re præsente, sine qua vita eorum saluari non posset, licite vti possunt. Alio autem tempore, auctoritate illius iuris rebus alienis vti non possunt. Aliud est ius vtendi positiuum, quod ex constitutione aliqua vel humana pactione habetur & de isto iure vtendi dictum est prius. 1. ca. 2. Vnde istud ius vtendi non est aliud quam quædam licita potestas exercendi actum aliquem circa rem temporalem extrinsecam, qua quis absque culpa rationabili priuari non debet inuitus: & si priuatus fuerit priuantem iniuste, poterit in iudicio conuenire. Quod enim ius vtendi positiuum sit talis licita potestas, patet, quia nullum illicitum debet ius aliqualiter reputari, cum dicat Isidorus (vt habetur dist. 1.) *ius autem est dictum, quia iustum est.* quod autem etiam tali iure vtendi nullus sine culpa & absque causa rationabili debeat priuari inuitus, patet. Nam omne ius vtendi est ius. nullus autem sine culpa & absq; causa rationabili debet suo iure priuari, vt notat Glossa *extra de constitutionibus. c. 1. & extra de eo qui cognouit consanguineam vxoris suæ. c. vltimo & 22. dist. ca. renouantes*, & ex sacris canonibus colligitur manifeste. ergo iure vtendi absque causa rationabili & sine culpa nullus priuari debet. quod etiam priuatus iniuste priuantem possit in iudicio conuenire, patet ex hoc, quod quilibet ius suum positiuum in iudicio prosequi potest. nec alicui facit iniuriam, qui ius suum prosequitur. qui ergo tali iure vtendi priuatur iniuste, potest priuantē in iudicio conuenire. rursus, ille cui fit iniuria potest iniuriantem coram iudice conuenire: maxime si tali actioni minime renunciauit. sed illi qui priuatur tali iure vtendi sine culpa & absque rationabili causa, fit iniuria. ergo potest iniuriantem in iudicio conuenire, si tali actione non renunciauerit & ita qui habet ius vtendi tale, potest priuantem iniuste in iudicio conuenire. Sed contra prædicta obiici pōt, nam aliquis pōt à iure suo priuari absque causa & sine culpa: quia priuilegia sunt iura quædam teste Isidoro, qui vt habetur dist. 3. ait: *Priuilegia sunt leges priuatorum. quasi priuatæ leges.* Ex quibus verbis colligitur, quod priuilegia sunt leges quædam: & per consequens potestas concessa per priuilegium ius censetur. sed concedens priuilegium potest ad placitum sine culpa & absq; causa priuilegiatos priuilegio concesso priuare ergo potest priuilegiatus absque causa & sine culpa iure suo priuari. Ad hoc dici potest, quod sicut princeps legibus suis non astringitur: imo suis legibus est solutus: & ideo respectu ipsius quodammodo leges non sunt: sic etiam princeps priuilegijs suis non subditur. & ideo potestas priuilegiatis concessa respectu principis quodāmodo nomē iuris amittit, vt respectu ipsius, poti⁹ gratia q̃ ius dicatur: respectu tñ aliorū ꝓprie dicitur ius & ideo cōcedens priuilegiū, pōt ad placitum priuilegiatos priuare. Alii aūt nō pñt. nemo ergo iure suo ab illo respectu cuius nō gratia, sed ius ꝓprie dicitur, debet sine culpa, & absq; causa priuari. Ab alio vero respectu cuius gratia dicitur, pōt priuari gratia sibi concessa, sine culpa & absque causa. Secundo distingunt de licentia, quia quædam est licentia, quæ reuocari à concedente non potest, sicut cum prælatus religiosus dat subdito suo licentiam ordinem alium intrandi, quem postea reuocare non potest. Et per talem licentiam ius quoddam acquiritur. Alia est licentia, quæ ad placitum concedentis reuocari potest: & per talem licentiam nullum ius videtur acquiri.

Tertio isti impugnatores assertionem istius impugnati, cum insinuat, quod aliquis pōt habere ius vtendi, ꝙ est licentia vtendi absq; iure agendi, impugnāt, ostēdentes primo, quod non omnis licentia vtendi, est ius vtendi. Secundo quod qui habet ius vtendi aliqua re determinata, habet ius agendi. Primum ostendunt primo secundum Nicolaum tertium in decretal. *Exiit* Fratres Minores

Minores vtentes rebus à fidelibus eis concessis, nullum habent ius vtendi eis pro illo tempore: & tamen habent licentiam vtendi eisdem pro illo tempore, quo vtuntur, ergo licentia vtendi non est ius vtendi, antecedens patet per Nicolaum supradictum, qui ait: *nec per hoc, quod proprietatem vsus & rei cuiuscunque dominium à se abdicasse videntur, simplici vsui omnis rei renunciatum esse conuincitur, qui inquam vsus non iuris, sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum in vtendo prabet vtentibus nihil iuris: quinimo necessariarum rerum, tam ad vita sustentationem, quam ad officiorum sui status executionem, excepto quod de pecunia infra subiungitur, moderatus vsus secundum eorum regulam & veritatem omnimodam concessus est Fratribus, quibus rebus Fratres licite vti possunt, durante concedentis licentia.* Ex quibus verbis colligitur euidenter: quod concedens Fratribus licentiam vtendi rebus, nihil iuris tribuit eis, & per consequēs nec licentia vtendi est ius vtendi: nec necessario ipsa concessa tribuitur ius vtendi. Sed forte dicet aliquis, quod prædicta verba Nicolai nullatenus continent veritatem, etiam secundum ipsum. Nam secundum prædicta, & secundum ipsum Fratres habent ius vtendi rebus, quibus vtuntur: quia iuri vtendi naturali renunciare non possunt, cum ipse dicat, quod ipsis Fratribus iure poli in extremæ necessitatis articulo ad prouidendum sustentationi naturæ, via nequaquam præcluditur, falsum ergo videtur, quod Fratres in huiusmodi rebus nihil iuris habent. Ad hoc dicunt isti, quod licet Fratres Minores in rebus, quibus vtuntur, non habeant aliquod ius positiuum: habent tamen aliquod ius vtendi in eis scilicet ius naturale, licet non semper pro illo tempore, quo vtuntur, & ideo Nicolaus nō dicit, quod Fratres in huiusmodi rebus nihil iuris habent: sed dicit, quod vsus, quem habent Fratres in rebus, nihil iuris tribuit eis, vnde dicit, *qui inquam vsus non iuris sed facti tantummodo nomen habens, quod facti est tantum in vtendo prabet vtentibus nihil iuris.* Ex quibus verbis colligitur, quod ex hoc quod Fratres vtuntur modo communi rebus nihil iuris eis tribuitur, cum quo tamen stat, quod aliunde habeant ius aliquod scilicet ius naturale, sed illud ius non habent nisi tantummodo pro tempore necessitatis extremæ. Ex istis patet, quod licentia vtendi non est ius vtendi: quia Fratres habent licentiam vtendi rebus pro alio tempore, quam pro tempore necessitatis extremæ: sed non habent quodcunq; ius vtendi, nisi pro tempore extremæ necessitatis, ergo licentia vtendi non est ius vtendi. Ex prædictis notant isti impugnatores, quod signanter Nicolaus tertius asserit Fratres Minores ꝓprietatem omniū & dominium abdicare: sed nusquam dicit eos commune ius omnium abdicare: quia ꝓprietati & potestati appropriandi licet renunciare: sed iuri vtendi naturali nulli renunciare licet: quia quilibet omni tempore habet ius vtendi ex iure naturali, sed non quilibet habet illud ius pro omni tempore, sed pro tempore necessitatis extremæ. Secundo probant isti impugnatores eandem conclusionem sic: si licentia vtendi est ius vtendi; ergo quicunq; habet specialē licentiam vtendi, habet ius speciale vtendi, sed quilibet religiosus habet specialem licentiam vtendi rebus multis, qua omnis alius caret, ergo quilibet habet ius speciale, ius autem speciale, quod competit vni soli, est ius propriū, ergo quilibet religiosus habet ius proprium: & ita quilibet religiosus est proprietarius reputandus. Tertio sic: seruus habet licentiam vtendi rebus domini sui: & tamen non habet ius vtendi eisdem rebus, ergo non omnis licentia vtendi est ius vtendi. Quarto sic: Nemo priuandus est iure suo absq; causa & sine culpa, sed licentia vtendi potest quis sæpe priuari licite sine culpa & sine causa, ergo non omnis licentia vtendi est ius vtendi. Item post ea isti impugnatores ostendunt, quod qui habet ius vtendi positiuum re determinata habet ius agendi, & primo sic: qui potest repetere suum, habet ius agendi: quia repetitio iudicialis sine iure agendi esse non potest, sed qui habet ius vtendi aliquo, si ablatum fuerit, potest illud repetere. Vnicuiq; enim licet sua repetere, saltem cum debitis circumstātiis. Vnde etiam clerici & monachi, bona communia saltem de licentia superioris repetere possunt, & sicut res suas communes repetere possunt, ita etiam iura sua repetere possunt, ergo quicunq; habet ius vtendi re determinata, saltem positiuum, habet ius agendi, & ratio confirmatur per beatum August. qui, vt habetur *14. q. 1. c. quod debetur,* ait: *Quod debetur & benigne remittitur, non tamen inique repetitur.* Ex quibus verbis euidenter colligitur, quod omne, quod debetur, absq; inquitate repeti potest, si ergo ius vtendi alicui debetur, absq; iniquitate repeti potest: & per consequens cui debetur ius vtendi, habet ius agendi: quia sine iure agendi nihil quod debetur licite repeti potest.

(Loquitur de vsu pro quo competit ius vtendi) & ideo male: quia de tali vsu non loquitur decretalis Exiit: cuius tamen occasione, vt iste dicit, facta fuit constitutio, *Ad conditorem, (potest enim alicui competere ius vtendi, cui non competit ius agendi)* hoc saltem non est verum de iure vtendi positiuo, quidquid sit de iure vtendi naturali, *(imponit constitutioni quod nec intelligit nec dicit)* hoc dicunt esse falsum: quia constitutio sententialiter dicit hoc, *(vtrum autem tale ius sit mundanum & ciuile)* tale ius humanum est, hoc est positiuum & ciuile est, secundum quod omne ius, quod non est naturale & ius gentium, dicitur ciuile. *(An pro illo Apostolis competierit ius agendi)* iste tenet quod sic, sicut inferius ostendetur.

Cap. LXII.

Item in hoc, quod dicit, quod constitutio Quia quorundā *continet manifeste, quod intelligitur de iure ciuili & mundano, quod est proprium, mentitur aperte: imo dicta constitutio dicit clare, quod ius vtendi communitatis Fratrum existit. Cum enim Innocentius & Alexand. in suis declarationibus Regula Fratrum Minorum dixerint, quod locorum, domorum, vtensilium & librorum, qua licet habere ordini, habeat ordo vsum, dicta constitutio* Quia quorundam, *volens probare, quod illud de vsu iuris intelligi debeat, sic subiunxit: cum enim dicatur in declarationibus*

tionibus supradictis, quod ordo vsum rerum habeat præmissarum, ad vsum iuris necesse est hoc referre: facta quidem quæ singulorum sunt personam veram exigunt & requirunt. Ordo autem vera persona non est, sed repræsentata & imaginaria potius est censenda, quare quæ facti sunt sibi vere conuenire nequeunt, licet ei possint congruere quæ sunt iuris. Ex quibus patet, quod dicta constitutio ius vtendi non dicit esse proprium, sed toti vniuersitati commune.

Hic impugnatus iste conatur ostendere, quod constitutio *quia quorundam* non loquitur de iure vtendi, quod est proprium, quod tamen, vt dicit, sibi imponit appellans, hoc autem sic ostendunt, constitutio *quia quorundam* loquitur de iure illo vtendi, de quo loquitur Innocentius & Alexander in suis *declarationibus Regulæ Fratrum Minorum*, sed ipsi loquuntur de iure vtendi, quod est communitatis, & non de iure vtendi quod est proprium: ergo &c.

Sed isti impugnatores contra ipsum tria nituntur ostendere, quorum primum est, quod constitutio *quia quorundam* loquitur de iure contentioso & litigioso: ex quo concludunt, quod cōstitutio *Ad conditorem* loquitur de iure agendi. Secundum est, quod eadem constitutio *quia quorundam*, loquitur de iure proprio, non solum collegio, sed etiam personæ. Tertium quod verba quæ recitat hic de cōstitutione *quia quorundam* plures errores ridiculosos includunt. Primum videlicet, quod constitutio *quia quorundam* loquitur de iure contentioso & litigioso, sic ostendunt: impugnans aliquam assertionem seu aliquas assertiones eodem modo debet intelligi vti vocabulis, quo vtitur assertio impugnata: aliter non ad rem, sed ad nomen & sophistice impugnaret, sed assertio, quam constitutio *quia quorundam* impugnat, loquitur tantum modo de iure contentioso & litigio: quod ex verbis, quæ recitat constitutio supradicta *quia quorundam*, euidenter apparet. Ait enim sic: *rursus asseruisse dicuntur publice huiusmodi assertores: quod abdicatio iuris in cuiuscunque rei proprietate & in vsu eius, est sancta & meritoria propter Deum, & à Christo in seipso seruata Apostolisque imposita, & ab ipsis sub voto assumpta, nec per hoc vsus facti ad sustentationem naturæ in Christo & Apostolis conuincitur esse non iustus, sed tanto iustior atque perfectior & Deo acceptior, & mundo exemplarior, quanto plenius renunciatum fuerit omni iuri, per quod potest sic vtens pro huiusmodi quomodolibet contendere vel in iudicio litigare.* Hæc verba assertionis, quam constitutio prædicta *quia quorundam* impugnat. Ex quibus patenter colligitur, quod assertio prædicta loquitur de iure contentioso & litigioso, cum dicat aperte: *quanto plenius renunciatum fuerit omni iuri, per quod potest sic vtens pro iure huiusmodi quomodolibet contendere vel in iudicio litigare.*

Sed forte dicet aliquis, quod licet dicta assertio in fine loquitur de iure vtendi contentioso & litigioso, tamen in principio magis generaliter loquitur de iure, cum dicit, quod *abdicatio iuris in cuiuscunque rei proprietate & in vsu eius est sancta* &c. Ibi enim nequaquam specificatur ius, quo valet quis in iudicio litigare.

Sed ista obiectio (vt dicunt) non valet propter duo: tum quia licet in principio nequaquam specificetur ius: tamen in fine assertionis specificatur: tum quia dicta constitutio *quia quorundam*, non tantum impugnat primam partem prædictæ assertionis, sed etiam vltimam in qua specificatur ius per ius, quo valet quis in iudicio litigare. Ad euidentiam primi dicunt esse sciendum, quod per sequentia sæpe antecedentia debent intelligi. Secundo dicunt esse notandum, quod sæpe verbum indiffinite prolatum nequaquam vniuersaliter debet intelligi, sicut prius est ostensum. Ex his dicunt patere, quod prima particula assertionis præfatæ tantum pro iure, quo valet quis in iudicio litigare, debet intelligi: quia cum non dicatur abdicatio omnis iuris in cuiuscunque rei proprietate &c. Sed *abdicatio iuris*, ex sequentibus, in quibus aperte cum specificatione dicitur, *quanto plenius renunciatum fuerit omni iuri, per quod potest sic vtens pro iure quomodolibet contendere* &c. manifeste claret, quod prima particula de iure, quo potest quis in iudicio litigare, debet intelligi, & ideo non dicit, quod abdicatio omnis iuris in cuiuscunque rei proprietate & in vsu eius est sancta &c.

Hoc enim falsum est etiam secundum istos assertores: quia dicunt quod abdicatio iuris naturalis in vsu rei non est sancta, cum illi iuri nemini liceat renunciare, qui enim tali iure renunciaret, non posset in articulo necessitatis extremæ de re aliena sine licentia alterius conseruare vitam suam: quod falsum est. Sed assertio prædicta dixit, quod *abdicatio iuris*: hoc est alicuius iuris in cuiuscunque rei proprietate & in vsu eius est sancta &c. vt sit sensus: Abdicatio alicuius iuris quantum ad proprietatem & vsum cuiuscunque rei est sancta &c. ideo postea cuidam tacitæ obiectioni respondens, de quo iure intellexerit expressit, dicens: *Nec propter hoc vsus facti ad sustentationem naturæ in Christo & Apostolis conuincitur esse non iustus: sed tanto iustior atque perfectior & Deo acceptior & mundo exemplarior: quanto plenius renunciatum fuerit omni iuri, per quod potest sic vtens pro iure huiusmodi quomodolibet contendere vel in iudicio litigare.* Quasi diceret, si aliquis dixerit, quod si Christus & Apostoli abdicauerunt omne ius in rebus, actus eorum fuisset iniustus, dicendum est, quod non abdicauerunt omne ius, quia non ius naturale: sed abdicarunt omne ius, per quod potest quis in iudicio litigare, & ideo vsus eorum non fuit non iustus &c.

Sic ergo patet, quod licet dicta assertio in prima particula non specificet, de quo iure loquatur: tamen in fine specificat manifeste: & ita præmissa obiectio non procedit: quia prima particula de iure, quo potest quis in iudicio litigare, debet intelligi: & sic intelligunt & intellexerunt à principio omnes, qui cum isto appellante concordauerunt & concordant, vbicunque enim dixerunt vel dicunt, quod Fratres Minores non habent ius vtendi in rebus & consimilia, semper loquebantur & loquuntur de iure, quo quis valet in iudicio litigare.

Secun-

Secundo dicunt isti, quod præmissa obiectio non procedit, quia constitutio, *quia quorundam*, non solum impugnat primam particulam assertionis memoratæ: sed etiam impugnat vltimam particulam assertionis eiusdem: & ita cum illa particula de iure vtendi, quo potest quis litigare non solum sententialiter, sed etiam vocaliter aperte loquatur, constat quod constitutio *quia quorundam* de eodem iure debet intelligi. Quod vero dicta constitutio *quia quorundam* non solum primam partem sed etiam vltimam assertionis eiusdem impugnet, patet, cum post dictam assertionem immediate subiungat: *quæ quidem assertio continet multa falsa, cum Christum expropriationem prædictam omnis iuris in cuiuscunque rei proprietate, & in eius vsu in se seruasse, nec eam imposuisse Apostolis, nec sub voto ab ipsis fuisse receptam Euangelica seu Apostolica doceat historia: sed contrarium euidentius manifestat. Quod autem in prædicta assertione adiicitur, quod per abdicationem iuris prædicti, videlicet proprietatis & eius vsus, vsus facti ad sustentationem in Christo & Apostolis non conuincitur esse non iustus, sed tanto iustior &c. & impossibilitatem includit & errorem dictum huiusmodi euidenter.* Ex his verbis colligitur euidenter, quod constitutio *quia quorundam* non solum impugnat seu reprobat primam particulam assertionis prædictæ: sed etiam vltimam illam, scilicet *sed tanto iustior* &c. In qua expresse fit mentio de iure, quo valet quis in iudicio litigare, ergo prædicta constitutio, *quia quorundam*, loquitur de eodem iure, quo quis videlicet valet in iudicio litigare. Aliter enim sophistice prædictam particulam impugnaret. Vt autem appareat, quod constitutio *quia quorundam* nequaquam sufficienter prædictam assertionem impugnat, isti impugnatores ad impugnationes in ea contentas, respondere conantur.

Ad impugnationem autem dictæ primæ particulæ dicunt, quod dicta constitutio *quia quorundam* eidem particulæ falsum imponit, videlicet quod Christus & Apostoli omne ius in omnis rei & proprietate & eius vsu abdicauit dicens, *cum Christum ex propriationem prædictam omnis iuris* &c. Hoc enim non dicit prædicta assertio, sed tantum vsa est verbo indiffinite prolato, dicens quod *abdicatio iuris* &c. non dixit, omnis iuris. Secundo respondent ad impugnationes secundæ particulæ, quæ sunt istę: *impossibile est enim actum humanum extrinsecum esse iustum: si exercens actum ipsum nullum ius habeat exercendi: imo non iustus, sed iniustus conuincitur talis vsus. Item est absurdum & erroneum, quod actus aliquis nō habentis ius actum huiusmodi faciendi sit iustior & Deo acceptior, quam habentis cum concludit actum iniustum iustiorem & Deo acceptiorem existere quam sit iustus.* Istæ sunt duæ impugnationes vltimæ particulæ prædictæ assertionis. In quibus oportet accipere *ius* pro iure, quo valet quis in iudicio litigare, cum taliter etiam & vocaliter accipiatur ius in præfata particula impugnata. Sed dicunt isti, quod istæ impugnationes sunt sophisticæ: & quod ex ignorantia æquiuocationis istorum nominum *iustus* & *iniustus* procedunt, quod prædictæ impugnationes per distinctiones de iustitia & iusto superius *c. 60.* expositas dissoluuntur.

Vnde ad primam dicunt, quod accipiendo actum iustum pro actu à iustitia, quæ est virtus particularis distincta contra alias virtutes elicitum posset concedi: quod actus non esset sic iustus sine iure tali: sed accipiendo actum iustum pro actu elicito à iustitia tertio modo dicta, quæ secundum Thomā est iustitia metaphorice dicta, sic potest actus esse iustus sine iure, quo valet quis in iudicio litigare. Sic enim actus castitatis est iustus, imo quilibet actus bonus est isto modo iustus, & tamē multi actus boni multarum virtutum eliciuntur sine iure, quo valet quis in iudicio litigare. Per idem respōdēt ad secundū, ꝙ licet esset inconueniens, ꝙ actus non habentis ius esset iustior, secundum ꝙ actus dicitur iustus: q̄a elicitur à iustitia, quæ est virtus particularis distincta contra alias virtutes sine iure, quo valet q̄s in iudicio litigare: non tñ est inconueniens, quod aliq̄s actus sit iustior secundū quod actus dicitur iustus à iustitia tertio modo dicta sine tali iure, q̄ sit actus alius habentis tale ius, vnde sic actus diligendi Deū est iustus & iustior, q̄a melior q̄ actus mercenarii recipientis mercedē pro laborē suo. Et cū innuitur, ꝙ tunc actus iniustus esset iustior & Deo acceptior, q̄ actus iustus. Dicunt, ꝙ hoc non sequtur: quia non omnis actus exercitus sine iure, quo valet quis in iudicio litigare, est actus iniustus accipiendo enim actū iniustū, put opponitur actui iusto elicito à iustitia particulari, multi sunt actus, qui nec sunt iusti nec iniusti. Actus enim temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ, misericordiæ, liberalitatis, & aliarū virtutū illo modo nō sunt iusti nec iniusti: accipiendo actū iniustum, vt opponitur actui iusto tertio modo dicto, sic actus talis non est iniustus, sed iustus: & tamen sine iure quo valet quis in iudicio litigare: sed non sine rōne recta, & de hoc amplius patebit inferius. Ex pdictis concludunt isti impugnatores, ꝙ constitutio *Ad conditorē* loquitur de iure agendi. Nam constitutio *Ad cōditorem* loquitur de eodē iure, de quo loquitur constitutio *quia quorundā* sed constitutio *quia quorundā* loquitur de iure agendi: cū sicut ostensum est, loquatur de iure, quo valet aliquis in iudicio litigare, ergo constitutio *Ad conditorē* loquitur de iure agendi: & ita secundū illam constitutionē ius vtendi est ius agendi. Quod confirmatur, quia secundum istum in principio istius constitutionis, *quia vir reprobus*, ius vtendi est vsus iuris ciuilis, sed vsus iuris ciuilis est ius agendi, ergo ius vtendi secundum istum est ius agendi. Dicunt igitur, quod cum dicit ius vtendi posse competere alicui, cui non competit ius agendi, sibiipsi contrarius inuenitur.

Secundo isti impugnatores conantur ostendere, ꝙ constitutio *quia quorundam* loquitur de iure vtendi ꝓprio, non solum collegio, sed etiā personæ. Nam sicut patet p rationes, q̄bus probare conantur, quod actus est iniustus, si exercens ipsum actū non habet ius faciendi: ipse loq̄tur de iure sine quo actus est iniustus, & p quē actus est iustus, sed tale ius secundū eum non est ius cōmune communitati. Nam ad hoc, quod aliquis actus sit iustus, ius commune communitati non sufficit, sicut nec sufficit ad hoc quod actus sit licitus. Vnde ad hoc, quod monachus licite aliq̄ cellam inhibitet, vel equum

 equi-

equitaret, nõ sufficit ius commune suo collegio: sed requiritur quod ipse in speciali habeat licentiam à superiori ad actus tales exercendos. Licentia autem secundũ istum est ius vtendi, ergo ad hoc, ꝙ tales actus sint liciti & iusti, requiritur ius vtendi propriũ, præter ius vtendi commune, & de illo iure, quod facit actum esse iustum, loquitur constitutio, *quia quorundã*, ergo loquitur de iure vtendi ꝓprio.

Tertio isti impugnatores ostendunt, quod verba, quæ hic recitantur ad constitutionem, *quia quorundam*, plures errores ridiculosos includunt. Quorum primus est: quod Ordo Fratrũ Minorum habet vsum iuris in rebus, quibus vtitur, quod enim hoc sit erroneum, patet, quia omnis vsus iuris est vsus nudus vel vsusfructus, sed Ordo Fratrum Minorum non habet vsum nudum iuris in rebus, nec vsum fructũ, quia omnis habens tale ius, potest pro vsu rei in iudicio litigare: ꝙ secundum Clementẽ quintũ Fratribus Minoribus conuenire non põt, ergo ordo Fratrum Minorũ non habet vsum iuris.

Secundus error ibi contentus, vt dicunt, est quod ordo Fratrum Minorum est persona repræsentata & imaginaria, ꝙ enim hoc sit erroneum, ostendunt: quia si ordo Fratrum Minorum est persona repræsentata & imaginaria, eadem ratione ecclesia, & quælibet communitas esset ꝑsona repræsentata & imaginaria: ꝙ est absurdum, ꝙ enim est tantum repræsentatum & imaginariũ, est fantasticum: & non est in re extra animã, sed ecclesia non est quid fantasticum non existens extra animam, ergo non est persona repræsentata & imaginaria. Confirmatur, qa aut ecclesia est extra animã, aut in anima tantum, aut quid cõpositum ex ente in anima & ente extra animam, si est in anima tantum, vel aliquid compositum ex ente in anima & ente extra animã: ergo nullũ reale nec iurisdictionem potest habere: quæ dicere de ecclesia est impium & blasphemum, si autem ecclesia est extra animam: vel ergo est vna res vel plures: & siue sit vna siue plures, non est persona repræsentata & imaginaria, ecclesia ergo non est persona repræsentata & imaginaria, & eadem ratione ordo Fratrum Minorum non est persona repræsentata & imaginaria.

Tertius error (vt dicunt) est, quod quæ facti sunt, Ordini vere nequeunt cõuenire, quod enim hoc sit erroneum probare conantur: quia si ea quæ sunt facti, Ordini nequeunt conuenire, eadem ratione ea quę sunt facti nulli communitati vel collegio possunt conuenire: & per consequens ea quę sunt facti, nec ecclesiæ, nec concilio generali, nec congregationi fidelium, nec populo, nec turbæ, nec plebi, neq; ciuitati, regno, vel cuicunq; alii vniuersitati, aut cõmunitati poterunt conuenire: ꝙ scripturę sacræ, & sacris canonibus, ac doctrinæ sanctorum noscitur repugnare. Luc. enim 1. sic legitur: *Omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi: & inde erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quod tardaret ipse in templo.* & Matth. 22. sic scribitur, *& cum intrasset* (sc. Iesus,) *Hierosolymã, commota est vniuersa ciuitas, dicens, quis est hic?* & Act. 15. *Ibi igitur deducti ab ecclesia transibant Phœnicem* &c. & infra: *Placuit Apostolis & senioribus, cum omni ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba* &c. Item Greg. vt habetur *12. q. 3. c. Sicut*, ait: *Sicut ecclesia proprias res amittere non debet: ita eam rapacitatis ardore habere alienas non oportet.* Itẽ vniuersalis ecclesia approbat constituta synodi, vt habetur *25. q. 1. confidimus*, & Gelasius papa *di. 16. c. sancta*, ait: *sancta Romana ecclesia post illas noui & veteris testamenti scripturas, quas regulariter suscipimus, & has suscipi non prohibet, sanctam synodum* Nicenam &c. Et Greg. eadẽ *di. c. sicut* ait: *Cunctas vero quas præfata veneranda concilia personas respuunt respuo.* Et Isidorus eadem *di. c. 1.* ait: *Consubstantialem Deo patri Dei filiũ eadem sancta synodus per symbolum diffiniuit*, & extra de sponsalibus & matrimonio c. 1. sic habetur, *diffiniuit super hoc sancta synodus* &c. & extra de summa trinitate & fide catholica c. damnamus ait Innocentius: *Nos autem sacro approbante concilio credimus* &c. Ex his aliisq; innumeris auctoritatibus & sacris canonibus luce clarius constat, quod ea quæ facti sunt, possunt ecclesiæ, concilio, synodo, populo, multitudini, communitati & collegiis conuenire.

Quartus error (vt dicunt) est, quod licet ordini non possint conuenire ea quæ sunt facti: ei tamen conuenire possunt ea quæ sunt iuris, hoc ergo dicunt esse erroneum: quia omne ius ad aliquem actum ordinatur, cui ergo illud ꝙ facti est conuenire non potest, nec illud quod iuris est, eidem poterit conuenire. Item, nulli quod est solum imaginarium potest ius aliquod conuenire: sed ordo secundum istum est solum modo quid imaginarium: ergo ei non potest ius conuenire.

(*Item intelligitur de iure mundano & ciuili quod est proprium*) hoc probatum est quo ad vtramq; particulam (*ius vtendi communitatis fratrum existit*) hoc falsum est de iure vtendi humanitus instituto & directe decretali *Exiit* obuiat & repugnat, (*ordo vsum habeat*) hoc est Fratres vsum habeant: quia Fratres sunt Ordo, sicut enim secundum Apostolum ad Hebræos 3. fideles sunt domus Dei, loquens enim de domo Dei: *qua domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsq; ad finem firmi retineamus*: ita Fratres sunt ordo, & ordo est Fratres. Ex quo sequitur euidenter, ꝙ ordo non est ꝑsona imaginaria & repræsentata: sed ordo est verę personæ reales, (*dicta constitutio quia quorundam volens probare ꝙ illud de vsu iuris debeat intelligi*) & male: quia dictũ Innoc. & Alex. quarti debet intelligi de vsu facti, non de vsu iuris. (*Ad vsum iuris necesse est hoc referre*) dicunt isti, ꝙ male dicit, quia debet referri ad vsum facti. (*Facta quidem quæ singulorũ sunt personam veram exigunt & requirunt*) hoc verum est, sed nõ semper exigunt vnam personam veram, sed aliquando exigunt plures veras personas. (*Ordo autem vera persona non est*) verũ est quod ordo non est vnica vera persona, sed est veræ personæ, sicut populus non est vnus hõ, sed est plures homines, (*sed repræsentata & imaginaria potius est censenda*) hoc dicunt fantastice dictũ: quia ordo est veræ ꝑsonæ, sicut ecclesiæ est veræ ꝑsonæ, (*quæ facti sunt, sibi conuenire nequeunt*) hoc est erroneũ, sicut est erroneũ dicere, ꝙ illa q̃ facti sunt ecclesiæ nequeunt conuenire, (*licet possint ei congruere, quæ sunt iuris*) hoc innuitur, ꝙ ꝑsonæ imaginariæ pñt congruere ea q̃ sunt iuris, ꝙ est ridiculosum secundum istos. (*Ex quibus patet, ꝙ dicta constitutio ius vtendi non dicit esse ꝓprium*) verum est, ꝙ hoc non dicit

voca-

vocaliter, tamen hoc sequitur ex dictis ibidem. Et qui vnum dicit, dicit omnia quæ sequuntur ex illo, ideo vere potest dici, quod hic dicit. (*Sed toti vniuersitati communi*) dicunt quod vtrumq; dicit, vnum vocaliter & aliud sententialiter, & ideo sibiipsi contradicit.

Cap. LXIII.

Recte dicit dictus hæreticus, quod si vsus posset separari à iure vtendi, vsus à iure vtendi separatus non esset iniustus, quia aliud est habere ius vtendi, & aliud licentiam vtendi, & ideo quamuis vsus absq; omni iure & licentia vtendi esset illicitus vsus: tamen absq; iure vtendi cum licentia tamen vtendi nequaquam illicitus esset censendus.

In parte ista iste impugnatus quandam responsionem appellantis ad rationem istius impugnati, quæ innuitur supra *capit. 59.* reprobare conatur, & diuiditur in duas partes, quia primo recitat dictam responsionem; secundo eam impugnat in parte immediate sequenti.

Ad euidentiam primæ partis est sciendum, quod supra *capitulo 59.* innuitur talis ratio ad probandum, quod vsus concessus Fratribus Minoribus non est sine iure vtendi: quia aliter esset illicitus. Et ad hoc hic respondet appellans dicens, quod vsus, qui non est sine iure vtendi, & sine licentia vtendi, qualis non est vsus Fratrum, non est illicitus.

(*Vsus à iure vtendi separatus, non esset iniustus*) Etiam esto, quod non esset iustus, secundum quod aliquis actus dicitur iustus propter iustitiam particularem contra alias virtutes distinctam: quia sic accipiendo actum iustum, multi sunt actus, qui nec sunt iusti, nec iniusti: qui tamen sunt boni vel mali. (*Aliud est habere ius vtendi & aliud licentiam vtendi*) hoc continet omnimodam veritatem de iure, quo valet quis in iudicio litigare, de quo loquitur constitutio *quia quorundam*: sicut ostensum est in capitulo præcedenti.

Cap. LXIV.

Secundum hoc iste hæreticus inter ius & licentiã videtur facere differentiam, supponens quod aliquis habeat vtẽdi licentiam ab eo, qui potest eam concedere & quod non habeat ius vtendi: quod tamen euidenter est falsum. Si enim aliquis licentiam concedat alii vtendi re sua visibili: ita quod licentia teneat, constat quod ille habet ius vtendi re illa, cui licentia est concessa, hinc est quod religiosus in concordia extra suum monasterium electus sine sui superioris licentia ius consentiendi non habet: obtenta tamen licentia ius habet consentiendi. Extra de electione quam sic. li. 6. & c. si religiosus: cum similibus multis.

In ista parte iste impugnatus prædictam responsionem improbare conatur. Et diuiditur in duas partes, secundum quod duas rationes adducit, secunda incipit in parte immediate sequenti. Dicit ergo primo: quod secundum prædictam responsionem sic differt licentia à iure, quod aliquis potest habere licentiam sine iure: quod tamen est falsum: quia si aliquis concedit alicui licentiam vtendi, sic quod licentia teneat, ille habet ius vtendi: quod probat per exemplum de religioso: cui si conceditur licentia consentiendi in electionem de se factam, ipse habet ius consentiendi.

Sed isti impugnatores dicunt, quod ratio non probat. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod appellans non intendit asserere, quod omnis, qui habet licentiam, non habet ius: sed quod aliquis potest habere licentiam, licet ex hoc ius non habeat. Nam, sicut dictum est supra *cap. 61.* aliquando concessa licentia ius quoddam acquiritur: aliquando non, quando enim obtenta licentia nõ potest ad libitum reuocari, ius quoddam acquiritur: quando vero ad libitum potest reuocari, nec virtute licentiæ potest, habens eam in iudicio litigare, nullum ius acquiritur. Nunc autẽ aliquando datur licentia vtendi rebus, quæ potest ad libitum reuocari: sicut concedentibus Fratribus Minoribus licentiam habitandi in locis suis possunt illam licentiam ad libitum reuocare. Nec Fratres virtute talis licentiæ possunt pro inhabitatione locorum huiusmodi in iudicio litigare: ideo ipsis per licentiam huiusmodi nullum ius acquiritur. Aliquando autem datur licentia vtendi rebus, quæ non potest ad libitum reuocari, sicut patet in commodato secundum quod iura ciuilia & canonica de commodato loquuntur: sicut patet *extra de commodato, precarium*, licet enim possit quandoq; reuocari commodatũ: tamen ante vsum expletum, ad quẽ concedunt, reuocari non potest, & ideo concessa licentia vtendi commodato ius quoddã acquiritur. Per hoc patet quod ratio prædicta istius impugnati vel probat: quia non semper licentia obtenta acquirit ius: licet quandoq; hoc sit verum. Ex quo patet quod per exemplum de religioso etiam esto quod sit verum: conclusio intenta non probatur, quia per vnum exemplum vniuersalis probari non potest.

(*Supponens quod aliquis habeat vtendi licentiam ab eo qui eam possit concedere: & quod non habeat ius vtendi*) si intelligatur particulariter, hoc est de intentione appellantis: sed vniuersaliter intellectum nõ est de intentione sua. Ad intentionem autem suam habendam sufficit, quod particulariter intelligitur (*quod enim euidenter est falsum*) particulariter intellectum est verum euidenter, sicut probatum est supra cap. 61.) *Constat quod ille habet ius vtendi re illa cui licentia est concessa*) hoc non habet veritatẽ de licentia, quæ potest ad libitum reuocari: & pro qua non potest quis in iudicio litigare, (*obtenta tamen licentia: ius habet consentiendi extr. de electis c. quam sic. li. 6. & c. si religiosus*) siue sit verum siue falsum, quod religiosus obtenta licentia habet ius consentiendi: hoc non dicitur in capitulis allegatis quia de iure consentiendi nulla ibi sit mentio. Sed forte dicet aliquis, quod si aliqua licentia potest dici ius: & omnis licentia poterit dici ius, quia non est ratio quare vna licentia debeat vocari ius magis quam alia. Ad hoc dici potest secundum prædicta, quod ratio est quare vna licentia potest vocari ius, & non alia: quia scilicet vna potest ad libitũ reuocari & alia non, vnde licentia, quæ non potest ad libitum reuocari, ideo potest

vocari ius: quia illa licentia non debet licentiatus sine culpa & absq; causa priuari. Potest nihilominus vocari licentia, quia licentiatus illa vti non tenetur: sed quædam alia licentia tantum licentia, & non ius vocari debet.

Cap. LXV.

Ratérea autem iste hæreticus dicit, quod iste cui vtendi re aliqua licentia est concessa, iuste re illa vtitur, aut quod iniuste, aut quod nec iuste re illa vtitur nec iniuste, si dicat quod iniuste: concordat vtiq; cum constitutione prædicta, quæ vult, quod qui sine iure vtitur, vtatur iniuste, si dicat quod iuste vtitur, sequitur per cõsequens, quod & iure, quia quod iuste fit, & fit iure, extr. de verborũ significatione ca. ius dictũ 14. q. 3. q d dicam. *Si autẽ dicat, quod ille cui est licentia vtendi concessa, nec iuste vtatur nec iniuste: hoc est falsum. Impossibile est enim actũ humanum indifferentem esse, id est nec bonũ nec malum: nec iustũ nec iniustum. Cum enim actus humanus dicatur, qui ex deliberata voluntate procedit: & per consequens qui est propter aliquem finem, qui quidem obiectum noscitur voluntatis, oportet quod si finis actus sit bonus, quod & ipse actus sit bonus, si vero finis sit malus, oportet quod actus sit malus: quia, sicut Aug. in lib. de moribus ecclesiæ dicit*: secundum quod finis est culpabilis vel laudabilis, secundum hoc laudabilia vel culpabilia sunt opera nostra.

In parte ista secundã rationem adducit ad probandum, quod qui habet licẽtiam vtendi re aliqua, habet ius vtendi eadem re: & primo probat ipsam: secundo ad quandam obiectionem, quæ contra ipsam posset adduci, respondet parte sequenti. Est ergo ratio talis. Qui vtitur re aliqua de licentia alterius sine iure, aut vtitur iuste, aut iniuste, aut neq; iuste neq; iniuste, si iniuste, concordat cum cõstitutione *Ad conditorem*, si iuste: ergo iure, *extr. de verborum significatione c. ius dictum est, & 14. q. 4. quid dicam*, si neq; iuste neq; iniuste, hoc dici non potest, quia omnis actus humanus est iustus vel iniustus.

Sed dicunt isti impugnatores, ꝙ iste cauillose procedens sub æquiuocatione vocum veritatis amatores catholicos nititur reprobare. Vnde ad huius argumenti dissolutionem primo distinguũt de iure: secundo ostendunt de quo iure appellans & iste impugnatus locuti sunt prius. Tertio ostendunt quomodo res temporales dicuntur diuersimode esse diuersorum: & quomodo diuersi diuersimode dicuntur temporalia possidere. Quarto replicant breuiter distinctionem de iusto & iustitia ac iuste. Quinto respondent ad formam argumenti præcedentis,

Circa primum dicunt, quod hoc nomen *ius* aliquando accipitur pro iure fori: Aliquando pro iure poli. Ista distinctio colligitur ex verbis Augustini *de vita clericorum*, quæ ponuntur 17. q. 4. ca. vltim. q̃ ait: *In potestate habebat episcopus nec reddere: sed iure fori non iure poli*. Et ex eisdem *ca & quæst. §. notãdum*, habetur eadẽ distinctione. Ad istius autem distinctionis euidentiã est sciendum, ꝙ *ius fori* vocatur iustũ, ꝙ ex pactione seu ordinatione humana vel diuina explicita constituitur, vnde & ius fori *ius consuetudinis* large sumpto vocabulo *cõsuetudinis* poterit appellari, & de isto iure dicitur in decretali distinctio. 6. *ius vero consuetudinis post naturalẽ legem exordium habuit, ex quo homines cõuenientes in vnũ cœperunt simul habitare*. Ex q̃bus verbis datur intelligi, ꝙ istud ius per pactionem seu ordinationem humanam constituitur, postq̃ pactionem seu ordinationem consuetudine aut lege firmatam violari ad placitũ cuiuscunq; non debet, teste Aug. *lib. 2. confessionum*, ꝑut habetur di. 8. c. quæ contra. qui ait: *Quæ contra mores sunt hominum flagitia, pro morum diuersitate sunt vitanda, vt pactũ inter se gentis, aut ciuitatis consuetudine, vel lege firmatum, nulla ciuis aut peregrini libidine violetur*. Ex quibus verbis datur intelligi, ꝙ ius pactione humana institutũ violari ad placitũ cuiuscunq; non debet, q̃uis in nonnullis casibus auctoritate superioris contra tale ius aliq d licite fieri possit, sicut Aug. declarat ibidem, ꝙ etiam ius humanitus cõstitutum non debeat ad libitũ violari ostenditur: q̃a secundum Isidorum, vt habetur in decretis di. 1. *Omne ius legibus & moribus constat*, sed leges & mores nõ debent ad placitũ violari, ergo ius humanitus institutũ non licet absq; auctoritate superioris ad placitum violare. Quod enim mores non liceat ad placitũ violare, patet per capitulum Augustini superius allegatum, Quæ contra. De legibus etiam patet idem ꝑ eundem Augustinum *de vera religione*, qui vt legitur *di. 4. c. 3. in istis*, ait: *In istis temporalibus legibus quanquã de iis homines iudicent, cum eas instituunt: tamen cum fuerunt instituta ac firmata, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundũ ipsas*. Ex quibus verbis datur intelligi, ꝙ leges humanitus institutæ non sunt ad placitũ etiam aliquorum iudicum violandæ: & ita etiam iura humanitus instituta non sunt ad placitũ violanda. Ex quo sequitur vlterius, ꝙ licentia, quæ iure fori potest à concedente ad placitum reuocari, est de iure fori minime repudianda ꝙ præcipue noscitur veritatẽ habere, quãdo concedẽs licentiã non est superior illo, cui licentia est concessa, ꝙ dicitur propter concedentẽ alicui priuilegiũ, ꝙ potest ad libitũ reuocare: q̃ tamen licet nõ respectu principis, sed respectu subditorũ cõtinet vim legis. *Ius* autẽ *poli* vocatur æquitas naturalis, quæ absq; omni ordinatione humana & etiã diuina pure positiua est consona rationi rectæ: siue sit consona rationi rectæ pure naturali, siue sit consona rationi rectæ acceptæ ex illis quæ sunt nobis diuinitus reuelata: ꝑter quod hoc ius aliquãdo vocatur *ius naturale*: q̃a omne ius naturale pertinet ad ius poli. Aliquando vocatur *ius diuinum*: quia multa sunt consona rationi rectæ iure naturali & iure diuino: sicut consonum est rationi rectæ acceptæ ex credibilibus, ꝙ Euangeliũ prædicantes saltem qui nõ habent vnde sustententur aliunde, de bonis illorũ quibus prædicant sustententur, hoc tamen per rationẽ pure naturalẽ ꝓbari nõ potest: sicut ꝑ talẽ rationẽ ꝓbari sufficienter non põt, quod illa quæ ꝑdicant, sunt vera vtilia & necessaria illis quibus ꝑdicãt.

Secundo dicunt isti, quod appellans & iste impugnatus, cũ altercantur an vsus rerum absq; iure vtendi possit esse licitus? loquuntur de iure fori, ꝙ enim sic loquatur appellans, constat: & ipse concedit, quod vero sic loquatur iste impugnatus, constat ex hoc, ꝙ ipse loquitur in hac parte de iure vtendi illo mõ, quo loq̃tur Nicolaus tertius in decretali sua *Exiit*: cũ dicit, ꝙ *in rebus tẽporalibus est cõsiderare*

proprietatem, possessionem, vsumfructũ, ius vtendi, & simplicem facti vsum, & cũ dicit: *qui inquã vsus nõ iuris, sed facti tantũmodo nomen habens: quod facti est tantũmodo in vtendo prabet vtentib. nihil iuris*, quod n. sic loquatur, sicut prædicti, manifeste patet *ex c. 61. & 60. & 31. & 32. & 37. & 41. & 55. & 58. & 69.* sed prędicti loquuntur de iure vtendi, quod est de iure fori. Quod n. impugnatores prædicti istius loqũtur de tali iure, constat aperte: quia loquuntur de iure, quo valet quis in iudicio litigare, tale aũt ius est de iure fori, ergo &c. quod etiã Nicolaus loquatur de tali iure in prędictis verbis patet: quia negãs Fratrib. ius vtendi. non negat eis ius poli: sed expresse cõcedit, ergo ibi non loquitur de iure poli, sed de iure fori. Constat ergo quod verba istius impugnati de iure fori debent intelligi. Neq; n. aliter impugnatores, quibus respondet in constitutione *quia quorundam*, neq; appellantẽ præfatum, neq; Fratres Minores dicentes se nihil iuris habere in his, quibus vtuntur, nisi sophistice, reprobare: quia omnes prædicti intelligunt de iure vtendi, quod ad ius fori pertinere dignoscitur.

Tertio ostendunt, quomodo res temporales dicuntur diuersimode esse diuersorum, dicentes, ꝙ res temporales dicuntur esse aliquorum ex meriti dignitate: & isto modo omnia sunt iustorum: hoc est iusti digni sunt omnia possidere: & isto modo nulla res temporalis est impii: quia impius nõ est dignus etiã pane quo vescitur: & ideo quia Deus oĩa fecit propter iustos, dicitur ꝙ aliquo mõ oĩa sunt iusto. ũ ex iure diuino, sicut dicit August. ad Vincentium, vt habetur 24. q. 7. c. 1. *quamuis res quacunque terrena non recte à quoquam possideri possit, nisi vel iure diuino quo cuncta sunt*, &c. hoc est, quib. iusti sunt soli digni. Aliter dicunt temporalia esse aliquorum ex debiti necessitate vel etiã honestate, quia sc. eis ex ratione recta debentur, & isto modo superflua diuitum sunt pauperum & indigentium: quia sc. diuites tenentur eis superflua elargiri, & sic intelligenda sunt verba Ambrosii, quæ ponuntur *67. di. c. sicut ii*, cum dicit: *Esurientium panis est quem tu detines: nudorum vestimentum est, quod tu recludis: miserorũ redemptio est pecunia quam tu in terra defodis.* In his verbis etiam bona ecclesiæ dicuntur esse pauperum, & quę sic dicuntur esse aliquorum, possunt dici eorum ex iure diuino: quia per ius diuinum tenentur eorum possessores ea talib. indigentibus exhibere. Tertio dicuntur temporalia esse aliquorum iure poli, & simul quandoq; iure fori & cõscientia bona, & sic res, quib. quis vtitur in articulo necessitatis extremæ, sunt illius siue sint illius iure fori, siue non. Quarto dicuntur res esse aliquorum sinceritate conscientiæ: & sic res temporales dicuntur esse illorum, qui non ex auaritia, nec intentione mala, sed ratione moti res tales habere noscuntur, nõ sunt aũt illorum isto modo, qui eas ex auaritia vel mala intentione detinent: & sic dicit Ambros. vbi prius: *Sed ait auarus, quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligentius seruo? O impudens, dic tu, quid propria dicis, qua ex quibus reconditis in hunc mundum detulisti?* & infra. *Proprium nemo dicat, quod est commune: plus sufficeret sumptui, & violenter obtentum est*, & infra: *quis tam iniustus, tam auarus, quam qui multorũ alimenta non suum vsum sed abundantiam & delitias facit?* Quinto dicuntur aliqua temporalia esse aliquorum ex iure fori tantummodo, & iste modus in multos diuiditur: quia aliqua ex iure fori sunt aliquorum vel quo ad proprietatem & dominium, vel quo ad vsum nudum, vel quo ad vsumfructum vel forsitan aliis modis, & isto modo possunt aliqua esse aliquorum, licet non sint illorum aliquo quatuor prædictorum modorum, vnde & auari multa habẽt iure fori, quibus sunt indigni, nec eis debentur, sed aliis, & quæ non ex conscientia recta, sed auaritia sola sibi retentant. Ex his patet, quod diuersi diuersimode noscuntur temporalia possidere, quidam enim possident temporalia iure fori: sicut illi, qui tempore necessitatis extremę res possident temporales, quibus vtuntur: quidam possident conscientia bona: quidam autem nullo iure, nec conscientia bona possident temporalia, sicut tyranni, vsurarii, & alii iniuste temporalia possidentes.

Quarto replicant distinctionem quandam de *iustitia & iusto & iuste*, quia quædam est iustitia particularis distincta contra alias virtutes: quædam est iustitia legalis: alia est iustitia qua operatio rectæ rationi conformatur, & sic dicitur proportionabiliter actus iustus vel iniustus tripliciter: & aliquid dicitur tripliciter iniuste fieri vel etiam iuste.

Quinto per prædicta isti impugnatores respondent ad formã argumenti istius impugnati dicentes, quod cum accipitur hæc propositio: Iste cui vtendi re aliqua licentia est concessa (quia scilicet non est ius) aut iuste vtitur, aut iniuste, aut neque iuste, neque iniuste. Dicunt, quod si accipiatur primo modo, secundum quod aliquid dicitur fieri iuste, quia fit à iustitia particulari, quæ est distincta virtus contra alias virtutes: sic neque vtitur iuste neque iniuste: quia sic accipiendo iustitiam & iustum multi sunt actus etiam meritorii & demeritorii, qui nec sunt iusti vel iniusti: licet sint boni vel mali, & laudabiles vel vituperabiles: quia etiam actus castitatis sic neque est iustus, neq; iniustus. Si autem accipiatur iuste tertio modo, sic dicunt, quod vtitur iuste re, cuius habet licentiam vtendi, quia vtitur conformiter rationi rectæ, & ideo concedunt quod vtitur iure: non quidem iure fori, sed iure poli. Quia omne quod recte absq; iure fori fit, iure poli fit, vnde sic iure facere, nõ est aliud quam bene moraliter facere. Et iure vti est bene moraliter vti, sicut iure possidere est bene moraliter possidere. Sed forte dicet aliquis, ꝙ talis non vtitur iure poli re sibi concessa, sicut nec possidet iure poli: quia nemo vtitur re aliqua iure poli, nisi qui re tali vtitur tempore necessitatis extremæ, quod Nicolaus Tertius videtur innuere, cum dicit in decretali *Exiit*: *Et quidem vbi dicit, quod non est aliqualiter præsumendum, quod hac cuncta deficerent, sicut nec cæteris, sic nec ipsis Fratribus iure poli in extrema necessitatis articulo, ad prouidendum sustentationi natura via extrema necessitate detentis concessa non præcluditur.* Ex quibus verbis insinuari videtur, quod nemini licet vti rebus iure poli, nisi sit in extremæ necessitatis articulo constitutus. Ad hoc dicunt, quod licet Nicolaus dicat, quod licet omnibus in extremæ necessitatis articulo constitutis vti rebus necessariis ad sustentationem natu-

ræ iure poli: non tamen negat aliquos posse in aliis casibus vti rebus iure poli. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, vti ꝙ temporalibus rebus pertinet ad ius naturæ, cui nemo licite renunciare potest: non tamen sic pertinet ad ius naturale, quin possit in multis casibus limitari, & quodammodo coartari, & ne in actum licite exeat impediri: quemadmodum secundum Isidorum, vt habetur *distinction. prim. ius naturale*, communis omnium possessio & omnium vna libertas ad ius pertinet naturale: & tamen istud ius quodammodo coartatur: quia & temporalia appropriantur, & multi seruituti subduntur: non tamen istud ius naturale potest taliter euacuari, quia nunquam sic possunt temporalia appropriari, quin tempore necessitatis debeant esse communia: sic posse vti temporalib. potest per legem humanam & voluntatem propriam liberi hominis quodammodo coartari, & aliqñ ne in actum vtendi exeat impediri, sic n. potest aliquis voto firmare, quod à carnib. abstinebit: sicut etiam homines prohibentur vti rebus alienis: posse tñ vti temporalib. temporaliter euelli nō potest. & ideo iure poli potest quilibet vti re temporali quacunque, qua vti neq; iure naturæ, neq; iure humano, neq; iure diuino, neq; facto proprio prohibetur, & ideo tempore necessitatis extremæ potest quilibet iure poli vti qualibet re temporali, qñ aliter vitam suã conseruare non posset: quia ad non vtendũ re temporali in hoc casu neq; iure quocunq; neq; facto proprio obligatur, vbi aũt vti aliqua re temporali determinata aliquis ꝑ hoc solummodo impeditur, quia res illa est aliena, eo ꝙ nullus re aliena, in qua nullũ ius habet præter ius naturale, extra casum necessitatis extremæ vti debet, ipso inuito, cuius est res illa: sola ꝑmissio illius, cuius est res, quæ ꝑ licentiã declaratur, sufficit ad hoc, ꝙ iure poli vtatur eadẽ re. Per permissionẽ aũt, & ꝑ consequens per licentiã solummō remouetur impedimentũ prohibens habẽti ius naturale vtendi, ne exeat in actũ vtendi, & nullũ ius nouum sibi cōfert, ergo talis sic permissus seu licentiatus iure poli poterit vti re illa, quæ est aliena. Illud etiã, sc. ꝙ tali licentiato nullũ ius nouum confertur, tali ratione probatur. Omne ius vel est diuinũ vel humanum. Et si humanũ, vel est naturale & poli, vel est ius positiuũ & fori, sed per talem permissionẽ seu licentiam constat, ꝙ non cōfertur ius diuinũ, nec ius poli siue naturale, ergo si cōfertur aliquod ius habenti licentiã, tale ius pertinet ad ius fori, ergo talis vteretur re illa iure fori: ꝙ constat esse falsum. Quia ꝑ omne ius fori potest quis in iudicio litigare, talis aũt nō habet aliquod ius, quo valeat in iudicio litigare, ergo non vtitur re illa iure fori, vtitur ergo solũmodo iure poli. Tunc tñ primo, qñ licentiatus seu permissus vtitur licite iure poli tali re & nō prius: quia modo est amotũ prohibens ius naturale: ne exiret in actũ vtendi, ꝙ ante amotum minime fuit. Et ex quo patet, ꝙ Fratres Minores, si non habẽt ius positiuum in reb. cōmune sibi & omnibus aliis fidelibus quibuscunq; reb. licite vtuntur iure poli: & non iure fori, vtuntur quantumcunq; sint extra articulũ necessitatis extremæ: quia iure vtendi naturali renunciare non possunt, possunt n. voto firmare, ꝙ nullam rem propriã nec aliquod ius propriũ in temporalib. volunt habere. Et ideo iure fori nulla re vti possunt, quia si re aliena vti debeãt, oportet remouere prohibens quod per permissionẽ seu licentiam ius, ad quem spectat permittere vel dare licentiam, amouetur: quo amoto, iure poli possunt in actum. Si autem vtuntur re aliqua, quæ occupanti conceditur, vel pro derelicta habentur, vtuntur ipsa iure poli: quia respectu talis rei nullum est impedimentum prohibens ne ius naturale vtendi in eis exiret in actum vtendi.

(*Qui sine iure vtitur iuste vtitur.*) Hic supponit iste impugnatus, quod aliquis potest vti re aliqua sine iure, quod de iure fori debet intelligi: quia sine iure omni naturali non potest vti re aliqua, cum ius naturale omnib. sit cōmune *di. 1. ius naturale*. Et ita cōstat, ꝙ iste impugnatus loquitur de iure fori (*si dicat ꝙ iuste vtatur sequitur per consequens quod & iure*) verũ est, ꝙ sequitur, ꝙ vtitur iure poli vel iure fori (*quia quod iuste fit, fit & iure*) verum est, quod fit iure poli vel iure fori, sed non oportet, ꝙ semper fiat iure fori (*ext. de verborũ significatione c. Ius dictum est & 14. q. 4. c. quid dicam.*) Dicunt isti impugnatores, quod quia verba in prædictis capitulis, in quibus iste se fundat, obscura videtur, volunt ea adducere in medium, & qualiter debent intelligi explicare, quæ sunt hæc. *Hoc enim iure possidetur, quod iuste: hoc iuste, quod bene.* Ex quibus verbis insinuãtur duæ propositiones videl. quod omne quod bene possidetur, iuste possidetur: & omne quod iuste possidetur, iure possidetur, ex quib. sequi videtur, ꝙ omnis, qui bene vtitur re aliqua, iure vtitur eadẽ re: & ita bonus vsus vtendi à iure vtendi separari nō potest, sed dicunt isti, ꝙ prædicta capitula loquuntur disiunctiue vel æquipollenter de iure poli & de iure fori. Ius aũt poli nō est aliud, q̃ potestas conformis rationi rectæ, absq; pactione. Ius fori est potestas ex pactione, aliqñ conformi rationi rectæ: & aliquando discordanti. Nullus autem bene possidet rem aliq̃, nisi secundum rationem rectam eam possideat, & ita qui possidet bene iure poli vel iure fori possidet, sed non omnis qui iure fori possidet, bene possidet. Ex quo sequitur, quod prędicta verba de iure fori non possunt intelligi, quia multa possidentur iure fori, quæ nō bene possidentur, & multa possidentur bene, quæ nō possidentur iure fori. Quod n. multa possideantur iure fori, quæ nō bene possidentur, patet de multis, quę iure possidẽtur, quibus tñ male vtuntur: & ꝑ consequẽs nō bene possident, teste Aug. qui 1. c. allegato, *quid dicã*, ait: *Male aũt possidet, qui male vtitur*, & Isidor. 1. c. allegato *ius dictũ*, ait: *Male aũt possidet qui vel suis male vtitur, vel aliena præsumit.* Ex quibus verbis colligitur euidẽter, quod nonnulli propriã rem male possident: & per consequens multa possidentur iure fori, quæ tñ male possidentur. Quod etiã multa bene possideantur, quæ iure fori minime possidentur, patet, quia qui legitime præscribit rem alienã, ante præscriptionem cōpletam bene possidet: & tñ ante præscriptionem cōpletam nullo iure fori possidet, ergo multa bene possidẽtur, quę tamen nullo iure fori possidentur, non ergo prædicta capitula loquuntur tm̃ de iure fori, sed etiã de iure poli, & ita ex eis concludi nō potest, quod qui vtitur re aliena licentia alterius, vtitur iure fori, sed sufficit quod vtatur

tur iure poli. Appellans autem probans, quod vsus licitus potest à iure vtendi separari, non loquitur de iure poli, sed de iure fori, sicut sæpe explicat manifeste, quare argumentum prædictum contra appellantem in nihilo concludit *(nec iuste vtatur nec iniuste.)* Sed iuste & iniuste accipiatur primo modo, non est inconueniens, vnde sic accipiendo qui dat alicui rem aliquam ex libertate non ex debito aliquo, nec dat iuste nec iniuste: quia non tenetur sibi dare: & ideo non exercet actũ iustitiæ particularis sed liberalitatis: nec tenetur non dare: & ideo non dat iuste. Accipiendo tamen iuste & iniuste tertio modo, sic non est concedendum, quod nec vtatur iuste nec iniuste *(nec bonum nec malum)* hoc concedunt sine distinctione *(nec iustum nec iniustum)* hoc concedunt in vno sensu, & in alio negant: sicut ex prædictis apparet. *(Oportet quod si finis actus sit bonus, quod & ipse actus sit bonus.)* Dicunt isti, quod quia iste in difficultatibus Theologicis minime est instructus, de quibus tamen se temerarie intromittit: ideo de hoc dicto eius, & de hoc quod dicit de obiecto voluntatis pertranseunt.

CAP. LXVI.

NEc obstat, si dicatur, quod imo Isidorus inter iustum & iniustum ponere medium fas videtur, dicens quod ire per agrum alienum fas est: ius non est. Isidorus enim diuiserat legem in diuinam & humanam: & imposuerat nomina istis legibus dicens: quod fas lex diuina est, ius lex humana. Vnde volens de his exemplum dare, subiunxit: ire per agrum alienum fas est, *id est de iure diuino licitum est*: ius non est: *id est de iure humano non licet: vt patet dist. 1. c. omnes leges. Non ergo voluit Isidorus inter iustum & iniustum, fas pro medio ponere: sed declarare, quod aliquid de iure diuino licet, quod de iure humano non licet.*

In parte istâ iste impugnatus respondet ad quandam obiectionem, quæ posset fieri contra rationem prædictam: contra hoc quod sc. accepit, quod non est medium inter actum iustum & iniustum: & est talis. Secundum Isidor. *transire per agrum alienum fas est, ius non est:* ergo nec est iustum, quia ius nõ est: nec est iniustum, quia fas est: & ita est aliquod medium inter iustum & iniustum. Ad quam respondet dicens, quod Isidor. per verba illa non intendit dicere, quod aliquis actus est medius inter iustum & iniustum: sed quod aliquid est licitum de iure diuino, quod nõ est licitum de iure humano.

Sed isti impugnatores, quia hanc obiectionem ad istam quæstionem non faciunt, circa ipsam non multum instant. Dicunt tamen, quod per verba Isidori prædicta bene probatur, quod accipiendo ius, sicut appellans accepit, cum dicit, *vsum licitum posse separari à iure vtendi*: quia ipse accepit ibi *ius vtendi* pro iure fori, aliquis actus est bonus & licitus sine iure tali: quia transire per agrum alienum non est ius: & tamen est licitum, ergo aliquis actus est licitus sine iure tali: & eadem ratione potest actus vtendi esse licitus sine iure vtendi.

(Inter iustum & iniustum ponere medium fas videtur.) Dicunt isti, quod fas nõn est medium inter iustum & iniustum, etiam primo modo accipiendo iustum & iniustum: quia sæpe fas est iustum etiã primo modo accipiendo iustum. Nam multa sunt iusta iure fori: tamẽ inter iustum & iniustum illo modo accepta, est aliquod aliud medium, saltem per abnegationẽ, quia actus aliarum virtutum & aliorum vitiorum ab iniustitia opposita iustitiæ particulari nec sunt iusti nec iniusti: illo modo inter iustũ etiã & iniustum tertio modo dicta est medium per abnegationem, licet n. omnis actus vel malus vel bonus necessario comprehẽdatur sub iusto vel iniusto illo modo dictis: tamen quidam alii actus nec sunt iusti nec iniusti. Nam actus non vtentium ratione nec sunt iusti nec iniusti & tertio modo accipiendo iustum & iniustum. *(Ire per agrum alienum fas est.)* Proprie loquendo aliud est ire per agrum alienum, aliud non prohibere aliquem ire per agrum: & vtrumq; in casu sub fas poterit comprehendi: & tamen vtrumq; potest ad iustitiam etiam particularem spectare *(fas lex diuina est)* Isidorus dicit, quod omne, quod fas est, nomine diuinæ vel naturalis legis accipiatur. Omne tamen quod fas est, etiam lex diuina poterit appellari, inquantum per legem diuinam, omne quod fas est saltem in genere fieri mandatur *(fas est)* id est de iure diuino licitum est: imo præceptum, si innoxius est transitus: quia de iure naturali, quod est immutabile, est quod vbi aliquid mihi prodest, & alteri non nocet, æquum est, vt me non prohibeas: licet ius fori ibi deficiat, nec per legem humanam potest statui cõtrarium, quod lex iniqua esset, & contra ordinem caritatis & contra doctrinam Christi dicentis Matth. 7. *Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines: ita & vos facite illis, hoc est enim lex & prophetæ,* veruntamen multa videntur in multis casibus non nocere alicui & alicui prodesse, quæ per legem humanam expedit prohiberi: quia si non prohiberentur sæpe & communitati & personis obessent, talibus tamen prohibitis generaliter vtendum est sæpe *inuitis* *(Aliquid de iure diuino licet, quod de iure humano non licet.)* Magis proprie dixisset, aliquid non est de iure diuino illicitum, quod est de iure humano illicitum, refert enim dicere affirmatiue aliquid de iure diuino, licet & dicere negatiue: aliquid non est de iure diuino illicitum, quod est illicitum de iure humano, sed quia, vt dicunt isti impugnatores, iste impugnatus diuersitatem modorum loquendi ignorat, sicut & quamplurimi alii, ideo circa hoc diutius nolunt insistere.

CAP. LXVII.

ADhuc iste hæreticus dictam constitutionem satagit impugnare in eo, quod probare intendens, quod simplex vsus, id est sine iure vtendi à proprietate seu dominio separatus in re vsu consumptibili haberi non posit,

sic

sic dicit: *Praeterea quod simplex vsus, id est sine iure vtendi à proprietate seu dominio separatus in re vsu consumptibilium haberi nequeat, sic probatur, si enim haberi posset vsus talis, aut ante ipsum actum, aut in ipso actu, aut post actum completum huiusmodi haberetur, quod autē fieri nequeat, ex hoc patet, quia quod non est, nequaquam haberi potest. Patet aūt, quod actus ipse antequam exerceatur, aut etiam dum exercetur, aut postquam perfectus est in rerum natura non est, ex quo sequitur quod haberi minime potest. Licet enim ante actum ipsum, quis facultatem habeat ipsum exercendi: per hoc tamen actus ipse in rerum natura, nisi in potentia, non existit, cum autem actus est in fieri, nec adhuc est in rerum natura, cum esse rem perfectam significet: quod quamdiu est in fieri, non potest actui conuenire. Quod enim de actu, qui est in fieri, praeteriit, iam non est, quod autem fit, instantaneum seu momentaneū est: & tale quod magis intellectu percipi potest, quam sensu, adhuc post actum completum, licet si ex ipso facto producta res aliqua fuerit, res ipsa haberi valeat: factum tamen ipsum quod iam transiit non habetur.*

Postquam in parte praecedenti iste impugnatus respondit ad obiectiones appellantis contra tertiam assertionem ipsius: hic respondet ad obiectiones eiusdem appellantis contra quartam assertionem impugnati, quam reputat appellans erroneam. Et diuiditur in tres partes: quia primo ponit assertionem impugnatam. Secundo ponit impugnationes eiusdem assertionis. Tertio ad ipsas impugnationes respondet. Secunda pars incipit in parte immediate sequenti. Tertia ibi: *Proculdubio ista consequentia.* Est igitur assertio impugnata, quod actus vtendi re vsu consumptibili separatus à iure vtendi haberi non potest: quia non potest esse in rerum natura, eo quod nullus actus vtendi potest esse in rerum natura: quia nec ante actum, nec quando actus exercetur, nec post actum completum.

Sed isti impugnatores dicunt hic plures errores contineri, quos non solum sicut appellans: sed etiam multis aliis modis satagunt reprobare, & ideo eorum motiua praesentibus duxi inserenda. Dicunt igitur, quod in verbis praemissis quinque continentur errores: quorum primus est, quod simplex vsus, id est sine iure vtendi, à proprietate seu dominio separatus in re vsu consumptibili haberi non possit. Secundus est quod actus ipse, dum exercetur, in rerum natura non est. Tertius est quod actus haberi non potest. Quartus est quod esse solummodo rem perfectam significat. Quintus est quod factum haberi non potest.

De primo errore dictum est prius: & etiam quod hoc sit erroneum, ex consequentibus apparebit, vt isti dicunt.

Secundus error, vt dicunt, est, quod actus ipse dum exercetur in rerum natura non est, quod autem secundum sit erroneum, multipliciter probare conantur, & primo sic: Si actus dum exercetur non est in rerum natura, hoc nō est, nisi quia actus, sc. est successiuus, quia hoc sua ratio manifeste declarat. Nam per rationem suam aequaliter ostēditur, nullum successiuum esse in rerum natura, quod est erroneum, & manifeste Scripturae sacrae repugnat, ergo dicere, quod actus vtendi dum exercetur non est in rerum natura, est erroneum reputandum. Quod aūt nullum successiuum esse in rerum natura, obuiat scripturae diuinae: patet aperte. Nam tempus, annus, dies, nox, & huiusmodi sunt successiua: & tamen sunt in rerum natura, scribitur enim Ioh. 13. *Cum ergo accepisset ille bucellam, exiuit continuo: erat autem nox.* Ex quibus verbis constat, quod nox fuit aliquando in rerum natura: & tñ nox est quoddam successiuum, ergo successiuum potest esse in rerum natura. Item quod erit, poterit esse in rerum natura, sed aliquando fuit, & adhuc est verum dicere quod tempus erit. Dicit n. Apostolus 2. Tim. 4. *Erit n. tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt,* ergo tempus potest esse in rerum natura: & tñ est successiuum. Item idem Apost. ead. epist. c. 3. ait: *In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa*: & per consequens tempora possunt esse in rerum natura. Item Ioh. 10. scribitur: *Facta sunt autem encaenia Hierosolymis, & hyems erat.* Ex quibus verbis colligitur, quod hyems aliquando fuit: & per consequens successiua possunt esse in rerum natura, & ita actus potest esse in rerum natura, quia nō est maior ratio, quare vnum successiuum possit esse in rerum natura quam aliud. Item Luc. vlt. dicitur: *Super hoc omnia tertia dies est hodie,* ergo tertia dies tunc fuit, & ita aliquod successiuum potest esse in rerum natura. Item Exo. 12. dicitur: *Est enim phase, id est transitus Domini.* Iste ergo transitus fuit in rerum natura: & tamen non fuit momentaneus, sed successiuus. Non enim omnes primogeniti Aegypti in instanti occidebantur, sed in tempore. Item Cantic. 7. sic dicitur: *Quam pulchri sunt gressus tui in calciamentis filia principis.* Ex quibus verbis habetur, quod gressus etiam corporales pulchri sunt censendi, sed illa, quae non sunt, nec esse possunt, non sunt pulchra, ergo gressus possunt esse in rerum natura: & tamen sunt successiui. Item Gen. 27. dixit Isaac: *Vox quidem vox Iacob est,* &c. ergo illa vox fuit in rerum natura; & tamen vox est quoddam successiuum, ergo successiua possunt esse in rerum natura. Vnde quod successiua fuerunt, sunt, & erunt, & possunt esse in rerum natura, ex locis innumeris scripturae diuinae colligitur euidenter, sicut 4. Regum 6. vbi dicitur: *Ecce enim sonitus pedum eius post eum est,* & 3. Reg. 8. scribitur: *Sint sermones mei isti,* &c. & 1. Reg. 20. *Ecce Kalendae sunt in crastino,* & Ioha. 6. *Erat proximum pascha dies festus Iudaeorum.* Et quint. cap. *Post haec erat dies festus Iudaeorum,* & septim. capitulo. *Tempus meum nondum aduenit, tempus autem vestrum semper paratum est,* & Matthaei 8. *Ecce motus magnus factus est in mari.* & Luc. 13. *Ecce anni tres sunt, ex quo venio,* &c. & Num. 10. *Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit.* Ex his aliisque quam pluribus patenter habetur: quod successiua, sicut tempus, motus, voces, sermones, anni, dies, soni, & huiusmodi possunt esse in rerum natura. Secundo per scripturam diuinam probant specialiter, quod actus vtendi, sicut actus comedendi, & huiusmodi possunt esse in rerū natura, nam quod potest dari, potest esse in rerum natura: quia illud, quod nihil est nec esse potest, dari non potest: sed actus vtendi potest dari: teste Moyse, qui, vt habetur

Num. 11. ait ad Dominum: *Sexcenta millia peditum populi huius sunt: & tu dicis, dabo eis esum carnium mẽse integro.* Ex quib. verbis habetur, quod Deus promisit dare populo esum carniũ, ergo esus carnium põt esse in rerum natura, hoc cõfirmatur p istum: quia secundũ eum in plurib. locis superius vsus põt dari, accipiendo *vsum* etiã pro actu vtendi, ergo vsus põt esse in rerum natura. Item Prou. 23. scribitur, *noli esse in conuiuiis potatorũ nec in cõmessationib. eorũ.* Ex quib. verbis colligitur, ꝙ aliquis potest esse in comessationib. potatorum: sed illis quæ nõ possunt esse in rerum natura, nõ potest aliquis interesse: quia aut interesset eis anteꝗ̃ sint, aut dum sunt, aut postquã sunt p rationem suam. Nõ antequam sint, nec postꝗ̃ sunt, certum est: nec dum sunt, quia non sunt secundum istum, ergo illis quæ non sunt nec esse possunt, nõ põt aliquis interesse. Cum ergo aliquis põt interesse comessationib. potatorum, sequitur ꝙ comessationes potatorum possunt esse in rerũ natura, sed comessatio intercludit actũ comedendi ergo actus cõedendi põt esse in rerũ natura, hoc etiã eodẽ modo probat̃ p illud Apost. ad Rom. 13. *Nõ in comessationib. & ebrietatibus.* Tertio sic arguunt: Si actus vtẽdi nõ est in rerũ natura; ergo vtens nõ est in rerum natura: sicut si albedo non est in rerum natura, sequitur ꝙ album non est in rerũ natura. Tales n. propositiones, *Vtens est in rerũ natura: Album est in rerũ natura: Musicũ est in rerum natura,* & consimiles, falsę sunt, siue subiecta non sint in rerum natura siue formæ quę denotantur subiectis cõpetere, non sint in rerum natura, vnde siue homo, siue musica non sit in rerum natura, hęc est falsa, Musicum est in rerum natura, ergo siue ille qui vtitur, siue actus vtendi nõ sit in rerũ natura, hæc erit falsa: *vtens est in rerũ natura,* sed secundum istum nullus actus vtendi est in rerum natura, ergo hæc est falsa: *vtẽs est in rerũ natura,* & p cõsequens sua cõtradictoria est vera: *nullus vtens est in rerũ natura.* Quarto pbat, ꝙ includit contradictionẽ, actũ exerceri, & non esse in rerũ natura: quia ꝙ nihil est, non exercetur, sed actus p istum nihil est: ergo non exercetur. Itẽ, aliter se habet actus ad esse, qñ est in fieri, & anteꝗ̃ sit in fieri, sed actus secundum istum est in fieri, ergo actus tunc est in rerum natura. Item, quod aliqñ existit in potẽtia, potest aliqñ existere in actu: licet tunc non existat in actu, qñ existit in potẽtia, sed secundum istum ante ipsum actum non existit nisi in potẽtia, vt dicit hic, ergo tunc existit in potentia, ergo aliqñ potest existere in actu. Cõfirmatur, quia illud ꝙ non põt esse in rerum natura, nec existit in actu nec in potentia, sed actus existit in potentia secundũ istum, ergo põt esse in rerum natura. Itẽ, aut actus, qñ exercetur, est aliquid, aut nihil, non põt dici ꝙ sit nihil: quia tunc oẽ successiuum esset nihil: ꝙ est incõueniens: si est aliquid: ergo habet aliquid esse, & nõ habet tũc tm̃ esse in potẽtia: quia anteꝗ̃ exerceretur, fuit in potentia, ergo tunc habet aliquid esse in actu, ergo tunc est & ita dicũt isti, ꝙ dicere actũ qñ exerceretur non esse in rerum natura, & quod actus nõ potest esse in rerum natura, est erroneum, imo hæreticum reputandum. Tertius error, vt dicunt isti, contentus in prædictis verbis est, quod actus haberi non potest, quod est erroneum, quia si actus haberi nõ potest, eadem ratione nullum successiuum potest haberi: ita tempus, dies, & anni, motus, verba & sermones, & alia successiua haberi non possent: quod sacræ Scripturæ obuiat manifeste. Ait enim Apostol. ad Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes,* & Ecclesi. 3. *Omnia tempus habent,* & Ioh. 9. *Ætatem habet ipse, pro se loquatur.* Et 3. Reg. 1. *Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies,* & Ioh. 5. *Erat autem ibi quidam homo 38. annos & octo habens in infirmitate sua,* & Ioh. 6. *Domine verba vitæ æternæ habes.* Ex quibus auctoritatibus, aliisque quampluribus colligitur euidenter, quod successiua possunt haberi: & p cõsequens actus potest haberi, hoc etiam patet: quia illud, quod potest dari, potest haberi, ab illo cui potest dari, tẽpus aũt & actus edendi possunt dari. De actu edẽdi ostensũ est prius per illud Num. 11. *Dabo eis esum carniũ.* De tempore patet per illud Apoc. 3. *Dedit illi tẽpus vt pœnitentiã ageret, ergo possunt haberi.* Quartus error hic contentus (vt dicunt) est, quod esse solummodo rem perfectam significat. Quod enim hoc intendat, patet per hoc, quod ipse probare conatur, quod actus non est in rerum natura: quia esse significat rem perfectam, quæ probatio nullo modo concluderet, si esse significaret indifferẽter rem perfectam vel imperfectam. Intendit ergo quod esse significat solummodo rem perfectam, sed hoc dicunt esse erroneum. Tum quia nulla successiua essent: tunc quia tũc nullæ partes entis perfecti separatæ essent, & ita nulla anima separata esset: nullum etiam corpus esset, quando anima esset separata: nec aliquod ens imperfectum esset in rerum natura: quæ omnia sunt absurda. Quintus error (vt dicunt) est quod factum haberi non potest, quod secundum vnum intellectum, etiam dictis istius impugnati repugnat. Nam proprie factum est res facta, sed res facta potest haberi (vt ipse dicit) ergo factum potest haberi, si autem per factum intelligat rem successiuam, adhuc potest haberi: quia successiua possunt haberi, sicut ostensum est prius. His visis dicunt isti impugnatores, quod indubitanter est tenendum, quod successiua possunt esse in rerum natura, & quod possunt haberi: & ideo actus vtendi põt esse in rerum natura: & potest haberi. Circa solutionẽ aũt rationis sophisticæ, quam adducit, nolunt multum insistere: quia illa ratio ab exponentibus *quartum librum physicorum* dissoluitur, & ideo secundum quod exponentes circa naturam turpis, & aliorum successiuorum diuersimode opinantur, secundum hoc diuersimode ad rationem prædictam respondent. Aliter n. respondent illi, qui dicunt quod successiua aliquam rem distinctam ab oĩ re permanenti signant. Aliter illi, qui dicunt, quod nomina successiua nullã rem, præter permanentes, importãt, licet importent plures res permanentes diuersimode: quia aliquas affirmatiue, & aliquas negatiue, sed istorum opinantium rationes pertractare, & quæ illarum sit probabilior indagare ad præsens non expedit, sed hoc in quo prædicti opinantes concordant cum scriptura diuina, scilicet quod successiua sunt in rerum natura, & quod possunt haberi, fideliter est fatendum.

(Quod simplex vsus, id est sine iure vtendi à proprietate seu dominio separatus in re vsu consumptibili haberi non possit)

poßit) omnia verba præter ista, quod *vsus haberi non poßit*, videntur superflua: quia ista est conclusio, q̃ intendit hic probare, sc. quod vsus, id est actus vtendi haberi non potest: & nõ plus probat de simplici vsu, quam de alio: ne plus de vsu sine iure vtendi, quam de vsu cum iure vtēdi: nec plus de vsu à proprietate seu dominio separato, quam de vsu cum dominio seu proprietate cõiuncto, sicut istemet fatetur. *(Quod non est, nequaquã haberi potest)* verum est, dum non est: tñ illud quod modo non est, postea potest haberi *(aut etiam dũ exercetur)* sc. non est, secundum istum: sed hoc dicunt isti esse falsum, quia actus dum exercetur est *(per hoc tamen actus ipse in rerũ natura nisi in potentia non existit.)* Ex hoc arguũt isti, ꝙ secundum istum actus antequã exercetur est in potentia: ergo potest esse in actu: quia omne ꝙ est in potentia potest esse in actu. *(Cum aũt actus est in fieri, nec adhuc in rerũ natura est.)* Hoc negãt isti, quia eo ipso, quod est in fieri, est in rerum natura illo modo, quo cõpetit successiuis esse in rerum natura, vnde licet quãdo per actum aliqua res permanens fieri debet, illa res non sit in rerum natura, quando actus est in fieri: ipse tamen actus tunc est in rerum natura *(cum esse rem perfectam significet)* verum est quod esse rem perfectã, nõ tñ significat rem perfectã (sicut iste putat) sed etiã significat rem imperfectã, quia oẽm rem significat perfectã vel imperfectã: quia significat totũ & partes: permanẽtia & successiua: perfectibilia & perfectiones eorũ *(ꝙ quamdiu est in fieri non potest actui conuenire.* Sic dicat, ꝙ esse perfectũ permanens nõ potest conuenire actui, dũ est in fieri, concedunt si intelligat, ꝙ nullũ esse sibi possit conuenire, dum est in fieri, negant *(quod aũt sit instantaneũ seu momentaneum est)* istud diuersimode dicunt esse verũ, qui circa naturã temporis & aliorum successiuorũ diuersimode opinantur: sicut circa instãs & mutatũ esse diuersimode opinantur. Ex hoc tñ non sequitur, ꝙ tempus & motus non sunt: sed sequitur ꝙ non quicquid quocunq; modo importatur ꝑ tempus & motũ est: & sic proportionabiliter est dicendũ de actu *(& tale ꝙ magis intellectu quã sensu percipi potest)* dicunt, ꝙ licet secundũ vnã opinionem illud, ꝙ secundum se totũ est de actu magis intellectu q̃ sensu percipi potest. Ex hoc tñ non sequitur, ꝙ actus non est: sed sequitur, ꝙ non quælibet pars actus est. Alii dicunt, quod illud, ꝙ est de actu etiam secundũ se totũ ꝑ sensum percipi potest: sed quomodo hoc intelligunt, nõ posset breuiter declarari: ideo ad præsens omittitur *(si ex ipso facto producta res aliqua fuerit)* ipsum factũ est ipsa res producta proprie loquendo: & etiã actus põt vocari factũ, sicut dicitur, scio facta tua proprie *(factũ tamen ipsũ quod iam transiit nõ habet)* ipsum factũ, ꝙ est res facta, non transiit, licet actus transierit. Vltimo isti impugnatores, ne philosophiæ ignari credant istã rationẽ esse nouam, & aliquid veritatis habere, manifestare conãtur, ꝙ ista ratio est quorundã antiquorũ philosophorum, propter q̃ negabant tempus, & motũ dicentes nullũ esse tẽpus, & ꝙ nihil potest moueri, quos Aristot. *in lib. physicor.* reprobat multis modis. Fuit enim inter alias vna ratio ipsorum ista, quod pręteriit de tempore siue de motu nõ est: quod futurum est, nondum est, quod autem nunc est, instantaneum est & momentaneum: ꝙ nõ est pars temporis, neq; motus, ergo nec tẽpus est, nec motus. Et istud argumentũ realiter est idẽ cũ argumento istius. Vnde ꝑ rationẽ istius ita probatur: ꝙ neq; motus, neq; tempus est, sicut quod actus vtendi nõ est: sic arguendo, motus nec anteq̃ aliquid moueatur, nec dum aliquid mouetur, nec postquam motum est, est in rerum natura, quia licet antequam aliquid moueatur, habeat facultatem vt moueatur, tñ motus tunc in rerum natura nisi in potentia nõ existit, cum aũt aliquid mouetur: nec adhuc motus est in rerum natura, cũ esse rem perfectã significet: quod q̃ diu mobile mouetur, motui conuenire nõ potest, quod n. de motu præteriit, iam non est, quod aũt est, instantaneum seu momentaneum est, est tale quod magis intellectu q̃ sensu percipi potest, ergo tunc non est: & certũ est, quod post motum cõpletum motus non est, ergo motus non potest esse in rerũ natura. Et consimiliter põt argui, quod tẽpus non est, & quod dies non est: quia dies nõ est ante diem: nec post cõpletam diẽ: nec dum dies durat: quia quod præteriit de die, iam non est: illud quod est de die instantaneum & momẽtaneum est, ergo dies non est, & simpliciter potest probari, quod anni, voces, soni, cursus, incensus, & huiusmodi, non possunt esse in rerum natura, & quod haberi non possunt: quæ sacræ Scripturæ repugnant aperte, quare prædicta ratio, per quam tam manifesti errores sophistice concluduntur, est hæreticalis censenda: nec ab aliquo ad aliquid probandum, aliqualiter adducenda.

Cap. LXVIII.

HAEc verba ipsius constitutionis. Ex quibus concludere nititur dictus hæreticus, quod prædicta probatio gesta Christi, & Apostolorum eius destruit, quæ sacra Scriptura eos fecisse testatur, scil. quod si actus vtendi haberi non poßit, quia in rerum natura non est, neque antequam fiat, neque dum fit, nec postquam perfectus fuerit: per consequens sequitur, quod neque aliquid fieri poßit, cum factum antequam fiat in rerum natura non sit: nec dum fit, nisi per instans, neque postquam fuerit perfectum.

Hic iste impugnatus ad obiectiones appellantis respondet. Et primo respondet ad obiectiones hic recitatas. Secundo ad quasdam alias rationes, quæ contra quandam assertionem prædictæ annexam adduci videntur ibi: *Præterea dicit iste.* Prima in duas diuiditur: sc. quod ad duo, quę tangit appellans, respondet, secunda ibi: *Rursus dicit iste.* Prima in duas: quia primo recitat obiectionem appellantis. Secundo respondet in parte immediate sequenti. Dic ergo quod appellans ex verbis superius recitatis infert, quod dicta verba destruunt gesta Christi & Apostolorum eius. Sed dicunt isti impugnatores, quod truncate recitat verba appellantis. Nã verba appellantis sunt hæc, quę sequuntur: *In quibus verbis* (sc. præmissis) *istius impugnati includitur dictũ & ratio dicti, dictũ sc. quod simplex vsus, id est sine iure vtendi à proprietate seu dominio separatus in re vsu consumptibili haberi non potest, quod constat esse hæreticũ, per rationes contra primũ errorem & tertiũ introductas. Ratio aũt dicti destruit gesta Christi & Apostolorũ, quæ Scri-*

ptura

ptura sacra eos fecisse testatur: ac etiam gesta fideliũ: quia si ista ratio cõcluderet, sequeretur quod Christus nec comedit nec bibit, nec prædicauit, nec pedes discipulorũ lauit, quia per eandem rationẽ dicetur: si aliquid istorum fecit aut ante actum, aut post actum, aut in ipso actu, secundum dictam rationem non ante actum, quia ante actũ nullum istorum fuit, quia ante actum comedendi, bibendi, prædicandi, ambulandi & orandi actus ipsi in rerum natura, nisi in potentia, nõ existebant, vnde ante actum comedendi, bibendi, prædicandi, &c. nec comedit, nec bibit, nec prædicauit, &c. nec post actũ completum: quia post actum nullum istorum exercuit, nec in ipso actu: quia pars istorum, quæ præterierant, iam non erat; pars quæ futura erat, nondum erat: illud aũt quod erat in instanti, non erat aliquod istorum actu, sed potentia, quod magis intelligitur intellectu quam sensu: quia comedere & bibere, &c. non sunt in instãti, sed in tempore. Similiter omnia gesta Christi non fuerunt in instanti, sed in tempore, ergo si dicta ratio concluderet, sequeretur, ꝙ Christus nihil gessit corporaliter in hoc mundo, de his quæ S. Scriptura eum gessisse testatur. Eodẽ modo sequitur de omnib. Apostolis & aliis sanctis fidelibus, quod dicere vel sentire est hæreticum & insanum, vnde ad talem sophisticam rationem non oportet aliter respondere, nisi, sicut respondetur 4. physicor. ad rationes sophisticas probantes non esse tempus, nec motũ: quia hæc sophistica ratio est. Ex his patet, quod obiectiones appellantis sunt truncatæ superius recitatæ. (*Cum factum antequam fiat in rerum natura non sit,*) quamuis hoc sit verum: tamen hoc non accepit appellans, maxime accipiendo *factum*, sicut accipit iste impugnatus.

Cap. LXIX.

PRoculdubio ista consequentia est falsa: & est potius totum contrarium concludendum, videl. quod si actus vtendi quia in rerum natura non est, haberi non potest, concludi debeat, quod quia factum in rerum natura non est fieri possit, sicut enim quod non est haberi non potest: sic quod est factum fieri nequit, vnde si actus vtendi haberi non possit, quia in rerum natura non est, sequitur quod factum, quia in rerum natura non est, fieri possit.

Hic iste impugnatus ad prædictam obiectionem appellantis nititur respõdere, dicens quod ista consequentia non valet: actus vtendi, quia in rerum natura non est, non potest haberi, ergo factum, quia in rerum natura non est, non potest fieri, sed oppositum sequitur sic: actus vtẽdi, quia in rerum natura non est, non põt haberi, ergo factum, quia in rerum natura nõ est, potest fieri: quia sicut ꝙ nõ est, non potest haberi, ita quod factum est fieri nequit. Sed isti impugnatores dicunt primo, quod iste impugnatus non respondet ad obiectiones appellantis, secundo dicunt, quod verba prædicta multa irrationabilia & fantastica continent manifeste. Quod vero iste impugnatus hic ad præmissas obiectiones appellantis nequaquam respondeat, dicunt isti omni intuenti verba appellantis, & ista verba hic posita aperte patere. Nam appellans nullam talem consequentiam facit: quia actus vtendi in rerum natura non est, haberi non potest, ergo quod factum in rerum natura non est, non põt fieri, sed fundauit se in hoc: quod si actus vtendi non potest esse in rerum natura, quia nec ante actum, nec dũ actus exercetur, nec post actum cõpletum: ergo consimiliter, si Christus non comedit ante actũ, nec dum actus exercebatur, nec post actum Christus nõ comedit: & eadẽ ratione, nec bibit nec ambulauit, nec prædicauit, nec orauit. Quod vero Christus non comedit ante actũ, nec dum actus comedẽdi exercebatur, nec post actum comedendi cõpletum, probatur ꝑ rationem istius sic: ante actum comedendi Christus non comedit, quia tunc actus comedendi non existebat, nec in potentia, nec comedit dum actus exercebatur, quia dum actus exercebatur secundum istum non fuit nisi aliquid instantaneum seu momentaneum, quod magis intellectu quam sensu percipitur: ergo tunc Christus non comedit in instãti, sed in tempore, nec Christus comedit, certum est post actum comedendi cõpletum: ergo nunquã comedit, & ita est de verbis, quæ iste ponit in responsione sua, & ad quæ respõdet in verbis appellantis: & ita est de aliis. Dicunt igitur isti: quod quia ad rationes appellantis nesciuit rationem rationabilẽ inuenire, finxit quędam alia verba non intelligibilia, ad quę nititur respõdere, ꝑ hoc cupiens coram simplicib. se iactare, quasi rationes appellantis dissoluisset. Secundo dicunt isti, quod verba prædicta plura continent irrationabilia & fantastica, quorum primum est, quod actus vtendi non est in rerum natura, secundum quod actus vtendi haberi nõ potest. Tertium est, quod factum in rerum natura non est. Et quartum est, quod illud quod est factum fieri nequit. Quintum ꝙ factum, quia in rerum natura non est, fieri potest. De primis duobus dictum est supra *c. 67.* Tertium, s. quod factum in rerum natura non est, est erroneum secundum istos: quia factum non potest accipi nisi pro actu vel pro re producta per actum, si accipiatur pro actu: sic est error, sicut est error, quod actus non est in rerum natura, si accipiatur pro re producta: sic etiam est erroneum, quod cõstat quod res producta per actum est in rerum natura. Quartum, sc. quod illud quod est factum fieri nequit, si accipiatur pro re producta, sic potest cõcedi, quod illud quod est factum nequit fieri à creatura, quia iam factum est, si accipiatur pro actu: sic est falsum, quia actus fit & est in fieri. Quintum, scil. quod factum, quia in rerum natura non est, fieri potest, videtur erroneum: implicat enim quod ideo factum fieri potest, quia non est in rerum natura, sed hoc est falsum: quia tunc chimera posset fieri, quia non est in rerum natura.

(*Ita consequentia est falsa.*) Istam consequentiam non facit appellans. (*Si actus vtendi: quia in rerum natura non est haberi non potest, concludi debeat: quod quia factum in rerum natura non est fieri non possit.*) Istam consequentiam: vel conditionalem verius, non facit appellans, nec de ipsa facit aliquam mentionem. (*Sicut enim quod non est haberi non potest*) verum est dum non est (*sic quod est factum fieri nequit*) falsum est respectu Dei: quia Deus posset iterum illa facere, quæ sunt, & etiam ipsos actus iterum facere posset. (*Si actus vtendi haberi non possit: quia in rerum natura non est, sequitur quod factum, quia in rerum*

natura non est, fieri possit.) Istam consequentiam negant, quamuis nihil faciat contra intentionem appellantis: nec iste probat eam: & ideo eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

CAP. LXX.

RVrsus dicit iste hæreticus, quod per rationem prædictam sequeretur, quod nec vsus rerum vsu consumptibilium etiam coniunctus cum proprietate seu dominio haberi posset, quod de vsu facti vtique nos fatemur: & idem dicimus de rebus non consumptibilibus vsu. Licet enim istis quis de facto vti valeat, habere tamen nequit in talibus vsum facti, vt ex prædictis patet.

In parte ista respondet ad secundam obiectionem appellantis, quæ fuit, quod per rationem suam nullus posset habere vsum consumptibilium vsu, ad quam respondet cōcedendo conclusionem loquendo de vsu facti. Sed isti impugnatores dicunt, quod conclusio, quam concedit, est erronea: quia eadem ratione, qua nullus posset habere vsum facti rerum cōsumptibilium vsu: Eadem ratione nullum successiuum posset haberi, quod scripturæ diuinæ repugnat aperte, sicut ostensum est *cap. 67.* Secundo dicunt, quod ex his dictis patet, quod illa ratio in vanum adducta fuit ad probandum, quod simplex vsus facti sine iure à proprietate seu dominio separatus in re vsu consumptibili haberi non potest: quia per illā æqualiter probatur quod vsus facti sine iure, proprietate seu dominio separatus in re non consumptibili vsu haberi non potest, & quod vsus coniunctus iuri vtendi vel dominio seu proprietati haberi non potest, *(quod de vsu facti, &c.)* hic respondet ad rationem prætactam concedēdo conclusionem. *(Licet enim illis quis de facto vti valeat: habere tamen nequit in talib. vsum facti)* hoc est irrationabiliter dictum: quia qua ratione potest concedi, quod aliquis potest vti rebus, potest concedi quod aliquis potest habere vsum rei: sicut quia cōceditur, quod aliquis vixit multis annis: ideo cōceditur quod habet multos annos: & ita patet, quod tota difficultas, q̃ iste facit de hac materia, est de hoc verbo *est*: & de hoc verbo *habere*: an. sc. sicut conceditur quod aliquis vtitur reb. ita debeat concedi, quod vsus est, & quod aliquis habet actum vtendi: sicut an debeat cōcedi, actus comedendi est; &, aliquis habet actum edendi, quemadmodum conceditur quod aliquis comedit: & ita difficultate vocali & fantastica, vt dicunt, replet quaternos suos: & sub talibus difficultatibus friuolis & fantasticis nititur errores inducere contra catholicam veritatem.

CAP. LXXI.

PRæterea dicit iste hæreticus, quod dicta constitutio falsum includit in eo, quod dicit, quod in rebus vsu consumptibilibus possit vsus constitui vel haberi, nequaquam simplex nec separatus à proprietate seu dominio vsus huiusmodi posset dici: cum per talem vsum, id est vtendi actum, & in ipso actu & cum ipso actu res huiusmodi consumatur, in ipsiusque rei exerceatur substantia, nec sine ipsius rei consumptione esse valeat vsus talis.

In ista parte respondet ad quandam obiectionem: quæ contra quandam assertionem istius impugnati prædictæ annexam adduci videtur. Et hæc pars diuiditur in tres: quia primo ponit assertionem. Secundo recitat impugnationem appellantis. Tertio respondet ad dictam impugnationem. Secunda pars incipit immediate post verba hic recitata. Tertia ibi: *Ad hoc dicendum est.* Dicit ergo primo: quod adhuc appellans prædictam constitutionem impugnat in hoc, quod ponit, quod si in rebus vsu consumptibilibus, vsus posset constitui vel haberi, ille tamen vsus non esset simplex, nec à proprietate seu dominio separatus, cuius rationem assignat: quia per talem actum vtendi, & in ipso actu, & cum ipso actu huiusmodi res consumitur.

Sed dicunt isti impugnatores, quod dictum in se est erroneum: & ratio, per quam probatur, plures includit errores. Dictum in se est tale: quod videlicet si in rebus vsu consumptibilibus potest vsus constitui vel haberi: talis vsus nec est simplex nec est à proprietate seu dominio separatus, & ita hoc dictum duas partes includit, quarum vtraq; est erronea, & ideo primo probant, ꝙ talis vsus pōt esse simplex, secundo probant, quod potest esse à proprietate seu dominio separatus. Ad euidentiam primi dicunt esse sciendum: quod talia nomina *simplex, simplicitas, simpliciter*, in diuersis scientiis & vulgari modo loquēdi accipiuntur æquiuoce. Vnde in philosophia naturali, *simplex*, dupliciter accipitur. Vno modo, vt distinguitur contra cōpositum. Alio modo contra secundū quid: qn̄ dicit quod *quædam est generatio simplex, quædam secundum quid*, in Logica etiam accipiuntur æquiuoce, quia aliter accipiuntur, cum dicitur, *suppositionum alia est simplex, alia est personalis*, & aliter cum dicitur, *consequentiarum alia est simplex, alia vt nunc*, aliter cum dicitur, *propositio quædam est de inesse simpliciter, quædam de inesse vt nunc*, & cum dicitur, *quædam propositio conuertitur simpliciter, quædam per accidens, quædam per contrapositionem*, & aliter, cum *vna fallaciarū assignatur secundum quid & simpliciter*. Distinctionē vero prædictarum significationum nō oportet eos in præsentibus declarare. Aliter accipiuntur huiusmodi vocabula in Theologia, & in scientiis legalibus, & in vulgari locutione. Vnde *simpliciter* vno modo opponitur dolositati: & sic accipitur Iob primo, cum dicitur: *Et erat vir ille simplex, & rectus & timens Deum*, & prim. Paralipomen. vltim. dicit Dauid: *Scio Domine Deus, quod probes corda & simplices diligas, & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc.* Et Sapientiæ primo. *In simplicitate cordis quærite illum*, & Matthæi decimo. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Et Anterius Papa, vt habetur *sex. quæstion. prim. Ex merito*, ait: *Habeant omnes simplicitatem columbæ, nec cuiquam machinen-*

obuientur dolos: & serpentis astutiam, ne aliorum supplantentur insidiis. Aliter *simplicitas* accipitur pro stultitia vel ignorantia seu indiscretione vel imperitia, & sic dicunt iura, quod parcendum est simplicitati, vt habetur *extra de rerum permutatione, cum vniuersorum, & ext. de hæreticis, super literis, & de consecr. distin. 2. Scriptura dicit, & ext. de translat. inter corporalia*, vbi dicit Innocentius III. *veniam errori dedimus, quia non ex malignitate, sed ex simplicitate peccarunt*, & extra de hæretic. cum ex iniuncto, vbi sic dicitur: *Non est tamen simplicibus sacerdotibus à scholasticis detrahendum*, & sic etiam accipitur in decr. dist. 36. §. 1. cum dicitur, *oportet etiam ordinantem esse prudentem, quod contra eos notandum est, qui sub nomine simplicitatis excusant stultitiam sacerdotũ.* Sic etiam accipitur *simplex* dist. 39. ca. Petrus, vbi Gloss. notat duplicem simplicitatem vnã, quæ est cõtraria dolo; aliã quæ est negligentia siue stultitia. Aliter dicitur simplex, idem quod perfectum, & sic loquitur Anselmus Monologion capit. 28. vbi dicit, quod *solum esse Dei dicitur simplex perfectũ & absolutum.* Aliter distinguitur *simplex* contra solenne, & sic dicitur *votũ simplex*, quod non est solenne, vt habetur *ext. qui clerici vel vouentes matrimoniũ contrahere possunt c. cõsuluit, & c. Rursus.* Aliquando dicitur *simplex*, quod adiuncto caret, & sic loquitur Anselm. de simplicibus, vbi ostendit, quod *declarationis gratia, quædã sunt simplicia, quædam duplicia, &c.* Aliter accipitur *simplex*, Num. 10. cũ dicitur: *quando aũt congregandus est populus, simplex clangor tubarũ erit*, vbi *simplex* contra concisum distinguitur. Aliter accipitur *simplex* in vulgari locutione: quia qñ notat carentiã maioris dignitatis: sicut cũ dicitur: *iste est simplex sacerdos*: denotatur quod est sacerdos, & ꝙ non habet maiorẽ dignitatẽ, q̃ sacerdotium, sicut dicitur aliquis esse *simplex miles*: quia dignitatem maiorem militia non habet, & sic etiã aliquis dicitur esse *simplex monachus*: quia in quo vnus monachus præfertur alteri caret, sic accipitur *ext. de sent. excommun. Nuper*, vbi dicitur, aliquos posse absolui à simplici sacerdote: & in multis aliis locis sic accipitur. Aliqñ vero dicitur *simplex*, quod conditionẽ, specificationẽ, modificationem, aut abdicationem aliquã includit, sic illud quod per se ponitur, sine addito vel sine determinatione quacunq; dicitur *simpliciter poni*: & sic aliquid dicitur *simpliciter aliquale*, quia est veraciter tale. Ex his patenter apparet, quod *simplex* multis modis accipitur, etiam quod actus vtendi potest multipliciter dici simplex. Nã secundum multos dicitur simplex: secundũ philosophiam naturalẽ, quia non cõponitur ex materia & forma: secundũ etiam Theologiã potest dici simplex, sicut põt dici bonus. Sicut n. ideo dicitur bonus, quia bono modo & bene elicitur: ita põt etiã dici simplex, quia à simplici, & sine dolo elicitur, vel etiã exercetur. Potest etiã dici *simplex*, sicut potest dici stultus vel indiscretus: quia à stulto vel indiscreto exercetur, põt etiam dici simplex: quia est sine alio actu vtendi. Sicut secundum Anselmum quandoq; aliqua declaratio dicitur simplex, quia est sine alia declaratione. Aliis modis potest dici simplex, sicut post patebit. Ex quo cõcludunt, ꝙ hic iste impugnatus cũ sine distinctione negauerit actũ posse esse simplicẽ, qui tot modis põt esse simplex, ostendit apte se grãmaticæ, logicę, rethoricæ ignarũ, nec tñ propter dictatũ ignorantiã facultatum ipsum reprehensibilẽ arbitrãtur: sed in hoc damnabiliter deliquit (vt dicunt) ꝙ sic philosophiæ & Theologiæ ignarus, vtpote qui earum nunq̃ fuit discipulus, sed à pueritia baratator existẽs, tumultibus seculi intẽdebat, quæstiones Theologiæ difficiles determinare præsumit: & ideo magister errorum existit, qui nunq̃ fuit discipulus veritatis. Nullus n. (vt dicunt) est quæstionum intricatarum Theologicæ facultatis determinator idoneus, nisi fuerit in grammatica, maxime quantum ad tropos, figuratiuas locutiones, quæ docentur in ea & in logica, ac metaphysica & Theologia perfectus. Aliæ n. summe prosunt, sed parũ respectu prędictarũ. Ad propositum inducitur, ꝙ duo sunt modi, quib. actus vtendi dicitur simplex: & illi ad intentum istorũ sufficiunt, dicitur n. vsus facti vno modo simplex: quia ꝙ sibi ius aliquod sit annexum vel adiunctũ, non requirit, & sic actus comedendi dicitur actus vtendi simplex: quia accidit actui comedendi, ꝙ comedens ius habeat comedendi, & sic aliqñ videtur loqui Nicolaus III. de simplici vsu. Secundo dicitur actus vtendi simplex, qui est sine iure vtendi: sicut illud votũ dicitur simplex, ꝙ solẽnitate caret: & ille dicitur simplex sacerdos, qui maiori dignitate ecclesiastica caret. Primo modo accipiendo simplicẽ actum vtendi, sic omnis verè vtens habet simplicẽ actum vtendi: & isto modo aliquid dicitur simpliciter aliquale, qñ sine addito prædicatur, sic dicendo: *hoc est albũ*: sed illud, de quo non dicitur albũ, nisi cũ addito, non est simpliciter album: propter ꝙ licet albũ cum addito prædicatũ de Æthiope sic dicendo: Æthiops est albus secundum dentes: non dicitur tñ simpliciter albus, quia hæc nõ est vera: Æthiops est albus, & isto modo videtur concedendũ, ꝙ quilibet vtẽs habet simplicẽ actũ vtendi: quia habet actũ vtẽdi, qui nõ requirit de se necessario ius vtendi, loquendo de iure fori. Aliter põt dici simplex actus vtendi ille actus, qui de facto nõ habet ius tale vtendi annexũ, & iste põt vocari nudus actus vtendi: sicut *nuda promissio* vocatur, quæ non est iuratoria, &c. & *nudus vsus iuris* vocatur, vsus iuris qui non est vsusfructus. Restat probare, contra istum impugnatum, quod talis vsus potest esse simplex, quod per Nicolaum III. aperte ostenditur, qui in decretali *Exiit*, ait: *Cũ in reb. temporalibus sit considerare præcipuum proprietatem, possessionem, vsumfructũ, ius vtendi, & simplicem vsum facti: licet primis possit carere vita mortaliũ, nulla prorsus potest esse professio, quæ à se vsum necessariæ sustẽtationis excludat.* Ex quibus verbis colligitur, ꝙ vsus necessariæ sustentationis est simplex vsus facti, sed in reb. consumptibilibus vsu reperitur vsus necessariæ sustentationis, ergo in eis reperitur simplex vsus facti. Secundo probatur, quod talis actus vtendi potest esse à proprietate seu dominio separatus: quia Fratres Minores habent vsum huiusmodi rerum, & tñ nullius rei talis habent dominium seu proprietatem, ergo vsus earũ est à proprietate seu dominio separatus. Quod vero Fratres vtãtur huiusmodi reb. patet ad sensum, quod etiam nullius rei habeãt dominiũ seu proprietatem, probatur per assertiones diuersorum summorum Pontificum. Hoc enim expresse diffinit Greg. IX. & Nicolaus III. & Clemens

V. vt patet *sup. c. 32.* hoc Innocen. IV. & Alexan. IV. *in suis declarationib.* aperte testantur, qui dicunt: *Dicimus insuper, quod cum in ipsa regula cõtineatur expresse, quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: quia nec in cõmuni nec in speciali debēt proprietatem habere: sed locorum & domorum & vtensilium ac librorũ & eorum mobilium (quæ licet habere) ordo vsum habeat; & Fratres secundũ quod generales & prouinciales Ministri duxerint ordinandũ, his vtantur.* Et Clemens IV. in quodã priuilegio ait: *Cũ dilecti filii Fratres Minores ex professionis suæ voto adeò se voluntariæ submiserint paupertati, vt nec diuisim, nec communiter aliquid proprii valeant obtinere: sed omnia quæ ipsis in eleemosynam erogantur, seu alias eorũ contemplatione proueniunt, iuri ac proprietati ecclesiæ Romanæ accrescere dignoscantur,* &c. Et Gre. IV. in quodã priuilegio dicit: *Ordo Fratrum Minorũ humilitati deditus paupertatis, & rem & nomen appropriationis abiecit: & quicquid ei obuenire dignoscitur, ipso facto in nostrum & ecclesiæ Romanæ dominiũ transire perhibetur.* & Martinus Papa IV. in priuilegio q̃ incipit, *Exultantes,* ait: *Idemq; Fratres qui pro nulla re temporali possunt in iudicio experiri: exclusisq; quibuslibet sollicitudinib. liberius & quietius diuinis vacent obsequiis, & offerentium donantium concedentiũ, aut in vltima voluntate relinquentium ordini prædicto vel fratrib. aliquid propter Deum, pia intentio non fraudetur: sicq; nos sollicitudini, qua prædictus ordo pro suis necessitatibus, quotiens ingrueret necessitas, vel vtilitas suaderet, recurrere ad Romanam ecclesiam cogetur, ad quam omniũ rerum mobilium & immobilium, quibus fratres vti possunt, quib. proprietas & dominium nullo modo spectat,* &c. Ex his aliisq; quampluribus assertionibus summorum Pontificum liquet aperte: quod Fratres Minores nullius rei vsu consumptibilis habent dominium seu proprietatem: & tñ vtuntur rebus vsu consumptibilibus, ergo vsus eorum in huiusmodi reb. à proprietate seu dominio est separatus. Secundo dicunt impugnatores, quod ratio istius, per quam prædictã assertionem probare molitur, plures includit errores. Quorum primus est, quod p̃ talem actum & in ipso actu & cum ipso actu res huiusmodi conseruatur: secundus, quod actus huiusmodi in ipsius rei exercetur substantia: tertius quod huiusmodi actus sine rei consumptione esse non valet, omnes isti errores, vt dicunt, vnico improbantur exemplo. Nam quãdo quis expendit pecuniam, & emit de pecunia rem aliquam: nec per huiusmodi actum, nec in ipso actu, nec cum ipso actu pecunia, quantum ad substantiam suam consumitur: nec huiusmodi actus in ipsius pecuniæ substantia exercetur: & sine consumptione huius rei potest esse talis actus. Idem posset per alia multa exempla probari. Ad rationem autem in re dicunt isti, quod fundatur in falso. Fundatur n. in isto medio: nullus actus vtendi re aliqua est à proprietate seu dominio separatus, quando res per actum & in actum & cũ ipso actu consumitur, sed ista probatio est falsa: nec aliq̃ apparentiam habet secundum istos. Nam consumptio rei non plus facit, quod actus non potest separari ab vno dominio quam ab alio, si ergo propter consumptionẽ rei vsus non potest separari à dominio vtentis: eadem ratione nõ posset separari à quocunq; dominio, & ita non posset separari à dominio Dei, nec à dominio regum, nec ab aliquo alio dominio. *(Cum per talem vsum, id est vtendi actum.)* Hic concedit vtendi actum, qui est vsus, reperiri in rebus consumptibilib. *(& ipso actu, & cum ipso actu)* isti duo modi loquendi nõ important aliud in proposito, quam primus modus loquendi, cum dicitur per actum. *(In ipsiusq; rei exerceatur substantia)* oppositum patet de vsu pecuniæ. *(Nec sine rei consumptione esse valeat vsus talis)* contrarium patet de vsu vestium & pecuniarum & multarum aliarum rerum consumptibilium *(res huiusmodi insinuatur.)* Istud est falsum: siue intelligatur de consumptione rei quantum ad substantiam, siue de consumptione quantum ad dominium, patet quando aliquis vtitur ad pompam pecunia.

Cap. LXXXII.

Dicit enim quod prædicta constitutio intelligit, quod statim & vltimate in actu vtendi res huiusmodi consumatur, cum manifestum sit quod vestes non statim in primo actu vtendi vltimate & omnino consumantur: sicut & panis non statim in principio actus consumitur, & sic non est inconueniens, quod Dominus habeat dominium cibi vel panis existentis in ore serui.

Hic recitat obiectionem appellantis contra assertionem prædictam, quæ duas obiectiones includit: quarum prima est: Quod nec vestes semper consumuntur: nec panis consumitur in principio actus, secunda est, quod sicut quis habet dominium serui sui, ita habet dominium panis existentis in ore serui. *(Prædicta constitutio intelligit quod statim & vltimate,* &c.) quia aliter non est ad propositum, vt post patebit *(ita non est inconueniens quod Dominus habeat dominium cibi,* &c.) Ad hoc iste impugnatus non respondet.

Cap. LXIII.

Ad hoc dicendum est, quod iste hæreticus imponit constitutioni, quod nec intellexit nec dixit, videl. quod in primo actu vtendi vltimate & omnino res vsu consumptibiles consumantur: sed intellexit & euidenter expressit, quod per vsum vtendi perfectum, per quem res dicuntur vsu consumptibiles, consumantur: dixit enim, quod per talem vsum, id est vtendi actum & in ipso, & cum ipso actu res huiusmodi consumuntur. Posuit enim copulatiue vtendi actum & in ipso actu & cum ipso actu, vnde satis expressit, quod non per ipsius actus principium consumantur res huiusmodi, sed per actum perfectum. Item subiunxit, quod actus vtendi in ipsius rei consumptibilis vsu exercetur substantia: nec sine ipsius rei consumptione esse valeat vsus talis. Vnde cum dicat, quod sine rei consumptione esse non valeat vsus talis, satis euidenter expressit, quod de vsu illo, per quem res consumitur, non de eius principio, intellexit.

Hic ad obiectionẽ respondet, q̃ appellans constitutioni falsum imponit. Ad q̃ probandũ innuit vnã distinctionẽ de vsu, q̃ videl. quidã est vsus perfectus, & quidã est vsus imp̃fectus, p̃ quem respondet

det dicens: quod appellans imponit cōstitutioni, quod intelligat, quod per primum actum vtēdi res consumatur, quod falsum est (vt dicit) quia constitutio intellexit de actu perfecto, per quem res consumitur: quod dupliciter per verba ipsius constitutionis probare conatur, vt patet in litera.

Sed impugnatores dicunt, quod in nullo respondet ad obiectionē appellantis. Ad cuius euidentiā dicunt primo, esse sciendum quod actus vtendi non potest intelligi esse perfectus, nisi tripliciter. Primo quia nihil deficit actui, quod requiritur ad esse vel bene esse actus: sicut homo dicitur perfectus, quādo nihil deficit hoī, quod requiritur ad esse vel bene esse hominis, & iste modus duos modos perfecti includit. Secundo dicitur actus perfectus, quia finitus vel cōpletus: sicut motus dicitur perfectus, quādo finitur vel cōpletur. Tertio pōt intelligi perfectus, quādo per ipsum deuenitur ad illud, quod per ipsum intēdebatur, sicut ædificatio domus dicitur perfecta, quando domus est facta, hoc enim ædificans intendebat. Secundo dicunt esse sciendum, quod appellans nunquā intendebat probare, quod actus vtendi in reb. vsu consumptibilibus, quādo est finitus & cōpletus, est à proprietate seu dominio separatus: quia tunc nō est separatus, nec coniunctus, eo quod tunc non est, sed intendebat probare, quod actus vtendi in rebus huiusmodi, dum durat seu exercetur, pōt à proprietate seu dominio separari. Per hæc patet, quod ratio appellantis est irreuocata penitus & insoluta. Nā si tu dicis, quod res consumitur per actum perfectum, aut intelligis de actu perfecto primo modo, secundo vel tertio modo. Si primo modo, sic stat ratio appellantis, quia quantumcunq; induitio vestis sit perfecta primo modo, & quantumcunq; esset comestio panis cōsumpti: imo si panis esset tunc consumptus, ipsa comestio minime exercetur secundum modum istius loquendi. Si intelligis de actu perfecto secundo modo, vel tertio, sic planum est: quod talis actus non est à proprietate seu dominio separatus, sed hoc non est: quia res est consumpta per talem actum: sed quia talis actus non est: quia successiuum quando finitur seu cōpletur, tunc non est, propter quod talis actus non est separatus à dominio seu proprietate. Hoc etiam patet: quia talis actus perfectus secundo modo vel tertio non plus potest esse separatus in rebus non consumptibilib. vsu à proprietate seu dominio, quam in rebus consumptibilib. vsu. Constat enim quod actus inhabitandi domum, quādo est completus & finitus, non est separatus à proprietate domus: quia tunc cessat, nec est tunc, nec etiam exercetur tunc: & ita est de omni actu alio perfecto secundo modo, vel tertio modo, ergo actus inhabitandi domū perfectus non potest separari à dominio, & per consequens quod res consumatur nihil facit ad hoc, quod actus possit à proprietate seu dominio separari, vel nō possit separari: quia domus non consumitur per actum inhabitandi perfectum, & tñ actus inhabitādi domum perfectus, id est finitus & cōpletus, non est à proprietate domus, seu dominio separatus, & ideo ratio istius impugnati non plus probat, quod actus vtendi in rebus consumptibilibus vsu non potest à proprietate seu dominio separari, quam quod actus vtendi in rebus non consumptibilib. vsu non potest à proprietate seu dominio separari, quare sicut absolute sine distinctione concedit & asserit, quod actus vtendi non potest in rebus consumptibilibus vsu à proprietate & dominio separari: ita deberet absolute, & sine distinctione concedere, quod actus vtendi non potest in rebus non consumptibilibus vsu à proprietate & dominio separari, & ex hoc etiam patet, quod sicut per rationem præcedentem positam supra, concedit & asserit quod simplex vsus, id est sine iure vtendi à proprietate seu dominio separatus, in re vsu consumptibili haberi non pōtest: ita absolute & sine distinctione, propter eandem rationem debet concedere, quod simplex vsus, id est sine iure vtendi à proprietate seu dominio separatus, in re non consumptibili vsu haberi non potest: quia illa ratio non plus concludit de vsu rei consumptibilis vsu, quam de vsu rei non consumptibilis vsu: imo quicquid dicit de inseparabilitate vsus rei consumptibilis vsu à iure vtendi, & à proprietate seu dominio, deberet similiter dicere de inseparabilitate vsus rei nō consumptibilis vsu à iure vtēdi, & à proprietate seu dominio. Item cōtra prædicta arguunt sic: aut per actū vtendi non perfectum vel principium actus, per quem vel per quod nequaquam res cōsumitur, necessario acquiritur dominium rei seu proprietas, si antea minime habebatur: aut non necessario acquiritur, etiam licet prius habitum non fuisset. Si detur primum, ergo sicut actus perfectus non potest esse à dominio separatus in re consumptibili vsu, ita etiam actus alius qui non est perfectus secundum istum, non potest in re consumptibili vsu à proprietate seu dominio separari, & per consequens absq; rei consumptione non potest in rebus vsu consumptibilib. actus vtendi à proprietate seu dominio separari. Si detur secundum, habetur propositū appellantis, quod sc. aliquis potest vti re vsu consumptibili absq; dominio seu proprietate in primo actu vtendi vltimate & omnino res vsu consumptibiles consumantur, quia aliter non probaretur per rationem istam, quod actus vtendi non potest à proprietate seu dominio separari, imo non obstante illa ratione: multi actus vtendi eadem re possent à proprietate & dominio separari: & omnis actus talis vsque ad finem actus posset à proprietate seu dominio separari: quia vsque ad finem actus vtendi res minime est consumpta.

(*Euidenter expressit quod per actum vtendi.*) De actu vtendi perfecto nunquam prius fecerat mentionem, sed absolute vsus fuerat actu vtēdi, nunquam distinguens inter actum vtendi perfectum & imperfectum, vocatur autem hic *actus vtendi perfectus*, actus vtendi finitus & consummatus, & verum est quod tunc actus non est separatus à dominio rei siue res fuerit consumptibilis vsu, siue non fuerit consumptibilis vsu: quia tunc actus non est, nec etiam exercetur. (*Dixit enim quod per talem vsum, id est vtendi actum*, &c.) Hic ponitur vna probatio, per quam conatur ostendere quod intellexit de actu vtendi perfecto. (*Posuit enim copulatiue vtendi actum & in ipso actu, & cum ipso actu.*) Hoc est contra ipsum: quia ex copulatiua sequitur, quælibet pars copulatiue, & ita ex quo concedit copulatiuam,

oportet eum concedere quamlibet partem eius per se positam. Sicut si Paulus est homo, & Martinus est homo: sequitur quod Paulus est homo. (*Vnde satis expreßit, quod non per ipsius actus principium consumantur res huiusmodi*) male infert. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum: quod differentia est inter *consumi* & *consumptum esse*: sicut inter *moueri* & *motum esse*: & inter *alterari* & *alteratum esse*: & ideo licet expressisset, quod p ipsius actus principium res non consumeretur, quia sicut motus & alteratio non sunt in instanti, sed in tempore, ita etiam consumi non est in instanti, sed in tempore. (*Sed per actum perfectum*) verum est, quod p actum perfectum, hoc est finitum & cōpletum, aliqua res est consumpta, tamen in principio actus res incipit consumi. Sæpe tamen sunt actus vtendi plures perfecti, respectu eiusdem rei vsu consumptibilis, per quos tamen res minime est consumpta, patet de vestibus. (*Item subiunxit quod actus vtendi in ipsius rei consumptibilis exerceetur facto.*) Hic incipit alia probatio ad idem: sc. quod intellexit de actu vtendi perfecto, sed dicunt, quod illud quod hic accipit, & prius asseruit, falsum est: quia vsus pecuniæ non exercetur in substantia pecuniæ: quia substantia pecunię p vsum non variatur nec alteratur in aliquo, nisi forte aliquando per accidens. (*Nec sine rei consumptione esse valeat vsus talis*) hoc etiam falsum est, sicut prius est ostensum (*de vsu illo, per quem res consumitur non de eius principio intellexit.*) Ex hoc sequitur, quod per dictā rationem nullo modo probatur, quod comedens panem & bibens vinum ac vtens aliis rebus consumptibilibus, dum comedit & bibit & vtitur aliis rebus, habet dominium & proprietatem rei talis, & ita non obstante ratione prędicta potest quis comedere panem, cuius non habet dominium: & bibere vinum, cuius non ipse, sed alius habet dominium, & hoc solum hic intendit appellans.

Cap. LXXIV.

R*Vrsus dictus hæreticus dictam assertionē impugnare nititur in eo, quod dicit, quod retētio dominii quam summus Pontifex facit in rebus, quæ ad Fratres Minores obuenerant, vel inposterum obuenirent, dictis fratribus quantum ad statum perfectionis nequaquam profuit, quantum ad hoc quod propter carentiam talis dominii se pauperiores dicere valeant, quam si res illas cum illo, quo carere se dicunt dominio obtinerent,* & infra: *Talis enim carentia re in præsenti ac spe in futurum omni commodo denudati pauperiorem non efficit non habentem,* & infra: *Nolentes in posterum, quod sub prætextu seu pallio talis dominii verbalis, nudi & ænigmatici fomentum quantum malis, quantum procedunt ex simulatione huiusmodi ministretur, sancimus,* &c.

Postquam iste impugnatus in parte præcedenti respondit ad obiectiones appellantis contra quartam assertionem eiusdem: hic incipit respondere ad obiectiones appellantis contra quintam assertionē istius impugnati, quam reputat appellans hæreticam, & diuiditur in tres partes; quia primo replicat ipsam assertionem impugnatam, secundo recitat ipsam impugnationem, tertio ad impugnationem respondet. Secunda pars incipit in parte immediate sequenti. Tertia ibi: *Profecto est hæreticus.* Dicta autem assertio continet tres partes: quarum prima est, quod carentia dominii in reb. quibus Fratres Minores vtuntur, non prodest fratribus quantum ad statum perfectionis, vt per talem carentiam se valeant dicere pauperiores. Secunda est, quod carentia dominii omni temporali commodo denudati pauperiorem non efficit non habentem: tertia est quod tale dominium est verbale, nudum, ænigmaticum: & de istis patebit inferius. (*Retentio dominii.*) Intendit quod carentia dominii seu expropriatio huiusmodi non profuit fratribus sicut ex consequentibus apparebit (*quo carere se dicunt dominio*) innuit, quod in rei veritate Fratres non carent dominio huiusmodi rerum: licet dicant falsè se carere tali dominio (*omni commodo denudati*) dicunt quod tale dominium non est ab omni commodo spirituali denudatum, sicut postea ostendetur (*pauperiorem non efficit non habentem*) hoc probabunt irrationabiliter omnino dici.

Cap. LXXV.

P*Rædicta verba secundum istum hæreticum S. Scripturæ ac doctrinæ euangelicæ & Apostolicæ & sanctæ matri ecclesiæ obuiant & repugnant. Nam ex scriptura diuina superius (vt asserit) est ostensum, quod Apostoli & eos sequentes viri perfecti ex consilio Christi proprietatem & dominium rerum temporalium omnium reliquerunt vsu rerum necessariarū ad vitæ humanæ sustentationem, cui non est licitū renunciare, contenti. Constat (secundū ipsum) quod dominium quod Apostoli in reb. omnibus temporalibus, quarum vsum habebant ex Christi consilio reliquerunt, fuit omni temporali cōmodo vsu, scil. vtili denudatum, sicut manifeste patet in retibus, quorum proprietatem & dominium vsu retento, prout euangelica testatur historia, reliquerunt, cum in consilio Christi dato de rebus temporalibus abdicandis abdicatio proprietatis & dominii earum rerum & non vsus, vt superius ostenditur, includatur. Si ergo carentia talis dominii ad perfectionem non pertinet, nec pauperiorem efficit non habentem, sicut dicta constitutio dogmatizat: Sequitur quod Christus simulatam & fallacem doctrinam tribuit volentibus ad perfectionem attingere consulendo, quod omnia temporalia quo ad proprietatem & dominium relinqueret. Et quod Augustin. & Hieronymus doctores ecclesiæ, & alii sancti patres institutores religionum errauerunt, qui dictum Christi consilium sequi volentes abdicationem proprietatis & dominii rerum omnium sunt professi.*

Hic impugnatus recitat obiectiones appellantis contra assertionem prædictam, quæ consistit in hoc, quod Christus talem abdicationem talis dominii consuluit, & Apostoli tale dominium reliquerunt: & similiter sancti patres religionum institutores vsu rerum necessariarum vitæ humanæ sustentatione, cui non est licitum renunciare contenti, iuxta illud Apostoli; *habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.*

(Fuit omni temporali commodo vsu scilicet vtili denudatum) scilicet illo tempore quo Apostoli habuerunt vsum & alii dominium.

Cap. LXXVI.

PRofecto iste hæreticus, vt præuaricator legis, notorie verba constitutionis prædicta truncate recitat illa, quæ eius defectum manifeste insinuant, omittendo. Intendit enim probare dicta constitutio, quod retentio dominii prædicta facta per summum pontificem, quantum ad statum perfectionis nequaquam prædictis Fratribus profuit, quam probationem omittit hæreticus supradictus, quæ talis est, vt ex dictæ constitutionis tenore manifestius liquet. Quod enim inquit, quantum ad statum perfectionis profuerit retentio dominii supradicta, patet, cum enim perfectio vitæ Christianæ principaliter & essentialiter in caritate consistat, quæ ab Apostolo vinculum perfectionis dicitur: & quæ vnit seu iungit aliqualiter in via hominem suo fini. Ad quam per contemptum bonorum temporalium & ipsorum expropriationem via disponitur: per hoc præcipue quod sollicitudo, quam ipsa temporalia in acquirendo, conseruando, & dispensando exigunt quamplurimum ab actu caritatis retrahens amputatur. Restat, quod si sollicitudo eadem post expropriationem huiusmodi, quæ ante ipsam inerat, perseueret, ad perfectionem huiusmodi, talis expropriatio valeat nil conferre. Constat autem, quod post ordinationem prædictam non fuerunt in acquirendis aut conseruandis bonis prædictis in iudicio & extra minus solliciti, quam ante illam fuerant Fratres ipsi, quam quod sint Religiosi Mendicantes, alii habentes aliqua in communi. Credimus vtique quod nullus sapiens probationem huiusmodi reprobabit, propter quod ipsam hæreticus non expressit.

Hic impugnatus ad obiectiones appellantis contra prædictam assertionem respondet. Et diuiditur in duas partes: quia primo respondet ad obiectiones in *præcedenti capitulo* recitatas. Secundo respondet ad quasdam alias tactas in appellatione appellantis. Secunda ibi: *Ad illud autem quod induxit.* Prima diuiditur in tres, secundum quod ad tria tacta in obiectionibus prædictis respondet. Secunda ibi: *Ad hoc autẽ quod ipse dicit.* Tertia ibi: *Ad illud autẽ quod dicit.* Prima adhuc in duas diuiditur, secundum quod duo dicta in constitutione *Ad conditorem* replicat, ad ostendendum quod appellans truncate recitat illa, quæ in dicta constitutione *Ad conditorem* habentur, per quæ, vt dicit, defectus appellantis ostenditur. Secunda pars incipit in parte immediate sequenti ibi: *Item intendit.* In prima igitur parte dicit, quod appellans truncate recitat verba constitutionis *Ad conditorem*: quia omittit rationem, per quam probatur quod talis retentio dominii facta per summum pontificem nequaquam profuit Fratribus quantum ad statum perfectionis. Est autem ratio talis. Perfectio vitæ Christianæ essentialiter consistit in caritate, ad quam per contemptum temporalium præcipue via disponitur, per hoc quod sollicitudo circa temporalia amputatur, ergo si sollicitudo sit eadem post expropriationem huiusmodi, quæ fuit ante expropriationem: huiusmodi expropriatio ad perfectionem nihil confert, sed Fratres Minores fuerunt æque solliciti circa temporalia post expropriationem huiusmodi, sicut ante & sicut alii religiosi mendicantes: quia fuerunt æque solliciti circa temporalia post ordinationem Nicolai tertii de retentione dominii sicut ante, ergo talis expropriatio ad perfectionem nihil contulit eis.

Sed impugnatores probare conantur, quod in ista ratione hic adducta, quam omisit appellans, plures errores & mendacia Fratrum diffamatoria continentur. Ex quibus reprobatæ impugnationes appellantis fortiores intelligentibus apparebunt. Primus autem error hic contentus, vt dicunt, est quod expropriatio siue abdicatio proprietatis omnium temporalium in speciali & in communi ad statum perfectionis non pertinet. Secundus est quod ad caritatem per contemptum bonorum temporalium & expropriationem ipsorum via disponitur. Per hoc præcipue quod sollicitudo quam ipsa temporalia in acquirendo & conseruando exigunt amputatur. Tertius est quod si manet eadem sollicitudo ante expropriationem omnium temporalium, quæ fuit ante dictam expropriationem, talis expropriatio ad perfectionem valet nil conferre, primum vero mendacium diffamatorium hic contentum est, quod post expropriationem huiusmodi Fratres Minores non minus fuerunt circa temporalia solliciti in iudicio & extra quam ante fuerant. Secundum est quod Fratres Minores non sunt minus solliciti circa temporalia, quam alii religiosi Mendicantes. Si autem intelligeret, quod Fratribus prædicta duo competerent ex statu suo, essent erronea reputanda.

Primus igitur error, vt dicunt isti, contentus in verbis prædictis, est quod expropriatio siue abdicatio proprietatis omnium temporalium in speciali & in communi, ad statum perfectionis non pertinet. Quod enim hoc intendat, patet aperte. Nam dicit, quod retentio dominii supradicta Fratribus non profuit ad perfectionis statum, per retentionem autem dominii intelligit expropriationem prædictam. Nam præmissa ista conclusione probanda, quantum ad statum perfectionis nequaquam eis profuit retentio dominii supradicta: Postea in ratione, per quam istam conclusionem probare conatur, de retentione dominii nulla fit mentio, sed tantum modo de expropriatione, quare cum præmisit, quod retentio dominii eis non profuit de expropriatione intellexit. Vel si voluit distinguere inter retentionem dominii & expropriationem: oportet quod per rationem suam primo probet istam conclusionem. Expropriatio supradicta non profuit Fratribus quantum ad statum perfectionis. Et ex ista infert istam: Retentio dominii non profuit eis: & ita manifeste patet per rationẽ suam, quod intendit, quod expropriatio omniũ temporaliũ ad statum pfectionis nõ prodest. Sed quod hoc sit erroneum reputandũ isti impugnatores multipliciter pbare conãtur. Dicunt enim primo, quod

 deter-

determinationi ecclesiæ Romanæ contradicit, quod per Nicolaum tertium, vt dicunt, aperte demonstratur. Ait enim Nicolaus tertius in decretali *Exiit*, sicut ostensum superius est c. 9. *Dicimus quod abdicatio proprietatis huiusmodi rerum omnium temporalium tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est & sancta: quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmauit, quamque primi fundatores militantis ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte viuere per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos deriuarunt*. Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod huiusmodi abdicatio seu expropriatio spectat ad viam perfectionis. Aliter enim Christus ipsam verbo docendo & exemplo firmando viam perfectionis minime ostendisset: Apostoli etiam per doctrinæ & vitæ ipsorum alueos viam perfectionis in volentes perfecte viuere nullatenus deriuassent. Amplius, illa abdicatio seu expropriatio, quæ est ardua, difficilis propter Deum, quæ meritoria est & sancta, ad viam perfectionis spectat, sed expropriatio supradicta meritoria est & sancta secundum verba Nicolai prædicta, ergo ad viam perfectionis spectat, & ita prodesse Fratribus potuit ad statum perfectionis. Secundo sic arguunt, illud quod à Christo consulitur volenti viam perfectionis arripere, ad statum perfectionis spectat, sed Christus abdicationem omnium temporalium consuluit viam perfectionis volenti arripere, cum dicit Matth. 19. *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus*, ergo huiusmodi abdicatio ad statum perfectionis spectat. Tertio sic: Paupertas Euangelica ad statum perfectionis spectat, sed abdicatio proprietatis omnium temporalium ad Euangelicam pertinet paupertatem, hæc ostensa est supra capit. 13. ergo talis abdicatio ad statum perfectionis spectat. Quarto sic: Illud quod tollit impedimentum perfectionis, aliquo modo ad perfectionem spectat, sed voluntaria abdicatio proprietatis possessionum omnium temporalium in speciali & in communi tollit impedimentum perfectionis scilicet amoris diuini, in quo consistit perfectio: quia tollit amorem temporalium, qui est impedimentum amoris diuini, ergo abdicatio proprietatis omnium temporalium in speciali & in communi ad perfectionem spectat. Circa istam rationem supposita maiore tanquam certa sunt duo probanda: quorum primum est, quod voluntaria abdicatio proprietatis omnium temporalium tollit vel diminuit amorem eorum.

Secundum est, quod amor temporalium est impedimentum amoris diuini, primum probatur, nam amor temporalium ex proprietate rerum temporalium tam in speciali quam etiam in communi nascitur & augetur, testante beato Hieronymo, qui ait super Matth. 19. quia *diuitiæ habitæ difficile contemnuntur: non dicit Dominus impossibile est diuitem intrare in regnum cœlorum, sed difficile*. Ex quibus verbis habetur, quod diuitiæ habitæ difficile contemnuntur: & per consequens diuitiæ habitæ facile diliguntur: quia quod cum difficultate contemnitur, facile amatur. Ex proprietate igitur temporalium amor eorum nascitur vel augetur, hoc etiam beatus Bernardus de colloquio Simonis & Iesu testatur dicens: *hæc fugiendarum diuitiarum præcipua causa est: quia vix aut nunquam sine amore valeant possideri: siquidem glutinosa nimis non modo exterior, verum etiam interior substantia nostra videtur: & facile cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret*. Ex quibus verbis datur intelligi quod sine amore temporalia difficile possidentur.

His concordat beatus Augustin. qui in epistola ad Paulinum & Thearsiam ait: *Terrena diliguntur artius adepta quam concupita*. Nam vnde iuuenis ille tristis discessit, nisi quia magnas habebat diuitias. Aliud est enim nolle incorporare illa quæ desunt, aliud iam incorporata diuellere: illa velut extranea repudiantur, ista *velut membra præscinduntur*. Ex quibus verbis patenter habetur, quod ex possessione temporalium amor eorum augetur.

Hoc etiam Chrysostomus asserit manifeste: qui super Matth. ait: *Appositio diuitiarum maiorem accendit flammam, & vehementior fit cupido*. Ex his colligitur euidenter, quod ex possessione temporalium amor eorum nascitur vel augetur, aut etiam retinetur. Ex quo manifeste infertur, quod illud, quod tollit possessionem temporalium, tollit amorem eorum, vel diminuit, cum ergo voluntaria abdicatio proprietatis omnium temporalium in speciali & in communi, tollat possessionem temporalium, sequitur euidenter, quod tollit vel diminuit amorem temporalium rerum, & ita probatum est primum præmissorum.

Secundo probandum est, quod amor temporalium est impedimentum amoris diuini, hoc autem testatur beatus Augustin. qui 10. lib. confessionum loquens ad Deum ait: *Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat*, sed amor qui ex possessione temporalium nascitur vel augetur non est propter Deum, si enim esset tantummodo propter Deum, non esset maior, quando possiderentur, quam quando non possiderentur, ille igitur amor est impedimentum amoris Dei: quia diminuit vel tollit amorem Dei.

Item idem August. lib. 83. Quæstion. hoc aperte insinuat dicens: quod *nutrimentum caritatis est minutio cupiditatis*, ergo augmentatio cupiditatis quæ fit per amorem temporalium est impedimentum caritatis.

Item August. in eodem lib. ait: *Caritatis venenum est spes adipiscendorum temporalium*, ergo multo magis adeptio temporalium est caritatis venenum. Ex quo sequitur, quod multo fortius amor temporalium est venenum caritatis: & per consequens est impedimentum amoris diuini.

Item Hieronymus, vt habetur *12. q. 1. c. Clericus*, ait: *Si quispiam aliquid habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus*, hoc autem potissime debet intelligi de habere per amorem, qui non est propter Dominum. Ex quo patenter infertur, quod amor temporalium impedit habere Dominum: & per consequens impedit amorem Domini, quia Dominus per amorem habetur.

Quin-

Quinto tandem conclusionem, scilicet quod abdicatio proprietatis omnium temporalium ad perfectionem spectat, sic ostendunt: illud quod disponit ad perfectionem & contrariatur occasioni peccatorum, per quæ perfectio tollitur, ad perfectionem spectat, sed abdicatio proprietatis omnium tēporalium disponit ad perfectionem, & contrariatur possessioni temporaliū, quæ est occasio peccatorum, per quæ perfectio tollitur, ergo abdicatio proprietatis omnium temporalium ad perfectionem spectat.

Circa illam rationem sunt duo probanda: quorum primum est, quod abdicatio proprietatis omnium temporalium disponit ad perfectionem. Secundum est quod possessio temporalium, cui contrariatur abdicatio supradicta, est occasio peccatorum per quæ perfectio tollitur, primum probatur auctoritate Gregor. qui quarto Moralium ait: *Sunt nonnulli iustorum, qui ad apprehendendum culmen perfectionis accincti, dum altiora interius appetunt, exterius cuncta derelinquunt.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod cuncta derelinquere ad perfectionem disponit, imo quasi exigitur, hoc etiam testatur Ambros. qui primo lib. de Officiis ait: *non potest quis præmium accipere, nisi legitime certauerit, neque gloriosa victoria vbi non fuerunt laboriosa certamina, ideo Dominus in Euangelio: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum: non dicit, beati diuites, sed pauperes, inde enim incipitur beatitudo diuino iudicio, vbi ærumna æstimatur humano.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod paupertas: & per consequens abdicatio proprietatis omnium temporalium est via ad beatitudinem in ista vita. De qua loquitur Saluator *Matt. 6.* sed illa est perfectio, vel non sine perfectione, ergo paupertas vel est perfectio vel ad perfectionem disponit. Secundo probandum est quod possessio temporalium, cui contrariatur abdicatio proprietatis omnium temporalium, est occasio peccatorum, per quę perfectio tollitur, hoc enim testatur Greg. 4. li. Moralium dicens: *Rarum valde est, vt qui possident aurum ad requiem tendant: cum per semetipsam veritas dicat, quod difficile, qui pecunias habent, intrabunt in regnum cælorum.* Ex quibus verbis colligitur, quod diuitiarum possessio impedit intendere ad regnum cœlorum, sed hoc non fit, nisi inclinando ad peccata, ergo est occasio peccatorum, hoc etiā Aug. *de verbis Domini* aperte insinuat, specialiter explicans ꝙ est causa superbiæ dicens: *nihil est quod sic generent diuitiæ, quam superbiam, omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum, omne germen habet vermem suum, vermis diuitiarum superbia.* Et Idem de Lapsu mundi ait: *In diuitiis nil tam cauendum est quam superbia morbus.* Possessio igitur diuitiarum est occasio superbiæ, ꝙ etiam sit occasio aliorū vitiorum, testatur idem Augustinus, q̧ de Lapsu mundi ait: *Diuitiæ ipsæ quas putatis plenas esse delitiarum, pleniores sunt periculorum:* & per consequens sunt occasiones peccatorū. Hoc etiam testatur Greg. qui super illud Euangelii *Exiit, qui seminat,* ait: *Quis enim mihi vnquam crederet, si spinas diuitias interpretari voluissem: maxime cū illa pungāt, ista delectēt, & tamen spinæ sunt, quia cogitationū suarum punctionibus mentem lacerant: & cū vsq; ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant,* & ideo primo Moralium ait: *Solet rerū abundantia tanto à timore diuino mētem soluere, quanto hanc exigit diuersa cogitare, nam dū foris per multa spargitur, stare in intimis fixa prohibetur.* Ex his aliisq; cōpluribus sanctorum testimoniis euidenter apparet, diuitias occasionē peccandi præstare, & plenas esse periculis, ꝙ testimonio Apostolico confirmatur, q̧ primæ Tim. 6. ait: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueū Diaboli & desideria multa & nociua quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.* Vltimo, ꝙ abdicatio ꝓprietatis omnium temporalium ad perfectionem pertineat, sanctorum auctoritatibus conantur ostendere. Hoc enim auctoritate B. Hieronymi ꝓbant, qui ad Rusticum monachum ait: *Si perfectus esse desideras, exi cum Abraham de patria & de cognatione tua, si habes substantiā, vende & da pauperibus: si non habes, grandi onere liberatus es, nudum Christū nudus sequere: durum, grande, difficile, sed magna sunt præmia.* Ex quibus verbis datur intelligi, ꝙ qui perfectus esse desiderat, debet omnia vendere, & dare pauperibus: & per consequens proprietatem omnium abdicare. Item, illud ꝙ est melius, ad perfectionem spectat, sed omnia dimittere est melius quam aliqua retinere: teste beato Augustino de Bono coniugali, q̧ ait: *Bonū erat ꝙ faciebant qui de substantia sua Christo & eius discipulis ministrabant: sed melius qui omnem substantiā dimiserunt vt Christum Dominum expeditius sequerentur,* ergo omnia dimittere ad perfectionem spectat. Item his concordat Ambro. qui li. 1. de officiis ait: *Officium omne aut mediū aut perfectum, quod æque scripturarū auctoritate probare possumus, habemus enim in euāgelio dixisse Dominum: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: non homicidium facies: non adulterabis: hæc media sunt officia, quibus aliquid deest, ideo sequitur: si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & sequere me, hoc est igitur perfectum officium.* Ex his verbis datur intelligi ꝙ vendere omnia & dare pauperibus ad perfectionem spectat. Idem Beda super illud Marci 2. *Relictis omnibus secutus est eum,* ait: *Perfectam nobis abrenunciationis seculi formam tribuit, dum non solum lucra reliquit vectigalium, sed & pericula contempsit.* Lucra igitur & pericula mundana contemnere: & per consequens omnium abdicare proprietatem, ad perfectionem spectat. Item beatus Bernar. ait: *habetur in euangelio & perfectionis consilium & remedium infirmitatis. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, hæc perfectio est. Si igitur non thesaurizare thesauros in terra perfectionis est, multo fortius abdicatio proprietatis omnium deberet perfectio reputari.* Ex his aliisq; q̄ pluribus apparet (vt dicunt isti) quod abdicatio ꝓprietatis omnium ad perfectionē spectat.

Porro quia solutio dubiorum est manifestatio veritatis: Ideo contra prædicta obiiciunt, vt ipsa plenius valeant declarare. Primo igitur ostendunt, ꝙ abdicatio proprietatis omnium temporaliū in speciali & in communi, ad statū perfectionis non spectat, & primo sic: status episcoporū est ꝑfectior statu quorumcunq; religiosorū: ergo est ꝑfectior statu illorū q̧ abdicant prædicto mō omniū ꝓprietatē, sed episcopi nō abdicant omnium ꝓprietatē: ergo talis abdicatio ad ꝑfectionem non ꝑtinet. Secundo sic; illud sine quo potest quis esse perfectus, ad statū perfectionis non pertinet: sicut illud sine

quo potest quis esse homo, ad naturam hominis minime spectat, sed aliquis potest esse perfectus sine abdicatione huiusmodi, patet de patribus veteris testamenti, qui sine abdicatione perfecti fuerũt, multi etiam religiosi sunt in statu perfectionis absq; abdicatione huiusmodi. Tertio sic: in Collationibus patrum dicit Abbas Moyses: *ieiunia, vigilias, meditatio scripturarum, nuditas ac priuatio omnium facultatum non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt.* Ex quibus verbis patet quod abdicatio temporalium est tantũ modo instrumentum perfectionis, sed sicut abdicatio omniũ temporalium est instrumentum perfectionis, ita etiã possessio diuitiarũ est instrumentũ perfectionis, est enim instrumẽtũ caritatis, quo caritas Christi per opera misericordiæ indigentiis subuenit proximorum: sicut patet de Thobia qui de facultatibus suis ex perfectione caritatis esurientes alebat, nudisq; vestimenta præbebat, & mortuis atq; occisis sepulturam sollicitus exhibebat, imo diuidebat vnicuiq; prout poterat de facultatibus suis *Thobi. 1.* Item patet de Iob & aliis patribus veteris testamenti. Idem etiam patet de multis in nouo testamento, non ergo plus pertinet ad statum perfectionis abdicatio omnium tẽporalium, quam diuitiarum possessio. Quarto specialiter ostenditur, quod rationes non concludunt, nam auctoritates adductæ non loquuntur de rebus paruis necessariis sustentationi humanæ: sed tantum modo de possessione magnarum diuitiarum, ergo per eas probari non potest, quod abdicatio omnium rerum temporalium priuatarum & magnarum ad statum perfectionis spectat. Item non loquitur de abdicatione diuitiarum in communi: sed tantum modo in speciali, ergo probari nõ potest, quod abdicatio proprietatis omnium in speciali & in communi ad statum perfectionis spectat, hoc confirmatur: quia bona communia pertinent ad perfectionem caritatis, quæ omnia facit communia, ergo abdicare proprietatem communium, non facit ad perfectionem. Ad euidentiam solutionis istorum dicunt isti esse sciendum, quod aliquid pertinere ad perfectionem quadrupliciter potest intelligi, vno enim modo pertinet aliquid ad perfectionem: quia est de se perfectio essentialiter, & isto modo caritas & actus meritorius diligendi Deum ad perfectionem spectant. Secundo modo pertinet aliquid ad perfectionem: quia est arduum quid & difficile, impedimenta perfectionis primo modo dictæ tollens vel diminuens & ad ipsam disponens, & isto modo abdicatio proprietatis omnium temporalium in speciali & in communi & graues vigiliæ, perpetua continentia, singularia ieiunia, abdicatio propriȩ voluntatis & huiusmodi ad perfectionem spectant. Tertio modo potest intelligi aliquid ad perfectionem spectare: quia ex magna perfectione procedit, siue sit difficile & arduum, siue non sit difficile: sicut multi sancti viri ex perfectione magna, dispensationem rerum ecclesiarum communium & episcopatus, ac dignitates alias receperunt: quia ex perfectione caritatis curas huiusmodi non ex ambitione vel auaritia susceperunt, imo quantum licuit renuerunt, & tales præcipue sunt idonei ad regendum, teste Augustino, qui, vt habetur *8 q. 1. cap. qui episcopatum*, ait: *Ocium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinam si nullus imponit percipienda atq; intuenda veritati vacandum est, si autem imponitur, suscipienda est propter caritatis necessitatem.* Huic etiam concordat Grego. in Registro, vt habetur eisdem *causa & quæstione c. in scripturis.*

Est autem aduertendum, quod iste modus non in omnibus differt à secundo, in hoc enim quodam modo conuenit cum secundo, quod vtrobique illud, quod ad perfectionem pertinere dicitur, est quodammodo difficile: sed diuersimode, quia in secundo modo hoc, quod ad perfectionem pertinet, est difficile naturæ corruptæ. Sicut naturæ corruptæ & hominibus suas passiones sequentibus est difficile omnia dimittere, sæpe ieiunare, perpetuo continere, & alterius se subiicere voluntati: sed illud quod ad perfectionem pertinet tertio modo, est facile naturæ corruptæ & hominibus secundum inclinationem passionum viuentibus: sed hominibus in diuino amore fundatis est difficile: sicut magnas recipere dignitates, hominibus suas sequentibus passiones est facile, hominibus tamen perfectis considerantibus tales dignitates esse plenas periculis spiritualibus est difficile, propter quod sancti viri antiquitus cum magno timore & tremore ac difficultate maxima huiusmodi officia receperunt. Quarto modo potest aliquid intelligi ad perfectionem pertinere: quia potest qualitercunq; ad perfectionem disponere, & isto modo omnis actus bonus siue sit facilis siue difficilis, potest dici ad perfectionem pertinere, & sic aliquid pertinet ad perfectionem in vno, & eius contrarium pertinet ad perfectionem in alio: quia diuersi diuersimode & sæpe per contraria ad perfectionem disponuntur. Secundum dicunt esse sciendum, quod illa, quæ dicuntur pertinere ad perfectionem secũdo modo, dicuntur pertinere ad statum perfectionis secundum quod modo loquimur de pertinentibus ad statum perfectionis: an autem omnes alii modi vel aliqui, aut quis tantum modo pertineant vel pertineat ad statum perfectionis dicunt ad præsens esse minime indagandum. Tertio dicunt esse sciendum, quod status perfectionis vocatur ille status, qui supra obligationem ad perfectionem habendã primo modo dictam, ad quam omnes obligantur, obligat assumentes ad aliqua quæ ad perfectionem secundo modo pertinere noscuntur: quia obligat ad aliqua ardua & difficilia naturæ corruptæ & hominibus suas sequentibus passiones. Quarto dicunt esse sciẽdum: quod diuersi status non ad omnia eadem ardua & difficilia secundo modo obligant assumentes: & ideo non est inconueniens, quod vnus status excedat alium in vno, & excedatur ab eodem in alio. Secundo prædicta ad prætactas obiectiones respondere nituntur, vnde ad primam dicunt: quod licet status episcoporum sit multis perfectior statu religiosorum abdicantium proprietatem omnium in communi & in speciali: in hoc tamen non est perfectior scil. quantum ad esse in actuali paupertate, in quo non est perfectior quacunq; religione votum paupertatis habente, similiter etiam quantũ ad abstinentiam & mul-

& multa alia non est perfectior statu religiosorum. Ad secundam dicunt, quod licet illud sine quo potest aliquis esse perfectus, non sit perfectio primo modo dicta: potest tamen ad statum perfectionis spectare: quia multa spectant ad statum perfectionis, quæ non sunt perfectio primo modo dicta: sed sufficit quod sint perfectiones secundo modo dictæ: & quod assumentes talem statum ad ipsas obligentur. Vnde sicut aliqua pertinent ad perfectionem hominis dupliciter: quia quædam sunt, sine quibus non est homo completus scilicet omnia membra, quædam sunt sine quibus non est homo perfectus perfectione secunda, cuiusmodi sunt scientiæ, pulcritudo, fortitudo, virtutes & huiusmodi: ita aliquid pertinet ad perfectionem Christiani catholici, sine quo non est perfectus Christianus catholicus perfectione prima: & tale est principaliter charitas, & minus principaliter fides & spes. Aliquid autem quasi secundario pertinet ad perfectionem Christiani catholici, sine quo non est perfectus omni perfectione secundaria, sicut virginitas, & tale quid est proprietatem omnium abdicare in speciali & in communi: sine hoc tamen in actu potest aliquis esse perfectus, sed non potest esse perfectus in summo, sine tali abdicatione, secundum præparationem animi, & isto modo sancti patres in veteri testamento & perfectissimi religiosi obtinent abdicationem secundum præparationem animi: non tamen habuerunt in actu omnem perfectionem secundariam. Ad tertiã dicunt: quod verum est, quod huiusmodi abdicatio est instrumentum perfectionis primo modo dicta, sicut nec abdicatio proprietatis omnium in speciali est perfectio primo modo dicta. Perfectio enim primo modo dicta non potest male haberi nec fieri vel assumi, sed abdicatio proprietatis omnium siue in speciali tantum, siue in speciali & in communi, potest male assumi, quia malo fine: quemadmodum hypocritæ multa ardua & difficilia faciunt, vt ab hominibus videantur. Cum vero dicitur, quod sicut abdicatio proprietatis omnium est instrumentum perfectionis: ita etiam diuitiarum possessio est instrumentum perfectionis. Dicunt isti: quod verum est, quod tam abdicatio omnium diuitiarum, quam earum possessio potest esse instrumentũ perfectionis: sed aliter & aliter, nam abdicatio omnium est instrumentum arduum & difficile fragilitati humanæ; diuitiarum autem possessio non est instrumentum arduum neq; difficile fragilitati humanę, cũ sit appetibilis secundũ naturam corruptam viuentibus, secundo quia licet abdicatio omniũ postquam facta esset inuoluntaria & coacta, posset esse radix aliquorum malorũ: hoc tamen non esset nisi in quantum quodammodo esset mutata in possessionem diuitiarum secundum desiderium animi, & propter hoc non ita est occasio peccatorum, sicut est diuitiarum possessio, propter quod abdicatio proprietatis omnium in speciali & etiam in communi pertinet ad perfectionẽ secundo modo, sed possessio diuitiarum potest dici pertinere ad perfectionem tertio modo, sed communiter loquendo illa quæ pertinent ad perfectionem, tertio modo, magis dicuntur pertinere ad imperfectionem quam ad perfectionem: quia secundum se quodammodo sunt imperfecta, licet ex aliqua circũstantia, vel circumstantiis possint in casu esse perfecta, vel ex perfectione procedere, & ideo nunquã dicuntur pertinere ad statum perfectionis: quia ardua & difficilia ad statũ perfectionis pertinere noscuntur. Sed forte dicet aliquis, quod non solum ardua & difficilia ad statũ perfectionis spectant, sed etiam quædam alia spectant ad statum perfectionis: sicut ad statum prælatorum, qui est status perfectionis, spectat docere, corrigere, punire & huiusmodi, ergo licet possessio diuitiarum non sit quid arduum & difficile: tamen poterit spectare ad statum perfectionis: & videtur quod specialiter spectet ad statum prælatorum, qui est status perfectionis. Nam de statu prælatorum spectat punire delinquẽtes, delinquentes autem sine potentia puniri non possunt, potentia autem sine diuitiis non habetur, ergo sine possessione diuitiarum prælati delinquentes conuenienter punire nõ possunt, ergo possessio diuitiarum ad statum pertinet prælatorum. Ad hoc dicunt isti, ꝙ aliqua esse difficilia dupliciter potest intelligi, vno modo, quia cum difficultate, rite & legitime exercentur & sic docere, regere, corrigere & huiusmodi, quæ ad statum pertinent prælatorum, possunt inter difficilia computari. Aliter possunt aliqua intelligi difficilia, quia à suas passiones sequentibus cum difficultate appetuntur: & sic docere, regere, punire, & huiusmodi non sunt difficilia reputanda, propter quod concedunt, quod aliqua, quæ non sunt illo modo difficilia, hoc est difficiliter & raro à suas passiones sequentibus appetita, pertinent ad statum perfectionis, & maxime prælatorum: sicut docere, regere, iudicium facere, corrigere, punire & huiusmodi: tamen dicunt quod possessio diuitiarum non per se pertinet ad statũ prælatorum: quia possessio diuitiarum, tum propter sollicitudinem quam requirit, tum propter amorem inordinatum & alia vitia, quæ sepe nascuntur ex ipsa retrahit ab aliis, quæ per se ad statum pertinent prælatorum, propter quod Apostoli non solum possessionem & proprietatem diuitiarum, sed etiam dispensationem ipsarum, absque omni proprietate, quemadmodum aliqui Fratres Minores, modo res quibus vtuntur Fratribus suis dispensandas penitus reliquerunt: & ad huiusmodi dispensationem faciendam septem diaconos elegerunt, sicut patet *Actuum 7*. Cum igitur nunquam fuerunt perfectiores prælati quam fuerunt Apostoli, neque quo ad vitam, neque quo ad statum: sequitur, quod diuitiarum possessio ad statum prælatorum nequaquam per se poterit pertinere.

Veruntamen dicunt esse sciendum, quod aliquid pertinere ad statum prælatorum dupliciter potest intelligi, scilicet vel per se & essentialiter, sicut paupertas, castitas, & obedientia per se & essentialiter pertinent ad statum religiosorum perfectorum. Aliter aliquid potest pertinere ad statum prælatorum, quasi per accidens, propter defectum vel negli-

negligentiam aliorum: sicut dicunt Iuristæ, quod ad prælatum sæpe pertinet supplere negligentiam iudicis secularis. Primo modo possessio diuitiarum neque communium, neque specialium pertinet ad prælatos. Secundo modo possessio diuitiarum maxime communium ad prælatos poterit pertinere: sic antiquitus prælati communia possidebant, hoc est detinebant & dispensabant. Quia enim tunc temporis prælati alios, scientia, fide, sanctitate & industria præcellebant: imo alii erant quasi oues respectu ipsorum, expediens communitati fidelium existebat, quod prælati bona communia susciperent dispensanda, si autem postea prælati fuissent, vel nunc essent auaritia & aliis vitiis magis quam laici irretiti: expediret communitati fidelium bona communia committere laicis iustis, bonis & industriis dispensanda.

Sed forte dicet aliquis, quod bona ecclesiæ pertinent ad proprietatem & dominium ecclesiæ, ergo contra prælatorum voluntatem non debent committi aliis quibuscunque.

Ad hoc dicunt nonnulli, quod bona communia, quæ vocantur, & quodammodo sunt ecclesiæ quo ad dominium & proprietatem, primo & principalissime post Deum, sunt totius communitatis fidelium quo ad dominium & proprietatem, vel illius partis totius communitatis, quæ ab aliis distinguitur, quæ etiam omni dominio & communitati etiam qualicunque fidelium respectu bonorum communium renunciauerunt: si tamen sunt aliqui tales, communia enim bona à fidelibus oblata Deo ad duo principaliter ordinantur, scilicet ad Deum honorandum, & ad fidelium indigentias releuandas. Ordinantur enim ad Deum honorandum, vt fiant ecclesiæ libri, ornamenta, & alia quibus Deus specialiter honoratur & colitur. Ordinantur etiam ad fidelium indigentias releuandas: sed fidelium, sicut testatur Hieronym. vt habetur *12. quæst. 1. duo sunt genera*: vnum quod diuino officio mancipatur, sicut sunt religiosi & alii ecclesiastici viri. Aliud est illorum, qui non sic diuino officio mancipantur, sicut sunt laici. Primis dispensanda sunt bona communia, etiam si propria habeant ad se sustentandum: quia nemo tenetur suis stipendiis militare, seruis non sunt bona communia conferenda, nisi propria bona deficiant, tunc enim sunt bona communia quibuscunque fidelibus, si sufficiunt eroganda: & ideo bona communia omnibus fidelibus communia quodammodo sunt censenda. Omnibus enim fidelibus vel omnibus, exceptis illis qui bonorum communium ecclesiæ dominio renunciauerunt: si qui sunt tales, sunt communia quo ad dominium & proprietatem aliqualem, quæ scilicet est potestas vendicandi rem, seu pro re in iudicio litigandi. Quantum etiam ad facultatem per ipsa suas indigentias releuandi, sunt omnia omnibus communia, sed diuersimode: quia omnia omnibus sunt communicanda, licet aliter & aliter.

Primo enim generi fidelium sunt communicanda, licet ipsi habeant propria, quibus valeant suis necessitatibus subuenire. Aliis, nisi deficientibus propriis, sunt minime communicanda: sicut si sunt pauperes non habentes victum & vestitum, vel captiui vnde possint se redimere non habentes: & consimiliter de aliis in quibuscunque necessitatis articulis constitutis est dicendum, hoc per sacros canones posset copiose probari: sicut patet *12. q. 4. cap. aurum & c. sicut omnino*, & multis aliis locis, & ita bona ecclesiæ sunt quodammodo communia omnibus: & in hoc communitas fidelium ecclesiam primitiuam quodammodo imitatur, licet enim non imitetur in hoc, quod nullus illorum habuit aliquid proprium: in hoc tamen imitatur, quod sicut illis omnia erant communia, ita modo omnibus fidelibus aliqua, non omnia sunt communia. Sed quæret aliquis, quomodo ergo ista bona dicuntur ecclesiæ, ex quo sunt communitatis fidelium? Ad hoc dicunt, quod sicut bona vnius monasterii, vel vnius episcopatus, aut ecclesiæ alterius collegialis, vel etiam non collegialis, dicuntur bona talis episcopi vel decani, aut talis monasterii vel ecclesiæ: & tamen principalius sunt bona tota totius ecclesiæ: & principalius sunt bona capitis clericorum, quam clericorum quorumcunq;. Ita etiam oblata Deo dicuntur bona ecclesiæ vel clericorũ, & tamen sunt principalius bona communitatis fidelium. Quia sicut non obstante ꝙ episcopus bona sibi deputata pôt in iudicio vendicare & agere pro eis: papa nihilominus omnem talem potestatẽ principalius noscitur obtinere, si per communitatem fidelium est tota potestas clericorum super communia oblata Deo tributa papæ, non tamen sic, quin illam posset communitas fidelium reuocare: sic non obstante, quod communitas clericorum habet aliquale dominium in bonis communibus, tamen communitas fidelium principaliorem potestatem habet in eisdem: imo principalissimam habet post Deum. Ex his igitur patet, vt dicunt, quod possessio diuitiarum nequaquam per se pertinet ad prælatos, cum igitur dicitur, quod ipsi habent corrigere & punire, dicunt quod ad ipsos pertinet corrigere & punire pœna spirituali, scilicet excommunicatione. Pœna vero corporali: puta incarceratione, exilio vel huiusmodi pertinet ad eos punire inuocato auxilio brachii secularis.

Si vero deficeret eis brachium seculare: tunc propter defectum vel negligentiam brachii secularis possent per se vti aliquali potentia ad crimina delinquentium corrigenda, quemadmodum multi sancti episcopi propter defectum bonitatis iustitiæ & industriæ in secularibus dispensationem bonorum communium susceperunt, propter quod dicunt nonnulli, quod si laici essent ratione bonitatis industriæ & zeli boni communis ita sufficientes, sicut prælati: melius esset & magis consonum scripturæ diuinæ dicenti: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*: quod prælati prædicationi, orationi & officio diuino intenderent: & laici dispensationi bonorum communi-

muni-

muniū implicaretur: ſicut ſi clerici inferiores eſſent æqui boni, iuſti & induſtrii, æque bonum cōmune zelantes, melius eſſet exemplo Apoſtolorū, q orationi & miniſterio verbi intendere ſatagentes ſeptē Diaconos elegerūt, q̄ cōmunia diſpenſarent, ꝙ clerici inferiores ad cōmunia diſpenſandū idonei, cōmunia poſſiderent: ꝙ plati ſpiritualibus tota mente incumberent: & tunc plati, qn̄ inuenirent ſeculares voluntarios ad iuſtitiā faciendā, non indigerent potentia ad puniendos malos: vbi vero laici inuocati negligerent, vtile eſſet platos habere potentiam impios coercendi. Et ideo in tali caſu vtile eſſet prælatos vel clericos obedientes platis, bonorū cōmunium poſſeſſionē habere, imo poſſet eſſe caſus, ꝙ laici omnia bona Eccleſiæ poſſiderent. Si enim omnes clerici fierent hęretici, omnia bona eorū eſſent ad laicos deuoluta, non quo ad ꝓprietatem, ſed quo ad licitā detentionem. Quamdiu poſtea non inuenirentur clerici, niſi fures, adulteri, percuſſores, guloſi, ebrioſi, diſcordias ſeminantes, & vitiis aliis inuoluti, congrueret ꝙ bona communia per laicos bonos & induſtrios diſpenſarentur. Ad quartam obiectionem dicunt iſti: quod quædam auctoritates loquuntur de omnibus rebus temporalibus paruis & magnis: quædā vero licet loquantur primo & vocaliter de magnis diuitiis, tamen ꝓportionabiliter de paruis debent intelligi: qa quantū ad hoc, idē eſt iudicium de toto & de parte: & de magno & paruo. Et ideo ſicut abdicatio magnarum diuitiarum ad ſtatū perfectionis ſpectat: Ita etiam abdicatio paruarū ad ſtatum perfectionis ſpectat. Sed dicet aliquis ꝙ non eſt ſimile de magnis diuitiis & de paruis. Primo quia amor diuitiarum, ſuperbia & alia vitia non ſequuntur paruas diuitias, ſed ſolummodo abundantes. Ergo abdicare paruas diuitias ad ſtatum perfectionis non pertinet. Itē, id non pertinet ad ſtatum perfectionis, cuius contrariū ex charitate ꝓcedit. Sed habere diuitias cōmunes ex charitate procedit, quia charitas non quærit quæ ſunt ſua, ſed magis intendit cōmunibus. Ergo carere cōmunibus diuitiis ad ſtatum perfectionis non pertinet. Ad primam iſtorum dicunt iſti, ꝙ licet paruas diuitias non ſequatur tantus amor temporaliū, neq; ſuperbia tanta, neq; etiam vitia alia ita grauia in eadem ſpecie, ſicut ſequuntur diuitias abundantes, tamen aliqs amor & aliqua ſuperbia ac alia vitia ſequuntur ex paruis diuitiis. Quod patet, quia illud, ꝙ ſine dolore nequaq̄ amittitur, ſine amore minime poſſidetur. Sed paruæ diuitiæ nequaq̄ amittuntur ſine dolore. Ergo ſine amore nullatenus poſſidentur. Item, vnuſquiſq; plus diligit rē propriā quantumcunq; paruā q̄ alienam. Ergo aliqs amor ſequitur poſſeſſionē rerum paruarū: & conſimiliter eſt de alienis vitiis. Ad ſecundum dicunt, ꝙ cum aliquis facit res ſuas eſſe cōmunes, duo ibi intelliguntur. Nam talis res aliquas cōmunicat alius: & nihilominus res eaſdē quantū ad dominium & aliqualē proprietatē quodā modo retinet ſibi, ſcil. in cōmuni. Primū a charitate ꝓcedit: ſecundū vt cōmuniter ab amore ſui procedit: multo fortius qn̄ aliqs non facit res ſuas cōmunes, ſed res alienas acqrit in cōmuni, q̄uis ad ſtatū pfectionis ptineat nolle habere res proprias in ſpeciali, tamen velle habere rerū dominiū in cōmuni ad ſtatum pfectionis pertinet. Nec hoc p ſe regulariter ex charitate procedit: q̄uis non ſit impoſſibile ꝙ ex charitate procedat: ſicut nec impoſſibile ꝙ retentio diuitiarū propriarū ex charitate procedat. Cū igitur dicitur, *charitas nō quærit q̄ ſua ſunt*: hoc eſt dictū Apoſtolicum plenum veritate: ſed cū dicitur, *intēdit cōmunibus*, hoc verum eſt, quemadmodū largiri Eleemoſynā, & diuitias proprias diſpenſare ex charitate procedit. Cū hoc tamen ſtat, ꝙ ſicut melius eſt omnia dare & cū Chriſto egere, q̄ diuitias diſpenſare: ita melius eſſet omnia relinquere & cum Chriſto omni ꝓprietate ſpeciali & cōmuni carere: qui tamen habet res cōmunes, nec vult eas dimittere, ſi conuenienter & cum debitis circumſtantiis intendit iſtis communibus poterit eſſe in ſtatu perfectionis, ſed non in ſtatu altiſſimæ paupertatis.

Secundus error (vt dicunt) contentus in verbis iſtius impugnati ſuperius recitatis, eſt: quod ad charitatem per contemptum bonorum temporalium & expropriationem ipſorum via diſponitur per hoc pcipue, ꝙ ſollicitudo q̄ ipſa temporalia in acqrendo, conſeruādo, & diſpenſando exigūt, amputatur. Hoc enim eſſe erroneū ꝓbare nituntur. Primo ſic: ille q caret amore temporaliū, magis diſponitur ad charitatē, q̄ ille qui caret ſollicitudine temporalium: quia amor temporaliū eſt plurimū malorum occaſio, & magis obuians amori diuino, q̄ ſollicitudo circa temporalia. Ergo magis diſponitur via ad charitatē per amputationem amoris inordinati temporalium, quam per amputationē ſollicitudinis circa temporalia: & ita falſum eſt, ꝙ via pcipue diſponitur ad charitatem per amputationē ſollicitudinis circa tēporalia. Secundo ſic: ſicut vnuſquiſq; magis diſponitur ad charitatē p bonā affectionē interiorem, quā p opus exterius. Ita vnuſquiſq; magis diſponitur ad charitatem per amputationem malę affectionis interioris, quam p amputationem operis exterioris, cum opus exterius non ſit bonum vel malum, niſi propter actū interiorē. Cum ergo amor inordinatus temporaliū ſit affectio interior, & ſollicitudo ſit exterior: magis diſponitur via ad charitatē per amputationem amoris, quam per amputationē ſollicitudinis. Tertio ſic: magis diſponitur via ad charitatem per amputationem impedimenti, ꝙ directe tollit vel diminuit actum charitatis, quam per amputationem illius, ꝙ non ita tollit vel diminuit actum charitatis. Sed amor inordinatus temporalium directe tollit vel diminuit actum charitatis vt ex præcedentibus euidenter apparet. Sollicitudo autem, quam exigunt temporalia, non ita tollit vel diminuit actum charitatis: quia licet ſollicitudo, ad quam inclinant temporalia, mediante amore, ad quem primo inclinant, tollat vel diminuat actum charitatis: tamen ſollicitudo quam exigunt temporalia, non ita tollit vel diminuit actum charitatis, cum talis ſollicitudo poſſit ex charitate procedere. Vnde multi retinentes diuitias proprias vel communes ſæpe ex charitate, vt eas diſpēſent vtiliter in operibus miſericordiæ ex charitate mouentur: & per conſequens ſollicitudo non ita tollit vel diminuit actum charitatis, ſicut amor temporalium inordinatus. Præcipue ergo via diſponitur ad charitatem per amputationem amoris inordinati temporalium. Quarto ſic:

Amputatio sollicitudinis, quam exigunt temporalia, sæpe ex stultitia aut [illegible] uenit. Vnde Prou. 24. sic scribitur: *Per agrum hominis pigri pertransiui, & per [illegible] tum repleuerant vrtica, operuerant superficiem eius spina, & maceria lapidum [illegible]* colligitur, quod carentia sollicitudinis, quam exigunt agri & vineæ, [illegible] gritia prouenit. Ergo carentia vel amputatio sollicitudinis non præcipue [illegible] cut nec stultitia nec pigritia ad charitatem disponit.

Tertius error, vt dicunt, contentus in verbis prædictis, est quod si manet [illegible] dictam expropriationem, quę ante ipsam inerat, talis expropriatio ad [illegible] re. Quod enim hoc sit erroneum, probare conantur. Primo ducendo ad hæresim [illegible] si manente eadem sollicitudine expropriatio temporalium ad perfectionem valet nil [illegible] expropriatio temporalium fiat per votum paupertatis, sequiturquod si manet eadem sollicitudo circa temporalia post votum, quæ fuit ante votum, votum paupertatis ad perfectionē valet nil cōferre. Sed qua ratione votum paupertatis manente eadem sollicitudine ad pfectionem valet nil conferre, eadem ratione votum castitatis manente eadem castitate, & eadem ratione votum obedientiæ, si aliquis non plus obediret post votum quam ante, sicut sępe accidit, ad perfectionem valeret nil conferre, & per consequens eadem ratione omne votum supra bonum quod vouetur ad perfectionem vel bonitatem conferret, quod est erroneum manifeste. Constat enim, quod consilium datur de voto. Ait enim Propheta: *Vouete & reddite.* Consilium autem est de meliori vel saltem de bono. Ergo vouere est bonum. Vbi autem bonum additur bono finito, totum redditur melius. Ergo manente eadem sollicitudine ipsa expropriatio per votum paupertatis ad perfectionem aliquid confert. Præterea virtus est circa arduum & difficile. Sed actus vouendi paupertatem est magis arduus & magis difficilis, quam amputare sollicitudinem circa temporalia. Ergo est actus magis virtuosus. Ex quo sequitur, quod manentę eadem sollicitudine, ipse actus vouendi ad perfectionē aliquid confert: imo magis confert ad perfectionem & ad statum perfectionis, quam amputatio sollicitudinis, quia per votū paupertatis firmatur quis in statu perfectionis, puta in religione: non autem per amputationem sollicitudinis: Ergo magis confert ad statum perfectionis, quam amputatio sollicitudinis. Et ita per tale votum magis disponitur via ad charitatem, quam per amputationem sollicitudinis, quod est contra primam assertionem superius impugnatam. Amplius, professio religionis in rite profitentibus aliquid confert ad perfectionem. Sed sæpe eadem sollicitudo & etiam maior sine peccato: imo meritorie manet post professionem in multis religiosis, quam ante in nouitiatu inerat. Sæpe enim professi ex merito obedientiæ laudabiliter sunt magis solliciti circa temporalia acquirenda, conseruanda, & dispensanda, quam fuerunt dum erant nouitii. Ergo manente eadem sollicitudine professio ad perfectionem aliquid confert: & per consequens quamuis maneret eadem sollicitudo circa temporalia, sicut sæpe eadem, vel maior est in Fratribus Minoribus post expropriationem, quam ante inerat, quia illa expropriatio fit, quando profitentur, tamen ipsa expropriatio ad perfectionē valet aliqd conferre. Impugnatus assertionibus supradictis, quas isti reputant erroneas, mendacia diffamatoria quæ (vt dicunt) continentur in verbis prædictis, conantur detegere. Dicentes, primum mendacium esse, quod Fratres Minores post expropriationem huiusmodi non fuerunt minus solliciti in iudicio & extra, circa temporalia, quā fuerant ante: quia secundū eum Fratres Minores non fuerunt expropriati ante ordinationem Nicolai tertii, & secundū ipsum non fuerunt dicto modo minus solliciti post ordinationē quam ante. Ergo non fuerunt minus solliciti post expropriationē quam ante. Sed hoc constat esse falsum, vt dicunt, quia ante expropriationem pdictā poterant habere dominiū & pprietatem rerū, & pro ipsis in iudicio litigare, quæ post minime facere poterant qa ante dictā expropriationē fuerunt seculares vel nouitii, & tam seculares q̄ nouitii poterant habere, & nonnulli habuerūt rerū dominiū & proprietatem. Nonnunquā etiam aliqui nouitii aliter fuerunt de rebus suis solliciti ante expropriationē, q̄ post expropriationem. Ergo non est generaliter verum, q̄ nō minus fuerunt solliciti post expropriationem quam ante. Secundum mendacium est, vt dicunt, quod Fratres Minores non sunt minus solliciti circa temporalia in iudicio & extra, quā sint alii religiosi mendicantes, quod constat esse falsum. Quia nulla sollicitudo circa temporalia est aliis religiosis mendicantibus interdicta, quin eadem sit æque districte Fratribus Minoribus interdicta. Multæ autem sollicitudines circa temporalia sunt Fratribus Minoribus interdictæ, quæ aliis nullatenus interdicuntur. Patet de pertractatione pecuniæ, imo etiam de receptione pecuniæ, quia pecuniam non possunt, nec per se, nec per interpositam personam recipere. Et constat quod sæpe de facto Fratres perdunt vtilitatem, quæ ex pecunia poterit prouenire propter hoc, quod per se ipsos pecuniam nequaq̄ recipere possunt. Pro nulla etiam re valent in iudicio litigare, nec de facto litigant. Si enim de facto psumerent p rebus temporalibus litigare, sicut faciunt sæpe alii religiosi mendicantes, constat quod nec religiosi alii, nec clerici, nec laici sunt eis ita fauorabiles, quin contra eos excipiendo, quod non possunt in iudicio litigare, ipsos omni mode impedirent ab actione sua. Et ita constat, quod de facto nec in iudicio nec extra sunt solliciti circa temporalia, sicut Religiosi alii mendicantes.

(*Verba constitutionis prædicta truncate recitat.*) Verum est, quod nō recitat omnia verba: tamen recitat illa, quæ sibi sufficiunt. (*Illa quæ eius defectum manifeste insinuant omittendo*) Imo dicunt isti, sicut ostensum est, omittendo illa quæ intentionem ipsius appellantis declarant, & quæ istum impugnatum in multis errare, quæ appellans non tetigit manifestant. (*Retentio dominii*) intendit per retentionem dominii expropriationem omnium temporalium. (*Via per hoc disponitur.*) Per amputationē scil.

scilicet amoris inordinati temporalium, & etiam per votum paupertatis. (*Restat quod si sollicitudo eadem post expropriationem huiusmodi quæ ante ipsam inerat perseueret ad perfectionem huiusmodi talis expropriatio valeat nihil conferre.*) Istud dicunt esse falsum & infertur ex falso, vt ostensum est, & nihilominus dicunt quod sophistice ex falso antecedēte concluditur: quia quando plura dispon ũt ad aliquid vnũ quãuis vnum plus & alia minus ex carentia minus disponentis in summo gradu, non potest argui quod alia nihil disponunt. Et ideo esto quod amputatio sollicitudinis circa temporalia præcipue disponeret ad charitatem, ex hoc non sequeretur, quamuis sollicitudo non esset totaliter amputata: sed maneret eadem quæ prius, quod alia nihil conferrent ad charitatem: imo possent multum conferre, quãuis non tantum sicut illud quod summe disponeret. (*Post ordinationem prædictam.*) Hoc insinuat quod ista expropriatio Fratrũ Minorum, scilicet abdicatio proprietatis omniũ temporaliũ in speciali & in communi non fuerit ante ordinationem Nicolai tertii, quod est manifeste falsum: quia istam abdicationẽ vouit Beatus Franciscus, & omnes Fratres sequentes vsq; ad tempus præsens. (*Quamq; sint religiosi mendicantes alii*) Hoc dicunt esse falsum, vt probatũ est. (*Credimus vtiq; quod nullus sapiens probationẽ huiusmodi reprobabit*) Dicunt quod omnis sapiens probationẽ huiusmodi reprobabit: quia, vt dicunt, in excusabilibus erroribus fermentatur. (*Propter quod ipsam hæreticus non expressit.*) Dicunt quod appellans Doctor Theologiæ sacræ solennis, quem iste idiota præsumit temerarie hæreticum appellare; non propter efficaciam rationis prædictæ ipsam omisit exprimere, cum peccet aperte tam in materia quam in forma, sicut euidenter probatum existit: sed ipsam non expressit, quia caussa breuitatis pro tunc dimisit errores contentos in ipsa indiscussos.

CAP. LXXVII.

ITem, intendit probare dicta constitutio, quod quantum ad hoc quod propter carentiam talis dominii, se pauperiores Fratres ipsi dicere valeant: quam si res ipsas cum illo, quo carere se dicunt, dominio obtinerent: non profuit retentio dominii supradicta. Quod (vt sequitur) probat. Licet enim prædecessor noster prædictus Dominium earum rerum, quæ ipsis Fratribus offerri seu conferri, aut alias obuenire contingeret: quarum tamen vsum facti haberet, licet ordini vel Fratribus antedictis vsu simplicis facti prædictis Fratribus reseruato, in se & Romanam Ecclesiam recipiendum duxerit, ac libere pertinere decreuerit, vt superius est expressum: attento tamen ipsorum Fratrum vtendi modo, & eius effectu, & patientia, circa modum Romana Ecclesia subsecuta, non ipse vsus Fratrum dici debet: sed potius Romana Ecclesia dominium esse simplex. Quis enim simplicem vsuarium dicere poterit, cui rem vsuariam licet permutare, vendere, aut donare, proculdubio hæc natura repugnant vsuarii, nec ad vsuarium pertinent, quæ tamen de rebus mobilibus antedictis faciunt Fratres ipsi. Quod autem dominium Romanæ Ecclesiæ reseruatum simplex censeri debeat, ex hoc patet, quod ex illo nullo eidem Ecclesiæ temporale obuenit hactenus commodum, nec speratur quod obuenire debeat in futurum: tum nec intentio reseruantis, nec ipsorum Fratrum fuerit, quod ad quemcunque alium quam ad Fratres dictarum rerum perueniret compendium: quod proculdubio modus ipsorum Fratrum, & Romana Ecclesia subsecuta patientia euidentius declarauit. Et quod talis fuerit intentio ordinati, etiam ex hoc patet: quod illarum rerum sibi & Ecclesiæ Romanæ dominium duntaxat retinuit, quarum vsum facti licet habere Ordini & Fratribus antedictis. Talis autem dominii carentia re in præsenti, ac spe in futurum omni commodo denudati, quo ad paupertatem temporalem, quam altiorem præ mendicantibus aliis in communi habentibus sibi vendicant dicti Fratres, pauperiorem non efficit non habentem. Ex prædictis probatum euidenter credimus, quod attento vsu dictorum Fratrum rerum, in quibus vsum facti simplicem asserunt se habere, & patientia Apostolicæ Sedis, eos pauperiores carentia talis dominii non efficit.

In parte ista impugnatus replicat rationem factam in constitutione *Ad conditorem*: per quam probatur, quod carentia dominii, quo carent Fratres Minores, non reddit eos pauperiores, quam si tale haberent dominium: quam rationem omisit appellans. Dicit ergo, quod retentio dominii quo carent Fratres, non profuit ipsis, vt per eam essent pauperiores. Quod probatur: quia licet Romanus pontifex dominium rerum, quibus vtuntur Fratres sibi retinuerit, attentis tamen Fratrum vtendi modo, & circa eundem modum patientia Romanæ Ecclesiæ subsecuta, vsus Fratrum non debet dici simplex, sed dominium Romanæ Ecclesiæ debet dici simplex. Hæc ratio continet duas partes quarum primam probat ibi: *Quis enim simplicem*: quam probat sic. Ille non est simplex vsuarius, cui licet rem vsuariam permutare, vendere, & donare. Hoc faciunt Fratres de rebus, quibus vtuntur. Ergo non sunt simplices vsuarii: & per consequens vsus eorum non est simplex. Postea ibi: *quod autem dominium*, probat secundam partem, scilicet quod dominium Romanæ Ecclesiæ est simplex, ex quo habenti nullum prouenit commodum temporale, nec speratur quod prouenire debeat in futurum. Sed tale est dominium rerum, quibus Fratres Minores vtuntur: quia nec fuit intentio reseruantis, nec intentio Fratrũ, quod ex illis rebus alicui alteri temporale commodum proueniret. Ergo dominium Romanæ Ecclesiæ est simplex. Sed propter carentiam dominii omni temporali commodo denudati, quale est dominium simplex, non est carens pauperior. Ergo propter carentiam talis dominii non sunt Fratres pauperiores.

Sed isti impugnatores dicunt, hæc verba plures continere errores. Ad cuius euidentiam dicunt primo esse videndum, quod dominium vocat dominium simplex; dicentes: quod dominium simplex vocat dominium simpliciter inutile, quod non est verũ dominiũ, sed dominium solummodo nuncupatur, non est dominiũ. Hoc ex dictis suis probatur expresse. Nam constat, quod dominium simulatũ verbale, nudũ & ænigmaticũ est dominium inutile, spiritualiter præcipue, cum simulata sint inutilia reputanda, quamuis temporaliter inuenirentur vtilia. Dominium etiam simulatum non

non est verum dominium. Dominium vero verbale, nudum & ænigmaticum solo nomine dominium reputatur. Sed prædictum dominium Romanæ Ecclesiæ est simulatum, verbale, nudum & ænigmaticum secundum istum; cum aperte dicat in constitutione *Ad conditorem: Nolentesq; in posterum sub prætextu seu pallio talis dominii verbalis, nudi & ænigmatici tanta bona, quanta dicti Fratres faciunt infici, ac fomentum tantis malis, quanta procedunt ex simulatione huiusmodi ministrare.* Ex quibus verbis non solummodo patet, quod dictum dominium est simulatum, verbale, nudum & ænigmaticum: sed etiam ex eis colligitur euidenter, quod secundum istum tale dominium est inutile, imo nociuum, cum dicit dicto dominio multa bona infici, & multis malis ministrari fomentum. Et ita patet quod dominium simplex vocat hoc dominium inutile, fictum, & nociuum. Hoc viso dicunt isti, quod in prædictis verbis quatuor principaliter continentur errores. Quorum primus est, ꝙ per carentiam dominii Romanæ Ecclesiæ reseruati Fratres Minores non possunt dici pauperiores. Secundus est quod dominium rerum, quibus Fratres Minores vtuntur, Romanæ Ecclesiæ reseruatum est simplex prædicto modo accipiendo simplex. Tertius est quod dominium omni temporali commodo denudatum est inutile. Quartus est quod carentia dominii omni commodo temporali denudati non efficit pauperiorem non habentem seu carentem tali dominio. Alios errores, mendacia & contradictiones dicunt isti cōtineri in verbis prædictis, de quibus super literam apparebit.

Est igitur primus error hic contentus, quod ꝓpter carentiam dominii Romanæ Ecclesiæ reseruati Fratres Minores non possunt dici pauperiores. Quod enim hoc sit erroneum, multipliciter ꝓbare conantur. Primo sic. Sicut per adeptionem veri dominii aliquis dicitur ditior, ita ꝑ carentiā dominii veri aliquis dicitur pauperior. Sed dominium rerum, q̄bus vtuntur Fratres Romanæ Ecclesiæ reseruatū est verum dominiū. Illud enim dominium, ꝙ alicui tribuit potestatē agendi, vel defendēdi, ac etiā vtendi & dispensandi est verū dominium. Propter hęc enim & similia dicitur aliquod dominium esse verum dominium. Sed dominium Romanæ Ecclesiæ reseruatum in huiusmodi rebus est tale: quod ꝑ ipsum poterit alicui cōpetere potestas agendi & defendendi in iudicio: ac etiam vtendi & dispensandi: q̄a si illud dominium reseruatum Romanæ Ecclesiæ dimitteretur Fratribus, hęc omnia cōpeterent Fratribus Minoribus, sicut hæc omnia cōpetunt aliis religiosis mendicantibus, & aliis respectu rerum q̄bus vtuntur, & quarum habent aliquale dominiū. Ergo tale dominiū est verum dominium: licet nō sit ita plenum dominium, sicut dominium, ꝙ habent laici in rebus suis. Sicut igitur per adeptionem talis dominii dicitur aliq̄s ditior: Ita per carentiam eiusdem dominii dicetur aliquis pauperior: & ꝑ consequens Fratres Minores per carentiam talis dominii vere dicuntur pauperiores. Sed forte dicet aliq̄s, ꝙ propter adeptionem talis dominii non dicitur quis ditior. Nā Papa propter adeptionem talis dominii non est ditior: & ꝑ consequens Fratres ꝓpter carentiā talis dominii non sunt pauperiores: quia si ꝓpter alicuius dominii adeptionē non est q̄s ditior, nec ꝓpter eiusdē dominii carentiā, est quis pauperior. Quod autē Papa ꝓpter adeptionē talis dominii non sit ditior, ostēditur. Nā ꝑ illud dominiū, per ꝙ habenti nulla potestas acquiritur specialis, sed omnē potestatē agēdi, defendendi, vtendi, dispensandi, & similia faciendi, habet q̄s sine tali dominio, sicut cū tali dominio non fit ditior. Papa autē absq; reseruatione talis dominii haberet in rebus, quibus Fratres Minores vtuntur, omnē potestatē prædicta & consimilia faciendi, q̄ habet cum reseruatione talis dominii. Ergo Papa ꝓpter reseruationē talis dominii non fit ditior. Et ꝑ consequens Fratres ꝓpter carentiā eiusdē dominii non sunt pauperiores. Ad soluendū plene istā obiectionē dicunt isti impugnatores ꝙ oportet inquirere qualē potestatem habet Papa super res aliorum religiosorum & clericorū. Ad hoc enim sunt diuersæ opiniones. Quidā enim dicunt, ꝙ ex intentione fidelium, diuersæ res diuersis sunt Ecclesiis, monasteriis, & aliis collegiis assignatæ, à quibus sine culpa, & absq; causa sufficienti & rationabili, etiam manifesta auferri non debent. Dicunt enim, quod in traditione rei suæ quilibet potest imponere legem, quam vult, maxime quæ non est legibus improbata. Cum igitur Ecclesiæ & collegia aliqua ex donatione fidelium sint ditata & dotata, potuerunt fideles ditando, & dotando Ecclesias talem legem imponere, quod à nullo viuente, nec etiam à Papa tollerentur bona collata Ecclesiis sine culpa earum, & absq; causa rationabili sufficienti & manifesta: tales enim leges, conditiones, aut pacta non videntur legibus reprobata: imo nec videtur, quod possent iustis legibus reprobari. Et hæc videtur fuisse intentio regum & principum, quando Ecclesias construxerunt, & monasteria, quæ & multis diuitiis dotauerunt. Propter quod de facto, quando Papa de bonis Templariorum post cassationem eorum voluit ordinare, plures patroni seu fundatores locorum ipsorum in multis partibus restiterunt expresse dicentes, quod intentio progenitorum & antecessorum eorum fuit solummodo bona illa Templariis pro defensione fidei assignare. Et ideo ipsis destructis bona ipsorum ad successores dantium fuerunt legitime deuoluta: & sic dicta bona occupant vsque ad præsentem diem. Alii dicunt, quod Papa in omnibus bonis Ecclesiæ habet plenitudinem potestatis, sic quod potest ipsa in iudicio vendicare & defendere, & ad quoscunque vsus, ad quos data sunt conuertere. Et secundum istam opinionem secundam distinguendum est de rebus, quibus Fratres vtuntur. Quædam enim eis dantur vel offeruntur à viris Ecclesiasticis de bonis Ecclesiæ: & illarum Papa non acquirit de nouo quodcunque dominium, sed dominium sibi reseruat, inquantum nullum dominium Fratribus ipsis concedit: nec offerentes vel dantes aliquod in Fratres transferunt dominium. Et quantum ad istas res distinguendum est, inter adeptionem dominii & reseruationem seu retentionem dominii: quia istarum rerum Papa, per hoc quod Fratribus offeruntur vel dantur, nullum acquirat dominium, sed dominium ꝙ prius habuit retinet sibi,

nullum

nullum dominii Fratribus concedēdo. Sic non est de aliis religiosis: quia etiam talium rerum quamuis secundum istam opininionem nullum dominium Papæ depereat, tamen aliquod dominium religiosi alii acquiscuntur: quemadmodum qui accommodat seu concedit alii vestem suam, cum potestatem vtendi quandocunq; sibi placuerit, nihil amittit. Ita enim potest libere facere de veste, quod placet, sicut prius: & tamen alius acquirit potestatem vtendi veste, quam prius non habuit. Aliæ sunt res, quæ de bonis propriis à laicis vel clericis sunt oblatæ vel datę. Et illarum Papa acquirit dominium tale, quale habet in bonis communibus. Intentio enim dantium seu offerentiū, nisi secus exprimant, est ꝙ hoc fiat de rebus illis, quomodo Fratrum statui competit, sicut Ecclesia ordinauit. Fratrum autem statui competit, quod illarum rerum Fratribus non acquiratur dominium. Ecclesia autē ordinauit, quod dictarum rerum in Ecclesiam transferatur dominiū: & quod Fratres licite vtantur eisdē, quādiu Papæ placuerit. Et ꝓpter illas res Papa fit ditior tunc: quando res huiusmodi taliter Fratribus conceduntur. Propter primas autē Papa non fit ditior, qn̄ Fratribus Minorib9 conceduntur: sed factus fuit ditior ꝓpter eas, qn̄ primo collatæ fuerunt Ecclesiæ. Et ita stat argumentū: ꝙ ex quo ꝑ adeptionē talis dominii, habens dominiū tale est ditior. Sequitur quod Fratres carentes tali dominio sunt vere & realiter pauperiores: quam si tale dominium obtinerent. Secundo sic arguunt: Fratres Minores sunt pauperiores propter carentiam dominii, quod retinent seculares in quibusdam rebus, quibus vtuntur, scil. in quibusdam locis quæ inhabitant. Ergo à simili sunt pauperiores propter carētiam dominii, ꝙ in aliis rebus quibus vtuntur retinet sibi Romana Ecclesia: q̄a qua ratione carentia dominii quarundā rerum facit eos pauperiores, carentia dominii aliarū rerum facit eos pauperiores. Antecedens probatur. Nā constat ꝙ ille à quo res ꝓtiosæ licite & ad libitū alterius possunt ab eo auferri, est pauperior, quam si haberet dominium quo posset res illas retinere contra voluntatem alterius & eas in iudicio defendere. Sed si Fratres haberent dominium locorum, quæ patroni seu fundatores aut dantes sibi reseruant, possent ea contra eorum voluntatem tenere, nec patroni seu dantes possent Fratres licite ad libitum suum expellere; sicut nunc possunt eos ad libitum licite, etiam absq; caussa expellere. Ergo Fratres propter carentiam talis dominii in illis rebus sunt pauperiores. Amplius, carentia dominii, quod potest care vendi, reddit carentem pauperiorem. Sed dominium locorum & aliarum rerum, quibus vtuntur Fratres, quod sibi retinent concedentes, potest care vendi. Multi enim inuenirentur mercatores, qui pro illo dominio magnam darent pecuniam. Auari enim & Fratribus indeuoti, qui nullum ius suum dimitterent pro tali dominio: ex quo per illud dominium possent sibi res retinere, & si detinerentur per iudicium recuperare non modicam libenter offerrent pecuniam, & emerent dominium supradictum. Quo empto Fratres expellerent, nec Fratres nec alius nomine cuiusquam posset tales emptores propter retentionem rerum huiusmodi infestare. Ergo carentia dominii talis reddit Fratres ipsos pauperiores. Rursus, Fratres vtentes locis & domibus ac aliis rebus, quarum dominium sibi retinent concedentes, non sunt ditiores propter huiusmodi, quam sunt alii quibus precarium vel commodatum conceditur. Et ita constat, quod Fratres propter carentiam talis dominii pauperiores sunt censendi. Confirmatur, quia constat quod qui habent vsum iuris vel vsumfructum, plus iuris habēt in rebus, quarum habent vsum iuris & vsumfructum, quam habeant Fratres Minores in rebus quarum dominium sibi retinent laici concedentes easdē. Sed tales vsuarii & vsufructuarii sunt pauperiores, quam si illarum rerum haberent dominium, & nullus alius haberet vsum iuris, nec vsumfructum ipsarum. Ergo multo fortius Fratres sunt pauperiores, quam si haberent dominium talium rerum, quibus vtuntur quod sibi retinent concedentes, & per consequens ratione eædem sunt pauperiores propter carentiam dominii quod sibi Ecclesia Romana reseruat. Tertio sic arguunt: Expropriati sunt pauperes. Ergo magis expropriati sunt magis pauperes. Sed qui carent quocunq; dominio vero sunt magis expropriati, quam illi qui habent tale verum dominium. Vnde autem dominium quo valet quis pro temporalibus nomine ꝓprio vel sui collegii in iudicio litigare, est verum dominium, non falsum neq; fictum. Ergo qui carent omni dominio, quo valet quis in iudicio litigare, sunt magis expropriati, quam si tale dominium haberent. Ex quo sequitur, ꝙ sunt magis pauperes. Sed Fratres propter carentiam dominii Romanæ Ecclesiæ reseruati non possunt ꝓ rebus illis in iudicio litigare. Ergo propter carentiam talis dominii sunt magis expropriati: & per consequens pauperiores. Quarto sic arguunt: Illi qui realiter magis à temporalibus elongantur, sunt pauperiores. Sed Fratres Minores secundum Nicolaum tertiū in decretali *Exiit*, propter carentiam omnis dominii in speciali & in communi, magis à temporalibus elongantur. Ergo propter carentiam talis dominii sunt pauperiores. Quinto sic: Illi qui habent altissimā paupertatē, sunt pauperiores quam illi, qui non habent eam. Illi autem, quia carent tali dominio, habent altissimam paupertatem. Qui autem habent tale dominiū, non habent altissimā paupertatem. Hoc patet per Innocentiū 5. qui dicit, *altam paupertatē esse, habere pauca propria propter Deum: altiorem qua nulla habet propria, habet tamen in communi: altissimam, qua nihil habet in hoc mundo, nec in proprio nec in cōmuni.* Ergo q̄ carent tali dominio, propter talem carentiā sunt pauperiores. Sed ad hoc iste impugnatus respondet in constitutione, *quia quorundā* dicens, quod Innocent. 5. hoc dixit non vt Papa, sed vt frater Petrus de Tharentasia in quadam *Postilla sua*. Licet hæc responsio sua sit colorata: quia non omnia dicta summorum pontificum, præcipue quæ non solenniter auctoritate Papali diffiniunt, sunt autentica reputanda: tamen ratio stat, quia constat, quod illa paupertas est altior, quæ caret aliquo, quod pertinet ad diuitias, quam illa quę habet illud. Sed dominium cōmune aliquo modo ad dominium spectat. Aliter enim religiosi magnas possessiones habentes nullo modo essent ditiores, quam

religiosi mendicantes. Ergo illa paupertas est altior, quæ caret communi dominio, quam illa quæ habet commne dominium cæteris paribus.

Secundus error (vt dicunt) contentus in verbis prædictis est, quod dominium rerum, quibus Fratres Minores vtuntur, Romanæ Ecclesiæ reseruatum est simplex: hoc est, verbale, nudũ, ænigmaticum & simulatum. Quod enim hoc sit erroneum, probare nituntur primo sic. Dominium verum non est dominium verbale, nudum, ænigmaticum & simulatũ. Sed dominium huiusmodi rerum est verum dominiũ. Igitur non est verbale, nudum & ænigmaticum & simulatum. Maior est manifesta de se. Minor probata est prius, scil. contra assertionẽ præcedentem. Secundo sic: Illud cuius carentia pertinet ad substantiam Regulæ à Romana Ecclesia approbatæ, non est nudum, verbale, ænigmaticum & simulatum, maxime si non est malum, nec aliquid negatiuum. Sed dominium Romanæ Ecclesiæ reseruatum, non est quid negatiuum vel priuatiuum, nec est peccatum, & carentia eius pertinet ad substantiam Regulæ Beati Francisci à Romana Ecclesia approbatæ. Ergo non est verbale, nudum, ænigmaticum & simulatum. Tertio sic: qui tanquam perfectionem aggrediens abdicat aliquid: quod est verbale, nudum, ænigmaticum & simulatum, est simulator & fictus. Sed Beatus Franciscus tanquam viam perfectionis aggrediens, abdicauit dominium rerum, quod sibi Ecclesia Romana reseruat. Ergo Beatus Franciscus fuit simulator & fictus. Sed hoc est impium cogitare.

Tertius error, vt dicunt isti, contentus verbis prædictis est, quod dominium omni temporali commodo denudatum est inutile, quia verbale, nudum, ænigmaticum & simulatum. Hoc enim esse erroneum & hæresim sapere manifestam, probare conantur. Nam si aliquod dominium ideo est inutile, quia est omni temporali commodo denudatum: Ergo non est aliquod commodum spirituale: quia si ex dominio posset haberi commodum spirituale, propter commodum spirituale posset esse vtile. Si autem non est commodum spirituale, non est vita beata futura: nec erit generalis resurrectio mortuorum. Sed ista sunt hæretica manifesta. Ergo hæreticum est dicere, quod omne dominium temporali commodo denudatum est inutile: quamuis veritatem contineat, quod omne dominium temporali & spirituali commodo denudatum est inutile. Amplius, si dominium aliquod ideo est inutile: quia temporali commodo denudatum. Ergo omnia alia eadem ratione, quæ sunt temporali commodo denudata, inutilia sunt censenda. Sed opera misericordię, sicut hospitalitatis, Eleemosynæ, captiuorum redemptio, orationes etiam & ieiunia, meditatio scripturarum, & alia opera bona quamplurima sunt sæpe omni temporali commodo denudata. Ergo omnia talia essent nunc inutilia reputanda: quod esse hæreticum nullus fidelis ignorat.

Quartus error (vt dicunt) est, quod carentia dominii omni temporali cõmodo denudati non reddit pauperiorẽ nõ habentẽ siue carentem tali dominio. Ex hoc enim sequeretur, ꝙ Fratres Minores propter carentiã dominii in rebus, quarũ dominiũ sibi retinent laici concedentes eis vsum earundẽ rerum, non essent pauperiores: quod ostensum est esse falsum contra primam assertionem in isto capitulo impugnatam. Sequeretur etiam quod serui vtentes rebus dominorum, quorum dominiũ sępe est omni temporali commodo denudatum, non essent propter carentiam talis dominii pauperiores: quod constat esse falsum, quia si tale haberent dominium, quale habent Domini, essent ditiores. Ergo propter carentiam talis dominii sunt pauperiores.

(*Vsu simplicis facti prædictis fratribus reseruato*) Hic notant isti duo. Primum est, quod secundum istum Nicolaus tertius vsus est tali modo loquendi, *simplex vsus facti*. Ergo talis modus loquendi non est per appellantem inuentus, nec est reprobandus, si vtitur tali modo loquendi: quem tamen propter istũ modũ loquendi iste, vt patet superius, rephendit. Secundo notant, quod Fratres habere possunt simplicẽ vsum facti: quia Fratres possunt habere illud, ꝙ eis reseruatur secundũ istũ: sed secundũ istũ simplex vsus facti fratribus reseruatur. Ergo possunt habere simplicẽ vsum facti. Quod iste prius negauit dicens: quod & *vsus facti neq; in rebus consumptibilibus vsu neq; in rebus non consumptibilibus vsu haberi nõ potest*. Sed dicet, ꝙ aliqd potest reseruari ꝙ tamen haberi non potest: & ideo licet simplex vsus facti possit reseruari, nõ tamen potest haberi. Sed hoc friuolũ est: qa per eandẽ rationẽ, per q̃ probatur, ꝙ vsus facti haberi nõ potest, qa scil. illud ꝙ nõ potest esse in rerũ natura, nõ potest haberi, potest etiã ꝓbari, ꝙ vsus facti nõ potest reseruari: qa ꝙ nõ potest esse in rerũ natura, reseruari nõ potest. Illud enim ꝙ nõ potest esse in rerum natura, nihil est, nec potest esse. Quod autẽ nihil est nec potest esse aliquid, non potest reseruari. Quod ergo non potest esse in rerũ natura, non potest reseruari. Sed vsus facti (secundũ istũ) non potest esse in rerũ natura. Ergo nõ potest reseruari. Vel si potest reseruari eadẽ ratione potest haberi. (*In se & Romanã Ecclesiam recipiendũ duxerit.*) Quantum ad res, quarum vsum Fratres ante decretalem *Exiit*, habuerunt, debet intelligi. (*Recipiendum*) hoc est, fuisse receptum manifestandum: quia illæ res iam antea in dominiũ Romanæ Ecclesiæ transierant, quantũ ad res, quas Fratres erant post Decretalem *Exiit*, habituri, debet intelligi: quia tunc ordinauit vel magis ordinationem, qualem fecerant prædecessores sui, renouauit, quod tales res in quibus dantes non retinerent dominium. Ad cuius euidentiam dicũt esse sciendum, quod de substantia regulæ beati Francisci est, ꝙ Fratres nec in speciali nec in cõmuni habeant cuiuscunq; rei dominiũ, quo in iudicio agendo vel defendendo valeant litigare. Quod autẽ rerũ dominiũ, quibus vtuntur, sit Romanæ Ecclesiæ vel nõ sit Romanæ Ecclesiæ, hoc accidit regulæ supradictæ. Vnde & aliquarũ rerũ qbus Fratres vtuntur dominiũ spectat ad Romanã Ecclesiã: & aliquarũ rerũ dominiũ spectat ad alios. Et ita ꝙ si Romana Ecclesia non haberet dictarũ rerũ dominiũ, statui Fratrũ nullatenus repugnaret: imo quod res, quibus Fratres vtuntur, sub nullius essent dominio, sed habitæ ꝓ derelictis, seu cõcederentur occupãti,

qui

qui esset capax dominii, in nullo Fratrum statui obuiaret: hoc tamen reipublice minime expediret. Et ideo quod ecclesia rerum multarum, quibus Fratres vtuntur, habet dominium, hoc de voluntate dantium vel non contra voluntatem ipsorum per ecclesiam ordinatum existit, quæ ex causa hoc potuit ordinare. Et ideo licet à principio Ordinis ecclesia Romana nullarum rerum, quibus vtebantur Fratres, habuisset dominium, sicut postea noscitur habuisse: status Fratrum propter hoc in nullo fuisset mutatus. An autem à principio Ordinis Romana ecclesia habuit vel non habuit dictarum rerum dominium, nolunt isti ad præsens inquirere. (*Ac libere pertinere decreuerit*) Dicunt isti, quod nullæ res ecclesiæ, quæ sunt communes, ita libere pertinent ad Papam, sicut multæ res libere pertinent ad laicos multos: quia, vt dicunt, Papa non habet plenum dominium super res quascunque ecclesiæ, nec potest de eis aliter ordinare, quam ipsas ad honorandum Deum vel ad reuelandas necessitates fidelium dispensando. Et ideo dicunt, quod peccat mortaliter parentes vel alios aliter, quam ordinatum est de voluntate dantium per sanctos patres de communibus bonis ditando: & ipsi ditati de necessitate salutis restituere eadem bona tenentur, & ipse bona alienata vel successor suus, si ipse non fecerit, repetere obligatur, in tantum quod si non fecerit, quilibet fidelis potest iudicare absque omni temeritate Papam ditantem & alios ditatos in peccato mortali existere. Cum igitur dicitur, tales res ad Romanam ecclesiã libere pertinere: debet intelligi, quod ita libere pertinent res huiusmodi ad dominium Romanæ ecclesiæ, sicut quæcunq; aliæ res ecclesiæ, quas sibi soli reseruat, & nõ cõmittit aliis dispensandas. (*Attento tamen ipsorum Fratrum Minorum vtendi modo.*) Istud dicunt isti non esse additum, nisi ad diffamandum: quasi modus vtendi Fratrum non esset consonus dictis eorum, cum dicunt se omni carere dominio: vel quasi non esset consonus regulæ, quam ipsi vouent, vel declarationibus summorum pontificum. Nam modus vtendi Fratrum in nullo variat naturam dominii, quo carent Fratres: nec modus vtendi ipsorum facit ipsos ditiores, etiam si esset modus vtendi illicitus. Vnde etiam fur, qui vtitur rebus pretiosis furtim sublatis, non est propter hoc realiter ditior reputandus. Ergo consimiliter, licet Fratres vterentur rebus illicite, non essent propter hoc veraciter ditiores: quia per talem vsum illicitum nec dominium nec ius aliquod in rebus acquirerent. (*Et patiẽtia circa modum Romana ecclesiæ subsecuta.*) Hoc etiã dicitur friuole (vt dicunt isti) quia patientia Romanæ ecclesiæ non mutat in aliquo naturam dominii. (*Non ipse vsus Fratrum dici debet, scilicet simplex.*) Hic aperte contradicit Nicolao tertio, qui asserit talem vsum dici simplicem.) *Sed potius Romana ecclesia, dominium esse simplex.* Hoc probatum est esse falsum: quia illud dominium est verum dominium, quo valet Romana ecclesia res Fratrum in iudicio vendicare, & eas à Fratribus auferre, & aliis elargiri. (*Quis enim simplicem vsuarium dicere potest, cui rem vsuariam licet permutare, vendere, aut donare*) Dicunt isti, quod hic videtur vocare simplicem vsuarium, habentem vsum rei absq; omni iure vtendi: & sic accipiendo dicunt, quod licere alicui rem permutare, vendere, & donare potest intelligi dupliciter, scil. auctoritate propria, vel sui collegii, aut auctoritate alterius. Primo non licet simplici vsuario rem vsuariam dicto modo permutare, vendere vel donare. Secundo modo licet, sicut seruo & famulo licet auctoritate domini equum permutare, vendere, & donare, si Dominus ei dederit talem potestatem, quod facere potest, nullum dando ei dominium: sicut etiam famuli mercatorum nonnullas res dominorũ suorũ permutant, vendunt, & quandoque donant vel dant (*Hæc naturæ repugnant vsuarii.*) Dicunt quod hæc non repugnant naturæ vsuarii, licet non necessario competant vsuario. (*Nec ad vsuarium pertinent.*) Verum est inquantum vsuarius est: tamen sibi non repugnant: Et ideo possunt sibi competere per licentiam aliam specialem. (*Quæ tamen de rebus mobilibus antedictis faciunt Fratres ipsi.*) Verum est: non tamen auctoritate propria, sed auctoritate summi pontificis. Et ideo de rebus etiam immobilibus, quarum dominium sibi laici reseruant, non possent hoc facere, si ipsi laici Fratribus hæc duxerint interdicenda: de licentia autem ipsorum bene possent, (*Quod autem dominium Romana ecclesia reseruatum simplex censeri debeat.* Hic notant quidam istorum duo. Primum est, quod Papa & clerici dicuntur aliquomodo habere dominium seu proprietatem rerum ecclesiasticarum: ꝙ nonnulli pertinaciter negant, quamuis hoc supra *cap. 2.* probatum extiterit. Hoc tamen sic aliis auctoritatibus satagunt confirmare, vt habetur *extra de præscriptionibus cap. si diligenti*, ait: *Cum iudicatus Calaritanus ad ius & proprietatem beati Petri pertineat* &c. & 10. q. 2. c. si æconomus: *sicut habetur post statutum aut tempus & placitum redditũum ipsorum proprietate ad ius & dominium ecclesiasticum, recurrente firmiter, ita vt sine completo vno spacio, quod inter eos fuerit constitutum, seu mortis suæ tempore, si hoc quoq; conuenerit, is qui possessionem ecclesiasticam & ecclesiasticorum redditũum vsufructum habendi gratia pacto interueniente susceperat, non minus quam alterius tanta quantitatis quanta acceperat redditus, cum ipsorum prædiorum dominium in rebus immobilibus eorum colonis & mancipiis ecclesiæ derelinquat.* Et Gregorius, vt habetur 12. q. 2. cap. *sicut ecclesia*, ait: *Sicut ecclesia proprias res amittere non debet* &c. Ex his aliisq; verbis quam pluribus patet aperte, quod aliquo modo Papa & alii clerici habent dominium & proprietatem ecclesiasticarum rerum. Nec obstat quod dicit Alexan. 4. vt habetur *extra de donationibus c. fraternitatem*, quod scil. *episcopus & quilibet prælatus, ecclesiasticarum rerum est procurator, non Dominus*: quia ibi accipitur *Dominus* pro illo, qui habet dominiũ plenũ, ita ꝙ potest de re ad libitũ ordinare: & si alienauerit, alienatio per aliũ reuocari nõ potest. Et isto modo etiã Papa non est Dominus ecclesiasticarũ rerũ, quia ei nõ licet de rebus ecclesiæ facere quod sibi placuerit, sed tenetur de ipsis certis modis & non aliis ordinare. Hæc Papa Symachus testatur aperte, vt habetur 12. quæst. 2. *non liceat Papæ prædia ecclesiæ alienare aliquo modo pro aliqua necessitate* &c. Ex quibus verbis colligitur, quod non licet Papæ prædia ad libitum alienare, & per consequens ratione consimili non licet Papæ de aliis rebus ecclesiæ ad libitum ordinare. Non enim tunc Symachus voluit

legem successori suo potestatiue imponere, quia hoc non potuit, cum non habeat imperium par in parem: sed quid non liceret Papæ, voluit declarare. Secundo notant isti, quod istud dominium non est simplex, vt iste vocat simplex, licet possit dici simplex aliquo modo, sed tunc non esset ad propositum istius in aliquo (*Ex hoc patet quod ex illo nullum eidem ecclesiæ temporale obuenit hactenus commodum nec speratur quod obuenire debeat in futurum*) Ex hoc notant isti, quod iste ponit pro causa, quare dominium supradictum est simplex, id est, verbale, nudum & ænigmaticum & simulatum, quia scil. ex illo nullum obuenit commodum temporale, nec speratur quod obuenire debeat in futurum. Ex quo concludunt isti, quod iste nullum reputat commodum spirituale. (*Cum nec intentio reseruantis nec ipsorum fratrum fuerit quod ad quemcunq; alium quam ad fratres dictarum rerum proueniret compendium*) Dicunt quod ex hoc in nullo variatur dominium, nec propter hoc debet dici tale dominium verbale & ænigmaticum, præsertim cum Papæ liceat dictam intentionem mutare, quandocunque sibi placuerit, sicut dominium regis in aliqua ciuitate vel castro in nullo mutatur, licet intendat quod alius seruiens sibi recipiat eiusdem compendium, etiam si promisisset alicui dare aliquod castrum. Adhuc non esset eiusdem dominium variatum in aliquo. Ergo multo magis propter talem intentionem non variatur rei dominium. (*Quod procul dubio modus ipsorum & Romanæ ecclesiæ subsecuta patientia euidentius declarauit.*) Scilicet talem fuisse intentionem sed non declarauit, quin Papa alius posset dictam intentionem mutare. (*Quarum vsum facti licet habere ordini & fratribus antedictis.*) Hic expresse contradicit etiam vocaliter his, quæ sæpe & multis modis conatus est defendere & probare. Quia sæpe asseruit, quod vsus facti quarumcunq; rerum siue consumptibilium vsu siue non consumptibilium vsu haberi non potest: quia non potest esse in rerum natura. Hic autem dicit sententialiter & vocaliter, quod licet fratribus habere vsum facti. (*Talis autem dominii carentia* &c.) Hoc totum improbatum est prius. (*At spe in hoc futurum*) hoc non impedit veritatem dominii nisi carentia illius spei esset ex necessitate, non ex libera voluntate, cum potestate ad placitum dimittendi carentiam illam. (*sibi vendicant.*) Quia secundum istum fratres Minores non sunt realiter pauperiores, quam religiosi alii mendicantes, sed solo nomine sine re sunt pauperiores (*Pauperiorem non efficit non habentem.*) Dicunt isti, quod sicut aliquis non dicitur diues, vel ditior propter actualem actum vtendi: quia tunc rex esset ditior, quando vteretur vestibus pretiosis, quam si vestibus vilibus vteretur: sed dicitur aliquis ditior propter dominium & alia iura, quæ habet in rebus siue vtatur siue non; siue etiam intendat vti, siue non intendat vti; siue etiam intendat sibi retinere, siue intendat aliis erogare: quia vsus actualis & intentio vtendi in futurum: non faciunt aliquem ditiorem. Sic etiam non dicitur aliquis pauperior propter vsum viliorum rerum: nec propter intentionem vtendi vilioribus: sed dicitur quis pauperior vel minus pauper propter carentiam dominii & aliorum iurium in temporalibus maiorem vel minorem: & propter hoc carentes tali dominio sunt pauperiores, quam si dictum haberent dominium. Alias enim ecclesia magno tempore oberrasset tale dominium inutiliter retinendo. (*Attento vsu dictorum Fratrum.*) Hoc calumniose & diffamatorie additur, vt dicunt isti: quia hoc nihil facit ad hoc, quod fratres Minores pauperiores vel minus pauperes sunt censendi. (*Vsum facti simplicem asserunt se habere.*) Ex hoc notant isti, quod iste realiter imponit, quicquid imponit de simplici vsu facti communitati Ordinis, & appellanti. Et ita patet, & dicunt esse certum, quod appellans nullam dicit nouitatem: sed perseuerat tantummodo in assertione, quam totus Ordo à principio defensauit.

CAP. LXXVIII.

AD hoc autem quod ipse dicit, quod ex hoc sequitur, quod Christus simulatam & fallacem doctrinam tribuit volentibus ad perfectionem attingere, quod omnia temporalia quo ad proprietatem & dominium relinquerent consulendo. Dicimus falsum esse, quod hoc consuluit Apostolis nec discipulis suis ad minus quod non haberent in communi: & de hoc dicetur latius in obiectionibus contra constitutionem, Cum inter, *per istum hæreticum factis.*

In ista parte respondet ad secundum, quod in prædicta obiectione tangit appellans, scilicet quod Christus tribuisset simulatam & fallacem doctrinam volentibus ad perfectionem attingere, scilicet quod omnia relinquerent consulendo, dicens: quod hoc est falsum, quia hoc non consuluit Apostolis nec discipulis, saltem quod non haberent in communi.

Sed dicunt isti impugnatores, quod hoc errorem asserit manifestum, etiam præter hoc ad rationem appellantis non respondet. Quod asserat manifestum errorem, dicunt esse patens: cum dicat, quod Christus non consuluit Apostolis, nec discipulis, quod omnia relinquerent quo ad dominium & proprietatem: de quo dictum est prius, & amplius inferius inquiretur. Secundo dicunt, quod ad obiectionem appellantis non respondet, cum appellans de Apostolis & discipulis Christi nullam ibi specialem faciat penitus mentionem: sed absolute sine alia modificatione accipiat, quod Christus consuluit volentibus ad perfectionem attingere, quod omnia relinquerent, quo ad dominium & proprietatem in communi: quod ex Euangelio constat esse certissimum, etiam licet hoc consilium Apostolis & suis discipulis non dedisset. Nam constat Christum dixisse petenti, quæ esset via perfectionis: *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Vbi Christus in persona illius interrogantis omnibus volentibus ad perfectionem attingere consuluit, quod omnia relinquerent, quo ad dominium & proprietatem, tam in speciali quam etiam in communi: quia qui omnia vendit & dat pauperibus, omnia relinquit etiam tam in speciali quam in communi, sicut supra

ita deductum existit. Et ex hoc posset inferri, quod Christus hoc consuluit Apostolis & suis discipulis, si ipsi volebant ad perfectionem attingere: nisi diceretur, quod Christus eos plusquam alios ab illa generalitate specialiter non excepit: quod probabilitatem non habet. (*Simulatam & fallacem doctrinam tribuit &c.*) Si abdicatio talis dominii non est nisi quid simulatum, vt iste dicit. (*Dicimus quod falsum est quod hoc consuluit Apostolis.*) Hoc non accepit appellans: sed accepit, quod hoc Christus consuluit volentibus attingere ad perfectissimam paupertatem realiter, & non solum secundum præparationem animi: tamen verum est, quod hoc consuluit Apostolis, sicut post ostendetur. (*Ad minus quod non haberent in communi.*) Hoc dicunt esse falsum: quia per donationem factam pauperibus omnia dimittuntur etiam in communi.

Cap. LXXIX.

AD illud quod dicit, quod etiam ex prædictis sequitur, quod Augustinus & Hieronymus, & alii sancti patres religionum institutores errauerunt: qui dictum Christi consilium sequi volentes abdicationem proprietatis & dominii rerum omnium sunt professi. Dicimus quod mentitur aperte: quia nullus illorum exceptis fratribus Minoribus abdicauit à se, nec suis Fratribus res quantum ad proprietatem & dominium in communi, imo eis secundum suas regulas licet & licuit habere etiam res immobiles in communi.

Hic respondet ad tertium, quod in prædicta obiectione tangit appellans, quod scilicet sancti religionum institutores errassent sequendo consilium Christi supradictum dicens, quod falsum est, quia nullus illorum præter Fratres Minores abdicat proprietatem & dominium in communi.

Sed dicunt isti, quod iste non respondet ad rem, sed euasiones friuolas nititur inuenire: quia ad medium, in quo fundatur consequentia appellantis, non respondet. Fundatur enim illatio appellantis in hoc medio, quod qua ratione carentia dominii in communi non efficit carentem pauperiorem, consimili ratione carentia dominii in speciali non reddit carentem pauperiorem: quia sicut propter dominium speciale dicitur quis ditior: ita etiam propter dominium commune dicitur quis ditior aliquo modo: quamuis non ita diues propter dominium commune, sicut propter dominium speciale. Si igitur propter carentiam dominii in communi non dicitur quis pauperior: sequitur necessario, quod etiam propter carentiam dominii in speciali non dicetur quis pauperior. Cum igitur sancti patres religionum aliarum, quam Fratrum Minorum institutores abdicauerunt proprietatem omnium in speciali intendentes per hoc consilium Christi imitari prædictum, quamuis non in supremo gradu dicti consilii, cupientesque sic imitando dictum Christi consilium pauperiores existere, sequitur quod errauerunt aperte, si propter carentiam dominii non sunt carentes pauperiores. Quod sequitur necessario, si propter carentiam dominii communis non sit quis pauperior. Nequaquam igitur appellans supposuit, quod sancti prædicti omnia abdicauerunt in communi: sed supposuit medium memoratum, quo concesso sequitur conclusio, quam intulit. Dicunt tamen isti, quod non intendunt, quod per omnia sit simile de carentia dominii specialis & communis: sed quantum ad hoc est simile, quod si carentia dominii communis non reddit carentem pauperiorem, nec carentia dominii specialis reddit carentem pauperiorem. Nec est inconueniens, quod diuersæ causæ habeant eundem effectum, & tamen quod vna illarum causet effectum intensiorem, & alia minus intensum. Et per hoc vt dicunt possunt solui cauillationes, quas posset quis proteruus contra prædictam rationem adducere. (*Sequi volentes*) quantum ad abdicationem proprietatis omnium in speciali. (*Exceptis Fratribus Minoribus*) Hic patet, quod etiam secundum istum Fratres Minores abdicant proprietatem omnium in communi, & ita vel Regula Fratrum Minorum est illicita, vel hoc est licitum reputandum.

Cap. LXXX.

AD illud autem quod inducit Leuitici vltimo, vbi dicitur, quod omnes decimæ terræ siue de frugibus, siue de pomis arborum Domini sunt: & illi sanctificantur. Et quod Num. 18. loquens de perfectione Leuitarum Dominus dicit: nihil aliud possidebunt decimarum oblatione contenti: quas in vsus eorum & necessaria separaui. In vsus, inquit idem hæreticus, non in dominium dixit.

In ista parte iste impugnatus ad quædam alia, quæ obiecit appellans, nititur respondere. Et diuiditur in duas partes, secundum quod ad duo respondet. Secunda pars ibi: *Ad illud quod dicit.* Prima in duas diuiditur: quia primo ponit obiectionem. Secundo suam subdit rationem in parte immediate sequenti. Est autem obiectio de Leuitis: quod Leuitæ habuerunt vsum rerum, quarum Deus habuit dominium.

Sed dicunt isti impugnatores, quod iste impugnatus ad obiectiones appellantis nesciens respondere verba appellantis truncate recitat: ea per quæ euidenter conuincitur astute propter simplices decipiendos omittens. Ad cuius euidentiam verba ponunt integre appellantis: quæ in sequenti cap. luculenter euacuant. Verba autem appellantis sunt hæc: *Præterea scriptura sacra Leuitici vltimo dicit, quod omnes decimæ terræ siue de frugibus siue de pomis arborum Domini sunt & illi sanctificantur, & Num. 18. loquens de perfectione Leuitarum dicit: Nihil aliud possidebunt decimarum oblatione contenti; quas in vsus eorum & necessaria separaui. In vsus, inquit, non in dominium. Ex qua scriptura sacra patet, quod dominium omnium decimarum siue de pomis siue de frugibus terræ, quas res de vsu consumptibilibus esse constat, est Dei, & vsus ministrorum ipsius: & licuit quod tale dominium Dei est omni temporali commodo denudatum. Secundum hanc hæreticalem doctrinam huiusmodi dominium Dei verbale, ænigmaticum & simulatum est censendum: quod dicere vel sentire est hæreticum & insanum.*

Præterea

Præterea ecclesia Romana in sacris canonibus docet de rebus ecclesiæ quod dominium rerum est Dei siue corporis eius mystici, quod est ecclesia: & vsus & dispensatio earum est prælatorum ecclesiæ. Et August. in libr. de facultatibus ecclesiæ dicit: quod Dei sunt ea, quæ ecclesiæ conferuntur: & quod ipsæ res, siue sint vestes siue aliqua vasa, sunt ad vsum ministrorum eius. Romani etiam pontifices, qui hactenus fuerunt, in rebus temporalibus vsu consumptibilibus & non consumptibilibus, quæ fratribus Minoribus offeruntur, dantur vel conceduntur, dominium ecclesiæ seruauerunt & retinuerunt, vsu tantummodo simplicis facti ipsis Fratribus derelicto: diffinientes, qud carentia talis dominii est meritoria, sancta & perfecta: & quod Christus & Apostoli viam perfectionis ostendentes abdicationem huius dominii docuerunt, & quod retentio siue reseruatio talis dominii omni temporali commodo denudati cum concessione vsus, facta pauperibus non est fructuosa domino, cum sit meritoria ad æterna, & professioni pauperum opportuna, quodque tanto censetur vtilior, quanto commutat temporalia pro æternis: sicut clare patet in decretali prædicta, Exiit qui seminat. Ex prædicto igitur errore sequitur, quod ecclesia catholica in prædictis errauit: ac per consequens in articulum fidei: Et vnam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam, sub quo continetur, quod ecclesia catholica errare non potest in fide vel moribus, error prædictus vehementer impingit. Vnde dicta doctrina est hæretica merito iudicanda: tum quia scripturæ sacræ per quam fidei probantur articuli, contradicit; tum quia errorem ecclesiæ catholicæ imponit, & eius doctrinæ & determinationibus manifeste repugnat. Et hic articulus valde diffuse in appellatione prolixa clarius continetur. Hæc sunt verba appellationis ad quæ vt isti dicunt, iste impugnatus nesciuit responsionem rationabilem inuenire, & ideo noluit recitare.

Cap. LXXXI.

PRofecto per hoc se præuaricatorem legis manifestum ostendit, in illo enim cap. Num. 18. expresse dicitur quod Dominus dedit Leuitis dominium decimarum: & ad quid daret eis declarauit dicens quod in vsus eorum & necessaria decimas huiusmodi separauit. Non autem dixit quod vsu facti Leuitæ essent contenti: multum autem refert: vtrum res aliqua aliquibus detur in vsum & necessaria: an vsus in re aliqua seu rei alicuius alicui concedatur: sicut plenius & latius est superius vbi adduxit eadem capitula declaratum. Ad illud quod dicit quod hoc est contra determinationem ecclesiæ factam in c. Exiit: superius sæpius est responsum.

Hic ad prædicta iste impugnatus nititur respondere dicens, quod Num. 18. dicitur expresse, quod Dominus dedit Leuitis dominium decimarum, quia ipsas in vsus eorum & necessaria separauit. Ad illud de determinatione ecclesiæ dicitur: quod sæpe superius est responsum.

Sed dicunt isti impugnatores, quod ad neutrum illorum, quæ accipit de appellante respondet. Non enim respondet ad primum: quia non est intentio appellantis, quod Leuitæ in nullis decimis habeant dominium qualitercunque acceptum: quia in omnibus decimis habent aliquale dominium, sed non habent in omnibus decimis plenum dominium, quia aliquas non poterant vendere nec donare ad libitum. Sed intentio appellantis est probare, quod non omne dominium omni temporali commodo denudatum est verbale, nudum, ænigmaticum & simulatum, sicut iste dicit: quia omnium decimarum Deus habet plenum dominium. Dominium autem Domini est omni commodo temporali denudatum: nec tamen est verbale, nudum, ænigmaticum & simulatum. Sed dicit aliquis: quod ista ratio æque concludit de rebus quorumcumque, sicut de decimis Leuitarum. Iterum, dominium Dei est alterius rationis à dominio humano. Ergo ex hoc, quod dominium Dei omni temporali commodo denudatum non est verbale, nudum & ænigmaticum & simulatum, probari non potest quod dominium humanum omni temporali commodo denudatum est verbale, nudum, ænigmaticum & simulatum. Ad primum istorum concedunt isti, quod ratio appellantis concludit de rebus quorumcunque: quia Deus est omnium Dominus: & tamen dominiũ Dei respectu quarumcunque rerum omni tẽporali commodo denudatũ non est verbale, nudum ænigmaticum & simulatum. Fecit tamen appellans specialiter obiectionem prædictam de decimis Leuitarum: quia illas habent ex speciali dono Dei: & quia non habent isti plenum dominium in multis decimis, sicut multi laici habent in rebus suis. Ad secundum dicunt: quod licet dominium Dei sit alterius rationis à dominio humano: tamen contingit sæpe arguere ab vno ad aliud. Et ita est in proposito: quia nulla apparet ratio, si dominium Dei omni temporali commodo denudatum non est verbale, nudum, ænigmaticum & simulatum: quin dominium humanum omni temporali commodo denudatum poterit non esse verbale, nudum ænigmaticum & simulatum. Ad secundum etiam de determinatione ecclesiæ dicunt isti, quod non respondet. Nam licet sæpe, quamuis male & erronee, vt dicunt isti, ad dictam determinationem responderit: tamen inquantum ad conclusionem, quam hic intendit appellans, scilicet quod non omne dominium omni temporali commodo denudatum est verbale, nudum, ęnigmaticum & simulatum, adducitur, nusquam respondit, nec respondere potest: nisi dictam determinationem ecclesiæ, aut dictum proprium reprobando, sicut intuenti verba appellantis, si est intelligens, euidenter apparet.

In illo enim c. Num. 18. expresse dicitur quod Dominus dedit Leuitis dominium decimarum.) Hoc dicunt isti esse falsum: quia expressa mentio de dominio nulla fit illo cap. Tamen esto, quod ita esset, argumentum staret: quia per dominium humanum Dominus nunquam priuatur dominio suo. Ergo quamuis Leuitæ habeant dominium decimarum, Deus tamen nihilominus habet dominium earundem, sed dominium Dei est omni temporali commodo denudatum: quia Deus bonorum nostrorum

brorum non eget, & non est verbale, nudum &c. Ergo non omne dominium omni temporali commodo denudatum est verbale, nudum &c. Et ita appellans habet intentum, etiam dato quod Leuitæ habebant dominium decimarum. *(In vsus eorum & necessaria decimas huiusmodi separauit)* Hoc verum est de aliquibus decimis, & de aliquibus est falsum: quia aliquas decimas Dominus separauit in vsum eorum tantummodo, & non in alia necessaria, sicut patet supra *cap. 70.* *(non autem dixit quod vsu facti Leuitæ essent contenti)* verum est, quia aliquale dominium & ius habuerunt in decimis: tamen vltra ius quod habebant debebant quantum ad aliquas vsu facti esse contenti, quantum ad aliquas non. *(Multum autem refert vtrum res aliqua aliquibus detur in vsum & necessaria, an vsus in re aliqua seu rei alicuius alicui concedatur)* Istud est verum propter hoc, quod dicitur *in vsum necessaria*: quia aliquid potest concedi in vsum, quamuis non concedatur in necessaria. Patet secundum iura de commodato, quod conceditur ad certum vsum, non tamen conceditur in necessaria. Et ita refert, an aliquid concedatur in vsum, & an concedatur in necessaria & propter hoc refert, an aliquid concedatur in necessaria, & an alicui concedatur vsus: sed non refert an aliquid concedatur in vsum, & an alicui concedatur vsus. *(Sicut plenius & latius est superius, vbi adduxit eadem capitula, declaratum.)* Dicunt isti, quod hoc est manifeste falsum: quia de hoc ibi nulla fit mentio. Sed iste nititur declarare ibidem: quod refert an aliquid concedatur in vsum, & an alicui concedatur vsus alicuius rei, nequaquam errasset.) *Superius sæpius est responsum.)* Dicunt quod non, applicando ad conclusionem, quam hic intendit appellans: quia nec de illa conclusione mentio fuit antea facta.

SECVNDA PARS PRINCIPALIS OPERIS NONAGINTA DIERVM.

CAP. LXXXII.

RVrsus *iste hæreticus constitutionem,* Cum inter nullos, *satagit impugnare, dicens quod dicta constitutio declarat fore censendum hæreticum affirmare deinceps Dominum nostrum Iesum, eiusq; Apostolos non habuisse aliquid in speciali nec in communi: & insuper hæreticum fore dicit censendum affirmare Christo & eius Apostolis, in his quæ eos habuisse sacra scriptura testatur, non competiisse ius vtendi, nec illa vendendi seu donandi ius habuisse, aut ex ipsis alia acquirendi.*

Postquam iste impugnatus respondit ad obiectiones contra constitutionem *Ad conditorem*: hic incipit respondere ad obiectiones appellantis contra constitutionem *Cum inter.* Et diuiditur in quinq; partes: quia primo ponit verba constitutionis, *Cum inter*, vt appellant recitat ipsa. Secundo ostendit, quod appellans verba constitutionis recitat imperfecte. Tertio explicat intellectum, quem constitutioni præfatæ appellans imponit. Quarto conatur ostendere, quod appellans imponit constitutioni, quod ipsa non dicit. Quinto ad alia quæ obiiciuntur respondet. Secunda pars incipit ibi: *Dicimus quod hæreticus iste.* Tertia ibi: *Dicit ergo.* Quarta ibi: *profecto iste hæreticus.* Quinta ibi: *proculdubio dicta ipsius.* In prima igitur parte ponit duo dicta constitutionis, *Cum inter*, vt appellans recitat ea, & est sensus literæ planus.

(Affirmare deinceps) Subintelligitur, pertinaciter: quia de assertione pertinaci loquitur constitutio manifeste. Et si argumentum à contrario sensu valet, hoc, vt dicunt isti impugnatores, includitur error apertus: quod videlicet aliquid scripturæ diuinæ contrarium potest fieri de nouo hæreticum, quod est erroneum manifeste. Nam omne quod aduersatur scripturæ diuinæ semper est hæreticum: quia quod aliquid sit hæreticum non dependet ex voluntate humana, sicut nec ex voluntate humana dependet, quod aliqua veritas sit catholica. Si enim aliqua veritas siue explicite siue implicite in scriptura diuina contenta fieret catholica voluntate humana, fides nostra in sapientia hominum consisteret: quod sententiæ Apostoli contradicit aperte; cum dicit primæ ad Corinth. 2. *fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Nulla igitur veritas in scriptura diuina etiam implicite contenta potest fieri catholica per sapientiam aut voluntatem humanam. Ergo nec aliqua falsitas scripturæ diuinæ contraria fieri potest hæretica per sapientiã aut voluntatem humanam. Et ita si pertinax assertio, quod Christus & Apostoli non habuerunt aliquid nec in speciali nec in communi, est modo hæretica, prius fuit hæretica. Et ideo dicere *& deinceps est hæretica*, si argumentum à contrario sensu valet, est patenter errare. Nec prædictis obsistit, quod legitur in Decretis aliquas hæreses esse nouas. Quia hæreses illæ non dicebantur nouæ pro eo, quod prius non erant veraciter hæreses: sed dicebantur nouæ hæreses, quia erant nouiter dogmatizatæ, & tamen in rei veritate prius erant hæreses. *(Non habuisse aliquid in speciali nec in communi)* Hoc non potest intelligi negando omnem modum habendi: quia hoc nequaquam fuit inter scholasticos in dubium reuocatum. Intelligitur ergo de aliquo speciali modo habendi. Et discurrendo per singulos non potest intelligi, nisi de modo habendi iure proprietatis & dominii.

CAP. LXXXIII.

DIcimus *quod hæreticus iste constitutionem imperfecte recitat, quantũ ad vltimam partem eius: quia post illud verbum*; nequaquam ipsis ius vtendi, *omittendi,* seu conseruandi, *quod immediate sequitur ibi. Item post verbum,* aut ex ipsis acquirendi, *omittit quæ sequuntur, scil. quæ* tamen ipsos de præmissis fecisse sacra scriptura testatur seu ipsos potuisse facere supponit aperte. *Vnde vt melius eius fraus & malitia detegatur, textus dictæ constitutionis partis vltimæ noscitur esse talis*; rursusque in posterum pertinaciter affirmare

quod

quod redemptori nostro prædicto eiusq; Apostolis his quæ eos habuisse sacra scriptu[illegible] nequaquam ius ipsis vtendi seu cosumendi competierit, nec illa vendendi seu do[illegible] ex ipsis alia acquirendi: quæ tamen ipsos de præmissis fecisse scriptura sacra te[illegible] se facere supponit aperte: *cum talis assertio ipsorum vsum & gesta euidenter includat [illegible] quod vtiq; de vsu gestis seu factis redemptoris nostri Dei filii sentire nephas est & scripturæ sacræ [illegible] ctrinæ catholicæ inimicum, assertionem ipsam pertinacem de fratrum eorundem consilio deinceps [illegible] censendam merito & hæreticam declaramus &c.*

Hic ostendit quod appellans verba constitutionis recitat imperfecte, sicut plane patet.

Sed dicunt isti impugnatores, quod iste in hoc suum errorem amplius; quam appellans [illegible]rat, manifestat. Vnde dicunt, quod appellans studens breuitati plures errores istius impugnati indiscussos omisit, quos etiam minime recitauit. Plures etiam in appellatione prolixa pertractat, quos pertransit in breui: quia in breui succinctius recitat, & discutit in prolixa. Vnde & totam seriem constitutionis *Cum inter*: quo ad secundam partem, sicut iste hic replicat, in prolixa appellatione ponit appellans, in qua serie, vt dicunt isti, iste impugnatus errorem alium in prædictis implicat manifeste. Ex quo etiam expositiones, quæ pro aliis saluandis erroribus adduci poterant, excluduntur. Est autem error talis, vt dicunt. Qui vtitur re aliqua vel consumit, habet ius vtendi vel consumendi, ac etiam ius vendendi seu donandi, & ex ipsa re alia acquirendi, alioquin vsus est iniustus. Quod enim iste error ex verbis superius recitatis colligatur, patet aperte. Nam iste probat, quod Christus & Apostoli habuerunt in rebus, quas eos scriptura sacra habuisse testatur, ius vtendi seu consumendi, ac etiam ius vendendi seu donandi, & ex ipsis alia acquirẽdi: q̃a aliter vsus eorũ, & gesta fuissent iniusta. Ex qua ratione colligitur euidenter, ꝙ qui vtitur re aliqua vel consumit habet ius vtendi seu cõsumendi, ac etiam ius vendendi seu donandi, & ex ipsa re alia acquirendi, alioquin vsus est iniustus. Sed quod hoc sit erroneum, ꝓbare conantur. Primo: quia scripturæ diuinæ contradicit aperte. Nam sacerdotes & eorum familiæ aliiq; fideles in veteri lege pluribus rebus oblatis Deo licite vtebātur: [illegible] quibus tamen ius vtendi aut ex ipsis alia acquirendi minime habuerunt: licet nonnulli eorum habuerunt ius vtendi seu consumendi. Ergo per hoc, quod aliquis non habet omnia ista iura in rebus, quibus vtitur, scil. ius vtendi seu consumendi, ius vendendi seu donandi, & ius ipsis alia acquirendi, probari non potest, quod vsus eius sit iniustus. Assumptum manifeste probatur ꝑ scripturā sacram. Nam Exod. 12. sic scribitur: *Si autem minor est numerus, vt sufficere non possit ad vescendum agnum, assumat vicinum suum, qui iunctus est domui eius iuxta numerum animarum, quæ sufficere possint ad esum agni.* Et post ea dicitur: *nec comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aliquid, sed assum igni tantum, caput cum pedibus & intestinis vorabitis: nec remanebit ex eo quicquam vsque mane. Si quid residuum fuerit, igni comburetis.* Ex his verbis colligitur euidenter, quod Iudæi agnum paschalem & hœdum non poterant vendere, nec donare, nec aliquid aliud ex ipsis acquirere, sed tantummodo manducare, & partem residuam igni cremare: & tamen actus eorum non fuit illicitus reputandus. Ergo similiter poterant Christus & Apostoli actum licitum habere: sed falsa esset ista copulatiua: Christus & Apostoli habuerunt ius vtendi seu consumendi, & ius vendendi seu donandi, & ius alia acquirendi ex rebus quas ipsos sacra scriptura habuisse testatur. Item vt habetur *Leuitici 24.* Sacerdotes poterant licite manducare panes propositionis: & tamen non habebant ius vendendi eos nec donandi, nec ex ipsis alia acquirendi. Ergo absq; talibus iuribus potest esse licitus vsus, vel licita consumptio. Item *Leuitici 21. & Deut. 12.* & multis aliis locis scripturæ diuinæ habetur aperte, quod Iudæi quasdam decimas, & oblata sanctificata Deo habebant potestatem licite comedendi & consumẽdi. In quibus tamen ius vendendi, donandi, & ex ipsis alia acquirendi nullatenus habuerunt. Ergo absque talibus iuribus poterant vsus & gesta Christi Apostolorumque eius esse licita. Secundo dicunt isti, quod error prædictus quotidianæ experientiæ contradicit, quia quotidie videmus multos licite vti vel consumere ea, quæ in cibo & potu consistunt, in quibus tamen non habent ius donandi, vendendi & ex ipsis alia acquirendi. Patet de inuitatis, religiosis & seruis & aliis multis. Dicunt igitur, quod esto, quod nullus possit licite vti rebus, nisi habeat ius vtendi, si licentia vtendi vocetur ius vtendi: tamen potest quis licite vti & consumere res absque iure donandi & vendendi, & ex ipsis alia acquirendi. Quod est tam notum, quod probatione non indiget. Quilibet enim laicus habens vsum rationis, hoc aduertit. Et ita ex hoc, quod Christus & Apostoli non habuerunt prædicta, non potest inferri, quod vsus & gesta eorum fuerunt iniusta.

Imperfecte recitat) verum est; tamen illud, quod recitat, sufficit ad probandum istum impugnatum errare. (*Omittit quæ sequuntur*) verum est in breui appellatione, sed non in prolixa. (*Vnde vt melius eius fraus & malitia detegatur*) Dicunt isti, quod per verba sequentia intentio & veritas, ac innocentia appellantis detegitur, & istius impugnati malitia & perfidia declaratur aperte. (*Quæ eos habuisse scriptura sacra testatur.*) Ex his verbis patet, quod iste impugnatus intendit, quod Christus & Apostoli habuerunt iura prædicta in his rebus solummodo, quas ipsos habuisse scriptura sacra testatur. Quare patet aperte, quod non loquitur de iure naturali, cui nemo renunciare potest, quod habet quilibet in rebus etiam alienis: sed loquitur de iure positiuo. (*Nequaquam ius ipsis vtendi.*) Hic sicut ostensum est, non accipit *ius vtendi* pro iure naturali, sicut aliqui ignari conantur ostendere, sed pro iure positiuo, & non diuino, vt constat. Ergo humano & de tali iure non potest dictum suum saluari, nisi ius humanum vocaretur licentia vtendi: nec illa vendendi seu donandi ius habuerunt, ac-

accipiendo *ius* pro iure positiuo. Christus & Apostoli non habuerunt in rebus, quibus vtebantur, nec ius vendendi nec ius donandi. Si autem acciperetur *ius* pro iure naturali, sic posset concedi, quod habuerunt ius vendendi, scil. in articulo necessitatis extremæ: sed non ius donandi etiam in articulo necessitatis cuiuscunque: licet si vidissent alium in extremæ necessitatis articulo constitutum habuissent ius tradendi, & ita ius donandi accipiendo verbum *dandi* pro verbo tradendi: sed verbum *donandi* hic & forte nunquam accipitur pro verbo tradendi, aut ex ipsis alia acquirendi: tale ius positiuum minime habuerunt: licet non solum in rebus, quas eos scriptura sacra habuisse testatur, sed etiam in quibuscunque aliis habuerint ius naturale alia ex ipsis acquirendi, scil. in necessitate extrema. *(quæ tamen ipsos de præmissis fecisse scriptura sacra testatur)* licet aliqua de præmissis eos fecisse scriptura sacra testetur, quia testatur eos aliquibus vsos fuisse & consumpsisse: non tamen testatur eos ipsas res vendidisse, donasse & ex eis alia acquisisse: quod de Christo inquantum fuit homo, constat aperte. Nec obstat quod Christus pluribus millibus hominum legitur panes dedisse & pisces, quia potest dici, quod sicut inquantum Deus multiplicauit dictos panes & pisces, ita inquantum Deus dedit eos turbis se sequentibus manducandos. Aliter potest dici & priori responsioni non obuiat, quod Christus inquantum homo non donauit dictos panes & pisces, vt hoc verbum *dandi* accipitur: sed dedit turbis dictos panes & pisces, hoc est per Apostolos tradidit comedendos. Quod autem Christus rem aliquam vendiderit, vel ex re vna aliam acquisierit, nusquam habetur. De Apostolis vero videtur scriptura diuina testari ipsos res emisse. Sed ad hoc est facile respondere: quia hoc fecerunt vel nomine aliorum, vel tempore necessitatis extremæ, scil. quando aliter necessaria vitæ acquirere nequiuerunt. Et in hoc casu licitum est cuilibet de pecunia aliena, si aliter vitam suam sustentare non potest, rem emere necessariam sustentationi humanæ. *(Seu potuisse facere supponit aperte)* Hoc per scripturam probari non potest: quia ex nullo loco scripturæ colligi potest, quod Christus inquantum homo extra tempus necessitatis extremæ potuit de rebus, quas habuit, res alias emere & alias acquirere ipsasq; donare. Idem patet de Apostolis. *(Cum talis assertio ipsorum vsum & gesta euidenter includat in præmissis non iusta.)* Hoc dicunt esse erroneum: quia contingit vti licite re absque iure vtendi, vendendi, donandi & ex ipsa alia acquirendi: quia licentia alterius conuenit licite vti re aliena, secundum quod ex decretali *Exiit*, patenter habetur, vt superius est probatum.

CAP. LXXXIV.

DIcit ergo iste hæreticus, quod dicta constitutio, cum de habere & competere loquitur, intelligit de habere seu competere iure proprietatis seu dominii ciuilis & mundani, per quod contenditur & in iudicio litigatur. Et quod de tali intellexerit, patet, vt dicit: quia dicta constitutio euidenter includit, quod Christus & Apostoli in his rebus, quas eos habuisse sacra scriptura testatur, ius vendendi & donandi, & alia ex ipsis acquirendi habuerint: quod ius à iure humano fuisse introductum, manifestum.

In ista parte exprimit intellectum, quem appellans dictæ constitutioni imponit, dicens: quod secundum appellantem dicta constitutio loquitur de *habere* iure proprietatis seu dominii ciuilis & mundani.

Sed dicunt isti impugnatores, quod hic truncate recitat verba appellantis, vt in sequenti capitulo apparebit.

(Intelligit de habere seu competere iure proprietatis &c. *)* hoc in sequentibus ostendetur. *(Quod ius à iure humano fuisse introductum)* de hoc postea differetur.

CAP. LXXXV.

PRofecto iste hæreticus imponit constitutioni, quod ipsa non dicit. Constitutio enim dicit, quod pertinaciter affirmare Christum & Apostolos in his quæ habuisse sacra scriptura, ius ipsis vtendi seu consumendi non competierit, vel illa vendendi seu donandi ius non habuerit, aut ex ipsis alia acquirendi, quæ tamen ipsos de præmissis fecisse scriptura sacra testatur, seu ipsos facere potuisse supponit aperte hæreticum est censendum. Et tamen licet de iure dominii seu proprietatis nullam fecerit mentionem, ipse tamen imponit ei, quod intellexerit loquens de iure proprietatis & dominii ciuilis & mundani, per quod contenditur, & in iudicio litigatur. Hoc ex eo, quia ius emendi & donandi, quod dicta constitutio Christum & Apostolos asserit habuisse, ab humano iure introductum fuisse manifestum existit. Et ideo dicit, quod dicta constitutio intellexit, quod Christus & Apostoli non solum in communi, sed etiam in speciali proprietatem & dominium rerum temporalium habuerunt: quod dictum secundum eum omnem religionem, quæ volens vitam & doctrinam Apostolorum sequi vouens viuere sine proprio, destruit & confundit: & omnes religiosos facit proprietarios, etiam in speciali, & sui voti per consequens transgressores, & doctrinæ euangelicæ & Apostolicæ ac sedi sanctæ Romanæ ecclesiæ, & omnium doctorum ecclesiæ sanctorum patrum institutorum religionum, obuiat manifeste.

In parte ista iste impugnatus conatur ostendere, quod appellans imponit constitutioni, quod ipsa non dicit: dicens, quod appellans imponit constitutioni, quod loquitur de iure proprietatis & dominii, quod tamen non dicit, cum de iure proprietatis & dominii nullam faciat mentionem.

Sed dicunt isti impugnatores, quod licet constitutio vocalem non faciat de iure dominii mentionem: tamen tam constitutio ipsa, quam conditor eius, intelligit de illo iure, quorum vtrumq; probat appellans. Vnde aliquæ rationes eius probant, quod constitutio *Cum inter*, debet intelligi de iure

proprietatis & dominii. Aliæ vero eiusdem probant, quod cum conditor dictæ constitutionis siue in illa constitutione siue in aliis dicit Christum & Apostolos res aliquas habuisse, ipse intelligit de *habere* iure proprietatis & dominii. Quod, vt ostendatur apertius, & simul cum hoc manifestetur omnibus, quod iste impugnatus truncate recitat obiectiones appellantis, illas, quæ ipsum aperte conuincunt, omittens, verba appellantis sunt præsentibus inserenda, quæ sunt hæc. *Sextus error sumitur in dicto statuto, Cum inter, ex eo quod ipse pronunciauit siue declarauit hæreticum fore censendum affirmare deinceps dominum Iesum eiusq; Apostolos non habuisse aliqua in speciali nec etiam in communi. Insuper hæreticum fore censendum affirmare Christo & eius Apostolis in his, quæ eos habuisse sacra scriptura testatur, non competiisse ius vtendi, nec illa vendendi, seu donandi, seu ex ipsis alia acquirendi: quæ quidem doctrina de habere & competere iure proprietatis & dominii ciuilis & mundani, per quod contenditur & in iudicio litigatur, se intellexisse ex pluribus manifestat: tum quia in dicto statuto, Quia quorundam, expresse improbat sententiam asserentium, quod abdicatio iuris in cuiuscunq; rei proprietate & in eius vsu, per quod potest sic vtens pro vsu huiusmodi contendere vel in iudicio litigare, est meritoria & sancta & à Christo in seipso seruata, Apostolisq; imposita, & ab ipsis sub voto assumpta & pertinaciter asserit in eodem hac verba appellantis.* Ex quibus claret, quod iste truncate recitat obiectiones eius, & quod ad ipsas respondere non potest. Et ideo, vt dicunt isti, ipsa cautelose, vt decipiat simplices, scienter omittit.

(Imponit constitutioni, quod ipsa constitutio non dicit) Verum est, quod constitutio non dicit hoc vocaliter: dicit tamen sententialiter. *Ius ipsis vtendi siue consumendi non competierit vel illa vendendi seu donandi ius non habuerit, aut ex ipsis alia acquirendi.* (Hic volens recitare sententiam constitutionis, *Cum inter*; quo ad vnam partem eius mutat notam copulationis in notam disiunctionis. Ex quo patet euidenter, quod ipse intendit in dicta constitutione, *Cum inter*, quod Christus & Apostoli habuerunt ius vtendi, vendendi donandi & ex rebus alia acquirendi: & quod aliter vsus & gesta eorum fuissent non iusta. *Licet de iure dominii seu proprietatis nullam fecerim mentionem.*) Verum est vocalem: tamen ex hoc non potest concludi, quod non intellexerit de tali iure, quemadmodum secundum istũ, vt patet supra *cap. 81.* Numeri cap. 18. de dominio nulla vocalis fit mentio: & tamen dicit iste, quod ibi expresse dicitur, quod Dominus dedit Leuitis dominium decimarum: ita quamuis in constitutione, *Cum inter*, de dominio non fiat mentio vocalis, tamen intelligit de dominio: & hoc ex eo verum est, sed non ex eo solo, sed ex eo & multis aliis, ad quæ iste respondere nequaquam quia nescit attentat, ideo dicit quod constitutio intellexit, quod Christus & Apostoli non solum in communi, sed etiam in speciali proprietatem & dominium rerum temporalium habuerunt, verum est secundum istos, quod dicta constitutio hoc intellexerit, licet ipsa hoc vocaliter nequaquam expresserit: verumtamen conditor eius in ista constitutione, *quia vir reprobus*, hoc vocaliter & sententialiter asserit manifeste: sicut ex superioribus patet & ex sequentibus apparebit.

CAP. LXXXVI.

PRoculdubio dicta ipsius hæretici possent vno verbo repelli, scil. quod falsum imponit constitutioni imponendo ei, quod intellexerit loqui de iure dominii seu proprietatis, cum nulla in ea habeatur de dominio mentio, vt patere potest cuilibet intuenti.

In ista parte iste impugnatus ad obiectiones appellantis nititur respondere. Et diuiditur in duas partes: quia primo ponit vnam responsionem generalem. Secundo assertionem principalem appellantis pertractat: quasi pro solutione obiectionis sufficiat ostendere eandem assertionem esse falsam. Secunda pars incipit in parte immediate sequenti. Dicit ergo, quod omnes obiectiones appellantis possent vnico verbo repelli, dicendo, scil. quod constitutio non facit mentionem de dominio.

Sed dicunt isti, quod iste respondet ad conclusionem, & non ad probationes, per quas probatur conclusio: quia sæpe verba intelliguntur de aliquo, quod vocaliter nequaquam exprimitur. Licet ergo de dominio non fiat mentio vocalis: tamen appellans probat, quod de dominio debet intelligi: & ita per dictam responsionem obiectiones suæ minime repelluntur: quia etiam non tanguntur. *(Falsum imponit constitutioni &c.)* Hoc deberet iste ostendere ad obiectiones respondendo. *(Cum nulla in ea habeatur de dominio mentio)* verum est vocalis: sed ex hoc non sequitur, quod de dominio non debet intelligi.

CAP. LXXXVII.

SEd quia iste hæreticus pertinaciter asserit Christum & Apostolos nullius rei temporalis proprietatem seu dominium in communi vel proprio habuisse, videndum est vtrum eius assertio possit stare: & quia ipse dicit in præcedentibus, & hoc etiam supponit, quod dominium proprium de iure humano est introductum. Primo, quia si quæritur quo iure sit ius proprietatis seu dominii introductum? Ad hoc dicit iste hæreticus, quod à iure humano & ciuili. Ad quod probandum inducit 8. dist. c. quo iure, *vbi dicitur, quod iure humano dicitur: hæc villa mea est: hic seruus meus est; hæc domus mea est. Item inducit dictum Clementis quod recitatur 12. q. 1. c.* dilectissimis, *vbi sic dicitur: communis vsus omnium quæ sunt in mundo, omnibus hominibus esse debuit: sed per iniquitatem alius hoc dicit esse suum & alius illud, & sic inter mortales facta est diuisio & intelligit per illud, quod dicit per iniquitatem, debere intelligi ius humanum.*

In ista parte pertractat iste assertionem principalem appellantis, quod scilicet Christus & Apostoli nullius rei tẽporalis proprietatẽ habuerũt, nec in cõmuni nec speciali. Et diuiditur in duas partes: quia

primo

primo pertractat quandam quæstionem aliam incidentalem. Secundo pertractat quæstionem principalem, ibi; *secundo quæritur*. Prima in tres: quia primo proponit duas quæstiones, quas intendit pertractare. Secundo ponit assertionem appellantis circa quæstionem incidentalem ibi *scriptura sacra*. Litera plana est.

(*Pertinaciter asserit*) Hoc dicunt isti esse falsum propter duo. Primo quia veritatis assertio non est pertinax sed fidelis. Secundo quia esto, quod assertio esset falsa: tamen appellans non esset pertinax, cum paratus sit corrigi in omnibus, si errat, per concilium generale. (*Dominium proprium* &c.) Bene dicitur *dominium proprium*: quia dominium, quod non est proprium, non est de iure humano introductum. (*Ius proprietatis seu dominii.*) Ex hoc patet aperte, quod iste loquitur tantum in ista conclusione de dominio, quod est proprietas. (*A iure humano*) generaliter dicit, *à iure humano*, non à iure regum, secundum quod modo vocantur reges: quia ante reges fuit dominium, quod est proprietas. (*Et intelligit illud quod dicit per iniquitatem, debere intelligi ius humanum.*) Hoc accepit à Glossa *12. q. 1. cap. dilectissimis*, quæ super verbum *per iniquitatem*, dicit, id est, *per consuetudinem iurisgentium, æquitati naturali contrariam.*

CAP. LXXXVIII.

Scriptura sacra dicit contrarium euidenter, scilicet quod imo iure diuino non humano fuerit dominium introductum. Ius enim diuinum est, quod in scripturis diuinis habemus, vt legitur 8. dist. c. quo iure, *in principio. Vbi dicitur, quod ius diuinum est quod in scripturis diuinis habemus. Humanum ius, quod in legibus regum. In scripturis autem diuinis habemus, quod antequam leges regum, imo etiam antequam reges essent, res aliqua alicuius erant. Ergo iure diuino aliquis dicere poterat, aliquid suum esse. Maior patet per cap.* quo iure *præallegatum. Minor autem probatur etiam pro innocentiæ statu. Videtur enim quod Adam in statu innocentiæ antequam Eua formaretur, solus dominium habuit rerum temporalium. Commune enim dominium, cum solus esset pro illo tempore habere non potuit: cum communio plures requirere dignoscatur. Et quod Dominus fuerit antequam Eua formaretur, Eccles. 17. probari videtur expresse. Ibi enim dicitur sic:* Deus de terra creauit hominem. *Et sequitur:* posuit timorem illius super omnem carnem: & dominatus est bestiarum & volatilium. *Dicit ergo* ꝙ dominatus fuit. *Ex quo sequitur, quod dominium habuit. A dominio enim secundum Dionysium d. dist. no. c. 12. dicitur* Dominus, dominator *&* dominans. *Ex quo sequitur, quod ex quo dominatus est, quod dominium habuit. Quod autem tunc formata Eua non esset, patet: quia statim post illa verba;* & dominatus est bestiarum & volatilium: *sequitur,* creauit ex eo (*scil. Adam*) adiutorium simile sibi *scil. Euam. Ad idem facit Sapientia 9. vbi dicitur sic:* Deus Patrum nostrorum & dominus misericordiæ qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem vt dominaretur creaturæ tuæ quæ à te facta est *&c. Et hoc expresse dicit Damascenus* lib. 2. c. *8. vt dictum est supra. Item post lapsum primorum parentum ante diluuium & antequam essent reges, potuit aliquis dicere: hoc est meum. Probatur* Gen. 3. *vbi Deus ad Adam dixit:* In sudore vultus tui vesceris pane tuo. *Ergo patet quod Adam tunc potuit dicere, panem suum: & tamen tunc non erant reges, imo nec homines alii, nisi soli primi parentes. De Abel quoq;, qui fuit secundo genitus primorum parentum, dicitur Gen.* 4. *quod Abel* obtulit de primogenitis gregis sui. *Ex quo patet, quod Abel potuit dicere, iste grex est meus. Item quod post diluuium sine iure regum potuerit aliquis dicere suum, patet. Legitur enim Gen. 9.* ꝙ *Noe vineam plantauit, & vinum ex ea productum bibit. Puto, quod nullus sapiens negabit, quin vineæ dominus fuerit & etiam vini: & tunc non legimus regem aliquem extitisse. Item Gen. 12. dicit Dominus ad Abraham existentem in terra Chanaan;* Semini tuo dabo terram hanc: *quod & fecit. Constat autem quod illi de semine suo potuerunt dicere: terra ista nostra est: & hoc non per iura regum, quia eam ex collatione Dei habuerunt, non regũ. Item Gen. 26. Cum descendisset Isaac in Gerara, dixit Dominus ei:* Tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has. *Quarum regionum dominium semen eius non ex iure regum, sed ex collatione Dei habuit. Præterea Num. 31. dicitur, quod vniuscuiusque quod in præda rapuerat, suum erat. Quod non erat per iura regum: cum ille populus Israeliticus tunc regem non haberet, sed dux Moyses eius tantum esset Item Num. 33. Dominus ad Moysem dicit:* Præcipe filiis Israel & dic ad eos: Quando transieritis Iordanem intrantes in terram Chanaam, dispergite cunctos habitatores terræ illius. Ego enim dedi vobis illam in possessionem, quam diuidetis vobis sorte. *Quod & fecerunt, vt legitur Iosue 13. Quilibet ergo istorum post diuisionem terræ illius portionem illam, quæ ad eum obuenit, potuit dicere suam esse: & hoc non iure regum, sed diuino, cum tunc temporis (vt dictum est) regibus non regeretur populus ille. Item Num. 35. Dominus ad Moysem dicit:* Præcipe filiis Israel, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum & suburbana per circuitum, vt ipsi in vrbibus maneant & suburbana sint pro pecoribus & iumentis. *Quod etiam fecerunt, vt legitur Iosue 14. Ex quibus patet, quod cum Dominus præcepit filiis Israel dare Leuitis de possessionibus suis, quod filii Israel antequam darent possessiones illas, poterant dicere suas esse, & etiam Leuitæ ex quo sibi fuerunt datæ: & hoc non per iura regum, cum reges non haberent, sed per ordinationem diuinam. Ex quibus omnibus patet, quod in scripturis sacris habemus, quod aliquis in statu innocentiæ & post lapsum primorum parentum, & ante diluuium & post diluuium, dicere poterat sine iure regum aliquid esse suum. Et quod de iure diuino sint dominia aliqua, probatur 23. q. 2. cap. 1.*

In parte ista iste impugnatus circa prædictam quæstionem improbando assertionem appellantis suam ponit sententiam. Et diuiditur in duas partes: quia primo ponit suam assertionem. Secundo ad auctoritates pro assertione contraria allegatas respondet ibi; *Ex prædictis itaq;*. Prima in tres

 diuidi-

diuiditur. Quia primo ostendit, quod dominium rerum temporalium non iure humano, sed diuino extitit introductum. Secundo ostendit, quod dominium rerum temporalium non potuit dari hominibus iure humano, sed diuino tantummodo. Tertio ostendit: quid circa dominium rerum temporalium iure humano est inductum. Secunda ibi: *Adhuc ꝙ nullo iure.* Tertia ibi: *Verum est tamen.* In prima igitur parte primam conclusionem probat tali ratione. Ius diuinum est quod in scripturis diuinis habemus. Ius humanum quod in legibus regum. Sed in scripturis diuinis habemus quod antequam essent reges, temporalia ad aliquorum dominium pertinebant. Ergo iure diuino, non iure humano, rerum dominium extitit introductum. Maiorem ostendit per auctoritatem Augustini, quæ ponitur *dist. 8. cap. quo iure.* Circa probationem minoris primo ostendit per tres auctoritates, quod dominium proprium rerum in statu innocentiæ fuit inductum: & non per reges. Constat ergo quod à Deo. Secundo; *Item quod post lapsum*, probat per duas auctoritates, quod dominium temporalium post lapsum ante diluuium absque legibus regum fuit inductum. Tertio ibi: *Item quod post diluuium*, probat vna auctoritate, quod post diluuium dominium rerum fuit inductum absque legibus regum. Quarto ibi; *Item Gen. 12.* Probat per duas auctoritates, quod aliquarum rerum dominium fuit inductum absque legibus regum. Sexto ibi: *Item Numeri 33.* probat per tres auctoritates, quod aliquarum rerum dominium fuit inductum immediate à Deo.

Sed isti impugnatores plura hic dicta reputantes erronea sic procedunt. Primo enim quinq; conclusiones, quas putant catholicas, improbare conantur. Secundo nituntur ostendere, quod plures errores in hac serie continentur. Tertio discurrendo per literam ad auctoritates singulas satagunt respondere. Circa primum primo dicunt, quod in statu innocentiæ nullum fuit dominium proprium. Hæc conclusio tractata est supra *cap. 26. 27. & 28.* Ideo de ipsa pertransitur ad præsens. Secunda conclusio, quam probant, est quod primum dominium temporalium proprium post lapsum fuit iure humano, seu ordinatione aut voluntate humana inductum. Hanc probant sic. Prima diuisio dominiorum, quæ legitur in scriptura, fuit inter Abel & Cain. Sic enim legitur Gen. 4. *Fuit autem Abel Pastor ouium: & Cain agricola. Factum autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Deo: Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem ad munera eius non respexit.* Ex his verbis colligitur, quod isti duo habuerunt rerum diuersarum distincta dominia: sed non legitur quod ista diuisio fuit facta præcepto diuino. Ergo voluntate humana fuit prima dominiorum diuisio introducta. Sed forte obiiciet aliquis contra hoc dupliciter. Primo quia antequam nasceretur Cain vel Abel dixit Dominus ad Adam: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, sicut habetur Gen. 3. Ergo Adam habebat panem ante filios. Item in eodem c. legitur; *fecit quoq; Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas & induit eos.* Ex quibus verbis datur intelligi, ꝙ vterq; de dono Dei habuit propriam pelliceam. E. non solũ ante natiuitatẽ Cain & Abel fuit dominiorum distinctio sed etiã immediate à Deo fuit dominiorũ distinctio introducta. Sed ad vtramq; istarũ obiectionũ respondent isti, ꝙ licet inter primos parentes fuerit rerũ diuisio quantum ad vsum omnes tamen fuerunt communes quantum ad aliquale dominium, quod propter vinculum matrimonii ac concordiam & amorem inter ipsos satis videtur probabile. Stante enim amore & concordia inter ipsos non videtur, quod debuerunt aliqua ratione moueri ad diuidendum temporalia inter se quo ad dominium & proprietatem. Dicunt etiam quod esto, quod diuisissent inter se res temporales quo ad dominium, & prima dominiorum diuisio non fuisset inter Cain & Abel: tamen adhuc voluntate humana prima dominiorum diuisio fuisset inducta. Nam antequam Adam pane vesceretur, & antequam eis Deus daret pelliceas, legitur, quod cum cognouissent se esse nudos consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Non apparet autem, quod plus appropriauerint sibi pelliceas, quam perizomata. Ergo si pelliceæ & aliæ res fuerunt diuersæ inter eos quo ad dominium: sequitur quod perizomata fuerunt diuersa inter eos quo ad dominium, & non ex speciali præcepto diuino, sed voluntate humana. Ergo voluntate humana fuit prima dominiorum distinctio introducta. Tertia conclusio est, quod iure humano absque legibus Regum secundum ꝙ Reges contra Duces, Comites, Barones & alios seculares principes diuiduntur multarũ rerũ distincta dominia & diuersis tẽporib' introducta fuerunt. Hoc patet aperte de diuisione facta inter filios filiorũ Noe, Gen. 10. de quib' dicitur; *ab his diuisæ sunt insulæ gentiũ in regionibus suis.* Multa alia de diuisione terrarũ subdũtur ibi. Quæ diuisio volũtate & ordinatione humana facta fuit. Quarta cõclusio est, ꝙ aliquarũ rerũ temporaliũ diuersa & distincta dominia immediata ordinatione diuina introducta fuerunt. Quod per plures auctoritates allegatas ab isto aperte probatur. Hoc n. ex Deut. 2. patenter ostenditur, vbi Dominus ad Moysem: *Transibitis per terminos fratrũ vestrorũ filiorũ Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos. Videte ergo diligenter ne moueamini contra eos. Neque enim dabo vobis de terra eorũ quantũ potest vnius pedis calcare vestigiũ, quia in possessionẽ dedi Esau montẽ Seyr* Et post: *nec pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersus eos præliũ. Non n. dabo tibi quicquam de terra eorũ, quia filiis Loth tradidi Ar in possessione.* Ex his patet, ꝙ prædictorũ regionũ Seir & Ar dominia ex speciali ordinatione diuina filiis Esau & Moab data fuerũt. Et si diceretur, ꝙ hoc non fuit nisi per inspirationẽ vel approbationem occultã, non p speciale pceptũ, hoc de quibusdã aliis dici non potest. Nam vt habetur Exod. 12. filii Israel in exitu de Ægypto, de pcepto Domini spoliauerunt Ægyptios: & ita de speciali ordinatione & præcepto diuino spoliorũ acquisierunt dominiũ: & ita iure diuino aliquarum rerum dominium extitit introductum. Quod per alias auctoritates scripturæ diuinæ posset copiose probari, sed præsufficiant.

Quinta

Quinta conclusio est, quod post promulgationē euangelii & euacuationem legalium omnium temporalium propria dominia noua à iure humano fuerunt, & non à iure diuino, neq; ex aliqua collatione Dei speciali. Hoc probatur: Nam ab illo tempore, neq; Iudæi, neq; Christiani, neq; Pagani aliquid iure diuino nouiter possidebant. Ergo ex tunc nullum fuit nouum dominium iure diuino, cum omnes tunc fuerunt Iudæi, Christiani & Pagani; Quod Iudæi tunc non possidebant aliquid nouiter iure diuino, patet, quia de iure diuino non possidebantur nouiter alia à Iudæis, quam illa quæ ex præcepto scripturæ diuinæ acquirebant: sed illa præcepta iam cessauerant. Ergo iure diuino nihil nouiter possidebant. Quod etiam Christiani non possidebant aliquid nouiter iure diuino, patet quia nullius rei dominium in speciali ex collatione Dei speciali acquisierunt: quia in toto nouo testamento non legitur, quod Deus rem aliquam temporalem dederit Christianis quo ad dominium in speciali: nisi dicas, quod Christus pauerit turbas. Sed ex hoc non sequitur, quod post promulgationem euangelii & euacuationem legalium aliquid specialiter dederit Christianis. Ex hoc etiam quod pauit turbas, non sequitur quod dederit eis dominium panum & piscium, quia dictos panes & pisces non dedit eis nisi ad comedendum. Sed forte dices, quod clerici acquirunt dominia rerum iure diuino; quia ex nouo testamento eis debentur stipendia, dicente Christo Luc. 10. *dignus est operarius mercede sua.* Et 1. Corinth. 9. dicit Apostolus: *quis militat suis stipendiis vnquam?* Et ibidem: *qui alteri deseruiunt cum altari participant. Ita & Deus ordinauit his, qui euangelium annunciant, de euangelio viuere.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod ex ordinatione diuina annunciantibus euangelium temporalia debentur stipendia. Ergo temporalia possident iure diuino. Ad hoc dicunt, quod ista ordinatio Dei est ordinatio generalis nullam rem temporalem specialem determinans: & imo propter talem ordinationem generalem non dicuntur aliqua possideri iure diuino, prout nunc loquimur. Quemadmodum enim quamuis ex ordinatione Dei generali diuites debeant dare elemosynas pauperibus: & tamen elemosynæ datæ pauperibus non dicuntur possideri iure diuino, sed iure humano: quia in ordinatione dicta Dei generali nulla res temporalis specificatur: sic licet ex ordinatione Dei generali teneantur fideles tribuere necessaria annunciantibus euangelium & aliis clericis officio diuino insistentibus: tamen propter hoc illa quæ dantur eis, non dicuntur possideri iure diuino, sed iure humano: quia ex voluntate humana processit quod ista temporalia & non alia ipsis data fuerunt. Et ita talia possidentur à clericis iure humano. Iterum licet ex ordinatione Dei teneantur fideles annunciantibus euangelium & aliis clericis necessaria ministrare: non tamen tenentur eis temporalium conferre dominium, sed sufficeret eis ad implendum dictum præceptum diuinum eis absq; dominio necessaria elargiri. Quod autem in eos temporalium transtulerunt aliquale dominium, hoc in principio ex voluntate conferentium dependebat: & post quantum ad aliquas res temporales ex iure humano summorum pontificum & generalium conciliorum extitit institutum. Et ita clerici quicquid possident, iure humano possident: quia Deus nec in speciali nec in communi dedit vnum denarium clericis, licet ordinauerit quod fideles eis debeant necessaria ministrare. Est tamen sciendum, quod sicut dicit Gloss. *dist. 8. cap. quo iure,* Ius diuinum quandoq; sumitur pro iure canonico: & sic concedendum est, quod aliquid possidetur à clericis iure diuino: sed sic modo non loquimur in iure diuino, quo etiam Pagani possederint, ab illo tempore iure diuino, sed humano, quarumcunq; rerum dominium, non est necesse probare, cum non appareat, quod Deus aliquid dederit eis in speciali, nisi sicut solem suum oriri facit super bonos & malos. Patet ergo quod post promulgationem euangelii & euacuationem legalium omnia noua temporalia dominia à iure humano fuerunt, & non à iure diuino; nisi sicut omnia dominia sunt à iure diuino: quia omne iustum in præceptis diuinis generalibus continetur.

Secundo ex prædictis dicunt isti impugnatores, quod quatuor errores in præmissa serie continentur. Quorum primus est, quod omne ius humanum quo temporalium dominia possidebantur, in regum legibus continetur: secundum quod reges contra publicas alias potestates & rectores alios distinguuntur. Quod enim hoc dicat, patet expresse: cum per hoc, quod ante diluuium & post diluuium in populo Israelitico non fuerunt tales reges, probare nitatur: quod illa quæ tunc habebant non possidebant iure humano, sed diuino. Sed quod hoc sit erroneum, patet aperte, quia illa sola dominia fuerunt à iure diuino, & non ab humano, quæ ex dono Dei speciali per specialem reuelationem manifeste possessa fuerunt; sicut patet de spoliis, quæ de Ægyptiis tulerunt Hebræi, & de multis aliis, de quibus in scriptura diuina fit mentio. Sed manifestum est quod Hebræi & alii multorum dominia iuste possederunt: quæ tamen ex dono Dei per specialem reuelationem manifesto minime possiderunt. Patet de Abel & Cain *Gen.* 4. Et de Abraham, qui iure emptionis possedit speluncam, in qua sepeliuit vxorem suam. Iacob etiam per laborem suum & industriam multa acquisiuit, vt patet *Gen. 17. 30. 31.* Hoc idem de Isaac, Ioseph aliisq; patribus veteris testamenti: & de paganis multis posset per scripturam diuinam copiose probari. Ergo ipsi talia possederunt iure humano: & tamen illa iura non continebantur in legibus regum. Ergo non omnia iura humana, quibus possidebantur temporalia continebantur in legibus regum. Secundus error est, quod omnia dominia, de quibus in sacra scriptura, fit mentio, fuerunt à iure diuino, & non à iure humano. Quod enim hoc intendat, patet aperte, cum per hoc probet aliqua possideri iure diuino, quia ius diuinum in scripturis sacris habemus, & in scripturis sacris habemus, quod aliqua possidebantur. Ex quo sequitur secundum eum, quod omnia dominia, de quibus in scripturis sacris fit mentio, fuerunt à iure diuino, non ab humano. Sed quod hoc sit erroneum, patet, quia de dominio Romanorum, & aliorum multo-

rum paganorum in scriptura sacra fit mentio, & tamen eorum dominia fuerunt à iure humano, non diuino. Qualiter autem debeat auctoritas Augustini intelligi, quam iste pro se allegat, super literam apparebit. Tertius error est, quod Adam antequam Eua formaretur, habuit dominium rerum temporalium, quod est proprietas, siue proprium. De isto errore dictum est supra *cap. 26. & 27. & 28.* Quartus error est, quod Adam antequam filios procrearet, habuit proprium dominium panis, quo vescebatur. Hoc probabiliter putant isti erroneum: quamuis hoc sufficienter nesciant demonstrare. Probabiliter tamen hoc tenent pro eo, quod non apparet ratio, quæ potuisset mouere Adam ad appropriandũ sibi panem, quo vescebatur, quo ad dominium: cum raro vel nunquam inter virum & vxorem, inter quos est sæpe minor dilectio & concordia, quam fuerit inter Adam & Euam, talis appropriatio panis quo ad dominium fiat: & ita non videtur, ꝙ Adam appropriauerit panem quo vescebatur, quo ad dominium, Euam ab eodem dominio excludendo. Tertio discurrendo per litteram ad singulas auctoritates inductas respondent.

(*Quinimo iure diuino*) Concedi potest sub vno sensu: quod omne dominium, iure diuino extitit introductum illo modo loquendo, quo dicit Apostolus Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* Sic nullum est dominium, nisi aliquomodo à iure diuino: quia à Deo est omne dominium. Sed sic non loquitur iste, cum distinguit inter dominia, quæ sunt à iure diuino, & quæ sunt à iure humano. Et ideo, quemadmodum dictum est, illud dominium dicitur hic esse à iure diuino, quod ex dono Dei per specialem reuelationem manifeste diuinam possidetur. Et sic non omnia dominia sunt à iure diuino. (*Non humano fuerit dominium introductum*) Ista negatiua est in omni sensu falsa, sicut probatum est supra: quia dominium proprium iure humano extitit primitus introductum. Vnde qui tenet doctrinam Thomæ, quid ipse dicat, aduertat. Ait enim, secunda secundæ quæstione 44. Ar. 2. *Secundum ius naturale non est distinctio possessionum, sed secundum humanum conditum, quod pertinet ad ius positiuum, vt supra dictum est. Vnde proprietas possessionum non est contra ius naturale, sed iuri naturali superadditur per inuentionem rationis humanæ.* Ergo secundum istum proprietas dominiorum per inuentionem rationis humanæ extitit introducta. *Ius enim diuinum est quod in scripturis diuinis habemus*) Non tamen omne ius, de quo in scripturis diuinis fit mentio, est ius diuinum: nisi sicut omnia iura diuina sunt, quia omne iustum est à Deo immediate vel mediate. *(Vt legitur 8. dist. c. quo iure)* His ita respondetur: licet in lege & euangelio ius naturale continetur, non tamen quæcunq; in lege & euangelio continentur, naturali iuri cohærere probantur. *(Et humanum ius, quod in legibus regum)* Istud fuit verum pro tempore Augustini, pro quo ipse contra hæreticos sui temporis loquebatur: quia pro tempore illo cunctæ nationes regibus subiectæ fuerunt à nomine regum Imperatores nullatenus excludendo. Et ideo illo tempore omnia dominia temporalia iure Imperatorum vel regum possidebantur: sed pro multis aliis temporibus non habuit veritatem, nisi extendendo nomen regum ad omnes, qui super alios aliquam obtinent potestatem. Quod tamen forte in prima rerum diuisione non habuit veritatem: quia forte Cain & Abel absque auctoritate prioris, propria auctoritate inter se res aliquas diuiserunt, quemadmodum Abraham & Loth propria auctoritate, vt habetur *Gen. 13.* regiones inter se diuisisse videntur. Quod enim sic accipiendo stricte nomen *Regum*, humanum ius non semper fuerit in legibus regũ, claret aperte: quia vnusquisq; populus & ciuitas, vt habetur in *decretis dist. 1.* potest sibi ius proprium constituere. E. absq; regibus possunt populi & ciuitates ac aliæ communitates sibi iura humana constituere, ꝙ constat multos populos & ciuitates fecisse. Vnde & Romani aliquando regibus caruerunt; & tamen humanis legibus vtebantur: & etiã leges tunc fecerunt humanas: & tunc eorũ legibꝰ aliqua possidebantur. *(In scripturis autem diuinis habemus, ꝙ antequã leges regũ, imo etiã anteq̃ reges essent, res aliqua alicuius erat)* Istud habet veritatẽ: quia ante tempora regũ possidebantur aliq̃ res iure diuino, & aliq̃ iure humano, q̃uis nõ iure regũ. *(E. iure diuino aliquis dicere poterat aliquid suũ esse)* hoc est concedendũ q̃uis ex antecedente præcise sumpto nõ sequatur. Sed ex illa affirmatiua non sequitur ista negatiua: nihil tunc possidebatur iure humano. *(Maior patet &c.)* Ex maiore, cũ vtraq; sit affirmatiua; non sequitur hæc negatiua: ꝙ ante reges non fuit dominiũ introductũ iure humano: nec etiã ex vi formæ arguẽdi sequitur hæc affirmatiua: ante reges poterat aliquis dicere aliquid esse suum iure diuino: quia præmissæ non disponuntur in modo & figura, nec in aliqua forma debita arguendi: sicut exercitatis in principiis Dialecticis claret aperte. Quia tamẽ conclusio, quam vocaliter explicat, bene intellecta est vera, non oportet defectũ argumenti exponere. *(Solus scil. Adã dominiũ habuit.)* Quãuis solus ante formationẽ Euæ habuisset dominiũ, non tamẽ ꝓpter hoc fuisset ꝓpriũ: sicut si omnes monachi alicuius monasterii morerentur ꝑter vnũ, ipse solus tunc haberet dominiũ bonorũ monasterii: & tamen illud dominiũ non esset ꝓpriũ, sed commune, hoc est cõmunicandũ: nec ipse tunc esset proprietarius, sicut dictum est supra *cap. 27.* cum communio plures requirere dignoscatur, nisi à casu accidat impedimentum. Quod autem tunc formata Eua non esset, hoc dictum est supra *cap. 27.*) *Constituisti hominem vt dominaretur creatura tua &c.*) Ibi accipitur *homo* tam pro masculo quam pro fœmina: & ita ex illa auctoritate concludi non potest, quod Adam ante formationem Euæ habuit dominium temporalium: & licet habuisset tunc dominium, tamen non habuisset tunc dominium, quod est proprietas.) *Et hoc expresse dicit Damascenus*) Ad hoc dictum est capitulo 27.) *quod post lapsum primorum parentum ante diluuium & antequam essent reges potuit aliquis dicere hoc est meum*) hoc est concedendum: sed ex hoc non sequitur, quod illud dominium non erat introductũ iure humano, licet sequatur, quod introductũ iure regũ: nec appellans dicit, ꝙ dominiũ erat primo introductum iure regum, sed quod erat introductum iure humano. Multa a. fece-

runt

sunt iura humana, quæ non fuerunt iura regum. (*Vesceris pane tuo*) iste panis fuit Adæ quo ad vsum & quo ad dominium commune aliquo modo; licet non quo ad dominium proprium sibi. (*Obtulit de primogenitis gregis sui*) Iste grex erat suus iure humano; licet non iure regum. (*Quod post diluuium sine iure regum potuerit aliquis dicere suum*) Hoc concedendum est: quia tunc etiam iure humano poterat aliquis dicere aliquid esse suum. (*Noe vineam plantauit: illa vinea erat Noe*) Licet forte non propria sibi sine iure regum, & forte sine iure humano: cum hoc tamen stat, quod prima dominiorum diuisio fuit facta voluntate humana. (*Semini tuo dabo terram hanc*) Ex quo sequitur euidenter, quod dominium aliquarum rerum temporalium iure Diuino absq; iure humano extitit introductum, sed illud non erat primum dominium proprium. (*Tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has*) Ad istam auctoritatem respondetur, sicut ad priorem. (*Vniuscuiusq; quod in præda rapuerat suum erat*) Ex hoc bene sequitur, quod illa dominia non erant per iura regum. (*Ego dedi vobis in possessionem quam diuidetis vobis forte*) Sicut in præcedente concedendum est, quod illa dominia non erant per iura regum. (*Dent Leuitis de possessionibus suis*) Conceditur, quod illæ possessiones non possidebantur legibus regum: cum hoc tamen stat, quod prima dominiorum diuisio iure humano extitit introducta. (*Ex quibus omnibus patet, quod in scripturis sacris habemus quod aliquis & in statu innocentiæ & post lapsum primorum parentum: & post diluuium dicere poterat sine iure regum aliquid esse suum*) Ista conclusio habet sensum verum, quia in statu innocentiæ poterat Adam dicere, sine iure regum aliquid esse suum, quo ad potestatem vtendi, & quo ad dominium. Post peccatum vero primorum parentum sine iure regum poterat aliquis dicere aliquid esse suum quo ad vsum & quo ad dominium aliquo modo commune, scilicet tam Adam quam Eua. Alius vero sine iure regum poterat dicere aliquid esse suum quo ad dominium proprium iure humano introductū. Post diluuiū aliqui poterant sine iure regum dicere res aliquas esse suas iure diuino: & aliqui poterant dicere res aliquas esse suas iure humano, & tamen sine iure regum. Et ita patet, quod ista conclusio in nihilo assertioni derogat appellantis: quia ipse non intendit, quod omnis dominiorum diuisio fuit introducta iure regum, vt reges contra potestas alias distinguuntur. Sed intendit, quod prima dominiorum diuisio fuit introducta iure humano siue iure regum sic nomine sumpto. Postea vero aliqua dominia iure diuino introducta fuerunt. Tempore vero Beati Augustini omnia dominia fuerunt à iure regum comprehendendo Imperatores sub nomine regum. Et tunc omnes regiones regibus subiectæ fuerunt. Et ita si iste sciret dominia & tempora distinguere, posset concordare scripturas. (*Quod de iure Diuino sint dominia aliqua probatur 23. q. 7. c. 1.*) Dictum capitulum hic male allegatur. Verba enim dicti capituli, ex quibus posset accipi assertio supradicta, sunt hæc: *Quamuis res quæcunq; terrena non ratione à quoquam possideri possit, nisi vel iure diuino, quo cuncta iustorum sunt: vel iure humano, quod in potestate est regum.* In his autem verbis non habetur, quod aliqua dominia sint iure Diuino: quia tunc secundum verba prædicta cuncta essent iustorum, quo ad dominium, quod tamen falsum est, quia si cuncta essent iustorum, quoad dominium, alii non haberent in his iustum dominium: quod falsum est. Non ergo intendit Augustinus, quod iure Diuinò cuncta sint iustorum quo ad dominium: sed intendit quod iure Diuino cuncta sunt iustorum, quo ad dignitatem habendi. Hoc est, iusti digni sunt omnibus: impii nullis rebus sunt digni, licet multarum rerum habeant verum & iustum dominium, quo tamen iusto dominio sunt indigni.

CAP. LXXXIX.

Adhuc quod nullo iure humano, sed solum Diuino dominium temporalium rerum potuerit hominibus dari, patet. Constat enim quod rem aliquam aliquis dare non potest, nisi cuius est, vel alius eius voluntate. Nec est dubium, quin Deus omnium temporalium, vel iure creationis (quia illa è nihilo creauit) vel iure factionis, quia de sua materia illa fecerat, dominus esset. Ergo nullus rex de illarum dominio, nisi de voluntate Dei, potuit ordinare. Vnde patet, quod neq; iure naturali primæuo, si ponatur pro illo iure, quod omnibus animantibus est commune, cum illud ius nihil statuat, sed inclinat, seu dirigat ad alia omnibus animantibus communia facienda. Nec iure gentium, nec iure regum seu Imperatorum fuit dominium temporalium rerum introductum: sed per dominium, qui erat & earum rerum dominus, fuit collatum primis parentibus, vt patet Genes. 1. Quarum rerum Adam quamdiu solus fuit, id est, antequam Eua formaretur, solus, vt videtur, Dominus extitit, vt superius est ostensum.

In parte ista ostendit, quod rerum dominium temporalium nullo iure humano potuit dari hominibus, sed iure Diuino tantum modo. Et est ratio talis: Deus est Dominus omnium rerum: ergo solus Deus vel aliquis de voluntate eius potuit dominium temporalium dare hominibus.

Sed isti impugnatores dicunt, quod iste hic cauillose procedit, & in nihilo tangit mentem appellantis: quia non intendit appellans, quod dominium temporale commune primo fuit à iure humano, sed intendit quod prima dominiorum diuisio est à iure humano. Ratio autem istius procedit de dominio communi primo dato hominibus, & ita nullatenus est contra appellantem.

(*Solum Diuino, scilicet iure dominium temporalium rerum potuerit hominibus dari*) Istud non habet veritatem de omni dominio: quia tunc modo nullus posset licite transferre dominium alicuius rei in alium, nisi sibi Deus reuelaret, quod hoc sibi placeret, quod est erroneum. Si ergo habet veritatem de dominio primo dato hominibus debet intelligi: sed illud dominium fuit commune, non proprium. (*Constat enim quod rem aliquam aliquis dare non potest, nisi cuius est.*)

Hoc verum est, quando vnus solus est dominus rei: sed quando plures sunt domini, licet vnus principalis, & alius minus principalis seu secundarius, non est verum. Et ideo quando solus Deus erat rerum temporalium Dominus, nullus potuit eas dare hominibus, nisi Deus vel voluntate Dei: sed postquam homines primi effecti fuerunt aliquo modo domini in communi temporalium rerũ, potuerunt post peccatum illas res dare & inter se diuidere. Et ita prima collatio temporalium facta hominibus fuit à solo Deo: sed diuisio earundem quo ad dominia fuit à iure humano. (*Vel alium eius voluntate*) hic innuit, quod aliquis potest dare rem, cuius non habet dominium. Ex quo sequitur, quod aliquis potest dare pecuniam, cuius non habet dominium: & per consequens potest vti pecunia, cuius non habet dominium: quod alibi negat. (*Ergo nullus rex de illarum dominio nisi de voluntate Dei potuit ordinare.*) Verum est, quod omnia fiunt de voluntate Dei iubente vel permittente: sed nõ est ad propositum. (*Nec iure gentium nec iure regum, seu Imperatorum fuit dominium rerum temporalium introductum.*) Istud verum de communi dominio, quod datum fuit omnibus in primis parentibus: de dominiis propriis non est verum, nec sequitur nisi sophistice ex præmissis. (*Solus, vt videtur, Dominus existit*) Hoc non probat sufficienter. (*Vt superius est ostensum*) sed sophistice.

CAP. XC.

Verum est tamen, quod de iure gentium multi modi acquirendi dominium, & nonnulli per iura ciuilia seu Imperialia fuerunt introducti. Item, modus agendi pro istis rebus temporalibus in iudicio, id est, forma certa proponendi ius suum in iudicio, fuit per iura ciuilia introductus.

In parte ista ostenditur, quid per ius humanum circa rerum dominium est introductum: dicens, quod modi acquirendi dominium, & modus agendi pro temporalibus in iudicio humano inducti fuerunt.

Omnia quæ hic dicuntur, sunt pure affirmatiua, & purè affirmatiuè intellecta continent veritatem: licet si intelligentur negatiue, essent erronea iudicanda. Ideo isti impugnatores ista hoc nequaquam repugnant.

(*Multi modi acquirendi dominium: & nonnulli per iura ciuilia seu Imperialia fuerunt inducti.*) Ex hoc patet, quod ius ciuile aliud quam formulas agendi in iudicio introduxit: cuius oppositum iste dicet in parte sequenti: cum extra iudicium multis modis per ius ciuile inductis rerum acquiratur dominium. Nam per vsucapionem & præscriptionem per ius ciuile inductas ante omne iudicium acquiritur dominium temporalium rerum: & ita iste sibiipsi contradicit aperte.

CAP. XCI.

Ex prædictis itaq; patet, quod non obstat capitulum Quo iure, *in contrarium allegatum. Loquitur enim de iure agendi in iudicio, cuius formulas ciuile ius, & non aliud introduxit. Et hoc voluit dicere Augustinus in cap.* Quo iure, *quando dixit, Tolle iura Imperatorum: & quis debet dicere: hæc villa mea est: meus est iste seruus: mea est hæc domus? quasi diceret, nullus potest in iudicio proponere hæc, nisi per Imperatoria iura: quod ius actionum formulas introduxit. Vel potest dici, quod hoc dicebat Augustinus cum hæreticis disputando, non quod hoc pro veritate teneret, scilicet quod dominium de iure Diuino non esset. Et quod ita sit, patet. Quia* 22. quæst. 7. cap. 1. *ipse idem Augustinus contrarium dixit expresse, vbi sic dicit: Quamuis res quæcunque terrena non rectè à quocunq; possideri possit, nisi vel iure Diuino, quo cuncta iustorum sunt: vel iure humano, quod in potestate est regum terræ &c.*

In ista parte respondet ad auctoritates pro assertione contraria allegatas. Et primo ad primã. Secundo ad secundam in parte immediate sequenti: *Item, non obstat.* Prima potest diuidi in duas, secundum quod duas responsiones ponit. Secunda ibi: *Vel potest dici.* Est autem prima responsio hæc: quod Augustinus loquitur de iure agendi, cuius formulas ius ciuile, & non aliud introduxit. Secunda est, quod Augustinus loquitur tantummodo disputando, & non secundum intentionem.

Sed isti impugnatores dicunt, quod iste dupliciter errat. Primo in hoc, quod dicit ius ciuile formulas actionum, & non aliud induxisse. Secundo in hoc, quod dicit Augustinum prædicta verba non dixisse tanquam vera. Quod enim primum sit erroneum, manifeste ostenditur. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod ius ciuile, vt notat Glossa *di. 1. & ius ciuile,* multipliciter accipitur: quia quandoq; dicitur *ius ciuile,* illud ius, quod non est naturale, vel ius gentium: sed hoc modo ius canonicum dicitur ius ciuile. Secundo modo dicitur *ius ciuile,* omne illud quod non est ius canonicum. Tertio modo *ius ciuile,* dicitur ius 12. tabularum. Quarto modo dicitur *ius ciuile,* ad differentiam iuris prætorii. Licet autem accipitur ius ciuile pro iure humano, quod non est canonicum, quamuis appellans, si diceret dominium esse à iure ciuili, acciperet magis large ius ciuile, scilicet pro iure humano. Sic ergo accipiendo ius ciuile, scilicet pro iure humano, quamuis non sit canonicum, erroneum est dicere, quod ius ciuile nihil nisi formulas actionum induxit: quod scripturæ Diuinæ contradicit aperte. Nam primo Regum cap. 30. sic habetur: *Æqua enim pars erit descendentis ad prælium & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident. Et factum est hoc ex illa die: & deinceps constitutum est & præfinitum, & quasi lex in Israel vsq; ad diem hanc.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod per illius prædictum constitutum à Dauid remanentibus ad sarcinas portio prædæ extitit acquisita. Ergo non tantum formulæ actionum, sed etiam rerum diuisio per ius ciuile, quod Dauid rex constituit, fuit indu-

inducta. Item, Gen. 47. sic scribitur: *Ex eo enim tempore vsq; in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absq; terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod per legem institutam ex ordinatione & sapientia Ioseph Regibus Ægypti quinta pars acquirebatur. Ergo lex illa non tantum formulas actionum, sed etiam dominium quintæ partis induxit. Quod rerum dominia etiam extra iudicium iure humano acquirantur, testatur expresse Isidorus: qui, vt habetur in decretis dist. 1. ait: *Ius gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia.* Ex quibus verbis habetur, quod iure gentiū non solum formulæ actionū, sed etiam sedium occupationes, seruitutes & postliminia sunt inducta. Item, vt ibidem habetur, idem Isidorus ait: *Ius militare est belli inferendi solemnitas.* Et infra: *Item, prædæ diuisio & pro personarum laboribus & qualitatibus iusta diuisio, ac principis portio.* Ergo iure militari, quod est ius humanum, non tantum formulæ actionum, sed etiam prædæ diuisio & portio principis sunt inductæ. Item, sicut dictum est supra, vsucapiones & præscriptiones per iura ciuilia sunt inductæ. Sed per vsucapiones, & præscriptiones rerum dominia acquiruntur. Ergo per iura ciuilia aliud quam formulæ actionum inducitur. Secundo dicunt, quod errat, cum dicit Augustinum dixisse verba prædicta non quod ea pro veritate teneret, sed tantum modo cum hæreticis disputando: Nam si Augustinus dixit illa verba cum hæreticis disputando: aut accipit ipsa tanquam falsa simpliciter, aut tanquam vera, aut tanquam falsa tamen ab eis concessa, aut tanquam dubia. Si accepit ipsa contra hæreticos tanquam falsa simpliciter, per ipsa non potuit eos conuincere: & ita inaniter laborauit. Si accepit ea tanquam vera, habetur intentum: quod dicat ea tanquam tenens ipsa pro veris. Si accepit ea tanquam falsa, tamen concessa ab hæreticis, hoc est omnino falsum: quia hæretici contra quos disputauit Augustinus, ipsa non reputauerunt vera, cum ipsi dixerunt, vt recitat Augustinus ibidem: *Quid nobis & Imperatori?* quasi dicerent, res nostras ab Imperatoribus non tenemus: Ergo ipsi illa verba minime concedebant. Nec accepit ea Augustinus tanquam dubia: quia tunc per ipsa hæreticos minime conuicisset, sed inaniter laborasset, & ita Augustinus verba prædicta tanquam vera, cum ipsa acceperit, non tanquam dicta ab aliis recitando, sed simpliciter asserendo.

(Loquitur enim de iure agendi in iudicio.) Verum est, quod loquitur de iure agendi, cum dicit, *Quo iure defendis villas Ecclesiæ?* Et etiam loquitur de iure possidendi, cum dicit, *vnde quisque possidet quod possidet: nonne iure humano? (Cuius formulas ius ciuile, & non aliud introduxit.)* Affirmatiua est vera: sed negatiua est erronea, quia ius ciuile etiam rerum dominia introduxit. *(Quis audet dicere.)* Scilicet in iudicio, vel extra iudicium, quasi diceret, nullus: quia, *tolle iura Imperatoris: & quis* (ex conscientia extra iudicium) *audeat dicere hæc villa mea est?* quasi dicat, nullus potest in iudicio proponere hoc, nisi per Imperatoria iura. Ex ista negatiua sequitur alia negatiua, scilicet quod nullus potest extra iudicium veraciter dicere: Hoc est meum, quo ad dominium, nisi per iura Imperatoria. Et ita per iura Imperatoria, non tantum formulæ actionum, sed etiam vera dominia inducta fuerunt. *(Quod ius actionum introduxit.)* Ista affirmatiua est vera: & etiam ista, quod ius multarum rerum dominia introduxit. *(Non quod hoc pro veritate teneret)* Ista negatiua est falsa, sicut ostensum est. *(Quod dominium de iure diuino non esset)* Istam negatiuam Augustinus non dixit, cum hæreticis vt iste dicit, sicut expresse patet *in 1. cap. Quo iure,* sed dixit istam affirmatiuam iure Diuino: *Domini est terra* &c. Et affirmatiue dixit omnia possideri iure humano: & ista affirmatiua; omnia possidentur iure humano, vera fuit tempore Augustini. Sed ante natiuitatem Christi non semper fuit vera: quia aliquando multa possidebantur iure diuino, & non iure humano. Ista autem negatiua, dominium non est de iure Diuino, tempore Augustini habuit vnum sensum verum, & alium falsum. Si enim intelligatur, quod dominium fuerit præcise à iure humano & nullo modo, nec mediate nec immediate à iure diuino, erronea est. Si autem intelligatur, quod dominium proprium alicuius rei non est à iure Diuino, hoc est, non habetur ex speciali dono Dei per reuelationem specialem manifestato: sic est modo verum, & fuit tempore Augustini, quod dominium non est sic iure à Diuino. Aliquando autem fuit hoc falsum. *(Ipse idem Augustin. contrarium dicit expresse.)* Falsum est, quia Augustin. ibidem de dominio nullam facit mentionem. *(Non recte à quocunque possit possideri, nisi vel iure diuino.)* Signanter loquitur Augustin. cum nota possibilitatis, ne ex verbis suis aliquis concluderet, quod de facto aliqua possideantur iure Diuino, non illo modo quo omnia à quocunq; possidentur, iure Diuino possidentur, quo cuncta iustorum sunt: vnde dixit, *sunt,* & non dixit, possidentur. Si enim dixisset, quod cuncta possidentur à iustis, non esset ita apparens dictum Augustini, imo falsum. Nam omnia dicuntur esse iustorum, quia iusti digni sunt omnibus: licet non omnia possideant: nec omnia sunt iustorum quo ad dominium & proprietatem, sed quo ad dignitatem habendi. Et ita Augustin. cum dixit, *cuncta iustorum sunt,* de dominio non loquitur. *(Vel iure humano quod in potestate est regum terræ* &c.) quod tempore Augustini habuit veritatem, secundum mentem Augustini.

CAP. XCII.

ITem, non obstat 12. q. 1. c. dilectissimis, vbi dicitur sic: Communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse hominibus debuit: sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud. Et sic inter mortales facta est diuisio. Ex hoc dicit ipse, quod diuisio temporalium est facta per ius humanum, quod dicitur iniquum & contra æquitatem iuris naturalis. Dicimus quod hoc est falsum: quia per iniquitatem non intellexit ius gentium, cum sit æquum, sed intellexit peccatum primorum parentum, per quod natura corrupta fuit, & post non fuit contenta communibus, sed sibi propria voluit possidere.

Hic

Hic respondet ad secundam auctoritatem inductam pro assertione contraria, dicens quod per *iniquitatem* non intelligitur ius gentium, sed peccatum primorum parentum, postquam homines voluerunt sibi propria possidere.

Sed isti impugnatores dicunt, quod hic per propria verba conuincitur: quia si post peccatum primorum parentum homines, scil. primi parentes, vel alii, non fuerint contenti communibus, sed voluerunt sibi propria possidere: ergo per adinuentionem humanam, & per consequens iure humano est dominiorum diuisio introducta.

(*Communis vsus omnium*) Id est, potestas cuiuscunq; cum debitis circumstantiis vtendi omnibus esse debuit, scil. in statu innocentiæ: & adhuc deberet, si non esset pronitas hominum ad dissentiendum & male agendum. (*Sed per iniquitatē*) hoc Glossa *12. q. 1. c. dilectissimis*, exponit dupliciter. Vno modo sic, *per iniquitatem, id est, per consuetudinem iuris gentium æquitati naturali contrariam*. Id est, quæ consuetudo est contraria illi æquitati naturali, quæ fuisset in statu innocentiæ, & etiam illi æquitati naturali, quę debet esse inter homines in omnibus sequentibus rationem. Æquitati autem naturali, quæ est inter homines pronos ad dissentiendum & male agendum, non est contraria ista consuetudo, & ita contrarietas est secundum genus naturæ, & non est secundum genus morum: quia talis cōsuetudo non est iniqua neq; mala. Istā expositionem Glossæ secutus est appellans. Aliter exponit sic, *per iniquitatem, id est, per sollicitudinem, vt ibi: Facite amicos vobis de mammona iniquitatis, id est, quæ per sollicitudinem est quæsita*. Et ita secundum Glossam *iniquitas* accipitur pro iure gentium & pro sollicitudine: & vtroq; modo exponendo *per iniquitatem* accipitur quodammodo caussaliter, & tam ius gentium q̃ sollicitudo humana fit caussa diuisionis dominiorum factæ inter mortales. Tertio modo potest exponi, sicut iste exponit, *vt iniquitas* accipiatur ibi pro peccato primorum parentum. Et tunc *per iniquitatem* non accipitur proprie caussaliter, sed accipitur occasionaliter: quia iniquitas primorum parentū fuit occasio diuisionis dominiorū. Si enim nō peccassent, nunquā fuisset diuisio, & tamen nō fuit caussa diuisionis, sed voluntas humana sequens fuit caussa diuisionis dominiorū prima. Aliquorum autē dominiorū volūtas diuina sola fuit caussa. Et sic aliqñ alio modo facta fuit aliqñ inter mortales diuisio, scil. per specialem ordinationem diuinā speciali reuelatione manifestatam. (*Ex hoc dicit ipse q̧ diuisio temporaliū est facta per ius humanū, quod dicitur iniquum, & contra æquitatem iuris naturalis.*) Hic appellanti falsum imponit, quia nunquam dicit, ius humanum esse iniquum: licet dicat, q̧ est æquitati naturali contrarium. Sed quomodo hoc debeat intelligi, patet ex prædictis. (*Quia per iniquitatē non intellexit ius gentium.*) Hoc contradicit Glossæ prędictæ. (*Cum sit æquum.*) Proprie loquēdo verum est, quod est æquum. Et tamen aliter accipiendo vocabulū, & forte improprie, potest vocari aliquo modo iniquitas, & dici quod non est æquum. Sic enim loquitur Glossa *di. 1. ius generale*, dicens: *Quandoq; tamen est aliquod ius, quod non est æquum, nec iustum: vt si alicuius vxor adultera* &c. Et imprudenter inducitur quandoq; rigor contra naturalem æquitatem. Qualiter autem verba hæc possunt intelligi, patere potest ex prædictis. (*Sed intellexit peccatum primorum parentum.*) Conceditur, quod sic potest intelligi: cum hoc tamen stat, quod etiam aliter possit intelligi. (*Post non fuit contenta communibus, sed sibi propria voluit possidere.*) Hic, sicut dictum est, clare concedit, quod per voluntatem humanam facta est dominiorum diuisio, & ita sibiipsi contrarius inuenitur.

Cap. XCIII.

Secundo quæritur, vtrum Christus alicuius rei temporalis dominium habuerit & quale. Quod autem dominium rerum temporalium habuerit, sacra Scriptura, tam in Testamento Veteri quam in Nouo in multis locis testatur. Multi quidem Prophetæ eum regem populi Israelitici, & per consequēs habere regni dominium prophetauerunt. Esaias quidē de eo prophetizauit, Esa. 33. sic dicens: Ecce Dominus iudex noster, Dominus legifer, Dominus rex: ipse veniet & saluabit nos. *Et per os Hieremiæ Prophetæ, Dominus Hieremiæ 23. ita dicit:* Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit. *Et sequitur:* Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. *Iste enim est lapis abscissus de monte sine manibus, cui Deus cœli dedit regnum, quod in æternum non dissipabitur, vt habetur Daniel. 2. Item, Zachariæ 9. de eo dicitur sic:* Exulta satis filia Hierusalem, iubila filia Hierusalem. Ecce rex tuus veniet, iustus & Saluator ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. *De hoc Dauid in multis locis prophetauit. Vnde in quodam loco in persona eius sic dicit:* Ecce constitutus sum rex ab eo super Sion *&c. eumq; futurum in multis aliis locis prophetauit. Vnde totus ille Psalmus,* Eructauit, *loquitur de rege isto & sponsa eius, scil. Ecclesia. Et multi alii Psalmi loquuntur de rege huiusmodi satis clare. De hoc etiam Salomon Canticorum 3. sic dixit:* Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem *&c. De hoc etiam antequam conciperetur, Gabriel Archangelus, vt legitur Lucæ 1. dixit:* Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit *&c. Item, & eo nato Angelus ad pastores Lucæ 2. dixit:* Natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, *id est, Rex & Dominus. Huic etiam nato illi tres Magi Euangelici Matth. 2. perhibuerunt testimonium, sic dicentes:* Vbi est qui natus est Rex Iudæorum. *Item, ille Nathanael verus Israelita, in quo dolus non erat, dixit ei Iohan. 1.* Rabbi tu es filius Dei: tu es Rex Israel. *Pilatus quoq; in superscriptione scripsit:* Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. *Et reclamantes,* Noli scribere Rex Iudæorum: sed quia dixit se regem Iudęorum *audire noluit, sed respondit*, quod scripsi scripsi. *Hoc etiam Saluator noster confessus fuit, Iohan. 18. Cum enim Pilatus interrogaret eum, vtrum esset Rex Iudæorum, respondit ei:* Regnum meum non est de hoc mundo. *Ex quo Pilatus concludens dixit:* ergo Rex es tu. *Iesus vero respondit:* Regnum meum non est hinc: *non dixit, non est hic: sed dixit,*

dixit, non est hinc, *quasi diceret, regnum meum à mundo non habeo, sicut nec habebat, imò à Deo, sicut Angelus genitrici prædixerat, dicens Lucæ prim.* Dabit ei Dominus sedem Dauid *&c. Etiam hoc Beatus Petrus Actuum secund. expresse testatur, dicens:* Certissime sciat omnis domus Israel: quia & Dominum eum Christum fecit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis. *In quibus verbis satis clare Petrus concludit duo de Domino nostro Iesu: videlicet quod regnum suum à mundo non habuerit, sed à Deo, ex eo quod dicit, quod Iesum fecit Dominus Christum. Per Christum enim regem intelligimus: quia* Christus *interpretatur* vnctus. *Et quia reges inungi consueuerunt, per Christum intelligimus regem. Vnde Rabanus ibidem:* Manifeste Petrus ex hoc verbo regnum Christi non terrenum, sed cœleste ostendit esse. *Item, concludit Petrus ex verbis prædictis, quod Christus inquantum homo subsistens in diuino supposito fuerit Dominus & rex factus. Constat enim quod inquantum erat Deus, crucifixus non fuit, sed inquantum homo. Et ideo cum rex & Dominus fuerat factus inquantum crucifixus: & crucifixus fuit inquantum homo: sequitur quod & regnum & dominium tanquam homini Deus ei concessit. Hoc etiam supponit Angelus eo nato pastoribus, dicens:* Hodie natus est Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid, *id est, Rex & Dominus. Vbi aduertendum, quod illud, quod Gabriel Archangelus Christo nondum nato dixerat de futuro, dicens Mariæ;* Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius *&c. Angelus iste eo nato dixit pastoribus per verba de præsenti dicens:* Hodie natus est Saluator, qui est Christus Dominus. *Hoc Augustin. in libro de Concordia Euangelistarum, in proœmio expresse testatur dicens:* Dominus Iesus Christus vnus verus rex & vnus verus sacerdos est. *Et paulò pòst dicit sic:* Secundum hominem quippe Christus & rex & sacerdos effectus est, cui dedit Deus sedem Dauid patris sui, & regni eius non erit finis. *Item, quod Saluator fuerit Dominus omnium temporalium videtur. De eo enim dicitur Esaiæ decim. sext.* Emitte agnum Domine dominatorem *&c. Item Micheæ quinto de eodem dicitur sic:* Et tu Bethlehem Effrata paruulus es in millibus Iuda. Ex te enim egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. *Malachiæ vero tert. de eo dicitur sic:* Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis. *Item, Iohannis decim. tert. ipsa veritas dixit:* Vos vocatis me magister *&c. Item Matthæi vigesim. prim. dicit discipulis:* Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea: soluite & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. *Hoc quoque Beatus Iohan. Apocalypsis decim. non. cap. testatur, dicens:* habet scriptum in vestimento suo, rex regum & Dominus dominantium. *Hoc insuper Apostoli in suo Symbolo confitentur dicentes:* Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum qui conceptus est. *Hoc etiam sancti patres in Symbolo, quod cantatur in Missa, protestantur expresse ibi:* Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum *&c. Præmissa autem, scilicet regnum & vniuersale dominium, habuit Iesus inquantum Deus ab æterno, eo ipso quia Deus pater genuit eum, & inquantum homo ex tempore; scilicet ab instanti conceptionis suæ ex Dei datione, vt patet ex prædictis.*

Postquam in parte præcedenti disseruit, quo iure sit rerum dominium introductum: hic ad quæstionem principalem accedit, inquirens, an Christus & Apostoli alicuius rei temporalis habuerunt dominium. Et diuiditur in duas partes: quia primo tractat prædictam materiam de Christo. Secundo de Apostolis, ibi; *Nunc autem de Apostolis videndum.* Prima diuiditur in duas: quia primo ostendit, quod Christus inquantum homo habuit regnum & vniuersale dominium rerum temporalium. Secundo ostendit, quomodo hoc non obstante Christus fuit pauper. Secunda ibi; *sed dicit iste hæreticus.* Prima in tres: quia primo ostendit, quod Christus ab instanti suæ conceptionis habuit regnum & vniuersale dominium omnium temporalium ex Dei datione.

Secundo ostendit, quod non ab instanti suæ conceptionis, sed postea quarundam rerum per alios modos acquisiuit dominium.

Tertio ostendit, quod Christus regno & vniuersali dominio nunquam renunciauit. Secunda ibi; *Et nihilominus habuit dominium.* Tertia ibi; *Et si velit dicere.* Prima posset diuidi in tres partes: quia primo ostendit per 15. auctoritates, quod Christus inquantum homo fuit rex in temporalibus. Secundo ostendit per octo auctoritates, quod Christus inquantum homo fuit Dominus omnium temporalium, ibi: *Item, quod Saluator fuerit Dominus omnium.* Tertio determinat, quando Christus habuit regnum & dominium omnium ibi: *præmissa autem.* Primo autem quærit quæstionem, Secundo determinat ostendemus, quod Christus habuit dominium omnium temporalium, quod fuit rex, quod per 15. auctoritates ostendit.

Sed isti impugnatores dicunt hic contineri duas hæreses manifestas. Quarum prima est, quod Christus inquantum viator, fuit rex in temporalibus. Secunda est, quod Christus inquantum homo viator ab instanti conceptionis suæ fuit Dominus temporalium omnium. Vt autem apertius conuincant hæreses supradictas, sic procedunt. Primo æquiuocationes istorum nominum *rex* & *Dominus* declarare nituntur. Secundo circa prædicta quam suam reputant, explicant veritatem. Tertio duas assertiones prædictas hæresim sapere manifestam probare conantur.

Circa primum dicunt, quod hoc nomen *rex*, cum dicatur à regendo, secundum varios modos regiminis, potest aliquis rex modis variis appellari. Vnde vt de diuino regimine, & angelorum, & etiam de regimine quale inuenitur in rebus irrationabilibus taceatur: Inter homines præter modos alios, triplex regimen reperitur. Vnum est, quo aliquos alios regit temporaliter, quantum, scilicet ad temporalia & actiones quæ temporalia dignoscuntur respicere:

&

& isto modo largissime accepto nomine Regis, Imperatores, Reges, Duces, Comites, & Barones & Patresfamilias possent vocari reges. Vnde & nonnunquam vulgariter dicitur, quod *quilibet Paterfamilias est rex in domo sua.* Secundum tamen modum communem loquendi illi soli ab isto modo regendi appellantur reges, qui supremum modum regendi huiusmodi obtinere noscuntur. In quo tamen modo aliqui possunt esse gradus, & sic Reges à Ducibus, Baronibus, & aliis Potestatibus secularibus distinguuntur. Aliud est regimen spirituale, quo quis alios circa spiritualia regit. Et isto modo Papa & quilibet prælatus potest rex vocari. Si enim, sicut post patebit, qui motus & passiones suas sensuales per rationem regit, rex poterit appellari: multo magis qui alios circa spiritualia regit, regis nomen poterit obtinere. Aliud est regimen, quo quis seipsum, ac motus & actus suos ratione recta regit. Et ab isto regimine quilibet rationabiliter viuens poterit rex nuncupari. Vnde & propter hoc Beatus Remigius omnes Christi electos asserit esse reges.

Exponens enim illa verba Apocalypsis prim. *Fecit nos regnum & sacerdotes Deo patri suo*, ait: *Per hanc sententiam omnes sacerdotes demonstrantur, qui supra reges fuerant appellati.* Quia enim caput Dei filius rex & sacerdos, congruenter & membra capitis reges & sacerdotes vocantur, quibus per Petrum dicitur: *Vos estis genus electum regale sacerdotium. Ipsi enim sunt reges, ipsi & sacerdotes & sacrificium, & altare. Quia & tumultus carnalium voluptatum contra se insurgentes, vt reges, refrenant, sacrificium laudis & mortificationis Deo imolant, corpusque suum à præsentis seculi cupiditatibus mortificant, vt hostia viua fiant. Ipse itaque vnigenitus prius rex & sacerdos, fecit nos suos electos & sacerdotes, quos reges terræ constituit, & ipso tempore sacerdotes monstrantur.* Ex his clare monstratur, quod aliquis à regendo proprias cupiditates & motus sensuales poterit rex vocari, & ita in scripturis hoc nomen rex variis modis accipitur.

Secundo dicunt, quod hoc nomen *Dominus* æquiuoce in scripturis accipitur. Vno enim modo dicitur aliquis Dominus, propter aliquam potestatem, quam noscitur obtinere. Et iste modus in multis diuiditur, de quibus dictum est *supra 2. cap.* Alio modo dicitur aliquis Dominus propter prærogatiuam sanctitatis, virtutis, vel sapientiæ, aut diuitiarum, vel alicuius alterius excellentiæ. Sic enim diuites & potentes, ac domini magni, sacerdotes & religiosos, ac alios multos, sæpennumero *Dominos* appellant: propter prærogatiuam sanctitatis, religionis, aut ordinis, vel sapientiæ, & alicuius excellentiæ, quam in eis considerant, vel in eis reputant præeminere. Sic etiam multi diuites vocant aliquos Dominos, quibus tamen non reputant se subiectos. Et iste modus loquendi non solum in vulgari locutione, sed in scripturis Diuinis habetur. Abdias enim, vt supra habetur 3. Regum decim. septim. dixit Heliæ Prophetæ: *Nunquid indicatum est tibi à Domino meo quid fecerit?* Vbi Abdias Heliam dominum suum vocauit propter prærogatiuam prophetiæ & sanctitatis, quam sciunt in ipso. Sic mulier Sunamitis, quæ Elisæo fecerat cœnaculum, propter prærogatiuam sanctitatis dominum appellauit, vt habetur 4. Regum quatt. cap. dicens: *Noli quæso Domine mi vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ.* Et post: *Nunquam petiui filium à Domino meo.* Et ita hæc mulier Elisæum Dominum appellauit, cui tamen temporaliter subiecta non fuit.

Secundo principaliter isti impugnatores circa paupertatem Christi suam, quam reputant, exprimunt veritatem, dicentes, quod Christus inquantum Deus fuit rex omnium, sicut & pater rex est omnium: & eodem regimine, quo pater omnia regit. Secundo dicunt, quod Christus inquantum homo mortalis, non erat rex à regendo temporaliter, & secundum quod aliquis dicitur rex, propter supremum modum regendi temporaliter alios: licet fuerit rex temporaliter à regendo aliquo modo temporaliter Apostolos, qui cum eo quasi conuersabantur continue.

Tertio dicunt, quod Christus fuit rex à spirituali regimine: quia ad hoc venit in mundum, vt scilicet fideles sibi credentes quantum ad spiritualia gubernaret.

Quarto dicunt, quod Christus inquantum Deus, fuit Dominus omnium, sicut Deus pater est Deus omnium.

Quinto dicunt, quod Christus inquantum homo mortalis, non erat Dominus omnium temporalium dominio proprio sibi, licet fuisset Dominus omnium dominio communi, quod secundum multos datum fuit à Deo toti generi humano: & hoc si nulli licet renunciare tali dominio.

Sexto dicunt, quod licet Christus inquantum homo mortalis, nullius rei habuit dominium: quod in scripturis vocatur proprietas. Poterat tamen anthonomastice propter prærogatiuam vnionis naturæ humanæ in ipso ad diuinam, sanctitatis ac aliarum gratiarum dominus appellari. Ex his dicunt isti patere, quod iste impugnatus nominum æquiuocatione deceptus in hæreses incidit supradictas.

Tertio igitur principaliter duas assertiones prædictas sapere hæresim manifestam probare nituntur. Ad cuius euidentiam, primo explicant intentionem istius impugnati, dicentes: quod iste nõ solum intendit, quod Christus inquantum homo mortalis, fuerit rex propter regimen temporale, non propter quemcunq; modum regendi temporaliter, sed propter potestatem regendi supremo modo regendi temporaliter: ita quod non solum inquantum Deus, sed etiam inquantum homo mortalis ex officio sibi commisso pertinebat ad ipsum de temporalibus iudicare, hæreditates diuidere, leges condere seculares, homicidas, latrones & malefactores alios debitæ subdere vltioni, peregrino, pupillo, & viduæ, cum opprimerentur à potentibus, temporale exhibere auxilium, & alia quæ ad regum secularium officium pertinent, exercere. Nec etiam intendit solummodo, quod Christus fuit Domi-

Dominus omnium illo modo quo quilibet est quodammodo Dominus omnium, sicut totum genus humanum habet omnium commune dominium; sed etiam intendit, quod ita vel verius omnia erant Christi inquantum fuit homo mortalis, quo ciuitates & castra sunt alicuius regis, ita quod habuit dominium in speciali, & non solum in communi.

Hoc viso primo probant isti, quod Christus inquantum homo mortalis, non erat rex in temporalibus, à supremo modo regendi temporaliter. Secundo ostendunt, quod non fuit Dominus prædicto modo omnium rerum temporalium. Primum ostendunt primo auctoritatibus; secundo rationibus. Est autem prima auctoritas, per quam ostendunt, quod Christus non fuit prædicto modo rex, ipsius Christi dicentis Iohan. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ex quibus verbis habetur, quod regnum Christi inquantum homo, non fuit regnum temporale. Sed ad hoc respondet iste impugnatus dicens, quod Christus non intendebat negare regnum suum esse temporale & mundanum: sed intendebat dicere, quod regnum suum non habebat à mundo, sed à Deo: quia mundus non sibi reddit regnum, nec eligit eum in regem, sed Deus. Vnde, sicut patet supra, iste impugnatus hanc auctoritatem pro sua assertione adduxit, probans per eam, quod Christus fuit rex, quamuis non habuerit regnum à mundo, sed à Deo. Vnde propter hoc dixit Christus, vt dicit: *Regnum meum non est hinc*: & non dixit, *non est hic*. Ex hoc dans intelligere, quod regnum non habebat à mundo, sed à Deo. Sed dicunt isti, quod hic scripturam Diuinam aliter intelligit, quam sensus Spiritus sancti efflagitat, ad suum sensum scripturam trahens apertissime repugnantem. Nam quod Christus per verba prædicta intendebat asserere, quod non habuit regnum temporale, nec tale, qualia mundani nituntur acquirere, per seriem Euangelii etiam patet aperte. Nam, sicut in textu Euangelico constat, præcipua accusatio, quam Iudæi proponebant coram Pilato contra Christum, & per quam volebant maxime prouocare Pilatum contra Christum, imo per quam vltimo coegerunt quodammodo Pilatum dare sententiam contra Christum, fuit de regno Christi, dicentes, quod Christus se asseruit Regem Iudæorum. Vnde Lucę vigesim. tert. sic scribitur de Iudæis: *Cœperunt autem illum accusare, dicentes, hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.* Iohan. decim. non. sic habetur: *Quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Et post dixit eis Pilatus: *Regem vestrum crucifigam?* Responderunt pontifices; *Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod Iudæi principaliter accusauerunt Christum, quod regem se fecerit, loquentes de rege temporali, qualem regem Cæsar noluit sustinere, ne recognosceret regnum ab ipso. Propter quod dixerunt, *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Et per hanc accusationem vltimo coegerunt quodammodo Pilatum in necessitatem dandi sententiam mortis contra Christum, sicut patet per verba præallegata.

Sed Christus non negauit se regem, imo asseruit, & tamen accusationem Iudæorum sufficienter excludit coram Pilato, qui nullum voluit sustinere regem Iudæorum præter Cæsarem, illo modo appellando regem, quo Iudæi accusantes Christum loquebantur de rege. Ergo manifeste patet, quod Christus declarauerit coram Pilato aliter se esse regem, quam Iudæi loquebantur de rege, & quod non erat rex illo modo, quo Iudæi loquebantur de rege. Cum ergo illi intellexerint de rege temporali regnante vel temporaliter regnare volente, sequitur quod Christus dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo*: ostendit se non esse regem temporaliter, nec regnum terrenum habentem.

Hic oportet tria probare. Primum est, quod Iudæi accusantes Christum intelligebant de rege, temporaliter regnãte, vel temporaliter regnare volente. Secundum est, quod Pilatus nullum præter Cæsarem volebat esse regem Iudæorum, illo modo loquendo de rege, quomodo intelligebant Iudæi. Tertium est, quod Christus Pilato satisfecit accusationem Iudæorum sufficienter & aperte excludendo. Ex quibus patenter concluditur, quod Christus aliter loquebatur de rege & de regno, quam Iudæi: & per consequens non asseruit se regem in temporalibus, sed alio modo. Primum est, satis apertum: quia aliter per dictam accusationem Pilatum contra Christum minime prouocassent. Romani enim & nuntii eorum de his, quæ pertinebant ad legem Iudæorum, tunc temporis parum curare videbantur: Nec propter transgressionem legis aliquem dignum morte iudicabant: Vnde, sic habetur Actuum vigesim. tert. Lisias tribunus mittens beatum Paulum ad Felicem præsidem, scripsit in hæc verba: *Quem* (scilicet Paulum) *inueni accusari de quæstionibus legis eorum, nihil vero dignum morte aut vinculis habentem crimen.* Et, sicut legitur cap. vigesim. quint. Pontius Festus de Paulo loquens dixit: *De quo cum stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus suspicabar malam: quæstiones vero quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum, de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus viuere.* Et post: *Ego vero comperi nihil dignum morte eum admisisse.* Et cap. vigesim. sext. sic legitur: *Et surrexit Rex, & Præses & Bernice, & qui assistebant eis. Et cum secessissent, loquebantur ad inuicem dicentes, quia nihil morte aut vinculis dignum quid fecit homo iste.* Ex his verbis colligitur euidenter, quod Romani tunc temporis propter diuersas & aduersas assertiones legis Iudaicæ, etiam si dixissent aliqui aliquem hominem esse Deum, cum Paulus fateretur Iesum Christum esse Deum, nullum dignum morte ac vinculis reputabant. Ergo quantumcunq; Iudæi accusassent Christum Pilato, quod dixisset se esse Deum vel regem, alio modo quam temporaliter, & non in præiudicium regni temporalis Cæsaris, Pilatum contra Christum minime prouocassent, sed Pilatus eorum accusationem friuo-

lam reputasset, quia non reputaret eam contra Cæsarem, aut contra pacem publicam temporalem. Ergo Iudæi loquebantur de rege temporali.

Secundum etiam, scilicet quod Pilatus nullum præter Cæsarem esse volebat regem temporalem Iudæorum, est manifestum: quod ipse sciebat Cæsarem vendicare sibi dominium omnium regnorum, & ita nolebat aliquem esse regem Iudæorum, nec ab ipso recognoscere regnum.

Tertium, scilicet quod Christus Pilato satisfecit dictam accusationem Iudæorum sufficienter & aperte excludendo, per textum Euangelicum patenter ostenditur. Nam post dictam accusationem Iudæorum, & responsionem Christi, qua concesserat se esse regem, & quo modo esset rex expresserat. Dixit Pilatus, sicut habetur Iohan. decim. octau. *Ego nullam in eo inuenio causam.* Et cap. decim. non. dixit Pilatus: *Ecce adduco eum foras vt cognoscatis, quia eo in nullam causam inuenio.* Et post: *Accipite eum & crucifigite eum. Ego non inuenio in eo causam.* Ex quibus verbis clare patet, quod Pilatus reputabat accusationem Iudæorum per responsionem Christi sufficienter exclusam. Quia cum Iudæi Christum coram Piluto accusassent, quod ipse diceret se regem Iudæorum. Quod sine dubio ipsi de rege temporaliter regente aut volente regere intelligebant, quia aliter nullo modo fuisset in præiudicium Cæsaris. Quod tamen ipsi manifestissime prætendebant, dicentes: *Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Et cum Christus per responsionem suam insinuasset manifestissime, quod non vendicare intendebat sibi regnum temporale, quod de hoc mundo esset: sed aliud spirituale, de quo prius dictum est. Et ita clarissime demonstrasset Pilato multiplicitatem & æquiuocationem huius nominis regis: & per consequens, quod dixisset se regem longe alio modo, quam intellexerunt Iudæi in accusatione.

Et cum Pilatus vidisset, quod Iudæi probare non poterant, quod Christus dixisset se regem in præiudicium Cæsaris, ipse Pilatus accusationem eorum friuolam reputabat: quia, sicut testatur Matth. cap. vigesim. septim. *sciebat quod per inuidiam tradidissent eum.* Propter quod sic habetur ibidem: *Accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Et Marci decimo quint. sic legitur dixisse Pilatus: *Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum.* Ex quibus verbis patenter colligitur, quod Pilatus intellexit aperte, quod Iudæi accusantes Christum, quod dixerat se regem Iudæorum: & Christus concedens se regem Iudæorum, accipiebant nomen *regis* æquiuocè. Nam si Christus dixisset se regem illo modo, quo accipiebant Iudæi accusantes ipsum, Pilatus reputasset dignum morte, tanquam in iudicio confessum de crimine dignissimo morte, vsurpando scilicet regnum temporale præter Cæsaris voluntatem. Sed quæreret aliquis, vnde aduertit Pilatus, quod Christus se aliter intelligebat esse regem, quam Iudæi accusantes? Dicendum est, quod hoc aduertit ex verbis Christi, cum dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo: quia si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtiq; decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc.* Ex quibus verbis dedit intelligere, quod non habebat tale regnum, de quali accusabant Iudæi: quia si habuisset tale regnum, ministri sui decertassent pro eo, vt non traderetur Iudæis. Sed adhuc ex istis verbis non videtur Pilatus plane intellexisse, an Christus fateretur se esse regem hic vel alibi, nec quale regnum haberet: & ideo quasi admirando intulit: *Ergo rex es tu?* & quasi diceret: Ergo tu concedis te esse regem, quamuis non talem regem, sicut dicunt Iudæi. Vbi est ergo regnum tuum: & quale regnum habes? Ad istas quæstiones, quas aliquo modo videbatur cogitare Pilatus, respondit Christus declarans, vbi & quale esset regnum suum, dicens: *Tu dicis quod rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: & omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Vbi Christus primo fatetur se regem dicens: *Rex sum ego.* Secundo ostendit, vbi est regnum suum, quia hic, cum dicit: *in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum*: quasi diceret, natus sum vt regnem in hoc mundo. Tertio ostendit, quale fuit regnum suum, & qualiter regnare venerat dicens: *Vt testimonium perhibeam veritati*, quasi diceret, veni regnare, sed non veni regnare temporaliter, sed spiritualiter perhibendo testimonium veritati. Quarto ostendit, quæ pertinebant ad regnum suum: quia credentes in eum. Et ideo dicit: *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam*: quasi diceret, Omnes qui credunt veritati, pertinent ad regnum meum.

Et ita ex his verbis fuit Pilatus plene informatus, quod quamuis Christus reputasset se regem hic, non tamen reputauit se regem temporalem. Et ideo Pilatus non reputauit Christum in aliquo Cæsari, qui quærebat regna temporalia, aduersari. Quare ipsum reputauit innocentem, qui aliter intellexit se regem, quam Iudæi. Et ista veritas sic per seriem Euangelicam declarata, scilicet quod Christus aliter fuit rex, quam intellexerant Iudæi accusantes ipsum, sanctorum auctoritatibus confirmatur. Vnde Augustinus super Iohannem ait: *Fideles Christiani sunt regnum eius: quod non tollitur, imo emitur sanguine Christi.* Ergo tẽpore Pilati solum modo Christiani pertinebant ad regnũ Christi. Sed si Christus fuisset rex illo modo, quo Iudæi loquebantur de rege accusantes Christum, non solum Christiani, sed omnes Iudæi in regno Iudææ constituti pertinuissent ad regnum Christi, quod falsum est secundum Augustinum. Ergo secundum Augustinum aliter Christus fuit rex, quam intelligebant Iudæi. Hoc etiam testatur Chrysostomus super illud, *regnum meum non est hinc*, dicens: *Non priuat mundum à sua prouidentia & prælatione: sed ostendit regnum suum non esse humanum neque temporale.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod Christus non habebat regnum tale, quale est regnum humanum & mundanum: & ita non fuit illo modo rex, quo intelligebant Iudæi. Ex hoc aperte docet Augustinus super Iohannem cap. 19. dicens sic: *Audite Iudæi & Gentes, audi circumcisio, audi prepu-*

prepu-

præputium, audite omnia regna terrena: non impedio dominationem vestram in hoc mundo, quia regnum meum non est de hoc mundo: nolite metuere metu vanissimo, quo ille Herodes maior expauit, & tot infantes occidit timendo potius quàm irascendo crudelior. Regnum, inquit, meum non est de hoc mundo: quid amplius? vultis venire ad regnum, quod non est de hoc mundo? Venite credendo; & nolite seruire metuendo. Dicit quidem in Prophetia de Deo patre: Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Sed Sion & mons ille non est de hoc mundo. Quod enim est regnum eius, nisi credentes? quibus dicitur: De hoc mundo non estis, sicut ego non sum de hoc mundo, quamuis eos vellet esse in hoc mundo. Propter quod de istis dixit ad patrem: Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo. Vnde & hic non ait: regnum meum non est in hoc mundo: sed, non est de hoc mundo: cum hoc probaret, dicens: Si regnum meum esset de hoc mundo, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc: non ait, non est hic: sed non est hinc. Hic enim est regnum eius vsque in finem seculi habens inter se commixta zizania vsque ad messem. Messis enim est finis seculi, quando messores venient, id est, angeli, & colligent de regno omnia scandala. Quod vtique non fieret, si regnum suum non esset hic: sed tamen non est hinc, quia peregrinatur in mundo. Hæc Augustinus. Ex quibus tria colliguntur aperte. Quorum primum est, quod modus regiminis Christi dominationem terrenam & terrenorum nullatenus impediuit. Ex quo sequitur, quod Christus non veniet regnare temporaliter siue seculariter, sed spiritualiter solum: quia si de regimine seculari se intromisisset, dominationem secularium impediuisset, ipsosque maxime prouocasset. Secundum est: quod ad regnum Christi non peruenitur per secularem subiectionem, sed per fidem, quia credendo. Et per consequens regnum Christi non est seculare seculariter gubernatum, sed spirituale spiritualiter gubernatum. Tertium est, quod credentes sunt regnum Christi: quia Ecclesia est regnum Christi. Vnde sicut Christus est rex & sponsus, ita Ecclesia est regnum & sponsa. Et propter hoc sæpe Ecclesia Christi præsens in hoc mundo regnum cœlorum in hoc Euangelio appellatur, teste Gregor. qui in Homelia *De communi virginum*, ait: *Sciendum vobis est, quod sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præsens Ecclesia dicitur: de quo in alio loco Dominus dicit: Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala. Illud ergo regnum, do quo Christus dicit, Regnum meum non est de hoc mundo, est Ecclesia sua, credentes comprehendens bonos & malos. Vnde & illud regnum cœlorum vocatur.* Ex prædictis patet aperte, quod Regnum Christi non fuit Iudæa, secundum quod Iudæa comprehendit omnes Iudæos constitutos ibidem, sicut intellexerunt Iudæi accusantes Christum; quod diceret se regem Iudæorum: sed regnum Christi fuit Ecclesia Christi, comprehendens solummodo credentes in Christum. Et ita Regnum Christi non fuit regnum seculare; sed fuit regnum spirituale: hoc est, fuit Ecclesia Christianorum ab eo spiritualiter gubernanda.

Secunda auctoritas principalis, ex qua probatur, quod Christus non fuit rex in secularibus, ex Euangelio Luc. cap. prim. accipitur, vbi Angelus regni eius modum regnandi describens ait: *Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in æternum; & regni eius non erit finis.* Ex quibus datur intelligi, quod illo modo & non alio Christus erat rex futurus, quomodo erat in domo Iacob regnaturus. Sed Christus inquantum hoc, quamdiu fuit victurus hac vita mortali, non erat regnaturus seculariter, sed tantum modo spiritualiter. Ergo non erat rex futurus quantum ad secularia, sed quantum ad spiritualia tantum.

Hic videtur probandum, quod Christus inquantum homo mortalis, non regnauit seculariter, sed spiritualiter tantum. Sed hoc probatione non indiget. Nam Christus de regimine seculari, maxime de supremo regimine seculari, à quo dicitur aliquis rex, secundum quod nunc loquimur de rege, de temporalibus se nunquam intromisit: quia per Parlamenta & curias, neq; per rebus temporalibus iudicabat, neq; de malefactoribus iustitiam faciebat, neq; expugnauit hostes, neq; militibus stipendia tribuebat, nec alia quæ ad regimen pertinent seculare aliqualiter exercebat. Regnum ergo Christi non seculare, sed spirituale fuit.

Hoc aperte Glossa super verba prædicta testatur, quæ ait: *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, id est, Israeliticam plebem, cui Dauid, & filii eius temporalis regni gubernacula præbuere: huiusmodi regnum spirituale datum est à Christo, quando dispositum est à Deo, vt de semine Dauid incarnaretur gentem imperpetuum vocaret regnum, & non solum in illa gente Iudæorum, sed regnabit in æternum, id est, in tota Ecclesia, quæ per fidem & confessionem Christi ad patriarcharum pertinet sortem: sicut in illis, qui de patriarcharum sorte nati sunt in his, qui de oleastro exscissi in oliuam bonam sunt inserti.* Ex quibus verbis clare patet, quod regnum Christi non erat seculare, sed spirituale, ad quod soli credentes, siue de Iudæis, siue de gentibus, pertinebant.

Item, quod regnum Christi non fuerit terrenum, seculare siue mundanum, Beda testatur, & ponitur in Glossa super illud Matthæi vigesim. prim. *Benedictus qui venit: Venit regnum patris nostri Dauid. At enim secundum Iohannem, cum turba eum rapere vellent, & facere regem, fugit & regnum adhuc victurus noluit. Nunc autem iam passurus regnum non refugit, sed dici modo hymnos fidei filio Dei & rege dignos non eos reprimit, qui regnum Dauid in eo restaurandum & perfectæ benedictionis dona continent: quia scilicet non temporalis & terreni, sed æterni in cœlis rex esset imperii, ad quod qui perceperunt gloriam resurrectionis & triumphum ascensionis peruenirent. Vnde discipulis post propositionem ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Ex his patet, quod regnum Christi non erat terrenum & temporale. Huic concordat Leo Papa in sermone de Epiphania, sic dicens: *Herodes vero audiens Iudæorum principem natum, successorem suspicatus expauit.* Et parum post: *O cæca stultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putas diuinum tuo furore consilium. Dominus mundi temporale non quærit regnum, qui præstat æter-*

num. Ex his colligitur, quod Christus inquantum homo, regnum temporale non habuit. Item, Sanctus Fulgentius in Sermone de Epiphania dicit: *Munus vero auri regem demonstrat Dominum nostrum Iesum Christum, non vtique talem regem, qui suam imaginem in solidis accipit, sed qui suam imaginem in ipsis hominibus quærit.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod Christus non erat talis rex, quales sunt reges, quia suas imagines in nummis quærunt; & ita in temporalibus nequaquam fuit rex censendus. Hoc idem testatur Rabanus, vt iste allegat, sicut super literam apparebit.

Restat nunc eandem assertionem ostendere per rationes sacris auctoritatibus roboratas. Est autem prima ratio talis, qui non est iudex litium secularium, nec diuisor hæreditatum & facultatum, non est rex in temporalibus.

Prædicta enim ad regis officium pertinere noscuntur. Sed Christus non fuit iudex litium, nec diuisor hæreditatum & terrenarum facultatum. Ergo Christus non fuit rex in temporalibus seu secularibus & terrenis. Maior est nota. Minor auctoritate Christi & Beati Ambrosii manifeste probatur. Cum enim, vt legitur Lucæ duodec. quidam de turba diceret Christo: *Magister dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem.* Christus respondit: *Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* quasi diceret, nullus. Ergo Christus non erat iudex litium, nec diuisor hæreditatum. Quod Beatus Ambrosius ibidem asserit manifeste dicens: *Bene ergo terrena declinat, qui propter diuina descenderat. Nec iudex dignatur esse litium & arbiter facultatum, viuorum habens mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum.* Et parum post: *Vnde merito refutatur hic frater, qui dispensatorem cœlestium gestiebat terrenis occupare.* His clarius dici non potest, quod Christus nequaquam fuit iudex litium secularium, nec terrenarum arbiter facultatum: & per consequens non fuit rex in secularibus reputandus.

Secunda ratio pro eadem assertione est hæc: Qui verbo & exemplo docuit regna temporalia contemnenda, non debet rex in temporalibus reputari. Sed Christus verbo & exemplo docuit regna temporalia contemnenda. Quod enim verbo docuit, principatus & regna temporalia contemni debere, patet aperte per illud Matth. vigesim. *Iesus autem vocauit ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior esse, sit vester minister.* &c. Ex quibus verbis patenter elicitur, quod Christus principatus & potestatem temporalem super alios, & per consequens temporalia regna verbo docuit contemni debere. Quod etiam regna temporalia exemplo docuerit contemnenda, patet clare per illud Iohan. sext. *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum & facerent eum regem, fugit iterum in montem.* Vbi Chrysostomus ait: Propheta iam erat apud eos, & regem eum intronizare volebant propter gulam, quia, scilicet pauerat eos. *Christus autem fugit, erudiens nos mundanas fugere dignitates: & per consequens instruxit nos exemplo mundana contemnere regna.* Ergo Christus nequaquam rex fuit in temporalibus: quia aliter tam in verbis, quam in factis sibiipsi fuisset contrarius, vnum dicens verbo & aliud faciens exemplo.

Tertia ratio est hæc: Qui regnum suscepit gubernandum & de regimine ipsius se nullatenus intromittit, quamuis possit, de malitia & nequitia vel negligentia merito est arguendus, quia talis vult habere nomen regis & officium, & quæ regis sunt minime exercere, quod malitiæ vel negligentiæ est penitus ascribendum. Sed Christus de singulari regimine cuiuscunq; regni se nullatenus intromisit. Ergo vel non suscepit regnum gubernandum: nec fuit rex per consequens, vel fuit de malitia & negligentia arguendus: sed neq; malitia neq; negligentia sibi debet imponi. Ergo tenendum est, quod inquantum homo mortalis, nullum regnum suscepit regendum: & per consequens nec rem nec nomen regis secularis obtinuit.

Quarta ratio est hæc: In eodem regno seculari non possunt esse plures veri reges non habentes regnum pro indiuiso, quorum neuter recognoscit regnum ab altero. Sed Imperator Romanorum tempore Christi fuit verus rex Iudææ, quamuis fuisset rex aliorum regnorum, & constat quod Christus & Imperator non tenebant regnum Iudææ pro indiuiso, nec Christus recognoscebat regnum Iudææ ab Imperatore, nec Imperator à Christo. Ergo Christus non fuit verus rex secularis Iudææ, & per consequens à simili non fuit verus rex secularis cuiuscunq; alterius regni.

Hic videntur tria probanda. Primum est, quod Cæsar seu Imperator fuit rex Iudææ. Hoc ex Euangelio elicitur euidenter, Christo dicente: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Ex quibus verbis colligitur, quod illa quæ Cæsar vendicauit in Iudæa, vere erant sua. Sed Cæsar tanquam rex Iudææ & Dominus vendicauit tributum. Ergo tributum erat ipsius, tanquam regis & Domini. Ergo ipse vere fuit rex. Secundum hic probandum est, quod Cæsar non recognoscebat regnum à Christo, nec recognoscere tenebatur. Nam ante natiuitatem Christi Cæsar fuit rex verus: sed post natiuitatem Christi regnum Cæsaris non fuit in aliquo diminutum, nec immutatum, nec in aliquam subiectionem redactum. Ergo sicut ante natiuitatem Christi non tenebatur ab aliquo homine recognoscere regnum quodcunq; ita post natiuitatem non tenebatur ab homine inquantum homo recognoscere regnum: & ita non tenebatur recognoscere à Christo regnum inquantum erat homo. Tertium, quod videtur probandum est, quod Christus non recognoscebat regnum à Cæsare. Sed hoc probatione non indiget, cum regnum aliquod nunquam vendicauerat, sed rex fieri recusabat, & fugit ne sublimaretur in regem, sicut patet Ioh. 6.

Quinta ratio est: Si Christus fuit rex alicuius regni temporalis, non est maior ratio, quod fuerat rex vnius regni temporalis, quam alterius, nisi quis dicat quod quia filius Dauid, specialiter fuerit rex Iudææ: sequitur quod fuerit rex omnium regnorum, vel specialiter Iudææ. Sed neutrum potest dici: quia

quia siue fuerit rex omnium regnorum, siue specialiter Iudææ: omnes Iudæi saltem in Iudæa constituti pertinuissent ad regnum eius. Sed non omnes Iudæi in Iudæa constituti pertinebant ad regnum eius. Ergo non fuit rex temporalis Iudææ: & per consequens multo magis non fuit rex temporalis alterius regni. Hic probandum est, quod non omnes Iudæi etiam in Iudæa constituti pertinebant ad regnum Christi, inquantum erat homo mortalis, licet omnes pertineant ad regnum eius inquantum erat Deus: per Glossam super Ioh. 19. *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, probatur aperte, cum ait: *corde, non carne*. Ex quibus verbis habetur, quod Christus erat tantum modo Rex Iudæorum, qui erant Iudæi corde, quales fuerunt fideles, & non carne tantum modo, quales fuerunt infideles. Ergo Iudæi non credentes in Christum non pertinebant ad regnum Christi inquantum fuit homo. Hoc etiam patet, quia regnum Christi erat Ecclesia Christi: cum secundum Gregor. vt allegatum est supra, regnum cœlorum, quod est regnum Christi, sit Ecclesia præsentis temporis. Sed Iudæi non credentes in Christum non pertinebant ad Ecclesiam Christi. Ergo non pertinebant ad regnum Christi. Hoc etiam tertio patet: quia sicut idem Christus fuit & est sponsus, rex & pastor: ita eadem congregatio fuit sponsa Christi, regnum & ouile. Sed ad ouile Christi non pertinebant Iudæi non credentes, nec credituri in Christum, ipso Christo testante, qui Ioh. 10. ait: *Ego sum pastor & cognosco oues meas & cognoscunt me meæ*. Ex quibus verbis colligitur, quod omnes oues Christi cognouerunt Christum per fidem. Ergo Iudæi non credentes non fuerunt oues Christi, & per consequens non pertinebant ad ouile Christi. Ex quo sequitur, quod non pertinebant ad regnum. Hoc etiam per plures auctoritates superius allegatas, quibus asseritur, quod credentes erant regnum Christi, patet aperte: & ita Christus non fuit rex in secularibus.

Sexta ratio est hæc: illud fuit regnum Christi, de quo prophetauerunt Prophetæ. Sed Prophetæ prophetantes de regno Christi futuro, non prophetauerunt de regno aliquo temporali. Ergo nec regnum aliquod temporale fuit regnum Christi. Maior est clara. Minor probatur: quia regnū Christi, de quo prophetauerunt Prophetæ, erat per Christum reparandum & restaurandum, teste Esaia, qui c. 9. ait: *Paruulus enim natus est nobis & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret illud in iudicio & iustitia, a modo & vsque in sempiternum.* Ex quibus verbis clare colligitur, quod regnum Christi, de quo prophetauit Esaias, erat per ipsum confirmandum & corroborandum: & per consequens reparandum & restaurandum. Hier. 23. prophetauit Hieremias de Christo dicens: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda & Israel habitabit confidenter: & hoc nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Ex quibus verbis colligitur, quod qui erant futuri de regno Christi, erant saluandi & habitaturi cōfidenter. Ergo regnum cœlorum, de quo prophetauit Hieremias in verbis prædictis, erat reparandum per Christum. Sed regnum Iudææ temporale non extitit per Christum reparatum, nec etiam restauratum, sed potius dissipatum: quia propter peccata, quæ commiserunt in Christum, fuit destructum. Vnde & euersionem Hierusalem, quæ erat metropolis in regno Iudææ, ipse prædixit, vt habetur Lucæ 19. vbi sic legitur: *vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super eam, dicens: quia si cognouisses & tu. Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia veniet dies in te & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndiq;, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt: & non derelinquent lapidem super lapidem, eo q̄ non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod regnum Iudææ per Christum non fuit temporaliter reparatum, sed postea: quia tempus visitationis suę spiritualis non cognouit, sed Christum persequebatur ad mortem, extitit dissipatum. Regnum ergo Christi, de quo p̄dixerunt Prophetæ, non fuit regnum temporale. Nec prosperitas quam tunc Prophetæ prophetauerunt futurā debet intelligi temporalis, sed spiritualis propter abundantiā gratiarum & spiritualiū charismatum, quibus Christus in se credentes, qui erant regnum, affluentissime honorauit, confirmauit & corroborauit & saluauit, ac inter mundi aduersitates confidentes reddidit & securos.

Septima ratio est hæc: Christus non decernens inter vnum officium sibi commissum & aliud, beatum Petrum vicarium suum instituit, dicens: *Pasce oues meas*. Ergo Christus quantum ad omne officium, quod habuit inquantum homo, respectu subditorum suorum beatum Petrum vicarium suum instituit. Sed beatus Petrus non fuit vicarius Christi quantum ad officium regni temporalis. Ergo nec Christus habuit officium regni temporalis: & per consequens regnum Christi non fuit temporale, sed spirituale, quale regnum beato Petro commisit, cum dixit: *Pasce oues meas*. Et prius promiserat dicens: *Et tibi dabo claues regni cœlorum.*

Hic oportet probare, quod Beatus Petrus non fuit vicarius Christi quantum ad officium regni temporalis, nec etiam in temporalibus quibuscunq;. Hoc autem probatur primo sic. Si Beatus Petrus fuisset vicarius Christi quantum ad officium regni temporalis in aliquo regno temporali, Beatus Petrus habuisset potestatem iudicandi omnes, & de omnibus, non solum credentibus, sed etiam non credentibus constitutis in regno sibi subiecto. Sed Beatus Petrus de infidelibus, qui nunquam fidem Christi susceperunt, habuit minime iudicare, teste Apostolo, qui imperia omnium prælatorum Ecclesiæ dixit, 1. Corinth. 5. *Quid mihi de his qui foris sunt iudicare?* Ergo Beatus Petrus de his, qui foris erant in quocunq; regno non habuit iudicare: & ita non fuit vicarius Christi in quocunq; regno temporali. Secundo sic: qui est vicarius generalis alicuius regis temporalis in aliquo regno non ha-

bentis superiorem, habet iurisdictionem temporalem super omnes constitutos in regno, qui per regem minime sunt exempti. Sed Christus instituendo beatum Petrum vicarium, nullum exemit à iurisdictione Beati Petri. Ergo Beatus Petrus habuit iurisdictionem temporalem super omnes constitutos in regno. Ita cùm regnum ipsi non plus fuerit vnum quàm aliud: sequitur, quod Beatus Petrus habuit iurisdictionem super imperatorem, & omnes alios reges. Ex quo sequitur, quòd cum Romanus pontifex sit successor Beati Petri sibi æqualis in potestate à Christo sibi concessa, quilibet Romanus pontifex habuit iurisdictionem temporalem super Imperatorem Romanorum & omnes alios reges mundi, quod sacris canonibus repugnat aperte. Vnde Nicolaus Papa, vt habetur *dist. 96. cap. cum ad verum*, sic ait: *Cum ad verum ventum est, vltra sibi nec Imperator iura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen Imperatoris vsurpauit, quoniam idem mediator Dei & hominum Christus Iesus actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusq; discreuit.* Ex his datur intelligi, quod Romanus Episcopus ex successione Beati Petri non habet iurisdictionem temporalem super Imperatorem. Quod etiam Papa non habeat iurisdictionem super alios reges, testari videtur Innocentius tertius, qui, vt habetur *extra de iudiciis, cap. 13.* ait: *non putet aliquis quod iurisdictionem illustris regis Francorum perturbare aut minuere intendamus* &c. Non ergo Papa super regem Francorum iurisdictionem obtinet temporalem. Item, si Papa habeat ex successione Beati Petri iurisdictionem temporalem super reges, multo magis ex eadem successione haberet iurisdictionem temporalem super possessiones eorum & aliorum. Cuius contrarium asserit Bernhardus aperte, qui scribens ad Eugenium ait lib. 1. cap. quint. *Ergo in criminibus non in possessionibus potestas vestra. Propter illa siquidem, & non propter has, accepistis claues regni cœlorum. Præuaricatores itaque exclusuri non possessiones, vt sciatis, ait, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Et infra subdit: *Quæ nam tibi videtur maior dignitas & potestas, dimittendi peccata, aut prædia diuidendi? habent hæc infima & terrena iudices suos reges, & principes terræ. Quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extenditis?* Ex quibus verbis patet, quod Papa per potestatem sibi datam à Christo super possessiones iurisdictionem non obtinet. Ex his aliisq; quamplurimis patet quod Beatus Petrus iurisdictionem temporalem super Imperatorem & reges non habuit: & ita non fuit vicarius Christi in aliquo regno temporali. Sed forte aliquis prædictis obiiciet. Primo per auctoritatem Nicolai Papæ, quæ ponitur dist. vigesim. secund. cap. prim. vbi sic legitur: *Illam vero solus fundauit ipse & super petram fidei mox nascentis extitit, qui Beato Petro æternæ vitæ clauigero æterni simul & cœlestis Imperii iura commisit.* Ex quibus verbis patet, quod Beatus Petrus iura obtinuit terreni Imperii, & per consequens iurisdictiones habuit super terrenum Imperatorem. Quod etiã successores Beati Petri iurisdictionẽ habeant super Imperatores & reges, pbatur.

Primo: quia deponit Imperatores & reges, vt patet *15. q. 6. ca. alius.* Item, Romanum transfert Imperium, *extra de electione. cap. venerabilem.* Ergo super Imperium iurisdictionem noscitur obtinere. Item, Imperator præstat ei iuramentum fidelitatis: ergo sibi in temporalibus est subiectus. Item, quod Papa Romanus iurisdictionem habeat temporalem, videmus ad sensum. Sed Papa non est maioris potestatis, quam fuerit Beatus Petrus. Ergo & Beatus Petrus iurisdictionem huiusmodi temporalem: sed non habuit iurisdictionem huiusmodi temporalem limitatam. Ergo reges & alii sibi temporaliter subiecti fuerunt.

Ad primum istorum dicunt aliqui istorum impugnatorum, quod per Imperium terrenum & cœleste intellexit Nicolaus Papa bonos & malos in Ecclesia militante: & ita per terrenum Imperium non intellexit dignitatem imperialem terrenam. Hoc declarant sic: per imperium cœleste non potest Nicolaus Papa intelligere aliud, quam bonos in Ecclesia militante: quia per Imperium cœleste non potest intelligere bonos existentes in Ecclesia triumphante, cum super illos Petrus nullam iurisdictionem habuerit. Ergo consimiliter per terrenum imperium intelligit Nicolaus Papa malos in Ecclesia militante, & ita per dictam auctoritatem non potest concludi, quod Beatus Petrus super Imperatorem iurisdictionem habuerit temporalem, sed quod super bonos & malos in Ecclesia militante iurisdictionem habuerit temporalem. Ad quintum dicunt, quod Papa Romanus illam iurisdictionem temporalem, quam noscitur obtinere, non habuerit ex successione Beati Petri, quia tunc non haberet maiorem iurisdictionem temporalem in vna regione, quam in alia, sicut nec Beatus Petrus, quod tamen noscitur esse falsum. Non ergo ratione successionis, sed collatione fidelium, Papa habuit iurisdictionem in diuersis regionibus temporalem. Et hæc est sententia Bernhardi, vt adductum est alibi. Et cum dicitur, quod Papa non est maioris potestatis quam fuerit Beatus Petrus. Dicunt, quod quo ad spiritualia Papa non est maioris potestatis quam fuerit Beatus Petrus: sed quo ad temporalia, maiorem habet potestatem, sicut ditior est quam fuerit Beatus Petrus. Ad secundum dicunt dupliciter. Vno modo, quod ratione criminis Imperator Christianus subest Papæ, & idem dicitur de aliis regibus. Et ita Papa super reges ratione criminis & Imperatores iurisdictionem habet spiritualem, & non temporalem. Aliter dicunt, quod licet Papa non habeat iurisdictionem temporalem super Imperatorem & reges alios, tamen talem iurisdictione temporalem habere sibi non repugnat. Et ideo Papa tam Romanus quam alius iurisdictionem tã super Imperatorem quam super regem non habentem personam superiorẽ, q in casu noscitur obtinere, potest in persona Papæ transferre, & etiam auctoritate Papæ potest Imperatorem vel regẽ deponere. Et sic legitur deposuisse regem Franciæ *15. q. 6. c. alius*, vbi super illo verbo *deposuit*, dicit Glossa, *dicitur deposuisse, quia deponentibus consensit*, hoc est auctoritate Papæ reputantis regem deponendum, eundem regem deposuerunt. Et illo modo posset archiepiscopus vel episcopus aliquem regem depone-

re,

re, non ratione officii specialis, sed auctoritate Papæ sibi potestatem huiusmodi conferentis. Ad tertiam dicunt nonnulli, quod Papa transfert Romanum Imperium, non in quantum successor beati Petri, sed auctoritate Romanorum, qui sibi potestatem huiusmodi concesserunt. Ad quartam dicunt aliqui, quod Imperator, qui primus iurauit Papæ ex deuotione vel humilitate aut ex ordinatione Romanorum sibi iurauit: & ideo alii prædecessores ipsius, qui sibi minime iurauerunt, vel sibi debitum ex successione beati Petri aliqualiter subtraxerunt, sibi iurare nullatenus tenebantur. Ex prædictis colligitur, quod beatus Petrus nullum regnum temporale suscepit à Christo. Quare nec Christus regnum aliquod habuit temporale.

Octaua ratio pro prædicta assertione talis est: Christus fuit forma & exemplar totius perfectionis Christianæ. Quicquid enim perfectionis est & vtile fuit fidelibus, Christus exercuit. Sed reliquisse regnum temporale, perfectionis est, sicut & fugere ecclesiasticas dignitates, perfectionis est. Quia appetere dignitates seculares vel ecclesiasticas ad imperfectionem noscitur pertinere. Vtile autem fuit fidelibus, quod Christus omnem secularem contemneret dignitatem. Ergo Christus nullam secularem habuit dignitatem vel regiam vel aliam. Ergo Christus non fuit rex in temporalibus. Sed forte aliquis contra prædictam rationem obiiciet, quod Christus non omnia, quæ perfectionis sunt, exercuit. Nam sicut tactum est, fugere ecclesiasticas dignitates ad perfectionem humilitatis noscitur pertinere in tantum, quod soli fugientes ecclesiasticas dignitates eisdem dignitatibus digni habentur, teste beato Greg. qui vt habetur *8. q. 1. c. in scripturis*, ait: *Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus est.* Et tamen Christus locum regiminis minime recusauit. E. Christus non omnia, quæ sunt perfectionis, exercuit. Ergo per hoc, quod perfectionis est tẽporalia regna reliquisse, non potest concludi, ꝙ Christus non fuerit rex secularis siue in secularib⁹. Sed illa obiectio exclusa est, cum in assumpta ꝑpositione additur, *& vtile fuit fidelibus.* Nam ea quæ perfectionis & vtilitatis sunt, quæ docuit alios, Christus fecit. Christũ autẽ reliquisse locũ regiminis spiritualis, nullius fuit vtilitatis: sed fidelibus nocuisset & Christũ retinere locũ regiminis spiritualis magnæ fuit vtilitatis. Christum aũt habere regnũ temporale, & de regno temporali se intromittere, nullius fuisset vtilitatis. quare conueniens fuit, ꝙ Christus locum spiritualis regiminis retineret, & regno temporali careret. Et ita liquet, ꝙ Christus regnũ temporale non habuit. Porro inter *regere* & *dominari* siue *dominium* & ꝓprietatẽ temporaliũ rerũ habere, differentia inuenitur. Ostenso autẽ, quod Christus non fuit rex in temporalib⁹ secundũ quod aliquis dicitur rex à supremo modo regendi tẽporaliter. Secundo isti impugnatores conantur ostendere, quod Christus inquantũ homo mortalis, non fuit Dominus habẽs dominiũ & ꝓprietatẽ omniũ tẽporaliũ rerũ. Primo quidẽ ꝑ auctoritates: secundo per rationes. Primo igitur hoc ostendunt auctoritate ipsius Christi dicentis Matth. 8. *Vulpes foueas habent, volucres cœli nidos: filius autẽ hominis non habet vbi caput suũ reclinet.* Ex quibus verbis colligitur euidẽter, quod Christus non habuit ꝓpriũ hospitiũ: & per consequens non habuit ꝓprietatẽ & dominiũ omnium. Sed forte dicet aliquis, quod ex verbis prædictis concludi non potest, quod Christ⁹ nõ habuerit hospitiũ quo ad dominium & ꝓprietatem. Quod sic ostenditur. Nam eodem modo accepit Christus *habere*, cum dixit affirmatiue, *vulpes foueas habent* &c. & cũ negatiue dicit: *filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*: alioquin in eadem sententia Christus acciperet idem verbum æquiuoce. Sed cum dicitur, *vulpes foueas habent*: ibi non accipitur pro modo habẽdi, quo ad dominium & proprietatem: sed ꝓ modo habẽdi, quo ad morãdi seu manendi seu quiescendi consuetudinem. E. cum dicit, *filius hominis non habet vbi caput suũ reclinet*, non accipitur *habere* pro habere quo ad dominiũ seu ꝓprietatẽ, sed quo ad consuetudinem manendi vel quiescendi, hoc est, filius hominis non habet hospitiũ, in quo ex consuetudine cõmoretur, sicut vulpes habent foueas, in quib⁹ ex cõsuetudine cõmorãtur. Sed ista obiectio non procedit secundũ istos: quia secundũ traditiones sanctorũ, & specialiter sancti Clementis, vt habetur *dist. 37. c. relatũ*, Scriptura sic est intelligẽda, vt à sanctis patrib⁹ est exposita. Sed secundũ expositionem sanctorũ, cũ Christus dixit, *filius autẽ hominis non habet vbi caput suũ reclinet*: ipse loquebatur de modo habendi quo ad dominiũ siue ad proprietatẽ, Glos. testãte, q̃ ibidem ait in ꝑsona Christi: *Ego sum tantæ paupertatis, vt nec hospitiũ quidem habeã, nec meo vtar tecto.* Ex quib⁹ verbis patenter colligitur, quod ex paupertate fuit, quod hospitiũ non habebat. Sed non habere hospitiũ quo ad cõsuetudinẽ habitandi non necessario ex paupertate procedit. Quemadmodũ diuites peregrini peregrinatione hospitiũ non habent quo ad consuetudinẽ habitandi, ex quo vagi sunt, & tamen habent multas diuitias. Cum ergo ratione paupertatis Christus dixerit verba prædicta, sequitur quod intellexit se non habere hospitiũ quo ad dominiũ seu ꝓprietatẽ. Item quãuis rex ex cõsuetudine circuiens regnũ, pergens de loco ad locũ possit dicere, quod non haberet hospitiũ quo ad consuetudinem: non tamen posset dicere, quod tecto vteretur alieno. Sed secundum Glossam Christus vtebatur tecto alieno, ergo tectum, quo vtebatur Christus, non fuit suum quo ad dominium seu proprietatem. Et cum dicitur, quod tunc Christus in eadem sententia vsus fuisset eodem vocabulo æquiuoce. Dicunt isti, quod hoc sæpe facit scriptura, secundũ quod probat Innoc. 3. *extr. de summa trinitate & fide catholica c. dãnam⁹*, per illas duas auctoritates: *volo vt ipsi sint vnũ in nobis, sicut & nos vnũ sum⁹.* Et, *estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis est perfectus*: in quarũ prima *vnum* bis sumptũ æquiuoce accipitur: & in secũda nomẽ *perfecti.* Secũda auctoritas, qua ostẽditur Christi paupertas, sumitur Zach. 9. vbi dicitur: *Ipse pauper ascẽdẽs super asinã & super pullũ filiũ asinæ.* Ex quib⁹ verbis habetur, ꝙ licet Christus fuerit rex, nõ quidem in tẽporalib⁹ sed in spiritualib. tñ paupꝫ erat, & ꝑ consequẽs nõ habuit dominiũ & ꝓprietatẽ omniũ tẽporaliũ: q̃a si habuisset in speciali dominiũ & ꝓprietatẽ omniũ rerũ tẽporaliũ, fuisset

ſet ditior homo, qui vnquam fuit. Tertia auctoritas accipitur ex epiſtola ſecunda beati Pauli ad Corinth. 8. cap. vbi ſic ſcribitur: *Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti: quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis. Et conſilium in hoc do* &c. Ex quibus verbis habetur aperte, quod Chriſtus propter nos factus eſt inops & egenus. Qui autem eſt Dominus omnium temporalium iure proprietatis in ſpeciali, non eſt inops & egenus. Ergo Chriſtus non fuit Dominus omnium temporalium rerum. Hoc etiam Auguſt. ſuper dicto verbo Apoſtoli aſſerit manifeſte dicens: *Factus eſt*, inquit, *egenus in tantum, vt non haberet quod habent vulpes.* Quia & Bernhardus pertractans verba prædicta ad Fratres de Monte Dei dicit: *cum diues eſſet, pauper pro nobis factus eſt, & qui voluntariæ paupertatis dedit præceptum, in ſemetipſo formam dignatus eſt demonſtrare.* Ex quibus verbis liquet, quod illius voluntariæ paupertatis, cuius Chriſtus dedit præceptum, ipſe in ſemetipſo formam demonſtrauit. Sed ipſe dedit præceptum voluntariæ paupertatis, qui carentiam dominii & proprietatis in ſemetipſo decreuit. Ex quo ſequitur euidenter, quod non erat Dominus omnium temporalium iure proprietatis. Quarta auctoritas accipitur ex Pſalmiſta, qui in perſona Chriſti ait: *Ego autem mendicus ſum & pauper.* Vbi dicit Gloſſa. *Hoc Chriſtus dicit de ſe ex forma ſerui, ne quis gloriam prædictæ lætitiæ ſibi arroget.* Chriſtus igitur inquantum homo fuit pauper: & per conſequens non habuit vniuerſale temporalium rerum dominium. Quinta auctoritas accipitur Trenorum tertio cap. vbi Hieremias in perſona Chriſti ait: *Ego vir videns paupertatem meam.* Ex quibus verbis patet, quod Chriſtus fuit pauper: & per conſequens non habuit vniuerſale rerum temporalium dominium. Et quod Hieremias verba prædicta dixerit in perſona Chriſti, patet per Gloſſam ibidem, quæ ait: *licet omnibus conuenire videatur, excellentius de ipſo intelligitur, in quo ſicut excellunt omnia, ita & viſio illa.* Et infra: *Sicut glorioſior eſt paupertas Chriſti, ita hæc viſio paupertatis profundior.* Verba ergo prædicta dixit Hieremias in perſona Chriſti, oſtendens eius maximam paupertatem. Sexta auctoritas accipitur ex determinatione eccleſiæ quæ ponitur in decretali *Exiit*: in qua ſic ſcribit diffinite Papa dicens, quod *abdicatio proprietatis huiuſmodi omnium rerum tam in ſpeciali quam etiam in communi, propter Deum meritoria eſt & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo firmauit.* His verbis apertiſſime aſſeritur, quod Chriſtus exemplo firmauit abdicationem proprietatis omnium rerum: & ita omnium rerum abdicauit proprietatem: & per conſequens non habuit vniuerſale omnium rerum dominium. Et ex his, ſicut tactum eſt *cap. 9.* concludunt iſti impugnatores, quod vel ille eſt hæreticus, vel Nicolaus tertius eſt hæreticus. Et ſi ille eſt hæreticus, non eſt verus Papa. Si autem Nicolaus tertius fuit hæreticus, ille nunquam fuit verus Papa. Et per conſequens ſiue iſte ſit hæreticus ſiue catholicus, non eſt modo verus Papa. Alia auctoritas accipitur ex epiſtola beati Hieronymi ad Nepotianum, qui ait: *Turpe eſt ante fores ſacerdotes Domini crucifixi & pauperis, qui cibo quoque veſcebatur alieno, lictores conſulum & militum excubare.* Ex quibus verbis clare patet, quod Chriſtus erat pauper & cibo veſcens alieno: & per conſequens non habuit dominium omnium temporalium vniuerſale. Octaua eſt eiuſdem ad Eliodorum, qui ait: *Affatim diues eſt, qui cum Chriſto pauper eſt.* Chriſtus ergo fuit pauper. Nona eſt Gregorii Nazianzeni, qui ait: *Veſtigiis illius incedam, qui propter nos pauper factus eſt, cum eſſet diues.* Chriſtus ergo ex quo fuit pauper, non habuit rerum temporalium vniuerſale dominium. Decima eſt Chryſoſtomi, qui ſuper Epiſtolam ad Hebræos ait: *Nemo cauſetur de paupertate, tanquam cauſa ſit multorum malorum, neque obloquatur de Chriſto, qui dixit illam perfectionem. Si vis perfectus eſſe* &c. *Hoc enim & verbis ipſe dixit, & operibus oſtendit, & per diſcipulos ſuos docuit.* Chriſtus igitur ſecundum iſtum pauper fuit. Vndecima eſt eiuſdem, vbi prius, qui ait: *vis audire paupertatis prædicata, ipſam profeſſus eſt Chriſtus & dixit: filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Ex his verbis patet, quod Chriſtus non habuit omnium rerum dominium. Duodecima eſt eiuſdem ſuper verba Chriſti, Matth. 6. *Filius hominis non habet* &c. *Aſpice quomodo paupertatem, quam Dominus docuerat, per opera demonſtrat. Non erat ei menſa, nec candelabrum, nec domus, nec quicquam aliud talium.* Ex quibus verbis patet, quod Chriſtus erat tantæ paupertatis, quod non habuit menſam, nec candelabrum, nec domum &c. Ex quo ſequitur euidenter, quod non habuit vniuerſale omnium rerum temporalium dominium. Tertiadecima eſt beati Bernhardi ſuper illud Lucæ: *Cum factus eſſet Ieſus annorum 12.* qui ait; *vt te Domine per omnia noſtra paupertati conformares, quaſi vnus in turba pauperum ſtipem per oſtia mendicabas.* Chriſtus ergo ex voluntaria paupertate ſtipem per oſtia mendicabat: & per conſequens non habuit omnium rerum vniuerſale dominium. Quartadecima eſt Anſhelmi de Sacris, qui ait: *Pauper ita fuit Chriſtus, vt veniens in mundum non in ſua, ſed in aliena domo naſceretur: & natus propter inopiam loci in præſepio brutorum animalium poneretur, vt veniens in mundo non haberet vbi caput ſuum reclinaret, nec moriens vnde nuditatem ſuam tegeret, nec mortuus vnde inuolueretur, nec ſepulcrum aut locum vbi corpus mortuum locaretur.* Ex his euidenter habetur, quod Chriſtus non habuit omnium temporalium rerum dominium & proprietatem: quia ſi ſic, natus in domo propria fuiſſet viuens, quia in mundo multa hoſpitia, imo propria habuiſſet, vbi caput reclinaſſet moriens: quia habuiſſet vnde propriam nuditatem texiſſet, nec alibi corpus mortuum quam in ſepulchro, & in loco proprio Chriſti locatum fuiſſet. His igitur auctoritatibus & aliis quaſi innumeris, quas cauſa breuitatis omitto, euidenter oſtenditur, quod Chriſtus inquantum homo mortalis, non habuit ab inſtanti ſuæ conceptionis vniuerſale rerum dominium.

Secundo hæc eadem aſſertio per rationes in ſcripturis diuinis & auctoritatibus ſanctorum patrum fundatas aperte probatur. Eſt autem prima ratio talis. Omnia ad perfectionem & fidelium vtilitatem ſpectantia, quæ Chriſtus docuit, ipſe fecit. Sed abdicare temporalium diuitiarum dominium

&

& proprietatem, ad perfectionem & fidelium vtilitatem spectabat: & hanc abdicationem Christus docuit. Ergo ipse hanc abdicationem seruauit, & per consequens non habuit omnium diuitiarum dominium & proprietatem. Maior probatur multipliciter. Primo auctoritate Lucæ Actuum 1. qui ait: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, O Theophile, quæ cœpit Iesus facere & docere.* Igitur Christus fecit, quæ docuit. Item Matth. 5. dicit ipse Christus: *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Sed Christus non fuit minimus in regno cœlorum, sed maximus. Ergo non soluit illa, quæ docuit. Item, Christus non fecit aliquid, de quo alios reprehendit: alioquin conuenienter intelligenda fuisset de eo sapientis auctoritas, qua dicitur:

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Sed Christus redarguit Pharisæos, quia non fecerunt illa, quæ docuerunt, dicens in reprehensione eorum: *Dicunt enim & non faciunt.* Ergo Christus fecit ea, quæ docuit. Quod etiam Christus specialiter illa, quæ docuit de paupertate, fecit, asserit manifeste Chrysostomus in auctoritate decima adducta superius, & similiter 12. Hoc idem testatur Bernhard. sicut patet prius in prosecutione tertiæ auctoritatis. Sic ergo probata est maior. Minor continet tres partes. Quarum prima est, quod abdicare diuitiarum dominium & proprietatem, ad perfectionem spectat. Secunda est, quod vtile fuit fidelibus Christum diuitiarum proprietatem & dominium abdicare. Tertia est, quod Christus docuit abdicationem huiusmodi diuitiarum.

Prima pars patet, tũ quia Christus dixit: *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Igitur diuitiarum abdicare dominium propter Deum, ad perfectionem spectat: tum quia quodlibet votorũ essentialiũ religionibus professis ad perfectionẽ spectat. E. votũ paupertatis ad perfectionem spectat Et per consequens diuitiarum abdicare dominium propter Deum ad perfectionem spectat.

Secunda pars, scil. quod vtile fuit fidelibus Christum abdicare dominium & proprietatem, patet aperte. Nam per hoc præbuit aperte efficacia exempla fidelibus temporalia contemnendi. Ex retentione autem diuitiarum nullam auctoritatem spiritualem fideles consecuti fuissent. Ergo vtile & exemplare fuit fidelibus Christum abdicare dominium. Et per hoc soluitur obiectio, si quis obiiceret, quod Christus prælationem & summum sacerdotium minime abdicauit neq; fugit: & tamen fugere ecclesiasticas dignitates, etiam Papatum, ad perfectionem spectat: & Christus docuit huiusmodi fugere dignitates, cum dixit Matth. 18. *Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et Matth. 23. *Qui se humiliauerit, exaltabitur.* Igitur Christus non omnia fecit, quæ docuit, & ad perfectionem spectant. Ad hanc obiectionem obliquam est facile respondere. Nam sicut Christus venit propter salutem nostram, ita fecit illa quæ erant nostræ saluti vtilia. Vtile autem fuit nostræ saluti, quod Christus omnium diuitiarum abdicaret dominium: & non fuit vtile, quod summum sacerdotium & omnem prælationem abdicaret: & ideo vnum fecit, & non aliud. Tertia pars, scil. quod Christus docuit diuitiarum abdicare dominium & proprietatem, patet aperte Christo dicente cuidam adolescenti, Matth. 19. *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus: & veni, & sequere me.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod Christus docuit diuitias vendere, & dare pauperibus. Diuitiæ autem venditæ & pauperibus erogatæ quo ad proprietatem & dominium abdicantur. Igitur Christus docuit diuitiarum abdicare dominium. Item ibidem dixit Christus Apostolis: *Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia & secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos.* Vbi Christus explicite approbando & laudando modum Apostolorum omnia relinquendi docuit eum modum omnia relinquendi. Sed Apostoli reliquerunt ea, quæ reliquerant quod ad dominium & proprietatem. Igitur Christus docuit rerum temporalium abdicare dominium & proprietatem. Item Math. 10. dixit Christus Apostolis: *Nolite possidere aurum neq; argentum* &c. Vbi expresse auri & argenti atq; pecuniæ docuit abdicare dominium. Item Matth. 6. dixit discipulis: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*: vbi thesaurorum docuit abdicare dominium. In multis aliis quoq; locis Christus docuit mundum contemnere, & diuitiarum abdicare dominium. Esto igitur, quod non docuisset omnium temporalium abdicare dominium; quod tamen non est verum: & tamen certum est, quod thesaurorum, auri & argenti, & amplarum diuitiarum docuit abdicare dominium. Ex quo & maiore accepta sequitur euidenter, quod Christus saltem amplarum diuitiarum abdicauit dominium & proprietatem: & per consequens non habuit omnium temporalium vniuersale dominium. Secunda ratio pro eadem assertione est hæc. Paupertas religiosorum non est maior nec altior nec perfectior paupertate Christi. Sed religiosi abdicant dominium & proprietatem diuitiarum, saltem in speciali: ergo Christus saltem in speciali diuitiarum abdicauit dominium. Et constat, quod nullus alius à Christo habuit dominium temporaliũ omniũ commune cum Christo. Ergo Christus nec in speciali nec in communi habuit temporalium vniuersale dominium. Maior est manifesta. Nam omnes religiosi imitantur Christum in paupertate: E. nulli religiosi sunt pauperiores Christo Minor a. probatione non indiget. Tertia ratio est hoc. Christus instituendo beatũ Petrũ vicariũ suũ, dicendo; *Pasce oues meas*: omnia pertinẽtia ad Christum, quæ erant ad pascendas oues necessaria, eidem beato Petro commisit. Cũ ergo ad oues pascendas sint temporalia oportuna: si Christus habuit dominium & paupertatem omnium temporalium: sequitur quod Christus omnia temporalia dispositioni & ordinationi beati Petri commisit. Ex quo sequitur, quod omnia tẽporalia ad dispositionẽ & ordinationẽ beati Petri spectabãt: quod est absurdũ. Tunc n. ad Romanũ pontificẽ successione beati Petri tẽporalia pertinerẽt: quod noscitur esse falsũ.

Hic restat duo probare. Primum est, quod non omnia temporalia pertinebant ad dispositionem seu

seu ordinationem beati Petri: secundum quod non omnia temporalia pertinent seu pertinebant ad dispositionem, seu dispensationem, vel ordinationem successorum beati Petri. Primum probatur aperte. Primo per illud Ambros. in lib. de offi. *qui Apostolos sine auro misit, ecclesias sine auro congregauit.* Ex quo datur intelligi, quod ad illos, qui primo virtute assistente diuina, ecclesias congregabant, aurum minime pertinebat. Et per consequens aurum ad beatum Petrum, qui erat principalis congregator ecclesiarum, non spectabat. Hoc ipsemet Petrus testatur dicens: *argentum & aurum non est mihi.* Ex quibus verbis patenter colligitur, quod dispensatio omnium ad ipsum minime partinebat. Item, si omnia temporalia ex commissione Christi pertinuissent ad beatum Petrum: & secundum istum post conuersionem Iudæorum, de quibus Act. 2. fit mentio, Apostoli omnia quæ habebant communicabant Iudæis conuersis; & econuerso: & sic omnia fiebant communia: Ergo beatus Petrus omnia temporalia communicauit Iudæis, & aliis. Et per consequens omnia temporalia etiam infidelium fuerunt eis tunc communia: quod est absurdum. Item, si omnia temporalia beato Petro commissa erant à Christo: aut ergo quantum ad temporalia erat superior Cæsare & aliis regibus & principibus, ac etiam quibuscunq; habentibus proprium: aut erat inferior: aut par. Si erat in temporalibus superior: Ergo omnes, qui non recognouerunt temporalia sua à beato Petro, erant temporalium iniusti detentores. Et ita Cæsar & omnes homines mundi habentes proprium, non recognoscentes temporalia sua à beato Petro, fuissent iniusti detentores, quod est absurdum, præcipue de fidelibus, qui erant subiecti beato Petro, & tamen temporalia sua à beato Petro minime recognouerunt. Nec potest dici, quod beatus Petrus fuit in temporalibus inferior omnibus habentibus proprium: quia tunc vel Christus fuisset omnibus inferior in temporalibus: vel beatũ Petrum omnibus habentibus proprium in temporalibus subdidisset: quorum vtrumq; est absurdum. Nec potest dici, quod beatus Petrus fuit par omnibus habentibus proprium, quia tunc nullus habuisset licitam potestatem vendere & alienare res suas, absque expresso consensu beati Petri, nec econuerso: quia si duo habent æquale ius in re aliqua, vnus non vendit licite rem illam sine voluntate alterius. Patet ego, quod nequaquam omnia temporalia pertinebant ad dispositionem vel dispensationem beati Petri. Secundum, scilicet quod nequaquam omnia temporalia pertineant ad dispositionem seu dispensationem successorum beati Petri, inquantum scil. sunt successores beati Petri, probatur. Nam hoc beatus Bernh. testatur expresse in lib. de consideratione ad Eugenium Papam, dicens in hæc verba: *Nam quid aliud sanctus dimisit Apostolus? quod habeo, inquit, hoc tibi do. Quid est illud? vnum scio, non est aurum neq; argentum: cum dicat ipse, argentum & aurum non est mihi.* Et infra: *Esto vt alia quacunq; ratione hoc tibi vendices: sed non Apostolico iure.* Ex quibus verbis habetur aperte, quod Papa Apostolico iure, scil. inquantum successor beati Petri auri & argenti aliarumq; diuitiarum dispensationem minime habet. A quo autem Papa abundantiam diuitiarum habuit, declarat idem in eodem libro: *Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, nec tectus auro, nec vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepentibus septus ministris; absque his cum credidit satis posse impleri salutare mandatum: si amas me, pasce oues meas. In his enim successisti non Petro, sed Constantino.* Ex his verbis colligitur, quod Papa in abundantia diuitiarum non beato Petro, sed Constantino successit. Ex quo concluditur, quod Papa in quibuscunque temporalibus non est vicarius Christi: quia nulla inueniuntur temporalia, in quibus possit dici magis esse vicarius Christi quam in aliis: & ita vel in omnibus vel in nullis temporalibus est vicarius Christi in omnibus temporalibus, sicut ostensum est. Ergo in nullis temporalibus est Christi vicarius. Ex quo sequitur, quod Christus inquantum homo non habebat omnium temporalium dominium & proprietatem. Et illæ rationes pro assertione prædicta ad præsens sufficiant: quia postea ostendetur, quod Christus inquantum homo nullius rei temporalis habebat dominium & proprietatem.

Restat ergo discurrendo per literam ad singulas auctoritates inductas pro assertione contraria respondere. *Quod autem dominium rerum temporalium habuit*) hic accipit *dominium* pro dominio quod est proprietas: quæ proprietas post peccatum primorum parentum extitit introducta. Non enim accipit dominium pro dominio generi humano collato, quia tunc Christus non aliter fuisset Dominus omnium temporalium, quam quilibet alius à Christo, quod negare intendit. (*In multis locis testatur*) imo in nullo loco testatur. (*Multi quidem Prophetæ eum regem futurũ populi Israelitici prophetauerunt.*) Verum est, quod multi prophetauerunt regem futurum non solum populi Israelitici, sed etiam omnium gentium, quæ credituræ erant in ipsum. Vnde & Dauid dixit: *Dicite in gentibus, quia Dominus regnauit.* Vnde isti dicunt esse sciendum, quod Christus secundum deitatem rex fuit omnium bonorum & malorum, secundum humanitatem autem rex fuit credentium, siue credentes essent Iudæi secundum carnem, siue gentiles, qui tamen credentes omnes, & soli Iudæi erant secundum spiritum, & per consequens prophetarunt ipsum habere regni dominium quodammodo, scilicet spirituale, non seculare, nec temporale. (*Ecce Dominus iudex vester, Dominus legifer vester, Dominus rex vester, ipse veniet & saluabit vos.*) Illa auctoritas est contra ipsum, quia ipsa neq; de iudice seculari seu temporali, neq; de legifero temporali seu seculari, neq; de saluatione temporali seu seculari, potest intelligi, cum dicitur: *Dominus iudex vester*, aperte probatum est supra auctoritate Luc. 12. cũ dixit Christus: *Quis me constituit iudicem ac diuisorem super vos?* Nusquã n. legitur, quod Christus de temporalibus iudicauerit. E. non erat iudex in temporalibus. Nec etiam cum dicit Esaias: *Dominus legifer*, videtur q; de legifero temporali potest intelligi, quia nusquam legitur, quod leges de temporalibus quibuscunq; statuerit, nisi forte dicas, quod legem de temporalibus rebus statuerit docens ipsas penitus con-

contemnendas. Sed talis lex non temporalis, sed spiritualis est censenda. Nec etiam cum dicitur, *ipse veniet & saluabit vos,* potest de temporali saluatione intelligi, cum dixerit suis, vt habetur Matth. 24. *Tradent vos in tribulatione & occident vos.* Non venit igitur Christus saluare temporaliter Iudæos, neq; credentes, neq; non credentes. Non credentes, cum credentes omnem tribulationem & multi mortem pro ipso sustinuerunt temporalem. Neque non credentes, cum propter peccata commissa in ipsum destructi fuerint per Romanos. Cum igitur auctoritas Esaiæ, neque de iudice temporali, neque de legifero temporali, neque de saluatione temporali possit intelligi: nullomodo per ipsam potest ostendi, quod Esaias prophetauerit Christum regem temporalem futurum: sed sicut Christus est iudex spiritualiter, & legifer spiritualiter, & spiritualiter saluauit credentes, sic spiritualiter fuit rex super credentes in ipsum. (*Et regnabit rex*) Illa etiam verba Hieremiæ non debent de rege temporali intelligi: sicut nec intellexit Hieremias, quod Christus erat temporaliter regnaturus, cum dixit (*regnabit*) nulla enim apparet ratio, quod Hieremias dicendo *regnabit rex*, plus intellexerit, quod Christus erat futurus rex temporalis, quam quod erat regnaturus temporaliter.

(*Et hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster*) Hic accipitur *Dominus* loquendo de Christo inquantum erat homo mortalis, non pro Domino rerum temporalium, sed pro Domino propter prærogatiuam vnionis naturæ humanæ ad diuinum suppositum, & auctoritatis specialis ac sanctitatis aliarum gratiarum. (*Cui Deus cœli dedit regnum quod in æternum non dissipabitur*) Ista verba Danielis non possunt intelligi de regno temporali, quia omne tale regnum dissipabitur: sed debent intelligi de regno spirituali, hoc est de ecclesia Christi, quæ nunquam dissipabitur, sed in fine mundi omnibus exclusis pestiferis perficietur, confirmabitur, corroborabitur, & stabilietur. (*Ecce rex tuus veniet iustus* &c. Hic loquitur propheta Zacharias de rege spiritualiter; quod ostendit cum subdit; *Ipse pauper* &c. Per quod claret aperte, quod non erat rex in temporalibus: quoniam sine diuitiis regnum temporale bene regi non potest. (*Ego autem constitutus sum rex ab eo.*) Hoc dicit Dauid in persona Christi spiritualiter loquens de rege: quod bene ostendit declarans modum regendi, cum subdit; *Prædicans præceptum eius.* Prædicando ergo & docendo, ac sacramenta instituendo, non temporaliter Christus regnauit: & ita spiritualiter fuit rex, non in temporalibus. (*Totus ille psalmus Eructauit, loquitur de rege illo*) constat quod ille psalmus non potest ad litteram de Christo inquantum fuit homo, intelligi.

Cum enim dicitur; *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, intende prospere, procede & regna. Sagitta tua acuta, populi sub te cadent, sedes tua in seculum seculi, vnxit te Deus Deus tuus. Mirra & gutta & casia à vestimentis tuis à domibus eburneis, à quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.* &c. Non potest exponi ad litteram, vt de gladio materiali, prosperitate temporali, modo regnandi temporali, sagittis materialibus, sede materiali, vnctione corporali, vestimentis corporalibus, filiabus regum carnalibus, regina carnali, filiisque carnalibus, & principibus temporalibus debeant prædicta verba intelligi. Et per consequens psalmus ille de rege temporali non loquitur. Et cum de sponsa eius ecclesia psalmus ille loquatur: non loquitur de sponsa Christi carnali, sed spirituali. Ergo similiter loquitur de rege non temporali, sed spirituali. Item Glossa dicit ecclesiam esse sponsam, de qua loquitur psalmus prædictus. Sed illa sponsa est regina. Sed non est regina temporaliter. Ergo spiritualiter tantum est regina. Ergo & rex, de quo loquitur, non temporaliter, sed spiritualiter est rex censendus. (*Et alii multi psalmi loquuntur de rege huiusmodi*) Sicut alii Psalmi loquuntur de rege Christo, ita loquuntur de eius regimine, ipsum regnare dicentes: sed alii Psalmi non loquuntur de regimine Christi temporali, sed spirituali, nec dicunt ipsum regnare temporaliter. Igitur per alios Psalmos concludi non potest, quod Christus rex fuerit temporalis. Hoc enim posset ostendi discurrendo per Psalmos de Christo rege loquentes. Sed ipse concedit, quod Christus non regnauit temporaliter, nisi in valde paucis, de quo inferius differetur. Ideo ad præsens de hoc non dicetur.

(*Videte regem Salomonem* &c.) Illa verba intellecta de Christo spiritualiter de rege debent intelligi, quemadmodum verba quæ sequuntur, cum dicitur: *in diademate quo coronauit eum mater sua in die desponsationis illius & in die lætitiæ cordis eius,* non debent intelligi de diademate materiali, neq; coronatione materiali, neq; de desponsatione carnali, neque de mundana lætitia. (*Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius & regnabit* &c.) Ista verba sic non intelliguntur de sede materiali, quia CHRISTUS nunquam in sede materiali Dauid sedit: ita non debent intelligi de regno temporali, nec de modo regendi temporaliter.

Vnde dicunt isti, quod ex intellectu istius impugnati circa verba prædicta sequitur, quod regnum temporale sit in perpetuum duraturum: cum ibidem dicatur expresse: *regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Si ergo regnum Christi fuit temporale; & regni eius non erit finis: ergo aliquod regnum temporale non habebit finem: & per consequens nunquam erit generalis resurrectio mortuorum: quod quia falsum est, verba prædicta debent intelligi de regno spirituali, quod est ecclesia, quæ nunquam habebit finem: sed in die iudicii coronabitur & in perpetuũ feliciter permanebit. (*Natus est nobis Saluator qui est Christus Dominus, id est, rex & Dominus*)

Conce-

conceditur hoc de rege spiritualiter intellecto: & de dominio propter prærogatiuas maximas, non propter dominium temporale. (*Vbi est qui natus est rex Iudæorum*) licet illi tres Magi, qui non plene instructi explicite de modo regnandi Christi, intellexissent de rege temporali: tamen verba ista de rege spirituali secundum rei veritatem debent intelligi. (*Tu es filius Dei: tu es rex Israel*) Prima particula intelligitur de Christo secundum deitatem: & secunda etiam potest intelligi de Christo secundum deitatem: quæ nihilominus potest de ipso intelligi secundum humanitatem: sed tunc loquitur de rege spiritualiter, non temporaliter intellecto. (*Iesus Nazarenus rex Iudæorum.*) Sicut illa verba secundum veritatem non debent intelligi de his, qui erant Iudæi carnaliter, sed spiritualiter secundum Glossam: ita debent intelligi de rege spirituali non temporali. *Hoc etiam Saluator noster confessus fuit. Iohan. 18.* Dicunt isti, quod Saluator non absolute confessus est se regem: sed cum quadam modificatione, scil. non illo modo, quo intellexerunt Iudæi, sed aliter. Ideo dixit Christus respondens Pilato: *Tu dicis quia rex sum ego: Ego in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum vt testimonium perhibeam veritati.* Vbi declarauit se regem esse aliter, quam intellexerunt accusantes. Hoc probant isti auctoritate beati Augustini, quæ prædictam sententiam aperte videtur asserere super illud: *Tu dicis quia rex sum ego.* Dicens in hæc verba: *Non quia regem se timuit confiteri, sed ita libratum est, vt neque se regem neget, neque regem talem se fateatur, cuius regnum putetur esse de hoc mundo.* (*Regnum meum non est hoc de mundo.*) Hoc modo secundum istos dicunt verba illa intelligi, sicut verba Christi Ioh. 15. cum dixit Apostolis, *De mundo non estis: sed ego elegi vos de mundo.* Et cap. 17. de eis dicit: *De mundo non sunt.* Quæ verba non debent intelligi, quod Apostoli non fuissent ab hominibus huius mundi progeniti. Sed sicut Apostoli dicuntur non esse de mundo, quia non sunt mundani conuersantes mundane: ita regnum Christi non erat de hoc mundo, hoc est non erat mundanum mundane regendum. Ex quo Pilatus concludens dixit: (*Igitur rex es tu.*) Dicunt isti, quod Pilatus non conclusit ex illo, *regnum meum non est de hoc mundo,* sicut infra patebit. *Iesus vero respondit, regnum meum non est hinc.* Dicunt isti, quod hic falso recitat verba Euangelistæ. Iesus enim propter prædictam quæstionem Pilati: *Ergo rex es tu*, non respondit, *Regnum meum non est hinc.* Sed respondit, *tu dicis: quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum* &c. Vnde vt sciatur, quod ille falso recitat verba Euangelistæ: ponatur series textus, quæ talis est: *quid fecisti? Respondit Iesus: Regnum meũ non est de hoc mundo quia si ex hoc mũdo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. Nunc a. regnũ meũ non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus, ergo rex es tu Respondit Iesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego natus sum in hoc* &c: Patet ergo quod ex verbis his, *Regnum meum non est hinc*, conclusit Pilatus; *ergo rex es tu.* Et ideo ex his verbis, *regnum meum non est de hoc mundo: regnum meum non est hinc*, non fuit plene satisfactum Pilato de accusatione Iudæorum dicentium Christum fecisse se regem in iniuriam Cæsaris. Dicente Augustino, vt prius dictum est: *Tu dicis, ac si diceret, carnalis carnaliter dicis*: propter quod postquam Pilatus conclusit dicens: *Ergo rex es tu*, carnaliter intelligens, Christus plenius informauit Pilatum; quomodo erat rex, non in iniuriam Cæsaris dicens: tu dicis carnaliter intelligens: *quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum* &c. quasi diceret, verum est, quia rex sum, sed non carnaliter, sicut tu carnaliter intelligis: quia non sum rex temporaliter in iniuriam Cæsaris, sicut falso imponunt mihi Iudæi, sed rex sum spiritualiter: *quia ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.* Quasi diceret, non veni vt regnarem temporaliter: sed veni vt testimonium perhiberem veritati, docens homines conuerti ad veritatem. Propter quam responsionem Christi Pilatus interrogans, *quid est veritas*, & responsionem Christi non expectans, exiit ad Iudæos, & dixit eis, *ego nullam in eo inuenio causam*, quasi diceret ipsum interrogans, & diligenter examinans negat se esse regem temporaliter in iniuriam Cæsaris, sed dicit, aliter se esse regem, nec vos probare potestis, quod regem se fecerit temporalem in iniuriam Cæsaris. Ideo dico vobis, quod nullam in eo inuenio causam. (*Regnum meum non est hinc.*) Hoc est, regnum meum noo pertinet ad mundanos. (*Non dixit, non est hic*) Verum est, quia regnum suum fuit hic corporaliter, sed mente fuit in cœlo. Quasi diceret, regnum meum à mundo non habeo, sicut nec habebat, imo à Deo. Iste videtur fuisse intellectus Pilati, quem habuit de verbis prędictis, *Regnum meum non est de hoc mundo: regnum meum non est hinc.* Et ideo adhuc dubitauit, an Christus fecisset se regem in iniuriam Cæsaris, quia si Christus fecisset se regem temporalem, quamuis dixisset se regnum habuisse à Deo, Pilatus non minus, imo forte magis reputasset Christum iniuriatum fuisse Cæsari, quam si dixisset se habuisse regnum temporale à mundo. Et ideo volens amplius informari de intentione Christi, intulit, *Ergo rex es tu.* Quasi diceret, quid ad me, à quo dicas te habuisse regnum? Dic mihi an reputes te habere regnum temporale in præiudicium Cæsaris, siue à Deo, siue ab alio, quia si confessus fueris te regem temporaliter, & te habere regnum temporale siue à Deo, siue à quocunque alio, ex quo non habes regnum à Cæsare, te tanquam inimicum Cæsaris condemnabo. Propter quo Christus amplius declarans quomodo erat rex, dicit, *Ego in hoc natus sum* &c. Et ex tunc Pilatus prædicto modo verba præmissa minime intellexerit. Intellectus ergo, quem ille fingit de verbis Christi, non est intellectus verborum Christi, vt isti dicunt, sed ille, qui dictus est prius. (*Sicut angelus est genitrici* &c.) Hic etiam, vt isti dicunt, male intellexit verba angeli ad genitricem CHRISTI, vt declaratum est prius. (*Dominum eum & CHRISTVM fecit DEVS hunc IESVM.*) Dominum eum vocat Petrus propter prærogatiuam vnionis, sanctitatis & auctoritatis spiritualis, ac aliarum gratiarum. CHRISTVM vero vocat propter vnctionem spiritualem, non corporalem. (*Quod regnum suum à mundo*

non

non habuerit: sed à Deo.) Hoc verum est de regno spirituali, non temporali, *Iesum fecit Dominus Christum* id est regem, de rege spiritualiter, non temporaliter intellecto, concedi potest. (*Per Christum enim regem intelligimus*) Per Christum in scriptura non solum intelligimus regem temporalem, sed etiam regem spiritualiter, & etiam sacerdotes. Vnde cum dicit propheta in persona Dei: *Nolite tangere Christos meos*, per *Christos* ibi non intelliguntur solummodo reges temporales, sed etiam alii sancti Dei. (*Quia reges in ungi consueuerunt.*) Verum est, quod inungi consueuerunt corporaliter reges temporales: & ideo cum Christus non fuerit inunctus in regem corporaliter, nō potest cōcludi ex hoc, quod dicitur *vnctus*, quod rex fuerit tēporalis, sacerdotes etiam & prophetæ consueuerunt inungi. De vnctione sacerdotum habetur in multis locis scripturæ diuinæ. De vnctione vero prophetarum habetur 4. Reg. 19. vbi dixit Deus ad Heliam: *Helisæum autē filium Saphat, qui est de Abelmeula, vnges prophetam pro te.* Ex hoc ergo, quod reges consueuerunt inungi, & Iesus fuit inunctus, non potest concludi, quod rex fuerit temporaliter. (*Regnum Christi non terrenum, sed cœleste ostendit esse.*) Hic Rabanus vocat regnum cœleste credentes in Christum, credentes cœlestia. (*Item concludit Petrus ex verbis prædictis, quod Christus inquantum homo subsistens in diuino supposito fuerit dominus & rex factus.*) Hoc concedi potest intelligendo eum dominum propter prærogatiuam gratiarum, & regem spiritualiter non temporaliter (*cum rex & dominus fuerit factus inquantum crucifixus.*) Hic ille est sibi ipsi contrarius: quia ipse dicet postea, quod Christus habuit regnum & vniuersale dominium ab instanti suæ conceptionis, hic autem dicit, quod fuit factus Rex & Dominus inquantum crucifixus, quæ duo repugnant aperte, nam si factus fuit rex & dominus inquantum crucifixus: ergo antequam esset crucifixus, non fuit rex & dominus. Sicut sequitur: Christus fuit factus homo inquantum incarnatus: ergo ante incarnationem non fuit homo. Sicut etiam sequitur: Petrus inquantum homo factus est rationalis: ergo antequam factus esset homo, non fuit rationalis. (*Regnum & dominium tanquam homini Deus sibi concessit.*) Hoc potest concedi intelligendo regnum spiritualiter, & dominium pro prærogatiua gratiarum. (*Christus Dominus, id est Rex & Dominus*) quamuis possit concedi secundum bonum intellectum, quod Christus fuerit Rex & Dominus: non tamen ex hoc, quod quicunque est Christus, concludi potest quod sit Rex, maxime temporalis: quia multi fuerunt Christi, qui non fuerunt reges: quod probatione non indiget propter euidentiam eius. (*Illud quod Gabriel Angelus, &c.*) Hoc totum potest concedi, si bene intelligatur de regno, sc. spirituali. (*Dominus Iesus Christus vnus verus Rex & vnus verus sacerdos est.*) Hoc dictum angelus intelligit spiritualiter loquendo de rege (*secundum hominem, quippe Christus & rex & sacerdos effectus est, cui dedit Deus sedem Patris sui & regni eius non erit finis.*) Sicut hic angelus non loquitur de sede Dauid materiali, nec intendit, quod alicuius regni temporalis non erit finis: ita non intelligit de rege temporali. (*Item quod Saluator Dominus omnium temporalium*) hoc potest concedi secundum Deitatem, non secundum humanitatem, accipiendo sicut accipit ille. (*Emitte Domine dominatorem terræ.*) Illa verba Esaiæ non possunt intelligi de Christo secundum humanitatem, secundum quod dominator dicitur à dominando temporaliter. Nam sicut non dicitur creator antequam creet, ita non dicitur quis dominator antequam dominetur: sed manifestum est & ille cōcedit (sicut post patebit) quod Christus secundum humanitatem nō dominabatur terræ, licet secundum illum in quibusdam paucis gesserit se pro Domino. Verba igitur intelligenda sunt de Christo secundū Deitatem. (*Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel.*) Hæc verba Micheæ intelligenda sunt de Christo secundū Deitatē, sicut & verba sequētia, cū dicitur: *& egressus eius ab initio æternitatis*, nō possunt de Christo intelligi, nisi secundū Deitatem. (*Dominator quē vos quæritis.*) Illa etiā verba intelligēda sunt de Christo secundum formā Deitatis. (*Vos vocatis me magister & domine.*) *Dominus* dicitur non solū secundū Deitatem, sed etiā secundum humanitatē: non propter dominium temporaliū ante passionē, sed propter prærogatiuā cōplurium gratiarum, sic etiā milites & alii vocāt Fratres Minores *dominos* propter prærogatiuā religionis, qui tñ nullius rei temporalis habent dominiū. (*Dominus opus his habet.*) Hic dicitur *Dominus* secundū Deitatem, vnde Gloss. ibid. *Dominus simpliciter omnium rerū, cui seruire debet creatura.* Potest etiā dici Dominus secundum humanitatē, propter prærogatiuā gratiarum. (*Rex regū & dominus dominantiū.*) Ista verba intelligi possunt de Christo secundum Deitatem, vel secundum aliquos intelliguntur de Christo secundum humanitatē, post resurrectionē, qñ data fuit sibi omnis potestas in cœlo & in terra, sicut per seriem textus ostendunt. (*Et in Iesum Christum filium eius vnicum Dominum nostrum.*) Illa verba intelliguntur de Christo secundum Deitatem: vel intelliguntur secundū humanitatem propter prærogatiuā gratiarum: eodē modo dicitur ad verba symboli, quod cātatur in Missa. (*Præmissa aūt, sc. regnum & vniuersale dominium habuit Iesus inquantum Dominus ab æterno.*) Illa verba sunt erronea: quia ex his sequitur, quod Iesus inquantum Deus fuisset rex & Dominus ab æterno: & ita mundus fuisset ab æterno, quod est hæreticum. Dicendū est igitur, quod sicut Deus pater non habuit seruum ab æterno, ita non fuit Dominus, nec etiam rex ab æterno: sed ex tempore per creationem rex absq; sui mutatione vel mutabilitate factus est rex & Dominus: ita etiam Iesus inquantum Deus non habuit regnum, & vniuersale dominium ab æterno, sed cum tempore post consubstantialitatem eius cum patre. (*Et inquantum homo ex tempore, scil. ab instanti suæ conceptionis ex Dei datione.*) Hoc improbatum est supra.

Cap. XCIV.

ET nihilominus habuit dominium aliquarum rerum temporalium non ab instanti suæ conceptionis, sed postea successiue modis aliis: vtpote ex collatione fidelium, vel emptione acquisitarum: & quæ sint illa, videamus.

Nullus autem de his potest melius testimonium perhibere, quam Apostoli & discipuli eius, videamus ergo quid super hoc ipsi dicant specialiter à tempore, quo cœpit miracula facere & prædicare, certe narrant ipsum habuisse aliqua, licet pauca, habuit itaque vestimenta. Vnde legitur Matth. 17. in transfiguratione sua vestimenta eius facta esse alba, sicut nix. Item Ioh. 13. dicitur de eo sic: Surgit à cœna & ponit vestimenta sua, *&c. Item Ioh. 19 in persona eius legitur:* Partiti sunt vestimenta mea sibi & in vestem meam miserunt sortem, *& ad idem facit Matthæi 27. Item Iohannes Baptista videtur supponere, quod habuit calciamenta. Legitur enim Matth. 3. quod beatus Iohannes Baptista loquens de eo dixit:* Cuius non sum dignus calciamenta portare. *Marc. prim. recitatur ipsum dixisse:* Cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calciamentorum eius. *Itē Iohannes supponit ipsum loculos habuisse, in quibus Iudas quæ mittebantur portabat, vnde Ioh. 13. cum dixisset Iuda Iesus:* Quod facis, fac citius. *Quidam putauerunt, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus:* Eme ea, quæ opus nobis sunt ad diem festum: aut vt egenis aliquid daret, *& quod loculi essent Iesu, patet per Augustinum dicentem:* Habebat Dominus loculos à fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus aliisque indigentibus tribuebat, *vt habetur* 12. quæst. 1. cap. habebat, *& patet per illud, quod in eius persona Psalmista dicit:* Qui manducat meum panem, leuabit calcaneum suum contra me, *& recitatur Iohan. 13. Quod autem vinum interdum habuit, patet quod ad minus in cœna illa habuit, in qua eucharistia instituit sacramentum. De quo habetur Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. Iste ergo hereticus dicendo Christum Iesum Dominum nostrum non habuisse dominium aliquod temporalium, scripturis prædictis Veteris & Noui Testamenti contradicit expresse.*

Postquam in parte præcedenti ille impugnatus ostendit, quod Christus ab instanti suæ conceptionis habuit ex Dei datione regnum & vniuersale omnium temporalium rerū dominium: hic conatur ostendere, quod præter illud vniuersale dominium non ab instanti suæ conceptionis, sed post quarundam rerum temporalium per modos, sc. emptione vel collatione fidelium, acquisiuit dominium. Et posset hæc pars diuidi in tres. Prior enim proponit conclusionem, quam intendit probare. Secundo probat eam. Tertio ibi; *Iste ergo hereticus*, &c. concludit quod appellans scripturæ diuinæ contradicit. Secunda pars posset diuidi in quinq; partes, secundum quod primo probat per tres auctoritates, quod Christus habuit dominiū vestimētorum, secundo probat ꝑ tres auctoritates, quod habuit dominiū calciamentorū: ibi, *Item B. Iohan.* tertio per duas auctoritates ostendit, quod habuit dominium loculorum, ibi: *Item Ioh. supponit*, quarto vnica auctoritate, quod habuit dominium panis, ibi: *Et patet per illud*, quinto vnica auctoritate, quod habuit dominium vini ibi; *Quod autem vinum.*

Sed isti impugnatores contra prædicta quatuor probare conantur. Primo generaliter, quod Christus nullius rei temporalis habuit dominium temporale. Secundo quod Christus nō habuit calciamenta, etiam quantum ad vsum. Tertio specialiter, quod Christus nō habuit proprietatem & dominium loculorum. Quarto declarant, quomodo Christus aliquas res habuit absq; dominio & proprietate. Primum igitur, sc. quod Christus nullius rei habuit dominium & proprietatē, sed quod oē dominiū & proprietatē cuiuslibet rei temporalis abdicauerit. Primo ostendunt ꝑ determinationem ecclesiæ. Secundo probāt eandē determinationem ecclesiæ in scripturis diuinis, & sanctorum auctoritatib. esse fundatā. Quod aūt ex determinatione ecclesiæ habeant, ꝙ Christus oēm proprietatē cuiuslibet rei temporalis abdicauerit, dicunt esse tam apertū, ꝙ nullus legens eandem determinationē, de hoc poterit dubitare. In decretali enim *Exiit*, sicut sæpe extitit allegatum, continentur hæc verba: *Omnis abdicatio proprietatis huiusmodi rerū tam in speciali quam in cōmuni propter Deum meritoria est, & sancta: quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmauit.* Quibus verbis patenter asseritur, ꝙ Christus omnium temporaliū abdicauit dominium & proprietatē tam in speciali, quam etiam in cōmuni, ergo nullius rei temporalis habuit dominium seu proprietatē, neq; in speciali, neq; etiā in cōmuni, ergo per collationē fidelium & emptionē non acquisiuit rerum dominiū. Ista verba supra pertractata sunt *c. 9.* & ideo illa quæ hic desunt, ibi quærantur. Secundo isti impugnatores ostēdunt, quod prædicta determinatio ecclesię in scripturis diuinis & sanctorum auctoritatib. est fundata. Quod probant primo sic. Illud ꝙ Christus docuit Apostolos & alios facere: & Christū hoc facere fuit vtile fidelibus, hoc ipsemet Christus fecit, sed Christus docuit Apostolos & alios omnium rerum temporaliū abdicare dominium, tā in speciali q̃ etiam in cōmuni: & Christū hoc facere fuit vtile fidelibus, igitur Christus hoc fecit. Et ita Christus omniū temporalium abdicauit dominiū, tā in speciali, q̃ etiam in cōmuni. Quomodo illa ratio ex scripturis diuinis capiat fulcimētum, qualiterq; cōfirmari ac roborari valeat, & defendi, ex his quæ dicta sunt *c. 9. & 11. & 92.* aperte patet. Et ideo si quis de ipsa dubitauerit, videat illa quæ in dictis capitulis disseruntur. Secundo sic arguunt: Paupertas Apostolica non fuit maior, nec altior paupertate Christi, sed Apostoli reliquerunt proprietatem & dominium omnium temporaliū, tam in speciali, quam etiam in communi, igitur & Christus omniū proprietatem & dominium abdicauit. Maior ex his, quæ dicta sunt *capitulo præcedenti* euidenter colligitur: quia in nulla perfectione, quæ ad vtilitatem spectabat credentium, aliquis vnquam Christum expressit, igitur Apostoli in virtute paupertatis non solum interiori, sed etiam exteriori Christū minime excesserunt, minor ex his quæ probata sunt *c. 2.* sufficienter apparet, ibi enim probatum est, ꝙ Apostoli abdicationē proprietatis omniū temporalium, tam in speciali, q̃ eiam in cōmuni seruauerunt, & de hoc inferius disseretur. Sequitur igitur, ꝙ Christus omniū rerū tam in speciali q̃ etiam in communi abdicauit dominiū & proprietatē. Tertio sic: Paupertas quorumcunq; religiosorum non est maior, nec altior paupertate Christi, sed aliqui religiosi, scili. Fratres Minores, vouent abdicationem ꝓprietatis cuiuslibet rei temporalis, ergo Christus proprietatē omnium temporalium abdicauit

uit tam in speciali quam etiam in cõmuni. Maior videtur manifesta, & ex praecedentibus colligitur euidenter: tum quia Christus fuit exemplar omnis perfectionis & veritatis, tum quia Christus fecit ea, quae docuit, docuit autem illam paupertatem, quam religiosi seruant, igitur paupertas illorum religiosorum non est altior paupertate Christi, minor euidẽter colligitur ex rescriptis & decretalib. summorum Pontificum, quę recitata sunt in hoc opere *c.32. & 71.* Quarto sic: Paupertas euangelica perfectissime relucebat in Christo, sicut & aliae virtutes euangelicae perfectissime fuerunt in ipso, sed ad pfectionem euangelicae paupertatis spectat abdicatio proprietatis omnium temporalium in speciali & in cõmuni. Haec ex *c.13.* probatur aperte, ergo Christus omnium temporalium proprietatem & dominium abdicauit. Ex his patet manifeste, quod Christus nullius rei temporalis habuit dominium per proprietatem in speciali: quod insuper ex alio ostenditur. Ex hoc videl. quod omnes religiosi imitantur paupertatem Christi, religiosi autem non habent proprietatem alicuius in speciali, ergo nec Christus habuit proprietatem cuiuscunque rei temporalis in speciali. Item Christus non fuit magis proprietarius, quam illi, de quibus dicitur Act. 2. & 4. *Multitudinis credentium erat cor vnum, &c.* sed nullus eorum habuit proprietatem alicuius rei in speciali, ergo nec Christus habuit alicuius rei proprietatem in speciali.

Secundo ostendunt isti impugnatores, quod Christus non habuit calciamenta etiam quo ad vsum: quod ratione in scriptura diuina considerata probare conantur. Est autem ratio talis. Christus fuit forma & exemplar vitae, quam tradidit Apostolis & discipulis aliis obseruandam, ipso attestante, qui Ioh. 13. ait: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Hoc etiam B. Petrus asserit manifeste in canonica sua prima c.2. dicens: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius.* Sed Christus praecepit Apostolis, aliisq; discipulis, vt calciamentis minime vterentur, vnde Matth. 10. sic legitur: *Hos duodecim misit praecipiens eis, &c.* & post: *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, nec peram in via, neque duas tunicas, neque calciamenta, &* Marc. 6. sic legitur: *Conuocauit duodecim & coepit eos mittere binos: & dabat ipsis potestatem immundorum spirituum, & praecepit illis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum: non peram, non panem, neque in zonis aes, sed calciatos sandaliis,* & Luc. 10. sic habetur: *Post haec autem designauit Dominus & alios 72. & misit illos binos, &c.* & post: *Nolite portare sacculum, neque peram, neque calciamenta.* Ergo Christus vsum calciamentorum Apostolis & nonnullis aliis discipulis interdixit. Quod etiam sanctorum auctoritates testantur expresse. Vnde Ambros. in lib. de Fuga seculi ait: *Iesus discipulos sine calciamentis & pecunia misit.* Item Hieronymus ad Eustochium ait: *Moyses & Iesus Naue nudis in terra pedibus iubentur incedere: & discipuli sine calciamentorum onere & vinculis pellium nudi ad praecepta noui euangelii destinantur: & milites vestimentis in sorte diuisis caligas non habebant, quas tollerent, nec habere poterat Dominus, quod prohibuerat in seruis.* Item Iohannes Chrysostomus vltima homil. super Matth. dicit: *Apostoli vna tunica induti & discaltiati omnes superauerunt,* & idem homel. 32. dicit sic: *Christus Apostolis dixit: nunquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos & discalciatos?* Item Bernard. de septem horis, tertia hora ait: *Postea cogita, quomodo habebat illos suos sanctissimos pedes confractos, quia cum festinatione duxerunt eum & reduxerunt: nec credas quod esset calciatus: quia nec ipse nec discipuli eius calciamentis vtebantur.* Item Glossa super illud Matth. decim. *Nolite possidere aurum, &c.* ait: *Propemodum necessaria vitae amputauit, ne curent de crastino, qui docet omnia regi à Deo: nec ipsa necessaria, nec cellarium secum vehant, nihil praeter vestimentum, nec etiam minima: ergo nec habuerunt calciamenta.* Ex his aliisque compluribus constat aperte, quod Christus prohibuit ne Apostoli aliique eius discipuli calciamenta portarent, ergo & ipse vsum calciamentorum abiecit. Tertio isti specialiter probare conantur, quod Christus non habuit proprietatem & dominium loculorum, quod probant primo sic. Christus nullius rei temporalis habuit proprietatem, saltem in speciali, ergo nec loculorum proprietatem habuit saltem in speciali. Antecedens probatum est prius: & adhuc amplius potest ostendi, hoc enim Glossa ad Hebr. testari videtur, quae ait: *Succincti & expediti currimus sine dubitatione ad certamen martyrii, aspicientes in auctorem: qui ideo bona terrae contempsit, vt contemnenda monstraret,* sed si aliquid contempsit vt contemnere monstraret, sequitur quod proprietatem omnium abdicauit, vt proprietatem omnium abdicandam monstraret. Aliter enim non dedisset exemplum abdicationis omnium, quantum ad proprietatem in speciali: & per consequens nequaquam omnia contempsisset perfecte. Secundo sic arguunt. Christus seruauit formam viuendi, quam Apostolis instituit obseruandam, sed Christus praecepit Apostolis & euangelizantibus verbum Dei, quod non haberent proprietatem pecuniae, ergo nec ipse proprietatem habuit loculorum. Maior probata est prius: & similiter minor, quae adhuc sanctorum testimoniis declaratur. Ait enim Chrysostomus super illud Matth. 10. *Nolite possidere aurum neque argentum, &c. Intende qualiter omnibus eos denudans omnia eis dedit: permittens in domibus eorum, qui docentur, manere nihil habentes. Si autem qui in aliena patria existentes & apud ignotos abeuntes, nihil aliud oportet portare à quotidiano cibo, multo magis domi manentes.* Et Rabanus idem ait: *Consequenter hoc praecepit euangelizatoribus veritatis, quibus ante dixit: Gratis accepistis gratis date. Si enim sic praedicant, vt pretium non accipiant, superflua est auri & argenti nummorum possessio. Nam si cumulassent aurum & argentum, viderentur non causa hominum, sed causa lucri praedicare.* Item Ambrosius super illud Lucae: *Nihil tuleritis in via,* ait: *Qualis esse debeat, qui euangelizat regnum Dei, praeceptis euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calciamentis, id est subsidii temporalis adminicula non requirens fidei, qua tutius putet sibi quo minus ea requirit magis posse suppetere.* Item Hieronymus ad Hieremiam ait: *Apostoli toto orbe peregrini non aes in zona, non virgam in manu, non caligas habere sinuntur in pedibus.* Ex his aliisque compluribus patet aperte, qnod Christus

Apostolis & aliis euangelizatoribus veritatis præcepit, ne pecuniam possiderent, & quod ipsi peregrinando per mundum pecuniam minime possiderent, ergo multo magis Christus euangelizans p mundum proprietatem non habuit pecuniæ vel loculorum. Tertio sic probant assertionem eandẽ: Christus non habuit proprietatem in speciali illorum quę erant communia: sed illa quę portabantur in loculis, erant cõmunia, teste Gloss. super illud Matt. 17. *Vade ad mare*, &c. quæ ait: *Dominus tãta paupertatis fuit, vt vnde tributum daret non haberet. Iudas quidem habebat communia in loculis: sed res pauperum in vsus suos conuertere nefas duxit ipsum dans exemplum nobis*, ergo Christus non habuit proprietatem loculorum in speciali. Sed dicet aliquis, quod secundum prædicta Christus habuit proprietatem loculorum saltem in cõmuni: quia hic dicuntur illa, quæ erant in loculis, fuisse cõmunia. Ad hoc dici potest dupliciter. Dicunt n. quidam, quod ea quæ portabantur in loculis, erant cõmunia, quo ad aliqualẽ proprietatem extenso modo accepto nomine *proprietatis* toti communitati fidelium, & ideo pertinebant ad proprietatẽ Christi in speciali: nec ad proprietatẽ Christi & Apostolici collegii secundum q dictum collegium distinguebatur à cõmunitate fidelium, sicut pars à toto. Et aliter dicitur, quod illa quæ erãt cõmunia, non Christo & Apostolis tm̃, sed etiam aliis pauperibus & indigentibus, quo ad licitam potestatem vtendi ipsis, pro suis necessitatibus subleuandis, & ideo non erant communia eis quo ad dominium & proprietatem: sicut modo bona ecclesiæ dicuntur esse pauperum, non quo ad dominium & proprietatẽ, sed quia deputata sunt ordinata ad pauperes sustinendos: ita illa quæ portabantur in loculis deputata erant ad releuandas indigentias Christi & discipulorum suorum, ac pauperum aliorum, & tali modo erant eis communia, non quo ad dominium & proprietatem, & ille intellectus tam ex euangelio quam ex sanctorum auctoritatibus colligitur euidenter. Vnde Ioh. 12. sic scribitur de Iuda dicente: *Quare hoc vnguentum non veniit trecentis argenteis, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat & loculos habens ea, quæ mittebantur portabat*, & vt legitur Matthæi 26. Discipuli alii dixerunt: *Vt quid perditio hæc? Potuit enim venundari multo & dari pauperibus.* Ex quibus verbis colligitur, quod illa quæ portabantur in loculis, custodiebantur pauperibus & egenis, quod Glossa Iohannis duodecim, testatur dicens: *Cui angeli ministrabant, loculos habebat in sumptus pauperum condescendens infirmis*, quod etiam Iohannes Euangelista aperte insinuat dicens capitulo decimo tertio. *Quidam autem putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut vt egenis aliquid daret.* Ex quibus insinuatur aperte, quod ea quæ portabantur in loculis ad releuandas indigentias Christi & aliorum pauperum deputata fuerunt, quod Glossa ibidem asserit manifeste dicens: *Quia loculos in quibus oblata seruabantur habebat suorum necessitatibus & aliis indigentibus, in quo forma ecclesiæ seruandi necessaria est instituta, qua iubentur non cogitare de crastino, ne pro terrenis seruiat vel timore inopia iustitiam deserat.* Item Augustinus ibidem ait: *Habebat enim Dominus loculos à fidelibus oblata obseruans, & suorum necessitatibus & aliis indigentibus tribuebat: tunc primum ecclesiastica pecunia forma est instituta.*

Item Hieronymus super illud Matthæi decimo septimo. *Vade ad mare & primum piscem*, &c. ait: *Dominum tantæ fuisse paupertatis, vt vnde tributa pro se & Apostolis solueret, non haberet. Quod si quis obiicere voluerit, quomodo in loculis Iudas portabat pecuniam? Respondebimus, res pauperum in vsus suos conuertere nefas putauit.*

Item Chrysostomus super istis verbis Iohan. 13. *quia loculos habebat Iudas*, &c. ait: *& nimirum nullus discipulorum pecunias deferebat: sed per hoc, quod dicit, occulte insinuat, quod quædam mulieres eum de suis facultatibus nutriebant, qui autem non virgam, non peram, non æs iubet deferre, loculos ferebat ad inopum ministerium: vt discas quoniam valde pauperem & mundo crucifixum huius oportet partis multam facere procurationem, multa enim ad nostram doctrinam dispensans agebat.* Ex prædictis liquet aperte, quod illa quæ portabantur in loculis, nõ erant deputata, nisi ad sustentationem Christi & discipulorum & pauperum aliorum. Sed quæret aliquis, ad cuius dominium pertinebant illæ pecuniæ? & non videtur quod poterant pertinere nisi ad dominium Christi vel Apostolorum, quod Augustin. insinuare videtur, cum dicit, quod *tunc primum ecclesiasticæ pecunia forma est instituta.* Ex quo ecclesiastice videtur concludi, quod cum prælati ecclesiæ habeant aliquale dominium pecuniæ, quod Christus tunc habuit aliquale dominium illius pecuniæ, cum ipse solus fuerit tunc prælatus fideliũ. Ad istud dicunt aliqui, quod dominium illius pecuniæ non plenum nec ita liberum, quale in rebus suis habẽt mundani, sed aliquale, quo videlicet poterat aliquis propter ista in iudicio litigare, pertinebat ad communitatem fidelium, quæ includebat Christum & Apostolos ac omnes fideles. Alii dicunt, quod illarum pecuniarum dominium pertinebat ad dantes: quia ipsi tantummodo deponebant pecuniam de voluntate Christi pro indigentium necessitatibus releuandis præsens sibi dominium retinentes. Vnde dicunt, quod pro magna parte ista erat pecunia mulierum, quæ sequebantur Christum & ministrabant ei de facultatibus suis, vt habetur *Lucæ 8.* Quarto isti declarare nituntur, quomodo Christus aliquas res habuit absque earum dominio & proprietate dicentes quod, sicut ostensum est *supra ca. 2.* huiusmodi vocabula *meum, tuum, suum, eius, ipsius, habere*, & huiusmodi, in significatione multipliciter accipiuntur in scripturis. Aliquando enim important dominium & proprietatem: aliquando vsum facti: aliquando licitam potestatem vtendi: aliquando consuetudinem vtendi: aliquando custodiam, & aliis variis modis quasi innumerabilibus accipi possunt. Quare concedi potest, quod Christus res varias habuit quantum ad vsum, & quantum ad licitam potestatem vtendi, & quantum ad consuetudinem vtendi, & quantum ad dispensationem aliqualem seu dispensationem: licet non habuit dominium & proprietatem.

His

His visis super litteram aliqua sunt notanda, & auctoritates inductæ sunt soluendæ. (*Et nihilominus habuit dominium aliquarum rerum temporalium non ab instanti sua conceptionis.*) Ista verba contradicunt aliis dictis suis: quia dicit, quod ab instanti suæ conceptionis habuit vniuersale dominium omnium rerum temporalium: & quia tali dominio renunciare non potuit, ergo nullæ res fuerunt tempore Christi, quarum non habuit dominium ab instanti suæ conceptionis: nisi dicas, quod non habuit illarum rerum dominium ab instanti conceptionis suæ, quæ tempore conceptionis suæ non fuerunt in rerum natura, quarum etiam rerum Deus non habuit tunc dominium, quia tunc non erant, sed de talibus rebus iste non loquitur: quia forte pecuniæ quas dicit Christus postea habuisse, & non ab instanti suæ conceptionis, tunc fuerunt: & ita fuerunt forte nonnullæ aliæ res. Nec posset ista contradictio saluari, nisi quis æquiuocationē dominiorum vel modorum habendi dominium assignaret; quod ille non pōt (*sed postea successiue modis aliis: vtpote ex collatione fidelium vel emptione acquisitarum*) si Christus postea acquisiuit aliquarum rerum dominium, aut acquisiuit dominium proprium, aut commune, non commune, quia perdidisset dominium proprium, quod habuerat primum; quod ille negat, nec dominium proprium, quia tunc in eisdem reb. habuisset duo dominia propria: sc. primum ab instanti suæ conceptionis, & aliud postea acquisiuit: quod est inconueniens. Nec potest quis assignare differentiam talium duorum dominiorum in eadem re (*narrant ipsum habuisse aliqua, licet pauca*) sed de dominio & proprietate nullam penitus faciunt mentionem: & per consequens de dominio nouiter acquisito nullam faciunt mentionem, & ita esto, quod habuisset omnium vniuersale dominium, per dicta Apostolorum & discipulorum non posset inferri quod habuisset aliquarum rerum dominium post conceptionem Christi nouiter acquisitum: sed tam faciliter dicent, qui vellent, quod habuit dominium illarum rerum ab instanti suæ conceptionis, sicut aliarum. (*Habuit itaq; vestimenta*) verum est, quantum ad vsum, sed quæreret aliquis, cuius fuerunt vestimenta quantum ad dominium & proprietatem? Et dicunt isti, quod quantum ad veritatem euangelii nō refert cuius fuerint quo ad dominium, dummodo non fuerint Christi quo ad dominium & proprietatem. Dicunt tamen quidam illorum, quod quemadmodum templum & nonnulla vasa in templo in Veteri Testam. fuerūt solius Dei quo ad dominium, & ministrorum templi quo ad vsum: ita vestimenta Christi erant solius Dei quo ad dominium, & Christi inquantum erat homo quo ad vsum. Aliqui vero dicunt, quod erant dantium: aliqui etiam dicunt, quod in nullius hominis erat dominio. (*Et vestimenta eius.*) Ex hoc quod erant eius nō potest concludi, quod erant sua quo ad dominium: sicut nec ex hoc quod Nazareth erat ciuitas Mariæ & Ioseph, cum dicatur de eis Luc. 2. *Reuersi sunt in Galilaam in ciuitatem suam Nazareth*, potest concludi, quod Nazareth erat Mariæ & Ioseph quo ad dominium & proprietatem: sed sicut ibi Nazareth erat ciuitas Mariæ & Ioseph, quo ad consuetudinem habitandi, ita illa vestimenta erant Christi quo ad consuetudinem vtendi. (*Ponit vestimenta sua*) quo ad consuetudinem vtendi (*partiti sunt vestimenta mea*, &c.) sicut prius erant Christi quo ad consuetudinem portandi. (*Quod habuit calciamenta.*) Hoc improbatum est prius (*non sum dignus calciamenta portare*) hoc ad literam exponi potest dupliciter, vno modo, vt intelligatur conditionaliter: hoc est, si haberet calciamenta, non essem dignus calciamenta portare, aliter, quod per calciamenta intelligantur sandalia, quibus vsus fuit Christus (*soluere corrigiam calciamentorum*) sicut prius, vt soluam corrigiam calciamenti, sicut ad primam istarum. (*Item Iohannes supponit ipsum loculos habuisse*) hoc verum est, quantum ad aliqualem dispensationem: sicut etiam multi fratres Cistertienses habent aliqualem dispensationem in rebus, in quibus tamen non habent dominium seu proprietatem (*in quibus Iudas qua mittebantur portabat.*) Quæret aliquis, quomodo Christo permittente & cōsentiente Iudas portabat pecuniam: cum Christus sibi, sicut aliis Apostolis, interdixerit portare pecuniam? Dupliciter dici potest, vno modo, quod Christus, qui erat supra omnem legem positiuam, dispensauit cum eo, alio modo, quod hæc fecerit tempore necessitatis, quæ legem non habet, aliis autem temporibus non portauit. (*Loculos habebat Iudas.*) Arguat hic ille impugnatus, quod Iudas, non Christus habuit proprietatem loculorum: quia hic dicitur Iudas loculos habuisse. In tota autem sacra Scriptura non inuenitur vocaliter dictum, quod Christus habuit loculos, si ergo non obstante, quod dicatur Iudam loculos habuisse, non potest inferri, quod habuit proprietatem in loculis: sequitur quod nec ex scripturis potest inferri, quod Christus habuit proprietatem in loculis. (*Habebat Dominus loculos.*) Ista sunt verba Augustini, non Euangelistæ, quæ recte sunt intelligenda, scilicet quod Dominus habebat loculos, scilicet quantum ad aliqualem dispensationem absque dominio & proprietate (*tribuebat*) hoc est, ordinabat tribuendum. (*Qui manducat meum panem*) quantum ad aliqualem dispensationem. (*Quod ad minus in cœna ista habuit scil. vinum*) habuit vinum tunc, quantum ad vsum, vinum, in quo instituit sacramentum, non fecit suum inquantum erat homo quo ad dominium: sicut sæpe vinum, in quo sacerdos conficit, non est suum quo ad dominium, postquam autem confecerat, species vini erant specialiter Dei quo ad dominium (*scripturis prædictis Veteris & Noui Testamenti contradicit expresse.*) Patet per prædicta, vt isti dicunt, quod non contradicit, sed concordat.

CAP. XCV.

ET si velit dicere, quod illi regno & dominio renunciauit expresse, ostendat illud si sciat: *quod tamen, vt credimus, per sacram Scripturam non poterit*: *imo contrarium sacra Scriptura exponit expresse*: *qua supponit*

nit eum non longe à passione sua dixisse: Vos vocatis me magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. *Item istud Matt.21. vbi Dominus duobus discipulis dixit:* Ite in castellum quod contra vos est: & statim inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea: soluite & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit: dicite quia Dominus his opus habet. *Itē tempore passionis se regem recognouit, vt probatum est supra. Item Dauid in persona eius legitur dixisse, etiam pro tempore passionis eius:* Diuiserunt sibi vestimenta mea: & super vestem meam miserunt sortem. *Et recitatur Matt.27. Ex quibus euidenter apparet ipsum regno & dominio nō renunciasse prædictis: imo videtur quod nec potuerit renunciare: & si fecisset, contra ordinationem patris fecisset. Dicit enim Daniel. 2. vbi de eius regno fit mentio, sic:* Suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur: & regnum eius alteri non tradetur. *Item Daniel.7. dicitur sic:* Dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus & linguæ ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur.

In parte ista ostendere nititur, quod Christus regno & vniuersali dominio nequaquam renunciauit. Primo autem dicit, quod appellans non potest probare per Scripturam S. quod renunciauit regno & vniuersali dominio. Secundo ibi: *imo contrarium,* probatur per tres auctoritates, quod Christus non renunciauit regno & dominio, sed ipse retinuit. Tertio ibi: *imo videtur,* probatur, quod Christus nō potuit renunciare regno & dominio, tali ratione: Christus non potuit facere contra ordinationem Patris, sed Pater ordinauit, quod regnum Christi duraret in perpetuum, ergo Christus regno & dominio renunciare non potuit, maiorem supponit tanquam certam habens pro impossibili, quod Christus fecisset contra ordinationem Patris, maiorem probat duabus auctoritatibus Daniel.

Sed isti impugnatores, licet concedant, quod Christus non renunciauit regno & dominio proprie loquendo: quia ei, quod non est, renunciare non potest. Christus autem ante passionem suam nunquam habuit inquantum homo regnum temporale & dominium, seu proprietatem omnium temporalium, & per consequens eidem minime renunciauit, loquendo proprie, tamen dicunt istum impugnatum hic in duobus errare. Quorum primum est, quod Christus non longe ante passionem habuit regnum temporale & dominium seu proprietatem temporalium rerum. Secūdum est, quod ideo Christus nullo modo potuerit renunciare regno & dominio: quia si fecisset, contra ordinationem Patris fecisset. Primum improbatum est prius: vbi ostensum est, quod Christus inquātum homo mortalis nunquam habuit regnum temporale & vniuersale rerum dominium seu proprietatem; & per consequens multo magis ex quo cœpit prædicare, non habuit regnum & dominium supradicta. Et quod tunc non habuit regnum & dominium memorata facile posset ostendi. Quod autem non habuit vniuersale dominium omnium in *sequenti cap.* patebit. Hic vero probabitur, quod regnū non habuit temporale. Hoc enim B. Augustinus in quodam sermone de Innocentibus testatur expresse, qui loquens de regno Christi ait: *Putabat se infelix tyrannus Domini Saluatoris aduentu regali solio detrudendum: sed non ita est. Non ad hoc venerat Christus, vt alienam gloriam inuaderet, sed vt suam donaret. Non, inquam, ad hoc venerat, vt regnum terrestre præriperet, sed vt cæleste donaret. Non venerat ad potestates dignitatesque rapiendas, sed ad contumelias & iniurias perferendas. Non ad hoc venerat, vt sacrum illud caput ad diadema gemmatum, sed ad coronam spineam præpararet. Non inquam ad hoc venerat, vt constitueretur supra sceptra magnificus, sed vt crucifigeretur illusus.* Item Leo Papa in quodam sermone de *Epiphania*, ait: *Sed apparet illos* (scilicet Iudæos) *carnaliter cum Herode sapuisse, & regnum Christi cum huius mundi potestatibus æstimasse, vt & isti temporalem sperarent ducem, & terrenum metueret ille consortem.* Ex his verbis clare patet, quod regnum Christi non fuit tale, quale est regnum terrenorum: nec Christus fuit Dux temporalis: & per consequens Rex fuit minime temporalis. Item Augustinus in epistola ad Manducantes, ait: *Itaque non Christus regno decoratus, nec Christus terrenis opibus diues, nec Christus vlla terrena felicitate præfulgens: sed Christus crucifixus per totum terrarum orbem prædicatur.* Item Gregorius in Pastorali ait: *Ipse Dei & hominum mediator regnum percipere vitauit in terris, qui supernorum spirituum scientiam, sensumque transcendens ante secula regnat in cœlis, qui enim idcirco in carne venerat, vt non solum populum redimeret, verum etiam per suam conuersationem doceret exempla sequentibus præbens rex fieri noluit. Ad crucis vero patibulum sponte peruenit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis expetiit, vt membra eius discerent fauores fugere, terrores minime timere, pro veritate aduersa diligere, prospera formidando declinare.* Item Augustinus super illud Iohan. prim. *Ergo cum cognouisset quia venturi essent,* &c. ait: *Putare ipsum regnare tunc, quemadmodum turba putabant, erat eum rapere, id est indebite trahere, ac de ipso æstimare.* Ex his claret, quod qui putabant Christum regnare temporaliter, trahebant Christum indebite, ac de ipso etiam indebite æstimabāt. Sed dicet aliquis, quod Christus fuit rex temporalis, quamuis temporaliter non regnaret, sed istam obiectionem confutat beatus Augustinus super illud Iohannis; *Abiit Iesus trans mare Galileæ,* qui ait: *Venit ipse vnus vtramque personam in se portans, sacerdotis & regis, sacerdotis per victimam, quam seipsum obtulit pro nobis Deo, regis, quia regimur ab eo.* Ex quibus verbis constat aperte, quod Christus non dicebatur rex, nisi quia rexit, & per consequens quia regnauit, sed non regnauit temporaliter: ergo non fuit rex temporalis. Item Glossa super illud Iohan. decim. octau. *Regnum meum non est de hoc mundo,* ait: *hoc est regnum, quod nos scire noluit, si quod prius vicisset interrogando, ostendere voluit: quia & de suo regno hominum esset opinio Iudæorum, gentium, quæ ostensa apertius vtrisque respondetur, Regnum meum non est de hoc mundo. Decepti estis: non enim impedio dominationem vestram in mundo, ne vane timeatis & sæuiatis: sed ad regnum cæleste credendo venite.* His concordat Ambrosius in hymno Epiphaniæ dicens:

Hostis

Hostis Herodes impie,
Christum venisse quid times,
Non arripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.

Item consimiliter sonat Glossa in principio libri prouerbiorum, dicens: *parabolæ Græce, Latine similitudines: quod vocabulum ideo Salomon huic operi imposuit, vt non iuxta literam intelligamus, quæ dicit, in quo Dominum parabolica turbis locuturum signat, sicut nomine suo & regno pacificato regnum Christi multiplicabitur eius imperium, de quo dictum est: Et regni eius non erit finis. Et, super solium eius sedebit. Ipse etiam Christus super Dauid & rex spiritualis Israel.* Ex his aliisque quamplurimis colligitur euidenter, quod Christus non venit regnum temporale suscitare, nec rex fieri voluit temporalis, neque dignitates assumere temporales: sed rex extitit spiritualis Israel. Quomodo autem tempore passionis recognouit se regem non temporaliter, sed spiritualiter, est in præcedentibus declaratum.

Secundum, in quo dicunt istum errare, est, quod ideo Christus nullo modo potuit renuntiare regno & dominio supradictis: quia si fecisset, contra ordinationem patris fecisset. Ad cuius intellectum dicunt esse sciendum, quod iste opinatur, quod omnia de necessitate eueniunt, ita quod contradictionem includit quæcunque euenire aliter quàm eueniunt, cum ratio fundamentalis est, quia Deus omnia ab æterno quomodo debeant fieri ordinauit: contradictionem autem includit, quod ordinatio diuina impediatur, ergo contradictionem includit, quod quæcunque aliter eueniant, quàm eueniunt. Istam rationem generalem ad probandum, quod omnia de necessitate eueniunt, ipse hic applicat ad materiam specialem: scilicet quod Christus non potuit renunciare regno & dominio supradictis: quia Deus pater ab æterno ordinauit, quod Christus non renunciaret regno & dominio, sed contradictionem includit, quod ordinatio diuina impediatur: & per consequens contradictionem includit, quod Christus faceret contra ordinationem patris, ergo contradictionem includit, quod Christus renunciauerit regno & dominio sæpedictis. Nec valet dicere ad excusationem ipsius, quod per potentiam Dei ordinatam non potuit fieri, quod Christus renunciauerit regno & dominio, & sicut intellectus illius habet: hoc tamen potuit fieri per Dei potentiam absolutam, quæ potest in omne illud, quod nequaquam contradictionem includit. Quia iste impugnatus, vt quidam istorum impugnatorum dicunt se audiuisse ab ore eius, & ipse postea in sermonibus suis declarauit, negat illam distinctionem Theologorum de potentia Dei ordinata & absoluta, intendens multis rationibus ostendere, quod quicquid potest Deus de potentia absoluta, potest etiam de potentia ordinata, & quicquid non potest de potentia ordinata, non potest de potentia absoluta. Vnde & quidam istorum impugnatorum propter illam distinctionem, & illa quæ sequuntur ex ipsa principaliter, acerbe prosequuntur.

Principalis autem ratio, quare negat istam distinctionem de potentia absoluta & ordinata, est, quia si Deus aliquid faceret de potentia absoluta, quod non facit de potentia ordinata, Deus posset aliquid facere quod non ordinauit se facturum: & ita Deus esset mutabilis. Alia ratio sua est: quia in Deo idem est essentia & potentia, sed in Deo non sunt duæ essentiæ: ergo nec duæ potentiæ. His visis dicunt isti, quod iste hic dogmatizat implicite hæresim detestandam: scilicet quod omnia de necessitate eueniunt, ideo sic contra istum procedunt. Primo probant, quod non omnia de necessitate eueniunt. Secundo ostendunt, quod nulla quantum ad diuinam potentiam de necessitate eueniunt. Tertio moliuntur ostendere specialiter, quod si Christus habuit regnum & dominium supradicta, ipse potuit absolute renunciare eisdem. Quarto declarant, quomodo debet intelligi, quod in Deo est duplex potentia, scilicet absoluta & ordinata: & quomodo Deus potest aliqua facere de potentia absoluta, quæ non facit de potentia ordinata. Quinto ad rationes, quæ pro hæresi sua tanguntur, respondent.

Primo ergo probare conantur, quod non omnia de necessitate eueniunt, sed quod aliqua possent aliter euenire, & primo sic: Deus potuit & potest multa facere, quæ non fecit nec facit: & posset multa non facere, quæ facit, ergo multa potuerunt & possent aliter euenire, quod eueniunt & euenerint, & per consequens non omnia de necessitate eueniunt, sed plura contingenter. Antecedens probatur auctoritatibus manifestis. Nam, vt habetur Matth. 3. Iohannes Baptista ait: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ,* & idem recitatur Lucæ 3. Ex quibus verbis, quæ non solùm mystice, sed etiam ad literam debent intelligi, patet quod Deus potuit de lapidibus suscitare filios Abrahæ: quod tamen nequaquam fecit. Secunda auctoritas habetur lib. Sap. c. 11. vbi sic scribitur. *Quod quidam errantes colebant mutos serpentes & bestias superuacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, vt scirent quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa, immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas & ignotas bestias, aut vaporem igneum spirantes, aut odorem fumi proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes, quarum non solum læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere. Nam & sine his vno spiritu occidi poterant.* His verbis patenter asseritur, quod Deus modis multis poterat malos occidere & punire, quibus tamen eos minime molestauit. Poterat ergo multa facere, quæ non fecit. Item, sicut legitur Danielis 3. capit. Sydrac, Mysac & Abdenago dixerunt ad regem Nabuchodonosor: *Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, O rex, liberare: quod si noluerit, notum sit*

tibi rex, quia Deos tuos non colimus. Ex his verbis colligitur euidenter, quod isti tres viri fideles catholici atque sancti firmiter crediderunt, quod Deus eos potuit liberare de camino ignis, & tamen nesciebant, an eos voluerit liberare, & per consequens ignorabant an eos esset liberaturus, ergo firmiter crediderunt, quod Deus eos potuit liberare, esto quod non esset eos liberaturus. Ex quo sequitur euidenter, quod crediderunt Deum posse facere aliqua, quæ non facit. Item, sicut legitur Luc. 1. dixit Angelus ad Mariam: *Non erit impoßibile apud Deum omne verbum.* Volens per hoc persuadere possibilitatem incarnationis: quæ persuasio nullam haberet apparentiam, nisi Deus posset facere aliqua, quæ non facit. Si enim Deus non posset facere alia, quam facit, & faciet: quantum ad rem, non esset differentia inter propositionem de futuro, & propositionem de possibili. Sed dicere, Deus potest incarnari, tantum valeret, ac si diceret, Deus incarnabitur: & ita sicut per illam: *non est poßibile apud Deum omne verbum*, non potest probari, quod Deus incarnabitur: ita per ipsam non posset probari, quod Deus potest incarnari, quare ad persuadendum possibilitatem incarnationis hæc propositio: *Non est impoßibile apud Deum omne verbum*, esset inutilis. Patet ergo, quod Deus potest facere multa, quę non facit. Quod etiam ratione probatur. Nam qui est omnipotens, potest facere multa, q̄ non facit, non enim dicitur aliquis omnipotens, q̄a facit omnia quæ facit: sed q̄a siue faciat siue nō faciat, omnia potest. Deus autē est omnipotens, sicut per scripturam sacram & Symbolū Apostolorum, ac etiā per Symbolum ꝙ cantatur in Missa, patet aperte, ergo Deus potest facere multa, q̄ non facit. Item, ꝙ Deus posset facere multa, q̄ non facit, probat Magister *Sententiarū lib. 1. di. 43.* auctoritate Saluatoris, Mat. 26. *An putas, quia nō possum* &c. sic dicens: *vt certius firmiusq; teneatur, scriptura testimoniis afferamus, Deum aliter facere posse quam faciat, veritas ipsa ait: An putas quia non possum rogare patrem & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Ex quibus verbis patenter innuitur, quod & filius poterat rogare quod non rogabat, & pater poterat exhibere quod non exhibebat, vterque igitur poterat facere, quod non faciebat. Item Augustinus in Encheridion, & Magister Sententiarum allegat ibidem, ait: *Omnipotens voluntas multa potest facere quæ non vult facere, nec facit.* Item Augustinus in eodem, vt Magister allegat vbi supra, ait: *Cur apud quosdam non sancta sint virtutes, quæ si sancta fuissent, egissent illi homines pœnitentiam: & sancta sint apud eos, qui non erant credituri: tunc non latebit quod nunc latet. Nec vtique Deus iniuste noluit saluos fieri, cum possent salui esse, si vellet. Tunc in clarißima sapientiæ luce videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifesta contemplatione videatur, quam certa & incommutabilis & efficacißima sit voluntas Dei, quæ præsit & non velit: nihil autem quod non poßit, velit.* Item Idem, vt recitatur ibidem, ait sic: *Dominus Lazarum suscitauit in corpore: nunquid dicendum est, non potuit Iudam suscitare in mente? Potuit quidem: sed noluit.* Item Augustinus super Genesi, & Magister recitat *dist. 44.* dicit sic: *Talem potuit Deus hominem fecisse, qui nec peccare posset, nec vellet, & tamen talem non fecit*, ergo Deus potuit facere, quod non fecit. Vnde & de istis, qui dicunt, Deum non posse facere aliud quam facit, dicit Magister Sententiarum lib. 1. distin. 43. in hæc verba: *Quidam tamen de suo sensu gloriantes Dei potentiam cogitare sub mensura conati sunt. Cum enim dicunt, hucusque potest Deus, & non amplius, quid est hoc aliud quam eius potentiam, quæ infinita est, conducere & restringere ad mensuram? Aiunt enim: Non potest aliud Deus facere quam facit: nec melius facere id quod facit: nec aliquid prætermittere de his quæ facit.* Ex his verbis constat aperte, quod secundum Magistrum Sententiarum, qui dicunt Deum non posse facere aliud quam facit, diuinam potentiam infinitam ad mensuram conantur restringere: & per consequens in articulum fidei de omnipotentia Dei impudenter impingunt. Vnde pro illis, qui sequuntur doctrinam Thomæ, quod ipse hic tenuerit, scilicet Deum posse aliqua facere, quæ non facit, est monstrandum, qui *lib. 2. contra Gentiles cap. 23.* probat ex intentione, quod Deus non agit de necessitate naturæ in creaturis, sed per arbitrium voluntatis. Item *cap. 26.* probat, quod diuinus intellectus ad certos effectus non coartatur. Vnde in illis capitulis dixit: *sciendum tamen, quod quamuis diuinus intellectus ad certos effectus non coartetur, ipse tamen statuit sibi determinatos effectus, quos per suam sapientiam ordinatam producat.* Item *cap. 27.* probat, quod nec voluntas Dei coartatur ad determinatos effectus, vnde in fine concludit dicens: *Non igitur ex neceßitate diuinæ voluntatis aliqui effectus procedunt: sed ex eius libera dispositione.* Item cap. 28. dicit: *per hæc autem excluditur quorundam error probare nitentium, quod Deus non potest facere nisi quod facit: quia non potest facere nisi quod debet*, & post dicit sic: *Non est autem necessarium, si Deus suam bonitatem vult esse, quod Deus vult alia à se produci*, & post: *ostensum est quod Deus produxit res in esse non ex neceßitate naturæ, neque ex neceßitate scientiæ, neque voluntatis, neque iustitiæ, nullo igitur modo diuinæ bonitati est debitum, quod res in esse producuntur.* Item lib. 3. c. 9. ait: *Nihil igitur Deus facere potest, quin sub ordine suæ prouidentiæ cadat: sicut non potest aliquid facere, quod eius operationi non subdatur: potest tamen alia facere, quam ea quæ subduntur eius prouidentiæ vel operationi, si absolute consideretur eius potestas, sed nec potest facere aliqua, quæ sub ordine prouidentiæ ipsius ab æterno non fuerunt, eo quod mutabilis esse non potest. Hanc autem dispositionem quidam non considerantes in diuersos errores inciderunt, quidam enim immobilitatem diuini ordinis ad res ipsas, quæ ordini subduntur, ostendere conati sunt dicentes: quod omnia necesse est esse, in tantum quod quidam dixerunt quod Deus non potest facere alia quam quæ facit. Contra quod est illud quod habetur Matth. 26. An non possum rogare patrem, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Ex his aliisque quamplurimis, quæ *prima parte Summæ, & super librum primum Sententiarum*, & aliis locis diuersis, iste Doctor determinat, patet expresse, quod ipse erroneum putat dicere, quod Deus non potest alia facere quam facit, vel quod omnia de necessitate eueniunt.

Secundo eandem conclusionem, quod non omnia de necessitate eueniunt, probant prædicti impugnatores sic. Creaturæ rationales multa non faciunt, quæ possent facere, ergo non omnia de

necessi-

necessitate eueniunt: Consequentia est euidens, antecedens auctoritate & ratione probatur. Auctoritate primo sic. 2. Mach. 6. Eleazarus, qui pro diuinis legibus mortem sustinuit, cum plagis perimeretur, dixit: *Domine qui habes sanctam scientiam manifeste: tu scis quia cum à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores, secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior.* Ex quibus verbis euidenter colligitur, quod ille vir sanctus potuisset infidelibus con[illegible]: & sic à morte liberari: & tamen non consensit. Potuit ergo facere aliquid, quod non fecit. Item Ecclesiastici 30. de beato diuite sic scribitur: *Beatus diues qui potuit transgredi, & non transgressus: & facere mala & non fecit.* His verbis clarius dici non posset, quod potest quis facere aliquid quod non facit. Item, sicut habetur Matth. 26. & Marci 14. Discipuli Christi dixerunt: *vt quid perditio ista vnguenti facta est? Poterat enim vnguentum istud venundari plusquam trecentis denariis, & dari pauperibus,* & tamen non fuit venundatum, nec datum pauperibus, ergo aliquid potuit fieri, quod tamen non fiebat. Nec enim Christus de hoc, quod asseruerunt illud vnguentum potuisse venundari & dari pauperibus, ipsos aliqualiter reprehendit: sed de indignatione ipsorum, de effusione vnguenti super caput ipsius. Item Matth. 20. cum Christus interrogaret Iacobum & Iohannem: *potestis bibere calicem, quem bibiturus sum?* Responderunt, *possumus.* Non dixerunt, bibemus. Ex quo patet, quod sciuerunt se posse bibere calicem Christi, nesciuerunt tamen, an essent bibituri. Item Genes. 31. dixit Laban ad Iacob: *& nunc valet quidem manus mea reddere tibi malum: sed Deus Patris tui heri dixit mihi: caue ne loquaris cum Iacob quicquam durius.* Ex quibus verbis colligitur, quod Laban potuit reddere malum Iacob: & tamen non fecit, ergo potuit aliquid facere, quod minime fecit.

Hoc etiam ratione secunda probatur. Nam qui potest mereri & demereri, potest facere aliquid, quod non facit, nam si non posset aliter facere, non esset in potestate eius aliter facere, sed per illud, quod non est in potestate alicuius in se, non meretur, nec demeretur, sed homo potest mereri & demereri, ergo potest aliter facere, & aliud quam facit. Hæc ratio confirmatur: quia omne meritum est laudabile: & omne demeritum est vituperabile, sed illud quod non est in nostra potestate, vt possimus illud facere, & non facere, non est laudabile, neque vituperabile, ergo omne meritum & demeritum est in nostra potestate, vt possimus illud facere, & non facere, maior est euidens, minor probatur auctoritate Augustini 3. de Libero arbitrio, qui ait: *motus quo huc, atque illuc voluntas conuertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra potestate, neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorqueret, quasi quandam cardinem voluntatis.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod illud, quod non est in potestate nostra, & tamen facimus, non est laudabile, nec vituperabile.

His concordat Sapiens mundi *3. Ethicorum*, vbi probat, quod propter ista quę non sunt in potestate nostra, neque laudamur neque vituperamur. Patet ergo quod omne meritum & demeritum est in potestate nostra: & per consequens possumus multa non facere, quæ facimus: & multa facere, quæ non facimus, quare concludit euidenter, quod non omnia de necessitate eueniunt. Aliter enim, vt probat Philosophus, non oporteret negotiari neq; consiliari, quia de istis quæ de necessitate eueniunt, non oportet negotiari neq; consiliari.

Ostenso, quod non omnia de necessitate eueniunt, isti probare nituntur, quod nulla de necessitate eueniunt quantum ad diuinã potentiam, quin Deus posset omnia impedire. Nam potentia Dei non plus artatur ad istos effectus, quam ad illos, neque enim propter scientiam, neque per æternam ordinationem, neque per mutationem ipsius, neque per aliquid quod est idem cum Deo, neque per aliquid quod non est Deus, potest Deus plus artari ad istos effectus producendos & conseruandos, quam ad illos, cum ergo ostensum sit, quod aliqua non eueniunt de necessitate, sequitur quod nulla in quantum fiunt à Deo, de necessitate eueniunt.

Pro illis autem, qui doctrinam Thomæ tenent, ostendunt aperte, quod hæc sit intentio Thomæ, qui lib. 1. contra Gentiles c. 81. ait sic: *Voluntas non ex necessitate fertur ad ea quæ sunt ad finem, si finis sine his esse possit,* & post: *cum ergo diuina voluntas possit sine aliis esse, quinimo nec per alia aliquid perfectionis ei accrescat: nulla inest ei necessitas, vt alia velit ex hoc quod vult suam voluntatem: & per consequens nulla inest ei necessitas, vt quæcunque alia producet vel conseruet,* & infra sic dicit: *Solum igitur illud bonum voluntas secundum sui rationem non potest velle non esse, quo non existente tollitur totaliter tota ratio boni, tale autem nullum est præter Deum, potest igitur voluntas secundum sui rationem velle non esse quodcunque præter Deum.* Ex his sequitur, quod Deus potest destruere omnem rem aliam à se: & per consequens respectu Dei nihil euenit de necessitate. Item prima parte Summæ quæstione 19. articulo 3. dicit sic: *Cum voluntas Dei sic possit esse perfecta sine aliis, cum nihil ei perfectionis ex aliis accrescat, sequitur quod alia à se eum velle non sit necessarium absolute, ergo contingenter vult quæcunque alia à se,* & ita omnia alia à Deo contingenter eueniunt: & per consequens nulla de necessitate eueniunt secundum istum Doctorem.

Tertio isti impugnatores probare conantur, quod si Christus habuit regnum & dominium sæpedicta, ipse potuit absolute renunciare eisdem. Hoc autem vnica ratione ad præsens nituntur ostendere, quæ talis est. Non magis artabatur Christus ad habendum regnum temporale, & dominium vniuersale temporalium rerum: quam ad redimendum genus humanum per passionem suam, sed Christus non artabatur, neque necessitabatur ad saluandum genus humanum per passionem suam, ergo non artabatur neque necessitabatur habere regnum & dominium antedicta.

cta. Ex quo sequitur, quod si habuit regnum & dominium antedicta, ipse potuit absolute, ita quod contradictionem minime includebat, renunciare eisdem. Maior est euidens: minor probatur auctoritate Augustini, qui lib. 13. de Trinitate cap. 10. vt recitat Magister *Sententiarum li. 1. dist. 44.* dicit, quod *fuit & alius modus nostra liberationis possibilis Deo, qui omnia potest: sed nullus alius nostra miseria sananda fuit conuenientior.* Hoc idem asserit manifeste idem Magister *lib. 3. di. 20.* Nequaquam igitur necessitabatur Christus dicta regnum & dominium retinere, si ipsa habuit.

Quarto declarant, quomodo debet intelligi distinctio Theologorum, dicentium in Deo esse duplicem potentiam sc. absolutam & ordinatam: & quomodo Deus potest aliqua facere de potentia absoluta, q̃ non pōt de potentia ordinata: dicentes, q̃ non est intelligenda distinctio dicta, sicut quidam ignari putant, q̃ realiter in Deo sit duplex potentia, quarũ vna est absoluta, & alia ordinata: q̃a vnica potẽtia est in Deo: imo ipsa vnica potentia est vnica essentia: sed, sicut secundum Magistrũ *Sententiarum lib. 1. dist. 45.* Sacra scriptura de voluntate Dei variis modis loqui consueuit, & non Dei voluntas diuersa, sed locutio diuersa est; ita scriptura diuina sanctorum patrum de potentia Dei variis modis loqui consueuit: & tamen non est diuersa potentia Dei, sed locutio est diuersa: quia scilicet cum per talia vocabula *potest, possibile, potentia*, & consimilia in significatione conuenienti scripturæ loquuntur de Deo, huiusmodi vocabula in diuersis locis accipiuntur æquiuoce. Vnde in quibusdam locis denotant vel important omnia ista, quæ non repugnant Deo facere, sic accipitur hoc verbum *potest* in auctoritatibus prius allegatis, & in multis aliis locis: sicut etiam accipitur hoc nomen *omnipotens*, Genes. 17. cum dicit Dominus ad Abraham: *Ego Deus omnipotens*, & in Symbolo Apostolorum: & in Symbolo quod cantatur in Missa, cum dicitur: *Credo in vnum Deum patrem omnipotentem* &c. Aliter huiusmodi vocabula important vel connotant solummodo illa, quæ ordinauit se facturum: & non omnia illa, quæ potuit & posset ordinare se facturum. Sic accipitur Gen. 18. vbi dixit Dominus: *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* quasi diceret, non, & tamen constat quod Deus non necessitabatur reuelare Abraham, quæ erat facturus: sed ideo dixit: *Num celare potero* &c. quia ordinauit se reuelaturum Abraham quæ facturus erat, sic etiam accipitur Genes. 19. cum Dominus dixit ad Loth: *Festina & saluare ibi, quia non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc.* Hoc est, non faciam quicquam donec ingrediaris illuc. Sic etiam accipitur Marci. 6. cum dicitur de Saluatore nostro: *Non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem illorum*: & tamen constat quod Christo in quantum erat Deus, non erat absolute impossibile facere ibi virtutem: sed dicitur, quod non poterat ibi facere virtutem vllam, quia propter incredulitatem & indignitatem istorum noluit ibi facere virtutem, sic ergo hoc verbum *potest* accipitur æquiuoce in scripturis de Deo loquentibus, quemadmodum idem verbum cum loquimur de hominibus, accipitur æquiuoce, vno enim modo dicimur illa posse, quæ de iure possumus: & illud dicitur posse fieri, quod licite & debite fieri potest, sic accipitur Gen. 39. cum dicit Ioseph ad Ægyptiam: *Quomodo ergo possum hoc malum facere*, quasi diceret: Licite & de iure non possum. Aliter dicimus posse illa, quæ absolute possumus siue bene siue male. Aliter enim nequaquam peccare possemus, sic ergo hoc verbum *posse* accipitur æquiuoce in scripturis, cum loquitur de Deo, vnica communis potentia realiter est in Deo, sed locutio est diuersa: & propter istam diuersam locutionẽ dicitur, quod Deus potest aliqua de potentia absoluta, quæ non potest de potentia ordinata: hoc est, Deus potest aliqua accipiendo verbum *posse* secundum primam significationem eius, quæ tamen non potest de potentia ordinata, hæc est concedenda, Deus non potest illa, accipiendo hoc verbum *posse* in secunda significatione eius: & ita dicere, quod Deus potest aliqua de potentia absoluta, quæ non potest de potentia ordinata, non est aliud secundum intellectum recte intelligentium, quam dicere quod Deus aliqua potest, quæ tamen minime ordinauit se facturum: quæ tamen si faceret, de potentia ordinata faceret ipsa: quia si faceret ea, ordinaret se facturum ipsa. Quia igitur, vt dicunt isti, iste impugnatus nesciuit videre æquiuocationem huius verbi *potest*, ideo male intellexit istam distinctionem Theologorum de potentia Dei absoluta & ordinata: & tamen dicunt, quod licet ipsam ad intellectum recte intelligentium intellexisset, ipsam nihilominus probasset respectu Dei, quia imaginatur, quod sic Deus omnia de necessitate ordinauit, & de necessitate absoluta oportet eum facere illa: ita quod ipsum non facere ipsa contradictionem includit: quod in suis sermonibus probare rationibus conatur.

Quinto isti respondent ad rationem fundamentalem istius, quam hic ad materiam applicat specialem, dicentes quod istud argumentum est omnino simile argumento, quod recitat Magister *Sententiarum lib. 1. di. 38.* per quod aliqui nitebantur probare, quod si aliquid posset aliter fieri quam fit, præscientia Dei posset falli. Est etiam simile argumento, quod recitatur *dist. 14.* per quod aliqui conati sunt probare, quod numerus electorum non potest augeri vel minui: & ideo similem habet solutionem, quomodo argumentum istius solui debeat in *libro prædicto Sententiarum* & in scripturis doctorum *super Sententias* studiosus poterit inuenire, & super literam aliqualiter apparebit. Rationes vero per quas probare conatur, quod præmissa distinctio de potentia Dei absoluta & ordinata non est approbanda, facile dissoluuntur. Prima enim ex falso intellectu procedit, quod hoc esset possibile secundum distinguentes, Deus aliqua facit de potentia absoluta, quæ non facit de potentia ordinata, hoc enim de inesse secundum eos est impossibile, & contradictionem includit: quia eo ipso, quod Deus aliquid faceret, quod non faciet ipse, illud faceret de potentia ordinata, hæc tamen de impossibili, Deus potest aliquid facere de potentia absoluta, quod nunquam faciet de potentia

ordinata,

ordinata, in sensu diuisionis accepta vera est, quemadmodum ista de possibili, ille qui est prædestinatus potest damnari, vera est in sensu diuisionis: & tamen ista de inesse, prædestinatus damnatur, est impossibilis, & contradictionem includit, hæc virtualiter est sententia Magistri *Sententiarum lib. 1. dist. 40.* qui respondens obiectioni quorundam probare nitentium, quod numerus electorum non potest augeri nec minui, sic ait: *quibus respondemus ex ea ratione dictum esse & verū esse numerum electorum non posse augeri vel minui: quia non potest vtrumque simile esse, scilicet vt aliquis saluetur & non sit prædestinatus: vel vt aliquis prædestinatus sit & damnetur, intelligentia enim conditionis implicita veritatem facit in dicto & impossibilitatem. Si vero simpliciter intelligatur, impossibilitas non admittitur: vt cum dicitur, prædestinatus potest vel non potest damnari: & reprobus potest vel non potest saluari. In his enim & huiusmodi locutionibus ex ratione dicti diiudicanda est sententia dictionis. Alia namque fit intelligentia, si per coniunctionem hæc accipiantur dicta, atque alia si per disiunctionem, vt supra cum de præscientia agebatur, pratactum est. Si enim cum dicis, prædestinatum non potest damnari, intelligis ita, id est non potest esse, vt prædestinatus sit & damnetur: verum dicis, quia coniunctim intelligis: falsum autem intelligas disiunctim, vt si intelligas, istum non posse damnari, quem dico prædestinatum potuit enim non esse prædestinatus, & ita damnaretur.* Ex his euidenter apparet, quod secundum Magistrum sententiarum hæc est impossibilis, prædestinatus damnatur: hæc tamen habet vnum sensum verum, prædestinatus potest damnari: ita hæc est impossibilis, aliquid fit à Deo & non de potentia ordinata: hoc tamen habet vnum sensum verum, aliquid potest fieri à Deo quod non fiat de potentia ordinata, & tamen si fieret, de potentia ordinata fieret, sic ergo ista de possibili in vno sensu est vera: & tamen ista de inesse de eisdem terminis est impossibilis, nec debet aliquis de hoc mirari, quia etiam de creaturis loquendo inuenitur veritatem habere, hæc enim habet vnum sensum verum, album potest esse nigrum, hęc tamen est impossibilis album est nigrum, hæc etiam habet vnū sensum verum, non albū potest esse albū: hæc tamen est impossibilis, non album est album. Qui igitur in hac materia catholice & secure loqui voluerit, necesse est quod inter propositiones de possibili, de impossibili, & de necessario, ac de inesse, & etiam inter diuersos sensus illarum de modo sciat distinguere, aliter enim faciliter ponet vel negabit vnam pro alia, & incidet in errorem: quia omni homini, qui non est in Logica & Theologia excellenter instructus, expedit in hac materia magis tacere, quam loqui, præter illa quæ in scripturis reperiuntur expressa. Secunda ratio contra prædicta ex falso etiam intellectu procedit, sicut tactum est supra, concedendum est enim, quod non sunt in Deo duæ potentiæ, quarum vna sit absoluta, & alia ordinata: tamen hoc verbum *potest*, cum loquimur de Deo, accipi potest, sicut supra declaratum existit.

Nunc ad literam. (*Si velit dicere quod illi regno & dominio renunciauit.*) Dicunt isti, quod appellans non vult dicere, quod Christus renunciauit illi regno & dominio, saltem proprie accipiendo verbum *renunciandi*: quia nunquam ante passionem suam habuit illa regnum & dominium: ideo non renunciauit eisdem. (*Ostendat illam si sciat*) ipse non vult eam ostendere: sed vult ostendere, quod non habuit ante mortem regnum & dominium temporale (*imo contrarium sacra scriptura supponit expresse.*) Dicunt quod hoc falsum est, & ad omnes auctoritates, quas ad hoc probandum hic adducit, responsum est supra, ideo hic ad ipsas non expedit respondere (*imo videtur quod nec potuerit renunciare.*) Ista in sensu diuisionis falsa est: sicut ista est falsa in sensu diuisionis secundum Magistrum Sententiarum: *prædestinatus non potest damnari.* Potuisset enim Christus habuisse regnum & dominium, & posteà renunciasse eisdem, (*si fecisset, contra ordinationem patris fecisset.*) Ista falsa est secundum istos: quia sicut si Christus per alium modum quam per mortem suam liberasset genus humanum, non fecisset contra ordinationem patris, imo secundum ordinationem patris: quia si Christus aliter liberasset genus humanum, pater aliter ordinasset. Ita si Christus renunciasset regno & dominio, non fecisset contra ordinationem patris: imo fecisset ordinationem patris: quia si Christus renunciasset, pater talem renunciationem ordinasset, & ita hæc est impossibilis: Christus fecit contra ordinationem patris: sicut hæc est impossibilis, aliquis condemnatur contra prædestinationem Dei: & hæc similiter, aliquid fit contra præscientiam Dei. De istis tamen propositionibus de possibili: Christus potuit facere contra ordinationem patris: Aliquis potest damnari contra prædestinationem Dei: aliquid potest fieri contra præscientiam Dei: & consimilibus, non est per eundem modum dicendum, sicut de istis de inesse correspondentibus ipsis, sicut ex superioribus potest aliqualiter intelligentibus apparere. Auctoritates vero, quas iste adducit, sunt de inesse, & non de impossibili: & ideo in nullo probant negatiuam de possibili, qualiter autem intelligendæ sunt, patet supra cap. 93. ideo hic replicare nequaquam oportet.

CAP. XCVI.

Sed dicit iste hæreticus, quod hoc est contra sacram scripturam, quæ in pluribus locis dicit, Christum fuisse pauperem & egenum. Ad quod dicendum, quod appellans falsum assumit, cum in tot locis sacra scriptura ostendat fuisse regem & Dominum. Cuius contrarium asserere, est dicere contra sacram scripturam: & mendaces reddere Prophetas, Angelum, & Apostolos, ac ipsum Dominum nostrum, vt visum est. Ad illud autem quod dicitur, quod fuisse egenum & pauperem scriptura in plerisque locis testatur: Dicendum est, quod non carentia Dominii fecit eum pauperem & egenum, sed potius carentia perceptionis fructus & obuentionis rerum, quarum Dominus erat. Nudum enim dominium separatum in perpetuum ab omni perceptione commodi rei habentem non facit diuitem, cum sit inutile reputandum. Vnde habens tale dominium potest egenus & pauper merito reputari: quod patet ad sensum. Si enim rex Franciæ non renunciando regno se ab-

se absentaret à regno: & post lapsum temporis alicuius incognitus rediret ad illud, si se pro rege non gereret, nec aliqua emolumenta perciperet dicti regni, sed in domo regia distribueret ei vnus alius ex gratia necessaria vitæ suæ: talis vtique licet rex esset & Dominus, posset mendicus & pauper merito reputari. Hinc est, quod Apostolus ad Galat. 4. dicit: Quod hæres quamdiu est paruulus, non differt à seruo, cum tamen sit Dominus omnium. Sic Christus rex regum & Dominus dominantium quo ad perceptionem fructuum regni & rerum temporalium, nisi in valde paucis, pro rege vel Domino se non gessit: propter quod merito pauper dici potuit voluntarius & egenus, non propter dominii carentiam siue regni, sed propter hoc, quia se eorum fructibus & prouentibus non iuuabat.

Postquam in parte præcedenti iste ostendit, quod Christus habuit regnum temporale, & vniuersale dominium omnium rerum: Hic nititur declarare, quod hoc non obstante, Christus fuit pauper & egenus, & primo tangit obiectionem appellantis, dicentis scripturam sacram asserere Christum fuisse pauperem & egenum. Secundo ibi, *ad quod Dauid*, respondet quod appellans falsum assumit. Tertio ibi, *ad illud autem quod dicitur*, declarat, quo modo Christus fuit pauper & egenus: quia non propter carentiam dominii & regni, sed propter carentiam perceptionis fructuum. Quarto ibi, *Nudum enim dominium*, probat tripliciter, quod aliquis potest dici egenus & pauper propter carentiam perceptionis fructuum, licet non careat dominio: & hoc primo ratione: secundo per exemplũ ibi, *quod patet ad sensum*: tertio auctoritate ibi; *sic Christus rex regum*, infert & explicat conclusionem suam principaliter hic intentam, scilicet quomodo Christus fuit pauper: licet fuerit rex & Dominus omnium temporalium rerum.

Sed isti impugnatores prædicta quo ad quatuor satagunt reprobare. Primo enim ostendunt ipsum errare cum dicit, quod Christus fuit pauper propter carentiam perceptionis fructuum rerum: & non propter carentiam dominii. Secundo probant ipsum errare cum dicit, quod nudum dominium separatum in perpetuum ab omni perceptione commodi rei habentem non facit diuitem. Tertio in hoc quod dicit, quod omne tale dominium ab omni perceptione commodi separatum, est inutile reputandum. Quarto cum innuit, quod Christus in quantum homo, in quibusdam paucis pro rege se gessit, vel pro Domino.

Primo ergo conantur ostendere istum errare: cum dicit, Christum non fuisse pauperem propter carentiam dominii, sed propter carentiam perceptionis fructuum & obuentionis rerũ, quarum erat Dominus, Hoc enim scripturæ sacræ, vt dicunt, repugnat: quia licet propter æquiuocationem huiusmodi nominum *pauper & egenus, inops, mendicus*, & similium in significatione conuenientium aliqua verba scripturæ diuinæ asserentia Christum fuisse pauperẽ & egenum nude accepta ad talem trahi possent intellectum, quod Christus diceretur pauper propter carentiam perceptionis fructuum: quia teste Clemente, vt habetur *37. c. Relatum*, sunt multa verba in scripturis diuinis, quæ trahi possunt ad eum sensum, quem sibi sponte vnusquisque præsumpsit: tamen inspecta serie scripturarum patet aperte, quod Christus secundũ scripturas diuinas fuit pauper propter carentiam, & non solum ꝓpter carentiam perceptionis fructuum. Si enim, sicut ostensum est supra capitulo, quia Christus fecit ista quæ docuit: & Christus docuit paupertatem: non solum illam, quæ est per carentiam perceptionis fructuum, sed etiam istam quæ est per carentiam dominii, sicut ostensum est supra. Constat quod Christus tenuit paupertatem, quæ fit per carentiam dominii: quod etiam multæ rationes in diuinis scripturis fundatæ, prout ex præcedentibus colligitur, euidenter & patenter ostendunt. Hoc etiam aliter adhuc quam prius ratione & auctoritate probatur. Est autem prima ratio talis. Christus abdicauit omnem superfluitatem temporalium rerum, sed habere dominium temporalium rerum ad superfluitatem spectat, sicut ex præcedentibus patet, ergo Christus dominium rerum temporalium abdicauit. Secunda ratio est hæc secundum Magistrum *Sententiarum lib. 3. dist. 3.* Christus omnes defectus nostros suscepit præter peccatum, quos ei conueniebat suscipere, & nobis expediebat, sed carentia dominii & proprietatis temporalium rerum est defectus quidam: & talem carentiam conueniebat Christum suscipere: & hoc nobis expediebat, ergo Christus carentiam dominii & proprietatis rerum suscepit. Maior habetur à Magistro Sententiarum: & ipse eam ab auctoritatibus sanctorum accepit. Minor etiam quo ad omnes partes eius probatur. Quod enim carentia dominii temporalium rerum sit defectus quidam, quamuis non vitiosus, patet de se, quia est priuatio dominii. Priuatio autem rei positiuæ in defectum sonat. Secunda pars, scilicet quod Christum conueniebat suscipere defectum huiusmodi, patet, nam conueniebat Christum suscipere illa, quæ fuissent in statu innocentiæ, & nostram informationem minime impediebant, sed carentia dominii proprii fuisset in statu innocentiæ, ergo talem carentiam Christus assumpsit, licet enim in statu innocentiæ non fuisset fames, sitis & huiusmodi nonnulli defectus afflictiui, non tamen carentiam huiusmodi defectuum, sed ipsos defectus Christus accepit: quia eorum carentia nostram informationem impediuisset. Per hoc enim & huiusmodi se assumpsisse veram carnem passibilem & mortalem ostendit, sed carentia dominii, quod est proprietas, fuisset in statu innocentiæ, & assumptio talis carentiæ nostram informationem minime impediuit, ergo conueniebat Christum talem carentiam dominii assumere. Item, conueniebat Christum suscipere illud, per quod maxime mirabilis & magnus ad nostram vtilitatem appareret, sed per paupertatem, quæ est contemptus omnis dominii temporalium maxime quis mirabilis atque magnus apparet, teste Chrysostom. homel. 46. super Matthæum, qui ait: *Si autem homines duodecim orbem terrarum conuerterant: excogita, quanta est nostra malitia; cum tanti existentes eos qui reguntur non possumus corrigere, quos decem millibus mundis oportebat sufficere & esse fermentum. Sed signa, ait, habebant, sed non signa eos mirabiles fecerunt. Multi enim & dæmones proiicientes,*

tes, quia iniquitatem operati sunt, non sunt facti mirabiles, sed puniti, sed quid est, inquam, quod eos magnos ostendit? pecuniarum contemptus, gloriæ despectus, ab omnibus vitæ huius negotiis ereptio: qui si non hoc habuissent, etsi decem millia mortuos suscitassent, non solum non profecissent, sed vt seductores æstimati essent. Ex his verbis euidenter ostenditur, quod pecuniarum contemptus aliquem esse magnum ostendit, ergo maior pecuniarum & diuitiarum contemptus ostendit aliquem esse magis magnum, sed contemnere non solum perceptionem fructus pecuniarum & diuitiarum, sed etiam dominium, est maior contemptus pecuniarum & diuitiarum, quam contemnere solum perceptionem fructus earum, ergo magis magnum ostendit. Nam qui contemneret solum perceptionem fructus pecuniarum, & sibi dominium retineret, redderet se suspectum, quod non perfecte contemneret pecunias, sed amaret: & quod in futurum vellet etiam fructum diuitarum percipere: & ita pro summe magno minime haberetur, cum ergo Christus deberet summe magnus haberi, conueniebat ipsum non solum perceptionem fructus diuitiarum, sed etiam dominium contemnere & penitus abdicare. Tertia pars, scilicet quod Christum abdicare dominium temporalium nobis expediebat, patet aperte: quia per hoc maxime ad contemptum dominii diuitiarum & temporalium rerum inducimur. Patet ergo, quod Christus inter cæteros nostros defectus carentiam dominii & proprietatis diuitiarum suscepit: quia hoc sibi conueniebat, & nobis expediebat. Sed forte aliquis contra rationem prædictam obiiciet dicens, quod carentia dominii, quod est proprietas, non est defectus: quia fuisset in statu innocentiæ, in quo nullus fuisset defectus, ergo Christus non debuit carentiam talem suscipere. Sed ad istam obiectionem est facile respondere. Multa enim habent rationem defectuum, & quodammodo naturalium in statu naturæ destitutæ, quæ non habent rationem defectuum in statu naturæ institutæ, nec etiam in statu glorioso. Nuditas enim in statu naturæ institutæ non fuit defectus, quod *Gen. primo* insinuatur aperte, cum dicitur: *Erat autem vterque nudus* (Adam scilicet & vxor eius) *& non erubescebant:* & tamen nuditas est quidam defectus in statu naturæ destitutæ. Sic etiã carentia dominii, ꝙ est proprietas, non fuisset defectus in statu naturæ bene institutæ: sicut nec est defectus in statu gloriæ: est tamen defectus quidam in statu naturæ destitutæ, licet non sit defectus vitiosus. Est autẽ defectus in statu naturæ destitutæ: quia per ipsam contingit aliquem impediri ab his, quæ sibi necessaria dignoscuntur, hoc autem in statu innocentiæ minime contigisset, ideo ibi non fuisset defectus, secundum quod nunc loquimur de defectu. Secundo auctoritate: quia Christus fuit pauper per carentiam dominii. Hoc enim Glossa Luc. 24. sicut adductum est supra, testatur aperte, cum dicit: *Ego sum tanta paupertatis, vt nec hospitium quidem habeam, nec meo vtar tecto.* Hoc enim falsum fuisset, si habuisset dominium tecti, quo vtebatur, quia tecto proprio vsus fuisset: licet forte hoc alii nesciuissent. Ad hoc etiam sunt multæ aliæ auctoritates, quæ de carentia dominii aperte debent intelligi, sicut in *capitulo 92.* patenter est ostensum.

Secundo dicunt istum errare cum dicit, quod nudum dominium separatum in perpetuum ab omni perceptione commodi rei, habentem non facit diuitem, quod enim hoc sit erroneum dicunt aperte patere recte sapientibus ex his, quæ dicta sunt supra *cap. 77.* Vbi ostensum est multis rationibus, quod Fratres Minores sunt pauperiores propter carentiam dominii, quod in rebus, quibus vtuntur Romana sibi reseruat ecclesia, & per consequens habens tale dominium, quamuis esset in ꝑpetuum ab omni perceptione commodi separatum, habentem faceret ditiorem. Hoc enim ratione aperta probatur. Nam ad hoc, quod aliquis sit vere diues, non requiritur actualis perceptio commodi rei: quia tunc quando aliquis dormiret, & non perciperet actualiter cõmodum villarum suarum & castrorum, non esset propter dominium illorum magis diues, quam si illorum nõ haberet dominium: ꝙ est absurdum, nec requiritur voluntas seu propositum percipiendi commodum ex rebus suis: qa tunc si quis diues proponeret omnia bona sua dare pauperibus, vel monasteriis, seu alii cuicunq;, statim propter tale propositum non esset diues: ꝙ etiam est absurdum: quia tunc millesies in die sola voluntate posset quis effici diues & pauper, vt volendo, non volendo de bonis suis vnquam percipere commodum temporale: ꝙ est absurdum, nec dicitur quis diues propter perceptionẽ commodi futuram: quia illud, quod futurum est, non facit aliquem nunc diuitem vel pauperem. Dicitur ergo aliquis diues propter dominium rerum quod habet: siue intendat de istis percipere commodum temporale, siue intendat nunquam in perpetuum percipere commodum temporale, quod veritatem maxime habet, quando habet liberam potestatem percipiendi commodum de rebus ipsis, si sibi placuerit. Quod enim talis sit diues, quamuis non intendat percipere de rebus commodum, patet: quia qui habet liberam potestatem percipiendi commodum de rebus, ac ipsas vendendi, donandi, dispensandi, & ad libitum ordinandi, est diues propter huiusmodi res, sed habens dominium plenum & liberum, licet non intendat vnquam aliquod commodum percipere de rebus suis, habet potestatem percipiendi commodum ex ipsis: habet etiam potestatem vendendi, donandi, & ad libitum ordinandi de ipsis, ergo debet diues merito reputari. Dominium ergo nudum, licet in perpetuum ab omni perceptione commodi separetur, tamen habentem facit diuitem: quia habens ipsum habet potestatem commodum percipiendi, si voluerit, habet etiam potestatem ex ipsis alia acquirendi & vendendi, donandi & ad libitum disponendi, diues igitur merito est censendus.

Tertio dicunt istum errare cum asserit, quod omne dominium à perceptione commodi temporalis in perpetuum separatum est inutile reputandum. Hoc enim sapit hæresim manifestam, scilicet quod non sit aliquod commodum spirituale, propter quod tale dominium possit vtile reputari, quod est tam aperte hæreticum, quod probatione non indiget, sicut enim elemosyna omnium cares

commodo temporali non debet inutilis, sed vtilis reputari: ita dominium rei ab omni commodo separatum potest vtile reputari, si habens dominium concedat vtilitatem aliis ex ipsis rebus propter Deum. Sed forte dices, quod iste non intellexit, quod tale dominium sit reputandum inutile spiritualiter: sed quod est inutile temporaliter. Sed ista excusatio non valet: quia per hoc, quod secundum ipsum tale dominium est inutile reputandum, probat ipse quod habens tale dominium non est diues propter ipsum, quæ probatio nulla esset, nisi intelligeret, quod tale dominium est inutile omni carens vtilitate, tam spirituali quam temporali: quia si aliquis potest dici diues propter diuitias ex perceptione commodi temporalis: multo magis diceretur diues propter diuitias temporales, si habens eas ex ipsis commodum percipiat spirituale, cum commodum spirituale maius sit, quam commodum temporale. Non est ergo tale dominium inutile reputandum.

Quarto dicunt eum errare, dum dogmatizat Christum in quantum erat homo in quibusdam paucis pro rege vel Domino se gessisse. Nam nusquam legitur, quod in quantum homo se gessit pro rege vel Domino, præsertim cum rex non fuerit in quantum homo neq; Dominus. Sed forte dicet aliquis, quod dominium istius in hac parte Glossa *dist. 4. c. quoniam idem*, notat aperte dicens, quod *Christus quædam fecit sicut imperator, cum vendentes & ementes de templo frangendo eiecit, vt 1. q. 3. c. ex multis.* Ad hoc dicunt isti, ꝙ si Glossa prædicta est toleranda, verba ista debent intelligi de Christo in quantum erat Deus, non in quantum erat homo. Nam Christus in quantum erat homo eiiciens frangendo vendentes & ementes de templo, vt habetur *ca. prædicto scilicet 1. q. 3. ca. Ex multis*, nõ gessit officium imperatoris temporalis, sed magis gessit officium ostiarii, secundum Magistrum Sententiarum: qui maioris auctoritatis dignoscitur, quam Glossator prædictus. Ait enim Magister Sententiarum lib. 4. dist. 23. *Hoc officium* (scilicet ostiariorum) *Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto vendentes & ementes de templo eiecit. Ipse enim ostiarum se signans dicit: ego sum ostium, per me si quis introierit* &c. Ex his verbis patenter habetur, quod Christus in facto prædicto officium ostiarii, non imperatoris, in quantum homo suscepit. Constat autem quod in his, quæ fidei sunt, magis standum est Theologorum sententiæ, q̃ Iuristarum. Sententia ergo Magistri Sententiarum prædictæ Glossæ, si sibi contrariatur, est merito præferenda. Iuristæ enim se intromittendo de Theologicis difficultatibus vltra verba, quæ à Theologia recipiunt, falcem suam noscuntur in messem mittere alienam, & ideo si in illis de suo aliquid proferre præsumpserint, facile incident in errorem.

(*Dicit Christum fuisse pauperem & egenum.*) Dicunt isti, quod sacra scriptura non solum dicit verbaliter Christum fuisse pauperem & egenum: sed etiam quomodo fuit pauper & egenus scil. per carentiam dominii manifestat. (*In tot locis sacra scriptura aperte ostendat scilicet Christum fuisse regem & Dominum.*) Dicunt isti, quod sacra scriptura testatur Christum fuisse regem & Dominum, & ideo qui negaret in omni sensu Christum fuisse regem & Dominum, scripturæ diuinæ contradiceret, sed qui concedit Christum fuisse regem & Dominum spiritualem: & negat ipsum in quantum erat homo fuisse regem & Dominum temporalem: scripturæ diuinæ minime contradicit. Sed econtra dicunt isti, ꝙ hoc ex multis patet esse falsũ, (*non carentia dominii fecit eum pauperẽ & egenũ*) hoc ostensum est esse falsum. (*Sed potius carentia perceptionis fructuum & obuentionis rerum*) verum est, ꝙ huiusmodi carentia fecit eum pauperem, quia paup̃ vixit, carentia tamen dominii magis fecit eum pauperem, q̃ carentia perceptionis prædictæ: q̃a nullius rei habuit dominiũ, sed aliquarum rerum percepit fructum, (*quarũ erat Dominus*) hoc omnino dicunt esse falsum, in quantum Christus erat homo mortalis. (*Nudum enim dominium* &c.) Hoc enim veritate caret: q̃a quamuis tale dominium faceret aliquẽ esse pauperem aliquo modo, tamen facit eũ etiam esse diuitem aliquo modo. Nam paup̃tas & abundantia diuitiarum non sunt in omni significatione opposita: quinimo idẽ potest esse diues & pauper secundũ diuersas significationes istorũ nominum *diues & pauper*, vnde q̃ habet copiam diuitiarũ: & tamen nullum commodũ percipit ex ipsis: põt dici diues & etiam pauper aliquo modo, ꝙ enim talis, qui habet rerũ dominium ab omni perceptione commodi in perpetuum separatũ possit vocari diues, ex scriptura diuina colligitur manifeste. Nam Saluator, vt legitur Luc. 12. *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit*, & post: *dicit autem illi Deus, stulte hac nocte repetent animam tuam à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Ex quibus verbis colligitur euidenter, ꝙ ille erat diues: & tamen de bonis suis nunq̃ erat aliquod cõmodum percepturus. Item, q̃ est locuples, põt diues merito appellari, sed scriptura diuina vocat *locupletem* aliquem, q̃uis de bonis suis sit commodũ minime percepturus, vnde Eccl. 11. sic scribitur: *Est q̃ locupletatur parce agendo, & hæc pars mercedis illius in eo, quod dicit, inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus: & nescit quod tempus prætereat illum, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis & morietur.* Ex his datur intelligi, quod quis quandoque locupletatur: & tamen de bonis suis nullum commodum est in perpetuum percepturus. Potest ergo quis appellari diues, quamuis de bonis suis nunquam sit aliquod commodum percepturus, & per consequens erit diues, q̃uis habeat dominium ab omni commodo in perpetuũ separatum. Quod etiam talis aliquo modo possit vocari pauper cõcedit ille impugnatus, & in hoc scripturæ sacræ minime contradicit. Nam de tali videtur loqui Salomon Prouerbior. 13. dicens: *Est quasi pauper, cum in multis diuitiis sit*, qui enim in multis diuitiis consistit, & non percipit fructum ex eis, potest pauper quodammodo appellari, nec mirum cum omnis auarus quantumcunque abundet diuitiis, pauper & egens possit censeri, teste Hieronym. qui in prologo Bibliæ ait: *Antiquum dictum est, auaro tam deesse, quod habet, quam quod non habet.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod auaro quodammodo omnia desunt, cui autem desunt omnia, paup̃ poterit appellari, ergo omnis auarus põt vocari paup̃: & eadẽ ratione habens dominiũ tp̃alium

& nul-

& nullum commodum percipit ex eis, potest vocari pauper. Similiter abundantes diuitiis fructumque ex eis tam spiritualem quam temporalem capientes, sed eas nequaquam amantes, pauperes quandoque vocantur, ergo multo fortius, qui ex ipsis nullum fructum percipiunt, neque spiritualem neque temporalem, possunt pauperes quodammodo reputari. Propter diuersas igitur significationes & diuersos modos accipiendi hæc nomina *diues* & *pauper*, qui habet dominium diuitiarum, & nullum commodum ex ipsis percipit, potest dici pauper & diues, & ita nudum dominium separatum in perpetuum ab omni perceptione commodi rei, vere facit habentem diuitem: & contrarium dicere est contra scripturam sacram aperte, sicut ostensum est, (*cum sit inutile reputandum*) hoc est contrarium catholicæ veritati, sicut ostensum est, quia poterit esse vtile sibi, vel quia sui, puta serui, vel aliqui amici ex ipso dominio percipiunt commodum temporale: vel quia ipsemet ex ipsis rebus commodum percipit spirituale. Et si dicas, quod hoc dicunt leges, dicendum est, testante Nicolao papa, sicut legitur *distin. 10. c. 1.* leges imperatorum inueniuntur euangelicæ atque canonicæ sanctioni aliquoties obuiare. Leges etiam quandoque solum considerant vtilitatem temporalem, qui autem tractat de his, quæ fidei sunt, magis debet attendere vtilitatem spiritualem, (*vnde non habens tale dominium potest egenus & pauper merito reputari.*) Ista possunt concedi in aliquo sensu, secundum quod Dauid dicit: *Diuites eguerunt*: imo etiam omnes diuites possunt aliquo modo egeni & pauperes reputari: sicut omnes auari possunt aliquo modo egentes & pauperes, reputari: & tamen reputandi sunt diuites. Ita habens tale dominium, licet possit quodammodo reputari pauper & egenus, secundum modum Theologorum loquendi, debet nihilominus diues reputari. Et ideo si Christus habuisset tale dominium, quamuis fuisset aliquo modo pauper, fuisset nihilominus vere diues. (*Talis vtique licet rex esset & Dominus posset mendicus & pauper merito reputari*) Ista posset secundum aliquem modũ loquendi concedi: & tamen hoc nõ obstante propter regnum Franciæ, & propter potestatem libere gubernandi regnum Franciæ & disponendi de bonis regni, si sibi, placeret, esset vere diues, quamuis pro diuite nequaquam se gereret. Sed propter hoc, quod aliquis non gerit se pro diuite, non est dicendum quod non est vere diues (*hæres quamdiu paruulus est* &c.) dici potest, quod in multis differt à seruo, cum ipse non sit seruus: tamen quantum ad potentiam disponendi bona, & regendi, non differt, & ita auctoritas ista ad propositum istius nihil facit, (*quo ad perceptionem fructuum regni & rerum temporalium, nisi in valde paucis, pro rege vel Domino se non gessit*) quamuis Christus percepit fructus temporalium aliquorum, tamen in perceptione illorum pro rege vel domino se non gessit, sed tanquam pauper necessaria vitæ recepit, secundum quod ex auctoritatibus superius allegatis, & multis aliis patet expresse (*non propter dominii carentiam siue regni.*) Istud est superius improbatum.

CAP. XCVII.

NVnc autem de Apostolis est videndum: vtrum habuerint dominium aliquarum rerum temporalium in proprio vel communi. In quæstione ista videtur distinguendum inter tempus, quo Apostoli fuerunt cum Redemptore nostro dum viueret: & tempus post eius mortem, si quæratur, vtrum tempore, quo cum Redemptore nostro fuerunt, habuerint aliqua: videtur adhuc distinguendum inter tempus antequam ad prædicandum mitterentur, & tempus missionis, & quo in prædicatione fuerunt, & tempus postquam sunt à prædicatione reuersi.

Postquam ille impugnatus in parte præcedenti disseruit, an Christus alicuius rei temporalis habuit dominium: Hic inquirit, an Apostoli habuerunt rerum dominium & proprietatem. Secundo inquirit, an Apostolis licuit pro temporalibus litigare, secunda ibi: *tertio videndum est vtrum pro rebus* &c. Prima pars diuiditur in duas: quia primo proponit quæstionem & duas distinctiones, vt videtur sibi, necessarias ad quæstionem propositam diffiniendam, secundo, prosequitur membra illarum distinctionum. Secunda pars incipit immediate post verba præscripta, ibi, *si consideretur.* Litera est plana: & isti impugnatores ipsum quo ad prædicta, nequaquam impugnant: quia hic nihil diffinitiue dicit.

(*In ista quæstione.*) Hic ponit primam distinctionem. (*Si quæratur* &c.) Hic ponit secundam distinctionem, quæ est subdistinctio primæ distinctionis.

CAP. XCVIII.

SI consideretur primum tempus, scilicet tempus antequam ad prædicandum mitterentur, non videtur, quod eis habere aliqua, præsertim ad vitæ sustentationem pertinentia, fuerit interdictum: quod apparet ex forma vocationis eorum. Cum ad discipulatum vocati fuerunt, forma vocationis Petri & Andreæ, vt patet Matth. 4. fuit hæc: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum, *& sequitur:* At illi relictis retibus continuo secuti sunt eum. *De Iacobo autem & Iohanne in eodem capitulo non dicitur aliquid, nisi quod* vocauit eos, *& sequitur:* Et illi statim relictis retibus & patre secuti sunt eum. *Forma autem vocationis Matthæi fuit hæc:* Sequere me, *& sequitur, Quod* relictis omnibus surgens secutus est eum. *Forma autem vocationis Philippi noscitur fuisse talis:* Sequere me: *vt habetur* Iohan. 1. *Ex forma autem vocationum prædictarum, nec ex his quæ ipsi fecisse tunc leguntur, non apparet quod ipsi renunciauerint omnibus suis. De Petro enim & Andrea non legitur quod tunc reliquerint nisi retia sua, & tamen legitur Marci 1. & Matthæi 8. quod post prædicta Iesus egrediens de synagoga venit in domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Iohanne, vbi curauit socrum*

Petri de febre. De Iacobo autem & Iohanne, non legitur quod tunc reliquerunt nisi retia & patrem, quæ quidem retia videntur fuisse patris, qui viuebat, potius quam ipsorum. De Philippo autem non legitur, quod tunc reliquerit aliquid. De Matthæo autem legitur, quod relictis omnibus secutus est eum, *& tamen statim sequitur, postquam dictum est quod omnia reliquit, & secutus est eum, quod* fecit sibi Leui, *(id est Matthæus)* magnum conuiuium in domo sua, *ergo per istam generalitatem non desierat domus illa esse sua.*

In parte ista iuxta membra prædictarum distinctionum propositam quæstionem determinat. Et diuiditur ista pars: quia primo determinat dictam quæstionem, iuxta membra secundæ distinctionis, quæ est subdistinctio distinctionis primæ, & in hoc cap. determinat eandem quæstionem, quantum ad vnum membrum distinctionis primæ. Secundo determinat eandem quæstionẽ, quantum ad aliud membrum primæ distinctionis, secunda pars ibi: *Si autem quæratur de tempore post mortem Christi* &c. Prima adhuc diuiditur in tres, secundum tria membra secundæ distinctionis, secunda pars ibi: *Si vero consideretur tempus, quo missi fuerunt* &c. Tertia ibi: *Si autẽ consideretur tempus post reuersionẽ* &c. Prima pars diuiditur in quatuor partes, secundum quod quadrupliciter probare conatur, quod Apostolis ante missionem ipsorum ad prædicandum, nulla temporalia interdicta fuerunt. Secunda ponitur immediate post verba præmissa ibi: *Præterea cum* &c. Tertia ibi: *De discipulis autem constat.* Quarta ibi: *Item nec cum ipsos.* In prima parte vna ratione conatur ostendere, quod Apostolis antequam mitterentur ad prædicandum, nulla temporalia interdicta fuerunt. Quia non est dicendum, quod eis aliquid interdictum fuerit, nisi quantum ex forma vocationis eorum: vel ex his, quæ fecisse leguntur, apparet, sed neque ex forma vocationis Apostolorum, neque ex his quæ fecisse leguntur apparet, quod omnia temporalia reliquerint: sed magis e conuerso: ergo non est dicendum, quod eis aliqua temporalia interdicta fuerunt: vel quod omnia sua temporalia reliquerunt. Maior videtur euidens: quia ipse eam subintelligit. Minorem probat per formam vocationum sex Apostolorum: & per illa quæ illi fecisse leguntur, quia de vocatione aliorum sex Apostolorum in scripturis nulla fit mentio.

Sed isti impugnatores dicunt istum periculose errare, cum asserit quod Apostoli antequàm mitterentur ad prædicandum, nullius rei temporalis reliquerunt dominiũ seu proprietatem, licet enim vt dicunt, ad probandum quasdam verisimilitudines ex scripturis contingat accipere: Ex ipsis tamen scripturis vt à maioribus expositæ dignoscuntur, contrarium manifeste accipitur, quod pluribus rationibus ex scripturis autenticis trahentibus auctoritatem & fulcimentum probare nituntur. Est autem eorum prima ratio talis. Quando Christus fecit Apostolis sermonem in monte, de quo legitur *Matt. 5.* & quando fecit ipsis & turbis sermonem in loco campestri, de quo habetur *Luc. 6.* siue fuerit idem sermo siue alius, Christus Apostolis aliqua tempora sub præcepto vel consilio interdixit, & ipsi eadem temporalia reliquerunt, sed sermo prædictus de quo habetur *Mat. 5. 6. & 7.* & etiam ille de quo habetur *Luc 6.* præcessit missionem Apostolorum ad prædicandum, ergo aliqua temporalia Apostolis antequam mitterentur ad prædicandum, sub præcepto vel consilio interdicta fuerunt: & per consequens ipsi aliqua, anteq̃ mitterentur ad prædicandum reliquerunt. Maior quo ad vtramq; partem ex euangelio patenter habetur. Nam in eodem sermone Mat. 6. dicit Christus Apostolis: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo vel tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur.* Ex quibus verbis patenter habetur, quod Christus thesaurorum possessionem Apostolis interdixit, ex ratione autem interdictionis huiusmodi, quam insinuat Christus, cum dicit: *vbi ærugo* &c. apparet, quod omnem superfluitatem temporalium interdixit eisdem. Si enim ideo thesauri sunt in terra minime congregandi, quia ærugo & tinea demolitur in terra: & similiter fures effodiunt & furantur: per huiusmodi autem ęruginem, tineam atq; fures intelliguntur omnia quæ temporalia possunt auferre. Videtur quod omnia quæ in terra possunt auferri, & non sunt necessaria, nullatenus sint congreganda. Omnis igitur superfluitas temporalium in verbis prædictis, Apostolis extitit interdicta. Omne autem dominium seu proprietas temporalium debet inter superflua reputari, cum sine proprietate seu dominio contingat vitam sustentare humanã, & officia ecclesiastica exercere, ergo in verbis præmissis Saluator sub præcepto vel consilio omne dominium seu proprietatem temporaliũ interdixit. Iterum in eodem sermone sollicitudinem de crastino Apostolis interdixit. Ex quo seq̃tur, quod magnarum diuitiarum possessionem interdixit eisdem, & ita patet, quod aliqua temporalia eisdẽ explicite interdicta fuerunt. Quod etiã eis temporaliũ possessio quo ad dominiũ & proprietatẽ implicite fuerit interdicta, patet per illud eiusdem sermonis c. 7. *Intrate per angustam portam.* Porta autem angusta, de qua intendebat Christus, comprehendit voluntariam & euangelicam paupertatẽ, ergo eis pauptatem euangelicã implicite sub præcepto vel consilio imponebat. Pauptas autem euangelica temporaliũ abdicationem includit, ergo tunc aliqua eis temporalia interdicta fuerunt. Ex quo sequitur, ꝙ tunc aliqua temporalia reliquerunt. Nullo enim modo est censendum ꝓbabile, ꝙ illi, quos ita extulit Christus, vt eos lucem mundi & sal terræ diceret, præcepta Christi & consilia non implerent. Constat igitur, ꝙ Apostoli tunc præcepta Christi & consilia impleuerunt: & ꝑ consequens temporalia reliquerunt. Minor ꝓbatione nõ indiget, ipsa tamen & nonnulla istam rationẽ contingentia in sequẽtibus amplius apparebunt. Secunda ratio talis est. Non imperfectiorem regulam viuendi tradidit Christus Apostolis, anteq̃ mitteret ad prædicandũ eosdem, q̃ aliis quibuscunq; discipulis, sed cuidã discipulo domesticarum rerũ dominiũ interdixit implicite, ergo multo magis Apostolis dominiũ tẽporalium, anteq̃ eos ad prædicandũ mitteret, interdixit. Maior est euidens. Minorem ostendunt: quia magis distrahit à sequela Christi rerum domesticarum dominium, q̃ paterni funeris sepultura: cum

cum paterni funeris sepultura pietatis officium sit censendum, Christus autem cuidam discipulo sepulturam paterni funeris interdixit. Nam sicut legitur Matth. 8. cum diceret redemptori nostro quidam de discipulis eius: *Domine permitte me primum ire & sepelire patrem meum.* Iesus ait illi: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos.* Ergo multo magis domesticarum rerum dominium implicite interdixit eisdem, & per consequens multo magis Apostolis, antequam ad prædicandum mitterentur, aliqua temporalia interdicta fuerunt. Tertia ratio eorum est hæc. Apostoli etiam antequã ad prædicandum mitterentur, non ad imperfectiorem statũ vocati fuerunt, quam fuit ille iuuenis, cui dixit Christus, *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes* &c. Hoc patet ex cõmendatione, qua Christus extulit Apostolos, cum dixit Matth. 5. *Vos estis lux mundi* &c. Sed ille vocatus fuit ad abdicationem dominii omnium temporalium: licet terrenis illectus ipsam noluerit assumere, ergo multo magis & Apostoli etiam antequam ad prædicandum mitterentur, ad huiusmodi statum vocati fuerunt. Talem autem vocationem nullatenus renuerunt, ergo talem statum voluntarie assumpserunt. Quarta ratio est hæc. Qui nihil sibi retinent, sed totum deserunt, relinquunt omnia quo ad dominium seu proprietatem, sed Apostoli antequam ad prædicandum mitterentur, nihil sibi retinuerunt, sed totum deseruerunt, teste beato Gregorio, qui loquens de Petro & Andrea super illud Matt. 4. *Relictis retibus secuti sunt eum*, ait: *Ad vnius iussionis vocem Petrus & Andreas secuti sunt redemptorem*, & infra: *In hac re fratres carissimi, affectum potius debemus pensare quam censum. Multum reliquit, qui nihil sibi retinuit. Multum reliquit, qui quantumlibet parum totum deseruit.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod Petrus & Andreas nihil sibi retinuerunt, sed totum deseruerunt in illa vocatione, de qua fit mentio *Matth. 4.* quæ præcessit missionem Apostolorum ad prædicandum, ergo & omnes alii Apostoli ad eundem statum assumpti antequam ad prædicandum mitterentur, nihil retinuerunt, sed totum deseruerunt: & per consequens omnia reliquerunt quo ad dominium seu proprietatem.

(*Non videtur quod eis habere aliqua presertim ad vitæ sustentationem pertinentia fuerit interdictum.*) Oppositum est ostensum per hoc, quod non debebant de crastino cogitare, per hoc enim nouit Christus omnem superfluitatem, non sollicitudinem, quæ est necessitatis naturalis interdicere Apostolis, cum ergo dominium etiam eorum, quæ pertinent ad sustentationem vitæ, inter superflua debeat æstimari; sequitur quod Christus tale dominium eorum, quæ sunt necessaria vitæ Apostolis interdixit, & ideo non interdixit eis habere aliqua quo ad vsum: sed quo ad dominium seu proprietatem (*quod apparet ex forma vocationis eorum.*) Dicunt isti, quod rectus sensus scripturæ loquentis de istis, quæ Apostolis interdicta fuerunt, non tantum ex forma vocationis Apostolorum, sed etiam ex aliis locis colligi debet, & idcirco licet per formam vocationis Apostolorum non posset ostendi, quod Apostolis habere temporalia quo ad dominium erat interdictum, non tamen esset ꝓpter hoc negandum, sufficit enim ad hoc tenendum, quod ex scriptura alibi ostendatur, (*cum enim ad discipulatum vocati fuerunt* &c. Hic etiam insufficienter arguit: non reliquerunt omnia quo ad dominium, quando ad discipulatum vocati fuerunt: ergo non reliquerunt omnia antequam ad prædicandum mitterentur. Poterant enim omnia relinquere, quando ad Apostolatum vocati fuerunt: quod nonnullis videtur probabile. Tunc enim Christus formam viuendi & regulam eis tradidisse videtur. Alii autem dicunt, quod Apostoli in vltima vocatione sua ad discipulatum omnia quo ad proprietatem & dominium reliquerunt, (*relictis retibus continuo secuti sunt eum*) vbi dicit Glossa: *Incessu pedum, sed magis obedientia & affectu amplius ad propria non reuersuri.* Ex qua Glos. colligitur, quod ex tunc dominium & proprietatem omnium reliquerunt. (*Ex forma autem vocationum prædictarum, nec ex his quæ ipsi fecisse tunc leguntur, non apparet quod ipsi renunciauerunt omnibus bonis suis.*) Esto quod hoc totum esset verum, tamen ex hoc non potest concludi, quod non renunciauerunt omnibus bonis suis: cum ex aliis locis scripturæ hoc patenter appareat, veruntamen ex forma vocationum prædictarum apparet, quod ipsi tunc renunciauerunt omnibus bonis suis. Nam de Matthæo dicit: *Relictis omnibus surgens secutus est eum.* Ex quibus verbis apparet, quod omnia tunc reliquerit quo ad dominium & proprietatem, quod Glossa accepta de Ambrosio ibidem sentire videtur. Ait enim: *reliquit propria, qui rapiebat aliena, nec solum lucra vectigalium reliquit, sed & periculum contemnit, quod poterat euenire à principibus seculi, quia rationes vectigalium incompositas relinqueret. Et quia in nullo prorsus huius vitæ respectum vel cogitationem sibi reseruauit dominicorum talentorum, fidelis dispensator esse meruit.* Ex his colligitur, quod beatus Matthæus propria reliquit: sed non fuit ratio, quod magis reliquisset ista propria, quam illa, ergo omnia propria reliquit, Et ex hoc concluditur, quod cum de Matthæo dicitur, quod *relictis omnibus surgens secutus est eum*; hæc verba non debent intelligi tantum modo de theloneo, & his quæ erant in theloneo: quia illa non erant propria eius, sed erant propria Cæsaris vel alterius principis, cuius erat theloneum. Debent ergo verba prædicta intelligi, & de theloneo quo ad congregationem & conseruationem, & custodiam ipsorum: ac etiam de omnibus propriis quo ad dominium seu proprietatem (*relictis secutus est eum.*) Iterum secundum Glossam Matthæus in nullo prorsus huius vitæ respectum vel cogitationem sibi reseruauit, ergo nec alicuius rei dominium sibi reseruauit. Hoc etiam beatus Ambrosius sentire videtur, qui in quadam homelia ait: *Mystica vocatio publicani, quam sequi iubet non corporis gressu* (supple tantum modo) *sed mentis affectu. Itaque ille auarus de mercedibus dura, de laboribus periculisq; nautarum emolumenta cõuertens verbo vocatus propria derelinquit, qui rapiebat aliena: ac illud vile sedile destituens, toto post Dominum vestigio mentis incedit.* Ex his verbis manifeste colligitur, quod beatus Matthæus, non solum vectigalium lucra, quæ sua non erant, sed etiam

propria dereliquit. Cum ergo dicatur omnia reliquisse, sequitur quod omnia propria dereliquit, ergo nihil sibi retinuit, quo ad dominium seu proprietatem. Ex quo concluditur, quod cum omnes Apostoli eiusdem fuerint professionis, omnes Apostoli omnem proprietatem temporalium reliquerunt. (*De Petro enim & Andrea, non legitur quod tunc relinquerunt nisi sua retia.*) Dicunt isti, quod quamuis ibidem non fiat mentio explicita, nisi de retibus: tamen ex diuersis locis scripturæ elicitur, quod tunc, vel quando ad Apostolatum electi fuerunt, sicut habetur *Luc. 6.* & Christus regulam, & formam viuendi, quæ habetur in isto sermone, qui ponitur *Matth. 5. 6. & 7.* exposuit, omnia reliquerunt, quo ad dominium & proprietatem. (*Et tamen legitur Marci 1. & Matth. 8. quod post prædicta ille egrediens de synagoga venit in domum Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Iohanne, vbi curauit socrum Petri de febre.*) Dicunt isti, quod quamuis post prædicta legatur *Marci 1. & Matth. 8.* quod *ille egrediens de synagoga* &c. Tamen nec *Marci 1.* nec *Matth. 8.* legitur, quod post prædicta ille egrediens de synagoga venit in domum Simonis &c. Et ideo hoc falsum scripturæ imponit, quia quamuis Marcus & Matthæus posterius narrent, quod ille ingrediens de synagoga venit in domum Simonis, modo tamen narrant, quod hoc fuit posterius factum: nec semper ex ordine scripturæ potest concludi ordo rei gestæ. Dicunt ergo quod potuit fieri quod Christus egrediens de synagoga veniret in domum Simonis ante dictã vocationem Petri & Andreę. Vnde & beatus Lucas prius narrat illum ingressum in domum Simonis & Andreæ, quam narret penultimam vocationem Petri & Andreæ. Aliter dicunt, quod ille aduentus potuit esse inter dictam vocationem Petri & Andreæ, & electionem ipsorum ad Apostolatum, & ita si ante electionem ad Apostolatum non reliquerunt proprietatem omnium, potuit tunc illa domus esse eorum quoad proprietatem. Tertio dicunt, quod illa domus tunc potuit dici Petri & Andreæ, non quia tunc erat ipsorum quo ad dominium & proprietatem, sed quia aliquando fuit eorum quo ad dominium & proprietatem. Sæpe enim aliqua dicuntur esse aliquorum, non quia tunc sint eorum quo ad dominium & proprietatem: sed quia aliquando fuerant ipsorum quo ad dominium seu proprietatem, & de tali modo loquendi inueniuntur exempla plura in scripturis, patet de Bethlehẽ, quæ post mortem Dauid adhuc vocabatur ciuitas Dauid, *Luc. 1.* & de Sion, quæ tempore Machabæorum vocabatur ciuitas Dauid, *1. Mach. 1.* & gladius Goliath post mortem eius vocabatur gladius Goliath, quia fuerat eius, *1. Reg. 21.* & tabernaculum Saræ, etiam post mortem Saræ vocabatur tabernaculum Saræ, *Gen. 24.* Sic domus prædicta potuit vocari domus Petri & Andreæ, quia fuerat aliquando eorum quo ad dominium & proprietatem. Quarto dicunt, quod licet dicta domus non fuisset vnq̃ Petri & Andreæ quo ad dominium, sicut forte nunq̃ fuit, quia fortassis non fuerunt ita diuites, quod domum propriam, sed solum conductam haberent: tamen potuit dici domus Petri & Andreæ propter consuetudinem habitandi in ipsa: quemadmodum Nazareth dicebatur ciuitas Marię & Ioseph, quæ tamen non erat ipsorum quo ad dominium seu proprietatem: sed solum quo ad consuetudinem manendi ibidẽ. Patet ergo, vt isti dicunt, quod ille impugnatus ex scripturis male intellectis, & sub multiplicitate vocum opiniones erroneas contra doctrinam sanctorũ patrum conatur inducere. (*De Iacobo autem & Iohanne non legitur quod tunc reliquerunt nisi retia & patrem: quæ quidem retia videntur fuisse patris (qui viuebat) potius quam ipsorum.*) Ex hoc non potest concludi, quod non reliquerint omnia quo ad dominium seu proprietatem: quia quod omnia reliquerint modo prædicto ex aliis scripturis colligitur: & etiam ex illo loco scripturæ videtur rationabiliter posse inferri. Si enim amore sequendi Christum patrem, cui ex lege naturæ obligati fuerunt, quo ad præsentiam corporalem, & corporale obsequium, reliquerunt, videtur quod multo fortius temporalium rerum proprietatem & dominium reliquerunt, vel relinquere parati fuerunt. Ex quo colligitur, quod saltem quando Christus de contemptu mundi & sollicitudine temporaliũ abiicienda in monte eis explicite prædicauit, omnia quo ad dominium & proprietatem reliquerunt, si prius minime reliquerunt. (*De Philippo autem minime legitur quod tunc reliquerit aliquid*) quamuis tunc non legatur explicite, quod Philippus reliquerit aliquid. Ex hoc tamen non sequitur, quod nihil reliquit, & maxime non sequitur, quod nec tunc nec quando fuit ad Apostolatum assumptus, nihil reliquit (*statim sequitur, postquam dictum est quod reliquit omnia & secutus est eum, quod fecit sibi Leui, id est, Matthæus magnum conuiuium in domo sua: ergo per istam generalitatem nõ desierat domus esse sua.*) Dicunt quod non sequitur, quin desierit istã domus esse sua quo ad proprietatem, licet quo ad appellationem non desierit esse sua: quia postea vocabatur domus sua. Aliter dicunt, quod illud conuiuium fuit factum in domo Matthæi ante vocationem, de qua prius fuit mentio facta, licet narretur posterius. Tertio dicunt aliqui, quod tunc Matthæus non reliquerat omnia quo ad dominium seu proprietatem, sed quando fuit ad Apostolatum assumptus, & regulam viuendi à Christo accepit audiendo scilicet sermonem Christi in monte, omnia quo ad proprietatem seu dominium dereliquit. Vnde dicunt, quod istum processum circa Apostolos Christus seruauit. Primo vocauit eos vltimate: & tunc non reliquerant omnia quo ad dominium seu proprietatem: quia an illa esset voluntas Christi nesciebant: sed tunc parati erant Christo perfecte & in omnibus obedire, & quam formam viuendi eis vellet tradere obseruare, postea ducens eos in montem duodecim ad Apostolatum assumpsit: & eis regulam & formam viuendi, quam eos voluit seruare, exposuit: in qua interdicendo eis thesaurizationem & contentionem in iudicio, & omnem sollicitudinem superfluam, insinuauit aperte quod omnium temporalium abdicarent dominium. Quod & ipsos tunc fecisse, quamuis non legatur explicite, est credendum: quia aliter non fuissent ad Apostolatum idonei, eo quod non fuissent parati in omnibus voluntati Christi parere. Postmodum vero ipsos ad Apostolatum probatos ad prædicandum transmisit: & tunc eis quasdam speciales circumstantias circa abdicationem proprietatis omnium rerum iniunxit, sicut inferius ostendetur.

CAP.

Cap. XCIX.

PRaeterea cum ille misit duodecim, quos & Apostolos vocauerat, legimus eis interdixisse aliqua, videl. vt non possiderent aurum, neque argentum, neque as in zonis suis, & alia nonnulla. Ex quibus patet, quod ante missionem illa ipsis interdicta non erant: alias frustra in missione fuissent eis talia interdicta, vt patet Matth. 10. Marc. 6. & Luc. 9. Eodem modo 70. discipulis dum eos misit, aliqua interdixit, vt patet Luc. 10. Ex quo sequitur, quod ante illa ipsis non fuerant interdicta.

Hic ponit secundam rationem ad probandum, quod Apostolis antequam ad prædicandum mitterentur, nulla temporalia interdicta fuerunt, quia quando eos ad prędicandum misit, aliqua interdixit, sc. quod non possiderent aurum, &c. ergo antea ipsis minime talia interdixit: & per consequens antea ipsis licuit talia quo ad dominium possidere: & ita antea non omnia quo ad dominium reliquerunt.

Sed isti impugnatores dicunt, istam rationem omni colore carere. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod licet sub generali speciale continere noscatur; interdicto tamen aliquo generaliter, non frustra postea interdicitur specialiter: quemadmodum aliquid generaliter imperatum, nõ frustra postea specialiter iniungitur: quia, teste Innocentio Tertio, vt habetur *ext. de haret. c. si aduersus: Plus timeri solet quod specialiter iniungitur, quam quod generaliter imperatur*, & in hoc concordat concilio Toletano, quod, vt habetur *dist. 23. c. Quanquam*, ait: *Solet enim plus timeri quod singulariter pollicetur: quam quod generali sponsione concluditur.* Vbi Glossa notat multa specialia plus valere quam generalia: sicut plus valet specialis cautio quam generalis: & plus valet specialis confirmatio quam generalis: & plus specialis appellatio quam generalis: & similiter specialis delegatio quam generalis: & specialis subscriptio quam generalis: & plus valet speciale mandatum quam generale. Ex his dicunt isti aperte patere, quod ratio prædicta apparentia est nudata: quia non sequitur; Christus quãdo misit Apostolos ad prædicandum eis, ne aurum vel argentum aut pecuniam possiderent, quo ad dominium specialiter interdixit: ergo prius ne possiderent quæcunque temporalia quo ad dominium generaliter nequaquam iniunxit: cum sæpe plus valeat mandatum speciale quam generale.

Item apparet ex scriptura idem præceptum nõ inutiliter replicari, quod diuersis modis contingit. Quandoque enim idem præceptum sub eadem forma in diuersis locis replicatur. Vnde & præcepta Decalogi *Exod. vigesim. capit.* describuntur, quæ tamen *Deuteronom. quint. cap.* replicantur. Quandoque vero non sub eadem forma idem præceptum penitus replicatur. Vnde Matth. quinto, ponitur præceptum de dilectione proximi inquantum iubentur omnes inimicos diligere: & tamen Christus in cœna dixit Apostolis: *Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem.* Ex diuersis ergo causis præcepta sæpius replicantur, & ea quæ primo generaliter imperantur, postea specialiter iniunguntur: & ita fuit de Christo & Apostolis.

Primo enim cum Christus in monte explicite interdixit Apostolis repetitionem temporalium, & contentionem pro eisdem in iudicio: ac omnem thesaurizationem in terra, pro eo quod in terra ærugo & tinea demolitur, & fures effodiunt & furantur; & etiam omnem sollicitudinem circa temporalia superfluam: tunc eisdem generaliter interdixit possessionem auri, argenti & pecuniæ, quo ad dominium & proprietatem, quando misit eos ad prædicandum possessionem huiusmodi specialiter interdixit, iniungens ipsis nihilominus ne talia etiam portare absque dominio & proprietate præsumerent: sicut ex *Marc. 6. & Lu. 9.* colligitur euidenter. Quod autem dixit de 70. discipulis patet, quod non concludit: quia per hoc non probatur, quod ante dictã missionem ipsis nõ fuerunt aliqua interdicta, sed tamen an eis fuerint aliqua interdicta, non est ad præsens inquirendum. (*Cum ille misit duodecim quos & Apostolos vocauerat.*) Hic aperte insinuat, quod Christus prædictos duodecim ante fecerat Apostolos, quam eos ad prædicandum transmitteret: cuius contrarium asserit postea manifeste: & ita sibiipsi contradicit aperte. (*Legimus eis interdixisse aliqua*) specialiter, quę prius indixerat generaliter (*videl. vt non possiderent aurum*, &c.) De his in sermone in monte, quando Christus Apostolis proprietatem temporalium generaliter interdixit, non fiebat mentio specialis. (*Ex quibus patet, quod ante missionem istam eis interdicta non erant.*) Male arguit: ac si argueret: Deus præcepit filiis Israel, vt legitur Exodi vigesi. *Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies.* ergo hæc eis prius præcepta non erant. Constat enim, quod in lege naturæ aute legem Mosaicam hæc erant præcepta. Moyses etiam in Deuteronomio hæc eadem præcepta, imo fere omnia alia præcepta, contenta in Exodo, Leuitico & Numeris, replicauit: quia, teste Hieronymo in prologo Bibliæ, *Deuteronomium sic ea habet quæ priora sunt, vt tamen noua sint omnia de veteribus.* Et tamen hæc ante librum Deuteronomii præcepta fuerunt.

(*Alias frustra in missione fuissent eis talia interdicta.*) Ex præcedentibus patet hanc esse falsam. Vnde frustra fuerunt eis in missione talia specialiter interdicta: quia iniuncta specialiter plus mouent & cordi fortius imprimuntur: & priora generalia aptius explicantur, & nonnunquam bonum obedientiæ adaugetur, multæ aliæ etiam causæ possent assignari, quare eadem sæpius replicantur: & quæ generaliter fuerant imperata, specialiter iniunguntur. (*Eodem modo septuaginta discipulis*) melius dixisset septuag. duob. (*dum eos misit aliqua interdixit*) hoc verum est. *Ex quo sequitur, quod ante*

illa ipsis non fuerant interdicta) siue quod hic infert fuerit verum siue falsum, argumentum suum non valet: quia sicut ostensum est, talis consequentia non valet: Talia fuerant ab eis interdicta, quando missi fuerunt; ergo prius non fuerunt eis interdicta: quia ex tali affirmatiua, negatiua infertur sophistice.

Cap. C.

De discipulis autem constat, quod habuerunt aliqui multa. De Ioseph ab Arimathia, legitur Iohannis 19. *quod erat discipulus Iesu.* Matthæi *autem* 27. *dicitur quod erat diues homo, & discipulus Iesu. Iterum constat, quod Simon leprosus erat de discipulis Iesu: & tamen legitur* Matth. 26. *quod ille erat in Bethania in domo eius. Item Lazarus, Martha & Maria Magdalena, qui erant eius discipuli, erant multa bona habentes. Deinde legitur de eis* Ioh. 11. *quod castrum dictum Bethania erat Mariæ Magdalenæ & Marthæ: & quod in Bethania fecerunt ei cœnam magnam, in qua Martha ministrabat. Lazarus autem erat vnus ex discumbentibus cum eo. Maria vero accepta libra vnguenti nardipistici pretiosi vnxit pedes Iesu, & extersit capillis suis pedes eius. De Tabitha quoque, quæ interpretatur Dorcas, quam Petrus suscitauit à mortuis, legitur* Act. 9. *quod erat discipula & plena operibus bonis & eleemosynis, quas faciebat: & quod omnes viduæ flentes ostenderunt Petro tunicas & vestes, quas faciebat eis Dorcas. Ex quibus patet, quod & ista non obstante discipulatu temporalia habebat, de quibus faciebat eleemosynas prædictas: nec reperimus quod Dominus noster aliam legem viuendi discipulis dederit, & aliam Apostolis suis: imo beatus Clemens in quadam Epistola sua, cuius pars recitatur* 12. quæst. 1. capit. Dilectissimis, *expresse supponit, quod eadem erat Apostolorum & discipulorum vita dicens: communis vita omnibus est necessaria, & maxime his, qui vitam Apostolorum eorumque discipulorum imitari volunt.*

Hic ponit tertiam rationem ad ostendendum, quod Apostolis antequam ad prædicandum mitterentur, nulla temporalia interdicta fuerunt. Est autem ratio talis. Christus non dedit aliam legem viuendi Apostolis & aliis discipulis, hanc probat auctoritate Clementis, quæ ponitur *12. quæsti. 1. capitu. Dilectissimis*, quæ supponit, quod eadem fuit vita Apostolorum & discipulorum, sed aliis discipulis habere temporalia fuit minime interdictum: quia temporalia habuerunt, secundum quod probat per quatuor exempla, quorum primum est de Ioseph ab Arimathia, secundum de Simone leproso, tertium de Lazaro, Martha, & Maria Magdalena, quartum de Dorca, ergo, &c. Circa istam rationem primo ponit minorem cum declaratione sua, secundo ibi: *Nec reperimus:* Ponit maiorem cum sua probatione.

Sed isti impugnatores hic duabus viis principaliter improbare nituntur. Primo enim ostendunt, quod licet ista ratio sit inducta ad probandum, quod Apostolis antequam mitteretur ad prædicandum, non fuerunt aliqua temporalia interdicta: tamen ipsa æque concludit, quod nunquam vel saltem non post reuersionem de prædicatione fuit eis habere quæcunque temporalia in speciali, quo ad dominium & proprietatem interdictum à Christo. Secundo probare conantur, quod errorem continet manifestum, cum accipit, quod non reperitur Christum dedisse aliam legem viuendi Apostolis & aliis discipulis. Ad intelligentiam autem dicendorum præmittunt, quod ipse hic accipit generaliter nomen discipuli pro omnibus Christianis: & inter istos & illos discipulos Christi non distinguens. Nam sub nomine discipuli cõprehendit diuites & pauperes, viros & mulieres: sicut exempla sua testantur aperte: & ita vocat ibi discipulos omnes Christianos. Ex isto dicunt isti primum probandum aperte patere. Nam iste sub eadem lege viuendi constituit Apostolos & alios discipulos, qui post reuersionem eorum de prædicatione conuersi fuerunt: & quando alii discipuli propria possidebant. Nam ipse constituit sub eadem lege viuendi Apostolos & Ioseph ab Arimathia, quando legitur fuisse diues, & nobilis decurio, & Dorcam, quando eleemosynas faciebat: volens probare, quod Apostolis temporalia possidere minime extitit interdictum: per hoc quod prædicti temporalia possidebant, sed prædicti, scilicet Ioseph & Dorcas, & similiter leprosus & Lazarus & Martha & Magdalena, temporalia possederunt, postquam Apostoli de prædicatione reuersi fuerunt, ergo secundum istum temporalia possidere postquam Apostoli de prædicatione reuersi fuerunt, eis nullatenus extitit interdictum: quod esse erroneum isti impugnatores in sequentibus ostendere conabuntur.

Secundo dicunt ipsum dogmatizare errorem apertum, cum asserit, Christum non aliam legem viuendi dedisse Apostolis, quam aliis discipulis, per alios discipulos intelligens omnes Christianos, & specialiter Ioseph de Arimathia, & Dorcam & Simonem leprosum, ac Lazarum & sorores eius. Hoc autem ostendunt esse erroneum. Primo sic: Christus præcepit Apostolis non possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam, & non portare calciamenta, ac etiam non habere duas tunicas: sed talia non præcepit omnibus aliis discipulis: & specialiter non præcepit ista prædictis Ioseph & aliis, ergo aliam legem viuendi dedit Apostolis, quam nonnullis aliis discipulis. Secundo sic: Christus non latiorẽ legem viuendi tradidit Apostolis, etiã post reuersionem de prædicatione, quam suasit illi, cui dixit: *Si vis perfectus esse vade vende omnia quæ habes*, &c. Sed illi suasit strictiorem legem viuendi, præsertim quo ad paupertatem, quam imposuerit Ioseph ab Arimathia, & aliis discipulis supradictis, strictiorem ergo legem viuendi tradidit Christus Apostolis, quam aliis multis discipulis suis. Minor est euidens: & posset etiam per ista, quæ ille allegat de Ioseph & aliis prænominatis, patenter ostendi. Maior etiam videtur clara: quia tunc Apostoli fuerunt primi fundatores

datores militantis ecclesiæ post Christum, ergo non debuerunt lautius viuere, quam ille, cui dixit Christus: *Si vis perfectus esse*, &c. si conuersus fuisset ad Christum. Tertio sic arguunt: Christus imposuit Apostolis continentiam à carnali concubitu: quod satis innuitur Matth. 19. cum dicit Christus: *Sunt eunuchi qui castrauerunt seipsos propter regnum cœlorum: qui potest capere capiat*, vbi dicit Hieronymus: *Domini vox est, milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis, quasi dicens: qui potest pugnare pugnet, & superet ac triumphet.* Ex quibus verbis habetur, quod Christus continentiam suadebat: & per consequens ipsam maxime Apostolis tradidit obseruandam, sed continentiam aliis supranominatis, nec etiam omnibus Christianis non imposuit. Ergo aliam legem viuendi tradidit Christus Apostolis, quam multis aliis discipulis. Ad illa vero, quæ iste pro sua assertione adducit, super literam respondebitur.

(De discipulis autem constat quod habuerunt aliqui multa.) Dicunt isti, quod in triplici differentia fuerunt discipuli, quidam enim erant Apostoli: quidam vero præter Apostolos ad prædicandum fidem Christi fuerunt à Christo specialiter deputati, de quibus habetur *Lucæ decim. capitulo*. Tertii erant simpliciter conuersi ad fidem, sed officium prædicationis à Christo minime susceperunt. Primi & secundi non habebant temporalia quo ad dominium & proprietatem: sed tertii poterant habere quæcunque temporalia quo ad dominium & proprietatem, quæ tamen retinere minime artabantur, sed ad suum libitum relinquere poterant propter Deum: & de istis tertiis multi habebant multa. Inter istos vero fuerunt illi, quos iste enumerat, saltem illo tempore, quo fit de eis mentio in euangelio, & ideo exempla illa in nullo concludunt intentum istius. *(De Ioseph, &c.)* Ista vera sunt de eo, quia ante mortem Christi prædicationis officium nequaquam susceperat. *(Castrum dictum Bethania erat Mariæ Magdalenæ & Marthæ)* quod fuerit earum quo ad dominium & proprietatem Euangelista non exprimit, nec tamen negat: sed siue fuerit earum, quo ad dominium & proprietatem, siue fuerit earum, quo ad originem vel mansionem, quemadmodum Bethsaida *Iohannis primo* dicitur ciuitas Andreæ & Petri, istud exemplum non est ad propositum: quia Maria & Martha non erant tunc de annunciantibus publice ex officio sibi commisso à Christo euangelicam veritatem. *(De Tabitha quoque quæ interpretatur Dorcas.)* Ex isto exemplo patet, quod ille intendit, quod Apostoli etiam post missionem Spiritus sancti, saltem post recessum eorum à multitudine credentium conuersorum ex Iudæis non dimiserunt proprietatem temporalium: quia ista Dorcas tempore illo fuit, & illo tempore eleemosynas faciebat: quod isti postea improbabunt. *(Ista discipulatu non obstante temporalia habebat.)* Ista bene poterat habere temporalia, quia votum non emiserat paupertatis, sicut Apostoli. *(Nec reperimus, &c.)* Istud dicunt erroneum, sicut ostensum est supra. Et si quæras, quando dedit eis aliam legem, dicunt, quod *Matthæi decimo, & Marci sexto, & Lucæ nono, & etiam Matthæi quinto, sexto & septimo*, de quo postea differetur. *(Eadem erat Apostolorum, & discipulorum vita.)* Concedunt aliqui, quod eadem erat vita Apostolorum & aliquorum discipulorum, scilicet septuaginta duorum, & forte quorundam aliorum, qui eorum vitam imitari volebant: sed non erat eadem vita Apostolorum, & omnium discipulorum Christi. *(Qui vitam Apostolorum eorumque discipulorum imitari volunt.)* Potest dici, quod beatus Clemens per discipulos non intelligit omnes Christianos, sed quosdam qui specialiter vitam Apostolorum imitati fuerunt. Et ex isto plane patet, quod non eandem legem viuendi seruabant Apostoli, & omnes alii Christiani: quia ex verbis prædictis Clementis euidenter colligitur, quod Apostoli vitam communem semel acceptam nunquam postea dimiserunt, & tamen multi Christiani non seruabant tempore beati Clementis vitam communem, ergo aliam legem viuendi tenuerant Apostoli, & multi alii Christiani.

CAP. CI.

Item nec cum ipsos Apostolos ex discipulis fecit, videtur eis indixisse aliam vitam, quam prius habuerant, sed potestatem eis aliquam tribuisse. Vnde cum eos Apostolos ordinauit, legitur Matt. 10. sic dixisse: Et conuocatis duodecim Apostolis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt deiicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem.

Hic ponit quartam rationem pro assertione prædicta: quæ potest sic formari. Christus non indixit Apostolis aliam vitam, quando fecit eos Apostolos, quam prius habuerant, sed antequam essent Apostoli, non dimiserunt omnia temporalia, ergo nec quando fuerunt ad Apostolatum assumpti omnia temporalia reliquerunt: & per consequens antequam ad prædicandum mitterentur, nequaquam omnia temporalia dimiserunt.

Sed isti impugnatores prædicta reputant insufficienter dicta. Primo quia ex scripturæ testimoniis minime probat, quod Christus, cum ex discipulis fecit Apostolos, ipsis vitam aliam non indixit. Secundo quia insinuat, quod tunc Christus eos Apostolos ordinauit, quando misit eos ad prædicandum: quia dicit, quod *Matthæi decimo* legitur de eorum ordinatione. Totum autem illud capitulum videtur loqui de missione Apostolorum ad prædicandum, & de informatione eorum de actione officii prædicationis iniuncti. Et si dicatur, quod quamuis in eodem capitulo simul legantur dicta ordinatio Apostolorum & missio ad prædicandum: tamen prius ordinauit eos Apostolos, & postea ad prædicandum misit. Eadem facilitate dicetur sibi quod si illud capitulum *Matthæi deci.* rememorat ordinationem Apostolorum: ex hoc concludi non potest, quod eis viam aliam non indixit, sæpe enim aliquis rememorat aliquod factũ succincte, non omnia illud factum contingentia

explican-

explicando. Dicunt igitur quod *Matth.10.* non loquitur de ordinatione Apostolorum: cum de ordinatione ipsorum nulla penitus mentio fiat ibidem. Vnde dicit ibi sic: *Conuocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon*, &c. Et post expressionem nominum Apostolorum, sequitur immediate: *Hos duodecim misit sic præcipiens eis*, &c. In his autem verbis de ordinatione Apostolorum nulla fit mentio: sed magis cum dicit in principio: *Conuocatis duodecim discipulis suis*, eos quasi antonomatice *discipulos* appellando, supponit eos fuisse prius Apostolos ordinatos: & quia Matthæus nomina ipsorum Apostolorum antea nequaquam expresserat: ideo supponens eos fuisse iam Apostolos ordinatos, nomina eorum explicat dicens: *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc*, &c. Non igitur eos, vt videtur, tunc Apostolos ordinauit: sed eos iam ordinatos Apostolos tunc ad prædicandum transmisit. Vnde videtur, quod ante sermonem, quem fecit Christus in monte, de quo habetur *Matthæi quinto, sexto & septimo.* ipsos Apostolos ordinauit, quod ex Euangelio Lucæ, qui magis explicite ordinationem ipsorum prosequitur, colligitur, vt videtur, aperte. Nam sicut patet *Lucæ sexto.* Christus ipsos ordinauit Apostolos, antequam sermonem faceret, qui in eodem capitulo recitatur. Ibi enim sic legitur: *Factum est autem in illis diebus: Exiit in monte orare, & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit: Simonem quem cognominauit Petrum*, &c. & sequitur: *Et descendens cum istis stetit in loco campestri: & turba discipulorum eius & multitudo copiosa plebis*, &c. Et post: *Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat: Beati pauperes quia vestrum est regnum Dei*, &c. Ex his verbis colligitur euidenter, quod ipsos ordinauit Apostolos antequam faceret prædictum sermonem ad turbas, sed sermo qui recitatur *Matt. quinto, sexto & septimo*, vel fuit idem cum sermone qui recitatur *Lucæ sexto capitulo*, vel præcessit illum eadem die, sequebatur tamen ordinationem Apostolorum, quod Glossa Matthæi quinto testatur sic dicens: *Huic rei consentit Lucas ita dicens: factum est autem in illis diebus, Exiit in montem orare: & erat pernoctans in oratione Dei: & cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit, sed Lucas dicit post descensum de monte in loco campestri eundem sermonem turbis prædicasse stando: quem Matthæus dicit habitum discipulis in monte sedendo, potuit enim esse, vt in monte duodecim eligeret, quod Matthæus tacet, Lucas dicit, & electis sermonem illum tunc haberet, quod Matthæus dicit, Lucas præterit, & postquam descendit, alterum sermonem illi similem turbis faceret, de quo Matthæus tacet, Lucas dicit. Vel potuit Dominus primo esse cum solis discipulis in eminentia montis, quando ex eis duodecim elegit. Deinde cum eis descendisse in aliquam æqualitatem, quæ tamen in monte esset, & multas capere turbas posset: & ibi stetisse, donec turba congregarentur, & post cum sedisset, discipulis propius venisse: & ita illis & cæteris vnum sermonem habuisse, quem dicunt Matthæus & Lucas diuerso narrandi modo, sed eadem veritate rerum.* Ex his verbis datur intelligi, quod siue fuerit idem sermo, siue alius, ordinatio Apostolorum præcessit vtrumque: & ita fuerunt ordinati Apostoli ante sermonem, qui ponitur *Matthæi quinto, sexto & septimo*, quod etiam alia Glossa Matthæi quinto super illud: *accesserunt ad eum discipuli eius*, asserit manifeste dicens: *Quos ibi constituit duodecim.* Item alia Glossa idem ait: *Apostolos præeminentius abducit, vt à monte prius montes suscipiant pacem populo.* Ex his patet, quod Apostoli ordinati fuerunt ante sermonem, qui recitatur *Matthæi quinto, sexto & septimo*, eadem tamen die.

Sed forte dicet aliquis, quod tunc Matthæus non fuit Apostolus, quia ipse postea fuit electus, sicut patet *Matthæi octauo.*

Ad hoc respondet Glossa super illud Matth. octau. *Vidit hominem sedentem in thelonio*, dicens: *Hinc probabilius videtur, quod præmissa memorat, cum duodecim elegerit ante sermonem*, licet ergo vocatio Matthæi post sermonem istum narretur, tamen in re præcessit sermonem eundem. (*Nec cum ipsos Apostolos ex discipulis fecit, videtur eis indixisse aliam vitam quam prius habuerant.*) Dicunt isti, quod vel tunc vel ante, aliam vitam eis indixit, sicut ex præcedentibus colligitur manifeste (*sed potestatem eis aliquam tribuisse*) non legitur, quod Saluator ante dederit præceptum Apostolis miracula faciendi, quam indixit eis aliam vitam: nec inuenitur explicitum in euangelio, quod tunc, quando Christus ordinauit Apostolos, ipsis dederit potestatem miracula faciendi: quia quamuis *Marci tertio* sic legitur: *Et fecit vt essent duodecim cum illo: & vt mitteret eos prædicare: & dedit illis potestatem curandi infirmos, & eiiciendi dæmonia*: tamen ibi minime explicatur, quod quando elegit eos in Apostolos, ipsis prædictam contulit potestatem: & tamen potuit esse, quod quando ordinauit eos Apostolos, & vt eis aliam vitam indiceret & potestatem tribueret miracula faciendi, (*cum eos Apostolos ordinauit, legitur Matthæi decimo sic dixisse.*) Hic dicunt istum dupliciter deficere. Primo quia *Matthæi decimo* de ordinatione Apostolorum nulla fit mentio, secundo quod errat asserens Christum dixisse verba quæ sequuntur, scilicet *& conuocatis discipulis suis*, &c. Ista enim non fuerunt verba Christi, sed Matthæi Euangelistæ. (*Dedit illis potestatem spirituum immundorum*) quamuis tunc dederit, tamen potuit esse quod prius dedisset, vnde & Marci tam 3. quam 6. narratur quod dedit illis talem potestatem (*vt deiicerent*) textus habet, *vt eiicerent.*

Cap. CII.

S*I vero consideretur tempus, quo missi fuerunt ad prædicandum, videtur pro illo tempore, quod aliqua fuerint eis habere interdicta. Legitur enim Matth. 10. quod istos duodecim Apostolos misit præcipiens eis dicens*: Nolite possiden-

poſſidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris: non peram in via: neque duas tunicas, neque calciamenta, neque virgam. *Marci vero ſexto legitur ſic dixiſſe:* Et vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos: & præcepit eis ne quid tollerent in via niſi virgam tantum: non peram: neque in zona æs: ſed calciatos ſandaliis & ne induerentur duabus tunicis. *Lucæ vero nono legitur ſic dixiſſe*: Miſit illos (*ſcilicet duodecim Apoſtolos*) prædicare regnum Dei & ſanare infirmos, & ait ad illos: Nihil tuleritis in via neque virgam: neque peram: neque panem: neque pecuniam: neque duas tunicas habeatis. *Ex quibus verbis videtur, quod pro tempore viæ prædictæ tantum prædicta eis fuerint interdicta. Auguſtinus tamen dicit expreſſe libro de concordia Euangeliſtarum, quod illud non fuit præceptum, ſed poteſtas data recipiendi neceſſaria ab eis, quibus euangelium prædicabant: quam ſeruare Apoſtolis licuit, vel etiam non ſeruare, alias autem Apoſtolus Paulus tranſgreſſor præcepti huius extitiſſet: quia plerumque ab illis, quibus prædicabat, non recipiebat neceſſaria, ſed illa vel recipiebat ab aliis vel ea ſuis manibus acquirebat, ſicut patet prima ad Corinth. non. ad Philippenſ. quart. ad Theſſalonienſ. 4. & Actuum vigeſim. vbi dicitur*: Argentum autem & aurum aut veſtimenta nullius concupiui, ſicut ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ. *Præterea quod illud præceptum fuerit temporale, ſatis innuitur Lucæ vigeſimo ſecundo, vbi Dominus Apoſtolis dixit*: Quando miſi vos ſine pera & ſacculo: nunquid aliquid defuit vobis? *Et præterea diſcipulis 72. quando miſit eos dixit:* Nolite portare ſacculum, *in quo pecunia conſueuit portari*: neque peram, *in qua conſueuerunt alimenta portari*: neque calciamenta: *& tamen de illis certum eſt, quod multi ex diſcipulis erant multa habentes, vt patet ex prædictis.*

Poſtquam in parte præcedenti iſte reſpondit ad quæſtionem propoſitam de Apoſtolis iuxta primum membrum ſecundæ diſtinctionis: Hic reſpondet ad eam iuxta ſecundum membrum diſtinctionis eiuſdem, oſtendens primo, quod Apoſtolis pro tempore, quo ad prædicandum mittebantur, aliqua temporalia interdicta fuerunt. Quod tribus auctoritatibus probat. Secundo ibi: *Ex quibus videtur*, concludit, quod talia eis interdicta non fuerunt, niſi pro tempore viæ prædictæ tantummodo. Tertio ibi: *Auguſtinus reſpondet*, quod Auguſtinus vult, quod illud non fuit præceptum Apoſtolis. Quarto ibi: *Præterea quod illud*, probat, quod illud fuit temporale præceptum, ſcilicet pro tempore viæ prædictæ tantum modo, quod primo probat auctoritate Chriſti. Secundo ibi: *Præterea diſcipulis 72.* Probat idem per ſimile de 70. diſcipulis, quibus erat datum à Chriſto præceptum conſimile: & tamen reſpectu eorum fuit præceptum temporale, ergo & reſpectu Apoſtolorum præceptum extitit temporale.

Sed iſti impugnatores dicunt, quod in verbis præmiſſis quadrupliciter errat. Primo cum dicit, præceptum de non poſſidendo aurum, &c. fuiſſe temporale pro tempore viæ prædictæ tantummodo. Secundo cum imponit beato Auguſtino, quod dicat illud non fuiſſe præceptum. Tertio cum dicit, quod præceptum datum ſeptuagint. de non portando ſacculum, & aliis non portandis fuit temporale. Quarto cum aſſerit aliquos de illis multa habuiſſe, quo ad dominium & proprietatẽ, Quod primum ſit erroneum reputandum, multipliciter probre conantur. Primo ſic: qui perfectionem aliquam pro omni tempore profitetur, pro omni tempore ad eandem perfectionem noſcitur obligatus, ſed beatus Petrus, & eadem ratione alii Apoſtoli paupertatem, quæ eſt carentia auri & argenti, & aliarum diuitiarum, profitebatur pro omni tempore, ergo ad talem perfectionem remanſit omni tempore obligatus. Ex quo ſequitur, quod illud Domini præceptum: *Nolite poſſidere aurum*, &c. non extitit temporale obligans ſolummodo pro via prædicta. Maior eſt manifeſta, minor euidenter oſtenditur, per beatum Auguſtinum, qui in libro de Mirabilibus ſacræ Scripturæ ait: *In excuſatione eleemoſynæ & paupertatis profeſſione, Petrus paralytico ait: Surge & ambula, illud magiſtri præceptum ſeruans: Nolite poſſidere aurum neque argentum.* Ex his verbis euidenter colligitur, quod Petrus profeſſus fuerat paupertatem: & quod tunc prædictum Domini præceptum ſeruabat, ergo illud præceptum non extitit temporale modo prædicto. Secundo ſic: Præceptum negatiuum nullum tempus ſpecificans obligat pro omni tempore, quo illud expedit obſeruari, ſed prædictum præceptum eſt negatiuum, nullum tempus ſpecificans, cum ſine temporis ſpecificatione dicatur: *Nolite poſſidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris*, & expediebat Apoſtolis & etiam aliis illud obſeruare, non ſolum pro tempore viæ prædictæ: ſed etiam pro aliis temporibus, ergo pro aliis temporibus obligabat.

Hic reſtat probare, quod non ſolum pro tempore viæ prædictæ, ſed etiam pro aliis temporibus expediebat Apoſtolis & aliis ſeruare prædictum præceptum. Hoc autem expreſſe aſſerit Chryſoſtomus, qui ſuper illud Matth. *Nolite poſſidere aurum*, &c. ait: *Multa per hoc vnum commendabat. Primum quidem non ſuſpectos faciens Apoſtolos. Secundo autem ab omni eos eruens ſollicitudine, vt vacationem omnem ſermoni tribuant. Tertio docens eos ſuam virtutem. Hoc nempe eis & poſtea dicit: Nunquid aliquid defuit vobis, quando miſi vos nudos & diſcalciatos?* Ex his verbis patet, quod Apoſtolis & auditoribus eorundem expediebat, quod Apoſtoli aurum & argentum ac pecuniam minime poſſidebant aliis temporibus, quam tempore viæ prædictæ: quia per illud præceptum, ſicut dicit Chryſoſtomus, non ſuſpecti fiebant, & ab omni ſollicitudine eruti erant, vt prædicationi vacarent, ac etiam Chriſti virtutem cognoſcebant, ſed ita aliis temporibus, ſicut tempore viæ prædictæ, expediebat Apoſtolis & aliis, vt fierent non ſuſpecti, ab omni ſollicitudine eruerentur, & vt prædicationi vacarent, & Chriſti virtutem cognoſcerent, ergo ita pro aliis temporibus, ſicut pro

via

via prædicta, dictum præceptum Apostolos obligabat. Sed forte dicet ille, quod dictum præceptum, tempus viæ prædictæ spectat: tum quia ibi antedictum præceptum habetur: *hos duodecim misit*, &c. tum quia ibidem subiungitur; *non peram in via neque duas tunicas*, &c. tum quia Marc. 6. datur ibi idem præceptum, vbi tamen specificatur tempus viæ prædictæ, cum dicitur, *& præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum: non peram, non panem, neque in Zona æs* tum quia Lucæ 9. vbi de eodem præcepto fit mentio, Christus viam specificat supradictam, vnde dixit Christus ad Apostolos: *Nihil tuleritis in via neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam. Pecuniam* autem, aurum & argentum videtur intelligi. Sed ad ista tripliciter respondetur, primo quia, sicut sæpe vnus Euangelista aliquid dicit, quod alius tacet: ita quandoque vnus dicit idem & alius, sed alio modo: & tunc cum illi modo non repugnent, illud debet vtroque modo intelligi, & ideo esto, vt vnus Euangelista vel plures specificet vel specificent viam prædictam in dicto præcepto de non possidendo auro & argento & pecunia: non propter hoc potest concludi, quod non debeat absolute pro omni tempore expediente intelligi. Ex quo vnus Euangelista idem sine omni specificatione temporis ponit præceptum: cum ista duo, scilic. non possidere pecuniam pro via prædicta & non possidere pecuniam, neque pro ista via neque pro alio tempore, nullam repugnantiam inter se noscantur habere, quare cum Matthæus recitet absolute sine omni specificatione viæ vel temporis memoratum præceptum absolute pro omni tempore debet intelligi. Secundo respondetur, quod ex hoc quod præceptum datur de non possidendo auro & argento, &c. pro via prædicta, intelligitur idem præceptum etiam pro aliis temporibus esse datum: quia vbi est eadem ratio, vel fortior, debet esse idem ius, sed eadem est ratio dicti præcepti pro illo tempore illius viæ, & pro aliis temporibus quibus erant Apostoli prædicaturi, ergo illud præceptum datum fuit eis non solum pro via prædicta, sed etiam pro aliis temporibus.

Tertio respondetur, quod licet Christus miserit tunc Apostolos ad prædicandum: tamen in præcipiendo eis non possidere aurum neque argentum, neque pecuniam, secundum nullum Euangelistam tempus illius viæ specificauit: sed absolute præcepit eis, quod in via non ferrent pecuniam, intendens quod quandocunque irent ad prædicandum, non tollerent pecuniam, vnde Matthæus non dicit: Non peram in hac via, qua nunc ituri estis: sed absolute dixit: *non peram in via*, nec Marcus dixit: Ne quid tollerent in illa via, qua tunc ituri erant: sed absolute dixit: *Ne quid tollerent in via*, &c. neque Lucas dixit: Nihil tuleritis in hac via, qua nunc ituri estis: sed absolute dixit: *Nihil tuleritis in via.*

Et ita dictum præceptum Christi de omni via, qua ituri erant ad prædicandum debet intelligi, si autem non debebant possidere aurum, &c. in via: multo fortius nec extra viam, scilicet ante terminum viæ, nec in termino viæ, secundum quod arguit Chrysostomus super illud: *Nolite possidere*, &c. dicens: *Intende qualiter eos omnibus denudans omnia eis dedit, permittens in domibus eorum, qui docentur manere & nihil habentes introire. Si autem in aliena patria existentes, & apud ignotos abeuntes nihil aliud oportet petere quotidiano cibo: multo magis domi manentes.* Ex quibus verbis habetur aperte, quod secundum Chrysostomum, si non debebant inter ignotos possidere pecuniam: multo magis nec domi inter notos, & eadem ratione postquam inter ignotos manere inciperent, non deberent pecuniam possidere.

Quare sequitur manifeste, quod nec pro via aliqua, nec in termino viæ debebant pecuniam possidere, quando carere pecunia fuit expediens, & ita manifeste patet, quod stat ratio supradicta, scilicet quod illud præceptum Christi fuit datum Apostolis pro omni tempore, quo expediebat Apostolis dictum præceptum seruare: & non pro tempore viæ prædictæ solummodo.

Tertio sic arguunt: Vbi est eadem ratio, debet esse idem ius: quia de similibus simile iudicium est habendum: sed eadem fuit ratio, sicut tactum est, quare Apostoli non deberent aurum neque argentum, neque pecuniam possidere pro tempore viæ prædictæ: & pro omni alio tempore, quo prædicaturi erant; ergo præceptum, quod ratio iuris obtinet, æqualiter obligabat ipsos pro tempore viæ prædictæ, & pro omni alio tempore, quo prædicaturi erant. Maior est manifesta. Minor auctoritatibus sanctorum Patrum probatur aperte. Nam vna ratio, quare Christus noluit Apostolos pro tempore illius viæ possidere prædicta fuit, vt qui docere debebant omnia diuina prouidentia gubernari, ostenderent seipsos nihil de crastino cogitare. Hanc rationem assignat Rabanus super illud Matthæi decimo: *Nolite possidere aurum*, &c. dicens: *Qui diuitias detruncauerat, propemodum necessaria vitæ amputauit, vt Apostoli, doctores veræ religionis, qui docebant diuina prouidentia gubernari, seipsos ostenderent nihil cogitare de crastino*, sed hæc ratio ita respiciebat omnia alia tempora, quibus debebant populis prædicare, sicut tempus viæ prædictæ, ergo æqualiter obligabat eos præceptum præfatum pro tempore viæ prædictæ, & pro aliis temporibus, quibus prædicaturi erant.

Item alia ratio secundum Chrysostomum, quare Apostoli pro via prædicta non debuerunt talia possidere, fuit (sicut allegatum est prius) vt Apostoli per contemptum diuitiarum magni & mirabiles apparerent. (Auctoritatem, quam hic insinuant, quære supra *capitulo nonagesimo quinto*) sed ita debebant Apostoli apparere magni & mirabiles pro aliis temporibus, sicut pro tempore viæ prædictæ, ergo ita debuerunt carere prædictis pro aliis temporibus, quibus prædicaturi erant, sicut pro tempore viæ prædictæ, & sic discurrendo per omnes rationes, quæ pro

prædi-

prædicto præcepto potuerunt assignari, constat quod æqualiter debebant mouere Apostolos ad non possidendum huiusmodi bona pro tempore viæ prædictæ, & pro omnibus aliis temporibus, quibus prædicaturi erant, ergo præceptum obligabat ipsos, pro aliis temporibus, sicut pro illo.

Quarto sic arguunt: Non debuerunt Apostoli aliquam perfectionem semel assumptam, quamdiu vtile esset Apostolis & aliis eandem perfectionem seruare, dimittere, teste Saluatore, qui Lucæ nono ait: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Hoc etiam ratio persuadet. Nam si talem perfectionem semel assumptam sine communi vtilitate sua & aliorum pro aliquo tempore dimisissent: non vtique profecissent, sed turpiter defecissent, sed Apostoli non debuerunt deficere, sed magis proficere, ergo perfectionem assumptam, quamdiu vtile esset ipsis & aliis seruare, eandem dimittere minime debuerunt, sed non possidere aurum neque argentum, neque pecuniam propter Deum ad perfectionem noscitur pertinere: & non possidere huiusmodi fuit vtile Apostolis & aliis non solum pro tempore viæ prædictæ, sed etiam pro aliis temporibus, quibus prædicaturi erant, sicut auctoritates sanctorum protestantur aperte, de quibus aliquæ sunt superius allegatæ, & nonnullæ inferius adducentur, ergo Apostoli non debuerunt huiusmodi possidere, non solum pro tempore viæ prædictæ, sed etiam pro aliis temporibus, quibus prædicaturi erant.

Quinto sic arguunt: Non debuerunt Apostoli, qui post Christum erant primi prædicatores Euangelicæ veritatis, illa perfectione carere, quæ decet communiter prædicatores veritatis eiusdem: quia Apostoli, qui immediatè à Christo instructi fuerunt, sicut non debuerunt esse inferiores aliis prædicatoribus doctrina, ita non debuerunt esse inferiores vita exemplari, sed prædicatores communiter euangelicæ veritatis decet omni tempore, quo prædicationis exercent officium: imo etiam omni tempore carere huiusmodi, quo ad dominium & proprietatem propter Deum, ergo & Apostoli non solum pro tempore viæ prædictæ, sed etiam pro omni tempore, quo prædicaturi & inter populos conuersaturi erant, debebant proprietatem huiusmodi rerum propter Deum abdicare. Maior est manifesta. Minor probatur auctoritatibus aperte. Vnde Beda super illud Marci sexto. *Præcepit eis, ne quid tollerent*, loquens communiter de prædicatoribus veritatis, ait: *Tanta prædicatori debet esse fiducia in Deo, vt præsentis vitæ sumptus, quamuis non prouideat, tamen sibi eos non deesse certissime sciat: ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus aliis prouideat æterna.* Item Ambrosius super illud Lucæ: *Nihil tuleritis in via*, loquens de prædicatoribus in communi ait: *Qualis debeat esse, qui euangelizat regnum Dei, præceptis euangelicis designatur, vt sine virga, sine pera, sine calciamentis, id est subsidii temporalis adminicula non requirens fidei, quæ tutus putet sibi quo ea minus requirit magis posse suppetere.*

Item Glossa super illud Deuteronomii: *Non alligabitis os boui trituranti*, ait: *Occupati in doctrina non possunt sibi prouidere necessaria.* Item Chrysostomus homel. decim. quint. super Matth. ait: *Talis est luminis virtus, vt non solum luceat, sed & illuc ducat illos, qui sequuntur. Cum enim viderint omnia præsentia nos contemnentes ad futura praeparatos, ante omnem sermonem operibus nostris crederent. Quis enim ita est amens, vt videns eum qui heri lasciuiebat & ditabatur omnia exutum, famem & inopiam & duram vitam & pericula & sanguinem & occisionem & omnia, quæ videntur periculosa, tolerare præparatum: non manifestam accipiat hinc futurorum demonstrationem? Si autem præsentibus nos implicuerimus & immiscuerimus, qualiter poterit credere, quod ad possessionem aliquam festinemus?* Ex his aliisque quam pluribus auctoritatibus colligitur euidenter, quod communiter prædicatores decet euangelicæ paupertatis non solum aurum, argentum & pecuniam: sed etiam omnia temporalia contemnere propter Deum, & omnium proprietate carere: licet non omnes ad hoc teneantur inuiti, & ita constat, quod Apostoli pro omni tempore, quo prædicabant & conuersabantur inter populos, post prædictam perfectionem semel impositam huiusmodi minime possidebant, quo ad dominium seu proprietatem.

Sexto sic arguunt: Semel prohibita, quorum quædam pro tempore necessitatis tantummodo videntur esse concessa, pro omni tempore intelliguntur esse prohibita: exemptis illis pro tempore necessitatis, quæ pro necessitate supplenda necessaria dignoscuntur, sed possidere prædicta, scilicet aurum, argentum, pecuniam, sacculum, peram, & huiusmodi, semel fuit prohibitum: & possidere aliquid horum, scilicet aurum, argentum, pecuniam & res alias, quo ad dominium & proprietatem in tempore necessitatis non est necessarium pro necessitate subleuanda, ergo possidere huiusmodi, quo ad dominium & proprietatem pro omni tempore erat prohibitum: licet pro causa necessitatis portare huiusmodi & vti eis legatur fuisse concessum, maior est manifesta: minor probatur.

Primo auctoritate Christi dicentis Lucæ duodecimo. *Quando misi vos sine sacculo, pera & calciamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt, nihil. Ipse vero ait illis: Nunc si quis habet sacculum tollat: similiter & peram: & qui non habet gladium, vendat tunicam suam & gladium emat.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod Christus solummodo pro tempore necessitatis quædam prædicatoribus, quę interdixerat prius, tunc concessit, quia dixit: *Nunc*, hoc est tempore tantæ persecutionis, quod est tempus necessitatis, *qui habet sacculum, tollat: similiter & peram, &c.* hoc est, tollat omnia, quæ pro tali tempore opportuna noscuntur. Alia igitur, quæ pro tali tempore non erant necessaria, nequaquam concessit, sed interdicta (sicut antea) remanserunt. His concordat Beda super prædicta ver-

ba Christi dicens: *Non enim eadem viuendi regula persecutionis, qua pacis tempore discipulos informat. Missis quidem discipulis ad prædicandum, ne quid tollerent in via, præcepit, ordinans scilicet, vt qui euangelium annunciant, de euangelio viuant, instante vero mortis articulo, & contra illa gente pastorem & gregem persequente, congruam Christus regulam decreuit permittens vt tollant victui necessaria, donec sopita persecutorum insania tempus euangelizandi redeat, in hoc quoque nobis datur exemplum; vt iusta nonnunquam causa instante, quædam de nostri rigoris proposito posse sine culpa intermitti.* Ex his verbis habetur euidenter, quod Christus illa, quæ prius interdixerat, tunc solum concessit propter persecutionem instantem, concedendo necessaria tantum, & non alia, possessio autem auri & argenti & pecuniæ quo ad dominium & proprietatem nunquam est necessaria, quin sine illa potest necessitas subleuari: ergo, &c. Potest enim quis tempore necessitatis alienam pecuniam etiam absque licentia, & multo fortius de licentia portare & tractare, & de ipsa rem emere necessariam, & absque eius dominio & proprietate: quia non semper emens rem de pecunia aliqua habet eius dominium & proprietatem, sicut enim potest quis rem vendere licite, & eius transferre dominium in alium, cum tamen non habet dominium & proprietatem.

Ita potest quis in casu rem aliquam emere de pecunia, cuius non habet dominium & proprietatem. Christus igitur quantum ad omnia, quæ prius interdixerat, solummodo relaxauit ista, quæ pro tempore persecutionis necessaria erant, & ita constat, quod dictum præceptum: *Nolite possidere aurum,* &c. non solum obligabat Apostolos pro omni tempore, quo ad hoc, quod non possiderent huiusmodi, quo ad dominium & proprietatem: sed etiam obligabat eos pro omni tempore extra tempus necessitatis quo ad hoc, quod non portarent pecuniam, & ita prædictum præceptum non fuit temporale pro tempore viæ prædictæ solummodo.

Secundo dicunt isti impugnatores istum errare, cum imponit beato Augustino, quod dicat illud non fuisse præceptum. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod Christus mittens Apostolos ad prædicandum, aliqua eis præcepit, & aliqua permisit, nonnulla vero prædixit. Illa enim per quæ prædicatio eorum fieret magis credibilis, & per quæ auditores magis prouocarentur ad credendum, præcepit Apostolis, vt Apostoli non solum auditores doctrina instruerent, sed etiam exemplis allicerent, huiusmodi fuerunt illa, per quæ debebant perfectum mundi contemptum ostendere, inter quæ non minimum locum tenet nolle pecuniam, neque portare, neque quo ad dominium possidere, & ideo omnia quæ ad abdicationem pecuniæ pertinebant, sub præcepto cadebant. Quædam vero Christus permisit Apostolis, illa scil. quæ pro sustentatione eorum opportuna fuerunt, sicut ab auditoribus sumptus accipere: & illud non præcepit Christus Apostolis, nisi in casu, quando scilicet non possent aliunde necessaria vitæ acquirere. Et de isto loquitur Augustinus, cum dicit, illud non fuisse eis præceptum, sed permissum, quod expresse Augustinus manifestat, cum in libro *de concordia Euangelistarum* ait: *cum secundum Matthæum Dominus subiecerit: Dignus est enim operarius cibo suo, satis ostendit, cur eos possidere hoc, aut afferre noluerit: non quod necessaria non sint sustentationi huiusmodi vitæ, sed quod sic eos mittebat, vt eis ista deberi determinaret ab his, quibus credentibus Euangelium prædicabant. Alioqui contra hoc præceptum fecit Apostolus, qui victulum quotidianum de labore manuum suarum transigebat, sed dedisse eis potestatem, in qua fore scirent ista sibi deberi.* Ex quibus verbis ostenditur, quod recipere sumptus ab auditoribus non erat præceptum Apostolis, quod etiam idem Augustinus *de opere monachorum* explicat manifeste dicens: *Permisit enim Dominus, sed non iussit accipere necessaria à subditis, vt quisquis vellet, eo vteretur, quod sibi liceret ex Domini institutione, si quis vti nollet, contra iussum non faceret, sed de suo iure cederet. Potestas tamen est, non iussio Domini, accipere sumptus.* Ex his verbis habetur aperte, quod accipere sumptus non fuit præceptum.

Possidere tamen pecuniam fuit absolute prohibitum, sicut etiam tollere peram, & sacculum, fuit prohibitum: quorum vtrumque Gregorius concordans cum Augustino asserit manifeste, dicens homelia decim. septim. super Euangelia: *Ecce autem qui peram & sacculum portare prohibuit, sumptus & alimenta ex ipsa prædicatione concedit.* Ex quibus verbis patet, quod secundum Gregorium licet portare sacculum & peram fuerit prohibitum: & per consequens multo fortius possidere pecuniam erat prohibitum: tamen sumptus accipere non erat præceptum, sed concessum, & ita patet aperte hic, quod dictum est prius, scil. quod Christus mittens discipulos ad prædicandum aliqua præcepit, & quædam concessit, non præcepit: & ita sophistice de falsitate arguit Augustinum imponens ei, quod ipsum dixisse minime inuenitur.

Tertio isti impugnatores dicunt istum errare, cum asserit, quod præceptum datum septuaginta duob. discipulis de sacculo & aliis non portandis extitit temporale, datum scilicet tantummodo pro tempore viæ illius: quod ostendunt sic Discipuli septuag. duo, qui post Apostolos erant primi prædicatores euangelicæ veritatis, perfectionem semel assumptam, quam eos seruare, tam pro aliis temporibus, quam pro tempore viæ prædictæ fuit vtile eis & aliis, minime dimiserunt: quia si dimisissent, apti regno Dei non fuissent, iuxta illud Saluatoris : *Nemo mittens manum ad aratrum,* &c. *aptus est regno Dei,* sed seruare illa aliis temporibus, quæ Christus imposuit septuag. duob. discipulis, quando misit eos ad prædicandum, fuit vtile ipsis, & auditoribus eorundem: sicut ex superioribus colligitur euidenter, ergo præceptum illud non fuit temporale solummodo pro illa via, sed etiam ipsos pro aliis temporibus, quibus prædicaturi erant, arctabat.

Quarto

Quarto dicunt eum errare, cum dixit, patere ex dictis suis prioribus, quod aliqui de istis septuagint. duob. multa habuerunt. Hoc enim videtur manifestam falsitatem habere. Nam ipse probat solummodo de Ioseph ab Arimathia, Simone leproso, Lazaro, Maria Magdalena, Martha, & Dorca, quod habuerunt multa, sed nullus istorum fuit de illis 72. vel saltem non probat, quod aliquis illorum fuerit de ipsis, ergo non patet, quod aliquis de illis 72. habuit multa, postquam ad prædicandum fuit missus: nec de aliquo illorum in aliqua scriptura autentica potuit reperiri, quod multa habuit.

(*Videtur pro illo tempore, quod aliqua fuerit eis habere interdicta:*) Si dicat, *videtur*, dubitando, errat aperte. (*Nolite possidere aurum*, &c.) Hoc interdixit eis non solum habere aurum & argentum & pecuniam, quo ad proprietatem, sed etiam illa portare. Prius enim Christus, dum sermones faceret in monte, possessionem auri, argenti, & pecuniæ, sicut aliarum rerum, quo ad proprietatem & dominium, interdixit: sed portare huiusmodi, tunc nullatenus interdixit. Possunt enim multi portare pecuniam, cuius non habent dominium & proprietatem, fuit autem rationabile non solum interdicere eis possessionem pecuniæ, quo ad dominium & proprietatem: sed etiam portare pecuniam, vt per hoc Christus omnino auditoribus redderet ipsos non suspectos, quod propter diuitias prædicarent, formam & regulam viuendi etiam operibus ostendendo (*non peram in via*) hic specialiter viam specificat, quia pera nisi in via necessaria non videtur (*neque calciamenta*) si interdixit eis calciamenta in via, quando magis indigent eis: multo magis in domo, quando minus indigerent ipsis (*ne quid tollerent in via.*) Ex hoc non sequitur, quod extra viam liceret eis tollere illa: quia argumentum à contrario sensu sæpe fallit in Theologia.

(*Sed calciatos scandaliis*) Ex hoc patet, quod *sandalia* possunt calciamenta vocari: quia absque calciamentis nemo est calciatus, quare verba beati Iohannis Baptistæ *Matthæi tertio, & Marci primo, & Iohannis primo*, de calciamentis & de sandaliis possunt intelligi, quare ex illis verbis concludi non potest; quod Christus vsus fuerit talibus calciamentis, quæ communiter calciamenta vocantur. (*Ex quibus verbis videtur, quod pro tempore viæ prædictæ tantum prædicta fuerunt eis interdicta.*) Male & sophistice infert, quia non sequitur, pro via prædicta erant eis interdicta: ergo non erant eis pro alio tempore interdicta, quia ex affirmatiua, negatiua illa non sequitur: sicut nec ex affirmatiua exponente potest exclusiua inferri. (*Augustinus tamen*, &c. falsum imponit Augustino, sicut ostensum est (*in libro de concordia Euangelistarum*) hoc ibi minime reperitur. (*Illud*) scilicet minime recipere sumptus. (*Non fuit præceptum, sicut probatur per exemplum de beato Paulo.*) Non autem inuenitur, quod beatus Paulus portauerit vel possederit pecuniam, quo ad dominium seu proprietatem (*quod illud præceptum fuerit temporale, satis innuitur Lucæ vigesimo secundo, vbi Dominus Apostolis dixit: quando misi vos sine sacculo & pera num quid defuit vobis?*) Male arguit, quod illud præceptum fuit temporale: quia Christus non dispensauit cum eis contra dictum præceptum, nisi tempore necessitatis. Ex hoc autem non potest concludi, quod fuerit tempotale, quia tempore necessitatis multa licent multis: quæ tamen simpliciter sunt eis prohibita. Patet exemplo, quod Christus dat de panibus propositionis: quia omnibus præterquam sacerdotibus, erat simpliciter prohibitum comedere panes propositionis: & tamen tempore necessitatis extremæ erat licitum comedere eos, sicut colligitur euidenter *Matthæi duodecimo, & Marci secundo, & Lucæ sexto*, (*de illis certum est*) de illis septuag. duob. non est certum, licet de aliis sit certum. (*Multi ex discipulis*) alii à 72. erant multa habentes, sicut Ioseph, & alii viri & mulieres, qui non erant de 72.

CAP. CIII.

Si autem consideremus tempus post reuersionem, tunc videtur quod eis habere licuerit præmissa, saltem in communi, habuerunt enim Apostoli postquam reuersi fuerunt de prædicatione, panes & pisces, vt patet in miraculo panum & piscium, quæ facta fuerunt, postquam de prædicatione ad illum redierunt, vt patet Marci sexto, vbi de Apostolis postquam à prædicatione redierant, dicitur sic: Et conuenientes Apostoli ad illum renunciauerunt illi omnia quæ egerant & docuerant, *scilicet in prædicatione. Ecce quod de prædicatione, ad quam missi fuerant, reuersi fuerant, & rationem Domino reddiderant de ea, in eodem capitulo sequitur miraculum quinque panum, & duorum piscium. Vbi Apostoli, cum Dominus dixisset eis: quod darent turbæ manducare, dixerunt*; euntes emamus ducentos panes: & dabimus illis manducare. *Lucæ vero nono dicitur sic*: Et reuersi Apostoli narrauerunt illi quæcunque fecerant, *& post sequitur in eodem capitulo miraculum prædictum quinque panum, vbi dicitur: quod cum Dominus Apostolis dixisset*, vos date illis manducare: *ille dixit*; non sunt nobis plus quam quinque panes, & duo pisces, nisi forte nos eamus & emamus in omnem hanc turbam escas. *Ex quibus patet, quod postquam reuersi sunt à prædicatione, Apostoli habuerunt & panes & pisces & pecuniam, de qua tantæ turbæ, quanta erat, potuerant emere cibos. Item quod postquam redierunt de prædicatione, habuerunt pecuniam, patet. Legitur enim* Iohan. quart. *quod Iesu sedente super fontem Iacob, discipuli eius abierunt in ciuitatem, vt cibos emerent. Sic patet, quod pecuniam habebant, cum emptio mediante pecunia fiat*, Deuteron. primo capitulo, *& tamen tum temporis Apostoli de prædicatione fuerant (vt videtur) reuersi, cum in capitulo præallegato sic discipulis dixerit*: Ego misi vos

metere, quod non laborastis. Alii laborauerunt: & vos labores eorum introistis. *Supponit quoque euidenter scriptura Euangelica, ipsos post reuersionem prædictam sacculos, in quibus portabatur pecunia, & plures tunicas habuisse. Legitur enim Luca vigesimo secund. Dominum nostrum Iesum Christum Apostolis dixisse:* Qui habet sacculum, tollat: similiter & peram: qui non habet gladium, vendat tunicam suam, & emat gladium. *Et sequitur, quod Apostoli dixerunt ei:* Domine ecce duo gladii hic. *Ex quo patet, quod duos gladios habebant. Petrus quoque legitur* Iohan. decim. octau. *gladium habuisse. Vbi dicitur, quod Simon Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit Pontificis seruum: cui Dominus dixit: Mitte gladium tuum in vaginam tuam.*

Postquam responsum est ad quæstionem, qua quæritur, an Apostoli aliquarum rerum habuerunt dominium, iuxta primum & secundum membrum distinctionis secundæ positæ supra capitulo nonagesimo sexto. Hic respondetur ad eandem, iuxta tertium membrum distinctionis eiusdem. Probatur enim hic, quod Apostolis, postquam fuerunt de prædicatione reuersi, licuit habere omnia, quæ eis pro tempore prædicationis præcedentis fuerant interdicta, quod ille vnica ratione tali probare videtur. Apostoli de facto postquam fuerunt de prædicatione reuersi habuerunt multa, quæ eis fuerant antea interdicta, ergo licuit eis habere omnia, quæ eis prius fuerant interdicta. Consequentia patet: quia Apostoli nulla habuerunt illicite, nec est ratio, quod licuerit eis habere plus illa, quam illa, ergo omnia licuit eis habere, quæ prius ipsis fuerant interdicta. Antecedens probat iste per multa exempla. Primo, quia postquam fuerunt de prædicatione reuersi, habuerunt panes, pisces & pecuniam ad emendos cibos pro magna turba hominum, secundo ibi: *Item quod postquam,* &c. specialiter probat, quod habuerunt pecuniam. Tertio ibi; *supponit quod,* probat quod habuerunt sacculos pro pecunia deportanda & plures tunicas. Quarto ibi, *sequitur quod Apostoli,* ostendit quod habuerunt gladios.

Sed isti impugnatores dicunt istum aperte errare, cum asserit, quod Apostoli post reuersionem à prædicatione habuerunt panes, pisces & pecuniam & tunicas & gladios, quo ad dominium & proprietatem, quod enim intelligat hic de modo habendi prædicta, quo ad dominium & proprietatem, patet: quia aliter ad propositam quæstionem de Apostolis iuxta tertium modum distinctionis suæ secundæ minime responderet: cum quæstio supradicta explicite quærat de modo habendi res temporales, quo ad dominium & proprietatem. De tali autem modo habendi res loquendo error est differentiæ: quod Apostoli habuerunt res quascunque postquam à prædicatione reuersi fuerunt, sicut multipliciter in *capitulo præcedenti,* & in aliis capitulis quam pluribus probatum exstitit, & ideo isti circa istam partem solummodo per literam discurrendo ad instantias respondere conantur, quas in suæ assertionis fulcimentum adducit.

(*Si autem consideremus tempus post reuersionem: tunc videtur quod eis habere licuerit premissa saltem in communi.*) Intelligendum est, quod intendit ipsis licuisse habere præmissa, & quæcunque alia quo ad dominium & proprietatem, & non solum in communi, sed etiam in speciali: quia si non licuisset eis habere præmissa & quæcunque alia tam in speciali, quam etiam in communi, alia lex viuendi fuisset ipsorum Apostolorum & quorundam aliorum discipulorum, quia quibusdam aliis discipulis licuit habere præmissa & quæcunque alia tam in speciali quam etiam in communi. Ipse autem dicit, quod Apostoli non habuerunt aliam legem viuendi, quam quicunque alii discipuli: ergo &c. (*habuerunt enim Apostoli postquam reuersi fuerunt de prædicatione panes & pisces*) quo ad licitam potestatem vtendi & aliqualem dispensationem de concedentium voluntate. Et si quæratur, cuius fuerunt illi panes, quo ad dominium & proprietatem? potest dici, quod fuerunt mulierum, quæ, vt legitur *Lucæ octauo,* de facultatibus suis ministrabant eis, vel poterant esse aliorum sequentium Christum, vnde & Andreas, vt legitur *Iohan. sext.* vbi recitatur miraculum panum & piscium, dixit: *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces:* & ita illi panes & pisces non erant Apostolorum quo ad dominium & proprietatem. Vnde dicunt quidam istorum impugnatorum, esse sciendum quod quædam res, quibus Christus & Apostoli vtebantur, pertinebant ad dominium & proprietatem offerentium, sicut ea quæ in cibo & potu consistunt, propter quod dicit Hieronymus quod Christus cibo vescebatur alieno.

Sicut autem quædam in Veteri Testamento, quæ ad dominium specialiter pertinebant, sicut templum, arca, & quædam alia diuinis vsibus deputata, quæ non ad hominis, sed ad Dei dominium pertinebant, & quodammodo aliter quam aliæ res: quia aliæ res, quæ in nullius bonis erant, occupanti concedebantur, templum autem & quædam alia non concedebantur occupanti, quamuis in nullius hominis bonis essent, & ideo quodammodo specialiter ad Dei dominium pertinebant: sicut dicunt quidam de vestimentis Christi & Apostolorum. Alii dicunt quod vestimenta Christi & Apostolorum pertinebant ad dominium communitatis seu vniuersitatis fidelium (*darent turbæ manducare*) hic verbum *dandi* accipitur pro verbo ministrandi vel tradendi, non pro transferre dominium. (*Euntes emamus ducentos panes.*) Dicunt quod Apostoli tunc erant in casu necessitatis, quia erant in deserto, ideo pro vtilitate tantæ turbæ fuisset eis licitum emere panes ad reficiendum turbas: & talis emptio per ipsos poterat fieri: & absque hoc, quod portarent pecuniam: quia alius poterat portare eam, & absque hoc quod pecunia esset eorum quo ad dominium seu proprietatem, sicut certa docet experientia.

Sed dicit ille forte, quare non ordinauerunt ipsi, quod alii irent ad emendum panes, ex quo non debebant habere pecuniam nec portare, nec quo ad dominium possidere. Ad hoc

hoc facile respondetur, quod ipsi Apostoli voluerunt ire & emere panes de pecunia mulierum ministrantium Christo de facultatibus suis, vel aliorum sequentium Christum, qui pati erant ad voluntatem Christi & aliorum Apostolorum pecuniam suam expendere. (*Dabimus illis manducare*) hic, sit prius, *dare* non accipitur pro transferre dominium, sed pro ministrare cibum.) *Non sunt plus quam quinque panes & duo pisces*) quo ad potestatem licitam dispensandi de habentium quo ad dominium voluntatem, (*& emamus*) de pecunia aliquorum sequentium Christum, qui libenter ad voluntatem nostram suam expendunt pecuniam) *habuerunt panes & pisces, & pecuniam, de qua tanta turba*, &c.

Verum est, quod habuerunt quo ad licitam potestatem vtendi panibus & piscibus: & etiam quo ad aliqualem potestatem disponendi etiam habuerunt pecuniam, quo ad potestatem recurrendi ad ipsam durante Domini voluntate pro suis & pauperum indigentiis releuandis: quemadmodum secundum modum loquendi aliquorum Fratres Minores dicuntur habere pecuniam, quæ deposita est pro eorum necessitatibus subleuandis; cuius tamen pecuniæ non habent dominium seu proprietatem. (*Postquam redierunt de prædicatione, habuerunt pecuniam*) modo prædicto: quia pro eorum & aliorum pauperum necessitatibus subleuandis erat pecunia aliqua deposita: quam tamen Apostoli non portabant, nec eius dominium habuerunt. (*Abierunt in ciuitatem vt cibos emerent*) hoc fuit eis licitum: quia tunc erant in casu necessitatis, cum essent inter Samaritanos, qui Iudæos ad hospitium minime suscipiebant. Poterant autem emere cibos de pecunia aliorum deposita, pro eorum & pauperum necessitatibus, licet eiusdem pecuniæ non haberent dominium: & quamuis etiam eandem pecuniam non portarent, cum sæpe videamus, quod vnus facit contractum emptionis, & alius tradit pecuniam. (*Pecuniam habebant*) sicut Fratres Minores dicuntur nunc à nonnullis habere pecuniam, quæ deposita est pro eorum indigentiis subleuandis, quæ tamen est alterius vel aliorum quo ad dominium seu proprietatem, (*cum emptio mediante pecunia fiat*, non tamen semper pecunia est ementis quo ad dominium seu proprietatem.

Nam sæpe famulus emit res pro domino suo, ipso vel alio tradente pecuniam domini sui. (*Sacculos in quibus portabatur pecunia*) licet habuissent sacculos, in quibus portabatur pecunia, non tamen habuissent nec sacculos nec pecuniam, quo ad dominium seu proprietatem: nec tamen legitur saltem extra tempus necessitatis, quod habuerint sacculos tales (*& plures tunicas*) pro necessitate poterant plures tunicas habere. (*Qui habet sacculum*) Hic videtur Christus supponere, quod aliquis eorum habuit sacculum, quod de Iuda potest concedi, cum quo forte Christus dispensauit ad consulendum cupiditati eius. (*Tollat similiter & peram*) hoc fuit dispensatiue dictum pro tempore illo, teste Chrysostomo, qui ibidem ait: *Relaxauit prioris legis rigorem ne grauis & intolerabilis fieret eis vita*, & ita tunc Christus relaxauit prioris legis rigorem, ergo vsque ad illud tempus durauit lex prædicta: quod iste negat, (*vendat tunicam suam & emat gladium.*) Similiter intelligi debet ad literam, quod dispensatiue pro illo tempore dicebatur. (*Ecce duo gladii hic*) non dixerunt, habemus duos gladios quo ad dominium & proprietatem (*duos gladios habebant*) potest concedi de aliquo modo habendi, non de modo habendi quo ad dominium seu proprietatem. (*Simon Petrus habens gladium*) non quo ad dominium seu proprietatem, sed quo ad vsum pro tempore illo, (*gladium tuum*) quo ad vsum, non quo ad dominium.

Sed forte dicet aliquis, quod secundum istum modum respondendi nunquam posset probari, quod res esset alicuius quo ad dominium seu proprietatem, per hoc quod dicitur esse ipsius vel ipse habere eam, vel per quemcunque alium modum loquendi, nisi vocaliter nomen proprietatis vel dominii exprimatur: quod videtur absurdum.

Ad hoc dicunt isti, quod ex locutionibus multiplicibus seu ambiguis nude sumptis nunquam potest concludi determinatus sensus: sed quando tales locutiones inueniuntur in scripturis, ex locis aliis scripturarum oportet sensum extrahere veritatis, & ideo quando inuenitur in scripturis diuinis, quod talis res est talis, vel quod talis habuit talem rem, vel aliqua huiusmodi locutio ambigua reperitur, ex aliis locis scripturæ diuinæ oportet elicere, sub quo sensu debet intelligi, sic est in proposito: quod quia ex diuersis auctoritatibus scripturarum colligitur, quod Apostoli postquam fuerunt ad Apostolatum assumpti nullius rei proprietatem & dominium habuerunt: ideo omnes locutiones, quibus asseritur Apostolos postea res aliquas habuisse, de alio modo habendi debent intelligi.

CAP. CIV.

SI autem quæratur de tempore post mortem Christi, videtur adhuc distinguendum inter tempus ante missionem Spiritus sancti & post missionem ipsius. Si quæratur de tempore ante missionem Spiritus sancti, non legitur quod quo ad præmissa circa eos aliquid fuerit immutatum, sed quod iuxta præceptum Domini nostri dicentis Lucæ vlt. Vos autem sedete in ciuitate quousque induamini virtute ex alto: *expectauerunt in ciuitate aduentum Spiritus sancti.*

Postquam ille impugnatus prosecutus est secundam distinctionem positam supra *capitulo nonagesimo sexto*, quæ comprehendebat primum membrum primæ distinctionis: Hic prosequitur

secundum membrum eiusdem distinctionis primæ, ipsum primo distinguens, scilicet in tempus ante Spiritus sancti missionem, & in tempus post missionem Spiritus sancti. Secundo ibi; *si quæratur*, prosequitur primum membrum illius distinctionis, dicens, quod pro illo tempore nihil fuit quantum ad temporalia circa Apostolos immutatum. Tertio in parte immediate sequenti ibi: *Si autem quæratur*, prosequitur secundum membrum distinctionis hic positæ.

Circa istam partem isti impugnatores nihil reputant improbandum, nisi inquantum innuit præmissa in aliis capitulis præcedentibus esse tenenda: & simul cum hoc asserit, quod nihil fuerit immutatum circa eos, quo ad temporalia habenda vel non habenda, quod sub vno intellectu non videtur omnino certum, si enim intelligat, quod eodem modo se per omnia habuerunt ad temporalia toto tempore ante missionem Spiritus sancti, quo se habuerunt tempore passionis Christi: non videtur esse manifestum. Nam sicut tempus pacis post passionem rediit, ita cessare videtur dispensatio, quæ facta fuit tempore passionis, si autem intelligat, quod nihil fuit immutatum circa eos quo ad temporalia, quando eodem modo se haberent quo ad temporalia, sicut se habuerant tempore passionis vel tempore præcedenti, isti ipsum non reputant arguendum, nisi cointelligendo quod licuit eis temporalia, quo ad dominium & proprietatem habere.

(*Non legitur quod quo ad præmissa circa eos aliquid fuerit immutatum*) hoc potest habere duplicem intellectum, sicut dictum est.

Cap. CV.

SI autem quæratur de tempore post missionem Spiritus sancti, videtur adhuc distinguendum inter illos, qui ex Iudæis conuersi fuerunt in primitiua ecclesia Hierosolymitana, & inter gentiles. Quo ad conuersos ex Iudæis videtur, quod Apostoli & discipuli Christi ex vna parte, & illi qui postea ad prædicationem Petri & miracula fuerunt conuersi, omnia quæ habebant sibi inuicem communicauerunt: ita quod nullus ipsorum proprium sibi retinuerit, sed communia fuerunt effecta, & intelligo quod quo ad dominium illa fuerunt communicata, vt probatur Act. 2. & Actuum 4. vt superius est ostensum.

Hic prosequitur secundum membrum prædictæ diuisionis, & diuiditur in duas partes: quia primo ostendit, quod Apostoli & quidam alii post missionem Spiritus sancti habebant omnia communia quo ad dominium. Secundo ostendit, quod gentiles post conuersionem non habebant omnia communia, secunda ibi, *quantum autem ad conuersos.* Prima diuiditur in duas: quia primo ponit suam assertionem: secundo pertractat assertionem contrariam appellantis in parte immediate sequenti: *Et quia ille.* Primo ergo distinguit inter Iudæos conuersos ex Iudæis & inter gentiles, secundo ibi, *Quo ad conuersos,* dicit quod omnia fuerunt communia, quo ad dominium Iudæis conuersis & Apostolis & aliis discipulis.

Dicunt isti impugnatores, quod de ista materia tractatum est *sup. c. 4. & 5. & 6. & 7. & 9.* ideo hic amplius non insistunt: discurrunt tamen per literam.

(*Apostoli & discipuli Christi ex parte vna, & illi, qui postea ad prædicationem Petri, & miracula fuerunt conuersi, omnia, quæ habebant sibi inuicem communicauerunt*) Hoc potest concedi, quantum ad aliquem modum communicandi, vt per omnia: scilicet secundum ordinationem superiorum indigentiis omnium succurreretur (*Ita quod nullus ipsorum proprium sibi retinuerit*) ista negatiua est absolute concedenda, (*& intelligo quod quo ad dominium illa fuerunt communicata*) hoc dicunt isti omnino esse falsum de dominio pleno & libero (*vt probatur Actuum secundo & quarto.*) Istud per dictum istius *supra capitulo octuagesimo octauo* facile posset repelli, quia *Actuum secundo & quarto* nulla fit mentio, imo etiam de iure vtendi seu consumendi, vtendi, donandi, & ex ipsis rebus alia acquirendi, non fit mentio in capitulis supradictis, & ita per ista capitula Actuum Apostolorum non probatur dictum istius, nisi sophistice.

Cap. CVI.

ET quia ille hæreticus dicit, quod ista quæstio intelligitur de turba discipulorum, inter quos erant omnia communia, quæ habebant, non de Apostolis, qui nihil habebant in temporalibus nec in communi, nec in proprio: nisi tantum in rebus vsu consumptibilibus simplicem vsum facti. Dicimus quod hoc dicendo Apostolos à credentium numero euidenter excludit. Dicitur enim Actuum secundo, quod omnes, qui credebant, erant pariter & habebant communia omnia. Si ergo omnibus credentibus erant omnia communia, sequitur quod si Apostolis non erant communia, quod credentes non erant; quod est falsum, imo sicut ipsi inter credentes principaliores erant, sic, eis omnia communia principaliter existebant. Vnde sicut principalioribus pecuniæ agrorum & domorum venditorum ante pedes Apostolorum ponebantur, vt legitur Actuum quarto. *& hoc expresse probatur per epistolam Clementis recitatam pro parte* duodecim. quæstion. prim. capitul. Dilectissimis, *in qua beatus Clemens scribens condiscipulis suis Hierosolymis habitantibus cum beato Iacobo coepiscopo suo, sic dicit:* Apostoli eorumque discipuli vna nobiscum & vobiscum communem vitam duxerunt. Vt enim bene nostis, erat multitudinis eorum cor vnum & anima vna, nec quisquam eorum aut nostrum de his, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed omnia nobis erant communia. *Vbi satis clare monstratur, quod Apostoli, & eorum discipuli illa quæ habebant, communicauerunt*

runt

runt Iudaeis conuersis Hierosolymis: & econtra. Vnde Hieronymus etiam talem fuisse ecclesiam credentium primo in Christum, qualem nunc monachi etiam imitantur & cupiunt, vt nil cuiquam sit proprium: nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonium diuidatur: orationi vacetur & psalmis: doctrina quoque & continentia insistatur. Lucas manifeste refert, cum dicit, quotquot erant possessores agrorum aut domorum &c. *Expresse quoque innuit & supponit, quod ante istam communionem habere poterant Apostoli & discipuli eorum aliqua in proprio seu communi.*

Hic pertractat assertionem contrariam assertioni appellantis, dicentis secundum istum: quod illa non erant Apostolis communia. Et primo recitat eam. Secundo ipsam reprobare conatur ibi: *Dicimus quod hoc dicendo.* Reprobat autem primo ducendo ad hoc inconueniens, quod scilicet Apostoli essent à numero credentium excludendi. Secundo ibi: *imo sicut ipsi*, probat quod Apostolis erant principaliter omnia illa communia: quia ipsi erant inter omnes principaliores. Tertio ibi: *Et hoc expresse*, ostendit idem auctoritate beati Clementis. Quarto ibi: *Vnde Hieronymus*, probat idem auctoritate beati Hieronymi, vltimo ibi: *Expresse quoque*, asserit, quod ante illam communionem Apostoli & discipuli eorum aliqua habuerunt in proprio vel in communi.

Sed isti impugnatores dicunt hic primo: quod ille impugnatus appellanti falsum imponit. Secundo conantur ostendere, quod intentum suum sufficienter minime probat. Tertio manifestant, quod ad propositam quaestionem secundum intentionem quaerentium non respondet. Quod autem iste appellanti falsum imponat, ex verbis appellantis declarare nituntur. Ad cuius intentum dicunt esse sciendum, quod appellans non negat, imo concedit expresse, quod illa, de quibus *Actuum 2. & 4.* fit mentio, fuerunt communia Apostolis, sicut iste sibi imponit: sed dicit & asserit, quod illa non erant propria collegio Apostolorum, & ita neque in speciali, neque in communi in communitate scilicet speciali Apostoli habebant aliquid proprium: & illo modo non habuerunt dominium cuiuscunque rei pro tunc, neque in speciali, neque in communi. Hoc est, nulla res erat propria alicui Apostolo neque etiam speciali collegio Apostolorum: cum quo stat, quod aliqua fuerant communia Apostolis & aliis: sed non erant propria Apostolorum, & quod ista fuerit intentio appellantis, ex verbis ipsius patenter habetur, quae sunt haec: *Nec his obuiare dignoscitur quod in Actibus Apostolorum dicitur, quod erant illis omnia communia: quia, sicut ibidem patet, loquitur de communitate generali & vniuersali credentium, & non de speciali communitate, sicut collegio Apostolorum* &c. Residua verba, quibus praedicta declarat, quere supra *cap. 85.* Ex his habetur aperte, quod iste appellans concedit, quod illa erant communia Apostolis & aliis. Sed tunc dicet iste, quod secundum hoc Apostoli habuissent dominium & proprietatem aliquarum rerum in communi: licet illud dominium commune non esset proprium collegio Apostolorum: & per consequens non habuerunt in rebus, quibus vtebantur, simplicem facti vsum, & eadem ratione Fratres Minores non haberent in rebus, quibus vtuntur, simplicem facti vsum. Alioqui esset eorum paupertas altior & perfectior Apostolica paupertate. Ad istud à diuersis diuersimode respondetur. Dicunt enim quidam: quod nec Apostoli, nec quicunque alii credentes habuerunt in illis bonis communibus dominium & proprietatem: quia nulli eorum etiam nomine communitatis licebat pro illis communibus in iudicio litigare, fuerunt tamen aliquo modo illius communitatis: quia deputata fuerunt ad sustentandum omnes de communitate illa: in quibus tamen illi nullum ius habebant, quemadmodum modo aliqua deputantur ad vsum Fratrum Minorum, in quibus tamen nullũ ius habent, sed in hoc est differentia: quod illa, quae deputantur ad vsum Fratrum Minorum sunt Romanae ecclesiae, vel offerentium seu concedentium quo ad dominium seu proprietatem. Illa autẽ, quae deputata fuerunt ad sustentandos Apostolos, & alios fideles credentes, pertinebant specialiter ad dominiũ Dei, sicut & templum & quaedã alia in veteri testamento, & ideo nec pro derelictis habebantur, nec occupanti concedebantur: & secundum istos tam Apostoli quam alii credentes habuerunt in illis rebus simplicem facti vsum, erant tamen communia Apostolis & aliis: quia omnes habebant licitam potestatẽ sustentandi se de bonis illis: sed ordinatio illorũ erat, qui habebant illa bona diuidere. Alii dicũt, quod illa bona erant communia Apostolis & aliis quo ad aliquale dominium, quo aliquis nomine totius communitatis poterat habere potestatem pro eis in iudicio litigandi, & tunc Apostoli habebant simplicem vsum facti in huiusmodi rebus propter carentiam omnis iuris in eis, quod esset proprium cuicunque Apostolo vel toti collegio Apostolorum, non propter carentiam omnis iuris communis eorum collegio speciali etiam aliis: quemadmodum dicunt de Fratribus Minoribus, quod dicuntur habere in rebus, quibus vtuntur, simplicem facti vsum propter carentiam omnis iuris proprii sibi vel eorum collegio, non propter carentiam omnis iuris communis sibi & aliis fidelibus vniuersis: quia illi iuri communi toti vniuersitati fidelium non est licitum alicui fideli renuntiare, & illud ius commune dicunt omnes fideles habere in bonis ecclesiae, quae data sunt pro communi vtilitate omnium Christianorum, vt scilicet quibuscunque Christianis in casu per bona ecclesiae succurratur: dispensatio tamen bonorum illorum ad succurrendum indigentiis fidelium praelatis ecclesiae est commissa: quibus etiam datum est tale ius in eis, quod dispensationem praedictam & res easdem possunt in iudicio defendere, ac etiam vendicare, & omne tale ius abdicant Fratres Minores, & non primum, secundum istos. Alii dicunt, quod illa bona communia, de quibus fit mentio *Actor. 2. & 4.* erant communia Apostolis quo ad licitam potestatem, secundum ordinationem illorum, ad quos distributio pertinebat de ipsis

suas indigentias releuandi: sed quo ad aliquale dominium, quo poterant defendi in iudicio & vendicari, erant communia solummodo credentibus illis, qui abdicationem omnis dominii, sicut Apostoli, nequaquam vouerant: & ita secundum istos Apostoli nullum dominium, nec etiam aliquod ius, quo valerent in iudicio litigare, habuerunt in prædictis bonis: sed habebant in eis simplicem facti vsum per carentiam omnis iuris, quo valerent in iudicio litigare, sic etiam dicunt de Fratribus Minoribus, quod renunciauerunt omni iuri communi sibi & quibuscunque aliis, quo valeant in iudicio litigare nomine cuiuscunque communitatis.

Secundo dicunt isti impugnatores, quod iste impugnatus intentum suum sufficienter minime probat. Ad cuius intellectum dicunt esse sciendum, quod ipse intendit probare, quod Apostoli habuerunt verum dominium proprium sibi & aliis in bonis illis. Et quamuis hoc videatur prima facie appellanti minime obuiare, nisi intelligatur de dominio pleno & libero: tamen dicunt, quod rationes suæ hoc non concludunt: & hoc de omnibus probant vnico modo sic. Rationes, quibus argueretur à magis communi ad minus commune, sine distributione peccant per fallaciam consequentis. Aliqua autem esse communia aliquibus est magis commune quam esse communia quo ad dominium, cum igitur rationes suæ solummodo probant, quod bona illa erant communia Apostolis & aliis: si ex conclusione probata velit inferre, quod erant communia quo ad dominium, committet fallaciam consequentis. Respondendo igitur ad omnes rationes concedunt, quod illa erant communia Apostolis & aliis: sed ex hoc non sequitur, quod erant communia quo ad dominium. Nam etsi conclusio esset vera, tamen in forma arguendi esset fallacia consequentis, specialius vero de eisdem rationibus patebit super literam.

Tertio isti manifestare nituntur, quod ille ad propositam quæstionem secundum intentionem quærentium non respondet. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod non est intellectus quæstionis, an Apostoli per vnam horam vel per vnam diem post missionem Spiritus sancti habuerunt rerum dominium: sed an Apostoli toto tempore post missionem Spiritus sancti habuerunt temporalium rerum dominium & quale. Secundum istum autem illa communio, de qua fit mentio *Actor. 2. & 3.* non durauit per vnam diem. Nam non est probabile, quod tota ista communitas per totam vnam diem naturalem integram abstinuerit ab omni cibo & potu. Prima ergo die naturali, qua cœpit dicta communio, aliqua comederunt & biberunt, ergo eadem die aliqua distributio communium extitit facta eis, sed secundum istum post distributionem factam quilibet fuit Dominus & proprietarius portionis sibi assignatæ, ergo prima die cessauit illa communio secundum istum. Ipse autem non respondet ad propositam quæstionem, nisi pro tempore, quo omnia fuerunt communia, ergo non respondet ad propositam quæstionem, nisi pro vna hora, vel saltem nisi pro vna die integra naturali, & ita nec pro tempore præcedenti illam communionem sequenti missionem sancti Spiritus: nec pro toto tempore sequenti diem illam, in quo secundum istum fuit dicta communio, respondet ad propositam quæstionem. Verum quia licet hic non respondeat ad quæstionem propositam, pro toto tempore sequenti diem illam, in qua secundum eum fuit dicta communio: quia tamen ex dictis suis hic & alibi in multis locis præcedentibus intentio sua quantum ad quæstionem prædictam pro toto tempore sequenti diem illam, in quo facta fuit dicta communio, patenter apparet: ideo isti impugnatores ipsum aliqualiter prosequuntur dicentes, quod intendit asserere, quod Apostoli toto tempore sequenti diem illam, in qua secundum istum fuit facta dicta communio, habuerunt rerum temporalium proprietatem & dominium in speciali: ita quod quilibet eorum vere fuit proprietarius, & Dominus temporalium rerum. Istam autem opinionem isti impugnatores, quantum ad duo satagunt reprobare. Primo enim ostendunt, quod dicta communio non solum vna die, sed tempore multo durauit. Ex quo concludunt istum errare, cum prius dixit, quod quilibet post distributionem factam fuit proprietarius & Dominus portionis sibi assignatæ. Secundo ostendunt, quod Apostoli toto tempore post missionem Spiritus sancti caruerunt omni proprietate & dominio temporalium rerum, saltem quod esset alicui Apostolo proprium vel etiam toti collegio Apostolorum, licet prius etiam caruerint tali dominio. Primum, scilicet quod illa communio, de qua *Actuum 2. & 4.* fit mentio, non durauerit vna hora, vel vna die tantummodo, declarare nituntur, licet, vt dicunt, ex his quæ dicta sunt supra *capitulo 9.* pateat euidenter. Declarant autem sic: religiones monachorum ad imitationem communitatis illorum credentium, de quibus fit in Actibus mentio, sunt institutæ, sed communio bonorum temporalium, quæ est inter monachos, non durat vna die tantum modo, ergo nec illa communio durauit tantum modo vna die. Secundum, scilicet quod Apostoli toto tempore post missionem Spiritus sancti cauerint dominio & proprietate omnium temporalium, dicunt ex supra dictis aperte patere, & tamen hic aliquæ rationes eorum ad idem inferentur.

Est autem prima ratio talis. Apostoli toto tempore postquam fuerunt à Christo sufficienter instructi, illud, quantum ad contemptum temporalium, seruauerunt, quod erat eis melius, & aliis vtilius, sed proprietatem omnium temporalium abdicare omni tempore fuit Apostolis melius, & proximis suis vtilius, ergo omni tempore postquam adhæserunt toto corde doctrinæ Christi, talem abdicationem proprietatis omnium seruauerunt. Maior est manifesta: quia aliter Apostoli fuissent de numero illorum, de quibus dicitur Matth. 7. *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto &c.* Minor auctoritatibus sanctorum aperte probatur. Ait enim Ambros. in libro

libro de officiis: *Officium omne aut medium aut perfectum est*, & infra: *Non homicidium facies: non adulterabis: hæc media sunt officia, quibus aliquid deest, ideo sequitur: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & sequere me. Hoc est igitur perfectum officium, quod Græci κατόρθωμα vocant, quo corriguntur omnia quæ alios poterant lapsus habere.* Ex quibus verbis patet, quod vendere omnia & dare pauperibus, quod sine abdicatione proprietatis omnium fieri nequit: & sequi Christum, est officium, quo omnia corriguntur, & per consequens est melius, quod Augustinus in libro *de bono coniugali*, testatur expresse dicens: *Bonum erat, quod faciebant, qui de substantia sua Christo, & eius discipulis ministrabant, sed melius, qui omnem substantiam dimiserunt, vt Christum Dominum expeditiores sequerentur.* His concordat Bernardus super illud Matth. *Ecce nos reliquimus omnia*, qui ait: *optime & non ad insipientiam tibi. Nam & mundus transit, & concupiscentia eius, & relinquere hæc magis expedit, quam ab eis relinqui.* Ex his aliisque quampluribus habetur aperte, quod melius est proprietatem omnium abdicare, quam aliorum dominium retinere, ergo & Apostoli talem abdicationem vsque ad finem vitæ suæ seruauerunt.

Secunda ratio est hæc. Apostoli vsque ad finem vitæ suæ Apostolicum fastigium nullatenus dimiserunt, sed omnium abdicare dominium & proprietatem est Apostolicum fastigium, ergo Apostoli talem abdicationem vsque ad finem vitæ præsentis minime dimiserunt. Maior est euidens, quia si Apostoli Apostolicum dimisissent fastigium, non fuissent Apostoli appellandi, nec profecissent, sed enormiter defecissent. Minor euidenter habetur per auctoritates Hieronymi ad Demetriadem & Ebidiam *supra 9. c.* allegatas.

Tertia ratio est hæc. Apostoli, qui vsque ad finem vitæ suæ debuerunt prædicare euangelicam veritatem, nullatenus debuerunt verbo vel facto innuere, quod causa lucri, non causa hominum prædicarent, sed si habuissent proprietatem auri vel argenti aut aliarum rerum temporalium, innuissent facto, quod causa lucri, non hominum prædicassent, teste Rabano, qui super illud Matth. *Nolite possidere aurum* &c. ait: *Conuenienter hæc præcepit euangelizatoribus veritatis, quibus ante dixerat: Gratis accepistis, gratis date. Si enim sic prædicant, vt pretium non accipiant, superflua est auri & argenti nummorum possessio. Nam si habuissent aurum vel argentum, viderentur non causa hominum, sed causa lucri prædicare*, ergo Apostoli neque aurum neque argentum: & eadem ratione neque proprietatem quarumcunque rerum debuerunt habere vsq; ad finem vitæ suæ.

Quarta ratio est hæc. Apostoli vsque ad finem vitæ suæ paupertatem euangelicam seruauerunt: alioquin mittentes manum ad aratrum retro aspexissent, sed paupertas euangelica abdicationem proprietatis omnium rerum includit, vt *supra c. 22.* est ostensum, ergo talem abdicationem vsq; in finem vitæ suæ Apostoli seruauerunt.

Quinta ratio est hæc, illi, qui vsque ad finem vitæ suæ nulla superflua quæsierunt, vsque ad finem vitæ suæ proprietatem rerum temporalium minime habuerunt: quia proprietas temporalium est inter superflua computanda, sicut ostensum est prius, sed Apostoli vsque ad finem vitæ suæ nulla superflua quæsierunt, teste Beda, qui super illud Marci 6. *præcepit eis, ne quid tollerent* &c. Ait: *ita Apostolis loquebatur, vt securi non possiderent neque portarent hæc vita necessaria, nec magna, nec minima, ideo posuit: non virgam: ostendens à fidelibus omnia deberi ministris suis nulla superflua quærentibus.* Ex quibus verbis patet, quod ministri Christi nulla quærere debuerunt superflua, quod potissime de Apostolis habuit veritatem, ergo Apostoli vsque ad finem vitæ suæ nulla superflua quæsierunt, ergo proprietatem temporalium vsq; ad finem vitæ suæ minime habuerunt. Sed forte dicet aliquis, quod secundum hanc rationem nullus vnquam fuit perfectus minister Christi, qui habuit temporalium proprietatem. Ad hoc dicunt isti, quod habere proprietatem temporalium tantummodo amore Dei, vel pro vtilitate proximorum non reddit aliquem imperfectum. Vnde etiam reges aliqui, qui solummodo pro bono communi ad honorem Dei proprietatem regnorum & dominium tenuerunt, propter hoc nullatenus imperfecti fuerunt. Sed de Apostolis nulla causa apparet, quare debuerunt temporalium proprietatem habere: & multæ rationes cogentes patent, quare expediens fuit eis & aliis omnium proprietatem relinquere, ergo ipsi minime perfectissimi ministri Christi fuissent, si proprietatem temporalium habuissent.

Sexta ratio est hæc. Apostoli vsque ad finem vitæ suæ perfectionis consilium seruauerunt: quia nulla fuit ratio, quare debuerunt perfectionis consilium non seruare, sed omnia abdicare quo ad dominium & proprietatem & solis necessariis contentari, est perfectionis consilium, teste Bernardo, qui ait: *habetur in euangelio & perfectionis consilium & remedium infirmitatis. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: hæc perfectio est: si quidem filius hominis, vbi caput reclinaret, non habebat: Petro & Iohanni nec aurum nec argentum erat: Paulus simplici victu vestituque contentus hæc ipsa labore manuum acquirebat: sed non omnes capiunt verbum hoc, sicut nec consilium castitatis.* Ex his verbis datur intelligi, quod consilium perfectionis est solum necessariis contentari, ergo Apostoli vsque ad finem vitæ suæ, ex quo perfectionis consilium seruauerunt, solum necessariis contenti fuerunt: & per consequens vsque ad finem vitæ suæ abdicationem proprietatis omnium seruauerunt.

Septimo sic, illam perfectionem vsq; ad finem vitæ suæ Apostoli seruauerunt, quam existentes in toto orbe peregrini tenuerunt, sed Apostoli in toto orbe peregrini præceptum de non possidendis

dis pecunia, calciamentis & huiusmodi, & eadem ratione consilium de abdicanda proprietate omnium tenuerunt, teste Hieronymo ad Hieremiam, qui ait: *Apostoli toto orbe peregrini non æs in zona, non virgam in manu, non caligas habuere in pedibus*, ergo Apostoli vsque ad finem vitæ suæ abdicationem proprietatis omnium possederunt.

Octauo sic, Qui sine ratione cogente abdicat omnium temporalium proprietatem propter Deum, non est perfectus. Hoc ex verbis Rabani super illud Euangelii: *Si vis perfectus esse* &c. colligitur euidenter, ait enim: *in potestate nostra est, vtrum velimus esse perfecti: tamen quicunque perfectus esse voluerit, debet vendere quæ habet, & non ex parte vendere, sicut Ananias & Saphira, sed totum: & sic præparare sibi Christum in regno cœlorum: nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi Saluatorem sequatur.* Ex his habetur aperte, quod qui vult esse perfectus, debet proprietatem omnium abdicare, quod debet intelligi, nisi habeat rationem mouentem, quare sibi aut aliis vel propter honorem Dei aut vtilitatem communem vel aliam rationem sufficientem non expedit proprietatem omnium abdicare: sicut in multis diuitibus regibus & aliis tam in veteri quam in nouo testamento apparuit. Sed Apostoli fuerunt perfecti, & nulla ratio cogens mouit eos ad non abdicandum omnium proprietatem, ergo proprietatem omnium abdicarunt.

Sed forte dicet aliquis, quod ratio cogens poterat eos mouere ad retinendum aliquam aliquarum rerum proprietatem scilicet propter eleemosynas faciendas, & bona temporalia pro bono communi vtiliter dispensanda.

Sed ratio hæc non concludit: quia circa orationem & prædicationem euangelii fuerunt vtilius occupati, propter quod etiam absque dominio & proprietate bona communia renuerunt dispensare, vt habetur *Actor. 6.* vbi conuocata multitudine discipulorum dixerunt Apostoli: *Non est æquum derelinquere nos verbum Dei, & ministrare mensis, considerate ergo Fratres, viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus, nos vero orationi & ministerio verbi instantes erimus.* Ex his verbis datur intelligi, quod Apostoli etiam circa communia dispensanda occupari nolebant, & ita nulla poterant ratione vrgenti moueri ad proprietatem temporalium retinendam.

Nono sic: Apostoli statum tutissimum respectu temporalium elegerunt, sed status nec amantium nec habentium quo ad dominium temporalia tutissimus est, & tutior aliis statibus, teste Rabano super illud Euangelii: *Si vis perfectus esse*, qui ait: *inter pecunias habere, & pecunias amare, nonnulla distantia est. Multi enim habentes non amant, multi non habentes amant. Item alii habent & amant: Alii nec habere nec amare se diuitias seculi gaudent, quorum tutior status est cum Apostolo dicentium: Nobis crucifixus est mundus, & nos mundo.* Ex quibus verbis patet, quod nec habere nec amare diuitias: & eadem ratione nec habere quo ad proprietatem, nec amare quæcunque temporalia est status tutissimus, ergo illum statum Apostoli elegerunt: & ita nulla temporalia habuerunt, quod debet intelligi quantum ad dominium seu proprietatem.

Decimo sic: Qui ad finem vitæ suæ minimi extiterunt, vsque ad finem vitæ suæ nihil penitus habuerunt quo ad dominium seu proprietatem, hoc ex Glossa super illud Matth. *qui potum dederit vni ex minimis istis* &c. euidenter colligitur, ait enim: *minimi sunt, qui nihil penitus habent in hoc mundo:* quod debet intelligi quod ad dominium seu proprietatem: quia quantum ad vsum facti vel consumptionem secundum modum istius loquendi omnes aliquid habent, sed Apostoli vsque ad finem vitæ suæ minimi extiterunt, ergo vsque ad finem vitæ suæ penitus nihil habuerunt quo ad dominium seu proprietatem.

Sed forte dicet aliquis, quod Glossa intelligit de istis, qui nihil penitus habent per inordinatum amorem, non de illis qui absque inordinato amore aliquid habent quo ad dominium seu proprietatem: sicut nec de illis qui aliquid habent quantum ad vsum, sed ad hæc faciliter per præcedentia respondetur. Nam verum est secundum istos, quod non repugnat formaliter minimo, sicut nec perfecto, habere aliquid quo ad dominium seu proprietatem, quia potest aliquis esse minimus & perfectus: licet ex causa vrgente propter Deum retineat temporalium proprietatem, sed si habet dominium temporalium absque causa vrgente propter Deum, non est inter perfectos & minimos computandus. Apostoli autem non habuerunt causam vrgentem, quare debuerunt temporalia quo ad dominium retinere, imo ex causa vrgente scilicet propter contemptum mundi perfectissime ostendendum, quod tunc erat necessarium, debuerunt omnium temporalium proprietatem abiicere: nec aliter ipsi minimi extitissent.

Vndecimo sic: Apostoli vsque ad finem vitæ suæ occasiones peccatorum & pericula spiritualia, quantum licuit saluis honore Dei & vtilitate proximorum, studuere vitare, sed possessio quarumcunque rerum temporalium quo ad dominium & proprietatem, est peccandi occasio, spirituale periculum habens annexum, ergo possessionem temporalium quo ad dominium seu proprietatem quantum licuit saluis honore Dei & proximorum vtilitate, vitarunt. Non solum autem licuit, sed etiam extitit ad honorem Dei, & proximorum vtilitati fuit expediens omnium temporalium proprietatem relinquere, ergo Apostoli vsque ad finem vitæ suæ proprietatem omnium temporalium abiecerunt. Hic esset probandum, quod temporalia quo ad dominium possidere est peccandi occasio, spirituale periculum habens annexum: sed sufficienter probatum est supra *capitul. 75.* dicunt ergo isti propter rationes istas & alias multas, quod Apostoli à tempore assumptionis eorum

ad

ad Apostolatum vsque ad finem vitæ suæ proprietatem omnium temporalium abiecerunt tam in speciali quam etiam in communi: quia ad possidendum temporalia, vel in speciali vel in communi, appropriando scilicet aliqua temporalia eorum collegio moueri ex causa vrgente non poterant: quia de tali dominio seu proprietate, nec ipsis nec aliis spiritualis vtilitas accreuisset: sed potius decreuisset, quia & ipsi nequaquam mundi contemptum perfectissime ostendissent: & alii ad suspicandum, quod non perfecte mundum contemnerent, occasionem aliquam habuissent.

(*Et quia iste hæreticus.*) Dicunt isti, quod doctorem catholicum pro defensione fidei Christianæ se viriliter opponentem appellat hæreticum in suæ animæ damnationem perpetuam. (*Dicit quod illa communio intelligitur de turba discipulorum inter quos erant omnia communia, quæ habebant, non de Apostolis.*) Hoc non dicit: imo dicit quod ista communio intelligitur de Apostolis. (*Qui nihil habebant in temporalibus nec in proprio nec in communi.*) Hoc habet vnum sensum verum secundum appellantem scilicet quod nihil temporale erat proprium alicuius Apostoli, nec totius collegii specialis Apostolorum, quod etiam veritatem habuit secundum istum, quando illa bona erant communia, (*nisi tantum in rebus vsu consumptibilibus simplicem vsum facti.*) Hoc secundum appellantem est verum sine exclusione intelligendo simplicem vsum facti, per carentiam omnis iuris, quo valuissent Apostoli nomine proprio, vel etiam nomine collegii Apostolorum pro rebus temporalibus in iudicio litigare. Veruntamen in multis aliis rebus, quam in rebus vsu consumptibilibus, habuerunt simplicem facti vsum, sæpe enim domibus & aliis rebus non consumptibilibus vsu vtebantur.) *Dicimus quod hoc dicendo.*) Hic sicut prius, appellanti falsum imponit, quia non dicit, quod illa non erant communia Apostolis & aliis. (*Apostolos à credentium numero euidenter excludit.*) Quamuis hoc falsum sit secundum istos: tamen dicunt, quod si iste in Theologia fuisset instructus, & dictum Augustini dicentis & declarantis per plura exempla, quod sæpe in scripturis diuinis idem nomen quandoque accipitur generaliter, & quandoque particulariter seu specialiter, intellexisset: non haberet pro magno inconuenienti, quod hoc nomen *credentes* diceretur accipi aliquando particulariter seu specialiter pro aliis credentibus ab Apostolis: quemadmodum etiam secundum iura hoc nomen *consuetudo*, aliquando accipitur communiter pro iure scripto & non scripto: aliquando particulariter pro iure non scripto tantum. (*Si Apostolis non erant communia.*) Hoc non dixit appellans. (*Sicut ipsi inter credentes principaliores erant: sic eis omnia communia principaliter existebant.*) Hoc potest concedi quantum ad dignitatem habendi modo sibi conuenienti, quia magis digni erant illis communibus ad suas indigentias releuandas de illis, quam alii, quantum autem ad principaliorem habendi modum, quo ad dominium, non continet veritatem. (*Sicut principalioribus.*) Quo ad auctoritatem in spiritualibus & sanctitatem. (*Pecunia, agrorum, & domorum venditorum ante pedes Apostolorum ponebantur.*) Vt scilicet exprimerent quid de eis fieri vellent: quia alii parati erant Apostolorum parere in omnibus voluntati, & ideo ipsi Apostoli non tangebant pecuniam nec portabant: sicut ibi Glossa aperte insinuat: sed quomodo deberent distribui pecuniæ, indicabant. (*Apostoli eorumq; discipuli vna nobiscum & vobiscum communem vitam duxerunt.*) Ex hoc patet, quod illa non erant communia per vnam horam vel vnam diem tantum modo, sed per multos dies: quia communem vitam ducere non est tantum communia diuidere, sed de communibus viuere, hoc est vitam suam de communibus sustentare. (*Omnia nobis erant communia*) quia per illa bona omnium debuerunt indigentiæ subleuari (*vbi satis clare monstratur quod Apostoli & eorum discipuli illa quæ habebant*) quo ad vsum quantum ad Apostolos, vel quo ad dominium quantum ad quosdam alios discipulos & discipulas, (*Communicauerunt Iudæis conuersis Hierosolymis*) vt per ipsa illorum indigentiis subueniretur si oportuisset (*& econtra*) hoc male dicitur intelligendo quod communicauerint omnia quæ ante conuersionem habuerunt: quia immobilia sua non communicauerunt, sed vendiderunt, & pretium aliquo modo communicauerunt, hoc est ordinauerunt, vt per pretium indigentiis omnium occurreretur, prout esset decens & possibile (*vnde Hieronymus* &c.) Auctoritas Hieronymi tantum modo probat, quod monachi imitantur primitiuam ecclesiam: sed non probat, quod ad perfectionem Apostolicæ paupertatis attingat, & ideo non est ad propositum, quod iste intendit. Sicut enim superius *cap. 17.* ostensum est, multi imitantur paupertatem Christi & Apostolorum eius, qui tamen ad perfectionẽ eiusdem in summo gradu non attingunt: vt patet de his qui profitentur Regulam beati Augustini, & de monachis habentibus possessionum in communi proprietatem, qui in hoc vitam Christi & Apostolorum imitantur, q abdicauerunt rerum dominium in speciali, sed in hoc ab eius perfectione deficiunt, quod in communi proprietatem & dominium retinuerunt, quapropter ad perfectionem primorum credentium quantum ad altissimam paupertatem, non attigerunt. (*An illam communionem habere poterant Apostoli* &c.) verum est, quod habere poterant quo ad vsum, sed non quo ad dominium proprium alicui Apostolo vel collegio Apostolorum.

CAP. CVII.

QVantum autem ad conuersos ex gentibus, non videtur quod ipsi sibi inuicem & aliis credentibus communicauerint sua: imo videtur quod ipsa sibi retinuerint propria, sicut prius, vt probatur de Corinthiis, 1. ad Cor. vltimo, vbi dicitur sic: De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui in ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite per vnam sabbati, vnusquisq; vestrum apud se reponat recondens, quod ei bene placuerit. *Item ad Philipp. 4. Apostolus Philippensibus sic dixit:* Scitis autem & vos Philippenses, quod in principio euangelii, quando profectus sum à Macedonia in ratione dati & accepti nulla mihi communi-

cauit ecclesia, nisi vni soli, quia & Thessalonicam, semel & bis in vsum misistis mihi, *& sequitur*, Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis in odorem suauitatis. *Item Actor. 11. legitur, quod cum Acbabus Propheta in Antiochia in præsentia Barnabæ Apostoli & Sauli significasset per seipsum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio, discipuli, prout quisq; habebat, proposuerunt singuli ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus, quod & fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli. Et hoc est quod Augustinus 3. de doctrina Christiana, dicit expresse, sic dicens*: Tam capaces extiterunt Spiritus sancti, qui primo ex Iudæis crediderunt, ex quibus facta est prima ecclesia Hierosolymitana, vt & omnia sua venderent, eorumque pretium indigentibus distribuendum ante Apostolorum pedes ponerent, seque totos dedicarent Deo tanquam templum nouum in orationibus & fractione panis spiritualis & corporalis, quæ prius veteri templo seruiebant, *quod nullas ecclesias gentium fecisse scriptum est: quia non tam prope erant, quæ simulacra manu facta deos habebant. Ex quo intelligimus, magnam vtilitatem fuisse Iudæos sub lege tanquam sub pædagogo custoditos, vt signa, quæ temporaliter eis carnaliter seruientibus erant imposita, ad vnius Dei cultus, qui fecit cœlum & terram, opinionem obseruandam religarent.*

Hic prosequitur secundum membrum secundæ distinctionis propositæ *supra c. 103.* ostendens, quod Gentiles non communicauerunt sibi inuicem omnia, quæ habebant, quod quatuor auctoritatibus probare conatur.

Sed dicunt isti impugnatores, quod hic nihil est penitus ad propositam quæstionem, nisi per hoc intendat probare, quod si gentes conuersæ proprium retinebant, etiam Apostoli conuersantes inter gentes proprium possidebant. Nam quæstio proposita non est de gentilibus, sed de Apostolis, an dominium rerum habuerint. Ostendere ergo, quod gentes non dimiserunt proprium, nihil est ad quæstionem, nisi velit ex hoc concludere, quod Apostoli, quando conuersabantur cum gentibus proprium habuerunt, sed illa probatio nulla est, quia sæpe homines diuersorum statuum insimul conuersantur, sicut laici & clerici, & nonnunquam etiam religiosi & seculares.

(*Non videtur quod ipsi sibi inuicem & aliis credentibus communicauerunt sua.*) Istud veritatem videtur habere de communitate quacunque gentilium in principio suæ conuersionis, postea tamen in Alexandria sub Marco nonnulli communem vitam duxerunt, (*imo videtur quod ipsi retinuerunt sibi propria, sicut prius*) verum est in principio conuersionis suæ, (*sicut ordinaui Galatiæ*) non tanquam Dominus rerum ipsorum, sed sicut pater & doctor, cui sponte parebant (*in vsum misistis mihi*) non in dominium, quia Apostoli non quærebant nisi in vsum, non in dominium rerum, (*acceptis*) ad vtendū, non ad proprietatem habendam (*per manus Barnabæ & Sauli*) non quod ipsi portarent pecuniam, quamuis in tali necessitate licuisset, præsertim cum, vt videtur, non fuerint tunc Apostoli, sed dimiserunt per manus Barnabæ & Sauli, quia illi, qui portabant, erant in societate eorum, quibus non licuit aliquid facere de eleemosyna missa, nisi secundum dispositionem Barnabæ & Sauli, (*vt omnia sua venderent.*) Ex hoc patet secundum Augustinum, quod Iudæi illi conuersi vendiderunt possessiones suas, & nusquam inuenitur quod vendiderint nomine communitatis, quare non est dicendum, quod possessiones suas communitati dederunt, sed pretium ipsarum, (*quod nullas ecclesias gentium fecisse scriptum est*) nec in scripturis aliis reperitur, quod aliqua tota ecclesia gentium statim post conuersionem suam vel etiam cito post, hoc fecerit: tamen aliqui de ecclesia gentium hoc fecerunt.

CAP. CVIII.

Tertio videndum est vtrum pro rebus, quas habuerunt Apostoli, licet non legantur litigasse pro ipsis, eis licuerit litigare, & quod non licuerit, dicit hæreticus iste, ad quod probandum inducit Matth. 19. vbi Petrus pro se & aliis Apostolis Domino dixit: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. *Ex quo habetur secundum catholicos doctores, vt dicit, quod Apostoli reliquerunt ius agendi in iudicio, quod non stat cum tali perfectione supererogationis, quæ implicat ad peccatum, sicut probat secundum eum Apostolus prima ad Corinth. 6. dicens:* Iam quidem omnino delictum est in vobis; quia iudicia habetis inter vos, *& ideo Christus, vt dicit, iniunxit perfectis, vt non litigent in iudicio Matth. 6. & Luc. 5. dicens, quod illa tantum intelligantur perfectis iniuncta, & similiter illud Apostoli prima Corinth. 6.*

Viso secundum istum, quod Apostoli, postquam fuerunt ad Apostolatum assumpti, habuerunt temporalium rerum dominium aliquando in speciali & aliquando in communi: Hic inquirit, an Apostolis licuit pro rebus temporalibus litigare. Et diuiditur in duas partes: quia primo improbat circa hanc quæstionem, assertionem appellantis. Secundo suam ponit assertionem. Secunda ibi: *cum ergo quæritur*. Prima in duas: quia primo recitat assertionem appellantis, secundo ipsam impugnare conatur. Secunda in parte immediate sequenti ibi: *In quibus iste hæreticus mentitur.* Primo ergo proponens quæstionem vtrum Apostolis licuit pro temporalibus litigare, dicit quod appellans tenet, quod non: fundans se in tribus auctoritatibus scripturæ diuinæ, sicut patet in litera.

(*Ecce nos reliquimus omnia*) Scilicet quæ non sunt necessaria ad vitæ sustentationem & officii nostri executionem. Huiusmodi autem est ius agendi in iudicio, ergo tale ius Apostoli reliquerunt, (*quod*

(*quod non stat cum tali perfectione supererogationis*) licet ius agendi in iudicio stet cum perfectione essentiali & primaria ac principali, scilicet cum caritate, quia scilicet potest quis stante caritate perfecta retinere vel ius agendi recipere in iudicio, quemadmodum sancti patres multi recipiendo dispensationem bonorum ecclesiæ receperunt etiam ius agendi in iudicio solummodo propter Deum, & bonum commune retinuerunt. Tamen tale ius agendi in iudicio non stat cum perfectione secundaria, quæ est abdicatio omnis proprietatis & iuris agendi, quemadmodum castitas coniugalis stat cum caritate perfecta, propter quod Augustinus non præfert cœlibatum Iohannis Baptistæ coniugio Abrahæ: non stat tamen cum virginitate, (*qua implicat ad peccatum*) vellet dicere, quod implicat ad peccatum: quia non talis perfectio supererogationis, sed ius agendi implicat ad peccatum. (*Iam quidem omnino delictum est in vobis: quia iudicia habetis.*) Ista est secunda auctoritas, in qua fundat se appellans, de qua posterius differetur. (*Christus iniunxit perfectis vt non litigent in iudicio. Matth. 6. & Luca 6.*) de hoc etiam post tractabitur, (*dicens quod illa tantum intelligantur perfectis iniuncta*) hoc non dicit sic nude appellans, vt postea apparebit. Vnde dicunt isti, quod ille impugnatus sæpe male & truncate ac peruerse dicta recitat appellantis.

Cap. CIX.

In quibus iste hæreticus mentitur aperte: quia quod in Euangeliis prædictis dicitur, non potest de perfectis intelligi, prout ipse sumit perfectos. Illos enim solos perfectos asserit, qui à se temporalium omnium proprietatem abdicarunt & dominium, sibi duntaxat retento simplici vsu facti. Constat autem, quod illa verba ei, qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, posita Matt. 5. & Luca 6. intelliguntur de his, qui in proprio temporalia obtinebant. Loquitur enim illi Dominus, qui tunicam habebat & pallium, cum dixit ei: qui voluerit tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, *sicque patet, quod & tunicam habebat & pallium is, cui loquebatur. Præterea statim illi, cui prædicta iniunxerat, sic præcepit ibidem:* Qui petit illa à te, da ei: & volenti mutuare à te ne auertere. *Ex quibus etiam patet, quod habentibus temporalia est locutus, cum dixerit quod det ei qui à se petit: quod non posset facere, cum dare sit accipientis facere, nisi dominium quo ad temporalia obtineret: non etiam mutuare posset, nisi eius quod mutuaret esset Dominus, cum in mutuo à mutuante in eo, qui mutuum recipit, rei mutuatæ sit dominium transferendum.*

Recitata assertione appellantis, hic nititur eam reprobare, ostendendo videlicet quod auctoritates, quas adducit pro se *Matth. 5. & Luca 6.* & de Apostolo *1. Corinth. 6.* pro ipso non concludunt, & diuidit in duas partes: quia primo ostendit, quod dictæ auctoritates non faciunt ad propositum appellantis, secundo ipse exponit dictas auctoritates secundum mentem suam. Secunda ibi: *& ideo dicendum quod præcepit illa.* Prima in duas: quia primo conatur ostendere quod verba illa: *Qui vult tecum in iudicio contendere* &c. posita *Matth. 5. & Luc. 6.* appellans male intelligit. Secundo probat, quod male intelligit auctoritatem Apostoli *prima Corinth. 6.* Secunda ibi: *Item illud Apostoli.* Prima diuiditur in quatuor: quia primo ostendit, quod verba prædicta non fuerunt dicta abdicantibus omnium proprietatem, sicut appellans intelligit, vt iste dicit. Secundo ostendit, quod non fuerunt dicta Apostolis. Tertio ostendit, quod Apostoli habuerunt ius agendi in iudicio. Quarto ostendit, quod verba illa omnibus dicta fuerunt. Secunda ibi: *Item ipse intelligit.* Tertia ibi: *Item attendat.* Quarta ibi: *Et quod verba prædicta.* In prima igitur parte ostendit, quod illa verba: *qui vult tecum in iudicio contendere* &c. dicta fuerunt tantum modo habentibus temporalia, quod primo ostendit ex ipsis verbis: quia loquitur illi, qui habebat tunicam & pallium. Secundo ibi: *Præterea statim*, probat idem per verba, quæ sequuntur, quæ diriguntur danti & mutuanti, sed dans & mutuans habent rerum dominium, ergo prædicta verba solummodo dicta fuerunt dominium rerum habentibus.

Sed isti impugnatores dicunt ipsum tripliciter in prædictis deficere. Primo cum dicit, quod verba prædicta non fuerunt dicta perfectis, accipiendo *perfectos* pro illis, qui omnium temporalium abdicant proprietatem.

Secundo dicunt, quod falsum imponit appellanti, cum asserit, appellantem illos solos vocare perfectos, qui omnium temporalium abdicant proprietatem, simplici vsu facti sibi retento.

Tertio dicunt, quod argumenta, per quæ conclusionem suam probare conatur, non concludunt.

Ad euidentiam autem dicendorum est ad memoriam reuocandum, quod secundum istos talia vocabula *meum*, *tuum*, *suum*, *habere*, *ipsius*, *eius* & consimilia in significatione conuenientia multipliciter accipiuntur in scripturis, quia aliquando important dominium & proprietatem: aliquando important vsum facti: aliquando ius vtendi: aliquando custodiam rei depositæ vel commissæ: aliquando consuetudinem habitandi vel alio modo vtendi: aliquando originem, & aliis modis, quos non est facile enumerare, accipi possunt. Ista per scripturas & modos loquendi vulgares possent patenter ostendi: etiam aliquo modo prius fuit ostensum.

Ex isto ostendunt, quod iste errat dicendo, quod verba prædicta: *Qui vult tecum in iudicio contendere*

tendere &c. non fuerunt dicta abdicantibus omnia temporalia quo ad dominium, sed habentibus rerum dominium. Quia non magis debent nec possunt de iure retinere sibi res, quas habent quo ad vsum proprietatem omnium abdicantes contra voluntatem auferre volentium, quam habentes rerum dominium, cum nihil iuris vel minus iuris in huiusmodi rebus habere noscantur, sed omnium abdicantes dominium licite possunt habere tunicam & pallium ac multas res alias temporales: quarum tamen non habent dominium, ergo non magis possunt sibi res huiusmodi retinere contra voluntatem auferre volentium, quam illi qui huiusmodi rerum habent dominium. Si igitur secundum consilium Christi habentes talium rerum dominium, non debent eas contra voluntatem auferre volentium retinere, sed dimittere: Multo magis qui non habent, nisi solum vsum huiusmodi rerum non debent eas contra voluntatem auferre volentium retinere, sed secundum consilium vel præceptum Christi dimittere.

Item, si habentes res temporales quo ad vsum absque dominio non debent res suas dimittere, cum alius vult eas habere, quemadmodum debent illi, qui habent rerum temporalium proprietatem, ergo carentes proprietate debent res suas defendere, quando alii habentes proprietatem non debent res suas defendere: quod falsum est.

Quia defendere res temporales contingit dupliciter, vel pro rebus in iudicio contendendo, vel per vim violentiam repellendo, sed carentes proprietate non debent res suas defendere in iudicio contendendo: cum absque omni iure agendi, & defendendi nullus valeat in iudicio litigare, ergo si carent omni iure in rebus, quo valeant in iudicio litigare, non debent res suas defendere in iudicio contendendo: nec debent res suas defendere per vim violentiam repellendo magis, quam alii habentes proprietatem rerum: cum eis non plus pugnare liceat, quam aliis proprietatem habentibus, ergo habentes tantum modo res, quo ad vsum, non debent magis res illas defendere, quam habentes rerum proprietatem.

Amplius, non minorem contemptum rerum temporalium debent ostendere & habere carentes rerum proprietate, quam habentes: sed habentes proprietatem rerum, & ipsas tamen volentibus auferre dimittentes, ostendunt se res temporales contemnere, ergo multo fortius hæc debent facere non habentes proprietatem rerum, quibus vtuntur sibi. Rursus, non magis debet vel tenetur quis exigere vel defendere illud, quod nequaquam sibi debetur, vel minus debetur, quam alius illud, quod sibi debetur vel magis sibi debetur, sed res temporales non sunt debitæ carentibus omni iure in eis, vel minus sunt debitæ. Vnde nullum habens ius in pallio, non potest petere pallium tanquam debitum, sed de gratia solum, res autem temporales sunt debitæ illis, qui proprietatem habent in eis, ergo carentes proprietate & omni iure agendi in iudicio, non debent, neque magis exigere neque magis defendere res temporales, quam habentes proprietatem, ergo ita tenentur dimittere, sicut alii. Item, eisdem Christus dicit verba illa: *qui vult tecum in iudicio contendere* &c. quibus dicit, *non resistere malo*, sed Christus non dicit non resistere malo magis habentibus proprietatem temporalium, quam non habentibus, ergo nec illa verba, *qui vult tecum in iudicio contendere* &c. dixit plus habentibus proprietatem temporalium, quam non habentibus proprietatem.

Dicunt igitur isti quod Christus verba prædicta omnibus dirigebat, scilicet habentibus & non habentibus proprietatem, vt hic sit sensus: *Qui vult tecum in iudicio contendere* & tunicam tuam siue sit tua quantum ad vsum tantum, siue sit tua quantum ad proprietatem, tollere: *dimitte ei & pallium*, siue in pallio habeas vsum tantum, siue etiam habeas dominium & proprietatem, quando autem & quomodo hæc sic sint implenda, in sequentibus declarabunt.

Secundo dicunt isti, quod ille impugnatus appellanti falsum imponit, cum asserit eum illos solos vocare perfectos, qui omnium temporalium abdicant proprietatem, simplici vsu facti retento. Ad cuius euidentiam duo præmittunt: quorum primum est, quod aliud est esse perfectum, & aliud est esse in statu perfectionis. Multi enim sunt in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti: sicut religiosi & prælati sunt in statu perfectionis, & tamen multi eorum non sunt perfecti: imo sunt scelerati & pessimi. Multi etiam non sunt in statu perfectionis, qui tamen non sunt perfecti perfectione essentiali & primaria, quæ est caritas Dei, sicut multi reges & alii diuites vtentes coniugio, & proprietatem diuitiarum habentes, fuerunt perfecti propter caritatem perfectam in eis, & tamen non fuerunt in statu perfectionis, secundum quod communiter de statu perfectionis moderni loquuntur. Secundum quod isti præmittunt est, quod sicut inter perfectos inueniuntur gradus: quia quidam sunt perfecti, quidam perfectiores, & quidam perfectissimi: ita inter status perfectionis reperiuntur gradus consimiles. Aliam vero distinctionem de perfectione essentiali & secundaria, ipsi supponunt tanquam alibi declaratam. Ex his ad propositum dicunt, quod appellans nequaquam dicit, quod illi soli sunt perfecti, qui omnium temporalium abdicant proprietatem, simplici vsu facti retento: nec etiam intendit quod illi soli sunt in statu perfectionis: sed intendit quod multi alii sunt perfecti perfectione essentiali, quæ caritas est, & etiam multi alii sunt in statu perfectionis, sed non in statu perfectissimo, quantum ad euangelicam paupertatem: quamuis possint esse in statu perfectissimo quantum ad aliquas alias conditiones status perfectionis.

Tertio dicunt ipsum deficere: quia argumenta sua conclusionem suam quam intendit, non concludunt: quod persequendo literam apparebit.

Quod

(*Quod in euangeliis prædictis dicitur non potest de perfectis intelligi,*) Imo de illis potissime intelligitur: quia illi, qui omnia dimiserunt quo ad dominium & quo ad proprietatem, debent esse prompti ad dimittendum vsum extra necessitatem extremam ex causa magis quam alii, (*prout ipse sumit perfectos,*) etiam sumendo perfectos strictissime pro illis, qui omnia dimiserant, retento simplici vsu facti, debent verba prædicta principaliter de eis intelligi, (*illos enim solos perfectos asserit qui à se temporalium &c.*) Dicunt isti, quod mentitur aperte: quia nusquam illos solos vocat perfectos, quamuis illos solos dicat esse in statu perfectissimæ paupertatis: sed multos dicit perfectos, qui non sunt in statu perfectissimæ paupertatis. (*Intelliguntur de his qui in proprio talia obtinebant,*) hoc est verum: sed non tantum de illis, sed etiam de aliis, & ideo ex hoc sequitur, quod non intelliguntur de perfectis tantum. (*Loquitur enim Dominus illi qui tunicam habebat & pallium*) verum est, siue haberet pallium & tunicam quo ad proprietatem, siue quo ad vsum: & ita loquebatur: *& habentibus proprietatem tunica & pallii, quamuis non omnibus præcipiendo, sed consulendo quibusdam & aliis præcipiendo:* sicut post patebit, (*tunicam tuam*) siue quo ad proprietatem siue quo ad vsum (*& tunicam habebat & pallium is cui loquebatur*) vel habere poterat, & hoc quo ad proprietatem vel quo ad vsum: & ita plane patet, quod illud argumentum non concludit, quod Christus tantum modo loquebatur habentibus proprietatem: quia medium, in quo fundatur, est falsum, scilicet quod nullus habet tunicam & pallium, nisi habeat proprietatem. Fratres enim Minores secundum ipsorum Regulam possunt habere tunicas & libros & res alias multas: qui tamen nullius rei habent proprietatem, beatus etiam Paulus habuit vincula, sicut patet *ad Philip. 1. & ad Colo. vltim. & 1. Thim. 1.* quæ etiam dixit esse sua, quæ tamen non erant sua quo ad dominium, sed quo ad dominium erant gentilium, qui vinculis beatum Paulum ligauerant, & ideo dicunt, quod argumenta istius semper vel fere in tota ista materia per fallaciam æquiuocationis peccant aperte, si enim æquiuocationes nominum intellexisset, ex sola verecundia argumenta talia dimisisset. (*Qui petit illa à te da ei*) hoc est, dona vel concede, si cui licet, multi enim vtentes rebus alienis habent licentiam dandi & concedendi aliis res easdem, & in hoc casu non solum Dominus rei, sed etiam vtens re aliena: & habens talem licentiam debet concedere aut dare petenti, nisi ratio obstet, quare non expedit neque concedere neque dare, vnde de isto amplius patebit inferius. (*Et volenti mutuare à te ne auertere.*) Sic habetur sub Bulla, cuius habui copiam pro opere isto, sed textus Bibliæ est: *volenti mutuare à te ne auertaris*, & illa est grammatica melior. Contingit autem mutuare absque rei mutuatæ dominio, sicut post patebit, ideo illa verba non tantum de habentibus proprietatem, sed etiam de aliis intelliguntur esse dicta. (*Ex quibus etiam patet quod habentibus temporalia est locutus*) sed non tantum illis, (*cum dare sit accipientis facere.*) De isto dictum est prius *c. 9.* vbi ostensum est, quod verbum *dandi* accipitur aliter, quam pro transferre rei dominium, sunt autem exempla ibi addita tam aperta, quod alia adducere ipsis videtur superfluum, *dare* igitur non est semper accipientis facere quo ad dominium, sed quo ad vsum, vel aliquo alio modo: sicut etiam non semper dando transfertur dominium, (*habet eiusdem rei dominium.*) Contingit dando transferre rei dominium dupliciter: scilicet auctoritate propria, vel auctoritate vel licentia alterius, quicquid sit de illo qui auctoritate propria dando transfert rei dominium, certum est de illo, qui auctoritate vel licentia alterius dando transfert rei dominium, quod non oportet quod habeat prius rei dominium, hoc auctoritatibus scripturæ diuinæ probatur aperte. Legitur enim Genes. 24. de seruo Abrahę, quod prolatis vasis argenteis & aureis ac vestibus, quæ erant Domini sui, dedit eas Rebeccæ pro munere: & ita illa non erant serui quo ad dominium: & tamen dando transferebat dominium. De Moyse etiam dicitur Iosue 13. *Dedit Moyses possessionem tribui filiorum Ruben.* Illa tamen possessio non erat Moysi quo ad dominium, sed auctoritate Dei dedit. Aliæ auctoritates inueniuntur quamplurimæ, quibus patenter posset ostendi, quod aliquis nomine vel auctoritate seu de licentia alterius dando transfert rei dominium, cuius tamen non habet dominium seu proprietatem, & ita per hoc, quod aliquis dat rem accipienti, non potest ostendi, quod dans rei habuerit proprietatem. (*Non etiam mutuare posset, nisi eius quod mutuaret esset Dominus,*) hic etiam, vt dicunt, per æquiuocationem procedit, nam potest quis mutuare rem dupliciter, vel nomine proprio, vel nomine alterius seu de auctoritate aut de licentia alterius. Esto quod primus habeat dominium rei mutuatæ: secundus tamen non habet dominium rei mutuatę. Sic enim seruus potest mutuare pecuniam Domini sui, quemadmodum potest facere eleemosynam de rebus Domini sui, & diuersis modis de rebus Domini sui disponere. Prædicta autem Domini verba, *volenti mutuare à te ne auertaris*, non tantum diriguntur ad Dominos temporalium rerum, sed etiam ad omnes, qui aliquam dispensandi potestatem res temporales siue principalem siue secundariam seu commissariam noscuntur habere. Vult enim Dominus per verba prædicta vniuersos, qui possunt, ad benefaciendum proximis inuitare, & ideo cum non solum Domini rerum, sed etiam nonnunquam dispensatores rerum, possint mutuare res temporales proximis opportunas, prædicta verba Saluatoris non solum ad Dominos, sed generaliter ad omnes, qui auctoritate, vel nomine quocunque possunt mutuare res temporales debent extendi: & ita falsum est, quod dicitur, quod *nec mutuare posset nisi eius quod mutuaret esset Dominus.* Est etiam falsum stricte capiendo vocabulum *mutuandi* scilicet pro transferre dominium rei mutuatę: quia seruus potest transferre dominium rerum Domini sui, nomine Domini sui, & auctoritate eius: quarum tamen non habet dominium. De hac materia supra habetur *capit. 30.* vbi etiam iste impugnatus dicit hæc verba: *Seruus, qui iussu Domini sui pecuniam mutuat, non debet dici habere vsum seu abusum simplicem facti.*

Ex quibus verbis patenter habetur, quod seruus potest mutuare pecuniam Domini sui: & tamen non est Dominus pecuniæ mutuatæ. (*Cum in mutuo à mutuante in eum qui mutuum recipit rei mutuatæ sit dominium transferendum.*) Hoc etiam habet vnum sensum falsum: imo duos. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod *mutuum* in scripturis dupliciter accipitur. Vno enim modo accipitur pro illo, cuius dominium transfertur in recipientem. Alio modo accipitur pro præstito: siue transferatur in dominium recipientis, siue non transferatur in dominium eius. Primo modo accipiendo *mutuum*, non semper transfertur mutuum à mutuante, tanquam ab habente dominium: quia mutuans posset carere dominio rei mutuatæ, sicut patet in notabili præcedenti. Accipiendo etiam mutuum secundo modo, planum est, quod sic illud, quod hic dicitur, non continet veritatem. Item sicut quis potest commodare rem alteri absque translatione dominii, ita potest quis præstare rem alteri absque translatione dominii. Quod autem mutuum sic accipiatur, ex scriptura diuina patet aperte, sic enim accipitur 4. Regum 4. cum Helisæus cuidam mulieri dixit: *vade & pete mutuo ab omnibus vicinis vasa vacua non pauca*, quæ tamen vasa non debebant in eius transferri dominium, & ca. 6. sic legitur: *Accidit autem, vt cum vnus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam exclamauitque ille, & ait: heu heu Domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam*: vbi tamen rei mutuatæ non fuit translatum dominium in recipientem, sic ergo patet, quod non semper in mutuo transfertur dominium [illegible] mutuatæ in eum qui recipit, licet accipiendo mutuum, vt in scientiis legalibus sæpe accipitur *mutuo*, rei mutuatæ dominium in eum qui recipit transferatur, sed scriptura diuina modis loquendi & vtendi vocabulis, scientiis legalibus nequaquam astringitur, sicut patet de *commodato*, quod secundum iura in rebus vsu consumptibilibus minime reperitur, nisi quando commodatur ad pompam, vt ditior quis appareat. In scriptura tamen diuina insinuatur aperte panes posse commodari ad vescendum. Vnde & Christus ait, sicut habetur Lucæ 21. *Quis vestrum habebit amicum & ibit ad illum media nocte & dicet illi: amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me: & non habeo quod ponam ante illum.* Ex quibus verbis aperte colligitur, quod panes commodari possunt ad vescendum, & ita scriptura sacra ad modos accipiendi vocabula scientiarum legalium artari non debet, licet igitur non inueniretur in aliqua scientia legali, quod non semper in mutuo rei mutuatæ transfertur dominium: in scriptura tamen diuina reperitur aperte, quod non semper in mutuo rei mutuatæ in eum qui recipit transfertur dominium, & sic accipitur *mutuum* in verbis Christi, cum dicit, *volenti mutuari à te ne auertaris*, cuius ratio est, quia, sicut dictum est prius, Saluator per verba prædicta discipulos suos ad benefaciendum proximis suis volebat inducere, contingit autem benefacere alicui mutuando rem sibi opportunam, non solum in eum transferendo dominium, sed etiã solummodo præstando eam sibi absque translatione dominii, quare *mutuare* communissime accipi debet, & non solum stricte pro transferre dominium. Ex prædictis patet, quod argumentum istud secundum non probat, quod verba prædicta: *qui vult tecum in iudicio contendere* &c. dicta fuerunt tantum proprietatem rerum habentibus: imo dicta fuerunt omnibus, vel qui nomine proprio vel qui nomine alieno res possunt dare vel præstare. Multi autem non habentes proprietatem rerum possunt nomine alieno, seu de licentia alterius res dare & præstare. Quia quandoque aliquas res possunt præstare, & per consequens mutuare large accepto vocabulo, quas tamen non possunt dare, multi etiam præstant res, quas nolunt dare, vt habeatur distinctio inter ista duo consilia Christi: *qui petit à te da ei*, &, *volenti mutuari à te ne auertaris*, & talem distinctionem inter duo prædicta Glossa super præmissa insinuare videtur, cum dicit: *duo genera præstandi complectitur: vel enim beneuole damus vel reddituro commodamus*, & Glossa super illud Lucæ 6. *Et si mutuum dederis* &c. Ait: *duo sunt genera beneficii: vel cum beneuole damus quod damus: vel cum reddituro commodamus. Qui enim petenti dat, beneuole donat: qui autem mutuat, reddituro commodat: quia mutuum etiam large acceptum est reddendum.* Ex prædictis autem Glossis etiam patet, quod *mutuum* in verbis Saluatoris pro commodato accipitur, quod autem commodatur, vt verbum *commodandi* in scriptura sacra accipitur, non semper in eius qui recipit transfertur dominium, quare nec *mutuum*, vt in euangelio accipitur, semper in eius qui recipit transfertur dominium.

Cap. CX.

Item ipse intelligit, Apostolis datum prædictum mandatum fuisse, quod est falsum. Tempore enim illius sermonis in monte facti, in quo iniuncta fuerunt prædicta, nullus adhuc erat Apostolus, vt patet: quia sermo iste recitatur Matth 5. & Apostoli fuerunt facti post, vt patet Matth. 10. Vnde dici non potest, nisi mendaciter, quod illa præcepta contenta in illo sermone Domini in monte solis Apostolis facta fuerint, cum nondum Apostoli essent.

In parte ista iste impugnatus intendit ostendere, quod verba sæpe dicta non fuerunt dicta Apostolis. Cuius ratio est: quia tunc non fuerunt Apostoli, sed facti fuerunt Apostoli post, *Matthæi decimo.*

Sed isti impugnatores dicunt ipsum hic patenter errare, cum asserit, quod tunc non erant Apostoli, quando illa præcepta de quibus *Matt. 5. & Luc. 6.* fit mentio, data fuerunt. Nã sicut ostensum est su-

supra cap. centesimo, Christus, sicut patet *Luc. 6.* clare ordinauit eos Apostolos in monte: & postea sermonem fecit; & ita constat quod tunc erant Apostoli.

(*Ipse intelligit Apostolis datum prædictum fuisse mandatum.*) Verum est secundum appellantem, quod datum fuit Apostolis sub præcepto, aliis autem datum fuit sub consilio. Et si dicas, quod sermoni in monte non interfuerunt, nisi soli Apostoli. Ad hoc dicunt isti, quod siue interfuerint soli Apostoli illi sermoni, siue non: dicta tamen verba omnibus dicta fuerunt quantum ad intentionem Christi, dicentis, quod voluit, quod Apostoli huiusmodi omnibus explicarent, & quando opportunitas adesset docerent. (*Tempore enim illius sermonis in monte facti, in quo iniuncta fuerunt prædicta, nullus adhuc erat Apostolus.*) Hoc falsum est, quia quamuis Matthæus ibidem de ipsorum ordinatione non faciat mentionem, ipsi tamen in monte facti fuerunt Apostoli ante sermonem, quod Lucas cap. 6. manifestat dicens: *Exiit* (scil. Christus) *in montem orare: & cum dies factus esset, vocauit discipulos, & elegit 12. ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.* Postea autem descendit de monte & fecit sermonem, qui in eodem cap. recitatur, in quo dixit hæc verba: *ab eo qui aufert tibi vestimentum & tunicam, noli prohibere.* (*Quia sermo iste recitatur Matth. 5. & Apostoli fuerunt facti post vt patet Matth. 10.*) Hic dupliciter deficit. Primo quia *Matth. 10.* de Apostolorum ordinatione nulla omnino fit mentio, sed Matthæus 10. ibidem rememorat, quod Christus eis tribuit potestatem miracula faciendi, & eorum missionem ad prædicandum declarat. Secundo deficit: quia esto quod Matth. 10. tractaretur de ordinatione Apostolorum: ex hoc concludi non posset, quod antea Apostoli non fuerunt, quia sæpe in euangelio prius factum posterius recitatur: & ita si ex hoc, quod Matthæus ante sermonem illum in monte nō facit mentionem de ordinatione Apostolorum, vult concludere, quod ante sermonem illum Apostoli non fuerunt, multo fortius ex hoc quod de ordinatione Apostolorum fit mentio. Lucæ 6. & illa quæ Matth. 10. de ordinatione Apostolorum narrari videntur, secundum istum, narrantur etiam Lucæ 9. sequitur quod antequam facta fuerunt illa, quæ narrantur secundum istum de ordinatione Apostolorum Matth. 10. Apostoli facti fuerunt, quod autem eadem, quæ videntur narrari de ordinatione Apostolorum Matt. 10. narrantur etiam Luc. 9. patet aperte. Nam illa, quæ secundum istum narrantur de ordinatione Matth. 10. comprehenduntur verbis Matthæi, cum dicit ibidem: *Et conuocatis duodecim discipulis dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem*, quod enim ista verba secundum istum intelligantur de ordinatione Apostolorum, patet per verba supra posita, *ca. 100.* vbi ait: *cum eos Apostolos ordinauit, legitur Matt. 10. sic dixisse: Et conuocatis duodecim discipulis suis dedit illis* &c. Verba ergo ista Matt. 10. secundum istum intelliguntur de ordinatione Apostolorum, sed sententia illorum verborum ponitur Luc. 9. cum dicit Lucas: *Conuocatis autem duodecim Apostolis dedit illis virtutem & potestatem super dæmonia, & vt languores curarent.* Non plus ergo narratur de ordinatione Apostolorum Matth. 10. quam Luc. 9. Sed Apostoli fuerunt facti ante illa, quæ narrantur Luc. 9. quia fuerunt facti Apostoli Lucæ 6. ergo fuerunt facti ante illa, quæ narrantur Matt. 10. & ita si ex ordine narrationis vult arguere ordinem rei gestæ: sequitur euidenter, quod fuerunt Apostoli antequam contingerent illa, quæ narrantur Matt. 10. Vnde nō potest dici, nisi mendaciter, quod illa præcepta contenta in illo sermone Domini in monte, solis Apostolis facta fuerint: siue Apostoli soli interfuerint dicto sermoni, siue non, illa contenta in dicto sermone non fuerunt facta solis Apostolis: quia pro omnibus dicit Christus verba illa, non tamen omnibus iniungendo, sed magis consulendo, (*cum nondum Apostoli essent*) hic assignat rationem dicti præcedentis, quod dictum præcedens licet esset verum, tamen ista ratio falsa est: quia tunc erant Apostoli, sicut ostensum est *capitulo 100.*

Cap. CXI.

Item *attendat iste hæreticus, quid Dominus præcepit Matth. 18. discipulis suis*: si peccauerit, *inquit*, in te frater tuus corripe eum inter te & ipsum solum, *& sequitur*: si autem non audierit, dic ecclesiæ: si autem non audierit ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. *Voluit ergo Saluator noster, quod eius discipuli, inter quos erat Petrus, vt patet, quia statim sequitur ibi*: Tunc accedens ad eum Petrus *&c. conquererentur ecclesiæ de iniuriantibus sibi.*

Hic ostendit, quod Apostoli habuerunt ius agendi in iudicio, cuius ratio est, quia, sicut habetur *Matth. 18.* Apostoli debuerunt conqueri de iniuriantibus sibi, & per consequens debebant conqueri de auferentibus temporalia ipsorum, sed qui potest conqueri de auferente temporalia sua, habet ius agendi in iudicio, ergo Apostoli habuerunt ius agendi in iudicio.

Sed dicunt isti impugnatores, quod istud argumentum non concludit, quod Apostoli poterant pro rebus temporalibus in iudicio litigare. Ad cuius euidentiam dicunt duo esse scienda. Primum est, quod aliquibus licet in iudicio litigare pro rebus temporalibus, & aliquibus non licet. Illis enim qui habent temporalia in speciali & in communi quo ad dominium, vel aliquod aliud ius positiuum, non solum de gratia vel licentia aliorum, licet in iudicio litigare. Illis autem qui tale ius non habent, non licet in iudicio litigare. Secundo dicunt esse sciendum, quod potest quis fratrem suum fraternaliter corrigere, & propter bonum commune denuntiare ecclesiæ extra iudicium, quamuis non possit rem petere in iudicio litigando.

Ex his dicunt, quod præceptum Domini (*si peccauerit in te frater tuus &c.*) extendebatur ad omnes, vt Fratrem suum peccantem corrigerent, non vt res aliquas temporales in iudicio repeterent: quia ex quo ius positiuum distinctum contra gratiam seu licentiam in rebus temporalibus non habebant, non poterant res repetere pro eis in iudicio litigando: poterant tamen, quando esset cognitum peccatum fratris, ecclesiæ nuntiare, si ex admonitione secreta correctus non fuisset (*corripe eum inter te & ipsum solum.*) Non vt res temporales recuperes, sed vt Fratrem tuum lucreris, (*dic ecclesiæ*) non temporalia repetendo, si omnia abdicasti, sed peccatum Fratris indicando, vt corrigatur, & alii à peccato consimili caueant. (*Si autem non audierit ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus & publicanus,*) quicunque sit iste frater, siue subditus, siue prælatus, imo etiam si Papa in his, in quibus subest correctioni ecclesiæ, vt in causa hæresis, & in criminibus in quibus incorrigibilis videretur, non audit ecclesiam, pro ethnico & publicano debet haberi (*conquererentur ecclesiæ de iniuriantibus sibi*) verum est quod Apostoli debebant conqueri de iniuriantibus, quando cõqueri expediebat, quando autem non expediebat conqueri: tunc conqueri non debebant: quia illud erat præceptum affirmatiuum. Ideo non obligabat pro semper, veruntamen conquerendo non habuerunt res temporales repetere, sed debuerunt procurare correctionem fratris & bonum commune cum debitis circumstantiis tantum. Ex hoc isti concludunt, quod cum dictum præceptum Christi ad omnes & singulos extendatur, sic quod papa, cum sit frater merito reputandus, si hæreticam prauitatem incurrat, & hæresim publice dogmatizet: licet cuilibet Christiano ipsum ecclesiæ de hæresi nuntiare.

CAP. CXII.

Sed quod verba prædicta Matth. 5. non solum perfectis, sed generaliter intelligantur omnibus esse dicta, ex eo patet, quia illa verba sunt dicta in illo magno sermone Domini in monte, qui continetur Matth. 6. & 7. cap. in fine autem 7. cap. Dominus concludens sic dicit: Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro prudenti, qui ædificat domum suam supra petram *&c. Et sequitur*: Et omnis qui audit verba mea hæc & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam supra arenam, *cum ergo non dixerit, quod omnis qui audit verba mea: sed dixerit verba mea hæc: & facit ea assimilabitur viro sapienti, qui vero audit & non facit similis erit viro stulto: apparet quod non solum perfectis sunt dicta* [illegible] *& imperfectis, cum omnibus illa seruantibus promittatur* [illegible]*mium: & omnibus non seruantibus* [illegible] *iam facit, quod Christus Apostolis Matth. vltim. dicit*: Euntes ergo docete omnes gentes [illegible] in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis. *Ex quibus etiam clare patet, quod mandata data discipulis, sicut illa data fuerunt, cum nondum essent Apostoli, vt patet ex prædictis, intelliguntur omnibus data, & hoc tenet Augustinus in libro de Sermone Domini in monte.*

Hic iste impugnatus ostendit, quod prędicta verba de non contendendo, nec repetendo in iudicio temporalia, omnibus dicta fuerunt, quod duabus auctoritatibus euangelicis p[illegible] conatur: & vltimo asserit Augustinum hoc expresse tenere.

Isti impugnatores dicunt, quod licet hic contenta secundum bonum intellectum, non secundum intellectum istius, possint veritatem habere, sicut super literam apparebit: tamen aperte dictis suis præcedentibus contradicunt. Nam sicut patet c. 107. ipse dicit, quod illud quod in euang[illegible] prædictis dicitur, non potest de perfectis intelligi, hic autem dicit, quod non solum perfectis, sed generaliter omnibus dicta fuerunt, quæ est contradictio manifesta, cum perfecti inter omnes debeant computari.

(*Non solum perfectis: sed generaliter omnibus intelliguntur esse dicta*) Verum est, quod omnibus dicta fuerunt: sed diuersimode diuersis. Perfectis enim per votum abdicationis proprietatis omnium in speciali & in communi præceptorie dicta fuerunt, & tales fuerunt Apostoli. Aliis autem pro multis casibus dicta fuerunt sub consilio, quantum ad opus exterius. Pro aliquo autem casu secundum præparationem animi tantum, vt inferius apparebit, (*Quod continetur*) magis dixisset grammatice, *qui continetur.* (*Qui audit verba mea hæc & facit ea,*) scilicet quæ facienda & prout facienda sunt iniuncta. Aliqua enim in dicto sermone dicta sunt informatorie siue instructorie: vt, *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum* &c. Aliqua commendatorie seu laudatorie: vt, *vos estis sal terræ: vos estis lux mundi*, aliqua præceptorie: sicut, *diligite inimicos vestros. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus* &c. *Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo* &c. *Attendite à falsis Prophetis* &c. Et multa alia omnibus præceptorie dicta sunt, quędam vero dicuntur aliquibus consultorie, & aliquibus pręceptorie: sicut, *Qui vult tecum in iudicio contendere* &c. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. Nolite solliciti esse in crastinum.* Qui ergo facit verba prædicta quantum ad ea, quæ præceptorie dicta sunt, assimilabitur viro sapienti, non enim voluit Christus, quod stricte loquendo omnia quæ dixerat facerent sibi obedientes. Inter eadem enim verba continetur, quod pater cœlestis solem suum facit oriri super bonos & malos [illegible]o tamen facit solem oriri super bonos & malos, (*assimilabitur viro prudenti*) textus est, *viro sapienti*, (*qui ædificat domum suam*) sed textus est, *qui ædificauit* (*& non facit ea*) scilicet quæ præceptorie omnibus sunt iniuncta, (*non solum perfectis sunt dicta verba prædicta imo & imperfectis*) concedendum est, quod verba illa imperfectis consultorie dicta fuerunt

fuerunt (*docentes eos seruare omnia*) seruare est communius, quam facere : & ideo omnia, quæ Christus docuit, seruanda sunt : quia cum fide vera reuerenda & amore iugiter recitanda, quamuis non omnia sint facienda, sic loquitur Athanasius in Symbolo dicens : *quam scilicet fidem nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit* (*Quæcunque mandaui vobis*) quia omnia seruanda sunt per fidem vel operationem.) *Ex quibus etiam clare patet, quod mandata data discipulis sicut illa fuerunt data cum nondum essent Apostoli, vt patet ex prædictis, intelliguntur omnibus data*) ex dictis verbis Christi nude acceptis, *Euntes docete*, &c. non plus potest concludi, quod illa quæ continentur in sermone prædicto, omnibus data fuerunt, quam quod omnia quæ dixit Christus Apostolis *Matthei decimo, & Lucæ vndecimo*, quando misit eos ad prædicandum, omnibus dicta fuerunt, quia illa verba *Euntes docete omnes gentes*, &c. dixit Christus tam post prædictum sermonem, quam post præcepta, quæ dedit Apostolis, quando eos ad prædicandum destinauit.

Verba igitur scripturæ diuinæ sane intelligenda sunt, sicut à sanctis Patribus noscuntur exposita : & non ad omnem sensum, qui ex eis potest capi, trahenda, quod tamen iste tanquam Theologicæ facultatis ignarus, vtpote qui nunquam Theologiæ studium frequentauit, sola auctoritate & potentia, absque literarum sacrarum peritia, fretus, facere in tota ista constitutione molitur, vt isti dicunt. (*Et hoc tenet Augustinus in libro de sermone Domini in monte.*) Augustinus tenet, quod omnibus dicta fuerunt : sed non omnibus præceptorie, quantum ad opus exterius.

Cap. CXIII.

I*Tem illud Apostoli prim. ad Corinthi. sext.* Iam quidem delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? sed vos iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus, &c. *non intelligitur dictum talibus personis, de quibus loquitur iste hæreticus, scilicet qui à se dominium omnium temporalium abdicarunt, contenti solo simplici vsu facti. Loquebatur enim Apostolus Corinthiis conuersis ad fidem : qui quidem non renunciauerant bonis suis, nec ad inuicem communicauerant sibi, vt patet prim. ad Corinthi. vltim. in principio, vbi Apostolus hortatur eos, vt collectas inter se facerent deferendas Hierosolymis sanctis, sic dicens* : de collectis quæ fiunt in sanctis, sicut ordinaui in ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite per vnam sabbati. Vnusquisque autem vestrum apud se reponat recondens, quod ei placuerit. *Hæc autem non facerent, si nihil haberent : & patet, sicut in articulo proximo latius continetur. Augustinus autem dicit, quod non legitur, quod conuersi ex gentibus communicauerint sua, quare patet, quod dictum Apostoli nihil pro ipso hæretico facit : quia non loquitur de perfectis, sicut ipse perfectos accipit, scilicet qui abdicauerunt omnium temporalium dominium solo simplici vsu facti contenti : sed loquitur omnibus Corinthiis ad fidem conuersis, qui dominium temporalium retinuerant sibi. Sane secundum hoc videtur, quod fidelibus non liceat litigare sine peccato : quod esset nimis durum.*

Postquam iste impugnatus conatus est ostendere, quod appellans male intelligit verba Christi, de non contendendo in iudicio : Hic probare molitur, quod male intelligit auctoritatem Apostoli *prim. Corinth. sext.* de eadem materia ostendens, quod verba Apostoli non intelliguntur dicta iis, qui omnium temporalium abdicauerunt dominium, contenti solo simplici vsu facti, quod ostendit primo ostensiue sic, Apostolus loquebatur Corinthiis conuersis ad fidem, sed illi non renunciauerant bonis suis, ergo &c. Secundo ibi : *Sane secundum hoc*, probat idem ducendo ad inconueniens : quia si hoc esset, nulli fideli litigare liceret absque peccato.

Sed dicunt isti impugnatores, quod hic enormiter errat. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod auctor alicuius doctrinæ sæpe licet alicui vel aliquibus specialiter librum suum intitulet, non tamen vult alios doctrina sua carere : imo etiam intendit alios informare. Et ex illo dicunt, quod licet Apostolus specialiter scripserit Corinthiis ipsis : tamen solis loqui minime intendebat, & ideo non tantum ex intentione loquebatur Corinthiis, sed etiam verba prædicta locutus est perfectis, quos per doctrinam suam voluit informare, volens omnes perfectos & imperfectos Corinthios & alios, qui lecturi erant, & secundum doctrinam ipsius ad pacificam conuersationem absque contentione & litigio in iudicio instigare, præcipue tamen volebat perfectos & qui omnium abdicauerunt proprietatē inducere, ne in iudicio litigarent : quia magis vitiosum est in abdicātibus omnium proprietatem in iudicio litigare, quam in aliis, si ergo verba sua intelligi debent de Corinthiis, qui non renunciauerant bonis suis secundum istum : multo magis verba sua exhortatoria, non increpatoria, ad illos, qui bonis suis renunciauerant, debent intelligi esse dicta, si enim Corinthii, qui non renunciauerunt temporalibus suis, debuerunt magis iniuriam accipere, & magis fraudem pati, quam in iudicio litigare : multo magis hoc debebant illi, qui renunciauerunt omnibus bonis suis. Et per hoc patet, quod ratio sua prima non concludit, quia verba Apostoli intelliguntur dicta Corinthiis & aliis perfectis & imperfectis habentibus proprietatem & non habentibus. Secunda etiam ratio non concludit, quia, sicut post declarabitur, litigare in iudicio non semper est peccatum, nec appellans dicit quod semper est peccatum.

(*Iam quidem delictum est in vobis, quod iudicia habetis*) Iudicia scilicet & litigia, quæ ex auaritia & cupiditate procedunt, talia enim iudicia nunquam sunt sine peccato illius, qui litigat ex auaritia vel cupiditate. Sunt vero verba ista Apostoli increpatoria, quæ ad omnes siue habentes proprietatem siue carentes, qui huiusmodi quærunt iudicia, extenduntur (*quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini*) ista verba sunt exhortatoria: quia per ista intendit omnes Corinthios & alios inducere, vt magis fraudem sustineant, quam ex auaritia iudicia quærant, (*sed vos iniuriam facitis & fraudatis*) ista sunt verba increpatoria, quibus increpat non omnes Corinthios, quia nec omnes talia faciebant: sed increpat omnes in talibus vitiosos Corinthios & alios. (*Non intelligitur dictum talibus personis, de quibus loquitur iste*) hic errat, quia & illis & aliis intelligitur esse dictum, quantum ad verba exhortatoria: quantum vero ad verba increpatoria, intelligitur esse dictum illis Corinthiis, qui vitiosi fuerunt, & etiam aliis omnibus, qui vitiosi fuerunt. (*Loquebatur enim Apostolus Corinthiis conuersis ad fidem*) eis specialiter intitulando suam epistolam, ex intentione tamen aliis credentibus loquebatur, cupiens eos, sicut & Corinthios, per prædictam epistolam salubriter informare.

Ad aliorum enim doctrinam ipse scripsit prædictam epistolam. Vnde de ista epistola, sicut & de tota Scriptura sacra, possunt dicere vniuersi fideles: quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. (*Qui quidem non renunciauerunt bonis suis*) potuit esse, quod aliqui renunciauerunt bonis suis, licet non omnes, (*hortatur eos vt collectas inter se facerent*, &c.) Istud non concludit efficaciter: quia poterat esse, quod aliqui renunciauerunt bonis suis, & illos poterat Apostolus exhortari ad faciendas collectas.

(*Augustinus quoque dicit, quod non legitur quod conuersi ex gentibus communicauerint sua*) Augustinus intelligit, quod non legitur, quod aliqua tota ecclesia in principio suæ conuersionis communicauerat omnia sua, sicut fecit prima ecclesia conuersa ex Iudæis (*non loquitur de perfectis*) imo loquitur de perfectis & de aliis (*sicut ipse perfectos accipit scilicet qui abdicauerunt*, &c.) ipse sic & aliter accipit perfectos, (*loquitur omnibus Corinthiis ad fidem conuersis*) si intelligat, quod Apostolus omnia verba præscripta tam increpatoria, quam exhortatoria loquatur omnibus Corinthiis ad fidem conuersis, non bene dicit, quia multi erant boni inter eos, qui talia increpanda minime faciebant: de verbis exhortatoriis potest veritatem habere sub bono intellectu, (*qui dominium temporalium retinuerant sibi*) probare non potest, quod omnes Corinthii retinuerunt sibi temporalium dominium (*secundum hoc videtur quod fidelibus non liceat litigare sine peccato.*) Hic non sequitur ex prædictis, quod Corinthii litigauerint cum peccato: & tamen de ista materia in sequentibus latius differetur.

Cap. CXIV.

Et *ideo dicendum, quod præcepta illa Matthæi quinto data*: si quis te percusserit in vna maxilla, præbe ei & alteram: *&*, Qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: *&*, quicunque angariauerit te mille passus, vade cum eo & alia duo, *secundum quod Augustinus dicit in libro de sermone Domini in monte, non sunt semper seruanda in executione operis: sed semper in præparatione animi sunt habenda, vt scilicet simus parati hoc facere & sustinere, quando caritas hoc requiret, & recitatur 23. quæstion. 1. cap. paratus.*

In parte præcedenti ostendit, quod dictæ auctoritates non fecerunt ad propositum appellantis: Hic mentem suam circa auctoritates prætactas explicat manifeste, & diuidit in tres partes, quia primo dicit, quomodo intelligit tres auctoritates sumptas ex *Matthæ. quinto*. Secundo exprimit, qualiter intelligit verba Apostoli. Tertio probare nititur ex scripturis, quod auctoritates sumptæ ex *Matthæo quinto* ita debent intelligi, sicut ipse exponit. Secunda in parte immediate sequenti, ibi: *& propter hoc Apostolus*. Tertia ibi: *nec per sacram Scripturam*, dicit ergo primo, quod præcepta illa *Matthæi quinto* non sunt semper seruanda in executione operis: sed semper in præparatione animi sunt habenda.

Sed dicunt isti impugnatores, quod quia indistincte dicit illa præcepta, quorum vnum est negatiuum & aliud affirmatiuum, non esse seruanda in executione operis, sed in præparatione animi semper habenda: non distinguens inter istos & illos, qui non debent semper prædicta præcepta in operis executione seruare, errat aperte.

Ad euidentiam autem istius totius materiæ dicunt aliqua esse notanda, quorum primum est, quod sicut habere diuitiarum dominium in speciali non est malum secundum se: imo possunt haberi, acquiri & conseruari absque peccato: ita repetere in iudicio diuitias proprias non est secundum se peccatum, imo absque peccato etiam veniali repeti possunt non solum extra iudicium, sed etiam in iudicio.

Quod vero habere diuitiarum dominium non sit de se peccatum, patet aperte. Nam multi sancti absque peccato diuitias possidebant. Abraham enim Isaac & Iacob, Moyses, Aaron, Samuel, Dauid & alii sancti multi absque peccato diuites extiterunt, hinc est quod sancti Patres in Gangrensi concilio, vt habetur *trigesim. distinction. capitul. hac scripsimus*, dixerunt: *diuites cum*

iustitia & operibus bonis non abiicimus. Hic etiam dicit Glossa duodecim. quæstion. prim. Clericus: *Non est peccatum habere diuitias, si adsint opera bona*, potest igitur diuitiarum dominium propriarum haberi sine peccato, sic etiam possunt repeti in iudicio sine peccato: teste beato Augustino, qui, vt habetur *decim. quart. quæstion. prim. capitul. quod debetur*, ait: *Quod debetur etsi benigne remittitur, non tamen inique repetitur.* Ex quibus verbis datur intelligi, quod illud quod debetur, præsertim tanquam proprium, non inique repetitur, diuitiæ ergo propriæ absque iniquitate repeti possunt.

Secundo notant isti, quod licet diuitiæ absque peccato possint haberi: melius tamen est omnium diuitiarum dominium abdicare propter Deum, sicut *supra capitulo quinto* auctoritatibus Ambrosii & Augustini & Bernardi probatum existit, quibus etiam concordat Hieronymus ad Ebidiam dicens: *vis esse perfecta & in primo stare fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*, &c. & post: *non vis esse perfecta, sed secundum gradum tenere non dimittendo omnia tua quæ habes, da filiis, da propinquis: nemo te reprehendit, si inferiora secteris, dum modo scias illam tibi iure prælatam: quæ elegerit prima.* Ex quibus verbis euidenter colligitur, quod abdicatio proprietatis omnium temporalium diuitiarum proprietati earum præfertur, vnde dicere, quod abdicare omnium proprietatem non est melius quam diuitias retinere: est error Vigilantii hæretici, de quo dicit Hieronymus: *Quod autem asserit eos melius facere qui vtantur rebus, & paulatim fructus possessionum diuidunt, quam illos qui possessionibus venundatis simul omnia largiuntur, non à me ei, sed à Deo respondebitur: Si vis esse perfectus, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* sic ergo patet, quod licet habere diuitias non sit de se peccatum: melius tamen est omnium diuitiarum dominium abdicare, vnde & ad perfectionem spectat omnium diuitiarum dominium abdicare, sicut supra est probatum.

Tertio notant isti, quod sicut melius est omnium abdicare dominium, quam diuitiarum dominium retinere: ita melius est simpliciter nulla temporalia in iudicio repetere, quamuis repetere possit quis propria sine peccato, hoc notabile ex præcedenti colligitur euidenter.

Quarto notant, quod sicut licet diuitiæ possint haberi sine peccato, tamen raro & vix habentur sine peccato: sic licet repetere diuitias possit esse sine peccato, tamen repetere in iudicio diuitias vel quæcunque temporalia raro & vix inuenitur sine peccato, quod diuitiæ raro vel vix habeantur sine peccato, innuit ipse Saluator dicens Matthæi decimo nono. *Diues difficile intrabit in regnum cœlorum*, & Lucæ decimo octauo, ait: *quam difficile qui habent pecunias intrabunt in regnum cœlorum.* Ex his datur intelligi, quod diuitiæ vix habentur sine peccato: quia solum peccatum facit difficultatem intrandi in regnum cœlorum.

Item Gregorius, vt habetur *distinction. vigesim. quint. capitul. quasi*, loquens de peccato curæ rei familiaris, ait: *Peccatum cura rei familiaris, quæ vix sine culpa agitur, vel ab ipsis qui culpam qualiter declinare debeant sciunt.* Ex quibus verbis colligitur euidenter, quod possessio temporalium, quæ sine cura rei familiaris esse non debet, vix sine culpa agitur: & ita temporalium dominium vix habetur sine peccato.

Quod etiam repetere in iudicio sua vix sine peccato fiat, probatur: quia non minus implicat ad peccatum in iudicio litigare, quod negociationis officium exercere, sed secundum Leonem Papam, vt habetur *de pœnitentia distinction. quint. capitul. qualitas; difficile est inter ementis vendentisque commercium non interuenire peccatum*, ergo non minus difficile est sine peccato in iudicio litigare, quam negotiationis officium exercere, & confirmatur hæc ratio: quia sicut quasi naturale est in contrahentibus se inuicem decipere: ita quasi naturale est in litigantibus se inuicem velle decipere ad suum intentum habendum, sicut ergo negotiationis officium difficile est exercere sine peccato: ita difficile est in iudicio litigare sine peccato.

Quinto notant, quod in scripturis diuinis & sanctorum non solum dissuadentur illicita, sed etiam quædam licita, quæ implicant ad peccatum, sicut enim Christus perfectis, vtpote discipulis, dissuasit thesaurizare in terra *Matthæi sexto*, & tamen thesaurizare est licitum: sic etiam dissuasit cogitare de crastino, quod tamen non est illicitum reputandum, sic etiam habere diuitias, quia implicant ad peccatum, & plenæ sunt periculis, dissuadetur, hinc etiam Gregorius in Moralibus ait: *Solus iste in illicita non cadit, qui se à licitis cautè restringit.*

Sexto notant, quod licitum est Christianis, imo expediens, quamuis non toti communitati, se voto astringere ad non faciendum & non habendum illa, quæ implicant ad peccatum, sine quibus contingit vitam præsentem transigere, & officia necessaria exercere. Nam fugere occasiones peccandi est laudabile: & per consequens se astringere per votum ad fugiendum occasiones peccandi, sine quibus vitam contingit sustentare, & officia necessaria exercere, est laudabile reputandum.

Quod beatus Hieronymus contra Vigilantium, qui statum secularem statui religionis conabatur præferre, videtur asserere, quærens enim in persona Vigilantii hæretici, ait: *Cur pergis ad eremum?* & respondet dicens: *vt te non audiam, non videam, vt furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis, ne me forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus*

amplexus. Reſpondebis hic: Noli fugere, ſta in facie, aduerſarius armatus obſiſte, vt poſtquam viceris, coroneris, fateor imbecillitatem meam: nolo ſpe pugnare victoria, ne perdam aliquando victoriam, ſi fugero gladium, deuitaui: ſi ſtetero, aut vincendum mihi eſt aut cadendum. Quid neceſſe habeo certa dimittere, & etiam certare? nulla ſecuritas eſt vicino ſerpente dormire: poteſt fieri vt me non mordeat, & tamen poteſt fieri vt aliquando me mordeat. Quod de libidine diximus, referamus ad auaritiam, & omnia vitia quæ vitantur ſolitudine, & ideo vrbium frequentias declinamus, ne facere compellamur, quæ nos non tam natura cogit facere quam voluptas. Ex his verbis datur intelligi, quod licet intrare religionem, quæ ſine voto non accipitur, ad fugiendum occaſiones peccandi: & per conſequens licet Chriſtiano ſe voto aſtringere ad non faciendum, & non habendum illa, quæ implicant ad peccatum, quod de illis debet intelligi, ſine quibus contingit & humanam ſuſtentare naturam, & officia neceſſaria exercere.

Sunt enim aliqua, quæ implicant ad peccatum: ſicut bibere, comedere & dormire, & alia huiuſmodi, ſine quibus vita non ſuſtentatur humana, ſine etiam acquiſitione ſcientiæ non poteſt prædicator euangelicus prædicationis officium exercere: & tamen ſcientia quodammodo implicat ad peccatum, quia *ſcientia inflat*, teſte Apoſtolo.

Septimo notant, quod inter præcepta Chriſti, vel conſilia poſita in ſermone Domini in monte, quædam ſunt negatiua & quædam affirmatiua, negatiua ſunt: vt, *non reſiſtere malo: non contendere in iudicio: non repercutere: non theſauriZare in terra: non ſollicitari ſuperflue* de temporalibus: & huiuſmodi, quædam autem ſunt affirmatiua: vt, *dimittere pallium: præbere alteram maxillam*: & huiuſmodi.

Octauo notant: quod ad perfectionem ſpectat ſæpe velle vel deſiderare aliquid fugere: & tamen in caſu meritorium eſt illud ſuſcipere vel etiam exercere: ſicut perfectorum eſt velle, ſeu deſiderare fugere prælationes & eccleſiaſticas dignitates, & tamen in caſu tales dignitates ſuſcipere eſt meritorium & laudabile: ſicut per Auguſtinum, & Gregorium, quorum auctoritates ponuntur *octau. quæſtion. prim. capitul. in ſcripturis: & capit. qui epiſcopatum*, patet aperte. Prædicta ad propoſitum applicando dicunt iſti, quod Chriſtus illa quæ neceſſaria ſunt in prædictis præceptis, ſuaſit diſcipulis, in communi, in omni tempore, in operis executione ſeruare: quæ quæ tamen Apoſtolis impoſuit ſub præcepto, & ideo cum non contendere in iudicio, ſicut neceſſarium Apoſtolis impoſuit ſub præcepto, & aliis ſaltem aliquibus ſuaſit omni tempore dictum præceptum, ſcilicet non contendere in iudicio, in operis executione ſeruare. Illa vero, affirmatiua ſunt in dictis præceptis, ſcilicet percutienti in vna maxilla præbere alteram, dimittere pallium abſque violentia, cum angariante mille paſſus ire & alia duo, non impoſuit Apoſtolis ſub præcepto: nec ſuaſit aliis omni tempore ſeruare in executione operis, ſed ſecundum præparationem animi.

Ratio autem differentiæ eſt: quia velle omni tempore in executione operis pro temporalibus rebus non contendere in iudicio ad perfectionem ſpectat: & ideo ſub voto cadere poteſt: & per conſequens ſuaderi poteſt, dimittere autem cuique pallium abſque omni violentia ad perfectionem non ſpectat: imo ſæpe ad malitiam vel ſtultitiam pertinere dignoſcitur, gratis enim dimittere pallium rapienti ad malum finem fraternæ dilectioni repugnat, qua quis à peccato, ſi poteſt, debet alium reuocare, & ſimiliter eſt de aliis præceptis affirmatiuis, & ideo quantum ad iſta, ſeruanda eſt doctrina Auguſtini, qui, vt habetur in præallegato capitulo, *paratus*, ait: *Iſta præcepta ſunt magis ad præparationem cordis quam ad opus, quod in aperto fit, vt teneatur in ſecreto animi patientia cum beneuolentia, in manifeſto autem id fiat, quod eis videtur prodeſſe, quibus bene velle debemus.*

Nec talia affirmatiua reſpectu cuiuslibet ſub voto cadere debent. Non enim eſt licitum alicui vouere, quod omni volenti tunicam ſuam tollere, pallium libere dimittet eidem, quamuis ſub voto cadere poſſit, nunquam velle pro tunica contendere in iudicio, ſimiliter nullus debet vouere, quod quicunque angariauit eum mille paſſus, ibit cum eo alia duo: cum hoc poſſit vergere in detrimentum ſalutis, teſte Sapiente, qui ait Eccleſiaſtici octau. *cum audace non eas in via ne forte grauet mala ſua in te.* Talia autem ſemper ad præparationem cordis non quantum ad opus exterius ſunt ſeruanda. Non contendere autem in iudicio, licet in opere omni tempore ſeruare, & ſub voto cadere poteſt: & ideo Chriſtus hoc Apoſtolis impoſuit ſub præcepto quantum ad opus, & aliis nonnullis ſuaſit, & quod Chriſtus hoc impoſuerit Apoſtolis, quantum ad executionem operis oſtendunt iſti.

Quibus imponitur proprietatem & ius poſitiuum in rebus temporalibus non habere, neque in ſpeciali, neque in communi, quantum ad communitatem ſpecialem eiſdem imponitur, nec nomine proprio nec nomine ſuæ communitatis ſpecialis pro rebus temporalibus litigare: quia ſine iure proprio vel communi non poteſt quis pro temporalibus in iudicio litigare, ſed Chriſtus impoſuit Apoſtolis proprietatem & ius poſitiuum in temporalibus non habere, nec in ſpeciali neque in communi, quantum ad communitatem ſpecialem Apoſtolorum, ergo impoſuit eis prædicto modo pro temporalibus in iudicio minime contendere.

Secundo oſtendunt, quod aliis hoc idem ſuaſit. Primo ſic: Chriſtus ſuadens non contende-

tendere in iudicio, suasit illud quod est melius, sed nolle contendere in iudicio, est melius quam contendere, ergo hoc Christus quantum ad executionem operis, suasit.

Secundo sic: Christus per dictum præceptum dissuasit illud opus, quod vix sine peccato potest exerceri, sed contendere in iudicio vix potest exerceri sine peccato, ergo Christus dissuasit, quantum ad operis executionem contendere in iudicio, & per consequens suasit non contendere.

Tertio sic: Per dictum præceptum vel consilium dissuasit illud, quantum ad contentionem in iudicio quod implicat ad peccatum, licet non sit de se peccatum, sed actualiter quantum ad opus contendere in iudicio implicat ad peccatum, ergo Christus hoc dissuasit in prædicto consilio, & per consequens suasit non contendere in iudicio non solum quantum ad præparationem cordis, sed etiam quantum ad opus.

(Prebe illi & alteram) Licet hoc semper sit seruandum, quantum ad præparationem cordis, & non sit semper seruandum, quantum ad opus exterius: imo aliquando hoc seruare esset peccatum, & contra caritatem fraternam, puta si percutiens per correctionem fraternam posset corrigi de peccato commisso, & reuocari à peccato committendo. Et ita licet in opere exteriori hoc seruare sit quandoque illicitum: Tamen non repercutere semper est licitum. Et ideo licitum est nonnullis ad non repercutiendum se voto astringere: sed nulli est licitum, se voto astringere ad præbendam maxillam alteram percutienti, & ita inter negatiuum & affirmatiuum aperte differentia reperitur. *(Vade cum eo alia duo)* hoc etiam seruare in opere exteriori potest esse illicitum ex multis causis, quas longum esset enarrare, & ideo hoc nequaquam sub voto cadere potest *(qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium)* hoc est, non contendas pro tunica & dimitte pallium: & ita in dictis verbis aliquid insinuatur negatiue, & aliquid affirmatiue.

Negatiuum omni tempore seruare multis est licitum, & ideo licite sub voto cadere potest: & ita potest suaderi pro omni tempore, quantum ad operis executionem, sed secundum nulli pro omni tempore & in omni casu potest esse licitum, sicut ostensum est prius, & ideo sub voto cadere nequaquam debet respectu cuiuscunque personæ indifferenter, licet possit forte cadere sub voto in aliquo respectu illius, cui promitteret obedientiam per votum, *(secundum quod Augustinus dicit)* Augustinus intendit de affirmatiuis, non de negatiuis, sicut dictum est.

Cap. CXV.

ET *propter hoc Apostolus non simpliciter dixit prima ad Corinth. sext. quare non iniuriam accipitis? sed dixit:* Quare non magis iniuriam accipitis? *& quod hoc eis simpliciter non interdixit, patet ex eo, quod in præcedenti capitulo prima Corinth. quint. amplius reprehenderat Corinthios, qui erant negligentes in iudicio faciendo, dicens eis:* Nonne de his, qui intus sunt vos iudicatis? *Item in præallegato capitulo prima Corinth. sext. Apostolus Corinthios reprehendebat, quia coram infidelibus litigabant & iudicium subibant, dicens:* Audet *(id est præsumit)* aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum iudicari, *(id est iudicium subire)* apud iniquos & non apud sanctos, *id est fideles. Item ostendebat, quod hoc ad fideles pertinebat dicens:* Et si in vobis *(id est per vos)* iudicabitur mundus *(id est mundani)* indigni estis qui de minimis *(scilicet temporalibus)* iudicetis: *quasi dicat, non: quia qui maioribus, multo fortius minoribus est dignus, & sequitur:* Secularia igitur iudicia, si habueritis, contemptibiles qui sunt in ecclesia illos constituite ad iudicium, *hoc autem dicebat ipsis ironice, vnde subdit;* ad verecundiam vestram dico *(subaudi, quia curritis ad iudicia infidelium.)* Non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem & fratrem suum, sed frater cum fratre in iudicio contendit, & hoc apud infideles. *Deinde reprehendit eos, quia iniuste & fraudulenter fratres suos ad iudicium trahebant, dicens:* Iam quidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis inter vos, *scilicet fraudulenta & iniuriosa, vnde sequitur:* sed vos iniuriam facitis & fraudatis & hoc fratribus. *Et quod de fratribus, qui fraudulenter trahebant fratres ad iudicium, intellexerit Apostolus, patet, quia statim subiunxit:* An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt: *eos agere inique supponens. Vnde patet, quod Apostolus non interdixerit simpliciter Corinthiis conuersis ad fidem litigare: imo quod eis liceret ex multis, vt patet ex prædictis, ostendit, & ideo subiunxit:* Omnia mihi licent. Glossa: Omnia mea licet repetere mihi.

In parte ista iste impugnatus, qualiter intelligat verba Apostoli sæpe dicta de iudicio, manifestat dicens, quod Apostolus non simpliciter interdixit Corinthiis iudicia seu contendere in iudicio: sed interdixit eis tantummodo iudicia fraudulenta & iniuriosa. Vnde postea ostendit, quod eis non simpliciter interdixit iudicia, & hoc primo sic: qui reprehendit aliquos de non faciendo iudicium, non simpliciter interdicit eis iudicium, sed Apostolus reprehendit Corinthios de non faciendo iudicium, ergo, &c. Secundo sic: qui reprehendit aliquos, quod litigant coram infidelibus, ostendens, quod debent coram fidelibus litigare, non simpliciter interdicit eisdem litiga-

litigare, sed Apostolus reprehendit Corinthios, qui coram infidelibus litigabant, ostendens quod deberent coram fidelibus litigare, & iudices constituere sapientes: ergo, &c. Secundo ibi: *Deinde reprehendit*, ostendit quod Apostolus simpliciter interdixit Corinthiis iudicia fraudulenta & iniuriosa per illud; *iniqui regnum Dei non possidebunt*. Tertio ibi: *Et ideo subiunxit*, ostendit auctoritate Apostoli & Glossæ quod licet repetere sua.

Sed isti impugnatores dicunt eum errare, cum asserit, quod Apostolus solummodo interdixit Corinthiis iudicia, seu litigia fraudulenta & iniuriosa, & coram infidelibus: & quod alia iudicia minime reprehendit, nec alia dissuasit.

Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum, quod sicut diuitiarum possessio non solum reprehenditur, interdicitur, & dissuadetur, quando diuitiæ acquiruntur iniuste: sed etiam quando amore nimio diliguntur, dissuadentur etiam diuitiæ: quia ad inordinatum amorem implicant & peccata, sic in iudicio pro temporalibus litigare non solum reprehenditur & interdicitur, quando quis fraudulenter & iniuriose litigat in iudicio: sed etiam quando ex auaritia, vel alia mala radice proceditur, quamuis nihil in opere exteriori vel verbo secundum se illicitum committatur: licet opus exterius sit illo tempore malum, propter malitiam actus interioris, litigia vero licita non reprehenduntur, cum dissuadentur propter hoc, quia implicant ad peccata, & vix inueniuntur sine peccato. Ex hoc patet, quod erroneum est dicere, Apostolum non interdixisse simpliciter nisi iudicia fraudulenta & iniuriosa: quod probatur sic. Apostolus prim. ad Corinth. sexto. interdixit Corinthiis, & aliis omnia omnia litigia illicita & iniqua: propter quod dicit: *An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt*, quasi diceret determinate omnia iniqua iudicia: quia *iniqui regnum Dei non possidebunt*, sed multa sunt iniqua iudicia seu litigia, siue contentiones iniquæ & illicitæ, præter fraudulenta & iniuriosa, ergo non solum interdicit Apostolus simpliciter litigia fraudulenta & iniuriosa: sed etiam alia multa, quæ sunt iniqua, siue ex iniqua intentione, siue ex alia iniquitate quacunque.

Secundo dicunt ipsum errare, cum insinuat quod Apostolus licita litigia minime dissuasit, sed magis eos voluit litigare.

Quod enim hoc sit erroneum, probatur sic. Apostolus dissuasit omnia litigia, quæ implicant ad peccatum, sed litigia etiam licita implicant ad peccatum, teste Chrysostomo super Matthæum, qui ait: *Omne iudicium, irritatio cordis est, & malarum cogitationum radix. Nam si videris, quod causa fraudibus & pecuniis expugnetur, & tu similiter causa tua adesse festinas, etsi ab initio hoc consilium non habuisti.* Ex quibus euidenter habetur, quod litigium etiam in principio iustum & licitum irritatio cordis est & malarum cogitionum radix: & per consequens implicat ad peccatum, ergo tale iudicium Apostolus dissuadet.

Sed forte dices, quod secundum Chrysostomum, iudicium seu litigium tunc est irritatio cordis & malarum cogitationum radix, quando est ex alia parte fraudulentum.

Sed hoc non obstat: quia non solum tunc litigium est irritatio cordis & malarum cogitationum radix, quando est ex parte alia fraudulentum: sed etiam quando non est fraudulentum ex alia parte, sæpe enim est irritatio cordis, si iudex non potest aut non vult statim ad litigantis voluntatem proferre sententiam. Frequenter etiam est irritatio cordis ex sollicitudine, quam circa productionem instrumentorum & testium, & circa alia quæ iudiciarius ordo requirit, expedit adhibere, quare constat aperte, quod litigium etiam licitum non solum propter fraudulentiam aduersarii, sed etiam propter multa alia implicat ad peccatum.

Secundo sic: Apostolus dissuadet illa litigia, quæ discordias & odia pariunt, sed litigia etiam non fraudulenta discordias & odia pariunt, teste beato Remigio, qui super epistolam prim. ad Corinth. sext. ait: *Accusatio litem, lis discordiam, discordia odium generat*, ergo Apostolus etiam alia litigia quam fraudulenta dissuadet.

Tertio sic: Apostolus dissuadet omnia litigia, quæ dissuadentur à Christo, cum dicit Matthæi quinto, *qui vult tecum in iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, & Luc. sext. cum dicit: *qui aufert quæ tua sunt, ne repetas*, sed Christus in verbis prædictis dissuasit non solum litigia fraudulenta, sed etiam alia, teste Remigio, qui vbi prius ait: *ideo Apostolus dixit in veritate omnino delictum est in vobis, qui contra præceptum Domini agitis, qui dixit, si quis aufert quæ tua sunt ne repetas, & qui vobis pacem suam commendauit, quare non magis damnum sustinetis, vt præceptum Domini custodiatis?* Ex quibus verbis datur intelligi, quod Dominus dissuasit litigare pro rebus ad litigantem pertinentibus, & per consequens dissuasit non solum litigia fraudulenta, sed etiam alia, ergo Apostolus etiam alia dissuasit.

Quarto sic: Illi cui suadetur magis iniuriam suscipere, quam pro temporalibus litigare, dissuadetur litigium de se licitum, & non solum fraudulentum, sed Apostolus suadet magis iniuriam suscipere, quam pro temporalibus litigare, dicens: *quare non magis iniuriam accipitis?* quam scilicet pro temporalibus litigetis. Et quod hæc sit intentio Apostoli, aperte Glossa testatur ibidem dicens: *Non excuses quod hoc iuste agis: occurrit: Quare non magis iniuriam accipitis?* Ex quibus verbis datur intelligi, quod magis expedit iniuriam accipere, quam iustum litigium accipere, ergo Apostolus non solummodo litigia fraudulenta, sed etiam alia dissuadet.

Quin

Quinto ſic: Apoſtolus omnia illa litigia diſſuadet, quæ ſecundum veniam conceduntur infirmis. ſed litigare in iudicio pro rebus temporalibus non ſolum fraudulenter, ſed etiam abſque fraudulentia concedit infirmis. ergo apoſtolus non ſolum litigia fraudulenta, ſed etiam alia diſſuadet. Maior eſt manifeſta. Minor probatur auctoritate Auguſtini, qui ait Enchridion. c. 44. pertractans verba apoſtoli ſupraſcripta: *Nam & hic poſſet putari iudiciam habere aduerſus alterum non eſſe peccatum: ſed tantummodo ſi extra eccleſiam vellet iudicari, niſi ſecutus adiungeret. Iam quidem omnino delictum eſt, quia iudicia habetis vobiſcum & ne quis ita excuſaret & diceret, ſe iuſtum habere negocium, ſed iniquitatē pati, quā velit à ſe iudicii ſententia remoueri: continuo talib. cogitationib. vel excuſationib. occurrit atq; ait: Quare nō magis iniuriā accipitis? quare nō magis fraudē patimini? vt ad illud redeatur, ꝙ dominus ait: Si quis voluerit tunicā tuam tollere & in iudicio tecū contendere, dimitte ei & palliū. & alio loco: Qui abſtulerit, inquit, tua noli repetere. prohibuit itaque ſuos de ſecularibus cum aliis habere iudicium. Ex qua doctrina apoſtolus dicit eſſe delictum: tamen cum ſint in eccleſia talia iudicia finiri inter fratres fratribus iudicantibus extra eccleſiam terribiliter vetat. Manifeſtum eſt etiam quod hoc ſecundum veniam concedatur infirmis. Propter hoc atque huiuſmodi peccata & alia licet his minora oportet vt deuote crebroque oremus dominum atque dicamus, dimitte nobis debita noſtra.* Ex his euidenter apparet, quod contendere in iudicio etiam pro iuſto negocio infirmis conceditur. Sexto ſic: Apoſtolus diſſuaſit omnia litigia, quæ vix inueniuntur vel nunquam inueniuntur ſine peccato. ſed litigia etiam quando pro iuſto habentur negocio, vel vix vel nunquam ſine peccato inueniuntur. Hoc ex verbis Auguſtini prædictis colligitur manifeſte, cum dicit: *poſſet putari iudicium habere aduerſus alterum non eſſe peccatum.* & cum dicit. *ex qua doctrina apoſtolus dicit eſſe delictum,* ſcilicet litigare. & cum dicit, *propter hæc atque huiuſmodi peccata, &c.* quæ verba, Auguſtini debent intelligi, quod vix aut nunquam inuenitur litigium ſine peccato. ergo apoſtolus omnia litigia fraudulenta & non fraudulenta diſſuadet. Septimo arguunt ſic: Apoſtolus diſſuadet omnia illa litigia, quæ non licent perfectis. ſed nullum litigium in iudicio eſt licitum perfectis, teſte Gloſſa ſuper apoſtoli verba vbi prius, quæ ait: *Vt autem prædicta verba apoſtoli, in quibus dicit: peccatum eſſe iudicium habere contra fratres, ſane intelligantur, dicendum, quid in huiuſmodi liceat perfectis & quid non: & quid infirmis & quid non. Perfectis igitur licet repetere ſua ſimpliciter ſine cauſa, ſine lite, ſine iudicio: ſed non conuenit inde mouere cauſam ante iudicem. Infirmis vero licet repetere ſua mouendo cauſam ante iudicem & iudicium habendo contra fratrem: ſed non contentioſe vel fraudulenter: nec apud infideles iudices.* ergo omne litigium apoſtolus diſſuadet.

Sed forte obiiciet aliquis contra prædicta tripliciter. Primo, quia apoſtolus nullum iuſtum diſſuadet: quia omne iuſtum eſt bonum. nullum autem bonum eſt diſſuaſibile, ſed magis ſuaſibile. multa autem ſunt litigia iuſta. ergo non omnia litigia diſſuadet apoſtolus. Item, apoſtolus non diſſuadet illud, per quod conſeruatur bonum commune, & quod quæritur propter pacem. ſed per litigia conſeruatur bonum commune & quæruntur propter pacem. vnde & iudices dirimentes litigia pacem faciunt & conſeruant: ergo, &c. Item apoſtolus non aliter diſſuadet litigium quam matrimonium: & ſicut concedit matrimonium infirmis, ita & litigium. ſed apoſtolus non diſſuadet toti communitati fidelium matrimonium. ergo ſaltem non diſſuadet toti communitati litigium.

Ad primum iſtorum dicunt iſti, quod multa quæ iuſta ſunt, diſſuadentur quantum ad opus exterius propter meliora habenda: ſicut bona diſſuadentur propter meliora vnde & matrimoniū aliquo modo diſſuadetur inquantum virginitas, quæ eſt quid melius, ſuadetur: tamen iuſtum nec aliquod bonum eſt diſſuadendum quantum ad præparationem cordis, quod ſcilicet homo non eſſet paratus facere quodcunque bonum aut iuſtum, ſi hoc Deus præciperet.

Ad ſecundum dicunt, quod bene poteſt aliquid diſſuaderi: per quod tamen in caſu quaſi per accidens conſeruatur bonum commune & accquiritur. quemadmodum bella & arma bellica diſſuadendur, & tamen quandoq; per ea conſeruatur bonum commune & quæruntur propter pacem, ſecundum Auguſtinum, vt habetur 23. *q.* 1. *Noli æſtimare.* ſed hoc eſt propter iniquitatem multorum qui aliter ad bonum & pacem reuocari non poſſunt. ſic eſt de litigiis, quod propter iniquitatem multorum quandoque quæruntur, & nolle habere litigium debet eſſe voluntatis: ſed habere quandoque neceſsitatis, quemadmodum dicit Auguſtinus vbi prius: *Pacem habere voluntatis eſt bellum autem debet eſſe neceſsitatis.* ſic eſt ergo de litigiis, ſicut eſt de bello, quod ſicut melius eſſet omni bello carere quam bellum habere: & ideo bella diſſuadentur, & pax ſuadetur: & tamen in caſu aliquod bellum eſt iuſtum & meritorium: ita melius eſſet omni carere litigio quam habere, & tamen in caſu meritorium poteſt eſſe alicui habere iuſtum litigium. & propter hæc omnia litigia diſſuadentur, niſi adſit neceſsitas.

Ad tertiam dicunt, quod non eſt ſimile de matrimonio & litigio: quia matrimonium eſt abſolute pro ſtatu præſenti neceſſarium generi humano ad procreationem prolis ad cultum Dei: & ideo non debet toti commmunitati fidelium diſſuaderi. ſed litigium non eſt neceſſarium generi humano etiam pro ſtatu præſenti, ſicut nec bellum: & ideo toti communitati fidelium diſſuadetur, quamuis in caſu extremæ neceſsitatis poſſit aliquibus ſuaderi, ſicut & bellum.

[*Et propter hoc*] ſcilicet quia præceptum de non contendendo in iudicio non eſt ſeruandum in opere exteriori: ſed in præparatione cordis. [*Apoſtolus non ſimpliciter dixit prima ad Corinth.*

rinth. 6. quare non iniuriam accipitis: sed dixit, quare non magis iniuriam accipitis.] Dicunt isti, quod non propter rationem, quam iste assignat, non dixit vnum apostolus, sed aliud. Nam ideo non dixit: *Quare non iniuriam accipitis*: sed dixit, *quare non magis iniuriam accipitis*: quia noluit apostolus, quod proprietatem habentes semper in opere essent parati accipere iniuriam à quocunque. sed voluit quod magis & citius acciperent iniuriam, quàm in iudicio pro temporalibus litigarent, nisi ratio cogens non desiderium rehabendi vel defendendi sua eos ad litigandum vrgeret. Sicut princeps non semper debet esse paratus accipere iniuriam ab inimico, quia hoc bono communi penitus obuiaret: sed magis & citius debet accipere iniuriam, quàm bellare, contra volentem inferre iniuriam, nisi iusta necessitate bellare cogatur. Nam & sæpe nolle bellare in eo, cui bellare licet, esset peccatum. vnde Ambrosius, vt habetur *23. q. 3. ca. Fortitudo*, ait: *Fortitudo quæ bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est.* [*quod hoc eis non simpliciter interdixerit.*] hoc potest habere duplicem intellectum. vnus est, quod non simpliciter interdixit eis tanquam semper esset illicitum pro temporalibus litigare: & iste sensus verus est: sed secundum istum iste impugnatus verba illa nequaquam intellexit. Alius est, quod non interdixit eis, nisi solummodo litigia fraudulenta & iniuriosa, & nulla alia. & iste sensus falsus est, vt dicunt isti. [*Apostolus reprehenderat Corinthios, quia erant negligentes in iudicio faciendo.*] Istud non facit pro eo: quia ibidem non reprehendit Corinthios, quia minime litigabant, sed quia delinquentem corrigere negligebant. & ideo apostolus nunquam dissuasit Corinthiis constituere iudices ad vindictam malefactorum: sed dissuasit habere litigia coram iudicibus constitutis, quemadmodum in scripturis suadetur punire peccata malorum, & tamen peccata punienda scripturæ efficaciter dissuadent. [*Nonne de his qui intus sunt vos iudicatis.*] Hic non loquitur iudicandis, sed iudicantibus, & sæpe reprehenduntur iudicantes de negligentia iudicandi: & qui iudicantur reprehenduntur de hoc, quod eos iudicari oportet [*Apostolus Corinthios reprehendit: quia coram infidelibus litigabant: & iudicium subibant*]

Dicunt quod verba Apostoli de ista materia sane intelligenda sunt: quia reprehensibiles erant, qui trahentes fideles ad iudicium coram infidelibus litigabant: quia causæ fidelium inter se sopiri poterant per fideles. Illi vero, qui iudicium subibant infidelium ab infidelibus coacti minime reprehensibiles videbantur: cum apostolus subditos monuerit, dicens etiam infidelibus obedire. Illi etiam qui infideles contrahebant ad iudicium infidelium, ex iusta & vrgenti causa reprehensibiles non fuerunt. Nam & apostolus ad iudicium Cæsaris appellauit. [*Item ostendebat, quod hoc ad fideles pertinebat.*] scilicet litigantes pro temporalibus iudicare. sed ex hoc non sequitur, quod litigare pro temporalibus sit minime dissuasum: sicut non sequitur, ad iudicem iustum pertinet homicidas, & alios sceleratos debita pœna punire: ergo homicidia, & alia scelera non sunt illicita. [*Qui maioribus, multo fortius est minoribus dignus.*] Esto quod hæc sub aliquo sensu esset vera: tamen sæpe competunt alicui maiora, cui minora non competunt, neque decent ipsum: non propter indignitatem ipsius, sed propter dignitatem ipsius & indignitatem, seu vtilitatem minorum. Sicut decet regem portare purpuram, & non decet eum portare sordidas vestes. Decet etiam militem expugnare hostem: & non decet eum suspendere furem. Sic decent sæpe perfectos maiora, quos non decent minora. Vnde prædicare verbum Dei, consecrare episcopos, & dispensare ecclesiastica sacramenta & alia maiora decet summum pontificem: quem tamen non deceret in causa sanguinis, & rerum temporalium iudicare. & ideo non sequitur.

Aliquis debet in causa maiori iudicare. ergo debet iudicare in causa minori: quamuis quod non debeat iudicare in minori causa, non sit propter indignitatem, sed propter dignitatem ipsius. [*Secularia iudicia si habueritis contemptibiles qui sunt in ecclesia illos constituite ad iudicium.*] Si apostolus vocaret contemptibiles in ecclesia, homines insensatos. infames & criminosos: prædicta verba esse dicta ironice debent intelligi.

Non enim poterit esse de mente apostoli, quod velit vt Corinthii homines contemtibiles propter ineptitudines aut peccata eorum constituerit sibi iudices, quamuis essent in eccesia, hoc est inter Christianos qualitercunque numerandi. loqueretur ergo sic irronice, hoc est contrarium innuendo, vt scilicet tales non eligant.

Sed vocando contemptibiles in ecclesia homines inferioris virtutis & graduum, qui non sunt summi & supremi in ecclesia: sic serio dicta prædicta verba debent intelligi, quia quamdiu in ecclesia, quæ est congregatio fidelium, inueniri possunt inferiores bonos & sufficientes ratione bonitatis & discretionis ad iudicandum de temporalibus & de secularibus negotiis, non debent supremi in ecclesia, circa negocia secularia occupari: sed exemplo apostolorum, qui, vt habetur *Actuum. 6.* noluerunt derelinquere verbum Dei & ministrare mensis, sed orationi & ministerio verbi instare volebant, debent supremi in ecclesia orationi, prædicationi verbi, dispensationi sacramentorum ecclesiæ & aliis spiritualibus bonis instare, secularia iudicia secularibus relinquendo.

Et ista est sententia beati Gregorii, qui 19. libro Moralium pertractans prædicta verba apostoli ait: *Spiritualia dona non caperent si terrena eos negocia depressissent. longe ante præmisit dicens: contemptibiles qui sunt in ecclesia illos constituite ad iudicandum: ac si aperte diceret: qui minoris sunt meriti in ecclesia*

clesia & nullis magnorum bonorum virtutibus pollent, ipsi de terrenis negociis iudicent. Item per quos magna nequeunt bona suppleantur minora: quos & contemptibiles nominat, & tamen sapientes vocat, cum dicit sic: Non est sapiens quisquam inter vos, qui possit iudicare inter fratrem suum. qua ex re quid colligitur nisi vt hi terrenas causas examinarent, qui exteriorum rerum sapientiam perceperunt, qui autem spiritualibus donis ditati sunt profecto terrenis non debent negociis implicari, vt dum nõ coguntur inferiora bona disponere, valeant bonis superioribus deseruire. Ex his verbis datur intelligi, quod apostolus non vocat contemptibiles in ecclesia, viles, infames, & insensatos aut fatuos: sed vocat contemptibiles, sapientes, & in negociis secularibus peritos: qui & non viri spirituales, & supremi debent constitui iudices ad secularia litigia terminanda. Sed forte quis obiiciet dicens, quod sicut legitur in decretis *distinctione 39.* oportet episcopum secularium negociorum habere peritiam. quod B. Gregorius, vt habetur eadem *distinctione capitulo Petrus*, videtur asserere manifeste. Frustra autem quæreretur in episcopis secularium negociorum peritia, nisi ad eos pertineret circa negocia secularia implicari. Ad hoc dicunt isti, quod non pertinet ad episcopos circa secularia implicari, nisi necessitate cogente, vt inquantum possint caueant, ne circa secularia occupentur: necessitate tamen vrgente possunt & debent in casu pro communi vtilitate secularibus vacare negociis. Et ideo pro tali casu possibili oportet eos negociorum secularium habere solertiam, non quidem per longam experientiam, sed per quandam naturalem industriam, vt sint quodammodo natura prudentes. propter quod ait Carthaginense concilium, vt habetur distinctione 23. *Qui episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis*, hoc est docilis. Talis enim prudentia cum sacrarum noticia litterarum episcopo sufficit ad hoc quod dicatur secularium negociorum habere industriam. [*Ad iudicium.*] Sic habetur sub Bulla, iuxta quam scripsi verba constitutionis istius. textus tamen est, *ad iudicandum.* [*Ad verecudiam vestram dico, subaudi: quia curritis ad iudicia infidelium.*] Aliquando reprehendit eos, quia currebant ad iudicia infidelium. aliquando quia habebant iudicia fraudulenta. aliquando quia habebant iudicia alia illicita.

[*Non est inter vos sapiens quisquam qui posset iudicare inter fratrem & fratrem suum.*] Ex his verbis patet, quod apostolus volebat constitui iudices sapientes, qui possent volentibus litigare, siue fraudulenter, siue aliter iusticiam exhibere. Ex quo non potest concludi, quod non dissuasit pro temporalibus litigare: sicut nec ex hoc non dissuasit contendere. quia voluit constitui iudices sapientes, qui ita sopirent iudicia fraudulenta, sicut alia. [*Sed frater cum fratre in iudicio contendit.*] Hoc vt sæpe malum est ex parte actoris: licet aliquando sit sine peccato ex parte rei, si ad odium, discordiam, & fraudem minime prouocetur. [*Et hoc apud infideles.*] Hoc reprehensibile fuit in illo: qui alium ad iudicium infidelium protrahebat: & pro scandalo infidelium euitando debuit vel iniuriam sustinere, vel quærere apud fideles iustitiam.] *Deinde reprehendit eos qui iniuste & fraudulenter fratres suos, ad iudicium trahebant.*] Quod de hoc apostolus specialiter Corinthios reprehenderit, ex textu non habetur: quamuis generaliter reprehendendo litigia iniqua, sua reprehensio sit ad fraudulenta & iniusta litigia extendenda, nec ipse hoc sufficienter probat, sicut post apparebit. [*Iam quidem omnino delictum est in vobis quia iudicia habetis inter vos. scilicet fraudulenta & iniuriosa.*] Hæc Glossa ex textu apostoli trahi non potest. verba enim prædicta apostoli duplicem intellectum possunt habere. vnus est iste: *Iam omnino delictum est in vobis*, hoc est aliqui inter vos delinquunt fraudem & iniuriam extra iudicium faciendo. quare aliqui coram iudice conqueruntur, & hoc solet frequenter accidere, quod multi in iudicio conqueruntur de delicto ante iudicium commisso in ipsos. Alius intellectus est iste: *Iam quidem omnino delictum in vobis*, trahentibus alios ad iudicium: quia iudicia habetis inter vos. hoc est quia citius amore temporalium trahitis alios ad iudicium, quam velitis amore proximi pro eius scandalo deuitando, vel eius salute quærenda, damnum temporalium sustinere. & ideo quærit apostolus, *quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* quam vt iniuriantem ante iudicium. ad iudicium protrahatis: quasi dicat, ante deberetis pro salute proximi & perfectionis amore iniuriam accipere & fraudem pati, quam proximum delinquentem trahere ad iudicium. & ita in his verbis, *quare non magis, &c.* Apostolus non solum litigia illicita, sed etiam licita dissuadet: quando scilicet est licitum & expediens à licitis litigiis abstinere. Nam abstinere à litigiis illicitis necessitatis est. sed sæpe à licitis cessare litigiis supererogationis & perfectionis est: sicut à coitu illicito abstinere de necessitate salutis est à coitu vero licito abstinere nonnunquam ad perfectionem & supererogationem noscitur pertinere. quia igitur apostolus non tantum illa, quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam illa quæ supererogationis voluit suadere: non tantum ab illicitis, sed etiam à quibusdam licitis abstinere suasit & ita per consequens quædam licita litigia dissuasit. [*vnde sequitur: sed vos iniuriam facitis & fraudatis: & hoc fratribus.*] hic dimittit verba media apostoli, illa scilicet, *quare non magis iniuriam accipitis, &c.* Ex quibus verbis patet, quod apostolus intendebat suadere Chorinthiis, quod nonnunquam Corinthii perfectionis amore antea deberent iniuriam accipere & fraudem pati, quam in iudicio etiam absq; fraude & iniuria litigare] vnde cum dicit apostolus *sed vos iniuriam facitis, &c.* Principaliter loquitur illis, qui extra iudicium fraudem & iniuriam faciebant. quamuis etiam ad illos intenderit loqui, qui fraudem & iniuriam in iudicio facere molirentur. [*Et quod de talibus qui fraudulenter trahebant fratres ad iudicium intellexerit apostolus*] intellexit & de illis, si qui tales fuerunt, & etiam de aliis: imo aliqua verba intelle-

xit de licitè trahentibus alios ad iudicium. [*Patet quia statim subiunxit, an nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt.*] Ista verba sunt contra istum impugnatum. quia per hæc verba patet, quod apostolus intellexit de omnibus inique trahentibus alios ad iudicium. multi autem præter fraudulentos trahunt alios inique ad iudicium, sicut qui ex odio, rancore, superbia, inuidia, amore iniquo temporalium sine omni fraude trahunt alios ad iudicium, qui omnes iniqui sunt censendi, & regnum Dei minime possidebunt [*eos agere inique supponens*] alios supponit agere inique, licet sine fraude agant: alios supponit à perfectione deficere, qui amore temporalium in iudicio litigabant.

Et omnes apostolus instruit ad perfectionem exhortans, vt magis iniuriam accipiant & fraudem patiantur, quam pro temporalibus absque vrgente necessitate vel euidenti vtilitate speciali in iudicio litigare præsumant. [*vnde patet quod apostolus non interdixerit simpliciter Corinthiis conuersis ad fidem litigare*] verum est, quod non interdixit tanquam malum nec semper omnibus litigare. dissuasit tamen omnibus irregulariter litigare, nisi vrgente necessitate vel euidenti vtilitate specialiter cogantur. omnia autem litigia illicita, fraudulenta & iniuriosa, & alia qualitercunque illicita simpliciter interdixit. [*imo quòd eis liceret, &c.*] licet quidem aliquando, & tamen nonnulla licita litigia dissuasit; sicut sancti plures multis matrimonium dissuaserunt, & tamen matrimonium illis licitum existebat.

[*Omnia mihi licent. glossa: omnia mea licet repetere mihi.*] Dicunt isti, quod apostolus loquebatur ibidem in persona illorum, qui proprium possident: & verum est de illis, quod licet eis sua repetere, sine fraude & dolo & absque omni mala intentione: tamen cum hoc stat, quod sæpe non repetere res proprias ad perfectionem & supererogationem pertineat. & ideo non repetere res proprias, quamuis sit aliquando licitum, imo aliquando expediens, sicut matrimonium aliquando est expediens, & similiter comedere carnes & bibere vinum: tamen apostolus Corinthiis volens eos ad perfectionem inducere, non repetere propria persuadere conabatur.

CAP XLVI.

NEc per sacram scripturam patet, quod Christus seu apostoli secundum intellectum historicum semper seruauerunt prædicta præcepta. de Christo enim domino nostro legitur, Iohannis 14. quod cum vnus ex ministris pontificis dedisset ei alapam, non sibi præbuit aliam, sed dixit ei: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si bene, cur me cædis? *Item de beato Paulo legitur Actuum 22. quod cum tribunus eum iussisset flagellis cædi, & torqueri, & constrinxisset eum loris dixit astanti Centurioni Paulus:* Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis cædere: *quo audito tortus non fuit. Item Actuum 23 Cum princeps sacerdotum & seniorum præcepisset os Pauli percutere, Paulus dixit ad eum.* Percutiet te Deus, paries dealbate: & tu sedens diiudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti. *Item eodem capitulo legitur, quod Paulus, cum audisset à filio sororis suæ, quod plures ex Iudæis deuouerant se non manducaturos, neque bibituros, donec occiderent ipsum, misit nepotem suum ad Tribunum ad nunciandum sibi prædicta. & sic euasit, vt legitur.* 13. q. 3. ca. Maximianus. *Item cum Hierosolymis in manus Romanorum traditus fuisset: & Iudæis contradicentibus ipsum non expedirent, ad Cæsarem appellauit, vt legitur Actuum vltimo. Ex quibus satis liquet, quod non fuit intentio Saluatoris nostri prohibere fideles se in iudicio defendere & res suas, nisi quando hoc charitas suaderet. quare patet quod prædictus hereticus vt præuaricator legis diuinæ allegauerat supradicta capitula quæ non tangunt in aliquo nostras constitutiones prædictas.*

Hic iste probare molitur, quod auctoritates sumptæ ex *Matthæi quinto capitulo* debent intelligi de præparatione cordis, & non de opere exteriori, & innuit talem rationem. Christus & apostoli non semper seruauerunt dicta præcepta in opere exteriori. ergo nec semper in opere sunt seruanda.

Antecedens probat. Et primo, quod Christus non semper seruauit, per vnam auctoritatem. secundo quod beatus etiam Paulus non seruauit, per quatuor auctoritates: quæ omnes patent in litera.

Sed dicunt isti impugnatores, quod istæ auctoritates probant tantum, quod præcepta quædam affirmatiua data *Matthæi quinto capitulo* non semper obligant ad opus exterius: cuiusmodi est, percutienti corporaliter alteram partem vel eandem percutiendam offerre. sed non probant, quod istud præceptum negatiuum.

Non contendere in iudicio pro rebus temporalibus: non sit omni tempore ab aliquibus quantum ad opus seruandum: sicut nec probant, quod non repercutere corporaliter manu non sit ab aliquo omni tempore seruandum. & ita istæ auctoritates pro illo impugnato nihil faciunt: quia appellans non intendit asserere, quod omni tempore percutienti sit pars eadem vel alia percutienda corporaliter offerenda: sed intendit, quod ad perfectionem spectat, nunquam velle corporaliter repercutere: & similiter ad perfectionem spectat nunquam velle pro temporalibus in iudicio litigare.

Quod vt melius intelligatur, Dicunt esse sciendum, quod aliquid est tolerabile, imo

imo meritorium & laudabile in vno, quod in alio est demeritorium & damnabile & ideo licet in aliquo tolerabile sit imo aliquando laudabile pro temporalibus litigare: tamen in vouente nunquam velle pro temporalibus litigare est damnabile. & ideo Christus suadens dictam perfectionem, scilicet vouere nunquam velle pro temporalibus litigare, suadet, quod dictum suum consilium semper in opere exteriori seruetur. Et si dicas, quod Christus non loquitur ibi de aliquo voto. Respondent isti, quod quamuis vocaliter minime de voto loquatur, intentio tamen sua est perfectionem summam cuiuslibet veritatis in hac vita possibilem suadere. & ideo cum talia perfectiora sint cum voto quam sine voto: dictum consilium suum cum opere de voto debet intelligi: & ita suadere intendit & quod nullus pro temporalibus nisi necessitate vrgente, vel euidenti vtilitate spirituali cogente contendat; & quod illi, qui volunt viam perfectionis assumere ad nunquam pro temporalibus contendendum voto se astringant. & ideo dicunt, quod dictum Christi consilium non est ab omnibus omni tempore & omni casu seruandum in opere. sed à vouentibus perfectionem prædictam & nullam dispensationem rerum ecclesiasticarum habentibus, non tantum quantum ad præparationem cordis, sed etiam quantum ad opus, semper est seruandum.

[*Nec per scripturam sacram patet quod Christus seu apostoli secundum sensum hystoricum semper seruauerint præcepta prædicta.*] Verum est, quod non seruauerunt omnia præcepta prædicta nisi secundum præparationem cordis: sed aliqua seruauerunt secundum opus semper, aliqua secundum præparationem cordis. Christus enim nunquam repercussit, nec vnquam in iudicio pro temporalibus litigauit. similiter nec B. Paulus. Petrus vero percutiens reprehensus fuit à Christo, & post nunquã percussit. Constat igitur quod Christus & apostoli quædam illorum præceptorum semper seruauerunt: quædã vero nõ semper. Vñ de Christo dicit B. Petrus canonica sua 1. c. 2. *Cũ malediceretur nõ maledicebat: cum pateretur, non cõminabatur.* [*Non fuit intentio Saluatoris nostri, prohibere fideles, se defendere in iudicio & res suas.*] Multiplex est defensio personæ. vna est per rationẽ, & illam Saluator noster nulli fideli prohibuit pro omni tempore, tamen exempla dedit aliquo tempore tacere. Nam vt refertur Matth. 26. Princeps sacerdotum dixit Iesu: *Nihil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur: Iesus autem tacebat.* Alia est defensio personæ, quæ est violentiæ per vim repulsio. & taliter se defendere Saluator prohibuit alios fideles suos. s. apostolos suos & volentes vouere seu vouentes perfectionem huiusmodi. Non autem prohibuit omnes fideles se tali modo defendere. Defensio etiam rerum est multiplex: vna est, quæ est violentiæ per vim repulsio, & illam prohibuit Saluator quibusdam fidelibus, sed non omnibus. Alia est per litigium contentiosum in iudicio, & sic etiam prohibuit alios, & non omnes. multis tamen suadetur sic res suas nequaquam defendere, qui tamen à tali defensione nullatenus prohibentur. Alia est defensio per rationem extra iudicium per simplicem ammonitionem, ne res suæ quantum ad dominium vel vsum auferantur iniuste & tali modo defendere res suas siue quantum ad dominium siue quantum ad vsum, Christus nullos fideles prohibuit, licet iniũxerit non defendere etiam tali modo quantum ad præparationem cordis non quantum ad opus. [*quare patet quod prædictus hæreticus*] dicunt isti, quod ista sunt verba contumeliosa omni veritate nudata, & per præcedentia asserunt aperte patere.

CAP. XVII.

Cum ergo quæritur vtrum apostolis & discipulis ac eorum sequentibus pro rebus, quas habebant, licuerit & liceat litigare. videtur dicendum quod illis qui propria non habebant pro rebus aliquibus tanquam propriis non licuit litigare. Illis autem, qui habebant communia, pro illis vt pro communibus animo ipsa bona communia defendendi vel repetendi sine fraude & alicuius iniuria licuit litigare: præsertim illis, qui curam habebant illius communitatis, vel alii eorum mandato: nisi forsan ex hoc graue scandalum sequi posset. quo casu esset iudicium differendum vel omittendum ne tam scandalum posset sequi.

Post quam in parte præcedenti iste impugnatus improbauit assertionem appellantis circa quæstionem, qua quæritur: an apostolis licuerit pro rebus temporalibus litigare? hoc ad eandem quæstionem propriam ponit sententiam. & quia ipse in hac parte istam quæstionem etiam ad discipulos & sequentes apostolorum extendit, ideo hic tria molitur ostendere. Primo enim proponens quæstionem determinat, quod apostolis licuit tam pro temporalibus propriis quam pro communibus litigare. Secundo ostendit, quod religiosis pluribus licet pro temporalibus litigare. Tertio probat, quod episcopis pro rebus ecclesiarum suarum liceat litigare: secundum facit in parte immediate sequenti, ibi: *Et si diceretur.* tertium ibi: *Item quod prælatis.* Primo igitur extendens quæstionem etiam ad alios quam ad apostolos, dicit quod cum quæritur an apostolis & discipulis ac eorum sequacibus licuerit pro temporalibus litigare, videtur dicendum: quod illis qui propria non habebant, non licuerit tanquam pro propriis litigare: illis autem qui habebant communia licuerit tanquam pro communibus litigare. Per hanc assertionem vult asserere manifeste, quod apostolis pro rebus temporalibus tam tanquam pro propriis quam tanquam pro cõmunibus licuerit litigare. qui aliquando apostoli habuerunt res proprias quantum ad dominium. quia secundum istum post distributionem bonorum communium, de qua fit mentio Act. 2. & 4. quilibet apostolus fuit proprietarius & dominus portionis sibi assignatæ & ideo tunc potuit quilibet eorum pro rebus suis tanquam pro propriis litigare. Aliquando vero secundum

ipsum non habuerunt nisi communia: sicut illo tempore, de quo dicitur Act. 2. & 4. *& erant eis omnia communia*. & tunc licuit eis pro rebus tanquam pro communibus litigare. & ita omni tempore postquam fuerunt apostoli ad apostolatum assumpti licuit eis pro rebus temporalibus litigare: sed aliquando sicut pro rebus propriis, & aliquando sicut pro rebus communibus.

Sed isti impugnatores contra prædicta duo probare conantur. Primum est, quod apostolis non licuit pro rebus quibuscunque tanquam pro propriis litigare. Secundo, quod non licuit eis pro temporalibus tanquam pro communibus litigare. Primum probant primo sic. Apostoli postquam fuerunt ad apostolatum assumpti non habuerunt res proprias. sed qui non habet res proprias, non potest nec debet pro rebus tanquam pro propriis litigare etiam secundum istum. ergo apostolis non licuit pro temporalibus tanquam pro propriis litigare. maior in pluribus locis superius est probata: minorem iste concedit. Secundo sic. Apostolis postquam facti fuerunt prædicatores euangelicæ paupertatis nullo modo licuit facere illud, quod auditores poterat auertere ab euangelica paupertate: quia ad euangelicam paupertatem doctrina & exemplo suos debuerant inducere auditores. sed si litigassent pro temporalibus tanquam pro rebus propriis, exemplo suo auditores auertissent ab euangelica paupertate. Nam quodammodo naturale est auditoribus & inferioribus suos imitari magistros & prælatos. iuxta illud Sapientis Ecclesiastici 10. *secundum iudicem populi sicut & minister eius & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* ergo nullo modo licuit apostolis pro temporalibus tanquam pro propriis litigare. Quod autem apostoli, si litigassent pro temporalibus tanquam pro propriis exemplo auertissent alios ab euangelica paupertate, patet: quia ad euangelicam paupertatem pertinet abdicatio proprietatis omnium saltem in speciali, sicut superius probatum existit. sed constat quod a tali abdicatione alios suo auertissent exemplo. ergo auertissent auditores ab euangelica paupertate.

Sed forte dices, quod secundum hoc omnes episcopi habentes proprium & pro propriis litigantes suos subditos ab euangelica paupertate auerterent. Dicunt isti concedendo conclusionem, quod exemplo quodammodo auertunt eos ab euangelica paupertate: sicut exemplo auertunt eos a religionis ingressu, licet hoc non intendant. & ideo in hoc non peccant: quia faciunt quod licet eis, licet supererogationis esset in eis si a talibus abstinerent. Apostoli autem non solum obligabantur ad ea quæ necessitatis sunt: sed etiam ad ea quæ supererogationis sunt, maxime quantum ad illa quæ pertinent ab obedientiam, castitatem & paupertatem. & ideo ipsi peccassent, si exemplo suo auertissent ab euangelica paupertate.

Tertio sic: non minus perfecte seruabant apostoli præceptum & doctrinam Saluatoris de non contendendo in iudicio, quam modo seruant monachi alii religiosi. sed monachis & aliis religiosis non licet pro temporalibus tanquam pro rebus propriis in iudicio litigare. sicut per regulas eorundem & sacros canones liquido constat. ergo nec apostolis licuit pro temporalibus tanquam pro rebus propriis in iudicio litigare.

Secundo ostendunt, quod etiam apostolis non licuit pro temporalibus communibus in iudicio litigare. quod probant primo sic. Illis qui non debuerunt secularibus negociis prohibitis implicari, etiam non licuit pro temporalibus communibus litigare: cum litigare pro temporalibus sit inter negocia secularia prohibita computandum.

Nam & Maguntinense concilium, vt habetur *extra ne clerici vel monachi secularibus negociis se immisceant. c.* 1. enumerans negocia secularia inter alia ponit *contentiones, lites, rixas & inplacitis secularibus disputare.* sed apostolis non licuit negociis secularibus implicari. teste Apostolo, qui 2. ad Thym. 2. ait: *Nemo militans Deo implicat se negociis temporalibus.* ergo apostolis non licuit pro temporalibus communibus litigare.

Secundo sic: Illis qui non habuerunt dominium commune temporalium, non licuit pro temporalibus communibus litigare. sed apostoli non habuerunt commune dominium temporalium. Hoc prius multipliciter est ostensum. ergo apostolis non licuit pro temporalibus communibus litigare.

Tertio sic: Illud non licuit apostolis, quod secundum se implicat ad peccatum: & sine quo apostoli potuerunt vitam istam transire, & sua officia exercere. sed pro temporalibus communibus in iudicio litigare implicat ad peccatum: & sine tali litigio poterant vitam præsentem transigere & officia sua exercere. ergo non licuit apostolis pro communibus temporalibus in iudicio litigare.

Quarto sic: Illud non licuit apostolis, quod apud infideles, quos apostoli laborabant conuertere, suspitionem habuit cupiditatis: maxime si sine illo apostoli poterant conuenienter sustentari; & prædicationi ac spiritualibus bonis intendere, sed litigare pro communibus temporalibus apud infideles habuit suspitionem cupiditatis: quia nonnulli ita sunt cupidi bonorum communium, sicut propriorum: vel saltem constat quod respectu communium temporalium potest esse cupiditas, præsertim quando non possunt in proprio possidere. Sine litigio autem poterant apostoli suam sustentare naturam, ac prædicationi, & aliis spiritualib. bonis conuenienter insistere. ergo apostolis non licuit pro temporalibus communibus litigare.

Sed

Sed forte obiiciet aliquis: quod per primam rationem, & tertiam, ac quartam probaretur, quod prælatis ecclesiæ non liceret pro temporalibus communibus litigare, cum non debeant se negociis secularibus implicare, nec illa facere, quæ implicant ad peccatum, & debeant suspitionem cupiditatis auferre. Ad hoc dicunt isti, quod apostoli, qui erant primi fundatores ecclesiæ post Christum, ad maiorem supererogationis perfectionem obligati fuerunt quam prælati sequentes. & ideo multa non licuerunt apostolis, quæ tamen aliis prælatis modo licent. Ipsis enim non licuit portare pecuniam extra tempus necessitatis: quod tamen prælatis modo nullatenus interdictum existit, sicut non debuerunt portare calciamenta, quod tamen prælatis licet. Quinto sic arguunt isti: Paupertas Fratrum Minorum non est altior nec perfectior apostolica paupertate, cum ipsi paupertatem apostolicam imitentur. sed ex paupertatis altitudine, quam vouent Fratres Minores, ipsis non licet pro temporalibus etiam communibus in iudicio litigare: sicut ex rescriptis apostolicis, & decretalibus summorum pontificum patenter habetur. ergo multo fortius hoc non licebat apostolis. Dicunt igitur isti, quod apostolis, qui vitæ Christi, qui nunquam pro temporalibus litigauit, imitatores perfecti fuerunt, non licuit pro quibuscunque temporalibus litigare: quia litigare pro temporalibus, nec ipsis, nec suis auditoribus fuisset expediens: imo ad non litigandum pro quibuscunque temporalibus se voto astringere apostolis & aliis expediebat. per hoc enim ab impedimento prædicationis, orationis, & aliorum spiritualium se notabiliter abstrahebant: & se nullatenus pro temporalibus nec in speciali nec in communi veritatem euangelicam prædicare patentius ostendebant, seque perfecte confidere in diuina prouidentia declarabant. Nec apparet aliqua ratio cogens, quare potestatem pro temporalibus litigandi non debuerunt relinquere, sicut omnia temporalia relinquebant.

Si enim dixeris, quod propter vtilitatem fidelium, vt scil. temporalia fidelibus dispensanda, si auferrentur iniuste, recuperarent: vel si vendicarentur iniuste, retinerent, non debuerunt potestatem in iudicio litigandi relinquere: eadem facilitate tibi dicetur, quod debuerunt prædia, & possessiones, ciuitates & castra, aurum & argentum, ac alias diuitias congregare, vt eas fidelibus vtiliter dispensarent: & tamen pro vtilitate spirituali omnium dimiserunt: & ita etiam pro bono spirituali omnium potestatem litigandi in iudicio pro quibuscunque temporalibus abiecerunt.

[*Cum ergo quæritur, vtrum apostolis & discipulis & eorum sequacibus pro rebus quas habebant licuerit & liceat litigare.*] Ista est noua quæstio, quæ antea non fuit proposita. Quia quæstio prior fuit tantum de apostolis: Ista autem de apostolis & aliis. & ideo ad priorem, & ad istam non est eadem danda responsio. Nam ad priorem de apostolis tantum est respondendũ simpliciter negatiue. Ad istam autem respondendum est partim negatiue, & partim affirmatiue: quia apostolis & quibusdam discipulis & sequacibus non licet nec licuit in iudicio litigare: quibusdam vero discipulis licuit non solum pro propriis & communibus, sed etiam pro villis & ciuitatibus, imo pro regnis sibi & aliis principibus licuit litigare: quia omnes Christianos nomine discipuli comprehendit. & ideo hic proponitur quæstio de omnibus Christianis. [*Illis qui propria non habebant pro rebus aliquibus tanquam propriis non licuit litigare.*] Hic non respondet directe ad quæstionem de apostolis: indirecte tamen respondet insinuans per argumentum à contrario sensu, quod apostolis, ex quo aliquando etiam post missionem spiritus sancti propria habuerunt, licuit pro propriis litigare. [*Illis autem qui habebant communia pro illis vt pro communibus animo ipsa bona communia defendendi vel repetendi sine fraude, & alicuius iniuria licuit litigare.*] Hic etiam innuit rationem ad quæstionem de apostolis, quod scil. illis pro communibus licuit litigare illo tempore, quo habuerunt temporalia communia. quod fuit quando Iudæi conuersi ad prædicationem, Iudæi vendiderunt ea, quæ habebant, & posuerũt precia ante pedes apostolorum [*præsertim illis qui curam habent illius communitatis.*] Ex hoc vult, quod ad apostolos pro illo tempore, quo habuerunt cum aliis omnia communia præcipue pertinebat pro communibus litigare [*vel alii eorum mandato*] quia secundum eum per procuratores poterant litigare [*nec forsan ex hoc graue scandalum sequi posset*] tale posset esse scandalum, quod etiam non deberet quis pro propriis litigare.

CAP. LXVIII.

ET si diceret; vt dicit iste hæreticus, quod viris perfectis pro rebus religionum suarum esset prohibitum litigare, omnes religiosi, qui renuntiauerunt propriis, & habent in communi, vt sunt illi qui viuunt secundum regulam beati Augustini ac sancti Benedicti, ac qui omnium aliorum sanctorum Patrum diuersarum religionum fundatorum, qui habent in communi, in via damnationis exstiterunt bona communia in iudicio defendendo: qui tamen tenentur seruare, tueri & defendere bona illa. quod ex eo patet, quod Augustinus ad Bonifacium dixit: Maximus episcopus Vagien. auxilium petiit ab imperatore Christiano contra hæc, non tam sui vlciscendi causa quam tuendæ ecclesiæ sibi traditæ. quod si prætermisisset, non eius fuisset laudanda patientia, sed negligentia merito culpanda.

In ista parte probatur, quod pluribus religiosis licet pro temporalibus communibus litigare, imponens appellanti quod dicat non licere viris perfectis pro rebus religionum suarum litigare. quod probat primo ducendo ad inconueniens: quia si non liceret eis in iudicio litigare, omnes qui tenentur communia bona defendere, in statu damnationis existerent. Secundo ibi: *quod ex eo patet*, idem probare molitur auctoritate Augustini, quæ patet in litera.

Sed isti impugnatores dicunt conclusionem, quam hic probat, esse veram: sed dicunt quod reprobat appellantem non ad intentionem ipsius: quia non intendit appellans asserere, quod omnibus viris quomodocunq; perfectis sit prohibitum pro temporalibus in iudicio litigare, sicut nec quibuscunq; perfectis fuit prohibitum matrimonio vti: imo sicut multi fuerunt perfecti, qui matrimonio vsi fuerunt, ita multi fuerunt perfecti, qui pro temporalibus poterant litigare. sed intendit appellans, quod sicut qui sunt perfecti quadam perfectione supererogationis, quæ est per votum virginitatis vel continentiæ prohibentur vti matrimonio: ita qui sunt perfecti quadam perfectione supererogationis, quæ est per votum abdicationis proprietatis omnium in speciali etiam & in communi, quales fuerunt apostoli, prohibentur pro temporalibus quibuscunque in iudicio litigare. & ita dicunt, quod iste contra appellantem cauillose procedit, sicut hactenus consueuit. [*Quod viris perfectis pro rebus suarum religionum esset prohibitum litigare.*] hoc non dicit appellans de omnibus religiosis, sed de his tantum qui proprietatem omnium in speciali & in communi abdicarunt. [*Omnes religiosi qui renuntiauerunt propriis* &c.] hoc sequeretur, si appellans intellexisset de perfectis non vltima perfectione supererogationis; sed de illis minime intendebat, sed de aliis. [*Maximus episcopus Vagien.* &c.] licet cõclusio prius habita sit vera: ista tamen auctoritas Augustini non facit pro ipsa, nisi dicas quod iste Maximus episcopus fuerit episcopus & religiosus.

Cap. LXIX.

Item quod prælatis, quorum status reputatur perfectior aliis, & qui locum tenent apostolorum pro rebus suarum ecclesiarum litigare liceat, patet. Nicolaus enim papa præcepit Archiepiscopo Treuerensi & eiusdem ecclesiæ filiis, vt spirituali simul & materiali gladio tã diu occupatores possessionum & rerũ ipsius ecclesiæ insequerentur, eorumq; fautores, quousq; cum integritate possessiones & res aliæ ecclesiæ occupatæ fuerint reuocatæ. 16. q. 1. c. Auctoritate. *quod non fecisset, si hoc licitum non fuisset.* ad quod facit extra de sententia excommunicationis ca. dilecto, lib. 6. de restitutione spoliatorum c. cum olim. *Item in concilio Gangrensi statutum fuit, quod si quis oblata Deo dederit vel acceperit præter episcopi consensum, qui ab eo institutus est, & qui dat & qui accipit anathema sit. & sequitur: Iniquum enim censemus, vt potius custodes cartarum, quam defensores rerum creditarum, vt præceptum est, iudicemur,* 16. q. 1. c. In canonibus. *Innocentius quoq; tertius hoc, scil. quod renunciantibus propriis & habentibus in communi pro communibus liceat litigare, expresse determinasse videtur* extra de iudiciis ca. Cum deputati.

Hic probat, quod episcopis etiam pro rebus ecclesiarum suarum liceat litigare: ad quod quinque auctoritates adducit. Sed dicunt isti impugnatores, quod prælatis ecclesiæ non solum pro rebus ecclesiarum suarum, sed etiam pro rebus propriis, imo pro villis & ciuitatibus propriis est licitum litigare. & ideo quamuis nonnullæ auctoritates adductæ ad istam conclusionem non faciant, nec valet arguere: Prælati tenent locum apostolorum, & prælatis pro temporalibus litigare licet. ergo & apostolis licuit pro temporalibus litigare. Nam licet prælati quantum ad aliquid teneant locum apostolorum. s. quantum ad iurisdictionem spiritualem & prædicationem euangelii & dispensationem sacramentorum: non tamen quantum ad omnia tenent locum apostolorũ. imo nonnulla licent prælatis, q̃ apostolis non licebant. licuit enim episcopis habere vxores, quia quod episcopi non habeant vxores, nõ est ex statu episcopali, cum episcopi habeant vxores in ecclesia orientali, sed est ex ordinatione ecclesiæ, & spontaneo episcoporum cõsensu in ecclesia occidentali: & ita quantum ad castitatem episcopi nõ succedunt apostolis: nec etiam succedunt eisdem quantum ad abdicationem temporalium. & ideo tale argumentum: hoc licet episcopis, ergo licebat apostolis: sophisticum est censendum.

[*Prælati quorum status reputatur perfectior aliis*] quantum ad aliqua, non quantum ad omnia. [*qui locum tenent apostolorum*] quantum ad aliqua, non quantum ad omnia, eo quod multa licent episcopis, quæ non licuerũt apostolis. Nam apostolis non erat licitum occupatores possessionum ecclesiarum insequi gladio materiali. [*quod non fecisset si hoc licitum non fuisset*] melius dixisset & securius, quod vniuersalis ecclesia minime approbasset, si licitum non fuisset. Papa enim potest illicita perpetrare. Nam multos Papas constat scelera immanissima commisisse, sicut hæreses prædicasse, fauisse hæreticis, diabolo fecisse homagium, catholicos impugnasse, homicidia perpetrasse, idolis immolasse, inuasisse papatum, fornicationes, adulteria, rapinas, & alia flagitia peregisse.

[*cum deputati*] illud capitulum non loquitur de episcopis, sed de Templariis: & ita pro religiosis adduci debuit. sic est de quibusdam aliis capitulis, quæ adducit.

TERTIA PARS PRINCIPALIS OPERIS NONAGINTA DIERVM.

CAP. CXX.

ADhuc iste hæreticus constitutionem quia quorundam *repugnare nititur, dicens quod de clauibus ecclesia male docere videtur, quia in dubium reuocat siue negat, clauem scientiæ ecclesiæ catholicæ fore clauem. Cum enim in dubium reuocet, vtrum scientia clauis ecclesiæ sit censenda: & super hoc opiniones contrarias & diuersas recitet in partem istam, quod scientia non sit clauis in ecclesia declinare videtur: cum dicat, quod Saluator noster in promissione clauium facta beato Petro hoc sensisse videatur expressè cum immediatè post illam promissionem subiunxerit,* quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis *&c. nulla de scientia habita mentione. qui sacræ scripturæ & sanctorum ecclesiæ scientiæ & doctrinæ ecclesiæ catholicæ, vt dicit iste hæreticus, contradicunt. Ad quod inducit quod legitur Luc. 11. vbi Saluator noster sic dixit:* Ve vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & illos qui introibant prohibuistis. *Ex quo patet, vt dicit, quod clauis scientiæ est vna clauis ecclesiæ à claue potentiæ separata.*

Ista est tertia pars principalis totius tractatus istius constitutionis, in qua postquam iste impugnatus respondit ad obiectiones appellantis contra constitutionem *Ad conditorem* & contra constitutionem, *Cum inter*: Nunc respondet ad obiectiones eiusdem appellantis contra constitutionem, *quia quorundam.* & diuiditur in duas partes, secundum quod ad obiectiones contra duas assertiones eiusdem constitutionis, *quia quorundam*, nititur respondere. Secunda pars incipit ibi: *Item impugnat adhuc.* Prima diuiditur: quia primo recitat obiectionem appellantis. secundo respondet eidem in parte immediatè sequenti, ibi, *profectò.* dicit ergo primo, quod appellans ipsum impugnare molitur, quia non ponit scientiam aliquo modo esse clauem ecclesiæ, quod diuinæ scripturæ repugnat; cum Christus dicat Lucæ 11. *Ve vobis legisperitis qui tulistis clauem scientiæ.*

Sed dicunt isti impugnatores, quod truncatè recitat obiectiones appellantis: quia post dictam allegationem de *Luc. 11.* sumptam, appellans immediatè subiunxit. *Et Rabanus exponens illud Matth. Et tibi dabo claues regni cælorum, dicit sic: clauem autem regni cælorum ipsam discretionem & potentiam nominat. potentiam quâ liget vel soluat discretionem, quâ dignos vel indignos discernat. hæc Rabanus. & in decretis 20. di. dicitur sic: In negotiis diffiniendis non solum necessaria est scientia, sed etiam potestas. Vnde Christus dicturus Petro: quæcunque ligaueris &c. Prius sibi dedit claues regni cælorum. in altera dans ei scientiam discernendi inter lepram & lepram. in altera dans sibi potestatem eiiciendi alios ab ecclesia vel recipiendi.* hæc ibi. Ex quibus clarè patet, quod clauis scientiæ est vna clauis distincta à claui potentiæ. & contrarium dicere scripturæ diuinæ & ecclesiæ catholicæ obuiat manifestè. & de hac materia in dicta appellatione prolixa clarius continetur. Ex his patet apertè, quod iste impugnatus aliquas obiectiones appellantis omittit, ad quas non respondet: quia dicunt, quod respondere non potest, quæ autem sit intentio appellantis, in sequenti capitulo apparebit.

[*Repugnare nititur*] ita continetur sub Bulla; artificiosius tamen dixisset, *impugnare nititur.* [*In dubium reuocat siue negat clauem scientiæ ecclesiæ catholicæ fore clauem*] non solù reuocat sive negat scientiam fore clauem distinctam realiter à claue potentiæ: Sed etiam negat, quod est clauis distincta vel non distincta: & in hoc errat apertè. [*Cum enim in dubium reuocet vtrum scientia clauis ecclesiæ sit censenda*] quia non solum reuocat in dubium: An scientia sit clauis distincta realiter à claui potentiæ: sed etiam an sit clauis. [*nulla de scientia habita mentione*] vocali: sicut nec de claue potentiæ mentio fit ibi vocalis, sed fit ibi mentio vocalis de actu ligandi & soluendi: de scientia autem & potentia sententialiter fit mentio. qa ad hoc quod aliquis ritè liget & soluat, oportet quod habeat & scientiam & potentiam. [*Ex quo patet vt dicit quod clauis scientiæ est vna clauis ecclesiæ à claue potentiæ separata.*] Hic malè recitat appellantem, & sibi falsum imponit, quia nusquam dixit, quod clauis scientiæ est vna clauis à claue potentiæ separata, licet dicat, quod est à claue potentiæ distincta. Non omne autem distinctú ab aliquo est separatum ab eodem. Anima enim distincta est à corpore, etiam existens in corpore: & tñ anima tunc non est à corpore separata. Persona etiam filii distincta est à persona patris, secundum catholicam veritatem (licet iste impugnatus publicè prædicauerit oppositum, sicut fertur) & tamen persona filii non est à patre separata, quia filius est in patre & pater in filio. Accidens etiam est distinctum à substantia in qua est: & tamen non est à substantia separatum. sic dicunt isti, quod secundum appellantem clauis scientiæ est aliquo modo distincta à claue potentiæ vel secundum rem, vel secundum rationem, vel secundum nomé, quia aliud connotat effectum, vel quocunque alio modo: non tamen est à claue potentiæ separata.

CAP. LXXI.

PRofectò patet quod eius malitia adeo istum hæreticum excæcauit, quod ad veritatem aliquam nequit erigere intellectum. dicat nobis iste hæreticus, quibus loquebatur Saluator in verbis prædictis. profectò negare non potest, quin loqueretur Pharisæis & legisperitis, quia hoc iste textus dicit expressè: quibus tamen claues ecclesiæ traditæ quouis tempore non fuerunt. Vnde patet quod non intellexit loqui de clauibus ecclesiæ

dominus

dominus in verbis prædictis attendat adhuc iste hæreticus verba Saluatoris nostri. Dixit enim, Væ vobis legisperitis qui tulistis clauem scientiæ. *clauem dixit scientiæ, non dixit clauem regni cœlorum de quibus clauibus, cum de clauibus ecclesiæ loquimur, est intelligendum. Illas enim Petro à Christo promissas legimus, & non scientiæ clauē, vt patet Matth. 16. vbi dominus Petro sic dixit*: Ego dico tibi, quod tu es Petrus: & super hanc petram ædificaui ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum. *De clauibus autem istis regni cœlorum Aug. primo de doctrina Christiana sic dicit*: Has claues dedit ecclesiæ suæ vt quæ solueret in terra soluta essent in cœlis: & q̄ ligaret in terra ligata essent in cœlis. *hoc etiam Saluator dixisse videtur expresse ibidem, sicut cōstitutio prædicta*, quia quorundam, *dixit quia immediate post verba illa tibi dabo claues regni cœlorum, subiunxit*, quodcunq; ligaueris super terrā, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram erit solutum & in cœlis. *Et si quæratur, quæ sit clauis scientiæ, de qua dominus loquitur Luc. 11. Respondet Glossa, quod clauis scientiæ diuina est Christi humilitas, quam qui habet, habet apertum ostium ad intelligendum scripturam. hanc Pharisæi & legisperiti contempserunt, nec ipsi eam in lege & prophetis voluerunt intelligere, nec ab aliis intelligi permiserunt. Item clauis scientiæ potest dici fides, secundum illud. Esa. 7.* Nisi credideritis non intelligetis. *Hanc clauem scientiæ, sc. Christi fidem, pharisæi & legisperiti suis prauis expositionibus, de lege & prophetarum dictis abstulerant quantum in eis fuit, sicut & iste hæreticus, vt patet, nititur auferre. Hanc clauem. (sc. fidem:) habebat Petrus, antequam dominus sibi permitteret regni cœlorum claues, vt patet in præallegato capit. Matth. 16. Cum enim dominus apostolos interrogasset, quem dicebant homines esse filium hominis. & post modum diceret eis*, vos autem quem me esse dicitis? *Respondens Petrus dixit*; tu es Christus filius Dei viui. *Et sic patet, quod hanc clauem. sc. fidei, Petrus habebat ante promissionem prædictam. habebat etiam humilitatem: alius Deus pater hæc non reuelasset ei, qui talia reuelare paruulis i. e. humilibus consueuit, iuxta illud Matth. capit. 2.* confiteor tibi pater, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. *& iuxta illud Psalmista*: scientiam dat paruulis. *& quod pater Petro reuelauit responsionem prædictam, hoc immediate subiunxit dominus noster, qui immediate post responsionem eiusdem Petri, eidem Petro sic dixit: Beatus es Symon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est.*

In parte ista iste impugnatus ad præmissam obiectionem appellantis nititur respondere: dicens quod Christus in verbis præmissis non loquitur de clauibus ecclesiæ: & per consequens illa verba nihil faciunt pro appellante. quod autem ibi non loquatur de clauibus ecclesiæ, probat primo sic. Dominus loquitur ibi Phariseis & scribis: sed illis nullo tempore datæ fuerunt claues ecclesiæ. ergo non loquitur ibi de claue ecclesiæ. Secundo ibi *attendat adhuc*, probat idem secundo sic: Dominus in verbis præmissis loquitur de claue scientiæ, non de clauibus regni cœlorum. sed claues ecclesiæ sunt claues regni cœlorum. ergo non loquitur de clauibus ecclesiæ. Quod claues ecclesiæ sint claues regni cœlorum, probat dupliciter. Primo, quia claues ecclesiæ sunt illæ, quas dominus promisit Petro & successoribus eius. sed Christus promisit Petro & successoribus eius claues regni cœlorum, sicut patet *Matth. 16.* ergo &c. Secundo probat idem auctoritate Augustini, primo de doctrina Christiana, ibi; *& hoc etiam vt dicit.* Tertio ibi, *& si quæratur*, probat eandem quæstionem. Tertio sic: Clauis scientiæ, de qua loquitur dominus *Lucæ 11.* est Christi humilitas & fides Christi: quarum vtramque Pharisæi minime habuerunt. sed Petrus habuit vtramque, antequam dominus promitteret sibi claues regni cœlorum. ergo Petrus habuit clauem scientiæ antequam haberet claues regni cœlorum: & per consequens antequam haberet claues ecclesiæ. ergo clauis scientiæ non est clauis ecclesiæ: nec clauis regni cœlorum.

Sed dicunt isti, quod hic versute procedit. cernens enim se non posse conclusionem suam defendere, patentes obiectiones omittens, vnam, quæ non est ita aperta, nititur impedire. Vnde isti contra ipsam duo faciunt. Primo enim conantur ostendere, quod erroneum est dicere, q̄ clauis scientiæ nullomodo est clauis ecclesiæ seu regni cœlorum. Secundo declarare conantur, quomodo membrum, quod impedire molitur, in suo robore perseuerat. Ad euidentiam primi dicunt esse sciendum, quod licet circa clauem scientiæ an esset ꝓprie clauis, videantur fuisse opiniones contrariæ: oēs tamen Doctores concordant in hoc, quod inter claues ecclesiæ seu regni cœlorum est clauis scientiæ aliquomodo ponenda, vel tanquam alia. Vnde Glossa *dist. 20.* super verbo *claues*, quærit sic: *qualiter dicitur scientia esse clauis, cum aliquis possit habere scientiam, qui non habet clauem: & econtra? sed dic quod licet scientia prius non fuisset clauis, antequam haberet ordinem: tamen post ordinem incipit esse clauis. Si tamen quæras, quid propriè sit clauis sacerdotalis? dico ipsam potestatem sacerdotalem, per quam ligat & soluit.* Ex his verbis videtur, quod secundum opinionem Glossatoris scientia nō est propriè clauis; & tamen ipse idem ponit scientiam aliquomodo esse clauem; & constat quod loquitur de clauibus ecclesiæ. ergo clauem scientiæ reputat inter claues ecclesiæ computandam; licet, vt videtur non reputet eam proprie clauem. Hoc viso probant isti, quod clauis scientiæ est aliquomodo inter claues regni cœlorum, quæ sunt claues ecclesiæ, numeranda. quod probant tali ratione. Illa scientia, quæ de non claue fit clauis in collatione sacerdotii, est aliquomodo clauis regni cœlorum; quia per collationem sacerdotii, non conferuntur aliæ claues, quam claues regni cœlorum. sed scientia præcedens sacerdotium in collatione sacerdotii de non claue fit clauis. ergo scientia postquam facta est clauis, debet clauis regni cœlorum aliquomodo vocari. Maior est manifesta. minorem ponit Glossa prædicta; quam etiam asserit Magister sententiarum *libr. 4. dist. 19.* dicens: *qui vero ante sacerdotium scientia discernendi præditi sunt, licet habeant discretionem, non tamen in eis clauis est:*

quia

quia non valet ea claudere vel aperire. Ideoq; cum promouetur in sacerdotem, clauem discretionis recte dicetur accipere: quia & ante habita discretio augetur, ac fit in eo clauis, vt ea iam valeat vti ad claudendum vel aperiendum. Ex his aperte colligitur, quod nonnunquam discretio siue scientia in collatione sacerdotii de non claue fit clauis. ergo clauis regni cœlorum debet aliquomodo vocari. Secundo sic arguunt: Illa clauis debet aliquomodo clauis regni cœlorum censeri, qua habens claues regni cœlorum vtitur ad claudendum vel aperiendum. sed habens claues regni cœlorum vtitur claue scientiæ seu discretionis ad claudendum vel aperiendum, teste Magistro sententiarum in verbis superius recitatis. quod etiam asserere est discernere, soluere manifestat. *dist.* 18. qui loquens de clauibus regni cœlorum ait: *Vsus vero harum clauium modo est discernere scil. ligandos & soluendos, ac deinde ligare & soluere.* ergo clauis scientiæ debet aliquomodo clauis regni cœlorum haberi; quod Magister Sententiarum vbi prius tenet aperte, dicens: *claues ista* (scil. quas dominus tradidit Petro & successoribus eius) *sunt non corporales, sed spirituales. sc. discernendi scientia & potentia iudicādi.* vnde & idem concedit, quod alteram clauium non omnes habent sacerdotes sicut patet in eodem *libr. dist.* 19.

Secundo isti impugnatores satagunt declarare, quod medium, quod iste nititur impedire, in suo robore perseuerat. Ad cuius intentionem dicunt esse sciendum, quod in omni facultate sæpe arguitur per locum à minori, per illam regulā: *Si illud quod minus inesse videtur insit & illud quod magis.* Ex illo ad propositum dicunt, quod appellans non intendit per illam obiectionem asserere, ꝙ illa clauis scientiæ, de qua loquitur Christus *Luca* 11. sit clauis regni cœlorum, vna scil. de illis, quas dominus dedit Petro: sed intendit arguere per locū à minori, quod si scientia, quam acceperunt Pharisæi & Scribæ, ipsa veritate testante, potest vocari clauis: multo magis & scientia quæ requiritur ad aperiendum vel claudendum regnum cœlorum in sacerdotibus potest vocari clauis. & si potest in illis vocari clauis, cum sit ita ad vltimū vsum clauis regni cœlorum ipsa poterit appellari non solummodo clauis, sed etiam clauis regni cœlorum, & etiam clauis ecclesiæ. & ita stat argumentum, quod si dominus *Luca* 11. scientiam Scribarum & Pharisæorum vocauit clauem, multo fortius scientia sacerdotum, quæ est necessaria eis in soluendo & ligando, potest vocari clauis regni cœlorum.

[*Eius malicia* &c.] Ista sunt verba contumeliosa, quæ ad rem non pertinent. Nam per talia verba cuilibet etiam insipienti facile erit Doctorē quemlibet solennem & egregium reprobare. [*quibus tamen claues ecclesia tradita quouis tempore non fuerunt.*] hoc concedit appellans. Ex hoc tamen, quod Christus vocauit scientiam eorum clauem, concludi potest, ꝙ scientia sacerdotum potest vocari clauis regni cœlorum. [*Patet quod non intendit loqui de clauibus ecclesia dominus.*] hoc conceditur: ex hoc tamen, ꝙ vocauit illam scientiæ clauem, potest concludi propositum appellantis. [*clauē dixit scientia, non dixit clauem regni cœlorum*] conceditur, ex hoc tamen, quod dicit clauē scientiæ, concluditur aliud: quia ad argumentationem spectat concludere vnum ex alio.] *Illas enim Petro à Christo promissas legimus & non scientia clauem.*] Istius clausulæ pars affirmatiua vera est, sed semper negatiua est falsa. Ad cuius intellectum dicunt esse sciendum, quod clauis scientiæ dupliciter accipitur. vno modo pro scientia, quæ est necessaria quilibet sacerdoti in soluendo & ligando. Aliter accipitur pro auctoritate siue potestate discernendi inter lepram & lepram. & vtramq; promisit implicite Christus Petro cum dixit: *Tibi dabo claues regni cœlorum.* Promisit enim sibi claues scientiæ. Primo modo, inquantum promisit quod etiam scientia, quam tunc habebat, fieret clauis, q̄ tunc nō erat clauis. Secundam ēt sibi ꝓmisit: quia illam erat totaliter nouiter accepturus à Christo, quando recepturus erat potestatem ligandi & soluendi. Sed dicit iste impugnatus: ꝙ claues, de quib. agitur, in collatione sacerdotalis ordinis conferuntur. Constat enim ꝙ ordinato in sacerdotē scientia cōmuniter non confertur. ergo scientia nō est clauis. Ad hoc respondet Magister Sententiarū *lib.* 4. *dist.* 19. dicens, quód altera istarū clauium non semper cōfertur in collatione Ordinis sacerdotalis. Vnde dicit sic: *Alteram clauium i. e. scientiam discernendi, non omnes habent sacerdotes: vnde dolendum est, atq; lugendum. Multi enim licet indiscreti, atq; scientia qua eminere debet sacerdos, exortes, sacerdotii gradum recipere præsumunt, vita & scientia eo indigni: qui nec ante sacerdotium, nec post, scientiam habent discernendi, qui ligandi sunt vel soluendi. ideoq; illam clauem in consecratione nō recipiunt, quia semper scientia carent.* Ex his habetur aperte, quod vnam clauem non semper in consecratione recipiunt sacerdotes: nec habent omnes, postquam fuerint consecrati. Potest tamen dici secundum istos, quod omnis sacerdos in consecratione sua recipit claues scil. potestatem discernendi, & etiam potestatem ligandi & soluendi. Sed tunc oporteret concedere, ꝙ aliquomodo essent tres claues ponendæ sc. scientia, quā non habent omnes sacerdotes, & aliæ duæ quas habent omnes. & dicunt quidam, quod hoc non derogat scripturæ diuinæ: q̄a de numero clauiū an sint tres vel duæ, aut plures, nihil reperitur explicite in scriptura diuina. [*De clauibus autē istis regni cœlorum Augustinus primo de doctrina Christiana sic dicit. Has claues dedit ecclesia vt qua soluerent in terra soluta essent in cœlis* &c.] Ista auctoritas non concludit in aliquo, quod scientia non sit clauis. [*Hoc etiam Saluator* &c.] Verba Saluatoris non faciunt ad hoc, quod scientia non sit aliquomodo clauis.

[*Et si quæratur, qua sit clauis scientia, de qua dominus loquitur Luca* 11. *Respondet Glossa quod clauis scientia diuina est Christi humilitas.*] Hoc concedi potest sub bono intellectu: tamen principaliter dominus *Luc.* 11. loquebatur de claue scientiæ. q̄ est sciētia legis diuinę q̄ acceperāt legisperiti iuxta illud Saluatoris Matth. 23. *super cathedram Moysi sederunt scriba & Pharisæi. omnia ergo quæcunque*

dixerit

dixerit vobis, facite & seruate. & iuxta illud apostoli ad Rom. 2. *Si autem tu Iudaeus cognominaris, & requiescis in lege, gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius* &c. Tamen humilitas Christi potest vocari clauis: quia secundum Salomonem, *vbi humilitas ibi & sapientia.* Omnis autem sapientia clauis, potest aliquomodo vocari. [*Hanc scil. humilitatem Christi pharisaei & legisperiti contempserunt.*] Nec ipsam habuerunt: & tamen receperunt clauem scientiae, licet non ad vtilitatem suam. [*Item clauis scientiae potest dici fides.*] Hoc concedi potest: cum hoc tamen stat, quod etiam scientia, quam acceperant legisperiti, potest vocari clauis scientiae. & illam vocauit Dominus clauem scientiae. [*abstulerant quantum in eis fuit.*] Hoc etiam concedi potest, cum quo tamen stat, quod clauem scientiae quae est noticia literalis legis diuinae, habuerant. Ex praedictis autem inferunt isti, quod licet Dominus *Luc.* 11. principaliter locutus fuerit de claue scientiae quae non est clauis regni coelorum: tamen secundum expositionem istius posset dici, quod ibi Dominus loquebatur de claue regni coelorum. quia cum Dominus dicit, *vae vobis legisperitis: qui tulistis clauem scientiae* &c. iste accipit ibi, *tulistis* pro contempsistis, vel abstulistis: vt iste sit sensus: *qui tulistis.* i. e. qui contempsistis vel abstulistis quantum in vobis fuit *clauem scientiae.* secundum quam expositionem concedi debet, quod ipsi tulerunt clauem regni coelorum: quia clauem regni coelorum contempserunt & abstulerunt quantum in eis fuit. & ita secundum istum Dominus loquebatur de claue regni coelorum, quam abstulerant legisperiti quantum in eis fuit. [*Hanc clauem scil. fidem, habebat Petrus antequam Dominus sibi promitteret regni coelorum claues.*] hoc concedi potest: tamen ista fides Petri, quae erat aliomodo clauis, non erat clauis regni coelorum: sed postea facta fuit clauis regni coelorum, sub fide includendo scientiam discernendi inter lepram & lepram. [*Habebat etiam humilitatem.*] Hoc etiam conceditur: illa tamen humilitas non erat clauis regni coelorum. totum quod sequitur, concedunt isti, sed nihil facit contra appellantem.

Cap. CXXII.

Item impugnat adhuc iste haereticus constitutionem praedictam falso imponens ei, quod dicit, quod summus pontifex in his quae ad fidem & mores pertinet, potest suorum praedecessorum diffinitiones & dicta reuocare, & contrarium statuere, prout decreuit statuendum.

In parte ista pertractat secundam assertionem, quam impugnat appellans. Et primo recitat ipsam. secundo respondet in parte immediate sequenti.

Sed dicunt isti impugnatores, quod truncate verba recitat appellantis, quae sunt haec: *Nonus error est: quia ipse in dicto statuto, quia quorumdam, etiam dogmatizat, quod summus pontifex in his quae ad fidem & mores pertinent, potest suorum praedecessorum diffinitiones & dicta reuocare, ac eius contrarium statuere, quod decernitur in eisdem. qui error expresse doctrinae sanctorum patrum, & sacrorum canonum, & fidei catholicae obuiat & repugnat, sicut patet per ea quae legimus in decretis 25. q. 1. c. contra statuta patrum & q. 2. ca. si ea destruerent, & in pluribus aliis capitulis. Hoc poterit reperiri & 25 dist. sicut sancti, & extra de statu monachorum ca. cum ad monasterium in fine. Ex quo errore totius fidei & veritatis ecclesiae destructio sequeretur: quia sequeretur, quod quilibet Romanus pontifex posset reuocare & destruere omnia in fide & moribus à suis praedecessoribus diffinita: & sic tota auctoritas ecclesiae vacillaret & in fide & moribus foret instabilis & infirma. Vnde dicta doctrina est haeretica iudicanda: quia in articulum fidei; Et vnam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam, vehementer impingit. Et si in decretali Exiit, in doctrina & vita Christi & apostolorum, & in approbatione Regulae & status Fratrum Minorum, & in concilio Viennens. quod dictam decretalem approbauit, concederetur erratum, sequeretur quod tota ecclesia errauerit in fide male de vita Christi & apostolorum Christi diffiniendo & Fratrum Minorum statum (qui secundum opinionem haeretici praefati est illicitus & simulatus, ac fundatus in doctrina euangelicae veritati contraria) approbando, & sanctum Franciscum & alios sanctos de Ordine Fratrum Minorum, qui in huiusmodi vita & doctrina professione finierunt dies suos, approbando tanquam sanctos & sanctorum catalogo solenniter ascribendo.* Haec dicta appellantis. Cum autem dicit iste, quod appellans falso imponit sibi dictum errorem: dicunt isti, quod in sequenti capitulo determinatiue probabunt, quod veraciter eundem sibi errorem imponit.

Cap. CXXIII.

Aperte iuxta morem suum mentitur iste haereticus supradictus. Constitutio enim illa hoc non dicit, nec de hoc facit aliquam mentionem, vt patere potest cuilibet intuenti: imo expresse negat, quod dicere Christum & apostolos non habuisse in his, quae habuerunt, nisi simplicem vsum facti, nec ad fidem pertinet, nec ad mores vt in §. praeterea, patet: in quo sic dicit: Praeterea dicant nobis assertores huiusmodi, vbi legunt, quod ad fidem vel mores pertineat Christum & apostolos non habuisse in his quae habuerunt nisi simplicem vsum facti. Profecto directe hoc ad fidem non pertinet, cum de hoc articulus non sit aliquis, nec sub quo valeat comprehendi, vt patet ex Symbolis, in quibus articuli fidei continentur. Nec etiã reductiue quasi hoc sacra scriptura contineat, quo negato tota sacra scriptura redditur dubia: & per consequens articuli fidei, qui habent per scripturam sacram praedicari, redduntur dubii & incerti. hoc enim in scriptura sacra non poterit, sed contrarium reperiri. Ex quibus concludit dicens: vnde non possunt ex praedictis concludere, nisi falso: quin contra ordinata per summos pontifices circa talia liceat successoribus aliquid ordinare: quia Nicolaus tertius praefatus expresse in sua declaratione inseruit, vt superius plenius continetur.

In parte ista ad dictam appellantis in *praecedenti ca.* nititur respondere dicens; quod falsum sibi imponit, quod per constitutionem, *quia quorumdam,* probare conatur, quia in eadem continetur, quod Christum & apostolos non habuisse in his quae habuerant nisi simplicem facti vsum, neque ad fidem pertinet, neque ad mores.

Sed

Sed isti impugnatores contra ipsum tria probare conantur. quorum primum est, quod ex serie verborũ ipsius in constitutione, *quia quorundam*, euidenter habetur ipsum asserere, quod Romanus pontifex quantum ad ea quæ ad fidem & mores pertinet, potest diffinitiones & dicta suorum prædecessorum reuocare & contrarium diffinire. Secundo ostendunt, ꝙ ipse de facto multa in determinationibus Romanæ ecclesiæ diffinita in suis constitutionibus reuocauit, & contraria diffiniuit. Tertio specialiter moliuntur ostendere, quod asserere Christum & apostolos non habuisse in rebus, quibus vsi fuerunt, nisi simplicem facti vsum, ad fidem spectat vel mores. Primo ergo probant, quod ex serie verborum constitutionis *quia quorundam* aperte patet, quod ipse intendit asserere, ꝙ Romanus pontifex potest in his quæ ad fidem & mores pertinent, diffinitiones & dicta suorum prædecessorum reuocare. Nam sicut patet ibidem, ipse quandam obiectionem aduersariorum suorum ꝓbare conantium, quod sibi nõ licuit illa q̃ de paupertate Christi & apostolorum per Nicolaum tertium fuerant diffinita, in dubium reuocare vel contrarium affirmare, conatur dissoluere, asserendo ꝓponens assumptas, in illa obiectione esse falsas: & conclusionem, quam inferunt, esse falsam. Sed prima propositio, quam assumunt, & quam ipse dicit esse falsam, est illa. Illud quod per clauem scientiæ in fide ac moribus semel diffinierunt Romani pontifices, adeo immutabile perseuerat, quod illud successori non licet reuocare in dubium, nec contrarium affirmare. Hæc est ꝓpositio prima aduersariorum: & ipse recitat in principio constitutionis *Quia quorundã*. Hanc autem propositionem ipse asserit esse falsam, dicens in hæc verba: *Quod autem in ratione prædicta præmittitur, videl. quod illa, quæ per clauem scientiæ in fide & moribus sunt à summis pontificib. diffinita, ab eorum successoribus reuocari non licet in dubium, nec contrarium affirmare: licet secus sit, sicut dicunt, in his, quæ per clauem potestatis per summos pontifices ordinantur, prorsus sit contrarium veritati, patet ex sequentib. euidenter*. Ex his verbis patenter habetur, quod primam propositionem aduersariorum asserit esse falsam, & per consequens contrariam esse veram, s. quod illud, quod per clauem scientię in fide ac moribus semel diffinierunt Romani pontifices, non adeo immutabile perseueret, quin illud successori liceat in dubium reuocare, vel contrarium affirmare. & ideo appellans sibi falsum non imponit. Sed forte dicet aliquis habens maiorem quam iste in distinguendo inter propositiones peritiam, ꝙ vtraq; prædictarum propositionum est falsa. Est autem prima falsa ꝓpter falsam implicationem. quia s. implicatur per ipsam, quod Romani pontifices aliquid diffinierunt per clauem scientiæ, quod non diffinierunt per clauem potentiæ: ꝙ constat esse falsum. & istam rationẽ, quare negat propositionem prædictam, videtur ꝓsequi in disputatione sua de clauibus. Sed ista cauillatio, vt dicunt isti, non facit pro isto. Nam verũ est, quòd per pdictam propositionem implicatur aliquid diffiniri per clauem scientiæ. & hoc probabunt esse verum. sed dicunt, quod p ipsam minime implicatur aliquid diffiniri à Romanis pontificibus per clauem scientię, quod non diffinitur p clauem potentiæ: cum in ꝓpositione pdicta nulla penitus mentio de claue fiat, licet in ꝓpositione, quam postea recitat, mentio de claue habeatur. Primum s. quod per clauẽ scientiæ aliquid diffiniatur in fide & moribus à Romanis pontificibus, isti probare conantur. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendũ, quod, sicut de se patet, in pdicta ꝓpositione nequaquam asseritur, quod clauis scientiæ de qua loquitur, sit clauis regni cœlorum vel ecclesiæ: sed absolute sine specificatione aliqua quantũ ad clauem scientiæ sic dicitur. *Illud quod per clauem scientiæ in fide ac morib.* &c. ergo ad verificandum prædictam propositionem illud, *quod per clauem scientiæ in fide ac moribus semel diffinierunt Romani pontifices, adeo immutabile perseuerat, quod illud successori nõ licet reuocare in dubiũ* &c. sufficit ostendere, quod per aliquã clauem scientiæ, siue debeat vocari clauis regni cœlorum siue ecclesiæ, siue nõ, aliquid potest in fide ac moribus à Romanis pontificibus diffiniri: & quod sic diffinitum rite non potest in dubium reuocari, nec debet eius contrarium diffiniri.

Hoc igitur viso, probant ꝙ aliqd in fide & morib. potest per clauẽ scientiæ aliq̃ à Romanis pontificib. diffiniri. quod ostendit primo sic. Aliqd potest in fide Christi & morib. à Romanis põtificibus diffiniri: q̃a aliquid huiusmodi ab eis per sacrã scripturam diffiniri potest. sed fides Christi secundũ istum, sicut patet c. 121. est clauis scientiæ. ergo aliquid potest à Romanis pontificib. in fide, ac morib. per clauem scientiæ diffiniri. Item, antiqui patres veteris legis poterãt aliquid per illud Lucæ 11. *væ vobis legisperitis qui tulistis clauẽ scientiæ* &c. ergo multo magis Romani pontifices per noticiam legis diuinę, q̃ est in eis clauis scientiæ, si fuit clauis scientiæ in scribis Iudæorum, possunt aliquid in fide & morib. diffinire. Sed forte dicet aliquis, ꝙ secundũ ista quilibet habens noticiam legis diuinæ posset per clauem scientię aliquid in fide & morib. diffinire. quod cõstat esse falsum: cum ad solũ conciliũ generale & Romanũ pontificẽ pertineat diffinire dubia, q̃ circa fidẽ ac mores occurrunt. Ad istud dicunt: ꝙ ꝓpter æquiuocationem huius verbi *diffinire* posset in aliquo sensu concedi, quod qlibet peritus in lege diuina posset aliquid diffinire per clauem scientię: hoc est, constanter & irreuocabiliter asserere. non enim potest quilibet aliquid diffinire, sicut modo accipimus diffinire, quia licet habeat noticiam quæ potest vocari clauis scientiæ: sicut & fides vocatur clauis scientiæ secundum istũ: deficit ei tñ auctoritas & potestas iurisdictionis, quæ ad talem diffinitionem requiritur. Sed tunc dicet aliquis, quod secundũ hoc Romani pontifices diffiniunt aliquid in fide & morib. per clauem potentiæ, & non solũ per clauem scientiæ. hoc cõcedunt isti, nec contrariũ asserit propositio sæpe dicta: quia illa propositio non vult excludere clauẽ potentiæ, q̃uis de ista nõ faciat mentionẽ. & non sequitur, nõ exprimit clauẽ potẽtię: ergo excludit ipsã. Sic ergo patet euidenter, quod pdicta propositio cũ ista adiectione *per clauem scientiæ* continet veri-

tatem, si ipsa sine tali adiectione debet concedi. & si negatur cum tali adiectione, debet negari sine ipsa. & ideo cum iste impugnatus negat illã ꝓpositionem: *illud ꝙ per clauem scientiæ in fide, ac moribus semel diffinierunt Romani pontifices* &c. Ipse etiã habet negare istã: *illud quod in fide ac morib. semel diffinierunt Romani pontifices, adeo immutabile perseuerat, quod illud successori non licet reuocare in dubium, nec contrarium affirmare.* Ex quo sequitur, ꝙ ipse debet cõcedere manifeste, ꝙ diffinitũ in fide ac morib. à Romanis pontificib. potest successor eorum in dubium reuocare, vel contrariũ affirmare. Vnde ad pdictorum intelligentiã pleniorẽ isti dicunt aduertendũ: ꝙ licet ꝓpositio prædicta cum ista adiectione *per clauẽ scientiæ* cõtineat veritatẽ: pro eo ꝙ noticia legis diuinæ, & ẽt doctrina ecclesiæ, sine qua nullus debet Romanus pontifex in fide ac morib. diffinire, imo in ea debet se fundare, potest vocari clauis scientiæ, ex quo scientia scribarũ & Pharisæorũ vocabatur clauis scientiæ: & nihilominus potestas discernẽdi inter hereticũ & catholicũ, sine qua Rom. pontifex in fide & morib. nihil diffinit, potest aliquo modo vocari clauis scientiæ: siue vtraque vel altera debeat vocari clauis ecclesiæ, seu regni cœlorum, siue non: tñ ista adiectio *per clauẽ scientiæ* quodammodo videtur superflua: & sine ipsa ita haberent intentũ impugnatores istius impugnati, sicut cum ea. Et si illam adiectionem *per clauem scientiæ* dimisissent, multæ instãtiæ friuolæ cõtra ꝓcessum eorũ exclusæ fuissent. quia intentio eorũ fuit asserere, ꝙ illud, ꝙ in fide & morib. semel diffinierunt, siue per clauẽ scientiæ, siue ꝑ clauẽ potentiæ, siue per auctoritatẽ papalẽ, siue per quamcunq; potestatẽ. Rom. pontifices, adeo immutabile perseuerat, ꝙ illud successori non licet reuocare in dubiũ, nec contrarium affirmare: & ita sine illa additione (*per clauẽ scientiæ*) habent intentũ: q̃ quis videatur superflua, non tñ reddit propositionẽ falsam. quare cum iste impugnatus neget illã ꝓpositionem cum dicta additione: debet eam negare absolute sine illa additione: & ꝑ consequens absolute debet cõcedere, ꝙ Rom. pontifex potest illa q̃ sunt in fide ac morib. à Romanis pontificibus diffinita, reuocare in dubiũ, vel contrariũ affirmare. & hoc est ꝙ sibi imponit appellans. quare non mentitur, sed asserit veritatem. Sed forte dicet aliqs, ꝙ licet verba sua hoc ꝓtendant, ipse tñ hoc non tenet: ergo ipsi nõ debet imponi. Ad hoc dicunt isti, ꝙ appellans non habuit iudicare de mente istius, quæ latebat in corde: sed tantummodo de ꝓcessu doctrinæ. & ideo doctrinam prædictam potuit ipsi imponere: et si tñ postea mentem suam clare exprimeret, doctrinam, vt ꝓlata est, detestando prædictã & ipsam corripiendo, videtur ꝙ non deberet eum propter hoc hæreticum reputare: licet propter alia, quæ pertinaciter sine omni pallio asserit, possit eum inter hæreticos computare.

Vlterius isti ad infringendum totum processum istius contra propositionẽ sæpe factam, dicunt ꝙ nihil facit contra dictam propositionem, ꝙ clauis scientiæ vel scientia non sit clauis ecclesiæ vel regni cœlorũ: quia siue scientia sit clauis ecclesiæ siue regni cœlorũ, siue non: saltem ipsa est aliquomodo clauis, ex quo fides est aliquomodo clauis secundũ istum. & constat quod scientia legis diuinæ & doctrinę ecclesię requiritur in summo pontifice ad hoc vt diffiniat aliqd in fide & morib. ergo diffinit per clauẽ scientiæ: & tñ diffinit etiam per clauem potentiæ; siue illa clauis potentiæ sit illa clauis, quæ confertur in consecratione cuiuslibet sacerdotis, siue sit iurisdictio & potestas papalis. Et ex istis patent duo. Primum est, quod tota disputatio istius & recitatio opinionum de scientia, an sit clauis ecclesiæ, nihil facit contra aduersarios: quia ipsi de hoc se nullatenus intromittunt, & ipsi habent intentũ, si scientia nullo modo sit clauis ecclesię, sicut si sit clauis ecclesiæ, dũmodo sit aliquomodo clauis. Secundũ, quod colligitur ex pdictis est, quod falsum imponit eis, cũ dicit eos asserere, quod alia ꝑ clauem scientiæ & alia per clauẽ potentię statuuntur seu diffiniũtur: quia ipsi hoc non dicunt, sed intendunt quod ad debitã & rectã diffinitionem & constitutionem quorumcunq; concurrit tam scientia, q̃ debet aliquomodo vocari clauis, q̃ potentia, q̃ etiam aliquomodo debet vocari clauis: ñ illa, quæ circa fidẽ & mores diffiniuntur, tam per clauem scientiæ quam per clauẽ potentiæ immutabilia perseuerant. Illa vero q̃ per clauem scientiæ & per clauem potentiæ à summis pontificibus circa agibilia de se indifferentia statuuntur, reuocari possunt & contraria statui. Sed forte quæret aliquis, ex quo ad diffinitionem eorum quæ tangunt fidem & mores, & ad statuendum illa quæ respiciunt agibilia de se indifferentia reqrirur tam clauis scientię q̃ clauis potẽtię quare dixerũt isti, ꝙ illa q̃ ꝑ clauẽ sciẽtię in fide & morib. diffiniũtur, reuocari nõ possunt &c. Licet secus sit in his, q̃ per clauẽ potestatis ordinãtur & statuuntur: cum per talem modum loquendi innuatur, ꝙ alia diffiniuntur per clauẽ sciẽtię, & alia statuuntur ꝑ clauẽ potentiæ. Ad hoc dici potest, ꝙ tali modo loquẽdi vtuntur nõ ad insinuandũ, quod alia per clauẽ scientiæ non per clauẽ potentiæ diffiniuntur in fide & moribus, & alia per clauẽ potentię non per clauem scientiæ circa agibilia de se indifferentia statuuntur: sed ad insinuandũ, quod in diffinitione eorũ, quæ diffiniũtur circa fidẽ & mores quodammodo principalius se habet sciẽtia & in cõstitutione eorũ agibiliũ q̃ de se indifferentia sunt quodammodo principalius se habet potentia, quia in diffinitione eorũ quę pertinẽt ad fidẽ & bonos mores, nihil diffinit potẽtia, nisi quod decreuit scientia: ita ꝙ in illis potẽtia debet omnino sequi scientiam: quia si in minimo potentia aduersaretur scientię, diffinitio esset nulla. quia si papa per quamcunq; potentiam diffiniret aliquid contra illud, quod scientia dictat diffiniendum in fide, & in bonis moribus, diffinitio sua nulla penitus esset: immo liceret cui licet Christiano hoc scienti ipsam detestari, conspuere, & sicut hæreticam reprobare. In agibilibus autem de se indifferentibus statuendis, potentia quodammodo supra scientiam principalitatem habet.

Nã si papa in hmõi statuẽdis à sciã quodãmõ deuiaret, & min' salubriter, & vtiliter ꝓ subditis

ordina-

ordinaret, obediendum esset eidem: sicut licet aliquem excõmunicaret contra scientiam & conscientiam iniuste, tamen timenda esset sententia. & ita in talibus quodammodo principalior est potentia quam scientia: quia in multis talibus est obediendum eidem, licet contra scientiam ad damnationem animæ suæ ipsa duxerit statuenda. & ad hæc innuenda vtuntur prædicto modo loquendi.

Secundo isti impugnatores moliuntur ostendere, quod iste impugnatus quamplurima, quę ad fidem pertinent & bonos mores, in determinationibus Romanæ ecclesiæ diffinita de facto reuocauit, & contraria diffiniuit. quod probant primo sic: Nicolaus tertius in decretali, quæ incipit, *Exiit qui seminat*, diffiniuit in hæc verba: *Porro cum regula ipsa expresse contineat, quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sitq; declaratum per eundem prædecessorem Gregor. 9. & nonnullos alios hæc seruari debere, tam in speciali quam etiam in communi, quam sic artam abdicationem, venenosis obtrectationibus aliquorum insensata damnauit astutia, ne Fratrum eorundem perfectionis claritas talium imperitis sermonibus lateretur: Dicimus quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum tam in speciali quam in communi, propter Deum meritoria est & sancta, quam & Chr. stus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmauit: quamq; primi fundatores militantis ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte viuere per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos deriuarunt.* Hæc verba Nicolai de bonis moribus, ac vita Christi & apostolorum eius: & per consequens de fide assertiue, & diffinitiue prolata. In quibus verbis vna veritas spectans ad bonos mores: & quatuor pertinentes ad fidem, patenter habentur. Prima veritas spectans ad bonos mores est: quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi est via perfectionis. Quia enim hanc veritatē diffinitiue hic asserat Nicolaus, liquide constat: tum quia dicit, quod Christus viam perfectionis ostendens talem abdicationem verbo docuit & exemplo firmauit: tum quia dicit apostolos in volentes perfecte viuere talem abdicationem per doctrinæ & vitæ alueos diriuasse: tum quia asserit ipsam artam, & meritoriam & sanctam. Via autem arta, meritoria & sancta est via perfectionis. tum quia loquens de abdicatione huiusmodi, & motiuum suæ diffinitionis assignans, dicit: *Ne fratrum eorundem perfectionis claritas* &c. Ex quibus verbis colligitur euidenter, q abdicatio seu expropriatio huiusmodi ad perfectionis pertinet claritatem. Secunda veritas ad fidem pertinens est, q Christus talem abdicationem docuit alios. Tertia est, quod ipse seruauit eadem, quia ipsam exemplo firmauit. Quarta est, quod apostoli talem abdicationem alios docuerunt. Quinta est, quod eam viuendo tenuerūt. Istas quinq; veritates iste impugnatus in suis constitutionibus reuocauit, & eis cõtraria diffiniuit. quod enim contrarium primę veritati diffinierit patet aperte. Primo quia in constitutione *Ad conditorem* asserit manifeste, quod manente eadē sollicitudine in acquirendo, cõseruando, & dispensando temporalia, post expropriationem seu abdicationem huiusmodi, quæ ante inerat, ipsa expropriatio ad perfectionem valet nihil conferre. cum ergo licite, imo meritorie posset manere eadem sollicitudo prædicta, imo maior post expropriationē huiusmodi, quæ ante inerat, sequitur q ipsa expropriatio non est via pfectionis censenda secundum istum. Secundo patet idem, quia in eadem constitutione *Ad conditorem* diffinit, q carentia ꝓprietatis seu dominii, talis non reddit Fratres pauperiores. Ex quo sequitur, quod non reddit eos perfectiores: quia non redderet eos perfectiores, nisi quia redderet eos pauperiores. si autem non reddit eos perfectiores, non est via pfectionis. Tertio quia in eadem constitutione diffinit, quod in rebus vsu consumptibilibus non potest vsus facti à proprietate seu dominio separari. Ex quo sequitur, quod sicut abdicatio omnis vsus facti est illicita: ita abdicatio omnis ꝓprietatis est illicita. sed abdicatio illicita non est via perfectionis. ergo abdicatio omnis proprietatis huiusmodi non est via perfectionis. Quarto, quia abdicatio palliata, nuda & ænigmatica non est via perfectionis. sed abdicatio huiusmodi secundum istum est palliata, nuda & ænigmatica: quia si dominium Romanæ ecclesiæ est palliatum, nudum & ænigmaticum, sicut iste dicit, abdicatio Fratrum est palliata, nuda & ænigmatica: & per consequens non est via perfectionis.

Secundam etiam veritatem. s. quod Christus abdicationem huiusmodi docuit alios, reuocauit, & falsitatem contrariā diffiniuit, cum in constitutione præsenti, *quia vir*, recitans obiectionem appellantis & respondens eidem dicat in hęc verba: *Ad hoc autem quod ipse dicit, quod ex hoc sequitur, quod Christus simulatam & fallacem doctrinam tribuit volentibus ad perfectionem attingere: quod omnia temporalia quo ad proprietatem & dominium relinquerent consulendo: dicimus falsum esse, quod hoc consuluerit apostolis vel discipulis suis ad minus, quod non haberent in communi.* Ex hoc patet, quod secundum istum Christus non cõsuluit talem abdicationem apostolis nec discipulis: & per consequens nō docuit eam, quia si docuisset, maxime docuisset apostolos & discipulos, & per cõsequens eis consuluisset eandem. Nequaquam igitur secundum istum Christus viam pfectionis ostendens verbo docuit abdicationem proprietatis omnium rerum in speciali & in communi: cuius contrarium Nicolaus tertius diffiniuit.

Tertiam etiam veritatem catholicam, scil. quod Christus eadem abdicationem proprietatis omnium rerum in speciali & in communi seruauit, quia exemplo firmauit secundum Nicolaū tertium, reuocauit & contrariam hæresim diffiniuit: tum quia, sicut patet supra, *ca. 93.* diffiniuit, q Christus inquantū homo ab instanti suę cõceptionis ex Dei datione habuit regnum & vniuersale dominiū omniū rerum. tum quia, sicut patet supra *c. 94.* Christus postea diuersis modis ex collatione fideliū vel emptione diuersarum rerum temporaliū acquisiuit dominium. tum quia, vt ha-

betur c.95. Christus regno & dominio temporalium renunciare non potuit. Cum quia c.96. asserit manifeste, ꝙ Christus non fuit pauper per carentiam dominii temporalis, tum quia in cõstitutione. *Cum inter.* loquens de modo habẽdi res tẽporales quo ad dominiũ seu proprietatem, sicut probatum est supra c.85. dicit firmiter esse hæreticũ dicere Christũ non habuisse in rebus ius vtendi, vendendi & donandi, & ex ipsis alia acquirendi. Vnde constat, ꝙ in eadẽ constitutione sententialiter diffiniuit esse hæreticũ, ꝙ Christus nõ habuit in quibuscunq; reb' dominiũ. & ita Christus secundũ eũ abdicationẽ proprietatis omniũ tẽporaliũ nequaquã assumpsit: cui' cõtrariũ Nicol. tertius diffiniuit.

Quartã etiam veritatem catholicã. s. ꝙ apostoli talem abdicationem alios docuerunt, reuocat iste, & falsitatẽ contrariam in suo antecedente determinat manifeste: quia ex quo secundum eum talẽ abdicationem nullatenus seruauerunt, sicut statim post patebit, & non docuerunt altiorem paupertatẽ, quam minime seruauerunt: sequitur quod talem abdicationẽ minime docuerũt.

Quintam etiam veritatem catholicã. sc. ꝙ apostoli abdicationẽ huiusmodi seruauerunt, reuocat manifeste, & contrariã hæresim diffinitiue determinat: ꝙ patet, quia in constitutione (*cum inter*) determinat, ꝙ habuerunt in rebus, quibus vtebantur, ius vtendi, vendendi, donandi, & ex ipsis alia acquirendi. & quod ibi loquatur de iure dominii, *supra c.85.* est probatum. & ita ibi sententialiter hæresim veritati prædictæ contrariam diffiniuit: quod etiam in ista constitutione, *quia vir reprobus*, non solũ sentẽtialiter, sed ẽt vocaliter apte absq; omni palliatione asserit, & diffinit, ex vltimata deliberatione determinans, aliosq; cõpellens ad credendũ, ꝙ apostoli, postquã fuerunt ad apostolatum assumpti, non solum aliquando in communi, sed etiam sæpe in speciali, vere habuerunt temporalium dominium & proprietatem, & quod habuerunt, ac habere licite potuerunt prædia in Iudæa & inter gentes.

Vnde quinq; hæreses prædictæ veritati contrarias in cõstitutione ista, *quia vir reprobus*, dogmatizat. quarum prima est, ꝙ apostoli post missionem spiritus S. habuerunt agros, domos, & prædia in cõmuni quo ad dominiũ & proprietatem, dicens quod agri, & domus primorum conuersorum in Iudæa, post missionem spiritus S. fuerunt facti de dominio apostolorũ in communi. Vnde dicit in hæc verba: *Cum ergo prius dicat, quod inter credentes erant omnia communia: & post subiungat: quod agri vendebantur & domus: euidenter apparet quod illa communia antequã venderentur erant effecta.* Item post asseruit manifeste, quod domorum & agrorum venditorum apostoli habuerunt dominium, licet sibi non retinuerunt idem dominium. hæc *supra c. 4. & 5.* patuerunt.

Secunda hæresis prædictæ veritati contraria, quam iste dogmatizat, est quod apostoli non solum habuerunt prædia quo ad dominium, sed etiã sibi potuerunt prædia retinere in Iudæa: vnde sicut patet *sup. c.5.* dicit sic: *Ex prædictis patet, quod apostolis licuit in Iudæa si voluissent, retinere prædia: nec voto compulsi sunt, quod illa non retinuerunt, sed voluntate propria, quia se non contracturos morã inibi, sed transituros prauidebant ad gentes.* Tertia hæresis sæpe dictæ veritati contraria est, ꝙ apostoli in Iudæa prius missionem spiritus S. immobilia vendiderunt tanquã eorũ habentes dominium in cõmuni. nam, sicut patet *sup. c.18.* ipse loquens de apostolis ait: *verum est tamen quod in Iudæa non retinuerunt immobilia, sed ea potius vendiderunt.* Quarta hæresis contraria veritati præfatæ, quam ipse dogmatizat, est quod apostoli semp post missionẽ spiritus S. mobilia & immobilia, qualia habent monachi: & per consequens villas, ciuitates & castra, thesauros auri & argenti, ac alias res præciosas habuerunt, seu licite habere potuerunt, quo ad dominiũ in cõmuni. Quod n. hoc teneat, patet, cum dicat expresse, sicut recitatum est, *sup. c.18.* constat autem quod monachi habent mobilia & immobilia quo ad proprietatem & dominiũ in communi, vt probatur. *18. q.2. c. in nullo.* Quare videtur, ꝙ etiam apostoli habuerunt seu habere potuerunt in communi. sed nonnulli monachi habẽt villas, ciuitates & castra, aurum & argentum, ac res alias preciosas. ergo & apostoli secundum istum omnia talia habuerunt, seu habere licite potuerunt.

Quinta hæresis præfatæ veritati contraria, quã iste dogmatizat, est quod beatus Petrus, & eadem ratione quilibet alius apostolus, vere fuit proprietarius: qa post missionem spiritus S. habens in speciali dominiũ & proprietatem rerum temporalium. sicut enim patet supra c.9. ipse dicit sic: *Videtur etiã quod probabiliter possit dici quod post distributionẽ bonorũ vsu cõsumptibilium, quæ fiebat inter apostolos & credentes alios, vt dicitur Actuum 2. & 4. quilibet portionis sibi assignatæ proprietarius & dominus dici posset.* & infra: *Cum ergo dicat quod nullus egens erat pro eo, quia vnicuiq; diuidebatur prout opus erat, supponit aperte, quod illud, quod vnicuiq; dabatur ad vsum cuiuslibet erat proprium.* & infra: *Videtur quod quilibet fuerit dominus eius portionis quæ sibi fuerat assignata.* & infra: *Clare supponit angelus, quod caliga & vestimentũ assignata Petro, propria quo ad dominium erant Petri. quare videtur quod pecunia, panis, vinum, & aliæ res vsu consumptibiles sibi diuisim pro vitæ sustentatione assignata similiter eius essent.* Ex his constat aperte, quod secundum istum quilibet apostolus post missionem spiritus S. fuit proprietarius habens in speciali dominiũ temporaliũ rerum; & ita secundũ istos. quinq; hæreses contrarias quintæ veritati prædictæ à Nicolao tertio diffinitæ in ista cõstitutione *quia vir* sentẽtialiter & vocaliter aperte diffinit. Secundo idẽ. s. ꝙ cõtra nõnulla ad fidẽ vel bonos mores spectãtia in determinationib. Rom. ecclesiæ diffinita iste impugnat' diffiniat, sic ostendũt. Nicola' tertius in decretali *Exiit* loquẽs de dominio rerum, quib. Fratres Minores vtũtur, diffinit in hæc verba: *Retentio dominii namq; taliũ rerũ, cũ cõcessione vsus facta pauperib. nõ est infructuosa domino, cũ sit meritoria ad æterna & professioni pauperũ oportuna, quæ tãto sibi cẽsetur vtilior, quãto cõmutat tẽporalia æternis.* Quib. verbis nihil nouũ statuitur vel ordinatur agendũ, sed qd fit sententiãdo de retentione dominii taliũ rerũ, cũ cõcessione vsus facta pauperib. declaratur,

quia

quia diffinitur aperte, quod talis retentio dominii, est domino vtilis & fructuosa: quia meritoria ad æterna & professioni pauperum oportuna. illa autem quæ sunt vtilia & fructuosa, meritoria ad æterna & professioni pauperum oportuna, ad bonos mores non est dubium pertinere. ergo Nicolaus in verbis prædictis veritatem pertinentē ad bonos mores asserit & diffinit. sed iste impugnatus contra istam veritatem manifestē diffinit asserens & determinans, quod tale dominium est inutile reputandum, sicut patet in cōstitutione *Ad conditorem*, in qua asserit tale dominium esse verbale, nudum & ænigmaticum, & in ista constitutione, *quia vir*, sicut patet supra *cap.* 118. affirmat aperte, quod dominium omni temporali commodo denudatum est inutile reputandum. ex quibus sequitur euidenter, quod retentio talis dominii, cum quacunque vsus concessione nō est fructuosa domino nec meritoria ad æterna, nec professioni pauperum oportuna, nec per eam commutantur temporalia pro æternis: & ita contra prædictam determinationem Romanæ ecclesiæ aperte diffinit. Tertio sic arguunt. Nicolaus aperte diffinit in hæc verba: *Condecens fuit ei professioni, quæ sponte deuouit Christum pauperem in tanta paupertate sectari omnium abdicare dominium, & rerum sibi concessarum necessario vsu fore contentam.* Ex quibus euidenter colligitur, quod Fratres Minores abdicando omnium rerum dominium paupertatem Christi sectantur: & per consequens Christus talem paupertatem, quæ est per abdicationem rerum omnium, seruauit. cuius tñ contrarium iste aperte diffinit dicens: Christum nunquam fuisse pauperem per carentiam domini, cuiuscunq; rei temporalis. Quarto sic arguunt. Nicolaus tertius loquens de abdicatione Fratrum Minorum diffinit in hæc verba: *patet itaque sane intelligentibus ex prædictis regulam quo ad abdicationem huiusmodi non solum obseruabilem, possibilem & licitam, sed meritoriam & perfectam esse, & eo magis meritoriam, quo per ipsam professores ipsius magis à temporalibus propter Deum, sicut prædicitur, elongantur.* Ex quibus verbis clare patet, q̄ per talem abdicationem Fratres efficiuntur pauperes: quia qui magis à temporalib. elongantur, pauperes sunt censendi. Si enim magis elongantur affectu, sunt pauperes affectu: si vero magis elongantur effectu seu actu, sunt pauperes effectu seu actu. sed iste expresse diffinit contrariū, sicut patet in constitutione *Ad conditorem*, & supra c. 77. dicens, quod abdicatio talis dominii, quale abdicant Fratres Minores, non efficit pauperem non habentem, & ita, vt dicunt, liquet aperte, quod illa, quę Nicolaus tertius de paupertate Christi & apostolorum eius, ac etiam de paupertate regulæ beati Francisci diffinit, iste reuocat diffiniendo contraria. vnde dicūt, quod fere quicquid dixit Nicolaus tertius in prædictis, iste destruit & annullat. sicut discurrendo per singula dicta ipsius & istius posset aperte probari: sed causa breuitatis omittunt. Quinto sic arguunt: Plures Romani pontifices diffinierunt, quod omnium rerum temporaliū abdicato dominio tam in speciali quā in communi contingit licite vsum rerum habere. Hoc ex verbis Greg. 9. in declaratione sua super regulam beati Francisci euidenter habetur. ait enim: *Dicimus itaq; quod nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere: sed vtensilium & librorum, & bonorum mobilium, quæ licet habere, Ordo vsum habeat.* ergo omni abdicato dominio contingit licite vsum habere. Innocentius etiam quartus, & Alexander quartus in suis declarationibus dicunt in hæc verba: *Dicimus quod cum in ipsa regula contineatur expresse, quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, nec in communi, nec in speciali debent proprietatem habere: sed domorum ac locorum, & vtensilium, & librorum, & eorum mobilium quæ licet habere, Ordo vsum habeat.* Item Clemens quintus in declaratione sua, quæ incipit *Exiui*, ait: *Proinde quum vir sanctus paupertatis promissa in regula monachorum exprimens dixit in eadem, quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sed tanquam peregrini & aduenæ in paupertate & humilitate domino famulantes vadant pro eleemosyna cōfidenter: sitq; declaratum per nonnullos prædecessores Romanos pontifices hanc expropriationem intelligi debere, tam in speciali quam in communi, propter quod etiam omnium rerum concessarum, oblatarum, & donatarum Fratribus, quas & quarum vsum facti. sc. Ordini vel ipsis Fratribus licet habere proprietatem & dominium in se & Romanam ecclesiam receperunt, dimisso ipsis Fratribus in eis tantummodo vsu facti simplicis.* Ex his aliisque quam pluribus diffinitionib. Romanorum pontificum patenter habetur, quod omnium rerum temporalium abdicato dominio, tam in speciali quam in communi contingit licite rerū vsum habere. Sed contra istam veritatē iste impugnatus multipliciter diffiniuit: expresse determinans, quod multarum rerum scilicet vsu consumptibiliū non potest vsus facti, nec etiam actus consumendi à proprietate seu dominio separari, sicut patet in constitutione *Ad conditorem*, & in ista constitutione *quia vir*: ergo &c. Item sicut patet supra *c.* 58. ipse expresse diffinit, quod vsus non potest concedi absq; iure vtendi. & ideo non potest quis in huiusmodi rebus habere simplicem facti vsum: quod determinationi Clementis prædicti obuiat manifeste. Item in multis locis diffinit aperte, quod non contingit habere vsum rerum: quod tñ prædictis diffinitionibus Romanorū pontificum patenter repugnat. Vnde per præmissa in illo capitulo, & in toto opere illo per alias allegationes dicunt isti patere indubie, quod iste impugnatus plura quæ pertinent ad fidem, & bonos mores à Romanis pontificibus diffinita de facto reuocauit, & contraria diffiniuit.

[*Aperte iuxta morem suum mentitur.*] Dicunt quod appellans non mentitur, cum veritatem supra probatam pronunciet. [*Constitutio enim illa hoc non dicit: nec de hoc aliquam facit mentionem.*] Contrarium est ostensum in principio istius capituli. [*imo expresse negat, quod dicere Christum & apostolos habuisse in his quæ habuerunt nisi simplicem facti vsum, nec ad fidem pertinet, nec ad mores, vt in § præterea patet.*] Hic modo innuit iste, quod appellans imposuerit sibi, quod Romanus pontifex in his quæ ad fidem & mores pertinent, potest suorum prædecessorum diffinitiones & dicta reuocare, & con-

trarium statuere, solummodo propter verba, quæ dicit in constitutione, *quia quorundam in isto 5. præterea dicant nobis assertores huius* &c. quod nō est verum, imo principaliter imposuit sibi, quod hoc dixerit propter hoc, ꝙ propositionem aduersariorum in principio capituli recitatam.s.illud quod per clauem scientiæ in fide ac moribus semel diffinierunt Romani pontifices non adeo immutabile perseuerat, quod illud successori non licet reuocare in dubiū, nec contrarium affirmare: ipse dixit contrariam esse veritati, quia si ista est contraria veritati, sua cōtradictoria est verba, hæc.s.illud quod per clauem scientiæ in fide ac moribus semel diffinierunt rationi pontifices, non adeo immutabile pseuerat, quin illud successori licet reuocare in dubium & contrariū affirmare: & ita negando vnam, concedit aliam. Sed forte dicet aliquis, si illud ꝙ per clauem scientię in fide ac moribus semel diffinierunt Romani &c. ergo quicquid iste diffinit, nō licet in dubiū reuocare. Ad hoc dicunt isti ꝙ quicquid iste diffiniuit per clauē scientiæ, dum erat summus pontifex, nō licet in dubium reuocare, sed quicquid diffiniuit contra diffinitiones Romanorum pontificum, non diffiniuit per clauem scientiæ, sed diffiniuit per hæreticā prauitatem, claue scientię, q̄ est noticia legis diuinæ, reiecta. & ideo dicunt, quod quamuis ista adiectio in ꝓpositione aduersariorum *per clauem scientiæ* videatur superflua: quia sine ea ꝓpositio bene intellecta continet veritatem. tamen nō est simpliciter superflua, sed sane intellecta denotat ꝙ quicquid diffinierūt Romani pontifices conformiter doctrinæ ecclesiæ, non debet in dubium reuocari, nec contrariū affirmari. vnde potest dici, quod isti aduersarii clauem scientiæ vocant noticiam legis diuinæ & doctrinæ vniuersalis ecclesiæ. [*vbi legitur quod ad fidem vel mores pertineat Christum & apostolos non habuisse in his quæ habuerunt nisi simplicem vsum facti.*] Hic notāt isti duo, quorum primum est, quod aliquid pertinere ad fidem potest dupliciter intelligi. aliquid enim pertinet ad fidem sicut per fidem credendum: aliquid vero pertinet ad fidem, sicut per fidem negandum. sicut enim eadem est scientia contrariorum, & oppositorum eadem est disciplina: ita ad fidem opposita pertinere noscuntur, quia sicut ad fidelem spectat per fidem credere catholicam veritatem, ita ad ipsam spectat negare hæreticam prauitatē. Secundo notant, quod licet sub his verbis Christus & apostoli non habuerunt in his, quæ habuerunt, nisi simplicem vsum facti, non legatur in scriptura diuina, tamen istam sententiam accipiunt à scriptura diuina ex doctrina ecclesiæ, sicut superius in pluribus capitulis est ostensum, quæ videtur superfluum replicare. [*Profecto directe hoc ad fidem non pertinet, cum de hoc articulus non sit aliquis nec sub quo valeat comprehendi, vt patet ex symbolis in quibus articuli fidei continētur.*] Hic impugnatores dicūt, quod veritas cōprehenditur sub isto articulo fidei: *Sanctam ecclesiam catholicā*: quia sub illo articulo comprehenditur, quicquid per sanctam ecclesiam catholicam prædicatur, tenetur & docetur. Ecclesia autē catholica fundans se in scriptura diuina, tenet quod Christus & apostoli omne ius humanum, quo valebant in iudicio litigare, proprium alicui maiori eorum, vel etiam toti collegio speciali penitus reliquerunt, vsum rerum necessarium minime abdicando. quod intelligunt isti, cum dicunt, quod non habuerunt nisi simplicem facti vsum [*nec etiam reductiue quasi hoc sacra scriptura contineat*] dicit, quod hoc sacra scriptura continet, quamuis non sub verbis istis. Et si quæratur, vbi continet hoc sacra scriptura? dicunt, quod licet hoc euidenter pateat ex multis capitulis istius operis, tamen breuissime recapitulando aliquā de capitulis dicunt, quod hoc sacra scriptura cōtinet, vbi tradit Christum fecisse quæ docuit, & vbi docuit apostolos relinquere omnia in temporalibus, quæ non sunt necessitatis: & vbi docuit adolescentem omnia vendere & dare pauperibus: quod docendo docuit relinquere omne ius in temporalibus quo quis valet in iudicio litigare: & vbi scriptura tradit apostolos omnia reliquisse, sicut Christus docuerat. Ex illis enim locis colligitur, quod Christus & apostoli omne ius, quo valerent in iudicio litigare in temporalibus reliquerunt. Ex aliis autem locis habetur aperte, quod temporalibus rebus vtebantur. ergo ex diuersis locis scripturæ colligitur, quod non habuerunt in his, quæ habuerunt, nisi simplicem facti vsum, hoc est vtebantur temporalibus absq; omni iure, quo valebāt nomine proprio vel nomine sui collegii specialis pro rebus eisdem in iudicio litigare [*hoc enim in scriptura sacra non poterit: sed contrarium reperiri*] hoc dicunt esse multipliciter reprobatum [*quin contra ordinata per summos pontifices circa talia liceat successoribus aliquid ordinare*] Dicunt isti, quod summi pontifices neque de paupertate Christi & apostolorum eius, neque de rebus quas habuerunt, neque de simplici vsu facti ipsorum aliquid vnquam ordinauerunt, sed veritatem de prædictis docuerūt, & ipsam esse tenendam diffinierunt & ideo non licuit isti nec ordinando nec diffiniendo nec docendo aliquid contrariū penitus attentare. quia licet multa ordinata per summos pontifices, quæ Fratres Minores seruare tenentur, possit Romanus pontifex mutare: de vita tamen Christi & apostolorum eius nihil potest penitus mutare, nec licet sibi aliter docere de vita eorum, quod sancti patres hactenus docuerunt. [*quod Nicolaus tertius præfatus expressit in sua declaratione inseruit, vt superius plenius continetur*] nusquam legitur, quod Nicolaus tertius vnquam aliter docuerit vel diffinierit de vita Christi & apostolorum eius, quam prædecessores sui.

Cap CXXIV.

P*Ræmissa quoque vt ad plurium possent peruenire noticiam, eorumque memoria conseruari valeret diutius, scriptura præsenti decreuimus committenda. quam quidem bulla nostra munitam maioris ecclesiæ Auinionen.*

ostiis

ostiis affigi fecimus, seu appendi, vt sit iuxta nostrum desiderium ad communem deducta noticiam hæreticorum doctrina prædicta pestifera sic suo præfocetur in ortu, quod nequaquam eiusdem virus nequiter ad inficiendum simplices vlterius diffundatur. Datum Auinione. 16. Calend. Decembris, pontificatus nostri anno. 9.

Finito tractatu hic conclusio totius constitutionis subiungitur. In hac enim parte impugnatus ostendit, quare constitutionem fecerit ante dictam, ac qualiter ipsam duxerit promulgandam.

Sed isti impugnatores cum in parte præcedenti, vt asserunt, sufficienter, probauerint, istam constitutionem esse hæreticalem, hic per verba præmissa volunt aperte ostendere, quod conditor cōstitutionis eiusdē est pertinax & hæreticus reputandus. Sæpe enim doctrina alicuius est hæretica censenda, quamuis auctor eiusdem inter hæreticos sit minime computandus. Ad cuius euidentiam dicunt esse sciendum: quod si quis errauerit circa veritatem catholicam, quam credere explicite non tenetur: si paratus est corrigi, non est hæreticus reputandus. sed si non est paratus corrigi, pertinax & hæreticus est censendus. vnde August. vt habetur 24. q. 3. *ca. dixit apostolus*, ait: *qui sententiam suam quamuis falsam ac peruersam nulla pertinaciter animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Ex quibus verbis colligitur, quod qui parati sunt corrigi, non sunt hæretici deputandi. sed si errant, & non quærunt cauta sollicitudine veritatem, nec parati sunt corrigi, pro hæreticis sunt habēdi. Hinc Aug contra Manicheos, vt habetur eisdē causa & quæstione c. 1. qui in ecclesia, ait: *qui in ecclesia Christi morbidū aliquid prauumq; quid sapiūt si correcti vt sanū rectumq; sapiāt resistunt contumaciter suaq; pestifera ac mortifera dogmata emendare nolūt, sed defensare per sistūt hæretici sunt.* Ex his verbis patēter habetur, ꝙ quicunq; aliquid contra scripturā diuinam aut doctrinam vniuersalis ecclesiæ tenuerit, nec paratus est emendare, est hæreticus reputandus. Nam secundum beatum Augustinum qui morbidum aliquid prauumque sapiunt, nec emendare volunt, sunt hæretici reputandi. sed omne falsum contrarium cuicunque contento & asserto in scriptura diuina, vel doctrina vniuersalis ecclesiæ, est morbidum atque prauum. ergo omnis sapiens tale falsum, si non est paratus se emendare, est inter hæreticos numerandus. Sed forte dicet aliquis, quod secundum hoc non esset differentia inter tenentem aut sapientem heresim iam damnatam, & inter sapientem hæresim non damnatam: quia æqualiter esset vnus hæreticus, sicut alius. Ad hoc dicunt nonnulli istorum, quod omnis hæresis est damnata vel explicite vel implicite. & ideo quantum ad hoc, quod aliquis in rei veritate sit hæreticus, non refert an sapiat pertinaciter hæresim damnatam explicite, vel hæresim damnatam implicite: quia cuique hæresi damnatæ explicite vel implicite pertinaciter adhæreat, vere apud Deum inter hæreticos numeratur. Verumtamen quantum ad modū conuincēdi aliquē esse hæreticum in foro ecclesiæ, & quantum ad formam procedendi contra hæreticum est magna differentia attendenda inter sapientem seu tenentem hæresim damnatam explicite vel solum implicite: quia qui tenet hæresim damnatam explicite, si ostensa sibi damnatione ab vniuersali ecclesia approbata se non statim correxerit, sed adhuc defensare præsumpserit, est hæreticus reputandus. qui vero tenet hæresim damnatam solum implicite, qualis est omnis falsitas doctrinæ scripturæ diuinæ & ecclesiæ vniuersalis qualitercunque repugnans, sed latenter, tenetur talem hæresim reuocare, si sibi per scripturam sacram vel doctrinam vniuersalis ecclesiæ ostensum fuerit euidenter, quod error suus scripturæ sacræ aut doctrinæ vniuersalis ecclesiæ aduersatur. Iterum, contra tenentem hæresim damnatam explicite procedere potest quilibet episcopus catholicus, & etiam quilibet inquisitor hæreticæ prauitatis, si aliquid canonicum non obsistat. contra tenentem autem hæresim damnatam implicite solum modo nullus episcopus inferior summo pontifice, nec aliquis inquisitor prauitatis hæreticæ iudicialiter potest procedere: quia non potest ipsum tanquam hæreticum condemnare. quod tali ratione probatur. Qui non habet auctoritatem nec potestatem determinandi quæstionem motam de fide, non potest pro tali quæstione aliquem tanquam hæreticum condemnare. Hæc patens est: quia nullus debet tanquam hæreticus condemnari, nisi pro hæresi manifesta. sed nullus inferior summo pontifice potest quæstionem motam de fide terminare: teste Innocentio Papa, qui, vt habetur. 24. q. 1. c. quotiens, ait: *Quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiscopos non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctoritatem referre debere.* vbi Glossa dicit, *aliud est quæstionem de fide motam terminare, quod nulli præterquam Romanæ sedi permittitur, sicut hoc dicitur: aliud est ipsam sine diffinitione ventilare, quod patriarchæ facere possunt.* & infra Glossa obiiciens super verbo *nisi ad Petrum*, ait: *Videtur contra extra de hæreticis, ad abolendam. Nam ibi innuitur quod illi vitandi sunt tanquam hæretici, quos episcopi vitandos dixerint.* & respondens dicit sic: *sed dicit quod illud intelligendum est, quando tale quid dicunt, quod certum est esse hæresim. hoc vero vbi dubium est.* Ex his patēter habetur, ꝙ nullus inferior Romano pontifice potest quæstionem motam de fide catholica determinare. quod Innocentius tertius vt habetur *extra de baptismo & eius effectu. c. maiores*, asserit manifeste dicens: *Maiores ecclesiæ causas præsertim articulos fidei continentes ad Petri sedem referendas intelligit, &c.* Ex quibus verbis patet, quod quæstionem motam de fide, quia omnis quæstio mota de fide contingit saltem illum articulum fidei: *Sanctam ecclesiam catholicam*: ad nullum inferiorem successore B. Petri pertinet terminare. & ita cōtra tenentē hæresim damnatam, duntaxat implicite, nullus inferior vero Papa debet procedere.

Sed forte quæret aliquis, quæ sunt hæreses damnatæ solum implicite, & quæ sunt hæreses damnatæ explicite. Ad istius quæstionis intelligentiam dicunt quidam impugnantium prædictorum esse notandum: quod approbatio veritatis est reprobatio contrariæ falsitatis. & ideo aliqua veritate tanquam catholica approbata, eo ipso hæresis contraria intelligitur condemnata. propter quod quidam dicunt, quod ad hoc, quod aliqua hæresis debeat reputari damnata explicite vel implicite, non refert an ipsa damnetur, vel veritas catholica contraria approbetur. Item dicunt isti, quod damnatio falsitatis, & similiter approbatio veritatis, quædam est specialis, quædam est generalis, & quædam est generalissima. Specialis approbatio & specialis damnatio est, quando de veritate catholica vel hæresi contraria expressa fit mentio. sic damnata est hæresis Ariana, sic approbata est veritas de processione Spiritus sancti à Patre & Filio. Damnatio vel approbatio generalis est, quando aliqua veritas vel hæresis continetur explicite in aliquo toto speciali, de quo toto in approbatione vel damnatione expressa fit mentio. sic approbatæ sunt generaliter omnes veritates in scriptura diuina contentæ: & omnes hæreses eis patenter omnibus aduersantes sunt damnatæ. Alia est approbatio & similiter damnatio generalissima, in qua. sc. de nullo toto speciali fit mentio; sed talis solummodo continetur sententia: *Approbamus omnem catholicam veritatem, & damnamus omnem hæreticam prauitatem.* & talis est damnatio concilii generalis: *extra de hæreticis. c. Excommunicamus*: vbi sic dicitur. *excommunicamus & anathematizamus omnem hæresim extollentem se &c.* vbi de nulla scriptura speciali fit mentio. Per prædicta respondent isti ad propositam quæstionem dicentes: quod istæ hæreses debent reputari damnatæ explicite, quæ damnatæ sunt dãnatione speciali & generali: vel quæ patenter omnibus intelligentibus sine subtili declaratione, veritatibus catholicis approbatis approbatione speciali vel generali contrariantur. Illæ autem hæreses, quæ solummodo damnatæ sunt damnatione generalissima vel solum latenter, ita quod tantum per subtilem considerationem sciri potest, quod contrariantur veritatibus catholicis approbatis approbatione speciali vel generali non explicite, sed solum implicite sunt damnatæ. Ex his patet, quod omnis error, qui contradicit aperte scripturæ diuinæ, vel determinationi ab vniuersali ecclesia approbatæ, est hæresis damnata explicite: & quam citò constaret aliquem tali errori pertinaciter adhærere esset hæreticus reputandus: ac contra talem posset Diocesanus tanquam contra hæreticum manifestum procedere. Hæreses autem, quæ non contradicunt aperte nec scripturæ diuinæ nec determinationi seu explicite doctrinæ vniuersalis ecclesiæ, licet veraciter aduersetur, sed quæ sic contrarientur, quod absque subtili & magis consideratione scire non possunt, sunt hæreses tantum implicite condemnatæ. & ideo quamuis quicunque tali hæresi pertinaciter adhæserit, sit verus hæreticus, liceatque omni scienti ipsum tali errori pertinaciter adhærere, eundem hæreticum reputare: nulli tamen inferiori summo pontifice licet ipsum quantumcunque fuerit pertinax, tanquam hæreticum iudicialiter condemnare: quia causa huiusmodi ad nullum inferiorem Romano episcopo noscitur pertinere. si tamen per vniuersalem ecclesiam fuerit talis hæresis explicite condemnata, vel contradictoria veritas explicite approbata: ex tunc cuilibet episcopo licebit contra tali hæresi pertinaciter adhærentem procedere iuxta canonicas sanctiones.

His visis conantur isti impugnatores probare, quod iste impugnatus per verba propria in principio illius capituli recitata conuincitur esse hæreticus manifestus. vnde sic arguunt. qui gerens se pro Papa aliquam hæresim solenniter ex vltima deliberatione diffinit esse tenendam est pertinax: & p consequens hæreticus reputandus. sed iste impugnatus totam scripturã præcedentem multas hæreses continentem solenniter ex vltima deliberatione diffiniuit esse tenendam; quia, sicut in principio istius capituli patet, totam scripturam præcedentem bulla sua muniuit; & per consequens solenniter ex vltima deliberatione, totam scripturam istam diffiniuit esse tenendam. ergo est pertinax, & per consequens hæreticus reputandus. maior est manifesta: tum quia talis non est paratus corrigi, tum quia talis in hæresi vltimate se firmauit: tum quia talis non quærit cauta sollicitudine veritatem, sed de veritate informari renuit impudenter, tum quia secundum Isidorum in libro Etymologiarum *pertinax dicitur aliquis qui est impudenter tenax.* constat autem quod qui hæresim solenniter sub bulla diffinit, est impudenter tenax. ergo est pertinax, & per consequens hæreticus reputandus. tum quia qui nimis in aliqua erronea assertione persistit, aut perseuerans, seu constans aut pertinax est censendus. sed qui solenniter ex vltima deliberatione sub bulla aliquam hæresim diffiniuit esse tenendam, nimis in assertione erronea persistit. ergo vel est perseuerans seu constans, aut pertinax reputandus. sed non est perseuerans nec constans, quia perseuerantia est virtus, & similiter constantia. ergo talis pertinax; & per consequens hæreticus est censendus. Præter hanc rationem, quæ ex verbis istius impugnati assumitur isti alias rationes ex factis & gestis ipsius acceptas adducunt ad probandum, quod sit inter hæreticos computandus. quarum prima est hæc: qui minis, pœnis, iuramentis & præceptis cogit alios ad suas hæreses pertinaciter defendendas, non solum hæreticus, sed etiam hæresiarcha merito est censendus. Cum etiam secundum sacros canones, qui errori consentit, est simili modo culpabilis reputandus, vt habetur. 11. *q. 3. c. qui consentit, & extra de hæreticis qui alios. & 83. dist. error.* sed iste impugnatus omnes hæreses in ista constitutione *quia vir* & in constitutionibus *Ad conditorem*; & *Cum inter*, &c. & *quia quorundam*; cogit alios minis, pœnis, iuramentis & præceptis defendere. vnde non

Vnde non solum hæreticus, sed etiam hæresiarcha merito est censendus. maiorem isti probant in aliis allegationibus, multis rationibus, quas hic causa breuitatis omitto. minor quo ad aliquas eius partes ex constitutionibus suis colligitur euidenter: cum nonnullis pœnam rebellionis & contumaciæ affirmantibus contrarium illius, quod diffinit, imponat: nonnullosque mandet hæreticorum pœna puniri. quantum autem ad istam partem de iuramentis, eadem minor ex gestis ipsius aperte probatur, cum compellat omnes magistrandos Parisius iurare, quod suas constitutiones tanquam catholicas in perpetuum obseruabunt.

Secunda ratio est hæc. qui cogit aliquos veritatem catholicam abiurare, est veritatis catholicæ pertinax impugnator: & per consequens inter hæreticos computandus: quia si dubius in fide, infidelis est, vt habetur *extra de hæreticis c.* 1. multo fortius veritatis catholicæ pertinax impugnator est hæreticus reputandus: & per consequens qui cogit alios veritatem catholicam abiurare, est hæreticus iudicandus. sed iste impugnatus cogit Christianos veritatem catholicam abiurare, cum cogat multos veritatem declaratam per Nicolaum tertium de paupertate Christi abiurare. ergo debet inter hæreticos computari.

Tertia ratio est hæc. errans in fide si emendationi & correctioni illorum quorum interest, subiicere se recusat, est hæreticus reputandus. hoc patet: quia talis non est paratus corrigi. qui autem errat in fide, & non est paratus corrigi, est hæreticus reputandus, sicut per doctrinam sanctorum & sacros canones posset aperte probari. sed iste impugnatus errat in fide, sicut per totam istam constitutionem est ostensum, & recusat se subiicere correctioni & emendationi illorum, quorum interest. quia sicut per sacros canones isti impugnatores in libris suis multipliciter probant, ad concilium generale pertinet etiam Papam in his, quæ fidei sunt, corrigere & emendare. Ipse autem non permittit generale concilium congregari: & ita se subiicere correctioni & emendationi illorum quorum interest, recusat. ergo hæreticus est censendus.

Quarta ratio est hæc. qui scienter impugnat determinationem vniuersalis ecclesiæ vel doctrinam, est hæreticus manifestus: nec talis per quamcunque ignorantiam vel simplicitatem poterit excusari: quia talis est reputandus scienter hæreticus, nec est à tali quærendum, an paratus sit corrigi, sed quam cito constiterit, quod scienter impugnat doctrinam vniuersalis ecclesiæ, sine alia examinatione vel quæstione est hæreticus iudicandus: quia qui scienter impugnat regulam fidei, per quam debet errans in fide emendari & corrigi, non est examinandus, an paratus sit corrigi: ex quo negat regulam per quam deberet corrigi. sed iste scienter impugnat doctrinam & determinationem vniuersalis ecclesiæ. non enim ignorat, quod determinauerit Nicolaus tertius de paupertate Christi, quod scilicet exemplo firmauit abdicationem proprietatis omnium rerum, sed ipsam sæpe legit, quam tamen scienter impugnat sub bulla sua diffiniens, quod Christus in quantum homo mortalis nunquam fuit pauper per carentiã temporalis domini: & per consequens nunquam firmauit exemplo abdicationem proprietatis omnium rerum. ergo pertinax & hæreticus sine vlteriori examinatione ab omnibus catholicis hoc scientibus est censendus.

Quinta ratio est. qui errat in fide, & de veritate ex certa scientia renuit informari, est hæreticus reputandus: quia constat, quod talis non est paratus corrigi, nec cauta sollicitudine quærit veritatem: & per consequens secundum beatum Augustinum, vt allegatum est supra, est inter hæreticos computandus. sed iste renuit ex certa scientia, imo ex malitia de veritate informari, cum veritatem volentes ostendere noluit audire. ergo est hæreticus reputandus.

Sexta ratio est hæc. qui veritates catholicas per vniuersalem ecclesiam etiam inter laicos & quoscunque simplices catholicos promulgatas negare, & hæreses contrarias probare præsumit, est statim hæreticus reputandus: quia de tali est præsumptio violenta, contra quam non est probatio in contrarium admittenda. qui enim non reputat doctrinam vniuersalis ecclesiæ veram & sanam, est hæreticus manifestus. nec est quærendum à tali, an sit paratus corrigi, cum neget regulam, scilicet doctrinam vniuersalis ecclesiæ, per quam corrigendus est errans. sed iste impugnatus publice prædicat contra veritates per vniuersalem ecclesiam imo inter laicos & quoscunque simplices promulgatas. ergo est hæreticus iudicandus. Maior est probata. minor etiam est manifesta.

Nam omnibus notum est, quod apud omnes Christianos catholicos quantumcunque simplices extitit probatum, quia animæ reproborum sunt in inferno, & quod grauiter cruciantur: & quod dæmones nunc puniuntur & grauiter affliguntur: & quod beata virgo & apostoli, martyres, & alii sancti in cœlo vident nunc Deum: & quod Christus erat pauper non habens dominium inquantum erat homo mortalis prædiorum & thesaurorum & aliarum diuitiarum pretiosarum: & tamen contra omnes istas veritates sic generaliter apud omnes catholicos promulgatas prædicat publice iste impugnatus. ergo est inter hæreticos reputandus.

Septima ratio talis est: qui correctus legitime de errore se non corrigit nec emendat, est hæreticus reputandus. Hoc per auctoritatem August. superius allegatam, quæ ponitur 24. q. 3. *c. qui in ecclesia*, aperte probatur. sed iste impugnatus est de multis hæresibus correptus legiti-

legitime, & se non corrigit, nec emendat. ergo est hæreticus reputandus. Ad euidentiam istius rationis isti conantur declarare, quæ correptio est legitima iudicanda: dicentes quod illa correptio est legitima censenda, qua euidenter erranti ostenditur, quod suus error regulæ fidei contradicit. nec refert à quo sibi hoc monstretur, siue à prælato, siue ab alio: cuius rationem assignant, quia fides nostra non innititur sapientiæ vel auctoritati hominis cuiuscunque mortalis. si enim Papa & omnes cardinales ac omnes clerici mundi probarent contra minimam assertionem scripturæ diuinæ vel doctrinæ vniuersalis ecclesiæ, non esset eis quoquo modo credendum, sed regulę fidei esset firmiter adhærendum. fides ergo nostra non innititur auctoritate cuiuscunque viuentis in hac vita mortali. Ex quo sequitur, quod non propter auctoritatem cuiuscunque, sed propter regulam fidei debet vnusquisque errorem suum corrigere. & ideo cuicunque erranti euidenter ostenditur siue per librorum inspectionem, siue per propriam inuentionem, seu meditationem, siue per alterius prælati vel non prælati instructionem vel informationem, vel quocunque alio modo, quod error suus regulæ fidei, hoc est scripturæ diuinæ seu doctrinæ vniuersalis ecclesiæ aduersatur, statim absque mora corrigere se tenetur. quod si non fecerit, pertinax & hæreticus est censendus. Et hic apparet, quomodo concludit hæc ratio. nam constat, quod iste impugnatus per plures scripturas istius appellantis & aliorum legitime est correptus: quia in pluribus scripturis, quas vidit & legit, euidenter ostenditur, quod errores sui regulæ fidei contradicunt, & tamen se non correxit. ergo est hæreticus reputandus.

Octaua ratio talis est. qui errat in fide, & in defensione suorum errorum persequitur & molestat illos, qui suorum errorũ nituntur detegere prauitatem, est pertinax & hæreticus reputandus: quia talis errans non est paratus corrigi, ex quo declarationem veritatis & detectionẽ falsitatis satagit impedire. sed iste impugnatus crudeliter & acerbe persequitur omnes, qui suorum errorum nituntur detegere prauitatem. ergo hæreticus & nequaquam paratus corrigi est censendus. maior est euidens. minor etiam patet. quia appellantem & adhærentes sibi propter hoc, quod dicunt ipsum errare in fide, crudelissime persequi non desistit Sed forte dicet aliquis, quod non erat licitum appellare ab ipso. Ad hoc dicunt, quod in aliis operibus multipliciter probant, quod appellans ab ipso licite appellauit: quia à gerente se pro Papa in causa hæresis est licitum appellare. Ad quod probandum multas rationes adducunt, quarum aliquæ tactæ sunt in principio huius operis: nec inuentus est aliquis, qui ad ipsas sciat motionem rationabilem inuenire. Propter dicta dicunt isti impugnatores aperte liquere, quod iste impugnatus est hæreticus manifestus. ex quo concluditur, quod est omni potestate, & auctoritate ac dignitate priuatus, ac etiam excommunicationis sententia innodatus, quia omnes hæretici nullo excepto per concilium generale, sicut patet *extra de hæreticis, Excommunicamus,* sunt damnati. quare cum Papa in causa hæresis generali concilio sit subiectus, constat quod iste, non obstante, quod fuerit ad Papatum assumptus, quam cito effectus fuit hæreticus, per canonem latæ sententiæ ipso facto fuit damnatus & priuatus. Ex quo sequitur, quod iste incidit in omnes sententias & pœnas per Romanos pontifices contra hæreticos indistincte prolatas. Etiam ex hoc inferunt isti, quod iste impugnatus ab omnibus scientibus eum esse hæreticum de necessitate salutis est vitandus. qui autem ignorant ipsum hæreticum: si laborant ignorantia crassa & supina, à peccato mortali grauissimo nullatenus excusantur: qui autem ignorant eum esse talem, & laborant ignorantia probabili vel inuicibili, per ignorantiam facti excusari videntur communicando & obediendo eidem. Vnde quantum ad hoc, quod vitetur vel non vitetur, simile est de ipso & muliere, si putaretur vir & ad Papatum assumeretur, quia illi, qui postea scirent eam esse mulierem, nullo modo deberent eam habere pro Papa, illi autem qui nescirent eam, & ignorantiam inuincibili laborant, ex quo habebatur pro Papa, habendo eam pro Papa per ignorantiam excusarentur: sic est de isto, quia non maiorem habet auctoritatem veram, quam habuit mulier illa, quæ sicut habetur *in Chronicis,* annis duobus, mensibus septem, diebus tribus venerabatur pro Papa ab vniuersali ecclesia. Et si dicat aliquis, quod hoc stare non potest, quia ecclesia vniuersalis errare non potest. Ad hoc dicunt isti, quod quantum ad ea quæ fidei sunt, & bonorum morum, ecclesia vniuersalis errare non potest. sed quantum ad ea quæ facti sunt, ecclesia militans errare potest & decipi: & sic errauit fœminam venerando pro Papa. sic etiam errauit Anastasium secundum hæreticum antequam esset deprehensus habendo pro Papa. sic etiam sæpe errat, dum Papam virum sceleratissimum, sanctum virum putat & bonum. nonne ecclesia errauit putans Syluestrum secundum, qui erat nigromanticus, & homagium fecerat diabolo, esse virum bonum. & de multis aliis pontificibus, ecclesia reputans eos sanctos viros, errauit. Vnde isti dicunt *in Chronicis* se legisse circa viginti septem vocatos Romanos episcopos, postquam ecclesia extitit temporalibus diuitiis dotata, qui sceleribus maximis publicis & notoriis, postquam fuerunt ad Papatum assumpti, vel in ipsa assumptione ad Papatum irretiti fuerunt, qui sc. crimen hæresis, idololatriæ, intrusionis, fautoriæ, prauitatis hæreticæ, blasphemiæ, fornicationis, & aliis multis enormibus criminibus inuoluti fuerunt. ecclesia ergo sæpe, quantum ad ea quæ facti sunt, errat. Secundo dicunt, quod simile est de isto impugnato quantum ad hoc, quod debeat vitari vel non vitari, & de aliquo non baptizato, si putatus baptizatus eligeretur in Papam: quia illi, qui scirent eum non baptizatum, nequaquam deberent eum habere pro Papa. Alios autem ignorantia excusaret. sic dicunt de isto, quod qui sciunt ipsum esse hæreticum, sibi non debet aliqualiter obedire. Alii autem qui ignorant, & non laborant i-

ignorantia crassa vel supina, licite sibi obediunt. Simile est etiam de isto & de non ordinato celebrante missam: quia qui sciunt eum non esse ordinatum audiendo missam eius peccant mortaliter, & adorando hostiam, quam eleuat, committunt idololatriam. qui autem ignorant eum non esse ordinatum, per ignorantiam excusantur, si non est crassa & supina. sic debet esse de obedientibus isti, qui sciunt vel credunt esse talem, si obediunt, peccant mortaliter: si non reputant eum talem, & ignorantia non laborant crassa & supina, sibi obediunt, excusantur. Dicunt tñ isti, quod licet obedientes aliqui possint per ignorantiam excusari, non tamen possunt excusari per ignorantiam talem, qui appellantes contra ipsum & veritatem catholicam defensantes in fauorem ipsius persequuntur vel molestant quoquo modo: quia scire tenetur omnes, ꝙ quilibet Christianus potest se licite exponere pro defensione fidei Christianæ, multomagis quam pro defensione patriæ. & ideo quicunque dicit sese appellare contra Papam pro defensione Christianæ fidei, antequam constiterit ipsum calumniose, vel alias inique procedere, non est ab aliquo molestandus, sed magis ab omnibus est tuendus. Dicunt ergo isti impugnatores, quod iste impugnatus ab omnibus reputantibus eum hæreticum est vitandus, cum sit hæreticus manifestus, vt per rationes adductas superius euidentius est ostensum.

Sed contra prædicta duæ obiectiones mouentur. Prima est Fratris Giraldi Odonis, quæ talis est. Reges & Principes & prælati ac multitudo alia Christianorum habent eũ pro vero & catholico Papa. ergo non est hæreticus reputandus. Secunda est quorundam aliorum dicentium, quod non est hæreticus, cum credat se catholicæ fidei minime obuiare. Ad primam istarum obiectionum dicunt isti, quod prædictus Frater Giraldus tanquam hæreticus nititur hæreticum defensare, ꝙ enim iste Giraldus sit hæreticus manifestus, per rationem secundam, qua ostenditur, quod iste impugnatus est hæreticus, & per tertiam, quintam & nonam monstratur aperte: tum quia iste Giraldus cogit alios ad constitutiones istius impugnati hæreticales pertinaciter defendendas: tum quia cogit alios veritatem catholicam abiurare: tum quia determinationem vniuersalis ecclesiæ scienter impugnat: tum quia defensores fidei catholicæ acerbissime & crudelissime persequitur & impugnat. Præter istas rationes alias plures adducunt ad probandum, quod iste Giraldus hæreticus sit censendus, de quibus aliqua breuiter hic tanguntur: quarum prima est hæc. Iste qui in fauorem hæreticorum eorum veritates & scripturas catholicas prohibet probari & legi, est hæreticus vel saltem fautor istorum hæreticorum. sed hoc facit iste Giraldus, cum in fauorem istius impugnati prohibuerit prædicare animas sanctorum videre Deum in cœlo. & Parisius præcepit, quod determinatio domini Nicolai tertii minime legeretur. ergo, &c. Secũda ratio est hæc. qui impugnat veritatem agnitam est deterior hæretico nescienter. sed iste impugnat veritatem agnitam de paupertate Christi & apostolorum: quia ipsam veritatem ipsemet tenere solebat: ergo, &c. sed ad hoc forte dicet, quod adhuc tenet eam in corde, sicut cuidam Fratri per socium suum intimauit, vt fertur. sed ista responsio ipsum nequaquam excusat, sed de mendacio in doctrina religionis & duplicitate ac falsitate accusat, sicut de se patet. Tertia ratio est hæc. qui in fauorem hæreticorum nouas hæreses nititur inuenire & tenere, est hæreticus reputandus. sed iste Giraldus in fauorem istius impugnati nouas hæreses fingit & tenet, de quibus aliquæ sunt præsentibus inserendæ. Quarum prima est: quod Papa intrans canonice non potest errare in fide, nec inuenitur ꝙ aliquis errauerit. Secundus error, quẽ tenet, est quod à Papa de iure appellari non potest. Tertius, quod Papa in causa fidei non habet superiorem in terris. Quartus, quod verus zelus fidei nunquã facit fugere pro causa fidei, nisi qñ peregrinum ciues non recipiunt, nec audire volunt, sed de sua ciuitate illum expellunt. Quintus est, quod paupertas B. Francisci & Regulæ suæ non est in paupertate Christi fundata. Sextus est, quod declarationes summorum pontificum super regulam B. Francisci sunt fermentum primæ puritatis regulæ corruptiuum. Septimus est, ꝙ declarationes super regulam B. Francisci sunt hæreticales. Octauus est, quod regula B. Francisci intellecta, vt est p summos pontifices declarata, est inobseruabilis reputanda. Nonus est, ꝙ Fratrib. Minorib. licet in cõi ꝓpria possidere. Istos errores & alios sapientes hæresim manifestam iste Giraldus in fauorem istius impugnati confingit & tenet. ergo hæreticus est censendus. hæreticus ergo, vt dicunt, ꝓ hæretico nititur allegare. Obiectio tñ sua non valet: tũ quia sicut ostensum est ecclesia militans errare põt quantum ad ea quæ facti sunt: tum quia non tota multitudo Christianorum reputat eum catholicum. multi aũt reges & principes, imo & nonnulli prælati põt forsitan p ignorantiam excusari. De multis aũt rusticis & aliis simplicib. non est dubium, quin per ignorantiã excusentur. Secunda obiectio est illorum, ꝙ legẽ diuinã & doctrinã sanctorũ ignorãt, nescientes distinguere inter scienter hæreticũ & nescienter hæreticum: quæ tamen distinctio expresse colligitur ex verbis Augustini quæ recitantur, *6.q.1.c.quaro*. Dicunt ergo isti, quod esto quod iste nesciret se à fide catholica discrepare, ex quo tamen vere discrepat à fide recta, & pertinaciter discrepat, sicut ostensum est supra, est hæreticus reputãdus. quemadmodum Arriani, Sabelliani, Nestoriani & alii multi damnati hæretici, licet crediderunt se veram fidem Christi tenere, quia tamen in rei veritate non tenuerunt, & in suis erroribus pertinaces inuenti fuerunt, vere fuerunt hæretici: quia quicunque pertinaciter adhæret minimo errori contra scripturam sacram seu doctrinam vniuersalis ecclesiæ est vere hæreticus. qualiter autem aliquis de pertinacia conuinci debeat, ex præcedentibus dicunt isti patere. ¶His visis super literam sunt pauca dicenda. [*quam quidem s. scripturam prædictam bulla nostra munitam.*] Hic notant aliqui duo. Primũ est, ꝙ in editione istius cõstõnis cardinaliũ consensum nõ habuit, sed hoc videtur nõnullis ad ꝓpositũ parũ valere. Secũdo notat, ꝙ

sicut deductũ est, ex hoc non solũ de errore, sed etiam de pertinacia manifeste conuincitur: quia ex hoc quod dictam constitutionem bulla sua muniuit, probatur omnium errorum & singulorum contentorum in ipsa pertinax defensator: & ideo hæreticus manifestus, etiam si nulla illarum hæresum vnquam fuisset explicite condemnata, vel veritas contraria per Romanum pontificem explicite approbata. [*Hæreticorum doctrina prædicta præfert.*] hic damnat doctrinam Romanæ ecclesiæ: cum doctrina appellantis non sit alia, quam doctrina Romanæ ecclesiæ, quia nunquam aliam defensauit, nec defendere intendebat.

Hoc *Opus nonaginta dierum* quamuis cursim & sermone nullatenus falerato, multo tamen cõpleui labore, in quo me recitatorẽ assertionum contrariarum istius impugnati & impugnatorum suorum constituens nonnunquam etiam ipsorum impugnantium diuersorum personas assumpsi: qui licet in principalibus assertionibus contra impugnatum conueniant, in quibusdam tamen incidentalibus contrarie opinantur. quare contrarietas, quæ potest in præcedentibus inueniri, non vni, sed diuersis debet imponi. Sane pro hoc opere ambæ partes grates mihi referre deberent. Nam impugnantium rationes scripturæ mandaui, & quantum in me est omnibus publicaui, quod ipsos audio toto desiderio cordis affectare. impugnati vero exercitare volui intellectum, & sibi occasionem cogitandi, ac mentem suam circa omnia exprimendi præbere. quid vero de omnibus sentiam in quodam *opere super omnes constitutiones* istius ab aliis impugnatas, quantum patietur pro tempore isto ingenii penuria mei, diuina gratia concedente, explicare curabo. quæ autem in præmissis diminute, confuse vel obscure, prolata repererint, non illis, quorum sententias volui recitare, sed breuitati temporis & ingenii mei tenuitati tanquam discretus lector ascribat. inter vera autem & falsa subtiliter iudicare conetur.

Explicitum est Opus nonaginta dierum. correspondens sexto tractatui Dialogi M. Guilhelmi de Ockam. Sequuntur libelli Fratris Michaelis de Cezena: in quibus gesta eius, de quibus idem Ockam in prælegato loco se tractaturum promiserat, plurima continentur, vt patebit eosdem diligenter lecturis.

Anno Domini 1331.

MICHAELIS CÆSENATIS, MAGISTRI GENERALIS IN ORDINE MINORVM,

TRACTATVS.

CONTRA ERRORES IOHANNIS XXII. PAPÆ SVPER VTILI DOminio Ecclesiasticorum, & abdicatione bonorum temporalium in perfectione status Monachorum & Clericorum.

Litera recitatoria gestorum Fratris Michaelis de Cezena, edita, vt in fine earum patebit, subscriptione & suffragio Henrici de Thalhem, Francisci de Esculo, & Guilhelmi de Ockam, & aliorum ei adhærentium, ex Monacho ad Capitulum Minorum in Parpiniano aut Auinione congregandum, Anno Domini. M. CCCXXXI.



Niuersis Fratribus Ordinis Minorum in proximo futuro festo Pentecostes in Parpiniano aut Auinione congregandis, Frater Michael Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister & seruus, salutem. Literas plurium Magistrorum in sacra pagina aliorumq; notabiliũ Fratrum Ordinis beati Francisci tam Parisius quam de partibus aliis me noueritis recepisse, per quas me inducere videbantur, vt ad vnitatem sanctæ Romanæ ecclesiæ ac dicti Ordinis, à qua me dicebant auersum, accedere festinarem. Quibus literis explicando veritatem facti per ordinem duxi præsentibus sic breuiter respondendum, videlicet quod cum anno Domini M. CCC. XXVIII. vna cum Fratribus Raymundo Procuratore supradicti Ordinis, Petro de Prato tunc Ministro Prouinciæ sancti Francisci, & Laurentio tunc Baccalario, in conuentu Auinionis essem in domini Iohannis præsentia constitutus, post multa ibidem dicta idem dominus Iohannes dixit & asseruit pluries literam siue determinationem, quam generale capitulum & Fratres dicti Ordinis olim Parisius congregati concorditer fecerant, fore hæreticam. In qua litera firmiter asserebant & vniuersis Christi fidelibus intimabant in hæc verba, videlicet: *Dicimus quod dicere & asserere, quod Christus viam perfectionis ostendens & apostoli eandem viam perfectionis sequentes atque exemplum in alios volentes perfecte viuere deriuantes nihil iuris, proprietatis & dominii seu iuris proprii in speciali vel in communi habuerunt, non esse hæreticum: sed sanum, catholicum & fidele, maxime cum sancta Romana ecclesia catholica, quæ à tramite apostolicæ traditionis nunquam deuiasse aut errasse probatur, hoc expresse dicat affirmet & determinet manifeste, extra de verborum significatione, Exiit qui seminat. §. porro, sic inquiens: dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum tã in speciali quam ẽt in communi propter Deum meritoria est & sancta, quã Christus viã perfectionis ostendens,*

dens, ver-

bus, verbo docuit & exemplo firmauit, quam q. primi ecclesiæ fundatores (id est, Apostoli) *prout ab ipso fonte* (scil. Christo) *hauserant in volentes perfecte viuere per doctrina ac vita ipsorum alueos deriuarunt. Quæ quidem ecclesiæ determinatio in 6. libro Decretalium per ipsam catholicam ecclesiam est inserta. Et per decretalem in Viennensi concilio promulgata: & in alio libro sub titulo De ver. sig. per vniuersalem ecclesiam est approbata.* Hęc verba literæ & determinationis, quam dictus Dominus Iohannes dixit & asseruit hæreticam. Quæ determinatio fuit etiam ab omnibus Magistris & Baccalariis in sacra pagina de Parisiis & de Anglia dicti Ordinis approbata, & vniuersis Christi fidelibus destinata, sicut de prædicta determinatione capituli patet per literas Generalis Magistri ac omnium Magistrorum & Baccalariorum in sacra pagina in dicto generali capitulo præsentium, & quorundam Ministrorum prouincialium dicti ordinis sigillis & subscriptionibus roboratas. Et de approbatione aliorum Magistrorum de Parisiis & de Anglia constat per alias ipsorum sigillis & subscriptionibus communitas. Quod autem dictus Dominus Iohannes pluries dixerit & asseruerit dictam literam siue determinationem generalis Capituli hæreticam, patuit. Et patet per literas dictorum patrum Raymundi Petri & Laurentii subscriptione vallatas. Quod etiam reputauerit & firmiter tenuerit, teneat ac doceat hæreticum esse censendum asserere, Christum & Apostolos non habuisse aliqua iure proprietatis & dominii in speciali vel in communi. Et quod vsus rerum vsu consumptibilium non potest à proprietate & dominio separari. Et quicunque scienter verbo vel scripto contrarium asseruerit, tanquam rebellis & contumax ecclesiæ habeatur, & alia plura contra sacram scripturam, per quæ dictam determinationem ecclesiæ & prædicti Capituli generalis, ac regulam & religionem sancti Francisci quantum in se est facit hæreticam & schismaticam, ac destruit & confundit. Patet aperte per statuta per ipsum dominum Ioannem facta, & per mundum publice diuulgata, quorum primum incipit *Ad conditorem*: secundum, *Cum inter nonnullos*; tertium, *Quia quorundam*.

Quamobrem attendens dictam assertionem præfati domini Ioannis manifeste aduersari [illegible] catholicæ & sanctæ matris, ac professionis Ordinis sæpe dicti. Et quod per eandem dictam determinationem ecclesiæ & Capituli, quantum in se est, hæreticabat, ac per consequens omnes illos, qui consenserunt in ipsam hæreticos faciebat. Primo in eius præsentia constitutus in facie sibi restiti ad instar Pauli, qui Petro in facie restitit, cum gentes induceret ad iudaizandum & à veritate euangelii recedendum, sicut ipse testatur ad Gal. 2. c. & asserui dictam determinationem & literam Capituli generalis non esse hæreticam, sed catholicam, & cum determinatione ecclesiæ concordare. Et ipse me in sua curia statuit post dictã resistentiam, & arrestauit. Ego vero ex his, quæ dixerat & fecerat contra me, ac ex aliis probabilibus coniecturis manifeste cognoscens, quod ipse Dominus intendebat me compellere ad abnegandum dictam determinationem Capituli generalis in Auinione adhuc existens zelo fidei catholicæ & dictæ religionis accensus & habito prius magno & maturo consilio, ab ipso domino Ioanne & à dicta eius assertione & arrestatione infra tempus legitimum meo nomine & omnium Fratrum mihi adhærentium & adhærere volentium, ac dicti Ordinis secundum quod tradunt canonicæ sanctiones, ad sanctam Romanam ecclesiam catholicam & Apostolicam appellaui. Et sic ab ipsius domini Ioannis obedientia & communione recessi ad instar catholicorum & approbatorum virorum de clero Romano, qui ab obedientia & communione Anastasii Papæ deuiantis à veritate fidei, quam etiam determinat, recesserunt, prout in *canone 9. dist. Anastasius*, legitur & habetur. Et ad instar sanctorum Anastasii, Eusebii, & aliorum, qui ab obedientia Liberii Papæ: & Hilarii Pictauiensis episcopi, qui ab obedientia Leonis Papæ, ex causa simili recesserunt. Et quia ipse Dominus Iohannes me & sequaces meos persequebatur ad mortem, sicut notorium & manifestum extitit; ideo iuxta consilium Christi dicentis: *Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam*: ad ciuitatem Pisarum me transtuli. Et ibi vna cum Magistris in sacra pagina, & aliis notabilibus Fratribus dicti Ordinis mihi adhærentibus dictam appellationem publicaui. Et etiam ab ipso Domino Iohanne de dictis gestis, & statutis per eum: ac ab omnibus aliis per eum factis contra me & mihi adhærentes & dictum ordinem, iterum ad sanctam Romanam ecclesiam publice & solenniter appellaui: & dictam appellationem eidem Domino Iohanni transmisi. Licet autem secundum iura & canonicas sanctiones ad generale Concilium vniuersalis Ecclesiæ, ad quam appellaueram, pertinet de huiusmodi appellatione & crimine hæresis cognoscere & diffinire: quia in his, quæ ad fidem catholicam pertinent, Papa subest concilio, sicut patet per illud, quod legitur & notatur in præallegato *cap. Anastasius 9. distinct. & 15. distinctione cap. sicut sancti, in textu & Glossa*: accusari & denunciari possit Papa de hæresi: nec possit statuere seu facere aliquid, per quod non valeat accusari. Quia ex tali statuto siue facto possit fides ecclesię periclitari, sicut patet per illud, quod legitur & notatur *40. dist. cap. si Papa, in textu & Glossa*: quod in his maius sit concilium quam Papa, sicut maior est orbis vrbe *93. distinct. cap. legimus in textu & Glossa*: & quod semel generale concilium, & synodus generalis statuit pro fidei veritate, Papa mutare non possit, cum in his subsit generali concilio *24. q. 1. maiores, & in dicto cap. sicut sancti, & 25. q. 1. cap. contra statuta & c. omne & cap. prima salus, & in eadem causa q. 2. c. si ea destruerem & c. amputato*: imo si Papa à fide deuiat, minor est quocunq; catholico, sicut expresse notatur *24. q. 1. c. Achacius in Glossa, & c. Audiuimus §. sin autem & §. item cum Dominus in fine*. Et ideo per appellationem interpositam ab eo, ego & adhærentes mihi, essemus ab omni potestate & iurisdictione ipsius Domini Iohannis exempti, vt patet per illud, quod legitur & notatur *extra de appellatione c. proposuit in textu & Glossa*. Et is ad quem appellatum est, & non à quo, habet de appellatione cognoscere, *extra de appellationibus c. vt debitus & c. cum spirituali*. Nec

is, à quo appellatum est, possit in præiudicium appellantis, ipsa appellatione pendente, aliquid innouare, *2. q. 6. c. post appellationem §. appellatione & ff. Nil innouari appellatione pendente l. 1.* Et maxime cum causa tangit illum à quo appellatum est, sicut tangebat dictum Dominum Iohannem, & contra eum & eius statuta tanquam hæretica appellaueram. Et in causa propria nullus potest iudicare vel ius sibi dicere, *24. q. 4. cap. inter querelas & q. 5. c. de occidendis & cap. ne quis in causa propria ius sibi dicat*, per totum. Nec potest quis esse iudex & pars. *4. q. 4. c. 1.* Tamen idem Dominus Iohannes recepta dicta appellatione per me interposita nominibus supradictis respondendo ad ipsam appellationem & diffiniendo & determinando de ipsa & contentis in ea pro libito voluntatis omni lege contempta penitus & subuersa composuit, fecit & publice promulgauit vnum statutum siue libellum, cuius initium est: *Quia vir reprobus Michael de Cæsena.* In quo libello siue statuto & priores errores pertinaciter defendit, & manifestius explicat, & alios errores ad primos accumulat, per quos quod est fidei, quod religionis, & quod morum destruit & confundit. Nam in eo inter cætera dogmatizat aperte infra scriptos errores.

Primus est, quod Christus inquantum homo maior ab instanti suæ conceptionis, habuit ex Dei datione vniuersale dominium rerum omnium temporalium, sicut verus rex & Dominus in temporalibus.

Secundus est, quod Christus inquantum homo maior per successum temporis acquisiuit sibi & habuit in speciali dominium proprium & immediatum vestimentorum, alimentorum, calciamentorum & loculorum, partim collatione fidelium, partim per emptionem.

Tertius, quod Christus nunquam consuluit Apostolis, nec suis discipulis abdicationem proprietatis & dominii omnium rerum temporalium.

Quartus quod Christus non dedit aliam legem viuendi Apostolis, quam discipulis, per discipulos intelligens quoscunq; fideles Christianos, sicut manifeste patet per eius exempla, in quibus inter discipulos numerat Ioseph ab Arimathia, qui erat diues in speciali, & Martham & Mariam, quæ secundum ipsum erant dominæ castri: & Lazarum ac Simonem Leprosum, & Dorcam, qui secundum eum habebant dominium temporalium in speciali.

Quintus est, quod Christus non præcepit Apostolis simpliciter & absolute, ne possiderent aurum & argentum & pecuniam in zonis, & ne portarent calciamenta, sed solum pro tempore viæ, quando ibant ad prædicandum, & post reditum à prædicatione poterant talia libere habere & portare.

Sextus, quod Apostoli in speciali & sigillatim proprietatem & dominium vestimentorum, alimentorum, caligarum & gladiorum habuerunt etiam post missionem Spiritus sancti in eos factam. Et quod illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia* &c. non sunt intelligenda quo ad abdicationem proprietatis & dominii, sed quo ad affectionem & curam.

Septimus, quod Apostoli potuerunt habere in speciali & sigillatim dominia castrorum & villarum ac quorumcunque aliorum bonorum temporalium; quia, vt dicit, non reperitur, quod Christus aliam legem viuendi dederit Apostolis, quam quibuscunque aliis discipulis, vt dictum est.

Octauus, quod Apostoli stante euangelica perfectione potuerunt habere in communi bona immobilia, vt agros & prędia; & quod talia in Iudæa non retinuerint, non fuit nisi ex eo quod præuidebant in spiritu se transituros ad gentes.

Nonus est, quod Apostoli nunquam emiserunt votum abdicationis proprietatis & dominii rerum temporalium.

Decimus est, quod Apostoli potuerunt licite pro rebus temporalibus, sicut pro rebus propriis, in iudicio contendere & litigare.

Vndecimus est, quod in prima multitudine credentium bona eis necessaria post distributionem bonorum ipsorum inter eos factam non erant ipsis communia quo ad dominium, sed solum ante distributionem: sed post ipsam distributionem quilibet efficiebatur in speciali proprietarius & Dominus portionis sibi assignatæ.

Duodecimus est, quod votum religiosorum absque proprio viuere profitentium non extendit se ad illa, quibus necessario eget vita humana.

Insuper ibidem dogmatizat quod illa benedictio data primis parentibus, quę fuit: *Crescite & multiplicamini* &c. fuit data Adæ soli ante formationem Euæ, & plura alia erronea. Quem libellum responsionis, qui, vt dictum est: incipit: *Quia vir reprobus*, cum fui in ciuitate Mauacensi recepi. Et ipso examinato, visisque dictis erroribus contentis in eo, ab ipso & à contentis dogmatizatis in eo, ad sanctam Romanam ecclesiam publice & solenniter appellaui, & tam in ipsa appellatione, quam in aliis supradictis appellationibus me & mihi adhærentes & dicta nostra supposui correctioni & emendationi ac protectioni & defensioni sanctæ Romanæ ecclesiæ.

Et sum semper protestatus in ipsis appellationibus me illam fidem tenere & seruare velle perpetuo, quam tenet & seruat sancta Romana ecclesia, quæ est omnium ecclesiarum mater & magistra, sicut constat per publica instrumenta confecta de appellationibus ante dictis.

Cum

Cum igitur manifestum sit, quod ille qui ad sanctam matrem ecclesiam appellat, & ad eius auxilium refugit, ac eius iudicium instanter postulat & requirit, ac se eius correctioni, emendationi & iudicio totaliter subiicit: & regula beati Francisci expresse dicat, quod Fratres semper sint subditi & subiecti pedibus sanctæ Romanæ ecclesiæ, stabiles in catholica fide, paupertatem & humilitatem & sanctum euangelium domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promiserunt, obseruent. Et ego, vt ex prædictis patet aperte, pro fide catholica, paupertate & euangelio, quod promisi firmiter obseruandum & defendendum, appellauerim & subiecerim me & dictum Ordinem correctioni, emendationi, protectioni & defensioni ipsius sanctæ Romanæ ecclesiæ: Cogor non modicū admirari, quomodo aut qua fronte aliqui dicunt me ab vnitate ecclesiæ & Ordinis recessisse. Et suadent, quod ad vnitatem & gremium sanctæ matris ecclesiæ, & dicti ordinis redeam vel accedam: cum ab ipsa vnitate ecclesiæ & dicti ordinis nunquam recesserim, nec recedere intendam; sed in vnitate ipsius sanctæ Romanæ ecclesiæ & ordinis dictam regulam firmiter tenentis & obseruantis, volo & intendo Domino assistente stare & perpetuo permanere. Nec obstat, quod aliqui dicere perhibentur, quod saltem ab vnitate dicti ordinis videor recessisse, ex eo quod congregatio Fratrum, quæ facta fuit Parisiis, anō Domini millesimo 300. 28. die mensis Iunii, me ab officio ministerii deposuit & amouit ex auctoritate & potestate eis data, vt asserunt, per Capitulum regulæ beati Francisci, in quo dicitur in hæc verba: *Et si aliquo tempore apparet vniuersitati Ministrorum Prouincialium & Custodum prædictum Ministrum non esse sufficientem ad seruitium & communem vtilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data est, alium eligere in Custodem*: quia his nō obstantibus gero me pro Generali Ministro. Et vere non obstat: quia constat, quod dictus dominus Iohannes post & contra primam appellationē me de facto absoluit, siue deposuit à dicto officio: quamuis de iure non possit, vt superius est probatū. Et quasi dictus Ordo Ministro Generali careret, fecit dominum Bertrandū de Turre Vicariū generalem dicti Ordinis. Et ipse Dominus Bertrandus auctoritate talis vicariatus mutauit terminum triennii secundum regulam constitutam per Capitulum generale Bononiæ celebratum: ac statuit, quod Fratres congregarentur Parisiis in festo Pentecostes tunc proxime futuro: & Ministros secundum formam regulæ & generalis concilii Viennensis per electionem institutos amouit pro maiori parte: & alios instituit non per electionem, sed motu proprio: & mandauit quod congregarentur Parisiis ad huc effectum, vt dicto Ordini tanquam carenti Ministro per dictam depositionem siue amotionem de me factam prouiderent de Generali ministro. Et sic huiusmodi tales dicti Ministri cū quibusdam aliis in dicto festo Pentecostes se congregauerunt Parisiis; Et instrumentum publicum fecerunt fieri, in quo dicitur sic: *Prædicti Ministri & Custodes asserentes Fratrem Michaelem fuisse iuste depositum, & alias pœnas incurrisse: nihilominus tamen ex abundanti & ad cautelam, & ad eius malitiam conuincendam, qua audet se erigere, vt abutatur dicto officio contra voluntatem & præceptum dicti domini Papæ, & etiam contra totius Ordinis voluntatem, qui eum reputat iuste depositum à prædicto domino nostro Papa, auctoritate regulæ & potestate ex eorum regula eis data ipsum deposuerunt, & amouerunt quantum in eis est ab officio memorato.* Hæc verba dicti instrumenti siue depositionis prædictæ. Ex quibus clare patet, quod dictum Capitulū regulæ in dicto casu non vendicat sibi locum. Tum quia verba regulæ prædictæ loquuntur, quando Ministri veri & legitimi Ministrum generalem, quem habere se & reputant & habent pro vero Generali Ministro, vident insufficientem, ac in dicto casu dicti dicentes se Ministros expresse asseruerunt, quod habebant me pro deposito & amoto per ipsum dominum Iohannem. Vnde secundum eos non deposuerunt me tanquam insufficientem, sicut dictum Capitulum regulæ dicit, nec ad hoc se congregauerunt Parisiis: sed solum ad hunc effectum, vt eligerent alium Generalem Ministrum in locum mei secundum eos iuste depositi & amoti. Et secundum mandatum eis datum per ipsum dictum Bertrandum, & ab ipsis sponte assumptum, & ad cuius mandati executionem se congregauerunt, non habebant potestatem videndi vtrum forem sufficiens ad seruitium & communem vtilitatem Fratrum, sicut dicta regula requirit, sed habito me pro deposito & amoto alium debebant eligere in Generalem Ministrum. Et ideo dictum Capitulum regulæ in hoc casu sibi locum nullatenus vendicauit. Tum quia depositio & amotio per dominum Iohannem de me facta: & creatio dicti domini Bertrandi in Vicarium dicti Ordinis fuerunt factæ post & contra appellationem per me interpositam, & nullius fuerunt momenti, vt superius est probatum. Et ideo amotio antiquorum Ministrorum Prouincialium & creatio nouorum Ministrorū facta per dictum dominum Bertrandum, nullius fuit momenti, ex eo quod non erat Vicarius legitime institutus. Et ex eo, quod ipsa creatio fuit facta contra formam generalis concilii Viennensis, quod statuit Ministros Prouinciales debere per electionem Prouincialis Capituli institui, & decreuit quicquid contra fieret, irritum sit & inane. Vnde cum non fuerint Ministri legitimi nec legitime instituti, dictum Capitulum regulæ, quod loquitur de veris & legitimis Ministris, qui habent videre vtrum existens Minister sit sufficiens, nullatenus vendicat sibi locum. Tum quia secundum iura & canonicas sanctiones, vbi principale non tenuit, scil. creatio Vicarii, mutatio termini triennii, & mandatum factum per dominum Bertrandum, quod se congregarent & congregatio ipsius auctoritate & mandato facta, per consequens quicquid secutum est ex ipsis vel ob ipsa nullius fuit roboris vel momenti, vt iura dicunt. Tum ex aliis rationibus & allegationibus super his factis, & per diuersas partes Ordinis missis, quæ hic breuitatis causa omittuntur.

Si vero potestis ostendere, quod prædicta per me superius allegata à veritate deuient, & quod prædicta statuta & gesta per præfatum dominum Iohannem cum veritate Euangelii & dictæ regulæ

beati Francisci stare possit, quodque ipsi veritati nullatenus aduersantur, etiam veritatem regulæ, quam vouistis, vultis tenere & inuiolabiliter obseruare, offero me paratum renunciare omnibus appellationibus per me interpositis ac officio Generalis Ministerii mihi imposito, quod (nouit Deus) inuite exerceo, nisi inquantum cogit necessitas defensionis fidei catholicæ & Ordinis sæpe dicti. Quod si non potestis, aut non vultis facere supradicta, saltem stantes & repugnantes pro ipsa veritate, & opponentes se murum pro domo Israel persequi desistatis. Licet autem indebite me putetis auersum, tamen mei officii non immemor suadeo & exhortor, ne regulam euangelicam cœlitus datam, per quam decenter velut specifice distincti estis, mutetis in aliquo: nec mutationi, quæ per aliquem fieri vellet, præbeatis assensum: quia quicunq; hanc regulam secuti fuerint, pax super illos. Qui vero illam mutauerint, vel eius mutationi consenserint, Esaiæ vaticinio, vbi dicitur, *Væ filii desertores* &c. se nouerint subiacere. Ex parte Fratris Michaelis Generalis Ministri dicti Ordinis licet inuiti, de voluntate & assensu Fratrum Henrici de Thalhelm, Francisci de Esculo, Guilhelmi de Ockam in sacra pagina Magistrorum: Et Fratris Bonęgratiæ, & aliorum Fratrum eis adhærentium. Data in Monacho in festo sancti Marci Euangelistæ. Anno Domini 1331. In quorum omnium testimonium, Ego dictus Frater Michael, vna cum dictis Magistro Henrico, Francisco & Guilhelmo, sigilla imposuimus.

LITTERÆ AD OMNES FRATRES ORDINIS MINORVM. IN QVIBVS OSTENDITVR, QVOMODO PER DVO STATVTA IOANNES PAPA 22. confirmauit & approbauit Regulam Fratrum Minorum esse Catholicam & Sanctam. Postea in reprobum sensum datus per quatuor Statuta hæreticalia damnauit eam. Quorum primum incipit *Ad conditorem canonum.* Secundum; *Cum inter nonnullos.* Tertium, *Quia quorundam.* Quartum, *Quia vir reprobus*, &c.

Vniuersis & singulis Ministris, Custodibus, Gardianis, Vicariis, cæterisq; Fratribus Ordinis Minorum fidem catholicam, sanctum euangelium & Regulam, quam vouerunt, firmiter tenentibus, & volentibus obseruare, Frater Michael eiusdem Ordinis Generalis Minister & seruus salutem & pacem in Domino sempiternam. Christianæ fidei fundamentum & fundator Dominus noster Iesus Christus, qui apparuit mundo, vt Diaboli dissolueret opera, in ecclesia sua catholica & Apostolica, duo genera saluandorum hominum stabiliuit. Primum eorum, qui per fidem rectam & mandatorum legis obseruantiam nituntur ad æternam beatitudinem peruenire. De quo in euangelio dicitur, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei.* Secundum illorum, qui cupientes etiam in consiliis euangelicis vitam ipsius Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum eius insequi perfecte, quæ est sanctum euangelium obseruare viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate promittunt: de quo in ipso Euangello dicit. *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes: & da pauperibus & veni, sequere me.* Et sanctus Petrus in persona omnium Apostolorum insinuans se & Apostolos dictum perfectionis mandatum implesse respondit: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Quæ scilicet consilia sancta Romana & vniuersalis ecclesia in sacris canonibus, & præcipue *extra de statu monachorum c. Cum ad monasterium, & 12. q. 1. c. dilectissimis & c. duo sunt & c. quia tua & c. scimus. & c. nolo & c. non dicatis & extra de verbo. signi. c. Exiit.* Et in *Regulis sanctorum Augustini, Benedicti & Francisci* per vniuersalem ecclesiam approbatis & confirmatis, determinatis & diffinitis fore cuilibet religioni perfecte imitanti vitam Christi & Apostolorum annexam huic doctrinæ euangelicæ & sanctæ Romanæ ecclesiæ quicunq; contradictor extiterit, siue eam non crediderit, & fideliter confessus fuerit, absque dubio in æternum peribit, & ipso facto est excommunicatus atq; damnatus tanquam hæreticus per sententiam sacri concilii generalis vniuersalis ecclesiæ catholicæ, quia firmiter non credit, confitetur & tenet doctrinam, quam Christus viam vitæ demonstrando humano generi tribuit salutarem, quam sancta Romana ecclesia firmiter credit & fideliter confitetur, sicut patet in generali concilio vniuersalis ecclesiæ posito *extra de summa trinitate & fide catholica cap. firmiter §. hæc sancta trinitas, & lib. 5.* in eodem concilio generali in decretali quæ est pars dicti concilii generalis, posita sub titulo *de hæreticis*, dicitur: *Excommunicamus itaq; & anathematizamus omnem hæresim extollentem se aduersus hanc sanctam orthodoxam & catholicam fidem, quam superius exposuimus, condemnantes vniuersos hæreticos quibuscunque nominibus censeantur.* Cum certum sit, quod illa salutaris doctrina & via vitæ, quam Christus humano generi tribuit & demonstrauit, quæ est firmiter credenda & fideliter confitenda, de qua dicitur in dicto §. *Hæc sancta trinitas*, est sacra doctrina in sancto euangelio à CHRISTO docta, & in noua testamento descripta, vt probatur *24. distinctione cap. qui episcopus.* De qua non est licitum dubitare vel disceptare, vtrum verum sit & sanctum, quicquid in

ea.

ea constiterit esse scriptum: sed quicquid in ea reperitur, incunctanter credendum est, vt dicitur *9 distinct. cap. 1. & c. quis nesciat.* Et quæ in ipsam sacram doctrinam sancti Euagelii siue noui & veteris testamenti impingit in articulos fidei; *Credo in Deum patrem: Credo in Iesum Christum filium eius: Credo in Spiritum sanctum*, trinum & vnum Deum verum, à quo ipsa doctrina prolata est. Et in articulum; *Vnam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam*, quæ dictam doctrinam euangelii & dictorum sanctorum regulas approbauit, euidenter impingit. Et quicunque aliter euangelizat siue docet, quam euangelizatum est, anathema est, & à Deo & eius sancta catholica & apostolica ecclesia separatus, Apostolo testante ad Gal. 1. & dicente: *licet nos aut angelus de cœlo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* Et quicunq; sacram scripturam aliter intelligit, quam sensus Spiritus sancti, à quo prolata est, flagitat, hæreticus est censendus, licet corpore ab ecclesia non recesserit, vt dicitur *24. q. 3. cap. hæres.* Vnde & Papa contra doctrinam fidei catholicæ docens, siue statuens in sententiam excommunicationis, damnationis, & priuationis incidit ipso facto, & minor est quocunque catholico, sicut habetur & notatur *24. q. 1. in principio & in Glossa. Et in cap. Achacius, in textu & Gloss. & in §. Item cum Dominus & § si autem & §. his auctoritatibus & c. dicimus & 19. distinct. §. hoc autem & §. quia vero, in cap. Anastasius, in textu & Gloss.* Et credentes, fautores & defensores eiusdem sunt ipso iure excommunicati & infames effecti: nec possunt aliquod officium legitimum exercere: nec ex testamento alterius aliquid capere, nec eligi, nec eligere ad officium vel dignitatem: nec ad testimonium aliquod nec ad hæreditatis alicuius successionem sunt aliquatenus admittendi: vt probatur in dicto *cap. excommunicamus itaque §. credentes, & in sequenti c. excommunicamus & anathematizamus.* Verum quia Saluator prædicit in euangelio circa finem seculi pseudoChristos & pseudoProphetas surgere, & multos seducere, & fideles suos in mundo multas habituros pressuras, sed tamen portas inferi (id est, hæreses) non præualituras. Proinde, vt ait Apostolus 1. ad Cor. 10. *Oportet hæreses esse, vt qui probati fuerint, manifesti fiant.* Oportet etiam vere catholicos & fideles cum propheta ex aduerso consurgere, & murum opponere pro domo Israel: & cum Apostolo per multas tribulationes intrare regnum Dei; quoniam non sunt condignæ passiones huius mundi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, vt hæc dicuntur *1. q. 3. cap. Saluator.* Almus etiã Christi confessor, & vitæ ipsius præcipuus imitator sanctus Franciscus, ac eius stigmatibus notabiliter insignitus Spiritu sancto demonstrante prædixit regulam & religionem suam acerrime diffamandam. Et quod super eam venirent tentationes immensæ, & qui fuerint tunc probati, accipient coronam vitæ. Væ autem illis, qui de sola spe religionis confisi tepescent, nec resistent constanter tentationibus ad probationem electorum permissis. Sed quantiscunq; tentationibus fuerit dicta ipsius religio impulsa, salua semper Christi numine permanebit, vt habetur in dictis ipsius sancti.

Ideo factum est his diebus nouissimis, vt Iacob de Cadurco, dicit Iohannes Papa 22. qui prius antequam datus esset in reprobum sensum, pontificatus sui anno secundo approbauit & in iudiciis, & in scholis legi publice mandauit decretalem, quæ incipit: *Exiui de paradiso*, sicut patet in prooemio per ipsum facto super nouas constitutiones Clementis Papæ 5. In qua decretali Regula sancti Francisci, quæ est sanctum euangelium obseruare viuendo in obedientia sine proprio, & in castitate tanquam forma & regula vitæ cœlestis, & toti vniuersali ecclesiæ plurimum fructuosa, ac declaratio domini Nicolai Papæ tertii, & abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi, tanquam abdicatio ad perfectionem ducens; & altissima paupertas solo Deo contenta approbatur & commendatur, ac dicta religio sancti Francisci pronunciatur sancta & muris regularis obseruantiæ firmiter vndiq; circumclusa. Et etiã idem dominus Iohannes de consilio Cardinalium suorum fecit aliam declarationem super dictam regulam, quæ incipit: *Quorundam exigit*: in qua pronunciauit decretalem *Exiit qui seminat*, salubriter editam, solidam, claram & lucidam, multaq; maturitate digestam, & dictam religionem sancti Francisci sanctam & de die in diem de virtute in virtutem ad perfectionem tendere terrena despiciendo & cœlestia complectendo. Et aliam ordinationem, quæ incipit *Gloriosam*: in qua pronunciauit dictum Ordinem Fratrum Minorum ab ipso suæ fundationis exordio dicti almi confessoris beati Francisci regulari traditione & Apostolicæ sedis confirmatione fore in vita & doctrina sanctam, & indissolubili quadam textura ecclesiæ catholicæ connexum, fide clarum, spe validum, caritate profusum, obedientia deuotum, velut singulare iubar sanctitatis exemplo vitæ ac doctrinæ verbo per vniuersum orbem claruisse & ecclesiasticę doctrinæ multum vtilitatis & inclitæ alacritatis plurimum attulisse, & quosdam Fratres dicti ordinis in dictas declarationes suas iudicio suo impingentes tanquam hæreticos iudicauit, prout hęc omnia in dictis constitutionibus editis per dictum dominum Iohannem pontificatus sui anno secundo plenius & seriosius explicantur. Manifestum autem est, quod in sæpe dicta decretali *Exiit qui seminat* per ipsum dominum Iohannem in dictis suis constitutionibus, & præcipue in dicta sua declaratione, quæ incipit, *Quorundam exigit*, specialiter approbata diffinitur in hæc verba: *dicimus, quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam etiã in communi propter Deum meritoria est & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmauit, quamq; primi fundatores militantis ecclesiæ prout ab ipso fonte hauserant, in volentes perfecte viuere, per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos deriuarunt.* Hæc ibi. Ex quibus clare patet, quod etiã ipse Iohannes circa primordia sui pontificatus tenuit & docuit Christum & Apostolos eius proprietatem & dominium rerum omnium temporalium reliquisse siue à se penitus abdicasse. Sed ipse post modum in reprobum sensum datus, & à cupiditate diuitiarum huius seculi, quæ teste euangelio verbum Dei suffocant, excæcatus etiam sibiipsi

& dictis suis constitutionibus contradicens & seipsum proprio iudicio condemnans, elapso anno 6. pontificatus sui fecit quatuor detestanda statuta hæreticalia manifeste aduersantia fidei catholicæ & dictæ doctrinæ euangelicæ & Apostolicæ & sanctæ Romanæ ecclesiæ. Quæ statuta per mundum publice diuulgauit, quorum primum incipit, *Ad conditorem canonum*, in cuius fine scriptum est: *Datum Auinion. anno 7. Pontificatus nostri.* Et secundum incipit: *Cum inter nonnullos*, datum anno 8. A qua constitutione *Ad conditorem* pro parte dicti Ordinis in præsentia eius domini Ioannis & Cardinalium suorum primo per Fratrem Bonamhoram Procuratorem dicti Ordinis ad sanctam Romanam Ecclesiam catholicam extitit appellatum. Tertium incipit: *Quia quorundam mentes*, datū anno 9. Quartum statutū est, quo ipse Ioannes sui pectoris venenum manifestius explicat & euomit, incipit *Quia vir reprobus Michael de Cesena*, cuius signo scriptū est: *Datum anno 14. pontificatus nostri.* In quib⁹ statutis siue libellis hæreticalib⁹ publice, notorie & pertinaciter dogmatizat, ꝙ Christus & Apostoli in omnibus rebus temporalibus, quas scriptura eos habuisse testatur, tā in speciali q̃ etiā in communi ꝓprietatē & dominiū habuerunt: & ꝙ à se ꝓprietatem & dominium rerū temporaliū nullatenus abdicarūt, nec illa reliq̃runt nec abdicationē huiusmodi docuerunt: & omnes asserentes oppositū esse censendos hæreticos, & sicut hæreticos condēnandos iudicat & diffinit. Et in dicto suo statuto siue libello, *Quia vir reprobus*, dogmatizare præsumit manifeste, ꝙ Christus inq̃tum homo ab instāti suæ conceptionis habuit ex Dei datione vniuersale dominiū omniū temporaliū huius mundi, & fuit Dominus & rex verus in temporalibus omnibus, & quod nihilominus habuit dominium multarum rerū temporaliū non ab instāti suæ conceptionis, sed postea successiue aliis modis, vtpote ex collatione fideliū vel emptione acquisitarū: & quod illi dominio & regno nunq̃ renuntiauit, nec renuntiare potuit. Quia fecisset contra ordinationē patris, de qua dicitur Dan. 8. *Suscitabit Deus cœli regnū ꝙ non corrumpetur nec dissipabitur in æternū & regnū eius alteri non tradetur & potestas eius æterna, quæ non auferetur.* Et quod non carentia dominii fecit Christū pauperē: sed potius carentia perceptionis fructus & obuentionis rerum, quatū erat Dominus: quia se ipsarū rerū, quarū erat Dominus & rex, fructibus & ꝓuentibus nisi in valde paucis non iuuabat. Et quod Apostoli etiā post missionē Spiritus sancti in rebus temporalibus eis concessis siue assignatis, habuerunt dominiū tam in speciali q̃ etiā in cōmuni. Et ꝙ quilibet ipsorū Apostolorū rerū, q̃ eidē assignabātur in cōmunitate credentiū, de qua dicitur *Act. 4. c.* fuit proprietarius & dominus. Et quod ipsi Apostoli non emiserunt votum abdicationis ꝓprietatis & dominii. Et quod votum viuendi sine ꝓprio ad res, quas necessario requirit vita humana, minime se extendit. Et quod Christus nullū modū viuēdi in speciali imposuit Apostolis, nisi sicut cæteris discipulis, per discipulos intelligēs non tantū septuaginta duos, sed etiā cæteros Christianos, qui Christum sequebantur, quod manifeste patet per eius verba, in quibus inter discipulos, de quibus ipse hæreticus loquitur, computat Ioseph ab Arimathia & Lazarum, & Martham, & Mariam Magdalenā, & Dorcā: de quibus manifestū est, quod non fuerunt de septuaginta duobus, sed de turba conuersorū ad Christum: qui etiā in generali dicebātur discipuli Christiani, vt patet *Act. 11.* Et insuper dogmatizat, quod Christus & Apostoli incesserunt calciati. Hæc est doctrina dicti hæretici in sæpe dicto libello *Quia vir reprobus*, explicite dogmatizata. Et in supradicto libello siue statuto, *Quia quorundam mentes*, dicit quod Christus nō docuit nec exēplo firmauit non portare pecuniam. Et quod illud, quod dicitur in euangelio; *Nolite portare pecuniam*, nō fuit præceptū, sed potestar recipiendi necessaria. Vnde dicit, ꝙ Apostolis licuit huiusmodi iniunctum siue dictum non seruare: Asserens quod Apostoli pecuniam portauerunt etiam post prædicta. Cum igitur sanctum euangelium, secundum Augustinum, sit vita & doctrina Christi, vt dicit in *libro contra Faustum*, & Christus Luc. 4. dicat; *euangelizare pauperibus misit me*: mea doctrina & vita informar. Et viuere sine proprio nihil aliud sit, nisi ea, quæ ad vitā pertinent, non habere propria. Ex dictis assertionibus dicti hæretici concluditur manifeste, quod falsa & erronea ac hæretica fuit. Et est dicta regula & forma viuendi, quam beatus Franciscus tradidit suis Fratribus, & eum sequi volentibus, dicens: *Regula & vita Fratrum Minorum hæc est, scil. Domini nostri Iesu Christi sanctum euangelium obseruare, viuendo in obedientia sine proprio & in castitate. Et ita Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem.* Et in eadem regula: *præcipio firmiter Fratribus vniuersis, ne vllo modo denarios vel pecuniam recipiant per se vel per interpositam personam.* Et alibi: *qui necessitate coguntur, possunt portare calciamenta.* Et in finem: *sanctum euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus obseruare, obseruemus.* Quia secundum dictum hæreticum talis vita siue forma viuendi non fuit vita Christi, nec in euangelio, siue à Christo docta: imo secundum dictum hæreticum Christus verbo & exemplo docuit de proprio viuere, siue in rebus omnibus temporalibus proprietatem & dominium habere tam in speciali quam in communi, & pecuniam portare, & incedere calciatos: & secundū ipsum hæreticū asserere quod Christus prædicta docuerit, contradicit sancto euangelio, siue vitæ & doctrinæ Christi & sancti euangelii. Ex dicta etiam assertione prædicti hæretici sequitur, quod vniuersalis ecclesia, quæ dictā regulā apꝓbauit & confirmauit, sicut normā siue formā viuendi in euangelio à Christo doctā, errauit in fide & doctrina Christi & sancti euangelii: & quod fallax erronea & hæretica fuit assertio ecclesiæ catholicæ, quam fecit in decretali præallegata, quæ incipit: *Exiit qui seminat*, cum dicit: *hi sunt illius sanctæ regulæ professores, quæ euangelico fundatur eloquio, vita Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis ecclesiæ Apostolorum eius sermonibus actibusq; firmatur.* Hæc est apud Deum & patrem munda & immaculata religio, quæ descendens à patre luminum per eius filiū exēplariter & verbaliter Apostolis tradita, & demū beato Francisco & eū sequētib⁹ inspirata. Et ita dicim⁹, ꝙ abdicationem ꝓprietatis huiusmodi Christ⁹ viā ꝑsecutionis verbo docuit exēplo firmauit. Et quod errauit in fide & doctrina euangelii totum concilium generale: imo tota

ecclesia

Ecclesia, quæ ipsum concilium approbauit & recepit. In quo concilio quod incipit, *Exiui de Paradyso*, de dicta regula dicitur sic: *Hæc est illa cœlestis vita forma & regula, quam descripsit ille Christi confessor eximius sanctus Franciscus.* Et sequitur etiam, quod sanctus Franciscus & alii sancti Fratres dicti Ordinis, qui in obseruantia & credulitate dictæ regulæ tanquam doctrinæ Euangelicæ vixerunt, & suos dies finierunt, in errore hæreticali vixerunt & mortui sunt. Et per consequens in æternum damnari. Et quod vniuersalis Ecclesia errauit in canonizando dictum sanctum Franciscum & venerando eum ac venerari mandando tanquam sanctum. Et ita secundum hanc hæreticalem doctrinam vniuersalis Ecclesia errauit in fide multipliciter, si dictam regulam sancti Francisci tanquam formam in Euangelio & à Christo doctã approbando & confirmando, & dictas decretales, *Exiit qui seminat*, & *Exiui*, statuendo & in corpore iuris redigendo, & dictum sanctum canonizando: & per consequens huiusmodi doctrina euidenter impingit in articulũ fidei, quo dicitur: *Credo in sanctã Ecclesiã catholicã*, sub quo cõtinetur & includitur, quod ipsa Ecclesia in fide siue in vita & doctrina Christi & Apostolorũ eius errare siue deficere nõ potest *19. di. c. Ita Dominus 24. q. 1. c. A recta in textu & Gloss. & c. pẽdẽda in fi. & c. hæc est fides in fi.* quia Christus rogauit pro ea, vt non deficiat fides eius. *Lu. 22. & ext. de baptismo c. maior. in pr. in tex. & Glo.*

Et sicut etiam ex prædictis patet, quod omnes illi, qui dicto hæretico consenserunt & consentiunt in dictis erroribus & statutis, non sunt nec dici possunt Fratres regulæ nec Ordinis beati Francisci, sed sunt separati à dicto Ordine & regula, & ab vniuersali catholica & Apostolica Ecclesia, quæ dictã regulam tanquam regulã & doctrinam Christi & sancti Euangelii approbauit & confirmauit, & quæ dictũ conciliũ ordinauit, & contenta in eo approbauit. Et ob hoc merito dicendi sunt & censendi hæretici, schismatici & apostatæ, & per cõsequens sunt priuati ipso iure & facto omnibus priuilegiis & gratiis, quæ & quas dicta Ecclesia catholica & Apostolica Fratribus Professoribus dictæ regulæ & religionis indulsit, & sunt infames, nec possunt eligere nec eligi ad aliquod officiũ, nec ad aliquã dignitatẽ, nec possunt prædicare, nec confessiones audire, nec absoluere, nec actus aliquos legitimos exercere, vt manifeste probatur in superius allegato *c. de hæreticis*, *Excommunicamus itaq. in prin. & in §. credentes.* Confirmantur etiã prædicta ex eo, quod dictus Dominus Ioannes dixit frequenter siue pronuntiauit hæreticã literã siue determinationẽ, quã Generalis Minister & omnes Magistri & Ministri cæterique Fratres dicti Ordinis, & totũ capitulũ Generale Parisiis congregatũ fecerunt Anno Domini 1322. & vniuersis Christi fidelibus destinarunt. In qua litera concorditer & vnanimiter dixerunt & confessi sunt, quod dicere & asserere, quod Christus & Apostoli viã perfectionis ostendentes nihil iure proprietatis & dominii seu iuris proprii in speciali vel in cõmuni habuerunt, non est hæreticũ, sed sanũ catholicũ & fidele, maxime cũ sancta Romana Ecclesia hoc determinauerit in dicta decretali *Exiit qui seminat* §. *porro.* Quæ litera & diffinitio fuit in autentica forma redacta, & sigillis & subscriptionibus Generalis Ministri & aliorũ Magistrorũ & Ministrorũ dicti Ordinis roborata, & incipit, *Vniuersis Christi fidelibus.* Et quod dictus Dominus Iohannes frequenter dixerit siue pronuntiauerit dictã literã & declarationẽ dicti Capituli Generalis hæreticã patet per literã autenticam subscriptionibus & testimoniis Fratrũ Raymundi procuratoris Ordinis, & Petri de Prato Prouinciæ sancti Francisci, & Laurentii Baccalarii Auinion. roboratã. Quæ pronuntiatio facta fuit An. Dom. 1328. nona die mens. April. & in autenticã formam redacta. Ex quo patet, quod etiã secundũ iudiciũ dicti Domini Iohannis omnes illi Fratres, qui interfuerunt dictæ literæ & determinationi factæ in dicto Capitulo Generali, & nunc habent dictã Dominũ Iohãnẽ pro vero & catholico Papa, & dicta gesta per eũ comprobant, hæretici sunt cẽsendi, quia constat quod ipse Dominus Iohannes anteq̃ foret in reprobũ sensum datus, approbauit dictã decretalẽ *Exiit q. seminat*, & pronuntiauit eã solidã, clarã, salubriter editã, lucidã, multaq; maturitate digestã: & dictã religionẽ, quæ profitetur Euangelii doctrinã perfectã & Christi vitã consistere in abdicatione proprietatis & dominii omniũ rerũ temporaliũ tã in speciali quã in cõmuni factã, & de virtute in virtutẽ ad perfectionẽ tendere, & fidẽ clarã & in catholica Ecclesia indissolubili textura connexã, sicut patet in dictis constitutionibus Domini Iohannis, quarũ vna incipit: *Quorundã exigit*: & alia incipit, *Gloriosam*. Et etiã pronuntiauit illos Fratres hæreticos censendos, qui tunc in ipsas suas constitutiones tanq̃ hæreticas impingebãt, sicut patet in literis ipsius Domini Iohannis, quæ incipiunt: *Super omnia desiderabilia cordis nostri.* Cũ ergo illi, qui assentiunt statutis prædictis quatuor hæreticalibus editis per dictum Dominũ Iohannẽ, postquam fuit in reprobũ sensum datus, in quibus oppositũ & contrariũ eius dicit, asserit & pronuntiat: impingunt in prædictas suas primas constitutiones, & eas per consequens fatentur fuisse erroneas & contra fidem. Sequitur, quod etiam secundum eius primũ iudicium hæretici sunt censendi, cum illud quod aliquando fuit hæreticum dictum, semper hæreticum sit censendum. Insuper secundũ iudicium vniuersalis Ecclesiæ catholicæ & Apostolicæ & veritatẽ infallibilem hæretici sunt censendi, quia veritatem fidei catholicæ & doctrinæ perfectionis Euangelicæ, quam sancta catholica & Apostolica Ecclesia tenet & firmiter confitetur, vt superius est probatum, abnegant, dictis statutis hæreticalibus aduersantibus ipsi fidei & Euangelio assentiendo & ipsorum statutorum & hæresum contentarum in eis conditorem & doctorem, verum & catholicum pontificem asserendo.

Ex prædictis etiam ostenditur, quod dictus Iohannes & omnes Fratres eius in dictis suis erroribus sponte & scienter sequentes & defendentes incidunt in plures hæreses per vniuersalẽ Ecclesiã catholicam & Apostolicam condemnatas. Et primo ostenditur, quod incidunt in damnatã hæresim Vigilantii hæretici damnati, qui dicit & dogmatizauit illos melius facere & Christũ & Apostolos sequi perfectius qui suarum possessionum & rerum proprietatẽ & dominium retinent, & paulatim fructus & prouentus earum pauperibus diuidunt, quam illos qui suis possessionibus & rebus omnibus venundatis

omnia simul pauperibus largiuntur. Quam hæresim sanctus Hieronymus Ecclesiæ sanctæ doctor reprobat in libro, quem edidit contra dictum Vigilantium hæreticum, sic dicens: *Quod autem asserit Vigilantius, eos melius facere, qui vtuntur rebus suis & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt, quam illos qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur, non à me, sed à Domino respondebitur: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus. Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, qui cum Apostolis patrem, nauiculam & rete dimisit.* Hæc Hieronymus. Quia secundum doctrinam in dictis statutis hæreticalibus per dictum Iohannem hæreticum dogmatizatam Christus nunquam exemplo nec verbo docuit abdicationem proprietatis & dominii rerum temporalium: sed totum oppositū, vt superius est ostensum. Et nullus est perfectus nec esse potest, nisi inquantum sequitur vitam & doctrinam Christi: qui fuit fundamentum & fundator ac doctor, forma & exemplar omnis perfectionis & omnium perfectorum, iuxta quod ipse dicit Matth. 10. *Non est discipulus super magistrum nec seruus super Dominum. Sufficit discipulo, quod sit sicut magister eius: & seruo quod sit sicut Dominus eius.* Et in Luca: *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.* Et sic patet secundum dictam doctrinam in dictis statutis eius hæreticalibus dogmatizatam, quod melius sequuntur Christum, & melius & perfectius per consequens fecerunt illi, qui sua retinent & in paucis de fructibus possessionum suarum se iuuant, quam illi qui proprietatem & dominium omnium rerum temporalium à se abdicant, sicut Vigilantius hæreticus asserebat.

Secundo ostenditur, quod ipse Iohannes & dictæ eius doctrinæ sequaces incidunt in damnatam hæresim Iouiniani hæretici damnati, qui nullam differentiam faciens inter præcepta data omnibus Christianis & consilia data volentibus esse perfectis, dixit & dogmatizauit, quod quantum ad meritum nulla est differentia inter honestatem coniugalem & vidualem siue virginalem, & quod inter abstinentes & temperate epulantes nullum est discrimen. De qua hæresi habetur *24. q. vltim. c. Secta hereticorum* seu *Quidam autem heretici, versiculo Iouinianista.* Quia si verum foret, quod dictus Iohannes hæreticus in dicto libello siue statuto suo, qui incipit: *Quia vir reprobus,* dogmatizat, cum dicit, quod Christus nullum modum viuendi specialem imposuit Apostolis, nisi sicut cæteris Christianis, sicut superius est deductum. Cum manifestissimum sit, quod Apostoli fuerunt perfectiores omnibus Christianis, & exemplar post Christum omnium perfectorum & maioris meriti, sicut manifeste probat Glossa Ord. super illud ad Roman. 8. *Nos ipsi primitias spiritus habentes,* dicens: *nos Apostoli, qui maiores altiùs sumus per hoc quod primitias spiritus habemus & cæteris abundantius.* Hæc Glossa. Sequitur manifeste, quod status coniugalis & status habentium dominia & possessiones in merito & perfectione non differunt à statu religiosorum viuentium in castitate & sine proprio, sed eiusdē meriti sunt, sicut dictus Iouinianus hæreticus asseruit. Quam hæresim reprobant omnes Doctores Ecclesiæ catholicæ & sancti patres. Sed vna sola auctoritas Augustini ad præsens ratione breuitatis adducitur, qui in libro De bono coniugali, dicit sic: *Bonum Susannæ in coniugali castitate laudamus: sed tamen & bonum viduæ Annæ ac multo magis Mariæ virginis anteponimus. Bonum erat quod faciebant, quæ de substantia sua Christo & eius Discipulis ministrabant: sed melius qui omnem substantiam dimiserunt, vt Christum Dominū expeditiores sequerentur.* Hæc Augustinus, p quę hæresis Iouiniani & Vigilantii & dicti Iohannis hæretici simul confunditur. Et per ea, quæ sanctus Hieronymus in libris, quos edidit contra dictos Iouinianum & Vigilantium allegantur. Quare hic breuitatis caussa dimittuntur. Vnde & quartum generale concilium Ecclesiæ, scilicet Toletanum, diffinit: *Meliorem esse vitam monachorum consilia seruantium, quam secularium seruantium tantummodo præcepta.* Et quod clerici possunt fieri monachi, quia ad meliorem vitam transeunt *20. q. 4. cap. 1.* Et per Euangelium probatur, quod Christus Apostolis & viris volentibus esse perfectis, imposuit alium modum specialem viuendi, quam cæteris Christianis, scilicet quod omnia temporalia relinquerent, dicens: *Nolite possidere aurum nec argentum nec pecuniam &c.* Et iterum: *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Vnde Hieronymus ad Ebidiam dicit: *Si vis esse perfecta & stare in primo fastigio dignitatis, fac quod fecerunt Apostoli, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & sequere Saluatorem. Nudam solamq; crucem nuda sequaris.* Hæc Hieronymus. Item, in Euangelio dicitur sic: *Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum.* Et iterum: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Ex quibus verbis Euangelii per omnes Doctores catholicos & sanctos institutores religionum per catholicam Ecclesiam approbatarum triplex votum religiose viuentium & volentium Christum & Apostolos eius perfecte sequi: videlicet viuendi sine proprio & in castitate & in obedientia, elicitur & ab omnibus sanctis religiosis est emissum, vt vitam perfectionis Euangelicæ Apostolis & Apostolicis viris à Christi impositam inuiolabiliter obseruarent, sicut in omnibus regulis sanctorum per vniuersalem catholicam Ecclesiam approbatis colligitur euidenter.

Tertio ostenditur, quod dictus Iohannes & prædictę eius doctrinæ sequaces incidunt in damnatam hæresim Valdensium, qui bonum & meritum obedientiæ semper, quod præstatur hominibus propter Deum, diffitentur & abnegant, soli Deo siue præceptis Dei obediendum esse pertinaciter asserentes. Quia si votum viuendi sine proprio non extendit se ad res, quas vita humana necessario requirit, vt dictus Iohannes hæreticus dogmatizat; & secundum eum in rebus omnibus vsu consumptibilibus non potest separari vsus à proprietate, ita quod quilibet, qui habet vsum talium, habet per consequens proprietatem, vt ipse hæreticus in dicto statuto *Ad conditorem,* & in dicto libello, *Quia vir reprobus,* dogmatizat: Sequitur manifeste, quod religiosi in rebus omnibus vsu consumptibilibus siue ad vitam humanam necessariis eis in singulari concessis, datis vel oblatis, habent pro-

prie-

[illegible] & dominium ac liberam secundum eorum voluntate dispositionem: & quod possint de eis tanquam de propriis rebus facere quicquid placet absq; voluntate superiorum siue prælatorum suorum cum (lege testante) quilibet in re propria sit legitimus moderator & arbiter, *C. mandati. l. in re mandata. & Insti. de rerum diuisione. §. per traditionem. & C. de contrahen. emp. l. dudum. & 1. q. 1. ca. eas qui.* Vbi dicitur: *Omnis enim Dominus, quod habet si vult, vendit.* Et re propria ac potestate faciendi de ea quod placet, nullus priuandus est sine culpa [illegible] *56. dist. cap. satis peruersum, & 16. quæst. vltim. cap. inuentum.* Et per consequens superiores siue prælati religiosorum non habent potestatem præcipiendi ipsis subditis suis, quod de talibus rebus aliter faciant, quam ipsis subditis videatur & placeat: nec ipsi subditi tenentur eis obedire in his, quod sint sine proprio. Et sic bonum obedientiæ, quod ponitur & præstatur per religiosos suis superioribus, euacuatur. Similiter si verum est, quod dictus hæreticus dogmatizat, scilicet quod Christus nullum modum viuendi in speciali imposuit Apostolis, nisi sicut cæteris Christianis: cum Apostoli cæteris fuerint perfectiores & maioris meriti apud Deum: sequitur quod votum obedientiæ & viuere in obedientia in his, quæ supererogationis sunt ad præcepta data omnibus Christianis, non est maioris meriti, quam obedientia, quæ in præceptis [illegible] ab omnibus Christianis. Et sic per hanc hæreticalem doctrinam, quicquid est perfectionis in religiosis, scilicet viuere in obedientia sine proprio & in castitate, destruitur, & religiosi per obseruantiam suæ religionis nihil plus habent de merito, quam cæteri Christiani, qui præcepta omnibus data seruant. Et si hoc modo viuentibus in religione, vt dictum est, nullum meritum sanctitatis accrescit, profiteri viuere in obedientia sine proprio & in castitate, nihil aliud est quam penitus insanire, & omnes sancti qui talem professionem fecerunt & faciendam docuerunt, per consequens errauerunt.

Insuper dictus Iohannes, & dictæ eius doctrinæ sectatores iudaizant, & erroribus Iudæorum & sectæ magni Antichristi viam præparant & fomentum. Quia, sicut iam in sæpedicto libello, qui incipit, *Quia vir reprobus*, ipsa dicta Danielis Prophetæ & aliorum Prophetarum loquentia de regno Christi spirituali & æterno, exponit & intelligit de temporali & mundano regno, probans per ipsa prophetarum dicta, quod Christus inquantum homo fuit verus rex & Dominus in temporalibus, & Iudæi similiter dicta prophetarum loquentia de regno Christi & Messiæ futuri intelligentes ad literam de regno temporali & mundano arguunt ex ipsis dictis prophetarum, quod Christus, quem Christiani colunt, non fuit ille verus Christus & Messias, quem prophetæ venturum prædicant in scripturis. Quia certum est ex Euangelio, quod ipse regnum & dominia rerum temporalium & huiusmodi diuitias non habuit nec obtinuit: imo cum Iudæi eũ regem vellent facere, recusauit & dominia & diuitias huius mundi docuit relinquendas. Vnde ex tali falso intellectu scripturæ prophetarum Iudæi decepti expectant Christum & Messiam venturum, qui dominium & regnum huius mundi & diuitias obtineat. Et suscipient Antichristum, qui ad literam obtinebit vniuersale dominium & regnum totius mundi ac diuitias temporales & suis sequacibus largietur. Ex quo patet, [illegible] dictum hæreticum exponentem & intelligentem dicta prophetarum, sicut exponunt [illegible] Iudæi, de dominio & regno huius mundi, paratur via & fomentum ad sectam [illegible] scilicet ad credendum, quod ille qui venturus est, & vniuersale dominium & regnum [illegible] & diuitias habiturus, & aliis largiturus, sit ille verus Christus & Messias in Prophetis & [illegible], sicut hoc plene probant in libello Magistrorum, de quo infra dicetur, qui incipit: [illegible] *vult saluus esse.*

[illegible] prædicta etiam doctrina dicti hæretici sequitur, quod fallax & deceptoria fuit doctrina [illegible] dicentis: *Regnum meum non est de hoc mundo*, Iohan. 18. & Augustinus super Iohannem ipsa [illegible] euangelice pertractans dicit & probat manifeste, quod regnum Christi inquantum fuit homo degens in hac vita, non fuit regnum temporale, neq; de rebus temporalibus huius mundi, sed spirituale. Quia vt ibi dicit Augustinus: *Regnum Christi erant credentes in eum in quibus regnabat per fidem in eorum cordibus diffusam, ad quod Christi regnum peruenitur credendo.* Hæc ibi dicit. Et idem ait Augustinus in sermone de Innocentibus: *Præterea regnum illius, qui venerat in mundum iudicari temporaliter, & non iudicare. Et qui prædicabat & docebat regnum terrenum contemnere & dimittere propter regnum cælorum, non debuit esse temporale & terrenum, ne aliud faciendo & aliud prædicando eius prædicatio contemptui haberetur.*

Item, sequitur ex dicta doctrina dicti hæretici, quod fallax & deceptoria fuit doctrina Christi, quam legitur tradidisse Iudæis, Matth. 18. mandans eis, quod tributa redderent Cæsari, cum dicit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ex quibus verbis Euangelii colligitur euidenter, quod Cæsar illo tempore, quo Christus prædicabat, erat verus rex & Dominus in temporalibus Iudæorum. Alias non fuissent ei reddenda tributa, si Christus inquantum homo fuit in temporalibus eorum rex & Dominus. Cum duo in solidum & immediati eiusdem regni temporales reges & domini nullatenus esse possint. Et hoc plane probatur in dicto libello Magistrorum.

Sequitur etiam ex dicta doctrina dicti hæretici, quod fallax & deceptoria fuit doctrina Christi, quam tradidit Apostolis & aliis volentibus eum perfecte sequi, dicens: *Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni & sequere me.* Quæ verba pertractans beatus Bernhardus ad Fratres de Monte Dei, dicit de Christo sic: *Cum diues esset pauper pro nobis factus est. Et qui voluntariæ paupertatis dedit præceptum, ipse eiusdem in semetipso formam dignatus est demonstrare. Vt enim sciant Euangelici pauperes, quid eis faciendum sit, ipse etiam à fidelibus pasci voluit, & nonnunquam etiam ab infidelibus,*

vt eos

vt eos fideles faceret vita necessaria recipere non recusauit. Hæc Bernhardus loquens de pauperibus religiosis, qui vouent viuere sine proprio, quos exemplo Christi dicit debere de Eleemosynis sustentari. Vnde & Christus dixit: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quare si Christus inquantum homo habuit vniuersale dominium omnium rerum temporalium, & illud à se nunquam abdicarit, vt dictus hæreticus dogmatizat, non fecit quod docuit. Sed illis Pharisæis, quos ipse redarguit dicens: *dicunt enim & non faciunt*, similis fuit, quia aliis mandauit, si vellent esse perfecti, vt dominium omnium rerum temporalium à se abdicarent, & ipse sibi illud retinuerit & nunquam abdicarit.

Et falsum foret, quod ipse Christus in Euangelio dicit de seipso loquens: *Filius hominis non habet vbi reclinet caput suum.* Vnde Hieronymus & Glossa Ord. in ipsis verbis dicit sic: *Quid me propter lucra seculi vis sequi, cum ita sim pauper, vt nec hospitiolum, quod meum sit, habeam, & tecto vtar alieno.* Hæc Hieronymus. Ex quibus clare patet, quod Christus non habuit hospitium aliquod quantum ad dominium, sed si habuisset dominium omnium rerum, habuisset vbi caput reclinasset.

Ex eo etiam, quod dictus hæreticus per auctoritatem prædictam Danielis dicentem: *Suscitabit Deus cœli regnum, quod non corrumpetur nec dissipabitur in æternum*, nititur & intendit probare, quod Christus habuit regnum & dominium vniuersale totius mundi: Sequitur alia hæresis detestanda, scilicet quod regnum Christi terrenum & mundanum secundum eum non corrumpetur nec dissipabitur in æternum. Alias probatio & inductio sua nulla foret. Et sic secundum istum errorem sequitur, quod mundus iste sit in perpetuum duraturus. Et per consequens, quod nunquam erit generalis resurrectio mortuorum. Qui error fidei catholicæ articulis obuiat manifeste.

Quamobrem ego præfato Iacobo, qui Papa appellatur, primo in eius præsentia constitutus in facie restiti, firmiter asserens dictam determinationem, quam dictum generale Capitulum & etiam in decretali *Exiit qui seminat*, fecerat de paupertate Christi & Apostolorum esse catholicam: & contradicens assertioni suæ, cum ipsam determinationem generalis Capituli dicebat hæreticam, ad instar Pauli, qui Petro restitit in faciem, cum gentes iudaizare & à veritate Euangelii recedere inducebat, *ad Galat. 2.* Ac deinde existens in curia Auinionis, ab ipso Iacobo ad sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam meo nomine & dicti Ordinis & omnium Fratrum mihi adhærentium & adhærere volentium, solenniter appellaui. Et sic iuxta mandatum Apostoli ad Titum vltimo dicentis: *Hominem hæreticum post primam & secundam correctionem deuita.* & iuxta doctrinam Ecclesiæ catholicæ *24. q. 3. c. dicit Dominus*, ab ipsius Iacobi hæretici pertinacis obedientia & communione recessi, cum Fratribus adhærentibus mihi, & appellationi per me interpositæ & iura ad loca tuta, vt possem ipsam appellationem publicare, prosequi & innouare, ad instar sanctorum & multorum de clero Romano, quæ ab obedientia & communione Anastasii Papæ deuiantis à fide catholica recesserunt, vt in superius allegato *cap. 19. d. c. Anastasius.* Et ad instar sanctorum Athanasii & Eusebii & aliorum sanctorum, qui ad obedientia & communione Liberii Papæ deuiantis à fide catholica, & sancti Hilarii Pictauens. Episcopi, qui ab obedientia & communione Leonis Papæ errantis in fide catholica recesserunt, prout in *Chronicis & Sanctorum legendis* legitur & habetur. Et cum fui in ciuitate Pisarum, dictam appellationem innouaui & solenniter publicaui. Quam etiam interposui contra statuta hæreticalia publicata & facta per Iacobum sæpe dictum, & ipsam appellationē eidē Iacobo in forma publica destinaui. Vnde dato sine præiudicio, ꝙ non fuisset tunc certum, ipsum Iacobū fuisse hæreticū manifestū, & tanq̃ hæreticū manifestū fuisse ab omnibus catholicis euitandū, sicut erat, sed dubium diceretur: tamen in tali dubio generale conciliū vniuersalis Ecclesiæ catholicę, quod sanctā Romanam Ecclesiam, ad quam per me dictis nominibus appellatum extitit, repręsentat, habebat de huiusmodi appellatione & crimine hæresis cognoscere & diffinire, sicut habetur in dicto *cap. Anastasius. in textu & Glossa*, super verbo *concilio & 15. dist. sicut sancti in textu & Glossa & 41. d. c. si Papa.* Quia in his quæ fidei sunt, maius est concilium quam Papa *93. di. c. legimus in textu & Glossa*: Imo si Papa à fide deuiat, minor est quocunq; catholico, vt habetur & notatur *24. q. 1. c. Achatius in Glossa & 1. §. si autem, circa finem.* Et ideo in omnem casum manifestum est, quod ipse Iacobus post appellationem per me interpositam non potuit contra me aliquid innouare vel facere. Quia per appellationem eximitur appellans à potestate illius, à quo appellatur, vt patet per illud, quod legitur & notatur *extra, de appellatione. c. proposuit in textu & Glossa.* Nec is à quo appellatum est, appellatione pendente potest in præiudicium appellantis aliquid innouare *2. q. 6. c. post appellationem. §. appellatione ff. nil no. appellatione pendente l. 1.* Et maxime cum caussa tangit illum, à quo appellatum siue prouocatum est, sicut tangebat dictum Iacobum, contra quem tanquam hæreticum appellabam: quia in caussa propria nullus potest iudicare vel ius sibi dare *22. q. 4. cap. inter querelas & q. 5. c. ad occidendum. & C. ne quis in causa propria iudicet vel ius sibi dicat per totum. & 4. q. 4. c. 1.* cum similibus. Ex quibus clare patet, quod ille processus, quem de facto contra me & in præiudicium mei & mihi adhærentium & dicti Ordinis fecit post appellationem per me dicto nomine ab ipso, vt prædictum est, interpositam, absoluendo me ab officio Generalis Ministerii dicti Ordinis, & contra me excommunicationis sententiam fulminando, & instituendo Dominum Bertrandum de Turre Vicarium generalē dicti Ordinis. Et quicquid factum fuit per ipsum Dominum Bertrandum mutando terminum triennii statutum à regula & Capitulo generali, & Ministros Prouinciales legitime & per electionem statutos absoluendo absq; caussæ cognitione, & alios Ministros nouos proprio motu absq; electione aliqua instituendo, & mandando quod tales sic perperam instituti Parisiis conuenirent, & Ministrum alium

Gene-

Generalem eligerent, & omnis electio per tales facta & quicquid ex prædictis secutum fuit, nullius extitit firmitatis: sed omnia per eos facta fuerunt nulla & irrita, & nullius prorsus roboris & momenti: sicut hæc etiam plenius ostenduntur & probantur per octo rationes insertas in allegationibus Magistrorum super hoc factis. Ac per consequens patet, quod ipse Frater Bertrandus, quem elegerunt in Generalem Ministrum, nec est, vt dixi, Generalis Minister dicti Ordinis, & quicquid egit & fecit, tanquam Generalis Minister dicti Ordinis, nullius est momenti, & quod eidem non potest sine animæ dispendio quomodolibet obediri, & quod omnes qui sibi aut aliquibus institutis in officiis aliquibus per ipsum obediunt, sunt extra obedientiam regulæ & religionis institutæ per sanctum Franciscum, & omnibus gratiis & priuilegiis dictæ religionis per sanctam catholicam Ecclesiam concessis priuari. Et quod tam ipse Bertrandus, quam omnes illi in dicta congregatione, imo verius conspiratione facta Parisiis de mandato dicti hæretici consenserunt in gestis & factis per dictum hæreticum fuerunt & sunt excommunicati & apostatæ, & in ipso Bertrando & in suis sequacibus demonstratiue adimpletur, quod Beatus Franciscus Spiritu Sancto demonstrante, vt supra dictum est, prophetauit dicens: *Væ illis qui de sola specie religionis confisi tepescent nec resistent tentationibus ad probationem electorum permissis.* Cum ipse Frater Bertrandus scribat seu scribi faciat per omnes sequaces suos verba fallacia dicens, quod Dominus Papa reputat regulam & professionem nostram sanctam, & modum viuendi secundum se sumptum bonum. Qui tamen cum regulam & professionem per dicta statuta hæreticalia euidenter pronuntiat & asserit non esse regulam, nec vitam secundum Euangelium, sed contrariam vitæ & doctrinæ Christi & sancti Euangelii: imo euidenter pronuntiat hæreticum fore asserere, quod Christus & Apostoli non habuerunt proprietatem & dominium rerum temporalium in speciali & in communi, vt superius est ostensum. Et post prædicta dictus Bertrandus in suis scriptis contradicens sibiipsi subiungit, dicens: in hæc verba, quod *Dominus Papa modum Fratrum viuendi reputat discrepare à mandatis regularibus & Papalibus. Et suadet quod alium modum viuendi bonum inquirant.* Si enim discrepat à mandatis regularibus & Papalibus: & ideo alium modum viuendi bonum suadet eligi: sequitur manifeste, quod præcedens modus hactenus à sanctis Patribus dicti Ordinis obseruatus non fuit bonus nec licitus, sed illicitus & erroneus. Et vt alium modum viuendi ab illo, qui à sanctis Fratribus & Patribus dicti Ordinis est hactenus obseruatus, & per consequens aliam vitam & professionem eligant, mandat ipse Giraldus & sequaces sui, vt congregentur in Festo Pentecostes apud Parpinianum. Et hoc facit, vt dicit, de mandato prædicti Iohannis, quem Papam sanctissimum asserit. Et ad demonstrandum manifeste per professionem pseudo Fratrum sequentium dictum Iacobum hæreticum, quod dicta professio & status dicti Ordinis sunt hæreticales, fertur publice, quod ipse hæreticus vult & intendit omnino, quod illi, qui congregabuntur in dicto loco de Parpiniano, abiurent literam & determinationem præfati Generalis Capituli, quæ est eadem cum determinatione facta in decretali *Exiit qui seminat.* In qua professio & status dicti Ordinis sunt fundati: & per consequens se & professionem & statum prædicti Ordinis fuisse hæreticos fateantur. Et si aliquando contrarium dicerent, tanquam relapsi seculari iudicio comburendi sine misericordia tradantur, per *capitulum extra de hæreticis, ad abolendam.* Quos supposuit ex nunc per suas literas patentes iurisdictioni ordinariorum & inquisitorum hæreticæ prauitatis: ita quod non solum ad animarum mortem & damnationem, sed etiam ad corporalem mortem & perpetuam & irreparabilem confusionem suos sequaces adducit. Et sic patet, quod ipse Giraldus in sola specie religionis apparentia & verborum foliis, vt dicatur de Ordine sancti Francisci, licet in veritate non fuerit, gloriatur contra illud, quod legitur *1.q.1.Marchion.*

Liquet igitur quod illi soli Fratres, qui dictam veritatem Euangelii & professionem dictæ Regulæ, quam vouerunt ac determinationem Ecclesiæ catholicæ in decretali, *Exiit*, traditam fideliter & firmiter tenent, confitentur & seruant, & vsq; in finem seruare volunt, sunt veri Fratres Minores & filii Beati Francisci, & in statu & via salutis, & coronam vitæ æternæ Domino concedente suscipient, sicut de ipsis dictus sanctus Franciscus, vt prædictum est, prophetauit. Et quod ad ipsos solos spectat & pertinet officium audiendi confessiones, & prædicandi, & cætera alia faciendi, quæ per priuilegia sanctæ catholicæ Ecclesiæ Fratribus Ordinis & Regulæ Francisci sunt concessa.

Prædictus quoq; Iacobus hæreticus vltra prædictas hæreses superius specificatas, plures alias hæreses damnatas, notorias & manifestas in dictis suis statutis & libellis publice dogmatizat, quæ seriatim continentur & explicantur tam in Appellatione maiori per me aduersus dictum Iacobum & eius hæreses interiecta, quam in aliis libris allegationum compositis per appellantes Magistros in sacra pagina: quorum vnus incipit: *De patre impio queruntur filii.* Alius incipit: *Principales hæreses.* Tertius incipit: *Quicunq; vult saluus esse.* Et rationibus & auctoritatibus diuini iuris & sanctorum doctorum Ecclesiæ, ac diffinitionibus sacrorum conciliorum Ecclesiæ catholicæ conuincuntur: quæ omnia præsentibus explicare nimis foret prolixum.

Quocirca ne aliquis sub colore ignorantiæ se excusabilem esse prætendat, vobis & cuilibet vestrum districte per obedientiam iniungo, quatenus præsentes litteras in vestris Conuentibus frequenter legi, & etiam exemplari in multis partibus faciatis, quodque exemplum ipsarum litterarum, originali penes vos retento, ad omnes partes, & omnia loca dicti Ordinis vobis sub-

subiecta curetis velociter destinare. Et quod etiam apud cæteras personas tam Ecclesiasticas quam seculares prædicta omnia, prout securius & melius per vos fieri poterit, publicetis. Ad hoc vt prædicta veritas, iuxta meum desiderium, ad communem omnium notitiam deducatur, & publice prædicetur, ne hæreses & errores præfati hæretici ab omnibus vere catholicis detestandi animas simplicium decipiant & inuoluant, & ad æternam damnationem perducant. Valete in Domino, & orate pro reuelatione veritatis doctrinæ Euangelicæ, & Regulę almi confessoris Beati Francisci, & pro me, & Fratribus sustinentibus persecutionem maximam pro defensione huiusmodi veritatis. In quorum omnium testimonium & fidem, præsentes literas fieri feci, & sigilli officii mei munimine roboraui. Datum in Monacho, vicesima quarta die mensis Ianuarii, Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo tertio.

SEQVVNTVR LITERÆ DEPRECATORIÆ FRATRIS MICHAELIS DE CESENA OLIM MINISTRI GENERALIS FRATRVM MINORVM, ad Regem Romanorum & Principes Alemaniæ. In quibus recitantur & improbantur duodecim errores ipsius iudicio collecti, ex constitutionibus Iohannis 22. iuxta quod in totidem partes diuidi possunt.



Serenissimo ac Christianissimo Principi, Ludouico Dei gratia Romanorum [illegible] Monarchæ, pauperum patri, catholicæ fidei propugili & semper Augusto, cæterisq; Principibus, Baronibus & nobilibus secum in Parlamento existentibus: Frater Michael Ordinis Fratrum Minorum Generalis Minister & seruus licet indignus, cum Magistris & aliis Fratribus sibi in veritate adhærentibus, cum omni humilitate, deuotione & subiectione seipsum. Quoniam, vt habetur 96. dist. *Duo sunt, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra pontificum, & regalis potestas.* Quarum altera, scilicet pontificalis auctoritas, ad præsens diuino iudicio videtur expirasse de medio: vobis restat, & vestra per consequens interest, Imperator piissime, negotia fidei & pauperum caussas indesinenter assumere & incessanter prosequi. Quapropter vestram magnificam clementiã & dominationem dignissimam instanter exoro, & humiliter supplico, quatenus infra scriptos breuiter errores Domini Iohannis, qui se Papam 22. appellat, videre placeat: & quam sint catholicæ fidei boniſq; moribus contrarii & noxii dignemini aduertere, & ad Ecclesiæ publicam notitiam, ne fideles valeant inficere, celeriter deducere.

CAP. I.

Primus itaq; error dicti Domini Iohannis in quodam suo libello appellationi per me interpositæ respondendo contentus & dogmatizatus est, quod Christus inquantũ homo ab instanti suæ conceptionis habuit vniuersale dominium rerum temporalium, sicut verus rex & Dominus in temporalibus: & quod Christus non fuit dictus pauper & egenus propter carentiã dominii rerum temporalium, sed solum propter carentiam perceptionis fructuum & obuentionum regni, quia fructibus & obuentionibus non se iuuabat. Cuius verba eius in dicto libello contenta sunt hæc: *Secundo quæritur, vtrum Christus alicuius rei temporalis dominium habuerit & quale? Quod autem dominium rerum temporalium habuerit, sacra scriptura tam Testamento Veteri quam nouo in multis locis testatur. Multi quidem Prophetæ eum regem futurum populi Israelitici: & per consequens habere regni dominium prophetauerunt.* Et infra: *Præmissa autem* (scilicet regnum & vniuersale dominium) *habuit Iesus inquantum Deus ab æterno, eo ipso quod Deus pater genuit eum: & inquantum homo ex tempore, scilicet ab instanti conceptionis suæ ex Dei datione.* Et infra: *Ad illud autem quod dicitur, quod scriptura sacra ipsum fuisse pauperem & regnum in plerisq; locis testatur, est dicendum, quod non carentia dominii fecit eum pauperem & egenum, sed potius carentia perceptionis fructus & obuentionis rerum quarum Dominus erat. Nudum enim dominium separatum in perpetuum ab omni perceptione commodi rei habentem non facit diuitem, cum sit inutile reputandum. Vnde habens tale dominium potest egenus & pauper merito reputari.* Hæc sunt verba sua, quæ sunt hæretica: quia manifeste obuiant & repugnant catholicæ veritati. Quod patet primo per illud, quod ipse Christus Matth. 19. legitur dixisse cuidam adolescenti: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni & sequere me.* Et sicut Lucas Euangelista refert, ille, cui Christus tale consilium dedit, fuit quidam princeps. Vnde Lucas 18. refert dicens: *Interrogauit eum quidam princeps* &c. Ex quibus verbis Saluatoris liquet manifeste, quod ad perfectionem Euangelicam requiritur non solum temporalium fructuum & obuentionum, sed etiam temporalium dominiorum abdicatio & renuntiatio: Quia *si vis*, inquit, *perfectus esse vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Venditio autem omnium, & ipsorum pauperibus libera elargitio, non minus de directo respicit seu includit temporalium dominiorum quam prouentuum translationem & abnegationem. Si ergo Christus in quantum homo non reliquit, sed sibi retinuit

retinuit

retinuit vniuersale dominium rerum temporalium, sicut verus rex & Dominus in temporalibus, vt dictus Iohannes asserit, sequitur necessario & euidenter, quod Christus secundum suum consilium perfectus non fuerit, nec de genere perfectorum, cum ad perfectionẽ Euangelicam secundum suum consilium temporalium dominiorũ abdicatio seu renunciatio requiratur. Quod non tã erroneum, ꝙ insanum censendum est: quia, vt ipse ait Luc. 6. c. *Perfectus erit omnis si sit sicut magister eius*. Ex quibus patet, quod Christus fuit veraciter pauper & egenus propter carentiam dominii rerum temporalium: & non solum propter carentiã perceptionis fructuum & obuentionum regni, cum in suo consilio præfato non minus temporalium dominiorum quam fructuum & obuentionum abdicatio & negatio includatur. Alioquin perfecte imitari volentes non debuissent iuxta Christi consilium & exemplum suarum rerum temporalium dominia, sed solum prouentus relinquere: ꝙ est expresse contra Christi præfatum consilium. In quo cuidam principi quærenti ad perfectionem pertingere consuluit sui principatus dominium omne, & non solum prouentus relinquere & dimittere.

Et præterea si retentio dominii vnius principatus particulariter non stat cum Euangelica perfectione: quia ille, cui Christus tale consilium dedit, fuit secundum Lucam quidam princeps: multo magis retentio dominii vniuersalis regni vel Imperii non stat cum Euangelica perfectione: & non minus distrahit ab Euangelicã perfectione dominium vniuersale, sicut regni vel Imperii, quam dominium particulare vnius principatus. Si ergo Christus non reliquit, sed sibi retinuit dominium vniuersale rerum temporalium, sicut verus rex & Dominus temporalium, sequitur, vt dictum est, ꝙ ipse non fuerit perfectus, nec de genere perfectorum quod est blasphemum: Sequitur etiam, quod ipse non fuerit magnus in regno cœlorum: quia, vt ipse ait Matt. 5. c. *Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Constat autem quod Christus docuit alios relinquere dominium suorum principatuum in eo quod dixit: *Vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Si ergo ipse non reliquit, sed sibi retinuit dominium vniuersale principatus regni vel Imperii: sequitur ꝙ ipse non fecerit quod docuit: & ita non fuisset magnus in regno cœlorum: quia *qui fecerit*, inquit, *& docuerit hic magnus vocabitur in regno cœlorum*. Ideo Actuum primo legitur: *Cœpit Iesus facere & docere.* Sequitur etiam, quod ipse Christus fuisset similis scribis & Pharisæis, qui dicebant & non faciebant. Quos Christus de hoc specialiter reprehendit: *Dicunt enim & non faciunt*, vt patet Matth. 22.

Item ille, qui ex perfectione virtutis reliquit proprium dominium domus: multo magis ex ꝑfectione virtutis reliquit dominium vniuersale regni vel Imperii: quia non minus distrahit ab Euangelica perfectione dominium vniuersale regni, quam dominium particulare vnius domus. Sed Christus ex perfectione virtutis reliquit proprium dominium cuiuscunq; domus, secundum ꝙ ipse dixit Matt. 8. & Luc. 9. c. *Vulpes foueas habent & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet*. Vbi dicit Glossa: *Quid me propter diuitias & lucra seculi vis sequi? cum ego ita sim pauper vt nec hospitium quidem habeam, nec meo vtar tecto.* Et Beatus Iohannes Chrysostomus super Matthæum dicit sic: *Aspice qualiter paupertatem, quam Dominus docuerat, per opera demonstrat. Non erat ei mensa, non candelabrum, non domus, nõ q̃cquam talium.* Hęc sanctus Ioannes Chrysost. Vnde sequitur, ꝙ Christus ex perfectione virtutis reliquit dominium vniuersale regni vel Imperii temporalis. Itẽ sequeretur, ꝙ Christus fuisset mentitus Pilato Ioh. 18. c. quando sibi dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Cum regnum seu vniuersale dominium rerum temporalium sit de hoc mundo, & de hoc mundo censendum sit. Quod etiam bene ostendit Christus per signum à posteriori seu ab effectu ibidem, scil. Iohan. 18. c. dicens: *Si regnum meum esset ex hoc mundo, ministri mei vtiq; certarent vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc.* Quod quidem medium Christi æque concludit regnum suum non fuisse de rebus temporalibus, sicut concludit ipsum non fuisse de hoc mundo. Quoniam si ideo regnum Christi nõ fuit de hoc mundo, quia ministri eius non decertauerunt pro ipso corporaliter: eadẽ ratione sequitur, quod regnum suum non fuit de rebus temporalibus, quia ministri ipsius non decertauerunt pro ipso temporaliter: quia virtute eiusdẽ medii tenet secunda consequentia, sicut prima consequentia, scil. virtute istius medii, ꝙ tale fuit Christi regnũ, quales sibi ministros elegit. Si ergo q̃a Christus non elegit sibi ministros, q̃ pugnarent ꝓ ipso corporaliter: ideo regnũ suũ non fuit de hoc mundo. Eadẽ ratione quia non elegit sibi ministros qui pugnarent pro ipso temporaliter: ideo regnũ suũ non fuit pro hac vita mortali de rebus temporalibus. Vnde beatus August. pertractans verba Christi super Iohan. dicit sic: *Audite Iudæi & gentes: audi circumcisio: audi præputium: audite omnia regna terrena: non impedio dominationem vestram in hoc mundo: quia regnum meum non est de hoc mundo. Nolite metuere metu vanissimo, quo Herodes ille maior expauit, & tot infantes occidit: regnum, inquit, meum non est de hoc mundo: quid vultis amplius? Venite ad regnum, quod non est de hoc mundo: venite credendo.* Hæc Augustinus. Ex quibus patet, quod regnum Christi secundum Augustinum non fuit de rebus temporalibus: quia tunc impediuisset dominationem aliorum dominorum temporalium in hoc mundo, qui sua dominia non recognouerunt à Christo secundum quod homo. Cum in eodem regno non possint esse plures Domini in solidum, quorum neuter alium impediat in suo dominio.

Item, si Christus fuisset inquantum homo rex & Dominus in temporalibus: sequeretur ꝙ ipse fallacem & mendacem doctrinam dedisset Iudæis Matt. 22. dicens: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quia, vt dictum est, in eodem regno non possunt esse plures reges in solidum, quorũ neuter subsit alteri: quia, vt habetur Matt. 6. *Nemo potest duobus Dominis seruire.* Constat autem, quod Cæsar non recognouit aliq̃ regnum temporale à Christo, secundum quod homo: sed potius sui ministri exegerunt tributum à Christo, vt patet Matth. 17. Nec Christus recognouit aliquod regnum à

Cæsare: q̃a licet Christus iusserit Petro dare tributũ ministris Cæsaris: nõ tamen hoc fecit recognitione alicuius regni, sed ꝑ vitatione scandali & humilitatis exemplo, vt patet ibidẽ, scil. *Matt. 17.* Ergo Christus nõ fuit ꝑ hac vita mortali rex & Dominus in tẽporalibus: q̃a tunc in eodẽ regno fuissent plures reges in solidũ, quorum neuter alteri subfuisset: vel fallacẽ & mendacẽ doctrinã docuisset mãdando dari tributum Cæsari. Vnde sanctus Leo Papa in sermone Epiphaniæ dicit de Christo: *Dominus mundi temporale regnum non quærit, qui præstat æternum.* Et Beatus Ambros. in Hymno Epiphaniæ qui cantatur in Ecclesia, dicit:

Non arripit mortalia,
Qui regna dat cælestia.

Vnde ista fuit ad literam opinio hæretica Herodis & Iudæorum, propter quam machinati sunt necem Christi: quia credebant, quod regnum Messiæ futurum, de quo locuti sunt omnes Prophetæ, esset regnum temporale & non spirituale. Quã opinionẽ falsam & vanã Christus elidens ait: *Regnũ meũ non est de hoc mũdo:* Id est regnũ, de quo locuti sunt omnes Prophetæ, non debet intelligi tẽporale & terrenũ, sed spirituale & cœleste. Ideo Christus, qñ Iudæi voluerunt ipsum facere regẽ in temporalibus, fugit in montẽ, & noluit tale regnũ recipere, vt patet *Ioh. 6.* Circa passionẽ vero eius, qñ intellexerunt Christi regnũ spirituale & cœleste, permisit se adorari, sicut regẽ, vt patet *Ioh. 12. c.* Quod bene Zacharias Propheta Zachariæ 9. prophetauit dicens: *Ecce rex tuus veniet tibi Iustus & Saluator: & ipse pauper sedens super asinam & super pullũ filium asinæ.* Et ita secundum Prophetam Christus fuit similiter rex & pauper temporaliter: q̃a suum regnum non debebat esse temporale, sed spirituale & cœleste. Cum enim paupertas simpliciter & absolutè accepta dicat carentiã dominii rerum temporaliũ, & non solũ dicat carentiã perfectionis fructuum & obuentionũ: Et cum Propheta dicat simpliciter & absolute, quod Christus foret pauper: sequitur ꝙ Christus fuerit pauper ꝑ carentiã dominii rerũ temporaliũ, & non solum per carentiã ꝑceptionis fructuum & obuentionũ: & ita non fuit rex & Dominus in tẽporalib⁹. Prædictus etiã error incidit aperte in hæresim damnatã Vigilãtii, q̃ diuitias paupertati ꝑferebat: quia illud est simpliciter melius & ꝑfectius, ꝙ Christus ꝑ seipso elegit. Nec obstat, ꝙ Mat. 21. legitur: *Ite in castellũ ꝙ contra vos est, & inuenietis asinã & pullum, soluite & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicite ꝙ Dominus hĩs opus habet.* Non obstat, quia *Dominus* ibi refertur ad Christi diuinitatem, & non ad eius humanitatem, vt Glossa dicit expresse. Quia vbicunq; in scriptura *Dominus* absolute absq; omni addito ponitur, Deus, qui est absolute Dominus, intelligitur, iuxta illud Apostoli primæ ad Cor. 8. c. *Nam etsi sunt Domini multi, nobis tamen vnus est Deus* &c.

CAP. II.

Secundus error Domini Iohannis in dicto libello contentus & dogmatizatus, est ꝙ Christus inquantũ homo acq̃siuit sibi in speciali & habuit ꝑ successum temporis dominium propriũ & immediatũ vestimentorum, calciamentorum, alimentorum & loculorũ. Qui quidem error obuiat doctrinæ Euangelicæ & apostolicæ atq; ecclesiasticæ. Obuiat, inq̃, doctrinæ Euangelicæ: quia, vt ipse Christus ait Luc. 14. c. *Omnis ex vobis qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Constat autem, ꝙ Christus fecit, quod docuit, ad ꝑfectionem vitæ: quia, vt legitur Actuum 1. c. *cœpit Iesus facere & docere.* Aliter, vt prius dictũ est, non fuisset magnus in regno cœlorũ: quia, vt ipse ait Mat. 5. c. *Qui autẽ fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorũ.* Ergo Christus renunciauit ꝑfecte omnibus, quibus vsus est: aliter non fecisset & docuisset. Sed omnibus, quæ possidentur, nõ renunciatur perfecte, nisi renuncietur eis quo ad proprietatem & dominium: quia renunciare eis solũ quo ad affectionẽ & curã superfluam, non est ipsis perfecte renunciare. Alioquin religiosi absq; ꝓprio viuere profitentes frustra & inutiliter renunciarent in speciali proprietati & dominio omniũ rerum temporalium: nisi renunciare eis quo ad proprietatẽ & dominium esset perfectius & virtuosius, quã renunciare eis solum quo ad affectionem & curam superfluam. Et renunciatio Christi fuit forma & exemplar omnis renunciationis regularis: q̃a omnis aliã renunciatio canonica, & regularis habet ortũ & originem ex Christi renunciatione. Ergo Christus renunciauit ad minus in speciali proprietati & dominio omniũ rerũ temporaliũ: & ꝑ consequens in nulla re tẽporali habuit in speciali proprietatẽ & dominium proprium. Aliter omnibus rebus temporalibus perfecte non renunciasset: & per consequens alios perfecte renunciare non docuisset: cum nihil docuerit ad perfectionem pertinẽs, quod ipse non fecerit. Et si non docuit alios perfecte renunciare omnibus temporalibus: sequitur quod sua doctrina perfecte & sufficiens non fuisset: cum perfecta & sufficiens doctrina doceat perfecte mundum contemnere & relinquere. Dicere autem & asserere, quod Christi doctrina fuerit imperfecta & insufficiens, est hæreticum manifeste. Ita quod dicta verba Christi intelligantur de modo renunciandi omnibus temporalibus quo ad proprietatem & dominiũ. Patet per illud, ꝙ beatus Basilius in sua Regula ab vniuersali ecclesia approbata petentibus Fratribus, *vtrum venientes ad suam religionem deberent renunciare primo omnibus rebus?* respondit in hæc verba: *Domino & Saluatore nostro dicente, Si quis venit ad me abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me. Et iterum; qui non renunciauerit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus: qui ad hoc venit, vt Dominum sequatur, etiam seipsum neget & tollat crucem suam.* Hæc sanctus Basilius in sua Regula. Et loquitur beatus Basilius de modo renunciandi quo ad dominium & proprietatem: quia loquitur de modo renunciandi quo venientes ad religionem renunciant in speciali proprietati omnium rerum. Ergo Christus renunciauit & docuit alios renunciare proprietati omnium rerum. Hinc etiam Beatus Gregorius super Euangelia in Homelia Vnius Martyris, dicit sic: *Certè cum se sequentibus noua mandata proponeret, dixit:*

nisi

nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus. Ac si aperte dicat, qui per vitam veterum aliena concupistis, per noua conseruationis studium etiam vestra largimini. Hæc Beatus Gregor. Papa & Doctor Ecclesiæ. Largiri autem sua, est renunciare eis quo ad proprietatem & dominium, & non solum quo ad affectionem & curam. Ergo secundum beatum Gregor. dicta verba Christi sunt intelligenda de modo renuntiandi quo ad proprietatem & dominium. Item, sanctus Hieronymus ad Heliodorum scribens dicit sic: *Non tibi licet quicquam de tuis rebus habere: omnis, inquit Dominus, qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Hæc sanctus Hieronymus, quibus nihil clarius ad ostendendum, quod dicta verba Christi intelliguntur de modo renuntiandi quo ad proprietatem & dominium. Secundo dictus error obuiat doctrinæ Apostolicæ: quia Actor. 4. cap. legitur de prima multitudine credentium sic: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia.* Hæc ibi. Ex quibus patet, quod in illa multitudine credentium ab Apostolis & Spiritu sancto ordinata nullus retinuit sibi in speciali proprietatem alicuius rei: quod patet dupliciter. Primo quia nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat. Quod autem est alicuius quo ad proprietatem & dominium, veraciter est & dicitur suum.

Secundo quia vbi sunt omnia perfecte communia, ibi nihil est proprium: cum idem apud eosdem non possit simul esse proprium & commune. Et ita per se manifestum est, quod in illa multitudine nulli licuit habere in speciali proprietatem nec dominium propriũ alicuius rei. Et si in illa multitudine à Christo deriuata & exemplata nullus habuit in speciali proprietatem aliquam: multo magis Christus, qui fuit forma & exemplar primarium & originale illius communitatis, non habuit in speciali proprietatem aliquam: cum perfectio corporis Ecclesiæ perfectionem capitis Christi nõ excedat. Et præterea, sicut dicit Apostolus 1. Cor. 13. ca. *Charitas non quærit quæ sua sunt.* Constat autem quod charitas Christi fuit perfectior & maior charitate primorum credentium. Ergo Christus minus quæsiuit, quam illi de prima multitudine credentium. Si ergo in prima multitudine credentium nullus dicebat in speciali aliquid suum quod ad proprietatem & dominiũ, multo magis Christus nõ dixit, nec habuit aliquid tanq̃ suum quod ad ꝓprietatẽ & dominiũ. Et ideo vbicunq; in scriptura legitur aliquid fuisse Christi, intelligendũ est quo ad vsum vel ministerium, & non quo ad dominium. Item, sic scribitur in Psalmo: *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare Fratres in vnum.* Quæ verba aperte beatus Clemens, qui fuit in societate primorum credentium, exponit de illis qui nihil habent proprii, sed omnia habent communia, vt patet *12. ca. q. 1. c. dilectissimis.* Sed constat, quod Christus in sua vita tenuit maiorem vnitatem, concordiam, & cõmunitatem, quam aliquis homo de mundo. Ergo ipse minus habuit in speciali aliquid proprium, quam aliquis homo de mundo: quia tanto sunt aliqui magis vnum inter se, quanto magis habent omnia cõmunia, & nihil inter se proprium. Et ideo de primis credentibus qui nihil habebant propriũ, sed erant eis omnia communia, scribitur ꝙ *erat eis cor vnum, & anima vna.* Cum ergo Christo fuerit summe cor vnum, & anima vna cum Apostolis, & suis discipulis: sequitur quod inter eos nihil habuit proprium. Et oppositum asserere, sicut Dominus Iohannes asserit, est Christi charitatem & vnitatem extinguere atq; confundere.

Tertio dictus error obuiat determinationi sanctæ Ecclesiæ: quia, vt legitur & habetur in Regula sancti Basilii ab vniuersali Ecclesia approbata, quærentibus suis Fratribus, *vtrum liceret ipsis habere aliquid proprium?* respondit sanctus Basilius in hæc verba: *Hoc contrarium est illi testimonio, quod in Actibus Apostolorum de illis qui credebant primitus, scriptum est. Ibi enim dicitur sic: Nemo ex bonis suis quicquam proprium esse dicebat: sed erant illis omnia communia. Si quis ergo aliquid proprium sibi dicit esse, sine dubio alienum se facit ab electis Dei & à charitate Domini, qui docuit verbo & opere compleuit, & animam suam posuit pro amicis suis. Si ergo ipse animam suam pro amicis suis dedit: & quomodo non etiam quæ extra sint propria dederit?* Hæc sanctus Basilius in sua Regula ab vniuersali Ecclesia approbata. Ex quibus verbis Basilii, imo vniuersalis Ecclesiæ eius regulam approbantis, tripliciter apparet, ꝙ Christus non habuit inquantum homo ꝓ hac vita mortali aliquid ꝓprium. Primo ex eo ꝙ dicit, quod *si quis aliquid ꝓpriũ sibi dicit esse, alienũ se facit ab electis Dei.* Sed habens propriũ ex hoc, ꝙ propriũ habet, non faceret se alienum ab electis Dei: si Christus, q̃ fuit caput electorum Dei, aliquid proprium habuisset, quia cõformans se capiti electorum Dei non se facit alienum ab electis Dei. Secundo ex eo quod dicit: *si quis sibi aliquid proprium dicit esse, alienum se facit à charitate Domini:* sed habens proprium ex hoc ꝙ habet ꝓprium, non se faceret alienum à charitate Domini, si Christus aliquid habuisset: quia conformans se Christo in modo viuendi non se facit alienum à charitate Domini. Tertio ex eo quod dicit, ꝙ Dominus hoc *verbo docuit & opere compleuit:* sed Dominus non docuisset hæc verbo, nec opere compleuisset, si ipse inquantum homo propriũ aliquid habuisset. Ergo secundũ determinationẽ sanctæ matris Ecclesiæ quæ errare non potest, Christus nullius rei temporalis proprietatẽ habuit. Item, *extra de excess. prælat. c. Nimis praua,* habetur, ꝙ Fratres Prædicatores Minores famulantur Christo pauperi in altissima paupertate. Sed Fratres Prædicatores & Minores nõ sunt capaces secundũ eorũ regulã & ꝓfessionẽ, alicuius ꝓprietatis in speciali. Ergo multo magis Christus, cui ꝓdicti Fratres famulãtur in altissima paupertate, nõ habuit in speciali proprietatẽ alicuius rei: cũ famulari Christo in altissima paupertate sit ipsum imitari & seq. & non ꝓcedere. Item, in Regula beati Francisci ab vniuersali Ecclesia approbata habetur in hæc verba: *Regula & vita Fratrũ Minorũ hæc est, scil. Domini nostri Iesu Christi sanctũ Euangeliũ obseruare viuendo in obedientia sine ꝓprio & castitate.* Hęc sunt verba dictæ regulæ. Ex q̃bus verbis regulæ, imo vniuersalis Eclesiæ regulã approbantis manifeste apparet, quod vita Euangelica Christi

fuit absq; omni proprio viuere: quia *regula*, (inquit) *& vita Minorum Fratrum hæc est, scil. Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare viuendo in obedientia sine proprio.* Quod nequaq̃ verum esset, si Christus proprium aliquod habuisset. Item, Nicol. 3. in decr. *Exiit* (Quæ decretalis inserta in *6. lib. decre.* & in Vienens. concilio approbata) dicit sic: *Dicimus quod abdicatio proprietatis omniũ rerũ tã in speciali q̃ etiã in cõmuni ꝓpter Deum meritoria est & sancta, q̃ & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmauit* Hęc Nicol. 3. quę decretalis in vniuersali ecclesiæ est recepta & approbata iã sunt quinq; anni & amplius. Aut ergo vniuersalis Ecclesia errauit circa Christi paupertatem, quod est hæreticum manifeste: aut ipse Dominus Iohannes errat circa ipsum negando Ecclesiæ vniuersalis determinationẽ, ꝙ est hæreticum euidenter. Ex quibus & quamplurimis aliis breuitatis caussa omissis apparet manifeste, ꝙ asserere Christũ, sicut Dominus Iohannes asserit, habuisse in speciali ꝓprietatem & dominium proprium vestimentorum, calciamentorum, alimentorum & loculorum, doctrinæ Euangelicæ & Apostolicæ ac Ecclesiasticæ contradicit & aduersatur expresse, propter quod est velut hæreticum iudicandum: quia vt ait August. de Trinitate li. 4. c. 6. *Contra rationem nemo sobrius: contra scripturas nemo Christianus: contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.*

CAP. III.

TErtius error Domini Iohannis in dicto libello contentus & dogmatizatus, est, ꝙ Apostoli postquam fuerunt ad apostolatum assumpti, etiã post missionem Spiritus sancti habuerunt in speciali & sigillatim proprietatem & dominium proprium vestimentorũ, alimentorum, caligarum & gladiorũ ante passionẽ Christi. Qui quidem error cõtradicit & aduersatur aperte doctrinæ Euangelicæ & Apostolicæ & Ecclesiasticæ. Obuiat, inq̃, doctrinæ Euangelicæ: quia, vt habetur Mat. 19. Petrus in persona omniũ Apostolorũ dixit: *Domine: ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Mar. vero 10. & Luc. 17. c. habetur: *Ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te.* Quæ quidẽ verba Petri intelligenda sunt de modo relinquendi & dimittendi omnia quo ad proprietatem & dominiũ. Quod patet dupliciter. Primo q̃a Petrus ibi, vt ex circumstantiis verborum patet, loquitur de modo omnia relinquendi pfecte & vltimate. Sed modus relinquendi omnia pfecte & vltimate est relinquere quo ad proprietatem, & non solum quo ad affectionem & curam superfluam. Alioquin frustra & inutiliter primi credentes reliquissent in speciali omnia quo ad ꝓprietatẽ & dominium, nisi relinquere ipsa sic esset pfectius & virtuosius, q̃ relinquere ipsa solũ quo ad affectionẽ & curam, q̃ sunt errонea. Quare relinquitur, quod p̃dicta verba Petri intelliguntur de modo relinquendi & dimittendi omnia quo ad ꝓprietatem & dominium: & p̃ consequẽs Apostoli in nulla rẽ temporali habuerunt in speciali proprietatẽ & dominium. Secundo patet hoc: q̃a non minus pfecte Apostoli omnia relinquerunt, q̃ ille iuuenis, cui Christus dixit: *Vade & vende omnia q̃ habes & da pauperibus*, reliquisset, si consiliũ seruasset. Patet, tum quia Petrus dixit p̃dicta verba occasione illius iuuenis, qui Christi consilium in hoc seruare noluit: tum quia ille iuuenis nõ fuisset assumptus a Christo ad altiorẽ gradum pfectionis, quã Apostoli. Sed iuuenis debebat relinquere omnia q̃ habebat secundũ Christi consilium quo ad ꝓprietatẽ & dominium: quia *vende*, inquit, *omnia quæ habes & da pauperibus.* Vendita autem & pauperibus data non remansissent amplius in dominio dantis. Ergo similiter Apostoli reliquerunt omnia quo ad ꝓprietatem. Quę autem Apostoli semel ex perfectione virtutis reliquerunt: illa amplius stante Apostolica perfectione non resumpserunt, quia stante caussa stat effectus. Ideo Luc. 9. ca. *Nemo mittens manum suam ad aratrum & aspiciens retro aptus est regno Dei.* Sed vt ostensum est, Apostoli reliquerunt omnia quo ad proprietatem & dominium ex pfectione virtutis. Ergo apostoli stante perfectione euangelica nunquam in aliqua re tẽporali proprietatẽ vel dominiũ in speciali habuerunt. Vnde Hier. scribẽs ad Heliodorũ dicit sic: *Non est tibi eadẽ caussa q̃ cæteris: Dominũ ausculta dicentẽ: Si vis pfectus esse, vende omnia q̃ habes & da paupibus & sequere me. Te autẽ pfectũ esse pollicitus es: pfectus autẽ seruus Christi nihil p̃ter Christũ habet: aut si p̃ter Christũ habet, pfectus nõ est.* Hæc sanct. Hieron. Ex qua auctoritate patet aperte, ꝙ apostoli q̃ fuerunt assumpti ad statũ pfectorũ, reliquerunt omnia quo ad proprietatẽ & dominiũ. Quia *pfectus*, inq̃t, *seruus Christi nihil p̃ter Christũ habet*, scil. quo ad proprietatẽ & dominiũ: q̃a quo ad vsum necessariũ non est dubium aliquid fore habiturum. Item, sicut prius dictum est in secundo errore, Christus dicit Luc. 9. *Omnis ex vobis q̃ non renunciauerit omnibus q̃ possidet, non potest meus esse discipulus.* Sed apostoli fuerunt perfecti & supremi discipuli Christi. Ergo apostoli perfecte renunciauerunt omnibus temporalibus. Sed perfecte non renunciatur omnibus temporalibus, nisi renuncietur eis quo ad proprietatem & dominium: quia renunciare sic eis est perfectius, quam renunciare ipsis solum quo ad affectionem & curam, vt prius monstratum est. Ergo Apostoli non renunciauerunt proprietati & dominio omnium temporalium: & per consequens in nulla re temporali habuerunt in speciali proprietatem.

Secundo dictus error obuiat doctrinæ apostolicæ: quia, vt dictum est in secundo errore, in prima multitudine credentiũ nulli licuit in speciali habere proprietatẽ nec dominiũ proprium alicuius rei. Ideo de ipsa scribitur Actuum 4. c. *Nec quisq̃ eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat: sed erant illis omnia cõmunia.* Sed forma expropriationis Ecclesiæ primitiuæ ab apostolis ordinata & instituta nõ fuit altior nec perfectior ipsa expropriatione apostolorum. Tũ quia expropriatio primitiuæ Ecclesiæ fuit instituta & ordinata ab apostolis iuxta, & non supra expropriationem apostolorum: tũ q̃a status priorum credentium nõ fuit altior statu apostolorum. Si ergo in communitate primitiuæ Ecclesiæ nulli licuit in speciali habere proprietatem alicuius rei, vt prius dictum est, multo magis in communitate apostolorũ, maxime post aduentum Spiritus sancti, nulli licuit in speciali habere proprietatem alicuius rei. Cuius oppositũ Dominus Ioannes asserit: & per consequens doctrinæ apostolicæ cõtradicit.

Tertio dictus error contradicit doctrinæ Ecclesiæ, quoniam, vt habetur *19. q. 1. c. Ex auctoritate*, & est decre-

decretum beati Gregorii Papæ, Monachi tenent figuram Apostolorum. Sed monachis non licet habere in speciali proprietatem alicuius rei, vt habetur *12 q. 1. c. Non dicatis*, vbi sic dicitur: *Non dicatis vos aliquid habere proprium: sed sint vobis omnia communia.* Et extra de statu monachorum & canonicorum regularium. c. Cum ad monasterium, in fine dicitur sic: *Nec æstimet abbas quod super proprietate habenda possit cum aliquo monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut etiam custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, quod contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.* Hæc ibi. Ergo multo magis Apostoli, quorum figuram tenent monachi, non habuerunt in speciali proprietatem alicuius rei. Et oppositum dogmatizare est regulam monachorum, sicut erroneam, improbare: quod est hæreticum manifestum. Item, sicut dictum est in secundo errore, beatus Basilius in sua Regula ab vniuersali Ecclesia approbata quærentibus Fratribus suis, si liceret ipsis habere aliquid proprium, respondit in hæc verba: *Hoc contrarium est illi testimonio quod in Actibus Apostolorum de illis, qui primitus credebant, scriptum est. Ibi enim ita dicit: Nemo ex bonis suis quicquam proprium esse dicebat: sed erant illis communia omnia. Si quis ergo aliquid sibi proprium esse dicit, sine dubio alienum se facit ab electis Dei, & à charitate Domini, qui verbo docuit & opere compleuit.* Hoc sanctus Basilius in sua Regula ab vniuersali Ecclesia approbata. Sed habens proprium ex hoc, quod habet proprium, non se faceret alienum ab electis Dei, si Apostoli, qui fuerunt primi & præcipui electi Dei, aliquid proprium habuissent: quia conformans se in vita primis electis non se facit alienum ab electis Dei. Ergo secundum Regulam sancti Basilii ab vniuersali Ecclesia approbata Apostoli non habuerunt in speciali proprietatem alicuius rei. Item, sicut supra in secũdo errore dictũ est: in Regula sancti Francisci ab vniuersali Ecclesia approbata, sic habetur & continetur: *Regula etiam vita Fratrũ Minorũ hæc est, scil. Domini nostri Iesu Christi sanctũ Euangeliũ obseruare viuendo in obedientia sine proprio &c.* Hęc verba dictę Regulæ. Sed Regula & vita Fratrum Minorũ, quæ est sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi obseruare, non esset viuere sine proprio, nisi vita Euangelica quo ad Christi consilia fuisset viuere sine proprio &c. Sine proprio autem viuere est absq; omni proprietate viuere: quia negatio præpositionis præcedens terminum proprii negant ipsum vniuersaliter pro omni contento sub ipso. Ergo vita Euangelica quo ad consilia fuit viuere absq; omni proprietate cuiuscunq; rei: & per consequens Apostoli, qui fuerunt Christi professores Euangelii vixerunt absq; omni proprietate rei temporalis. Item, vt habetur *12. q. 1. c. dilectissimis*: *Communis vsus omnium quæ sunt in hoc mundo omnibus hominibus esse debuit: sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum & alius illud. Et sic inter mortales facta est diuisio. Et sicut non potest diuidi aer nec splendor solis: ita nec reliqua quæ data sunt hominibus ad habendum diuidi debere, sed habenda omnia esse communia. Istius consuetudinis more retento Apostoli eorumq; discipuli vna nobiscum & vobiscum communem vitã duxerunt.* Hæc verba ibi. Et est decretum beati Clementis, qui fuit in societate Apostolorũ. Ex quibus verbis patet aperte & manifeste, quod sicut Apostoli non habuerunt in aere nec in splendore solis proprietatem nec dominium proprium: ita secundum beatum Clementem in nulla re temporali, qua vsi sunt, habuerunt in speciali proprietatem nec dominium proprium.

Ex quibus omnibus & consimilibus aliis breuitatis caussa omissis patet manifeste, quod pertinaciter asserere & dogmatizare, sicut Dominus Iohannes asserit & dogmatizat, quod Apostoli habuerunt in speciali & sigillatim dominium proprium vestimentorum, alimentorum, caligarum & gladiorum, expresse contradicit & aduersatur doctrinæ Euangelicæ & doctrinæ Apostolicę & Ecclesiasticæ sanctioni, propter quod est hæreticum iudicandum & censendum.

CAP. IV.

QVartus error Domini Ioãnis in dicto libello contentus & dogmatizatus, est quod Dominus noster Iesus Christus non dedit aliam legem viuendi Apostolis quam discipulis: inter discipulos ibi specificans & specialiter numerans Ioseph ab Arimathia, qui fuit diues homo, in speciali secundum Matthæũ Euangelistam: & Marthã & Mariã quæ secundũ ipsum fuerunt dominæ castri: & Lazarũ, Simonẽ Leprosum, & Dorcam, qui secundũ ipsum etiam habuerunt in speciali dominiũ bonorum temporaliũ. Qui quidem error manifeste obuiat & repugnat tam doctrinæ Euangelicæ quam Ecclesiasticæ: quoniã si Dominus noster Iesus Christus non dedit aliam legẽ viuendi Apostolis quam discipulis, vt dominus Iohannes dicit, & discipuli, quos ipse specialiter nominat & specificat & Apostolis in mundi contemptu æquiparat, habuerunt in speciali & sigillatim bonorũ dominiũ temporalium: & aliqui ipsorum habuerunt in speciali secundũ ipsum dominiũ castri: & aliquis eorũ in speciali secundum ipsum etiam fuit diues homo: Sequitur necessario & euidenter, quod Apostoli potuerunt habere in speciali & sigillatim dominia castrorũ & villarũ, ac diuitiarum & bonorum temporalium quorumcunq; quod est manifeste hæreticum: quia vt habetur Matt. 19. c. *Si vis perfectus esse vende omnia quæ habes: & da pauperibus & veni sequere me.* Ex quibus manifeste patet, quod cum perfectione Apostolica non stat secundũ Christi consiliũ retentio dominii castrorum, nec villarum, nec etiam diuitiarum quarumcunq;: quia, *si vis*, inquit, *perfectus esse vẽde omnia quæ habes & da pauperibus.* Venditio aũt omniũ & ipsorum pauperibus largitio de directo respicit dominii translationem & abnegationem. Quare si Apostoli potuerunt habere in speciali & sigillatim dominia castrorum & villarum, ac aliorum bonorum quorumcunq;, sequitur manifeste quod ipsi non fuerunt perfecti, nec de genere perfectorum: imo sequitur, quod ipsi nunquam fuerunt assumpti ad statũ Euangelicę perfectionis, cum Euangelica perfectio taliũ dominiorũ abnegationẽ includat: quod est omnino hæreticũ. Quare dictus error manifeste sapit hæresim. Contra istum errorẽ in speciali est beatus August. libro De bono coniugali, vbi dicit sic: *Bonũ erat quod faciebant, qui de sua substantia Christo ac Discipulis eius necessaria ministrabant: sed melius qui omnẽ suam substantiã dimiserunt vt*

expeditiores eundem Dominum sequerentur. Hæc Augustinus. Ex quibus patet, quod Martha, & Maria, quæ Christo de sua substantia ministrabant, nō fuerunt in abdicatione temporalium pares Apostolis, qui omnem suam substantiā dimiserunt, vt Christū expeditiores sequerentur. Et ita falsum est & erroneū, quod Christus non dederit aliā legem viuendi Apostolis, quā dictis discipulis, quos Dominus Iohannes nominat, & Apostolis in modo viuendi æquiparat. Contra prædictum etiam errorē sunt directe omnia adducta contra tertium errorem præcedentem: & plura alia breuitatis caussa omissa.

C A P. V.

QVintus error domini Iohannis in dicto libello contentus & dogmatizatus, est quod Apostoli stante apostolica pfectione potuerūt licite recipere bona immobilia, vt agros & pdia quo ad dominiū in cōmuni. Et quod talia in Iudæa non receperunt, non fuit quod illa repugnarent apostolicæ pfectioni, sed quia præuidebant in spiritu se transituros ad gentes. Et fallaciter imponit Melchiadi Papę. Qui error aperte obuiat veritati Euangelicæ & Ecclesiasticæ determinationi: Quoniam, vt sæpe dictum est, Christus cuidā adolescenti quærenti ad pfectionem pertingere respōdit: *Si vis perfectus esse vende omnia quæ habes: & da pauperibus: & veni sequere me: & habebis thesaurū in cælo.* Constat autē, quod simpliciter vēdita non remansissent amplius in dominio vendentis in speciali nec in cōmuni: quia illa non debebat vendere cōmunitati Apostolorū, sed aliis hominibus. Ergo volens ad gradū Apostolicæ pfectionis ascendere, debebat secundū Christi consiliū relinquere bona immobilia quo ad dominiū in speciali & in cōmuni. Et ita cum Apostolica pfectione non stat retentio dominii rerū immobilium in speciali nec in cōmuni. Caussa ergo primaria & essentialis, quare Apostoli bona immobilia in cōmuni nō receperunt in Iudæa, nō fuit, quia præuidebant in spiritu se transituros ad gentes: sed quia dominiū talium nō poterat stare cū Apostolica pfectione secundū Christi consiliū: quia *si vis*, inquit, *perfectus esse*. & non inquit, si vis transire ad gentes; *vēde omnia quæ habes* &c. Nec Melchiades Papa dixit, nec sensit, quod Apostoli pro seipsis nō receperunt pdia in Iudæa, quia præsciebant se transituros ad gentes: sed dicit, quod Apostoli nō receperunt pdia in Iudæa pro Ecclesia primitiua, quā regebāt & gubernabāt: quia præuidebant in spiritu Ecclesiā futurā in gentibus, sicut patet *12. q. 1. c. futurā*. Licet etiā ratio & caussa Melchiadis Papæ pro ipsa Ecclesia primitiua nō fuerit ratio literalis & principalis, sed accessoria & allegorica. Itē, quibus ex pfectione virtutis nō licuit recipere in cōmuni bona mobilia quo ad dominiū: quia nō minus distrahit à pfectione virtutis bonorū immobiliū, quam dominiū bonorū mobiliū. Sed Apostolis propter contemptū, & non propter futurū transitum ad gentes, fuit eis præceptū à Christo, Matt. 10. c. *Ne possideretis aurū & argentū*: quia licet pdia & agros Apostoli nō potuissent secū deferre ad gentes, dummodo eis licitū fuisset, Apostolis fuit interdictū ne possiderēt aurum & argentū & ne portarēt calciamenta propter mundi cōtēptū & virtutis exēplū, & nō propter futurū transitū ad gētes: & hoc in speciali vel in cōmuni quātū ad cōmunitatē ipsorū specialē & propriā. Et quomodocūque talia, scil. aurū & argētū quo ad dominiū recepissent, Christi Euāgeliū venale fecissent, & cursum Euāgelii impediuissent. Ergo multo magis Apostolis propter mundi cōtemptū & virtutis exēplū, & nō propter futurū transitū ad gentes, fuit inhibitū ne possiderēt bona immobilia quo ad dominium in cōmuni. Itē, nō minus distrahit à pfectione Euāgelii retētio dominii bonorū immobiliū in cōmuni, quam solū renūciare suis quæ sunt domi. Sed vt patet *Lu. 9.* ille qui renuit renuntiare suis, quæ erāt domi, nō fuit aptus nec idoneus ad prædicationē Euangelii, sed ab ea à Christo fuit repulsus. Ergo multo magis retinēs sibi dominiū bonorū immobiliū in cōmuni non est pfecte aptus nec pfecte dispositus ad prædicationē Euāgelii. Ideo Christus, qui nō erat trāsiturus ad gētes, sed in Iudæa moriturus, propter Euāgeliū suū reliquit dominiū quorūcunque bonorū immobiliū: quia nec domū nec prædiū aliquod legitur habuisse in speciali nec in cōmuni. Et eadē caussa Apostoli se Christo cōformātes, talia in Iudæa nō receperunt pro seipsis in speciali nec in cōmuni: quia eadē caussa abdicationis tēporalium & nō alia fuit in Christo & in Apostolis ipsum sequētibus. Et ita talis doctrina erronea totū Euāgeliū puertit & corrūpit. Itē, dictus error obuiat directe & aperte ecclesiæ determinationi: quia, vt habetur in decretis *Exiit*. Domini Nicolai 3. (quæ decr. in corpore iuris fuit clausa, & in sext. lib. decr. per Bonifaciū 8. inserta, & per cōstitutionē quæ incipit *Exiui de Paradyso*, in Vienens. cōcilio factā approbata, ac per consequēs ab vniuersali ecclesia absque cōtradictione aliquā recepta & approbata:) sic dicitur: *Dicimus quod abdicatio proprietatis omniū rerū tā in speciali quā in cōmuni propter Deū meritoria est & sancta, quā Christus viā perfectionis ostendēs verbo docuit & exēplo firmauit, quāque primi fundatores militantis Ecclesiæ, prout ab ipso fonte hauserant in volentes pfecte viuere per doctrina ac vita ipsorū alueos deriuarūt.* Hęc Nicolaus prædictus in dicta decre. Ex qua decretali ab vniuersali Ecclesia recepta & approbata apparet manifeste, quod Apostoli stante apostolica perfectione non potuerunt retinere in speciali nec in cōmuni proprietatē bonorū immobilium: quia dicit, quod Christus viā pfectionis ostendēs, & Apostoli etiā volentes pfecte viuere: & ita secundū determinationē vniuersalis Ecclesiæ causa abdicationis proprietatis omniū rerum in speciali & in cōmuni in Christo & Apostolis fuit perfectionis exēplū, & nō transitus futurus ad gentes. Ex quibus & quam pluribus aliis causa breuitatis omissis, apparet quod dictus error directe aduersatur & cōtradicit doctrinæ Euāgelicæ vitæ Christi & Apostolorum, & vniuersalis ecclesiæ determinationi, propter quod impingit in articulum fidei; *Credo in vnā sanctā catholicā & Apostolicam Ecclesiam.*

C A P. VI.

SExtus error Domini Iohannis in dicto libello contentus & dogmatizatus, est, quod Christus nunquam consuluit Apostolis nec suis Discipulis abdicationem proprietatis omnium rerum ad minus in communi. Qui quidem error manifeste obuiat & repugnat determinationi vniuersalis Ecclesiæ & Euangelicæ doctrinæ. Determinationi, inquam, ecclesiæ vniuersalis repugnat: quia, vt dictum est in quinto errore præcedente, Dominus Nicolaus tertius diffinit & determinat in

hæc

hæc verba: *Dicimus ꝙ abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali q̄ in communi propter Deum meritoria est & sancta: quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmauit* &c. Ex qua decretali patet manifeste, ꝙ Christus verbo & facto consuluit Apostolis ac aliis discipulis viam perfectionis sequi volentibus abdicationem ꝓprietatis omnium rerum in speciali ac etiam in communi: cuius oppositum Dominus Iohannes dogmatizat. Prædicta autem decretalis Domini Nicolai extitit ab vniuersali ecclesia recepta & approbata: quia illa determinatio seu diffinitio, quæ vbique terrarum apud cunctos Christi fideles per quinquaginta annos & amplius extitit publice & libere absque contradictione aliqua tam in clero quā in populo prædicata & annunciata: & in scholis per omnia studia Vniuersitatum sub discretione præcepti sicut ceteræ Decretales fideliter lecta & exposita: & in iudiciis & extra sicut sana & catholica reputata & iudicata: & in contrarium dogmatizantes & docentes cuiuscunq; status existerent sententia excōmunicationis lata & religioni ab vniuersali ecclesia apꝓbatæ ad comprobandū imposita & seruata in corpore iuris canonici: & per constitutionem in generali concilio factā approbata, intelligitur ab vniuersali ecclesia recepta & approbata: quia si talis determinatio non foret determinatio vniuersalis ecclesiæ: tunc nunq̄ aliq̄ foret determinatio vniuersalis ecclesiæ, sed prædicta diffinitio Nicolaii tertii vbiq; terrarū apud cunctos fideles Christi per quinquaginta annos & amplius tam in clero q̄ in populo extitit publice & libere ac solenniter absq; contradictione aliqua ꝓdicata, annunciata, & cōmendata in scholis: etiā per omnia studia Vniuersitatū sub discretione ꝓcepti, sicut ceteræ decretales, lecta & fideliter exposita, & in cōtrariū dogmatizantes & docentes cuiuscunq; status, & conditionis existant, sentētia excōmunicationis lata, & religioni Fratrū Minorū ab vniuersali ecclesia apꝓbatæ, sicut de substantia & fundamento suę regulæ ad seruandū imposita: ac etiā per quinquaginta annos & ampli⁹ à toto Ordine inuiolabiliter obseruata: & per Papā Bonifaciū octauū 6. lib. decretaliū sub titulo *de verborū significatione* inserta, & clausa p cōstitutionē Dn. Clementis 5. q̄ incipit: *Exiui de Paradiso*, in Viennensi Concilio editā apꝓbatam: sicut omnia ꝓdicta notoria vbiq; existunt. Quare dicta diffinitio intelligitur veraciter ab vniuersali ecclesia apꝓbata. E. Dns Iohannes publice dogmatizās oppositū publicę determinationi vniuersalis ecclesiæ se opponit: & per consequens in articulū fidei impingit: & non solū determinationi vniuersalis ecclesiæ se publice opponit, sed etiā, ꝙ peius est, ipsam determinationē vniuersalis ecclesiæ sicut hæreticā condēnat, & iudicialiter sententiat, quia in sua constitutione, imo potius destitutione, *Cū inter nullas*, assertionē dicentiū Christū & Apostolos non habuisse aliquid in speciali vel in communi, sicut hæreticā declarat. Et in constitutione, *Quia quorundā*, omnes & singulos asserentes verbo vel scripto Christū & Apostolos non habuisse aliquid in speciali, vel in communi, condemnat, sicut hæreticos, & tanq̄ hæreticos esse censendos. Quare necessario sequitur, ꝙ aut vniuersalis ecclesia vsq; ꝯūc fuerit in errore & hæresi circa vitā Christi & Apostolorū, ꝙ est hæreticū manifeste: Aut ipse Dn. Iohannes incidit in hæresim manifeste determinationem catholicam sanctæ matris ecclesiæ negando, & ipsam condemnando. Dictus etiam error obuiat doctrinæ euangelicæ, quia, vt habetur Matt. 19. Marc. 10. & Luc. 18. Petrus in persona omniū Apostolorū dicit: *Ecce nos reliquimus omnia* (seu, *dimisimus omnia*) quæ verba Petri sunt intelligenda quo ad proprietatem & dominiū, vt ostensum est in tertio errore: quia verba importantia vltimatā perfectionem Apostolorum non sunt minoris perfectionis, quam verba importantia vltimatam perfectionem primorū credentium: sicut status Apostolorū non fuit imperfectior statu primorū credētiū. Sed verba Act. 4. de credentibus dicta: *Nec quisquis eorū* &c. intelliguntur quo ad abdicationem proprietatis & dominii, sicut supra patuit. E. & hæc verba Petri, q̄ exprimunt vltimatā perfectionē Apostolorū quo ad mundi contemptū, qua nulla alia in scripturis quo ad mundi contemptū potior inuenitur, sunt intelligenda quo ad proprietatē & dominiū. Quod etiam per illud patet, ꝙ August. dicit in libro de bono coniugali sic: *Bonum faciebant qui de sua substātia Christo, ac eius discipulis necessaria ministrabant. Sed melius, qui omnem suam substantiam dimiserunt, vt expeditiores eundē Dominū sequerentur.* Hæc August. Prædicta etiā verba Petri sunt intelligenda in speciali & in communi. Quod patet primo, quia vbi nullus canon distinguit, nec nos distinguere debemus, quia aliter talis distinctio esset fictitia & vana. Sed nullus trium Euangelistarum prædicta verba Petri recitantium dicit plus in speciali quam in communi, sed quilibet eorum recitat dixisse Petrum simpliciter & absolute: *Nos reliquimus omnia*, seu *dimisimus omnia*. Nec ex aliquo alio passu scripturæ habetur, ꝙ debeant intelligi plus in speciali, q̄ in communi. Ergo in speciali, & in communi intelligenda sunt. Secundo quia verba communiter & indistincte prolata ex natura & forma verborum debent intelligi in communi & non in speciali solum. Sed Petrus dicit communiter & indistincte pro omnib⁹ Apostolis: *Ecce nos reliquimus omnia:* nullam mentionē faciendo plus de speciali q̄ de cōmuni. E. in speciali & in communi intelligēda sunt. Tertio quia non min⁹ perfecte Apostoli omnia reliquerunt, quā ille cui Christus dicit: *vende omnia quæ habes* &c. reliquisset, si Christi consiliū seruasset. Sed ille si Christi consilium perfecte seruasset, debebat relinquere omnia quæ habebat in speciali & in communi: quia debebat omnia quæ habebat vendere & pauperibus dare. Vendita autem & pauperibus data non remansissent amplius in eius dominio in speciali nec in communi. Quare similiter Apostoli omnia vtroq; modo reliquerunt. Quarto quia verba importantia perfectionem Apostolorū non debent distrahi nec diminui, sed integre & plene, sicut sonant, exponi. Aliter enim esset detrahere & diminuere de perfectione Apostolorum, quod est impium & insanum. Sed prædicta verba Petri important quo ad mundi contemptum vltimatam perfectionem Apostolorum. Ergo non debent distrahi nec diminui, sed integre & plene, sicut sonant, exponi & intelligi. Sed dicere ꝙ intelligantur in speciali & nō in cōmuni, cū nullus euāgelistarū pl⁹ dicat in speciali q̄ in cōmuni, est

ipsa distrahere & diminuere, & à perfecto sensu trahere. Ergo in speciali & in communi intelligēda sunt: & hoc quo ad proprietatem & dominium, vt prius dictum est. E. Apostoli omnia reliquerunt in speciali & in communi quo ad dominium. Cuius oppositum Dominus Iohannes pertinaciter asserit, & ita determinationi vniuersalis ecclesiæ & doctrinæ euangelicæ contradicit.

Cap. VII.

Septimus error Domini Iohannis est, quod Apostoli nunquam vouerunt omnia relinquere, nec vnquam votum relinquedi omnia emiserūt. Qui error aduersatur doctrinæ ecclesiasticæ & euangelicæ. Doctrinæ, inquam ecclesiasticæ adversatur & contradicit: quia, vt habetur *16. q. 1. c. ex auctoritate*, & est decretum beati Gregorii Papæ, Monachi tenent figuram Apostolorum. Sed Monachi vouent abdicationem proprietatis omnium, vt patet *extr. de sta. mo. & cano. regularium c. Cum ad monasterium*. Ergo multo magis Apostoli, quorum figuram tenent monachi, vouerunt abdicationem proprietatis omnium rerum, cum figura non excedat veritatem. Item Alex. 4. *in condemnatione libelli editi contra statum Fratrum Prædicatorum & Minorum*, determinat & diffinit, quod obseruantia dictorum Fratrum tenet formam euangelicæ perfectionis. Sed dicti Fratres vouent abdicationem proprietatis rerum. Ergo multo magis Apostoli, qui fuerunt primi & præcipui obseruatores euangelii, cuius perfectionis dictorum Fratrum obseruantia formam tenet, vouerunt sine proprio viuere. Item in regula sancti Francisci ab vniuersali ecclesia approbata habetur in hæc verba: *regula & vita Fratrum Minorum, hac est, Domini nostri Iesu Christi sanctum euangelium obseruare* &c. Sed Minores, quorum vita & regula est sanctum euangelium obseruare, vouent abdicationem proprietatis omnium rerum in speciali & in communi, vt patet per eorundem regulam & declarationes ab ecclesia Romana eis datas. Ergo multo magis Apostoli, qui fuerunt primi professores euangelii, vouerunt abdicationem proprietatis omnium rerum in speciali & in communi. Item Nicolaus 3. in decr. *Exiit*, loquens de abdicatione per votum omnium rerum in speciali & in communi, dicit sic: *Porro cum regula ipsa expresse contineat, quod Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sitque declaratum per eundem Greg. 9. prædecessorem nostrum & nonnullos alios, hoc seruari debere tam in speciali quam in communi: quam sic artam abdicationem venenosis obtrectationibus, aliquorum insensata deprauauit astutia, ne Fratrū eorundē perfectionis claritas imperitis sermonibus laceretur: Dicimus ꝙ abdicatio proprietatis omniū rerū tam in speciali quam in communi propter Deum meritoria est & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmauit.* &c. Hæc Nicolaus 3. Qui loquitur de abdicatione omnium rerum in speciali & in communi facta per votum, quod patet ex hoc, quod loquitur de abdicatione omniū rerum in speciali & in cōmuni Fratrum Minorum. Abdicatio autem Fratrum Minorum votum includit. Et hanc abdicationem omnium rerum in speciali & in communi Fratrum Minorum, per votum factam dicit, quod Christus verbo docuit & exemplo firmauit, quod Apostoli eam per doctrinæ ac vitæ ipsorum alueos deriuarunt. Ergo secundum ipsum Apostoli vita & doctrina deriuarunt in alios votum abdicandi proprietatem omnium rerum in speciali & in communi. Et dicta diffinitio ab vniuersali ecclesia extitit approbata & accepta, vt in errore præcedenti ostensum est. Ergo Dominus Iohannes dogmatizando, quod Apostoli non vouerunt relinquere omnia quo ad proprietatem & dominium determinationi vniuersalis ecclesiæ se opponit. Item ad hoc est expresse August. 17. lib. de ciuit. Dei cap. 4. dicens sic: *Dixerant enim illi potentes: Ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te. Hoc votum potentissimi vouerant. Sed vnde hoc eis, nisi ab illo, de quo hoc continue dictum est? damnas votum vouenti.* Hoc August. Et quod Augustinus intelligat, quod Apostoli vouerunt relinquere omnia, & sequi Christum : patet ex hoc, quod prædicatum cadens simpliciter & absolute ac indistincte super aliquod copulatum, cadit ex natura sua super vtramq; partem copulati: quia ad veritatem copulatiuam requiritur quod vtraq; pars sit vera. Sed istud prædicatum, *hoc votum potentissimi vouerant*, cadit simpliciter & absolute ac indistincte super illud copulatum: *Ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te*. Ergo votum cadit super vtramq; partem istius copulati: & per consequens Apostoli vouerunt dimittere omnia, & non solum sequi Christum. Item, ad hoc est beatus Greg. Papa super euangelia in homeliis Petri & Andreæ: vbi dicit, quod *Apostoli non solum reliquerunt omnia temporalia, sed etiam renunciauerunt desideriis & concupiscentiis habendi ipsa*. Sed desideriis & concupiscentiis habendi res temporales non renunciatur, nisi per votum licet possit imperfecte renunciari, absque voto: Ergo Apostoli renuntiauerunt per votum proprietati omnium temporalium, & oppositū astruere, sicut Dominus Iohannes astruit, est determinationi sanctæ matris ecclesiæ & sanctorum doctrinæ contradicere, & omnes religiones votum relinquendi omnia profitentes destruere: quia si Apostoli, qui fuerunt primi professores euangelii, & imitatores Christi, non vouerunt abdicationem proprietates omnium temporalium, tunc religiosi quicunq; in vouendo abdicationem omnium rerum non sequerentur Christum nec Apostolos: quia in eo, quod Christus & Apostoli nunquam fecerunt, nullus dicitur eos sequi nec imitari: quod est omnem religionem habentem votum proprietatis annexum resoluere & dissoluere.

Secundo dictus error obuiat doctrinæ euangelicæ, quoniam constat quod oblatio euangelica non debet esse imperfectior legali, sicut nec euangelium lege. Sed oblatio antiquæ legis non erat pfecta, nec Deo perfecte grata, nisi fieret ex voto seu votum haberet adiunctum, iuxta illud ꝙ Dēmandauit in Psalmo: *Vouete & reddite* &c. Ergo multo magis oblatio euangelica & Apostolica non fuit perfecta nec Deo perfecte accepta & grata, nisi fuisset facta ex voto seu votum habuisset annexum.

nexum. Sed Apostoli tunc omnia temporalia Deo obtulerunt, quando ipsa ꝑ Deo & amore Christi reliquerunt. E. talis oblatio Apostolorum non fuisset perfecta nec Deo grata perfecte, nisi ex voto omnia reliquissent, seu votū omnia relinquendi emisissent. Etiā ꝑterea sicut Christus ait Matth. 16. *Si quis vult post me abneget semetipsum.* Sed voluntas non perfecte abnegatur, nisi per votum; quia voluntas non abnegatur perfecte, nisi abnegatur actu & potentia. Voluntas a. non abnegatur actu & potentia, nisi mediante voto. Ideo August. super illud Psalmi: *votū vouit Deo Iacob; dicit, quo nihil gratius Deo offerri potest.* Et ita secundū August. nihil est Deo gratius, q̄ opus bonū ex voto ꝓcedens. Hinc est, ꝙ Anselmus in libro de similitudinib⁹ dicit, ꝙ *sicut offerens arborem cū fructibu plus offert, q̄ offerens solum fructus retenta sibi arbore. Ita qui offert obedientiā Deo ex voto, plus & gratius offert sibi, q̄ ille qui offert obedientiam liberā absq; voto. Hinc est etiam, ꝙ Leuit. 22. c. scribitur sic: Boue & oue aure & cauda amputatis offerre potest, votū ex his solui non potest.* Hoc ibi. Sed de boue & oue, aure & cauda amputatis nō posset magis oblatio fieri libera, quā votū psolui, nisi quia oblatio absq; voto nō est integra nec perfecta, sicut animal amputata cauda & aure non est integrū & perfectū, sed diminutū & imperfectū. Cū ergo Apostoli integre & perfecte seipsos & sua abnegauerunt, sequitur ꝙ votum abnegandi omnia temporalia emiserunt. Aliter n. non integre nec perfecte omnia reliquissent, ꝙ est aperte impingere in Apostolicā perfectionem. Item licet ceremonialia & figuralia antiquæ legis sint euacuata in noua lege: tamē moralia & naturalia non sunt euacuata, sed adimpleta, vt patet Matth. 5. Sed illud consiliū datū in Psalmista: *Vouete & reddite Domino,* non fuit figurale nec iudiciale, sed mere morale, sicut iuramentū. Ergo illud non est euacuatum in euangelio, sed adimpletū & perfectum. Constat a. ꝙ Christus apposuit Apostolis obseruantiā consiliorū euangelicorum, cum ipsi fuerint primi & præcipui obseruatores euangelii. Cum ergo votum sit consilium euangelicum, vt ostensum est: sequitur, quod Apostoli vouerunt abdicationem proprietatis rerum temporalium. Item abnegans à se propter Deum potestatem licitam resumendi temporalia quæ reliquit, votum emittere videtur. Cum votum non sit aliud, quam abnegatio potestatis licitæ propriæ voluntatis propter Deum factam. Sed iste, cui Christus dicit: *Vende omnia quæ habes & da pauperibus & veni sequere me,* debebat secundū Christi consilium abnegare potestatem resumendi tēporalia, quæ videbatur relinquere: quia *Vende,* inquit, *omnia & da pauperibus,* amplius, scil. illa non resumpturus; & ita assumendus ad statum euangelicæ perfectionis debebat à se abnegare propter Deum potestatem resumendi talia, quæ videbatur relinquere. Constat autem, quod Apostoli fuerunt assumpti ad statum euangelicæ perfectionis. Ergo ipsi emiserunt votum abdicationis temporalium.

C A P. VIII.

OCtauus error Dn. Iohannis in dicto libello contentus & dogmatizatus, est, ꝙ Apostolis licuit pro rebus temporalibus, sicut pro rebus suis propriis in iudicio contendere & litigare: licet eos contendisse & litigasse pro ipsis non legatur. Qui quidem error obuiat doctrinæ euangelicæ & Apostolicæ atq; ecclesiasticæ. Quoniam illis, quibus non licet habere aliquid proprium, non licet litigare & contendere pro rebus aliquibus sicut pro rebus propriis. Quia litigare pro rebus aliquibus, sicut pro rebus propriis, supponit ipsum litigantē habere res proprias. Sed Apostolis non licuit habere in speciali nec in communi aliquid proprium: quia in speciali & in communi vouerunt abdicationem proprietatis omnium rerum, vt in sexto alio errore ostensum est. Ergo ipsis nec in speciali nec in communi licuit pro rebus temporalibus, sicut pro rebus propriis, in iudicio contendere & litigare. Item beatus August. in Enchiridion 44. c. pertractans illa verba Apostoli: *Iam enim delictum est in vobis ꝙ iudicia habetis* &c. Dicit sic: *Nam & hic posset putari iudicium habere aduersus alterum non esse peccatū, sed tantummodo si extra ecclesiam vellet iudicari nisi secutus adiungeret: Iam quidem omnino delictum est, quia iudicia habetis vobiscum. Et ne quis ita excusaret & diceret, se iustum habere negocium, sed iniquitatem pati, q̄ velit à se iudicii sententia remoueri, continuo talibus cogitationibus, vel excusationibus occurrit atq; ait: Quare non magis iniquitatem patiamini? quare non potius fraudamini? vt ad illud redeat, quod Dominus dicit: Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & in iudicio tecum contendere, dimitte ei & pallium: & qui abstulerit, inquit, tua noli repetere. Prohibuit itaq; suos Dominus de secularibus cum aliis habere iudicium. Ex qua doctrina Apostolus dicit esse delictum, cum sinit in ecclesia talia fieri inter fratres fratribus iudicantibus extra ecclesiam notabiliter vetat. Manifestum est etiam hoc, quid secundum veniam concedatur infirmis Propter hæc atq; huiusmodi peccata & alia his maiora oportet vt quotidie crebroq; oremus Dominum atq; dicamus: Dimitte nobis debita nostra* &c. Hæc Augustinus. Ex quibus verbis Augustini manifeste patet, quod contendere in iudicio pro rebus aliquibus, sicut pro rebus propriis, conceditur secundum veniam infirmis & imperfectis. Cum ergo Apostoli fuerint in statu summæ perfectionis: sequitur quod eis non licuit contendere pro rebus temporalibus, sicut pro rebus propriis.

C A P. IX.

NOnus error Dn. Iohannis in dicto libello contentus, est, ꝙ votū religiosorū, absq; ꝓprio viuere ꝓfitentiū, nō se extēdit ad illas res, quib⁹ necessario eget vita humana, seu sine quib⁹ humana vita trāsiri nō potest. Qui error directe & apte aduersatur & cōtradicit ecclesiasticæ disciplinæ & determinationi: quia

quia beatus Benedictus in sua regula ab vniuersali ecclesia ap probata sic dicit: *Ne quis præsumat aliquid dare aut accipere neque aliquid habere propriũ, nullã omnino rẽ, neque codicẽ, neque tabulas, neque graphiũ, sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in sua propria potestate, omniaque omnibus sint communia, vt scriptũ est: nec quisquã aliquid suũ esse dicat aut præsumat.* Hæc sanctus Benedict⁹ in sua Regula ab vniuersali ecclesia ap probata. Ex quibus luce clarius patet, quod votum Fratrum sancti Benedicti se extendit vniuersaliter ad quascunq; res, nulla excepta: quia dicit, *& nullam omnino rem*, & *nihil omnino*. Item beatus Augustin. in sua Regula ab vniuersali ecclesia approbata dicit sic: *Sit vobis anima vna & cor vnum in Deo, & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur vnicuique vestrum à præposito vestro victus & tegumentum. Sicut enim legistis in Actibus Apostolorum, quod erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuique prout opus erat.* Hoc beatus Augustin. in sua Regula ab vniuersali ecclesia ap probata. Ex quibus patet, quod votum Fratrum sancti Augustin. se extendit ad victum & tegumentũ, sine quibus humana vita transiri non potest. Item, vt supra patuit, beatus Basilius in sua Regula ab vniuersali ecclesia approbata quærentibus suis Fratribus, *vtrum liceret ipsis habere aliquid proprium?* respondit in hæc verba: *Hoc contrarium est illi testimonio quod in Actibus Apostolorum de illis qui credebant primitus scriptum est. Ibi enim ita dicitur, quod nemo de bonis suis quicquam proprium esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Si quis ergo proprium aliquid sibi dicit esse, sine dubio alienum se facit ab electis Dei, à caritate Dei, qui docuit verbo & opere compleuit.* Hoc sanctus Basilius in sua Regula ab vniuersali ecclesia approbata. Ex quo patet, quod votum Fratrum sancti Basilii se extendit vniuersaliter & indifferenter ad quascunque res, nulla penitus excepta: quia dicit, *nec quicquam proprium*. Item Nicolaus 3. in decre. *Exiit*, dicit sic. *Dicimus quod abdicatio proprietatis huiusmodi omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est & sancta: quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exẽplo firmauit* &c. Hæc Dominus Nicolaus in dicta decretali: quæ decretalis, vt superius est ostensum, fuit ab vniuersali ecclesia recepta & approbata. Ex quo patet quod votum Fratrum Minorũ, de quibus ibi ad literam loquitur, se extendit vniuersaliter ad omnes res in speciali. Cuius oppositum Dominus Iohannes dicit: qui dicit, quod votum religiosorum absq; proprio viuere profitentium non se extendit ad illa, sine quibus vita humana transiri non potest: & ita aperte negat determinationem vniuersalis ecclesiæ, ac omnes religiones absq; proprio viuere profitentes destruit & confundit, quod est hæreticum manifeste.

CAP. X.

Decimus error Domini Iohannis in dicto libello contentus, est quod bona ecclesiæ primitiuæ, de qua scribitur Act. 4. c. *Nec quisquam eorũ quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*: non erant illis omnia cõmunia quo ad dominiũ post distributionẽ bonorũ factam inter credentes ipsos: sed solum ante distributionẽ. Post distributionem vero quilibet ipsorũ efficiebatur in speciali proprietarius & Dominus portionis sibi assignatæ. Qui error manifeste repugnat intentioni sacræ scripturæ & ecclesiæ determinationi; quoniã illa, quæ primi credẽtes ex perfectione virtutis simpliciter reliquerunt, stante tali perfectione amplius illa non resumpserunt: quia stante causa stat effectus. Ideo Luc. 9. legitur: *Nemo mittens manũ ad aratrum & aspicens retro aptus est regno Dei.* Sed primi credentes ex perfectione virtutis simpliciter reliquerunt in speciali proprietatem omniũ quæ possidebant: vt patet, ex præmissis verbis *Actor. 4. cap.* E. primi credentes, stante tali perfectione, dominiũ illorũ amplius in speciali non resumpserunt. Sed post distributionẽ bonorũ, quæ fiebant inter ipsos, non erant imperfectiores q̃ ante ipsam distributionẽ: alioquin illa distributio non fuisset fienda inter eos; quia distributio seu diuisio tollens perfectionem aliquorũ, nõ est fienda inter illos, quorũ perfectionẽ tollit aut etiã diminuit: E. primi credentes post distributionẽ seu diuisionẽ bonorum factã inter ipsos non erãt magis proprietarii & Domini in speciali portionis sibi assignatæ (quia illa diuisio siue distributio nõ fiebat quo ad dominiũ, sed solum qui ad vsum) q̃ ante: cuius oppositũ Dominus Iohannes conatur astruere. Et ita manifeste detrahit perfectioni ecclesiæ primitiuæ & intentioni scripturæ sacræ, quia, vt habetur Matth. 10. c. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Nõ ergo renunciasse in speciali proprietati & dominio eorũ, quæ primi credentes possidebant, magnũ fuisset: sed in hoc perseuerando & continuando illud nunq̃ resumpsisse fuisset gloriosum & laudabile. Item, sicut patet expresse ex verbis regularũ sancti Benedicti, sancti Augustini & sancti Basilii in nono errore præcedenti adductis, forma abdicationis seu renunciationis Fratrũ sancti Benedicti, sancti Augustini & sancti Basilii fundatur directe super formam abdicationis & renunciationis primorũ credentiũ *Act. 4.* recitatam: & ad instar illius instituta & sumpta est. Si ergo bona primorũ credentiũ non fuerint inter eos communia post distributionem, sed tantũ ante, vt Dominus Iohannes astruit, sequitur necessario quod votũ monachorũ sancti Benedicti, sancti Augustini & sancti Basilii nõ intelligatur, nec sic pro perpetuo tẽpore, sed solũ ad tẽpus, & quod omnes Fratres sancti Benedicti, sancti Augustini & sancti Basilii in omnibus portionibus eis assignatis sint in speciali proprietarii, sicut erant secundũ Dominũ Iohannẽ primi credentes, quorũ vitã & formã viuendi sunt professi: quod est expresse omniũ dictorũ Fratrũ votum & professionẽ ab vniuersali ecclesia approbatã destruere & confundere: quod est omnino hæreticum. Item, sicut habetur *12. q. 1. c. dilectissimis*: *Sicut non potest diuidi aer nec splẽdor solis: ita nec reliqua quæ data sunt hominibus ad habendum diuidi debere: sed habenda esse omnia communia istius consuetudinis more retento Apostoli, eorumque discipuli vna vobiscum et nobiscum communem vitam duxerunt. Vt enim bene nostis, multitudinis credentium erat cor vnũ & anima vna: nec quisquam eorum aut nostrũ*

de

[illegible] qua possidebat aliquid suum esse dicebat: sed omnia illis & nobis erant communia. Hæc ibi. Et est decretũ beati Clemẽtis Papæ, qui, vt ipse hic testatur, fuit personaliter in illa sancta cõmunitate ecclesiæ primitiuæ. Ex quibus patet expresse, quod sicut aer & splendor solis sunt omnibus hominibus in iure naturæ communia, nec diuiduntur quoad dominiũ & proprietatem: ita bona primorum credentium non fuerunt secundum beatũ Clementem diuisa inter eos quoad dominiũ seu ꝓprietatẽ plusq̃ aer vel splendor solis, sed solũ quo ad vsum. Et ita Dn. Iohannes se aperte opponit ecclesiæ & scripturæ determinationi, ac sanctorum patrum catholicæ doctrinæ: quod hæreticum est manifeste.

CAP. XI.

VNdecimus error Dn. Iohannis in dicto libello contentus & dogmatizatus, est ꝙ Domin⁹ noster Iesus Christus non ꝑcepit Apostolis simpliciter & absolute, ne possiderent aurũ & argentum & pecuniã in zonis, & ne portarent calciamenta, sed solũ inhibuit eis talia ꝓ tẽpore viæ quãdo ibant ad ꝑdicandũ: post reditũ vero à ꝑdicatione poterant (vt dicit) libere talia possidere & habere ac etiã portare. Qui error seipsum conuincit & euangelicæ & Apostolicæ ac ecclesiasticæ doctrinæ contradicit. Seipsum, inquã, conuincit & destruit, quia Apostoli magis indigebant ꝑdictis in via, quando ibãt ad ꝑdicandũ, q̃ domi existentes: quia magis cõmuniter indiget viator calciamentis ꝓpter itineris asperitatẽ, q̃ domi residens in loco plano. Similiter magis indiget viator pecunia apud extraneos & alienos, q̃ domi apud familiares & domesticos. Si ergo talia fuerunt interdicta Apostolis à Christo ꝓ tẽpore viæ quando exibant ad ꝑdicandũ, multo magis intelliguntur fuisse eis interdicta post reditũ à ꝑdicatione & ante, quãdo erant domi. Et hoc est ꝙ dicit beatus Iohannes Chrys. super Matthæũ sic inquiens: *Sic. in aliena patria existentes & ad ignotos abeũtes nihil amplius oportet petere quotidiano cibo, quãto magis domi manentes.* Hæc sanctus Ioh. Chryso. Et ita secundũ Iohan. Chryso. & veritatẽ, si talia fuerunt interdicta Apostolis pro tẽpore viæ, multo magis domi. Et ita dictus error seipsum conuincit. Item si Apostolis non licuisset talia habere & portare, quãdo ibãt ad ꝑdicandũ, & licuisset eis ipsa habere & portare post reditũ à ꝑdicatione, & ante nõ: tunc fuisset visa quędã species deceptionis & fallaciæ seu hypocrisis & duplicitatis maiorẽ austeritatẽ ꝑtendendo exterius in oculis aliorũ, q̃ seruarent interius apud semetipsos. Quod de Christo & Apostolis dicere aut sentire est impiũ & blasphemũ. Item vita sanctorũ ꝑdicatorũ debet ꝑcedere & sequi ipsorũ ꝑdicationẽ. Ideo Matt. 5. c. de ꝑdicatore veritatis legitur: *Qui a. fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorũ.* Et de Christo primo veritatis ꝑdicatore legitur Act. 1. *Cœpit Iesus facere & docere.* Prius, ergo & post, vita ꝑdicatorũ sanctorũ debet eorũ doctrinæ cõcordare. Aliter n. leuis foret fama vitę ꝑdicatorũ, q̃ nec ꝑdicationẽ ꝑcederet nec sequeretur, sed cũ ipsa oriretur, & cũ ipsa moreretur. Cõstat a. ꝙ Christ⁹ interdixit ꝑdicta Apostolis ꝓpter exẽpla vitæ, vt ipsorum vita doctrinæ concordaret, & reb⁹ facta nõ verba ipsi fidẽ darent, vt dicit Gregor. & Glossa ibi dicit expresse. E. Apostolis primis euangelii ꝑdicatorib⁹, nec ante ꝑdicationẽ, nec post reditũ à prædicatione licuit cõmuniter seu regulariter talia possidere & habere seu etiã portare, nisi in casu necessitatis extremæ ab omni lege exceptæ, quo eis via humana aliter subueniri non potuisset. Quia extrema necessitas legibus non artatur. Propter ꝙ illud ꝙ legitur *Ioh. 4. c.* quod discipuli eius abierãt in ciuitatẽ Samaritanorũ, vt cibos emerẽt, non est cõtra ꝑdicta: quoniã si discipuli tũc portauerũt pecuniã, de hoc non posset esse magna quæstio, cũ tunc fuerunt in casu necessitatis extremæ, quo eis aliter via humana subueniri non poterat, eo ꝙ Samaritani inhospitales Iudæis erant, vt patet *Ioh. 4. & Luc. 9. c.* Eodẽ modo in deserto videntur fuisse in vltima necessitate, quæ legi communi non subiacet, vt patet *Matth. 12. c.* Itẽ Christus commisit Iudæ curã & custodiã loculorum, non solum pro tẽpore viæ, quando ibãt ad prædicandum, sed etiam commisit sibi post reditum à prædicatione, vt patet expresse *Ioh. 12. & 13. c.* Sed Christus non commisisset Iudæ curam & custodiam loculorum post reditum à prædicatione, si Apostoli post reditum à prædicatione pecuniam communitatis portare potuissent. Quia non est verisimile, nec probabile, quod Apostoli tantum abundauerunt in pecunia, quod eam per seipsos portare non potuerint. Quare relinquitur, quod Apostolis post reditum à prædicatione communiter portare pecuniam non licuerit. Et hoc est, quod dicit beatus Iohannes Chrysostomus, super illud Ioh. [illegible] *Quidam autem putabant quia loculos habebat Iudas* &c. sic inquiens: *Et nimirum nullus discipulorum pecuniam [illegible] sed per hoc, quod hic dicit, occulte insinuat, quod quadam mulieres eum de suis facultatibus nutriebant.* Hæc sanctus Iohannes Chrysostomus. Item ad illud ꝙ communiter licet alicui de communi lege, non indiget aliqua speciali dispensatione. Sed Christus imminente sua passione propter futuram persecutionem Iudæorum dispensauit ad tempus cum Apostolis, quod possent talia portare, sicut patet *Luc. 22. c.* vbi legitur dixisse eis: *Quando misi vos sine sacculo & pera & calciamentis: Nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil. Ait illis: Nunc autem qui habet sacculum tollat, similiter & peram: qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium.* Vbi dicit Beda & Iohannes Chrysostomus, quod Christus propter instantem persecutionem relaxauit cum eis prioris præcepti rigorem. Ergo antea ipsis de communi lege portare non licebat. Nec est intelligendum, quod tunc Christus dispensarit cum Apostolis, quod possent proprietatem seu dominiũ habere prędictorũ, sed solũ ꝙ possent habere vsum eorũ, quæ eis alias de cõmuni lege nõ licebat, eo ꝙ ipsis specialiter interdict⁹ fuerat. Vnde Aug. sup euangeliũ: *Homo quidã descẽdebat ab Hierusalẽ, dicit sic: [illegible] Christi medicamentum est, constringit vulnera, austeriora præcepta fouet laxiore.* Item quando Petrus cum Iohanne illi claudo dicit: *Argentum & aurum non est mihi: ꝙ a. habeo hoc tibi do,* tunc non ibant ad prædicandum, sed ad orandum, vt patet *Act. 3. c.* & tamen tunc talia non habebant. Item vt legitur

Act. 4.

Act. 4. c. Primi credentes pretia rerum venditarum ponebant ad pedes Apostolorum, & non ad manus eorum. Ex quo colligitur euidenter, quod Apostoli communiter pecuniam secundum Christi præceptum non portabant. Vnde Glossa ordinaria Act. 4. dicit sic: *Destituendum probat, ꝙ tangere deuitat, & calcandum docet esse aurum, ꝙ subdit gressibus Apostolorum.* Hæc Glossa. Et ita ex textu & Glossa patet, quod Apostoli communiter pecuniam non portabant, nec etiam tangebant: cuius contrarium Dominus Iohannes pertinaciter asserit, & pertinaciter defendit, scripturam Apostolicã & euangelicã peruertẽdo & corrũpendo: & ita dictus error seipsum conuincit, & Christi euangeliũ ꝑuertit.

CAP. XII.

DVodecimus error Domini Iohannis in dicto libello contentus, est ꝙ in rebus vsu consumptibilibus nec vsus iuris nec vsus facti licitus potest à proprietate & dominio separari: eo quod per vsum taliũ rerum, earum proprietas & dominium consumatur, & salua earum substantia nulla potest vtenti vtilitas prouenire, nec sub vsu earum saluetur proprietas nec dominiũ. Qui error quo ad conclusionẽ & quo ad medium manifeste aduersatur & contradicit doctrinæ Apostolicæ & doctrinæ ecclesiasticæ. Doctrinæ, inq̃ Apostolicæ aduersatur & contradicit, quia, vt legitur Act. 4. cap. de prima multitudine credentiũ: *Nec quisq̃ eorũ q̃ possidebat aliq̃d suum esse dicebat: sed erant illis omnia cõmunia.* Quæ verba, vt declarata sunt in 10. errore præcedenti, intelliguntur ꝓ toto tẽpore, quo durauit illa cõgregatio, siue ante diuisionem & distributionẽ bonorũ, q̃ fiebat inter credẽtes illos, siue post. Et ita in illa communitate primorũ credentiũ nullus habuit in speciali nec in communi dominiũ alicuius rei vsu consumptibilis vel non consumptibilis, tum quia *nec quisquã eorũ quæ possidebat aliquid suum* id est, proprium *esse dicebat*, vt verba illa se sonant, & sanctus Benedictus, & sanctus Basilius, & sanctus Augustinus in suis Regulis ab vniuersali ecclesia approbatis, vt supra in 9. errore patuit, exponunt. Tum quia nisi sint omnia perfecte communia, sicut erant in illa multitudine vbi nihil est proprium, cũ idem non possit simul propriũ & commune esse: & tamen quilibet in illa multitudine habuit in speciali & sigillatim vsum facti licitum rerum vsu consumptibilium distinctum ab vsu alterius: quia portio cibi vel potus, qua vtebatur de facto vnus, non vtebatur actu alius. Ideo Act. 4. scribitur, *ꝙ diuidebantur omnia singulis prout opus erat.* E. quilibet in illa multitudine habuit in speciali vsum rerum vsu consumptibiliũ separatũ à proprietate & dominio earũ. Similiter, vt ostensum est in nono errore ꝓcedẽti, Fratres Ordinis sancti Augustini, sancti Basilii & sancti Benedicti non debent habere in speciali proprietatẽ & dominiũ alicuius rei vsu consumptibilis vel non consumptibilis, & tamen dicti Fratres habent in speciali vsum rerũ vsu consumptibiliũ, quia habent in speciali vsum vestiũ & vsum alimentorũ. E. dicti Fratres habent in speciali vsum rerum vsu consumptibiliũ separatũ à proprietate & dominio: & ita per se manifestũ est, ꝙ secundum doctrinam Apostolicã & doctrinã ecclesiasticã vsus dictarũ rerũ est separabilis à ꝓprietate & dominio speciali: & si vsus earũ est separabilis à ꝓprietate & dominio speciali, eadẽ ratione sequitur, ꝙ de se & natura sua sit separabilis, à ꝓprietate & dominio cõmuni, quia stante eadẽ rerũ natura genere & specie & dominio vniformiter consumptibili per vsum, vsus ipse est vniformiter separabilis vel inseparabilis à ꝓprietate & dominio. Cũ vsus rerũ non sit separabilis nec inseparabilis à ꝓprietate & dominio, nisi ꝓpter naturalẽ conditionẽ & habitudinẽ ipsarũ. Sed natura rerũ vsu consumptibiliũ est eadẽ genere & specie in cõmuni & in speciali, quia idẽ panis & idẽ vinũ genere & specie in cõmuni & in speciali. Et ꝑ vsum istarũ rerũ cõsumitur dominiũ cõmune, sicut dominiũ ꝓpriũ. Et econuerso dominiũ ꝓpriũ, sicut dominiũ cõmune, & post vsum rationabilẽ ipsarũ nõ plus remanet dominiũ cõmune, q̃ ꝓpriũ, nec ꝓpriũ plus q̃ cõmune. Similiter sub vsu dictarũ rerum nõ magis saluatur vnũ dominiũ q̃ alterũ, cũ vtrumq; cõsumatur ꝑ vsum. E. vsus dictarũ rerum vniformiter est separabilis à ꝓprietate & dominio speciali, cum nõ sit magis ratio de vno dominio q̃ de alio. Sed vsus ipsarum est separabilis à proprietate & dominio secundum ꝙ ostensum est ꝑ doctrinã Apostolicã & ecclesiasticã de prima multitudine credentiũ, & de religiosis absq; omnium proprio viuere profitentibus. E. vsus earum de se natura sua est separabilis à proprietate & dominio cõmuni. Et oppositum pertinaciter asserere, sicut Dns. Iohannes asserit, est doctrinæ Apostolicæ & doctrinæ ecclesiasticæ se opponere & contradicere, ac omnes religiones sine proprio viuere profitẽtes destruere & cõfundere. Itẽ Dn. Greg. 9. in declaratione regulæ beati Francisci, pronunciat in hæc verba: *Præterea cũ in ipsa regula contineatur expresse, ꝙ Fratres nihil sibi approprient nec domum nec locũ nec aliq̃ rẽ ac ipsi processu temporis cõtaminari timeãt ordinis paupertatẽ, præsertim cũ iã dixerint aliqui proprietatem mobiliũ pertinere ad totũ ordinẽ in communi, nobis fuit humiliter supplicatũ vt in hoc dignaremur animarũ prouidere periculis & totius ordinis puritati. Dicimus itaq; ꝙ nec in communi nec in speciali debent proprietatẽ habere: sed vtensiliũ & librorũ & eorũ mobiliũ (q̃ licet habere) ordo vsum habeat, & Fratres his vtantur secundũ ꝙ generales Ministri & prouinciales disponendũ duxerint, & donorũ dominiũ illũ ad quem noscitur pertinere.* Hęc Dn. Greg. 9. qui fuit tempore beati Francisci, & ex speciali familiaritate, quam habuit cum ipso sancto Francisco, debuit sup hoc nosse eius intentionẽ, vt in dicta declaratione [illegible] ipse testatur expresse. Ex quibus verbis ipsius Dn. Greg. Papæ patet aperte & manifeste, ꝙ Fratres ordinis sancti Francisci non debent secundum eorum statum habere aliquã proprietatẽ alicuius rei mobilis nec immobilis in speciali nec in cõmuni, & tamen dicti Fratres debent habere vsum rerum eis conuenientium, vt patet ex eadem regula & declaratione. E. dicti Fratres debent habere vsum rerũ vsu consumptibiliũ absq; proprietate & dominio in speciali & in cõmuni, & ita vsus eorũ est separabilis à ꝓprietate & dominio speciali & in cõmuni. Itẽ Innoc. 4 & Alexand. 4. vt ipsemet dictus Iohãnes recitat in sua cõstitutione seu potius destitutione, *quia quorũdã*, in suis declarationib. sic dixerunt & diffinierunt: *Dicimus insuper ꝙ cũ in ipsa regula cõtineatur expresse*

expresse quod fratres nihil sibi approprient nec domum nec locum nec aliquam rem ꝙ *nec in communi nec in speciali debent proprietatem habere: sed locorum & domorum ac vtensilium & librorum & eorum mobilium quæ licet habere, ordo vsum habeat & secundum quod generales ministri & prouinciales ministri ordinandum duxerint his vtantur*, hæc dicti Romani pontifices. Ex quorum verbis apparet aperte, quod dicti Fratres nullius rei de mundo mobilis debent proprietatem in speciali habere, nec in communi. Et cum dicti Fratres debent habere vsum rerum eis competentium: sequitur quod prædicti Fratres in speciali & in communi debent habere vsum absque proprietate & dominio, seu à proprietate & dominio separatum. Item Clemens 4. in quodam suo priuilegio dicit sic: *Cum dilecti filii Fratres Minores ex professionis suæ voto adeo se voluntariæ submiserint paupertati, vt nec diuisim nec communiter aliquid proprii valeant obtinere: sed omnia quæ ipsis in eleemosynam erogantur, seu alias eorum contemplatione proueniunt, iuri & proprietati ecclesiæ Romanæ accrescere dignoscantur* &c. Hæc Clemens 4. Ex quibus patet, quod dicti Fratres non debent habere proprietatem alicuius rei de mundo in speciali nec in communi. Et cum dicti Fratres habent vsum rerum vsu consumptibilium: ergo ipsi habent vsum earum absq; proprietate & dominio in speciali & in communi. Item Grego. 3. in quodam suo priuilegio dicit sic: *Ordo Fratrum Minorum humilitati deditus paupertatis, & rem & nomen proprietatis abiecit: & quicquid ei obuenire dignoscitur ipso facto in nostrum & ecclesiæ Romanæ dominium transire perhibetur*, & tamen dictus Ordo habet vsum rerum vsu consumptibilium: ergo habet vsum talium rerum separatum à proprietate & dominio in speciali & in communi. Item Martinus 4. in quodam suo priuilegio, quod incipit *Exultantes*, dicit sic: *Iidem Fratres, qui pro nulla re temporali possint in iudicio experiri, vt exclusis quibuslibet sollicitudinibus liberius & quietius diuinis vacent obsequiis, & offerentium, donantium, concedentium aut in vltima ta voluntate relinquentium Ordini prædicto vel Fratribus eiusdem Ordinis aliquid propter Deum, ne pia intentio fraudetur, sitque nobis sollicitudini, quod prædictus ordo pro suis necessitatibus quotiens ingrueret necessitas, vel vtilitas suaderet, recurrere ad Romanam ecclesiam cogeretur, ad quam omnium rerum mobilium & immobilium, quibus Fratres vti possunt, ius, proprietas & dominium nullo medio spectat* &c. Hæc Dominus Martinus papa 4. quibus nihil clarius, quod dicti fratres in nulla re de mundo mobili vel immobili habent proprietatem nec dominiũ in speciali nec in communi: quia ius, ꝓprietas & dominium omnium rerum, quibus vti possunt, immediate spectat ad Romanam ecclesiam: & per consequens in omnibus rebus, quibus vtuntur, habent vsum separatum à ꝓprietate & dominio in speciali & in communi. Item Dominus Nicolaus 3. in decre. *Exiit*, quæ decretalis, vt sæpe dictum est, per papam Bonifacium 8. inserta est in *6. lib. decre.* dicit sic: *Dicimus quod abdicatio proprietatis omnium rerum tam in speciali quam in communi propter Deum meritoria est & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit & exemplo firmauit.* &c. hæc Dominus Nicolaus 3. Sed si abdicatio proprietatis omnium rerum in speciali & in communi non esset meritoria nec sancta, nec possibilis: abdicatio autem vsus omnium rerum, & maxime vsus facti, non potest esse sancta nec meritoria: q̃a non est possibilis: sequeretur ꝙ nulla abdicatio esset meritoria & sancta: cuius oppositum tenet dictus Dominus Nicolaus, ergo necesse est secundum eum, ꝙ vsus omnium rerũ est separabilis à ꝓprietate & dominio speciali & communi. Item Clemens q̃ntus in decretali *Exiui de paradiso*, in concilio Vien. edita, dixit sic: *Proinde cũ vir sanctus paupertatis præmisse in reg[illegible] exprimens dixit in eadẽ, Fratres nil sibi approprient nec domũ nec locũ nec aliquid &c sitq; declaratũ [illegible] prædecessores nostros Romanos pontifices hanc expropriationẽ intelligi debere tã in speciali quã etiam in communi: ꝓpter quod & rerum omnium concessarum, oblatarũ & donatarum (quas & quarũ vsum facti, scil. [illegible] vel ipsis fratribus licet habere) ꝓprietatem & dominiũ, in se & in Romanã ecclesiam receperunt, dimissis [illegible] in eis tantum modo vsu facti simplici.* Hæc Clemens 5. Et ita secundũ præfatũ Clementẽ Fratres [illegible] in omnibus rebus, q̃bus vtuntur, habent vsum facti separatum à dominio & ꝓprietate speciali & c[illegible]. Ex q̃bus apparet aperte, ꝙ secundum Dominum Gregorium 19. Innocentiũ 4. Alexandrũ 4. Clementẽ 4. Gregoriũ 4. Martinũ 4. Nicolaũ 3. Bonifaciũ 8. & Clementẽ 5. & omnes alios intermedios prædictos sequentes vsq; ad hunc nouissimum. Fratres beati Francisci debent habere vsum rerũ vsu consumptibiliũ separatum à ꝓprietate & dominio spãli & communi: cuius oppositũ Dominus Iohannes non veritus determinationes suorum prędecessorũ ausus est ꝑtinaciter asserere, & hostiliter defendere. Et ita manifeste determinationi sacrosanctæ matris ecclesiæ se opponit & obiicit: q̃a determinatio tot Romanorum pontificum sibi inuicẽ consentientiũ & nullam contradictionẽ in clero nec in populo patientium ꝓ determinatione vniuersalis ecclesiæ est habenda & tenenda. Et nõ solum dictus Dominus Iohannes determinationi sanctæ matris ecclesiæ se opponit & obiicit: sed etiã (ꝙ peius est) ipsam determinationẽ sanctæ matris ecclesiæ quantum in se est, facit erroneã & schismaticã: q̃a in sua constitutione, imo potius destitutione, *quia quorundã* pronuntiat, ꝙ *quicunq; scienter verbo vel scripto asseruerit aliquid contra determinata & diffinita in constitutione Ad conditorem, tanquã rebellis & contumax ecclesiæ habeatur.* In constitutione autẽ *Ad conditorem.* determinat & diffinit expresse, ꝙ vsus rerum vsu consumptibilium non potest à ꝓprietate & dominio separari. Et ita secundum ipsum, quicunq; verbo vel scripto scienter asserit vsum talium posse à proprietate & dominio separari, tanquam rebellis & contumax ecclesiæ est habendus. Scriptura autem Apostolica & sancta mater ecclesia euidenter asserit oppositum.

Vnde patet ex præmissis, q̃a doctrinam Apostolicam & determinationem ecclesiasticã facit erroneã & schismaticã, & hoc pertinaciter: q̃a pertinaciter hoc asserit spãliter ex duobus vel ex tribus. Primo q̃a hoc asserit in tribus suis constitutionibus vel destitutionibus sc. in constitutione *Ad conditorẽ*, in constitutione *Quia quorundã*, & in constitutione *Quia vir reprobus*. Quod aũt in tribus constitutioni-

bus contra tot appellationes in oppositum obiectas est determinatum, diffinitum & totiens sententialiter ac iudicialiter replicatũ & reiteratũ intelligitur ꝑtinaciter esse affirmatum & oppositum. Secundo, ꝗa apponit pœnam rebellionis & contumaciæ ecclesiæ suꝑ hoc. Illud autem ꝙ sub pœna rebellionis & contumaciæ ecclesiæ (quæ est maxima pœna post hæresim) statutũ & diffinitum est, intelligitur ꝑtinaciter assertũ & creditum. Tertio ꝗa hoc statuendo & diffiniendo in nullo se vniuersali ecclesiæ, ad q̃ contra ipsum sæpe appellatũ est, se submittit nec supponit: nec vniuersali ecclesiæ seu concilio generali, ad ꝙ & ad q̃ appellatum & prouocatum est contra ipsum, defert in aliquo: sed cõtinue magis in sua ꝑfidia obstinatur. Et ita manifestũ est, ꝙ ipse pertinaciter facit determinationem ecclesiæ catholicæ erroneã & schismaticam: ac etiã fideles & catholicos ecclesiæ ꝓ defensione veritatis catholicæ & determinationis facit schismaticos, & finaliter hæreticos: & ꝑ consequens ipse schismaticus & hæreticus: ꝗa in hoc alterũ pertinaciter iudicat, seipsum condemnat. Eadẽ enim agit, quę iudicat, *ad Rom. 2. ca.* Et eodem iudicio, quo ꝗs alterũ ꝑtinaciter iudicat, & ipse quoq; iudicandus est, *Matt. 7. ca.* Et ita ex multiplici capite Dominus Iohannes incidit in hæresim. Primo namq; incidit in hæresim, in quantũ pertinaciter asserit, & ꝑtinaciter defendit varios errores contra scripturæ & ecclesiæ determinationẽ. Secundo incidit in hæresim, in quantũ diffinitionem scripturæ & ecclesiæ cõdemnat ꝑtinaciter, sicut erroneam & schismaticã. Tertio incidit in hæresim, in quantum determinationẽ scripturæ & ecclesiæ pertinaciter condemnat, sicut hæreticã. Quarto incidit in hæresim, ꝗa incidit in errorem Magistrorũ solenniter per Romanos pontifices condemnatũ. Quia, sicut ipsemet Dominus Iohannes asserit in sua constitutione, seu potius destitutione, *quia quorundam*, libellũ & dicta Magistrorũ asserentiũ pauꝑtatem & vitam Fratrũ Prædicatorũ & Minorũ non esse euangelicam, nec apostolicã, Romani pontifices cõdemnauerunt districtius ꝑ eorum literas inhibentes, ne quisq̃ præmissa, vel aliquod præmissorum auderet ꝑtinaciter astruere, vel quomodolibet defensare, statuẽtes, ꝙ contrariũ præsumens tanq̃ contumax & rebellis ecclesiæ haberetur. Ipse autẽ Dominus Iohannes directe incidit in dictũ errorem: ꝗa ipse expresse asserit, ꝙ Apostoli potuerunt habere in communi bona immobilia sufficientia, & diuitias temporales, sicut habent monachi, quæ Fratres Prædicatores & Minores secundum eorũ regulam & statũ habere nequaq̃ possunt. Et ita secundum ipsum paupertas Prædicatorum & Minorũ non fuit pauꝑtas euangelica Apostolorum: ꝙ quidem fuit error condemnatus dictorũ Magistrorũ. Et ita manifeste incidit in errorem Magistrorum damnatum sub pœna rebellionis & cõtumaciæ ecclesiæ: licet non fuerit dãnatus sub pœna hæresis, sed hoc nõ excusat ipm̃ ab hæresi: ꝗa error ꝑtinaciter defensus sub quacunq; pœna sit ab ecclesia dãnatus, ꝓ hæresi est habendus. Quinto incidit in hæresim, ꝗa errorẽ & hæresim Vigilantii dãnatã ꝑtinaciter defendit.

Propter quæ & plura alia erronea in dicto libello cõtenta, quæ ad præsens causa breuitatis omittuntur: Ego secundũ formam iuris & canonicas sanctiones ab ipso, sicut ab hæretico, appellaui legitime ad sacrosanctã matrem Romanam & vniuersalẽ ecclesiam & generale conciliũ, ꝙ in fide & moribus pręest papę, sicut superior: eo ꝙ papa quicunq; errare potest in fide & moribus, sicut plures Romani pontifices exciderunt à fide. Vniuersalis autẽ ecclesia in fide & moribus errare non potest, cum sit articulus fidei, cui non potest subesse falsum: *Credo in vnam sanctã catholicam & apostolicã* &c. Conciliũ etiam generale rite & debite celebratũ, cum repræsentet vniuersalẽ ecclesiam, & vicem gerat vniuersalis ecclesiæ, quæ errare non potest, ipsum quoq; similiter errare in fide & moribus minime potest. Quod autẽ pro statu vitæ mortalis non potest errare in fide vel moribus, superius est quocunq; potenti in prædictis errare. Et ad ipsum sicut ad superiorẽ suum appellare licet & expedit. Et ad ipsũ diffinitio & determinatio dubiorũ in fide & moribus spectat vltimate de iure, quæ de humana salute sentire non potest, ꝓpter ꝙ prima quæstio mota de fide scil. de circumcisione fienda tempore Apostolorũ, fuit decisa & determinata ꝑ concilium generale Apostolorum & Seniorum auctoritate totius ecclesiæ, & non solũ auctoritate Petri, nec sola auctoritate Apostolorũ, quamuis essent pleni Spiritu sancto: sed auctoritate generalis concilii Apostolorum & Seniorum totius ecclesiæ auctoritate subfulta, & assensu vallata: sicut patet expresse *Act. 15. ca.* per totum. Super hoc omnia iura sunt plena, & clamant vbique.

Item prædictus Dominus Iohannes anno præcedenti in quodam sermone publico, quẽ fecit coram omnibus audire volentibus de victoria Regis Castellę contra Sarracenos: qui sermo incipit, *Iusti tulerunt spolia impiorum*, dixit & asseruit, & pluries replicauit, & etiã probare conatus est, ꝙ Deus potentia sua absoluta non posset saluare hominem sine Sacramento baptismi: & ꝙ Deus non posset de potentia sua absoluta facere, ꝙ res alio modo euenirent, quam eueniant: ꝙ quidem est hæreticum manifeste. Quoniam ex hoc seq̃tur, quod omnia, quæ fiunt, de necessitate absoluta eueniant. Ex quo tollitur liberum arbitriũ, meritum & demeritum perit humanũ, gratia euacuatur, & Dei libera prædestinatio exsufflatur, & eius potentia annullatur, quæ omnia sunt hæretica manifeste. Itẽ hoc anno in Dominica de Aduentu, in quodã alio sermone publico coram omnibus audire volentibus: ꝗ sermo incipit, *Gaudete in Domino semper*, dixit & asseruit, ꝙ in Trinitate Filius non distinguitur à Patre, nec Spiritus sanctus distinguitur à Patre & Filio: ꝙ est hæreticum manifeste: quia hoc est aperte confundere personas diuinas, sicut Sabellius hæreticus confundebat, ideo manifeste incidit in hæresim Sabellii damnatam. Ex quibus & q̃pluribus aliis breuitatis causa omissis, ipse per sententiam generalis concilii latam *extra de hære. c. excommunicamus*, est excommunicatus & omni pontificali auctoritate priuatus & nudatus. Improbationes vero suorum errorum & responsiones ad suas erroneas rationes plenius & diffusius continentur in Appellatione vltima per me facta; & in opusculis Magistrorum aduersus ipsas editis.

Finis

Finis quarundam literarum siue Epistolarum Fratris Michaelis de Casena olim Ministri Generalis Ordinis Diui & Seraphici Confessoris sancti Francisci. In quibus (sicut etiam in superiori Opere nonaginta dierum Guilhelmi de Ockam) plurima de gestis & factis dicti fratris Michaelis continentur: de quibus idem Guilhelmus de Ockam se locuturum in Dialogo suo spoponderat.


Iodoci Badii Ascensii ad Lectorem Epigramma.

Hæc quoque Lectores, multo indagata labore
Offerimus vestro dogmata iudicio.
Scilicet auctori nihil hic subscribimus: at quæ
Scripserit, an bona sint, vestra erit inspicere.
Verum impressori debetis multa Iohanni
Trechsel, perspicua qui dedit arte premi.
Multa quoque egregio certum est debere Iohanni
Trittemio, cuius ducimur auspicio.

ACTIO PETRI DE CVGNERIIS CONSILIARII REGII, ET PETRI BERTRANDI, CARDINALIS ROMANI, ET ARCHIEPISCOPI SENOnensis Episcopique Heduensis,

Anno Domini 1329.

DE IVRISDICTIONE ECCLESIASTICA & Politica, coram PHILIPPO Rege Franciæ habita Anno Domini M CCCXXIX.



Libellus iste conflatus est & compositus per Dominum Petrum Bertrandi vtriusque Iuris Professorem, tunc Episcopum Eduensem, nunc vero Cardinalem: aduersus Dominum Petrum de Cugneriis super facto Prælatorum ecclesiæ Gallicanæ, Anno Domini Millesimo trecentesimo vicesimonono, die prima mensis Septembris. Dominus Philippus Dei gratia Francorum rex Christianissimus, filius quondam claræ memoriæ Domini Caroli Comitis Valesii, mandauit Prælatos & Barones regni Franciæ ad diem octabarum festi beati Andreæ proximo subsequentis Parisius conuenire per literas suas infra aram inclusas: quarum quidem literarum, Prælatis videlicet directarum, tenor sequitur & est talis.

PHilippus Dei gratia Francorum Rex dilecto & fideli nostro Episcopo Eduensi, Salutem & dilectionem. Quanto magis scientia diuina, diuinarumque scripturarum notitia, ac cæterarum virtutum magistra rerum experientia vigent in vobis, tanto plenius nostis, quantum ac qualiter omnes & singuli clerici & laici Regni tanquam membra simul in vno corpore viuentia sibi adinuicem tenentur compati, mutuumque præstare consilium & auxilium temporaliter & corporaliter, ad defensionem & custodiam vnitatis, & optatæ pacis mortalibus cunctis, & re-vnionis, contraria suis quique contenti iuribus pro viribus propulsanda. Cum igitur ad nostram deductum fuerit notitiam, quod vos gentesque & officiales viri asseritis per Balliuos & officiarios nostros, & per Barones aliquos regni nostri Franciæ, vobis ac subditis vestris: dictique Balliui & officiales nostri, ac Barones prædicti asserunt etiam per vos & officiales vestros, ac per curiarum vestrarum satellites & cursores, nobis & ipsis, nostrisque & eorum subditis quamplura fuisse retroactis temporibus illata, & in præsenti adhuc inferri, hincinde grauamina insolitasque & indebitas nouitates, propter quæ illius vera vnitatis connexio, quæ inter vos & ipsos vigere debet, vt est dictum, suæ quodammodo indissolubilitatis integritatem amisit. Quod si nobis, qui subditorum nostrorum, tam clericorum quam laicorum, concordiam & vnitatem diligimus, non est mirum. Et idcirco volentes super his de salubri remedio, quantum cum Dei adiutorio possumus, prouidere: Requirimus vos nihilominus tenore præsentium mandantes, quatenus ad diem octabarum festi sancti Andreæ proxime venturum Parisius personaliter

interſitis aduiſi ſuper grauaminibus & nouitatibus, quæ & quas per prædictos aſſeritis vobis fuiſſe illata & illatas. Nos autem prædictis Balliuis & officialibus noſtris atque Baronibus damus per noſtras alias literas in mandatis, vt dicta die Pariſius ſimiliter interſint perſonaliter, aduiſi ſuper grauaminibus & nouitatibus, quas ſibi & ſubditis ſuis per vos & officiales veſtros aſſerunt fuiſſe illatas, vt ſuper his & ſingulis hinc inde illatis grauaminibus per nos & conſilium noſtrum de tam ſalubri poßit remedio prouideri, quod inter vos & ipſos amoris vinculum incorruptibile & ſinceræ caritatis affectio indiſſolubilis futuris temporibus debeant obſeruari. Datum Pariſius, Prima die Septembris, Anno prædicto, die veneris 15. Decembris.

DIe vero ſuperius in dictis literis contentâ prælati Pariſius conuenerunt in palatio regali, & comparuerunt coram rege ibidem prælati adinuicem, videlicet Domini Bituricenſis, Auxitanus, Turonenſis, Rotomagenſis, Senonenſis archiepiſcopi: Beluacenſis, Cathalanenſis, Laudunenſis, Pariſienſis, Nouiomenſis, Carnotenſis, Conſtantienſis, Andegauenſis, Pictauenſis, Meldenſis, Cameracenſis, Sancti Flori, Briocenſis, Cabilionenſis, & Eduenſis Epiſcopi. Qua die, ipſo Rege ſedente & conſiliariis ſuis, nec non aliquibus Baronibus ibidem aſſiſtentibus, & facta dignitati Regiæ reuerentia per prælatos, nobilis & diſcretus vir Dominus Petrus de Cugneriis Miles & conſiliarius dicti Domini noſtri Regis, in præſentia omnium & in publico locutus eſt pro Rege, facto themate ſuo: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari: & quæ ſunt Dei Deo.* Et proſecutus eſt iuxta illud thema materiam ſuam includendo ad duo. Primo quod regi debebatur reuerentia & ſubiectio. Secundo quod debebat eſſe ſpiritualium & temporalium diuiſio: vt ſpiritualia ad prælatos, & temporalia ad Regem & Barones pertinerent. Et hoc probauit per multas rationes facti & iuris, prout in reſponſionibus factis infra ſic per Senonenſem Electum & Epiſcopum Eduenſem plenius continetur. Et finaliter cõcluſit, quod prælati eſſent contenti ſpiritualibus, & in eis defenderet eos Rex. Quibus ſermonibus completis dixit verba, quæ ſequuntur in Gallico: quod intentio regis erat reintegrare temporale. Deinde propoſuit in Gallico articulos infra ſcriptos. Et poſtea tradidit in Gallico prælatis, licet ſint tranſlati in Latino, & proponendo eos, probat contenta in eiſdem non pertinere ad prælatos, ſed ad Dominos temporales: & quod iniuſte procedebatur per prælatos ſuper eis. Et nihilominus propoſitione facta, dixit idem Dominus Petrus, quod prælati ſuper his deliberarent & conſulerent Domino Regi tanquam eius fideles. Sunt autem hi articuli & reſponſiones ſuper his factæ, nec non grauamina regi tradita per prælatos. Quorum quidem articulorum in Gallico traditorum, in Latino tamen tranſlatorum, tenor ſequitur & eſt talis.

HÆC SVNT GRAVAMINA ET VSVRPATIONES,

Quæ & quas prælati & aliæ perſonæ eccleſiaſticæ Regni Franciæ, vel eorum officiales & iudices pro ipſis fecerunt & faciunt in præiudicium iuriſdictionis temporalis Domini Regis & Baronum, & aliorum ſubditorum ſuorum Dominorum temporalium.

1. PRimo de iure communi cognitio cauſarum, quæ tangunt realitatem, ſiue ſint in poſſeſſione ſiue in proprietate, pertinet ad iuriſdictionem temporalem. Et officiales prælatorum impediendo iuriſdictionem temporalem nituntur ſibi attribuere cognitionem cauſarum realium ſpecialiter ſub poſſeſſione & ſuper omnibus interdictis.

2. Item quando laicus turbatur vel impeditur in poſſeſſione terræ ſuæ per aliquem clericum, & propter hoc impetrat adiornamentum à iudice ſeculari in caſu nouitatis vel alias: Officiales prælatorum impedientes iuriſdictionem temporalem faciunt moneri ad inſtantiam clerici iudicem ſecularem & partem, vt poſt adiornamentum ceſſent ſub pœna excommunicationis & certæ pecuniæ quantitatis.

3. Item cum cognitio perſonarum laicarum pertineat ad iudicem ſecularem, exceptis caſibus ſpiritualibus, Officiales prælatorum faciunt eos citari coram ſe ad inſtantiam partis. Et ſi dictæ perſonæ laicæ declinant iuriſdictionem dictorum officialium, vel Domini, quibus ſubiiciuntur, requirunt eas remitti coram eis tanquam coram Dominis vel iudicibus ſuis temporalibus, dicti officiales renuunt hoc facere, & compellunt per excommunicationem partes ad procedendum coram eis.

4. Item officiales prælatorum faciunt ſæpe moneri perſonas laicas ad inſtantiam clericorum dicentium ſe eſſe impeditos in rebus hæreditariis ſuis per laicos. Et ſi ipſi laici aſſerant realitatem, & ita ſit in veritate, & ſuper hoc petant remitti ad iudicem ſecularem, dicti officiales monent eos ſub pœna excõmunicationis & ſub magna pœna pecuniaria, ne propter hoc vadant corã iudice ſeculari.

5. Item officiales prælatorum nituntur habere cognitionem contractuum initorum in curia ſeculari per literas aut ſine literis, & per monitiones & excommunicationis ſententias nituntur excommunicationes facere talium contractuum ſuper obligatis.

6. Item

6. Item prælati faciant concilia prouincialia, & synodalia statuta, in quibus plura faciunt & ordinant in grande præiudicium iurisdictionis temporalis, de qua non spectat eis quoquo modo cognoscere vel se intromittere.

7. Item prædicti officiales nituntur plures iuratos pro recipiendis obligationibus suis in contractibus, in illis iurisdictionibus atque locis dominorum temporalium super venditionibus rerũ hæreditariarum, & aliis: & sic nituntur impedire iurisdictionem temporalem, cum extra sedem suam obligationem recipere non debeant vel contractus.

8. Item faciunt citari plures laicos ex officio suo super aliquibus, quæ sibi imponunt, maleficiis responsuros, de quibus impositis asserunt sibi cognitionem pertinere. Et quando citati huiusmodi venientes ad diem sibi, vt præmittitur, assignatam negabant maleficia opposita contra eos, dicti officiales ipsos detinent captos, nec volunt eos recedere, licet in casibus eis impositis pertineat recredẽtia, & licet captio & detentio ad eosdem officiales minime pertineat, sed ad iudices seculares.

9. Item in casibus supradictis licet per inquestas & processus factos per officiales prædictos cõtra dictos laicos sic captos & detentos, iidem laici reperiantur puri & innocentes, & ab imposito sibi maleficio absoluantur: nihilominus dicti officiales nolunt eos expedire, donec pro scripturis processuum seu in quæsta prædictorum satisfactionem fecerint de magna pecuniæ quantitate: licet de iure in tali casu eis expensas restituere tenerentur.

10. Item memoria fit de loquendo super sententia excommunicationis, quæ datur per solam citationem, quotiens quis deficit.

11. Item loquendo super obligationibus *de nisi*, per quas quis excommunicatur incontinenti, si non soluat certa die, licet nequeat soluere die illa.

12. Item quandoq; aliqui, quiq; sint, excommunicantur virtute excõmunicationis curiæ prælatorum: & tales excommunicati non satisfaciunt de summis contentis in excommunicatione: incõtinenti reaggrauantur, & tunc iidem prælati vel eorum officiales faciunt moneri iudices seculares, ꝙ sub pœna excommunicationis compellãt per captionem bonorum tales sic excommunicatos ad faciendum se absolui, & ad debitum persoluendum. Et vbi iudices seculares non obediunt monitioni huiusmodi, ipsi excommunicantur, nec possunt absolui, nisi satisfaciant de debito, pro quo personæ præfatæ excommunicatæ existunt.

13. Item si Balliui, Præpositi, vel Seruientes regii, aut alii subditi iudices seculares talibus monitionibus inclinauerint, nec aliqua bona penes excommunicatos prædictos inueniantur, oportet dictos officiarios regios ire cum expensis suis ad curiam prælatorum, & ibi iuramentum præstare, quod nulla bona inuenerunt penes excommunicatos: alioquin incontinenti denunciantur excommunicati, & per sententiam excommunicationis compelluntur ad satisfaciendum de debito pro ipsis excommunicatis.

14. Item si duo laici sint processu in curia alicuius Domini tẽporalis super actione reali vel personali, & contingat quod altera partium diffugiendo appellet ad curiam alicuius prælati coram officiali suo, post magnos processus factos & litem contestatam, Officiales dictarum curiarum nituntur retinere cognitionem talium causarum tam in reali quam personali, & virtute monitionum & sentẽtiarum faciunt desistere Dominum temporalem à cognitione causæ post appellationem, quod nisi faciat, excommunicatur & trahitur ad emendam, ex quibus temporalis læditur iurisdictio, & amittit ressortum suum, quia nullus à curia prælatorum appellat ad curiam Regiam.

15. Item si quis laicus in villa Regis facit arrestari debitorem suum laicum per iustitiam secularem loci, si arrestatus appellat illos, qui arrestant eum rei faciunt arrestari, officiales volunt habere cognitionem talem. Et si aliquid attentetur super appellatione, ipsi nituntur exigere emendam à iustitia, sicut ab illo cui factum est arrestum. Et si gentes regiæ compellunt eos ad resistendum, ipsi excommunicant eos.

16. Item dicti prælati habent magnam multitudinem officialium, quos vocant Præpositos clericorum, qui quidem officiales faciunt communiter citationes viua voce contra quasq; personas per dominiũ regis & alibi sine cõmissione, licet in qualibet diœcesi esse non debebat, nisi sedes vna duntaxat, vbi cognoscatur de causis. Et ex hoc accidit pluries, quod multæ personæ sine causa coram eis citantur, ad finem quod redimant se de magna pecuniæ quantitate: quod est in magnum præiudicium regis subditorumque suorum, & iurisdictionis temporalis eorundem.

17. Item dicti præpositi clericorum sigillant domos clericorum in villis regis & aliorum dominorum temporalium in præiudicium iurisdictionis Domini regis: & aliorum secularium licet in domibus & aliis tresfondis regis vel aliorum secularium dicti prælati exercere aliquam iurisdictionem non possint.

18. Item dicti prælati vel eorum officiales sigillant bona mobilia clericorum coniugatorum & mercatorum, licet in talibus eorum cognitio pertineat ad iudicem vel curiam secularem.

19. Item compellunt personas laicas ad dandum assecuramentum clericis coram eis in curia ecclesiastica, maxime regis seruientes.

20. Item in iustitia & in dominio regis & subditorum faciunt gentes prælatorum inuentatoria de bonis laicorum decedentium.

21. Item ipsi cognoscunt de actionibus hypotheticis, quæ sunt reales, vel saltem mixtæ.

22. Item dicti prælati nituntur habere cognitionem personarum laicarũ commorantiũ in domibus

mibus Dei & leprosorum, villarum regiarum & subditorum suorum, vel extra villas: licet Domino regi vel eius subditis memoratis pertineat cognitio eorundem, & dant dicti prælati vel eorum officiales monitiones cum magnis pœnis pecuniarum & sententiæ excommunicationis, quod nullus trahat illas personas in alia curia quam sua.

23. Item ad finem, quod dicta curia ecclesiastica augmentetur, dicti prælati faciunt magnā multitudinem tonsurarum pueris ætate minoribus, quorum aliqui sunt seruorum filii, alii de illegitimo matrimonio procreati: ac hominibus coniugatis insufficientibus & illiteratis.

24. Item faciunt contagiari & compelli per suos præpositos clericorum mulieres viduas, & nituntur habere eorum cognitionem: nec non pupillorum, & sibi applicare bona eorum, quando moriuntur, sicut de maioribus ætate, quando decedunt ab intestato, quorum quidem cognitio spectat ad regem: quia tales personæ sunt cum bonis suis de gardia regis.

25. Item faciunt capi per dictos præpositos clericorum & in dominio regis & alibi iuris ordine non seruato plures personas laicas, imponentes eis quod in aliquo casu commiserunt aliquid contra fidem, & detinent eos in carceribus, licet eorum captio & detentio spectare debeat Domino regi, donec tales personæ super illo casu imposito sint conuictæ.

26. Item exercent suas iurisdictiones currentes per villas regias & subditorum, licet extra sedem suam non debeant iurisdictionem tenere.

27. Item quando isti prælati vel eorum officiales faciunt moneri præpositos, seruientes, & iustitiarios regis super aliquo faciendo per eos in suis monitionibus, magnam pecuniæ summam ... ni applicantes prælatis, nisi fiat & compleatur, quod in monitionibus suis continetur ... pœnam excommunicationis apponunt, & hoc est inceptum de nouo in præiudicium regis & subditorum suorum.

28. Item quādo prælati vel officiarii eorum prosequuntur aliquem laicum in curia sua ex officio, & in casu huiusmodi deficiunt sibi testes: ipsi faciunt plures personas laicas ad ferendum testimoniū in illa causa coram se citari: siue sit Burgensis regius & alterius cuiuscunq;: & ipsis testibus nolunt aliquid contribuere pro expensis eorum. Et nisi veniant ad diem, ad quam citantur, excōmunicantur.

29. Item si aliquis malefactor capiatur per aliquem iustitiarium regiū saisitus de furto suo: & ille, cui res est furata, veniat coram gentibus regiis, & probet rem huiusmodi furtiuam suam esse: & ideo expediatur eidem per gentes regias, si ex post facto dicant prælati vel eorum officiarii malefactorem esse clericum, ipsi faciunt compelli per monitiones & citationes suas prædictas gentes regias ad restituendum eis rem furtiuam prædictis: quod nisi fecerint, excommunicantur.

30. Item si contingat, quod gentes regiæ capiant aliquem malefactorem pro crimine certo per eū commisso, & idem malefactor dicat se clericum esse, licet nec tonsuram nec habitum deferat clericales, officiales prælatorum faciunt in continenti detinentes & capientes compelli per monitiones & sententias ad restituendum sibi prædictum malefactorem tanquam clericum suum.

31. Item si gentes regiæ vel alii iustitiarii seculares ceperunt aliquem malefactorem latronē vel etiam homicidam, qui tonsuram deferat clericalem, eumq; restituant prælatis, idem malefactor satis cito postmodum expeditur, licet recognouerit crimen, etiā licet aliqui laici, qui cum eo fuerunt socii in maleficiis, propter hoc iustitiati fuerint, eumq; accusauerint de maleficio: & sic tales malefactores ad talia maleficia perpetranda facilius excitantur.

32. Item si quis dicat se expoliatum fuisse, officialis sibi dabit incontinenti monitionē contra spoliatorem, & virtute monitionis huiusmodi monebitur per aliquem de præpositis clericorum, quod restituat sibi contenta in monitione, aut q̄ iuret, si spoliauit conquerentem de his, de q̄bus est conquestus, & si iurare renuerit coram præposito, ipse præpositus incontinenti monitionem sigillat & excommunicat illum, qui noluit iurare: nec poterit postea absolui, donec satisfecerit de contentis in monitione, de quibus conquerens se prius dixerat spoliatum.

33. Item si quis pro delicto suo detineatur in carcere alicuius iudicis secularis, licet captus fuerit in habitu laicali & sine tonsura, & q̄ gesserit se antea per totam vitam tanq̄ laicus, pro eo solum quod aduocabit se pro clerico, quia meliorem expedientiam habebit à prælato & officiariis, quam per seculares, & delictum remanebit impunitū, dicti officiarii faciunt moneri iudicem secularē, vt cito malefactorem restituat eis atq; reddat: alioquin cessabitur eis incontinēti per totam villā, vbi sic captus tenebitur malefactor: & pro vitandis periculis, quæ venire possunt occasione dicti cessus, oportet q̄ iidem iudices reddant malefactorem in magnum præiudicium iurisdictionis regis & temporalis, ad quem cognitio posset venire in casu ressorti.

34. Item quando aliquis malefactor redditur iudicibus ecclesiæ per iudices seculares tanquā clericus, amici ipsius malefactoris veniunt ad officiales prælatorum, & concordant cum eis: & sic dimittunt sine punitione ire: & sic peiora committunt quam ante, licet crimina essent notiora.

35. Item quam citius clerici coniugati, mercatores vel alii clerici cuiuscunq; ministerii existant, trahuntur in causam corā iudice seculari p̄ aliquo delicto, ipsi clerici impetrant ab officialibus quādam monitionē, & adducunt secum quendam presbyterū, per quem faciunt moneri iudicē secularē sub pœna centū vel ducentarū marcharum argenti, & excōmunicant ne curiam vel cognitionem de talibus teneant, & ne molestentur eos in corpore vel in bonis, & si Dominus iudex eos postea, cessatur ibidem incontinenti à celebratione missarū, licet hoc pro facto suo suarū mercaturarū existat.

36. Item dicti officiales concedunt citationes sine numero contra personas laicas in casu assecuramenti personaliter coram eis ad assecurandas personas taliter incognitas, & si cognitæ sint, in citatio-

[illegible]tur, quod ille, qui citatus est, moneatur sub magna pœna, ne illum, qui sic citari eum fecerat ipsum, pendente citatione trahat ad iudicem secularem.

37. Item cum quis excommunicatus est in aliquo loco, dicti officiales dant citationes personales super participibus, & faciunt citari totari totam patriam ad vnam vel duas leucas circunquaque, vel tales, qui nouerunt excommunicatum bene quadraginta, sexaginta, vel centum personæ purgaturæ se super participatione prædictorum. Ex quo sequitur, quod probi homines antiqui & senes redimunt se quilibet de duodecim denariis, vel de duobus solidis pro vitandis expensis & laboribus, & multæ vineæ & terræ dimittuntur incultæ, & plures boni homines loca propria dimiserunt.

38. Item dicti officiales imponunt pluribus personis famæ laudabilis & honestæ vitæ, quod sunt vsurarii, & oportet eos cum ipsis officiis concordare pro euitanda eorum infamia & labore.

39. Item dicti officiales faciunt citari aliquem bonum hominem coniugatum, & imponunt ei quod adulteratus est cum aliqua. Et similiter mulierem aliquam coniugatam, imponendo sibi, quod adulterata est, in perpetuam infamiam ipsorum coniugum, & cum hoc extorsionem pecuniarum recipiunt ab eisdem.

40. Item memoria sit de magna multitudine procuratorum, qui comedunt totum mundum virtute citationũ, recipiunt homines in gardia sua, & per villas tenent placita, & assisias suas, & auctoritate sua relaxant citationes propter pecunias, quas extorquent & recipiunt ob hoc ab eis citatis.

41. Item alia grauamina, quæ Capitula, Abbates, Priores, Hospitalarii, & aliæ personæ ecclesiasticæ regni Franciæ faciunt contra propulũ: talia sunt, quia faciunt citari plures burgenses regis & alios in pluribus & diuersis locis per priuilegia, videl. Baiocenses, Nannectanenses, in Britannia, Lugduni, Masticoni, & alibi, specialiter Hospitalarii magis vtuntur istis cõmuniter, quam alii, ex quib. multum damnificantur populus, & grauabitur multipliciter in futurum, nisi remedium apponatur.

42. Item iudices ecclesiastici in quocunq; casu nituntur habere cognitionem iniuriarum, siue in verbis, siue in factis commissa sit iniuria: nec non vxorum clericorum, licet sint mercatrices, & eorum mariti similiter mercatores. Et si aliquando tales coniuges capiantur per iudices seculares, officiales faciunt cessum apponi in parochia illa, virtute Concilii Siluanectensis.

43. Item volunt habere cognitionem bonorum tam mobilium quam immobilium viduarum. Et si contingat, quod aliqua vidua mercatrix in villa regis per viã arresti laicam personam faciat conueniri coram iudice seculari, & iam sit processum, quod persona illa laica fuerit per sententiam iudicis secularis in petitis viduæ condemnata. Si veniat ad notitiam iudicis ecclesiastici, quod vidua illa in aliena curia suum conuenit debitorem, ipse iudex ecclesiasticus trahet ipsum ad emendam, & compellet eum emendare per monitiones & sententias, & hoc sæpe contingit.

44. Ita plures habitatores terræ dictorum prælatorum vocant se inuicem ad curiam officialium ex quadam appellatione volagia, & nituntur officiales de talibus appellationibus cognoscere in præiudicium iurisdictionis temporalis domini regis.

45. Item si quis in briga, vbi sanguinis effusio facta fuerit, capiatur per aliquam iustitiam secularem, puniendus, si laicus, vel restituendus iudicio ecclesiastico, si clericus existat. Si talis captus appellat ad curiam officialis, volũt dicti officiales de hoc cognitionẽ habere etiam de laico, sicut de clerico, & cum hoc nituntur exigere emendare à curia seculari, quæ prædictam fecit captionem, & si hæc permitterentur, nunquam malefactores punirentur, quia in continenti appellarent, & post appellationem statim fugerent.

46. Item si faciant citari plures ex officio, ipsi non admittuntur per procuratorem. Et si ad diem sibi assignatam accedunt, imponitur eis quod vsurarii, & nisi respondeant ad voluntatem promotorum detruduntur, licet sint puri laici, neque liberantur donec finantiam fecerint pro voluntate officialium, licet non sint vsurarii, & si qui sint vsurarii, officiales recipiunt ab eis emendas, & postea sicut prius permittuntur exercere vsuras, vt in eis solitas emendas exerceant.

47. Item capi faciunt per suos seruientes, clericos in quocunque tresfundo, absque hoc, quod iustitiam loci faciant appellari, & si per aliquos in hoc impediantur, ipsi compellunt eos per sententiam excommunicationis ab impedimento desistere.

48. Item quotiens iudices temporales capiunt aliquem, qui postea requiritur & redditur tanquam clericus iudici ecclesiastico sine difficultate quacunque: nihilominus dicti officiales faciunt ipsos iudices excommunicatos à canone nunciari.

49. Item faciunt prælati tonsuras hominibus 30. annorum & vltra, & etiam coniugatis aliquibus, quando veniunt ad eos metu intrusionis carceris & punitionis alicuius criminalis delicti, quod antea perpetrauit, & hoc pluries fuit factum.

50. Item si contingat, quod aliquis homo regis vel alterius cuiuscunque excommunicatus existat, & velit satisfacere, & facere se absolui, gentes prælatorum exigent ab eo emendam ad ipsorum arbitrium, vnde plures remanent in excommunicatione.

51. Item postquam propter debatum duarum personarum adinuicem contendentium super possessionem alicuius rei immobilis res contentiosa posita est in manu regis per aliquem seruientem regis, monent ipsum, ne perturbet alteram partium in possessione, quod si fecerit, excommunicant eũ.

52. Item dicti prælati decanique & capellani & aliæ gentes ecclesiasticæ tot & tantos labores dant officiariis regis ratione iurisdictionis regiæ, sicut prædictis, vsurpatæ, quod plures officiarii regii, expenderunt de suo pro iuribus regis obseruandis, & per vexationes & labores faciunt eis expendere quicquid habent.

 53. Item

53. Item si aliquis iustitiarius laicus pro certa & iusta causa ad requestam partis apponat manum suam in rebus hæreditariis clericorum iudices ecclesiæ & eorum ministri faciunt monitiones in scriptis contra dictum iustitiarium sub pœna excommunicationis, & sub pœna pecuniaria, vt manum suam leuet & amoueat: & iniungit eidem vt alteram partem de prædictis rebus gaudere permittat, alias ipsum denunciat excommunicatum, à qua sententia absolui non potest, nisi redimat se ad officialis arbitrium in præiudicium resorti Domini nostri Regis.

54. Item iudices ecclesiastici quã citius audiunt, quod aliquis diues decessit, vel cogitant quod cito debet decedere, ipsi mittunt literas clausas capellano suo, quod nullatenus audeat inhumare ipsum, licet fecerit testamentum, & ecclesiastica sacramenta receperit, & postmodum cum amici defuncti ad eos accedunt, ad eos scituri, propter quæ faciunt hoc, dicti officiales asserunt, quod dictus defunctus fuit vsurarius, vel quod mandata ecclesiæ non seruauit. Et tam diu faciunt corpus super terram teneri, quod oportet amicos redimere de magna quantitate pecuniæ: & per talem modum magnas pecunias habuerunt.

55. Item si in aliquo cimiterio fiat effusio sanguinis violenta, propter quam ponatur interdictum, ipsi prælati faciunt impositionem fieri decem librarum super omnibus parrochianis pro salario suo reconciliationis cimiterii memorati, licet aliqui parrochianorum à sua iurisdictione sint exempti, etiam licet illi tantum habeant vel plus de bonis illius, qui talem violentiam commisit.

56. Item aliqui capellani dicunt se habere priuilegia Apostolica, quorum virtute sibi constituunt iudices, quos volunt, & aliquotiens de suo proprio collegio. Et sic iudices in suis causis existunt, quod de iure non possunt. Vnde contingit, quod post magnos processus & expensis factis in aliqua magna inquesta sæpius super realitate, quam alias, ad eorum notitiam per consiliarios vel procuratores suos peruenit, quod ipsi debent in causa succumbere, in continenti reuocant suos iudices memoratos, & sic sunt subditi regis damnificati, nec possunt ius habere ab ipsis.

57. Item si laicus vocat clericum in causa hæreditaria coram iudice seculari, ipsi iudices ecclesiastici faciunt cessare processus sibi cognitionem attribuentes. Et cum hoc pro impetratione talium adiornatorum trahunt laicos ad emendam.

58. Item cognitionem clericorum coniugatorum mercatorum, qui sunt manu operarii, quorum cognitio pertinet ad iudices seculares, specialiter super facto mercaturarum suarum, attribuere sibi nituntur ecclesiastici iudices.

59. Item pluries posuerunt interdictum in pluribus villis, castris regis, & diuinum officium cessare fecerunt contra priuilegia, quæ habuit dominus noster Rex à pluribus summis Pontificibus.

60. Item pro custodia temporalitatis suæ faciunt clericos suos Balliuos & seruientes suos & sic quando ipsi delinquunt, non possunt puniri, sicut decet, propter quod iustitia non seruatur.

61. Item iudices ecclesiastici habent procuratores, qui si teneant aliquem excommunicatum, siue iusta sit sententia, siue non, ipsi faciunt monitiones fieri, quod nullus operetur vel faciat negocium qualecunque ei, qui in tali statu consistit, propter quod terræ & vineæ sæpe remanent incultæ in præiudicium communitatis populi & regis.

62. Item promotores prædicti faciunt fieri citationes, per quas citari faciunt 20. 30. 40. personas, vel amplius, in citatione imponentes eis, quod participarunt cum talibus interdictis: & de vno capiunt 10. & de altero 20. solidos, secundum quod possunt, vnde communis populus est multum oppressus & grauatus.

63. Item iudices ecclesiastici faciunt iurare omnes aduocatos curiarum suarum, quod nullus litigabit sine eorum licentia contra eos, propter quod ius pauperum multotiens perit, & causæ Regis retardantur: quia proprii pensionarii regis non sunt admissi ad ipsorum consilium accedere, nisi de ipsorum iudicum licentia speciali.

64. Item volunt inuentaria facere de bonis illorum, qui ab intestato decedunt: voluntque bonorum tam mobilium quam immobilium possessionem habere, & ipsa per manus eorum distribui hæredibus, vel illis quibus volunt conferre.

65. Item testamenta quoque volunt per manus suas executioni tradere: inuentaria facere bonorum defunctorum, eademque seruare & hæredibus distribuere, & habent officiales, qui super his exequendis duntaxat deputati existunt.

66. Item quod aliquando testamentis coram tabellionibus factis nolunt adhibere fidem, nisi prius per ipsos officiales fuerint approbata.

His auditis dixerunt prælati, quod super his volebant deliberare, & fuit assignata dies veneris sequens, qua die respondit pro prælatis dictus Dominus Electus Senonens. & proposuit infra scripta apud Vicenas, vbi Rex tenuit dictam diem, dicens sic videlicet. Quia dominus Petrus de Cugneriis pridie proponens contra ecclesiam Gallicanam, cepit thema suum, quod scribitur Matthæi vigesimo tertio, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo.* In quibus verbis dicebat notari duo. Primo prælatorum ad regis obedientiam, reuerentiam & subiectionem. Secundo iurisdictionis temporalis & spiritualis diuisionem. Et primum probabat per illud, quod scribitur 1. Pet. 2. *Subiecti estote omni creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis in vindictam malorum, laudem vero bonorum.* Secundum vero probabat per multa, quæ Christus dixit Lucæ 22. cum dicerent

terent Apostoli: *ecce gladii duo: hic* dixit Deus, *sufficit*: per duos gladios intelligens, duas iurisdictiones. Item pro eo quod Christus pro se & Petro voluit soluere tributum *Matt. 10. 7.* ad dandum exemplum, quomodo ecclesiasticæ personæ tenebantur soluere & reddere potestati temporali temporalia. Et hoc confirmabatur per hoc, quod scribitur *11. q. 1. c. si tributum: & c. magnũ.* Item quia hoc cauetur lege humana, cum dicitur: *magna duo dona collata sunt, sacerdotium & imperiũ. Sacerdotium, vt diuinis: imperium, vt humanis praeesset*, in corpore autenticorum, *quomodo oportet ipsum & clericos ad ordines perduci in principio collationis prima.* Ex quibus concludebat, quod cum istæ iurisdictiones sint distinctæ à Deo & vna sit reddita seu credita ecclesiæ, & aliis dominis temporalibus, quod nullomodo ecclesia debeat se intromittere de iurisdictione temporali, cum scriptum sit Prou. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Et bene signanter dicit, *antiquos*, quia consuetudines, si quæ essent ad oppositum introductæ, non valerent: quinimo essent potius corruptelæ. Nec præscriptio potest habere locum: cum ius fisci sit impræscriptibile: nec rex etiam posset à se tale ius abdicare, sicut probat per multa capitula, quę sunt *10. di.* Quare cum rex in sua coronatione iurasset iura regni non alienare: & alienata ad se reuocare, si per ecclesiam aut per quemcunque alium erant vsurpata: tenebatur rex per iuramentum ad se illa reuocare.

In speciali tradidit multos articulos: in quibus, vt dicebat, vsurpauerat ecclesia iurisdictionem temporalẽ. Vt ergo respondeam præmissis secundum concordantiã vocalem & realẽ, accipio quod scriptum est *1. Pet. 2.* protestatione præmissa, ꝙ quicquid dicturus sum, volo dicere, nõ ad finem subeundi quodcunq, iudiciũ, sed solum ad domini regis & aliorum assistentiũ conscientiã informandã. Accipio ergo thema tale: *Deũ timete, regẽ honorificate*, 1. Pet. 2. In quibus verbis B. Petrus duo nobis ostendit: primo, quõ Deo debetur timor filialis & obedientia propter celsitudinem & imperium suæ magnitudinis, *Deum timete*, secundo, quomodo debetur regi honor specialis & reuerentia propter magnitudinem & fastigium suæ dignitatis; *Regem honorificate.* In Gallico: Premiemerunt quæ nous debuous à Dieu doubtanze & tremour & amour pour sa grand' puiszanze & haulte maieste, *Deum timete.* Secondement que nous debunos au roy reuerenze & houneur pour sa grand' excellenze & haulte dignite, *Regem honorificate.* Et signanter præmittit Apostolus, quod primo debetur timor, secundo regi honor: quia Deo principaliter debetur timor, quia si contraria Deo iubeat rex vel alius, contempto rege, obediendum est Deo, Act. 5. *Obediendum est Deo magis quam hominibus.* Et 2. Macha. 7. *Non obedio præcepto regis, sed præcepto legis.* Et rationem huius reddit beatus Augustin. Et est in Gloss. ad Roman. Et ponitur 11. quæst. 1. *Qui resistit potestati superiori, voluntati & ordinationi Dei resistit. Sed quid si iubeat illud, quod non potes vel debes facere? hoc sane contemne minorem potestatem, timendo maiorem, ipsos humanarum rerum gradus addiscere. Sed aliquid iussit procurator, nunquam faciendum est, si contra proconsulem iubeat: si autem aliquid ipse proconsul iubeat & aliud imperator, & aliud Deus, contempto illo obtemperandum est Deo, maior enim potestas Deus est. Ille enim carcerem, iste gehennam minatur. Ille corpus occidere potest, iste corpus & animam mittere in gehennam ignis*, merito igitur præmittitur, *Deum timete*, propter hoc dicitur Ecclesiastic. vlti. *Deum time & mandata eius obserua*, hoc est omnis homo. Et videtur mihi, quod quis perpenditur Deum timere ex tribus: sci. ex grata munerum & donorum largitione, ex prouida seruitorum suorum honoratione, & ex integra rerum & bonorum redditione. In Gallico: Quant il' sert deuotement, & loy doune largement: quant il le hounoure saigement, & deuement: quant il luy rend le sien entierement, quia econtra qui ne le veult seruir, oy ne luy deigne obeir, oy veult le sien retenir, signum est quod non timet. Dico primo, &c. Et propter hoc Imperator Iustinianus dicit, quod *licet pene nihil immensum sit bonum: tamen principem immensa dare ecclesia bonum est. Quid enim tenetur imperator, vt meliora det, cui plura dedit Deus habere, & multum donum esse, & facile dare, & maxime sanctissimis ecclesiis, in quibus optima mensura est dominicarum rerum immensitas.* Et Gregorius Alberto patricio Gallorum, *extra de donat. capitul. 1.* dicit si hanc [illegible] quodammodo nobilitas legem imponit, vt debere se quod sponte tribuit æstimet, & nisi in suis beneficiis creuerit, nihil se præstitisse putet, vnde Abel, qui de melioribus offerebat Domino, benedictus est à Deo, sicut patet Genes. 4. Vnde & reges quantum plurimum offerebant Deo: tantum fuerunt ab eo & spiritualiter & temporaliter benedicti, sicut patet de Iosue, Dauid & Salomone & aliis per totum librum Regum. Et ideo Numeri 18. scribitur: *in donaria Dei separabitis optima*, & primo Paralipom. vltim. dicebat Dauid: *lætus obtuli vniuersa hæc: & populum tuum vidi cum ingenti donario offerre tibi donaria.* Nec mirum, quia, sicut ipse dicit ibidem; *tua sunt Deus omnia, quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et ideo videtur mihi, quod quia inter cæteros reges, Franciæ reges plura dederunt Deo & ecclesiæ, & etiam Barones regni: idcirco fuerunt super omnes felices, & quanta plura dederunt, tanto plura dedit eis Deus, sicut patuit de Clodoueo, Carolo, sancto Ludouico, & aliis. Quanto enim aliquis plura dat Deo, tanto Deus plura sibi dat. Cum ipsemet promisit, *date & dabitur vobis*, Luc. 6. Vnde donum, quod princeps facit ecclesiæ, est donum, quod redditur cum maximo incremento, & tempore belli & tempore pacis. Tempore belli, quia victoria belli non aliunde quam à Deo sibi præstatur. Vnde 1. Machab. 4. c. *Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est.* & Exod. 17. dicitur, quia cum Moyses eleuaret manum ad populum, vincebat Israel: sed si remittebat superabatur. Et 2. Machab. vlti. Iudas habiturus magnam victoriam de aduersis, vidit Amon & Ieremiam sacerdotes orantes pro populo & vniuersa ciuitate, *&c.*

Tempore etiã pacis, quia & vita regis & filiorũ ac prosperitas, pax & obediẽtia ꝑ orationẽ ecclesię conseruatur in regno, vnde Salomon quamdiu fuit intentus operi domus Dei, tãdiu pacem habuit.

Vnde

Vnde Prouerb. 16. *Complacuerunt Deo via hominis: inimicos quoque eius conuertit ad pacem*, vnde 1. Esdr. 6. cap. dicitur de Sacerdotibus: *Offerant oblationes Deo cœli, & orent pro vita Regis & filiorum eius.* Bene ergo dicitur esse hoc donum fauorabile & irreuocabile, propter quod victoria tribuitur, vita conceditur, & pax & securitas conseruatur, seruire ergo sibi & dare liberaliter, est primum signum timoris & amoris, Ecclesiast. 2. *Qui timetis Dominum, credite illi & non euacuabitur merces vestra.*

Dico secundo, &c. Scitis quod inter præcepta Domini, primum præceptum secundæ tabulæ est honorare patrem, quod præceptum sicut pulchre dicit Apostolus ad *ad Heb. 11.* est non solum de patre carnali, imo potius de patre spirituali: quia sicut spiritualia sunt potiora quibuscunque carnalibus seu temporalibus: ita tenetur tantum, vel plus filius spiritualis ad honorandum patrem spiritualem, sicut patrem carnalem. Patres autem spirituales prælati sunt, vnde 4. Reg. 6. Israel Elisæum vocabat patrem dicens: *nunquam pœniteas pater mi.* Et propter hoc Luc. decim. dicebat Saluator Apostolis, quorum successores sunt episcopi, *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et primæ ad Thessalon. 4. *Qui vos spernit, non homines spernit, sed Deum.* Et ideo ille Iustinianus Imperator alibi dicit: *sicut nos habemus magnam sollicitudinem circa Dei vera dogmata & sacerdotum honestatem. quam illis obtinentibus credemus, quia per maxima dona nobis dona dabuntur à Deo, & ea quæ sunt firma habebimus, & ea quæ nondum hactenus aduenerunt acquirimus.* Et beatus Hieronymus in Registro scribens cuidam imperatori dixit sic, & habetur in decret. 11. quæst. 1. Sacerdotibus: *non indignetur Imperator sacerdotibus super excellenti consideratione propter eum, cuius sunt serui in eis dominetur, sic vt debitam reuerentiam impendat: quia illi aliquando in diuinis eloquiis Dei, aliquando Angeli nominantur. Exod. 22. Diis non detrahetis. Et Malach. 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, angelus enim Domini exercituum est.* Et subdit: *quid mirum si nostra pietas illos dignetur honorare, quibus Deus in suo eloquio honorem tribuens, angelos & Deos appellat?* Vnde & ibidē refert de Constantino Imperatore, quod cum sibi oblatæ accusationes contra episcopos fuissent, libellos quidem accusationis recepit, & eosdem, quod accusati fuerant, episcopos conuocans in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit dicens: *Ite & inter vos causas disponite vestras: quia non dignum est, vt nos iudicemus Deos, quia scriptum est, Deus stetit in Synagoga Deorum: de medio autem eorum Deos diiudicat.* Et subditur in eodem capitulo, quod *pagani, qui Deos ligneos colebant & lapideos: tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid igitur mirum, si Christianus imperator veri Dei sacerdotes honoret?* quasi dicat, non est mirum, sed debitum. Et ratio est, quia sicut dominus Petrus pridie dicebat & bene, in hoc duæ sunt potestates, sacerdotium & regnum, spiritualis & temporalis: quia inter se differunt sicut Sol & Luna, sicut cœlum & terra, sicut aurum & plumbum. Et ideo si illi, qui præest potestati minori, est à subditis honor impendendus: multo fortius illi, qui præest in potestate maiori, est à quibuscunque sibi subditis honor debitus impendendus, sicut expresse dicit *cap. solitæ, de maior. & obed.* vbi expresse respondetur auctoritati, quam dominus Petrus allegabat pro se, videlicet *subiecti estote omni potestati, propter Deum*, & ibi loquitur de subiectione, quæ est propter virtutis meritum, non propter necessitatis debitum. Si enim loqueretur de subiectione, quæ est propter necessitatis debitum: sequeretur, quod quilibet episcopus deberet esse subiectus pauperiori vetulæ, quæ sit Parisiis, cum textus dicat; *Subditi estote omni creaturæ humanæ*, dicta autem vetula est humana creatura. De dignitate episcopali dicit Ambrosius in Pastorali suo: *sicut honor & sublimitas episcopalis nullis poterit adæquari comparabilibus: si regum fulgori compares, quasi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas regum colla, & principum subiunctis genibus sacerdotum, & deosculata eorum dextra orationibus eorundem se credere communiri.* Et quia reges Franciæ præ cæteris regibus istum honorem prælatis impenderunt: idcirco præ cæteris regibus prosperati fuerunt, quia Ecclesiast. 4. dicitur: *Qui honorat patrem suum, iocundabitur in filiis.* Et sequitur ibidem, *qui honorat patrem suum, viuet vita longiore.* Istud est ergo signum timoris Dei. Et ideo dicitur Ecclesiastic. quart. *Qui timet Deum, honorat parentes.*

Dico tertio, quod aliquis dicitur timere Deum ex integra rerum & bonorum redditione, qui enim non reddit alteri, quod suum est, sed conatur vsurpare, non timet Deum. Econtra autem qui reddit integraliter rem, dicitur diligere & timere, quia, sicut dicitur Eccles. 18. *Qui timet Deum, faciet bona.* Et Psalm. *A iudiciis enim tuis timui. Feci iudicium & iustitiam.* Sicut enim dicunt Iuristæ, & verum est, aliquid efficitur alicuius multis modis, aliquando ex successione, aliquando ex commutatione, aliquando ex præscriptione, aut alia acquisitione, iure aut consuetudine, & sic de aliis. Et quia dominus Petrus pridie per iurisdictionis distinctionem, scilicet temporalis & spiritualis, conabatur probare, quod habens iuridictionem spiritualem non debebat habere temporalem: alioquin non esset distinctio, sed potius confusio iurisdictionum, idcirco volo probare oppositum, quod istæ iurisdictiones compatibiles sunt in eadem persona, & maxime in Ecclesiasticis, & hoc probo tam iure diuino & naturali, quā iure canonico & ciuili consuetudinario & etiam priuilegiato: tamen prius præmitto, quod formæ accidentales quædam sunt sic distinctæ, quod non sunt contrariæ, sed dispares siue disparatæ, sicut albedo & dulcedo, & aliæ formæ. Et aliæ sunt formæ, quæ sunt sic distinctæ, quod sunt contrariæ, nec sunt compatibiles in eodem subiecto, vnum enim contrarium expellit aliud, quia importat negationem alterius. Vnde contraria sunt, quæ à se inuicem maxime distant, & in eodem susceptibili vicissim insunt, non simul, sicut dicit Philosophus in *prædicamentis*. Sed illæ formæ, quæ sunt sic distinctæ, quod non sunt contrariæ, sci. disparatæ, sunt compatibiles in eodem subiecto, sicut quantitas & qualitas, quia distinguuntur genere generalissimo in eodem homine: sicut fortitudo & temperantia, quæ sunt species virtutis moralis, in eodem reperiuntur, sicut Logica & Gramma-

Grammatica, quæ sunt species in eodem intellectu. Non est ergo bonum argumentum: istæ formæ sunt distinctæ: ergo non sunt compatibiles in eodem subiecto, quia ergo iurisdictiones temporales & spirituales sic sunt tm̄ distinctæ, quod non sunt cōtrariæ, sed bene cōpatibiles, ꝙ patet, quia vnum contrariū nō ordinatur ad aliud, imo corrumpit ipsum. Iurisdictio aūt spiritualis ordinatur ad temporalem, vel econtra, & melius: imo depēdet ab ea, sicut claritas lunæ à claritate solis. Itē vna iurisdictio confortat & adiuuat aliā, ꝑ quod patet, quod non habent contrarietatē, & per consequens nō sequitur propter earum distinctionē, quin sint cōpatibiles in eadem persona, ꝙ etiam patet de facto, quia in eadem persona Christi fuit vtraq; iurisdictio, nam *Domini est terra & ple. eius or. ter. & 5. qui hab. in eo*, patet etiā ex alio: quia si non essent cōpatibiles, sequeretur ꝙ nulla ꝑsona ecclesiastica posset habere iurisdictionē temporalē, nec castrum, nec villam, nec aliquid aliud, ꝙ est valde absurdū, vnde ex hoc sequitur, quod nulla persona ecclesiastica posset esse subdita regi: cum non possit sibi subesse rationē spiritualitatis, sed solum ratione temporalitatis, quod esset in magnā derogationem honoris regni, patet igitur, quod istæ iurisdictiones sunt compatibiles, non obstante earum distinctione ab inuicē. Et ꝑ hoc patet respōsio ad oīa illa, per quæ dominus Petrus probat distinctionē istarū iurisdictionū.

His præmissis procedo ad probādum, quod talis iurisdictio temporalis pōt cadere in personam ecclesiasticā habentem iurisdictionē spiritualem. Probatio, ꝙ iurisdictio temporalis pōt cadere in ꝑsonam ecclesiasticā. Primo de iure diuino, & primo ex Testam. Veteri. Ad cuius euidentiam est sciendum, quod Deus post creationem mūdi & hominis, quasi vsq; ad tempus Noe, mundum ꝑ seipsum regere voluit ministerio angelorum, vnde & ipse contra Cain sententiā protulit *Gen. 4. c.* Noe autem qui obtulit holocaustū Domino & ædificauit altare, sicut patet *Gen 8. c.* quod ꝑtinebat ad solos sacerdotes, habuit regimen omnium, qui erant in Archa Noe etiā in tēporalibus. Melchisedech etiā, qui fuit sacerdos Dei altissimi, fuit etiā rex Salem, sicut patet *Gen. 14.* & vtramq; iurisdictionem habuit, dicit n. Magist. Historiar. Gen. 14. *Omnes primogenitos à Noe vsq; ad Aaron fuisse sacerdotes, qui in conuiuiis & oblationibus populo benedicebant, qui tantum habebant iux primogenitura: ex quo competebat eis regimen aliorū.* Moyses etiam, de quo dicitur in Ps. *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius*, qui etiā Aaron & filios eius consecrauit in sacerdotes, totum populum Israel quantum ad temporalia iudicauit etiam in causis hæreditariis & mere realibus, sicut patet *Num. 27. c.* & in multis aliis locis. Textus etiam hoc dicit expresse *Deuteron. 18. c.* vbi dicitur sic: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuit illo tempore, quære ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem: sequereque eorum sententiam, qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio & decreto iudicis, morietur homo ille.* Ecce quam manifeste dicit, quod ad sacerdotem pertinebat iudicare nō solum inter lepram & leprā quantum ad cerimonialia & irregularitates legis, sc. inter sanguinem & sanguinē, quantum ad criminalia, & inter causam & causam quantum ad similia. Item hoc apparet de multis iudicibus *in lib. Iudic.* Samuel etiam, qui fuit propheta & sacerdos etiam, populum totum in temporalibus diutissime iudicauit: imo quando populus petiit regem, displicuit multum Domino, vnde dixit Samueli: *non te abiecerunt sed me, ne regnem super eos*, 1. Reg. 8. ca. imo ex tunc durantibus regibus in populo Dei, quamdiu reges vsi sunt consilio sacerdotum & Pontificum, bene fuit eis & regno, quando autem dimiserunt consilium sacerdotum & pontificum, regimen eorum factum est in dissipationem, & finaliter ducti sunt in captiuitatem, in qua captiuitate populus ex toto regebatur per sacerdotes & prophetas, sicut per Esdram & Neemiam. Nouissime vero opere Machabæorum regnum reductum est & regimen ad sacerdotes, & iidem fuerunt Reges seu Duces populi, habentes regimen tā in spiritualibus quam temporalibus, sicut legitur *1. & 2. Mach.* de Matthatia & filiis eius, videl. Iuda Machabæo, Ionata, Simone & Iohanne filio Simonis: qui in omnibus tam in spiritualibus, quam temporalibus præfuerunt populo Dei. Quinimo Ieremiæ, qui fuit de sacerdotibus, dictum est: *Constitui te super gentes & regna, vt euellas, disperdas, destruas & dissipes, ædifices & plantes*, Ieremiæ capitulo primo, quinimo etiam tempore Iudicum Eliachim & sacerdos in temporalibus iudicauit. Et tota lex vetus plena est istis.

Secundo etiam probo hoc ex Nouo Test. Christus n. non solum secundā diuinam naturam, secundum q̄ omnia ex nihilo creauit: & per cōsequens erat Dominus oīm, imò etiā secundum humanā habuit vtramq; potestatē. Ipse n. fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sicut dicitur in Ps. vt deducit Apost. *ad Heb.* qui habebat & in vestimento & in femore scriptum, *Rex regum & Dominus dominantium*, Apocal. 19. per vestimentum autem & femur intelligitur humanitas, quæ iungebatur diuinitati, sicut vestis vestito. Ipse etiam de seipso dicebat Matthæi vltimo. *Data est mihi potestas omnis in cœlo & in terra.* Et ad Hebræos prim. dicitur, *quem constituit hæredem vniuersorum.* Et in Psalm. & deducit Apostolus ad Hebr. 2. *Minuisti eum pau. ab ang. & hom. cap. eum & constituisti eum super opera ma. tuar. Omnia sub. sub. pe. eius o. & bo. insuper & pe. campi.* In eo autem, quod *omnia subiecit, nihil excludit nō subiectū ei*, sicut dicit Apost. *ibid.* Ex quo patet, quod quantū ad naturam, in qua erat minor angelis, hoc est secundum humanam, omnia erant ei subdita, hoc etiam patet ad Philipp. 2. vbi dicit: *humiliauit semetipsum, propter quod exaltauit illum*, &c. Et sequitur: *vt in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Ecce patet, quod secundum naturam, secundum quam humiliatus est, exaltatus est: quia sibi flectitur omne genu. Hoc etiam dicit beatus Petrus Actor. 10. cap. quod ipse *constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum.* Et loquitur de natura, quam Deus suscitauit tertia die, sicut patet ibidem, tota etiam sacra Scriptura hoc clamat. Beatus Petrus etiam hanc potesta-

potestatem habuit, quem Christus suum constituit vicarium, & instituit. Qui etiam Act. 5. Ananiam & Saphiram pro crimine furti & mendacii iudicialiter condemnauit. Paulus etiam conuictum fornicatorem iudicauit *1. ad Corinth. 5.* Quod autem Christus voluerit tale iudicium esse penes ecclesiam, videtur expresse dicere textus, Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus: vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus es fratrem tuum, si te non audierit adhibe tecum vnum vel duos testes: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quos si non audierit, dic ecclesiæ, si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis: quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlis: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlis.* Ecce quam expresse vult, quod in omni re, in qua est peccatum vnius aduersus alterum, si ille qui delinquit monitus caritatiue non emendauerit, debet negocium ad iudicium ecclesiæ referri, quod si ecclesiam non audierit, debet vitari sicut ethnicus & publicanus: hoc est, sicut ab ecclesia excommunicatus, ita vt non communionem nec participationem cum eo habeat. Et quod ista fuerit intentio Christi, videtur multum probari per hoc, quod quasi assignando rationem huius subiungit immediate: *Amen dico vobis,* &c. Vnde hic *quicunq;* vniuersaliter distribuit, sicut hic *omnia*, vnde sicut Apostolus arguebat *ad Heb. 2.* & ponebatur supra in eo, quod *si subiecit sibi omnia, et nihil dimisit non subiectum.* Et ita possum arguere: si quæcunque, quæ soluerit ecclesia, sint soluta: & quæcunque ligauerit, sint ligata; nihil est in quo ecclesia non possit soluere & ligare. Vel vt accipiam Logice: nihil est ligatum per ecclesiam non ligatum in cœlo, & tenet istud argumentum per quandam logicalem regulam, quod contraria per negationem postpositam æquipollent, omne autem & nihil, quicunque & nulla, sunt contraria: & sic *nihil non*, valet omne: & *nulla non*, valet quæcunque. Secundo probo hoc ex alio textu *Luc. 22.* quem dominus Petrus allegabat pro se, volo eum percutere de baculo suo, dicebat enim, & in hoc bene, quod per duos gladios intelligebantur duæ potestates, videlicet temporalis & spiritualis, sed penes quos voluit esse istos duos gladios? certum est, quod penes Petrum & alios Apostolos. Petro autem successit dominus Papa. Apostolis autem succedunt alii episcopi, sicut discipuli, curati, vt apparet in Glossa *Luc. 10.* Ex quo arguo sic, per duos gladios intelliguntur prædictæ duæ potestates, sed Christus voluit esse illos duos penes ecclesiam, ergo & vtramque potestatem. Sed dices, quod Christus reprehendit Petrum, quia percussit gladio temporali amputando auriculam dicens ei, *Conuerte gladium tuum,* &c. Sed hoc non valet, Christus enim non dixit Petro, quod expelleret à se talem gladium: sed reponeret in vaginam penes se, seruandum tamen in vagina: vt daret intelligi, quod talis potestas, etsi sit penes ecclesiam, tamen eius exercitium quantum ad causam sanguinis in noua lege vult esse in manu iudicis laicalis: sed forte secundum nutum & imperium sacerdotum. Tertio probo hoc ex intentione Pauli Apostoli *1. ad Corinth. 6.* vbi dicit, quod habens negocium seculare etiam aduersus alterum debet iudicari apud sanctos. Vnde fecit tale argumentum: *An nescitis quomodo scil. de hoc mundo iudicabunt, & si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis vt de minimis iudicetis,* quasi dicat, non nescitis quoniam angelos iudicatis? quantum ergo magis secularia? Et sequitur: *secularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles in ecclesia illos constituite ad iudicandum.* Nec obstat quod subdit Apostolus ibidem; *ad verecundiam vestram dico,* quia illud refertur ad hoc, quod dicit *contemptibiles constituite*, vnde quasi ironice in hoc loquitur Apostolus, ac si diceret, quod citius deberet recurrere ad iudicium cōtemptibilium, qui sunt in ecclesia, quam ad iudicium aliorum qui sunt extra ecclesiam, ergo multo fortius deberet recurrere ad iudicium sapientum, qui sunt in ecclesia multi, vnde statim Apostolus, quam dixerat; *ad verecundiam vestram dico,* subiungit, *si non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrem & fratrem suum,* quasi dicat, imo est. Patet ergo ex istis & multis aliis, quæ causa breuitatis omitto, quod vtraque potestas potest eadem in personam ecclesiasticam, & est persona ecclesiastica dictæ iurisdictionis capax. Nec obstat si dicatur, quod Petrus & alii Apostoli, imo etiam Christus parum vsi sunt ista potestate temporali, in eis enim fuit alia ratio, quam nunc sit in nobis, sicut enim probatur *12. quæst. 1. cap. futuram*, & in multis aliis c. Apostoli ab initio non recipiebant agros nec prædia, sed pretia eorū, quæ tamen ecclesia valde rationabiliter recepit, etiam cum magno merito dantium & offerentium: sicut patet de Constantino & aliis. Et ratio diuersitatis tangitur in dicto cap. pro eo, quod Apostoli futuram ecclesiam in gentibus præuidebant non apud Iudæam remansuram, &c. consimiliter quia Christus & Apostoli ab initio totaliter erant nostræ saluti & conuersationi ac eruditioni intenti, parum circa cuiuscunque iurisdictionis exercitium insistebant, attendentes illud primæ ad Corinth. sext. *Omnia mihi licent, sed non expediunt omnia*, & illud Ecclesiastic. 8. *Omni negocio temporis est opportunitas.* Sed nunc per Dei gratiā totus populus Gallicanus colla Christianæ fidei submisit, merito igitur ecclesia insistit circa delictorum punitionem, & iustorum iudiciorū redditionem. Erit enim opus iustitiæ pax, *Isa. 32. cap.* In istis enim iudiciis hoc solum attenditur, vt vita hominum corrigatur, &c. patet ergo nostra conclusio aliqualiter de iure diuino fundata.

Sed probo hoc de iure seu ratione naturali, primo sic, Ille ad iudicandum videtur aptior & cōuenientior, qui est Deo proximior: cum proprie Deus sit regula & director omnium iudiciorum, Prouerb. 8. *Per me legum conditores iusta decernunt.* Sed personæ ecclesiasticæ sunt Deo proximiores: cum sint electæ in populum peculiarem Deo, de quibus dicitur prim. Pet. 2. capit. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitus,* &c. ergo conueniens. quod ecclesia possit de talibus iudicare. Præterea nullus dubitat, quin cognitio de peccato ad personas ecclesiasticas pertineat, cum ergo talia non perpetrentur sine peccato alterius partis, patet quod ecclesia cognoscere potest. Item, cuius est iudicare de fine, eius est iudicare de ordinatis ad finem, quia ratio eorum,

quæ

[illegible]ntur ad finē, sumitur ex fine, cū igitur corpus ordinatur ad animā, & temporalia ad spiritualia tanq̃ ad finē, ecclesia quæ habet iudicare de spiritualibus, pōt etiam merito de temporalib. iudicare. Et hoc satis deducitur *ext. de iud. c. nouit.* Et cōfirmatur, quia accessorium sequitur naturā principalis, & hoc satis apparet exemplo, cum igitur istæ duæ iurisdictiones cōparentur duob. luminarib. Solis s. & Lunæ: & tota claritas lunæ sit à sole & in sole formaliter & virtualiter, & nō claritas solis à luna nec in luna, patet ꝙ iurisdictio spiritualis, quæ cōparatur soli, habet in se formaliter vel virtualiter iurisdictionē temporalem, quæ cōparatur claritati lunæ; & nō econtra, multæ aliæ rationes possunt adduci, sed omitto causa breuitatis. Tertio probatur de iure ciuili, dicit n. lex ꝙ si iudex laicus fuerit suspectus: adiungatur ei episcopus ciuitatis: si aūt fuerit negligens, totum iudicium ad episc. refertur, sicut probatur *in corpore autenticor. Vt diffe. iud. §. si tamen coll. 9.* Præterea Theodosius Imperat. talem legem condidit: *Quicunq; litem habens siue petitor fuerit, siue ab initio litis vel decursu temporum curriculo, siue cum negocium peroratur, siue cum inceperit perimi sententia, si iudicium elegerit sacrosanctæ sedis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad episcoporū iudicium cum sermone litigantium dirigatur.* Quam legem postea Carolus M. qui erat rex Franciæ, ita confirmauit: *Volumus atq; præcipimus vt omnes [illegible] subiecti, tam Romani, quam Franci cæteriq; nobis subiecti vinculo legis videantur districti vel cōsuetudinario [illegible] hanc sententiam perpetua lege teneant, id est, vt quicunq; litem habens,* &c. vt supr. sicut recitatur *[illegible] quicunq; & c. se.* Sed dices, quod ista lex est abrogata, vt videtur tangere Gloss. ibid. sed hoc non [illegible] quia licet ista lex nō fuerit in corpore iuris redacta: tamen propter hoc nō est abrogata, imo est priuilegium honorabile toti & omni ecclesiæ cōcessum, quod Imperator tollere non pōt, [illegible] ecclesiæ libertates, vt notatur. Secundum *Ego Ludouicus.* Item hoc priuilegium cōfirmatum [illegible]nonicum *ext. de iudic. c. nouit,* secundum Innocent. & Ho. & etiam videtur esse confirma[illegible]*e. c. de sacro s. ec. l. priuilegia,* licet nō sit ibi expresse nominatum, sed generaliter, vt ibi pa[illegible] ergo ciuili, est clarum, ꝙ talis iurisdictio in personā ecclesiasticā cadit. Hoc etiā de iure ca[illegible] posset probari per infinita: quia *22. di. c. omnes Patriarchæ, 2. q. 5. c. si quis probatur, 11. q. 1. relatum, 25 di. acce. ext. de iud. nouit, de. fo. compe.* licet & in multis aliis, imo intātum procedunt iura canonica, quod quicunq; talem iurisdictionē habentem de consuetudine nititur impedire, sententiā excōmunicationis ipso facto incurrit, sicut probatur in *c. quoniā intellexerimus. de immu. ec. li. 6.* Hoc etiā patet de cōsuetudine notoria & approbata, & tanto tempore obseruata, ꝙ memoria in cōtrarium nō existit, & temporib. Regum Christianorum & sanctorū. Talem aūt consuetudinem violare sacrilegium est *11. q. 1. c. 1. & c. se.* Cōsuetudo aūt secundum iura dat iurisdictionē, maxime ꝑsonæ capaci, imo cōsuetudo de cuius cōtrario memoria nō est, habetur loco cōstituti iuris inter oēs ꝑsonas, & multo magis valet pro ecclesia *ext. de præscr. c. episc. in fin. li. 6.* Cum ergo ecclesia Gallicana cōsueuerit inter laicos cognoscere in actionib. ꝑsonalibus, & etiā in realib. alicuius ecclesiæ, patet ꝙ cōsuetudo potuit sibi dare illā iurisdictionē, ideo &c. sed dicebat dominus Petrus, ꝙ in hoc nō poterat introduci cōsuetudo: quia in hoc nō poteramus habere bonā fidem. Itē, istud ius dicitur imꝑscriptibile: cū sit ius fisci. Sed ista non valent, ecclesia n. Gallicana magis vendicat sibi ius istud cōsuetudine, q̃ ex præscriptione: quia cōsuetudo videtur introduci magis ex voluntate & electione populi recurrentis ad iudicium ecclesiasticū potius, q̃ ad iudicium seculare & in fauorem eorum. Itē, multum cōfirmatur ad hoc ista consuetudo, quia fuit in contradictorio iudicio obtenta, frequēter n. reclamantib. Baronibus, responsione prælatorum audita fuit per prædecessores vestros reges Franciæ cōsuetudo huiusmodi ecclesiæ firmata, & ꝑ ecclesiā pacifice obtenta, sed adhuc pōt hoc sibi vendicare ex præscriptione, &c. Ad præscriptionē n. non requiruntur nisi tria, titulus, bona fides, & cōtinuitas temporis. Certum est aūt, ꝙ ecclesia iustum titulum habuit, sicut priuilegium cōcessum à Theodosio Imp. & confirmatū à Carolo & mādatum inuiolabiliter obseruari. Item habuit titulū ex iure diuino, naturali & humano, sicut superius est expressum & allegatum, habuit etiam bonam fidem [illegible]i noscuntur tot & tanti clari tituli suffragari, cōcurrit etiam continuitas tēporis & tanti, ꝙ sufficit ad præscriptionē [illegible] cōtra fiscum. Nō n. fuit continuitas solum centū annorum, imo etiā sex centū & vltra. Nec e[illegible] hoc verum, ꝙ istud ius sit imprǽscriptibile, maxime ab ecclesia, quę quantū ad spiritualitatē non est subdita regi: imo nobilior sicut sol luna, aurū plumbo, & cœlum terra. Certum est aūt, ꝙ æqualis vel maior bene pōt præscribere ius æqualis vel inferioris, sicut vnus rex ius alterius, quare patet, ꝙ ecclesia hoc præscribere potuerit, etiā si esset ius fisci, ꝙ tñ non est. Vltimo probat̃ istud ex priuilegio cōcesso, & per Carolū regem M. Franciæ, vt dictum est prius, & ꝑ S. Ludouicum, & ꝑ Philippum auunculum vestrū, & ꝑ Ludouicum & Philippū consanguineos vestros Reges Franciæ, q̃ priuilegia habemus in promptu. Sed forte diceret, ꝙ ista nō possunt stare: sc. quod ista iurisdictio cōpetat ecclesiæ de iure, de cōsuetudine & de priuilegio: quia ista non stant simul. Si n. cōpetit ex vno: nō videtur cōpetere ex alio. Sed ad hoc pōt dupliciter responderi, primo quod priuilegium vel cōsuetudo pōt esse dupliciter, quoddam noui iuris editiuum; & istud non cōgruit cum aliis: aliud veteris iuris confirmatiuum seu declaratiuum; & istud bene potest cōcurrere. Et ista distinctio etiam locum posset habere in cōsuetudine. Et secundum hoc posset responderi, ꝙ licet ecclesiæ cōpetat hæc iurisdictio de iure: cōpetit etiam de consuetudine & priuilegio, non noui iuris editiuis, sed antiqui declaratiuis & confirmatiuis, vel potest aliter responderi, quod habilitas & capacitas huius iurisdictionis competit de iure, sed actus & executio de consuetudine & priuilegio. Sed forte ad hoc dicetur: quare hoc sibi vendicat ecclesia Gallicana: cum aliæ ecclesiæ sibi in aliis regionibus hoc minime vendicare noscant? Ad quod potest faciliter responderi, si enim Reges Franciæ, quos Deus singularibus priuilegiis, gratiis, & honoribus præ cæteris

ris regibus insigniuit & prosperati sunt, inter cæteros propter tria, sc. propter magnam fidem & deuotionem ad Deum, item propter maximum honorem & reuerentiam ad ecclesiam, item propter iustitiam prælibatam ad populũ sibi subditũ, ecclesię plures libertates cõcesserunt vel concessis vti libere permiserunt, non est mirũ, imo tanta fuit ad ecclesiam eorum deuotio, quod ecclesię tanto eis ꝓpinquiores tanto pluribus libertatib. gaudent, nec ex hoc minus habuerunt, sed plus, sicut rei euidentia manifestat: imo hoc redundat in magnam nobilitatem regni & regis. Audiui. alias, quod quatuor vel quinq; sunt, quæ singulariter istud nobilitant benedictum regnum, primo fidei inuiolata sinceritas: quia nunquam legitur quod reges Franciæ, ex quo susceperunt fidem, vllo vnq̃ tempore à fide aberrauerint, secundo sanguinis nobilitas: quia à Priamo rege Troianorum, & successiue à Carolo & aliis regibus tam inclitis descenderunt, tertio pacis & concordiæ vnitas, quæ potissime vigent in regno Franciæ, quarto prælatorum solennitas, quinto Baronum & aliorum subditorum ad obediendum voluntas. Si ergo prælati regni non haberent istud ius, sed tolleretur ab eis, iam perderet rex & regnum vnam de dictis nobilitatib. siue conditionibus, per q̃ multum nobilitatur, sc. prælatorum solennitaté, tunc n. non essent solemniores, sed pauperiores & miseriores omnib. aliis, cum in hoc consistat magna pars emolumentorum suorum. Concludo ergo tanq̃ probatum de iure diuino, naturalique, canonico & ciuili, & consuetudine, atq; priuilegio, quod ius cognoscendi de talibus temporalibus ecclesiæ cõpetere potest, & cõpetit ecclesiæ Gallicanæ. Ex quibus reduco thema domini Petri contra eum sic: suppono tamen primo tanquam clarum, quod ea quæ sunt oblata ecclesiæ & iam in dominium & proprietatem ecclesiæ conuersa Dei sunt imo & in tantũ quod dedicata & sanctificata dicuntur, vt satis apparet ꝑ totum librum Leuitici. Et satis etiam apparet per hoc ꝙ scribitur *1. Reg. 21. c.* de panibus oblatis Deo, vnde dicitur ibi: *nõ habeo panes laicos ad manducandũ, sed tantum panem sanctũ.* Vnde de illis panibus non licebat laicis comedere, nisi in tempore necessitatis extremæ. Patet etiam istud clare *Dan. 5. c.* vbi legitur pro eo, quod cũ Balthasar rex & optimates & vxor eius biberunt in vasis aureis & argenteis, quæ Nabuchodonosor aportauerat de templo, quod est in Hierusalem, apparuit manus scribentis in pariete, *manet hecelphares*, quod est dictum, sicut apparet ibidem, quod *Deus numerat regnum suum & compleuerat quod appensus erat in statera & inuentus minus habens, & quod diuisum erat regnum suum & datum Medis & Persis.* Vnde eadem nocte interfectus est, & successit Darius Medus in regno, vnde facta est tunc translatio monarchiæ Assyriorum in Medos, patet ergo, quod quæ sunt oblata ecclesiæ Dei sunt & adeo dedicata Deo, quod non licet laicis eis vti, quod etsi faciant, habent ducere vindictam diuinam, sicut habuit Balthasar. His ergo suppositis arguo ex themate domini Petri: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.* sed ista iurisdictio, quæ est, vt supra probaui, multipliciter in dominium & proprietatem ecclesiæ Gallicanæ conuersa, est iam Dei: ergo reddenda est sibi, vnde cuilibet violenti tollere deberet dicere, & quilibet prælatus bonus respondere, sicut respondit Ambrosius militibus Gothis missis ab imperatore. Respondit enim sic: *Si quod meum est, peteret imperator, non denegarem, quamuis omnia mea pauperum sint, sed quia quæ Dei sunt postulat, in quibus imperator potestatem non habet, potius volo vt me in carcerem mittat, & vitam mihi auferat, quam sibi concedam.* Vnde alludendo illi historiæ, quæ habetur 3. Regum 21. cap. de Naboth subiunxit: *Naboth sanctum virum possessorem vineæ suæ scimus interpellatum petitione regia, vt vineam suam daret. Cumque respondisset: non ego possum patrum meorum tradere hæreditatem, & sic regem contristatum esse.* Et subdit: *Si ille non tradidit vineam suam, nos trademus tibi ecclesiam Christi? Absit à me, vt tradam Christi hæreditatem: non tradidit Naboth vineam, nec ego tradem eam quæ Christi est ecclesiam.* Et subdit optimum verbum: *templo Dei nihil possum decerpere nec tradere: cum istud custodiendum non tradendum acceperim. Deinde consulere me oportet imperatoris saluti: nec mihi expediret tradere nec illi accipere*, sicut istud legitur 23. quæstio. vltim. cap. *conuenior.* Non est ergo Dei solum iurisdictio spiritualis, sicut supponebat dominus Petrus: sed etiam quæcunque iurisdictio, quæ ecclesiæ competit, siue de iure, siue de consuetudine, siue de priuilegio, intantum nobis non expedit eam tradere, nec regi pro certo recipere, sed dicebat dominus Petrus, quod Christus ad dandum exemplum soluerat tributum, hoc enim est falsum, vnde, sicut apparet Gene. 47. terra sacerdotum fuit libera & immunis ab omni tributo & seruitute præstanda, & si dominus Petrus bene inspexisset testimonium *Matth. 17.* Christus non soluit tributum ad præstandandum exemplum: imo prius probauit, quod non tenebatur soluere, concludendo, *ergo liberi sunt filii, &c.* sed soluit propter scandalum vitandum, vnde dicitur in textu: *vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, &c.* sed forte dicetur, quod nos, &c. exemplo Christi ad euitandum scandalum debemus soluere, sed hoc non valet, quia duplex est scandalum, pusillorum sci. & Pharisæorum, propter scandalum pusillorum, quod est ex ignorantia, non ex malitia, sunt aliqua euitanda ad tempus, donec fuerint instructi, sicut dicit Apostolus *ad Rom. 14. ca.* sed propter scandalum Pharisæorum, qui peccant ex certa malitia, non est aliquid omittendum, sicut ipse Christus ait Math. 16. dicentibus Apostolis sibi: *scis quod Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt?* & quid respondit? *Ecce sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum*, quia tempore Christi fuisset scandalum pusillorum, & nunc esset scandalum Pharisæorum, ideo tunc fuit soluendum propter scandalum vitandum, sed modo non. Patet ergo quod tertium signum timoris Dei est ex integra bonorum redditione, vnde de habente talem timorem, per quem reddit Deo quicquid suum est. Dicitur autem Ecclesiastici decim. cap. *Semen hominum honorabitur, quod præterit mandata Domini, &c.* Et sic patet primum, scilicet quomodo debetur Deo timor filialis & obedientia propter celsitudinem & imperium suæ maiestatis, quia *Deum timete.*

Dico

Dico secundo, quod debetur regi honor specialis & reuerentia propter magnitudinem & fastigium dignitatis, quia sequitur in themate: *regem honorate*, & Ecc. 10. *in medio fratrum rector illorũ in honore.* Et videtur mihi ad præsens, quod est duplex honor: vnus verbalis, qui est adulatiuus & periculosus, de quo dicitur Matt. 7. *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Alius est honor realis, qui est debitus & virtuosus, & de isto, non de primo, dicitur *regem honorate.* Et videtur mihi, ꝙ ille de facto & realiter & virtuose honorificat regem, qui vult eum seruare illa, per quæ eius dominiũ diligitur, & eius potestas & excellentia non diminuitur, & eius fama custoditur ne perdatur, & eius conscientia non læditur, in Gallico: Par quoy sa seigneurie est aymee, sa puissanze nest appetis see, sa renoumee est gardee, sa conscienze nest pas blecee. Et econtra ille non honorificat regem, qui suadet sibi opposita istis quatuor. Dico ergo primo, quod ille honorificat regem facto, qui suadet sibi illud, propter quod eius dominium diligitur, princeps enim debet studere potius diligi quam timeri. Thesaurus enim nobilior, quem possit habere princeps, est habere corda subditorum, sicut dicit Seneca de clementia ad Neron. *Inexpugnabile munimentum amor ciuium: quid enim optabilius & pulchrius est quam viuere optantibus cunctis?* Modo videtur mihi, quod nulla res facit tantum diligi principem, quantum seruare & augere libertates eis consuetas, & non inducere nouitates, ideo cuilibet regenti dicitur Prou. 22. quomodo dominus Petrus pro se allegabat: sed ego reduco contra eum: *non transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui*, nouitas enim parit discordiam, & ideo in rebus nouis cõstituendis euidens debet esse vtilitas, vel vrgens necessitas. Et ideo si princeps vult libertates per suos prædecessores concessas tollere, eius dominium non diligitur, sicut patet de Roboam *3. Reg. 11. ca.* Et apparet in *Cronicis*, ex hoc multa dominia & regna translata de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, modo certum est, quod prædecessores vestri Carolus M. sanctus Ludouicus, Philippus pulcher, Ludouicus & Philippus filii eius, & plures alii istam ecclesiæ libertatem cõfirmauerunt, & nos ibi de modo aliqua, ergo consulere vel requirere, quod vos tollatis aliquid ecclesiæ, est consulere quod vos tollatis seu quod tollatur à vobis illud, propter ꝙ dominium vestrũ diligitur. Et ideo nobis videtur consulere illud Matt. 2. c. *Memento operum Patrũ, qui fecerunt in generalibus suis, & accipietis gloriam magnã & nomẽ in æternum.* Nota hic, quomodo rex Philippus, auus S. Ludouici, fouebat & nutriebat in regno suo S. Thomam Cantuariens. Archiepisc. qui pro libertatibus ecclesiæ defendendis fuerat de regno Angliæ bannitus, quanto ergo magis decet vos defendere prælatos vestros in libertatibus suis per prædecessores vestros confirmatas, quia sicut dicit Gregor. & habetur 25. q. 2. c. si c. *Si ea destruerem, quæ prædecessores & antecessores mei statuerunt, non essem constructor, sed euersor esse iuste comprobarer, testante veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in se diuisum desolabitur: & omnis scientia & lex aduersum se diuisa destruetur*, & alibi dicit idem: *Nimis est asperum & præcipue bonis moribus inimicum, vt quempiam quacunque rationis excusatione, quæ bene sunt ordinata, rescindere & exemplo donare cæteros sua quandoque posse constituta dissoluere.* Nota hic de castro dato sancto Remigio pro ecclesia Laudunensi per Clodoueum regem, quod postea Pipinus rex voluit habere facta recompensatione ecclesiæ, cui dormienti apparuit beatus Remigius, & eum super hoc grauiter increpauit dicens: *Melior te mihi dedit, & tu vis auferre*, & ideo eum percussit, qui in crastinum inuentus est totus denigratus. Et extunc reges Franciæ non fuerunt ausi in in illo castro iacere. Non honorificat ergo regem facto, qui consulit sibi, quod transgrediatur terminos antiquos, quos posuerunt patres sui: imo rex deberet eis dicere illud Iohan. octau. *ego honorifico Patrem meum*, seruando scilicet ecclesiæ libertates, sicut ipsi fecerunt & concesserunt, vos autem inhonorastis me optatum sibi consulendo, quia scribitur Ecclesiastic. tert. *Gloria hominis ex honore patris sui: & dedecus filii patris sine honore.*

Dico secundo, quod facto regem honorificat, qui suadet sibi illud, per quod sua potestas & excellentia non diminuitur, multum enim decet honorem suum augere potentia, & multum indecet eum diminuere, vnde Imperatores consueuerunt se vocare *Augustos*, quasi rem publicam augẽtes. Dicere autem, quod vos aut prædecessores vestri non potuistis hæc concedere ecclesiæ, videtur esse valde in diminutionem vestræ potentiæ & vestræ excellentię, vos autẽ præcarissime Domine, qui ita pingue ius habetis in regno Franciæ, quod non solum electione, sed iure hæreditario possidetis & ad posteritatem transmittitis, quod non possitis istud concedere, videtur quamplurimũ vestræ potentiæ derogare, imo in tantũ, quod si esset verũ, quod absit, sequeretur prędecessores vestros in peccato continue fuisse, imo quod impium est dicere, B. Ludouicum, per quem tota Francia illustratur, non potuisse iuste canonizatum. Si enim, sicut proponens dicebat, iurauit non alienare, & alienata reuocare, & istud esse inseparabile à corona, sequitur quod deierasset, & per consequens mortaliter peccasset, & ita canonizari non potuisset, quod est nepharium dicere. Et si dicatur, quod potuit pœnitere cito, potest responderi, quod peccatum legitur, sed pœnitentia non inuenitur, sicut de Salomone, quinimo si esset verũ, quod dicit, sequeretur quod nihil possetis dare neq; Comitatum, neq; Castrum, neq; villam; & tamen pauci sunt, qui non libenter reciperent, non obstante iuramento fidelitatis, in quo vobis tenentur. Conseruet ergo & confirmet nobis vestra magnificentia Regalis, quod per tam inclitos progenitores vestros concessum est, alioquin honor vestræ excellentiæ minor seruaretur, vt dicatis illud ad Rom. 11. *ministrum meum honorificabo.*

Dico tertio, quod ille honorificat regem facto, qui ei suadet illud, per quod sua fama custoditur, nec perditur. Inter cætera n. de quibus debet quilibet curare, est fama post conscientiã, quia Prou. 22 scribitur: *melius est nomen bonũ, quam diuitiæ multæ. Super argentum n. & aurũ gratia bona.* Et B. August. dicit: *duo sunt tibi necessaria, cõscientia & fama, cõscientia propter Deũ, & fama propter proximũ.* Et ideo Ecc. 41 scribi-

ſcribitur: *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille theſauri magni & precioſi.* Iſtud autem nomen Dominus, qui vos vnxit oleo lætitiæ præ cunctis Principibus veſtris, vobis dedit in tam modico tempore, quod quaſi miraculoſum videtur. Et ideo ſummopere habetis curare, quod iſtud non permaneat, quia

—— *Non minor eſt virtus quam quærere parta tueri.*

vt nõ ſolum in vitam, ſed etiam poſt mortẽ iſtud nomen ꝑmaneat glorioſum, ne aliquid fiat ꝑ vos, ꝓ ꝙ in tanto nomine macula inueniatur, ac de vobis dicatur illud Prou. 10. *Memoria iuſti cũ laudibus.* Attendat ergo Regia Celſitudo, ſi temporib. veſtris libertas eccleſiaſtica tollatur, ꝙ abſit, vel in aliquo diminuatur: ſi in veſtro glorioſo nomine aliqua macula ſe ingereret, cum multi eſſent, q̃ hoc in Cronicis redigerent. Vnde Chriſtianiſſime Domine, ſi ꝑ huiuſmodi, qui non ſperabãt aliam vitam, tñ ꝓpter famã, quę remanebat apud homines, adeo virtuoſe viuebant: quid nos Chriſtiani, qui ſperamus vitam æternam & memoriã perpetuam, facere debemus? Aduertat etiam dominatio veſtra, ſi poſſet eſſe denigratio nominis, cum reges Franciæ ſemper fuerunt Chriſtianiſſimi Deo & eccleſiæ, & ſemꝑ dederunt exemplũ aliis principibus dotandi & augendi eccleſias & libertates earum: ſi nunc (ꝙ abſit) qñ eccleſia eſt in magna perſecutione in aliquib. locis, vos daretis exemplum reuocandi dona facta per prædeceſſores eorum eccleſiæ. Eadem n. ratione poſſit aliquis imperator, ſi quis eſſet, reuocare oĩa, quæ data fuerunt eccleſiæ per Conſtantinum Imp. & etiam alii reges data eccleſiæ ꝑ eos in regnis ſuis. Abſit aũt, quod vos detis tale exemplum, qm̃ pro certo plus vellem mortuus eſſe, q̃ vobis cõſuluiſſem, quod ſuper re tam pernicioſa præbuiſſetis exemplum: ſpecialiter cum prædeceſſores veſtri reges Frãciæ, qui volentes tollere libertates ſe pro eccleſia oppoſuerunt defenſores, hoc tñ eſt regum officium, dicit Hieronym. ſuper Ieremiã, & habetur *23. q. 5. c. Regum*, & quod dicit, habetur ibidẽ in c. princeps: *Cognoſcant principes ſeculi Deo ſe debere eſſe reddituros rationem propter eccleſiam Chriſti, quam tuendam ſuſcipiunt.* Et nota hic aliqua exempla in Chronicis, quomodo hoc ſeruauerunt reges Fräciæ, exemplo ergo eorum & vos ſeruetis & augeatis. Tunc autem de vobis dici poterit illud Eccle. 37. *ſapiens in populo hæreditabit honorem.* & Eccle. 3. *Sicut qui theſaurizat, ita qui honorificat matrem ſuam.* Dico quarto, quod ille honorificat regem facto, qui ſuadet ſibi illud, propter quod conſcientia ſua nõ læditur. Super omnia enim Chriſtianus debet quilibet aduertere, ne faciat illud, per quod conſcientia ſua lædatur, quoniam anima plus eſt quam eſca, *Matth. 6.* Et certe credo firmiter, ꝙ pro toto mundo nolletis aliquid facere ſcienter, de quo cõſcientia veſtra eſſet læſa, & merito, quanto n. Deus vos quaſi miraculoſe ad regem vocauit, & vobis plures gratias fecit, tãto plus debetis & habetis cauere, ne eum offendatis, quia nõ dubitandum eſſet, quin contra vos acrius indignaret, ſicut fecit cõtra Saul *1. Reg. 15.* modo, Præcariſſime, attendatis ſi vos in coronatione veſtra iuraſtis iſta, & non plura, ſcil. quod epiſcopis & eccleſiis & eis cõmiſſis canonicum priuilegium & debitam legem & iuſtitiam ſeruaretis & defenſionẽ, & quantum poſſetis exhiberetis. Item, ꝙ veſtro arbitrio omnis populus Chriſtianus verã pacem Dei & eccleſiæ ſuæ omni tẽpore ſeruaueritis. Item quod oẽs rapacitates & oẽs iniquitates omnib. gentib. interdicetis. Item ꝙ in omnib. iudiciis ęquitatẽ & miſericordiã pręcipietis. Itẽ ꝙ de tota terra & iuriſdictione veſtra hęreticos ab eccleſia denotatos ꝓ virib. bona fide exterminari ſtudebitis. Iſta iuraſtis & nõ plura, ſalua reuerentia domini Petri, qui vos vnum aliud iuraſſe dicebat. Cum ergo ſit priuilegiũ eccleſiæ canonicum & in corde canonis incorporatum *6. q. 1. quicunq́, litẽ habens*: & ſit etiã de cõſuetudine introductũ, quæ cõſuetudo eſt canonica, ꝙ eccleſia poſſit cognoſcere in multis caſibus, cõtra quos ſunt articuli poſiti, inter laicos, ſi iſtud nõ ſeruaretur eccleſiæ, ſic poſſet in aliquo veſtra cõſcientia lædi. Itẽ ſi debetis pro poſſe facere, ꝙ omnis populus Chriſtianus verã pacem eccleſiæ Dei omni tẽpore ſeruet: multo fortius habetis hoc procurare de Baronib. q̃ ſemper fuerunt vnum & idem cũ eccleſia, ſemper n. vbi fuit eccleſia in honore, ibi viguit Baronũ & Militũ ſtrenuitas, & quorũ officiũ eſt eccleſiã defenſare, ſicut officiũ eccleſiæ eſt ꝓ eis orare, & inde ſacrificiũ ꝓ eis Deo offerre. Et ad hoc multũ conatus eſt B. Ludouicus ſuo tempore, quia cũ maiores Barones totius regni ſe confœderaſſent ad tollendã iſtam eccleſiæ libertatẽ, & ordinaſſent adhuc dare centeſimã bonorum ſuorum, ipſe nunq̃ eis adhæſit, ſed potius eos ab iſtis cõpeſcuit. Et finaliter hanc libertatẽ eccleſiæ cõfirmauit. Nota hic, quõ Innocentius Papa illo tunc cõtra illos Barones proceſſit, &c. Et bene audeo dicere, ꝙ ſi inter prælatos & Barones eſſet diſſenſio, dubitarem quin cito populus vellet dominium vſurpare, ſicut patuit de facto in multis locis. Et de facto quilibet noſtrũ potuit videre, quia cum aliqui incitaſſent populum contra curiã eccleſiaſticã in aliqua parte Campaniæ & Burgundiæ intantum ꝙ inimicus populus, quaſi in qualibet villa feceratregẽ, qui portantes citationes verberari faciebant, & Papam qui abſoluebat, & ſic ſtatim idem populus contra dominos temporales inſurrexit, & idem eis faciebat quouſq; ꝑ poteſtatem regis multi fuerunt ſuſpenſi, & ſcandalum illud fuit ſedatum, hoc fuit tempore Ludouici regis vltimi. Et vere Nobiles non deberent conqueri de his, quæ habet eccleſia, qm̃ enim pauci ſunt, qui non habeant fratres aut propinquos, qui viuunt de bonis eccleſiæ, qui diuiderent eis hæreditatem, paulatim redigerent ad nihilũ. Aduertant etiam Barones, quod pauci ſunt, qui non ſunt fideles eccleſiæ. Eccleſia autem vna eſt, Canticor. 6. *vna eſt columba mea*, ſic nec abſque periculo tranſgreſſionis poſſent ſuadere, quod tales eccleſiæ libertates tollerentur, vt ergo veſtra cõſcientia immaculata remaneat, placeat veſtræ Celſitudini priuilegium iſtud iuſtum & canonicum confirmare, attentata, ſi quæ ſint, per proclamationes vel alias reuocare, & matrem veſtram eccleſiam Gallicanam in ſuis Franchiſiis, libertatibus & conſuetudinibus conſeruare, vt per vos in omnib. honorificetur Deus, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, amen, 1. Petr. 4. & ipſe vos honorificet.

rificet, qui dicit primo Reg. 2. c. *Quicunque honorificabit me, glorificabo eum in gloria, in qua est verus honor,* qui nulli conceditur indigno: imo ad quem nullus admittitur, nisi dignus, sicut dicit B. August. quem honorem nobis & vobis concedat, qui est benedictus in secula seculorum amen. Et quia multi articuli proponebantur, quorum aliqui totã iurisdictionem eneruauerunt ecclesiasticam. Idcirco eos volumus defendere & tueri, cum præscriptum sit Eccl. 4. *vsque ad mortem certa pro iustitia & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Aliqui alii sunt, qui cõtinent solum abusum, quẽ nõ credimus ꝑ gentes nostras fieri, & si fierent, nollemus aliqualiter tollerare easdem, & ideo propter honorem Dei principaliter, & propter exonerationẽ conscientiarũ nostrarũ, & propter regis reuerentiã populi profectũ & pacem, oẽs hic simul congregati disposuimus tale remedium apponere, quod abusus prædicti, si qui sint, cessabunt ad pacem populi & laudem Dei: cui est honor & gloria in secula seculorum, amen.

Altera autem die veneris immediate subsequenti, videl. die 29. Decemb. in palatio Regali Parisiis ad inuicem conuenerunt prælati: & rege ibidem more solito sedente, assistentibus sibi Consiliariis suis & Baronibus, reuerendus pater dominus Petrus Bertrandi diuina prouidentia Eduens. episc. locutus est in publico coram Rege, facto pro themate suo: *Ne indigneris Domine, si loquar,* Gen. 18. ca. ꝙ pro themate applicuit ad hoc, ꝙ propter regis magnificentiã, consilii sui prouidentiam, & loquentis insufficientiam, cum magnum negocium esset, loqui formidabat. Sed de regia benignitate confisus audaciam assumebat. Et quia fuerat sibi à dominis prælatis iniunctum. Deinde fecit thema suum tale: *Domine refugiũ factus es nobis in præsens.* Et prosecutus est thema Regis magnificentiam cõmendando, vocationẽ suam ad regnum Frãciæ quasi mirabile declarãdo, tertio quod debet esse pugil ecclesiæ ostendendo. Et ista probauit satis breuiter ꝑ auctoritates & rationes multas. Postmodũ respondit ad ea, quæ proposita fuerunt ꝑ dictũ dominum Petrum de Cugneriis in modũ infrascriptum, & ad informandũ conscientiã domini regis, & ad præstandũ consiliũ sup prædictis duntaxat, & non ad finẽ ordinandi iudicii seu respõsionis faciendæ, per q̃ sententia, ordinatio vel statutũ aut quiuis alius ꝓcessus sequi possent, vel ius aliud ꝑsonæ cuicunq; acquiri. Primo ad illud, ꝙ propositũ est: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo,* Matt. 22. & Marc. 3. ꝑ quæ verba proponebatur ad regẽ obediẽtia & subiectio, & spiritualiũ & temporalium diuisio. Et primum membrũ probatur per illud, ꝙ dicit 1. Pet. 2. c. *Subiecti estote omni creaturæ,* rursus ꝑ verba, quæ sunt in *c. solitæ, ext. de ma. & obe. & per c. nouit, ext. de iud. & c. de sacerdotib. 10. q. 1.* cũ ibi notatis. Ad illud ꝙ dicitur de diuisione, probatur ꝙ temporalia debebant ꝑtinere ad temporales, & spiritualia ad spirituales: tum quia Deus instituit duos gladios, vnde dicit: *Ecce duo gladii,* Luc. 22. item Christus censum soluit, vt denotaret ꝙ temporalib. reddenda sunt temporalia, *Matt. 17. & 12. & 11. q. 1. si tributũ: & c. magnũ.* Præter ea lege imperatoris cauetur ista diuisio, cũ dicitur: *magna n. à Deo collata sunt dona, sacerdotiũ & imperium, sacerdotiũ vt diuinis, imperium vt humanis præesset,* in corpore autenticorũ, *Quõ. opor. epi. in prin. colla. 1.* & dicebatur, ꝙ isti erant termini, qui non debebant aliqualiter immutari, *Prou. 23. c. & ff. de termino mo. le. 1. & vlt.* Dicebatur etiã, quod talia iura regia rex non poterat à se abdicare, cum essent iuris sui regalis, & iurasset in coronatione sua iura regni non alienare, & alienata reuocare, & quod talia erant impræscriptibilia *10. di. c. quæst.* & aliis pluribus c. eiusdẽ di. cum ibi no. Ad prædictam respondetur sic, ꝙ iurisdictio causarum ciuilium, de quib. agitur, ꝑtinet ad ecclesiã de iure diuino & humano. Et de iure diuino probatur à tẽpore Adæ vsq; ad Christũ ꝑ ea, quæ notantur ꝑ Innocent. *c. licet, ext. de fo. compe.* à tempore Christi citra, cõmissa fuit Petro & successorib. *22. di. c. oẽs Patriarchæ, Matt. 16.* & qualiter ecclesia in terris catholicorum principum istud ius obtinuerit & obtinet, probatur *2. q. 5. Si quis presbyter 11. q. 1. relatũ 25. di. ecce.* Et istud ius confirmauerunt imperatores in corpore autenticorũ, vt *ff. 3. 5. si causã col. 9. 23. q. vlt. c. his & à quib.* dicit etiam canon, & quod B. Petrus præcipiebat oẽs principes terræ & cæteros homines episcopis obedire *in c. oẽs, ext. de ma. & obe. 16. di. duo sunt,* quare concluditur, quod non est faciẽda diuisio, vt hæc ecclesiis auferantur, & si in tyrannorum regum terris status iste ecclesiæ fuerit læsus vel etiã violatus, in regno tñ Franciæ benedicto vsq; ad hæc tempora extitit obseruatus *ext. de iudiciis c. nouit in parte decisa,* &c. Præterea leges Theodosii Imperat. & Caroli M. hanc iurisdictionem confirmarunt, *ext. de iudiciis c. nonne all. 11. q. 1. quicunq. & c. fe. iurisdictio c.* expresse cauetur, quod idem Carolus rex Franciæ & imperator in Francia specialiter hoc ius cõstituit. Item de consuetudine à tanto tempore obtenta, quod in cõtrarium memoria hominum nõ existit, horum iurisdictio pertinet ad ecclesiam Gallicanã omnium regum tempore Christianorum & sanctorũ. Quis ergo videbit hanc consuetudinẽ violare sacrilegium est *11. q. 1. c. 1. & 2.* Item non miretur regalis dignitas, si in regno Franciȩ nobiliore mundi hæc prærogatiua ecclesiis debeatur, in hoc n. sua potentia & nobilitas decoratur, in corpore autenticorũ: *vt iudi. sine quoq. suffra. fin. in prin. collat. 2.* Præterea dominus rex in coronatione sua iurauit ad sancta Dei euangelia priuilegium canonicum seruare ecclesiæ, omnes etiam Barones vel quasi sunt fideles ecclesiæ, & iurauerunt fidelitatẽ, sub qua fidelitate tenentur ꝑ iuramentum iura ista seruare ecclesiȩ. Cum igitur omne iuramentum, ꝙ non tendit in interitum salutis æternæ, sit seruandum: istud, quod est in fauorẽ ecclesiarum præstitum, multofortius est seruandum: *ext. de iureiur. c. si vero 22. q. 4. c. vlt.* Itẽ B. Ludouicus, Philippus Arragonens. Philippus pulcher, Ludouicus, Carolus M. & Philippus, priuilegia, consuetudines & libertates ecclesiæ confirmauerunt, & dominus Philippus pulcher seruare, quare, &c. & omnes isti in suis coronationib. iurauerunt, vt supra. Quis ergo poterit isti domino regi absq; damnatione propria contrarium suadere, maxime in istis concessis, declaratis & confirmatis ecclesiæ, cui donare immensitas est mensura, in autent. *de non alien. at. permut. rec. ec. 5. si nimus coll. 2.* Nec obstat, ꝙ dicitur, quod duo sunt gladii, &c. Et quod distinctum est sacerdotium ab imperio: quia verum est,

quod sunt duo gladii, istud dictum ecclesiæ, & verum est, quod ius & potestas istorum duorũ gladiorum est penes ecclesiam; licet executio gladii materialis sit penes temporales vel seculares, & hoc est quod dicitur Matt. 26. cum dixit Dominus; *Conuerte gladiũ tuum in locũ suũ*: Et q̃ dicitur, distinctum est sacerdotiũ & imperium, verum est ex parte finis, & quantum ad executionẽ sanguinis, & nõ ex parte principii seu subiecti, quia in eodẽ subiecto sunt & esse possunt, imo debent esse, vt superius est probatum. Ad illud quod dicitur, quod Christus soluit tributum: respondetur, quod non ideo, quod deberet soluere: quia certum est, quod filii regis non debebant, qualis ipse erat: sed propter scandalum hoc fecit, imo etiam nec clerici ad hoc tenerentur, *Esdra prim. & vlt. cap.* Vnde talia non sunt ad consequentiam trahenda, nec obstat de immutatione terminorum, quia dictum est, quod hæc allegatio sit pro ecclesia, cum ista ad ecclesiam pertineant, sicut dictum est. Nec obstat, quod Dominus rex non potest ista iura abdicare à se, maxime cum hoc iurauerit in coronatione sua, &c. Respondetur, quod imo potest totum abdicare, quia non abdicat à se, cum Deo & ecclesiæ dat, quia dictum est, *Domini est terra*. Tale enim dare nihil aliud est, nisi reddere Deo & ecclesiæ, quod suum est, quia sic sequeretur, quod donatio imperii ecclesiæ à Constantino non teneret, quod falsum est. Et hoc probatur *16. dist. cap. Constantinus*, præterea imperator vel rex potest alienare res imperii. *ff. de lega. l. apud Iulianum.* §. *vlt.* nec per hoc læditur imperium vel regnum, eo quod res redit ad statum suum pristinum *ff. de pactis l. vnus* §. *pact. 35. di. ab exord.* Præterea ista ratio proposita damnaret omnes reges Franciæ, qui fuerunt, & specialiter beat. Ludouicum, quia si vera essent (quod absit) omnes essent mortui peccato mortali & periuri, quod nephas est dicere. Nec obstat, quod dicitur, impræscriptibilia sunt talia: verum est ab alio quam ab ecclesia: vel aliter quam à subditis non possent præscribi, sed nõ à subditis sic, præterea ex quo potest alienari, potest præscribi, maxime de consensu regum, qui hoc confirmauerunt, & à tanto tempore, quod omne ius excludit & fiscale & ecclesiæ. Concluditur ergo, quod omnes prælati prædicta asserunt esse vera & tenenda, & supplicant domino regi pro salute animæ suæ & pace ecclesiæ seruanda, quod nihil immutet, sed prout prædecessores sui tenuerunt ecclesiam, ipse teneat & libertates ecclesiæ seruet. Et consideret quanta bona spiritualia habet quotidie ab ecclesia, & quod nunquam sibi defecit ecclesia Gallicana, cum opus fuit etiam in auxilio temporali: & ostendantur exempla & pericula, quæ facienti contrarium esse possunt. Et consideret qualiter dominus noster Papa, qui nunc est, diligit & dilexit regnum Franciæ & personam domini regis dicendo, quod nunquam fuit in sede B. Petri, qui regnum plus dilexerit eo. Et consideret, quod legitur Eccl. 6. c. vbi dicitur, *in multitudine presbyterorum sta, & eis ex corde crede.* Deinde præfatus dominus Eduens. episcop. ad finem prædictum, videl. ad informandum conscientiam domini regis, & ad præstandum consilium super petitis duntaxat, & non ad finem ordinandi iudicii seu responsionis faciẽdæ, per quã sentẽtia, ordinatio vel statutum, aut quiuis alius processus sequi potuisset, vel ius aliquod personæ cuiq; acquiri, ad singulos articulos sic respondit, & diuisit articulos traditos in tres partes, quia quidam articuli tangebant iura ecclesiæ perpetua, & quæ pertinebant ad ecclesiam de iure & consuetudine, & de eis ecclesia iuste vtebatur, quos erant parati defendere, sicut B. Thomas Cantuariens. episcopus, cuius festum erat illa die, iura ecclesiæ defenderat. Secunda pars articulorum continebat abusus & errores, si veri essent, & illos nullomodo volebant defendere, imo prouidere ne talia fierent & corrigere, si quæ talia facta erant. Tertia pars continebat aliqua, quæ poterant esse iusta, & aliqua iniusta, quantum ad iusta, respondit vt de contentis in prima parte, quantum ad iniusta, vt de contentis in secunda. Omnes articuli contenti in prima parte, signati in margine per a. articuli contenti in secunda parte per b. articuli contenti in tertia per c. Deinde respondit singulariter ad singulos, prout sequitur. Et primo ad primum articulum qui loquitur de cognitione actionum realium personalium, mixtarum, & interdictorum, dicit dominus Episc. Eduens. quod cum de iure sit probatum superius in generali responsione talium cognitionẽ illius ad ecclesiam pertinere de iure, & posse pertinere de consuetudine, maxime in actionibus personalibus de iure licet de abusu consuetudinario aliquando dicantur realles, quod in his ecclesia maxime illę, quæ de consuetudine hoc habent, nullam iniuriam regi vel dominis temporalibus faciebant. Et ad probandum istam responsionem, allegauit *63. d. c. Valentinianus 11. q. 1. quicunq. in autem, vt differ. iudicii* §. *si tamen col. 9. ext. de iudi. c. nouit. 22. di. c. 1. 11. q. 1. relatum, 2. q. 1. Si quis presbyter. 1. di. consuetudo*, induxit etiam ad hoc probandum priuilegia & libertates, confirmationes, & plures alias B. Ludouici & omnium aliorum regum prædecessorũ istius. Ad secundum articulum, qui loquitur de clericis turbantibus possessiones laicorum, & de causa nouitatis, dicit episcopus prædictus, quod vbi clericus impedimentum apponit vel violentiam, laicus est actor, & clericus est reus, & cum de iure & consuetudine actor teneatur sequi forum rei, non est irrationabile, maxime in ecclesiis, quæ de cõsuetudine hoc habent, si de talibus ecclesia cognitionem habeat. Alias enim sequeretur, quod iudices seculares pro voluntate sua haberent cognitionem clericorum pro eo, quod dicerent hoc vel illud esse casum nouitatis. Maxime quia in talibus impedimentis vel violentiis habent locum interdicta, quę sunt personalia de iure, licet in rẽ videantur concepta, *ff. de interdictis l. vlt.* quæ sunt personalia de iure, quod superius est probatum. Et ad probandum prædicta allegauit prædictus episcopus *extr. de fo. compe. si clericus 24. quæst. 3. Item quis.* Et alia iura supradicta de consuetudine loquentia.

Ad tertiũ, qui loquitur de actionib. personalibus inter duos laicos vel inter clericũ actorẽ & laicũ reũ: dicit idẽ Episc. q̃ de iure & consuetudine notoriis cognitio taliũ actionũ p̃sonalium pertinet ad ecclesiam, secũdum quod superius est probatum, quare dicebat nulli super hoc iniuriam fieri, maxime

me ratione peccati, quod committitur in retinendo illud, quod tenetur quis ad soluendum vel restituendum. Et ad hoc probandum induxit iura supra allegata, & *de fo. compe. cum sit generale.*

Ad quartum, qui loquitur de laicis iniuriam inferentibus in rebus hæreditariis clericorum, dicit quod tam de iure communi, quam consuetudine, clericus potest quoscunque iniuriam sibi inferentes in hæreditate sua coram iudice ecclesiastico conuenire, quia in hoc committitur sacrilegium, cuius ad ecclesiam duntaxat debet cognitio pertinere. Et ad hoc probandum induxit *24. q. 3. si quis de potentibus*, & alia iura, quæ superius tam de consuetudine, quam de iure fuerunt allegata.

Ad quintum, qui loquitur de contractibus initis coram iudice seculari, dicit quod cum talium contractuum petitiones sint personales de iure, maxime vbi est transgressio iuramenti, vel fides mentita, de quibus ecclesia solum habet cognoscere, nulla fit iniuria. Et licet ibi non esset iuramenti vel fidei transgressio, adhuc ratione personalitatis potest ad ecclesiam cognitio pertinere, & ad hanc responsionem probandam allegauit iura superius in articulis præcedentibus allegata.

Ad sextum, qui loquitur de conciliis prouincialibus & statutis synodalibus, dicit idem episcopus, quod pro sanctis & iustis tanquam sancti patres instituerunt ea teneri, & quod prælati nihil statuant ibi, quod temporalitatem tangat, nisi quatenus commissarum sibi animarum tangit salutem, & iura & libertates ecclesiarum esse seruandas, & hoc eis licitum esse facere, & ad hoc probandum inducit in *autenticis, de sancti. episcoporum* §. *vt autem col. 9. in decretis 18. distinct. per totum.*

Ad septimum, qui loquitur de contractibus recipiendis per notarios ecclesiasticos in terris secularium, dicit quod tam de ratione naturali, quam de iure præscripto in terris Dominorum temporalium ecclesia habebat iurisdictionem suam spiritualem, sicut Dominus temporalis suam temporalem. Nulli infertur iniuria, si notarii tales recipiant contractus illorum, qui volunt se in foro ecclesiæ obligare, & hoc est pro communi & publica vtilitate, quia multi magis eligunt vinculum ecclesiæ quam vinculum temporale, & ante dimitterent contractus facere, sine quibus viuere non possent, quam se supponerent curiæ seculari, maxime de consuetudine notariorum est & fuit semper obseruatum, & ad hoc probandum allegauit idem Episcopus, *extra de off. or. cum episcopus l. 6. ff. de off. proconsulis l. 2.*

Ad octauum, qui loquitur de officialibus, qui crimina imponunt laicis, vt se redimant &c. dicit idem, quod nullus prælatus, si sciret talia facere suum officialem, aliqualiter sustineret, nisi esset de maleficiis, quorum cognitio ad ecclesiam pertinet & correctio de consuetudine vel de iure, & etiam in casibus, vbi recredentia fieri non deberet, & si quis esset, qui in speciali vellet conqueri super istis, erant parati, veritate prius inquisita, prout iustitia esset, facere emendam & apponere remedium opportunum.

Ad nonum, qui loquitur de officialibus, qui inquirunt super maleficiis & ab innocentibus volunt habere expensas & emendas: & expensas reddere nolunt, si succumbant in causa, dicit Episcopus quod si prælati scirent ista per officiales fieri, secundum quod in articulo proponuntur, nollent ista sustinere: sed vbi illi, contra quos proceditur, petunt copiam processuum sibi fieri, tenetur petens eam soluere, aut si super imposito sibi maleficio condamnetur, debet expensas restituere promotori. Si vero per iudicem absoluatur, & promotor malitiose & per fraudem hoc falsе suggesserit contra ipsum, debent ei expensæ restitui, sed vbi mere ex officio proceditur, siue per famam publicam siue ad denuntiationem alicuius vel alias secundum quod licitum est de iure, Iudex in hoc casu expensas cuiquam restituere non tenetur.

Ad 10. qui loquitur de sententiis excommunicationis, quæ dantur pro sola vna citatione, dicit idem episcopus, quod nullo modo sententia excommunicationis debet fieri, nisi citatio vel monitio præcesserit sufficienter. Sed sæpe contingit, quod propter periculum animarum aut corporum, aut quia est causa fauorabilis, vel ꝓpter alias causas iustas, quæ cõtinentur in iure, fit vna citatio peremptoria, quæ valet tres, & tunc propter talem defectum poterit licite sententia excõmunicationis ferri.

Ad 11. qui loquitur de obligationibus *de nisi*, dicit quod est secundum formam iuris, & pro communi vtilitate statutum, nec sequitur ex hoc inconueniens, maxime quia in talibus nunquam fertur vel ferri debet sententia, nisi prius sufficientem terminum adhuc de consensu contrahentium assignatum, & ad hoc probandum induxit *c. præterea. de appell.*

Ad 12. qui loquitur de monitionibus, quæ fiunt contra iudices seculares ad compellendum excommunicatos per captionem honorum &c. dixit præfatus Episcopus, quod cum ecclesia suo brachio spirituali contra tales procedendo fecit ꝗ potuit, tunc habet recurrere ad brachium seculare, & hoc de iure diuino & humano conceditur. Et si propter malitiam vel negligentiã Dominus temporalis omittat factæ sup hoc monitioni parere, & talem excommunicatũ compellere, propter ꝗ contingat debitorem amittere debitum, in quo excommunicatus tenebatur eidẽ, non est inconueniens, si sufficienti monitione præuia per sententiam excommunicationis ꝓceditur contra eum, & si de dãnis illatis nunꝗ mereatur absolui, faciat satisfactionem competentem & condignam, in talibus enim de iure diuino & humano brachium temporale spirituali debet obedire, maxime vbi quis in excommunicatione persistit vltra annum, de quo in statuto beati Ludouici mentio fit expressa.

Ad 13. qui loquitur de expensis, quas faciunt iudices seculares veniendo ad excusandum se coram iudicibus ecclesiasticis super compulsione excommunicatorum: dicit, quod postquam

de iure & consuetudine tenentur in hoc iudices seculares iudici ecclesiastico obedire, debent cum expensis propriis ad excusandum se venire. Sed si talis monitio malitiose vel indebite ad suggestionem alicuius fuerit impetrata, talis suggerens ad restitutionem expensarum tenetur. Expensæ vero, quæ fuerunt in excommunicatione contra excommunicatum factæ, per prædictos iudices seculares excommunicatus ipse debet ad restitutionem compelli.

Ad 14. qui loquitur de appellationibus, quæ fiunt in curiis laicorum ad ecclesiasticos iudices, dicit idem episcopus, quod si in curia temporali prælatorum vel subditorum suorum fiat processus, aut detur iudicium temporale, & super huiusmodi processu aut iudicio appellatio ordinaria aut ratione falsi iudicii vel alias sequeretur, debet talis appellatio remitti ad examen sui iudicis temporalis, scilicet si laicus non per viam iurisdictionis ordinariæ: sed quia magis eligit ecclesiasticam curiam, quam temporalem, sicut de iure & consuetudine licitum eis existit, tunc nullum inconueniens sequeretur, si officialis, ad quem veniret talis cognitio, tanquam officialis & iudex ordinarius cognitionem haberet, & sic in Remensis, Laudanensis, ac in multis aliis regni Franciæ ecclesiis obseruatur, & probari posset per aliqua iura superius allegata.

Ad 15. qui loquitur de arrestis, quæ fiunt in villis, quæ vtuntur lege, dicit quod si talia fierent, sicut in articulo continetur, nisi de consuetudine aliqua ecclesiæ hoc haberent, quæ consuetudo est obseruanda, maxime vbi tale fieret sub aliquo conductu curiæ & sine fraude, & quod arrestatus non esset alicuius prælati clericus, nollent ea sustinere, ideo &c.

Ad 16. qui loquitur de illis, qui dicuntur præpositi clericorum, dicit quod tam de ratione quam de iure & consuetudine quilibet prælatus in quacunque parte suæ diœcesis potest habere officiales suos, & alias personas ad iurisdictionem ecclesiasticam exercendam, siue sit in citationibus, siue in captionibus personarum ecclesiasticarum, vel cognitione causarum, quæ ad forum ecclesiæ pertinent, & potest talibus illam, quæ sibi videtur, concedere potestatem, quare si tales iuxta commissionem sibi factam citationes faciant, aut personas ecclesiasticas capiant delinquentes, siue cognitionem causarum assumant, seu aliis quocunque modo ecclesiasticam iurisdictionem exercent, nulla fit iniuria. Quilibet enim Dominus temporalis vbicunque in terra sua potest habere gentes & iustitiarios suos, & eadem ratione & spiritualis iudex. Sed si tales commissarii abusi fuerint in aliquo, seu etiam abutantur, parati erunt prælati tales abusus corrigere, & apponere remedium opportunum, vel si alicubi sit talium commissariorum nimia multitudo, ipsi de sufficienti numero prouidebunt. Cæterum si tales commissarii iuxta potestatem sibi commissam arrestauerint in casu licito de iure bona mobilia clericorum, nullus laicus habet super hoc materiam conquerendi, nam bona mobilia sequuntur possidentem personam tam de consuetudine quam de iure, & hoc etiam in statutis regni Franciæ continetur.

Ad 17. & 18. est responsum, quia spiritualis iurisdictio clericorum & bonorum suorum mobilium in quacunque parte diœcesis pertinet ad prælatos. Et ad ista probanda inducit *4. Reg. 7c.* vbi dicitur quod Samuel Iudex Israel ibat & circuibat Bethel, & Galgala, & Malphat, & adhuc etiam inducit *extra de off. ordi. cum episcopus.*

Ad 19. qui loquitur de assecuramento, quod petitur in curia ecclesiastica, dicit dictus episcopus, quod tam de iure quam de consuetudine clericus potest malefactorem suum vel illum, à quo verisimiliter dubitat sibi iniuriam irrogari, coram ecclesiastico iudice conuenire, quia si per laicum committeretur maleficium in personam clerici, ecclesia tanquam de sacrilegio cognosceret super maleficio memorato, ergo faciliori ratione potest etiam prouidere dando assecuramenta, ne talia maleficia committantur, specialiter in ecclesiis, vbi hoc de consuetudine speciali habetur. Si autem hoc esset inter duos laicos, debet consuetudo seruari, quæ etiam in hoc concordat cum iure communi, per quod ecclesiastici iudices debent pacem apponere & peccata vitare, quia melius est peccanti ante temporis occurrere, quam culpam post vindictam vindicare. Et ad hoc probandum inducit iura superius allegata & *extra de treuga & pace, per totum.*

Ad 20. qui loquitur de inuentariis, quæ fiunt de bonis laicorum, dicit tam de iure sanctorum patrum, quam imperatorum & regum, quilibet prælatus in sua diœcesi est executor legitimus testamentorum, maxime elapso termino expresso in iure. Vnde si contigerit, quod executio testamenti venerit ad prelatum, non est inconueniens, si ex quo ad eum pertinet principale, pertineat accessoriũ siue sit in inuentariis, siue in aliis faciendis, specialiter in locis, vbi de consuetudine obseruatur, alias enim posset minime fieri executio testamenti, ad ista vero probanda inducit *C. de sacrosanct. eccle. l. 1.* & melius *C. de episcopis & cle. l. nulli in autem de eccle. ti. §. si quis autem col. 9. extra de testamentis c. tua & c. nos quidem & c. Iohannes. C. de fide commissa autem amplius hæc,* cum aliis.

Ad 21. qui loquitur de hypothecariis actionibus, dicit idem episcopus, quod si hypothecaria procedat ex contractibus, vbi sit iuramenti vel fidei interpositio: & inde fiat directe positio siue petitio super re obligata, talis petitio plus est personalis, quam realis: & in hoc casu nulla fiet iniuria. Quantum autem ad hypothecarias, quæ sunt reales, debet consuetudo seruari, quod si nulla fuerit consuetudo super hoc, dicebat dictus episcopus, ius scriptum esse in talibus sequendum. Et ad hoc probandum allegauit *C. de præscript. 30. vel 40. annorum, l. cum notissimi, extra. de iureiurando si vero.*

Ad vicesimum secundum, qui loquitur de personis Hospitalium, dicit quod si tales personæ sint perpetuo donatæ Hospitali seu domorum eius, huiusmodi quidem factæ sunt de foro ecclesiæ

clesiæ,& talium cognitio pertinet ad prælatos. De aliis vero, qui non essent talis conditionis, nisi ius, priuilegium, vel consuetudo aliud daret ecclesiis, prælatos de hoc se velle minime intromittere asserebat idem episcopus.

Ad 23. qui loquitur de tonsuris dandis indignis: dicit quod quanto plures sunt digni in Dei seruitio constituti, tanto melius potest diuinum seruitium celebrari. Et bene cauebunt Domini Prælati Deo ducente, quod non conferent personis insufficientibus & indignis. Nullus enim Prælatus bonæ conscientiæ faceret ea, quæ in dicto articulo continentur, & vere super huiusmodi tonsuris conferendis, Domini temporales plures & inopportunas requestas prælatis facere consueuerunt.

Ad 24. qui loquitur de viduis, pupillis & intestatis, dicit idem episcopus, quod de iure diuino & humano gardia talium personarum quantum ad violentias & saisinas pertinet ad ecclesiam: & sic de consuetudine obseruatur in ecclesiis Gallicanis quantum ad bona intestatorum & pupillorum: dicit quod in ecclesiis, vbi esset consuetudo super hoc specialis, debet eadem consuetudo seruari: vbi autem non esset, quantum tangit petitoriam cognitionem, ecclesia nolebat se intromittere, nisi hoc haberet ex priuilegio vel consuetudine speciali. Et ad hoc inducit *24. q. 3. c. si quis de potentibus, extra de foro compe. ex tenore & c. ex parte.*

Ad 25. qui loquitur de impositionibus, quas officiales faciunt laicis super fide: dicit quod hoc est irrationabile, si alicui tale crimen imponeretur malitiose, prout in articulo continetur, sed vbi aliquis habetur suspectus super articulis fidei, ad ecclesiam in hoc casu debet cognitio pertinere: & per consequens propter inquestam & alios processus faciendos oportet iudicem ecclesiasticum de persona saisitum esse: & lata sententia contra eam expediri brachio seculari, quare in his nulla iniuria irrogatur, maxime in locis, vbi sic consuetudine obseruatur à tanto tempore, quod in contrarium hominum memoria non existit.

Ad 26. qui loquitur de officialibus currentibus: dicit quod prælati possunt habere in quacunque parte diœcesis tam de ratione quam de iure scripto & consuetudine officiales suos, secundum quod superius est ostensum, quare nulli fit iniuria.

Ad 27. qui loquitur de pœnis pecuniariis, quas officiales in suis monitionibus apponunt: dicit quod licitum est eis tales pœnas apponere tam de consuetudine quam de iure: quia ex quo licet sententiam excommunicationis apponere, quæ est maior, licet apponere pœnam pecuniariam, quæ est minor. Item ex quo tali iudici ecclesiastico subditi existunt, & sic est eorum ordinarius, iudex ipse potest in tali casu eis apponere pecuniariam vel aliam secundum quod sibi videbitur expedire. Et ad hoc, ius diuinum & humanum concordant. Ad hoc probandum allegauit *de pœnis c. licet de officio cum c. dilectus 23. q. 5. c. si nos 22. q. 4. c. quisquis, & si quis mat.* Deus etiam infligebat pœnas tales aliquando *Leuit. 3. 4. & 5. c. Exod. 23. c.* si quis furatus fuerit, ad hoc facit *23. q. 5. prodest.*

Ad 28. qui loquitur de laicis, qui vocantur ex officio ad ferendum testimonium, & non soluuntur eis expensæ: dicit quod tales quotiescunque vocantur ad ferendum testimonium, tenentur venire: alias non possunt excommunicari de iure: quia veritatem celare esset peccatum mortale, eis tamen debent expensæ tradi saluis consuetudinibus specialibus, vbi proceditur contra suspectos in fide, vel in aliis casibus specialibus, vel nisi aliquod ius consuetudo conferret.

Ad 29. qui loquitur de rebus furatis clerico: dicit quod cum ad ecclesiam solum pertineat cognoscere de criminalibus, laici non possunt nec debent se intromittere de rebus furatis: quia ei pertinet accessorium, cui & principale, sic enim laici haberent indirecte cognitionem clericorum, & multi possent fingere notorium, quod non esset. Et ad hoc probandum inducit *extra de dote post diuortium restitu. c. de prudentia, extra de regulis iuris. causa principalis li. 6.* cum aliis.

Ad 30. qui loquitur de clericis non coniugatis captis in habitu laicali: dicit quod tales pro eo, quod non deferunt tonsuram vel habitum clericis congruentem, non amittunt priuilegium clericale, vnde si sit notorium iudici ecclesiastico talem esse clericum, vel fama sit publica super hoc, idem iudex sine cuiuscunque iniuria potest ad restitutionem talis clerici iustitiam compellere secularem, sed si dubium esset talem clericum esse vel non, & captus fuerit in habitu laicali, ad ecclesiam cognitio, & detentio ad iudicem secularem, secundum quod iura dicunt, *extra de senten. excom. si iudex laicus lib. 6. C. de fabric. l. fi. c. de aqueduc. l. vlt.*

Ad 31. qui loquitur de clericis captis per laicos, & redditis officialibus, quæ sine punitione expediuntur: dicit, quod male fieret, si maleficia eis imposita notoria essent, aut etiam probarentur, sed communiter accidit, quod cum laici accipiunt quendam clericum, licet non sit eis licitum de iure, postquam ipsum iudici ecclesiastico reddiderunt, cum de nullo maleficio dictum iudicem ecclesiasticum informabunt: propter quod cum causam rationalem detentionis non receperit iudex non possit eum in bona conscientia detinere.

Ad 32. qui loquitur de monitionibus, quæ dantur contra spoliantes & iuramenta, quæ exiguntur: dicit idem episcopus, quod tales monitiones non conceduntur communiter per iudices ecclesiasticos, nisi super factis notoriis, vel in casu, vbi illi contra quos tales monitiones dantur, essent super aliquo crimine diffamati, vnde quotiens iudices memorati aut eorum commissarii talibus sic diffamatis iniungunt, quod satisfaciant aut veniant se per iuramentum suum coram

eis

eis super impositis sibi maleficiis purgaturi: & ipsi non obediunt iudicibus, aut eorum commissariis in prædictis, nec allegant causam rationabilem, quare ad hoc minime teneantur, tales sunt de iure conuicti, quare nulla fit iniuria, maxime quia causa spoliationis probata violata debet iuramento actoris super deperditis fides plena adhiberi.

Ad 33. qui loquitur de captionibus clericorum, dicit, sicut ad tricesimum superius iam dictum.

Ad 34. qui loquitur de clericis malefacientibus, quos officiales prælatorum de facili expediunt pro pœnis pecuniariis: dicit quod hoc esset irrationabile, vbi maleficium esset notorium vel manifestum, & tale vel tantum propter quod perpetua pœna ei deberet imponi, si pro pœna pecuniaria tale crimen transiret, sed nullum est inconueniens, si pro causa iusta dicti officiales pœnam corporalem in pecuniariam conuertant: quia hoc etiam volunt iura tam canonica quam ciuilia.

Ad 35. qui loquitur de clericis coniugatis, dicit quod si clericus coniugatus deferat tonsuram & vestes clericales, & in tali habitu capiatur per iudicem secularem: cum de iure & consuetudine notoriis tales clerici quantum ad delicta sint de foro ecclesiæ: officiales prædicti nullam faciunt iniuriam Dominis temporalibus, si compellant eos per sententias excommunicationis vel alias ad desistendum à cognitione talium delictorum, quia quocunque modo delinquatur, cognitio pertinet ad prælatos: & laici offendunt exactionem seu pœnam etiam pecuniariam à talibus exigendo. De illis autem clericis non coniugatis dicit idem episcopus, quod in nullo casu cognitio eorum pertinet ad laicos, secundum quod iura declarant, salua consuetudine speciali in pluribus ecclesiis regni Franciæ exante.

Ad 36. qui loquitur de assecuramentis laicorum & inhibitione quam faciunt officiales pendente citatione assecuramenti; dicit quod si tale fieret ad requestam laici contra laicum, maxime vbi ecclesia hoc haberet de consuetudine speciali, nulla fieret iniuria, si ecclesia prohiberet sub pœna excommunicationis, nec pendente citatione faceret eum coram alio iudice conueniri: quia posset aliis magnum scandalum oriri.

Ad 37. qui loquitur de citationibus, quæ fiunt contra participantes cum excommunicatis: dicit quod non erat intentionis prælatorum, quod ea quæ continentur in articulo, debet, prout sunt proposita, sustineri, nec credunt, quod officiales eo modo procedant, maxime quia aliqui prælati in suis diœcesibus statuta ediderunt, per quæ talia fieri prohibentur. Et alii, qui salubriter nondum fecerunt, erant super his parati pro tempore prouidere, cum bene debet de iure participatio cum excommunicatis absque tamen populi grauamine per iudices ecclesiasticos puniri & prohiberi, ideo &c.

Ad 38. qui loquitur de impositionibus, quas faciunt officiales laicis super vsurariis; dicit quod si in his officiales eorum alias, quam secundum formam iuris, procederent, vel pro exactione iniusta talibus exigenda, maxime vbi persona contra quam proceditur, non esset diffamata, nullus prælatus vellet quoquo modo talia sustinere. Et si quis in speciali vellet conqueri super istis, ipsi erunt parati, quod actum esset facere iuste & debite emendari.

Ad 39. qui loquitur de adulteriis, quæ laicis per officiales imponuntur: dicit quod nunquam talia faciunt, prout loquitur articulus memoratus, neque fieri debent talia, nisi super factis notoriis vel manifestis, aut vbi tales, contra quos proceditur, essent publice diffamati, seu in aliis casibus à iure permissis, & nihilominus parati erant prælati præcipere suis, quod alias in talibus nullo modo procedant.

Ad 40. qui loquitur de multitudine procuratorum & de abusionibus, quas faciunt, dicit quantum ad multitudinem quod quilibet prælatus in sua diœcesi debite prouidebit, quantum ad abusus dicit, quod nullo modo tales abusus fieri permittent: quin imo illi, qui abusi fuerunt, cum ad eorum notitiam peruenerit, iuste punient, secundum quod alias ad eorum quemlibet pertinebit.

Ad 41. qui loquitur de abusibus religiosorum in citationibus: dicit quod valde displicet prælatis, si religiosi prædicti faciunt aliquid indebitum vel iniustum, & quod libenter apponerent remedium in subditis suis quilibet, prout ad eum pertinebit.

Ad 42. qui loquitur de vxoribus clericorum coniugatorum: dicit dictus episcopus, quod in locis, vbi de consuetudine speciali vxor clerici esset de foro ecclesiæ, quia etiam ad hoc ius imperatoris concordat, nulla fieret iniuria, si cognitionem ipsarum mulierum ecclesia retinet, quantum ad cognitionem iniuriarum inter laicos, quia emendæ iniuriarum petuntur per viam actionis personalis, vt in 3. articul. superius est responsum, & ad præmissa probanda inducit *ff. de iurisdictio. iud. l. penult.* *C. de interdictis l. vlt. §. ad inimici l. ca. qua C. de epi. & cle. l. 1. ideo* &c.

Ad 43. qui loquitur de viduis trahentibus debitores suos ad curiam secularem: dicit, quod prælati non intendebant sustinere dictum articulum, prout iacet, nisi de consuetudine speciali aut priuilegio fuisset aliquibus ecclesiis ius illud acquisitum,

Ad 44. qui loquitur de appellationibus volagiis, dicit sicut in 14. articulo.

Ad 45. qui loquitur de captis in delicto clericis & laicis: dicit, quod si sint laici, qui capiantur in tali delicto, tales appellationes, de quibus ibi fit mentio, non essent per ecclesiam admittendæ, nisi de con-

de consuetudine vel de priuilegio aliquibus ecclesiis esset in hoc aliquod ius acquisitum. Sed si in delicto huiusmodi clericus caperetur per iustitiam secularem, quia de hoc ad nullum potest præter ad ecclesiam captio pertinere, officiales possunt imo debent procedere contra iustitiam secularem, alias perderetur priuilegium ecclesiasticum, nec possunt etiam tales captiones fieri absque sententia excommunicationis à canone propter hoc incurrenda.

Ad 46. qui loquitur de impositionibus, quas officiales faciunt laicis super vsuris & arrestis corporum, dicit præfatus episcopus, quod si talia fierent, prout in articulo proponuntur, male fierent, & prælatis displiceret. Et si esset qui in speciali vellet eos informare super his, erant parati male acta facere corrigi & emendari, quantum ad eos pertineret. Sed vbi laicus esset super vsura diffamatus publice, officialis potest & debet ad inquisitionem contra talem procedere. Et si requisitus coram dicto officiali contumaciter neglexerit ad opposita respondere, potest officialis, donec sufficienter responderit, per arrestum corporis procedere contra ipsum. Sed post responsionem factam debet fieri recredentia corporis: nisi alia causa subsit rationalis, quare deberet vlterius detineri.

Ad 47. qui loquitur de captionibus clericorum in terris Baronum: dicit Dominus episcopus, quod de iure diuino & humano licitum est prælatis & eorum iudicibus capere clericos vbique, quia, secundum quod dictum est superius, non est dare locū, vbi non sit iurisdictio spiritualis, sicut temporalis, vnde talis captio clericorum, quæ est spiritualis & de foro ecclesiastico potest & debet fieri per iudicem ecclesiasticum, & non per alium quemcunque. Et nisi ita fieret, quod capi possent clerici per iudices ecclesiasticos vbique, sæpissime delicta clericorum remanerent impunita: cum per laicos non possint capi absque sententia excommunicationis à canone incurrenda propter hoc.

Ad 48. qui loquitur de laicis capientibus clericos, qui excommunicantur: dicit, quod nulli Domino vel iudici seculari licitum est in quocunque casu clericos capere, quare si tales capientes clericos declararentur per iudices ecclesiasticos sententiam excommunicationis incurrisse, nulla fit iniuria. Et contra illos specialiter dicebat Dominus Episcopus, grauius esse procedendum, qui clericos & presbyteros capiunt indifferenter malitiose ac in Dei & ecclesiæ contumeliam & contemptum.

Ad 49. qui loquitur de tonsuris, quæ conferuntur indignis: dicit quod si ita fieret, sicut in articulo continetur, non esset vtique sustinendum, nec aliquis prælatus vellet facere, quæ proponuntur ibidem. Tamen in quacunque ætate potest prælatus personis literatis, omni fraude & impedimento canonico cessantibus, tonsuras conferre. Sed illi, qui hunc articulum fecerunt, deberent prælatum, qui talia facit, nominatim exprimere: & ipse de facto proprio responderet eisdem. Et si qui forsan hoc fecissent (quod absit) non deberet imponi omnibus prælatis.

Ad 50. qui loquitur de pœnis pecuniariis, quæ exiguntur ab excommunicatis: dicit quod cum sententia excommunicationis feratur propter peccatum mortale, oportet quod excommunicato, si petat absolui, iniungatur pœnitentia & pœna pro peccato, quia non remittitur peccatum, nisi Deo & ecclesiæ fiat satisfactio condigna, vnde antequam absolui mereatur talis excommunicatus, debet satisfacere pœna corporali aut pecuniaria. Et hoc in foro pœnitentiæ obseruatur specialiter, quia in quibusdam locis sunt emendæ taxatæ, & in aliis sunt emendæ arbitrariæ, ideo &c.

Ad 51. qui loquitur de hæreditagiis contentiosis positis ad manum laicorum propter debitum partium: dixit quod si duo ad inuicem contendentes essent laici, & fieret sine fraude, & non pro impediendo iurisdictionem ecclesiasticam, prælati non prosequerentur articulum supradictum, nisi de consuetudine vel priuilegio aliqua ecclesiæ hoc haberent, & vbi essent ambo clerici, aut alter eorum, vt superius est responsum.

Ad 52. qui loquitur de iniuriis & grauaminibus illatis gentibus regiis per officiales episcoporum: dicit dictus episcopus, quod prælati nullo modo permitterent, quod per officiales suos gentibus regiis damnum laborum vel expensarum, aut aliud incommodum inferretur. Nec est verisimile, quod sint vera, quæ in dicto articulo proponuntur: quia semper prælati habēt in suis agibilibus ad regios officiarios recursum, tamen si aliquis vellet in speciali aliquid super hoc declarare, parati erant prælati corrigere mala acta &c. & iniuriam passis emendam facere fieri.

Ad 53. qui loquitur de hæreditagiis clericorum positis propter debitum in manu iudicis secularis: dicit quod hæreditagia clericorum sine causa rationabili aut malitiose, aut impediendo iurisdictionem ecclesiasticam ponuntur in manibus iudicis secularis, specialiter quando fit per violentiam & de facto sine causæ cognitione aut alias in casu personalitatis: nulla fit iniuria Dominis temporalibus, si ecclesia super hoc se intromittat. Nam alias laici omnem iurisdictionem clericorum haberent, quia vbi non possent clericos compellere, ipsi procederent ad captionem bonorum: & sic quantum ad hoc periret priuilegium ecclesiasticum.

Ad 54. qui loquitur de neganda sepultura vsurariis: dicit quod de iure, vsurario manifesto debet denegari ecclesiastica sepultura, quare nullam faciunt iniuriam officiales prædicti prælatorum talibus sepulturam denegando, maxime donec fuerit restitutum vel cautio data sufficiens de re-

de restituendo illo, quod per tale pactum per eos fuerat acquisitum, sed si pro exactione duntaxat falsè imponerent alicui tale crimen, & propter hoc interdicerent ei ecclesiasticam sepulturam: prælati nullo modo ista fieri permitterent, si ad eorum notitiam perueniret, nec est inconueniens, vbi aliquis vsurarius manifestus decedit, si ecclesiæ teneatur satisfacere ratione peccati manifeste commissi.

Ad 55. qui loquitur de reconciliatione cimiteriorum facienda: dicit dictus episcopus, quod prælati ad reconciliationem cimiteriorum faciendam cum expensis propriis non tenentur, & vltra hoc possunt emendam exigere ratione violentiæ in cimiterio commissæ, quare si decem libras exigunt vel vltra, quantum ascendunt eorum expensæ, non debet pro iniuria reputari. Sed ille, qui commisit violentiam, si habet vnde possit de prædictis satisfacere, nedum ad emendam, sed etiam ad expensarum restitutionem & satisfactionem tenetur.

Ad 56. qui loquitur de priuilegiatis, quod possunt eligere iudices & abusus eorum &c. dicit quod si tales, quibus talia priuilegia sunt indulta, eisdem priuilegiis, vt proponitur in articulo, abutantur, prælati nollent eos excusare, imo eis displicerent, & non immerito, tales abusus.

Ad 57. qui loquitur, quando laicus citat clericum super causa hæreditatis coram iudice seculari: dicit quod super actione personali vel mixta aut super interdicto, quod in parte personale extitit, clericus fuerit coram iudice seculari vocatus, non debet coram eo respondere, vbi autem actio esset mere realis, de iure deberet super hoc cuiuslibet ecclesiæ consuetudo seruari, & vbi consuetudo non esset, deberet ius scriptum in talibus imitari.

Ad 58. qui loquitur de coniugatis clericis mercatoribus: dicit quod nisi talis actio vel petitio veniat ex maleficio vel delicto, prælati nollent in talium cognitione laicum turbare: nisi aliquibus ecclesiis ex consuetudine, priuilegio, seu compositione ius aliquod fuerit acquisitum.

Ad 59. qui loquitur de interdicto apponendo in terra Domini Regis: dicit Dominus episcopus, quod priuilegia Domini Regis omnes prælati vellent integraliter seruare, nec vellent aliquid facere contra ea: supplicantes eidem Domino nostro Regi, quod placeret ei eisdem prælatis, dum erant ad inuicem, dicta priuilegia ostendere: ita quod super his possent certitudinaliter respondere.

Ad 60. qui loquitur de Balliuis & Præpositis prælatorum, qui sunt clerici: dicit quod hoc licitum est prælatis tam de ratione quam de iure, & cedit ad vtilitatem iustitiæ: quia iura vel Iuristæ melius possunt iustitiam & sciunt tenere, quam laici, qui literas non nouerunt, hoc etiam eis sæpe ex necessitate incumbit, quia non inueniunt seculares ad hoc sufficientes, qui velint eorum officia assumere: aliquotiens propter timorem Dominorum temporalium, & aliquotiens propter alias causas.

Ad 61. qui loquitur de monitionibus, quæ fiunt contra participantes cum excommunicatis in operibus faciendis: dicit hoc possunt & debent facere de iure: cum participare scienter cum excommunicato sit peccatum mortale, maxime post monitionem super hoc sibi factam, & hoc est vnus modus participandi, videlicet operari, & cum excommunicato negotiari.

Ad 62. qui loquitur de illis, qui citantur propter participationem: dicit quod si talis citatio ad instantiam partis fuerit impetrata, & pars illa non possit contra tales citatos participationem probare: impetrator tenetur ad restitutionem expensarum huiusmodi citatorum, præter ea nunquam talis citatio conceditur, nisi talis citatus primo in generali, secundo in speciali fuerit monitus competenter, ne cum tali excommunicato scienter participare auderet, & cum hoc officiales nunquam contra tantam personarum multitudinem tales citationes concedunt, nisi videant ex hoc grande periculum animarum imminere, aut scandalum maximum exoriri, & vbi contra aliquos reperitur, quod sumpta monitione eis facta super hoc & contra mandatum ecclesiæ cum tali excommunicato participare curauerunt seu etiam præsumpserunt, bene tenentur de iure ad satisfactionem Deo & ecclesiæ, quos propter suam contumaciam offenderant, aut in pœna pecuniaria, aut in pœna corporali.

Ad 63. qui loquitur de officialibus qui faciunt iurare aduocatos, ne dent consilium contra curiam, dicit episcopus, quod si sic fieret, merito prælatis displiceret: cum deberent officiales vnicuique consilium præstare in curia sua litiganti, nec credunt quod aliquis Iudex spiritualis faceret hoc, quod continet articulus supradictus: nisi de familiari aut pensionario proprio, vel alio, qui teneretur eidem iudici ratione fidelitatis aut iuramenti præstare consueti pro aliquo honore aut alia iusta causa: adhuc tamen vbi litigans consilium non haberet, debet ei curia prouidere.

Ad 64. & 65. qui loquuntur de executoribus & inuentariis bonorum testatoris & intestatoris dicit, quod tam de iure scripto quam de consuetudine speciali prælati sunt executores legitimi testamentorum, vnde si executio venerit ad prælatum: nulli facit iniuriam, bona inter hæredes distribuendo, & de eis inuentaria faciendo. Et hoc idem dicit de bonis intestatorum maxime in locis vbi sic de consuetudine extitit obseruatum à tanto tempore, quod in contrarium memoria non existit.

Ad vltimum, qui loquitur de approbationibus testamentorum, dicit idem episcopus, quod quando

quando in pręsentia alicuius notarii curię archidiaconi vel alterius minoris iudicis ordinarii ciuitatis aliquod conditur testamentũ. quia multotiẽs, tales notarii non sunt magnæ auctoritatis: vel si per aliquem notarium curiæ secularis recipiatur huiusmodi testamentum, habet consuetudo specialis plurium ecclesiarum regni Franciæ, & hoc etiam iura dicunt, quod donec talia testamenta coram iudice principali & ordinario illius diœcesis fuerint approbata vel publicata, non adhibetur ei fides, neque debet aliqualiter adhiberi. Et si alias hoc fieret, esset in maximum populi detrimentum: quia possent in talibus multæ falsitates committi. Quibus responsionibus sic factis per dictum episcopum fuit petitum ex parte Domini Regis, quod præfatæ responsiones, prout dictæ fuerunt & propositæ, verbotenus inscriptis redigerentur & traderentur. Super quibus petitis, prælati ad inuicem diligenter habuerunt deliberationem, & tandem deliberauerunt inter se tradere loco responsionum prædictarum Domino regi scedulam infra scriptam in Gallico, licet sit in Latino translata, cuius tenor sequitur in hæc verba Latine.

Supplicant Regiæ Maiestati prælati præsentes Parisiis, se aliquo iudicio minime submittendo, quod placeat ei iura, libertates, priuilegia canonica, consuetudines & saisinas, quæ & quas ecclesiæ Gallicanæ habent & habuerunt temporibus retroactis, eis defendere & seruare, specialiter super cognitionem actionum personalium & realium mixtarum, nec non & interdictorum maxime inter laicos. Item super cognitione clericorum, quando per laicos aliqua fit eis petitio, aut quando clerici super violentia in bonis illorum illata per laicos conqueritur. Item super cognitione contractuum initorum coram iudice seculari. Item quod non impediantur, quin eorum notarii contractus recipere valeant in quacunque parte suarum diœcesum. Item quod non impediantur super inuentariis faciendis de bonis defunctorum, quorum de iure vel consuetudine vel compositione executores existunt. Item quod non impediantur super cognitione hypothecarum, quam habent de iure vel consuetudine. Item quod non impediantur super cognitione viduarum & pupillorum, & super bonis intestatorum, quantum ad eos pertinet de consuetudine vel de iure. Item quod non impediantur in quacunque parte diœcesis suæ, quin possint habere suos officiales & eorum clericos capere, & ab ipsis clericis nec non à laicis emendas pecuniarias exigere debitas de cõsuetudine vel de iure. Item quod non impediantur super cognitione rerum futurarum à personis ecclesiasticis. Item quod tam super captione quam super cognitione clericorum non coniugatorum eorum iura & consuetudines obseruentur, & confirmentur eisdem, quia vobis manifeste ostenderunt, quod hæc debent fieri de iure diuino & humano. Item significant Regiæ Maiestati, quod super abusibus, quos aliqui conquerentes imponunt officialibus & gentibus suis, dicendo quod ipsi abutuntur eis imponendo crimina, vt redimant eos, & emendas ac expensas ab innocentibus exigendo, proferendoque sententias excommunicationis pro vna sola citatione non peremptoria præcedente, ac super eo quod propositum fuerit contra ipsos prælatos, quod ipsi conferebant tonsuras indignis, & dicti eorum officiales imponunt malitiose laicis pro extorsione pecuniarum inde ab eis exigendarum, quod ipsi sunt circa fidem suspecti, quodque clericos super maleficiis accusatos & eis redditos per iudicem secularem dimittunt impunitos. Item quod labores & expensas multis irrationabiliter conferunt prætextu participationum cum excommunicatis. Item quod laicis malitiose vsuras imponunt, vt redimant eos, & coniugatis tam viris quam mulieribus quod adulteria commiserunt. Item super abusibus, quos facere dicuntur procuratores eorum, & super abusibus quos religiosi faciunt in multis ciuitatibus. Item super iniuriis & grauaminibus, quos aliqui vt dicitur, faciunt ratione priuilegiorum eis indultorum. Item super eo, ꝙ dicitur, quod litigantes in curia ecclesiastica contra officium non reperiunt aduocatos: nec non super omnibus aliis in quibus eorum officiales negligentes inuenirentur abusi fuisse vel conuicti tam in prædictis quam aliis: quæ si scirent, non permitterent vllo modo, ipsi sunt parati corrigere & facere corrigi & emendari pro futuris temporibus tam per statuta synodalia & prouincialia, quam per alia quæ poterunt bona remedia salubriter prouidere.

Super aliis vero articulis supplicant dicti prælati, quatenus iura ecclesiæ, siue sint de iure aut per priuilegium seu compositionem vel consuetudinem acquisita, placeat Domino Regi seruare & defendere ac etiã confirmare, vbi autem in dictis articulis essent aliqua contra ius, priuilegium, consuetudinem vel compositionem, ipsi prælati nollent ea aliqualiter sustinere.

Supplicantes eidem Domino Regi, vt pro Dei honore in statu, in quo sui boni prædecessores tenuerunt ecclesiam, ipse eam teneat & defendat, nec ei faciat aliquam nouitatem. Et placeat ei proclamationes & inhibitiones factas, scilicet quod nullus laicus trahat alium laicum coram iudice ecclesiastico reuocare: quia hoc esset omnia ecclesiarum iura tollere.

Et licet in aliquibus locis pro tollenda eorum malitia in talibus proclamationibus seu inhibitionibus verba, quæ sequuntur, apponant: videlicet quod laicus non trahat alium laicum coram ecclesia super casibus pertinentibus ad iudices seculares seu temporales, hoc est propter iura ecclesiæ vsurpanda: quia multa pertinent ad forum laicorum, quæ nihilominus pertinent ad ecclesiasticum. Et sic ius & consuetudo tollerentur, per quæ in electione laici est, quod possit alios laicos in foro ecclesiæ conuenire. Item quia tales proclamationes seu inhibitiones factæ licet etiam essent bene generales, dant occasionem omnimode iurisdictionem ecclesiasticam perturbandi, vnde re-

ges Franciæ quondam semper prohibuerunt tales proclamationes seu inhibitiones fieri & factas penitus faciebant reuocari, & ad nihilum reduci.

Post hæc die veneris sequenti apud Vicenas venerunt prælati coram Domino Rege ad audiendum responsionem suam, vbi Dominus Petrus de Cugneriis prædictus proposuit pro Domino Rege sic dicendo, *Pax vobis, ego sum, nolite timere*, & prosecutus est, qualiter prælati non essent turbati de aliquibus, quæ essent dicta: quia intentio Domini Regis erat seruare iura ecclesiæ & prælatorum, quæ habebant tam de iure quam consuetudine bona & rationabili: & interseruit inter primam conclusionem & vltimam, & probare voluit quod causarum ciuilium non poterat ad ecclesiam cognitio pertinere: quia talia erant temporalia, quæ debent pertinere ad temporales, & spiritualia ad spirituales. Et vltra rationes, quas alias proposuit, allegauit *96. d. cum ad verum* allegauit etiam, quod propter hoc clericis radebantur capita in signum, vt temporalia abiicerent. Et allegauit ad hoc *12. q. 2. duo sunt genera*.

Item dicebat, quod de iure habebant prælati cognitionem in certis casibus in iure expressis. Vnde isti casus faciebant regulam contra eos. Ad hoc allegauit *de regulis iuris c. 1. ff. de lega. 1. l. Titia textoris*.

Item dicebat, quod ratione peccati non poterat ad eos pertinere, quia decret. *Nouit*, loquebatur de facto regis Franciæ, qui superiorem non habet, sed in aliis dicebat secus. Tum istis allegatis dixit & conclusit, quod Dominus Rex paratus erat audire informationem eorum, qui vellent eum super aliquibus consuetudinibus informare, & illas consuetudines, de quibus esset informatus, quæ essent bonæ & rationales, faceret obseruari. Qua responsione audita, cum non videretur sufficere prælatis, statim dictus Episcopus Eduensis respondit pro prælatis in modum, qui sequitur: Primo commendans bonam responsionem generalem, dixit sic: *Laudabitur princeps populi in prudentia sermonis sui*, Ecclesi. 9. c. Et circa hoc commendauit quantum ad bonam & generalem responsionem Domini Regis propositum & sermonem prolatum. Quantum vero ad illa, quæ Dominus Petrus dixit, quæ pariebant obscuritatem, & poterant dare materiam aliis Dominis temporalibus impediendi iura & consuetudines ecclesiæ, & quia non erat clara responsio, vt videbatur prælatis: Dixit sic dictus Dominus Episcopus, *Dixit mater ad filium: fili quid fecisti nobis sic?* Et prosecutus est admiratiue loquendo & curialiter conquerendo de responsione facta, & postea respondit ad ea quæ dixerat Dominus Petrus de Cugneriis. Primo ad *c. cum ad verum*, dixit quod superius est responsum de distinctione ista temporalium, quia possunt esse in eodem subiecto, vt superius probatum est. Nec obstat, quod dicebat idem Dominus Petrus, quod non possunt esse in eodem subiecto, quia ea quæ sunt diuersa & sunt sub eodem genere, vt homo & asinus, non possunt esse in eodem subiecto: sed si essent sub diuersis generibus, vt albedo dulcedo in lacte, bene possunt esse in eodem. Respondebatur, quod hoc dictum non erat verum, quia iustitia & temperantia sunt duæ diuersæ virtutes & sub eodem genere sunt, & tamen sunt in eodem subiecto. Præterea istæ species diuisæ, homo & asinus, non se compatiuntur in aliquo, sed aliæ de quibus agitur sic.

Item ad illud, quod dicebatur de rasura capitis, quod ibi sunt corona & rasura: corona designat excellentiam & Dominium, & rasura significat quod non debent thesaurizare in temporalibus, ibi cor applicando: sed temporalia debent sibi subiici, non ipsi temporalibus, vt in dicto *c. duo sunt genera*, innuitur & probatur.

Item ad illud, quod dicebatur de regula: respondebat dictus episcopus, quod regula est pro ecclesia, vt supra per iura probatum est.

Item consuetudo facit regulam pro ecclesia.

Item iura semper excipiunt in quocunq; delicto consuetudinẽ, quare non obstat dictum suũ.

Item ad illud, quod dicebat de decretali *nouit*, respondebat dictus Episcopus, quod licet in dicta decretali *nouit*, casus fuerit in persona regis; tamen ibi expresse dicitur in textu idem de quolibet Christiano. Et lex, licet loquitur ibi papa, idem tamen est in aliis episcopis in diœcesibus suis, *63. distinct. Valentinianus*. Quare conclusit dictus episcopus, quod placeret Domino Regi magis claram & magis consolatiuam dare responsionem prælatis, ne ab ipsius præsentia recederent cõtristati, & ne daretur laicis materia iura & consuetudines ecclesiæ impugnare: quia de ipsius Domini Regis bona conscientia nullatenus dubitabant. Et tunc fuit hoc responsum ex parte Domini regis, quod non erat intentionis suæ consuetudines ecclesiæ, de quibus sibi constaret, impugnare.

Postmodum die Dominica sequenti iterato venerunt prælati ad Dominum Regem apud Vicenas: & proposuit Dominus Senonensis vltimam suppositionem factam per prælatos: & vltimam responsionem factam pro parte Domini Regis. Quod cum Dominus Bituricensis significasset prælatis, Dominum Regem dixisse, quod non timerent prælati, quia nihil suo tempore perderent, & q defenderet eos in suis iuribus & consuetudinibus: quia nolebat tempore suo exemplum dare aliis ecclesiam impugnandi. Quæ verba asseruit ibidem se dixisse: de quibus verbis idem Dominus Senonensis nomine prælatorum regratiatus est Domino Regi. Secundo dixit idem Dominus Senonensis, quod quædam præconizationes factæ erant in præiudicium iurisdictionis ecclesiasticæ, quas supplicabant reuocari. Tunc Dominus Rex respondit ore proprio, quod non erant factæ de suo mandato, nec aliquid sciebat, nec eas ratas habebat. Tertio dixit, quod de aliquibus abusibus, de quibus temporales erant conquesti, taliter ordinauerant prælati, quod Dominus Rex & cæteri, merito deberent contentari. Quarto supplicauit sibi, quod vellet eos consolari de be-

de benigna sua responsione clariori. Tunc respondit dictus Dominus Petrus pro Domino Rege, quod placebat regi, si prælati emendarent ea, quæ essent emendanda & corrigenda: & quod Dominus Rex expectaret vsque ad festum Natiuitatis Domini proximum venturum, infra quem terminum nihil innouaret. Et si infra dictum terminum prælati non emendassent emendanda, vel correxissent corrigenda: Dominus Rex apponeret tale remedium, quod esset gratum Deo & populo. Et sic prælati receperunt licentiam à Domino Rege & recesserunt.

[Sic re aliquandiu vltro citroque agitata, cum Episcopi & Prælati se suo solito more reformarent, ita nempe, vt specie ac verbis iniuriarum quandam alleuiationem simularent, re autem ipsa eas potius augerent & aggrauarent quam diminuerent: demum Rex seueram quandam legem fert, qua talem Prælatorum audaciam & tyrannidem cohibet, seque ac suos in libertatem asserit.]

Explicit quidem libellus de iurisdictione ecclesiastica, factus per Dominum Petrum Bertrandi, & in consilio conuenientibus prælatis regni Franciæ verbotenus in Gallico per ipsum deputatum ex parte ipsorum prælatorum recitatus.

MARSILII DE PADVA, PHILOSOPHI ET CONSILIARI CÆSAREI,

TRACTATVS

DE IVRISDICTIONE IMPERATORIS IN CAVSIS MATRIMONIALIBVS, EDITVS NOMINE ET AVCTORITATE IMP. LVDOVICI IV. BAVARIÆ DVCIS, &c. cum eiusdem Decretis super sententia separationis & dispensationis matrimoniorum &c.

FORMA DIVORTII MATRIMONIALIS INTER ILLVSTRES, VOCATOS CONIVGES, Iohannem videlicet filium Regis Bohemiæ, & Margaretam Ducissam Karinthiæ, celebrati per Dominum LVDOVICVM QVARTVM Dei gratia Rom. Imp.

NOS LVDOVICVS QVARTVS, Dei gratia Romanorum Imperator, Augustus, vniuersis Christi fidelibus, quorum interest, vel interesse poterit in futurum, manifestum esse volumus & facimus per præsentes: Quod in iudicio coram nobis per se seu per certos nuncios suos seu procuratores exposuit Illustris Margareta Ducissa Karinthiæ & Tyrolis comitissa: quod vir nobilis Iohannes Regis Bohemiæ filius iamdudum sibi matrimonio copulatus, & postmodum in ætate debita constitutus, ac per tanta temporum spacia secum habitans, quanta sufficiunt ac sufficere debent, secundum statuta tam diuinæ quam humanæ legis, ad debitum carnalis copulæ per virum siue maritum suæ vxori reddendum, eadem Margaretha in ætate sufficienti similiter constituta, & seipsam vt conueniens fuerat præbente & exhibente ad præfatam copulam carnalem explendam, non potuit dictus Iohannes neque valuit, sicuti neque valet, aut potest, nec vnquam posse creditur in futurum, eandem carnaliter cognoscere sibi coniugem Margaretam; quemadmodum multis & quasi omnibus possibilibus modis hoc tentans, eundem Iohannem impotentem & omnino inhabilem ad opus præfatum se dicit expertam: ac aduersus

eundem Iohannem, sibiq; præfatum defectum inexistere, coram nobis in iudicio se redditam per experimenta sufficientia & testimonia qualibet ad hoc necessaria probaturam. Quare super hoc habito maturo & deliberato consilio suorum procerum & consiliariorum omnium, nostram clementiam atque iustitiam vna cum præfatis implorauit & requisiuit instanter, vt eidem super hoc prouidere de conuenienti remedio dignaremur: & taliter etiam, quod per Ius siue sententiam nostram licite posset à supradicto Iohanne, iam vocato marito siue coniuge suo, de matrimonio separari, propter casum siue impedimentum prædictum, & ab eodem Iohanne totaliter sic absolui, vt eidem de cætero ad nullum matrimonii debitum teneretur, sed posset de se ipsa & suis omnibus ordinare, secundum quod sibi expediens videretur. Nos vero, cuius debitum est omnibus ac singulis reddere iustum, ex officio & auctoritate qua fungimur, præfatam Margaretham cum præfatis suis omnibus iustitiam instantissime requirentibus & supplicantibus, nobis dignum duximus exaudire; & nihilominus absque offensa iuris præfati Iohannis iam vocati coniugis sui, si ius aliquod in contrarium habuisset, ad expeditionem seu terminationem litis præmissæ inter vocatos coniuges præfatos processimus, in hac forma videlicet: quod vocatos coniuges præfatos citari fecimus atque vocauimus in iudicio coram nobis, assignantes eisdem secundum formam iuris debitum atq; tutum locum, & temporis spacium, infra quod possent & deberent in iudicio coram comparere, ad agendum & defensandum, & cætera faciendum, quæ necessaria forent pro inquirenda veritate super lite præfata. Verum & Margaretha iam dicta per se, seu per suos certos nuncios siue procuratores, sufficienter comparuit in iudicio coram nobis per omnes terminos sibi assignatos, & cum omnibus probationibus & testimoniis sufficientibus, ad conuincendum sæpe dictum Iohannem impotentem esse atq; priuatum naturali potentia ipsam carnaliter cognoscendi, aut quamuis aliã mulierem, seipsam quoque virginem vsque in tempus & diem datæ præsentis rescripti, per sufficientia testimonia demonstrauit. Supradictus vero Iohannes in præfatum iudiciũ coram nobis, impositi sibi defectus per præfatam Margaretham verisimiliter conscius, nec per se, nec per aliquem legitimum nuncium siue procuratorẽ comparuit tempore debito siue statuto, nec quicquam in contrarium impositi sibi defectus per Margaretham præfatam per se vel per alium allegauit: sed contumax ex natura se conuictum reddidit, atq; confessum de his omnibus quæ sibi per prædictã Margaretam fuerant tam imposita quam probata, sufficientia quidem ad matrimonii diuortiũ inter ipsam & præfatum Iohannem per sententiam consummandum. Nec potest, nec vnquam cum veritate poterit sæpedictus Iohannes, aut quiuis alter pro ipso, iudicem vel locum comparendi per nos sibi assignatum allegare suspectum. Nam hactenus retroactis temporibus tam Iohanni regi Bohemiæ patri suo, quam etiam Karolo de Bohemia fratri suo, pluries & locis pluribus nostræ coactiuæ potestati subiectis, fidum ac tutum placitandi nobiscum assignauimus locum: in quo personaliter affuerunt, & cum omni tranquillitate manserunt, ac inde absque molestia qualibet secundũ ipsorũ beneplacitum recesserunt. Quod & antedicto Iohanni benigne offerri fecimus, & acceptare contempsit, vt supra iam diximus. Per auctoritatem ergo nobis rite debitam & concessam, & legi diuinæ conformiter sicuti certum est, & asserunt sacræ scripturæ siue leges diuinæ, atque ciuiles sententiæ sufficientes, ac comprobati Doctores, ad diuortium siue separationem matrimonii faciendam inter vocatos coniuges Iohannem & Margaretam prædictos procedere volentes atque debentes, infrascriptam sententiam tulimus in hæc verba: Nos Ludouicus quartus Dei gratia Romanorum Imperator, Augustus, pro tribunali iudice sedentes, in causa siue lite diuortii seu separationis matrimonii, quæ vertebatur inter Illustres personas Iohannem Regis Bohemiæ filium, requisitum parte ex vna, & Margaretham Ducissam Karinthiæ & Tyrolis Comitissam, ex altera parte, tãquam actricem, ac requirentem à dicto Iohanne iam vocato coniuge suo de matrimonio separari: Visis & intellectis tam per nos quam præfatos Doctores iuribus, rationibus, probationibus & testimoniis Margarethæ præfata, nec non contumacia iam dicti Iohannis, dicimus, diffinimus & determinamus, præfatam Margaretham separari debere seu posse de matrimonio à sæpedicto Iohanne, & ẽ conuerso, cum eisdem vel ipsorum alteri id videbitur expedire. Ipsam quoque Margaretham hoc requirentem instanter, vt supra, separamus, absoluimus, & separatam esse iudicamus in matrimonio à iam dicto Iohanne per hanc nostram sententiam diffinitiuam. Simili quoq; modo supradictum Iohannem à præfata Margaretha in matrimonio per auctoritatem & per nostram sententiam diffinitiuam separantes: ita videlicet, quod de cætero præfatus Iohannes supradictæ Margaretæ in nullo matrimonii debito teneatur, neque similiter præfata Margareta supradicto Iohanni: sed liberum sit vtrique de corpore proprio siue persona, & omnibus bonis propriis, iuribus ac rebus, tam mobilibus quam immobilibus facere vel disponere, & quodlibet ordinare pro suæ propriæ libito voluntatis.

FORMA

FORMA DISPENSATIONIS SVPER AFFINITATE CONSANGVINITATIS INTER ILLVSTRES, LVDOVICVM MARchionem Brandenburg. & Margaretam Ducissam Karinthiæ: nec non legitimationis liberorum eorundem procreandorum, factæ per Dn. LVDOVICVM QVARTVM, Dei gratia Rom. Imp.

NOs LVDOVICVS QVARTVS, Dei gratia Romanorum Imperator, Augustus, vniuersis Christi fidelibus, quorum interest aut poterit interesse, notum esse volumus & facimus per seriem infra scriptã: Quod in nostra præsentia personaliter constituti Illustres Ludouicus Marchio Brandenburgensis, & Margarita Ducissa Karinthiæ ac Tirolis Comitissa, post habitum ipsorum maturam ac deliberatũ consilium animum atq; actualem voluntatem habentes se inuicem in matrimonio legitime copulandi: dubitante tamen præfato Ludouico & Margareta, ne gradu aliquo affinitatis sanguinis tale coniugium siue matrimonium humanarum legum aut Romanorum principum statuto, decreto, vel ordinatione alia, quomodolibet appellata, impedimentũ aliquod pateretur: supplicarunt ac petiuerunt instanter, tale impedimentum consanguinitatis, si quod inter ipsos affuerit vel adesset, per dispensationem nostram relaxari, ac per nostram auctoritatem atq; sententiam totaliter amoueri. Nos vero propter communem & euidentem Reipublicæ vtilitatem manifeste visam sequi ad coniugiũ supradictum, præfatum impedimentum affinitatis sanguinis, si quod inter ipsos adesset, iudicamus esse tollendum, & simpliciter amouendum. Cum gradus affinitatis sanguinis, præsertim infra sorores & fratres, matrimonium non impediat diuina seu Christianæ legis statuto aliquo vel præcepto; quemadmodum certitudinaliter nouimus tam per nos, quam per supradictæ legis diuinæ idoneos ac probatos Doctores. Idq; etiam asserente beato Augustino lib. 15. de ciuit. Dei, cap. 16. dum de talibus affinitatis sanguinis gradibus tractans inquit; Quod hoc videlicet matrimonium licitum fieri inter affines consanguineos, nec lex diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana. Quibus siquidem verbis duas sententias expreßit Augustinus: vnam videlicet supradictam, Quod lege diuina legitimum matrimonium fieri non est prohibitum inter personas sanguinis affinitate coniunctas. Secundam vero sententiam scire fecit, videlicet quod talis prohibitio matrimonii inter consanguineos fieri habeat auctoritate legislatoris humani, aut eius principantis, supremi principis Romanorum. Idem quoq; concedere atq; fateri conuenit Romanum episcopũ, Papam vocatum, cum suorum clericorum cœtu, quos Cardinales appellant, veritate cogente. Nã præfatus Papa Romanus super impedimento affinitatis sanguinis per dispensationem tollendo à sanguinis affinitate coniunctis, inuicemq; matrimonium contrahentibus, ad suam auctoritatem asserit pertinere: ac in talibus matrimoniis pluries dispensauerunt de facto præteriti quidam Pontifices Romanorum. Quod si talis gradus affinitatis sanguinis matrimonium legitimum impediret legis diuinæ seu Christianæ præceptio, non poßet aliquis hominum, quinimo neq; angelus de cœlo, dictum impedimentum per dispensationem aliquo modo amouere. Hoc Christo testante: Facilius est cœlum & terram transire, quam vnum apicem à lege cadere. Rursusq; idem Dominus dixit: Cœlum & terra transibunt, verba autem mea permanebunt in æternum. Ex quibus quidem manifeste apparet, ac fateri cogitur Romanus Episcopus, & per factum confirmatur ipsius, quod gradus affinitatis sanguinis non impediat matrimonium fieri legis diuinæ seu Christianæ præcepto: & quod si gradus affinitatis sanguinis quanquam licitum matrimonium impediat fieri, hoc totum factum esset præcepto siue statuto legis humanæ: de cuius siquidem legis præceptis siue statutis dispensare solummodo pertinet ad auctoritatem Imperatoris seu principis Romanorum. Nec obstat dicere, præfata matrimonia eße prohibita lege diuina, eo quod mali moris sunt, & propterea etiam peccata mortalia fore prohibita, ac proinde obligantia contrahentes ad damnationem æternam: & contrariam dispensationem in his ad ministrum solummodo ecclesiasticum, episcopum siue presbyterum pertinere. Hic enim sermo rhetoricus siue apparens Sophisticus est: falsum namq; recipit: quoniam præfata matrimonia non sunt mali moris, præsertim in aliquo casu. Nam & ipsa tanquam in casu licita fieri concedit Romanus Episcopus. Nec etiam rursus mali moris sunt absolute loquendo: quoniam non sunt cum malitia conuoluta confestim, veluti furtum & crimina reliqua: & propterea nec sunt lege diuina prohibita, quemadmodum dixit beatus Augustinus. Non syllogisatur autem neq; concluditur propterea, dispensationem de talibus ad Episcopum quenquam siue presbyterum pertinere: esto quod sint absolute prohibita lege diuina, & sub pœna damnationis æternæ. Quoniam de sic prohibitis nullus hominum, quinimo angelus de cœlo dispensare posset, vel ordinare, siue concedere quod licite fierent, vt deductum est supra. Vnde etiam iuxta prædicta de præceptis sacræ scripturæ siue mãdatis loquens Apostolus inquit: Et si angelus de cœlo euangelizaret vobis aliud præter id, id est, contra id, quod euangelizatũ est à nobis, anathema sit. Nec propter aliud, nisi quod euangelizata erãt per apostolum diuina prohibita vel præcepta. Rursus quoniam præfata matrimonia non fuerunt mali moris, neq; prohibita secundum veterem legem, quamuis aliquando peccata fiant siue fuerunt in antiqua lege, non quod sunt absolute siue confestim cum malitia conuoluta, neq; mali moris, sed solummodo quia lege prohibita fuerant: veluti carnes porcinas, & bestias non ruminantes comedere, quod ideo peccatum effectum est, quia prohibitum fuerat in lege Mosaica; non tamen propter malum aut mali moris ex se, quemadmodum furtum, homicidium, falsum testimoniũ, & huiusmodi reliqua, quæ prohibita sunt legibus diuinis & humanis, eo quod ex se mala sunt, & mali moris, confestim cum malitia conuoluta. Ex his igitur omnibus iam prædictis manifeste apparet, cuilibet non corrupto ignorantia vel malitia, vel vtraq;, auctoritatem dispensandi atq; tollendi à matrimonio impedimentum inter personas & à personis sanguinis affinitate cõiunctis, ad Romanũ principem pertinere. Propter quod Nos Ludouicus quartus Romanorũ Imperator, Augustus præfatum affinitatis sanguinis impedimentum, si quod esset inter præfatos Ludouicũ & Margaretam, quo minus possent aut prohiberentur per humana legis aut Romanorũ principum statuta, siue decreta, vel

alias ordinationes quomodolibet appellatas, in matrimonio copulari, tollimus, & per nostram [illegible] sententiam tenore præsentium totaliter amouemus. Concedentes eisdem ac cuilibet ipsorum, vt absq; offensa cuiuslibet iuris humani, statuti vel ordinationis alterius quomodolibet nominatæ, licite se possint ac valeãt in matrimonio copulare. Absoluentes etiam eosdem, ipsorumq; legitimos filios, & filias, ac hæredes, nunc & in perpetuum à pœna qualibet reali, personali, & infamia, & alia quauis quomodolibet nominata, si qua foret imposita contrahentibus matrimonium infra consanguinitatis gradus aliquos nominatos per quemquam Principem Romanum etiam, vel per leges, aut communitatem aliquam, collegium vel singularem personam, cuiuscumq; auctoritatis vel dignitatis existant. Quibus omnibus & singulis, & à quibus excipimus casum prædictum, de præfatis videlicet personis, Ludouicum & Margaretham iam dictos. Et in quantum huic nostro rescripto siue dispositioni, concessioni nostræ contradicunt totaliter aut in parte, per hoc ipsum præsens nostrum rescriptum derogamus & volumus derogari, [illegible] nihilominus semper in suo robore duraturo.

INCIPIT TRACTATVS CONSVLTATIONIS PER MARSILIVM DE [illegible] *ditus, super diuortio matrimonii inter Illustres vocatos coniuges, Iohannem videlicet filium Regis Bohemiæ, & Margaretham Ducissam Karinthiæ, celebrato per Dominum Ludouicum quartum, Dei gratia Rom. Imp.*

AD ampliorem euidentiam tam dictorum, quam & dicendorum, ad redarguendum [illegible] voces, & obstruendas fauces malignorum detractorum quorundam, nunc forte [illegible] dicere volentium in futurum, nos in præsenti negotio siue iudicio processisse [illegible] modo & non de iure: cum iudicium de matrimonii diuortio faciendo spirituale sit, & [illegible] auctoritatem nostram minime pertineat, quemadmodũ dicunt Episcopi quidam siue [illegible] suis sequacibus, minus vere; idq; à paucis retro temporibus prædicauerunt, & per quasdã verborum fallacias hoc credere fecerunt plurimos simplices Christi fideles. Ad tollendũ etiam scrupulum conscientiæ ab huiusmodi fraude deceptorũ, atq; zizaniam de cordibus hominum per iam dictos veritatis præuaricatores, ac Romanorum principum persecutores infestos, & Imperialium iurium vsurpatores manifestos: vndiq; seminatas præfatorum Doctorum sententias sub breuiloquio, quantum possunt, huic rescripto non inutiliter duximus inserendas.

Dicunt ergo & scribunt seriosius in suis tractatibus iam dicti Doctores, quod Christi fideles reguntur & viuunt sub duplici lege, diuina videlicet & humana. Lex autem proprie sumpta præceptũ coactiuum est de fiendis aut omittendis humanis actibus, sub pœna transgressoribus infligenda. Verum lex diuina est coactiuũ præceptum à Deo factum immediate, absq; humana deliberatione, propter finem in futuro seculo consequendum, & sub pœna transgressoribus infligenda in eodem tantũ modo, non præsenti. Sed lex humana voluntate seu deliberatione procedens, propter finem immediate in hoc seculo consequendum, & sub pœna in eodem solum modo transgressoribus infligenda. Iuxta quæ oportet attendere, quod secundum vtramq; iam dictarum legum sunt quædam affirmatiue præcepta, de fiendis videlicet: quædam vero negatiue, de omittendis scilicet non fiendis, vocata *prohibita*. Sunt & quædam permissa fieri & non fieri, quæ sub præcepto affirmatiue vel negatiue non cadunt, & in lege diuina quædam vocata *consilia*. Et sunt iam dicta permissa generaliora præceptis: quoniam omne præceptum est permissum fieri, sed econtra non semper. Similiter quoq; prohibitũ fieri, permissum est non fieri: quamuis non in omnibus econtra. Simile quoq; intelligendum secundum legem humanam in affirmatiuis præceptis, permissis & prohibitis: quamuis differant sub pœnis, quoniam secundum legem diuinam præcepta & prohibita obligant transgressores ad pœnam æternam: secundum humanam vero ad pœnam temporalem.

Est rursum aduertendum, quod secundum vtramque iam dictarum legum, nomina præcepti & prohibiti duas intentiones siue significationes habere possunt, vnam videlicet, quod nomine præcepti siue prohibiti intelligatur actus præcipiendi siue præceptio à præcipiente procedens, quasi actiue sumta. Reliquo vero modo, vt intelligatur per prædicta nomina non actus præcipiendi eius qui præcipit vel imperat, sed potius actus aut opus cui aliquid præcipitur seu imperatur, quasi passiue: quomodo dicitur ex vsu, *Seruum fecisse præceptum Domini*, cum id egit aut agere omisit, quod sibi per dominum suum præcipiebatur fieri vel omitti, verbi gratia, vt equum parare, vinum propinare, ac reliqua seruitia talia. Et isto modo significat siue sonat præceptum siue prohibitum idem quod imperatum, non imperium siue actum præcipiendi sumtum actiue, quoniam hunc non facit seruus, in quantum seruus, sed solum modo Dominus.

Amplius est etiam attendendum, quod præcepta tam affirmatiua quam negatiua, atque permissa vocata consilia, secundum legem diuinam *spiritualia* sunt essentialiter atq; dicuntur. Primum quidẽ quoniam à Spiritu sancto immediate tradita & instituta sunt quemadmodũ dicit B. Ambrosius super Apostolũ post. ad Cor. ca. 9. *Spiritualia*, inquit, *sunt lex euangelica & verbum Dei.* Et sunt etiam fortasse spiritualia, gratiæ siue dona Spiritus sancti, quæ fiunt & perueniunt in animabus Christi fideliũ à verbis Euangelicis supradictis. Secundo vero dicuntur etiã diuina præcepta *spiritualia* viuificando, quoniam ad viuificandum spiritum siue animam humanam data sunt. Sane & propter beatitudinem æternam tradita & statuta fuerunt illa, quæ dicuntur præcepta & prohibita legis diuinæ actiue sumta. Alia vero spiritualia quædam non sunt essentialiter, sed à quibusdam *spiritualium* vocabulum sumserunt, propterea quod ad prædicta spiritualia exercenda vel ministranda seruiunt, & sunt per homines ordinata; quẽadmodum personæ siue corpora sacerdotum. Sic etiam domus vocatur *Ecclesia*, secundum quandam Ecclesiæ significationem. Sic quoque vestes, vasa, libri, & instrumenta quæ-

quædam alia ordinata per homines propter cultum diuinum. Sic etiã ieiunia, eleemosynæ, ac reliqui quidam actus & hominum opera de diuinis siue spiritualibus, & circa vel propter spiritualia, quibus inexistunt, veluti paramenta spiritualia dicta sunt. De quibus omnibus, quoniam nota, omittuntur exempla propter abbreuiationem sermonis. Proportionaliter quoque secundum legem humanam sunt præcepta, prohibita, & permissa actiue sumpta, & alia similiter imperata, quæ omnia dicuntur *temporalia*; propterea quod ab homine tradita sunt, & immediate statuta. Et rursus propter vitam huius seculi temporalem vocatam, quæ tempore clauditur & finitur, talia statuta sunt & fuerunt.

Insuper attendere conuenit, quod quamuis præcepta & prohibita & consilia secundum legem diuinam actiue sumpta, differant à præceptis secundum legem humanam; quoniam ab alio legislatore, & ad alium finem, & sub aliis pœnis, temporibus & modis eas transgressoribus, inferendi, statuta & ordinata sunt talia: tamen personæ cum suis actibus, imperatis, & operibus, quibus præcipitur siue imperatur per legem vtramque, in omnibus, quasi vel saltem in pluribus, eadẽ esse possunt & sunt. Verbi gratia, Furtum non fieri, vel homicidium & rapinam, vel fraudem, aut falsum testimonium, & similia reliqua, quæ præcipit tam diuina quã humana lex non esse fienda. Similiter quoque in cæteris præceptis, vt mutuum restituere, atque depositum. Rursus quod eædem esse possunt personæ, & earum consimiles actus, quibus & de quibus tam temporalia, quam circa spiritualia præcipit vtraq; lex. Nam circa temporalia & de temporalibus tam per sacerdotes, episcopos, siue presbyteros, diaconos, & alios spirituales ministros, & similiter per non sacerdotes, vocatos seculares aut laicos, potest aliquid fieri vel omitti licitum aut illicitum, secundum præcepta vel cõtra tam diuinæ quam humanæ legis; & iuste corrigenda seu punienda tam in statu præsentis seculi, quam futuri, per pœnam videl. transgressores arcendo, qualia sunt crimina quæ pridem in exemplis adducta sunt. Sic etiam de spiritualibus, & circa spiritualia quomodolibet appellata, potest licitum aliquid per prædictas personas & actus ipsarum, & illicitum similiter fieri vel omitti; veluti hæreses parere, siue actus illicitos docere, & bruta quędam baptisare, dæmonibus satisfacere, quemadmodum faciunt quidam scelerati sortilegi: alia quoque crimina committere, vt vasa, libros, vestes & reliqua choralia instrumenta cultui diuino deseruientia rapere vel furari, & reliqua similia huiusmodi iuste in hoc seculo & futuro punienda per pœnam realem aut personalem, secundum legem vtramque diuinam videlicet & humanam, quamuis differenter & differentibus pœnis, ac iudice, loco, & tempore, quemadmodum dictum est, & infra seriosè dicitur.

Est adhuc etiam aduertendum, quod si præcipit lex diuina fiendum vel omittendum aliquid, quod fieri vel omitti non præcipit lex humana, sed potius oppositum præcipiat vel permittat; debet seruari legis diuinæ præceptum, humana lege vel eius opposito præcepto vel permisso contempto siue dimisso; quoniam præceptum legis diuinæ infallibilem continet veritatem, humanæ vero legis non sic. Rursum quoniam diuinum obligat transgressorem ad pœnam æternam: humanum vero ad temporalem siue finitam, & minus ab homine fugiendam.

Est amplius attendendum, quod vtraq; iam dictarum legum habet proprium & diuersum immediatum legislatorem & iudicem, vt dictum est supra. Et rursus quoniam duplex est Iudex: vnus quidem doctor solummodo, & fortassis etiam de aliquibus operatur, sicuti fidelis est, secundum quãlibet disciplinam, quomodo etiam scripsit famosus ille philosophus Aristoteles nominatus: *Quod vnusquisq; est bonus iudex eorum quæ nouit, & hoc bene iudicat: veluti medicus de sanis & agris.* Alius vero Iudex est *Principans* proprie vocatus, cui tradita auctoritas & data coactiua potestas transgressores legum per pœnas arcendi. Et est hic siquidem iudex secundum legem humanam, de quo dixit Aposto. *Quod non sine causa gladium portat*, id est coactiuam & armatam potestatem habet: *quoniam minister Dei est, vindex in iram ei qui malum agit*: esto etiam quod humanarum legum doctor non existat. Secundum enim diuinam Iudex est coactiuus, de quo Apostolus dicit B. Iacobus in Canonica sua, *vnus est legislator & iudex, qui potest perdere & liberare.*

His itaq; suppositis, tanquam veris & notis, dixerunt & scripserunt in suis tractatibus præfati Doctores, quod secundum legem diuinam legislator & iudex coactiuus secundum ipsam est Christus, sicut per beatum dictum est supra. Ipse enim tulit legem diuinam, seu Nouum Testam. per os tam Apostolorum quam aliorum sanctorum quorundam. Vnde Apost. *An experimentum eius quæritis, qui loquitur in me Christus?* & B. Petrus in sua Canonica dicit: *Non ab humano spiritu allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Hic autem legislator statuit secundum hãc legem transgressores iudicari, & per pœnas arceri in futuro seculo tantummodo, non in isto. Vnde scriptura: *Cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, &c.* quod erit in futuro seculo, sicut manifeste sonat scriptura, & exponunt omnes expositores eiusdẽ. Sunt rursus iudices alii secundum legem diuinã, quos nihil prohibet esse plures in statu præsentis seculi, vocati *Doctores*, & secundum ipsam quorundam actuum siue operum ministri atq; factores, nullam coactiuam auctoritatem vel potestatem habentes à Christo seu lege diuina, arcendi quenquam in hoc seculo, ad aliquid agendum vel omittendum, per pœnam aliquam realem. Vnde Christus Marci vltimo tales iudices vocauit Doctores, dum ipsis in Apostolorum persona dixit: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptisantes eos*, & per Malach. prophetam: *Labia sacerdotis custodiunt scripturam, & legem requirent ex ore eius.* Et sunt hi iudices, episcopi, siue sacerdotes, vocati *doctores*. Carent autem præfati iudices, & carere debent auctoritate & potestate coactiua, per quamcunque pœnam arcendi, sicut dictum est pridem: quoniam tali auctoritate Christus in hoc seculo carere voluit in persona propria, in quantum

homo, cùm dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo*: (ecce quantum ad auctoritatem) *Si enim esset de hoc mundo, decertarent vtiq; ministri mei*. (ecce quantum ad armatā siue coactiuam potestatem.) Et rursus idem petenti ab ipso diuisionem hæreditatis à fratre, respondit: *Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos, vel inter te & fratrem tuum?* quasi diceret: Tale iudicium mihi non conuenit exercere. Sic etiam tali auctoritate aut coactiua potestate carere voluit Apostolos, & in ipsorum persona omnes episcopos siue presbyteros, successores ipsius, in quantum fuerat sacerdos humanus: quoniam in quantum Deus erat, nullus sibi hominum successit vel succedere potuit, dum ad ipsos inquit: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*. Planum est, quod Apostolis interdicitur dominatu, sicut inquit Bernardus. Sic quoque sacram Scripturam intellexerunt & exposuerunt concorditer omnes sancti & approbati doctores, & idem secundum proprias sententias expresserunt. Quod etiam sciēs & de spiritualibus loquens, se non trahere potestatem quemquam arcendi, & multo minus de temporalibus, vnde dicebat Corinthiis; *Non dominamur fidei vestra*. Super quo verbo tam Ambrosius, quam Chrysostomus senserunt concorditer, & expresse dixerunt. Ambrosius quidem: *non dominamur fidei vestra, id est, non quia dominium aut coactionem patiatur fides vestra, qua voluntatis est non necessitatis*. Chrysostomus autem: *in ecclesia non coactum, sed adquiescentem oportet ad meliora conuerti. Quod admirabilis vir ille sciens, Apostolus videlicet, dicebat Corinthiis, Non dominamur fidei vestra*. subiungensque Chrysostomus ait: *Non enim à legibus data est nobis, Episcopis siue presbyteris scil. talis potestas, vt auctoritate sententia cohibeamus homines à delictis: neq; si data esset, haberemus vbi exerceremus eiusmodi potestatem: cum Deus noster, Christus videlicet, non necessitate, id est violentia, aliquos homines traxerit à peccato; sed sua sese sponte subtrahentes remuneratus sit*. In quibus etiam verbis supponit Chrysostomus, quod omnis coactiua potestas in hoc seculo datur à legibus siue principibus. Quod etiam dicit Hugo de S. Victore, De sacr. lib. 2. inquit enim sic: *Quod licet ecclesia, id est ecclesiastica persona, Episcopi siue presbyteri, iurisdictiones coactiuas videlic. in personas seculares exerceant; hoc ipsum tamen quod exercent, à regia potestate se habere cognoscant*. Non ergo à lege diuina, sed ab humana lege, conuenit cuiquam in hoc seculo auctoritas & coactiua potestas; præcipue Episcopo siue presbytero. Vnde Chrysostomus post verba prædicta subinfert: *Homo vero si à fide vestra fuerit abductus, multum imminet sacerdoti patientia industria exhortationis; quod non potest errantem vi reducere, sed persuadere conabitur, vt ad fidem rectam reuertatur, à qua primitus corruit*. Idem quoque senserunt omnes sancti Doctores reliqui, atque expositores iuxta sacram Scripturam, quorum sententias hic omissas propter breuitatem copiose videre poterit, cui cura fuerit, in tractatibus nouis præfatorum doctorum.

Est etiam similiter secundum legem humanam legislator, vt ciuium vniuersitas, aut eius pars valentior, vel Romanus princeps supremus *Imperator* vocatus. Est & iudex coactiuus secundum legem eandem, vt vniuersitas iam dicta, vel Princeps; vel illi, cui vel quibus vniuersitas aut Princeps dederit coactiuam potestatem, per pœnam realem aut personalem in seculo legis humanæ transgressores coercendi. Nequaquam vero legislatores humani sunt Episcopi siue presbyteri, aut reliqui spirituales ministri, coniunctim vel diuisim, in quantum huiusmodi: sed fortassis in quantum pars aliquaciuitatis existunt: secundum quod per humanas rationes citatas & per sacram scripturam euidenter est monstratum, & per iam dictos Doctores nostros, & vt iam conuenienter deductum est supra. Sunt & alii iudices secundum legem humanam, vocati *Iurisperiti* siue *Doctores*, nullam coactiuam auctoritatem habentes, in quantum huiusmodi, arcendi quemquam in hoc seculo, per pœnam aliquam realem aut personalem, ad agendum licitum aliquod, aut illicitum omittendum; sed solummodo ad docendum, & aliquid secundum legem operandum humanam, quemadmodum Episcopi siue presbyteri secundum legem diuinam. Propter quæ manifestius intuendum, quod de humanis actibus & operibus circa diuina, & de diuinis, similiter quoque modo circa temporalia, & de temporalibus, potest dubitatio contingere duplex, & per consequens interrogatio siue quæstio fieri propter veritatem de dubitatis habendam. Vna quidem dubitatio est & quæstio, an videlicet actus illi & opera, de quibus quæritur, sint fieri vel omitti præcepta vel prohibita, licita vel illicita, tam secundum legem diuinam quam humanam? Alia vero potest esse dubitatio, quæstio siue interrogatio ex prædictis, vtrum videlicet si per quemquam sint tales actus aut opera facta vel omissa, pertinent ad iudicium principantis? iudicis videlicet coactiui, cuius auctoritas est arcere per pœnam realem aut personalem, transgressorem legis diuinæ vel humanæ, in præsenti seculo vel futuro.

De priori quidem quęstione, dubitatione siue interrogatione, respondere ac iudicare seu per iudicium diffinire pertinet ad Doctores, seu ad iudices doctrinales, huiusmodi siquidem auctoritatem habentes; quales secundum legem diuinam sunt vel esse debent omnes Episcopi, siue presbyteri, quemadmodum ostensum est prius, & dixit Apostolus ad Timoth. *Oportet Episcopum esse doctorem*. Secundum humanam vero legem, pertinet hæc auctoritas siue iudicium ad Iurisperitos siue humanæ legis Doctores. Etenim eorum officium est, scire docere si oporteat, prædicare quæ sint & qualia præcepta permissa vel prohibita secundum leges prædictas, licita etiam vel illicita fieri vel omitti in actibus humanis; & similiter de huiusmodi respondere, cum super his & de iis fuerint requisiti; omni tamen auctoritate & coactiua potestate carentes, quemquam cogendi per pœnam in hoc seculo ad fugiendum vel faciendum aliquid, vt supra sufficienter induximus. Quemadmodum medici de sanitate corporis conseruanda vel omissa recuperanda docere habent & operari, secundum artis medicinæ præcepta: nec tamen quemquam cogere possunt vtilem seruare diætam, aut declinare nociuam, per pœnam aliquam realem aut personalem facientibus vel omittentibus inferendo. Sic quoque

que

[illegible], qui medici sunt anim[illegible] in hoc mundo per pœnam arcere possunt, se[illegible]. Et propter[illegible], quamuis sacerdotibus liceat condere seu facere ordinationes [illegible], circa bonos [illegible]ores & opera fienda, & malos & crimina fugienda: nō tamen nunc [illegible]iusmodi ord[illegible]ationes leges, sed potius documenta seu regulæ. Neque ipsorum iudi[illegible] tales regulas circ[illegible] hominum actus debet appellari *iurisdictio*, siue *forum*: quia talia nomina proprie sumpta, iudici[illegible] coactiuo conuenientia sunt, secundum primam & veram impositionem ipsorum. Potest autem præfatum iudicium, quoniam generale est, fieri ignoratis personis, de quibus, siue de quorum actibus, dubitatur & quæritur.

Secunda vero dubitatio, interrogatio & quæstio, potest contingere circa prædictos hominum actus & opera, Vtrum videlic. si per quemquam sint tales actus aut opera facta vel omissa, pertinent ad iudicium principantis iudicis vel coactiui, cuius auctoritas est arcere per pœnam realem aut personalem legum transgressores in præsenti seculo vel futuro; secundum legem diuinam vero est in futuro seculo tantūmodo, non in isto. Talis iudex est Christus solus, & erunt fortasse secum duodecim Apostoli, de quibus legimus in Scriptura: *Cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos, &c.* Secundum vero legem humanam talis est principans, auctoritate legislatorum humanorum, coactiuam habens potestatem arcendi per pœnam realem aut personalem transgressores legis humanæ, in præsenti tantum seculo, non in illo. Verum ad suum iudicium coactiuum exercendum non indiget Iudex secundum legem diuinam inquirere veritatem per testimonium, neque testes arcere in iudicium pro veritate dicenda; quoniam omnia sunt nuda & aperta oculis eius, non indiget gladio seu armorum ministrorumque potentia coactiua, propter sententiam suam exequendam, pœnam transgressoribus inferendo: quoniam *ipse dixit & facta sunt.* Sic non autem principans coactiuus humanus: quoniam ignorare potest, an quis delatus aut excusatus de illicito actu, illum actū commiserit, vel non. Ideoque tam litigantes, quam testes necesse habet in iudicium vocare, ipsosq; recusantes per armatam potestatem ad hoc compellere; quoniam per ipsius simplex dictum fortassis non conuenirent, rei præsertim, & qui pœnam sibi debitam formidarent infligi.

Ex his igitur iam dictis apparere potest responsio ad principale quæsitum, cuius videlicet Iudicis sit auctoritas iudicandi de diuortio matrimonii, vel alterius vel vtriusque coniugum facta requisitione. Quoniam si fuerit dubium vel quæstio, vtrum propositum matrimonium ex aliqua causa illicitum aut prohibitum sit lege diuina, est auctoritas iudicandi de eo ac respondendi Episcoporum, siue presbyterorum, & legis diuinæ doctorum ad huiusmodi statutorum, secundum legem honestam, ac consuetudinem regionis, in nullo repugnando coactiuæ potestati legis diuinæ. Ipsorum enim est scire præcepta, prohibita, & permissa, tam circa matrimonium, quam circa reliquos actus humanos & opera, de quibus & secundum quem modum licite habet fieri vel omitti, secundum legem prædictam. Vt si dubium sit & quæratur ab ipsis, an impotentia vnius coniugum ad debitum carnale reddendum suo compari coniugi, sit causa sufficiens ad diuortium matrimonii licite fiendum inter ipsos, secundum legem diuinam; iudicare habent & respondere de hoc supradicti sacræ Scripturæ ministri atque doctores. Quoniam (vt sæpe diximus) hoc officium est ipsorum: quinimo non facientes hoc, punirentur per iudicem coactiuum secundum legem diuinam, quamuis in futuro seculo, non in isto. Vnde Apostolus: *Væ mihi si non euangelizauero, quod mihi incumbit.* Sed si dubium fuerit & quæratur, an talis defectus, propter quem potest & debet licite fieri diuortium, inexistat alteri coniugum, & alter suo compari siue coniugi inexistere asserat; & propterea coniunx nō patiens petat velitque ab impotente siue defectum patiente coniuge de matrimonio separari: est auctoritas siue coactiuum iudicium de hoc Christi siue Dei, secundum legem diuinam, ad arcendum per pœnam coniugem non iustum in futuro tantum seculo, non in isto: vtpote si alium coniugem iuste agentem liberum non permittat, sed violentiam inferens in persona vel rebus ipsum detineat, impediat vel coarctet. Neque super hoc eget hic Iudex informari per testes, ad sciendum vtrum talis defectus alteri coniugum inexistat, propter quem de matrimonio debeat separari: quoniam nihil occultum est oculis eius, quemadmodum dictum est prius.

Secundum vero legem humanam, pertinet hoc iudicium diuortii coactiuum, per pœnam in hoc seculo transgressoribus inferendam, ad principantem auctoritatem legislatoris humani. Nam quamuis ad legislatorem humanum, vel ipsius iudicem coactiuum, non pertineat statuere aut condere spiritualia siue diuina præcepta, prohibita, vel permissa, siue consilia: tamen de actibus hominum & circa ipsa, quantum circa temporalia, licite vel illicite factis vel omissis, tam per sacerdotes seu per spirituales ministros, quam per laicos siue seculares personas (cum spirituales non sint essentialiter) iudicare coactiuo iudicio, & arcere per pœnam in hoc seculo committentes illicita, ad præfatum pertinet legislatorem humanum & iudicem. Vnde Apostolus ad Romanos decimo tertio generaliter neminem excipiendo, malefactores seu legis humanæ non repugnantis legi diuinæ transgressores, presbyterum siue non presbyterum, inquit: *Omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus*, Regibus videlicet, Ducibus, & Tribunis, secundum sanctorum expositionem ibidem. Et scribit: *Qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit: & qui ipsis resistunt, damnationem sibi adquirunt*, æternam videl. Et inquit rursus: *Minister enim Dei est, vindex in iram, ei qui malum agit*, supple, quicunq; sit ille. *Non enim sine causa gladium portat*, id est, habet armatam & coactiuam potestatē. Quod de nullo spirituali ministro dixit Apostolus, sed opposuit magis, dum inquit: *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia.* Et rursus ad Timotheum: *Nemo militans Deo implicat se secularibus negociis*, id est, litigiosis

sis ciuilibus. His etiam attestatur beatus Petrus in sua Canonica, dum ad omnes indifferenter, neminem excipiens, inquit; *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Dominum*, in principatu videl. constitutæ, ***& Regi tanquam praexcellenti, & Ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia est voluntas Dei.***

Hoc igitur modo de matrimonio & reliquis spritualibus, secundum quod ipsa, vel hominum actus de ipsis, & circa ipsa, in aliquibus conditionibus referuntur ad statuta legis humanæ facta de ipsis; statuta, in quantum non repugnantia legi diuinæ, sed potius sibi consona & decentia, statuere legislatorem; & iudicare coactiuum iudicem secularem competens est, quinimo necessitas requirit. Igitur quantum circa matrimonium contrahendum aut iam contractum, interueniunt plurima, quæ per actus hominum possunt licite vel illicite fieri vel omitti: quæ siquidem regulari oportet per legislatorem humanum, aut eius auctoritate iudicem coactiuum, transgressores arcendo per pœnā. Cuius siquidem rei casum sumendo ponatur, quod alter coniugum post latam sententiam de fiendo diuortio matrimonii inter ipsos, ab altero coniuge discedere noluerit; sed secum ipsum per violentiam detinere, aut ipsum etiam personaliter, aut res siue ipsius bona contrectare, quemadmodum durante matrimonio seu ante factum per sententiam diuortium contrectabat; puniendus atque cogendus esset per pœnam realem aut personalem, in hoc seculo, & à iudice coactiuo: tanquam iudicatum siue sententiam non obseruans. Quædam enim viro licebant supra & contra sibi coniugem mulierem, in persona & rebus ipsius exercere ante factum diuortium inter ipsos, quæ sibi post diuortium non licent: veluti iam dictam sibi coniugem matrimonio separatam arguere, increpare, ac verbis contumeliosis afficere, carnale debitum ab ipsa exigere, aut eandem quomodolibet aliter corporaliter tractare, impudice tangendo, aut flagellando, aut de bonis suis dotalibus, & aliis præter ius consensum disponere volendo; & similibus reliquis. Ex quibus multa & periculosa scandala post diuortium, si fieret, prouenirent. Propter quæ omnia tollenda seu prohibenda, & propter communem & euidentem vtilitatem, imo necessitatem, competiit ac debuit, debet & potest legislator humanus de talibus fiendis vel omittendis statuere, iudicare atque compellere videlicet contendentes in iudicium conuenire, testes similiter pro veritate dicenda vocare, & transgressores ad comparendum arcere per pœnam, reliquum quoque, sententiam diffinitiuam super diuortio matrimoniali fiendo, vel non, proferre. Conformiter tamen in hoc legi diuinæ, ipsius videlicet præceptis ac prohibitis nihil per suam sententiam præcipiendo repugnans. Amplius vtrumque contendentium siue litigantium in iudicio post latam sententiam, ad iudicatum per ipsum tenendum & obseruandum compellere, per pœnam in hoc seculo transgressori sententiæ inferendam. Non enim de præfatis corrigendis seu regulandis per pœnam in hoc seculo transgressoribus inferendam, diuina lex aliquid ordinauit aut statuit: neque coactiuus Iudex secundum ipsam contra quemquam in hoc seculo transgressorem, per se, neque per aliquem successorem, siue Episcopum, siue presbyterum, aut spiritualem ministrum, coniunctim vel diuisim, mandauit aut voluit coactiuum iudicium exerceri. Nec ex his potest proprie inferri, quod humanæ legi subiaceat lex diuina, vel legislator ipsius; sed vt potius è contrario. Nam legislator humanus præcipit fiendum, quod statutum est per diuinum legislatorem, aut legem diuinam. Neque similiter per ipsius iudicem coactiuum, Christum videlicet, sed potius è contrario. Veruntamen iuste præcipit, quod præcipere potest legislator diuinus, & ipsius auctoritate iudex siue principans coactiuus legis humanæ, in istis prædictis & reliquis secularibus, nihil illicitum agere circa spiritualia seu de ipsis, nec circa ipsa temporalia vel de ipsis: ac mandat ministris licita ac sibi debita officia de talibus, ac circa talia exercere; ipsosque rationabiliter in hoc seculo per pœnam arcere personalem atque realem, si transgressi fuerint humanæ legis præcepta, legis diuinæ præceptis non repugnantia. Nam ex officio sibi commisso secundum legis diuinæ ac humanæ præcepta tenent Episcopos seu presbyteros ad docendum, prædicandum, & spiritualia Christi fidelibus ministrandum, vt baptismum, & reliqua similia fidelibus exhibendum. Propter hoc enim ipsis ministrantur carnalia siue corporalia per Christi fideles, vnde Christus: *Dignus est enim operarius cibo suo.* & Apostolus prim. Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminamus, non est magnum, si vestra carnalia, id est temporalia metamus.* Propter quod tanquam operarii suscipientes, aut qui susceperunt mercedem, obligati sunt & tenentur, ac arceri possunt per pœnam in hoc seculo, ac per coactiuum humanum iudicem, ad docenda spiritualia, & modo debito & tempore ministranda.

Ex prædictis igitur euidenter apparet, iudicium coactiuum siue sententiam proferre, ac exequi per coactiuam potestatem, super diuortio matrimoniali fieri requisito, ad Romani principis siue nostram auctoritatem, vel eorum quibus per nos concessa fuerit talis auctoritas siue potestas, solummodo pertinere. Propter quod ad diuortium matrimonii consummandum inter Iohannem & Margaretam prædictos:

Nos Ludouicus Quartus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro tribunali iudice sedentes, in causa siue lite diuortii seu separationis matrimonii, quæ vertebatur inter illustres personas, Iohannem Regis Bohemiæ filium, requisitum parte ex vna, & Margaretham Ducissam Karinthiæ & Tyrolis Comitissam, ex altera parte, tanquam actricem, ac requirentem à dicto Iohanne iam vocato coniuge suo de matrimonio separari; Visis & intellectis tam per nos quam præfatos Doctores iuribus, rationibus, probationibus & testimoniis Margarethæ præfatæ, nec non contumacia iam dicti Iohannis, dicimus, diffinimus & determinamus; præfatam Margaretham separari debere seu posse de matrimonio à sæpedicto Iohanne, èque conuerso, cum eisdem vel ipsorum alteri id videbitur expedire. Ipsam quoque Margaretham hoc requirentem instanter, vt supra, separamus, absoluimus, vt separatam esse

indica-

Iudicamus in matrimonio iam dicto Iohanne per hanc nostram sententiam diffinitiuam. Simili quoque modo supradictum Iohannem à præfata Margaretha in matrimonio per auctoritatem & hanc nostram sententiam diffinitiuam separantes: ita videlicet, quod de cætero præfatus Iohannes supradictæ Margarethæ in nullo matrimonii debito teneatur: neque similiter præfata Margaretha supradicto Iohanni. Sed liberum sit vtrique de corpore proprio siue persona, & omnibus bonis propriis, iuribus ac rebus tam mobilibus quam immobilibus facere vel disponere, & quod libet ordinare pro suæ propriæ libito voluntatis.

INCIPIT TRACTATVS CONSVLTATIONIS PER FRAtrem Guilhelmum Occam editus, super dispensatione in gradu consanguinitatis siue affinitatis inter personas Illustres, Ludouicum videlicet Marchionem Brandeburgensem, & Margaritham Ducissam Karinthiæ, matrimonialiter copulari volentes; necnon legitimationis liberorum eorundem procreandorum, facta per Dominum LVDOVICVM IV. Dei gratia Rom. Imp.

Hunc Tractatum habes supra in primo Tomo huius Collectionis Monarchicæ, fol. 21. & sequent.


RICHARDI ARCHIEPISCOPI ARMACHANI

Anno Domini 1357.

DEFENSIO CVRATORVM, CONTRA EOS QVI se dicunt Priuilegiatos; & vicissim Defensio Priuilegiatorum, seu Mendicantium.

Per M. ROGERIVM CHONNOË.

Iodocus Badius Ascensius Marco Alexandro Beneuentano, viro doctissimo & apprime religioso, salutem dicit.

*Cce iterum, Marce suauissime, quiddam munusculi, quod à Trechsel tuo hilari fronte suscipias velim. Cuius quidem imprimendi hanc accepimus occasionem. Siquidem cum post* Summam de Ecclesia domini Ioannis de Turrecremata, *Trechsel tuus opusculum* Octo quæstionum M. Guilhelmi de Ockam super potestate Apostolica & Imperiali *tuo nomini dicatum impressisset, mirabantur nonnulli, in quorum manus deuenerat, atqui tam dissona & aduersa (vt aiebant) fronte pugnantia, ab vna eademque officina sua prodire sineret. Ad quod ille ad manum habens quod respondeat: Philosophicum (inquit) atque adeo vetus est deuerbium:* Opposita iuxta se posita magis elucescere, *quocirca vt diuersis auditis opinionibus veritas patescat, diuersa & fere contraria operæ pretium duximus imprimere. Non enim nostrum est auctorum scripta censere aut diiudicare: sed ea fidelissime per impressionem multiplicata, ad studiosorum iudicia referre. Tum illorum vnus, vir sane doctus & religiosus, Simon Bergeri: recte, inquit, instituisti; atque vt pergas habeo duo opuscula mere inimica, atq; inter se repugnantia, quæ coimpressa velim: quorum alterum* Defensorium Curatorum contra eos qui se priuilegiatos dicunt: *alterum* Defensorium religionis Mendicantium & priuilegiatorum *inscribitur, quorum prius quidem editũ à domino Richardo Armachano nuper impressum est: posterius autem à religioso viro Rogerio Chonoe Ordinis Fratrum Minorum compositum nondum impressum, imprimis tamen dignissimum est. Perlectis autem vtrisq; comperit iam sæpe dictus M. Ioannes Trechsel in posteriori opusculo multa cum* Opere 90. dierum M. Guilhelmi de Ockam *quadrantia contineri, quapropter vtile visum est, vt in eadem chartarum forma coimprimeret, vt cum illo aut cum alio eiusdem quantitatis opere colligari posset. Admonuitq; vt hæc paternitati tuæ, Marce præstantissime, nota facerem, precarerque vti gratanter tantillum muneris accipere digneris. Quæ in re seclusa morositate eisdem fere, quibus ab illo accepi hæc consecutus sum. Vale philosophiæ præsidium. Ex Lugduno ad idus Octobrias, Anno MCCCC. XCVI.*

IN

IN NOMINE PATRIS, ET FILII ET SPIritus sancti, Amen.

INCIPIT PROPOSITIO RICHARDI ARCHIEPISCOPI ARMACHANI PRIMATIS HYBERNIÆ, FACTA IN consistorio coram domino Papa & dominis Cardinalibus ac Prælatis, ad vtilitatem cleri & populi Christiani, super materia mendicitatis ac priuilegiorum contra Fratres de ordinibus Mendicantium quibuscunque, apud Auinionem octaua die mensis Nouembris, anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo septimo. Cuius quidem propositionis thema fuit hoc.

Nolite iudicare secundum faciem: sed iustum iudicium iudicate Iohann. 8. Pater Sanctissime, in principio mei sermonis protestor, quod non intendo aliquid asserere aut temere affirmare, quod fidei obuiet Christianæ aut doctrinæ Catholicæ, quod etiam non est intentionis meæ destructionem seu cassationem Ordinum Mendicantium approbatorum ab ecclesia, aut à summis Pontificibus confirmatum expetere, aut etiam suadere. Sed potius suadebo ipsos ordines debere reduci ad puritatem suæ institutionis primariæ: semper sanctitatis vestræ correctioni obedire paratus. Et vt ad materiam meam statim descendam: ecce, Pater sanctissime, accedens Londoniis pro meæ ecclesiæ Armachinæ quibusdam negociis, Doctores aliquos satis doctos super mendicitate & mendicatione Christi Saluatoris nostri ex aduerso reperi disceptantes. Et sæpius inuitatus, vt populo prædicarem, septem aut octo sermones ibi protuli in vulgari, & sub protestatione præscripta in publico nouem conclusiones expressi, propter quas & quæ tunc dixi Fratres ad istam sanctam sedem, licet friuole, appellarunt.

Prima conclusio hæc erat: quod Dominus Iesus Christus in sua conuersatione humana semper pauper erat, non quia propter se paupertatem dilexit aut voluit.

Secunda fuit, quod Dominus noster Iesus Christus nunquam spontanee mendicauit.

Tertia erat, quod Christus nunquam docuit spontanee mendicare.

Quarta conclusio era, siue quartus articulus, quod Dominus noster Iesus Christus docuit non debere hominem spontanee mendicare.

Quinta conclusio erat siue quintus articulus, quod nullus potest prudenter & sancte spontaneam mendacitatem super se assumere perpetuo obseruandam.

Sexta conclusio quod non est de regula Fratrum Minorum mendicitatem spontaneam obseruare.

Septima conclusio erat de materia illa, quod Bulla domini Alexandri Papæ quarti, quæ Magistrorum libellum condemnat, nullam præmissarum conclusionum impugnat.

Octaua conclusio & prima de priuilegiorum materia erat ista: quod pro confessione Parochinaorum alicuius ecclesiæ facienda cum exclusione loci alterius eligibilior est parochialis ecclesia, quam Fratrum oratorium siue ipsorum ecclesia.

Nona conclusio erat & secunda in ista materia, quod ad confessionem parochianorum cuiusuis ecclesiæ vni personæ singulariter faciendam, eligibilior est persona ordinaria seu ordinarii quam Fratrum persona.

Has conclusiones, Pater sanctissime, in publicis meis sermonibus, Scripturis sacris & rationibus tanquam probabiles suasi, vt potui, & in præsenti Deo duce suadebo. Et etiam declarabo aliqua grauiora, quæ ibi tunc non dixi, sicut Fratribus ipsis ibi promisi, adiiciam: in præsenti sanctitati vestræ humiliter supplicans & deuote, quod in conclusionibus prætactis & rationibus, quas ad eas suadendas adduxi & adducam: & Fratrum rationibus ex aduerso iustum iudicium adhibeatur, vt si Fratrum rationes fuerint fortiores, sim ego punitus, si vero econtra, ipsi Fratres pro scandalis, detractionibus & conuiciis publice & occulte mihi per eos illatis, super qua materia malo tolerare quam agere, legitime puniantur. Obseruato quoad omnia quod primo assumpsi: *Nolite iudicare secundum faciem: sed iustum iudicium iudicate.*

Sed quia secundum legem Dei & naturæ commune negocium priuato præferri debet: à priuilegiorum materia, quæ totum clerum & totum populum Christianum concernit, volo incipere. Et dico, vt mihi videtur, quod si quæratur quis locus est eligibilior pro confessione à Parochianis ecclesiæ singulariter facienda: videtur mihi quod sua parochialis ecclesia est locus eligibilior oratorio Fratrum siue ipsorum ecclesia, quia est pro conscientia

Parochia-

Parochiani confessi huiusmodi locus securior & plura vitans incommoda, quam Fratrum oratorium. Quod Parochialis ecclesia sit locus securior, vt singulariter scilicet cum exclusione cuiuscunq; loci alterius ibi fiat confessio, & etiam vt sepultura fiat inibi, quam Fratrum ecclesia, patet. Quia est locus à Deo & lege eius praeceptus. Dicitur enim Deuteronomii cap. 12. *Hæc sunt præcepta & iudicia, quæ facere debetis.* Et cito post: *Ad locum quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, vt ponat suum nomen ibi & habitet in eo, venietis & offeretis in illo loco holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atq; donaria primogenita boum & ouium.* Et postea sequitur ibidem prohibitione hoc modo: *Caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco quem elegit Dominus in vna tribuum tuarum offeres hostias & facies quæcunq; præcipio tibi.* Hæc ibi. Vbi constat, quod non tantum est præceptum, vt in loco electo à Deo (quem ecclesiam Parochialem iuxta verba prædicta debemus intelligere, siue accipere, in quo debemus accipere cuncta, quæ præcepit Dominus ex sacramentis) facere debet quisque, de quibus est confessio facienda. Sicut patet Leuit. 4. cap. vbi dicitur, quod *quicunq; per ignorantiam peccauerit, offeret sacerdoti, & ipse orabit pro eo, & dimittetur ei.* Sed ecce etiam, quod alia loca quæcunque sunt à lege prohibita. Certum autem videtur, quod locus Fratrum non est à Deo per legem suam ad hæc facienda electus, sed tantum à summis pontificibus est concessus, sed iuxta verba præmissa est de lege prohibitus. Cum ergo locus præceptus sit certior loco de lege diuina prohibito, ac solummodo permisso aut concesso: sequi videtur, quod Parochialis ecclesia est locus certior siue securior ad confessionem Parochianorum suorum pandendã, quam oratorium Fratrum siue eorum ecclesia. Item Parochianus non hæsitat nec suspicari habet (intelligo de cursu communi) quod sua Parochialis ecclesia supposita sit interdicto ecclesiastico. Hoc autem verisimiliter poterit suspicari de Fratrum ecclesia. Vnde videtur quod ecclesia sua est locus sibi securior. Suadetur minor per decretalem illam, *de sepulturis, in sexto, animarum periculis.* vbi sub certo modo pœna interdicti tam ecclesiæ quam cimiterii infligitur quibuscunque religiosis, qui inducunt aliquos ad vouendum iuramento seu fide interposita vel alias promittendum, vt apud eorum ecclesias eligant sepulturam vel iam electam vlterius non immutent. Et communiter affirmatur, quod Fratres ita inducunt homines. Vnde constat, quod Parochianus verisimiliter poterit suspicari, quod loca eorum sunt supposita interdicto ecclesiastico. Istud aliter confirmatur: quoniam videtur, quod nullus Parochianus sciens vt scire tenetur, quod sua Parochialis ecclesia est locus à Deo ad sacramenta exercenda electus atq; præceptus, & locus Fratrum à lege prohibitus, ibi nisi informatus aut suasus à Fratribus eligeret sepeliri. Quoniam satis firmum videtur, quod nullus Parochianus ad hoc faciendum est à seculari aliquo taliter informatus, aut ita inductus, vel vt verius dicam seductus. Ex his videtur posse concludi, sicut fieri potest in materia morali, quod Parochialis ecclesia est pro confessione pandenda Parochianis suis locus securior loco Fratrum. Dixi, & dico secundo, quod Parochialis ecclesia Parochianis ipsius est pro confessione pandenda & etiam sepultura habenda locus vtilior loco Fratrum. Primo quia est locus à Deo electus, ac per hoc à Deo amplius acceptatus quam Fratrum ecclesia, quæ à Deo non est expresse electa: sicut nec à sua ecclesia, sed solum ad procurationem Fratrum concessa. Vnde videtur vtilior, ex quo est acceptior Deo. Item in parochiali ecclesia Parochianus, vt debet, rite confessus duplicis obedientiæ meritum sibi acquirit, scilicet meritum obedientiæ qua paret mandato Dei de confessione pandenda, & meritum obedientiæ qua obedit præcepto diuino de loco ad hoc à Deo electo seruando. Hoc secundo merito obedientiæ caret (vt videtur) quisquis apud Fratres quoscunq; confessus, cum nulla lex Parochiano præcipiat aut etiam illi suadeat, vt apud Fratres confiteatur, aut habeat sepulturam. Ergo Parochialis ecclesia est Parochianis pro istis exercendis locus vtilior loco Fratrum. Item in Parochiali ecclesia sunt vbique aut quasi vbiq; aut esse debent de iure diuino & suæ ecclesiæ plures in decuplo communiter oratores, quam in ecclesiis Fratrum sint Fratres. Vnde debet quisque Parochianus verisimiliter æstimare, quod ibi per orationes plurium poterit amplius adiuuari, quam in Fratrum ecclesiis. Dixi & dico tertio, quod confessio facta in Parochiali ecclesia modo prædicto vitat plura incommoda, quam confessio facta in Fratrum ecclesia. Et similiter ibi habita sepultura. Quoniam ex quo ibi sunt vtilitas amplior & maior securitas: econtra si omitteretur & fieret confessio singulariter, vt supra expressi, in Fratrum ecclesia, tolleretur securitas, ac etiam tollerentur vtilitates præmissæ. Et hæc sunt (nemo dubitat) grauia multum incommoda siue dispendia.

Dixi & dico secundo principaliter, si quæratur, quæ persona est eligibilior pro confessione Parochiani sui singulariter facienda, scilicet an persona Fratris vel ordinarii sui persona? quod ordinarii persona eligibilior est censenda Fratrum personis, quia securior & vtilior. Et quia confessio sibi facta singulariter vitat plura incommoda & dispendia. Dico primo, quod ordinarii est persona securior: quia est (vt in articulo præcedenti suasi) persona à Deo præcepta & à sua ecclesia de lege communi. Et fratris persona de lege prohibita. Vnde consequitur, quod ordinarii persona est securior. Item persona ordinarii est Parochianis suis personis Fratrum amplius obligata. Vnde rationabiliter potest de ea confidere, quod sollicitior erit ad prouidendum eis, quam Frater, qui est sibi persona extranea. Sicut persona medici corporalis est ægroto magis carnaliter secura, quæ est ægroto magis obligata. Item quia Parochianus de lege siue de cursu communi non hæsitat nec hæsitare habet de ordinarii sui persona, quod eius potestas absoluendi suos subditos sit ligata. De Fratrum vero personis habet verisimiliter suspicari, quod propter excommunicationes varias est in eas potestas

 testas

testas ligata. Nec est dubium, quin securius sit homini confessionē pandere [illegible] potestatem habenti, quam habenti potestatem ligatam. Ergo persona ordinarii est certior siue securior. Probatur minor prætacta. Primo per *ca. religiosi in Clementinis de decimis*: vbi dicitur, *[illegible] cia non habentes, qui noualium aut alias decimas ecclesiis debitas ad eos ex aliqu[illegible] apropriare sibi præsumpserint, aut exquisitis fraudibus siue coloribus vsurpare tentauerint &c. sententiam excommunicationis incurrunt.* Nec videtur ambiguum: Quoniam de iure diuino legatorum & libere donatorum decimæ sunt soluendæ: & hoc ecclesiis & earum [illegible]ratis. Quod etiam Innocentius dicit & Ostiensis affirmat. Vnde sequitur, quod quicunq; Fratres, qui de legatis eis & de eis donatis decimas ab ecclesiis subtrahunt, & eas sibi appropriant, sententiam excommunicationis incurrunt: cum de illis nunquam decimas soluant, vt communiter affirmatur. Secundo probatur minor prædicta per *cap. Religiosi, de priuilegiis, in Clementinis*: vbi omnes religiosi sunt excommunicati de facto, quia à sententiis latis per statuta prouincialia seu synodalia quoscunq; absoluunt. A quibus sententiis, vt communiter affirmatur, ab ecclesiæ prælatis & pœnitentiariis eorundem sæpe, imo communiter ligatos Fratres confessiones audientes absoluunt. Ego enim in mea diœcesi Armachana, vt puto, habeo duo milia subditorum, qui singulis annis per sententias excommunicationis latas contra homicidas voluntarios, fures publicos, incendiarios & istis consimiles sunt excommunicationis sententiis inuoluti: de quibus vix veniunt ad me seu pœnitentiarios meos quadraginta in anno: & recipiunt sacramenta omnes tales, vt cæteri, & absoluuntur vel absoluti dicuntur, nec per alios quam per Fratres. Non dubium, cum nulli alii ipsos absoluunt, absoluti creduntur. Vnde Parochianus potest verisimiliter suspicari, quod illi confessores sunt tali sententia inuoluti: ita quod potestas sacerdotalis est in eis ligata. Et ita minus tutum est eis talibus confiteri, ex quo sine peccato mortali non possunt eos absoluere. Et si illud credant ipsi confessi, consentiunt Fratrum peccatis, si absolutionem accipiant. Ait enim Apostolus ad Rom. primo cap. *Qui talia agunt, digni sunt morte. Non solum autem qui talia faciunt, sed qui consentiunt facientibus.* Et secundo Paralipomenon 19. cap. dicitur, quod Iehu Propheta dixit ad Iosaphat regem Iuda: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris. Et idcirco iram quidem Domini mereberis.* Vnde consequitur, quod securior est persona ordinarii, scilicet Curati, quam Fratrum personæ. Idem etiam suadetur per *cap. cupientes. de pœnis. in Clementinis*, vbi triplex est lata excommunicationis sententia.

Prima est lata in omnes religiosos, qui aliquos vt audientes à solutione decimarum ecclesiis debitarum retrahunt in sermonibus suis vel alibi proferre præsumunt: quod faciunt, vt fertur, communiter confessores de Fratribus. Affirmant enim in publico, quod nec de eleemosynis panis & vini, ceruisiæ aut aliarum rerum huiusmodi modicarum teneantur donantes in decimando lucra mercationis ipsorum addecimare. Ego vero econtrario affirmaui, quod de paruis, sicut de magnis donariis, tenentur inter lucra sua mentionem facere: quia alias possent mercatores quicunque totum lucrum totius anni per talia parua dona ita distrahere, quod de maximo lucro suo nihil deberent penitus decimare, totum per modica distribuendo pauperibus, & illusio fieret iuri communi. Sunt ergo Fratres tales maioris excommunicationis sententiis inuoluti. Item per eandem decretalem, *Cupientes*, sunt omnes Fratres ab officio prædicationis suspensi, & consequenter excommunicati: qui infra certum terminum conscientiam eis confessis de decimis soluendis non faciunt, vbi vt verisimiliter æstimatur, omnes confessores deputati de fratribus, vel quasi omnes sunt ista sententia canonis inuoluti: quia, vt fertur communiter, & per eos qui eis confitentur, potest probari, quod aliqui de hoc penitus nihil dicunt confessis eis, quicquid loquuntur, proferunt nuda verba, non pro materia sed pro forma videlicet: quod non est conscientiam facere, sed magis illudere. Vnde si ad consensum constituentis canonem conscientiam facerent ipsos eis confessos de rebus quibuslibet decimandis de modo & de tempore informarent. Et quia non faciunt, non video, quin incidant in istam excommunicationis sententiam. Item per idem cap. *Cupientes*, omnes religiosi sunt excommunicati, qui aliquos ad vouendum iuramento vel fide media seu ad aliis promittendum inducunt, vt sepulturam apud eorum ecclesias eligant, vel iam electam vlterius non immutent. Quod tamen facere fratres affirmat clericorum & laicorum communis opinio. Et ad hæc videtur ratio satis probabilis iam adducta ad confirmationem secundæ rationis primę conclusionis articuli præcedentis. Item quod persona ordinarii sit Parochiano suo securior, aliter suadetur: scil. quia de eius persona rationabiliter Parochianus poterit iudicare, quod quo ad hoc scilicet per pœnitentiam congruam & vtilem sibi imponendam pro suis peccatis est iudex sibi minus suspectus seu æquior. Quoniam quæstum subsidii temporalis per confessionis suæ auditionem in suo ordinario non habet supponere aut aliqualiter suspicari: cum necessaria vitæ de lege Dei & suæ ecclesiæ ordinarii ministerio sint annexa. De personis vero Fratrum econtra. Quoniam, vt in appellatione, quam contra me fecerunt in Anglia, continetur, ex sua fundatione ad mendicitatem & paupertatem arctissimam asserunt se constrictos, non obstante in eis facultate audiendi confessiones omnium sibi confiteri volentium. Vnde quæstum releuationis mendicitatis in eis causam auditionis confessionis hominis extranei probabiliter Parochianus poterit suspicari, & rationabiliter in animo suo ita arguet, cur iste mendicus hic meam confessionē audiendo & à necessariis in victu sibi acquirendis desisteret, nisi de me tale suffragium expectaret? Vnde cum egestas ad peccatum, cuius mediatione indigentiæ succurratur, impellat, iuxta illud Salomonis Prouerbiorum 30. capit.

Mendicita-

Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: sed tribue tantum victui meo necessaria: ne forte satiatus illiciar ad negandum te, & dicam, quis est Dominus & egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei. Consequitur, quod pro omni genere peccatorum eleemosynā applicando, qua poterit eius mendicitas releuari, velit mihi imponere; & ita non ero spiritualiter bene sanatus. Saluator enim suis discipulis quærentibus: *Quare non potuimus eiicere dæmonium illud?* respondit: *Hoc autem genus dæmoniorum non eiicitur nisi per orationem & ieiunium.* Matth. 17. c. Ex quo dicto colligitur, quod sicut cuicunq; morbo corporali diuerso diuersa congruit medicina: sic spirituali morbo cuilibet est prouidenda propria medicina, qualem iste medicus circa sua intentus, vt suspicor, mihi nullatenus ministrabit. Confirmatur hæc ratio: quoniam satis apparet in facto, quod isti Fratres vbique p orbem post priuilegium de confessionibus audiendis obtentum monasteria pulcherrima & regalia palatia construxerunt. Cuius rei euidentia siue causa præcipua illa est confessiones audiendi facultas: quoniam antequam illam facultatem haberent, nullatenus talia construere potuerunt. Item nunquam auditur, quod Fratres ad refectionem defectuū parochialis ecclesiæ aut stratæ communis seu ad pontium reformandos defectus tales eleemosynas largiendas confessis imponunt: nec Minores, vt eas Prædicatoribus, aut Prædicatores seu quicunq; de aliis Mendicantium ordinibus Minoribus largiantur: sed imponunt cuncta sibi & suo ordini applicantes. Vnde verisimiliter poterit iudicari, quod quæstus proprius est in causa, quare talis mendicus pro persona extranea est ita sollicitus, quod tempus mendicationis negligit illi extraneo totus intentus. Item feci ad hoc & facio semper in præsenti quintam rationem, cuius conclusionem nolebam asserere. Dixi tamen in publico, & in præsenti dico, quod rationem illam nesciebam dissoluere. Conclusio illius rationis est ista: quia quisq; parochianus confessus Fratribus, Curatis suis ordinariis neglectis iuxta potestatem, quam habent, post confessionem huiusmodi remanet in peccato mortali: & à nullo peccato mortali absoluitur.

Ad hanc conclusionem aliqualiter suadendam, nitebar vnum principium suadere, quod etiam principium propter constitutionem Iohanninam *Vas electionis* volebam astruere: quoniam ibi damnantur de dictis Magistri Ioannis de Poliaco tres subsequentes articuli. Primus est, quod confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerunt, iterum confiteri proprio sacerdoti. Secundus articulus est, quod stante statuto, *Omnis vtriusq; sexus* edito in concilio generali Romanus pontifex non potest facere, quod Parochiani non teneantur confiteri omnia sua peccata semel in anno suo proprio sacerdoti, quem dicit Parochialem curatum, imo nec Deus posset hoc facere, quia (vt dicebat) hoc implicat contradictionem. Tertius articulus est, quod Papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessiones, quin teneantur eadem peccata iterum confiteri suo proprio sacerdoti, quem dicit (vt præmittitur) Parochialem Curatum. Et erat principium ad hoc probandum, quod simul possunt stare: & nullatenus repugnat, quod quisq; Parochianus Fratribus sit confessus, & quod idem Parochianus teneatur sub præcepto ecclesię omnia sua peccata semel in anno suo sacerdoti proprio siue ordinario confiteri.

Primo istud suasi: quia non amplius repugnare videretur confiteri Fratribus, & nihilominus obligare siue teneri semel in anno omnia sua peccata mortalia suo ordinario siue suo sacerdoti proprio confiteri, intelligendo de confessione quantum ad id quod est iterabile in eadem, quum sibi repugnant semel aut sæpius apud Fratres offerre & teneri siue obligari, vt semel aut bis siue ter teneatur in sua ecclesia parochiali in anno offerre: cum vnus actus sit iterabilis meritorie, sicut alter. Ista vero duo vltima in nullo sibi repugnant. Igitur nec duo prima mutuo se impugnant. Item nullus ambigit, quin quæcunq; duæ propositiones affirmatiue super simili actu iterabili à diuersis personis aut ab eadem persona pro diuersis locis ac diuersis temporibus prolatæ valeant simul stare, sicuti q̄ iste Parochianus audiet vnam missam vel plures apud Parochialem ecclesiam, saltem semel in mense, & maxime si vterq; actus sit meritorius & Deo acceptus, qualis actus non dubium extat confessio. Omnes autem Doctores in illo concordant, quod actus confessionis est iterabilis meritorie, quantum ad expressionem peccatorum & pœnitentiam. Et nos omnes sæpe sic agimus Deo, vt credimus, sic prǽstantes obsequium. Nec mirum est, quoniam actus tales iterabiles meritorie possunt cadere sub præcepto, vt supra expressi in principio articuli præcedentis. Possunt igitur confessio facienda Fratri & confessio eorundem peccatorum ordinario facienda cadere sub præcepto. Igitur multo fortius potest vna confessio sub præcepto venire, altera libera remanente. Item Dn. Martinus Papa quartus, qui Fratribus Minoribus facultatem audiendi confessiones concessit, in ipsius priuilegii fine sic dicit: *Volumus autem quod hi qui Fratribus confitebuntur eisdem suis Parochialibus presbyteris confiteri saltem semel in anno, prout generale concilium statuit, nihilominus teneantur: quodque idem Fratres eos ad hoc diligenter & efficaciter secundum datam eis à Domino gratiam exhortentur. Nulli ergo* &c. Hæc ibi. Vnde iste Dominus Papa mandat aperte, quod non obstante confessione facta Fratri, confitens teneatur iuxta concilii generalis statutum eadem peccata suo presbytero Parochiali confiteri. Sed huic decreto videtur hæc constitutio Iohannina *Vas electionis* iuxta sensum, quem Fratres de ea concipiunt obuiare, & populum eo modo informant in publico seipsos (vt videtur) & illos damnando, si præmissum mandatum Domini Martini sit fixum, sicut firmum videtur esse iuxta rationes præmissas. Ideo, pater sanctissime, ne tantum dispendium continuetur in populo Christiano, amore Crucifixi illa constitutio cum celeritate possibili declaretur. Mihi enim videtur, quod ita potest intelligi, & sic intelligo: quod nullus confessus Fratribus tenetur propter defectum potestatis absol-

uendi in Fratribus eadem peccata confiteri suo proprio sacerdoti. Cuius contrarium Magister Iohannes de Poliaco intellexisse videtur. Item videtur valde mirabile, qua fronte Fratres audent astruere, quod simul stare non possunt, vt quis sit confessus Fratribus de suis criminibus, & quod eadem teneatur suo ordinario siue suo sacerdoti proprio confiteri: cũ econtra in sua regula (vt communiter affirmatur) habeant, quod quicunque in ordine ipsorum professus seu habitum ipsorum assumens in sua professione aut in suo ingressu, non obstante quacunque confessione priori facta, tenetur vni ipsorum omnia sua crimina confiteri. Cur ei abnegant de nobis posse seruari, quod de seipsis obseruatur. Videtur mirabile. Item Dominus Benedictus vndecimus in constitutione sua reuocatoria constitutionis Bonifacii *Super cathedram*, quæ incipit: *Si bene recordor*, ad perpetuum fratribus mandat, quod ipsi hortentur eis confessos, quod eadem sua peccata confiteantur suo proprio sacerdoti. Ipse ergo sensit, vt videtur, quod vna confessio obligationem ad alteram omnino non tollat. Quoniam si insimul stare possunt, potest alterum præcipi, altero libero remanente, vt mihi videtur, iuxta adducta superius. Item sanctus Augustinus in *De vera & falsa pœnitentia*, *capitulo nono*, & sanctus Thomas & Bonauentura, & alii Doctores & Glossatores catholici sæpe affirmant, quod expedit eadem peccata sæpius confiteri. Cur igitur illud sub peccato venire non possit propter meritum in populo non video cumulandum. Nam sicut posset sancte præcipi à prelato, quod quilibet Parochianus audiret singulis diebus dominicis duas missas. Hoc igitur principio probabiliter sic suaso, nimis dura videtur posse inferri conclusio, scilicet quod quisque Parochianus confessus Fratri, ordinariis suis curatis omissis, per totum annũ neglectis, spretis siue contemptis: est contemptor siue transgressor mandati ecclesiæ contenti in illa decretali, *Omnis vtriusq; sexus*: & per consequens redit à fratre cũ peccato mortali: Et cũ Deus nõ remittat peccatũ mortale vnũ, nisi mortalia cũcta relaxet: infertur vlterius, quod taliter à fratre confessus reuertitur cũ omnibus peccatis mortalibus, cũ quibus oneratus accessit ad fratrem. Et quid isto intolerabilius aut damnosius possit in ecclesia Christi accidere? Vere Pater Sanctissime, istam rationem nesciui soluere, nec scio in præsenti dissoluere. Vnde rogaui Londoniis ipsos Fratres in publico, vt me informarent verbo vel scripto, qualiter possem præmissam rationem dissoluere. Sed illud huc vsq; non valui obtinere ab eis. Igitur mihi videtur, quod ex præmissis possum inferre, quod persona curati ordinarii est Parochiano securior pro confessione pandenda singulariter scilicet vni personæ quam fratris persona. Super quo, Pater Sanctissime, *Nolite iudicare secundum faciem: sed rectum iudicium iudicate.*

Dico secundo & dixi, quod persona ordinarii est Parochiano suo vtilior pro sua confessione pandenda, quam fratris persona; quia est persona à lege Dei & suæ ecclesiæ ordinata atque de mandato Dei ad illud ministerium explendũ exhibita. Frater vero ex sola concessione siue licentia summi pontificis ad id obtinet facultatem. Nec videtur ambiguum, quin quisq; obseruando siue sequendo præceptum vtilius sibi agit, quam præcepto neglecto sequendo siue obseruando licentiam: cum sequendo solam licentiam nullus ob hoc præmium mereatur: & quisque obseruando præceptum mereatur. Vnde consequitur, quod vtilius confiteri potest quisque Parochianus (de cursu communi intelligo) ordinario suo quam cuique Fratri. Non tamen nego, quin raro in casu contrarium posit contingere: sicut cum ordinarius ex aliqua causa certa redditur suo Parochiano suspectus. Item hoc sequi videtur, sicut in priori articulo: quia suo ordinario confitendo habet duplicis obedientiæ meritum, scil. obedientiæ quo ad legem confessionis, & etiam quo ad legem personæ. Et confitendo fratri caret horum meritorum præmio. Secundo cum non sit Parochianis præceptum siue consultum, quod Fratribus sint confessi. Vnde confiteri ordinario videtur sibi vtilius. Item persona ordinarii est amplius suo Parochiano obligata, quam fratris persona & amore sancto, vt quisque de cursu communi debet supponere amplius, vt tenetur ex cura suo Parochiano magis affecta. Vnde videtur, quod sollicitior erit ad vtilem medicinam spiritualem sibi adhibendam, quam Frater, cum sit sibi extraneus. Igitur ex illo capite videtur confessio vtilior. Item quia iuxta conclusionem immediate præmissam persona ordinarii est ad hoc persona securior: vnde consequitur, quod est vtilior. Item Innocentius in cap. illo, *Etsi animarum*, vnam causam ad istam conclusionem assignat, scilicet quia facilior ad curatum, quam ad extraneum habetur accessus, Concludens quod vtilius pandenda est illi Parochiani confessio. Et hæc causa specialiter habet locum in causa infirmitatis de nocte, quando non potest haberi accessus ad Fratrem, nec Fratri ad infirmum: cum tamen de nocte patet accessus ad Curatum. Ita quod tunc non obstante confessione antea facta fratri Parochianum oportebit ordinario confiteri, vbi illi confesso multum esset expediens, quod ordinarius suam vitam priorem agnosceret: quoniam sic posset sibi pœnitentiam magis aptam imponere, cum sit notum, quod quanto quisque sæpius remissionem acceperit de peccatis, & quanto peccata ante remissa grauiora existunt, tanto redditur grauius sequens delictum. Qualiter ergo eo casu poterit ordinarius Parochiano aptam & congruam pœnitentiã ignorans sua propria peccata imponere, aut saltem tam congruam, sicuti si eius priorem vitam agnosceret? Omnino igitur, vt cerno, vtilius esset confesso propter casus huiusmodi ordinario confiteri q̃ Fratri. Item Innocentius secundam causam adduxit, scilicet quod in confessione ordinario facta est erubescentia amplior, quam cum confessio est Fratri facta: quoniam quisq; amplius erubescit pandere sua peccata illi, quem quotidie cernit præsentem, quam vni extraneo, quem fortasis non videt nisi semel in anno. Item multũ est vtile vxoratis, vt vnus suam & suæ vxoris confessioné audiat indiuise: quia sic eorũ confessor tanquam medicus singulorũ duorũ membrorũ vni⁹ corporis vtilius

potest

potest languidis in spiritu, sicut infirmis corporaliter prouidere, quam duo medici: quorum vnus vnum membrum duntaxat, & secundus medicus aliud membrum solummodo curare laborat. Vir vero & mulier vnum sunt corpus. Itaq; ait Saluator: *Iam non sunt duo, sed vna caro*, Matth. 19. cap. Satis ex istis videtur, quod persona ordinarii est persona vtilior pro sui patochiani confessione illi pandenda; quam fratris persona. Super quo, pater sanctissime, *Nolite iudicare secundum faciem: sed iustum iudicium iudicate.*

Dico tertio, vt tunc dixi, quod confessio facta ordinario singulariter, vt præscripsi, vitat plura incommoda siue dispendia, quam facta fratris personæ. Vbi incepi dilatare materiam suadendo quod Priuilegia ea quæ in *capitulo, Dudum*, exprimuntur, Fratribus esse concessa, & etiam alia multiplicia afferunt & inducunt dispendia: & per consequens obseruantia iuris communis in illorum priuilegiorum materia multa vitat incommoda. Dico ergo, quod priuilegiorum horum obseruantia non solum abusus eorum à fratribus, afferunt multa incommoda confessis, curatis, clero, populo Christiano & fratribus. Dico primo, quod horum priuilegiorum abusus à fratribus plurima incommoda afferunt confessis eisdem: quoniam auferunt securitatem prætactam in prima conclusione huius articuli. Item vtilitates præscriptas in secunda conclusione huius articuli: quarum oblatio infert confessis fratribus contraria eis incommoda, quæ debent quasi intolerabilia iudicari. Item iuxta verba Domini Innocentii quarti, vbi supra, alia plurima dispendia inde proueniunt. Dixit enim hoc modo: *Attendentes quod ex vsurpatione huiusmodi non tantum contemptum & indeuotionem populi producunt contra proprios sacerdotes: verum erubescentia, quæ est maxima pars pœnitentiæ, tollitur: cum quis non proprio sacerdoti, quem habet continuum & præsentem, sed alieno & aliquando transeunti, ad quem difficilis & aliquando impossibilis est recursus, sua crimina confitetur.* Ecce incommoda confessis tria, scil. *contemptus proprii sacerdotis: & indeuotio & sublatio erubescentiæ, q̃ maximam pœnitentiæ partẽ affirmat: quæ ex confessione facta fratribus proueniunt & sequuntur immediate. Quoniam damnabilis etiam est oblationum detentio & periculosa detractio decimarum. Quæ non (vt quidam mendaciter asserunt) velut cerimonialia transeunt: sed ei à quo omnia recepimus in signum dominii reseruari parochialibus ecclesiis indixerunt.* Hæc ibi. Vbi duo alia damna adiungit: scilicet detentionem oblationum, quæ solent à confitentibus sæpe solui eis, qui eorum confessionem auscultant, & Fratres eas sibi appropriant, cum parochialibus ecclesiis debeantur, & est in Fratribus damnabile, vt affirmat. Quæ etiam duo sunt curatis damnosa: quia ea, quæ pro victu eis de lege Dei & suæ ecclesiæ prouidentur, per fratres ratione huius priuilegii subtrahuntur. Dicitur enim Num. 18. cap. *Omnia quæ sanctificantur à filiis Israel, tibi tradidi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.* Et ibidem: *Omnis oblatio & sacrificium & quicquid pro peccato atq; delicto redditur mihi aut accedit in sancta sanctorum, tuum erit & filiorum tuorum.* Item per vsum horum priuilegiorum à fratribus prouenit ipsis curatis vnum aliud mirabile dispendium: scilicet quod vultus suorum pecorum, quorum curam ab episcopo suo recipiunt, non agnoscunt. Quod in curam gerente carnalem de animalibus quibuscunq; esset damnosum. Item est valde damnosum curatis à suis Parochianis contemni: & tamen conteptus eorum, vt supra Innocentius affirmat, procedit in populis ex hoc, quod Parochiani ipsorum Fratribus confitentur. Item est grauius damnum curatis, quod occasione abusus priuilegiorum fratribus concessorum quo ad tres quartas omnium funeralium & etiam omnium aliter prouenientium fratribus ex legatione siue donatione distincte siue indistincte ad vsus quoscunq; in *capitulo, Dudum*, concessas, & quo ad quartam concessam curatis & ibi taxatam. Quam quartam de multis legatis donatis atque oblatis fratres non soluunt curatis, sed infinitis cautelis adhibitis, vt curati asserunt, ipsi fratres sibi appropriant diuersis quæsitis coloribus, quod inter eos & fratres quasi vbique in populis Christianis sunt lites, contentiones & iurgia infinita: ita quod in locis quamplurimis à verbis peruenitur ad verbera, & in mentibus caritas procul abiicitur. Quæ etiam incommoda curatis ex alterius priuilegii abusu proueniunt: scilicet quod cum fratres habent conseruatorias duas, nolunt curatos aut alios habentes quæstiones cum ipsis coram propinquiore suo conseruatore facere ad iudicium euocari: sed citari eos faciunt coram magis ab eis remoto, vt propter vexationis timorem, vt dicitur, compellant eos à causarum suarum prosecutione desistere, quod in mea prouincia sæpius actum extitit, vt aliqui in ista curia præsentes affirmant: & est super hoc fama communis. Hæc & alia multa incommoda ex vsu, vel verius ex abusu priuilegiorum fratribus concessorum proueniunt in Curatis.

Item ex abusu priuilegiorum fratribus concessorum incommoda multa in clero proueniunt. Primo quod occasione priuilegii super confessionibus audiendis iuuenes quasi omnes in studiis generalibus & in domibus parentum suorum, in quibus quasi vbique fratres propter facultatem audiendi confessiones tanquam familiares existunt, fratribus confitentur: qui iuuenes fratrum fraudibus, & eorum munusculis datis allecti: quia homines prouectæ ætatis circumuenire non possunt, eorum ordines ingrediuntur, nec postmodum permittuntur, vt fama laborat, quod exeundi ab ordine habeant libertatem, sed cum eis detinentur inuiti, donec profiteantur in ordine: imo nec permittunt (vt dicitur) quod cum patre aut matre loquantur, nisi sub fratrum custodia & timore. Super quo, isto die in exitu mei hospitii vnus probus homo de Anglia, qui ob remedium obtinendum ad curiam istam accessit, mihi exposuit, quod statim post Pascha proxime iam elapsum Fratres apud Studium Oxoniense eo modo sibi suum filium non habentem annos tredecim subtraxerunt: cum quo illuc adueniens non poterat, nisi sub fratrum custodia existente habere colloquium:

cum scriptura sacra præcipiat: *qui furatus fuerit hominem & vendiderit eum, conuictus mox morte moriatur*, Exodi vigesimo primo cap. Hanc igitur pœnam si non subeant aut aliam pœnam legitimam, non mihi videtur iustum. Si enim secundum legem pro furto bouis aut ouis debet quis puniri: multo potius pro grauiori furto, & proximo læso magis nociuo amplius deberet quisque puniri. Quale est furtum huiusmodi puerorum ante annos discretionis à custodia suorum parentum. Nec poterunt affirmare, quod quia pueri sic surrepti ad Deo obsequendum deuotius adducunt. Ideo furari eos & circumuenire licet fraudibus, mendaciis & fictis promissis: quoniam hoc est contra decretum Apostoli affirmare. Dicit enim: *Ecce non sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere: faciamus mala vt veniant bona. Quorum damnatio iusta est*: ad Romanos 3. capitulo. Vtinam viderent in contrarium hoc dicentes libros beati Augustini, *De mendacio & contra mendacium*, in quibus aperte declarat, quod non est faciendum mendacium pro aliquo malo vitando: nec pro commodo acquirendo. Etiam nec pro hominis liberatione aut vita saluanda. Et pariter videtur de aliis generibus peccatorum. Et exprimit vnam inter alias pulcherrimam rationem: *Si, inquit, liceret ex tali causa proferre mendacium, tota ecclesiæ doctrina periret. Quoniam tunc prædicans fidem in publico ex tali causa posset mentiri. Cum ergo in docendo fidem, sicut & cætera, auditores in cordibus suis non ita possent arguere? Iste secundum suam doctrinam potest dicere licite in multiplici casu mendacium, nescio nec scire nunc possum an talis casus iam instet sibi: igitur fidem in docendo non debeo adhibere.* Vnde concludit, quod ad officium iusti hominis nunquam pertinet vllatenus proferre mendacium. Item hoc est nouæ legis præceptũ, sicut patet Marci decimo cap. vbi quærenti à Domino: *Quid faciam, vt vitam æternam percipiam*: taliter respondetur: *Præcepta nosti. Ne adulteraris: ne occidas: ne fureris: nec falsum testimonium dixeris: nec fraudem feceris. Honora patrem & matrem*, &c.

Non autem licet homini propter causam aliquam à seipso inuentam præceptum soluere, vt videtur. Tum quia propter hoc Saul eiectus erat à regno suo, quia contra præceptionem diuinam de demolienda tota Amalechitarum substantia animalia pinguiora pro offerendo Deo sacrificio reseruabat, vbi à Samuele Propheta est sibi responsum: *Melior est obedientia quam victima. Et auscultare magis quam offerre adipem arietum. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare & quasi scelus Idololatriæ non acquiescere*, prim. Regum 15. cap. Item quia Oza extendit manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam recalcitrauerunt boues & declinauerunt eam: iratus indignatione Dominus contra eum, percussit eum super temeritate sua, & mortuus est, *2. Regum 6. cap.* Item Propheta Domini, qui de Iuda missus est in Bethel, quia contra præceptum Domini, ne comederet aut biberet in illo loco, ibi comedit & bibit, & tamen suasus & inuitatus ab alio Propheta loci illius, qui audito ab eo diuino præcepto dicit se esse Prophetam sibi similem, à Leone est in redeundo occisus, sicut scribitur *3. Reg. 13. cap.* Hæc & istis similia satis affirmant esse delictum mortale in Fratribus pueros ita furari à suis parentibus: imo non solum videntur peccare mortaliter propter furtum, sed etiam propter circumuentionem & fraudem, cum Dominus ipse in auctoritate prætacta ita affirmet esse præceptum: *Ne fraudem feceris*: sicut affirmat esse præceptum, *ne occidas*: aut etiam, *ne fureris*. Item pariter affirmat ibi falsum testimonium esse prohibitum & vitari pręceptum, quod tamen (vt videtur) fratres exercent in pueris, cum eos suis circumuentionibus ita alliciunt. Vnde Paulus Apostolus præcepit: *ne quis supergrediatur neq; circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus*, primæ ad Thessalon. 4. cap. Ex istis consequitur graue damnum in populo, quia à multis frustrabitur id, quod amplius diligunt in hoc mundo. Item consequitur graue damnum in clero in hoc, quod iam in studiis regni Angliæ propter talem substractionem a suis parentibus puerorum laici vbique retrahunt suos filios, ne mittant eos ad studium, quia potius eligunt eos facere cultores agrorum eos habendo, quam sic in studiis eos taliter amittere. Et sic fit, quod vbi in studio Oxoniensi adhuc meo tempore erant triginta millia studentium, non reperiuntur sex millia his diebus. Et maior huius minutionis causa siue occasio præmissa puerorum circumuentio æstimatur. Et quid est isto damno grauius toti clero? non video. Item aliud damnum tam graue, quod tendit ad consummationem seu euacuationem doctrinæ in secularibus cuiuslibet facultatis est, quod isti ordines mendicantium propter infinita lucra, quæ mediantibus prædictis priuilegiis de sepulturis, & confessionibus, & aliis quæ acquirunt, tantum multiplicati sunt in conuentibus & personis conuentuum, quod non reperitur in studiis communibus de facultate artium sacræ theologię & iuris canonici, vt fertur à pluribus, de facultate medicinæ aut de facultate iuris ciuilis, nisi raro, aliquis vtilis multum liber venalis, sed omnes emuntur à fratribus, ita vt in singulis conuentibus sit vna grandis ac nobilis libraria, vt singuli fratres habentes statum in studiis, quales sunt modo innumeri, nobilem habent librariam.

Vnde etiam de meis subiectis Rectoribus tres aut quatuor misi ad studium, & dictum est mihi, quod quia nec Bibliam eis vtilem nec libros alios Theologiæ venales eis congruos ibi poterant reperire, ad suam patriam sunt reuersi, aut vnus eorum saltem rediit iam. Si ista non sit in clero grandis iactura, nulla poterit in ipso esse, cum ad exitum talem, vt videtur, intendat quod clericus in ecclesia nullus remaneat propter fratres: & sic peribit fides ecclesiæ, nisi quatenus residebit in Fratribus. Et ita, vt multis videtur, potius expediret quod prælati eis crederent, vt totam, ad

quod

quod anhelare videntur, haberent Ecclesiam, quam quod eam demoliantur hoc modo. Vnde non solum admiror, sed stupeo quali audacia tot homines supra omnes mortales in sapientia se publice extollentes contra Physicam rationem & contra sacræ scripturæ doctrinam taliter se sine modo multiplicant. Dixit enim Arist. secundo libro De anima, quod *omnium natura constantium determinata est ratio magnitudinis & augmenti.* Vnde consequitur, quod legem naturæ non seruant, sed eã abiiciunt, q in magnitudine & augmento terminum sibi non statuunt. Item, cum scriptura nos instruat *Sapien. 11. ca.* quod Deus omnia in mensura, numero & pondere disposuit: cum talis multiplicatio super mendicitate seu mendicatione, vt Fratres asserunt, sit fundata, quæ nec personarum numerum certũ potest statuere, quibus prouideat: imo nec vni personæ de cætero poterit prouidere, nec pondus, scil. vt locum fixum Mendicantes obtineant, possit præfigere. Cum vero mendici per singulos dies aut quasi suum locum egestate vrgente compellãtur exire, nec mensuram personis possint statuere, scil. vt in singulis diuinis officiis sint in numero certæ personæ, cum pari modo egestate compulsi ministeriis relictis mẽdicare sæpissime oportebit, consequitur quod modum omnipotẽtis sapientiæ disponendi isti de mendicantium Ordinibus se hoc modo multiplicant per hoc clerum & populum importune velut effrontes vbilibet onerantes. Iam enim istis in temporibus non poterit magnus aut mediocris in clero & populo vix cibus sumi, nisi tales non vocati affuerint mendicantes, non more pauperum petentes ad portas vel ostia humiliter Eleemosynam, vt Franciscus in testamento præcepit & docuit mendicando: sed curias siue domos sine verecundia penetrantes, & inibi hospitantes nullatenus inuitati edunt & bibunt, quæ apud eos reperiunt. Secum nihilominus aut grana aut similia, aut panes aut carnes seu caseos etiam si in domo nõ fuerint nisi duo, secum extorquendo reportant, nec quisquam eis poterit denegare, nisi verecundiam naturalem abiiciat. Et est mirum, quod Domini Gregorii Papæ sententiam non formidant, qui in quodam priuilegio publicato prælatis Ecclesiæ ita scribit: *Quia vero vitia sæpe sub specie virtutum occulte subintrant: & Angelus Sathanæ in angelum lucis se plerumq; simulate transformat, præsentium vobis mandamus auctoritate, quatenus si quos Prædicatorum Fratrum Ordine se dicentes in vestris partibus prædicauerunt ad quæstum pecuniæ se conuertendo, per quod religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contigerit infamare: vos tanquam falsarios capiatis & condemnetis eosdem.* Tanta est iam in ipsis subtilitas huius artis. Vnde pauperes Vicarii & Rectores & omnes de populo, quasi vbiq; istis temporibus conqueruntur. Mirabilis iste modus viuendi apparet in istis, qui se affirmant debere ex sua professione Euangelium obseruaturos contra Christi sententiam Discipulos ad Euangelizandum mittentis: *Nolite transire de domo in domum.* Lucæ decim. cap. & contra aliam scripturam dicentem: *Vita nequam hospitari de domo in domum.* Eccles. trigesim. non. ita de curia in curiam, de domo in domum discurrere, vt eorum claustrum eis sit carcer. An non est istud damnum graue in clero & populo? veraciter hoc multis appareret & omnia occasionaliter ex vsu priuilegiorum, imo abusu proueniunt, quoniam ipsa priuilegia prædicationis & auditionis confessionum tam extense exercere prætendunt, quod quisq; eos verecundatur repellere.

Item, ista priuilegia & alia infra tangenda afferunt ipsis Fratribus multa incommoda: quia videtur, quod inficiunt eos multis generibus peccatorum. Peccatum enim est se immergere peccato inobedientiæ, peccato auaritiæ, & peccato superbiæ. Videtur enim tam procuratio quam obseruantia horum priuilegiorum omnium contentorum in capitulo *Dudum, de sepulturis, in Clementinis,* & etiam aliorum præmissorum peccatis Fratres inficere. Procuratio eorum videtur eos inficere quo ad curatos in peccato iniuriæ: quia facta est contra ius siue diuinum mandatum, quo dicitur: *Non concupisces domum proximi tui. Non desiderabis vxorem eius: non ancillam: non bouem, non asinum: nec omnia quæ illius sunt,* Exod. vigesim. cap. Constat autem quod hæc iura procurata à Fratribus fuerant tempore procurationis contra iura curatorum. Igitur contra diuinum mandatum tunc fuerat ea concupiscere. Procuratio vero concupiscentiam habebat annexam & pœnitentiam (*alias penuriam*) in quocunq;. Item, cum non licebat tunc concupiscere bouem aut asinum curatorum iuxta diuinum præceptum: multo magis licuit concupiscere ea quæ curatis erant vtiliora, scil. iura præmissa. Item, illa procuratio fiebat contra præceptum de dilectione proximi: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: quoniam quisq; seipsum sic diligit, quod nollet alterum indebite concupiscere bona sua. Constat autem quod illa iura curatorum tunc non debebantur Fratribus. Igitur erant ab eis indebite procurata. Et sic contra mandatum Dei præmissum. Item, pariter suadetur per illud: *Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis, vos facite illis. Hæc est enim Lex & Propheta.* Vbi constat, quod per ly *facere* tam agere quam omittere debemus accipere, scil. vt omittamus aliis facere ea quæ nollemus: vel quæ nolle deberemus nobis fieri. Et quis Fratrum vellet aut secundum eos velle deberet, quod ab eis Monachi aut Canonici Regulares, aut Fratres alterius Ordinis tollerent ab eis priuilegia, quæ iam habent? non puto quod aliquis. Igitur nec ipsi talia iniuriosa curatis illi facere debuerunt. Item priuilegiorum procuratio peccato inobedientiæ Fratres inficit: quoniam ipsa priuilegia Regulas suæ professiones impugnant.

Primo quidem: quia in approbatione sua supponunt & suggerunt, quod illi quatuor Ordines ab Ecclesia sunt instituti atque fundati super mendicitate atque arctissima paupertate. Videtur autem quod habere ius prædicandi fidelibus non potest stare cum huiusmodi fundamento, si huic priuilegio siue iuri sit annexa potestas exigendi necessaria vitæ ab his, quibus dicti Fratres Euangelium annunciant: sicut erat in Christi Discipulis, quando ad illud

ministerium exercendum eos direxit, iuxta illud Luc. 10. c. iam prætactum: *In quamcunque domum intraueritis* &c. *Dignus est enim operarius mercede sua.* Mendici vero recte tales, vt videtur, dici non possunt. Qualiter enim dici possit vere mendicus (non dico mendicans) habens ius liberum vitæ necessaria exigendi, non video. Vnde nec Inquisitores prauitatis hæreticæ qui dicuntur abuti sæpissime potestate eis concessa, vexantes sæpe diuersas personas literatas & laicas volentes remedium quærere de iniuriis illatis per eosdem Inquisitores aut Ordinis sui Fratres, ita vt timore verecundiæ seu notationis super caussa hæresis & finalis iniusti iudicii, quale dicuntur sæpius exercere, pecuniæ summas graues ab eis extorquent. Nec quiuis pœnitentiarius aut lector habens de certo siue ex pacto necessaria vitæ suæ, videtur dici vere mendicus.

Et sic ista ministeria procurando & etiam exercendo suam professionem dissoluunt. Et ita videtur quod tam procurando quam volendo tale priuilegium ipsi procurnates suam regulam de mendicitate, non dico de mendicatione, quæ actum solum signat, volebant abiicere: & sic eam in cordibus suis abiecerunt, sicut in simili ait Saluator: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam iam mœchatus est in corde suo*, Matth. 5. cap. Si vero Fratres astruxerunt (& vere, vt mihi videtur, sicut inferius suadebo) quod huic ministerio siue officio prædicandi in ipsis non est annexa facultas exigendi vitæ necessaria ab his, quibus Euangelium Christi annunciant: quoniam non sunt vocati Fratres aut missi ad tale ministerium exercendum: sed nudam habent literam (*aliàs licentiam*) qua hæc præcepit eis, aut eos exhortatur, vt ministerium illud exerceant: ex alio capite idem consequitur, scilicet ex priuilegiis sepulturæ & facultatis recipiendi oblata Deo, & ex priuilegio audiendi confessiones omnium sibi confiteri volentium: quoniam de lege Dei confessi non apparebunt vacui in conspectu Dei; scilicet ingredientes Ecclesiam Dei pro sacramentis habendis, sicut patet *Exodi vigesimo tert. cap.* inobedientiæ peccatum incurrunt: quia contra doctrinam Apostoli ad Roman. decim. cap. illud exercent; cum dicat: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est, Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Et ad Hæbreos quinto: *Nemo sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo sicut Aaron.* Et contra Christi doctrinam: *Nolite vocari Rabbi, nec vocemini magistri. Vnus enim est magister vester Christus.* Matth. 23. Sunt ergo obedientes, qui in professione sua Euangelium Christi seruare promittunt: & tamen contra legem suam in Euangelio traditam priuilegium tale procurant.

Item, de Fratribus Minoribus hoc specialius videtur posse inferri: quoniam nemo ambigit, quin facilioris & laxioris obseruantiæ ac minoris meriti sit in eis cum istis priuilegiis super facultate prædicandi, confessiones audiendi, sepulturas habendi, & tres quartas omnium prouentuum sibi appropriandi, malle vitam transigere, quam viuere sine illis, sine quibus à Beato Francisco fuerunt instituti.

Igitur illa priuilegia procurando retro respexerunt, postquam miserunt manus ad aratrum contra præceptum & regulam sancti Francisci. Dicitur enim in eius regula isto modo cap. secundo: *Finitio vero anno probationis recipiantur ad obedientiam promittentes, istam vitam & regulam semper obseruare & nullo modo licebit eis de ista religione exire iuxta mandatum Domini Papæ: quia secundum sanctum Euangelium: Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno Dei.* Hæc ibi. Qui igitur talia priuilegia procurarunt: quia retro non dubium respexerunt, peccatum inobedientiæ contraxerunt.

Item, cum dicatur in principio eiusdem secundi capituli: *Si qui voluerunt hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos ministros prouinciales; quibus solummodo & non aliis recipiendi Fratres licentia concedatur. Ministri vero diligenter eos examinent de fide catholica & de Ecclesiasticis sacramentis: Et si hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri & vsque in finem fideliter obseruare* &c. *Finito vero anno probationis* &c. Fratres vero econtrario priuilegium procurarunt, quod tam inferiores in ordine, quam prouinciales ministri possunt homines ad ordinem suum recipere; imo ipsi Fratres indifferenteer hoc faciunt. Et cum sic priuilegium procurando volebant regulam suam in illa parte dissoluere seu laxare: consequitur, quod peccatum inobedientiæ commiserunt, aut si sine priuilegio ista agant, non minus contra suam professionem inobedienter hoc agunt.

Item, hoc eidem consequitur propter illam clausulam regulæ: *Ministri vero diligenter eos examinent* &c. Contra quam clausulam directe agunt quotidie, cum quasi nullus ad eos accedat, nisi iuuenis circumuentus, qui nec nouit quot aut qualia sunt Ecclesiæ sacramenta, nec scit fidem ab hæresibus separare, & nihilominus vix reperitur Fratrum locus notabilis, quin sit ibi puerorum infra decennium contentus vnus autem saltem dimidius. Quis potest ambigere, quin istud in Fratribus inobedientiæ sit peccatum? proueniens in ipsis ex priuilegiis prætactis, quibus ita ditantur & taliter honorantur, quod pueri ad eorum vota facillter inclinantur, & præcipue quia audiunt confessiones in domibus suis, & in domibus parentum puerorum. Igitur huiusmodi procuratio priuilegiorum istorum & abusus eorum peccato inobedientiæ inficit ipsos Fratres.

Item, cum in Regula sancti Francisci dicatur, & in *capitulo, Exiit de verborum significationibus. libro 6.* etiam declaratur à Fratribus obseruandum, quod Fratres non prædicent in Episcopatu à licuius Episcopi, cum ab illo fuerit illis contradictum. Et sanctus Franciscus in testamento suo sic dicit: *Et si haberem tantam sapientiam, quantam habuit Salomon, & inuenirem pauperculos sacerdotes huius seculi in parochiis, vbi morantur, nolo prædicare vltra voluntatem ipsorum, & ipsos omnes alios volo timere, amare, & honorare, sicut meos Dominos* &c. *& Domini mei sunt* &c. Hæc ibi. Qualem

vero

vero reuerentiam Fratres sacerdotibus pauperculis exhibent, ostendi non potest nec poterit, cum sit nulla, sed irreuerentia vbilibet loco sui reperiri poterit subrogata. Ipsi econtra priuilegium *in Capitulo Dudum*, contentum procurarunt sibi concedi, & sic procurando in voluntate sua peccatum inobedientiæ habuerunt: quia legem illam eis prius impositam tollere voluerunt. Dicit enim Beatus Augustinus super illo versiculo Psalmi 118. *Legem pone mihi Domine*, hoc modo; *Qui timore pœna non amore iustitia opera legis facit, profecto inuitus facit. Quod autem inuitus facit, si fieri posset, vellet vtique non iuberi: ac per hoc legis, quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus est voluntate.* Hæc Augustinus. Constat autem, quod Fratres procurantes, vt non obtenta licentia Episcopi in sua diocœsi possint prædicare, & confessiones audire, volebant regulam contrariam omnino non esse. Et sic extunc eam non amore iustitiæ, sed solum timore pœnæ seruauerunt: & volebat eis illam iussam non esse, & ita non illius legis prioris amici, sed inimici tunc erant, & secundum Augustinum immundi voluntate.

Item, isti procuratores priuilegia, quæ suam regulam seu professionem impugnant, non possunt (vt videtur) fideliter eo casu proferre illam clausulam orationis dominicæ: *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, Matth. sext. cap. cum tamen ad id ex professione Euangelii teneantur. Sic enim sanctus Franciscus suam Regulam inchoat: *Regula & vita Fratrum Minorum hac est; scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare*, cum nulli sit dubium quin voluntas Dei, scil. eius præceptum siue consilium sit, quod Fratres suam Regulam ab eis professam in finem obseruent, cum hoc etiam præcipiat *in Regula secundo cap.* & isti procurantes in corde suo econtra procurant, vt obseruantia relaxetur. Vnde consequitur, quod procurantes peccato inobedientiæ quo ad Deum & quo ad suam regulam sunt infecti.

Item, ex alio capite videtur hoc: quoniam nec confessiones audire, nec prædicationis officium exercere poterunt isti Fratres, sicut nec alii nisi ad sacros ordines promoti, ad quos cum peccato inobedientiæ (vt videtur) promouentur, cum sit lex communis Ecclesiæ quod nullus promoueatur ad ordinem sacrum, nisi habeat titulum sufficientem ad vestitum habendum & victum, qualem titulum, quia Fratres non habent, cum sint (vt dicunt) vere mendici: contra hanc legem, vt videtur, omnes & singuli promouentur: & sic non tantum inobedientiæ, sed etiam ambitionis caussa sublimem statum procurando sibi concedi, peccatum incurrunt.

Item, cum Regula sancti Francisci præcipiat eodem capitulo de prædicationibus quod nullus Fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi à Generali Ministro huius Fraternitatis fuerit examinatus & approbatus, & ab eo prædicationis officium sibi concessum. Et contra est priuilegium procuratum, vt scil. ministri prouinciales possint id facere. Fratres hoc procurantes iterum contra suam regulam procurabant: peccatum per consequens inobedientiæ committendo. Item, sanctus Franciscus in testamento suo sic præcepit: *Præcipio firmiter obedientiam Fratribus vniuersis quod vbicunque sint, non audeant petere aliquam literam in curia Romana per se vel per interpositam personam, neque pro Ecclesia neque pro aliquo loco neque sub specie prædicationis neque pro defensione suorum corporum.* Hæc ibi. Et Fratres econtra per seipsos ista priuilegia & etiam per literas procurabant: quoniam in ipsis priuilegiis continetur, *vestris precibus inclinati* &c. Et sic videtur, quod illa procuratio ipsos procurantes inobedientiæ peccato infecit. Sed forsitan Fratres hic dicerent, quod Dominus Papa Gregorius nonus, sicut dicitur in decre. Domini Nicolai tertii, *Exiit qui seminat*, declarauit Fratres non teneri ad mandatum Francisci in illo testamento contentum. Et respondetur eisdem Fratribus, quod Dominus Nicolaus non asserit, quod Gregor. nonus taliter declarauerit: sed dicit, *sicut asseritur*. Vnde videtur, quod Fratres super hoc nullam declaratoriam literam habuerunt: quoniam verisimile est, si quam literam habuissent, quod illam exhibuissent coram Domino Nicolao. Et tunc, vt videtur, non dixisset *vt asseritur*, sed vt in eis literis vidimus contineri.

Item esto, quod Dominus Gregorius taliter declarauerit, non aliud intendebat, quam id quod rationes concludunt. Dicit enim Dominus Nicolaus in prædicta decretali, *Exiit*, isto modo loquens de ipso Domino Gregorio nono, *Qui, sicut asseritur, attendens periculum animarum & difficultates quas propter hoc possent incurrere dubietatem de ipsorum cordibus amouens dicit Fratres ipsos ad ipsius mandati obseruantiam non teneri, quod sine consensu Fratrum & maxime ministrorum, quos vniuersos tangebat, obligare nequiuit: nec successorem suum quomodolibet obligauit, cum non habeat in parem par imperium. Nos autem circa præsentem articulum nihil duximus innouandum.* Hæc ibi: vbi quia Dominus Gregorius dicit, videtur quod Dominus Gregorius, si quid fecit, non aliud in hoc egit, quam decretum aut declarationem, quod Fratres ad illud mandatum sancti Francisci non fuerant obligati intelligendo quatenus erat mandatum ipsius: quoniam nil amplius probatur per rationes ipsius, scil. quia non fuerant euocati ad hoc omnes, quorum interfuit: & quod par in parem non habet Imperium. Cum qua declaratione videtur stare, quod Fratres illud testamentum nihilominus seruare tenebantur & in præsenti tenentur, si auctoritate diuina per Franciscum illud traditum erat eis: quoniam ad mandatum Dei non oportuit vocare ministros, nec successor Francisci Deo mandanti par fuit: sic quod rationes illæ non obstant, quin de mandato Dei & auctoritate eius intimatis Fratribus per Franciscum, Fratres tunc tenebantur & in præsenti tenentur illud testamentum seruare.

Quod autem sic fuerit, ex eodẽ testamento in fine videtur, vbi sic dicitur: *Et nõ dicant Fratres:* hæc

Hæc enim est alia regula, quæ est recordatio, admonitio & exhortatio & meum testamentum, quod ego Frater Franciscus paruulus facio vobis Fratribus meis benedictis, propter hoc vt regulam, quam Domino promisimus melius catholice obseruemus & generales ministri & omnes alii ministri & custodes per obedientiam teneantur in istis verbis non addere vel minuere, & semper hoc scriptum habeant secum iuxta regulam & in omnibus capitulis quæ faciunt quando legunt regulam, legant & ista verba & omnibus fratribus meis clericis & laicis præcipio per obedientiam, vt non mittant Glossas in regulam, nec in istis verbis dicendo ita voluit intelligi: sed sicut mihi dedit Dominus pure & simpliciter dicere & scribere regulam istam, & verba ista simpliciter & sine Glossa intelligatis, & cum sancta intentione obseruetis vsque in finem. Hæc ibi. Ex quibus videtur, quod Fratres possunt vnum eligere de duobus, aut institutorem Ordinis sui Franciscum mendacium affirmasse: & ita esse damnatũ, vel verum esse quod dicit, quod sci licet suum testamentum non est alia regula, sed recordatio prius datæ: & ita sicut tenentur priorem regulam, sic & hoc testamentum tenentur seruare. Item, cum Franciscus affirmet, quod propter hoc ipse testamentum hoc fecit Fratribus suis benedictis, vt regulam quam Deo promiserunt melius catholice obseruarent. Aut illud fecit mendacio, & iterum dicent illum damnatum: aut testamentum suum seruando suam regulam magis catholice obseruarent, & per consequens sine obseruantia testamenti illius minus catholice suam regulam obseruarent, & ita fuerunt in procurando declarationem contrariam respicientes retro, & in via regni Dei retrogadi & inepti: & sic obedientiæ peccato infecti. Item, cum ipse per obedientiam Fratribus suis præceperit, quod non adderent nec immutarent, & quod istud testamentum secum haberent, & cetera quæ sequuntur: aut impie in negocio tanti periculi præcepit, & astruere deberent hoc peccato ipsum esse damnatum: aut quod iuste & sancte ita præcepit, & habent ostendere, cur alleuiando tantæ sanctitatis pondus non respexerint retro sic se regno Dei faciendo ineptos. Item, cum in his verbis Franciscus affirmet, quod Dominus dedit sibi simpliciter & pure hanc regulam, & hæc verba dicere & scribere: aut propter tantum mendacium in exitu huius vitæ dicent eum damnatum, aut quod vere Dominus dixit sibi, quia & ita diceret Fratribus suis: & sic ipse diuinum mandatum in hoc Fratribus suis dixit: & per consequens non obstante quod illud testamentum ratione mandati sancti Francisci non teneantur Fratres seruare, nihilominus quia est mandatum Dei eis per sanctum Franciscum suum institutorem expressum, istud seruare tenentur. Eligant Fratres, quod voluerint ex duobus: & puto quod eligent affirmare, quod sancte sine tantorum mendaciorum peccatis decessit. Et sequitur quod Fratres procurando literas Apostolicas contra mandatum Dei & suæ regulæ se peccato inobedientiæ infecerunt.

Loquor contra Fratres Minores diffusius super isto: quia ipsi Londoniis incoarunt negotium, occasionem aliis Ordinibus ministrantes. Et quia ipsi præ ceteris de perfectione Euangelica disputantes eam spontaneæ mendicitati ascribunt in tantum, quod vnus de ipso Ordine prædicando in Festo omnium Sanctorum, vt mihi fuerat reportatum, descriptis quatuor gradibus paupertatis, quartum perfectionis maioris, imo summæ perfectionis Euangelicæ affirmabat: scilicet nihil in mundo habere proprium aut commune, sed mendicare cum Christo. Quod dictum statum vestrum, sicut & omnium nostrum, qui sumus inferiores, pater sanctissime scandalizat. Et ob hoc (sicut super aliis supra tactis) *Nolite iudicare secundum faciem: sed rectum iudicium iudicate.* Videtur enim valde mirabile: imo verius loquendo verisimile non videtur, quod per mille annos & fere ducentos nullus ordo erat in Christi Ecclesia militante, quam Iohannes Apostolus appellat Hierusalem circa principium Apocalyps. 21. cap. *Et ego Iohannes vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam de cœlo descendentem à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo*, qui perfectionem Euangelicam obseruauit. Sed quod Franciscus ad hoc primo ordinem adinuenit. Si enim Ecclesia militans in verbis Iohannis (si pro quia) Hierusalem appellatur, cum affirmet eam de cœlo descendere, satis constat quod tempore illo Ecclesia militans, quia de cœlesti triumphante descendens sui institutoris Christi perfectionem habebat tanquam sponsa à Christo sponso suo ornata, & non erat ita deformis, vt apice summæ perfectionis careret tunc & tot annis sequentibus. Quis tolerabiliter possit audire, quod Franciscus in fide nouitius melius atque vtilius viam humanæ perfectionis instituit, quam Deus omnipotens, omnibonus, omnisapiens fecerat in hominis institutione primaria, quem tamen Deus instituit, quod eo formato statim posuit in Paradyso, vt operaretur & custodiret illum initio sacræ scripturæ tradente, vbi operationem corporalem sufficientiam ac possessionem rerum immobilium & earum pro vsu custodiam mendicitati, vt mihi videtur docuit præferendas, quem tamen in Paradyso posuit vt operaretur & custodiret illum. Et alia scriptura concordat: quia *homo nascitur ad laborem, vt auis ad volandum*, Iob quinto. Et vt illum Paradysum sed tanquam suum custodiret, in quo bonorum mobilium & immobilium affluentiam obtineret, scilicet de isto infra loquar diffusius. Videtur igitur ex præmissis, quod Fratres procurando ista priuilegia seipsos peccato inobedientiæ infecerunt.

Item, in procurando ista priuilegia Fratres videntur peccatum auaritiæ incurrisse. Primo quia non procurauerunt sibi priuilegia alia super aliis articulis sacerdotalis officii, scilicet vt possent pueros baptizare, vt possent in subsidium curatorum in die Paschæ parochianis sacramentum Eucharistiæ ministrare, aut extremæ vnctionis eis sacramentum conferre, vbi esset tantum meritum pietatis, quantum in istis aut amplius. Sed super his solum priuilegia huiusmodi, omissis cæteris, procurabant, quibus directe vel indirecte commoda temporalia annectuntur, mirabiliores

liores cunctis mercatoribus & etiam artificibus in hoc effecti artifices quo ad lucrum adiuncta sua professione, quam fingunt super sua mendicitate seruanda. Non enim puto, quod erat à mundi origine via fallacior siue callidior ad opes facile conquirendas, quam per præmissa priuilegia mendicitati factæ obligatione vere seu ficte adiuncta.

Item, cum constet non obstante quod Fratres haberent potestatem liberam recipiendi ad sepulturam in locis ipsorum: nihilominus remanere poterat in suo robore ius commune, scilicet quod omnes oblationes & omnia funeralia deberentur Ecclesiis & ipsorum curatis. Quod igitur vnum cum altero à Fratribus fuerat procuratum, patenter videtur innuere, quod illius procurationis auaritia causa erat. Est enim Regula Aristotelis primo posteriorum: *Ad cognoscendum alicuius passionis seu effectus subiectum seu caussam præcipuam, vt prouide inquiratur, quæ est caussa, qua immediate posita ponitur ipse effectus: & qua perempta perimitur.* Quæ Regula satis affirmat, quod commodum temporale fuit in procuratione horum priuilegiorum caussa præcipua, cum sine illa procuratio hæc non fiebat: & ea sola fuerant procurata, quæ ista commoda obtinebant. Cuius rei satis patens est signum, quod non more Thobiæ ad sepeliendum rapiunt corpora pauperum defunctorum, sed instar vulturis vltra mare ad quingenta miliaria sua alimenta odorando sentientes ea quærunt, sicut dicit Auerrois Commentator *secundo de anima*, sicut recolo, *capitulo de odore*. Hoc enim signum satis affirmat, quod Fratres istud sepulturæ cum aliis annexis oblationibus priuilegium propter alimentum præcipue, non propter misericordiæ exercendę meritum procurarunt.

Item, de priuilegio audiendi confessiones omnium indistincte, aliud probabiliter, vt videtur, suspicari non poterit: cum quisque sanctus præter ipsos audire confessiones horrescat: quoniam nimium est cuique peccata sua agnoscere etsi aliena non discat. Vnde nec monachi albi aut nigri, nec regulares canonici officium tale desiderant aut alii viri sancti: nec dubium, si ex deuotione sancta talis procuratio præcederet, quod in aliquibus aliis viris deuotis non in solis Fratribus aliquotiens appareret.

Vnde probabiliter potest inferri, quod auaritia tanquam caussa præcipua in tali procuratione mentem procurantis infecit. Item, ad hoc, quod Regula sancti Francisci præcipiat isto modo: *Præcipio firmiter Fratribus vniuersis ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum, neque ingrediantur monasteria monacharum præter illos, quibus à Sede Apostolica concessa fuerit licentia specialis. Et ne fiant compatres virorum aut mulierum, ne hac occasione inter Fratres vel de Fratribus scandalum oriatur*: & Fratres econtrario procurarunt, videlicet vt audire possint consilia secretissima mulierum reginarum & aliarum omnium indistincte, etiam capite inclinato ad caput multum irreuerenter non insequentes vestigia sancti Iob, qui dicit trigesim. prim. cap. *Pepigi fœdus cum oculis meis ne cogitarem quidem de virgine*: ita vt per tale consortium iam cum pulcherrimis dominabus philosophentur in cameris. Vnde per orbem scandala, quæ nolo exprimere, de Fratribus sunt exorta patenter, vt multis videtur, per abusum huius priuilegii. Imo per abusum suæ Regulæ à priuilegio occasione sumpta inobedientiæ peccato seipsos inficiunt.

Item, quod horum priuilegiorum procuratio peccato superbiæ mentes procurantium infecit, multipliciter suadetur. Primo quia in decretali, *Exiit*, *Clementinis de verborum significatione* affirmat, quod sanctus Franciscus suos Fratres in paupertate summa & humilitate fundare volebat. Et constat, quod procurare honoris Ecclesiastici statum sublimem, humilitatem impugnat & ambitionis peccatum habet annexum. Ergo &c. Probatur minor assumpta per auctoritates iam tactas, & per illud Saluatoris filio Zebedæi responsum: *Nescitis quid petatis*, ipsis per matrem suam petentibus quod vnus eorum sederet ad dexteram eius in regno suo & alius ad sinistram. Super quo dicit Chrysostomus: *O error salutaris, qui totius mundi soluit errorem. Si enim Apostoli non errassent, vnde nos cognoscere poteramus, quia non omne quod videtur bonum, desiderare bonum est? Nunc autem scimus quia aliud est opus bonum, aliud primatus honoris.* Et scito post: *Nam desiderium primatus ex iactantia nascitur cordis. Qui autem est humilis corde, nunquam desiderat superior apparere.* Et infra: *Secularem quidem primatum desiderare & si ratio non est vel caussa est, quia si iustum non est, vtile est. Primatum autem Ecclesiasticum concupiscere neque ratio est neque caussa. Quia neque iustum est neque vtile.* Hæc ibi. Et multa addit similia, quibus nititur suadere, quod nunquam sine ambitione desideratur primatus in Ecclesia.

Constat autem quod habere statum prædicandi & confessiones audiendi, est in Ecclesia status honoris siue primatus. Inficit se ergo peccato superbiæ, qui illum procurat. Item, confirmatur hoc aliter. Cum enim Apostolus dicat: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur sicut scriptum est: Quam speciosi pedes Euangelizantium pacem, & Euangelizantium bona*, ad Roman. decim. cap. nec ipsi sunt missi à Deo ad illud officium per aliquod præceptum, quod ego vidi hucvsque. Sed videtur quod ex præsumptione propria ad officium illud ascendunt. Caueant ne aliunde quam per Christum ostium ascendentes, vt latrones ab eo iudicentur & fures, iuxta dictum ipsius Iohannis decim. c. *Amen, amen dico vobis qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed aliunde ascendit, ille fur est & latro.* Et consequenter affirmat: *Ego sum ostium.* Et sic videntur esse de eis Prophetis aut eis similes, de quibus dicitur Hieremiæ 22. *Non mittebam Prophetas & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Vnde cito adiungitur: *Ecce ego ad Prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea vnusquisque à proximo suo.*

Si enim non sunt missi à Christo, ipsi furantur verba curatorum & superiorum suorum, quibus solum de iure communi in officium prædicandi dicitur conuenire.

Item, quod obseruantia priuilegiorum istorum inficiat obseruantes, etiam modo præmisso suadetur. Quoniam nec præcipitur Fratribus nec ad eorum professionem seu regulam pertinet prædicationis officium exercere. Vnde liberum non videtur eis prædicare in publico aut confessiones audire. Cum ergo officium tale volunt admittere, videntur peccare mortaliter.

Primo quia noscunt aut scire deberent, quod priuilegia ipsa erant procurata mediantibus peccatis mortalibus supra tactis, & pro vsu ipsorum. Cum ergo illis vtuntur, gratificant procurationem iniquam: sicut quis manducans de rapina aut furto obtento pro vsu ipsius gratificaret manducando ipsam rapinam aut furtum; & possidens beneficium ad eius commodum simoniace procuratum, communicaret cum procurante in simoniæ peccato: & illud gratum haberet & esset sub illo decreto Apostoli ad Roman. primo cap. *Qui talia agunt, digni sunt morte: non solum autem* &c. vt supra posui. Nec excusari per concessionem siue licentiam Domini Papæ potuerunt (vt videtur) quoniam Dominus Papa in sua concessione obstantiam illam non posuit, nec eum eam ponere decuisset, scilicet, *Concedimus ista Fratribus non obstante conscientia eorum peruersa*: sed solas substantias iurium humanorum videtur intendere relaxare: sicut si homicidæ, simoniaco, aut habenti corporalem defectum latentem, qui eum redderet inhabilem, concederet facultatem plura beneficia curata retinendi: non propter hoc potest inferri, quod licite siue iuste illa poterit retinere, sed iuste secundum quid, scil. quantum ad hoc quod non impugnaret illius legis obstantiam. Et sic si beneficia retineret, non obstante dispensatione peccaret mortaliter. Sic etiam mihi videtur in nostro proposito: scil. quod licet quoad ius illud, quo talia ministeria solum debentur curatis per Dominum summum Pontificem cum Fratribus dispensetur, non propter hoc potest inferri, quod Fratres iuste poterunt simpliciter priuilegiis illis vti, sed iuste secundum quid, scil. quo ad hanc legem eis prius obstantem. Cum quo stare videtur, quod sine peccatis mortalibus illis priuilegiis vti non possunt, quoniam (vt videtur) per gratificationem illam continue ab eis retentam remanent in peccato mortali, ac si ipsi tunc aut procurarent aut procurantibus assentirent. Et si dixerint ipsi Fratres, quod Fratres possunt & poterunt pœnitere de isto peccato: & sic non potest concludi, quod iam aliqui non remaneant in peccato. Econtra dicetur, quod sicut in furto non poterit quis veraciter pœnitere, nisi prius facta restitutione sublati, sic nec in nostro proposito. Sed dicerent, quod in præsenti saltem habent iuste quantum ad curatos hæc iura & emolumenta inde sequentia: quia per summum pontificem, qui sufficientem potestatem habet & habuit ad eadem concedenda, & ita ea restituere non tenentur. Ibi econtra dicetur, quod non obstante titulo acquisito per Dominum summum pontificem restituere indirecte, licet non directe, arctari videntur: quoniam Dominus Papa illam culpam gratificationis prætactam in concedendo priuilegium non relaxat, imo nec potuit relaxare Fratribus ipsis non vere pœnitentibus aut contritis. Et quamdiu illud peccatum manet in Fratribus, non possunt (vt videtur) veraciter pœnitere, nisi iura subtracta rectoribus quantum in eis est, restituant.

Vnde videtur quod Fratres quamdiu non restituunt illa iura, quamuis etiam propter concessionem Domini Papæ factam Fratribus non debeantur de lege humana curatis, Fratres non possunt veraciter pœnitere. Quis enim vere pœniteat de alicuius rei acquisitione iniqua, & nihilominus de eius retentione lætatur? nemo, vt videtur probabiliter iudicandum. Fratres igitur pœnitentes & ipsa priuilegia obseruantes, sunt peccatis prætactis mortalibus inuoluti siue infecti.

Item, de ista licentia in casu consimili tractat Beatus Bernhardus diffuse in *secunda Epistola ad Adam Monachum*. Et est casus, quod ille monachus post professionem suam in monasterio factam quo ad perpetuam moram ibidem, sicut habent de more, vt dicitur, ad aliud monasterium cum suo abbate accessit, vbi moratus est de licentia sui abbatis: & eius mandato petita etiam super hoc summi pontificis licentia & obtenta. Quem Bernhardus aperte redarguens nititur ratione multiplici affirmare, quod nec sine peccato etiam de iussu sui abbatis debebat hoc facere, nec de licentia summi pontificis, cuius licentiam petere non debebat. Ad suadendum primum supponit vnum principium, quod etiam Aristoteles *tertio Ethicorum* describit, & ponit scil. quod sunt aliqua simpliciter bona, quæ fieri mala non possunt: & aliqua mala, quæ fieri simpliciter bona non possunt. Et inter ista extrema sunt duo media, quæ bene fieri possunt & male. Exempla primi sunt secundum eum charitas, fides, & spes. Exempla secundi, furtum, homicidium, incestus, & istis similia. Exempla tertii gradus sunt, obedientia, ieiunium & istis similia, quæ etiam bene & male possunt fieri iuxta conditiones annexas. In quibus solum, vt sibi videtur, obedientia locum habet. Hoc posito inquiritur in quo gradu sit hoc factum, in quo paruit iussui sui abbatis, & affirmat quod fuit in secundo, scil. in gradu malorum simpliciter, ex hoc, vt sibi videtur, vere concludens, quod non potuit bene fieri & ob hoc in hoc facto iussioni sui abbatis parere non debuit, sed plane resistere, quia in tali opere de se malo, scil. in solutione promissi sui abbatis debebat obsistere. Item, ponit pro Regula, quod duobus præcipientibus contraria potius maiori est parendum.

Cum igitur Deus præcipiat vota seruare, & obedientiam sibi debere obseruari, si abbas suus Deo inferior præceperit illud dissoluere, debebat Deo potius obedire, mandato sui abbatis con-

-m-

[illegible]pto. Item, [illegible] Bernhardus allegat illud Saluatoris Matth. decim. octau. cap. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius & demergatur in profundum maris. Va mundo ab scandalis, necesse est tamen vt veniant scandala. Veruntamen va homini illi, per quem scandalum venit.* Atque adiungit, quod [illegible] Adam monachus suum monasterium deserendo non solum scandalizauit vnum Christi pusillum, sed multos. Ex hoc apparet, vt sibi videtur, concludens quod ipse vę illud Saluatoris incurrit suo abbati parendo in casu præmisso. Vtinam igitur Fratres [illegible], qualiter per istorum priuilegiorum abusum ab eis non solum scandalizantur pauci & pusilli, [illegible] & multi [illegible] magni, & per totam Christi Ecclesiam, & ex illo coram Deo sancte concludetur, quid merentur, & multa alia ibi adduxit. Item, quantum ad licentiam summi pontificis dicit aperte, quod affert mali compendium: quia non excusat factum sequens de se malum: & eius petitio fuit mala. Quia, vt dicit, velle habere ad malum licentiam, semper est ma-[illegible] quantum ad Dominum Papam concedentem licentiam, ipse sic dicit: *Quis esse malum [illegible] consensum prabere malo? quod tamen fecisse summum pontificem [illegible]quam crediderim, nisi circumuentum mendacio, aut importunitate victum.* Hæc est sancti Bernhardi sententia. Videant aut ipsi Fratres, an non ita sit circa istam licentiam impetratam per eos, sicut circa Adæ monachi licentiam procuratam, & cum sancto Bernhardo concludant, quod peccatum procurationis licentiæ cum inobedientia & solutione suæ Regulæ subsecuta affert eis mali compendium, sicut ipse Bernhardus affirmat in simili. Item, ex quo quisque Frater cum prædicationis officium aut audiendæ confessionis exercet, possit id respuere, sine peccato consequitur (vt videtur) quod ipse illud officium tunc contra suam professionem gratis assumit. Et ita sicut in procuratione priuilegiorum parum superius est suasum, quod procurantes peccauerunt mortaliter contra diuina præcepta ibi expressa, sic iste peccat mortaliter contra eadem diuina mandata libere vtendo licentia impie procurata: & inficitur peccatis iniuriæ, inobedientiæ, auaritiæ, atque superbiæ, vt videtur, cum ex eisdem caussis iniquis ipse vtatur licentia procurata, ex quibus alius procurauit, scilicet propter ditationem & honorem. Vtinam adulterium huius vsus licentiæ caussa tertia non existat, licet super hoc in clero & in populo sit communis fama.

De ista priuilegiorum materia & eorum abusu & contrarietate ad professionem Fratrum, & quo ad duas conclusiones per me suasas superius ista mihi sufficiant in præsenti. Alia plura, si oportebit, adiiciam: & non ambigo quin si vellem illud facere, alii non omitterent. Super his omnibus per me modo petitis atque expressis, pater sanctissime, *Nolite iudicare secundum faciem: sed iustum iudicium iudicate*: per vestram sanctitatem, aut per aliquos meos dominos Cardinales, suspenso vsu priuilegiorum, prætactam per me materiam contingentium in quacunq; sui parte lite pendente & prædicta constitutio declaretur, si id fuerit visum iustum.

Prima conclusio erat, quod Dominus Iesus Christus in conuersatione sua humana semper pauper erat, non quia propter se paupertatem dilexit aut voluit, verum quia quo ad paupertatem, quam Dominus noster sustinuit, mihi aduersantes & ego non fuimus contrarii: sed quo ad modificationem adiectam, *non quia propter se paupertatem dilexit aut voluit*, illam particulam suadebo. Primo [illegible] esse pauperem est esse miserum siue in miseria esse. Nemo vero propter se diligit miseriam. Ergo nullus propter se diligit paupertatem.

Item secundum doctrinam Aristotelis in primo Ethicorum: *Nihil est propter se diligibile, nisi quod sublato omni commodo subsequente gratitate captaretur.* Paupertas vero, etsi propter eius tolerantiam facit vt homines mereantur: tamen si nihil commodi propter tolerantiam sequeretur, nec à Deo nec ab homine nec à Diabolo captaretur. Igitur paupertas à Christo propter se nunquam est dilecta.

Item, nullus effectus peccati est propter se diligibilis: sicut nec ipsum peccatum est diligibile, etiam si corrupto animo paupertas diligatur. Paupertas vero est effectus peccati. Ergo &c. Probatur minor: quoniam si primi parentes nostri innocentiam tenuissent, nunquam de nostra progenie pauper aliquis extitisset. Item, nulla priuatio bona est per se diligibilis, cum omnis habitus bonus sit propter se diligibilis: & iuxta Regulam Philosophi tertio Topicorum: *Si propositum de proposito & oppositum de opposito.* Item, quod si habitus est bonus, priuatio est mala. Et si priuatio est bona, habitus eius est malus. Ditatio vero, quæ est habitus bona est & Deo amabilis, cum ipse summe sit diues. Ergo paupertas, quæ ditationem priuat, est mala. Non est ergo propter se diligenda paupertas. Et videtur nimis puerile ad istud probandum insistere: cum nemo, vt puto, nisi propter defectum in Physica aut Logica, diceret oppositum.

Secunda conclusio erat, quod Dominus noster Iesus Christus nunquam spontanee mendicauit: quam sic primo suasi. Si ipse spontanee mendicasset, contra diuinum mandatum egisset: *Non concupisces domum proximi tui. Non desiderabis vxorem eius: non seruum: non ancillam: non bouem: non asinum, nec omnia qua illius sunt*, Exod. vigesim. cap. quoniam qui spontanee mendicat, petit: & per consequens concupiscit rem proximi sui. Igitur qui spontanee mendicat, facit contra diuinum præceptum. Quod de Christo nemo auderet astruere.

Item, si Christus spontanee mendicasset, aliud mandatum diuinum soluisset, scilicet: *Omnino egenus & mendicus non erit inter vos*, Deuteron. decim. quint. cap. quoniam, scilicet non ser-

uaret legem regiam præcipientem, quod in ciuitate non sit quisquam inermis, qui permitteret aliquos esse inermes, cum posset eis de armis succurrere. Sed ille qui cum posset remanere armatus, arma sua sponte in flumine demergeret, esset inermis & sineret alios esse inermes. Ergo peccaret. Sic ille sacerdos in Ecclesiæ legem delinqueret, qua sacerdotibus est præceptum, vt offerant dona & sacrificia pro peccatis, qui ad hoc sponte se redderet impotentem siue inhabilem. Sed nemo, vt æstimo, auderet de Saluatore asserere, quod fecerit contra diuinum mandatum. Nunquam ergo spontanee mendicauit gratis se faciens mendicum. Nec fingere quis potest, quod præmissum præceptum est ceremoniale, cum sit vere morale, & arctius in lege noua, quam in lege antiqua expressum, cum Saluator præcipiat Lucæ vndecim. cap. *Quod superest date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, vbi quicquid est vltra sufficientiam præcipitur dari, vt nullus mendicus siue egens in plebe remaneat, & non seruanti comminatur pœnam æternam, Matth. vigesimo quint. cap. isto modo: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare &c. Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est Diabolo & angelis eius.* Vnde clarescit quod arctius Christicolæ obligantur à Domino ad non permittendum inter eos mendicos, quam homines sub lege antiqua.

Item, Christus imperatoriæ legi erat subiectus: quoniam & soluit tributa Cæsari, sicut legitur Matth. decim. septim. cap. vbi sic dicitur: *Et cum venisset Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum & dixerunt ei, Magister vester non soluit didragma? Et cum intrasset domum, vocauit eum Iesus dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis. Dixit ille Iesus: Ergo liberi sunt filii. Vt autem non scandalizemus eos: vade ad mare & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle. Et aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te.* Hæc ibi. Et decreuit tributum illi esse soluendum, cum quærentibus ab eo, an licet censum dare Cæsari, & obtulerunt ei denarium cuius superscriptio Cæsaris erat, ait illis: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo*, Matth. vigesim. secund. cap. Nec fuisset conueniens, vt videtur, quod ipse tanquam legem communem decreuisset esse seruandam, quam subire nolebat. Voluit igitur tali legi esse subiectus, sicut erat subiectus Ioseph fabro: quanto magis (vt videtur) voluit esse subiectus legi imperatoriæ, quæ fuerat naturalis, quæ præcipiebat vt mendicantes validi non remanerent in ciuitatibus. Et quanto magis nec mendicantes spontanee in ciuitatibus debuerant remanere.

Item, si Christus spontanee mendicasset, legem de dilectione proximi mendicando soluisset. Quoniam qui vere diligit proximum suum, sicut seipsum, non vexat eum indebite: sicut nec velle debet seipsum à proximo vexari indebite. Petere vero à proximo quod suum est non egendo: est ipsum vexare indebite. Christus ergo nunquam sic egit. Item, cum Scriptura dicat: *Proximo suo pauper odiosus erit*, Prouerb. 14. cap. quanto magis mendicus proximo redditur odiosus. Si ergo Christus spontanee mendicasset, se reddidisset proximis suis odiosum: quod non videtur, nisi alia rationabilis caussa subesset.

Item, si Christus spontanee mendicasset, suo Euangelio offendiculum posuisset, quod ipse miraculis confirmauit. Quoniam audientes eius doctrinam & videntes eius miracula rationabiliter (vt videtur) potuissent illa potius dicere esse illusiones & magica, quam vera miracula, cum sit verisimile, quod quilibet sibi potius ac prius succurrere debet quam alteri. Quomodo ergo pasceret ille quatuor aut quinq; millia hominum faciendo miraculum, qui sibi non poterat procurare victum, sicut alias illudebant ei in cruce pendenti ita dicentes: *Alios saluos fecit seipsum non potest saluum facere: si rex Israel est descendat de cruce nunc & credemus ei*, Matth. vigesim. septim. cap. Item, si Christus spontanee mendicasset, legem suam propriam, quam dicit esse legem & Prophetas, soluisset: *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines vos facite illis. Hæc enim est lex & Prophetæ*, Matth. septim. cap. Quoniam nec ipse velle aliis debebat, vt ipsi sine indigentia inquietarentur ab eo: quod tamen facit, quicunq; spontanee, scilicet non egendo, mendicat.

Item, Paulus Apostolus 1. ad Timoth. 6. cap. condemnat eos, qui quæstum æstimant pietatem. Quicquid vero Paulus condemnat, Christus per Paulum condemnat: quia Euangelium suum accepit per reuelationem ipsius, vt ipse Paulus affirmat *ad Galatas primo cap.* Igitur si Christus spontanee mendicauit, cum spontanee mendicare sit quæstum expetere vel verius procurare: Christus exercuit per seipsum, quod condemnauit per Paulum, & erat sibi contrarius (quod nephas est dicere.) Ergo Christus nunquam spontanee mendicauit. Item, si Christus spontanee mendicauit: Christus facto fecit mendacium: quonam quis ita facto contra mentem agendo, sicut verbo mentitur. Qui vero non egendo, sed spontanee postulando Eleemosynam affirmaret verbo se esse egenum siue mendicum mentiretur in verbo. Igitur qui ita petit Eleemosynam non egendo, facto mentitur, quod nemo dicit de Christo. Item, si Christus spontanee mendicauit, vere fuit hypocrita apparens mendicus, non vere existens. Christus vero nunquam fuit vere mendicus: quoniam nullus est vere mendicus, quamuis mendicet: sed fictus, qui sibi potest sufficere. Qui vero mendicat spontanee, est sibi sufficiens: alias scilicet nō spontanee, sed impellente indigentia mendicaret. Christus ergo ex quo non erat hypocrita, nunquam ficte aut spontanee mendicauit. Item, si Christus spontanee mendicauit, cur Petrus Apostolus matrem sancti Clementis Discipuli sui, quam ad laborandum manibus æstimabat fuisse robustam, quia eam inter mendicantes reperit, acriter increpauit, sicut fecisse legitur *in vita sancti Clementis*.

Ex

Ex quo in hoc secuta est Christum. Qui igitur Christum dicunt spontanee mendicasse, habent ostendere: quod, vt videtur, non possunt. Nunquam ergo Christus spontanee mendicauit. Item, si Christus spontanee mendicauit, Clemens Petri successor multum errauit, qui mendicitatem in cunctis conuersis ad fidem pro viribus excludere laborauit. Ex hoc specialiter ab Ecclesia cōmendatus: cum mendicitas ipsorum perfectionem secundum istam Philosophiam auxisset. Item, si Christus spontanee mendicauit, cur Clemens Iacobo Hierosolymitano Episcopo in Epistola sibi directa, vt ponitur in decretis *12, q. 1. c. dilectißimis*, doctrinis & exemplis Apostolorum obedire praecepit, si mendicare ad perfectionem vitae pertineat. Et inter Apostolos & Discipulos, vt & ibi praemittitur, nullus erat egens: & sic dicentes habent ostendere. Item, si Christus summus sacerdos existens spontanee mendicauit, Ecclesia sancta scienter errauit: cum statuit nullum debere sine sufficienti titulo ad sacros Ordines promoueri, cum caput Ecclesiae suo exemplo docuerit mendicandum. Item, si Christus spontanee mendicauit, scandalum intulit Ordini clericali: cum iuxta canonicas sanctiones Episcopus aut clericus mendicans inferat Ordini clericali opprobrium.

Item, si Christus spontanee mendicasset, reddidisset seipsum de peccato suspectum: quoniam sibi verecundiam intulisset: cum non aliunde praecipue dicatur spontanea mendicatio meritum mendicanti acquirere, nisi quia est actus humilis atque difficilis propter annexam erubescentiam naturalem. Erubescentia vero siue verecundia non cadit in hominem studiosum, sicut affirmat Aristoteles *quarto Ethicorum, in fine*. Non ergo erat in Christo: & per consequens nec spontanee mendicauit. Item, si Christus spontanee mendicauit, mendicare spontanee ad perfectionem vitae pertinuit. Inepte igitur dedit Christus Dominus legem antiquam statuens, vt sacerdotes, in quibus debebat esse summa vitae perfectio, possessiones haberent & decimas, si eis fuisset perfectius mendicare. Item, si sic, totus mundus sub lege naturae errasset, statuens sacerdotibus prouideri de publicis horreis circa cibaria: sicut legitur *in fine Genesis*, si eis fuisset amplioris meriti mendicare. Item, si Christus spontanee mendicauit: tunc mendicitas ad perfectionem Euangelii pertineret, & Ecclesia Dei errauit scienter ditationem Ecclesiarum admittens: & sic perfectionem suorum praelatorum imminuens, quod dicere mihi nephas videtur: licet nescio quae somnia ferant in contrarium.

Item, si mendicatio siue mendicitas ad perfectionem vitae pertineret Christianae, vt à Fratribus Mendicantibus affirmatur, cur nec Christus nec Spiritus sanctus in scripturis sacris super hoc alicubi nos instruxit: videtur nimis mirabile, nec verisimiliter credi potest. Et puto quod erit mirabilius: quia à principio sacrae Scripturae vsque in finem, vnum ad hoc verbum notabile non poterit inueniri, quin ad alium sensum sit dictum. Item, cum Christus Discipulis suis promiserat: *Cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, Iohannis decim. sext. capitulo: aut Spiritus sanctus sui officii erat oblitus, quando venit ad Apostolos in Die Pentecostes non docens hanc veritatem mendicitatis Apostolos, cum de hoc penitus in eorum *Actibus* nihil appareat: aut ipsi posteris inuidentes veritatem eis doctam à Spiritu sancto tradere noluerunt. Quorum neutrum prouidus homo affirmabit. Non ergo pertinuit spontanea mendicatio siue mendicitas ad tradendam per Apostolos veritatem.

Item, quid dicent ipsi de Melchisedech, qui erat sacerdos Dei altissimi & rex Salem, quem supra Abraham Paulus extollit, *ad Hebraeos septimo cap.* qualiter sine mendicatione spontanea tantus extat, cum non ipse, secundum cuius Ordinem Christus erat sacerdos, non vt Christus spontanee mendicauit ordinem suum tradens: habent contrarium affirmantes ostendere. Item, cum Propheta dicat Prophetice: *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem*: quomodo mendicitas Christo ascribitur contra Sermonem Propheticum, qui erat iustissimus? Item, si Christus spontanee mendicauit, cur mittens Discipulos ad Euangelium praedicandum, non id eis praecepit, sed directe contrarium, scilicet vt de mercede laboris sui manducarent & biberent, ita dicens: *In quamcunque domum intraueritis, in eadem domo manete edentes & bibentes quae apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua*, Lucae decim. capitulo. Item, si Christus spontanee mendicauit, nunquam laborem ad victum acquirendum mendicationi praeposuisset: quoniam si econtra fecisset, scilicet si laborem aliquotiens praetulisset, nullus ex eius operibus didicisset nunc quid eligibilius esset, videlicet victum sine mendicatione manuum labore perquirere, an labore postposito mendicare. Quod autem Christus victum laborando sibi acquisiuit probabile est, quod à vulgo non solum vocatus filius fabri, sed faber: quoniam ex hac appellatione vulgari videtur, quod pro victu suo cum Ioseph patre putatiuo opus fabrile exercuit. Pro ista conclusione ad nunc ista sufficiant, donec aduersantes fortiora adducendo ista impugnent.

Tertia conclusio huius materiae fuit: quod Christus nunquam docuit spontanee mendicare. Haec taliter suadetur. Christus coepit facere & docere, *Actuum primo capitulo*. Si igitur mendicare spontanee docuisset, cum iuxta praecedentem conclusionem nunquam spontanee mendicauit, fuisset sibi contrarius in opere & sermone, scilicet docens & non faciens, quod non verisimile videtur. Item, si Christus nunquam spontanee mendicauit, & alios docuit mendicare, reddidisset se de sua doctrina suspectum, sicut patet in argumento sexto conclusionis prioris. Item, posuisset offendiculum Euangelio suis Apostolis, sicut deducitur in sexto argumento ibidem.

Item, sic dicendo legem imperatoriam iustam soluere docuisset, sicut ibi in tertio art. tactum est. Item, si docuisset spontanee mendicandum contra leges superius allegatas & rationes quasi omnes ad præcedentem conclusionem adductas fecisset. Quæ ita istam, sicut & illam conclusionem affirmant. Item, si docuisset spontanee mendicandum, tunc Petrus particeps huius doctrinæ nimis imprudenter egisset in allegando caussas meritorias præmii sibi reddendi illam tam sublimem, secundum istos caussam merendi tacens, cum dicit, sicut legitur Matth. decimo non. capitulo: *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te.* non addens, & mendicauimus spontanee propter te: quod quia non fecit, consequi satis videtur, quod illa conditio ad statum perfectionis non pertinet.

Quarta conclusio fuit, quod Dominus noster Iesus Christus docuit non debere hominem spontanee mendicare, sicut scribitur Lucæ 14. capitulo: *Cum facis conuiuium, voca pauperes & debiles, claudos & cæcos, & beatus eris. Quia non habent, vnde possunt retribuere tibi.* Igitur non debent vocari ad Eleemosynæ conuiuium pauperes robusti: quia possunt retribuere saltem suo labore: sicut nec diuites debiles, claudi aut cæci debent ad tale conuiuium vocari, quia habent vnde retribuere possunt. Non cerno cur surdos, monachos & mutos non nominat inter vocandos: quia nec ipsi, si sint debiles & claudi vel cæci, possunt mendicando transire de loco in locum, quod facere nequeunt debiles, claudi & cæci: sed Domini Fratres istam expositionem ponunt inter errores. Item, Paulus Apostolus tanquam decretum affirmat: *Qui non vult operari, non manducet*, loquens de hominibus, qui aliunde victum de certo non habent, *secunda ad Thessalonicens. tertio capitulo.* Et sequitur pœna, quam præcepit non parenti suis dictis infligi: quod *si quis non obedierit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Nec dubium, quoniam non præciperet tam grauem pœnam negligenti laborare, nisi quia valde graue tali casu delictum committit. Dicit enim ibidem de seipso hoc modo: *Ipsi enim scitis, quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos. Nec gratis panem manducauimus ab aliquo: sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus, non quasi non habuerimus potestatem: sed vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud vos, hoc denunciauimus vobis: vt qui non vult operari, non manducet.* Vbi satis apparet, quod à fortiori volebat arguere: scilicet ex quo ipse, qui potestatem habuit sumendi carnalia ab his, quibus tanquam verus Apostolus seminabat spiritualia, ne quenquam grauaret, potius nocte & die in fatigatione erat atque labore pro victu: tanto magis alii potestatem huiusmodi non habentes laborare deberent & non inquietando alios mendicare. Et vtinam hi homines, qui labori otium mendicationis præponunt, attenderent librum Beati Augustini *De opere monachorum*, vbi hanc conclusionum pertractans per totum librum vsque prope finem conatur ostendere, quod labor debet otio contemplationis præferri: cuius in præsenti rationes omitto, sed alias eis vtar.

Item, ex quo sacra scriptura pigrum hominem reprehendit Prouerbiorum sext. hoc modo: *Vsque quo piger dormies? Quando consurges è somno tuo &c. paululum manus conseres, vt quiescas, veniet tibi quasi viator* (alias *turbo*) *egestas tua & mendicitas* (alias *pauperies*) *quasi vir armatus.* Eiusdem vigesim. cap. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo in æstate, & non dabitur ei.* Et eiusdem vltim. cap. commendat mulierem fortem, cuius digiti apprehendere fusum. Constat igitur, quod per hæc dissuadetur mendicationis ocium labore neglecto.

Item, sanctus Franciscus in suo Testamento dicit sic: *Et ego manibus meis laborabam, & volo vos laborare. Et omnes alii Fratres firmiter volo quod laborent & viuant de labore suo, quod pertinet ad honestatem: & qui nesciunt, discant non propter cupiditatem recipiendi mercedem laboris, sed propter exemplum boni operis & ad repellendum ociositatem. Et quando non datur nobis precium laboris, recurramus ad mensam Domini petendo Eleemosynas ostiatim.* Hæc ibi. Et in Regula sua dicit sic: *Fratres illi, quibus gratiam Dominus dedit laborandi, laborent fideliter & deuote.* Vnde est valde mirandum, qua fronte Fratres audeant aut spontaneam mendicationem exercere, aut mendicationem labori ecöntrario suo institutori præferre: & eo amplius est mirandum, quod homo ad laborem nascitur, vt dicitur *Iob quint. cap.* & mendicare est contra legem institutionis nostræ primariæ: in qua seruata nullus fuisset vnquam mendicus siue mendicans.

Item, Christus in hoc non mendicare spontanee docuisse videtur, quod ipse in sua persona vti potius miraculo voluit, quam mendicare: scilicet cum misit Petrum ad mare, vt staterem in ore piscis reciperet inuentum, & exactoribus didragmatis pro se & pro Petro Petrus exolueret: cum tamen eo casu tam honoratus in populo staterem mendicando facile impetrasset.

Item, alia facta eius idem videntur ostendere, quoniam potius vsus fuisse videtur illa lege Diuina: *Dignus est operarius mercede sua*, Lucæ decim. capitulo, ac Matthæi decim. *Dignus est operarius cibo suo.* Sicut Discipulis suis indixit, quando asinum, cui insedit, sibi iussit adduci. Et quando aperte Zacheo præcepit: *Zachee festinans descende: quia hodie in domo tua oportet me manere*: Vbi tanquam ad hoc potestatem habens apertissime imperauit: *Festinans descende.* Sic quando erat in templo, & circumspectis omnibus, cum iam vespera esset facta, exiuit in Bethaniam cum duodecim, sicut legitur Marci vndecim. potius illo iure vti voluit, quam ab aliquibus mendicare.

Prius

Prius enim in Bethania Euangelium nunciabat. Aut si potestate hac vsus non fuerat, sed declinauit ad amicos, tunc saltem maluit amicos onerare, quam ab aliquo mendicare. Item, hoc aperte præcepisse videtur suis discipulis eos mittens: *Nolite transire de domo in domum*, Luc. 10. capitulo. Quod tamen de cursu communi oportet facere mendicantes (scriptura nihilominus alia affirmante) *Vita nequam hospitari de domo in domum*, Ecclesiast. vigesim. non. capitulo. Sacra scriptura alibi talem mendicitatem pariter reprobante hoc modo: *Pes fatui facilis in domo proximi*, Ecclesiast. vigesim. prim. cap. & Ecclesiast. quadragesim. cap. *Fili mi tempore vitæ tuæ ne indigueris. Melius est enim mori quam indigere. Vir respiciens in mensam alienam, non est vita eius in cogitatione victus. Alit enim animam suam cibis alienis. Vir autem disciplinatus & eruditus custodiet se. In ore imprudentis conculcabitur inopia, & in ventre eius ardebit ignis.* Hæc ibi. Item iuueni, vt esset perfectus, ita consuluit, vt venderet omnia sua & daret pauperibus & sequeretur eum. Eius vero sequelam in modo viuendi non dubium debemus accipere.

Cum igitur secunda conclusio confirmauit, quod Christus nunquam spontanee mendicauit: consequitur quod sine spontanea mendicatione docuit iuuenem debere ipsum sequendo esse perfectum. Et sic saltem perfectum docuit non debere spontanee mendicare. Ex his probabiliter potest inferri, quod Dominus noster Iesus Christus docuit hominem non debere spontanee mendicare.

Quinta conclusio huius materiæ mendicitatis erat, quod nullus potest prudenter & sancte spontaneam mendicitatem super se assumere perpetuo obseruandam. Ista sequitur plane ex aliis suprasuasis: quoniam ex quo talis mendicitas vel mendicatio est dissuasa à Christo Apostolis & Discipulis, & ab Ecclesia sacris scripturis etiam reprobata: consequitur, quod non potest prudenter & sancte assumi, quamuis secundum æmulationem Dei possit assumi: sicut Marcus imprudenter, etsi zelo bono, pollicem sibi præcidit. Item, sic mendicitatem assumens se in tentationem inducit contra doctrinam Orationis Dominicæ, Matth. 6. capitulo: *Et ne nos inducas in tentationem.* Qua enim conscientia potest quis petere à Deo, ne Deus inducat eum, id est permittat induci, in tentationem, qui se spontanee in tentationem inducit. Quæ enim est maior tentationis occasio, quam mendicitatem assumere? cum Salomon aperte dicat & pronunciet: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: sed victui tantum tribue necessaria, ne forte satiatus alliciar ad negandum te & dicam, quis est Dominus? Et egestate compulsus furer & periurem nomen Dei mei*, Prouerbiorum trigesim. cap. Vbi patenter ostendit, quod mendicus ad furtum & periurium nominis Dei sui facile impulsu egestatis vrgetur. Vnde Ecclesiastici vigesim. septim. capitulo dicitur: *Propter inopiam multi deliquerunt.* Constat ergo, quod qui mendicitatem super se sponte assumit, occasionem grauem & facilem tentationem assumit. Item, sic mendicitatem assumens ad officium sacerdotale, imo ad omnes Ordines sacros, vt videtur, se reddit inhabilem, cum sine titulo sufficienti de victu & vestitu secundum Ecclesiæ leges satis talis habere non possit. Quod non videtur prouide esse factum, sed potius imprudenter.

Item, talem mendicitatem assumens se arctare videtur ad Dei leges prædictas in conclusione secunda de Christi mendicitate soluenda, scilicet *Non concupisces domum proximi tui* &c. Et, *omnino egens & mendicus non erit inter vos.* Et, *omnia quæcunque vultis* &c. Et fere rationes omnes conclusionum trium præcedentium hanc, vt illas affirmant. Vnde non video in sermonibus, de quibus in propositionis istius principio mentionem iam feci, qualiter ista opinio de obseruantia mendicitatis spontaneæ fuerat introducta, nisi ignorando scripturam, aut fingendo eam esse Christi vitæ conformem, vt per ipsam quæstus amplior haberetur.

Vnde sexta conclusio materiæ huius erat, quod non est Regula Fratrum Minorum mendicitatem spontaneam obseruare. Hæc occulta fide poterit suaderi per hoc, quod in Regula & in Testamento sanctus Franciscus suis Fratribus indistincte mendicationi præfert laborem. Item, rationes conclusionum precedentium istam probant, vt illas principio hoc adiecto, quod Regula ipsa est sancta, quod principaliter asseritur & probatur capitulo, *Exiit*, supradicto.

Septima conclusio huius materiæ erat, quod bulla Domini Alexandri quarti, quæ libellum Magistrorum condemnat, nullum præmissarum conclusionum impugnat. Hæc taliter suadetur, quod Dominus Iohannes vigesim. secund. in constitutione sua, *Quia quorundam*, dicit expresse, quod Dominus Nicolaus tertius illam Bullam, & omnes literas prædicti Alexandri quarti, quantum ad omnes articulos, quos sua declaratio retinet, reuocauit.

Constat autem, quod paupertatem Fratrum Minorum, quam arcta esse debeat, Nicolaus tertius declarauit, quam Fratres mendicitatem intelligunt.

Item constat, quod Dominus Nicolaus tertius de Fratrum labore declarat, & etiam de prædicatione non facienda in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eodem eis fuerit contradictum. Ergo quo ad istos articulos Bulla Domini Alexandri est à Nicolao quassata. Nec in ipsa Bulla recordor aliud quicquam esse, quod aliquam præmissarum conclusionum infirmet.

Dicerem multa plura obiiciendo contra mea propria dicta & respondendo: & præmissa, quæ dixi, amplius solidarem: sed sanctitatem vestram & dominorum meorum reuerentiam satis vexaui.

Vnde concludo & humiliter ac deuote deposco, quod super his, sicut supra materiam pri-

mam per me tactam iuxta petitionem quam feci: *Nolite iudicare secundum faciem: sed iustum iudicium iudicate.*

DIXI.

Finis Defensionis Curatorum contra eos, qui se priuilegiatos dicunt: habita à Domino Richardo Armachano coram summo pontifice Innocentio sexto & Dominis Cardinalibus, Anno Domini M. CCC. LVII. die vero 14. mensis Nouembris: Pontificatus dicti Innocentii sexti Anno quinto, loco quo supra dictum est.

SEQVITVR DEFENSIO RELIGIONIS MENDICANTIVM CONTRA EA, QVÆ IN PRÆCEDENTI ET IN ALIIS DOMINI RICHARDI ARMAchani Archiepiscopi operibus contra eam obiiciuntur: edita ab religioso viro, Magistro Rogerio Chonoe Ordinis Minorum.

Cuius hæc est Præfatio.



Confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius, Psal. 95. Beatus Bernhardus *Epistola 113.* & est ad Sophiam virginem, volens ostendere quod confessionem sequatur decor pulchritudinis dicit: *Reuera vbi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt, confessione lauantur. Si bona opera, confessione commendantur. Cum peccata tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus. Cum Dei confiteris beneficia, immolas Deo sacrificium laudis. Bonum animæ ornamentum confessio: quæ & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorem. Absque confessione iustus iudicatur ingratus: & peccator mortuus reputatur. A mortuo quippe tanquam qui non sit* (alias *nihil* sit) *perit confessio. Confessio igitur peccatoris est vita, iusti gloria, & necessaria est peccatori: & nihilominus iustum decet.* Hæc ille. Hanc proinde confessionem, quæ, vt dictum est, ipsos peccatores per lacrymas pœnitudinis & mœroris, purgat à maculis turpitudinis & fœtoris: ornat floribus pulchritudinis & decoris: vulgat titulus sanctitudinis & honoris, iuxta illud Psalmistæ præallegati: *Confessio & pulchritudo* &c. Multa sunt, quæ confessionem impediunt, secundum Hugo. De claustro animæ lib. quarto, cap. 10. *Multi siquidem hostes Iudaos inuadunt. Demetrius* (inquit) *Nichanorem ducem Elephantorum misit in Iudaam, vt Iudam caperet. 1. Macchabæorum 7. Quid enim per Demetrium, qui vos modo persequens interpretatur, nisi Diabolum possumus accipere? Quid per Nichanorem lucernam stantem, nisi nostram elationem? Nichanor*, inquit, *Elephantorum turmis præponitur, quotiens incorrigibilium mentibus superbia dominatur. Crura siquidem Elephantorum iuncturis carent. Vnde superbis assimulantur, qui à proposito suo flecti nequaquã possunt. Mittitur itaq; Nichanor à Demetrio, id est spiritus elationis à Diabolo, in Iudæã, vt destruat confessionis terram, vt Iudam capiat, id est eos qui peccata sua confitentur, curiositate teneat & peruersa cõsuetudine liget: & eos qui confitentes consolantur, impediat, & otiosa cogitatione perturbet.* Hæc ille. Sane quandoquidem venerabilis patris & Domini sacræq; Theologiæ Doctoris famosi, Domini scil. Richardi Armachani Archiepiscopi quendam tractatum contra Fratres quatuor Ordinum Mendicantium super constitutione extrauagante felicis recordationis Iohannis Papæ 22. *Vas electionis*, liberas confessiones libere impugnantem, reuerendissimis patribus & Dominis meis, Dominis Cardinalibus præsentatum, nuper recepi. Ad quem dignatus est me rogare quidam venerabilis pater ac magister, qui me potuit obligare mandato, quod eiusdem Domini dictis & calumniis pro viribus obuiarem. Verum quia in tam arduo negotio quantum imperantis vrgebat auctoritas, tantum terrebat subtilitas aduersantis, ad perplexorum omnium consuetum refugium dulcis Iesu matrem & virginem tota mentis fiducia me conuerti, implorans & obsecrans quatenus mihi inter sacræ paginæ Professores Ordinis Fratrum Minorum minimo, & pene nullo spiritus sapientiæ flatum per modicum impetrare dignaretur à filio: quo reuocari possint errantes, & confortari Deum imitantes & dubii: at pertinaciter reluctantes & obuii vel in modico mitigari. Sic tandem eorum, quæ tam experientia, quam poetica, vel sacræ scripturæ doctrina didiceram, reminiscens: sciebam quod tyriaca de veneno venenatorum confecta, mortiferum nonnunquam pellit venenum: quodq; repercussiones hastę Peliadæ suorum vulnerum præstabant medelam: quod etiam humiliter Dauid Goliam suo gladio peremit: & Holofernem truncauit proprio pugione Iudith vidua delicata: quibus non modicum animatus totum me dedi vt iussa complerem. Quod si alicubi sensus hebes, aut calamus præceps oberrauerit (quod absit) à semita veritatis, sanctæ matris Ecclesiæ, vestrorum dominorum meorum Cardinalium correctioni me submitto per omnia, nullum probum & eruditum quemuis aduersarium renuens correptorem.

In

In prædicto igitur suo tractatu principaliter quatuor intendit Dominus iste. Primum est, quod capitulum, *Dudum extra de sepul. libro septimo*, hoc est, *in clementinis*, nec aliquod priuilegium ei simile tollit aut impugnat statutum concilii generalis, *Omnis vtriusq; sexus*.

Secundum est, quod Parochiani confessi & absoluti à Fratribus habentibus generalem licentiam audiendi confessiones, & confessos absoluendi, tenentur semel in anno iuxta statutum concilii generalis, *Omnis vtriusq; sexus*, eadem peccata, quæ, vt prædicitur, confessi sunt, iterum confiteri suo proprio sacerdoti. Et hoc tenent generaliter & vniuersaliter esse verum, vbi Fratres non habeant aliam auctoritatem vel licentiam, quam prædictam licentiam.

Tertium est, quod prædicta conclusio nō potest damnari tanquam erronea. Ex quo est contingens vera, nisi ad illum intentum, scilicet quod Parochiani de voluntate proprii sacerdotis confessi Fratribus habentibus licentiam, tenentur iterum eadem peccata confiteri, vel quod tenentur iterum eadem peccata confiteri ex defectu sacramenti pœnitentiæ, vel potestatis in fratre, quod dicere esset erroneum. Similiter quod prædictæ conclusionis oppositum non possit diffinire tanquam catholicum, cum sit & contingens & falsum, nisi cum modificationibus immediate præscriptis.

Quartum est, quod intellectus, quem Fratres habent de isto capitulo, *Vas electionis*, est erroneus: & ideo suadet & petit instanter ipsum declarari: & ponit declarationes prædictas suo iudicio apparentes.

Circa quæ mihi videtur hoc ordine procedendum. Primo enim circa hoc statutum *Omnis vtriusq; sexus*, distinguentur quædam multiplicia. Secundo circa idem supponentur quædam necessaria. Tertio quædam correlaria inferentur. Quarto destruentur quæ ex eodem pullulant erronea. Quinto eidem statuto reducetur capitulum, *Vas electionis*, & fratrum priuilegia. Sexto huius patris documenta reproba & temeraria ostendentur. Septimo dissoluentur quæ apparent vel apparere possunt his contraria. Octauo exponentur ea, quæ eiusdem libellus iudicialiter continet de hac materia: & sic tandem quędam iustitiæ supplicationes & precamina Cardinalium dominationibus præponentur.

CAP. I.

Ponit varias distinctiones terminorum multiplicium, ad statutum Omnis vtriusq; sexus: *deseruientes.*

Radicem itaq; & principium processus ponam in distinctione multiplici, ne in æquiuoco procedatur.

I. Dico igitur inprimis, quod potestas ligandi & soluendi in foro pœnitentiæ duplex est: quia quædam est potestas, quæ confertur ex vi ordinis sacerdotalis vel ordinationis in sacerdotem. Et hæc potestas in omnibus sacerdotibus est æqualis, sicut patet in *canone distinct. 16. in noua testamento. Secunda quæstione 7. puto & 24. quæstione primo loquitur Dominus.* Et hæc vocatur potestas officii vel ordinis sacerdotalis, quæ secundum Linco. *in lib. de obligationibus & preceptis*, perpetua & inamissibilis est, sicut character ordinis sacerdotalis: & est causa remota ab actu & exercitio: quod magis propriè dicitur potentia quam potestas.

Alia est potestas executionis & hæc duplex est, Quædā n. est executionis simplicis, sine qua habens potestatem primam neminem ligat vel absoluit: & hæc aliquando cum ordine non accipitur, vt puta cum quis ordinatur ab episcopo, qui renunciauit officio: *extra eodem, requisiuit*: vel cum aliquis ordinatur ab episcopo sine licentia sui episcopi, vel cum quis ordinatur ab hæretico excommunicato vel degradato, seu suspenso: quorum omnium vnica est ratio, videlicet quod episcopi ordinantes in casibus præmissis non habent huiusmodi potestatem executionis. Et ideo illam ad aliquos non transmittunt, quia quod non habebat quis, alteri dare non potuit, sicut patet *1. quæstione 1. qui perfectionem. Et capitulo, ventum est, & 1. quæstione 7. Dyabertum.* Et idem contingeret, si essent similia impedimenta talia. Nam occurrit aliquando, quod etiam habita perpetuo vel ad tempus suspenditur à iudice vel à iure. Quas varietates causa breuitatis pertranseo, tanquam modo proposito impertinentes. Alia est potestas iurisdictionis, quæ requirit relationem super plebem aliquam vel personam, tanquam super materiam, in qua tam prima quam secunda debeat exerceri. Vnde sicut faber vel artifex quicunq; non potest operari nisi habeat materiam, in qua operetur: sic nec sacerdos potest quenquam absoluere vel ligare, nisi sibi ministretur materia supradicta. Quam materiam solus Papa mediate vel immediate tribuit sacerdotibus vel aufert, sicut suæ placuerit voluntati, tanquam ille, in quo solo huiusmodi plenitudo potestatis, *extra de vsu pallii. Ad honorem.*

Veruntamen est hic aduertendum, quod quia nullus homo est materia, in qua exerceatur ista potestas, nisi ratione criminis vel reatu criminis, quo teneretur astrictus. De peccato enim, quod quis nunquam commisit, nec cuius reatui nunquam fuerat astrictus, non dubium quod non absoluitur nec potest absolui. Et idcirco peccatum est per se materia, in qua hæc potestas debeat exerceri: & peccator per accidens materia eiusdem.

Rursum potestas iurisdictionis quædam est ordinaria, quę scilicet alicui in officio, beneficio vel dignitate constituto competit ipso iure. Et hæc potestas est ordinaria. Taliter enim curator in isto foro est iudex ordinarius; & potest alteri vices suas committere, *extra de officio iudicis ordinarii, eis* (alias *his*) *quibus ex officio.*

Alia est extraordinaria seu commissa. Et hæc duplex: quia quædam est commissa. Et hæc & limitata solum ad arbitrium committentis, & per se nullo iure suffulta, sed per accidens, quia forte iura declarant talium potestatem. Et hæc est simpliciter commissa. Et hæc est potestas alieni sacerdotis super alterius Parochianum obtenta licentia proprii sacerdotis; *extra de pœnitent. & remiss. Omnis vtriusq;*. Alia est potestas media, quæ seruata forma in iure statuta arbitrio committentis ampliari poterit, non restringi. Et hęc est potestas Fratrum Mendicantium absoluendi & ligandi, *extra de sepulturis. Dudum, libro septimo.*

Amplius, confessio peccatorum in foro pœnitentiæ duplex est. Quædam enim est extraiudicialis, quæ scilicet propter impedimentum concurrens ex parte confitentis vel confessionem audientis seu ipsius confessionis sententiam virtute clauium ecclesiæ absolutoriam non attingit. Et hæc non est sacramentalis. Et de ista loquitur beatus Augustinus *De vera & falsa pœnitentia*, & ponitur *quarto Sententiarum distinctione. 18. & in canone de pœn. distinctione 1. Quem pœnitet.* Vbi dicitur, *quod si deest sacerdos, confiteatur proximo, qui quamuis potestatem soluendi non habet, tamen dignus est venia ex desiderio sacerdotis.* Et de ista loquitur capitulum *extra de pœn. & re. quod quidam.* Vbi dicitur, *quod quidam ad confessionem de criminibus veniunt, se tamen asserunt abstinere non posse: quorum tamen confessionem sacerdos debet recipere, & consilium de criminibus exhibere. Qui licet non sit vera eorum pœnitentia, admittenda est tamen eorum confessio & crebris & salutaribus monitis est pœnitentia inducenda.* Ecce quod confessio est admittenda, & pœnitentia non est vera nec sacramentalis, quia talem Deus non absoluit, vt dicit beatus Augustinus libro *De pœnitenti.* & ponitur *De pœnitentia dis. tertia, sunt plures.* Et per consequens non sunt absoluendi, sicut patet *11. quæstione 3. tunc vera.* Quare confessio huiusmodi sacramentalis non est. Alia est confessio iudicialis, quæ scilicet omni remoto impedimento attingit sententiam absolutionis prædictam, sicut & quantum exigit debitum sacramenti pœnitentiæ distincta. contra contritionem & satisfactionem actu vel affectu ad salutem peccatoris postquam peccauerit necessario requisita ad absolutionem & susceptionem satisfactionis debitæ ordinata. Sicut enim contritio est dolor voluntarie assumptus pro peccatis cum proposito confitendi & satisfaciendi: sicut patet *in canon. distinct. 1. per totum* sic sacramentalis confessio est peccatorum nuda expressio cum proposito absolutionem & satisfactionem suscipiendi. & ideo pœnitens confitens debet ista petere in confessione, sicut illa ad quę confessio ordinatur. Vnde peccator semper debet confessionem acquirere quousque fuerit absolutus: dum tamen poterit habere copiam idonei sacerdotis. Et de ista confessione loquitur statutū concilii generalis *Omnis vtriusq;*, cū dicit *quod si quis vult confiteri alieno sacerdoti, petat & obtineat licentiam proprii sacerdotis: alioquin alienus illum absoluere non potest nec ligare.* Ex qua littera satis constat, quod hæc licentia frustra peteretur, si confessio esset valida sine absolutione; vel si confessio sacramentalis non includeret in se absolutionem actualem, si potest haberi. Similiter non dubium quod quantumcumque & cuicunque quis confiteatur, nisi receperit absolutionis beneficium semper ad confessionem faciendam non minus remaneat obligatus: si tamen poterit ad hoc sacerdotem idoneum reperire. Similiter constat, quod ad audiendam nudam confessionem peccatorum, exclusa absolutione & susceptione satisfactionis, non requiruntur claues ecclesiæ: nec plus proprius sacerdos quam alienus: nec sacerdos plusquam laicus: nec alicuius licentia, vt fiat cuicunque. Quia hæc ab omnibus possunt ceteris paribus exerceri. Sacerdotes etiam curati quandoque audiunt expressionem peccatorum non sacramentaliter. Igitur ad sacramentalem confessionem aliqua alia requiruntur. Patet igitur hæc distinctio cum suis partibus lucide declarata.

Amplius licentia generalis audiendi confessiones duplex est. Quædam enim est generalissima, quæ non est aliud quam commissio executionis simplicis, quam is, cui committitur, recipit, quando ordinatur in sacerdotem, vel postea à suo prælato recipit illam, quam ex aliquo impedimento prius non habuit: sicut prædictum est in secunda distinctione: aut quam præhabuit, sed amisit. Et idcirco hæc est generalissima: quia non est ad aliquem populum, nec ad aliqua crimina limitata. Alia est generalis, quæ scil. est commissio iurisdictionis super plebem aliquam indistincte: sicut super materiam, in qua sua potestas exerceatur. Et est differentia magna inter illam licentiam generalissimam, & hanc generalem: quia virtute solius licentiæ generalissimæ nullus poterit quenquam absoluere vel ligare propter defectum materiæ. Virtute autem secundæ quilibet, qui habet eam poterit materiam sibi subiectam, prout sibi subiicitur, soluere vel ligare. Similiter hæc declaratio secunda includit primam, non econuerso.

Rursum absolutio in foro pœnitentiæ duplex est, scilicet quædam, quam solus Deus impendit, & sacerdos à Deo factam ostendit. Et hęc absolutio est à reatu vel macula culpæ mortalis & debito pœnæ vel mortis æternæ: sicut patet *quarto Sententiarum, distinctione 18.* Alia est, quam sacerdos realiter & vere impendit, & non solum impensam ostendit: de qua absolutione qualis sit & quid soluit, in *sequente capitulo* ostendetur. Ex quibus omnibus patet, quod statuta, de quibus nobis sermo est, loquuntur de potestate absoluendi, quæ est potestas iurisdictionis relatæ ad materiam, in qua debeat exerceri, secundum quod huiusmodi materia subiicitur sacerdoti, & quod non loquuntur de alia potestate aliqua, nisi prout aliæ in hac potestate includuntur. Patet etiam, quod non loquuntur

tur de confessione, quæ est sola nuda expressio peccatorum, non includens absolutionem & susceptionem satisfactionis, sed solum de sacramentali confessione, quæ includit prædicta. Et quod licentia generalis audiendi confessiones, de qua loquitur constitutio *Vas electionis*, non est illa licentia, virtute cuius nullus potest quemquam sibi confessum soluere vel ligare: sed de licentia generali, virtute cuius absolutionis beneficium potest impendi, sicut prædictum est.

CAP. II.

Ponit sex necessaria, & præsupponenda ad eiusdem statuti declarationem conducibilia.

OMissis igitur aliis distinctionibus causa breuitatis, supponuntur quædam necessaria huic proposito pertinentia, & cuilibet litterato euidenter vera.

I. Dico igitur quod in ecclesiastica Hierarchia semper est, aut debet esse, sub CHRISTO vnus summus princeps, in quo ecclesiæ plane secundum se totam residet auctoritas iurisdictio seu potestas, à qua in inferiores præsidentes quoscunque mediate vel immediate omnis ecclesiastica iurisdictio, quam obtinent, sine sui detrimento iuxta summi pontificis arbitrium deriuatur. Hæc patent in *canone 19. distinctione, ita Dominus, & distinctione 21. in nouo testamento, & extra de vsu pallii, ad honorem.* Et est tam per se nota, quod eius impugnator esset igne vel gladio puniendus.

II. Amplius quilibet habens ordinariam iurisdictionem administrandi subditis necessaria ad salutem, obligatur per se vel per alium eisdem talia ministrare: sicut & prout subditorum necessitas hæc requirit. Alioquin enim cum non sit maior ratio de vno quam de alio habente huiusmodi iurisdictionem: quilibet habens huiusmodi iurisdictionem posset licite nec per se nec per alium talia ministrare. Nec ad talia ministrandum alium vel alios subrogare, vel incorrigibilem remouere, seu eidem alium vel alios substituere vel coassignare: sed posset licite salutem negligere subditorum: quod est contra illud Ezech. 3. capitulo: *sanguinem eius de manu tua requiram.* vbi loquitur de prælato, qui salutem negligit subditorum, secundum Gregor. super Ezechielem *tertia Homel.* Vnde consequitur, quod omnes huiusmodi iurisdictionem habentes ad eandem exercendam, seu subditis pro loco & tempore administrandã, sunt communiter obligati. Cuius figura præcessit Numeri 11. quando Dominus dixit Moysi: *Auferam de spiritu tuo & tradam eis vt sustentent tecum onus populi & non tu solus graueris.* Ex quo sequitur, quod Dominus Moysi obligationem non sustulit, sed eius minuens laborem ampliauit nihilominus dignitatem. Sequitur etiam, quod inferiores superiorum in talibus teneant vicem. Alioquin inferiores, cum superioribus onus populi nullatenus sustentarent: vel isti, vel illi soli grauarentur.

III. Amplius, quicunque in aliquo foro ligat alium vel absoluit: ille vel est suus iudex, vel sui iudicis vicem tenens. Quod si neutrum est, nihil facit circa eum, quem soluere nititur aut ligare. *Extra de consuetudine, ad nostram: &, de iudiciis: &, si clerici. Et de pœnitentiis & remissionibus, quod autem.*

IV. Rursum ad propositum specialius descendendo, pono vnam suppositionem tripartitam: videlicet quod prima pars statuti *Omnis vtriusque*, quæ est quod *omnis vtriusque sexus postquam ad annos discretionis peruenerit, saltem semel in anno omnia peccata sua confiteatur suo proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam studeat propriis viribus adimplere: & sic ad minus in paschate suscipiat reuerenter Eucharistiæ sacramentum.* Hæc pars obtinet vim præcepti: quia materia est necessaria & salubris, quod sine statuto quilibet confiteri teneretur ex lege, quæ obtinet vim præcepti: & per statutum solum limitatur tempus, infra quod quilibet debet confiteri. Supponitur etiam, quod secunda pars, scilicet *qui voluerit ex iusta causa alieno confiteri sacerdoti, petat & obtineat licentiam proprii sacerdotis*, sit dispensatoria super prima parte, quę alias obtinet vim præcepti: etiam istud concedit aduersarius in sui tractatus *articulo tertio, iuxta finem, & in articulo quinto, in responsione secunda ad capit. Vas electionis*, per totum. Supponitur etiam, quod finis secundæ partis, scilicet quod sine licentia proprii sacerdotis non potest sibi confessum soluere vel ligare, sit diffinitoria, quod licentia proprii sacerdotis sit sufficiens & requisita ad hoc, quod alienus possit alterius Parochianum soluere vel ligare. Hæc quantum ad omnes sui partes, patet ex intentione seu forma præfati statuti concilii generalis.

V. Amplius, iste terminus proprius in statuto nec Papam nec episcopos excludit, quo minus sint proprii sacerdotes ad mentem statuti: imo eosdem æquiualenter vere includit. Patet per Iohannem Andreæ in *nouella eodem titulo*, super verbo *nullatenus audiatur.* Qui dicit, quod Papa, episcopus proprius: legatus in prouincia, archipresbyter sedis,

presbyter

presbyter Parochialis, sunt proprii sacerdotes. Huius etiam oppositum est nimis erroneum, vt patebit.

Iterum, obligatio confitendi duplex est. Vna scilicet quæ consurgit ex hoc, quod quis suo peccato actuali vel ex reatu culpæ inde contracto factus est debitor sacramenti pœnitentiæ: & per consequens sacramentalis confessionis. Alia quæ consurgit ex præcepto ecclesię in præfato statuto concilii generalis, *omnis vtriusq;*, vel aliis statutis factis de confessionibus peccatorum quarum obligationum secunda nihil addit super primam, nisi limitationem temporis infra quod, & determinationem personæ vel personarum, cui vel quibus est confessio facienda. Secunda tamen primam naturaliter præsupponit: quia constat, quod si nullus peccasset, nec reatum peccati contraxisset, nunquam ex statuto ecclesiæ esset debitor confessionis faciendæ.

CAP. III.

Infert sex Corrolaria, seu propositiones ex dictis.

GEnerali igitur notitia terminorum per distinctiones & suppositiones prœmissa: Superest, vt ex prædictis aliqua corrolaria inferantur.

I. Ex prædictis igitur sequi videtur, quod quamuis in statuto concilii generalis caueatur sub præcepto, quod quilibet Parochianus confiteatur proprio sacerdoti: tamen quod quilibet confiteatur proprio sacerdoti in persona sua, nullatenus est præceptum. Quod sic probatur. Secunda pars statuti præfati est dispensatoria super prima parte eiusdem domini, sicut patet ex secunda parte quartæ suppositionis. Igitur implens secundam partem, ad primam vlterius non tenetur, & per consequens non tenetur confiteri personaliter proprio sacerdoti. Igitur per statutum nullatenus est præceptum. Amplius confessus sacerdoti secundum formam statuti non tenetur ex vi statuti amplius pro illo anno personaliter confiteri proprio sacerdoti. Igitur confessus alteri sacerdoti functo vice proprii sacerdotis, non tenetur illo anno amplius confiteri personaliter proprio sacerdoti: quia nisi alienus sacerdos functus vice proprii sacerdotis audiendo Parochianum, eum æqualiter deobligaret ab omni confessione, sicut si proprius sacerdos audiuisset eundem, non esset in hac parte functus vice proprii sacerdotis. Amplius, proprius sacerdos non tenetur artare Parochianum confessum alieno sacerdoti de sua licentia per censuras statuti ad sibi personaliter confitendum. Sed si Parochianus alteri confessus de licentia proprii sacerdotis teneretur non minus personaliter confiteri proprio sacerdoti, proprius sacerdos tenetur eum ad hoc compellere per censuras eiusdem statuti: sicut patet ex secunda suppositione: quia Dominus sanguinem subditi de manu prælatorum requiret, si sint negligentes in necessariis ad salutem. Quare sequitur, quod sic confessus non tenetur proprio sacerdoti personaliter confiteri. Amplius à tempore statuti editi & citra proprii sacerdotes consueuerunt audire sibi subiectos per sacerdotes functos vice sua, quos ecclesia, quæ non errat in necessariis ad salutem, reputauit prædicto statuto satisfacere modo prædicto absque facta confessione personaliter proprio sacerdoti. Igitur de præcepto non est, quod confessio fiat personaliter proprio sacerdoti, sed sufficit quod fiat alieno de licentia proprii sacerdotis. Ex qua conclusione sequitur, quod præceptum statuti super confessione Parochianorum semel in anno facienda est disiunctiuum: scilicet quod fiat proprio sacerdoti vel alteri de licentia proprii sacerdotis. Sed hic diceret Dominus Armachanus archiepiscopus, quod est distinguendum de licentia proprii sacerdotis: quia, sicut statutum præfatum, *Omnis vtriusq;*, habet duas partes: quarum prima præcipit confessionem semel in anno fieri proprio sacerdoti, & alteram quæ concedit quod Parochianus poterit alieno confiteri de licentia proprii sacerdotis: quia alias non posset ab alieno solui vel ligari: sic potest duplex esse licentia. Vna super secunda parte statuti tantum, scilicet dispensando solum, quod alienus potest soluere vel ligare subditum alienum sibi confessum, & illa licentia proprii sacerdotis non obstante subditus de hac sola licentia confessus non minus tenetur confiteri proprio sacerdoti. Alia licentia potest concedi, scilicet quod alienus sacerdos audiret & absolueret subditum alienum vice proprii sacerdotis, qui hanc licentiam præconcessit, & sic dispensaretur super vtraque parte statuti; & sic confessus non tenetur pro tunc proprio sacerdoti.

Contra hanc responsionem autem probando hanc conclusionem pro secunda parte, scilicet quod quilibet sacerdos alienus audiens confessionem Parochiani alieni de quacunque licentia, virtute cuius licentiæ potest illius subditum soluere vel ligare: fungitur in hac parte vice illius, qui sibi hanc licentiam præconcessit: probatur sic ex tertia suppositione. Quilibet qui in quocunque foro alium poterit soluere vel ligare, est suus iudex, aut in hoc sui iudicis vicem tenens ex tertia suppositione & sui probatione. Igitur alienus audiens confessionem Parochiani alieni de licentia proprii sacerdotis tantum super hoc articulo statuti, scilicet quod possit suum subditum soluere vel ligare in foro conscientiæ est iudex illius Parochiani sibi confessi, vel est sui iudicis vicem tenens. Sed constat, quod si sit suus iudex: tunc non est sibi alienus, sed est proprius eius sacerdos cuius oppositum datum est. Si sui iudicis vicem tenens: tunc cum virtute licentiæ præconcessæ nullius vicem teneat, nisi illius, qui hanc licentiam præconcessisset: sequitur quod talis tenet vicem proprii sacerdotis, & sic nec prima licentia differet à secunda: nec confessus de prima licentia te-

netur protunc confiteri personaliter, proprio sacerdoti. Et idem argumentum potest fieri de quacunque licentia, virtute cuius potest quis alienum soluere subditum vel ligare. Amplius quilibet alienus audiens alterius Parochianum de licentia proprii sacerdotis, de qua licentia loquitur statutum, sic audiendo tenet vicem proprii sacerdotis, sibiq; confessus non tenetur protunc confiteri personaliter proprio sacerdoti.

Constat autem quod statutum præcise loquitur de licentia, quæ sufficit, & requiritur ad hoc quod alienus sacerdos possit alterius Parochianum soluere vel ligare: sicut patet ex fine secundæ partis eiusdem statuti, quæ est diffinitio eiusdem veritatis.

Constat etiam quod huiusmodi est licentia primo modo accepta in distinctione supradicta. Quare sequitur, quod quilibet alienus audiens alterius Parochianum de licentia prædicta vel de quacunq; licentia, cuius virtute possit alterius Parochianum soluere vel ligare, tenet in hoc vicem proprii sacerdotis. Amplius, communis animæ conceptio est, quod nullus concedit, nisi illud quod & quatenus est de iure vel de foro suo. Igitur proprius sacerdos non concedit alieno licentiam illam, quod possit nude subditum suum soluere vel ligare, nisi quatenus talis subditus est de iure & de foro proprii sacerdotis. Constat autem, quod nullus concedit illud, quod est iuris sui simpliciter nisi vel cedendo iuri suo, vel ius dominii in alterum transferendo, vel ius suum alteri communicando, aut vicem suam alteri committendo. Istorum autem quatuor modorum duo primi nō habent hic locum. Si igitur detur tertium, scilicet quod proprius sacerdos committat alieno ius suum, sequitur quod vtens illo iure, quod sibi sic communicatur, vtitur illo auctoritate alterius & non sua: & per consequens vtitur illo iure vice alterius: & perinde est ac si proprius sacerdos hoc faceret in persona sua.

Cum enim quis præcipit aliquid vel concedit auctoritate Papæ, idem est ac si Papa præciperet vel concederet. Et cæteris paribus ad illud præceptum & illud priuilegium est æqualis transgressio seu contemptus: & per consequens sequitur, quod nec iste tertius modus differt à quarto: nec prima pars suæ distinctionis discrepat à secunda. Amplius, statutum tantum loquitur de licentia audiendi confessiones, quam proprius sacerdos potest concedere ex hoc, quod est proprius sacerdos. Sed potestas concedendi licentiam, de qua loquitur statutum, debet esse communis & in potestate proprii sacerdotis. Sed solam licentiam audiendi confessiones & confessos absoluendi vice sua potest proprius sacerdos concedere, inquantum talis, quia istam licentiam potest concedere quilibet proprius sacerdos ex hoc, quod est curatus ordinarius, & ex hoc est curatus ordinarius, quod est proprius sacerdos. Et si nullam aliam potest concedere, nisi istam, non minus esset proprius sacerdos, sicut notum est. Quare sequitur, quod statutum solum loquitur de licentia audiendi confessiones vice proprii sacerdotis.

Superius autem probatum est, quod statutum loquitur de licentia, quæ sufficit ad hoc, quod alterius Parochianum sibi confessum alienus possit soluere & ligare, & sine qua non possit hæc facere. Igitur licentia audiendi confessiones vice proprii sacerdotis est illa licentia, sine qua alienus non potest alterius subditum soluere vel ligare, & quę sufficit ad prædicta. Illa igitur licentia quæda primo modo dicta audiendi confessiones & confessos absoluendi, quam iste Dominus ponit, aut est licentia absoluendi vice proprii sacerdotis, aut non. Si non, igitur non sufficit ad hoc, quod habens eam possit alterius subditum soluere vel ligare. Et sequitur, quod illa super neutra parte statuti dispensat, cuius oppositum dicit Dominus iste. Si autem est licentia absoluendi vice proprii sacerdotis, sequitur quod illa est eadem cum licentia posita etiam secunda parte distinctionis, & dispensat super vtraque parte statuti: cuius etiam oppositum ponit Dominus iste. Ex quo cum præcedentibus sequitur, quod omnis licentia, virtute cuius alienus sacerdos possit alterius subditum soluere vel ligare, est licentia absoluendi eundem, virtute illius, qui illam licentiam sic concessit: & quod de illo posita est nulla, nec distinguentem liberat, sed inuoluit: & quod confessus alieno de licentia quacunque proprii sacerdotis, virtute cuius ipse potest ipsum soluere & ligare, non tenetur ex vi statuti confiteri personaliter proprio sacerdoti: & quod præceptum statuti est, vt prædicitur, disiunctiuum, scilicet quod fiat proprio sacerdoti personaliter, vel alieno de licentia proprii sacerdotis.

Superest ostendere, quod fuit suppositum in quarta distinctione primi capituli: scilicet quod sacerdos virtute clauium non solum pœnitentem absolutum ostendit, sed eidem vere absolutionis beneficium impendit: & quod confessio sacramentalis, quam statutum concilii generalis præcipit, illam veram absolutionem coexigit & includit. Et primo probatur primum sic. Christus promittens Petro claues regni cœlorum, Matthæi 16. dicens: *Tibi dabo claues regni cælorum*, subiunxit; *quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis. Et quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.*

Si igitur sacerdos non aliter solueret, nisi quia pœnitentem diuinitus absolutum ostenderet: sequitur quod quemcunque Petrus vel suus vicarius aut sacerdos, cuius auctoritate virtute clauium absolueret, id est absolutum ostenderet, coram Deo solutus esset. Quod est contra canones, qui dicunt, quod sacerdotes frequenter soluunt indignos: & contra *canonem 11. quæstione 3.*

tunc vera, vbi dicit, quod *tunc vera est absolutio sacerdotis, cum interni sequitur arbitrium iudicis.* Gloss. *id est Dei.* Vel, quod Petrus ostenderit diuinitus absolutum, nec forte in perpetuum esset propter obstinatiam absoluendus, & tunc falsum esset euangelium dicens: *Quodcunque absolutum erit coram Deo.* Amplius, lux potior est quam vmbra; & veritas quam figura. Sed notum est, quod resuscitatio Lazari, *Iohannis 11.* fuit figura iustificationis peccatoris per pœnitentiæ sacramentum, sicut patet per beatum Ambrosium, & ponitur in *canone de pœnitentia. distinctione 1, quantumlibet igitur*, & per beatum Augustinum *De vera & falsa pœnitentia*, & ponitur *ibidem cap. quem pœnitet*: in qua figura Christus Lazarum non solum ad vitam deduxit ad motum vel sensum eduxit ad lucem: sed etiam realiter adhuc vinculis alligatum assignauit discipulis absoluendum, dicente euangelio: *Et prodiit ligatus manus & pedes.* Et sequitur: *soluite eum & dimittite abire.* Cuius figuræ veritas est, quod Christus non solum peccatorem viuificat gratiæ infusione, & culpæ ac pœnæ æternæ remissione motificat, vel significat cordis contritione, vociferatoris confessione: sed adhuc ligatum assignat sacerdotibus disligandum vera absolutione. Discipuli enim non solum eum absolutum ostenderant, sed nondum totaliter absolutum realiter absoluerunt. Quare sic debet esse in peccatoris iustificatione, vt sibi mutuo correspondeant veritas & figura. Item, quemcunq; sacerdos ostendit diuinitus esse absolutum ab aliquo mortali: ostendit esse ab omnibus absolutum. Deus enim nullum absoluit ab vno, quem non absoluit ab omnibus, secundum beatum Augustinum libro *De vera & falsa pœnitentia*, vt ponitur in *canone, distinctione 3. de pœnitent. Sunt plures.* Quare sacerdos nullum ostendit esse absolutum diuinitus ab vno, quem non ostendit ab omnibus esse absolutum. Constat autem, quod non omnem, quem sacerdos absoluit ab vno, absoluit ab omnibus, quia frequenter remittit pœnitentem superioribus absoluendum. Quare sequitur, quod præter hoc, quod ostendit pœnitentem à Deo esse absolutum, ipse realiter absoluit. Et confirmatur istud. Non enim dixerat Christus Apostolis, quorum ostenderitis peccata remissa, remittentur eis: sed *quorum remiseritis peccata*, Iohannis 20. Amplius si sacerdos virtute clauium nullum specialem effectum operaretur circa pœnitentem, quo ostendat à Deo absolutum: sed solum nude ostendit absolutum esse: videtur quod frustra dentur claues sacerdotibus ad hunc effectum. Tum quia, sicut ostendetur, ostium clausum vel apertum non potest esse effectus primus clauis materialis: sic nec ostendere pœnitentem solutum esse vel ligatum, potest esse primus effectus clauis spiritualis. Tum etiam quia ille effectus potest æque esse sine claue, sicut cum claue: & per consequens virtute clauis non ostendetur esse solutus: & tunc æque solueret laicus, sicut sacerdos, id est, absolutum ostenderet, vel neuter: imo tamen videtur, quod cum pœnitens prius & efficacius ostendit se esse solutum, quam sacerdos, eo quod sacerdos nullum ostendit esse absolutum, nisi quem ex signis pœnitentiæ credit esse pœnitentem, & ex hoc à Deo esse absolutum, sequitur quod ipse pœnitens debeat dici habere clauem, & vti claue potius, quam sacerdos, si clauis esset vtilis & necessaria ad hunc effectum. Tum tertio: quia videtur repugnantia manifesta, quod sacerdos virtute clauium ostendit peccatorem esse à Deo absolutum, & tamen per nullum effectum vel signum, quod procedit ab eo virtute clauium. Quare sequitur, quod sacerdos virtute clauium operetur aliquem effectum primum & immediatum circa pœnitentem, quo secundario ostendat eum esse absolutum à Deo, cum prius naturaliter res sit, quam operetur vel ostendat aliud. Et constat, quod cum ille effectus sit immediatus effectus illius sub ratione, qua est clauis: oportet quod ille effectus sit claudere vel aperire. Et cum habet naturaliter ostendere pœnitentem esse absolutum: oportet ex conformitate signi ad signatum, quod ille effectus sit absoluere. Quare sequitur, quod sacerdos prius secundum naturam absoluit pœnitentem, & postea eadem absolutione monstrat eum à Deo esse absolutum. Et ex isto argumento patet, quod confessio sacramentalis, quæ absque dubio requirit effectum & operationem clauium, inquantum clauis hanc absolutionem coexigit & includit, saltem ex parte sacerdotis confessionem audientis & ex parte pœnitentis ad hoc, quod sua confessio sit legitima & valida ad salutem, maxime vbi habetur copia idonei sacerdotis, quod erat probandum. Et si quæratur, à quo absoluit sacerdos pœnitentem, ex quo peccata sunt delera in contritione quo ad reatum culpę mortalis & pœnæ æternæ? Respondetur, quod sacerdos absoluit pœnitentem à peccato & reatu eiusdem peccati mortalis, à quo Deus prius eum absoluerat: nec potest eum in isto foro absoluere, nisi esset prius tempore vel natura absolutus à Deo. Et ideo est aduertendum, quod sicut nihil prohibet vnius & eiusdem homicidii reatum esse deletum quod ad regem, cuius seruus fuit occisus: & tamen remanere quo ad vicinum, cuius pater filius vel frater fuit idem occisus. Vnde & reges quando remittunt tale homicidium, semper addunt in carta remissionis sic: *salua semper iustitia partis.* In quo casu & si pars offensa isti reo pœnitenti & petenti remissionem teneretur statim remittere, & eum dimittere liberum & immunem: si ipse non peteret remissionem ab eodem, cum posset, iuste esset reus mortis, non directe propter reatum homicidii à rege vel per regem remissi: sed propter hoc, quod de vel pro tali reatu non satisfecit parti, cui tunc remansit, & nunc ex suo defectu permanet reus, cum nihil prohibet eiusdem peccati eundem reatum esse deletum quo ad Deum & remanere quo ad ecclesiam: quia non deletur simpliciter, sed salua iustitia ecclesiæ. Quod si non satisfaciat confitendo, pœnitendo & remissionem seu veniam expetendo, si haberet copiam sacerdotis, qui potest illam satisfactionem recipere, reus est mortis, non directe propter peccatum iam dimissum, sed indirecte quod de & pro tali peccato quo apud ecclesiam continue mansit &

rema-

remanet reus in casu prædicto de peccatis, non sicut debuit, satisfecit. Et hoc est quod dicit beatus Ambrosius, & ponitur *in canon. de pœn. distinct. 1. quantulibet.* Vbi dicit sic canon: *Quantulibet igitur fætor mortui sit, aboletur omnis, vbi sacrum redoleuerit vnguentum: surgit defunctus & dissolui iubentur eius vincula, quod adhuc in peccato est quo ad ecclesiam quamuis sit in gratia.* Patet per hoc, quod immediate sequitur sic: *Tollitur velamen de facie eius, quod veritatem gratiæ quam acceperat obumbrabat.* Potest etiam dici, quod peccatum deletum in contritione remanet quo ad alium effectum. Sicut enim non solum originale in sanctis Patribus deletum fuit quo ad reatum culpæ & pœnæ æternæ per sacrificium & circumcisionem: sed etiam multa actualia per pœnitentiam & confessionem, sicut patet de sancto Dauid *2. Reg. 12.* & aliis, de quibus non dubium, quin decesserunt in gratia: & tamen in eis remanserunt peccata quo ad hunc effectum, quod *clauserunt eis ianuam, quæ sine passione Christi non aperitur*, sicut dicit Magister Sententiarum, quæ passio nondum fuerat facta. Sic potest dici, quod quantumcunq; dimittatur peccatum, & conferatur gratia in contritione: tamen semper remanet peccatum quo ad hunc effectum, quod claudit nobis ianuam tam ecclesiæ militantis quo ad meritum & susceptionem sacramenti eucharistiæ: quam ecclesiæ triumphantis quo ad præmium & degustationem gloriæ quousq; eadem ianua aperiatur per applicationem passionis Christi, quam applicat peccatori solus sacerdos ministerialiter, quando absoluit eum ab hoc reatu, si tamen (vt sæpe dictum) habeatur copia idonei sacerdotis. Sic igitur præmissa conclusio patet quo ad singulas eius partes.

Vltimum quod in hoc articulo deducetur, est quod quantum ad materiam confessionis per istud capitulum, *Omnis vtriusq;* nihil noui iuris vel antiqui proprio vel alieno sacerdoti deperditur vel acquiritur, plus quam ante: solo hoc excepto, quod tempus confessionis nouiter limitatur. Probatur sic: sola hac dictione *semel in anno* posita vel remota, ponitur vel remouetur tota differentia, quæ est inter confessionem, quam homines tenebantur facere ante editam constitutionem seu tenerentur facere constitutione deleta, & quam tenebantur seu tenentur facere constitutione remanente, & similiter interea quæ licuissent vel non licuissent & quæ modo licent vel non licent: & eodem modo expedienti &c. Et hæc dictio *semel in anno* nihil addit præter dictam temporis limitationem. Igitur nihil noui iuris acquiritur, vel antiqui deperditur alterutro prædictorum, sola limitatione temporis excepta, quod erat probandum. Assumptum quantum ad singulas sui partes satis patet: & ideo non insto.

Ex istis nempe sequuntur aliæ duæ quasi correlariæ. Prima est & quinta in ordine totali: quod quicunq; confessus proprio sacerdoti suo personaliter, seu cuicunq; alteri de licentia proprii sacerdotis, virtute cuius licentiæ ipse poterit sibi confessum soluere & ligare: ac ab eodem vere solutus quantum ad ea quæ sic confessus est satisfaciet concilio generali *omnis vtriusq;* nec remanet ad eorundem confessionem ex vi statuti vlterius obligatus. Et quilibet qui peccauerit & non fuerit sic confessus, ad sic confitendum ex vi statuti remanet obligatus. Hæc sequitur directe ex prima & ex secunda conclusionibus & probationibus eorundem.

Secundum correlarium, & est sexta conclusio in ordine, est quod præceptum statuti prædicti quantum ad confessionem omnium peccatorum debet intelligi quo ad peccata, aliis legitime, vt prædicitur, non confessa, vel quæ creduntur firmiter aut probabiliter dubitantur legitime non confessa. Hoc patet: quia quo ad illa peccata, quæ aliis, vt prædicitur, sunt legitime confessa, satisfactum est statuto: sicut patet ex conclusione immediate præcedente: & per consequens præceptum statuti ad illa minime se extendit. Et quod ad alia se extendit, patet ex secunda parte conclusionis præcedentis &c.

CAP. IV.

Destruit & reprobat, quæ ex dictis aduersarii pullulant erronea.

EXpeditis igitur his, quæ circa capitulum *Omnis vtriusq;* videntur esse distinguenda: quia multiplicia supponenda tanquam necessaria, & inferenda velut correlaria. Sequitur consequenter videre, quæ ex eodem statuto pullulabant erronea: vt ipsorum euulsis radicibus, eorundem nec repullulent frondes, nec flores, aut fructus in perpetuum renascantur. Occasione igitur secundæ partis statuti huius: scilicet quod alienus non obtenta licentia proprii sacerdotis non poterat eius subditum soluere vel ligare: Fuerunt aliqui, qui tenuerunt & asseruerunt, quod Fratres habentes priuilegium & licentiam generalem audiendi confessiones sibi confiteri volentium, non poterant virtute huius licentiæ sibi confessos soluere & ligare sine licentia Parochialium. Et hæc fuit opinio Guilhelmi de Sancto amore & suorum sequacium: sicut patet in bullis Alexandri quarti, *Cum olim*, & *Non sine multa*, & *Romanus pontifex*, & in eisdem est damnata. Ista tamen opinio habuit motiua diuersa. Quidam enim existimabant in Fratribus esse duplicem defectum ad potestatem absoluendi: scilicet defectum executionis, & iurisdictionis defectum: & isti quantum ad defectum iurisdictionis Fratrum in extrinsecos suo ordini non errabant. Quantum autem ad defectum execu-

tionis, fuerunt moti sic. Quod religiosi mendicantes non habent proprium episcopum: & ideo necessario ordinantur ab episcopo non suo. Quare sequitur quod episcopi executionem in prædictos Fratres non transmittunt, sicut in secunda distinctione secundi capituli fuit declaratum: & ideo credebant, quod licentia generalis Fratribus concessa fuit illa licentia generalissima quam descripsi *1. cap. dist. 5.* Quæ solum est licentia seu potestas executionis immediatæ prædictæ, quam scil. episcopus non possit conferre alienis sine licentia suorum episcoporum. Et ideo hac solum posita licentia, & non alia, quæ est iurisdictionis: non dubium quod Fratres non poterant soluere vel ligare Parochianos sine licentia proprii sacerdotis. Et hæc fuit opinio Bernhardi Glossatoris in cap. prædicto *omnis*, super verbo *alieno*. Et ideo allegant ibidem: quod si de duabus seruitutibus vna tolleretur, remanet altera, *extra de vsu pallii*, *ex tuarum*, cum suis concordantiis. Hoc est, quod quamuis tollatur impedimentum, quod decurrit ex defectu consecutionis: non tamen propter hoc tollitur impedimentum occurrens ex parte iurisdictionis. Hæc à. opinio quamuis habeat magnũ colorem, quantum ad religiosos, qui siue ordinantur antequam ingrediantur ordinem, siue post, semper remanent ab executione audiendi confessiones suspensi, quousque per suos prelatos eisdem talis executio concedatur, cuiusmodi sunt Fratres Minores: quia apud illos, qui non sunt per leges sui ordinis sic suspensi (si aliqui tales sunt) nihil vel modicum haberent de colore, nihilominus deficit in duobus: quia nullum ius, quod loquitur de ordinato ab episcopo non suo suspendit ordinatum ab executione prædicta, vbi episcopus ratificarat ordinationem subditi sui, vel suo nomine gestum esset cum licentia debita petita & obtenta. Quæ conditiones non deficiunt in Fratribus, sicut constat cuilibet, eo quod de sola licentia prælatorum suorum possunt à quocunque episcopo catholico ordinari; quam licentiam eis dedit episcopus Romanus, qui solus est episcopus eorundem. Et ideo omnes sic ordinati habent ex ipsa ordinatione sua potestatem executionis, nisi obstent leges ordinis sui, sicut de Fratribus Minoribus dictum est. Hanc igitur executionem non fuit necessarium petere à Papa: quia habuerunt vel habere poterant semper à suo prælato.

Secundo deficit in hoc, quod credebant quod licentia generalis prædicta non prebuit fratribus iurisdictionem vel materiam, in qua exercerent huiusmodi potestatem. Et potest iste error contingere in hoc, quod non viderant Fratrum priuilegia quo ad singula iam prædicta. Vnde fratrum priuilegia concedebant eis, quod possunt audire confessiones & absoluere pœnitentes, & eisdem iniungere pœnitentiam salutarem, quæ (non dubium) fieri non possunt sine potestate iurisdictionis, & sine materia, in qua hæc potestas exerceatur. Et similiter non attendebant, quod nisi Papa per huiusmodi priuilegium hanc potestatem iurisdictionis Fratribus concessisset vltra priuilegia priora, scilicet quod possunt à quocunq; episcopo catholico ordinari: & sic beneficium pontificis esset nullum. Hoc idcirco tam late exposui: quia hæc motiua in aliquorum cordibus radicantur. Patet tamen cuilibet sapienti, quod hæc motiua nulla stabili fulciuntur ratione.

Alii autem, qui fuerunt huius opinionis, existimabant, sicut adhuc ab omnibus æstimatur, scilicet quod soli parochiales sacerdotes sunt proprii sacerdotes, de quibus loquitur statutum. Et ex hoc concludebant, quod sine istorum licentia nullus subditus eorum à Fratribus absolui poterit vel ligari. Et ideo licentia generalis Papæ fuit insufficiens Fratribus ad hoc, quod soluerent vel ligarent. Istud autem motiuum in suo fundamento, scilicet quod soli Parochiales presbyteri vel curati sunt Parochianorum proprii sacerdotes, ad mentem statuti fuit fundamentum Magistri Iohannis de Poliaco. Quantum ad errores suos, sicut expresse patet in *capitul. Vas electionis 2. & 3. cap. eiusdem.* Et est hodie opinio Domini Reuerendi, contra quem agitur in præsenti. Sicut patet in multis locis sui tractatus prædicti, & specialiter in *quarto & quinto articulis eiusdem*, quæ periculosa est nimis & multorum radix errorum, sicut probabitur incontinenti. Ad quod arguitur sic: quia primo sequitur, quod Parochiani committentes tam grauia, quod non possunt absolui nisi à Papa vel episcopis vel pœnitentiariis eorundem non tenentur ex vi statuti eius confiteri Pape peccata illa vel episcopis, supposito illo quod habeant copiam eorundem: quia nullus Parochianus ex vi huius statuti prædicti tenetur confiteri, nisi proprio sacerdoti, scilicet Parochiali presbytero seu curato. Sed ex hypostasi, Papa & episcopi non sunt huiusmodi. Igitur nullus Parochianus ex vi statuti tenetur eisdem confiteri. Quod autẽ istud sit erroneum, patet: quia quilibet Parochianus tenetur in paschate recipere eucharistiæ sacramentum, saltem si non obstet consilium Parochialis presbyteri vel curati. Igitur si non tenetur confiteri, licet sibi sine confessione & absolutione grauissimorum criminum, habita tamen copia illorum, qui possunt eum absoluere, recipere eucharistiæ sacramentum: quod non dubitatur esse erroneum ab aliquo sanæ mentis. Amplius ponitur, quod aliquis parochianus sit irretitus peccatis Deo, Papæ & episcopis reseruatis. & nullius aliis mortalibus. Et sequitur quod Parochianus irretitus grauissimis criminibus tenetur ex vi statuti confiteri Parochiali presbytero: qui non potest eum absoluere & non tenetur ex vi statuti ea confiteri alicui, qui potest eum absoluere à peccatis. Istud patet: quoniam quilibet Parochianus tenetur semel in anno omnia peccata sua confiteri suo Parochiali presbytero vel curato: & nulli alteri tenetur aliquis Parochianus ex vi statuti confiteri. Igitur &c.

Amplius,

Amplius, retento casu priori sequitur, quod Parochianus confessus Papæ vel episcopo suó, & absolutus ab eisdem tenetur eadem peccata, quæ confessus est vel suo Parochiali presbytero vel curato iterum confiteri; & hoc ex vi statuti: & per consequens cum Papa non potest aliquem plus priuilegiare, quam ipsemet sit priuilegiatus: sequitur quod stante statuto illo non potest facere, quod Parochiani non teneantur confiteri omnia peccata sua semel in anno suo presbytero Parochiali vel curato. Et iste est error suus in forma sua damnatus *in cap. vas electionis*. Rursus sequitur, quod Papa & Episcopi non possunt, stante statuto, dare alienis potestatem absoluendi quoscunque Parochianos sibi confessos: non obtenta licentia proprii sacerdotis, id est, Parochialis presbyteri vel curati: quia secundum diffinitionem concilii generalis nullus habet potestatem absoluendi vel ligandi sibi confessum sine licentia Parochialis presbyteri seu curati. Igitur si Papa vel episcopi darent alienis potestatem, vt prædicitur, absoluendi, ipsi destruerent diffinitionem concilii generalis. Quare sequitur, quod non possunt stante statuto dare talem potestatem sacerdotibus alienis. Et iste error fuit in æquiualenti damnatus per Alexandrum quartum. Amplius sequitur, quod Papa & episcopi non possunt stante statuto prædicto quenquam soluere vel ligare sibi confessum sine licentia Parochialis presbyteri vel curati: quia ex hoc, quod non possunt hanc potestatem dare alienis sacerdotibus, sequitur quod non habent eam ordinate, *extra de offic. iudi. ordi. cu quibus*, aliâs *his quibus*. Nec habent eam per commissionem, non est dubium, nisi forsan de commissione proprii sacerdotis. Igitur non habent huiusmodi potestatem: similiter Papa & episcopi, ex quo non sunt proprii sacerdotes: non dubium, quod ad mentem statuti quicunque non sunt proprii sacerdotes episcopi, si sint sacerdotes, sunt alieni. Quare Papa & episcopi secundum mentem statuti sunt sacerdotes alieni, & per consequens secundum statutum non possunt soluere vel ligare sine licentia proprii sacerdotis: & hoc contra euangelium Matth. 16. & 18. c. & Ioh. 20. *quorum remiseritis peccata* &c. Amplius sequitur, quod Papæ & episcoporum iurisdictio minuitur vel restringitur per substitutionem Parochialis presbyteri seu curati, quod non permittit prima suppositio *cap. 2.* & specialiter cum etiam concilium generale non possit Papæ legem præfigere, *extra de electione & electi potestate, significasti*. Et sequitur etiam, quod per huiusmodi substitutionem potest eius potestas tantum minui, quod aliquádo simpliciter esset nulla, quod est piarum aurium merito offensiuum. Amplius ex eodem sequitur, quod nullus est, nec potest esse proprius sacerdos, nec aliquis qui potest absoluere pœnitentes. Probatur, quia Papa & episcopi non habent potestatem absoluendi Parochianos sine licentia proprii sacerdotis. Ergo non possunt huiusmodi potestatem dare cuicunque *1. quæst. 1. c. qui perfectionem & c. ventum est & 1. quæst. 7. Daybertum*. Igitur si nullo modo essent Parochiales presbyteri vel curati, sed omnes essent mortui, sicut fuerunt in multis locis tempore pestilentiæ, Papa & episcopi non possent sibi hanc potestatem accipere, nec eâ alienis conferre: nec per consequens Parochiales presbyteros instituere. Et constat, quod æque modicum Papa & episcopi poterant instituere proprios sacerdotes, quando primo instituebant eos, sicut modo. Quare sequitur, quod tunc nulli erant facti proprii sacerdotes, nec adhuc sunt: & per consequens nullus potest absoluere pœnitentes. Et quod rogo potest esse magis horrendum & crudele menti Christianæ? Hæc igitur & multa plura, quæ causa breuitatis transeo, sequuntur hoc dato, quod statutum concilii generalis sub nomine proprii sacerdotis Papam & episcopos non includat, sed excludat tantum Parochiales presbyteros seu curatos includendo.

Tertii fuerunt, qui tenuerunt eundem errorem, scil. quod Fratres habentes licentiam generalem audiendi confessiones &c. non poterant sibi confessos soluere vel ligare sine licentia proprii sacerdotis ex hoc motiuo: quod quamuis Fratres huiusmodi possunt Parochianorum audire confessiones & eosdem absoluere, quantum est ex parte potestatis fratribus collatæ: ipsi tamen Parochiani non possunt eisdem confiteri sine licentia proprii sacerdotis. Et ideo fratres non possunt eos absoluere, obstante impedimento ex parte confitentium: quamuis nullum sit impedimentum ex parte potestatis fratrum. Et huius opinionis est iste Dominus Reuerendus in *5. cap. sui tractatus in secunda responsione ad cap. vas electionis*, seu *in secunda expositione seu Gloss. cap. supradicti*. Vnde in propositione, quam coram vestra reuerentia fecit, dixit, quod confessi sic fratribus sine licentia proprii sacerdotis: & omnino per totum annum proprio sacerdote à nullo peccato mortali absoluuntur: sed redeunt onerati omnibus peccatis, cum quibus accesserant ad eosdem. Sed contra istud arguitur sic: quia sicut fuit dictum in principio, potestas ligandi & soluendi sibi confessos, quam habent fratres ex generali licentia audiendi confessiones eis, concessa, non est solū potestas ordinis & executionis nudæ: sed potestas iurisdictionis, per quam tribuitur materia, in qua potestas ordinis executionis exerceatur. Ergo concessio huiusmodi potestatis est concessio materiæ. Cum igitur per se materia audiendi confessiones & absoluendi sit peccatum seu peccator sub ratione, qua peccatum suum confitetur: sequitur quod concedens huiusmodi potestatem concedit, quod Parochiani possint eis cōfiteri. Amplius, Parochialis curatus per licentiam, quam concedit Parochiano, quod possit Fratribus confiteri, nullam potestatem concedit fratribus per se, sed solum per accidens: quia suum subditum concedit suæ potestati: sicut ille, qui concedit fabro ferrum, nullam potestatem per se tribuit fabro, quamuis faber non poterit operari sine ferro. Igitur Parochialis presbyter prius concedit suum subditum alienæ potestati, vel prius concedit, quod possit alieno confiteri quam proprio concedit fratri seu alieno illam potestatem accidentalem: quia prius est illud, quod est per se, quam

illud quod est per accidens. Sed constat, quod omnem per se potestatem, quam habet frater antequam recipiat licentiam Parochialis curati, habet frater antequam præsentetur episcopo vel antequam licentia generalis audiendi confessiones conferatur eidem. Et antequam illam recipiat licentiam generalem, sibi solum deficit hæc potestas accidentalis seu per accidens. Igitur Papa vel episcopus conferens fratri huiusmodi licentiam generalem, prius confert sibi materiam, scilicet quod Parochianus possit Fratri confiteri, quam concedat fratri illam potestatem accidentalem, scilicet quod possit eum audire & absoluere. Amplius, summi pontifices in priuilegiis suis, in quibus concedebant fratribus licentiam audiendi confessiones, & confessos absoluendi, præceperunt curatis & quibuscunque aliis, quod eosdem in executione commissionis talis officii nullus molestaret, sed hortabantur eos, quod suos Parochianos ad faciendum fratribus confessionem inducerent & monerent: & per consequens sequitur, quod concesserunt Parochianis licentiam eisdem fratribus confitendi: puta si fratres virtute huius generalis licentiæ sibi concessæ possunt Parochianos audire & absoluere in confessione, cum ipsi Parochiani non possunt virtute talis licentiæ eisdem confiteri: sequitur à fortiori, quod quamuis alieni possent audire confessiones non suorum Parochianorum virtute licentiæ Parochialis presbyteri seu curati eisdem alienis concessæ, Parochiani tamen non possunt virtute eiusdem licentiæ confiteri eisdem: & sic sequitur, quod obstante isto impedimento confessi sacerdotibus alienis de licentia Parochialis presbyteri redeunt suis peccatis onerati à nullo penitus absoluti. Amplius, constat quod nullus potest concedere cuicunq; fratri potestatem absoluendi & audiendi subditum vel Parochianum non suum, sed tantum concedit hanc licentiam super subditum suum. Igitur talem licentiam concedendo super subditum suum concedit subdito correlatiuam potestatem. Alioquin æque concederet vel concedere posset hanc potestatem super subditum alienum, sicut super proprium. Concedit igitur subdito licentiam, quod possit fratribus confiteri. Igitur quemcunque fratres possunt in confessione audire & absoluere, ipse quantum est ex parte sui, potest sibi econtra si voluerit confiteri. Quod si habens hanc licentiam indiget licentia Parochialis presbyteri vel curati, sequuntur omnes errores superius prædicti.

Ad argumenta huius Domini, quibus probat hoc motiuum, respondetur per ordinem. Arguit enim sic. Ponatur quod vnum capitulum habeat statutum, quod vacante ecclesia eligat vnum de capitulo, & quod nullum eligat extrinsecum capitulo sine licentia Decani: concedit Dominus Papa monachis fratribus vel religiosis priuilegium, quod possunt eligi à quibuscunque volentibus eos eligere. In quo casu constat, quod capitulum non potest fratrem seu monachum eligere sine licentia Decani, obstante statuto prædicto: & tamen constat, quod frater seu monachus eligi potest. Igitur consimiliter erit ex parte alia.

Ad illud dico, quod exemplum exemplato non correspondet: sed discordat in multis. Primo: quia sicut statuit quod quilibet debet confiteri proprio sacerdoti vel alicui de sui licentia: ita dicitur in exemplo statuti, quod capitulum debet eligere Decanum vel alium de licentia sua. Et credo quod raro vel nunquam huius licentiam obtineret. Secundo non cauetur in casu, vtrum statutum sit factum auctoritate capituli vel Papæ. Constat autem de statuto, super quo agitur, quod fuit factum auctoritate concilii generalis. Et secundum hoc esset varie respondendum. Tum quia Papa potest ignorare statutum capituli priuati: & de illo forsan esset mentio facienda in priuilegio: alioquin non valeret priuilegium contra statutum, Argumentum *extra de rescriptis. constitutis.* Sed non ita potest ignorare statutum ecclesiæ, cum habeat in scrinio sui pectoris omnes leges. Tum etiam, quia sicut statutum esset statutum ecclesiæ & singulare pro vno capitulo, videtur quod huiusmodi generale priuilegium non deroget statuto speciali, & quamuis ita esset, quod tamen generaliter non est verum, cum nihil arguit in proposito, vbi tam statutum quam priuilegium est generale. Et per consequens potest derogare statuto *extra de rescriptis. Sicut Romana.* Tertio argumentum deficit in hoc, quod in casu non cauetur, quod Fratres possunt eligi & sortiri effectum electionis virtute electionis factæ: sicut in alia parte cauetur, quod possit in effectum omnem, qui adiungitur cum audientia confessionum. Quarto deficit in hoc, quod istud priuilegium, de quo fit mentio in argumento, non datur per decanum, qui decanus potuit dare licentiam, mediante qua & monachus posset eligi & statutum seruari: sicut in alia parte priuilegium datur per Papam: qui, vt probatum est, est proprius sacerdos & tanquam talis potest dare licentiam, virtute cuius & statutum seruetur & fratres confessiones audiant & absoluant. Istis vero defectibus & similibus restauratis dico, quod sicut frater potest eligi, ita quilibet de capitulo potest eundem eligere statuto non obstante. Huiusmodi vero exempla quamuis prima facie appareant, tamen de existentia nihil habent.

Item arguit sic: non obstante priuilegio fratribus concesso, quod possunt libere audire confessiones omnium sibi confiteri volentium, moniales non possunt Fratribus confiteri sine licentia suorum superiorum, nec Prædicatores Minoribus, nec econuerso sine licentia suorum superiorum speciali. Respondeo, quod verum est quod dicit in isto argumento. Et causa est, quia in iure seu priuilegio fratribus concesso, bene cauetur, quod fratres non habeant licentiam in casibus & personis episcopis reseruatis: cuiusmodi sunt moniales, quæ non sunt Parochianæ. Aut si sint, sunt episcopis quo ad omnem iurisdictionem huiusmodi reseruatæ: nec sunt subiectæ Parochialibus presbyteris vel curatis. Et hæc est causa, quare pro audiendis earum confessionibus episcoporum haberi tenetur licentia specialis.

Sed

Sed quod Fratribus Prędicatoribus non licet audire Minores, vel econtra causa est, quia episcopi, qui cõmittunt fratribus licentiam generalem confessiones audiendi, non possunt Minoribus committere super prædicatoribus vel econtra, eo quod neutri sunt sui subditi in hac parte, quamuis in multis aliis sunt subditi. Et idem dico de monachis & similibus. Et ideo ad istos hæc licentia nullatenus se extendit. Et idem dico de licentia Domini Papæ audiendi Parochianos diœcesis alienæ, quam Dominus Papa in hoc casu ad licentiam episcopi modificat & restringit.

Iterum arguit sic: ratio naturalis affirmat, quod libertas patiendi in patiente non arguit libertatem agendi in agente. Respondeo, quod si loquamur de libertate à culpa, sicut videtur argumentum procedere, sic concedo quod istum pati absque culpa non arguit alium efficere hanc passionem sine culpa, nec etiam cum culpa. Et ideo potest esse sine culpa & cum culpa secundum varietatem materiæ subiectæ. Et ideo argumentum de se est neutrum seu negandum. In proposito tamen dico, quod pensatis circumstantiis materiæ, de qua agitur, libertas patiendi in patiente præsupponit libertatem agentis in agente, vt supra probatum est. Ex prædictis igitur patet, quod salua semper reuerentia Domini mei hæc prædicta, quæ tenet, non sunt sana, nec aliqua euidentia notabili sunt fulcita.

Rursum occasione primæ partis eiusdem statuti fuerunt & sunt aliqui solennes, qui tenent & tenuerunt, quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones & confessos absoluendi ac iniungendi pœnitentiam salutarem, huiusmodi confessione non obstante tenentur eadem peccata, quæ fuerunt confessi, iterum confiteri proprio sacerdoti. Huius opinionis fuit Magister Iohannes de Poliaco: & fuit in parte motus ex hoc, quod sibi videbatur, quod huiusmodi licentia generalis non tollat statutum concilii generalis. Credebat enim quod si confessi fratribus non tenebantur, vt prædicitur, iterum confiteri, statutum per huiusmodi licentiam tolleretur. Et ideo posuit, quod stante statuto nec Papa nec Deus potest facere, quod Parochianus semel in anno non teneatur confiteri omnia peccata sua Parochiali presbytero seu curato. A qua opinione quantum ad conclusionem & motiuum prædictum in nullo discrepat Armachanus archiepiscopus, vt patebit.

CAP. V.

Reducens eidem statuto, Omnis vtriusq; sexus, *cap.* Dudum. *Et cap.* Vas electionis.

RESTAT igitur modo eidem statuto reducere capitulum *Dudum*, & capitulum *Vas electionis*, ac fratrum priuilegia, quæ in hac materia ad cap. *Dudum* hodie sunt reducta. Ideo ostendetur, quod capitulum *Dudum* præfato statuto non obuiat nec repugnat. Veruntamen quia in hoc videor cum aduersario concordare: ideo ne laboremus in æquiuoco, est sciendum, quod ex statuto concilii generalis consurgit duplex obligatio seu debitum confitendi. Vna est generalis perpetua & mansiua: alia est specialis seu particularis transiens & fluxiua. Prima est, qua q̃libet siue cõfiteatur siue nõ, semper ex vi statuti ad confessionem faciendam semel in anno remanet obligatus. Cum quo stat, quod hic peccator pro hoc anno de his peccatis, quæ fecit, non tenetur confiteri, quia forte confessus est legitime de eisdem. Secunda est, qua quis in speciali de istis peccatis in particulari demonstratis, & quod hoc singulari tempore vel anno tenetur confiteri, quæ obligatio est transiens & fluxiua, quia hac particulari obligatione soluta non remanet amplius eadem obligatione obligatus, quamuis prima obligatione semper remaneat obligatus. Alioquin n. nisi soluto particulari determinato remaneret in genere obligatus, sequeretur quod semel confessus secundum formam statuti quantumcunq; postea peccaret, non teneretur ex vi statuti iterum confiteri. Horum exemplum manifestũ est de reddditu annuo, quo quis tenetur; transeo quia notũ est. Aliud exemplũ potest esse, ꝙ hæc propositio vniuersalis *omnis homo est animal* secundum Philosophum est perpetuæ veritatis, quia est necessaria, cuius q̃libet singularis est contingens, cuius veritas transit cũ sua entitate. Ad propositum dico, ꝙ cap. *Dudum* non obuiat nec repugnat statuto concilii generalis *Omnis vtriusq; sexus*, nec quo ad obligationẽ primam, nec quo ad secundam. Dico tamen, quod frequenter tollit eius obligationem secundam, tũ non tollit primam. Et si arguitur, quod hoc capitulum tollit statutũ quo ad obligationẽ secundam: ideo saltem in hoc sibi obuiat seu repugnat. Constat ꝙ argumentũ non valet: quia quicunq; confitetur personaliter suo proprio sacerdoti, ipse tollit statutum quo ad obligationẽ secundã: & tamen talis nec in hoc nec in aliquo alio obuiat statuto nec eius obligationi, sed ipsam statutum perficit, & eius obligationem secundam soluit & implet. Sed ad hunc intellectũ dico, ꝙ capitulũ *Dudum* præfato statuto nec obuiat neq; repugnat. Quæ est forma & modus vnus, ꝑ quẽ statutũ ꝑficitur & impletur. Dominus vero Armachanus aliter intelligit, scil. ꝙ per illud capitulũ non est modus nec forma quo illud statutum impletur: & ideo reputat, ꝙ si confessus fratri eadem peccata iterum confiteretur, tunc capitulum *Dudum*, & fratrum priuilegia tollunt statutum præfatum quo ad vtrumq; debitũ supradictum. Quod non est verum: & ideo arguitur ad propositum breuiter sic. Nulla licentia proprii sacerdotis suo Parochiano concessa, quod alienus sacerdos potest eundem audire in confessione & absoluere vice sua obuiat vel repugnat statuto concilii generalis. Alioquin statutum sibiipsi repugnaret: & iam aduersarius concedit hanc maiorem. Sed omnis licentia audiendi confessiones & confessos absoluendi per capitulum *Dudum*, fratribus concessa est huiusmodi licentia. Igitur nec talis licentia nec capitulum *Dudum*, quod huiusmodi licentiam concedit, eidem statuto obuiat nec repugnat

pugnat. Minor probatur: quia ꝙ huiusmodi licentia sit licētia proprii sacerdotis, patet per improbationem secundi erroris capituli immediate præcedentis. Et quod est concessa Parochianis, ꝙ possint fratribus confiteri, patet per improbationem tertii erroris eiusdem capituli. Et quod fratres virtute illius licentiæ absoluunt vice proprii sacerdotis, patet ex prima conclusione tertii capituli. Cum igitur nihil impugnans hoc vel istorum aliquid in prædicto capitulo contineatur, sequitur quod capitulum *Dudum*, præfato statuto non obuiat nec repugnat.

Amplius, capitulum *Dudum*, in concilio generali Lugdunensi fuit eodem sacro instante & approbante concilio innouatum, sicut patet ex eiusdem decretalis principio, in quo hæc licentia audiendi confessiones & confessos absoluendi, quam fratres modo habent, secundum formam in eodem expressam fuit prouide ordinata. Igitur tota ecclesia in illam licentiam pro se ac singulis personis, quarum intererat, consensit vere vel interpretatiue, tacite vel expresse. Et per consequens Parochiales presbyteri seu curati consenserunt, vel saltem ecclesia per procuratores sufficientes eosdem repræsentans vere consensit & concessit licentiam supradictam, quam nec ipsi nec eorum successores sine consensu Domini Papæ vnquam poterant postea nec adhuc poterunt reuocare. Igitur hæc licentia est non solum per Papam, archiepiscopos & episcopos concessa: sed etiam per Parochiales presbyteros & curatos; & ob hoc fratres præsentantur & per eos admittuntur nomine eorundem. Quare sequitur, quod hæc licentia non aliter statuto concilii generalis obuiat vel repugnat, quam si fratres essent præsentati & admissi à presbyteris Parochialibus seu curatis.

Amplius, statutum concilii generalis solum obligat Parochianos disiunctiue: scilicet ad confitendum semel in anno, proprio sacerdoti vel alteri de licentia ꝓprii sacerdotis. Igitur hanc obligationẽ plene persoluens ꝓ aliquo tẽpore, ꝓ eodẽ tempore statuto non obuiat vel repugnat. Sed confessus fratri iuxta formã capituli *Dudum*, superius memorati plene persoluit obligationem statuti: quia, sicut dictum est, confessus est habenti licentiã cuiusuis ꝓprii sacerdotis. E. talis statuto non obuiat. Præterea statutum concilii generalis solum obligat Parochianos ad confessionem, quæ coexigit beneficium veræ absolutionis & susceptionem satisfactionis: sicut patuit in tertia conclusione tertii capituli supradicti. Sed constat quod capitulum *Dudum* concedit fratribus licentiã conferendi vbiq; absolutionem & imponendi debitam satisfactionem. Igitur confessus fratri iuxta *cap. Dudum*, alteri statuto non obuiat vel repugnat. Et per consequens *cap. Dudum*, eidem statuto non repugnat.

Amplius, circumscripta omni obligatione, qua quis obligatur per dictum statutum Parochianus confessus fratri iuxta formam capituli *Dudum*, satisfaceret obligationi, per quam ex suo peccato actuali factus est debitor sacramenti pœnitentiæ in hac parte, scil. quantum ad confessionem, sed cõstat, ꝙ ꝑ præfatũ statutũ non plus debet, vel obligatur in hac parte q̃ si remoto vel circũscripto statuto esset tantum debitor sacramenti pœnitentiæ post solam limitationem temporis, infra quod tenetur confiteri. Igitur confessus fratri iuxta formam capituli *Dudum*, & seruata temporis limitatione in statuto concilii generalis satisfecit tam debito sacramenti pœnitentiæ quam debito statuti concilii generalis: cui per consequens præfatum capit. *Dudum*, nec obuiat nec repugnat. Præterea secunda pars est dispensatoria super præcepto primæ partis. Igitur nullus implens secundam partem statuti præfato statuto obuiat vel repugnat. Sed constat quod confessi fratribus implent secundam partem statuti *omnis vtriusque*, sicut supra probatum fuit. Igitur tales eidem statuto non obuiant nec repugnant. Ex opposito itaq; prædictæ conclusionis sequuntur multa erronea & blasphemosa, sicut postea deducetur. Patet tamen euidenter ex prædictis, quod cap. *Dudum*, seu fratrum priuilegia statuto *Omnis vtriusq; sexus*, nullo modo obuiant nec repugnant: sed eam perficiunt & adimplent, & concordant optime cum eodem. Quapropter ex prædictis sequitur, quod confessi fratribus prædictis non plus tenentur peccata iterum confiteri, quam si illa fuissent confessi proprio sacerdoti, sicut post plenius deducetur. Et hoc est quod in cap. *Vas electionis* diffinitur: cuius oppositum ibidem velut erroneum reprobatur. Veruntamen quia iste Dominus Reuerendus dicit, quod intellectus fratrum de ista constitutione est erroneus & non sanus: ideo consequenter ostendam, ꝙ intellectus fratrũ de ista constitutione est catholicus & salubris, vt ex hoc pateat, ꝙ ista constitutio à prædictis capitulis non discordat. Intellectus igitur fratrum de hac constitutione *Vas electionis* non est, quod scil. confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones & confessos absoluendi &c. nulllo casu teneantur eadem peccata iterum confiteri, sicut eis imponit iste Dominus sine causa. Sed confessi fratribus habentibus licentiã generalẽ non magis tenentur eadẽ peccata iterũ confiteri, q̃ si alias ipsa confessi fuerint ꝓprio sacerdoti; hoc est in nullo casu tenentur iterum ea confiteri, quin in eodẽ casu vel consimili tenerentur eadem iterum confiteri, quamuis ea prius fuissent confessi ꝓprio sacerdoti. Et ꝙ iste intellectus sit sanus & catholicus, patet sic: quia negatiua supradicta in forma, qua præscribitur, est diffinita catholica atq; vera. Igitur illa pro catholica est tenenda.

Amplius, ꝓprius sacerdos non magis tenetur audire cõfessiones eorundẽ peccatorũ sui parochiani, qui prius confessus fuit fratri habenti licentiam generalem &c. q̃ si idẽ Parochianus fuisset eadem alias confessus ꝓprio sacerdoti. Igitur Parochianus confessus fratri huiusmod[illegible] magis tenetur eadem peccata iterum confiteri, quam si illa confessus fuisset proprio sacerdoti. Argumentum & assumptum patet ex secunda suppositione secundi capituli præcedentis.

Amplius, confessus huiusmodi fratri est confessus eidem vice proprii sacerdotis. Igitur [illegible] confessus non magis tenetur eadem peccata iterum confiteri, quam si fuisset illa confessus proprio sacerdoti. Assumptum patet ex tertia suppositione secundi capituli & secunda conclusione tertii capituli & ex improbatione secundi erroris capituli immediate præcedentis.

Amplius, confessus huiusmodi Fratri satisfecit statuto concilii Generalis *omnis vtriusq;*. Igitur confessus eidem non magis tenetur eadem peccata iterum confiteri, quam si illa fuisset confessus proprio sacerdoti. Assumptum patet ex quarta suppositione secundi capituli & prima conclusione tertii & ex correlario eiusdem conclusionis cum præcedente cõclusione huius capituli cũ suis rationibus. Amplius, confessus huiusmodi Fratri & absolutus ab eodem satisfecit debito sacramenti pœnitentiæ & debito præcepti Ecclesiæ. Igitur huiusmodi Fratri confessus & absolutus ab eodem non magis tenetur iterum confiteri, quam si ab eodem fuisset confessus proprio sacerdoti. Assumptum patet ex sexta suppositione secundi capituli & ex quinta conclusione tertii capituli & eiusdem probatione.

Amplius, confessus huiusmodi Fratri & absolutus ab eodem est sibi sacramentaliter & iudicialiter in foro pœnitentiæ confessus. Igitur huiusmodi Fratri sic confessus non magis debet vel tenetur eadem peccata iterũ confiteri, quam si illa fuisset sacramẽtaliter confessus proprio sacerdoti. Assumptum patet ex ratione distinctionis quartæ primi capituli cum suis probationibus & ex tertia cõclusione tertii capituli cũ suis probationibus vniuersis. Item, omnia argumenta immediate facta in hoc capitulo istam veritatem probant lucide & deductiue, & in sequenti capitulo probabitur satis clare. Quantum ad affirmatiuam supradictam, scil. quod confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones &c. tenentur eadem peccata præconfessa iterum confiteri, patet quod illa sit erronea & damnata in prædicta constitutione. Nam illud quod negatur in propositione negatiua diffinita, debet secundũ idem & ad idem & similiter & in eodẽ tẽpore affirmari in propositione affirmatiua damnata vel saltẽ quælibet ꝑpositio affirmatiua tali negatiuæ sic repugnãs necessario secundum idem & ad idem &c. est damnata. Igitur illa affirmatiua supradicta aut illa quæ ponitur in ꝑdicta constitutione ad intellectum istius necessario est damnata. Et confirmatur istud ex hoc ꝙ dicitur in constitutione in fine, qñ Papa damnat illos errores Ioannis de Poliaco. Ibidem enim Dominus Papa dicit sic: *Omnes prædictos articulos & quemlibet illorum tanquã erroneos ac à sacra doctrina deuios auctoritate Apostolica damnamus & reprobamus de fratrum concilio prædictorum, doctrinamq; contrariã ipsis verã esse & catholicã asserentes cum illi qui prædictis Fratribus confitentur non magis teneantur* &c. intendit exprimere in suo opposito intellectum, ad quem vult aliam à forma damnari. Patet igitur quod intellectus Fratrum de ista constitutione catholicus est & sanctus, & quod hoc capitulum ab aliis prædictis capitulis non discordat, cum illud sit factum ad concordiam eorundem.

Verum contra ista arguit iste Dominus Reuerẽdus multipliciter. Primo sic: hæc negatiua, nulli confessi Fratribus habentibus licentiam generalem tenẽtur eadẽ peccata confiteri suo proprio sacerdoti, ex quo est falsa & contingens, non possit diffiniri tanꝗ catholica & fidẽ concernens, quæ fides catholica est necessaria in omni suo articulo. Et ideo si ista esset diffinita diffinitio super illam facta non teneret. Similiter affirmatiua isti contraria non potuit damnari tanquam erronea, cum sit vera & contingens, & si damnaretur, illa damnatio non teneret. Ad hoc adducit argumentũ Domini Papæ Iohannis 22. se. re. *Quia vir reprobus*. Item, confessus Fratri potest obligari legitime ad iterũ confitendum. Igitur non est contra fidẽ credere, ꝙ confessus Fratri tenetur iterum confiteri. Assumptũ patet de his qui vouerunt iterum confiteri, & quibus præceptum est vel iniunctum in pœnitentia iterum eadem peccata confiteri, vel qui habent conscientiam, ꝙ tenentur iterũ confiteri & in casibus aliis multis. Item, demonstratur aliquibus in casibus proximi argumenti arguitur sic. Isti tenentur confiteri omnia peccata sua totius anni suo proprio sacerdoti, & isti sunt confessi Fratribus habentibus generalem licentiam &c. Igitur confessi Fratribus habentibus generalẽ licentiam tenentur eadem iterum peccata confiteri proprio sacerdoti suo. Hæc conclusio secundum fratres est hæretica, & maior est catholica non repugnans. Igitur minor quæ est fratrum, est hæretica. Item, ponatur ꝙ pœnitentiarius aliquis Romanæ curiæ iniungat alicui confesso, ꝙ omnia peccata sua totius anni cõfiteatur suo parochiali Presbytero: qui parochianus rediens cõfiteatur Fratri omnia tali peccata, & quæro nunquid tenetur ad pœnitentiã sibi iniunctam à Papa vel nõ? Si non: igitur euacuatur auctoritas Papæ per liberum factum Fratrum: quod affirmare videtur hæreticum. Similiter habeat talis conscientiam, quam non potest deponere, quod teneatur pœnitentiam iniunctam implere. Tunc enim dicere, quod non teneatur talem conscientiam sequi, etiam videtur erroneum. Relinquitur igitur, quod tenetur pœnitentiam iniunctam implere, ne eo ipso fiat hæreticus.

Item, si prædicta propositio affirmatiua sit hæretica. Aut igitur surgit ista hæresis ex hoc, quod confessio eorundem peccatorum non est iterabilis. Aut quia non esset debita & obligata. Aut quia non potest esse debita, quod fiat suo proprio sacerdoti. Tertium poni non potest, & ponentes primum & secundum damnant Dominum Papam Innocentium quartum, Dominum Papam Martinum quintum, Dominum Benedictum vndecimũ, Clementem octauũ, Dominum Innocentiũ sextum iam præsentem, qui statuerunt vel præceperunt diffinitiuam illã in sua forma. Et similiter Dominũ Hostiens. & Ioannẽ Monachum, Cardinalẽ Bernhardũ, Glossatores & Doctores eximios, Alexandrum de Halis, Henricum de Gandauo, Fratrem Raymundum, Fratrem Bonauenturam; imo sanctam Ecclesiam catholicam, quæ præcepit in certis casibus fieri iterationem confessionis eorundem peccatorum. Item, quod intellectus Fratrum de hac constitutione *Vas electionis* sit erroneus, patet: quia Fratres ordinum mendicantium asserunt denunciationes in prædicta constitutione contentas esse veras & catholicas, & assertiones illis contrarias esse reprobas & erroneas, forma verborum seruata, nihil addito nihilq; subtracto: sicut patet in quadam petitione Fratrum data Dominis

Cardinalibus per procuratorem, & multos nostros Ordinum prædictorum. Cum igitur articulus constitutionis sensus varios habeat: quorum vnus est verus, & alter est falsus: & suus sensus sit verus, & sensus Fratrum falsus: sequitur quod Fratres errant, & non ipse. Item, Fratres multo magis debent cōcedere se ex fide tenere cunctas denuntiationes Christi in sancto Euangelio cōtentas, seruata forma, nihil addito nihilq; subtracto, quam denunciationes in prædicta constitutione contentas. Et per consequens habent concedere se ex fide tenere nullo addito, nulloque subtracto, illud Saluatoris, *mea doctrina non est mea*. Et illud: *Ego non ascendam ad diem festum hunc.* Et illud: *Non mea, sed tua voluntas fiat*: quæ nisi aliquid addatur in sensu, veritatem non habent. Ad ista argumenta potest breuiter responderi, scilicet quod quamuis videantur concludere, quod confessus Fratri teneatur iterum confiteri proprio sacerdoti: quia tamen non probant, quod teneantur confiteri ex vi statuti concilii Generalis *Omnis*, non probant quod intendunt. Nam iste Dominus intendit affirmare, q confessi Fratribus teneantur eadem peccata iterum confiteri proprio sacerdoti: quia sunt ad hoc obligati ex statuto: & per consequens secundum eum ex vi statuti tenentur iterum confiteri. Sed argumenta hoc non concludunt: quia positis casibus, ex quibus iste Dominus arguit æqualiter tenentur vel non tenentur iterum confiteri statuto remoto & destructo: sicut eodem posito & firmato. Aliter etiam ad illa & similia potest dici, quod Fratres non negant, quod confessi non solum Fratribus, sed Papæ & Episcopis & parochialibus Presbyteris seu curatis teneantur eadem peccata iterum confiteri in multis casibus, qui possunt poni: sed negant q confessi Fratribus plus teneantur eadem peccata iterum confiteri, vel in aliis casibus quam in illis in quibus vel eorum similibus tenentur iterum confiteri, etiam si ea fuissent confessi proprio sacerdoti. Constat autem quod in casibus argumentorum pręmissorum & eorum similibus si parochiani fuissent confessi proprio sacerdoti cuicunque, ipsi æque tenerentur iterum confiteri, sicut in casibus præmissis. Quare argumenta contra constitutionis intentionem & Fratrum intellectum penitus non concludunt.

Sed ne videar fugere argumenta, respondeo ad singula. Et primò ad primum: cum dicitur quod hæc negatiua: *Nulli confeßi Fratribus habentibus generalem licentiam audiendi confeßiones tenentur eadem peccata quæ confeßi sunt iterum confiteri proprio sacerdoti*; *non potuit diffiniri tanquam catholica & fidem concernens eo quod est contingens, vt patet.* Dico quod hæc propositio, quam assumit, non est diffinita in constitutione *Vas electionis*. sed ista, nulli confessi Fratribus habentibus generalem licentiam magis tenentur eadem peccata eis confessa iterum confiteri, quam si fuissent ea confessa proprio sacerdoti: quæ propositio non est contingens & falsa. Quare argumentum non prohibet istam non posse diffiniri: sicut de facto diffinita est. Sed iste Dominus, salua sua reuerentia, accipit propositiones laterales & impertinentes, vt magis appareat & decipiat quam concludat. Sed *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*, Prouerb. prim. Et consimiliter dico, quod affirmatiua damnata ad sensum isti negatiuæ oppositum in affirmatiua; in illo sensu non est contingens & vera: sed in casibus, quos ponit iste Dominus, est falsa. Quare nihil prohibet ipsam damnari. Et quando dicit, quod fides catholica est necessaria in omni suo articulo, si intelligatur de necessario, prout distinguit contra contingens & impossibile, vt videtur fieri in proposito: quia alioquin argumentum æque esset contra eum, sicut contra Fratres: tunc non dubium, quin illud assumptum sit hæreticum. Generale enim iudicium viuorum & mortuorum: & generalis resurrectio mortuorum, nec est sic necessaria necessitate absoluta. Similiter incarnatio, passio, resurrectio, quas sancti patres antiqui testamenti credebant esse futuras, non fuerunt necessariæ, sed contingentes. Nec est ad propositum quod adducit pro se de Domino Iohanne & suo libello, *Quoniam vir reprobus*: quia ille loquitur de diffinitione facta super propositione impossibili. Iste autem Dominus loquitur de diffinitione facta super propositione contingente, vt dicit. Quare argumentum non valet pro suo proposito concludendo. Ad secundum, cum arguitur: Confessus Fratri potest legitime obligari ad iterum confitendum eadem peccata proprio sacerdoti: igitur non est contra fidem credere, quod confessi Fratribus teneantur iterum confiteri. Dico quod accipiendo semper propositionem in sensu prædicto, scilicet quod confessus Fratri &c. plus potest legitime obligari: vel potest obligari in casibus, in quibus vel eorum similibus confessus proprio sacerdoti, non potest ad hoc legitime obligari. Assumptum est falsum, sicut supradictum est. Et similiter argumentum non valet: quia conclusio non plus sequitur ex præmissis, quam si diceretur sic. Virgo non obligata castitati potest legitime obligari perpetuæ castitati. Igitur non est contra fidem credere, quod virgo non obligata castitati tenetur ad perpetuam castitatem: quia antecedens est verum, & consequens falsum, dicente Apostolo: quod *si virgo nupserit non peccauit*, 1. ad Corinth. 6. Similiter aliud exemplum dicendum est. Non enim sequitur, potest esse quod sacerdos dicens verba consecrationis cum intentione debita consecrandi, non consecrat. Ergo non est contra fidem credere, quod huiusmodi sacerdos non consecrat: quia dubium, quod antecedens sit verum saltem de potentia Dei, quæ non est obligata sacramentis: & per consequens est falsum. Similiter aliud exemplum est. Non enim sequitur: mulier obligata viro potest esse soluta legitime à viri potestate: ergo non est contra fidem credere, quod mulier obligata viro sit soluta à viri potestate: quia antecedens est verum, & consequens contra Apostolum vbi supra. Nec argumētum prædictum potest tenere, nisi per hoc medium non est contra fidem aliquid credere, quod potest esse verum; quod, sicut notum est, satis est erroneum. Ad tertium argumentum dico, quod conclusio in sensu, in quo damnatur, non sequitur ex præmissis. Ideo nihil ad propositum. Ad quartum cum ponitur; quod

quod pœnitentiarius curiæ Romanæ iniungat alicui sibi confesso, quod omnia peccata sua confiteatur proprio sacerdoti: & quod talis rediens confiteatur ea Fratri: & quæritur, nunquid talis tenetur iterum ea confiteri suo proprio sacerdoti. Respondeo: ponatur quod idem pœnitentiarius iniungat alteri confesso, quod confiteatur alicui certo Fratri: & quod ille rediens confiteatur suo proprio sacerdoti. Quæritur igitur, nunquid talis teneatur eadem confessa sacerdoti proprio, iterum illi Fratri confiteri. In quibus casibus dico, quod vterq; iterum confiteri tenetur: & non plus nec minus quam alius cæteris omnibus paribus. Et hoc ex non sequitur, quod confessus Fratri plus vel magis teneatur iterum confiteri, quam si in altero casu confessus fuisset proprio sacerdoti. Quare argumentum non procedit contra intellectum constitutionis vel Fratrum. Ad quintum dico, quod hæresis illa nec surgit ex prima caussa, nec secunda, nec tertia. Et ideo argumentum procedit ab insufficienti diuisione. Sed ex hoc surgit, quod confessio eorundem peccatorum facta Fratri, non magis est iterabilis, quam confessio facta sacerdoti, cæteris paribus: nec iteratio eorundem peccatorum Fratri confessorum plus potest venire sub præcepto, quam potest iteratio confessionis peccatorum sacerdoti proprio confessorum: nec plus potest venire sub præcepto, quod fiat proprio sacerdoti, quam quod fiat Fratri. Veruntamen qualiter eorum confessio est iterabilis & qualiter non, quomodo etiam potest venire sub præcepto & quomodo non, postea dicetur. Et cum additur de Dominis summis Pontificibus, Cardinalibus, & Doctoribus: dico, quod nullus eorum vnquam posuit præscripta, nec aliqua, ex quibus surgit error prædictus. Quare Fratres nec illos condemnant, nec eos damnatos reputant: sed velut suis temporibus fuerunt solennissimi, in omnibus venerantur. Ad sextum dico, quod petitio Fratrum, de qua in argumento fit mentio, est rationabilis catholica, & omnes denuntiationes in prædicta constitutione sunt veræ forma verborum seruata, nihil addito, nihilque subtracto: & quod assertiones illis contrariæ quæ accipiunt contrarium, hoc est oppositæ, sunt reproba & erroneæ forma verborum seruata, nihil addito nihilque subtracto. Et cum infertur: igitur primus articulus est erroneus eadem forma verborum &c. Negatur assumptum: quia secundum istum Dominum primus articulus nullo addito nulloque subtracto non est oppositus alicui denunciationi eiusdem constitutionis. Modo solum Fratres loquebantur de assertionibus oppositis denunciationibus seu diffinitionibus eiusdem constitutionis. Quare non sequitur conclusio, quam intendit. Verum quia ille articulus est damnatus, sicut ibi iacet scriptus sub forma verborum eadem nullo addito nulloque subtracto. Ideo dico aliter: scilicet quod ille articulus seruata forma verborum, nullo addito &c. est reprobus & erroneus. Et ideo quando dicitur in illo argumento, quod ille articulus habet sensus varios, quorum vnus est verus & alter falsus. Dico, nihil prohibet eundem articulum esse damnatum seruata tali forma verborum: & etiam eundem expressum sub vno intellectu esse damnatum & expressum sub alio catholicum. Quis enim dubitat hanc esse hæresim pessimam: filius in diuinis non est genitus de patre vel de substantia patris: & tamen ad hunc intellectum filius non est genitus de patre vel de substantia patris per decisionem, sed per communicationem substantiæ, hoc est ita catholicum quod eius oppositum sit hæreticum. Et ideo si arguatur, sicut arguit Dominus iste, sic: Ista propositio seruata forma verborum nullo addito nulloq; subtracto est falsa vel damnata: igitur qualitercunq; mutata forma verborum ipsa non est damnata. Argumentum nihil valet, sicut patet in exemplo supradicto. Et ideo quando Fratres in petitione posuerunt [illegible] verba, satis sciebant illam logicam non valere. Ad vltimum de denunciationibus Euangelii, dico quod seruata forma verborum &c. sub qua Ecclesia nobis tradidit illas, illæ sunt concedendæ & catholicæ. Et quando dicitur, veritatem non habent, nisi aliquid addatur in sensu: Non [illegible] dubium, quin priusq; aliquid adderetur in sensu illis propositionibus eas esse vel fuisse veras: sed talium propositionum veritatem declarat illud quod additur. Vnde dico, quod illa verba sub forma, sub qua sunt tradita Ecclesiæ, vera sunt, & oppositum dicere est erroneum. Non nego tamen, quod illa verba aliquo addito nō solum in sensu, sed etiam ad formam verborum vera essent. Sed nunquid propositio hæretica sit concedenda catholica propter verum sensum, quem potest habere: vel propositio catholica eadem forma seruata sit censenda hæretica propter sensum falsum quem potest habere: iudicet vestra reuerentia: quia tunc circa fidem peribunt omnes Ecclesię sanctiones: & licebit cuicunq; dicere quod libebit. In proposito tamen nostro iste Dominus, salua sua reuerentia non solum asserit damnata in forma, qua damnantur, sed etiam in sensu in quo damnantur, & negat diffinita non solum in forma sua, sed in sensu quo sunt ab Ecclesia diffinita, sicut in sequenti capitulo plus patebit.

CAP. VI.

Ostendit documenta Armachani esse reproba & erronea.

ISTis denique vacuatis calumniis & contrarietatibus plus apparentibus quam existentibus declaratis, restat declarare, quod huiusmodi documenta in hac materia sunt temeraria, reproba & suspecta. Docuit namque & tenuit publice, & docet, tenet & asserit de præsenti, & super hoc libellos edidit, tenuit & publicauit, quod confessi Fratribus habentibus generalem licentiam audiendi confessiones & confessos absoluendi, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerunt eisdem, iterum confiteri suo proprio sacerdoti: & hoc tenet & docet generaliter esse verum, nisi Fratres habeant aliam potestatem, quam illam generalem licentiam,

& quam-

& quamuis nullum sit impedimentum ex parte Fratris, vel confessi, nisi quod idem omittat confiteri semel in anno suo proprio sacerdoti. Et quod istud sit temerarium, reprobum & suspectum, arguitur sic. Iste articulus est in sua forma & sub isto sensu damnatus & prohibitus, ne teneatur tanquam à catholicis mentibus respuendus. Igitur est articulus iste temerarius, reprobus & suspectus. Argumentum seu consequentia eius patet ex hoc, quod solum temeraria, reproba & suspecta sunt à Sede Apostolica damnata & prohibita ne teneantur. Et assumptum patet ex constitutione *Vas electionis*, vbi prohibitio ponitur sub forma prædicta.

Amplius, ex isto articulo sequuntur alii articuli damnati. Igitur iste articulus est temerarius & suspectus. Assumptum patet; quia ex isto articulo sequitur, quod parochiani confessi Fratribus tenentur eadem peccata iterum confiteri parochiali curato. Sed constat quod hæc obligatio sic iterũ confitendi non consurgit ex necessitate sacramenti pœnitentiæ secundum eundum Dominum istum, & secundum Dominum Iohannem Monachum, quem allegat super hoc. Igitur nullo alio casu posito surgit ex necessitate præcepti illius statuti, *omnis vtriusque* &c. Et hoc concedit Dominus iste, & per consequens statuto sic stante vel sic obligante, nec Romanus Pontifex, nec Deus potest facere, quod parochiani confessi Fratribus modo prædicto non teneantur eadem iterum confiteri suo parochiali Presbytero vel curato, nisi possent facere, quod statuto stante vel sic obligante non staret nec sic obligaret: quod est impossibile. Quare sequitur à fortiori, quod nec Romanus Pontifex nec Deus possunt facere, quod stante statuto prædicto parochiani non teneantur semel in anno omnia peccata sua confiteri suo parochiali Presbytero vel curato. Et iste est tertius articulus in capitulo *Vas electionis*, reprobatus & damnatus.

Amplius, ex eodem articulo sequitur tertius articulus damnatus in prædicta constitutione: ergo ille articulus est erroneus & suspectus. Assumptum probatur sic. Romanus pontifex voluit dare aliquibus scilicet Fratribus generalem potestatem audiendi confessiones, sic quod eisdem confessi non tenerentur eadem peccata iterum confiteri parochiali Presbytero vel curato: & fecit ad hoc quantum potuit, sicut patet *ex cap. Dudum*, & ex *constitutione Vas electionis*. Non enim potuit Papa ad hoc plus facere, quam dare potestatem generalem, & declarare illam esse efficaciæ supradictæ. Sed Papa secundum istum Dominum, talem potestatem non dedit: quia non obstante potestate, quam dedit secundum istum; adhuc confessi tenentur eadem, vt prædicitur, confiteri. Igitur talem dare non potuit. Et hæc est prima pars articuli tertii in illa constitutione damnati. Ex qua statim sequitur secunda pars sic: Cuicunque sacerdoti potest Deus dare potestatem generalem audiendi confessiones, & confessos absoluendi: & talis efficaciæ, quod confessus non teneatur eadem peccata iterum confiteri: eidem potest Romanus Pontifex dare similem potestatem & similis efficaciȩ ex plenitudine potestatis sibi datæ. Cum igitur Romanus Pontifex non potest dare generalem potestatem talis efficaciæ: sequitur quod nec Romanus Pontifex nec Deus potest dare Generalem potestatem audiendi confessiones, quin confessus habenti illam potestatem teneatur eadem peccata iterum confiteri parochiali Presbytero vel curato. Et iste est tertius articulus in forma sua: sequitur quod iste Dominus habet concedere omnes errores Magistri Iohannis de Poliaco damnatos in constitutione *Vas electionis*.

Amplius, non dubium, quin Deus potest, & etiam Papa potest, dare generalem potestatem audiendi confessiones volendo, statuendo & exprimendo, quod ista tantum sufficiant confesso habenti talem potestatem ad omnem effectum, & similiter tantæ efficaciæ sicut si fuisset data eidem confessori super eodem confesso, & super eodem crimine in speciali. Igitur si Papa non potest: imo nec Deus dare potest generalem potestatem audiendi confessiones, quæ sufficiat confessis habentibus talem potestatem, quod non teneantur eadem peccata iterum confiteri suo parochiali curato, sicut habet iste Dominus concedere, vt patet ex argumento immediate præcedenti deducto contra eundem. Sequitur quod Papa non potest: imo nec Deus dare potest cuicunque potestatem specialem pro quocunque quæ sufficiant confesso habenti illam potestatem pro eodem, quod non teneatur eadem peccata iterum confiteri suo proprio parochiali curato: & per consequens sequitur, quod confessi pœnitentiariis Domini Papæ & Episcoporum vel aliis quibuscunq;, quibus Papa vel Episcopi committunt in speciali potestatem audiendi confessiones tenentur eadem peccata iterum confiteri suo parochiali curato. Præterea ex isto sequitur, quod Papa & Episcopi non habent ordinariam potestatem audiendi confessiones suorum subditorum, quæ sufficiat confessis, quod non teneantur eadem peccata iterum confiteri suo parochiali curato. Quia si haberent huiusmodi ordinariam potestatem, possent alii committere vicem suam. Rursum cum ex statuto *omnis vtriusque sexus* quilibet parochialis curatus possit dare potestatem audiendi confessiones, quæ sufficiat confesso habenti illam potestatem, quod non teneatur eadem peccata confiteri [illegible] chiali curato: sequitur quod parochialis curatus potest dare potestatem alicui, quam nec [illegible] Papa potest dare eidem: & per consequens sequitur, quod parochialis curatus [illegible] plioris potestatis quam Papa, vel Deus.

Amplius sequitur, quod parochialis curatus non habeat potestatem à [illegible] Papa, quia cum nec Papa nec Deus habeat hanc potestatem, non possunt eam dare parochiali curato, 1. q. 1. [illegible] *perfectionem. & c. ventum est. & ibidem. q. 7. Daibertum.*

Amplius sequitur ex eisdem, quod Papa non potest, imo nec Deus facere non potest, quod nullus teneatur suo parochiali confiteri. Sequitur enim, Deus non potest facere q; nullus confessus haben-

habenti generalem potestatem &c. non teneatur eadem peccata iterum confiteri suo parochiali curato. Igitur à fortiori Deus non potest facere, quod non confessus tali non teneatur suo parochiali curato confiteri. Igitur cum obligatio de facienda confessione parochiali curato teneatur ex præcepto diuino vel ex præcepto Papæ, sequitur quod Deus non potest dispensare super præcepto suo, nec super præcepto Papæ: & multo minus potest Papa super præcepto suo dispensare. Quæ omnia sunt erronea & absurda.

Amplius redeo ad primũ articulũ istorũ, & arguo sic. Confessus Fratri satisfecit secundæ parti statuti, quæ est dispensatoria super prima parte eiusdẽ: & tamen secundũ istũ Dominũ sic cõfessus remanet obligatus sicut prius. Igitur dispensatio huiusmodi nõ tollit vim præcepti huius statuti: & cũ eadẽ sit ratio cuiuslibet statuti, & huius statuti in hac parte: sequitur quod nullius legis dispensatio tollit præceptũ, super quo dispensat: quod est erroneũ. Itẽ, ex isto sequitur alius error impius & crudelis: videl. quod ex quo qualis est cõparatio dispensationis legis ad præceptum legis: talis est comparatio dispensationis legislatoris ad præceptum suum & legem suam: cum lex non habeat vigorem, nisi à legis conditore, & cum omne legis præceptum seu dispensatio sit legislatoris præceptum seu dispensatio: sequitur quod nullus legislator potest super præcepto suo generali particulariter dispensare, quin is, cum dispensat, maneat obligatus sicut prius.

Amplius ostenditur idem de præceptis & dispensationibus diuinis. Si enim (si pro quia) qualis comparatio hominum prælatorum ad præcepta sua & dispensationes suas: talis comparatio Dei ad præcepta sua & dispensationes suas: & per consequens non plus potest Deus super præcepto suo dispensare, quam homo super suo, quod non est tantum erroneum, sed blasphemum.

Amplius sequitur, quod nec Deus nec homo quacunque fultus auctoritate, dato semel aliquo præcepto, potest quemcunque postea ad contrarium obligare: quia cum minus sit facere, quod aliquid liceat fieri, quam quod illud fieri teneatur, qui non potest dispensare super actu quocunque, quod licite fiat, non potest facere quod ille actus fieri teneatur, & per consequens ipse Deus non potuit facere, quod Iudæi circumcidi non teneantur: nec quod liceat eisdem dimittere ritum suum: imo sequitur quod in Deo esset tantum potestas ligandi & non soluendi. Et multo plus hoc sequitur de Papa, quod est contra Euangelium, *Matth. decim. sext. & decim. octau. & Iohan. vigesim.* Item, sequitur quod dispensatio Dei, quæ à sanctis vocatur *reuelatio*, non tollit vim præcepti, & per consequens Abraham peccauit ingrediendo ad ancillam Sarai, *Genes. decim. octau.* contra legem matrimonii, & quod æque peccauit Iacob habendo duas vxores. *Genes. vigesim. non.* Sicut Lamech, *Genes. quart.* quia vterque æque venit contra decretum primi parentis: *& erunt duo in carne vna, Genes. secund.* Et idem sequitur de dolo Iacob, *Genes. trigesim.* de spoliatione Ægypti, *Exod. duodecim.* de multiplicatione vxorum Dauid *secund. Reg. & prim. Paralip. tertiis capitulis*, contra legem *Deuteronom. decim. septim.* & de libello repudii, *Deuteronom. vigesim. quart.* & de multis aliis in scriptura.

Amplius sequitur, quod dispensationes Papæ communes super illegitimitate & irregularitate, & de consanguinitate seu affinitate ad contrahendum, super altari portatili ad celebrandum, de votis ieiuniorum, peregrinationum & similium non tollunt vim præcepti, & per consequens tam dispensantes quam vtentes dispensationibus prædictis grauiter peccarent. Præterea omnis dispensatio est quædam concessio, quę facit aliquid esse licitum, quod alias non liceret. Sed constat quod omne illicitum est tale per aliquod quod obtinet vim præcepti. Igitur omnis dispensatio facit esse licitum, quod stante præcepto esset illicitum. Si igitur dispensatio non tollit præceptum: sequitur quod vnum & idem per dispensationem est licitum, & per præceptum: quod non tollitur est illicitum sicut prius, quod non solum est erroneum, sed sibimet contrarium & repugnans.

Amplius sequitur, quod dispensatio super lege illa, qua tenetur quod nullus sacerdos alienum parochianum in confessione audiat vel absoluat, non tollit vim præcepti illius legis, & sic sequitur, quod dispensatio proprii sacerdotis facta sacerdoti alieno super grege suo, nihil operatur nec tollit vim præcepti legis eiusdem: & per consequens nullus parochianus potest confiteri sacerdoti alieno de licentia quacunque proprii sacerdotis. Nec potest iste Dominus iuuari per hoc, quod in suo tractatu dicit: quod Magister Iohannes de Poliaco posuit suos articulos propter defectum potestatis absoluendi in Fratre habente generalem licentiam &c. quia Magister Iohannes præfatus tenuit, quod huiusmodi licentia generalis non tribuit Fratri sufficientem potestatem absoluendi confessum, sicut patet ex tertio articulo eiusdem: & ideo ille errauit. Sed iste Dominus non posuit articulum propter defectum absolutionis, sed propter necessitatem antiqui præcepti illius capituli *omnis vtriusque sexus.* Et quia secundum eum, voluntarium non tollit necessarium, & sic nullum tenet, vt dicit, errorem. Hæc cauillatio non iuuat. Tum quia in capitulo diffinitur, quod confessi Fratribus &c. non magis tenentur iterum confiteri, quam si fuissent confessi proprio sacerdoti, nec tenerentur propter defectum absolutionis seu potestatis absoluendi: nec propter necessitatem præceptionis illius iterum confiteri. Igitur confessi Fratribus &c. non tenentur propter necessitatem præceptionis iterum confiteri. Tum secundo quia ista modificatio est condemnata in secundo articulo damnato in cap. supradicto. Nam sequitur: *Isti* (demonstratis his, qui confessi sunt Fratribus) *propter necessitatem præcepti illius capituli, Omnis vtriusque sexus, tenentur iterum confiteri.* Igitur nec Papa nec Deus potest facere, quod eodem præcepto stante non teneamur ipsi confiteri, & econtra.

Igi-

Igitur concedens alteram seu errans in altera habet concedere vtramque vel errat in vtraque. Et similiter sequitur, quod damnato vno damnatur vterque: & iste est secundus error vel secundum erroneum quod affirmat. Tum tertio: quia ipse imponit Magistro Ioanni præfato falsum: quia sicut patet ex c. 3. eiusdem, ipse non posuit in Fratribus simpliciter defectum potestatis absoluendi à peccatis: sed cum modificatione, scil. defectum potestatis absoluendi de obligantis confessum ab iteranda confessione proprio sacerdoti, & eundem defectum ponit iste Dominus. Quare sequitur quod errant æqualiter: vel neuter errat. Tum quarto quia hæc responsio nimis impingit in Papam & Ecclesiam Sacrosanctam, scil. quod Ecclesia dedit Magistro Ioanni antedicto plenam audientiam: & per consequens non ignorauit istam modificationem vel motiuum erroneum seu caussam sui erroris prædictam: nihilominus tamen damnauit articulum, qui secundum istum Dominum est catholicus atq; verus nullum errorem continens, & subticuit motiuum erroneum, vel caussam sui erroris prædictam; cum tamen sciebat, quod sicut ex falsis vera & ex impossibilibus necessaria: sic ex erroneis seu hæreticis catholica consequuntur. Tum quia, sicut dictum est, huiusmodi responsio aperit viam defensionis omnium errorum: quia non est aliquis error, qui non potest per huiusmodi modificationem confictam defendi. Quare sequitur, quod hæc responsio errorem potius auget quã excusat: nec respondentem liberat, sed inuoluit. Tum sexto: quia hoc, quod frequenter allegat, scil. quod voluntarium non tollit necessarium, implicat multos errores, sicut superius est ostensum. Nec valet motiuum istius Domini, quod ponit pro responsione supradicta, scil. quod ex ipso eodem articulo *Vas electionis*, cum ibidem dicitur: *Felicis recordationis Alexandri 4. & Clementis quinti Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum vestigia imitando*: apparet vt dicit, *quod ille damnauerunt ante illa eadem, quæ ibidem Dominus Iohannes Papa damnauit: quia solum damnauerunt istum errorem in materia præfata: scilicet quod Fratres habentes &c. non possent confessiones audire vel absolutionis benefi ium impendere prælatorum inferiorum vel parochialium sacerdotum assensu vel licentia minime requisitis. Ex quo videtur, quod Dominus Iohannes voluerit hoc damnari tantum, & quod non intendebat excludere confessiones fratribus à confessione iteranda proprio sacerdoti.* Hæc ille. Hoc inquam motiuum non valet: quia (cum omni tamen reuerentia) assumit falsum. Et huic cap. *Vas electionis* contrarium, quod Alexander & Clemens damnauerunt ea, quæ Iohannes damnauit, vel quod Iohannes damnauit: & tunc in eodem cap. ea quæ ipsi damnauerunt suo tempore, sicut patet expresse de tenoribus articulorum damnatorum ab eisdem. Et quod dicitur in cap. *Vas electionis, prædecessorum nostrorum vestigia imitando*, non refertur ad articulos damnatos, sed ad præceptum vel prohibitionem quæ sequitur verba præmissa immediate, scilicet ne quisquam dictos articulos per eum damnatos, vel contenta in eis seu in aliquo prædictorum, vtpote à catholicis mentibus respuendos decetero defendere audeat vel tenere: quia antedicti Domini summi pontifices similes fecerunt prohibitiones super damnatis articulis per eosdem. Huic tamen prohibitioni, quo ad vtramq; eius partem, non est veritus contraire.

Secunda responsio, seu expositio præfatæ constitutionis extrauagantis, scilicet *Vas electionis*, quam ponit vt euadat, non potest eum defendere ab errore. Dicit enim, quod *omnes articuli damnati & similiter articulus ibidem approbatus possunt intelligi cum adiectione secundæ partis capi. Omnis vtriusque, videlicet, si quis alieno sacerdoti &c. Vnde dicit, quod erroneum est dicere, quod confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, scilicet cum beneplacito proprii sacerdotis, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum proprio sacerdoti confiteri. Et sic est verum atque catholicum, quod illi qui prædictis Fratribus confitentur, scilicet forma illa seruata, non magis tenentur eadem peccata iterum confiteri, quam si alias illa confessi fuissent proprio sacerdoti iuxta dictum concilii Generalis. Istum intellectum constitutionis prædicta probat sic: quod ex quo secundus articulus Magistri Iohannis de Poliaco fuit damnatus: sequitur quod eius oppositum est approbatum, scilicet quod Romanus Pontifex statuto stante Omnis vtriusque: potest facere, quod parochiani non teneantur semel in anno omnia peccata sua confiteri proprio sacerdoti, scilicet parochiali curato. Istud autem verificari non potest, nisi stet statutum concilii generalis. Statutum autem concilii generalis stare non potest, nisi stet illa particula: scilicet quod si quis ex iusta caussa velit alieno sacerdoti confiteri, petat & obtineat licentiam sui proprii sacerdotis. Stante autem illa particula, nullus confessus Fratribus est exemptus à generali statuto quo ad primam partem ipsius, nisi illa secunda clausula obseruata. Igitur obseruantia illius clausulæ est necessaria cuilibet confesso Fratribus, vt sit exemptus à prima particula eiusdem. Et per consequens cum illa modificatione debet intelligi ista diffinitio.* Hæc Dominus iste.

Primo igitur respondetur ad motiuum: & consequenter probabitur intentum. Et ne procedatur annullatorie, suppono: quod ad hoc, quod statutum concilii generalis obseruetur, sufficit quod parochianus habeat licentiam proprii sacerdotis ad hoc quod confiteatur alieno: siue illam petierit siue non: quia à tempore dicti statuti sic fuit statutum, quod etiam parochiales curati dabant parochianis licentiam non petitam, quando curati volebant sibi adhibere coadiutores in hac parte: & absit quod dicatur parochianos in casu fuisse transgressos hoc statutum. Et ratio hoc declarat. Nam cum sit præcise propter habere vel obtinere: posito quod paro[illegible] licentiam, superfluit petere eam. Quo supposito respondeo ad argumentum, [illegible] quod oppositum articuli secundi est approbatum, scilicet quod Romanus Pontifex [illegible] statuto potest facere, quod parochiani non teneantur confiteri parochiali curato; & tunc [illegible], quod illud sit approbatum, non potest esse verum, nisi stet secunda particula statuti, scilicet quod habeatur licentia proprii sacerdotis.

Dico

Dico quod si sub nomine proprii sacerdotis includatur Papa & legati in suis prouinciis, & patriarchæ, archiepiscopi & episcopi & parochiales curati, illa propositio est vera. Si autem per proprium sacerdotem intelligitur parochialis curatus tantum; tunc propositio est falsa, scilicet quod oppositum articuli sic, vt prædicitur, approbatum non potest esse verum, nisi parochianus ad confitendum alteri obtineat licentiam parochialis curati. quod valet tantum ac si diceretur, quod Romanus pontifex, stante statuto prædicto, potest facere quod parochiani non teneantur semel in anno confiteri parochiali curato. sed non potest hoc facere, nisi parochianus obtineat licentiam parochialis curati ad confitendum alteri. Hoc autem propter errores in quarto capitulo deductos ex ipso non potest, esse verum. Illa etiam propositio sic restringendo proprium sacerdotem ad parochialem curatum nullo modo sequitur ex assumptis. Et conformiter dico ad conclusionem, quæ infertur, scilicet quod obseruantia secundæ clausulæ, scilicet quod habeatur proprii sacerdotis licentia, non tamen parochialis curati, est necessaria cuilibet confesso fratri ad hoc, quod sit exemptus à confessione facienda proprio sacerdoti. iam enim quilibet fratri confessus & absolutus habet licentiam proprii sacerdotis, sicut superius frequenter probatum est. & ideo non oportet ponere illam adiectionem *ad licentiam proprii sacerdotis*, quia illa etiam licentia intelligitur in licentia generali, quam habent fratres, sicut dictum est. Ista etiam responsio seu expositio quæstionis supradictæ non potest istum Dominum defendere ab errore: quia cum Dominus iste dicit, quod articuli damnati & reprobati possunt intelligi cum adiectione secundæ particulæ statuti, scilicet quod habeatur licentia proprii sacerdotis, aut hoc intelligit de licentia parochialis curati tantum, sicut videtur intelligere, aut de licentia Papæ vel episcoporum, sicut supradictum est. non secundo modo, quia hoc esset superfluum, cum in articulis dicatur, quod confessi fratrib. habentibus generalem licentiam, quam nullus dubitat esse licentiam Papæ vel episcoporum seu parochiali curatis tenẽtur iterum confiteri. nec per hoc euaderet errorem: quia iam ponit, quod confessi fratrib. habentib. generalem licentiam proprii sacerdotis illo modo loquendo de proprio sacerdote tenentur eadem peccata cõfiteri proprio sacerdoti: & per consequens ponit illud, quod ipsemet in responsione dicit esse erroneum & damnatum. Si vero intelligat ꝓprium sacerdotem parochialem curatum tm̃: tunc quamuis sit verum, s. quod erroneum sit dicere, quod confessis fratrib. habentib. licentiam generalem audiendi confessiones obtenta licentia parochialis curati tenentur eadem peccata iterum confiteri: tñ quia hmõi licentia parochialis curati sit requisita: sic quod licentia non obtenta tenentur iterum confiteri; sicut error Ioan. de Poliaco, qui solum loquebatur de habentib. licentiam generalem tm̃, nulla habita licentia speciali sacerdotis curati, sicut patet ex 3. articulo eiusdem erroris damnati, & articuli approbati in constitutione, supponunt licentiam generalem tantum: & per conseques constitutio damnat articulos & approbat de confessis fratrib. habentib. licentiã generalẽ tm̃ nulla habita licentia speciali parochialis curati. Præterea sic restringẽdo ꝓpriũ sacerdotẽ adiecta clausula secunda statuti *Omnis vtriusq; &c.* cum, vt dicit, in illa contineatur, quod non obtenta licentia proprii sacerdotis, sacerdos alienus non potest alterius parochianũ soluere vel ligare: sequitur, quod stante illa parte statuti nullus alienus sacerdos põt alterius parochianum de quacunq; licentia alia soluere vel ligare: & per consequens nõ solum sequuntur oẽs errores in 4. c. prædicti: sed sequitur quod fratres hñtes gñalem licentiam audiendi confessiones non hñt ptãtem soluendi sibi confessos. & sequitur, quod iste Dñs habet ponere in fratrib. defectum ptãtis absoluendi: & per consequens approbat illum errorem, quem ipse iponit magistro Ioh. de Poliaco. Amplius ex rñsiõe sequitur, quod Romanus pontifex stante statuto non potest facere, quod confessi fratribus habentibus generalem licentiam audiendi confessiones non habita licentia parochialis curati non teneantur eadem peccata fratribus confessa iterum confiteri parochiali curato: imo nec Deus potest hoc facere: & quod stante statuto nec Papa nec Deus possunt dare fratribus potestatem absoluendi parochianos non obtenta licentia parochialis curati; imo quod non possunt dare alicui, qui non est parochialis curatus, potestatem absoluendi sine licentia parochialis curati: & per consequens ipsemet non habet potestatem absoluendi parochianos sine licentia parochialis curati: & sic de ceteris blasphemiis in 4. ca. prædeductis. Patet igitur, quod hæc responsio respondentem non liberat ab errore: & quod iste Dominus, salua sua reuerentia, tenet errores damnatos in forma vel in sensu, in quo sunt damnati: & qui si non essent damnati, essent damnabiles propter errores, qui sequuntur ex eisdem; quos omnes iste Dominus habet concedere consequenter.

CAP. VII *In quo dissoluuntur quæ apparent vel apparere possunt prædictis contraria.*

VErum quia prædictus archiepiscopus Armachan⁹ in tractatu suo *articulo* 2. per magnum processum nititur prædictos errores defendere probando, quod nec præfatum capitulum *dudũ*, nec aliquod priuilegium illi consimile tollit aut impugnat statutum antiquum *Omnis vtriusq; sexus* quoad confessiones parochianorum semel in anno faciendas proprio sacerdoti; volo deinceps suis rationibus respondere. Ista tñ conclusio, quam intendit probare, potest habere duplicẽ intellectum, secundum quod ex statuto *omnis vtriusq;* consurgit duplex obligatio vel duplex debitum confitendi, sicut patuit in ptin. 2. capituli, vnum s. generale & perpetuum & mansiuum; aliud spãle seu particulare transiens & fluxiuum. Sic in ꝓpsito contra supradicta põt intelligi sic. s. quod c. *dudũ* nec aliquod priuilegium sibi simile tollit aut ĩpugnat statuta *omnis vtriusq;* quoad debitum primũ confitendi. & sic conceditur conclusio, quam proponit. vel quoad obligationem se-

cundam seu debitum cõfitendi, sic loquendo. c. *dudũ*. & Fratrum priuilegia tollunt statutũ, sed nõ impugnant. ipsa n. tollunt statutum quoad obligationem secundam: quia soluunt debitum eiusdem obligationis sic, quod confessus non remanet ex vi statuti eodem debito amplius obligatus. Et ex eadem ratione patet quod Fratrum priuilegia statutum non impugnant, sicut ex eodem 5. c. per totum patuit euidenter. Secundum igitur primum intellectum posset concedi conclusio sua supradicta & omnes rationes quas inducit: quia tñ aliquæ suæ rationes videntur aliter procedere, per singulas est breuiter transcurrendum. ¶ Arguit igitur primo sic: ista duo capitula continent duas affirmatiuas super eodem actu iterabili. s. super confessione eorundem peccatorum iterabili. s. quod aliquis sit confessus fratri omnia peccata sua, & quod teneatur semel in anno confiteri suo proprio sacerdoti, quæ non magis se impugnant, quam duæ affirmatiuæ similes in alia materia. s. quod aliquis audiat missam apud fratres vel offerat ibidem, & quod teneatur semel in anno audire missam in sua parochiali ecclesia, & ibid. semel vel ter offerre sicut præcipitur *Exo.* 23. sed constat quod iste duæ vltimæ non repugnant, quare nec primæ. & quia iste Dñs (vt dicit) hoc argumentum nescit soluere: ideo aliquos excitat ad soluendum ipsum, vel ad concedendum articulum quem concludit. Huic igitur argumento supposito sicut in hoc & in ceteris argumentis quod fiat sermo de confessione facta fratri de licentia seu confessione capituli *dudũ*, & confessio facienda proprio sacerdoti seu eius vicem tenenti ex vi statuti *omnis vtriusq;*, & quod pro eodem toto anno & pro eisdem peccatis fratri confessus: quia alioquin non esset ad propositum. Respondetur primo reducendo argumentum contra se ipsum, sic. non plus repugnant istæ duæ affirmatiuæ super eodem actu iterabili: sc. super confessione eorundem peccatorum, quam. sc. aliquis facit Papæ vel episcopo proprio, & quod teneatur eadem peccata suo parochiali curato confiteri iterum: quam duæ affirmatiuæ similes de offerendo eisdem aut audiendo missas eorundem. sed non dubium, quod non repugnant, quod aliquis audiat missam Papę vel episcopi. & quod fecerit eisdem oblationem, & quod teneatur nihilominus audire missam parochialis curati & sibi offerre. igitur primæ duæ affirmatiuæ non repugnant. ecce idem argumentum & eadem vel consimilis conclusio, quæ infertur: quia non dubium, quod illæ propositiones formaliter non repugnant: & concessa illa conclusione, non plus sequitur quod confessi fratribus quam confessi Papæ vel episcopis teneantur parochiali curato iterum confiteri. & ideo argumentum nullius est ponderis vel valoris. Et si arguitur, quod sequitur, quod saltem capitulum *dudum*, non tollit statutum generalis concilii *omnis vtriusq; sexus*. Respondeo, quod quamuis conclusio sit vera ad sensum immediate quasi antedictum: illa tamen non sequitur ex assumpto, cuius exemplum est. Posito quod Petrus habeat ex præcepto omni anno ieiunare semel in pane & aqua: non est dubium, quod istæ duæ affirmatiuæ non repugnant: sc. quod Petrus modo ieiunauerit: & quod teneatur alias infra annum consimiliter ieiunare. & tamen non sequitur: igitur ieiunium Petri non tollit obligationem præcepti pro illa vice. Si tñ dicatur, quo hoc non soluit: quia repugnantia est quod Petrus ieiunauerit: & quod teneatur isto anno ex vi præcepti eiusdem dati iterum ieiunare. Solutio: dico quod consimiliter est aperte istic. repugnantia est. n. quod aliquis sit confessus fratri habenti generalem licentiam, &c. & quod teneatur ex vi statuti *omnis vtriusq;*, iterum confiteri: æque n. impleuit Petrus confitendo fratri prædicto statutũ, sicut fecit præceptũ ieiunii vna vice ieiunando ceteris parib. vtrobiq;. Aliter respondetur negando assumptum, cum dicitur, quod illa duo capitula continent illas duas affirmatiuas, &c. quod sc. aliquis sic confessus fratri. & quod teneatur semel in anno cõfiteri proprio sacerdoti suo. non enim continet illas affirmatiuas, sed istas: quod licet alicui fratri confiteri, & quod teneatur semel in anno confiteri proprio sacerdoti suo vel alteri de licentia proprii sacerdotis: sicut patet in prima conclusione tertii ca. præcedentis. Ex quibus non plus sequitur, quod confessus fratri teneatur eadem peccata iterum confiteri proprio sacerdoti: quam quod confessus alieno de licentia parochialis curati tenetur iterum eadem confiteri suo parochiali presbytero vel curato. & totum est, quod vltimum non sequitur: igitur nec primum. Similiter nec ex hoc sequitur, quod ca. *dudũ*, non tollit statutum concilii generalis *omnis vtriusque*: imo potius sequitur oppositum, scilicet quod tollit ipsum quo ad eius obligationem particularem, sicut supradictum est. s. modo quo implens præceptum tollit obligationem præcepti pro illa vice. Tertio aliter respondetur negando illud assumptum propter aliam falsitatem, quam continet, scilicet quod non plus repugnant istæ duæ affirmatiuæ, scilicet quod aliquis sit confessus fratri, & quod teneatur eadem peccata confiteri suo proprio sacerdoti, quam duæ, affirmatiuæ similes de missis apud fratres & parochialem ecclesiam audiendis, vel de oblationibus ibidem faciendis: quia loquendo de confessione sacramentali, vtrobique primæ affirmatiuæ repugnant secundum legem præsentem. Secundæ vero non repugnant. hoc patet sic: quia necessitas confitendi ex statuto ecclesiæ præsupponit necessitatem sacramenti pœnitentiæ, sicut patet ex vltima suppositione secundi capituli. igitur sequitur, iste tenetur ex statuto ecclesiæ hæc peccata confiteri: ergo sacramentum pœnitentiæ est sibi necessarium pro his peccatis, & esset necessarium ecclesiæ statuto cessante. quicquid igitur repugnat conclusioni, repugnat assumpto. sed constat etiam per aduersarios, quod repugnantia est, quod aliquis fratri sit confessus loquendo de confessione mõ prædicto, & quod sacramentum pœtentiæ sit sibi necessariũ pro peccatis confessis eodem statuto remoto. quare sequitur, ꝙ repugnantia est, ꝙ aliquis sit confessus, & ꝙ ex statuto ecclesiæ teneatur eadẽ peccata iterũ confiteri, & maxime cum sic confessus ĩpleuit præceptum statuti, sicut est in proposito. quare sequitur, ꝙ assumptũ ex ea parte sit falsum, & ad exẽpla q̃ ponuntur, rñr ꝙ

exempla in multis deficiunt, quæ non ſunt hic reperta: quia ad hoc, quod exempla eſſent conformia exemplato, oporteret, quod nullus poſſet audire miſſam, nec offerre apud fratres, niſi de licentia proprii ſacerdotis, & quod celebrare miſſas vel recipere oblationes eſſet actus iuriſdictionis, qui non poſſet à non ſuo iudice exerceri, & quod parochiani eſſent obligati audiendi miſſam proprii ſacerdotis vel alterius de licentia eiuſdem. & igitur conſimiliter ſibi offerendum, ꝙ etiã eiuſdem plebis eſſent multi proprii ſacerdotes, qui poſſent miſſas celebrare & oblationes recipere: & ad hæc facienda aliis licentiam impertiri, & quod tandem fratres haberent à Papa & epiſcopis ac parochialib. curatis vel ab aliquo eorundem licentiam ad prædicta, & multa ſimilia ad conformitatem faciendam eſſent requiſita, quæ in toto vel in maiori parte deficiunt in exemplis poſitis, quibus poſitis eſſet ſimilis repugnantia vtrobique. Quarto aliter reſpondetur, quod ſcilicet aſſumptum eſt falſum ſecundum aliquos pro eo quod ſupponit, quod confeſsio ſacramentalis eorum peccatorum ſit iterabilis non ex eo, quod abſolutio vera, quam exigit & includit, ſecundum quod eſt ſacramentalis, vel quam requirit ad hoc quod ſit ſacramentalis, ſicut patuit ex tertia concluſione tertii capituli, iterabilis non eſt: & pro eo etiam, quod debitum vel neceſsitas ſacramenti pœnitentiæ, quæ conſurgit ex peccato actuali commiſſo, vel ex reatu culpæ inde contracto iterabilis non eſt pro eodem peccato: niſi dicatur, quod idem peccatum vel reatus eiuſdem poteſt redire, quod communiter non tenetur: non ſequitur, quod aſſumptum in ea parte ſecundum iſtos eſt falſum. & quicquid ſit de illis, hoc verum eſt, quod confeſsio prædicta non poteſt aliter iterari quam abſolutio, quam coexigit & requirit, & quod debitum vel neceſsitas ſacramenti pœnitentiæ quam præſupponit poterunt iterari: de quo peccato dicetur poſtea. Et tunc ad auctoritates beati Auguſt. *de vera & falſa pœnitentia*, & aliorum Doctorum, qui dicunt, quod confeſsio non ſolum eſt iterabilis, ſed quod de eiſdẽ peccatis meritorie iteratur. Reſpondetur quod Aug. & alii Doctores non dicunt hoc de confeſſione ſacramentali, quæ eſt tertia pars ſacramenti pœnitentiæ diſtincta contra contritionem & ſatisfactionem: ſed de confeſsione, quæ eſt pars ſatisfactionis, prout includit erubeſcentiam, quæ eſt pœna ſatisfactoria, ſicut eſt ieiunium ac cilicium & ſimilia. quod euidenter patet ex auctoritate beati Auguſt. inducta, cum dicit, quod *dignus eſt miſericordia, qui ſpirituali labore petit gratiam* non enim loquitur de miſericordia, qua remittitur reatus culpæ. quia ille remittitur in prima confeſsione; nec de gratia infuſa in contritione: ſed de gratia & remiſsione pœnæ temporalis remanentis poſt confeſsionem, pœnitentiam & contritionem. Similiter in eadem auctoritate vocat hanc confeſsionem ſpiritualem laborem, id eſt, pœnam. *laborat*, inquit, *mens patiendo erubeſcentiam* concludit; & quoniam verecundia magna eſt pœna, qui erubeſcit pro Chriſto de peccatis, dignus eſt miſericordia; & per conſequens loquitur de confeſsione quæ eſt pœna ſatisfactoria. quod etiam patet, cum ſubinfert: *quanto ergo pluribus confitetur ſub ſpe veniæ turpitudinem criminis: tanto facilius conſequitur gratiam remiſsionis.* Ex quo patet, quod non loquitur de gratia ſeu venia, quæ fuit facta in confeſsione prima & contritione ſeu abſolutione; ſed de illa, quæ fit per quamcunque pœnam ſatisfactoriam, ſicut eſt verecundia prædicta; & ieiunium & cilicium & eleemoſyna, & ſimilia. Vel poteſt dici, quod B. Auguſt. loquitur de crimine publico. patet in eodem libro modicum poſt; *Si peccatum*, inquit *occultum eſt, ſufficit referre in notitiam ſacerdotis*: non dicit ſacerdotum. & ſequitur: *intus ſuſcitauit puellam, quam intus inuenit*, id eſt, in occulto. ſecus autem de illis, quos inuenit extra; vt patet ibidem. Ex quibus patet, quod illud argumentum, quod credebatur inſolubile, non deficit niſi in duobus. ſcilicet, in materia, quia ſumit multa falſa; & in forma, quia concluſio non ſequitur ex aſſumptis, & miror quod tantus clericus non viderit hæc prædicta.

Secundo arguit ſic: Dominus Martinus Papa quartus in fine priuilegii fratribus conceſsi adiecit ſic: *Volumus autem, quod hi qui fratribus confitebuntur eiſdem ſuis parochialibus presbyteris confiteri ſemel in anno prout generale concilium ſtatuit nihilominus teneantur, &c.* Vnde ſequitur, quod huius domini voluntas ſic expreſſa tenuit vim præcepti. igitur confeſsi pro tunc tenebãtur eadem peccata, quæ confeſsi fuerant, iterum confiteri. Ad iſtud reſpondeo concedendo, quod dominus Papa illa verba adiecit in fine priuilegii, ex quibus verbis nec in forma ſua nec ad intellectum domini Papæ ſequitur, quod ipſe voluit confeſſos fratribus eadem peccata parochialibus presbyteris iterum confiteri: nec ſequitur ꝙ ipſi tenebantur iterum confiteri. Tum quia dominus Papa non dixit volumus quod hi qui fratribus confitebuntur eiſdem ſemel eodem anno & de eiſdem peccatis, quæ confeſsi fuerant, teneantur ſuis parochialib. presbyteris iterum confiteri. Tum etiam quia adiecit, *prout generale concilium ſtatuit*, & conſtat quod concilium generale nunquam ſtatuit confeſſionem factam fratribus vel alienis de licentia proprii ſacerdotis vel aliunde legitime factã quo ad eadem peccata ſeu crimina iteranda. Alioquin ſequeretur, quod confeſsi alienis de quacunque licentia proprii ſacerdotis & confeſsi Papæ vel epiſcopis ſeu pœnitentiariis eorundem tenerentur eadem peccata iterum confiteri. Tum quia illud ſtatutum non obligat ad confitendum peccata plene dimiſſa; quia tunc quilibet teneretur ſemel in anno confiteri omnia, quæ fecit à iuuentute, quod eſt falſum. igitur ex quo Papa verba præmiſſa limitat ad ſtatutum, ſequitur quod non intendebat, quod confeſsi fratribus tenerentur iterum eadem peccata confiteri. quare non ſequitur concluſio, quam deducit. Et ſi dicatur, quod ſecundum hanc reſponſionem nihil operatur illa adiectio domini Papæ prædicta: reſpondetur, quod non ſequitur, quia obiectio remouet errorem, qui poteſt contingere, & qui forte contingebat illis verbis priuilegiis aliis non adiectis.

Nam saltem simplices scientes, quod ante huiusmodi priuilegia tenebantur semel in anno confiteri suo proprio sacerdoti, vel alieno de licentia proprii sacerdotis, & audientes quod parochiani poterant ex statuto ecclesiæ licite confiteri fratribus habentibus generalem licentiam Papæ vel episcoporum, inferiorum licentia minime requisita, poterant credere quod statutum prædictum esset similiter sublatum, sicut credit Dominus iste in casu præsenti, nisi confessi fratribus teneantur eadem iterum confiteri. quem errorem iste dominus voluit remouere, ostendens quod statutum semper obligat in genere, quamuis non in specie. quoad peccata fratribus confessa ita voluit remouere errorem in parte, quod scilicet confessi fratribus teneantur confiteri proprio sacerdoti: prout generale concilium statuit, & tamen non tenentur confiteri peccata legitime præconfessa. & sic remanet statutum quoad obligationem eius primam supradictam, non quo ad secundam. Aliter respondetur, quia dato hoc falso: scilicet quod tunc confessi habentibus licentiam generalem audiendi confessiones tenebantur confessa peccata eisdem iterum confiteri: tamen non ex hoc sequitur, quod modo consimiliter teneantur. & hoc ideo: quia alia est licentia generalis, quam nunc fratres, & alia quam tunc habuerunt. Nam licentia audiendi confessiones, quam nunc habent fratres, est generalis quo ad omnes fratres præsentatos & admissos: & ad omnes earundem diœcesium pro quibus præsentantur eis confiteri volentium & quo ad omnes viros ecclesiasticos quorum poterat vel poterit interesse, qui sacro instante & approbante concilio hanc licentiam concesserunt & consenserunt ad eandem: & per consequens hæc licentia non solum est Papæ, sed episcoporum seu etiam parochialium sacerdotum curatorum: nisi dicatur, quod parochiales curati vel non sunt ab ecclesia, vel non consenserunt vere vel interpretatiue hoc quod concessit & ordinauit concilium generale. Illa vero licentia, quam tunc habebant, quamuis esset generalis quo ad personas fratrum & etiam aliorum eis confiteri volentium: tamen non fuit ita generalis quoad personas huiusmodi licentiam concedentes. & per consequens stat simul, quod confessi fratrib. habentib. generalem licentiam tenebantur eadem peccata iterum confiteri: vel saltem quod hoc asserere non fuerit nec sit erroneum: & quod confessi fratribus hanc licentiam generalem modernam non teneantur eadem peccata iterum confiteri: sed quod sit erroneum & hæreticum asserere pertinaciter, quod teneantur eadem peccata iterum confiteri: & maxime ex quo huiusmodi assertio isto modo est damnata, quæ illo modo non fuit damnata: & tamen in rei veritate æque falsa fuit illa assertio, sicut ista, sicut dicebatur in responsione præcedenti. & sic patet, quomodo dominus Martinus & sui sequaces non fuerunt contrarii in hac parte.

Et per hoc respondetur ad argumenta alia cum arguitur sic, quod dominus Clemens diffiniret oppositum decreti aut statuti domini Martini, cum de hoc nullam facit mentionem, verisile non videtur. Item de hac auctoritate dominorum summorum pontificum quisque poterit merito fluctuare occasione præstita per eosdem, si quod vnus statuit, alter erroneum diffinit.

Ad quod respondetur iuxta rationem primam secundi articuli: quod Clemens non diffiniuit contrarium statuti domini Martini: quia Martinus non statuit eadem peccata in confessione iteranda; & dato quod fecisset, non fuisset ad propositum: eo quod diffinitio vnius & statutum alterius non fuerunt super eodem alia & alia existente generali licentia vtrobique. Et consimiter dico ex eisdem rationibus: nihil quod vnus statuit alter oppositum diffiniuit, sicut patet ex præmissis.

Item arguitur sic. constitutio synodalis domini episcopi Auinionen. edita per dominum Iohannem quondam episcopum ibidem, & confirmata per dominum Clementem sextum iam præsentem, fuit & est, quod *si aliquis à quatuordecim annis & supra, confiteri contempsit saltem semel in anno suo proprio sacerdoti, aut alteri de eius licentia: si viuens fuerit ei vsque ad satisfactionem condignam ingressus ecclesiæ. si autem mortuus fuerit ei ecclesiastica interdicatur sepultura.* ex quibus videtur sequi, quod secundu illos dominos illæ duæ affirmatiuæ simul stabunt. Respondetur, quod constitutio synodalis fuit & est bona & sancta, & nihil aliud statuens, quam quod in statuto concilii generalis continetur. & ideo confessi fratribus implent præceptum constitutionis & statuti, & euadunt consimiliter pœnam vtriusque.

Item arguit per dominum Innocentium quartum, qui fecit quandam constitutionem seu rescriptum, quod incipit: *Et si animarum.* vbi sic scribit Fratribus: *Vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus, vt parochianos alienos diebus dominicis & festiuis non recipiatis decetero in vestris ecclesiis seu oratoriis ad diuina: nec ipsos sine sui sacerdotis licentia ad pœnitentiam vllatenus admittatis: tamen si quis alieno sacerdoti iusta de causa voluerit confiteri peccata sua iuxta statutum concilii generalis licentiam primum postulare ac obtinere debeat proprii sacerdotis: vel saltem sibi primo confiteri & accipere beneficium absolutionis ab eodem. Aliter namque ab ipso absolui non poterit nec ligari, & è contra. si quis vero huius nostræ præceptionis transgressor contra præmissa vel aliquid præmissorum venire præsumpserit, præter inobedientiæ vitium & excommunicationis, quod eum ipso facto incurrere volumus gradus sui periculo subiacebit, &c.*

Ad illud respondetur: & dico, quod hæc omnia per successorem eius Alexandrum quartum fuerunt plenarie reuocata, tanquam talia quæ per occupationem vel festinantiam, congruæ deliberationis limam præteribant, sicut patet in bulla eiusdem. Nec inso-

litum

item est nec nouum, quod etiam salua reuerentia debita & deuota sic poterit errare: quia cum ibidem dicatur, quod si quis alieno sacerdoti iusta de causa voluerit confiteri iuxta statutum concilii generalis licentiam obtinere debeat proprii sacerdotis: vel saltem sibi primo confiteri, & absolutionis beneficium recipere ab eodem. hoc secundum videtur destitui ratione. cum enim parochianus habeat iustam causam se subtrahendi à suo sacerdote parochiali, quomodo potest sibi confiteri, si non potest suam licentiam, vt confiteatur alteri, obtinere? quare sequitur, quod hoc argumentum ad suum propositum nihil facit. & dato quod rescriptum in suo robore permaneret, ipsum ita dicit, sicut in responsione secunda ad rescriptum domini Martini fuit responsum.

Amplius arguit sic. Fratres habent de more, vt dicitur, quod quilibet apud eos professus tenetur prius vna vice alicui ipsorum omnia peccata sua mortalia confiteri. Mirandum est igitur, cur non sentiunt ecclesiam etiam de aliis, sicut de se ipsis, aut cur non fatentur se hæreticos aut errantes, sicut faciunt alios econuerso. Ad quod respondeo, quod si dominus reputet hoc argumentum valde esse mirabile, cur non reputet hoc argumentum esse æque bonum: iste dominus habet de more, vt dicitur, sentire & docere aliquos de peccatorum confessione aliter quam sacrosancta Romana ecclesia prædicat & obseruat. est igitur mirabile, cur non incidit in capitulum *Ad abolendam, extra de hæreticis*, cum argumentum suum non sit melius, quam sit istud: ideo vnico contextu respondeat ad vtrumque. Verum tamen (quod ego sciam) fratres nunquam habuerunt de more hoc, quod dicit. Habent tamen de more, quod consulant eisdem, quod confiteantur pure, & maxime si incurrerint aliquas pœnas & sententias iuris, à quibus fratres possunt absoluere omnes volentes suo consortio aggregari.

Item arguit sic. Monachi albi habent eandem constitutionem, sc. quod quilibet confessus alicui monacho ipsius conuentus & de licentia sui abbatis, nihilominus tenetur semel in anno confiteri suo abbati. cur igitur similia non fiant in fratribus & curatis, fratres habent ostendere, & hos monachos condemnare. Hinc respondetur, quod quamuis iste dominus per istud argumentum velit monachos contra pauperes fratres concitare, tamen non erit per Dei gratiam quod intendit. Et ideo dico, quod monachi habent hanc constitutionem de hac materia, quod monachi & conuersi, qui saltem semel in anno abbati proprio, cuius copiam habuerunt, fideliter & integre negligerent confiteri, vinculo excommunicationis se nouerint irretitos, in qua nulla fit mentio de his, qui ex licentia abbatis sunt confessi alicui monacho: & ideo male allegat constitutionem monachorum contra fratres. Et ideo si monachus esset confessus alicui monacho de licentia sui abbatis, non teneretur de iure ex vi huius statuti illa peccata, de quib. est legitime absolutus, suo abbati iterum confiteri.

Dato etiam, quod monachi prædictum statutum sic interpretentur & obseruent: scilicet quod monachus confessus de licentia sui abbatis teneatur eadem peccata, quæ confessus est monacho, & de quibus virtute præfatæ licentiæ est absolutus ab eodem suo abbate, iterum confiteri. quamuis in hoc orbitent à communi iure sicut notum est. nullus enim confessus alicui de licentia parochialis curati tenetur idem peccatum, quod confessus est tali, & de quo virtute præfatæ licentiæ est plene absolutus, parochiali curato iterum confiteri: tamen ex hoc non sequitur, quod consimiliter fieri debeat vel possit in alia parte. Et causa est, quia cum duplex est confessio, sicut supradictum est, sc. sacramentalis, quæ est tertia pars sacramenti pœnitentiæ, quæ receptionem absolutionis & effectum coexigit & includit; & alia quæ non est sacramentalis, nec includens præmissa. quarum prima de iure communi venit sub obligatione: quia ex vi sacramenti pœnitentiæ est necessaria ad salutem peccatoris postquam mortaliter peccauit. Secunda autem quamuis sit licita, meritoria atque sancta: quia tamen est difficilis & contra inclinationem omnium hominum generaliter, & non est sic necessaria ad salutem; ideo non potest alicui sine suo consensu venire regulariter sub præcepto. Cum igitur monachi & alii regulares propter votum obedientiæ non habeant consensum nec voluntatem, nisi voluntatem suorum prælatorum, saltem in his in quibus sunt ei subiecti: & ideo quicquid volunt prælati, illud debet dici referendo ad voluntatem suæ professionis vere esse & est de consensu subditorum. & ideo si prælati monachorum sic constitutionem illam interpretentur & obseruent, hoc faciunt de consensu vere vel interpretatiue subditorum. & ideo ipsi remanent obligati: tamen sic non est in alia parte. Seculares enim & alii parochiani habent propriam suam voluntatem. & ideo sine suo consensu non possunt sic regulariter obligari. quare ex statuto sic interpretato monachorum non potest inferri similis interpretatio, nec quod possit fieri vniuersalis constitutio ex parte secularium aliorum. & sic argumentum non concludit.

Item etiam arguit sic. est regula scripta in corde cuiuslibet, quod legis præceptum obligatorium per factum voluntarium à quoquam obligato dissolui non possit. cum igitur confessio facienda proprio sacerdoti sit obligatoria: & confessio facienda fratri sit voluntaria. per hanc secundam non dissoluitur legis præceptum. Ad istud dico, quod si primum assumptum sic intelligatur, quod nullum factum voluntarium sic dissoluit præceptum simpliciter, quin etiam quod tunc [illegible] obligatus illo præcepto (quia si aliter intelligitur, non potest sequi conclusio ex assumptis) tunc primum assumptum non est verum nec sanum: sed merito est suspectum. Quia ex isto sequitur, quod nullus potest vi dispensatione aliqua facta super præcepto quocunque, sed tene-

tur implere præceptum: cum sic vti, sit factum voluntarium; & per consequens nullus potest dispensare super aliquo præcepto: & sequuntur multa inconuenientia & suspecta, quæ supra in isto capitulo sunt deducta. Sequitur etiam quod præceptum disiunctiuum non posset impleri: quia per nullam partem disiunctionis: cum quælibet sit pure voluntaria per se sumpta. nec per vtramque copulatiue, quia non est dubium, quod non tenetur ex præcepto facere vtrumque. & per consequens facere vtrumque est pure voluntarium, & non deobligat eum à præcepto. quare sequitur, quod iste non potest implere præceptum: quod est satis absurdum. Secundum etiam assumptum est falsum: scilicet quod confessio facienda proprio sacerdoti est obligatoria: & maxime si intelligatur, quod fiat personaliter proprio sacerdoti; quia sufficit quod fiat de eius licentia alieno.

Item arguit sic: si stante fratrum priuilegio daretur nouiter præceptum *omnis vtriusque*, confessus fratri teneretur semel in anno sacerdoti proprio confiteri. sed præceptum ita arctat modo, sicut si nouiter fieret in præsenti: quia est eiusdem auctoritatis & formæ. igitur confessi fratribus tenentur iterum confiteri. Huic respondeo, quod primum assumptum est falsum; quia, sicut frequenter dictum est, statutum non obligat nunc: nec tunc obligaret aliquem ad confitendum determinate & personaliter proprio sacerdoti. Secundum etiam assumptum, scilicet quod præceptum modo ita arctat confessum fratri, sicut si nouiter fieret in præsenti, si intelligatur generaliter, sicut apparet quod intelligat Dominus iste, quod nulla diuersitas proueniat ex ordine, vbi est eadem auctoritas & forma præcepti: si, inquam, sic intelligatur, est negandum tanquam erroneum & suspectum. quod patet sic. constat enim, quod decretum primi parentis de inseparabili vnione coniugum expressum per illa verba, *relinquet homo patrem & matrem, &c.* Gen. 2. fuit factum auctoritate Dei, sicut patet *Matth. 19. & Mar. 10. capitulis.* postea vero Deus dedit Hebræis priuilegium de libello repudii, *Deutero. 9.* Et iterum idem Deus reuocauit suum præceptum, & protoplasti decretum eadem auctoritate & forma qua prius. Si igitur præcedens priuilegium ita arctat priuilegiatos, sicut sequens præceptum; sequitur quod filii Israel modo post reuocatum præceptū dando libellum repudii & aliis mulieribus nubendo non committunt adulterium: quod est contra euangelium vbi sup. vel quod filii Israel tempore legis consimiliter faciendo peccabant & tenebantur præcepto obligati, sicut modo. & commiserunt adulterium ex priuilegio, & quod transgrediendo præceptum simul peccabant mortaliter, & fuerunt excusati à peccato per concessum priuilegium; quod est nimis erroneum & suspectum.

Item arguit de illo, qui fecit votum, quod quacunque confessione facta vel facienda cuicunque non obstante confiteretur semel in anno suo proprio sacerdoti, ex quo talis tenetur votum implere; & cum præceptum ita arcte obligat, sicut votum; pari ratione quilibet tenetur modo præceptum implere. Ad quod dico, quod si aliquis simile votum fecisset de confitendo fratri, æque sequeretur quod talis teneretur eadem peccata, quæ confessus fuit proprio sacerdoti tali fratri iterum confiteri, & non dubium quod neutrum sequitur ex vi statuti: & ideo argumentum non est ad propositum. Quando tamen infertur, quod pari ratione modo tenetur quilibet ex præcepto, negatur consequentia. Tum quia nullum est præceptum, quod obligat aliquem ad confitendum determinate & personaliter proprio sacerdoti. Tum etiam quia, sicut dictum est in solutione secundi argumenti, non potest passim præcipi, quod homo confessus vni postea confiteatur alteri, sicut potest voueri. quare argumentum non concludit. Et conformiter negatur ad argumentum sequens, cum dicitur, quod confessus fratri posset accipere à fratre loco pœnitentiæ, quod confiteatur eadem postea proprio sacerdoti. videlicet primo, quod illa confessio non fieret ex vi statuti. secundo quod confessio non posset passim imponi. tertio quod ita potest fieri econuerso. quarto quod ex isto argumento & similibus patet quod hæc secunda confessio si fieret, non esset sacramentalis, de qua loquitur statutum, sed esset pœnitentia satisfactoria & satisfactionis. quare sequitur, quod huiusmodi confessio est impertinens materiæ quam proponit.

Item simile argumentum est de homine habente conscientiam, quod tenetur proprio sacerdoti iterum confiteri, videlicet quod talis peccaret mortaliter faciendo contra conscientiam suam, nisi iterum confiteatur. ad quod dico, quod si haberet similem conscientiam de confitendo fratribus, pari ratione sequeretur idem, scilicet quod peccaret mortaliter, nisi confiteretur fratri. & similiter si haberet conscientiam, quod eorundem peccatorum confessio nunquam esset iteranda, si eam iteraret, peccaret mortaliter. & per consequens nunquam teneretur confiteri de eisdem. cuius oppositum dicit dominus iste. & ideo quamuis quilibet peccaret, qui ageret contra conscientiam, tamen periculosum esset dicere, quod quilibet teneretur conformiter agere conscientiæ suæ.

Item arguit sic: ponatur, quod aliquis fuerit fratri plene confessus, & quod priuilegium confessionis fuerit consequenter suspensum quo ad fratres, & quod iste veniens ad eucharistiam sumendam sit prioris confessionis oblitus, vel quod in eodem casu loco suspensionis credat omnes fratres esse excōmunicatos; aut Papa præciperet, quod nullus fratri confiteretur: vel ꝙ in casu suspēsionis aut excommunicationis prætactæ confessus fratri negligeret pœnitentiam sibi à fratre iniunctam: seu quod in casu obliuionis seu negligentiæ prædicto cōfessus fratri non potest etiam aliquem

liquem alium confessorem reperire, vel nullum reputaret idoneum, nisi proprium sacerdotem. in quibus casibus sequeretur, quod sic confessus fratri teneretur eadem peccata iterum confiteri suo proprio sacerdoti. Ad ista & omnia similia dico, quod in casibus similibus cum econuerso sequeretur, quod confessi proprio sacerdoti tenerentur fratribus eadem iterum confiteri: & tamen neutrum sequitur ex vi statuti. quare suum propositum non concludit. Similiter ex istis casibus & similibus positis, econuerso sequitur, quod confessi fratribus non magis tenentur iterum confiteri eadem peccata proprio sacerdoti: quam si alias eadem fuissent confessi proprio sacerdoti: cuius oppositum deberet concludi.

Item arguit sic. videtur regula generalis, quod Dominus papa nullum statutum antiquum, & præcipue concilii generalis, tollit in toto vel in parte per constitutionem posteriorẽ priori manifeste non contrariam in intentione vel in verbis, nisi de hoc expressam faceret mentionem. igitur cum Dominus Clemens in *capi. dudum*, nullam fecerit mentionem de sublatione concilii generalis *omnis vtriusque*, nec etiam Dominus Iohannes in constitutione *Vas electionis*, quando videtur illud statutum potius approbasse. igitur non intendebant illi statuto derogare. Ad quod respondeo concedendo conclusionem deductam: quia confessi fratribus habentibus licentiam iuxta formam *cap. dudum*, sufficienter impleuerunt: & plene præceptum capituli & statuti concilii generalis. & sic illa capitula non derogant statuto, sed erogant: vnde potest multiplicius adimpleri.

Item arguit sic. non videtur quod aliquis summus pontifex tantum vellet detrahere de merito subditorum, sicut modo fit per intellectum prædictum constitutionis *dudum*, aut statuti *omnis vtriusque*, satis enim firmiter, vt videtur, in propositione facta coram domino nostro papa & cœtu dominorum cardinalium fuit suasum, quod confessio facta proprio sacerdoti fuit securior, vtilior & vitans plura incommoda in confessis, in curatis & clero & populo & in ipsis fratribus: quæ incommoda proueniunt ex constitutione parochianorum confessionibus fratribus tãtum factis: quibus cognitis non dubium, quin Dominus papa cum omni celeritate possibili suam constitutionem declararet aut tolleret: alias enim seipsum de mala conscientia damnaret.

Ad istud dico, quod nec confessio facta solis fratribus, nec etiam confessio facta solis sacerdotibus personaliter aliquid regulariter detrahit de merito subditorum. potest enim esse & frequenter contingit, quod nunc melius sit confiteri illis, nunc melius confiteri istis, iuxta varias personarum circumstantias.

Et ad probationem cum allegat se in propositione sua firmiter probasse, quod confessio parochiali facta curato sit securior & vtilior & plura vitans incommoda &c. Dico quod in eadem propositione iste Dominus assumpsit ad hoc probandum multa erronea & absurda, ex quibus sequuntur hæreses, schismata & rebelliones contra sacrosanctam ecclesiam, inter quæ in hac materia assumpsit, quod præceptum dominicum est, quod cuncta, quę lex pręcipit de sacramentis, inter quæ computanda est confessio, debent fieri in ecclesia parochiali, ad quæ exercenda omnia alia loca sunt à Deo, & de lege eius prohibita.

Item quod parochialis ecclesia est locus à Deo præceptus, quod ibi fiant confessiones & omnis alius locus est prohibitus, & quod præceptum est quod persona ordinarii audiat confessiones, & quod persona fratris est ab ecclesia & à lege communi prohibita.

Item quod procuratio, acceptatio & confessio priuilegium exemptionis, sepulturę, auditionis confessionum, & consimilium sunt contra diuina mandata, & contra legẽ naturæ & alia multa etiam alias materias concernentia asserit ad probandum erronea, quæ deduxit ab erroribus suprà dictis. ex quibus recogitent domini mei, quod Dominus papa & tota ecclesia sacrosancta admisit, concessit & ordinauit, ac etiam ipse præbuit, quod sacramenta exerceantur in locis prohibitis à Deo & à lege sua, & quod quicunque priuilegiati faciant contra mandata Dei & ipsa iura naturæ, & quod papa non possit nec aliquis alius legislator sine peccato super aliquo iure dispensare positiuo. quæ omnia & multo plura sequuntur ex prædictis.

Miror tamen qualiter vocat priuilegium exemptionis, quo quis eximitur ab eo, cui tenetur in possibilibus obedire, & subiicitur alteri, cui tenetur obedire in omnibus, quæ non sunt contra Deum.

Si enim aliquis esset exemptus, ne offerret denarium, & esset astrictus offerre florenum, videtur potius esse priuilegium subiectionis quam exemptionis. Et non dubium, quin si Dominus papa sciret, & domini cardinales scirent, quæ & qualia ex dictis suis sequuntur, non permitterent ea sub silentio pertransire, cum sint positi in ecclesia non ad occultandos errores, sed ad eosdem radicitus extirpandos.

Item inducit pro parte sua dominum Iohannem Monachum Cardinalem: qui in Glossa sua super capitulum Bonifacianum *Super cathedram* tunc extrauagans tenet, quod confessi fratrib. tenentur parochiali presbytero iterum confiteri: & inducit aliquas rationes eiusdẽ. Ad quod dico, quod quamuis Dominus Ioan. in hoc tenuerit contra rei veritatẽ: tñ non tenuit contra sedis apostolicæ

auctoritatem: quia nondum fuit opinio damnata, quae nunc est: & similiter non tenuit hoc, quod tenet iste, quia non fuit tunc eadem simpliciter licentia audiendi quae nunc est: eo quod tunc capitulum Bonefacianum *Super cathedram* non fuit sacro instante & approbante concilio roboratũ & auctorizatum: cuius auctoritate factum est, quod licentia fratrum, quam modo habent, est licentia papae, episcoporum & parochialium curatorum praesupposita formae statuti: tunc autẽ non fuit sic. & ideo, sicut dictum est, stant simul, quod necessitas iterandi confessiones factas fratri virtute illius licentiae non sit damnata. Ad argumenta igitur respondetur. ad primum praedicti domini Iohannis, cum arguit primo, quod illud speciale & aliud generale non se impugnant, sed compatiuntur se & tale speciale, generale non tollit, dictum est supr. quia primum argumentum huiusmodi fundatur in assumpto huius argumenti. & concedo quod vnum nõ tollit aliud, nisi sicut implens praeceptum tollit eius obligationem pro illa vice, pro qua impleuit praeceptum.

Ad secundum cum dicitur, quod si confessus fratri non haberet quandoq; reuerti ad curatum, posset eius potestas in auditione confessionum prorsus exhauriri: & cum dicit, *priuilegium nõ tenet, quod vergit in alterius enormem laesionem*. Respondeo, quod idem esset argumentũ, si aliquis confiteretur archipresbytero vel poenitentiario papae vel episcopi, vel si homines abstinerent à peccatis: in quibus casibus potestatem curati exhauriri non vergit in eius enormem: imo nec in aliquam eius laesionem. & idem dico, quod de quocunque casu, in quo saluti confessi debite prouidetur: nisi forsan aliquid temporale pro confessione exigatur, sicut videtur quidam Glossator dicere, q ideo fit praeiudicium curato, quia in aliquibus locis confessi debent portare quilibet vnum denarium vel ouum vnum, quod si debet exigi à confessis, iudicet vestra dominatio, quae nouit quod quamuis hoc esset licitum, quod non credo: tamen esset secundum Apostolum ab omni specie mala abstinendum.

Ad tertium cum dicit: quod si curati non intersit propter subditum, interest tamen curati propter agnoscere vultum pecoris sui, cui dicitur Eccl. 32. ca. *curam illorum habe*? Respondeo quod aut interest sui propter se: & illud est propter periculũ suum vitandũ: & tunc falsum est assumptũ: quia cum cura praelati circa subditum sit cura circa salutem: subditi non interesset sui propter se. Et similiter cum curatus non potest habere aliam nec ampliorẽ in hac parte noticiam, quam subditus vult sibi dare, nullum contingit periculum curato, si subditus non dat sibi noticiam. Aut interest sui propter se, id est propter emolumentum temporale: & tunc notum est quod curatus fit mercenarius & non pastor. Similiter aeque posset curatus agnoscere vultum pecoris sui per fratrẽ, sicut per vnum alienum sacerdotem: alium si odium non esset in causa. Et vere miror: quia hęc auctoritas totiens introducitur, & ad hoc propositum, & maxime per theologos: cum secundum Lynconiensem in libro *de obligatis & praeceptis*. Haec auctoritas, *agnosce vultum pecoris tui*, teneat vim praecepti: & non dubium notitia, quae habetur virtute sacramentalis confessionis, non est in potestate cuiuscunque curati, sed solum subditi: & per consequens cum nullus obligatur iuste ad aliquid, quod non est suae potestatis, sequitur quod haec notitia non potest intelligi de notitia sacramentalis confessionis: sed intelligitur secundum eum de notitia iudicialis inquisitionis.

Ad quartum cum dicitur, qualiter dabit curatus subdito eucharistiae sacramentũ, cum non nouit eum esse dispositũ: & maxime vbi sunt nota crimina alia, quae non potest reuelare. Ad istud respondeo & quaero eandem quęstionem ab eo de vno confesso alieno de licentia sua vel de confesso suo superiori. & quaero qualiter ipse curatus dabit eucharistiam subdito sibi confesso quem nouit indispositum: quia vel est confessus nota crimina, vel non vult ea recognoscere, vel si recognoscat non vult abstinere in casu capituli. *extra, de poenitentiis & remissionibus quod quidam*. Vel non poenitentem, sed solum fingit se poenitere: nunquid repellet eum publice? nonne eum tunc reuelauerit indirecte. ideo pro istis & similibus dico, quod in isto foro aeque nouit eum dispositum seipso confitente, quod confessus est sicut si esset sibi confessus: & eque tenetur sibi credere.

Ad quintum cum dicitur, quod hoc indultum operari potest multos effectus, cum hoc quod stet dictum concilii generalis. igitur stabit indultum cum concilio generali.

Et similiter ad sextum, cum dicitur, papa propter indultum non aufert potestatem curati. Dico quod haec & similia currunt per imaginationes, quod priuilegium tollit statutum vel potestatem curati. quod non aliter est verum, quam quod confessus eidem curato vel suo superiori aut alieno de eius licentia tollit eius potestatem: quod si multi aduertissent, nec fecissent haec argumenta, nec opinionem erroneam tenuissent.

Ad septimum cum dicitur, quod voluntarium non tollit necessarium. idem est supra. Istud assumptum est valde erroneum & suspectum.

Ad illa quae concludit per magistrum Alexandrum & dominiũ Bonauenturam, patet quod ipsi sunt ad propositum fratrum. distinguunt enim inter illos, quibus est auctoritas seu potestas concessa simpliciter aut in casu. Et in primo casu, scil. quando est auctoritas eis concessa simpliciter, est dicendum de eis, sicut de superiori ordinario, scil. quod non tenentur parochiali curato seu presbytero confiteri. Si autem auctoritas est commissa in casu: sicut est de illis, qui obtentu alicuius priuilegii, vtpote praedicatoribus, qui habent potestatem audiendi illos, qui veniunt ad eorum sermones, si aliqui forsan fuerint tunc compuncti. in quo casu dicunt isti, quod tenentur semel in anno confiteri proprio sacerdoti, si ab ipsis requirantur, ne aliter sint contempti: non tamen dicunt, quod tenentur peccata praeconfessa iterum confiteri, sed alia illis non confessa. Talis autem fuit

fuit licentia fratribus concessa in principio ordinum: virtute cuius fratres non poterant audire, nisi illos, qui ex sermonibus suis vel fratrum suorum tunc compuncti volebant statim confiteri. & ista licentia non fuit licentia generalis, nec simpliciter concessa: sed specialis & in casu. & ideo quamuis confessi fratribus habentibus hanc licentiam specialem: & in casu tenerentur eadem peccata præconfessa iterum confiteri, quod non concedo: cum non sequitur, quod confessi fratribus habentibus generalem licentiam tenerentur peccata præconfessa iterum confiteri. & quod hæc sit intentio istorum Doctorum, patet ex secunda obiectione, quam inducit de dictis eorumdem: vbi dicunt, quod nullus debet propria auctoritate confiteri alii quam proprio sacerdoti. Vnde cum tunc dicunt sic: *Vnde si quis velit alteri confiteri, hoc faciat auctoritate proprii sacerdotis aut sui superioris: aut præconfiteatur proprio, & postea alieno.* vbi satis expresse volunt, quod obtenta licentia parochialis curati vel sui superioris non plus tenentur eadem peccata parochiali curato iterum confiteri, quam si ea fuissent confessi proprio: sicut patet ex contextu diuisionis, quem ponunt. quare sequitur, quod isti in sententia præmissa non loquebantur de his, qui habent licentiam generalem papæ vel episcoporum aut parochialis curati: sed potius senserunt oppositum de his, qui talem licentiam habuerunt.

Ad obiecta, quæ includit per Henricum de Gandauo *septimo quodlibet. quæst.* 22. quod vere pœnitens confessus ac rite absolutus ab eo, qui potest, non tenetur regulariter peccata iam confessa iterum confiteri, nec eidem sacerdoti nec alieno: potest tamen in casu teneri, videlicet in casibus, qui notantur in *canone. de pœnitentia. di.* 1. *his auctoritatibus*, super verbo *denuo*. Et ad hoc allegat fratrem Raymundum. Respondeo, quod hæc obiectio nō est contra fratres: sicut patet quantum ad primam partem responsionis suæ satis plane: sed quantum ad hoc quod addit, scilicet quod rite absolutus potest teneri & tenetur in casibus, qui in decreto allegato in glos. numerantur.

Dico, sicut supradictum est, quod eo modo, quo in illis casibus aliqui confessi fratribus tenentur iterum confiteri sic quicunque fuissent confessi tenerentur iterum confiteri: sed hoc non esse virtute statuti *omnis vtriusque*, nec contra intellectum capituli *vas electionis*. quia in illis casibus confessi fratribus non magis tenentur eadem peccata iterum confiteri, quam si fuissent eadem alias confessi proprio sacerdoti.

Potest etiam aliter responderi: scilicet quod loquendo de confessione sacramentali, quæ est tertia pars sacramenti pœnitentiæ & veram absolutionem coexigit & requirit: & per consequens præsupponit confitentem adhuc reatu culpæ esse obstrictum: in nullo casu tenetur aliquis sic confessus eadem peccata, quæ sic confessus est, iterum confiteri ex hoc, quia reatu culpæ pœnæ soluto iterum solui non potest: quia eiusdem peccati reatu iterum cōstringi non potest: & per consequens non potest iterum vere absolui. quare sequitur quod cum eorundem peccatorum confessio iteratur, altera confessio quantum ad effectum sacramenti prædictum, scilicet veræ absolutionis à peccato vel peccatis non est plus sacramentalis, quam si fieret laico seculari.

Vnde in casibus præallegatis: quorum primus est, cum quis confitetur sacerdoti imperito. Secundus cum quis confitetur sacerdoti, qui propter enormitatem criminis remittit eum superioribus absoluendum. Tertius, cum quis confessus & absolutus negligit seu contemnit facere pœnitentiam sibi iniunctam & acceptam. Quartus cum quis confitetur, sed aliqua subticet, quæ confiteri deberet: in quorum tribus primo, secundo, quarto iteratur confessio: quia confessus non est absolutus, immo ex necessitate sacramenti confessus tenetur sacramentaliter confiteri, quia facta confessio non fuit sacramentalis. In tertio vero casu quamuis prima confessio fuit sacramentalis quo ad peccata tunc confessa: debet tamen sacramentaliter confiteri de peccato nouiter commisso, scilicet de negligentia vel contemptu pœnitentiæ, quam amisit, quæ fuit iniuncta pro peccatis præconfessis. quo casu non confitetur sacramentaliter de peccatis præconfessis, quamuis illa exprimat sigillatim. loquitur igitur Magister Henricus de confessione in genere, prout est expressio peccatorum & communis ad confessionem sacramentalem & non sacramentalem: de qua sola loquuntur capitula supradicta: & sic Magister Henricus nihil dicit contra fratres.

Ad secundum obiectum quo dicitur, quod in *Quotlibetis quæst.* 1. dicit idem Henricus, quod non est erroneum dicere, quod confessus & rite absolutus ab eo, qui potest etiam si non nisi de gratia & priuilegio tenetur peccata illi confessa iterum confiteri de iure communi virtute illius statuti *omnis vtriusque.* dicens, quod si iste Dominus intelligat, quod non sit erroneum contra rei veritatem, est sibi contrarius, qui in præcedenti responsione tenuit oppositum. ex istis casibus per Raymund. & Gloss. decreti allegati expressis, de quibus non est dubium quod non obligant virtute statuti prædicti, sed æque obligaretur quis in illis casibus iterum confiteri ad modum dictum, si nunquam fuisset editum hoc statutum. Si vero intelligat, quod non est erroneum contra auctoritatem & determinationem ecclesiæ, certe pro tunc verum dixit: quia pro tunc non fuit facta constitutio *Vas electionis*. modo autem secus est. Si autem simpliciter intel-

intelligat, quod non est erroneum contra rei veritatem, negandus est simpliciter Henricus in huiusmodi claudicans & vacillans.

Ad illa quæ inducit de domino Hostiensi. Respondeo, ad dictum domini Iohannis Monachi sufficienter est responsum.

Ad illud etiam Innocentii quarti superius in responsione sexti articuli plenarie est responsum.

Ad hoc quod allegat de Benedicto II. qui præcipit fratribus, qui hortentur cōfessos iterum confiteri. Dico quod idem Benedictus in eadem constitutione *inter cunctas*, dicit plane, quod confessi fratribus non tenentur eadem peccata iterum confiteri. & ideo præcipit, quod fratres hortentur eos: non tamen præcipit, quod eis hæc imponant. quare in hac parte Benedictus est contra istum dominum, non pro ipso. Sic igitur responsum est ad omnia argumenta facta in contrarium, quę quidem in contrarium facta inueni.

CAP. *Octauum & vltimum, in quo exponuntur ea quæ libellus domini Armachani iudicialiter datus continet de hac materia.*

SVperest nunc ostendere, quid libellus domini Armachani iudicialiter datus continet de hac materia. cuius libelli mens & intellectus in suo tractatu, de quo nunc agitur, exprimitur magis plene. Est igitur sciendum, quod in enarratione præfati libelli positis quibusdam, quæ contingūt materiam confessionis, dicit quod parochiani omiserunt & omittunt semel in anno secundum statutum concilii generalis *omnis vtriusq;*, propriis sacerdotibus confiteri: & recurrunt ad fratres prædictis confessionibus & absolutionibus faciendis: & consequenter parum ante conclusionē eiusdem libelli dicit sic: *Cum igitur dictas constitutiones, concessiones, priuilegia & alia indulta responsa eiusdem statuti in professioni eorum* (scil. fratrum) *super quibus, vt asserunt, fundantur, sunt repugnantia & aduersa ex causis præmissis & aliis diuersis, sana non poterunt retinere conscientia, nec eisdem gaudere & vti fratres prædicti. Petit igitur* &c. In qua conclusione petit declarari, pronunciari & decerni vsum & omne exercitiū, concessionem & constitutionem priuilegiorum prædictorum ipsis Ordinibus & Fratrib. eorundem insuper & confessionibus audiendis, sepulturis recipiendis, & prædicationibus faciendis interdicendos fore & interdici ac perpetuo inhiberi, ne acta huiusmodi præsumant: ipsisque non licuisse nec licere prædicta facere vel fecisse. Postea in eadem conclusione quærit extrauagantem *Vas electionis*, declarari & moderari: & vlterius iuxta præmissum libellum ad concordandum cum constitutionibus *omnis vtriusque* reduci. hæc ibi. Et cum ista particula conclusionis immediate ante præmissa incipit tractatum, contra quem agitur de præsenti, in quo ponit declarationes erroneas & suspectas ac sensui eiusdem constitutionis contrarias: sicut patet ex quinto & sexto capitulis supradictis, quas instanter petit iudicio vestro confirmari. Si igitur vltima conclusionis particula: scil. quod petitur illa constitutio *Vas electionis* declarari &c. quæ constitutio, sicut ex ipsius tenore patet, loquitur de fratribus habentibus generalem licentiam audiendi confessiones & cōfessos absoluendi, ex nulla particula narrationis eiusdem libelli potest descendere, nisi ex prima parte narrationis suprascripta. sc. quod parochiani omiserunt & omittunt semel in anno confiteri &c. nec etiam potest ex illa descendere, nisi illa particula ad fratres, quibus præfata constitutio loquitur, solum extendat, liquet quod præfata particula ad fratres habentes licentiam generalem supradictam iuxta intentionem libelli & dantis eum debet extendi. asserit ergo pręfata particula, quod parochiani recurrunt ad fratres habentes licentiam generalem audiendi confessiones, vt confiteantur eisdem: & quod illo recursu non obstante tenentur ex vi statuti generalis concilii semel in anno confiteri suo proprio sacerdoti: & quod omittunt eisdē confiteri vt tenentur. ex qua assertione sequitur, quod primus articulus in cōstitutione *Vas electionis* damnatus est. Nā demonstratis peccatis alicuius parochiani, quæ fecit infra annum, & q̄ confessus est fratri, & quæ omisit semel in anno confiteri proprio sacerdoti. & arguitur sic: Quicunq; tenetur hæc peccata ex vi statuti semel in anno confiteri proprio sacerdoti, & omittit sic, vt prædicitur, confiteri, est transgressor statuti: & ad confitendum de istis peccatis remanet obligatus; iste parochianus illa peccata, q̄ confessus est, tenetur ex vi statuti fratri habenti licentiam generalem præconfessa suo sacerdoti confiteri. igitur iste parochianus illa peccata, quæ confessus est fratri tali, tenetur ex vi statuti confiteri proprio sacerdoti. hæc conclusio: *igitur iste parochianus illa peccata, quæ confessus est fratri tali, tenetur ex vi statuti iterum confiteri proprio sacerdoti*, est primus articulus magistri Iohannis de Poliaco, in constitutione *Vas electionis* damnatus. & maior est necessaria. igitur minor est erronea & damnata quia tamen minor est particula libelli dati contra fratres ex eadem etiam narrationis particula sequuntur alii duo articuli eiusdem magistri Iohannis; & cum erronea destructione tertiæ oppositionis quarti articuli supradicti, & in 6. articulo prædeducta.

Amplius, ex alia parte narrationis suprascriptæ; scil. cum vero dictas, quas petit pronunciari, decerni & declarari vsum & omne exercitium &c. patet de intentione & mente libelli eiusdem damnati est quod constitutiones seu concessiones & priuilegia indulta fratribus super prædicationibus, confessionibus & sepulturis sunt statui & professioni fratrum repugnantia & aduersa; & quod fratres non possunt illa sana retinere conscientia; nec vti vel gaudere pr ędictis, seu illa obseruare aut licite exercere; ex quibus sequuntur errores infrascripti: primo scil. quod qualitercunque & ad quemcunque sensum fratres obseruent huiusmodi priuilegia; & vtantur eisdem, ipsi necessa-

necessario abutuntur eisdem: quia si statui & professioni fratrum repugnant, sequitur quod vti eisdem sit abuti: & in hoc fundat se principaliter ad probandum, quod fratres priuilegiis abutuntur.

Secundo sequitur, quod secundum istum dominum papa non potest licite vbiq; per mundum mittere fratres ad prædicandum & ad audiendum confessiones, secundum suæ beneplacitũ voluntatis, nec archiepiscopi & episcopi in suis diœcesibus, & fratres missi ab eisdem non possunt licite prędicare & confessiones audire, nec absoluere pœnitentes: cuius oppositum quo ad singula fuit determinatum per Alexandrum quartum: & ista dicentes fuerunt coacti ea reuocare tanquam erronea & suspecta, sicut patet ex bulla eiusdem quæ incipit *cum olim*.

Tertio sequitur, quod sunt status ab ecclesia approbati, quorum professoribus ex sua institutione & regula competit prædicare: quibus secundum istum ex sua professione repugnat prædicare: & per consequens secundum istum huiusmodi status includunt in se repugnantia, nec obligant suos professores: & iterum cum sint approbati eorum professori, non repugnat prædicare: & sic non solum sequitur error, sed contradictio manifesta. Quod autem huiusmodi status sunt ab ecclesia approbati, quibus ex institutione & regula competit prædicare, patet de ordine Fratrum prædicatorum, qui ex institutione eorum ad prædicandum sortitur hoc nomen, & de ordine Fratrum Minorum, quibus ex *nono capitulo Regulæ suæ* competit prædicare: & hoc ibidem testatur Dominus papa Gregorius nonus in bulla sua, *Quoniam abundauit iniquitas*; dicens quod ad officium prædicandi sunt ex professione ordinis sui deputati.

Quarto sequitur secundum istum dominum, quod ecclesia tales constitutiones ordinando & priuilegia concedendo dedit eisdem fratribus auctoritatem & consensum ad faciendum contra suam professionem: & per consequens ad peccandum, & ad peccata defendendum, & ad pertinaciter persistendum in eisdem: & per consequens errauit in moribus vel scientia: & sequitur quod vel non est eius determinatoribus adhęrendum propter errorem in scientia: vel quod scienter facta est nouerca filiis, quibus debuit esse mater.

Quinto sequitur, quod secundum istum dominũ nec Romanus pontifex, nec ecclesia potest dispensare cum fratribus, quod eisdem liceat prædicare vel confessiones audire: quia Romanus pontifex sacro instante & approbante concilio noluit dispensare cum eisdem, & fecit ad hoc quod potuit. & cum secundum istum prædicta non licent eisdem, ergo nec Romanus pontifex nec ecclesia potuit in eisdem dispensare.

Sexto sequitur, quod plene subiectis Romano pontifici & ex sua professione & ecclesiæ sacrosanctæ non licet super prædicationibus faciendis ecclesiæ Romanæ vel summo pontifici obedire: quia nulli licet obedire super aliquo actu exercendo, super quo non licet dispensari, quod licite fieret ab eodem.

Septimo, posito quod prædicare statui & professioni fratrum repugnaret, sicut dicit Dominus iste, quod cum papa non possit super articulo tam fructuoso & vtili toti mundo dispensare: scilicet quod fratres possint licite prædicare & audire confessiones fidelium, cum sint secundum istum ad oppositum obligati. sequitur, quod pari ratione papa non potest super quocunque obligato, vt fiat huiusmodi oppositum, dispensare. igitur secundum istum sequitur, quod fundatores ordinum prædictorum, scilicet sancti Dominicus & Franciscus, qui sunt ab ecclesia canonizati, damnabiliter errauerunt, & quod damnabiliter vixerunt & obierunt: quia per totam vitam suam temporibus oportunis prædicauerunt, & suis subiectis præceperunt prædicare: & super hoc licentiam à summis pontificibus impetrauerunt, & sic non est alicui canonizationi factæ per ecclesiam credendum, quia de quacunque potest consimiliter dubitari. Quod autem ipse de hoc dubitet, apparet ex hoc, quod iste Dominus in nullo scripto vel dicto suo vocat eos *Sanctos*, forte non reputans eos tanto titulo dignos. Et specialiter, quia vocat sanctum Franciscum in fide nouitium, vel ad fidem nouiter conuersum: de quo cum fuerit quadraginta annorum quando obiit, & fuit paruulus in fide parentum baptizatus, nunquam legitur quod postea fuerit infidelis. Neq; scio vnde procedit erga istum Sanctum tanta indeuotio: cum Fratres Ordinis sui fuerint istum dominum in fauoribus & promotionibus eis possibilibus prosecuti. Cum igitur secundum istum dominum prædicare & confessiones audire repugnet statui & professioni Mendicantium: qui tamen ex sua professione non sint vltra alios clericos & sacerdotes, nisi ad quędam consilia obligati; quæ Christus & sui apostoli docuerunt & opere seruauerunt: sequitur, quod prædicare & confessiones audire vitæ Christi & apostolorum æqualiter repugnabat: & per consequens cum ipsi per totum mundum prædicauerint, quia *in omnem terram exiuit sonus eorum*: sequitur quod ipsi illicite fecerunt, vixerunt & obierunt: quod est hæreticum etiam cogitare.

Item cum sepulturas fidelium, tam ratione funeris quam ratione etiam funeralium, quæ obueniunt fieri apud ecclesias quascunque, sit pure positiuum de solo iure humano statutum, si recipere huiusmodi sepulturas sit tam repugnans statui & professioni fratrum, quod super hoc ecclesia non poterit dispensare, tunc sequitur quod non omne ius ecclesiasticum pure positiuũ sit in potestate Romani pontificis & ecclesiæ sacrosanctæ. sublato enim omni iure ecclesiastico pure positiuo ad sepulturas pertinente, non dubium quod fratres possunt saltem

de

de licentia papæ recipere sepulturas ratione funeris: & possunt recipere funeralia nomine puræ eleemosynæ: quia tunc funeralia essent in spontanea dispensatione dantium vel legantium. Si igitur papa in concilio generali non potest tollere iura positiua quæcunq; vel super ea dispensare, sequitur quod non tota ecclesiastica iurisdictio seu auctoritas residet in Romano pontifice & ecclesia sacrosancta.

Præter autem istos & alios errores & repugnantias multiformes, iste Dominus impingit in dominos summos pontifices, videlicet Innocentium tertium & Honorium tertium successorem eius. Dicit enim in fine tractatus sui, de quo nunc agitur, quod ipse repulit sanctos Dominicum & Franciscum, petentes suos Ordines confirmari: cum tamen hoc non sit verisimile neq; verum: quia non apparet verisimile, quod ille, qui prædictos Ordines approbauit, renuit eos confirmare. Quod autem iste Ordines istos approbauit, testatur Honorius successor eius in bulla confirmationis Regulæ Fratrum Minorum sic dicens: *Ea propter dilecti filii vestris precib. inclinati ordinis vestri regulam à bonæ memoriæ Innocentio papa prædecessore nostro approbatam, auctoritate vobis apostolica confirmamus* &c. & non dubium, quin de ordine Fratrum Prædicatorum simile habeatur. nec est verum, quod dicit Dominus iste in proposito: quia expresse dicit chronica Martini, quod Dominus Innocentius Ordines istos confirmare disposuit, sed non potuit morte præuentus. Et quod addit iste Dominus dicens, quod Innoc. tertius in concilio generali nouas religiones institui interdixit: & ex hoc impingit in dominum Honorium tertium dicens, quod ipse confirmauit prædictos contra decretū concilii generalis, vehementer admiror, quod iste Dominus aut non videret aut non recordaretur, quod concilia generalia nō possunt ecclesiæ legem præfigere, cum eius auctoritate robur accipiant: & in eorum statutis Romana patenter excipiatur auctoritas, *extra de el. & ele. po. significasti.* quapropter Dominus Innoc. in concilio generali nouas religiones institui interdixit: successorum suorum tamen & ecclesiæ Romanę auctoritatem excepit: & per consequens Dominus Honorius prædictos Ordines confirmando contra decretum concilii generalis nihil fecit. Amplius cum statutum concilii Lateranen. præsidente Domino Innocentio tertio supradicto pontificatus sui anno.17. celebrati prohibuerit nouas religiones per modum in *capi. ne nimia. extra de relig. domi.* cum expressum de præfatis ordinibus ante præfatum concilium institutum & ab eodem Domino Innoc. approbatum, sicut dictum est, nullam mentionem faciendo tacite vel expresse, per quod prędictum capitum *ne nimis* trahi potest ad eosdem, plane videtur quod prędictum statutum ad sępedictos Ordines minime se extendat: & per cōsequens Dominus Honorius contra decretum concilii generalis nihil penitus attentauit.

Prætermissis igitur articulis erroneis & aliis in quarto & sexto capi. supradictis nimis periculosis, vestræ discretionis libra pensatis, quorum aliqui sunt pensati contra omnipotentiam Dei, propter quod incidit in capitulum *excommunicamus itaq;, extra de hereticis.* & aliqui contra veritatē scripturæ tam legalis quam euangelicę Aliqui contra potestatem Romani pontificis & episcoporum suorum, qui fuerunt alias condemnati: propter quod ipse damnatorum errorum commentator existens priuilegii damnationis sententia tenetur astrictus. 24. *q.* 1 *maiores.* Et quia in hęresim alias damnatam lapsus est, in eius damnatione seipsum inuoluit, *ibidem Achatius.* cum etiam sint de confessione peccatorum, de qua iste Dominus aliter sentit & tenet, quā sancta Romana ecclesia prædicat & obseruat: quare incidit in capitulum *ad abolendam. extra de hereticis.* Quia postremo cum iste tractatus suus supradictus & libellus iudicialiter datus contra Fratres continet similia libello Guilhelmi per dominum Alexandrum quartum excommunicationis vinculo innodati, sicut patet ex bulla eiusdem, quæ incipit, *Ex alto:* Vestris dominationibus instanter & humillime supplicamus, quatinus prædictis erroribus penitus resectis, non obstantibus obiectionibus suis friuolis & oblectionibus peruersis, aut contra mentem statutorum in dictis eiusdem ausus temerarios vestri iudicii examine dignemini refrenare, & innocentes, quos vexat iniuste, ab eius vexatione citius absoluere, ipsumq; propter libellum & tractatus præfatos ac omnes eundem libellum dantes & defensantes seu eidem in hac parte adhærentes ab omni iudiciorū modo legitime repellatis præcludendo sibi & aliis aditum similia perpetrandi. DIXI.

Explicite sunt Defensiones Rogerii Chonnoe pro Mendicantibus contra Armachanum. Ex quibus euidenter liquet, quod Archiepiscopus Armachanus & Primas Regni Hiberniæ, plenitudinem potestatis Papalis in Ecclesia Catholica visus est oppugnare, quam iste Magister Chonnoe pro suo fundamento posuit.

FRANCISCI

FRANCISCI PETRARCHÆ CANONICI CATHEDRALIS ECCLESIÆ SENENSIS, PHILOSOPHI EMINENTISSIMI, & Poetæ Laureati,

Anno Domini 1360.

EPISTOLÆ

DE IVRIBVS IMPERII ROMANI, ET INIVRIIS PAPÆ ROMANI EIVSQVE ASSECLARVM.

I.

De inuidia, auaritia, cæterisq; ecclesiæ Romanæ Procerum vitiis.

FRAN. PETRARCHA Hannibali Tusculanensi salutem. *Infelicem inuidiam,* dixit Maro: nec immerito. Quid enim infœlicius, quam suis malis, alienisque simul bonis affligi. Non ineleganter quidem in Mutium nescio quem apprime inuidum atq; maliuolum lusisse legitur Publius quidam. Cum enim tristiorem solito vidisset: *Aut Mutio* (inquit) *nescio quid incommodi accessit, aut nescio cui aliquid boni.* Prorsus ita est. Inuidus alterius bonum suis adscribit incommodis, &, vt ait Flaccus,

Inuidus alterius rebus marcescit opimis.

Magna miseria, non aliter saturitate alterius quam fama propria torqueri, atque alio pinguescente, non secus ac se esuriente marcescere. Sed haud temere definierim, an non inuidia tantum, sed vitiis omnib. infœlicior auaritia sit. Inuidia n. mœsta est sæpe, sed otiosa est; auaritia tristis, & occupata; superbia, dū se aliqd magnū putat, falsa licet opinione delectatur. Auaritia semper se famelicam, & egenam sentit, neq; fallitur. Verissimum enim est poeticum illud:

Semper auarus eget.

Nam si auarus est, cupit, quod ipsum vitii nomen indicat. Sane quod ait Seneca: *Non qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est.* Et hoc inde concluditur, ꝙ non paucitas rerū inopem facit, cum paucis natura cōtenta sit, cui qui ritè satisfecerit, diues est, & nihil ei deest, sed cupiditas expleta, q̄ indicat sibi tm̄ deesse, quantum cupit: cupit autem omnia, & optando superuacua fecit necessaria. Ita egestatem minimā, cuiq; perfacile succurri poterat, irremediabilem atque immensam fecit. Rursus enim & illud est verum, quod Philosophis placet:

Auaro tam quod habet deest, quam quod non habet.

Nisi ꝙ mihi quidē magis videtur, auaro deesse ꝙ habet q̄ ꝙ nō habet. Ex illo n. nil præter sollicitudinē perpetuā, & veros motus, ex hoc nōnunq̄ breue falsum gaudiū capit, dū sibi arridet, & optatum bonū, spe fallente poccupat. Ita nonnunquā satiatur fera quadā (vt aiunt) & inhumana dulcedine: Auaritia vero nunquā. Nam vt successibus inardescit, & Satyricum illud verum est;

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Et minus hunc optat, qui non habet. Cuius rei causam vnā (nam plures excogitari queunt) in epistola quadam ponit Annæus Seneca: *Neminem* (inquit) *pecunia diuitē facit, imo contra nulli nō maiorē sui cupidinem incussit.* Et sequitur: *Quæris, quæ sit rei huius causa? Plus incipit habere posse, qui plus habet:* Venio ad reliquas pestes, & eius quidem, quā *accidiam* nostri vocant, eadē ratio est, quæ inuidiæ fuit. Gula autē ac libido sæpe suis fruuntur deliciis, quibus exultant, & gaudia fugitiua pcipiunt; auaritia nulla re fruitur, nisi curis amarissimis. dum enim quærendis inhiat, & illa nō habet, & quæsita non videt, nisi ad supplicium, hinc trepida, inde sollicita. Quæ cum ita sint, iure auaritia sororum omnium pestilentissima dici potest, quā *radicem malorum omnium* vocat Apostolus. Nec sum nescius, te mirari quid hodie tecum hac (vt aiunt) importuna Philosophia præter solitum vti velim. Ego autem non te magis, quā mortales fere oēs, & pcipue tuum genus alloquor, inter quos maxime & solium posuisse, & vexillū fixisse victrix mihi videtur & imperiosa cupiditas. Quod eo indignantius miror, quo minor vobis cupidinū causa est. Cui n. hos auri cumulos aceruatis? Legitima quidē vobis negata posteritas, vos parcus & exiguus cultus decet, reliqua pauperū Christi sunt, quos fraudare prædariq; non timebis, domino illorum spectante desuper & minitante vindictam, & nescitis cui vestrum crimen vtile sit futurum, quod vobis interim laboriosum, pestiferumque & funestum est. Multi se propter filios excusant, & vitio animi velum pietas obtenditur. Sic leæna, sic tygris fit enixa ferocior, & animalia mansueta, nouæ prolis amor exasperat. Vobis excusatio nulla, velamen vitii nullum est, ante totius orbis oculos nudi estis, digitoque monstramini, populorum omnium cum exprobratione mordaci: Ecce virtutis (inquiunt) præcones, qui cum de vita æterna, deque animi libertate multa magnifice loquantur, sine causa tamen & temporalibus addicti, &

auaritiæ serui sunt. Re enim vera & si de omnib. dicat, non ne de vobis tātum sensisse videtur Dauid, vbi ait: *vniuersa vanitas omnis homo viuens, veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.* Et vt rabiem pōtificialis auaritiæ tot post seculis futuram notaret expressius: *[illegible] (inquit) & ignorat cui congregabit ea.* Hæc vtique vobis ante alios, auari pontifices, [illegible]. Parentes quidem thesaurizantes filiis & legimus & videmus, quamuis sæpe fortuna paternis votis obstante, quod aliis partum erat ad alios deuoluatur, parentum tamen intentio nota est. Vestra intentio quænam, quæso? Quid agitis? cui thesaurizatis? nisi diabolo & angelis eius; qui sollicite vos obseruant, numerant dies, & hęreditatem vestram auidissimè præstolantur, gratissima trophæa vestris inscripta nominibus, in limine tartari de manibus spoliatorum pauperum erecturi? Sed admirans percontabere, cur hodie potius ista quam alias: an vel hactenus vos nō auaros, vel auaritiam vitiū non fuisse, vel me hunc primum oculos aperuisse crediderim qui prius ista non viderim? Respondebo admirationi tuæ: Et sciebam vos auaros: & auaritiam vitium esse, nemo vsquam est qui nesciat, & in vtrunque non nunc primum oculos aperio, sed cum forte nudiustertius venissem ad te, altaria tua, imo vero altaria Domini virtutum, argento atque auro, & gemmis onusta conspexi, atque insanis fulgoribus perculsus obstupui, & dixi meum: Ecce noua auaritiæ arma, nouum pereundi genus. Auaritia nobis nostra non sufficit, nisi auarum quoq; CHRISTVM facimus, & diuos ipsumque vocamus in partem, prædamque Iouem (vt Virgilius ait.) Vos quidem diuitias male partas iustificasse videamini, si prædæ rapinarumque vestrarum pauperem CHRISTVM cogitis esse participem, & auro obsideris inuitum. Non hic placandi numinis modus. An non legistis apud Senecam, *Deos tunc propitios fuisse, cum fictiles fuerunt?* Arqui Deos nunquam propitios fuisse, nec esse potuisse, certum est. Quomodo enim propitius aliis esse potest, qui miserrimus est sibi? Placet igitur non hæc Senecæ sententia, sed verba, quæ fœliciori materiæ licet inserere. Profecto CHRISTVS semper propitius humano generi, sed tunc præsentior fuit, cum fictilis fuit. Nunc aureus atque gemmatus irascitur, & preces nostras iustissima indignatione non audit. Non aurum odit ille, sed cupidos, quibus optandi, quærendique nullus est finis. Primi hominum, quod erat, aperte profitebātur, quærebant diuitias, vt abundarēt: vos quæritis, vt ornetis CHRISTVM: pium opus, si spoliis ille miserorum, & nō potius virtutibus ac deuotione fidelium, vellet ornari, & si non fictioni iuncta cupiditas, odiosior Deo esset. Animaduerti olim tale aliquid in principibus dominisque terrarum, qui omni studio libros quærunt, petunt, rapiunt, mercantur, non literarum amore quas ignorant, sed auaritia inducti, nec animi, sed thalami quærentes ornatum: nec scientiam, sed nomen: neq; librorum sententias, sed pretia cogitantes. Verum his colorata excusatio, licet falsa, non deerit. dicent enim, sobolem se ac posteros cogitare. & verbo quidem nondū natis, aut quod vitæ genus eligant prorsus incertis, veræ autem auaritiæ propriæ atq; ignorantiæ bibliotheca congeritur. Vobis congerendarum opum quis est color? Vt CHRISTI templa farciatis auro. Sed quid Persio dicitis exclamanti?

O curuæ in terris animæ & cœlestium inanes
Quid iuuat hos templis vestros immittere mores.

Neue hoc aliis dictum crederetis, audite, vt statim vestro nomine vos appellat:

Dicite Pontifices in sancto quid facit aurum?

Respondete pontifices, vobis enim loquitur: Respondete tot senes vni iuueni, tot Theologi vni poëtæ, tot Christiani vni pagano. Quid dicitis? *In sancto quid aurum?* Si respondere negligitis poëtæ, an non saltem respondebitis Prophetæ, qui non aurum, sed alia quędam à vobis ornamenta templorum exigit? Apud Malachiam legitis: *Filius [illegible] patrem, & seruus dominum [illegible] timebit. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? Et si Dominus ego sum, vbi est [illegible] meus? dicit Dominus exercituum.* Et vt noscatis quia vobis dicit, sequitur: *Ad vos, ô sacerdotes qui despicitis nomen meum.* Nisi forte quisquā est qui putat, vlla vnquam ætate dignius hoc quæsitum quam nunc queritur. Video quidem, vt dixi, vulgus auaritia ardere, & fateor, nihil excusat. Nulla est enim excusatio peccati, sed natorū charitas, multiplexque necessitas, & vulgaris ignorantia crimen leuant. Vos vero pontifices, dicite, oro; Quid sibi vult hęc rabies habēdi inter diuitias tā certas, in tanta rerū diuinarū humanarumq; notitia, in vita solitaria, & cælibe & de crastino cogitare prohibita? Illud mihi forte notissimū ingeretis: Aurū habet ecclesia. Bene, si habet, pessime, si habetur. placere possunt diuitię virorū, viri diuitiarū penitus nō placent, qui cum somnū suū dormierint, in manib. suis nihil inuenient. Vereor igitur illa responsio, q̃ percontactioni ꝓprie Persius ipse subiecit. Cū n. secūdo q̃sisset: *In sancto quid facit aurum?* intulit: *Nempe hoc, quod Veneri donata à virgine pupa.*

Facessat, oro, iam tandē aurum templis inutile, & in alia templa Dei, hoc est, in vsus hominū egentium conferatur. Sit Christi charitas, q̃ seculi pompa est, nec semp sub obtentu deuo[illegible] idololatrię seruiatur. Nescitis quod auaritia est idolorū seruitus. Nulla tot idolis [illegible] nulli cōuenientius dicitur: *Cauete à simulachris.* Credite mihi, pontifices, aurū po[illegible] habere, sed noluit: diues esse potuit, dum inter homines agebat, paupertatē maluit. [illegible] vti potuit, fictilibus vsus est. Nolite, pōtifices, excusationes friuolas aucupari, [illegible] pabulū auaritię, & vestris alimenta furoribus aggregare. Christus vestro au[illegible] superstitionib. delectatur, puri ac nudi cordis est, apperēs piorū [illegible] honest[illegible] humiliū voluntatū. Quis inter hęc auro locus? Nolite miseri curare, q̃ superbe sacrific[illegible] ornate, quam splendide; sed quam pie, quam humiliter, quam caste, quam sobrie. Sacrificate [illegible] disruptis vinculis libera-

liberatori suo Rex propheta sacrificat, *hostiam sc. laudis*: Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate non in auro, sed in Domino. Audite psalmistam surdi, diebus ac noctibus clamantem: *sacrificium Deo spiritus contribulatus*. Quid hic opus est auro? Spiritu opus est, eoq; non nisi cōtribulato; opus est corde, sed cōtrito & humiliato. Hoc est sacrificium Deo gratū, atq; homini sine terrarū effossione parabile. Submisso & immaculato opus est animo. Cōtra nec terso nec rudi auro opus est. Nescio quid amplius dicam, & vereor verba iactare, sed si post prophetam, ipsum quoque Persium poetā audire, non piget, videte, quid ibidem paganus homo pontificibus suis dicat.

Quin damus id superis, de magna quid dare lance,
Non possit magni Messalæ lippa propago.

Et ne dubium foret, quid esset quod superis offerendum, quod genere atq; opibus superbi cæci diuitum filii non possent, subsecutus expressit.

Compositum ius, fasq; animi sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Præclarum verbum, dignumque de Christo dictum esset. Tu vale, & quàm fidelibus conuitiis aurem præbe.

II.

Ad CAROLI QVARTI IMP. *Literas dilationis excusatorias responsio; & excusationum infirmatio.*

CÆsareos apices triennio ferè, postq̃ à te discesseram, ad me peruenisse miraberis: sic est tamē. Non iam soli tuisq; religionibus, sed nunciis quoq; & epistolis tuis, Cęsar, impermeabiles alpes sunt. Ego quidē, vt vehementer id doleo sic, fateor, gaudeo, & mihi clam gratulor, id tacito me nō fieri. Clamaui equidē, sed frustra, nec duab. epistolis auditus sum, quarū etsi stylus aurib. forte tuis incomptior; profecto & sentētia verax, & pura scribentis fides est, ꝙ Roman. orbis totus attestabitur. Agendę rei opportunissimū tempus erat; clamo num etiam. ꝙ tibi frustra ne an efficaciter faciam, tu videris: Mihi frustra non erit, quicquid fideliter egero. Etsi aliis namq; non proderit, mihi certè profuerit, satisfecisse officio, implesse ꝙ debeo. Equidem ego ingēs, & quo nullum inter homines maius possum, affectus mei pmium tuli testimoniū maiestatis tuæ, q̃ fidem meam laudibus multis accumulat: Consiliū v. non amplectitur. Malo mihi fidem sine prudentia constare, q̃ sine fide prudentiam. Dum tibi mea fides & deuotio pbetur, non magnopere solertiæ titulū aucupabor, cōsiliumq; meū æquo animo ferā vel respui vel differri: q̃n etiā gaudebo, & haud merito gloriabor, te nō modo me, sed oēs mortales, vt Impii dignitate, sic cōsilii viuacitate pcellere. Suasi q̃dem, & psuasisse crediderā, celeritatē tuis conatibus oportunā. Ita n. mihi: tibi v. aliter videtur: tu frenum terris, tu clauū pelago regis: tuo stabitur iudicio, ego fideliter locutus dicar. Satis est mihi prudentia inter professores prudentiæ requiratur. Si tñ interpretari dictum meū non prohibeor, ita ego tibi celeritatem suasi, vt segnitiem excuterem, non vt in aliud extremorum te impellerem. Sciebam n. ꝙ præcipitatio cum in rebus omnibus turpis sit, tum in summi imperii administratione turpissima est. Suasi ergo celeritatem non pcipitem, sed maturā. *Maturate fugam*, inquit Maro. Quem locum Macrobius exponens; *& contraria*, inquit, *videtur fuga maturati*. Et post pauca: *Maturate*, inquit, *ꝙ neq; citius neq; serius, sed mediū quiddā & temperatum est. Quam sententiā Cæsar Augustus sequēs monebat, vt ad rem gerendam simul adhiberetur & industria celeritas, & tarditas diligentia: Ex quibus duobus cōtrariis fit maturitas.* Multa ibi similia. Sed redeo ad rem. Si ergo tibi, Cęsar, hoc consilium non placet, placeat fides vt facit. Mea. quid dictur̄u putas? Nempe mihi consilium aliud nullum est: Sed optabo, vt quicquid elegeris, secundet omnipotens Deus, & moram tuā mundo vtilem, tibi gloriosam velit, & ait psalmista, *tribuat tibi secundū cor tuum & omne consilium tuum confirmet*. Verum quia nondum functus officio sum, nisi omne, ꝙ mens parturit, & lingua pepererit, sic iam, Cæsar, epistolæ tuæ respondebo, vt intelligas me de sentētia non tam rationib. literarum tuarum, quam tui nominis maiestate depositum. Quis n. sani capitis contra Cæsarem sentire audeat, & præsertim in rebus Impii? Si de poëtica, aut si omnino de literis sermo esset, vterer forte libertate Lucii Poëtæ, quem Iulio Cæsari in poëtarum consilium venienti nō assurgere solitū accepimus, non cōtemptu principis, sed pfessionis propriæ fiducia: Nunc cum de imperio agitur, quis tibi non assurgat? quis non cedat, nisi amens oblitusq; rerum omniū? Loquor itaq; non vt te refellam, sed vt exerceam, non vt aduerser, sed vt me tibi penitus aperiam, nudemque quicquid animus latebris suis regit. Primū quidē tarditati meæ clypeum ptendis mutationē temporū, q̃ multiplicibus verbis exaggeras, vt aliq̃n magis dictantis ingenium, quā Imperatoris animum mirari cogar ac laudare. Quid n. quæso est, quod aliquando non fuerit; imo v. quid par maiorum nostrorum laboribus periculisq, perpetimur, dum Brennus Italiam, dum Pirrhus, dum Hanibal vastabat? quæ nam comparatio rerum est? vt v. nobis omne mortiferum vulnus sit, non rerum natura, sed mollities nostra facit. Quod ridebant proaui nos lugemus, & ad omnem difficultatis occursum cohorrescimus ac torpemus: Cum nulla interim in cōquirendis excusationib. nulla ætas & nulla gens promptior. *Olim, inqs, Romana Respublica diues fuit.* Quis, oro te, diuitē illā fecit, nisi ciuium suorū virtus ac modestiæ studiū, & iustitię cultus, & rei bellicę disciplina? Quid a. maius censes inter tot gentes indomitas, inter tot populos phibentes euexisse in syluis dumosis, & in collibus imperuiis inauditū illis temporibus & inuisum nomē, an adhuc stātibus fundamētis, & reuerentia nominis toto orbe diffusa senectute collapsum restituere? Hic mihi mutationē si quis obiiciat, nō audiā; vel si audiā, ridebo.

Crede enim mihi Cęsar, mundus idem est qui fuit, idem sol, eadem elementa: virtus sola decreuit, ciuitatum nempe manuq; congestarum molium aliæ creuerũt, decreuere aliæ, quædam funditus corruerunt, nostris quædam surrexere temporibus. Vetus est vicissitudo rerum humanarum, q̃d hinc elicis? Iterum quæso, crede mihi, si Roma illa, vnde titulum trahis; & si Cæsar ille, cuius nomen atq; (vt sperare solebamus) animum habes, hodie viuerent, multo citius quam tum ad arcem rerum atque Imperii fastigium peruenirent.

Tunc enim repugnantiæ multum fuit graue nostris periculum, ingens labor: nunc plana & facilis via est: sed viator deest, luxus & inertia late regnant. ignauia orbem terrarum possidet armato Cæsari mox cessura, imo vel pro te partes actura. Notum etenim tuum nomen, paucis bonis & amatoribus virtutis atq; imperii adiutum, aduersus inertem luxum inermemque superbiam facile bellum omne conficeret. Vis non modo probem, sed ostendam tibi ista esse vt dico? ecce, nudiustertius caput extulit, quidam est plebe humili non Romanus Rex, non Consul, non patricius, & vix bene cognitus Romanus ciuis, nullis titulis suorũ, nullis maiorũ imaginibus, deniq; nullis id tempus virtutib. suis clarus, qui vindicem se Romanæ libertatis assereret. Obscuri hominis clara ꝓfessio, illico, vt scis, Tuscia cupide manus dedit, imperia excepit. Iam sensim omnis Italia sequebatur, iam Europa, iam totus orbis in motu erat. Quid multis est opus? non legimus ista, sed vidimus. Iam redisse iustitia & pax & harum comites alma fides, tranquilla securitas, ad postremũ aurei seculi vestigia videbantur: Ille tamen in ipso rerũ flore patuit alteri: nolo sibi culpam dare, nec alteri: non condemno hominem, imo absoluo, non sum iudex, quid opiner scio, & sumpserat ille titulum *Tribuni*, quod inter Romuleas dignitates humillimum nomen fuit. Si tantum ergo tribunitium potuit, quid Cęsareum nomen posset? At si differs, si hæres, & q̃ tibi sub oculis posui fugã temporis non attendis, actum est, ruit Imperium, perit libertas. Noli, oro te Cæsar, hæc cum stomacho legere, quæ forsan gustui minus dulcia sunt, quã velles. Nescio quid bilem concretam remedia nisi amara non penetrãt. Ego tibi verum dicere non metuo, quoniã amare te verum noui, odisse blandicias prudenter, optime, magnifice: aconita regnum sunt, irrisio potẽtum, mors principum, arma fallẽtium. Sed enim nescimus, *quanta belua sit imperium*. Hic enim alter excusationum tuarum color fuit. Quod dictum miror cur Augusto tribueris, cum Tiberii sit, nisi forte vel rerum cura præsentium memoriam vetustatis obnubilat, vel communicato vocabulo, quemlibet Imperatorem vt Cæsarem, sic Augustũ vocas. Fecisti forsan id sciens, vt ab insigni authore dicto, quo vti decreueras, auctoritas quæreretur, non ignarus inter Augustum & Tiberium quid intersit. Ille principum sapientissimus atque optimus fuit; hic obscœnus ac ferox, & vt de se proprie dixit, *quietum lutum à sanguine maceratum*: Hoc tamen idem dicto quo tempore sit vsus nosti, vel si quid obliuionis inter tot maiores curas obreperit, apud Tranquillum leges. Eo quidem tempore hoc dixit, quo exempto iam rebus humanis Augusto successor longe impar impudentissime arreptum rebus ipsi imperium, verbis tamen ambiguis fallacique & varia dissimulatione renuebat, falsum modestiæ nomen quærens, vsque adeo vt tergiuersanti quidam in faciem elegantissime cauillatus illuderet, *cæteros homines, quod promittant sero implere: illum vero quod impleat, serius polliceri*. Sed esto, sit dictum boni principis, sit non ficto animo prolatum, ipse sit autor Augustus, quid ad rem? *Nescitis*, inquit, *quanta belua sit Imperium*. Imo scimus eximie; belua potentissima est, quia frenum doctæ manus excipiat belua ingens, eo tractabilis quid ni tractetur indomita? Aude, age, frenum manu arripe, soliumque tibi debitum conscende, si metuis, sessorem inueniet. Iulius Cæsar, cuius, vt modo dicebam, hæreditarium nomen habes, equum apud se ortum & alterius impatientem ascendit, & in deliciis habuit, tu solium non alterius sessoris impatiens, sed à tot retro principibus insessum, & tuæ sessionis auidissimum solus fugis? Verum enim vero *cuncta prius tentanda, quam ferrum*. Hæc inter excusationes tuas vltima est, vbi nescio an illud gloriosi militis apud Terentium esses oblitus: *omnia prius experiri consilio, quam armis sapientem decet*. Nihil enim aliud ad patrocinium sententiæ huius affers, nisi quod & medicos docuisse ais, & Cæsares didicisse: bene quidem multum disparia coæquasti. Nam & Cæsares ægro orbi mederi solitos accepimus, nunc & ipsi cum reliquis ægrotant. & mundus æger medico caret, & mors vniuersalis in foribus est. Dic autem mihi, Cęsar, quid ex omnibus intentatũ est: verba, preces, nunc blanditiæ, apparatus. Quid restat, nisi vt hostib. imperii (*i. e. Papæ & Reg: Siciliæ*) supplex ad genua prouoluaris? Si id auditu fœdum & indignum est, ferrum superest, vltima Veternosorum vlcerum medicina. Nam quid amplius expectas? Padus vt ad fontem redeat? Ibit ille qua solitus est, & cum amne fluent anni, quodque non nunc nouiter ex me audis, iouentam senectus excipiet, senectutem mors, nihil prorsus hinc auferes, nisi quod bene seu quod male gesseris: nihil hic dimittes tuum præter nominis memoriam & exangue corpusculum. Illud quoque non iam tuum, sed terræ parentis ac vermium, non magis Cæsaribus quam plebeiis parcentium, imo quidem auidius corpora nobiliora rodentium. Quid de aliis fiet, quæ videntur tua? Certe opes & imperium linquas alteri necesse est, & ignoras cui. Hęc humana conditio est, cui nec Cæsar nec pontifex Romanus, denique nec regum nec omnino hominum vllus eximitur. Nunc igitur nunc cura, quod semper nõ poteris, qualia scil. esse velis, quæ propria & irreuocabiliter tua sunt, animam & famam. Inter temeritatem & inertiam nescio quid eligam: sæpe temeritas fœlicior fuit: non delector extremis, medium quæro. sed heu vereor (quod pace sit dictum tua omniumque, qui imperio vlli prosunt, quique gerendarum rerum officia susceperunt) ne penitus verum sit, quod in ore semper habeo:

singula

singula vitia singulas excusationes habere, inertiam solam omnes. Si diu deliberasset Africanus, Italia deferebatur à suis & Afrorum erat. Si diu deliberasset Nasica, libertas Romana Gracchi conatibus & audaciæ succumbebat. Si Claudius Nero (non dicam superuacua multa & longa, sed vnum quod necessariũ videbatur & breue erat) senatusconsultũ expectasset, coniunctus fratri Hasdrubal Romanum proculcabat nomen. Quid inter minores hæreo? ipse, quem sępe nomino, Iulius Cæsar si procastinator fuisset, nunq̃ in tam paruo tempore hanc tantã, quæ vix omnium studio sustinetur, fundasset erexissetque rerum molem, cui imperii nomen est. Tu si cuncta deliberas & singulis immoraris, prędicam tibi, & si forte non animo tuo gratũ, ac certe fidei meæ debitum, falsus vtinam sim aruspex, nullus erit rerum finis, alii ex aliis erumpent laquei: nunq̃ te Italia, nunquam tu Italiã videbis, extra quam vbi Imperii caput quæras nescio, proinde quod scribis: *te non ambitione tractum ad imperium aspirasse, sed difficultatis haud nescium diuinæ iussioni paruisse*, credo. Nam & prudentiam & modestiam tuam noui; sed vide ne hoc tibi primum calcar & maximum esse debuerit, quo diuini certus auxilii properares. Tu quidem patrii regni finibus contentus, Imperatorii oneris & honoris sarcinam vltro aliis linquebas. Hanc infallibilis ipse rerum sator, rector & cognitor multis cupientibus ereptam humeris tuis imposuit, paruisti. Non acceptare Imperium forte magnum fuerit: de hoc tamen docti viderint: Certe sine scelere poterat non recipi; receptum negligi sine scelere non potest. Deus enim tibi (sicut ipse non dissimulas) Deus inquam, non tuus labor aut ambitio imperii auctor est. Times eo duce proficisci, quo iubente & Abraham vnicũ filium mactare, & Moyses pastor incomitatus faciem superbi & obstinati regis adire non timuit. Scio multa te vellicant, quibus compositis alia atq; alia emergerent. Credisne tu, Cæsar, in imperio sine curis vitam agere, quam pastor in tugurio non agit? Nam illa qualia sunt, quibus inniteris? nonne quot publicæ mundi clades, tot priuatim famæ tuę vulnera; quotque hinc excusationes efficere vbiuis, tot in te conficis argumenta? Cuius enim pudorem, nisi regis, prægrauant Regni mala? *Diruta est*, inquis, *Imperii libertas*. Tu pater Imperii dirutam restaurabis. Sumpta Latinis seruitus, tu illam tuorum ceruicib. excuties. Ad auaritiæ Lupanar prostituta iustitia, tu illam ad sua sacra penetralia reuocabis: pax è mentibus lapsa mortalium, tu illam in sua sede restitues. Ad hoc n. natus, huic officio destinatus es, vt Reip. deformitates aboleas, & pristinã faciem mũdo reddas. Tunc verus mihi Cæsar verusq; videberis Imperator, cũ officiũ tuum impleueris, sine quo nedum Princeps, sed ne priuatus quispiã iure laudabitur. Addis a. (stupeo auditu) *nesciam tunc secessionis Italiã*. Quando, obsecro, id fuit? Ego n. *in Annalib.* vix aut vllum tale tẽpus inuenerim, aut inueniri posse crediderim. Sileo illa vetustiora, ipsius vrbis originem & primos muros fraterna cæde madentes, & impio scelere quæsita diademata: Quotiens parta iam libertate plebs indignans secessit à patribus? testes sunt mons sacer, Ianiculum, Auentinus. Pyrrhus in Italiã traiecit, opem nempe laturus rebellantibus Tarentinis. Eodem tempore & Brutii defecerant & Lucani aliæque gentes Italicæ, quas omnes bello contundi & nolentes in fidem redigi oportuit. Secutus est Annibal, defecit Capua magnis Romanorum obstricta beneficiis, & vt ꝓprie dicam, populi Romani liberta, sed infidelis & ingrata. Imo v. quis ea tempestate non defecit? Relege historias. Decem octo Coloniæ, ꝑ omnẽ Italiã in fide manserunt, *quarum subsidio*, vt Liuii summi historici verbis vtar, *tunc imperiũ populi Rom. stetit, iisq; gratia in senatu & apud populũ acta*. Quid totiens Hernicos rebellantes, quid perpetuos hostes Volcos, Æduosq; cõmemorem? Quot cum Latinis bella ꝓpè ciuilia (vnum n. corpus imperii videbatur) quot vrbes euersæ, atq; inprimis ipsa Rom. imperii parens Alba? q; vt fieret, quid nisi defectionũ metus ac memoria hortabatur? Quotiens cũ Sabinis ancipiti acie decertatũ, cum Vmbris, cũ Samnitibus, cum Etruscis, cũ Liguribus ac Boiis & Gallis Insubribus, vbi Mediolanũ Ticinumq; vrbes sunt? Sed quid Longius feror? Tibur ac Tusculũ, & Praneste, triaque suburbia vrbis Romæ, bellorũ casus ac materiã præbuere, cũ non suis tm̃ virib. insultarent, sed externis hostibus auxiliũ ac receptacula ꝓbuissent. Ad hæc Veii vix decennio diruti, exustę Sidenæ sanctitatis admiratione, Phalerii subacti, vi capta Neapolis, cœptumq; Brundusiũ, & Conoli, & Fregellæ, & Sora, & Algidum, & Corniculũ, ac Sutricũ, & Bonillæ, & Venilæ, & Fesulæ, vnde patriæ meæ fundamẽta fluxerũt. piget fateor, maximis parua connectere. Sed vt iã præualidæ robustæque ciuitati nihil arduũ sit tenere ac vix dũ pubescenti Reip. nullus aculeus paruꝰ erat. Adde Syracusanã obsidionẽ longã atq; difficilẽ clarissimęq; vrbis interitũ, q̃ Duces quoq; hostiũ ad cõmiserationẽ lachrymasq; cõpelleret: Adde Firmium atq; Esculum, & Picenũ omne ꝑdomitum, Vescinosq; & Marsos & Pelignos; interq; tot externos tumultus intestinas domi seditiones, & Senatus insolentiã, & tribunitiam rabiem, & turbulentissimos Agrariæ legis motus, vt reliquos sileã, quos enumerare nõ sufficio. Adde postquã res ad vnius imperiũ rediit. coniurationes innumeras & totiens, licet frustra, petitum insidiis Augustum caput, vt omittam qui veneno vel gladio petiere: Adde famem Perusinam, & obsidionem Mutinensem, & defectionẽ Coloniæ Cremonensiũ, q̃ vna fuerat inter paucas fidelissima, quarum paulo ante memineram. Longum nimio historiæ iter arripui, sed subsistam. Omnis enim ætas secessionib. Italicis ac defection bus plena est, vt forti animo & veterum memori nihil possit insoliti terroris occurrere, vtque nimis proprie dictum & ex ipso naturæ gremio sumtus videatur, quod Virgilius ait:

Grauidam imperiis bellisque frementem, Italiam

Talis n. ab initio fuit, talis est hodie, talis ad extremũ erit. Illa v. q̃ valida? *paupertas remoratur*. Quid habet paupertas cõmune cũ Cæsare? aut quo modo pauper est, q alias dicat? animus pauperẽ facit, & di-

& diuitem *pauper sum*: & Iulius ante Imperium pauper fuit, post imperium non diues: *Nemo enim liberalius victoria vsus est*, vt ait Annæus Seneca, nihil sibi retinuit pręter dispẽsandi potestatem. Postremo, *pauper sum*: multos in bellum impulit paupertas, multis animos dedit, pręsertim si aduersarius diues sit. Diuitias nempe viris fortibus bellum facit. At monet paucitas meorum Comites, bellum parat, terret fama vulgatis. Quarundam minimarum rerum aliquando magnum est nomen, & sæpe fama terribilior quam cõspectus. Opinio rem non mutat, ꝙ tui nequeunt oculi, tuorum vident, non quia vegetiores, sed quia ꝓpinquiores. Multa de longinquo cernentib. metuẽda, ꝓpinquãtibus apparuere ridicula. Ecce q̃ tibi multa, Cæsar, ꝑ tribus epistolis scripsi, si forsitan ter vocatus exaudias, & vt quem non potes aliter, in his literis animũ meum cernas. Mallem posse tibi armatis legionibus obuiam ire imperata facturus: quod vnum datur, animo atq; exhortationibus occurro, neq; iam satis scio, quid vlterius loquar, neq; si hoc non sufficit, quid ex me sufficere possit intelligo. In te magnanime Cæsar, in te, inquã, esse debet ignis ille, quẽ speramus nobis & algenti iustitiæ succursurũ. Sed is forsan extinctus est. Nequicquam flamus in cinerem. Improbi viri verbum est, sed hac in parte veridici virtutem verba non addere. Excitare illam potest adhortatio, non dare. Itaq; nihil amplius dicam, nisi id, in quo totius negotii vis est, omnia consilio Cæsar deget, sed nihil inertia. Et est, vbi non multum consultasse consilium sit. Vale 9. Cal. Decemb.

III.

Increpatio ad Imperatorem, quod Italiam Imperio debitam Papæ & aliis iniustis incubatoribus relinquat, nec ab eis vendicet.

FR. PETRARCHA CAROLO IV. ROMAN. IMP. S. Italos fines & claustra nostri orbis intranti nuper animo tibi obuius & literis fui; nec multo post à te vocatus, & corpore abeuntem animo quoq; sequor & literis. Hoc interest, quod tunc lætæ literæ lætusq; animus fuit, nunc mœsta sunt omnia. Ergo tu, Cæsar, quod auus tuus innumerique alii tanto sanguine quæsierunt tantisque laboribus, sine labore adeptus & sanguine complanatam apertamque Italiam, patens limen vrbis Romæ, sceptrum facile, imperturbatum ac pacificum Imperium, incruenta diademata, vel tantorum ingratus munerum, vel rerum non idoneus æstimator & hæc linquis? &, ô naturam mutare magnus labor, ad barbarica rursum regna reuolueris? Non audeo clare tibi dicere, ꝙ mens resque exigunt, ne te verbo contristem, qui me & mundum facto contristas tuo, non quod ob inuectiuas ac satyras (merito panegyricum debeatur) aut aliam ob causam loqui verear; nisi ꝙ hoc tuo tam præcipiti digressu fugaque, verum vti fatear, simillimo te neminem arbitror tristiorem, quo magis magisque me attonitum habet, hoc consilium, cui an fortuna vnquam fautura sit nescio: certe ratio & virtus & boni omnes totumque, si loqui possit, Imperium aduersantur, mali omnes plaudunt, ac rebelles. Itamen, quando ita fixum animo est: sed hoc quoque memoriæ vt affigas velim, & valedicentis memoriale munusculum tecum feras, à nullo vnquam principum tantam spem, tam floridam, tam maturam, tamque honestam sponte desertam. Neque v. minor animus Romanum Principem decebat quam Macedonũ Regem, qui mox finibus patriæ egressus non se Macedoniæ dominum, sed terrarum omnium dici iussit, cum nõ esset. Tu Imperii Dominus Romani nil nisi Boëmiam suspiras. Quando hoc, quæso, fecisset auus tuus aut genitor, qui etsi non Imperator ipse esset, sola paterni Imperii memoria tot vrbium ius quæsiuit, sed non est hæreditarium bonum virtus, quamuis ego nec tibi imperandi scientiam deesse crediderim, nec bellandi. Fons actionum omnium voluntas est. O si in ipsis Alpium iugis [illegible] tibi nunc paterq; fiant obuii: quid dicturos putas? crede illos audias vel absentes. Profecisti eximie, ingens Cæsar, hoc tuo tot per annos dilato in Italiam aduentu, & festinato abitu refers demum istud ferreum, illud aureum diadema, simul ac sterile nomen imperii. Imperator Romanorum vocitabaris, Boëmiæ rex solius, qui vtinam vnquam esses, vt vel sic altius coacta virtus assurgeret, famesque domestica neglectum auiti patrimonii cultum suaderet. Sed iam breui impetu defessus calamus requiescat & vere, vt auguror, fatigatis auribus det quietem. Salutem mihi Lælius meus tuis verbis attulit, quæ mihi iaculum anceps & lethale vulnus fuit, simulque Cæsaream effigiem peruetusti operis, quæ si vel ipsa loqui posset, vel tu illam contemplari, ab hoc te prorsus inglorio, ne dicam infami, itinere retraxisset. Vale Cæsar, & quid linquis, & quid petis, cogita.

IV.

Increpatio ad Imperatorem, quod se tam humiliter Papa Romano prostituat.

FR. PETRARCHA NERIO SVO S. Nondũ superiori epist. signũ impresseram, dum ecce alia superueniens coëgit, vt posito annulo, depositũ calamum rursus arriperẽ, & quamuis tua hæc superiore sit longior, responso tñ breuiori contenta erit. Nã nec cui nostri querelam iterare est necesse, q̃ & tacitus loquor, & ipsa res clamat, nec quicquam prohibet, ꝙ in illa dixerã, ad hãc transferri. Neq; n. aut minor est hodie dolor meus, q̃ heri & nudius tertius fuit, neq; min⁹ efficax epistolæ tuæ hodiernæ solatiũ, quam hesternę. Accedit quod neq; de his, quæ nouissime scripsisti, ausim aperte pronunciare, ꝙ sentio, neq; tu ideo minus quid sentiam, quidve ꝓnunciem intelligis.

Sæpe silentium ad exprimendos animi conceptus, quouis sermone potentius fuit, nec minus silentio Niobe, quam latratu Hecuba, doloré animo insignitum designabat: itaque cum illa in saxum, hæc in canem versa fingatur, non minus mutum illius simulachrum, quam huius querula rabies, suam miseriam loquebatur. Illud non siluerim, agnoscere me cæsarum fatum, quod & in occasu solis, & sub austro, denique vbilibet fœlicius fuerit, quam sub arcto, ita ibi gelida omnia, nullus ardor nobilis, nullus vitalis calor Imperii. Redde nobis fortuna, si Romuleos cæsares, Parcæ vetant; at saltem ab Hispania Theodosios, Seueros ab Africa, ex Arabia Philippos, è Syria Alexandros. Heu quid nunc diceret architector ille magnus, successorem suum, cum sacerdote humili (i. e. Papa) de humilitate certare, dum meminisset superbissimum olim Galliarum Regem, dum supplex, vt ait Florus historicus, in castra venisset, phaleras & sua arma ante Cæsaris genua proiecisse, ac dixisse: *Habe hæc, virum fortem, vir fortissime, vicisti.* Multa se offerunt id genus: Nam & locuples materia & multiloqua indignatio est: sed frenabo impetum, vt qui hæc ipsa, non nisi ira cogente ac dictante profuderim. Sane de Cæsaris Legatique congressu, quod prouidentissime vaticinaris, amplector & probo, & pene rem ipsam videor videre: non quod omnia ista me moueant, contra quæ multa sæpe disserui, sed ex præteritis ventura coniicio. itaque non tangor, quod Legati sonipes in Cæsarem calcitrarit, quam quod calcitrare animos noui, & scio quod omnis potestas est consortis impatiens (cuius rei nisi antiqua sufficerent, vereor ne recens nobis exempli casus attulerit, neve iam pontifex Romanus, Principem Romanū Romæ esse vetuerit, quod & fama loquitur, & fuga Cæsaris indicio est, qui non cupidius Italiam petiit, quam reliquit, vt mihi quidem super vacuo pelli videatur, qui tam libens fugit, quem tenere si velis sine magno nequeas labore: vt enim nunc intelligo, non huc aliam ob causam venit; nisi vt Diadema Cæsareum tua in sede susciperet, tantum adhuc reuerentiæ, nō amplius, superest: ac successor Petri, Cæsaris successore securior, ista non curat, suumque ipse Diadema non pluris apud Tyberim quam apud Rhodanum facit. is ne diademate contentum & imperii titulo Roma digredi non solum patitur, sed iubet? & quem Imperatorem dici sinit, imperare a nullo sit securus modo, huic, o partes hominum miræ, penetrale diadematis templum aperit, arcem sedem que Imperii vrbem claudit! Hæc hactenus. Lælium meum, imo tuum, imo nostrum, familiarissimum Cæsari factum gaudeo, non miror, nihil. n. est virtute rapacius, nihilque tenacius: rapit, vincitque animos hominum, vinctosque semel in perpetuum vinctos tenet. Nulla mihi dubitatio vnquam fuit, qui non solum ab illo humanissimo principum, sed ab alio quolibet licet asperioris ingenii, cui tamen virtus in pretio sit, posset ille vir amorem promereri, non modo notitia meruisset. Quis enim tam agrestis est, vt Lælium non amet, & sapientiæ laude conspicuum, & in amicitiis faustum nomen, quod si sola virtutis fama efficit, vt quem nunquam vidimus, senem illum Lælium amemus, quid huius nostri virtus, ac præsentia posse debent? Itaque minus miror, quod de Legato sedis Apostolicæ idem scribis, cum quo familiaritas Lælii vetus est; illud potius miror, quod prioribus literis prætermissum his inserui, quid ita illum ad coronandum Cæsarem diu ante digressum iste præuenerit, nisi quia (vt arbitror & vt solet) illum fortuna segnem, hunc sollicitum virtus facit; Vnum non mirari cum eodem nequeo: ambo pergerent, Modanoque dimisso Tyberim peterent; vnde reuerentior adhuc Romanus Princeps, diadema supremum poscit, quod Petri successor Cæsaris successorem securior non curat. Qui fieri potuit, vt Cardinalis rutilo vertice, & purpureo fulgidus amictu, tantoque spectabilis comitatu, nostri huius lyncea lumina fugerit, aut cum hic Pisas, ille vix dum Ianuam peruenisset, ita vt illi obuiam iste redierit. Auguror sane alterum terra, mari alterum venisse. De hoc equidem & reliquo statu vestro, tuis ac suis literis certior fieri velim. Ad singula respondisse videor. Nam ad epistolæ tuæ finem de familiaribus, cuius stylo alio & seorsum loquar vt soleo. Gratias autem tibi, quod quas ipse iam obliuioni tradideram, adeo vt ne locutum tibi de his aliquid me putarem, tam memoriter tenes, vt facile pateat, rerum te mearum curiosiorem esse, quam me ipsum. Mirum & pene incredibile, nisi charitatis tuæ miraculo incuriositas mea longe lateque nota detraheret. Vale fœliciter nostri memor.

V.

Exhortatio vltima ad Imperatorem, de recuperanda Italia ab iniustis vsurpatoribus.

FRAN. PETRARCHA CAROL. IV. ROM. IMP. S. Fessus præteriti, nec futuri fidens, Cæsar, calamum tuum in exhortationibus pene attritum recusantemque seposueram. Alit inter difficultates, refouetque animum spes successus, qua sublata quis est amens adeo, vt non infructuoso labori requiem anteponat? Vt ad stylum redeam, sacer amor cogit, siue miles hic tuus huius nominis, siue ille sacer animi calor, qui mihi à parentibus relictus atque erga tuam semper, ex quo mihi primum notus es, erga verè Romani Imperii maiestatem ab infantia nutritus in præcordiis meis viuit, & indies crescit, siue, quod est verius, vterque. Nam neque meus amor tot iam clamoribus totque conatibus perditis vltro ad laborem inutilem rediisset, neque hic miles quamuis & amicus facundus & sapiens me monuisset, nisi intus in anima viuas adhuc fauillas priscæ fidei, quas admoto magnæ spei fomite leui folle suauissimæ orationis attenderet, inue-

nisset multis & magnis indiciis generosas animi tui curas, vereque Cæsareo[illegible] libenter fœlicitatis & gloriæ tuæ crudelis auribus insusurans, quibus de pr[illegible] diffidentiæ gelu nouæ spei feruore dissolueret. Eia igitur, Cæsar, duce De[illegible] tibi commisit imperium, surge, & dilatum munus honestissimum, dũ po[illegible] fœliciter. Gloriosus finis lentum principium excusabit. Omnes te alto co[illegible] tient, quòd nondum messis Hesperia plene maturuisset, in quam vtiliter falx Cæs[illegible] uis nostra fames moræ ess impatiens murmuraret, nihil intempestiuũ bene, nihil [illegible] gi, verumq; illud Augusti Cæsaris; *satis celeriter fieri, quicquid fiat satis bene.* Arripe, C[illegible]cessio-nem, dum adhuc potes. Neq; n. semper poteris. Ages, oro te, Cæsar. nondum e[illegible] nomen inuocare tuumque te decus poscere atque orare dedidici. Etsi ego quoque v[illegible] parumper inuisa mihi rerum dilatione tepuerim: ecce iterum recalesco. Noli [illegible] rum spem pulcherrimam rursus extinguere: sæpius spes oppressa vix attollitur. Si qu[illegible] tuo nubes hactenus incubuit, si quid infamiæ ex primordii obscuritate contractum [illegible] de mihi, non modo consummatione splendore purgabitur, sed, vt dixi in gloria[illegible] dum seu error ille seu consilium fuit, opinione hominum consilium & non error[illegible] Sæpe honestus finis segne principium honestauit: nunquam finis obscurior cla[illegible] lustratus est. Denique sic cœperis, vt doluimus, dum sic finias vt optamus, Fabi[illegible] men promereberis. Cunctator fueris, sed sapiens, sed salutis publicæ studiosior, qua[illegible] ris famæ vt libet se tibi prætulerit ventosa loquacitate; Minutius, dum te edoctus mox se im-parem fateatur, dicant de te hostes impii, quod de illo dixit Hannibal: *Semper credidimus nubem il-lam magno tonitru è montibus erupturam.* At si quod diuina pietas omen auferat, finis quoque lan-guidus fuerit, quis te vnquam vel præsentium vel sequentium excusare poterit? Audi me oro, Cæsar, paruum hominem, sed tui amantem, de te sollicitum, ac sperantem. Naturæ debitor non aliter es quàm ego, quam quicunque viuit è populo. Tempus fugax & non rediens; fortuna in-stabilis, vita breuis, hora mortis incerta, vnum hic remedii genus, tempori parcere, fortunæ non fidere, vitam rebus extendere, morti paratum semper corpus atque animum habere. Quod non potest, qui suum principale negotium non impleuit: vitæ finis quamuis incertus sit illud tamen est certum, quod longe esse non potest. Is cum venerit è cunctis opibus tuis atque Im-perii nil tibi supererit, nisi quantum ad æternam animæ vitam, & nominis immortalem gloriam bene viuendo quæsieris. Bene a. viuere non potest, qui ad quod vnum & summum & maxi-mum natus est, negligit. Tu quod sæpe olim dixi, ad imperium natus es amplum excelsumque opus: illud age fideliter, bene si vixisse vis videri: alioquin quid iuuat illas tuas vltimas mun-di horas composuisse magnifice. Hoc & sine imperio potuisses, & fortasse facilius. Minus fuis-set inuidiæ ac laborum tibi. aliud infinite maius restat: illud aggredere. Nec te rei terreat magni-tudo. Nihil est, quod imperii maiestas hac prouidentia atque iustitia & his viribus armata non possit. Quod si forsan negatus tibi cœlitus rerum finis, tamen glorioso in actu, quam in quiete languida mori multo melius multoque fœlicius opinor. Et hoc est, quòd diuæ memoriæ auum tuum omnibus seculis gloriosum fecit. Ecce Cæsar & nunc & sæpe olim non blanditus, sed vero stu-dens: neque verborum cultui, sed expressioni sensuum intentus dixi anxie, quod in animo meo fuit; quod ne frustra dixerim, Deum precor & te. Vale decus & gaudium & spes nostra Pa-taui, III. Idus Decembris.

VI.

De Maiestate Imperii Romani per homines Papales læsa vindicanda & dignitate Imperii in li-bertatem asserenda.

FRAN. PETRARCHA PRINCIPI ROMANO S. Quid hinc humanitatis aut cle-mentiæ, seu quid omnino iustitiæ sperare posis, excellentiæ tuæ nuntius expertus testabitur. nouum genus sæuitiæ, puerum incomitatum, incautum, innocentem, hostiliter aggredi, virgu-lam, quam si quid sani esset, & vereri & temere debuerat, capsulam quoque gratissimis ac suauis-simis literis refertam, in caput immeritum, donec vtrunque frangeretur, allidere, ipsas quoq; li-teras, quæ marmoreos animos mollire potuissent, discerptas effundere. En hospitalitas, en chari-tas, ad Durentiam captus, tortus, flagellatus, & ciuitatis ingressu prohibitus, nuntius tuus, minas cum verberibus, ac vulneribus referens, ad pedes tuos, vertice cruentato rediit. O vere *Durentia*, vt vulgus appellat, durities gentium, siue vt quidem scriptores vocant, *Ruentia*, à ruendo diceris, præceps fluuius, damnosusque, cuius accolæ nihil vndis & alueo mitiores, & ipsi tanto impetu in quodlibet scelus ruunt. O impudenter elati! O irruentes & indeuoti amnes! O non tua sor-bens & tumide in Dominum surgens Sorga. O Rhodanus rodens omnia, sic Tyberim recogno-scitis, sic Romanam dominam honoratis? O Auinio, cuius vinea (si quid consectoribus fi-dei est) botros amarissimos, & cruentam profert vindemiam, sic dominam Romanam colis, sic tui, sic illius, sic propriæ seruitutis, sic summi imperii memores! Væ tibi infœlix, si illa cœperit expergisci; imo vero si caput extulerit, & dormienti sibi illatas iniurias ac damna prospexerit.

Exper-

Expectrecta enim iam nunc est, crede mihi, non dormit, sed silet, & somnia præteriti temporis sub silentio repetit, & quid surgens actura sit cogitat. Expectato paululum, & videbis magnalia in orbe terrarum, fierique mirabere, quæ ante factum impossibilia iudicasses. An quid sis, an vbi sis, an cui subsis ignoras? An prouinciæ nomen nescis, vnde descendat? Quis nam furor hic? Quænam ista dementia? sic modico sereno tempestatum omnium surrepsit obliuio? Siccine prouinciarum dominam veneratis? Sop ... tu mortuam credidisti, ac velut morte dominæ libertati reddita, adhuc seruam te puta ... nisi libertatem ipsam flagitiis approbares, esse aliquid posse, aliquid videri cupis, nos aliquandiu te voti compotem deliberando fecimus, tempus est, vt nobis admonentibus resipiscas. Multorum nempe potentia, non propriis viribus, sed in aliena debilitate fundata est. Verum hæc aduersario conualescente corruat oportet. Tum ergo quid fueris intelliges, cum quid adhuc sit Roma, cognoueris, cuius modo nunciis sic insultas putans non esse qui vindicet in cœlo Deus, est qui vindicet in terris animus Dei quem tu nosti ... vires, quas ne suspicari quidē potes. Hã misera, sed experiere illico vt spero, tuæ nobis vim nostram iniuriæ reddidere. cum primum dolere cœperimus, magno tractu, & ad sanitatem, & robur accessimus. Tu v. res nostras misereare, vir illustris; erige surgentem patriam, & gentibus ... quid nunc etiam Roma possit ostende. De reliqua etiam Italia, cui dubium est, quin, quantum potuit, possit, nec vires, nec opes, nec animos defore, sed consensum. Qui si vnus affuerit, illud dentibus nomini Italico, tenore præsentis epistolæ, propinquam stragem, perniciemque denuncio. Tu (inquam) quem tantæ rei ducem fata constituunt, perge qua cœpisti; nihil formidaueris, nebeculæ istę sole radiante dissilient: vulpecularum astutiæ Leonis impetum non ferent: ingressus es gloriose: i fortiter, constanter ad reliqua, ostende superbiæ quantum humilitate sit inferior; auaritiæ quantum largitate pauperior; fallaciæ quam stulta sit adiecta prudentiæ, voluptati, quam turpis admota temperantiæ atque decori. Agnoscat tandem fucus hypocritis, quam nihil sit, vbi vera virtus affulserit. Eia age, rumpe moras, & ranam tumore ridiculo, molem solidi bouis imitantem protere, frange, conculca. Non loquor vt incitem, nec impulsore, nec lenitore indiges, & calcar, & frenum in potestate habes, sed dolorem animi tacitus ferre non potui. Dolor loquendo auctus querelam auxit, & vicissim sermo indignationi alimentum præbuit, & indignatio sermoni. quis enim tranquillus hæc videat, violatum ius gentium, spreta humanitatis iura, melius inter barbaros hostes fuisset nuncius tuus, quam inter eos, quos & rebaris Latinos & beneuolos mereberis. Euoluant historias, si modo quicquam præter, quibus inhiant, diuitias spectare queant; inquirant, & mihi respondeant, quæ barbaries legatos violauit vnquam? Nisi perraro, nulla præsertim causa interueniente? Tentauit hoc quondam, in legatis nostris fallax, & infida Carthaginensium plebs; sed prohibita vis est magistratuum interuentu. Hanc vim, quæso, quis prohibuit; Quis facta puniuit? Durior sum, imo vero quis arguit, vel reprehendet? Quanto tutius nuncius tuus isset in Parthiam, truncatis Crassis & legionibus nostris fusis? Quanto intactior isset in Germaniam, cæsis Theutonis & Mario triumphante, quam huc venit, te Romanam Ecclesiam filialiter venerante? Certe ne victoris insolentia, nec victi hostis dolor tantum præsumpsisset, quantum fictæ amicitiæ præsumpsit inuidia, facilius puer tuus nemorosum Pelion, & algentes Tauri colles hyeme media, quam Organis planitiem, autumnali tempore transiuisset, liberius Gangem & Tyberim, quam Durentiam transnatasset. Hæc leuandi animi gratia dixisse volui. Te v. vir magnifice, nec iniuria, nec iniuriæ illatores, nec vlla prorsus falsæ magnitudinis simulachra permoueant, non est vera magnitudo, nec verum robur posse nocere: id enim minimis atque infirmissimis animantibus datum est. magnitudo vera est posse prodesse. Verior a. velle. potuerunt nocere nocentissimi hominū innocenti puero, & boni nuncii vicem hanc referre, quid hic magni est? imo v. quid nisi nihilominus? Si enim peccatum omne nihil est, eo magis est nihil, quo peccatum maius? ita peccati magnitudo, nihil est. Hic modo magnitudine viri fortes & suis artibus vsi sunt, potuerunt quod scorpius, quod aranea potuisset, nocuerunt vni ex tuis, & quod est in hac humanitate conspectus, ... nocere voluerunt, nec tibi vt tibi, sed vt libertatis ac iustitiæ defensori. Te enim non nisi propter illas odio habent; illas a. propter se, vt quas iniusto, quo superbiunt imperio contrarias norunt. Tu si ad magnitudinem animi tui redis, horum tumidum, & inane propositum, simul oderis & contemnes ... acria quidem ista & aucta, sed parua sunt. De maioribus agitur. Hæc cum vniuersitate transibunt, & serui tui vltio latebit, sub Reipub. vindicta, Vale & perfice quod cœpisti.

VII.

Romam Italiæ coniungere an vtile.

FRAN. PETRARCHA PRINCIPI ROMANO S. Leve est quod nunc animum premit, egerendum tamen, ne neglectum stomacho obsit, plus enim quam pro quantitate bilem excitet, & paruum licet, ingentis nauseæ materiam fert. Olet nempe virus abditum profundi vetustique odii. ita mihi visum est, ita tibi visum iri certus sum, & si latius innotescat totius Pop. Rom. atq; omnium Italorum animis, incussurum iustissimæ indignationis aculeos, spero, excussurumque grauedinem corporis, quo nunc priscæ generosæ indolis vigor repet, cui vi vel sponte totus olim orbis cessit, nunc (pudor) vltimi hominum insultant, non inutile opus Reip. si successerit vt opto; breuis scintilla, magnum mouit incendium, verbum vnum multarum & magnarum rerum fuit indicium. Sed iam res ipsa tractanda est, nec tam magis exaggeranda sermonibus, quam indignatione legentium. Nuper equidem inter quosdam, ex his qui sibi videntur sapientes, aliis forte non ita, dubitatum & in quæstionis formam propositum fuit: Expediret ne terrarum orbi, vrbem Romam & Italiam esse vnanimes atque pacificas. Et quamuis rerum illa dubitatio, satis puerilis & inepta sit, tamen disputandi studio vtrunque poterat excusari, nisi multis argumentis vltro citroque iactatis, is qui omnium sapientissimus habebatur, cũ plausu & fauore omnium nullatenus expedire, venenata diffinitione firmasset. Quod tu, quæso, vir eloquentissime, cum primum vt soles, in publico perorabis, populo Romano meis verbis indica, vt intelligat, quæ sunt horum procerum, de nostra salute, per quas, etsi nihil nocent, animos tamen suos ventosa loquacitate detegunt, dum quod de nobis cupiunt, tam vehementer cupiunt, vt dissimulare non possint, & votum iniquissimum ac hostile propositum suum in rationis locum tranferre contendunt cæcitate turpissima. Sed ipsi quidem in erroribus suis morientur; Nos in manibus Dei sumus, fortunam non quam ipsi volunt, sed quam ille nobis præparauerit habituri. Non tamen his deliramentis interfui, contristassem fortasse aliquos. neque enim aut honestum, aut mihi possibile, in tam impia loquacitate silentium fuisset. Cæterum vt res ad me perlata est, indignatus grauiter & tunc inter nostros contrarium diffiniui, & nunc, & apud te libertatis nostræ principem quantuluncunque auctoritate diffinio. Teque ante alios & Romanum populum atque vniuersam Italiam, vt quod ego verbis assero, rebus approberis, per omnes cœlicolas supplex oro, & vt in statu prospero diu viuas, & Remp. fortiter liberatam, fœliciter regas, opto.

VIII.

An Romanum Imperium adhuc Romæ sit.

FRAN. PETRARCHA Populo Romano S. Apud te quidem Inuictissime, domitorque terrarum popule meus, apud te clam paucis, res magna tractanda est. aduertite animos, quæso, obtestorque vos, viri clarissimi, vestra res agitur. Magna (inquam) nec solum magna, sed maxima, & cui in terris nulla par esse potest, neue forsitan sciendi auidos, expectatione conficiam, aut rem suapte natura permaximam, nitar verbis augere, præfationibus omissis, ad ipsam rem venio. Tribunus olim vester, nunc captiuus alienus, ò triste spectaculum, ceu fur nocturnus aut patriæ proditor, ex vinculis causam dicit, & quæ nulli vnquam sacrilego prærepta est, apud iudices orbis terrarum, & iustitiæ magistros iustæ sibi defensionis facultas eripitur. Est ille forte non indignus hæc perpeti, qui in suo ingenio, suisque, vt ita dixerim, manibus plantatam, & iam radicatam, florentemque Remp. in ipso gloriosissimi successus flore destituit: At minime digna est Roma, cuius olim ciues lege inuiolabiles, & supplicio exempti, nunc non modo sine sceleris infamia, sed multa quoque cum laude virtutis, passim sæuo quorumlibet arbitrio violentur. Ne enim causam ignoretis, viri illustres, qua olim caput & Rector, nunc ciuis dicam, an exul vester opprimitur, rem nescio, an nobis incognitam, sed certe mirabilem, & indignã audietis. Non ille quidem neglectæ, sed defensæ libertatis arguitur: nec deserti, sed occupati Capitolii reus est. Illud sibi summum, & crucibus expiandum scelus, obiicitur, quod affirmare præsumpserit, Romanum Imperium nunc etiam Romæ, & penes P.R. esse. O impia secula! O truculentam inuidiam! O maleuolentiam inauditam! Tu v. nunc infallibilis & incorrupte rerum arbiter Christe quid agis? Vbi sunt oculi tui, quibus humanarum miseriarum nebulas serenare solitus es? Cur illos auertis? Cur non ancipiti fulmine causam dirimis sceleratam? Et si non meremur, aspice in nos, & miserere nostri, respice inimicos nostros, nec minus tuos, quoniam multiplicati sunt, & odio in quo oderunt nos, nec minus te. Discerne, quæsumus inter partes, omni ex parte dissimiles. Denique de vultu tuo iudicium nostrum prodeat, oculi tui videant æquitatem. Certe si iugo Romano quod omnium iustissimum atque suauissimum fuit, aliqua gens, imo v. gens omnis, vt cernimus, voluit colla subducere, nihil est quod indignemur aut miremur. Est enim animis mortalium, libertatis insitus appetitus, sæpe enim inconsultus ac præceps, & sæpe dum parere melioribus pudor vetat, qui bene subessent, male præsident: sic omnia miscen-

tur,

tur, atque turbantur, vnde nonnunquam in loco digni imperii seruitium indignum, & in loco iusti seruitii iniustum imperium videmus. Quod nisi ita esset, meliori loco essent res humanæ, & adhuc incolumi capite, mundus integrior. Id si mihi non creditur experientiæ credatur, quando vnquã tanta pax, tãta tranquillitas, tanta iustitia, tanta virtutis honor, tanta bonis præmia, tanta malis supplicia, tam bene consultum rebus, quam postquam vnum caput orbis habuit, caputque ipsum Roma fuit? Quo potissimum tempore, amator pacis atque iustitiæ nasci Deus ex virgine, terrasque visitare dignatus est. Singula quidem singulis corporibus data sunt capita & orbis vniuersus, cui à poeta magni corporis nomen ascribitur vno temporali capite, debet esse contentus. Monstruosum est enim omne animal biceps; quanto magis horrendum, & immane prodigium est, animal mille capitum diuersorum, seseque mordentium, inuicemque pugnantium? Quod si capita plura sint, vnum tamen, quod cuncta compescat, atque omnibus præsit, esse debere non ambiguitur, vt totius corporis pax inconcussa permaneat. Certe ꝙ experimentis innumeris, & doctissimorum hominum auctoritate deprehensum est, & in cœlo, & in terra, optima semper fuit vnitas Principatus. Id sane supremum caput, velle se Deus omnipotens, non aliud esse, quam Romam, multiplicibus declarauit indiciis, quam belli, pacisque gloria quam mirabilem sine exemplo virtutis, tanta præeminentia dignam fecit: quæ quamuis ita sint, adhuc tamen si humani more animi, malo suo cotidie gaudentis, aliqua gens, vt dixi, damnosam & ambiguam libertatem, quam tuum & salutare publice matris imperium mallet amplecti, possetque insolentiæ, vel inscitiæ venia deberi: illud vero, quis inoffensis auribus accipiat, inter homines doctos quæri, An Romanum imperium Romæ sit? Ergo apud Parthos, Persasque & Medos, Parthorum, Persarumque & Medorum regna consistent; Romanum imperium vagum erit? Quis hanc indignitatem stomachus ferat? Quis non potius euomat, penitusque reiiciat? Si imperium Romanum Romæ non est, vbi quæso est? Nempe si alibi est, iam Romanorum imperium non est, sed eorum, penes quos illud volubilis fortuna deposuit. Etsi enim sæpe Romani Imperatores, pro necessitate Reipub. in orientis, aut occidentis extremo, sæpe sub Borea, vel austro cum exercitibus agerent: Romanum tamen interim imperium Romæ erat, & de Romanis Imperatoribus, quo vel præmio, vel supplicio digni essent, Roma censebat. De Capitolio petebatur quis honorandus, quis plectendus, quis vrbem priuatus, quis ouans, quis triumphans introiret, si inquirant post Iul. Cæsaris seu tyrannidem, seu dicere malumus Monarchiam, Romanos principes, quanquam iam Deorum concilio ascripti, adhuc tamen à S. P. Q. R. gerendarum rerum licentiam postulasse compertum est, & data, vel denegata licentia, egisse quem destinauerant, vel cessasse, Imperatores igitur vagi esse possunt, stabile fixumque semper imperium est, nec de temporali statu, sed de perpetuitate imperii dixisse credendus est Maro, vbi ait;

Dum domus Aenea Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

Neque enim hæc dicens, centum aut mille annorum, sed immortalem illis duobus gloriam spondebat. Neue quisquam verba hæc blanditias vocet, quæ profecto, nec lingua mea, nec vestris auribus dignæ sunt, digressione opus est. Scio ego, de hac re Virgilium quodam loco ab Augustino reprehensum, non iniuste, sed ibidem mox iustissime excusatum, cum Poeta loquentem de vobis Iouem faceret, sic ait:

Romulus excipiet gentem & Mauortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.

& origini perpetuitatem adiicens, inquit:

His ego nec metas rerum nec tempora pono.
Imperium sine fine dedi.

Hoc non immerito quidem notat Augustinus. Quomodo enim imperium sine fine dabit, qui nihil vnquam dedit aut dare potuit, nisi quod homo sceleratus, & mortalis potest, falsa diuinitatis opinione, non ornatus sed oneratus, & oppressus? prætereo autem hæc, quisquis imperium Romanum dedit (quod non dedisse certum est, nisi omnipotentem Deum, cuius in cœlo & in terra imperium vnum est, vnde imperia cuncta descendunt) vbi tamen hoc imperium sit quærit Augustinus: *in terra, an in cœlo*? *Et vtique* (inquit) *in terra est, & si esset in cœlo, cœlum & terra transient, quæ ipse fecit Deus, quanto citius, quæ condidit Romulus*? Hæc Augustinus in Virgilium. Et certe perspicuum est regna omnia, quicquid vsquam clarum, aut magnificum oculis nostris apparet, & si ante non ruerunt, tunc saltem ruitura esse dum cœlum & terra mouebuntur: Illa concutiente qui creauit, quique nouum cœlum nouamque terram faciet, non mentiturus vt Iupiter, cum ipse sit veritas. Eius est illud regnum, Principio carens & fine cariturum, de quo scriptum est: *Et regni eius non erit finis*, quod licet forte Virgilius ignoraret, cui Deus ingenium excellens, eloquiumque præstiterat, verum hæc à sapientibus abscondita & paruulis reuelanda negauerat; illud certe non ignorabat, peritura esse omnia regna, quæ initium habuissent. Ingenti igitur cautela vsus est. siquidem vbi immortalitatem Romano

polli-

pollicebatur imperio, non ipse loquebatur ex persona propria, sed Iouem loquentem inducebat, vt mendacis Dei mendax oraculum esset & falsa promissio. Ipse n. ad gratiam P.R. alieno mendacio vtebatur, at alibi, quando ex persona sua loqui voluit, veritatem ipsam idem Poeta non tacuit.

At enim res Romanæ, perituraque regna.

Quis non clare videat, inter imperium sine fine, perituraque regna, quid intersit? sed hic Virgilius, ibi Iupiter loquebatur, hic somno ingeniosus, ibi falsus Deus. aliis quidem verbis, sed hac plane sententia Virgilium accusat & excusat Augustinus, secundum quam intelligo quæ dixi, & quæ dicam. Certe Romanus erat ille qui scripsit: *Omnia orta occidunt, & aucta senescunt.* Senescent ergo hæc omnia, si durent, & si cuiusque rei finis est senectus sua, vtique omnia senescent, nisi iam forte senuerint, quando & quæ stant, cuncta occident, & occasum si non præuenerit, saltem comitabitur senectus. Ita nulla est exceptio, seu durent, seu non durent, orta omnia, aut serius, aut ocius tandem occident, & senescent. Voluet motu continuo totam suam instabilis fortuna, & de gente in gentem volubilia regna versabit. Faciet illa cum volet reges ex seruis, seruos ex regibus, & in vrbem Romam, & in orbem Romanum, suam ineluctabilem potentiam exercebit. Quam præcipue in vos, viri optimi, multis forte miserantibus, nullo penitus succurrente, diu miserabilibus modis exercuit & exercet. Scio, doleoque, & plus quam credi posit indignor, quid amplius faciam non habeo. Nec me angit, quod fortuna iure suo vtitur, vt in reliquis, sic in vobis, atque vt se rerum humanarum plane dominam probet, ipsum rerum caput attingere non veretur. Scio violentiam, instabiles mores noui; quarundam v. indomitarum gentium inanem iactantiam ægre fero, quarum nunc Romano trita iugo colla lasciuiunt, ita pudor & fœlix fabula, iam (vt cæterea multa & grauia sileam) in quæstionem venit: An Romanum Imperium Romæ sit. Enimuero vbi nunc horrida sylua est, poterunt regia tecta consurgere, atque vbi nunc atria sunt, auro rutilante fulgentia poterunt cupidi greges pasci, & penetralibus regum, vagus pastor insistere. Non detracto fortunæ Imperium, potest illa funditus, vt vrbes alias, sic reginam vrbium pari nisu, ruina maiore prosternere, quod heu magna ex parte iam fecit. Illud profecto nunquam potuit efficere, vt Romanum Imperium alibi sit quam Romæ, simul enim vt alibi esse cœperit, desinet esse Romanum. Hæc se mirabilis ciuis vester affirmasse & affirmare non negat; & hoc est illud graue crimen, vnde in discrimen capitis adducitur. addit autem se multorum consilio sapientum dixisse: nec puto mentitur, & defensionis copiam, aduocatumque sibi dari flagitat. Negatur, & nisi diuina misericordia, vesterque fauor occurrerit, actum est, innocens, indefensusque damnabitur. Hominum pars magna compatitur, nemo fere est, qui non misereatur præter eos, quibus proprium erat misereri, & parcere erroribus, non inuidere virtutibus. Iurisconsulti insignes hic etiam non desunt, qui iure ciuili asserant, hanc ipsam sententiam probati clarissima ratione. Nec desunt qui ex historiis se multa & valida probaturos dicant ad eiusdem sententiæ firmitatem, modo liberam vocem liceat emittere. Nunc tamen nemo est, qui mutare audeat, præter quam in angulis, in tenebris, in timore. Ego ipse qui vobis hæc scribo, & forte pro veritate non recusem mori, si mea mors collatura aliquid Reip. videatur, nunc taceo, neque his ipsis ad vos scriptis meum nomen adiicio, stylum ipsum sufficere arbitratus; hoc adiecto, ciuem Romanum esse, qui loquitur. quod si tuto in loco, apud æquum iudicem, & non ad tribunal hostium res agatur, spero veritatem animum illustrante, & linguam, seu calamum dirigente Deo posse aliquid dicere, quo luce clarius appareat, Imperium Romanum, quanquam fortunæ iniuria attritum, oppressumque, diu & quanquam varie ab Hispanis, Afris, Gallis, Theutonis occupatum, adhuc tamen quantumcunque est, Romæ esse non alibi, idemque mansurum, etsi nihil prorsus ex tanta vrbe, præter nudum saxum Capitolii superesset. quin etiam tunc, quando nondum externis manibus agebamur, tantumque Romani Cæsares imperitabant, non penes eos, sed penes Capitolii arcem, ac populum Romanum, omne ius imperii fuisse, si verum est, quod malæ fidei possessor vllo tempore non præscribat. In hoc a. rerum statu, dum dies trahitur, quid forte desuper datum est, vt quod modo nec sperare quidem auderetis, tanta res in lucem veniat. Vnum quod ad vestram, & Romani nominis dignitatem spectare visum est, dissimulare non potui, cogente me ad calamum fide illa, qua vos vrbemque vestram, inter omnes singulari quodã amore ac veneratione complector. Claritatem igitur vestram hortor, atq; obsecro, ne ciuẽ vestrum in extremis positum deseratis, sed vestrum esse monstretis, solennibus eum nunciis reposcentes. etsi n. vobis Imperii titulum nitantur eripere, nondum tamen eo vesaniæ sunt euecti, vt negare audeant, eos in vestros ciues ius habere. Certe si quid homo iste peccauit, nec dubitari potest de commissis Romæ peccatis, vestrum est iudicium, nisi vobis fundatoribus legum atque cultoribus & qui iura gentibus tradidistis, eripitur ius commune. Vbi enim iustius delicta castiges, quam vbi commissa sunt? Vbi scilicet & locus ipse memoriam criminis renouans, sceleratis pars nõ parua supplicii & scelerũ spectatores, pene spectaculũ, aut soletur, aut terreat. Quod si forte tribunus vester, quoniam multi, quin potius boni omnes ita sentiunt, non supplicio, sed præmio dignus est, vbinam melius quod meretur accipiet, quam vbi fecit propter quod talia meretur? Nusquam dignius præmium, viri fortis exoluitur quam vbi fortiter gessit, vt qui actum viderint, ad imitandum præmio accendantur. Fidenter itaque reposcite ciuem vestrum: nihil nouum, nihil iniustum poscitis, potiusq; delinquitis, si tacetis. Quod si communis iure patriæ vbi nunc

nunc captus est, puniendus asseritur, quanto verius communis patria Roma est, vbi ille natus educatusque est, vbi quicquid idem, vnde accusatur, admisit, qui contra nihil hic vel laude, vel vituperio dignum fecit, si vero contra morem maiorum, cum fortuna ceciderunt animi, adeoque degeneratum est, vt iustitiam poscere temeritas videatur, his, quorum patribus nihil difficile olim visum est, at saltem quod ab omni, quæ legibus viuat, barbarie posci potest: poscite, vt ciui vestro audientia publica, & defensionis legitimæ non negetur copia, neue qui in luce fecit omnia, imo qui quantum per hominem fieri poterat, lucem mundo reddidit, in tenebris condemnetur. Ostendite vos denique causam ac fortunam non negligere ciuis vestri, resistite iniuriæ, prohibete nephas, protegite innocentem reum, vel nocentem iudicate, aut saltem, ne pro cuiusque libidine iudicetur occurrite. Ferte quam potestis & quam debetis opem Tribuno, vel si id nomen euanuit, ciui vestro, multa de Republica bene merito; aut illud inprimis, quod quæstionem magnam atque vtilem mundo, multis sopitam, ac sepultam seculis, suscitauit, quæ vna ad reformationem status publici, atque ad aurei seculi initium, via est: succurrite illi viro, neque contempseritis salutem eius, qui pro vestra salute, sese mille periculis, ac sempiternæ obiecit inuidiæ, illius propositum atque animum cogitate, & memineritis, quo in statu res vestræ fuerant, & quam repente vnius viri consilio atque opere, quantum in spem non Roma tantum, sed Italia omnis erecta est, quantum subito nomen Italicum, quo renouata ac detersa Romana gloria, quantus hostium metus ac dolor, quantum gaudium amicorum, quanta populorum expectatio, quam immutatus rerum tenor, quam facies orbis alia, quam diuersus habitus animorum, quam nihil sibi simile, & ex omnibus quæ sub cœlo sunt, tam mira & tam repentina mutatio rerum fuit. Septem enim mensium non amplius spatio, frena Reipublicæ tenuit, vt vix ab origine mundi maius aliquid attentatum rear, & si successisset vt cœperat, diuinum potius quam humanum opus esse videretur. Et profecto, quicquid ab homine bene agitur, diuinum opus est. Huic ergo, quem vestræ gloriæ, non ambitioni propriæ desudasse notum est, fauor haud dubius debetur, de euentu fortuna culpanda est, si quis autem torpor feruenti principio interuenit, humanæ varietati atque imbecillitati veniam date, & dum licet vindicate ciuem vestrum ab iniuria, qui Græcos à Macedonum, Siculos à Carthaginensium, Campanos à Samnitium, Tuscos à Gallorum iniuriis, non sine graui vestro periculo vindicastis. Extenuatæ sunt fateor opes vestræ; at nunquam plus animorum patribus vestris fuit, quam dum Romana paupertas, diues virtutum viguit.

Imminuta vestra potentia est, non ignoro, sed mihi credite, si qua pristini sanguinis gutta superest, non parua vobis est maiestas, neque mediocris auctoritas. Audete aliquid, adiuro vos per memoriam rerum Romanarum, per maiorum cineres ac gloriam, per nomen imperii, per misericordiam Iesu Christi, qui diligi proximum & succurri iubet afflictis. Audete, oro, aliquid, præsertim cuius & honesta petitio, & inhonestum & turpe, silentium est, etsi non propter illius salutem, at propter vestrum decus. Audete aliquid, si vultis esse aliquid, nil minus Romanum est, quam timor, prædico autem vobis, quoniam si timetis, si vos ipsos contemnetis, multi vos quoque contemnent, metuet nullus: sin spem nolle cœperitis, longe lateque metuemini; quod cum sæpe olim, tum nuper apparuit, illo Rempublicam gubernante, de quo loquor. Aperite tantum vnanimiter ora vestra, sentiat mundus vnam esse vocem P. Rom. nemo vsquam illam irridebit. Reposcite modo captiuum hunc, vel iustitiam poscite; alterum non negabitur. Et qui parua quondam legatione, Regem Ægyptium, sub obsidione Syriaca liberastis, nunc ciuem vestrum, ab indignis carceribus liberate, & valete.

IX.

De statu occiduæ Babylonis, quæ est Roma.

FRANCISC. PETRARCHA Amico suo. Si quid animus meus fert, de huius occiduæ Babyloniæ statu, cuius fato seu verius peccato meo, inuitus totiens ciuis fio, velim stylo committere, vereor, pater, ne & dolorem meum lamentis exaggerem, & sanctissimas curas tuas, occupationesque pulcherrimas, intempestiuis & inutilibus querimoniis interpellem. In summa scito, non modo hunc, sed ne Ciceronianum quidem calamum rebus parem. Quicquid de Assyria, vel Ægyptia Babylone, quicquid de quatuor Labyrinthis, quicquid denique de Auerni limine, deque Tartareis syluis, sulphureisque paludibus legisti, huic tartaro admotum, fabulosa est. Hic turrificus simul atque terrificus Nemroth, hic pharetrata Semiramis, hic inexorabilis Minos, hic Rhadamantus, hic Cerberus vniuersa consumens, hic tauro supposita Pasiphaë, mixtumque genus (quod Ma-[illegible]t) prolesque biformis Minotaurus inest, Veneris monimenta nefandæ, hic postremo quicquid confusum, quicquid atrum, quicquid horribile vsquam est, aut fingitur aspicias, ô semper virtutibus tuis fœlix, nunc etiam absentia fœlicior tua. Putasne ciuitatem hanc esse quam vidisti? Longe alia est, longeque dissimilis, fuit illa etenim omnium pessima, eaque tempestate fœdissima: hæc vero non iam ciuitas, sed laruarum, & lemurum domus est, & vt breuiter dicam, scelerum ac dedecorum omnium sentina, atque ille viuentium infernus, tanto ante Dauidico ore notatus, quam fundatus, aut cognitus. Ah quotiens redit ad memoriam illa tua penitus paterna vox & salutaris admonitio, dum digressum paranti diceres; Quo abis? quid moliris? quæ te tui immemorem

rem trahit ambitio? nescis quid petis? quid relinquis? an sciens ad indignum te laborem vadis? vide, quæso, acriter quid agas? quo properes? si bene mihi notus es, pœnitebit te professionis tuæ, curiæ laqueos expertus totiens, an ignoras, in quos vbi semel incideris, absolui non poteris cum voles. Hæc & his similia te suadente, quid responderem aliud non erat, nisi me charitate victum amicorum notas ad miserias reuerti dicebam, hæc nec mentiebar, necdum me charitatis illius pœnitet; sed an libertatem meam, amicorum commodis habuisse pœniteat incertus sum. Certe nunc tibi male crediti, & sero probati consilii tui magnas gratias habeo, cui hactenus non impune fuit non parere: sed parebo melius, si vnquam hinc emersero, quod Christo dextram porrigente non despero, & in quod summis iam nisibus accingor. Hæc tibi, pater, ne ante scriberem pudor inhibuit, turpe enim & indecorum viro est, velle quod mox nolit.

X.

De tertia Babylone, & quinto Labyrintho, id est, Auinione in Gallia, vbi sedes Papalis.

FRANCISC. PETRARCHA Amico S. Subscriptiones epistolarum mearum miraris, nec immerito; non nisi geminam enim Babylonem cum legeris, alteram apud Assyrios olim, vbi clarum Semiramis nomen habet, alteram apud Ægyptios nostra ætate florentem, quæ Cambysem habet auctorem, cuius nunc Babylonis inauditum tibi nomen ingeritur tecum voluis, nō quod nescias, quosdam ex nostris Romam, quasi alteram Babylonem propter proportionem imperiorum, & climatum statuisse, quam quia me almam, sanctam & reginam vrbem vocitare solitum tenes, huius nouissimæ Babylonis, tibi nunc etiam stupor manet. Desine iam mirari: & sua Babylon huic terrarum tractui est, vbi enim quæso dignius, quam in occidentali plaga ciuitas confusionis existeret? A quibus quidem condita incertum, sed à quibus habitata notissimum; certe ab his, à quibus iure optimo nomen hoc possidet. Et si vis, hic mihi crede, Nemroth potens in terra, & robustus venator, contra Dominum, ac superbis curribus cœlum petens, hic pharetrata Semiramis, hic Orientali quoque vesanior Cambyses & ipse Regum primo ceruicibus actus, postremo defectus cupidis, & pastus cæde suorum, ab insonti principio, redactus ad miserrimam egestatem. Non ergo te ad poëtas, neque enim Pierium opus est; non te ad Historicos mittam; consule catholicos tractatores, sed præcipue Augustinum super eo Psalmo qui sic incipit, *Vt epistolarum ad te mearum aliqua quæ desunt*, inuenies, quid sibi *Babylonicum* nomen velit, quod cum legeris, dices non minus Rhodano, quam Euphrati debitum, quam Nilo, neque vero mideraberis, si in mentem redit, Ambrosium *in eo libro, quo indignum Valentiniani iunioris interitum deflet*, hoc vsum esse cognomine, dum de Rhodano loqueretur, atque vt hac admiratione succisa, à radice aliam conuellam, de quinque Labyrinthis potes etiam mirari. Cum apud cæteros Scriptores, non nisi de quatuor mentionem inueneris, vt puto, in quibus cum famam habeant Æggyptius, Lemnius, Creticus & in Italia Clusius, Labyrinthum Rhodani tacuerūt, omnium inextricabilissimum ac pessimū: siue quia nondum erat, siue quia nondum noscebatur. Huius apud me mentio crebra est, quam iuste autem, qui noscere cupit, huc properet: non hic carcer horrendus, non tenebrosæ domus error, non fatalis vrna humani generis fata permiscens: denique non imperiosus Minos, non Minotaurus vorax, non damnatæ Veneris monimenta defuerint: sed remedia, sed amor, sed charitas, sed promissorum fides, sed amica consilia, sed fila perplexum iter tacita ope signantia, sed Ariadna, sed Dædalus, vna salutis spes in auro est, auro placatur rex ferus, auro immane monstrum vincitur, auro salutare lorum texitur, auro durum limen ostenditur, auro vectes, & saxa franguntur, auro tristis ianitor mollitur, aurum cœlum panditur, quid multa? auro Christus venditur.

IX.

Ecclesia Catholica oppressionem per Papam luget.

FRANCISC. PETRARCHA Amico S. Vt vides, eunt res, imo vero non eunt, sed retrahuntur: nihil est præsidii in virtute: Iustitia periit, libertas abiit, æquitas victa est, libido regnat, sæuit auaritia, feruet inuidia, omne genus hominum suos patitur tyrannos. Ad laudes ore & animo canendas Deo geniti, totam vitam in contentionibus & æmulationibus agimus, insignis illa Iesu Christi aula; illa olim arx diuini cultus eximia, nunc tandem peccatis nostris id agentibus cœlesti auxilio destituta, immanium spelunca latronum facta est, ex vno quidem fonte descendit origo mali, accedunt fontes alii minores, ex quibus ingens omnimodæ miseriæ flumen exæstuat? Quod necesse est propediè pereamus, supremisq; malorum obruamur fluctib. ac nisi humanę perfidiæ diuina pietas occurrit, triste naufragium patiatur ecclesia. Quam vero diuersi mores, quam aduersa ædificantiū, & euertentiū mens? prouideat domui suæ Deus omnipotēs, ego n. nihil habeo, quod tam multis contra nitentibus præstare possim, præter cōmiserationem matri debitam, & mihi

placi-

placitam, vt vides fugam, quam oculos meos tam mœsto liberem spectaculo. Video quidem eminus, sed prohibere non valeo; cominus videre renuo, artificium hoc obscœnũ & infame, quo ecclesiasticus ille Dionysius, nostras vexat ac spoliat Syracusas. Video qua arte virum mentita Semiramis, frontem tegit, ingenioque oculos perstringit astantium, & incestis polluta complexibus, viros calcat. Video quibus artibus, noster hic Pericles se tuetur, vt quæ reddi nequit, non cogatur reddere rationem, & hic suum habet Alcibiadem, & nemo velocius iniquis consiliis acquiescit. Turbat igitur omnia, miscetque de industria, quam putas ob causam, nisi vt circulatorum more, vel perplexo loco, vel confuso vulnere licentius fallat, & fraus propria sub vmbraculo turbatæ Reipublicæ delitescat? Et ille quidem pro qualitate propositi, artibus vtitur non nouis. Nam & in fruticoso gaudet auceps, piscator in turbido, fur in tenebris: nobis autem pro inertia nostra, quid possim optare miserius, quam vt nostri similes semper simus, coram adultero vigili nare stertentes ad calicem. Nescio fateor, an illius impudentia, an patientia nostra sit turpior.

XII.

De Gallia Pontificiæ sedis residentia vitanda.

FRANCISC. PETRARCHA Amico S. Diu distuli expectans & materiam, & nuncium: vtrumque simul affuit, quamuis vt es tu semper honestorum actuum prælargus, ego etsi ingenii inops scripturæ vtique non auarus, horum alterum deesse non possit. Adest ecce nuncius, vltra quam optaui idoneus, nihil tibi deuotius, nil mihi familiarius; adest scribendi materia, peregrinationis tuæ rumor longe difficilis & inamœnæ, qui mihi iam pridem calamum suggerebat, nisi quia incertus eram, vbinam terrarum esses inueniendus, neque enim aut ipse mihi persuadebam, longas te moras apud inferos exacturum sponte tua; aut omnino suspicari poteram, te illuc aliter quam coactum cuiuspiam magnæ necessitatis imperio perrexisse. Itaque tuum tacitus excusabam iter, quod illa iussisset, quæ adamantinum sæpe Regum Pontificumque ceruicibus iugum imponit. Nunc quia incolumem te reuersum gaudeo, familiaritate illa, quam mihi peperit tua dignatio, fides mea, libet ex te quærere, quid viro optimo cum pessimis locis, quid tibi cum Babylone? Fortissimos Romanorum legimus vitare solitos Campaniæ Baias, apricum licet & salubrem locum, vbi vt exiguum honestatis, sic saltem voluptatis & lætitiæ multum erat, adeo rebus omnibus neglectis, vni studio virtutis intenti erant. Si hoc ita est, quis non Rhodanum vitet? quis oro, non fugiat Babylonem, & vitiorum simul omnium, & laboris ac totius miseriæ mœstam domum? De quo quidem aliquid nosse debes, visa loquor, non audita, fato meo pessimo, in eas terras puer euectus, cui vsque ad hanc ætatem, indignari equidem, sed fortunæ compedibus, nescio quibus victo, magnæ illic partes ætatis in gemitibus abierunt. Noui expertus, vt nulla ibi pietas, nulla caritas, nulla fides, nulla Dei reuerentia, nullus timor, nulli sancti, nulli iusti, nulli æqui, nihil pensi, nihil denique vel humani. Amor, pudor, decor, candor inde exulant. De veritate quidem sileo, nam quis vsquam vero locus, vbi omnia mendaciis plena sunt, aer, terra, domus, turres, vici, atria, plateæ, porticus, vestibula, aulæ, thalami, tectorum laquearia, murorum rimulæ, diuersoria ædium, penetralia templorum, iudicum subsellia, Pontificum sedes, ad postremum ora hominum, nutus, gestus, voces, frontes, animi? Quid ais? An mentior, an vero de mendaciis verum loquor? si illic fuisti, & nullo tuo maiore negotio distractus, & in nephariam illam scelerum cœnam, acumen ingenii, atque oculos intendisti, alium iudicem non optabo, quam scilicet omnia ibi virtute, veroque sint vacua, plena criminibus, plena fallaciis, plena fucis, plena blanditiis, plena pessimis artibus, ambitionis, auaritiæ, superbiæ, liuoris. Vidisti ficte & inaniter fieri omnia, non tantum hominibus sed Deo; notasti subdolos risus, corda flebilia, serena supercilia, nubilas mentes, molles manus, actus asperrimos, angelicas voces, dæmoniacas intentiones, suaues cantus, ferrea pectora, & verba prædulcia pulmone amaro, & sicco ore cadentia, summisque labiis vix expressa, in quibus plane Dauidicum illud impletur: *Molliti enim sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula.* Neque vero impunitum modo apud eos, sed gloriosum etiam est, mentiri, ceu maioris sit ingenii qui fefellit, maioris status, quem increpare audeat nemo. Nolo hunc articulum scrupulosius exequi, ne forsan vrgente materia, stylus eat quo non expedit. Res est insuper mundo nota, neque probationis omnino, neque sermonis egens. Vnum & breue, & ad reliqua perdiscenda satis efficax miseram, cui ego ipse qui loquor interfui. Duo simul è conscriptis Patribus, in quibus orbis terræ, & ostium domus Dei, velut in cardine voluitur, à palatio Pontificis Maximi densa stipati famulorum acie, descendebant, turba ingens expectantium, quibus ante omnes illa infœlix & Deo odiosa ciuitas plena est, de more surdũ illud, & prædurum limen obsederant, qui ducibus suis visis, in quibus spem habebant, circumstrepere cœperunt, & pro se quisque anxie percontari, quæ fortuna, quisve suarum rerum apud Pontificem status esset. Tunc vnus patrum, nihil motus in re subita, vt qui iam pridem talibus assueuisset, nihil adhuc verecundia tactus aut misericordia miserorum, inter spes vanissimas animam, vitam, fortunasque suas, & tempus omne perdentium, insignis mendaciorum opifex, multa mentiri orsus & fingere, quid cuique spei reliquum, quid ad huius aut illius postulata pontifex respondisset, singula constanti impudentia, & in nullo hæsitans prosecutus est. Quibus auditis creduli omnes, & hic quidem, vt sit lætior, ille subtristis in diuersum abeunt. Alter autem patrum & naturæ nobilioris, & verecun-

dioris animi, & qui nisi ex illo esset ordine, vir bonus esse potuisset in collegam vocans; Nihil me te (inquit) pudet his simplicibus viris illudere, & pro arbitrio fingere responsa Pontificis; quem vt scis non modo hodie, sed multis iam diebus proximis videre nequimus? Ad hoc ille reuerendus pater & egregius veterator, vt erat fronte meretricia & attrita subridens. Imo vero te (inquit) pudeat, tam ingenio tardum fore, vt curiæ artes addiscere, tãto iam tempore nequeas. Quo dicto in stuporem ego: cæteri autem in risum resoluti omnes, & responsum nebulonis illius multis laudibus efferentes, virum argutissimum prædicarunt, qui iam prompte mentiri didicisset ac fallere, verum ego nimis latæ materiæ campum, nec epistolæ, sed libri opus ingressus sum, itaque fræna iam contraham. Ad te vero pater optime, stylum vertens, oro, obsecro, obtestor, adiuro te per temetipsum, si tibi charus es, si solitam animæ curam geris, ne quando tibi postea in cor veniat illuc ire, vnde nemo vnquam exemplo melior factus, pessimi autem innumerabiles rediere. Adde quod nemo inde vnquam non mœstus exiuit, nisi eo forte lætus, quod euaserat, & infaustum limen fusco calle reppererat. Ad summã quoniam tua omnia cupide semper in optimam ac fœlicissimam partem traho, profectionem hanc tuam necessariam, breuem, vnicam, non modo nihil nocituram tibi, sed plurimum profuturam spero. Quid enim aliud, vt seria fabulosis aspergam, quid sibi vult Achilles Homericus, dum vt impenetrabilis ferro fiat, fertur ad inferos, & tartareis vndis abluitur, nisi vt vitiorum fluctibus tantis exercita, contrarii sui odio, solida tua virtus indurueritroburque contraxerit, contraque omnem humanarum, cuspidem passionum, iam prorsus inuiolabilis facta sit? placet, laudo, approbo, modo ne redeas. Senecæ verbum est: *Non tantum corpori, sed etiam moribus salubrem locum eligere debemus*, ille autem vnde te dehortor & corpori pestilens & animo, nec omnino te dignus est, non cõueniunt mores. Sit igitur inter vos diuortium sempiternũ, eant illuc, qui artes illas discere cupiunt, quarum ibi sunt innumeri professores, tu domi mane, inque tuo proposito, & tua sede consiste, quam tibi clarissimam virtus dedit, cum clariorem etiam mereare. Sin, vt est, animus honesti motus appetens, quoniam quod eruditissimis quibusdam placitum viris scio, vnum hoc nobis cœlestis originis argumentum est, vt motu perpetuo delectemur, loco te si mouere volueris, ad nos veni, vide Romam, vide Mediolanum, vide Venetias, vide Florentiam, vide Patauium tuum, vide Bononiam, vbi honestis in studiis egisti adolescentiam, & integritatem patriam Italicis artibus adornasti: postremo quidlibet vide, Indos quoque, modo ne videas Babylonem, neque descendas in infernum viuens.

XIII.

Calamitatem Vrbis Romæ deplorat, quam Imperator turpiter Papæ in seruitutem reliquit.

FRANCISC. PETRARCHA Amico S. Quocunque te conuerteris, idem es, & pariter me delectas, vniformi enim amoris tui dulcedine, sed multiplici & varia verborum tuorum consolatione reficior, siue ab oriente, siue occidente, & desertis montibus: Quoniam licet Deus Iudex sit, & hunc humiliet, hunc exaltet, tamen te mihi semper humilem, semper altum, semper amabilem, & ab omni parte suauiter spirantem dulce curarum mearum refrigerium seruat. Epistolæ quidem illi verissimis, grauissimisque sententiis exundanti, vbi diuinæ facundiæ tuæ fons, è terra arida ac squalenti, & omnis boni vacua, terra (vt prophetæ egregii verbo vtar) deserta, inuia, & inaquosa, oculos meos atque aures, animumque compleuit, iucunditate mirabili, neque perennibus ingenii scatebris, mutari loci nocuisse malignitas quiuit; quid prius tibi respondeam, non habeo, quam vt miserari me sortem tuam, quę in terra florentissima ortum te, & ab incunabulis enutritum, nunc repente patriis finibus auulsum ad extrema terrarum, & hominum inopina rerum mutatione transtulerit.

Sit illud gratulari, quod iudicium tuum vel opinionibus vel persuasionibus falsis inuolui, abducique è vero non est passa: tali enim ingenio, humani nihil incognitum esse debet. Poteras fortassis errare, poteras suspicari, poteras credere his, quibus (vt dici solet) præter pretium in pretio nihil est; nunc vero neque veritas opinionibus cedet, neque cuiquam potius, quam oculis ipse tuis, & experientiæ fidem dabis. Ecce iam oculis vides, iam manibus palpas, qualis est Babylon illa nouissima feruens, æstuans, obscœna, terribilis, quam nec Cambysis opus Babylon Niliaca, nec illa vetustior regia Semiramidis Babylon æquet Assyria, Nilum & Euphratem Rhodanus vincit: nempe qui tartarea flumina Cocytum vincit, & Acherontem, quicquid vspiam perfidiæ & doli, quicquid inclementiæ, superbiæque, quicquid impudicitiæ, effrenatæque libidinis audiuisti, aut legisti, quicquid denique impietatis & morum pessimorum sparsim habet, aut habuit orbis terræ, totum istic cumulatim videas, aceruatimque reperias. Nam de auaritia, deque ambitione superuacuum est loqui, quarum alterum ibi regni sui solium posuisse, vnde orbem totum populetur, ac spoliet, alteram vero alibi nusquam habitare compertum est, de quibus omnibus ad te dudum non Epistolam, sed librum scribere meditabar, ne in rebus, scilicet à prima mihi ætate notissimis, amicum falli sinerem, etsi enim nolim, me ibi tunc mirabiliter & miserabiliter inuiscato, eisdem tu fuisses in locis, vbi velut in cœno, imo quidem, velut in igne aurum, amicitiam primum tuam longe auro chariorem reperi: tunc tamen & inexpertior rerum ætas, & iudicii minor vis & moræ tuæ breuitas vero obstabant, insuper & exilio, in peius infinita mutatio facta erat. Redisti ergo & ætate iam, & iudicio pleniore & mora non ad sufficientiam modo, vel satietatem, sed nisi fallor ad fastidium prolixa, vt qui optima rerum probe noueras in pessimis non errares, quique virtutem semper amaue-

[illegible]ueras, ad vehementius amandum, quod efficacissimum est vitiorum odio animum excitares. Et si Christum colis, quod semper religiosissime fecisti, conspecta hostium eius impietas, manum pietati, & fidei tuæ calcar adiiceret: vides enim populum, non modo Christi aduersarium, sed quod est grauius sub Christi vexillo rebellantem Christo, militantem Sathanæ, & Christi sanguine tumidum, atque lasciuientem: *Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Populum duricordem & impium, superbum, famelicum, sitientem, hianti rostro, acutis dentibus, procuruis vnguibus, pedibus lubricis, pectore saxeo, corde chalybeo, plumbea voluntate, voce melliflua, populum cui non modo proprie conuenire dixeris Euangelicum illud atque propheticum: *Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longe est à me.* Sed illud etiam Iudæ Iscariotis, qui Dominum suum prodens, & exosculans aiebat: *Aue Rabbi*, & Iudæorum qui indutum purpura, coronatum spinis, percutientes & conspuentes illusione amarissima flexis poplitibus adorabant & salutabant, *Aue Rex Iudæorum*, quem neque vt regem diuinis, aut humanis honoribus, sed vt reum mortis ac blasphemum, contumeliis dignum, atque suppliciis in humano iudicio destinarunt. Quid enim, quid oro, aliud assidue geritur, hos inter Christi hostes, & nostri temporis Pharisæos? Nonne etenim Christum ipsum, cuius nomen die ac nocte altissimis laudibus attollunt, quem purpura atque auro vestiunt, quem gemmis onerant, quem salutant & adorant cernui, eundem in terra emunt, vendunt, nundinantur, eundem quasi velatis oculis non visurum, & impiarum opum vepribus coronant, & impurissimi oris sputis inquinant, & vipereis sibilis insectantur, & venenatorum actuum cuspide feriunt, & quantum in eis est illusum, nudum, inopem, flagellatum iterum atque iterum in Caluariam trahunt, ac nefandis assensibus, cruci rursus affigunt. Et ô pudor, ô dolor, ô indignitas, talium hodie, vt dicitur, Roma est patientibus, quorum erat obstare, tanto illam fastu sibi vendicant, vt quam suam volunt, aspicere dedignentur, & pro qua olim orbe toto tantus fluxit cruor, tot clari duces, tot exercitus cecidere, eam nunc nescio, quot indigesti & infames rustici nutu, regunt & captam, velut ab hostibus, nullo iam contradictore dilacerant: O mi consulte princeps ac prodige, nesciebas quantis laboribus constaret imperium, quod tam facile dispergebas: solent in studiis adolescentes à patribus quæsita prodigere, nempe ignari, vnde vel qualiter parta sint, siquidem indigentiæ ac laborum recordatio, magnum prodigialitati ac lasciuiæ frenum ponit. At tu senex, quid agebas, vbi eras? si videri munificum delectabat, de proprio largireris, tuum donasses: imperii hæreditatem, quam curator acceperas, successoribus integram reliquisses. Nescio quidem an potueris, sed fecisti, vt ad has tunc humiles, nunc superbas manus, heu longe, aliis manibus fundati status administratio perueniret. De quo non illepide iocans quidam ait:

Roma tibi fuerant serui, Domini Dominorum,
Seruorum serui, nunc tibi sunt Domini.

Pol, ego tecum multa loqui habeo, si facultas detur. Sed an hæc audias ignoro, & certe si audias frustra fit: fecisti enim, quod neque si redeas, mutare possis, instaurator fundatori, quã euersori similior fit oportet. Tu Christe, qui potes, à quo imperia omnia, & in terris, & quæ sursum, & quæ deorsum sunt precario possidentur, qui hanc meam, & maxime publicam querelam vel in silentio audis, exaudi quæsumus, si iusta est. Scio quidem scriptum esse, *si iniquitatem aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Apud te Christe rerum veritas certa est, apud nos anceps opinio, secundum quam certe quod posceris, æquum est, cum multa enim grauia, tum illud importabile, quod non solum duro & inepto, sed odioso etiam, & hostili fasce premimur, vt verificatum sit à nobis ad literam illud Psalmi: *Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & qui aderunt nos diripiebant sibi, dedisti nos tanquam oues escarum.* Nota sunt quæ sequuntur: nobis hoc vnum ad querelam & gemitum satis est: nam si res inspicitur, olim Domini gentium, quid nunc aliud facti sumus nisi oues escarum? vtinam lanæ oues aut lactis essemus, escarum sumus. Rodimur volentes, consumimur, deglubimur ab his, qui si nolle cœperimus, oues coram leonibus videbuntur, neque id insolitum videbuntur, quod diutissime vsi sunt. Nunc noster torpor hanc ignauiæ præstat audaciam, patientiam nostram impie prorsus & deuorant & oderunt, & quod vehementissime stupeas, quos extra despiciunt, intus timent, contemptus fingitur, metus est. Mille sunt odii, mille formidinis argumenta, vnum vtriusque simul inseram, quod licet occultum prius, erupit tamen, vt non modo Babylone, sed longius nosceretur. Eo tempore, quo ille Pontifex Maximus, qui sibi prouinciam Italiam, atque inprimis hanc vrbem Mediolanensium euertendam, sacerdotalis militiæ, senili expeditione delegerat, & sic in vtramque Christianam, Christianorum pater perfecto odio sæuiebat, quasi non Italia hæc, sed Syria, vel Ægyptus, non Mediolanum, sed Damascus esset, aut Memphis.

Cum adhoc sanctum, piumque opus vnum è sacro patrum collegio; filium (vt multi dixerunt) suum (& secundum famam similitudo ingens morumque ferocitas adiuuabat) non Apostolicum, sed prædonis in morem, neque signis virtutum ac miraculis, sed signis castrorum, & miris instructum legionibus in has terras, quasi alterum non Petrum, sed Hannibalem destinasset, in quo bello Deus omnipotens suo more & superbiæ restitit, & fauit humilibus, ac palam pro iustitia decertauit: fuit vnus ex eodem illo grege vir, & ipse in nos inexplebilis odii, infiniteque superbiæ, cuius ego tunc, & faciem puer noram, & quantum poterat ætas inualida, animo execrabar. Is Pontificiante omnes charus, die quodam in secretareum ingressus: cum rumoribus consternatum, atque anxium inuenisset in limine. (Hærebat enim belli impetus præter spem huius vrbis, quæ

tunc

tunc quidem muris nuda erat: at quod optimum muri genus est, & militia insigni, & ducibus armata fortissimis; itaque sæpe iam obsessores suos fuderant obsessi, iam captiuorum turbis carceres inundabat, iam cæsorum pinguescebant arua visceribus) In hoc ergo rerum statu, cum solito mœstiorem cerneret, familiaritate intima fretus, sic aggreditur: Miror (inquit) pater sanctissime, quid est? quod acutissimus in cæteris, in eo vno, quod est summum nobis, ac præcipuum parum vides? Ad hæc Pontifex grauibus pressum caput extulit: Experge (inquit) quid rei est? Tunc ille consultor egregius: scio (ait) te nihil tam optare, quam Italiæ vastitatem, in hoc viros, opes, consilia expendimus; in hoc ecclesiæ thesauros iam pene omnes effudimus, inextricabilem rem aggressi, nisi alia tentetur via. Ecce nunc ille tantus bellorum apparatus, ille nostrarum virium cuspis, in ipsis Mediolani portis obtunditur, quam tibi adulatores, vni alicui nostrarum vrbium similem asserebant, reipsa superior omnibus est inuenta, quando Italiam vinceremus, ab vna Italica ciuitate vincimur, sed si velis, alia longe facilior via est. Quænam (inquit) Pontifex, dic ocius? Hoc enim molior, hoc cupio, hoc est vnum pro quo velim corpus & animam pacisci. Ille autem potes (inquit) omnia, & quicquid iusseris ratum est, cur non igitur & Paparum & Imperium vrbi Romæ & Italiæ eripis? Et illum Cathurcum patriam nostram, hoc est in Vasconiam transfers? Non magnus est labor: dic & fiet, & non armis est opus, quibus longe impares sumus, verbo de hostibus triumphabis, sic & nos ornaueris nouis insignibus, ad nos translato rerum apice, & gemino lumine inuisum genus orbaueris. His erectus Pontifex, ex ira risu oborto: Fefellisti me (inquit) hactenus, nondum te delirare cognoueram, an ignoras inscie, hac via, quam statuisse subtiliter visus es tibi, & me, & qui mihi successerint Episcopos Cathurcenses fieri, & Imperatorem quisquis is fuerit, Vasconiæ præfectum, illum vero; qui Romæ præfuerit, siquidem spiritualiter, Papam; sin temporaliter, Imperatorem fore? Sic Italum nomen dum euertere putas attollis, & in antiquam restituis dignitatem. Nos ergo, dum datur desuper, Romani Pontificatus frena teneamus, & in hoc omni studio intenti simus, ne quando forte suum ius, Italica manus arripiat, quod ipsum quam diu prohiberi possit incertum est. De titulis non certemus, velimus nolimus enim rerum caput Roma erit. His auditis, argutus ille stultus, erubuit. Ego vero Pontificis etsi animum improbem, probare cogor ingenium, qui quamuis in nos odio flagraret, immerito, meminerat tamen ac nouerat vbi fundata esset altitudo, cuius è fastigio superbirent, & ruinæ proximum videbat fundamenta concutere. Itaque quiescendum existimabat, & quasi furtim quæsitis in silentio gaudendum.

Hanc Historiam, quæ nescio, an ab aliis scripta sit, iam curiose retexui, vt si tibi nota est, & mihi cognitam scias: si ignota autem, ex me discas, neu gnarus veterum, præsentium sis ignarus, his vero nunc ducibus agimur, quibus prædæ sumus atque odio, & simulato contemptui, & timori vero. Et si quis etiam nunc ex nostris metu & verecundia magis, quam iudicio, assumptus in eo numero est, quasi lucidus riuus, torrenti mixtus turbido, natiuum deposuit colorem, inque plurium naturam, & externos mores abiit. Etiam prorsus nihil est reliqui, nisi Christum precari, hicque ereptam tradat aliis, quorum non & pœniteat simul, & pudeat humanum genus. Hi enim tales sunt, quales dico, fallor, imo vero quales dicere nequeo, sic ad extrema dedecorum atque nequitiæ, quæ vtcunque olim steterat, prolapsa res est, ex quo sancta & potens tunc Romana, nunc Auinionensis ecclesia tangit vertice sydera & digito cœlum voluit, & Iudas si triginta illos suos argenteos pretium sanguinis attulerit, admittetur, & pauper à limine Christus arcebitur, quod ita esse Christianus nemo est qui nesciat, nemo qui non doleat, nemo qui vindicet. Ita dum alius alium expectat, malorumque impunitas, quantum vides creuit, & quod à principio medicabile malum fuerat, iam tempore putruit. Cœperat enim; fateor, ante etiam ætatem nostram, vt ab auis accepimus, fœdum hoc vlcus inflari, sed quod molestum diceres, intemperans morbum auxit exiguum. Itaque iam hæc pestis ad interitum spectat, totaque sanies in nostrum tempus erupit flebile, nisi vnum tantis in malis solatii genus esset. Dicam vero tibi nunc, quod interdum dixi ei, qui solus è cunctis superfunt, illo grege pessimo, melioribus pascuis dignus erat, ingenti cum assensu eius, licet ipse dicto, non tam morum respectu, quam status atque originis tangeretur: siquidem enim, quoniam mortalium res oportet esse mortales, duo hæc mundi luminaria extingui, duosq; gladios retundi, decreti necessitas cogebat, quamuis vtrumque, præcipueq; alterum, occasui exemptum, promissis cœlestibus, speraremus, nec desperandum sit, omnia hæc cum funditus ruerint, surrectura altius, si tamen hæc tã grauis rerum eminentium ruina, nostro seculo impendebat. Gaudeo, Hercule, quod cum in manib. nostris lux, & vigor suus hic manserit, in alienis hæc tanta mutatio facta est, tantæq; culpæ partem habet illa horrida & immitis: partem hæc mollis & eneruata barbaries. Quibus ille auditis, libertate mea nihil offensus: Grauiter, inquit, & libere, & aliorum fortasse auribus importune, meis certe fidentissime, & vt te decuit verissime locutus es. Neu me forsan veri inscium, aut diuersæ sententiæ arbitreris, duos Clementes nostros plus attriuisse ecclesiam paucis annis, quam septem Gregorii vestri, multis seculis restaurare possent: Nec ego dubito, nec dubitare aliquem existimo. Ille quidem hæc suspirans, nos autem zelo domus tuæ Christe Iesu iam satis euecti sumus, nec vllus sub sole fœdior rerum trames, stylo potuerat occurrere, itaque redeundum est. Ad hunc ergo populum, Amice, fatis tuis, an tibi quietem inuidentibus an doctrinam ingerentibus venisti, peregrinatione dicã exilio, vtili magis q̃ iucunda, quo effectũ est, vt & tibi legẽdi, & mihi conceptũ scribendi negotiũ abstuleris. Iam profecto nec mihi, nec alteri docẽdus, q d sit, Babylon Rhodani, qualiterue sit exulibus Sion inter flumina Babylonis, de quib. adeo magnifice tua mecũ nuP egit epistola, vt illius sẽtinę abdita

dita

dita funditus scrutatus omnes eius Labyrinthi latebras penitus inspexisse videare, multo tædio, multisque reor angoribus, huius veri notitiam comparasti. Illud tibi pergratum, mihi inuidiosum affuit solamen, quod inter tantas vitiorum tenebras, quatuor magnis illis quidem viris, velut totidem lucidissimis te sideribus vsum scribis, quos nescio, an annorum crimen (ipsos enim optimos, integerrimosq; hominum noui) an quæ fallacissima vitæ spes, an quæ fortunæ violentia, tristisq; necessitas, ibi detineat, quare permitte, quæso, vt quod in animo est, vel inamœno sermone explicem, quasi, inquam, in cloaca solis radios & loci simul obscœnitatem omnem suolumine nudantes, & circumfusis sordibus inaccessos.

XIIII.

Babylonem Gallicam describit in sede Papali Auinionensi.

FRANC. PETRARCHA Amico S. Et quid adhuc hæres? ac non hæres, sed teneris, & obluctans raperis, hoc potius reor, malo vim, quam socordiam opinari, non est tuum torpor, ardens ingenium, mens ignea, generosus impetus. Sed quid hæc, si fortius impedimentum est, quam virtus? magna etiam vis habet oppositam vim maiorem: necessitati omnia succumbunt. Illa te Babylon traxit illa te detinet: durum sed ferendum, loci natura est. Omne bonum ibi perditur, sed primum omnium libertas, mox ex ordine quies, gaudium, spes, fides, charitas, animæ iacturæ ingentes. Sed in regno auaritiæ, nihil damno ascribitur, modo pecunia salua sit. Futuræ ibi vitæ spes inanis quædam fabula, & quæ de inferis narrantur fabulosa omnia, & resurrectio carnis, & mundi finis, & Christus ad iudicium venturus, inter nænias habentur. Veritas ibi dementia est, abstinentia vero rusticitas, & pudicitia probrum ingens, denique peccandi licentia magnanimitas, & libertas eximia, & quo pollutior, eo clarior vita, quo plus scelerum, eo plus gloriæ, bonum nomen, cœno vilius, atque vltima mercium fama est. Habes quantum in tam paucis licuit illius sacræ vrbis expressum, quem non magis in his terris hodie, quam in illorum frontibus hominum, quotidie perlegis, quorum vitam nullus stylus, nullum æquet ingenium. Cæterum prima omnium vt dixi, ibi libertatis iactura est, quisquis limen illud introit, confestim suus esse desiit, iam nec quiescere nec abire permittitur, sed rotatur, & inefficaci labore consumendus atteritur. Paucos inde diuina clementia eripi à lege, vt Hierusalem diligant, atque oderint Babylonem. Hæc mihi de te spes reliqua est, alioquin tuis de rebus actum crederem, tam tenaci, profundoque hinc te demersum & infixum video: interim non voluntati, aut iudicio: necessitati imputo & fortunæ, quod tam diu ibi sis, & moras quas vehementer odi, libenter excuso, quod si qua fortassis in profectione culpa fuit, in mora ipsa, vtique iam non culpa, sed supplicium, & purgatio culpæ est. Sed quoniam multi, multa sæpe in carcere didicerunt, quid te vetat, in vinculis discere aliquid, quo perpetuo sis doctior? Quidam nullo modo, melius quam contrario discunt, ideoque qui Mathematicas artes docent, si quando parum veri capax mens discipuli visa erit, solent falsa proponere, quæ dum refugit animus, ad veriora confugiat. Tu quoque solitus & religioni semper, & honestati operam dare, quarum altera ad illius aspectum erigit optantem animam, de quo ait Psalmista, *Quærite faciem eius semper.* Alterius ea facies est, quæ si oculis cerneretur, vt ait Plato, miris animum amoribus inflammaret, neque tamen ideo minus amanda est, quo animo cernitur, si quid tibi nunc etiam ad vtriusque notitiæ summã deesse putas, omne studium in aduersa reflectito, arrige aures, fige oculos, intende animum. Vis pulchritudinem Dei noscere? cerne quanta est hostium eius obscœnitas. Non sunt autem longe quærendi, Babylone habitant, omnis vicus his vermibus scatet. Vis formam ac decus honestatis agnoscere? contemplare quanta est fœditas vitiorum, quorum omnium exemplar in oculis est tibi. Quocunque respexeris, videbis cuius odio simul Dei & virtutis amantior fieri queas. Tu autem gaude, contrario saltem magistra virtutum: gaude (inquam) & ad aliquid vtilis, inuenta gloriare, bonorum hostis & malorum hospes, atque asylum pessima rerum Babylon, feris Rhodani ripis imposita famosa dicam an infamis meretrix fornicata cum regibus terræ. Illa equidem ipsa es, quam in spiritu sacer vidit Euangelista. Illa eadem, inquam, es non alia, sedens super aquas multas, siue ad littora tribus cincta fluminibus, siue rerum atque diuitiarum turba mortaliũ, quibus lasciuiens, ac secura insides, opum immemor æternarum, siue vt idem qui vidit exposuit, *populi & gentes, & linguæ, aquæ sunt super quas meretrix sedet.* Recognosce habitum: *Mulier circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* Noscis ne teipsam Babylon? Nisi illud forsan errorem facit, quod in illius fronte scriptum erat, *Babylon magna*, tu vero Babylon parua es. Parua vtiq; murorum ambitu, sed vitiis & ambitu animorum, & infinita cupidine, cumuloq; malorum omnium, non magna modo, sed maxima, sed immẽsa es. Et certe q̃ seq̃tur, tibi vni conuenit, non alii, Babylon *mater fornicationũ, & abominationũ terræ.* Mater impia, partuum pessimorũ quando q̃cq̃d vsquam terrarum abominabile, quicquid fornicatorium ex te prodit, & cũ semper parias, semp tumens, & talium plenus ac grauidus vterus tuus est. Si nunc quoq; dissimulas, audi reliqua. *Et vidi* (inquit) *mulierẽ ebriã* ostende, aut omnino si potes, te hanc ebriam nega. Vera enim Euangelistæ & Apostoli visio sit oportet, qui si te in Spiritu videns miratus est, admiratione magna, quanta nos admiratione perfundemur,

mur, qui aperte oculis te videmus? Ex omnibus quidem fornicationibus tuis, de quibus biberunt omnes gentes, & reges terræ, & ex omnibus abominationibus quid expectes, nisi quod Ioannes idē ait: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio Dæmoniorum.* Nota sunt quæ sequuntur. Vere iam talis facta es, quanto enim homo perditus, & desperatæ nequitiæ dæmone melior? Vere habitatio: imo regnum dæmonum facta es, quæ suis artibus humana licet effigie, in te regnant. Tu vero Amice, cum eodem Apostolo, audi vocem aliam de cœlo dicentem: *Exite de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis, quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius, quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum: quia in corde suo dicit: Sedeo regina, vidua non sum, & luctum non videbo, ideo in vna die, venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igni comburetur, quia fortis est Deus, qui iudicabit illam.* Hæc & quæ Apostolicus ille locus habet, audi omnia, audi & fuge, si qua via est, nec innocentiam tuam ruinæ nocentium, & Babylonicæ premant iniquitates, quarum non modus, non numerus, non mensura, non existimatio demum est. Taceo hæreditatem Simonis, & illam hæresis speciem non vltimam, Spiritus sancti dona mercantium. Taceo mali illius auaritiam matrem, quæ *idolorum seruitus*, ab Apostolo dicta est. Taceo vtriusque pestis artifices, & concursantes pontificum thalamis proxonetas. Taceo crudelitatem humanitatis immemorem, & sui ipsius oblitam insolentiam, atque illos vanis flatibus tensos vtres. Taceo denique illa prodigia, quæ insensibilis, vereque orbus terrarum vrbis, tandiu quasi Æthnam Enceladus, aut Typheus Inarime pati potest, quorum omnium mœsta historia, & seuera narratio est. Ad ridicula simul atque odiosa festino. Quis enim, oro, non irascatur & rideat, illos senes pueros, coma candida, togis amplissimis adeoque lasciuientibus animis, vt nihil illuc falsius videatur, quam quod ait Maro:

Frigidus in venerem senior?

tam calidi, tamque præcipites in venerem senes sunt, tanta eos ætatis & status, & virium cœpit obliuio, sic in libidines inardescunt, sic in omne ruunt dedecus, quasi omnis eorum gloria, non in cruce Christi sit, sed *in commessationibus, & ebrietatibus*, & quæ has sequuntur *in cubilibus, impudicitiis*: sic fugientem manu retrahunt iuuentam, atque hoc vnum senectutis vltimæ lucrum putant, ea facere, quæ iuuenes non auderent. Hos animos, & hos neruos triuit, hinc Bacchus indomitus, hinc orientalium vis Baccharum. O Ligustici & Campani palmites, ô dulces arundines, & Indicæ nigrantes arbustulæ, ad honestas delitias, & vtilitates hominum creatæ, in quos vsus, & quantam animarum perniciem, cladem que vertimini? Spectat hæc Satan ridens, atque in pari tripudio delectatus, interque decrepitos ac puellas arbiter sedens, stupet plus illos agere, quam se hortari, ac ne quis rebus torpor obrepat, ipse interim, & seniles lumbos stimulis incitat, & cæcum peregrinis solibus ignem ciet, vnde fœda passim oriuntur incendia, mitto stupra, raptus, incestus, adulteria, qui iam pontificalis lasciuiæ ludi sunt. Mitto raptarum viros, ne mutire audeant, non tantum auitis laribus, sed finibus patriis exturbatos, quæque contumeliarum grauissima est, & violatas coniuges, & externo semine grauidas rursus accipere, & post partum reddere, ad alternam satietatem abutentium coactos. Quæ omnia non vnus ego, sed vulgus nouit, etsi taceat, quamuis ne idipsum taceat, iam maior est indignatio, quam metus, & minacem libidinem vicit dolor. Hæc, inquam, vniuersa prætereo: Malo quidem te hodie, ad risum quam ad iracundiam prouocare, ita enim quæ vlcisci nequit, in se flectitur, & in Dominum suum sæuit. Fuit ergo seniculus quidam, ex eo numero vnus, cunctis annalibus implendis idoneus, hircina libido homini inerat, vel si quid libidinosius, atque olentius hirco est, hic seu mures metuens, seu lemures, dormire solus non audebat, nil apud eum tristius, nil miserius cœlibatu, nouas cotidie nuptias celebrabat, & creber vagis amplexibus sponsus erat, cum & os illi vacuum, & ætas plena esset, septuagesimum pridem annum excesserat, septimo vix iam dente superstite. Erat illi puellarum auceps vnus ex multis, Domini sui libidine nihilo segnior, eius retia & laquei, omnes vicos, omnium, & præsertim pauperum domos obsederant, huc pecunias, huc redimicula, huc anulos, huc postremo blanditias, huc cœnæ reliquias, huc omne genus escarum, & quæcunque flexura muliebres animos, conuehebat, ipse interim suspensus animo canebat. Nam & reuera cantor erat, sed qui vocem ab altaribus ad choreas, & lupanaria transtulisset. Noram hominem vulgi digito monstrarum, qui his artibus, multas prædas, in os lupi senis, inferre solitus diceretur. Mille locus hic ridiculosas historias capit, vnum accipe. Multis ille polliciticis, misellam virgunculam, an meretriculam illexerat, vt Domino eius, vtique & excelsi gradus, & magnarum opum, sed nec formæ, nec ætatis amabilis, obsequi in animum induceret. Quid multis agam? Acquiescit, & velut Psyche illa Lucii Apulei, fœlicibus nuptiis honestanda, ignoti viri thalamum subit. Re comperta, impatiens moræ, senex aduolat, & vlnis arreptam, pendulis labiis exosculans, atque inermi ore commorsitans, consummare nouas nuptias anhelabat: repentino malo percita, & olente senio, & vultu lucido deterrita, exclamat, ad magnum se quendam, & insignem prælatum, non ad deformem, & decrepitum sacerdotem aduenisse, non posse sibi fraudem fieri. Vis si fiat, manibus quoad possit, deinde gemitibus atque vlulatibus occursuram, neque dum reliquiæ spiritus vllæ essent, passuram se à tam turpi sene violari. Hæc vociferans vbertim flebat: ille autem, & manu scabra, & ore hispido, spumantique tenerum os præcludens, fletibus & querimoniis conabatur obstare atque incondito murmure, & ineptissimis blanditiis (erat enim præter cætera blæsus adeo, vt à nemine posset intelligi) ægram animi solari. Sed cum nihil proficeret senex egregius, in secretarium se proripit, arreptoque, quo conscripti patres, à reliquis discernuntur, rubenti pileo, & insigne suum, albo caluoque vertici imponens, Cardinalis sum,

sum,inquit,Cardinalis sum,ne timeas filia. Sic amasiolam adhuc flentem, & præsenti specie, & futura spe magnifice consolatus,in geniale cubiculum deduxit,pronuba non Iunone,sed Ctesiphone, ac Megœra. Ad hunc modum Cupidinis veteranus,Baccho lacer,& Veneri,non armatus,sed togatus, & pileatus de suis amoribus triumphauit. Plaude: fabula acta est. Nosses hominem,iucundissime sonuisses. Et huius & reliquorum mille sunt talia,quorum quædam non ludicra, sed pudenda,alia vero inania,& horrenda sunt. I nunc, mirare, ducibus his, & propitium populo suo Christum,& Rempub. prosperari.

XV.

Egresso de Babylone Romana gratulatur,& vt in posterum ab ea caueat,hortatur. Item de Pontifice Romano in ordinem per Imperatorem redigendo.

FRANC. PETRARCHA Amico S. Euasisti,erupisti,enatasti,euolasti,bene est: timebam, fateor tibi, timebam animæ tuæ, ne post descensum ad inferos,non cum vellet emergere sciebã, & Auerni descensum facilem,& apertum Labyrinthi limen laboriosum,atque operosum exitum. Dicebam mecum,O si meus Alcides,ô si Theseus meus ab inferis redeat? O ne mali pondus illum opprimat,neque pedes ad virtutem, volucres,adamantinæ scelerum catenæ vinciant, detineatque. Inter hæc vota,hosque inter metus emersisti,Deo gratias,qui ex inferno in se sperantes animas educit, exoptatus,euocatus,expectatus aduenis. His igitur primum terris redditus,quæ te illi Herebo crediderant,non Phœbo,vt Dædalus,sed Christo alarum remigium consecrabis,&cauebis,ne vnquam amplius Gnosum spectes. Non est sæpius retentanda fortuna,periculum sine periculo non fit,id cũ semel euaseris,declina,ne quando corruas vnde non surgas, nulla vnquam te mala cupiditas tangat, vt illos principes tenebrarum rursus adeas. Quos cum suis opibus,suisque flagitiis dii,deæq; omnes, imo vero deorum Deus, viuos ac mortuos male perdat, quæ cœlestis agni sanguine saginati, calcitrant ac rebellant,eo me mirum,meus ille nunc euocat,quo te præsente, persuaderi mihi non potuit vt venirem,ille mihi hortator est fidus quidem, sed improuidus, vt Babylone viuere eligam ac mori. Cur autem siue ad quid, vt videam bonos mergi, malos erigi, reptare aquilas, volare asinos, vulpes in curribus,coruos in turribus,columbas insterquilinio, liberos lupos, agnos in vinculis, Christum denique exulem, Antichristum Dominum,Beelzebub iudicem. Hæc ad spectacula reuocor, non audiam,male mihi cum illis,male illis mecum cõuenit. O crudelis & impia secta hominum, nil nisi seipsos amantium ,idque ipsum peruerse prorsus ac nepharie. Quis releuabit oppressum orbem? Quis vindicabit afflictam vrbem? Quis euersos mores reformabit? Quis colliget sparsas oues? Quis pastores erroneos arguet? Quis reducet aut retrahet in sedem suam? nullus ne licentiæ ac scelerum modus erit,an frustra per Prophetam Spiritus sanctus intonuit? *Hæc fecisti & tacui, existimasti inique, quod ero tui similis. Arguam te & statuam contra faciem tuam. Intelligite qui obliuiscimini Deum ne quando rapiat,& non sit qui eripiat.* Intelligite (inquam) nobis loquitur,Dei hostes intelligite. Surdis loquitur, sopitique nunquam intelligent, nisi horrendo tonitru,seu quoniam tonuisse non sufficit,trisulco fulmine expergefacti. Ad te mihi nunc sermo est,Inuictissime Regum nostri temporis, quem non nomino,quando & nomen obstat inscriptioni,& abunde te nominat ipsa rerum ac gloriæ magnitudo, nam quid opus est verbis, vbi res loquitur. Haud immerito tantis te victoriis ornatum credere phas est,qui præter principalis tuæ causæ iustitiam,vulpes illas veternosas,fœdis,& non suis è caueis, Christique sponsam cœno,ac vinculis eruere potens es. Et facies spero iure, tibi perpetuam fœlicitatem,& votiuum cœpti exitum quisque fidelium optauerit. Pastorem illum, & senio, & sopore,& mero grauidum,nunquam sponte latebris,&amatis fornicibus egressurum,solus manu prehensum, & verbis increpitum,ac verberibus castigatum,in antiquum penetrale restitues. Id si forte tibi cœlitus non datur,quanquam nec dignatus pluribus,neque hoc munere dignior quisquam sit,venient alii,quorum quo fædior manus,eo pulchrior vindicta. Denique qualia multa vndique crebrescunt, vel prædonum iusta acie,vel salubri peste,clementique cœli inclementia,ad postremum plaga aliqua euidenti, quoniam minis ac prodigiis cor Pharaonis obduratum, superbumque non tangitur, sponsæ Christus superueniet laboranti. O quid scripsi? O quid mihi venit in animum,quo prodiit lingua? quo progressus est calamus? possem cum Iob & ego fortassis dicere: *Vnum locutus sum quod vtinam non dixissem,* dixi tamen,& iam non dixisse non possum,delere autem etsi adhuc liceat, non libet, tantus est veri amor,tantumque mali odium,vt periculi omnis interim obliuiscar: In vno consilium [illegible] senis illius sequar,quia cum infinita se nunc offerant, & perexigua dicendorum pars exacta sit,frenabo impetum & si cum eodem Iob,*manum meam ponam super os meum,* & his vltra non addam.

Anno Domini 1400.

MAGISTRI IORDANI, MONACHI AVGVSTINIANI ARGENTINENSIS

CHRONICA:

QVALITER ROMANVM IMPERIVM TRANSLATVM FVIT IN GERMANOS.

Et primo, quare Romanum Imperium sit honorandum.



VLTIFARIE multisque modis Dominus vniuersorum, in diebus suæ carnis, dignatus est honorare Romanum imperium, dando in semetipso exemplum Dominus & magister, Romanum imperium fore ab omnibus honorandum. Honorauit quidem Dominus Cæsarem siue Romanum regem, mundum ingrediens, in mundo progrediens, & mundum egrediens: verbi gratia, mundum istum secundum carnem. Et ingrediens in duobus honorauit Romanum imperium. Primo in hoc, quod tempus sui aduentus per ipsum Cæsarem totum orbum pacauit, vt per ipsius Domini præsentiam pax esset in vniuersa terra, ad significandum quod ipse esset pax nostra, & *per eum*, vt dicit Apostolus ad Coloss. *reconcilianda erant omnia quæ sunt in cælo & in terra.* Vnde Psalmista, *posuit prodigia & iudicia futuræ reconciliationis super terram, auferens bella vsque ad fines terræ*, & alibi. Secundo, ingressu suo approbauit & honorauit Romanum imperium: mox vt natus est, censui Cæsaris se subdendo. Vnde Augustinus in gloss. super Euangelium Lucæ sic dicit: *Humilitas Christi commendatur, quia non solum incarnari voluit, sed etiam nasci illo tempore, in quo natus & mox censui subderetur. Natus est enim in diebus professionis: quando singuli ibant in suas ciuitates vnde oriundi erant, vt profiterentur tribum suam, censum & regem.* Sic ergo Dominus mundum ingrediens dupliciter honorauit Romanum imperium, siue Cæsarem, & vniuersum mundum ministerio pacando, & censui Cæsaris se subiiciendo.

Item, Dominus in diebus suæ carnis progrediens in hoc mundo, Romanum imperium dupliciter honorauit. Primo, quia non solum dedit ei tributum, sed etiam præcepit pro se dari & beato Petro, vt legitur *Marci 12. cap.* Secundo, quia non solum tributum ei dedit, sed etiam præcepit ei dari, Matth. 22. cap. *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris*, &c. Augustinus super hoc dicit, *Censum & tributum.*

Item Dominus egrediens mundum, bis honorauit Cæsarem siue Romanum imperium. Primum, dum dicentib. Apostolis, *Ecce duo gladii hic*, Dominus respondit, *Satis est.* Ecce duo gladii, qui duas potestates significant, hic in præsenti seculo satis sunt. Et quid est dicere, *Satis est*, nisi, sufficit & nihil deest? Protestatus ergo Dominus est sua ipsius voce, potestatem sacerdotalem & imperialem, quæ tunc maxime vigebat, mundo sufficere: & ei quoad regnum, tam in spiritualibus quam in temporalibus hic deesse. Vnde Gelasius papa distin. 96. duo dicit: *Duo sunt quibus his mundus principaliter regitur, Pontificalis authoritas, & Regalis potestas.* Hæ sunt principales potestates, per quas Deus discernit & distribuit vitam humano generi, vt genus humanum per iuris regulas ad vitandum mala, & faciendum bona salubriter informetur. Secundo, Dominus morte instante honorauit Romanũ imperium. Dum enim Pilatus iactaret se de potestate quam haberet in Christum, & diceret ei, *Nescis, quia habeo potestatem crucifigere te, & dimittere te?* vt dicit Ioannes, respondit: *Non haberes vllam potestatem in me, nisi datum esset tibi desuper.* Et secundum gloss. duobus modis exponitur: vno modo sic: *Desuper, id est, à Deo, quia non est potestas nisi à Deo*, vel *desuper, id est, à Cæsare, qui Pilatum præfecerat in præsidem.* Vnde super his verbis, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, dicit gloss. *Iudæi terrent Pilatum in Cæsare, quem non potest, vt authorem suæ potestatis, contemnere. Deus enim fuit author potestatis Cæsaris.* Secundum hunc posteriorem intellectum, Deus in verbis istis multum commendat Romanum imperium. Ostendit enim, potestatem Cæsaris aliis potestatibus mundanis præeminere, & ipsas sub Cæsaris contineri. Quid est enim potestatem desuper dari, nisi dari ab eo cuius supereminet potestas in alias potestates mundanas, tanquam inferiores, & minores sub se continet & concludit? Item non solum Dominus honorauit & honorat Romanum imperium in hoc, quod Romano imperio stante & durante, non veniet homo peccati, filius perditionis, vt legitur in epistola secunda ad Thessal. cap. 2. vbi dicit Apostolus: *Qui tenet, teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem Domi-*

Dominus interficiet spiritu oris sui. Super verbis istis Apostoli, dicit Gloss. quod *Apostolus in his verbis, Qui tenet, teneat,* &c. *Romanum imperium designat, quo destructo veniet Antichristus. Deinde Romanum Imperatorem, qui Romanum imperium siue mundum tenet, de Rege ad regem successiue significare, donec de medio auferatur.* De medio enim auferri, est de communi conspectu hominum auferri. Augustinus in secundo libro de ciuitate Dei, super his verbis Apostoli sic dicit: *Illud quod dicit Apostolus, Tantum vt qui modo tenet, teneat donec de medio fiat: non absurde de Romano imperio creditur dictum, tanquam dictum sit: Qui modo imperat, donec de medio fiat, id est, de medio tollatur, & tunc reuelabitur ille iniquus, quo significari Antichristum nemo ambigit.* Magnus honor est Romano imperio, quod Dominus in hoc præ cæteris ipsum priuilegiare dignatus est, quod non veniet Antichristus, Christi & membrorum eius aduersarius, nisi prius Romanum imperium penitus sit ablatum. Ablato autem Romano Imperio erit tribulatio tanta & talis, qualis & *quanta*, vt legitur in Matthæo, *non fuit ab initio mundi vsque nunc. In diebus illis tantum abundabit iniquitas & infidelitas, vt in errorem ducantur, si fieri potest, & electi.* Et huius tribulationis grauissimæ & maximæ tempora priora videntur tempora pacis fuisse. Vnde Psalmista: *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec auferatur luna*: id est, Romanum imperium, quod per lunam designatur. Vnde Apostolus Timotheo scribit: *Hoc autem scito, quod in diebus nouissimis instabunt tempora periculosa*: & ideo instabunt, quia prius non fuerunt ita periculosa.

Nota, & durabit illa tribulatio tribus annis & dimidio, vt dicitur in Gloss. Matth. & Marc. & colligitur hoc ex Apocalypsi Ioannis, & Daniele. Sicut autem Christus Dominus & magister omnium in semetipso Romanum imperium honorauit: ita beatus Petrus, cui Dominus ecclesiam suam regendam commisit, honorari præcepit in epistola sua dicens, *Deum timete, Regem honorate.* Vtinam Germani, ad quos mundi regnum est translatum, saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Vtinam saperent iustitiam, & Deum diligerent, & regem quem eis Deus loco iustitiæ posuit, reuerenter intenderent, & sicut Dei ministro honorem debitum exhiberent. Vtinam exaltati per Romanum imperium, & dilatati, magnitudinem bonorum in eos collatorum intelligerent, & non essent ingrati. Vtinam principes, præsertim hi ad quos pertinet ius & iustitia & potestas eligendi Regem Imperatorem primo, postmodum pericula quæ venient sublato Romano Imperio, præuiderent. Dum enim sublatum fuerit Romanum imperium, tribulatio tanta erit in mundo, quod nisi dies illius tribulationis (vt dicitur in Matth. & Marco) fuissent breuiati, non fieret salua omnis caro. Vtinam Germani, ad quos & in quos Imperiale regnum translatum est, huius regis, quem Deus posuit in prodigium super terram, præuiderent, & sublationem eius pertimerent. Licet enim *necesse sit vt veniant scandala, væ tamen illis per quos scandala sunt ventura.*

CAP. II.

Qui dicuntur Germani electores.

ET attende quod Treuerensis, Coloniensis & Moguntinensis, ciuitates & diœceses, populi sunt Germani: & eorum Archiepiscopi debent Imperatorem eligere, adiuncto sibi Comite Palatino, à palatio quod est in ciuitate Treuerensi, quod olim fuit domus regni: à quo dicuntur *Maiores domus*, qui modo dicuntur *Comites Palatini*. Et hi dicuntur Germani, quia de eodem germine nati cum Romanis, videlicet de germanis, Ænea scilicet & Priamo iuniore. Dicuntur Germani, quasi Romanorum germine germinati. Illius enim imperator illam terram Romano subegit imperio, & eam Romanis habitantibus occupauit, & propter hoc debitus ordo requirebat, vt sicut Romani tanquam maiores sacerdotium, sic Germani tanquam minores regnum obtinerent: de eodē enim fonte siue germine Regnum & Sacerdotium processerunt. Quod autem Saxoniæ Dux & Brandeburgensis Marchio ad Regis seu Imperatoris electionem sunt vocandi, hoc est postmodum per quandam necessitatē introductum: quia ad tempus translationis Imperii de Græcis in Germanos, quæ facta fuit sub Carolo rege magnifico, Saxones vel non erant, vel in fide nouelli erant, ac vt tanto commodius in fide & fidelitate retinerentur, ad electionem admissi sunt, cū essent quoq; potentes, & magnarū virium principes. Item nota, quod cum Antichristus venturus non sit, nisi prius Imperium destruatur: indubitanter omnes illi, qui ad hoc dant operam vt non sit imperiū, quantum ad hoc, sunt præcursores & nuncii Antichristi. Caueant ergo Romani & eorum Pontifices, nec peccatis & culpis suis exigentibus, iusto Dei iudicio sacerdotium ab ipsis auferatur. Caueant nihilominus præsules, & principes Germani, ne ipsi per ambitionem temporalis potestatis, iura sibi & possessiones Imperii vendicent & vsurpent: quia, sicut prius dictum est, necesse est vt veniant scandala, væ autem illis per quos scandala fiunt. Necesse est, quia tantus ardor dominandi & habendi cor eorum occæcauit, vt nec velint facere veritatem quam nouerunt, nec ab aliis audire quam ignorant, sicut scriptum est: *Oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient*, &c. Sunt quidam huius temporis clerici & laici, subditi & prælati, qui annales principum & gesta veterum ignorantes, Gallorum, Germanorum, & Francigenarum & Francorum originem & differentiā nescientes, spiritu indignationis inflati, huiusmodi vel in corde vel in ore faciant quæstionem: Qualiter summus Pontifex Romanū imperium per manus magnifici Caroli de Græcis transtulit in Germanos? populū tam rudē, ineptum: qui cum seipsos neq; in ornatu vestium, nec in morum compositione regere sciant, quomodo regnum

regnum totius Ecclesiæ gubernabunt? Vel ideo vtique Imperium remansisse debuit apud Romanos: vel si transferendum fuit, tunc transferri potius debuit in Gallos: præsertim cum hoc tempore Carolus fuerit rex Francorum, & Galli sint homines qui omnibus consideratis sint cunctis hominibus præferendi. Ne igitur propter huiusmodi cogitantium suggestionem humana temeritas immutare præsumat statum sacri Imperii (quod non est dubium, sancti Spiritus ordinatione, secundum qualitatem ipsam & exigentiam meritorum humanorum gubernari & disponi) videatur expediens, vt quædam antiquitates ex multorum scriptis collectæ recitentur, ad demonstrandum quod non euentu vel casu fortuito, sed magis sanctorum principum actum est solertia, vt Romanum Imperium non apud Romanos remanere debuerit, vel transferri in Gallos, sed potius in Germanos. Vnde primo dicendum est de Gallis, postea de Germanis, Francis & Francigenis: & tandem quorundam regum nomina & gesta summarie & compendiose persequar, vt per hoc appareat veritas propositæ quæstionis.

CAP. III.

Diuisio Galliæ, & de Germanis, Francis ac Francigenis, & de habitu aut interpretatione eorundem.

SCiendum est, quod Gallia Europæ prouincia, habens in Oriente Rhenum, magnum fluuium, in Meridie alpes Italiæ, in Occidente terminos Hispaniæ, & in Aquilone mare Britanniæ & Frisiæ. Et Gallia trifarie diuidatur, videlicet in Galliam Comatam (illi enim Galli quadam negligentia comam crescere permittebant) ipsa siquidem Gallia ornatui tegumentorum lineorum & laneorum multum intendebat. Et dicuntur Galli secundum quosdam, à nitore corporum: Γάλα enim Græce, Latine lac, & hanc expositionem vocabuli ego reprobare non debeo, tanquam ab antiquis traditam. Verum etiam est, quod respectu Hispanorum vel Maurorum, nitent corpore aliquantulum albiores: respectu vero circumiacentium prouinciarum, videlicet Saxonum & Anglorum, nullatenus à nitore corporum dici possunt. Huiusmodi igitur dictis antiquorum videtur, quod non incongrue Galli dicuntur propter proprietates quas habent gallo communes: quæ sunt vtiq; triplices, videlicet malæ, bonæ, & optimæ. Proprietates itaq; galli mali sunt istę, supbus, clamosus, luxuriosus, inconstās, pnus ad lites, pronus ad pacem, vnde etiam Galli, qui has proprietates habent, pni sunt vel ad bella, vel ad pacem, & sunt de vili Gallicorum semine. Proprietates vero boni sunt istæ, pulcher corpore, sed pulchrior plumatus quam deplumatus, vestitus quam nudus, audax, hilaris, amatiuus & liberalis: & ideo quorum Gallici has proprietates habent, de nobili Gallicorum prolapia processerunt, & bona consuetudo in eis se mutauit in meliorem. Porro hæ sunt proprietates galli optimi, circumspectus, vigilans, se primo ante alias excitans, gallinas, subditos suos bene regens, & fœcundans: granum ex palea eliciens, & illud proprie distribuens. Hæ sunt proprietates spirituales & mysticæ, quibus pollent præ cæteris boni & idonei prælati. Et hæc de interpretatione Gallorum & Galliæ.

CAP. IV.

Qui primitus munitiones & castra ad Rhenum instituit.

PRimo sciendum est, quod post Troiæ destructionem Æneas & Priamus, magni Priami nepos, cum multis tyrannis & magno exercitu peragrantes Africam, peruenerunt ad Italiam: in qua Æneas cum suo populo regnum cœpit instituere. Sic vera habet historia. Priamus vero transiens in Galliam, Gallicos qui supra Rhenum morabantur de terminis suis expulit, & versus Occidentem retrocedere coegit: ibique munitiones & castra instituens, Troiam videlicet minorem, quæ nunc Xanthus dicitur, & Verona, Bonna nuncupatur, per diœcesim Coloniensem coniuges accepit cum suo exercitu, de mulierib. Teutonicis, eo quod essent corpulentæ & habiles ad prolem fortiorem propagandam. Processerunt enim à Teutonia Gigantes, ex quo Teutonici nuncupati sunt. Et ex iis dictis mulieribus filios & filias genuerunt, ac ipsorum idioma didicerunt.

CAP. V.

De parte exercitus Priami.

TAndem reliquiæ exercitus Priami, cum Treuerensibus pacem firmauerunt, & amicitiam: ibi sedem regni illius prouinciæ, id est Galliæ posuerunt. Est etiam Treuerensis ciuitas, omnium ciuitatum & regnorum totius Europæ antiquissima. Fundata erat octauo anno natiuitatis Abrahæ, à Trebeta filio Nini, qui Semiramidem nouercam fugiens, ne cum ipsa incestum cogeretur committere, illuc deuenit: ibique ciuitatem constituit, quam pro suo nomine Treuerim nominauit. Exercitus autem Æneæ, qui in Italia apud Latinos resederat, istos populos, videlicet exercitus Priami, qui Galliam occupauerant, lingua Latina *Germanos* appellabat, eo quòd illi & isti de tyran-

mannorum germine processerant. Tandem cum hi Germani multiplicati essent, miserunt partem exercitus in Turingiam, vltra Rhenum: & ibidem regnum instituentes, multo tempore reges habuerunt, reges Crinitos: quorum vnus erat Basinus, de quo infra mentionem faciam. Et propter has causas successu temporis tota Teutonia, tanquam à digniori Germania est vocata.

CAP. VI.

Quare dicuntur Germani.

SAluis igitur descriptionibus quæ dicunt, Germaniam Rhenum habere in meridie, & eam esse dictam Germaniam à germinando, cum tamen illis realis veritas quodammodo contradicere videatur.

CAP. VII.

De primo regno Germaniæ.

POstremo cum regnum Romanorum adeo esset dilatatum, vt fere totus mundus ei subderetur: venit Iulius cum Romanis illam sibi terram, videlicet primam Germaniam & totam Galliam subiiciens: & ibidem quam plura castra & ciuitates ædificans, totam Treuerensem, Coloniensem & Moguntinensem diœcesim Romanis habitatoribus occupauit, antiquam germanitatem inter Romanos & illos Germanos renouando.

CAP. VIII.

De pugna Germanorum contra Alanos.

POstea autem quidam populi qui Alani dicti sunt, se Romanis opponebant: vnde exiit edictum à Senatu & populo Romano, vt quicunque illos Alanos compescerent, immunes & liberi à tributo decem annis essent. Quo audito, Germani tam propter dignitatem Romanorum, quam propter libertatem tuendam, Alanos cum exercitu copioso sunt aggressi, & ipsos Romano Imperio subdiderunt.

CAP. IX.

Quare Franci, & liberi Germani.

AB illo tempore præfati Germani liberi sunt vocati: & propter hoc vsque in præsentem diem populus ille procurationes, exactiones violentas, decimas vel tributa naturaliter dedignatur, quia per huiusmodi viles serui conditiones in aliquo suæ libertati derogetur. Isti vero Franci, Germani, & Gallici Comati (quæ omnia vnam gentem significant siue determinant) cum in tantum germinassent, quod terra illa illos commode capere non posset, miserunt partem militiæ versus Orientem vltra Rhenum, qui vsque hodie Franci orientales cum Francis Germanis in idiomate Teutonico concordant: licet illi crassiori, & isti modo mitiori pronuncient, sed habitu vestium & aliis modis in moribus discordant.

CAP. X.

De Francis qui Gallici dicuntur.

ALiam vero partem militiæ miserunt versus Occidentem, inter Sequanam & Ligerim, fluuios famosos: qui ibidem cum mulieribus Gallicis contrahentes, filios & filias genuerunt ex eisdem, & earum mores & linguam Gallicam didicerunt: & vsque modo Francigenæ, quasi à Francis geniti: & eorum terra Francia nominatur, à Germanis siue Francis idiomate discordantes, sed exteriori habitu conformes.

CAP. XI.

In quibus differant Franci Gallici à Francis Germanis.

HOc excepto, quod Francigenæ cultui vestium, & aliis moribus iuuenilibus, sicut torneamentis & cantilenis & ornatui capillorum, tanquam iuniores, vacant & dant operam: Franci vero tanquam seniores, serio se exercent, & discordia plurimum occupantur, ex veteri Romanorum germanitate quodammodo.

Cap. XII.

De pluribus regnis Germaniæ.

IN ista igitur prouincia quæ Gallia dicitur, & modo à Germanis & Gallicis, Francis & Francigenis possidetur, quandoque vnum, quandoque plura fuerunt regna: aliquando similiter, aliquando successiue, sicut modo & diu fuit in Hispania, vbi licet plures sint reges, tamen vnum dicitur regnum Hispanorum. Et hæc diuersitas regnorum & regum in Gallia multas facit diuersitates & contrarietates. In scripturis gesta & antiquitates Gallicorum & Germanorum & Francorum descripserunt, indifferenter his populis hæc nomina imponentes.

Cap. XIII.

De gentilibus Regibus Germanorum & Gallicorum.

PRæterea sciendum est, quod à Priamo supra dicto vsque ad Pharamundum, & à Pharamundo vsque ad Hildricum, omnes principes Gallicorum & reges Romanorum gentiles erant, & pagani.

Qui Hildricus rex Francorum, cum esset lubricus & luxuriosus, Francorum corrupit filias, & vxores violauit: propter quod eiicientes eum ex regno, quendam alium Egidium Valerianum nomine in regem elegerunt. Hildricus vero ad Basinum regem Turingiæ profugit, suum auunculum: ibique incestum faciens, Basini coniugem clam cognouit. Post 7. vero annos mortuus est Valerianus, & Franci Hildricum reuocauerunt: quem Basina secuta est, Basino derelicto. Et successu temporis concepit & peperit filium quem Clodoueum nominauit. Hunc Clodoueum sic de adulterio gentilium procreatum, beatus Remigius baptizauit. Et ab isto Clodoueo omnes reges Francorum Christiani, & ex successione hæreditaria vsque ad Hildricum vltro successerunt. In illo tempore reges frequenter habitabant in Gallia Togata, videlicet Parisiis, eo quod Gallia Belgica ad prædicationem sancti Martialis, discipuli sancti Petri, ad cultum Christianum iamdudum conuersa, reges non curaret, sed sub regibus suis maioribus regebatur.

Cap. XIV.

Pipinus Grossus.

SVb isto Hildrico Pipinus Grossus, secundus fuit post regem Maior domus regiæ, quæ nunc est Palatium tutissimum: à quo Palatio dicuntur nunc comites Palatini, qui olim Maiores domus dicebantur. Hic autem Hildricus rex erat popularis, habens mores regales, & quotidie trahebatur ad theatrum & spectaculum, in vehiculo cum bubalis, & super eodem apparatu vestium vtebatur. Pipinus autem maior domus per omnia vir militaris & strenuus, regnum solicite & regaliter gubernabat sub eodem Hildrico. Vnde factum est, vt ad procurationem dicti Pipini Grossi, Papa, Barones & fideles regis ab ipsius fidelitate absolueret: qui Hildrico destituto, Pipinum in regem elegerunt.

Cap. XV.

De Capitolio Coloniensi.

PIpini vero Maioris domus principale domicilium erat in Colonia Agrippina, in loco vbi nunc est monasterium sanctæ Mariæ in Capitolio. Hoc siquidem Plectrudis dicti Pipini Grossi coniunx, fundauit in honorem genitricis Dei, ibique conuentum monialium congregauit, & ipsum locum multis diuitiis & ornatu sublimauit. Tandem præfatus Pipinus coniugem suam Plectrudem pro tempore deseruit, & ilico concubinæ Alpaidi adhæsit. Super quo dum beatus Lambertus Tungensium & Traiectensium episcopus Pipinum argueret, Dudo dux Ardennæ, frater præfatæ Alpaidis, sanctum Dei Lambertum interfecit. Quo audito, rex Pipinus, videlicet quod Christi sacerdos pro suo peccato martyrium subiisset, rubore & verecundia confusus, reuersus est Coloniam ad Plectrudem coniugem suam, Alpaide grauida derelicta. Cum autem Alpais peperisset, cucurrit nuncius ad regem, vt sibi de natiuitate talis filii nunciaret. Sed inueniẽs Regem inter nobiles & cum sua coniuge sedentem, dixit: Viuat rex, quia Karil: subtili verborum tegumẽto innuens, quod Alpais sibi pulchrũ filium peperisset. Est enim Karil lingua Germanica homo robustus, membra habens magna. Respondit rex: Bonum, Karil. Iste fuit primus Carolus Martellus dictus, qui expulsis legitimis filiis patris sui, Drogone & Grimoaldo, patri suo successit. Erat autem iste tyrannus, multas clero & Ecclesiæ iniurias & damna inferens: propter quod accidit, vt dum ipse moreretur, internuncius Papæ somniauit in vrbe, quod Carolus Martellus rex Francorum corpore & anima duceretur in infernum. Misit ergo papa nuncios ad episcopum Treuerensem, qui aperto monumento serpentem inuenerunt miræ magnitudinis, corpore non reperto.

Iste Carolus genuit Pipinum Nanum, qui respectu patris & aui Nanus videbatur, sed alias in corpore mediocris.

CAP. XVI.

Pipinus Nanus.

PIpinus Nanus duxit in matrimonio Thetbergam, sororem Michaelis Imperatoris Romanorum. Erat autem diebus illis Romanum imperium apud Græcos. Ex qua Thetberga Pipinus genuit Carolum magnum. Iste Pipinus Romanos ab infestatione Longobardorum liberauit, & Romanam ecclesiam multis diuitiis & deuotis obsequiis sublimauit. Quo defuncto, Carolus Magnus eius filius, succedens ei in regno, vt quidam dicunt, anno ætatis suæ 18. accidit vt Papa iterato auxilium Græcorum & Imperatoris aduocaret contra regem Longobardorum, quia simultas erat illo tempore inter Romanos & ecclesiam. Et dum Græci falsa fide Romanis auxilium denegarent, tunc iterum recursum habebant ad Carolum Pipini filium, & Imperatoris Græcorum consanguineum, qui defectum suppleuit auunculi, & Longobardiam cum exercitu copioso ingressus, ipsum regem cum vxore & filio captiuos in ipsam vrbem deduxit: propter quod primo proclamatus est in Patricium Romanorum.

CAP. XVII.

Translatio imperii ad Carolum.

POst hæc Papa Græcis regnum abiudicans, ipsum Carolum in Romanorum Imperatorem (vt dicitur) renitentem consecrauit, anno sui regni 12. Imperauit autem annis 42. & ætatis suæ anno 72. mortuus, & humatus Aquisgrani, vbi sui sancti nominis memoria quolibet anno solenniter celebratur. Vnde quicunque desiderat scire istius sancti viri virtutum insignia, & qualiter in regno huius seculi societatem meruit angelorum, ad præfatum locum (Aquisgranum scilicet) transeat, ibi gestorum eius merita pro laude perlegens Deo omnipotenti referat; qui gloriosi nominis propugnatorem Carolum prodigiis & miraculis tam in morte quam in vita multipliciter honorauit. Verum qualiter dictum regnum Francorum diuisum fuerit in Lotharingiam, Franciam & Germaniam: & Lotharingicum regnum deuolutum fuerit ad Germaniam, & qualiter alter frater fratrem, & consanguineus consanguineum de suo regno exterminauit, & multa alia regna, & aliorum gesta tanquam impertinentia prætermitto: præcipue quia multi de hac materia diuersa & contraria scripserunt, quandoque gesta vnius Regis vel gentis ob amorem vel inuidiam, aut etiam ignorantiam aliis attribuentes. Quæ omnia discussioni legentium committo, nunc reuertens ad propositum principale.

CAP. XVIII.

Qualiter sanctus Carolus instituit & præcepit, vt Imperium Romanorum remaneret perpetuo apud electionem Principum Germanorum.

FActum est quod sanctus Carolus Magnus imperator de consensu & mandato Romani Pontificis ordinationem sibi diuinitus inspiratam instituit, & præcepit vt Imperium Romanorum apud electionem canonicam principum Germanorum in perpetuum remaneret, nec non etiam verum Sanctuarium Dei, id est, regnum ecclesiæ iure hæreditario possideret, considerans quod ipse de Græcorum, Romanorum & Germanorum germine directa linea processisset: & quod ipse pater suus Pipinus primo, & ipse Carolus secundo per Francorum, id est, Germanorum auxilium, Romanam vrbem & Ecclesiam Dei à Lombardorum infestatione liberasset.

CAP. XIX.

Qui principes Electores.

SVnt hi principes Germaniæ, Archiepiscopus Treuerensis, Archicancellarius Galliæ: Archiepiscopus Coloniensis, Archicancellarius Italiæ: Archiepiscopus Moguntinensis, qui est Archicancellarius Germaniæ: & omnes Palatini, à quo olim Maiores domus dicebantur, à qua dignitate progenitores Caroli originem traxerunt principalem. Porro quod ipse Carolus rex Francorum extiterit, & ab illis regnum ex successione ad eum fuerit deuolutum, deinde Imperium, fuisset indecens, quod ipse filios eorum hæredes dignitate regia penitus denudasset.

Cap. XX.

De institutione Regis.

Statuit igitur, vt Francigenæ cum quadam regni portione Francorum regem haberent, de regali semine iure hæreditario successurum, qui in temporalibus superiorem non recognosceret: cui videlicet, tanquam Imperatoris posteritas, ad homagium vel aliud obsequium non teneretur.

Cap. XXI.

Quomodo studium Parisios sit translatum.

Hinc regi, & suo hæredi, recompensationis regni defalcati adiecit Studium Philosophiæ & liberalium artium, quod ipse de vrbe Roma in ciuitatem Parisiensem transplantauit. Et est notatu dignum, quod debitus necessarius ordo requirebat, vt sicut Romani tanquam seniores Sacerdotio, sic Germani vel Franci tanquam iuniores Imperio, & ita Francigenæ & Gallici perspicaciores scientiarum studio ditarentur, & vt fidem Catholicam, quam Romanorum constantia firmiter tenet, virtus & Germanorum magnanimitas imperialiter tenere præcipiebat: & eadem Gallicorum argutiam & facundiam ab omnibus esse tenendam firmissimis approbaret rationibus, & demonstraret. His siquidem tribus sc. Sacerdotio, Imperio & Studio, tanquam tribus virtutibus, videlicet naturali, vitali, & scientiali, catholica Ecclesia spiritualiter mirificatur, augmentatur & regitur. His itaque tribus tanquam fundamento, pariete & tecto, eadem ecclesia tanquam materialiter proficit.

Cap. XXII.

Quare Sacerdotium habeat vnam sedem, Studium vnum, & Imperium quatuor.

Et nota, quod sicut ecclesiæ materiali vnum fundamentum & vnum tectum sufficit, sed vnus paries non sufficit: sic Sacerdotio vna sedes principalis, videlicet Roma: & Studio vnus locus, videlicet Parisius, sufficit. Sed imperii quatuor loca principalia sancti Spiritus ordinatione nouimus attributa, quæ sunt, Aquisgranum, Arelatum, Mediolanum, & vrbs Roma. Studeant igitur illi quorum interest, vt huiusmodi domus integra maneat, & intacta, ne (quod absit) partibus dissoluatur, & fur ille Antichristus, vel sui præcursores intrent aliunde quam per ostium, & gregem ouium interficiant cum pastore.

Cap. XXIII.

Quare dicantur reges Francorum.

Verum à tempore prænotato, reges Francigenarum se fecerunt, & tanquam à digniori reges Francorum appellari voluerunt. Illi autem qui vsque ad hæc tempora reges Francorum dicebantur, non sunt dicti reges Francorum à Francis orientalibus, qui sunt homines grossi & incompositi: neque à Francigenis occidentalibus, qui sunt homines delicati & compositi: sed à Francis Germanis, qui in vestibus à Francigenis, & in moribus à Romanis non multum discordant. Sciendum est, quod & post discessum vel transitum sancti Caroli, multis temporibus Imperatores Romanorum de progenie sua, & de regno Francorum, & non aliunde per principes Alemaniæ sunt electi. Et quod, licet in multis locis legatur, quod ille vel ille rex Francorum, vel Imperator Romanus talem vel talem filium suum substituit in imperio: huiusmodi totum intelligendum est, fuisse factum de electione Principum, & consensu. Postremo vero surrexerunt quidam reges Francorum, qui conuersi in spiritum peruersitatis, præsumebant sacrum Imperium non secundum canonicam electionem, sed quasi hæreditario possidere, & super eo pro successione contendere. Vnde factum est, vt Imperatores tales à defensione reipub. Romanorum, & à protectione sanctæ Ecclesiæ torpescerent: & insuper ecclesias quas eorum progenitores fundauerant, & multis possessionibus & multis priuilegiis dotauerant, inuaderent & turbarent, à vestigiis patrum suorum penitus deuiantes.

Cap. XXIV.

Quare cessauerunt principes Alemaniæ eligere Imperatorem de regno Franciæ.

Propter quod principes Germaniæ electores Imperii dedignantes, de domo illa nullum Imperatorem recipere vel eligere voluerunt: & sic de aliquo tempore vacabat imperium, licet (vt prędixi)-

dixi) rex Francorum faceret Imperatorem se vocare. Hæc Lombardi sentientes, qui olim à Carolo Magno regia dignitate iuste priuati fuerant, & Romanorum imperio confiscati, ad eam se erexerunt audaciam, vt sibi aliquos reges de facto eligerent: quos non solum reges, sed etiam Imperatores non timerent appellare. Propter quam insolentiam, Germani grauiter excitati super huiusmodi turbatione iuris sui, & deformatione sacri Imperii, generale concilium habuerunt cum principibus & nobilibus Saxoniæ, eo quod ipsi nobiles de Francorum gente essent orti. Rex enim Carolus, dum ipse gentem Saxonum prius gladio materiali quam spirituali ad fidem Christianam conuertisset, & eos nulla arte vel potentia in cultu Christiano tenere posset, quin frequenter quasi fera bestia sui regis absentia ad gentilitatis redirent errorem: ipse de populo Francorum viros elegit catholicos, maiores, medios & minores, numero ducenta decem millia, & illos in Saxoniam transplantauit, distribuens eisdem possessiones & terras, prout vniuscunque status & conditio requirebat: & vice versa consimilem numerum de populo Saxonum duxit in Franciam inferiorem: cuilibet ibidem etiam de terris & possessionibus prouidebat, vt sic Franci in Saxonia fidem Christi colerent, & Saxones in Francia eandem colere cogerentur. Propter hanc itaque causam super statu Imperii Germani à Saxonibus, tanquam à suis fratribus consilium & auxilium requirebant. Consensu itaque vnanimi & voluntate concordi decretum extitit, vt ab illo die in antea principes Saxoniæ, videlicet ipse rex Carolus, dux Saxoniæ & comes, ad Imperatoris electionem cum principibus Germaniæ interesse tenerentur.

CAP. XXV.

De electione Principis Othonis Saxoniæ, & quomodo Imperium peruenerit ad domum Ducum.

QVo facto processerunt ad electionem, & inuocato sancti Spiritus fauore, Dominum Ottonem ducem Saxoniæ in regem Romanorum, & futurum Imperatorem concorditer elegerunt. Qui quidem magnifice & imperiose Francorum regibus & Lombardis super Romano Imperio perpetuum silentium imposuit. Et quia de vacationibus & oneribus Romanum imperium, ecclesias & Pontificem Dei in Italia & Germania subleuauit, quia in multis scripturis sufficienter exprimitur, non oportet hic narrare. Porro ab isto tempore, per annos plurimos de domo ducum Saxoniæ Imperatores eligi consueuerunt, propter prædicti Ottonis & quorundam suorum successorum strenuitatem & benignitatem, quam frequenter in fideles & sanctam Ecclesiam exercebant: tandem etiam ex illa propagatione Reges exierunt, qui propter ferocitatem & tyrannidem Romani Imperii indignos se fecerunt. Vnde factum est, vt domus Ducum Saxoniæ non solum Imperio, verum & ipso ducatu, & omni dignitate principatus per iustam principum sententiam priuaretur.

CAP. XXVI.

Quomodo Ducatus VVestphaliæ & Angariæ, ecclesiæ Coloniensi sit adiectus.

ARchiepiscopus siquidem Coloniensis Philippus nomine, Saxoniam intrauit cum exercitu Germanorum fidelium suorum, tribus millibus militum electorum: exceptis armigeris, equitibus, & exercitu pedestri, cuius non erat numerus. Et hoc modo tribus annis continuis Henricum patrem Ottonis Imperatoris, de quo totaliter venerabilem mentionem facere oportet, qui vtiq; regem Angliæ potestatibus & viribus anteibat, impugnans penitus triumphauit, manu potenti ducatum VVesphthaliæ ac ducatum Angariæ sibi auferens: quos ducatus ecclesia Coloniensis vsq; in præsentem diem possidet, & per Dei gratiam in perpetuum possidebit.

CAP. XXVII.

Quomodo Imperium peruenit ad domum Ducum Sueuiæ.

TRanslato itaque Imperio serenissimi principis Otthonis 4. Imperatoris, culpis eorum exigentibus, Electores vota sua in Fridericum ducem Sueuiæ dederunt, post ipsum quosdam de suis successoribus & hæredibus in Reges eligentes. Sed vtrum dictus Fridericus prece, vel precio, vel vitio Electorum gratiam meruerit, nescio. Sed scio, quod Imperatores ab illo tempore parum, vel nihil operati sunt laude dignum, vel vituperio, de pleno consilio & auxilio principum Germanorum, imo per Sueuos & Bauaros ac vlteriores Alemanos Imperium laborare cœpit. Gubernabant ita, vt deinceps non regnum Germaniæ, sed regnum Alemaniæ nuncuparetur: & ita sub Sueuorum Imperio potestas & authoritas imperialis augeri desiit, & vehementius decrescere incepit: cuius decrementi causam & occasionem ego relinquo Guelphis & Gebelinis disputandam.

Cap. XXVIII.

De Friderico vltimo.

VEruntamen qualis Fridericus vltimus fuerit, Propheta insinuat, vbi dicit: *Denudasti gentem siue domum Imperii vsque ad fundamentum*,&c. Dicunt etiam quidam, à longis temporibus vaticinatum esse in Germania, quod de huiusmodi Friderico Germaniæ radix peccatrix erumperet Fridericus nomine, qui clerum in Germania & ipsam Romanam ecclesiam humiliabit vehementer. Dicunt prætera quidam, aliud esse ibidem vulgare prophetatum: quod de Carilingis, id est, de stirpe regis Caroli, & de domo Regum quidam Franciæ Imperator suscitabitur Carolus nomine, qui erit princeps & monarcha totius Europæ, & reformabit Ecclesiam & Imperium, sed post illum nunquam alius imperabit. Qui huiusmodi vaticiniis & incertis prophetiis vult fidem adhibere, adhibeat. Ego contentus sum, quod creator præsidet suæ creaturæ, & quod iusto Dei & irreprehensibili agitur iudicio, vt secundum merita cleri & populi alii habeant aduocatum, alii nullum, sed pro rege tyrannum, ad vindictam reproborum, & ad exercitium electorum.

Cap. XXIX.

Qualiter baculus sancti Petri missus est ad Alemaniam, ex inspiratione Spiritus sancti.

IStis præhabitis, velut ab alio inchoandum est exordio: veruntamen eodem nitendo fine, concludere narranda cum narratis. Cum itaque beatus Petrus apostolus, ad prædicandam Gallis sanctæ Trinitatis fidem, tres viros sanctissimos destinauerat, scilicet Eucharium, Valerianum, & Maternum: & cum hi tres in quandam Galliæ Belgicæ prouinciam, quæ dicitur Elsatia, peruenissent: accidit vt beatus Maternus, in villa quæ Legia dicitur, alias Oli, infirmatus moritur: cuius corpus Eucharius & Valerianus terræ commendantes, eadem qua venerant via, cum magna festinatione, ad vrbem Romanam sunt reuersi. Et dum starent in præsentia sancti Petri, dicebant ei: *Pater sancte, ecce noster collega Maternus mortuus est, & sepultus. Et quia vltro absque tuo mandato procedere non expedit, supplicamus vt alium loco suo nobis adiungas.* Et respondit Petrus: *Non est sic faciendum: sed hæc facta sunt, vt manifestetur gloria Dei coram gentibus. Accipite hunc baculum meum, & cum sepulturæ ad locum perueneritis, extrahite corpus de sepulchro: & supponentes sibi baculum, dicite illi: Materne, mandat tibi* CHRISTVS IESVS, *filius Dei viui, & seruus eius Petrus, vt surgas, & iniunctum tibi officium vna nobiscum exequaris. Sancti igitur Valerius & Eucharius, accepto baculo & mandato Apostoli, ad Legiam, vbi Maternum sepelierant, & die sepulturæ sua quadragesima sunt reuersi: & facientes sicut præcepit eis Apostolus, dicebant: Materne, mandat tibi* CHRISTVS, *filius Dei viui, & seruus eius Petrus. Quo dicto, mox cadauer illud, quod in sepulchro quadraginta diebus iacuerat, spiritum recepit, & anima corpori se coniunxit, & recedit mors: surrexit, & ambulauit cum patribus suis sanus & incolumis. Hoc signo viso fere totus illius prouinciæ populus glorificabat Deum: & baptisata fuit illo die, in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI, *multitudo hominum copiosa.*

Cap. XXX.

Hic Valerianus & Eucharius decesserunt.

SAncti igitur Eucharius & Valerianus ac Maternus, vbique virtutibus & signis ampliabant fidem CHRISTI, baptisantes gentes in nomine eius. Sed Eucharius & Valerianus infra duodecim annos decesserunt ab hoc seculo, regnantes cum CHRISTO. Maternus autem post diem resurrectionis suæ, vixit annis 31. & populum Treuerensem, Tungrensem & Coloniensem ad fidem CHRITI conuertit. Fecit etiam ibidem hoc miraculum, quod in tribus his ciuitatibus, à se inuicem ad modum trianguli plus quam duas magnas diætas distantibus, vna die solenniter tres Missas celebrarit. Et cum etiam populum Treuerensem baptizaret, tanta simul multitudo confluxit, vt eos baptizare oporteret in riuulo qui ciuitatem influit: qui tunc Belgis dicebatur. Et dum oleum sanctum deficeret, misso cœlitus oleo, totus ille riuulus consecratus oleo sacro omnibus apparebat. Et propter hoc idem riuulus Oleuia, quasi olei via dicitur, qui olim Belgis dicebatur. Et ab hoc riuulo Gallia Belgica nomen habet, licet alii dicant aliter. Porro cum sanctus Maternus, post commissum sibi officium, in Colonia moraretur, signo ab angelo dato, corpus eius translatum est ad ciuitatem Treuerensem: & baculus beati Petri apostoli, cum quo resuscitatus fuerat, in partes duas est diuisus. Cuius pars inferior cum corpore Pontificis penes Treuerim, superior vero pars penes Coloniam, & qua decet reuerentia, reseruatur. Et est causa, quare Romanus episcopus baculum non habet Pontificalem, quem vtique beatus Petrus in spiritu prophetico transmisit ad Germanos.

Cap. XXXI.

Allegoria, siue tropus huius historiæ.

IN hac igitur historia quædam sunt literaliter admiranda, & quædam singulariter rememoranda. Quid autem dignius est miraculo, quam quod beatus Petrus in vrbe remanens, per baculum suum, in Germania fratrem suum mortuum suscitauit? & multitudinem gentium huius beati ministerio ad fidem Christi conuertit? Sed per Petrum Apostolorum principem & fundamentum ecclesiæ, nil nisi Regale sacerdotium intelligimus: & per baculum pastoralem, per quem pastor sustentatur, ouis errans ad ouile reducitur, & lupus rapax repellitur, nisi sacrum Imperium, id est imperiale regimen, designatur per baculum: siquidem pastor sustentatur, dum Romanorum Imperator, terrena se induens potestate, summum Pontificem & pastorem ouium, sua reuerentia & honore subleuat & exaltat. Per baculum etiam ouis errans ad ouile reducitur, velut Maternus mortuus resuscitabatur, dum quicunque peruersi Christiani peruersis moribus vel schismaticis, aut aliis erroribus à Romanæ ecclesiæ obedientia deuiantes, de mandato Apostolico, per Imperatorem materiali gladio ad vnitatem fidei reuocantur. Per baculum, inimici Christiani nominis, auctoritate Romani Pontificis, per Romanum Imperatorem conteruntur.

Hunc itaque baculum beatus Petrus Romanus & Antiochenus episcopus, per Eucharium & Valerianum transmisit in Galliam Belgicam, dum Romanus Pontifex magnifici Caroli Romanum imperium de Græcis transtulit ad Germanos. Huius igitur baculi partem inferiorem, sed longiorem, habet ecclesia Treuerensis: superiorem vero & breuiorem, ecclesia Coloniensis: quia licet ciuitas Treuerensis antiquitate sit longior, & præfulgeat quam Coloniensis, multo tamen inferior est potestate & merito. Colonia superiorem partem baculi tenet, quia non solum Coloniensis archiepiscopus Regem Romanorum eligit, sed etiam electum præ omnibus aliis principibus primo tenetur & debet eum consecrare: in hoc Romani Pontificis procurans officium, qui Regem electum canonice in Imperatorem consecrat Romanorum.

Cap. XXXII.

Quod ex præcogitata deliberatione & industria non debeat Regalis, vel Imperialis dignitas deleri.

EX prædictis igitur omnibus manifestum est, quod sicut ecclesia Romana est ecclesia Dei, sic vtique regnum Romanum est regnum Dei. De quo potest intelligi hoc, quod dicit Iesus discipulis suis: *Vobis*, inquiens, *est datum nosse mysterium regni Dei: illis autem qui foris sunt* (subaudi, vanitatibus seculi inuolutis) *omnia fiunt in parabolis, vt videntes non videant, audientes non audiant, & intelligentes non intelligant.* Si enim omnia quæ mystice fiunt in hoc regno Dei, palam cunctis demonstrarentur: non solum carnales & superbi, quinimo ipsi potius veritatem verterent in derisum. Cum ergo, tantorum Romanorum Imperatorum, erga sanctam ecclesiam Romanam deuotio & liberalitas non deberet ad memoriam reuocari, tunc absque regno esset Scriptura: ac sic ex præexcogitata deliberatione vel industria, non redintegrata memoria, de Libro viuentium deleretur, & quare saltem semel in anno pro Rege vel regno Romanorum generalis oratio non fieret? cum etiam fieri consueuit pro Sarracenis & Iudæis, & hanc vtique ingratitudinem & iniuriam Rex regum suo tempore sibi factam reputaret.

Cap. XXXIII.

Quod Romanus Pontifex debet habere diligentiam de studio Parisiensi, & de Imperio, & de Sacerdotio.

INsuper, vt ego vtar propositione singulari, cum verecundius audeo sic sentire, quod ad regnum vniuersalis Ecclesiæ nil competentius expediat, quam vt sanctissimus pater Romanorum Pontifex, qui pro tempore fuerit, diligentiam adhibeat, vt Gallicum studium Parisiense suo tempore floreat & fructificet ad confutandum hæreticorum versutias & errores, & vt Germanorum imperium in suo dilatetur robore ad supprimendas gentes & omnes barbaras nationes, & vt sacerdotium Romanorum in suo robore consistat & firmetur ad congregandos filios ecclesiæ, ad amorem & obedientiam per gratias competentes, & iustitiam expeditam. Hic non est attendenda Clericorum studentium indiscreta dissolutio, cum adolescentiores & delicatiores de cunctis mundi partibus in vnum locum congregati, singuli secum mores suos ferant.

Nec est attendenda Præsulum Germanorum secularis conuersatio, ipsi enim sacerdotium repræsentant Samuelis; qui licet esset Sacerdos, tamen Iudicis officium exercebat ipse, & Regem elegit in Israel, & electum consecrauit. Præsules Germaniæ non sunt illius Vicarii, qui relicto sindone nudus aufugit, sicut Episcopi Italici: sed eius Vicarii, qui dixit: *Domine, paratus sum tecum in vita &*

ta & in morte tecum ire: & in tempore tribulationis eduxit gladium, & amputauit seruo Pontificis auriculam dextram; non amputauit ei pedem, sed auriculam, vt ostenderet quod ei caput libentissime amputasset. Ergo licet ipsi alii ad vocem ancillæ Christum negent, tamen frequenter surgunt fortiores. Nihil enim inordinatum in operibus Creatoris. Et sicut tempus pacis & belli, sic & sunt homines ad pacem & bellum deputati. Confidentius loquor; si Romani Principes cum suis fidelibus Romano Imperatori, tanquam Aduocato Ecclesiæ, fideliter assisterent, sicut in temporibus præteritis consueuerunt, tunc absque dubio omnis potestas contraria esset parua: non solum Græcia, sed etiam Chaldæi contremiscerent cum Ægypto. Aues viso flore cantant & lætantur, sed ad aquilæ intuitum silent & fugiunt: sic omnes barbaræ nationes aliorum Regum insignia despiciunt, sed Germanorum & Romanorum aquilas timent naturaliter & abhorrent. Insuper non est aduertenda Romanorum ciuium, & sibi quasi innata discordia, licet ipsi propter amorem dominandi & habendi sint discordes: tamen per Dei gratiam in fide Catholica tenacissime sunt concordes. Fateor me in præcedentibus ab aliorum scriptis in quibusdam deuiasse: sed sicut ipsi in suis originalibus credunt veritatem vsurpasse; sic ego nullam puto admisisse falsitatem, petens tamen humiliter veniam de erratis.

EXPLICIT CHRONICA MAGISTRI IORDANIS, ORDINIS Fratrum sancti Augustini de Heremo in Conuentu Argentinensi.

Anno Domini 1406.

THEODORICI à NIEM

EPISCOPI VERDENSIS ET CAMERACENSIS, PROTONOTARII S. Roman. Ecclesiæ

EXCERPTA EX LIB. III. DE SCHISMATE VNIVERSALI,

DE POTESTATE PONTIFICIS ATQVE IMPERATORIS; & an Imperator in temporalibus subsit Pontifici.

CAP. VII.

DEO rationabiliter fieri posset per Regem vel Imperatorem Romanum & illos Ecclesiasticos prælatos, nec non populum Christianum, prout ciuiliter intelligentibus est notum, & præcipue interest Imperatoris aut Regis Romani, quod Catholicus, vnicus & mundus Papa sedeat in sede Petri, cum Rex & Imperator sit filius spiritualis Ecclesiæ, ac Rex Regum & Dominus Dominantium, cuius potestas à Deo est: &, vt dicit Apostolus, *qui ei resistit, Dei ordinationi resistit, & sibi damnationem acquirit*, quia in facinorosos aduertit: *non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est.* Quod autem imperium principaliter & immediate pendet à Deo, sicut Ecclesia seu ecclesiastica potestas, patet per rationes euidentes, & sic etiam firmatur & habetur in Decreto, vbi legitur, & scribit Papa Imperatori in hunc modum: *Ecclesia mea, cui Deus noster sacerdotium meum vobis res humanas regentibus deputauit*, &c. & hoc idem in plerisque aliis locis patet in iure. Ex quo infertur, quod fatue & adulatorie loquuntur illi, qui dicunt, quod Papa seu Ecclesia duos habet gladios, scilicet spiritualem & temporalem, cum in Euangelio Petro sit dictum; *Conuerte gladium tuum in vaginam*: & ibidem addita ratione, videlicet, *Omnis enim qui gladio ferit*, &c. etenim si vterque gladius apud Papam existeret, superuacue vel ficte Imperator vel Rex Romanus illud nomen haberet.

Sed isti adulatores seu assentatores per talia scripta & dicta inducunt maximum errorem in tota Christianitate, & suscitant quodammodo perpetuam æmulationem seu discordiam inter Papam & Imperatorem.

Conculcatur enim per hoc Imperialis authoritas, & eius potestas sub dubio collocatur in totius reipublicæ detrimentum, vt videmus. Patet etiam ex decreto, quod cum schisma viget in Romana sede, quod propter authoritatis excellentiam & in temporalibus potentiam Imperator, vel Rex Romanus prælatos Ecclesiasticos potest conuocare, vt illud omnino tollatur: quod credo intelligi

telligi debere de illis, qui re & nomine Imperatores vel Reges existunt Romani: non autem de illis, qui desides, seu solo nomine Imperatores aut Reges Romani sunt, sicuti fuerunt Reges & Imperatores Romani, quos nostro tempore habuimus & habemus. Illi enim non merentur Imperatores vel Reges Romani nominari, qui sunt pusillanimes & effœminati. Exempli gratia, de hoc in Decretis legimus in hæc verba: *Hinc est, cum authoritas Theodorici Regis ex diuersis prouinciis ad vrbem Romanam sacerdotes venire præcepisset, vt sanctum Concilium iudicaret de his, quæ venerabili Papæ Symmacho præsuli Apostolicæ sedis ab aduersariis ipsius dicebantur impingi, Liguriæ & Etruriæ Episcopi seu Venetiarum suggesserunt ipsum, qui dicebatur impeditus, debere synodum conuocare, scientes quia eius sedi primum Apostoli Petri meritum, deinde secuta iussione Domini Conciliorum venerandorum authoritas singularem in Ecclesiis potestatem tradidit, nec antedictæ sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio. Ad hanc serenissimus Rex inspirante Deo respondit, synodalis esse arbitrii in tanto negocio sequenda perscribere, nec aliquid ad se præter reuerentiam de Ecclesiasticis negociis pertinere, committens etiam potestati Pontificum, vt siue propositum vellent audire negotium, siue nollent, quod magis putarent vtile deliberare, dum modo pro venerandi prouisione Concilii pax in ciuitate Romana daretur. Episcopi vero in synodo residentes congregata authoritate eiusdem dixerunt, Symmachus Papa Apostolicæ sedis præsul ab huiusmodi oppositionibus impetitus, quantum ad homines respicit, sit immunis & liber, cuius causam totam Dei iudicio reseruauimus. De clericis vero memorati Papæ, qui ab Episcopo suo ante tempus contra regulas discesserunt, & schisma fecerunt, hoc fieri decreuimus, vt hi satisfacientes Episcopo suo misericordiam consequantur, & beneficiis ecclesiasticis se gaudeant restitui. Laurentius Episcopus Mediolanensis ecclesiæ huic statuto nostro, in quo totam causam Dei iudicio commisimus, subscripsit, Petrus Episcopus Rauennatis sub eisdem verbis subscripsit, & post eum LXXV.* &c. Cum autem ita sit, miserandum est, quare dominus Rupertus modernus Rex Romanus tam frequenter dictum Errorium (*Gregorium*) in eius manifesta pertinacia, schismate ac hæresi contra eiusdem Errorii promissa, vota & iuramenta sponte præstita & totiens repetita foueat & defendat, quod vtique tendit in maiorem scissuram Ecclesiæ. Et quid ad ipsum Regem aliud spectasset in hac parte, nisi quod iuxta formam dicti Canonis immediate præcedentis ad instar dicti Regis Theodorici præfatis Errorio & Petro de Papatu contendentibus seueriter scripsisset atque mandasset, quod vnionem facerent in Ecclesia, ad hoc quod pax fieret, nedum in vrbe, sed in tota Christianitate, maxime cum ad illud etiam irrequisito dicto Rege Ruperto se sponte & libere obligassent, iurassent & vouissent, illudque sibi solenniter intimassent, nec non, vt ad hoc suffragaretur, eundem pariter requisissent.

CAP. VIII.

Gesta atque triumphi Dieterichi de Bern, alias de Verona.

Nimirum igitur si generale Concilium tunc congregatum detulit reuerenter dicto Theodorico Regi magnifico, qui tunc Occidentale Imperium strenue gubernabat, & qui reuera Rex fuit re & nomine, quia non verbis, sed factis gloriabatur: huic enim Romani, Aprutini, Siculi, Calabri, Tusci, Etrusci, Ligures, Veneti, Illyrici, Istri, Foroiulienses, Sueui, Getarum, & Pannoniarum incolæ, atque Galli vsque ad Hispaniam, & multæ aliæ generationes hominum cum summa reuerentia obediebant: hic etiam propter eius liberalitatem, strenuitatem, magnificentiam, nec non in arte bellandi peritiam, & crebras eius cum rebellibus imperio victorias, *Pater Regum*, & *Princeps principum* appellatus est suo tempore: qui descendens à vero Imperatore Constantinopolitano meruit eius effigiem siue statuam Imperiali edicto attante in foro publico eiusdem ciuitatis collocari.

Hic etiam de Græcia veniens per Illyricum & Pannoniam ac demum per Theutoniam appropinquans Veronæ, ibi cum potentissimo Rege Odoacre Principe Ruthenorum, qui tunc Romam & totam Italiam tyrannice occupabat, sibi occurrente conflixit, quem bello campestri deuictum, & vix equi subsidio ad Papiam fugientem persequebatur continue, & ibi denuo bello commisso victor iterum extitit, nec non ipsum Odoacrem ad Rauennam vsque fugauit, in qua per gyrum diutine illum obsidendo tandem viuum sibi transmissum gladio interemit, sicque dominium totius Italiæ, postquam illud idem Odoacer per duodecim annos detinuit, sortitus est, Papa tunc dissimulante, & quod apud eum ipsi duo tunc essent gladii, vt æstimo, non dicente, neque illud coram se in publico prædicari permittente.

Hic etiam Rex Theodoricus excellentissimos & nobiles viros Cassiodorum & Sydonium literarum scientia eruditissimos Cancellarios habuit, qui eum laudibus eximiis extulerunt, vt historiæ per eos descriptæ demonstrant. Hunc etiam Regem Theodoricum Alemani dilexisse videntur, quem adhuc *Theodoricum de Berna* Germaniæ vulgus appellat, nec non quasdam de illo cantilenas in vulgari Theutonico ad ipsius Regis laudem dictauerunt, quæ adhuc plerumque per rusticos & mechanicos decantantur.

Cap. IX.

An Papa delinquens debeat & possit ab Imperatore corripi: & de gestis circa eam rem, atque laude Ottonis Primi, Romanorum Imperatoris.

SEd certe nostri moderni Reges & Imperatores longe in talibus ab eodem Theodorico Rege distare videntur, qui maiori cura priuatum patrimonium suum, quam iura eiusdem Imperii cōseruare conantur. Quod autem imperialis potestas sit præcipue super malum & incorrigibilem Pontificem Romanum, per quem scandalizatur Ecclesia, ex gestis Imperatorum seu Regum Romanorum satis cōstat. Nam Ioannes Papa duodecimus fuit vnicus & indubitatus Papa, qui ante papatum vocabatur Octauianus, de nobili & potenti genere procreatus, qui postquam assumptus erat ad Papatum, venationibus ferarum syluestrium quandoq; interfuit, necnon libidinose ac lubrice viuens cum suspectis mulieribus sortes posuit, ac etiam aliquos ex suis Cardinalibus eum propterea arguentes male tractauit & mulctauit. Quod audiens Otto Primus magnus Augustus de hoc ex corde doluit: ex Germania propterea Romam veniens, eidem Papæ, cur illic venerat, exposuit. Quod audiēs Papa valde timuit, promittens Imperatori, quod eius vitam subito emendare vellet. Imperator autē credens eum ita facturum, ad Papiam è Roma secessit, vbi hyemando remansit, vt scrutaretur interim, si forsan præfati Papæ dictis facta responderent: sed quia difficile est consueta relinquere, Papa ipse nec Deum nec Imperatorem habens præ oculis, mala malis accumulauit. Quod sentiens Augustus irato animo ad vrbem rediit, vt diiudicaret de ipso Papa: qui hoc audiens, vtpote sibi ipsi male conscius, se inde fugæ subsidio è vestigio absentauit ad Campaniam declinando. Sed impiger Imperator Concilium cleri Romani contra eundem Papam in ipsa vrbe conuocauit, in quo dicto Papæ communi voto eius Concilii deposito vir laudabilis famæ & sanctæ conuersationis alter Leo huius nominis Octauus extitit surrogatus. Ipse autem Octauianus ne ad manus Imperatoris deueniret, abdita loca perquirens in ipsa Campania misere diem clausit extremum. Profecto tunc temporis Papa non habuit tot temporalia, sicut Romana Ecclesia nunc videtur habere, quia ipse magnus Augustus & de ipso descendentes, Secundus & Tertius eiusdem nominis Augusti, ipsam Romanam & alias ecclesias in Italia & Germania secularibus dominiis ditarunt, & ita manifeste apparet in libris, quæ super donationibus Ecclesiæ factis per Imperatores & Reges Romanos confecti sunt, & in Thesauraria seu camera Apostolica conseruantur. Præterea tunc erat adeo excellens Augustus, quod nemo contra eius voluntatem aliquem Papam, præsertim malignum, abiectum vel schismaticum ausus fuisset publice confouere: alias certe idem Octauianus, vt existimo, reperisset aliquem potentem, qui ipsum in sua malitia & tyrannide confouisset, nec ciuitatem Auinionensem cum eius mirando palatio tenuit Romana Ecclesia, sed potius magno Ottoni obsequebatur.

Cap. X.

An expediat Reipub. Christianæ Pontificem Romanum rerum temporalium dominiis auctum fuisse, & adhuc ipsa mordicus tenere.

QVid igitur inducit aliud hæc Pompa tantorum temporalium dominiorum, de quibus nunc gloriatur Ecclesia Romana, quam negligentiam in spiritualibus, & erectionem tyrannorum in iisdem dominiis, & diuisiones seu schisma in eadem Ecclesia, & alia mala plurima, satis est notum. Hic etiam Otto magnus duo schismata successiue orta in Romana Ecclesia, dum ageret in Gallia & Alemania, cum ingenti exercitu ad vrbem Romanam rediens manu potenti sustulit: & vnum in Capitolio tunc fortissimo, & alium in Castro nouo sancti Angeli, quod tunc carcer Theodorici vocabatur, loco firmissimo, contendentes tunc de Papatu prima facie cum machinis & aliis rebus bellicis expugnando cœpit, & multorum nobilium ac potentorum Romanorum eos fouentium palatia in vrbe destruxit, & multos eorum iugulauit, seu gladio interemit, sicque ipsas Ecclesias ad vnionem Deo ordinante, perduxit. Et post longa tempora orto alio schismate in ipsa Ecclesia, iterum rediit ad vrbem ipsam, & causa cognita vtriusque contendentis, & clero per Concilium subito conuocato, & vno declarato Papa, alterum scilicet Benedictum Secundum in Saxoniam in exilium deportauit.

Cap. XI.

Quod ad Imperatorem maxime pertineat schismata tollere: Author in Pontifices criminosos inuehitur: & an iuxta Canonum Decreta tales Pontifices à nemine possint, aut debeant iudicari.

ECce quantus & qualis fuit iste Augustus, qui tot laboribus & expensis pro reformatione vnionis in ipsa Ecclesia vltro se submittit, & fœlicior operatus est: nam mali inquietem

alius

aliis præparantes cogendi sunt ad pacem & ad bonum. Regiæ potestatis interest præcipue, vt per eam mali coerceantur à malo, & boni quiete inter malos viuant, vt sacri canones docent, sed non intelligitur de alia potestate, quam Imperiali, quæ omnes potestates temporales excellit. Et omnes quasi Reges mundi & tot prælati Ecclesiastici & communitates egregiarum ciuitatum ad extirpandum schisma nouissimum ab ipsa Ecclesia hactenus efficaciter proficere non potuerunt, nec possunt, & quis tunc disputasset, cum eodem magno Augusto Ottone de ipsius iudicio super contendentes super Papatu seu peruerso vnico Papa, scilicet quod nisi à Deo possint iudicari? Vtinam talis Imperator surgeret temporibus nostris, quia nunc cessaret scripturarum multiplicitates in hoc labyrintho, quæ adeo creuerunt propter multitudinem scribentium in hoc passu, quod vix eos centum cameli portarent.

Clarum est enim, quod omnium Christianorum maxime interest, quod Papa, à quo omnes normam viuendi capiunt, esse debet mundus, non simoniacus, sanguinolentus, adulter, vel lubricus aleator, ebriosus, venator, seu Venereus, vel aliter publicus balatrator. Quis enim sciens Papam esse talem posset sine remorsu conscientiæ aut adulationis vitio illius pedes vel manus osculari, aut illum patrem sanctum cordialiter nominare? Igitur idem Augustus sic faciendo non peccauit vel excessit, quin imo, vt Dei minister, optime fecit, qui fuit adeo gloriosus & constantis animi, Deificus mundusque Imperator, vt eius magnificentia & memoria digna gesta testantur, sicut vnquam fuit Romanus aliquis Patritius, Rex vel Augustus: nec tenetur forte, communi vtilitate suadente, Imperator vel Rex Romanorum, fidelitatis iuramentum præstitum tali peruerso Papæ, vel alteri Ecclesiastico Prælato, notorio peccatori, vel incorrigibili, obseruare, quia ibi VIRTVS deficit potestatis, vbi succedit abusus: & IVRAMENTVM iniquitatis vinculum esse non debet: alias enim sequeretur, quod attante illo iuramento tales peruersos & malos nemo impedire, atque, vt ad viam redirent, admonere posset, quod iuri communi & rectæ rationi repugnat, & cederet in reipublicæ detrimentum: quia non turbando peruersos, cum possis, est ipsos in eorum malitiis confouere, & ERROR, cui non resistitur, approbari videtur. Cum oporteat esse Episcopum sine crimine, quasi dispensatorem Dei, sed multo magis Papam, qui omnibus præest. Nec credo illud obstare, quod Canonistæ dicunt, quod Papa, nisi à fide sit deuius, deiici non possit, & quod nemo iudicat primam sedem, quodque nullus potest auferre authoritatem vel potestatem, quam conferre non potest.

Ex his & similibus volunt inferre, quod nemo nisi solus Deus, Papam potest, seu licet iudicare, quia Papatus omnes dignitates excellit, quia Papa est Dei vicarius, & ipse omnes iudicat. Quæ licet ita teneantur, tamen in putatiuo & contendente de Papatu in schismate variantur nec subsistunt, nec etiam intelliguntur rationabiliter in vno & indubitato Papa, malefico & Ecclesiam scandalizante, quia ille reuera dici non potest Christi vicarius, quia Christi opera & mandata non sequitur, nec obseruat, in detrimentum maximum Christianorũ: & sic non Papa sed bestia magis proprie appellatur, qui enim à ratione deuiat, non homo sed animal irrationabile iure censetur. Et talis existens Papa videtur etiam esse tyrannus potius, quam Dei minister, & ideo propter eius demerita fit omnibus despectior, &, vt indignus à tanto regimine sanctissimo remouetur: quia malus sacerdos non dicitur sacerdos, & malus Episcopus non est Episcopus. Hoc probare videtur authoritas Euangelii, vbi dicitur Petro conditionaliter; *Si diligis me, pasce oues meas*: ex quo infertur, quod qui non diligit Deum, scilicet si est simoniacus, adulter, vel alias publicus peccator incorrigibilis, non meretur esse, nec est verus pastor ouium, sed mercenarius siue lupus, quia boni & veri pastoris officium non exercet, & ideo poterit & debet per alios iudicari.

IOHAN-

Anno Domini 1407.

IOANNIS EPISCOPI, LEODIENSIS, S. ROMAN. ECCLESIÆ CARDINALIS, S. ROM. IMPERII Principis, Ducis Bauariæ & Bullionæ, Comitis Hollandiæ, &c.

EPISTOLA,

QVATENVS PAPÆ SIT OBEDIENDVM,

Scripta ad Theodoricum à Niem, Protonotarium Romanæ Ecclesiæ.



ENERABILIS amice charissime, scripta vidimus per latorem præsentium oblata, quibus per singula respondere non permittit temporis angustia, & etiam lator ipse causam latius referre poterit: vnum non intendemus omittere, quod ab obedientia & iustitia hactenus obseruatis nunquam recedere certum est, iuramentis & obligationibus efficacissimis est firmatum, & sic apparet mendacissime illa, quæ scribitis, fuisse diuulgata. Vnum solum est studium vsque ad mortem inclusiue persequendum, votis, promissis & iuratis, atque per mundum vniuersum iam publice diuulgatis, & vnioni Ecclesiæ velle insistere, & sic authoritatum rationumve multiplicata congeries locum habebit, suosque intellectus locis & temporibus coarctatos. Ita tamen est, vera & sana doctrina, quæ in nullo aduersatur eisdem, quod Deo magis obediendum est, habetur.

Si enim illa Papa mandet, vel ad ea cogere vellet, quæ animas in præcipitium ducunt, & animæ perditionem includunt, sibi non fore obediendum iure diuino & humano notissimum est, secundum Doctores sanctum Augustinum, Ambrosium, Bedam, & alios, imo non obediendo & propter hoc eius seueritates sustinendo & censuras meretur homo. Ista pro nunc sufficiant, tacemus de modis hactenus obseruatis in faciendo & non faciendo, & lapsu temporis tanti, in quo quid & quantum actum sit in causa Dei, & sub quibus coloribus & quantum fundatis, ex quibus quanta affectio fuit tollendi schismatis, & si illa ad fautoriam magis pertineant, non intendimus nos dilatare. Postea tamen de hoc videri poterit plenius, & quid mundus, quoad hoc, reputet aut teneat, vnusquisque poterit perpendere. Vnum est, quod nihil aliud agitur, quam mundo & Christianitate languentibus, & conscientiæ atque famæ prouidere cum omni sinceritate & charitate, prout cunctis hoc fiet manifestum. Aliud, præmissis non obstantibus, cum festinantia duximus adiungendum, quod quicunque sunt illi, quibus talentum à Domino quale & quantum cuique creditum est, maxime qui statu ecclesiastico gloriantur, suntque illuminati scientia, & se vnionis zelatores esse profitentur, se ad currum deberent adiungere, & etiam cooperatores existere, & illi maxime quibus innotescit, quanta fuerunt hactenus adhibita molimina non ad vnionem veniendi iuxta promissa & iurata, sed potius impediendi, & ea pro posse improbandi. Scripta Pisis altera die Ascensionis.

THEO-

THEODORICI à NIEM
EPISCOPI VERDENSIS ET CAMERACENSIS

EXHORTATIO

AD DOMINVM RVPERTVM REGEM ROMANORUM, vt surgat à diuturno somno, quodque vt extirpetur schisma Pontificum ab Ecclesia, & Iura Imperii reformentur, intendat.



ERENISSIMO Principi, Domino RVPERTO Regi Romanorum, animum virilem, & pro republica, vt propriis, semper dispositum & paratum. Dominatur excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud. Ecce postquam de Mense Augusti proxime præterito Dominus Gregorius Papa duodecimus, disposuit cum eis curia ab vrbe recedere, prout postea fecit, Dominum Cardinalem de Transtyberim iuniorem ætate cæteris omnibus Dominis Cardinalibus, in spiritualibus, & Paulum de Vrsinis Capitaneum gentium armigerarum tunc & diu ante Ecclesiæ generalem, in temporalibus, rectores eiusdem Vrbis, pro se interim, quod absens esset ab eadem vrbe, deputauit: qui postquam ipse Dominus Papa recessisset ab inde, infra paucos dies inceperunt circa mœnia dictæ vrbis, & extra vias insolita fossata facere, nec non vrbicolas ad laborandum in illis diebus pluribus aggregauerunt, vnde multorum vineæ destructæ aut deminutæ fuerunt.

Postquam hæc autem, vt populus vidit diligentiam pro eius securitate fieri, annuit pro vberioribus impensis stipendiariis faciendis, quod gabellæ prius satis onerosæ in vrbe ipsa duplicari deberent, prout factum fuit mora cessante: ac successiue pro tractu aliquarum Septimanarum Rectores ad hoc vt multiplicaretur eorundem stipediariorum numerus, imposuerunt horribilem mulctã clero vrbis præfatæ, ascendentem ad triginta millia florenorum aureorum, quam pœnaliter etiam per captionem & detentionem in carceribus multarum personarum Ecclesiasticarum, secularium & regularium, ac etiam distractionem multorum sacrorum valorum & pretiosorum, rotalium, Ecclesiarum & monasteriorum finaliter reportarunt: multos etiam priuatos ciues, & incolas habitatores dictæ vrbis exactionarunt, quemlibet iuxta eius statum, exinde varias & magnas pecuniarum summas quomodolibet reportando. Interim vero creuit fames in eadem vrbe, potissime nuper in Quadragesima, ita vt difficulter panis aut granum venalia reperirentur in ipsa, quamuis maxima in eadem vrbe grani abundantia existeret: sed habentes illud auaritia obcæcati semper, vt carius fieret, præstolantes, veteri more ipsorum, neque dare neque vendere competenti pretio illud indigentibus voluerunt: vnde maledictio venit merito super eos, iuxta id Salomonis, *Qui abscondit frumenta in tempore famis, maledicitur in populis: benedictio autem super caput vendentium*, Prouerb. vndecim. Committebantur etiam impune multa scelera, inter & prope ipsam vrbem: nam accedentes ad illam peregrini, & alii crebro spoliabantur rebus eorum, & male tractantur per stipendiarios & latrones, & inprimis in septimana sancta centum peregrini, vel circa, innocenter & crudeliter pro eo, quod spoliantibus ipsos resistere in Romanorum districtu conabantur, per aliquos Satellites dicti Pauli interempti fuerunt.

Hæc & innumera alia flagitia intus & extra ipsam vrbem quotidie perpetrabantur impune: quorum clamorem tandem, vt æstimo, diuina iustitia pie respiciens, & tacentibus & dissimulantibus ipsis, ad quos talium correctio pertinebat, salutare volens remedium adhibere, suscitauit Spiritum Domini Ladislai Regis Siciliæ contra Romanos, qui nuper in eadem septimana sancta Romæ cum Galeis per mare, & gentibus armorum per terram cum valido exercitu appropinquauit, tamen in qua forma & qualiter id fieri debuit, factumque extitit: iam sunt sex septimanæ, vel circa, præteritæ. Apud nos in Romana curia publice dicebatur, quod Rex prima die expugnauit Ostiam, quæ est præsidium portus Romani circa mare, quam quidam nobiles Romani, mihi noti, mediocris status, tunc pro quadam pecuniæ summa titulo pignoris tenuerunt, vbi hostes modicam resistentiam receperunt. Capta igitur ciuitate Ostiensi nunc modica, terra, olim autem magna & opulenta ciuitate, vt veteres & horribiles visu eius ruinæ testantur, vi per Regem & eius exercitum ante dictos, inter quos etiam fuerunt Columnenses Barones, & nonnulli alii ciues Romani, ipsi vlterius versus eandem vrbem iter egerunt. Sed qualitercunque Rex burgum sancti Petri, scilicet ciuitatem Leoninam absque effusione sanguinis subito subintrauit: quia

Non opus est gladiis, vbi vox submissa triumphat.

Dictus vero Cardinalis, qui prope Basilicam Apostoli in palatio populi morabatur, hoc sentiens, ilico fugam cœpit extra vrbem antedictam, & nisi per aliquas gentes armigeras dicti Pauli tunc bene associatus extitisset, ad manus eorundem Columnensium sibi per iter insidentium vbique peruenisset: qui tamen hodie, vel cras hic erit. Dictus autem Paulus factus est capitaneus generalis exercitus huiusmodi Regis eiusdem, promisitque ipse Rex præfatus, quod omnia castra & terras per eum quomodolibet ablata illis de domo Vrsinensi restituet incunctanter eisdem, nec non ipse habebit singulariter sibi recommissos, ac prosequetur honoribus & gratiis multis ac magnis. Die vero imminenter sequenti, postquam Rex ipse taliter vrbem habuit, granum minus valuit vno floreno, quam ibidem per tempus aliquod inantea vendebatur: fecit enim Rex ipse in signum tantæ, tamen absque bello, victoriæ aliquos Milites, inter quos erat Ludouicus nepos domini Innocentii Papæ Septimi, qui quidem Ludouicus domino Innocentio nunc viuente, vndecim regentes tunc in vrbe mactauit, necnon Sutrios de Paterno, qui sunt magni capitanei in eodem exercitu Regis memorati.

Et quod sic negocia hucusque in vrbe ac circa eam processerint, vt hic communis fama laborat, nimis multa & certa indicia manifestant, & adhuc sunt hic Ambasiatores dicti Regis, qui raro, vel nunquam nobis, postquam de Roma ipsa nouissime recessimus, defecerunt, imo semper nos consecuti fuerunt. Butigallus autem gubernator dominii ciuitatis Iannensis pro Rege Francorum, nuper misit vndecim galeas armatas in subsidium Romanorum contra galeas & naues Regis præfati: sed tarde venere Bubulci: quia percipientes in via, quam in mari tunc fecerunt, iam Regem præfatum Romam pacto subintrasse, moræ sublato dispendio ad propria sine bello reuersi fuerunt. Et citius illuc iuissent, nisi maris tempestas per dies aliquos tunc impediuisset eosdem: quia sic forte dispositum erat desuper. Sed quæ & qualia inde sequentur, futurus declarabit euentus, & iam proinde terribilia pullulare incipiunt, quæ toti Christianitati sunt maxima dispendia verisimiliter productura.

Quid autem nunc profuit dicta fossata fecisse? quid denique expediens erat sic spoliari Ecclesias & templa Dei, sacris vasis & Rotalibus, Deo & eius sanctis ac deuotis Christicolis consecratis, ac denudare irreuerenter multorum ipsorum sanctorum venerandas reliquias, tunc auro, & argento, & gemmis pretiosis, etiam ipsorum Christianorum bonis & laboribus deuote in eisdem Ecclesiis ac monasteriis reconditas, nec non ipsas reliquias viliter reiicere, aurumque & argentum huiusmodi exinde tractatum in vsualem monetam redigere seu conflare, ac tempore oportuno nihil resistentiæ seu virilitatis ostendere, saltem tunc fictis ac veris hostibus eorundem? sic etiam, vt hic fertur, idem contigit in Verona Vicentia & Padua, necnon Pisa ciuitatibus egregiis & splendidis Romani Imperii, quæ nunc væcordia & desidia illorum, qui eas merito protexisse atque conseruasse debuissent, passim ad manus mercatorum etiam taliter deuenerunt. Et quid mirum, quod talibus non dicam, diuinorum & humanorum iurium transgressoribus & sacrilegis male accidat, qui Deum & sanctos eius, à quibus præsidium, præsertim vrgente necessitate, postulare deberent, omni timore postposito ipsius Dei, hominumque verecundia, necnon in pessimum exitium aliorum insipienter offundunt? Puto, quod tales non aduertunt, qualiter Heliodorus, qui templum Dei in Hierusalem eius thesauris spoliare nitebatur, iusto Dei iudicio, à duobus illis iuuenibus flagellis creberrime cædebatur: vnde fusa oratione summi Pontificis ad Deum pro eius saluatione, & sic dono Dei & flagellatoribus liberatus, ipse Heliodorus gratias Pontifici, & recepto exercitu repedat ad Regem, Cum autem Rex interrogaret eum, quis aptus esset adhuc semel Hierusalem mitti: respondens ait; *Si quem habes hostem, aut regni insidiatorem, mitte illum & flagellatum eum recipies: si tamen euaserit, eo quod in loco isto sit veri Dei quædam virtus*, vt legitur secundo Machabæorum tertio. Præterea non legerunt istud, puta Danielis prophetæ, vt dicit Balthasari Regi Chaldæorum; *Tu quoque non humiliasti cor tuum, sed aduersus dominatorem cœli eleuatus es, & vasa domus eius allata sunt coram te: & tu & optimates tui, & vxores concubinæque tuæ vinum bibistis in eis. Porro Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, & eius nomen non glorificasti. Idcirco diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis*, Danielis quinto. Hic tamen Balthasar Rex non recepit illa, sed pater eius, de templo: nec ea conflauit in monetam, sed tantum ad vanam gloriam illa vice vtebatur eisdem: veruntamen pro illo in persona mortem, & regni sui perpetuam destructionem etiam diuinitus reportauit.

Nunquid etiam legitur in historiis Romanis, quod rex VVandalorum paganus, Roma per ipsum vi capta, tempore beati Hieronymi sub pœna capitis prohibuit suis omnibus, ne aliquam personam Ecclesiasticam vtriusque sexus, secularem vel regularem offenderent, aut sanctorum reliquias seu iocalia, durante quadam die integra, reciperent, vel auferrent? Et vt dictum suum inuiolabiliter remaneret, in eius propria persona per totam vrbem tunc captam semper ipsum, vsque ad dictam Basilicam sancti Petri presbyteros & clerum die illa processionaliter cum eorum reliquiis & iocalibus illic fugientem associauit, nil eis penitus auferendo, aut aufferri per suos permittendo. Ex quibus (proh dolor) elicitur, quod quia pro magna parte nunc Christiani circa hæc & alia, quæ fidei nostræ religionem respiciunt, sunt nimis tepidi: imo ad offendendum Deum & sanctos huiusmodi feruidi & procaces, quod mundus diuersimode iam affligitur, nunc inauditis per prius frigoribus ac schismatibus in Ecclesia & Imperio Romanorum,

rum, necnon crebris guerris, famæque ac mortalitate grauatur, vt verificatur id Salomonis: *Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos. Laudaui magis mortuos, quam viuentes, & feliciorem vtrisque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.* Surgite ergo vos pigri & desides Principes, qui turbis præsidetis, ac tot malis resistite aliquando, quia *data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, quoniam interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, neque custodistis legem iustitiæ, nec vigilanter vobis commissa ministeria peregistis, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet: exiguo enim concedetur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* O Rex gentium & desideratus eorum veni, propera, accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: reuoca memoriæ hominum magnifica facta quorundam tuorum prædecessorum etiam nationis Alemaniæ, qui rempublicam feliciter & strenue gubernarunt. Præterea in secundo anno assumptionis tuæ ad regni fastigium, si bene recolis, Ruperte Rex, Marchiones Misnenses amici tui, & pene omnes nobiles & Barones regni Bohemiæ, propter inordinatum regimen Regis VVenceslai, respicientes, quod ipse tuos progressus vbique nitebatur modis omnibus impedire, contra ipsum Regem in simul concordarunt, quod eum tibi subiicerent manu forti, dummodo eis in hoc potenter absisteres, vt sic vnicus gloriosus existeres, ac insignia Imperialia per eundem VVenceslaum Regem tunc & hodie præter omnem iustitiam occupata, prout tuam deceret gloriam, recuperares ab ipso. Et quamuis libens tantam oblationem tunc assumeres, ipsisque tuis, quod vel in propria persona, seu per vnum de tuis filiis cum mille lanceis strenue auxiliari velles, dummodo ipsi tantum negotium inciperent, fideliter & constanter promisisses, tamen, postquam illi promissa eorum obseruauerant, & dictum Regem VVenceslaum in Praga Boëmiæ vnica Metropoli valida obsidione per vnum mensem & vltra constringerent, credentes, quod eis vtique magnifice subuenires pro reipublicæ vtilitate, non venisti illuc, nec alium loco tui misisti ad eos, qui tantum negocium in se sub tua spe, fideque, licet fatue, susceperunt. Vnde postea tantus exercitus idoneo capitaneo carens, aliquibus receptis promissionibus ab ipso Rege VVenceslao, sed eis per ipsum minime seruatis, ab obsidione huiusmodi, desperato tanto negatio remanente, recesserunt, tuque propterea saltem insigniis huiusmodi & obedientia dicti Regis VVenceslai caruisti, & cares hodie: multique eorum, qui tunc in eadem obsidione propterea rebus & corporibus eorum destructi sunt. Sed tanta desidia & negligentia, quæ redundat in totius Christianitatis & reipublicæ maximum detrimentum, indirecte in alia vocabula, scilicet in pietatem & misericordiam tibi à rudibus conuertuntur: sicque Rex piger & negligens, pius & misericors appellatur ab illis: de quo tamen tibi, vt æstimo, non est cura, quia extra Heidelbergam non est vita. Venisti etiam ante tempus congruum & contra consilium tuorum Principum ad Italiam, in qua tunc aduersarium potentissimum reperisti, te potius auaritia, quam virtutis gloria stimulante. Sed abinde paulo post lares proprios repetisti, tamen nihil vtilitatis in ipsa Italia disponendo, sed post hoc infra paucos menses mortuo dicto aduersario, & non apparenti tibi aliquo valido aduersario in eadem Italia, illam extunc imperialiter visitare, ac in eadem iura reformare dicti Imperii non curasti. Credis forte, quod hæc & alia tua facta in tui gloriam non scribantur: imo iam de illis membranæ plurimæ, nisi me fallit opinio, denigrantur. Scio, vt leges tuæ dicunt, quod Romanus Princeps dicitur communis omnibus post Deum, & quod per eius maiestatem iuratur, quæ secundum Deum generi humano est diligenda & colenda.

Nam Imperator cum Augusti nomen accepit, tanquam præsenti & temporali Deo fidelis est præstanda deuotio, impendendusque peruigil famulatus, qui Deo regnat authore: sed subaudi, quando magis publico, quam priuato bono princeps intendit. Igitur exurge Domine, & visita viridarium tuum, & oues pascuæ tuæ, quia nihil pigrius est amante. Tolle moras, semper enim nocuit differre paratis. Vsque quo piger dormis? quando consurges à somno tuo? Deus erit adiutor, si veneris, nec timeas quenquam, quia qui timet hominem, cito corruet: qui sperat in Domino, subleuabitur, quia Rex qui in veritate pauperes iudicat, thronus eius firmabitur in æternum. Tu autem apud Rhenum iam diu cubando, de subditis tuis in Italia, & alibi in remotis partibus, infinitis oppressis calamitatibus, modicum vel nil cogitas, dicendo, quid ad nos, de his quæ foris sunt? quod volui, apprehendi: transite ad me omnes qui concupiscitis me; dulcis amor patriæ, hæc requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Absit hoc à te, absit omnino, quod effeminato conuenit Sardanapalo, non autem Regi magnanimo & diligenti. Sed parce vera dicenti: Quid frustra scriptis & dictis te fore Cæsarem Augustum gloriaris? nempe sub typo negligentiæ, ac torpore circa imperium commissis per tuum prædecessorem immeritum ad culmen imperii deuenisti, asserens tunc te velle facere mirabilia, & quod schisma in Ecclesia per triginta annos iam induratum tolleretur, omnino fideliter & constanter laborare, & omissa, necnon neglecta etiam desidia ac pigritia per dictum prædecessorem recuperare pro posse: qui tamen pro decisione prædicti schismatis nihil hactenus efficaciter fecisse videris, ac etiam nihil extunc de iuribus Imperii recuperasti, imo pene totum residuum, te dissimulante, quomodolibet perdidisti, ita quod prius bruchus non comedit, te regnante eruca consumpsit. O peruigil custos Imperii, ô prope & quasi Cæsar Augustus. O bellator & triumphator eximius. Quid cogitas sic agendo? credis forsan verbo defendere ac inquirere cuncta, ignorans quia scriptum est; *Non verbis, sed factis prosperare debemus,*

mus, & nomina debent esse consona rebus. Vtaris igitur eodem nomine Romani Principis verbo tantum, prout fecisti hactenus. Sed ipse Laudislaus Rex nunc Tertius in ordine Regum Romanorum insimul concurrentium, seu tales se appellantium, non scriptis sed factis se gloriatur. Tu dormis, & ille vigilat: quem, vt fertur, ipsi Romani iam Imperatorem Romanum appellant. Cuius autem culpa, nisi negligentia tua? si fas est loqui verum. O quot effudit ille Ladislaus Rex millia florenorum, ante quam Romam totaliter attingere posset? Quæ, qualisque hic & vbique locorum infamia, ex tanta tua desidia & væcordia tibi orta est, qui olim credebaris esse liberator magnificus fidelium imperii, etiam in partibus istis? Sed cum sonitu transiuit illa spes, & vt virgula fumi euanuit subito in seipsa. Cumula nunc, & sarcina fortiter tibi thesauros transitorios, quibus diu gaudere non potes. Nescis, quia scriptum est; *Melius est nomen bonum, quam vnguenta pretiosa multa?* Dic mihi, quæso, vbi remanserunt duodecim illæ statuæ aureæ, quæ bustum Magni Alexandri sustentabant. Vbi denique illæ magnæ sunt diuitiæ prædicti Salomonis in cuius tempore argentum, sicut æs, & ferrum in Hierusalem habebatur? Et vbi remansit æs fusum, quod Marcus Crassus in tam magna copia recepit à templo memorato? Dic etiam mihi, rogo, vbi est illa statua grandis Nabuchodonosoris aurea tota, quam pene totus populus, vrgente Regis Imperio, adorabat? Vtinam possideres, & tunc forsan aliquid notatu dignum pro salute imperii efficere cogitares.

Hæc & multa similia euanuerunt, æra refulgentia perierunt, & ad nihilum tractu temporis deuenerunt: tamen facta multorum magnificorum virorum memorabilia adhuc in magna copia conscripta videntur. Quid autem ad laudem carthulæ faciat, tu ipse perpende. Quæso esto vir de cætero sequendo eorundem tuorum prædecessorum cōmendanda vestigia, quorum hactenus apud mortales celebris memoria per tuam desidiam per orbem vndique offuscatur: cito etenim authores aliquod prouerbium propter tam inexcusabilem tuam desidiam omnibus Alemannis imponent, sicut de aliis nationibus dicunt, vbi gratia non est militaris, certe neque virilis habitatio, in Cypro in qua fastus Gallicus, Syra mollities, Græcæ blanditiæ ac fraudes, quæ vnam videlicet in insulam conuenēre. Heu timeo frustra laborare iuxta id, durum valde, grande aliquod debere, cui nolis: si tamen Romani nominis adeo pudet, consulo Romanam abiice dignitatem, non occupando illam inutiliter, prout fecisti hactenus in Catholicæ fidei detrimentum. Vale feliciter, prout opto. Scripta 1. die Maii.

MAGISTRI IOANNIS CARLERII DE GERSON SACRARVM LITERARVM DOCTORIS RESOLUTISSIMI & Christianissimi, ac Cancellarii Parisiensis

OPERA DE ECCLESIASTICA ET POLITICA POTESTATE.

TRACTATVS IOANNIS DE GERSON CANCELLARII Parrhisiensis de potestate Ecclesiastica & de origine iuris & legum, editus Constantiæ tempore Concilii generalis.



Roemium, quod expedit inquirere de ecclesiastica potestate.

In prima consideratione describitur potestas ecclesiastica per causam quadruplicem.

In secunda distinguitur potestas ecclesiastica multis modis: & ostenditur, quod potestas ordinis est æqualis in omnibus sacerdotibus, quo ad consecrationem corporis Christi.

In tertio ostenditur, quod potestas ordinis non est simpliciter æqualis in omnibus sacerdotibus & episcopis.

In quarta ostenditur, quid sit potestas iurisdictionis in foro exteriori.

In quinta ostenditur, quid sit potestas iurisdictionis in foro interiori, & de duplici subiectione.

In sexta ponitur quatruplex distinctio vtilis & necessaria pro intellectu sequentium.

In septima quid dicendum sit de ecclesiastica potestate, dum cōsideratur formaliter & absolute.

In octaua quid dicendum sit de ecclesiastica potestate, prout consideratur respectiue & quodammodo materialiter seu subiectiue.

In nona quid dicendum sit de ecclesiastica potestate, dum consideratur quo ad vsum vel exercitium: & illic fundatur suprema plenitudo ecclesiasticæ potestatis.

In

In decima ostenditur quod in Papa est plenitudo ecclesiasticæ potestatis & describitur.

In vndecima ostenditur qualiter plenitudo ecclesiasticæ potestatis sit in ecclesia vel generali concilio.

In duodecima ostenditur de plenitudine potestatis Papalis per respectum ad bona ecclesiasticorum & laicorum.

In decima tertia fundatur omnis potestas à prima iustitia variis & multis membris.

Potestas ecclesiastica debet ab ecclesiasticis quid & qualis & quanta sit agnosci. Habet hoc itaq; fieri: vt & honoretur cognita, cum Deus dederit talem potestatem hominibus: & in suis terminis honorata seruetur, ne plus debito falsæ eam opiniones vel deprimant vel exultent. Quoniam primum est sacrilegæ impietatis. Alterum de adulatione pestifera suspectum est. Constat igitur, quod de potestate ecclesiastica disputare vel inquirere nedum licet, sed decet & expedit, tantummodo sit intentionis oculus simplex & rectus. Quid ni sic liceat cum de ipsius omnipotentis Dei potestate crebro fiat absque omni temeritate conquisitio. Hæc me consideratio mouit, vt de potestate ecclesiastica sub pauculis considerationibus dissererem, quatenus materia, quæ quodammodo videtur infinita, sicut tractari solet ab aliquib. per auctoritates & allegationes, resolueretur ad paucos certos, & claros terminos, per descriptiones & diuisiones resolutiue procedendo, allegationum confusione dimissa, quales apud doctores inuenire non est difficile; Cæterum non vsurpo nunc in hoc opusculo vel aliis me dicturum aliquid, quod alibi non inueniatur, sciens illud Comici: *Nullum est iam dictum quod non dictum sit prius*. Satis est si ex bene inuentis & doctrinis aliorum ego meis verbis meo ordine fauum aliquem veritatis instar apum propria quadam arte compingam. Fiet autem initium quid nominis terminorum: quoniam hoc ignorato paralogizantur faciliter inquisitores veritatis. Erit vero finis de origine iuris & legum.

CONSIDERATIO I.

POtestas ecclesiastica est potestas, quæ à Christo supernaturaliter & specialiter collata est suis Apostolis & discipulis: ac eorum successoribus legitimis vsq; in finem seculi ad ædificationem ecclesię militantis secundum leges euangelicas pro consecutione felicitatis æternæ. Hæc descriptio data est per causam quadruplicem secundum quam distinguitur potestas ecclesiastica ab alia qualibet potestate. *Potestas* ibi ponitur pro genere. Est autem potestas facultas propinqua ad exeundum in actum. Propinqua, inquam: quia secũdum facultatem remotam & obedientialem non est impossibile apud Deum omne verbum. Porro notatur causa efficiens principalis cum dicitur: *à Christo supernaturaliter collata*. Causa vero materialis vel subiectiua signatur cum subditur: *suis Apostolis*, &c. Causa formalis insinuatur, cum dicitur: *secundum leges euangelicas*, dant enim formam vtendi. Deniq; causa finalis cõcluditur. *Ad ædificationem ecclesiæ militantis pro consecutione felicitatis æternæ.* Additum est hoc aduerbiũ specialiter, ad exclusionem donorum supernaturalium; quæ omni viatori possunt esse communia: sicut sunt fides, spes, charitas, prophetia, timor, pietas & similia. Vnde & *ecclesia* contracte sumitur, dum loquimur hic de ecclesiastica potestate, pro illis videlic. qui speciali quodam signaculo dedicati sunt ad diuinum seruitium; à clericatura quæ infimum tenet gradum, vsque ad supremum, quo Papa decoratur. Fallor si non sit hæc descriptio propria competens omni & soli ecclesiasticæ potestati: quoniam omnis alia potestas vel est naturaliter indita quo ad causam efficientem: vel est secundum leges naturales aut humanas regulata quo ad causam formalem: vel est ad finem naturalem immediate & principaliter ordinata: vel denique quo ad causam subiectiuam radicatur in habentibus eam secundum dona naturalia: etiam vbi supernaturalia non adessent: qualia sunt fides, spes & charitas.

Vnde potestas secularis conuenit aliis, quam Christianis baptizatis. Potestas autem ecclesiastica de necessitate fundatur in dono supernaturali: sicut est character baptismalis de communi lege: qui character in viatoribus eos de ecclesia militante reddit, facit insuper idoneos & capaces ecclesiasticæ potestatis. Fatemur itaque quod charitas seu gratia gratum faciens valde decens est in suscepturis, vel iam habentibus ecclesiasticam potestatem: non tamen exigitur pro dando titulum, quasi sine ea nequeat in aliquo fundari vel subsistere potestas huiusmodi.

Hic enim fuit error verus VValdensium & pauperum de Lugduno, qui per VVicleff & sequaces suos renouari quæsitus est, sed iuste damnatus. Cur ita? Ne Hierarchicus ordo potestatis ecclesiasticæ maneat instabilis, vagus & incertus: cum nemo sciat an amore vel odio dignus sit. Et minus hoc de gratia prædestinationis constet, quam ponunt radicem necessariam pro titulo vel iure cuiuslibet potestatis. Hac igitur descriptione præsupposita pro intelligentia quid sit ecclesiastica potestas in genere, descendemus ad species. Pro quarum notitia multiplex animaduertenda est distinctio, vt differentiæ, quæ additæ generi constituunt speciem, innotescant.

CONSIDERATIO II.

POtestas ecclesiastica secernitur prima sui diuisione in potestatem ordinis & Potestatem iurisdictionis. Rursus potestas ordinis duplicem habet respectum. Vnus est super corpus Christi

mysticum verum quoad consecrationem eius. Alter est super corpus Christi mysticum seu membra eius. Et hoc dupliciter: vel quo ad ministrationem corporis Christi veri, vel quoad ministrationem, vel exhibitionem alterius sacramenti; sicut est ordo vel confirmatio, vel pœnitentialis absolutio.

Potestas iurisdictionis duplex est: vna in foro exteriori; altera in foro conscientiæ interiori.

Rursus potestas iurisdictionis in foro exteriori dupliciter consideratur. Vno modo prout immediate à Christo tradita est secundum legem euangelicam. Alio modo prout superaddita est ex humana constitutione vel dono per principes seculares aut aliter. Subinde potestas iurisdictionis in foro interiori consurgit ex duplici radice. Vno modo ex parte hominis vltro se subiicientis tali potestati: sicut cum sponte confitens subiicit se presbytero; & ordinandus episcopo. Alius subiectionis modus consurgit ex authoritate superioris, hunc vel illum tali vel tali subiicientis: quod fieri potest non ad arbitrium illius qui subiicitur: & sic inter duplicem hanc subiectionem differentia magna patet.

Et quoniam ad pauca aspicientes de facili enuntiant: & enunciantes seipsos vel dicta sua non resoluunt, sed confundunt: eorum doctrina redditur vel erronea vel inintelligibilis vel difficilis & perplexa. Doctrina vero sapientum facilis, teste Sapiente: quia resolute & ordinate per distinctiones tradent omnia separantes pretiosum à vili: & præcauentes ne lucem veritatis tenebrosa nubes erroris inuoluat, sed sit ignis sine fumo. Declarationem multiplicis huius distinctionis melius aliter dare non possumus, quam si sua cuilibet membro donetur descriptio vel specialis notificatio.

Dicamus igitur, quod potestas ordinis primo modo considerata, & potestas ecclesiastica respiciens principaliter & essentialiter consecrationem corporis Christi veri: qua scilicet potest habens eam consecrare corpus & sanguinem Christi virtute verborum sacramentalium.

Ponitur hic *potestas ecclesiastica* pro genere: quæ potestas quid & qualis sit immediate prædiximus: cuius descriptionem hic & in omnibus consequenter dicendis absque aliqua repetitione supponimus, dum vtemur hoc termino pro genere, *potestas ecclesiastica.* Additur hæc clausula: *respiciens principaliter*, &c. tanquam pro differentia specifica, distinguente eam à qualibet alia ecclesiastica potestate. Hæc potestas de lege communi inabdicabilis est, inauferibilis & illimitabilis in sua essentia: quoniam quisquis est sacerdos rite consecratus, si tentet cum intentione & cum forma & materia debitis consecrare: consecrat vtique etiam si excommunicatus, si hæreticus, si quomodocunque degradatus extiterit, peccaret nihilominus in hoc casu; nec ad vtilitatem suam, sed damnationem hoc ageret.

Iuxta quod vtiliter distingui solet: quod aliqua sunt de necessitate executionis huiusmodi potestatis dupliciter. Vna est necessitas solius præcepti, cuius transgressio graue peccatum est: sicut quod excommunicatus non consecret. Veruntamen hæc transgressio non impedit consecrationis effectum principalem, qui est transsubstantiatio. Altera est necessitas consecrationis vel sacramenti: consistens in hoc, quod minister sit rite ordinatus habens intentionem consecrandi cum forma & materia debitis: quod si alterum defuerit, nihil efficitur & peccatur.

Hanc potestatem tradunt doctores concorditer parem esse in omnibus, qui consecrati sunt sacerdotes, quæ potestas collata fuisse creditur in cœna, dum dixit Christus Apostolis: *hoc facite in meam commemorationem*: vbi doctores communiter sentiunt, quod Iudas illic fuit sacerdos constitutus: sicut prius electus in Apostolatum potestatem prædicandi & faciendi miracula susceperat.

Et hic sumitur argumentum, quod potestas ecclesiastica non necessario fundatur in fide vel gratia, sed in charactere baptismali, quem de lege communi necessario præsupponit.

CONSIDERATIO III.

Potestas ecclesiastica ordinis alio modo consecrata, prout respicit ministrationem corporis Christi fidelibus: & ministrationem sacramentorum ordinis & confirmationis: Consecrationem insuper virginum, abbatum & ecclesiarum, & institutionem ministrorum ecclesiæ, non est æqualiter in quolibet sacerdote. Cuius ratio est: quoniam simplex sacerdos iuxta communem doctorum sententiam non potest ordines conferre, neque sacramentum confirmationis dare, neque consecrare virgines, &c. etiam de facto sic, quod si tale aliquid tentet agere, nihil tamen efficitur: quia neque confirmat neque ordinat. Episcopus autem si volentem confirmari, si volentem præterea ad ordines promoueri, qui sit eorum susceptibilis (quod dicitur propter sexum muliebrem) tentauerit vel confirmare vel ordinare, ordinat vtique vel confirmat de facto: licet excommunicatus, licet irregularis, licet degradatus extiterit. Et in hoc par in omnibus episcopis ab infimo vsque ad supremum, qui Papa dicitur, potestas ordinis.

Non autem in sacerdotibus minoribus est hæc potestas, vt dictum est: saltem in tali plenitudine seu perfectione, quod hoc possint. Licet concedatur cum maiori parte doctorum, quod supra sacerdotium simplex nulla est altera potestas ordinis, neque in episcopis, neque in Papa: sed alter est in episcopis & Papa: alter in simplicibus presbyteris: sicut exemplificant, quod eadem est

huma-

humanitas in homine dum est puer, & eadem dum factus est vir: vir nihilominus generare potest sibi simile, puer nequaquam. Cum igitur fuerit inter Apostolos & discipulos talis distinctio, sicut inter episcopos & simplices curatos sacerdotes, sicut notat Isido. & Magister *in 4. dist. 24 cap. 7.* allegans eum, perspicua est veritas huius considerationis.

Si vero loqueremur de potestate iuris, iuxta quod dici solet: *Illud possumus quod de iure possumus*, certior adhuc est ista consideratio: quia nullus sacerdos rite ministrat aliquod sacramentum, secluso necessitatis casu, nisi iurisdictionem habeat super illum, cui ministrat. Sed super hac redabitur consideratio sequens: satis sit interim aperuisse qualiter sit vel non sit æqualis potestas ordinis in omnibus presbyteris: quia quo ad consecrationem corporis Christi veri, eandem habent sacerdotes omnes potestatem. Quantum vero ad sacramentorum ministrationem: dispar est in episcopis & simplicibus presbyteris potestas seu facultas tam de iure quam de facto. Similiter in ministrorum ecclesiasticorum institutione: quæ est potestas competens primis hierarchiis de primo ordine & secundo, non autem inferioribus: quemadmodum sunt curati, qui licet purgare, illuminare & perficere possint plebem suam, prout inferior angelorum hierarchia purgat, illuminat & perficit subcœlestem vel humanam hierarchiam: nihilominus hæc potestas curatorum non extenditur ad hierarchatum specialem institutionem de instituto communi.

Addamus quod & si primus hierarcha, summus pontifex, vel alii consequenter suo modo possint pro rationabili causa vel necessitate dare suis inferioribus adiutores ad exercendum hierarchicos actus, qui sunt purgare, illuminare & perficere plebes sibi subditas: sicut inuenitur de pœnitentiariis & priuilegiatis: hoc tamen sine manifesta ratione vel necessitate facere non debet, vel cum eorundem deiectione, irreuerentia & vilipensione apud illos, quibus honori debent esse, & à quibus debitam sustentationem recipere pro suo statu & ministerio possunt. Quis enim tutorem dederit adulto, prudenti, prouidenti & potenti, se nolente?

Nec tandem claudicare debet obligatio mutua episcoporum vel curatorum ad plebes suas. Claudicat autem, dum plebes eximuntur & libertantur (si ista libertas, non iniquitas est) dum eligere sibi possunt hierarchizantes eos in foro conscientiæ vel in prædicatione aut sacramentorum aliorum ministratione. Prælati vero maiores vel minores remanent hac obligatione constricti, vt non liceat eis plebibus suis negare, quicquid in prædictis quæsiuerint, tanquam nedum Deo, sed eis rationem reddituri sint: etiam si pestilentiali, si epidimiali, si quauis alia abominabili contagione morbi laborauerunt. Præterea si tales vice pastorum dati, luporum accipiant officium: si seducant subditos, lacerent & deuorent, nulla relinquitur eis obuiandi vel promouendi potestas. Nisi forte dicatur, quod hi superiores habent pro iudicibus: sed aperta est responsio prælatorum de quibusdam, *inimici nostri sunt iudices.*

Attendat lector circa considerationem istam de episcopatu, si sit ordo vel sacerdotium: quod apud Theologos & Iuristas est concordia in re bene concipiendo, sed explicatio diuersa est. Quia Iuristæ vocant episcopatum esse ordinem, quoniam potest vltra sacerdotium. Theologi vero concedunt secundum scilicet quod episcopatus est potestas hierarchica supra sacerdotium: sed quia nihil addit potestatis supra corpus Christi verum: propterea non dicunt, quod sit nouus ordo, sed bene noua potestas: & hoc redit in idem.

Rursus attendat, quod de confirmatione dicit sanctus Thom. eam committi posse à papa simplici sacerdoti, propter beati Gregorii quoddam dictum: pluribus tamen hoc non placet, & dicunt illos, de quibus loquitur Gregor. non fuisse confirmatos: tolerati autem sunt sic manere, quia confirmatio non est necessitatis sacramentum. Denique datur ratio per doctores, cur mulier non sit susceptibilis cuiuscunque ordinis: quoniam subiectionis sexus est, non hierarchicæ dominationis.

CONSIDERATIO IV.

Potestas ecclesiastica iurisdictionis in foro exteriori, est potestas ecclesiastica coercitiua, quæ valet exerceri in alterum etiam inuitum ad dirigendum subditos in finem beatitudinis æternæ, velut in finem proximũ & principaliter intētum. Addita est, fatemur, hæc vltima clausula descriptionis ad expressionem magis quam necessitatem: quoniam hæc includitur in hoc nomine posito pro genere, *potestas ecclesiastica*, sicut in descriptione sua notatum est.

Attendatur autem quod *iurisdictio* dicitur nomine generali, quasi *iuris dictio*, id est, potestas dicendi ius: vel est iurisdictio quasi *iuris dictatio*, id est, promulgatio vel notificatio seu pronunciatio. Proprie vero dicitur *iurisdictio* facultas seu potestas propinqua dicendi vel sententiandi ius in alterũ etiam inuitum. Et hæc duplex est, temporalis & spiritualis. Temporalis exercetur secundum leges ciuiles ad finem quietæ conuersationis humanæ pro hac vita. Spiritualis autem exercetur secundum leges Canonicas ad finem principalem æternæ beatitudinis consequendæ.

Cæterum potestas hæc iurisdictionis ecclesiasticæ adeo vicina est iurisdictioni seculari & politieæ: quod laicis, imo & mulieribus plerumque & in multis casibus communicari potest executio vel committi.

Hanc potestatem contulit Christus Matth. 18. dum dixit Petro vice omnium: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum*, &c. Sequitur: *quod si te non audierit, dic ecclesiæ: quod si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

Quo in loco fundatur iuridica potestas excommunicandi vel interdicendi ab ecclesiasticis sacramentis & communione fidelium, rebelles & inobedientes ecclesiæ: sicut vsus est Apostolus: & idem hortatus est ad Titum 3. scribens: *hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita.* Et simile dixit 1. Corinth. 5. *Si quis frater nominatur inter vos* &c. Sequitur: *Cum huiusmodi nec cibum sumere.*

Fundatur rursus absque omni calumnia ponibili in hoc textu plenitudo potestatis gladii spiritualis & executio eius in ecclesia super quemlibet Christianum, qui est frater noster, etiam si papa fuerit. Nec accipiendum est hic, *dic ecclesiæ*, id est, papæ. Quoniam Christus Petro loquebatur, qui non dixisset sibiipsi. Item quia subiunctum est pluraliter: *Quæcunque ligaueritis super terram* &c.

Denique si non haberet ecclesia talem potestatem & executionem, frustra dixisset Christus: *dic ecclesiæ:* quia potuisset impune non audiri, contra illud quod sequitur: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi* &c.

Fundatur etiam in hoc textu nedum potestas exercendi, sed potestas diffiniendi, determinandi, statuendi, decernendi, constituendi præcepta, leges & canones: procedendi denique contra non obedientes vsque ad sententiam excommunicationis inclusiue: imo secundum canones nunc institutos vsque ad inuocationem brachii secularis: quia dicitur in textu, *quod si ecclesiam non audierit* &c. Audire igitur debet ecclesiam quilibet frater noster, qui dicit ad Deum: *Pater noster,* sicut explicat alibi Christus: *Qui vos audit, me audit.*

Confirmant hanc sententiam statuta & practicata in hoc sacro Constantiensi concilio: præsertim 6. Aprilis, anni 1415. in sessione publica. Cuius inter cætera sunt hæc decreta duo prima. Et primo declarat, quod ipsa in Spiritu sancto legitime congregata generale concilium faciens & ecclesiam catholicam militantem repræsentans, potestatem immediate à Christo habet, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, ac generalem reformationem ecclesiæ Dei in capite & in membris.

Item declarat quod quicunque cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si papalis existat, qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut præceptis huius sanctæ synodi, & cuiuscunq; alterius concilii generalis legitime congregati super præmissis seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.

Concluditur autem ex præmissis, quod si potestas prædicta sit ecclesiæ data: concilium generale repræsentans ecclesiam, habet illam, imo videtur quod ecclesia, vt sparsim considerata, non habet illam potestatem nisi in quodam materiali seu potentiali, sed congregatio sua & vnitio, quæ fit in concilio generali, dat ei formam, sicut in aliis communitatibus exemplum dari potest. Et fundatur prædicta potestas ecclesiastica iurisdictionis in vnitate vel vnione tali, quemadmodum notasse videtur eleuatus Augustinus, quod claues ecclesiæ datæ sunt vnitati.

Veruntamen hoc non impedit, quin datæ sint Petro tanquam monarchæ legitimisque successoribus suis, principalius tamen ecclesiæ. Primo ratione indeuiabilitatis: quia portæ inferi non præualebunt aduersus eam, nec deficiet fides eius: non sic de papa. Secundo ratione regulabilitatis: quoniam habet regulare vsum potestatis papalis: non sic econuerso. Tertio ratione multiplicitatis: quoniam ecclesia continet potestatem quamlibet ecclesiasticam, etiam papalem: non sic papa, præsertim in extensione. Quarto ratione obligabilitatis: quia ecclesia potest concedere leges obligantes & regulantes etiam ipsum papam tam quo ad personam, quam respectu vsus potestatis. Non sic econtra potest papa iudicare totam ecclesiam, vel vsum suæ potestatis limitare: imo si papa condat leges & canones, videtur obseruandum illud, quod sententialiter dicit Augustinus: *Leges instituuntur, cum promulgantur: Firmantur autem, cum moribus vtentium approbantur.* Hoc enim dicitur ad reprimendum præsumptionem quorundam summorum pontificum, vel eis adulantium, qui videntur voluisse debere seruari pro regula immutabili de papa respectu cuiuslibet prouinciæ vel totius ecclesiæ: *Quod placuit principi, legis habet vigorem:* quasi nullum superesset examen supremum.

Addita est vero pro inobedientium coertione pœnalis excommunicatio. Et sunt qui dicunt pœnam hanc esse vltimam, quam infligere possit ecclesiastica potestas iurisdictionis ex institutione Christi sola primaria: sic quod non extenditur ad incarcerationem, nec vt aliquis adiudicetur morti vel flagello corporali: sed facit hoc ecclesiasticus, dum facit ex concessione principum: quemadmodum multam ob eorum deuotionem iurisdictionis temporalis auctoritatem clerus accepit: quæ nihilominus iurisdictio vel censura dicitur spiritualis: sicut & ecclesiasticorum bona temporalia propter dedicationem & applicationem ad eos, qui ministrant ecclesiæ: sicut panes propositionis, primitiæ & decimæ: vasa insuper templi, vestes & similia dicebantur in lege veteri sacra, vel sancta: sic & noua lex hoc retinet.

Ac proinde consurgit, quod ecclesiastica censura, quam Christus contulit & promulgari voluit, vbi prius *Mat. 18.* consequenter post dotationem ecclesiæ in bonis temporalibus applicata est ad defensionem coercitiuam volentium vendicare sibi, vel impedire temporalitatem huiusmodi, per excommunicationes videlicet & interdicta: quæ pœna vel censura videtur primitus instituta contra per-

pertinaces schismaticos & hæreticos & alios incorrigibiles vitiosos. Cui legi tanquam diuinæ & naturali papa subiicitur: sicut & frater est potens delinquere. Hæc autem applicatio gladii spiritualis ad defensionem temporalium si confusionem magnam in ecclesia, si vilipensionem vel contemptum euangelicæ huius censuræ suæ, quæ est excommunicationis gladius extreme formidabilis, si denique laqueos animabus multorum magis quam salutem spiritualem induxerit vel inducat, experientiam testem voco. Itaque sicut temporalitas addita est ecclesiæ pro dote sua, videri potest aliquibus, quod ad eius defensionem similiter addere suffecerat aduersus impetitores pœnam vel censuram temporalem: vt est mulctatio pecuniaria, vel corporalis detentio, vel arrestatio bonorum propriorum.

CONSIDERATIO V.

POtestas ecclesiastica iurisdictionis in foro interiori, quæ non est proprie coercitiua, sed magis spontanea quo ad subiicientes se eisdem, est potestas ecclesiastica super corpus Christi mysticum illuminando & perficiendo ipsum per doctrinam & sacramentorum ministrationem, & purgando per baptismi & pœnitentiæ sacramenta.

Aduertendum est itaque, quod hæc potestas iurisdictionis, quæ radicaliter fundatur in potestate ordinis sacerdotalis & episcopalis, dum in sua generalitate consideratur, respicit multipliciter corpus Christi mysticum, quod est fidelium ecclesia: quos fideles oportet secundum tres actus hierarchicos regere, qui sunt secundum Dionysium purgare illuminare, & perficere. Purgare per inflictionem pœnalem excommunicationis vel interdicti, si rebelles inueniantur: quod spectat ad iurisdictionem coercitiuam, de qua prædictum est: quamuis hæc purgatio fiat per baptismum & sacramentalem absolutionem non tamen coercitiue. Oportet insuper illuminare per prædicationem & doctrinam, oportet demum perficere per aliorum sacramentorum ministrationem.

Porro talis ministratio sacramentorum non habet pro materia debita res solum insensibiles: prout est in consecratione corporis Christi, vbi pro materia debita requiritur & sufficit panis triticeus & vinum. Nec refert quo ad consecrationis necessitatem, si panis sit ipsius consecrantis vel alterius. Secus est in ministratione sacramentorum, vbi requiritur, quod persona, cui fit ministratio, sit ministranti subdita; præterquam in baptismo, quod est necessitatis sacramentum non iterabile. Similiter in sacramento confirmationis & ordinis, quibus indelebilis character imprimitur: inde sufficit de necessitate sacramenti, non tamen præcepti, subiectio voluntaria suscipientis hæc sacramenta ab illo, qui conferre potest illa: peccant tamen dans atque suscipiens, si non adsit subiectio per superiorem ordinata. Secus autem est in pœnitentiæ sacramento, vbi de necessitate sacramenti & præcepti requiritur prædicta duplex subiectio, iuxta communiorem doctorum sententiam, sic quod alicui non datur absolutio, etiam si dari tentetur, quia materia deficit, quæ est peccator subditus. Subditus inquam nedum voluntaria subiectione, sed aliena superioris autoritate. Hoc rite statuit primus legislator Christus: hoc ecclesia sic elucidauit & tradidit, ne confunderetur ecclesiasticum regimen: & ne hierarchicus ordo, quem tradit Dionysius talem esse vt infima reducantur ad suprema per media, turbaretur.

Videre est igitur quemadmodum potestas hæc ecclesiastica iurisdictionem quandam exigit, cui conuenit, quod libera sit & spontanea vere & interpretatiue circa personam, in quam exercetur hæc iurisdictio: aut saltem, quod non feratur in inuitum. Quis enim diceret, quod aliquis inuitus vel baptizatur vel confirmatur vel absoluitur in foro conscientiæ, vel ordinatur: & ita de reliquis? Hinc est, quod papa, qui nulli personæ particulari subest, vt coerceri iuridice possit in exteriori foro: subest tamen quo ad iurisdictionem hanc annexam ordini sacerdotali confessori suo & ordinatori suo, si antea sacerdos non fuerat: vnde & ab Hostiensi consecratur episcopo, qui minor est.

Proficit autem supra modum talis distinctio duplicis iurisdictionis, coercitiuæ scilicet & non coercitiuæ: cuius ignorantia vel inaduertentia gignit confusionem apud aliquos infinitam. Nam cum vsus doctorum communis habeat dicere, quod potestas ordinis æqualis est in omnibus sacerdotibus & prælatis: accipiunt consequenter occasionem erroris, quod quilibet sacerdos possit quemlibet absoluere, possit prædicare non missus, possit eucharistiam ministrare. Inuenimus autem quod hæc iurisdictionis potestas promissa est Apostolis ante passionem Christi Matth. 18. *Amen dico vobis: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis* &c. Et promissa fuit Petro, Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Sed post resurrectionem suam collata est Apostolis, quando insufflans in eos dixit: *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. Ioan. 21. Et ibidem vltimo dictum est Petro: *Pasce oues meas.*

Addita est seu potius confirmata potestas prædicandi cum potestate conferendi baptismum vel potius iam datæ potestatis executio iussa est Matth. vltim. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ: baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Vnde licet in casu necessitatis quilibet viator baptizare possit: hoc tamen faciunt ex officio vel ecclesiastica potestate soli sacerdotes.

Huic autem potestati iurisdictionis, quæ in latitudine sua considerata, nedum ad sacramentum pœnitentiæ, sed ad aliorum sacramentorum ministrationem & ad prædicationẽ extenditur: annexa est po-

est potestas, ius seu facultas accipiendi vitæ necessaria, *Matth. 10. & Luc. 10.* quod Apostolus confirmauit 1. Corint. 9. Quia *dignus est operarius mercede sua.*

Consequenter fundatur in hac potestate sumendi vitæ necessaria, rationabilitas dotationis ecclesiasticæ loco decimarum & primitiarum legis antiquæ.

Denique potestas faciendi miracula etsi videatur annexa fuisse per Christum licentia prædicandi verbum Dei, quando misit discipulos ad prædicandum, & dixit eis: *Infirmos curate, dæmonia eiicite &c.* nihilominus videtur hæc potestas donum gratis datum, conuenire potens cuilibet ex fidelibus, prout ad ædificationem ecclesiæ iudicabit expediens Spiritus sanctus, qui distribuit singulis prout vult.

CONSIDERATIO VI.

Potestas ecclesiastica considerari potest & debet tripliciter. Vno modo formaliter in se & absolute sine respectu. Alio modo materialiter seu respectiue, prout applicatur ad hanc vel illam personam iure legitimo: quod communiter fit per consecrationem & electionem: quia, sicut dicit Apostolus: *Nemo sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Potestas hæc dicitur institutio ministrorum tam actiue quam passiue. Consideratur tertio modo quo ad exercitium vel executionem: quia *frustra est potentia* secundum Philosophum, *si non habeat actum.*

Proficit hæc consideratio, quæ distinguit & resoluit modos loquendi varios, tam Theologorum quam Canonistarum de ecclesiastica potestate: cuius resolutionis ignorantia vel inaduertentia falli plerumque facit & fallere: quoniam aliter loquendum est de ecclesiastica potestate, dū in se consideratur formaliter & absolute: aliter, dum consideratur materialiter seu respectiue, aliter dum consideratur quo ad exercitii vsum vel executiue: sicut infra docebitur. Notemus præterea modos *essendi in*, quos in metaphysica posuit Aristot. quorum inaduertentia facit oberrare quosdam, dum inquiritur, in quo vel in quibus sit plenitudo ecclesiasticæ potestatis. Vnus modus *essendi in*, est sicut pars integralis in suo toto. Alius sicut totum integrale in suis partibus. Tertius sicut species in genere. Quartus sicut genus in specie. Quintus sicut forma in materia: quæ forma triplex est, essentialis, accidentalis & mathematicalis. Sextus, sicut effectus in sua causa efficiente, dirigente vel regente, vt regnum est in rege. Septimus sicut ordinata in finem sunt in suo fine: quemadmodum virtus in beatitudine. Octauus sicut locatum in loco.

Ex qua protinus distinctione manifestum est, quod secundum quadruplex genus causæ quadruplex reperitur & adaptatur modus essendi in, licet addantur & alii.

Subiungamus iterum distinctionem de vsu potestatis ecclesiasticæ. Est enim vsus aliquis licitus & ratus. Est vsus illicitus & ratus. Est vsus licitus & non ratus. Est vsus illicitus & irritus. Exemplum primi, dum sacerdos consecrat vel absoluit cum circumstantiis omnibus ad hoc requisitis de necessitate vel sacramenti vel præcepti. Exemplum secundi, dum sacerdos consecrat in peccato mortali, vel cum transgressione præcepti. Exemplum tertii: dum sacerdos quantum in se est bona fide & intentione credit absoluere confitentem sibi vtens in hoc bene clauibus: qui confitens, quia mentitur in confessione sua, vel obicem secreto ponit, nequaquam absoluitur. Exemplum quarti in casu priori, si sacerdos scienter quærit vti clauibus erga aliquem, cuius fictionem agnouerit, & qui nequaquam sibi subiectus est.

Colligitur consequenter alia distinctio valens ad intelligentiam præmissorum & sequentium, dum quæritur an potestas ecclesiastica sit æqualis in omnibus. Quia quæritur de potestate vel facti vel iuris. Facti sic: quod dum attentatur fieri fit siue bene siue male. Iuris vero dum bene fit, iuxta allegatum: *Id possumus quod de iure possumus.*

Redit autem hæc distinctio ad alteram prætactam de necessitate duplici in consecratione corporis Christi: quoniam altera est sacramenti, altera est præcepti. Et hæc similiter distinctio potest extendi ad ecclesiasticam potestatem super corpus Christi mysticum quo administrationem sacramentorum, quæ characterem imprimunt: sicut sunt baptismus, confirmatio & ordo: quoniam sicut in potestate ordinis super corpus Christi verum, sufficit aliquid de necessitate sacramenti, quod non sufficit de necessitate præcepti: quia peccat, qui contra vel præter ordinationem ecclesiæ consecrat. Sic inuenimus in potestate ecclesiastica super corpus Christi mysticum, præsertim quo administrationem trium sacramentorum, quæ dicta sunt.

His distinctionibus & aliis quæ prædicta sunt attentis posset statim inuestigari, quid & in quo sit plenitudo ecclesiasticæ potestatis. Nihilominus antea iuxta priorem distinctionem trimebrem tres assignabimus considerationes, septimam, octauam & nonam.

CONSIDERATIO VII.

Potestas ecclesiastica si consideretur in se formaliter & absolute, ipsa in se est inuariabilis: & eadem à principio nascentis ecclesiæ vsque in finem perseuerat.

Ecclesia siquidem dum sic consideratur in suis partibus essentialibus & permanentibus, quæ sunt Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, sacerdotium habet integrari ex his omnibus: sic quod ablata penitus vna tali potestate, iam non maneret ecclesia prout à

Christo

Christo seminaliter, & velut in quodam germine suo perfecte fuit instituta: vt si papatus per imaginationem præscindatur à reliquis potestatibus inferioribus, id quod superest non dicitur ecclesia. Propterea quærere si papalis autoritas sit maior quam ecclesia: vel econuerso, redit in idem ac si peteretur: nonne totum est maius sua parte? vel pars minor suo toto?

Proinde sequitur, quod si generale concilium repræsentet vniuersalem ecclesiam sufficienter & integre: necesse est vt includat autoritatem papalem, siue papa sit, siue desierit esse per mortem naturalem aut ciuilem. Sic dicimus de potestate Romanæ ecclesiæ vel sacri collegii. Sic de potestate episcopali: sic de sacerdotio, quod est potestas curatorum, qui sunt in ecclesia prælati minores.

Si vero vellet aliquis curiosus inquirere, qualiter habet fieri talis abstractio potestatis ecclesiasticæ. Et si sit aliquod vniuersale reale, specificum & quidditatiuum præter omnem operationem intellectus: sicut inquiritur de animalitate & humanitate: remittimus *ad Metaphysicam.* Concedimus itaque quod *abstrahentium non est mendacium*, secundum Aristotel. licet negauerimus hæc vniuersalia realia: sicut nec mathematici mentiuntur, siue puncta sint realiter, siue non.

Vnde dicimus, quantum nobis hic satis est, quod vniuersalitas est in operatione & abstractione, quam facit intellectus ex rerum singularium exteriori cognitione, videndo qualiter ipsę res adinuicem conueniunt vel differunt essentialiter vel accidentaliter: vt quod quilibet homo conuenit essentialiter in hoc cum altero, quod est animal rationale: quod intellectus attendens abstrahit innata sibi virtute similitudinem hanc: quæ non est extra, nisi singulariter in singulis hominibus: & denudet eam à loco, à tempore, & ab omni generalium accidentium confusione: & ita remanet vniuersalis & absolutus conceptus hominis in anima: qui nihilominus originatur ex rebus ad extra singularibus. Sic de ecclesiastica potestate sentire possumus, dum in se formaliter & absolute consideratur. Omnes enim sacerdotes conueniunt in sacerdotio omnes episcopi in episcopatu: & ita de reliquis. Quæret forte aliquis, quo pacto ecclesia Romana dicatur eadem isto modo, cum ab initio fuerit Petrus in Antiochia? Responsio facilis est, fiat abstractio talis à connotatione loci: & dicamus quod ecclesia Romana est illa diœcesis, prouincia vel sedes, quæ peculiariter habet regi per autoritatem papalem, & eam complectitur, sic veritatem habet vulgata vox, *vbi Papa ibi Roma.* Nec in dubium verti debet, quin isto modo Romana sedes & ecclesia sit caput, mater & magistra cæterarum: quia suprema Petri potestatem includit.

CONSIDERATIO VIII.

Potestas ecclesiastica considerata respectiue & quodammodo materialiter, prout applicatur ad hoc vel illud suppositum, potest dici variabilis & auferibilis in casibus multis. Hoc perspicuum est quotidie dum fiunt immutationes, nunc per nouam consecrationem, nunc per nouam electionem vel institutionem ministrorum. Ita consequenter dicere possumus de potestate papali, quod mutabilis est & auferibilis per mortem naturalem, sicut constat: vel per ciuilem, videlicet per depositionem saltem quo ad plenitudinem suæ iurisdictionis, quæ depositio qualiter & ex quibus causis fieri possit, latius in aliis opusculis apertum est.

Vnde sicut papa renunciare potest papatui, & dare libellum repudii ecclesiæ etiam sine culpa ipsius sponsæ, licet hoc facere non debeat sine causa. Si ecclesia potest hunc vicarium sponsi sui dimittere, & ei libellum repudii dare etiam sine culpa sua, licet non sine causa. Exemplificauimus aliis in sex casibus: in quibus verus papa deponi potest ex culpa sua, etiam vbi non esset realiter hæreticus ad intra, quamuis ad extra talis iudicaretur. Exemplificauimus in aliis sex casibus, quibus deponi potest papa sine culpa sua, licet non sine causa, etiam præter liberam eius cessionem. Tractatulus intitulari potest *de auferibilitate papæ ab ecclesia*, & incipit: *Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus*: propterea breuitatis amor hic ista non repetit.

Verum potestatem hanc ecclesiasticam, quæ respicit institutionem ministrorum ecclesiæ à summo vsque deorsum confundit magna caligine cupiditas ambitiosa: quærens quæ sua sunt, & quæ crescentibus beneficiorum dotationibus impudenter excreuit: ita vt vix discerni modo possit, quid ex primaria institutione Christi vel inuariabili iure diuino tenendum sit in huiusmodi ministrorum ordinatione. Mira siquidem quo ad vsum talis potestatis varietas incessit, quæ ex *Chronicis summorum pontificum*, & ex tenore *generalium conciliorum decretalium & decretorum* se ostendit. Nec est opusculi præsentis per hæc omnia discurrere. Sed dicamus hic aliter esse discernendum in ecclesiastica politia, dum est ordinata complete sub quadam explicatione perfecta & numerosa membrorum suorum in ministris per status, gradus & officia. Aliter dũ ab initio firmata est ecclesia in magna tam ecclesiasticorũ quam fideliũ paucitate, velut in quodã seminario vel germine seu botro. Potuit enim tunc rationabiliter supremus ille pontifex Petrus habere faciliter præsentiam concilii generalis, sicut in electione Matthiæ & cessatione legaliũ. Potuit & instituere ministros per diuersas prouincias & loca de mandato suo, sicut ad eum facilis patebat accessus. Nec vigebat auaritia: quia primi primo petebantur ad mortem. Quæ omnia cessant in hac tam copiosa fidelium multitudine

post

post tot iura, tot leges, tot decreta & decretales summorum pontificum & generalium conciliorum editas ad regendam feliciter ecclesiam.

Suppetit hoc loco conuenientissime consilium Ietro datum Moysi *Exod. 18.* quod sic habet: *Stulto labore consumeris tu & populus tuus qui tecum est, vltra vires tuas est negotium: solus illud sustinere non poteris. Sed audi verba mea & consilia mea, & erit Dominus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent vt referas quæ dicuntur ad eum, ostendasque populo cerimonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant & opus quod facere debeant: prouide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum in quibus sit veritas: & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos & centuriones, quinquagenarios & decanos qui iudicent populum in omni tempore. Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi faciliora tantummodo iudicent. Leuius quoque tibi sit partito in alios onere: si hac feceris, implebis imperium Dei: & præcepta eius poteris sustinere: & omnis hic populus reuertetur cum pace ad loca sua. Quibus auditis Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat.*

Edocemur ex hac scriptura calamo Dei scripta de multis. Specialiter, quod si Moyses loquens Deo familiariter sicut amicus ad amicum, obedienter audiuit consilium gentilis hominis in regimine totius synagogæ: quanto magis debet hoc summus pontifex ad dictamen totius ecclesiæ vel generalis concilii suo nomine?

Rursus si iudicia minora reprobantur in Moyse, videamus in summo pontifice & curia sua quid de tot prophanissimis & indignissimis causarum & litigiorum continuis & anxiis occupationibus? quid de beneficiorum quorumcunque etiam minorum collationibus & signationibus manu papæ? quid de annatarum exactionibus? quid de innumeris similibus dicendum iudicabitur, relicta omni cura, sollicitudine vel studio de omni eo, quod spirituale est, quod diuinum est, quod denique fidem concernit & religionem Christianam?

Concludimus tandem ex dato Moysi consilio & præcepto legis *Deuter. 18.* & ex institutione Christi *Matth. 18.* quod nulla fuit hactenus nec erit in posterum perniciosior pestis in ecclesia, quam omissio generalium conciliorum & prouincialium, vel in re ipsa vel autoritate. Autoritas itaque nulla erit, si solus summus pontifex omnia velit inferiorum ecclesiasticorum vsurpare institutiones, iura, status, gradus & officia. Meminerit itaque summus pontifex datam sibi à Deo potestatem supremam in ecclesia ad ædificationem eius, prout Sapiens iudicabit. Iudicat autem sapiens de potestatis vsu variabiliter inuariabilis existens, sicut est generale concilium: & hoc pro temporum, locorum, reliquarumque circumstantiarum diuersa qualitate. Teneat ergo suum iudicium & maneat ecclesiastica politia optimo regimine: quale fuit sub Moyse gubernata: quoniam mixta fuit ex triplici politia. Regali in Moyse: Aristocratica in 72. senioribus: & in timocratica, dum de populo & singulis tribubus sub Moyse rectores sumebantur.

Sed opponunt plurimi nolentes ad ordinatos remitti ministrorum ecclesiasticorum institutiones, neque per electionem, neque per collationem. Expertum est, inquiunt, quod turbarent omnia, venderent, dissiparent, partim cupiditate carnali, partim seculari potestate tracti: de literarum quoque studiis actum esset. Verum in promptu est responsio: corrigeret summus pontifex abusus huiusmodi, & auctoritatis securitate suprema vigilanter adhibita poneret aspera in vias planas: deponeret potentes intrusos de sede: & exaltaret humiles sine prece vel munere. Hoc est enim architectoris officium. Dum vero peccat in his summus pontifex: quis ministrorum corrigere vel præsumet vel poterit? Dices quod hoc poterit generale concilium. Vide quia nec crebro nec faciliter habetur. Vix enim statuit libenter aliquis sibi correctionis iudicium. Denique si propter abusus ordinariorum in ministrorum institutione putent aliqui sublatum esse ab eisdem hoc exercitium: similem in papa rationem, quod ab eo debeat vsus tolli nunc inueniri dicitur ab aliis maxime dum recipit annatas, quoniam ex hac copula quamdiu perseuerauerit, orietur ineuitabiliter leprosa pestis simoniæ, inficiens sua contagione nedum caput, sed pene singula ecclesiæ membra. Superest vt apponatur, sicut apponi quæritur in reformatione prouisio.

CONSIDERATIO IX.

Potestas ecclesiastica si consideretur quo ad vsum vel exercitium, illa mutabilis est & multipliciter variabilis.

Hæc consideratio cum duabus præcedentibus soluit protinus quæstionem hanc: *Si potestas ecclesiastica sit immediate à Deo vel mediate ab hominibus?* Nam considerando ecclesiasticam potestatem primo modo, concedendum est absq; vlla dubitatione, quod illa fuit & est immediate à Deo homine Christo, sic quod à nullo altero fuit instituta. Nec congregatio totius vniuersitatis hominum, secluso Christo, docuisset sibi potestatem huiusmodi instituere: quemadmodum potuit vel posset instituere sibi potestatem imperialem super omnes potestatem regalem, potestatem Ducatuum, Comitatuum & Baroniarum: & ita de reliquis potestatibus pure secularibus. Non autem potuisset sibi instituere sacerdotium nec papatum, sicut habet ecclesia. Nec similiter destituere, sicut nec mutare legem Christi: quæ mutatio sequitur de necessitate prout arguit Apostolus, quod translato sacerdotio est vt legis translatio fiat.

Si vero potestas Ecclesiastica consideretur secundo modo, tunc in principio nascentis Ecclesiæ collata est immediate à Deo tam Petro quam Apostolis & Discipulis, quibus immediate Christus contulit sacerdotium super corpus suum verum & super mysticum. Vnde & Apostolus dicit se recepisse Euangelium non per hominem: & similiter mysterium & ministrationem corporis Christi: *Ego*, inquit, *accepi à Domino quod & tradidi vobis* &c.

Et ita consequenter probabile est, quod sicut Christus immediate contulit hanc potestatem primitus suis Apostolis & Discipulis, applicando scil. eam istis & non aliis: sic & immediate concessit vsum, actum vel exercitium: quia dans formam, dat consequentia ad formam.

Dicimus tandem his non obstantibus, vel ita se habentibus, quod successores Petri & aliorum Apostolorum de communi lege secluso miraculo vel noua reuelatione, fuerunt & sunt instituti mediate per homines, vt per consecrationem vel electionem vel aliam institutionem. Vsum similiter vel exercitium receperunt atque recipiunt mediate per humanum ministerium vel concessionem.

Et forte quo ad vsum vel exercitium potestatis Ecclesiasticæ sic euenit ipsis etiam Apostolis & Discipulis, quod post immediatam concessionem vtriusque, scil. potestatis & vsus factam à Christo postmodum crescente numero fidelium fuit ad tollendum schisma: & ad exemplar dandum posteris limitatio facta talis potestatis quo ad vsum: & hoc per Petrum summum pontificem de consensu totius Ecclesiæ primitiuæ vel generalis concilii: vt non quilibet posset in quemlibet vti potestate sua, attenta Christi ordinatione primaria, qua voluit Ecclesiam suam regi principaliter sub vno & ab vno monarcha: sicut est vna fides, vnum baptisma, & vna Ecclesia, vnitate capitis tam primarii quam vicarii: quoniam iste est optimus principatus, præsertim in spiritualibus ad conseruationem vnitatis fidei, ad quam obligantur omnes. Non sic autem est de legibus ciuilibus, quod debeant esse similes & eædem apud omnes nationes, propter varietatem morum & conditionum in diuersis prouinciis. Quoniam insuper gladius Ecclesiæ spiritualis est, videlicet excommunicatio, quæ potest extendere se quantumlibet in longinquas nationes. Aliter est de gladio materiali. Propterea non oportuit, nec forsitan expediuit, quod in temporali potestate esset vna perseuerans monarchia per orbem vniuersum: sicut de spirituali potestate prædiximus institutum fuisse iure diuino primitus in persona Petri Iohan. vltim. *Pasce oues meas*: prout sancti Doctores & Ecclesia tenendum tradiderunt.

Sumamus exemplum materiale, conforme, vt tradit Dionys. spirituali, quod inuenitur in sole: qui fons luminis est, non illuminatus ab alio corpore, sed illuminans. Deinde sunt aliqua, quæ ab eo illuminantur, & consequenter illuminant: nonnulla vero quæ illuminantur, sed illuminandi virtute carent, quoniam in ipsis lux occumbit.

Exemplum aliud est in angelica triplici hierarchia: vnde licet quo ad naturam, gratiam & gloriam sit quilibet angelus immediate formatus à Deo: nihilominus quo ad exercitium actuum hierarchicorum, qui sunt purgare, illuminare & perficere: tres primi ordines hierarchizant, non hierarchizati ab aliis. Tres medii hierarchizantur & hierarchizant. Tres infimi hierarchizantur, & non alios angelos hierarchizant. Papalis auctoritas suo modo cum cardinalibus imitatur triplicem primam. Alteram verò mediam imitatur Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis & Sacerdotalis auctoritas in habentibus subiectos sibi. Quod dicitur propter curatos, vel etiam propter solos titulares Episcopos carentes plebe. Vltimi sunt instar tertiæ hierarchiæ, qui hierarchizantur in Ecclesia: sed non alios auctoritatiue hierarchizant, quemadmodum sunt populi & simplices religiosi secundum Dionys.

CONSIDERATIO X.

Potestas Ecclesiastica in sua plenitudine est formaliter & subiectiue in solo Romano Pontifice.

Supponitur itaq; primo, quod licet aliquis possit eligi in Papam non sacerdos: sicut eligitur aliquis in Episcopum. Ipse nihilominus appellari non potest aut debet summus Pontifex, nisi fuerit in sacerdotem & Episcopum consecratus. Et quamuis ex electione posset aliquid iurisdictionis habere, non tamen habet ante consecrationem in Episcopum plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis tam ordinis quam iurisdictionis vtriusq;, quod perspicuum est ex terminis.

Hinc autem consurgit æquiuocatio non modica propter Dominos Iuristas, qui loquentes de plenitudine potestatis Papalis solum loqui videntur, de potestate iurisdictionis, ex qua locutione videtur hæc absurditas sequi, quod pure Laicus, imo & fœmina posset esse Papa, & habere plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis.

Supponitur insuper ex iam dictis, quod ex institutione Christi nullus in Ecclesia debet dare vel suscipere gradus hierarchicos, qui sunt purgare, illuminare & perficere: si non interueniat vere vel interpretatiue auctoritas supremi hierarchæ vel monarchæ in Ecclesia sancta Dei, quatenus in ea vitetur confusio, & optimo regimine gubernetur ad exemplar Ecclesiæ triumphantis? propter quod dicit Iohan. *in Apocalyps.* se vidisse *nouam ciuitatem Hierusalem descendisse de cælo.* Et Moysi dictum est: *Vide vt omnia facias iuxta exemplar quod tibi ostensum est in monte.*

Supponitur rursus illud Philosophi, quod *actiones sunt suppositorum.*

Tandem ex his præcedentibus possumus describendo dicere, quod plenitudo potestatis Ecclesiasticæ est potestas ordinis & iurisdictionis, quæ à Christo collata est supernaturaliter Petro, sicut vicario suo & monarchæ primo pro se & suis successoribus legitimis vsq; in finem seculi ad ædificationem Ecclesiæ militantis, pro consecutione felicitatis æternæ.

Dicitur in hac descriptione *supernaturaliter*, ad differentiam potestatum vel iurisdictionum, quæ successoribus Petri potuerunt conuenire secundum leges humanas ciuiles & politicas, vel dictamen iuris naturalis: quod vult, vt supremus in aliqua politia gaudeat multis honoribus & priuilegiis super alios vel ex speciali dotatione seu donatione principum & aliorum secularium: vel tandem ex ipsius ecclesiæ seu conciliorum generalium fauorabili concessione: sicut communitas perfecta suo capiti naturaliter dare potest. Cuius concessionis vna fuit ratio non mala, quatenus honoretur in interpretandis iuribus & emergentibus quotidie dubiis circa regimen ecclesiasticum: quia facilior est recursus ad Papam cum curia sua, quam ad ipsum generale concilium. Quæ caussa mouit ab initio reges instituere: & eis potestatem leges condendi & interpretandi tribuere.

Hanc autem distinctionem non attendentes aliqui patauerunt omnia, quæ nunc summis pontificibus conueniunt, competere ex primaria Christi institutione, & immutabili iure diuino: quod falsum est: quoniam staret aliquem esse verum Papam & perfectum, qui careret actualiter multis talibus priuilegiis & honoribus, in quibus non consistit plenitudo Ecclesiasticæ potestatis: qualem in Petro fuisse descripsimus: & quam nullus hominum præter Christum, imò nec Ecclesia tota conferre potuit, ita nec auferre, sicut in consideratione nona notatum est.

Contendunt nunc aliqui pollentes literis, quod post institutas per generalia concilia regulas super electionibus faciendis, & beneficiis per ordinarios conferendis iuxta fundatorum intentionem: quemadmodum obseruatur de iure patronatus apud laicos, nequaquam licitum fuit Papæ tales cassare regulas: præsertim ita generaliter & passim per reseruationes & aliter, sicut visum est à centum annis vel vltra. Non licuit præterea facere tot & tales non obstantias eorum, quæ constituta sunt in generalibus conciliis: quot & qualibus non obstantiis vti solet passim in bullis suis: adeo quidem vt Alexander quintus inductus sit in prætensis quibusdam bullis ponere non obstantiam huius saluberrimi ac celebriter obseruati statuti: *Omnis vtriusq; sexus.*

Atvero respondent alii non ad originem Ecclesiasticæ potestatis positam à iure diuino tantundem considerantes, quantum respiciunt decretales cum glossis, allegationibus, concordantiis sine numero doctorum vnius ad alterum, vt ouium gregi mos est. Respondent, inquam, per vnicum verbum, quod semper intellexit concilium generale auctoritatem summi pontificis exceptam esse in omni constitutione sua qualicunq;. Nimirum quia posuerunt isti Papalem auctoritatem supra concilium, aut saltem non imparem. Est autem certum apud eos, quod par in parem, & minor in superiorem, non habet imperium.

Benedictus autem Deus, qui per hoc sacrosanctum Constantiense concilium illustratum diuinæ legis lumine dante ad hoc ipsum vexatione præsentis schismatis intellectum, liberauit Ecclesiam suam ab hoc pestifera perniciosissimaque doctrina: quia semper manente perseuerasset semper schisma nutritum ab ea. Declaratum nempe decretumque est, quod & sine Papa generale concilium conuocari: & à concilio Papa iudicari certis casibus potest. Quod insuper habet auctoritatem generale concilium præscribere leges seu regulas, secundum quas plenitudo potestatis Papalis non quidem in se, quæ semper eadem est, sed in vsu suo moderanda, regulandaque est.

Neque putandum est insuper concilia generalia sic excepisse Papalem auctoritatem in constitutionibus suis, vt eidem permitteretur effrenis libertas, ea destruendi leuissime, quæ tanta grauitate & digesta sapientum maturitate condita sunt. Intelligitur ergo Papalis auctoritatis exceptio facta, prout occurrens necessitas vel euidens vtilitas postulabat: vbi protunc recursus ad generale concilium non patebat. Alioquin non erat ibi vti plenitudine Papalis potestatis, sed abuti plenissime.

Vtrum vero validum fuerit & ratum, quicquid ex abusu tali processit, diffinire sub vna generalitate non audeo. Scio quod multa fiunt inique, multa inexpedienter, multa in deformationem Ecclesiæ, quæ tamen facta tenent. Cæterum videtur apponenda per hoc sacrosanctum generale concilium talis declaratio, per quam appareat, quo pacto auctoritas Papalis & quousque cognoscatur excepta, in constitutionibus vel iam factis, vel de nouo condendis: quoniam, vt aiunt, non est ad præterita lex. Omnium deniq; male gestorum præteritis temporibus cessatio vel annullatio, neq; facilis, neq; forte iuridica, & inexperiendis plane expediretur.

Attendantur regulæ, quæ sequuntur facientes ad elucidationem præcedentium de legum vel constitutionum interpretatione.

Prima: leges humanæ dantur secundum illa, quæ vt in pluribus accidunt. Quoniam omnes casus particulares enumerare & remedium specialis legis apponere, neque possibile est humano

le-

legislatori, cum sint in infinitum variabiles: sed nec expedit propter confusionem fastidiosissimam, imo & perplexam: quæ ex illa multiplicitate consurgeret. Erit autem lex secundum Isidor. honesta, iusta, possibilis seruari, & secundum consuetudinem patriæ, loco temporiq; conueniens, necessaria, vtilis, manifestaq; , ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.

Altera regula: Leges humanæ quæ feruntur generaliter, possunt & debent exceptionem recipere, dum deficit ratio legis: quando videlicet legislator si adesset, vel alius prudens interrogatus, exciperet generali constitutione casum particularem: qui taliter aut taliter occurreret. Hæc autem exceptio multipliciter nominatur: quandoque ἐπιείκεια, sicut ab Aristot. quandoq; iuris interpretatio, sicut à legistis: quandoque dispensatio, sicut à canonistis: quandoque bona fides, sicut à politicis, dicentibus bonam fidem esse, vbi non simulatur vnum & aliud agitur: quandoque dicitur æquitas, sicut ait Propheta Domino: *Omnia mandata tua æquitas*: hoc est secundum æquitatem implenda.

Tertia regula: Triplex inuenitur iuris interpretatio vel exceptio. Quædam est iudicialis potestatis spectans ad legislatorem & iudices: quemadmodum dici solet: *Cuius est condere, eius est interpretari.* Quædam est Doctoralis auctoritas, spectans ad illos quibus data est auctoritate summi pontificis licentia interpretandi Scholastice iura, vel qui super his interpretandi scientia pollent, arte vel experientia, iuxta illud: *Cuilibet experto in sua scientia credendum est.* Et iterum: *Vnusquisque bene iudicat de quibus nouit.* Quædam interpretatio est ineuitabilis necessitatis, potens cadere circa quemlibet, dum certitudinaliter videt imminens periculum suum, nisi vim vi repulerit, & egerit contra generalia verba legis: quo casu est sine culpa apud Deum, quamuis dolere debeat quod incidit in hanc necessitatem. Et si docere potest legitimis testimoniis apud iudicem humanum absolutus erit: aliter non: quoniam apud illud idem est de illis quæ non sunt & quæ non apparent.

Quarta regula: Iuris interpretatio seu dispensatio vel exceptio, quæ est iudicialis potestatis: hoc operatur quod agens contra verba legis non punitur apud homines in exteriori foro, sed apud Deum in foro conscientiæ peccabit vterque, scil. dispensans & cum quo dispensatur: si talis non fuerit qui dispensat qualem descripsit Christus, fidelis & prudens. Fidelis ne commodum proprium, fauorem vel honorem quæsiuerit derelicto diuino vel communi bono. Prudens, vt cum circumspiciatur vndique ratio legis & legislatoris intentio. Est enim dispensatio, commensuratio seu distributio boni communis: quale est lex ad singulos secundum legis intentionem, prout circumstantiarum varietas occurrerit: quæ dispensatio si non fideliter & prudenter fiat, eam appellat Bernhardus dissipationem: intellige quo ad Deum & conscientiam, si hoc constiterit, aut constare debuerit. Tenet vero frequenter apud homines secundum exteriora iudicantes hæc dispensatio, si non contineat errorem apertum. Aut nisi fuerit superiori lege prohibita: quod dicitur propter statuta fieri possibilia circa Papalis vsum potestatis per generale concilium.

Quinta regula: Iuris interpretatio vel exceptio quæ est Doctoralis auctoritatis, releuat plurimum non obedientes nudo legis verbo, tam quo ad iudicia forensia, sicut est ab expensis releuatio, quam in foro conscientiæ & diuino iudicio, præsertim dum sunt Doctores famati plures & experti in arte sua, & in morum honestate probati. Alioquin sæpe mentitur iniquitas sibi, dum corrupta est prece vel pretio. Excæcant enim munera etiam oculos prudentium. Et si creditur Aristoteli experientiæ verba loquenti *Malitia facit errare, nedum circa conclusiones elongatas à primis principiis, sed in ipsismet principiorum moralium ianuis*: quemadmodum reputabatur olim latrocinium apud Alemanos licitum, teste Iulio *de Bello Gallico*: Ac peccatum innaturale & sordidum apud Romanos, secundum Apostolum ad eosdem. Et ita de pluribus hominibus datis in reprobum sensum, pro varietate damnationis vitiorum.

Sexta regula: Iuris interpretatio, exceptio vel dispensatio similiter exigit, dum fit altero prædictorum modorum iudicialiter vel doctrinaliter, quod habeatur duplex intuitus: vnus ad bonum diuinum & publicum: alter ad particulare commodum illius pro quo fit iuris interpretatio vel dispensatio. Euenit itaq; sæpius, quod dum passim laxatur rigor legis ex quadam, vt fingitur, compassione & misericordi condescensione ad aliquos particulares positos sub lege, deperit ex altera parte stabilitas & rigor disciplinæ: qui rigor est præcipue in omni lege seruandus. Docuerunt hoc Romani, qui proprios etiam filios occiderunt, qui in seipsos rigorem legum suarum exercuerunt, quatenus disciplina militaris & obedientia legalis inuiolata maneret. Docent hoc Fratres Carthusiens. qui super esu carnium, vel nunquam vel rarissime dispensationem recipiunt. Ac proinde disciplina regularis viget apud eos, quæ quantum sit collapsa apud religiones quasdam alias passim dispensationibus vtentes videre stupor & dolor est. Super qua re iam Bernhardi pro tempore suo querela nascebatur. Quid modo dicendum putabimus de tam facili, vt appellant, dispensatione per Papam & prælatos, super iuramentis licitis? super votis rationabilibus? super immensa beneficiorum pluralitate? super generali conciliorum non obstantia? super priuilegiorum & exemptionum commune ius priuantium concessione? Quis omnia dinumeraret, per quæ nunc vigor Ecclesiasticæ, imo & Euangelicæ disciplinæ totus vere languit, emarcuit, euanuit? Prouideat super omnibus sacrosanctum hoc Constantiense concilium.

Fundatur in hac radice stabilitas legum, quod consuetudo est optima legum positiuarum interpres: ita si neque iuri diuino neque naturali fuerit contraria. Fundatur & illud Aristotelis politizantis: *Non esse dandum præmium inuenientibus nouas leges, quamuis in se meliores extiterint: quoniam mutatio legum frequens caussat instabilitatem: neque permittit eas in consuetudinis fixa radice roborari.* Hoc animaduertant, qui ad omnem motum capitis, ad omne quod bonum agi fantasiatum fuerit, condere satagunt nouas leges, pœnas pœnis adiicere quasi super omni re quæ bona est, si fieret bonum sit & expediens legem pœnalem addere. Non enim respublica regitur per simile.

Fundatur in eadem radice rationabilitas abolitionis vel abrogationis quarundam legum positiuarum per oppositos mores subditorum, qui versi sunt in naturam.

Fundatur & rationabilitas permissionis quorundam malorum, non vt approbentur, sed ne punita ruant in deterius.

Fundatur & ius præscriptionis punientis, ne fiant incerta dominia, neglectores rerum propriarum, ac iuste transferentes etiam apud Deum, & conscientiam tale dominium in bonæ fidei possessorem & præscriptorem legitimum.

CONSIDERATIO XI.

POtestas Ecclesiastica in sua plenitudine est in Ecclesia sicut in fine: & sicut in regulante applicationem & vsum huiusmodi plenitudinis Ecclesiasticæ potestatis per seipsam, vel per generale concilium ipsam sufficienter & legitime repræsentans. Constat vtiq; datam fuisse Petro plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis à Christo ad ædificationem Ecclesiæ suæ, sicut conformiter ad Apostolum ponit descriptio.

Propterea loquitur Augustin. cum aliis quibusdam, quod claues Ecclesiæ datæ sunt non vni, sed vnitati: & quod datæ sunt Ecclesiæ. Et hoc conuenienter potest intelligi modis, quos explicat consideratio: quoniam claues datæ sunt propter Ecclesiam & vnitatem eius tanquam propter finem.

Potest etiam dici in Ecclesia vel in concilio hæc plenitudo Ecclesiasticæ potestatis nedum in se finaliter, sed aliis duobus modis: vicem quo ad applicationem ad hanc vel illam personam. Et quo ad vsum regulandum, si fortassis in abusum verti quæreretur. Constat his tribus modis plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis esse in ecclesia, & in generali concilio tanquam in gerente vices eius. Et quidem de duplici modo primo & secundo non est difficultas. Similiter nec de tertio, si consideremus descriptionem plenitudinis ecclesiasticæ potestatis, vbi ponitur quod data est ad ædificationem ecclesiæ. Cum igitur summus pontifex habens eam subiectiue, sit peccabilis & possit hanc potestatem in destructionem velle conuertere. Similiter sacrum collegium, quod ei datum est, & coassistit quasi communitas Aristocratica, non est in gratia vel fide confirmatum: superest, vt aliqua sit relicta inobliquabilis & indeuiabilis regula ab optimo legislatore Christo, secundum quam possit abusus huiusmodi potestatis reprimi, dirigi atq; moderari. Hæc autem est vel ecclesia vel generale concilium. Vnde cum medium virtutis aliter non habeatur, nisi prout sapiens iudicabit: finalis resolutio ad hanc sapientiam fiet ad ecclesiam, vbi est sapientia indeuiabilis: vel ad generale concilium.

Hinc fundantur ea multa, quæ per hoc sacrum coucilium & constituta & practicata sunt. Vt quod Papa iudicari potest & deponi per concilium. Quia eidem in regulatione suæ potestatis quo ad vsum subiicitur: & sibi potest dici: *Cur ita facis?* & ita de pluribus quæ recollecta sunt in illo sermone: *Prosperum iter faciet nobis Deus.*

Possumus ad hanc considerationem addere, quod plenitudo ecclesiasticæ potestatis si consideretur in sua latitudine, ipsa non est in solo Papa, nisi quodam modo fontaliter potestatiue & originaliter suo modo. Hæc enim latitudo potestatis complectitur in se alias potestates ecclesiasticas collectiue à summo vsq; ad deorsum. Et est in eis plenitudo ecclesiasticæ potestatis Papalis tanquam pars integralis in suo toto: & ita non est maior vel superior ad totam ecclesiam, sicut nec pars maior toto. Si vero consideretur hæc plenitudo in sua supremitate, tunc absq; vlla dubitatione plenitudo ecclesiasticæ potestatis Papalis superior & maior est ad reliquas: sed iam illud, quod reliquum est, nullo pacto potest constituere generale concilium: iuxta illud quod dictum est prius, quod generale concilium in sua ratione formali includit de necessitate Papalem auctoritatem, siue Papa sit, siue non sit: quia si Papa est & vult facere debitum suum de conuocando concilium: certe debet auctorizari per ipsum. Si vero pertinaciter renuit in destructionem ecclesiæ, iam tunc agendum est acsi non esset: & remanet in ecclesia potestas seipsam congregandi & sibi prouidendi ac ordinandi de potestate papali, secundo & tertio modis quo ad applicationem & ad vsum: sicut de capitulo & decano, vel de vniuersitate & rectore suo modo diceretur.

Sed occurrit difficultas principalis, quid mortuo Papa, vel eiecto possit ipsum concilium.

Potest itaq; primo constituere sibi Papã vno modo solito per electionem dominorum Cardinalium vel alio modo per compromissum vel per vitã Spiritus sancti, si probabiliter ita speraretur posse fieri quod omnes concordarent in vnum. Vel forte per expectationem diuini miraculi, sicut fuit

in

in electione Matthiæ. Et de hac prima potestate concilii non est difficultas, quin sibi possit facere caput vnum.

Alia multa sunt, quæ Papa mortuo vel eiecto potest exercere concilium per seipsum vel per organum aliquod vice omnium: quemadmodum sæpe practicatum est in hoc concilio de diuersis sententiis & decretis respicientibus exercitium iurisdictionis coercitiuæ: sicut in vocatione & depositione Papæ, sicut in excommunicatione & interdicto, relaxatione & absolutione factum est in caussa Tridentina & Argentina: in quibus omnibus introducitur sancta Synodus loquens, decernens, diffiniens. Sic inuenitur in primis conciliis tempore Apostolorum & aliorum, quod concilium loquebatur, & non Papa, etiam dum viuebat. Vnde dixerunt Apostoli & Seniores Act. 15. scribentes acta illius concilii: *Visum est Spiritui sancto & nobis*. Et similiter notatur Act. 6. de conuocatione Ecclesiæ per 12. Apostolos: & in conciliis generalibus tales inueniuntur modi loquendi: *Placuit sancto concilio*: vel *concilium diffinit*: vel *statuit sanctum concilium*, vel *sacri auctoritate concilii*, vel *Synodalis ordinatio vigeat*: & ita in similibus.

Deniq; tertio sunt alia quæ non possunt exerceri, nisi per suppositum determinatum iuxta iam allegatum, quod actiones sunt suppositorum.

Circa quæ distinguendum est; quia vel illa sunt talia, qualia nullus potest exercere, nisi sit Papa: nec per commissionem, nec aliter. Vel sunt talia, quæ committi possunt per aliquem vel aliquos, per quos hoc exerceri non posset, sed alius capax est. Exemplum de curato non sacerdote, qui potest committere simplici sacerdoti non habenti plebem aliquam, quod in cura sua celebret missam & consecret, quod audiat confessiones & absoluat, quod ministret Eucharistiam: & ita de reliquis spectantibus ad sacerdotium. Poterit igitur similiter concilium committere sacerdotibus, vt agant talia, quæ nec concilium per se nec illi sacerdotes sine commissione vel licentia concilii possent exequi, saltem licite.

Quocirca restat cognoscendum de illa conditionali, si sit aliqua potestas in Papa, quæ possit in aliquid, in quod nulla altera potestas Ecclesiastica potest attingere neque de facto neque de iure. Et videtur prima facie, quod non: iuxta communiorem Doctorum sententiam, qui dicunt potestatem ordinis esse æqualem in omnibus sacerdotibus, comprehendendo more Apostoli Episcopatum sub sacerdotio. Non enim videtur, quod sit aliquis actus ordinis, in quem possit Papalis auctoritas, quin illum possit de facto potestas Episcopalis. Cæterum de potestate iurisdictionis quocunq; fiat sermo, videtur quod concilium possit illam concedere in defectu Papæ, vt in subiiciendo à Episcopo tales populos quales voluerit pro sacramentorum licita & rata ministratione. Et ita practicauit hoc concilium circa Samaitas, legatos eis dando, qui licite possent omnia, quæ sunt ordinis & spiritualis iurisdictionis. Proinde quid de largitione indulgentiarũ tenendum sit, lectori interim considerandum relinquo, si solius Papæ concessione mediate vel immediate tradi possint. Putant aliqui, quod potestas hæc respicit claues in foro pœnitentiæ. Propterea conuenit in eodem foro cuilibet sacerdoti, maxime Episcopo, si non fuerit hæc potestas à superiore quo ad vsum limitata: aut conuenit illi qui habet curam communitatis Ecclesiæ secundum Thomam. Concilium vero talem curam habet.

Porro iuxta hunc dicendi modum potest occurrere scandalum trahens ad hoc inconueniens, quod Ecclesia posset bene regi vsque in finem seculi sine Papa: vt si generale concilium daret licentiam omnibus Episcopis sacerdotibus cuilibet supra plebem suam absque vlla iurisdictionis limitatione vel restrictione: quia sic Episcopus posset constituere sacerdotes, imo & Episcopus licite & rate & vti clauibus, & ita de reliquis omnibus Hierarchicis actibus.

Respondemus, quod etsi ad tempus aliquod generale concilium possit aliquid tale facere: quoniam habere Papam est præceptum affirmatiuum obligans ad semper, sed non pro semper: sicut apparuit dum vacuit sedes per duos aut tres annos, sicut & nunc vacat. Nihilominus generale concilium neque deberet neque posset talem defectum capitis vsque in finem seculi tolerare stante lege: potest tamen supplere, dum necessitas vrget vel suadet euidens vtilitas: & hoc vel per vnum Episcopum quasi vicarium, vel per plures simul, aut successiue. Et hoc modo dicitur esse plenitudo potestatis Ecclesiastici in Ecclesia suppletiue.

Cogniscimus ex his quod falsæ sunt & iniuriosæ concilio generali tales assertiones, quæ negant ab eo vel Ecclesia executionem potestatis supremæ iurisdictionis. Negant insuper decernendi vel diffiniendi potestatem dum Papa est, reponentes in eo solo hanc auctoritatem diffiniendi: cum ex multis conciliis & certa ratione constet oppositum. Vnde & Apostoli miserunt in Samariam Petrum & Iohannem tanquam subditos Ecclesiæ. Et Iacobus protulit diffinitionem sacri concilii super cessatione legalium, de quo *Actorum decimo quint.* notatum est: quando tamen Petrus præsidebat & residebat in Ecclesia legitime, cum esset in gratia confirmatus die Pentecostes.

Possumus tandem canones apparenter discordes super laude plenitudinis potestatis Papalis rationabiliter ad concordiam reuocare, si distinctionem trimembrem acceptionis Ecclesiasticæ potestatis acute viderimus. Hanc enim potestatem formaliter & in se consideratam primo modo iudicare potest, neque Augustus, neque populus, neque totus clerus: imo nec vniuersalis Ecclesia. Secus in alio duplici modo. Vnde sicut ex consideratione potestatis huius stupendæ & miraculosæ, Imperatores etiam & reges procumbunt ad oscula pedum Papæ. Et inde consurgit ali-

 quam-

quando ex humana fragilitate arrogans superbia in persona Papæ referentis ad se quod impenditur potestati. Non aliter existimandum est de prioribus sanctis patribus extollentibus Papam miris modis. Et inde suborta est in quibusdam summis pontificibus arrogantia maior debito: quod est vsurpare id, quod iure non poterat. Hinc cuidam glorianti, quod pedibus suis conculcaret imperatoris caput, retudit hanc arrogantiam acriter satis imperator hoc mordaci verbo: *Non tibi*, inquit, *sed Petro*.

Hinc fit præterea, quod absque mendacio vel adulatione Papa nequissimus potest appellari sanctissimus: potest adorari cultu duliæ vsq; ad oscula pedum: & ita de reliquis honoribus.

Sic Ecclesia, quæ maculam non habet neq; rugam, quæ instar Mariæ virgo est & Mater, introducitur quandoq; tanquam peccatrix & sordida, non quidem pro se & in se, sed pro peccatis filiorum: sicut anima sana fert & regit corpus ægrotum.

CONSIDERATIO XII.

Potestas Ecclesiastica Papalis non ita habet dominia & iura terreni simul & cœlestis imperii, quod possit ad libitum suum de bonis clericorum, & multo minus laicorum disponere: quamuis concedi debeat, quod habet in eis dominium quoddam directiuum, regulatiuum & ordinatiuum.

Declaratione huius considerationis, quam discretio moderatrix atque mediatrix ponit inter errores oppositos: dum facere meditarer, occurrere visa est protinus in ipso meditationis meæ secreto duplex improba pestis. Nomen vnius detractio liuida. Nomen alterius adulatio subdola. Prima potestatem Ecclesiasticam deprimens subiiciebat temporali. Altera sustollebat in immensum, velut ad similitudinem altissimi: confundens iura cuiuslibet alterius potestatis. Tolle tolle, clamat detractio, temporalitatem omnem, ius vel dominium ab Ecclesiasticis. Quare? quia sic instituit Christus, cuius ista vox est: *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Sic improbat Iulianus apostata Christianis, rapiens eorum facultates. Addit detractio, quod Ecclesiastici nequaquam capaces sunt iurisdictionis temporalis, etiam si principes alii conferre voluerint. Inducit Apostolum: quia *militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Addit detractio, nihil habere Ecclesiasticos neque decimas neque oblationes, quanto minus alias dotationes vel possessiones, nisi ex pura Eleemosyna donantium. Et quod ab Ecclesiasticis peccantibus saltem habitualiter possent per secularem potestatem optimo iure tolli: quia data est potestas hæc secularis in vindictam malefactorum: neque sine caussa gladium portat. Addit quarto innitens Apostoli verbis: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus*: quia quicquid habent Ecclesiastici vltra simplicem victum & vestitum, totum illud est pauperum: cuius retentio nedum furtum vel rapina simplex est, sed sacrilegium: prout detorquet ad hanc sententiam tam Hieronymi verba, quam Bernhard. Vult tandem detractio Ecclesiasticos omnes ad illam Apostolorum & Discipulorum primam paupertatem sine equis, sine thesauris, sine calciamentis, sine possessionibus de necessitate salutis redigere, execrans in Ecclesiasticis pompam omnem vel seruientium, vel ciborum, vel equorum, vel indumentorum.

Consurgit ex aduerso blandiens & subdola adulatio, & ad aures Ecclesiasticorum, præcipue summi pontificis insusurrans: O quanta est, quanta sublimitas Ecclesiasticæ potestatis tuæ! O sacer clere, quam nihil est secularis auctoritas tuæ comparata! Quoniam sicut Christo collata est omnis potestas in cœlo & in terra, sic eam Christus omnem Petro suisque successoribus dereliquit. Vnde & nec Constantinus quicquam Syluestro Papa contulit, quod non esset prius suum, sed reddidit iniuste detentum. Porro sicut non est potestas nisi à Deo, sic nec aliqua temporalis vel Ecclesiastica, Imperialis vel regalis nisi à Papa: in cuius femore scripsit Christus: *Rex regum, Dominus dominantium.* De cuius potestate disputare instar sacrilegii est: cui neque quisquam dicere potest: *Cur ita facis?* Sic etiam temporalia omnia si Ecclesiastica bona atque dominia mutauerit, diripuerit, distraxerit. Mentior si non inueniuntur hæc scripta ab illis etiam qui sapientes sunt in oculis suis: Si præterea non inueniuntur fuisse per aliquos summos pontifices hæc credita. Notum est illud Satyrici:

> *Nihil est quod credere de se*
> *Non possit, cum laudatur Diis æqua potestas.*

Et illud Comici de adulatore: *Hic profecto ex stultis insanos facit.*

Sentiens autem adulatio quandoque nimis se cognosci studet quasi modestiori sermone depressius vti vt credibilior appareat. Concedit seculari potestati possessiones & iurisdictiones proprias, quas tollere nequit pro libitu Papa. Recognoscit Constantinum vel alios Principes aliquid Ecclesiæ nouiter contulisse. Nihilominus tradit, quod summus pontifex supremus est monarcha: nedum in spiritualibus, sed temporalibus, habens potestatem hanc immediate à Chri-

sto:

te: sed alii reges omnes & principes suam recipiunt dominationem ab eo, & solum mediate à Deo. Alioquin vt monstruosus esset hic mundus, si haberet tot capita, quæ non sub vnico regerentur: Rediretque Manichei deliramentum ponentis duo principia, Vnum bonorum & spiritualium: aliud malorum & temporalium. Vnde & sicut corpus est propter animam & ab anima viuit & regitur, sic potestas secularis propter spiritualem, à qua recipit suum esse legitimum. Quam auctoritatem spiritualem qui negant vel impugnant, sint intus, sint foris ecclesiam possunt gladio vel spirituali excommunicationis sicut catholici: vel debellationis, sicut infideles feriri, & eorum dominia vel bona in alios transferri.

Hanc æstimationem habuisse visus est Bonifacius octauus *in quadam decretali*. Et in hac fundari putatur ab aliquibus Dominorum Prutenorum aduersus infideles debellatio, suorumque bonorum & dominiorum conquisitio. Putatur ab aliis depositio vnius regis Franciæ per Papam Zachariam hic esse fundata, tanquam Papa sit, qui transferre possit reges & regna.

Rursus animaduertens adulatio, durum esse multis hunc sermonem: & ideo minus credibilem, studet loqui restrictius, concedens qud sicut ante Petrum fuerunt apud infideles vera dominia: quemadmodum irrefragabilis auctoritas sacræ scripturæ & euangelicæ narrationis testis est: Sic non oportet nunc post Petrum, vt omnis potestas Imperialis, regalis vel altera secularis sit immediate robur habens à summo pontifice: sicut rex Francorum Christianissimus superiorem hoc modo non habet, nec recognoscit in terris. Idcirco transfert verbum suum adulatio loqui de dignitatibus, officiis & bonis ecclesiasticorum, quæ omnia sic subiicit summo pontifici, vt quicquid circa ea placuerit disponere mutando, transferendo, appropriando, hoc possit, hoc teneat, & ratum sit: licet hoc sine causa, licet cum peccato suo peregerit, quamuis peccatum circa hoc vult adulatio longe à Papa sic facere, vt eum simoniam posse neget committere: quoniam sua sunt omnia ecclesiastica bona. Concedit insuper, quod super ius est potens ab altero ius suum tollere: & quod nec ab eo appellari neque eum iudicialiter euocari, nec obedientiam ab eo subtrahi, præsertim extra casum hæresis sit aliquatenus possibile. Hic solus symbolum fidei condere: hic solus causas eiusdem fidei & maiores cæteras tractare potest, solus vt iam tactum est, diffinitiones, regulas, leges & canones condit. Alioquin quicquid per alios diffinitur, decernitur, conditur, statuitur, irritum est & inane. Nec aliquid ex eis quæ statuerit potest, nisi per ipsum quomodolibet cassari vel infringi. Fallor si non ante celebrationem huius Sacrosanctæ Constant. synodi sic occupauerat mentes plurimorum, literalium magis quam literatorum ista traditio: vt oppositorum dogmatizator fuisset de hæretica prauitate vel notatus vel damnatus. Huius rei signum accipe: quia post declarationem ex theologiæ principiis luce clariorem, & quod vrgentius est post determinationem & practicationem eiusdem sanctæ synodi, inueniuntur qui talia palam asserere non paueant, tam radicatum, & vt cancer serpens tam medullitus imbibitum fuit hoc priscæ adulationis virus lethiferum. Tandem miserante Deo moderatrix discretio, collustrata lumine legis euangelicæ, mediam ac regiam viam tenens inter deuios errores extremos, detractionis & adulationis ponit dictam hanc considerationem duodecimam cum prioribus tanquam signum aliquod ostensiuum itineris recti: ne forte offendant ad lapidem erroris pedem suæ inquisitionis scrutatores veritatis. Vnde dicimus ecclesiasticos & capaces esse bonorum temporalium, & multa eis ex debito, non ex eleemosyna pura competere: & non debere eos coercere vel spoliari per secularem potestatem, nisi vocata sit in sui iuris subsidium, quod dicitur propter hæreticos & rebelles. Possunt ipsi denique cum diuitiis aliter quam Apostoli viuere, conuersari vel incedere pro temporum, locorum & aliarum circumstantiarum varia qualitate, prout sapiens iudicabit. Nec ita sunt Hieronymi, vel Bernhardi verba generaliter ad omnes ecclesiasticos tanquam proprium habeant nihil, detorquenda. Monachis autem, quibus loquebantur, alia lex est.

Vitamus ex aduerso stultas & falsas adulationis insanias attribuentes summo pontifici plenitudinis potestatem, qualem descripsimus: quæ tanta est, quantam sapientissimus legislator CHRISTVS præuidit sufficere ad ædificationem continuam ecclesiæ dilectissimæ sponsæ suæ, quam propria morte firmauit & dotauit: Cui potestati detrahere esset impietas sacrilegaindignissimaque. Sed glorificent Deum, qui potestatem talem dedit hominibus misericordissima pietate sua: quæ potestas quanto sublimior est, pulchrior & dignior, tanto ne vertatur in abusum vilem, turpem & indignum prouidere debet summus pontifex: & eam, vt sapiens iudicabit regulare. Quid autem sapientius in terris generali concilio, quod & Spiritu sancto regitur: & cuius agi frenis summa libertas est? Præclare dixit Aristoteles: *Non esse seruitutem obedire legibus.*

Addamus summum pontificem cum collegio suo ita præsidere bonis ecclesiasticis, vt de eis statum habere sufficientem & decentem oporteat. Sed non ita, vt caput grauidum membra reliqua obruat mole sua: neque velit vsurpare contra naturam singularis membri omnia officia membrorum, quibus singulis, vt ait Apostolus, proprium datum est officium. Nam si omnia oculus vel caput, vbi pes? vbi manus? Concernit hoc collationem beneficiorum multiplicitatem

exemptionum odiosissimam plenam erroris & confusionis in ecclesiastica hierarchia: & ita de reliquis. Reseruationem præterea tot casuum, tot excommunicationum in foro conscientiæ, euocationem tam facilem omnium causarum ab ordinariis: sint causæ illæ prophanæ, sint sacræ fidei: quales fidei causas omnes ab ordinariis singulis, præsertim in doctrinis notorie scandalizantibus, diœceses suas, & vbi vigent studia literarum, velle prohibere, quid aliud est quam ianuam grandem erroribus aperire?

Postremo suis se terminis ita potestas ecclesiastica coerceat, vt meminerit potestatem secularem etiam apud infideles sua habere propria iura, suas dignitates, suas leges, sua iudicia: de quibus occupare se ecclesiastica potestas non præsumat vel vsurpet, nisi dum redundat abusus potestatis secularis in impugnationem fidei & blasphemiam creatoris & in manifestam ecclesiasticæ potestatis iniuriam. Tunc enim attendere conuenit vltimam huius considerationis duodecimæ particulam, quod in his ecclesiastica potestas habet dominium quoddam regitiuum, directiuum, regulatiuum & ordinatiuum.

Concludunt hoc & nihil fere aliud rationes & allegationes omnes induci solitæ, quod plenitudo potestatis Papalis superior est & ad omnem aliam ecclesiasticam & temporalem. Quamuis sub hoc respectu potestas vniuersalis ecclesiæ vel generalis concilii legitime congregati dici possit maior in amplitudine vel extensione, maior in infallibili directione, maior in morum reformatione in capite & in membris, maior in coërcitiua potestate, maior in causarum fidei difficilium vltimata decisione, maior denique quia copiosior. Complectitur enim saltem virtualiter omnem potestatem & omne politicum regimen, Papale, imperiale, regale, aristocraticum & timocraticum; prout alias deductum est ex descriptione concilii generalis, quæ talis est.

Concilium generale est congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum ex omni statu hierarchico totius ecclesiæ catholicæ: nulla fideli persona, quæ audiri requirat, exclusa, ad salubriter tractandum & ordinandum ea, quæ debitum regimen eiusdem ecclesiæ in fide & moribus respiciunt.

Dicamus hic aliqua circa diffinitionem hanc concilii generalis. Et primo, quod *congregatio legitima auctoritate facta* dicitur regulariter à Papa, sicut sonant decreta & decretales innumeræ. Excipiuntur tamen tres casus, vbi congregatio concilii generalis fit legitime sine Papa. Vnus dum desiit esse per mortem naturalem vel ciuilem seu canonicam, quæ est depositio. Vel si cadat in perpetuam maniam. Aut si ad eum captiuatum non pateat accessus. Alius dum sufficienter requisitus de conuocando concilium renuit contumaciter in perniciem ecclesiæ, præsertim si tangat ipsum. Tertio si concilium postquam est à Papa legitime congregatum, statuat certum tempus & locum pro celebrando generali concilio: sicut infra triennium, vel de decennio in decennium, etiam vbi Papa renueret. Nec refert in primo & secundo casu, per quos euocetur concilium: dummodo congregetur, quemadmodum fuit Pisis. Nihilominus expedit decernere pro futuro modum conuocationis: sicut in reformatione salubriter est auisatum, vtinam & synodaliter iam esset diffinitum.

Dicamus secundo iuxta probabilem valde sententiam, quod de statu hierarchico ecclesiæ non sunt proprie, nisi duo status: Prælatorũ maiorum videlicet, qui succedunt Apostolis & sunt episcopi, archiepiscopi, & ita sursum: Et minorum, qui successores sunt septuaginta duorum discipulorum. Et dicuntur prælati secundi ordinis dignitatis vel honoris, quales sunt curati, quibus ex statu & ordinatio iure conueniunt tres actus hierarchici primarie, essentialiter & immediate à Christo: qui sunt purgare per correctionem, illuminare per doctrinam & prædicationem, perficere per sacramentorum ministrationem. Fundatur hæc sententia *Matth. 18.* vbi postquam Christus dixerat, *dic ecclesiæ*: subiunxit de quibus loquebatur dum ait: *Quodcunque solueritis super terram* &c. Constat autem quod nedum Apostolis, sed & discipulis loquebatur: iuxta Glossas Doctorum in hoc loco: & *Matth. 10. & Luc. 10.* vbi fit sermo de missione septuaginta duorum discipulorum: & *Matth. 16* vbi Christus Petro dixit pro omnibus: *Quodcunq; ligaueris.* Et iterum: *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*

Concordant August. Hieron. Isidor. Beda, Magister vbi prius, & expresse multum Damasus Papa: *Non amplius*, inquit, *quam duos ordines inter discipulos Domini esse cognoscimus, id est, duodecim apostolorum & 72. discipulorum. Vnde iste processerit ignoramus: & quod ratione caret, extirpare necesse est*: loquitur contra episcopos.

Dicamus tertio naturam generalis concilii talem esse, vt nullus fidelis, qui audire voluerit, debeat excludi ab audientia, quatenus vel doceatur vel doceat: sicut legitur in principio concilii.

Distingui tamen solet de habentibus vocem in concilio. Quidã habent consultiuã, alii diffinitiuam. Primi sunt, quibus inest notitia talium, quæ tractantur etiam vsq; ad mechanicas artes. Vt si quæratur de modo reparationis ecclesiarum materialium, esse poterit in latomis vox consultiua. Sic in aurifabris & fabris. Sic dum fit quæstio de Philosophicis & moralibus disciplinis, vt sunt præcepta decalogi, possunt seculares eruditi in Philosophia, legibus & moribus, dare consilium, & aliquando salubrius quam nonnulli prælatorum vel curatorum vel etiam theologorum, vsque adeo quod in generalibus conciliis contra Arrium tempore Athanasii fuerit interrogatus gentilis Philosophus de materia nedum pure morali, sed quæ tangebat beatæ trinitatis eandem essentiam.

Cæterum de voce diffinitiua quales eam habeant, non est dubium de episcopis & superioribus prælatis: sicut iuxta prædicta practicatum sæpius inuenitur in prioribus conciliis. Sed neq; videtur ambiguitas esse de minoribus prælatis, qui sunt curati & hierarchæ: neque de illis, qui ad hunc

hunc duplicem prælatorum ordinem reducuntur: quibus non ex priuilegio solo, sed ex statu & ordinario iure competit animarum cura: quemadmodum sunt multi abbates, Decani, præpositi, cum similibus.

Facit ad hoc determinatio sacræ facultatis theologiæ Parisiensis nuper edita contra temeritatem extollentium priuilegiatos super curatos in prædicationibus & confessionibus: vbi sic dicitur in duobus primis articulis.

Domini curati sunt in ecclesia minores prælati & hierarcha ex primaria institutione Christi: quibus competit ex statu ius prædicandi, ius confessiones audiendi, ius sacramenta ecclesiastica secundum exigentiam sui status & parochianorum ministrandi, ius sepulturas dandi, ius insuper decimas & alia iura Parochialia recipiendi.

Secundus articulus, quod *ius prædicandi & confessandi competit prælatis & curatis principaliter & essentialiter, & Mendicantibus de per accidens ex priuilegio: quoniam sunt introducti vel admissi ex concessione & beneplacito Dominorum prælatorum.*

Dicamus postremo quod licet ea, quæ statim dicta sunt, consonare videantur iuri diuino & obseruationi priorum conciliorum atque rationi: Nihilominus concilium potest certis de causis & ad tempus constituere voces diffinitiuas in pluribus vel paucioribus, & in aliis quam dicti sint satis similiter ad illa quæ facta sunt & fieri possunt vario modo circa institutionem prælatorum ecclesiasticorum maiorum & minorum, quæ quandoque fiebant à toto populo & clero: quandoque à clero solum: quandoq; à solis canonicis ecclesiæ cathedralis: & nouissime crebrius per solum Papam, sicut plurimorum est iudicium.

CONSIDERATIO XIII.

Potestas ecclesiastica, sicut & alia qualibet, originatur à prima iustitia, secundum quam iura omnia leges, iurisdictiones atque dominia pulchra ordinis varietate fundantur.

Describitur itaque *iustitia*, quod *est perpetua & constans voluntas, ius suum vnicuiq; tribuens.* Hæc autem descriptio competit principaliter iustitiæ diuinæ in ordine ad suas creaturas. Deus nempe solus est, qui voluntate perpetua & constanti dat vnicuiq; rei quod suum est: suum inquam, non ex debito rigoris, sed ex liberalissima & dignissima donatione creatoris. Sic in qualibet re tantumdem est de iure, quantum de entitate. Habet enim res qualibet ius seu titulum id habendi, quod habet ex dictamine rectissimo primæ iustitiæ.

Ius vero sic describitur: *Ius est potestas seu facultas propinqua conueniens alicui secundum dictamen primæ iustitiæ.*

Porro dictamen hoc lex dicitur, quia lex est regula conformitatem habens ad dictamen rectæ rationis. Dictamen vero rectæ rationis primæ, & iustitia conueniunt in Deo synonyme. Proinde dictum est in descriptione iuris, quod est *facultas propinqua* &c. propter illa quæ in potentia obedientiali conuenire possunt cuilibet creaturæ, quod posse dicere possumus vel obedientiale vel logicale, secundum quale non dicitur proprie res habere ius vel legem, sicut non dicimus quod damnati ius habeant ad beatitudinem æternam. Nec quod stella ius suum seu facultatem habeat in tanta luce, quanta refulget in sole: licet in potentia obedientiali creaturæ vel absolute Dei possint hæc omnia fieri.

Consequenter ab hac amplissima iuris & legis acceptione, sicut vtitur scriptura dum ait: *Hæ sunt leges cæli & terræ* &c. & alibi pluries: & apud Boetium: *Legemq; pati sidera cogis*: fit descensus restrictior ad ea, quæ creaturam rationalem respiciunt, vt rationalis est.

Fit subinde distinctio de iustitia: quia quædam est essentialis & primaria, qualis prædescripta est. Altera est participata seu deriuata & attributiue dicta, quæ sic describitur: *Iustitia est habitus vel tanquam habitus conformis diuinæ iustitiæ, eiusque imitatiuus per participationem, quo habitu inclinatur habens eam facere ius vel reddere.* Ita quod ius est velut actus, vel vsus, vel effectus, vel titulus talis iustitiæ.

Rursus de iustitia sic accepta participatiue dicimus, quod quædam est iustitia originalis, quædam regni cœlestis: vt ibi: *Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius.* Et hæc duplex est, quædam gloriæ, quædam gratiæ.

Altera iterum est iustitia legalis, alia ciuilis. Iustitia vero ciuilis alia distributiua: alia commutatiua. Et ita de reliquis acceptionibus iustitię specialibus.

Iustitia legalis est omnis virtus, sicut charitas est tota lex Christi.

Porro iustitiæ distributiuæ contrariantur promotiones indignę, & intrusiones in officiis reipublicæ & beneficiis ecclesiæ. Commutatiuæ autem contrariantur contractus illiciti, vsura & fraus in temporalibus, simonia & giezia in spiritualibus, de quibus non est hic dicendum per singula.

Dicamus præterea tot esse legum varietates, quot modis iura variantur secundum dictamen participatæ iustitiæ. Propterea sunt quædam leges proprie diuinæ, quædam proprie naturales: quædam positiuæ vel humanæ. Quarum aliquæ sunt canonicæ vel ecclesiasticæ: alia

aliæ sunt ciuiles seu politicæ. Et quamuis paucæ reperiantur leges, quin mixtæ sunt ex participatione diuersarum: nihilominus denominatur lex à prædominanti seu à principaliori, quod in ea reperitur. Quibus præsuppositis dicamus vlterius descriptiones huiusmodi legum.

Et quoniam *lex* dicitur *à ligando*, id est, obligando: vel *à legendo*, id est, dictando quid agendum sit, conformiter ad hanc obligationem seu dictamen rectæ rationis describemus principaliter leges obligatorias: quia de consultoriis & permissiuis, & si quæ sint aliæ, facilis habebitur ex his cognitio.

Lex diuina obligatoria est signum verum reuelatum creaturæ rationali notificatiuum rectæ rationis diuinæ volentis teneri seu ligari illam creaturam ad aliquid agendum vel non agendum pro consecutione felicitatis æternæ. Dicitur hic & infra: *Signum notificatiuum*: quoniam proprie nulla lex obligat liberum arbitrium, si notificata non fuerit. Hoc autem signum triplex est: quoddam mentale, quoddam vocale, quoddam scriptum: sicut est lex scripta prolata indita, literalis, vocalis, mentalis. De mentali scribitur in Psalmo: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Et *ad Roman. 2.* pulchre per totum. Et iterum in Psal. *Legem tuam in medio cordis mei.*

Lex naturalis obligatoria describitur, quod est signum naturaliter habitum, notificatiuum rectæ rationis diuinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri seu ligari ad aliquid agendum pro consecutione finis sui naturalis, qui est felicitas humana, siue monastica, siue œconomica, siue politica. Dicitur autem signum pure naturaliter habitum illud quod inditum est cuilibet homini, non impedito in vsu debito rationis. Impeditur autem per corpus, per errores, per vitia multa.

Notificatur ex hac duplici descriptione differentia & conuenientia diuinæ legis ad naturalem principaliter ex modo acquisitionis & ex parte finis. Lex enim diuina de ratione sua habet primo, vt acquiratur per reuelationem. Deinde quod ordine de proximo & per se ad felicitatem æternam. Lex vero naturalis etsi possit sic acquiri & ordinari, sicut patet in datione præceptorum decalogi, in vtraq; lege veteri & noua: hoc tamen non habet de ratione sua, vt sui naturalis est, sed transit in diuinam.

Lex canonica describitur, quod est signum habitum per humanam traditionem notificatiuum rectæ rationis diuinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri seu ligari ad aliquid agendum vel non agendum principaliter pro consecutione felicitatis æternæ. Per hanc vltimam clausulam conuenit lex canonica cum diuina, & differt à naturali. Et per primam ab vtraque sub sua ratione, quæ est vt habeatur eius cognitio & robur per humanam traditionem magis quam per puram reuelationem vel naturalem euidentiam.

Lex ciuilis describitur, quod est signum habitum per humanam traditionem positiuam volentem quod homo teneatur seu ligetur aliquid agere vel non agere pro consecutione finis sui naturalis: quæ est humana felicitas vel monastica vel œconomica vel politica. Patet descriptio ex prioribus.

Vnde diligenter attendendum est, quod sicut in speculabilibus sunt primo principia naturaliter nota. Sunt secundo conclusiones euidenter ab illis principiis demonstratæ. Sunt consequenter tertio conclusiones tantummodo probabiliter deductæ ex prædictis veritatibus, circa quas est solum opinio. Tandem quarto sunt aliæ propositiones sic elongatæ à primis veritatibus, quod non apparet, quod ex illis sequantur vel repugnent: vt si astra sint paria vel imparia. Proportionabiliter suo modo dicendum est de veritatibus moralibus sub hac distinctione quadruplici. Et iuxta duplicem primum gradum accipitur ius pure diuinum, si veritates sint certitudinaliter reuelatæ, vel ex reuelatis manifeste reductæ. Sed si cognoscantur per euidentiam naturalem accipitur ius proprie naturale. Circa tertium gradum & quartum proportionabiliter sumitur ius canonicum & ciuile: addita legislatoris auctoritate, quæ facit vt propositio moralis aliunde solum probabilis vel impertinens legibus proprie diuinis vel naturalibus robur habeat & vim obligationis ad alterum finem vel supernaturalem: & sic est lex canonica: vel naturalem, & sic lex ciuilis vel politica nominatur. Rememorandum est tamen id, quod iam dictum repetitur: paucissimas inueniri leges, quæ non se mutuo participent: sed ratio distinguit eas & secernit.

Transeamus consequenter post sermonem de iustitia, de iure, de lege: loqui de iurisdictione, de dominio & de politia. *Iurisdictio* describitur vel interpretatur, quod *est iuris ditio*, id est, potestas seu facultas exercendi ius. Vel dicitur *iurisdictio quasi iuris dictio*, id est, pronunciatio seu promulgatio iuris.

Quæ iurisdictio quadruplex est iuxta quadruplicem legem: diuina scilicet naturalis, canonica, ciuilis. Itaque iurisdictio diuina est potestas exequendi ius, quod competit alicui secundum legem proprie diuinam, & hoc in alterum vel tanquam in alterum. Non enim proprie dicitur habere quis iurisdictionem in semetipsum, nisi forte consideretur tanquam alter sit, vt vellent aliqui de pœnitentia dicere.

Proportionabilis est descriptio triplex triplicis alterius iurisdictionis secundum triplicem legem.

Diuiditur autem quandoq; iurisdictio in coerciuam: quæ scil. fertur in inuitum: & in directiuam seu regulatiuam & ordinatiuam, qualis fuisset etiam in statu innocentiæ: & qualis est sapientis ad insipientiores, & perfectioris ad imperfectiorem, vt in angelis etiam posuit Dionys.

Subiungamus de dominio, quod ita describi potest: Dominium est potestas propinqua assumendi res alias: vel vt alias in sui facultatem vel vsum licitum secundum iura vel leges rationabiliter institutas.

Inuenitur autem hoc modo dominium sextuplex: Beatificum, originale, gratificum, euangelicum, canonicum, politicum. Beatificum est dominium secundum leges gloriæ. Originale dominium est secundum leges originalis iustitiæ. Gratificum est dominium secundum leges gratiæ gratificantis. Euangelicum est dominium secundum legem propriè euangelicam. Et ita de reliquis duobus suo modo. Primum fundatur in titulo gloriæ: secundum in titulo originalis iustitiæ: & ita de reliquis suo modo.

Possumus autem contractius loqui de triplici dominio: quorum vnum fundatur in titulo charitatis gratificantis. Alterum in titulo alicuius gratiæ supernaturalis solum gratis datæ, non gratificantis. Tertium in titulo doni alicuius pure naturalis, sicut est electio vel naturalis successio ad aliquem principatum.

Describitur autem dominium, quod appellatur à multis euangelicum, per appropriationem, quod est dominium immediate à Deo institutum compatiens secum ex æquo quotlibet Dominos & inabdicabile seruata charitate se extendens ad omnia. De hoc dicit Apostolus, quod nostra sunt omnia: quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: quoniam in titulum charitatis adiiciuntur omnia abunde ad fruendum vel vtendum, quæ in cœlis sunt & in terra, in mari & in omnibus abyssis.

Describeretur conformiter dominium originalis iustitiæ, quod est donum Dei, quod creatura rationalis ius habet immediate à Deo assumere alias res inferiores in sui vsum & conuersationem pluribus competens ex æquo: & inabdicabile seruata originali iustitia, seu integritate naturali. Hoc modo habuit Adam dominium super volucres cœli & pisces maris.

Describeretur proportionabiliter dominium libertatis creatæ, quod est facultas propinqua resultans ex liberalissima condescensione Dei donantis ad agendum vel non agendum cum anima rationali in productione suorum actuum elicitorum vel in eorum suspensione ad finem consequendæ beatitudinis ordinata.

Porro quod sit dominium aliud fundatum in gratia supernaturali solum gratis data potest apparere consideranti naturam gratiæ talis: sicut debet Apostolus, Quod spiritus Prophetarum subiecti sunt eis: & fides informis facit miracula.

Contractius tamen locuti sumus in prima consideratione, dum potestatem ecclesiasticam descripsimus, quæ *dominium ecclesiasticum* dici potest.

Præterea ciuile dominium seu politicum est dominium peccati occasione introductum, non competens pluribus ex æquo retinibile & abdicabile, seruata vel non seruata charitate fundatum in legibus ciuilibus & politicis, secundum quas potest abdicari vendendo, donando, negligendo, permutando. Vnde & apud ecclesiasticos inuenitur tale dominium suo modo. Nec fundatur in charitate, nec in fide: quoniam apud infideles & iniustos peccatores iuste manet tale dominium.

Postremo tandem habito sermone de iustitia, de iure, de lege, de iurisdictione, de dominio, loquamur aliquid de politia describentes eam, quod est communitas ordinata ad finem aliquem perfectum. Est autem ordinatio vel ordo, parium dispariumq; rerū sua vnicuiq; tribuens dispositio. Conuenit igitur prorsus ordo cum iustitia, quæ dat vnicuiq; quod suum est. Propterea diuine fuit enunciatum per Prophetam, quod *opus iustitiæ est pax*. Cur ita? Plane quia nihil aliud est pax, quam ordinis tranquillitas. Hanc vero tranquillitatem ordinis facit iustitia, ius suum vnicuiq; tribuens. Qua in re dictum est: *iustitia & pax osculatæ sunt*.

Politiarum vero alia est cœlitus, de qua nihil ad præsens. Alia est humana duplex viatorum. Vna est quæ vulgato & appropriato nomine dicitur ecclesiastica. Altera secularis. Secularis autem diuiditur ab Aristotele politizante in tres. Quarum primam vocat regnum. Secundam dicit aristocraticam. Tertiam nominat vocabulo generali appropriate politiam, quam dicere possumus timocratiam.

Describitur regnum, quod est politia sub vno bono. Vel expressius, quod est congregatio communitatis perfectæ sub vno secundum leges suas bonas pro republica. Dicitur autem vnus ille bonus vel rex, vel Imperator seu monarcha, qui non proprium principaliter, sed commune bonum intendit in suo principatu. Describitur aristocratia, quod est politia sub paucis bonis, vel expressius quod est congregatio communitatis perfectæ sub paucis bonum reipublicæ per leges suas principaliter intendentibus, vt senatus.

Describitur politia appropriato nomine seu timocratia, quod est politia sub plurimis bonis. Vel expressius, quod est congregatio communitatis perfectæ sub plurimis vtilitatem reipublicæ per leges suas principaliter intendentibus. Dicitur perfecta communitas ad differentiam œconomicæ conuersationis, qui sibi perfecte non sufficit. Dicitur secundum leges suas: quoniam in hoc attenditur principatus dominantis, si secundum leges suas inueniatur vltro regere politiā, aliena lege nō artatus.

Omnis idcirco politia ecclesiastica siue dominetur vnus, siue pauci, siue plures boni, dicitur proptie diuina: quia secundum leges supernaturales debet quælibet regulationem accipere. Et ita perspicuū est, ꝙ tres istæ politiæ vniuntur in ecclesia aliter, q̄ in ciuili politia, ꝑpter diuinæ legis vnitatē.

Perspicuum est consequenter quæstionē hanc sapere blasphemiam & hæresim Pelagianam; si in ecclesiastico regimine theologia præponi debeat alteri scientiæ naturali vel humanæ. Non enim sumitur hic *ecclesia* pro templo materiali: quod ædificare melius sciret latomus, quam theologus aut iurista. Nec de ecclesia tantummodo debet fieri sermo pro solis prouentibus & redditibus & iurisdictionibus ecclesiasticis ad temporalitatem & vitam hanc ciuilem respicientibus: quoniam esset hoc pure gentiliter sapere. Ita tamen animales etiam de ecclesia plerumque concipiunt, pro vt operibus & verbis insinuant extollentes vsq; in cœlum: si quis episcopus aut abbas laborauerit, vt stent mœnia & prædia cum suis iurisdictionibus & permittat ruere subditos per errorum deuia in fide catholica & bonis moribus. Sic autem posset secularis vnus expertus œconomicus iudicari frequenter vtilior in ecclesiastico regimine, quam theologus aut Iurista.

Considerari igitur debet ecclesia prout instituta est à Christo supra firmam petram fidei ad finem supernaturalem secundum legem euangelicam & sacrę scripturę diuinitus reuelatæ: secundum quam debet regulari iudicium de fide & moribus subditorum: quoniam rectum est iudex sui & obliqui.

Pro qua fide conseruanda si deberent in curia romana constitui auditores causarum fidei in theologia peritissimi nec corrupti moribus: quas causas omnes dicunt aliqui ad sedem Apostolicam referendas esse: licet hoc nimis generaliter intelligant, attendatur si hoc æque rationabiliter fieret, sicut auditores causarum prophanarum sunt ordinarie & collegialiter instituti.

Possumus conformiter ad prædictam Philosophi politiam tripliciter distinctam in naturali regimine politiam ecclesiasticam diuidere: quod alia est Papalis, alia collegialis, alia synodalis seu concilii generali. Papalis imitatur regalem. Collegialis Dominorum cardinalium imitatur aristocratiam. Synodalis generalis imitatur politiam seu timocratiam. Vel potius est perfecta politia quæ resultat ex omnibus.

Sunt ex aduerso politiæ si taliter appellari merentur, quæ non libero & tanquam paternali regimine ducuntur, sicut præcedentes, sed despotico & seruili iugo trahuntur: vel ex proprio demerito permittente Deo, qui *regnare facit hypocritam*, dicente Iob, *propter peccata populi*. Vel aliunde iusto eiusdem Dei iudicio. Vocat autem eas Aristot. primam, tyrannidem: alteram, oligarchiam, tertiam, democratiam. In tyrannide præsidet vnus proprium tantummodo bonum inquirens, volens subditus impotentes, indoctos & diuisos ab inuicem esse. In oligarchia præsident pauci similis conditionis super alios. In democratia præsidet sibipsi multitudo nequam, vbi quærit vnusquisq; quæ sua sunt, non quæ communia.

Cognoscet ex his studiosus lector, si possit in ecclesiastica politia tale aliquid tripliciter & proportionabiliter inuenire.

Deniq; de politiis mixtis nihil expressimus, quoniam fere nulla est, quæ mixtionem excludat, scilicet à prædominanti talis vel talis nominatur. Hæc vero latius explicata sunt in tractatu quodam *De vita spirituali*. & in sermone illo: *Dedit ei pater omnia in manus*.

Epilogus præmissorum.

Epilogando dicimus, ꝙ à prima iustitia deriuatur ius, generaliter in omnem creaturam, specialiter in creaturam rationalem, & hoc secundum multiplices leges: Secundum proprie diuinam, secundum proprie naturalem, secundum canonicam, secundum ciuilem. Fundatur inde participata iustitia imitatrix diuinæ.

Dehinc iurisdictio quadruplex secundum quadruplicem legem: proprie diuinam, proprie naturalem, canonicam & ciuilem.

Et de qualibet harum dupliciter haberi sermo potest. Quoniam alia est coerciua in inuitum: Alia doctrinalis directiua vel arbitraria seu spontanea dici potest. Porro secundum leges & iurisdictiones fundantur dominia. Vnum gloriæ: alterum iustitiæ originalis: aliud gratiæ gratificantis, aliud euangelicum secundum leges proprie diuinas, aliud euangelicum secundum leges canonicas: aliud politicum vel ciuile secundum leges ciuiliter datas. Amplius vero fundantur secundum prædicta diuersæ politiæ. Vna regalis seu libera: altera seruilis & despotica. Et vtraq; diuiditur in ecclesiasticam & secularem. Secularis libera & bona diuiditur in regnum, in aristocratiam, & timocratiam. Seruilis & mala in tyrannidem, in oligarchiam & democratiam. Ecclesiastica bona diuiditur proportionabiliter in Papatum, in cardinalatum & synodum. Mala verǫ re ipsa magis huic aduerso triplici modo cognoscitur, quam nomine.

Tandem sub ecclesiastica politia continetur appropriato nomine potestas ecclesiastica, quæ primo diuiditur; quoniam vna est ordinis: altera iurisdictionis. Potestas ordinis duplex. Vna super corpus Christi verum in consecratione: altera super corpus Christi mysticum in sacramentorum ministratione. Potestas iurisdictionis duplex. Vna in foro exteriori: altera in interiori. Potestas in exteriori duplex. Vna coertionis seu correctionis secundum legem proprie diuinam, quæ est excommunicatio, altera secundum leges positiuas, canonicas seu ciuiles, quæ iurisdictioni seculari similis est. Rursus potestas iurisdictionis in foro interiori duplex est. Vna clauium scientiæ & po-

testatis in absolutione seu remissione culparum. Altera in pœnæ commutatione per largitionem indulgentiarum.

Postremo tripliciter habet considerari potestas ecclesiastica. Vno modo in se formaliter vel absolute, alio modo, vt in hoc vel illo supposito materialiter seu subiectiue: tertio modo vsualiter vel exercitatiue. Vsus vero quadruplex est, licitus & ratus, licitus & non ratus; illicitus & ratus, illicitus & irritus. Ratus vero dupliciter; vel de iure, vel de facto.

Finit tractatulus magis ad inquisitionem veritatis, quam ad determinationem editus & pronunciatus Constantiæ tempore generalis concilii pro parte Cancellarii Parrhisiensis, Anno à natiuitate Domini M. CCCCXVII. die 6. Februarii.

CONCORDIA QVOD PLENITVDO POTESTATIS ECCLESIASTICÆ SIT IN SVMMO PONTIFICE ET IN ECCLESIA, QVAMVIS NON omnino simpliciter: & hoc sub triplici conclusione. Cuius declaratio patet ex tractatu, cuius titulus est *De potestate ecclesiastica, de origine iuris & legum.*

Prima conclusio.

PLenitudo potestatis ecclesiasticæ complectitur in se plenitudinem duplicis potestatis: scil. ordinis & iurisdictionis tam in foro interiori quam exteriori, quæ circa quemlibet de ecclesia potest immediate & absq; limitatione exerceri claue non errante. Sed si errat, potest per solam ecclesiam synodaliter congregatam error iudicialiter corrigi: & ne fiat vlterius lex imponi, cui tenebitur habens huiusmodi potestatem reuerenter obedire sicut matri & sponsæ Christi: & sicut regulæ à Spiritu sancto directæ.

Secunda conclusio.

PLenitudo potestatis ecclesiasticæ sic proprie sumpta non potest esse de lege ordinata, nisi in vnico summo pontifice formaliter & subiectiue. Alioquin ecclesiasticum regimen non esset monarchicum, & habere posset multiplex caput ex æquo, quod aperte est hæreticum. Nec tamen plenitudo potestatis Papalis sic intelligenda est immediate super omnes Christianos, quod pro libito possit immediate iurisdictionem in omnes per se vel alios extraordinarios passim exercere. Sic enim præiudicaret ordinariis, qui ius habent immediatius, imo immediatissimum super plebes eis commissas actus hierarchicos exercendi. Extenditur igitur plenitudo potestatis Papæ super omnes inferiores, solum dum subest necessitas ex defectu ordinariorum inferiorum. Vel dum apparet euidens vtilitas ecclesiæ, quemadmodum dici potest de episcopis respectu plebanorum seu propriorum sacerdotum, quorum possunt supplere defectus.

Tertia conclusio.

PLenitudo potestatis ecclesiasticæ dum ponitur in ecclesia synodaliter congregata cum plenitudine executionis huiusmodi potestatis sit variatio vel æquiuocatio de hoc quod est esse in, quia non eodem modo est plenitudo potestatis ecclesiasticæ in Papa & in ecclesia. Fatendum est tamen, quod est vtrobique & principalius in ecclesia suo modo, & hoc quadruplici respectu, scil. indeuiabilitatis ac indefectibilitatis extensionis, regulationis & generalis obligationis: cui subiicitur etiam ipse Papa tanquam imperatrici sponsæ regis summi: qui potest condere canones, & diffinire, etiam si fuerit Papa præsens.

Faciunt auctoritates subsequentes pro vtraq; parte secundæ conclusionis cum prima & tertia. Dicit enim Bonauentura *parte 6. c. 5 sui Breuiloquii* ex dictis August. *Sic igitur baptismus potest esse extra ecclesiam: munus autem beatæ vitæ, non nisi intra ecclesiam reperitur: quæ supra Petram fundata est, quæ ligandi & soluendi claues accepit: hæc est vna, quæ tenet & possidet omnem sui sponsi & Domini potestatem: per quam coniugalem potestatem etiam de ancillis parere filios potest.* Item Stephanus Papa sic scribit Gualberto Patriarchæ: *Nunc vero iterato tibi scripsimus, nolentes alicuius ecclesiæ priuilegium infringere: licet Apostolica prærogatiua possumus de qualibet ecclesia clericum ordinare.* Notentur decreta cum suis Glossis.

Quod, etsi Papalis potestas extendatur ad omnes immediate, supple in casu necessitatis vel euidentis vtilitatis, non tamen vult alicuius ecclesiæ priuilegium infringere: supple, quia nec ita velle debet.

Et sit epilogus præmissorum.

Anno Domini 1415.

SERMO FACTVS PER EVNDEM XXI. DIE IVLII, ANNO DOMINI MCCCCXV: SVPER PROCESSIONIBVS FACIENDIS PRO VIAGIO Regis Romanorum, ad Petrum de Luna. In quo ponuntur 12. conclusiones, seu regulæ practicæ in sacro generali Constantinensi concilio.



Rosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Ita loquitur Propheta in Psal. 67. Cuius initium est: *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius* &c. Fiat ita quæsumus. Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum, auxiliante te beatissima Virgine, in qua est omnis gratia viæ & veritatis: quam imploremus & salutemus dicentes: *Aue Maria*.

Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Ita fieri credimus & speramus, ô Domine Deus salutarium nostrorum. Nec mirandum, si speramus & credimus, quoniam te donante assumus. Ecce ordinationi sanctissimæ nuper factæ, quam inspirasti, fit conuentus iste celeberrimus & deuotus ad orandum & deprecandum faciem tuam plenam gratiarum & dicendum: *Domine saluum fac regem*: iterq; suum in salutis tuæ prosperitate dispone.

Sed quare nobis prosperũ iter fieri petimus, viri Patres & Fratres reuerendissimi, sapientes, illustres atque doctissimi, in omnium virtutum decore præclari. Nobis, inquam, prosperum iter quo pacto fieri petimus etiam qui loco manemus: nec moueri quoquam extra disponimus. Sed profecto videmur iter agere, dum facit iter nobis: hoc est ad vtilitatem nostram, ad obsequium nostrum ad vniuersalem ecclesiæ pacem, Serenissimus Romanorum Rex protector eiusdem ecclesiæ fidelissimus. Prosperum sit iter suum suppliciter & salubriter imploremus: quoniam in prosperitate sua salus nostra reponitur. Ita enim prosperum facies iter nobis, ô Deus salutarium nostrorum, si pedes eiusdem regis nostri in viam pacis direxeris: si concesseris eum redire cum exultatione portantem vberes vnionis perfectæ manipulos. Sic enim fas habebit ex sententia dicere cum Abrahæ seruo, quod prosperum feceris iter suum: quod præterea fueris secum in omnibus ad quæ perrexit. Ambulet igitur ipse rex via regia per arma iustitiæ, à dextris & sinistris: te duce & te comite, qui es via, veritas & vita: te dicente ad eum: *Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos*. Mandes Deus angelis tuis, vt custodiant eum in omnibus viis suis: portent eum in manibus tuæ protectionis, vt non offendat ad lapidem cuiuslibet obstaculi, vel obdurationis partis aduersæ pedem suum. Sic enim prosperum iter facies, nedum tibi, sed nobis: & hoc ad vtilitatem nostram tu Deus salutarium nostrorum.

Potuerat sermo noster prolixius extendi: qui deuotas pro regis itinere prospero fundendas orationes, commonefaceret atque suaderet. Sed inspicio vestrum deuotionis ardorem: qui vt continuetur, vel in maiorem desideriorum flammam erumpat, non eget flatu verborum meorum exiguo. Per se enim satis in meditatione vestra exardescit ignis piorum sanctorumq; desideriorum, vt iugiter leuatis sursum cordibus, vt tractis ex imo pectoris suspiriis atque gemitibus dicat vnusquisque apud semetipsum: *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum*. *Faciet* pro faciat. Nam apud Hebræos (vt Nicolaus de Lyra debet) futurum indicatiui pro optitauo solet poni.

Diuertat nunc pauculum & pergat ad alia, non aliena sermo noster. Ecce quam offertur in ipsa meditatione mea iter quoddam non terrestre, quod agitur pedibus corporis: sed spirituale & cœleste iter æternitatis, quod peragratur pedibus mentis, qui sunt cognitio: pes sinister in intellectu, & volitio pes dexter in affectu. Hoc iter quale est, si quis interrogauerit? respondeat Propheta, id esse viam mandatorum Dei: quam nedum ambulasse, sed cucurrisse gloriabatur ipse cum ait: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*. Et rursus: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis*. Et talia sunt in hanc sententiam absque numero. Etenim tu qui peregrinaris hic à Domino, si pergendo vis ad vitam ingredi, serua mandata. Hæc est enim via regia, hoc iter prosperum, hæc compendiosa semita quæ ducit ad vitam.

Atvero videre mihi videor consequenter in ipsa meditatione mea collectum esse sacrosanctum præsens concilium, vt viam istam præparet & dirigat, vt prosperum hoc iter nostrum faciat concedente Deo salutarium nostrorum. Nam væ mundo à scandalis: væ hostilibus insidiis, super quibus est illa Prophetæ conquestio: *In via hac qua ambu. abscon. super laqueum mihi*. Et rursus: *Iuxta iter scanda. posue. mihi*. Quis autem omnia iuxta iter mandatorum Dei posita superborum Dæmonum carnis & mundi scandala dinumeret? Quis omnes laqueorum nodos, artes & modos agnoscat? quis non cum

cum Antonio paucſcens exclamauerit? *Hos Domine laqueos omnes, hæc ſcandalorum retia quis euadet?* Atqui benedictus Deus ſalutarium noſtrorum, qui proſperum nobis facit iter ſpirituale mandatorum ſuorum: dum voluntatem facultatemque contulit conueniendi ſeniores in vnum, conuocandi cœtum, congregandi eccleſiam: vt viderent quid facto opus eſſet ad tollendum tot ſcandala poſita in viis Sion, ita vt lugerent, eo quod non eſſet qui veniret ad ſolennitatem. Hinc offendebat ſcandalum ſchiſmaticæ diuiſionis, hinc ſcandalum multiplex hæreticæ prauitatis, hinc multiplicata ſuper numerum ſcandala, offenſiones & retia cuiuslibet vitioſitatis.

Obſidebat præcipue hoc iter ſpirituale, monſtrum horrendum, ingens, mole potens, ſuperbia & filia eius improbiſſima dira dominandi libido, prohibuerat toto malignitatis ſpiritu & aſtu, ne celebraretur generale concilium: quod efficaciſſimum erat & pene vnicum aduerſus hæc omnia ſcandala remedium.

Exultet vero nunc omnis fidelium turba, nunc magnifice gratias referat Deo ſalutarium noſtrorum, qui proſperum fecit iter mandatorum ſuorum, dum contulit celebrari ſacroſanctum hoc generale concilium, ſufficiens ad ſchiſmatum ſedationem, ad hæreſum extirpationem, & ad morum reformationem. Et hoc ex paucis in hoc eodem practicatis concilio, non tam declarare quam ſummatim narrare vel annotare curabo. Non accurato quidem, ſed doctrinali quotidianoque ſermone. Satis erit ita loqui, vt intelligar.

Conſiderans itaque mentalibus oculis præſens generale concilium & acta eius: inuenio quod ipſum ab itinere ſpirituali remouit primo quadruplex ſcandalum obſtans ſchiſmatis ſedationi. Remouit aliud quadruplex ſcandalum, nocens hæreſum extirpationi. Remouit alterum quadruplex contrarians morum reformationi, & ita contrarians, vt iam non eſſet proſperum, ſed infauſtum iter pacis, fidei & virtutis.

Conformiter ad hanc triplicem quaternitatem ſcandalorum numeremus 12. concluſiones, regulas aut leges, quæ in hoc concilio vel explicite vel implicite ſtabilitæ ſunt: quaſi totidem directiones ſalutares, per quas proſperum iter fecit nobis Deus ſalutarium noſtrorum, vt in hoc itinere ſit vnitas ratione primi, ſit veritas ratione ſecundi, ſit bonitas reſpectu tertii. Sit ſuper modus, ſpecies & ordo, ſit denique menſura, numerus & pondus. Conformiter ad potentiam, ſapientiam & bonitatem Patris & Filii & Spiritus ſancti. Hoc modo proſperum iter facit nobis Deus, ſcil. vt ſit iter planum, iter lucidum, iter pulchrum, dum iuſtitia ponit in via greſſus ſuos: dum veſtigia ſua relinquit impreſſa, quaſi certa totidem ſigna, ne oberremus vel exorbitemus nobis data.

Prima lex in via pacis.

Aſſignetur pro prima parte quæ eſt de via pacis prima lex, ſiue directio liberans iter noſtrum à primo ſcandalo, quæ data eſt in ſeſſione publica quinto Aprilis anni præſentis.

Concilium generale poteſtatem à Chriſto immediate habet: cui quilibet cuiuſcunq; ſtatus vel dignitatis etiam ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem ſchiſmatis, ac generalem reformationem eccleſiæ Dei in capite & membris. Conſcribenda prorſus eſſe mihi videretur in eminentioribus locis, vel inſculpenda per omnes eccleſias ſaluberrima hæc determinatio, lex vel regulæ tanquam directio fundamentalis & velut infallibilis aduerſus monſtruoſum horrendumq; offendiculum: quod hactenus poſitum erat per multos de eccleſia in itinere mandatorum Dei, determinantes ex textibus groſſe, non ad regulam euangelicam & æternam acceptis: Papam non eſſe ſubiectum generali concilio, neq; iudicari poſſe per ipſum. Quod præterea generale concilium totum ab ipſo robur immediatum ſumebat. Nec poterat ſine eo caſu quocunq; vel conuocari vel ſtabiliri. Quod nemo poterat ei dicere, *cur ita facis?* quoniam ſolutus erat legibus & ſupra ius. Et ita de plurimis, per quæ blanda, fallax & ſubdola adulatio fouebat libidinem dominandi, & tyrannidem eccleſiæ deſtructricem papatum ſeu eius vſum conuertebat, ita vt non pateret via reductionis ſeu pacis.

Scripſit ſuper hoc errore vel ſcandalo reuerendiſſimus pater & Dominus, Dominus Cardinalis Cameracenſis præceptor meus inclitus dudum & nuper antequam fieret hæc conſtitutio, reputans eſſe pernicioſiſſimum ſic aſſerere: ſicut & de multis dictis per quoſdam innitentes ſuis iuribus poſitiuis annotauit. Nunc ex quo iam lex poſita eſt, nec iam licet dubitare, probationes omittamus. Sola hæc probatio ſufficeret, *Si eccleſiam non audierit, ſit tibi vt ethnicus & publicanus.*

Secunda directio, ſiue lex ſalutaris.

Concilium generale poteſt eum, quem reputat ſummum pontificem, nedum conſultiue inducere, ſed autoritatiue compellere ad offerendum viam ceſſionis: vel ad cedendum papatui, etiam ſine culpa ſua, licet non ſine cauſa. Qualis cauſa multiplex eſſe poteſt: quemadmodum in publicis ſermonibus tactum fuit in hoc concilio.

Hæc lex per hoc sacrum concilium determinatiue statuta est, & in Papa Ioanne 23. practicata: qui viam cessionis vrgente concilio, primum obtulit, deinde cessit. Tollitur ex hoc scandalum dicentium viam cessionis practicari non posse inuitis contendentibus de Papatu. Tollitur denique collusio seu tergiuersatio volentium inuito generali concilio, vel ecclesia perniciose Papatum detinere, nunc aut quomodolibet in futurum. Etenim si potest summus pontifex dare libellum repudii ecclesiæ sponsæ Christi, sicut egit Cœlestinus, & laudatur: cur non vice versa poterit sponsa Christi repudiare, non dicam sponsum suum, sed sponsi vicarium: præsertim vbi subest vel culpa vel causa.

Tertia directio.

Concilium generale sic est supra Papam, quod eius bullas & processus vel ordinationes & statuta potest irritare vel annullare. Potest insuper translationem curiæ Romanæ à loco concilii impedire. Compellere rursus Papam stare cum concilio: & ita de similibus. Hoc determinatum est in publica sessione & multipliciter practicatum. Tollitur ex hoc scandalum, quo per indirectum quæreretur nunc aut aliis dissipare generale concilium.

Quarta directio.

Concilium generale sic est super omnes leges positiuas, vel à summis pontificibus vel à generalibus conciliis editas: quod eas potest interpretari, mutare vel tollere, pro quanto viderentur impedimentum vel scandalum esse ad iter ecclesiasticæ vnionis. Hoc practicauit præsens concilium tollendo pœnas omnes & inhabilitationes &c. suspendendo insuper futuram summi pontificis electionem. Recipiendo denique ad cautelam & humili quadam condescensione prætensam confirmationem concilii à Domino Papa cum multis similibus: quæ & qualia iurium positiuorum rigor non admittit.

SECVNDA PARS PRINCIPALIS DE via veritatis.

EXposuimus in hac parte prima quatuor scandalorum genera, quibus obsistit præsens concilium, vt prosperum iter faceret nobis Deus salutarium nostrorum: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis: & ad sedationem schismaticæ diuisionis. Transeamus pro secunda parte ad destructionem alterius quadruplicis scandali, quo videbatur impediri declaratio veritatis, & hæreticæ prauitatis destructio.

Prima directio salutaris in via catholicæ veritatis.

Concilium generale potest & debet circa omnem personam cuiuscunque præeminentiæ vel status existat, absque fauore vel timore vel personarum acceptione iudicium in causa hæresis exercere. Patet ex tenore commissionis datæ reuerendissimis patribus Dominis quatuor Cardinalibus, & aliis de qualibet natione. Hoc insuper practicatum est circa inquisitionem factam de Papa Ioanne 23. & circa Ioannem Huss, qui quamuis esset status parui, habuit tamen fautores plurimos fortes, acres & potentes. Hoc autem est prosperum & efficax iter ad extirpationem errorum, dum nullis parcitur, sed constanter proceditur ad emendationem, vel si corrigi noluerint, ad punitionem & exterminationem errantium. Alioquin non satis destruuntur errores, si permittuntur liberi & impuniti, patentes & notorii verbis aut factis hæresum defensores. Si præterea prædicatoribus catholicæ veritatis non subest plena libertas elucidandi legem sanctam. Tollitur ex hoc præsenti concilio dictum Philosophi illius, qui leges comparabat telis aranearum: eo quod debiliores muscas retinent, transmittunt fortiores.

Secunda directio, siue sexta lex in ordine.

Concilium generale potest & debet assertiones hæreticas & erroneas in fide & moribus, quæ fuerunt & sunt in scandalum publicum, diligenter examinare, reprobare & damnare: etiam non facto prius vel simul processu aduersus assertores. Hoc pluries practicatum est in hoc concilio, vt de assertionibus quod communicandi erant laici sub vtraq; specie. Et de ista assertione quilibet Christianus potest & debet &c. Deniq; tam rationes quam similitudines manifestæ & exempla sanctorum probant idem, vt de falso numismate & famoso libello. Tollitur ex hoc scandalum vel tolli debet eorum qui pro bono accessorio quod in facto consistit, elucidationem veritatis vel impediunt vel procrastinant. Hoc autem procrastinare quid, nisi impedire est?

Tertia

Tertia directio.

Concilium generale potest damnare propositiones multas cum suis autoribus, licet habere Glossas aliquas vel expositiones vel sensus logicales veros possint. Hoc practicatum est in hoc concilio de multis articulis & Vicleff, & Ioannis Huss: quorum aliqui poterant vel de vi logicæ vel grammaticæ defensionem aliquam recipere: vt in articulis qui sunt indefinite traditi; vel qui loquuntur de possibilitate, prout posse logicum est, & non physicum. Vel qui possent ad aliquem sensum verum trahi, si seorsum ponerentur.

Sed concilium hoc solerter attendit: primo quia iuxta Hilarium, *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi.* Iterum illud Augustin. *Liberis verbis vtuntur Philosophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem piarum aurium non pertimescunt. Nobis autem* (scil. theologis) *ad certam regulam loqui fas est.* Illud denique vulgatum fundamentum in Aristot. quod *sermones accipiendi sunt secundum materiam subiectam,* vnde moralis sententia sumitur. Ea est enim diuinæ formæ substantia, vt quod nec in extrema dilabatur, nec in se extraneum aliquod ipsa suscipiat, sed sicut de ea Permenides ait: *Verũ orbem mobilem rotat, dum se immobilem ipsa conseruat.* Quod si rationes quoq; non extra petitas, sed intra rei, quam tractabimus, ambitum collocatas agitauimus: nihil est quod admirere, cum Platone sanciente didiceras cognatos, de quibus loquimur, rebus oportere esse sermones *3. de consolatione vltima, prosa in fin.* Similiter theologia suam propriam habet logicam & sensum literalem aliter quam speculatiuæ scientiæ. Hæc directio vel lex præseruauit hactenus præclaram vniuersitatẽ Parrhysiensem, à pluribus erroribus, dum scholasticos suos semper ad certam regulam fidei loqui iussit & compulit. Vtinam in aliis studiis hæc disciplina similiter teneatur. Mala libertas est male & erronee loqui posse.

Quarta directio siue octaua in ordine.

Concilium generale potest & debet damnare propositiones multas vel assertiones huiusmodi quamuis non possent ex solo & nudo textu expresso sacræ scripturæ patenter reprobari: seclusis expositionibus doctorum vel vsu celebri ecclesiæ & cæteris. Hoc practicatum est in hoc concilio in multis assertionibus Iohannis Vicleff, & Ioannis Huss: imo & de ista, quod est communicandum per laicos sub vtraq; specie panis & vini. Hæc directio vel lex prosperum facit iterad hæresum & hæreticorum exterminationem: quoniam hæretici, quos vidimus, defensionem suam vt plurimum accipiunt: quia nolunt hæreses absolute reuocare, sed tantum conditionaliter: si videlicet ex rigore textus sacræ scripturæ conuincantur errare dicentes, quod expositiones Doctorum, decreta, Decretales sint apocryphæ, neque de illis curandum est. Hæc autem præsumptio quam late pateat ad errores, nemo non intelligit.

TERTIA PARS PRINCIPALIS DE VIA morum, vel virtutum.

DEclaratis vel narratis scandalis quatuor obuiantibus errorum extirpationi, loquamur pro tertia & vltima parte aliquid de remotione totidem scandalorum obstantium morum reformationi in capite & in membris, narrando quadruplicem legem vel directionem practicatam in hoc concilio, vt prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.

Prima directio salutaris in via morum virtutis.

Concilium generale sic est supra Papam in alium quemlibet de ecclesia, quod ipsum Papam potest deponere pro quocunque crimine, de quo notorie & incorrigibiliter scandalizatur ecclesia. Hoc est practicatum dudum de Papa Iohanne 12. & nunc de Ioanne 23. In cuius deiectione non inseritur, quod fuerit hæreticus vel à fide deuius. Et si ita actum est de cedro libani: quare non timebit humilis herba deserti? Accusatus tamen inter cætera fuit & conuictus, quod fuerat notorie simoniacus. Ex quo confunditur illa quorundam temeritas, qui Papam in collatione beneficiorum non posse committere simoniam, vel disputabant vel diffiniebant.

Secunda directio, siue decima lex.

Concilium generale quamuis non possit nec debeat plenitudinem potestatis Papalis commissam à Christo Petro & successoribus eius tollere vel minuere, sed de ea gratias agere Deo, qui contulit, eamq; reuereri debet & amplecti. Potest nihilominus vsum potestatis illius certis legibus & statutis limitare in ædificationem ecclesiæ. Hoc practicauit præsens concilium tum in multis, tum specialiter in hoc, quod legem præfixit in eligendo Papam futurum & suis electoribus: quod reuerendissimum patrem Dominum Angelum Corario, ob laudabilitatem suæ cessionis spontaneæ, nullus Papa futurus posset eum à collatis cardinalatu & potestate legati per hoc concilium deponere, nec

re, nec eum super præteritis quibuscunque factis quomodolibet impetere vel punire: iure quidem & indulgenti condescensione hoc factum est, vt exemplum posteris detur vltro cedendi, dum illud efflagitat ecclesiæ vel pia vtilitas vel vrgens necessitas.

Expedit autem nunc ante summi pontificis electionem ita fieri circa multa generalem statum ecclesiæ concernentia: in quibus summi pontifices vsum plenitudinis suæ potestatis passim nimis verterunt in abusum: vt quia noluerunt generalia celebrare concilia: nec inferioribus prælatis ordinaria iura relinquere, qodque in statutis generalium conciliorum nunc cassando ea, nunc mutando, nunc ad libitum interpretando, nunc priuilegia & exceptiones largiendo, palam & absque manifesta ratione vel vtilitate deuiarunt.

Vnde sicut in vsu dispensationum, concessione priuilegiorum, innouatione decretalium non expedit vsum potestatis papalis sic restringi, vt in omni casu tali fiat ad concilium generale recursus propter difficultatem & raritatem suæ conuocationis: qualis non erat in primitiua ecclesia, quando communi consensu dicente Hieronymo, fiebant omnia. Sic non expedit talem laxationem fieri, quæ vim & robur generalium conciliorum in suis constitutionibus passim tollat & eneruet.

Considerari posset in hoc loco Aristot. traditio de triplici politia, regali scilicet & monarchica: in qua vnus bene præest, cui tyrannus opponitur. Altera est aristocratia, vbi dominantur pauci & boni: cui opponitur oligarchia. Tertiam ponit timocratiam, in qua populus bene dominatur, quæ oppositam habet democratiam.

Esset autem inter istas politias illa melior quam aliqua singularis, quæ ex regali & aristocratia componeretur, vt in regno Franciæ: vbi rex instituit parlamentum, à quo iudicari non refugit. Esset vero omnium optima & saluberrima politia, quæ triplicem hanc bonam complecteretur, regalem, aristocratiam & timocratiam.

Est autem generale concilium politia talis composita habens suam directionem magis ex assistentia speciali Spiritus sancti & promissione Iesu Christi, quam ex natura, vel ex humana sola industria.

Hinc est illud, quod prædiximus, quod ipsum est saluberrima & efficacissima regula ad regimen totius ecclesiæ tranquillum vel conseruandum vel reformandum vel inueniendum tanquam supremus & sufficiens legislator vniuersalis & potens ἐπιεικείας. Præterea legitimus & securus nec suspectus rationabiliter ab aliquibus Christianis: cum procedat omnium communi consensu vel assensu.

Quid autem est generale concilium? alis descriptum est & repeto, *Concilium generale est congregatio legitima auctoritate facta ad aliquem locum ex omni statu hierarchico totius ecclesiæ catholicæ nulla fideli persona quæ audire requirat exclusa, ad salubriter tractandum & ordinandum ea quæ debitum regimen eiusdem ecclesiæ in fide & moribus respiciunt.* Deduci posset ex hac descriptione cum præcedentibus qualiter plenitudo potestatis papalis collata est à Christo in his, quæ supra naturam sunt. In aliis etiam, quæ leges naturalis, canonica & ciuilis sibi tribuunt, vt monarchæ, supremo stat & concordatur cum potestate concilii quæ dicta est: quoniam in concilio papalis potestas includitur: quamuis aliter sit hæc potestas in Papa, aliter in concilio. Sicut aliter claues Petro traditæ sunt, aliter ecclesiæ. Vnde concilium in multis, quæ Papam respiciunt, habet auctoritatem conciliatiuam & dictatiuam: Papa exercitatiuam & executiuam. Non enim posset concilium per se ipsum vel absoluere in foro conscientiæ: vel presbyteros ordinare: vel corpus Christi conficere: vel debellare manu armata infideles, & ita de multis: sed ad ipsum spectat circa hæc huiusmodi consulere vel dictare: cuius dictamini qui repugnat, contumaciter repugnat Spiritui sancto, cuius est ipsum concilium in dictando vel consulendo dirigere. Exemplum in homine, vbi ratio potestatem habet dictatiuam & conciliatiuam, voluntas exercitium & executionem.

Tertia directio.

Concilium generale potest de dissensionibus & guerris inter principes Christianos sæuientes in perniciem totius Christianitatis & perditionis hominum in anima & corpore auctoritate legitima cognoscere: prohibendo eis vias facti & ad suscipiendum vias iuris & rationis per censuras ecclesiasticas compellendo.

Hoc practicare proposuit Serenissimus Rex Romanorum semper Augustus: qui priusquam recederet ab hoc concilio ad locum conuentionis cum rege Aragonum & Petro de Luna, orationem ad deputatos habuit omni religiosa pietate & vera Christiana religione plenissimam: quam his auribus non sine pia compunctione lætus audiui. Narrauit illic propositum suum esse tendere post sedationem schismatis ad pacificationem regum Franciæ & Angliæ: maxime per auctoritatem huius concilii. Narrauit de pacificatione regis Poloniæ cum Prutenis. Dehinc de passagio Hierosolymitano, præcedente pacificatione regis Poloniæ &c.

Funda-

Fundamentum seu regulam procurauit inducendo quamlibet partium, vt se generali concilio suæq; diffinitioni prorsus submitterent: cuius auctoritati ipsemet rex quemadmodum tunc & pluries antea sub attestatione diuini nominis protestatus esse debebat & volebat esse subiectus: & hoc in speculum & exemplar æternum cuiuslibet principis catholici temporalis.

Quarta directio, siue lex duodecima & vltima.

Concilium generale potest & debet constituere crebriorem generalium conciliorum celebrationem, quam retroactis temporibus fuerint celebrata: vt de decennio in decennium præfixa futuris summis pontificibus ista lege, quam transgredi non liceat. Fundatur in præmissis hæc consideratio, & per argumentum ex oppositis: quoniam si tot & tam enormia discrimina prouenerunt Ecclesiæ Dei, dum cessatum est à conciliis generalibus: quanta demum erit salutaris vtilitas ex frequentiori celebratione perspicuum est. Quis itaq; nesciat, quod inde superiorum peccata minus vigebunt, dum minorem sibi sentient esse peccandi licentiam, vel impunitatis spem: dum scil. reddituros se rationem coram iudice suo generali concilio prospicient? Sunt quippe nonnulli, qui etsi Deum non timent, homines tamē reuerentur. Deniq; si non sit assidue lex viua dirigens, regens & actuans leges mortuas ad effectum: ipsę non satis proficiunt. Vnde & Philosophus tradere satagens medium virtutis, non potuit illud efficacius inuenire, quam vt diceret, *prout sapiens iudicabit*.

Potuerant ex præmissis omnibus velut ex fundamentalibus quibusdam regulis, directionibus & signis in via mandatorum Dei leges elici particulariores, ad tollendum scandala impedientia prosperum iter pacis, fidei & virtutis ad sedationem schismatum quo ad primum: ad extirpationem errorum, quo ad secundum: & ad reformationem morum quo ad tertium: sed neq; tempus neq; locus sufficiunt: quia tetigerunt insuper multa ex eis prudentes & studiosi suis in scriptis: quia rursus debent huiusmodi leges & constitutiones particulares magis per mutuam collationem omnium de concilio agitari, tractari & diffiniri iuxta regionum aut patriarum varietatem. Quia deniq; decreta & decretales viderentur abundanter sufficere, si per legem viuam fieret efficax executio. Alioquin multiplicatio constitutionum huiusmodi etiam pœnalium quandoq; plus onerat & aggrauat, quam subleuet aut proficiat.

Faciamus tandem in oratione finem verbis, vt O, reuolet ad A, & dicamus obsecrantes: *Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.* Iter nedum terrestre, sed spirituale & cœleste, iter æternitatis ad Deum salutarium nostrorum: qui est Deus benedictus in secula: Amen.

LIBELLVS DE AVFERIBILITATE PAPÆ AB ECCLESIA, IOANNIS DE GERSON CANCELLARII PARISIENSIS.



Enient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus: Mar. 2. Circa quem textum pro materia nunc currente quæritur: Si auferibilis sit sponsus Ecclesiæ à filiis suis vel ab ea? Et ponantur hic considerationes 20.

CONSIDERATIO I.

Auferibilis non est sponsus Ecclesiæ Christus homo ab ipsa tota Ecclesia, lege stante. Si quidem caput Ecclesiæ Christus est, *ad Ephes. 4. & ad Coloss. 1. & 2.* Puto autem nemo concesserit, quod absque capite valeat permanere corpus aliquod verum vel mysticum: sed Ecclesiæ corpus mysticum manere semper vsque ad consummationem seculi necesse est, lege stante, *Matth. vltim. & 24.* Hoc ergo fiet per viuificum influxum capitis in ipsum. Pro quo facit parabola, qua Christus se viti comparat, discipulos palmitibus. Quod si quis dixerit oppositum dicens Ecclesiam incepisse ab Abel iusto secundum Gregor. quo tempore nondum Christus erat incarnatus. Respondet Ioannes in Apocal. qui dicit *agnum fuisse occisum ab origine mundi*, præuisiue, scil. & acceptatiue à Deo, licet nondum corporaliter exhibitiue: quia nec ipsis antiquis erat salus nisi in fide: multum tamen implicita & generali mediatoris & capitis Ecclesiæ Christi tunc futuri: quibus erat necessarium credere sanctum illud Symbolum, quod Deus est, & quod est remunerator in se credentium.

Rursus deducitur, quod dictum est ex ipsa conditione matrimonialis vinculi inter Christum sponsum & Ecclesiam sponsam, sicut Ioan. in Apoc. Ecclesiam sub typo ciuitatis nouæ Hierusalem vidit descendentem de cœlo, sicut sponsam ornatam viro suo. Nam ad exemplar cœlestis Ecclesiæ terrena formata est. Quod autem *Deus coniunxit, homo non separat*: ita vt lege stante non posset aut debeat dari libellus repudii inter sponsum & sponsam coniunctos legitime. Quæ autem coniunctio matrimonialis magis legitima quam Christi sit ad Ecclesiam confœderatio?

Propterea dicit per Oseæ: *Desponsabo mihi in æternum.* Et per alterum Prophetam: *Si potest obliuisci mater, quod non misereatur filio vteri sui, ego tamen tui non obliuiscar.* Loquitur de Ecclesia sponsa sua. Nam *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ:* sic & Christus Ecclesiæ: cum matrimonium carnale ideo sumat indissolubilitatem, quia sacramentum magnum est in Christo & Ecclesia: quia est illius matrimonii sacrum signum.

CONSIDERATIO II.

AVferibilis est absolute loquendo sponsus Ecclesiæ Christus homo ab ipsa Ecclesia. Neq; enim minus hoc est possibile, quam quod Christus desineret esse homo, sicut spontanea voluntate verbum caro factum: aut quod desineret esse nedum ecclesia ipsa, sed omnis generaliter creatura. Porro sicut non est absoluta & in auferibilis habitudo cuiuscunq; creaturæ ad alteram creaturam: neq; tanquam finibilis ad suum finem, neque tanquam effectus ad suam caussam. Sic non est hoc modo essentialis vel inauferibilis habitudo Ecclesiæ ad Christi humanitatem, quam vtiq; confitemur creaturam. Et ita staret absolute Christum hominem esse & Ecclesiam similiter esse: nec tamen ipsam à Christo vt homo est, vitales influxus suscipere.

CONSIDERATIO III.

AVferibilis est sponsus militantis Ecclesiæ Christus à quolibet filiorum suorum hic in via: licet non ab omnibus collectiue, quamdiu permanebit militans Ecclesia & lege stante: sicut deinceps loqui proponimus. Perspicua est prima pars huius disiuncti: quoniam nullus est homo viuens, qui non videat mortem: & si hoc non sufficiat: quia dicit Apostolus, quod *siue viuimus siue moriamur* &c. aut perinde nnnquam separamur à Christo. Constat tamen, quod sit separatio per mortem talem, qua desinit esse quis viator & de ecclesia militante. Constat præterea, quod quamdiu manebit hic aliquis in via, sicut potest proficere, ita deficere culpabiliter: & à Christo vera vite, vt palmes aridus & combustioni soli aptus separari, nisi tamen fuerit per confirmationem quodammodo positus extra statum, prout est viator.

Altera pars disiuncti sequitur ex prima consideratione & eius deductione: quoniam & omnium collectio nihil aliud est quam ecclesiastici corporis indissolubilis compago: quemadmodum dici solet: *totum nihil aliud est quã suæ partes simul sumptæ:* sed hæc compago manet in æternũ, lege stante.

CONSIDERATIO IV.

AVferibilis non est sponsus ecclesiæ Christus ab ipsa, quin influat quotidie tam per modum meriti & impetrationis, vt alii sancti & plus quod ipsi: quam etiam per modum dignatiuæ condespirationis & viuificationis per Spiritum sanctum suum, fidem, spem & charitatem cum cæteris dotibus infundendo gratuitis, virtutis donorum & beatitudinum, & maxime sacramentorum. Itaque sicut non permanet corpus aliquod verum & viuens, nisi habuerit qualitatiuas dispositiones reddentes complexionem harmoniacam & decentem, per manutenentiam formæ cum corpore organico secundum exigentiam ipsius ac formæ actiuitatis & operationum suarum: cur aliunde venit mors: non aliter sentiendum est de corpore mystico ecclesiæ. Ipse enim Spiritus sanctus, qui est Spiritus Christi, est etiam suo modo forma corporis Ecclesiæ Christi: præbens ei vitam, vnitatem & motum. Et hæc non permaneret cessantibus qualitatiuis dispositionibus prænominatis diffusis per totum corpus ecclesiæ, & per membra varia, prout vnicuiq; membro donatum est: & prout opus habet ad ædificationem corporis vniuersi. Tradit hoc Apostolus clarissime scribens ad Ephes. 4. *Solliciti,* inquit, *seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis: vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium.* Sequitur: *Vnicuiq; autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Sequitur: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos* &c. Quinetiam articuli quatuor principales Apostolici Symboli fundant illam considerationem: *Vnus est: Credo in Spiritum sanctum & viuificantem:* quid *viuificantem,* nisi sanctam Ecclesiam? sicut protinus additur *& vnam sanctam Ecclesiam Catholicam.* Deinde sequitur: *Sanctorum* (hoc est sacramentorum) *communionem.* Ac deinde: *remissionem peccatorum,* intellige consequitur, *& vitam æternam.*

CONSIDERATIO V.

AVferibilis non est ab Ecclesia militante sponsus Christus homo, quin semper influat in eandem Ecclesiam sponsam suam per membra varia, gradus hierarchicos, officiorum & administrationum & dignitatum & statuum ab ipso constitutorum, dum Ecclesiam fundauit primitus & ædificauit. Si enim permanebit Ecclesia vsq; ad consummationem seculi, permanebit vt perfecta. Dei enim perfecta sunt opera, non solum in inchoatione, sed magis in conseruatione & consummatione. Sed nemo dubitauerit, quin ablatio vnius membri à corpore deformationem grandem & imperfectionem inducat. Manebit ergo semper Ecclesia cum suorum integritate & perfectione membrorum. Scribit de his Apostolus 1. ad Corinth. 12. *Diuisiones* (inquit) *gratiarum sunt: idem autem spiritus, & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus, & diuisiones operationum sunt idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifesto Spiritus ad vtilitatem, alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alii gratia sanitatum in vno spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera* lin-

linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem spiritus, diuidens singulis prout vult.

Concludamus ex his Pauli verbis, quod assiduus erit in Ecclesia vsus ministrationum & gratiarum gratis datarum, quas enumerat: & hoc quantum expediat eius decursui & ædificationi: sic erunt sapientes, sic Prophetæ, sic discretores spirituum, quibus ex officio hierarchico commisso eis à Christo & Spiritu Sancto conueniunt tales actus: ita vt ab humana quauis auctoritate nequeant impediri, suspendi vel prohiberi: sicut nec status Papalis nec Apostolicus vel pastoralis. Fuerunt enim primitus velut in quodam seminario viuifico positi in Ecclesia per Christum: & postmodum crescente Ecclesia discretio talium magis innotuit: velut si stipes vineæ se in folia & flores & ramos explicuerit.

CONSIDERATIO VI.

AVferibilis non est sponsus Ecclesiæ Christus ab Ecclesia taliter, quin semper habeat in se viuificum semen, quo potest p successiones generationis & generationis sese continuare in corpore toto & in mēbris præsertim officialibus: similiter & in filiis. Traducitur ad hoc illud Christi Matt. 24. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant*: loquens de generatione iustorum: quæ contrariatur illi, de qua dictum est: *Amen dico vobis quod requiretur à generatione hac omnis sanguis ab Abel iusto.* Itaque si Dominus in rerum mutabilium creatione singulis indidit sementem secundum genus suum ad propagationis suæ generationem: Si tam in lege naturæ quam in lege Moysi status sacerdotalis durabat vel in primogenitis vel per successionem hæreditariam filiorum pro patribus suis: oportuit multo amplius legem gratiæ perfectissimam habere in semetipsa fœcunditatem pro sui continuatione legitima. Ad quod inducit Apostolus ad Roman. 9. textum Prophetæ Euangelici Esa. 1. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus.* Hoc autem quid aliud debet intelligi, quam vis insita spiritualis & ars quædam viuifica in vniuersum corpus Ecclesiæ: per quam hierarchicus ordo suus potest vsq; in finem subsistere.

Et ex his protinus infertur, quod Ecclesia vel concilium eam repræsentans potest instituere vel eligere, vel designare summum pontificem in sacra sede Petri. Potest insuper modum determinare vel limitare eum, vel taliter instituendi siue designandi: ita quod non spectat hoc ad solum pontificē summum: alioquin ipso mortuo vel nolente dare legem eligendi successorem, posset Ecclesia permanere iugiter sine summo pontifice: quod nequit fieri lege stante. Quod si quis dixerit: modos qui nunc obseruantur pro electione summi pontificis determinatos esse per summos pontifices. Placet: Si Ecclesia consensu suo vero vel interpretatiuo approbauit: aut in defectu qualem prædiximus fas haberet immutare. Et ita fas vt in contrarium nullus posset cuiuscunque pontificis auctoritas legem dare.

CONSIDERATIO VII.

AVferibilis non est sponsus Ecclesiæ Christus ab ecclesia sponsa sua & filiis eius: sic quod remaneat ecclesia in sola muliere: imo nec in solis mulieribus omnibus, imo nec in laicis solum lege stante & non facta diuinitus noua institutione. Da oppositum: Ecclesia deficere posset in suis gradibus & officiis hierarchicis: in suis etiam sacramentis vsq; in finem. Patet hoc præsupponendo, quod sacerdos à non sacerdote, & Episcopus à non Episcopo nequit institui: imo nec à tota multitudine laicorum aut mulierum simul congregata, si per casum mortui essent omnes sacerdotes. Additum est: *non facta diuinitus institutione noua*: quia Spiritu sancto dictante & operante noua præstari posset auctoritas, qualis nondum collata est: quemadmodum prius quam Deus instituisset sacerdotium nouum supremum & alios inferiores gradus hierarchicos in ecclesia non dubium quin hoc potuerit. Porro nulla communitas vel vniuersitas hominum mortalium simul congregata talem aliquem gradum nullo modo instituere potuisset cum potestate, qualis in quolibet reperitur, quæ supra naturam existens ipsam sibi præsupponit & substernit quodammodo, sicut forma materiam. Nec opinor quod aliquis Doctor Theologorum senserit in hoc contrairę: quamuis verba quædam Epistolę cuiusdam tractatus *De concilio generali* videri possunt aliqualiter hoc sonare, nisi benigno interprete foueantur.

Deducitur proinde quod nec Hieronymus, nec aliquis aliorum dicens Ecclesiam vel Apostolos sibi constituisse Petrum, vt supremus esset & princeps inter eos ad schisma tollendum: non intelligunt hoc nisi quod Ecclesia vel Apostoli declarauerunt ita esse constitutum à Christo: & hoc tenendum fidelibus tradiderunt. Et ita saluatur illa, quæ videtur super hac re inter Hieronymum & cæteros varietas.

CONSIDERATIO VIII.

AVferibilis est aut mutabilis lege stante quælibet politia ciuilis, monarchica seu regalis, vt fiat Aristocratica: & non sic de Ecclesia, quæ in vno monarcha supremo per vniuersum fundata est à Christo.

Posset deduci consideratio tam à priori quam à posteriori, deducendo variationes, quæ fuerunt in aliis politiis: quia nullam aliam politiam instituit Christus immutabiliter monarchicam, & quo-

& quodam m odo regalem, nisi Ecclesiam. Et oppositum sentientes de Ecclesia: quod scilicet fas est esse plures Papas, aut quod quilibet episcopus est in sua diœcesi Papa, vel pastor supremus æqualis Papæ Romano, errant in fide & vnitate ecclesiæ contra articulum illum: *& in vnam sanctam* &c. & si pertinaces maneant, iudicandi sunt hæretici, sicut Martinus de Padua & quidam aliorum.

Consonat ratio: quia sicut ad vnam fidem & ad eadem sacramenta obligantur omnes viatores: sic oportet vt non esset schisma reductionem finalem fieri ad vnum supremum. Secus vbi communitas regitur legibus solis naturalibus & traditionibus humanis: quæ pro varietate temporum & locorum laudabilius & vtilius variantur, quam vt vno tenore ligent omnes: quemadmodum tradit Aristot. exemplificans de regula Lesbia.

Quocirca dicamus ex incidenti consequenter, quod nec summus pontifex, nec aliquis aliorum debet conari, vt canones positi vel aliæ traditiones humanæ, obseruentur vbiq; per totam Ecclesiam, & per omnes inuariabiliter nationes. Oppositum satagere dedit forte occasionem Græcis discedendi à Latinis. Dat præterea quotidie materiam multam litium scrupulorum grauium, dum æquali tenore quæritur obseruari lex humana: siue sit illa canonica, secularis vel ciuilis: quemadmodum custodiri diuinam absq; vlla variatione necesse est. Inde venit illa Christi quæstio Matth. 15. *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.*

CONSIDERATIO XI.

AVferibilis est vicarius sponsus ecclesiæ per voluntariam eius cessionem aut renunciationem à Papatu. Fuerat enim olim dubitatio post renunciationem Cælestini: nunquid talis renunciatio iure subsisteret? Tum propter votum quo se Papa obligat ad ecclesiam. Tum propter desponsationem & matrimonium quoddam spirituale inter Papam & ecclesiam. Tum præterea quia Papa diuino iure statutus est in hoc gradu: & si quæ sunt aliæ rationes. Occasione cuius dubitationis facta est decretalis determinans affirmatiuam quod hoc licet. Et ita licet quod ex hac humili renunciatione cum cæteris patribus Cælestinus annumeratus est catalogo beatorum.

Sunt autem casus aliqui etiam per Iuristas expressi, quando licitum est prælato, imo quandoque debitum cedere statui suo. Vnus est grande scandalum subditorum, quod non expectatur alio modo probabiliter terminandum quam per cessionem. Alius casus est, dum occupatio seu retentio prælaturæ patenter vergit in detrimentum salutis propriæ: *Nam quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur? aut quam dabit homo pro anima sua commutationem?* Alius casus est, vbi manifeste talis retentio impediret maius bonum vel in prælato vel in subditis.

Multiplices essent casus in particulari secundum illud triplex genus. Sed breuitati nostræ satis sint ista pro nunc. Per quæ dissoluitur prima ratio, quæ fiebat de voto: quod non obligat, dum vergit in detrimentum salutis, vel exitum deteriorem. Alteram rationem soluit dissimilitudo, quæ est inter matrimonium carnale & spirituale, licet conueniant in multis. Dissimilitudo est quantum ad hoc, quod in spirituali non est sacramentum: ex quo consurgat indissolubilis nexus ex institutione diuina. Quemadmodum de carnali est expressa lex, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: & sacramentum hoc magnum est. *Dico autem in Christo & Ecclesia*: inquit Apostolus. Ac perinde soluitur ratio tertia: quia proprie solus Christus est sponsus Ecclesiæ. Alii sunt tantummodo vicarii, quos per humanam designationem vel electionem voluit institui: quamuis officium sit diuinum, & sola auctoritate diuina primitus ordinatum.

CONSIDERATIO X.

AVferibilis est in casibus dabilibus vicarius sponsus Ecclesiæ ab ipsa Ecclesia: & hoc per eam, vel per concilium generale repræsentans eam: vel per aliquos ad hoc per eam institutos: siue consentiat ipse vicarius, vel non consentiat suę cessioni.

Sumitur inprimis argumentum pro hac consideratione ex veritate præcedentis. Nam si vicarius sponsus potest resignare sponte ipsi ecclesiæ dando ei libellum repudii. Cum sponsus & sponsa non debeant quoad hoc impari iure censeri: poterit similiter repudiare sponsum talem ipsa Ecclesia sponsa, dum par ratio vel potior adducitur pro ipsa contra sponsum: vel quia prostituere quærit eam quantum in se est, vel tyrannide sua vastat, laniando eam, vel placitando bona sua dissipando, vel quia abuti conatur ea in perniciem filiorum. Nullum quippe statum, nullum gradum dignitatis, nullum ministrationis genus dedit Deus nisi in ædificationem suam & vtilitatem communem. Patet *ad Eph. 4. & ad Cor. 6.* Dedit vtiq; ad pacem eius, cuius finem posuit pacem secundum prius. Et hanc operatur dilectio: propter quod finis legis ab Apostolo ponitur dilectio: in qua etiam fundauit Christus officium pastorale, *Si diligis me*, (inquit Christus Petro) *pasce oues meas*, Ioan. vlt. Sed quis non videat casus multos esse possibiles: quorum aliqui nunc tacti sunt, in quibus Ecclesia non ædificaretur, sed destrueretur: non vniretur, sed dissiparetur: non pasceretur, sed depasceretur: si non cederet voluntarius, vel eiiceretur inuitus hic, qui in vicarium sponsum Ecclesiæ rite & Canonice fuerat ordinatus. Nec sit cuiquam illud admirationi, quod dicimus quasi contrariantes illi iussioni: *Nolite tangere Christos meos*: quomodo etiam vni singulari personæ fas esset in casu violentiæ attentatæ per Papam verum contra castitatem suam vel vitam suam vi repellere, cum appositione inculpatæ tutelæ: & ita licite stabit quod tangat Papam violenter, vel in mare deiiciat. Cur similiter in casu non liceat idem toti Ecclesiæ pro defensione sua & violentiæ attentatæ [illegible] cauta repressione?

CON-

CONSIDERATIO XI.

AVferibilis est in casu vicarius Ecclesiæ per concilium generale, eo non consentiente, vel inuito celebratum.

Fateamur prius, quod regulariter concilium generale non est celebrandum de iure etiam diuino non vocante vel approbante Papa, si est vnicus: nec aduersus eum allegatio legitima. Sed regulæ generales bene suscipiunt exceptiones, sicut in Grammaticalibus, ita & in moralibus: præsertim vbi casus particulares incidunt modis variabiles infinitis: ad quas exceptiones ordinata est lex superior interpres aliarum, quam Aristot. vocat ἐπιεικείαν, 5. Ethicorum. Et alia diuinior, quam γνώμην appellat in 6. Ethicorum. Hæc autem lex semper habet locum in interpretatione legum aliarum particularium, vbi deficere cernitur ratio & finis institutionis ipsarum. Finis autem legum omnium nedum humanarum, sed diuinarum est dilectio, quæ vnitatem operatur. Sit ergo casus, vbi legis alicuius obseruatio dissiparet vnitatem & obesset publicæ saluti. Quis ratione vtens, diceret eam tenere oportere? Nimirum nec sibiipsi quisquam vellet hoc fieri: quanto minus tota communitas rationabiliter hoc fugiet.

Quod si quis interrogaret, qua auctoritate fulcietur, vel vtetur huiusmodi concilium ἀκέφαλον, vt videtur, sine Papa? Respondendum quod auctoritate Christi capitis sui & indefectibilis sponsi: auctoritate præterea legum suarum tam diuinæ quam naturalis: quæ hanc licentiam vel necessitati vel manifestę charitati vel religiosæ pietati concedunt. Pro quo facit textus *Marc. 2.* de excusatione discipulorum vellentium spicas in sabbato per legem necessitatis confirmatam: exemplo Dauid, qui comedit panes propositionis.

CONSIDERATIO XII.

AVferibilis est in casu vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam vel generale concilium, nedum conciliatiue, aut dictatiue vel denunciatiue, sed auctoritatiue iudicialiter atq; iuridice.

Præsupponamus, quod *iurisdictio* idem est quod *iuris dictio* seu potestas: vel *iurisdictio est facultas propinqua dicendi ius*. Et solet restringi ad coactiuam iurisdictionem, quæ fertur vel dicitur in alterum etiam inuitum. Sequitur protinus ex hac descriptione considerationis veritas, quomodo Ecclesia seu concilium habet in casu facultatem propinquam vel auctoritatem seu potestatem dicendi ius, etiam in alterum, qui in Papam fuit rite susceptus & electus. Nolumus tamen impugnare, quin summus pontifex habeat potestatem regitiuam & auctoritatiuam respectu omnium hominum, quantum Christus voluit & cognouit expediens sibi dare pro exercendo eam. Non pro se tantummodo, sed magis ad vtilitatem Ecclesiæ, qualem auctoritatem Ecclesiæ non habet totum Ecclesiæ residuum, nisi vnitiue quodammodo vel electiue. Et ex ista diuisione verum est, quod claues datæ sunt nedum vni, sed vnitati. Ex hoc tamen non habetur, quod Ecclesia tota vel concilium absente Papa, præsertim suo demerito non possit auctoritatiuam iurisdictionem exercere: sicut lex quædam diuina & indeuiabilis ad reducendum ipsum vel corrigendum vel compescendum, ne noceat ipse, nedum Ecclesiæ, sed sibimet tanquam freneticus: vel vt pessima malarum passionum ebrietate seductus. Sicut enim tradit Aristotel. *5. Polit.* quod ad communitatem totam spectat principis vel correctio vel totalis destitutio, si inemẽdabilis perseueret. Et hæc potestas inauferibilis vel inabdicabilis est à communitate libera, quæ de rebus suis facere potest ad libitum: nec per appropriationem vel aliquam legem potest suspendi: quanto magis hoc habebit Ecclesia.

Iudaizabat olim Petrus per dissimulationem, Paulus ei restitit in faciem, *ad Galat. 2.* Introducebat Petrus rem nouam in Ecclesia Dei ad Centurionem gentilem intrauit, *Actuum 10.* subortum est murmur in Ecclesia: ita vt compulsus sit Petrus insequi, quam tradidit scriptis: vt scilicet paratus esset coram tota Ecclesia rationem reddere de eâ, quæ in ipso erat fide & spe: alioquin non sibi credidisset Ecclesia. Quanto fortius & rationabilibus possunt duo contendentes diffamati apud bonos & graues de schismate, de periurio, de hæresis suspitione compelli, rationem reddere, si se cognouerint innocentes. Sic Simachus, sic beatus Marcellus, sic ipse Gregorius, sic alii plures iudicium subiere concilii nequaquam ex humili condescensione, sicut fingunt aliqui, sed ex debito & obligatione: quorum multos, quia concilium non reperit conuictos de crimine, reliquit causam eorum examine iudicis Dei terminandam.

CONSIDERATIO XIII.

AVferibilis non est vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam aut concilium generale quo ad ea quæ sunt ordinis sacri cuiuscunque, quin semper remaneat vel sacerdos vel Episcopus, si in talem fuerit aliquando consecratus. Similiter etiam de Papatu si diceret ordinem à sacerdotio vel Episcopatu distinctum.

Dudum tempore beati Cypriani martyris in Affrica, dum sanctus Cornelius Papatum Romæ gerebat, fuit error multorum etiam magnorum, quod schismatici & hæretici, excommunicati & simoniaci deiiciebantur ab omni gradu & dignitate & ordine: ita quod non remanebant sacerdotes, nec Episcopi retinebant Episcopalem gradum, nec Diaconi diaconatum: & ita de similibus. Imo vsque ad hoc deuentum est, vt diceretur ab eis, quod tales nullo modo valebant baptizare, sed baptizabantur hi quos baptizauerunt.

Simili-

Similiter nec consecrabant, ne ordinabant, quin totum postea dicerent iterandum. Introducebant pro seipsis multos passus scripturarũ, vt illud: *Maledicam benedictionibus vestris* &c. Affirmabant deniq; quod tales Spiritum sanctum dare non poterant, quem vtiq; non habebant. Notata sunt hæc in *Decretis caussa prima: & in quarto Sententiarum dist. 25. & dist. 14.* vbi Magister non tenetur: licet loquatur magis recitatiue quam determinatiue.

Illustrissimus vero Doctor Augus. post Cyprianum materiam hanc declarauit conformiter ad concilia generalia ante eum & post celebrata. Et hunc insecuti sunt Doctores Theologi dicentes; quod ea q̃ sunt ordinis stabilia sunt & indelebilia: propterea dicunt hi imprimi characterem, quem appellant indelebilem, & non iterabilem.

Attamen pro concordantia diuersarum sententiarum in hac parte proficit duplex distinctio. Episcopus itaque hæreticus & degradatus ab ecclesia aut intendit dare & facere conformiter ad intentionem ecclesiæ vel baptizat vel consecrat vel ordinat vel confirmat: materiam insuper & formam debitas obseruat. Aut deficit in aliquo istorum: Intentione, scil. corrupta & erronea vel in materia vel in forma. Secundum hanc distinctionem procedunt multæ auctoritates sanctorum: quorum aliqui dicentes, quod sacerdotes hæretici nihil agant: intelligunt de his qui secundo modo deficiunt, quales erant plurimi hæreticorum: vt Arriani & errantes in ipsa substantia sacramentorum, Alii dicentes oppositum, sicut Augus. & ecclesia de prioribus intelligunt.

Rursus alia est distinctio de efficacia sacramentorum collatorum ab indignis sacerdotibus & hæreticis. Nam quod talia sunt efficacia potest intelligi vel quo ad vtilitatem, vel quo ad veritatem. Si primo modo illa dicuntur esse nulla: quia neq; prosunt facientibus neq; scienter recipientibus, sed obsunt potius. Si secundo modo, sic consecrationes hæreticorum sacerdotum efficaciam habere & veritatem fatendum est.

Tandem ex hac consideratione cum suis probationibus, quæ latiori deductione ponuntur ab auctoritatibus: sequitur quod durante præsenti schismate non oportet dubitare, quin vtrobique fuerint consecrati: & sint veri episcopi, & sacerdotes per mutuam successionem vsque in præsens.

Nec est difficultas in collatione sacramentorum, nisi de sacramento pœnitentiæ, in quo iurisdictio quædam requiritur, quam non habent hæretici & schismatici vel excommunicati sacerdotes. Sed hæc difficultas redundat similiter in illos, q̃ ante schisma fuerunt ordinati: & secundum æstimationem illorum qui iudicarent hanc vel illam partem esse schismaticam: & ex consequenti non habere sacerdotes nisi excommunicatos & suspensos. Et ita vnum est & forte scandalosum gloriari, quod Presbyteralis vel Episcopalis ordinatio suspecta fuerit ante schisma præsens, potius quam hoc tempore. Si per hoc velint huiusmodi gloriantes vocare se verius esse sacerdotes & episcopos, quam posteriores. Si velint præterea dicere, sicut aliqui dixerunt & scripserunt temporibus istis: quod vera sacramenta & veri sacerdotes & veri episcopi & verum corpus Christi & verus baptismus, cum similibus non sint in hac parte obedientiæ vel in illa.

CONSIDERATIO XIV.

AVferibilis est vicarius sponsus ecclesię per ipsam ecclesiam aut generale concilium quo ad executionem licitam eorum omnium, quæ potestatem ordinis respiciunt; id est, quod non licite aget. Data quippe est Papalis potestas ipsi Ecclesiæ: & sua est, sicut est ipsius Papæ: quamuis alio & alio modo. Sua est inquam & Papæ ad ædificationem Ecclesiæ, non ad destructionem. Potest ergo vsus talis potestatis tolli vel suspendi per ecclesiam ab eo, qui vellet vti manifeste in perditionem Ecclesiæ aut membrorum suorum tali dignitate. Vnde & si potestas ordinis sit immediate à Deo, sit etiam indelebilis: tamen vsus ipsius multum dependet ab Ecclesia & à rectoribus suis, qui vices eius exequuntur.

Et hic fundabilis est possibilitas subtractionis vel suspensionis obedientiæ ab aliquo in Papam rite electo. Nam quod obedientia tali præstetur, est præceptum affirmatiuum, quod non obligat pro semper nec in perniciem ecclesiæ. Si viderit ergo Ecclesia quod præstare nunc obedientiam Papæ in administratione ordinum, sacramentorum & similium, fieret ecclesiæ perniciosum; & Papæ in instrumentum malitiæ: cur non suspendere potest huiusmodi obedientiam quousq; nullum in obediendo cadat periculum? Hæc autem subtractio obedientiæ magis adhuc fundabilis est in his, quæ sunt temporalis administrationis.

Sed vtrum hæc obedientiæ subtractio vel suspensio valeat per alium quam ecclesiam vel generale concilium? Forte videretur respondendum negatiue: præsertim si fiat sermo de subtractione generali & auctoritatiua, & quæ ligat omnes de ecclesia in hoc statu.

Secus est de subtractione particulari quo ad hos vel illos, quæ non fertur, auctoritatiue, sed vel doctrinaliter & insinuatiue, vel necessitatis quadam inductione.

Iubebit (exempli gratia) summus pontifex coram Theologis expertis, quod fideles credant Spiritum sanctum non procedere à patre & filio: dicimus quod Theologorum erit doctrinaliter resistere & dicere quod sibi non obediatur.

Iubebit alter summus pontifex, quod vastetur regnum Franciæ igne & gladio: dicimus quod regis erit resistere & iubere, quod ei non obediatur, sed resistatur: hoc enim fas est agere cuicunq;, in quem vim illicitam vellet inferre etiam verus Papa.

Non

Non est pax iubebit ipse idem, quod vnio ad pacem ecclesiæ non quæratur viis conuenientibus & congruis, aut etiam per eum iuratis, aut quod ecclesia nequaquam congregetur ne forte ipsum eiiciat. Dicimus quod omnium catholicorum erit resistere & non obedire.

Quod si sit aliquis qui totam præsidentiam suam & papalem dignitatem conuertere velit in instrumentum nequitiæ & destructionis alicuius partis ecclesiæ in temporalibus vel spiritualibus: nec pateat sufficiens remedium aliud: nisi subducendo se ab obedientia talis potestatis sæuientis & seipsa abutentis: & hoc ad tempus, vel quousque ecclesia vel concilium prouiderit, hoc fas erit: dum tamen illud agere pia quædam impellat necessitas, non libido seu cupiditas assumendi improbe velamen malitiæ libertatem.

Fatemur enim duo illa nullo modo debere fieri nisi manifestis causis vrgentibus: ne in toto corpore ecclesiæ deterior & generalior scissura fiat & inducatur: dum particularia membra consuescunt non obedire: sicut notat Aristot. *in polit.* pessimum esse consuescere non obedire principi siue regi: quanto magis erronea & damnanda est assertio, quod licet vnicuique subditorum, mox vt aliquis est tyrannus ipsum viis omnibus fraudulentis & dolosis sine quauis autoritate vel declaratione iudiciaria morti tradere: præsertim si addat hæc assertio, quod tyrannus ille omnis est, qui non præest ad vtilitatem subditorum: sed de hac re alibi, de qua viderint assertores.

CONSIDERATIO XV.

AVferibilis est vicarius sponsus ecclesiæ per ecclesiam aut generale concilium perpetuo vel ad tempus: quo ad ea omnia, quæ sunt iurisdictionis. Satis indirecte deductio considerationis istius patet ex præcedenti. Nam possunt ab aliquo rite in papam electo tolli tam de iure quam de facto subditi: in quos debet iurisdictionem exercere. Et ita per indirectum iurisdictio non subsistet.

Vtrum vero directe & absolute possit omnis potestas iurisdictionis à papa rite electo remoueri, posset esse duplex imaginatio quo ad aliquas iurisdictiones: qualis est iurisdictio respiciens sacramentalem absolutionem: quæ alterius est rationis, quam aliæ respicientes forum exterius. Hanc enim iurisdictionem habet confessor papæ super ipsum: cui tamen non posset communicari iurisdictio in foro exteriori supra papam, vt quod eum posset excommunicare. Hanc insuper iurisdictionem habet in casu necessitatis omnis sacerdos apud peccatorem sibi volentem confiteri.

Dicerent ergo aliqui de hac spirituali iurisdictione, sicut de potestate ordinis, quod licet inauferibilis sit in se & in sua essentia: tamen est suus vsus impedibilis modis prætactis. Sicut etiam impediuntur schismatici & hæretici præcisi ab ecclesia: ne quisquam eis nisi in casu necessitatis debeat confiteri.

Dicerent alii, quod talis iurisdictio non solum impeditur in suo vsu, sed etiam tollitur ministerio ecclesiæ & prælati superioris: dum degradatur hæreticus aliquis prælatus vel sacerdos: & hoc quia condescendit Deus tollere ab illo sacerdote potestatem diuinitus sibi collatam per ministerium, talis tanquam per causam sine qua, non sicut imaginantur doctores multi de potentia collata sacramentis respectu gratiæ, quam figurant, non enim attingit illa virtus actiua sacramentorum substantiam gratiæ: sed tamen sunt causa, sine qua non talis gratia nequaquam crearetur. Sicut præterea dicimus de infusione animæ in embrionem dispositum: & magis ad proprium de recessu animæ à corpore per inductionem disconuenientem qualitatum: præsertim si imaginemur, quod anima sicut creabatur prius, ita nunc annihilaretur consequenter ad has dispositiones vel ad alias. Vel exemplificemus de annihilatione gratiæ per peccatum mortale.

Aduertamus tamen in hac materia, quod oportet nos concedere consequenter ad præmissa & ad factum Cœlestini, qui cessit papatui, quod papatus non dicat ordinem super sacerdotium vel episcopatum. Quod insuper non dicat iurisdictionem inabdicabilem humana voluntate supra episcopatum. Alioquin tunc temporis remansissent duo habentes papalem dignitatem: aut talem quæ fuisset superior ad episcopalem vel archiepiscopalem. Oportet vt videtur consequenter dicere, quod mortuo vel cedente Bonifacio, qui in locum Cœlestini successit, ipse Cœlestinus potuerat assumi in papatum sine noua alicuius ordinis vel potestatis iuridicæ essentialis & inabdicabilis collatione, quemadmodum dicimus de episcopali dignitate in his, qui fuerunt degradati vel deiecti: qui iterum possunt restitui nulla consecratione noua facta.

Hæ autem considerationes proficiunt studiosis ad cognoscendum magis & magis quid dicat vel importet, & quid non, papalis dignitas: & qualiter potest exercere iudicium ecclesia circa papam. Notetur Bonauentura *in dist. 25. quarti*: vbi quærit si episcopatus sit ordo supra sacerdotium: & ponit quod neque episcopatus neque papatus dicit plenitudinem aliquam vel dignitatem in ordinem, & ordine nouum nullum addit.

CONSIDERATIO XVI.

AVferibilis est vicarius sponsus ecclesiæ per ecclesiam aut generale concilium, vt dictum est: & dum hoc euenit, probabile est, quod magis fiat destitutiue & iuridice: quam solum declaratiue seu dictatiue seu consiliatiue.

Fuerunt duæ opiniones, vt alias tangebatur de inſtitutione papæ. Vna ponit, quod papa dum labitur in hæreſim, iam damnatus eſt: & eo facto per Deum depoſitus, & perdidit iure diuino papalem dignitatem: ſiue hæc hæreſis ſit ſecreta, vt ampliant aliqui, ſiue ſit manifeſta, vt placet aliis loqui reſtrictius.

Credunt alii, quod nullus rite in papam electus redditur per aliquod crimen eo facto depoſitus: licet bene ſit deponendus, & manet talis rite electus ſemper papa vſque ad ſententiam depoſitionis latam contra eum per eccleſiam vel generale concilium: aut niſi ceſſerit ſponte ſua, quemadmodum in aliis epiſcopatibus & dignitatibus minoribus dicunt eſſe certum, ita quod reſolutio finalis huius opinionis, quam nunc dicimus probabilem, ſtat in hoc, quod ſicut nullus efficitur papa lege ſtante, & niſi fieret noua reuelatio vel miraculoſa inſtitutio: nullus inquam talis rite efficitur papa, niſi per legitimam electionem dominorum Cardinalium aut aliorum, quibus hæc poteſtas collata fuerit per eccleſiam aut per generale concilium: ſic nullus talis rite electus deſinit eſſe papa, niſi per deſtitutionem legitimam factam ab eccleſia vel concilio vel aliis, quibus voluerit conferre eccleſia vel concilium huiuſmodi poteſtatem, qualis nondum collata eſſe reperitur.

Probabilitas huius opinionis fundata eſt alias in alio opuſculo. Et nunc breuiter repetamus dicentes aliqua. Primo quod ſtatus hierarchicus in eccleſia debet eſſe certus & conſtans, da oppoſitum. Iam eccleſia non fuiſſet ſufficienter inſtituta: quia ſubditi remanerent ſemper expoſiti diſcrimini peccati mortalis in obediendo vel non obediendo ſuis ſuperioribus: cum non poſſet eis conſtare ſufficienter, quando ſuperiores ius perdidiſſent in præſidendo, vel ipſum retinerent.

Ac proinde dicimus conſequenter: quod titulus eccleſiaſticæ dignitatis vel autoritatis non eſt fundatus in ſola ſanctitate: quemadmodum dixerunt hæretici, qui nominabantur Pauperes de Lugduno, & alii ſimiles: ſicut deducit Bonauentura, *in diſt. 25. quarti.* alioquin nihil eſſet certum in actibus hierarchicis: Sicut nemo ſcit an odio vel amore dignus ſit.

Ex eadem radice pateat, quod per præſcientiam vel reprobationem æternam non datur vel aufertur præciſe titulus eccleſiaſticæ dignitatis. Nam Iudas præſcitus fuit Apoſtolus: & multi prædeſtinati carent tali dignitate. Sequitur amplius, quod titulus eccleſiaſticæ dignitatis non eſt fundatus in donis gratuitis latentibus in anima: quia forte per reuelationem: & præſertim ſi ſint dona, quæ ſtatim habita ſtatim perdi poſſunt: quod dicitur propter characteres indelebiles poſtquam ſemel habiti ſunt, & de quibus præſuppoſita fide poteſt haberi ſufficiens certitudo, dum aliquis rite ſuſcipit ſacramenta imprimentia tales characteres.

Addamus rurſus, quod ſicut iniuſtus homo ſine charitate & in peccato mortali poteſt iuſte dominari temporaliter, & eſſe rex vel princeps iuſto titulo. Sic etiam poteſt eſſe epiſcopus vel ſacerdos. Et hoc ſequitur ex prioribus contra imaginationem aliquorum noſtris temporibus in Anglia & alibi: qui poſuerunt omne dominium & omnem dignitatem fundari in iuſtitia charitatis & quod ſine ea nihil poteſt eſſe iuſtum neque iuſte fieri neque poſſideri: quod vtique repugnat aſſertionibus ſacræ ſcripturæ in locis plurimis, in quibus idololatræ & peſſimi homines & reprobi appellantur Reges: vt Saul, Cyrus & Aacham. Vnde & Chriſtus docuit, quod Phariſæis & reprobis daretur obedientia in doctrina eorum, dum ait: *Supra cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi, quæ dicunt, facite* &c.

Dicamus conſequenter quod dignitates eccleſiaſticæ non fundantur in fide interiori, neque in ſpe ſancta, neque in charitate: patet ex eiſdem fundamentis.

Ac proinde ſequitur vlterius, quod deficiente fide in aliquo prælato, non eſt conſequens vt mox perdiderit paſtoralem dignitatem: quia nec fides eſt, nec neceſſarium eius fundamentum.

Patet amplius, quod canones ſacræ ſcripturæ ac ſummorum pontificum dicentes hæreticos eſſe vitandos tanquam ethnicos & anathematizatos: verum dicunt, dum conſtat eos tales eſſe: & maxime per ſententiam iudiciariam, aut propriam confeſſionem, aut facti euidentiam. Nihilominus quod tales ſint eo facto depoſiti à dignitatibus: & quod eas perdiderint ſine deſtitutione, non habetur ex eiſdem canonibus. Aut ſi aliqui canones videantur hoc ſonare de notoriis & manifeſtis hæreticis, qui ſunt eo facto depoſiti: intelligi poſſet, quod contra tales non requiritur proceſſus iuridicus ordinatus ad degradandum eos per ſententiam diffinitiuam: ſicut in occultis & non confeſſatis oporteret.

Dicamus ergo concludentes probabiliter, quod ſicut humana electio dat ius & titulum ad papalem dignitatem, ſi homo ſit capax huius lectionis atque dignitatis: & ſi ſit viator baptizatus, ſic per humanam deſtitutionem perdit illam præſidentiam & non aliter, eo inuito, ſiue ſit hæreticus ſiue ſit ſchiſmaticus.

Et dum opponitur quod hæreticus non poteſt eſſe membrum eccleſiæ: quanto minus poteſt eſſe caput eius vel vicarius ſuus, aut ſponſus, multa in hanc ſententiam.

Reſpondetur quod hæc ratio vel ſimilis ſi bene perpendatur, omnino fuit illa, quæ fundauit omnes errores, de quibus prætactum eſt, quod ſolus iuſtus iuſte damnatur, vel eſt ſacerdos vel conſecrat: & ita de ſimilibus.

Notemus ergo ſine proceſſu longiori, quod multæ ſunt connexiones membrorum in corpore myſtico eccleſiæ: ſicut diuerſæ ſunt in eodem corpore vnitates.

Vna

Vna est enim vnitas charitatis: & ita soli habentes charitatem dicuntur vere membra ecclesiæ. Alii quantumcunque fideles sunt, vel vt præcisa vel vt arida & emortua membra, imo sunt proditores Domini sui, nec de familia eius hoc modo dici possunt, nec sunt digni pane quo vescuntur.

Alia est vnitas in donis naturæ, sicut omnes homines connectuntur in intellectu & ratione. Alia est vnitas in simili participatione sacramentorum: & præsertim in vnitate baptismatis, in quo character imprimitur, in qua vnitate connectuntur omnes, qui baptisma rite susceperunt: etiam vbi fidem actualem vel habitualem perdidissent. Et hæc vnio videtur absolute sufficere ad hoc, quod aliquis rite in papam electus maneat caput ecclesiæ quousque fuerit per sententiam diffinitiuam depositus.

Nolo tamen propterea dicere, quod semper sit obediendum tali hæretico: vel non sibi resistendum, aut quod sit appellatione papalis dignitatis honorandus: quoniam in casu, sicut iam tactum est, posset papa verus manens papa licite etiam ligari vel incarcerari vel in mari demergi: quanto magis posset obedientia sibi vel reuerentialis nominatio denegari?

CONSIDERATIO XVII.

AVferibilis non est vicarius sponsus ecclesiæ rite prius electus, quin posset creare veros sacerdotes & episcopos, & alia facere, quæ ordinem suum respiciunt in tali plenitudine receptum: absque hoc quod iterari debeant ea quæ fecisset: quia valida sunt iure diuino: quamuis peccabit ipse cum partibus suis, si hoc attentauerit.

Consimiliter ea quæ iurisdictionem puram respiciunt, illa possunt dici valida, quæ egerit talis, quamdiu toleratur ab ecclesia: & hoc iure seu approbatione totius ecclesiæ vel præcedentium pontificum & conciliorum generalium institutione: præsertim nisi aliunde ex culpa subditorum talia reddita fuerint inualida: quia participant in crimine.

Respondet hæc consideratio multis dubitationibus, quæ potuerunt oriri durante hoc pestifero schismate tam in collationibus ordinum quam in dependentibus & collationibus beneficiorum & similibus: vbi facilius se expedit opinio, quam probabili modo posuimus in præcedenti consideratione circa obiecta. Multum prodest insuper eadem consideratio ad celeriorem & expeditiorem terminationem schismatis per viam cessionis, omissa qualibet discussione facienda.

CONSIDERATIO XVIII.

AVferibilis est vicarius sponsus ecclesiæ tanquam hæreticus aut schismaticus: etiam vbi in casu ipse non est veraciter & mentaliter talis.

Assignemus summatim casus aliquos circa personas alias, qui similiter possunt in papam cadere, duos inuenimus in iuribus expressos.

Vnus est dum aliquis sustinet excommunicationem vltra annum: & citatur super materia fidei, nec respondet.

Alius dum citatus coram iudice renuit præstare iuramentum. Talis aliquis poterit manere semper verus fidelis: attamen ipse tanquam hæreticus iuris præsumptione damnabitur.

Tertius assignatur casus, si timore mortis vel alia passione motus quis vocaliter negat ea quæ sunt fidei: nec possit aut velit sufficienter se purgare.

Quartus casus, vbi per actus hæreticales aut idolatricos habebitur præsumptio vehemens contra aliquem: & talis nec poterit aut velit sufficienter se purgare. Dicuntur autem actus hæreticales vel idolatrici, qui sunt contrarii vel oppositi actibus, quibus solet fieri professio fidei & religionis Christianæ & cultus diuini: sicut est genuflexio coram sacramento altaris, & ingressus templi, & similia. Et in hoc multum valet vsus hominum, sic talia accipientium. Vnde si quis exhibet talia in honorem Machometi vel idolorum, aut si oppositis factis detestaretur sacramentum altaris, & templa Dei & sacras imagines, & similia faceret: haberi deberet de hæresi & idololatria suspectus: & hoc vel vehementer vel grauiter vel leuiter, secundum quod plures causæ suspitionem aggrauantes, & pauciores releuantes concurrerent. Et hic esset longus sermo de modo accusationis talium coram inquisitore: quando scilicet & quando non veniunt iudicialiter in materia fidei vel idololatriæ pertractandi.

Casus quintus inuenitur, vbi quis per falsos testes accusatur atque conuincitur fuisse relapsus in hæreses iam damnatas. Ille plane damnabitur & iuste damnabitur per ecclesiam, quæ non iudicat de occultis, sed de allegatis & probatis per sententiam.

Sextus casus incidens cum quarto: vbi quis etiam leui suspitione notatus de fide, vocatus fuerit ad iudicium, & venire neglexerit seu contempserit, aut forte non potuerit, de qua tamen impotentia fidem facere non valebit. Cum enim summus pontifex iuxta probata prius possit tam doctrinaliter quam iudicialiter denunciari, deferri & accusari coram concilio generali in materia fidei & cultus diuini, non repugnat casus istos & similes in ipso posse reperiri, qui *circumdatus est infirmitate*, sicut dicit Apostolus experientiæ voce loquens.

CONSIDERATIO XIX.

AVferibilis est vicarius sponsus ecclesiæ per ecclesiam etiam sine culpa sua, quamuis non sine causa.

Tangamus similiter casus aliquos. Vbi coram tota ecclesia vel concilio generali proponeretur & probaretur per testes, quod papa qui forte est detentus inter Saracenos iam obiit, & cum ecclesia iam non possit commode diutius remanere sine papa: videtur omnino quod in hoc casu concilium poterit creare nouum papam: & cum non possint esse duo simul, videtur quod primus erit destitutus per concilium. Posset etiam destitui, vbi constaret de vita, si de eo ablata esset spes omnis redeundi.

Alter casus est, vbi quis rite electus in papam efficeretur adeo inutilis propter indispositionem corporalem, ac propter carentiam perpetuam vsus rationis: quod per concilium iam per eum congregatum dum sanæ mentis erat, expediret aliter prouideri de summo pontifice.

Alter casus est, vbi post electionem canonicam alicuius in papam per Cardinales, ipsi Cardinales omnes morerentur, priusquam possent electionem suam canonicam publicare, constat quod ecclesia non tenetur hunc recipere pro papa: & ita posset ad electionem alterius procedere.

Alter casus similis stat cum priori, vbi nullo modo Cardinales etiam viuentes possent facere fidem sufficientem de electione canonica facta circa vnum: qualis casus videtur esse & fuisse in schismate præsenti, si bene perpendatur. Et ideo circumstantia eius multum iustificat processus habitos contra illos contendentes & aduersus Cardinales.

Alter casus propter communem errorem aut æstimationem subditorum aut ipsorum malitiam generalem: de quibus non est præsumendum, quod vnquam debeant obedientiam præstare tali, qui fuit in papam rite electus: tamen alteri nouiter eligendo parati sunt: vt forte si Græci vellent ad vnitatem ecclesiæ redire, dummodo tolleretur papa iam existens, & nouus rite canonice crearetur. Confirmat hoc imaginatio casus illius iuxta positionem Innocentii & aliorum Iuristarum: qui dicunt hominem expresse professum in religione posse vxorem ducere pro saluatione magnæ gentis aut ad fidem conuersione. Cur non similiter pro aliquo tanto bono posset rite electus per ecclesiam aut concilium generale destitui bono zelo & integra charitate?

Casus alter sextus esset, vbi per iuramentum & votum aliquis in papam rite electus, seipsum ad cessionem obligasset; sed differret hoc adimplere, in scandalum populorum putantium ex tali facto papæ, quod neque iuramentis suis obligantur, neque votis, qualem casum habere videmur in manibus.

Denique etsi casus notati in hac & præcedenti consideratione vix aut nunquam visi fuerint: nihilominus expediens est tangere ad inquisitionem solidiorem veritatis, & ad confutationem illorum, qui in iuribus suis scriptis omnia particulatim & sufficienter arbitrantur esse decisa.

CONSIDERATIO XX.

AVferibilis non est vsque ad consummationem seculi vicarius sponsus ecclesiæ, quin aliquis certus & vnicus præficiatur: & hoc lege stante & præsupposita mundi duratione longissima.

Detur oppositum: tunc ecclesia maneret imperfecta vsque ad consummationem seculi, nec suorum gauderet integritate membrorum, & præsertim membri principalis.

Quocirca concludamus sub quadruplici corollario morali conformiter ad prædicta & ad alias considerationes alibi notatas super eadem materia.

Et dicamus primo, quod hi repugnant ordinationi Christi & Spiritui sancto rebelles sunt, qui præsentis schismatis terminationem impediunt modis talibus, quos sciunt aut scire debent, ad pacem protinus reducendam esse, vel inutiles vel nociuos: vt si quæratur fieri pax per reductionem vnius obedientiæ ad alteram, vel per vim armatam, vel per dispositionem iuris, quæ non sunt probabiliter & salubriter expectanda. Nec sufficit dicere: habemus papam Christum: sufficit vt credamus in eum, nam talis vnio ad Christum etsi sit necessaria, non tamen vsquequaque sufficit, vt in ea stemus non procurando quantum in nobis est vnionem alteram ad vnum vicarium suum in terris, de quo constat ecclesiæ.

Addimus consequenter pro secundo corollario: quod hi fallunt & falluntur qui propter affectionem qualemcunque commodi vel honoris, vel amicitiæ circa alterum contendentium, tenderent impedire suam cessionem pro impletione iuramentorum & votorum suorum & pacis datione, si nollent suam deiectionem vbi hoc agere renuerent, imo prorsus quanto magis aliquis fuerit amicus, tanto amplius debet hoc quærere vt eorum spiritus saluus fiat: & vt pateat omnibus, quia non zelo malo zelati sunt eos aliquando, sed zelo charitatis: licet forte vel error vel deceptio in iudicio particularium agendorum interuenire potuerit.

Dicamus præterea pro tertio corollario, quod hi nutu Dei & Spiritus sancti (sicut credendum est) inspiratione tracti fuerunt, qui ad conuocationem sacri concilii Pisis celebrandi dederunt operam, & promptitudinem præstiterunt, præstant & præstabunt. Ille orando, ille exhortando, hic protegendo, ille comparando: & ita de singulis. Impeditores si qui essent nume-

numerandi sunt inter illos, de quibus nunc tetigimus: qui rei sunt detrimentorum omnium tam temporalium quam spiritualium ex hoc schismate horrendo nascentium, qualia vix sufficerit tractatus grandis vel summatim enarrare. Nam quomodo paratus esset audire ecclesiam, qui suam congregationem vel nollet damnabiliter, vel damnabilius impediret? Hanc conuocationem pro finali scuto suæ protectionis ad Deum, quæsiuit in morte rex Franciæ Carolus quintus. Ad hanc esse debet finalis resolutio omnium, qui de schismate nolunt increpari apud Deum, imo ad hanc tendit neutralitas accepta, si bene capiatur.

Dicamus ad extremum pro quarto corollario, quod hi qui sacrum concilium Pisanum constituerant, sufficientem habebant autoritatem deiiciendi duos contendentes aut suos complices, si noluerint parere dictatis per hoc concilium in cessione facienda realiter & de facto & scito & aliis requisitis. Poteruntque procedere ad electionem vnius tertii Vicarii, qui tertius & indubitatus ab ecclesia poterit & debebit reputari, etiam vbi non omnes obedire vellent sic electo: quod tamen non est indebite præsumendum.

Ecce ergo viginti considerationes quodam ordine geometrico se sequentes. Quæ iunctis aliis sedecim, in quarum qualibet initium est vnitas ecclesiastica, additis quoque aliis quatuor dudum Tarascone prædicatis, redduntur 40. Considerationes. Et hæ qualem possint afferre studiosioribus cognitionis materiam, sit eorum iudicium qui viderint.

Postulemus tandem, vt inauferibilis sponsus ecclesiæ Christus vicarium certum & vnicum nobis instituat, ad gloriam nominis sui & nostram omnium salutem, præstante eodem, qui est benedictus in secula seculorum: Amen.

Sedecim considerationes, quarum hic mentionem fecit, paulo post subsequentur. Quatuor aliæ in sermone Tarascone prædicato: qui incipit: Apparuit gratia Dei *&c. etiam subiungentur.*

SENTENTIA MAGISTRI IOHANNIS DE GERSON, DE MODO HABENDI SE TEMPORE schismatis.

AD tollendam quorundam in præsenti schismate pertinaciam, improbitatemque nimiam, specialiter in patria Flandrensi, si pro meritis aut falsis assertionibus suis certissima & perniciosissima schismata formant & fraternam violant charitatem, dum homines ab obedientia debita suorum superiorum auertunt: dum postremo pro instabili sua opinione & humana traditione legem Dei sanctam & stabilem deserere, contemnere & violare compellunt: Dignum duxi quædam fundamentalia per me posita saluo semper in omnibus superiorum ac sapientiorum iudicio, nunc sub aliquarum conclusionum compendio ponere.

1. Quocunque de papatu contendentium demonstrato non est hæreticum dicere, *A. non est papa.*

2. In casu prædicto stat aliquos esse, apud quos istud pertinaciter asserere, *A. non est papa*, saperet hæresim.

3. In schismate præsenti tam dubio temerarium, iniuriosum, & scandalosum est asserere omnes tenentes istam partem vel alteram vel omnes neutrales etiam absolutos esse vniuersaliter extra statum salutis vel excommunicatos vel rationabiliter de schismate suspectos.

4. In schismate præsenti licitum, imo cautum est præstantibus obedientiam isti vel illi, eam sub conditione tacita vel expressa tribuere.

5. Quacunque parte demonstrata temerarium & scandalosum, & sapiens hæresim est asserere: sacramenta ecclesiæ suam efficaciam non habere, aut sacerdotes non esse consecratos, pueros non esse baptizatos, sacramentum altaris non esse confectum, & similia.

6. In schismate præsenti temerarium & scandalosum est asserere, quacunque parte demonstrata, quod non licet audire missas eorum vel sacramentis non communicare: præsertim attenta diuersitate locorum, temporum atque personarum.

7. Possibile est aliquos veræ parti assentientes esse veraciter schismaticos & aliquos falsæ parti modo prædicto assentientes, schismaticos non existere.

8. Salubrius, iustius & tutius est quærere vnitatem ecclesiæ insistendo circa contendentes de papatu: & hoc per viam cessionis vtriusque vel subtractionis obedientiæ, vel alterius licitæ coactionis, quam subditos per excommunicationis censuram vel aliter vexare seu turbare: aut quod vna pars Christianitatis ab alterius communione pertinaciter separetur.

Ratio primæ conclusionis hæc est: quoniam nulla propositio, ad cuius verificationem exigitur veritas vnius propositionis contingentis & ad fidem impertinentis est de necessitate aut integritate fidei. Nã sicut propositio copulatiua, cuius vna pars est cõtingens: est tota contingẽs cuius vna pars est falsa aut impossibilis, est tota falsa aut impossibilis: sic in proposito. Constat autem quod ad verificationẽ illius, *A. est Papa*, exigitur non solum vna, sed multæ contingentes puræ esse veras: vt quod electio sit rite celebrata, & ab illis qui habebant potestatem, & consimiles multæ. Ex simili ratione colligitur quod quocunque sacerdote demonstrato, ista non est hæretica, *iste non est sacerdos*: & consequenter sequitur quod nec ista: *hoc non est corpus Christi in altari* &c.

Ratio secundæ propositionis: quoniam propositio dicitur sapere hæresim, quando ex ipsa coassumptis aliquibus veris, quæ rationabiliter negari non possunt, sequitur error in fide: sed possibile est aliquos homines per reuelationem vel aliter sic certificatos esse, quod omnia rite facta sunt in electione & consecratione eius in papam A. quod rationabiliter dubitare tunc non possunt. Si negant A. esse vel fuisse papam, incidunt in errorem illum, quod rite electus & consecratus in papam non est, nec vnquam fuit papa: & quod non succedit Petro: & similia, quæ sunt hæretica.

Ratio tertiæ conclusionis: quia multi sunt ex vtraque parte & neutrales, quibus non est materia ista clarifica, quin rationabiliter possint negare vel dubitare istam propositionem quocunque contendentium demonstrato: *A. est aut fuit rite electus. A. non est schismaticus aut hæreticus*: & consimiles, ad quas sequitur: *A. non est papa*. Assumptum docet experientia, & tot doctorum diuersæ aduersæque sententiæ. Et constat multos esse simplices, qui ad talia dubia inuestiganda non tenentur alios sequi: nec mouentur fauore vel odio seu quæstu ad non consentiendum huic parti vel illi: & parati sunt obedire veritati sufficienter agnitæ: nec sunt pertinaces: igitur nec excommunicati, nec de schismate rationabiliter suspecti. Tota ratio fundatur in hoc, quod nunquam fuit tam rationabilis vehemens causa dubitationis in aliquo schismate, sicut in isto. Cuius signum euidens est varietas opinionum doctorum, & inter doctissimos & probatissimos ex vtraque parte: quinetiam suppletis eis, quæ facti sunt concessis adhuc restarent quæstiones iuris ad vtrumlibet disputabiles, quæ omnia incertitudinem rationabilem generant in hoc schismate: & ab errore pernicioso plures excusant. Potest igitur illud dici rationabiliter dubitabile, quod plurimi & maxime sapientes dubitabile reputant & prædicant.

Ratio quartæ conclusionis colligitur ex præcedenti: & per simile de adoratione hostiæ in altari, dum occurrit aliqua dubitatio, quod presbyter celebrans non compleuerit omnia rite ad consecrationem requisita, sufficit enim adorare sub conditione implicita: imo semper debet subiungi cõditio implicita, ista videlicet vel similis: si omnia rite facta sint secundum institutionem Christi & ecclesiæ. Cur igitur in casu præsentis schismatis tam dubio, & quod non tam proprie tangit statum salutis & fidei, non poterit aut debebit apponi conditio ista vel consimilis: si talis fuerit canonice electus & consecratus, & non sit hæreticus aut schismatice deprauatus.

Ratio quintæ conclusionis manifesta est aduertenti: quoniam neque schisma neque hæreses neque aliud quodcunque vitium obstat in ministro, quin sacramentorum collatio habeat suam efficaciam: dummodo conferentes intendant id facere, quod Christus & ecclesia instituerunt: & recipiens illud recipere, sicut rationabiliter præsumi debet de omnibus.

Ratio sextæ conclusionis manifestatur ex præcedentibus: quoniam nihil debet rationabiliter à talibus impedire excommunicatio lata, si non adsit pertinacia. Nunquam excommunicatio intenditur ferri, nisi in pertinaces, qui non sunt parati audire ecclesiam. Alioquin frustra ferretur excommunicatio, imo damnabiliter & in ecclesiæ destructionem. Non autem data est potestas ministris ecclesiæ quibuslibet ad destructionem, sed ad ædificationem secundum Apostolum: quemadmodum medicina datur prout conferre possit sanitati, & sanitas rationi. Sic finis excommunicationis est subditorum emendatio: quę si clare per excommunicationem videatur aut videri debeat non sequi emendatio: vel fructus damnabilis in opposito conferri videatur, secundum Aug. in *parabola de zyzaniis. Matt. 13.* cum ibidem notatis. Rursus ista conclusio aperte trahitur ex tertia & quarta conclusionibus. Si enim multi ex vtraq; parte sunt in statu salutis, & non pertinaces: imo parati stare & mori in veritate agnita sufficienter: aut qui sub conditione etiam falsæ parti assentiunt: quæ conditio etiam eosdem ab errore damnabili reddit excusatos: constat quod tales non debuerunt nec potuerunt rationabiliter excommunicari: & per consequens nec eorum communicationem prohibemus.

Si dicatur, quod etiam excommunicatio iniuste lata timenda est. Hæc propositio male intelligitur à plerisque, & scrupulos varios & periculosos ingerit. Tamen, quantum ad præsens sufficit, respondetur: quod si lator non reputetur iudex, eadem executione qua hoc fit, potest consequenter excommunicatio non tenere. Et quia multi tenentes vnam partem, debent rationabiliter tenere, quod alii sint in statu salutis non pertinaces: & parati stare iuri agnito: imo qui forte suo papæ assentiunt sub conditione, possunt ex hoc communicationem eis impendere. Non enim debent suo papæ tale crimen imponere, quod voluit homines non pertinaces excommunicare, vel eos qui tenent antipapam: sub conditione tamen rationabiliter apposita, si & in quantum fuerit rite electus, & non aliter à communione ecclesiastica canonica segregare.

Ratio septimæ conclusionis est: quia stat aliquem veræ parti assentientem & pertinacem esse: quod vel propter quæstum, vel propter vanam gloriam, vel aliam causam non habet animum paratum

ratum ad obediendum veritati agnitæ: si per ecclesiam vel aliter reperiretur eundem errare: vel etiam dum in tanto dubio inuoluto pro sua assertione sustinenda, separaret se à membris veris & viuis ipsius ecclesiæ. Casus sunt multi de parte opposita, vt dictum est. Non est enim schisma tantum in separatione membrorum à capite, sed etiam in separatione pertinaci membrorum ab inuicem. Ex quo consequenter habetur, quod temerarium & periculosum est pertinaciter vnam partem vel alteram impugnare: & ab eiusdem communione eam detestando declinare. Altera pars conclusionis patet ex tertia conclusione.

Ratio octauæ conclusionis perspicua est ex præcedentibus, quoniam vbi radix & origo talis vel principalis ipsius schismatis consistit, ibi eradicatio fieri debet, aut antidotum summi pro vnitatis adeptione. Ipsi enim sunt qui peccauerunt: alii autem qui oues sunt, quid meruerunt? Ipsi sunt propter quos tempestas orta est in mari. Dederunt denique & dant scandalum, propter quod ad illud remouendum de necessitate salutis obligantur. Non negandum tamen est, quod quilibet pro parte sua obligatur secundum donum à Deo sibi præstitum quærere quæ ad pacem sunt: hic orando, ille monendo, alter docendo. Vltima pars, quod non expedit vnam partem generaliter vitare alteram, & facere scissuram in principalioribus actibus religionis Christianæ, & fraternam charitatem violare, patet ex præcedentibus, & principaliter ex quinta conclusione & sexta.

Verum est enim, quod singularitas in opinione propria contumaciter alios condemnans, incomparabiliter videtur esse periculosior & deterior, quam cõmunicatio fraternalis per charitatem: quæ est compago membrorum ecclesiæ sub intentione semper recta & firma de obediendo ecclesiæ. Etenim qui aliter agit pro incerto vero, ille se exponit certæ violationi fraternæ charitatis.

Nec oportet allegare iura super periculis & maledictionibus eorum, qui non obediunt præceptis & institutionibus summi Pontificis & sententiis. Habet enim locum talium allegatio apud illos, qui nulla possunt rationabili causa excusari, quin sciant vel scire debeant talem vel talem esse suum superiorem. Si vero est ignorantia probabilis, sicut est in præsenti schismate apud multos de vtraque obedientia, & apud neutros, non reputantur talibus sententiis alligati. Ex omnibus prædictis videntur posse elici quædam documenta.

Primum est quod in præsenti schismate potest apud plurimos applicari rationabiliter documentum Ambrosii ad Augustinum de ieiunando vel non ieiunando sabbata secundum diuersitatem temporum, locorum & personarum. Potest sine periculo schismatis aut damnationis, nunc illi, nunc isti modis istis obedire: & nunc cum istis, nunc cum aliis communionem præstare. Et hoc totum dicitur propter probabilem ignorantiam iuris istius vel illius partis. Et supposito quod ab initio schismatis forte tentanda fuisset alia via, ad sciendum si per excommunicationes aut prædicationes vel aliter, omnes ad vnam obedientiam trahi potuissent. Attamen cognitio per experientiam, quod talia nihil proficerent: imo nocuerunt, quod de die in diem maior inuolutio sequitur, videtur faciendum, vt dictum est.

Secundum documentum, quod inter omnes eiusdem obedientiæ expedit adhærere sententiis latis à suo superiore credito: alioquin non esset vinculum charitatis.

Tertium documentum est de casibus reseruatis Papæ, de dispensationibus & aliis in foro conscientiæ vel publico possunt homines secundum credulitatem suæ partis, & seipsos quietare pro facto tenendo id, quod eorum superior creditus fecerit. Neutrales autem videntur habere sufficientem recursum ad ordinarios, apud quos secundum eorum opinionem communiter loquendo, est potestas deuoluta. Ver.

Fac pacem Christe, de qua tractatus iste
Disputat, atque pia mediatrix esto Maria.
Pastor & ecclesia Deus en grex nunc balat ad te,
Ergo causa tui nunc miserere sui.

TRACTATVS DOMINI THEOFORI, QVI ASCRIBITVR IOANNI DE GERSON:

QVALIS FVERIT STATVS ECCLESIAE IN VETERI ET Nouo Testamento: Et qualiter ecclesia fuerit erecta temporibus prædictis, Et quot schismata, & quot intrusiones fuerunt in ecclesia Romana: Et qualiter in schismatibus præteritis fuerit actum secundum veras chronicas.

POSTQVAM superior status & effectus præsentis schismatis, ac acta & agenda in vniuersali ecclesia, & specialiter in Roma, secundum veros prophetas digesta & notata sunt. Pro pleniori notitia prædictorum acuitur stilus, vt secundum veras Chronicas & approbatas: & specialiter Antistitis nostri reuerendi Archiepiscopi Eusontini verissimi antiquitatum relatoris, & Fratris Ptolomei de Luca venerabilis chronistæ status & acta præterita in dicta ecclesia lucidius cognoscantur, & sciantur à lectoribus. Inuenimus enim ego Theoforus & socius meus charissimus Frater Eusebius in prædictis & aliis Chronicis, vt infra dicitur fideliter referendo, quæ Eusontinus & Ptolomæus gesta & acta Romanæ ecclesiæ denotarunt, à natiuitate Christi vsque ad annum Domini 1316. à quo tempore citra nullum schisma fuit in ecclesia Dei, vsque ad istud nouissimum tempus Petri de Luna & Angeli Carorio.

Ex quarum Chronicarum lectione clare reperimus, quod ecclesia tam in Veteri Testamento quam in Nouo exigentibus peccatis & malitia Sathanæ multas tribulationes passa est. Tamen ab omni tribulatione ipsam semper Deus liberauit, cum ipsi humiliter & contrito corde ad Deum conuersi sunt veniam petentes & maiorem quietem. Aliqua in Nouo Testamento habuit ecclesia Dei à destructione Frederici Imperatoris Secundi vsque ad tempora bonæ memoriæ domini Gregorii Papæ Vndecimi, quæ quies & abundantia diuitiarum reduxerunt ecclesiam in peccata & vitia: propter quæ ecclesia patitur præsens schisma; & multa discrimina & maiora patietur.

In Veteri autem Testamento ecclesia multas tribulationes passa est. Primo decem plagas, dum fuit in terra Ægypti. Item in tempore habitæ passionis terræ promissionis vsque ad templi ædificationem II. persecutiones passa est ecclesia. Item post templi ædificationem suscitauit durissimam iacturam & schisma: quod fuit inter Roboam & Hieroboam. Item suscitauit transmigrationem totius sacerdotii & destructionem templi in Babyloniam per patrem Nabuchodonosor. Item passa est tempore Nabuchodonosor: quo tempore multi fuerunt pseudo Pontifices maximi & schismata: clerus magnam persecutionem passus: & fuit vltima in Veteri Testamento. Cui persecutioni præsens & persecutio Frederici Tertii, & magni vltimi Antichristi futuri similes erunt secundum Abbatem Ioachim libro *de vltimis tribulationibus*.

In Nouo autem Testamento ecclesia etiam varias & diuersas persecutiones passa est exigentibus peccatis & opere naturæ humanæ hostis. In primitiua enim ecclesia summi Pontifices, Apostoli, prælati & alius clerus, opprobria, damna & iniurias & mortis diuersa martyria passi sunt. Item cessantibus martyriis & crescente dicta ecclesia à Constantino Magno & ab aliis principibus à populo Christiano inceperunt hæreses Menandri primi hæretici, Arrii, & aliorum hæreticorum, maxima scandala generantes in ecclesia Dei.

Postquam autem in ecclesia multiplicata sunt dominia in temporalibus & spiritualibus, inceperunt intrusiones & schismata in Romana ecclesia: propter quæ dominia & potestates continue fuerunt odia & rancores inter summos Pontifices, Imperatores Romanos & dominos temporales. Quæ schismata fuerunt viginti cum præsenti, & intrusiones 41.

Quorum primum schisma incepit anno natiuitatis Domini 244. inter primum Cornelium & Nouatianum.

Secundum schisma fuit anno 353. inter Tiberium & Felicem.

Tertium anno 374. inter Damasum primum & Vrsinum.

Quartum schisma fuit anno 437. inter Bonifacium primum & Eulalium presbyterum.

Quintum anno Domini 516. inter Symachum primum & Laurentium.

Sextum anno 723. inter Bonifacium & Dioscorum.

Septimum 743. inter Stephanum Tertium sanctum virum, & Constantinum Secundum: quod schisma, si bene videatur quasi per omnia simile est instanti schismati: & plus assimilatur præsenti schismati, quam alia præterita.

Octauum

Octauum schisma fuit anno 848. inter Eugenium secundum & Sisimum.

Nonum fuit 930. inter Leonem V. & Christophorum presbyterum.

Decimum fuit anno 862. inter Ioannem secundum nobilem Romanum & Leonem VIII.

Vndecimum fuit 864. inter Gregorium V. & Ioannem episcopum Placentinum.

Duodecimum 999. inter Benedictum IX. & Leonem prædictum.

Decimum tertium 1036. tempore Benedicti VIII. qui à Romanis eiicitur & alius intruditur: postea Benedictus restituitur.

Decimum quartum schisma fuit anno 1052. tempore Benedicti: qui cum iam sedisset multis annis, aliique sunt electi, expulso Benedicto.

Decimum quintum fuit 1078. inter Alexandrum II. & Codullum episcopum Permensem.

Decimum sextum fuit 1085. inter Gregorium & Episcopum Permensem.

Decimum septimum schisma fuit 1100. inter Pascalem secundum & tres prælatos, qui nomen & off[illegible]m occupauerunt fauore hæretici Imperatoris.

[illegible]imum octauum fuit 1111. inter Gelasium II. & Britodinum Hispanum.

Decimum nonum fuit 1131. inter Innocentium II. & Petrum Leonis.

Vicesimum anno 1149. inter Alexandrum III. & quatuor schismaticos.

Vicesimum primum schisma fuit tempore Ludouici de Bauaria: qui Ludouicus veniente & regnante Ioanne XXII. qui Ioannes assumptus fuit ad Papatum Anno Domini 1319. fecit fieri antipapam fratrem Petrum de Carbario Ordinis Minorum, à quo coronam imperii recepit. Tamen facta doctorum antipapæ & antiImperatoris annullata sunt infra annos.

Vicesimum secundum schisma præsens est & melius coloratum aliquo alio prophetatum à Spiritu sancto pro punitione cleri & reformatione ecclesiæ. Circa quorum intrusionem schismatum confictionem processuum ordinationem, oblationem & finem ex flore supradictorum notum est.

Et potest notari singulariter, quod omnia & singula schismata & intrusiones prædicta conficta fota & nutrita semper fuerunt opere ingenio & inuidia pessimorum sacerdotum & cleri Dei: sibi semper fauentibus & auxiliantibus imperatoribus & populo Romano: excepto Carolo magno & tribus Ottonibus primis de Saxonia, qui ecclesiam multum afflictam semper erexerunt.

Item notamus quod in omni schismate semper ille vicit & obtinuit, qui habuit ius siue primo siue secundo electus fuisset. Et semper antipapis & sequacibus male successit.

Item in omni schismate iste Papa visus est habere ius & obtinuit, qui electus fuit à maiori parte electorum & habentium vocem in electione Papatus.

Item notamus, quod de conuersione magni Constantini circa & postquam Roma & maxima pars fidem Christi agnouit, quod Imperatores Romani vel populus Romanus 25. veros summos Pontifices expulerunt de Roma: & ipsos diuersis pœnitentiis afflixerunt iniuste: quorum summorum Pontificum nomina sunt hæc: Iulius I. Simachus, Siluerius I. Vigilius I. Martinus I. Leo III. Eugenius II. Ioannes VIII. Leo V. vel VI. Ioannes X. Benedictus VIII. Ioannes XIV. Ioannes XVI. Gregorius V. Benedictus IX. Gregorius VII. Victor III. Pascalis II. Alexander III. Bonifacius VI.

Item notatum fuit, quod Reges Franciæ, qui pro tempore fuerunt, nunquam in aliquo dictorum schismatum adhæserunt schismatico, sed semper veris Pontificibus, imo quod plus est, Reges Franciæ octo summos Pontifices de sede expulsos posuerunt & reduxerunt in Romam in sedem propriam: quorum summorum Pontificum sunt hæc nomina, Vigilius vel Eugenius, Leo, Zacharias, Stephanus, Calixtus, Innocentius, Alexander Tertius & Pascalis.

Item singulariter notatum est: quod quandocunque ecclesia in schismate vel alio modo vacillauit, semper ecclesia erecta fuit per aliquos principes seculares: vt per Carolum M. Ottones de Saxonia, Reges Franciæ, commune Pisis seu Pisanos, & diuersos alios. Nunquam enim ecclesia relapsa vel vacillans suis operibus vel viribus se erexit.

Item singulariter est notatum, quod nunquam in schismate per ecclesiam concilium generale fuit vocatum. Sed illi qui fuerunt in schismatibus veri Pontifices vocauerunt concilia particularia in diuersis locis, prout videbatur sibi expedire. Tamen non reperio aliquod schisma sine concilio aliquo fuisse ablatum.

Item reperio quod tempore Gregorii Sexti & Clementis Secundi: quo tempore erat schisma in ecclesia quando Henricus Imperator conuocauit & congregauit concilium generale, non vocatis Papa nec Cardinalibus, qui erant discordes: & quod ibi ordinatum fuit, valuit & seruatum fuit in ecclesia, non obstante absentia Papæ & Cardinalium.

Item notatum est, quod aliqui in sede Apostolica & tenentes pacem iuste suis temporibus regnauerunt sine schismate: quorum nomina sunt hæc: Ioannes X. Ioannes XVII. Siluester II. Damasus, & Victor II.

Item notandum est, quod Leo Papa IV. dubitans, ne eius electio esset bona, renunciauit Papatui: tamen Cardinales videntes eius bonitatem reelegerunt ipsum. Et idem contigit Honorio Secundo, natione Bononiensi.

Schismata supradicta fideliter extracta sunt à supradictis chronicis: quæ patent omnibus volentibus eas audire.

TRACTATVS
QVI VULGO ASCRIBITVR IOANNI DE GERSON, DE VNITATE ecclesiastica.

Anno Domini 1440. quo iam ante vndecenniũ mort. erat Gers.



NITATIS ecclesiasticæ tractatoribus, vnus ex zelatoribus eiusdem p[illegible]iam feliciter inuenire. Etsi alligatum corpus vinculis occupationum te[illegible]r, ne pergat ad sacrum concilium, Pisis Deo auspice celebrandum: nihilominus verbum Dei (sicut dicit Apostolus) non est alligatum. Propterea decreuit spiritus promptus, & pacis auidissimus verbum aliquod Dei literulis insertum quaqua versum spargere, qua infirma nequit ire caro. Non quidem ad determinandum (absit hæc temeritas) sed ad examinandum & dandum sapientibus occasionem & offerendum in tabernaculo Dei cum hominibus, id quod ex talento qualisque scientiæ commissum est.

Vnitas quippe ecclesiastica ad vnum certum Christi vicarium stantibus terminis, in quibus est ecclesia, Anno Domini 440. 29. Ianuarii non est retardanda propter allegationes quasdam ex iuribus positiuis sumptas contra celebrationem concilii generalis: aut viam cõcessionis, vt quod concilium non potest celebrari sine authoritate Papæ. Quia spoliatus ante omnia debet restitui. Quia recusandi sunt tanquam inimici, qui subtraxerunt se ab obedientia. Et allegari potest iustus metus: Quia Papæ nemo dicere potest: *cur ita facis?* præsertim si non sit expresse errans contra articulos fidei, cum à nemine valeat iudicari: & nemini sit subiectus: nec possit effici schismaticus. Quia periculosum est pastori deserere gregem suum cedendo. Rursus quod quilibet fecit debitum suum pro ecclesiastica vnione, nec est in culpa. Denique quod inquirendum est de iustitia veræ partis, sine cuius cognitione non possunt hi qui errauerunt pœnitere: & si qua sunt similia.

Ponunt igitur aduersus istas considerationes, 12. generales: quorum explicatio specialis sufficit studiosis ista reuellere.

CONSIDERATIO I.

VNitas ecclesiæ generalis sicut impedita est per diuisiones filiorum suorum tanquam membrorum putrescentium & contra Deum peccantium, nam *peccata nostra* iuxta verbum philosophicum *diuiserunt inter nos & Deum*. Sic per vnionem oppositam, scilicet per reconciliationem cuiuslibet ad Deum corrigendo prauos mores, humiliando se & orando, rursus debet hæc vnitas impetrari: alioquin manente causa schismatis qualis de sua cessatione poterit spes haberi? nisi tantum in pura gratia Domini nostri Iesu Christi, qui immeritis & ingratis conferre solet magna: nihilominus coadiutores eius esse nos oportet: nunc præcipue quando pacis inimicus sæuiet acrius, quanto reditus pacis propinquior apparet: immittet quandoq; si poterit validissimum ad continuationem schismatis impedimentum, diuisiones scilicet inter eos, qui prosecuturi sunt vnionem ministerio superbiæ, cupiditatis aut inuidiæ.

Secunda Consideratio contra primam allegationem.

Vnitas ecclesiæ essentialis semper manet ad Christum sponsum suum. Nam caput ecclesiæ Christus, in quo sumus omnes vnum secundum Apostolum, etsi non habet vicarium, dum scilicet mortuus est corporaliter & ciuiliter: vel quia non est probabiliter expectandum, quod vnquam sibi vel successoribus suis obedientia præstetur à Christianis: tunc ecclesia tam diuino quam naturali iure, cui nullum obuiat ius positiuum rite intellectum, potest ad procurandum sibi vicarium vnum & certum, semet congregare ad concilium generale repræsentans eam: & hoc non solum authoritate dominorum Cardinalium, sed etiam adiutorio & auxilio cuiuscunque principis vel alterius Christiani. Non enim habet corpus ecclesiæ mysticum à Christo perfectissime stabilitum minus ius & robur ad procurationem suæ vnionis, quam corpus aliud ciuile, mysticum vel naturale verum, neque enim est de immediato ac immutabili iure diuino vel naturali, quod ecclesia se non possit congregare & vnire & sine Papa aut sine aliquo particulari statu vel collegio, vbi in casu cadere potest mors vel error.

Tertia Consideratio contra secundam allegationem.

Vnitas ecclesiæ ad vnum certum vicarium Christi, qui quodammodo accidentalis atque mutabilis est, non debet impediri minime vel differri propter contentionem duorum de Papatu, aut fautorum suorum, si quærant sic manere per allegationes iurium positiuorum: & iustificationes varias, & conquestiones quod sunt spoliati: & quod debent ante omnia restitui, vel aliunde. Sed videtur

tur expediens, quod ea quæ retro sunt obliuiscentes isti de concilio, in anteriora sicut Apostolus loquitur, se extendant: vt iuxta narrationem ab Augustino commemoratam, plus quæratur quomodo liberabitur ecclesia ab hac schismatis fouea profundissima, quam qualiter & à quibus in eam est prolapsa.

Quarta Consideratio contra sextam allegationem.

Vnitas ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium sic amanda est, vt pro sua adeptione possint rationabiliter plurima mala singularium personarum dimitti, nunc vel in posterũ sine pœna. Et quędẽ vera singularia iura possunt differri: sic quod fiat cessatio volũtaria de eis, vel etiam coacta per auctoritatem concilii. Hoc nimirum dictat naturæ lex, vt pars quælibet pro suo toto saluando se det & exponat. Quia si quis contendentium iustificare se seu iniuste secum agi contenderit, dicatur ei: tu te tuaque omnia debes ecclesiæ: tu qui pastorem te nominas, quantumcunque sis innocens, debes pro ea vel saluanda, vel vnienda, vel non grauiter scandalizanda paratus esse ponere vitam propriam: quanto magis quamlibet dignitatem quærendo quæ sunt Iesu Christi: & hoc non secundum dictamen proprium vel carnale, sed publicum & incorruptum spirituale, prout concilium, quod vtique sapiens est, iudicabit. Neque prorsus hoc agendo deseres gregem: sed pasces, vnies & manere diceberis.

Quinta Consideratio.

Vnitas ecclesiæ ad vnum Christi vicarium non habet necesse, quod nunc procuretur seruando terminos literales, aut ceremoniales iurium positiuorũ, aut processuum ordinariorum, in euocationibus, accusationibus, dilationibus aut similibus: sed summarie & de bona grossaque æquitate potest procedere concilium istud generale. In quo residebit sufficiens authoritas iudicialis vtendi ἐπιεικείᾳ, id est, interpretãdi omnia iura positiua, & ad finem celeriorem & salubriorem habendæ vnionis eadem adaptandi, aut si opus fuerit relinquendi. Quod enim pro ecclesiastica pace & salute institutum est, si rite & non tyrannica malignitate fuerit institutum, non debet contra eam militare, ne potestas data videatur constitutionibus humanis in destructionem ecclesiæ, non in eius ædificationem. Authoritas vero doctrinaliter vtendi ἐπιεικείᾳ, residet principaliter apud peritos in Theologia, quæ est architectoria respectu aliarum. Et consequenter apud peritos in scientia iuris canonici & ciuilis, prout ex principiis iuris diuini & naturalis habeant accipere fundamenta.

Sexta Consideratio contra quartam allegationem.

Vnitas ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium, videtur per concilium nunc celebrandum sic procuranda: quod primo detur securitas tam per principes quam per alios quoscunque pro duobus contendentibus, si voluerint comparere procedendo ad implendum iuramenta sua atque vota. Quod si noluerint confidere, quæratur ab eis cessio per procuratores legitimos. Quod si vtrumque contempserint, procedatur contemptis ambobus contendentibus ad electionem vnius per communem assensum totius concilii roborantis & approbantis illud, quod duo de collegio dominorum Cardinalium aut eorum pars maior & sanior constituerint aut fecerint. Quod si voluerint aliqui pertinaciter adhærere alteri contendentium: nec insequi sententiam concilii, quod non est leuiter præsumendum, viderint ipsi de salute sua: quia concilium istud & sequaces eius se apud Deum & homines à schismatis imputatione liberauerit.

Septima Consideratio contra tertiam allegationem.

Vnitas ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium sic priuilegiata & sancta est: vt eam syncero zelo quærentes, nullo modo debent reputari à contendentibus sui aduersarii, sed amicissimi in Christo, dum cessionem ipsorum voluntariam quærunt: vel eis nolentibus cedere petunt deiectionem, quatenus vt spiritus eorum saluus fiat, nec ecclesia diutius perturbetur. Agunt quippe tam rem ipsorum contendentium, quam id quod quilibet Christianus agere debet. Imo iussionem Dei habent in tam desperato & inueterato matris communis morbo. Hæc est radix inuiolanda & sufficiens piæ necessitatis & necessariæ pietatis: in qua Christianissimus rex Francorum, vere innocentissimus, nec quærens quæ sua sunt, nec quempiam odio habens, fundauit hactenus omnem agibilium varietatem laudabilem circa pacis reductionem, sicut litera sua patens indicat: cuius initium est post salutationem *Pax ecclesiastica*, &c. Præclaram itaque attulit excusationem Cicero *in Philippicis*, dum inconstans in amicitia Cæsaris & varius fuisse culparetur: cuius est hæc sententia, quia verba non habeo: Cæsarem, ait, nunquam dilexi nisi pro quanto diligere visus est rempublicam. Dum ergo mutauit amorem ad eandem rempublicam, factus tyrannus: ego consequenter aduersus eum amicitiam commutaui.

Consideratio octaua contra tertiam allegationem.

Vnitas ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium non debet impediri propter restitutionem obedientiarum ambobus contendentibus tanquam spoliati sint prius faciendam. Nam quod iniustus detentor vel prædo spoliatus sit restituendus, est magis ex institutione positiua & iudiciaria, non pure naturali vel diuina. Propterea tenet in solis casibus expressis, nec in

præiu-

præiudicium iuris diuini, & naturalis, & boni communis est aliquatenus obseruanda. Neque enim restitutio debet fieri (exempli gratia) hæreticis, neque schismaticis manifestis, neque furiosis, & ebriis in sui perniciem, neque intrusis in Papatum, neque petentibus vxorem non desponsabilem, aut affinem in gradu prohibito iure diuino, neque petenti beneficium quod tenere non potuit, alio iam existente legitimo possessore, neque postremo volenti rebus detentis abuti in contumeliā creatoris, aut in ecclesiæ perniciem, aut in hominis liberi seruitutem, aut contra castitatem alicuius & vitam: & si quæ sunt similia. Multas autem exceptiones huiusmodi contra contendentium quemlibet interuenire videre facile est.

Consideratio nona contra octauam allegationem.

Vnitas ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium videtur melius procuranda, si neque ante concilium, neque in concilio, neque postmodum quærantur fieri iustificationes vel iniustificationes eorum, quæ hincinde facta sunt: vt de intrusione huius vel illius in Papatum: de processibus primo fulminatis in alterutrum: de violatione iuramentorum & votorum: de subtractione aut neutralitate: vel libertatis ecclesiarum particularium reductione: de imputatione schismatum vel hæresum: de adhæsione reprobanda vel laudanda alterius partis obedientiæ: de sententiis excommunicationum aut aliarum pœnarum.

Cessent quippe talia, & iuxta rationes pro via cessionis & practicam eius alias pluries ostensam procedatur auferendo processus factos & iustificando vel ratificando aut etiam tollerando præterita, prout rerum qualitas patietur, aut plurima ad statum quo prius erant ante schisma præsens absque alia discussione reponendo: prouidendo rursus ambobus contendentibus de sufficienti securitate & statu post cessionem, si eam per se vel procuratores legitimos vltro facere etiam sero voluerint: quæ cessio eis per concilium pro purgatione omnium prius impositorum tanquam sufficiens reputetur valitura.

Consideratio decima contra septimam & quintam allegationem.

Vnitas ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium tanto zelo quærenda est, vt vix possit sobria esse, & non temeraria reputatio alicuius Christiani, quod sufficienter ad hoc dubiū peregerit: quanto minus hoc quispiam audere debet asserere iuramento: præsertim vbi hominum maxima multitudo reputat contrarium, hoc enim quid aliud est quam pertinaciter & incorrigibiliter talem in erratis persistere?

Rursus occurrere possunt casus multi, in quibus pro adeptione pacis publicæ aut iustæ defensionis, sicut vim vi repellendo, liceret à rite electo in Papam subtrahere obedientiam. Liceret in neutralitate manere: liceret ipsum corporaliter incarcerare: liceret ei administrationem omnem publicam interdicere: liceret per appellationem aut simile remedium sibi resistere, fieretque sic ei obedientia vera potius quam contradictio vel resistentia. Liceret præmissas sententias suas qualescunque non timere, nec timendas asserere, sed lacerare eas & in caput suum retorquere. Liceret præterea accusare eum de schismate vel hæresi, tam doctrinaliter in locis publicis per Theologos & sapientes, quam secrete in correctione fraterna: cum subiicitur tanquam peccator in foro pœnitentiæ & iuridice coram tota ecclesia: cui similiter subiectus est tanquam deuiabilis in deuiabili. Liceret concilium generale eo inuito celebrare. Liceret tandem ipsum ad cessionem compellare vel renitentem deiicere ab omni honore & gradu: imo & vita priuare.

Hæc omnia denique taliter licere possunt sub tali iure diuino & naturali: quod aduersus hanc veritatem nulla lex vel constitutio puri hominis cuiuscunque sine noua authorizatione Dei fieri debet, quin erroris intolerabilis damnanda sit. An vero prædicti casus in schismate præsenti concurrerint discutiendo nequaquam assumimus, cum distinctiones particularium casuum omitti debere magis æstimemus.

Consideratio vndecima contra octauam allegationem.

Vnitas ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium non requirit, vt errantes præsertim in dubio probabili circa obedientiam veri Papæ pœnitere non possint: nec esse in statu salutis, nisi expresse & absolute confiteantur erratum suum: cum sæpe in talibus pœnitentia vel absolutio conditionata sufficiat. Sed nec oportet omnes inculpare de schismate, qui in tanta iuris papalis dubietate consurgente ex factis dubiis & variis, certam vero Papæ non præstiterunt obedientiam. Sicut nempe verus Papa potuit in schismatis culpam labi, si pertinax fuerit in recusando eam, quæ pacem vniuersalem habebant reducere: & vt concilium generale, vel promptitudinem animi ad viam cessionis iuratæ & voti complementum. Sic excusari poterunt multi aduersantes ei, si fuerit hoc zelo vnionis habendæ: si fuerit ex dubio probabilis ignorantiæ: dum tamen paratos semper ecclesiam exhibuerint semetipsos, & obedire cognitæ veritati.

Consideratio duodecima.

Vnitas ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium sicut inchoanda impetrandaque est per orationes deuotas, & morum correctionem: sic in eius reformatione à summo vsque deorsum per omnem suorum membrorum principalium vel non principalium iuncturam, debet, cum facta fuerit,

rit, studium vehementissimum & continuũ adhiberi, ne iusto Dei iudicio deterius quid contingat si post concessam Dei misericordiam vnionis salutarem recidiuatio prior fiat. Qualia vero in ecclesiastica politia veniant reformanda, poterunt docere tam libri experientiæ, quam multiplices chartulæ iam super hoc editæ & relationes ecclesiasticorum in concilio fide dignæ. Deniq; si contigerit forsitan generale concilium retardari propter principum vel aliorum in diuersis patriis diuisiones vel aliunde, sic quod multi notabiles vel nequeant vel noluerint comparere: nec mittere sed differre: & domini Cardinales vtrobiq; sentiant probabili coniectura, quod tales multi & magni de vtraq; parte non obediunt suæ electioni: videretur expediens in hoc casu, quod ipsi Cardinales comparentes in concilio inuenirent saltem modum tollendi perpetuitatem in hoc schismate, prouidendo quod post decessum amborum contendentium: & si non citius pax haberetur, quia melius esset sero quam nunquam: & hoc iuxta modum, qui in alio concilio Franciæ fuit conclusus, vt per suos Ambasiatores quæreretur & prosequeretur apud ambos contendentes & sua collegia de non eligendo, scil. quempiam in casu mortis huius & illius, cum cæteris clausulis ad hoc opportunis.

PARS SECVNDA.

SEQVVNTVR QVATVOR CONSIDERATIONES, AD FVLCIMENTVM ET declarationem præmissorum.

CONSIDERATIO PRIMA.

VNitas ecclesiæ ligatur quadruplici lege: diuina scilicet vel euangelica, naturali, canonica & ciuili. Quarum duas extremas regulare necesse est per primas secundum ἐπιεικείαν, id est bonam æquitatem. Hoc itaque ex traditionibus earundem legum vltimarum conuincitur: quarum annotationes aliquas pro minus eruditis & literatis placet adducere.

Prima annotatio: Non debet reprehensibile iudicari: sed secundum varietatem temporum statuta quandoque variantur humana: præsertim cum vrgens necessitas vel euidens vtilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quæ in Veteri Testamento statuerat, nonnulla mutauit in Nouo. Hæc Innocentius Tertius in concilio generali: & habentur in decretali, *Non debet, de consanguinitate & affinitate, in antiquis.*

Secunda annotatio: Quoniam nulla iuris sanctio quantumcunque perpenso digesta concilio ad humanę naturę varietatem & machinationes eius inopinabiles sufficit: nec ad decisionẽ lucidum suæ nodosæ ambiguitatis attingit: eo præsertim, quod nihil adeo certum clarumque statuitur, quin ex causis emergentibus, quibus iura iam prædicta mederi non possunt, in dubium reuocetur, &c. Hæc Ioan. XXII. *in proœmio Clementi.*

Tertia annotatio: Non possunt omnes casus seu iuris articuli legibus comprehendi: sed cum aliquo casu sententia legum manifesta est, is qui iurisdictioni præest ad similia procedere, atque ius ita dicere debet. Hæc habentur *in l. non possunt. ff. de legibus.*

Quarta annotatio: Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem, hoc habetur in regula iuris *Certum, in 6.* Contra facit qui id facit quod lex prohibet. In fraudem legis facit, qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit. Hæc habentur in *l. contra legem ff. de legibus.*

Quinta annotatio: Nulla iuris ratio aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos interpretatione duriore contra ipsorum commoda perducamus ad seueritatem. Hæc habentur in *l. nulla ff. de legibus.* Cum quo concordat regula iuris canonici in 6. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum.* Item

—— *Ipsa leges cupiunt, vt iure regantur.*

Item ait Scipio Nasica: *Consul dum iuris ordinem sequitur; id agit vt cum legibus suis Romanum corruat imperium.* Ideo iuris ordo est in casu, vt scilicet iuris ordo non seruetur.

CONSIDERATIO II.

Vnitas ecclesiæ ad vnum certum Christi vicarium nequit modo procurari commode sine recursu ad ἐπιεικείαν, seu bonam æquitatem: quæ interpretatur literam iurium positiuorum secundum intentionem legislatorum radicatam in legibus æternis ac immutabilibus diuinæ legis, per quam legum conditores iusta decernunt, atque secundum dictamen legis naturalis. Hic autem processus antonomatice & summe iudicandus erit iuridicus, si innitetur legibus & iuribus & canonibus, proprie & vero nomine sic vocandus.

Veritas considerationis legitur clarissime in libro experientiæ per prudentes & circumspectos, nec proteruos, nec male affectatos: dum considerant materiam præsentis schismatis cum circum-

ſtantiis omnibus, quales nunquam viſæ ſunt concurriſſe in aliquo caſu lege poſitiua memorato.

Quid igitur mirandum, ſi non habetur in eiſdem traditionibus poſitiuis modus ad remediandum expreſſus? quemadmodum multi vigebant morbi prius quam leges nunc conditæ latæ eſſent, quibus non erat expreſſe prouiſum: & cum leges huiuſmodi factæ ſunt, conſtat quod non poterunt infinitati caſuum poſſibilium prouidere. Sunt autem ipſius iuris diuini & naturalis regulæ tales immobiles & æternæ, vt exempli gratia, Principia iuris diuini & naturalis: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Dedit Deus poteſtatem hominibus in ædificationem, non in deſtructionem eccleſiæ. Nihil poſſumus contra veritatem. Plenitudo legis atque finis eius eſt dilectio. Dilectio eſt cauſa vnionis atque pacis. Dilectio non quærit quæ ſua ſunt. Finis omnis poteſtatis & Hierarchiæ eccleſiaſticæ eſt dilectio, pax & vnio. Finis imponit neceſſitatem his, quæ ad finem ſunt*, id eſt ſecundum exigentiam finis cætera debent moderari. *Neceſſitas non habet legem. Felix neceſſitas quæ ad meliora compellit. Bonus paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis vniendis & ſaluandis. Inimici hominis domeſtici eius*, id eſt carnales ſenſus. *Spiritualis homo omnia diiudicat. Medium virtutis accipiendum eſt, vt ſapiens iudicabit. Vim vi licet repellere. Fas eſt vnicuique ſe tueri & rem ſuam defendere contra vim iniuſtam. Qui ſuo iure vtitur, nemini facit iniuriam. Deteriora ſunt animarum quam corporalium vel rerum exteriorum detrimenta. Depoſitum non eſt reddendum in depoſitarii vel reipublicæ detrimentum. Salubrius panis aut veſtis aut gladius abuſiuis ſubtrahitur, quam donatur.* Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo: *diliges*, inquit, *proximum tuum ſicut teipſum. Quod pro charitate inſtitutum eſt, contra charitatem militare non debet. Si pes tuus aut manus* (& ita de capite) *ſcandalizat te, proiice abs te. Qui eccleſiam non audierit, ſit ſicut ethnicus & publicanus. Tolleranda ſunt zizania, ne ſimul eradicetur & triticum. Communis error facit ius. Non periurabis. Reddes altiſſimo vota tua. Omne iuramentum & votum quod ſine detrimento ſalutis poteſt cuſtodiri, ſeruandum eſt. Cuius eſt condere vel doctrinaliter vel iudicialiter, eius eſt ſimiliter interpretari. Intelligentia dictorum ex cauſis aſſumenda eſt dicendi:* & ſimilia multa.

CONSIDERATIO III.

Vnitas eccleſiæ ad vnum certum Chriſti vicarium dum procuratur per ἐπιεικείαν ſeu bonam æquitatem non exigit in ſic equitatis amantibus ſeu legum poſitiuarum interpretibus, quod habeant euidentiam mathematicam ſeu demonſtratiuam, ſed ſatis eſt ſi certitudinem moralem ſeu ciuilem & politicam attulerint.

Conſiderat quippe bonus ἐπιεικείας circumſtantias omnes particulares: quales non potuit legislator præuidere nec exprimere: quibus attentis aſpicit finem, qui ſequeretur ſi rigorem literalis expreſſionis obſeruaret: qui dum videt ex hac obſeruatione læſuram fore ex legibus diuinis vel æternis, contra intentionem debitam legiſlatorum dictat vel doctrinaliter vel authoritatiue: quod lex ſcripta ſic vel ſic, applicanda eſt ſeu defenda: ſecundum imaginationem Philoſophi de regula Leſbia, quæ erat plumbea, & non ferrea, id eſt flexibilis, non immutabilis.

Conſtat autem, quod de circumſtantiis moralibus non poteſt haberi certitudo, niſi moralis ſecundum Philoſophi ſententiam *in Ethic.* Exempli gratia: Tyrannus perſequitur rempublicam cautelis doloſis, ſicut lupus rapax: nihilominus ipſe teget ſe veſtimentis ouium, quæ ſunt tam verba quam facta apparenter ſanctiſſima, in quibus eſt frequenter æquiuocatio vel hypocriſis. Ago, inquiet, iſta pro republica: ago pro ſalute populi, pro quibus paratus ſum etiam mori: nec dicentibus oppoſitum quomodolibet fides detur. Ita mentietur tyrannus, & multos ex ſimplicibus ſeducet. Prudentes vera & iudices, quorum eſt ἐπιεικεία, vti legentur in operibus ſuis oppoſitum ſecundum artem Chriſti: *Ex operibus eorum cognoſcetis eos.* Vult dicere conſideratio, quod prudentibus ipſis credendum eſt, etiam ſi neſciuerint rationes euidentes & incalumniabiles adducere: alioquin periret confeſtim omnis politia. Denique aptæ ſunt hoc loco parabolicæ narrationes de lupo & oue, quam lupus diuerſis fraudibus nunc oſtendendo ſimilitudinem & amicitiam, nunc falſam imponendo calumniam, quærebat fallere vt voraret. Propter quod monuit Chriſtus: *Attendite à falſis prophetis.*

CONSIDERATIO IV.

Vnitas eccleſiæ ad vnum certum Chriſti vicarium nunc per concilium Piſanum Domino concedente procuranda debet ſolidius inniti ſententiis & deliberationibus huiuſmodi concilii & ſapientum in eo venturorum, etiam ſi non offerant rationes euidentes, quam allegationibus vel aſſertionibus vel excuſationibus aut iuſtificationibus vel contendentium de Papatu vel fautorum ſuorum.

Deducitur faciliter conſideratio ex hoc, quod medium virtutis accipiendū eſt, vt ſapiens iudicabit: & vt

vt ſpiritualis qui omnia diiudicat dicet, non vt carnalis homo, qui non ſapit quæ Dei ſunt, ſibi fingit. Quis enim dubitauerit, quando plures cauſæ concurrere habeant pro omnibus de concilio, vt eis fides detur, qui laborant ad vnionem dandam, quam pro aliis contendentibus ad ſuam præſidentiam talem qualem occupandam. Amor quippe nimius & carnalis ad ſeipſum & ad ſuos nonne fallere ſolet, & in errores impios traducere etiam vſq; ad imitationem Luciferi, vt adorari velint ſicut dii: neq; reputent ſe ſubditos eſſe cuiquam, ſicut filii Belial ſine iugo: nec ſibi poſſe dici: *cur ita facis?* qui nec Deum timent, nec hominem reuerentur: cum tamen humiliores eſſe debeant, & ad ſeruiendũ promptiores ex prælationis munere quanto ſe obligatiores eſſe conſpiciunt in reddenda ratione. Poſtremo tamẽ hoc ſummopere cauẽdum eſt iudicibus, ne vſus ἐπιεικείας paſſim & abſq; manifeſta ratione fiat, tranſmutando legem ſcriptam: alioquin tolleretur protinus à legibus ſua ſtabilitas: quibus nutantibus totam reipublicæ diſciplinam innitentem eis collabi, & ex conſequenti rempublicam corruere vel conturbari neceſſe eſt. Inde contigit apud Romanos iſta ſeueritas etiam in nece propriorum filiorum, ne labefacerent optimam reipublicæ diſciplinam.

Quatuor conſiderationes quæ ad robur prædictorum faciunt, reperiuntur poſtea in oratione: Apparuit gratia.

TRACTATVS EIVSDEM, DE STATIBVS ECCLESIASTICIS.

PAX quam omnes obſeruare conuenit cum omnibus, tamen maxime circa miniſterium religionis Chriſtianæ, nunquam ſolicitius ſubſiſtit, quam ſi veritate & iuſtitia tanquam ſororibus fulciatur. Nam ſi non in vera iuſtitia & iuſta veritate reddatur vnicuique quod ſuum eſt, nonne ſchiſma protinus irrumpens pacem exturbabit? Audiamus idcirco ſub breuium conſiderationum numero quid ſtatus ſummorum Pontificum, quid prælatorum, quid curatorum, quid mendicantium poſſit quilibet de ſuo miniſterio veraciter offerre: ne tranſgreſſio finium propriorum ſeu dilatatio nimia ſeparet iuſtitiam ab oſculo felici pacis: proinde lites fœdas, vt aſſolet, introducat.

PARS PRIMA.

SEX CONSIDERATIONES SVPER STATV SVMMI PONTIFICIS.

CONSIDERATIO I.

STATVS Papalis inſtitutus eſt à Chriſto ſupernaturaliter & immediate tanquam primatum habens monarchicum & regalem in eccleſiaſtica Hierarchia: ſecundum quem ſtatum vnicum & ſupremum eccleſia militans dicitur vna ſub Chriſto: quem ſtatum quiſquis impugnare vel diminuere, vel alicui eccleſiaſtico ſtatui particulari coæquare præſumit: ſi hoc pertinaciter faciat, hæreticus eſt, ſchiſmaticus, impius atq; ſacrilegus. Cadit enim in hæreſim totiens expreſſe damnatam à principio naſcentis eccleſiæ vſque hodie: tam per inſtitutionem Chriſti de principatu Petri ſuper alios Apoſtolos, quam per traditionem totius eccleſiæ in ſacris eloquiis ſuis & generalibus conciliis.

CONSIDERATIO II.

Status Papalis licet non omnino vacet ſeu deficiat per mortem Papæ naturalem vel ciuilem, nec per conſequens eccleſia deſinit eſſe vna: nihilominus eniti debent Chriſtiani ſub pœna ſchiſmatis, quod in hoc ſtatu conſtituatur & præſideat aſſidue vnicus & certus ſummus Pontifex, quantum fieri poteſt pro loco & tempore: ſic quod non eſt licitum ſcienter impedire, quod minus ſit vnus talis ſupremus Pontifex in eccleſia, in quo ſit eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudo: & quod non ſint plures in quo tanquam eccleſiaſticum regimen deſinere poſſet eſſe monarchicum, & in aliam politiæ ſpeciem, vt in ariſtocraticam aut timocraticam verteretur: quamuis Papatus has politiarum ſpecies non excludat, ſed aſſumat: quemadmodum de ſacro dominorum Cardinalium collegio & de generali concilio videre eſt.

CONSIDERATIO III.

Status Papalis non eximit Papam à legibus pure diuinis, quæ vel in euangeliis vel generalibus conciliis poſitæ ſunt. Et ex hoc conſequenter patet, quod Papa ſubiicitur legi illi de correctione fraterna: *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. ſic quod poteſt fraternaliter corripi dum peccat. Et ſi tandem nollet audire eccleſiam, quam generale concilium repræſentat, debet haberi ſicut ethnicus & publicanus. Et ita poteſt hoc modo per concilium vel iudicari vel coerceri, vel pro excõmunicato haberi.

CONSIDERATIO IV.

Status Papalis non eximit Papam à iuribus, quæ ſunt pure de dictamine naturali: quemadmodum ſunt principia iuris naturalis. Propterea cum lex naturalis dicat, quod bonum commune tanquam aliquid diuinum præferendum eſt particulari bono: deducitur ex hoc, quod ad bonum totius eccleſiæ, quam concilium generale repræſentat: reducendum eſt bonum perſonale Papæ, ſic quod in præiudicium boni communis particulare bonum Papæ ſeu commodum vel ſtatus, retentio vel dilatatio præualere non debet: cum ſecundum exigentiam finis cætera debeant moderari: finis autem Papatus eſt vtilitas eccleſiæ.

CONSIDERATIO V.

Status Papalis quamuis eximat Papam à legibus pure poſitiuis, canonicis vel ciuilibus, ſic quod ſecundum eas coerceri punitiue non poteſt, vt præciſe tales ſunt: nihilominus Papa non debet aut poteſt leges poſitiuas, præſertim per concilium generale, ad quod ſufficienter ſpectat diſcernere vel dictare, ſi Papa palam conuertat poteſtatem ſuam in deſtructionem eccleſiæ, non in ædificationem.

CONSIDERATIO VI.

Status Papalis obligat Papam tanto amplius, quanto maior eſt in eccleſia, ſubiicere ſe legibus diuinis, naturalibus & canonicis ad vtilitatem eccleſiæ. Propterea cum magis videant oculi quam oculus, videtur quod non ſine grandi diſcrimine ſalutis Papa poſſit deliberationes vel inſtituta generalium conciliorum contemnere: vt non ſecundum communem, ſed propriam deliberationem contendat in eccleſiaſtico regimine præſidere. Propterea bene dictum eſt, quod Papa non poteſt generalem ſtatum eccleſiæ immutare vel tollere.

PARS SECVNDA.

SEX CONSIDERATIONES DE STATV SVMMI PONTIFICIS, ET DOMINORVM ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium.

CONSIDERATIO I.



STatus ſummi Pontificis ac ſacri collegii dominorum Cardinalium ſibi collateralium eſt in eccleſiaſtica Hierarchia ſubcœleſti, immediate à Chriſto: nec humana inſtitutione ſeu præſumptione poteſt deſtitui. Cui ſtatui qui pertinaciter derogat, cenſendus eſt iuxta ſacros canones hæreticus atque ſacrilegus.

CONSIDERATIO II.

Status prædictus dotandus eſt vel fouendus pro debita & honeſta ſuſtentatione temporalium, ſine quibus in hac vita miſera, ſpiritualia diu non ſubſiſtunt: quemadmodum alter ſtatus quicunq; eccleſiaſticus inferior ſeu ſubditus dotatus eſt, vel dotandus iuxta ſui qualitatem.

CONSIDERATIO III.

Status prædictus non ideo perdit iura ſibi conuenientia, quæ poſuit propoſitio duplex præcedens: ſi forte fuerint abuſus aliqui perſonales, olim vel nunc inuenti. Alioquin ſic argueretur aduerſus omnem ſtatum, nedum eccleſiaſticum, ſed temporalem: quod diſſipandus eſt, deſerendus & perdendus: quoniam in multis offendimus omnes.

CONSIDERATIO IV.

Status prædictus potuit & poteſt in ſubuentionibus temporalis & honeſtæ ſuſtentationis præſcribere de certo modo, vel quota ſubuentionis: ſicut prælati vel curati inferiores reſpectu ſubuentionis factæ per ſubditos in oblationibus, decimis & ſimilibus: etiam vbi ſtatus prædictus aliunde dotatus eſſet ex patrimonialibus bonis vel aliis, quemadmodum in prælatis dicimus & curatis.

CONSIDERATIO V.

Status prædictus dum recipit & quærit ſubuentiones conſuetas, in oblationibus, decimis, vel annatis & ſimilibus, non debet eo ipſo de ſimoniaca prauitate notari: niſi forte vitium aliud in executionis modo concurrerit: quod vitium corrigi debet, non obinde ſtatus minui, deſtrui, culpari, vel iuribus aliunde debitis defraudari. Sicut ab infirmo morbus tollendus eſt, non ſubiectum vel corpus deſtruendum. Oppoſitum vero pertinaciter imponens, notando generaliter de Simoniaca prauitate totum ſtatum iſtum, temerarius eſſet, nec ferendus.

CONSIDERATIO VI.

Status prædictus poteſt & debet rationabiliter reſiſtere p viam appellationis, aut alias, ſi aduerſus prædi-

prædicta voluerit aliquis de facto procedere: præsertim dum personæ de illo statu subiiciunt se: & statum suum debitæ regulationi sanctæ matris ecclesiæ, si forsan aliqua fuerunt in eis reformanda, & hoc agendo, nedum non scandalizant actiue vel peccant, sed merentur tanquam defensores iurium, non solum suorum personalium, vel ecclesiæ particularis Romanæ, sed vniuersalis ecclesiæ & ad vtilitatem honestatemque totius reipublicæ Christiana, quæ consistit in suo decore membrorum maxime principalium.

PARS TERTIA.

DE STATV PRÆLATORVM.

CONSIDERATIO I.



STATVS prælationis episcopalis in ecclesia sic est de primaria & immediata ac supernaturali institutione Christi, quod naturali vel humana solum authoritate non potuit institui: sicut potuit status dominationis temporalis regiæ vel imperialis humanitus & naturaliter ordinari.

CONSIDERATIO II.

Status prælationis episcopalis in ecclesia quo ad sui collationem primariam fuit immediate à Christo datus primis Apostolis, sicut status papalis Petro: licet postmodum talis collatio vel acquisitio fieri potuerit & facta sit in successoribus per homines: sicut Matthias factus est Apostolus per electionem vel sortem: & successores etiam Petri fiunt nunc per humanam electionem dominorum Cardinalium: qui modus potuit & potest variari, vt infra ponetur.

CONSIDERATIO III.

Status prælationis episcopalis habuit in Apostolis & in successoribus vsum vel exercitium suæ potestatis sub Papa Petro, & successoribus eius tanquam sub habente vel habentibus plenitudinem fontalem episcopalis authoritatis. Vnde & quo ad talia minores prælati, sc. curati, subsunt episcopis, & quibus vsus suæ potestatis quandoque limitatur vel arcetur: & sic à Papa posse fieri circa prælatos maiores ex certis & rationabilibus causis non est ambigendum.

CONSIDERATIO IV.

Status episcopalis non ita subest statui Papali, quod illum possit Papa annullare: sicut nec status Papalis posset humanitus destitui. Nihilominus idem status episcopalis quo ad acquisitionem isti personæ & quo ad exercitium, subest rationabili Papæ voluntati ad vtilitatem ecclesiæ, vt dictum est. Hęc autem rationabilitas videtur attendenda seu regulanda maxime per determinationes conciliorum generalium, præsertim iam factas de consensu & authoritate summorum Pontificum.

CONSIDERATIO V.

Status episcopalis quo ad sui acquisitionem isti personæ & quo ad exercitium, non ita subest meræ voluntati Papæ, quod pro libito possit sine iniuria & peccato circa huiusmodi acquisitionem & destitutionem, ampliationem & restrictionem operari: quoniam *data est ei potestas*, dicente Apostolo, *non ad destructionem, sed ad ædificationem.*

CONSIDERATIO VI.

Status episcopalis habet ex se & Christi institutione primaria potestatem conficiendi corpus Christi & ministrandi sacramenta ecclesiastica omnia: ius insuper prædicandi: ius stipendia temporalia sumendi: ius excommunicandi: ius prælatos minores, sc. curatos, instituendi: ius ecclesias consecrandi: ius beneficium ecclesiasticum vel stipendium temporale conferendi, vel facere conferri ministrantibus sub se spiritualia: ius indulgentias dandi. Et ita de reliquis multis, quæ summo Pontifici competunt, vt in fonte.

CONSIDERATIO VII.

Satus episcopalis quo ad sui vsum vel exercitium non ita subest puræ voluntati Papæ, sicut status priuilegiatorum Mendicantium vel aliorum, quibus essentiali ordine & Hierarchico statu prædicta iura episcopalia nō competunt. Potest idcirco Papa sub talibus priuilegiis & priuilegiatis absq; iniquria vel peccato immutationes operari restringēdo vel tollēdo: nō sic passim in prælatis vel curatis.

CONSIDERATIO VIII.

Status episcopalis licet esse possit in aliquo sine plebe & sine vsu vel exercitio hoc fieri non conuenit: quia vanum & monstruosum in ecclesia videretur: quoniam frustra est potestas, cui non subest operatio.

CONSIDERATIO IX.

Status episcopalis si nimis artetur in suis iuribus essentialibus quo ad restrictionem vsus vel exercitii passim communiter per Papam absq; vtilitate maiori ecclesiæ: siue hoc esset in exemptionibus subditorum ab eo, siue in reseruatione casuum in foro pœnitentiæ: seu in restrictione stipendiorum

 tempora-

temporalium: seu in reseruatione beneficiorum ecclesiasticorum sub eo: seu per inductionem onerosam priuilegiatorum: aut modis similibus. Ille inquam status episcopalis posset rationabiliter deferre querelam, nedum ad Papam & generale concilium, quod est conuenientissimum medium: sed ad principes orthodoxos implorando iuuamen opportunum.

CONSIDERATIO X.

Satus episcopalis sicut non acquiritur in aliquo per solum titulum fidei, vel charitatis, ita non deperditur per solam hæresim, vel peccatum mortale, non interueniente humana institutione, vel diuina reuelatione: alioquin status ecclesiæ Hierarchicus prorsus esset incertus, cum suo vsu vel exercitio: quod non est conueniens dicere de politia à supremo legislatore constituta.

CONSIDERATIO XI.

Status episcopalis sicut potest diuersis temporibus & institutionibus modis variis acquiri & similiter auferri: sic & status Papalis in casu per ordinationes Papales, aut per concilium generale, sicut & factum est, aliquando potest immutari.

CONSIDERATIO XII.

Status episcopalis potest ab aliquo propter suam malitiam auferri, licet reniteretur occupans: sic & status Papalis, vt videtur in casu, præsertim per concilium generale possit auferri: cum status Papalis datus sit ecclesiasticæ communitati: quæ in hoc habet quid diuinum tanquam commune bonum, ad quod Papalis authoritas conseruandum fuit instituta.

CONSIDERATIO XIII.

Status episcopalis habet rationabiliter monarcham supremum, scilicet Papam ratione vnitatis fidei & sacramentorum, sed hoc non ita perspicuum est esse debere ex institutione Christi: & pro vtilitate vniuersalis ecclesiæ respectu dispensationis bonorum temporalium, & iurisdictionum contentiosarum seu coerciuarum: quæ diuersis legibus seu decretalibus, aut statutis pro diuersitate locorum & temporum regi debent: sicut & alia mere temporalia, regalia, & imperialia. Hinc bene dictum est quod *qualibet prouincia in sensu suo abundat*.

CONSIDERATIO XIV.

Status prælationis si fiat limitatio sui vsus in beneficiis conferendis, vel in exemptionibus: non debet rationabiliter conqueri, dum hoc manifeste fit propter studium literarum, præsertim sacræ doctrinæ, quod per talia promouetur: & dum hoc potenter fit ad reprimendos abusus notorie prouenientes: siue hoc sit ex importunitate dominorum temporalium, vel ex propria pusillanimitate, vel alia quauis corrupta affectione.

Sed in hoc capere medium conueniens non aliter videtur posse determinari, quam iuxta Aristotel. sententiam, scilicet vt sapiens iudicabit. Nihil autem videtur in hoc sapientius, quam generale concilium rite & libere celebratum.

PARS QVARTA.

DE STATV CVRATORVM.

CONSIDERATIO I.



STatus curatorum succedit statui 72. discipulorum Christi, quo ad legem nouam: & figuratus est in antiqua lege per Leuitas: ac proinde status curatorum est de institutione Christi & Apostolorum suorum à principio fundationis ecclesiæ: quę institutio per declarationes summorum Pontificum & synodorum tam generalium quam specialium magis ac magis innotuit.

CONSIDERATIO II.

Status curatorum est de essentiali ac intrinseca ecclesiæ Hierarchia, sicut status prælatorum: quamuis inferior sit, & pro sua perfectione variabilior. Qua ratione curati simplices non æque proprie dicuntur sponsi, sicut episcopi: liberiusque permittuntur cedere vel renunciare curis suis.

CONSIDERATIO III.

Status curatorum institutus est ad regimen animarum dirigendarum in finem vltimum per communionem sacramentorum & peccatorum remissionem, & promotionem ad virtutes.

CONSIDERATIO IV.

Status curatorum annexam habet obligationem docendi & publicandi verbum Dei suis parochianis: saltem quodam generali tenore legis euangelicæ quo ad credenda & agenda secundum statum

statum suæ simplicitatis: sicut maioribus prælatis conuenit ex obligatione scientiæ reddere rationem particularius de ea, quæ in eis est, fide & spe: apud omnes tam qui deforis sunt, quam qui intus, fideles scilicet & infideles, hæc enim obligatio consequitur ad obligationem priorem, quæ est de spirituali regimine subditorum.

CONSIDERATIO V.

Status curatorum est status perfectionis, non solum acquirendæ, sed etiam exercendæ: cum sibi competat tam obligatio quam autoritas reducendi animas ad Deum, secundum hierarchicos actus, qui purgare, illuminare, perficere nominantur.

CONSIDERATIO VI.

Status curatorum superior est hierarchicæ ecclesiæ ad statum simplicium religiosorum: sicut diuinus Dionys. & Hieron. in præcedentis considerationis determinant ratione.

CONSIDERATIO VII.

Status curatorum ecclesias parochiales sibi deputatas habet in tali libertate, quod nulli alteri sacerdoti fas est ipsis inuitis aut sine eorum licentia prædicare in eadem: præsertim dum prædicare voluerint ipsi: sed nec confessiones illic audire, nec sacramenta ministrare: salua semper autoritate vel rationabili ordinatione superiorum prælatorum.

CONSIDERATIO VIII.

Status curatorum habet ius & titulum recipiendi decimas & oblationes & funeralia: aut alia emolumenta loco illorum pro sustentatione sufficienti status sui. Et hoc fit tam de iure diuino quam naturali præsupposito dominio. Determinatio autem huius vel illius quotæ, vel commutatio in aliam subuentionem, habet fieri solo iure positiuo.

CONSIDERATIO IX.

Status curatorum sicut habet de sibi subditis ouibus cogitare in ministratione sacramentorum, vt sancte suscipiantur: sic decet maxime vt quilibet parochianus se prius ostendat suo curato generaliter vel specialiter in foro conscientiæ, quam eadem sacramenta suscipiat. Potest insuper edictum generale vel speciale suis parochianis super hoc per curatos, ne aliter se ingerant, promulgari.

CONSIDERATIO X.

Status curatorum securius & iustius eligitur quantum est de se & cæteris paribus, pro confessione sacramentali facienda à parochianis quam alius status: præsertim qui non est superior secundum institutionem ecclesiæ hierarchicam: patet quia mutua & correlatiua est obligatio parochianorum ad curatos: vnde vicissim magis obligantur. Collusiones præterea hinc inde possibiles fieri magis ex hoc euitantur. Denique remedia spiritualia celerius & consultius in casibus multis exhibentur. Potest nihilominus apud priuilegiatos quandoque ratio potior inueniri.

CONSIDERATIO XI.

Status curatorum sanctus & salubris non debet inculpari vel infamari per quoscunque, si in eo quandoque sint personæ minus idoneæ ad debitum regimen animarum; alioquin nullus esset status in ecclesia militante, qui culpari non deberet: sicut nullus absque macula quorundam de vllo statu visus est diu stare.

CONSIDERATIO XII.

Status curatorum potest sufficienter regere suos parochianos, si polleat bona charitate & simplici morum honestate, etiam vbi litteratura magna deesset. Propterea non leuiter se eis præponere debent alieni, quamuis inueniantur magis litterati.

CONSIDERATIO XIII.

Status curatorum potest cum facili studio habere ea & scire, quæ ad parochiam suam regendam sufficiunt, maiora maioribus prudenter remittendo. Hoc autem si agnoscere neglexerint, debet apud eos correctio episcopalis maxime vigil esse, vt astringantur seuerius tenorem habere in scriptis eorum, quæ scire debent in punctis regiminis, tam institutiones synodales positiuas, quam cæteras.

CONSIDERATIO XIV.

Status curatorum potest obuentiones ordinatas licenter exigere: veruntamen tali modo & tempore, quod simoniaca prauitas vel eius suspicio nequaquam incurratur: vt quod propter negationem temporalium, spiritualium interim ministratio non negetur, nec interueniat quæstuosa mercatio.

CONSIDERATIO XV.

Status curatorum debet cum bona gratia suscipere statum priuilegiatorum tanquam coadiutores missos habentes à superioribus licentiam prædicandi, & confessiones audiendi, si non appareat rationabilis causa aliquem talem repellendi: vtpote si detractor, si collusor, si corruptor, si quæstuosus, si seductor appareat. Aut parochianorum multi inde veniunt in contemptum curatorum. Aut si tunc curatus per seipsum id agere circa parochianos suos, quod agendum sit, satis potuerit: quia videretur præferendus, nisi legitima fieret exceptio contra eum.

CONSIDERATIO XVI.

Status curatorum vix potest à parochianis sine peccato sic contemni, quod eorum licentia neque in generali, neq; in speciali prius quæratur, dum alibi confiteri, aut missas vel sermones audire tempore diuini seruitii, diebus dominicis & festiuis voluerint. Quæ licentia si sine causa rationabili denegetur, sufficit excusare frequenter eos, qui alibi confitentur, licentia non obtenta, sed petita.

PARS QVINTA.

DECEM CONSIDERATIONES QVÆ PONVNTVR PRO STATV PRIVILEGIATORVM.

CONSIDERATIO PRIMA.



STatus priuilegiatorum ad Prædicandum, & confessiones audiendum, statutus est post primariam ecclesiæ institutionem, rationabiliter ordinatus ad subleuamen eorum, qui hierarchicos in ecclesia status habent: præsertim post talem & tantam in temporalibus ditationem, quæ secum attulit multam occupationem.

CONSIDERATIO II.

Status priuilegiatorum debet cum bona charitate licentia sua vti: Non ad quæstum, non ad æmulationem, non ad ambitionem, non denique in præiudicium temporale vel spirituale curatorum: sed in stando clam & palam apud parochianos, quatenus honorem debitum ac sustentationem suis reddant curatis: alioquin faciunt quod sibi fieri nollent, meritoque repelluntur hi, de quibus aliter constiterit, & excommunicationem à canone nonnunquam incurrunt.

CONSIDERATIO III.

Status priuilegiatorum & omnium generaliter religiosorum prohibetur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne sacramentum eucharistiæ ministrent & matrimonium solennizent.

CONSIDERATIO IV.

Status priuilegiatorum habet, quod in suis locis & publicis prædicare possunt: dum prælatus non prædicat, nec prædicationem instituit. Similiter hoc possunt in ecclesiis parochialibus de licentia curatorum.

CONSIDERATIO V.

Status priuilegiatorum hoc habet, vt idonei præsentati sufficienter per superiores suos ad prælatum diœcesanum valeant in locis suis confessiones audire diœcesanorum & eos absoluere cum tali potestate: & in casibus talibus quemadmodum curati parochiales ordinarie funguntur & non ampliori: nisi de speciali gratia prælati maior eis fuerit elargita potestas.

CONSIDERATIO VI.

Status priuilegiatorum habet hoc: vt quamuis sacramentum pœnitentiæ possit pluries super eadem peccata suum effectum sortiri, saltem quoad augmentum gratiæ: cum sit sacramentum iterabile: & licet meritorie eadem peccata pluribus confiteri: nec sit repugnantia, quin adhuc possit tempus obligari: nihilominus confessi priuilegiatis non tenentur inuiti eadem peccata amplius confiteri plus quam si suis curatis eadem confessi fuissent, quantum est ex parte efficaciæ sacramenti. Hoc per Ioannem 22. fuit declaratum: & vsus communis hoc obtinuit.

CONSIDERATIO VII.

Status priuilegiatorum hoc habet, vt à confessis sibi non debeant curati nouam extorquere confessionem de eisdem peccatis, præsertim si secreta sint: nec debent prohibere parochianos, cum talia

talia voluerint eis confiteri. Fas sit curatis, imo tutum inquirere à parochianis suis quando & qualiter, à quibus confessionem receperint. Quibus veritatem respondere si quis parochianus negauerit, vix in statu salutis esse credi posset. Ipsique in hoc casu petenti eucharistiæ sacramentum rationabiliter denegaretur, dicendo: nescio si confessus sis ab habente potestatem: & an in hoc te decipias, vel alter te.

CONSIDERATIO VIII.

Status priuilegiatorum hoc habet, dum de peccatis publicis absoluunt parochianos, vt ipsi debeant facere fidem de absolutione & absoluendi potestate: si super hoc à curatis parochialibus fuerint requisiti: sub pœna denegandi rationabiliter talibus, cum se dicunt absolutos, eucharistiæ sacramentum.

CONSIDERATIO IX.

Status priuilegiatorum hoc habet, vt non debeant inducere voto vel promisso alios ad eligendum sepulturam in ecclesiis & locis suis: Vel ad persistendum in iam electa ibidem: & hoc sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Debent præterea reddere quartam partem legatorum seu funeralium curato parochiali ipsius defuncti: quæ *pars canonica* nominatur.

CONSIDERATIO X.

Status priuilegiatorum ad prædicandum debet secundum qualitatem auditorum formare sermonem, ne coram laicis & subditis detegantur vitia clericorum atque Dominorum. Hoc enim esset non extirpare vitia, sed nutrire rebellionem, scilicet murmurationis & contemptus apud audientes. Fiat insuper prædicatio principaliter de punctis nostræ religionis in fide, spe & charitate cum cæteris virtutibus. Sed & præsertim confessiones mulierum & iuuenum non nisi locis patentibus & publicis audire: nec conuenticula in cameris & angulis agere præsummant, ab omni specie mala abstinentes se.

PARS SEXTA.

DE VTROQVE STATV SIMVL.

CONSIDERATIO I.

STatus vterque, curatorum scilicet & priuilegiatorum, inuigilet cognoscere casus reseruatos prælatis, ne seducantur & seducant, si transgrediantur limites suæ potestatis: quamuis expediret pauciores casus præsertim occultos reseruari, vt sunt peccata illa carnis, quæ frequentissime commissa vix confitentur: præsertim per mulieres & adolescentulos.

CONSIDERATIO II.

Status vterque studeat alter alterius onera portare sine contentione & æmulatione de rebus prædicatis vel aliis: ne si inuicem more cornicum se mordeant, consumantur. Ne præterea surgat fœda opinio ecclesiasticorum apud laicos: & vituperetur ministerium verbi Dei. Nonne Deus quæso abunde diues est pro omnibus? Nonne pacis est Deus, non diuisionis? Denique quid prodest Pharisaica contentio de status præeminentia, quin sanctius est dare operam, vt quis perfectus inueniatur, quam si iacens in imis de perfectione status glorietur. Attento præsertim, quod conciliorum ecclesiasticorum obseruatio non potest ita concludi sub regulis quibuscunque, quin necesse sit recurrere sæpissime ad glossam sapientissimi Augustini tractam ex operibus Christi: videlicet quod talia dantur in obseruanda animi præparatione, & non semper operis exhibitione. Quæ animi præparatio potest apud omnem statum & personam Christianæ religionis, si vult, inueniri.

TRA-

TRACTATVS EIVSDEM CANCELLARII PARISIENSIS DE MODO VIVENDI OMNIVM FIDELIUM.

CONSIDERATIO PRIMA.

Ad Nobiles.

Regula prima, quæ spectat ad nobiles, potentes & scabinos: ne pauperes videlicet per potentiam suam opprimant, & à subditis suis opprimi permittant. Malos vsus in villis suis destruant. Causas pauperum, viduarum & orphanorum libenter audiant: & cito iuste iudicent. Munera pro iudicio faciendo vel festinando aut retardando non accipiant. Nil à subditis suis extorqueant.

CONSIDERATIO II.

Ad Milites.

Regula ad Milites tangitur Lucæ 3. *Neminem concutiatis*, scilicet in persona per potentiam indebite. *Nemini calumniam faciatis* in rebus, quam per militiam facere possetis. *Et contenti estote stipendiis vestris*, id est, de redditibus vestris multis temporibus: accipiendo vero ad defendendam patriam 2. Macch. 15. *Accipe gladium sanctum munus* &c. Rom. 13. *Non sine causa gladium portat.*

CONSIDERATIO III.

Ad Simplices.

Regula simplicium quo ad ecclesiam: vt ieiuni ad missam veniant. In missa non loquantur nec circumspiciant. Ante missam orare debent, vt gratiam Dei recipiant. In missa memoriam passionis Christi habeant. Ante euangelium sancti Ioannis non exeant. Sermones libenter & diligenter audiant; & referre post missam gratias Deo satagant.

CONSIDERATIO IV.

Ad Episcopos & Prælatos.

Regula episcoporum & prælatorum satis patet ad Titum 1. *Oportet episcopum sine crimine esse sicut Dei dispensatorem.* Et Matth. 20. *Qui maior est vestrum, sit vester minister* 2. Corinth. 6. *Hortamur vos* &c. Est autem officium episcopi, malos corrigere & arguere bonos & pusillanimes pacificare. Quia, sicut Dominus Petro in persona cuiuslibet prælati ait: *Pasce oues meas* &c. 1. Thessal. 5. *Fratres corripite inquietos: consolamini pusillanimes*. De istis 2. ad Timo. 4. *Prædica verbum: insta opportune, importune: obsecra, argue, increpa in omni patientia & doctrina.* Et ad Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* &c.

CONSIDERATIO V.

Ad Clericos.

Regula clericorum est habere doctrinam sanam, vitam sanctam, famam odoriferam. Heb. 5. *Sacerdotes habent hostias pro delictis suis offerre.* Et Aug. in Regula sua: *Sit vobis cor vnum & anima vna in Domino.* Psal. *Sacerdotes tui induantur iustitia.* Col. 4. *Induite vos sicut electi Dei viscera misericordiæ & pietatis habentes.*

CONSIDERATIO VI.

Ad Religiosos.

Regula religiosorum est viuere in obedientia, castitate & paupertate. Et deuote orare & contemplari, & carnem mortificare contra vitia & concupiscentias. Vnde Augustinus in Regula monachorum: *In omnibus & super omnia ametur & honorificetur Deus.* Et Hugo de sancto Vict. de claustro animæ: *Summa religionis regula in hoc dependet vt prælati custodiant subditos suos: subditi prælatis benigne obediant: deuoti sint senes: iuuenes vero laboriosi. Sit honestas in habitu: mediocritas in victu. Sint in claustro assidui: & ad iniuriam rari. Non sint ciuiles, sed claustrales. Sint intenti Psalmis, non causis. Non sit rumor in claustro, sed dilectio. In capitulo non lites, sed confessio. In choro sit sacra simplicitas, & circa altare reuerentia honestas.*

CON-

CONSIDERATIO VII.

Ad Diuites.

Regula diuitum: ne aliquid iniustum acquirant: ne propter diuitias suas pauperes vicinos despiciant. Pauperes sustineant. Operariis suis bene & cito persoluant. Adulatores neque adulatrices in mensa recipiant. Diligenter & libenter ad concordiam vicinorum suorum laborent.

CONSIDERATIO VIII.

Ad Pauperes.

Regula pauperum: vt diuitibus libenter & fideliter seruiant: nec diuitibus propter diuitias suas inuideant, nec propter paupertatem adulatione vel detractione peccent. Nec impatienter, sed gratanter paupertatem sustineant: nec iniuste ditari cupiant: nec ecclesias propter diuites vitent. Nihil furti à familia suorum vicinorum, nec ab aliis retineant.

CONSIDERATIO IX.

Ad Virgines.

Regula virginum: Non sint loquaces, sed simplices corde & habitu. Ad virginitatem matris Christi cogitent, & eam diligant. Choreas vitent. Inter iuuenes non sedeant: nec se ab eis palpari permittant: non ament aliquem illicito amore. Adulatores neque adulatrices recipiant nec audiant. Orationes libenter dicant. Sordida verba & inhonesta fugiant.

CONSIDERATIO X.

Ad Viduas.

Regula viduarum est, vt continentiam diligant: & in vestibus humiliter se habeant: & orationibus libenter insistant. Homines suspectos in hospitio suo non recipiant. De consilio proborum se gubernent & viuant. Sanctam Annam & Elisabet viduas cogitent. Familiam castam habeant. Parum per vicos currant.

CONSIDERATIO XI.

Ad Nuptas.

Regula nuptarum est Thimo. honorare superiores: diligere maritum: regere familiam: diligenter gubernare domum, & seipsam honestam & irreprehensibilem ostendere siue exhibere.

CONSIDERATIO XII.

Ad Mulieres.

Regula mulierum est: quod non se indecenter ornatas ostendant. Aures, collum, guttur & caput tegant. Humiliter in ecclesia & vbique se habeant: nec alias mulieres per superbiam suam illuent.

CONSIDERATIO XIII.

Ad Maritos & Vxores.

Regula virorum ad mulieres & econuerso ponitur ad Ephes. 6. *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam suam. Vxor autem timeat virum suum*, 1. Pet. 3. *Viri cohabitantes secundum conscientiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.*

CONSIDERATIO XIV.

Parentum ad Filios.

Regula parentum ad filios, Ephes. 6. *Et vos patres nolite prouocare ad iracundiam filios vestros: sed educate eos in disciplina & correptione* 2. Corinth. 12. *Non debent filii thesaurizare parentibus: sed parentes filiis.*

CONSIDERATIO XV.

Filiorum ad parentes.

Regula filiorum ad parentes est: quod parentes honorent, & eis in bonis obediant: nec eis sua furentur. Ante eos non respondeant: à maledictionibus omnino sibi caueant. Cum parentibus aliquando ad ecclesiam vadant libenter: in negotiis parentum suorum fideliter laborent.

CONSIDERATIO XVI.

Dominorum ad seruos.

Regula Dominorum ad seruos Ephes. 6. *Vos Domini eadem facite illis remittentes minas & soluite: Domini quod iustum est & aequum seruis praestate: scientes quod vos Dominum in coelis habetis.* Eccl. 7. *Ne laedas seruum tuum in veritate operantem. Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate: neque inopem derelinquas illum.*

CON-

CONSIDERATIO XVII.

Seruorum ad Dominos.

Regula seruorum ad Dominos. Col. 3. *Serui obedite Dominis carnalibus: non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes: sed in simplicitate cordis timentes Deum: scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* 1. Pet. 2. *Serui subditi estote in omni timore Dominis vestris, non tantum bonis* &c.

CONSIDERATIO XVIII.

Ad Familiam.

Regula ad familiam: Ne fraudem Dominis suis in seruiendo, negligendo faciant: Fideles sint in rebus suis custodiendis. Nihil ab eis auferant occulte: nec alios facere permittant. Nuncium malum non faciant vxori vel filiis Domini sui. De male respondendo caueant. Malos rumores fugiant, vnde in domum malum oriri possit: sed discordias etiam reportare vitent. Missi cito reuertantur. Mercedem suam in superbia vestium non expendant. Ita viuant in humilitate vt labor eorum sit eis in remissionem peccatorum suorum.

CONSIDERATIO XIX.

Ad Mercatores.

Regula mercatorum est: vt non in die Dominica mercentur. Nec periurent. Ab illicito sibi caueant lucro: nec ad diem vendant vel charius propter dilationem. Vt debitum suum tempore promisso soluant. Nec scientes mentiantur. Æquam stateram habeant, æqua pondera & æquam mensuram.

CONSIDERATIO XX.

Ad Tabernatores.

Regula tabernatorum est: Ne permittant ludere ad taxillos in tabula sua, neq; in taberna sua. Deum blasphemare non permittant, nec meretrices recipiant de nocte. Plenam mensuram dent omnibus. Vinum cum aqua ad vendendum non misceant: nec aliqua pocula vel fercula aliquo modo ad vendendum defraudent.

CONSIDERATIO XXI.

Ad Hospites.

Regula ad hospites est: quod malos in hospitio suo non permittant vel scienter recipiant: nec hospitibus suis furentur auenam vel fœnum. Nec sustineant quod hospites scienter fornicentur in hospitio suo. Iustam, bonam, rationabilem computationem cum hospitibus suis faciant.

CONSIDERATIO XXII.

Ad Senes.

Regula ad senes est: In ecclesia libenter iaceant. Iuuentibus bonum exemplum præbeant. De maledicendo siue malefaciendo ipsos reprehendant. Turpia verba non habeant: nec laudent malitias coram iuuenibus. Mulierculas à bono non retrahant: nec iuuenes laudent in superbiis suis.

CONSIDERATIO XXIII.

Ad Omnes.

Regula ad omnes est, vt excommunicatos vitent. Non se inebrient. Pauperes pro posse suo sustineant. Sacerdotes & religiosos & ecclesiam vbique honorent. Et deuote ab eis doctrinam audiant. Festa bene custodiant. Decimas rite soluant. Detractionem caueant. Ab adulatione, à blasphemia, à mendacio, à periurio, ab assiduo iuramento, à turpibus verbis, & maxime à luxuriosis verbis se abstineant: quia circumstantes & audientes ab eis inflammantur. Præcepta ecclesiæ teneant: pœnitentias sibi iniunctas diligenter impleant. Alter alterum ad bonum opus inuitet, & de malo reprehendat. Dent libenter eleemosynas: quia sicut aqua extinguit ignem: ita eleemosyna extinguit peccatum. Missas, sermones & confessiones libenter colant & frequentent. Ablata restituant: quia *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum:* vt dicit Aug. in vespere, id est, in fine vitæ tormenta inferni & gaudia Paradisi cogitent.

Regula omnium ponitur Matth. 28. *Baptizantes omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti:* vt secundum illud Ioan. 1. *Omnes crederent per illum* 1. Pet. 3. *In fide autem omnes vnanimes.* In oratione estote compatientes: fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles: non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto: sed econtrario benedicentes &c. Ecclesi. vltim. *Deum time & mandata eius obserua.* hoc est omnis homo &c. vnde Gal. 6. Qui hanc regulam secuti fuerint, *pax super illos & misericordia.*

SER-

SERMO EIVSDEM DOCTORIS DE TRIBVLATIONIBVS EX DEFECTVOSO ECCLESIASTICORVM REGIMINE, ADHVC ECCLESIÆ PROuenturis: & de signis earundem, ex sententia pronunciatus de conceptione gloriosæ virginis Mariæ, in concilio Constantiensi.

Dominus dabit vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium. Esai. septim. recitatum &c.

Nunc quoad secundum, Reuerendi patres & Domini, restat ostendere quomodo signum omnipotentiæ & summæ clementiæ factum sit signum contradictionis & ruinæ. Contradixit enim Acham petere signum, quod per Prophetam, scil. Esaiam à Domino sibi erat præceptum: *Non petam*, inquit, *& non tentabo Dominum.* Hoc quidem addidit: *& non tentabo Dominum*: forma quidem pietatis, sed non virtutis. Colebat Acham idolum, quod deserere noluit: & ideo ne Dominus exaltaretur & idolum vilipenderetur, signum petere recusauit. Et propter hoc, teste beato Hieron. in Gloss. *in grauem ruinam incidit*: quia totaliter à Domino derelictus fuit.

Verum quia ipsius Acham contradictio signi aduentum longe præcessit. Consideremus illud, quod iustus Simeon & timoratus post signi ortum prophetauerit: *Ecce*, inquit, *positus est hic in ruinam multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* Ad Virginem vero; *Tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius*, Luc. 2. Quod vtiq; orto signo Herodes impleuit: quia mox pueri animam quæsiuit. Postmodum contradixerunt Iudæi, contradixerunt persecutores, contradixerunt hæretici: quorum aliqui Virginem non de substantia carnis Christum edidisse dogmatizabant. Alii filium non peperisse, sed repetisse sibilabant. Alii vero cognitam blasphemabant. Alii Dei matrem audire non sustinentes, magnum illud nomen θεοτόκον impiissime sugillabant. Sed cunctas hæreses in suis auctoritatibus sola Virgo in ruinam detrusit, quando Archangeli signum nunciantis credidit. Sed præter hos magis contradicunt alii, scil. moderni Ecclesiastici, qui nedum signo contradicunt, sed gladio Virginis animam crudeliter transfigunt. Per virginem noto Ecclesiam, cuius typum gerit virgo Maria: quam trahunt in ruinam per mala exempla. Neq; enim hæreticorum atq; persecutorum contradictio tantam Ecclesiæ intulit ruinam: quin ipsa semper in sobolem cresceret nimiam: imo quanto maiorem contradictionem sustinuit, tanto plures suæ virginitatis defensores peperit. Tales pergebant intrepidi in eius adiutorium, galeam bonorum exemplorum imponebant capiti, & accingebant gladium spiritus, quod est verbum Dei. Porro si quandoq; hic videbatur calcari in sanguine, tamen viuebat, & eo amplius crescebat ex Dei virtute: Domino de eo loquente sub nomine Hierusalem Ezech. *In die qua nata es*, inquit, *vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi: In sanguine tuo viue.* Et loquitur de tempore martyrum. Sequitur: *Et multiplicata es quasi germen agri, & grandis effecta es: emundaui sanguinem tuum*, scilicet cessante persecutione. Grandis quidem effecta erat multitudine credentium, grandis speciositate virtutum: grandis copiositate temporalium, eodem Propheta subsequenter dicente: *Dedi*, inquit, *coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro & argento. Decora facta es nimis vehementer & profecisti in regnum. & egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo quem posueram super te.* Magis videtur historia hæc quam Prophetia de prosperitate Ecclesiæ.

Sed quid Reuerendi Patres & Domini de moderno tempore idem Propheta subiungit, audiamus: *Et habens*, inquit, *fiduciam in pulchritudine tua*, scilicet in temporalium abundantia & seculari potentia, *fornicata es in nomine meo*, loquitur similitudinarie de fornicatione: sicut mulier præbens venale quod natura fecit non venale, dicitur fornicari. Sic etiam dicitur *fornicari* secundum Doctores præbens venale prece, pretio vel inordinato fauore, quod gratis erat dandum pro virtute.

Sequitur: *Et post omnes abominationes tuas non es recordata dierum adolescentiæ tuæ*, scilicet de tempore martyrum & sanctorum patrum, *sed in cunctis plateis ad omne caput viæ ædificasti signa prostitutionis tuæ & abominabilem fecisti decorem tuum.* Tunc sequitur punitio & grauis ruina: *Ecce ego*, inquit, *dabo te in manus odientium te, & destruent lupanar tuum, & demolientur prostibulum tuum*, id est, locum in quo exercebatur iniustitia & symonia: *& denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa gloriæ tuæ, & relinquent te plenam ignominia. Hæc dicit Dominus omnipotens.* Ezech. 16. Sed forsan aliqui blandientes sibi putant hæc sic dicta de futuro, quod non sint timenda, aut quod venire debeant de propinquo. Et ideo quamuis non sit nostrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate, tamen propono ex dictis doctorum & sacra scriptura aliqua contradictionis & ruinæ signa adducere: ex quibus possumus propinquitatem suspicare vel conicere.

Primum ſignum eſt rebellionis & inobedientiæ. Et hoc ſumitur ex verbis Apoſtoli 2. ad. Theſſal. 2 *Et niſi venerit diſceßio primum* &c. Quod Beatus Hieronym. 11. q. ad inquiſitionem Algaſię exponit de Romani Imperii deſolatione: inter quam & Eccleſiæ perſecutiones præuias Antichriſto: quarum vna forſitan erit prima temporalium ablatio, nullum ponit medium. Quædam Gloſſa dicit, quod erit diſceſſio aliarum eccleſiarum ab ipſa Romana Eccleſia. Magiſter ſuper verbo præmiſſo has ſimul coniungit: *Completa*, inquit, *hac acceßione ad Romanum Imperium & Eccleſiæ obedientiam: aderit diſceßio ab vtroque imperio.* Acceſſionem nouimus fuiſſe ante huius ſchiſmatis ortum, poſtmodum completa videtur fuiſſe diſceſſio. Et primo ab imperio temporali. Hoc ſatis euidenter apparuit: quia vix ciuitas, Baro aut miles ante huius glorioſæ Virginis aſſumptionem Romano Imperio obedire curauit. Et ſi aliqui videbantur obedire, hoc erat vel in ſanguinis propinquitate, vel præſidentis proprii dominii poteſtate.

Diſceſſio à Romana Eccleſia videtur in eccleſia completa. Nam ſi primo vel ſecundo electus in exordio ſchiſmatis fuerit pontifex vere: tunc ab vtroq; vel ſucceſſoribus receſſus videtur completus. Nam ad tantam ambiguitatem vniuerſalis Eccleſia deuenit, quod ignorat apud quam partem vera Sedes Romana erat, niſi forſan Deus alicui reuelaſſet: aut Salomonis iudicium de puero diuidendo, & vera & falſa matre hoc perſuaderet.

Secundum ſignum deſolationis eſt inuerecundia. Et hoc ſumitur ex illo: quia efficitur moribus peior quam fuit Synagoga, cum imminebat eius ruina. Vnde ſecundum Beatum Hieronym. triplex erat peccatum Phariſæorum, qui & dicebantur clerici Iudæorum, ſcilicet auaritia: quia columbas in templo vendi permittebant. Solum labiis Deum honorabant, & tanquam hypocritę docebant quæ non faciebant. Sed nunquid id peius eſt ſacrilegium eccleſiaſtica beneficia & ſpirituales poteſtates pretio aut inordinato fauore diſtribuere, quam columbas in templo vendi permittere? An ne minus malum ſit ſolum labiis Deum honorare, alioſque per hoc ad deuotionem inducere quam locum miniſterii, ſolum ſpe quæſtus ſuſcipere: & ceſſare ob ſuperbiam à laude Dei, & ſilere? Et de talibus Eſai. 56. *Canes muti non valentes latrare. Canes impudentiſſimi neſcientes ſaturitatem. Venient dies ſuper vos* &c. Demum nunquid minus nociuum videtur Eccleſiæ propriam malitiam hypocriſis pallio cooperire, & velut æs ſonans & cymbalum tinniens per alios prædicationis officium docere: quam inuerecunde prauis moribus & exemplis ſubditos ſecum in ruinam trahere? Æſtimo enim quod nemo boni iudicii contrarium diceret: ſed illud Hierem. 3. potius completum concederet: *Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſrael*, id eſt, ſynagoga comparatione preuaricationis Iudæ. Ibi Origenes, *De nobis*, inquit, *hæc intelligit.* Ezech. 16. Dominus loquens eccleſiæ: *Soror tua Samaria*, (id eſt ſynagoga,) *dimidium peccatorum tuorum non peccauit: ſed viciſti eam ſceleribus tuis.* Sequitur ruina: *Ergo & tu porta confuſionem tuam* Et infra 23. poſtquam diffuſe deſcripſit malitiam & deſtructione ſynagogæ, adiecit dicens de Eccleſia: *Plus inſanauit libidine, & fornicationem ſuam præbuit impudenter diuitibus & magiſtratibus ad ſe venientibus induta veſte varia.* Et bene, inquit, induta veſte varia inſaniuit libidine, id eſt, cupiditate diuitiarum & concupiſcentia delitiarum. Erat namq; futurum, vt prelati eccleſiarum non vererentur eccleſiæ primitiuę venerandam pudicitiam pretio ac precibus & impiis actibus infamare. Ita vt impletum ſit quod ſequitur: *Confractæ ſunt mammæ pubertatis tuæ.*

Subiungit tunc ruinam repetendo cauſſam eius: *Receßit anima mea ab ea, ſicut receſſerat à ſorore eius*, (id eſt ſynagoga,) *quia ſcelus tuum & fornicationes tuæ fecerunt hæc tibi*: loquitur de fornicatione ſuperius expreſſa, id eſt ſimonia.

Tertium ſignum ſumitur ex perſonarum diſpoſitione, & eſt imoderata inæqualitas, qua alius & ſæpe dignior eſurit. Alius & frequenter indignior præ multitudine & magnitudine beneficiorum ebrius eſt. Nam ſicut in bona harmonia requiritur vocum inæqualitas proportionabilis, tamen moderata: quæ ſi nimia fuerit tollitur melodia. Ita ſecundum Philoſophum propter ciuium diſparitatem, & præſertim indignorum exaltationem, dignorumq; depreſſionem, obruitur politia, in qua ſunt plures mediocres, eſt diuturnior. Sed non puto, quod vnquam fuerit aliquarum gentium politia, in qua eſſet tanta ſacerdotum differentia: vt hi quidem eſſent maiores principibus huius ſeculi, licet indoctiores. Alii eiuſdem gradus & ordinis: licet doctiores & ſapientiores, deiectiores vulgo. Communitas enim talis apud eundem Philoſophum vocatur oligachia. Præterea videmus in corpore humano (cui Apoſtolus in pluribus ſuarum Epiſtolarum paſſibus eccleſiam comparat) quod ſi nutrimentum fluit ad vnum membrum, ita vt enormiter ingroſſetur: & alia nimia attenuatione dematerentur, non poteſt viuere. Sic in corpore Eccleſiæ ſi ſuperiores fiant ita graues attractione ſubſtantiæ, quod inferiores vix poſſunt præ inopia ſe ſuſtinere: hoc eſt ſignum iam propinquæ ruinæ. De talibus enim ait Dominus Amos 4. *Vaccæ pingues in Hieruſalem qui calumniam facitis egenis: & confringitis pauperes. Ecce dies venient ſuper vos.* Et infra ſext. *Væ qui opulenti eſtis in Sion*, id eſt in Eccleſia.

Quartum ſignum eſt faſtus & ſuperbia prælatorum, & aliorum eccleſiaſticorum. Quamuis enim ex naturali prudentia & morali Philoſophia ſimiliter & Theologia conceditur, quod eccleſiaſtici debent habere, vnde poſſint honeſtius viuere quam populares, & prælati quam ſubditi.

Ex

Ex hoc tamen non admittitur familiæ & equorum & vestium superflua pompa, quæ raro absq; superbia potest duci & salua iustitia sustineri: & plerumq; non sine iniuriis & delictis gubernari. Nam tantus fastus in Dei Ecclesia potissime temporibus istis non tam paucos mouet ad reuerentiam, quã multos ad indignationem: & plures inuitat ad prædam, qui se reputarent forsan Deo sacrificium offerre, si possent quosdam diuites Ecclesiasticos spoliare. Tales fastuosos notat Dominus Amos 6. *Optimates capita populorum ingredientes pompatice domum Israel.* Quibus in signum ruinæ in eodem capitulo de dicit Esai. vigesim. octau. *Væ coronæ superbiæ: pedibus conculcabitur.* Quod abbas Ioachim exponit vę magnis prælatis, qui propter eorum superbiam procurant vt fiant in Ecclesia Dei schismata.

Quintum signum sumitur ex tyrannide præsidentium: quæ cum sit violenta, durare in æternum non potest. Vnde proprietas tyranni est quærere non bonum publicum subditorum, sed vtile proprium. Tales sunt pastores, qui non pascunt gregem Domini, sed semetipsos: quibus dicit væ *Ezechiel. 34.* Gaudent de malefactis eorum quos pecunialiter possunt condemnare. Nec quærit quis quantum deliquerit: sed quantum quis soluere possit. Quibus Dominus dicit Mich. 3. *Audite Duces domus Israel. Vos odio habetis bonum & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis. Qui comederunt carnes populi mei & pellem eorum desuper excoriauerunt.* Ideo dicit Dominus Ezech. 34. *Cessare eos faciam vt non vltra pascant gregem meum: liberabo eum de ore eorum & non erit eis vltra in escam.*

Sextum signum est, quod conturbatio principum & commotio populorum, quam in multis partibus experimur irrecuperabiliter destruere ecclesiam & destruxisse: ita vt impleatur illud Hierem. quart. *Contritio super contritionem vocata est repente: vastata sunt tabernacula mea,* Ezech. 7. *Adducam pessimos de gentibus & possidebunt domos eorum, & quiescere faciam superbiam potentum, & possidebunt sanctuaria eorum. Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum.* Et ista videmus impleta in Græcia, in Vngaria, in inclyto olim Bohemiæ regno, & pluribus vicinis regionibus.

Septimum signum est recusatio correctionis, si forte de principibus Ecclesiæ intelligatur, quod scriptum est Zachar. septim. *Noluerunt attendere, & cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent verba quæ misit Dominus in spiritu suo per manus Prophetarum suorum.* Et Esai. trigesim. *Filii mendaces noluerunt audire verbum Dei qui dicunt: Nolite inspicere nobis quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia, quia nolunt intelligere vt bene agant.* De quibus Amos 7. *Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfecte abominati sunt.* Tales salutaria monita & sacram scripturam reputant fabulas: & in ea meditantes iudicant fantasticos. Contra quorum Ecclesiam Dominus Oseæ quart. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. Et oblita es legis Dei tui, obliuiscar & ego filiorum tuorum, & secundum multitudinem eorum sic peccauerunt mihi, gloriam eorum in ignominiam commutabo. Et erit sicut populus sic sacerdos.* Et Ezech. septim. *Lex peribit à sacerdote, & consilium à senioribus.*

Octauum signum est nouitas opinionum. Ex hoc enim surgunt hæreses, schismata orta defenduntur, & defensa radicantur: radicata vt experimur fidem & Ecclesiam destruunt. Moderno enim tempore vnusquisq; interpretari & trahere non veretur sacram scripturam, iura, sanctorumque patrum instituta ad libitum suæ voluntatis: prout amor, odium, inuidia, spes promotionis aut vindicta eum inclinat. Aliqui eorum leuiter nimis alios hæreticos dicunt, quos tamen nondum hæreticare nouerunt. Alii verecundia ducti quandoq; forsan errores defendunt: ne leui opinione vulgi videantur inquinati. Hi inuicem, vt ait Apostolus, languent circa quæstiones & pugnas verborum: ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspitiones malæ. *1. Tim. 6.* & 2. *Tim. 4. Erit,* inquit, *tempus cum sanam doctrinam non suscipient, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, & ad fabulas conuertentur.* Fabulæ & non sanæ doctrinæ sunt, quæ in persuabilibus humanæ sapientiæ verbis, vel in sublimitate sermonum, aut secundum zelum & contentionem aut inanem gloriam: non in reuelatione Spiritus sancti, sed secundum traditionem hominum consistunt. A quibus quatuor nos cautos reddit, *vt non circumferamini,* inquit, *omni vento doctrinæ, & nequitia hominum in astutia & circumuentione errorum.*

Præter hæc sunt alia signa, videlicet recessus iustitię. Hæc fuit caussa destructionis Romanorum: prout deducit August. *lib. de ciui. Dei.* Destructio studiorum: quam comitatur penuria sapientum: & hanc sequebatur destructio Græcorum. Prælatio puerorum ac ignorantium ac prauorum: & hæc erit destructio Latinorum.

Plura alia sunt scripta in Prophetis de deiectione sacerdotalis honoris: ex quibus & prædictis sapiens potest concludere ruinam temporalium ecclesiæ de propinquo imminere. Et forsan iuxta illud Esa. 30. *Subito dum non speratur veniet contritio.* Quia Prouer. 1. scribitur: *Despexistis omne consilium meum, & omnes increpationes meas neglexistis. Ego autem in interitu vestro ridebo, cum irruerit super vos repentina calamitas, quando veniet super vos tribulatio & angustia.* Nec debemus reputare hoc impossibile: quia nostris temporibus vidimus aliqua, quæ nuper erant incredibilia. Et timendum est maiora esse in posterioribus. Imo verisimile puto, quod à multis annis non fuerunt tot maleuoli, tanti corde rebelles & animo accensi contra ecclesiam, sicut his diebus. Videtur enim quod Dominus conuertit

cor eorum, vt odirent populū eius: & dolos facerent in seruos eius, scilicet in sacerdotes: *Psal. 104.* Quos in longum compescere nequaquam valebimus, nisi signis virtutum manifestis ad beneuolentiam eos inclinauerimus. Nec multum proderit, vel forsan ad modicum durabit vnio, nisi essent præmissa signa, quæ etiam fuerunt caussa schismatis, & sequatur notabilis & magna morum reformatio.

Ad hoc enim Reuerendi Patres & Domini, Deus omnipotens miro quodam modo cunctis prius inæstimabili vos diuersos, quin & aduersos, tanta multitudine in vnum congregauit. Ad vos totus mundus tanquam in signum ducens naufragantes ad portum: respicit hoc ipsa ecclesia, inenarrabilibus lachrymis & gemitibus à quolibet vestrum quærendo requirit Iohan. 29. *Quis mihi tribuat vt sim sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quoniam omnipotens erat mecum.* Tunc enim omnipotens erat secum: quia in priscis patribus nullum apparuit contradictionis signum.

Præstolatur etiam dies adolescentiæ suæ: vt moribus & doctrinis sanctorum patrum decorata, possit (vt ait beatus August. *in Sermone super Cantica*) exemplo virginis credendo verbum diuinum concipere, & prædicando parere, rebelles quoq; & contradicentes vigore suæ adolescentiæ in ruinam detrudere. Hoc significauit virga Aaron, quando Dominus præcepit Moysi Numer. 17. *Defer,* inquit, *virgam Aaron in tabernaculum, vt seruetur in signum rebellium filiorum Israel.* Virga Aaron florida & fructifera: quamuis non sarculo culta nec humefacta, virginem concipientem & parientem, quāuis virum non cognoscentem, signat: quæ posita erat in signum rebellium, id est, contradicentium & ruinam. Et hoc Propheta nunciauit domui Dauid, vbi thema: *Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus,* id est, contradicentes: *quia molesti estis & Deo meo? propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.*

PARS SECVNDA.

DECLARATIO COMPENDIOSA DEFECTVVM VIRORVM ECCLESIASTICORVM.

Forte dicitur mihi: Ecclesia fundata est supra firmam petram, flauerunt venti, inundauerunt flumina, non est passa ruinam, quomodo tu dicis, reformatione indiget? Aut dic in quibus. Sed si in nullis eius partibus heterogeneis, id est, in eius statibus, vel in nullis partibus materialibus siue fluentibus, id est, singularibus suppositis hodie correctione & emendatione Ecclesia indiget, quæso vbi sunt tunc præcedentium patrum sanctæ & rationabiles constitutiones innumeræ, in eorum conciliis vel epistolis Papalibus traditæ: quarum obseruantia nunc oblita nedum expediuit olim, sed & magis modo fidelibus salubеrrima esset & opportuna? Et vt de pluribus taceam & grandioribus:

1. Primo, vbi est quod Episcopus bonus & probatus opere & doctrina eligatur, non puer, non homo carnalis spiritualium ignarus?
2. Vbi est quod clerici in duabus ciuitatibus & ecclesiis præbendas vel prælationes non habeant?
3. Quod pro sepultura, confessione, ordinatione, promotione, nullo prætextu vbicunq; aliquid exigitur aut detur.
4. Quod nullus principum laicorum capellanum habeat, nisi ab Episcopo datum in casu ab Episcopo deponendum vel corrigendum.
5. Quod nullus Episcopus aut sacerdos muneribus, precibus ac fauoribus personarum acceptionibus promoueatur.
6. Vbi est quod Episcopi extra diœcesim non morentur?
7. Quod non plures quam sufficiant ordinentur?
8. Quod Episcopi & sacerdotes spectaculis & ludis non intersint, nec delectentur.
9. Quod sacerdotes nihil fœnoris aut rustici ministerii exerceant: nec mercatores, venatores aut negociatores fiant.
10. Quod negocia caussarum festiuis diebus & in Ecclesiis non tractentur.
11. Vbi est hodie, ne rectores ecclesiarum instrenui sint rebus, & in ecclesiasticis remissi: aut plus propria quam ecclesiastica iura procurent?
12. Quod non liceat Dominis & prælatis obseruationibus superstitiosis gentilium attendere: nec diuinos consulere, aut stellarum cursus respicere in agendis.
13. Vbi sunt Synodi prouinciales secundum patrum constitutiones semel vel bis in anno celebrandæ.
14. Vbi quod non licet quemcunq; clericum vel Episcopum die Dominico absentem esse, sed missarum solenniis interesse ieiunum.
15. Quod clerici ad matutinum seu vespertinum officium non venientes deponantur, nisi Episcopo vel decano satisfaciant.
16. Quod non liceat clericis ante tertiam horam prandere.
17. Quod nullus sacerdotum à quinquagesima vsq; pascha carnes comedat.
18. Quod sacerdotes aduentum Christi ieiunent.

19. Quod

19. Quod clerici à subiectione non cessent.

20. Vbi est hodie, ne quicquam pro gradibus, pro dignitatibus, pro diuinis sacramentis accipiatur.

21. Ne prælati monasteriis vel Ecclesiis consanguineos suos vel eis fauentes præficiant.

22. Quod non ordinentur, qui Psalmorum, canticorum seu hymnorum ignari sunt.

23. Quod scripturis diuinis studeant Episcopi & sacerdotes, maxime monachi & religiosi, scientiis litigiosis & practicis omissis.

24. Vbi quod oppressores pauperum, potentes & tyrannos Episcopi arguant & corripiant.

25. Vbi quod per annos singulos Episcopi parochias suas circumeant cum effectu.

26. Vt ad mensam Episcopi scripturæ diuinæ legantur.

27. Quod Episcopus angarias & impositiones, vel huiusmodi grauamina subiectis non imponant.

28. Quod clericus scurrilis & verbis turpibus plenus ab officio retrahatur.

29. Vbi est nunc clericorum singularis decor continentiæ in gestu, in vestitu, victu & risu?

30. Vbi ne clerici comam barbamve nutriant, aut calciamenta & vestimenta aliter quam religionem deceret, habeant.

31. Vbi quod stipendia clericorum iuxta merita distribuantur personarum.

32. Quod clerici nuptialia vitent conuiuia.

33. Quod clerici tabernas non ingrediantur: nec in eis dominetur crapula & ebrietas.

34. Vbi est illud Carthaginensis concilii quarti, vt Episcopus vilem supellectilem, & mensam ac victum pauperem habeat: & dignitatis suæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat?

35. Quod Episcopus pro rebus transitoriis non leuiter litiget.

36. Quod Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem aut auaritiam non transeat.

37. Quod studendum est clericis, vt dissidentes Fratres magis ad pacem quam ad iudicium cohortentur.

38. Quod clerici per plateas & fora discurrere non debent.

39. Quod clericus quemlibet verbo erudiat: & ne pauperes grauentur (vt Paulus) artificio victum quærat.

40. Quod clericus artificio vel agricultura sibi victum absque sui officii detrimento præparet.

41. Vbi est, quod clerici in aliena ciuitate sine caussa legitima non morentur extra prębendas vel Ecclesias suas?

42. Quod ab his, qui sacramentis diuinis inseruiunt, singularis castitas custodiatur.

43. Quod clerici actus secularium vel procurationes non suscipiant.

44. Quod laici clericos actores vel rectores sibi non constituant.

45. Vbi est hodie illud Calcedonensis concilii: *Monachi tantummodo intenti sint ieiuniis & orationibus, in locis vbi renunciauerint seculo: nec Ecclesiasticis vel secularibus negociis propria monasteria deserendo insistant?* Et maxime quid opus est monachos euocari: cum infiniti seculares hodie studeant in facultatibus litium, iuris scil. & legum.

46. Vbi est quod non liceat Episcopo à sua Ecclesia plus tribus hebdomadis abesse?

47. Vbi quod clerici allegatores, venatores &c. communione priuentur?

48. Quod officia Ecclesiastica pecunia non obtineantur: vt nihil pro ordinatione, vel pallio, vel pastillo detur aut accipiatur. Cap. 5. Epistolæ tertiæ Gregor. Papæ: *Nunquid vult modo verbum illud esse verum*, scil. Beati Hieronymi (quod qui clericorum audierit, ambæ eius aures tinniant.) *Veteres*, inquit, *scrutans scripturas, inuenire non possum scidisse Ecclesiam & de domo Dei populos seduxisse, præter eos qui sacerdotes à Deo positi fuerant & Prophetæ.* Et Chrysostomus super illud Matth. vigesim. prim. *Et intrauit Iesus templum: sicut*, dixit: *de templo omne bonum egreditur: & ita de templo omne malum procedit.* Si enim sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium fides & virtus marcida est: sicut cum videris arborem pallentibus foliis, intelligis quia vitium habet in radice: sic cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce quia sacerdotium eius non est sanum. Vbi est forte propter hoc deuotio & obedientia inferiorum, defensio militum, pax principum Christianorum? ad finem vt inter se concordes impugnent schismaticos & infideles, recuperando regiones, quas iam Christianis abstulerunt & peruerterunt. Sed nunquid hodie omnes sacerdotes Domini & prælati in antedictis & post dicendis culpabiles sunt malis? Absit. Reliquit enim Dominus sibi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal *3. Reg. 19. cap.* &c.

49. Iterum ad quid expedit aut quid vtilitatis Ecclesiæ confert tam magnifica principum gloria: & tam superflua prælatorum & cardinalium pompa: vt quasi se homines esse nescire faciant? Et quæ vtique abominatio, quod vnus tenet ducenta, alter trecenta beneficia Ecclesiastica? Nonne inde cultus diuinus diminuitur, Ecclesiæ depauperantur: valentibus viris & doctoribus priuantur: fidelibus mala exempla dantur.

50. Quid sibi voluit, quod cardinales solum de vna natione, vel quasi de vna patria fiebant:

inter quos de singulis vel notabilibus linguis aliqui esse deberent: nunquid apud Christum est differentia Græci & Latini & Alemani, Hispani & Vngari &c.

51. Quid est quod hodie vnus vtinam mediocriter doctus, tenet quatuor, quinq; vel sex vel octo beneficia: quorum vno est non dignus, quibus octo sustentari possent, doctrinis, orationibus & diuinis laudibus insistentes? Attendite an potius hodie equi, canes aues & superflua ecclesiasticorum familia patrimonium ecclesiæ comedere debeant, quam pauperes Christi? vel quam ad diuini cultus ampliationem & pro infidelium conuersione: aut in huiusmodi pietatis operibus, modis congruis expendendum sit.

52. Quot hodie loca diuini cultus, vt monasteria & venerabilium martyrum Ecclesiæ Romæ & alibi, ob prædicta & ex prælatorum incuria desertæ sunt & destructę?

53. Iudicate etiam, si iustum quandoque sit, vel exactiones ab episcopis, clerico imponi vt collectoribus soluatur.

54. Quid est etiam, quod hodie omnes medium Christianitatis pinguibus abundans beneficiis tanquam centrum quietis ambiunt, derelictis partibus ecclesiæ in circuitu, vbi impii ambulant inuisitatis, & à Doctoribus immittendis & promouendis vacuis & incultis? Vbi fides est debilis, virtus imperfecta: schismatici abundant, infideles impugnant: vtriq; opus esset in lege Christi expertioribus prælatis & doctoribus, magistris atq; probiori & abundantiori militari potestate.

55. Quid est, quod gladius ecclesiæ, scilicet excommunicatio, in sui contemptum modo tam leuiter extrahitur, & pro modica re, vt pro debitis vel huiusmodi tam crudeliter in pauperes extenditur.

56. Quid est, quod vna causa super modica re durat tam multis annis: quare litium prolixitas pauperum spoliatrix, conuenienti modo non rescinditur?

57. Quare conuersis Iudæis de eorum bonis misericorditer non datur vitæ necessitas, potius quam egestate compulsi apostatent, & Christianos impietatis arguant.

58. Etiam quare non ordinatur Iudæos inter Christianos morari non debere, nisi vel Christianis seruiendo, vel agros colendo, vel in mechanicis laborando acquirant victum suum: & non vsurando eis in peccatum & Christianis in spolium.

59. Quid etiam sibi vult, quod quarundam ecclesiasticarum cathedralium canonici, calceis rostrati, vestibus accurtati, abiecto habitu clericali & assumpto militari, in armis & hastiludiis se exercent. Episcopiq; cappa, superpellitio libroq; depositis arma sumunt: in campis armati pugnant, vt principes seculares.

60. Quid est, quod nonnulli prælati iurisdictionem spiritualem & temporalem quibusdam potentibus tyrannis & auaris pro certa summa locant, in grauamen Ecclesiæ, subuersionem iustitiæ & oppressionem pauperum.

61. Quid est, quod hodie episcopi, abbates, monachi sunt plus officiales fisci quam Christi, totis nisibus militantes mundo in curiis principum & secularium iudiciorum seu Parlamentorum.

62. Ecce quid sibi vult etiam, quod modo potius omnes Episcopi, prælati & parochiales sacerdotes per Papam constituuntur, quam eligantur personæ notæ & aptiores de patria: vt non præferantur ecclesiis homines extranei in moribus & linguis & consuetudinibus.

63. Quid est, quod hodie potentum & nobilium pueri ecclesiasticis dignitatibus præferuntur: & clerici famosi in vita & doctrina eis subiiciuntur.

64. Quid est, quod nunc spiritualium penitus ignaris, qui à puero mundanæ & litigiosæ scientiæ vt legum, quarum studium sacerdotibus est prohibitum, vacauerunt, regimen ecclesiæ potius committitur? Nunquid ecclesia per mundum gubernanda, & non potius contra morem mundi eo quod scriptum est: *Nolite conformari huic seculo*, & cætera multa.

65. Rursus oculos aperite, & inquirite, si quæ hodie claustra monialium facta sunt quasi prostibula meretricum. Si quæ consecrata canonicorum monasteria fiant quasi fora & diuersoria. Si quæ cathedrales ecclesiæ factę sunt sicut speluncæ raptorum & latronum.

66. Scrutamini si alicubi sacerdotes in consuetudinem duxerunt sub prætextu ancillarum habere concubinas.

67. Iudicate si tanta imaginum & picturarum in ecclesiis varietas expediat: & an plures simplices nonnunquam ad idolatriam peruertant.

68. Videte si tanta religionum numerositas & varietas conueniat.

69. Examinate si religiones militares faciunt debitum: habeant in honore sacerdotium: seruent mores, fidem, regulas & canones patrum.

70. Discutite si expediat quorundam tam large exemptio & priuilegiatio atq; ordinariorum coercione sit commoda subductio.

71. Si conueniat Vrbanum quintum Brigittam de Suetia, Ducem Britanniæ Carolum: non obstante nimia sanctorum multitudine canonizari.

72. Si deceat quorundam nouorum sanctorum festa solennius peragi, quam præcipuorum Apostolorum.

73. Si iustum sit priores sanctorum solennes ecclesias deseri & destrui, redditibus à collectoribus vel cardinalibus leuatis: & quandoq; post ad eorum memoriam vel quasi gloriam capellulas nouas ædificari.

74. Rursum pensate, si æquum est fatuos præesse & sapientes subesse: iuuenes dominari, senes famulari: ignaros ardua discutere, scientes loqui non audiri: equorum famulos in promotionibus præponi, eloquiorum Dei discipulos postponi.

75. Perquirite si quæ scripturæ apocryphæ aut hymni aut orationes successu temporis studio vel ignorantia in detrimentum fidei introductæ sint. Et corrigite opinionum discordias, vtpote de conceptione virginis gloriosæ & consimiliũ. Sedate iniquas leges: consuetudines prauas emendate. Nonne in Saxonia reperiuntur iniustæ leges à Theologis impugnatæ. Et quæ Christianorum consuetudo damnabilior esse potest ea, quã iam clerici & laici & principes vbiq; insaniunt, sanctissimã natalis nocte celebrantes ludo taxillorũ, non contemplatione cœlestiũ mysteriorũ? Nonne in Liuonia consuetudo inoleuit, vt nulli rusticorum sacramentum eucharistiæ detur? Nonne ibidem reperitur, quod vir duas vxores viuas habeat, & mulier plures maritos? Quid plura? Ab episcopis ad concilium generale venientibus de qualibet prouincia: de omnibus inquirite abusiuis consuetudinibus & perniciosis ritibus, quacunque occasione in ecclesiis & hominum statibus regionum diuersarum introductis, vt super deuiationibus præmissis & consimilibus, omnes ecclesiæ status vel in generali concilio reformetis, aut in conciliis prouincialibus reformari mandetis: vt de auctoritate vestra reparetur ecclesia: & purgetur domus Dei ab immunditiis, vitiis & erroribus vniuersis. Hoc autem vt diligenter fieret, sancti priores patres ordinauerunt: & ordinationes eorum posteriores semper in conciliis confirmauerunt, vt scil. bis in anno in qualibet prouincia celebranda esset synodus. Vnde in canonibus Terraconensis Concilii c. 8. ita dicitur: *Propter ecclesiasticas causas & altercationum solutiones placuit per singulas prouincias bis in anno concilia fieri, conuocante Metropolitano omnes episcopos prouinciales: ita vt ad concilium procedant omnes presbyteri vel diaconi, vel hi qui læsos se existimant, vt in concilio causa examinata ad iustum iudicium perducantur.* Hæc ibi. Secundumq; capitulum Carthaginensis Concilii tertii dicit similiter: *Placuit vt propter causas ecclesiasticas quæ ad prouinciæ plebem sæpe inuentæ sunt: singulis annis concilium prouinciale conuocetur.* Rursus capitulum septimum Toletani Concilii sexti: *Quamuis*, inquit, *priora nequaquam siluerunt de tanto facinore Concilia: ratio dictabat vt ea quæ frequenti præuaricatione iterantur, frequenti sententia condemnentur.* Quamuis, vt scribitur in eodem concilio, *sæpe pullulantia prauitatis germina, sanctorum sæpissime Patrum iusta nouerimus seueritate damnata, tamen quia crebrius conspiciuntur denuo vigere radicibus: iustitiæ acrioris vigore radicitus ea amputari sancimus.* Cæterum capitulum tertium quarti Concilii Toletani ita loquitur: *Nulla pene disciplina mores ab ecclesia Christi magis expellit, quàm negligentia sacerdotum, qui contemptis canonibus ad corrigendos ecclesiasticos mores synodos facere negligunt. Ob hoc à nobis diffinitum est, vt quia iuxta antiquorum patrum decreta, bis in anno difficultas temporis fieri concilium non sinit, saltem semel à vobis celebretur; ita tamen vt si fidei causa est: aut qualibet alia ecclesiæ communis: generalis totius Hispaniæ & Galliæ synodus conuocetur. Si vero nec de ecclesiæ communi vtilitate tractabitur, speciale erit concilium, prout vniuscuiusq; prouinciæ Metropolitanus elegerit peragendum.* Hæc ibi. Ex quibus omnibus arguit à simili, quod etiam propter defectum conciliorum generalium totius ecclesiæ, quæ sola audet intrepide corrigere omnes ea mala quæ vniuersalem tangunt ecclesiam, manentia diu incorrecta crescunt, & inuenta sunt de malo in peius, donec tandem iniqua sub infectione consuetudinis reputentur licita.

His itaq; peractis, vt in illo sit nostrum explicuisse, à quo nobis fuit inchoasse, inuisibilis omnium creatoris principis pacis imploro opem suffragiis vt meis verborum energia tenuibus hortamentis vim tribuat effectus peroptatam, fragilitatemq; humanæ veritatis illustret fulgoribus, vt intentioni pietatis se non opponat pertinacem, ne diuinæ seueritatis vltio postmodum corripiat contradictores, & non vt recto rationis libramine amplectentes, viam consilii pacis misericordia profluens, pax perpetua & gloria suscipiat sempiterna.

Clemens Vrbano litem quia mouerat, ergo
Explicis errantem codex vasurus in orbem,
Consilii placeat, nominetur Epistola Pacis:
Si facit anterior torpor vel deuius error,
Vt taceant linguæ, mundum transite libelle.
Schisma necat tale pote concilium generale.
Clama, non metue montes transire per altos.
Per syluas & aquas, valles, lacerasque miricas.
Non defers merces, sed veri portitor es tu.
Et si displiceas veri quia nuncius, ex quo
Assem vix valet esse tuum, quid si laceraris?

Finit Epistola pacis.

DE EODEM SCHISMATE, ALIVS TRACTATVS EIVSDEM.

IN inquisitione veritatis tangentis proximum schisma & statum eius, oportet non esse monoculum: sic quod tantum vno oculo ad rem ipsam attendamus: quod fit dum illa tantummodo, quæ pro parte nostra faciunt, aspicimus, & aduersas rationes videre negligimus. Et quia multi, vt suppono, offerent oculis videre volentium rationes, quæ faciunt pro sua opinione in materia, quæ nunc ventilatur, scilicet de subtractione obedientiæ à Domino nostro in toto vel in parte: decreui quædam similiter in aspectu adducere in oppositum facientia.

Primo notetur, quæ & qualis persona, & cuius fama & status nunc tractatur: & quibus priuilegiis, qua dignitate & superioritate dotatus est. Idcirco summe cauendum est, ne quid temere aut inconsiderate aut præcipitanter fiat.

Secundo notetur, quod obtulit semper & publice in primo consistorio, quod videlicet habebat promptitudinem animi ad mortem pro ouibus sustinendam, antequam non fiet vnio ecclesiæ.

Tertio notetur, quod cessio sua si nunc fieret, non esset conueniens, sed pessima: nisi prius ab aduersa parte alia sentiremus. Et ita non debet accusari de periurio, si non cesserit vel cedat præsentialiter. Si dicatur, quod nec hoc petitur, sed quod reddat se voluntarium & promptum ad cessionem. Primo videatur, si iuramentum hoc importat, quod vocaliter nunc istud offerat. Secundo aduertatur si illa oblatio de promptitudine ad mortem, satis hoc importat quod etiam paratus est cedere antequam non fieret pax. Tertio videatur, si possit habere colorem sufficientem ad excusationem suam, quod vocaliter pro nunc non offert cessionem, antequam sciatur voluntas eorum de aduersa parte: quia æstimat forsan & non sine apparentia, quod aduersarii magis fortificarentur vel indurarentur. Et dicerent interpretantes istam oblationem in malum, quod diffidit de iure suo: & hoc non sine colore.

Quarto principaliter notetur: quod per bullam in responsione tertia offert simpliciter & absolute, quod vult tenere iuramentum in forma. Quomodo igitur poterit argui de periurio? Si dicatur, quod intelligit aliter iuramentum quam Cardinales & alii: non obstat: quia nondum vidimus nec venimus ad hoc quod cessio debeat compleri, quousq; viderimus de responsionibus aliorum alterius obedientiæ. Et si tunc Papa velit subterfugere & glossare, & ita pacem per hoc impedire: locum habebit interpretatio, & suæ interpretationis si mala sit impugnatio.

Quinto notetur, quod per nuncium Apostolicum, qui nouissime venit, fecit multa offerre Domino Regi & aliis super declaratione voluntatis suæ: & difficile esset iudicare eum, nisi talia scirentur, quæ tamen non est necesse reuelare vniuersitati vel omnibus: præsertim vbi negotia non tractantur ita secrete, quin faciliter sciri possint.

Sexto notetur quod in quarta quæstione inter illa quæ ponuntur, supponitur quod Papa fuerit protestatus de non recedendo à viis suis: quod multi omnino falsum æstimant: imo potius offert omnem viam rationabilem.

Septimo notetur quod via cessionis est inefficax & insufficiens, si alii de alia obedientia nolint illam recipere. Et ideo mirum videretur, quod ad talem viam, quæ ex hypothesi possibili esset inefficax, aliquis obligaretur. Si dicatur quod saltem Papa tenetur secundum præparationem animi acceptare istam viam. Non video qualiter istud posit negari, quia etiam tenetur acceptare isto modo mortem. Sed quod non habeat istam promptitudinem, non potest sciri, cum sit in mente. Nec videtur quod teneatur explicare voce vel signis exterioribus pro nunc, propter aliqua tacta circa tertium notatum, quia nec etiam hoc iurauit. Et forte expediens est silere vsque ad tempus renunciationis, propter ambitiones illorum, qui tenderent ad Papatum diuersis viis, cautelis & modis, & possent impedire factum totum.

Octauo notetur, quod posibilis est alia via conueniens & bona, & quæ ab aduersariis forte acceptabitur, & in hoc casu qui clarus est, Papa sufficienter se absoluet apud Deum & homines, si illam viam acceptet, per quam fiet pax. Nam supposito, quod cessio de se esset via melior, tamen potest fieri sufficiens per accidens. Item non semper melius bonum cadit sub obligatione, quin sufficiat minus bonum acceptare. Duobus enim propositis bonis, maiori & minori stat quod ad nullum obliger. Stat etiam quod ad minus obliger & non ad maius, & stat quod ad vtrumq; obliger sub distinctione. Et in casu isto est quæstio apud Doctores: an tenear acceptare maius bonum. Et non est dubia ista quæstio, si maius bonum sit mihi difficilius, sed si cæteris paribus, & stante æqua facilitate. In casu isto si dimittam maius bonum, dicunt aliqui quod pecco propter contemptum, apud alios oppositum est multum probabile. Vnde propter experiendam libertatem meam vel aliquod tale: possum vt videtur licite maius bonum deserere minori acceptato. Tunc applicetur in casu nostro: &

constat, quod Papa dicere poterit de ista via & alia minus bona: quod cætera non sunt paria.

Nono notetur quod Papa non potest teneri ad cessionem secluso iuramento, nisi istæ tres conditiones ponantur. Primo quod per cessionem habeatur vnio. Secundo quod aliter non posset humanitus haberi. Tertio quod malum illud, propter quod sit cessio facienda, sit mortiferum animabus: & quod per cessionem non augeatur. Nunc bene attendamus, si rebus adhuc stantibus vt stant, præsertim apud aduersarios nostros, quorum opiniones ignoramus, posset dici apparenter aliquam trium conditionum deesse nunc in cessione.

Decimo notetur, quod etiam de parte nostra Rex Arragonum, & præsertim eius populus, non sunt adhuc determinati ad istam viam cessionis: imo dicunt multi vidisse multas literas, quibus oppositum clare perpenditur. Et istis sic perdurantibus, constat quod cessio non esset via totaliter sufficiens: imo multi formidant, ne iam sit formatus vnus rancor & quoddam seminarium discordiæ inter illos Hispanos & Arragonenses, ex vna parte contra Gallos, & interpretantur quod in odium eorum volunt Papam deponere, quia de patria.

Vndecimo notetur qualiter per determinationem istarum quæstionum, si nunc fierent, posset poni schisma in fide inter Vniuersitatem Parrhisiensem, & Papam nostrum & sibi adhærentes ex vna parte. Eundem & alias Vniuersitates alterius obedientiæ, quæ sunt æmulæ eius, & in quibus sunt clerici, & viget Vniuersitas.

Duodecimo notetur modus qui tenetur de schedulis, & modo vocum seu opinionum vel deliberationum: quia in illis quæ fiunt per modum vniuersitatis, facultas Theologiæ, ad quam spectat principalissime illud negotium, non habet nisi quartam vocem, & facultas medicinæ tantam.

Tertio decimo notetur, quomodo potest requiri salua conscientia, quod à Papa, qui non est iudicatus schismaticus aut hæreticus, posset remoueri obedientia circa ea quæ ad eum semper spectare confessa sunt. Et aduertere debent talia agentes super pœnis expressis, & de peccato ad Deum: notatur *q 4. noue*: cum ibi allegatis. Si dicatur, quod Papa ostendit se schismaticum: hoc non est clarum per præcedentia. Item non est talis iudicatus ab habentibus potestatem: & non est in potestate libera cuiuslibet sic iudicare de Papa, & ab eius obedientia remouere, aut contemnere sententias suas, vel iurisdictionem diminuere. Et videatur si tales sint suspecti de schismate contra Papam. Item notent principes, quid tales facerent contra eos, si impune auderent &c. & quam fidelitatem seruarent: quia sic dicere possent, quod essent tyranni.

Quartodecimo notetur si expediret simpliciter ecclesiæ quod prælati darent beneficia: & si melius distribuerentur attento statu eorum & familiarium &c. Et an studiosi in Vniuersitatibus haberent beneficia. Et an mali prælati fierent peiores: quia magis honorarentur, & eis adularetur in peccatis.

Quinto decimo notetur quod si expediat principes incitare ad remouendum vel diminuendum iurisdictionem vel redditus ecclesiæ, siue ratione siue alterius autoritate: & si bona melius distribuerentur: & si licite hoc facerent. Et si totus clerus finaliter infra breue tempus perderetur & affligeretur, maioribus primo destructis & afflictis.

Decimosexto notetur circa iuramentum Papæ. Si factum ante Papatum liget eum postquam est assumptus. Item si posset secum dispensare. Item si iudicet quod vergat in detrimentum salutis & totius ecclesiæ obseruatio iuramenti. Item si interpretatio spectet ad eum. Item si magna pars clericorum, specialiter Doctorum vtriusque iuris diuini & humani sit secum, quod obseruatio illa iuramenti esset in detrimentum salutis &c. an excusetur. Item, vt iam dictum est, offert quod vult obseruare: & quod laboretur interim apud alios. Item si habuerit causam male suspicandi in materia ista & caute respondendi, attenta variatione circa eum & Clementem, & moribus quorundam Cardinalium, & quod sibi negabatur modus practicandi viam cessionis.

Decimoseptimo notetur, quod in prima responsione sua, in qua aliqui dicunt eum reprobasse simpliciter modum cessionis, non potest hoc express. haberi: quia illud, quod ponit de scandalo & pernicie &c. refert ad modum exequendi illam viam, si esset ineptus: & ideo illud petebat modum exequendi. Et circa hoc mirantur aliqui, quomodo hoc sibi potuit rationabiliter denegari, cum maxime hoc tangat eum: & sit caput &c.

Decimooctauo notetur & aduertat vniuersitas, quomodo aliqui de suppositis improbant simpliciter & de plano vias, quas ipsa reputauit vtiles, bonas & conuenientes, & per quarum quamlibet posset haberi pax, & rationes ad hoc dedit: & se obtulit in literis patentibus quamlibet illarum contra quemlibet sustinere. Et videatur si circumstantiæ sic sunt immutatæ vel ex persona vel tempore, quod omnes viæ aliæ præter cessionem sint factæ ineptæ & insufficientes, imo quod illarum coloratores aut opinatores digni sint punitione vel infamatione, & præsertim quia in impugnatione dictarum viarum aliarum fiunt rationes ab aliquibus, qui pro omni tempore militant contra eos, si quid virtutis habeant, & si sit in honorem Vniuersitatis ipsa viderit.

Decimonono notetur specialiter probatio concilii generalis: q; tamen necessario fiendũ quidam bene apparẽter persuadebãt ꝑpter electionẽ noui Papæ. Hæc est radix in sentẽtia breui. Quia magna

pars

pars catholicorum est neutra: sic quod credit quod neuter sit Papa: aut in dubio suspensam se tenet. Isti vero consequenter habent credere aut dubitare de Cardinalibus vtriusque partis: quod non possint etiam similiter eligere nouum Papam: quia si neuter sit Papa: maxima pars eorum nec habet nec habere potest potestatem creandi nouum Papam: nec alii quicunq; à cardinalibus nisi per concilium generale. Supposito quod omnes catholici particulariter consentirent in aliquos certos pro eligendo nouo Papa, si non fieret collegialiter, nihil esset: alioquin Vrbanus intrusus habuisset maximam apparentiam. Si dicatur quod Cardinales soli antiqui creabunt nouum. Primo dubium est apud multos, an perdiderunt potestatem eligendi. Item si alii Cardinales omnes sunt veri Cardinales, si antiqui, non habebunt nisi partiales voces. Alii enim habent potestatem in electione Papæ sicut ipsi: ideo non esset secundum istam rationem plena pacificatio omnium sine concilio generali.

Vicesimo notetur: Si Papa incipiat persequi alios: quia videtur inter cætera, quod illi qui sunt pro se, ab eis persequuntur, & quædam talia: & vtatur excommunicationibus, vtrum illæ erunt timendæ vel non. Si remoueat beneficia: vtrum reperientur alii qui capiant. Si illi excommunicentur & non curent: vtrum præsumendum sit simile, quod alii non curabunt: & quod debent conuiuere & communicare cum eis sicut ante. Et quod erit remedium in celebrare volente & in articulo mortis: an erit aliquis sic negligens propriam salutem: aut temerarius quod non formidet sententiam illius quem tenet aut tenere debet Papam: saltem qui non est iudicatus non esse talis. Et quod erit etiam in vita remedium vel releuamen.

ITEM ALIVS TRACTATVS DE EODEM.



PRæsupposito quod Papa possit fieri hæreticus & schismaticus: Eo etiam quod de his criminibus posset accusari, si de his esset vehementer infamatus & suspectus. Quorum vtrumq; quidam negare voluerunt. Quæritur vtrum rebus stantibus vt nunc turbatis in ecclesia; sit expediens accusare iudicialiter Dominum Benedictum nouissime in Papam electum, super huiusmodi criminibus hæresis & schismatis.

Primo quod sic: quia non debent fideles se exponere discrimini. *Amans* enim *periculum peribit in illo*, inquit Sapiens. Sed obedire homini schismatico vel hæretico, vt vero Papæ, esset discrimen peccati mortalis, vt videtur. Et non obedire eidem, si sit verus Papa & non schismaticus, est similiter discrimen: ideo in casu dubio, sicut est modo apud multos, debet inquiri & sciri veritas. Et videtur fundari posse ista ratio in regula magistrali theologiæ: quod dubitans de aliquo actu an sit peccatum mortale, & faciens illum actum: debet esse certus quod peccat mortaliter. Cuius ratio assignatur illa quæ dicta est: quia exponit se discrimini. Quod autem nunc sit dubium apud multos; an Benedictus sit schismaticus & hæreticus vel non: patet ad oculum de multis, qui sibi obediunt, & alii non etiam de sua obedientia, etiam de eodem regno, imo & in eadem vniuersitate vel collegio. Tollendum est igitur illud dubium à cordibus hominum: ne obediendo exponant se discrimini ratione dubitationis antedictæ. Notetur *19. distinctione Anastasius*, qui communicauit Fotino & Archacio.

Secundo sic: Non minus necesse est vel expediens scire an subtractio sit continuanda, quàm fuit expediens cognoscere an esset facienda. Sed expediens fuit secundum, vt nunc supponitur, igitur & primum. Antecedens pro prima parte fundatum videtur in sufficienti similitudine. Addito etiam quod post subtractionem multa facta sunt, & aliqua oblata per Benedictum, propter quæ multi varie sentiunt de subtractione continuãda vel nõ cõtinuanda. Dicentibus aliis, quia Benedictus satis offert, & cessant causæ subtractionis. Aliis in oppositum asserentibus quod nec cessant, imo nec cessare possunt, vt vnquã possit in Papatu ius habere: propterea necessaria est, vt videtur, iuridica discussio.

Tertio sic: Charitas obligat & mandat curare de proximis & eorum salute & reductione ad cognitionem veritatis. Si ergo sumus certi sufficienter, quod Benedicto nullo modo est obediendum sub pœna schismatis, quia schismaticus est: nos ex hoc debemus procurare, quod alia Regna vel singularia supposita, eidem nullatenus obediant, & hoc fieri non potest absque discussione iuridica, vt videtur. Nam si non vocarentur alii, ipsi de facili contemnerent quicquid ageremus. Si autem adhuc dubitamus: redit argumentum primum, quod exponimus nos discrimini continuando subtractionem ab illo. Cui autem sit obediendum, dubitamus.

Quarto sic: Aut causa præcisa fuit necessario via cessionis, sicut multi tenent dicentes: quod sic fuit pronunciatum per Cancellarium Franciæ ex deliberatione concilii prælatorum: nec aliter prælati iudicauerunt: aut fuerunt cum hoc aliæ causæ. Si primum: constat, vt dicitur, quod offert ipse Benedictus, & Dominus Alexander obtulit eandem viam cessionis & largius quam petebatur. Si secundum: dicatur quod fuerunt aliæ causæ: quæritur an cessent: & si sic, idem quod prius. Si non cessant: ipse ergo Benedictus continuat peccatum suum in grande scandalum totius ecclesiæ:

&c

Et ita debet confestim fieri processus contra eum ad eius destitutionem totalem realiter & de facto: quatenus possit ecclesiæ melius de pastore prouideri. Similiter tales causæ quia non notificatæ sunt apud omnes, nec certæ, illæ debent manifestari, ne ex ignorantia faciant sibi restitutionem aliqui: per quorum auxilium ipse posset multipliciter grauare ecclesiam, & præcipue suos cardinales & alios sibi inobedientes, quos odit & persequitur (vt multi æstimant) odio capitali: sicut ex minis eius & processibus (vt fama fert) contra eos inchoatis iudicatur: imo per hoc posset destituere omnes Cardinales veteres & nouos creare, exaltare fautores suos, & alios iustitiæ zelatores crudeliter impugnare. His autem inconuenientibus quis non videat expediens esse remedium apponere? Hoc autem fieri non potest, vt videtur, absque iuridica inuestigatione causarum omnium & motiuorum tam iuris quam facti, super rationabilitate subtractionis & eiusdem continuationis.

Addunt aliqui, quod omnia quæ promisit existens in carcere super cessione, refutabit, dum erit liber: & allegabit timorem cadentem in constantem virum. Alii dicunt, quod hoc non impedit; alioquin obligatus esset nunc ad impossibile: quia nihil potest agere nisi in carcere, dum semper in illo est. Non est tamen alibi conseruandus, nec in regno, nec extra, vt aliorum est assertio.

Ad oppositum arguitur sic: Discussio iuridica debet coram iudice competenti fieri, & audita parte. Sed nulla persona vel etiam communitas, nisi ecclesia, aut Concilium generale repræsentans ecclesiam, debet esse iudex competens Papæ: imo nec ipsum potest iudicare, vt quidam Iuristæ dicere volunt: sed pro nunc oppositum supponitur. Concluditur ergo quod ista accusatio, discussio & declaratio fieri debebit coram concilio generali totius ecclesiæ, saltem istius obedientiæ. Tunc vltra arguitur: Si non est expediens celebrare huiusmodi concilium pro hac causa principaliter non est expediens discussionem fieri. Sed non est expediens celebrare huiusmodi Concilium generale pro hac causa: igitur &c. Supposita maiore probatur minor multipliciter. Primo ex parte conuocantis. Secundo ex parte conuocatorum. Tertio ex parte medii in tractando. Quarto ex parte finis in obediendo.

Primo sic ex parte conuocantis: nulla congregatio habet vim concilii generalis, nisi fiat in forma iuris: vel saltem non erit verisimile vel necesse quod omnes obediant sententiæ talis congregationis, quæ non erit in forma iuris conuocata: & ita erit totum quod ibi agetur dubium, fluctuans & inualidum. Concilium autem generale non potest conuocari in forma iuris, nisi auctoritate summi pontificis: *dist. 17.* cum ibi allegatis. Et præsertim si sit aliquis talis reputatus in ecclesia: & si non pertinaciter refutauerit celebrare concilium: dum super hoc rationabiliter fuerit requisitus. Istas duas exceptiones reputarent aliqui Iuristarum etiam superfluas: quia tenent regulam in suis terminis generaliter esse veram, tamen ita dicimus in proposito. Supponimus insuper quod Benedictus nondum depositus est de Papatu, quia nec fuit iuridice accusatus, nec auditus, & per consequens non conuictus. Nam etsi hæreticus & schismaticus sit iure deponendus, & apud Deum sic mereatur, non est tamen depositus de facto ante sententiam: *not. 5. q. 4. Notæ:* & Glossæ super hoc verbo: Exempla sunt multa in similibus materiis, de episcopis, aut inferioribus principibus aut prælatis. Quod si quis dixerit non esse expectandam sententiam à iudice latam, dum feratur à iure, dum notorium factum est. Istud dicere est confundere omnem ordinationem politiæ, & contra omnem ecclesiæ regulam. Nam quilibet ad libitum dicere poterit de non notorio, quod est notorium, & sic quilibet erit iudex in causa sua, sicut ad propositum præsens possemus applicare. Nam multa dicuntur à multis esse notoria crimina contra Benedictum, quæ alii vel negant, vel approbant.

Deinde dicentes quod Papa hæreticus minor est quocunque catholico, & iurisdictioni ecclesiæ subest, intelligunt quod ab aliis potest vt inferior iudicari, sed ante iudicium debet semper reputari maior. Non enim insequimur errorem quorundam dicentium, iniustum non posse iuste dominari. Iura ad hæc non allego, quia totus textus *libri Conciliorum ab Isidoro* plenus est, quod Concilium nullum robur habet, nec potest conuocari, nisi autoritate Papæ, & quod etiam ante omnia spoliatus debet restitui. In prologo vocat istas duas regulas duas claues & duos gladios sufficientes &c. Et est casus in terminis de Symacho Papa, qui licet accusatus esset de hæresi, conuocauit concilium, & ante omnia restitutus est. Postmodum se purgauit. Reperitur etiam quod clerus Romanus, scilicet Cardinales, puniti sunt, eo quod à Papa discesserant.

His suppositis arguamus vltra, quomodo Dominus Benedictus conuocabit concilium stans in carcere & spoliatus, vt dicitur. Qualiter etiam illi, qui non restituunt obedientiam iam subtractam sibi parebunt? Qualiter etiam ipsemet in causa sua audietur, vt iuris est, si non relaxetur, siue detur libertati, saltem in concilio? Qualiter præterea poterit multos à concilio abiicere, vel petere remoueri tanquam inimicos sibi, specialiter proprios fratres Dominos Cardinales? Et an causam habeat super hoc rationabilem, videte quid præsumendum.

Secundo sic arguitur ex parte conuocandorum, quod si verum sit Prouerbium, *Vbi multitudo, ibi confusio*, præcipue hic habet veritatem, quando non est vnio sub aliquo capite, neque sub eadem regula siue lege. Sed conuocandi de diuersis regnis, imo de eodem regno non conuenient in iudicio & opinione super eodē capite, p̄ reali & omnimodā obedientiā, vt verisimiliter supponitur.

Et

Et hoc est, quia non conueniunt sub eadem regula siue lege, quæ est de subtractionis rationabilitate dicentibus aliis subtractionem benefactam & continuandam fore, aliis non sic, sed & malefacta fuit. Et si bene facta, tamen rebus immutatis nunc est mutanda, & ita murmur erit inter eos, & quis compescet illud? Denique nondum scimus an alii principes volent conuenire nobiscum, præsertim ad hoc tractandum si præsciuerint. Necesse tamen est vt præsciant, nec præsumendum est quin ante omnia hoc scire flagitent, dum proponetur eis istud concilium. Quod si ab eis veritas celetur & mendaciis seduci quærantur, quam indecorum hoc esset, imo periculosissimum & scandalosissimum nescit nemo. Quod dicatur eis nos velle tractare, an Benedictus sit verus Papa vel schismaticus, & quod certum putant, in dubium reuocare, verisimilius est quod respondebunt se certos esse, nec velle hoc discutere, sicut obedientia partis intrusi nunc vsque respondet. Ecce igitur quam difficile sit vel impossibile conuocandos in vnam viam coniungere pro discussione negotii quod loquimur.

Tertio sic arguitur ex parte mediorum in tractando. Præsupponamus itaq; illud, quod non est verisimile, quod omnes vnanimi assensu de ista obedientia velint conuenire ad concilium, pertractando hanc materiam, etsi non solam, tamen præcipue & principaliter istam. Constat quod Benedictus & sui pro se audientur in sui defensione. Propterea videndum est ante omnia, si ea quæ opponuntur contra ipsum vel opponentur sint talia quæ debeant facere fidem omnibus etiam sibi obedientibus & fauentibus, quia si non sint talia & taliter euidentia, non solum frustra, imo confusibiliter ea proponemus nos, qui subtractionis continuationem defendimus, & ponemus nos in periculo moti schismatis, & condemnationis opprobriosæ. Addito hoc, quod fauor & amor multum impediunt iudicia hominum & iustorum: licet hoc non credant vel videant. Cum ergo maior pars in concilio erit de eis qui subtractionem aut saltem subtractionis continuationem reprobent: non restat nisi vt condemnemur. Nec valet hoc dicere, quod Dominus non permittet errare concilium: quoniam in eis quæ sunt facti aut iuris positiui, & breuiter in omnibus aliis præterquam in materiis quæ sunt pure de fide: ecclesia fallit & fallitur seruata charitate. Patet cum compellit aliquem habitare cum non sua. Istæ vero propositiones: Subtractio fuit bene facta vel male facta: non sunt propositiones pure de fide: sed præsupponunt alias iniurias, quæ sunt pure de facto. Rursus ad idem si Benedictus accusetur de aliquibus, quis dubitat quin accusabit fratres suos & alios aduersarios, de pluribus & de forte maioribus & magis coloratis & fundatis, tam in materia fidei quam in materia schismatis. Exempli gratia: Accusabit Cardinales de rebellione ad eum & conspiratione & crimine machinationum dolosarum: aut de aliis criminibus, vt simonia & similibus. Item habet quædam scripta aliquorum, in quibus sunt hæreses manifestæ, dum credunt eundem impugnare, vt quod soli cardinales sint successores Apostolorum. Quod ecclesia tota non posset creare Papam, nisi per medium Cardinalium, nec vnquam potuit. Quod res expresse prohibita à Deo, si iuretur, debet seruari in reuerentiam iuramenti. Quod Iepte occidens propriam filiam meruit. Quod Deus potest obligari. Item de aliis: Quod possunt esse plures summi pontifices. Quod decreta & decretales plus nocuerunt ecclesiæ quam profuerunt. Quod claues datæ sunt vnitati, non vni. Quod omnis obediens vel procurans obedientiam ad ipsum Benedictum stantibus terminis, in quibus sumus, est schismaticus: per consequens pertinax. Quod probabile est stante dubio probabili & notorio: de aliquibus contendentibus de Papatu dicere, quod alteri est obediendum: est error in fide & moribus. Nam cum casus præsentis schismatis sit in tali dubio probabili & notorio, si vnquam fuit vel erit tale dubium: omnes qui obedierunt vsque nunc vel obediunt vni parti vel alteri errant in fide & moribus. Item quod in eodem dubio quilibet contendens tenetur cedere iuri, si quod habet, & similia. Item quod à Papa licet appellare: & quod licite appellatum est in hac materia. Cuius tamen oppositum determinauit nuper totum Concilium Cardinalium, vt dicitur. Item forte accusabuntur multi de multis criminibus, tam in fide quam in moribus, quæ debent puniri morte: & merentur secundum leges & decreta perpetratores talium exhæredari pro se & suis posteris: & ita videre facile est quod horrenda scissura fieret. Ita tamen debere fieri in contractando materias antedictas videtur verisimilius. Nam si Benedictus accusetur ad mortem & sui fautores: nonne credibile est attento suo quod alios similiter accusabit ad mortem si poterit. Præsertim si fautores aliquos habeat eorum, quos accusare voluerit inimicos odiosos: imo & forte accusabit prælatos regni de sententiis excommunicationis multis, & nominatim, quia consenserunt contra iura vt dicet, & contra ecclesiasticam libertatem, subsidia pro Dominis temporalibus absque causa manifestæ necessitatis &c. Prælati econtra volent se tueri. Volent etiam dare beneficia ad nutum, sicut modo, & hoc forte Benedictus non volet neque sui cardinales. Item forte retorquebit omnia contra prædecessorem suum Clementem & sui fautores, qui contra ipsum allegabuntur: saltem quo ad ipsa quæ concernunt modos diuersos machinandi pro impedimento vnionis, non dico quod iuste, sed nec etiam quod iniuste, parcat omnibus Deus. Postremo quo ad hoc videnda sunt scripta continentia rationes contra Benedictum: & videantur similiter responsiones atque ponderentur. Et forte videbimus quicquid sit in re quod non poterit sufficienter de hæresi aut schismate conuinci: quod tamen exigitur. Est enim difficilimum conuincere aliquem pertinacem & incorrigibilem fuisse ante iudicium. Nam etsi aliquis millesies repetiuerit & protestatus fuerit ante sententiam, quod defendit errorem suum, nec reuocabit: tamen admittitur ad veniam in puncto sententiæ proferendæ, si se monstret pœnitere & velle

velle stare iudicio superioris sui, quamuis ipse Ockam videatur oppositum *in Dialogo suo* suasisse. Contra quod est vsus & lex ecclesiæ.

Quarto sic arguitur ex fine concilii in obediendo. Videamus itaque secundum veram & iustam æstimationem: Si quilibet de concilio tenebit maiorem partem bene sententiasse quantumcunque sit in sui opprobrium vel damnum vel infamiam. Nam cum concilium etiam totum posset errare, vt dictum est in his quæ tractanda hic proponuntur: nonne poterit leuiter dicere condemnatus in hoc concilio: certe concilium errauit, concilium male sententiauit. Fuit hic inimicitia vel odium vel ignorantia facti vel alicuius similis. Consideremus obsecro, si pars, quæ subtraxit nec vult obedire, condemnaretur male egisse aut saltem debere obedire, an pareret huic sententiæ, scio quod facile est dicere, ita: obedirentur, scio quod etiam ita obedire possent. Sed an hoc debeat secundum mortalem æstimationem & coniecturam credi ex his, quæ vt in pluribus accidant humanitus, viderint qui sic vident, ego non video. Si vero nihil sententietur, irrisorium & vanum erit concilium. Si aliquid sententietur, quod non teneatur, erit perniciosum & scandalosissimum pro omnibus conciliis in posterum celebrandis, & erit schismatum innumerabilium & irreparabilium causatiuum: non solum inter istam obedientiam in partibus suis, imo & inter istam obedientiam & alteram: quoniam remanebimus in irrisione & in infamia apud eos perpetua, in fabulam quoq; & derisum. Et forte non poterit esse concordia in modo restituendi: quia alii volent ex toto, alii ex parte. Isti volent in spiritualibus, alii in temporalibus. Aut ergo volumus nos qui subtraximus restituere obedientiam: & ita melius est quod nosipsos libere faciamus quam coacti iudicio. Aut nolumus: & ita exponimus nos periculis prætactis, si petamus concilium.

Sed dicet aliquis, istud concilium peti debere: non quod fieri debeat aut speretur: sed quod interim absque scandalo tempus protrahatur: quo currente morietur Benedictus: & liberabit nos Dominus & eligendi libertatem dabit. Posset hic allegari illud vulgatum pueris notissimum;

In mortem alterius noli sperare salutem.

Quis scit enim quantum viuet, quando morietur? Et interim in quo statu sumus: imo in quos status corruimus, nemo non videt. Porro & si cras moreretur Benedictus, attendamus incredibilia pericula. Primo diceretur ab inobedientibus sibi, quod mors eius fuisset proditorie accelerata: & ita suspecti de hoc persequerentur. Item obedientes nunc sibi obedientiam negarent ab illo, qui nouiter esset electus. Tum quia iudicarent Cardinales amisisse ius electionis: tum quia verisimiliter alium eligerent per aliquos Cardinales, qui non subtraxerunt. Aut forte ad aliam obedientiam se diuerterent. Imo rebus se habentibus inter nos, vt se habent, cæcus est qui non aspicit periculum diuisionis ciuilis in regno Franciæ, qualis non fuit à diebus suæ institutionis. Et sane eo periculosior esset diuisio, quo magis intranea, & quo magis inter capita regni, & quo sub specie religionis fieret. Nam tunc expectandum esset illud, quod dicit Scriptura; *Amicus qui vult recedere ab amico, occasiones quærit*. Et illud decreti: *Schisma disponit ad hæresim:* quia recedens ab ecclesia, errores fingit, vt recte discessisse videatur. Et hoc iam periculum habemus in ianuis, nisi celeriter & cautissime prouiderimus. Addito quod nulla sit implacabilior & irremediabilior diuisio, quam illa quæ fit sub religionis prætextu. Intantum quod in hoc casu putet frater se obsequium præstare Deo pro sequendo fratrem. Addito præterea quod magna pars ne dicam maior non sponte consensit in subtractionem. Vel nunc dum videt, quæ secuta sunt voluntaria & pronissima est obedire & reuerti: nec obstat forte ad reuertendum nisi timor, quo sublato & data audacia, ipsi etiam cum periculo corporis & rerũ suarum suam ostenderent voluntatem. Quid si descenderimus ad particularia, quæ scienter omittimus: arbitramur indubie, quod rei huius ingens & horrendus pateret aspectus, & stuporem vehementem sola sui cogitatione causaret. Væ væ regno huic à scandalis: væ pesti schismaticę, si diuisionem in regno adducat, sicut iam posuit in Imperio. Sed væ supra modum, si nobis hæreses pariturus... bus ipsum schisma irremediabiliter radicetur: & radicatum iugiter alatur, crescat, dilatetur atque roboretur.

Ex his omnibus hinc inde tactis & insolutis perspicuum est, in quali labyrintho vix egressibili positi sumus: & vinculis vix extricabilibus irretiti, quasi videlicet *Posuerimus in retibus pedes: & in maculis eorum ambulemus*, iuxta verba Iob.

Cum igitur angustiæ nobis sint vndiq;: & cum ignoramus quid agere debeamus, ego in insipientia mea hoc solum video residui & consilii cum Iosaphat rege 2. Paral. 20. vt *oculos nostros ad Deum dirigamus: si forte auertat iram suam à nobis*. Si forte non auferat consilium à prudentibus & senioribus: sicut videtur hactenus abstulisse: Quamuis hoc fieri in tanta peccatorum abominabilium colluuione, & in tam obstinata & incorrecta flagitiorum nephandorum multiplicatione vix expecto & vix spero: nisi quod misericordiæ Dei non est numerus: & solus est medicus, qui desperatos morbos ad sanitatem adducit: ne glorietur ante eum stulta præsumptio omnis carnis, quasi homo pacem effecerit.

Si quid autem vel in dubio dicere necesse sit, pro remedio præsenti dicam sub correctione. Videretur itaque ante omnia tractandum hoc negocium inter Dominos omnes de sanguine Regio, communi consensu & absque maleuola, aut acerba contentione, cum quibusdam peritis non nimis

hinc vel inde affectatis. Et qui non tantum timerent de statu suo in posterum, nec tantum affectarent nouam status exaltationem, quod mentiri velle præsumerentur inordinato timore, odio vel fauore cuiuscunque. Quibus in vnum congregatis & ambulare volentibus in domo Domini cum consensu: sperandum est in illo, qui est Deus pacis & dilectionis, cuius locus in pace factus est, & qui est in medio eorum qui se congregant in nomine suo, quod ipse expediens aliquid in materia ministrabit. Alioquin si seorsum per contentiones & partialitates & simultates & comminationes negotium hoc de pace restauranda tractetur: non nisi diuisiones crudeliores & multipliciores generabuntur: & erit immedicabile vulnus. Et tandem quod Dei pietas auertat, super capita nostra, dum contendemus & rixabimur: imo dum nos plus quam hostiliter ad mortem persequemur, irruent quaquauersum hostes alieni insidiatores regni huius ad prædandum & vastandum paratissimi: & nos iam non vt hostes suos, sed vt schismaticos & hæreticos & Saracenos liberius persequendos inuadent, vt in fabulis aquila fecisse fingitur, de rana & mure certantibus. Sit vtinam vanus iste timor, quem timeo: nec tamen timere desinam, priusquam aliquod remediandi genus aliud, quam quæri video, aspicere meruero.

QVÆDAM PER PRÆFATVM DOMINVM IOHANNEM GERSON EDITA TEMPORE SHISMATIS ECCLESIÆ.



Aturus occasionem sapientibus, vt sapientiores fiant: propono eorum examinationi propositiones negatiuas: quæ sequuntur super materia communis concilii huius obedientiæ. Ex quibus patebit citius, si sit expediens aut non, concilium huiusmodi celebrari: & si sic, quæ cautela debeat obseruari.

Non expedit fieri concilium generale huius obedientiæ ad tractandum & sententiandum de criminibus Domini Benedicti sibi per quosdam impositis: vtputa de periurio & schismate & hæresi, aut de suspitione vehementi super istis.

Primo, quia obedientia ista in se & in partibus suis diuisa est circa iudicium de actis per Papam, aliis dicentibus: quia bonus est & sufficienter obtulit, præsertim nouissime: aliis contrarium asserentibus. Tractare igitur talia coram multitudine tam multipliciter diuisa, esset potius induratio & noua multiplicatio diuisionum, quam illarum sedatio: attento quod ita requireret Dominus Benedictus fieri super dictis hæreticis illorum qui sibi subtraxerunt.

Secundo, quia concilium huiusmodi ad hunc finem, aut fieret secundum formam præscriptam à iure, aut noua inuentione. Si primo modo constat, quod Benedictus deberet præesse etiam sub noua submissione: & tamen rebus stantibus vt stant, non videtur quis locus esset aptus sibi ad securitatem, cum detineatur inclusus. Nec videtur quod permanentes in subtractione suæ vocationi obedirent: & ita nihil ageretur. Si autem fieret concilium per nouos modos præter formam iuris: non videtur modus verisimilis ante celebrationem concilii, quomodo prælati & principes in vnum concordarent: vno volente vnum modum, altero alium, & esset tractatus in tractando hoc dispendiosissimus & sumptuosissimus sine magno fructu.

Tertio, quia in determinatione huius materiæ necesse esset multa concurrere & allegare, tangentia fidem & mores: sed tales materias non expedit in hoc concilio ventilare ad determinandum, prout statim dictum est.

Quarto quia nunc omnia possunt fieri ad vnitatem vniuersalem ecclesiæ, erga alias procurandam, quemadmodum si tota hæc materia esset in concilio isto terminata, siue Papa remaneat, siue non, attento quod offert omnia quæ nouiter electus quicunq; posset offerre: imò apud talem aut pro tali nouiter electo fieri possent nouæ colligationes & confirmationes peiores prioribus: & fieret verisimiliter noua diuisio, aut iam facta continuaretur in hac obedientia.

Non expedit fieri concilium ad tractandum determinatiue materias fidei. Ratio ad hoc: quia esset dare occasionem scandali & periculi magni in fide nostra, si aliud determinaret illa pars siue altera, in materia quæ omnes tangit, & quæ ab omnibus debet approbari: quemadmodum patuit de Latinis & Græcis. Facile tamen esset & verisimile, quod determinationem in hac parte factam non approbaret altera pars: præsertim si in aliquo tangi videretur status eorum in materia hac schismatis, sicut tamen tangeret etiam apud istam partem. Et forte ita apud aliam dicuntur multæ assertiones de fide, in quibus esset aduersissima sententia inter diuersas obedientias: imo & inter multos eiusdē obedientiæ. Vt super materia appellationis à Papa. Et super eo quod renuens cedere aut cessionem facere, est schismaticus. Et quod nō adhærens subtractioni est suspectus de schismate, vel ecclesiæ aduersus, vel in latitudine schismaticorum: & ita de similibus multis. Constat quod de prima istarum propositionum est controuersia in regno Franciæ apud Theologos & Decretistas, & inter multos

tos

los de concilio regis & de parlamento, & alios de vniuersitate, & inter se mutuo. Et de aliis duabus assertionibus similiter & amplius, quoniam altera obedientia nunquam tales concederet, imo reputaret erroneas. Propter quod perspicuum est non esse tutum talia determinare per modum autoritatis concilii generalis. Sed nec deberent tales assertiones leuiter in particularibus poni, quia reputatur hoc ab aliis ad iniuriam suam, vt dicere quod error sit in fide, si asseratur quod stante dubio probabili de Papatu apud duos cõtendentes alteri sit adhærendũ quia non videtur esse possibile maius dubium probabile, quam sit in casu præsentis schismatis, & tamen vtraque obedientia dixit obediendum suo. Et ita de similibus, vt quod non sit alia via humanitus impossibilis ad sedandum schisma, quam via cessionis, cum iam videatur reddita per se inefficax, nisi concurrat saltem concilium generale, quod excludere non bene saperet, & quia certe circumstantiis negotiorum variatis possunt viæ & remedia ad vnitatem habendam vario modo reperiri: sicut & necessarium esse experientia præsens notum facit.

Non expedit fieri concilium huiusmodi ad tractandum reformationem ecclesiæ in moribus per modum determinationis. Ratio ad hoc est quo ad multa eadem, sicut ad præcedentem propositionem: addito quod reformatio ecclesiæ vniuersalis fieri non potest in moribus sine abolitione multorum statutorum super excommunicationibus & cæteris traditionibus nimis multiplicatis, quæ nec obseruantur nec obseruari possunt rationabiliter vbique propter varietatem morum & temporum. Et tamen tales remotiones statutorum & canonum antiquorum, aut additiones nouorum fieri nequeunt rationabiliter pro tota ecclesia sine consensu communi: alias posset esse statim diuersitas nimia in moribus & iudiciis, quo ad ea, quæ Papa & concilia statuerunt. Si vero diceretur, quod multa bona possunt ibi auisari & discuti, sed non determinari: pauca esset ibi vtilitas in comparatione tanti facti. Nam pauci viri literati & probi faciliter, & forte congruentius ista considerant, extraherent & ordinarent. Nolo tamen dicere quin in multis partibus possit ecclesia per suas partes reformari, imo hoc necesse esset. Sed ad hoc agendum sufficerent concilia prouincialia; & ad quædam satis essent concilia diœcesana & synodalia: prout super hac re iam aliqua scripta sunt & auisata, si quis vellet ad opus manum mittere & ad fortia. Sed heu desolatione desolata est omnis terra, quia nemo est qui recogitet corde, & quærunt omnes quæ sua sunt.

Non expedit pro restituendo obedientiam Papæ in spiritualibus fieri concilium huiusmodi generale. Primo, quia videtur implicatio (sicut tactum est) quod maneat subtractio huiusmodi à Papa, & quod fiat concilium. Secundo, quia facilius ista restitutio & reductio tractari poterit in solo regno Franciæ: si verum sit, quod omnes alii iam restituerunt obedientiam, aut in ea permanserunt, si verum sit etiam quod subtractio non est facta Papæ etiam in regno, nisi sub conditione explicita, vt quidam dicunt: aut saltem implicita, & quæ de iure & æquitate debet intelligi. Hæc conditio est, quousque Papa fecerit debitum suum, & concesserit ea quæ sibi petebantur; & propter quorum negationem fiebat subtractio. Nam cessante causa cessare debet effectus. Addito hoc quod subtractio nullo modo potuit fieri iuste, nisi ad finem vnionis tanquam medium ad hoc necessarium. Alioquin tantum malum & insolitum nullo modo posset à culpa defendi. Si ergo nunc videatur, quod subtractio non prodest ad vnionem, vel non est necessaria propter condescensionem Papæ ad ea quæ petebantur, cessare ipsa debet; quia si rebus stantibus vt stant erga Papæ promptitudinem de cedendo, non posset de nouo fieri subtractio, sicut concedere habent aduersarii, vt videtur, non potest aut debet eisdem rebus stantibus eadem subtractio continuari. Tertio, quia restitutio huius obedientiæ quo ad spiritualia fieri commodius & breuius potest per assensum cardinalium & reconciliationem mutuam indulgendo præterita, ratificando quæ ratificanda essent ad cautelam futurorum & emendationem securiorem præteritorum & conscientiarum serenationem, & ad abolendam omnem infamiæ aut rebellionis notam, & quatenus in viam pacis communi animo & eodem pede procederet hæc obedientia concordius; quoniam faciendo restitutionem debitis modis, nec subtrahentes, nec ille à quo facta est subtractio, remanerent notati de talibus; quod difficilius esset euadere, si per concilium aliquod fieret determinatiua decisio.

Non expedit concilium tale celebrari pro restituendo obedientiam Papæ in administrationibus beneficiorum & aliorum huiusmodi, quia licet annexa sint spiritualibus, tamen possunt temporalia nominari. Primo, quia rationes aliquæ priores de non expediendo reformationem ecclesiæ vniuersalem in moribus tractare faciunt pro hac parte. Tamen aduertendum est, quod & si concederetur Papam habere de iure diuino dominium vniuersale spiritualium & temporalium, respectu omnium: tamen constat quod pro diuersitate temporum & locorum & statuum, nec Papa nec ecclesia habuerunt aut habere debent in talibus dispensationibus aut administrationibus beneficiorum temporalium iurisdictionum simile exercitium aut executionem aut vsum. Itaq; notum est, quod ecclesia tempore Christi & Apostolorum nullum habuit exercitium aut executionem iuridicam & ciuiliter circa huiusmodi temporalia: imo Christus plus videtur facto & verbo tale exercitium iurisdictionis ciuilis prohibuisse quam permisisse: licet non dicam, quod prohibuerit aut oppositum consuluerit, nisi pro loco & tempore. Quia enim ecclesia tunc multiplicanda erat per discursum Apostolorum & fidelium: ideo talis iurisdictio temporalis & possessiones fuissent eis ad impedimentum, & tales sunt ad hoc congruentiæ multæ. Sed pro tempore Syluestri & Constantini

Magni placuit Domino ad dilatationem ecclesiæ inspirare, tum Constantino quod tales possessiones daret, tum ecclesiæ quod reciperet: & durauit huiusmodi dotatio ecclesiæ vsque ad tempora nostra per successiones sanctissimorum patrum Gregorii & Ambrosii & aliorum, quos non est credibile in retentione talium errasse contra Christi iussionem. Sed longe aliter in primitiua dotatione distribuebantur bona talia, quam postmodum tempore prælatorum, qui cœperunt paulatim refrigescere à sanctitate priorum: tandem abusi sunt taliter collationibus beneficiorum & huiusmodi administratione, quod Papæ paulatim & successiue ad se multa reuocauerunt, vsque adeo quod finaliter datis occasionibus & acceptis, quas non est hic opus recitare, quasi tota collatio & iurisdictio talis penes Papam & eius curiam remanebant. Ita vt vix esset prælatus, qui posset minimum beneficium conferre. Concurrebant ad hoc exactiones multiplices pro statu Papæ & cardinalium: & si fraudes & abusus & simoniæ committerentur, relinquo iudicandum expertis.

Hæc idcirco dixi, quoniam forte aliquibus videretur, quod sit expediens ecclesiæ vniuersali redire omnia ad pristinum statum ecclesiæ seu illius qui fuit tempore apostolorũ quantum fieri congrue posset: abiectis talibus iurisdictionibus pro magna parte, quæ reddiderunt ecclesiam totam brutalem & carnalem, & nihil fere sapientem de his, quæ Dei sunt erga salutem animarum, non ex se quidem, sed abutentium vitio. Vel redeundum esset ad statum ecclesiæ tempore Syluestri & Gregorii, quando quilibet prælatus dimittebatur in sua iurisdictione & sollicitudinis parte: & Papa tenebat quæ sua erant absque tot reseruationibus, tot & continuis magnisq; exactionibus pro sustinendo statum curiæ & capitis nimis forte crescentem suum cæteros membrorum status.

Ad sciendum igitur istud cum multis appendiciis de prouisione clericorum sufficientium &c. & ad prouidendum: expediens est fieri determinationem vniuersalem ecclesiæ. Nam vniuersalem ecclesiæ statum tangit. Sed dictum est prius, quod reformatio talis fieri non debet in concilio solius obedientiæ istius.

Si vero quis obiiciat, quod istud sic stare non potest cum eis quæ dicta sunt de restitutione obedientiæ quod ad spiritualia: quoniam esset ita bene periculum inobedientiæ culpabilis in vno sicut in alio. Respondetur quod latissima est differentia in spiritualibus & temporalibus quo ad hoc, & vtinam fuisset bene semper intellecta à prioribus & modernis: forte quod adhuc starent Græci cum Latinis. Patet enim ex priori deductione, quod Papa potest remanere Papa vniuersaliter in perfectione magna, imo maiori quam erat Syluester, & tamen nullum habebit exercitium actuale circa temporalia ecclesiæ vniuersalis per diœceses, quantumcunque habeat dominium vel plenitudinem potestatis in habitu: quæ potestas ex causis certis potest cohiberi & arceri, imo debet, ne exeat in actum, sed dimittat singula singulis ministrare. Nonne Christus fuit Papa perfectissimus? nonne similiter Petrus? ipsi tamen omne exercitium abdicauerunt à se in talibus, quanquam Christus cum summa facilitate illud obtinere potuisset. Nihil ergo de perfectione status summi pontificis diminuitur, si pro causa rationali remouetur ad tempus aut suspenditur sibi tam anxia sollicitudo, tot curarum immortalium & periculosissimarum in anima & corpore pro huiusmodi exercitio circa temporalia distribuenda aut conferenda: augetur potius sua perfectio, & gratulari profecto deberet in Domino.

Videtur vlterius pro hoc multis, quod non expedit vnum solum caput præesse in tali exercitio administrationis temporalium, sicut expedit, imo sicut necesse est vnum solum præesse in spiritualibus respectu omnium. Cuius ratio est: quia ea quæ fidei sunt, debent eadem esse apud omnes: & hæc identitas & vnitas vix aut nunquam perpetuari potest, nisi recursus esset finalis ad vnum caput. Sed de traditionibus humanis pro regimine temporalium ecclesiæ, totaliter oppositum inuenitur: quoniam secundum varietatem temporum, locorum & gentium & respectuum variandæ sunt decretales & ordinationes super collationibus & regimine talium temporalium.

Ex his omnibus quæ latius possunt deduci probabiliter, vellent aliqui dicere non esse expediens fieri concilium decisiuum super restitutione vniuersali temporalis administrationis Papæ: sed super hoc debet concilium vniuersale celebrari. Nec oportet illos esse vel dici schismaticos, qui occasione data & accidente talem in temporalibus fecerunt aut faciunt subtractionem: quia etiam stante vnitate ecclesiæ talis subtractio contingebat vel in toto vel in parte fieri fortassis debuisset, & hoc si absque grauiori scissura in spiritualibus hoc potuisset contingere, & ita sapientissima lucet in hac parte Dei prouidentia, quæ ex malo schismatis, alia bona sciet elicere. Et si petatur de quo viueret Papa interim & cardinales. Respondetur quod si faciant debitum suum laborando & diligenter inquirendo finem schismatis: præsumendum est quod cito inuenirent, & tunc prouidebit eis concilium generale qualiter erit expediens honestum pro statu tantorum dominorum. Similiter de modo prouisionis sufficientium clericorum tunc tractandum esset pro futuro.

Non expedit concilium præfatum fieri tanquam viarum vnionis tantummodo repertiuum. Ratio est: quoniam materia huiusmodi iam totaliter aperta est & discussa quo ad possibilitatem viarum & rationabilitatem vel irrationabilitatem earum: & non restat nisi conuenire istam obedientiam cum altera in aliqua viarum. Hoc autem fieri potest, si vnquam debeat fieri absque tali concilio huius obedientiæ, quoniam non videtur quod alia conclusio ibidem concluderetur, quam quod summarentur aduersarii de aliqua via assumenda. Si enim vna particularis via limitaretur, incideremus in inconueniens, quale patimur.

Ex his omnibus non determinatiue positis, sed tantummodo examinatiue: videtur sequi quod nullo modo expedit nunc concilium istius obedientiæ fieri: nisi forte solum ad habendum liberam in consulendo deliberationem: & plenam concordiam capitis & membrorum ad inuicem, super modo & forma viuendi hanc obedientiam secum & cum alia: & hanc vnionem concorditer prosequendi.

Ad quod amplius declarandum possent adduci particulares circumstantiæ super diuersis affectionibus & intentionibus diuersorum: & super periculo maximo nouarum dissensionum suboriendarum: & vix vnquam sopiendarum in spiritualibus & temporalibus. Nisi prius ante omnia limitarentur ea, quæ tractanda essent in concilio super quibus fieret. Nisi præterea fieret talis prouisio super præmissis non determinandis quæ tangunt fidem & vniuersalem ecclesiam, quod conuocatio concilii nulli super ipsa disceptare aut saltem determinare præsumerent. Denique constat aliquos affectare totalem penitus decisionem Benedicti, & alii penitus hoc nolunt: sed totis viribus obniterentur: nec est ratio patens ad sui destitutionem statim sic inuenienda, vt dicunt.

Restat igitur communi & concordi Concilio vel deliberatione tantummodo quærere cum aliis viam aliquam, in qua nobiscum conueniant pro vniendo ecclesiam, siue via illa sit conuentio, siue compromissio: habens vim concilii generalis in modificatione sua: siue concilium generale formaliter, siue cessio, siue omnes viæ in vnum, si debeat perfectus haberi finis, prout multi Doctores opinantur. Nam & cessio (vt dicunt) fieri nequit, quæ vnionem det veram in ecclesia sine concilio generali: & per consequens neq; absq; conuentione: & præsertim renuente cedere altero contendentium: quoniam per concilium taliter artabitur quilibet, aut artari poterit quod requiretur eorum consensus. Nam si dissenserit obedire concilio erunt palam schismatici: & si schismatici, erunt deponendi. Quibus depositis procedendum erit ad nouam electionem libere fiendam, sicut eis à vita separatis aut libere cedentibus. An vero ista sola causa vltimo tacta sit sufficiens causa ad hoc, quod expediat aut de necessitate celebrandum sit huiusmodi concilium commune istius obedientiæ attenta difficultate in conuocando: & expensis & periculis continuando: iudicent illi ad quos spectat & in conuenientibus maioribus prudenter occurrant.

Vt veritatis flamma ex discussionis ventilatione clarior emergat, proponemus, & soluemus obiectiones contra viam mediam: quæ prout expedit tacta est. In primis dicent aliqui contra secundum expediens, quod absque discussione eorum quæ hactenus facta sunt, non potest syncere & pro conscientiarum seruatione illud fieri quod proponitur. Nam si Benedictus ex vna parte cum suis adhærentibus: aut alii ex altera fiunt culpabiles de schismate aut hæresi vel de rebellione, aut alio tali vitio: qualiter tales absque recognitione propriæ culpæ & postulatione veniæ indulgentiam apud Deum & homines merebuntur? non remittitur pœna, nisi confiteatur culpa.

Sed respondemus, quod hæc obiectio friuola est & sophistica: atque fieri posset in omni materia dubia, sicut fieret ad impediendum viam cessionis liberæ absque discussione iustitiæ. Dicimus igitur secundum catholicam veritatem, quod in dubiis potest fieri confessio sub conditione: & ex tali confessione veniam absolutam peccator consequetur. Addimus ad hæc quod omnia & fere omnia dici possunt dubia in foro exteriori, quę nondum sunt iudicialiter diffinita. Propterea nullus erit scrupulus obediendo Domino Benedicto, etiā vbi fuisset hæreticus aut schismaticus, si resipisceret: vel si hoc non constaret per diffinitiuam sententiam ecclesiæ. Similiter de subditis rebellantibus si qui fuissent diceretur: Quis nesciat multa apud antiquos patres, & nunc quotidie tolerari: vt de simoniis & aliis: quæ si iudicialiter essent ventilata & conuicta, tolerari non possent? Superaddimus quod tota res præsens magnis dubiorum inuolucris contecta est & vtriusque colorata. Sed nec sunt aliqua, quæ proprie & nude tangant opposita fidei: quin magis in factis diuersis & diuersimode receptis, quam in iure consistunt. Nulli idcirco possunt aut vix possunt de schismate & hæresi pertinaces conuinci in hac parte. Denique dicimus, quod regula magistralis Theologiæ non debet nos scrupulis inquietare, vt fiat discussio illa scilicet regula: quod si illud sit dubium an liceat, an non liceat illud fieri: si fiat, certum est illud esse peccatum: quoniam per prædicta non habebitur rationabiliter dubium de eis quæ fuerint concordata: & præsupponetur quilibet aut non errasse, aut de erratis pœnitere: & ita in suo honoris gradu, iure aut saltim misericordia remanere.

Cæterum ab aliis secunda fieret obiectio contra secundum expediens. Crimina, inquiunt, non ita generaliter remanere debent impunita: alioquin incentiuum tribuerent delinquendi. Sed nec salua conscientia forsan poterit Dominus Benedictus ea ratificare, aut non infringere quæ facta sunt: nisi præsertim veniam & nouam confirmationem singuli pro se petant: aut nisi de nouo habilitentur & ordinentur. Sed respondemus, quod frequenter præcipue in delictis tangentibus communitatem aut homines grandis status, consultius tolerantur errores communes, quam vindicari seuero rigore quærerentur. Nunquid non tolerat ecclesia meretrices? Nonne hæc est expressa prudentissimi August. sententia in scriptis suis multis, cuius dicta sicut nec aliorum hic non inserimus: quia à clericis satis cognoscuntur: quia insuper magis rationem, quare talia dicta sunt quam vbi dicta sunt nunc & alius offerre conamur. Non deessent rationes & exempla nisi breuitatis amor obstaret: & si non experientia doctrice pateret verites. Præterea quod additur de conscientia Domini Benedicti satis dissoluitur per hoc idem dictum: quod etiam vbi fuissent mala perpetrata, illa

potest salua conscientia pro bono & vtilitate tanti negotii complendi tolerando dissimulare. Sicut regulariter verum est quod prælatus non solum potest, imo debet aliqua agere vel omittere propter generalem inclinationem subditorum: vbi etiam quandoque mala esset, quæ alias agere vel omittere in graue delictum sibi verteretur. Iuxta quod inferunt aliqui, quod etiam vbi via cessionis minus bona fuisset: tamen attentis deliberationibus omnium subditorum super postulatione huius viæ: Dominus Benedictus illam acceptare tenebatur, sicut nunc acceptauit, quantumcunque alias ad eam acceptandam non fuisset artatus vel artandus. Sed hoc omittamus: Volumus enim nihil discuti de factis hactenus vel inde. Rursus ea quæ facta sunt in promotionibus & similibus, durante subtractione, autorizata sunt per ordinarios locorum, ad quos de iure communi spectabant talia. Cur ergo non poterit Dominus Benedictus præsumere illos, qui à se aut prædecessoribus suis fuerant ad hæc electi & promoti, immemores non fuisse suæ salutis? quare nequibit absq; scrupulo tolerare, ne dicamus approbare quæ facta sunt.

Denique quod subiungitur de venia sigillatim postulanda magis ad verecundiam multorum turbationem quam ad tranquillitatem & pacem, satis esse debebit postulatio veniæ generalis, & modis honestis executa. Facit pro prædictis quod omnia sacramenta, nisi forte pœnitentia, vim suam habent, vt collatio ordinum baptismus & similia, quantumcunque fuerint à peccatoribus distributa: stante tamen debita intentione faciendi, quæ ecclesia facere intendit: & præcipue vbi non ex affectata ignorantia iuris, sed ex facti inscitia peccatum exortum est: propterea non erunt reordinandi iam ordinati.

Deinde tertio obiicient alii contra idem secundum & tertium expediens: & dicent quod implicatio est in terminis, vt Domino Benedicto fiat obedientia tanquam summo pontifici: & nihilominus coartetur eius potestas ad certa & per certos modos, & quod sibi coadiutores socientur.

Sed respondemus primo iuxta positionem illorum, qui subtractionem ꝙ licite fieri potuisset confirmant, sicut reuera aut in isto aut in multis casibus potest euenire. Dicimus itaq; quod Papalis dignitas non pro extollentia aut fauore personæ, sed pro ecclesiæ vtilitate à Christo statuta est. Quamobrem secundum exigentiam vtilitatis ecclesiæ tanquam finis debet hæc dignitas agibilia sua moderari, præsertim in eis, quæ non sunt expressa in iure diuino. Hoc enim dicere esset de iure naturali cuiuslibet politiæ, quod violari non potest aut mutari. Si ergo contingit, quod prædicta fieri sit expediens pro ecclesia, attentis circumstantiis negotiorum, aut videlicet propter culpam Domini Benedicti seu aliquas eius conditiones minus ciuiles & vtiles ecclesiæ, etiam vbi non essent culpabiles, aut propter generalem affectionem & deliberationem omnium subditorum, etiam vbi errarent & minus bene iudicarent, dicimus non solum ista licere fieri, imo posse consurgere obligationem ad agendum. Neque in hoc derogatur autoritati Papali; neque plenitudini potestatis suæ collatæ sibi à Christo, sed impletur. Nam posse mala & inexpedientia ecclesiæ facere, quis diceret esse posse? quis crederet hoc à Christo collatum extitisse? Porro de istis temporalibus administrationibus ecclesiarum possessionum, iurium, beneficiorum, & similium Christus per seipsum immediate nullatenus se intromisit: nec ordinare curauit: sciens & volens talia esse variabilia secundum exigentiam temporum, personarum & locorum, ad communem ecclesiæ vtilitatem: non ad vnius aut paucorum singularem pompam, aut inutilem vanitatem siue voluntatem. Ratio postulat, nec negamus, vt Domino Papæ & suis Cardinalibus fiat sufficiens prouisio de bonis ecclesiasticis, sicut olim summo sacerdoti inferiores suas decimas offerebant. Sed hæc prouisio nonne poterat adimpleri absque hoc, quod necesse sit ex toto ius ordinariorum cassari vel suspendi? Profecto sic.

Postremo dicent alii, quod hæc via, quæ dicitur media, compleri non potest absque concilio huius obedientiæ generali: & ita cadit in illud, quod videtur velle fugere. Hic respondemus, quod si concilium generale non quæreretur fieri nisi sub modificationibus tactis in hac via media, non videtur inconueniens aut periculum celebrare huiusmodi concilium. Cessarent enim omnia quæ contra ipsius vtilitatem audiuimus allegari. Nihilominus illud concilium nequaquam iudicamus necessarium pro complemento celeriori & faciliori huius viæ: & absque impensis innumeris & tractu temporis, quia nunc interim prius quam ista concordata sint: dubia quædam orirentur super conuocatione concilii, & quibusdam similibus, quæ hic cessant. Dubitabit forte alius, quod Dominus Benedictus audita ista viam illam aut impediet, aut non concordabit. Propterea forte tutius est, vt ante omnia secrete quantum fieri poterit habeatur consensus maior omnium istius obedientiæ, aut saltem principalium, vt communi consensu totius suæ obedientiæ fiat oblatio talis, cui vniuersali consensui si renuat assentire, quis non videbit tunc eius modum procedendi penitus improbabilem esse? quis non iudicabit ab eo iure recedendum fore? Non enim poterit aliqua tergiuersatione fautoria schismatis & subuersionis ecclesiæ denegari.

Quod si quis ad extremum dubitauerit similiter de principibus aliis, quod non approbabunt viam hanc mediam: fatemur hoc non vsquequaq; certum esse: nisi prout in moralibus sumenda est

certitudo

certitudo ex his, quæ vt in pluribus secundum verisimiles & probabiles coniecturas eueniunt. Si in omnibus prædicta via nihil petit difficile aut onerosum vel inhonestum: quæritur propter quid principes & prælati debeant improbare: maxime pro tanto bono reunitionis obedientiæ huius totalis obtinendo. Quid enim graue erit, quod omnia indulgeantur præterita, & non discutiantur: quod Dominus Benedictus habeat bonos consiliarios, non suspectos cuicunq; parti: secundum quorum iudicium agat, quod acturus est: quod ipse à vindicando proprias aut alienas iniurias immunis fit, & Deo committat: aut certe vniuersali bono Ecclesiæ & pacis illas donet. Idem dicimus de subditis quibuscunq; erga dominum Benedictum. Profecto nihil istorum difficile est: nisi forte apud illos, apud quos humilitas & charitas & ecclesiastica vnitas fuerint onerosæ, scil. qui turbationibus gaudent, & quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Aut qui suis sententiis ceruicosa animositate nimis credunt. Aut si difficilia esse ista quisquam contenderit: animaduertat ille obsecro, si plures sint in aliis viis difficultates & ambages: aut viam aliquam omni difficultate carentem afferat in medium, nos lætis animis complectemur. Quod si hoc vel facere non vult, vel quod magis credimus, non potest: tunc cum aliquid agere necesse sit, pergat nobiscum in hanc sententiam & attendat, quid plus habeat damni pro ecclesia: vel sic stare, imo quotidie magnis lapsibus corruere & dominum Benedictum incarceratum esse, & Cardinales suis honoribus spoliatos, & principes ad contentionem periculosam dispositos videre: aut quod ita præparemus nos per hanc reunitionem primam & totalem huius obedientiæ: quod cum alia celeriter & vtiliter tractare valeamus: & qualiter (si quis quæsiuerit) iam in parte responsum est, & à prudentioribus erit diligentius inquirendum & inueniendum facilius.

DECRETA IN SESSIONE PVBLICA CONCILII GENERALIS CONSTANTIENSIS, DIE SABBATI 9. OCTOBRIS, ANNO M. CCCC. XVII. ET primo Procemium super futuris conciliis celebrandis: & prouisione aduersus futura schismata.

Anno Domini 1417.

Frequens generalium conciliorum celebratio agri Dominici præcipua cultura est: quæ vepres, spinas & tribulos hæresum, errorum & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem vberrimæ fertilitatis adducit. Illorum vero neglectus præmissa disseminat atque fouet. Hæc præteritorum temporum recordatio, & præsentium consideratio ante oculos nostros ponunt. Ea propter hoc edicto perpetuo sancimus, decernimus atq; ordinamus: vt amodo generalia concilia celebrentur. Ita quod primum à fine huius concilii in quinquennium immediate sequens. Secundum vero à fine illius mediate sequentis concilii in septennium & deinceps in decennium perpetuo celebretur: in locis quæ summus pontifex per mensem ante finem cuiuslibet concilii approbante & consentiente concilio, vel in eius defectum ipsum concilium deputare & assignare teneatur: vt sic per quandam continuationem semper aut concilium videat, aut per termini prouidentiam expectetur. Quem terminum liceat summo pontifici de Fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, ob emergentes forte casus abbreuiare: sed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro concilio celebrando deputatum absq; euidenti necessitate non mutet: sed si forte casus aliquis occurrerit, quo necessarium videretur ipsum locum mutari: puto obsidionis, guerrarum, pestis, aut similis, tunc liceat summo pontifici de prædictorum Fratrum aut duarum partium ipsorum consensu atque subscriptione alium locum prius deputato loco viciniorem & aptum, sub eadem tamen natione, subrogare: nisi idem vel simile impedimentum per totam illam nationem vigeret: tunc ad aliquem alium locum viciniorem alterius nationis aptum huiusmodi concilium poterit conuocari: ad quem prælati & alii qui ad concilium solent conuocari, accedere teneantur, acsi à principio locus ille fuisset deputatus. Quam tamen loci mutationem vel termini breuiationem teneatur dictus summus pontifex legitime & semel per annum ante præfixum terminum publicare & intimare, vti ad ipsum concilium celebrandum prædicti possint statuto termino conuenire.

Si vero quod absit, in futurum schisma oriri contingeret: ita quod duo vel plures pro summis pontificibus se gererent: à die quo ipsi duo vel plures insignia pontificatus publice assumpserint seu administrare cœperint: intelligatur ipso iure terminus concilii tunc forte vltra annum pendens ad annum proximum breuiatus: ad quos omnes prælati & cæteri qui ad concilium ire tenentur sub pœnis iuris & aliis per concilium imponendis absq; alia vocatione conueniant. Nec non imperator cæteriq; reges & principes personaliter vel per solennes nuncios tanquam ad commune incendium extinguen-

dum, per viscera misericordiæ Iesu Christi exnunc exorati concurrant. Et quilibet ipsorum pro Romano Pontifice se gerens infra mensem à die qua scientiam habere potuit alium vel alios assumpsisse papatus insignia vel in papatu administrasse, teneatur sub interminatione maledictionis æternæ & amissionis iuris, si quod forte sibi quæsitum esset à Papatu, quam ipso facto incurrat: & vltra hoc ad quaslibet dignitates actiue & passiue sit inhabilis: concilium ipsum ad terminum anni prædictum loco prius deputato celebrandum indicere & publicare, & per suas literas competitori vel competitoribus, ipsum vel ipsos prouocando ad caussam, vel cæteris prælatis ac principibus quantum in eo fuerit intimare: nec non termino præfixo sub pœnis prædictis ad locum concilii personaliter se transferre, nec inde discedere, donec per concilium caussa schismatis plenarie sit finita. Hoc adiuncto, quod nullus eorum contendentium de papatu, in ipso concilio vt Papa præsideat. Quinimo vt tanto liberius & citius ecclesia vnico & indubitato pastore gaudeat, sint ipsi omnes de papatu contendentes, postquam ipsum concilium inceptum fuerit, auctoritate huius sanctæ synodi ipso iure ab omni administratione suspensi, nec eis aut eorum alteri, donec caussa ipsa per concilium terminata fuerit, quomodolibet à quoquam sub pœna fautoriæ schismatis obediatur.

Quod si forte electionem Romani Pontificis per metum, qui caderet in constantem virum seu impressionem de cætero fieri contingat, ipsam nullius decernimus efficaciæ vel momenti, nec posse per sequentem consensum etiam metu prædicto cessante ratificari vel approbari. Non tamen liceat Cardinalibus ad aliam electionem procedere, nisi ille sic electus forte renunciet vel decedat, donec per generale concilium de electione illa fuerit iudicatum, & si procedant, nulla sit electio ipso iure. Sintque sic secundo eligentes & electus si se papatui ingessit, omni dignitate, honore & statu etiam cardinalatus & pontificali ipso iure priuati, inhabiles de cætero ad easdem, ac etiam ad papalem. Nec aliquis eidem secundo electo vt Papæ sub pœna fautoriæ schismatis obediat quoquo modo. Et eo casu concilium de electione Papæ prouideat illa vice. Sed liceat, imo & teneantur electores omnes, aut saltem maior pars ipsorum, quam cito sine periculo personarum possunt, etiam si periculum omnium bonorum immineret, se transferre ad locum tutum, & metum prædictum allegare coram notariis publicis & notabilibus personis in multitudine populi in loco insigni; ita tamen quod allegantes metum huiusmodi, habeant in ipsius metus allegatione exprimere speciem & qualitatem dicti metus, & iurare solenniter, quod metus taliter allegatus est verus: & quod credunt se ipsum posse probare, & quod per malitiam vel calumniam huiusmodo metum non proponunt. Nec vltra proximum futurum concilium vllo modo possit differre allegatio dicti metus. Teneantur insuper postquam se transtulerint & metum allegauerint, modo prædicto prouocare sic electum ad concilium: quod concilium si vltra annum pendeat à die prouocationis huiusmodi, intelligatur ad annum, vt supra ipso iure terminus breuiatus: & nihilominus teneatur electus ipse sub pœnis prædictis, & cardinales prouocantes sub pœna amissionis cardinalatus & omnium beneficiorum suorum, quam ipso facto incurrant, infra mensem à die prouocationis concilium ipsum, vt supra dicitur, indicere & publicare, & quam citius poterit intimare: cardinales ipsi cæteriq; electores ad locum concilii tempore conuenienti personaliter se transferre & vsq; ad finem caussæ expectare. Teneantur quoq; prælati & cæteri, vt supra, ad conuocationem cardinalium tantum si forte sit electus conuocare, cessaret accedere. Quod etiam sic electus in concilio ipso non præsideat: quinimo sit à termino initiandi concilii ipso iure ab omni administratione papatus suspensus: nec sibi à quoquam sub pœna fautoriæ schismatis quomodolibet obediatur.

Quod si infra annum ante diem indicti concilii contingant supradicti casus: videlicet quod plures se gerant pro Papa: vel quod vnus per metum seu impressionem eligatur, censeatur ipso iure tam gerentes se pro Papa, quam electus per metum seu impressionem, & cardinales ad dictum concilium prouocati: teneanturq; in isto concilio comparere, personaliter caussam exponere, & iudicium concilii expectare.

Quod si dictis casibus occurrentibus contingat forte casus aliquis quo necessarium sit locum concilii mutare vel obsidionis vel guerræ vel pestis vel similis: teneantur nihilominus tam omnes supradicti quam omnes prælati, cæteriq; qui ad concilium ire tenentur ad locum proximiorem, vt præmittitur, qui sit habilis ad concilium conuenire, possitq; maior pars prælatorum, qui infra mensem ad locum certum declinauerint illum sibi & aliis pro loco concilii deputare: ad quem cæteri conuenire teneantur, ac si à principio fuisset deputatus.

Concilium autem, vt præfertur, conuocatum & congregatum de huiusmodi schismatis caussa cognoscens, & in contumaciam electorum seu gerentium se pro Papa vel cardinalium, si forte venire neglexerint, litem dirimat, caussamq; diffiniat, ac culpabiles in schismate procurando seu nutriendo, vel in administrando aut obediendo vel administrantibus fauendo, seu contra interdictum superius eligendo, vel calumniosos in allegando metum, etiam vltra prædictas pœnas cuiuscunq; gradus, status seu præeminentiæ existant, ecclesiasticæ vel mundanæ sic puniat, vt vindictæ rigor transeat cæteris in exemplum.

Vt autem metus seu impressionis molestia in electione Papæ eo formidolosius euitetur, quo toti Christianitati lamentabilius eorum incussio seu factio perpetret vltra prædicta, specialiter duximus statuendum: quod si quis huiusmodi metum vel impressionem aut volentiam electoribus ipsis vel alicui eorum in electione Papæ intulerit seu fecerit aut fieri procurauerit, vel factum ratum habuerit: aut in hoc consilium dederit vel fauorem: facientemve scienter receptauerit vel defensauerit:

uerit: aut negligens in executione pœnarum inferius memoratarum extiterit, cuiuscunq; status, gradus vel præeminentiæ fuerit: etiam si imperiali, regali, pontificali, aut alia quauis Ecclesiastica aut seculari præfulgeat dignitate: illas pœnas ipso facto incurrat, quæ in constitutione Felicis recordationis Bonifacii Papæ octaui, quæ incipit, *Felicis*, continentur, illis effectualiter puniatur. Ciuitas vero etiam si quod absit vrbs Romana fuerit, vel alia quæuis vniuersitas, quæ talia facienti consilium vel auxilium dederit aut fauorem: vel infra mensem saltem taliter delinquentem: prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas ei astuerit, non duxerit puniendum: eo ipso subiaceat Ecclesiastico interdicto. Et nihilominus præter dictam vrbem, pontificali & supra eo ipso sit priuata dignitate, non obstantibus priuilegiis quibuscunque.

Volumus insuper quod in fine cuiuslibet concilii generalis hoc decretum publicetur solenniter, nec non quandocunq; & vbicunq; Romani Pontificis electio imminebit facienda, ante ingressum conclauis legatur, & publice intimetur.

SERMO EIVSDEM CANCELLARII FACTVS IN DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI, CORAM PAPA APVD TARASCONAM.



Apparuit gratia Dei & Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie & iuste ac pie viuamus in hoc seculo: & reliqua quæ nunc audiuit ex epistola Pauli vestra deuotio.

Quoniam apparuit gratia Dei & Saluatoris nostri, adeamus cum fiducia thronum gratiæ eius, vt misericordiam eius consequamur, & gratiam auxilio opportuno. Nam quia finis noster super nos, & nos debilitati confractique iacemus in imo, & limo configimur: confundatur Pelagiana hæresis, quæ gratiam Dei pro subleuatione necessaria abnegare præsumit.

Rursus qui de gratia Dei sermo habendus est, & de nomine Iesu, quem nemo non potest dicere nisi in Spiritu sancto, vt ipse Iesus secundum nomen suum sit nobis Iesus: vt præterea condemnatos in curia iustitiæ, gratiæ nos curia suscipiat, dum interim sedet in throno suę gratiæ, priusquam legitimum tempus comparendi prætereat, appellamus ad curiam & thronum gratiæ: illic nos præsentemus in confessionibus, vbi soror nostra mater est eiusdem gratiæ & aduocata nostra, quę plane despicere nos non poterit. Caro enim & sanguis noster est, & curię suę iura defendet iura gratiæ. Sed quis est iste thronus gratiæ? Ille proculdubio puer hodie circumcisus, cuius vocatum est nomen Iesus, vt per Iesum gratia fieret, sicut lex per Moysen data est, vt saluaretur mundus per ipsum, quem vidimus plenum gratia, imo gratiarum. *Deus meus misericordia mea*, inquit Propheta. Et quid misericordia, nisi gratia? Sed dicet forsasse timidior aliquis: Ego apertos habens oculos cordis in lumine fidei & lucerna Euangelicę veritatis hodiernæ: intueor in hoc puero seueritatem diuinæ iustitiæ seueram valde: quæ etiam proprio Filio Dei non pepercit, quin eum nuditati & frigori & duro vulneri quo tenellus circumciditur, exponeret. Et tu mihi apud ipsum puerum inuenire thronum gratiæ repromittis. Si in viridi hoc fecit Deus: si innocentissimo filio non pepercit, in sicco quid fiet: peccatoribus seruis qualiter ignoscet? Quin etiam mater eius mater benedicta: quibus oculis peccatores inspiciet, qui tota hodierni doloris sui caussa sunt: qui totam suæ grandis anxietatis materiam præbuerunt, dum propter eos vnigenitum dilectissimum ex acri vulnere cruentum, ex nuditate & frigore vagientem cognoscit & dolentem? At vero quisquis hoc dixerit: sciat nil tale timendum: satisfactum est iustitiæ, satiata est, non puniet bis in idipsum etiam, qui gratiam huius pueri flagellati meruit: qui factus est à Deo nobis iustitia atque redemptio: in quo etsi iustitia appareat in eius attritione propter peccata nostra: supereminenter tamen apparet gratia Dei: qui vt seruum redimeret, tradiderit filium quasi peccatorem puniendum.

Sed & tu Virgo dignissima, non abhorre peccatores: sine quibus nunquam fores tali digna filio: qui licet ex te genitus est, attamen nobis natus, nobis datus. Adimus ergo cum fiducia te & filium tuum. In quibus talis apparuit gratia Dei, vt tu mater Dei fieres inueniendo gratiam apud Deum, & ipse homo filius Dei diceretur, ita vt non dubitauerit August. asserere nullam in rebus per tempus ortis maiorem ista esse gratia, dum verbum caro factum est. De quo verbo locuturus det ipse nobis gratuita benignitate verbum efficax & fructuosum meritis & precibus tuis Virgo gloriosa, quæ ab angelo vocata es *gratia plena* antonomatice & diuina salutatione, quam repetimus dicentes: *Aue* &c.

Appa-

Apparuit gratia Dei & Saluatoris nostri, & reliqua: Exhilaresce tu qui perieras, miserande homo, erige aures, audi & gratias age, quoniam apparuit gratia Dei, datum certe optimum & donum perfectum: quoniam gratia Dei vita æterna, & si Dominus dat gratiam, dabit & gloriam. Non igitur in vanum hanc Dei gratiam accipias: non per ingratitudinem in huius anni principio encenium tam insigne paruipendas. Et attendas vigilanter: quia non dixit Apostolus: Apparuit sapientia Dei, apparuit iustitia Dei, apparuit potentia. Illas quippe magis extimescebat homo reus proditor & damnatus quam desiderabat. Quoniam sapientia accusabat, & non habebat locum negatio, nec valebat excusatio *Adam vbi es &c. Si voluerit mecum contendere* (dicebat Iob afflictus) *non potero respondere vnum pro mille.* Iustitia accusatum condemnabat, & non inueniebatur appellatio: *quia audisti vocem vxoris tuæ* &c. Propterea idem Iob verebatur omnia opera sua, sciens quod non parceret delinquenti. Hinc quoque est Prophetica supplicatio: *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Potentia denique accusatum & condemnatum puniebat, & non erat euasio: *A facie manus tuæ*, (id est potentiæ) *ego defeci*, plorabat Psalmista. Et rursus: *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Et, *nemo est qui de manu tua possit eruere.* Non ergo quærebamus sapientiam accusantem, non iustitiam condemnantem, non potentiam executioni sententiam demandantem atque sæuientem. Vbi sæuientem? Sæuientem nunc in cœlo contra apostatas angelos, nunc in Paradyso contra parentes primos: nunc in turri Babel per confusionem linguarum, nunc in terra per diluuium aquarum multarum: nunc in Pentapoli peccatrice per subuersionem peruersorum, tandem in inferis per inclusionem omnium. Sed solam gratiam miserantem & absoluentem petebamus: qua salui essemus, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos. Et hæc hodie nobis apparuit, dum celauit Deus potentiam in infirmitate, sapientiam in infantia, iustitiam in pietate & circumcisionis satisfactione. Tanquam imposuerit Deus silentium eis, & dederit audientiam totam misericordiæ. Ita superatis omnibus datur triumphus gratiæ. Et hæc apparuit hodie nobis valde necessaria. Nam quid ageret, quo se verteret homo condemnatus in curia iustitiæ, si nemini datus esset locus appellationis ad curiam gratiæ, si non superaret misericordia iudicium?

Dicamus iterum quod prius *sempiterna Dei virtus atque diuinitas* (teste Apostolo) *ex eis quæ facta sunt intellecta conspiciebatur*: sicut antea dixerat sapiens, quod *ex magnitudine speciei & creaturæ potest visibiliter earum creator agnosci.* Sed & sapientiam eius ex operibus agnouit, quæ exclamans dixit: *Quam magnificata sunt opera tua Domine: omnia in sapientia fecisti.* Poterat quidem Dei beneuolentia vtcunque agnosci in rerum dignantissima conseruatione & directione in fines: sicut potentia ex creatione, & sapientia ex gubernatione videbatur. Quapropter forte gratiam appellat sapiens nutricem omnium. Sed ex reparatione lapsi, ex recreatione deperditi, ex iustificatione impii maxime apparuit gratia Dei. Nam quæ gratia maior, quæ liberalior vel dici vel existimari potuerat, quam vt tantum daret Deus homini, vt pauper fieret? quis hoc crederet, si non conscius secretorum Dei Paulus assereret: quia *pro nobis egenus factus est, vt illius inopia diuites essemus?* Gratia insuper qualis mirabilior, quam vt taliter compateretur homini misero Deus, quod miser fieret, opprobrium & abiectio plebis. Ista nonne sunt viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus *visitauit nos oriens ex alto.* In quibus apparuit gratia Dei & Saluatoris nostri hodie circumcisi.

Amplius vero domina natura (vt humano more loquamur) quamuis in suo creaturarum speculo pulcherrimo, in libro capacissimo, in carmine sonoro & harmonico monstraret potentiam Dei efficientem, & sapientiam exemplantem, & bonitatem cuncta finientem: primum ex vnitate: secundum ex veritate: tertium ex bonitate creaturarum. Rursus primum ex earum modo: secundum ex specie: tertium ex ordine. Similiter ex creaturarum mensura potentiam, ex earum numero sapientiam ex pondere trahente in suos fines bonitatem, vt quod in circulo intelligibili ex ipso creante, & per ipsum exemplantem, & in ipso finiente sint omnia: nihilominus mundus hanc sapientiam Dei potentiam & bonitatem cognoscere habens, non glorificauit Deum neque gratias egit: sed viluerant sibi omnia, & obscuratum factum est insipiens cor eorum, & defecerunt scrutantes scrutinio. Quamobrem ordinauit Deus facere opus nouæ gratiæ supra naturam, vt esset gratia domina reginaque naturæ. Nam gratia eius & misericordia super omnia opera eius. Quæ gratia licet superborum oculos sua luminositate cæcauerit: illustrauerit mentes humilium, sicut exultans Iesus in spiritu: *Confiteor*, inquit, *tibi pater cœli & terræ, quoniam abscondisti hæc sapientibus & prudentibus: & reuelasti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic placitum est apud te.* Placitum, non meritum: vt non glorietur ante eum stulta præsumptio omnis carnis, quæ in sapientia Deum non cognouit. Ideo placuit per stultitiam prædicationis nouæ gratiæ saluos facere credentes. Hoc autem opus gratiæ apparuit manifeste in eo, quod *verbum caro factum est*: vbi totum operatur gratia, totum sibi datur. Nil aut paucum habet natura, neque ex radice superiorum astrorum & constellationum, sicut impietas quorundam finxit. Neq; ex actione inferiori elementorum, saltem quo ad modum, qui subitus fuit. Vbi præterea patitur misericors & miserator Dominus, vt saluetur & regnet præuaricator homo reus.

Apparuit ergo benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, vt alibi gaudet Apostolus. Apparuit inquam mystice hæc humanitas, vt signum magnum in cœlo cœlorum Deo. Nam sibi hypostatica vnione coniuncta est, & hæc quasi mulier amicta sole iustitiæ, quia plena gratiæ luminosæ,

minosæ, & luna totius mutabilitatis naturæ sub pedibus eius, ratione auctoritatis imperiosæ, & corona stellarum duodecim, quę sunt duodecim prærogatiuæ singulares in capite eius ex dominationis sublimitate. Nam & benigna humanitas Dei Saluatoris nostri vniuersum mundum spiritualium æternarumque creaturarum purgat, illuminat & perficit, superior eis in ordine hierarchico stabilita, vt sol quidam æternitatis. Imperium quoque possidet super vniuersum materiale atq; corporeum, vt ex miraculorum operatione monstratum est. Duodecim postremo prærogatiuis quasi totidem sideribus coronata refulget: quatuor in comparatione ad diuinitatem, totidem in comparatione animæ ad carnem, & rursus totidem in comparatione ad totam rerum vniuersitatem. Considera humanitatem huius pueri hodie circumcisi in ordine ad diuinitatem, & inuenies quod in ea tanquam in opere præclarissimo super aliud omne creatum relucent quatuor attributa: quæ sunt Dei potentia, Dei sapientia, Dei iustitia, & supereminenter Dei gratia: quæ circulo quodam spirituali infimum summo iungit, pacem operans in terris & in cœlo. Considera animam in ordine ad carnem, & inuenies carnem ab ea quadruplici dote decorari, agilitate, subtilitate, impassibilitate & claritate. Et quod in via non ita fiebat, hoc erat speciale dispensationis diuinæ miraculum. Deinde si consideraueris humanitatem huius pueri in ordine ad creaturam vniuersam, videbis eam tanquam instrumentum diuinitatis habere omnem potestatem in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis: beatos illuminat & perficit in cœlo: viatores iustificat in terra: alios non plene iustificatos dimittit hic vel alibi in mari purgationis. Alios obstinatos damnat & deturbat in abyssum damnationis.

At vero quia multus est hic sermo & ad interpretandum difficilis, & oratio nostra ad alios properans expediri desiderat: coartemus eam infra limites præsentis celebritatis, & duobus quasi gradibus itinere breuiato decurrat. Et dicamus quod apparuit gratia Domini primo in humili subiectione sua ad legem circumcisionis. *Postquam impleti sunt dies octo vt circumcideretur puer*, inquit Euangelista. Apparuit secundo in populi redemptione secundum nomen saluationis: *vocatum est nomen eius Iesus: quod vocatum est ab angelo priusquam in vtero conciperetur.* Caussam reddit Angelus apud Matthæum: *Quoniam saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hoc modo Euangelium cum Epistola sociantes: vtrumq; per alterum deducamus sub duobus tantum gratiæ Dei signis: quæ sunt humanitas seu humilitas primum signum, & secundum benignitas seu charitas. Vnum in circumcisione; in nominatione alterum: vt verum sit quod apparuit humanitas in primo mysterio, benignitas in secundo, & gratia in vtroq; Dei Saluatoris nostri. Itaq; quis fidelium non perspicuum habeat & compertum gratiam Dei hodie apparuisse, dum attendit quod ipse legis conditor duro se legis vinculo quasi seruus astringit, & fit sub lege velut infans, velut impotens & peccatis obnoxius. Ad quid ista? Nimirum vt ingratitudo nequam præsumptionis humanæ confunderetur & erudiretur: quæ in tantam prorupit audaciam, magis vero amentiam, vt diuinitatis maiestatem appeteret: volens esse sicut Deus, sciens bonum & malum: propterea Deus medicamentum contrarium humilitatis opposuit, descendens à summo suæ maiestatis ad ima vilissima nostræ humanitatis. Sic aduersus auaritiam primi hominis ipse summam libertatem. Sic aduersus gulam eius ipse summam frugalitatem. Sic aduersus ingratitudinem nimiam ipse gratiam ostendit infinitam: erudiens nos facto certissimo, vt abnegantes impietatem malam hospitem, & sodalem perfidiam, & secularia desideria quæ mergunt in interitum: sobrie, iuste & pie viuamus in hoc seculo. Sobrie quo ad nos. Iuste quo ad proximos. Pie quo ad Deum & sanctos. Humiliemus igitur animas nostras legi imitantes hunc puerum, & circumcidamus per disciplinæ cultrum vitiorum superfluitatem à nobis & sensibus nostris. Circumcidatur cor à præsumptionis præputio, ne plus sapiat quam oportet: nec prudentiæ propriæ innitatur. Circumcidatur ipsum ab omni carnalitatis excessu, vt sine sordibus & colluuie voluptatis sit purum & mundum. Circumcidantur oculi ne videant vanitatem: os & lingua, ne loquantur mendacium: aures ne audiant detractionem: tactus & gustus ab omni lubricitate: totum corpus à rebellione contra animam contumaci. Vt sobrie viuamus in nobismetipsis: viuamus & iuste apud proximos, reddentes vnicuique quod suum est: *cui vectigal, vectigal, cui honorem, honorem.* Viuamus tandem pie, Deo adhærentes per fidem & spem & per charitatem: circumcidentes omnem errorem & superstitionem per fidem, omnem desperationem & præsumptionem per spem, omne odium & cupiditatem per charitatem. Sit in nobis fides vera & viua secundum vim rationabilem ex recognitione immensæ sapientiæ: sit spes certa secundum vim irascibilem ex professione summæ eius potentię. Sit charitas feruida ex consideratione summæ beneuolentiæ & gratiæ: quæ apparuit hodie in circumcisionis humiliatione. Hoc modo sobrie intra nos, iuste iuxta nos, & pie supra nos viuemus in hoc seculo. [illegible] væ tibi pessima: væ tibi nequam ingratitudo cordis humani, cordis incircumcisi & certe insani, dum ad tantam gratiam notissimam Dei tui non corrigeris, non emolliris, non flecteris. Humilis est ipse, qui est Deus benedictus in secula, & tu ceruicem erigis, & tu superbis, terra & cinis. Tu sordida pellis inflaris & tenderis. Tu inquam inflaris & tenderis sordida pellis, saccus stercorum & vermium. Humilis est ipse legislator tuus obseruans legem tuam, & tu quotidie legis suæ iugum suaue & leue contumaciter excutis & confringis. Humilis postremo inuenitur pius erga te misericors & benignus, & tu plenus impietate errores fingis, & sequeris super-

superstitiones: de eo quoq; vel superbe præsumis vel desperas superbius. Ad ipsum deniq; nullo pietatis, nullo dilectionis affectu moueris. Pudebat fortassis insequi humilem hominem: vsque quo pudebit humilem Christum imitari? Vide stupendum & horresce, flagellatur in circumcisione Leo de tribu Iuda, vt humilietur canis mortuus, filius hominis putredo & vermis. Circumciditur in carne puer Iesus, vt absq; præputio nos in corde & sensibus maneamus: vt cum Abraham nos filium vnigenitum cum tota familia & vernaculis, hoc est spiritum nostrum cum affectionibus & cognitionibus vniuersis circumcidere disciplinæ cultro nequaquam omittamus: sed tollamus opprobrium Ægypti, si neq; perire de populo, neq; fœdus Dei irritum efficere voluerimus.

Omnes quidem hoc agere conuenit, clerum præcipue: sicut ipse præ cæteris in Domini sortem electus est. Exultet igitur cum tremore humili, & gratias agat, & appareat in eo gratia Dei & Saluatoris nostri. Sed heu clerus hodie, quem pro maiori gratia gratiæ vicissitudinem rependere dignum fuerat, plus aliis repletur ingratitudine, & præputium sibi fecit impietatibus & secularibus desideriis: neque sobrie neque iuste neque pie viuens in hoc seculo. Ita pergebam in meditatione mea satyram in clerum declamare. Neq; enim in tam vberi indignationis materia deesse verba poterant. Dum ecce studiositas speculatrix importunitate quadam sua grandem quæstionum speculatiuarum syluam apponere videbatur, vt plus sibi quam ædificationi deseruirem.

Dic, inquit, si Christus circumcisus est, an circumcisus resurrexerit in gloria dispergentibus factus? Ita me pie tenere respondi ad honorem eorum, ex quibus Christus fuit secundum carnem: qui est Deus benedictus, & ad peruersorum confusionem.

Dic particulam illam carnis virgineæ, vt multi ferunt, dimisit in terris. Et talis de effuso tunc sanguine quæstio est? Respondi quasdam partes esse de integritate humanæ naturæ & necessitate, sine quibus non subsisteret. Quasdam de congruitate, sine quibus neque perfecte neque decenter existeret. Quasdam de superfluitate. Primæ duæ resumptæ sunt, sicut in aliis resurgentibus fiet: nō oportet hoc de reliquis. Si quis igitur contenderit, particulam illam cum sanguine fuisse de integritate humanitatis primo vel secundo modo, illa resumpta sunt: & vel in terra non manent, vel multiplicata sunt. Erat ne igitur pars illa carnis vel sanguinis per communicationem idiomatum Deus, & si Deus, vtrum homo? Huius responsionem, tanquam egentem longissima & subtilissima perscrutatione, prætero. Et consequenter illam, si sit adoranda adoratione latriæ. Perge ad alia: quia melius est hic nihil, quam pauca dicere.

Dic ad quid proderat circumcisio? Respondeo: proderat originale peccatum delendo & dando gratiam: sed non aperiebat ianuam Paradysi. Dic quale dabatur pro fœminis remedium? Responsio, fides propria, si adultæ erant, vel parentum pro paruulis. An alienigenas obligabat? Responsio, non. Cur ante diem octauam non impendebatur? Responsio, propter teneritudinem, & ad resurrectionis mysterium. Quid de filiis Israel in deserto non circumcisis? Pie teneo fuisse cum eis à Deo reuelante Moysi dispensatum. Dic si per cognationem spiritualem circumcidens circumciso iungebatur? Puto cognationem hanc magis humana constitutione, quam naturali vel diuino iure inuentam. Quod si quis aliter sentiat propter gratiam quæ confertur: dicat consequenter sicut de baptismo. Dic an circumcisus simulque baptizatus insigniebatur duplici charactere & si in eo gratia duplex augebatur? Ita, si capax erat vtriusque: & dum circumcisio currebat vtiliter.

Dic cur circumcisio, quæ data in fœdus æternum, cessauit: quid dico cessauit: imo facta est mortifera, adeo vt Paulus denunciet: *Si circumcidimini, Christus nihil vobis prodest.* Dico quod proprie non cessauit, sed transiit in baptismum, cuius erat figura: quid igitur mirandum, si re exhibita, figura cesserit? Sed auget quæstionis admirationem, cur propter conseruationem circumcisionis & aliarum legalium Paulus restitit Petro in facie: cum tamen ipse quosdam circumciderit. Igitur quo pacto reprehendit ipse quod agebat: & præsertim superiorem in auctoritate, apostolatu seniorem, in gratia confirmatum die Pentecostes: qualiter inculpat Paulus eum, & narrat non recte ambulasse ad veritatem Euangelii? Responsio: distinguenda sunt tempora, & concordabuntur scripturæ. Tempus circumcisionis tripliciter cucurrit. Currebat primo vtiliter vsque ad baptismum. Secundo permissiue apud Iudæos, vsque ad publicationem Euangelii pleniorem, vt mater synagoga honestas haberet exequias. Sed nunc apud gentes, & post apud omnes pestifera fuit eius obseruatio.

Propterea Petrus & Paulus licite quosdam circumciderunt ex Iudæis tempore illo medio. Sed quia facta Petri circa Iudæos, gentiles scandalizabant, quasi sic deberent circumcidi: Paulus doctor gentium auertit Petrum de re huiusmodi, qui tota sibi humilitate paruit, & ita neuter peccauit, saltem mortaliter. Sed dic: si Petrus non errabat in fide, qualiter sibi dixit Paulus, cur ita facis? Certe ex auctoritate legis diuinæ iubentis fraternam correctionem: cui legi nemo non subiectus est. Quid si Petrus versa vice Paulo restitisset in faciem nolens acquiescere: an Paulus se ab eo subtrahere, an non obedire, an ad Ecclesiæ concilium appellare potuerat? Si concilium in hoc superius erat vel Petro, vel econtra? si Paulus restitit Petro, vt eius Cardinalis existens, vel vt æqualem se deputans, & nihil à Petro auctoritatis, sicut nec Euangelium suum recipiens? Quid si de facto in Paulum excommunicationis sententias promulgasset: an eas Paulus timuisset?

Quid

Quid si Petrus perstitisset in hoc errore, nunquid eo facto Papatum perdiderat? quod si non: nunquid tamen deponendus erat, & per quos & quomodo? An concilium sine eo potuisset in hoc casu celebrari? Quid si Petrus vi armata errorem suum defendere voluisset, nunquid ipso etiam manente Papa vim vi licuisset repellere, aut verbis aut carceribus, aut ipsa denique morte? Hieronymus præterea & Augustinus doctores eximii cum discordent in hac materia, nunquid alter eorum dicendus est hæreticus? Ille Paulum dispensatione mentitum, hic Petrum iuste reprehensum fuisse defendit.

Porro cur in concilio de cessatione circumcisionis Petrus summus Pontifex non tulit sententiam, sed Iacobus. Innuebam studiositati vt taceret, & non poneret in cœlum os suum. Tunc exclamans dixit: Nunquid non expedit de talibus inquirere, vt sciat quilibet magnus cum pusillo qualitatem suæ potentiæ, suæ subiectionis, sui cordis: quæ sibi competit iure diuino, naturali vel humano? alioquin error facile surreperet, & confusionis horrore cuncta fœdarentur. Quid est igitur quod innuis mihi, quasi non liceat de potestate Petri disputare? Nonne de omnipotentia Dei quotidie perquirimus? Sed tamen vis vt ista nunc præteream, reuertamur ad puerum Iesum.

Dic si puerum istum circumcisionis dolor attigit, cum vtique gaudio magno frueretur? Sic & forte tantus, quantus in passione tunc præuisa. Dic si cor eius motibus oppositis dilatatione & constrictione simul mouebatur? Responsio, non oportet: quia gaudium superioris portionis non redúdabat in corpus. Dic si vere compatiebatur ei mater sua conscia tanti gaudii, tantique mysterii non ignara? Responsio, compatiebatur: & iam pertransibat gladius animam eius, vt non eximeretur ab illa regula: quod *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Et hoc horrendum pro peccatoribus, quia aut hic erunt in labore hominum per pœnitentiam, aut in societate dæmonum per damnationem.

Cæterum dic, cur hoc potissimum die Christus circumcidi voluerit, cum superstitiones impiæ in his Ianuarii Cal. plus vigebant? Responsio, vt eas deserendas ostenderet. Cur nondum cessauerunt neq; in clero neque in populo, tam super enceniis & aliis obseruationibus vanis & variis, quam super ritibus improbis per ecclesias, quos appellant ludos Fatuorum; sicut vere fatuitates sunt, imo insaniæ sacrilegæ, impiæ & blasphemæ, quas inter ecclesiasticos impune fieri stupor est? Nunquid apponi deberet prouisio? Ita deberet: sed pluries audisti, quia quæstio per debet, soluitur per non facit. Prouideat gratia Dei Saluatoris nostri, & summi Pontificis diligentia.

Quæstiones huiusmodi multiplicare magis & magis satagebat importune nimis studiositas speculatrix in meditatione mea. Cui ego: Noli precor mihi molesta esse, locum & tempus aliud expecta. Non est iste disputationis speculatiuæ actus, sed ædificationis practicæ. Tu interim secedas aliorsum, vt de gratia Dei & signis eius certo pergat itinere sermo noster, præsertim ad signum secundum, quod esse posuimus benignitatem saluatricem, sicut notatur in nominis impositione. Si tamen prius ex eis, quæ circa primum signum diximus, quod est humanitas seu humilitas, considerationem moralem quadruplicem notauero secundum quatuor affectus gratiæ Dei: qui sunt abnegare impietatem & secularia desideria. Sed & sobrie & iuste & pie viuere in hoc seculo. Quanquam male suasa pestis adulatio perstrepat, & susurrans loqui prohibeat, asserens quod vetere prouerbio, *veritas odium parit*. Et quod

Non opus est teneras mordaci rodere verbo
Auriculas ———.

Sed plus roboris affert Apostolus in fine epistolæ, stimulans quemlibet prædicatorem in persona Titi: *Hæc loquere & exhortare & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.*

CONSIDERATIO I.

AD apparentem gratiam Dei in circumcisione humilis pueri Iesu, princeps & prælatus quilibet, etsi dicatur solutus legibus, pati debet legem, quam ipse tulerit, tum pro subditorum exemplo, tum pro reuerentia præstanda Deo, vt appareat gratia Dei in eo, & non impietas aut secularia desideria videantur dominari. Poterant hic vti gentilium exemplis proprias in se leges, quamuis durissimas seruantium: quorum Valerius meminit. Sed abunde satis est ad exemplum summus legislator Christus & Pontifex supremus: qui ob hoc legem propriam non soluere, sed in semet implere voluit, vt eius actio esset in hoc principum prælatorumque instructio. Vbi nihilominus notandum occurrit contra eos, qui tanta obstinatione legibus mortuis humanis adhærent, legem viuam fundatam in lege æterna & in æquitate, seu ἐπιείκειαν penitus vel ignorantes vel spernentes: quod lex perficitur & impletur, dum vel in finem meliorem, vel salubrioribus mediis ordinatur: qui finis est charitas secundum Apostolum: alioquin Christus legem antiquam non implesset, quam soluisset. Et hoc documentum non mediocriter spectat ad schisma præsens: cuius seditionem inuenire non sufficerent leges humanæ iam conditæ, nisi superior lex diuina viua & architectonica consulatur. Quod quia forte non satis actum est vsque in præsens, obtigit quod ait Dominus in Esa. *Timuerunt me mandato hominum & doctrinis. Ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur.* Ex quo loco sumpsit Iesus illud improperium contra Pharisæos quod *irritum faciebant mandatum Dei propter suas traditiones*. Audirent vtinam ista auribus suis hi, qui legem euangelicam, legem diuinam cum professoribus suis deserentes, humanis inuentionibus incumbunt toti, adeo vt ad superiorem legem illam oculos attollere vel non valeant ex ruditate, vel nolint ex iniquitate, vel negligant ex inerti segnitie.

Cum tamen vbi leges humanæ non sufficiunt (prout in schismate præsenti compertum videtur) vt ad legis diuinæ radicem & interpretationem consultatio referatur, & secundum eam constitutio formetur necesse est. Quid autem mali, quid periculi, quid confusionis attulerit contemptus sacræ Scripturæ vtique sufficientis pro regimine ecclesiæ (alioquin Christus fuisset legislator imperfectus) interrogetur experientia: consideretur clerus, cui desponsari debuerat sapientia, quæ desursum est pacifica & pudica, an ipse fornicatus est cum adultera illa meretricula sapientia terrena, animali & diabolica? Status insuper ecclesiæ nonne factus est totus quasi brutalis & monstruosus? vbi cœlum deorsum, hoc est scilicet id quod spirituale est, & terra sursum spiritus seruiens & caro dominans: principale accessorium & accessorium principale, vsque ad hoc, vt quidam delirare non dubitent, quod per inuentiones humanas etiam melius quam per legem diuinam euangelicam regeretur, quasi minus sit anima quam corpus, & spiritualis quam carnalis fructus. Hæc assertio per meam fidem blasphemia est, nedum falsa. Euangelica quippe doctrina per suos professores dilatauit ecclesiam vsque in cœlum, quam filii Agar exquirentes sapientiam, quæ de terra est, detruserunt vsque in cænum. Et quod non ex toto corruerit, est ex gratia Dei & Saluatoris nostri. Hæc ego loquor eo liberius, quo mihi conscius sum, non ex quæstu, non ambitu, non ad laudem propriam meæ professionis, sed pro assertione veritatis & vtilitate publica hæc dicere. Quia ad veritatem curia ista Theologiam hactenus minus debito promouit, ne dicam spreuit: quæ tamen omnem sibi, qua pollet, gloriam acquisiuit. Per quid? Per prædicationem humilem generatricem deuotionis in cordibus fidelium, maxime principum. Nam si desit religiosa deuotio, honoratio ecclesiarum qualis erit? Prouideat gratia summi Pontificis, vt nunc cœpit.

CONSIDERATIO II.

APparens gratia in humilitate pueri Iesu circumcisi, docet prælatum quemlibet, vt iuxta consiliū sapientis positum à Tullio: *quanto maior est, humiliet se in omnibus.* & ab omni se superbiæ intemperantiæque signo circumcidat. *Tanto enim esse humilior & ad seruiendum promptior quisq; debet ex munere,* ait Gregor. *quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Nam ab eo cui plus committitur, plus exigitur.* Ita vt saluberrimum sit Christi documentum metaphysicali ratione fundatum: *Qui voluerit esse maior inter vos, erit omnium minor & minister:* quia secundum magnitudinem dominationis est subiectionis grandior obligatio, quamobrem summus Pontifex non ficta verborum humilitate, sed veritatis attentione profunda nominatur *Seruus seruorum.* Et certe ita seruus, vt secundum præparationem cordis, etsi non semper secundum exhibitionem operis ipse vitam suam, quanto magis statum suum exponere pro cuiuslibet subditi sui salute, nedum pro toto grege teneatur. Hoc ita sentire catholicum est stabilitum in hoc veritatis verbo: *Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis.* Et ita *corde creditur ad iustitiam, ore autem* vel scripto *confessio fit ad salutem.* Alioquin non iniustus fit Lucifer, qui ita præesse voluit (secundum doctores) vt subiectionis vicissitudinem subditis non referret: cum ex opposito ipse plus aliorum commodis obsequi velle debuerat. Ex hac iterum consideratione culpanda redditur pompa superba, pompa male sobria prælatorum quorūdam in fastu mundano quærentium nihilominus excusationes in peccatis, & dicentium quod hæc pompa honorat ecclesiā. Honorat vero, imo vere onerat & destruit factis & exemplis. Neque enim in ornatu splendido, neq; in lauto conuiuio, neq; enim in dischólorum & comatulorum clientium numero: sed in spiritu mundo & consideratione sancta honor ecclesiasticus illustratur. Quia si quis prælatorum in pompis istis puerili & vana exultatione delectetur, si ad honores caducos gloriabundus exhilarescat, si de se faciat idolum & statuam Nabuchodonosor gaudens laudari, gaudens coli, & non potius exhorreat instar Christi, qui summos inter honores fleuit: si non memor sit iubentis: *in vestitu ne glorieris vnquam. & in die honoris tui ne extollaris.* Videat obsecro, videat talis, ne tandem seipsum tanta propriæ & alienæ adulationis ludificatione decipiat: quod iuxta verbum comici: *Ex stulto* (hoc est, ex vane glorioso) *insanus fiat.* Qualiter insanus? Certe læsus in iudicio rationis, sicut læditur philocaptus. Omnis quippe passio profundata & radicata circa aliquod concupiscibile, sit illud honor, sit opulentia, sit ambitio, sit voluptas: reddit hominem dæmoniaco similem, secundum dictum Origenis in experientia fundatum. Mentior si non tempore meo talis apparuit, & verborum copia & iurium scientia & abstinentia famatus, corpore vegeto & forti, quem vsque ad hoc insanum reddidit ambitio cæca, contemptrix alieni omnis consilii laudibusque suis credula, vt putauerit post illusiones plurimas esse verus Papa concorditer electus. Et cum ita desiperet, nihilominus affirmabat se per multos annos nihil tentationis à vana gloria sensisse. Cum præterea moneretur, vt sapientiorum crederet consilio: non, inquit, quia factum meum tale tantumque est, vt alius à me nemo illud intelligat. Sed quid mirandum est in homine fragili dementiam hanc surrepsisse? cum sapientissimus olim angelorum Lucifer, quia seipsum non in luce veritatis, sed vmbra propriæ vanitatis intuebatur, esse voluerit non solum similis altissimo, sed extollitur super omne quod dicitur Deus, ex insania & fantastica præconceptæ dominationis libidine. Vult quoque ritibus & sacrificiis coli per similitudinem ad Deum, sicut sacrilegæ artes magicæ palam tradunt.

Præterea saluberrimum est, vt prælatus libenter audiat & frequenter quæ humilia sunt & culpabilia de seipso: quia nemo est qui non peccet, dicatque cum propheta: *Increpabit me iustus,* &c. Nimis enim habet multos, qui vel adulatione vel dignitatis honoratione sibi loquuntur magnifi-

magnifi-

gnifica: apponentes fomentum morbo superbiæ: quem vix vllum medicamen vel theriaca propriæ reprehensionis & fragilitatis sufficit expellere, & dare locum gratiæ Dei saluatoris nostri.

CONSIDERATIO III.

APparens gratia Dei Saluatoris nostri in subiectione ad legem propriam circumcisionis documento est prælatis, vt iuste viuentes non imponant *onera grauia* statutorum & legum *humeris subditorum: digito autem suo nolint illa mouere*, quemadmodum improperat Christus Pharisæis. Hæc consideratio redit ad primam, innitentem illi sententiæ exemplo Christi firmatæ *Patere legem quam ipse tuleris.* Et esset profecto grandis in hoc loco querelarum materia contra tot & tam leues excommunicationum & irregularitatum fulminationes: contra tot onera statutorum prouincialium & synodalium: ad lucrum quale vel animæ vel bursæ nouit Deus. Contra tot reseruatores casuum in foro confessionis præsertim occultorum, quæ confessionem supra quam dici potest, impediunt. Loquor expertus & doctus ab expertis. Sed de his alias. Christus legislator nonne legem euangelicam dilatare potuerat? Potuerat equidem: sed humanæ fragilitati gratiose condescendens necessaria nos docuit ad salutem: ea pro nihilo quasi deputans, quæ mortalem hanc vitam iamiam in momento perituram vel regere vel sustentare viderentur: sciens quod nisi lex viua euangelica & æterna dominetur, leges scriptæ non solum superuacuæ, sed crebro perniciosæ reddantur. Vult ergo prælatus ecclesiam subditam feliciter dirigi. Vult arbitror bonos ille viros, timentes Deum æquitate & meritis conspicuos regimini præficiat: non oneribus legum & statutorum subditos premat. Nam super hunc cardinem volui debet Ecclesiæ reformatio: quoniam si columnæ putres, si inualidæ sunt sustentare debentes ecclesiam; partes reliquæ quali virtute subsistent, innitentes parieti inclinato maceriæ depulsæ? Multiplicentur quantumlibet humanæ traditiones: Si cupiditas carnalis & fastus non humilitas regnet in prælatis: audiamus quid sequitur incommodi. Etenim potestas conferendi beneficia & similia aut relinquetur talibus. Et quis dubitauerit, quis non viderit quantum subuertent, peruertent & euertent omnia promotionibus indignorum. Si ablatio fiat ab eis retinente sibi omnium collationem summo Pontifice, nunquid non supra vires erit hoc negocium? nunquid non cum Moyse stulto labore consumetur? Nonne monstruosum erit videre caput vsurpans membrorum omnia inferiorum officia: & quasi sit gladius delphicus ad omnia se aptans? Sed & curia sua, curia Romana, quæ ad similitudinem Hierarchiæ Angelicæ ordinanda erat & replenda viris charitate feruidis & contemplatione suspensis, vt Seraphin; viris sapientia diuina splendidis, vt Cherubin; viris æquitate firmissimis, vt Throni: nonne mutabitur in curiam peccantium? & qui nutriri debebant in croceis, amplexabuntur stercora. Ita enim arbitratus est omnia temporalia æquus arbiter Apostolus. Fient quoque multi procuratores & corrotarii beneficiorum (nolo de simonia quicquam dicere.) Fient insuper non tam promotores quam inuolutores causarum friuolarum atque prophanarum dimissa omni spiritualis cura. Quid dico dimissa? Vtinam hoc esset, licet sit nequissimum, irridebitur, abominabitur, persequetur, & ad imitationem curiæ diabolicæ maior ille frequenter erit qui astutior, qui perfidior, qui importunior, deterior, cupidior, miserior. Auertat hoc nefas gratia Dei & Saluatoris nostri.

CONSIDERATIO IV.

APparens gratia Dei & Saluatoris nostri Iesu exigit, vt prælatus non potentiam subditis, sed gratiam ostendat: vt ipse præterea dolores & gemitus offerat Deo pro eis se circumcidens, pieque viuens: nedum aliis prædicauerit (officio enim prælationis adiuncta est obligatio prædicationis) ipse reprobus inueniatur. Quid ni prælatus gratiosum se, non rigorosum præbeat: cum ipse circumdatus sit infirmitate, egens gratia Dei, nesciens introitum & exitum suum: ignorans an turbationes in subditis ex culpis propriis tanquam occultis, vel ab alienis, vel simul ab vtrisque suscitentur: ita vt necesse habeat obsecrare cum propheta: *Ab occultis meis munda me Domine: & ab alienis parce seruo tuo.* Nam sicut pro delicto populi pastor, ita pro pastoris errore populus plectitur. Hoc vidit Iob, qui dicit de Deo, quod *regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Qualis autem perniciosior pestis pro populo alia est, quam hypocrisis in suo vel principe vel prælato. Sed ita digni sunt aliqui non nisi per reprobos regi: & alii non nisi reprobis præfici demerentur. Quidni igitur ipse pastor semper pauidus inueniatur: non se iustificans, nec iustificari cupiens: extimescens ne dederit causam scandalo, dicens cum Dauid: *Ego sum qui peccaui*: & cum Iona: *Si propter me turbatio facta est, mittite me in mare.* Quo verbo magnum illum Gregorium Nazianzenum vsum fuisse: & ob hoc vrbi Constantinopolitanæ, cui perutilis erat, cessisse, *Ecclesiastica* meminit *historia.* Recogitet prælatus etiam deuotionis sibi conscius: præsertim dum innumerabiles viri in oppositam ad se pergunt sententiam. Recogitet quid dicat Apostolus: *Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum.* Quis ad hoc verbum non expauescat? Sed & angelus Sathanæ transfigurat se in angelum lucis: insidiatur in abscondito: spargit vbilibet laqueos, quos obumbrat specie virtutum. Ita vt horrendum valde sit quod dicit sapiens: *Est via quæ videtur homini iusta: nouissima autem eius ad mortem ducunt.* Sic prælatus nonnunquam dum esse gloriatur plenus gratia Dei: repletus est insensibiliter astutia diaboli. Quam multa quotidie (exempli gratia) credit aliquis facere ex magnanimitate, quæ fiunt ex arrogantia &

præsumptione, quam multa ex indulgentia humilique pietate, q[illegible] ex [illegible] corpore; vel certe (quod mirandum est) ex vana ostentatione & gloria[illegible]erbissima: ad hoc duntaxat, vt patietiæ & misericordiæ laudem cum magnis viris meruisse credatur. Sic furor incautus & æmulatio maledicta, quia pertinax. Zelus quoque non secundum scientiam, durus, cerui osus, inexorabilis, imperterritus, nemini cedens, nullum scandalum reformidans, sed dicens: si damnari volunt, qua ratione saluare potero vel teneor inuitos? Talis inquam furor mentitur se zelum boni publici & communis libertatis. Sic implicatio friuola, & stultus labor in minimis tanta se diligentia simulans: sic perplexa scrupulositas semper vacillans, nihil expediens, bonæ sibi conscientiæ nomen vsurpat, quæ est ex radice superbiæ nolentis se peritorum iudicio conformare. Sic ambitus honoris palliat se, quod non pro se, sed pro dignitatis honore & aliorum ædificatione perquiritur. Sic ambitio retentione dignitatum, in perniciem ecclesiæ subtili malo fingit se velle multis proficere, nec ecclesiam exponere discrimini peruersorum. Et hoc plane est dæmonium meridianum, quod facit quandoque esse martyrem diaboli, dum esse gloriatur quis in persequentibus martyr Dei. Monet insuper dicere hominem, quia diues sum, & nullius egeo. Et nescit quia pauper est & miserabilis & cæcus & nudus. Sed quid innumerabilia diaboli machinamenta dinumerare contendimus, quibus mentitur & blanditur iniquitas sibi, quasi plena sit gratia Dei? Dicamus potius, quis euasurus est illa? Respondeat: non ego, sed propheta, per oraculum quale factum est Antonio: *Humiliatus sum & liberauit me*: humiliatus intellectu, humiliatus affectu. Interrogata nimirum gratia Dei, quæ essent signa eius, quibus apparet in homine? Respondit: *Primum & præcipuum signum meum est humilitas: hæc sedes mea, hæc requies. Deus itaque humilibus dat gratiam. Cognosce igitur humilitatem, & tu meam habitationem ignorare non poteris.* Interrogata vero humilitas de signis suis, multa numerans: & tandem ad duo perstrinxit, quæ sunt humile sapere, & humile velle, adiungens de homine, quem inhabitauerit, quod eum reddit tractabilem quasi perfusum oleo lætitiæ, suasibilem, bonis consentientem, minus semper proprio quam alieno fidentem consilio, abiectus est & vilis in oculis suis, non se iactans, non iustificans, non magna promittens, non sollicite se excusans. Ex aduerso cognita sunt superbæ elationis signa, si se colit, si amat, si complacet in se sibi, si sapiens est in oculis suis: alienum vel non requirens, vel odiens, vel non implens consilium: pro sancto iam se habet & pro tali qui dignus sit reuelationibus atque miraculis regi. Et quoniam obstupuit in malis, neque se neque morbum suum nouit: se humiliorem, se sanctiorem omnibus iudicat: solos qui loquuntur placentia retinet sibi, alios odit, tandemque abiicit quocunque quæsito colore, & si ad horam dissimuletamare se veritatem. Si scandalizantur alii, non vritur, sed irascitur eius, tanquam solus immunis sit à delicto: tanquam scandalo causam nullam præbuerit, immanet in opinionibus propriis, quas deserere, neque aliorum monitis, neque concilio, neque experientia malorum & sequentium persuaderi potest. Ægrescit potius & excandescit aduersus monita salubria. Væ væ ecclesiæ & religioni cuique à peste tali.

Vix enim satis deprehendi potest, quia tegitur ouina pelle, sed per doctissimos scientes probare spiritus, si ex Deo sunt, ex fructibus cognoscitur, & maxime dum ad inhonorationis cuiuslibet vel paruam æstimationem quasi furit, vt Philocaptus amatæ suæ læsionem exhorrescit. Nihilominus cum per tales deprehensa fuerit, vix est inuenire remedium, quia nec expelli facile potest, nec retenta corrigi, nisi per miraculosam operationem gratiæ Dei Saluatoris nostri.

Talem cursum habuerit sermo noster per primum signum, quo apparuit gratia Dei & Saluatoris nostri, in eius humilitate subiiciente se legi circumcisionis, & de ipsius imitatione debita per prælatos & clerum, vt patiatur prælatus legem, quam tulerit: vtque quanto maior est, humiliet se in omnibus, vtque non imponat onera grauia ceruicibus subditorum, vtque gratiosum se, non rigorosum ostendat, & ita abnegata impietate & secularibus desideriis, & sobrie & iuste & pie viuamus in hoc seculo.

Reliquum est, vt per secundum signum diuinæ gratiæ, quod esse diximus benignitatem seu charitatem plenius signatam in nominis impositione, sermonis nostri cursus consummationem accipiat. *Vocatum est nomen eius Iesus*, inquit Euangelista. O nomen totiens vocatum & desideratum, nomen tamdiu cum suspiriis expectatum: sed hodie primitus impositum, cum vocatum est nomen eius Iesus. Dudum enim longe à peccatoribus salus, id est Iesus, & prope erat vltionum Dominus. Hoc Dauid cognoscens postulabat nomen non potentiæ & damnationis, sed gratiæ & benignitatis. *Dic*, inquit, *anima mea, salus tua ego sum.* Iesus tuus ego sum. Nam quid est Iesus, nisi salus? Nonne sic tibi loqui videtur Dauid Deo, satis dixisti, ego Dominus, ego omnipotens, ego iustus & terribilis. Abscondantur obsecro hæc nomina potestatis, & exhibeatur nomen gratiæ & benignitatis. Et dico ego Iesus. Hoc est nomen nouum, quod os Domini nominauit, quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur, nomen ab Apostolis prædicatum, sicut dicunt *Actus Apostolorum*, quod omni die non cessabant in templo & circa domos euangelizantes Iesum. Hinc magnus ille prædicator, qui loquebatur sapientiam inter perfectos, nihil iudicabat se scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Iesum præterea totiens viuens & moriens [illegible] eius Ignatius.

Nonne præterea à creaturis omnibus adoratum, quia in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum: quod persp[illegible] fecit miraculorum operatio. Nomen denique ab omnibus inuocandum: quia omnibus [illegible], nam *omnis qui inuocauerit nomen Domini*

mini, hic saluus erit. Et *non est aliud nomen sub cœlo* (affirmat Petrus) *datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et iterum: *Non est in aliquo alio salus.* Si pœnites, & times Deum vltionum: appella ad Deum gratiarum, dicens: *vt propter nomen suum Iesus, sis mihi Iesus*: quoniam scribit nobis filiolis suis Ioannes: *quia remittuntur vobis peccata propter nomen eius.* Nam quis legitur in euangelio inuocasse nomen Iesu, & exauditum non fuisse? Si damnata morte peccati remanet morbus concupiscentiæ audi: quia in nomine Iesu serpentes malarum suggestionum tolluntur. Et si mortiferum quid delectationis bibitur, non nocebit. Si feroces insultus inimicorum omnium timueris, attende quia in nomine Iesu dæmonia eiiciuntur, & feræ mansuescunt: vt gloriabatur Agatha: & turris fortissima prædicatur à sapiente nomen Domini. Si tentatione vel afflictione fatigatus deprimeris, imitare Apostolos qui ibant gaudentes à conspectu concilii: *quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Et Apostolus paratum se offert, non solum ligari, sed & mori in Hierusalem pro nomine Iesu. Apparet igitur gratia Dei in hoc nomine Iesu: quod non est in remedium contra malum culpæ: in refrigerium contra malum concupiscentiæ: in præsidium contra malum pugnæ: & in solatium contra malum pœnæ. Amplius, quia necesse est nobis viatoribus inquirentibus cœlestem Hierusalem viam agnoscere: animaduertamus, quia deducit nos Dominus super semitas iustitiæ propter nomen suum. Porro quia ignobilis es, & nobilitari desideras: *dat* Dominus *potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* Magna plane nobilitas: quia si filii Dei, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: & ex consequenti eius fratres. Quod agnoscens angelus, adorari à Ioanne noluit, *Vide* ait, *ne feceris: conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium Iesu.* Egenus es, & multa te petere necesse est: offertur tibi Iesus pro titulo petitionis in curia Dei patris: sicut obseruat ecclesia instituta ab eo qui dixit: *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quo nomine qui insigniti fuerint, saluabuntur: iuxta figuram Ezechielis de signo thau, quo signati saluati sunt. Denique nemo virtutem, nemo sanitatem huius nominis nouit, nisi qui accipit per experientiam, & gustat quid illud est: *Oleum effusum nomen tuum.* Qualiter acceperat qui dicebat: *Domine nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ.* Et alter: *In te glorificabuntur omnes, qui diligunt nomen tuum.* Rursus alius: *Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Iesu meo*: quasi di. Gaudeant alii in anxia diuitiarum & sarcinarum inutilium accumulatione: alii in effrenatione sordida voluptatum: alii in aliis noxiis atque præduris: ego autem exultabo in Deo Iesu meo: quoniam potissimum apparuit gratia Dei in eo.

Sed ecce denuo sermonem interrumpere conatur studiositas importuna. Et quærit quomodo verum habet, quod *omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit*: cum alibi scriptum sit: *Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum.* Responsio: requiritur tertium *Domine,* quod est operis, sicut primum est cordis, secundum est oris. Dic, cur Apostolus tantus vir petens in nomine Iesu carnis stimulum tolli, exaudiri non potuit? Responsio: non petiuit ad salutem. Associari quippe debet oratio quatuor comitibus, vt exaudibilis semper fiat: quod pie, id est ad salutem: quod perseueranter sine peccati interruptione: quod iuste, hoc est in gratia & pro se. Et ita quisquis in ipso etiam mortis articulo petit hic puniri in curia gratiæ, liberabitur à pœna futura: vbi est curia iustitiæ: & volabit liber in cœlum, sicut deducit Dominus Antisiodorensis, mediante merito Christi & pœna habita in præsenti. Verbum quidem, quod dicit Apostolus, quia *nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto*: cum pessimi nedum illud nominare, sed in virtute eius miracula facere memorentur: quemadmodum viderunt Apostoli quendam in nomine Iesu dæmonia eiicientem: sicut & illi reprobi, qui dicent in iudicio Domino: *Nonne in nomine tuo prophetauimus: & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* &c. quibus dicetur: *Nescio vos.* Responsio, quod nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto illustrante intellectum, sicut nec aliquam veritatem, vel ipso simul mouente affectum & illustrante intellectum vt in bonis. Quod autem mali faciunt miracula, hoc est per potestatem publicæ iustitiæ in attestationem veritatis. Propterea non sufficiunt ostendere aliquem sanctum, nisi comes fuerit humilitas & sanctitas. Hæc vero gratia miraculorum ideo datur quandoque reprobis ad ipsorum condemnationem, ne iusti pro magno deputent, si vel habeant vel non habeant hanc gratiam. *Nolite*, inquit Christus, *gloriari quod Spiritus vobis subiiciuntur*, &c. Quod si sigillum & signum proprium diuinæ potestatis, quod est miraculum adhiberi quæratur in testimonium falsitatis: Deus hoc nunquam permittit, quin reclamauerit vel reclamet, quemadmodum prædixit, ne credamus signis Antichristi. Et hoc est ad probationem electorum.

Properabat rursus quærere studiositas: Cur non modo fit baptismus vt olim in nomine Iesu? & cur non ad inuocationem eius dantur genera linguarum & operationes miraculorum & similia? Dum hæc inter loquendum superirruit zelus feruidus, filius charitatis: abscede hinc (ait) ô studiositas speculatrix: non est tempus disputandi, sed plorandi, nam si propterea Deus appellatus est Iesus: si in hoc apparuit gratia ipsius vt saluemur: vnde tot nobis mala, tot incommoda: qui in ipsum credimus, ipsum inuocamus? Ecce imminuti sumus ex ira Dei effusa super nos plus quam gentes, quæ nomen Domini non nouerunt neque inuocauerunt. Et vt alia prætercam, ecce quam execrando schismate ecclesiam sponsam suam concuti sinit, deiici, proteri, rumpi, lacerari. Et vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine? vbi est illa quam Apostolus tuus scribit apparuisse gratia? vbi est nomen sanctum tuum atque gloriosum, quod inuocatum est super nos? Cur derelinquis nos Domine Deus noster? Vbi abundantia illa pacis, quam orituram asseruit propheta in die-

bus tuis: & quam angeli cecinerunt, dicentes: *Gloria in excelsis Deo: & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Sed væ tibi mala voluntas, voluntas ingrata: tu istam à nobis Dei gratiam abscondis, tu diuinum illud carmen obturbas dissonis moribus tuis, tu surripis gloriam Deo partem suam. Quidni pace spolieris parte tua? Tu igitur bene viuere docenda esses, non acute disputare, neque fortassis tempus docendi, sed faciendi: quoniam mala radicata, quæ in mores abierunt, non verborum fomentis, sed factorum securibus atque ferramentis extirpare necesse est. Sed assit potius tempus miserendi Domine Iesu: tempus miserendi eius, quia venit tempus, succurrat gratia tua. Appareat illa miseris, quia adiutor es in opportunitatibus, in tribulatione. Impera ventis & cessabit quassatio, & aura seuerior & asperior. Recorderis gratiæ tuæ antiquæ Domine, recorderis infantiæ susceptæ propter nos, sed & circumcisionis tuæ & nominationis salutiferæ memor esto. Benedic principio anni benignitatis tuæ, quod principium tu corona misericordiæ & miserationibus: quoniam illud tibi dedicamus, non fabuloso Iano bifronti: scientes quoniam *beatus est vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.* Tu summus es Pontifex noster: des in nouitate ortus tui & coronationis tuæ gratiarum vbertatem, & indulgentiarum plenitudinem elargire. Signare dignetur gratia tua nostras expectationes ad præbendas cœlestis illius & cathedralis ecclesiæ tuæ magnæ Hierusalem ecclesiæ triumphantis, ad quam tendimus: quam tota deuotione cupimus, expectantes beatam spem. Non confundas nos ab expectatione, quia væ patientibus repulsam, si vel in signatione, vel in bullis, vel processu, vel possessione defecerint. Sit hodierna sanguinis tui effusio expectationum nostrarum valida signatio, sit æternum salutare, vt vbi iniquitas abundauit, superabundet & gratia.

Talis erat in meditatione mea zeli plangor querulus, commouens, orans & obtestans, vt sublata mala voluntate de medio nostri (illa enim sola pacem cogit in exilium, illa schisma parit, fouet & nutrit) nos coadiutores gratiæ Dei sumus, quæ piis conatibus non deerit. Cui studiositas, & cur ait non inquirit clerus cum prælatis suis, qualibus viis occurrere conuenit tantis & tot incommodis. Seu per congregationem factam in nomine Iesu, qui aderit in medio. Seu per sedulæ disputationis officium tendentis non ad contentionem, sed veritatis inquisitionem. Seu per inuestigationem criminum regnantium in Christianitate vt euelli cognita possent. Et esset clerus exemplo Iesu populi saluator, non lupus dissipator. Expedit ne me studiositatem in talibus occupari? Cui zelus: Expedit quidem & iam multa à tuis sectatoribus conscripta sunt, vt omnia rite præparentur, quæ agenda fuerint in concilio: alioquin verendum est, ne schismati radicationem afferret exemplo Græcorum, & ne scissuras (quod auertat Dei gratia) multiplicaret ampliores: qualia nunc omnia dicere reclamat, vt vides, breuitatis amor & subdola blandaque adulatio contradicit. Nihilominus, obsecratione facta per gratiam Domini nostri Iesu Christi, & per me zelum domus Dei, vt tempus modicum detur veritati & eius inquisitioni, propulso omni mordacitatis desiderio, quod longissimum frequenter vanitati datur & fabulationi. Dic tu studiositas radices aliquas ex iure diuino sub generalibus principiis vtiles ad sedandum pestiferum schisma, quoniam illud primum & principalius occurrit in ecclesia reformandum. Tunc studiositas visa est quædam aperire sub consideratione quadruplici, quæ qualia sunt, vestrum erit iudicium.

QVATVOR CONSIDERATIONES DE PACE, PRÆDICATÆ TARASCONE.

CONSIDERATIO I.

FINIS politiæ ecclesiasticæ & cuiuslibet legis eam regulantis est pax salutifera. Hoc satis expressit diuinus noster Philosophus Paulus, qui finem legis & præcepti nunc dilectionem esse dixit, nunc Iesum, intelligens in dilectione pacem, in Iesu salutem, vt sit finis pax salutaris. Neque opus est anxia deductione alia, cum natura nos doceat ens quodlibet non minus suam vnitatem & pacem appetere quam entitatem, secundum deductionem diuini Dionysii, Augustini & Boetii: ita vt pax sit bonum, quod omnia appetunt, adeo quod particularis ordo naturæ plerumque immutatur in rebus, vt vnitas conseruetur.

Manifestat hoc ascensus grauis sursum, & leuis deorsum. Si in corpore vero, cur non in mystico potest vicissitudo talis quæri, vt pro pace retinenda fiat deorsum quod sursum est vt pax permaneat? Cum igitur secundum exigentiam finis cætera debeant moderari, & finis est, qui imponit necessitatem rebus: necessitas vero legem non habet, perspicuum est, quod nulla lex habeat aliquid firmitatis, si paci faciendæ vel conseruandæ inuenitur contraria, sed debet interpretari vt seruiat paci, vel penitus aboleri, alioquin iuxta dictum Comici: *summum ius summa est malitia:* conformiter ad iussionem sapientis: *Noli esse iustus nimis.* Sic Athenienses fecerunt ad tempus leges Lycurgi non esse, vt semper essent, & Nasica Scipio: *Dum consul*, inquit, *iuris ordinem sequitur, id agit vt cum omnibus legibus Romanum corruat imperium.* Nullo pacto igitur seruatur lex, non obseruato legis fine, qui est pax. Sicut in simili Christianam doctrinam scribens Augustinus deducit pro regula memoran-

moranda: *quod nullus textus sacræ scripturæ in sua expositione retinet sensum Spiritus sancti, nisi ille charitatem ædificet.* Et quoniam huius schismatis tam extranea videtur esse pestis, vt tale nunquam visum fuerit minus habens prouisionis humanæ remedium; docente hoc sua indies radicatione, expedit ad eius expulsionem institutio nouorum canonum: cum ea quæ de nouo emergunt, nouo egeant auxilio: vel iam conditorum necessaria est moderatio. Sed qualis & per quid moderatio? Sane per regulam infallibilem & inobliquabilem legis diuinæ: cuius sectatoribus & amicis pax multa est, si prophetæ creditur: & non est illis scandalum. Ex quibus elicitur conclusio saluberrima: quod nulla via proficiens ad sedationem schismatis repudianda est, quantumcunque iura vel leges humanæ videantur opponi: vt de electione summi pontificis, quod est sic & sic celebranda, & similes, dummodo diuinum mandatum vel ius maneat inuiolatum. Quod scire ad illam spectat scientiam, per quam legum conditores iusta decernunt, legem æternam imitantes. Hæc est lex euangelica: quæ si contemnatur ab aliquibus, illi sunt inepti pacis ecclesiasticæ tractatores: quemadmodum inutiles sunt homines ita adhærentes nudis textibus, vt ἐπιεικείαν, hoc est æquitatem ignorent, quales Aristo. nominauit immansiuos in opinionibus propriis. Ex his denique quis non videat quam impium est præsertim apud eos qui se ecclesiasticos dici volunt, si peritos in euangelica lege vel non consultare vel abiicere, vel maiori sacrilegio habere probro cognoscantur, hinc præsumptuosæ assertiones, hinc perplexitates inexplicabiles, hinc obstinatæ defensiones adinuentionum humanarum in perniciem ecclesiæ & pacis salutiferæ finis sui surgunt: vt quod non licet disputare de potentia papæ: quod non potest sibi dici, *cur ita facis*? cum tamen sit peccabilis, quod non potest in aliquo casu ecclesia sine eo conuocari vel aggregari: quod hic est fidei articulus, *Benedictus est papa* (exempli gratia,) quod non potest in aliquo casu ad concilium papa vocari: Quod absque eo non stat salus, cum tamen salus ecclesiæ in solum Deum ordinetur absolute & essentialiter: & in hominem Christum de ordinata lege: sed accidentaliter ordinatur in papam mortalem, alioquin dum vacat sedes per mortem papæ, vel naturalem vel ciuilem: vt puta si sit hæreticus depositus, quis hominum saluus esset? Alii papam prædicant impeccabilem, alii omnipotentem, alii sine vlla exceptione credunt extra salutis statum quemlibet suæ parti non obedientem. Quod quanta temeritate dicatur, ipsi viderint assertores.

CONSIDERATIO II.

QVælibet in ecclesiastica hierarchia potestas in pacem salutiferam ordinatur. Hæc infertur ex prima. Cum igitur non sit *data potestas in destructionem, sed ædificationem*, teste Apostolo: Si quis abusui potestatis, hoc est tyrannidi resistit, ille non resistit Dei ordinationi: sed obedit qui iubet malum tollere de medio sui & partem scandalizantem abiicere: sicut & licet cuicunque erga quemcunque vim illatam vi repellere cum appositione moderatæ cautelæ. Hæc consideratio facili deductione traducit quorundam scripta super obedientiæ laudibus & inobedientiæ pœnis ad oppositum illius quod persuadere conantur. Nam si obediendum est hominibus, quanto magis Deo?

Elucet præterea, quod si salutifera pax tollatur, ex eo quod in Ioanne (exempli gratia) potestas ecclesiastica quædam remanet, qua repudiata pax rediret: abiicere potestatem in hoc casu est eadem bene vti: retentio autem verteretur in abusum. Addito quod nulla potestas inuenitur hic in via, quæ non subiiciatur legi diuinæ & naturali: & quæ non sit peccabilis & auferibilis vel abdicabilis aut pro tempore ab executione suspensibilis. Fundatur in hac consideratione dictum illud memorabile & vere dignum à summo pontifice, quod his auribus pluries accepi ab ore Domini nostri, hoc sine adulationis spiritu refero: *paratus sum*, inquit, *etiam vsque ad mortem vel imolationem proprii corporis, si ita res exigat, ecclesiasticam vnionem procurare*: quanto amplius vsque ad proprii status abdicationem. Nam quando daret vitam, qui non desereret vestem aut vitam, coronam seu mitram? Vellent aliqui rursus obiicere contra epistolam Anglicanam, quod via cessionis in effectu reddi possit practicabilis casu proposito: inuitis etiam contendentibus de papatu: quanquam si habeat hic allegationem rationabilem coactio, ipsi viderint: velint itaque, nemo cogit. At vero quicquid de hoc sit, constat viam cessionis esse possibilem: imo in casu necessariam: ad cuius laudem spectat quod scribit Dionysius (non ille Ariopagita) ad Donatum, recitatiue in Ecclesiastica historia: *Dionysius Donato fratri salutem. Si inuitus vt ais in hoc venisti, offendis in eo si dimiseris volens: oportuerat quidem etiam pati omnia pro eo ne scinderetur ecclesia Dei: & erat non inferior gloria sustinere martyrium pro eo ne scinderetur ecclesia quam est illa, ne idolis imoletur: imo secundum meam sententiam maius hoc puto martyrium esse quam illud: quia ibi vnusquisque pro sua tantam anima: in hoc vero pro omni ecclesia martyrium sustinet.* Hæc ille. Denique plura sequerentur de quibus non est dicendum per singula.

CONSIDERATIO III.

QVilibet rationis capax obligatur secundum vocationem suam, pacem ecclesiæ salutiferam procurare. Ille orando, hic disputando, hic prædicando, hic exhortando, hic agendo, vel quolibet modo alio. Sumerentur argumenta pro hac consideratione ex radice filiationis ad

ecclesiam: & ex radice dilectionis & iustitiæ ad proximum: ex radice pietatis seu religionis ad Deum Nulla siquidem in præsenti schismate potest serpere deterior labes, quam inertia quærendi pacem. siue illa proueniat ex ambitione, vel adulatione, vel timore, aut alia occupatione non admittente curam hanc salubriorem:

Pectora nostra duas non admittentia curas,

ait Satyricus. Audiamus à sapiente quid pigricies stulta operatur in agro vel vinea ecclesiæ? *Per agrum,* inquit, *viri pigri transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ: & operuerant faciem eius spinæ: & maceria lapidum destructa erat.*

Quod si pestiferum est & maledictioni proximum negligere opus hoc diuinum, quam criminosum est, quam nephatium laborantibus non applaudere, sed irasci?

Propterea stat aliquem adhærentem iustæ parti plus esse de schismate culpabilem, quam alterum qui adhæret parti falsæ: vt si primus aliqua passione vitiosa tractus obsistat quo minus fiat pax, ne audire paratus sit ecclesiam. Alius quærit cum omni sollicitudine vias pacis, promptum habens animum obediendi ecclesiæ iudicio seu veritati dum sibi claresceret. Ea namque quæ dissensionem afferunt in præsenti schismate sunt talia quæ in facto maxime consistunt: in quibus errare sine periculo salutis potest non solum iste vel ille: sed etiam in talibus ecclesia fallere dicitur & falli, sicut dum multo tempore fœminam pro papa coluit.

Porro manifestari potest ex radice hac quales excusantur à vitio schismatis. Et quòd stat scire, quod schisma est in ecclesia: & tamen nescire quis in ea sit schismaticus. Ex hoc consequenter apetitur, quales sunt anathematizandi & vitandi, & quales non. Nam velle omnes indifferenter partis falsæ extra ecclesiam & salutem trudere: quale sit iam tetigimus.

His ex rebus perspicuum fit deinceps, quanta laude, quibus præconiorum titulis, commendanda redditur partis nostræ diligentia: præsertim in inclitissimo Franciæ regno: & quantum à schismatis obstinatione procul existat: vbi quæsita est hactenus pax salutifera tanto labore, tot expensis, tot legationibus, assiduisque consiliis. Nec est quod aliquis opponat quasdam vel zizanias vel paleas malarum actionum in quibusdam ortas inter hanc virtuosæ operationis segetem: vel quod non satis efficaciter diligentia respondit ad votum. Ascribatur hoc humanæ fragilitati. Raro enim nascitur granum virtutis sine palea aliqua defectuositatis. Nihilominus habet profecto plus veræ laudis zelus ille diligens, quam aliorum negligens torpor: quoniam schisma si dimittitur absque agitatione, proferet radices malas altius & ineuulsibiles, & productas roborabit.

Nam mala per longas conualuere moras.

Doceat nos schisma Græcorum, quod iam non curatur, nemo non desperat. Quo in loco grandis offertur ad loquendum materia super laudibus Parisiensis Vniuersitatis præclarissimæ studiorum super zelo feruido ipsius: quæ non cessauit hactenus eniti pedibus, vt dicitur, & manibus: aliter quam desides aliqui & inutiles, qui facere nihil volunt vel nesciunt, obstrepunt tamen facientibus, solis cōtumeliis fortes & armati. Sed silentium imperat, tum benignitas, tum modestia, ne in eius laude videamur propriam quærere. Ecce autem quis est qui non dicat, qui non clamet: pax, pax: fiat pax, pacem volo, pacem super omnia concupisco. At vero nonne irridetur Deus? quoniam simile est pacem non velle: & illam vel inutiliter & desidiose velle, vel impossibiliter velle: hoc est mediis ad eam impossibilibus contendere: vt si quæratur vnio aliqualiter, qualiter haberi non valet, neque via debellationis, neque via rationis seu reductionis, neque via anathematizationis seu separationis, neque via condescensionis, aut similiter. Cum itaque pastor teneatur non minus reuocare oues, quas iudicat errantes, quam seruare non errantes: nonne debet vt fiat vnum ouile modum possibilem & verisimilem hoc agendi vel prosequi, etiam cum dimissione gregis proprii & obedientis, si per hoc seruatur & vnitur grex vterque? Nec est hoc deserere gregem more mercenarii & fugere, sed saluare: & vt vere sic dicamus fugiendo manere. Sed hæc cessio dicit aliquis fieret perniciosum posteris exemplum? fatemur id posse contingere: nam quibus rebus non contingit abuti? attamen pro incertò malorum euentu, non esset iam certum & optandum præsentis pacis bonum repudiandum vel negandum.

CONSIDERATIO IV.

TAntum est pacis salutiferæ bonum, vt pro eius adeptione neque mundanus honos, neque status, neque gradus, neque propria vtilitas debeant aliquem deterrere, & nihil prorsus nisi peccatum contra legem Dei æternam. Hæc consideratio posita est contra illos qui dicunt: Obseruetur honor partis nostræ: habeamus victoriam: confusionem euitemus. Ecce qualia sustinuit opprobria summus pontifex Christus, vt faceret vtraque vnum: reconcilians in suo sanguine ea, quæ in cœlo sunt & in terra: factus opprobrium hominum & abiectio plebis, & non dicens: seruetur honor meus. Sufficiebat ei testimonium bonum conscientiæ apud Deum. Igitur vt pax habeatur, nulla plane via repudianda est, quæ potest absque peccato deduci: & quanto breuius, tanto salubrius: quanto insuper patentius, tanto acceptius apud omnes: quoniam res tangit omnes, & veritas lucem amat. Quocirca viæ per Dominum nostrum oblatæ (proferam hoc sine adulationis oleo, quo non indiget, & salua pace omnium) quia nunquam mihi visæ sunt iuri diuino palam contraire, nunquā visæ sunt similiter penitus reprobandæ: nisi forte struatur calumnia ex iuramento suo, & ex totius obe-

obedientiæ suæ consensu, iudicio & requestis aliorum tendentibus. Propterea rursus non improbabile videtur attentis circumstantiis offerentibus se in præsenti schismate: si pars iusta possit à iuris sui prosecutione desistere, vt ad iniustam ius suum transferret & fieret iusta: seu per nouam electionem intrusi: seu per aliam viam in iure scripto non habitam: dummodo ius diuinum vtrobique inuiolatum maneret, & hæc via propter timorem inhonorationis mundanæ non esset penitus abhorrenda. Nam quicquid à maleuolis interpretibus diceretur, desuper resideret inspector cordium Deus, & iudex veritas & charitas abunde remunerans. Nonne laudata, nonne victrix effecta est mater illa vera infantis apud Salomonem: quæ filium maluit integrum abiicere, illoque carere, quam diuisus in suam cederet portionem? Denique in laude Q. Fabii Maximi præclarissimam dixit Ennius: quod

Non ponebat rumores ante salutem.

Nonne sanctius est vltro dare gratiæ, dari charitati fraternæ, & paci honorem suum caducum: imo vitam propriam cum merito, quam sine laude & pace mox naturalis necessitas vtrumque diripiat? Concedatur ergo libenter gratiæ id quod velit, nolit obtinens; protinus relinquetur naturæ. Amplius non videtur improbabile, quin expediat in casu ecclesiam ad tempus summo pastore carere: vt interim per tractum vel aliter adeptio pacis celerior haberetur. Quod si canones oppositum sanxerunt, lex diuina non dissonat. Nam ex dicto potest absque papa mortali stare salus. Quod si timetur infamatio partis illius vel illius, iam responsum posuimus. Consequenter deducimus, quod propter timorem succumbendi aut inhonorationis humanæ, quæ vtique vitiosa non sunt, concilium generale vniuersalis ecclesiæ non videtur repudiandum: sed pium est credere, quod in tractatione præsentis materiæ non erraret. Audiamus rationem: constat itaque quod in materiis fidei terminandis error non cadit in generali concilio. Rationem dant Doctores ex speciali assistentia Spiritus sancti & Christi regentis ecclesiam: nec permittentis errare in his, ad quæ humana inuestigatio peruenire non potest. Secus in his, quæ vel facti sunt, vel humana ratione terminari possunt. Nunc autem schisma præsens quanquam in his quæ facti sunt plurimum hæreat, eius nihilominus terminatio tam perplexa cernitur, tamque difficilis, vt supra hominum vires, ingenia, inuentiones & consilia videatur. Vbi vero deest humanum, potest & debet absque temeritate diuinum auxilium etiam miraculosum expectari. Ita enim de sortibus mittendis in casu determinat Augustinus dum sequentibus tyrannis inquiritur quis de multis prælatis pro gregis salute remanebit, qui recedent? Nonne igitur absque periculo causa illa committi Deo & vniuersali concilio posset absque formidine, quam maior pars vinceret, si esset iniustior: & maxime in perniciem ecclesiæ, quod addo: quoniam in casu communis error faceret ius: præsertim error facti vel ex facto ortum habens. Auxilium tale miraculosum nonne in bello corporali Iudas Machabæus, nonne Moyses, nonne fidelium alii taliter expectauerunt, quando persequebatur vnus mille, & duo fugabant decem millia? quanto securiori fide pro hoc schismate finiendo potest in opitulationis diuinæ assistentia speciali per tractatum vniuersalis concilii spes haberi. Et quis obsecro tantæ præsumptionis inueniri poterit, vt determinatis per tot viros celeberrimos, propriam opinionem vel præferret, vel eorum dictamen non imitaretur? Pium quoque sentire est, vt non nisi viam mediam, viam pacificam, & vtrobique honorabilem sententiaret concilium. Nec tamen ignoro multas circa hæc & alia suboriri difficultatum nebulas. Sed eas omnes lux diuinæ legis suis radiis faciliter eiiceret: si non vltra ceruicosa contradicendi libido obstiterit. Si oculos rationis neque segnities inquirendi clauserit, neque ruditas obtuderit, neq; eos lippitudo carnalitatis, neque curarum puluis, neque fumus præsumptionis suffoderit, neque postremo malitia cæcauerit: quo minus apparere possit gratia Dei saluatoris nostri. Ita studiositas per zelum stimulata pergebat in longius. Cuius ego sermonem interrumpens & finiens exclamaui: Appareat tandem aliquando gratia tua, vt post illustrationem synceram & agenda videamus: & ad ea quæ viderimus implenda conualescamus. Res quippe in obscuro nimis demersa est, nam & nobis caligines, pulueresque difficultatum ambulando sponte suscitamus. Deest insuper apud multos gratia humani concilii: quæ simul apparere & cooperare debuerat gratiæ Dei. Obfuscat eam præterea vel abscondit amor proprius quærens quæ sua sunt: & incircumciso corde ambulans post desideria carnalia atque secularia: neque sobrie, neque iuste, neque pie viuens in hoc seculo: quasi non expectaret beatam illam spem, quæ sola desideranda est, sola velut encenium diuinæ gratiæ iugiter postulanda. Prouideat meliora vicinioraque saluti gratia eadem Dei & Saluatoris nostri: hic nos iustificans, glorificans in futuro.

Amen.

EPI-

EPISTOLA EIVSDEM AD DOMINVM AVRELIANENSEM DE sermone præcedente.

SErenissimo Principi & militi regis poli Domino Aurelianensi suus Ioannes Cancellarius ecclesiæ Parisiensis indignus, obsequium humile, pacisque præsentis cum æterna donum fœliciter adipisci. Multa hactenus scripsi, strenuissime Domine. Plurima dixi, quæ ad ecclesiasticam pacem vtilia videbantur: prosequens pacem exultantem latratu quo potui: ego de genere catulus, offerens insuper pro virili portione ad opus tabernaculi Dei cum hominibus, ea quæ de manu sua videbar suscepisse. Nec ignoro posse ea à tot capitibus in varias facile traduci sententias, & forsan aduersas: quæ tamen omnia si cum distinctione temporum, circumstantiarum quoque sese offerentium multiplicitate pensari digna fuerint: arbitror ea inuenturis nexu concordi veritatis inter se iuncta esse: vtpote quæ circa idem centrum eundemque cardinem pii desiderii voluebantur. Viam itaque cessionis bene practicatam ego breuissimam & optimam censui: iudicans ad eius receptionem secundum præparationem animi ambos contendentes de papatu iure diuino constrictos. Nec erat quod allegarent coactionem. Vellent itaque, cogebat nemo. Porro in conclusione subtractionis non affui: quam tamen conclusam impugnare pertinaci animositate non præsumpsi. Sed postquam Dominus noster Benedictus viam cessionis, & alia quæ petebant accommoda pro pace & reformatione ecclesiæ dictus est acceptasse: opponit se paruitas mea cum odiis & discriminibus non modicis, vt ipse neque papatum de facto irreuersibilem amisisse: neque hæreticus aut schismaticus iudicando esse caueretur. Placuit quoque restitutio: quam & prædicaui coram celeberrimo cœtu Apostolicorum. Per hanc itaque ab ea natura secum vnita, portum pacis generalis attingere facilius sperabatur. Denique non tam missus quam coactus Legatus, ad Dominum nostrum super hac materia pro parte Vniuersitatis præclarissimæ studiorum, cui ego filius negare potui nihil, proposui primo Massiliæ, dehinc Tarascone sermonem hunc, quem decorus præsentiæ vestræ nobilissimæ fulgor illustrauit. Hunc sermonem, sicut & præsentem propositionem, postulare dignata est celsitudo vestra ab exiguitate mea, qualis autem ego sum, vt vel hoc vel aliud quippiam denegare præsumpserim? Accipite itaque sermonem qualiscunque ille est: vbi aliqua, sed pauca ex dictatis in margine posita sunt: quæ breuitas præceps eripuit ne proferrem. Bene valeat præclara dominatio vestra ad communem pacem & propriam salutem consequendam. Scriptum Tarascone Anno Domini, 1403. in vigilia Epiphaniæ.

EPISTOLA DOMINO CAMERACENSI EXISTENTI in CVRIA.

DEcreueram, Reuerende pater & præceptor singularis, accuratius si vacasset per dictata quædam scribere, conquesturus de sinistra vel interpretatione vel relatione dictorum: imo plurium non dictorum in sermone Circumcisionis habito Tarascone coram Domino nostro, tempore legationis meæ pro parte almæ Vniuersitatis Parisiensis matris meæ. Experior itaque veram esse Comici sententiam: *nihil esse quin male narrando possit deteriorari.* Hanc ego esse vnam ex maximis difficultatibus æstimo: quæ reddunt officium prædicationis onerosissimum: quas difficultates atque discrimina Gregor. & Chrysostom. quilibet *in suo pastorali*: & Augustin. *4. de doct. Christiana* copiosissime narrauerunt. Fit enim plerumque (loquor centies expertus) vt potentes in sermone aliquo non solum deprauent bene dicta, sed ea quæ nullo modo dicta sunt, constanter affirment pro prolatis. Stultorum quidem infinitus est numerus. Est tamen sapientis assertio: *Stultus non capit verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo.* Verum quoque est dictum Apulei: *multos esse qui solis auribus corporis philosophantur: intellectum vero vel nullum habent*: vel illum variant pro varietate passionum & affectionum: quemadmodum in sonitu campanarum sumimus argumentum. Dicunt enim (vt vulgari more loquar) quod volumus. Porro mihi conscius sum, nihil protulisse tunc quod non esset sacræ fidei, monitisque salubribus accommodum, & examinata veritate stabilitum. Nihilominus quot, bone Iesu, super eodem sermone mihi relata sunt, quæ nedum non dixeram, sed nec cogitaueram. Quot peruerse capta & peruersius impugnata audacter asserere quosdam postmodum potentes: viderint ipsi quo studio vel contradicendi vel vane complacendi, seu zelo vel ignorantia moti, quæsisse veritates per me positas impugnare, & per rationes palam erroneas: sed nolo sequi relationes solas hominum in tanto negotio defendendæ veritatis: ne pugnemus, vt dicitur, in tenebris. Habuissent igitur dictorum meorum formam propriam & limita-

mitationem, adeo vt transpositio sæpe vel omissio, vnius vocabuli sententiam variasset. Habuissent, in quam, formam ipsam: habuissem viceuersa solide quæ dixissent: nunquam refugissem pro veritatis defensione congredi, sed quid agerem? nihil obiectum est quod sciuerim dum essem præsens: potensque verbotenus respondere: sed longo postmodum interuallo me absente & surdo, vocibus eorum plurima variaque in oppositum dicta prædicataque, ego solis rumoribus accepi: quibus cur non magno conatu respondere parauerim, iam expressi. Nouissime autem hesterno vespere scripsit vnus ex amicis fidelissimis se audisse ab Astero, qui similiter audierat ab aliis grauibus (vt dicebat) viris: me dixisse inter cætera: quod homine in articulo mortis existente, quilibet sacerdos habet æqualem potestatem cum papa in indulgentiis dandis à pœna & culpa. Hanc vero assertionem certissimus sum nec sensisse nec dixisse: quanquam si de potestate ordinis in casu necessitatis fieret locutio: scitum est satis, quid Doctores sententient. Denique quid dixerim, vnde error talis potuerit in aliquibus parum forsan aduertentibus ad verborum formam elici. Pono diffusiori sermone in chartula colligata in præsentibus. Tu præceptor sapientissime, coram tuis oculis totus palam sum tibi intus & in cute notus. Digneris accipere baculum defensionis meæ in hoc articulo: quo apprehenso voces oppositas (si ita dignum visum fuerit) valeas compescere. Postremo totum ipsum sermonem, quem hactenus reconditum absque multiplicatione in alias manus habui mittere (si ita censueris) paratus sum intentione talis finis. Det Dominus ipse bene valere iugiter in Domino ad consecutionem beatæ spei, & ad vnionem celerius remeandam in regionem ecclesiæ sanctæ Dei.

SERMO FACTVS CORAM ALEXANDRO PAPA PER MAGISTRVM IOANNEM DE GERSON, CANCELLARIVM PARISIENSEM, IN die Ascensionis Domini.

ADIVVA REX COELESTIS, ET TV REGINA genetrix Virgo pauperem & inopem de regno Israelitico locuturum.

DOmine si in tempore hoc restitues regnum Israel? *Originaliter Actor. 1. cap. & recitatiue in epistola præsentis festiuitatis.*

Non sum nescius, beatissime Pater, vosque Cardinales orbis terrarum, & cæteri Domini sapientia clara fulgentes, me subire sermonis onus prorsus impar exiguis viribus. Idcirco pulsabo ianuas deuote regis cœlestis, vt imperfectum meum suppleat: humili det gratiam: linguam infantis faciat disertam. Et quo facilius exaudiar, oretur pariter eius pia genitrix, illique salutatio præsentetur angelica: *Aue gratia plena* &c.

Domine si in tempore hoc &c. Quæsierunt hoc Apostoli ab ascendente Domino: eisdem quidem verbis, sed sensu vario: qua varietate breuitatis studio prætérita: quoniam duplex est regnum Israel, hoc est videntium Deum, alterum cœleste triumphantis ecclesiæ, cuius ciues Deum vident per speciem: alterum terrestre militantis, cuius ciues Deum intuentur per fidem. Dicam primum quomodo cœlestis: deinde terreni ruinas ascensio Dominica hodie restituerit. Hanc mihi partitionem non meus sensus, sed diuinus contulit Apostolus. A quo scriptum memini Deum patrem proposuisse in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis & in terra sunt. Ecce me docet Apostolus tuus vas electionis tuæ Domine Iesu: quæ tibi respondere licuerit quærentibus discipulis, *Domine si in tempore hoc* &c. Nam si per te essent instauranda, quæ sunt in cœlis, vti affirmare illum perspicio, quid tibi leuius quam hanc illis veritatem respondere propterea scandere cœlos, vt ciuitatem diminutam, & magna parte sua per scelus orbatam turpe reintegrantes. Ipsa malorum omnium prima parens superbia, Luciferum illum, qui mane oriebatur, cum tertia stellarum parte traxit ad tenebrosum occasum. Et quis crederet non inde regni superni claritatem obumbratam? Tollite ex hoc cœlo visibili Luciferum, & cum eo tertiam partem stellarum: cui dubium est noctes obscuriores futuras? Quis nesciat imperfectam remansisse sanctorum angelorum societatem suo numero diminuto? Quis in dubium vocabit corpus ciuitatis istius præstantissimorum membrorum auulsione læsionem, & integritatem pulcherrimam amisisse? Nullus opinor.

Ergo

Ergo claudicabit sanctorum gloria, nec Dei ciuitas de sui integritate lætabitur. Si natura tanto tempore vacuum insectetur, & sic exhorrescat: quo pacto supernas sedes vacuas oculis æquis aspiciet sanctorum gloria? Denique gaudent angeli ad pœnitentiam peccatorum. Quod si gaudium ingerant oculis lachrymæ meæ, quid delitiæ meæ? Et si delitiæ meæ gaudium sit angelorum: quomodo magis fuisset eorum qui ceciderunt permansio? At illud ciuitati cœlesti deest. Fuisset igitur aliqua sanctorum iucunditas stantibus angelis, quæ ruentibus sublata est. Ergo, inquies, confirmati spiritus cæterorum ruinam mœsti deplorauerunt: & qua parte beatorum ciuitatem luctus ingrederetur: non dico fleuisse, non mœstos, non tristes extitisse: viderunt culpam peccantium: non inde lætati sunt propter charitatem, neque contristati propter confirmationem. Viderunt deinde pœnam, & lætati sunt iusti videndo vindictam: atque ad deiectionem impiorum affuerunt conditori. Etenim Michael & angeli eius præliati sunt cum dracone: & putas victoria potitos non inde sumpsisse gaudium? Sed aliud est aliquam deesse lætitiam imperfectæ ciuitati, aliud tristitiam admittere. Nonne vides delectationes ipsas intellectu purissimas & contrarietate carentes, cum adsunt, lætificare: cum absunt, non contristare. Accessit ad mali cumulum, quod ea superbia, quæ conceperat in cœlis dolorem, in Paradiso terrestri peperit iniquitatem: quando per inuidiam indignata carnem eo viliorem ascendere, vnde præstantior spiritus corruerat: homini condito ad replendas sedes in cœlos vacuefactas, in serpente dirum virus aspersit. Sic enim inuidia mors intrauit in orbem terrarum: quamuis initium extiterit omnis peccati superbia. Ita ex omni parte optatæ restitutioni supernæ ciuitatis malignus obuiabat. Attamen spes eum fefellit: restituta est, imo & amplificata dignitate. Cecidit Lucifer per superbiam: ascendit alius Lucifer per humilitatem. Inuectæ tenebræ per occasum primi, purgatæ fuerunt per ortum secundi. Ille minuit sanctorum numerum: iste restaurauit & amplificauit diminutum. Ille regni violauit integritatem, iste violatam reparauit. Ille in cœlo sedes vacuefecit, iste nouis laudatoribus vacuefactas adimpleuit. Ille multos ex angelis exemplo malo traxit in præceps: iste plurimos homines iustificatos tanquam centesimam ouem prius errantem propriis humeris reportauit in cœlos. Iste ex omni parte Sathan deluditur: nec enim in cœlos reascendere potuit, vnde tanquam fulgur ceciderat, hoc est, furoris impetu fuerat præcipitatus: & ascensum, quem homini, atque restitutionem quam inuidit ciuitati, nullatenus impedire præualuit. Verum gladio suo manu potentioris erepto iugulatur: & dum intentione corrupta ab ingressu gloriæ nouos ciues prohibere, gloriosumque Dei regnum integritate pulcherrima fraudare satagit: tam ciuibus fabricat coronas, quam nouum dignitate regnum honestat. Lucifer inde cecidit, sol ascendit. Vanitas à cœlis eiecta est, veritas in cœlo reuecta est. Amiserat illa ciuitas creatum angelum, ac recepit creatorem hominem. Vnde & hic verum est illud Apostoli: *Nonne sicut delictum, ita & donum.* Vis etiam audire nouum genus gaudii: quod nisi homo peccasset, ciuitas illa non sensisset? Non vereor ne nimis audacter loqui videar, cum sequar Bernardū autorem: qui non putat Deum nostrum totam habiturum gloriæ suæ laudem, donec veniant qui in conspectu angelorum psallant sibi: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala.* Hoc genus lætitiæ cœli nescierunt, nisi per ecclesiæ filios: hoc nemo vnquam lætatur, qui non lætatur. Opportune post tristitiam gaudium subit, post laborem quies, post naufragium portus: placet cunctis securitas, sed ei magis qui timuit. Iucunda omnibus lux: sed euadenti de potestate tenebrarum iucundior. Transisse de morte ad vitam vitæ gratiam duplat: deest laudi si desunt qui dicant: *Transiuimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium.*

Hodie felix illa ciuitas nouis exultat gaudiis: ad hunc diem cœlestes ruinæ perdurauerunt. Ante hunc diem nemo ascendit in cœlos: cum de Christo scripserit propheta, quod ascendit pandens ante eos iter. An vero ipso ascendente coascenderint qui cum resurgente resurrexisse leguntur? animas omni labe purgatas credo: sed de corporibus haud quicquam temere diffinire velim.

Ergo læti fuerunt, angeli Christo concepto, læti nascente, læti prædicante, læti hominem redimente, læti resurgente, sed lætiores ascendente. Quid ita? quia multa docentur mysteria Christo præsente, quæ prius absente nescierunt. Nec id mirum videatur, cum scripsit Apostolus: *Innotescere principibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam multiformem sapientiam Dei.* Porro quod prius sola spe tenuerant: ruinas suas resartiendas hodie re lætiore comprehendunt.

Quis mihi det, ô Domine Iesu, ô gloriosissime restitutor regni cœlestis? quis mihi det vt possim concipere quanta intuleris hodie cœlis festa gaudiorum: quanta iucunditate beatorum spirituum agmina ad nouam solennitatem inuitaueris: quanta tibi lætitia calcatori torcularis cum rubris vestimentis cœlos introgrediendi tota superna curia certatim obuiam venerit, aduenisse gratulata est: quantis laudibus triumphatorem prosecuta est: quam iocundis obsequiis in sedem excelsiorem collocare studuerit. Si plus gaudeat super vnius peccatoris pœnitentia, quam super nonagintanouem iustis, qui ea non egent: quantum de te gauisa est Deo homine mortis victore: tot pœnitentes in ipsam domum paternam non reducente, sed reportante: qui ipse es summum eius gaudium, summus amor, summa suauitas. In te enim tota desiderat conspicere: te suiipsius oculis ex propinquo contuendum præsentabas. Quam incredibili voluptate sensus omnium intimos tua vox illa permulsit. Congratulamini mihi, ô amici & vicini: quia inueni ouem, quæ perierat: inueni drachmam perditam, mortuus filius reuixit. Celebremus alacriter, ô Christianitatis rectores inclyti, celebremus tantam festiuitatem, repræsentemus in terris angelorum lætitiam, quæ pro

nostra illis salute partim ingesta est. Nobis congratulemur, quorum est hodie relaxata, imo & captiuata captiuitas, ascendens enim Christus in altum captiuã duxit captiuitatem. Gaudium ingens: hodie chirographũ nostræ damnationis deletum est. Quidni? illa natura hodie in cœlum it, cui dictũ ante fuerat: *terra es & in terram ibis*. Et vt thematis sententia concludatur: à Domino in tempore hoc restitutum est cœleste regnum Israel. Hæc pro priori parte nostri sermonis satis sint. *Domine si in tempore hoc &c.*

Tractetur iam hæc interrogatio de regno peregrinationis ecclesiæ: ꝙ ab Abel iusto ducens originem, etsi postea sępe laborauerit: tamen nunq̃ vniuersum intercidit. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: & non potuerũt mihi.* Floruit aliquando sub Patriarchis, ducibus, iudicibus, regibus, sacerdotibus: verum Apostolorũ tempore nationibus subiectũ mire defloruerat. Responde tu quærentibus, Domine Iesu: tibi ego sicuti certe nunc opibus, nunc vocibus respondisti: & si minus fortassis ad effectũ quærentiũ, tamen ad veritatem. Audistis quoniã misi vos vt eatis & fructũ afferatis eripiendo ciues Israeliticos è manibus regis Babylonis. Auditis q̃m præcipio vobis vt euntes in mundũ vniuersum prædicetis euangeliũ omni creaturæ: vt sitis mihi testes in Hierusalẽ & in Iudæa & Samaria & vsq; ad extremũ terræ. Cur hoc, nisi vt quaquauersum hoste depulso regnũ Israeliticũ vestro ministerio dilatetur. Huius rei gratia dedi quosdã vestrum Apostolos, quosdã Prophetas, quosdã Euangelistas: alios autẽ pastores & doctores ad consummationem sanctorũ in opus ministerii, in ædificationẽ regni Israel. Propterea alteri vestrũ alterã manifestationem Spiritus partim dedi: partim dabo ad vtilitatẽ reparationis regni desolati: & ne nudos hostiũ telis exponerẽ: succinxi lũbos vestros in veritate: indui vos loricã iustitiæ: dedi pedũ calceos in pręparatione euangelii pacis: contuli scutũ fidei, galeã salutis & gladiũ Spiritus, ꝙ est verbũ Dei. Quia vero imbecillibus, quales adhuc estis, hæc arma potius forent oneri q̃ vsui: Edico vobis ab Hierosolymis ne discedatis, quo adusq; recepitis virtutẽ Spiritus sancti supuenientis in vos, qua non arma tantũ sine molestia ferre: verũetiam cunctos impetus hostiles elidere: imo & exercitus fundere atq; fugare possitis. Nam quõ dãna cœlestia restituentur, nisi ex his ciuibus regni terrestris quidã sursum ascenderint. Hæc illis charus præceptor, cuius vocibus diligẽter paruerunt. Vnde post Spiritus sancti susceptionẽ ꝑfecti *prædicauerunt verbũ Domino cooperante & sermonẽ confirmante sequentibus signis.* Vbiq; circũtulerunt sagittas potẽtis acutas cũ carnibus desolatoriis: vbiq; vicerunt regna: effugarunt aciẽ gladii: fortes fuerunt in bello: castra verterunt exterorũ. Ita breui creuit ecclesia: inclyta facta est & posita est in superbiã seculorũ: *dominata est à mari vsq; ad mare: & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarũ. Adorauerunt eum omnes reges: omnes gentes seruierunt ei.* Sed quid ad hæc ascensio, multũ per omnẽ modũ. Quippe q̃diu Dominus in terræ discipulis conuersatus est, humi repsit eorũ dilectio: dulciter siq̃dem eũ amauerunt: & præ eius dilectione spreuerunt alia. *Ecce* inquiunt *reliquimus omnia & secuti sumus te.* Verũ nescio quõ præsentia visæ carnis spiritualis amoris puritatẽ non admittebat. Inde sępe tanq̃ carnales obiurgantur. Inde Petrus impatienter audiens verbũ de morte magistri, sathanas vocatur. Inde cuncti moleste tulerunt, ꝙ de ascensuri magistri discessu audierunt. Inde plus illis sapiebat verbũ caro, q̃ verbũ sapientia, iustitia, virtus, pietas. Inde scriptũ est illud: *Nisi ego abiero, paracletus non veniet.* Et illud aliud: *Nondũ erat Spiritus datus: quia nondũ fuerat Iesus glorificatus.* Sed post magistri discessionẽ, aptiores subinde fuerunt sanctũ suscipere Spiritũ: à quo roborati atq; firmati discerent amare valide, prædicare veritatẽ intrepide, frigida corda succẽdere, discerent plus inuenire saporis in verbo Deo, q̃ in verbo homine. Experirentur altiorẽ amoris gradum iã eis ostensum à Christo dicente, *Spiritus est qui viuificat: caro non ꝓdest quicquam.* Ad hunc gradũ Paulus ascendisse videbatur, dũ dicebat, *Et si cognouimus Christũ secundum carnẽ, sed iam non nouimus.* Fortassis & Propheta cũ diceret, *Spiritus ante faciẽ nostrã Christus Dominus.* Huius igitur spiritualis amoribus viribus ac robore regnũ Israeliticũ restituerunt. Sed heu & plus quã millies heu, quam grandis nobis materia lachrymarũ obiicitur. Circumferamus oculos quorsumcũq; libuerit, nusquam pax, nulla tranquillitas, nusquã secura quies, vbi calamitas, afflictio, pturbatio. O me miserũ: quõ regnum vbiq; diffusum per bellatores inclytos, coartauit in angustum ac restrinxit rex impius Babylonis, quõ maiorẽ antiqui regni portionem abstulit Christo, & eam ipsam, quæ secundũ sibi nomẽ retinuit, innumeris tempestatibus iactatã afflixit. Nam quota sunt humani generis portio Machometici, ac ab octigentis ferme annis suaue Christi iugũ ceruicibus excusserunt? Quota Indi feruntur Christianæ crucis insignibus exornati, sed ecclesiæ Romanæ primatũ ignorare? Quota Græci, at illos mala tempestas à sede Petri disiectos, non modo schismatis, sed nonnullius etiã hæresis macula fœdauit. Latinitas ipsa purior ac immaculatior sedem habet Petri, ꝓ cuius fide ne deficeret specialiter orauit ille, q in omnibus exauditus est pro sua reuerentia. Ipsa tamen tã multis q̃ diuturnis q̃ violentis schismatibus, tũ antea sępe, tum nostra tẽpestate miserabiliter concussa languit. Vnde nuꝑ tantarũ calamitatum impatiens ecclesia, multis suspiriis ac gemitibus clamauit ad Dominũ, *Domine si tempore hoc restitues regnũ Israel.* Aliqua ex parte audita est. Excitatus est tanq̃ dormiens Dominus, tanq̃ potens crapulatus à vino. Et pcussit inimicos suos in posteriora, opprobriũ sempiternũ dedit illis. Asportauit duplicẽ Sobnam, tanq̃ gallum gallinaciũ, & fidelẽ Eliachim substituit. Nã cuius est ista tua substitutio P.B. nisi Christi? Vñ conuocatio cõcilii tã mira? Vnde prius discordantiũ cõsensio, vnde tor ꝓsulũ ac sapientũ concursus tã celer? nõ causa certe dissensionis sed pacis. Nõ vocauit papa, fuit conuenticulũ. O ridenda ac irrationalis nimiũ ratio. Neq; vero ad quatuor illa cõcilia, q̃ in *Actibus Apostolicis* describuntur, Petrus vocasse memoratur. Neq; Synodus Nicena iussu Syluestri, sed Constantini conuenisse legitur. Ad quintũ vniuersale patrũ conciliũ contra Theodorũ Nestorii discipulũ, nemine conuocante sese certatim patres exhortati sunt. Fuere ergo conuenticula? Caue dixeris. Colũtur ab Aug. tanq̃ euangelia. Quid si schisma dubios reddit Christianos, quẽ duorum pro papa colant? Quid si (ꝙ perrarum est) summus pontifex labatur in hæresim, vt legimus Liberiũ Arrianæ prauitati subscripsisse, Marcellinum idolis sacrificasse? Quid si in tolerandis oneribus Christianitatẽ grauaret? An aduersus tantos morbos vllã relinq̃s medelã? Relinquo inq̃s. Credo sane. Nam impfectam nimium ecclesiasticã politiã astrueres, nec à Deo cuius pfecta sunt opa salubriter institutam, ꝙ credere nefas est, si q̃s in eam morbus posset incurrere, contra quẽ nulla posset adhiberi medicina, sed tamen nulla memoratis casibus relinquitur, si non

aliquando fine papę vocatione conuenire possit ecclesia. Libenter hic diutius insisterem, sed breuitate prohibeor. Quoniam ergo te certum ac indubitatum pontificem nobis exhibuit Deus, vt reliqua mala per te tollat: & regnum Israel nimis instrictum iterum amplietur: ad te iam conuertitur & clamitat ecclesia querens: *Domine si in tempore hoc* &c. Non ab longis, inquit, retro diebus quisquam me summus pontifex in tantam spem erexit recuperandæ meæ dignitatis antiquæ, sicuti tu, quem video contraire dispositũ illis, qui me dimiserunt. Fac obsecro vt non frustra sperauerim. Considera etiam atq; etiam, quod cum mihi donatus es, tuus esse certe destiti, nec si te vocem Dominum, tu me propter ea famulam arbitreris. Sic Sara obediebat Abrahæ Dominum illum vocans. Non ego certe tua, sed tu meus: omnia siquidem mea sunt: siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas. Tu te etiam filiorum meorum seruũ vocas, si non es cur te vocas? Si vere es, negato Dominũ, & vide quantum mihi debes. Si quispiam te filiorum meorum rationabiliter vti velit, non potes te sibi negare vel furari, qui suus es, quin per te vel alium suæ necessitati succurras, quamuis nil ambitioni, nihil auaritiæ vel malitiæ debeas, si tantum singulis, quantum vniuersis, tantũ mihi, quare suspirabunda atq; plorabunda peto, vt mala mea respicias, vt regnum Israel hoc tempore restituas. Iustum petit, pater beatissime: eam exaudi, vniuersum studium tuũ ad regni sui restitutionem conferas de vetusta illa Saracenorum ruina, q̃ uis ô si resarciretur. Vix ausim aliquid dicere, licet non existimentur Christiani populi rectores hoc absoluti præcepto, ꝙ hodie tuis auribus intonuit: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangeliũ omni creaturæ*: aliisque similibus, quamdiu fuerit aliqua gens sine Christo, nec se putassent patres eorum Apostoli, nec illi quatuor principales doctores ecclesiæ, post quorum tempora tanta pestis exorta est. Verum ab hac disputatione breuitatis amor auocat, ac prope rapit ad alia. De Indis quid dicã? Habent Christum, an pure q̃s doceat? Quis te vetat ad eos mittere, qui referent omnia? Facile in eis fidei sinceritas corrumpitur, cum ecclesiæ Romanæ non cohæreant, à qua fidei certitudo petenda est.

Impiger extremos currit mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per tela, per ignes.

& ex te nullus eo curret spelucri faciendæ tantæ gentis: memento tamen illi te esse debitorem. Iam vero de Gręcis loquerer, quibus multa Latini debemus. Verum hunc locũ eo negligentius transeo, quod te erga Græcorum reuocationẽ omnes adhibiturum operas intelligo, festina pater festina, ne fugiat hora, ne labatur occasio desup oblata, cui non est facile similis reditura. Ad rem feliciter tractandam tempus omnium primum est. Itidem dicendũ puto de ea parte Latinorũ, quæ nondum tuam claram iustitiam insequitur, sed duobus hominibus humano iudicio diuinoq; condemnatis adhuc inhęret, quoniã & tua vigilantia, & obedientium principum sedulitate, & tuæ veritatis pspicuitate, spes est cito Deo bene iuuante reditura. Labore tantum opus est. Igitur his tanta breuitate decursis, pergit iterum ecclesia quærere de ea parte, quæ tuã iustitiam agnoscit: *Domine si in tempore hoc* &c. Tecũ forte cogitas, cur hoc quærat? nam cũ hæc pars sit schismate liberata, q̃ nam in ea ruinæ reparandæ relinquuntur? Gaudet sane schisma esse hinc depulsum: sed nõ radicitus credit auulsum. Hærent terræ radices, ex q̃bus pullulauerat malũ germen. Veretur ne, si non succindantur, denuo repullulet, quare cupit vt fodiat altius labor tuus, non futura sine metu, nisi viderit cunctas malorũ germinũ stirpes penitus auulsas. Sed q̃ sunt ais istæ radices? Absit si hoc à mea tenuitate, prsus absit vt tuã summã sapientiã velim instruere: scio ab insania paululũ distare volentẽ docere Mineruam. Sed effundo coram te cordis mei affectum, imo profero voces ecclesiæ sanctorũ, & sine suspitione docendi oro vt eas exaudias. Quis enim nesciat nos in orationibus effundere coram Deo corda nostra, nec eum velle docere? Malo tñ dicat ipsamet ecclesia voces sanctorũ suorũ, dicat quas velit stirpes excindi, & quas plantari. En loq̃tur, non iam in me, sed in eam intendite. Væ miserę mihi, væ infelici, ex quo dignitatis culmine manibus iniquorũ detracta sum, quõ mutatus est color optimus, obfuscatus faciei nitor. Cœlestis pulchritudo terrenis sordibus inquinata, exangue corpus effectũ, miserandũ, incultũ, hispidum, vestimentis fragrantibus spoliatũ. Ecce rex & conditor meus, me regni sanctorũ cœlestis expressam imaginem esse decreuerat, vt quantũ fas esset, terrenarũ rerum oblita cœlo ꝓpinquarem, & regnũ illud supernum oculis mortaliũ præsentarem. Sic .n. sub Moyse nomine dictum fuerat: *Vide omnia facias secundũ exemplar tibi monstratũ in monte.* Sic retulit postea discipulus quẽ dilexit, *se vidisse ciuitatẽ sanctã Hierusalem descendentem de cœlo habentẽ claritatem.* Duplici vero similitudine illam imitabar. Primum quidẽ, q̃a sicut in cœlesti regno Cherubin Seraphin & cæteri quiq; vsq; ad angelos ordinantur sub vno capite Deo, ita in meo corpore sub summopontifice primates vel Patriarchæ, archiepiscopi & episcopi, archipresbyteri, presbyteri & abbates & reliqui. Est alia principalior, & cuius gratia hæc instituta fuit, vt quantum patitur corpus corruptibile, ꝙ cœlestes habent pfecte, habeant terrestres ex parte. Illi vident per speciem, videant isti per sapientiam, & fidem. Illi Deum tenent præsentẽ per comprehensionẽ, teneant absentẽ isti p spem. Illi Deo fruũtur plena charitate, fruantur isti quãta possunt in corpore prægrauante. Deũ colant & adorent quõ beati, casti sint quõ beati, sapiant q̃ sursum sunt, non quæ sup terram quõ beati, & sic possem discurrere p cæteras virtutes, recte sane sic ordinauit sapiens artifex. Nã si ꝓpria ratio mea quæritur, & mei collatio ad cœlestẽ ciuitatem facienda est. Ego sum via & motus in illã, illa finis ac terminus. Ego pegrinatio raptim transiens, illa patria semp manens. Ego militantium iuge certamen, illa lætus victorum triumphus. Ego vallis miseriæ, illa mons lætitiæ. Ego mare tempestuosum, illa portus tranquillus. Ego exilium, illa natale solũ. Itaq; quemadmodũ motus ex suo termino ad quem vadit, sic ego ex illa ꝓpriam traho rationẽ. Quantũ ad illam accessero, tm̃ veritatis acq̃ro. Si tendere desidero, amisso nomine ꝓprio in alterã formã conuertor. Vnde Deus conditor meus ascendens in cœlũ, quid aliud voluit q̃ vt eũ mente sequerer, quo pgrediebatur corpore, vt illic esset cor meũ, vbi esset thesaurus meus, amor meus, spes & desideriũ. Nonne affixit mihi pennas, q̃bus in terris corpore iacente, mente volarẽ in cœlos? Sunt etenim pẽnæ volucris mihi, quæ celsa conscendunt poli, quas sibi cũ velox mens induit, terras posa despicit. Sed q̃ sunt illæ? fides, spes, charitas, nihil cũ terra commune gerentes, sed totæ cœlestes. Nonne secundũ has virtutes me consuscitauit Deus: & cõsedere fecit in cœlestibus in Christo Iesu? O mira atq; desiderabilis imitatio, qua cœlestior q̃ terrestior effecta non dubitor. Omnia ciuitatis illius ordinẽ eloquuntur, cœli, sidera, elementa mixta, cũ ordinatissimis legibus Deo seruiant. Vnde & natura duce ante Christũ meum natum, gentiliũ sacerdotum potestates ita erant ordinatæ, vt archiflaminibus flamines subessent, à quibus ad huc prouinciarũ ac diœcesium discretionẽ partitioneq; retineo-

Potestates autem terrenas quis ordinatas ambigat? *Non est potestas nisi à Deo: quæ autem à Deo sunt ordinatæ sunt.* Verum ordinis mei pulchritudo longe præstantior, expressior atq; vicinior. Huius curam præcipuam ac pene vnicam, custodibus, quos mihi reliquit in terris, meus conditor mandauit. *Exemplum,* inquiens, *dedi vobis: vt quemadmodū ego feci, ita & vos faciatis.* Si similitudines pulcherrimas cœlestis ordinis in terris posui, vos illas seruate: vestrum est officium, vt cæteros purgetis, illuminetis, perficiatis, quatenus cœlestem portent imaginem. Idcirco vos purgaui, illuminaui, perfeci: quia nec sordulentum mundificat, nec tenebrosum illuminat, nec diminuta perficiunt.

Et vos quales custodes meæ sponsæ substitueritis, etiam atque etiam caute consideretis, quamdiu recte his mandatis est obeditum, Spiritus valuit: caro iacuit: eximia per totum orbem terrarum diffusa sum. Pax vbique portabatur: vbique recipiebatur: ferrea corda linguis igneis & verbis ignitis liquescebant. Sed heu quid de calamitate præsentium temporum querar misera? quibus pro cœlesti ordine perturbor confusione: & ex similitudine cœlesti quæ mihi vita est, ad inferni similitudinem, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: quæ mihi mors est manibus impii pertrahor? Denique ex distinctissima membrorum decentia in chaos Anaxagoreum, nisi manus conditoris retentaret, prope dilaberer. Siccine mi rex te sequor? Siccine cœlos peto? Siccine matris cœlestis veneratur imago? Vix iam ordo meus, quem instituisti, legitur in libris, quanto minus in moribus? Cernere est archiepiscopos, primates suos, vel ignorare vel contemnere, aduersus illos, aut consuetudinis diuturnę præscriptionem aut exceptionem allegare. Et nonnè hæc eadem ab inferioribus suis archiepiscopi patiuntur? Cernere est professos paupertatem: ita vt nec in priuato nec in communi sibi quicquam reseruauerint: quo liberius in terris charitatis ardore Seraphin, scientiæ plenitudine Cherubin imitarentur: aut ad prælaturas nisibus summis aspirare: aut si hoc non audeant, ad beneficiorum minorum, quod est inusitatius commendas currere: non veritos ne cum vxore Loth retrospicientes, in salis effigiem redigantur: neque satis memores Ananiæ & Saphyræ. Mirum est non alios æque festinare ditari his quorum professio vetat ditari.

Cur enim assidue pulsant aures Apostolicas, quatenus noua priuilegia valeant extorquere. Si hoc vt publice proficiant, magis quam marsupia repleant, splendide viuant: paupertatem quam vouerunt exuant: ipsi viderint: quanquam multa me experientia magistra docuerit: nolim tamen iudicare. Videas alios nouem ordinibus non contentos: non enim nouenis beneficiis saturantur: tamdiu nouos hiatus pandere quamdiu viuant: coniungere domum ad domum, agrum agro copulare: quasi in medio terræ soli habitarent: ipsum verum væ propheticum pro fabula contemnere. Videas fere omnes summis importunitatibus in leges irruere: dum nunc petunt gratiam obtinendorum simul incompatibilium: nunc in absentia posse fructus colligere: nunc ante omnes magnas dignitates assequi: nunc ad sacros ordines non compelli: & mille alia rectis legibus vetita. Vbi non est intolerandum magnos prælatos commissos sibi greges lupis exponere: & quotidie ad denariorum regiorum supputationes sedere: non veritos præceptum Apostolicum transgredi: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus,* eo sensu quo per sacrosanctum concilium olim expositum fuit.

Quid de illis loquar, qui de more patriæ pro mitris vtuntur galeis: pro veste linea vestiuntur ferrea: arma ferunt, bella gerunt, fundunt sanguinem: præsules negant, duces exhibent: Spiritum nesciunt, carnem fouent, quasi arma militiæ nostræ essent carnalia & non potentia Deo ad destruendum omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei. Quod si ad hæc arma necessitas vigentior detruserit (vti nonnunquam accidere fateor) non est magis speranda victoria ex pugna Iosuæ, quam oratione Moysi. Porro illud quam absurdum in hierarchiis institutis nullos actus hierarchicos exhibere: non purgare, non illuminare, non perficere. Atque vtinam exemplo suo malo non inficerent, in errores traherent, ac imperficerent pauperem plebeculam paratam in alterutrum sequi, aut bona exempla virtutum, aut praua vitiorum. Quid turpius quam videre doctos aut bene moratos, aut extra ordines iacere, aut in imis collocatos: ignaros autem & improbos altissimum gradum tenere: videre alios esurire, alios ebrios esse? Quod si ad institutionem sacerdotum atque prouisionem venire delectet, doleo seminaria seri litium, vbi lites sequi prope nefas est. Vix aliquod beneficium infra prælaturas confertur, quin ipsum, vni summus pontifex, alteri vero legatus aliquis, item ordinarius alteri conferat. Quid est hoc aliud quam litium materiam exhibere? Nec illud minus absonum quam magis fauoribus humanis, aut gratia, aut metu, aut cupiditate, aut consanguinitate, aut affinitate, aut aliquo impetu animi quam iudicio aut delectu prouisiones istæ fiunt. Nec ad ea dona spectatur, quæ Spiritus sanctus membris meis variis varia distribuit ad regimen ordinatum, atque per se sufficiens mei corporis. Vnde fit vt auris ad videndum, ad audiendum oculus nonnunquam applicetur: similisque cæterorum membrorum confusio fiat, qua nulla maior pernicies. Ex quibus hæc radicibus pullulasse crediderim? profecto ex fœdis inquinamentis clericorum.

Vnde periere virtutes, ex quibus secunda similitudo mea ad cœlestem hierarchiam intemerata saluabatur: sublatus est simul omnis decor ordinis, in quo prima fundabatur. Priores illi, sub quibus magna felicitate floruit sapientia cœlesti, fideque feruebant. Isti posteriores carnali prudentia corrumpuntur. Illi inflammabantur amore Dei: isti flagrant amore mundi. Illi firmabantur in

vero bono ſpe ſolidat: iſti ſpe mendacii falſis bonis inhæreſcunt. Quo fit vt quemadmodum illi per ſapientiam Spiritus cæteraſque claras virtutes meum regnum fundauerunt, ornauerunt, ampliauerunt: ſic iſti per carnis prudentiam cæteraque fœda vitia idem diruant, maculent, reſtringant. Nam cum caro concupiſcat aduerſus Spiritum: cui dubium eſt leges carnis ſpiritualem politiam potius ſubruere quam ſaluare, deterrere quam emendare, minuere quam augere? Rectè dicit Ethnicus: *Imperium facile his artibus retineri, quibus initio partum eſt.*

Vnde quia meis propugnatoribus artes illæ deſunt, quibus mihi dignitatem ac opes antecesſores eorum pepererunt, vndiq; in meam dignitatem ac diuitias fit impetus. Et ſicut ex illis tanquam pacis radicibus pax latiſſime exorta eſt: ſic ex iſtis tanquam diſcordiarum ſtirpibus omnia ſchiſmata & creata ſunt & nutrita. O indignum facinus, ô ſceleratiſſimam proditionem: milites mei & iidem filii quos ad honores maximos opeſque ſublimaui, protectis armis ſponſi mei, lorica iuſtitię, ſcuto fidei, galea ſalutis & gladio Spiritus ad hoſtem capitalem transfugerunt: pactoque turpiſſimæ pacis fœdere armaturam illius induerunt: loricam iniuſtitiæ, ſcutum prudentiæ carnalis, galeam amoris mundani, gladium carnis, quod eſt verbum mendax diaboli. Vnde pugnant contra me & in materna viſcera vires conuertunt. Quos aduocem defenſores, quos quæram adiutores, quos mihi propugnatores ſperem; non à filiis derelicta tantum, ſed hoſtiliter impugnata? Olim, olim ſæuiente tyrannorum rabie, me tutata eſt conſtantia martyrum: inualeſcente hæreticorũ fraudulenta calliditate me protexit ſapientia doctorum; modo quid agam cum amici mei & proximi aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt? An non ergo ſunt prudentes congerendis opibus, inſtruendis dapibus, cumulandis honoribus, pompis fouendis, & negligentes regendis plebibus, alendis pauperibus, diligendis humilibus & ſuperfluitatibus coercendis? An non potius de beneficiis diſceptant per leges Iuſtiniani, quam populum erudiant & doceant legem Chriſti? doceant dico, imo diſcant. Nam quem è ſacerdotum numero mihi dabis non ignarum legis Chriſti? An non augmentis plus inhiant facultatum quam lucris animarum? Quis autem hæc à carnis prudentia proficiſci negauerit? Iam vero multas mihi mouerunt lachrymas carnalis amoris argumenta clariſſima; cum alium ambitione corruptum per ſcelus dignitates rapere conari cernerem: ingratum abire, earum vti potentia, per eam vim adhibere, aurum polliceri, minis terrere, allicere blanditiis: fas nefaſq; confundere, non reuocatum neque metu legum neque exemplorum Dathan & Abyron, Simonis magi, regis Ozeæ. Lugebam quoque cernens alios auaritia rapaci oues ſpoliare exactionibus: exactiones cumulare, accuſationes ſtruere, ſerere lites: falſis criminibus innocentes impetere, congerere pecunias, terrenis tantummodo negotiis intendere: quibus ſalubriter conſultum putarent, ſi mallent Ariſtotelem audire, quam Apoſtoli præterire mandatum. Ille patribusfamilias opulentis conſilium dat, vt adminiſtrandarum facultatum atque familiæ negotium procuratoribus imponant: ipſi vero ſimul viuant aut philoſophentur. Sed modicum miror apud iſtos Ariſtotelem contemni: apud quos nihil valet Apoſtolorum exemplum ſalubre: qui ne verbum Dei relinquere cogerentur, ſeptem Diaconos pro miniſterium menſarum inſtituerunt. Nec ſine lachrymis inſpicere poteram alium concubinatu pollui: cui tamen vt puritatem euangelicam æmuletur connubium eſt interdictum: luxuriam non clam, ſed in propatulo habere, fœdis factis fœda verba coniungere: dapibus implere ventrem: inebriari vino doctum: & ad calicem vigilanti ſtertere naſo: & mille malis aliis prope conſpectis, fluebant mihi lachrymæ: nec fluere deſinent, niſi malas iſtas radices peiorum germinum matres ſucciſas agnouero.

Nam quid poſtremo de ſpe mendaci proferam? Quid ſacerdotes ſperare dicam: vtrum ſempiternam gloriam? Hæc profectò eorum poſtrema cura eſt. Sed quid? Sperant beneficia conſequi, ſperant emolumenta terrena: ſub noua lege veteraſcunt: cum nouis præmiis æterniſque relictis ad legis Moyſis vetuſtatem reſoluuntur: & ex ſchola credo Stoicorum, non certe Chriſtianorum honores iſtos caducos beneficiorum virtutis præmia ducunt. Quod facturos non exiſtimo, niſi ita oculos ad opes honoreſque conuerterent, vt onera non aduerterent: niſi honorum dulcedinem & non onerum amaritudinem inſpicerent.

An tibi videtur nauclerus ſummis tempeſtatibus vſque ad finem dierum meorum mariiactandus rectè præmium putare terrenum commodum, quod tantis periculis coniunctum viderit? Non putabit, inquies, niſi tempeſtatis immemor. Cæterum quis viator pro laborum prẹmio eam pecuniam ſumpſerit, quam niſi per medios latrones prædoneſque manu ſemper portauerit poſſidere non liceat? Nullus inquies niſi ſalutis oblitus. Ergo ſi in beneficiis ſtatum lubricum ſempiternęque pœnę nimis facile periculum ineſſe certum ſit, quis intelligens non ea magis ſuſcipere metuat timore periculorum quam quærat ſpe commodorum? Quocirca ſoleo mirari quid hi ſibi voluerunt, qui primum gratias expectatiuas applantauerunt? ſed vt video iam dudum vera rerum vocabula amiſſa ſunt.

Habes itaque vel maximas afflictionis meæ cauſas: quia dum omnes quæ ſua ſunt quærunt non quæ Ieſu Chriſti: & quod ſibi vtile eſt, non quod multis: dum ſuaui carnis paſtui tantum carnales intendunt, currunt ad honores: onera reiiciunt: quærunt iucunda, moleſta fugiunt, quod in alieno ſtatu dulce viderint ad ſe rapere, quod in proprio amarum cognouerunt in alios proiicere moliuntur. Inde diſcordiæ, lites, ſchiſmata, rixæ, ſimultates, & totius ordinis mei turpiſſima confuſio.

Quæ-

Quæro, Domine, si ab his pestibus hoc tempore liberabis ac restitues regnum Israel? Et precor vt restituas. Quod factum subinde spero. Quippe spiritualibus literis eruditissimos sacerdotes Dei legem ignorare non feres, vti sine damnationis periculis ignorare nequeunt. Quod multis autoritatibus sacræ scripturæ confirmarem: sed breuitati studendum est.

Denique cum à puero te cœlestis religio susceptum adeo spiritualiter viuere docuerit: vt id tibi in naturam conuersum sit: aduocabis spirituales viros ad beneficia, ab his carnales arcebis. Excludes quos spes improba ad importune petendum impulerit: sed inuitos intrare coges quos paruipendere terrena comparatione cœlestium agnoueris. Exinde confusionem præsentis temporis reduces ad distinctionem ordinis. Coges quenque suum tenere locum, suo gradu contentari: officium exercere ordinis suscepti: limites non excedere: non perturbare terminos positos à patribus. Iubebis quemlibet esse contentum mensura statuum decente. Et quoniam prauæ cupiditati terminum imponit nemo: tu omnibus præfigere conaberis. Præcipies seminare spiritualia, qui metunt carnalia. Et contra leges rectè latas quantalibet importunitate petentium fatigeris, nunquam dispensabis nisi aut necessitas vrgeat, aut communis prouocet vtilitas. Alioquin fuerit potius crudelis dissipatio quam iusta dispensatio. Cauebis dispensationem ipsam lege communiorem facere, ne turpe sit, si regulam sua vincat exceptio. Si hæc feceris ad quæ te suscepti officii debitum astringit: tum schismatum auulsis radicibus pax ipsa Christiana sibi terrarum orbem denuo vendicabit. Et in hoc positum est vnicum pacis stabile fundamentum: sine quo si quis ædificare voluerit, nihilo plus agit, quam si det operam vt grauia tecta parietibus arundineis superimponat. Morum corruptio fuit prima causa mali: quorum morum correctio erat prima causa boni. Verum hic labor, hic opus est, ne hoc facere possis, nisi te propinqui tui ac domestici iuuerint. Proinde Gregoriano exemplo persuasus aduocabis tibi tantorum laborum socios clericorum ac religiosorum quosque prudentissimos ac optimos. Ornabis domum tuam sanctis, prudentibus, modestis, integris, incorruptis. Quam enim domum decet sanctitudo, si non tuam Domine? Certe parum profutura est tua vnius iustitia, si ea vicerit dissimilis aliorum affectio. Vteris subinde membris tuis, regisque summi secutus exemplum, quemadmodum ab illo discurrunt assidue Spiritus angelici ad hominum ministeria: sic diriges per orbem terrarum pacis nuncios. Vide tamen qualibus membris vtaris: sunt quædam paralytica, quæ si volueris in dextrum mouere, praue potius ferentur in sinistrum. Proinde magna cura tibi subeunda est, vt ad hoc ministerium idonea diligas. Posthabebis rerum minorum curas, vt huic maximæ maior ac efficacior inseruias. Vide quæso si careas oneribus: vide si quis alius tanta sollicitudine fatigetur, quanta tu. Vere hoc dixerim, summus honor, summum onus. Sed ne te onus terreat, si bene ministraueris, summi oneris summum præmium. Vide denique si non tibi incumbat cum eximio rege psallere: durum quidem, sed vigilantis viri canticum: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino.* Sed quem locum? Pacem nempe. In pace factus est locus eius. Sed quænam est hæc pax? tranquilla bonorum concordia. *Non enim est pax impiis*, dicit Dominus. Tolle igitur vitia: reduc virtutes. Redde mihi formam, redde vitam, redde etiam cum Domino gratum locum inuenire cum hoc tempore regnum Israel restitueris. Hæc ecclesia tecum. Cuius vocibus nihil aliud adiicio, nisi precationem humilem: vt det Deus dies vitæ ac robur virtutis, vt sub tuo pontificio pulchræ pacis dilatationem amplissimam videre possimus, Amen.

Anno Domini 1303.

SERMO EIVSDEM HABITVS MASSILIÆ CORAM PAPA BENEDICTO, ANNO M. CCCCIII. NONA Nouembris.



Enedic hæreditati tuæ sanctissime pater Benedicte: benedic obsecramus, vt secundum nomen tuum sit & laus & operatio tua: det benedictionem Benedictus: quoniam absque benedictione præuia eloquium nostrum prorsus esset inualidum, eloquium, inquam, quod ego seruus tuus pro parte & nomine hæreditatis tuæ peculiaris, quæ est Vniuersitas Parisiensis præclarissima, absque dubitatione & primogenita studiorum habiturus sum cum istis legatis suis præclarissimis & probatissimis certe viris sanctitati tuæ fidelissimis: quibus assotiatus sum immeritus, & dux verbi factus: & hoc te propitio, pater beatissime, te benedicente, te benigno. Alioquin nisi tu Dominus dederis benignitatem: terra nostra, quæ est hæreditas tua, quo pacto dabit fructum suum. Nisi benedictionem dederit legislator: subditi quibus passibus ibunt de virtute in virtutem? Denique nisi tu Dominus iusseris benedicere: quo ausu auderet paruitas mea coram summa tuæ beatitudinis celsitudine in conspectu huius celebris conuentus indignum os aperire. Igitur Benedicte pater sancte, benedic tu mihi: benedic & hæreditati tuæ. Hanc ego benedictionis gratiam reportare sperans à beneuolentissimo & serenissimo S. T. spiritu: aperio rursus fidenter os meum: vtens compellatione singulari: non quidem pro indignitate (procul nefas tale) sed pro singulari dignitate: sicut tua singularis est dignitas: ne quis indigne ferat morem istum loquendi ad Deum: & priscam sanctorum patrum & oratorum consuetudinem: & obsecrans dico prophetica imprecatione: *Benedic hæreditati tuæ.*

Hæreditas hæc tua, cuius benedictionem expetimus, duplex inuenitur: vniuersalis & partialis: iuxta quod orationem nostram in duos secernimus articulos: sicut ad duo principaliter missi sumus. Primum & hoc præcipuum est quærere pacem super Israel: hoc est super ecclesiam, quæ est vniuersalis hæreditas tua. *Hæreditas mea Israel,* ait ille, cuius vicarius es in terris: & à quo tu pastor illi, tu colonus & agricola supremus prælatus es. Propterea sane cum beato Martino, cuius instat celebritas, felicem hanc virtutum suarum consummationem existimare debes, si pacem ecclesiæ integram reliqueris. Alter proinde nostræ legationis articulus est: benedictionem gratiarum postulare pro altera hæreditate tua quodammodo peculiari: & quæ est ecclesiasticæ hæreditatis pars quædam florentissima & præclarissima & electa: pace aliarum dixerim. De qua gloriari potes prophetica exultatione: *etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Hæc est humilis & deuota S. T. filia Parisiensis Vniuersitas: quæ cum Iacob non dimittit te, nisi benedixeris ei, consurgente aurora benignitatis tuæ. Eget nimirum vtraque hæreditas ista benedictione tua: vt aperiente te manum tuam, manum tuæ benedictionis omnia impleantur bonitate: & Domini sit salus, & super populum tuum benedictio tua. Inuasit itaque hæreditatem ecclesiæ aper de sylua & singularis ferus depastus est eam. Oues quoque & cæteros armentorum greges, hoc est populos simplices & omnis conditionis homines miserando more & execranda penitus diuisione dispersserunt, & hæreditatem tuam vexauerunt. Quam ego olim cladem iuuenis pastorio carmine deplorans Ethæus inquam:

Heu gregis impacata lues nimis: heu graue iuris
Exitium experta: heu pecoris sors altera semper:
Aut perit externo insultu, suffert vel acerbos
Hærentesque cuti morbos vicinave damna,
Qualia mysteria nunc patitur pecus: omnia postquam
Fato versa malo tempus tulit & fuit error,
Rixaque pastorum, sub quem me & innocuus grex
Ductorem trepidat: fugiunt pars altera Tybrim,
Pars Rhodanum, nullo incerto pars altera sistit.

Tuum vero est, pater beatissime, talibus hæreditatis tuæ calamitatibus obuiare, suæ desolationi opem ferre: suum quoque maledictionis schismaticæ opprobrium in benedictionem pacis decoram & fœcundam immutare. Oues in hac hæreditate tua dispersæ sunt, tu eas collige: confractæ sunt, tu alliga: sauciæ sunt, tu sana: errantes sunt, tu reuoca: perditæ sunt, tu eas quæsitas & inuen-

inuentas propriis humeris & beatis, benignus imponens gregi suo consocia. Quod si aliquæ fortassis miserabili vicissitudine mutatæ sunt in lupos & beluas feroces & sæuas, vt de sociis Vlyssis per Circen poetica & moralis est narratio, tu eas non enecare, non perdere volueris. Bonis quidem & discholiis debitor es, sapientibus & insipientibus. Sed potenti virtute benedictionis tuæ in misericordia & mansuetudine, tales rursus in ouium simplicitatem transformare stude. Si versa est pars hæreditatis tuæ in amaritudinem & salsuginem: ob pestiferum schisma in similitudinem horrendi deserti & vastæ solitudinis, sicubi pro vuis labruscæ, pro frugibus

Infelix lolium & steriles dominantur auenæ:

vt Poeta loquitur, & vt Scriptura ait: sicubi *terra maledicta spinas & tribulos germinat.* Flabit Domine spiritus tuus bonus & suauis, & fluent aquæ gratiarum, pinguescent speciosa deserti, & tuæ benedictionis irroratione renouabitur facies terræ, facies vniuersalis hæreditatis tuæ. Nam & matrem humoris Philosophi lunam vocant.

At dices: magna sunt ista nimis & supra virtutem hominis posita. Magna sunt, nec inficior, pater beatissime, imo maxima: sed virtus Dei, cui inniti te conuenit, immensa est. *Omnia possum* (inquit Apostolus) *in eo qui me confortat, Christus.* Sed *maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Magna sunt, propterea magno egent studio, curia, sollicitudine, vigiliis & labore. Nam *vbi intenderis ingenium, valet*: ait Iulius Cæsar apud Salustium. Magna sunt, propterea deserenda sunt exigua, & dispertienda linquendaque minoribus. In hoc opus vnum præcellentissimum figendi sunt considerationis oculi, mittenda est manus ad fortia, tempus quoque res omnium pretiosissima, in aliis non nisi parcissima raritate dispensandum, alioquin tale aliquid fieret, quasi quis *piscaretur hamo aureo*, iuxta verbum vnius è Cæsaribus: aut quasi vile aliquid quæreretur in tenebris cum cereo centum aureorum. Alioquin præterea rediret illa inculpatio Hietro ad Moysen: *Stulto labore consumeris.* Sic Petrus Clementem, sic Bernardus Eugenium, imo sic Apostolus discipulum suum charissimum monuerunt: *Nemo militans*, &c. *Secularia iudicia*, &c. Et in Actibus Apostolorum: *Non est æquum*, &c. Notiora sunt hæc quam vt allegationibus indigeant. Magna denique sunt ista pacis vniuersalis opera: quamobrem ea tecum à multis quærere conuenit. Nam vulgato prouerbio, *quod à pluribus quæritur, citius inuenitur*: & *vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo*, &c. inquit Christus &c. Et quis est, ô Deus æquissime, quis est ex Christianis ecclesiæ filiis, qui non inniti debeat pro sua portione & vocatione tantis opitulari miseriis? Quis tam luctuosæ desolationi? quis labefactioni tantæ hæreditatis tuæ non condolebit, & cōdolens quis pro viribus non obuiabit? Sed neq; hoc prohibere quisquam nisi mentis inops voluerit, vt in communi periculo commune sit auxilium. Quod si parum prospere successit hactenus labor plurimorum: non ideo desperandum, non succensendum eis, non spernendæ prorsus operæ:

Non est in medico semper, releuetur vt æger.
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.

Neque enim qui plantat, neque qui rigat est aliquid: sed qui incrementum dat Christus. Et non mentiebatur qui dixit: *Timidæ sunt & incertæ prouidentiæ nostræ.* Si post primum naufragium nauta nauem, & post prima vulnera miles aciem, & post vnam sterilitatem rusticus agrum desereret, ascriberetur hoc nō cautelæ, sed ignauiæ, & qui sic consuleret, ageret insulse. Beniamitæ iussu Domini bis descenderunt in prælium, bis victi sunt: vt primum purgati, humiliati & eruditi, victoriam tertio prælio sortirentur. Super omnia post opitulationem diuinam si pacem vniuersalem quærimus, non inefficaciter perquiramus: quæratur necesse est concors vnio huius obedientiæ tecum, P.B. & secum: hoc est in capite & membris: præsertim in præclarissimo, potentissimo, Christianissimo Franciæ regno: cuius laudes quia per se celebres sunt, non enumero. Pax male per schisma & contentiones quæritur. Nam vbi diuisio perseuerat, audiatur quod omne regnum intra se diuisum desolabitur: & quia

Conueniet nulli qui secum dissidet ipse.

Absint igitur procul omnes animositates odiosæ. Non fiat aspectus retrorsum in quibus periculis & procellis nauis ecclesiæ hactenus iactata sit: sed docti ab Apostolo extendentes nos & velum in anteriora, portum pacis optatum concordi laboris annisu petamus. Docent nos historiæ gentilium, præsertim Romanorum consulum, qui licet aliunde dissiderent hostiliter mox in amicitiam conueniebant, dum reipublicæ pax & vtilitas quæreretur. Hoc T. Liuius, hoc Valerius exemplis docent: & vetere Græcorum instituto charistia seu communis gratia fiebat pro communi vtilitate, non prorsus dissimiliter ab anno iubilæo Iudæorum. Quod si filii Israel animo pacifico ibant ad prælium, filii ecclesiæ quibus animis debent quærere pacis bonum? Si Herodes & Pilatus facti sunt amici ad persequendum Christum, qualis debet esse pax ad eundem adorandum? His exemplis cum certa ratione permota humilis & deuota S. T. filia, quam primum vniuit se in se, reuocans omnes perditos à suo consortio vel gremio quomodolibet alienatos, & ad honores pristinos restituens, monens insuper & maternaliter iubens vt iniuriarum præteritarum nemo memor sit amplius, sed honori matris & vtilitati pacis omnia condonentur. Recedant vetera, noua sint omnia, quatenus liberioribus animis eo pax vniuersalis quæratur, quo nulla particularis obstiterit discordia. *Concordia* (inquit Salustius) *paruæ res crescunt, discordia maxima dilabuntur.* Quidque concordiam Fratrum Prædicatorum antea fere desperatam operata est, commemorans & literis suis inserens zelum grādem, quem pro eadem concordiam dudum Parrisiis ostenderas, studens in hoc & sperans filia tua, tuæ sanctitati non mediocriter complacere.

 Habes

Habes igitur, pater beatissime, filiam pacificam, & euangelicæ beatitudinis participem, dignam insuper quæ ad pacem vniuersalis hæreditatis tuæ quærendam admittatur, vt dicat ex sententia: *Facta sum coram eo quasi pacem reperiens.* Scit ipsa quoniam tale est pacis bonum, vt multa propter eam tolerare, multa indulgere, dissimulare plurima: quæ vel corrigi, vel ad regulam duci nequeunt, oportet. Hoc sancti Patres scriptis suis, hoc exemplis docuerunt. Habentur in promptu dicta eorum in decretis & alibi copiose. Sed eorum dicta nunc allegare quotando coram scientibus legem loquor, & vbi res in se perspicua est, superfluum ne dicamus curiosum iudicamus, & à sanctorum Patrum vestigiis alienum, quia & ostentationem redolet, & cicatricosam fluidamque reddit orationem.

Oritur ex præmissis consequenter intellectus dicti illius saluberrimi & verissimi si sane capiatur, quod *communis error facit ius*: hoc est, quod prælatus dominante opinione, etiam erronea in subditis, multa vel agere vel omittere tenetur, qualia si faceret aut dissimularet opinione huiusmodi non extante, ipse graui delicto teneretur obnoxius. Quæ doctrina præsenti negocio accommodatissima est, si iam eam dilatare liceret, sed oratio nostra certis coartanda est limitibus, & ad alia deproperat.

Attamen prætergredi vllo modo neque possum nec debeo, dum ad concordem huius obedientiæ vanitatem exhortor: suadens iniuriarum quarumlibet obliuisci, quin summam tuæ mansuetudinis & mititatis laudem admirer, quæ exemplum mansuetudinum Dauid insecuta, caput ad maledictionem inclinauit, vt à Domino benedictionem pro maledictione reportaret, & benedictione hæreditatem possideret. Et cum Iuda Machabæo esset memoria tua in æternum in benedictione. Ecce Sathan accepta à Deo licentia (alioquin quid ipse potuisset) percussit te plagis multis tribulationum & angustiarum, iustissime quidem in ordine ad prouidentissimam Dei dispositionem: quoniam iustus est in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Per cuius prouidentiam fit, vt diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Et qui *secundum merita plebium disponit vitam rectorum*, vt ait Gregorius, qui etiam proprio filio non pepercit, quin eum saturaret opprobriis. Demum nihilominus has commotiones peruersissimo intentionis fine mihi suscitasse videtur, ad quid? Nimirum vt essent pedibus tuis in laqueum & offensiones & scandalum. Quo pacto sic? Vt animus tuus generosus in indignatione & de indignatione in impatientiam, & de hoc in odium & diffidentiam & suspitiones anxias & trepidas quæ multos supplantarũt laberetur, & in vindicandi libidinem excandesceret, & vt tandem abiecta mansuetudine dimisso omni consilio ad postremum omni studio prosecutionis ecclesiasticæ pacis: spiritus tuus natura mitis & suauis ad solam vindictæ carnificinam sub zeli iusti specie raperetur, lactaretque oues proprias, protereret, abiiceret, dissiparet: & propter suspitiones insidas & turbidas, res omnes timide gelideque ministraret: quali arte venatores apros in propriam irritant necem, & lepusculos per vanam pennæ volitantis formidinem in verum tradunt periculum & laqueum. At benedictus Dominus & benedictus tu: quoniam laqueus iste desiderii vindictæ contritus est. Tua quippe mansuetudo non solum non sublata est à S. T. his fraudibus: sed mira quadam effulgentia magis & magis emicuit, vsque ad quendam intuentium stuporem, vsque ad pias lachrymas audientium, vt ad exemplum memoriale & vere Christianum apud omnes generationes posterorum. Quæ exempla omnia si referre voluero, nitar incassum, prius tempus & lingua deficient. Vnum tamen ex innumeris (quod fidelissima relatione didici) cõmemoretur exemplum: quod dum Parrisiis in sermone publico restitutionis pro parte regis feria secunda post Pentecostes coram populosissima & celeberrima vtriusque status frequentia retulissem illud suis suspiriis altis & subditis tacentes approbarunt, & non pauci ad pias vsque lachrymas (nec mirandum) compuncti sunt. Postquam sæuientibus vndique intumescentibusque procellis circa nauem ecclesiæ tu mysticus Ionas proiectus es in mare: hoc est in amaritudinem tribulationis, non deseruit te Deus, sed mirabiliter in ventre sacri palatii velut in ventre ceti conseruatum eduxit ad litus libertatis, & facta est tranquillitas maior. Tota quippe obedientia ista à tumultu siluit, eo tunc venit ad verendam tuæ celsitudinis pœnitentiam homo quidam non infimæ fortunæ, qui vltro confessus est te Patrem & Dominum suum, imo nostrum omnium, te Christum Domini nedum impie tangere, sed crudeli inauditoque parricidio interficere semel & iterum voluisse. Expauerunt opinor qui aderant, qua fronte vir tanti sacrilegii, vir tam nefarii facinoris conscius nõ solum hoc facere, sed vel comparere præsumpsisset. Multi cœperunt toruos in eum oculos flectere, dentib. fremere, vix manus continere, nisi quod tuam expectabant sententiam, & qualem expectabant nisi vt diceres: Tollatur impius, exturbetur sacrilegus, ligatis manibus & pedibus trahatur ad carcerem, vt tradatur in mortem. At vero tu nihil horum dixisti pater clementissime: sed misericordiæ & mansuetudinis sinum aperiens, & clementiæ virgam extendens, præoccupasti confitentem reum, priusquam verba orationis complesset, serenissimo quoque vultu & verbis suauibus plenam præconcepti huius flagitii veniam indulsisti, vincens in bono malum: & cuius esses spiritus, cuius insuper vicarius, facto certissimo palam docens. Hoc egisse nonne satis erat ad misericordiam? Addita est assecuratio, trepidare vetans iureiurando firmata. Nam fit cui multum dimittitur, multum ingratum si de dimissione hæsitauerit. Dixit namque spiritus tuus bonus & suauis: *Hoc faciat mihi Dominus & hoc addat, si vllas vnquam aduersum te odii vel vindictæ reliquias apud me seruauero*: imo si quam pœnam in te posterius exercere voluero, illa in caput meum prior cadat. Nec indulgentiam tantummodo ego præsto, si deinceps bene te habueris, sed & tibi tuisq; similibus omnibus beneuolentiam polliceor ampliorẽ. O dignissi-

dignissimam summo Pontifice vocem. O responsum diuino viro conuenientissimum, O factum misericordiæ singularis: quod patrem & pastorem euangelicum repræsentat. Qui post persecutiones Paulum, post trinam negationem Petrum, & post portionem hæreditatis luxuriose consumptam, iuniorem filium plus amauit. O diuinum factum, quod vtinam omnes populi, omnes quaquauersum nationes audirent: tum pro exemplo & imitatione, tum pro arguendo mendacii eos qui te rigidum & austerum, aut iræ memorem criminari moliuntur. Hæc est plane victoria Christiana, iniurias & iras non iniuriis & ira, sed misericordia & mansuetudine vincere, & imitari eum, qui etiam in cruce positus dixit: *Pater ignosce illis*, &c. Sic beatissimus Martinus, cum vrgeretur vt Briccium sibi contumeliosum abiiceret: *Si*, inquit, *Christus Iudam: Martinus cur non Briccium tolerabit?* Sileant nunc historiæ gentilium: quæ suorum quondam principum mansuetudinem amplissimis verbis extulerunt, vt Seneca Neronem *in duobus voluminibus*, Cicero Iulium Cæsarem *in orationibus*, Suetonius, Octauianum Augustum *in historiis*, & alii alios: comparantes eos vel asylo Romuli, vel ciuitatibus refugii, vel templo misericordiæ, quale describit Statius *Thebaidos*. Siquidem incomparabilis est istorum laus ad tuam gloriam, sicut vmbra ad serenam lucem, fumus obscurus ad purum ignem: palea volatilis ad solidum granum, imo sicut vitium ad virtutem.

Ipsa enim talium mansuetudo non pro diuino honore & authoritate, quam spernebant, & tu colis vnicam, sed inanem iactantiam, quam tu calcas, anhelabat. Collaudabunt alii cruentas bellorum victorias: & ambitiosos ex his triumphos mirabuntur. Plus apud me valet assertio sapientis: quod *melior est sapiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Quam sententiam aliis verbis Lyricus explicat: *Latius regnes fragilem domando spiritum, quam si Lydiam remotis Gadibus iungas, & vterque Pœnus seruiat vni.*

Quamobrem agnosce, Pater beatissime, cum quanta conscientiæ securitate, cum quali serenitate cordis fas habet dicere religiosissima deuotio tua, dum crebro vel orat vel missam celebrat: *Pater dimitte mihi debita mea, sicut & ego dimitto debitoribus meis*. Et rursus cum Propheta: *Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis*, &c. Ita pater beatissime imitaris Christum, qui *cum malediceretur, non maledicebat*, qui tentatus est per omnia vt misericors fieret: quem videmus propter passionem gloria & honore coronatum. Tantummodo non eripiat tibi blanda prosperitas misericordiam illam & illam patientiam pene diuinam, quam sæuiens aduersitas & seruauit & reddidit clariorem. Da veniam, si scrupulosior sim in hac parte. Nam fit aliquando suadente pacis inimico, nunc per se, nunc per adulatores, qui sunt arma sua & sagittæ, vt homo qui calamitate pressus, æquanimiter omnia nedum tolerauerat, sed indulserat: postmodum succedentibus prosperis repetit omnia à debitoribus suis cum rigore & fœnore, vt appareat indulgentiam priorem non ex virtute, sed vindicandi impossibilitate natam, nec dimisisse ex corde, sed in tempus more simiarum distulisse. Non cadat in hanc exprobrationem vera & perfecta dilectionis tuæ mansuetudo, neque fallat eam simulacrum fictum iustitiæ, quasi non melius sit vicisse mala per indulgentiam quam seueritatem, quasi rursus non sit præclarissima iustitia indulsisse simplicibus, & subditis pepercisse. Sic misericordiam & gratiam inuenias in conspectu tremendi iudicii Dei, qui sub bullis patentibus promisit misericordiam misericordibus, qui semel dimissa non repetit, qui iussit non esse memorem iniuriæ ciuium suorum. Sic in oratione tua confitens Domino exaudiaris, & non audias horrendum illud improperium Domini irascentis: *Serue nequam nonne omne debitum dimisi tibi*, &c. Sic præterea cum Dauid consequaris sedem regni in misericordia & mititate possideas terram, & delecteris in multitudine pacis super eam.

Tandem propter mititatem doceat te Dominus vias suas, vt absque offendiculis ad impatientiæ lapidem dirigat pedes tuos in viam pacis, quam à te pacem petimus pater beatissime, dicentes: *Benedic hæreditati tuæ*. Non quasi humana virtus quælibet hanc pacem præbere non insufficiens sit & infirma, nisi *maior agat Deus*, vt apud Virgilium est, præsertim in tam desperato & radicato schismate, quod est quasi cancer ægrescens medendo, & ingressibilis Dedali labyrinthus, & caput hydræ fabulosæ sua resciſſione fœcundus, ita vt perisse videatur consilium à sapientibus, & dicere conueniat cum Iosaphat rege: *Cum ignoramus quid agere debemus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros ad te dirigamus.* Scimus nihilominus te post Deum, cui vicarius es, decere. Scimus ad te Hierarcham supremum spectare benedictionem huiusmodi hæreditatis ecclesiasticæ, vt fiat pax in diebus nostris, & tu maxime inter montes suscipias pacem populo. Quod si perficis, benedictus eris in omnes generationes, & memoriam æternam his qui post te futuri sunt relinquis. Sin autem nō perfeceris, inchoaueris tamen & elaboraueris bona & antiqua fide, diligenti studio, pia & humili voluntate, per te si tuos (tui quippe sunt omnes) non perdetur merces tua, non laus, non gloria: res ipsa condemnabit mendacii eos, qui vel ignorantia vel liuore criminantur summam T.S. dignitatem, tuam vigilantiam, tuam charitatem. Facis hoc sedulo. Ita enim te facere & me sentire æquum est.

Sed quo amplius stimuleris ad agendum: ascende frequenter sublimem mentis tuæ lucem, leuando te super te: vbi despectis elursum terris, versis iugiter & acriter ante mentis oculos in lumine fidei, in sublimitate spei, in latitudine charitatis, cum illo qui ait: *Cogitaui dies antiquos*, &c. Videas inquam acute, quam nihil sit omne, illud quod mundus affert gloriæ, iocunditatis, potentiæ, quam vana, quam lubrica & vento somnióque simillima: imo quam anxia & amaritudinibus respersa, tristissima sint omnia. Ecce omnes morimur, & quasi aqua fluentes dilabimur super terram: hodie rex, cras Papa moritur. *Eheu fugaces, Posthume, labuntur anni*: deflet Horatius

&

& Tragicus: *Properat cursu vita citato, volucrique die rota præcipitis voluitur anni.* Et Naso: *Volat irreparabile tempus, & nihil est annis velocius.* Et est omnium horribilissimum quod dicitur: quia *in puncto ad inferna descendunt*, & *Ite maledicti in ignem æternum.* Cæterum quid quæso vsque est tam altum aut pretiosum, pro quo vel adipiscendo vel retinendo generosus animus & diuinorum conscius, se perdere & alios turbare dignum ducat? Viderat hoc ex alto, qui tam sapienter exclamauit: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Quam sententiam si saperent, imo vt saperent, deberent omnes in potestatibus constituti secundum Chrysostomum consilium scriptum habere in ianuis suis, in penetralibus, in frontibus, & maxime in cordibus suis. Amplius si filii huius seculi tam auida sollicitudine curant peritura: adeo vt cum eis perire non formident, obsurdescentes ad illam increpationem propheticam: *Filii hominum vsquequo graui corde*, &c. Filios igitur lucis, imo te patrem huiusmodi filiorum, quantam apponere decet curam, quot labores, quas vigilias, vbi de rebus æternis agitur, vbi verum & vnice expauescendum pro animabus tractatur damnationis periculum? *Non est* ista *lis de paupere regno*, vt apud Statium ponitur: neque *de lana caprina*, vt Satyricus ait, de vita & morte perpetuis res versatur, agitatur & quæritur. Quod si pastoralis præsidentiæ delectet aliquem honor volatilis & nomen inane, terreat eum districtum iudicis examen in reddenda de ouium salute & numero ratione. Agnoscat quoniam positus est non in destructionem, sed ædificationem, non ad otium, sed laborem: & vt per eum iuxta verbum maximi regis Artaxerxis secluso abusu potentiæ, *subditi optata cunctis mortalibus pace perfruantur*, quoniam hic est finis omnis potentatus tam secularis quam spiritualis.

Sed ad te conuertor, Pater sancte. Finge precor in ipsa sublimitate meditationis tuæ sponsam ecclesiam talibus vtentem querulis plangoribus. Eheu quis consolabitur anxiam? & quis desolatæ, quis plaga crudeli percussæ medebitur? Inter has angustias, quæ me circumuallarunt vndique, quale dabitur effugium? quis mei miserebitur? Ego illa sponsa regis æterni, quam olim vidit vnus ex filiis meis nouam descendentem de cœlo, quasi sponsam ornatam viro suo. Ego lota in sanguine agni immaculati, ego tot sudoribus & sanguinibus martyrum innumerabilium stabilita, violis confessorum, liliis virginum coronata. Ego tanta deuotione principum vsque ad inuidiam dotata, ornata, diues facta. Nunc heu velut misella & ancilla deiicior, despicior. Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, & facti sunt hostes in capite. Pacem insuper iucundissimum in cœlo & in terra bonum, qua me dotauerat sponsus meus nascens, prædicans, moriens, resurgens & regnans: conuerterunt in schisma perniciosissimum, quod iam quinque lustris me per omnes artus miseris modis depascitur & absumit. Pro mea olim defensione certamen erat vsque ad mortem, & modo nihil aliud agi vel quæri videtur à multis, quam vt corruam, & miserabili labefactione deficiam, & hostibus meis ludibrium fiam. Ecce versa sunt omnia fere in contrarium prioris meæ institutionis, disciplinæ & decoris, ornata ornamenta: dum pro corona humilitatis puluis, fœdus vanitatis, & pro croceis spiritualitatis stercora sola temporalitatis amplexantur, & erigitur super me sapientia animalis & terrena & diabolica, repudiata ea quæ desursum est pacifica & quieta. Si his tecum ecclesia planctibus loqueretur, P. B. noui miserationem animi tui, quæ ab vtero egressa est tecum, continere non posses, quin erumperent lachrymæ ab oculis tuis, quin ad succurrendum inflammaretur totus zelus tuus iam succensus, & diceret ex intimo cordis suspirio: Domine super hac desolatione ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Succurre, fer opem, vt quid natus sum videre mala gentis meæ? Rapidos rector comprime fluctus, & quo cœlum regis immensum, firma stabiles fœdere terras, & dispersiones Israel congrega.

Sed quid ago? quorsum rapior? quid Mineruam (vt dicitur) impudens doceo? Præmeditata sunt namque apud tuam considerationem assidue & acriter talia salutis monita: nihilominus patere P. B. patere obsecro, commonefacere te & orare pro parte deuotissimæ filiæ tuæ vt facias quod facis. Nam equum etiam sponte velocem calcar adiuuat. Fac vt calcata seculi pompa & iniquis adulationibus eius, vt nullum retrahentibus vncis vitiosarum passionum, non ira, non odio, non spe, non gaudio fallacibus (melioribus namque hospitibus digna est sanctitas tua) abiecta rursus adulatorum peste, omnia ad gratiam, nihil ad veritatem loquentium & claudentium ianuam veritati, ac scrupulos varios (vt soli diligere videantur) ingerentium: de quorum vno dixit Comicus: *Hic profecto ex stultis insanos facit.* Et qui sunt stulti? vtique vane gloriosi, prudentes in oculis suis, prudentiæ suæ innitentes.

His inquam procul pulsis, tu totus cum pacificis, qui non oderunt pacem, cogites ea quæ ad pacem sunt Hierusalem: totus inuigiles implere id quod pro matre ecclesia petit à te filia vtriusque, velut altera columba Noe, ferens ramum paciferæ oliuæ per nos humiles nuncios clamitans pia sollicitudine: *Benedic hæreditati tuæ*: vt nobis contingat illud prophetæ: *Dominus benedicet populo suo in pace.* Sed quomodo & quibus viis benedices populo tuo in pace? Si pergat aliquis particularius inquirere? iubet hic humilis & deuota S. T. filia quiescere, ne suos patres, te videlicet & regem Franciæ Christianissimum, aut legatos ab eodem præuenire arrogantius videatur. Simul quia publicam & celebrem audientiam super hac pacis materia, si & dum tempus fuerit beneplaciti tui supplicat, & sperat obtinere, exhortatura latius & forte particularius, vt benedices ecclesiasticæ hæreditati tuæ. Et tantundem dictum sit de primo legationis nostræ articulo.

Superest alter & postremus nostræ legationis articulus: cuius ideo longe breuior erit expe-

expeditio quam prioris: quia licet necessarius existat, eum tamen neque tantæ dignitatis, neque paris difficultatis existimo. Hic supplicamus, vt benedicas hæreditati tuæ partiali, & quodammodo peculiari, segregando pluuiam voluntariam huic hæreditati tuæ. Et quoniam infirmata est præ tenuitate & multis incommodis, tu perfice eam, quam tua tuorumque prædecessorum dextera plantauit. Præuenisti nos, Pater beatissime, in benedictionibus dulcedinis, heri in osculo pacis, pridem in odore bonæ famæ mansuetudinis & liberalitatis tuæ, vt hanc à te benedictionem petere, hanc spe certa præsumere auderemus. Denique iam præuentos subsequeris, dum aures tuæ, scilicet tam beneuolas, orationi nostræ præbet tua pastoralis sollicitudo, recogitans (vt arbitror) quoniam filia tua primogenita est studiorum; cuius primogenituræ ratione competit benedictio de rore cœli desuper, & de pinguedine terræ, hoc est in spirituali & temporali prouisione.

Rursus quia exemplo Axæ filiæ Caleph suspirat sedens super asinam, calcans scilicet omnem brutalitatem, petens benedictionem à te patre suo, vis eam à liberalitate paternitatis tuæ irriguum inferius & irriguum superius expectare? Dic igitur verbum Boos & Ruth: *Benedicta es filia Domino, quicquid dixeris mihi hoc faciam tibi.* Et ita fac, pater beatissime, vt sit ante te odor filiæ tuæ, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Et bene ager plenus est filia tua Parisiens. Vniuersitas, imo nihil errauero, si eam appellauero paradisum voluptatis, in quo est lignum scientiæ boni & mali, & fons scientiæ in quatuor facultatum flumina condiuisus, irrigans vniuersam superficiem terræ. Tu huius professor es, tu pastor & cultor, vt opereris & custodias illam tanquã agriculturam viuam, vt Aristoteles loquitur *in polit.* Vbi sub mysterio nihil deest eorum, quæ egregius poeta Virgilius *in Georgicis*, & Palladius *in de agricultura*, de hæreditate agraria conscripserunt, distinguentes agrum quadruplicem, qualem figuraliter in hæreditate tua secundum quadruplicem facultatem reperimus. Vnus ager est apricus & florifer pro apibus, figurans sub quadam appropriatione facultatem Theologiæ. Alius est pascualis pro ouibus & domesticis animantibus, figurans facultatem decretorum. Alter frugifer pro hominum vita, figurans facultatem medicinæ. Quartus vitifer & pomifer in omni genere suo, figurans typice artium facultatem.

Tuum est igitur hæreditatem tuam hanc benedicere, colere & augere, vt fructum suum det in tempore suo. Ecce ipsi Theologi velut apes intellectuales peruolitant in hæreditate tua, flores sacrorum eloquiorum de rore cœli roscidos compingunt mel in cellulas & fauos, vt sit cera in illuminationem intelligentiæ, & mel in oblectationem affectiuę. Hanc hæreditatis tuæ portionẽ spectans, dicere habes ex sententia illud Ecclesiastici: *Hæreditas mea super mel & fauum. Nam eloquia Domini dulciora super mel & fauum.* Et, *præceptum Domini lucidum illuminans oculos, in intellectu.* Venerat in mentem laudes huiusmodi tum augere, tum suo modo deducere, de reliquis hæreditatis tuæ partibus, hoc est facultatibus, quo magis animaretur sanctitas tua sibi benedicere: sed negligentius istud ago breuitati studens & sciens nihil laudum harum te latere. Dicam vero te concedente id, quod nuper meditatione mea, dum solus essem, & non solus, solus quidem corpore, non solus cogitatione versabatur. Itaque posita erat ante mentis oculos sedes tua præclarissima: & thronus sicut sol & luna perfecta, astitit regina illa virtutum dilectio à dextris tuis vestitu sapientiæ deaurato, circumdata varietate virtutum. Nam ita iussit rex optimus maximus Christus, vt sedem Papalem dilectio stabiliret, dum ait Petro interrogato ter, & ter respondente quod diligeret eum: *pasce oues meas: pasce agnos meos.* Quæ dilectio vna est in quadam trinitate virtutum, in misericordia & veritate, quæ custodiunt regem omnem duabus manibus hinc & inde portantes thronum eius, & in præclarissima virtutum iustitia, & neque Hesperus neque Lucifer ita admirabilis. Has sub compendio numerauit propheta reginas, eas paci consocians: *Misericordia,* inquit, *& veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt.* Quarum officium alibi descripsit: *Propter veritatem* (inquit de Christo, cuius vicarius es) *mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.*

Hæc præclara dilectio seu charitas vna in hac trinitate virtutum, sicut Apostolus insinuauit *ad Cor.* scribens: parabat orare pro filia tua Parisiensi Vniuersitate, vt ei modo quo diximus, benediceres tanquam hæreditati tuæ. Nam vbi adesset vel quando rogaret dilectio, si inter patrem deest & filiam. Nihilominus affuit & Sathan à sinistris, ita mihi monstrabat meditatio mea. Aderat & infelix proles sua, æmulatio liuida, per quam mors intrat in orbem terrarum, monstrum heu horrendum, informe, ingens. Cui quot insunt in dilectione virtutes, tot insunt vitia, crudelitas, falsitas, iniquitas. Crudelitas contra misericordiam, contra veritatem falsitas, & iniquitas contra iustitiam. Agnoui ex descriptione Nasonis quænam illa esset:

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis, &c.
Obstupui visu subito gelidusque cucurrit.
Ossa tremor ———

Dum ecce terrifico boatu rabida ora laxans, & dentibus frendens: Eheus Pater sancte: caue benedixeris hæreditati huic tuæ: quæ facta est tibi sicut leo in sylua: odi propterea eam & maledic. Caue benedixeris ei in collatione gratiarum. Nam & tarde venerunt, & in multis

multis à tua ſententia defecerunt. Abiice eos poſitos à te, calcibus protere, & impera vt diſcedant maledicti.

Ita parabat portentum hoc horrificum magno conatu, contumelioſa nefandaque mendacia contra filiam tuam delatrare: dum tu Pater beatiſſime, hoc indignabunde ferens, toruum è latere vultum pauliſper in hanc æmulationem impiam, mendacem & nequam viſus es declinare, & vt confeſtim abſcederet imperare. Abi hinc in malam horam & in crucem tuam peſtis horrida, ſatrix diſcordiæ, mater nequitiæ. Vide ne vltra mutire vel apparere præſumpſeris. Attende ne filiam criminari ſtudueris apud patrem, cui etiam pro magno peccato ſatis eſſet modicum ſupplicii. Falleris ſi te recipi vel audiri exiſtimas, vbi in conſpectu meo parterna dilectio verax & iuſta pro eis decreuit orationem aſſumere. Dic tu dilectio hac increpatione deterrita æmulatio triſtis abſceſſit, & dilectio ſic orſa eſt. Facis Pater ſanctiſſime id quod te decet, te patrem erga filiam, & talem filiam: te vicarium illius qui accuſatorem fratrum deturbauit in ſtagnum ignis ardentis, qui iuſſit Pontificem agere in ſpiritu lenitatis: quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate, qui poſtremo propter decem iuſtos toti Pentapoli peccatrici pepercißet. Præterea me dilectionem iuſſit aſſiſtere à dextris tuis: quæ natura patiens ſum, benigna ſum, non æmulor, non ago perperam. Age igitur, pater beatiſſime, age quod agis, ne vlla te vnquam accuſatrix æmulatio à meo conſortio diuulſerit. Non audiatur precor aduerſum me crudelis hæc & maligna æmulatio. Abſit vt ponat hanc maculam in gloria tua ſpreuiſſe hæreditatem tuam: abieciſſe à te & pedibus tuis ſupplices tuos cultores quoque in vinea Domini Sabaoth: & coadiutores tuos vacuos abſque vtili prouiſionem ingloriosque remiſiſſe, vbi tanta eſt prouiſionis tenuitas de bonis eccleſiaſticis, vt vix pauci ex magiſtris & doctoribus etiam in Theologia, ſine aliquo quæſtu valeant habere alimenta & quibus tegantur, & hic ſeptemdecim annus agitur. Hæc eſt hæreditas tua peculiaris & electa & præclariſſima ſtudiorum, velit nolit æmulatio, vbi generatio præterit & generatio aduenit, ſed ipſa terra tua in æternum ſtat. Tu ſupremus paſtor & cuſtos inopiæ ſuæ prouidere, irrigare arida, ruinoſa reparare, non conquaſſare poſitus es, hoc miſericordia petit titulo filiationis, hoc veritas titulo ſtudii veritatis, hoc iuſtitia titulo militiæ & laboris.

Porro tarditas huiuſmodi poſtulationis benedictionis tuæ per rotuli præſentationem nunc & non antea, non tarditatem meretur exauditionis, vt accuſat æmulatio, ſed celeritatem: quatenus ſint nouiſſimi primi, quia bono intentionis fine fiebat dilatio, magno ſicut arbitrantur zelo proſecutionis vnionis eccleſiaſticæ mouebantur, nec ſoli mouebantur, reges & regna cum ſuo clero pariter ſentiebant.

Nunc poſt experimenta plurima quid inculpandum, ſi mutatis rebus mutauerunt ſententiam. Eſto rurſus fuiſſet in aliquibus diffidens eorum ſententia à tua. Nonne potuit hoc fieri ſine mei læſione? quia ſine obſtinatione. Nonne Paulus & Barnabas tales viri ſic contenderunt vt diſcederent ab inuicem? Et Paulus Petro reſtitit in facie. Et princeps Perſarum bonus ſecundum Gregorium reſtitit Michaeli, & vtrobique illæſa me matre omnium charitate. Aduenit ecce ſupplex & humilis deuota filia tua, P. B. abſque vlla difficultate præcellentiſſima ſtudiorum, & ſuo nunc aduentu dat palam intelligi, quod nulla diffidentia iuris tui & aduerſarii falſo fingebant, nulla indignatione peruerſa ſuum differebat acceſſum ad petendum ſibi benedici per præſentationem rotuli more ſolito: qualiter nunc præſentat reuerenter in approbationem iuſtitiæ tuæ, & in egregiam laudem manſuetudinis tuæ. Neque enim peteret benedictionem gratiarum ab eo, quem non crederet iuridicum largitorem: neque ab eo, quem benigno exaudito, rem non ſperaret. Vnde in capite rotuli ita ſcriptum eſt: *Fiduciam accepit B. P. nunc rotulum iſtum ſupplicationum generalium & ſpecialium, præſentandum apud S. V. celſitudinem humilis & deuota I. S. V. filia Parriſienſis Vniuerſitas, plus in paterna beneuolentiſſimæ libertatis veſtræ gratia, quam in meritis propriis poſt Deum ſpem reponens, plus inſuper ſtudens ex hoc rotulo inſeruire commodis eccleſiæ quam auaræ cupiditati, vt denique obedientiam ſinceram ac filialem dicta filia erga S. V. ſublimitatem non tantummodo verborum aut literarum aſſertione ſed factorum ſoliditate monſtraret.* Hæc ibi.

Hinc igitur Pater ſancte per me dilectionem matrem omnium beneviuentium exoratus: perque virtutes meas inclytas miſericordiam, veritatem & iuſtitiam, propter quas deducere habet te mirabiliter dextera tua, & ſi quid vnquam de te bene meruimus apud Deum, apud homines iuſtificando te, exaltando te, liberando te: & per ſpem futuri præmii ſi nobis perſeueranter inhæſeris, oramus, petimus, obſecramus vt benedicas huic hæreditati tuæ, huic filiæ tuæ, alumnæ noſtræ, concedendo talem in gratiis ſuis ſignationem, aut certe vberiorem, qualem petunt & ab initio dediſſes anno primo. Nam hic eſt annus benignitatis tuæ, annus nouenarius, ternario te in ſe ducto coronatus. Benedices huic coronæ anni, huic anno coronato benignitatis tuæ, & campi tuæ replebuntur vbertate.

Hanc de te tuaque affluentiſſima libertate ſpem conceperunt, hanc conceptam multis poſtmodum & magnis iudiciis roboratam auctamque ſenſerunt etiam heri. Tu autem ſpem nunc in rem ipſam conuertito: tui quippe ſunt, ſed tu eos maiori tibi vinculo conſtrinxeris, tu poſtremo non mediocriter illuſtraueris gloriam tuam & famam tuam, quæ ſicut non eſt ambitioſe quærenda, ita non eſt negligenda crudeliter. Et vbinam gentium poteſt famæ celebritas vel ſcriptis vel viuis vocibus ampliori dilatatione vulgari, quam vbi confluunt & refluunt ex omni fere natione, quæ ſub cœ-

lo

lo est, viri literis omnibus & studiis eruditi, ita vt in obscuro esse nequeat, si gratę, si benigne responderis, si benedixeris huic hæreditati tuæ, quemadmodum tu benedices, speramus & obsecramus: fiat fiat.

Animaduertis, P. B. redeo enim & ad tuam sanctitatem & ad meam paruitatem, animaduertis qualiter transfiguraui sub nomine paternalis dilectionis supplicationem pro humili & deuota S. T. filia, & id quidem aptissima videor fecisse ratione. Suam quippe sedem vbi collocaret dilectio, vbi peroraret, si inter patrem & filiam sacratissima dilectionis nomina apud ipsos etiam barbaros honoranda defuerit. At vero neque volo neque æquum iudico quicquam adiicere, quanquam aliqua dicenda supersint. Vereor enim ne iam multiloquium nostrum minus sit fauoris habiturum, dum occupationes tuæ celsitudinis aliorsum te vocant & trahant. Quia postremo super isto & priore articulo audientias aliquas obtinere clam & palam supplicamus & speramus, vt non frustra spem hanc conceperimus de benignissima S. T. spiritum, pater sanctissime. Sic benedicat te Dominus ex Sion, vt sis re & nomine Benedictus. Sic videas bona Hierusalem militantis sponsæ tuæ, & triumphantis illius quæ desursum est mater nostra, omnibus diebus vitæ nostræ præsentis & futuræ. Sic præterea videas filios filiorum tuorum in spirituali propagine, & tandem quod est omne bonum & benedictionis consummatio, & consummationis finis, videas pacem super Israel, & nos tecum hic inchoatiue per gratiam, & beato complemento per gloriam in futuro, præstante eo, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.

Anno Domini 1408.

PROPOSITIO FACTA AB EODEM DOMINO CANCELLARIO CORAM ANGLICIS, RARISIIS euntibus ad sacrum concilium Pisis, & hoc ex parte Vniuersitatis Parisiensis,

ANNO DOMINI M. CCCC. VIII.

Congratulatur vestræ deuotioni, vestro zelo feruenti, vestræ laboriosæ, sed laudabilissimæ legationi: Congratulatur & applaudit, ô reuerendissimi & præclarissimi Patres, ô doctissimi & sapientes viri & fratres in Christi dilectione charissimi. Congratulatur inquam & congaudet amatrix & admiratrix & cultrix bonorum omnium Parisiensis Vniuersitas. Itaque non æmulatur nec gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Quidni congaudeat igitur super veritate, quam vt soletis amplectimini, & complexam retinetis, & retentam ad effectum deducere totis studiorum neruis conamini. Est autem modo congratulationis nostræ spiritualis thema satis accommodum verbum Ozeæ propheticum Ozeæ I. *Congregabuntur filii Israel & filii Iuda pariter.* Itaque libet exclamare: *Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in vnum*, conuenire sed & congregare ad concilium. Nam *in concilio iustorum & congregatione magna opera Domini.* Et hoc est concilium sacrum & venerandum, ad quod legati pergitis, quod Pisis Deo duce & authore celebrabitur: vtinam felici (prout optandum & sperandum est) aduentu. Ait quippe veritas, quod *omne regnum in se diuisum desolabitur*, & econtrario vnitum in se regnum manet. Quod vidit Salustius: *Concordia*, inquit, *parua res crescunt, discordia maxima dilabuntur.* Cur ergo non bene sperabitur, dum adunatur ecclesia, dum conuocatur cœtus, dum conueniunt seniores? Videte de verbo hoc, præsertim cum teneamus certissimam Christi promissionem dicentis: *Vbi duo vel tres*, &c. Audiuimus præterea lætanter & gaudenter, quod congregabuntur, &c.

At vero ne prolixior vel euagatior sermo tædio sit vel oneri, coartemus si placet totam dicendorum materiam, totamque deductionem thematis ad quatuor sententias sumptas ex themate, ex verbis ipsi protinus appositas, & videamus quid in illis loquitur Deus, quia loquetur pacem in plebem suam. Postquam enim dixit Dominus per Ozeæ: *Congregabuntur filii Israel & filii Iuda pariter* pro prima sententia, mox subiunxit, *& ponent sibi caput vnum*, ecce secundam sententiam. *Et ascendent de terra*, ecce tertiam, *quia magnus dies Israel*, ecce quartam. Incipientes ergo prosequamur, & inuenimus puto causas quatuor sufficientes, quare congregabuntur filii Israel & filii Iuda pariter. Ipsi enim qui sunt populus vnus Dei: fœda nunc diuisione proh nefas dispersi sunt, velut olim in figura sub Roboam & Hieroboam contigisse meminit Scriptura *tert. Regum decim. sept.* Et est tanquam materialis aliqua ratio, & confusa huiusmodi concilii celebrandi. Inuenimus præterea causam finalem luculenter expressam in altera sententia. *Et ponent*, inquit, *sibimet caput vnum.* Denique tangitur causa dispositiua, & velut efficiens celebrationis huius concilii, dum dicitur in altera sententia,

quod *ascendent de terra*, & quid terra mystice, nisi terrenus affectus? Quid igitur ascendere de terra, nisi de terrenis affectibus, quibus oppressi sunt hactenus multi, ad spirituales & diuinas affectiones se potenter erigere, & erigendo salubriter ascendere, tanquam audiret quisque de excelso clamantem Deum: *Exurge qui dormis*. Et rursus: *Surgite postquam sederitis*.

Habemus præterea causam quodammodo formalem, & ad huius celebrationem concilii viuifice præparantem; quæ forma est semen Dei viuum & efficax semen Spiritus sancti, habens virtutem formatiuam & reformatiuam totius vnitatis, totius ecclesiæ corporis, in vna fide & spe & charitate sub vno Deo & Domino per omnem iuncturam, secundum deductionem Apostoli *ad Ephes. quart*. Quod notatur in hoc verbo *Israel*, quod interpretatum sonat idem quod *semen Dei vel seminauit Deus*. Et quale semen istud? Plane illud de quo alibi propheticus sermo dicit: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus*: Esai. prim. Gratias tibi Deus Israel, quoniam accessit nunc dies magnus Israel, magnus scilicet dies seminis Dei, quod habet in se artem & virtutem viuificam, qua mysticum corpus ecclesiæ se viuificare potest & vnire salubriter, in cuius efficacia & virtute congregabuntur filii Israel & Iuda pariter. Bene hæc iacta sunt fundamenta, sicut ex Cicerone sumit Lactantius. Hæc autem fundamenta sunt perfectibilitas ecclesiæ per congregationem, vt causa materialis, ordinabilitas ecclesiæ vt ad vnius capitis positionem, vt causa finalis: intelligibilitas in æquitate amanda, seu interpretando, vt efficiens, insita fœcunditas in se conuersando, vt formalis dispositiua.

Superædificemus fabricam quadrangularem quatuor considerationum principalium, ad erectionem ædificii præsentis congregationis ampliorem: Et dicamus pro prima consideratione iuxta primam causam in verbo notatam.

CONSIDERATIO I.

CONgregatio filiorum Israel & Iuda pariter quæritur ab ecclesia, quemadmodum materia quærit formam, & imperfectum perfectionem, & mulier virum siue sponsa sponsum. Tractat diuinus Dionysius, & post eum Boetius & Augustinus, quibus experientia suffragatur, quod res quælibet non minus diligit aut appetit congregationem sui ipsius, quam propriam entitatem, nimirum quia ens & vnum conuertuntur: Hinc est ille dolor, illa concussio, ille vehemens horror in corpore vero, dum membratim quæritur diuidi vel dispergi. Sic nemo dubitauerit, quin ecclesia diuisionem suam refugiat & horreat, cum sit corpus mysticum, secundum deductionem Apostoli *ad Ephes. 4. & 1. Corinth. 12. & ad Roman. 12.* & alibi sæpissime. Est etiam terribilis vt castrorum acies ordinata. Aciei vero quis nesciat separationem maximum afferre detrimentum. Est insuper ecclesia ciuitas, de qua gloriosa dicta sunt, est regnum Dei, est Hierarchia subcœlestis, & ita de multis similitudinibus, secundum quas conuincitur diuisionem ei atque separationem schismaticam esse penitus odiosam. Potuerat hoc loco fieri sermo prolixior, deducens perfectionem ecclesiastici corporis stare principaliter in vnitate tanquam in consummatione omnis boni. Fallor itaque si non optabundus propheta postulat hoc, imprecans pacem super Israel, sciens quoniam posuit author eius Deus fines suos pacem. Vide si non hinc ortum est illud Christi ad ipsam Hierusalem, quæ figuram tenet ecclesiæ: *Hierusalem Hierusalem quoties volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos, & noluisti*. Ad hoc quippe mortuus est Iesus, vt filios suos dispersos in vnum congregaret, tanquam lapis angularis faciens vtraq; vnum. Et ecce heu fera pessima, monstrum horrendum ingens, monstrum biceps portentum iam 31. annos habens, schisma pestiferum pulcherrimam hanc & perfectam pacem quantũ in se fuit lacerauit, dissipauit, & in exilii longinquam regionem trusit. Sed veniat ô vtinam pax iuxta votum Esaiæ: *Veniat & requiescat in cubiculo suo*, quod est ecclesia: quatenus expulso disconuenienti schismate, forma pacis conueniens inducatur. Nam qualis est ista deformitas, qualis imperfectio, videre corpus mille partibus miseris modis laceratum, dissipatum & dispersum? Cuius lacerationi nulla hactenus profuerunt efficaciter humana remedia, quin potius schisma hoc horrendum velut insanabilis cancer ægrescit medendo, vt de Trano loquitur Virgilius. Ipsum denique tanquam fabulosa hydra redit ex succisione sua fœcundius. Hinc scandala populorum sine numero aduersus fidem nostram, religionem nostram, mores sanctos: aduersus spem quoque futuræ beatitudinis, cõtemptum seculi, sanctitatem immobilem iurisiurandi, voti sacramentorum virtutem, obedientiam ad Deum, & ad omnem disciplinam. Quare? Quia sæuissima dominandi libido, mater infausta schismatis huius pestiferi confundit hæc omnia: fasque nefasque velut hianti voragine mergit, sorbet & obruit. Quid porro de paganorum infideliumque fabuler probro & irrisione aduersus catholicos? Demum tota illa flebilis Hieremiæ lamentatio, si ad calamitatem ecclesiæ præsentem deflectatur, nescio si satis illam vt dignum est expresserit, dum ait: *Quomodo sedet sola ciuitas plena populo*, &c. Nequit prorsus æquari verbis, quantum res ipsa videatur indigna, pro qua reformanda celeriter, expeditissimum est quod congregentur filii Israel & filii Iuda pariter.

CONSIDERATIO II.

PRo causa secunda. Congregatio filiorum Israel & Iuda pariter quærenda exequendaque est, vt ponant sibimet caput vnum. Iste est finis, hæc intentio imminentis sacri concilii Pisis celebran-

lebrandi, ad quod vos cum cæteris religiosa & filiali ad matrem ecclesiam pietate pergitis & perueniatis oro feliciter. Non ignoratis scio ô doctissimi & sapientes viri, quod caput ecclesiæ primarium & principale semper vnum est, inuariabile & permanens, sicut testatur Apostolus: *Caput*, inquit *ecclesiæ Christus*. Christus autem manet in æternum (vt idem ait) sempiternum habens sacerdotium & Papatum. Itaque salutifer Christe caput nostrum es, à quo fluunt in ecclesia sensus omnes & motus viuifici spirituales ac gratuiti: ac proinde nunquam ecclesia tua esse potest acephala, neque te sponso suo viduata. Nihilominus tu quondam ascensurus ad patrem reliquisti sibi vicarium super terram tanquam caput aliquod secundarium, fluens & refluens in stabili loco tui sacerdotii & Papatus essentialis indefectibilis & manentis vsque ad consummationem seculi, quando euacuabis omnem dominationem, principatum & potestatem, & reddideris regnum Deo Patri. Nunc autem proh dolor & viri patres & fratres, nunc scandalizantur aduersus hoc caput primarium duo contendentes, dum simul illud quod fieri nefas est repræsentare volunt, vel vices gerere, vel in suum locum succedere. Sic in impiam succedimus maledictionem hanc, quod facti sunt eius hostes ecclesiæ in capite. Oportebat quidem ad vnitatem Papalis sacerdotii vnicum sacerdotem & certum vicarium Christi super terram assumi succedentem Petro, non Pharisaica contentione dicere, sicut olim conquestus est Apostolus: Ego sum Gregorii, ego sum Benedicti. Sanctius quoque filiaque ad matrem charitati, conuenientius est est relinquere Papalem dignitatem & Petri sedem vni tertio sub pace possidendam, sub quo congregati essent filii Israel & filii Iuda vnus populus Dei, quam fœdissima seditione partiretur obedientia, & spargeretur grex, quasi non esset vnum ouile & vnus pastor.

Quasi rursus indecens esset quod congregarentur filii Israel & filii Iuda pariter. Meditabar hæc nuper in abscondito scrutinio cordis mei priusquam proferretur: dum ecce animalis homo non sapiens quæ Dei sunt, sed ea quæ de terra sunt loquens, numeratus quippe est inter filios Agar, de quibus dicit Scriptura, quod exquisierunt sapientiam quæ de terra est. Coniungitur quippe ipsi sapientiæ terrenæ, animali & diabolicæ, non ei quæ desursum est, præterea obscuratum habet intellectum. Ipse inquam animalis homo, vt impatiens, hebes & præceps, & quo pacto, inquit, opus est congregatione filiorum Israel & Iuda: quasi res iuncta sit super iure precium: quasi præterea liceat vel expediat nunc concilium generale nouum celebrari. Non itaque licet, cum non possit concilium generale sine Papa celebrari, & nisi primitus ante omnia spoliatus ab obedientia sua restituatur eidem. Quomodo præterea decens esset ea quæ certa sunt & tam per longissimos temporis tractus in consuetudinem versa, rursus in discussionem tanquam dubia reuocari. Et quod vera & iusta pars exponat se discrimini condemnationis. Nam euentus iudiciorum varii sunt, qui falluntur & fallunt. Denique quid expedit contraniti voluntati diuinæ, suæque prouidentiæ? quæ iusto iudicio permittit hæreses fieri, & dicit *esse necesse vt veniant scandala*. Qui etiam ait: *Nolite arbitrari quod venerim pacem mittere in terram, sed gladium*. Qui demum olim prohibuit fieri congregationem filiorum Israel & Iuda pariter: asserens diuisionem ab eo factam esse. Multa maioraque parabat animalis homo delatrare aduersus celebrationem concilii, asserens quod nec licebat, nec dicebat, nec expediebat illud fieri, dum exhorrui fateor, nihilominus aio ad eum: Obmutesce importune & stulte, aut expecta donec considerationum cæptarum numerus impleatur. Audies forte ea, quæ contradictionibus tuis imponere possint silentium. Extorsi velut ab inuito dilationem, vt tertia & quarta considerationes liberiori sermone complerentur.

CONSIDERATIO III.

Congregatio filiorum Israel & Iuda pariter habet fieri tanquam à causa dispositiua, quæ remouet prohibens, dum ipsi ascendunt de terra, hoc est secundum moralem intellectum, dum de terrenis affectibus ascendunt ad cœlestes, & fiunt de animalibus spirituales, dumque litera dimissa quæ occidit, ipsi spiritum qui viuificat, amplectuntur: hoc tamen obseruato, *ne quid nimis*: ne dum nimis obseruari quæritur spiritus, obruatur simul caro cum spiritu. Vnde quæso tamdiu viri patres tardata est fieri congregatio concilii generalis & sacri: nisi quod tamdiu non fuerunt auditi spirituales viri, quales (si Apostolo creditur) diiudicant de omnibus? Ecce quid præclara Vniuersitas Oxoniensis, vnde sibi meruit congratulari, pridem ad hoc concilium petendum determinauit se & misit in Francia: scio qui præsens interfui dum proponeretur hæc conclusio compendii sub hoc themate Ioelis, id est: *Vocate cœtum, coadunate senes*. Sed pridem antea Parisiensis vniuersitas ab exordio nascentis diuisionis deliberauit solenniter & concordi sententia conclusionem hanc petendam & prosequendam esse, quam ex parte sui proposuit reuerendus pater ac præceptor meus præcipuus dominus nunc Cameracensis, coram Ludouico Duce Andegauensi, tunc Regenti in Francia.

Circa quod tempus scripsit pro eadem conclusione clarissimæ memoriæ Magister Henricus de Hassia magister in Theologia Parrisiensis, & Vicecancellarius sub magistro Ioanne de Calore tunc Cancellario Parisiensi. Scripsit insuper dominus Præpositus Vormacensis magnus & deuotus & Licenciatus in artibus Parrisiensis. Scripserunt quoque alii, sicut ex eorum tractatibus adhuc constat. Amplius vero scripsit post multos annos Vniuersitas Parrisiensis epistolam grandem continentem tres vias, inter quas concilium generale numeratum est. Ecce quot viri spirituales

& eruditi, non innitentes soli terræ, ascendentes de terrenis affectibus. & in liberum atque purum æther lucidissimæ veritatis, desideriorumque splendidorum sese attollentes, quæsiuerunt olim multo studio concorditer, quod congregarentur filii Israel & filii Iuda pariter. Et hæc est non parua congratulationis materia, quod in vnam conuentum est sententiam per duas vniuersitates toto orbe celeberrimas, & ipsis nonne fides dari debet, cum illic sint viri spirituales & sapientes, secundum qualia iudicia medium virtutis accipere iubet Philosophus. Illic præterea sunt idonei conditores legum doctrinaliter & instructiue, quibus similis interpretatio per ἐπιεικείαν debita est. Illic sunt, qui mentiri nesciunt, de quibus nouerunt, & mentientes redarguere possunt, dum à vero falsum, à licito illicitum sciunt secernere. Cum ergo conueniunt congregatio multiplex sapientum in celebrationem huius concilii generalis tanquam in rem expedientem, vt in prima causa dicebatur. In re præterea decentem sicut visum est in secunda. Nam quid decentius, quam vt vnum corpus habeat caput vnum. Postremo superest ostendere rem hanc esse per se licitam atque legitimam, quod in quarta & vltima consideratione videbimus, quæ talis est.

CONSIDERATIO IV.

Congregatio filiorum Israel & Iuda pariter sumit suam efficaciam & virtutem à diuino semine, quod per ecclesiasticum corpus tanquam sanguis viuificus diffusum est, & radicaliter seu inseparabiliter insertum. Ponamus pro solido fundamento præsentis considerationis & aliorum tam dictorum quam dicendorum textum Apostoli ad Ephes. quart. *Solliciti seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui super omnes & super omnia in omnibus.* Sequitur: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filii Dei in virum perfectum, in mensura ætatis plenitudinis Christi.* Sequitur: *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Eliciamus ex his paucissimis, sed sententiosissimis Apostoli verbis aliquas veritates.

Prima: Con[illegible] ecclesiastica ad vnum caput Christum facit, & conglutinatur per vinculum amorosum Sp[illegible] mediatibus qualitatiuis dispositionibus reddentibus in corpore mystico complexiona[illegible] viuificam & decentem. Hæc autem dona sunt virtutes Theologicæ, fides, spes & charitas, [illegible] sacramenta ecclesiastica, sunt diuersæ diuisiones gratiarum, prout vnicuique concessum est, hoc est semen in quo conueniunt ambæ obedientiæ, quale non abstulisset schisma pestiferum, si de pace reformanda nihil actum esset, prout alias scripsit ipsis Romanis Parisiensis Vniuersitas.

Secunda: Congregatio ecclesiastica ad vnum caput Christum copiosior est atque fœcundior, quam fuit congregatio synagogæ. Non enim habuit synagoga talem in sacramentis & aliis multis commutationem adiunctionis sicut ecclesia. Nam extra eam stabat salus, quemadmodum saluatus Iob ostendit.

Tertia: Congregatio ecclesiastica ad vnum caput secundarium multiplicior est & maior, quam sit congregatio ciuilis sub vno rectore vel imperatore vel rege. Connexio quippe talis politiæ ciuilitatis fit per leges & dona naturæ principaliter, & in illis constituit suam vnitatem. Ecclesia vero vt politia & ordinata habet hanc vnitatem, & vltra hanc habet alteram supernaturalem & diuinam, quæ dicta est. Et ita sequitur consequenter, quod ecclesiastica pluribus legibus regitur, quam altera politia.

Quarta: Congregatio ecclesiastica non habet vel habuit ex se potestatem ordinandi & consumendi per gradus varios atque Hierarchicos dignitatum & administrationum, quales in ipsa reperimus à summo præsulatu vsque ad infimum administrationis gradum, quicunque sit ille. Patet, quia supernaturalis est hæc institutio, consurgens ex solo beneplacito liberalissimi conditoris. Nec (vt opinor) voluisset vnquam oppositum sentire præfatus magister Henricus de Hassia, dum ponit quod ecclesia posset sibi instituere summum Pontificem, si non fuisset immediate constitutus à Christo. Addit enim quod hoc potuisset ecclesia à Spiritu sancto edocta & authorizata, quod est probabiliter sentiendum.

Quinta: Congregatio corporis mystici ad vnum caput Christum semper habebit per omnem iuncturam gradus dignitatum & officiorum & administrationum, de quibus dictum est: patet ex illo verbo, *donec occurramus omnes*, &c. Propterea dicitur ecclesia desponsata Christo in sempiternum *Ozeæ 2.* Dicitur præterea habere semper in se semen ad sui propagationem & conseruationem vsque ad consummationem seculi.

Sexta: Congregatio ecclesiastica ad vnum caput Christum lege stante, non remanebit in sola muliere, imo nec in solis laicis, sed erunt vsque ad consummationem seculi episcopi & sacerdotes aliqui fideles.

Septima: Congregatio ecclesiastica dici potest habere duplices partes integrantes eam, quædam sunt fluentes, quædam permanentes, & vt ita loquamur, essentiales. Primæ sunt ipsæ per-

sonæ mortales constitutæ in graduum varietate. Aliæ sunt ipsimet gradus dignitatum & administrationum. Exemplum in Papa & Papatu, in episcopo & episcopatu, & similibus: Papa fluit, Papatus stabilis est.

Octaua: Congregatio ecclesiastica constituitur in suis partibus fluentibus & quodammodo materialibus, ministerio hominum secundum legem primitus inditam & insitam ipsi corpori ecclesiastico: & prout ipsum habet in sese semen viuum & efficax seipsum multipicandi atque conseruandi in successione specificatam ad partes fluentes, & in successione eadem materiali, quam ad essentiales. Patet veritas ex illo verbo Apostoli: *Nemo sibi assumat honorem*, &cætera. Et de prædicatoribus dicit: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur*, &c. Et hæc veritas similiter posset inflecti ad depositiones & degradationes & resecationes partium scandalizantium: sed pro nunc omittatur.

Nona: Congregatio ecclesiastica habet claues ordinis & iurisdictionis alio & alio modo in se & in suis partibus fluentibus. Vt exempli gratia: claues datæ sunt Petro authoritatiue & exercitatiue, sed toti ecclesiæ vniuersaliter & susceptiue. Vel datæ sunt ecclesiæ vt in actu primo: & Petro vt in actu secundo.

Decima: Congregatio ecclesiastica sic instituta est, vt castrorum acies ordinata, vel vt corpus integerrime perfectum: sic quod non est in potestate Papæ, vel alterius cuiuscunque deordinationem vel multitudinem in suis partibus essentialiter inducere. Vnde nec Papa posset inducere, quod nulli essent episcopi, nec curati, nec cardinales, pro quanto sunt successores Apostolorum in ecclesia sancta Dei. Sunt enim gradus omnes seminati à Christo in ecclesia primitiua, quanquam paruula: in qua nondum erant sic explicati gradus ecclesiasticæ Hierarchiæ, vt nunc inspicimus: quemadmodum spica totos numeros suos habet in grano, & nux arbor in nuce virtualiter continetur. Has vocant Philosophi incantationes formarum in materia.

Vndecima: Congregatio ecclesiastica licet non possit instituere Papatum vel destituere, nihilominus potest per se vel per concilium eam repræsentans statuere alium modum eligendi Papam, quam modo fit, vt alias visum est. Potest insuper remouere Papam etiam rite electum & alium constituere, si ita sibi visum fuerit expedire ad ædificationem ecclesiæ, vt in casu grauis scandali vel in dubio aliter interminabili quam per cessionem vel deiectionem Papæ, aut alio tali casu. Ipse enim pastor instituitur pro vtilitate gregis, & dum præsidentia sua cedit in graue detrimentum, mercenarius reputandus est, imo latro, imo lupus rapax: si quærit in præsidentia tam damnosa remanere. Et hic fundatur possibilitas practicandi viam cessionis saltem quo ad effectum suum contradicentibus, contendentibus & inuitis. Hic fundatur præterea, quomodo in casu veritatis istius congregatio vrgens Papam, ad cessionem deiiciens eum, si pertinaci libidine dominandi motus renuat, non est iudicanda, quod eum persequatur: sed ei potius & Deo & ecclesiæ toti multipliciter obsequatur.

Duodecima: Congregatio ecclesiæ licite & meritorie potest in casu fieri sine Papa vel authoritate sua. Itaque cum possit dupliciter fieri congregatio: vno modo concordatiue vel assentiue seu charitatiue, alio modo authoritatiue. Constat de primo congregandi modo, quod sine Papa possibilis est: imo fuit sæpissime practicatus tam apud Apostolos, quam apud Imperatores sanctos & catholicos, qui sæpe conuenerunt in vnum, priusquam essent euocati vel authorizati à Papa. Patet de quatuor primis conciliis memoratis *in Actibus Apostolorum*. De primo nondum erat adhuc Petrus factus Papa, quin simul erant congregati ad examinationem testimoniorum de resurrectione. Vnde & quælibet congregatio libera non subiecta tyrannidi habet hanc facultatem seipsam congregandi. Patet in confraternitatibus, & aliis multis conuentionibus charitatiuis. Secundus modus conuocationis habet maiorem quæstionem: nihilominus oportet eum concedere possibilem: alioquin periclitaretur respublica ecclesiæ, si necesse esset authoritatem Papæ prius interuenire. Exempli gratia. Immineat casus periclitationis ecclesiæ, sit in temporalibus, sit in spiritualibus, & quod tunc nullus esset Papa, nec posset prius institui quam esset prouidendum ecclesiæ per assensum communem. Item in casu quo Papa perdidisset vsum rationis perpetuæ. Item in casu quo Papa deprauatus esset in intellectu per hæresim, & in effectu per enormes & scandalosos mores, & ad destructionem ecclesiæ patenter laboraret.

Item in casu quo requisitus sufficienter & monitus dare nollet authoritatem concilio: vt forte est in præsenti casu, quia signum est quod non vult audire ecclesiam, si non vult eam congregare. Item vbi probabiliter dubitatur, quod fideles nunquam ei præstabunt obedientiam qualemcunque, aut non satis vtiliter atq; concorditer. In talibus & similibus casibus congregatio ecclesiastica sumit authoritatem & virtutem seipsam vniendi ex diuino semine per vniuersum corpus suum diffuso, vt dictum est, Et ad hoc est textus legis *Deuter. 17.* & notat Christus *Matth. 18.* resoluens tandem omnia ad ecclesiæ iudicium: *Si* inquit *ecclesiam non audierit*.

Obmutescat igitur animalis siue literalis & carnalis homo, & spirituali magis credat deducenti & probanti per priora, quod expedit quo ad primam considerationem, & decet quo ad secundam, & licet quo ad hanc quartam, quod congregentur filii Israel & Iuda pariter. Ad quid nimirum vt ponant sibimet caput vnum, non ad disceptandum & discutiendum & arguendum & litigandum, sicut phantasiari videbatur animalis homo. Hoc enim fortassis inducere posset indecentiam & multam tribulationis materiam. Cæterum quo ad allegationem quæ fiebat ab animali homine: quod

necesse & expediens erat esse schisma, sicut olim Dominus voluit dissensionem esse inter filios Israel & filios Iuda. Solutio facilis est, quoniam non sunt facienda per homines mala, vt eueniant bona. Neque enim scient ex malis bona elicere, sicut Dominus ex nostris peccatis & scandalis potenter elicit bona, tãquam attingens à fine peccatorum vsque ad finem comprehensorum fortiter, & disponens omnia suauiter faciendi, vt omnia cooperentur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Denique non potest lege stante politia ecclesiastica, quæ est monarchica, in aliam transformari, sicut est in alia politia.

Tandem multis prætermissis, neque enim locus neque tempus, non stilus neque ingenium, non memoria patiuntur omnia dicere quæ dicenda essent: fiat ad opuscula & tractatus super his confectos recursus liberior. Concludamus ergo ex quatuor causis per totidem considerationes tactis potius quam deductis, quod expedit, decet & licet quod congregentur filii Israel & Iuda pariter. Cõgratulatur amatrix bonorum omnium Parisiensis Vniuersitas, mater mea, vt dicere cœpimus, congratulatur vestræ deuotioni, vestro zelo feruenti, vestræ religiosissimæ ad matrem ecclesiam pietati: vestræ tandem laudabilissimæ legationi, ô reuerendissimi & spectabiles viri patres & fratres, det auxilium Deus in progressu egressum felicissimum & votiuum. Denique offert seipsam totam & in membris singulis eadem vniuersitas ad omnia communi consensu & deliberatione agẽda, tractãda, communicanda, concludenda, prosequenda cum omni humilitate & fauore, nihil quærendo quod suum esse videatur, sed quod omnium, vt habeatur vnum & certum caput secundarium in ecclesia sancta Dei, postpositis contentionibus omnibus & discussionibus odiosis, quæ ad hanc rem non satis attinent, sed magis ad diuisionem, & practicando viam compendiosissimam & sanctissimam cessionis amborum contendentium, vt iurauerunt solenniter & vouerunt. Neque prætерea sit contentio, quis in hoc negocio prosequendo videatur esse maior vel potior vel doctior. Scit eadem vniuersitas, quod stabimus omnes ante tribunal Dei, illic videbitur, quo quisque animo, quo zelo, qua intentione pacem veram suæ sponsæ quæsierit. Sit igitur hæc gloria nostra testimonium conscientiæ nostræ, sit gloria Deo. Nam denuncians angelus pacem hominibus promisit: *Gloria in excelsis Deo.*

Denique si filii Israel, prout Scriptura loquitur, *ibant animo pacifico ad prælium:* quali animo & quam pacifico eundum erit ad hoc pacis concilium, sine æmulatione, sine contentione, sicut decet congregationem sanctorum, sine irascendo in via, quemadmodum monuit Ioseph fratres.

Præterea nullus detur locus diabolo, qui in seditionibus habitat. Fiat in pace locus Deo, qui dirigat pedes nostros in viam pacis, & doceat viam prudentiæ ipse qui est via, veritas & vita, & Deus benedictus in secula. Amen.

Anno Domini 1407.

TRILOGVS IN MATERIA SCHISMATIS EIVSDEM CANCELLARII.



SÆpenumero sublimem rationis speculam (nec mentior) solus ascendi, quatenus super omnes vitiosarum passionum nebulas, positus eo quoque omnia supergressus quantum fas habui, quæ aspectui vero obstare crederentur, ego liberiores mentis oculos hac illacq; versarem super hoc mare magnũ & spatiosum humanæ fluxibilitatis, præsertim ad videnda quæ pro sedatione procellarum suarum elationum cõtra nauem ecclesiæ hactenus agitantur. Honesto memorans conspicio naucleros ecclesiasticæ nauis huius strictis quasi gladiis verborum acutorum decertare mutuo, faces insuper ardentes contumeliarum & exprobrationum scriptis insertarum iactare. Omnes se vicissim impetere, ita demum confligere, ita collidi, quod omissis hostibus exteris & spretis salutaribus studiis id vnum satagere credi possunt, vt quilibet quemlibet extra nauem ecclesię deiiciat & deturbet, seorsum vos acclamant isti horrifico boatu, seorsum vos in malam horam vestram procul abscedite, quoniam schismatici estis, viperarum genimina estis: Infelix cuculi proles estis, vos denique omni mulctatione & anathemate debito parricidis & patriæ proditoribus digni estis. Aliorum ex aduerso etsi mitior sit res, tamen acerba est, imo vos, inquiunt discedite à nobis, vt schismatis nutritores & fautores, vt criminis participes cum schismatico, cum periuro, cum hæretico, cum ecclesiæ subuersore certissimo. Inter has belligerantium voces, inter literas maledicas hincinde volitantes timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ, mala sunt & valde mala, quæ video, sed nesciens interim quorsum res euadat deteriora præsagio, væ væ si hæreses caput extulerint. Iam tamen quæstiones fidei iactantur inter eos, multa quoque pro solidis veris hactenus habita proponuntur, vt dubia, & quis nouit si corruptus passione præsenti animus errabit (vt solet) à vero, seu determinando quæ falsa sunt, aut quæ non expediunt, seu repudiando ea, quæ ab aliis vere determinata cognoscentur. Cæterum à nonnullis pugnatur velut in tenebris, ita vt amicos non secernunt ab hostibus,

ita

ita quid feriendum, quidve impugnandum sit, non vident, oculos petere habent, & feriunt tales palpantes velut cœci & ambulantes in circuitu. Exemplo quoque eorum, qui domum Loth circumuallabant, ipsi tanquam acrisia percussi, viam neque egrediendi neque ingrediendi inueniunt. Ipsi rursus machinas magnas grauissimarum infamiarum congerunt ex iurium allegatione generali. Sed infirmo vel deficiente veritatis fundamento in eis quę facti sunt, nutabundę redduntur hę machinę, imo corrunt, & in eis ædificantes & egestæ eosdem propria mole sternunt, talis est de gigantibus poetica fabula, hodie præterea velut olim in ipso Babylonicæ turris ædificatione fit in ecclesia confusio linguarum, vt se non intelligant hi, qui vel ædificant vel ædificare se dicunt turrim eius. Quid acturus sum miser hæc aspiciens? quid moliar hæc aduertens? obsistere neque fas neque vires habeo nō moueri impossibile. Sic lugebam mœstus, sic angustiabar anxius, væ & væ crebris plangoribus ingeminans, dum ex secreto mentis triclinio duæ comites germanæ cum fratre vterino astitisse mihi visæ sunt, familiariter satis notæ, nomen fratris zelus, cuius habitatio in camerula irascibilis, nomen vnius sororis beneuolentia, cuius locus est in concupiscibili. Altera vocatur discretio residens in rationali, hæ sibi mutuo datæ erant in adiutorium, tanquam vno germanitatis nexu circumplectentes se cum fratre, quoniam zelus absq; beneuolentia nimium rigidus est, grauis & austerus. Beneuolentia absq; zelo mollis & languida, zelus demum & beneuolentia sunt absque discretione ad seductionem errorem que valde prona. Porro absq; eis discretio quid possit, quid prodest? Hæc trina societas die noctuq; pluries altercata est intra secreta domus meæ cubicula, meum quoq; frequenter rupit silentium, zelus præcipue cuius aliquando vehemens adeo improbusque fit impetus, vt nunc verbis, nunc scriptis erumpere gestiret extrinsecus, non hoc, non illud discrimen aduertens neutri parti satis parcens, dummodo, pax, pax fiat, acclamaret. At vero beneuolentiæ tractus quasi contrarius, & si suauior, non multo minus validus erat ad ignoscendum omnibus, & de eis fauorabili intentione iudicandum. Quibus sic decertantibus discretio se mediatricemque præbebat. Operosum magis vero impossibile mihi esset hoc certamen discribere, nihilominus aliqua stylo mandare curaui, tum ad obliuia vitæ sollicitæ, etenim

Dulce loqui miseris veteresq; euoluere questus,

tum præterea ad exercitium qualecunque otiosi studii, hoc mihi si dabitur, satis erit, & si nemini ex aliis sim allaturus quippiam commodi, attamen si quos iuuat adesse nisi paulisper secedant à me, & zelum beueuolentiamque & discretionem non me loqui putent, zelum in primis.

Zelus. Quid superest consilii, ô sorores, quousque non pudebit inertiæ, vsque quo tandem mens placida contenta quiete est? Quale quantumque sit concordiæ bonum, qua paruæ res crescunt, sicut discordia maximæ dilabuntur? dum etiam atque etiam etiam recogito, quibus non auxietatibus vrgeor, quibus non mordeor doloribus, quando per quatuor lustra & amplius propriam ego matrem intueor. Et ô qualem matrem Christe? illam tuam sponsam vnicam ecclesiam intueor (dico) non in vna sui parte, non vno lætali vulnere sautiatam, quin insuper eam ipsam non barbarica tantum debacchatione lædi conspicio, sed per suos introrsum in visceribus suis eo acerbius, quo delicatior locus est video (heu) his oculis per schismatica beluam infinitorum capitum, illam piam matrem deiici, lacerari, & per omnes artus truculenta rabie ac plus quam beluina feritate discerpi, ferre nequeo credite, & si ferreus esset animus, si naturales affectus etiam in bestiis, si passiones vitiosæ in reprobis tanta audent, quanta recensere stupor sit: non minas, non ictus, non verbera, non fustes, non ignes, non ipsa demum mortis immania, imminentis horrenda discrimina pauent, dum sequantur, qua sua voluptas quemque trahit, vel sua passio rapit, horum exempla tum in animalibus respectu fœtuum, tum in hominibus philocaptis, in auaris, in vane gloriosis, in iracundis, & cæteris huiusmodi quotidiana cernuntur. Si hoc inquam ita in furore vel vitio? quid audere debet pietatis? quid posse virtutis affectio? quam tanto vehementiorem ad bonum esse conuenit, quanto diuiniorem, & ex consequenti fortiorem illam esse constat, propterea nemo dinumerauerit, quin verus matris ecclesiæ zelator neque incedat, quam sibi monstrauerit vel ratio vel conscientia vel autoritas vel inspiratio, vel tandem ipsa necessitas ad liberationem suæ matris ab hac mortifera peste & à voracibus bestiæ huius schismaticæ faucibus, quod si prodesse sors acerba vetuerit, tum pulcherrimum erit pro matre, pro pace, pro libertate tali occumbere morti, sed neque hoc magnum nobis, quibus pro præmio spes fida regnandi promittitur, quando gentes, quæ spem non habent spontaneæ neci sese deuouisse, celebres collaudent historiæ, tum Romanorum de duobus Deciis & Curtio, tum exterorum de Codro. Ipsos subinde martyres nostros, quia singuli singulas animas suas pro fide ecclesiæ tradentes saluauerunt, nos in mortali deuotionis titulo templis extollimus. Quid de labore illo quo non vna anima, non paucæ, sed totum ecclesiæ corpus præsens & futurum sua salute potietur?

Discretio. Tace frater obsecro & feruentiorem iusto spiritum comprime. Caueto tu sciens & videns ne nos & te in apera pericula mittas. Egisti hoc pluries, dum succensus quispiam feruido spiritum tuo se medium se veluti contentiones se daturum inter pugnantes vtrinque conflictus opposuit, ita Christum comedit zelus domus Dei dum mortuus est, vt faceret vtraque vnum. Sic apud Poetam,

Senior ille Galesus,
Occubuit, dum medium paci se offert iustissimus vnus

Quæ fuit &c.

Et pius Æneas dextram tendebat inermem,

pacem exclamans dum iaculo femur transfixus est: hac tu recogitatione deterreri poteras, vt sapientis vsus consilio non misceres te rixæ alienæ: neve te & nos omnes morsibus sæuis odiorũ & infamiæ lacerandos obiectares, lacerandos dixerim, aut ab altera partiũ seu (vt frequens est) ab vtraq; vulgati dicti memineris: natans inter duas aquas in vtraq; submergitur. Iam experientia ꝓpria hoc te docere etsi cætera deessent, debuerat. Nonne tutius erat consilium propheticum Amos: *vir prudens in illo tempore tacebit: quia dies mali sunt?* Nonne præterea salubrius id, quod Ezechielis visio habet: *lugere & gemere super cunctis abominationibus quæ fiunt*: aut cum Hieremia sedere tristem, aut cum regio propheta optare pennas sicut columbæ, volare & requiescere & in solitudine saluum fieri à pusillanimitate; dum est contradictio in ciuitate, vbi sine passione tumultibus se audiant, semet intelligant, se coram videant: fallit me expectatio mea, si non protinus abiectis armis ambulabunt in domo Domini cum consensu, aut ostenso signo ad sagittam: hoc est sine debito, ipsum sine diuinatione improuida medium veritatis attingent: aut si pugnandum fuerit argmentationibus, ipsi exemplo Israelitarum ibunt omnes animo pacifico ad prælium.

Zelus. Quid me aspicitis ô sorores: grandia videor polliceri: sed grandiora fides potest: amor audet, doloris materni necessitas inuitat.

Beneuolentia. Magnas prorsus repromittis frater, sed maior in exoluendo difficultas reponitur, tot sapientes hucusque nequeunt id facere quod attentas solus & iustus, ita ne tot animorum varietates, tot votorum mille species adunabis? quando idem homo plerumque secum diffidet: & in eadem domo rixæ regnant incompescibiles? Quid ages, præsertim vbi animo deliberato placet error, placet diuisio: pax sola voce, non corde conquiritur: vbi denique tanta quanta esse potest finium varietas inuenitur?

Zelus. Noli tandem obsecro ô germana Beneuolentia, noli molestum silentium tam pertinaciter indicere, permitte me confabulari in amaritudine animæ meæ: sine illud quod me premit euomere: dolor inclusus vrit acrius. Ego saltem literulis infodiam quæ sentio, nullum ibi discrimen formidatur.

Discretio. Age ergo frater si detinere non possumus, permittimus interim scribere te omnia, quæ in animum venerint: tantummodo ab iniuriosa temeritate, ab irreuerentia qualibet abstineto. Caue deseras ne germanas tuas Beneuolentiam & Discretionem, quatenus beueuolus sit & discretus sermo tuus, ne accusans alios plus debito: sed aurea mediocritate semper in te ornatus effulgeat & placeat mordaci odiosa dicacitate eiecta.

Zelus. Faciam quod hortaris, soror Discretio. Nam & tu Beneuolentia significas te huius esse sententiæ: vis enim omnia interpretari beneuole, sed in nomen tuum: non tamen ita beneuole quod lædatur veritas, sed vt charitas nutriatur, & veniat dies qua exultantes canere fas sit canticum: *Misericordia seu beneuolentia & veritas obuiauerunt sibi: iustitia & pax osculatæ sunt.*

Beneuolentia. Assentio frater, nil aliud sane magis expostulo, sed ipsum agere supernus arbiter Deus concesserit. Comitabimur ergo te, tu id quod suggesserimus, tuis verbis exprimito, at vero super omnia vide ne sis zelus talis, qualem Apostolus nominauit, *non secundum scientiam*, quem præterea dixit *zelum contentionis*, quia videlicet nec discretionem nec beneuolentiam germanas tuas audiebat zelus talis.

Zelus. Fiet vtique ne dubites, & quicquid in vtramque partem dicendum videbitur, illud deliberato, sed breui libramine rationis explicabo. Nunc alloquens omnes in commune, nunc ad particulariora me deflectens, quod si post finito verbo deprehenderitis me præuaricatorem pacti huius, vestra erit correctio, & meum vltro parcere corrigentibus. Multa tamen (id aduertite) locuturus sum nominatim sub modo triplicis epistolæ, qualis loqui vel posse vel debere personas introductas non me licentia oratoria coniecturate.

Et inprimis omnes in commune conueniam. Si sententiæ diuersæ sint inter vos, vt humana fert fragilitas, quoniam incertæ ac timidæ sunt prouidentiæ nostræ, præsertim vbi variatur narratio in eis quæ facta sunt. Nunquid præterea contentiones odiosæ regnabunt inter vos? nunqd exemplo mulierculaꝝ res iniuriis peragetur? Nonne salubrius est & Christiano dignius vinci à bono, quam malo vincere? imo hoc pessimum est, illud optandum. Credite mihi, pax male per schismata quæritur, non vtiliter iniuria iniuriis, sic nec calliditas calliditate, nec morbus morbo repellitur aut sanatur. Si præterea contentiones & rixæ sint inter vos, nonne carnales estis? ego quidem dico quod vnusquisque vestrum dicit, Ego sum Benedicti, ego subtractionis, ego neutrius, & quod venire solet inter oues, dum cœca nocte prædator lupus irruerit fugiunt, pars hæc fauces lupi nescia incurrit, hæc in oppositum parietem impingit, hæc nullo certo vagatur attonita. Non aliter spiritu quodam vertiginis agitatur cœtus ecclesiæ, pars palpat velut in tenebris, ignorans quæ petat, pars ambulat in circuitu, pars sistit expectans lucem veritatis certam de tenebris splendescere. Pars neque scit neque nouit quicquam agere, nihilominus ipsa & agentes vtrinque ridens diiudicat. Alios rapiunt & transuersos agunt passiones variæ, pessimæ consiliatrices, ira, odium, inuidia, cupiditas, ambitio, timor & similes, adeo vt pro personis persequendis syncerus amor pacis, & serenissima veritatis amicitia deserantur aut impugnentur, quo facinore, quale aliud execrabilius cogitari possit, nequaquam inuenio. Per tales si non obuiatum extiterit, exponetur fides discrimini, si suis literis fidentes, si eas instrumen-

mentum suarum passionum efficere molientes determinauerint aut asseruerint leuius debito, in hanc vel illam partem ea quæ melius intractata manerent, vt si diceretur papam non esse caput vniuersale ecclesiæ iure diuino, papam non expedire esse vnicum pro ecclesia, papæ passim in facie resistendum esse, passim & ab eo appellandum, vel ex aduerso si quis assereret quod in nullo casu papæ dicere liceret, *cur ita facis*, & similia.

Quosdam præterea videre est, qui tanta animositate suis aut ceptis aut consultis inhærent, vt nullis ad oppositum rationibus, nulla incommodorum experientia [illegible] possint. Malunt omnia secum ruere, omnia frangi vel turbari, quam pedem retroflectere à vi[illegible]am inuia, & ob hoc iam non via, quoniam progressui obstare reperiuntur, vel spinarum, hoc est vitiorum sepes horrida, vel fossatorum, hoc est cordium profunditas incognita, vel latrunculorum malignitas, vel comitum mutua impugnatio, vel viarum districtus humiles, quos ceruicosa turgidaq; præsumptio nequit prętergredi, quia nequit humiliari. Irascuntur deniq; tales odio immortali contra omnes, quos viderint vel audierint, non dicam aduersari sibi, sed non plenis vocibus & totis assentire sententiis. Alios ad omnem ventum instar arundinis videmus mutabiles, qui pro buccella panis iustitiam desererent. Alios tandem inuenimus (& vtinam multos) qui parati sunt obedire veritati cognitæ, seq; præterea q̄ sequi licebit vel expediet. Multa quidem licent quæ non expediunt, hi nullos odiunt, nullos persequuntur, quos absq; malignitatis admixtione cum puro & simplici oculo veritatem quærere cognouerint, etiam si non datum fuerit inuenire. Reminiscuntur quod Paulus & Barnabas absque peccato dissenserunt, ita vt discederent ab inuicem, nullo tamen odio seipsos prosecuti sunt, nullis maledictis & iniuriis se inuicem consectati leguntur. Qua in re videntur egisse non satis beneuole nec discrete (ne loquamur acerbius) illi qui sub nomine Venerabilis Vniuersitatis Tholosanæ quandam nuper epistolam grandem Serenissimo Francorum Regi transmiserunt plenam maledictis pungentem iniuriis, corruptam opprobriis, in illos omnes qui non secum sentiunt, qui subtrahendo non secum in obedientia (vt dicunt) debita perseuerant. Verum sepositis interim propriis ad seipsos affectionibus & odiis ad alios (obnubilant enim ista veri iudicium) animaduertant quid ex opposito subtrahentes possunt rescribere, nominatim illi de alma Vniuersitate Parisiensi, qui profundiori nota queruntur inuri.

Exemplar literarum responsiuarum ex persona Vniuersitatis Parisiensis ad epistolam Tholosanam.

Postulata inprimis, Rex Christianissime, maiestatis tua lic[illegible], conuertit se hu[illegible] tua respondere Tholosanis quibusdam per epistolam tali sobrietate, qualem te [illegible] audire & nos loqui [illegible]textam non qualiter meruerant hi, qui maledictis improbis, qui execrandis execrationibus infamare [illegible] dignitatem cum generali cōcilio suo conati sunt, rupto derepente diutino silentio. Loquimur ergo sic ad eos, Rex Serenissime, te audiente, te iudice. Ea fratres super quibus accusamur à vobis, si talia erant [illegible] exaggerando declamat (imo satyrica dicacitate mordet) charitatiua illa epistola vestra nisi canina potius [illegible]ellanda erat, profecto vestrum vos accusat [illegible]nale silentium, cur enim tunc confestim, vt nunc sero, neq; arguistis nec statuistis contra faciem nostram [illegible]tres vestros, qui tam manifesta & sacrilega impietate vestru iudiciis errabamus, sed pertinaces nos ac desper[illegible] errantes linquebatis, quo pacto igitur nunc frustra nos impetitis, si tales iudicamur à vobis? aut si ad regem vestrum & nostrum duntaxat sermo vester est qua ratione ipsum & omnes de generoso sanguine suo non protinus ab errore reuocastis, quos iuratis vos scire, vos firmiter credere nequaquam pertinaces esse in subtractione per eos effecta, & sic palam effecta vt nulla possit tergiuersatione negari? testis es, ô rex, eorum qua dicimus. Qua igitur vel infidelitate vel inertia non monuistis eos continuo, si tam certo & probroso schismatis anathematisq; vinculo vestris iudiciis, nisi resipiscerent, ligabantur? At qui stupidos forte vos & elingues effecerat timor? timor cadens in viros constantes. Vnde ortus? inde ortus, quod sicut scribitis vir quidam legatus ex vestris fere necatus est in concilio Parisiis celebrato. O quam prouide trepidastis:

Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Poterat vnicuiq; vestrum si obmutire præsumpsisset, simile contigisse, nondum vero ita desipitis, fratres, vt hæc dicatis, & si ita loquimur, alioquin quo animo certare vos pollicemini vsq; ad mortē pro iustitia, qui nondum vsq; ad sanguinem restitistis? si vos plus triennio pauor puerilis exterruisset, trepidantes timore vbi non erat timor. Nam qualis timori locus seruabitur, vbi tam promptos defensores & propulsores iniuria episcopus ille mox inuenit Dominos Duces, sicut testamini. Quid si cerebrosus, si capitosus, si præsumptuose loquax aut minax erat ille vester episcopus? non est nostrum diffinire, sed neq; est vsque quam incredibile, cum si talis erat, dum in turbam alacrium ingenioq; viuacium iuuenum incautus impegit, quod exagitatus ab eis secundum meritum suum, & exibilatus extitit. Sed ad silentium vestrum regredimur. Respondere postulamus, vbi tunc erat dolor ille ingens, qui (sicut ex historiis trahitis) mutos etiam ex natura loqui cogit, dum recentior erat iniuria? dum plaga noua curationi proximior? dolor iste vester, quo nunc æstuare vos iactatis, quorsum abierat? aut vnde nunc subitus emergit? deniq; dolor iste dum ab initio erat quasi mustum nouum absq; spiraculo, nonne in strepitus vastos fortius erumpere? nonne clamores horridiores extorquere debuerat? At vero scandalum vobis erat formidini. Quale scandalum, passiuum an actiuum, datum scilicet an acceptum? & rumorem qualemcunque paueritis damnat Greg. qui tradit non esse deserendam propter scandalum veritatem vita, doctrina & iustitia, qualem hic asseritis. Sed exitum subtractionis aut (sicut sermo vester loquitur) partum infelicem præstolabamini, quid ita quæsumus? nunquid ab euentu negotiorum, metiri iam actorum bonitatem congruum vel necessarium iudicatis? videte ne fallamini. Quanta sunt optimo initiata principio, quanta in quibus nihil virtuosa & moralis prudentia defuit, qua tamen successu prospero vel intento caruerunt, ad quod potest violate traduci illud:

Careat successibus opto Quisquis ab euentu facta notanda putat.

No-

Nostrum est plantare, nostrum est rigare secundum prudentiam à Deo nobis insitam, hæc vero nihil sunt omnia, sed qui incrementi consummationem dat, Christus est. Narrat Iudicum lib. *filios Israel pugnantes Domini monitu bis magna strage corruisse, quis tamen dixerit eos de aggressu pugnæ propter hoc inculpandos? At forte prolixus sermo epistolæ vestræ talem temporis tractum vt elaboraretur exigebat, vtque coaceruaretur interim grandis congeries maledicorum in nos verborum. vt interim grandiloquam tragœdiam contumeliarum, vt sales aspersos, satyricæ improbæque reprobationis expueret in nos fraterna illa vestra dilectio. Sed profecto si fuisset iniquitas nostra, vt talia audire meruisset (quod libera voce refellimus) certe tamen vestra amicitia ex similitudine quadam studiorum nobis obnoxia, vestraque prudentia & grauitas qualis deceret studiosos, digna apparebat, quæ pulchriori & non illoto obscœnoq; sermone vteretur, dignum erat illud speculum, quale vos esse gloriamini, quod radiis purioribus rutilaret: digna denique vinea vestra, quæ non in his maledictorum labruscas degeneraret. Poeticum est inuolucrum, musas agrestes ideo in picas conuersas esse, & quosdam agrestes in ranas, & alios in simias, Aragnen in araneam, Nioben in silicem, & alios in alia, quia linguis abusi sunt, eas in maledicta laxantes. Præclare demum ab Aristo. dictum est:* Honorem esse in honorante, *ita proculdubio illiberalis & contumeliosa vituperatio sordidat exprobrantem. Nam qualis vnusquisque est, talia dicit, sicut qui de terra est de terra loquitur. Sed vituperare nos, sicut tamen epistolæ facies ostendit, vestra nullatenus erat intentio, qualis ergo nimium laudare obedientiam & inobedientiæ scelus detestari, causam præterea defendere papæ & ecclesiæ, denique à deuio nos infaustæ subtractionis auertere? Est ne igitur vestra, fratres, prudentia tam oblita sui, vt arroget sibi docendi nos officium in re præsertim notissima, quod obedientia bona est, inobedientia mala grauiterque plectenda, quis hoc ignorare præsumi potest? Maxime apud nos, quorum studium antiquius solenniusque tam numero quam merito & autoritate semper extitisse nec ipsi negaretis. Nam & inimici nostri sunt iudices, quod tantum cæteris supereminet vniuersitas nostra, quantum inter virgulta cupressi.*

Amplius vero pro inobedientia (si ita necesse fuerit) nos edocenda erat, ne dispendiosissimus sermo trahendus per autoritates emendicatas, ingestasque sine ordine per pueriles periodos assidue similes, & plus æquo sonoras, per fastidiosam nugacis repetitionis eiusdem sinistreitatem, denique irascendo, dentibus frendendo & tabescendo in nos, quasi beluina feritate mox conculcandi lacerandi deuorandique videremur. Poteratis, fratres, poteratis aliter vestram iactare eloquentiam, aliter vestrum officium, vel docendi vel monendi vel corrigendi ventilare. Nimis elapsum esse à memoria vestra monstratis illud Ciceronis documentum, cui scriptura sæpe concordat: sit monitio sine contumelia vel exprobratione. *Nam & Michael disputans cum diabolo de corpore Moysi.*

Rursus, fratres, elocutionis vestræ accuratio vel deserenda erat penitus, vel accuratius incorruptiusque seruanda. Quod dictandi vitium non magnopere culparemus, si non vitiosissimo & prorsus intolerabili genere confutationis vteretur, illa elegans eloquentia vestra, quæ enim vitiosior confutatio seu argumentatio adduci poterat, quam quæ ad vtrunque flecti potest? Quem defectum si per totum hunc terminum oculis videre nequiuit vestra solertia, tot literis erudita, quo ausu nos in obscurioribus commonere præsumpserit, consideret. Hoc itaque quod dicimus, monstrabimus digito: tantummodo oculos aperire non pudeat. Si obedientia laudanda est, vt toties inculcatis, quasi non ita sentiremus, si hæc sit gladius vester acutissimus, quo nos iugulare, imo cruentis vulneribus confodere satagitis, attendite quam facili retorsione gladium vestrum in iugulum vestrum conuertimus: obedire *siquidem* oportet Deo magis quam hominibus: *non hoc inficiabimini. Oportebat ergo vt Deo iubenti recedere à consortio vel hæretici vel schismatici, vel in talibus vehementer notorie diffamati, aut in nocumentum ecclesiæ præsidenti, vos ipsos præstaretis obedientes: quod quia non fecistis, fas habemus ex consequenti more vestro concludere, quod inobedientia hæc vestra plecti debet pœna tali, imo maiori quam nostra factu vt fieri dicitis eius vicario, nam contemnenda est hæc potestas, vt altera superior honoretur.*

Scimus his auditis quid agitis, quid obstrepitis, quid rugatis faciebus stomachantes acclamatis? Nos certe nullum fouemus in hac parte schismaticum, nullum hæreticum, nullum depopulatorem ecclesiæ, nullum de his vehementer & notorie diffamatum. Ita excusatis vos fratres, nos econtra proponimus, accusamus, suademus, purgantes nos similiter per negationem eorum, quæ nobis imponitis, erat idcirco radix hæc difficultatis & controuersiæ ad quam euellendam totis eloquentiæ illius vestræ Tullianæ neruis incumbere debuerat charitas vestra, quæ radix probare videlicet Dominum Benedictum non esse schismaticum, non hæreticum, non aduersantem ecclesiasticæ vnitati, aut non de his merito vehementer infamatum, aut esse talem, qui non conuertit obedientiæ suæ honorem in instrumentum destructionis ecclesiæ, hoc est, quod in contentione versari, quod vnicum confutari conueniebat, non de obedientiæ præconiis & inobedientiæ suppliciis, imo de partialibus maledictis membranam occupare. Et istud tamen cur modo & non antea citius effecerit vestra fraternitas, nondum perspicua ratio inuenta est, nisi forte vti voluerimus suspitionibus maleuolis in vos, qualiter abutimini in nos. Diceret enim forsan suspitiosus aliquis, quod liuida æmulatio vestra ob præclarissimam studii nostri famam, aut aliunde male parta, nunc tandem nacta opportunitate egesta est, quasi si aperiatur sepulchrum patens intus spurcidum & olidum. Suspicabitur alius non inuidiam, non odium, non rancorem: sed vel adulationem vel ambitionem suæ promotionis auidam, rupisse hoc vestrum silentium, dum spes arrisit nouarum prouisionum habendarum, si noua restitutio fieret, præsertim vobis petentibus & altercantibus, & vsque ad periculum capitis decertare pollicentibus, longe vero sint à nobis interpretationes huiusmodi maleuolæ & incertæ, fratres charissimi. Nunquam id agere nos contingat, quod in nos fieri rationabiliter inculpamus. Ista quidem est rixatio vel fœminea vel canina seu puerilis dentibus & vnguibus iniuriarum causam ducere, ista pugna Goliad à contumelioso contemptu certamen inire. Esto tamen fuerit in nobis aut nostrum nonnullis intentionis corruptio, quoniam quis potest gloriari se mundum habere cor, cum non sit homo super terram iustus, qui non peccet. Nihilominus quale super hac corruptela adducitis efficax argumentum, vt tam certo, tam absoluto, tam in generali vos feriatis iudicio, quasi vocis illius immemores intonantis: nolite iudicare, & non iudicabimini,

Esto

Esto sint inter nos aliqui ambitiosi ad beneficia, aliqui leues ad iudicia, aliqui odiosi ad Dominum Benedictum: vnde tamen constat subtractionem per tales emersisse?

Omittamus nos respondere quomodo talia fingere habet vestra discretio de rege nostro & vestro, de Dominis Ducibus consanguineis suis, de Baronibus regni: præterea de consilio regis, de prælatis & toto clero Franciæ? postremo de toto regno Hispaniæ? Exclamabitis hic primo, iam exclamastis quod per nos seducti sunt, excæcati sunt, alienati sunt, mirum vero si vos soli & absentes & pauci apertos habetis oculos in eorum regimine, si vobis solis sua illuminatio, suaque directio debeatur. Attendite ne intolerabiliter nimis arrogetis. Scitis & creditis firmiter, quod Rex & Domini de suo sanguine generoso non adhærent subtractioni pertinaciter, hoc est vestrum verbum: certe neque nos pertinaciter adhæremus. Adhæremus tamen sicut & ipsi, donec interim nobis paratis corrigi si erramus, clarius aliquid commodiusque pro ecclesia dilucescat. Aut igitur eos omnes pari nobis concrimine parique reatu conuoluite, quia subtraxerunt, sicut non vultis, quia non audetis, aut nos sicut ipsos habetote excusatos, quoniam pertinaces esse non volumus: quod tamen omnino facere refugitis: sed dicetis si non estis pertinaces, cur à damnatæ subtractionis continuatione non cessatis? Interrogetis similiter cur ab eadem rex non abscedit, quod si perurgetis quærentes rationem, nostra est communis responsio, quoniam nostram interim conscientiam sequimur. Nam quantum licet dubitare de Domino Benedicto, an perdiderit ius in papatu: aut quod obedientia ad ipsum est ecclesiæ pestifera, tantundem fas est ab eius obedientia secedere. Neque enim negabitis, quoniam pro culpa hæresis aut schismatis papa fieret inferior quolibet Christiano. Iura sunt ad hoc planissima. Neque præterea latet vos potestatem papalem datam esse in ædificationem ecclesiæ, non destructionem. Quo abusu in destructionem ecclesiæ notorio existente, nonne exemplo Pauli resistere in facie gerenti se pro papa, liceret? nonne sibi dici posset, cur ita facis? Athanasius summus olim pontifex & aliorum nonnulli super hoc sunt in exemplum. Et ô Deus arbiter æquissime, & quo pacto mirantur istud quidam hominum quasi non intelligibilis sit hæc absurditas? cum in rebus longe minoribus id licere fieri, magno assensu concederent? Si enim palatium suum, si ciuitatem suam papa facibus accensis pro sua libidine quæreret concremare, si paganos armatos, si agrorum depopulatores moliretur apud Christianos intromittere, etiam vbi nihil fidei prædicaretur aduersum, si virgines ingenuas, aut matronas honorabiles violare satageret: quis tam indulgentissimus vnquam aut blandus adulator ad papam fuit, quin negaret his ausibus obuiandum esse, qui papam ipsum, si verba non sufficerent, diceret non debere factis arceri? Iure naturali conceditur vim vi repellere, ideoque conceditur vt personæ singulari fas esset papam aut regem vel ligare vel carceri mancipare si eis iniuste persequentibus hanc personam, si sibi non aliunde pateret propriæ mortis aut impudicæ violationis effugium, si hoc in damnis corporalibus tam liquidum est, quid de spiritualibus incommodis longe grauioribus relinquitur æstimandum? Iungamus hanc rationem ad rem quæ agitur.

Si subtracti habuerunt probabiles vehementesque coniecturas, aut certas rationes ex his quæ facti sunt, quod Dominus Benedictus aduersabatur ecclesiasticæ vnitati: nunquid non bono fine & intentione poterat hæc fieri subtractio? quæretis quo pacto sic? quippe vt non assumeret obedientiam sibi factam in velamen aliquod nequitiæ aut protelationis schismaticæ prauitatis. Ex quibus mille mediis, aut continuando honores suos sine procuratione vnionis, aut promouendo sibi fauentes in hac libidine dominandi, aut nunc aperte, nunc occulte, non fauentes sibi persequendo.

Videtis clare, si quid videtis, quod nullis hoc loco, vtimur sophismatibus, imo ne sophismatum paralogismi vos decipiant (sicut fefellisse videntur) nos ipsam ad nudam difficultatem reuelamus, cum proprium sit sophistarum se celare & positiones suas vel inuoluere vel transferre. Nullas præterea legum interpretationes subdolas aut fictas adducimus, solis innitimur regulis iuris diuini & naturalis, quas pro vobis assumitis, quasque immutabili veritate subsistere, nequaquam ignoratis. Hæ sunt regulæ quibus summus ecclesiæ prælatus propter ecclesiæ vtilitatem stabilitus est. Quod papa si apostatet à fide resistendum est in facie, & si non recte ambulet ad veritatem euangelii, quod vim vi licet repellere, quod Deo magis est obediendum quã hominibus, quod bonum publicum præferendum est bono particulari, quod ad publicum ordinatum est. Istis inquam innitimur non vt falso criminamini talibus, quod facienda sunt mala vt bona eueniant: quod persequendus est papa verus, vt schismaticis salus detur. Nondum ita vestri similes sumus, vt ita desipiamus. Quid ergo multos turpiter plane inuoluunt sophismata, dum nimis fugiuntur, quia enim videre nequeunt qualem papa verus aut pro tali habitus desinere possit esse papa, aut habendus est pro tali, ipsi non capiunt qua ratione subtractio possit (imo & debeat in casu) iustissima reputari, hoc est inquiunt inobedientem esse, hoc est persecutorem capitis existere, cum tamen nulla successio à capite dici debeat inobedientia, neque persecutio, nisi legi diuinæ fuerit contraria. Est autem diuina lex iubens recedere à tabernaculis impiorum, iubens fratrem postquam audire noluerit ecclesiam, habendum esse sicut ethnicum & publicanum, iubens præterea oculum aut membrum aliud eruendum esse, ne totum corpus sua contagione deprauet, quæ diuina iussio qualiter ad rem quæ tractatur adaptari debeat, insinuatum est. Scimus tamen quid adhuc respondetis, negatis in hoc negotio causas tales in facto. Hoc vero est quod in disceptatione nostra versatur, hoc probare quod negamus, aut improbare quod æstimamus, debuerat charitatis vestræ prudentia, aut non notissima ingerere, non nos mille conuitiis insectari, non nos priusquam intelligeretis arguere. Et quoniam idipsum non peroratis & res longiori disputatione eget, quam vt sub epistola breuitate possit coartari, quia denique iam pluries tam scripturis quam viuis vocibus rationabilitatem nostræ subtractionis, si non potius libellus diffamatorius appellari meruit, nec latet nos quã multa alia posuistis, quæ si rigidum examen intrarent, illa de errore in fide, de crimine in bonis moribus, de inobedientia læsæ maiestatis regiæ, & aliis pluribus damnanda paterent, quæ omnia ostendere sicut & principalẽ causam nostrã iustificare paratos nos offerimus, quantũ & quemadmodũ tu, rex sapientissime, iusseris, qui hactenus nos indiuiduos coadiutores tuos assumere dignatus es, neq; enim diuersum à te quicquã agere fas putat discretio nostra. Et si improbe prouocari ad certamẽ impar minus numero & virtute sufferre molestũ sit. Potuerant ista sufficere, si nõ vicissitudinẽ referre vellemus, reddentes ꝓ malo bonũ, & benedictionẽ monitoriã pro exprobatione maledica cũ illo q̃ cũ glorifica-

dis ait, maledicimur & benedicimus, *itaque petimus rationem, fratres, quo fructu, quave vtilitate complacuerit sejungi à communi regis & regni concilio. Periret quippe omnis politicus ordo, si ea quæ communi sunt assensu conclusa quilibet pro suo motu capitis vel inculpare, vel ad nouam censuram reuocare contenderet. Vbi enim fuit vnquam tam aperta, tam concors sententia, quæ non aduersis calumniantium linguis carpi posset? aliis amore, aliis ignorantia, aliis sola contrariandi proteruia aut pruritu nouas res moliendi vexatis, sed neque conciliis generalibus præstitus est olim assensus vnanimis taliter, vt non ex aliqua parte contradictores inuenirentur. Æquum est idcirco legibusque & consuetudine sancitum, vt in ore maioris partis stet omne communitatis iudicium. Alioquin si cuilibet assidue fas esset obniti, nihilo plus ageretur, quam si inter naucleros eiusdem nauis odiosum continuaretur iurgium, illis velum tendere, istis laxare, aliis dextrorsum, aliis sinistrorsum ex aduerso conari implicabili animositate tractantibus, deliberatione enim maioris partis exceptata, nonne consultius est ei vos opem ferre, vel nequaquam pertinaciter aduersari, & ita portum qualemlibet attingere, quam sub dubia spe meliores portus confundere interim omnia seditione certissima, multa proinde tolerari debent iam facta, quorum inceptis contradicere dignum erat: Esto vobis appareant, vel forte sint saniora consilia, nihilominus apud communitatem, cuius estis pars parua, ambulantem in opposita sententia, quid prodest tractus vester pertinax aliorsum, imo quid aliud operatur quam contentiones, scandala, animositates & disturbia ad rem omnem quæ agitur, saluberior finienda? Negotium aliud grande priusquam certa conclusione firmetur, opus habet consultatione, in qua sit animus in consulendo liber, porro acceptata conclusione, tunc est tempus faciendi, non diiudicandi.*

Quod si opposueritis præceptum Domini, vt non peccet aliquis sequendo multitudinem, hoc de criminibus, quæ bene fieri nequeunt, intelligi necesse est, non enim talia vnquam licere faciet quantuslibet numerus peccantium, & stultorum, quorum infinitus est numerus. At vero secus est in eis quæ fieri bene possunt, in quibus conscientiam propriam ad aliorum formare iudicium quandoque licitum, quandoque debitum est, qualiter esse dicimus in proposito, vbi ea quæ in facto sunt, non quæ fidem immediate respiciunt, ventilantur. Obiicietis fortassis, quod non synceris animis, non mediis vsquequaque iuridicis, non per personas omni vitio carentes conclusio substractionis excepta est, quasi non ita possit fingi in omni negotio publico, quasi præterea per solos bonos beneplacitum suum operetur Deus, operatur & per malos, quales etiam inter vos aliqui sunt, & si confirmatos vos pharisaice iactetis præ cæteris hominibus, & exceptos ab illa regula, si dixerimus quia peccatum non habemus. *Quot principes infideles, quot tyrannos iniquos legimus & vidimus, à quibus æquissimas leges & edicta quis nesciat emanasse? quæ in re perspicuum esse debet, quod negotii qualitatem magis attendere conueniet, si iusto fine, si pia intentione fieri potuerit, quam suspitionibus duci ex agentium hac vel illa voluntate.*

Præterea, fratres, cessent contumeliæ, abeant sinistræ de nobis suspitiones, quales habere de vobis nec vultis nec volumus. Credite fratres nos bene conscii nobis sumus de processu hoc ad pacem ecclesiæ: qui vtinam tam prosperum successum caperet, quam pie semper optamus, optare autem hoc magis nostrum est, quam illud exhibere.

Tandem quia res (vt arbitramini) discussionem exigit ampliorem (non enim propter aliud nos ad certamen prouocare deberetis) obsecramus te, rex serenissime, sicut iam obsecrauimus, pro concilio totius obedientiæ istius celebrando, in quo conueniant seniores, videre de factis & de iure (quod ex factis exoritur.) examinatissimam veritatem, quam semper amplecti paratos nos offerimus in nomine eius, qui est veritas, in quo bene valere & sobria modestia sapere omnes optamus fratres nostros in eodem Domino charissimos.

Talia in aliorum personam transfigurata sint (ô sorores) pro recussione eorum, qui nimia acritate sententiam propriam defendere, & alienam carpere reperti sunt. Et quoniam ita tibi placitum est, ô soror Beneuolentia (hoc enim nutu tuo significas) conuertatur oratio nostra ad eos, qui acta omnium, præsertim superiorum, tota seueritate recensent atque diiudicant, nullum eis refugium ad correctionem, nullum locum ad veniã vel excusationem relinquentes, cum pfecto male nimis essent res humanæ, si semel peccantibus clauderetur misericordiæ sinus, q si misericordia cõceditur hominibus, illa obsecro qbus rationabiliter iudicio præstabitur, q̃ hominibus occupatis, q̃ hominibus ad regimen reipublicæ cõstitutis, siquidẽ ad eos ex omni parte fallẽdos inuigilat assidue subditorum quorundam malignitas, nunc mendaciorũ fuco, nunc blanditiis adulationũ, nunc accusationum confictionibus, nunc ingestione suspitionum, vt vel sic rapiant, spolient & detrahant, vel vt amorem simulent, tanquam solliciti de salute Domini sui, si multos accusauerint, si mendacibus nouitatibus aures prurientes principum fricauerint, si accensos odiis, si stimulatos ira animos eorum magis inflammare vrgereque studuerint. Quam ob rem non abs re videtur dixisse Seneca consulendum esse bonæ menti suadere, quam inquit bonam mentem nemo occupatus inuenit, & alibi tradit hac ratione esse vel difficile vel impossibile, vt idem sit princeps & vir bonus. Ipsi profecto superiores non tam super homines, quam homines super eorum capita positi sunt, & non tam inuidia quam misericordia digni habendi, tanquam miserabiliores cæteris hominibus, & velut positi ad sagittas causa deceptoriæ iaculationis, quorum multorum stultitiam adulatio in insaniam vertit, aliorum iracundiam in furorem, aliorum beneuolentiam indulgentemque naturam trahit ad prodigalitatem crudelissimam. Rapiunt enim à pauperibus, quod apud ditiores effundant. Parcunt denique delinquentibus languida quadam specie benignitatis illecti: sed redit hæc misericordia [illegible] ad innocentum perniciem truculentam. Quantus erat ille rex & propheta Dauid, quam sagax, quam peruigil? ipse cum ad vnius serui mendosam vocem seductus est, vt hæreditatem, cuius pater Dauid optime meruerat, ad eundem seruum traduceret, postmodum quod etiam monitus non restituit, sed diuidendam imperauit. Quorsum hæc omnia? nimirum vt commonefacerem tolerandos esse pia com-

compassione defectus superiorum magisque diiudicatione seuera persequendos. Neque mihi quisquam opposuerit illud sapientis: *exiguo conceditur misericordia. Potentes autem tormenta potenter patientur.* Ipsi vero principes in hoc exigui sunt, eoque amplius si ex ignorantia forte sua ipsi sibi grandes, sibi fortes & beati videantur. Rursus si plura in hominibus vitia correctionis imposita tolerat: reseruans ea diuini censuræ iudicii, idem fieri de principatuum delictis necessitas [illegible] expostulat. Vt non protinus pro quolibet errato spernatur eorum principatus: cum Apostolus Dominis etiam discholis, & Christus Pharisæis hypocritis obedire præceperit: & [illegible] diffinit principem non debere repercuti. Vidit hoc Tragicus ille, qui monuit Athenien[illegible] introducerent in ciuitatem: introductum vero eum cum omni mansuetudine & lenitate tractarent: quæ similitudo satis est accommoda rei, quam agimus. Quod si de quolibet principante hæc vera sunt, ipsi Domino omnium: & eo seruo omnium, quo Domino omnium, Papam loquor: quis non hoc commune misericordiæ debitum impendendum arbitretur? Esto Dominus Benedictus errauerit in non offerendo celeriter viam cessionis, attendatur in eo potuisse cadere deceptiones, quales numeramus prouenientes ex [illegible]. Attendatur humani cordis fragilitas ad honores quærendos auida, & pertinax ad retinendos, attendatur quantas vires habeant suspitiones ingestæ a maleuolis: nec esse facile illos pro libito diuellere. Attendatur insuper pœnitentia ipsius offerentis iam pridem id quod ab initio quærebatur. Denique si erratum est ab eo, nunquid sibi [illegible] pœnitentiæ quæ cuilibet inferiori aperta est, occludetur? Nunquid pœnalis carcer, nunquid innumeri dolores alii in corpore, in bonis & in fama iam plus quadrien[illegible] tolerati diluere sufficiunt hoc erratum? Videant si qui sint monstrantes oppositum verbo vel opere: ne plus hostili odio personæ, quam vnitatis publicæ zelo se prodant inflammatos. Itaq; placet hoc loco inserere quandam Epistolam quasi nomine suo ad Regem Franciæ destinatam, quæ sic contexta est.

Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei charissimo filio in Christo Carolo Francorum Regi Christianissimo salutem Apostolicamque benedictionem & miserationis spiritum assumere. Si demolitio Hierusalem terrestris olim perstrinxit ad lachrymas cor Prophetæ Hieremiæ & Saluatoris Iesu: Si præterea corporalis separatio sponsi a sponsa fidelis tanta est molestia: si denique ipsa etiam natura suo docet instinctu turturem assiduos gemitus edere, dum compari viduatam se senserit: nullus mirabitur si in desolatione mirabili spiritualis Hierusalem, & in acerbissima separatione, quam in ea sensit animus, conqueror & ploro. Quis igitur dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lachrymarum, ad deflendum iugiter luctuosissimam Sacrosanctæ Ecclesiæ labefactionem diuisionemque? Quis me consolabitur? quis medebitur? Consilium quale mihi perueniet? ita planctus lugubris; dolor & angustia tangunt omnes in commune filios Ecclesiæ. Sed longe sæuius atque profundius dilacerat infelix cor meum inaudita miseria, hoc exterminium. Ista perditio nimirum data mihi illa est in sponsam singularem, quæ omnium mater est vniuersalis: his nihilominus aspicio tam nefando schismate eam, quæ mater est pacis & vnitatis, tam execranda & atroci persecutione eam fœdari, quæ fons est pietatis, tandem vili deiectione & ignominiosa seruitute eam ipsam proteri, quæ libertatem & honores largitur æternos. O pia mater omnium, ô mea singularis sponsa quousque durabit pessimus iste languor tuus? quamdiu debachabitur furor impius in viscera tua, satis nimisque tuis in membris perseuerat hæc horrenda diuisio Et heu quale tibi ministrabo consilium? tuis quo pacto medebor incommodis? Cruentum hoc vulnus tuum in me descendit vt vides: quoniam hinc vastatrices curæ, hinc sollicitudines peruigiles, intus timores anxii, foris pugnæ, in tribulatione violentia, & diuturno indignoque carcere, qui mihi de propria comparatus est domo, & de specioso olim nunc domesticorum manu obruto palatio. Quid referam probra? quid diffamationes iniquas? quid sinistras interpretationes dictorum factorumque meorum? quid mille mei & meorum inenarrabiles afflictiones? Attamen non est hæc malorum summa: vtinam in caput meum refluerent omnes ærumnæ tuæ? O fidelis sponsa vsque ad duræ mortis perpessionem sine detrimento animæ. Et tu benedicta libertate foueres in gremio pacis omnes filios tuos & oues pascuæ tuæ. Et ô pater maxime & optime, ô salutifer Christe, vt quid natus sum videre mala gentis meæ? vt quid datus sum custos, sponsus & pastor, si non aliam opem, aliud solamen, & aliud ferri dabatur auxilium? porro si sancti patres, quibus infausta tempestate succedo, gemebant olim sub verendo pondere curæ pastoralis: sicuti Gregorius & aliorum plurimi, etiam dum Ecclesia suo honore & prosperitate floreret: quid nunc dicturus sum in sua & mea tam incomparabili calamitate & in tanta malorum mole? Hinc vel maxime perspicuum esse debet me in tali statu afflictionis mœrorum & perniciose retinendo non esse contumacem. Alioquin profecto miserabilior & stolidior sum omnibus hominibus, qui miseriam certam cum certa damnatione quærerem, sed auertat hanc insaniam a seruo suo misericors Deus. Cæterum nonne varus & laboriosis antea legationibus attritus sum, si forte resarciretur truculenta hæc ruptura, & si discussis tenebris serena veritas oriretur. Sed nunc eleuans me dignitas grauius allisit, & coangustauit vndique. itaque grauis forinsecus cernitur corporalis afflictio. Subter vero introrsus plaga sæuit acrior, dum pia recogitatione considero, quemadmodum omnes conatus mei, omnis zelus pius, omne feruens desiderium ad pacem adipiscendam cassati sunt. Et ô mores, ô tempora, ecce quod supra modum auget infelicitatis tumulum, à nonnullis etiam de peruersa intentione notor & inculpor. Quid dicam ad hæc? plane & constanter negabo. Potuit aliqua fortassis surrepere ignorantia, quæ tam vicina est humanæ fragilitati, & in hoc me meaque omnia prorsus iustificare nequaquam audebo. Illud namque Apostolicum verbum quem hominum non exterreat? nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. *Cuius dicti quæ alia est ratio: nisi quod in multis offendimus, & quoniam non est homo super terram qui viuat & non peccet, & quod incerta sunt prouidentia nostra & iustitiæ omnes sordidæ tanquam pannus menstruatæ: denique quales sumus in oculis diuinæ maiestatis, nouit nullus.*

E si iustus fuero (inquit Iob) hoc ipsum ignorabit anima mea: verum si maligna fraude, si cupida ambitione. Putaui quicquam agere quod Ecclesiasticæ vnioni vel obstaret vel eam retardaret: sit in animam iudex Deus, quoniam potius talia ab initio vsque in præsens obtuli, quæ salubria & sufficientia pro vnitatis prosecutione fideliter æstimabam & adhuc existimo, si non obfuisset pater ille mendacii, qui omnia in malum & turbationem euertisset. Nosse potes hæc omnia, fili Serenissime & Christianissime, coram quo fiducialiter hanc querelam effudi, nec habeo necesse regias aures adimplere longa narratione talium oblationum per me factarum, tam de via conuentionis vtriusque obedientiæ per consilium à fratribus meis Cardinalibus primitus datum, quam de via compromissi, & nouissime de via cessionis. Cui via, imo & martyrio, sicuti palam testatus sum, iugiter adhæsi secundum præparationem animi. Nec ab hac vnquam promptitudine discessurus sum, si & dum veram parere vnionem cessio videbitur, testes sunt apud te harum oblationum patentes literæ meæ: nisi doloso aliarum silentio contectæ sint. Arbitror autem nunc elucescere, si leuior fuisset & opportunior pro ineundo tractatu vnionis, prima conuentionis oblatio, quam subito incursu talem arripere viam, quæ in has truderet angustias, & cui nullum vnquam præbuerunt assensum aduersarii, absque quibus generalem fieri vnionem quis expectet? Nolo tamen, inclyte fili, ex his dictis vel dicendis tuam inculpare deuotionem ad pacem Ecclesiæ: quæ vtinam deuotio nulla vnquam mendaci informatione super meis & aliorum gestis quæsita fuisset illudi & corripi. Sed admirari non sufficio quo pacto ego, qui sic egerim, sic tracter, infamer, includar, & nondum pro liberatione ab indignis carceribus tuum meruerim auxilium. Nonne tui antecessores proprium habuerunt succurrere non solum vexationibus Ecclesiæ: non solum summis pontificibus in sua sede reponendis, sed omnibus communiter iniuste passis: quasi nobilis Franciæ domus templum tale esset misericordiæ, quale apud Athenas fuisse memoratur, vbi cunctis afflictis erat præsto subsidium. Nunc enim, fili charissime, vera regum Franciæ progenies & hæres exemplorum insignium, vides coram oculis tuæ serenitatis illum: quem pro iusto Papa coluisti & colis illum: quem vt patrem summum in terris & animæ tuæ pastorem sanctum frequentibus titulis extulisti: Illum præterea, quem tu cum regno tuo successisse confiteris per electionem legitimam Christo & Petro, illum quoque, quem viuentem prudentissimus pater tuus viuens coluit vt talem, illum deinceps, qui etiamsi caduci numerentur honores, nobilis est prosapiæ, illum denique qui Deo propicio vitam hucusque duxit innocuam, sine quauis infamiæ nota deformis: quia quid intus agatur, iudex erit cordium inspector Deus: tu, inquam, talis vides me talem (de me enim loquor, & me laudasse coegit necessitas) vides modo sic inclusum, sic contumeliose tractatum tanquam essem vnus ex seruis abiectissimis, sine honore, sine dignitate, sine statu, sine genere, & vitæ celebritate. Nihilominus autem dissimulas, fili, aut contemnis præbere succursum: neque me expediri iubes, qui vnico mandato tuo ab his me incommodis potes liberare. Quanquam compertum habeo non te iubente ita fieri, neque persuaderi sane potest, vt credam generosum animum tuum erga meas ærumnas tanta duricie stringi: quoniam mollesceret ad compassionem, si profundæ & religiosæ considerationis oculos ad tantæ rei indignitatem conuerteret. Quid de te loquor? quoniam ipsos etiam barbaros, & paganos pietas naturalis tangeret, si viderent personam nuper talis auctoritatis, gradus & honoris & nobilitatis repente deiici & concludi intra parietes domesticos & hostiliter oppugnari. Existimo quod & in regno tuo maxima pars meæ calamitati compatitur, sicut & dolorem aliorum regnorum experior. Proinde si ex consiliariis tuis aliqui (vtinam boni sint omnes & fidi) seducere vellent regium animum, ne mihi meoque statui misereatur: videant saltem tales & ponderent tuam & regni tui famam: quoniam dedecus filii est pater sine honore, & in subditorum infamiam redundat præsidentis opprobrium, quale est insuper illud, quod ab aduersariis & æmulis quotidiana insultatione iactatur. Vellem silerent, & ego digitum ponerem ori meo: sed vox altior & populosior est, quam vt regi possit, & qualis vox? quod à Gallicis tenetur obsessus dire & hostiliter Papa suus: vox quod Domino suo supremo aduersi sunt; nec alterum sequuntur & suum persequuntur, vox quod pro libito mutant Papas, nunc instituunt, mox destituunt: vox quod facto ipso etsi non verbo fatentur se reos in schismate, & partem corroborant quam impugnant, tales & plures circumuolant rumores & improperia, & quam apparenter id fiat, viderint illi qui talium sunt occasio. Atvero fortassis obiicient aliqui, me in causa esse omnium quæ lugemus. Nam cur inquiunt dignitatem tuam per fas aut nefas retines? cur non ad ea quæ petuntur condescendis? Possem huic obiectioni planis & validissimis obniti responsionibus ad iustitiam meam (nisi quod propositum hic habeo alterum) & quoniam aduertis, quam lubricus & instabilis esset omnis dominii status, si repente ad vocem cuiuslibet cedendum esset iuri suo, iure vel iniuria sine discretione, sine fructu, sine manifesta necessitate: sed non hic insistendum decreui. Hoc vnum postulo & exhortor in Domino, pro communi bono totius Ecclesiæ quatenus depulsis ira, odio & vindicta & quæ retro sunt obliuiscentes, extendamus nos in anteriora ad vnionem promerendam, tu præcipue inter cæteros, qui singularis protector es & cultor Ecclesiæ, vt sollicite consulas. Quid prodest, imo quantum paci obest, quod includor carcere ego, qui tam libero & parato sum animo ad omnia pro eadem pace, vbi nihilominus pars aduersa perstat in errore suo: neque verbo significans, neque facto velle se cognoscere veritatem iustitiæ nostræ, neque offert aut recipit viam aliquam, per quam intrusus suam habeat sedem deserere, quam occupat vel saltem pari pede pax quæratur. Scis tamen quot & quantis legationibus pulsati sunt, ex quibus ita esse non ignoras, si non fictitiis relationum commentis elusus es. Nunc quali spe prosequimur partem vniuersalem, si particularis, si multiplex & iugis sit inter nos diuisio? Qua fiducia resistemus falsitati, si veritatem nostram inutiliter confundimus? prodesse quid expectamus in non obediendo ei, qui canonice non dubitatur electus & esse tanquam corpus lacerum membris à capite diuulsis, quando cernimus alios pertinaci animositate in sua vnitate non vere vna coniunctos. Nec ista dico sit veritas tanta sollicitudine ad liberationem corporalem (quam etsi tamen opto, quis mirabitur?) quantum pro affectu boni & honoris totius & dignitatis pontificalis sanctæ Sedis Apostolicæ, tui præterea & regni tui & totius obedientiæ adhærentis veritati. Quamobrem concludendo precor & obtestor, fili charissime in Christo,

Christo, quatenus hanc querimoniam filiali deuotione & Christiano altoque animo suspiciens iubeas carceralem circa me cessare custodiam, quæ prorsus indigna est: & si non forte de meritis propriis erga Deum: Ecclesiastica tamen dignitati illi proinde qui pater nominatur, & talis regis, qui demum Christianus est Christus Domini. In quem Christianos, imo filios proprios abuti sæuitia tyrannorum quantum qualeq; piaculum sit animaduertis. Audent quidam sacrilega impietate (sicut accepi) impurum & procax os laxare, ad notandum me pro hæretico aut schismatico: qui vtinam tam tenacis essent fidei aut religionis, quam longe sum ab hac blasphemia. Errare vt cum Augustino fatear potero: sed hæreticus non ero: neq; est alia indignius à me vel impatientius ferenda iniuria. Ideoq; obnitens talibus cum vno sanctorum patrum libere pronuntio, mentiuntur. Te rursus inuoco, fili, vt feras mihi sic afflicto velociter auxilium: quemadmodum in tali necessitate (qualis nec tibi vnquam nec sanguini contingat tuo) nequaquam dissimulare: sed totis conatuum viribus obuiare satagerem. Pone quæso ante prouidentiæ tuæ oculos, qualis futura esset Ecclesiæ facies, & quam fœda negotiorum turbatio, perplexitas & inuolutio scaturirent, si nunc migrarem à carne, non habito prius alio rerum stabilimento, vel ordinis serenitate: sicut haberi potest dum viuo, si non vel nequiter vel prauiter abiicior.

Postremo si hucusque, vt humana est ignorantia vel infirmitas, quidam rationabilius processerint: non pudeat vel sero vinci ratione, & superari veritate, nec in casu iaceant, sed inde resurgendo cogitent. Neque enim poterit aliter efficacius ostendi simplex conscientiæ puritas in processu, & quod non præceps ira, non tumens ambitio, non cæcus odii rancor, vel edax vindictæ furor, sed pacis amor vnicus dominabitur tractantibus ipsum hoc tantæ sobrietatis & reuerentiæ negocium.

Et tu pater misericordiarum & Deus totius consolationis & pacis: qui promisisti misericordiam misericordibus: qui dimittere præcipis, si nobis dimitti volumus, da clementer veniam delictis propriis & alienis, sis mihi propitius vt hac vna vindicta contentus sim, quod errata corigas, suppleas defectus, & deinceps omnium pedes in viam salutiferæ pacis dirige: deniq; cor regis, quod in manu tua est, ad hoc inclina & inclinatum corrobora: cui des gloriam & honorem nunc & imperpetuum.

His ita se habentibus & allegatis sentio quid postulatis, ô sorores charissimę. Postulatis itaque, ne tegam silentii velo vnam ex Epistolis, quales mihi videri possunt ab inclytissimo Franciæ Rege pridem, velut post reditum ab ambasiata facta summo pontifici, subtractione nondum facta. Parebo libens, vos assistite.

Patere (obsecro sancte Pater) perpaucis alloqui pastoralem celsitudinis tuæ præsidentiam, patere rogare ea, quæ ad pacem sunt Hierusalem: quatenus benigne facias in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hierusalem. Nihil hic exprobrando dicturus sum: sed te obsecraturus sum, vt patrem: tum hortando, tum commonefaciendo cum instructione filii mei, vt ea ante oculos tuos statuantur, quorum attentionem actualem oblitterare potuerunt: seu cura varia turbantes rationis oculum suo puluere: seu blanda quorundam assentatio communis magnatibus malum, nihil ad veritatem, omnia ad gratiam dicentium. Aut proinde naturalis quidam amor sui, quo sui cognitio nonnunquam impeditur, aut denique subdola machinamenta eorum, qui sub ouina pelle vulpem tegunt. Quæ enim ex sublimioribus personis se ab his pestibus securam satis esse iactauerit? Vide Pater sancte: & si videas non pigeat profundius iterum atque iterum circumspicere, quale quantumve est pacis bonum, quod omnes in communi appetunt conclamitantes, pax pax: adeo sine pacis pulchritudine omnia sunt deformia, anxia, molestaque. Omnia quoque pacem suam quandam non minus quam vitam desiderant, abhorrentes diuisionem, quanto magis ignoscere, imo vero dignam pro meritis laudem rependere te conuenit, pater sancta, omnibus & singulis, quos pacem appetere, quærere persequique cognoueris, quos audieris persequentes ex aduerso: exitiale schisma præsens quaquauersum via: præsertim quam compendiosiorem eis vel ratio vel necessitas cognata rationis ostendunt. Talem de te spem tui mores, tua vita à puero bene instituta mundo præbuerunt: hanc insuper expectationem, tua gesta responsaque in negocio præsentis schismatis apud omnes genuerunt, vt tu præcipuus indicatus sis, cui pastoralis baculus pro conterendo nequissimum maligni schismatis caput donaretur: quem præterea Papalis sedes susciperet ornando sessione tua, si præsideres in ea. Nihilominus vltronea cessio, si ita res exigeret, locum liberum ad pastoris vniti collationem apparet. Videbantur hæc sufficere tali omni expectationi: attamen ipsam valluit iusiurandum, quo controuersia omnis finem capit. Sed, ô dolor plusquam dolor, ô sancti sanctaque omnes, vnde malum istud irrupit, quod confunderet nos ab expectatione nostra? Heu quantum mortalia pectora cæca noctis habent: quam terribiliter nullos excipiens enunciauit propheticus sermo: Prauum cor hominis & imperscrutabile, quis cognoscet illud? *Da veniam, pater sancte, fideli meæ interrogationi, si animis nostris hanc in veritate spem tui, ipsius ingenueras: si cor in ore & fronte gerebas, quid caussa quidve fascinationis irrepsit, quod nos vel falleret vel confunderet ab expectatione, ab illa inquam expectatione, quæ pollicebatur nobis te agente reuersuram pacem Ecclesiæ, rediturum seculum aureum in terris? In cuius præterea assumptione ad Papatum noua lux oriri visa est: in hoc quoque diluculo matutino sidus quoddam beneuolum sereno nobis fulgore micare putabamus. At heu expectauimus pacem, & ecce turbatio: in deterius quippe versa confusaque sunt omnia. Meruit hoc, inquies subditorum improbitas volens meipsum patrem eorum ad illud compellere, quod vltroneus agere debueram. Primum (pater sancte) non violentia, sed oratio plurima præmissa est. Petis à quo? à me filio tuo, cum tota Ecclesia regni mei: per tales, quales nosti, tales quibus alii supplicant, & quorum fide ac prudentia gubernamur: Frater Germanus & duo patrui. Quod si suspitiosum forsan erat orare illud ducum quasi foret species violentiæ iubendi, facilis plane patebat exitus, præoccupasses eorum preces, offerens absque vlla procrastinatione illam quæ petebatur. Iuramenti impletionem ostendisses præparationem animi ad cedendum, si & dum cessio tua pacem illatura esset Ecclesiæ. Itaque via cessionis nonne ab omnibus quantumcunque tibi vel tuæ æstimationi fauentibus esse sanctissima & com-*

pendiosissima indicata est? quanquam non esse te cogendum ad ipsam fuerit quorundam sententia, sed te voluntarium, te sponte offerentem eam, quæ communi assensu probatur, viam quis vero coegisset? Si qua igitur fuerit coactio, ex renisu tuo venit. Affirmant viri sapientes & literati, qui mecum sunt, te pro salute gregis astrictum esse secundum præparationem animi non solum ad cessionem, sed ad martyrium. Et hoc modo non est relinquere gregem, sed saluare. Quid quod vltra communem legis diuinæ obliuionem iuramentum solenne superadditum te ligauit? Dices forte te nec iuramento nec officio constrictum, vt confestim Papatui renuncies: præsertim non expectato fructu pacis. Profecto pater sancte, neque hoc quærebatur, quod si de me meorumque sinceritate quædam maleuola suspitiones alienæ ab hac veritate gratis assumptæ sunt: audi quoniam multos supplantauit suspitio illorum, qualibus vtique suspitionibus præbere leuem auditum nihil magno viro indignius, nihil pro suo & suæ reipublicæ statu incommodius reperitur: hoc quippe agit suspitio talis apud rempublicam, quod zelotypia apud domesticam. Zelotypia autem quales non domos inquietat & turbat, eas aliquando funditus euertens. Esto fuerint qui stillarent auribus tuis, quod aliqui magis ad personæ tuæ deiectionem, quam Ecclesiæ reformationem anhelabant: quod Papatum ambiebant alii: quod pars vna Papam optabat illæ cognatione & patria: quod pars altera pro ambitione aut vindicta, aut aliis causis reprobis incedebat in via pacis. Examinandum sane erat non quid tales dicerent: non quid garrirent incerto auctore susurri: sed quid veritas à Domino dirigenda postulabat. Neque enim staret omnis politia, si pro adulantium aut male suspicantium confictione, & non pro agendorum veritate regeretur. Et memineris, pater, si fefellit te talis maleuolorum suspitio, dum te protestationem publicare suasit, quam postmodum libens retractasti.

Protestationis autem hæc erat sententia: quod visis modis procedendi, qui erga te & tuos tenebantur (notabas violentiam) tu omne inde secuturum & per te concessurum inualidum reputabas & inane: quasi videlicet te pertinacem facere contenderet, aut blanda adulatio, aut subdola inimicantium confictio, nisi sagaci retractione prouidisses. Quin etiam si quæsisset aliquorum (vt tibi videtur) vel arrogantia vel impietas cogere te ad illud, quod sponte agere volueras: nonne satius erat te vincere in bono malum, quam à malo vinci? sapientiam enim non vincit malitia. Pessima certe victoria, vincere voluit aliquis homines, si ab ira, ab odio, ab impatientia & vindictæ zelo superatur: & adeo superatur aliquando, vt omissis omnibus, quæ alioquin agenda fore cognosceret, ipse se in aperta peccata & in magna mortis huius & æternæ discrimina tradit: dum frendens dentibus ait: Ergo ne inuitus compellar ad hoc vel ad illud? ergo ne malis fratribus meis hæc & illa sum acturus? Ita ne ego Dominus obtemperabo subditis, tanquam eorum vilis seruus? quis contemptum hunc, quis mea huius dignitatis vituperium ferre possit? mori satius est quam talia perpeti: fracti prorsus animi & abiecti esset talibus assentire. Has voces, Pater sancte, scis non esse modestiæ Christianæ: neque de schola illa prodire, ad quam inuitans Christus, Di- Iscite, inquit, à me: qui mitis sum & humilis corde: *qui* cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur comminabatur. *Quid si quis ex æmulis tuæ dignitatis cognitus magnitudinem cordis tui: aut suspicans forte paruitatem ad suspicationes superseris rumusculos tales pro exagitatione turbida suscitanda, per quem omnia sibi suspecta fierent: ac proinde certum discrimen intrares: sic aprum vani catulorum latratus à tuto cubili remouent & offerunt enecandum: sic qui timet pruinam, irruet super eum nix: sic postremo trepidantes aniculæ in veros laqueos cadunt ob inanem motarum plumarum formidinem. At vero suspitionibus his reiectis ne ab eo dum reprobamus capi videamur: audire te videor & dicere: quod viam æquissimam obtulisti, viam conuentionis in quam totus etiam cœtus cardinalium primitus condescendit. Viam præterea quam appellas iustitiæ: viam primam Pater sancte nondum quenquam repudiasse cognoui: nisi quod per se insufficiens apparebat: propter quod vlterior oblatio viæ cessionis quærebatur. Ad quid ita? nimirum vt tantus apparatus conuentionis nequaquam fine congruo fraudaretur: qui finis ex omnium, quos consulimus & aliorum pene omnium iudicio non aliter commode quam per vtriusque contendentium cessionem haberi sperabatur. Sufficiebat autem (vt tibi visum est) oblatio tua generalis, ne eadem facta in particulari cornua daret aduersæ patri tanquam diffideres de iure tuo, qui tam leuiter spospondisses: sed non fallitur, non irridetur inspector cordium Deus: sapiens (vt quidam ait,) vitam suam non populari rumore, sed conscientiæ veritate metitur. Quid si quidam imperiti, aut superbi, aut maleuoli tuam hanc humilitatem sanctissimam, tuam charitatem Christi imitatricem, tuum zelum feruentissimum in oblatione spontanea viæ cessionis sinistra detorsissent, vt formidas, alii super numerum plures, grauiores insuper, tum fide, tum amicitia tua, tum pietate catholica te hæc agente collaudassent vtentes Salomonis iudicio: quod veram habuisses maternam charitatem, qui infantem Christum viuum in Ecclesiastica sede sua alteri cedere maluisses quam diuidi. Cæterum vero non parum vigebat te præstitum iuramentum: nisi glossis corruptis aliquis illud fœdare voluerit, aut dicere quod quia in deteriorem exitum vergebat, non erat obseruandum: absit pater, vt nos omnes tuæ obedientiæ filii iudicauerimus vnanimiter: vt qui discors sit nescio, quod via cessionis cæteris eminebat, eratque sancta & Deo accepta, si ipsa sub iuramento promissa requireret salubriter vel offerri vel exequi. Quid verisimilius est decipi vel vnum vel vniuersos? quid probabilius falli paucorum conscientias vel omnium? Addo quod si errasset vniuersitas obedientiæ tuæ in hac sententia: nihilominus pastoralis pietas astringebat te potius condescendere nobis pie errantibus, quam omnia tam certæ turbationi exponere: quippe ad hunc intellectum vere enunciatum est, quod communis error facit ius. Non enim præsumere debueras omnes ad tuam sententiam citius attrahendos fore, quam ad aliorum iudicium te vnicum vel admodum paucos tecum posse conuerti. Nam hoc vltimum liberum tibi erat non alterum, obsistentibus tot capitibus, quot tamen conuenisse in vnam viæ cessionis oblationem, nonne miraculum est & pene diuinum? Opponet demum aliquis Pater sancte, nunc quam inutilis & cassa fuerit hæc via cessionis, quæ nihil hactenus pro pace valuit operari. Hoc argumento viam conuentionis aut illam quam nominas iustitiæ liceret inculpare, quam nihil adhuc profecisse cognoscimus. Sed non accepta sunt respondebis hæ viæ, ideoque non tentata. Ita certe nec viam cessionis acceptasti, cuius intereant eandem primitus offerre. Eandem dico, toties ante Papatum per te, pater, ventilatam, laudatam & fere pro vnica commendatam.*

Quod

quod si præsumitur pro via conuentionis aut altera si fuissent acceptata quod dedissent pacem Ecclesiæ: multo amplius hoc existimare conuenit de acceptione libera via concessionis. Quod si post oblationem tuam charitatiuam altera pars contumaciter renuisset peragere, ipsa de se suaq; salute vidisset, tu liberatus nobiscum, tu gloriosus, tu ab omnibus re nomine Benedictus euasisses. Verum ignosce, Pater sancte, si nimis vrget celsitudinem tuam multiloquium zelotari. Talia ego non ad damnandum, sed hortandum pronuncio: quatenus qui pacem Ecclesiæ prosequuntur, non inculpes sinistris interpretationibus; quasi deprauato animo erga te vel dignitatem tuam moueatur: quatenus præterea condescendente te capite nostro ad humilem membrorum voluntatem instar Christi ambulemus omnes vno animo, vno passu, vna via, donec occurrat nobis pax vera in eo, qui fecit vtraq; vnum, Domino nostro Iesu Christo, qui est Deus benedictus in secula.

Quid superest agere, ô sorores: dum pars inuenit vtraque caussas, tum excusationis propriæ, tum accusationis alienæ? qua ratione potest hoc fieri, etiam si tu Beneuolentia tanto nisu conateris, vt pars excusanda censeretur: sed neq; in tam contrariis iudiciis videri possunt accidi. Et ô sanctissima mater Ecclesia, cui sententiæ interim cessura es? quam amplexaberis, quam probabis? Christiana respublica inter has contentiones animosas & incertas quid aget? interea quo se vertet, quali poterit regimine gloriari? Dudum contendentibus Pompeio & Iulio Cæsare ciuilibus armis Romana respublica neutram partem probās remanserat in medio desolata cum Catone, qui nulli similiter parti fauens erat. Ita enim dicit Seneca: Vtrum verosimile sit in schismate nostro tanto deteriori, quanto animæ mors, quam corporis plus horroris habet non determino. Vtinam veniat Dominus, qui illuminet abscondita tenebrarum, & posita in lucem compleat in opere: parum quidem videre est, si non datur operari. Hoc quidem solum relictum videtur: vt quia cum ignoramus quid agere debeamus humano consilio, confugiamus ad diuinum: nisi vobis aliud, ô sorores, videatur.

Beneuolentia. Mihi Beneuolentiæ idem prorsus est iudicium, Frater: vt nullus accusatus maleuole, sicut obseruare (nisi me fallit amor tui) studuisti, conuertamus nos ad Dominum, quatenus ad nos conuertatur, ambulans super aquas præsentis fluctuationis, ventisq; imperans & mari, & fiat eo iubente tranquillitas: quid tacita recogitas soror nostra Discretio? dic & tu quid censes agendum?

Discretio. Ego vero hoc idem nihilo minus, ne tentari videatur Deus, conari decet nos ad laborem, si forte piis attentationibus aspirat Deus vires.

Zelus. Verissime suades per meam fidem, ô soror Discretio, saluberrime & diuine? vis igitur vt ea prælia, quæ penes nos seruamus, recondita super hoc negocio proferamus in medium, tum de medio pacis inueniendo, tum de concilio sic vel non celebrando, tum de Papæ accusatione & excusatione cum reliquis? illorum enim inspectio dare posset occasionem sapientibus profundiora cogitandi.

Discretio. Video te, Frater, ad ingenium redis, totus flamma es: nequis non velle foras erumpere: scio quæ tu loqueris, illa quodam impetu magis proiecta sunt, quam digeste ordinata, sine stilo, sine limitatione. Attamen si ita fert animus tuus, nec compesci potest: tu in alia nobiscum concione ea propone, nos secedere ad alia tempus vocat & verba tua (vt aspicis) iam popularis concio, iam scholasticus cœtus, iam curia regalis expectat. Tuam rem ergo age & bene habe.

Zelus. Polliciti memor obedientia vltro, & tu bene habeas soror, nec vllo vnquam in negotio me desere, tuo quoque spiritu ô germana Beneuolentia procul omnis à nobis & cæteris maligna perseueritas exturbetur &c.



EPISTOLA CHRISTIANISSIMI REGIS FRANCIÆ, IVSTIFICATIVA SVBTRACTIONVM FACTARVM à PETRO DE LVNA: NON obstante obedientia suo prædecessori & sibi quandoq; præstita.



CArolus Dei gratia Francorum rex, vniuersis Christi fidelibus salutem in Domino, & ad eam quam summopere desideramus Ecclesiasticam vnionem vnanimiter aspirare. Pax Ecclesiastica, quæ sub vnico & certo Christi vicario coniungere debet vniuersa membra populi Christiani secundum ipsius Christi & Apostoli sui documentum, dum olim post mortem felicis recordationis Gregorii Papæ vndecimi conturbari cepisset: dumque schisma perniciosum, monstrum horrendum ingens in eadem Ecclesia suboriri cerneretur ex causis toto orbe notissimis: Christianissimus tunc ac præclarissimæ memoriæ progenitor noster Carolus Quintus suasus multis vehementibusque rationibus deliberauit adhærere, & obedientiam præstare illi, quem collegium Cardinalium iureiurando asseruit in vita & in morte: atque publicauit se canonice in summum pontificem & verum Christi vicarium sponte & concorditer elegisse. Arbitrabatur namque verisimiliter idem progenitor noster & erat totus feruens in zelo domus Dei, & ex sua fide pia alios diiudicans: quod cæteri principes ac prælati eum vniuerso clero & populo protinus obedirent consimiliter: dum electione huiusmodi per collegium præfatum Cardinalium sufficienter eis innotesceret rite fuisse celebratam. Sed aliter euenisse dudum iam deploramus. Neque enim potuerunt vsque hodie dicti Cardinales hoc ipsum. Nos idcirco cernentes experientia, temporeque docentibus, quod hæc obedientia præstita inualida erat ad tollendum funditus schisma pestiferum, quod in exilium grauissimum pacem desideratissimam & optimam detruserat, deliberamus eandem pacem ad proprium cubile suum, quod est Ecclesia, velut ad suam regionem per alias vias totis conatuum viribus reducere. Hinc concilia crebra, hinc legationes laboriosissimæ ac sumptuosissimæ per omnes pene Christianitatis regiones frequentatæ: tandem aspirante Deo via cessionis vtrique contendentium pro reuersione pacis turpiter exulantis inuenta est compendiosior absq; vlla dubitatione expedientior iudicata. Hanc proinde viã cũ omni solennitate p̃sentari fecimus successori illius, cui progenitor noster (sicut diximus) obedientiã p̃stiterat. Quã obedientiã ideo maxime postmodũ ab eodẽ successore pro tempore subtraximus: quia nõ satis aperte per viæ cessionis compendium videbatur velle pacẽ reducere, postpositis disceptationũ interminabilium anfractibus & ingressibilibus aliarum viarum labyrinthis. At vbi visus est nobis ad salubriora se conuertisse consilia, rursus absque omni mutabilitatis culpabilis nota obediuimus eidem ita tamen animo nostro gerentes, si & quamdiu hæc obedientia nostra non obstaret Ecclesiasticæ vnioni: quemadmodum in concilio vltimo Ecclesiæ regni nostri meminimus satis datum intelligi. Neque enim voluimus vnquam scienter (neque fas esse credimus) obedientiam præstare cuiquam mortalium in pacis vniuersalis præiudicium, in schismatis fomitem, in discordiæ instrumentum. Et ô salutifer Christe princeps pacis, quamdiu iam quæsiuimus pacem & non venit? Expectauimus tempus medelæ: tempus scilicet iuratæ conuentionis vtriusque contendentium pro cessione celebranda, & ecce turbatio. Animaduertite hæc, Domini principes Christiani, quibus est dolori talis, tantaq; matris dissipatio. Attendite insuper vobis & vniuerso populo Christiano vos sacri pontifices, *in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Attendite quæsumus, nolite dissimulanter agere: vbi depopulatur gregẽ Christi miseris modis, tempestas hæc sæuissima horrendaq; vorago. Exurgat in vnum populus vniuersus tollere de medio sui deformissimum hoc portentum, vnde fit in opprobrium hostibus incredulis propriisque animabus damnationis æternæ discrimen apertum decidat vel inuitus vnus aut alter: imo vtrique contendentium ab occupata Sede Petri potius, quam vnitas eorum contentione depereat. Nam dum neutri populus obediet, neuter amplius deprimatu vel frustra contendet. Neque audietur vltra vox illa crudelissimæ fœminæ: *nec mihi nec tibi, sed diuidatur:* sed illa piæ matris: *date illi infantem viuum.* Nos vero qui nihil ita post animæ salutem desideramus, quam videre serenissimam pacis faciem nostris effulgere temporibus, iudicamus ex præmissorum & similium consideratione nullum ad præsens patere validius in tam desperato malo remedium, quam quod neuter contendentium aut sibi forte successorum præstetur deinceps obedientia à populo Christiano: deficiente siquidem fomento tantus ignis iste infernalis in se tandem deficiens dante Deo collabetur.

Quapropter præcedentibus & habitis super hoc vicibus repetitis, magnis & maturis delibe-

deliberationum consiliis cum sapientibus peritis & deuotis hominibus Deum & eorum salutem gerentibus præ oculis. Nos vt ecclesia regni nostri ac Delphinatus Viennensis pro nobis & subditis nostris eorundem Regni & Delphinatus decreuimus talem amplecti neutralitatem in festo Ascensionis proxime venturo: nisi interea nobis vltro pax aduenerit, processuri nihilominus vlterius assidua, sollicitudine cum aliis principibus & catholicis omnibus, donec euulso schismate pax plantetur. Quod si mirabuntur forsan aliqui ex aliter affectatis, vnde nobis ista licent: attendant potius quod hanc nobis legem facit ipsa, quæ legem nescit, dura necessitas: imo & filialis pietas, quæ per medios etiam ignes & gladios matrem talem ita collaborantem eripere conaretur. Ecce morbus inueteratus & putridus, qui ex fomentis leuioribus in deteriora quotidie velut cancer serpit: si ergo ferramentum cauterizans adhibeatur, nullus recte culpauerit. Demum cum pro hac neutralitate in vnum tractanda principes ac magnates vtriusque obedientiæ commoda celeritate congregari non possent, nullus suo quæsumus contemptui deputet ius partis nostræ, quam probabilissima ratione prælibatus progenitor noster & nos hactenus fuimus insecuti, in hac neutralitate condemnatum vel depressum: cum nunc non de iure huius vel illius, sed descendendo iuri vero vel prætenso pro vnione consequenda res agatur. Quamobrem vos omnes & similes hortamur in Christo, & per eam quam de immaculata sponsæ suæ ecclesiæ laceratione fœda compassionem geritis, obtestamur: arripite nobiscum validum hoc & efficax, sicut expectamus in Dei virtute, pestis huius exterminium, vt denegatio hæc obedientiæ vtrique contendentium afferat nobis tandem perpetuam vnanimemq; obedientiam sub vno & certo Christi vicario: quatenus seruiamus Deo in pulchritudine pacis & requie opulenta. In quorum omnium fidem & testimonium præsentes literas nostri sigilli fecimus munimine roborari. Datum Parrhysius die XII. Ianuarii. Anno Domini M. CCCCVII. & regni nostri XXVIII.

DISCEPTATIO MENDICITATIS ET PROPRIETATIS, SIVE DE VTILI DOMINIO BONORVM ECCLESIASTICORVM, PER EVNDEM IOHANNEM DE GERSON: sumpta ex Sermone facto Constantiæ in Concilio generali, in festo S. Antonii.

CONSIDERATIO II.



IN nuptiis crescentis Ecclesiæ dum vinum sacræ scripturæ seu theologicum propinabatur discumbentibus principibus & aliis ab architriclinis, qui fuerunt Doctores Theologici: tunc ecclesia dotata fuit ampla temporalitate: sic formidandum est ex contemptu Vini huius ne tollantur aut notabiliter minuantur dotes huiusmodi temporales ab eadem ecclesia.

EXPOSITIO.

FEruor itaque deuotionis, qui principes & alios dotantes ecclesiam mouit, vnde quæso genitus fuit, si non ex præconcepto calore vini spiritualis sacræ scripturæ vehentis ad æterna mentes suas terrenorum amore calcato? Nunc autem si viderint pincernas vini huius prælatos & doctores labi funditus in inferiora terræ, neque vllam de spiritualibus sollicitudinem gerere, quid ni repetant quæ dederunt causa cessante conferendi, quod à noua saltem donatione tepescant? Ecce iam vidimus plurimos in sacris etiam literis eruditos, qui vitiis prælatorum irretiti, zelantes domum Dei non secundum scientiam nequaquam timuerunt suggerere principibus & populis vsque ad perpessionem mortis, quod fas erat eis tollere temporalia clericorum habitualiter delinquentium. Rursus quod bona eorum nõ erant nisi puræ eleemosynæ. Quod insuper non erant tradita nisi sub conditione bene viuendi & vtendi: quo deficiente peribat titulus iuris, neque quicquam reliquum clerico tali supererat. Adde quod non defuerunt neque desunt seculares cupidis auribus & assensu talia recipientes. Nihil autem facilius quam persuadere volentibus spolia clericorum, dum vel auaritia, vel odium, vel inuidia, vel zelus indiscretus trahit eos. Opponunt alii prælatis & clericis paupertatem ecclesiæ primitiuæ in Apostolis & discipulis: autenticant cœlo missam vocem, dum à Constantino dotata est ecclesia, magis diuino iuxta prophetiam Danielis de regno Christi, quam humano constitutio; *Hodie venenum effusum est in ecclesiam* DEI.

Quæ omnia, quid aliud quam spoliandum esse loquuntur ecclesiam? Verum quid antiqua? quid sola lectione cognita commemoramus? Prædicatum est solenniter apertissimis verbis, quod mendicitas erat solum vel præcipuum medium prędicationis verbi Dei: quia spinæ diuitiarum suffocant Verbum. Et paulo ante dum quæreret ipse prædicans, qui sunt prædicantes? Respondit, *profecto soli mendicantes, quoniam pauperes*, inquit *euangelizantur*. Taceo quod dixerat ante quidam ex Mendicantibus prælatis: *nos pro nobis principes habebimus aduersos prælatos*; superaddit alius: *ac etiam mulieres*: subintulit alter minaci vultu: *Nos tale seminabimus semen in vno die quod eradicare per annum nescietis neq; poteritis*: Hæc & similia si nihili pęduntur à plątis secularibus sibi defensores suos seculares Theologos vinum sacræ sapientiæ ministrantes in puritate vel abiiciunt vel negligunt vel opprimunt: quid consequentius est, quam vt principes dicant & statuant apud semetipsos: si mendicitas solum vel præcipuum medium est ad prædicationem verbi Dei: cum nihil magis incumbat ecclesiæ prælatis, quam huiusmodi prædicatio, propter quam Apostoli dixerunt: *Non est nos æquum relinquere verbum Dei & ministrare mensis*. Et Paulus ait: *Non misit me Dominus baptizare sed prædicare*: quid eligibilius est nobis quam vt prælatos reducamus ad mẽdicitatem sublatis tot diuitiis & donationibus in quibus otiosi gloriantur atque superbiunt supra regum & principum potestatem. Nihilominus hæc & similia cum prædicantur dotationis ecclesiæ subuersiua, fit applausus: significatur vt excurrat sermo: dum vero pro fauore debito probatorum, pro libertatibus eorum, pro fidei q̃ tueri professi sunt vsque ad mortẽ defensione prædicatio fit, mox oscitant, inquietantur, submurmurant, exsibilant, tumultuantur, finem figent. Attendat pastoralis sollicitudo, ne per impunitatem talium crescat in ecclesiastica hierarchia deordinatio, horror atq; confusio. Vnde si mẽdicitas post Apostolos & sanctos doctores nouiter subintroducta ministraret hodie sola vinum prædicationis per Apostolos in ecclesiæ nuptiis. In multis itaq; nunc male est fateor ecclesiæ, sed in multis deteriora venirent: quemadmodũ sumi poterit ex dicendis in altera consideratione patens argumentum. Ecce vero dum talia meditatio cordis mei secum reuolueret, conspicere visa est hinc mendicitatem Religiosorum: hinc proprietatem prælatorum, quarum vtraque prædicabat laudes suas, alterius altera statui præferre contendens. Præoccupauit Mendicitas: Et quis dubitauerit, inquit, me præferendã esse proprietati vel appropriationi temporalium, quæ volens esse perfecta *abii* iuxta consilium Christi, *& vendidi omnia quæ habui & dedi pauperibus*: vt nuda, sequerer expedite nudum Christum. Præcello quidem in multis, sed quinq; prærogatiuas enumerasse suffecerit. Mens nonne mihi liberior est ad contemplationem? quoniam egena sum, non potens epulari quotidie laute & splendide. Propterea neq; cibo, neque vino grauor in crapula & ebrietate, iaceo somno vnioq; sepulta. Sum insuper aptior ad prædicationem, quam doceo nedum verbis studiosissime compositis in allegationibus, in rythmis, in ratiocinationibus, miscendo seculares autores, poetas & rhetores. Sed exemplo proprio, quod efficacissimæ doctrinæ genus est, prædico, contemnendas esse seculi diuitias, pompas honores, atque delicias, sequens Christum, qui prius cœpit facere, post docere. Quid tertio? quod elongatior sum ab adulatione, quia non temporale lucrum, non fauorem diuitum, non applausum populorum, sed spiritualem duntaxat animarum salutem exquiro, quid enim mihi est super terram? Quid præterea quarto? quod à formidine resistentium verbo Dei liberata sum, dum ab eis maior effici non ambio, sed refugio, quærens in nuptiis ecclesiæ locum nouissimum: nolens primos recubitus in cœnis, nec salutationes in foro, nec vocari ab hominibus rabbi: neque primas cathedras in synagogis, sæuiat mundus vniuersus aduersum me, ad quam me poterit sortem viliorem deiicere, quam mendica quæram panem meum? Constat denique me liberatam esse ab omni sollicitudine, Cur enim de crastino cogitarem, quæ habens alimenta vndecunque quæsita & quibus tegar, etiam vilissimis resarcitisq; saccis contenta dego: considerans aues cœli, *quæ neq; laborant, neque nent, neque congregant in horrea, & pater cœlestis pascit eas*.

Proprietas ex aduerso contendebat; primo iuxta sententiam Aristotel. arguentis politiam Socratis & Platonis, quod erat expedientior apud homines præsupposito peccato, secus in statu gloriæ; secus in originalis statu iustitiæ, fuissent omnia commmunia, vbi nu[illegible]propriando dixisset, *hoc meum est: hoc est vero tuum*: quoniam vnicuique fuissent omnia subiecta [illegible] pedibus eius. Omittatur de singulis hominibus, fiat de prælatis ecclesiæ tantum sermo: quibus ego proprietas multum offero fructum spiritus, præsertim quintuplicem in ędificationem subditorum. Habent ex me primo subsidia temporalium, vnde misericordiam exerceant apud subditos, egentes, afflictos & debiles, pupillos, viduas, neque sub specie pietatis & quæstus spolia quærunt ouium, neq; lac emungunt vsque ad sanguinem, quod vt exercere posset sanctus Thomas Cantuariensis studuit vsque ad mortem pro seruatione reddituum ecclesiasticorum decertare. Habent ex me prælati secundo decentem & honestum statum fulgentem & re[illegible]ndum coram populis, qui sicut animales neq; satis capiunt cœlestia, neq; virtutes interiores plene considerant, propterea [illegible]iter egenos & pannosos homines, præcipue si opportune & importune quæstuati fuerint, [illegible]tunt in opprobrium vel contemptum, maxime dum assunt eis operationes heroicæ & miraculosæ, quemadmodum fuit in sanctis Apostolis & plurimis successorum, alioquin si quis ornatum exteriorem [illegible] culpat in prælatis, tollat ex consequenti præciosissimos & clarissimos quoslibet rit[illegible] ecclesia, quæ incedit sicut regina in tunicis, casulis, cappis & cæteris vestimentis deaurata circumdata varietate. Adde tertio quod tyrannis incutio formidinem ego proprietas; dum attendunt me paratam & potentem & talem esse, quæ sufficiam eis resistere. In subditos præterea dischólos & insolentes

tes ego disciplinatas punitiones potens exerceo, ne sua contra proborum vitam tam quietam præualeat effrenis iniquitas, & vt regentis conseruetur autoritas. Postremo sollicitudinem anxiam, & quandoque fraudium sectatricem ego proprietas à prælatis & domesticis suis excludo: distribuens vnicuiq; prout opus est: ne vel cogitare supra modum de crastino compellat eos egestas: cui parum esse fidei dicit Satyricus & lex. Hæc est ecclesiæ primitiuæ institutio: hæc aurea medioctitas, quam Salomon optando descripsit: *Diuitias*, inquit, *& paupertatem ne dederis mihi: sed tantum victui meo tribue necessaria: pusilli animi est* (dicit Sene.) *non posse pati diuitias & indicere sibi odium auri vel argenti: refrenetur cupiditas, & sufficit.*

Parabat ad hæc Mendicitas contentiosa voce responsionem adiicere: proponens se talem esse, cui mediocritas amica est: quoniam nihil habens ipsa iure proprietario, possidet omnia charitatis & sufficientiæ titulo: quærit enim primum *regnum Dei & iustitiam eius*: omnia idcirco opponuntur ei. Nihil insuper se timere defendit, nimirum quia nihil perdere habet, inculcans illud Satyrici:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

concludit proprietatem esse tumidam, elatam, pomposam, iactricem sui, desidiosam, cæcam, insciam & hebetem: quæ quia tangit picem diuitiarum, inquinatur ab ea: & spinarum aculeis cruentata suffocatur, neque pascit: quæ mercenaria est, oues proprias pabulo doctrinæ, sed emungit vsq; ad sanguinem, & excoriat vsq; ad interiora ossium & discrimen vitæ.

Cæterum has impatienter ferens mendicitatis contumelias ipsa proprietas dici non potest, qualia quantaq; reddere verba parabat: Vocans eam inprimis apostatam à lege qualibet naturæ, scripturæ & gratiæ: nec deerat allegationum multiplicatio, seductricem insuper arguebat eam, fallacem gyrouagam, quæ penetrat sub obtentu nedum prolixæ orationis (prout loquitur Apostolus) sed confessionis, domos, captiuas ducens mulierculas oneratas peccatis: quæ rursus nomen humile paupertatis facit instrumentum sibi & medium sub velamine priuilegiorum ad omnes diuitias, delitias, pompas, cum summo ocio sine labore plus cæteris hominibus assequendas. Pergebat vltro proprietas inducere testas autenticos pro se *Vitas patrum*, Augustinum *de opere monachorum*, librum *de sancto amore*, *Propositiones Domini Armacani*, cum similibus multis. Quæ demum sectas habens inter se pro diuersitate habitum & doctrinarum coniungitur ad impugnationem cæterorum secularium & regularium prælatorum & doctorum.

Tum exhorrui, fateor, in ipsa meditatione mea, quando talem suboriri contentiosam hostilitatem proprietatis & mendicitatis animaduerti: qui prius in audiendis laudibus vtriusque sedulus delectabar. Exclamo protinus: abite precor hinc: neque iurgiis istis me fatigaueritis. Itaque


Non nostrum inter vos tantas componere lites.

Ite potius ad experientiam: hæc siquidem mentiri nescit, de quibus nouit: nouit autem omnia & mentientes non patitur, non redarguit, hæc ideo testis idonea, hæc iudex incorruptissima: quæ si querelam hanc susceperit, suggerat & in sinu & sacrosancto generali concilio. Quid sentiendum insuper allegatis vtrinque quid demum faciendum? Etenim si mendicitas probare voluerit testimoniis operum dilucidis, quod ad illa per eam proposita sit efficax mediatrix ipsa prorsus suspicienda fouendaque iudicabitur. Similiter & proprietas laudabitur & in prælatis si tales in eis, quales proponit, effectus operetur. Verum præclarum dictum est à quodam, *Respublica vel ecclesiastica non regitur persis*, sed nec solo dictamine speculatiuæ vel imaginariȩ rationis gubernatur: executio requiritur in practicatione operis, quantum res humanæ pro locis, temporibus & personis patiuntur. Denique est inuenire statum, imo nec hominum vnicum, nisi rarissime, in quo granis virtutum mixtæ sunt plures numero paleæ defectuum: Nam & cum tritico crescunt zizania, qualia tolerare conuenit: vel sic eradicare, ne simul euellatur & triticum. Similiter vinũ deuotionis secũ fert acinos & feces quorundam defectuum humanȩ corruptionis. Enitatur status quilibet esse talis, qualem vult se æstimari: atq; respectu finis suæ constitutionis cætera conetur moderari. Sit mendicitas, vt prætendit, ad contemplationem liberior: sit ad prædicationem vtilem aptior: sit ab adulatione longior: sit à formidine & ambitione remotior, sit ab omnium temporalium sollicitudine quietior. Proprietas vero, sicut gloriatur hospitalitatem exerceat: decentem & venerandum absque fastu superfluo statum teneat, formidinem tyrannis incutiat, subditos insolentes coerceat: sollicitudinem noxiam & anxiam procul à se suisq; familiaribus abiiciat. Meminerit tandem vtraque iuxta Comici sententiam: quoniam hæc omnia in mendicitate & proprietate talia sunt, qualis est animus vtentis, hoc cernere est in vino bono sapientiæ salutaris. Cuius odor, sapor & vsus fit aliis in ægritudinem & mortem, aliis autem proficit ad sanitatem & vitam perpetuam.

SERMO

A.D. 1415.

SERMO FACTVS IN LOCO SESSIONIS CONCILII GENERALIS CONSTANTIENSIS, POST NOVVM RECESSVM PAPÆ IOANNIS XXIII. eodem Concilio Anno Domini M. CCCCXV. vigilia Dominicæ Ramispalmarum.



Mbulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant. Iubet hoc Christus, patres orthodoxi: patres non in tabulis æreis, vt olim apud Romanos, sed in libro vitæ conscripti. Iubet inquam Christus originaliter *Ioan. 12.* & recitatiue in euangelio Sabbati præsentis. Vos obedientes audite, ambulate non passibus corporis, sed gressibus mentis: ambulate de virtute in virtutem dum lucem habetis. Et qualem lucem? Respondeat lux vera, cuius hoc est verbum: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ.*

Adsis inuocatus Domine Iesu præclarissime, sol iustitiæ: disiice terræ nebulas & pondera molis, atque tuo splendore mica. Absque te enim præcipiti mersa profundo mens hebet, & propria luce relicta tendit in externas ire tenebras. Hoc ne fiat, tu mediatrix, tu aduocata & exoratrix nostra suppliciter adeunda es Virgo gloriosissima, quæ tui nominis interpretatione tam illuminata quam illuminatrix diceris. Et quo lumine? prorsus lumine gratiæ, quo sic illuminata es, vt dicaris in Apocal. mulier amicta sole. Hoc tu nobis lumen vt infundas de plenitudine tua suppliciter imploramus, salutantes & dicentes: *Aue* &c.

Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant. Lux ista est, iam dixi & repeto, lux ista est, patres celeberrimi, Deus, qui glorificatur in Consilio sanctorum, dicente Psalmus: *Magnus & terribilis super omnes qui in circumitu eius sunt.* Cuius hanc tenemus infallibilem promissionem Matth. 18. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum.* Sicut vidit Psalmo, dum cecinit: *In consilio iustorum & in congregatione magna opera Domini.* Et magna plane: imo ingentia iam vidimus in hoc consilio iustorum Dei opera, spontaneam & vix speratam cessionis viam. Porro cum propter semetipsum, & vt glorificetur, fecerit omnia Deus, quo pacto credendus est præclariori celebritate gloriari quam in consilio iustorum, quæ vera laus est in ecclesia sanctorum? Tales vos esse conuenit orthodoxi & Deo amabiles patres ac Domini: vt consilium sitis sanctorum & iustorum, quos posuit Deus in mundo quasi vera totidem luminaria. *Vos,* inquit, *estis lux mundi.* Siquidem in hoc constituti estis alios purgare, illuminare atque perficere, nunc maxime, cum factus conuentus iste Sacrosanctus, dum adunatus est cœtus, dum congregata est ecclesia, vt de Machabeis scribitur, quatenus orarent & peterent misericordiam à Deo, & vt opitulante eo decerneretur quid facto opus esset. Exultat animus profecto, leuans in circumitu oculos, & videns omnes istos, qui congregati sunt tibi, hoc est ad vtilitatem tuam, ô popule Christiane: congaudet admirans Spiritus meus, & in hanc erumpit ecclesiastici cantus vocem, *Ciues Apostolorum & domestici Dei aduenerunt hodie portantes facem illuminantes patriam, dare pacem gentibus & liberare populum Domini.* Qualiter liberare? exhortando clamandoque: *Ambulate dum lucem habetis, vt non tenebræ vos comprehendant.* Cuius deliciç sunt esse cum filiis hominum, ipsæ tenebræ demum horridæ tot vitiorum per ecclesiasticum corpus, vasto quodam turbine miserabiliter exundantium. Ambulate igitur dum lucem habetis, vt non hæ vos tenebræ comprehendant. Lucem itaq; habetis, patres luminosissimi, Christum, qui vere est in loco isto, vel Emanuel, qui interpretatur nobiscum Deus, cuius est hæc certissima promissio: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.* Deus iste est, qui glorificatur in concilio sanctorum, magnus & terribilis super omnes qui in circumitu eius sunt. Et bene in circumitu tuo, Domine, res omnes esse dicuntur, quoniam tu velut sphæra intelligibilis, cuius centrum vbique est, circumferentia nusquam: tu vbique es extra non exclusus, supra non elatus, infra non prostratus, ideo magnus valde, terribilis, gloriosus & superaltatus in secula.

Ecce patres orthodoxi, quod ad hoc ipsum, vt glorificetur Deus, & illustretur ecclesia nunc celeberrima Parthisiensis Vniuersitas, cultrix & amatrix eorum omnium, quæ Christianæ religionis pietatem quæ sanam doctrinam respiciunt, ipsa ad exemplar Christianissimi Regis Francorum patris sui dignantissimi legationem mittit, quærens primo ea, quæ pacis sunt: denique secundo quæ fidei sunt, deniq; tertio quæ virtutis & ecclesiasticæ sunt libertatis: quoniam ad hæc tria principaliter synodus hæc sacra tedit. Iussit hesterno vesperi per Ambasiatores & Nuncios suos hic præsentes, quatenus hoc matutino tempore essem habiturus orationem nomine suo pro veritatis elucidatione circa ea, quæ per hoc sacrum concilium agenda videntur occurrere. Nullus opinor mirabitur si ad hanc iussionem ego fragilitatis meæ conscius & temporis artatione pressus expaui. Nihilominus in Deo, cuius glorificatio quæritur nisus, & de studio præterito super hanc veritatis inquisitione memor, regis pterea & ecclesiæ regni sui voluntate per instructiones cognita: Iussioni denique matris inclitissimæ, cuius legem dimitterem nequeo, monitus à sapiente: ego tanquã obedientiæ filius parere desiderans, conatus sum aggredi cum humili dicendorum omnium ad hoc sanctorum concilium submissione, vt iure suo dirigat omnia vel acceptet vel corrigat.

Et

Et in primis quatenus habeatur ordo dicendorum lucidus & breuis, quia vel est quod texitur ordine longum, conuertamus interim dilato themate oculos nostræ considerationis ad hoc quod dictum est, Deum esse qui glorificatur in concilio sanctorum, qui magnus est & terribilis super omnes qui in circumitu eius sunt. Defigamus in hoc Psalmistæ verbo mentis intuitum, ne per multa vagemur: fallor si non ibi videbimus huius sacrosanctæ synodi causam quadruplicem: efficientem, scil. formalem, finalem & materialem &c. Vult aliquis cognoscere causam efficientem: plane illa est: *Deus magnus & terribilis*: cuius instinctu, miseratione, afflatu & attractu, collecta est nunc ecclesia: sicut eleuatus spiritu præcecinit Psalmus: *Deũ esse qui dispersiones Israelis congregabit, qui congregat electos suos à quatuor ventis, à solis ortu & occasu, ab aquilone & mari*: tantummodo qui cœpit orandus est, vt ipse perficiat. Leua in circumitu tuo, ô sacer cœtus, oculos tuos & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Quidni contingat tibi quod idem propheta loquitur Esaias: *Tunc videbis & afflues & mirabitur ac dilatabitur cor tuum: & si dilatetur: nunquid non implebit illud spiritu suo Deus*: Porro causa formalis est hæc ipsa collectio seu connexio concilii sanctorum, vel Spiritu sancto formante & exemplante, qui est nexus & vinculum compaginans in vnum diuersa membra sanctorum: sic agnoscit ecclesia petens pro seipsa, vt Spiritu sancto congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Quærit aliquis præterea finalem huius sacri conuentus causam: sane illa est, *vt glorificetur Deus magnus & terribilis*: iuxta vocem Apostoli dicentis: *Omnia in gloriam Dei facite.* Hæc itaq; recta, hæc efficax semita ad omnium quæ voluerimus adeptionem: si primo quæsierimus gloriam suam: dedit hoc intelligi dum ait: *Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.*

Omnes postremo, qui in circumitu Dei sunt, accipiuntur veluti pro causa materiali, & de se informi. Nam sicut hominibus per schismata peccantibus consequens est vniuerso sub Deo quodammodo deformari: quoniam homo finis est omnium, dicentibus Platone & Aristotele: *necesse est autem secundum exigentiam finis omnia moderari*: sic ex aduerso veniunt omnia per hoc sanctorum concilium Domino efficiente, formante & finiente reformanda. Ita enim de pretioso sanguine Christi canit ecclesia:

Terra, pontus, astra mundus, quo lauantur flumine.

Quocirca videre fas est deinceps, quo titulo relucet in causa efficiente, ac residet infrustrabilis auctoritas, quæ causa est *Deus magnus & terribilis*: ex quo omnia in mensura. Relucet in causa formali exemplaris vnitas, vt sint omnes vnum, sicut estis nunc in concilio sanctorum, & hoc in Deo per quem omnia in numero. Relucet in causa finali spiritualis vtilitas: quia vt glorificetur Deus, in quo omnia in pondere. Demum concluditur in causa materiali generalis vniendorũ reformandorumq; vniuersitas: omnium scilicet quæ in circumitu Dei sunt, quatenus omnia reformentur in numero, pondere & mensura, concedente Deo. *Ex quo omnia*, hinc modus, vnitas & mensura. *Per quem omnia*: hinc species, veritas & numerus. *In quo omnia*: hinc ordo, bonitas & pondus: quo pondere refluunt omnia in causam, quæ dedit esse.

Cæterũ prima triplicitas appropriatur Patri, secunda Filio, tertia Spiritui S. bene habet, iacta sunt fundamenta soliditate quadrangula, superædificare possumus tetras Pythagoricũ, hoc est quadruplicẽ constructionũ parietẽ vel structurã, & dicere ꝓ prima constructione: Deus magnus & terribilis si glorificatur in hoc concilio sanctorũ, ꝙ eidẽ sufficientẽ pbet & infallibilem autoritatem, vt causa efficiens, quo ad primũ fundamentũ. Rursus ꝓ secunda constructione: Deus magnus & terribilis trahit & allicit omnes in communi Christianos ad vnius veri capitis vnitatem: tanquam causa formans & exemplans, quo ad secundum fundamentum primum in reformatione. Amplius pro tertia constructione: Deus magnus & terribilis sic glorificari vult in hoc concilio sanctorum, ꝙ omnia pcipue fiant ad honorem & conseruationem suæ legis ac fidei, sine qua ei placere nemo potest: quo ad tertium fundamentũ, secundũ in reformatione. Demũ ꝓ quarta conclusione: Deus magnus & terribilis paratus est rebus omnibus, maxime hominibus concedere per hoc concilium sanctorum quãdam reformationem pulchritudinis, glorificationem ordinem & decorem cum prouisionibus idoneis aduersus eos, qui non in rectudine morum, sed in circumitu pergunt vitiorum: & hoc ꝓ quarta constructione super vltimum fundamentum, quod est tertium in reformatione.

Poterat hic ordo teneri sub his terminis, sed aliã ꝓgredi viã suaserunt verba thematis, quæ in metaphora lucis fundata sunt. Reuertamur igitur & ponamꝰ lucẽ diuini pcepti, quia pceptũ Domini lucidũ illuminans oculos. Lucernam insuper diem legis, sicut Petrus loquitur, vt iubente Deo posita super candelabrum, luceat omnibus qui in domo sunt, quæ domus est ecclesia, vel hoc sacrũ concilium vice sua. Diffundat & spargat consequenter lux ipsa veritas euangelicas 12. considerationes quasi totidem effulgentissimos radios veritatum particularium splendidos & coruscantes.

Ponamus in primis, imo iam positam digito sicut aiunt, demonstremus lucem Apostolici symboli, quo dicitur: *Credo in Spiritum S. & viuificantem.* Quid viuificantem? Certam vnam sanctam catholicam & Apostolicam ecclesiam: *vnam*, propter colligationem & ad vnum caput primarium Christum & vicarium summum pontificem, *sanctam*, propter sanctorum communionem & remissionem peccatorum, vt infra subditur: *catholicam*, hoc est Vniuersalem, quoniam ab eius obligatione nullus viator immunis est: *Apostolicam*, quoniam in Apostolorum & Prophetarum, per quos Spiritus S. locutus est, doctrinis fundata est, & similium filiorum successione duratura. Certus sum, quod nullus, qui vel haberi vel dici vult Christianus, caligare se dicit ad hanc lucem.

Superad-

Superaddamus lucem alteram Apostolici verbi conformem huic luci: *Solliciti seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis, vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus & pater omnium, qui super omnes, per omnia & in omnibus nobis.* Sequitur: *& ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas: alios vero euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitate fidei cognitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Sequitur: *veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus conpactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Hæc Apostolus ad Ephes. 4. Et in hanc sententiam multa *ad Coloss. 1. & 2. 1. Cor. 12. & ad Rom. 12.* posita sunt. Hæc autem comparatio veri corporis ad mysticum, multum luminis affert inquisitoribus veritatis, nedum apud Philosophos, sicut Aristotelem & Plutarchum, sed apud Theologos; Paulum præcipue. Diffunduntur vero sicut præmisimus 12. considerationes ex hoc symboli & Apostoli doctrinali luce, quasi totidem radii veritatis splendidissimi.

I. Ecclesiastica vnitas ad vnum caput Christum fit, & agglutinatur per amorosum Spiritus sancti vinculum, mediantibus diuinis charismatibus, tanquam qualitatiuis dispositionibus reddentibus in corpore mystico complexionalem harmoniam viuificam & decentem ad opera vitæ spiritualiter sufficienter exercenda.

II. Ecclesiastica vnitas ad vnum caput secundarium, quod dicitur summus pontifex Christi vicarius fœcundior est, multiplicior, copiosior & maior, quam fuerit congregatio synagogæ: & quam sit congregatio ciuilis sub vno rectore rege vel Imperatore.

III. Ecclesia habet potestatem seu facultatem ex viuifico germine sibi insito per Spiritum sanctum, quod seipsam potest continuare in integritate & vnitate membrorum suorum, tam essentialium seu formalium, quam materialium atque fluentium.

IV. Ecclesia habet sponsum indefectibilem Christum, sic quod lege stante, nec Christus potest ipsi sponsæ suæ ecclesiæ dare libellum repudii: nec econuerso.

V. Ecclesia non ita ligatur matrimoniali vinculo ad vicarium indefectibilem sponsi sui, quin mutuo se possint absoluere & dare libellum repudii.

VI. Ecclesia vel generale concilium eam repræsentans est regula à Spiritu sancto directa, tradita à Christo, vt quilibet cuiuscunque status, etiam Papalis, existat, eam audire ac eidem obedire teneatur, alioquin habendus est vt ethnicus & publicanus. Patet ex immutabili lege diuina *Matth. 18.* promulgata. Concilium generale sic describi potest: *Concilium generale est aggregatio legitima autoritate facta ad aliquem locum, ex omni statu hierarchico totius ecclesiæ catholicæ, nulla fideli persona quæ audiri requirat, exclusa, ad salubriter tractandum & ordinandum ea quæ debitum regimen eiusdem ecclesiæ in fide & moribus respiciunt.*

VII. Ecclesia vel generale concilium, dum dictat aliqua regimen ecclesiæ concernentia, Papa non sic est supra iura etiam positiua, quod possit pro libito dissoluere talia dictata per ecclesiam eo modo & intentione, quibus dictata conclusaque sunt.

VIII. Ecclesia vel generale conciliũ quamuis non possit tollere plenitudinem potestatis Papalis à Christo supernaturaliter & misericorditer collatæ: potest tamen vsum eius limitare sub certis regulis ac legibus in ædificationem ecclesiæ, propter quam Papalis autoritas & alterius hominis collata est. Et in hoc est totius ecclesiasticæ reformationis stabile fundamentum.

IX. Ecclesia vel generale concilium potuit & potest congregari sine expresso consensu vel mandato Papæ etiam rite electi, & viuentis in multis casibus. Vnus inter cæteros est, quia accusatus & euocatus sit vt audiat ecclesiam iuxta euangelicam allegatam, cui legi subiectus est: & ipse renuit contumaciter ecclesiam conuocare. Alius casus vbi materiæ grandes concernentes regimen ecclesiæ, veniunt terminandæ per generale concilium, & Papa renuit contumaciter illud euocare. Alius si etiam dictatum sit per generale concilium, quod debeat tali vel tali tempore conuocari. Alter casus est, vbi probabilis est dubitatio super contendentia plurium de Papatu.

X. Ecclesia seu generale concilium, si viam aliquam concluserit seu dictauerit acceptandam esse à Papa pro terminatione schismatis, ipse tenetur illã acceptare, & ita secundum præparationem animi tenetur ad concessionem, & dum vltro offert eam & præuenit, ipse redditur multipliciter commendandus.

XI. Ecclesia seu generale concilium præcipue debet intendere cum prosecutione vnius perfectæ ad extirpationem errorum, & emendationem errantium sine personarum acceptione. Similiter ad hoc, quod hierarchicus ordo ecclesiasticus prælatorum & curatorum multipliciter turbatus reformetur ad similitudinem diuinæ cœlestis hierarchiæ: & conformiter ad regulas primitus institutas.

XII. Ecclesia non habet efficacius medium ad generalem sui ipsius reformationem, quam si statuatur generalium conciliorum continuatio, celebrationem prouincialium non omittendo. Explicit.

Et attendat benignus lector quod prolator huius sermonis Ioannes Cancellarius Parrhisiensis pressus nimia temporis angustia, probationes dictatas non apposuit ad has considerationes, sed prout in mentem & linguam ex recordatione præteritorum opusculorum præsertim tempore con-

cilii Pisani, dum absens ab eo legebat Parrhisiis, inserens, materiam hanc quam in tractatulo quodam *sub 20. considerationum numero* scriptam reposuit. Cuius initium est: *Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus*: vbi prædictæ considerationes & in propositione vna coram Legatis Angliæ pergentibus ad Concilium Pisanum tunc Parrhysiis habita, prolixiori solidiorique manifestatæ sunt argumentatione, qui tractatus & propositio prodierunt in publicum, vt habeat qui voluerit, fas est.

AMplius vero iuxta legationis onus impositum per Christianissimũ Regem Francorũ ac Vniuersitatem præclarissimam Parrhisiensem proposuerat idē Cancellarius post verbũ de ecclesiasticā vnitate subiungere de errorum extirpatione: sed impeditus tunc partim amicorum suasione, partim temporis artatione, vt in prolixitate non inesset fastidium silentio præteriit; quorum aliqua summatim hic subiuncta sunt.

Glorificationem Dei, patres Apostolici, patres gloriosi, posuimus esse finē huius cōcilii sanctorũ; quatenus pleni sint cœlum & terra, ô Deus magne & terribilis, gloria tua: quatenus non iam ambulent in errorum circuitu impii super terram; sed agnoscant quoniam magna est gloria (dicente sapiente) sequi te Dominum per semitas legis tuæ pacificas, quoniam pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum, & quia si creditur eidem sapienti, nihil dulcius quam respicere in mandatis Dei. Sed væ mundo à scandalis; væ tibi mala voluntas, & ideo mala, quoniam arrogans superbia gloriam propriam quærens anteponis eam diuinæ, nolens subiici legi suæ, neq; captiuare omnem intellectum in obsequium fidei. Hinc hæreses & errores impii; hinc scandalorum turbationes horridæ, hinc ordine violato plurima fœdaq; confusio: hinc tandem in hominibus & ex consequenti per omnia, quæ propter homines fecit Deus, subboritur frequenter non gloria Dei, non pax hominibus, sed terra quædam alteratio mortificans & abiiciens viuificantem gratiæ spiritum: & cadauerosam monstrosorum defectuum, non tam formam quam deformitatem inducens. Deplorat hanc peruersissimam rerum vicissitudinem Christianissimus Francorum rex, cùm ecclesia tota regni sui misereatur, dolet, compatitur; & ab hoc sacrosancto cōcilio legitimas prouisiones efflagitat. Nō confundatur precor ab expectatione sua: nolite careat piissimis desideriorum suorum affectionibus, sed & patrem sequitur sua proles, regem videlicet filia sua Parrhisiensis Vniuersitas: nec tamen sequitur, sed præit humilitate salua, quandoque consiliis, nunc exhortationibus, aliquando doctrinis sciens quod veritas custodit regem, sciens præterea se positam Apostoli iussu, vt potens sit exhortari in doctrina sana: & eos qui contradicunt arguere, quæ posuit Aristot. opera duo sapientis. Deniq; parata est tanquam posita in lucem ecclesię ad satisfactionem omni poscenti rationem, de ea quę in ipsa est fide & spe, vt in omnibus & per omnia glorificetur Deus.

Insurrexerunt ecce post aliqua tempora plurimæ doctrinæ peregrinæ, variæ, pestiferæ & damnatæ; obtenebrantes ecclesiam per multa Christianitatis membra, per regna, per prouincias, per regiones insignes. Processum est ad expellendas huiusmodi doctrinarum terras caligines: nunc luce disputationis doctrinalis per doctores & vniuersitates: nunc flabello iudicialis reprobationis per diœcesanos & inquisitores hæreticæ prauitatis in Anglia, in Scotia, in Praga, in Francia. Nondũ tamen vel illuminari vel emendari sufficienter inspeximus cæcam & stultā improbitatem assertorũ sectatorũq; suorum, quin error assidue sicut cancer serpat & alicubi palam quasi nudato ense per nationes & populos imprudenter erumpat. Propterea necesse est per splendidissimā & inobfuscabilem huius sacri concilii lucem prouida celeritate de remediis institui; vt qui spreuerunt prælatos & doctores diuisim positos tanquam lucernas in domo Dei reuereantur eos, conspiciant & obediant, dum in vnam hanc ecclesiæ domum collecti; dabunt autoritatis suæ robur & pondus, ibunt in splendore fulgurātis hastæ reprobationis iudicialis, qualem nemo qui Christianus videri vult, audebit contemnere. Esto contemnat, ipse tamen de contemptu suo fulgurationem concremationemq; subiicit, vt iustũ est. Et quoniā charitas sicut incipit à se & à suis dilectionis exhibitione, sic in correctionis & emendationis procuratione priorē habere locum debet, ne iubeat illud improperii prouerbium *Medice curā teipsum*. Et illud de Apostoli sententia: *Qui prædicas non furandũ, furaris, nō occidendũ, occidis: non periurandũ, deieras* & ita de reliquis. Hinc Christianissimus Rex noster suaq; per adoptionē dignatiuā charissimā filia Parrhysii. Vniuersitas voluerunt hactenus à regno & à suis peruersa quorumlibet eorum zizania mox vt erumpere seu germinare sentiebantur, diligenter opprimi resecariq;, nunc falce doctrinæ, nunc securi pastoralis sententiæ, ita tamen vt non simul eradicetur & triticum. Sunt plurima rei, q̃ loquimur, documenta è quibus vnum quod nouitate acritateq; præcellit, censuimus in medium deducere. Ecce patentes regis nostri literas, quas audire libeat: legi debebat hæc litera patens; cuius initium est post intitulationem: *Regia maiestas nostra*, dehinc subiungendum erat:

Audiuit sacrosanctum hoc concilium iustorum, quatenus in Christianissimo Rege nostro ferueat zelus, ad ea quæ fidei sunt absque omni personarum acceptione, absq; respectu propriæ etiam carnis & sanguinis. Terreat ipse Deus magnus & terribilis, qui glorificatur in concilio iustorum, qui salubriter & potenter intonat: *Ambulate dum lucem habetis*: subdit monitionis causam, *ne tenebræ vos comprehendant*. Et quales oro densiores, fugibiliores, horribilioresque tenebrę quam errorum & hæresum circa prima præceptorum moralium principia, vt sunt: *Non periurabis*: *Non occides*, *Non insidiaberis*.

Terreat ipsos ecclesiasticos pastores & Doctores positos in lucem aliorum, si non ad exemplar tam insigne atque perlucidum Christianissimi Regis nostri, non eos illuminet, accendat & inflam-

met zelus domus Dei. Vox dicentis: *Clama, ne cesses, & annuncia populo meo peccata sua.* Si non vig[illegible] eos procedere constanti celeritate ad effugationem errorum tenebrosorum, & ad ad illuminationem errantium. Neq; enim potest integra salubritate sine secundo primum fieri: quoniam dum impune pertinacia manet in errantibus, conualescant & sæuiant errores necesse est. [illegible]

Sed in ipsa meditatione mea videtur occurrere animalis homo, non sapiens quæ Dei sunt, Deum non inuocans. Illic præterea trepidat timore, vbi non est timor: magnus est inquit susurratione tremula, magnus credite & terribilis, quem tangunt & notant errores huiusmodi, princeps est. Scimus autem quid sapiens enunciet: *Indignatio principis mors, & vir prudens placabit eam*, quid quæso si sæuiat, si seditiones concitet, si bella moueat, si secum plurimos hos terroribus, hos promissis in errorem suum trahat, ita vt si fieri potest, moueantur etiam electi? Vide sedulo ac iterum iterumq; recogita (ait animalis homo) ne fortassis obinde præstetur tam desiderantissimæ iam iamque in ianuis existenti, paci ecclesiæ grandis obex vel totalis diruptio. Atvero nihil hic tale timendum, ô strenuissimi pugiles fidei, ô potentissimi legum diuinarum defensores. Nihil inquam tale timendum timentibus Deum, & obedientibus iussioni qua dixit: *Nolite terreri ab e[illegible] corpus occidunt, animam vero occidere non possunt.* Ita dico vobis, hunc timete, timeatur Deus & [illegible]reat. *Homo time Deum* (suadet August.) *& mirantem mundum vniuersum ridebis.* Tollatur hæc [illegible]a pigri formidatio dicentis, *leo est in via, deuorandus sum*, quia profecto magna & vnica securi[illegible] timere [illegible] Deum. Cuius hæc iussio est: *Vsq; ad mortem certa pro iustitia.* Et iterum: [illegible] similia. Potueramus rem hanc in longius deducere, pro qua [illegible] considerationes, quasi totidem radii moralis luminosæq; veritatis.

I. Prouidendum est hæreticali deuiationi dæmoni per [illegible] membra [illegible] nus celeriter & efficaciter quam schismati super contend[illegible] mag[illegible] fide quam in secundario capite fundata est.

II. Prouidendum est constantius per hoc sacrum concilium ad extirpation[illegible] emendationem errantium, quanto qui errant plures sunt potentiores & maiores. Quod si quis dixerit [illegible] bella suscitabunt, diffamat eos nimis, neque ei leuiter credi debet.

III. Prouidendum est ad emendationem errantium per eos, qui se dicunt amicos [illegible] vigilantiori sollicitudine quam per extraneos, cæteris paribus.

IV. Præstantes scienter impedimentum, ne errantes resipiscant & corde credant ad iustitiam, & ore faciant confessionem ad salutem, habendi sunt hostes capitales errantium & salutis eorum.

V. Præstantes scienter impedimentum, ne tollantur errores, & errantes corrigantur, reddituri sunt rationem de damnis omnibus tam spiritualibus quam temporalibus, quæ obinde peruenerunt aut veniant.

VI. Omissio seu dissimulatio præstantium impedimentum nedum positiue, sed priuatiue vel omissiue, directe vel indirecte, per cautelas humanas ne tollantur errores, causat suspitionem de fautoria hæreticæ prauitatis, quandoq; leuem, quandoq; vehementem, quandoq; conuincentem iuxta varietatem obligationum.

VII. Inexcusabilior & aliquando perniciosior est error in principiis legis naturalis, sicut sunt præcepta Decalogi secundum planum & vsitatum intellectum verborum apud omnes vtentes ratione, quam sit error in articulis fidei, qui sunt supra naturæ facultatem, & in agibilibus quam speculabilibus.

VIII. Conditionalis protestatio vel confessio non sufficit ad purgationem legitimam super publicatione vel defensione vel annotatione errorum, quorum oppositas veritates tenetur errans explicita fide tenere.

IX. Diffamatus publice & notorie super publicatione aut defensione errorum contrariorum rectæ fidei & moribus, tenetur seipsum purgare si potest coram iudice legitimo, etiam nemine eum personaliter accusante. Tenetur enim seruare famam propriam, & ab aliis scandala præstita remouere.

X. Pax regnorum per Christianitatem vix potest efficacius & diuinius procurari, quam per legitimam extirpationem errorum & correctionem errantium.

XI. Quærere prouisionem super extirpatione errorum & correptione errantium non est impedire persecutionis vnionem ecclesiæ, sed est eam iuuare & accelerare multis attentis: ita vt verum sit, quod oportet vnum facere, & aliud non omittere.

TRACTA-

TRACTATVS MAGISTRI IOHANNIS DE GERSON: QVOMODO ET AN LICEAT IN CAVSIS FIDEI A SVMMO PONtifice appellare, seu eius iudicium declinare.



QVæritur, vtrum hæc assertio sit catholica, tam iure diuinitus promulgato quam etiam humano: quibus sacrorum canonum autoritas innititur: *Nulli fas est à supremo iudice, videlicet Apostolica sede seu Romano pontifice, Iesu Christi vicario in terris appellare: aut illius iudicium in causis fidei, quæ tanquam maiores ad ipsum & sedem Apostolicam deferenda sunt, declinare?* Arguitur quod sic, autoritate sanctissimi Domini Martini Papæ quinti in sua constitutione ad perpetuam rei memoriam facta, & promulgata in consistorio generali celebrato Constantiæ 6. idus Martii: pontificatus sui anno primo: vbi reperitur hæc assertio, sicut dicitur & videtur in canonum litera manifeste fundari.

ARguitur in oppositum primo autoritate determinationis siue constitutionis generalis Concilii Constantiensis. Quæ determinatio multipliciter facta est & practicata, & specialiter in sessione publica celebrata die 6. Aprilis, Anno M. CCCCXV. quæ sic habet inter cætera: Et primo declarat quod *sancta synodus in Spiritu sancto legitime congregata generale concilium faciens & ecclesiam catholicam militantem repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscunque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, ac generalem reformationem ecclesiæ Dei in capite & in membris.* Item declarat, quod *quicunq; cuiuscunq; status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, qui mandatis, statutis seu ordinationibus huius aut præceptis sanctæ synodi & cuiuscunq; alterius concilii generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condigna pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur: etiam ad alia iuris subsidia si opus fuerit recurrendo.*

Deinceps arguitur rationibus ducentibus ad inconuenientia manifesta contra ius diuinum pariter & humanum.

SEqueretur enim primo, quod Papa non subiiceretur legi diuinæ vel euangelicæ: quæ generaliter absque omni exceptione promulgata est à Christo *Matth. 18.* dum loqueretur ad personã Petri, sicut tradit ecclesia, & circumstantia textus satis indicat: *Si peccauerit in te frater tuus* &c. Sequitur, *dic ecclesiæ*: quod si *ecclesi. non audie. sit tibi sicut eth. & publ.* &c. Hoc autem consequens est erroneum manifeste: quoniam Papa est frater noster: alioquin non deberet dicere, *Pater noster*, si non simus fratres ipse & nos: sed haberet dicere, pater meus vel pater mi: sed nec cardinales nec episcopos fratres appellare deberet. Denique constat, quod est proximus noster & ex consequenti frater: non obstante, quod pater sit. Est insuper Papa peccabilis: quoniam circumdatus est infirmitate, sicut notatur *ad Hebr. 5.*

Sequeretur secundo, quod Paulus egisset contra ius diuinum & humanum, dum restitit Petro in faciem, hoc est publice & coram ecclesiæ congregatione, sicut habetur *ad Gal. 2.* Hæc enim resistentia non fuit minor prouocatio Pauli contra Petrum, quam fuisset appellatio ad ecclesiam: imo fuit æquiualenter appellatio. Vnde etsi Petrus desistere noluisset, fuisset ab ecclesia condemnandus. Constat autem, quod Petrus erat summus pontifex, & secundum Doctores confirmatus in fide & gratia post pentecosten. Propterea dicunt, quod Petrus non errabat in fide, nec hæreticabat: sed tantummodo nimis dissimulanter se habebat circa obseruationem legalium. Dicebat ideo Paulus, quod non recte ambulabat ad veritatem euangelii, & quod reprehensibilis erat. Ex quibus palam elicitur, quod summus pontifex, qui succedit Petro in apostolatu, reprehendi potest publice per Doctorem theologum, qui in officio prædicationis succedit Paulo, etiam vbi non hæreticaret vel erraret in fide. Et hoc similiter elicitur generalius & inconuincibilius ex autoritate proxime allegata: *Si peccauerit in te frater tuus*: quemadmodum pluries in sacro Constantiensi Concilio latissime deductum est in sermonibus publicis & multiplicibus scripturis, quorum copiæ sunt apud multos.

Sequeretur tertio, quod Papa, qui est membrum corporis ecclesiæ, sicut homines alii, si scandalizaret totum corpus, ipse non esset rescindendus, vt totum corpus sanum fieret, contra doctrinam Christi euangelicam fundatam in similitudine iuris naturalis *Matth. 18.* cum Glossis & determinationibus Doctorum in materia de scandalo se fundantium in hac lege diuina & naturali.

Sequeretur quarto, quod Petrus summus pontifex non debuisset compelli reddere rationem ab Apostolis & fratribus, qui erant in Iudæa, quia visitauerat Corneliũ gentilẽ, cuius tamen oppositũ dicitur expresse *Act. 11.* cum adisset Petrus Hierosolymam, scil. vbi erat ecclesia, disceptabant aduersus illum, qui erant ex circũcisione dicentes: *quare introisti ad viros præputiũ habentes & mãducasti cũ illis?* Et statim subiungitur obedientiæ Petri responsio, dans in hoc successoribus suis formã debitæ humilitatis: quod expressit epistolæ suæ primæ c. 3. *Parati*, inquit, *semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide & spe.* Quod si in destructione fidei summus aliquis pontifex volens superbire nollet hoc facere, constat quod à fratribus æque posset acusari, sicut & Petrus.

Sequeretur quinto, quod alicui iniuriato per Papam sicut potest euenire, tam in corpore q̃ in membris, imo & in fama, circa ea quæ fidei sunt, non pateret in casu dabili aliqua defensio vel grauaminis subleuatio, quod est contra ius naturale, cui ius diuinum non repugnat. Patet tamen consequentia dato casu tali vel simili. Sit Petrus, qui prædicet coram Papa & multitudine populi copiosa, quod Christus fuit verus propheta, iubeat tunc Papa quod detrudatur in carcerem, eo ꝙ prædicat istam veritatem. Sentiat Petrus, ꝙ si appellet ad concilium generale submittendo se eidem, quod populus protreget eum, nec scandalizabitur in doctrina eius, sed manebit in recta fide, quod Christus fuerit verus propheta: si autem non appellauerit, populus reputabit quod Papa verum dicat & bene faciat, & ita deserat fidem cum prædicato suo. Quæritur in casu, si Petrus dicere poterit, concilium appello? quemadmodum Paulus timens à seditiosis occidi, clamauit: *Cæsarem appello.* Hanc autem materiam latissime & studiosissime prosecutus est & fundauit Ockam *in Dialogo* suo, cuius solius autoritati non oportet inniti, quamuis fuerit egregius theologus, sed innitendum est rationibus suis, pro quanto robur & autoritatem accipiunt à sacra scriptura: cuius contemptus cum suis professoribus sæpe duxit & ducet in errores.

Sequeretur sexto, quod in nullo casu Papa posset iudicari vel deponi per generale concilium, quantumcunque criminosus esset vel scandalosus ecclesiæ. Patet consequentia, quoniam ex opposito sequitur oppositum. Si enim Papa potest iudicari vel deponi per generale concilium: ipse poterit denunciari per aliquem vel aliquos coram concilio præsenti vel futuro. Qui si velit grauamen inferre talibus denunciare volentibus: nonne poterunt ipsi se ponere extra manus suas vel potestatẽ, ne de facto grauet eos & opprimat iniuste. Hoc autem facere est vere & æquiualenter ab eodẽ appellare. Et hoc practicatũ est in concilio Pisano per vtrumq; collegiorum duarum obedientiarum, scil. Gregorii & Benedicti sic in suis obedientiis nuncupatorum. Hoc etiam practicatum est per quosque Reges & principes, qui se subtraxerunt ab obedientia illorum, quos isti vel illi iudicabant esse summos pontifices, quæ tamen subtractiones approbatæ sunt per sacrum Constantiense Concilium; quædam expresse, quædam implicite vel æquiualenter.

Sequeretur septimo & magis ad hominem: quod Concilium generale non esset supra Papam, vel iudex Papæ legitimus: cuius oppositum determinauit & practicauit sacrum Constan. Concil. Non n. ꝓcessum est ad inchoandũ depositionẽ Ioannis, quousq; fuisset articulus iste declaratus: sicut apparet ex actis eiusdem concilii: quoniã aliqui videbantur super hoc hæsitare. Constat a. ꝙ ab omni homine, qui habet legitimũ superiorẽ iudicẽ, siue sit vnus homo siue vna communitas, potest si rationabilis & vrgens immineat causa, fieri appellatio ad eundem iudicem. Et si dicatur, prout aliqui fingere volunt, quod concilium non est supra Papam, nisi quando est hæreticus seu deuius à fide: in quo casu non est mirũ inquiũt, si conciliũ sit supra talẽ Papã, quia desiit esse Papa, & est inferior omni homine: & ita nituntur etiam inuadere illã ineuasibilẽ Christi legem: *Si peccauerit in te frater tuus* &c. Hoc breuiter ad p̃sens refellitur. Primo q̃a Ioannes nõ est accusatus vel cõuict⁹ de hæretica prauitate: & tamẽ cõciliũ vocauit & iudicauit ipsum tanq̃ suũ subditũ. Vnde & in toto ꝓcessu vsq; post sententiã diffinitiuã suæ depositionis, reputatus est ab eodẽ concilio verus Papa. Amplius, nõ est verũ ꝙ Papa eo facto, quo cadit in hæresim, p̃sertim latentẽ, sit depositus à Papatu: sicut nec est verũ de aliis ep̃is, quẽadmodũ ista materia declarata est alibi latius, reducendo hãc opinionẽ ad multiplex incõueniẽs, sicut ad incertitudinẽ ecclesiasticæ politiæ & susceptionis sacramẽtorũ: & ad fauorabilitatẽ dãnatæ doctrinæ Ioannis Wicleff, quæ principaliter innitebatur tali fundamento, ꝙ *nullus existens in peccato mortali erat Papa vel episcopus, nec consecrabat* &c. Et qui bene ponderat causas reprobationis huius doctrinæ Wicleff in hac parte: illæ vel similes causæ concludunt, ꝙ peccatũ hæresis licet reddat vnum p̃latũ dignũ depositione iũcta ꝑtinacia, nõ tamẽ reddit eũ depositũ eo facto, sed requiritur humana depositio. Sicut n. nulla sanctitas quantũcunq; magna constituit aliquẽ in statu Papali vel episcopali, nisi per electionẽ humanã de lege cõmuni, contra opinionẽ Waldensiũ: ita nulla iniquitas remouet aliquẽ ab episcopali gradu vel Papali de cõmuni lege, si non interueniat humana depositio. Amplius tertio quo ad hoc arguitur, quod concilium sit iudex Papæ non hæretici, imo sancti, assignando casus multos, in quibus aliquis episcopus verus Papa poterit per multos testes diffamari de hæretica prauitate seu fautoria hæresis, aut per vehementes coniecturas ex operibus & conuersatione diffamabitur apud multos & graues populos, ꝙ non recte ambulat ad veritatem euangelii: aut quod lapsus est in hæresim iam dãnatã, aut ꝙ nouã velit confingere. Constat ꝙ existente generali concilio, vel proxime futuro, poterit idẽ Papa iudicialiter compelli, vt purget se, quemadmodũ exemplificatũ est de Petro. Quod si nollet hoc facere, ꝑut facere noluit Marcellinus sine accusatione sua de idololatria: nonne conciliũ posset consequenter ad depositionis suæ sententiã ꝓcedere? Et si dicatur quod nõ, ex quo nõ est hæreticus. Respond. ꝙ apud iudiciũ ecclesiæ, vbi circa ea q̃ facti sunt, fallere potest & falli, simile est iudiciũ de his q̃ nõ apparẽt & q̃ nõ sunt. Et p̃ hoc eliditur manifeste friuola respõsio dicentiũ Papã nõ subiici correctioni fraternæ aut iudiciali iussæ à Christo vbi prius: *Si pecca*[illegible]

Sequeretur octauo & ad hominẽ multiplex inconueniens in [illegible] & quæ a[illegible] p̃dictæ assertioni, nullatenus existimandi sunt concedere velle. Et prim[illegible] tandus est adhuc Papa, sicut prius, & ita quod sanctissim⁹ Domin[illegible] gitime electus neq; Papa: quod idẽ Dominus noster & suũ collegi[illegible] sunt p̃ sacrũ Const. Conc. inuiolabiliter obseruare; Cuius tamẽ oppo[illegible] dixit, ꝙ Imperator nõ est cõfirmat⁹ in Imperiũ: ꝙ grauiter peccat[illegible]

Domino

Domino nostro summo pontifici tanquam Papæ. Denique Petrus de Luna fuisset iniuste & perperam accusatus in concilio de materia hæresis præcipue & principaliter. Quoniam in quadam constitutione, quæ de verbo ad verbum ponitur in actis concilii, ipse conatus fuit determinare, quod nunquam licitum est aut fuit facere subtractionem ab eo, neque ab alio vero Papa: fundans se in hoc, quod Papa non habeat superius iudicium in terris, nec potest ab aliquo iudicari. Hæc autem iudicata fuit hæreticalis constitutio, & ita de plurimis inconuenientibus diceretur.

POstremo dimissis illis, quæ sunt in facto circa iustificationem vel iniustificationem appellationis dominorum Polonorum: nam multa hinc & inde diuersa, imo aduersa & contraria videntur asseri, circa quæ theologicum negotium non versatur, nisi pro quanto sub regulis generalibus & autenticis daretur ars, sicut & data est conuincendi aliquem de pertinacia & fautoria hæreticæ prauitatis. Conuertatur tandem inquisitio particulatæ quæstionis circa vltimam particulam suam, quæ sic habet: quod *nulli fas est* &c. *illius* (videlicet Apostolicæ sedis seu Romani pontificis) *iudicium in causis fidei, quæ tanquam maiores ad ipsum & sedem Apostolicam deferendæ sunt, declinare.*

SVnt aliqui, sicut dicitur, qui minus istam particulam reputant sustinibilem quam præcedentem: qualificantes eam quod est palam hæreticalis, & totius ecclesiasticæ hierarchiæ circa fidei defensionem seu conseruationem finalem & resolutiuam subuersiua. Nituntur autem fundare dictum suum in aliquibus propositionibus, quas reputant catholicas veritates.

Prima Propositio.

IN causis fidei iudicium inniti debet infallibili regulæ, sic quod vltimus & supremus iudex, cuius sententiæ necessario standum est tanquam veræ catholicę, non sit à fide deuiabilis, alioquin staret in casu, quod homines obligarentur assentire contra fidem.

Secunda propositio. In causis fidei non habetur in terra iudex infallibilis, vel qui non sit deuiabilis à fide de lege communi, præter ipsam ecclesiam vniuersalem, vel concilium generale eam sufficienter repræsentans.

Tertia propositio. In causis fidei nullus particularis homo per suam determinationem potest de propositione non hæretica facere hęreticam, sicut nec de catholica non catholicam, ita nec Papa nec episcopus proprie & vere loquendo possunt propositionem aliquam hæreticare. Possunt tamen propositionem aliquam, quæ videtur aliquibus non hæretica, declarare quod sit hæretica, & hoc iudicialiter, sicut Doctores scholastice hoc faciunt, vel doctrinaliter. Et hoc appellatur facere articulum, diuersimode tamen, quia Papæ determinatio pœnalis extendit se ad omnes fideles: sed episcopalis tantummodo ad subditos suos, vt pręcise est episcopalis.

Quarta propositio. In causis fidei nulla determinatio iudicialis episcopi, imo nec Papæ solius præcise, vt est episcopi vel Papæ, ligat fideles ad credendum, quod ita sit de veritate fidei, sicut prætendit sua declaratio, quoniam tam Papa, quam episcopus deuiabiles sunt à fide: obligat tamen subditos sub pœna excommunicationis talis determinatio, quod non dogmatizent oppositum talis determinationis, nisi appareat manifesta ratio repugnandi vel per sacram scripturam, vel per reuelationem, vel per ecclesiæ seu generalis concilii determinationem.

Quinta propositio. In causis fidei sicut potest declinari iudicium episcopi, si appareat deuius à fide, & requiri iudicium Papæ: sic de Papa respectu generalis concilii suo modo dici potest. Et hæc est ad formam responsiua sequens ex præmissis: iuncto quod apud summum pontificem & eius sedem Romanam potest esse quandoq; raritas peritorum in sacris literis, & in vera fide probatorum magis, quam apud quosdam ex ipsis, qui generalia habent studia sacræ scripturæ & aliarum facultatum.

Sexta propositio. In causis fidei illa causa dicitur maior esse, non quæ est de re maiori, sicut de trinitate & vnitate personarum: sed quæ difficilis est & ambigua ad determinandum iuxta textum scripturæ *Exodi 18. Deut. 17. & 2. Paral. 19.* In quibus fundantur canones dicentes, quod causæ maiores fidei sunt ad sedem Apostolicam referendæ.

Septima propositio. In causis fidei poterit vna causa dici maior apud aliquem episcopum vel diœcesim: quę apud alium episcopum vel diœcesim non reputabitur esse maior, vel ad superiorem sicut ad Papam remittenda: quia scil. apud talem episcopum vel diœcesim propter abundantiam theologorum causa talis non reputabitur difficilis vel ambigua, sed per sacram scripturam iam damnata vel approbata.

Octaua propositio. In causis fidei non minus aliquando occurrendum est siue per episcopum, siue p summum pontificem, siue per generale concilium, dum cernuntur oriri scandala & errores crudeles & impii contra pacificũ conuictum Christiani populi, qui maxime consistit in obseruatione mandatorum Dei de seruando iuramento, & de non interficiendo homines autoritate propria, & de non pręstando ad vsuram, vel de non rapiendo, vel de non adulterando: quam dum insurgunt errores contra aliquos de articulis fidei qui numerati sunt in symbolo.

Formant igitur rationem suam, qui pręd ictam particulam impugnant iuxta propositiones præmissas, præsertim iuxta quinq; primas. Fas est in casibus concernentibus causas fidei declinare

illius iudicium, qui reperiretur deuius à fide, vel eis, quæ fidei sunt, cum suis consiliariis vehemēter suspectus, per aperta signa nimiæ dissimulationis vel acceptionis personarum, vel aliunde multis modis: sed (loquendo semper cum reuerentia) staret aliquem summum pontificem cum suo collegio sic posse deficere circa ea, quæ fidei sunt, quemadmodum Petrus & alii Apostoli defecerunt in passione: imo quod minus videretur, sicut Petrus deficiebat, nec recte ambulabat ad veritatem euangelii, & reprehensibilis erat, dum Paulus sibi restitit in faciem: ac perinde declinabat eius iudicium: ergo fas est interdum summi pontificis iudicium in causis fidei declinare.

Hæc autem dicta sunt vel argumentata magis ad veritatis inquisitionem, quam ad alicuius, præsertim sanctissimi Domini Martini Papæ reprehensionem: attento quod constitutio sua quantum ad illa quæ fundatur in facto, non iacet sub theologica reprehensione: & quantum ad alia quæ ius concernunt, sicut est prædicta pars excepta. Dicerent beneuoli sui, quod non obstantibus allegationibus in oppositum illam potest suscipere rationabilem & veram interpretationem: sicut recipiunt constitutiones positiuæ decretis insertæ, quibus innititur. Sic intelligendo, quod non est fas appellare à Papa, vel eius iudicium in causis fidei declinare: non quidem pro omni casu: sed quando facit id, quod in se est, & quando non apparet deuius à fide, sed ambulat recte ad veritatem euangelii sine personarum acceptione: quemadmodum in procemio & narratione suę constitutionis dicit esse faciendum per summum pontificem: & quod ita fecit, affirmat. Nam constitutiones & leges secundum Aristot. feruntur vniuersaliter: quamuis in aliquo casu dabili pati possunt instantiam.

Porro Dominus noster tollere poterit efficaciter suspitionem sinistram, quæ contra sanctitatem suam fieri posset, si dicta sua factis compenset, hoc est, si sponte, nullo inquirente, damnet doctrinam illam pestiferam & crudelem contra Polonos cum similibus aliis, cum tali celeritate & rigore, qualem fidei materia vrgens in scandalum & perniciem reipublicæ postulat & requirit, procul abiecta quauis acceptione personarum.

Finit tractatus magistri Iohan. de Gerson sacræ paginæ Professoris eximii: quomodo & an liceat in causis fidei à summo pontifice appellare, seu eius iudicium declinare.

LIBELLVS EIVSDEM DOCTORIS ARTICVLORVM THEOLOGICORVM ET SCHOLASTICE COMPOSITORVM CONTRA PETRVM DE LVNA, ad conuincendum eum fuisse & esse notorie hæreticum: & pertinaciter errasse & errare contra catholicam & euangelicam veritatem, super potestate & autoritate ecclesiæ. Et continet duos tractatus. In primo ponuntur generales articuli. In secundo speciales, & subsumpti specialiter ex generalibus.

Primus Articulus.



T primo constat, quod iste est articulus fidei quod est vna sancta catholica & Apostolica ecclesia.

Secundus articulus. Item quod hæc vnitas ecclesiæ non sic dependet à persona Papæ essentialiter, quin posset manere vna, & maneret de facto, quando nullus est Papa in ecclesia.

Tertius articulus. Item quamuis vnitas ecclesiastica essentialis sit ad primarium caput Christum, nihilominus vnitas altera accidentalis vel secundaria consistit in obedientia ad vnum summū pontificem, qui est caput secundarium in ecclesia cum Christo. Sic videlicet, quod quilibet catholicus debet habere promptitudinem seu præparationem animi ad obediendum vni summo pontifici, dum constiterit sibi aut constare debuerit, quod sit Papa aliquis legitime electus. Et vltra secundo requiritur, quod non ponat scienter impedimentum commissiue vel omissiue, ne præficiatur ecclesiæ Dei vnus Papa certus & legitime electus. Ideo n. condēnatus est inter cæteras causas Ioannes Huss, quia dicebat, ꝙ ecclesia Dei vsq; ad consummationē seculi poterat æque bene regi per sacerdotes dispersos per mundum absq; vno capite, sicut cum tali capite. Vnde sicut dicunt Theologi, ꝙ sacramentum confirmationis est sacramentum necessitatis, non quidem simpliciter, cum sine illo staret salus, sed sic quod obligatur quilibet ad non contemnendū susceptionem huius sacramenti p tempore & loco opportunis, ita proportionabiliter de vnione vel adhæsione ad vnicum Papam potest intelligi, sicut etiam dici solet apud theologos, quod præceptum affirmatiuum, quale est de habendo Papam, obligat ad semper, non pro semper.

Quartus art. Itē ꝙ culpabilis in priori articulo primo modo vel secūdo, vere dicitur fautor & nutritor schismatis, imo & schismaticus, si iungat p inaciā, id est, si nō velit corrigi, ꝗuis staret ꝙ ex hoc solo nō esset hæreticus, si faceret hoc nō ex errore intellectus, sed ex deprauatione affectus, quamuis apud ecclesiam habendus esset ille vel hæreticus, vel de hæresi vehementer suspectus.

Quintus artic. Item ꝙ ecclesia sic instituta est à Christo pfecto legislatore, ꝙ potest se continuare, & de facto continuabit in vnitate vsq; ad consummationē seculi, & hoc intelligēdo nedū de primaria

&

& essentiali vnione, quæ est ad Christum: sed de accidentali & secundaria ad summum pontificem: sic quod potest & poterit sibi instituere caput vnum secundarium, quod dicitur Papa. Et quicunq; impedit scienter, commissiue vel omissiue talem vnitatem Ecclesiæ, agit contra articulum iam dictū: *vnam sanctam catholicam* &c. Etiam vbi videretur stare cum prima vnitate ad Christum. Inde patet ꝙ aliquis exponens Papa legitime electus potest effici schismaticus, si det impedimentum scienter cōmissiue vel omissiue, quod tota Ecclesia non obediat vno summo pontifici; dum exempli gratia Papa non potest reducere maiorem partem Christianitatis ad obediendum vni capiti, nisi cesserit, & alter constituatur: ipse vero hoc pertinaciter renuit facere, aut in aliquo multiplici casu tali. Simile diceretur de obedientibus vero Papæ, quod possunt esse schismatici, & alii qui non obediunt, sed parati sunt obedire modo prædicto, & apponunt diligentiam suam quod vniatur Ecclesia, sunt immunes à schismate.

Sextus art. Item, si probetur de aliquo, ꝙ circa p̄missa sit hæreticus: hoc est iuxta verba Aug. ꝙ fingat sibi nouū errorē, vel antiquū sequatur, gloriæ siue principatus sui caussa: ꝓbabitur cōsequenter manifestissime, ꝙ talis est nedū fautor schismatis, sed vere schismaticus. Et ideo sufficiat in sequētibus coartare sermonem ad hæresim, quoniam ex isto sufficienter concludetur schisma.

Septimus art. Item, quod dum nullus est Papa, vel dum lapsus est in hæresim manifestam & iam damnatam, vel dum consentire non potest, quod ecclesia congregetur: quia scil. effectus est amens & insanus incurabiliter, vel incarceratus est taliter, ꝙ haberi non potest accessus ad eū, et à si necessitas vel euidens vtilitas immineat, potest se congregare sine Papa. Et idē dicendū est, vbi Papa sufficienter summatus & requisitus pro congregando Ecclesiam ad vniendū eam in fide & moribus, vel ad constituendum sibi Papam certum, noller contumaciter eam conuocare. Iste art. sequitur ex prioribus, & ex negatione eius sequeretur, quod Ecclesia non fuisset à Christo perfecte instituta pro sui conseruatione & vnitate legitima in membris suis in fide & moribus & ad vnum caput secundarium, verum & certum, quod apertissime est contra Apostolum *ad Eph 4.* & alibi multis locis, *& Ose. 1.*

Octauus art. Item, Ecclesia dicitur catholica, i. e. vniuersalis & apostolica: quoniā omnis homo generaliter obligatur adhærere firmiter illis veritatibus, quas eadē Ecclesia tenet, docet & prædicat. Quæ veritates sunt sufficienter in sacra scriptura contentæ, p̄sertim in Euangelio, vel ex contentis in sacra scriptura sufficienter & clare deducuntur: vel p̄ apostolorum doctrinam successiue deductæ sunt de generatione in generationem vsq; ad nos per obseruationem legitimam. Vnde dicitur *Ecclesia Apostolica*: quoniam in doctrina Apostolorum fundata est tam verbis quam scriptis.

Nonus art. Item, dum est data in Euangelio per Christum aliqua regula generalis obseruanda: illa obligat omnem hominem habentem vsum rationis, nisi de exceptione alicuius hominis constiterit per eandem legem Euangelicam, & non solum per humanam traditionem vel exceptionem: quoniam inferioris lex derogare non potest superioris auctoritati.

Decimus art. Item, quod hæc est lex Euangelica generaliter promulgata Matt. 8. *Si peccauerit in te Frater tuus: vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit, lucratus es Fratrem tuum, si te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos testes, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum, quod si eos non audierit, dic Ecclesia, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Sequitur continuo: *Amen dico vobis: quæcunq; alligaueritis super terram* &c. vbi fundatur potestas supernaturalis Ecclesiæ vltra naturalem.

Vndecimus articul. Item, quod ad prædictum articulum ex aliis sacræ scripturæ passibus possent induci variæ leges, quæ sunt de iure proprie diuino & expresse, imo & iure proprie naturali præsupposito diuino, vt de abiiciendo partem corporis scandalizantem totum corpus, siue sit pes, siue manus, siue oculus, *Matth. 18.* Et ita de reliquis. Sed sufficit ad deducendum propositum hæc vnica lex prædicta: *Si peccauerit.* Et forte diceret hic aliquis, quod quicquid sit de membris abiiciendis aut rescindendis: caput tamen non potest abiici vita manente. Respondeo quod similitudo corporis veri & mystici, non est vsquequaq; eadem: quoniam sine capite naturali corpus non potest viuere, sed sine capite secundario corpus mysticum potest habere vitam: sicut in casu nostro patet de Papa, quo remoto vel abscisso stat vnitas & vita in corpore mystico Ecclesiæ: & hoc in virtute capitis essentialis & primi, quod est Christus.

Duodecimus art. Item, sicut summus pontifex quantumcunq; legitime fuerit electus est filius Ecclesiæ: sic dici potest & debet Frater vniuscuisq; hominis de Ecclesia. Vnde & ad hoc significandum dedit nobis Christus hanc formam orandi: *Pater noster* &c. Si vnum ergo habemus patrem in cœlis, si vnam matrem Ecclesiam in terris: constat quod omnes mutuo sumus fratres. Et oppositum sentire vel dicere de Papa, esset apertissima dementia.

Tredecimus art. Itē, ꝙ Papa quantumcunq; legitime electus, potest peccare: q̄a nō est impeccabilis ex assumptione papalis dignitatis. Oppositū dicere, nisi constaret de aliquo per diuinam reuelationem, esset intolerabiliter superbire, & contra testimonium experientiæ præsentis & præteritæ.

Decimus quartus art. Item, prædicta lex: *Si peccauerit*: quamuis data fuerit pro regimine totius Ecclesiæ & filiorum suorum: nihilominus appropriate data est personæ Petri, quia erat futurus summus pastor, sicut promissum fuerat *Matth. 16.* & executioni demandatum: *Ioannis vigesim. prim.*

Decimus quintus art. Item, quod Christus in prædicta lege: *Si pec.* &c. non accipiebat Ecclesiam, quando dixit, *dic Ecclesiæ*, pro ipso Petro vel pro successoribus suis summis pontificibus, patet;

quia Petrus non dixisset sibiipsi, quando Frater suus noluisset obedire monitioni suæ seu fraternæ correctioni. Intelligebat ergo de Ecclesia, quæ est congregatio fidelium: præsertim quando Frater, qui peccabat & nolebat corrigi, fuisset talis, quod non habuisset prælatum supra se, sicut est Papa: qui tamen subiectus est legi prædictæ, sicut ipse est frater peccabilis.

Decimus sextus art. Item Christus dicendo in prædicta lege: quod *si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*: docet manifeste, quod Ecclesia habet auctoritatem iudiciariam: alioquin si non audiretur, non esset contumacia vel peccatum. Et patet aliunde per illud: *Qui vos audit me audit* &c. Et iterum: *Quæcunque alligaueritis super terram* &c. Sic subiungitur statim post prædictam legem: *Si peccauerit.*

Decimus septimus art. Item, quod omnis, qui potest & debet licite puniri iudicialiter, potest etiam licite euocari ad iudicium, etiam per appellationem aut prouocationem aut citationem, prout visum fuerit expediens iudici vel illis, qui ad iudicium accusare volunt Fratrem delinquentem, præsertim vbi non apparet protunc modus conuenientior procedendi contra reum & peccatorem Fratrem.

Decimus octauus art. Item, quod nulla constitutio humana potuit aut potest præiudicare legi prædictæ: *Si peccauerit* &c. cum sit de iure diuino, & de iure proprie naturali, præsupposito diuino.

Decimus nonus art. Item, quod constitutiones, quæ dicunt quod Papa potest deponi, si labitur in hæresim, non sunt censendæ constitutiones pure humanæ vel positiuæ aliquorum summorum pontificum vel alterius. Patet: quia tunc non ligarent Papam, quia par in parem non habet imperium.

Vicesimus art. Item, quod fundantur hæ constitutiones principaliter in prædicta lege: *Si pecc.* &c. Et in aliis iuribus conformibus, sicut prætactum est articulo 11.

Vicesimus primus art. Item, quod sicut hęc constitutio Christi: *Si pecc.* &c. non specificat vel restringit de solo peccato hęresis, sed & generaliter de quolibet peccati genere, quod potest deduci in publicum. Sic quodlibet peccatum Papæ publicum seu notorium potest denunciari Ecclesiæ, si fraternaliter monitus Papa nolit audire monentem, neq; testes inductos, nisi daretur ex lege proprie diuina, quod aliquod peccatum Christus istic excluserit, quod vtiq; fieri non poterit.

Vicesimus secundus art. Item, quicunq; cuiuscunq; status fuerit, qui scripserit vel asseruerit, quod Papa non possit pro crimine accusari coram Ecclesia, quam pro hæresi, ille negandus est simpliciter tanquam contradicens textui Euangelico, vel reuerenter glossandus est, si non appareat, quod fuerit in hac assertione pertinax, & si in aliis bene sensit. Simile dicitur de scripturis, quæ sonare videntur, quod Papa non habet superiorem iudicem in terris, & quod ab eo nunquam licuit neq; licet appellare, & ita de similibus: quæ si excludunt auctoritatem generalis concilii, sunt hæreses manifestæ. Sed non est leuiter præsumendum, quod alii doctores sic senserint generaliter absq; omni exceptione possibili occasione vel colore.

Vicesimus tertius art. Item, quod Gloss. quæ dicit, quod pro alio crimine quam pro hæresi potest Papa accusari vel deponi, non habet auctoritatem vel robur tanquam ab vno Glossatore vel homine, sed à Christo immediate & expresse: alioquin non faceret fidem, sicut prædictum est in altero articulo, quod par in parem, & vnus inferior in superiorem non habet iudicium.

Vicesimus quartus art. Item, quod de iure diuino & naturali est propria defensio sui ipsius, dum lædit, dum tamen hoc faciat per media non prohibita in lege diuina & naturali.

Vicesimus quintus art. Item, quod stare potest in facto, quod aliquis molestatus à Papa etiam vero & legitimo, non possit habere sufficientem defensionem, nisi prouocet vel appellet à Papa ad iudicium Ecclesiæ, & nisi subtrahat se ab eo, sic quod eius mandatis non obediat: quæ mandata vel obedientia tollerent læso iustam defensionem sui ipsius vel suorum, vt esset tuitio propriæ matris vel patris aut patriæ suæ, imo & totius catholicæ veritatis aut vnitatis Ecclesiæ: sicut apparuit in subtractionibus multis legitime factis tempore nostro & per prius.

Vicesimus sextus art. Item, sicut alias prædicatum est coram hoc sacro concilio potest haberi multiplex occasio, & quæsitus color, ad hoc quod possit & debeat per Ecclesiam seu concilium generale vice sua dari libellus repudii vero Papæ; quandoq; sine culpa Papæ, licet non sine causa: quandoq; cum culpa Papæ, etiam alia quam sit hæresis, & numerati sunt colores vel occasiones 10. quemadmodum viceuersa summus pontifex potest dare libellum repudii Ecclesiæ, sicut patuit in Cælestino cedente. Vxor autem & vir non videntur hic ad imparia iudicari.

Vicesimus septimus art. Item, quod prædicti omnes & singuli articuli sunt per hoc sacrum concilium Constantiense solenniter & iudicialiter declarati & multipliciter practicati tam in eiectione olim Ioannis 23. quam in constitutionibus & decretis factis super auctoritate generalis concilii, præsertim 6. Aprilis Anno 1415. Et nouissime in decreto facto, quod prętensa constitutio Pe[illegible] na non præiudicat subtractioni factæ sibi in Arragonia &c.

Vicesimus octauus art. Item, quod docens vel asserens nunc opp[illegible] aliquius arti[illegible] lorum præmissorum, cadit in hæresim iam damnatam, & asserit expresse cont[illegible] legem Euangelicam: *Si peccauerit* &c. Et contra articulum istum: *Vnam sanctam catholi*[illegible] & contra determinata expresse per hoc sacrum concilium, sicut prætactum est.

Vicesimus nonus art. Item, quod prælatus Ecclesiasticus etiam Papa determinans iudicialiter, aut

aut per modum constitutionis perpetuæ & pœnalis oppositum præmissorum articulorum, non potuit aut potest à pertinacia quomodolibet excusari: tum quia demonstrat, quod non quærit tota sollicitudine veritatem, dum eam scienter impugnat, & ad impugnandum omnes alios inducit, quantum in se est per excommunicationes & alias pœnas grauissimas, tum rursus in casu præsenti, quia non ostendit se paratum corrigi, dum regulam sui correctricem negat & impugnat, scil. auctoritatem Ecclesię vel generalis concilii vice sua.

Tricesimus art. Item, quod nullę protestationes factæ in oppositum releuant talem assertorem vel determinatorem quatenus debeat in errore suo pertinax iudicari: quia cum talibus protestationibus generalibus de volendo stare in fide Ecclesiæ &c. stat de facto particularis erroris assertio: sicut posset latius deduci tam per rationes quam per exempla priorum hæreticorum, & etiam modernorum, dum factum repugnat protestationi.

SECVNDVS LIBER EIVSDEM DOCTORIS ARTICVLORVM SPECIALIVM SVBSVMPTORVM SPECIALITER EX GENERALIBUS ARTICULIS SUPER POTESTATE & AUCTORITATE ECclesiæ, contra Petrum de Luna, ad conuincendum eum vt prius.

Et primo notandum est: quod Petrus de Luna dudum fecit quandam prætensam constitutionem, & eam pluries solenniter publicauit & publicari fecit: imo & practicauit quantum in se fuit, tam contra Christianissimum Regem Franciæ ante concilium Pisanum, quam nouissime contra Illustrissimum Regem Arragoniæ, & generaliter contra omnes, qui sunt in hoc Constantiensi concilio, sicut patet ex sua responsione ad citationem. Quæ prætensa constitutio incipit: *In dierum successu crescente malitia* &c. *Datum Massiliæ 14. Cal. Iun. Anno 13. pontificatus nostri*: ita quod sunt decem anni vel circiter.

Secundus art. Item, quod in prætensa constitutione ponitur in forma talis clausula inter cæteras: *Omnes* &c. *qui à nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus appellare præsumpserint, seu à nostra seu ipsorum successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium obedientia recesserint, ac se subtraxerint, vel in præmissa subtractione aut appellatione perseuerauerint seu perstiterint, seu eis in præmissis impedimentis seu appellationibus, subtractionibus vel prouocationibus scienter per se vel per alium vel alios quauis occasione seu quæsito colore dederint auxilium, cōsilium vel fauorem & qui pertinaciter asseruerint illos qui præmissa committunt per nostras sententias non ligari, cuiuscunq; status, gradus, dignitatis existant vel conditionis, etiam si cardinalatus, patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Imperiali, regali, vel alias quauis Ecclesiastica vel mundana præfulgent dignitate, ex nunc auctoritate Apostolica excommunicationis sententiam promulgamus, à qua nullus præterquam à Romanis pontificibus, nisi duntaxat in mortis articulo poterit beneficium absolutionis obtinere* &c. Et adduntur pœnæ dispositionis &c.

Tertius art. Item, quod dicta clausula, sicut patet ex forma sua, est generaliter absq; omni exceptione posita de Petro de Luna, quam de quocunq; legitimo successore suo: siue labitur aliquis eorum in hæresim, siue in aliud peccatum quodlibet quantumcunq; enorme, quia dicit, *quauis occasione seu quæsito colore* &c. Et quia si voluisset aliquam exceptionem fuisse, illam explicasset. Sed quia videbat exceptionem redundare potuisse contra seipsum, propterea nullam apposuit vel apponendam iudicauit.

Quartus art. Item, quod Petrus de Luna in suis responsionibus datis ad citationē contra eum factā, dat aperte intelligi, ꝙ vult practicare dictā prætensam constitutionē, & tenet firmiter, ꝙ habuit & habet robur & vim suam contra omnes & singulos, qui sunt in hoc sacro Constantiensi concilio: quia sic dicit in forma. *Protestandum tamen, quod per quemcunq; facta vel facienda, dicta seu dicenda, sub quacunq; forma non intendit dictam congregationem aut eius prætensam citationem comprobare: nec ipsam citationē quomodolibet exaudire, aut ei quemcunq; seu qualemcunq; vigorem tanquam à notorie nullam potestatem habentibus emanatam quoquo modo tribuere seu præstare: imo ipsam & alia quæcunq; facta seu facienda, ordinata seu ordinanda contra ipsum & Romanam Ecclesiam, cum sint de facto præsumpta per eos, pronunciauit, decreuit & declarauit, pronunciat, decernit & declarat cassa, nulla & irrita ipso iure, vt de his etiam est solenniter protestatus.* Postremo cum prætensa citatione contineatur, quod *conuenientes in vnum canonice conuocati, & repræsentantes ipsam vniuersalem Ecclesiam, decreuerunt* &c. Respondet idem Dominus Papa, quod prædicti congregati in Constantia non sunt generalis synodus, nec vniuersalem Ecclesiam repræsentant, cum sint excommunicati & omnibus Ecclesiasticis dignitatibus, gradibus & auctoritatibus & iurisdictione priuati, & per consequens nullas partes iudicii potuerunt assumere nec possunt: sicut nec etiam iurisdictionem aliquam exercere, præcipue cum minor in maiorem, & permaxime in Papam, quem nec iuris auctoritas, nec rationis debitum, nec alicuius obligationis necessitas ad hoc artant, actum imperiosum exercere non possit. Ecce temeritatem & pertinaciam aduersus hoc sacrum concilium, & aduersus omnes indifferenter, qui sibi non obediunt. Vnde & reputat solam Ecclesiam esse apud se, & solum concilium generale, & quod cathedra sua est archa Noe, sicut dixit verbo, dans intelligi quod nullus extra hanc archam saluabitur. Et ita de plurimis.

Quintus art. Item, quod hæc prætensa constitutio de directo & expresse repugnat omnibus & singulis

singulis prioribus articulis, qui elucidant hanc legem Euangelicam: *Si peccauerit* &c. Et qui fundantur in hac lege cum suis similibus: & hoc notorium est ex terminis.

Sextus art. Item, quod Petrus de Luna non excusatur vel releuatur ab hæresi prædicta & pertinacia per generales protestationes, quas facit: quæ sic habentur in forma. *Dicit ac etiam profitetur, quod in veritate fidei & vnitate catholicæ Ecclesiæ semper fuit & est, semperque se fuisse & permansisse firmiter credit; nec ab illis vnquam modo aliquo deuiauit, sicut nec deuiare intendit, nec fauorem schismati vel hæresi aliquo modo dedit, sicut nec dare intendit, imo semper tenuit & tenet, firmiterque credidit & credit, quod sancta Romana & Catholica Ecclesia tenuit & tenet, profitetur & docet: nec aliquid à prædictis decreuit dicere, facere, scribere, docere, tenere seu credere intendit in posterum, gratia eidem diuina assistente: nihilque pertinaciter seu incorrigibiliter dixisse seu dicere voluit, nec intendit. Sed omnia præterita, præsentia & futura quæcunque dicta & dicenda, facta & facienda, scripta & scribenda, credita & credenda, docta & docenda subiicit subiectaq; esse voluit correctioni & determinationi catholicæ Ecclesiæ Sacrosanctæ. Et si contra præmissa vel aliquod præmissorum dixerit, scripserit aut fecerit quouis modo, quod non credit, paratus est semper stare correctioni dictæ sanctæ matris Ecclesiæ, in cuius vnitate viuere intendit, atque mori, sicut catholicus & fidelis, & facere & complere ea ad quæ astringitur in præmissis & quolibet præmissorum.* Constat enim quod cum his protestationibus remaneret particularis error suus non purgatus.

Septimus art. Item, si nunc prædictus Petrus de Luna vellet à prædicta hæresi sua reuerti & redire ad gremium Ecclesiæ: ipsa posset non claudere sibi gremium, dando indulgentiam de scelere: sed non deberet ipsum impunitum relinquere, vel in papatu prætenso retinere, etiam vbi fuisset aliunde Papa legitimus.

Octauus art. Item, quod si mittat nuncios suos, videtur quod in primis & ante omnia proponendi sunt ipsis præcedentes articuli, vt respondeant sigillatim ad quemlibet: quoniam per hoc fiet abbreuiatio aliorum processuum iuridicorum, qui versarentur in his quæ sunt facti: quoniam per prędictos articulos potest veraciter vno verbo dici ipsi Petro de Luna: *Ex ore tuo te iudico serue nequam:* imo videtur quod nuncii si mittantur, erunt interrogandi super præmissis nedum pro nomine seu vice Petri de Luna, sed etiam pro seipsis, vt videtur, quid sentiant super eisdem articulis: vt si male habeant & ipsi male iuxta demeritum & errorem, si bene condemnabitur eorum magister ex eorum confessione catholica & vera.

Articulatio prætactæ constitutionis Petri de Luna potest fieri contra ipsum sub propositionibus sequentibus cum probatione summaria, & aliarum quarundam additione conclusionum.

Hæc constitutio Petri de Luna est hæreticalis, quæ incipit: *In die* &c. Hæc constitutio cum suis circumstantiis reddit Petrum de Luna proprie hæreticum, schismaticum, temerarium, scandalosum atq; sacrilegum.

PRobatur prima conclusio sic: Constitutio illa est hæreticalis, quæ directe & expresse præiudicat & contrariatur legi Euangelicæ de correctione fraterna & de correctione iudiciali per authoritatem Ecclesiæ, si fraterna non satisfecerit, quæ habetur Matth. decim. octau. *Si peccauerit in te frater tuus* &c. Sed hæc constitutio Petri de Luna est huiusmodi: igitur est hæreticalis. Deducitur maior per descriptionem hæresis, quod est dogma peruersum fidei catholicæ contrarium. Constat autem quod Euangelium est fides orthodoxa obiectiue, sicut dicitur in Symbolo: *Hæc est fides catholica* &c. Sed minor, in qua stat difficultas, deducitur sic: Lex prædicta de correctione fraterna & iudiciali, aut comprehendit Petrum de Luna & suos successores, quos reputat summos pontifices futuros legitime, vel non comprehendit. Non potest dici secundum: quoniam lex fertur generaliter de omni fratre, dum peccauerit tali peccato, quod potest deduci in publicum. Constat autem quod quilibet Christianus est frater noster, etiam si fuerit Papa: quia propter hoc non desinit dicere *Pater noster.* Si ergo est pater noster, nos pariter sumus fratres. Si verò detur primum, sicut dari necesse est: quod scilicet Papa comprehenditur sub lege hac Euangelica & immutabili, quæ consonat etiam iuri proprie naturali: Sequitur ergo, quod si peccauerit in nos etiam frater noster, debet fraternaliter primo corripi, iuxta regulam generaliter ita positam: quod si noluerit audire, adhibendi sunt testes, quod si audire noluerit, denunciandus est Ecclesiæ; quam si contempserit, habendus est tanquam ethnicus & publicanus, id est, excommunicatus, & extra Ecclesiam positus. Sequitur ergo consequenter, quod Ecclesia est iudex Papæ, dum peccauerit peccato publico & Ecclesiæ denunciato. Et potest Ecclesia talem Papam excommunicare & eiicere à consortio multiplici occasione, & multiplici quæsito colore. Constat autẽ, quod ab inferiori ad superiorem legitimum potest fieri appellatio seu prouocatio, seu deductio in causam: seu iudicialis citatio & euocatio, nunc ad denunciationem alterius, nũc ex puro iudicis officio. Sed manifestum est, quod hęc constitutio tollit omnia ista media, dum fert generalem excommunicationis sententiam, & pœnas depositionis in omnes, qui quacunq; occasione vel quocunq; quæsito colore præsumpserint à persona Petri de Luna, vel à quocunq; successore seu appellare seu prouocare, vel ab obedientia se subtrahere &c. quod vtique repugnat & contradicit manifestissime huic legi Euangelicæ, prout modo deductum est.

PRobatur secunda conclusio faciliter ex præcedenti. Ille enim proprie dicitur hæreticus, qui pertinaciter asserit, imo determinat hæresim: sed Petrus de Luna pertinaciter ita facit. Est enim pertinax, qui non est paratus corrigi, & qui non quærit cauta sollicitudine veritatem, sed impugnat, & ad impugnandum omnes inducit sub pœnis terribilibus, quantum in ipso est. Sic est in proposito:

proposito: addendo maxime, quod hic impugnatur regula veritatis de directo, per quam errans frater habet corrigi. Quæ regula est auctoritas & potestas iudicialis ipsius Ecclesiæ vel concilii generalis vice sua. Vnde tollit quantum in ipso est omnia media, per quæ debet errans ad viam & regulam reduci veritatis. Possent addi circumstantiæ quasi sine numero, quæ probant hanc pertinaciam in Petro de Luna respectu constitutionis huiusmodi, & aliorum errorum multiplicium & scandalosissimorum, sed hæc pro nunc sufficiunt, attento quod tam erga Regem Franciæ, quam erga Regem Arragoniæ voluit practicare constitutionem istam hæreticalem atq; pestiferam: imo & in omnes existentes in hoc concilio, sicut patet in responsione sua ad citationem.

PRobatur tertia conclusio considerando materiam, circa quam est hæresis prædicta: quæ de necessitate infert peccatum schismatis: quoniam tendit ad impossibilitandum reunitionem Ecclesiæ sub vno certo pastore supremo: quia tollit medium conuenientissimum, imo necessarium, scil. auctoritatem iudicialem Ecclesiæ seu concilii generalis vice sua, dum prohibet Ecclesiam congregari &c. & dum remouet omnem Papam à subiectione auctoritatis iudicialis Ecclesiæ.

Confirmantur omnia prædicta per constitutiones huius sacri concilii factas & publicatas pluries. Confirmantur etiam per subtractiones licitas illorum principum, qui se subtraxerunt. Oportet enim concedere præmissas tres conclusiones: vel dicere quod hoc concilium generale errauit faciendo quæstiones tales, & in approbando nouissime subtractionem dominorum Arragoniensium, absit autem hoc à nobis ita delirare.

Et si dicatur, quod multa iura canonica, multæ constitutiones Papales, & aliæ videntur sonare pro constitutione Petri de Luna. Respondetur, quod illa iura sunt reuerenter glossanda & interpretanda conformiter ad inuariabilem legem Christi. Aut si vult aliquis illa tenere in suis terminis proterue & rigide, nos cum omni libertate talia scripta negabimus esse vera, & per consequens nec iura canonica: quoniam nullum ius esse censendum est, quod diuinæ legi conuincitur contraire. Addatur & hic clausula constitutionis, quæ ponitur supra articulo 2. In secundis articulis. *Omnes* &c. *qui à nobis* &c. supra.

EXCERPTA DE ARTICVLIS CONTRA PETRVM DE LVNA, IN PROCESSV PRODVCTIS.

PRimo in tractatu, quem fecit aut fieri fecit, & ab aliis factum approbauit & ratum habuit, intitulato *De schismate*, ponit hanc conclusionem sequentem & ponitur conclusio sequens: *Nulli conuenit potestati nec diuinæ nec humanæ, quod quid sit intra vnum locum & extra eundem.* Dictamq; conclusionem pertinaciter asseruit & sustinuit, quæ hæretica est contra sacram scripturam & diuinam potentiam est, cum Deus sit intra & extra eundem locum, & hoc est notorium.

Item quod dixit, scripsit vel scribi fecit, & asseruit idem Dominus vocatus, vt præmittitur, Benedictus, quod si iuisset ad Pisanum concilium vel misisset ad illud ad cedendum Papatui, vt aliqui sibi consuluerunt & consulebant, iam non essent claues in Ecclesia, nisi Deus incarnatus fuisset, & claues de nouo dedisset, & hoc est notorium.

Item, in tractatu, quem fecit aut fieri fecit & factum approbauit, & ratum habuit contra Pisanum concilium, qui incipit: *Quia nonnulli, in quarta parte, via tertia.* C. subsequenter: & alibi in dicto tractatu dixit, asseruit & pertinaciter sustinuit: quod stante dubio huius schismatis, illi qui non possunt certificari de veritate & iustitia alterius contendentium de Papatu primo electorum obediendo Papæ Benedicto 13. scil. sibi quoad Deum in conscientia, sunt & essent securi. Et hoc est notorium.

Item, dicunt & proponunt dicti persecutores & ministri, quod idem Petrus vocatus, vt præmittitur, Benedictus post præmissum per eos prætensum Perpinianum concilium, dixit & asseruit pertinaciter & constanter, quod si totus mundus diceret sibi, quod cederet Papatui, & sibi videretur quod non sequeretur inde vnio Ecclesiæ, aut videretur sibi quod ipse non deberet cedere, ipse non cederet, & si totus mundus diceret sibi, quod non cederet, & sibi videretur quod deberet cedere: ipse cederet. Per hoc suum iudicium, imo potius errorem pertinaciter præferendo omni humano & Ecclesiæ vniuersalis iudicio: quod manifeste probat pertinaciam in errore.

Item, quod Christus & Papa sunt vnum caput Ecclesiæ, posuit in quodam tractatu *contra decem propositiones stabilientes concilium Pisanum.*

Item, quod concilium generale nullo modo & in nullo casu potest celebrari sine Papa, etiam dum Papa mortuus est. Et ita necessario dicendum esset, quod in Constantia post adunationem tot obedientiarum & regionũ, nullũ est aut fuit generale concilium. Cuius oppositum tanquã catholicũ determinatũ est & practicatũ in hoc sacro concilio. Et quoniã hoc errore dato sequeretur manifeste,

quod

quod Ecclesia non fuisset sufficienter & perseueranter pro sui conseruatione instituta à Christo. Quia deniq; non apparet modus condemnandi vel eiiciendi Papam schismaticum, incorrigibilem & hæreticum contradicentem pertinaciter Ecclesiæ.

Ponuntur consequenter ad probata de prædictis & aliis articulis tres conclusiones sequentes. Hæc assertio Petri de Luna quod concilium generale non potest in aliquo casu congregari sine Papa, est hæresis nunc expresse damnata. Hæc assertio Petri de Luna quod si credidisset aliquibus tēpore concilii Pisani, claues hodie non essent in Ecclesia, est manifeste hæretica, præsupposita duratione legis Dei vsq; ad consummationem mundi. Hæc assertio Petri de Luna quod Christus & Papa sunt vnum caput Ecclesiæ, est hæreticalis, nisi reducatur ad aliquem sensum sanum satis impropriuum.

Aduertendum est postremo, quod super materia hæresis fundatæ sunt principaliter conclusiones prędictæ in assertionibus Petri de Luna. Primo, quoniam & voces & scripturæ significant manifestius conceptum mentis iuxta dictum Christi: *Ex verbis tuis iustificaberis* &c. Cui consonat dictum Aristo. quod *voces sunt signa earum quæ in mente sunt passionum*. Secundo, quia conuincere hominem hæreticum esse, ex solis operibus sine vocibus difficilimum est: attento quod hæresis principaliter consistit in intellectu. Propter quod tertio dicitur, quod licet ex prædictis articulis contra Petrum de Luna & sufficienter in facto probatis possit & debeat sufficienter concludi contra eundem Petrum de Luna, quod ipse est notorie periurus, notorie schismaticus, notorie scandalizans vniuersalem Ecclesiam sanctam Dei, & per consequens de hæretica prauitate vehementer notandus & suspectus; præsertim circa hunc articulum: *Vnam sanctam* &c. Et circa præceptum hoc: *Non periurabis* &c. Ac perinde per huiusmodi suspitionem vehementem & scandalum notorium datum in materia schismatis & periurii & incorrigibilitatem sit ab omni officio papatus vero vel prætenso rationabiliter & iudicialiter deponendus: prout multi solenniter ex iuribus allegarunt & probauerunt: nihilominus ex solis eisdem productis & probatis non videtur sufficienter concludi, quod sit hæreticus proprie dictus, nisi confundatur ex propriis assertionibus suis, constitutionibus & responsionibus datis tam verbo quam scripto. Quamobrem studiosius scriptum est vel articulatum circa huiusmodi assertiones: attento præcipue, quod nonnulli reuocant in dubium, an Papa deponi possit, vel habeat iudicem superiorem in quocunq; crimine, nisi sit à fide deuius, vel hæreticus proprie dictus.

DECRETA SACRÆ FACVLTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS, DE POTESTATE ECCLESIASTICA, ET PRIMATV ROMANI PONTIFICIS, contra Sectarios huius seculi.



IN nomine Domini, Amen: Per hoc præsens publicum instrumentum, cunctis pateat euidenter, & sit notum, quod anno eiusdem Domini millesimo CCCC^mo^ XXIX°. more Gallicano, indictione octaua, mensis Martii die tricesima & penultima, pontificatus sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri, Domini Martini diuina prouidentia Papæ, V. Anno XIII°. In congregatione venerabiliū & circumspectorum virorū Dominorum & Magistrorum sacræ Theologiæ Facultatis studii Parisiensis, in sancto Mathurino multum solenniter congregatorum, & more solito dictæ Facultatis Theologiæ congregationem ibidem celebrantium: de mandato venerabilis & circumspecti viri Magistri Petri de Dierreyo dictæ Facultatis Decani, tam regentium quam non regentium, & religiosorum ac secularium, ad infra scripta ibidem vocatorum, specialiter propter hoc personaliter constitutus præfatus Dominus Decanus dicens & proponens, quod frater Ioannes Sarrazin ordinis fratrum Prædicatorum, Licentiatus in Theologia, post vesperias suas, fuerat delatus apud ipsum, & consequenter apud dictam Facultatem, tanquam dixisset ea quæ sequuntur, sicut etiam scripta exhibita de propria manu sonare videbantur, formam quæ sequitur continentia.

Primo, omnes potestates iurisdictionis Ecclesiæ, aliæ à Papali potestate, sunt ab ipso Papa quantum ad institutionem, & collationem.

Secundo, huiusmodi potestates non sunt de iure diuino, nec immediate institutæ à D[illegible]

Tertio, non inuenitur Christum tales potestates, scil. alias à Papali, expressisse, sed tantum [illegible]premam, cui commisit Ecclesiæ fundationem.

Quarto, quandocunq; in aliquo Concilio aliqua instituuntur tota auctoritas dans vigorem statutis, in solo summo residet Pontificio.

Quinto, ex [illegible] Euangelii non habetur expresse alicui Apostolorum, nisi Petro auctoritatem iurisdictionis fuisse collatam.

Sexto,

Sexto, dicere inferiorum Prælatorum potestatem iurisdictionis, siue sint Episcopi, siue Curati, esse immediate à Deo, sicut potestatem Papæ, veritati quodammodo repugnat.

Septimo, sicut nullus flos, & nulla pullulatio, nec etiam omnes flores & pullulationes, simul possunt aliquid in arborem, quia hæc omnia sunt propter arborem instituta, & ab arbore deriuata: sic omnes aliæ potestates, nihil de iure possunt contra summum sacerdotium. Infra dicitur, quod spiritualis potestas est summus Pontifex, vt recitatur Hugonem de sancto Victore dixisse, *secundo de Sacramentis:* ex quo potest videri, quod hic per *summum Pontificium*, summus Pontifex intelligatur.

Octauo, summus Pontifex canonicam Simoniam à iure positiuo prohibitam, non potest committere.

Quæ propositiones seu dicta, pluries per deputatos eiusdem Facultatis diligenter examinata, iudicabamus esse reparanda: præsertim cum Dominus Rector, & multi de Vniuersitate, talem reparationem requisissent in præsentia dictæ Facultatis. Tandem præfatus Dominus Decanus, ex matura & diligenti ac concordi deliberatione Magistrorum dictæ Facultatis, tam regentium quam non regentium, & tam secularium quam religiosorum, præhabita: concludit, quod prædictus frater Iohannes Sarrazin, ordinis fratrum Prædicatorum, qui tunc & alias auditus fuit ad longum, & cuius intentio scita fuit, & qui etiam se submiserat dictæ facultati Theologiæ, diceret in dicta congregatione, & deinde in aula fratris Girardi de Salinis ordinis fratrum Minorum, post primam quæstionem expectatoriam, sub hac forma.

Ex vesperiis meis quidam fuerunt scandalizati sicut mihi significatum est per matrem meam facultatem Theologiæ, tanquam intellexerint, quod voluerim inter alia, detrahere potestati & Ecclesiæ, & prælatorum aliorum à summo Pontifice, tam maiorum quam minorum, & quorundam aliorum Ecclesiasticorum: & specialiter occasione quarundam propositionum per me in eisdem vesperiis meis dictarum: Volens propterea quantum in me est, tollere omne scandalum, & esse filius obedientiæ & pacis, & assertor veritatis, dico nunc ex ordinatione eiusdem matris meæ facultatis Theologiæ, cuius ordinationi, dispositioni, & omnimodæ determinationi me submisi, & submitto, ac etiam vltronea voluntate viri, tales quæ sequuntur.

Prima, omnes potestates iurisdictionis Ecclesiæ, aliæ à Papali potestate, sunt ab ipso Christo, quantum ad institutionem & collationem primariam: à Papa autem & ab Ecclesia, quantum ad limitationem, & dispensationem ministerialem.

Secunda, huiusmodi potestates sunt de iure diuino, & immediate institutæ à Deo.

Tertia, inuenitur in sacra scriptura Christum Ecclesiam fundasse, & potestates alias à Papali expresse ordinasse.

Quarta Veritas, quandocunque in aliquo Concilio aliqua instituuntur, tota auctoritas dans vigorem statutis, residet non in solo summo Pontifice, sed principaliter in Spiritu Sancto, & Ecclesia Catholica.

Quinta, ex textu Euangelii & doctrina Apostolorum habetur expresse, Apostolis & discipulis à Christo missis, auctoritatem iurisdictionis fuisse collatam.

Sexta, dicere inferiorum prælatorum potestatem iurisdictionis, siue sint Episcopi, siue sint curati, esse immediate à Deo, Euangelicæ & Apostolicæ consonat veritati.

Septima, aliqua potestas Ecclesiæ, de iure potest aliquid, & in certis casibus, contra summum Pontificem.

Octaua veritas, quicunque purus viator, habens vsum rationis, cuiuscunque dignitatis, auctoritatis, aut præeminentiæ, etiamsi Papalis, existat, Simoniam potest committere.

Denique, si aliqua protulerim vel scripserim, quæ videantur prædictis contraria, vel quæaliter scripta sint, nolo in eis stare, sed volo & supplico haberi pro non dictis vel scriptis, & alia quæcunque, quæ viderentur præbere occasionem scandali vel erroris.

Qui quidem frater Ioannes Sarrazin, modo & forma prædictis, omnia & singula fecit, dixit & protulit. Primo, videlicet in dicta congregatione in Capitulo sancti Mathurini Parisiis, vt præfertur, celebrata, præsentibus ibidem venerabilibus & circumspectis viris, Domino Decano prænominato, ac magistris Ioanne de Trecis, Guillermo de Bomillon, Guillermo de Sello, Emerico de Brusseriis, Rollando Barguenal, Gillermo Boutitot, Ioanne de Vernonne, Remondo de Altoponte, Philippo Bauet, Dionysio de Sabreuois, Ioanne le Gallois, Girardo Gerron, Martino Billery, Ioanne Pulchripatris: Ioanne de Gondeuiller, Thoma Monachi, Rogerio de Gaillon, Ioanne Soqueri, Guillermo Adelie, Ioanne Tripier, Ioanne Graueftain, Gofredo Coclearis, Michaele Langlois, Georgio de Vallesponsa, Roberto de Porta, & Ioanne de Quesneyo, Magistris in Theologia, tam secularibus quam religiosis, ac Ioanne Vacheau principali bidello eiusdem Facultatis. Item eisdem anno, indictione, mense, die, & pontificatu prædictis, dictus frater Ioannes Sarrazin dictas propositiones legit & reparauit modo & forma supradictis, in aula reuerendi patris Domini Episcopi Parisiensis, post primam quæstionem magisterii fratris Girardi de Salinis supradicti, præsentibus dicto reuerendo in Christo Patre, Domino Episcopo Parisiensi, ac venerabilibus ac circumspectis viris Magistris Petro de Diereyo Decano eiusdem Facultatis, Guillermo Eurardy Rectore Vniuersitatis Parisien. Hugone Maioris vicesgerentis Cancellarii Ecclesiæ Parisien. Guillermo de Sella, Ioanne Pulchri patris, Rogerio de Gaillon, Ioanne Soqueti, Gofredo Coclearis Magistris in Theologia, Laurentio Callor,

Petro de la Hasardiere, Guillermo Hugueti, & Guillermo Candelli, Magistris in artibus, cum pluribus aliis tam Magistris, quam Doctoribus, scholaribus, Baccalariis, & secularibus ibidem existentibus: de & supra quibus præmissis omnibus & singulis, dicti Domini Decanus & Rector, & quilibet ipsorum, petierunt & petiit à me notario publico sibi fieri & confici publicum instrumentum, vnum vel plura. Acta fuerunt hæc anno, indictione, mense, die, pontificatu, & locis prædictis, præsentibus prænominatis testibus ad præmissa vocatis specialiter, & rogatis. Et ego Laurentius Pontrelli presbyter Curatus Parochialis Ecclesiæ de Annouilla, Rothomagensis diœcesis, publicus Apostolica & Imperiali auctoritatibus notarius, præmissis omnibus & singulis, dum sic, vt superius scripta sunt, fierent, & agerentur, vna cum prænominatis testibus præsens fui, eaque sic fieri vidi, & audiui: Idcirco huic præsenti publico instrumento aliena manu fideliter scripto, me aliis occupato negotiis, signum meum publicum apposui consuetum, hic me propria manu subscribendo, requisitus & rogatus, in testimonium veritatis præmissorum.

Signatum *Pontrelli.*

Hoc decretum confirmatur etiam sex sequentibus conclusionibus articulorum eiusdem facultatis Parisiensis contra Lutherum: quibus constat Christum Dominum immediate contulisse infallibilem auctoritatem decernendi, & excommunicandi, toti Ecclesiæ collectiue sumptæ, vt per vnum exerceretur: summa vero totius iurisdictionis Ecclesiasticæ, in facultate excommunicandi consistit, vt omnes Theologi norunt.

Articulus XVIII.

Tenetur & quilibet Christianus firmiter credere vnam esse in terris vniuersalem Ecclesiam visibilem, quæ in fide & moribus errare non potest: cui omnes fideles, in his quæ sunt fidei & morum, obedire astringuntur.

XIX.

Quod si quid in scripturis sacris controuersiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Ecclesiam definire & determinare spectat.

XX.

Est & certum, multa esse credenda, quæ non sunt expresse & speciatim tradita in scripturis sacris: quæ tamen per traditionem Ecclesiæ sunt necessario recipienda.

XXI.

Eodem veritatis firmamento recipiendum, potestatem excommunicandi esse de iure diuino immediate à Christo Ecclesiæ concessam: & ob id magnopere timendas esse censuras Ecclesiasticas.

XXII.

Certum est Concilium generale legitime congregatum vniuersalem repræsentans Ecclesiam, in fidei & morum determinationibus errare non posse.

XXIII.

Nec minus certum, vnum esse de iure diuino, in Ecclesia Christi militante summum Pontificem: cui omnes Christiani parere tenentur: qui quidem potestatem habet & indulgentias conferendi.

Hic operæpretium est notare, in more positum esse, vt omnes Baccalaurei Facultatis Theologiæ Parisiensis, tam seculares quam regulares, solenniter iurent in prædictos articulos, eosque propria syngrapha obsignent: atque insuper in omnium disputationum aut actorum suorum exordio, palam & publice profiteantur, se sacrorum Conciliorum definitionibus, nec non decretis sacratissimæ facultatis Theologiæ Parisiensis, iugiter adhæsuros: quarum protestationum eximium extat monimentum in tabulario Facultatis, anno M. D. VIII. factum, & à Guidone Rigaudeau ac Ioanne Crozon Notariis publicis obsignatum.

PAVLI

PAVLI DECRETORVM DOCTORIS, ANGLI AVREVM SPECVLVM

Anno Domini 1444.

PAPAE, EIVS CVRIAE, PRAELATORVM, ET *aliorum Spiritualium, super plenitudine potestatis Papalis scriptum ante ducentos annos.*

Reuerendissimis in Christo Patribus & Dominis, Dominis sacrosanctæ Romanæ ac Vniuersalis Ecclesiæ Cardinalibus, nec non aliarum Ecclesiarum Patriarchis, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prælatisque, ac etiam Curiæ Romanæ officialibus vniuersis, totiq; clericali cœtui per vniuersum constitutis: Paulus minimus, & vtinam inter discipulos veros Iesu Christi, planctum pro affectu, & dolorem, heu corde anxius qua voce intonare ipse debeam. Quis hominum non attendit tantam pestem, mortificantem animas, in populo Christiano grauissime sæuientem? En schismata, en hæreses & errores vbilibet infiniti. Vere durissima plaga Domini descendit in Israel, quam in se experitur his temporibus nostra ætas. Sed heu vile aurum in tātū cathenauit modo mentem Moysi, quod nedum placare non curat indignantem animum, sed mala malis accumulans machinatur quotidie ad deteriora prouocare. Mira supra omnē modum res agitur, vt inde exemplar omnis mali progrediatur, vnde processerat sanctitatis omnis norma, & vnde tota Christi ecclesia Deo ædificante constructa sumpsit exordiū, inde patitur iam ruinam, illic iugum suaue Domini abiicitur, frangitur lex diuina, iuraq; canonica pro salute humana per ora sanctorum Spiritus sancti dictata, respuuntur penitus, & quasi inania reputantur. Sicq; tota Romana curia à plāta pedis vsq; ad verticē capitis, patenter excœcata erroribus, ipsa errorum suorū veneno inebriauit omnes fere mundi partes, ac si immensam creatoris omnipotentiā Papa ad suū libitum posset limitare. Omnes q̃dem intus murmurant, nullus clamat. Et quoniā in extremis iam malorū laborantes sumus positi, in quos cuncti errores huius seculi deuenerunt: qua ergo ratione silere valeo, & non potius obmutescentibus aliis tam præsidibus quam doctoribus, fortius exclamare? Nam etiam principes catholici seculares mutuis dissensionibus occupati, tantam corruptionē sanctæ matris Ecclesiæ non aduertunt. Vos tamen, qui pastores estis positi, & officii apostolici successores, cur tā longum periculosumq; negligentiæ somnū agitis, & non celerius concurritis: obmutescitis, & non clamatis? Eia & eia, ô patres & Domini, nunq̃ ne ob perditionis ignominiam, gens sancta & regale sacerdotiū voce estis prophetica nuncupati? Saltē iam ad hanc vocem meā pusillam, iam desides confluite. Quoniā securis est iam posita ad radicē arboris. Et exaltatis in altum vocibus, exclamate: quia non nisi in multitudine clamantiū, fugam hostes receperunt. Et ruina suo pondere nociuior, non nisi per multitudinem subleuatur. Vt igitur ego ipse viribus exiguus, militaturus sub vexillo Domini, & indutus fortitudine Iesu Christi, vestrę vniuersitati occurrendo viā aperiam, & aciem aduersus inimicos Domini pugnæ ponam: Tria tanta mala germinantia, prosequenda à persequenda ꝓ præsenti aggredior: quæ iuxta posse conabor machina triplici, sc. auctoritate sacræ scripturæ, ratione naturali, & iure canonico, dirigente Domino conterere, euellere, & radicitus extirpare. Primo sc. errores grauissimos curiæ Romanæ detegam, circa ꝓuisiones beneficiorū, & indulgentiarū concessiones, detectasq; eliminādo cū simoniacis, & eorum participibus condemnabo. Secundo, scripta minus catholice scribentiū quædam quæ tantæ destructioni ecclesiasticæ causam præstasse videbantur aut occasionē, tanq̃ hæretica, clarissime reprobabo: & ibi fundamentū eueruabo illius destructionis de symoniacis, q̃ a ꝓhibitis, & de ꝓhibitis, q̃ a symoniacis, quę multas etiā cōmuniter peritos videtur ponere in errorē. Tertio, totā Romanam curiā erroneam, & in statu damnationis laborantē, ex verissimis fundamentis declarabo, necnon omnes, q̃ à iure cōmuni per exorbitātes gratias, beneficia ecclesiastica sunt adepti, Papæ plenitudinē potestatis pertractando. Et secundū hoc tres erunt partes, quas Lectori suadeo toto studio perlegere. Quoniā qui ea quæ Dei sunt nesciunt, à Deo etiam nesciuntur, ad Cor. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur.* Si quæ vero inconsueta fortasse reperiat, non tamen spero à veritate deuiare, ardētius ponderet sollicitus animus, & nō de facili respuat: quemadmodū non intelligentium, imo verius detrahentiū, allicit mordax lingua: correctionē tamen melius sentientiū, cū humilitate postulo, in spiritu lenitatis. Nec ꝓlixitatem charitas legentis arguat, quam vtiq; expetebat infirmitas per vniuersum ægrotantis. Et vt tractandi materia legenti reddatur suauior, & elucidationem recipiat clariorē, fingo per dialogū, Petrum & Paulū inuicem disputantes. Insuper hoc prouiso, quod quæcunq;

iura allegauero propter melius veritatem dicendorum experiri cupientem, virgulam seu lineam rubeam vbilibet sub quotis seu allegatis protraham, vt legentem non impediat: quas lector cum signo huiusmodi rubeo, vt taliter designatas, pro suo libito faciliter poterit persaltare. Et sic tractatulus tam exercitatis in iure canonico, quam non exercitatis, aptus patebit omnib. ad legendum: quem ad gazophylacium Domini offero in charitate viduæ, duo minuta offerentis.

Quantum ad primum, hæc pars prima pertractabit naturam titulorum ecclesiasticorum, & quomodo q̃ plurimi sunt inuoluti prouisionibus simoniacis: & continebit decẽ capitula. In capitulo primo ponitur definitio tituli, & eius declaratio. In secundo capitulo, titulorũ ecclesiasticorũ ordo, vbi incidenter quædã vtilia pertractantur, & differentia inter dignitatẽ personarum & officia assignatur: insuper inter canonicatũ & præbendã. In capitulo tertio declarantur tria, quæ requiruntur ad hoc, vt titulus canonice acquiratur: & vnum eorũ prosequitur. In capitulo quarto damnatur electionum p Papam facta reseruatio, occasione cuius male prouidetur ecclesiis, & decipiuntur electi. In quinto capitulo diuersi errores Romanæ curiæ circa prouisiones & assecutiones beneficiorum & indulgentiarum, &c. deteguntur. In capitulo sexto ponuntur quatuor regulæ, quibus cognoscitur, quando prouisio tituli est simoniaca, aut canonica: & declaratur, quomodo in prouisione simoniaca non datur titulus. In capitulo septimo declaratur multipliciter veritas secundæ & tertiæ regularum. In capitulo octauo declaratur multipliciter veritas quartæ regulæ: & datur ratio, quare non transfertur titulus, si datur simoniace: & tamen si solum recipitur simoniace, tenet. In capitulo nono declaratur, quomodo saluari non potest, qui beneficium per symoniam obtinuit, nisi id dimittat secundo, de suspensione symoniaci in beneficio, & ipsius irregularitate. In capitulo decimo declaratur, quomodo officiales & vicarii episcoporum intrantium per symoniam, & intrantium familiares, sunt participes simoniæ: & omnes alii qui eis participant in his quæ spectant ad titulum per simoniam acquisitum, sunt in statu damnationis, vt puta recipientes ab eis beneficia, &c.

DIALOGVS PETRI ET PAVLI, DE INSOLENTIIS ET ERRORIBVS ROMANÆ CVRIÆ.

CAP. I.

In quo ponitur definitio tituli, & etiam ipsius declaratio.

PET. Nunc restat tibi, vt quid de natura titulorum beneficialium est sciendum, in medium edisseras, scilicet quid sit titulus, & vnde habeat originem, &c. vt de corruptione Christianitatis latius appareat, quæ inde creuit, & quam non nisi solius Dei virtus sufficit reformare.

Vt tibi ad præmissa congrue respondere valeam, expedit æquiuocationem termini prænotare. Et multipliciter capitur *titulus* in iure. Aliquando tãtum valet, sicut signum rei appositum: vt vexillum, vel aliud soli principi permissum, de quo in *textu & Glo. 16. q. 6. consuetudo.* Secundo modo dicitur *titulus*, omnis causa acquirendi dominium: vt titulus pro emptorio, pro donato, &c. vt dicimus, q̃ præscriptio in aliquib. requirit bonam fidem, & iustum titulum, in capitulo, *Si diligenti, de præscriptis*, &c. & *cap. 1. lib. 6.* Et de his duobus modis non est ad propositum. Tertio modo dicitur ecclesia: vt *titulus sancti Petri.* Et sic secundum Bernhar. qui hoc notat *de cler. c. dudum 2.* & in Gl. *intitulari* dicitur *80. di. episcopi*, quod singuli clerici per singulos titulos sunt ponendi, id est, ecclesias. Vnde dicitur in Ordinationibus clericorum, quando vocatur, dicitur talis *ad titulum talis plebis.* Quarto modo dicit, q̃ *titulus* tãtum valet, quantum clericatus, vel canonicatus, & sic dicitur quis intitulari, id est, incanonicari, vel inclericari, & sic dicitur *70. di. ab episcopis*, quod *nullus debet ordinari sine titulo.* Gl. ibidem: *id est, sine ecclesia, vel beneficio.* Sed hæc dicta sunt improprie.

PET. Ergo dic proprie, definiendo quid sit titulus.

PAVL. Ad tuum propositum potest sic describi: *Titulus ecclesiasticus est, ius spirituale ex electione, confirmatione, institutione, collatione, vel receptione canonica consentienti prouenientis, ad præsidendum alicui ecclesiæ, monasterio, vel capellæ: seu ad aliquod diuinum officium tantũ, aut diuinum officiũ vel aliud ministeriũ ecclesiasticũ, circa aliquod, vel in aliquo eorũ exercendũ.* In hac descriptione, *ius spirituale* ponitur pro genere, & exprimit causam formalẽ diffiniti, hoc aggregatum quod sequitur, disiunctiue captum, scilicet *ex electione, confirmatione*, &c. loco differentiarũ constitutiuarũ specierum. Et exprimit causam efficientẽ, q̃ adiungitur in descriptione, ibi *consentienti*, exprimitur subiectum, seu causa materialis: q̃ ideo ponitur, q̃a ad hoc vt quæratur alicui titulus, necesse est vt consentiat, vt in *c. quam sit de cler.* &c. *si tibi absenti de præben. lib. 6.* Quod autẽ adiicitur, *Ad præsidendũ alicui ecclesiæ*, &c. causa finalis denotatur, seu obiectũ formale, circa q̃ tale ius versatur. Et intellige illud, *ad præsidendũ*, cum effectu, scilicet cum debitis diuinis officiis, & aliis seruitiis requisitis ad impendendum in præbendis. Et quia q̃dam sunt tituli tantum ad diuinũ officiũ exercendum destinati, quos vocamus beneficia simplicia: alii vero non tantũ ad diuinum officium, sed etiam cũ hoc ad talia seruitia impendenda, siue circa curã & salutem animarum, siue aliarum rerum ecclesiasticarum, & talia dicuntur dignitates personatus, & officia: ad quod vtrumque denotandum, ponitur in descriptione vltima particula. Et iste est finis, propter quem dantur, & sunt inuenti tituli ecclesiastici. Ex quo sequitur, quod qui non potest illa exercere, propter quæ inuenti sunt tituli, non est capax beneficii: & per consequens, nec titulus etiam per Papam licite potest sibi conferri, nisi necessitas aut tanta vtilitas reipublicæ suadeat, quæ sua pietate æquiparetur illi fini, propter quem titulus est inuentus. Ex quo infero,

ro,pro prima sagitta in errantes, quod pueri, qui non sunt apti ad diuina officia peragenda, scilicet horas canonicas, ad quas quilibet beneficiatus ratione tituli tenetur, etiam non existens in sacris, ex præcepto ecclesiæ *91.di.c.1.& se.92.di.c.si.de.cele.miss.dolentes.* & secundum omnes communiter doctores (præter Pe.& Ab.qui dixerunt, per aliū talia posse fieri, in quo communiter reprobantur) nō sunt capaces de iure communi, in titulū beneficio.ū ecclesiasticorum, quantumcunq; simpliciū. De hoc est casus in *c.super ordinata.de præben.* Vbi tamen Bernh.in Gl.in v.*pueri*, vult contrariū, dicens *tex.qui dicit, q̀ pueri nō sunt idonei,&c.intelligitur, id est, infantes ante septenniū: post septē vero annos possunt habere simplicia beneficia.* Idem tenet post eum Io.An.in *c.si eo tempore.de rescrip.& c.ex eo.de elec.li.6.* Et multi scribentes post eos, communiter tali ratione: Quia, ex quo tales possunt ordinari ad minores ordines, & per consequens ordinati possunt deseruire ecclesiis: ergo possunt etiam ad stipendia ecclesiastica intitulari, arg.in *c.cum sec.apost.de præben.* Salua reuerentia eorum, non aduerterunt, quod magna est differentia inter ea, quæ spectant ad ordinem, & ad titulum. Quia spectātia ad minores ordines, vt portare cereas, vrceolum, canes expellere de ecclesia, &c. illa sunt ordinis, & possunt bene facere pueri: non autem illa contra, quæ spectant ad titulum, vt supra. Et si quandoq; pueri infra 14. annos sciunt talia, quæ titulus exigit, communiter tamen nesciunt: iura autē debent adaptari ad ea quæ communiter accidunt, *de despon.impub.literas,* non ad ea quæ raro veniant. Et ideo stylus curiæ obseruat, cum mandatur prouideri de quantumcunq; simplici beneficio, scribitur, *Si talis scit legere, & construere, & cantare,* &c. Quia propter officium datur beneficium, *de rescript. Quia per ambitiosa lib.6.*

PET. Quare ponis in descriptione tituli illam clausulam, *Ex electione proueniens*: cum tamen ex electione nullum ius quæritur in beneficio: & per consequens nec titulus, quamuis ius ad rem tribuitur? Hæc autem multum differunt, vt *de concess præben.c.vlt.lib.6.*

PAVL. De iure Canonico, electio Romani pontificis etiam à duabus partibus Cardinalium facta, dat statim titulum *23.di.in nomine Domini.De elec.c.licet.* Consuetudo tamen Romanorū pontificum, quæ potius solito vsu q̃ iure roboratur, est, quod ante consecrationem & coronationē non scribunt pontificatum in datis, vt refert Io.An. *Super datis lib.6.* super verb. *Pontificatus.* Nam dicit expresse tex.in dicto c.licet: *illa absq; vlla exceptione ab vniuersali ecclesia Romanus pontifex habeatur,* &c. De aliorum autem inferiorum electionibus est secus: quamuis alii statim post electionem, iure concedente, recipiunt administrationem, in tribus casibus, quorum primus in *c.nihil de electis.* Secundum est *eodem titulo, c. indemnitatibus § si vero & § caterum lib.6.* Tertius in Imperatore, secundum Hug.& Ioh. *93. dist. legimus.* Non tamen talis administratio dat titulum. In confirmatione vero etiam datur titulus; nam in electione initiatur spirituale coniugium, quemadmodum sponsalia de futuro: in confirmatione ratum, in consecratione intelligitur consummatum, *De translat. prela.* Hæc autem accumulatiue ponuntur, institutio, collatio, receptio, in descriptione prædicta. Quia, quamuis vnum sæpe recipitur pro alio, diuersa tamen sunt: vt no.in *c.cum in illis. De præben.lib.6.* Et quodlibet illorum dicit titulū ecclesiastici beneficii. Nam *instituere,* est ius canonicum in ecclesia vel ecclesiastico beneficio tribuere, vt no.in *Glos.2.in c.autoritate de institutis.* Et habet fieri à patrono in præsentatione præcedente, vt *de iure pat.c.consultationibus,* cum similibus. *Collatio* autem est, quam facit prælatus iure proprio, sine alicuius facto, vt in *c.Si tibi absenti & c.Statutum de præben.* cum concor. Prouisio antem est genus ad illa, secundum alios est species. *Recipere* vero in canonicum & fratrem, quandoq; titulum tribuit, vt no. *c. illorum, de præben.in Glo.vlt.& in c.capitulum ecclesiæ sanctæ crucis de rescript.* Et subditur hæc dictio, *Canonica,* in descriptione præmissa, quæ determinat omnia præcedentia: quoniam si institutio, collatio, &c. canonica: id est, si non esset facta secundum canones approbatos, & regulas traditas per sanctos patres, non acquireretur aliquis titulus, vt inferius apparebit: sed talis esset fur & latro, vt dicit Saluator in euangelio *Iohan.10.* Qui non intrat per ostium, &c. & iura multa consonantia.

CAP. II.

De ordine titulorum.

PET. Nunc de ordine titulorum te expedias, veluti promisisti.

PAVL. Hic est aduertendum, quod quemadmodum est in cœlesti hierarchia, quod sub potestatibus, quæ indistinctè præsunt, ponuntur principatus, quæ singulis prouinciis distribuuntur: & sub his angeli, qui singulis hominibus ad custodiam deputantur, vt patet in *2. Sententiarum, dist. 9.* ita etiam est in prælatione Ecclesiæ militantis, vt apud aliquem esset prælatio indistinctè in omnes: & sub hoc essent alii, qui in diuersas prouincias diuersam reciperent potestatem: Consequenter sub his alii, ad singula officia deputati. In hac prælatione, quamuis Saluator noster gloriosissimus, prædicatorem post se aliis prætulit, tamen Romanam ecclesiam quasi matrem omnium ecclesiarum esse voluit: ex eo, quia Petri & Pauli præsentia ipsam decorauit, qui eam ambo sub eodem tyranno, suo gloriosissimo sanguine decorantes, consecrantes tam sua præsentia quàm venerando prætulerunt triumpho, vt legitur *22. di. sancta & de elect. fundamenta lib.6.* Et ideo successores Petri, quamuis omnes indistincte exerceant clauium potestatem: tamen propter corporalem præsentiam, qua non possunt esse vbique, superna dispositione Romanam ecclesiam in titulum sunt sortiti, & Romani pontifices appellantur. Secunda vero sedes post Romam, est Alexandrina, beati Petri nomine, in qua beatus Marcus Euangelista, beati Petri discipulus, fuit primus episcopus: & per beatum Petrum illuc missus, qui ipsum in episcopum ordinauit: vt habetur ex Chronica, *de Consecrat. & 65.di.§.porro & 22.di.sacro-*

sancta 24.q.1.cum beatissimum. Tertia vero sedes apud Antiochiam, eiusdem B. Petri apostoli honorabilis: q̃ illic, postquam Romam veniret, 11. annis (vt dicunt *Chronica*) rexit: & deinde recedens, Ignatiũ episcopũ constituit, & illic primum nomen Christianorũ exortũ est. Primo .n. oẽs fideles dicti fuerãt *Fratres*, vel *discipuli*, sicut legitur *Actuum 21.* Sed postq̃ Apostoli fecerunt concilium Antiochenũ, dicti sunt *Christiani*, vt dicit Gl. *c. Sacrosancta*, supra allegata. Et hac auctoritate, Alexandrina ecclesia secundũ locũ censetur habere à prima. Sed postea in concilio Constantinopolitano, quando Achatius hæreticus, prætendens se patriarchã Constantinopolitanum, pro eo ꝙ excommunicauerat & deposuerat patriarcham Alexandrinũ & Antiochenum, fuit depositus à Gelasio Papa, vt dicit Glossa, *1. c. qua traditione 22. di.* & tunc ecclesia Constantinopolitana, quæ non fuit de principalioribus sedibus, secũdum locum obtinuit à sede Apostolica, tertium Alexandrina, quartum Hierosolymitana: vt in *c. vlt. 22. di.* in qua Hierosolymitana primus archiepiscopus B. Iacobus Alphæi, qui & Iustus dicebatur, & secundum carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro & Iacobo Zebedæi & Iohanne apostolis, est ordinatus, *66. dist. porro.*

Pet. Anteq̃ tractatum diuertas ad alia, videtur omnino, ꝙ non Romana, sed potius Hierosolymitana, caput esse debeat ecclesiarum: q̃ vltimum locum inter principaliores sedes habere asseris, cum ipsa Hierusalẽ ciuitas per præsentiã Saluatoris nostri, & per effusionẽ sui gloriosissimi sanguinis, quẽ ibi in ara crucis salutis nostrę victimã obtulit, sit consecrata, & nõ immerito dignior aliis est censenda.

Pavl. Si locus appellaretur ecclesia, ꝓbabiliter affirmares, ꝙ Hierosolymitana esset dignior q̃ Romana. Verum q̃a non locum, sed congregationẽ fidelium ecclesiã appellamus, non illa vtiq; erit dignior, ꝓpter defectũ fidei Christianæ. Non enim gentẽ propter locũ, sed locũ propter gentem Dominus elegit: vt legitur *2. Machab 5.* Electio vero Dei gentẽ sanctificat, ac dignificat, ex q̃bus ædificatur ecclesia, non aliq̃s locus terrenus. Vñ potest videri quãto Dei mysterio actũ sit, vt Petrũ nõ Hierosolymis dimiserit successorẽ, vbi Christus examinationẽ suæ fidei ꝓuiderat in ꝓximo affuturã: sed in Romanis partibus, vbi eam præuiderat ampliandam, & infinitorũ martyrũ sanguine consecrandã. Cũ enim persecutione crebrescente Romæ, B. Petrus de Roma fugere voluisset, iuxta præceptũ magistri, Matt. 10. *Cũ vos persequentur in ciuitate ista, fugite in aliam*, &c. occurrit ei Christus extra portã ciuitatis, cui, Petrus stupefactus, dixit: *Domine, quo vadis?* Cui tũ Christus respondit, *Vado Romam iterum crucifigi*, & statim ab oculis eius disparuit. Petrus ex hoc dicto se intelligens tanq̃ alterum Christum, q̃a eius in terris ibi vicariũ, ibi crucifigi debere, reuersus est, & ibi ad finẽ vitæ remansit: *Qui fil. sint le. ꝑ venerabilem.* Nusquam enim Christi vicarius plus ecclesiæ ædificandæ conferre potuit, q̃ in vrbe Romana: quia tunc, & diu post, quasi totius orbis dominiũ tenuit. Et sic congruentissime, ꝙ alibi nõ fieret, ab eodem fonte pro spiritualib. causis ac temporalibus in orbe duplex riuulus regiminis emanaret: & vt regna Romano imperio subiecta, eo citius fidem Christi susciperent, quo suam dominationem candem fidem cernerent recepisse: sic insuper prædicatores fidei Christianæ eo fidẽ liberius & securius prædicarẽt, quo forent imperiali potentia cõmuniti, &c. Vnde Paulus ob hoc dixit ad Festũ, sicut legitur Actuum 25. *Ad tribunal Cæsaris sto, vbi me oportet iudicari*, & sic euasit mortem corporalem.

Pet. Iam video aperte, quod Romana ecclesia aliarum omnium rationabiliter esse debeat mater & magistra. Progredere vlterius ad alios titulos explanandos.

Pavl. Prædicti tituli sunt principaliũ sediũ patriarchaliũ: Aquilegiensis vero, & Gradensis, nomen primatis seu patriarchæ sibi acquisierunt, qui tamen sunt secundũ aliquos Metropolitani, ꝓut etiam sunt Cantuariensis & Bitiniensis archiepiscopi. Etiã dicuntur aliquando primates & Metropolitani, vt *22. di.* à mensura ciuitatũ, in quib. sunt cathedræ episcopales, & dicitur ab *archos* græce, ꝙ est princeps latine, quasi princeps episcoporũ, & ipsi, ac etiã episcopi, qui vices apostolorũ gerunt, non nisi in ciuitatib. & locis insignib. intitulãtur *60. d. c. 1. & c. episcopos.* Inde est, ꝙ in Iure canonico non dicitur *ciuitas*, nisi ibi sit episcopalis, aut alterius sup̃ioris titulus, seu ecclesia cathedralis. Postea alii sunt inferioris tituli ecclesiarũ parochaliũ, & alii tã in ecclesiis cathedralibus q̃ cõuentionalib. &c. ad diuersa officia, [illegible] ministeria ecclesiastica, vltra diuinũ officiũ exercendo instituti, vt sunt, ad q̃ exercenda tẽpore Apostolorũ fuerunt electi septẽ discipuli, Stephanus, &c. quando erant eis omnia cõmunia, iuxta illud dictũ ab Apostolis, Actuũ 6. *Non est æquũ nobis, relinquere verbũ Dei, & ministrare mensæ. Considerate igitur fratres ex vobis viros boni testimonii septẽ plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus.* Sed proh dolor, modernis temporib. Apostoli ꝑ contrariũ dereliquerunt verbũ Dei, & ministrãt mensæ. Hinc est etiã, ꝙ multiplicatis reditib. ecclesiæ, & postq̃ ad ꝓprietatẽ deuenimus dictorũ officiorũ, nomina quasi ad sola tẽporalia cõmoda translata videtur: & nõ officia, sed *beneficia* nuncupantur, ex eo ꝙ vnusquisq; cõmuniter quærit q̃ sua sunt, non q̃ Iesu Christi: & amplius tẽporalia obtinẽda, q̃ diuina ministeria exercenda. Et quoad istos titulos, tã quoad ipsorũ ordinẽ, q̃ officia tenenda, est diuersatũ ecclesiarũ consuetudo. Nã etiã aliquæ ecclesiæ plures habẽnt huiusmodi titulos, q̃ aliæ, de iure cõmuni. *Archidiaconus*, q̃a est quasi oculus episcopi, est primus. Postea *archipresbyter*, & in aliq̃bus ecclesiis dicitur *Decanus*, postmodũ *primicerius*, & apud aliquas ecclesias dicitur *scholasticus*: deinde *thesaurarius*, &c. *30. di. perlectis.* Pet. Dixisti supra, ꝙ tales tituli dicuntur *dignitates, personatus, & officia*: quæ est differentia inter ista? Pavl. Vnum sæpe recipitur ꝓ alio, tamen differentia consueuit assignari. Nam *dignitas* habet administrationẽ rerum tẽporalium, cum iurisdictionę, vel nomine dignitatis, habet prælationẽ in ecclesia, in choro, & aliis: licet nõ habeat administrationẽ tẽporaliũ, vel iurisdictionẽ, vel q̃a de cõsuetudine habetur ꝓ dignitate. *Personatus* aũt prærogatiuã habet in choro, capitulo, ꝓcessionibus, optionibus, vocib. plus quam canonici: sed non tantũ, quantum dignitatem habentes. In Anglia *personatus* vocatur ecclesia parochialis. *Officium* cognoscimus ex administratione rerum, siue prærogatiua in choro, vel capitulo, vltra alios sui ordinis. Vel habet onus, siue præro-

tiuam honoris, vel quia sic habet ecclesiæ consuetudo pro simplici officio. *Canonicatus* autem, siue *canonia*, est ius spirituale, principaliter ad exercendum diuinum officium in ecclesia, propter quod continue peragendum dati sunt fructus à fidelibus, qui secundum aliquos dicuntur *Præbendæ*, quia præbentur agentibus diuina officia, & secundum Bernh. in *c. cum M. Ferrariensis de const.* laicus potest habere prębendam, sed non canoniam, quod est ius spirituale, non cadens in laicum. Sed salua reuerentia, aliud est fructus præbendæ, aliud præbenda, sc. ius percipiendi fructus, quod est spirituale, vt in *c. dilecto. de præbend.* & essentialiter idem est quod canonia: quia eodem iure quo teneor ad officium, debeo facere omnia accessoria ad hoc spectantia, & sine quibus principale non potest fieri, sicut sustentationis fructus percipere, pastorem eligere, pro bono communi consulere. Et ita canonia & præbenda nō differunt essentialiter, sed respectu diuini officii, quod est principale, dicitur canonia: respectu fructuum, quod est accessorium ad diuinum officium, dicitur prębenda. Et hoc idem ius, sci. canonia & præbenda, est titulus. Et tale ius, siue titulus, vsitato vocabulo dicitur *beneficium*: & ita accipit denominationem ab accessorio, & non principali, vt prius dixi. Quia homines cōmuniter ordine præpostero magis quęrunt temporalia commoda, quam spiritualia. Et ita quilibet titulus est canonia, capiendo canoniam generaliter, id est ius canonicum, siue spirituale. Alio modo *canonia* in cōmuni vsu loquendi, & specialiter est titulus distinctus in ecclesia, contra dignitatem personarum & officium. Et dicitur vsitato vocabulo *Canonicatus*, & licet cancellaria & stylus curiæ habet, quod scribitur in literis gratiæ, sc. *sibi dictos canonicatum & præbendam assignantes*, &c. tanquam essent diuersa, non tamen nisi in illum finem scribitur, vt vterque effectus, sc. spiritualis & temporalis siue accessorius, actualiter suo iure respondeat, &c.

CAP. III.

In quo declarantur tria, quæ requiruntur ad hoc, vt titulus acquiratur, & tertium eorum prosequitur.

PET. Declara, si placet, particularius de institutione, seu prouisione canonica, de qua dicit tua definitio, vt queam intelligere, quando quis iuste aut iniuste agens, contra salutem quærit, seu obtinet ecclesiasticum beneficium.

PAVL. Aliud est iniuste quærere, aliud iniuste quæsitum retinere. Nam multi iniuste quærunt beneficia ecclesiastica, quæ tamen quæsita iuste tenent. Alii autem econuerso iuste & canonice quærunt, sed quæsita quandoque iniuste detinent. Alii iniuste quærunt, ac etiam iniuste quæsitum, cum periculo salutis detinent. Alii vero sunt iuste & canonice quærentes, & canonice quæsita retinentes. Sed isti quarti, maxime hoc tempore nulli sunt, aut rari.

PET. Imo, sicut te aliqualiter intelligo, promoti in curia Romana his temporibus, docente fama publica, vel potius infamia, tales quarti sunt quasi nulli. Sed rogo prosequere vlterius, quoniam offert se salubris materia ad tractandum.

PAVL. Diligenter debes animaduertere, quod ad assecutionem canonicam alicuius tituli, siue beneficii ecclesiastici, requiruntur principaliter tria. Quædam debent antecedere, quædam mediare, quædam vero sequi. Antecedentia sunt, sicut personæ promouendæ postulatio, electio, præsentatio, vel debita examniatio, &c. Mediantia sunt, institutio, collatio, prouisio, receptio, vt in descriptione præmissa. Sequentia sunt, inuestitura, & in possessionē realis inductio, quæ secundum dist. post Hosti. & alios canonistas, super regul. *beneficiū, de reg. iur. li. 6.* differunt. Quia *institutio*, est iuris alicuius beneficii verbalis collatio: *inuestitura* vero, institutionis, seu collationis confirmatio: *Missio in possessionem*, est præcedentium, sc. collationis & inuestiturę, executio. Per institutionem tribuitur ius proprietatis: per inuestiturā, declaratur & confirmatur illius iuris collatio, vt in *c. Cum ex iniūcto. de heret.* Per inductionem in possessionem, tribuitur ius possessionis, & actualis administrationis: vt *c. ad hæc & c. vt nostrum. de offic. archi.* Et vt euidentius hoc clarescat, aduerte. Facta n. institutione verbali ad ipsius declarationem & confirmationem, iure vel consuetudine inducta est quædam solennitas: quæ quandoq. fit p annulum, aliquando per librum, quandoq; per birreti impositionem, &c. vt in *auctoritate, de instit.* Gl. 2. *de his quæ fiūt à ma. per ca. ex ore. c. fi.* quo facto, illius iuris spiritualis taliter acquisiti, datur q. possessio, vt cū assignatur canonicatus, possessio fit, assignādo stallū in choro, & vocē in capitulo, & sic de aliis: quia talia proprie possideri non possunt, vt in *c. fi. c. cū ecclesia. de causa poss. & propriet.* sed quasi possidetur. Habita vero possessione, in illis effectibus spiritualibus, non per hoc est possessio acquisita in corporalibus pertinētiis ad titulum: sicut sunt, villæ, prædia, decimæ, & alia corporalia, quia sunt diuersa. Sed necessaria est primo realis conductio in possessionem corporalem, quā facit gratiarum Apostolicarū subexecutor, vel archidiaconus in ecclesiis cathedralib. *de offic. archi. ad hoc. & c. vt nostrū 25. di. perlectis.* Demum omniū corporaliū separatorū ab inuicē apprehēsio corporalis, prout notari consueuit post Innoc. *c. in literis. de restit. spo.* &c. q̄ etiā cōfirmatus vel prouisus auctoritate propria pōt adhibere, si nō est cōtradictor, secundū Io. An. in *c. transmis. de elect.* Inuestitura tñ, est absentis institutio: sed institutio, est præsētis, secundū aliquos doctores, q̄ hoc not. in dicto *c. ex ore. & de cōces. præben. proposuit.*

PET. Nūc breuiter dic de his quæ canonicā debēt tituli prouisionē antecedere, quid vnūquodq; sit: & an ad hoc, vt sit prouisio canonica, p̄sonæ p̄uisæ valor, vt electio canonica, necessaria, req̄ratur.

PAVL. Breuibus verbis multa quæris, nam iura noua & antiqua longioribus titulis diffusa, prolixique processus doctorum scribentium, vix poterant explicari.

PET. Non te occupare desidero, vt plenam de his doctrinā tradere debeas: sed vt tempus restet, ad alia saltem, de secundo modo, quo breuiari poteris, percurres.

Cap. IV.

In quo damnatur electionum reseruatio, occasione cuius male prouidetur ecclesiis, & decipiuntur electi.

PET. Videtur nec postulatio, nec electio hodie locum habere, imo vix personarum examinatio, ad minora beneficia, pro forma taliter qualiter obseruatur. Nam electionibus prælatorum videtur esse derogatum per regulas Cancellariæ, quas Romani Pontifices in sua promotione pro se reseruant, in quantum eis vti volunt, quod reiectis plurium ecclesiarum electionibus in Romana curia hodie practicatur. Ex quo videtur, quod ad hoc, vt canonica fiat prouisio, non oportet, vt capitularis electio antecedat.

PAVL. Errore graui deciperis. Ad omnem enim iustitiæ actum duo debent concurrere, scilicet rectæ rationis iudicium, quo discernitur, an hoc fieri expediat, vel non, exigitur pariter auctoritas, siue potestas faciendi. Non enim dare vel facere possumus, nisi ad hoc potestatem habeamus. Nec iudicium dici potest, nisi vim coactiuam habeat: eo quod iudicium tantum ad vnum determinatur. Hæc quidem determinatio in speculatiuis fit per veritatem primorum principiorum, quibus resisti non potest: & in rebus practicis per vim imperatiuam, in iudicante existentem. Et ad hoc, secundum beatum Thomam super *quarto sententiarum, distinctio. 18.* sunt duo claues vicario Christi, & cuilibet prælato ecclesiæ traditæ, quæ non distinguuntur in essentia auctoritatis, qua vtrumque ex officio suo sibi competit: sed comparatio ad actus, quorum vnus alium supponit, sicut voluntas præsupponit iudicium rationis. Quomodo ergo dictos reseruatores iustificare poteris, cum Papa ad suum libitum non potest ad aliud, vel aliter facere in spiritualibus, quam exigunt dictæ claues? Alioqui clauis errando nec claudere potest, nec aperire, vt dicunt Glossantes. Quicquid enim aliter faceret, quam rectæ rationis iudicium exposceret, non virtute clauium hoc fieret, sed potestate propria: & per consequens, non valeret, sed quædam vmbra taliter appareret in opere, & nulla veritas in effectu. Quid namque fore potuit illa vis, ad reseruandum prælatorum electiones, &c. rationis iudicium determinans, & non potius ad errandum: quæ scilicet causæ reseruandi, & non verius grauiter oberrandi. Arbitrium itaque Papæ nudum proprie non sufficit. Non enim sola voluntas Papæ regere debet claues ecclesiæ: sed potius econuerso, ad hoc sunt sibi traditæ, vt secundum ipsas debet dirigi, & alios regulare.

PET. Audiui à Curiensibus mihi dici, quod reseruationes huiusmodi pro honore curiæ facit Papa. Idem certi prædecessores sui fecerunt: non tamen in tantum practicabant, sicut nunc dictus honor conuersus est in errorem.

PAVL. Mirabile regentium Christi ecclesiam iudicium, ad eligendum potius honorem curiæ, quam salutem totius Germaniæ, & Italiæ, &c. Quis namque modus vnquam aptior inueniri potuit ad prouidendum ecclesiis, & conuentibus de pastore, aliisque beneficiis conferendis, quam is, qui tot centenis annis diligentissima sanctorum patrum prouidentia masticatus, & iure canonico declaratus est? Et quid sceleratius, magisque erroneum, quam eo contempto, scandalose & inutiliter prouidere taliter qualiter ecclesiis, ac per hoc ecclesiam Christi peruertere, & quamplurimas simplicium animas Christi fidelium sic damnare? Dic quæso, vnde sibi hæc potestas, clauibus ecclesiæ prorsus contraria? Nonne approbati canones late improbant, & expresse, Papam mutare non posse, vel eius contrarium facere, quod per prædecessores suos rationabiliter statutum est, absque causa euidenti & vrgenti? *25. q. 4. per totum. de consang. & affin. non debet.* Quia si voluntarie violat canones, Spiritum sanctum dicitur blasphemare, cuius instinctu ac dono sunt editi. *eo cap. & q. violatores.* Quæ potuit esse causa, vrgens necessitas, aut reipublicæ æqua vel maior vtilitas, sublimitas, decreta generalis concilii immutandi, formasque electionum, &c. per huiusmodi reseruationes respuere studiose vtique discurrenti ingenio, causasque singulas percunctanti non apparet, quam quod fiat capitularis electio, iuxta formas generali concilio approbatas, vt in *cap. quia propter de elect.* Et certus sum, Papam aliter facere non posse sine causa, vt dictum est.

PET. Hoc vtique pro causa huius à magnis intellexi, quoniam quandoque duo, interdum tres vel quatuor electi fuerunt in eadem ecclesia, & inde nonnunquam suscitata fuerunt odia, litesque graues, cum multo ecclesiarum incommodo atque damno. Expediebat igitur talis reseruatio Romano Pontifici, ad talibus obuiandum.

PAVL. Cur ergo cessante causa huiusmodi, non reseruatio cessat, saltem quoad electores eorum, qui concorditer & sancte sunt electi? quoniam etiam & in his practicatur, res vtique grauiter est suspecta. Et quomodo talibus, quæ non communiter accidunt, imo raro, expediebat ponere talia remedia, per quæ tam grauibus erroribus via patet, quos inde multipliciter experimur. Nulli dubium, quin hæc reseruatio siue regula detestanda, pluribus & grauibus erroribus viam aperuit, inferius declarandis. Nec hoc est ambigendum, quod nisi hæc fuissent, nunquam talia emanassent. Dato enim, sed non concesso, quod tales electiones in discordia communiter euenirent, nonne etiam hoc casu iura sufficienter & salubrius prouiderunt? Et si bene perpenditur, dicta reseruatio non adimit simpliciter electionem capitularis, sed sub conditione, quia in reseruatione dicitur: *In quantum*

tum

tum ea vti voluerimus, & sic tacite admittit, vt capitula pastorem sibi eligant. Sed electionis approbatio à Papæ dependet voluntate: qui quantumcunque electi in concordia illuc venerunt, fatigati grauibus laboribus & expensis, intentionibus frustrantur, sic decepti.

CAP. V.

In quo diuisi errores Romanæ curiæ circa prouisiones & executiones beneficiorum, indulgentiarum, &c. deteguntur.

PET. Quid ergo valent iura, multis vigiliis, magnaque maturitate & sollicitudine sanctorum Patrum inuenta, præsertim de electionibus, cum tamen Papa pro suo libito contra electioné quantumcunq; canonicam, de ecclesiis disponit, & monasteriis? imo inutiliter membranas occupant. Doctores vero, ac seculares ea legentes, inani labore se consumunt.

PAVL. Sic sic Papa faceret, vt asseris, erroneum sine dubio censeretur. Nec error suus huiusmodi excusationem haberet: quia nequaquam immutare posset, quæ instinctu Spiritus sancti pro vtilitate totius vniuersalis Ecclesiæ multis temporibus, pro vigili sollicitudine sanctorum Patrum, conciliorumque generalium sunt digesta, nisi subesset causa valde rationabilis & euidens, aliquando contrarium faciendi.

PET. Nunquid sub nomine *Rationabilis causæ*, includitur pecunia?

PAVL. Absit hoc Petre, & valde absit à Christi vicario, quod tanta dementia insaniret, abiecta perfectionis Apostolicæ disciplina, cuius cathedram decet, non vendere, sed regere, & fideliter dispensare.

PET. Miror, Paule, nimium, si hoc tu ignoras, quod fere nedum totus műdus scit, sed ruinam maximam & corruptionem ex hoc patitur, & est passus, & scandalizatus per ea, quæ fiebant in Romana curia continue, & nunc fiunt. Te namque certifico, sic etiam per inspirationem Dei notorium esset, de aliquo facta electio, & persona quantumlibet vtilis, docta atque sancta, nisi dederit pecunias, vel de soluendo prius pacta fuerit, quasi superuacua pro sua confirmatione, aut alias pro quocunque ecclesiastico beneficio laborabit.

PAVL. Ignorare non possum, Petre: sed doleo plus quam stupeo, quod tam grauissima plaga, Deo permittente, propter peccata nostra, sæuit in populum Christianum, multo dolore quassantur præcordia. Heu quoties tot & tantos errores in ecclesia conspicio Christiana?

PET. Nonne totum hoc sua venalitate tota curia Romana propagauit, cű sic exorbitantes promouentur episcopi inutiles, idiotæ, scandalosi, ambitiosi, subditis violenti, aliisq; beneficiis ecclesiasticis, tam curatis quam non curatis, sine differentia discretionis personarum, & inaniter præficiűtur, lenones, coci, stabularii equorum, & pueri. Tot ibi fiunt pactiones, tot quotidie interueniunt solutiones, quot sine omni timore & verecundia tractatores seu mediatores simoniæ, quasi forum constituentes publicum. Iam pro signatura Papæ super tali beneficio, vel gratia, debes tantum: iam pro dispensatione super talib. icőpatibilibus, tñ: pro tali indulto, tantum: pro absolutione à tali excőmunicatione, vel irregularitate, tantum: pro talibus indulgentiis, tantum, &c. publice paciscuntur & forisant. Et ille plus diligitur, qui astutiori sollicitudine, & maiori astutia plures simplices decipit, & plures denarios scit venari. Tot & tantæ fiunt etiam exorbitantes gratiæ: sed reuera multo verius dicerentur mercantiæ, quæ nunc fiunt, & appellantur *de die obitus*, nunc *dies obitus cum declaratione*, nunc *perpetuum silentium*, nunc *clausula anteferri*, vel *antelationis*: nunc *de proprio motu Papæ*, nunc *de clausula cæterorum quæ tollit ius quæsitum*. Nunc fiunt *anticipationes datarum*, nunc *data Cardinalium* conceduntur nunc *data Papæ*, iam reuocantur, iam immutantur, iam ad certum tempus duraturæ limitantur, iam renouantur, iam prȩlati de vna ecclesia ad aliam transferuntur, iam beneficiis suis propter pecuniam spoliantur. In omnibus his tota deuotio consistit, vt denarius acquiratur.

PAVL. Res multum miranda, sed magis est formidanda, quod facta Romanæ curiæ, & hæc tam perniciosa exemplo deliria, ludo scacorum assimilantur. Quisnam tam simplex esse poterit, qui non intelligat, ex auaritiæ radice procedere? quis tam iustus, qui in bonum tam exorbitantia facta interpretari valeat? Quis tam sanctus, vt non expauescat, vel non scandalizetur? imo toti clero ambitionis datur materia, via grauibus & plurimis litibus aperitur, quam omnia iura fugere conabantur. Et non dubium, quin homicidia ex hoc etiam consequantur.

PET. Imo certum est. Nam vix contigit vacare beneficium ecclesiasticum, vbi duo, tres, quatuor, vel sex, ad impetrandum non concurrant, & sæpius ipsi, vel amici eorum, hac occasione se armis inuadunt bellicis, & mutuo se occidunt. Currunt quoque ribaldi ad curiam, sicut ad forum publicum, & vbi duo vel tres conueniunt, pro prima vel secunda salutatione se suscipiunt. Quantum iam valet data Papæ, quantum Cardinalium, quantum proprius motus Papæ, quantum tales indulgentiæ, &c. Quomodo ergo errores esse non debeant, vbi Christus, vera lux, non illuminat, sed cæcitas auaritiæ corda venalitate obfuscat? Quid enim propinquius totius ecclesiæ destructioni?

PAVL. Plane non regitur sic ecclesia, sed destruitur, vt ait Bernard. scribens super Cantica, sermone 78. Non est hoc custodire, sed perdere: non est defendere, sed exponere: non est instituere, sed prostituere: non est pascere gregem Dominicum, sed mactare, & deuorare, dicente

cente Domino de illis: Qui deuorant plebem meam, sicut escam panis. Nec rectores, sed destructores dici debeant, tam promouentes, quam promoti.

PET. Ex his, vt apparet mihi, resultat vnius membri veritas supra capitulo tertio distinctionis iam præmissæ, quod omnes sic promoti ad titulos, sicut eos iniuste acquisierunt, sic semper cum salutis periculo detinent sic quæsitos. Sed redeundo ad propositum, iam declara, qui sunt qui iuste quærunt titulos, & quæsitos iuste tenent.

CAP. VI.

Quo dantur quatuor regulæ, quibus cognoscitur, quando prouisio tituli est simoniaca, aut canonica: & declaratur, quomodo in prouisione simoniaca non datur titulus.

PAVL. In hac materia te breuiter per quatuor regulas expediam, tota memoria perpetuo retinendas. Quarum prima sit ista: Iuste intitulari quærit, qui intentione principalissima honorem Dei, aut salutem proximi, finem constituit, & demum per media debita, & canonica, de quibus supra dictum est, scilicet canonicam electionem, legitimam patroni præsentationem, aut sufficientem personæ examinationem, & interuenientibus aliis requisitis, de quibus supra, obtinere quærit. Non enim sufficit bonum finem intendere, nisi per modos & vias licitas & honestas fiat, hoc enim necessario requiritur ad quemlibet actum ordinatum: & dico tam in suscipiente, quam in conferente. Secunda regula est ista, quod quantumcunque recipiens beneficium, honesto fine motus intitulari queat, ad beneficium ecclesiasticum, per media debita & canonica. Si tamen eo ignorante, vel sciente, conferenti per aliquem offertur pecunia, & conferens non habito respectu principaliter ad electionem canonicam, præsentationem aut valorem personæ, sed ad pecuniam, aut fauorem humanum, aut preces carnales, aut obsequium, &c. & propter hoc confert beneficium ecclesiasticum, alias non facturus, nullum ius per hoc in dicto beneficio ecclesiastico est recipienti acquisitum. Quod hoc sit verum, præter id quod inferius latius apparebit, videre poteris ex eo: quia quam cito ad notitiam possidentis deuenerit talis collatio, tenetur dimittere beneficium, vt in *cap. ex insinuat. de simo.* & ipsum sine noua collatione non poterit obtinere: vt *ibidem*. Tertia regula, quantumcunque promouendus ad aliquem titulum ecclesiasticum, siue beneficium, finem intendat bonum, vtputa prædicare, ruinam ecclesiæ reformare, & multa bona facere: si tamen in acquirendo non incedit per media debita iuris, vt supra, sed per pactiones, solutiones, preces carnales, obsequium, promotiones, principum adulationes, &c. & conferens, vt sic etiam sibi confert, scilic. propter pecunias principaliter, & preces, &c. vt supra: & partim propter Deum, seu virtutes personæ coniunctim, nec iste confert titulum, nec ille ex tali collatione aliquod ius acquirat. Quarta regula: Licet promouendus impetrando beneficium ecclesiasticum, intendat finem principaliter inhonestum, vtputa honorem temporalem, seu mundanum, aut propter delicatam vitam deducendam, aut propter consanguineos promouendos, si tamen est alias canonice electus, aut idoneus iusto examine repertus, & per talia media canonica intitulari quærit, & conferens, vt sic motus, sibi conferat, quamuis ipse recipiens propter deprauatam intentionem peccat mortaliter, tituli tamen facta collatio tenet. Et idem est dicendum, si recipiens, quantum in eo fuit, prouisionem per simoniam obtinere conabatur, & voluit: conferens tamen non intuitu pecuniæ, sed intuitu virtutum personæ contulit, &c. Et per has conclusiones, seu regulas, si eas debita masticatione consideraueris, de infinitis casibus in hac materia es expeditus. Nam aliquando quis quærit beneficium canonice, & etiam quæsitum iuste tenetur: vt dicitur prima regula. Aliquando iuste quærit, sed quæsitum iniuste tenet: vt dicit secunda regula. Quandoque vero iniuste quærit, & quæsitum tamen iuste tenet: vt dicit quarta regula. Interdum autem iuste quærit, & quæsitum cum peccato mortali, & salutis suæ detrimento tenet, vt dicit tertia regula.

PET. Valde horribilis & supra modum terribilis hæc tua videtur sententia, & si bene aduerto, non solum promotos his temporibus in Romana curia, sed quasi totius mundi clerum videntur hæ regulæ condemnare. Quod quia non verisimile est, quod tanta multitudo beneficiatorum pereat, vt sunt multi valentes Theologi, ac vtriusque Iuris professores, aliiqui viri literatissimi, tam promouentes quam promoti, non tibi tanquam in singulari opinione laboranti consentio, & maxime, quia & secunda & tertia regulis videris nimium delirare.

PAVL. Profecto Petre, si quis sollicitæ considerationis animo, quod dictum est amplectitur, non tam terribilis apparebit hæc sententia, quam vera: nec singularem me in ea reputo, quam notoria dicta Saluatoris, & ratio approbauit, necnon etiam Ecclesiæ instituta: nec multitudo errantium, ac error multitudinis, eius poterit veritatem aliquatenus immutare, & potius consequendus est Christus, qui est vera via, & veritas, quam tumultus errantium, quantumcunque peritorum. Audi canonem: Quia *non minus ardebunt, qui cum multis ardebunt* 2.q.1.*multi.*

PET. Rationabiliter vtique hæc dixisti: sed ostende quæso, hoc ex dictis Scripturarum, aut nominibus, vt si forte verum inueniam quod asseris, periculum damnationis euitabo.

CAP.

CAP. VII.

In quo declaratur veritas secunda & tertia regularum multipliciter.

PAVL. Considerare oportet primo, Petre, Saluatoris dictum in Euangelio Iohan. 10. vbi dicitur: *Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium, huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt.* Quid autem sit ostium, quid ouile, & quæ oues, nobis dubitantibus cum Apostolis, exponit ibidem dicens: *Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium: per me si quis introierit, saluabitur.* Conclude tu à contrario sensu: Si non per me introierit, damnabitur. His diligenter pensatis, considerandum est, quod sicut ostium materiale est medium inter intrantem ouile, & aperientem: ita secundum rationem doctorum, & intellectum verum, & per multa iura approbatum, Christus, qui est verum ostium (vt dicit textus Euangelicus) debet esse medium inter intrantem ouile, id est titulum ecclesiasticum, & inter aperientem, id est, conferentem. Hoc est dicere, quod Christus debet esse causa collationis in conferente, & etiam receptionis in suscipiente, quod vterque facit propter Christum. Vnde, si conferens non confert pure & principaliter propter Christum, sed propter aliam causam temporalem, ostium sine dubio non est apertum. Ex quo sequitur, quod iste non intrat: & per consequens, non acquirit. Præterea conferens propter aliam causam, quam propter Christum principaliter, vtputa propter pecunias, propter consanguinitatem, obsequium, preces carnales, fauorem patriæ, vel linguagii, timorem humanum (qui non cadit in constantem virum) vel fauorem: vt adulationes mendacii, lenocinii, vel cuiuscunque peccati, non solum sibi conferendo titulum, sed dando causam aliunde ascendendi, facit ipsum furem & latronem: & per consequens, suæ damnationis participem. Patet hoc ex eo, quia ascendens aliunde, *est fur & latro*, vt dicit Christus. Et ad idem est *prima quæstion. prim. ordinationes.* Ergo ex tali collatione non habet aliquod ius in beneficio, & per consequens, non aliquem titulum. Ex quo titulus non est aliud, quam ius spirituale in aliquo beneficio, vt supra definitum est. Consequentia tamen videtur esse nota ex eo, quia si talis haberet ius, siue titulum in beneficio, faceret fructus suos, & contrectaret rem suam, non alienam: & per consequens, non esset fur, cuius contrarium est veritas Euangelica. Confirmatur hoc argumentum optime per *cap. gratia. prim. quæstion. prim.* Idem est dicendum, si confert partim propter pecuniam, vel aliam causam temporalem, & partim propter Christum: ita scilicet, quod nec collaturus esset propter pecunias tantum, nec solum propter Christum, sed propter vtrumque simul: sine dubio talis per ostium non intrat, & per consequens, non habet titulum. Quomodo autem ratione naturali hoc probetur, patebit inferius, cum tractabitur de plenitudine potestatis Papæ. Præterea, iure canonico talis nunquam potest agere veram pœnitentiam pro peccatis, quandiu non dimittit titulum, seu beneficium taliter acquisitum: vt *1. q. 1. si quis dator. & 1. q. 1. ordinat. & c. si quis neque sanctis*, & ibi expressa per B. Gregorium & *cap. siquidem. & 1. qu. 7. requirentis.* Item ad idem est *cap. nisi cum pridem. de renun.* quia necessario sunt talia dimittenda, quæ etiam post peractam pœnitentiam impediunt executionem ordinis, aut beneficii retentionem: vt ibi, & in *c. inquisitionis, de accus.* Et dicit Gloss. eiusdem *c. nisi cum pridem*, super verbo *illius*: quod simoniacus, & intrusus, non habent titulum, sed sint fures & latrones. concor. in hoc casu Io. Teu. Vin. & Io. Fau. & Io. An. ib. Item nec etiam saluari talis poterit, nisi pro viribus omnia restituat sic percepta ecclesiæ, in cuius ignominiam talia sunt perpetrata, vt *17. q. 4. si quis, matr. 27. q. 1. si quis rapuerit. Et de sim. c. de hoc. cum sim.* Quod vtique non procederet, si illi fuisset aliquod ius quæsitum.

PET. Non sequitur, quod vltimo intulisti, nam suspenso ab officio, & etiam excommunicato, excommunicatione durante, subtrahuntur prouentus beneficii, vt in *c. pastoralis*; & perceptos tenetur restituere, & tamen nihilominus retinet titulum beneficii illius.

PAVL. Ignorantia iuris te decipit. Nam excommunicatus, aut suspensus ab officio, non perdit fructus ipso facto, & ideo ratione tituli, quem habet, durante excommunicatione, fructus perceptos non restituit, nisi per sententiam iudicis subtrahantur, quod innuit Inno. in dicto *cap. pastoralis.* Translatio autem tituli in ipso collationis initio vitiatur modo supradicto, propter quod tenetur omnia restituere. Quæ n. malo inchoantur principio, nunquam peraguntur bono fine *1. q. 1. principatus.*

PET. O Paule, cum exultatione animi iam tua dicta recipio, taliter declarata. Iam vere conspicio, quamplurimos quotidie grauiter delirare, veruntamen dic etiam specialius circa alias regulas, vt ipsarum veritas clarius patefiat.

CAP. VIII.

In quo declaratur veritas quartæ regulæ: & datur ratio, quare non transfertur titulus, si datur simoniace, & tamen si solum recipitur, simoniace tenet.

PAVL. Aliqualiter procedendo retrograde, prius quartam regulam in ordine tibi taliter declarabo. Quilibet enim titulus beneficialis institutus est effectiue & finaliter, propter aliquod

aliquod officium, vel ministerium ecclesiasticum, vt honor debitus referatur creatori, & ad hoc sunt fructus beneficiorum à fidelibus assignati, vt supra circa diffinitionem tituli sufficienter audiuisti. Si ergo aliquis peruerso isto ordine suum honorem, vel commodum temporale, &c. finem principaliter constituit, id quod debetur Deo, sibi vsurpando, quantum in eo est, Deo subtrahit: & per consequens, in aspectu eius qui suam intentionem peruersam clarissime intuetur, est fur iudicatus. Præterea talis illud temporale plus eligit, & per consequens plus diligit, quod sibi principalius finem cõstituit. Ex quo sequitur, quod ipse sua intentione à recta charitate recedit, cum illud quod est per se bonum & diligibile, dimittit: & bonum transitorium, quod est bonum per accidens, eligit: quod non nisi in ordine ad Deum debet diligi, & per consequens, veræ dilectioni contrarium faciens, peccat mortaliter, quia repugnat veræ charitati. Nõ nego tamen, quin propter temporale commodum assequendum, non tamen principaliter, licitum est beneficium ecclesiasticum postulare, seu pro vt est quoddam adminiculum ad salutem, vel in quantum proprio fini non derogat: propter quem illud beneficium est institutum. Et licet hoc in actu suę intentionis non habeat tunc, quando promoueri quærit, vel desiderat: sufficit enim, quod hoc habeat in habitu & virtute, sci. quod potius vellet eligere, carere tali beneficio, quam aliter facere, quam secundum quod finis exigit, propter quem est tale beneficium finaliter & principaliter institutum.

PET. Vsque nunc vnam partem quartæ regulæ sufficienter ostendisti, placeat etiam modicum dicere de secunda. Quæ enim potest esse ratio, quod mala conferentis intentio totum debet inficere titulum, vt dicebatur supra in secunda & tertia regulis? Puta, cum confert principaliter propter pecuniam, vel aliam rem temporalem: & tum mala recipientis voluntas hoc non potest vitiare, vt dicit secunda pars quartæ regulæ, cui dicto videtur expresse contradicere *cap. vlt. de si.* vbi Gloss. & doct. sentiunt, quod mentalis simonia non est simonia.

PAVL. Hæc est huius ratio. Nam titulus beneficialis, siue ius, dependet ab actu conferentis, & non à recipiente, qui quo ad hoc habet se pure passiue. Si ergo fundamentum actus conferendi est infectum, id quod inde sequitur nullum est in effectu, fundamentum autem conferendi est sic, quo ad hoc: quia potentia conferendi est ligata lege diuina. Nam intentio Christi in Euangelio est, quod verum ostium aperitur, & quod non rumpatur foramen vt supra, alioqui si secus fieret, factum non valeret. Si ergo ea quæ contra fiunt, debent pro infectis haberi, vt dicit *regula iuris, lib. 6.* si hoc est verum de iure humano, fortius vtique de diuino. Et de hoc inferius latius apparebit. Quotiescunque ergo aliquod temporale, vel aliquod peccatum in recipiente existens, est causa collationis, vt adulatio, mendacium, lenocinium, aut aliud genus peccati, quo est data occasio, conferentem præcise mouens, vt tale beneficium conferat, non alias collaturus, quia causa huiusmodi non est sufficiens mouendi, virtutem clauium ad actum conferendi, si tamen ea conferens nihilominus mouetur, titulum non confert expedite: qui non confertur, nisi virtute clauium: sed solum quædam vmbra apparet in opere, sed nulla veritas in effectu. Absit enim, quod Christianus dicat talem in peccando intrare per ostium Christi, qui est *via veritas & vita*: cum omne peccatum sit tortuositas, falsitas & mors. Sic conferens mouetur in conferendo virtutibus personæ, quia tunc Christus est ostium, titulus collatus tenet, quamuis recipiens, intendens illum simoniace consequi, peccet: tamen postquam pœnituerit, & licite beneficium recipiet, & alia exercebit. Quod asseris, mentalem simoniam non esse simoniam, dictum videtur derisorium, cum simonia vocalis nunquam esset simonia, nisi quia subordinatur mentali simoniæ. Non enim intentio verbis, sed verba intentioni deseruiunt: *de verbor. sig. in his. & c. intelligentia*. Bene fateor, quod est peccatum criminale, id est publice punibile per ecclesiam. Nec obstat *c. vlt. de simo.* quod loquitur, ad resignationem acquisitorum simoniace non teneri, quæ nullo pacto, sed affectu animi præcedente vtraque acquiruntur, quod intelligitur, quando conferens, quamuis spem de aliquo recipiendo habuit, tamen nihilominus fuisset collaturus, vel quando de mala intentione pœnituerit, antequam contulit: vel quia non concluserat animo, quamuis recipere proponebat, vel loquitur in foro iudicii contentiosi.

PET. Efficax est certe ratio, mihi tamen ex ea oritur hoc dubium. Nam liquet ex determinatione sanctorum doctorum, ac etiam ecclesiæ, quod quantumcunque propter pecuniam, vel aliam rem illicitam, quis conferat sacros ordines, vel corpus Christi conficiat, vel baptizet, &c. dummodo intendat finem, quem intendit ecclesia, collatio taliter facta tenet, & recipiens recepit characterem, propter quod sacramenta etiam taliter collata non debent iterari.

PAVL. Potentia, ô Petre, ad efficiendum talia, non sic limitatur, quæ est indelebilis character, impressus animæ, quando adhibita forma statuta verborum, cum materia necessario requisita, & intentione faciendi, sequitur effectus sacramenti. Illa autem quæ sunt iurisdictionalis exercitii, & in quibus character non imprimitur, nec certum de necessitate requirunt ordinem, facilius impediuntur. Vnde nec ab hæreticis excommunicatis suspensis exercentur, & tamen ab eis collata sacramenta, vel confecta, non carent effectu *32. di. ad hoc.* quamuis executionem non conferant, qua etiam soli carent.

PET. De quarta regula, & secunda, per omnia iam contentor, in quibus clare conspicio, paucissimos habere iustos titulos, & heu, infinitam multitudinem beneficiatorum, graui damnationis præcipitio laborare. Progredere, si placet, vlterius, ad tertiam regulam, quæ videtur multum dura, & quoniam non solum clerus, sed & populus per ipsam videtur magnis periculis inuolutus, igitur hoc loco edisseras, Vtrum episcopi, & superiores eis Abbates, & omnes alii quicunque beneficiati, sic promo-

promoti ad titulos ecclesiasticos, vt dicit tertia regula, aliquo modo saluari poterunt, absque hoc quod renuncient suis titulis taliter acquisitis: & vtrum illa quæ faciunt, ratione huiusmodi tituli de iure subsistant.

Cap. IX.

In quo declarantur duo. Primum, quomodo saluari non potest, qui beneficium per simoniam obtinuit, nisi illud dimittat. Secundum, de suspensione simoniaci in beneficio, & irregularitate.

PAVL. Ni scripturæ & scripta doctorum me decipiant, veritas vtrique hoc cogit dicere, quod tales, nisi renuncient, laborant quotidie in statu propriæ damnationis, nec aliquod aliud est remedium. Aliter enim, vt supra dictum est, non poterunt agere pœnitentiam pro peccato sic commisso *duodecim. distinction. neruis*, & cætera. Ad hoc autem scriptura & iura canonica, vt euitetur sermonis prolixitas, non expedit allegare: quoniam concors in hoc omnium est sententia, & iura sunt valde plana, & inferius plus patebit. Dicunt enim doct. Raym. Vlric. Ioan. in *Summis suis*, & alii: quod si aliquis scit, vel credit, sibi collatum beneficium principaliter propter obsequia, siue preces carnales à se vel ab alio interpositas, debet resignare: quia huiusmodi preces, seu obsequia, succedunt loco precii. Aliqui tamen volebant hoc esse verum, si ille non fuerit dignus, vt refert Gloss. in *cap. tuam in Domino. de ata. & qua.* Secus dicunt, si dignus: quia tunc solum pœnitebit de intentione corrupta. Sed salua reuerentia, error est, quia tituli translatio non dependet à dignitate vel indignitate seu pœnitentia recipientis. Si enim recipiens esset quantumcunque dignus, & conferens non dignitatê personæ attenderet, sed preces, aut promotiones principum, vel aliud huiusmodi, nullus esset titulus, vt dictum est supra. Sicut enim teneretur resignare, si adeptus fuisset per pecuniam, quantumcunque fuisset dignus, sic etiam eadem ratione, si per preces, obsequia, vel aliquod aliud temporale, quia ista succedunt loco precii. Hoc efficaciter probant verba beati Gregorii, in *canon. si quis neque. 1. qu. 1.*

PET. Concedo tibi, vbi ista succedunt loco precii: vt quia dominus, qui tenetur alicui pro suo seruitio sibi exhibito, dat ecclesiasticum beneficium pro satisfactione, &c. aut cum prælatus, dat consanguineo suo beneficium eo animo, vt domus sua vel parentela per hoc magnificetur, & per hoc ipse fiat potentior, qui illam gloriam siue potentiam sibi comparat per huiusmodi spiritualia, redditur his casibus simoniacus. Sed quando episcopus suo nepotulo donat præposituram, siue custodiam ecclesiasticam, &c. non habito respectu an per hoc ipse magnificetur, vel sua progenies, sed quia est consanguineus, qui si non fuisset sibi ita propinquus, ei tale beneficium non dedisset, videtur quod illa sanguinis propinquitas loco precii succedat.

PAVL. Quoniam apud conferentem dicta consanguinitas non ordinatur in aliud, veluti in alio casu præmisisti, & ob hoc quanquam conferens hoc casu non dicetur simoniacus, quia nihil intendit per hoc accipere pro spirituali beneficio, tamen quia pure propter propinquitatem dat, alias non facturus, nullum transfert in eum titulum, vt superius est expressum.

PET. Perge nunc ad secundam quæstionem.

PAVL. Quo iure, aut qua ratione putas, vt valeant facta, per non habentem titulum, cum tam iure diuino, quam canonico, nullam administrandi, vtendi, vel dispensandi recepit potestatem? Dicimus enim communiter in iure canonico, quod omnis simoniacus ratione defectus tituli iusti, siue sit simoniacus in ordine, siue in beneficio, est suspensus ab officio, ipso iure *prim. quæstion. prim. reperiuntur. de accusat. inquisitionibus*. Veruntamen de simoniaco in beneficio, doctores quoad hoc videntur differentes. Nam Innocent. & sequaces dicunt, simoniacum in beneficio curato, vel dignitate, occultum esse, quoad se suspensum, non quo ad alios. Secus de notorio. Goffr. vero, & Hosti. in suis *Summis, titul. de Simonia*, quod siue sit occultus, siue notorius, sit suspensus, quo ad alios, per *cap. dudum. secund. de electio.* Vbi dicitur, quod talis decipit animas subditorum; simoniacus tamen occultus in simplici beneficio est suspensus, quoad se tantum. Si vero est notorius, tunc etiam est suspensus, quoad alios, vt in *ca. quæsitum. de temp. ordi.* Idem videtur sapere Glo. in *c. per tuas. 2. de simo.*

PET. Hæc materia solida eget expeditione, quoniam quotidie practicabilis necessaria est, opinionibus hinc inde vacillantibus, nec vsque modo sufficienter per aliquem expedita. Ad occurrendum igitur multis animarum periculis, in ea parte extende.

PAVL. Ad habendam ergo veritatem in hac materia, sic distingue. Aut loquimur de simoniaco in ordine, aut in beneficio. Si primum, quoniam ordo duo respicit, scili. Deum, vel ea quæ immediate Dei sunt, sicut diuinum officium, *vigesim. prim. distinction. clericos. vigesim. quint. distincti. perlectis*. Secundo respicit hominem, scilicet in quantum sibi confertur. Primo casu, siue sit notorius, siue occultus, est suspensus tantum, quoad se, directe: quoad alios, indirecte. Quia alii possunt audire diuina simoniaci manifesti, quousque toleratur: per ea quæ leguntur & no. in *capit. vestra. & in capitulo vltimo. de coha. cler. & mul.* Prohibemur enim solum audire diuina ab eo, vt vere-

cundia tactus, à peccato corrigatur *trigesim. distinction. ad hac*, ad finem. Si autem ordo respicit hominem, aut recipitur à simoniaco simoniace, aut non simoniaco: si primum recipiens non habet executionem ordinis sic suscepti, *prim. quaestion. prim. de simoniac. tanta, &c. penultim.* imo perdit executionem aliorum, non simoniace receptorum. Si recipit à simoniaco, non tamen simoniace, recipiens ordinis duntaxat recepti non habet executionem, cum nihil dat quod non habet *prim. quaestion. septi. Diabertum.* Et ideo, siue sit simoniacus in ordine, siue in beneficio, non dat executionem, & per consequens, ordinati ab episcopis simoniacis in dignitate episcopali, non dico solum in ordine episcopali, sed qui ad regimen ecclesiæ per simoniam sunt ingressi, nullam ab eis recipiunt executionem *prim. quaestion. tert. ea quæ.* quia fur censetur, *de election. dudum. secund.* Idem notat. per Doctores in *cap. per tuas. 2. de simoniac.* Si vero recipitur à non simoniaco, sed simoniace, recipiens caret executione, omnino sicut si recepisset à simoniaco, vt supra; & conferens simoniace suspensus est triennio à collatione, quoad se tantum, si est occultum. *de simoniac. cap. penultimo.* Si autem loquimur de simoniaco in beneficio, in titulo ecclesiastico, de quo ad propositum tunc aut consideratio est quoad Deum, siue diuinum officium, & sic quantumcunque notorius, dum tamen toleratur, est suspensus, quoad se directe, quoad alios indirecte, vt supra eadẽ ratione. Excipiuntur in iure canonico baptismus, & corpus Christi, quæ conferuntur tempore necessitatis simoniaci, *trigesim. secund. distinctio. ad hoc.* Si autem quæ ad alios fit consideratio, hoc dupliciter: aut loquimur in spiritualibus actibus, vt sunt excommunicare, absoluere, conferre beneficia, &c. aut loquimur in temporalibus, vt est emere, donare, alienare, & similia facere in temporalibus. Si primo modo, quia rite & efficaciter non possunt exerceri talia spiritualia, nec in virtute Dei specialiter, siue Spiritus sancti, vt *prim. quæ. prim. sic populus*, cum multis seq. Talis autem simoniacus in beneficio, cum non habeat iustum titulum, per consequens caret virtute tali spirituali, quæ datur homini in iusto titulo. Ex quo talis, quoad ista spiritualia executionem non habet, dicitur non solum suspensus, quo ad se, sed etiam quoad alios: & hoc, siue sit occultus, siue manifestus, siue toleratus per ecclesiam, siue non. Non enim talis tolerantia dat sibi ius coercendi talia, siue coloratus titulus, vel opinio hominum communis, quæ non exercentur, nisi vt dictum est: quia Deus opiniones hominum non curat, cum omnia eius sunt clara: *prim. quaestion. prim. Spiritus sanctus. trigesim. secund. distinction. erubescant. vigesim. quart. quaest. tert. Deus.* Et opinio Hosti. & Goffr. procedit, de qua supra. Si vero loquimur de simoniaco in beneficio, quoad temporalia, vel etiam quoad actus mere ciuiles, vt iudicare, procurare, &c. tunc dico, quod ille coloratus titulus, & communis opinio adiuuans, validat omnia, quæ fiunt; quandiu talis toleratur ab ecclesia, quamuis immiscens se peccet, *De election. nihil est*, & no. *de resti. spo. in literis.* Et sic est solum suspensus, quoad se, ad talia exercenda: sed non, quoad alios. Et sic procedit opinio Inno. Ioan. An. & aliorum sequentium. Et hoc operatur publica vtilitas, quod ea quæ per talem putatiuum iudicem, vel prælatum fiunt, valent. Quemadmodum dicimus de excommunicato occulto, per ea quæ no. in *cap. exceptionem. de except. &c. ad probandum. de sent. & re. iudic.* Constat autem quod si suspensus ab officio exerceat ea quæ sunt ratione officii, & officio accidunt: sicut sunt excommunicare, absoluere, beneficia conferre, vel ordinum executionem, &c. *nulla sunt ipso iure, de consuet. cum dilectus*, & ibi per Ioan. An. plene. *de excess. prælat. cap. vltim. & in capi. cum inter. de sent. & re. iudi. libr. 6.* propter quod determinant Doctores communiter, quod nullo modo debent recipi ordines à talibus, quia executionem ordinis dare non possunt, *1. qu. 1. reperiuntur. & in c. tanta. de simon.* imo potius excommunicationem sustinere debet, de hoc in Gloss. Or. & etiam per Inno. in *c. per tuas. 2. de simo.* Et probatur etiam in *c. inquisit. de sen. exco.* Insuper est communis regula in iure canonico, quod suspensione durante, ingerens se diuinis & ministrans in suis ordinibus, sicut prius, efficitur irregularis. *11. q. 3. si quis episcopus.* secundum Inno. & in *c. nisi cum pridem. de re. nunc. de sen. & re iudi. cum aeterni. & de sent. exco. c. 1. & c. is qui lib. 6.* per Io. An.

PET. Prædictis videntur expresse noua iura obuiare, quibus dicitur, quod quotiescunque sententia, &c. fertur à iure vel ab homine, episcopi non intelliguntur suspensi, nisi specialiter exprimantur: vt in *c. si compromissorias. § porro. de elect. & in capitul. quia periculosum. de sentent. ex lib. 6.*

PAVL. Iura præmissa locum sibi vendicant in suspensionibus latis per modum sententiæ, cum verbo *Suspendimus*, &c. ab alicuius virtutis exercitio, vel actu: qua suspensione sublata, vel relaxata, nulli repugnat exercere talem actum, qualiter non est in simoniaco: ex eo, quia quantumcunq; tolleretur per prælatum suspensio, & ageretur pœnitentia quantacunque, perseuerante illo in beneficio per simoniam acquisito, semper impeditur executio, per *c. nisi cum pridem. §. in tua. de renunc. & in c. inquisit. de accu.* cum similibus. Præterea *c. quia periculosum*, &c. præsupponit executionem Pontificalis officii in episcopis, à qua non debent suspendi, nisi exprimatur in fauorem Pontificalis officii, & etiã subditorum. Illi autem qui quærunt titulos episcopales per simoniam, frequenter non sunt episcopi, sed inferiores prælati, vel canonici: igitur iura non obstant. Episcopus enim iam consecratus, eo ipso quod per simoniam aliquam sedem episcopalem, vel archiepiscopalem, seu patriarchalem, &c. nanciscitur, posito quod non esset suspensus per aliquam sententiam canonis, vel hominis, nihilominus ipsa notorietate facto capitali infamis: & per consequens, irregularis episcopus non est pro quolibet capitali crimine deponendus de iure communi: vt in *c. si quis episcopus. 50.* Et licet quodlibet tale infamat, vt patet *sext. quaestion. prim. infames. &c. omnis. tert. quaestion. quart. §. porro.* maxime tamen crimen simoniæ non solum in ordine, sed etiam commissum in adipiscenda Pontificali dignitate, &c. quia ista tria parificantur, crimen hæreseos, læsæ maiestatis, & simonia, *dec. quint. quaestion. 3.*

sane.

sane. quilibet enim infamis est irregularis: vt no. Guilhelm. in *Spec. tit. de leg.* §. *iuxta vir infamis.* & Ioann. An. post eum. idem Ioan. Teu. &c. Et hoc sufficit, siue sit infamia facti, *de accu. episcopus. secund. quaest. tert.* §. *hinc colligitur octuages. prim. distinct. tantis Daniel.* Nam talia crimina, ex quibus oritur huiusmodi infamia, seu irregularitas, etiam post peractam poenitentiam, etiam in occultis impediunt ordinis executionem: vt dicunt praedicti Doct. Vnde consueuerunt aliqui notare, in *cap. ex tenore, & in capitul. vltim. de temp. ordin.* aliquas in hac materia regulas. Prima, quod crimen enorme, quantumcunque occultum, etiam post peractam poenitentiam, impedit ordinis executionem, & fortius impedit promouendum, nisi cum tali prius dispensetur, multomagis, si est publicum. Secunda regula: Mortaliter peccans, si est occultus, post peractam poenitentiam, licet administratur, & exequatur, & ad superiora ascendit: quia deleto peccato, deletur sequela peccati. Tertia regula, quod publice mortaliter peccans, hoc non potest propter scandalum subortum, propter quod eget dispẽsatione superioris: & tamdiu irregularis est, quamdiu cum eo non est dispensatum. Quarta regula est, quod omne peccatum mortale, quantumcunque occultum & leue, ante poenitentiam facit hominem irregularem, quae irregularitas cum sua radice tollitur per poenitentiam. Haec secundum Io. de Lig. Idem no. *50. dist. in summa.*

Cap. X.

In quo declaratur, quomodo officiales, vel vicarii episcoporum, vel aliorum intrantium per simoniam, & familiares, sunt participes simoniae, & omnes alii, qui participant in his quae spectant ad titulum per simoniam acquisitum, sunt in statu damnationis, vt canonici, &c.

PET. Si comes est mihi ratio, clare inspicio, excommunicationes, institutiones, beneficiorum collationes, absolutiones, &c. in spiritualibus per simoniacos factas, non valere, veluti per suspẽsos, & stupore magno totus intra me commoueor, tantam caecitatem eorum, episcopatus, abbatias, aut alia beneficia ecclesiastica ambientium, quod tanto studio properant, pro certo non aliud quaerunt, quam se laqueis suspendere aeternae damnationis. Sed quomodo tenendum sit etiam de vicariis, aut officialibus simoniacorum huiusmodi, an excusari valeant, quaeso pro salute plurimorum iam edicas.

PAVL. Scriptum est: *Nihil dat, quod non habet*: & *nullus plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habeat,* vt dicit *regula iuris lib. 6.* Cum ergo simoniaci nullum ius obtineant in beneficiis per simoniam acquisitis, prout satis superius est ostensum: quomodo executionem transferre possunt in aliquem, à qua & ipsi sunt suspensi? Reuera non video, nisi quod ipsorum officiales & vicarii iniustae executioni se immiscent, nec eos à statu damnationis valeo excusare, quandiu persistunt in officiis. Nã tales scientes fore simoniacos, ac verisimiliter praesumentes, eis in crimine simoniae participant.

PET. Ex dictis, vt apparet, hoc inconueniens videtur inferri, quod non simoniacorum huiusmodi officiales, verum tota ipsorum familia, quinimo praelati & canonici illius ecclesiae, qui talem reciperent pro episcopo, praelato aut canonico, & sibi sua communicant consilia & auxilia, ex eodem capite in statu damnationis videntur laborare. Et quod grauius, fateri contra oportet, quod tota illa dioecesis, à qua sui status recipit sustentamenta, simili periculo subiacet: quoniam horum quilibet obediens, participare videtur in crimine simoniae.

PAVL. Omnes quippe, Petre, condemnare non audeo: nec etiam omnes valeo excusare. Sed vt breui sermone perstringam, quid in hoc habeat veritas, hanc distinctionem diligenti animo ponderabis. Aut notorium est, puta per confessionem, aut per sententiam iudicis, aut per euidentiam facti, talem esse simoniacum: aut non est notorium. Si primo modo, aut loquimur de familiaribus, aut de aliis. Si primum, dico, si tales familiares eius suum impendunt seruitium in his quę spectant ad huiusmodi titulum per simoniam acquisitum, siue in spiritualibus, induendo eum pontificalibus, portando crucem, aut curuaturam ante eum, & quaecunque in ecclesia vel extra disponendo vel ministrando, vt archiepiscopo vel episcopo, in temporalibus vt procurando bona mensae episcopalis, aut aliud quodcunque officium, vel seruitium in sua curia exercendo: omnes tales peccant mortaliter, quia participant in crimine simoniae criminoso. Secus est, si procurarent sua bona patrimonialia sibi, vel in alio honesto seruitio deseruirent, quod non esset ratione simoniaci tituli. Si autem loquimur de aliis extra suam familiam, hoc dicunt, aut tales sunt personę, quarum requiritur consilium, aut auxilium actiue seu cooperatiue ad aliquid faciedum, quod incumbit ratione huiusmodi beneficii seu tituli, sicut sunt praelati, & canonici ecclesiae, & alii quorum interdum requiratur cõsensus, interdum consilium, interdum auxilium reale, & tales omnes quotiescunq; dederint consilium vt consiliũ, aut talem pro episcopo, praelato, aut canonico receperint, siue etiã ab eis illa susceperint quae ratione huiusmodi tituli conferuntur, vt plebanias, & alia iura, beneficia ecclesiastica, aut auctoritatem audiendi confessiones, aut licentiam praedicãdi, & similia, sine dubio participes sunt simoniae. Si autem sunt personae inferioris status, secus est: quia non actiue, sed potius passiue se habent ad huiusmodi simoniacum sustinendum, quorum resistentia nullum effectum faceret. Hoc verum est, si non recipiant ab eo beneficia, & similia, quia iam hoc facto in vitium eius consentirent. Excipio tamen articulum

necessitatis, in quo licet baptismum & corpus Christi à talibus recipere: vt in *capitul. ad hoc vero trigesim. secund. distinction. §. porro.* Ratio pro prædictis est hæc. Quandocunque aliquid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo. *de consti. nam concupiscentia.*

Cum ergo prohibita est emptio & venditio beneficii ecclesiastici iure diuino, vt inferius apparebit, prohibita est consequenter illius empti executio, & per consequens, non potest dare beneficia, nec dispensare sacramenta. Si ergo aliquis spontanee recipit à tali aliquid illorum, iam consentit in id quod est illi prohibitum; & per consequens, est particeps peccati ipsius. Si vero crimen ipsius non est notorium, sed solum manifestum, siue famosum, ante pene occultum, inter quæ, quoad hoc non facio differentiam: quæ consistit, quando est publica fama, quod talis sit simoniacus, non tamen est euidens factum, sed nec notorium omnibus, aut maiori parti, sed solum paucis, vel etiam si non est fama: Et tunc aut loquimur de ipsis paucis scientibus, aut de illis non scientibus, sed solum credentibus. Si primum, aut illi scientes possunt hoc iudicialiter conuincere legitime, aut non. Si primum, & hoc tunc potius debuerunt facere circa confirmationem, vel prouisionem, si fuerunt præsentes, per *cap. constitutus. de appellat.* cum similibus. Si non fuerunt præsentes, tunc circa ipsius receptionem debuerunt excipere, & ipsius possessionis apprehensionem elidere, per *cap. accedens. de accusat.* Sed cum ista facere neglexerunt, in suum & ecclesiæ dispendium: verum, quia

Turpius eiicitur quam non suscipitur hospes.

nihilominus non debent dormire in hoc, sed pro amotione sui laborare.

PET. Grauiter per hanc distinctionem me inuoluis. Qua fronte pro amotione huius personæ apud eum laborandum videtur, qui hoc modo illum voluit promouere? Dic ergo in hoc consultius, aut etiam quid executoribus, vel etiam, subexecutoribus exorbitantium literarum, scientibus, aut etiam canonicis, vel capellanis esset consulendum, vt damnationis euaderent labyrinthum, quibus scribitur vt tali prouideant, vel talem recipiant in prælatum, &c.

PAVL. Æstimo, quod ex præmissis posses edoceri. Nam cum simonia est lege diuina prohibita, prohibentur omnia per quæ possit ad ipsius effectum perueniri: vt sunt, receptio & prouisio per regulam iuris, *cum quid. De re. iur. libro sexto.* vnde ex quo principale, scilicet prouisio nulla est, vt supra, nec accessorium, scili. receptio, aut recepti processuum fulminatio, non est, per regulam *accessorium, libro sexto.* Et talis processuum fulminatio non est diuina celebrare volenti formidanda, scilicet in priuato propter scandalum euitandum, dummodo constet de ipsius simoniaca prouisione. In quo casu quilibet prædictorum potius deberet excommunicationis sententiam sustinere, quam vtique cœlestis curia non approbat, si non essent ad obuiandum alia remedia, quam sic prouidendo vel recipiendo talibus Papæ obedire, probatur *de resti. spo. literas. de sen. exco. inquisit.* & ibidem etiam per Innoc. &c.

PET. Et si quispiam, vel alicuius viduatæ ecclesiæ capellanum postulanti se recipi, obiiceret vitium simoniæ, & per consequens ex hoc contractam irregularitatem & infamiam, & ob hoc causa huiusmodi ad curiam deueniret, nonne Papa de suæ potestatis plenitudine in eo hæc omnia posset extinguere, & totaliter abolere? quo facto, obtineret iam intentum.

PAVL. Hunc casum, Petre, in facto intellexi viros alicuius ecclesiæ formidasse. Sed ignorantia iuris tibi, Petre, in hoc dubium, sicut & illis incussit hunc timorem. Clare namque in hoc iura videntur contradicere, sollicite intuenti, cum talis nullo modo veram possit agere pœnitentiam in beneficio sic obtento, vt supra est ostensum. Et post quantamcunque pœnitentiam, non solum impeditur beneficii retentio, sed & ordinis executio, *de accusation. inquisitionis.* Imo si diceretur, quod talis purgatio simoniace non procedit eodem fonte, seu causa, qua prouisio cessit: sed Papa rationabilius ad dispensandum mouebatur, & ad purgandum priora. Respondeo, quod iuris præsumptio est in contrarium, & de iure, quæ contrariam sibi non recipit probationem: quoniam nec probari hoc posset. Simile *de spon. Is qui.*

PET. Nonne minus malum esset, Papæ in talibus obedire, quam excommunicationem, inhabilitationem, præuaricationem beneficiorum, &c. fortasse ab eodem sustinere?

PAVL. Probabiliter & scholastice dici posset, quod nec excommunicatio Papæ, &c. teneret in hoc casu. Et quamuis ex iusta causa lata de iure teneat, si tamen intolerabilem errorem contineat, aut falsitatem causæ manifestam, non teneret per ea quæ leguntur & notantur in *c. per tuas. & in c. sacro. de sen. exco. & c. ti. venerabilibus pe. lib. 6.*

PET. Redeundo ad propositum tuæ distinctionis, dic de illis qui sciunt aliquem esse simoniacum, sed conuincere non valent liquide, quid iuris sit.

PAVL. De ipsis loqui possumus dupliciter, secundum quod tales ipsis simoniacis contingit dupliciter participare, aut enim participant eis in talibus ad titulum per simoniam acquisitum spectantibus, in quibus de necessitate iuris compelluntur, &c. aut loquimur de participatione in voluntariis nobis.

Exemplum primi, vt sibi consulere in capitulo requirenti auxilium præbere, & iniunctum mandatũ ab eo recipere, & executioni mandare, vel etiam secum cantare, &c. & tunc, aut ista fieri mãdat in priuato, & tunc enodatur silentio vel alio bono modo, quia qui scit eũ habere nõ ingressũ canonicũ, plus certiorari non debet. Si aũt hoc fit corã aliis, & non occurrit aptus modus excusandi se, aut forte ab illo non recipitur: obediendũ est sibi, quãdiu toleratur ab ecclesia *11. q. in corrũ 15. q. vlt. c. vl.* vel q fecit

augo.

auctoritate iuris, non peccat, *24. q. 4. qui peccat.* Illa autem iuris necessitas non excusat eos qui scientes, factum legitime conuincere valentes, non resistunt, quia se voluntarie tali necessitati submiserunt. Si autem loquimur de his quæ nobis sunt voluntaria, vtputa tali simoniaco seruire, vt tali promoto, aut ab eo beneficia seu præbendas aut decimas recipere, aut aliqua huiusmodi, nullo modo licet, quia videremur sic illius turpitudinem facto approbare, vt supra. Idem dicas de illis per omnia, quia licet non habent certam scientiam, habent tamen probabilem credendi causam ex verisimilibus coniecturis, seu suspitionem vehementem. Hoc probatur per *c. inquisitioni. de sent. excom.* cum si. Causa probabilis credendi colligitur ex qualitate personæ promotæ, dispositione curiæ, & publica fama, &c. Et hæc pro primo tractatu sufficiant, Domino adiuuante.

SECVNDA PARS.

Pars secunda huius tractatus, in qua multipliciter destruuntur scripta & dicta, erroneæ & minus catholicæ Sorbonæ, cum præsertim in iure canonico, quæ videntur dare causam seu occasionem multis erroribus in Dei ecclesia, & præsertim circa simoniam. Et continet quinque capitula. In primo capitulo arguitur, quod Papa possit recipere pecuniam pro beneficiis ecclesiasticis, & plura iura ad hoc, & dicta doctorum adducuntur quæ dicta damnantur, & ad iura respondetur. In secundo capitulo, auctoritatibus sacræ Scripturæ reprobatur prædictorum doctorum sententia: & probatur, quod Papa non potest recipere pecuniam in aliquo casu pro beneficiis, & quod hoc etiam quoad Papam, est realis simonia. In tertio capitulo probatur id, quod immediate supra ex iure canonico auctoritate generalis concilii ponitur. In quarto capitulo conuincitur idem, quod immediate supra rationibus multipliciter, dato quod nulla esset lex scripta. In quinto capitulo destruitur communis distinctio de simoniacis quia prohibitis, & de prohibitis, quia simoniacis, ex iure canonico. Secundo declaratur, quod nulla sunt simoniaca secundum sui naturam, ad intentionem illorum. Item quod nulla sunt simoniaca, quia prohibita, sed sunt ideo lege diuina & etiam canonica prohibita, quia peccata simoniaca.

CAP. I.

In quo arguitur, quod Papa possit recipere pecuniam pro beneficiis ecclesiasticis: & plura iura & dicta doctorum ad hoc adducuntur, quæ dicta damnantur, & iuribus respondetur.

PET. Non me quæso relinquas in ambiguo. Nam scripturæ, rationes, & iura superius adducta, meam inuincibilem mentem ligant. Econtra video tot & tantos scribentes in iure canonico, & si iniustas, simoniæ vitium in Romana curia excusare. Si tibi contra tantam doctorum multitudinem adhæsero, eos videbor arguere de errore, quod non licet secundum honestatem. Si contrarium fecero, præmisso non potero suffragari.

PAVL. Conferantur quæstiones contrariæ adinuicem, scripturæque canonicæ debite ponderentur: & quid in hoc veritas habeat, vtique elucescet, vel forte videbitur, si sumus diuersi tantummodo, non aduersi.

PET. En primum & maximum fidei meæ argumentum. Nam Bernhard. in Glossa or. *de offi. dele. in cap. experte, in gloss. 2.* ponit hanc communissimam distinctionem simoniæ, dicens, quod quædam sunt simoniaca, quia prohibita, scilicet constitutione ecclesiæ. Quædam prohibita, quia simoniaca de sui natura, quæ scilicet Nouo & Veteri Testamento prohibita sunt: vt, emere vel vendere sacramenta. Hanc distinctionem repetit *de pact. cum pridem. in glossa* super *v. illuc pactionis. de iureiur. & si Christus. in gloss. quædam, & in aliis. de simon.* Ad idem est Gloss. or. in *cap. Saluator. prim. quæstion. tert.* super 5. *iudicem.* Hanc distinctionem recipiunt communiter doctores, scribentes in iure canonico. Et summistæ, Ray. VVilh. Ioann. in *Summa de casibus*, super vltim. Bart. Pisanus, Hosti. &c. Simoniaca, quia prohibita dicuntur, quæ solum sunt spiritualia ex constitutione ecclesiæ, quæ à natura non fuerunt spiritualia, quia non fuerunt sicut tituli beneficiorum ecclesiasticorum, & dicunt, talia iure positiuo inducta: quia tempore Apostolorum non fuerunt decanatus, archidiaconatus, & cætera. Sic similiter dicunt, ea vendere vel emere est simonia: eo quia constitutione ecclesiæ, emptio vel venditio talium est prohibita: Et ideo dicuntur simoniaca, quia prohibita, & ideo dicit Bernhard. in *cap. cum pridem*, præallegato, quod excusat auctoritas Papæ, qui habet in talibus dispensare.

PAVL. O Petre, quantam animarum multitudinem cateruatim transmisit, & transmittit ad infernum, hæc superstitialis & damnanda distinctio, quæ multis est occasio, & viam aperit ad ruinam damnationis æternæ: solus nouit, qui nihil ignorat. Quantum autem erroris aut veritatis habeat, inferius apparebit.

PET. Et qua temeritatis audacia asseris, omnes homines à veritate deuiasse: cum iura plura videantur fouere præmissam distinctionem, etiam ipsius fautoribus suffragari? Quis enim dubitat, titulos ecclesiasticos iure positiuo inductos? Nam solus Papa facit dignitates, instituit præ-

latos, &c. *vigeſ. ſecund. diſtinction. omnis. & in cap. perlectis. vigeſim. quint. diſtinction.* Sed Papa recipit pecuniam pro talibus, & voluntas Papæ habetur pro iure: *Inſtitut. de iur. naturali.* §. *ſed quod principi. vndecim. quæſtion. tert. cuncta per mundum, & capit. per principalem.* Vnde ſola voluntate tacita vel expreſſa tollit ius, vt in *Cle. quoniam. immuni. eccleſiaſtic. de conceſ. praben.* Vnde propoſuerunt, *de cog ſpi. capitulo primo, libro ſexto.* item, Si doctor vel magiſter in vrbe Romana doceat, recipiendo pro doctrina immunitatem habeat, ſiue percipiat ſalarium, ſiue non, vt *ff. de excuſation. tu. in l. græca ſi duos.* §. *amplius.* & ideo dixit Goff. & alii, quod ſimonia non habet locum in curia Romana, ſicut nec lex Iulia de ambitu, *ff. ad l. Iuliam de ambitu. l. vna.*

Pavl. Concordat namque in hoc famoſus canoniſta Hoſti. in *c. 1. ne præla. vi. ſu. ſub annuo cenſu*, &c. Notando dicebat, quod in ſimoniacis, quia prohibitis, auctoritas & ſcientia Papæ excuſat vitium, per *Gloſſ. 2. c. ex parte. de offi. dele.* cum concor. Idem repetit in *Summa e. tit. ne præla. vi. ſu.* §. *in ſumma*, dicens, quod *l. Iulia. ff. de ambitu, quæ punit eum qui ſe eligi facit ad aliquam dignitatem, ſeu adminiſtrationem, & in ciuitate Romana non vendicat ſibi locum: quia princeps ibi eligit magiſtratum, qui ſolutus eſt lege.* Ideò Io. An. poſt Goff. & Hoſti. notauit in *c. 1. de ſim.* & communiter alii dicunt *ibidem*, quod Papa poteſt vendere titulum eccleſiaſticum, & omnes quotquot ſunt in hoc grauiſſimo errore concurrentes, habent refugium ad dictum *capit. ex parte prim. de off. dele.* & ad dictam *l. de ambitu.* & ibi ſuas hauriunt probationes tales quales. Sed ſalua tot & tantorum reuerentia, vuas acerbas comederunt, ſecundum ſententiam beati Hieronymi *ſuper Eſaiam*, Scripturas ſacras aliter intelligentes quam veritas habet, & *37. diſtinction. vino inebriantur.* Quantis autem malis, & hæreticis deliramentis parauerunt ingreſſum hæc incauta ſcripta, & erronea, cotidie experimur tam in capitibus, quam in membris: cum tamen leges ciuiles adductæ pro contrario, & quæcunque ſimiles, loquantur de dignitatibus & officiis ſecularibus. Sicut enim multum inter ſe differunt ſpirituales res, & temporales: ſic etiam inter ſe poteſtates, dignitates, & officia ac iura ſpiritualia & ſecularia: vt in *cap. ſolitæ. de ma. & obedient.* Et ergo ab vno eorum ad aliud, non oportet ſemper valere argumentum. Nam ſicut res temporales, in quantum vſui noſtro deſeruiunt, ſunt in poteſtate noſtra, & ideo vendi & emi poſſunt, ſic ſimiliter iura & officia & dignitates ordinatæ ad gubernationem, ſeu diſpenſationem, quandocunque talium naturæ non repugnat quod vendantur, ſed ſoli conſtitutioni principis. Sed contrarium eſt: Spiritualia quæ in nullius dominio ſunt, niſi ſolius Dei, ſicut ſunt virtutes ſpirituales, quarum naturæ repugnat venditio, *prim. quæſtion. prim. gratia,* cum nullum precium eſt, quo æſtimari poſſunt, ſic etiam iura, officia, dignitates, quæ diſponunt, vel inquantum verſantur obiectiue circa talia, ſunt eiuſdem naturæ, vel ſunt ipſæmet virtutes ſpirituales, imo quilibet titulus eccleſiaſticus eſt quædam ſpiritualis poteſtas, ſeu virtus, ad exercendum aliquos actus ſpirituales.

Cap. II.

In quo auctoritatibus ſacræ Theologiæ vel Scripturæ reprobatur prædictorum doctorum ſententia, & probatur, quod Papa non poteſt pecuniam recipere pro beneficiis, & etiam quod quoad Papam eſt realis ſimonia.

Petrvs. Contentor vtique de his, quæ dixiſti. Verum ſi de mentibus ſimplicium conaris hunc errorem euellere, neceſſe habes prius curienſibus Romanæ curiæ ſufficienter reprobare, & penitus deſtruere huius propoſitionis ſententiam, in aſſenſu quorundam eorum, aliorum vero in effectu firmiter radicatam, ſc. dicentium, quod in ſimoniacis, quia prohibitis, Papa poteſt facere, vel etiam diſpenſare, quòd venditio & emptio non ſit peccatum.

Pavl. Quamuis falſitas dictæ propoſitionis firmata videatur multis ſcripturarum auctoritatibus, ſanctorum doctorum expoſitionibus, & canonum inſtitutis: tamen quia ſcripturæ, & cætera, non expreſſe Papam nominant, forſan creditur ab errantibus, ipſum etiam ſacris legibus non ligari. Igitur dicta falſitas principaliter declaratur penes tria, quæ Papæ habent reſtringere poteſtatem, ſcilicet, lex diuina, ius naturale, quod eſt lex omni creaturæ rationali indita, & auctoritas totius Eccleſiæ militantis, ſanctis Conciliis generalibus, præſertim quatuor principalibus dedicatæ ſcilicet Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi, *decim. quint. diſtinction. Canones, &c. ſicut.* & ſequent. Quo ad legem diuinam, patens ſcriptura eſt *Matthæi decimo*, vbi Saluator inſtruens Apoſtolos, docuit omnes Apoſtolici officii ſucceſſores, dicens: *Euntes autem prædicate dicentes, quod appropinquauit regnum cœlorum: infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate: Nolite poſſidere aurum, neque argentum & pecuniam.* Et non eſt dubium, quin ſecundum expoſitores, hoc dixerit non ſolum de expreſſis in Euangelio, ſcilicet curatione infirmorum, ſuſcitatione mortuorum, & cætera, ſed omnia etiam alia dona ſua gratuita, & effectus ipſorum, ſiue miniſterium, eadem ratione includere voluit, ſicut quodlibet exercitium poteſtatis eccleſiaſticæ, vel ipſammet poteſtatem.

Quis enim dubitabit, poteſtatem conferendi beneficia eccleſiaſtica, & ipſius poteſtatis actum, vel officium, eſſe donum à Deo gratis acceptum, dicente Domino: *Quodcunque ligaueris ſuper terram*, & cætera. & per conſequens, gratis donandum, vel dandum? Præterea ad idem, alibi legimus Chriſtum dixiſſe, Iohan. decim. *Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt,*

&

& latro. de hoc supra satis dictum est, *capitulo septimo*, quod hic repete. Præterea etiam alibi scribitur, Matthæi vigesimo primo, Marci decimo, Lucæ decimo nono. *Et cum Iesus venisset Hierosolymam, intrauit in templum Dei, & eiiciebat omnes ementes & vendentes in templo, mensásque numulariorum & cathedras vendentium columbas euertit, & dixit eis: Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Quo facto Saluator in materiali templo, secundum omnes doctores: verum fortius in spirituali, quod est sibi plus acceptius (quia materiale est propter spirituale, & eadem causa prohibitionis est, quoad templum spirituale, quæ ad materiale scilicet: quia *domus mea domus orationis*, & cætera. Et sicut dicit *canon. prim. quæstion. tert. ex multis*, exponens hæc verba Euangelica dicens, *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis: Illud quoque in eodem facto sollicite considera, quod per totum textum sancti Euangelii nunquam legitur, Dominum tanta seueritate, tam districta censura peccantes corripuisse, cum non solum eloquio increpans, verum etiam facto flagello de funiculis verberans omnes eliminauit de templo: aperte demonstrans, quod tales negociatores non sicut cæteri sunt corripiendi peccatores, sed à templo, id est, à sancta ecclesia longius sunt proiiciendi.* Et vltra subiungit: *Nam sicut per columbarum venditores illi denotantur, qui sacramenta manus impositione vendere conantur, sic per numularios ecclesiastici beneficii venditores designantur, qui domum Dei, teste Euangelio speluncam latronum efficiunt*, hæc ibi. Sic etiam beatus Augustinus intelligitur, cuius verba *canon. prim. quæstion. tert. Saluator*, sibi in auctoritatem adducit. Vbi subiungitur: *Pensandum vero est, qua pœna mulctentur, qui iam Deo & ecclesiæ sua oblata vendunt, & emunt, si cum flagellis à templo Dei eiecti sunt, qui Deo offerenda vendebant vel emebant.* Si Deo offerendorum venditoribus & acceptoribus dictum est, *Vos fecistis domum Patris mei, domum negociationis, & speluncam latronum*: quid dicetur de ecclesiæ iam oblatorum venditoribus, vel emptoribus? Qua ergo audacia excusatores simoniacæ hæresis putant se verum dicere, Papam nedum dispensare posse, sed etiam tollere, vt simoniaca quia prohibita, & pro episcopatibus, vel quibuscunque beneficiis ecclesiasticis pecuniam recipere, non video: nisi forte pertinacitatis cæcitate, vel cœcitatis pertinacia astruant, Christum non potuisse Papæ legem ponere: vel quod Papa possit pro suo libito euangelium immutare: vel forsitan sanctos doctores minus benefecisse, dictum Euangelicum exponentes, & ecclesiam Romanam huiusmodi intellectum approbantem, non solum in prædictis canonibus, sed in multis capitulis aliis delirasse. Præterea nonne etiam in Veteri Testamento legimus, Balaam prophetam huius criminis damnatione reprobatum, quando ad Balach regem Moabitarum proficiscenti, angelus Domini euaginato gladio aduersus eum in via apparuit? *Numer. vigesim. secund.* Præterea nonne legimus, Iezi filium Elizæi percussum lepra, eo quod pro effectu doni Dei gratuiti, scilicet sanitate impensa per Elizæum ipsi Naaman, accepit argentum & vestes? de quo *quart. Regum quint. capitulo.* Ex quo in veteri lege sic punitum sit hoc genus peccati, quanto magis puniendum est hoc tempore Euangelii, cum sint iam talia dona gratuita magis nota, quam tunc erant?

Præterea etiam aliud non omittam, nec videatur tibi, quoad hoc genus peccati, aliter de effectu sacramenti ecclesiæ, & aliter de titulo beneficiali sentiendum: vtputa tanquam circa secundum, & non primum, valeat dispensari. Allegatur factum Simonis magi, quod nobis in hac materia quotidie adducitur pro exemplo: vt videatur, pro quo beatus Petrus Apostolus tanta maledictione Simoni mago exprobrauit. Legitur enim Actuum octau. capitulo: *Cum autem vidisset Simon, quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date mihi hanc potestatem, vt cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum.* Ex quo constat, quod Simon gratiam non emere voluit gratificantem seu iustificantem, quæ datur virtute sacramenti: sed potestatem sacerdotalem, seu episcopalem, quam quilibet successor Apostolorum habet, seu prælatus Ecclesiæ, etiam si sit in peccato mortali: & non solum potestatem ordinis sacerdotalis emere voluit, sed etiam iurisdictionis, quæ datur in isto titulo, *Cuicunque manus imposuero.* Et Simon magus non emit hanc potestatem, sed eam emere voluit, & pro ipsa habenda pecuniam obtulit. Quid Apostolus respondit? *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimas donum Dei pecunia possideri. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.*

Pet. De his contentus quilibet esse debet intelligens. Verum imperitus canonista, nec sibi probatum reputat, nisi etiam authoritas Canonis adducatur. Quid etiam igitur est sentiendum ex vigore generalium Conciliorum, de quibus præmisisti, in medium iam proponas.

Cap. III.

In quo probatur idem quod supra, ex iure Canonico, auctoritate generalis Concilii.

Pavlvs. Quantum autem ad statuta generalis Concilii, de quibus, & eorum auctoritate, habetur *decim. quint. distinction. Canones*, & per totum: hæc est quasi omnium doctorum concors sententia, quod Papa non potest tollere, vel dispensare contra ea, quæ generalibus quatuor maxime princi-

principalibus Conciliis sunt diffinita. Vnde dicit ille fœlicissimus Papa Gregor. in c. sicut 100. dist. *Sicut sancti Euangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia hæc suscipere & venerari me fateor, & ipsa tota deuotione complector, ac integerrima approbatione custodio. Quia in his velut in quadrato lapide constructura sanctæ fidei consurgit, & cuiuslibet vitæ ac communis actionis norma consistit.* Cum itaque dare vel permittere pecuniam pro fructibus primi anni, vt conferatur episcopatus, vel quicunque alter titulus magni vel parui beneficii, vel etiam pro signatura supplicationis, sit in Chalcedonensi & generali Concilio prohibitum, vno de quatuor principalibus Conciliis, quæ prohibitio canonizata est, & habetur *1. q. 1. Si quis episcopus*: vt ibi habetur in superscriptione *ex concilio Chalcedonensi*: & probat hoc idem Canon *1. q. 3. Saluator, nisi alioquin. & c. ex multis, & c. peruenit*, qui canones ad probandam illicitam pactionem seu mercationem in beneficiis quibuscunque ecclesiasticis, & aliis spiritualibus, referunt se ad dictum Concilium dicti *c. si quis*. Et ibi in *c. ex multis*, dicitur, quod hæc sententia inuenitur *in secundo capitulo Chalcedonensis concilii*. Et nisi hoc scelus esset fidei canonicæ contrarium, non tãta execrationis seueritate fuisset à sanctis patribus proscriptum & damnatum, quod etiam hæresis nuncupatur *1. q. 1. Petrus & c. cum omnes, & c. eos qui*. In quo dicitur, *Tolerabilior est Macedonii & sequacium impia hæresis, qui asserunt Spiritum sanctum creaturam, & seruum Patris & Filii*. Isti autem venditores & emptores spiritualium efficiunt Spiritum sanctum seruum suum, quod sic probat: Sicut enim vendens, vendit id quod possidet: sic & emens, emit, volens esse Dominus eius quod emit, &c. Et consequenter ibi probatur, quomodo tales sunt blasphematores Christi, cum illis Iudæis, dicentibus, *In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia:* Matt. 12. & traditores cum Iuda, qui Christum tradidit: *Matth. 26*. Quod nisi etiam esset contra statum vniuersalis Ecclesiæ, quid putas quod tanta sollicitudine sanctorum patrum fuissent tot solennia Concilia, totque Canones prohibitionis super hoc prodiissent, & sanctorum doctorum (quoad hoc) tanta copia scripturarum, necnon tot decretales epistolæ ad diuersas partes mundi emanassent, vt liquet hæc omnia intuenti, si Papa contrarium posset facere pro suo libito voluntatis?

PET. Ex quo quæso capite glossator Bernhard. & quamplures alii, hanc scribendi sumpsere audaciam? & vt iam conspicio, non sine graui animarum periculo apparent contra diuinæ legis eulogia, Papæ laxantes potestatem, & legibus ciuilibus conantes humana ratione determinare contrarium Euangelicæ veritati. Vt igitur magis ac magis huius erroris falsitas appareat, ad roborandum prædicta rationibus iam ostende.

CAP. IV.

In quo conuincitur idem rationibus, quod in duobus præcedentibus capitulis multiplicatur.

PAVLVS. Quantum ad tertium, scilicet ius naturale, intrando hanc materiam profundius, gratia maioris contemptus, & opprobrii tanti sceleris, cesset gratia argumenti, cuiuslibet legis scriptæ prohibitio, adhuc ipsum viuens ratio abhorrebit. Vbi pro clariori intelligentia aduertendum est, quod circa personam Papæ, vel potius circa gerenda per ipsum, considerari expedit, vnde sibi hæc tanta potestas, quam habet, & propter quid est? Et apud Christianum non est dubium, eam causatiue & principaliter non esse ex homine, sed solum dispositiue, in quantum electionem canonicam, tanquam dispositionem præuiam, sequitur spiritualis potestas, efficiente Christo. Iuxta illud Matthæi 16. *Quodcunque ligaueris super terram*, &c. Et hæc potestas sunt illæ claues, quas Christus Petro promiserat, inquiens: *Tibi dabo claues regni cœlorum*, &c. Quare autem hæc autoritas siue potestas Apostolica dicebatur *Claues* in plurali, dictum est supra, *prima parte, capitulo quarto*. Hanc potestatem, seu clauem, Magister Sententiarum *in 4. dist. 18.* sic describit: *Clauis est potestas ligandi & soluendi, qua ecclesiasticus iudex dignos recipere, & indignos excludere debet de regno Dei*. Aliter etiam præconsiderandum est, quid est Papæ datum: secundo, quis dedit: tertio, cui datum est: quarto, propter quid datum est. Ex his consideratione debita masticatis, clare iuris propositi veritas lucebit. Quia non est rem perfectius cognoscere, quam per suas causas: quia sicut se habet res ad esse, ita se habet ad cognosci. Pro primo igitur notando constat, in Papa, etiam à iure potestatis magnitudinem esse nullo humano ingenio acquisibilem: alioquin potius huiusmodi potestatis virtus fuisset in Philosophis, quam in papa. Nec etiam habetur per assuefactionem, quemadmodum virtutes morales & virtus scientiarum acquiruntur: quia plures contingeret, maxime deuotos monachos & studentes, habere hanc virtutem. Nec inest à natura specifica, quia sic omnis homo eam haberet. Nec ex complexione corporum accidit, quemadmodum accidentia corporalia sequuntur complexiones: quia multi essent eiusdem potestatis. Et breuiter, iura etiam de electione papæ superuacue laborarent. Nec etiam est ab hominibus principaliter, scilicet ex electione: quia electio nihil dat, quod non habet, nec etiam posset tali potestate aliquem effectum spiritualem efficere, sicut absoluere, cum ad hoc humana virtus non sufficit, & nihil agit vltra propriam virtutem, vt dicunt Philosophi. Igitur necesse est dicere, talem potestatem esse donum Dei: & quia sine aliqua commutatione, vel pretio, pugnat pretii æstimatio, dicitur gratuitum: non tamen gratificans, siue gratia, quod est idem. *Si enim*, inquit Apostolus, *gratia ex meritis est, iam non est gratia*: sed quia non datur gratis, sed propter merita:

&

& quia per naturam acquiri non potest, dicitur supernaturale. Et quia ad perfectionem spiritus humani siue animæ seruit per se, & principaliter, dicitur & est spirituale.

Causa autem materialis, siue subiectum capax, etiam requiritur: vt sicut humana potestas, quo ad esse sui, ex quatuor generibus causarum constituitur, sic etiam habet cognosci. Et ergo referendo singulla singulis, potest sic notificari, & describi: *Potestas Apostolica est donum Dei, gratuitum per se, non gratificans humana natura, supernaturaliter infusum per se & principaliter ad perfectionem humana anima, vel animarum destinatum.* Hoc donum, & alia dona gratuita, & eorum exercitia, siue actus pariter & effectus, iussit Saluator gratis date: Matthæi decimo, *Gratis accepistis, gratis date.*

Præterea adhuc prænotandum est, quod sicut Deus est causa productiua omnium citra se, sic etiam causa finalis omnium. Et ita omnia sunt & agunt propter ipsum, & desiderantur propter ipsum: solus ipse est sui ipsius gratia, & ens liberrimum, vt habet videri per Philosophum *primo Metaphysica*, & in multis locis philosophiæ: Insuper, sicut omnia agunt propter illum finem, sic etiam appetunt vlterius & vlterius perfici, & se sibi assimilare & appropinquare, inquantum vnumquodque secundum suam naturam potest. Imperfectius autem se appetere horret quælibet creatura. Hinc est, quod aliquis dicitur plus vel minus perfici, de quanto plus vel minus assimilatur vel appropinquat in ordine perfectionalis lineæ, ipsi Deo, vltimo fini. Et habet alibi videri: hæc incidenter dico, propter finem descriptionis Apostolicæ potestatis. Sic etiam est in genere accidentium. Accidentia quæ plus faciunt assimilari, vel appropinquare vltimo fini, perfectius subiectum perficiunt, & sunt perfectiora. Vnde accidentia spiritualia, vt sunt virtutes morales, scientiæ & dona supernaturalia, sunt longe perfectiora accidentib. corporalibus: vt nigredine, albedine, &c. spiritualibus adhuc differentibus. Nã aliqua eorum plus faciunt fini assimilari, quam alia: vt potestas Apostolica, vel ecclesiastica, quæ solũ datur militantibus sub lege Euangelica, quæ est super omnem legem. Verum, quoniam hæc potestas conuenit bonis & malis prælatis, non ita perfecte assimilat Deo summo bono, sicut gratia gratum faciens, siue charitas, quæ est omnium accidentium perfectissima, & finis, vt dicit Apostol. 1. Cori. 13. *Maior autem horum est charitas.* Hæc enim non solum Deo assimilat, sed vnit & incorporat sibi, vt legitur 1. Iohan. 4. *Qui manet in charitate, in me manet, & ego in eo.* Et hæc quamuis sit vltimum in genere perfectionis accidentium, tamen in omni operatione ordinata & meritoria debet esse primum: quia finis est primum in intentione, & vltimum in executione, vt in ædificatione castri, cuius finis est secura ab insultibus inimicorum habitatio: cuius habitationis amore non solum ædificatio, sed omnia quæ ad ædificationem iuuant & administrant, amore finis principaliter intẽti, diliguntur. Ad propositum, potestas ecclesiastica quamuis spiritualiter per se perficiat, est tamen conferenda & retinenda amore finis, propter quem est à Domino destinata: quia est ministerialis virtus ad ipsam charitatẽ seminandam, & conseruandam in corpore Christi mystico. Ad propositum principale redeundo, certum est, hanc Apostolicæ potestatis gratiam esse donum Dei gratuitũ, seu gratis datum, & gratis dandum: quia hæc est eius natura, vt dictum est. Cũ ergo aliquid pro ipsa, vel ipsius actu recipitur, &c. natura ipsius gratiæ, quãtum in emente vel vendente est, tollitur: quia venditio excludit gratitudinem, vt dicunt etiam leges ciuiles. *ff. de contrahen. empt. l. 2. §. fine precio. l. c. empti fides*, &c.

Secundo arguitur. In vendente huiusmodi dona Dei, duo est considerare, quæ concurrunt in tali commutatione, Vnum, quod est: suum quodque est sibi & cuilibet homini naturale, scilicet beneuolentiam exhibere alteri. Hoc lex naturæ rationalis dictat. Aliud vero, quod non est suum, sed Dei specialiter: scilicet tale donum, quod est sibi commissum ministrare gratis, vt supra. Cum ergo recipiens, vel petens pecuniam pro actu, siue exercitio dictæ suæ potestatis, aut recipit pro primo quod est suum, pro beneuolentia: aut pro secundo, sci. actu potestatis: aut pro vtroque, & quocunque modo, sic est contra ordinem naturæ facere.

Si enim recipit pro alieno, peccat multipliciter. Primo, contra naturam doni: item contra fidelitatem ministerii sibi commissi: item nobilem rem pro vili commutat, item rem in alium finem ordinat, scilicet pecuniam, quam illa res fuit destinata. Si vero vendit beneuolentiam, quam naturaliter gratis exhibere debet, ipsius beneuolentiæ contra se prouocat authorem, vt iusto iudicio, huiusmodi ingrato nulla beneuolentia fiat. Et quia legem naturæ peruertit, vendendo id, quod ex ordinatione summæ sapientiæ gratis exhibere debet, derogat ipsi sapientiæ diuinæ: quia alium suis donis nititur dare ordinem, vendendo illa, quæ naturalis ordo vendi prohibet: ac si sic non esset bene ordinatum, & per consequens, per auctorem ordinis rerum iustissime puniendus.

Præterea sumendo rationem à causa efficienti principali, arguitur sic: Cum enim ipse author omnium diuitiarum nullo indigeat, quia omnia sunt sua, omnia habet, cum sit summe diues: non indiget suorum donorum tali commutatione, vel venditione, pro alio bono quocunque, nec etiã voluit ea dare, nisi gratis: quia hoc suæ repugnat liberalitati, cum sit summe liberalis, nec voluit ea seruari apud eos quibus dantur, quia hoc repugnaret diuinæ summæ magnificentiæ, & dicũt Philosophi: *Bonum quanto plus commune, tanto plus diuinius.* Et quia naturaliter omnis artifex diligit opus suũ, maxime tamẽ creator hominis, quẽ fecit Dominus ad imaginem suam, repugnare videretur eius pietati & naturali iustitiæ, vni se velle cõmunicare, & non alteri: nec decet honorem suũ & magnificentiam minui, sed augeri. Et etiam ex quo contractus venditionis propter indigentiam hominum inuentus est, mercator spiritualium donorum facit summe diuitem dominũ egere, & tali lucro indigere

digere,& per consequens maculat gloriam suam. In eo autem quod isto modo disponit, detrahit ipsius sapientiæ,quæ alio modo disposuit. In eo autem, quod non vult sua dona dare gratis, detrahit ipsius summæ libertati. Et quia apud se seruat tale donum, & aliis non communicat, detrahit suæ magnificentiæ,& minuit suum honorem & gloriam, occultat pietatem patris ad filios adoptionis,negat fructum salutiferæ redemptionis,pactum infringit diuinæ promissionis, dilectionē creaturæ subtrahit sui conditoris, propter quæ omnia maiestatis diuinæ summus honor & gloria se exinanire voluit,& vsque ad effusionem sanguinis & mortem turpissimam sibi filius Dei non pepercit, Præterea attende etiam,cui datur hæc potestas spiritualis, quæ ex præmissis est donum Dei gratuitū: & quod ministrari debet aliis,& gratis,sine aliqua commutatione. Quid aliud concluditur, quam quod is cui datur,non Dominus,sed minister est dictæ potestatis ac dispensator, siue executor, vel etiam instrumentum per quod illa potestas siue doni virtus spiritualitatis habet exercere operationem? hoc Saluator notabiliter expressit Matth. 10. *Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis,& principes ipsorum potestatem habent eorum,non ita autem est in vobis: sed quicunque voluerit fieri maior,erit vt minister: & quicunque in vobis voluerit fieri primus,erit omnium seruus. Nam & filius hominis non venit vt ministraretur ei,sed vt ministraret,& daret animam suam redemptionem pro multis.* Idem Lucas 22.Simile est autem,sicut in aliis virtutibus organicis,ponatur enim,quod potentia visiua debeat ex se actum videndi producere: sed organo oculi vtitur pro instrumento, instrumentum autem ex se non potest.

Ex quibus colligitur,quod talis nihil habet ibi dominii, vt scilicet, quod possit aliter pro voluntate sua facere,quam nudum ministerium exhibere, per nudum verbum. Non excludo cognitionem causæ,&c. sed solum voluntatem sine causa simpliciter in conferendo,non in cui dando.Cū ergo confirmare electionem, prouidere de episcopatu, abbatia, prioratu,canonicatu,plebania,aut de quocunque beneficio ecclesiastico,est sine dubio actus potestatis Apostolicę,seu operatio propria doni Dei gratuiti,vt dictum est (pone enim pro possibili,quod illa virtus,seu potestas tollatur ab eo) amplius quicquid faceret,vt Papa,non valebit,vt notum est.

Similiter super pluralitate beneficiorum dispensare, vel quomodolibet aliter absoluere, &c. quotiescunque Papa vel alius recipit pecuniam,pretium,obsequium,vel fauorem, &c. pro actu huiusmodi conferendi,dispensandi,absoluendi,alias non facturus hoc: non videtur iam,nec est nudus minister,siue executor dictæ potestatis Apostolicæ: sed pro libito suo sic faciens,vsurpat in eo sibi dominium: & per consequens,iniuriam facit vero Domino.

PET. Fac me clarius hoc intelligere,quod immediate nunc dixisti. Non enim videtur pecunia recipi pro potestate Apostolica: quia illa non potest transferri in alium de Papa, nisi ipse deponeretur,nec pro actu,siue exercitio potestatis eius: quia illud est cito transiens,non permanens. Datur ergo pecunia pro beneficio reali,scilicet episcopatu, præpositura, &c. quod nec est potestas papæ spiritualis,nec actus eius.

PAVL. Respondeo ad hæc,primo Philosophice, quod talis separatio non potest esse in causis sibi inuicem essentialiter subordinatis: quoniam vendito vno, venditur reliquum. Quemadmodum posita tali potestate,cum tali actu dandi tanquam causa efficiente, necessario ponitur causa finalis,seu obiectum formale,mouens virtutem ad actum,scilicet id ꝙ datur,& econtrario. Vel aliter, & grossius,sic respondetur: Certum est quod papa non habet aliquod dominium,quod possit ordinare,vel quomodocunq; disponere in beneficiis,vel in rebus ecclesiasticis,nisi tali iure,scilicet spirituali potestate,vt dixi,nullam penitus habet dispositionem in eis,sicut nec alia priuata persona. Ergo dans alicui beneficium ecclesiasticum,dat seu transfert in eum,id quod suum est,in tali beneficio: & quia suum nihil est,nisi potestas spiritualis,qua sibi illud beneficium subiicitur,& non aliter, ergo talem potestatem spiritualem sibi dat: & quia intuitu pecuniarum,igitur,&c. Nullus enim bonus emptor emeret aliquam rem,nisi ius illius rei,quo venditor eam possideret,transferretur in eum. Et allegamus quotidie,quod nemo plus iuris in alium transferre poterit,quam ipse habeat, *de reg. iur. 1. regula lib. 6.* Præterea talis venditor tituli beneficii ecclesiastici,vendit nō suum, sed alienum, ad quod ipse solum est minister,seu instrumentum. Igitur pretium quod inde recipiet,non erit suum, sed eius cuius res venditur,scilicet Dei. Et quia in eius vtilitatem non conuertitur, qui cum sit honestissimū & sufficientissimum bonum,vtiq; illo non indiget, quod solum propter nos creauit: ergo si in priuata commoda conuertitur,res contrectatur aliena inuito Domino.

Consueuerunt pro hoc respondere in curia,huiusmodi sanctorum canonum Glossatores: quod talis pecunia conuertitur pro bono communi,& reipublicæ necessario,scilicet primo fuit pro ædificatione castri sancti Angeli,Capitolii Romani,pro egestate armorum: in finem,vt bona temporalia ecclesiæ,ciuitates,castra,villæ,&c. per tyrannos occupata,ad possessionem ecclesiæ reducantur, possessa teneantur,& inimicis Ecclesiæ fortius resistatur,quod si non esset,ecclesia Romana in bonis,interdum etiam in personis,periculum pateretur.

PAVL. Profecto hæc simoniaca obiectio excusare non videtur, sed potius paciscentium turpitudinē allegare. Putas ne victimare filiū in conspectu patris:& qua ratione creditur ordine peruerso obsequium præstandum Deo, cœlestibus terrena, & spiritualibus temporalia hoc modo præponendo? Præterea & idcirco quartum & principaliter,à fine propter quem, rationem sumendo arguitur sic: Quotiescunque aliquid sic eligitur, appetitur, donatur propter aliud, illud aliud,propter quod fit,magis eligitur,appetitur,diligitur,&c. per regulam consequentem Physicam: *Propter*

quod

tod enim *vnumquodque tale est, & ipsum magis tale.* Quis enim dubitabit, terminum viæ ad quam at-enditur, esse appetibiliorem, quam ipsam viam? cum via nec esset, nec desideratur, nisi propter ta-em terminum attingendum, ad quem illa via ducit, seu dirigit? Sed certe episcopatus, abbatias, rioratus, præpositura, canonicatus, & quæcunque alia beneficia quæ sunt per se primo fundata pro aude & gloria Dei, & spirituali profectu Christi fidelium, vt supra patet, dans seu concedens talia, eu personas de vno loco ad alium transferens, &c. propter pecuniam habendam, siue talis pecunia ordinatur in finem, vt reuelentur, ditentur & sublimentur propinqui, parentelæ suæ, in finem & ef-fectum, vt bona temporalia etiam ecclesiastica defensentur, &c. vt dicit tua præcedens obiectio, vt et-iam facti veritas iam longo tempore declarauit prædicta. Conclude ergo ex præmissis necessario, quod pecunia plus eligitur, appetitur, & diligitur: & per consequens, parentela, vel bona temporalia, etiam ecclesiastica, quã honor, laus & gloria Dei, & profectus spiritualis proximi & Christi. Nisi forte velles iterum dicere, quod talia beneficia non sunt per se & principaliter pro honore Dei, &c. quia tunc, quamuis consequentia esset bona, tamen minoris assumptum esset falsum. Cui obiectioni respõdent sufficienter canones, quo ad primum minoris illius dictum, *1. q. 3. Saluator. & c. ex multis. & c. res ecclesiæ*, & alii plures, talia dona esse Dei: ideo, quia à Deo fidelibus & à fidelibus Deo donantur. Ecce finis principalis: quemadmodum à Deo gratis accipiuntur, ideo gratis dari debent, hoc in *cap. Saluator.*

Et etiam vbi quæso legimus, Christum tanta sollicitudine iniunxisse Petro curam tantam de castris, & bonis temporalibus? quanta maturitate etiam vsque ad trinam interrogationem & responsionem fuit illud dictum, *Pasce oues meas?* Aut quomodo potestate ligandi & soluendi sibi tradita, voluisset Christus Petro ditare consanguineos suos, qui dixit: *Veni separare hominem aduersus Patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis erunt domestici eius?* item: *Qui amat patrem suum, aut matrem suam plus quam me, non est me dignus. Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*: Matthæi decimo & alibi legitur, cuilibet menti cultæ valde notabile: *Qui non odit patrem & matrem propter me, non potest esse meus discipulus* Si ergo non discipulus, quomodo summus Apostolus erit? Non ergo videtur negandum fuisse antecedens, & per consequens, nostri argumenti illatum consequens concedendum est, & fatendum.

Pet. Ligat me fortiter argumentum hoc, veruntamen ex eo resultat dubium. Videtur inferri posse, quod non liceat aliqua temporalia vendere, vel commutare. Ratio, quia finis primo & principaliter omnium est Deus, & omnia agunt propter ipsum, vt dictum est: non licebit ergo ea in alium finem, ordinare: & per consequens, rem temporalem, vt equum, villam, &c. non licebit pro pecuniis, nec econuerso pecunias pro ipsis dare. Alioquin sequi videtur, quod villa seu pecunia plus diligitur quam Deus, qui est finis illorum. Imo videtur ex præmissis, quod bona temporalia beneficiorum non possent vendi, quia talia pure propter Deum tanquam finem principalem, & per se primo sunt deputata.

Pavl. Res temporales sicut dupliciter se habent, ita dupliciter considerantur: primo, inquantum sunt naturales, & naturalium operum productiuæ: vel etiam inquantum sunt essentiales causæ, & effectus inter se. Et hoc modo considerando, res temporales non sunt in potestate nostra, quin placeant vel displiceant nobis, exercent enim suas operationes, vt *secundo Ethicorum circa principium*: & vt sic sumptæ, neque commutari per nos eorum natura potest, nec etiam vendi vel emi possunt. Alio modo considerantur, prout inter se sunt causæ & effectus per accidens, prout vna aliam perficit accidentaliter.

Vna enim quæque res secundum naturam suæ speciei est sic perfecta, quod non plus perficitur, accidentaliter tamen plus & plus perfici potest. Vnde equus est causa per accidens perfectionis hominis, quia perficit hominem accidentaliter, homo enim ex se indispositus est ad mouendum se in breui tempore per longum spacium, sed quando equo vtitur, defectus humanus seu imperfectio suppletur. Sic suo modo vestimento, castro, &c. Et hoc modo considerate in quantum defectus humani supplementa & vtilia sunt, in potestate nostra est eis vti vel non, & per consequens, commutari pro alio vtili. Omnia enim ista ad vsum humanum sunt creata, dicente Propheta: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Sic etiam bona temporalia beneficiorum, quamuis sunt data Deo prima animi destinatione, non tamen per se & immediate sunt destinata seu ordinata, quantum est ex parte materiæ, donatæ in eum vsum.

Quod patet, quia prout sunt naturalia, non sunt in potestate nostra, & per consequens, sic dari non potuerunt. Ergo prout vtilia homini, sic ordinari in Deum res per se non possunt, quia Deus non vtitur, nec potest vti eis, quia hoc est perfectionis accidentalis, & imperfectionis vtentis, vt dictum est: quia sunt remota à Deo, ergo oportet dici per accidens, scilicet in quantum actu, siue ministeriali vsu, aut vsuali ministerio suo disponunt aliquem ad finem ab ipso donante destinatum: & habent se ad spiritualem perfectionem, sicut candelabrum sustentans candelam se habet ad lumen: & sic potest fieri eorum commutatio pro alio sustentante, vel vtili.

Pet. Potest adhuc contra prædicta fortiter obiici, sicut aliqui dicunt, putantes bene se vtique respondere, quod Papa non recipit pecuniam pro beneficiis, sed pro fructibus pro se reseruatis.

Pavl. Si hoc est verum, fateri oportet, quod omnis cui Papa confert beneficium, non habeat

titu-

titulum beneficii, nec debet episcopus dici talis ecclesiæ præpositus, vel canonicus, &c. nec debent exercere ea, quæ sunt officii illius beneficii, & quia quilibet talis, gerit se nomine, re & facto, pro tali beneficiato, cuius beneficii fructus hoc modo, scilicet emptionis, percipit. Ergo quilibet talis, & taliter beneficium de manibus Papæ recipiens, est fur & latro. Insuper Papales literæ super talibus prouisionibus confectæ, patentissime declarant contrarium, vbi prouidendo personæ instituuntur, & institui mandantur. Instituere autem est, ius canonicum in ecclesia, vel ecclesiastico beneficio conferre: *vt in cap. frequentibus, de elect.* Qualis autem huiusmodi literarum sit veritas, quibus scribitur: Quia vitæ & morum honestas, & literarum scientia, aliaque laudabilia virtutũ merita nos inducunt, vt tibi ad gratiam reddamur liberales, &c. totus de hoc mundus est repletus. Et mirabile esset, quod Papa daret pro 50. flor. fructus annui census, qui aliquando 400. florenis etiam ad tempora vitæ darent. Nullus modus esset melior laicis mercatoribus, lucrandi bona temporalia, quam iste quem curia Romana adinuenit. Et quia eis non venditur, non quidem propter incapacitatem personæ, quia laicus bene potest vti boni ecclesiasticis, quia eis locari possunt fructus decimarum, vt in *caput. secund. de loca. & conduct.* Ergo necesse est dicere, quod non solum fructus beneficiorum, qui sunt accessorii ad titulum, venduntur, sed illud mere spirituale & principale, scilicet titulus seu potestas exercendi tale ministerium in ecclesia, propter quod sunt tales fructus deputati. Hoc clare expressit canon, *Si quis obiecerit. 1. qu. 3.* Vbi dicitur: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit.*

Pet. Si debite te intelligo, videntur hæc repugnare prius dictis, vbi dicitur, quod fructus beneficiorum possunt vendi, &c.

Pavl. Si bene ponderantur prædicta, patet sic iam solutio. Vel etiam potest dici, quod prout talis res est spiritualis, seu ad talem finem, puta honorem Dei destinata, nullo modo potest vendi. Secus, prout est vsualis, & ad humanam indigentiam: quia sic solum per accidens ordinatur in Deum, sed primo modo per se. Vel si placet aliter, & physice: quia quilibet actus humanus est ad instar operationis in rebus naturalibus, in quibus est dare quatuor genera causarum, ad esse, seu ad substantiam rei concurrentium, quæ sunt: efficiens, finis, materia, forma. Sic etiam est in actibus humanis, vt in proposito.

Ille qui donat talia bona ecclesiæ, est efficiens. Deus, propter quem, vel tale officium ecclesiasticum, propter quod dat, est finis: à quo est denominatio rei. Actus donandi, est forma, quæ dat tale esse rei. Res quæ donatur, est materia. Ex his resultat res, scilicet donum Dei, composita ex materia, scilicet eius quod datur, & forma, scilicet actu donandi, tanquam suis principiis intrinsecis, & sic substantialibus. Et dicitur, quod talis res donata ad honorem Dei, prout materia, actus donandi, constituens cum ipsa substantialiter, siue essentialiter, donum Dei, & sic certe per se & principaliter ordinatur, & etiam immediate ad honorem Dei, & sic nullo modo potest vendi: quia nulla est res mundi, quæ illi fini præeligi debeat, nec sic possunt ab inuicem separari materia & forma: quia statim desineret esse donum Dei, siue res spiritualis. Sic loquitur capit. proxime allegatum.

Sic etiam loquuntur iura superius allegata, scilicet *cap. Saluator. & cap. ex multis. prim. quæstion. tert.* quæ dicunt, quod sicut res à Deo fidelibus, ita res à fidelibus Deo datæ, dicuntur dona Dei. Alio modo dicta res donata potest considerari, quamuis respectu illius actus donantis habet se per modum materiæ: tamen respectu hominis, vel alterius rei, potest se habere per modum actus, seu formæ, scilicet in quantum humanæ vel alterius rei perfectibilis accidentaliter, & sic est in potestate nostra, ea perfici, vel vti, vel non, & per consequens, emere vel vendere.

Pet. Opinio quippe de contrario in me iam sufficientissime est extructa, per hæc tua dicta: quæ grato animo recipio, & errores in hac materia, quibus olim cum aliis errantibus ipse adhæseram, penitus sunt remoti.

Reuertere nunc ad illius communis distinctionis sententiam, de simoniacis quia prohibitis, & prohibitis quia simoniacis: breuiter pertractando, quæ prædictis erroribus videntur ministrasse occasionis fundamentum & fomentum.

Cap. V.

In quo primo destruitur prædicta distinctio, de simoniacis quia probibitis, ex iure canonico. Secundo declaratur, quod nulla sunt simoniaca secundum sui naturam, ad intentionem illorum. Item quod nulla sunt simoniaca quia prohibita.

Pavl. Mirari sufficienter re uera non valeo, de tot & tam famosis doctoribus, scribentibus in iure canonico, quos communiter in præmissa distinctione concordes reperio, hunc grauissimum & periculosissimum errorem non vidisse: & prædicta nedum non esse fundata aliquo textu iuris canonici, vel etiam aliqua ratione fulcita: imò non solum contra Euangelium, &c. sed contra solidos textus eiusdem Canonicæ facultatis videntur apparenter laborare, videlicet contra scripta solenniter canonizata sanctorum doctorum, scilicet Gregorii, Augustini, & cæter. diuinæ

ne legis scripturas tractantium, vt aliqualiter tactum est *c. Saluator*, & alia supra, vt habentur verba Beati Augustini Euangelium exponentis, quo prohibetur omnis talis venditio. Quæ prædicti minus caute scribentes asseruerunt simoniaca, quia prohibita constitutione Ecclesiæ. Præterea, nonne habentur vana, ad textum Beati Gregorii, Euangelium tractantis in canone, *Sunt nonnulli*, *1. quæst. 1.* vbi ad declarandum modos simoniæ, adducit ad probandum dictum prophetiæ, iustum virum describentis, Isaiæ 33. cap. *Beatus qui excutit manus suas ab omni munere*: & ibi ipsam sic exponit: *Tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non solum nullam pecuniam, sed nec etiam humanam gratiam requirit.* Et nisi etiam hoc intelligeretur de beneficiis, quæ etiam non minus sunt diuina, vt supra. Male etiam Papam, hanc auctoritatem exponendo, ad suum propositum allegaret, in *cap. etsi quæstiones. de simon.* præterea *cap. in Ecclesiæ corpore. eo. tit.* quod emanauit ex Concilio Lateranensi, expresse legitur: *Quicunque acceperit pecuniam pro Episcopis, abbatibus, prioribus, seu quibuscunque personis Ecclesiasticis, ponendis in sede, seu introducendis in Ecclesiam, siue pro ingressu religionis, pro sepulturis, pro benedictionibus nubentium*, &c. In primo dicit canon ille: *Qui dederit vel receperit, vel consenserit, partem se cum Simone non dubitet habiturum.* In alia dicit: *Sciat se cum Iezi portionem habiturum.* Idem *1. quæst. 3. Si quis*, & multis aliis. Quod nisi talia emere vel vendere fuisset damnatum lege naturali, vel diuina, in personis Iezi, vel Simonis magi: quomodo hoc posset esse verum, quod ibi dicitur, nisi vendere, vel emere beneficia Ecclesiæ esset peccatum eiusdem speciei, scilicet simoniæ; vel Iesiæ, cum peccatis illorum? quod scilicet sic est: Si vnum similium sic indiuiduorum est lege diuina, seu naturali prohibitum, omnia similia sunt prohibita: quia idem est de similibus omnibus iudicium, vt in *c. inter cæteras. de re. permut. in cap. inter corporalia. de transl. prælat.* Si autem non sunt eiusdem speciei, quomodo constitutio Papæ vel concilii posset efficere, quod is qui non peccauit eodem peccato, vel eadem specie peccati cum Iezi, vel Simone, debeat magis cum eis portionem habere, quam cum homicidis, &c. aut cum eis similem damnationem incurrere, cum tamen non similiter cum eis peccauit? Cum dissimilium causarum dissimiles debeant esse effectus. Præterea ad idem: Quomodo posset credi hoc esse verum, quod factum, quod secundum naturam siue speciem non est peccatum simoniæ, idem propter constitutionem Papæ fiat simonia? quia eadem ratione, quod de se non est adulterium, vel homicidium, &c. posset esse potestate tale: quod est vtiq; erroneum dicere. Nomen quidem posset habere simonia ex constitutione Papæ, quia etiam posset vocari alba vacca, sicut quidam vocabant colorantes, vt in cap. in tantum. de simon. Sed si caussæ essendi simoniæ ad factum con concurrunt, non potest Papa naturam rei aliter quam est appellare, vt in *Can. plerique 14. quæst. 3.* aut vnum peccatum de sua specie in aliam transferre. Præterea legitur etiam in prædictis capitulis, *non satis, & in cap. cum in Ecclesia*, quod nec sub obtentu cuiusquam consuetudinis, reatum suum quis tueatur & adiicit: *Quia diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget.* In alio dicit, quod *tanto grauiora sunt peccata, quanto diutius infelicem detinent animam alligatam.* Et in *cap. in tantum. & in cap. sicut de simon.* Et sequitur, quod consuetudo in talibus non excusat. Ex quibus, si bene perpenditur, constat hæc esse diuino vel naturali iure prohibita: cui consuetudo contraria quantumcunque diuturna derogare non potest, sicut iure positiuo potest. Vt in cap. vltim. de consuetud. sicut aliis pluribus non solum est derogatum, sed plura sunt abrogata *4. dist. 3. §. leges, & cap. statuimus. de treu. & pa. & cap. 1.* Et manifeste textus loquitur in *cap. ex diligenti. de simon.* quod talis simonia in beneficio, de qua ibi casus, *diuinis ac humanis legibus dignoscitur contraire.* Bernh. & sequaces exposuerunt *diuinis, id est canonicis.* Non tamen est verum, sed stat proprie, pro vt lex diuina distinguitur contra canonicam: quia si Papa voluisset dicere canonicis, sicut communiter vtitur in aliis capitulis isto termino, ita leuiter dixisset canonicis, sicut diuinis, arg. decre. *ad audientiam. de decim.* & multis aliis rationibus in iuribus conuinci posset, hanc distinctionem, quoad illam partem, de simoniacis quia prohibitis, non posse subsistere: quæ propter breuitatem omittuntur, contra illos qui dicunt, titulos Ecclesiasticos non esse spiritualia de sui natura, ex constitutione Ecclesiæ sic vocata, quia ad similitudinem spiritualium.

PET. Non aliquid quæso relinquatur ambigui, sed etiam quoad aliam partem distinctionis iam descende. A nonnullis etiam dicitur ex scribentibus, beneficia non esse spiritualia de sui natura, sed ex constitutione Ecclesiæ sic vocata: quia ad similitudinem spiritualium sunt redacta. PAVL. Vt penitus euacuetur, videndum est primo, quæ sint illa vere spiritualia, quæ de sui natura talia. Si dicitur, sicut ab illis dicitur, quod sacramenta Ecclesiæ: & illud non est verum, quod essent de sui natura spiritualia, vt patet ex definitione sacramentorum: quæ est, *Sacramentum est sacræ rei signum*: vel aliter, *Est inuisibilis gratiæ visibilis forma*, secundum Beatum Augustinum, & Magistrum sententiarum *in quarto, dist. 1.* Hæc autem visibilis forma, cum sit ens corporeum, non potest esse essentialiter, vel secundum sui naturam spirituale, sed solum per accidens. Præterea sacramenta non sunt spiritualia, nisi per sacramenta: sed quod sunt sacramenta, non est hoc secundum naturam eorum, sed ex institutione legis, vt notum est. Præterea solum accidentia spiritualia, sicut sunt virtutes, dona & scientiæ, sunt essentialiter, & secundum sui naturam spiritualia, vt notum est: & in his non committitur simonia, quæ est diuina lege prohibita. Quia nec etiam deliberatio, seu electio voluntatis emendi vel vendendi, cadit super talia.

Quia si quis vellet talia emere, nec etiam posset quis vendere: quia voluntas non est impossibilium, vt patet *tertio Ethicorum.* Ergo necesse est dicere, quod simonia committatur in his quæ sunt per accidens spiritualia: scilicet quæ de se sunt corporalia, vt sacramenta, & eis annexa, vt vasa,

vestimenta, &c. Similiter virtutes corporales, ministerium siue actus membrorum corporalium circa talia, vere & essentialiter sunt spiritualia: vt cantare, legere, conferre, absoluere: vel eis annexa, vt decimæ, &c. Et hæc omnia non quidem secundum sui naturam sunt spiritualia, sed per accidens: quia ad aliquod spirituale verum consequendum, fouendum, vel augendum, lege diuina vel canonica (non curo, quia hoc non diuersificat speciem spiritualium) ordinata, vel quia diuersificant species ad spiritus seu animæ perfectionem accidentalem. Quia hoc importat iste terminus prædicamenti qualitatis spirituale, qui formaliter connotat spiritualitatem, secundum quam anima perficitur. Et hæc ratio etiam omnibus spiritualibus conuenit, non solum sacramentis. Præterea consueuit à prædictis dici, quod venditio sacramentorum de sui natura est simoniaca, ideo quia lege diuina prohibita, & non peccatum, quia prohibita. Ex quo infertur, quod oportet dicere, quod ante prohibitionem legis diuinæ non fuerunt peccata, & per consequens, non simoniaca. Ex quo sequitur, quod Simon magus non peccauit isto peccato. Quia antequam Petrus maledixit ei, non fuit hoc peccatum prohibitum: nisi tunc prohibitio eius fuit facta, quando maledixit sibi, dicens: Pecunia tua sit tecum in perditionem. Et sequitur etiam, quod Petrus iniuste sibi maledixit, ex quo non peccauit, & per consequens, Simon non commisit tunc peccatum simoniæ, ex quo adhuc lege non fuit prohibitum. PET. Rationabiliter potest dici, quod in Veteri Testamento fuit prohibitum in persona Iezi. PAVL. Dicam de Iezi similiter, sicut de Simone: similiter etiam de Balaam Propheta, qui fuit ab angelo correptus pro eodem peccato, quia precium prophetiæ suæ acceperat, & tamen nullam legem receperat de prohibitione peccati istius. PET. Per sacramenta datur gratia: etiam sic ratione gratiæ est peccatum, ea vendere. Non sic est de beneficiis. PAVL. Tunc sequitur, quod quia sacramenta nouæ legis solum conferunt gratiam, & noua lege instituta est, quod etiam tunc primo incœpit peccatum simoniæ. Ex quo sequitur, quod Iezi, qui præcessit nouam legem, non peccasset hoc peccato, cuius contrarium scripturæ prætendunt. Præterea arguitur, quod omnia spiritualia inquantum talia, sunt eiusdem speciei. Res dicuntur eiusdem speciei dupliciter, aut de se, & secundum naturam propriam, aut secundum aliquod accidens: hoc est dicere in Logica, aut per se, aut per accidens. Sacramenta alia non sunt spiritualia per se, quia per se esse seu dici præsupponit de omni, & semper, vt patet *primo Posteriorum*. Planum autem est, quod sacramenta non semper fuerunt talia, quia ante institutionem legis. Non ergo solum per accidens sunt eiusdem speciei: quia in eo quod conueniunt in aliqua qualitate eis communi, sunt similia inter se: vt homo albus, equus albus, in eo quod conueniunt in albedine, secundum quam sunt similes, dicuntur eiusdem speciei, non simpliciter, sed per accidens, secundum id accidens in quo communicant. Vel logicaliter, illa dicuntur eiusdem speciei per accidens, quæ significantur vniuoce per aliquem terminum communem accidentalem, vel de eis prædicabilem: vt per illum terminum albus, qui est de tertia specie prædicamenti Qualitatis. Sic in proposito: Omnia illa quæ non sunt per se, siue secundum eorum naturam spiritualia, sed per accidens, vt loca, ædificia, vestimenta, vasa, actus & operationes corporales: seu officia quæ exercentur organis corporalibus, vt legere, consecrare, pronunciare in Episcopum, supplicationes signare, sacramenta conferre, &c. quamuis inter se differunt specie sicut equus & asinus, tamen in eo conueniunt, & sunt similia secundum illam denominationem accidentalem: quia omnia dicuntur spiritualia propter officium quod habent ex institutione ad esse, & simpliciter spiritualia per accidens sunt eiusdem speciei. Et quia ille terminus Spirituale, prædicatur de his vniuoce, habes quod omnia sunt similia. PET. Videtur quod spirituale non vniuoce, sed æquiuoce, vel amphibologice dicatur de sacramentis, & aliis sacramentalibus. Nam sacramenta per prius & potiori ratione debent dici spiritualia, ex eo quod propinquius se habent ad gratiam, siue mere spirituale, scil. quod significant ex institutione, & efficiunt gratiam. Alia autem quæcunq; sacramentalia non significant, nec efficiunt. PAVL. Nec sacramenta, inquantum signa sunt gratiæ, dicuntur spiritualia: quia sic omne habens rationem signi, vt circulus ante tabernam, &c. esset spirituale. Nec etiam inquantum efficiunt quod figurant: quia sic quodlibet habens rationem caussæ efficientis, esset spirituale, & sic de aliis considerationibus. Ergo necesse est dicere, quod sunt spiritualia, quia ad aliquem effectum spiritualem ordinantur. Vel ex aliquo spirituali principali, siue sit caussa, instrumentum vel actus, siue per se, siue per accidens. Præterea dicit Philosophus *secundo de Anima*, quod actus distinguuntur per obiecta, & potentiæ per sensus, caussæ vel virtutes per actus: quæcunque virtutes vel actus circa idem obiectum versantur, formaliter sunt eiusdem speciei, Sed omnium spiritualium rerum constat esse obiectum formale, scilicet esse spirituale. Ergo omnia spiritualia loca, cœmiteria, ædificia, vt Ecclesia, capella, vestimenta, casulæ, vasa, & calices, actus seu officia ministrorum Ecclesiasticorum circa talia, vt archidiaconorum, custodum, canonicorum, &c. prout concurrunt ad eundem finem, & ad idem obiectum consistunt, sunt eiusdem naturæ, vel rationis. Et per consequens, ex opposito venditio vel emptio eorum sunt peccata eiusdem speciei, per regulam Topicam: *Sicut oppositum in opposito, sic propositum in proposito.* Ex quibus inferri poterit, quod recipere vel dare pecuniam pro aliquo sepeliendo in cœmiterio, vel Ecclesia, non est minus simonia, quam vendere sacramenta. Et tamen per vnum quis plus peccat quam per aliud, propter circumstantias aggrauantes, vt patet infra. Item, dare vel recipere pecuniam pro beneficio Ecclesiastico, quantumcunque simplici, non est minus simonia, quam vendere vel emere corpus Christi. Item, ista non differunt secundum speciem peccati, dare indulgentias propter habendam pecuniam, & vendere quæcunque

sacra

sacramenta, vel spiritum prophetiæ. Præterea nec ista minus differunt specie, recipere vel dare pecuniam pro officio audiendi confessiones, vel pro licentia conferendi vel recipiendi sacrum ordinem, quam vendere verum Deum pro triginta argenteis, sicut Iudas simoniacus & traditor fecit. Præterea nec etiam aliud est peccatum, dare beneficium Ecclesiasticum alicui propter consanguinitatem, vt inde parentela sua magnificetur, &c. vel preces carnales, seu amicitiam, vel obsequium, quã vendere pro pecuniis. Infertur, quod nulla sunt simonica ideo, quia constitutione Ecclesiæ prohibita. Item, nulla sunt simoniaca, quia lege diuina prohibita sunt: quia ante legem diuinam erant simoniaca ex natura rei. Ex præmissis etiam colligitur, quod nulla sunt simoniaca ideo quia constitutione Ecclesiæ prohibita: imo econuerso propter hoc sunt prohibita tam diuina lege quam constitutionibus Ecclesię, quia peccata simoniaca. Sequitur insuper, quod nulla sunt simoniaca ideo, quia diuina lege prohibita, patet: quia antequam expressa prohibitio illius peccati fuit, siue Ecclesiæ promulgatio, sicut in maledictione Simonis magi, &c. prius vtiq; hoc peccatum commiserat. Quia alias oporteret inferri, quod prius fuisset punitus, quam peccasset: quod est inconueniens. Sequitur ergo, illud peccatum, ex quo prohibitionem legis præcessit, non esse simoniacum quia prohibitum. Nec ista dicitur prohibitio legis, sed potius pœnæ pro tali peccato manifestatio. Patet ergo, quod omne peccatum simoniæ est prohibitũ, quia de sui natura peccatum, etiamsi nulla lex esset præter naturalem rationem. Et est ideo simoniacum, quia emptio, siue voluntas emendi qualibet spiritualia, est actus eiusdem speciei cum peccato Simonis magi. Et ad hunc sensum, quælibet emptio talium est prohibita, quia simoniaca. Venditio autem talium etiam dicitur simoniaca, capiendo generaliter: & ita vsus obtinuit. Proprie autem dicitur Iezia, à Iezi: vel Balaamia, à Balaam: qui fuerunt venditores doni Dei gratuiti. PET. Iezi non vendidit aliquid spirituale, quia recepit argentum & vestimenta ab illo, quem pater suus Elizeus curauit à lepra corporali. Recipere autem pro sanitate corporali, quæ est accidens corporis, differt specie ab actu recipiendi pro re spirituali: ex quo actus distinguuntur per obiecta, vt dixisti. Et per consequens, venditores spiritualium non conuenienter dicuntur Iezitæ, sicut emptores dicuntur simoniaci. PAVL. Dupliciter aliquid dicitur spirituale. Vno modo, in quantum effectiue seu obiectiue terminatur ad aliquod spirituale, vt dictum est. Alio modo, habendo respectum ad suum principium, à quo procedit: puta quod competit alicui ex quodam spirituali dono, vel officio. Et sic actus sanandi corpus miraculose, quemadmodum fecit Elizeus, fuit effectus spiritualis doni Dei gratuiti.

PET. Grauissimæ mihi videntur dictæ conclusiones, imo errori sunt vicinæ. Nam non est sceleratius delictum, quod est grauius vindicatum. *24. q. 1. auferimus.* Et in quo maior fuerit culpa, maior exercetur vindicta. *50. di. quia in tuá.* Sed grauiori pœna punitur venditor vel emptor sacramentorum, quam beneficiorum, vel aliorum inferiorum spiritualium, *de accu. super his, &c. inquisitionis. de simo. tantam. 1. q. 3. peruenit.* Si ergo quoad pœnam sunt diuersa, ergo erunt diuersa quo ad culpam: quia iuxta qualitatem delicti debet esse plagarum modus, & per consequens, diuersa erunt peccata quoad speciem. PAVL. Quod peccatum aliud est culpabilius, vel magis puniatur quam aliud, prouenit non solum ex natura actus, sed quandoq; propter circumstantias aggrauantes, quæ sunt in duplici differentia. Quædam transmutant in aliam speciem peccati. Exemplum: Si furtum fit in sacro loco, vel de re sacra, iam non dicitur simpliciter furtum, sed propter illas circumstantias actus dicitur sacrilegium. Sic vendere vel emere rem sacram, iam venditio est simonia: vbi si non esset res sacra, non esset simonia. Et tales circumstantiæ sunt de necessitate confessionis sacramentalis, *de pœni. dist. 5. consideret*: vbi clare habetur de eis. Aliæ autem sunt circumstantiæ aggrauantes peccatum, sed non transmutantes in aliam speciem: scil. dignitas personæ, vel res circa quam peccatum committitur. De quibus dantur metra:

Aggrauat ordo, locus, peccata, scientia, tempus,
Status, conditio, numerus, mora, copia, causa.

Et licet æque omnia dicuntur spiritualia, tamen quia vnum propinquius perficit spiritualiter, vt sacramenta, per quæ immediate confertur gratia, quam alia remotiora: igitur plus peccat vendendo sacramenta, quam alias res spirituales: quia illud, quod propinquius fini, & magis diligibile, minus diligit: & per consequens, à charitate plus distat. Et sic etiam quanto sacramentum est excellentius, vt corpus Christi, plus peccat illud vendendo, quam alia sacramenta. Magis autem, vel minus, non diuersificat speciem. PET. Quid respondebitur communiter dicentibus, quod tituli sunt inducti, & inuenti iure positiuo? vt *in principio huius secundæ partis* allegaui superius. PAVL. Plane dicendum est, hoc non est verum. Inducti enim fuerunt in Veteri Testamento, *Numer. 18.* vbi Dominus commisit spirituale ministerium Aaroni sacerdoti, & Leuiticæ tribui, dicens: *Tu autem, & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii, excubabuntque Leuitæ ad præcepta tua & ad cuncta opera tabernaculi. Tu autem & filii tui custodite sacerdotium vestrum, & omnia quæ ad cultum altaris pertinent.* Et quia propter officium datur beneficium, paucis interpositis subdit: *Ego dedi tibi custodiam primitiarum mearum: omnia quæ sacrificantur à filiis Israel, tradidi tibi & filiis tuis, pro officio sacerdotali legitima sempiterna.* Ibidem *Deut. 14.* & in aliis locis, Ecce quomodo ius sacerdotii in tabernaculo committebatur Leuitis, & alia ad cultum diuinum exercendi: quod idem est in specie cum iure tituli, quo nunc exercentur spiritualia in Ecclesia.

Quamuis in accidentalibus, seu accessoriis, vt in ceremonialibus, &c. sit differentia, sicut & nunc omnes tituli Ecclesiastici sunt eiusdem speciei, sed solum diuersificantur penes accessoria. A quibus accessoriis frequenter recipiunt denominationem. Nam præpositura, cantoria, archidiaconatus, custodia, & sic de aliis, circa idem obiectum principaliter versantur, & ad eundem finem, scilicet diuinum officium peragendum in Ecclesia, accessorie habent exercere aliqua vltra alios circa diuinum officium, sicut res Ecclesiæ custodire, in choro præcinere, &c. quamuis illa nomina titulorum non fuerunt tempore Apostolorum, vel ante in Veteri Testamento: fuerunt tamen similia diuersis cermoniis, vel officiis correspondentia. Et hæc sufficiant pro secundo tractatu, Domino annuente.

TERTIA PARS.

HVius Tractatus Pars Tertia ex veris fundamentis declarat Romanam curiam fore erroneam, & in statu damnationis laborantem, cum omnibus qui exorbitantes gratias à iure communi, & beneficia Ecclesiastica sunt adepti. Et declaratur plenitudo potestatis Papæ, & habet quatuor capitula.

In primo capitulo ostenditur, de omnibus officialibus dictæ curiæ, & aliis Curtisanis, qui impendunt aliquod seruitium pro gratia simoniace obtinenda, siue circa supplicationes, literas, siue lites, ipsos esse simoniæ participes. In secundo capitulo declaratur, quomodo Cardinales non possunt excusari à participatione simoniæ: & quantum ipsorum negligentia & taciturnitas est culpabilis, & nociua. In tertio capitulo, obiicitur pro latitudine potestatis Papæ. Et condemnatur multiplicatio gratiarum, cum illis qui sunt consecuti beneficia per exorbitantes gratias. In quarto obiicitur pro plenitudine potestatis Papæ, distinctio, per quam cognoscitur, circa quæ & quomodo consistit dicta plenitudo potestatis Papæ: & quæ sunt dispensabilia, & quæ indispensabilia, declaratur.

CAP. I.

In quo ostenditur, vt supra in summa capitulorum.

PET. Iam clare videtur, quod executoribus simoniæ est sublata executio: & fundamentum, quo videbantur innixi, radicitus extirpatum. Vt mihi videtur, hæresis est, asserere quod Papa licite possit pro spirituali titulo recipere pecuniam: & multo magis, hoc facere in effectu. Propter quod videtur mihi, Paule, quod tota Romana curia est in via damnationis, per ea quæ superius demonstrasti. Omnis enim curtisanus ipso facto sui officii videtur particeps Simoniæ: etsi dicam, non tamen forte in [illegible], fautor hæreticæ prauitatis. PAVL. Si huius rei quæris euidentiam, hoc attende. Sicut enim in actu meritorio, de quanto aliquis magis vel propinquius iuuat ad consummationem illius [illegible], de tanto (cæteris paribus) magis meretur: quia in omnibus bene ordinatis, de quanto aliquid fini propinquius, de tanto in primo ordine perfectionis laudabilius: vt patet *1. Ethicorum.* Dico, cæteris paribus, quia vidua duo minuta offerens, plus aliis magis offerentibus meruit. Luc. 21. Sic est è conuerso in actu turpitudinis, & demeritorio, per cuiuscunque factum, officium, siue ministerium magis promouetur actus simoniacus, quo fini ad ipsius effectum propinquius peruenitur, cæteris paribus sine dubio magis peccat. Sic dicimus de homicidio, per ea quæ leguntur in *cap. sicut dignum. de homi.* vbi habetur casus de Beato Thoma Cantuariensi Archiepiscopo. Ratio huius habet se per oppositum, ad rationem præcedentem. Quia in persecutione actus vel effectus simoniaci, in ordine actuum concurrentium, ipsum actum vel effectum præcedentium, de quanto actus effectui propinquior, de tanto inordinatior, quia magis distat à vero ordine, in ipsum exercendo peius eligit, quia sine electione & voluntate ipsum non exercet. Ex quo sequitur, quod minus diligit, & per consequens, plus distat à vera & ordinata dilectione seu charitate, & ita plus peccat. PET. Fiat Curtisanus in factis Romanæ curiæ, exempli gratia, vt huius conclusionis experiamur plenius veritatem, & per hoc tam ipsius quam eorum conuersio salubrius consolatur. PAVL. Si enim in gratiis, siue indulgentiis obtinendis aliqui sunt, qui ad obtinendum iuuant, vt supplicationes scribentes, & scriptas deferentes ad eos qui vlterius promouent, & porrigunt ad signandum. Aliqui vero sunt, vel aliquis, qui prouidet, quem exprimere non oportet, ad maiorem notitiam declarandam. Tertii sunt, qui in prouisione simoniaca, facta ad effectualem ipsius consummationem habendam, sua seruitia impendunt: vt puta datarius, qui datam apponit. Secundo, defertur ad registrum supplicationum. Tertio, ibi registratur. Quarto, registratæ portantur ad cancellariam. Quinto, per vicecancellarium distribuuntur abbreuiatoribus. Sexto, per ipsos conficiuntur minutæ, & soluitur quod taxatur. Septimo, ad ingrossandum scriptoribus distribuuntur. Octauo, taxantur. Scriptæ vero, taxatæ, & solutæ, in cancellaria iudicantur, & interdum cancellantur. Nono, ad bullandum portantur: tandem registrantur, & iuramenta in camera fiunt pro annatis, & etiam solutiones pro pacatis. Et hi omnes secundum ordinem, & quicunque alii, sicut sunt sollicitatores, seu procuratores literarum huiusmodi, vel scriptores processuum, & generaliter quicunque aliquid seruitii impendunt, vt tales literæ effectum habeant, peccant mortaliter: quia omnes participes sunt simoniæ.

PET.

PET. Mira res igitur est, quod extractis literis non solum cum peccato vnius, sed multorum primo, tunc ad lites peruenitur: cuius contrarium raro accidit, in quibus odia excitantur, & homines se consumunt grauibus laboribus & expensis, & quod hoc in cor præsidentium non ascendit. PAVL. In his quæ ad lites huiusmodi, aut potius ad consummationem effectus simoniaci concurrunt litigantibus auxilia, similiter aliam lineam, quam præmemoratam poteris facere per hunc modū. Nam scribitur commissio, in qua auditori cōmittitur, vt citet, & iustitiam faciat. Secundo, manus apponitur, vt appareat de mandato Domini Papæ. Tertio, auditori præsentatur: qua humiliter recepta, notario assignatur, citatio decernitur, demum citationis fit executio. Postea ad actus iudiciales obseruandos, sollicitatorum, procuratorum, & notariorum concurrit diligentia, & communia patrocinia aduocatorum. Demum auditoris fertur sententia: quæ cum executioni demandatur, tunc perfectissime simonia consummatur. Hæc dearticulate dico, ideo quod nullus Curiensium se credere debeat excusatum. Et dixi notanter, quod per cuiuscunq; factum propinquius, vel magis peruenitur ad effectum peccati, cæteris paribus, ille plus peccat ex ordine supra dicto. Nam stat bene, primum, vel secūdum, in prosecutione facti magis peccare, vt patet, quam vltimum, ex aliis circumstantiis peccatum aggrauantibus puta, qui scribens supplicationem, vel datam, &c. est Episcopus, vel Doctor, vel religiosus, vel plura exercens officia: & sic de aliis circumstantiis, de quibus plene in *Can. consideret. de pœn. dist. 5.* de quibus dantur metra:

Quis, quid, vbi, per quod, quotiens, cur, quomodo, quando,
Quilibet obseruet animæ medicamina dando.

PET. Contingit, Paule, sæpius, quod vna persona plura exercet officia, sicut vnus abbreuiator scribit supplicationem minutam & grossam, & in causa sollicitat. Sic etiam procurator quamuis vnū exercet officium, tamen plures causas fouet, & procurat. Similiter aduocatus, & auditor. Præterea, etsi est vnica causa, & non plures, tamen in ea interpollatim plures actus exercentur. Dic quid tibi videtur hic? an istorum quilibet pro officiis, omnibus actibus & causis simul sumptis, vnum tantum peccatum mortale incurrat, vel pro quolibet illorum singulariter aliud & aliud sit peccatum? PAVL. Attende in hoc dictum Philosophi *5. Physicorum*, vbi innuit, quod quilibet actus mensuratur penes terminum à quo, & terminum ad quem. Si igitur terminus à quo, est vnus numero, & terminus principalis ad quem, est diuersus numero: actus oportet esse diuersos, & econuerso. Vnde si duo concurrent ad eundem effectum in numero, puta ad occidendum hominem vnum, quamuis idem sit numero effectus amborum, tamen duo sunt actus, & per consequens, peccata è conuerso, licet eadem persona in numero, tamen quia pluribus causis distinctorum numero effectuum ministrat, tot vere peccata committit, quot erunt supplicationes, literæ, aut causæ, quibus ministrat ad distinctos fines inducendos ordinate. Et ideo non sufficit confitenti dicere, Ego fui notarius, vel procurator, &c. in talibus causis, vel factis, &c. sed necesse habet, si recordari potest, numerum dicere: Tot supplicationes, minutas, literas scripsi, in prouisionibus per simoniam obtentis: vel in tot causis, tale officium, à principio vsque ad finem ipsarū exercui, &c. Hinc est, si vna persona exercet diuersa officia, vel in vno officio multos actus, tunc si hæc omnia concurrunt ad eundem effectum inducendum, omnia illa intermedia erunt vnus totalis actus: & per consequens, vnum peccatum. Hoc tamen verum, quod de quanto plura exercet officia, vel in eodem officio plures actus, tanto peccatum illius plus aggrauatur. Sufficit tamen ad mortale vnus actus. PET. Inter illos, plures arguit mortale: an primus, scil. ad dicendum contra commissionem, vel secundus ad libellandum assignatus, & sic de aliis, & quodcunq; eorum assignatur, eadem ratione erit quilibet eorum peccatum. Et sic necesse habes dicere, quod quilibet actus prohibiti seu illiciti negotii partialis, est mortale: vel ex aduerso oportebit asserere, quod nullus eorum sit peccatum. Præterea in actibus illicitis corporeis, in quibus naturaliter cadit successiua interruptio, pro quolibet debito est vnum: vt in *l. foramen. ff. de seruitut. prædio.* PAVL. Cum enim peccatum potenter & radicaliter existat in anima, quod est auersio voluntatis à bono incommutabili ad bonum commutabile, communiter in actu exteriori, siue corporeo, tanquam ab ipsa voluntate imperato: ideo quam cito voluntas consentit tali negotio prohibito peragendo, iam etiamsi nullus actus consequeretur, peccatum est nihilominus in voluntate perpetratum: sed non nisi peracto negotio, actibus corporeis dicitur consummatum. Vnde stante eodem consensu voluntatis, sine interruptione à principio negotii vsq; ad finem, quamuis naturaliter illi actus partiales integrantes negotium interrumpunt, tamen q̄a eis non correspondet iteratio voluntatis, saltem habitualis, non possunt dici plura peccata, sed vnum. Quia idem est terminus à quo, scil. eadem voluntas, & terminus ad quem, etiam idem omnium mediorum. Secus esset, etiam si in prosecutione, vel ante, mutaretur voluntas ad contrarium, & postmodum voluntatem resumeret in prosequendo, & tunc, quotiescunq; mutatam voluntatem resumeret, totiens peccaret. Nec illa intermedia essent vnus actus, quamuis ad eundem effectum tenderent, sed diuersi, propter diuersum terminum à quo scil. mutatione voluntatis, vel etiam si finis per se daretur cuilibet actui specialis.

Cap. II.

In quo declaratur, quomodo Cardinales non possunt excusari à participatione simoniæ: & quantum eorum negligentia & taciturnitas est culpabilis, & nociua.

PET. Modo non est mentio facta de Dominis Cardinalibus, officia non habentibus. Ideo nunc expedit, vt etiam à tanto sopore lamentabilis negligentiæ congruis persuasionibus excitentur. PAVL. Si animaduertitur mente sollicita, quanto mysteria à cardinibus, vel quatuor cardinalibus virtutibus, quibus pollere debent (scil. prudentia, temperantia, fortitudine & iustitia) *Cardinales* sunt nuncupati, & ad construendam conseruandamq; sacro Christi sanguine fundatã Ecclesiam, superna prouidentia instituti (magnum quippe & arduissimum est eorum officium) profecto destrui non deberent exemplis auaritiæ: non obdormire tantam ruinam in ipsa Ecclesia Dei, & prostitutionem sceleratissimam, nec non diuisionem hæreticam Christi sponsæ admittere. Nam certo certior sum, quod præter hæc quod cum Simone mago colligunt, non solum prædictorum omnium in curia Romana peccatorum sunt participes, verum omnium malorum quæ fiunt vbiq; in Dei Ecclesia: de quanto ea aut reformare, aut prædictis prouisionibus exorbitantibus, & inutilibus (quæ sunt infinitorum malorum radix & fomentum) contradicere cum effectu negligunt: aut consentiunt in errores impiorum, negligentiam, desidiam detestabilem, vel consensum, noscuntur sine dubio redundare. PET. Iniuriose, & recte non videris dicere, quod Cardinales cum Simone colligunt: cum tamen sine solutione pecuniæ à Papa obtinent, quod intendunt. PAVL. Ignosce mihi, Petre, hunc errorem, quo me fateor oberrasse. Non enim debui dicere cum Simone, sed cum Iezi habent partem, cum sine ipsorum consilio de Episcopatibus &c. non fiunt huiusmodi prouisiones: qui nõ solum assensu & consilio, sed etiam ad ipsas cooperantur per effectum, cum mutua seruitia, &c. à tali recipiunt, turpiter contrahentes. Et dato quod non consulant ad talium prouisiones, vel etiam simoniacas solutiones: & etiam cessent omnia alia, tamen ab assensu tacito & habituali nullatenus excusantur, ex quo præsentes sunt & silent, & vt eis incumbit ex officio realiter non resistunt. Tales enim vocat scriptura canes mutos, non valentes latrare, *43. dist. sit rector*. Quid enim prodest illi, suo errore non pollui, qui consensum præstat erranti? *83. di. quid prodest.* Vbi Beatus Gregorius, exponens hoc in sequenti capitulo, dicit: *Consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit.* Et ita verificatur illud: *Error, cui non resistitur, approbatur.* Nec caret scrupulo societatis alienæ, qui manifesto facinori desinit obuiare *100. di. error, & 23. di. qui potest.* Non etiam ignorantia eos tueri poterit: quę cum in ipsis laicis intolerabilis existat, quanto magis in his qui præsunt, nec excusatione est digna, nec venia. Vt in *c. si laicus 38. di.* PET. Hoc enim de se est euidens, quod ex quo in Episcopis, & in aliis inferioribus damnatur ignorantia: fortius in Cardinalibus, qui habent pro tota congregatione Christianæ fidei consulere, & permaxime vigilare, non est aliquo modo admissibilis ignorantia scripturarum. Vnde dicit Beatus Thomas, in *scripto super quarto Sententiarum, di. 18.* quod quilibet officium seu beneficium recipiens, ad cuius ministerium debite exequendum non habet competentem scientiam, peccat mortaliter. Idem notat Inno. & sequaces, in *c. cum in cunctis de elect. & c. Omnes 38. di.* Et ideo poterit esse adhuc alia & efficacior excusatio: scil. quia si aliqui eorum, vel aliquis, vellet tantæ ruinæ reformationi intendere, aliis nolentibus ne forte sine profectu, aliorum odiis, & fortasse etiam status sui periculo se exponeret, oportet eos sub dissimulatione pertransire. PAVL. Fortissime talibus excusationibus incusas: & obstat directe dictum Apostoli *ad Galatas secundo*, pariter & exemplum, vbi gloriatur Paulus dicens: Quod *cum venisset Cephas*, caput Apostolorum (id est, Petrus) *Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*, &c. & Saluator Matth. 16 Cum enim dixissent Apostoli, *Scis quia Pharisæi audito hoc nomine, scandalizati sunt nimis?* ait: *Omnis prælatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt*, &c. Non enim Elias pertimuit Achab principem, quærentem ipsum occidere, cum dixit sibi ad faciem: *Non conturbo ego Israel, sed tu & domus patris tui*, 2. Reg. 18. Tales enim de profectu correctionis desperantes, non innituntur Dei potentiæ, sed propriæ: cum *alius sit qui rigat, & qui plantat: & alius qui incrementum dat.* Si enim sperarent in Domino, mutarent fortitudinem, & non deficerent: *Isaia 40.* fortitudinem inquam propriam, in fortitudinem diuinam.

Cum enim quispiam de viribus diffidit propriis, quasi propria fortitudine se exuit, & Dei fortitudine se induit: & tum ipsius nititur potestati, qui est protector omnium sperantium in se. Qui enim sic confidit in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum. Quod Propheta non ambiguit, cum dixit: *Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* & etiam, *In Domino transgrediar murum.* Et alibi: *In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo.* Sed quid est aliud dicere, quoniam tales diffidendo de Dei auxilio, non ponunt Deum adiutorem suum, non reputant mori lucrum, quod tamen reputauit Apostolus ad Philippenses: Vana se excusatione subtrahentes, trepidauerunt ibi timore, vbi non erat timor. Et ex quo sic, statum timentes amittere, *quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* Et idcirco quia sacrificium iustitiæ Deo non offerunt, merito non possunt sperare in Domino: sed, proh dolor, oportebit eos tabescere in errore.

PET.

PET. O felicissima Apostolorum tempora, primitiuæ ecclesiæ: dum etsi vnus erat malus inter duodecim: nunc autem inter duodecies duodecim nullus, aut vix vnus bonus. O quanto periculo fluctuat Petri nauicula? prædicatio Pauli contemnitur, & doctrina Saluatoris non curatur: & quod in Curia Roman. ecclesiæ, quæ est omnium ecclesiarum caput à planta pedis vsque ad verticem capitis non est sanitas.

CAP. III.

In tertia partis huius Tractatus cap. tert. conuincitur, pro latitudine potestatis Papæ, & soluitur, & declaratur plenitudo potestatis ipsius: condemnatur multitudo gratiarum, cum illis qui sunt consecuti beneficia per exorbitantes gratias.

PET. Adhuc restat ibi discutiendum in hac materia, quoniam Gloss. ordinariæ sonant, quod conditor canonis, vel legis, potest mihi dare rem alienam, & tutus ero, vt dicit Gloss. 2. in *c. vigilanti. de præscript. per l. Lucius ff. de c. vict. & Cod. de quadrien. præscript. bene à Zenone*, & per totum. Gloss. vero in *c. per principale, 9. q. 3.* idem dicit. Et plus superadditur, quod Papa potest alicui beneficium recipere, remittit *19. distinctione in memoriam extra, de offi. dele. dilectus de concess. praben. quia diuersitatem.* Et potest episcopum deponere, sed non omnes: quia sic vniuersalem ecclesiam turbaret. Horum occasionem præmissorum, & etiam Gloss. in *c. à nobis de deci.* quidam notauerunt, quod Papa posset vnum episcopum deponere sine causa, sed non omnes, ne videretur statum ecclesiæ vniuersalis immutare, quod non potest. Nonnulli etiam famosissimi canonistæ videntur asserere, quod Papa posset etiam contra ius naturale dispensare. Gloss. Ord. dict. *c. à nobis*, Innocent. in *cap. cum ad monasterium de sta. mo.* & sequaces dicentes, quod Papa in voto continentię posset dispensare. Item etiam contra iuramentum *15. q. 3. auctoritatem item*, quoniam etiam Gloss. innuit, quod posset contra diuinam legem dispensare: vt in *c. proposuit de conces. praben.* in eo quod dispensare posse videtur contra Apostolum, vt promoueantur ad sacros ordines bigami. *33. dist. lector.* Hæc allegata, maxime videntur Papæ laxasse potestatem. Necesse igitur habes de mentibus simplicium & errantium excutere, quicquid erroris in animis non bene intelligentibus est seminatum occasione præmissorum.

PAVL. Non est quippe necesse dicere aliquid, si non exuberasset tanta cupiditas, ambitio, & omnium malorum radix auaritia, quæ corticibus iurium contenta, & errore, ad medullam non sinit pertingere veritatis. Sed vt etiam in his cæcitati cupidorum & ambientium penitus occasio subtrahatur, vt vtar verbis Apostoli: hic primo quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Et quis est iste fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? quem recommendat Saluator *Lucæ 12.* quem vtique prudentem & fidelem esse oportet. Infidelis autem est, qui dimisso communi bono, amplectitur priuatum. Imprudens vero est, qui sine discretione & sine causa dispensat, quia huic dicetur: *Serue nequam, redde rationem villicationis tuæ: Iam non poteris vltra villicare*, Lucæ 16. circa principium. Seruus enim qui non facit voluntatem Domini, plagis vapulabit multis. Cum autem secundum Gloss. Or. *1. q. 1. requiritis*, in verb. *pro tempore* dispensatio est communis iuris relaxatio, facta cum causæ agnitione, ab eo qui ius habet dispensandi: necesse diuersa pensare habet, qui dispensare vult, cum à iure communi non est facile intuitu alicuius recedendum *51. dist. iuramentum* & contrarium facere non est populo consulere, sed nocere: nec præstare regnum, sed augere discrimen, vt *ibidem.* Eo minus adhuc Saluator dispensatorem assumpsit: supra etiam Apostolus, scilicet prout dispensatio est quædam commensuratio ad singula: prout dicit beatus Thomas in *secunda parte secunda, 97. ar. vlt.* & Io. An. post eum in *nouella cap. de multa de praben.* Inde gubernator familiæ dicitur dispensator, qui dispensat & distribuit singula singulis, laborem, & etiam pretium. Ad hoc autem, vt dispensatio vtroq; modo valeat & teneat, necessario requiritur vnum de duobus aut dispensandi necessitas, aut publica vtilitas. Iura sunt ad hoc multa, dicto *c. requiritis*, cum multis sequ. & *78. distinct. si cognita concor. &c. de aliis.* Dicunt iura, vt prærogatiua meritorum, &c. ad ista requirantur. Necessitas enim & vtilitas inducunt dispensationem, vt in *c. exposuisti de praben.* Cum ergo hæc dispositio sit fundata lege diuina, quia hoc ad fidelem & prudentem dispensatorem pertinet, vt supra: & etiam ratione, quoniam hoc dictat legalis iustitia, cuius est, necessitati & vtilitati publicæ consulere, quæ non est sine prudentia, quæ hæc considerat, vt patet *6. Ethicorum.* Ex quibus sequitur, quod Romanus pontifex pro libito contrarium facere non potest. Nam dicit Bernhard. *3. de Consideratione cap. 23.* quod si faceret, non dispensare esset, sed dissipare. Et hoc est quod volunt doctores communiter, & Gloss. Or. Quod si Papa dispensat cum aliquo, siue in pluritate incompatibilium beneficiorum, siue in voto &c. & causa rationabilis non subest, talis non est tutus quoad Deum, vt in *cap. non est, de voto & voto redempt. & in c. dudum de elect.* secundũ Hosti. & alios. Dico, si certũ est, ꝙ rationabilis causa non subsit dispensandi. Certũ n. est, ꝙ talis dispensatio, vel potius ficta prouisio, nullius est momenti,

Declaratur, quod omnes qui obtinuerunt beneficia per exorbitantes gratias, & præiudiciales aliis, dato quod non dederunt pro eis pecunias, nisi dimittant beneficia taliter acquisita, certi sunt de sua damnatione. Ex quo sequitur, quod omnes qui per exorbitantes gratias, & præiudiciales aliis, sunt adepti aliquod beneficium, sicut sunt dies obitus, perpetua silentia, proprii motus, clausulæ antelationis, & similes, cum quibuscunq; clausulis derogatoriis iuri alterius, dato quod non dedissent pro eis pecunias, sed solum posito quod aliis præiudicatum est sine causa & necessitate, per eas in iure sine in beneficio iam quæsito, siue ad rem inquirendo, nisi dimittant beneficia taliter acquisita, & egerint pœnitentiam, certi sunt de damnatione. Patet etiam hoc ex eo. Nam clarum est, quod habens beneficium ecclesiasticum sine institutione canonica, possideri non potest, vt dicit *1. regula de re. iur. lib. 6.* Et quia etiam constat, quod per huiusmodi gratias quæ à iure communi exorbitant, non est ingressus canonicus, imo contra canones, contra ius diuinum & naturale, ex quo fit cum iniuria aliorum: igitur quilibet talis est malæ fidei possessor, quæ vllo tempore non præscribit. Ex his vlterius sequitur, quod gratiarum mutatio & multiplicatio, est realis deceptio, & damnatio animarũ. Obiectio. Præterea, quod Papa sine rationabili causa & euidenti non potest immutare, vel eius contrarium facere, quod per prædecessores suos rationabiliter statutum est, vt probatum est supra *prima parte huius Tractatus cap. 3.* Præterea, ratione pro prædictis sic arguitur: Quandocunq; Papa facit aliquid contra legem diuinam vel naturalem, dispensando super incompatibilibus, innocentes deponendo, vel transferendo prælatos, & sic de aliis quæ habent fieri virtute clauium Ecclesiæ, quotiescunque non subesset necessitas, aut communis vtilitas, ex tali dispensatione nullus exequitur effectus, sed solum quædam vmbra apparet in opere, sed nulla veritas subsequitur in effectu. Quod sic probatur. Nam quilibet actus seu operatio producitur ab aliqua virtute, seu potentia, quam in agibilibus potestatem seu legem appellamus: hoc vtique notum est ad sensum & intellectum. Sed nullus actus, in quantum contrarius iuri diuino, militans, producitur ab aliqua potentia: Ergo nullus, in quantum talis, in re est aliquis actus: & per consequens, nullus est effectus. Consequentia de se nota est, quia regulariter penes secundum modum secundæ figuræ. Minorem sic declaro: Omnis potentia, qua Papa potest aliquid facere, aut est virtute legis diuinæ, aut naturalis sibi. Hoc est dicere: aut facit vt vicarius Christi, & sic non facit virtute sua, sed Christi: aut non facit vt homo, vel animal, &c. non potest dici, quod virtute legis diuinæ possit dispensare, &c. sine causa: quia cum causa secunda non agit nisi in virtute prioris, sic oporteret concedere, quod Christus dedisset sibi hanc potestatem contra se & suam legem faciendi, qui tamen ipsum voluit esse fidelem, & ob hoc prudentem, vt supra. Et sequitur, quod lex Dei esset sibi contraria, & infinita inconuenientia sequerentur. Habetur ergo pro constanti, quod vigore legis Christi non est potentia. Non etiam potest vt homo: quia sic non oporteret currere pro beneficiis ad Papam, vel alios, si naturalis virtus humana sufficeret ad ea dispensanda. Præterea non est dubium, quamlibet virtutem humanam esse subordinatam Dei potentiæ, in genere causæ efficientis. Cum igitur causa inferior non potest influere aliquam actionem vel virtutem causæ superiori se, sed econuerso: igitur, &c.

Pet. Hęc ratio cogit inuincibiliter ad assensum. Sed sensus exterior mihi contrarium indicat experimentum. Nam videmus ad experientiam, quod quantumcunque Papa excedit limites legis diuinæ in prouidendo, &c. spiritualia dispensando, siue pro illo recipit pecuniam, siue alio modo: tamen nihilominus, quam cito ore pronunciat aliquem in episcopum alicuius ecclesiæ, statim habetur pro tali prouiso, & communiter recipit possessionem, & ea exercet quæ talis habet exercere. Similiter cum supplicationi apponit calamum, signando per *Fiat*, &c. mox illi beneficium est affectum, ita quod talis suo tempore illud consequitur in effectu, cuius tamen contrarium tua ratio nititur demonstrare: & ideo apparet, quod sit plus fantastica & sophistica, quam realis.

Pavl. Rusticanam profecto æstimationem videris habere. Nam cum rurali hebetudini prædicitur de ineffabili bonitate cœlestis patriæ, & si dicitur quod ibi non comedemus nec bibemus, non cadit in mentem rusticam quod ibi est omnis plenitudo. Non mirum, quod vmbram in opere sensu perceptibilem sequeris cum errantibus, & non facti veritatem, quæ nisi ratione intueri poterit efficaci. Quia enim potentia vel virtus Dei, qua Papa dispensat spiritualia, est mere spiritualis, non corporalis (quemadmodum est potentia ad proferendum verba, vel ad scribendum) similiter ipsius actus & effectus proprius est mere spiritualis, nullo sensu perceptibilis, vtitur tamen ad exercendum proprium effectum pro instrumento, natura humana, & ipsius membris corporalibus. Si igitur debeat tibi aliquid prædictorum spiritualium ad sensum innotescere, oportet non aliter quam per signa corporalia iudicare, quæ illorum sunt vestigia, siue signa: sicut actus pronunciandi, siue supplicationem signandi, quoad conferentem, aut possessionem corporalium, sine quibus talia spiritualia non sunt apprehendenda, quoad recipientem. Quando ergo Papa facit quod est contrarium scripturæ vel rationi actus illius potentiæ diuinę, virtute cuius hoc deberet, conquiescat: & per consequens, sua pronunciatio vel scriptura, quæ deberet esse signum actus illius spiritualis, nulla in re habet correspondentiam ex parte signati, sed solum apparet significare, & nihil significat in effectu. Nec etiam stat ibi pro se: quia actus proferendi vel signandi supplicationem ex sui natura, non potest talem effectum causare, vt notum est: sicut nec tu in alio homine priuato, & per consequens, nec stat ibi naturaliter pro se, nec significatiue pro alio, sed solum est quædam vmbra in opere, sed nulla veritas sequitur in effectu, vt dicit tex. *c. quando. de consue.* Et sic errantes, possessio-

nem

actu apprehendentes disponunt de rebus, in veritate nullum ius habentibus. Et ex istis patet intellectus allegatorum, quæ erroribus fauere videbantur. Nam si sic glossatores voluissent intelligere, quod Papa posset recipere beneficium vni, sine causa rationabili, & dare alteri cum iniuria, vellent beneficia esse perpetua *55. distinct. præcepta 70. distinct. sanctorum.* Et no. *de fi. presby. veniens*, cum omni audacia dicerem, quod se non intellexerunt, nec hoc potest concludi ex dicto *c. per principalem*, nec ex aliquo alio. Ex quo patet, quod pueriliter dicitur, quod Papa potest vnum episcopum deponere sine causa, sed non omnes. Nec est illud recitatione dignum, quod hic dictum est, Papam licentiam habere pueriliter & sine prudentia agendi, quem prudentem esse oportet, vt dicit Apostolus. Et etiam est contra textum *c. intra corporalia. de translat.* vbi dicitur, quod non humana, sed diuina potestate coniugium spirituale dissoluitur, cum per translationem, depositionem vel cessionem auctoritate Romani pontificis, quem constat esse vicarium Iesu Christi, episcopus ab ecclesia remouetur. Sed intelligendum est, quod quacunque causa dispensare non potest solus, sine generali ecclesiæ concilio: vbi ex dispensatione sua discoloraretur status vniuersalis Ecclesiæ, secus, vbi hoc non timetur. Et sic intelligendæ sunt Gloss. Or. & alia scripta doctorum.

CAP. IV.

In capitulo quarto huius Tractatus, obiicitur pro plenitudine potestatis Papæ: & ponitur distinctio, per quam cognoscitur, circa quæ & quomodo consistat dicta plenitudo: & quæ sunt dispensabilia, & quæ indispensabilia, declaratur.

PET. Peregrina iuri apparent quæ dixisti, cum princeps non teneatur sua lege: *Cod. de leg. digna.* Nam licet conditori constitutionis ex certa scientia contra suam constitutionem dispensare, sine causæ cognitione: alias non *de confir. vti. vel inuti. ad nostram.* Item Gloss. in *c. si gratiose de rescript. lib. 6.* Nota, quod solus Papa sub conditione & ad tempus, sicut vult, potest beneficia concedere, seu conferre allegat. *7. q. 1. pastoralis de fi. presb. veniens.* In his quæ vult, est apud ipsum pro ratione voluntas, *Institut. de iure naturali §. sed & quod principi.*

PAVL. Glossam pro illo allegato intellige, quod Papa potest conferre ad tempus sicut vult: id est, sicut debet velle, si necessitas suaderet. Et etiam hoc intendunt Iura, per Gloss. allegata. Vt de hoc scire valeas labyrintho, expedit te notare, quod inter ea quæ sunt pro humana vita dirigenda statuta, quædam sunt, quorum sola voluntas constituentis est causa, quia scilicet sic principi placuit: & hæc dicuntur iura propria mere positiua, vt quod sententia non teneatur nisi per sedentem lata, vel quod sacri ordines celebrentur per interstitia quatuor temporum, & in talibus apud principem est pro ratione voluntas: & in talibus iura loquuntur allegata superius, & similia. Alia autem sunt, quorum causa non est sola voluntas, sed dictamen rationis cognitum vel lex diuina. Et ista tunc habent se per modum præmissorum, ad ius canonicum. Impossibile est ergo, tollere veritatem consequentis, nisi etiam tollatur veritas antecedentis. Quia consequens includitur in antecedente, & necessario sequitur ex antecedente, vt patet *primo & secundo Priorum.* Si igitur debet tolli ius canonicum per huiusmodi causas inductum, necesse est vt per easdem causas in contrarium agens dissoluatur, scilicet si suadet ratio, aut lex diuina: per regulam, *omnes res de re. iur.*

PET. Videtur per hoc in Papa negari plenitudo potestatis, quæ est supra ius commune. Cum etiam Petrus in administratione maior fuerit Paulo Apostolo, *80. distinct. in illis.* Et ideo videtur nonnullis doctoribus, non esse iuris, si contra Apostolum Paulum Papa valeat dispensare.

PAVL. Absit, quempiam dicere, quod aliquid huiusmodi valeat sine causa. Cum enim in veteri & nouo Testamentis non contineatur nisi veritas doctrinæ, fidei, & moris, contra legem naturæ & gratiæ: qua ratione Papa pro libito posset dispensare? cum Christus non venerit legem soluere, aut Prophetas, sed adimplere: *Matth. 5.* Fateor, quod in bigamia posset dispensare, & contra ius naturale, secundum intentum prius dictum, scilicet ipsum exemplum in casu, quem ponit Innocentius & communiter Doctores in *cap. cum ad monasterium de statu. monachorum* sed si tota Christianitas, vel aliqua eius pars, vel prouincia esset in periculo, nisi monachus fieret rex, & regnum in suum recipiat, suis hæredibus relinquendum, quia habebat forte ante monachatum filios: & quia forte non est qui sciat regnum regere: quo casu, quilibet debet se totum in holocaustum Deo offerre, vt sibi seruiat in eo in quo ei plus placet. Sed præ omnibus placet creaturam spiritualem rationabiliter & temporaliter conseruari, pro qua & ipse animam posuit: & hoc casu dispensare potest, vt proprium habeat. Similiter super continentia, quia dicunt illi de regno: Quia si debent dare regnum, volunt quod recipiat talem reginam in vxorem, alias dabunt eam infideli. Et hoc casu non debet etiam tantum diligi contemplatio huiusmodi monachi, contra maius bonũ: & eius continentia non debet credi, quod Deus non velit prouisionẽ sui vicarii Christianitati hoc modo ꝓuidere. Aliter n. ꝙ ꝓ charitate institutũ, militaret cõtra charitatẽ: vt dicit Hugo, Io. Teu. & beat⁹ Thom. in *scripto super quarto Sen: ẽtiarũ*, & dominus Hugo cardinalis.

Vnde

Vnde pro magna guerra sopienda, aut pro cultu Dei ampliando, si essent pauci fideles, vt fuit tempore Abrahæ, aut pro vitanda strage animarum, posset dispensare, vt etiam moniales contraherent. Et ita etiam concedit Magister sententiarum. Quamuis beatus Thom. in *secunda secundæ, 88. q. ar 16.* scripsit, quod in voto religionis solenni non potest fieri dispensatio, quia illi castitas essentialiter est annexa. Secus dicit in voto solennizato per susceptionem sacri ordinis: quia illi continentia non est annexa essentialiter, sed ex statuto ecclesiæ. Hic tamen attende diligenter, quod si non subesset causa, aut forte esset minus vrgens quam vt prædicatur, aut si insufficiens, & Papa nihilominus dispensaret cum moniali aut monacho, sic contrahendo matrimonio, non esset matrimonium, sed adulterium. Richardus vero de Media villa, *quarto Sententiarum. dist. 38. q. 8. 1. ar.* dicit: Quod dispensatio potest accipi dupliciter. Vno modo, pro iuris laxatione, vt dictum est. Alio modo, pro iuris declaratione. Et hoc respectu dicimus Papam dispensare super iure naturali vel diuino, declarando vel interpretando. Primo modo dicit nullum votum esse dispensabile, quia vouens obligatur Deo, cuius voti expletio est sub præcepto, iuxta illud prophetæ: *Vouete, & votum reddite Domino.* Primum, scilicet *Vouete*, est consilium: secundum, scilicet *Reddite votum Domino*, est præcepti, *de vot. & vot. redempt. magnæ.*

Sed secundo dicit quædam vota dispensabilia, quædam non. Illa namq; dispensabilia non sunt, quæ dignam compensationem habere non possunt: vt votum Christianæ religionis, quod emittitur in baptismo. Hoc seruare enim, est ad salutem necessarium. Alia vero fiunt super erogatione, id est ad maius bonum agendum: & talia sunt dispensabilia. Quia potest inueniri causa rationabilis, scil. profectus maioris boni, vel vitatio mali. Et hoc modo proprietas, vel continentia in monacho, non est simpliciter bona: quia maius bonum inuenitur. Secus de dilectione Dei. PET. Grata mente optatæ institutionis hoc Speculum in tuis dictis recipio, quo se spirituales, maxime moderni temporis, valeant intueri. Quamobrem Tractatulus hic *Aureum Speculum* non immerito poterit appellari: qui etiam succedit pro Chronica posteris, ad cautelam, quo ad gesta in ecclesia his temporibus, Papa Bonifacio 9. natione Neapolitanensi, annis tunc fere 15. Romanæ ecclesiæ iam præsidente, & schismate in ecclesia tunc iam ab annis 18. perdurante. PAVL. Reformet vnigenitus Dei filius suam Ecclesiam, secundum eius gloriam, genitricisq; suæ gloriosissimæ, ac totius cœlestis curiæ: Amen. Audax manus ad calamum, supra vires scribens arripuit negotium: Anno currente natiuitatis eiusdem Domini millesimo quadringentesimo quarto. Et eodem Domino tunc dirigente sic compleuerit, consulens toto desiderio ad obuiandum malis vniuersis, pro Ecclesiæ Concilio generali &c.


Explicit Dialogus Petri & Pauli, de insolentiis & erroribus Romanæ Curiæ, 1467. Cæterum in Processu Ioannis Huß sæpe fit huius Aurei Speculi mentio.

ÆNEÆ SILVII PICCOLHOMINEI SENENSIS EPISCOPI TERGESTINI, ET SENENSIS: POSTEA PII PAPÆ II. COGNOMENTO

TRACTATVS:

DE ORTV ET AVTHORITATE IMPERII ROMANI, AD SERENISSIMVM ET Inuictissimum Principem, FRIDERICVM Romanorum Regem.

FRIDERICO ROM. IMP. AVGVSTO, Æneas Syluius Piccolomineus S.



Ompellit me, Diue Friderice, Cæsar Auguste, Imperator piissime, nonnullorum inscitia (seu pertinacia est atq; rebellio) tibi vt aliqua scribam, cum de Origine progressuq; sacri Imperii, tum de potestate authoritateq; sua. Nam cum dietim meis auribus perstrepant imperitorum, ne dicam maledicorum hominum voces, qui populos quosdam ac principes, sic liberos Francosq; dicunt, vt nullo penitus iure Romano Imperio sint obnoxii, te vero subiectum legibus: nihil ex priuilegiis cuiuis datis te posse detrahere, & à tuis sententiis atq; mandatis appellare fas esse contendant: statui breuiter, non quod mihi videtur, sed quod maximi autores, tam legum interpretes, quam sancti doctores, de Cæsarea sentiant

sentiant potestate, in medium afferre: tuaq; magnitudini non ad notitiam (quid enim est quod Principis pectus ignoret?) sed ad recentiorem quandam memoriam reuocare: vt confundantur, qui non veritati suos affectus, sed veritatem affectibus coaptare nituntur. Accipe igitur pauca ex multis, ac breuissima ex amplissimis: lege quod scribo, boniq; consule. Te namq; res ista concernit, ad me nihil spectat præter laborem & inuidiam: quam ex æmulorum Imperii, tuorumq; hostium indignatione consecuturum me scio. Sed magis ego veritatem veneror, quam illos timeo.

CAP. I.

Quo nam modo, & qua nam causa ciuilis vita cœperit.

ROMANA Regia potestas, quam sacrum Romanum Imperium appellamus, ab ipsa humanæ naturæ ratione, quæ optima viuendi dux est, cuiq; omnes parere oportet originem ducit. Exactis nanque ex Paradiso deliciarum primis parentibus, cum in agris homines atque in syluis bestiarum modo vagarentur, victuque sibi ferino vitam propagarent: animaduertit homo (nam rationis participem illum Deus creauit) hominem homini ad bene viuendum maxime conducere, societatemq; fore plurimum necessariam. Sic ergo qui segregati prius vitam in syluis, more ferarum ducebant, siue docente natura, siue Deo volente, totius naturæ Magistro, insimul conuenere, societates instituerunt, domos ædificauerunt, oppida muris cinxerunt, artes inuenerunt. Et cum alter alterius commodis inseruiret, placebat mirum in modum singulis vita ciuilis: dulcisque nimium videbatur & propinquorum & amicorum consuetudo, cuius fuerant prius expertes.

CAP. II.

Vnde & qua ratione Regia potestas cœperit.

VErum sicut ab homine multa parantur homini commoda: sic nulla est pestis, quæ homini ab homine non nascatur. Cœperunt itaque homines violare societatem, fidem frangere, pacem turbare, iniuriari conciuibus, vicinorumq; tum opibus tum matrimoniis insidiari, rapere aliena, fas omne abrumpere. Nec enim pacis æmula, mater litium, suique prodiga cupiditas passa est, diu manere ius sanctæ societatis illæsum. Cum ergo premeretur ab initio multitudo ab his qui viribus erant editiores, ad vnum aliquem confugere placuit, virtute præstantem, qui & iniurias prohiberet inferri tenuioribus: & æquitate constituta, summos cum infimis pari iure teneret: idque nedum vna in gente, sed in pluribus factum est. Atque hi sunt qui postea *Regis* nomen obtinuerunt, quorum constituendorum causam publica dedit vtilitas, iusti prope mater & æqui. Nec sane aliam ob causam rege fuerat opus, nec tantæ dignitatis fastigium cuiquam committere oportebat, vt cæteris omnibus præferretur, honoraretur ab omnibus, ac præciperet omnibus, nisi vt esset qui publica tueretur, & iustitiam ministraret.

CAP. III.

Quid potissimum deceat Reges.

EStenim Iustitia quiddam ciuile, societatis humanæ vincula custodiens, dum vel malefactorum punit iniquitatem, vel bonis viris præmia tribuit. *Est* igitur *Regum proprium* (sicut Hieronymus inquit) *facere iudicium atq; iustitiam, liberare de manu calumniantium vi oppressos, ac peregrino, pupillo & viduæ*, qui facilius à potentibus opprimuntur, *auxilium impertiri.* Quocirca niti omni studio Reges debent, vt id muneris expleant, ad quod se noscunt esse vocatos, ne iustitiam negligant, sed & pauperi simul & diuiti suum ius tribuant: sic enim pacem suis subditis, & sibi tutum tranquillumque regnum parabunt. Sicut namque Scriptura testatur: *Quando rex iustus sederit supra sedem, non aduersabitur sibi quicquam malignum.* Principio igitur gentium nationumq; (veluti dictum est) summa potestas penes reges erat: quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Populus nullis legibus tenebatur, arbitria Principum pro legibus erant: his fines regni tueri magis, quam proferre mos erat, atque inter suam cuique patriam regna finiebantur.

CAP.

CAP. IV.

Quare Monarchia, Regiaq; Romana potestas instituta fuerit.

VErum cum plurimos Reges orbis haberet, cœpit (vt fit) pluralitas principum discordiam parere. Namque cum modo de finibus, modo de iurisdictione contenderent, nec esset qui lites dirimeret, nisi gladius, cum nemo minorem se altero reputaret, strepentibus bellis, nec ciuitas cum ciuitate, nec prouincia cum prouincia conuenire poterat, dulceq; illud ac suauissimum humanæ societatis commercium prohibebatur. Sed affuit præsto benigna humanæ naturæ prouidentia, quæ suopte ingenio ad optima tendit, nec vult quæ sunt, quæq; futura sunt, male disposita. Hac igitur operante, ad vnum principatum, quē Græci *Monarchiam*, nostri vero *Imperiū* vocitant, reduci singula placuit. Namque vt priuatorum hominum exorbitantes impetus iusta Regum moderatione compesci natura disposuit: sic & ipsorum regum per vnum principem immensas frenare cupiditates instituit. Nec enim aliter pax vniuersalis haberi poterat. Hinc illud Assyriorum Imperium exortum est, quod Ninus Semiramis coniunx, super omnes populos Orientes extendit: quod nonnunquam per Medos & aliquando per Persas constat administratum. Hinc Græcorum principatus, Alexandri Magni virtute atque fortuna, ex Europa in Asiam atque Lybiam ampliatus, ad obedientiam sui mundum redegit. Hinc Carthaginense dominium per Africam Europamque late patens, ad Scipionis vsque victoriam perdurauit. Sed cum hæc imperia nunquam sibi totum orbem subiecissent, ac propterea pacem vniuersalem parere non potuerint, placuit siue naturæ humani generis altrici, siue ipsius naturæ domino rectorique Deo Romanum Imperium excitare.

CAP. V.

Quibus olim magistratibus vrbs Romana regi cœperit. Et vnde maiestas Imperialis fuerit instituta.

ROma vero ab initio per *Reges* gubernata est, septemq; Regibus paruit, quos constat omnem habuisse potestatem. Quibus exactis, *Consules* constituti sunt: penes quos summum ius vti esset, lege rogatum est. Sed hi quamuis possent ciues coercere, atque in vincula publica deducere, in caput tamen ciuis Romani animaduertere non valebant: nec prouocatio erat ab his prohibita. Quo in regimine permulti tumultus fuere, sæpeq; plebe cum patribus discordante, variata est gubernatio ciuitatis. Nam & aliquando per Decemviros, & aliquando per Tribunos, sæpius tamen per Consules regimen actum est. Populo deinde aucto, cum crebra orirentur bella, & acriora quædam à finitimis inferrentur, vrgente necessitate, placuit maioris potestatis constitui magistratum: prodieruntq; *Dictatores*, à quibus nec prouocandi ius fuit, & quibus etiam capitis animaduersio data est: sed temporaria fuit istorum potestas. Paulatim namque natura ad id quod optimum erat, iter parabat. Ad extremum autem, cum neque populus, neque Senatus, nec alii magistratus, satis probe prouincias vrbemque regerent, necesse fuit Reipublicæ per vnum consuli: constitutoque *Principe*, datum ei ius est, vt ratum esset quicquid ab eo constitueretur. Cui rei principium Iulium Cæsarem præstitisse, non est ambiguum. Per eum namq; regimina reipublicæ ad Imperatores perpetuo sunt translata.

CAP. VI.

Imperatoriam maiestatem diuinitus à Christo Iesu adprobatam esse.

IMperatorum potestas non solum vi naturæ introducta est ad publicam vtilitatem, sed etiam per Dominum & Saluatorem nostrum Christum Iesum, Dei filium (in cuius manu sunt omnia regna mundi) & verbo comprobata reperitur, & facto: qui & nasci voluit cum vniuersus describeretur orbis, & Augusti Cæsaris censum tulit. Nec hoc contentus, dari etiam pro se ac Petro tributum iussit. Interrogatus quoque, An Cæsari dare censum liceret? viso numismate, *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Hinc beatus Ambrosius, *Si tributum*, inquit, *petit Imperator, non negamus, agri ecclesiæ soluant.* Et insuper magnum quidem est, & speciale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur esse subiecti, ne quis constitutionem terreni regis putet esse soluendam. Si enim censum filius Dei soluit, quis tantus es, qui non putas esse soluendum? Adsunt & alia Christi oracula, quibus Imperii potestas extollitur. Namque dum ait Pilato; *Non haberes aduersum me potestatem vllam, nisi tibi datum esset desuper*: quid aliud ostendere voluit, quam Romani principis, cuius vicem Pilatus gerebat, ex Deo potestatem prodire? Quod si desuper ad Cæsarem referamus, qui erat potestatis Pilati author, tantundem habemus. Nam illam Christus approbat, ac secundum carnem se illi submittit. Inde Iustinianus Cæsar *Imperium* sibi *à cælesti maiestate traditum* asserit.

CAP.

CAP. VII.

Ecclesiasticam potestatem à Christo pariter esse constitutam.

HInc etiam illa Christi verba trahuntur, cum dicenti discipulo, *Ecce gladii duo hic: Sufficit*, inquit. Quo dicto spiritualia summo Pontifici, & temporalia Cæsari, vti doctores interpretantur, subiecit: Ac si diceret: Duæ potestates sunto, spiritualis & temporalis. Nam satis sunt ad vniuersalis ecclesiæ gubernationem. Hinc sacri canones *ad firmamentum cœli*, id est, vniuersalis Ecclesiæ, *fecisse Deum in principio duo magna luminaria* dicunt: id est, duas potestates instituisse, quæ sunt Pontificalis authoritas, & Regalis potestas: & alterā dieb᷒, id est, spiritualib᷒, alterā vero noctib᷒, id est tēporalibus pesse. *Duo sunt n.* (Gelasius inquit) *quibus principaliter hic mūdus regitur: authoritas sacra pontificū, & Regalis potestas.* Quod si quis percontetur, cū tantopere laudetur vnitas, cur duab᷒ his potestatib᷒ vna duntaxat persona non sit præfecta? cum & apud gentiles nonnunquam sacerdotis officiū obiuerit Imperator: & in veteri Testamento legamus, Melchisedech regem ac sacerdotem fuisse, Nicolaum Papam audire debemus. Sic enim ait: *Cum ad verum ventum est, vltro sibi nec Imperator iura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen Imperatorium vsurpauit: quoniam mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, pro actibus propriis & dignitatibus distinctis, officia potestatis vtriusq; discreuit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humana superbia rursus in inferna demergi vt & Christiani Imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, & pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur. Quamuis spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & Deo militans minime secularibus se negociis implicaret, ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset secularibus negociis implicatus.* In patrimonio tamen beati Petri (sicuti Canones asserunt) libere potest Apostolica sedes, nedum summi Pontificis authoritatem exercere, sed etiam summi Principis exequi potestatem.

CAP. XVIII.

Antichristum non venturum, donec Imperium Romanum steterit.

HAbet quoque Romanum Imperium (vt quidam autumant) aliud priuilegium: nec enim eo stante venturum existimant Antichristum. Sic enim doctoris gentium Pauli verba illa interpretantur: *Qui tenet, teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille filius iniquitatis, quem Dominus spiritu oris sui interficiet.* Quam sententiam etiam diuum Augustinum liquet esse secutum. Hæc igitur summa Romani principis authoritas, quam communis vtilitas desiderauit, natura inuenit, Deus dedit, Filius confirmauit, consensus hominum approbauit, de stirpe duarum rerum, sicut Iustinianus ait, proueniens, vimq; suam exinde muniens: felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibusque populis dominari fecit. Nec gens vlla fuit orbe toto, quæ collum non inclinarit Imperio, nisi cui Romanus populus fœdum putauit imperare. Et quamuis aliquando summa potestas penes populum fuit: constituto tamen (vt diximus) principe, lege antiqua, quæ *Regia* nuncupatur, populus ei, & in eum omne suum Imperium ac potestatem contulit. Nec enim vel populare regimen, quod Politicum, vel optimorum ciuium, quod Aristocraticum appellatur, tam iustum tamq; pacificum esse potest, quam Monarchicum, quod in Romano principe recognoscimus. Quod aliquando per Italos, aliquando per Hispanos, interdum per Afros, Dalmatasque constat administratum. Peruenit etiam ad Græcos diuq; apud Constantinopolim tantæ gloria dignitatis permansit. Et quamuis aliquando duo simul fuerint Augusti, vt Diocletianus & Maximianus, nonnunquam etiam plures, id tamen vsurpatione magis quam iure contigit. *In apibus* enim, inquit beatus Gregorius, *princeps vnus est, grues vnum sequuntur, Imperator vnus.* Obuenit autem hæc dignitas, nunc senatus electione, nunc militari fauore, nunc principis ordinatione.

CAP. IX.

Quare Romanum Imperium fuerit à Græcis ad Germanos translatum.

DEmum vero negligentibus Romam Græcis, eamq; nunc Barbarorum, nunc aliorum direptioni relinquentibus, populus iste Romanus, qui suo sanguine tantum pararat Imperium, qui suis virtutibus monarchiam fundauerat orbis, venientem in auxilium eius Carolum Magnū Francorū regē natione, Germanum, qui vrbem sacraque loca ab omni hostiū incursione defendit, primo Patricium post Augustum, concurrente summi Pontificis consensu salutauit Cæsarem. Generali itaq; modo in Germanos Romanum Imperium constat esse translatum, quod per varias manus deductum, ad te denique, Diue Cæsar Friderice, per legitimam electionem deriuatum est, tibiq; suprema in temporalibus est ex alto commissa potestas, vt bella fœliciter peragas, pacem decores, & reipublicæ statum sustentes. Ad quas res omnes populi, omnes rationes, omnesq; reges & principes tuo debent Imperio libentibus animis se submittere.

CAP. X.

Omnes & populos & potentatus iure sub Romano Imperatore esse in temporalibus & secularibus, vti Pontifice Max. in spiritualibus.

NAmque sicut in spiritualibus Romano Pontifici singuli Patriarchæ, Primatesq; cæteriq; Pontifices & Prælati subiecti sunt, quamuis & hoc aliquando Græci negarint, & adhuc perfidū Hussitarum genus inficietur: sic & Romano principi temporales quoslibet liquet esse subiectos. Etenim cum Canonum authoritas Imperatorem in temporalibus eos præcellere dicat, qui ab eo recipiunt temporalia: quis non videt & populos & principes omnes ab Imperatore (qui mundi Dominus est) recipere temporalia, sibiq; idcirco debere obedientiam? *Iure enim humano* (vt Augustinus inquit) dicitur, *Hac villa mea est, hic seruus meus est, hæc domus mea est: iura autem humana, iura Imperatorum sunt.* Exinde, sicut ab initio retulimus, cum ratio ipsa naturalis ostendat, vnum esse principem oportere, qui lites dirimat, iustitiam administret, populos in pace custodiat, ac temporalibus præsit omnibus: manifestum est, huius muneris dignitatem Romano regi competere, quem diu constat in possessione eius fuisse. Nempe quamuis aliqui parere Romano negent Imperio, nemo tamen post Augusti Octauiani monarchiam, tantam vesaniam induit, vt sub alio quam sub *Romani Regis* titulo, mundi Dominum orbisq; principem sese ausus fuerit appellare.

CAP. XI.

Errare eos, qui se ita adserunt exemptos, vt nihil Imperio debeant.

CÆterum, vt horum sententiam expendamus, qui se tanta fretos asserunt libertate, vt nihil omnino Imperio teneantur, quadamque se potiri dicunt exemptione: (quamuis istorum proteruitati potius armis, quam legibus obuiandum foret, vt quo iure se putant exemptos, eodem se scirent esse subiectos) libet tamen aliquid in hac re scribere. Cuncti profecto qui se esse sub iugo negant Imperii, aut id priuilegio se asserunt assecutos, aut virtute aliqua. Priuilegium autem ex beneficentia Imperii suscepisse, aut aliunde: hoc secundo casu non est opus confutatione. Cum enim Romanum Imperium adeò super omnes mortales in temporalibus sit erectum, manifesti iuris est, neminem esse, qui ei possit inferre præiudicium. Cassa nanque sunt omnia, atq; irrita, quæ ab eo fiunt, qui potestatem non habet: nec ratum est quicquam, quod per iniuriam agitur. Quod si ab Imperio talis manauerit exemptio, dicimus eam & hoc casu nullius esse momenti. Nam etsi maxima sit atque amplissima Romani principis authoritas: eo tamen priuatur Augustus, vt sui similem non possit efficere. Quod certe faceret, si regem aliquem in omnibus liberum à se redderet, & exemptū. Posset nanque successu temporis tot eximere, vt nedum sibi parem, sed etiam maiorem se inueniret. Quod esse absurdum, neminem fugit. Idcirco nanque princeps Romanus *Augusti* nomen accepit, vt non minuere, sed augere Imperii potestatem deberet. Nec propterea minor est eius authoritas, quia similem sibi non potest creare: sicut nec Deus desinit esse omnipotens, quamuis in Deitate non possit nisi vnicus fore.

CAP. XII.

Monarchiam vel solam pacis vniuersalis esse causam, quam & illa conseruet.

PRæterea cum (sicut supra retulimus) ex iure naturæ fundatum constet Imperium, atque ad pacem tenendam, iustitiamque distribuendam Monarchia sit necessaria, certum est, talia priuilegia non valere, quæ multitudinem summarum afferunt potestatum. Nascuntur enim ex hoc discordiæ, frequentes fiunt rapinæ, multimodæ committuntur neces absque numero: cum, pace turbata, hinc atque inde bella grassentur, existente nemine qui maior omnibus iuris ordine litibus possit imponere modum. Quod si vno sub capite viueremus, si vnam omnes sequeremur obedientiam, si vnum duntaxat in temporalibus supremum Principem recognosceremus, floreret vbique terrarum pax optima, dulcique omnes concordia frueremur. Cuius rei signum est manifestum, quod ab initio nascentis mundi vsq; in hoc æui, nunquam pacem fuisse legimus vniuersalem, nisi cum in vnum Cæsarem Augustum, in modum cœlestis regni, totus orbis oculos dirigebat. Quod licet ob reuerentiam Christi redemptoris nostri tunc contigerit, qui nostram humanamque formam induit: sufficere tamen debet, diuinum illum mundi fabricatorem, viam hanc ostendisse pacis habendæ, cum orbis sub vno principe regeretur. Liquet igitur, priuilegia, quæ monarchico regimini obuiant, ex quacunque veniant potestate, non habere vigorem, eaq; non solum per successorem, sed ab ipso quoque qui concessit, esse cassanda: nec enim tolerare Principem decet, quæ ad subuersionem tendunt Imperii.

CAP. XIII.

Errare quoq; eos, qui se suis virtutibus exemptionem ab Imperio meruisse ferunt.

SEd aiunt aliqui, propriis se virtutibus id priuilegii meruisse, quamuis Imperii non interuenit authoritas. Dicunt n. se suis armis, suoq; sanguine prouincias vendicasse, quę vel à barbaris, vel ab hostibus Christiani nominis occupabantur, nec Romanū recognoscebant Imperium. Quod quam ridi-

ridiculum sit, iniustum, absonum, ex superioribus licet intueri. Insuper quoque, si dignum hoc est, nec illud erit indignum, si quod aliquis iniuste rapuit, alius vi recipiat sibique teneat, nec vero Domino reddat: Quod nemo dixerit esse iustum. Constat enim omnes prouincias (vt ante diximus) sub Imperio quondam fuisse, cuius directum dominium apud Romanum principem assidue mansit. Itaque licet barbari superuenerint, viq; illas inuaserint, si tamen postea recuperantur, non vindicatori dandæ, tanquam exempto, quamuis laudandus præminandusq; sit, sed Imperio sunt restituendæ. Nullius enim tanta laus est tantaque virtus, vt eius causa destitui debeat imperium. Semper namque maior est vtilitas publica, quam priuata: nec committendum (vt iam probauimus) quod propter cuiusquam merita, potestas aliqua erigatur Imperio similis: qualis in exemptis esset, qui nullum superiorem admitterent. Quæ res Monarchiæ dignitatis neruos elidit, schisma sub Imperio facit, & omnem humanæ societatis concordiam dirimit.

Cap. XIV.

Quid veniat appellatione Sub Imperio esse.

NOn tamen propterea Regum & aliorum principum magnam esse potestatem inficiamur, sed esse eos sub Imperio dicimus; eorumq; correptionem, quando tyranni efficiuntur, ad Romanum principem pertinere, caussas regum asserimus Cæsari remittendas, teneriq; omnes pro salute communi Imperatori parere, venire ad bellum vocatos, conferre impensas, mittere auxilia, præbere transitum, elargiri commeatum, nihilq; fugere quod Cæsarea maiestas iniunxerit. Vt quam ipsi à suis subditis obedientiam exigunt, eandem suo Domino præstent Imperatori.

Cap. XV.

Quibus de causis ab Imperatore priuilegia data reuocari possint.

VErum quoniam de Priuilegiis mentio incidit, dicemus aperte, quid in re hac priscæ doctores sapientiæ tradiderint. Est equidem Romani Principis, ciuitatibus, principibus, regibus, tum propter merita, tum propter vrgentes causas, priuilegia elargiri, sed ea talia esse conuenit, quæ vires Imperatoriæ potestatis nequaquam extinguant: eaq; potest Imperator tam à seipso, quam à suis antecessoribus concessa declarare, interpretari: ac cum causa fuerit, abrogare, vel illis derogare. Auferuntur namque priuilegia, cum ex falsis narrationibus obtenta sunt: impetratis namque carere debet mendax precator. Reuocantur, cum male vtuntur, qui illa sunt assecuti. Priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. Cassantur, cum male mereri incipiunt, qui eadem bene merendo obtinuerunt. Irritantur, si damnosa Reipublicæ reperientur: quę cum data fuerunt, erant vtilia, vel si bonis moribus contrariantur: aut si magnam Imperio iacturam seruata faciunt, quæ sublata grandem præberent vtilitatem. Quoniam sicut maius bonum minori præponitur, ita communis vtilitas speciali præfertur vtilitati. Nec sane priuilegia vlla conferre, vel tolerare Cæsarem conuenit, quę vel delicta inducant, vel communem auferant commoditatem. Ideo namque imperialem fortunam rebus humanis Deus præposuit, vt possit omnia quæ nouiter contingunt, & emendare, & componere, & modis & rebus competentibus tradere. Absq; tamen rationabili causa nec auferenda sunt priuilegia, nec derogandum est eis. *Omnis* namq; *potestas* quæ *à Deo data est*, vt inquit Apostolus, *in ædificationem* tradita est, *non destructionem*. Quæcunq; igitur priuilegia iuste concessa sunt, manentq; iuste, sine detrimento Reipublicæ seruanda sunt. Decet n. priuilegium principis esse mansurum. At cum priuilegium quod olim vtiliter concessum est, damnosum efficitur: satius est euellere malam arborem, quam nutrire. Si enim iuxta Euangelicam veritatem, arbor quæ fructum non adfert, excindi debet, in ignemque mitti: quanto magis excindenda est, quæ Reipublicæ officit arbor?

Cap. XVI.

Imperatorem non obligari ad rationem reddendam suorum factorum, sed de iis bene præsumendum esse.

VErum, cum in omnibus quæ geruntur à Principe, causa præsumatur & ratio facti, si quando vel abrogare priuilegia, vel ipsis derogare Principem contingat iniuste: quamuis liceat eum per viam supplicationis informare, humiliterq; petere restitutionem, non tamen reclamare licet, vituperare vel impugnare, si perseuerat, cum nemo sit, qui de suis factis temporalibus possit cognoscere. Tolerandū est patienter, quod princeps facit, quamuis inique, expectandaque est successoris emenda, vel superni correctio iudicis, qui violentias atque iniurias non sinit esse perpetuas. Cogitandum insuper est, quod Princeps agit, Dei fieri permissione. Quia *cor Regis* (vt inquit Scriptura) *in manu Dei est, & vbi voluerit, inclinabit illud.* Deus autem sæpe propter peccata subditorum, deprauari permittit vitam rectorum. Ex quo fit, vt occulto Dei iudicio apud Deum iusta nonnunquam reperiantur, quæ nobis videntur iniusta.

Cap. XVII.

Cæsarem etiam malis vel bonis, auferre posse bona temporalia.

DIcendum est etiam aliud, quod aliquibus fortasse durum videbitur, & absurdum: sed non debet taceri, quod verum est, dictuque vtile. Quid obstas penna? quid molesta es? cur non redd[illegible] [illegible]ramentum? exprime Cæsaris priuilegium: nullum timeas, dum vera scribis. Nempe liberum [illegible] Imperatori, non solum homini nequam, sed etiam viro bono, ac de republica bene merito, prop[illegible]um agrum, proprias domos, propriasque possessiones auferre, si Reipublicæ necessitas id expostulat. Hinc videmus prædia rustica, quæ bellis imminentibus damnosa sunt ciuitati, cum ædificiis incendi, agros effodi, vineas amputari, frumenta ex priuatis horreis, pecuniasque ex arcis ad publicum vsum deduci, quamuis hoc singularibus hominibus videatur esse damnosum: minus tamen malum est priuatos viros luere, quam Rempublicam pessundari.

Cap. XVIII.

Rempublicam ab omnibus esse priuatæ rei vtilitatiq; præponendam.

NAm nec opes priuatæ stare possunt, nisi salua Republica. His tamen hominibus qui propter Rempublicam singularia perferunt detrimenta, ex publico compensand[illegible]: atque ita curandum, vt incommoditas belli non ad vnum vel paucos, sed ad omnes æqua[illegible]uenisse videatur. Quod si Reipub. status id non patitur, tolerabilius vnum est pati, qu[illegible]. Nam si ciui[illegible] pro salute sua omnia dabit quęcunque habet, quanto magis id Reipub. causa faciet? cum non so[illegible]lum nobis nati simus, sed etiam Reipub. cui non minus quam nobis ipsis debemus parare diuitias. Nautæ, cum tempestas emersit, quæcunque sunt in naui bona, pro salute personarum deiiciunt. Quod si hominem aliquem naufragii præstare causam putant, & hunc etiam marinis committunt fluctibus: sicut de Iona legimus in sacris, & apud gentiles de Orione scribunt Poetæ. Expedit nanque vnum hominem mori pro populo, ne tota gens pereat: quam rem bonus ciuis æquo animo pro Repub. tolerabit. Apud Romanos Curtius libenti pronoque animo pro salute reliquorum ciuium in hiatū terræ sese præcipitauit. Apud Græcos, Iphigeniam pro felici omnium nauigatione, iubente patre, sacrificatam, Historici tradunt. Sicut enim membra quædam amputantur, si ipsa languere, & tanquam spiritu carere cœperint, ne reliquis noceant e[illegible]ris partibus: sic & aliqui homines propter Rempub. pati debent, quamuis nihil mali videantur promeruisse, si cum ipsis Respublica perit, quæ sine ipsis salua esset. Turpis enim est omnis pars, quæ suo toti non conuenit, & semper minus malum tolerandum est, vt euitetur maius: nec graue videri debet, si pro salute corporis pedem vel manum, vt sunt in Repub. ciues, dicimus resecandam, cum princeps qui caput est mystici Reipub. corporis, cum salus communis expostulat, vitam ponere teneatur: sicut Atheniensem Codrum, & apud Lacedæmonios Leonidam tradunt fecisse, qui pro salute suorum ciuium vltroneas obierunt mortes. Imitandus est enim Christus Iesus, qui non solum pastoribus vt animas pro suis ouibus ponerent, imperauit, sed ipse quoque cum esset caput Ecclesiæ, princeps & rector, vt nobis mortem demeret voluntariam mortem subiuit. Nunc quemadmodum circa leges habere se Principem oporteat, breuiter absoluendum est.

Cap. XIX.

Imperatoris adeoq; Cæsaris esse, condere, soluere, interpretariq; leges.

LEges sacratissimas, quæ constringunt hominum vitas, vniuersique mundi ceruicibus imponuntur, solius Imperatoris est condere, cui quicquid placuerit, legis habet vigorem. Quodcunq; n. Imperator per epistolam & subscriptionem statuit, vel cognoscens decreuit, vel de plano interlocutus est, vel dicto præcepit, legem esse constat. In legibus autem conditis, si quid visum fuerit ambiguum ad imperiale culmen, per iudices referri debet, vt ex authoritate Augusta manifestetur, cui solum concessum est leges condere & interpretari. Nec quisquam sanæ mentis negabit leges posse ab eo dissolui, à quo suntconditę: cumque Imperator sit, qui vim legibus authoritatemq; impartitur, constat & ipsum legibus derogare posse, illasque abrogare, cum causa fuerit rationabilis. Etenim si Decemuiris data facultas est, decem tabulas legum ex Græcia missas interpretari atque corrigere, si Prætoribus permissum est, ius nouum condere, vetusque reprehendere, quis non hanc facultatem in Cęsare recognoscat? in quem totam (sicut ante relatum est) Romani populi potestatem constat esse translatam.

Cap. XX.

Imperatores non esse Legibus subiectos, oportere tamen illos iuxta leges iudicare.

VErum cum nihil tam studiosum in omnibus rebus inueniatur, quam legum authoritas, quæ & diuinas & humanas res bene disponit, & omnem iniquitatem expellit; dignū est Principem secundum

cundum leges & viuere & iudicare. Est enim lex inuentio quædam & donum Dei, oculus ex multis oculis, & intellectus sine affectu. Nec facile dissolui debet, quod à pluribus accurate digestum est, cum magna lucubratione introductum. Hinc dicere consueuit Imperator: *Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* Quod quamuis pulchrum est dicere, non tamen asserendum est, Imperatorem legibus esse subiectum, cum sit solutus. Est enim aliud quiddam, cui plus q̃ legibus obnoxius est Imperator. Hoc ipsum æquitas est, quæ non semper inuenitur scripta. Æquitas enim est, quod præter legem scriptam iustum est. Quod si aliud lex iubet, aliud æquitas suadet, conuenit Imperatorem iuris rigorem æquitatis fræno temperare, cui soli inter æquitatem iusq; interpositam interpretationem licet, & incumbit inspicere. Præsertim cum nulla iuris sanctio, quantumcunque digesto perpensa consilio ad varietates humanæ naturæ, & machinationes eius inopinabiles, sufficiat.

CAP. XXI.

Leges humanas quandoque mutari, abrogariq; posse.

CVmq; humani iuris conditio semper in infinitum decurrat, nihilque sit in ea quod stare perpetuo possit (multas enim formas eadem natura nouas deproperat, & secundum tempora statuta variantur humana) manifestum est æui cursu, quæ leges olim iustæ fuerunt, iniustas reddi, fieriq; nunc inutiles, nunc duras, nunc iniquas. Ad quas moderandas opus est principe, qui legum Dominus est. Nam si quid in eis latum fortassis obscurius fuerit, Imperatorem conuenit declarare, duritiamque legum suæ humanitati contrariam & incongruam emendare. Quod enim dicitur, *legem quamuis duram esse seruandam*, inferiores iudices, non Cæsarem respicit. In quo est vis illa moderandarum legum, quam ἐπιείκειαν vocant, quæ tam annexa est summo principi, vt nullis possit humanis euelli decretis. Sed hac suprema potestate sine magna & vrgenti causa vti principem minime conuenit. Imitandus est enim ille Theopompus Aristotelicus, qui, vt principatum suum efficeret diuturniorem, raro hanc potestatem exercebat. Quamuis enim lex Imperii, solennibus iuris Imperatorem soluerit: tamen nihil tam proprium est Imperii, quam legibus viuere. Nec mutandæ sunt leges sine causa, nec nouæ instituendæ absque euidenti vtilitate, & licet in omni Principis actione legitimam subesse causam, reputare nos deceat, qui ab eius placito non possumus resilire, cauendum tamen Imperatori est, ne sine ratione libidines potius suas, quam iustas leges sequatur, fiatque Deo maximo reus apud quem potentes potenter tormenta patiuntur, qui iuris æquitatisque tramitem reliquerunt.

CAP. XXII.

Ab Imperatoris sententia nec posse, nec debere prouocari.

NVnc vltimo loco de appellationibus transigamus: eosque confutemus, qui à sententia summi Principis asserunt appellandum. Etenim si à præfectis prætorio prouocatio non recipitur, quæ subsunt Cæsari: multo minus recipienda est, si Cæsar ipse sententiam tulit, qui nullum habet in temporali causa superiorem. Hinc litigatores causas iubentur suas, quæ coram tribunali ventilantur Augusto, plene instruere, ne lis incognito negotio dirimatur, adempta copia conquirendi. Exinde cum in præfectis prætorio idcirco non admittatur prouocatio, quia credit princeps, eos qui ob singularem industriam, explorata eorum fide & grauitate, ad huius officii magnitudinẽ adhibentur, non aliter iudicaturos esse q̃ ipse iudicaturus fuisset, quis non intuetur aperte, rationẽ istam multo magis in Cæsare nullam prouocationẽ admittere? quis insuper prouocari à præfectis prætorio prohibuit, nisi Cæsar? q; si Cæsar sic iudicem ex suis aliquem extollit, vt ab eo appellari nequeat: quis tam hebes est, vt à Cæsare reputet appellandum? Notum insuper est, non licere à legibus appellare. Lex enim (vt dictum est) quanquam dura, ferenda est. At cum sententia Principis, partibus omnibus constitutis lata, non solum illi causæ pro qua introducta est, sed omnibus similibus lex sit: quis eo temeritatis excedit, vt à sententia, quæ vim legis habet, appellet, cum Romani non solum à legibus, sed ab his quoque appellare prohibuerint, qui iussu populi decem tabulas intueri legum, reformareque tenebantur? Sed appellant quidam rursus ad Cæsarem adiunctis principibus, quasi maior sit Imperator cum illis, quam sine illis. Quod si verum esset, iterum etiam ab Imperatore ac Electoribus ad ipsos adiunctis aliis Principibus, appellare liceret, & vsque in infinitum processus fieret, cum homines in propriis factis affectione magis quam veritate ducantur, ac vt plurimum iustam se putent habere causam, minusq; iuste contra se iudicata approbant. Sed vana atque inania sunt istorum fundamenta. Tanta est enim in Cæsare potestas, sine Principibus, quanta cum ipsis. Amat enim vnitatem suprema potestas, suaq; sponte ex multitudine fugit ad vnum.

CAP. XXIII.

Imperatorem bifariam offendi ab eo, qui ab eius appellat sententia.

CVmque in Cæsare summa potestas sit, summaque authoritatis plenitudo, nihil est quod adiunctis principibus authoritatis accedat: quoniam neque summo adiici quicquam potest, neque plenum potest effici plenius. At qui prouocat, quasi superiorem appellat, qui latam contra se iniquam sententiam corripiat. Qua in re, duplici temeritate Maiestatem lædit Imperii. Nam & superiorem nititur assignare ei, qui omnibus principibus est superior: & iniquitatem illi ascribit, quem semper æquum iustumq; reputare debemus. Quapropter qui talia tentant, non solum prohibendi sunt, sed etiam debitis pœnis atq; animaduersionibus coercendi. Cum iuxta canonicas sanctiones quædam sint culpæ, in quibus culpa est relaxare vindictam. Etenim quamuis à summo solio nonnunquam procedat iniquitas, iniustumque iudicium prodeat: non tamen idcirco locus est appellationi, cum nemo sit iudex, qui temporalia Cæsaris facta valeat examinare. Vtilius insuper est Reipublicæ ad extinguendas lites, paucis iniuste oppressis appellationis beneficium denegari: q̃ multis caluniantibus, postq̃ iuste dominati fuerint, querelarũ ianuas aperire. Cũ rarissimi sint, q se iuste reputent condemnatos: semperq; minus malum tolerandum sit, vt euitetur maius. Nempe vbi semper licitum est appellare, ibi quoq; lites sine fine reperiuntur: ibi sunt inimicitiæ, ibi contentiones, ibi noua dietim scandala. Quod si ciuitates aliquæ à suis præsidibus appellari non sinunt, quis tu es, qui velis à supremo Cæsaris tribunali appellare? maiorisq; authoritatis virum ciuem in dignitate constitutum, quam Imperatorem reputare? An non, sicut in spiritualibus vnum caput est, à quo nulli appellare licet, & ad quem ab omnibus appellatur, sic etiam conuenit in temporalibus obseruare? Romani pontificis sententiam nulli fas est in irritum reuocare: Romani principis voluntatem nemo potest impugnare. Satius enim est iniustam sententiam istum ferre, vel illum, quam per querelas id agi, vt imperio superior detur. Si enim ab Imperatore vis appellare, ab eo quoq; prouocare desiderabis condemnatus, quem post Cæsarem appellasti, nec tuis infinitis [illegible] appellationibus modus. Quod si alterius iudicio vis quiescere: quin potius arbitrio [illegible] quem super omnes mundi homines in temporalibus Deus constituit? Sit [illegible] caput inter principes, sit qui temporalia terminet: auferatur materia litigandi [illegible] homines se principi esse subiectos, Imperatoremque mundi Dominum, tanquam Dei vice in temporalibus gerentem venerentur. Et sicut quæ Deus iubet implenda sunt, nihilque contra replicandum est, sic temporalia Cæsaris mandata sine repugnatione suscipiant. Curent autem ipsi Cæsares, ne quenquam iniuste opprimant, causamque præbeant hominibus ad Deum clamandi, cuius est terra & plenitudo eius, qui nec obliuiscitur clamorem pauperum, & propter iniustitiam de gente in gentem transfert imperium. Nihil est enim quod illi maximo Deo, rectori orbis, cœlique fundatori grauius sit, quam iustitiæ neglectus, indignaque pauperum oppressio. Sicut enim Psalmista canit: *Non in fine obliuio erit pauperis. Patientia pauperum non peribit in finem.*

CAP. XXIV.

Summatim neminem rebus in omnibus temporalibus esse Imperatore superiorem, post Deum Opt. Max.

HÆc tibi, Diue Cæsar Friderice, de tua sufficiat suprema potestate, breuiter & succincte scripsisse: ex quibus percipere potes, quanta sit tui solii, quamque admirabilis authoritas, cum nemo tibi in temporalibus præsit, & tu omnes præcellas, cum nemo sit qui tuum in temporalibus refugere possit imperium, & tuum sit omnibus imperare, cum nemo ex tuo iudicio sit exemptus, & tu omnes temporales valeas iudicare, cum nemo à te prouocare queat, & ab omnibus ad te liceat appellare temporalibus, cum priuilegia legesque possis interpretari atque corrigere: cum ad tuendam Imperii Maiestatem, Reique publicæ statum seruandum, omnes populi, nationes principes, reges, tuis debeant obedire mandatis. Quæ cum ita sint, cauere tamen debes, ne sine ratione aliquid agas, ne vel ad tuam voluptatem potius quam ad subditorum vtilitatem regas Imperium, atq; sic ex rege fias tyrannus, cum quo nulla nobis societas, nullumque debet esse commercium, sed potius summa distractio. Quod vt euites, tanto magis eniti debes, quanto propter pacem populis datam iustitiam bene administratam, Remque publicam rite directam, te actorem facti in sublime prouectum, gratiori semper tranquillitate Deus custodit. Vale feliciter, ex Vienna Cal. Martiis: M.CCCCXLV. Regni tui anno sexto.

FR. IACOBI DE PARADYSO CARTHVSIENSIS, DOCTORIS ERDFORDENSIS

COLLECTVM

DE SEPTEM STATIBVS ECCLESIÆ IN APOCALYPSI *mystice descriptis: & de authoritate Ecclesiæ: & de eius reformatione: sumptum ex eius* QVODLIBETO STATVVM HVMANORVM.

LIBET præter ea quæ dicenda sunt, specculariter, conformiter, de sanctis reuelationibus Iohannis, *in Apocalypsi* ostensis, à præmissis non alienis quædam referre. Ipse enim Iohannes post visionem specialiter septem Ecclesiis, & earum *Angelis*, id est, Episcopis exhibitam, sanctum stylum suum vertit ad generalem Ecclesiæ vniuersalis statum describendum, à temporibus Apostolorum, vsque ad secundum Christi aduentum, *in sexto & septimo capitulis*, quem statum nomine *septem Sigillorum* signauit. Quæ septem sigilla, *agnus*, id est, Christus occisus aperuit. Et apertio sigillorum non est aliud, nisi statuum Ecclesiæ manifestatio, vsq; in finem seculi.

Aperto primo sigillo, visus est à Iohanne *equus albus*, id est status Ecclesiæ tempore Apostolorum purissimus, propter Baptismi gratiam per eos prædicatam: & vitæ sanctimoniam, quæ illo tempore viguit in numero fidelium, vt *Actorum Apostolicorum* testatur Historia: *Erant*, inquit, *illis omnia communia.* In quo statu, Simon Magus cum omnibus suis successoribus erat eiectus, & damnatus: qui proh dolor, hodie in vniuerso pene orbe, sua semina venenata in medio tritici superseminauit, & (vt vereor ego) sinenda crescere vsque ad messem, cum paterfamilias dicturus sit: *Colligite Zizania, & alligate ea in fasciculos, ad comburendum ea.*

In apertione secundi sigilli, vidit Iohannes *equum ruffum*, in quo signatur secundus status Ecclesiæ, qui est status sanctorum martyrum tempore tyrannorum, scilicet principum & imperatorum gentilium, à tempore Neronis vsque ad tempus Constantini, à sancto Syluestro baptizati. In quo statu multa millia sanctorum stolas suas in sanguine agni, scilicet Christi, rubricauerunt, Christi passionem imitati. Nam vt litera ibidem dicit, *sumpta est pax de terra, & datus est sessori equi illius gladius magnus.*

In apertione tertii sigilli, id est, in tertio statu Ecclesiæ, vidit Iohannes *equum nigrum*, qui est scelus hæreticorum, Ecclesiam persequentium, niger in vitiis, in quo nulla claritas lucet veritatis, nec albedo æquitatis. Et qui sedebat super equum nigrum, scilicet Diabolus, regens hunc equum, habebat stateram in manu sua, scilicet peruersam scripturæ expositionem, flectens eam faciliter, ad quemcunque partem desiderat, sicut hæretici facere consueuerunt. Et hoc tempus erat tempus Arrii, & aliorum, vt in *Ecclesiasticorum* narratur *historia*: in quo concurrebant Sancti Doctores prius dicti, iustam libram, id est, rectam expositionem manibus suis gestantes: quod ita esse, præterita secula non ignorant.

In apertione quarti sigilli, visus est *equus pallidus*: id est, in quarto gradu viguerunt hypocritæ, falsa religione palliati. Et qui sedebat super illud, nomen illi *mors*: id est, æterna damnatio illis debetur. Vnde & infernus sequebatur eum, vt dicit litera. Et data est sessori illius equi, potestas super quatuor partes terræ: id est, à Deo permissa, interficere gladio iniquitatis & dolositatis: *fame*, id est, carentia verbi Dei: *morte*, id est, doctrina mortifera (coaceruabunt enim sibi homines illius temporis magistros prurientes auribus, loquentes eis placentia) *& bestiis terræ*: id est, vnient se principibus, ad se fortificandos in viis suis, & hoc *super quatuor partes terræ*: id est, in omnibus mundi finibus abundabit scelus hypocritarum. In quo statu, vt arbitrari possum, hodie laboramus. In omni enim genere hominum, fictæ sanctitatis viros & fœminas videmus, quorum aut Deus venter est, aut famam aucupant laudis humanæ, & præ aliis honorari & venerari volunt, præcellere cæteros in mundi sapientia, in doctrinæ præstantia, in operum externorum excellentia: cum tamen plures vacui cernantur, in veræ virtutis, scilicet humilitatis, refulgentia: quod, quam verum sit, à consideranti studia hominum, ad quos fines tendant, palpari potest, sub colore enim honestatis, militat omnis pene actio humanæ conuersationis, etiam in his qui animabus lucrandis

deseruiunt. Ideo enim pallidi coloris equus describitur, quasi speciem præferens mortificatæ carnis, ad ostendendum hominis exterioris sanctitatem: nec tamen plane spem habens albedinis, aut puritatis.

In apertione quinti sigilli, vidit Iohannes *sub altari Dei animas occisorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, vindictam petentes de iis qui habitant in terra.* Et dictum est illis, *vt quiescerent adhuc modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum eorum, qui interficiendi sunt,* sicut & illi. Qui status quintus, credendus est partim competere animabus sanctis, iam exutis corporibus: partim etiam sanctis adhuc in hac vita degentibus, etiam tempore pacis Ecclesiæ: qui licet materiali gladio non trucidantur, tamen seipsos mortificatione desideriorum carnalium quotidie mactant, quasi videntes se vbiq; hypocritis & fictis hominibus siue religiosis siue secularibus circumseptos, tędio affecti, longitudine temporum, & acerbitate hypocritarum vbiq; preualentium, orant dissolui, & esse cum Christo. Et vere molestiorem statum, quoad quotidianam internam & externam pugnam tam diuturnam, in hoc tempore pacis intelligere & sentire possunt: hi se in innocentii vitæ conseruare volunt, qua illi priores sancti: qui licet acerbiori, quoad pœnarum genus, celeriori tamen, quantum ad tempus, suam vitam finierunt.

Isti igitur duo status immediate præcedentes, videntur concurrere in vnum tempus, scilicet modernum: licet non in vnum quoad actiones in tempore vno agendas. Non latuit hoc genus hypocritarum sanctum Paulum, 2. Corinth. 3. inter cæteras pestes nouissimorum temporum, vbi ait: *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes,* & aliis etiam locis similibus.

In apertione sexti sigilli, quod nihil aliud est quam manifestatio sexti status in Ecclesia, vidit Beatus Iohannes magnum terræmotum fieri, & solem denigrari, sicut cilicinum saccum, & lunam sanguineam, & stellas cadere super terram, & cœlum recedere sicut librum inuolutum, &c. vide *Apocalyps. 6. circa finem.* In quo designatur tempus Antichristi, qui impugnaturus est Ecclesiam. In quo tempore fiet magna commotio secularium contra Ecclesiam. Et *Sol,* id est, Christus alios illuminans, vilissimus reputabitur à reprobis, sicut saccus cilicinus vilescit, & opinio Christi pro nihilo reputabitur, dominantibus reprobis, & deficientibus electis: quia nullum signum Deitatis ostendet, adiuuando suos. Imo Christus dicetur peccator & seductor & dignus pœnitentia, quia saccus cilicius est habitus pœnitentium. Et tunc *Luna,* id est, congregatio fidelium, fiet sicut sanguis: quia sanguis multorum effundetur, aut vilis reputabitur, & contemnetur, sicut sanguis conculcabitur. Et stellæ cadent in terram: id est multi prælati & doctores adhærebunt Antichristo, & suis terrenis promissionibus, ad instar ficorum, qui non firmiter adhærent ramis arborum. Et *Cœlum* (secundum literam) recedet sicut liber inuolutus: id est, sancti, qui pluuiam verbi Dei spargere consueuerant, & iustitiam Dei annunciare aliis debebant, occultabunt doctrinam præ nimietate persequutionum Antichristi: sicut liber inuolutus, continens in se & contegens veritatis scripta, à notitia hominum: quia celabunt sapientiam suam, annunciare non audentes, & fugient à conspectu hominum. Et *montes,* id est, alti in virtutibus: & *insulæ,* id est sancti, tribulationum fluctibus turbati, de locis suis mouebuntur, id est, separabuntur à cæteris peruersis. Et Reges, principes, tribuni, fortes, & diuites, seruus & liber, abscondent se in speluncis & petris montium: & dicent montibus & petris, *Cadite super nos, & abscondite nos, à facie sedentis super thronum, & ab ira agni:* id est, maiores de Ecclesia, seculares & spirituales, petent suffragia Angelorum, & aliorum sanctorum, vt protegantur eorum orationibus, ne & ipsi deficiant in illis persequutionibus Antichristi, sicut & reprobi, & ne similes aliis efficiantur, negantes Christum, vt euadant iram agni, id est, damnationem æternam, ne & ipsi acerbitate pœnarum vincantur, sicuti cæteri. *Et quis poterit stare,* scil. in tantis tormentis, seu etiam voluptatibus non vinci? Quasi diceret: Nisi adiutus precibus sanctorum, nemo potest firmiter stare in confessione veritatis.

Deinde *in capitulo septimo,* post acerbitatem persequutionum, vult consolationem fidelium, de prohibitione persequutorum innuere, & de auditorio Angelico, ne persequutiones tantum, quantum velint inardescant: & ne noceant terræ, mari, neque arboribus: id est, habitantibus in hac vita: quoad vsque sancti angeli, custodes fidelium, *signent seruos Dei in frontibus eorum:* id est, prædestinatos distinguant à non prædestinatis.

Et Iohannes audiuit numerum prædestinatorum, 144000. signati. Et vidit turbam magnam, quam nemo dinumerare poterat, ex omnibus gentibus tribubus, & linguis: vt ex tribubus filiorum Israel & gentibus fiat vnum ouile, & vnus eorum pastor. Ecce quam magna fidelium consolatio, post prænunciationem persequutionis Antichristi.

Deinde circa finem septimi capitis, ponit Iohannes septimum & vltimum statum Ecclesiæ, cessante persequutione Antichristi, & eo occiso, in visione apertionis septimi sigilli, eius qualitatem exprimit dicens: *Factum est silentium in cælo, quasi media hora:* id est, Pax reddetur Ecclesiæ, vt libera fiat sanctis prædicatio, ad confortandum fideles, & ad pœnitentiam agendam illorum qui deuiauerunt. Hoc fiet paruo tempore, secundum Bedam, Hieronymum & Danielem, per 45. dies.

Quanto autem tempore mundus post hoc stabit, puto neminem scire, de communi lege. Ideo Danielis 12. quod ipse dixit Angelo: *Domine mi, quid autem post hoc?* Et ait ei Angelus: *Vade Daniel, quia clausi sunt signatique sermones vsque ad tempus præfinitum.* Posuit tamen Angelus, quamdiu du-

duratura esset persequutio Antichristi, scilicet dies 1290. quidies complent numerum annorum, scilicet tres anni cum dimidio, quibus Antichristus regnabit. Quo mortuo, dabuntur electis 52. dies pro pœnitentia, qui additi ad primos, facient dies mille trecentos triginta quinque. Quos etiam Angelus in eodem capite circa finem enumerat dicens; *Beatus qui expectat*: id est, perseuerare potest, præ acerbitate persecutionis: *& peruenit*, scilicet pœnitendo, *ad dies 1337*. Et credo secundum intellectus mihi paruitatem, & temporum ac hominum nostri temporis qualitatem, quod hodie currunt ea quæ dicta sunt in quarta & quinta visione, quæ durabunt vsque ad aduentum Antichristi, licet etiam habitudines aliorum trium statuum possunt in parte aliqua nostris temporibus interuenire: scilicet equus albus partialis ruffus, scilicet persecutiones tyrannorum: vt niger, id est, hæreticorum prauitas, in quibusdam saltem partibus. Vt ante nos fuit persecutio Bohemorum, quo ad articulos fidei, & Ecclesiæ contrarios: vnde sequebatur magna sanguinis effusio, tam in clero quam in vulgo: tamen præ omnibus temporibus vniuersaliores erant, & maiores. Sicq; noster status mixtus est cum aliis: licet multitudo & magnitudo hypocrisis spiritualem sibi vendicat nominationem. Et vt verum fatear, non habeo aliquas apparentias in sacris literis in infallibilibus rationibus, quod status nostri temporis generaliter reformari debeat aut possit, dietim impœnitentiis hominum crescentibus, sicut & in processu rerum naturalium & elementa & elementata viribus suis decrescunt. Imo verisimiliter opinabile mihi est, statum præsentem continuandum, imo peiorandum vsq; ad sextum statū, scil. Antichristi: cū experientia docete agnoscimus, hos magis contra niti reformationi generali Ecclesię, quos magis deceret conatu toto ad reformationē tendere, cupiditate & primatu honorū eos ad hoc impellente. Etsi quandoq; conatus Deum timentiū, ad reformandū operā dare intendat, tamen in hoc mundo celebriores & potentes viros, plus Ecclesiasticos q̃ seculares, videmus se fortiter opponere, adhęsionem sibi attrahentes principum & potentum secularium, quorū multitudo aut potentia scintillam inchoatam extinguit. Vnde & Deus iusto suo iudicio vilescere facit statum religiosorum, & Ecclesiasticarum personarum. Inde & bella ac lites in plurib. mundi partibus inualescunt, impugnanturq; viri spirituales tam à secularibus quam à spiritualibus: quod & Iohanni in dicta *Apocalypsi* reuelatum est, *c. 13.* in quo de impugnatione Ecclesiæ, sub figura duarum bestiarum, duplex genus persequutorum Ecclesiæ depingitur. Vna *ascendit de mare*, id est, de tempestuosa huius seculi procella: scilicet principes seculares, atq; laici, Ecclesiam bonorum impugnantes. Alia *ascendit de terra*, id est, quæ deberet stabilis & immobilis persistere: per quam (secundum Glossam) intelligitur malitia clericorum, & cupiditas prælatorum Ecclesiam impugnantium. Quod quam late, & clare pateat, nemo, qui sensum habet ignorat. Nam post reditum filiorū Israel de captiuitate Babylonica, ex filiis Israel primitus exierunt iniqui, ad Reges gentium, qui conturbabant populum suum, vt *Machabaeorum in principio* testatur historia. Et licet Ecclesiæ Dei sufficienter prouisum sit in doctrinis, quoad modum conuersandi, tam quoad Ecclesiasticam dignitatem, quam quoad religiosorum monasticam conuersationem, per canonum aciutium determinationem, nec non per sacram Theologicam Facultatem: tamen parua, seu nulla certa istorum fit executio. Legitur quidem in cathedris: sed cum venitur ad praxim, tunc canitur canticum illud; *Modicum ibi, modicum ibi.* Et processu temporis, & frequentia multitudinis sic opposita, iurium robur accipiunt: vt si quis oppositum dicere aut facere velit, velut insanus æstimetur, sicq; Dei iustitia sit humana æstimatione iniustitia, & defenditur vitiositas multitudinis, & laudatur peccator in desideriis animæ suæ: sicut olim fecisse Sodomitas, scriptura *in Genesi* testatur.

Hoc latissime hodie patet in Simoniaca prauitate. Arbitror enim homines in statu Ecclesiæ præsentis tandem ante aduentum Antichristi, ad infimum gradum virtutum, imo ad profundum vitiorum peruenturos, vt de meritis eorum exigentibus digni erunt, filium perditionis ductorem iniquitatis ipsorum suscipere, vt sicut in Apocal. dicitur, *Qui in sordibus sint, sordescant adhuc.* Et vt dicit Christus Matth. 24. de temporibus nouissimis: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*: vt sic Deus in pœnam ponat eis offendiculum, *& tradat illos in desideria cordis eorum*: Ad Rom. 1. vt procedant de vitio in vitium, ducente eos filio iniquitatis. Continuabitur enim iniquitas hominum vitiosorum, cum auctore omnium malorum. Ideo in profundum malorum, vt puto, tunc homines sunt futuri.

Non tamen inficior, quin semper iusti perseueraturi sunt, nec defecturi filii salutis, vsque ad consummationem mundi: secundum Christi promissum, Matthæi vltimo, *Ecce ego vobiscum sum*, &c. licet secundum magis & minus: tum autem, vt ego puto, in minimum numerum, secundum dictum Christi: *Veniens filius hominis, putas inueniet fidem in terra?* Non quidem, vt non inueniat, sed in paucis inueniet. Æstimo enim, ante aduentum filii perditionis, in prælatis Ecclesiarum oppositum reperiri, prælatis primitiuæ Ecclesiæ, scilicet Apostolorum: vt sit in illis cupiditas, ambitio, superfluitas, voluptas, negligentia, proprius amor, & alienatio timoris Domini: quorum opposita clarissime patuerunt in patribus primitiuæ Ecclesiæ. In clericis vero & Deo sacratis populis, immunditia, amor lucri temporalis, defectus prædicationis, corporis cura, vestium mollicies, dissolutio morum, & conformitas vitæ secularis: vt tunc fiat sacerdos sicut populus, secundum vocem Prophetæ. In religiosis vero tunc erit inobedientia superiorum, proprietatum vsurpatio, vitæ dissolutio, transgressio statutorum à patribus sanctis editorum, & votorum ipsorum transgressio: solus habitus, & tonsuræ ostensio, & nihil aliud nisi imago quædam depicta religionis: quod etiam hodie clare speculantibus in multis locis religionū reperitur, obstinato animo publice defen-

defendentium suas iniquitates, scilicet etiam contra substantialia religionum militantes. Simplicitas enim, puritas, & paupertas voluntaria, exulabunt tunc à religiosis: quorum etiam multi reperiuntur hodie præcursores. Quis sapiens,& intelliget hæc! Erit tunc status secularium, tam principum quam subditorum, pene in omnibus confusus, studentes iustitiæ, rapaces, violenti, incompassiui, quæ sua sint quærentes, innocentibus non parcentes, dolosi, fraudulenti, honorum secularium cupidi, auari, omni timore Dei destituti. Laici vero criminosi, luxuriosi, mendaces, periuri, prælatis inobedientes, diuitiarum amatores, voluptatũ sectatores, vilificantes omnia quę ad Dei cultum pertinent, & Dei cultores contemnentes. Hæc & multa alia etiam innumerabilia tunc reperientur, tam in præambulatoribus Antichristi, quam & in Antichristo: vt conformia fiant præcedentia sequentibus, & finis status præcedentis, quo ad malitiam, fiat par malitiæ status sequentis. Quemadmodum in alterationibus naturalibus fieri, docet Naturalis Philosophia, vt gradus vltimus formæ accidentalis corrumpendæ, fiat pene similis primo gradui formæ generandæ, videl. de immutatione aëris in ignem: id est, de generatione & corruptione.

Reformationem autem generalem Ecclesiæ, extreme necessaraim fore nostris temporibus, mores corrupti totius orbis prænunciant: cum reuera pene omnis caro corrupit viam suã. Sed quomodo eam fore possibilem in effectu fieri, nondum est positum ad praxim. Licet aliquoties per Concilia generalia sit attentatum. Et licet quædam decreta in hunc finem prodierunt ab iisdem conciliis, tamen tanta resistentia altæ dignitatis personarũ tam spiritualium quã secularium facta est, vt vidimus, ꝙ totum negotium lugemus infectũ: & cum tempus pariendi aduenisset, vires non habuit parturiens. Tanta deniq; crudelitate debacchati sunt, vt non tantum prolem sanctã, scil. reformationẽ necare contendant: sed & matrem, scil. authoritatem conciliorum, & eorum conuocationem occidant, pro vt res in prospectu declarat. Per quorum tamẽ conciliorum authoritatem, maior esset spes ad viam reformationis obtinendam. Hęc vero via reformationis, si esset possibilis, aut immediate fieret à Deo, per inspirationẽ, aut ab hominibus (neq; enim videtur alia via danda) quis dubitat de potentia Dei, si velit corda pontificum & principũ secularium illuminare, vt quilibet se reformet? Sunt autem *corda hominum in manu Dei, vt quocunq; voluerit, vertat ea*, secundum scripturæ veritatem. Sed hactenus sine medio agere Deus non consueuit, ne superuacue videatur Scripturæ sacræ & intellectuũ illuminatio etiã humanitus concessa. In his, sicut & in aliis, per media agere consueuit, secundũ Dionys. Est tamen alia via emendandi vitia humana, scil. à Deo per peccatorũ punitionẽ & castigationũ inflectionẽ, quam scriptura sacra testatur in *libro Iudicum*, cuius etiam meminit Dauid sanctus dicens: *Cũ occideret eos, quærebant eum & reuertebatur, in diluculo veniebant ad eum.* Quanq̃ non semper hæc via pœnarũ profuit peruersis, dicente Ierem. *Percussisti eos, nec doluerunt, attriuisti eos vt acciperent disciplinã*, &c. eiusdẽ 5 cap. Quod forte etiam modernis temporibus videtur in multis habere locum. Et in alio loco Ierem. dicit Deus: *Interfeci & perdidi populũ meum, & tamen à viis suis non sunt reuersi*, eiusdem 15. c. Has pœnas possemus imaginari, graues pestilentias, hæreticorum violentias, infideliũ inuasiones in ecclesiã, captiuitates Christianorũ per gentiliũ nationes, fames, & huiusmodi, quas in Prophetis legimus cõminatas: videl. in captiuitate Babylonica, filiorũ Israel, post eorum peccata. Si vero per homines erit spes reformandi, hæc maxime residet apud præsidentes, tã ecclesiasticos prælatos quam principes terræ, qui non solum verbis persuasiuis, sed & cõminationib. pœnarũ, vim haberet coactiuam, ad reformandũ primo se voluntarie, deinde alios sibi subiectos. Legimus in sacris literis, reformationẽ ecclesiæ quoad vnã progeniẽ, factam per reges sanctos, scil. Dauid, Ezechiã, & Iosiam, qui ab idolorum cultura filios Israel cõpescebant, & ad Domini legẽ conseruandam homines reuocabant. Etiam tempore Constantini Imperatoris, tempore Beati Syluestri Papæ, legimus Ecclesiã ab errore hęreticæ prauitatis conseruatã, & errores multos extinctos. Et tempore concilii Niceni, similiter antiquorum conciliorum conuocatorum, multæ hæreses inualuerunt, rabie persecutionis prohibente, ne fideles cõuocari possent ad errorũ extirpationẽ. Hic simili modo verendum, ne si nostris temporibus longo tempore differretur conciliorũ conuocatio, impediretur ecclesiæ reformatio. Nisi enim in primitiua Ecclesia sanctorum Apostolorum & seniorum fuisset factum Hierosolymis concilium, de obseruatione legalium, error damnabilis inualuisset apud fideles, prout testantur *Acta Apostol. 15. c.*

Cum igitur teneamus, per potentes & præsidentes, tam spirituales quam seculares, possibilẽ fore Ecclesiæ reformationẽ, tam in capite quam in membris: aut ergo per vnum hominẽ, aut per multos. Non per vnũ, quantumcunq; pręfulgeat morum venustate, aut scientia, aut alia dignitate, etiam forte si miraculis clarescceret (nam legimus plures tales fuisse, quorũ tamen temporibus Ecclesia nõ fuit reformata, etiam schismatibus continuatis) neq; etiam, vt puto, per solum summum Pontificem. Nam de facto tot sunt editi canones decretales & constitutiones per eosdẽ, & tamen in cassum membranas occupant, nulla sequente reformatione. Item, quia palpabiliter cernitur, ipsam eius curiã maxima indigere reformatione, sicut omnia clamauerunt vltimo celebrata generalia Concilia. Quam suam curiam, si non potest aut non velit reformare, quã sub alis suis contegit: quomodo credendum est, ꝙ tam late diffusam reformare possit Ecclesiã? Etiam per constitutiones, per quas creditur reformari Ecclesia, debēt moribus vtentiũ approbari, & debent edi cum consensu eorũ qui debent eis vti: alias non erunt acceptabiles, nec forte dignæ acceptari, quia caput sine membris nihil noui edere potest, de quo prioribus non est mentio facta. Item, quia diceretur eidem; Prius medicinam vulneribus tuis dispone, tanquã capiti: quo sanato, & membris facilius edes medicinam. Quare *medice cura teipsum.* Quin *prius eiicies trabem de oculo tuo, deinde festucam de oculo fratris tui:* alias in præpostero ordine nihil

nihil proficiet. Sale enim infatuato, nihil cõditur. Ideo iusto Dei iudicio minus sunt accepta illis sua decreta, nisi seipsum & suos reformauerit. Et hanc profecto potissimã reor causam deformationis Ecclesiæ, quia cernitur in capite vulnus, q necesse habeat ante curari. Nã dicit vnus de eis: *Cuius vita despicitur, restatur vt eius prædicatio contemnatur.* Et Paulus dicit: *In omnibus præbe teipsum exemplũ bonorum operum.* Et talia innumerabilia, in libro *de Cura pastorali beati Gregorii* continentur. Vnde mihi vix credibile videtur, posse Ecclesiã generalẽ reformari, nisi curia Roma. fuerit ante reformata. Quod tamen quã difficile sit, cursus temporũ præsentiũ manifestat: cum nulla gens aut natio fideliũ tantã resistẽtiam faciat reformationi vllius Ecclesiæ, sicut natio Italica, & alii applaudentes, spe promotionis aut lucri, aut tẽporalis cõmodi, aut timore amissionis dignitatũ ligati. Cõtremiscunt enim solo auditu cõgregationis generalis cõcilii, cũ sciant per experientiã, q Concilia generalia palpare nesciunt, sed corrigere & emendare, sine personarũ acceptione: cũ ibi cõgregentur de omnibus mundi partibus, qui vitiis non parcunt, nec amore nec timore seducti. Et facilius inuenitur veritas, passionibus humanis seclusis. Imo nec veritati patere potest aditus, oculis rationis p passiones obnubilatis: psidentesque ex parte Papæ cõciliis, qa vident contra dominũ suũ, & contra se negotium consiliorũ disponi: quid aliud agere existimandi sunt, q vt tota authoritate, decretis conciliorũ obicẽ ponant, aut per dissolutionẽ conciliorũ, aut per discordiarũ seminationem: sicq; opus totũ redditur infectum, ac per hoc itur in antiq sylvam, scil. erroris & tenebrarũ. Quod quã verum sit, nullus ignorat, nisi inexpertus tẽporũ præteritorũ. Clare enim probat hoc tragœdia, nostris temporib. in Basiliensi concilio practicata: q hi norunt, qui iẽ oculis subiecerunt. Et ex hoc ortũ est vulnus, nescio qñ curabile, contra authoritatẽ conciliorũ generalium, vt abscedentibus Papa aut suis psidentibus, à loco concilii, vel differentia exorta inter partes eiusdẽ, censeatur concilium dissolutũ: resideatq; in personam Papæ, de plenitudine potestatis, authoritas dissoluendi aut transferendi generalia concilia, put Eugenius olim Papa de An. Dom. 1437. fecisse cõprobatur. Hocq; venenũ effusum est p eum in Ecclesiam, per aduersarios conciliorũ indelebiliter obseruandũ, & literis aureis in gestis conciliorũ annotandum: ad q refugiũ habebunt, ac fulcimentũ sui erroris, vt subterfugere valeant correctionẽ & reformationẽ: ita vt etiam modernis temporibus frontosi aliarũ scientiarũ viri dogmatizare audeant, *In quolibet Papa residere plenitudinẽ potestatis, non solũ super quolibet membro singulari Ecclesiæ, sed & super totã Ecclesiã conciliariter cõgregatã, ad libitũ ipsius disponendi, decretandi, dissoluendi, transferendi, corrigendi, authorisandi: vt nullus ei audeat dicere, Cur ita facis?* Et sic totaliter nituntur suffocare authoritatẽ conciliorũ, contra decretationem ab omnib. acceptã, in Constantiensi, Basiliensi, generalibus conciliis, publice promulgatã, & *contra pragmaticã sanctionẽ* super hoc editã atq; factam. Talesq; sic dogmatisantes, & eis consentientes, arbitrantur se obsequiũ præstare Romanis pontificib. Sed non aduertunt, quantũ saluti aduersantur eorundẽ. Nã saluberrimã misericordiã & medicinã eiusdem proscindunt, scil. fraternã correctionẽ: & capiti Ecclesiæ morbido non patiuntur adhibere medelã: quod quantæ sit crudelitatis, nemo sanus ignorat, vt August. testatur *in Regula sua.* Si enim singulis mẽbris medicina est parata, cur capiti denegatur? cũ hoc magis indigeat sanatione, q alia: quia eo ægrotante, omnia mẽbra ægrotare videtur.

Nisi forte quis insaniens ad hunc errorẽ prumperet, q diceret Papã impeccabilẽ, & indeuiabilem, quasi iã extra terminũ viatorũ volentes eũ collocare. Non recensent, Petrũ primũ Papã fuisse reprehensum à Paulo, vno singulari, & sibi inferiore: *ad Gal. 2.* Et *Ecclesiastica historia,* & *Speculũ historiale,* & certa ac indubitata experiẽtia manifestat, eũ & in fide & morib. similẽ esse posse cæteris peccatorẽ, ex vertibilitate liberi arbitrii nondũ cõfirmati. Auferre igitur à Papa correctionẽ, imo potestatẽ deponendi, est maxime impietatis: & ipsum statuere in plena audacia peccãdi, & p cõsequens furioso dare gladiũ, vt seipsum sine resistentia interimat. Mittunt igitur Papã in foueã dãnationis, & cũ eo dãnantur, q eũ subesse Ecclesiæ vniuersalis correctioni cõtradicunt. Quo igitur pacto talis vniuersalẽ Ecclesiã solus reformare valeat, q & ipse infirmitati subiectus est, indigẽs per se reformari? Vt pono, q sit aliqs talis. Et quomodo filius Ecclesiæ cẽseri potest, q matri suæ obedire contẽnit, & quẽ Ecclesia corrigere p suis excessib. nõ potest? Et si nõ filius Ecclesiæ, quomodo erit hæres pmissionũ Ecclesiæ p Christũ factæ? prsus enim se ab hæreditate paterna alienũ pnunciat, q se filiũ ecclesiæ negat. Ponere igitur se supra totã Ecclesiã, aut supra generalia cõcilia legitime cõgregata, vniuersalẽ Ecclesiam repsentantẽ, nõ est aliud, q totã spẽ reformationis Ecclesiæ auferre, & vni homini peccabili se cõmittere, q & se & Ecclesiã p deuia erroris ducere potest. Inde infertur hoc incõueniẽs, q Christus Ecclesiæ suæ, post suã ascensionẽ, insufficienter puidit, cõmittens eã vni, q eã in damnationẽ inducere potest: pro qua & eius salute ipse de cœlo descẽdens, pprium sanguinẽ fudit, & animã suã ponere dignatus est in mortẽ. Et qs regũ tẽporaliũ peregre pficiscens, in omnẽ euentũ absolute & sine correctione cõmitteret populũ suũ vni ad gubernãdũ, sine omni cõditione, & sine omni cõtradictione singulorũ, ne aliter facere auderet, q ille pcepturus esset, siue bene siue male? & nõ potius populus in vnũ cõgregatus, incarceraret aut deponeret illũ puerile regnũ gubernantẽ? Sic de spõsa, cõmissa per sponsum peregrinãtẽ vni militi, qui eã stuprare vellet, deberet ne ei ex commissione generali sponsi obedire? Quis hoc nisi insanus diceret? sic simili modo, in Papa & Ecclesia. Et quid mirum, si vniuersalis Ecclesia congregata argueret Papã, ac etiã puniret, si incorrigibilis esset? cũ etiã asina Prophetam legitur arguisse, voce hominis loquẽs, *Nũ. 22.* Et Apost. dicit, sibi & sui similib. datã potestatẽ in ædificationẽ, & nõ in destructionẽ, *2. Cor. 10.* Et quis auderet asserere, quod correctio fraterna, in Euangelio expressa, non haberet locum in Papa, cũ & ipse frater sit censendus? Et si ecclesiã scandalizaret p publica crimina, aut ad malũ filios ecclesiæ traheret, aut p eius desidiã aut negligẽtiã oues sibi cõmissæ in pcipitiũ ruerent, q nullã deberet aut posset habere correctionẽ, q eum monerent semel, bis aut ter: & postea eo

in

indutato, possent procedere ad depositionem eius, alio vtiliori substituto: aliud dicere, persuasum mihi videtur esse impiũ & iniquũ. Et nisi in futuro concilio celeri remedio prouideatur huic veneno recenter introducto, de authoritate conciliorũ supra Papã, cuius contrariũ dogmatizant aliq; & maxime de curia Papæ, & eiusdẽ assentatores: clarũ est, quanta inconuenientia inde sequatur. Primo, ꝙ datur Papæ audacia impune peccandi, & disponendi omnia negotia Ecclesiæ ad libitũ suũ. Secundo, ꝙ datur subiectis in toto orbe occasio vilipẽdendi, imo contẽnendi omnes cõstitutiones, ordinationes & mandata Papæ. Videntes enim, Rom. põtifices nõ curare decreta sacrorũ canonũ, ꝓ libito dispensare ea, & cõtrauenire eisdẽ, q̃d aliud, q̃ iusto Dei iudicio permittuntur subditi, ne & ipsi stent in obedientia cõstitutionũ Papaliũ, & murmurẽt, dicentes: *Tu prius patere legẽ, q̃ tulisti?* Minimus enim in regno cœlorum vocabitur is, *qui soluerit vnũ de his mãdatis minimis, & docuerit*: vox est Saluatoris. Sicq; derisioni pateat apud mentes seculariũ Sedes Apostolica, vt in præsentiarũ est videre: nec cẽsuræ Ecclesiasticæ p spirituales iudices latæ hodie curantur. Cũ enim pastor per abrupta graditur, necesse est vt in præcipitiũ grex sequatur. Tertio sequitur, ꝙ si inantea fieret conuocatio concilii generalis, totius Germaniæ principes & prælati, Doctores ac Magistri se subducerent à Concilio. Ex quo enim tota dispositio Ecclesiæ, in mente vnius peccabilis hominis residere debet (vt olim Papa Eugenius decreuit irritare decreta conciliorũ, transferens de plenitudine potestatis conciliũ ad Ferrariam) superuacua esse videtur multorũ congregatio, vbi vnus solus contra aliorum vota debet & potest authorisare: maxime cum caussam exigeret, quod negocium Papam tangeret. Mox enim excitaretur discordia, & recederent præsidentes, & fieret dissolutio concilii. Et quomodo in concilio Constantiensi, non obstante Papæ recessu, & suorum, decretum fuit, integrum mansisse concilium: cuius tum oppositum fuit practicatum in concilio Basiliensi: & quis inantea frequentaret Concilia? Reuera Ieremias si adesse posset, iteraret suos Threnos, dicens: *Viæ conciliorum lugent, eo quod non sunt qui veniant ad solennitatem.* Exinde ludibrio ducerentur concilia: maxime quia videmus, quod omnia quæ tantis laboribus, impendiis, in retroactis Conciliis elaborata sunt, penitus irritantur, & tanquam pulueres ventis obnoxii conculcantur. Fontale vero principium omnium illorum malorum, secundum Apostolum, & cupiditas, quæ sibi vendicat locum pene in omnibus clericis: quoniam secundum Ieremiam, *à maximo vsque ad minimum omnes auaritiæ student.* Ad quam satiandam, non reperiunt Ecclesiastici viri commodiorem opportunitatem, quam in adipiscendis dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis. Et hic sentiunt conferri per Papam, qui sibi per hæc attrahere consueuit pene totam Ecclesiasticorum virorum cohortem. Ideo adhærentiam copiosam sibi parit per horum prouisionem. Sed quia generalia concilia, per sua decreta saluberrima prouidere voluerunt, vt secundum sacrorum canones veteres, ab inspiratione Spiritus sancti emanatos, beneficia Ecclesiastica & iudicia debito ordine procedere possint, de Annatis non soluendis, de electionibus secundum Canones faciendis, & de reseruatis gratiis extirpandis, de beneficiis per locorum ordinarios conferendis, de caussis in prouinciis iudicandis secundum concilium Nicænum, & aliis multis: quibus auditis cupiditatum serui totis viribus se opposuerunt, & decreta & concilia detestati sunt, confugeruntque ad Sedem Apostolicam, quæ libenter fauit eisdem, eodem morbo laborans: quæ sub occasione abundantiæ, (qua necesse haberet summus Pontifex, ne egeret pro sua curia sustentanda) omnia irritauit, relabens in antiquum morem, à canonibus improbatum: quasi non esset alter modus prouidendi curiæ & Sedi Apostolicæ, quam iste improbatus. Sicq; abusus iste reuixit, & beneficia venduntur: & potentes magis timentes sacculos, & minus idonei beneficia pinguiora reportant, aliis dignioribus repudiatis: sicut etiam synodus Basiliensis per organum Iuliani Cardinalis sancti Angeli, legatis Domini Eugenii Papæ dedit pro responsis, Anno Domini 1435. in responso quod incipit, *Decret.*

Et vt lucidius de authoritate speculari valeamus, apprehendamus viam resolutoriam contra personam Papæ. Prima resolutio, ostendit nobis naturam eius absolute, in qua par est omnibus rebus naturalibus ex materia & forma compositis, nil ei amplius tribuens, quam alteri elemento, & elementato, scil. simplici atq; mixto, scil. lapidi & ligno.

Secunda resolutio, ostendit ipsum animal sensitiuum, an potentia sensitiua decoratum, in qua passiones fundantur, scil. ira, timor, amor, cupiditas, gaudium, spes, dolor, vt declarat Philosophus *7. Physicorum.* Et quantum ad hanc resolutionem, circumscripta ratione, est ipse & alii homines, non aliud quam bestia & animal.

Tertia resolutio eius, ostendit hominem rationis capacem, qui legibus diuinis & humanis est informabiliter ad imaginem Dei conditus, à bono malum discernens. Et quo ad hoc similiter nihil habet Papa vltra alium hominem simplicem.

Quarta residet resolutio contra Papatum, quæ competit ei ex electione canonica per illos facta, quibus de iure competit potestas eligendi, per quam traditur simul authoritas & ministerium super membra Ecclesiæ à Deo principaliter, licet ministerialiter ab electoribus, & instrumentaliter, secundũ quod Apostoli vndecim Matthiam elegerunt, dicentes: *Ostende quem elegeris, &c.* quasi dicerent: Quem tu diuinitus elegeris, illum ostende tu nobis per hanc sortem. Igitur Deus est principalis elector & collator authoritatis Apostolicę, homines vero solum iudicatione: cum non potest aliud signum diuinæ electionis haberi, quam præmissa, scilicet spiritus inuocatione, pluralitas vocum, & consensus plurimorum. Et sic hæc resolutio præsentat nobis Christi vicarium à Deo electum. Et inde surgit authoritas Papæ, vt habeat potestatem dispensandi ministeria & dona Dei, secundum

Paulum

Paulum 1. Corinth. 2. *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Fluit igitur & emanat hæc potestas à Deo, secundum quod Regulæ diuinitus traditæ docent dispensandum. Aliter enim vicarius fidelis, non debet negocia principalia committentis disponere, quam re uera scit ipsum principalem velle: alias non esset fidelis dispensator, sed crudelis dissipator: cum conformes debeant esse actus principales actorum, & instrumenti quod ab actore dirigitur. Qui vicarius si Regulam principalem constituentis egreditur, & transgreditur, iam resilit ab illa parte resolutionis, & labitur ad inferiores partes, scilic. hominis, aut bestiæ. Vnde, vt sic, non est eius vicarius. Dicit enim Paulus 2. Corin. 2. *Si quid donaui propter vos in personam Christi, glorior ac si Christus donasset,* conformans se in donatione sua Christo, scilicet vice & authoritate Christi: quasi ipsius & Christi esset eadem donatio & dispensatio. Si igitur exit Papa has regulas Christi, iam induit personam hominis, aut bestiæ. Inde est, quod si contraria Christo iubet, in peccatis dico mortalibus, hic non agit vt Papa, sed vt bestia, ratione non participans. Igitur non est inobediens censendus, qui ei in talibus non obtemperat: saltem dico directe contrariis Christo. In cæteris indifferentibus sibi iudiciũ relinquitur, vt fideliter prudenterque dispenset, vt iusta ratione æstimet, Christum scilicet velle, si ipse per se adesset. Ideoque Paulus hanc resolutionem non ignorans, dicit ad Roman. 13. *Non est potestas nisi à Deo: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ponit, inquã, in abstracto potestas, non in concreto potens: quia potens potest esse non à Deo, quia officium potestatis semper iustum est, quia ordinatũ secundum regulas Dei rationabiliter institutum, licet potens ea abutitur. Ideo Deus dicit per Oseam: *Ipsi regnauerunt, & non ex me,* &c. Et Iohannis decimo nono dicit Christus Pilato: *Non haberes in me potestatem vllam, nisi tibi data esset desuper.* Potestas igitur iusta erat, sed ille ea abutebatur, iniuste Christum condemnando. Vnde subdit Paulus: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Non dicit, qui potenti in concreto resistit, abutenti sua potestate, Deo resistit: imo talis sic resistens contraria Deo præcipienti, non Deo resistit, sed ei se conformat. Non igitur tanta potestas in omnem euentum data credẽda est Papæ, quod omnia ad libitum suum disponere habet, postposito respectu ad Deum constituentem. Non enim sunt dona propria, sed Dei, ad cuius honorem & vtilitatem debemus omnia mensurare. Non enim putandus est Deus, quod in homine indistricto suum arbitrium strictum posuerit, quia nec de alio homine puro arbitrandum est. In cuius exemplum inspiciamus primum Papam, qui cum in veræ fidei confessione Christum Dei filium pronunciasset, dictum est ei à Christo: *Beatus es Simon bar Iona.* Cum vero à vera Dei regula, quoad Christi passionem impediendam (quanquam pie illud visus fuisset sensisse) ei dixisset; *Absit à te Domine, non erit tibi hoc,* respondit Iesus Petro: *Vade post me Sathana, scandalum mihi es, quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum:* Matthæi decimo sexto. Ecce qualis mutatio facta est in eodem homine, non persona mutata, sed habitu mutato, de beatitudine in Sathanam? Et si simile contingeret in persona Papæ, cur non simile sibi attribueret in appellatione, cum ipse successor sit Petri? Non inde potestas culpatur, sed vitium personæ, in reprobum sensum mutatæ. Cur ergo quis audeat dicere, Papam non posse corrigi, aut deponi per ecclesiam, conciliariter congregatam: cum tunc non censetur agere vt Papa, sed vt vitiosus, degenerans de dignitate Papali, si incorrigibilis existit, & scandalizat ecclesiam? sicut Petro dictum est, *Scandalum mihi es*: cum dixit Christus Matthæi decimo octau. *Qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Et væ homini illi, per quem scandalum venit.* Si vnum ex pusillis scandalizans, talem pœnam meretur: quid de illo qui totam ecclesiam scandalizat? Et quis erit executor pœnæ, nisi ille, vel illa, de quo dixit Christus: *Dic ecclesiæ,* tanquam superiori te. Quia Petro Papæ hoc dixit tanquam inferiori ecclesiæ, quem vtique non ad inferiorem misit, sed ad iudicem superiorem, secundum diuini & humani iuris dispositionem. Neque vero, quia ministeriale caput super singula membra est constitutus, ideo nobilior & dignior dicendus est tota ecclesia vniuersali, quia & papa est censendus inter membra ecclesiæ, cuius principale & essentiale caput est Christus: secundum illud ad Eph. 4. *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput nostrum Christus, ex quo totum corpus connexum & compactum,* &c. sumus enim omnes Christiani, tam papa quam alii, corpusque Christi, & membra eius. Vnde oportet & ipsum papam subiectum esse legibus Christi, & totius corporis Christi, quod est ecclesia: *ad Ephes. 4.* Nec mirum: quia etiamsi angelorum eminentia aliud doceret, quam ecclesia sancta Catholica decertasset, secundum sancti Spiritus inspirationem, quam residere in vniuersali ecclesia non est dubium, anathema essent censendi: *ad Gal. prim.* Quanto magis, si homo mortalis, & vertibilis de malo in bonum, & econuerso, passionibus & erroribus diuersis subiectus, aliter doceret, anathema esset dicendus? Sed Papa, cui nunquam legimus tantam assistentiam indeficibilem diuinam pollicitam esse, sicut toti ecclesiæ, Christo dicente: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem mundi,* Matthæi vltimo, neque Petro tanta adfuit assistentia incommutabilis, quum & ante passionem Christi, & post eiusdem passionem legitur cecidisse à veritate. Scimus etiam, Christo teste, ipsum esse vitem, omnesque alios palmites: inter quos & Petrus papa erat connumeratus, de quibus palmitibus dicit: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, agricola tollet, & in ignem mittet, & ardebit.* Et per quem potius tollendus est palmes, nisi per ecclesiam vniuersalem, cum & Papa sit palmes in vite? *Ioh. 15.*

Hæc omnia quæ præmissa sunt, in istum finem militant, vt sciamus per vnum hominem defectibilem ecclesiam reformari non posse. Et quod ecclesiæ vniuersali conciliariter congregatæ, papam esse inferiorem non dubitemus. Et quod authoritas ecclesiæ integre seruanda est super omnem,

quacunque præfulgeat, dignitatem, etiamsi papali, in his quæ ad fidem & ad schismatis extirpationem, & ad generalem Ecclesiæ reformationem pertinent, in capite & in membris.

Secundo, Concilium punire potest & debet quemlibet etiam papam, qui contumaciter statutis & præceptis eius obedire contempserit, ad alia etiam iuris remedia, si opus fuerit, recurrendo. Ex præmissis infertur: si vniuersalis Ecclesia, tàm in capite quã in membris debet reformari, oportet hoc fieri per totam Ecclesiam conciliariter congregatam, à capite incipiendo. Neque enim spiritus mendax credendus est fuisse in ore omnium illorum celeberrimorum virorum, in Constantiensi Synodo congregatorum, qui hoc sanxerunt per decretum frequens, licet quidam ex Italica natione, de collateralibus papæ, moleste illud tulerunt: postea tamen omnes consenserunt de superioritate Concilii generalis super papam, licet inimicus homo iterum superseminaret zizaniam.

Quid ergo? putamus ne ecclesiam posse recipere reformationem generalem? Et quidem ad hunc statum deuenire, vt omnia vitia tollantur ab ecclesia? Ego iudico impossibile humano modo: quia nunquam ab exordio mundi fuit hoc possibile, ab Abel, à quo cœpit, vsque ad nostra tempora. Semper enim Sathan mixtus erat cum filiis Dei, & sagena euangelica trahit pisces bonos cum malis, & virgines fatuæ mixtæ sunt cum prudentibus, & zizania crescit cum tritico vsque ad messem. Conandum quidem est, vt singula eradicentur: sed omnia simul est impossibile extirpare. Sicut dicimus de peccatis venialibus, quorum nullum dandum est, quin sit deuitabile: sed non omnia simul. Sed est alia reformatio, de qua quæritur, vt scil. ea quæ sint decoloratiua statuum & personarum tam sæcularium quam spiritualium, ad rectam formam perducantur: vt reformatio pacis inter regna & principes, extirpatio hæresum & schismatum, simoniacę prauitatis à curia Romana, & ab omnibus ecclesiæ prelatis, & concubinariorum repressionis, visitatio effectualis & vtilis clericorum, prouincialia & synodalia Concilia: idoneorum prælatorum, clericorum, & parrochialium ecclesiarum rectorum institutio, & ad ordinum promotiones: & legitima admissio eorum qui vita, scientia & ætate sunt apti. Quid quod ad sacrorum ritum pertinet legitima executio, & quantum ad diuini cultus honorem in ecclesiis spectat, solers circumspectio? In religionibus amputatio dissolutionum, excessuum, euagationumque restrictio, tam in clericis quam in religiosis honestas habituum & tonsurarum, obseruantiarum regularium custodiæ, disciplinæque monasticæ in omnibus peruigil obseruantia: adulteriorum & cuiuslibet impudicitiæ compressio, ecclesiarum frequentatio, diuini verbi sedula tam propositio quam auditio, sabbathorum sanctificatio. Et vt cum seueritate debita coerceantur diuinatores, incantatores, arioli, aruspices, somnia obseruantes, carminibus illicitis insistentes, & benedictionibus superstitiosis ac nigromanticis artibus operam impendentes: altaria aut ecclesias in conuenticulis locorum, sub spe miraculorum aut sacrorum erigentes, propter turpem quæstum: abusiones communitatum, ciuitatum, prouinciarum, villarumque, à fide & bonis moribus alienas cohibere, & omnes prauas consuetudines, & magis corruptelas sanæ doctrinæ repugnantes, in Ecclesiis Cathedralibus, collegiatis, & conuentibus, quorumcunque monasteriorum ac ecclesiarum prohibere.

Et quis omnia enarrare ac enumerare sufficiat, quibus ecclesia modernis temporibus cernitur deformata? Putamúsne hæc omnia aliquando posse reformari? Persuaderi mihi videor, quod nec ætas nostra, nec futura hæc patietur: cum non habeam rationes probantes, quomodo illud fieri possit. Primo, propter inueteratam & insolitam consuetudinem, quæ difficile curatur: secundo, propter potentium, tam in scripturis quam in altis dignitatibus resistentiam: tertio, propter auaritiæ morbum, qui vbique inualuit, maximeque in altis sedibus, qui nullo modo patientur sibi auferri honoris, fastus, diuitiarum & voluptatis amplitudinem. Et qui amplius insistere deberent reformationibus, pompis amplius delectantur, fingentes ipsis colores sub specie defensionis Ecclesiasticæ. Et ideo eos oporteat abundare, ne status eorum vilescat: & vt habeant armatam militiam, qua compescere valeant, violantes bonorum ecclesiasticorum detentores. Et ideo oportet, vt dicunt, eos fulcitos esse pluralitatibus beneficiorum atque dignitatum, sed timẽdum est, ne lateat anguis in herba: fingentes excusationes in peccatis, magis vt quæ sua sunt quærentes, quam Dei. Nam veram puto sententiam B. Hieronymi super Ionam, scil. quod Rex Niniue nouissime audiuit sermonem Ionæ: quia difficile potentes, nobiles, diuites, & multo his difficilius homines eloquentes credunt Deo, & aures accommodant verbo Dei, excæcatur enim mens eorum. Concordat huic sententiæ Apostolica doctrina 1. Corin. 1. *Non multi potentes, non multi nobiles, non multi sapientes secundum carnem, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes.* Æstimo igitur mundum dietim decrescere in prauis moribus, salua diuina dispositione, cuius consilium nemo nouit, vsque ad profundum delictorum, quousque veniat filius perditionis, qui cooperabitur delictis seculi, & fortificabit omnes operantes iniquitatem, vt fiat supra modum peccator obnoxius peccatorum. Posset quidem fieri vniuersalis reformatio Ecclesiæ per prædicta, sicut & iamdudum factum est: quæ si ad executionem ponerentur, nulla alia reformatione indigeremus. Sed sicut de decretis sanctorum patrum veterum factum est, sic fiet & de nouis, nulla super his facta executione. Neque diffiteor partiales fieri posse locorum reformationes, sicut & iam per gratiam Dei in multis monasteriis fiunt: sic & prælati, quorum Deus corda tangeret, possent se & suos à malis cohibere: cum Deus nouit qui sunt sui, & quos præsciuit & prædestinat conformes fieri imaginis filii sui, à voraginibus peccatorum, in quibus multitudo præambulat, potest præseruare.

Recensentes veteres historias, ex serie sanctarum scripturarum scimus, quando iniquitas hominum

minum inualescebat, Deus eis posuit modum, aut totum mundum perimendo, paucis exceptis, propter speciem conseruandam, vt in diluuio: aut in posteris nationibus, propter iuramentum Noæ factum, ne amplius diluuium faceret, particulares generationes delendo, vt in Pharaone submerso cum omnibus suis. Peruersam multitudinem filiorum Israel contra Deum & Moysen rebellantium in deserto, per 40. annos delendo, [illegible] tanta multitudine, sc. 603550. solum duo homines intrauerint in terram promissionis, vt *Num. 14.* Deinde cum iterum tempore Ieroboam multiplicati fuissent, & idolis seruissent per 200. annos, Deus tradidit decem tribus in captiuitatem Medorum & Persarum, vsque ad præsens. Generationem autem Iudæ & Beniamin tradidit in captiuitatem regis Babylonis per 70. annos. Post reditum vero de captiuitate, per Esdram, & Ihesum filium Iosedech sacerdotem, & Nehemiam, qui reædificarunt templum, & emendati sunt, vsque ad tempora Machabæorum, & vsque ad Christum. Nec leguntur idola coluisse, saltem vt plures: donec Christum occiderent & vsque ad tempora Titi & Vespasiani Romanorum principum, qui eos in excidio Hierusalem miserabiliter trucidarunt, ac aliquos vendiderunt. Sicque semper pœna secuta est culpã. Quid ergo pro nostris culpis passuri sumus, quæ vtique, vt timendum est, modo impar est præteritorum culpis? Et licet idola manufacta non colantur à Christianis, tamen idola mentalia fabricata frequentius coluntur, sc. auaritia, quæ est idolorum seruitus: ventris voluptas, quæ est idolum ventris; (*quorum* inquit Paulus, *Deus venter est:*) idolum superbiæ, Beelzebub, & Baal, & cætera. Quorum cultura quanto occultius, tanto amplius frequentatur. Gaudet quidem nostris temporibus, sci. nunc de anno Domini 1449. Ecclesia de vnico & indubitato pastore, sc. Nicolao Papa V. sed luget de conculcatione decretorum in transactis conciliis editorum, & videt quomodo contraria decretis practicantur. Suadendum tamen totis conatib. videtur, quod illud decretum frequens de conciliis generalib. continuandis non aboleatur: per quod vulnus, *de superioritate Papæ supra Ecclesiam* per Eugenium olim Papam inflictum, sanari potest. Licet enim plures contradicent, tamen per gratiam Dei pene totus orbis viros insignes in se continet, qui ab authoritate Ecclesiæ, per futuram atque nostram generationem non recedent, atque in ea vitam etiam finire gaudent, propter efficaces rationes id concludentes. Quibus nulla ratio humana desecuta, à passionib. resistere potest: præsertim cum Deus suam indefectibilem assistẽtiam nulli singulari personæ mortali legatur pollicitus esse, sicut toti Ecclesiæ, *Ecce ego vobiscum,* &c. Nec etiam primo summo Pontifici, qui & ante missionem Spiritus sancti, & post legitur errasse, licet Christus ei dixit: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficeret fides tua.* Hoc tamen in persona ecclesiæ sibi dixit. Qui cupit hanc veritatem de authoritate Ecclesiæ clare intueri, abstergat crassam nubem passionum & cupidatum de ecclesiis suis, & mox clarius luce meridiana mutabit affectum, & pronunciabit ita esse. Nam & doctrina Philosophi *in Politicis*, idem sentire videtur, quod pluralitas sapiẽtum certius iudicabit, & in toto orbe per regna, communitates, ciuitates, atque omnes prouincias, concilium plurimarum prouinciarum esse validius, quam vnius: sicut & Apostoli spiritu pleni, notabilia ecclesiæ negocia, in quod decernebat non Petrus solus, vt *Act. 6. 12. 17.* & per totum quasi textum. Notabiliora vero negocia ac vtiliora, in ecclesia inuenire non possumus, quam hæresum extirpationem, schismatum eradicationem, & ecclesiæ generalem reformationem, tam in capite quam in membris: in quibus tribus præfertur authoritas Ecclesiæ, personæ Romani Pontificis.

Quicquid igitur in saluo præsentis tractatuli dixi de habitudine status ecclesiæ vsque in finem seculi, lector meus beneuolus suscipiat æstimatiue dictum. Cum enim prophetiæ spiritus hodie abest doctoribus, nunc authoritas & infallibilis ratio occurrebat, quibus contraria possem probare, relinquens in his ecclesiæ suæ statum Deo ad disponendum, secundum ordinem suæ excellẽtis sapientiæ. Omnia enim scimus agi propter electos, quibus omnia cooperantur in bonum, siue bona siue mala, siue prospera siue aduersa, vt filii prædestinationis exerceantur, purgentur, & probentur: filii vero perditionis affligantur & puniantur, sicut aurum & palea in eodem igne, scil. æqualiter pœnam sentiant: sed aurum purgatur, & palea consumitur. Manet enim dissimilitudo passarum in similitudine passionum, vt dicit August. *1. lib. de Ciuitate.* Vnde, non qualia quisque patiatur, sed qualis patitur, aduertendum est. Quecunque vero de authoritate vniuersalis ecclesiæ per generalia concilia repræsentante dicta leguntur, nouit tanquam indubitata hucusque me posuisse. Nec fateor me facile recedere à decretis, nisi per informationem efficaciorem vniuersalis ecclesiæ, aut sanius me sentientis, cuius iudicio me semper pariturum submitto, nihil pertinaciter in his propter paruitatem defendendo, sed me ecclesiæ iudicio submittendo.

SIGISMVNDI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, &c.

APPELLATIO

A BVLLA EXCOMMVNICATIONIS PII PAPÆ II. ad Concilium generale & liberum.

NARRATIO PAPAE PII DE GESTIS Sigismundi Austriæ Ducis contra Dominum Cardinalem de Cusa.



PIVS Episcopus seruus seruorum Dei vniuersis Christi fidelibus ad quos hæ literæ peruenerint, salutem & Apostolicam benedictionem. Iustissima quamuis iudicia & honestissima sint quæuis Apostolicæ sedis decreta, & opera eius mortalis arguere nemo potest, quia tamen multi reperiuntur iniquæ mentis homines, qui erecto supercilio tollere os in cœlum non verentur, & gradiente lingua eorum super terram in Christi vicarium iactantes opprobria, facta eius damnare sæpenumero audent, & nitidam veritatis faciem, confictis mendaciorum tenebris obnubilare conantur, operæ pretium esse censemus, quæ per hos dies aduersus Sigismundum ex Principibus Austriæ, sua contumacia & iniquitate requirente, per nos & sacrum collegium nostrum, statuta, ordinata & iudicata sunt, ad notitiam vestram his scriptis perducere, ne fama velox præcurrens, falsa pro veris persuadere, & suo more, aut addens gestis, aut adimens fallere possit. Rem igitur, sicuti gesta est, ante oculos vestræ mẽtis ponemus, vos beneuolas aures adhibete, & boni consulentes, matris vestræ & omnium fidelium nostræ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, primæque sedis, digna & solita reuerentia, decretum sententiamq; suscipite. Ecclesia Brixinensis quæ olim Sabiensis, & aliquando Brixinensis est appellata, in Alpibus sita est, quę Germaniam ab Italia seiungunt, admodum insignis. Siquidem Romanorum Pontificum priuilegiis quampluribus honestata, & Imperatorum largitate donata, nõ solum prædia sed arces & oppida munitissima possidet, & ipsius Brixinensis vrbis ciuile dominium habet, diœcesis eius ad Enum fluuium protenditur, qui Danubio in Bauaria apud Patauiam miscetur, & in Athesim respicit, qui Tridentum Veronamque præterfluens insignes vrbes in Adriaticũ exoneratur pelagus. Episcopus eius inter principes Imperii collocatur, & ab Imperatore absq; medio in feudum recipit principatũ ac regalia. In ecclesiasticis negotiis ecclesiæ Saltzburgensis suffraganeus est, & metropolitico iure illi subiectus. Aduocatus eius in temporalib. causis, si quid aduersi patiatur, Comes Tyrolis ab Imperatoribus constitutus est, qui tueatur ecclesiam, non qui impugnet: ob eam rem non parum vtilitatis quotannis accipiens. Nam feuda opulenta & amplissima, ab ipsa Brixinensi ecclesia noscitur obtinere. Principium autem aduocationis in Comite Alberto fuit, qui primo per Conradum ipsius Ecclesiæ Pontificem, non sine pluribus conditionibus assumptus, & de ipsa aduocatia, quæ feudum est ecclesiæ, inuestitus, ab Imperatore confirmationem obtinuit. Vacante autem hac ecclesia, sedente Nicolao V. prædecessore nostro, Nicolaus ipse de fratrum consilio, dilectum filium nostrum Nicolaum tituli S. Petri ad vincula Presbyterum Cardinalem, in episcopum & pastorem præfecit. Qui etsi diu contradicente & reluctante Sigismundo, possessionem tamen pacificam & quietam ecclesiæ suæ deniq; consecutus est, & vtiliter plebi per plures annos prædicando, monendo, hortando, & pontificale officium exercendo præfuit. Sed cum sedente Calixto III. qui noster fuit immediatus prædecessor, Cardinalis, ipse atque episcopus Brixinensis, more boni patrisfamilias & diligentis atque attenti prælati, pia loca reformans, & iura ecclesiæ suæ exacte perquirens, inuenisset Sigismundum emendationi monasterii in Sonnenberg ex eo aduersum, quod nihil sine eius assensu fiendum præsumeret, ac eum Tyrolensem Comitem pleraque magni momenti feuda, ab ecclesia sua obtinere, quæ minime vt moris est recognouisset, hortareturque spiritualem iurisdictionem ne perturbaret, & nouam reciperet inuestituram, iusque iurandum præstaret, mox dissensiones ortæ sunt, & ipsius Sigismũdi grande odium aduersus Cardinalẽ excitatur. Propter q cũ statuisset Cardinalis, vt fidelis archimandrita, suas oues diligentius respicere, & à noxiis itineribus retrahere, cunctosq; malos mores eradicare, & plantare bonos, eliminare vitia & seminare virtutes; surrexissentq; propterea maligni quidam homines, tam clerici q̃ laici, quib. amara erant pręcepta iustitiæ, & aduersus salutiferã Cardinalis reformationẽ cõtumaciæ & rebellionis cornua erigerẽt, cepit Sigismundus malignantiũ patrocinium. Et q̃uis esset ipse quoq; ex ouibus, Cardinali tanquam

Episco-

Episcopo Brixinensi commissis, in pastorem tamen & patrem ac magistrum animæ suæ, sese extollere non expauit, sed omni studio atque conatu adorsus est, ne salutifera morum reformatio, aut in clero aut in populo Brixinensi locum haberet, adeoque bonis actibus ipsius Cardinalis obicem se præbuit, vt Monialium quoque, quarũ supra meminimus, dissolute & turpissime viuentium, ne recludi reformarique possent, protectionem & tutelam aduersus Cardinalem acceperit, adeoque ab honestate procul abiit, vt Cardinalem ipsum, neque in sua diœcesi, neque in ciuitate tutum esse, aut pontificale munus exercere posse permitteret, introductis & persuasis sicariis, qui vitæ eius insidiarentur. Quod cum Calixtus antedictus accepisset, mox literas monitorias aduersus Sigismundum decreuit, præcipiens ei, ne Cardinalem in Ecclesia sua, in qua Pontificio fungeretur, ab executione sui officii quoquo pacto deterreret, eumve suum munus exercentem impediret. Si secus ageret, anathema esset, pœnas læsæ maiestatis incurreret, & omni territorio suo sacrum interdictum ipso facto intelligeret. Obaudiuit Sigismundus Pontificis maximi vocem atque contempsit, & interposita quadam appellatione, malo deceptus consilio à Romano throno (quod nulli permissum est) contra ius fasque prouocauit, & in rebellione perseuerans, nouis dictum contumeliis Cardinalem affecit. Creuere supra modum Sigismundi odia aduersus Cardinalem, nec poterat ei quicquam pacifice loqui. Ob quas res cum tuto sibi esse in ecclesia sua non posse Cardinalis animaduerteret, ad nos confugit. Per idem tempus iam propemodum accincti eramus recedere, Mantuanum conuentum petituri, quem pro tuitione fidei aduersus Turcos indixeramus. Eum igitur ab ecclesia sua, quemadmodum profugum cæpimus benigne, & pro tempore consolati, Legatum de latere, qui vicem nostram in vrbe Romana & circumiacenti regione impleret, consulentibus fratribus & cohortantibus reliquimus; Ipsi Mantuam pro communi salute, cum Romana curia petimus. Vbi cum aliquibus mensibus commorati essemus, & Sigismundum ad nos venientem intellexissemus, vt componere inter eos concordiam, & tam atroces inimicitias amputare possemus, Cardinalem accersimus, quo veniente, & Sigismundo præsente, pluribus diebus modo per Cardinales & alias interpositas etiam illustrium personas principum, modo per nos ipsos reconciliare alterum alteri conati sumus, atque huic pacis negocio, summo nisu operam dedimus; sed nihil profecimus, incassum abiere studia nostra, irriti omnes labores fuerunt; quamuis Cardinalis iudicio nostro se submittens, & arbitros non suspectos accepturum se iudicens, viam iuris nunquam recusauerit aut refugerit. Abiit ex Mantua Sigismundus in patriam suam infecta pace, minarum plenus & iræ, & cum paulo post, nos quoque translato conuentu, donum repetere statuissemus Cardinalis ex permisso nostro ad Diœcesim suam se transtulit, asserentibus amicis adhuc pacem inueniri posse, nec Brixinam petiit: nihil enim tutum ibi esse sciebat, sed in arcem quandam sui episcopatus munitissimam se recepit. Vbi cum aliquandiu consedisset, hortantibus nonnullis non paruæ auctoritatis viris, qui se partibus ambabus amicos ostendebant, & nihil periculi, nihil insidiarum timendum esse dicentibus, ad Brunekam se contulit, quod & ipsius ecclesiæ Brixinensis non parui momenti oppidum, literis maxime fretus, quibus idem Sigismundus suo signo obsignatis, bona fide promittit, ecclesiam Brixinensem & Cardinalem quoad vixerit se protecturum, ad quem locum misit mox Sigismundus vnum ex consilio suo Nobilem virum, inter aulicos suum primarium, qui Cardinalem in suam traheret voluntatem, sed is multa cum Cardinale prolocutus, cum nihil posset ei iniustum suadere, quia iura ecclesiæ suæ nollet proiicere, concordia tameǹ in omnibus reperta est, vnico excepto articulo, qui regalia concernebat, & cum in eo aliter conueniri non posset, de suspensione temporali actum est. In qua cum orator biennales, Cardinalis vero metuens moram tam diuturnam ecclesiæ suæ periculosam esse, semestres tantum treugas offerret, tandemque interueniente capitulo etiam biennales admissurus esset; pendente adhuc tractatu, & oratore non à Brunegka digresso, Sigismundus non tam concordiam, vt opere conprobauit, quam confusionem Cardinalis, & furoris sui cursum quærens, turgidus & nimium tumens non iracundiam cohibere, non se vllo pacto vincere potuit, cessit audaciæ, succubuit temeritati, rancori atque odio paruit, iussit accersiri milites, exercitum congregari, belli machinam apparari, quibus expeditis, misso caduceatore, qui bellum Cardinali indiceret, quamuis esset maior & sacra hebdomada, & tempus pœnitētiæ datum, copias eduxit, & iter faciēs ipsa die paschæ, ante Brunegkam armatas militum acies collocauit, machinas admouit, insultum fecit, oppidum cepit. Non moratus arcem quoque summa vi oppugnare aggressus est, in qua cum familia Cardinalis sese receperat. Pugnatum est aliquandiu non parua contentione, sed cum persuasum esset Cardinali, arcem diu defendi non posse, & pereundum omnibus esse, nisi se dederint, interuenientibus mediatoribus, certis conditionibus conclusa est pax; in quibus erat comminatum, quod vel arx vel Cardinalis in potestatem Sigismundi venirent: Et nihilominus cum iussisset pacem & securitatem publicari, claues arcis extorquens, & munitionem ac Cardinalem artissima custodia seruari iussit, sicque per aliquot dies cum summo probro & ignominia, & omni contumeliarum genere, Cardinalis in potestate Sigismundi retentus est, nec libertatem obtinere potuit, nisi remissis iniuriis, castro quodam ecclesiæ tradito, magno auri pondere soluto, restituto creditorum chirographo, compluribus aliis extortis conditionibus, præter eas, quibus pax antea fuerat publicata, omnibus denique ecclesiæ iuribus & priuilegiis ereptis. Neque his contentus, sed iniquitatem iniquitati congeminans, cum sacerdotes ob piaculum commissum iuri parentes, à sacris abstinerent, non veritus est, necem Cardinali denunciare, nisi ad prophanationem sacrorum illos compelleret. Temerarius atque infelix, qui talia gerens, nihilominus eius ecclesiæ protecto-

 tecto-

tectorem se iactat, cuius est euersor inuentus, quæ singula cum nobis ex ordine renūciata essent, mirum in modum horruimus, congelatum est illico pectus & in stuporem sumus conuersi, nec satis detestari aut abominari facinus tam horribile poteramus, in sacerdotem, in pastorem, in episcopum suum, in Cardinalem ecclesiæ Romanæ, in fratrem nostrum, in excellens Apostolicæ sedis membrum violentas manus Sigismundi temeritas, non exhorruit, & quo tempore anni patrata sunt, nempe in die Pascæ, in die illa maxima & sanctissima, in die qua victor mortis, & inferni triumphator, Dominus resurrexit, in die qua Christiani singuli, redemptori gratias agunt, & expurgato veteri fermento sacratissimo Christi corpori & sanguini communicant, in qua die nemo tam sceleratus est, tam impius, tam immanis, si modo Christianus est, qui non sacerdotibus sese subiiciat, eosque summis prosequatur honoribus. Sed qua die suarum rectoribus animarum cæteri præcipue student, ea die sacerdotem suum Sigismundus inuasit, cœpit, in carcerem coniecit, inhonestauit, spreuit, turpiter habuit. Fuimus diu anxii & admodum dubii his cognitis, nec satis tenebamus, quid esset agendum, quamuis non dubius rumor, sed certissimus nuncius perpetrati sceleris ad nos peruenisset.

Nam huius atrocissimi sceleris notorium factum, ad exigendum vltionem pœnamque inuitabat. Inde vetus beneuolentia, qua quondam Sigismundo coniuncti fuimus, ad clementiam & misericordiam prouocabat. Nos enim cum in minoribus ageremus, apud Fridericum Romanum Imperatorem tunc dominum, nunc filium charissimum, diu conuersati fuimus, ac consiliariatus munere honestati, multisque gratiis & fauoribus cumulati, plurimos annos in eius curia atque familia mansimus, nec vnquam indignatum aut nubilosum erga nos ipsius Imperatoris vultum inuenimus, semper læta, semper blanda nobis eius facies fuit, semper benigna & affecta mens, & nostri honoris percupida. Sigismundus cum primo Imperatorem adiuimus, puer bonæ admodum indolis erat, & sub tutela patruelis sui degens, modestis imbutus moribus, amorem in se omnino alliciebat. Alloquebatur nos sæpe blando sermone, quærebat nostras epistolas & legebat, vt qui tam bene viuendi cupidus & literarum cultor & nostri amans videbatur, dimissus extra tutelam, & in adolescentia sua, ad regendam patris prouinciam profectus, sæpe ad nos literas dedit, & nostras accepit, sæpe sua negotia apud Imperatorem iuuimus, cum eo nonnunquam domi suæ fuimus, neque sine honore & singulari gratia ab eo recessimus. Et cum gesta eius in Cardinalem, nondum cognita nobis essent, ad conuentum vsque Mantuanum, continuata est, vt antea, semper caritas nostra; ad quem Sigismundus ipse, splendidum & magnificum duxit comitatum, vt qui gratias nobis referre statuerat, pro pace Suitensium, bellicosarum & fortissimarum gentium, quos sibi missis legatis, apud Constantiam reconciliauimus. Vertebantur hæc omnia in mente nostra, & tanquam recenter gesta essent, ante cordis oculos voluebantur.

Suadebant imperatoris infinita erga nos beneficia, vt patrueli & sanguini suo ignosceremus, exposcebat ipsius Sigismundi, qua nos longo tempore complexus est, ingens beneuolentia, vt hanc sibi culpam condonaremus. Vrgebant inclitæ domus Austriæ, quæ hunc Sigismundum genuit, ingentia in nos, & diu continuata merita, vt sublimi & alto sanguini veniam largiremur. Instare & Albertus videbatur, alter Sigismundi patruelis, & ipse Dux Austriæ atque Imperatoris germanus, & cum eo pariter illustris memoriæ Ladislai Vngariæ, & Bohemiæ regis, paulo ante vita defuncti, proximi eius consanguinei petere vehementer ac rogare per veterem amicitiam (ambo enim aliquando nos dilexerunt, & verbis & factis ornarunt) ne sua ex familia vindictam exigeremus, occurrebant infinitæ regum & magnorum principum facies, qui Australi domui coniuncti sanguine hanc nobis prosapiam summus precibus commendaturi offerebant.

Sed cum hæc iam pene victi consentientes, animo voluimus, & ad veniam tracti iam iam misericordiæ iustitiam cedere mandaturi fuimus, excitata in aduersum conscientia nostra, & miris calefacta modis: Quid tu (inquit) Pie Pontifex agis? An ignoras quem tenes locum, quam geris personam? Non tu modo ille Æneas es, qui Siluio quondam genitus patre, Friderico Imperatori seruiuisti.

Mutata est conditio tua, mutata persona, nosce teipsum, Tu Pius es Romanæ Præsul ecclesiæ, Christi vicarium & Petri successorem geris, te caput ecclesiæ militantis, te ducem, te magistrum, te Doctorem, te iudicem Christiani populi constituit Dominus, & claues tibi regni cœlorum tradidit. *Noli quærere fieri Iudex*, inquit sapiens, *nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua.* Super gentes & regna moderator cœli, & mundi Dominus te Christus ordinauit, vt destruas & euellas, ædifices & plantes. Et quid agis? quid dubitas malas euellere plantas? Nemo iuste iudicat, qui vel odio vel gratia vel metu flectitur. An ignoras, Sigismundus quam scelestum, quam atrox, quam tetrum ac horrendum admisit facinus? In Episcopum, in Cardinalem, in teipsum, si tui corporis Cardinales, vt iura volunt, partes habentur, iniurius & improbus fuit? Non Presbyteratui, non Episcopatui, non Cardinalatui, non Papatui, non Christo pepercit, cuius sacratissimum diem, pugna iniqua, & Cardinalis captiuitate fœdauit.

Et quis clericorum posthæc tutus habebitur? si episcopi, si Cardinales armis atque insidiis capiuntur? & qui deinceps vindictam timebit, si violatores tantarum dignitatum impune abeant? Actum de omni clero deque omni religione fuerit, si qui tecum vnum sunt, absque vltionis periculo violantur. Summa sacerdotalis dignitas, B. Petri auctoritas, Iesu Christi maiestas, palam in hoc scelere

scelere læsa est; & tu tanti piaculi vindictam assumere dubitas, putasque Imperatorem vel alium quemuis principem ægre laturum, si iudicium feceris.

Absit à te hic metus, nihil est cur hæc nomina timeas. Iustus est Imperator, & honesti tenax, iustus Albertus, iusti & cæteri principes, qui non consanguineos solum sed ipsos quoque filios ex se genitos legum vinculis coerceri, plectique si peccauerunt non indigne ferent, magna vis iustitiæ est, quæ vel damnatum, iure se passum esse fateri cogit. Nihil imperatori magis cordi est, quam iustitia, communis & sanctissima virtus. Scit sua mansuetudo, quia iustitia pacem quærit, gentem eleuat, solium & regnum confirmat, lætitiam gignit, & amatores suos beatos & immortales efficit, vtilius Imperatori videbitur, infructuosum palmitem amputari, quam in perniciem bonæ vitis retineri. Nec propterea domus Austriæ gloria interibit, quia vnus aut alter ex principibus eius damnatur, quæ Rudolphos, Albertos, Fridericos, Leopoldos, Ernestos, VVilhelmos & alios quam plures illustres animas peperit, non Austriæ solum ac Sueuiæ, sed Hungariæ, Bohemiæ, & ipsius Romani Imperii Gubernatores. Æacidarum quippe decus, Orestis infamia non extinxit, nec splendorem Iuliæ gentis Neronis turpitudo deleuit, nec Francorum lucem Hilderici obfuscauit ignauia, nec senatus Apostolici puritatem atque nitorem impurus ac fœtidus Iudas commaculare potuit, illustrium familiarum non texisse, sed non habuisse maleficium vera est & solida laus. Rara prosapia est, quæ non aliquando monstra pepererit. In omni gente & in omni domo Catilinam inuenies & Cethegum.

CITATVR SIGISMVNDVS DVX AD RESpondendum de fide.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, vniuersis & singulis Christi fidelibus salutem & Apostolicam benedictionem: Contra sathanæ, aduersarii Christi domini & Saluatoris nostri, indeficientes insidias, quas in sua membra tendere non desistit, vt Christianorum improuidas animas maculet, nos qui licet immeriti pastorale tenemus officium, vigili oportet sollicitudine speculari.

Nam ex quo Sathanæ ipsius membrum principale, impius Sigismundus ex Austriæ principibus, qui aliquando nobiscum Christi & ecclesiæ membrum fuerat, in sacratissima Paschalis festi celebritate, in sathanicam se à catholicorum cœtu abscissus præcipitauit ingluuiem, & ab Apostolica ecclesia transfuga effectus, sub diaboli cœpit vexillo militare, anathema proh dolor incurrit, & demum infamias cumulando, & sese apostatare superbiendo facto quoque se vnitatis ecclesiæ fidem, auctoritatisque eius rationem per censurarum contemptum non habere palam demonstrauit, & demum vt eum in malorum omnium profundum peruenisse omnibus certum foret, eadem iactat temeritate, nec sacrosanctos canones, nec Apostolicæ præcepta iustissima nec iudicia ex canonicis sanctionibus facta solennissime, eum in vllo posse contingere, quanquam ipse Dei nefarius derisor & ecclesiæ contemptor, de Christiano adhuc non erubescat nomine gloriari, ob quas res tametsi propter facti notorietatem, vnusquisque ipsum rectissime hæreticum iudicarit, vt tamen ex suo ore iudicium etiam prodeat, habentes priores nostros processus, in quibus anathematis, criminis læsæ maiestatis, & fautoriæ hæresis declaratus est, pœnas incurrisse, in his literis pro inuiolatis & expressis, quo constare valeat, non solum ex operum improbitate scelestorum, sed sua etiam propria confessione, an sit hæreticus vel non, nouum denuo processum inchoauimus aduersus dictum Sigismundum; tanquam de damnatissima hæresi, quæ est omnium hæresum hæresis, non solum suspectum notorie sed sensibiliter maculatum, tanquam sanctæ fidei non recipientem articulum, quem per hæc symboli Apostolici verba, fidelium exprimit vnusquisque: *Credo in vnam sanctam catholicam & Apostolicam ecclesiam.* Nam cum ipsius ecclesiæ Romanus Pontifex caput sit, canonesque & censuræ sic sint ecclesiæ, quod quisque in ecclesia positus est, & credens capiti, canonibus & eius censuris teneatur obedire.

Dictus quidem Sigismundus non solum illis non obedit, sed prædicat insuper, quod minime obedire teneatur, atque in suam proteruam sententiam, tam subditos quam quoscunque potest, accedere compellit, & hæc vbique sunt notoria, nec hodieque cessat per se & suos hanc suam perfidiam diuulgare, quæ cum ad vehementissimam suspicionem plus quam satis sint aperta, idcirco ipsum Sigismundum notorie de hæresi suspectum per præsentes auctoritate Apostolica peremptorie citamus & requirimus, vt sexagesima die ab hac die datæ, quæ & affixionis huius, ad valuas ecclesiæ principis Apostolorum de Vrbe, & vt sequitur successiue computanda, personaliter coram nobis compareat, & de fide catholica, præsertim in prætacto articulo vnitatis ecclesiæ, & quæ ad ipsum ex sanctorum doctorum doctrina sequuntur respondeat, & verbo & facto se purget de suspicione, sub confessi & conuicti criminis hæresis pœna, alioquin nos contra ipsum, tanquam confessum & conuictum Dei omnipotentis nomine ad diffinitiuam sententiam, iustitia mediante procedemus.

Similiter etiam Georgium pro Tridentinense Episcopo se gerentem, ob notoriam eius adhæsionem, quam facto quotidie Sigismundo ostendit, cum quo & idem sentire videtur censuras contemnen-

contemnendo, & ideo de fide catholica vehementer suspectum, necnon Gregorium de Heimburg, Laurentium Glömenovv erroneos Doctores, Parcifalum de Annenberg, Iacobum Traff, Ba thasarum de VVelschberg & Osualdum VVolckensteiner, aliosque omnes ipsius Sigismundi consiliarios & domesticos, atque etiam oppidanos & incolas oppidorum de Meran, Curiensum, Halis, Inspruck & Sterzingen Brixinensis diœcesis, omnesque etiam ipsius Sigismundi subditos Curiensis Tridentinensis & Brixinensis diœcesis, ciuesque Brixinenses, & illius ecclesiæ subditos, qui interdictum ecclesiasticum, & ecclesiasticas vilipendunt censuras, ac VVolffgangum Nidlinger, Stephanum Steinhorn assertos canonicos Brixinenses; Georgium in Stams, Ingeminum in VViltina, Iohannem in Monte sancti Georgii Abbates; Casparem Præpositum Nouæcellensem, & Barbaram assertam Abbatissam in Sonnenburg, monasteriorum dictæ Brixinensis diœcesis, atque etiam vniuersos & singulos canonicos ipsius ecclesiæ Brixinensis, plebanos quoque siue vicarios ecclesiarum Parochialium ciuitatum & diœceseon prædictarum, ac cunctos Presbyteros etiam Religiosos exemptos & non exemptos, qui temere prophanando, Apostolicum interdictum non obseruare, & se per sedem Apostolicā & nos prohibitis diuinis intromittere non verentur, quorum omnium ac singulorum nomina & cognomina ac si de verbo ad verbum exprimerentur, præsentibus haberi volumus pro sufficientur expressis, quos omnes censurarum & Apostolicorum mandatorum contemptores, de hæresi vehementer non immerito suspectos reputamus, vt die & sub pœna prædictis compareant personaliter coram nobis, de ipsa fide catholica, & præsertim articulo prædicto legitime responsuri, & se modo prædicto purgaturi.

Cum certificatione modoque & forma præmissis citamus etiam per præsentes. Volumus autem & dicta auctoritate tenore præsentium decernimus, quod hæc nostræ literæ, sicut præmittitur, affixæ & executæ, prædictos omnes & singulos sic arceant & astringant, ac si eis omnibus & singulis in specie & in genere ac præsentialiter lectæ & insinuatæ fuissent, cum non sit verisimile apud eos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus extitit publicatum. Datum Romæ apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quadringentesimo sexagesimo, 10. Calen. Februarii, Pontificatus nostri Anno tertio.

A CITATIONE PRAESCRIPTA APPPELlat Sigismundus.

CVm in grauatorum atque læsorum, nec non lædi, & opprimi timentium subsidium, appellationis remedium sit adiuuentum: Quare nos Sigismundus Dei gratia Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ Dux, Comesque Tyrolis, &c. Vniuersis iustitiæ cultoribus, fautoribus innocentiæ, cæterisque quos virtus humanitatis ad compassionem oppressorum adhortatur, notum esse cupimus, quod Romanus Pontifex nondum satiatus iniuriis suis, quibus nos ac subditos nostros affecit, audientiam nobis denegando, defensiones auferendo, legatum nostrum minis ac terrore carceris disterrendo, & sacra violando (siquidem legati iure publico inter sacra referuntur) ecclesiasticæ censuræ pœnas in nos pro libito plus euomendo quam edicendo, noua nunc in nos nostrosque molimina parat.

Quippe relatum est nobis, qualiter Romanus Pontifex, nos omnesque subditos nostros fingat, de hæresi sibi suspectos, quod nemo vnquam de nobis neque de subditis nostris principatus nostri Tyrolis suspicatus est. Suspitio autem non fingi, sed indiciis non quidem æmulorum aut suspectorum, sed fide dignorum & honestorum virorum apparere debet, antequā prælatus odorem bonæ famæ commaculet, aut sinceritatem fidei Christianæ & subditorum simplicitatem perturbet. Sed dicit Papa, nos esse contemptores censurarum atque de hæresi suspectos. Nos vero iam dudum respondimus, nulla censura nos ligatos, quos Papa contempsit audire. Auditus est Adam præuaricator, Cain fratricida, Sodomitæ visitati sunt post clamorem qui ab eis in cœlum ascenderat, dicente Domino; *descendam & videbo an clamorem qui ad me peruenit opere compleuerunt.* Nobis audientia negata & defensio ablata est: hanc negamus esse censuram, quam Papa pro libito & contra legem naturæ aduersum nos efflauit. Hanc primum iustificet, antequam nos arguat de contemptu censurarum. Ipse vero Pontifex, nos omnesq; subditos nostros nuper apud Roberetū velut in albo prætoris edicto affixo ad vrbem Romanam dicitur euocasse, quatenus super articulis fidei personaliter respondeamus. O perfunctoriam citationem absque discretione sexus, ætatis, valetudinis, infantiæ, pubertatis, sanæ mentis, vel amentiæ! O confusam plusquam centum millium personarum euocationem, & vnde ememus panes vt manducent? Quis baiulabit infantulos & lactantes? quis gestabit valetudinarios? quis cæcos ducet? quis prægnantibus & parturientibus obstetricabit? at omnes illos sine delectu personaliter euocauit. Oportet autem superioris præcepta possibilia, iusta & honesta, factuque facilia esse. Quis vero domum seruabit? quis arces tutabitur? quis patriam defendet? si nos cum subditis nostris emigrabimus. Hoc ergo Papale mandatum, quid aliud in se habet, nisi quod præcipere videtur, quatenus relictis sedibus nostris, cum coniugibus & liberis nostris exulemus? quod nulla vnquam barbara potestas postulauit, nullus tam crudelis post victoriam à victis expetiuit, hoc ipse pater spiritualis à nobis requirit, qui virtutibus nostris inuidet, quod in saluatore nostro Iesu gloriamur, dum de nobis loquens dicit: *De Christiano adhuc non erubescit nomine gloriari, propter quod vnusquisque ipsum rectissime hæreticum iudicabit.* Et infra subdit: *suis literis prioribus* *læsa*

læsæ maiestatis & fautoriæ hæresis pœnas incurrisse declaratum esse. Hæc sunt ex quibus hæresis suspicionem Papa de nobis sibi fingit. Quorum alterum semet vtique iustificat, eo quod quisque Christianus, in Christo rite gloriatur, cuius nomen gestat, & nomen eius in se sanctificari deprecatur. Alterum vero à suspecto Pontifice contra indefensum emanauit.

Non possumus autem hoc loco præterire, quin illorum ineptiam perstringamus. Inquit Papa, se Mantuæ statuisse, ne quis ad futurum concilium appellet, quod nusquam est, contrafacientes anathematisarit læsæ maiestatis hæresisque crimine mulctarit, ac reos esse decreuerit, Sigismundus ex Austriæ Ducibus, duobus postea mensibus elapsis, quod est tempus nouis constitutionibus præfinitum, contrauenit, ergo est læsæ maiestatis hæresisque reus. Nos autem edocti sumus, quod magna Synodus Constantiensis decreuit, vniuersale concilium à Christo immediate potestatem habere super Papam, in his quæ fidei, reformationis & pacis esse dignoscuntur, quæ etiam sacra Basiliensis Synodus innouauit, & Eugenius ac Nicolaus Romani Pontifices recognouerunt. Vnde ergo Papa Pius auctoritatem vsurpauit, vt superiori suo, scilicet vniuersali Concilio, manum clauderet, cui & ipse tenetur obedire? nec quisquam miretur, si ad concilium, quod nondum est congregatum, appellatur, quoniam auctoritas ecclesiæ, quæ immortalis est, firma persistit, & quæ nunc existit in ecclesia toto orbe dispersa, tunc erit in illa ipsa legitime congregata. Quod vero nescitur, quando congregabitur, hoc ipsum non est impedimento, quo minus illuc appelletur. Hoc enim scitur, quod ex decretis magnæ Synodi Constantiensis de decennio in decennium perpetuis temporibus concilia habent celebrari, & nunc tempus interpellat obligationis, dies cessit, sed cuius culpa impeditur, vel differtur executio, illi imputetur in pœnam, nam qui vetat iudicium fieri, is vtique de sua iustitia diffidere conuincitur.

Transgrediamur nunc ad circumstantias citationis, & quidem coram se mandat Papa compareri, qui legationis sacra violauit, tunc Senis agens, nunc Romæ manens. Quam securitatem nobis aut nostris polliceri potest, qui publici iuris fidem fecit irritam, & per prædecessores suos aliquando dictum est, fauore Roberti Regis Siciliæ, contra Henricum Imperatorem, non teneri ipsum sese in manibus inimici credere, etiam sub fide salui conductus. Papa vero iam quidem nos diffidauit, & antea legatum nostrum iusto metu perculsum persequutus est, fugientem, cui si tertio credamus, nosmetipsos decepisse videbimur, quippe qui fallenti fidem accommodat si rursum fallatur, iam seipsum fefellit. Nunc descendamus ad causam. Ait Papa, *Nouum processum inchoamus aduersus Sigismundum, tanquam sanæ fidei non recipientem articulum quem per hæc symboli Apostolici verba, fidelium exprimit vnusquisque: Credo in vnam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Nos profecto didicimus à patre nostro, *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ, & in Iesum Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum*; non autem in ecclesiam, neque hoc habet symbolum Apostolorum, vt credamus in Dei creaturam.

Hoc nempe symbolum, quod Apostoli, quod milites Christi ad bellum diuinum profecturi, quod cum idolatris, quod cum omni gentilitate gesturi erant, concordi animo & vno spiritu assumpserunt, cuius armati clypeo, cuneos hostium penetrarunt, hæc verba continet; *Credo in Spiritum sanctum, sanctam ecclesiam catholicam*; non autem, *in ecclesiam.* In qua fide perstamus cum Apostolis, postquam adoleuimus, & ad cultum diuinum, prout ecclesiæ sanctæ catholicæ doctrinis institutus est, animaduertimus, ex symbolo Niceni concilii didicimus credere *in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & inuisibilium, & in vnum Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei vnigenitum.* Et infra; *& in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem.* Et infra: *& vnam sanctam catholicam & Apostolicam ecclesiam*; non autem, *in ecclesiam.* Quia & factura Dei est factoris omnium visibilium & inuisibilium. Pergit propterea dicens: *Nunc ergo canonibus & censuris eius obedire tenetur.* Scimus quod canonum statuta ab omnibus sunt custodienda, & honesta præcepta superiorum à subditis reuerenter suscipienda: At non ita, vt iubeamur credere in ecclesiam, aut vllam Dei creaturam seu facturam, sed nec vt credamus, nos rite neque iuste, sed nec vllo modo putemus excommunicatos, qui nec auditi quidem sumus, quin etiam nec vim, vel iniuriam vllam intulerimus Cardinali, cuius iniurias crudelesque factiones à nobis & subditis nostris, naturæ gentium iure propulsamus, quod nemo nobis prohibere potest, nec à nobis auferre: quia natura nobis instinxit, & nobiscum natum est, ipsaque pietatis & æquitatis naturalis ratio, nullius exteri iuris aut institutionis indigna firmauit.

Hoc quippe ius solidum iniuriæ propulsandæ nascitur, non fingitur. Et idcirco apud omnes gentes & nationes æque colitur & obseruatur. Ex quo & bella tum publica tum etiam priuata iustificantur, nonnunquam vero consecrantur & sanctificantur, & pro ipsis æternæ vitæ præmia conceduntur.

Quid ergo aliud videtur egisse Papa, aut quid aliud quæri videtur Cardinalis, quam quod nos homicidia in nostros admissa, turbationes metallariarũ per ipsum nobis illatas non voluimus sustinere, neque expectare donec ipse alienigenas, qui in comitatu Goritiæ siue militabant siue grassabantur, in suas fortias introduxisset, quippe qui treugas annuales inire recusauit. Nonne satis ostendit, qualis animus sibi esset? maxime autem imminente sibi occasione tam optata, & opportunitate tam sperata, Comitis de Posingen, Iohannis de Rein de VVitvvis & aliorum, qui comitatum Boritiæ in confiniis principatus nostri situm popularentur, castra, terras & fortias eius subigendo. At quis tam hebetis sensus, tam obtusi cordis, qui suam negligens opportunitatem, atque impen-

impendentem sibi necessitatem, belligerandi opportunitatem concedat aduersario, cum scilic. quasi dubius, *medius Mars errat in armis*? In his quæ violentiæ Martis committuntur propter periculi grauitatem, turpe est dicere; *Non putaram*. O quantum cachinum excitasset sacerdos ille, si nos oscitantes aut dormientes præuenisset.

Nos vero subito restitimus factionibus suis, & parua manu, impetus & incussiones alienigenarum cohibuimus, vt absque vlla cæde pacem restitueremus. Laudine vel vituperio dentur hæc opera, omnium bonorum virorum sit arbitrium. Sequitur in hoc erroneo citatorio; *Citamus Sigismundum vt compareat de fide catholica, præsertim de prætacto articulo vnitatis ecclesiæ, & quæ ad ipsum ex sanctorum doctorum doctrina sequuntur, respondeat.* Iam satis respondimus, nos credere vnam sanctam catholicam & Apostolicam Ecclesiam; non autem in illam, ne latriam soli Deo debitam creaturæ & facturæ impendamus. Quod vero subiicit; *& quæ ad ipsum ex sanctorum patrum doctrina sequuntur.* O copiosum verbum, & infinitam habens indaginem. O ridiculosum, à seculari principe requirere, quæ doctores & scholastici viri disceptant, pro quibus eis insignia & præclari scientiarum tituli decernuntur. Satis est nobis, expresse credere, quæ Apostoli crediderunt, quæque Patres Niceni Concilii declarauerunt; cætera sub generali fide sanctæ matris Ecclesiæ credere, eiusque fidem vna tenere, imitantes Apostoli doctrinam, ne scilicet plus sapere velimus quam oportet. O quot Sancti iam triumphant in cœlis, qui sanguinem suum pro Christi nomine fuderunt, qui illas doctorum scientias nunquam audierunt neque cogitarunt, profecto maxima pars cœli, illorum scilicet qui à seculo migrauerunt, eorum est qui caritate arserunt; scripturarum autem arcana minime inuestigarunt. Ideo propheta non ex hoc beatos ait eos, qui scrutantur testimonia Domini, quod & superbi faciunt & impugnatores & qui contra talia nituntur, approbant vt reprobant; sed ita demum beatos ait si in toto corde Deum exquirant. Hunc sincero corde libet exquirere, absque Scripturarum profunditate, quæ nostrum superat sensum. Nostrum est, patriam nostram tutare alacriter, quod seruando, iuuando, rite ac fideliter adaugendo, sub fide Christi & Apostolorum eius, etiam in Niceno Concilio declarata, quam expresse credimus & explicite, cætera quæ ad fidem pertinent, cum ecclesia tenemus, speramus æternæ retributionis præmia promoueri. Sed neque contentus mansit, nos modo præmisso citasse, quin etiam ad consiliarios atque omnes omnino subditos nostros digressus est dicens: *Similiter etiam*, & infra: *aliosque omnes ipsius Sigismundi consiliarios, domesticos, oppidanos*, & infra: *omnes etiam ipsius Sigismundi subditos Curiensis, Tridentinensis, & Brixinensis diœceseon, qui ecclesiasticas censuras vilipendunt*, &c. Certe nemo vilipendit censuras, quia nullæ adhuc rite emanarunt, sed pro libito Cardinalis conuitia multa, contumeliæ, iniuriæ & calumniæ in nos dictæ & factæ sunt, contra nos & nostros inauditos, quæ potius expiandæ forent quam exaggerandæ, vt prædiximus, & iure cautum est, quæ pœna debetur illis, qui censuras efflant, irrite abutẽtes concessa sibi potestate. Est tamen in hoc ineptia illius præsumptionis expugnanda & euacuanda, quod omnes subditos examinari cupit, sup articulo fidei, & quæ ex sanctorũ doctrina sequuntur ad illũ, nã hoc est de fide vulgo disputare, quod lege vetitum est. Siquidem id publice fit, quod ducentis millibus marium, fœminarium & puerorum agitur. Quid dicet agricola, interrogatus, quid sit ecclesia, aut in quo sustentetur Papa errante: & an Græcus sit pars Ecclesiæ, vel Iudæus, vel alius Christianus habitans in extremis terræ? In quo differat verum caput ecclesiæ à ministeriali? Quam auctoritatem dederit scripturis, & qualem receperit ab illis? Tantum certe studium fuit maioribus nostris, arcana scripturarum custodiendi, ne vulgo tractarentur, vt maxime reprehenderent, qui Bibliam ex lingua Latina in Teutonicã traduxerunt. Nunc vero Cardinalis ille rusticos vult interrogare, de his, quæ ex sanctorum doctrina sequuntur ad ipsum fidei articulum. Hanc disceptationem scholasticis permittamus; Agricolis & vinitoribus arua colenda & pastinanda sunt, quibus satis est symborum Apostolorum recitare; discussionem vero vnionis collectiuæ mysticæ, aut quot modis plures sint vnum, non est disputatio laicorum. Sed si placet Cardinali rusticam gentem ex sententiis doctorum expolire, poterit (si velit) erigere scholas quo diebus feriatis confluant, ita scilic. ne cultum aruorum omittant. Sed nõ sic docuit beatissimus Papa Gregorius *in Pastoralibus*, vt tacenda pro loco & persona, passim proferantur, & sine delectu, quod est ante porcos mittere margaritas, scilicet arcana scripturarum vulgo tractare. Si Papa putaret nos minus doctum in fide, & hoc ex sincero corde manaret, facile hoc rescíscere posset ex summis viris ac principibus, qui nobiscum versantur, absque contumeliis, quibus se contra nos oblectat. Si de subditis nostris ecclesiasticis vel secularibus, aliqua talis disputatio esset, si certe sinceritas in ipso esset, id facile rescisceret absque tot personarum commotione. Postulauit autem impossibilia, vt occasionem sibi confingeret sæuiendi. Quis oro gentilium seu idololatrarũ in Christianos tantam mouit persecutionem, vt tot Christianorum animas, vna sententia condemnaret, quot ille Papa iam euocauit, vt occasionem condemnationis inueniret? quippe qui legationis sancta prophanauit. Profecto quid de sua clementia vel crudelitate sentiendum sit, satis abundeque monstrauit. Nos vero, apud illum compareamus nostri ve subditi Clerici siue Laici, & illi fidem habeamus, qui nos audire contempsit, absit à nobis hæc insania, sed fidem nostra tum scilic. Apostolorum, tum etiam Patrum Niceni Concilii apud omnes principes palam faciemus, vt nemo de sinceritate fidei nostræ valeat hæsitare. Clerum, & sacra loca præcipua veneratione prosequimur; temporalia eorum sincera protectione custodimus, nec vllus episcoporum aut prælatorum, qui sub temporali ditione Papæ consistit, personæ aut rerum tanta libertate potitur. Hæc certe non possunt esse hæresis aut fidei suspecta indicia, sed bonorum morum exemplaria ineuitabilia.

Idcirco

Idcirco ab illis suis iniuriis, conuitiis & contumeliis, ab illa erronea citatione, & illa iniuriosa comminatione appellamus & prouocamus pro nobis & subditis nostris, ecclesiasticis & secularibus, salua tamen nullitate ipsius, & permanentibus erroribus eius tam in fide quam in iure, quibus per hoc nullatenus assentimus, sed Christi fidem & Apostolorum eius in Nicena etiam Synodo declaratam profitemur, etiam si Papa & Cardinalis Cusa aliter sentirent. Est enim fides ipsa vniuersalis & omnium communis, quæ non solum ad clericos, verum etiam ad laicos, & omnes omnino pertinet Christianos.

Appellationis vero nostræ gradus facimus. Primo, si Papa causam, quam ipse & Cardinalis contra nos præsumunt, voluerit viro non suspecto delegare. Sunt enim plurimi prælati principes integerrimi per Germaniam, quibus status & conditio Brixinensis Ecclesiæ, simul ac nostri ac ipsius Cardinalis mores & vita innotescunt: quorum arbitrium qui detrectauerit, suo se indicat iuri minime confidere, Alioquin ad futurum concilium, cuius præfinitum tempus, scili. decennium, iamdudum elapsum est, prouocamus, cum stet per Papam, quominus celebretur. Similiter ad Romanum futurum Pontificem, absque omnibus modis & gradibus, prout in priori nostra appellatione in valuis ecclesiæ Florentinæ affixa continetur, quam Papa profitetur ad sui peruenisse notitiam, cum petitione Apostolorum, & protestationibns inibi comprehensis & contentis.

DECLARATIO APOSTOLICA POENALIS contra Sigismundum Ducem.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam: Ineffabilis summi prouidentia Patris super gentes & regna, iuxta prophetæ verbum, licet insufficientibus meritis constituti, officii nostri debitum vt tenemur exequimur, de vinea Domini Sabaoth euellenda euellimus, in eaque plantanda plantamus, ac recta regimus, & dirigimus indirecta, perfidosque ac facinorosos quosque, cum scandalo corpori ecclesiæ sint, à fidelium cœtu præscindimus. Nam sacro testante Euangelio, inutilibus membris à corporis compage diuisis, eis carere magis proficiat ad salutem, quam cum illis æterna supplicia introire. Nuper siquidem postquam nobis innotuerat, quod dilectus filius noster Nicolaus tituli sancti Petri ad vincula presbyter Cardinalis, & ex dispensatione sedis Apostolicæ Episcopus Brixinensis, dum curæ dictæ suæ ecclesiæ Brixinensis intenderet, & in castro Brunegk, suæ Brixinensis diœcesis, ad ecclesiam curandam pleno iure spectantem resideret, per Sigismundum tunc Austriæ Ducem hostiliter primo per suos in aurora diei Paschæ in dicto castro obsessus fuerat; & quod castro ipso per eosdem nomine ipsius Sigismundi recepto, idem Sigismundus die sequente præfatum Cardinalem, missis ad eum duobus tubicinis, suo & omnium subditorum suorum nomine publice diffidauerat, atque cum magna armatorum copia, bombardis & aliis instrumentis bellicis, eundem Cardinalem, tunc in arce dicti castri existentem, minaciter valde & hostiliter fuerat persecutus, quousque ipsius Cardinalis personam in suam redegisset potestatem, & sic diebus multis tenuisset, & quod infra dies illos, quoddam castrum nomine Taufers, necnon notabilem quantitatem pecuniarum, obligationesque & literas plures ab eodem Cardinale & Capitulo Brixinensi extorsisset, ac damna multa sibi & suis intulisset, quæ summam triginta quinque millium florenorum transcendere, ac in eneruationem ecclesiasticæ libertatis, totalemque exinanitionem priuilegiorum dictæ ecclesiæ vergere dicebantur. Et postquam præmissa & etiam certa alia ea concernentia in consistorio generali, promouente dilecto filio Michaele de Prato causarum cameræ Apostolicæ procuratore, per dilectum filium Andream de sancta Cruce, vtriusque iuris Doctorem, dictique consistorii & fisci nostri aduocatum, petendo Sigismundum ipsum, & alios culpabiles in præmissis etiam omnes & singulos, sententias ac pœnas in constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit felicis, cōtentas, & alias in tales, à iure inflictas, & promulgatas incidisse declarari, & contra eos procedi, aliasque & alia fieri & decerni, prout in cōmissione tunc publice exposita continetur, nos tunc facinoris huiusmodi, (quod adeo notoriū erat, vt nulla posset tergiuersatione celari) enormitatem, & grauitatem causæ pensantes, antequam in ea quicquam ageremus, ad maiorem rei certitudinem & nostram informationem dicto procuratore ex suo officio promouente, dilecto filio nostro Iohanni tituli sanctæ Priscæ Presbytero Cardinali, ac venerabilibus fratribus nostris Iohanni Attrebatensi, & Dominico Torcellanensi episcopis, viuæ vocis oraculo commisimus, vt se super expositis huiusmodi informarent, & nobis quæ reperirent veritate subniti referrent. Postmodum vero facta per eosdem nobis relatione fideli, inuenimus quod dolenter referimus, præmissa & alia tunc exposita, veritate fulciri, habito tunc per nos cum eisdem commissariis ac aliis venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, super his maturo consilio, tantam Dei & ecclesiæ offensam, tantamque temeritatis audaciam, inultam & sub dissimulatione pertransire nequeuntes, ipsum Sigismundum, ac omnes alios & singulos cuiuscunque, etiam pontificalis, dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis forent ecclesiasticæ vel mundanæ, qui eidem Sigismundo in præmissis consiliū, auxilium vel fauorem dederant, arma contra dictum Cardinalem susceperant, huiusmodiq; nefandum facinus facto reatū habuerant, seu Sigismundū & alios prædictos postea receptauerāt, seu defensauerāt, eosdē & eos qui diffidationi p ipsū Sigismundū eidē Cardinali factæ adhæserāt, aut Cardinalē ipsum p suas literas diffidauerant, aut in diffidatione ipsius Ducis cōprehēsi erāt, ac eos q eidē Cardinali defecerāt, atq; ipsū Sigismundū & suos

suos contra eundem Cardinalem hostiliter venientes in castris & locis etiam ad præfatam ecclesiam Brixinensem, spectantibus admiserant; ecclesiasticos & seculares, eorum nomina & cognomina pro expressis habenda, per edictum publicum Apostolica auctoritate, per alias nostras certi tenoris literas ex abundanti moneri fecimus peremptorie & requiri, vt certa die per nos eis præfixa in consistorio generali, coram nobis personaliter comparerent, allegaturi causas si quas haberent rationes, cur ad declarationem pœnarum tam in constitutione ipsa, quam dictis nostris literis monitorialibus contentarum, procedere non deberemus.

Alioquin quod tam ad declarationem ipsam, irritationemque omnium & singulorum vi & metu sic per ipsum Cardinalem gestorum, & ab ea extortorum huiusmodi, etiam iuramento vallatorum, necnon restitutionem tam mobilium quam immobilium sic ab eodem Cardinale ablatorum, interdicti ecclesiastici in locis, in quibus præmissa commissa fuere, & omnibus aliis locis, ipsis Sigismundo & aliis præfatis subiectis etiam nouam positionem, atque ad vlteriora, & ad omnia ea procedemus, quæ nobis iuxta tanti excessus exigentiam, & rei notorietatem iusta viderentur fieri & decerni, prout hæc & alia, literis nostris aliis desuper emanatis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, haberi volumus pro sufficienter expressis, plenius continentur. Verum etsi dictum Sigismundum, quem antea semper speciali fauore fuimus prosecuti, & in visceribus dileximus caritatis, cuiusque desideria quantum cum Deo licuisset fuimus exaudire parati, & etiam alios prædictos speraremus pendente termino dicti monitorii ad cor redire, & tam grauem eorum reatum recognoscere, seque nobis tanquam Christi vicario, cuius vices quamuis immeriti in terris gerimus, totaliter submittere debuisse; ipsi tñ (de quo ab intimis dolemus præcordiis) diabolica fraude seducti, in profundum malorum se præcipitantes, animarum suarum salutem negligentes, & honorem suum pro nihilo habentes, in sathanica superbia perseuerauerunt. Sicque adueniente termino in ipso nostro monitorio expresso, & eis non comparentibus, comparuit dictus Michael de Prato, procurator noster fiscalis, & eo nomine in consistorio publico, per nos propterea celebrato, literasque monitoriales nostras antedictas, vna cum earum executionibus in locis assignatis legitime factis, scripto producens, monitorum eorundem contumaciam accusauit, & eos contumaces reputari, ac omnes & singulas pœnas prædictas incurrisse ac incidisse, ac alias iuxta monitorii illius contumaciam declarari, vlteriusque contra eosdem monitos, prout iuris esset, procedi per nos debita cū instantia postulauit. Eoque facto, comparuit ibidem quidam, Laurentius nomine, qui se Doctorem & dicti Sigismundi nuncium asseruit, ac eiusdem Sigismundi ex parte audiri petiit, quem etiam alias ad partem super his extense satis & sæpius audiueramus, quam plura minus vera dicti Sigismundi & suorum complicum parte, nobis referentem; à quo tunc, vt mandatum, si quod in hac causa haberet, produceret, requisiuimus, & cum is nullum haberet mandatum, ad termino monitionis satisfaciendum, quoddam procuratorium ad nobis insinuandam quandam prætensam appellationē, tanquam à nobis male informato ad nos melius informandum exhibuit. Cōsiderantes autem quod Sigismundus ipse & alii prædicti ex abundanti, & de mera nostra gratia moniti fuerunt, vt si quid dicere vellent, cur iuxta monitorium per nos emissum declarari non debeant, tunc die lunę quarta mensis Augusti corā nobis personaliter comparerent, ita quod per aliud id facere eis concessum non fuerat; vt tamen omnis nostra mansuetudo appareret, procuratorium illud audire decreuimus, si forte ipse Sigismundus cum suis complicibus per procuratorem idoneum se nobis personaliter submittere & absolutionem à sententiis censuris & pœnis incursis petere, aliasque iuxta canonicas sanctiones facere vellet; quo casu eundem Laurentium libenter vtique audiuissemus, sed cum audito procuratorio illo, quod ibidem publice alta & intelligibili voce legi fecimus, consideraremus etiam, quod ipse Laurentius solum ad nos illudendum, & obedientiam & correctionem fugiendum aduenerat, ad idque mandatum haberet; quodque opus non erat, nos qui iam de notorietate cōmissi sacrilegii, & tā nefando actu huiusmodi, plene & plenius essemus informati, ita quod amplius nos informari opus non erat, prætensam & ineptam appellationem illam, de qua in dicto procuratorio mentio fiebat, ac quamcunque aliam contra præmissa interpositam forsan ac interponendam, friuolam & non admittendam, sed tanquam iniustam, reiiciendam esse decreuimus & reiecimus, ipsi Laurentio silentium imponentes. Venerabilibus vero Fratribus nostris Clusiensi & Ortonensi episcopis mandauimus, vt ad portas ecclesiæ Senensis cum nuntiis ad hoc deputatis accederent, & per eosdem nuncios alta voce vicibus tribus ibidem vocari facerent, si adesset ipse Sigismundus aut alii prædicti per se aut procuratores legitimos, & iuxta dicti monitorii nostri continentiam aliquid dicere vellent, nam eos benigne audire parati eramus. Cumque episcopi ipsi mandatum nostrum huiusmodi exequentes, ad nos in eodem consistorio redissent, retulerunt, nec Sigismundum ipsum nec complices suos seu monitos huiusmodi aut eorum nomine aliquem procuratorem comparuisse seu aduenisse. Idcirco nos ad dicti procuratoris fiscalis instantiam Sigismundum, & alios monitos præfatos non comparentes reputauimus merito, prout erant quoad actum & terminum huiusmodi iustitia id exigente, contumaces. Et licet tunc contra monitos ipsos ad declarationem huiusmodi & alias, prout petitum fuerat, procedere potuissemus & debuissemus: Nos tamen, qui præmissa ea molestius fecimus, quo ipsum Sigismundum ab ineunte eius ætate dileximus ad omnem nostram, ob eius specialem dilectionem, quæ claræ & omni laude dignæ domui Austriæ, ex qua ipse Sigismundus originem traxit, coniungimur, mansuetudinem ostendendā, vtq; ipsi moniti penitus conuincerentur, dictum terminum vsq; in præsens continuauimus, mandantes ad ipsius Sigismundi & aliorum prædictorum

malitiam

malitiam,& cordis ipsorum duritiam conuincendum,eosdem iterum per edictum publicum in valuis dictæ Senensis Ecclesiæ affigendum vocari, quatenus die datæ præsentium coram nobis in consistorio publico,quod etiam propterea tenere decreuimus, personaliter comparerent,ad audiendum se pœnas, sententias & censuras in dicto monitorio nostro contentas incidisse declarari,vel causas cur id fieri non deberet, si quas haberent rationabiles, allegandum. Cùm autem facta executionem huiusmodi nostræ vocationis in dictis valuis, eaque reproducta hodie coram nobis,tanta fuerit ipsius Sigismundi & aliorum monitorum & vocatorum rebellio atque proteruia,vt nec hodierna die nefandissimum eorum excessum huiusmodi piis actibus humiliter recognoscere & expiare, nec se excusare, nec creatori omnium & Ecclesiæ sanctæ Dei satisfacere,nec alias iuxta canonicas sanctiones & sanctorum Patrum ac prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum instituta agere curarunt,cuncta internè rimantes, censuimus non dedecori,sed maximæ gloriæ & honori esse,ipsi inclitæ domui Austriæ,si contra dictum Sigismundum, eiusdem atque progenitorum suorum splendorem & famam denigrantem & scandalisantem,qui etiam honoris & dignitatis tam præclaræ domus, eius demeritis indignum se reddidit,armis iustitiæ insurgamus,ipsum tanquam palmitem, fructum nō ferentem, & membrum putridum ab eadem domo resecemus. Ad Dei igitur laudem & gloriam, hac nostra summa in perpetuum valitura, de consilio eorundem fratrum decernimus, ac auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus,dictum Sigismundum ac eos omnes & singulos, qui dictum Cardinalem & Episcopum diffidarunt expresse,& cæteros quosque cuiuscunque etiam pontificialis dignitatis,status, gradus, ordinis, vel conditionis forent, ecclesiasticæ vel mundanæ, qui eidem Sigismundo & aliis prædictis in præmissis præbuerunt auxilium,consilium vel fauorem, & qui arma contra dictum Cardinalem susceperunt,huiusmodi quoque nefandum facinus ratum habuerunt,seu Sigismundum aliosque prædictos postea receptarunt, aut defensarunt, nec non eos qui diffidationi ipsius Sigismundi huiusmodi adhæserunt, aut in diffidationibus eiusdem Sigismundi & diffidantium aliorum prædictorum comprehensi sunt,atque eos qui dicto Cardinali in fidelitate & auxilio,cùm potuerunt, eo tempore defecerunt, ipsumq; Sigismundum & alios prædictos contra præfatum Cardinalem hostiliter venientes in castris & locis etiā ad ipsam Ecclesiam Brixinensem spectantibus,& specialiter dictum castrum Brunegk & eius inhabitatores,qui ipsum Sigismundum & suos sic admiserunt,& eos qui præfata facinora rata habuerunt, ecclesiasticos & seculares, eorum omnium & singulorum nomina & cognomina, ac si de verbo ad verbū insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, ob præmissa sunt reos criminis læsæ maiestatis,anathematisatos,perpetuò infames,diffidatos,bannitos & intestabiles, atque ab omni successione expulsos, ædificia etiam eorum in ruinam danda, & eis de nullo debito respondendum seu responderi debere, omnia pacta promissa etiam Sacramento formata, & quæcunque fœdera etiam pacis seruandæ cum dictis, Sigismundo & aliis præfatis, inita fore irrita & inania, dictorumque Sigismundi & aliorum declaratorum huiusmodi bona quæcunq; mobilia & immobilia fisco nostro & Romanæ Ecclesiæ, cui in persona Cardinalis & Episcopi iniuriatum existit,penitus applicanda, & nostræ & Apostolicæ Sedis dispositioni totaliter reseruanda,ita vt nihil de illis transmittatur ad posteros : ac eos omnesq; & singulos in præmissis culpabiles, siue Episcopi, Abbates, Præpositi, Decani, aut etiam Canonici Brixinensis, aut cuiuscunque alterius Ecclesiæ fuerint, in specie & in genere, omni honore & dignitate ecclesiastica seu seculari,omnique feudo, locatione, officioque & beneficio quocunque spirituali & temporali,quæ à quacunque Ecclesia,monasterio siue Prælato obtinent,priuatos. Quorum feudorum ad Ecclesiam deuolutorum collationem & ordinationem ex certis causis animam nostram mouentibus,nostræ & Apostolicæ sedis dispositioni similiter reseruamus. Eorundem etiam filios & nepotes per rectam lineam descendentes,beneficiatos,quouis beneficio ecclesiastico, etiam pontificiali dignitate priuatos, eisq; omnis promotionis spem sublatam. Nobis etiam ipsorum filiorum atque nepotum ex virili sexu descendentium ab eisdem, alicuius dignitatis aut honoris ecclesiastici vel mundani, aut alicuius loci regiminis ianuam aperiendam, ac eis quodlibet officiū publicū seu ministerium interdictum, atque in iudiciis eorum dictis & depositionibus nihil fidei aut credulitatis contra quemcunque adhibendum, & ad testimonia perhibenda esse indignos: eisque ad beneficium & officium ecclesiasticum & ordines sacros negatum ascensum , & ad actus legitimos nullum eis patere aditum, absque omni spe dispensationis super aliquo præmissorum. Nec non omnes & singulos præfatos excommunicationis maioris sententiam,aliasque sententias,censuras & pœnas in tales à iure latas, inflictas & promulgatas, damnabiliter incidisse. Eosdem quoque Sigismundum & alios supradictos excommunicationis sententia innodamus, anathematisamus, bannimus: Infames,bannitos,intestabiles, honore & bonis ac successione priuatos esse, ac aliis omnibus pœnis supradictis cum terris per eos possessis siue occupatis subiacere decernimus per præsentes. Terras quoque & dominia per ipsum Sigismundum & alios prædictos occupata & possessa quæcunque, vbicunque & in quibuscunq; diœcesibus consistant, ac omnia alia loca, ad quæ eos aut eorum aliquem declinare, & quamdiu ibi moram trahere contigerit, ecclesiastico & strictissimo interdicto fore supposita declaramus, & etiam ipsum interdictum in prædictis locis Apostolica auctoritate de nouo ponimus. Mandantes omnibus & singulis Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Pro-

uincialium, Ecclesiarum Rectoribus & Presbyteris aliis, vt ipsum Sigismundum & alios prædictos etiã nominatim singulis diebus Dominicis & festiuis in diuinis, sic excommunicatos, anathematisatos, infames, diffidatos, priuatos & alias vt præfertur per nos declaratos in eorum ecclesiis denuntient, & denuntiari faciant, vniuersis & singulis Christi fidelibus districtius iniungentes, vt dictos excommunicatos, anathematisatos & declaratos vbilibet euitent & faciant euitari, nec cum eis aut eorum aliquo post spacium vnius mensis à data præsentium cõputando, quæuis commercia siue salis siue mineræ argenti aut alterius generis cuiuscunque emendo vel vendendo quodlibet habeant, aut eis communicent, nec ipsis aliquod humanitatis opus aut solatium exhibeant, seu etiam victualia aut merces alias eis vendant, aut ab ipsis emant, sed eos omnes & singulos pro excommunicatis & anathematisatis ac pro diffidatis habeant inimicis. Et quoniam firmum esse nequit, quod vi & metu cõstat esse factum, harum seriè dicta apostolica auctoritatem similiter pronuntiamus, decernimus, & declaramus, extorsionem & traditionem dicti castri Tauffers cum suis adhærentiis, nec nõ sex millia florenorum Rhenensium, dicto Sigismundo per ipsum Cardinalem prompto & dicto tempore solutorũ, promissionemq; de soluendo per eundem Cardinalem quatuor millium florenorum similium, ipsi olim Duci in terminis duobus; nec non quitantiam de tribus millibus florenorum eorundem eidem olim Duci per ipsum Cardinalem priùs amicabiliter mutuatorum. Ac quod ipse Cardinalis Capitulum Brixinense ad regimen ciuitatis Brixinensis, castrorumque & oppidorum Ecclesiæ suæ Brixinensis ponere, castellanosq; nõnullos ipsi Cardinali & dictæ suæ Ecclesiæ fideles amouere. Et quod ipsum Brixinense Capitulum dicto olim Duci omnia castra & oppida Ecclesiæ præfatæ aperta tenere, nec in eis alios quàm eidem Sigismũdo gratos castellanos seu officiales instituere debeant seu teneantur, ac alia quæcunq; à dicto Cardinale, dum in ipsius Sigismundi potestate ac vt præmittatur, detinebatur, atque etiam, quæ tunc à dicto Capitulo per præfatum Sigismundum aut suos extorta, ac per ipsum Cardinalem seu etiam Capitulum antedictos tunc promissa seu literaliter facta, nec non sigillationem eiusdem literæ inter alia continentis, quod ipse Cardinalis eidem Capitulo omne regimen ciuitatis, castrorum & oppidorum suæ Ecclesię committeret, quam eodem tempore quidam se nominantes dictum Capitulum, à præfato Cardinale eorum Episcopo tunc angustiato & oppresso similiter extorserunt. Omnia quoque alia etiam inde secuta, cùm non solùm sint violenta & iniustissima, sed & contra omnem honorem & honestatem damnabiliter extorta, fuisse & esse nulla, irrita & inualida, nulliusque efficaciæ roboris vel momenti: Ipsumque Cardinalem ad ea obseruandum nunquam fuisse obligatum, neq; se sic in præiudicium Ecclesiæ obligare potuisse, eademque omnia & singula ad cautelam cassamus, irritamus & annullamus, ac ipsum Cardinalem ad ea obseruandum nullatenus obligatum fore, ac ipsum castrum Tauffers, cum suis adhætentiis vniuersis, & inde perceptis ab eodẽ tempore fructibus, ac sex millia florenorum prædicta, & damna illata alia, nec non literas sic extortas tam per olim Ducem quàm Capitulum præfatos, nobis aut nostro Commissario infra duorum mensium spatium à die datæ præsentium computando, sub pœnis antedictis liberè restitui debere decernimus. Quodque nisi ipsum Capitulum infra dictum spacium literas per ipsum à dicto Cardinale & Episcopo eorum sic extortas, ciuitatemque Brixinensem, castra & oppida eiusdem Ecclesiæ, amotis inde nouis iam positis castellanis, & repositis inibi illis, quos ipse Cardinalis ibidem posuerat, nobis aut nostro Commissario plenè restituerunt, ex tunc lapso duorum mẽsium spatio huiusmodi omnes incorporationes quarumcunq; prouincialium Ecclesiarum, quas ipsum Capitulum obtinere dignoscitur, ad mensam episcopalem Brixinensem eo ipso reuertantur, & Capitulum ipsum huiusmodi incorporationibus Ecclesiarum, omnesque & singulas personas eiusdem Capituli in prædictis culpabiles, quorum nomina & cognomina præsentibus habere volumus pro expressis, vltra pœnas iam dictas, omnibus & singulis eorum beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura, canonicatibus & Præbendis, dignitatibus, personatibus, officiis seu administrationibus, absque alia declaratione, quacunque priuatos esse volumus, atque priuamus per præsentes, eaque sic vacare decernimus. Per præmissa tamen, tam carissimo in Christo filio nostro Friderico Romanorum Imperatori, quàm dilecto filio, nobili viro Alberto Duci eius germano, ex eadem domo Austriæ, oriundis, & etiam omnibus juribus, nec non etiam doti aut donationi propter nuptias dilectæ in Christo filiæ Eleonoræ de Scotia, dicti Sigismundi conthoralis, quæ vt veridicè accepimus, præfatis facinoribus & nefandis nequaquam consensit, nolumus in aliquo præiudicare, sed ea sua bona sibi quoad vixerit, illæsa remanere. Nulli ergo omnino hominum liceat tam paginam nostræ reseruationis, innodationis, anathematis, bannimenti, constitutionis, positionis, mandati, iniunctionis, pronuntiationis, declarationis, cassationis, irritationis, annullationis, voluntatis, priuationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contrauenire: si quis autem hoc attemptose præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Senis Anno incarnationis Dominicæ M. CCCCLX. sexto Idus Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

APPEL-

APPELLATIO DVCIS SIGISMVNDI A CENSVRA PII PAPÆ SECVNDI.

Edita pro Cardinali de Cusa.



IN nomine Domini, Amen. Per hoc præsens publicum instrumentum cunctis pateat euidenter, quod Anno à natiuitate Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo, Indictione octaua, die vero Mercurii decimo tertio Mensis Augusti, hora meridiei, vel quasi, Pontificatus sanctissimi in CHRISTO Patris ac Domini, Domini Pii, diuina prouidentia Papæ II. anno eius secundo, in oppido Isbruck, in mei Notarii publici testiumque infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum, rogatorum & requisitorum præsentia personaliter constitutus Illustrissimus Princeps & Dominus, Dominus Sigismundus Dux Austriæ, animo & intentione prouocandi seu appellandi, quandam papyrum vel schedam, notam prouocatoriam seu appellatoriam in se continentem, quam ibidem in manibus suis tenebat, & in medium produxit, mihi assignauit, nec non per me publicè legi fecit, ac sibi Apostolos seu literas testimoniales per me dari petiit & postulauit, nec non alia fecit, vt in prædicta prouocationis seu appellationis schedula continebatur, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur, & est talis:

Cùm æterni tribunal Iudicis illum reum non habeat, quem Iudex humanus inique condemnat, eo quod eius iudicium infallibili innititur veritati, humanum verò iudicium tum falsis suggestionibus, tum errore aut fragilitate humana, nonnunquam verò gratia & fauore peruertitur: Et idcirco prouocationis & varii recursus ac refugii remedia à maioribus nostris in subsidium oppressorum salubriter sunt inuenta. Nos itaque SIGISMVNDVS Dei gratia Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Dux, Comesq; Tyrolis, &c. oppressionem nostram cunctis CHRISTI fidelibus, præcipuè verò Principibus secularibus aduocatias & protectiones Ecclesiarum & Prælatorum habentibus, innotescere cupientes, hinc ordimur, quod Principatus noster vetustissimus & solidissimus ille Comitatus Tyrolis, ab antiquissimis annis, etiam antequam in nostrum & inclytæ stirpis Austriæ dominium seu ditionem peruenisset, inter varias suas aduocatias hereditario ac perpetuo iure sibi affixam habuit aduocatiam Ecclesiæ Brixinensis, cuius vigore potestatem habuerunt singuli Comites Tyrolis pro tempore in omnes fortias, castra, terras & homines ipsius Ecclesiæ, in dicto Comitatu & eius confiniis situatas, quantum ad ciuile (*aliàs* vniuersale) dominium attinet, scilicet tuitionem & protectionem omnium hominum ad Comitatum ipsum pertinentium, siue ipsi Comiti & Principi subiaceant immediatè, siue aliis personis Ecclesiasticis vel secularibus ad ipsum Comitatum spectantibus, coloniæ vel emphyteuseos, vel alio quouis iure attineant. Ipse quoque Episcopus Brixinensis, nunc existens Cardinalis tituli sancti Petri ad vincula, in exordio introitus sui in Ecclesiam Brixinensem, interueniente Domino Friderico Archiepiscopo Saltzburgensi, Metropolitano suo, nobis huiusce aduocationis ius recognouit, despondens sese erga nos gerere velle per omnia, sicuti prædecessores sui erga nos & antecessores nostros hactenus tenuissent. Quinetiam, vt ipsa aduocatia circa nos & principatum nostrum syncerius & solidius firmaretur, inter nos actum & conuentum (*aliàs* condictum) est, quod nos omnia Episcopalia & Capitularia ipsius Ecclesiæ castra, terras atque iura sub protectionis nostræ clypeo diligenter conseruare debemus, exceptis illis, quæ sub alieno & non principatu nostro consistunt. Sed etsi inter nos simultates & differentiæ suscitarentur, forma data est, quibus cognitionibus illæ discutiantur, nec alter alterum coërciua interdictione distringere cogatur, sed coram arbitris receptis iuxta formam compromissi omnia determinentur. Cardinalis verò quietem publicam ipsius principatus ac propriam ferre nõ valens (quo spiritu ductus, nescimus) nulla causa vrgente, sed nec vlla suspicione præuia, contra nos cõfinxit, qualiter vitæ suæ insidiati simus, & in quandam fortiam Ecclesiæ Brixinensis secessit, suggerens se inibi metu potentiæ nostræ latitare, & ob id Ecclesiasticum interdictum fulminandum esse censuit. Deinde Papa Calixtus suis delationibus permotus, edicta pœnalia contra nos emisit: à quibus cùm prouocaremus ad eundem syncerius informandum, & tota prouincia Comitatus nostri Tyrolis status vtriusque, scilicet Ecclesiastici & secularis, nobis adhæreret, & interim annus, qui appellationi prosequendæ à iure præfixus est, laberetur; Papa ipse ex hac vita migrauit. Succedente postea Papa Pio, ipse nobis alterum fatale concessit, appellationem nostram per hoc tacitè admittendo. Deinde Cardinalis ipse prioribus iniuriis in nos renouatis, nouas accumulauit, deferens nos, qualiter castra nostra, quæ in feudum ab Ecclesia Brixinensi dependerent, recognoscere nollemus, & metallarias seu mineras & salinas ad se spectantes detineremus. Itaque nos Mantuam applicuimus, Apostolico conspectui nos præsentantes, vbi ipsi Cardinali obtulimus omnia illa feuda reco-

gnoscere & suscipere, ac fidelitatis debitum inde præstare, prout quondam genitor noster fecisset erga prædecessores suos, cum adiectione clausulæ: Quod si qua plura feuda teneremus, illa ipsa etiam suscepta & recognita habeantur: Cumque feuda huiusmodi particulatim fuerint declarata, nos etiam illa singulatim & expresse in feudum accipere vellemus, & de aliis simultatibus, si quæ forent, iuxta compromissi formam iamdudum inter nos conuenti, omni cunctatione semota, experiri. Porrò si quid differentiarum subesset, quæ per viam compromissi decidi non possent seu deberent, illæ per compromissarios ad competentem iudicem remitterentur. Quæ omnia Cardinalis ipse refutauit, contra fœdus pactum & conuentum, vt præfertur. Insuper aliarum Prouinciarum Principes (*alias* aliarum personarū potentiam) in nostrum Principatum accersire temptauit, offerens illis spontaneam inuestituram feudorum nostrorum. Sed (Deo propitio) neminem inuenit, qui sibi tantæ factionis adiutor esse vellet. Ex aduerso autem innocentiam nostram super criminationibus ipsius Cardinalis ostendimus, quia cōstabat, Cardinalem ipsum tempore conficti metus sui in monasterio Wilten, iuxta locum nostræ Ducalis residentiæ, & aliis patulis locis, officium Pontificale palam exercuisse; vbi nemo inuitis nobis, ne momento quidem securus persistere posset. Et alias tam clarè deteximus, quod Cardinalis ipse suam contra nos infamationem tam petulantem subterfugere volens, dixit se nostram præsentiam non deuitasse. Nos autem illico literam manu sua scriptam produximus, in qua nos palam nuncupauit: nec tamē ideo correptus fuit, nec reprehensus. Suam verò in nos sentiens audaciam impunitam, maiora molimina continuò in nos & subditos nostros sæuiendo est ausus, & fortias Ecclesiæ variis machinis bellicis instruxit, arcibus suis custodes præfecit exteros audaciæ plerumque assuetos, victualia ingessit, quorum vsus in pace minime consuetus, sed obsidionis tempore plurimum aptus, & vrgente fame gratissimus est obsessis, quāquam nulla tunc esset hostilis incursionis suspicio, sed omnia tranquilla, præter illa, quæ inter nos & ipsum tunc amicabiliter tractabantur. quibus adhuc vehementius inhærentes, misimus fidelem nostrum Barzefalem de Annenberg Consiliarium nostrum, hortantes, ne vllam nouitatem attemptaret, sed viam amicabilis tractatus amplecteretur: & omnia prius per nos oblata renouauimus. Omni tandem via concordiæ deficiente, obtulit idem Consiliarius noster treugas biennales, ad vltimum saltem annales, vt interea differentiæ illæ aut amicabili concordia terminarentur, aut saltem per viam compromissi arbitrali iudicio subiicerentur. Quæ omnia Cardinalis ipse refutauit, spem ponens (vt creditur) in certis armigeris, qui tunc Comitatum Goriciæ nobis finitimū inuaserunt. Et cùm ipse Cardinalis à suis admoneretur, ne vllum adparatum hostilem ostenderet, ne publicam pacem perturbaret, contra iura prouinciæ Comitatus Tyrolis, alioquin sibi exitium immineret, siquidem hostis patriæ diiudicaretur: Respōdit, nihil tale vereri, oportere sibi esse armigeros & homines, qui nedum vnam, sed plures valles replere valerent. Cùm ergo ipse Cardinalis patientia nostra tam insolenter abuteretur, totusque populus Comitatus nostri audaciam eius fastidiret, ac nonnulli populi iam pararent ausus ipsius vi propria comprimere: nos veriti, ne furor popularis in ipsum indiscretius irruens maioris mali periculū afferret, tandem via regia & subordinaria disciplina, cohortes & turmas instructas misimus, adhæc omnia cōpescenda. Quibus applicantibus, subito Cardinalis ipse de Capituli Brixinensis Ecclesiæ gremio, & alios de latere suo ad nos misit, pacem postulans. Illico pacis tractatores deputauimus, & pax subito conclusa est. Videns quippe Cardinalis, neminem audaciæ suæ fauere, nec quemque à fide nostra deficere, spe sua frustratus omnia in manibus nostris reposuit. Sed absit à nobis, vt propter audaciam Prælati bona Ecclesiæ vsurpemus. Omnia etenim castra ad manus Capituli tradidimus, ea lege, vt talibus rectoribus tutanda committantur, qui Ecclesiæ, nobis, & Principatui vniuerso grati ac fideles conspicerentur, vt ita pax, tranquillitas, & vnanimis concordia per vniuersum Principatum, omnesque populos eius, in vtroque statu Ecclesiastico & seculari conseruaretur, euitaretur seditio, & omnis tumultuationis suspicio caueretur. Pro damnis autem & interesse nostro, castrum nostrum Transfers, (*alias* Taufers) quod ipse à nobis pro certa florenorum summa tenuit pignoratum, cum tenuissimis pecuniarum summulis, retinemus in recompensam: quæ tamen omnia vsque medietatem expensarum, damnorum & interesse huiusmodi non attingunt. Hanc compositionem nedum ipse Cardinalis emologauit, verùm etiam postea extra territoria nostra, & in vrbibus amplissimis degens ratificauit.

Post hæc omnia Dominus noster sanctissimus Papa monitoriū pœnale contra nos emisit, quo præcepit, hæc omnia rescindi, & in eum statum reponi singula, quo fuisset in vigilia Paschæ. Nos rati sanctitatem suam malè informatam, ad ipsum melius informandum misimus, alioquin ad prouocandū potestatem dedimus egregio vtriusq; Iuris Doct. Laurentio de Blumenow, Consiliario nostro, quem sanctitas sua recusauit audire, ipsumq; iterum audientiā postulantem, tandē prouocare volentē, minis affecit, carcerē cōminando sibi pro apostolis: ipsumq; ad nos redire parantem arrestari fecit, hæresis suspicione ipsum innocentissimè maculare volens, eo quod Sanctitatem suam de facti qualitate (in qua etiā Romanus Pontifex sæpe fallitur) de mādato nostro voluit informare. Demum ad nos proficiscentē persequi fecit, hodieq; nobis incertū est, an persequentium manus aufugerit, an verò insidiatoris dicti laqueos inciderit. Hoc verò certum est, ꝙ securitas experiendi (*al.* comparendi) in iure nobis & nostris in Curia Papali penitus adempta est. Cùm itaque Sanctitas sua omnem spem consequendi iustitiam sustulerit à nobis,

nobis, ideoque ad ipsum melius informandum prouocare non possimus, quia aures eius in nos obsurduerunt, & indignatio pro libitu succensa est, ideoque ad futurum Romanum Pontificem appellamus, qui de gestis antecessoris sui de iure habet cognoscere. Item ad generale Concilium instituendum, vel institutum, prout ex forma sanctorum & Catholicorum decretorum sacri Constantiensis Concilii, innouatorum per sanctissimum Basiliense Concilium, de tempore in tempus præfinitum iure celebrari debet. Et ne quisquam putet, nos hanc nostram appellationem subterfugiendi iuris causa interposuisse, offerimus & protestamur, quod vias naturalis iuris nullo pacto volumus declinare. Et inprimis, si sanctissimus Dominus noster causam nostram, in qua se suspectum reddidit notorie, alteri non suspecto velit delegare, nos illius delegati constituendi iudicium subire non detrectabimus, vti vetustissima iuris ciuilis tradidit doctrina. Et hoc modo sedis Apostolicæ illibata manebit auctoritas. Quia illius auctoritate manente, sola personæ suspici[illegible]ta, causa terminabitur. Item si Sanctitas sua se putaret non esse suspectam, nos [illegible]rentia compromittere parati sumus, vt iuris Canonici traditio docet. Sed & cum [illegible] Cardinali simili via experiri offerimus, ne quis putet, nos translatiuam submittere constitutionem. Insuper ad ipsum eundem Romanum Pontificem, si adiungere sibi velit personas nobis non suspectas, quorum consilio causam agat, prouocamus: ipsiusq; iudicium, si in vniuersali Concilio præsederit, non declinabimus. Postremò quascunque vias, quibus nobis & nostris securitas causæ prosequendæ dabitur, & suspicionis metus auferetur, in huiusmodi causæ prosecutione amplectemur. Quæ omnia si nobis denegabuntur, tandem ad vniuersum Saluatoris & Domini nostri IESV CHRISTI populum & quicunq; nostræ oppressioni misereri velint, aut iustitiam inferioris etiam contra superiores in ipsum incandescentes ament, omnesque iustitiæ & innocentiæ fautores appellamus & prouocamus, ac ad ipsos concurrimus, apostolosque primo, secundo & tertio instanter, instantius & instantissime petimus, si quis sit, qui dare velit aut possit: & à te Notario publico saltem testimoniales, pro nobis & subditis nostris, Ecclesiasticis & secularibus, ac adhærentibus & fautoribus nostris: subiicientes nos & illos iurisdictioni & cognitioni illorum, quos supra nominauimus: & promittentes nos iuri modo præmisso, parere. Quæ si nobis denegata fuerint, Deum æternum iudicem, & omnes iustitiæ ac innocentiæ fautores contestamur, per nos non stare, quominus iustitia reddatur: nos verò oppressos esse. De quibus prosequendis protestamur, ac de appellatione nostra iuxta formam iuris propter metum coram vicinis insinuanda, & metu cessante, etiam coram Romano Pontifice, & vbi opus erit, & iuris ordo deposcit, vel persuadet æquitas rationis: saluo iure addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, & aliam vel alias appellationem siue appellationes interponendi, & quolibet iuris beneficio: & protestamur, prout fuit & est moris atque styli.

Qua quidem schedula per me expresse lecta præfato Illustrissimo Principi sic appellanti & prouocanti, ac apostolos petenti, in quantum de iure potui & debui, has literas testimoniales dedi & concessi. Acta sunt hæc anno &c. præsentibus ibidem egregiis & honorabilibus viris, Dominis Georgio Heimberg vtriusque juris Doctore &c.

Martinus Marquardi Notarius &c.

MANDAT PAPA DENVNTIARI DVCEM SIGISgismundum, & certos suos adhærentes, per Breue Apostolicum.

PIVS PAPA Dilecto filio N. Plebano Ecclesiæ S. Stephani Constantiensis. Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Præsentium tibi tenore sub excommunicationis & depositionis ab ordine & officio latæ sententiæ pœnis, districtè præcipimus & mandamus, quatinus his literis acceptis, & cōtinuè in posterum, donec aliud tibi mandauerimus in contrarium, Sigismundum ex Austriæ Principibus cum satellitibus suis, omnibus diebus festis, congregato populo ita denunties, vt in forma introclusa, quam tibi specialiter ad hoc mittimus, cernis contineri. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 22. Ianuarii M. CCCCLXI. Pontificatus nostri anno tertio.

Copia formæ introclusæ prætactæ.

DE speciali districto & expresso mandato sanctissimi Domini nostri Papæ, Sigismundum ex Austriæ Principibus, ob hostilem insecutionem & sacrilegium in personam Reuerendissimi in Christo Patris & Domini, Domini Nicolai tituli S. Petri ad Vincula sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, Episcopi Brixinensis, in Paschalibus festiuitatibus perpetratum, vobis omnibus, cum adhærentibus & fautoribus suis, denuntio excommunicatum maiori excommunicatione, ac pœnis criminis læsæ maiestatis & perpetuæ infamiæ innodatum

bannitum, diffidatum, & bonis & honore priuatum. Et cum hoc etiam iter[illegible], ob damnatam suam appellationem ad futurum Concilium, denuntio ipsum [illegible]ematisatum, crimine læsæ maiestatis & fautoriæ hæresis irretitum: esseque etiam in [illegible] dominiis, quæ occupat, & ad quæ ipse aut aliquis de suis adhærentibus accedit, po[illegible] Apostolica auctoritate strictissimum ecclesiasticum interdictum. Mandoque vobis, vt ipsum cum adhærentibus, satellitibus & fautoribus suis, vt præfertur, vitetis, & pro talibus habeatis. Simili modo denuntio excommunicatos & eisdem suprascriptis pœnis irretitos, omnes & singulos, quos sanctissimus Dominus noster in suis Bullis tales esse exprimit: ex quibus sunt nominatim isti, qui sequuntur, scilicet Wolffgangus Neydlinger, Stephanus Steynhorn, asserti Canonici Brixinenses: Gregorius de Heymburg & Laurentius Blomenow, erronei Doctores: Parcifal Annenberger, Iacobus Traff, Turingus de Halwil, Baltasar de Weltzsperg, Christophorus Voxs, & Caspar Loubenberg, asserti milites: Happo [illegible]eonardus Weynecker, Oswaldus, Eghardus, Berchtoldus condicti Wolckensteyner[illegible]rautson, Iacobus Tonner, Iohannes Kripp, Rolandus Glandensperger, Waltherus de [illegible]ein, Leopoldus Spiess, Ioannes de Friberg de Astetten, Ioannes de Friberg de Pfaffenhusen, Georgius Burggraue. Georgius de Annenberg, Dionysius Heidelberger, Georgius Diepoltzkirchen, Caspar Spiess, Caspar Raminger, Paulus Rentel, Conradus Clammer, Wilhelmus Baldlouff, Vlricus Hont, Barbara de Sonnenberg, Georgius Ragant, Ioannes Rummer, Iacobus Füeger, Guntherus de Inspruck, Augustinus Teutsch cum illorum sociis & adhærentibus, in Apostolicis literis [illegible] genere aut quocunque modo nominatis & comprehensis.

Intimo etiam, quòd quicunque vadit per patriam illam Athesim seu vallis Eni, aut emit sal, argentum, vinum, aut alia de illis partibus, siue vendit illis quicquam, cadit in excommunicationem & perditionem bonorum secundùm continentiam Apostolicarum Bullarum super hoc editarum.

Simile Breue diuersis Plebanis per diœcæsim Constantiensem directum est.

QVOD EPISCOPVS BASILIENSIS, CONtempta Papali Bulla, & interdicto excommunicatorio non curato, semper Sigismundum Ducem fouerit, ex sequenti patet epistola.

PIVS PAPA II.

Venerabili Fratri N. Episcopo Basiliensi.



Enerabilis Frater, salutem & apostolicam benedictionem. Intelleximus displicenter, quomodo non obstante, quod Sigismundus ex Austriæ Principibus propter infandum & notorium sacrilegium in personam dilecti Fratris nostri Nicolai tituli S. Petri ad vincula S. Rom. Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, Episcopi Brixinensis, commissum in excommunicationis & alias iuris horribiles ac satis declaratas pœnas, cum complicibus & satellitibus suis inciderit, per nosque talis (vt nosse debuisti) declaratus existat, posito, vt oportuit, Ecclesiastico interdicto omni in loco, ad quem accesserint: Tua tamen fraternitas eundem Sigismundum & suos (vt præfertur) sicut tenetur, non deuitet, nec etiam (proh dolor) interdictum seruet, ipsosque innodatos tremendis censuris non solùm non denuntiet, quinimo se ad tractandum inter ipsum & dilectos filios confœderatos intromittat: non aduertens, quod per hoc maximè DEVM offendis, censurasque & huius Apostolicæ Sedis auctoritatem contemnis, libertatem Ecclesiasticam paruipendis, & contra præstitum per te consecrationis tempore iuramentum venis, proprio honori non parcis, clerusque tuus profanans irregularis existens, diuinis contra Ecclesiæ ordinationem se temerè immiscet. Quàm grauia quidem ista sint, non ignoras.

Mandamus igitur per præsentes Tuæ fraternitati, & districtè per præstitum iuramentum requirimus, quatenus ab omni dicti Sigismundi & suorum conuersatione, atque tractatu inter ipsum & dictos confœderatos, prorsus abstineas. Interdictum autem iuxta nostrarum superinde literarum continentiam inuiolabiliter teneas, & teneri facias. Secus faciendo contra Tuam fraternitatem, tanquam fautricem dictorum sacrilegorum, & Apostolicæ Sedis ac nostri, imò DEI contemptricem, nos iustè sentias prouocatos. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die x. Ian. M. CCCCLXI. Pontificatus nostri anno III.

Iacob. Papiensis.

GREGO.

GREGORII DE HEIMBVRG IVRISCONSVLTI, CONSILIArii Austriaci,

TRACTATVS SVPER EXCOMMVNICATIONE PII PAPÆ II. IN DVcem Austriç Sigismundum,& seipsum evulgata.

BREVE DOMINI PII PAPÆ SECVNDI ADVERSVS GREgorium Heimburg Vtriusque Iuris Doctorem.

PIus Papa II.dilectis filiis, Burgimagistris & Consulatui oppidi Nuremberg, salutem & Apostolicam benedictionem. Saluator humani generis in hunc veniens mundum, vt ex mortalibus genitos Dei filios,& sibi ipsi in summi Patris sui regno cohæredes efficeret; vnum ex omnibus fidelibus in eum credentibus regnum constituit,idq; vnam ipsius Ecclesiam nuncupauit, cuius ipse caput esset,& regnator sempiternus. Visibilem vero humanis oculis pſentiam sui per admirabilem ad patrem omnipotentem ascensum mundo subtracturus, Petrum Apostolorum Principem,eiusq; legitimos pro tempore successores,vicarios sibi cum plenitudine potestatis ad propriæ gubernationem Ecclesiæ substituit,tribuens omnimodam per temporalem successionē vicariis ipsis in terris & in cœlis omnia ligandi soluendiq; potestatem, pcipiensq; districte ipsos audiri,& in eorum iussionibus permorari [*al. permanere.*] Quod si qui trãsgressores veneno imbuti eos non audirent,huiusmodi omnes ꝑ exclusis à suo regno, eiectisq; à sancta Ecclesia inter Ethnicos & publicanos, cum perditionis & mortis filiis voluit computari. Cum enim nullum regnum (vt ipsius Domini nostri verbis didicimus) in se diuisum stare possit; quonam modo sacrosanctum stabit Ecclesiæ regnum, si illi, qui Christi supremi Regis vicario parere contemnũt, de regni non valeant sorte depelli? Aduersus hoc inquassabile fundamentum,& Ecclesiæ firmã petram, hæresis quædam à paruo tempore citra sensim visa suboriri pullulauit: quæ sub ouium vestibus lupos rapaces intrinsecus cælans, sub appellationis specie, Ecclesiæ satagit vnitatem cõuellere. Nam si qua Christi vnicus vicarius canonibus sacris etiam & iuri scripto inhærendo decreuit,statuitq; & seruari (vt dignum est) præcepit, calumniatores maliuoli & peruersi, subterfugere iustitiam pſumentes, per ludibria friuolarum appellationum ad futurum Concilium (ceu ad id, quod nusquam est, ac super Christi vicarium esse aut reperiri nequit) obedientiam, quę est de necessitate Ecclesiæ & salutis vniuersorum, improbè declinant, ac temere: Hãc igitur de Diabolico spiritu & instinctu nouitatem exortam considerantes, in totius Ecclesiæ Catholicæ non tantum eneruationem, sed euersionem in Mantuano conuentu sæpe multũve discussam, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanę Ecclesię Cardinalium, pluriumq; aliorum pſulum & peritorum, qui aderant, maturo cõsilio & cõsensu, illiusmodi appellationes dãnauimus atq; ita appellantes, notariosq; ac testes & adhærentes oẽs excõmunicauimus, læseq; Maiestatis & hæresis crimina & pœnas eo ipso illos diffiniuimus incidisse, ꝑut in Apostolicis literis superinde cõfectis plenius cõtinetur. Ceterũ his omnibus nõ obstãtibus, quidã ex patre diabolo mẽdaciorum artifice natus, Gregorius de Heimburg nomine, auaritiæ contaminatus illuuie, & superatus ardoribus, q́ est seruitus Idolorũ, de mẽse Augusti proxime præterito, à nostra solẽni declaratoria sentẽtia, qua Senis existentes, impiũ Sigismundũ ex Principibus Austriæ, ob notoriũ sacrilegiũ ꝑpter hostilẽ persecutionẽ in personam delicti filii nostri Nicolai tit. S. Petri ad vincula, S. Romanę Ecclesię Presbyteri Cardinalis, & Episcopi Brixinẽsis, & rapinã bonorum Ecclesiæ illius ppetratum, iuris scripti pœnas declarauimus incurrisse; à nobis ad futurũ Cõcilium improbam, nefariam temerariam, seditiosam deniq; appellationem dictauit: & illius interpositionis p dictũ Sigismũdũ factæ, ipse dictator in originali instrumẽto Florẽtię ad valuas Ecclesiæ affixo, testis inscribit: Quod qa loquax ille, pſumptuosus & pceps, mendax atq; turbulentus, temerarius, ob istud facinus excõmunicatus existit, criminaq; & pœnas incidit læsæ Maiestatis atq; hęresis, adeo vt vltra executionẽ honore omni & bonis iure sit priuatus: Deuotiones vestras in Domino requirẽtes admonemus, vt huiusmodi pestiferũ hominẽ ꝑ tali excõmunicato habeatis & priuato, à vestrisq; ciuib. omnib. haberi mãdetis: ipsumq; nõ solũ vitetis, sed eiiciatis ab oppido & dominio vestro: & bona quęcunq; habet apud vos, tã mobilia q̃ ẽt immobilia, fisco vestro applicetis, & alia omnia faciatis, q́ cõtra hęreticos de iure Canonico fieri mãdant. In quo vos vobis ostẽdetis, exhibebitisq; Catholicos (sicut plene cõfidimus) & Deo gratos ciues, in talẽ pniciosum Ecclesię Christi pſecutorẽ vos fideles, & S.R.Eccl. obediẽtes ostẽdendo. Nobisq; in hoc eo magis deuotiones vestrę cõplacebũt, quãto scimus plurimũ esse Deo charũ, & Ecclesię suę ptile, ac in primis necessariũ, q ꝓfanus iste pestiferq; sacrorũ contẽptor ab omni expellat cõuersatione & cõsortio Christianorũ. Facite nobis qd egeritis, ꝑ literas vestras describatur. Datũ Romę apud S. Petrũ, sub annulo Piscatoris die XVIII. Octobr. M. CCCC. LX Pontificatus nostri anno tertio.

SCHO-

Scholia Gregorii Heimburg in breue Papale.

Petrum Apostolorum Principem, eiusque legitimos successores] Non sacrilegos, auaros & amatores bastardorum.

Vicariis ipsis in terris ac in cælis omnia ligandi] Claue non errante. Non enim pro libito, sed pro ratione.

Eos non audirent] iusta iubentes.

Vicario parere contemnunt] Dicit Gregorius: *Nolite obedire Prælatis, vt eorum scelera approbetis.*

Christi vnicus Vicarius, canonibus sacris] Non dicunt sacri Canones, quod Episcopus debeat sibi vsurpare potestatem gladii contra Principem suum vniuersalem, ratione sui dominii particularis.

Supra Christi Vicarium esse aut reperiri nequit] Hæc est hæresis in sacro Concilio Constantiensi & Basiliensi reprobata, tunc quando erat indubitatum.

Illiusmodi appellationes damnauimus] Tanto fuisti stultior, quia admonuisti nos quid timeres, & voluisti viam præcludere ad refugium, ratione oppressorum, quibus pro libito illusisti.

Plenius continetur] Immò sacrilegius.

Natus Gregorius de Heimburg] Probè & legitimè natus, qui non fouet adulterina coniugia, sicut Papa facit, qui fouet Fernandum bastardum contra heredem legitimum.

Auaritia contaminatus illuuie] Parum recepi pro patrocinio iustitiæ; sed Papa plurimum recepit pro fomento bastardiæ, & nõdum contentus quærit talliam sub colore Turchino.

Impium Sigismundum] Magnificum, qui ausus fuit corripere factiones improbas Cardinalis.

Ob notorium sacrilegium] Ob magnificum & animosum factum.

Iuris scripti pœnas declarauimus incurrisse] Non auditum cõtra ius naturæ, & obsurduerunt aures Papæ tamquam aspidis, ita fuit incantatus amore Cæsaris, cui vilissimè seruit.

Seditiosam denique appellationem] O quantum times, miserrime Papa, qui non audes in publicum prodire, ne cognoscatur temeritas tua.

Et quia loquax ille] Quis te loquacior, qui tribus horis loquacitatem tuam protelasti pro bastardo Aragoniæ arrogantissimè.

Læsa Maiestatis] Læsæ maiestatis Papalis.

Fisco vestro applicetis] Ita si vultis perdere mercantias vestras.

Quanto scimus plurimum esse Deo carum] Iam fingit se in consilio Dei veri fuisse, ac si conscripsisset decreta Dei, & se reponit in numero ** sacrilegus ille, fingens se * socium, qui præter * sacra & aniles fabulas nil habet doctrinarum.

APPELLATIO GREGORII HEIMBVRG VTRIVSQVE IVRIS DOctoris, à Domini Pii Papæ Secundi Breui contra eum emisso



VIS consilii expers mole ruit sua: vim temporatam in sublime prouehit Deus. Papa Pius iam pridem per breue non testatum, sed annulo Piscatoris obsignatum, fertur excommunicasse Gregorium Heimburg, nunquam euocatum, contra legem Dei, qui damnaturus protoplastum præuaricatorem, præmisit vocationem dicens: *Adã vbi es?* Similiter & Cain, fraterno adhuc sanguine madentem, interrogans: *Vbi est Abel frater tuus?* Sodomorum quoque flagitia, antequam sulphuris exureret igne: *Descendam*, inqt, *& videbo, an clamorem, qui ad me peruenit, opere compleuerint.* Papa vero Pius, vi sola fretus, omni consilio neglecto, quam tenuem telam orsus, quã debilem texit rationem, quæso videte. *Saluator*, inquit, *noster Petrum Apostolorum Principem ad gubernationem Ecclesiæ substituit.* Quis ignorat omnibus Apostolis à IESV esse præceptum, vt eant in orbem prædicaturi fidem, baptismũ & salutem? Quis nescit passim omnibus esse ꝓmissum, ligatum esse in cœlis, quod ipsi ligarent in terris; & solutũ esse, quod soluerent? Sed quod Cephæ singulariter dictum est: *Tibi dabo, &c.* hoc ait D. Hieronymus esse factum, *vt schismatis tolleretur occasio.* Et Ambrosius in Pastorali suo dicit, quod nedum Petro trina rogatione interrogato, an amaret, ac terna responsione subsequente, amare se, teste ipso interrogatore IESV, *traditas sibi esse claues, sed & omnibus Apostolis vna contraditas.* Apostoli quoq; post ascensionem Domini conuenisse, ac Petrum sibi Principem constituisse, & Antiochiæ in cathedram collocasse referuntur: nihil tamen de potestate vniuersis Apostolis à Saluatore data & ipsorum omnium vniuersali missione diminuerunt. Ergo & hodie Catholica exorat Ecclesia, *sese per Apostolos ipsos continua protectione custodiri, quos Saluator ipse vicarios tanti operis constituit præesse pastores.* Horum legitimos successores constat esse vniuersalia Concilia, Christianæ fidei firmamé-

ta, quæ

ta,quæ Pontificum actiones pro tempore saluberrimis doctrinis instruxerunt, errores emendarunt De quibus summus ille Pontifex Gregorius scribit: *Quisquis illa destruere tentauerit, seipsum destruit.* Sed quorsum hæc? Eo certè pertingunt,vt conuellatur illa superstitio,in qua Papa Pius factionibus Cardinalis Cusani adstruit, Concilium supra Papam non esse, dum dicit (vt eius verbis vtar) *ad futurum Concilium, quod supra Christi vicarium esse nequit.* Videte ergo, quam vim omnis consilii expertem Papa inferre tentauit. Nam si omnes Apostoli missi sunt à Domino IESV,dicente illis; *Ite in orbem, &c. Quodcunque ligaueritis, &c.* quos constat conciliariter postea esse congregatos ac ipsum Cepham in messem Domini misisse : quis dubitat, Concilia sacra vicem Christi gerere, quæ & cœtui Apostolico successisse comprobantur ? Siquidem orbis maior est vrbe.

Subdit Papa Pius, *Rem illam in conuentu Mantuano sæpe & multum esse discussam*: quasi Concilium habuerit procerum,vti sacræ leges iubent in rebus nouis constituendis: quas tamen pro nudo libitu plus euomuit,quam edixit. Profectò siquidem ipse conuentum Mantuanum nuncupat,conuentum Regalium & Principalium Oratorum,illuc transmissorum, in illo certè nihil de hoc actum ne cogitatum quidem existit.

Dicitur autem Papa Pius *cum Cardinalibus suis ita decreuisse.* Cur hoc? Nisi quia voluit Papa ipse abuti potestate sua,talliam imponendo,& sub velamento militaris expeditionis in Turcam instaurandæ facultates Germaniæ illius, quæ est inter Coloniam Agrippinam & Austriam,ac rursus inter Daciam & Alpes, quæ Germaniam ab Italia discriminant, medullitus exhaurire. Nam ex illis solis finibus Oratores Mantuæ ad tractandum conuenere. Illi quippe soli videbantur apti Papæ,quos luderet: Brabantia, Hollandia, Gelria,cum circumiacentibus reclamarunt,clam illis quos supra nominaui. Vtcunque res acta sit, nullus illorum interfuit tractatibus nostris,ergo vim suam exsortem [al.exteriorem] esse voluit assensum illorum,quorum æra concupiuit. Hinc profecte non inepte,nec supine , Papa ipse,negatis sibi pecuniis, quas solas ardebat,suam ratus lædi Maiestatem, vim astri conceptam, sed totius Concilii expertem adhibuit:ac imprimis suam dimensus potestatem, simul & Imperatoris nostri splendorem ante oculos ponens,putauit neminem resistere posse, vel audere, conatibus eorum. Veruntamen suam potestatem stupendo, quæ latior est quam hodie sit Imperii gratia Romani (quæ quondam Caucasi montis limite coartata, dehinc fracto Caucasi limite per totum orbem vires suas terra marique exporrexit, nunc autem Augustorum desidia angusto limite cingitur) nihil profectò suis machinationibus in hisce partibus, quas Imperialis tituli splendor illustrat, obstare posse rebatur, nisi fortasse totius orbis Christiani conuentus cieretur, quod vniuersale Concilium nuncupamus. Hanc sanctissimam Christianorum conuentionem, libertatis alumnam, Papa velut iliacam horrens passionem, illam prçuenire credens, vanissimo decreto,antequam nasceretur,condemnauit,sed condemnando potius indicauit. Cum enim sedulo vetat, profectò magis timere deprehenditur. Nam quod veteri silentio restinxit litura, hoc totum inuida damnario viuificauit : non aliter quam qui latentes vires calcis, aquæ rigentis & gelidæ superfusione obruere cupiens,inuitus ac nolens exuscitauit. Prudentius Solon ille Atheniensis, legibus ordinatissime compositis,interrogatus; Cur nihil seuerius in parricidas statuisset, qui tamen sicariis longe immaniores essent? respondisse fertur : *Ideo se reticuisse ne vetando admonuisse videretur.* Hunc locum Prælati capessite,qui libertatis vestræ certissimum est refugium, dignitatisque firmamentum:infirmos rumpite casses, & inanes laqueos dissipate,qui scholasticis datis operam disciplinis. Seculi vero Principes & viri militares,ad bellaque doctiores, quibus est disciplina, si quando proficiscimini, editiora loca hostibus intercipere, hunc eminentissimum locum vniuersalis Concilii quæso ante capite,vnde vobis sit prospectus liberior, fortior & intentior propropugnatio,tutelaque securior. Quod si Papa hoc tale tantumque asylum interceperit, hoc roboris vallum fortasse demolitus fuerit,seu obruerit, antequam emineat seu oriatur,vos abiecto clypeo exarmati tandē,precii venalitate,hoc est tributorum pensitatione,animas vestras cogemini redimere:pecuniaque vestra, sub velamento militaris expeditionis aduersus Turcas instaurandæ,in damnatum & scelestum vsum conuertetur, scilicet in subsidium Fernandi,ex damnato complexu quondam Alfonsi Regis Aragonum, connixi contra Renatum regni Siciliæ heredem legitimum,& inclytum Ioannem Calabriæ Principem,Christianæ nobilitatis ac militaris gloriæ decus & ornamentum,& exemplar imitabile.Et idcirco dicit Papa,Gregoriū Heimburg *ex diabolo natum*:quia non ex damnato coitu, sed legitimo coniugio progenitus:quorum osor est Papa, fautor bastardorum,pro quibus longissimam,& ferè trium horarum prolixam fecit orationem,dum Fernandi Bastardi laudes Mantuæ peroraret.

Quod vero subdit Papa, Gregorium Heimburg *auarum,mendacem & turbulentum* nuncupando,benedictis si certaret, bona audiret:sed cum certat maledictis,alium quærat,qui respondeat.Ego ex illo grege non sum, quippe cui facultates pro meritis minime respondent, qui plura suffragia liberaliter impendi, quam honoraria susceperim : & libertatis amator plus semper fui quam blanditiarum:quæ mendaciis & auaritiæ minime conuenire possunt. Sed ipse aliquando audiet,quid gesserit, qualem vitam egerit,& quid apud Cumas.

Sed comprimo me,pergens ad illius decreti vanitatem, in quo vetantur oppressi vel opprimendi ad Concilium prouocare,quod non est,& quod (vt aiat) *supra Papam esse nequit.* Iam

supra

supra ostensum est, cœtum Apostolicum fuisse supra Petrum: & nunc affirmo, quod sicut ad sedem Apostolicam vacantem appellari potest, sic ad Concilium, quod nondum est congregatum, rite appellatur. Quia potestas Ecclesiæ immortalis est, quemadmodum ipsa Ecclesia: quæ etsi nunc dispersa est, aliquando habet congregari. Et hoc nunc maxime opus esse, nemo dubitat, qui calamitates Ecclesiæ intelligit & cognoscit: cuius si se Papa partem esse fateatur, se vtique minorem illa fateri necesse est: siquidem orbis est maior vrbe. Papa autem hoc vetando, quid aliud agit quam quod causatur aduersus nos, qui eius imperium truculentissimum non sustinemus, quod facultates nostras, tam nostro quam maiorum nostrorum sudore & sanguine partas, in suas delicias effundere negamus: velut ille, qui ex vulneribus à se iniectis recreatum accusauit, quod telum parcius corpore suscepisset. Hoc dominicum in seruos extat imperium, quod in nos exercere cupit.

Hoc est seruile seruitium, quod à nobis exigit: non filialis reuerentia, quibus certè nec peculium relinquere curat. Nemo sanæ mentis hoc non percipit, nullus emunctæ naris homo non olfacit, quorsum tendat hæc tam grauis exactio.

Quod vero me loquacem facit, vir omni pica dicacior, quid dixerim? nisi Horatii verbo respondisse velim, dicentis: *Ignoras te, an ignotum dare nobis verba putas? Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis, cur in aliorum vitiis tam cernis acutum, quam aut aquila, aut serpens Epidaurius? hinc tibi contra euenit, inquirant vitia vt tua rursus & illi.* Fateor quippe me ventositati verborum pro tempore operam dedisse: at non ita vt ciuilis & Canonicæ traditionis præcepta contempserim: quæ ille ne vnquam quidem olfecit, nuda verbositate contentus. Porro si quod tale vitium apud me deprehendit, inepte tamen id ipsum mihi exprobrauit, quo ipse potissimum turget. Mihi satis est, didicisse ciuiles sententias: & quicquid præcipuũ habet ratio & industria, & quicquid sacra tradunt vtriusque iuris instituta, hisce literis & floribus exornare posse: & in illo grege me esse profiteor. Ipse in numero sit illorum, qui putant hæc omnia vi & artificio Rhetorum contineri. Ergo si Papa ob id facinus me excommunicatum dicit, quis erit eiectior ipso, qui præter verbositatem nihil habet in se virtutis?

Subdit, *& læsæ Maiestatis crimine me irretitum.* Credo eum culicibus & muscis has leges edidisse, aut animalibus quæ in tabidis corporibus nasci solent: vti aranearum telas in occursum fragiles, leges consilii exsortes æquauit: quas si culex, aut quod imbecillius animantium inciderit, euoluere se nescit: si quid autem validiorum animantium incurrerit, penetrat atque disrumpit. Neque enim rete ficedulis aut coturnicibus contextum aptum est vincire vulturem vel aquilam. Irretiat ipse Reatinos suos, & eos quos seruili metu constrictos habet: mecum erit (Deo duce) libertas Diogenis & Catonis. Nec satiatus est Papa conuiciis vulgaribus: quin etiam *Hæreticum* me audeat nuncupare. Siquidem hæresim voluit sectam vel sententiam nuncupare, vt Cicero noster Catonem recte appellat, hæreticus sum ego, qui aio; *Concilium orbis Christiani fore supra Papam*: hæreticus est Papa, qui contrariam sectam fouet. Videte quod nihil grauius in eum dico, qui tamen abiecta rationis & consilii moderatione, cuncta in me pro libitu iussit scribi.

Postremò nec adhuc satiatus Papa conuitiis, mandat bona mea confiscari: quæ vtinam tanta essent, quod rapacibus viris hiatum pandere possent. Ego inter bonos conuersari volo, qui virtutes meas opibus suis foueant, & pluris faciant suffragia mea, quam locupletiuam, quam ex mea ruina sperare possent: maiori etiam vtentur consilio, quam Papa fretus in procacitate sua. Pollicetur tandem eis Papa, qui res meas inuaserint, Catholicorum hominum operas impendisse. Maxime periculosum esset hoc verbum, nisi ipsius Papæ ineptia iam antea vobis comprobata esset, dum ipse incæstuosos complexus, & vitia honestati publicæ inimica, Mantuæ tam copiose & loquaciter personauit.

Expugnatis nunc aranearum telis, & infirmorum retium vinculis nodisque dissolutis, ad remedium moribus introductum, quo aduersus superiorem truculentiam & amarissimas leges se tuetur innocentia, stylum conuertere depropero. Et in primis plane constat, semper & vbique ab inferiore ad superiorem rite prouocari. Nemo enim tam obtusi cordis est, qui non in seipso periculum fecerit, à sensualitatis fragilitate ad intellectualis potentiæ discursum prouocando. Sed & qui morbo aut vitio animi tenetur, vt nesciat cernere verum, si lapsus fuerit in vitium, defœcato tandem animo ad se rediens, ad animum ira, odio, gratiaque vacuum prouocat; quo certius de rebus dubiis consultet atque decernat, & vim suam grauitate consilii moderetur. Ideo laudata est illa mulier, quæ à temulento Rege Philippo ad eundem sobrium prouocauit. Sit ergo mihi gradus primus, ab irato Papa, qui me lacessit, ad eundem mitem factum appellare: & ab Oratore Topico ad eundem, si ventositate abdicata, si musis relegatis, ad sacras leges se conuerterit: vbi discet, Neminem indemnatum rebus aut fama spoliare, nec quenquam inauditum condemnare. Deinde quia scriptum est, *Papam omnes iudicare, ipsum autem à nemine iudicandum*: quod & ego fateor verum, quantum attinet ad sedis ipsius & Papalis potestatis plenitudinem, sed non ita, vt sub inimico ac suspecto iudice quisquam cogatur famam aut res suas decertare: ad eundem itaque prouoco, si se iuxta boni viri arbitrium astrinxerit iudicaturum. Et is sit appellationis meæ gradus secundus. Si vero causam delegare malit viro non suspecto, rursus ad eundem Papam, seu quem deliget, prouoco & appello. Et hunc ter-

tium

tium appellationis meæ modum offero, meque tali iudicio sisto. & in summa, Papali cognitioni ea lege me submitto, si suspicionis causa tollatur è medio. Et hic quartus ordo omnem tollit tergiuersationis notam, quam mihi iniicere posset Cusana procacitas, cuius ductu hæc omnia diriguntur. Quæ omnia si Papa contempserit, quid restat, nisi ad vniuersalem Ecclesiam prouocare, prout à Senatu ad populum Romanum sæpe reperimus appellatum? Nec obiiciat mihi Papa, *Ecclesiam non esse congregatam*: quoniam idipsum factionibus suis impeditur & disturbatur. Apud me nulla mora, culpa nusquam, cum nō per me, sed per ipsum stet, quo minus fiat. Si quis enim in ius vocatum vi eximat, contumaciam remouet citato, sed omne vitium & crimen in se transfert. Papa metum intulit mihi, ipse sibi iustitiam indixit, qui se conuiciis suis aduersus me suspectum reddidit, qui se sapientis arbitrio adstringere declinauit, de suspicione experiri recusat, nec iudicem suspicione carentem delegare dignatur: quique vniuersale Concilium conciere negat. Hic si aduersum me quidquam attentauerit, aduersus ipsum prouoco, gradatim atque alternatim, vt præmisi: & testimonium eius rei postulo, & de metu iusto protestor corā vicinis. Quo cessante, ꝓsequor, si opus erit, & opportunitas concedatur, prout iuris publici ratio poscit, saluo iure addendi, omnibusque remediis, moribus & lege introductis.

Ista appellatio est interposita per Doctorem Gregorium Heimburg, de mense Ianuarij anno M.CCCCLXI.

REPLICA THEODORI LÆLII EPISCOPI FELTRENSIS, PRO Pio Papa II. & sede Romana, ad superius Scriptum Gregorii Heimburg.



OBLATRANTEM te, Gregori, aduersus Christum Domini ore sacrilego, & impiis vocibus obstrepentem, Pius Pontifex Maximus iure contempsit: non quod garrulitati tuæ atque blasphemiæ disertissimus virorum respondere non posset, sed quia æterni Pastoris, cuius vices gerit, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, imitandum humilitatis exemplum putauit. Meminerat quippe & Christum Dominum à Pharisæis, quorum tu perfidiam imitaris, crebris conuiciis lacessitum, & nunc voracem, nunc vini potatorem, nūc Samariten & Dæmoniacum appellatum: & patientiæ ipsius documenta suscipiens, illud dominicum arcano voluebat in pectore; *Non est seruus maior Domino suo, nec discipulus eo qui misit illum. Quoniam si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius.* Sic ille non quod tu merebaris, sed quid se deceret, attendit. Verum & plurimi & magno atque excellenti ingenio viri tuis blasphemiis respondere potuissent, si vel ad illos maledicta illa sacrilega peruenissent, vel ineptissimum, atque perditissimum hominem coinquinationis & maculæ voluptatibus fluentem, & tanquam bestiam inter luxum semper epulasque sudantem, dignum responso putauissent: quorū pleriq; insaniam incidentem, atq; iuxta Sapientis eloquium in ore stulti esse baculum contumeliæ agnoscentes, illud ex Sapiente ꝓferebant: *Noli respondere stulto secundum stultitiam suam, ne fortè similis fias ei.*

Ineptum sane existimabant congredi tecum, cum nec docere indocibilem, nec reducere pertinacem, nec cohibere furentem posse confiderent. Ac talia cogitantes errantem perfidum hactenus silentio contempsere. Sed cum patientia illorum abutens contra lenitatem odio & aduersus Pontificis mansuetudinem furore & insania bacchari cœpisses, & blasphemiarum tuarum exempla per Italiam Germaniamque dispergere, me vnum ex pusillis Curiæ & Apostolicæ sedis ministris domus DEI zelus accendit, vt diutius me continere non possem, quin volantia iam pene toto orbe iacula falsitatis, clypeo veritatis exciperem. Verebar enim, ne si nullus tuis calumniis responderet, iam patientia diffidentiæ inciperet imputari, vt vel saltem iniustæ damnationis tuæ Apostolica sedes videretur crimen agnoscere. Licet enim apud ipsius sedis Pontificem iusti iudicii conscientia sola sufficeret: non incongruum tamen visum est, & reliquis, si qui fortè quasi de iniusto anathemate tuo viderentur offensi, cōgrue satisfacere. Sic quōdam Gelasius ac Nicolaus sanctissimi disertissimique Pontifices, alter de Achatii, alter de Photii Pseudoepiscoporum damnatione, Anastasio Michaelique Principibus & Orientalibus populis tomos scribentes satisfecerunt. In quo genere illud aureum Pii Pontificis flumen eloquētiæ omnes facile superasset, nisi illum vel indignitas tua, vel criminis euidentia, vel forsan remaledicendi apud quosdā suspicio retraxissent. Mouit nos ꝓterea & Catholicæ fidei ratio, cōtra q̄ eū multa in ipsis tuis blasphemiis hæretice impieq; ꝓlata legisse, & scādalo & periculo verebar amplius

amplius esse silentium, ac proinde populare quasi apud Christianos tuendæ fidei officium arbitrabar. Nam etsi cætera crimina silentio præteriri queant, hoc tamen in fide si fiat, & scandalum & periculum generat. Licet apud te casso labore desudem, apud cæteros tamen, quos tuis blasphemiis forsan concitasti, atque impia & maledicta seminando tui erroris comites effecisti, speramus Deo propitio aliquid profuturos. Nam qui per errorem moti sunt tuo mendacio fallente, facilius veritatem admittent ratione cogente. Respondebimus ergo licet incompositis verbis, veniam à legentibus rudioris styli facile præsumentes: quoniam contra impias blasphemias iustitiæ ac fidei patrocinium suscepturi non nitori sermonis, sed veritati studemus. Ante tamen quàm tuis maledictis respondeam, abs te postulare libet, Doctorum eximiè & Iurisconsultorum disertissime, qui tibi vtriusque iuris scientiam vendicas, & (vt tuis verbis vtar) qui te *quicquid ratio & industria præcipuum habet, & quidquid tradunt vtriusque iuris instituta*, percepisse gloriaris; hoc ne in legibus aut Canonibus, aut in moralibus disciplinis didicisti, vt contra Pontificem summum, Ecclesiæ caput & Principem, & miseræ animæ tuæ Episcopum atque Pastorem, vel quomodolibet læsus inueheres? Hominum perditissimè, quis vnquam hæreticorum, qui à Romana damnati sunt sede, in illius antistitem talia maledicta congessit? Lege Nestorium, Macedonium, Eutychen, Cœlestinum atque Pelagium, Macarium atque Dioscorum, & cæteras hæreticorum pestes: quis vnquam tam turpiter ora laxauit? Qui licet damnationem suam grauiter tulerint, tamen à talibus blasphemiis temperarunt. Vnus inuentus est Dioscorus, qui pro eo solo, quod Anathema dicere in sanctum & venerabilem Leonem ausus est, in Chalcedonensi Synodo sine vlla fuit restitutione damnatus. Cuius præsumtionem ob hoc potissimum sancti Patres detestati sunt, quia ponens os in cœlum, & lingua eius transeunte super terram, inferior maiorem iniuriis lacessere ausus est. Et hoc noscens Concilii fuisse statutũ, adhuc Conciliorum audes mentionem facere, nec reuereris illorum pro minori culpa censuram. Miserrimè hominum, non te terruit Euangelica illa tuba, quod *qui scandalizauerit vnum ex pusillis illis minimis, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum.* Quod si scandalizanti vnumquemque pusillum in Christum credentem talem vindictam comminatur; qua vltione plectendus eris, qui totum corpus scandalizas Ecclesiæ, qui Ecclesiarum omnium patrem & pastorem, hæreticum, garrulum, insanum, & quicquid turpitudinis tuæ immunditiæque fœtor ingerit, in illum causaris? Nec mirum quidem, quoniam non potest nisi spurce loqui, qui consueuit spurca committere. Ex abundantia enim cordis os loquitur, & malus homo de malo cordis thesauro non potest nisi mala proferre. An verò quanti sacrilegii sit Principi populi maledicere, ex lege discere non potuisti? quæ maledictio æterna morte condemnat. Cuius verba non modo in Romani, sed omnium Episcoporum inunctione solemni, inter ipsa sacra terribiliter intonantur, pronuntiante Episcopo & conformantibus cæteris: *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixit, ipse benedictionibus repleatur.* Quod si de probis non de reprobis Principibus ac Sacerdotibus dictum esse contendis, audias Paulum Apostolum, qui cum iussu Principis Sacerdotum iniustè cæsus illi diuinam vltionem precaretur, atque astantes dicerent, *summum Sacerdotem Dei maledicis*? mox territus lege diuina se purgans, ait: *Nesciebam, fratres, quia Princeps esset Sacerdotum. Scriptum est enim, Principem populi tui non maledices.* An forte iustè homini iniquo, sacrilego, & contra legem agenti se maledixisse contendit, & non potius errati veniam petiit, & nefas Principi Sacerdotum maledicere legis auctoritate professus est? Sed quid ego Paulum memoro? Ipse Dominus noster IESVS CHRISTVS, summus Sacerdos, Rex & Iudex, vsque ad passionis suæ diem non solum bonis & piis, sed etiam indignis & reprobis detulit Sacerdotibus: quamuis illi nec timorem DEI, nec agnitionem CHRISTI seruassent. Vt enim alia omittamus, ipse subditus passioni cum alapam accepisset, & ei diceretur, *sic respondes Pontifici*? nihil contumeliose in personam locutus est, quem sciebat esse sacrilegum, sed magis innocentiam suam tutatus est, dicens: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, cur me cædis*? Quod idem beato Cypriano teste & Canone attestante factum est, vt humilitatis & patientiæ ipsius haberemus exemplum. Docuit enim Sacerdotes veros plenius honorandos, dum ipse circa falsos talis extiterit. At verò Gregorius contra legem se asserens iniustè cõmunione deiectum, non solum in verba contumeliæ iniuriæque prorupit, sed famosum libellum totam scandalizantem Ecclesiam blasphemans euomuit: nec illi satis est deliquisse, nisi de malitia gloriabundus exemplaria congreget, & publicè legenda dispergat. Leges ciuiles, quarum se Professorem vaniloquus temerator gloriatur, eum qui libellum famosum in iniuriam alicuius ediderit, vel ab alio editum non cælauerit, capitali sententia damnant. Et tamen audet leges appellare, qui tàm sacrilege committit in legem. Præuaricator legis legem attende, quoniam non in vnumquemque priuatum, sed Dei vicarium atque legatum, gregis dominici directorem, Ecclesiarum omnium Patrem, sed & miseræ animæ tuæ & cunctorum fidelium Episcopum atque Pastorem parricidali furore baccharis, lingua interficis, maledictis discerpis, blasphemiis laceras, & quantum ad reatum tuum attinet, tanquam truculentus homicida transfodis ac iugulas. Homicidam rectè appellauerim: cùm ex Canone tria homicidiorum genera, & pœnam eorum parilem cognoscimus; inter quæ detractores linguis proximos confodientes constat esse deterrima. Impudentissime hominum, non te diuina terruerunt exempla, cùm legas Mariam sororem Aaron, quæ prima post transitum maris rubri in tympano hymnum cantare

tare meruerit, eo quod murmuraſſet in Moyſen, lepra fuiſſe percuſſam. Ecce tu non ſolùm murmuraſti, ſed publicè blaſphemaſti, certè nō Moyſen (qui & ipſe inter Sacerdotes inſcribitur, Pſalmiſta teſtante atque dicente: *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius*) ſed Moyſe non merito, ſed auctoritate maiorem. Oziam audiſti pro eo, quod Sacerdotes contemnens ſacrorum præſumtor extiterit, ſimili plaga percuſſum eſſe. Bethleemiticos pueros ob deriſionem Prophetæ morte damnatos. Ecce autem pluſquam Moyſes aut aliquis Prophetarum, quem tu impie blaſphemas, niſi forte mentitus ſit Bernhardus Doctor illuſtris, qui Eugenium Papam ad conſiderationem ſuæ auctoritatis adducens, atque oſtendens, qualem in Dei Eccleſia Romanus Pontifex perſonam gerat: *Attende*, inquit, *qui ſis, & quam videlicet pro tempore in Eccleſia Dei perſonam geras. Sacerdos magnus es, ſummus Pontifex, Princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatione Noah, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt.* Hunc ergo perfidiſſime blaſphemare non veritus es: ſaltem illud conſideraſſes arcanum, quod in Epiſtola Clementis habetur, quæ aliàs Petri dicitur in ordinatione Clementis, cuius plurima in Decretis & Conciliorum geſtis propter auctoritatem habentur excerpta: vbi clauiger regni cœleſtis Clementem ſibi ordinans ſucceſſorem, poſtquam illius Eccleſiaſtici Principatus miniſterium multis verbis extulerat, cunctos fideles quanta reuerentia illum obſeruare, quo timore reuereri, quo affectu complecti deberent, admonuit. Vbi inter reliqua: *Vos*, inquit, *fratres & conſerui mei, huic, qui præſidet vobis, in omnibus obedire oportet, atque ſummo ſtudio niti, vt omni erga eum vinculo amoris innexi, pleniſſimo erga eum inhæreatis affectu. Rurſus ſi inimicus fuerit Clemens iſte alicui, pro actibus ſuis, nolite vos expectare, vt ipſe vobis dicat: Illi nolite amici eſſe, ſed prudenter obſeruare debetis, & voluntati eius abſque cōmonitione obſecundare.* Et paulò poſt in tui ſimiles maledictionem terribilem comminatur, quæ tuæ iniquitatis merito iam interiora tua intrauit, vt ſubter teſcatet: *Scientes*, inquit, *quod ſi quis hunc contriſtauerit, Chriſtum, qui ei credidit cathedram, non recipit: & tanquam qui Chriſtum non ſuſcipit, non ſuſcipietur in regnum cœlorum.* Et verum terribilius inſonat: *Quicunque contriſtauerit Doctorem veritatis, peccat in Chriſtum, & patrem omnium exacerbat Deum, propter quod & vita carebit.* Hæc tu inde excerpta in Canonibus legere debuiſſes.

Verùm non vno tantùm blaſphemiæ ſacrilegio contentus, ne aliquid intentatum relinqueres, etiā in alterum Monarcham maledicta depromis, Cæſarem væcordiæ ignauiæq; condemnas, vt vtramq; poteſtatem, quibus principaliter hic mundus regitur, blaſphemares, Senatum quoq; Eccleſiæ, videlicet Cardinalium cœtum, tanquam conſilii expertem & temerarium, tu totius orbis cenſor notas & arguis: in vnum, contra quem commiſſum nefarium ſacrilegium defendis, plus cæteris debacchans, & virum ſanctiſſimum, vita & religione, doctrina & integritate incomparabilem, Cardinalem S. Petri ad vincula, infamia conaris aſpergere. Et cùm nihil comperias, quo innocentiam vitæ etiam inimicis percognitam obfuſcare queas, tu omnium factioſiſſimus & procaciſſimus ipſum modo factionis, modo procacitatis accuſas. O linguam maledicam & radicitus præcidendam? Nonne licet cum Propheta clamare: *Diſperdat Dominus labia doloſa, & linguam magniloquam.* Nempe ex illis es, qui dixerunt, *Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt.* Quibus noſter Dominus vere inquit: Tu ex illis es inflatus ſenſu carnis, nullum in terris agnoſcens caput, qui ordinatas à DEO poteſtates blaſphemare te putas impunè.

Cæterùm ne putes, me execrationibus blaſphemiarum tuarum detrectare pugnam, & manum non audere conferre, vel tuos inextricabiles nodos non poſſe diſſoluere, ecce iam ad ſingula feſtinat oratio. Poſtquam noſter Demoſthenes altius quædā de vi conſilii experte ac moderata exorſus, caua verba in modum veſicarum tumentia buccis ebuccinauit inflatis, primum accuſationis caput intendit, queſtus *ſe contra diuinam & humanam legem non vocatum damnatum.* Quod indignum facinus eſſe proclamans exempla producit primi parentis & Cain, quorum alter propter præuaricationem, alter propter homicidium non niſi vocati damni fuere. Subdens ipſum Deum, cui aperta ſunt omnia, vt nos à præcipitante ſententiæ temeritate compeſceret, Sodomos prius perdere noluiſſe, quàm eorum ſcelera manifeſte cognoſceret. Sicque trifaria exemplorum compage, quaſi phalange quadam aciem ſtruit. Verùm nos inualidam ſtruem vno poſſemus arietis ictu concutere, & paria referendo exemplorum ſyluam obiicere. Sed vt ex multis pauca proferamus, Moyſen legimus comperto populi ſcelere, quod palam contra Deum commiſſum erat, nulla accuſatione vel cognitione præuia vindicaſſe, & immane idololatriæ crimen plurima populi ſtrage expiaſſe. Phinees accepimus vltionem non præmiſſa ſententia, cùm agentes contra legem & edictum ante prolatum propria manu transfoderet. Nouimus, Heliam Sacerdotes Balaam prius ad ſupplicium quàm ad iudicium produxiſſe. Eundem ſcimus, Ochoziæ Regis nuntios igne de cœlo impetrato cremaſſe. Par zelus in ſcripturis Eleazari commendatur. Et vt ad recentiora veniamus, conſtat, Petrum Apoſtolorum principem mox prolato mendacio Ananiam & Saphiram morte mulctaſſe. Paulum verò Coapoſtolum eius Cliniam magum reſiſtentem Spiritui ſancto ſubita cœcitate damnaſſe. Et vt efficacius aliquid proferamus, Apoſtolus abſens corpore, ſpiritu præſens, Corinthium excōmunicauit, tradens in interitum carnis, vt ſaluus fieret ſpiritus, nullus adhibitus ſtrepitus fori, nullus iudiciarius ordo, nulla tela iudicii. Nunquid Prophetæ Domini, nunquid Apoſtoli perperam aliquid egerunt?

Ttttt Nunquid

Nunquid præcones legis legem transgressi sunt, vel nuntii portuerunt his, quæ à Spiritu S. edocti erant, aduersa docere? Sunt ergo iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa: quoniã ea-q vlta & vindicata præscripsimus, ita & clara & aperta erant, vt ad tenorem cæterorũ & ædificationem nascentis Ecclesiæ plectendà magis quàm discutienda viderentur: Hoc est quod Canones sæpe proclamant, *Quod nota & manifesta inquisitione non indigent*. Talibus sanctionibus referti sunt Codices: & tu id simulas ignorare. Satis ad excõmunicationem tuam Ambros. in Epist. Pauli sufficiebat auctoritas, dicentis: *Licet iudici nõ sit sine accusatione damnare, quia Dominus Iudam cum fur esset non eiecit: Apostolus tamen cognito Cerinthi opere, eum de cœtu fraternitatis eiecit. Omnes enim sciebant crimen eius, publicè nouercam loco vxoris habebat: in qua re nec opus erat testibus, nec aliqua tergiuersatione tegi poterat crimen*. Vides quantum inter occultum, quale Iudæ fuit, & manifestum quale Cerinthi, crimen intersit. An verò inficiari poteris crimen tuum non fuisse notorium? qui palam criminosum & sacrilegum Sigismundum in crimen confouebas, qui in elusionem Ecclesiasticæ districtionis damnatam appellationem emiseras, qui eam ipsam per vrbes, oppida, plateas & vicos palam iactitabas. Nec verò calumnieris, id non permanentis facti fuisse notorium. Non enim distat euidentia facti ab eo, qui in publico opere, & quidem participatione continua criminis suum etiam reatum publicè confitetur, & (quod deterius est) Dæmonum imitando duritiem iure factum esse contendit, quod publicis sanctionibus nouerit esse damnatum. Verùm vt intelligas te omnino non sapere, & vix prima legum & Canonum rudimenta gustasse, intellige q̃ vel omnino nescis, vel te scire dissimulas. Inter modernos veteresque iuris interpretes fuit sæpe tractatum, an in re notoria, de qua Canones loquuntur, sit prẹmittenda citatio? In quo quidem inter notorium & manifestum iuris, & notorium facti distinxerunt: Omnes tamẽ in eam sententiam conueniunt, vt si tale sit factum & tam manifestum, vt nulla ad eius probationem indagine opus esse videatur, nec possit aliqua tergiuersatione cælari, contra quod nec vlla competere possit defensio, quia id criminosus agat, quod iam cõstat esse damnatum, nullam exigi citationem. Pro quo expressi Canones allegantur, quos tu nisi inscitiam tuam fateri volueris, ipse cõperies. Rursus & id conuenit inter eos, quod vbi apud iudicem & in iudicis conspectu delinquitur, potest is quidem id mox damnare, ac plectere delinquentem minimè citatum. At in te quis negare potest vtrumque concurrere, qui non solum factum damnatum vetitæ appellationis palam admiseras, verùm in iudicem & iudicis præsentiam plus quàm notoriè deliqueras: qui in Pontificis curia funestas schedulas appellationum in basilicarum foribus platearumque porticibus appendi curaueras?

Verùm ne tibi inter opinionum varietatem contentionis relinquatur occasio, aliud tuæ garrulitati responsum opponamus, quod te scio toruo oculo & elato supercilio auditurum. Disce miser, inter principalem & priuatam multum distare iudicandi potestatem. Formam iudiciorum cæteris esse præfixam, ad temeraria coërcenda iudicia. Principem verò legibus solutum formæ non subiici: atque proinde quicquid censeatur in aliis, tamen liberè atque intrepidè confitendum, processum atque sententiam Pontificis summi in notoriis absque citatione valere, præsertim vbi notorietas ipsa resurgit ex his, quæ acta sunt coram eo. Hæc non nostra, sed probatissimorum Iurisconsultorum verba sunt, quorum in scholis & iudiciis grauissima fuit auctoritas atque sententia. Attende simile aliquid in iure scripto, reperies testamentum, quod exactam scrupulosamque solemnitatem exigit, ex Principis præsentia sine vlla obseruatione vires assumere, propter principalem præsentiam cuncta supplentem, quæ formæ à lege introductæ non subditur. Ex hac quidem auctoritate Gelasius Papa Sillanos in ius non vocatos, ob notorium proprii antistitis parricidium damnauit. Innocentius III. electionem Philippi ad imperiũ, Henrici persecutoris Ecclesiæ stirpe progeniti, licet non citati, ob notorium defectum iure dicit improbatam. Innocentius IV. Clericos, qui Friderico fatali Ecclesiæ hosti adhæserant. Clemens IV. auctores cædis Siluani Episcopi, & idem eos, qui Conradino paruerunt, anathematis mucrone & temporalium mulctatione damnauit: sicut nos vel ex Canonibus, vel ex Pontificum gestis agnouimus, quæ si quis curiosius perscrutetur, exempla plura reperiet. Scio te inclamaturum, & more, quo soles cuncta censere, dicturum, *ad adulationem Pontificum ista prescripta*. Verùm quis loquacitati tuæ plura tribuet, quàm probatissimis Iurisconsultis?

At nunc missa omnia priora faciamus. Tu qui tibi vtriusque juris vendicas principatum, tuam aliquando inscitiam (ne dicam ruditatem) agnosce, atque intellige, te aristas tantùm in studiis messuisse. Nonne intelligis permagni referre, an de crimine contra quempiam inquiratur, vt damnetur, vel tantum declaretur, aliquem suo facto damnatum in pœnam à iure aut statuto promulgatam incidisse. Non enim aliquid noui facit, qui declarat, non damnat, non pronuntiat, sed aliquem in pœnam iam legis constitutione irrogatam incidisse denuntiat. In quo casu constat, non exigi citationem, cùm non sententiam ferre, sed magis sententiam à iure latam judex exequi videatur. Quod vsque adeo tenuere Doctores, vt censuerint excommunicatum siue monitioni subditum eo casu, quo à iure vel statuto excommunicatus apparet, non incurrere pœnam à Canonibus inflictam. Hoc iuris interpretes constanter affirmant: quos si forte non legeris, tuam ignorantiã fateare; si verò legisti, dolum atq; perfidiam confiteri necesse est, qui generalibus vulgatisq; etiam apud pueros diuini testimonii exemplis odiũ & inuidiam Romano Pontifici concitare voluisti. Iam igitur obtrectator absolue te ab hoc nexu, si potes.

Pridem

Pridem fuerat generali constitutione sancitum, & quidem æquissimè, vt infra subdemus: *Ne quis in elusionem ecclesiastica censura ad futurum Concilium, sub pœna anathematis & læsæ Maiestatis appellaret.* Appellasti, & quidem notoriè, & appellationem etiam palam non tam insinuare quàm inculcare curasti. Declarat te Pontifex pro eo, quod damnatum iam facinus admisisti, in spiritales ac temporales pœnas à lege inflictas incidisse. Quid habes, quod conqueraris? quid quod detesteris, quid quod inclames diuina & humana iura violata? te non citatum, ob illa quæ non solum publicè confiteris, sed tumentibus buccis in cœtu Principum te fecisse gloriaris. Satis superque, satis te blasphemiæ & procacitatis arguimus, & obiectam diuini iuris violati calumniam confutauimus vtriusque Testamenti exemplis. Ostendimus facinorosos homines pro manifestis criminibus sine vllo iudiciario ordine potuisse damnari: & probauimus, delictum tuum omnibus fuisse notorium, in conspectu summi iudicis & contemptum Apostolicæ Maiestatis admissum: ab eo prolatum esse iudicium, qui supra ius constitutus iuris ordini & formæ non subditur. Postremò, non ab homine neque per hominem, sed ex lege & per legem, merito tuæ iniquitatis te fuisse damnatum. Superest, vt reliquas inuectiuarum tuarum partes percurrentes, non solùm procacem te atque maledicum, sed etiam hæreticum & infidelem, ex ipsis tuis sermonibus conuincamus.

Prosequamur igitur reliqua, & ne nos carpendi studio aliquid confingere suspicetur, ipsa prout locutus es, verba proponamus. *Quam tenuem*, inquit, *etiam exorsus, quam debilem texit rationem, quæso videte. Saluator*, inquit, *noster Petrum Apostolorum Principem ad gubernationem Ecclesiæ substituit, &c. Quis ignorat omnibus Apostolis à Iesu esse præceptum, vt eandem orbem prædicaturi fidem, baptismum & salutem? Quis nescit passim omnibus esse promissum, ligatum in cœlis quod ipsi ligarent in terris, & solutum esse, quod soluerent. Sed quod Cephæ singulariter dictum est, Tibi dabo claues cœlorum, hoc ait Hieronymus esse factum, vt schismatis tolleretur occasio.* Et Ambrosius in suo Pastorali dicit: *Quod nedum Petro trina rogatione interrogato, an amaret, ac trina responsione subsequente, amare se teste ipso interrogatore Iesu, traditas sibi esse claues, sed omnibus ipsis contraditas, Apostolosque post ascensionem Domini conuenisse, ac Petrum sibi Principem constituisse, & Antiochia in cathedra collocasse referuntur. Nihil tamen de potestate vniuersis Apostolis à Saluatore data, ipsorum omnium vniuersali missione diminuerunt. Ergo & hodie exorat Ecclesia Catholica, sese per Apostolos ipsos continua protectione custodiri, quos Saluator ipse vicarios tanti operis constituit præesse Pastores. Horum legitimos successores constat esse vniuersalia Concilia, Christianæ fidei fundamenta, quæ Pontificum actiones pro tempore saluberrimis doctrinis instruxerunt, errores emendarunt. De quibus summus ille Pontifex Gregorius scribit: Quisquis illa destruere tentaret, seipsum destruit. Sed quorsum hæc? Eo certè pertingunt, vt conuellatur illa superstitio, in qua Pius Papa factionibus Cardinalis Cusani astruit, Concilium supra Papam non esse, dum dicit, (vt eius verbis vtar) ad futurum Concilium appellari non posse, quod supra Christi vicarium esse nequit. Videte ergo quam vim consilii exsortem Papa inferre tentauit. Nam si omnes Apostoli sunt missi à Domino Iesu, dicente illis, Ite in orbem, quodcunque ligaueritis &c. quos constat postea conciliariter congregatos, ac ipsum Cepham in messem Domini misisse, quis dubitat Concilia sacra vicem Christi gerere, quæ cœtui Apostolico successisse comprobantur, siquidem orbis maior est vrbe.* Hæc sunt illius portenta verborum. Miror profectò, cùm apud Aurelium Augustinum legerim, nullam falsam esse doctrinam, quæ non aliqua vera permisceat, Gregorium in tantam prolapsum esse væsaniam, vt breui verborum serie pene quasi plura expresserit vitia, quàm verba: sicut quisque facile percipere potest. In ipso namque sermonis huius exordio pariter Apostolis Ecclesiam fuisse commissam, ex missionis, Baptismi ac prædicationis communione coniectat, ipsosque in traditione clauium parem potestatem accepisse profitetur. Tum verò ob hoc vni singulariter claues esse permissas, vt schismatis tollatur occasio, Apostolum Petrum apostolica & humana institutione Cathedram & prælationem accepisse. Et ne dubium relinqueretur ex præmissis, primatum Petri negasse, etiam veterum hæreticorum ab arcanis vsque depromptum de missione Petri argumentum inducit, innuens maiorem misso esse mittentem. Inde transuolans ad alia, vt quem singulis æquauerat Apostolis, in vnum collectis ostenderet fuisse minorem, vniuersalia Concilia (vt ineptiis suis vtar) Apostolorum dicit legitimos successores. Quorum auctoritatem extollens tria planè infert ridicula: Concilia Christianæ fidei fundamenta, Pontificum actiones instruxisse, & errata correxisse, eadem vicem Christi gerere, & ab illo potestatem accipere, ac propterea Petro illiusque successoribus superiora esse contendit.

Sequamur ordinem propositionum suarum, veniam (vt opinamur) à legentibus impetraturi, si paulò altius principia repetentes sermonem longius protendamus. Necesse est enim, vt vana procacitas, quæ sibi non legum tantùm & Canonum, sed omnium diuinarum atque humanarum rerum arrogat sapientiam, non diuinis solum atque humanis testimoniis, sed ex ipsis quoque naturæ principiis reuincatur, vt iuxta Apostolum se euanuisse in cogitationibus suis & obscuratum insipiens cor eius agnoscat, qui cùm dixerit se sapientem, stultum se factum intelligat. Credere te Gregori arbitramur, Ecclesiam Christi, quæ in hoc mundo peregrinatur ex fide viuens, aliquo ordine esse distinctam, vtpote ab eo constitutam, cuius perfecta sunt opera, quique hanc legem naturæ indidit, vt infima summis, & summa infimis per media copulentur, qui ordinem cœlis ac terris dedit. Nam cùm dicat Apostolus, *Quæ à Deo sunt, esse ordinata*, aut Ecclesiam ex Deo non esse, aut ab illo ordinatam esse oportet, præsertim cùm illam Spiritus sanctus vocet in Canticis, *Castrorum aciem ordinatam*, & superiori Hierarchiæ dicatur exemplata diuinitus,

uinitus, in qua (vt scribit Gregorius) cœlestium militiarum exempla nos instruunt. Quia dum sunt Angeli & Archangeli, liquet non esse æquales, sed ordine & potestate discretos. Nec enim vniuersitas posset alia ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam talis, qua totum corpus sanum sit, & quæque organa suis fungantur officiis, differentiæ ordo seruaret. Porro si ordinem non diffiteris, magis ex naturæ principiis, quibus tamen per omnia non in vno solo, quod præoptas, non solum ex diuina institutione, sed ex ipsis quoque naturæ principiis, cuiusuis politiæ recto regimine vnum caput, vnius ecclesiastici corporis, vnum Principem sanctæ ciuitatis, vnum monarcham ecclesiasticæ hierarchiæ, vnum Pastorem dominici gregis atque ouilis in terris fateare necesse est. Nam cùm omnis ordo sit multorum in gradibus differentium, & idipsum sit secundùm prælationem & subiectionem, ad vnum tantum deueniri necesse est, in quo finis statusque consistat, vt euitetur infinitas: quem supremum in Ecclesia Principem atque Rectorem esse constat, in quo & ex quo totius Ecclesiæ potestas & status. Vbi enim vnitas, ibi perfectio: reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisiones ab vnitate recedentes. Porro vt Aurel. August. ait, *Multis præponitur vnum. Non enim à multis vnum, sed multa ab vno.* Cæterùm nemo tam iniquus existimator esse potest, vt regimen Ecclesiæ minus ordinatum esse credat, quàm naturæ: cùm gratia supergrediatur superetque naturam. Quod si in his, quæ à natura sunt, omne regimen naturale ad vnum dirigitur principale, quod regit, vt in corpore multa membra varietate compacta vnius capitis sumunt influxum, & de fonte vno riui plurimi defluunt, & multi arboris rami ad vnum stipitem reducuntur, & multi stipites vna radice figuntur, & inferioris corporis motus vno primo mobili mouetur & regitur, quis non credat, Ecclesiam diuersis gradibus in vnum Christi corpus vnitam, vno in terris capite gubernari? Præsertim cùm dicat Propheta: *Congregabuntur filii Iuda & filii Israel pariter, vt ponant sibi caput vnum.* Probat autem ratio finis, qui pax est, & vnitas subditorum, quæ quidem nisi ab vno & per vnum consistere rectè non posset. Ad hoc enim diuina prouidentia gradus & ordines constituit esse distinctos, vt ex reuerentia inferioris ad caput vera concordia fieret, & ex diuersitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. Quod etiam Philosophorum Princeps in Metaphysicis recognouit, dicens: *Entia nolle male disponi. Pluralitatem principatuum malam.* Necessario igitur vnum Principem esse fatendum. *Natura enim principiorum amat singularitatem*, vt beatus Augustinus ait: Ita vt ipsius singularis principatus bonum etiam quibusdam ingerat animantibus, vt in apibus vnus principetur. Et sicut beatus quoque Hieronymus ait, grues vnam sequuntur ordine literario. Hoc nobis repræsentat ad Moysen de figura cœlestis hierarchiæ diuina præceptio dicens: *Omnia fac secundum exemplar tibi in monte monstratum.* Et visio Ioannis in Apocalypsi reuelata, qui ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cœlo se vidisse perhibuit: quam figuram clarus ille Doctor, Claræuallis Abbas eximius Bernardus exponit, dicens: *Non vilis putanda est forma terrestris Hierusalem, quæ formam habet à cœlo, vt sicut ibi Seraphin & Cherubin & cæteri ordines sub vno capite Deo, ita & hic Patriarchæ, Archiepiscopi, & reliqui sub vno summo Pontifice.* Hoc denique ratio vnitatis insinuat, vt vnius corporis vnum caput necessariò prædicetur. Nam si secundùm Apostolum vnum corpus multi sumus, & vnam esse Ecclesiam Spiritus S. in Canticis, consequens est, quod beatus ac facundissimus Martyr Cyprianus ait, cuius verba tuam de parilitate Apostolorum hæresin transfodiunt atque confundunt: Inquit Dominus ad Petrum: *Ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Super vnum ædificat Ecclesiam. Et quamuis omnibus Apostolis post resurrectionem parem potestatem tribuat, dicens: Sicut me misit pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum. Tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem sua auctoritate disposuit.* Et post pauca: *Exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia Christi vna monstretur, quoniam vnam Ecclesiam Spiritus S. in Cantico Canticorum ex persona Christi designat, & dicit: Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ filia, electa genitrici.* Hoc denique Christi institutio nobis insinuat, qui velut pastor bonus oues errantes collecturus aduenerat, & vnitatem nobis ostendens de diuina auctoritate venientem, ait: *Ego & Pater* secundùm diuinitatem *vnum sumus.* Ad quam vnitatem redigens Ecclesiam suam, dicit: *Erit vnum ouile & vnus pastor.* Qui cùm in tantum dilexisset Ecclesiam, vt propter nimiam charitatem sanguinem suum profuderit, nusquam putandus est illi in necessariis defuisse. Cùm & de Synagoga per Isaiam ipse prædixerit: *Quid vltra facere debui vineæ meæ, & non feci?* Defuisset vtique, si ascensurus ad Patrem, & corporalem præsentiam suis fidelibus subtracturus aliquem non substituisset, qui vice sua vniuersali Ecclesiæ præsideret, & cum illa visibiliter versaretur, ac vniuersa Rectoris impleret officia. Ne ergo vllo munere illi deesset, ipsius curam Apostolorum Principi Petro commisit, qui suæ fidei stabilitate cæteros in Christiana religione firmaret. Propter quod illum ante passionem admonuit, dicens: *Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Et post passionem gregem sibi commendans: *Pasce*, inquit, *oues meas.* Quæ verba exponens Bernhardus præclarus Doctor Ecclesiæ, in opere insigni, quod ad Eugenium Papam de consideratione conscripsit: *Sunt*, inquit, *quidem & alii cœli ianitores, & gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto & differentius præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi assignantur. Nec modo ouium, sed & Pastorum tu vnus omnium pastor. Vnde probem quæris? Si me amas, Petre, pasce oues meas. Quas? Illius vel illius populi, ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum est, non designasse aliquas, sed designasse omnes. Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Et*

forte præ-

forte præsentes & cæteri discipuli erant, cùm committens vni vnitatem omnibus commendaret in vno grege & vno pastore, secundùm illud: Vna est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Et post pauca: *Inde est, quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes Sacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem credens. Pulchrè verò ibi positus est suscitare semen fratris defuncti, vbi occisus est ille: nam dictus est frater Domini. Petro cedente, Domini fratre, quis se alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo (iuxta Canones tuos) alii in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem vocatus es potestatis. Aliorum potestas certis artatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui super alios potestatem acceperunt.* Audis igitur, quæ Doctor eximius loquitur, ex quo discere potuisti, Petri potestatem à cæteris Apostolis & vniuersitate & prælatione discretam: cùm illi singulis, iste vniuersis plebibus & ipsis quoq; Apostolis, (quos ex ouibus Christi, & Petro commendatas fuisse nemo ambigit) prælatus extiterit. Scio te frontem contracturum, & (sicut assoles) nos Horatiano sale decisurum atque dicturum: *Troianum gemino bellum ordiris ab ouo.*

Sed tua nos coëgit impudentia, qui coruscante Euangelio, & totiens in consortibus tuis damnatis hæreticis, singularem Petri in vniuersalem Ecclesiam potestatem diffitentibus, tu eandem palam ingerere & refutare curasti. Audi igitur vel inuitus, quos prædictus Doctor ex Euangelio typos annectit, quos recensendos existimo, quo magis confutetur tua insania. Accipe (inquam) illud, quo nihilominus idipsum confirmatur. *Discipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore, quodq; iucundius erat in corpore rediuiuo. Sciens Petrus quia Dominus est, in mare se misit, & sic venit ad ipsum, aliis nauigio peruenientibus. Quid istud? Nempe signum singulorum Pontificatus Petri, per quod non nauim vnam, vt cæteri quisque suam, sed seculum ipsum susceperit gubernandum. Mare enim seculum, & naues Ecclesiæ. Inde est, quod altera vice instar Domini gradientis super aquas, vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse debet. Siquidem aquæ multæ populi multi. Ita cum quisq; cæterorum habeat suam, tibi vna commissa est grandissima nauis, facta ex omnibus ipsa vniuersalis Ecclesia toto orbe diffusa.*

Cùm igitur superiorum omnium ratio deducta concludat singularem Petri in vniuersalem Ecclesiam potestatem, quæ & in naturis ostenditur, in cœlo exemplificatur, in operibus typicè demonstratur, & in toto corpore mystico obseruatur, & in lege diuina ac Euangelio commendatur: Tu tamen, virorum acutissime, ausus es quibusdam verborum strophis illam parilem cæteris Apostolis iudicare, atque ex humana magis quàm diuina institutione, vel ab Apostolis sine imminutione propriæ potestatis, vel consensu Ecclesiæ in remedium schismatis, attributam asserere: illud in tui erroris argumentum adducens, quod *cæteris quoque Apostolis claues* (vt tuis vtar verbis) *contraditæ fuerint.* Ad quod licet per superiora monstrauerim, ita reliquis traditas claues, vt tamen Petro præ omnibus, & pro omnibus ante tradiderit, ita à se petra Petri nomen indicens, & in illo huius muneris Sacramentum imponens, vt non nisi per Petrum velut à capite in eos sit deriuata potestas, eaque non vniuersaliter, sed certis coartata limitibus; trium tamen sanctorum Patrum super ea re visum est tibi explicare sententias, vt eorum mentes ædificent, quos forte verborum tuorum virus infecit. Possemus quidem infinita congerere: sed cui pauca non sufficiunt, nec multa proficiunt. Primus igitur excitetur beatus Martyr Anacletus, vicinus Apostolorum, atque ipsius Petri successor: qui tuæ respondens insaniæ, in decretali Epistola ita præfatur: *Sacrosancta Romana Ecclesia & Apostolica, non ab Apostolis, sed ab ipso Saluatore primatum obtinuit, sicut beato Apostolo dixit: Tu es Petrus.* Et post aliqua: *Inter beatos Apostolos quædam fuit discretio potestatis, & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen concessum est à Domino, & ipsi inter se voluerunt idipsum, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, caput & principium teneret Apostolatus.* Exsurgat & Canonis lator, veritatis præco, Leo Papa in Canone dicens: *Ita Dominus noster Iesus Christus humani generis Saluator instituit, vt veritas, quæ antea legis & Prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem vniuersitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines terræ verba eorum. Sed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summum principatum collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exsortem se ministerii intelligeret esse diuini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium indiuiduæ vnitatis assumptum, quod erat ipse, Dominus voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, vt æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate existeret, hanc Ecclesiam sua etiam corroborans firmitate, vt illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ inferi contra illam præualerent.* Et continuo, quasi Gregorium hæreticum & blasphemum spiritu præuidens, adiecit: *Verum hanc petræ istius sacratissimam firmitatem Deo (vt diximus) ædificante constructam, nimis impia vult præsumtione violare, quisquis eius potestatem tentat infringere, id quod accepit à veteribus non sequendo.* Clangat nunc tuba Euangelii, tuba (inquam) sacerdotalis, qua clangente sicut olim muri Hiericho, ita Nestoriana atque Eutychiana propugnacula corruerunt. Magnus ille Leo, quem Chalcedonensis Synodus columnam fidei, Oecumenicum atque Apostolicum acclamauit, cuius auctoritati Canon tantum attribuit, vt si quis eius dicta vsque ad iotam scrutari voluerit, & non in omnibus reuerenter receperit, anathema sit: is ergo in sermone de ordinatione sua, de primatu Petri sic loquitur: *Vtile ac dignum est, ad beatissimi Apostoli Petri gloriam contemplandam aciem mentis attollere, qui ab ipso omnium chrismatum fonte tam copiosis est irrigationibus inundatus, vt cum multa solus acceperit, nihil in quenquam sine illius participatione transierit.* Et iterum in eadem: *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ partibus præponatur: vt quamuis in*

populo Dei multi Sacerdotes sunt, multiq; Pastores, omnes tamen [illegible] *regat Petrus, quos pri*[illegible] *stus. Magnum & mirabile huic viro consortium potentiæ suæ tribuit diuina dignatio,* [illegible] *mune cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicunque aliis non ne*[illegible] *ca: Ego dico tibi, quia tu es Petrus: hoc est, sicut tibi Pater meus manifestauit diuinitatem m*[illegible] *tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id est, cum ego sim immobilis petra, ego* [illegible] *qui facio vtraque vnum, ego fundamentum præter quod nemo potest aliud ponere: tum tu quoque* [illegible] *mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi participatione communia. Et* [illegible]*: Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcunque ligaueris &c. Transiuit quidem & in alios Apostolos ius potestatis istius, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti huius constitutio commigrauit: sed non frustra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro ideo singulariter hoc creditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma proponitur.* Quid ergo hoc testimonio firmius, quid hac assertione stabilius esse potest? Et post hæc tanta testimonia non erubescit insaniens, paritatem in Apostolis potestatis atque iurisdictionis asserere, & in augmentum sui erroris etiam impia veterum hæreticorum argumenta non veretur congerere. Sic enim in superioribus dixit: *Apostolos conciliariter congregatos, & ipsum Cepham in messem Domini transmisisse,* quasi superioritatem ex missionis authoritate pronuntians. Hoc idem pronuntians argumentabatur impius Arrius, adstruens in diuinis personis inæqualitatem subesse, pro eo quod *Filius & Spiritus sanctus mitti* dicuntur. Ignorabat quippe, quod tu quoque ignoras, aut ignorare te simulas, triplicem missionis modum, vel secundum authoritatis imperium, prout Dominus seruum emittit, vel secundum originem, prout florem arbor producit (ex quo sensu *missio* licet sublimius atque ineffabilius dicitur in diuinis) vel secundum consilium, prout Consiliarii Regem mittere dicuntur ad bellum, cùm tamen cunctorum ipse sit Dominus. Adiicere nos possumus missionem secundum amorem. His duobus extremis modis Samariam ab Apostolis missus est Petrus, consilio quidem illorum atque suasu, & amore eorum, ad quos mittebatur impulsus, cùm inter Apostolos maiori auctoritate atque miraculorum gratia coruscaret. Hæc quidem dicimus damnantes sermones tuos: neque enim aliam Petri in messem Domini legimus missionem. Nam si forte Romam Petrum ex Antiochia à reliquis Apostolis asseris transmissum fuisse, quam te continuo mendacii falsitatisque conuincat Eusebius Cæsariensis historiæ Ecclesiasticæ scriptor illustris, Marcellus Papa ac Martyr insignis, & magnus ille Leo vir authoritatis incomparabilis, qui diuina reuelatione & Dei instinctu ad oppugnandum Simonem Magum testantur esse profectum. Sic namque secundo Ecclesiasticæ historiæ libro testatur: *In ipsis Claudii temporibus diuinam clementiam probatissimum omnium Apostolorum, & maximum fidei magnificentia meritoque virtutis Principem, Petrum ad vrbem Romam velut aduersum humani generis perniciem communem deduxisse.* Marcellus quoque beatissimus, scribens vniuersis Episcopis per Antiochiæ constitutis prouinciam, in hæc verba consentit: *Rogamus vos dilectissimi, vt non aliud doceatis quam quod à beato Petro & à reliquis Apostolis accepistis. Ipse enim est caput totius Ecclesiæ, cuius sedes primitus apud vos fuit, quæ postea iubente Domino Romam translata est.* Leo quoque ad Petrum dirigens sermonem ita testatur: *Iam Antiochenam Ecclesiam (vbi primum Christiani nominis dignitas exorta) fundaueras, iam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleueras. Nec aut dubius de prouentu operum, aut de spatio tuæ ignarus ætatis triumphum crucis Christi Romanis arcibus inferebas.* Quodque diuinis præparationibus anteibant & honor potestatis & gloria passionis, meritò dixit, *diuina præordinatione id ante fuisse statutum,* in quantum per Isaiam antea fuerat prophetatum, vrbem Romam orbis caput iugo Christi per Apostolorum Petri & Pauli prædicationem subigendam. Sic enim prophetauerat: *Ciuitatem sublimem humiliabit & conculcabit eam pes pauperum,* scilicet Christi, *& egenorum,* id est, Apostolorum Petri & Pauli, vt sacri exposuêre Doctores. Cui sententiæ adstipulatur & beatus Ambrosius Doctor, diuinitus institutum fuisse confirmans, *vt in vrbe Romana, quæ caput obtinet Nationum, vno die & sub vno persecutore Apostolorũ Principes paterentur, & vbi erat caput superstitionis, illic caput quiesceret Sanctitatis: & vbi gentilium principes habitabant, illic Ecclesiæ principes morarentur.*

Vides ergo, qui aliis obiiciebas, *tenuem telam esse contextam,* te nec tenuem quidem vanissimis argumentationibus texere potuisse, sed dum adhuc ordiretur, præcisam esse. Somniasti namque Petrum conciliariter fuisse transmissum: cùm in Apostolico Concilio Petrus primus sententiam tulisse legatur: nec ipsum ab Apostolis & senioribus tunc conuenientibus Antiochiam missum, sed Barnabam & Sillam sacra Apostolorum actuum testetur historia. Ex Chrysippi aut Theophrasti te credo acumine argumenta talia mutuatum: ex quo genere illud dici potest, vt arguas Ecclesiam non vni capiti, sed omnibus pariter Apostolis fuisse commissam, pro eo quod *hodie vsque oret Ecclesia, eorum protectione defendi.* Quod si ita est, nullum ordinem mansionum, nullam graduum differentiam arguamus in cœlis: cùm Ecclesia per singulas horas in communi commemoratione Dominum deprecetur, vt *quorum merita recolit, eorum sentiat patrocinia.* Ergo iam stella à stella non differet in claritate, & falsa diuersitas mansionum in cœlo in Euangelio repromittitur. Illud verò qualis impudentiæ? vt beatum Petrum ab Apostolis Principem constitutum sine propriæ diminutione potestatis asseueret, ex ipso constitutionis verbo Petri primatum ex Apostolica magis quàm diuina institutione manasse significat: ac si cœtus aliquis aut collegium Prælatum sibi præficeret. Improbissimè hæreticorum, quis ista te docuit? Cùm oẽs verè Euangelii textus Apostolorũ electione, inter quos Petrus nõ vocatione, sed digni-

ſed dignitate dictus eſt primus, vſque ad aſcenſum Domini Saluatoris, Petri principatum aut promiſſum, aut figuratum, aut redditum eloquatur, vbi omnium cura immeditate committitur, *Paſce oues meas.* Quo verbo, vt beatus Chryſoſtomus ſcribit, ſignanter expreſſit, *Loco mei prepoſitus & caput eſto fratrum tuorum.* Nonne hæreſin tuam diſertiſſime Nicolaus confutat in Canone dicens: *Non qualibet terrena ſapientia, ſed illud verbum, quo conſtructum eſt cœlum & terra, per quod omnia condita ſunt elementa, Romanam fundauit Eccleſiam, cuius priuilegium ab ipſo ſummo capite Eccleſiarum traditum, qui auferre conatur, hic proculdubio in hæreſin labitur.* Et eadem de Conciliis, à quibus quidam temere prælationem Eccleſiæ Romanæ conceſſam aſſeuerabant, teſtatur beatus Pelagius dicēs: *Quamuis vniuerſa per orbem Catholicæ inſtituta Eccleſia vnius thalamus Chriſti ſint, tamen ſancta Romana Eccleſia Catholica Apoſtolica nullis Synodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini & Saluatoris primatum obtinuit.*

Patet igitur, Apoſtolos non inſtituiſſe Petri primatum, ſed Dominicæ atque Euangelicæ inſtitutionis, quam nouerant executos, illi humiliter detuliſſe. Sicut beatus Anacletus in Canone, *Licet,* inquit, *omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen conceſſum eſt à domino, & ipſi inter ſe voluerunt idipſum, vt reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis.* Notandum verò, quam fallaciter beati Hieronymi teſtimonium inducat, vt aſſerat vni ad ſchiſma ſubmouēdum ſingulariter claues Eccleſiæ permiſſas, id eſt, quaſi hæc ſola fuerit diuini altitudo conſilii, Petrum præficere, vt ſcandala ſubmoueret. Non illi ſatis eſt hæreticum eſſe, niſi probatiſſimo omnium Catholicorum tractatorum ſimilem notam infligat. Audi miſer, quid Hieronymus ſentiat, hoc nempe quod cæteri, & quod ex illius auctoritate Gloſſa ordinaria ſcribit ſuper Matthæum: *Specialiter Petro claues conceſſit, vt ad vnitatem nos inuitaret. Ideo enim Principem Apoſtolorum conſtituit, vt Eccleſia haberet vnum principalem Chriſti vicarium, ad quem diuerſa Chriſti membra recurrerent, ſi fortè inter ſe diſſentirent. Quod ſi diuerſa forent in Eccleſia capita, vnitatis vincula rumperentur.* Nonne & tibi videtur, & vnitatis cauſam, & fidei conuenientiam, & in vicariatu Chriſti plenitudinem poteſtatis & myſtici corporis caput contra caput ſchiſmatis breui verborum ſerie coniunxiſſe? Si id tibi non ſufficit, & Hieronymi de primatu Petri vis plenius noſſe ſententiam, ex aliis mutuare codicibus. Sed videbis in Commentariis ſuper Matthæum dicentem, *Simonem propter fidem in petram Chriſtum, Petri ſortitum eſſe vocabulum: ac ſecundum metaphoram illi dictum, Ædificabo Eccleſiam meam: in quo manifeſte primatus ipſius ſuper totam Eccleſiam deſignatur.* Intuere eundem ſcribentem ad Terentium, de vera circumciſione, & Noui Teſtamenti Patres Patribus veteribus comparantem, Petrum Apoſtolum Abrahæ præferentem, *vt ſicut illi generatio larga promittitur, ita huic generatio paſcenda traditur, & cum ab illo iuſtificando procedant, in hoc iuſtificato fundantur.* Et multa percurrens, Petrum *dominici gregis Paſtorem, Eccleſiæ fundamentum, Apoſtolorum verticem* clariſſimè profitetur. Lege rurſus hæretice, quemadmodum apud Petri ſucceſſorem Damaſum fidem exponat: *Ego,* inquit, *nullum primum niſi Petrum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communicando conſortio, ſuper illam petram fundatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt à lege.* Iterum cum in libro Virorum illuſtrium tantum auctoritatis Petro attribueret, vt ab eo conſummatum Euangelium eſſe teſtetur; *Scripſit,* inquit, *Marcus Euangelium Romanis, rogatus à fratribus: quod cum Petrus audiſſet, probauit, & Eccleſiæ legendum ſua auctoritate dedit.* Ad quod Clementis etiam Papæ inducit teſtimonium. Audi denique illum ad Auguſtinum de cap. ad Galatas diſſerentem, tantum Petro tribuere, vt ſuper illo, *Aſcendi autem ſecundum reuelationem & expoſui eis Euangelium,* dicat, Paulum hiſce ipſis verbis oſtendere, non habuiſſe ſecuritatem Euangelii prædicandi, niſi Petri & eorum, qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum: Talia legens aut audiens de fine Catholico, deſine hæreticorum proſecutioni tuæ participationis inferre calumniam. Quæ eſt enim ſocietas lucis & tenebrarum, conuentio Chriſti ad Belial, quæ pars fidelis tecum, hominum perfidiſſime? Alterum rectius Hieronymum pro ſimili errore Conſtantiæ damnatum allegare debueras, ſi tibi credi volebas. Nam de beatiſſimo viro, quod minus recte de eccleſiæ inſtitutione ſenſerit, refugiunt aures Catholicorum audire.

Et quoniam beato quoque Ambroſio ſimilem tentaſti inferre calumniam, cum illum Paſtorali dixiſſe refers, *omnibus Apoſtolis claues vna fuiſſe contraditas,* diſce miſer illum ita affirmare claues Apoſtolis pariter eſſe contraditas, vt tamen intelligat Petrum præ omnibus & pro omnibus claues regni cœlorum accepiſſe: vt & vnitas & prælatio demonſtraretur in Petro. Quod ex ipſius ſcriptis in pluribus licet cognoſcere, quibus illum fundamentum Eccleſiæ, totius dominici gregis paſtorem eſſe commemorat: cuius prælatio typice figuratur, cui nauis regendi committitur, vt totius corporis Chriſtianitatis compagem molemque contineat. Cogis nos de multis pauca proferre. Illuſtris ille Doctor in Commentariis ſuper Lucam exponens eum locum, in quo Dominus in nauiculam Petri conſcendiſſe perhibetur. *Non turbatur,* inquit, *nauis quæ Petrum habet: turbatur illa quæ Iudam habet.* Et poſt pauca: *Quemadmodum enim turbari poterit, cui præerat is, in quo fundamentum Eccleſiæ eſt.* Et deinde illius primatum in agnitione ac determinatione fidei attollens, ait: *Denique & aliis imperatur, vt laxent retia in capturam. Soli tamen Petro dicitur, Duc in altum, hoc eſt, in profundum diſputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem diuinitatis videre, id eſt, ſcire Dei filium, & profeſſionem diuinæ generationis aſſumere?* Idem quoque de Apoſtolorum Principibus Petro & Paulo, quod emineant inter vniuerſos Apoſtolos, & peculiari quadā virtute pcellant, ſatis euidens profert & omnibus notum teſtimoniū, in quorū Martyrio

Romanæ Ecclesiæ primatum ac singularem indicat dignitatem, vno loco illos occubuisse perhibens, *ne alteri Roma deesset, atque in vrbe quæ principatum & caput obtinet nationum, vt illic caput quiesceret sanctitatis.* Et reliqua leguntur in Canone, quæ principatum Apostolicæ sedis insinuant. De cuius principatus mystica in Euangelio figura alio loco sic loquitur: *Est aliud piscandi genus, quo genere solum Petrum Dominus piscari iubet, dicens; Mitte hamum, & eum piscem, qui primum ascenderit, tolle.* Vbi satis aperte demonstrat, per hamum intelligi iurisdictionem, qua Petrus præfuit vniuersis. Denique vt nulla tibi relinquatur tergiuersandi occasio, ac fatearis Ambrosium publice esse testatum, Petrum totius fuisse gregis pastorem, qui firmamentum sit Ecclesiæ institutum, & non vnius tantum partis, sed totius Christianitatis velut mystici corporis compagem molemque continere, audi mihi hunc ipsum in Homilia apertius protestantem: *Maiorem inquit, gratiam Petrus reperit, postquam fidem se perdidisse defleuit. Tanquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit; vt is, qui sibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate eleuationis Ecclesiarum Petra dicitur, eo quod prius in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius corporis Christianitatis compagem molemque contineat.* Desine hæreticorum more truncata verba proferendo, tanti Præsulis calumniari sententias. Desine fidei ipsius puritati inferre calumniam: cuius omnes sententiæ (beato teste Hieronimo) fidei Ecclesiæ, & omnium virtutum firmæ sunt columnæ. Possem & aliorum sanctorum Patrum testimonia infinita congerere. Sed nimis præposterum videretur, in re tam perspicua, quam totus orbis profitetur & noscit, quasi in recenti controuersia exquirere testimonia: vt cum secundum humanas leges triginta annis præscribatur, primatus Petri post tot sæcula disputatione temeraria ventiletur. At Hieronymi & Ambrosii non alia de causa subiecimus, nisi vt eorum rectam Catholicamque sententiam proferentes, ad tuæ prauitatis robur de illorum auctoritate tibi non blandireris, & simpliciores quosq; eorum consideratione non falleres.

Liquet igitur, te Orientalibus atque Bohemicis venenis imbutum talia protulisse, quæ Petri primatum eiusque super omnem Ecclesiam principatum negarunt. Qui quidem error tam detestabilis atque grauis est, vt eos sanctus Doctor Thomas de Aquino illis hæreticis comparauerit, qui Spiritum Sanctum negant à Patre Filioque procedere. Quoniam sicut CHRISTVS DEI filius Ecclesiam suam consecrat & consignat Spiritu sancto, quasi suo charactere & sigillo; ita CHRISTI vicarius suo primatu vniuersalem Ecclesiam, tanquam fidelis minister. Nec mirum quidem. Tales enim grauissimum schismatis reatum incurrunt, cuius tam immanis est culpa, vt (Augustino & Cypriano testibus) illam nec eleemosyna redimere, nec Baptismus abluere, nec pro CHRISTI nomine sanguis effusus valeat expiare. Hanc igitur tuam, quam sub verborum præstigiis contra primatum Petri declarasti sententiam, ex venenis Orientalis erroris procedentem, quidam ante te apud occiduas partes astruere conati sunt. Marsilius Patauinus & Iohannes de Iauduno, non veriti dicere, *Apostolorum Principem Petrum, nec plus auctoritatis accepisse, nec pro reliquis Apostolis caput Ecclesiæ diuinitus institutum.* Hi quidem à Ioanne XXII. Pontifice iusto anathemate damnati sunt. Sed & Iohannem Wickleff, & sectatorem eius hæreseos Iohannem Huss, eadem disseminantes magna Constantiensis Synodus condemnauit. Tu verò post damnationem eorum eandem hæresin instaurare moliris, & Catholicorum Principum auribus inculcare. Mirum profecto est, te, quorum actus imitaris, eorum exitus non perhorrescere. Quid ergo restat, nisi vt sancti illi beatissimique Pontifices excitentur, Felix atque Gelasius, hæreticorum expugnatores acerrimi? quorum alter si viueret, nunc contra te vt quondam contra Achatium inclamaret: *Gregorius non est factus erroris noui inuentor, sed veteris imitator, atque ideo non est necesse, vt aduersus eum noua sententia prodeat, sed vetus tantummodo renouetur. Quicunque enim in hæresin semel damnatam labitur, eius damnationi se inuoluit.* Alter verò te perpetui anathematis mucrone feriret ac diceret: *Habeto cum his, quos libenter amplecteris, portionem, non cum honore & communione Catholica: nec non etiam à fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen, & inimicus Christianæ religionis agnosce, sancti Spiritus iudicio & Apostolica auctoritate damnatus, nunquam ab anathematis vinculis excipiendus.*

APOLOGIA GREGORII HEIMBVRG CONTRA DETRACTIONES & blasphemias Theodori Lælii Feltrensis Episcopi.



APVD Ciceronem *in Officialibus* suis duo iniustitiæ genera leguntur, vnum scilicet eorum, qui inferunt, alterum eorũ, qui ab his quibus infertur, dum possunt, non ppulsant. Læli Theodore, canis aduersum lupos ignaue, quid de te cructo clandestina fundis opprobria, me fortè remorsurum suspicãs si rescissam, quid tu furtim aduersum me fabricasti. Vt enim molossus pastorum amicus, & tutator gregum, per altas niues agere non desinã, qcunq; ferã dabit.

Ac tu dente me petisti: vicissim attollo cornua, nec inultus flebo, tanquam puer lacessitus. Duas ignominiosorum calumniatorum esse conditiones quisque facile deprehendit, quem nutantis mundi liuor malignitatisq; tentauit peruersitas. Quidam enim apertam leuitatem ostendere nõ erubescunt his, apud quos se primos omnium esse putant: qualem te Læli esse iudico. Alii verò grauitatem simulantes, clam sunt factiosi: quales assero eos, qui te subornarunt, vanitates tuas suggerentes, vt eorum errores in te transferens retorcutionis iacula pro iis excipias. Neuter vero vestrum in campum descendens palam audet occursare.

Primum me calumniaris blasphemiæ pontificalis. Deinde Pontificem in me ritum iaculatum esse mentiris. Tertio me reum hæreseos mendacissime criminaris. Hæc certè propulsare in animo est: sed prius te ineptum & perplexum ostendere, qui quod in me arguis, flagitiosissimè admittis, quin absque conuicio, blasphemiis & contumeliis nec verbum profers vllum. Tanta animo tuo criminandi libido incessit, vti gloriæ cupido tenet eos, qui humilitatem simulantes de gloria contemnenda scribendo illis ipsis tabellis sua nomina ob gloriam inscripserunt: illicò prodentes sese criminum reos, quæ ipsi alios accusando committunt. Sic Pseudosacerdotes, amicti pallio, pileoque operti, aliorum vitia fœcundissime accusantes, intercutibus vitiis ipsi madentes. Cum itaque vim & iniuriam propulsare, ac illatam referre, omnemque iniquitatem retorquere fas & iura sinant, & lex plane permittat, arguere mendacii eum qui alium falso criminatur; huc totius simultatis summa redit, vter vtri prior iniuriam irrogauerit. Et hoc nunc tecum expostulare iuuat, de qua re sic accipe.

Ab Archiduce Austriæ missus patruelem eius Sigismundum accessi, hortator pacis, totiusque mansuetudinis persuasor sollicitus, ne quidquam seuerius victor in victum statueret, nec fautores quondam victæ partis inclementius pertractaret. Jllicet mihi relatum est Cardinalem illum, quem tu laudibus effers, honorem Principis sui suggillasse, Ecclesiastica censura pro libito abusum, metallarias mineras, salinas inhiasse, & in summa statui Principis insidiatum esse. Quam coniecturam temporis suspicio exaggerabat, quo confinia illius principatus truculentus hostis inuaserat, partim vero nuper occuparat. Tunc ego animum meum paulisper suspendi, versans, voluntans & cogitans, Cardinalem esse durum hominem & rigidum, acrem, immitem, inexorabilem, aliis persuasorem vehementem & acutum inuentorem eorum, quæ vtrique dissidentium prodesse vel minus obesse videantur, suis tamen rebus afflictis minus consulentem, suisque motibus seu pathiis minime temperantem. Erat autem adhuc ira recens, vt non sperarem inflammata pridem pectora restingui, animosque vtrimque induratos permolliri posse. Meme continui, diem tempusque forsitan ipsum ratum leniturum iras. Cumque diutius cogitationis me fatigatio tenuisset, venit ecce familia Laurentii Blumenaw profuga, insidiis Pontificis clam elapsa, Laurentium Principis legatum apud Senas contra ius reuocandi domum vetusto iure gentium introductum nuncians arrestatum esse, & idcirco fugam adornasse: fugeritne an comprehensus sit, parum sibi constare. Igitur ab omni spe pacis & concordiæ seiectus, nil præter refugium oppressorum habens, illud amplexus cum omni veneratione Pontificis reuerenter appellaui id est, appellandum esse persuasi. Recense iam, Læli, si quid habes quod arguas. Missio quidem officiosa, paritio reuerentialis & obedientiaria, profecto honesta, adhortatio ac persuasio mansuetudine pietateque plenissima, remansio verò cum operarum exhibitione necessitatem habuit euidentem, etiamsi manus conserendæ & gladio decertandum fuisset. Nam cuius officii susceptio honesta, etiamsi spontanea fuisset, eius impletio ineuitabilem affert necessitatem. Hoc, Læli, iunior didicisti & in negotiorum gestione & in commodato rerum vel operarum optimo iure sancitum. Quid oro gratiæ medicus referret, qui latentem morbi materiam mouendo torpentem naturam excitaret, febrem prouocando; tumque secedens nullum æstuanti præberet antidotum, dicens se perfunctum opera medicantis: æger è contra quereretur se derelictum, ac satius se naturæ sagacissimæ potestati relictum esse. Rursus si quis rei militaris scientia peritus instruxisset aciem, militum ordines explicasset, præfectos in vtrumque cornu consistere iussisset, primipilum pila emittere signo dato monuisset; pugna verò iam in manus, iam ad gladios, vbi Mars est atrocissimus, veniente discedat, prætendens se Imperatoris vel Ducis opera defunctum: nam si turbatis ordinibus nemo restituat, rem deficientem nemo sufficiat, labentem nullus erigat vel inclinantem sustineat, speculator alta rupe considens, vel Tiburno littus oberrans, Gnatonicus rite conclamet: *Ita Pyrrhus sæpe factitauit.* Nunc contra hæc quid Pontifex, vel (quod ego verisimilius duco) Cardinalis tuus machinatus est, aspice. Nam qualis Pleiadum choro stridente nubes Auster exercet vndas indomitas, tales ductu Cusani contra me fulminauit epistolas, quibus & me comprehendi, bona mea confiscari, ac in me velut hæreticum animaduerti iussit; & hæc omnia me clam ferocissimis hostibus meis proditorie demandata sunt: quasi me vno intercepto à ceruicibus suis periculum omne depulissent, suaque machinamenta in tuto collocassent. Quod hinc coniicere licet. Est mihi rus quoddam vinetis fœcundum, fontium eruptione salubre, decursu insuper amnis ac rubetis littoreisque hortulis amœnum, quo me vindemiæ tempore conferre solebam. Ibi me coniux operiebatur Exspectatus aduení, deliciis autumnalibus cum fructu dulcis musti potiturus: iam etenim grauidis Autũnus fluxerat vuis. Æstatis verò suauitatem negotiorũ pfatorum functio præoccuparat.

Jllicet

Illicet mihi structæ sunt insidiæ. Fœlix & fatale negotium emersit, quod me à deliciis ad partes Rheni auocauit, simulque insidiarum molimina dissoluit. Namque (vt fieri assolet) negotium aliud ex alio partum inibi me detinuit, donec hyemis asperitas solum omne frigoribus, niuibus rigentique pruina confunderet. Mirati sunt insidiatores mei, tam breui velut puncto temporis sua destinationis certissimæ versa esse momenta. Postquam enim horrida tempestas cœlum contraxerat, siluæque Threicio Aquilone personarent, satius duxi foco iunctis vlmis curas domi resoluere, quam stridentibus campis aut ruri incumbere glaciali; neque aliud oraui, quam vt perennia hæc mihi munera stabiliret DEVS. Erant insidiæ non satis caute creditæ, sed partim in aure rimosa depositæ, hinc effluentes meas vsque manarunt aures. Egomet mecum sic cogitaui: Insidias mihi paratas sors disturbauit: Posthæc abeuntem me negotia vexant aliena: centum per caput & circum latus saliunt quietis impedimenta: labuntur misero dies inter vota clamanti! O rus dulce, an vnquam te aspiciam, salictis, corylis vitibusque redimitum! O quando licebit sub alta pinu aut inter densas corylos somno vacare, & inertibus horis iucunda obliuia fouere sollicitæ vitæ! O stultas precationes meas! Nam si DEVS votis meis annuisset, insidias incidissem exitiales. Quam porro prudenter Socrates *nil certum à superis postulandum esse* monuit. Nam qui facile bona dare solet, ipse nouit precanti quid expediret. Ergo qui veris iucundi, mollis æstatis, autumnique patris dulces illecebras concedere noluit, genialis hyemis quietem propicie concessit. Iam etenim frustratis insidiatorum concinnamentis, hostes ab omni mei persecutione disterritos esse rebar, vt me velut numine diuino defensum pertinacius à modo persequi sacrilegium esse ducerent. Curas abieci, conuiuia lætus instauraui, ceu nautæ, qui per saxa & per scopulos, æstuosasve Syrtes varie diuque iactati, optatum tandem portum salutis attigere carinis. Tanto vero amplius gaudendum mihi esse duxi, quod expers omnis curæ tantorum hostium dolos & astutias inscius euasi. At cum insidiatores iam desperassent me personaliter comprehendere, virus iamdiu retentum passim effudere, breuia illa virulenta circumquaque dispergendo, si quem forte fortunis meis inuidentem vel auentem res meas excitare, vel aduersum me prouocare possent. Hæc tamen palam ad me, dulci fortuna plusquam Falerno bacchatum, perlata rursum commouerunt. Et quis, inquam, finis insidiarum? quid peccaui, quid commerui? Vah mihi vni tot laqueos tendi, aliud profecto agitur, aliud vero prætenditur. Repetebam ergo mecum nuper æui gesta præteriti, dum Pontifex apud Mantuam bellum in Turcos appararet, vel (si vera potius quam dictu speciosa dicenda sunt) pecuniam ex omni Germanicæ nationis statu sub prætextu belli apparandi elicere cogitaret. Cuius doli suspicionem peperit Cardinalis tui, quem Pontifex tractatui adhibuit, astutia iam dudum per Germaniam longe lateque recognita. Omni quippe succo iam pridem per Iubilæum exhausto, Cardinalis ipse, velut non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo, tenaciter hæsit, auarior psyllo vel sanguisua. Nouis enim ac supererogatiuis indulgentiis, tosta post iecora medullas ex ossibus suxit. Verumtamen ne vana suspicione aut opinione temeraria spectatam aliis fortasse virtutem violasse criminarer, certius experimentum censui esse faciendum, an reuera esset in Pontifice Turci nedum inuadendi, sed efficaciter oppugnandi ardor, an Pontifex & Cardinales composito niterentur. Est autem modus experientiæ sumendæ non vilis, nec infimis solum, sed & summis quoque conueniens, præcipue autem audaciæ plenis viris, quem ego statim adueniens sensi & in Pontifice & Cardinali facile euenire posse. Ostensum est enim illis, qui rem dubiam aggredi se velle asserunt, permagnum esse negotium, magnorumque laborum ac difficultatum, & periculosæ plenum opus aleæ, in quo etiam aliqua nedum pusilla, sed etiam mediocris victoria explicata parum boni, parum fructus sit allatura: at ex diuerso plurimum mali res quantulumque addubitat. Id ego proceribus primo persuasis, ad Pontificem detuli, adiiciens alia plura, quæ introducendis & pabulandis exercitibus castrisque locandis, impedimentis bellicis euehendis, traiiciendis fluminibus, & receptationi militum potissime sunt prouidenda. Maxime autem illud commemoraui, quod scriptores rei militaris præcipue admonuerunt, quo pacto militum concordia foueatur. In cuius considerationis pondere præcipue versatur, Imperatorem Romanorum (qui capitis occupat locum) & Hunnorum Regem super Hungariæ regno diffidentes in gratiam reducere. Et hic labor, hoc opus, si nobilis exercitus regionibus illis concredi debeat? Neque enim Hunnorum Rex Imperialem exercitum receptet, neque enim Christi hostes oppugnet, nisi statui suo prius cauto. Et hoc idem circa plerosq; alios Imperii proceres conditio temporis adhortatur. Parum enim sunt bella foris, nisi est consilium domi: pulcherrimorum exemplorum est plena vetustas, sed ea prolixa nec satis opportuna relatu.

Nostræ autem ætatis referre libet exemplum familiare, quo inclita Elisabetha Vngariæ regina cum recolendæ memoriæ Vladislao Rege Poloniæ inducias depacisci maluit, ne priuata contentio vniuersæ Christianæ Reipublicæ pareret detrimenta. Porro si sit alicubi huius rei iudicium, etiam alia dicerem clariora hiis, quæ dixi, probaremque manifeste me suasisse, Papam vero recusasse ea, in quibus si mihi paritum esset, longe melius & honestius omnia (vt mea fert opinio) processissent. Sed verba mortuo feci, narraui surdo fabulam. Aliud nempe animum eius sollicitauit, qui de belli administratione ne verbum quidem facere vel audire sustinuit: Sed pecuniæ per Clericos & Laicos, sed etiam Hebræos conferendæ sollicitior fuit.

Cardinalis verò tuus palam censuit *his omnibus posthabitis in Deo spem nudam esse ponendam.* Quod nil aliud est, quam rem omnem nullo consilio administrare, sed temeritati audaciæque permittere. Non tamen adeo spem firmam in Deo reposuit, quin in exigenda pecunia remorari vellet, qui nusquam virtuti vel gratiæ locum esse putat, nisi effusæ affluant opes. E contra verò & proceres & ego vna rati, non esse audendum vel experiundum facinus, cuius tota salus ex euentu fortunæ penderet: summi Scipionis auctoritate, eiusque disciplinæ testis adprime idonei censentis, nullam esse negligentiam ignauiorem, quam eam quæ violentiæ Martis permittitur: neque enim sarciri, purgari vel emendari potest eiusce iactura, & accepta clade turpe est dicere, *Non putaram.* Hæc dum ipse tacitus mente agitarem, illamque truculentam epistolam seu breue Papale legendo repeterem, qua summa crudelitas in me fortunasque meas proditorie conflata videbatur, & ne gratuita crudelitas esset, bona mea in precium concedebantur quibusque violentis, (hæc sunt enim illius epistolæ verba: *Et bona quæcunque habet apud vos, tam mobilia quam etiam immobilia, fisco vestro applicetis, &c*) rursus ad appellationem, libertatis & innocentiæ tutamẽ præsidiumque, aduersus furorem Pontificis scutum & clypeum, sed Mantuæ iampridem euersum, animum aduerti. Cumque in illa nil impium, nil despicabile, nil contumeliosum inuenissem, mirabar quid tantam iracundiam tantumque furorem in animo Pontificis excitasset, quid commouisset bilem, vt tam felleos humores euomuerit, aut fortasse ipsa vltionis & iræ satiandæ dulcedo animum fragilem distendisset. Inter cogitandum autem Oratores Principum nostrorum à Cæsare dimissi redierunt, omnia inibi dicta factaque referentes, maxime autem illius appellationis notam, quæ contra Pontificis auaritiam & Imperatoris astutiam ad vniuersale Concilium postea interiecta fuit, recitantes. Et quia eundem ludum continuo luserat Pontifex, eandem cecinit cantilenam, videlicet machinationem eliciendæ pecuniæ cum suis censuris, cum Cæsaris auctoritate pertinacissime prosequendo: illic pedum visa est via, illicet Pontificis detecta versutia. Hæc illa hæresis Gregorii, strenuitas in repugnando, constantia in resistendo auaritiæ Pontificiali, & in consulendo dirigendoque perseuerantia. Hoc sacrilegium Gregorii, libertatis fomentum & eleuamen oppressorum, ac defensio sacrorum Conciliorum, quorũ auctoritas per constitutionem Mantuanam euertebatur. Hæc læsæ Maiestatis noxa, exigendæ per Germaniam grauis collectæ molimina disturbata. Hinc vulnus sub pectore Papæ seruatum intumuisse, aut cicatrix obducta putruisse comperta est, ira in me Pontificis Mantuæ cælata & compressa, tam crudeliter aduersus me erumpente, vt absque vlla vocatione bona mea concederet in precium crudelitatis. Cense nunc, Læli, si quid moderationis habes, an hoc sit iudicare, an potius sæuire pro libitu. Numquid iustus fuit zelus in me, qui me in fauorem miræ nationis accendit, vt exclamarem, *Vis consilij expers*, & iniuriam meam retorquerem. Frustra ergo, Læli, me criminaris (sibilans anguis) blasphemiæ pontificalis: qui à Pontifice dolose petitus, persona rebusque pulsatus iniurias structas propulsaui.

Assentando verò Pontifici, ô vulpes ganniens, ais, *illũ imitari Christũ, qui cũ malediceretur, nõ maledicebat.* Si Christum imitatus ipse fuisset, nullas mihi personales aut reales struxisset insidias, neque Monachum scurram elegisset, qui vanitates eius per orbem disseminasset. Subdis Læli procacissime, nuncupando me *bestiam inter luxum epulasque sudantem.* Miror si in capripedes Satyros aures acueris qui iam saliaribus dapibus habebis assuescere pontificatus. Teque bis stulte facere dico, qui Pontifex ipse Pontificum arguis cœnas, summosque viros accusas, ex quibus Coruinus, quanquam Socraticis madens sermonibus, Masticum lectum vinaque promere iussit languidiora: Sed & prisci Catonis vigor legitur mero caluisse: quod lene tormentum adhibet ingenio plerunque duro. Sed ne me putes nocturno certare mero, putere diurno, nimium læuè mancoque tempore nobis exprobras voluptatem. Non est nobis suauium rerum suppetentia, nonnunquam aper Austro leui putidus, lardumue rancidum prima iratum ventrem esca pacauit. Deinde Chiam vel Mareoticum, sed maris expers, me potauit sitientem. Optassem fauces obsurduisse, naresque obturatas, ne gustus vel odoratus compaterentur. Posthac rescisces singula, cum mansuescet vtrinque animus rancore iraque defæcatus.

Quosdam Pontifices ais *in plagam Orientis contra accusatores suos Tomos scribentes satisfecisse.* Id certè valere sino, tuis Satyris tragicisve scriptis hanc apologiam obiicio. Subnectis, *Pium Pontificem eloquentiæ flumine manantem, omnes facile superare.* Hic pol rectè sapis, siquidem est sapere, summos viros assentationum laqueis infascinare. Vnde certè tibi non minima merces rei speique refulsit. Satis caute scisti vti foro. Quisquis enim Regibus vti scierit, holus fastidiet pauone rhomboque satiandus. Non cuiuis homini contingit pontificari. Sed missam faciamus ironiam. Iamdudum ego conspexi, perditissime Læli, & nunc etiam prospicio, opes & priuatorum & dominantium quanto maiores sunt, tanto magis obtrectatores adulatoresq; ac turpium voluptatum machinatores nutrire: quo nil perniciosius gignit opulentia atque potestas. Nosti voces Sirenum & pocula Circes: quæ si bibisset dux Ithacus, turpis certè vixisset & excors. Optarem ergo, Põtificẽ aduersus huiuscemodi blanditias aures pice obturare, quam adulationibus se sinere capi.

Postea certas maledictis, homo mendacissime, donec veniam petas *styli rudioris*: quasi nos nitori plus quam veritati studeamus, quod mihi super omnia visum est impudentissimum. Nisi fortè *nitorem sermonis* vocas verum dicere, quod si facis, profiteor me nitoris & expolitionis peritissimum esse. Nam qui meam iuuentutem diligentius obseruauit, facile coniiciet mihi quandã dicendi

dicendi facultatem à natura profectam inesse: quisquis studia mea considera[illegible], quia vere hospes & aduena sum rhetoricæ adulationis: qui etiam in Physicis, Ethicis, Metaphysicis disciplinis adolescentiam consumpsi meamq; iuuentam.

Pergis in nugis, vir impudens, quasi ego mihi *vtriusque iuris arrogassem instituta.* Calumniator fraudulentissime, hic veritas pro me loquitur. Hæc sunt enim verba defensionis meæ: *Mihi satis est didicisse ciuiles sententias, & quidquid præcipuum habet ratio vel industria, quidquid sacra tradunt vtriusque iuris instituta, hisce literis & floribus exornari posse.* Hoc & tu minime inficiaberis, nisi id agas vt cum ratione insanias. Nam hac arte, quæ à dicendi copia nomen traxit, suadentes ad legendum adhortamur, & quidquid legendo hauseris, ea ipsa arte potentius persuadebis. Apud Socratem habes Gorgiam (quem Isidorus Principem eius artis facit, Cicero vero Lysiam inuentorem vocat) ita loquentem: *Sæpe iam cum fratre meo, & cum aliis medicis ad aliquem ægrotum ingressus, cum ille vel pharmacum potare nollet, vel secandum vrendumque se medico non permitteret, nec valeret medicus suadere, ego persuasi, non alia arte quam rhetorica.* Rursus si aliquam vrbem aduenia[t] Rhetor & medicus, & in concione alioue cœtu inter ipsos certaretur, vter sit pro medico eligendus; Medicum quidem nusquam comparere, sed illum electum iri, qui dicendi peritiam facultatémque habebit. Potentia quidem huius artis tanta & talis est. Sed quid multa; in re non dubia Hieronymum habes dicentem, *beatum Iob artis eius summam esse complexum, cum scilicet cum DEO disputans ipsum tanquam admonens fragilitatis humanæ naturæ tributa, secum expostulat, non æquum esse ab homine infirmo tam fortem & perseuerantem exigere patientiam.* Aspice hymnos nedum Prudentii, sed & illos vulgares, qui in laudem Dei vulgo decantantur: & certè videbis etia diuinas laudes floribus ipsius artis illustrari. Apud Ciceronem habes, *Nil tam horridum, aut tam incultum, quod non splendescat oratione.* Et alibi è contra: *[illegible]tam simplex aut sincerum, q[illegible] dicendo posit[illegible]* tens est vis eloquẽtiæ, magnum est momentum in ea, quam si à Pontifice sustuleri[illegible] quabis quod laudes.

Sed rogationem tuam, qua rogas, *Vbi lege permissum compererim, licere Pont[illegible] maledicta* contraria quæstione vacuabo. Vbinam didicisti, Pontificem iustum insidiis proditoriis persecutum esse quemquam propter appellationem reuerenter cum ad se, tum ad superiorem suum, sacrum scilicet Concilium, interpositam? De quibus beatus Gregorius scribens ait, *Quod quisquis ea destruere temptet, seipsum destruit.* Quod & Eugenius nouissimus, ac post ipsum Nicolaus sub bulla recognouerunt. Legisti autem Innocentium quartum Pontificem se arbitrio Concilii instituendi submisisse. Illi vero quos tu commemoras hæreseos damnatos, in fide Christi pertinaciter errauerunt, nulli Concilio sese submittentes iudicandos. Quod si nescis, & scire cupis, non est difficile Pontifices enarrare, qui culpis suis exigentibus nedum maledicta, sed depositionem, castigationem, mortem quoque meritam exceperunt. Id certè iustissimum censeo, quod in Dioscorum impium animaduersum est. Sed quid putas? si venerabilis Leo Pontifex Dioscorum inauditum capi ac spoliari iussisset, quia à se ad Concilium Chalcedonense appellasset, nullum autem erroneum dogma seminasset, vir doctissimus & perfectus, quemadmodum tale nefas non iussisset, ita & si errore lapsus fortè proripuisset, ratione tandem du[illegible] potius lapsum & errorem restituisset ac reuocasset.

Procedis longa verbositate execrando vitium scandali, quo tu me calumniaris, homo [illegible]nissime: qui non cernis scandalum Pontificis, proditionem insidiosam aduersum me confi[illegible]is. Audi Socratem contra Anitum & Melitum se defendentem: *Non est*, inquit, *iudices, tam opus mihi defensionem meditari, quam vobis, ne delinquatis me condemnantes.* Et lex ait, Euangeliorum Codicem iudici propositum esse, vt *se Deo inspectore sciat iudicare.* At si Pontifici Ptolomæi bibliothecam proponas, & Demetrium Phalereum præficias, non eum reuocabis à Piccolo[illegible]num & Corn[illegible]ani consideratione. Sed lenonem imitaris Terentianum, quem nõ puduit [illegible]ris, dum ob rem, &c. Nam si cæteræ vanitates pari voto successerint tibi, breui temporis spacio rubescet vertex capitis tui, cum incedes capillo rubeo pileatus.

Ritum & cerimonias consecrationis pontificalis adducis, quod inibi pronunciatur, *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Sanioso vulneri callum superducis tumidum. Vrendus certè callus & secandus est, vt purgato intus vulnere caro solidetur & pellis. Si malefacta Pontificum benefacta nuncupabimus, eosque fecerimus licentiosos, ministerium sibi commissum vertemus in tyrannidem. Audi ergo beatum Gregorium dicentem, *Non oportere Prælatos adeo revereri, vt ipsorum vitia foueamus.* Quod autem Apostolus ait; *Nesciebam quia Princeps Sacerdotum esset:* porro Saluator nõ maledixit colaphisantes (quod tamen nõ ad Põtifices modo, sed ad cunctos milites crucifixores æque spectat) ô Læli ꝑcacissime, quanto conamine perurgeris, quanto flagras ardore, qui quo tendis adeo festinas, vt obuia non cernas, sed raperis per inuia, tandemq; præcipitas in scenã Comicã, personis aũt inepte distribuis actus. Prospice, circumspice, retrospice, quid aliud paraueris, q̃ vt Gregorius personam Christi gerens, iniurias Papæ sustineat, cuius typum esse facis Annã, Caiphã, Pilatũ ac Herodẽ. Attamẽ quantũ ad patientiã sub iure districtiuo vel cohercitiuo redactam, aut perfectionis doctrina persuasam attinere videtur, hæc & alia sic enodabo. Et ꝙ maximũ est, ꝙ à me postulas, ꝙ nunquam ipse præstares, maledicenti benedicere, quin [illegible] insidianti Pontifici vitæque meæ persecutori, quiq; de rebus sanguine meo sudoreq; partis [illegible] delitatis in me precium statueret appropriant[i]; [illegible] certè summæ perfectionis opus mihi no ar[illegible]

[illegible] rogo.

rogo. Nec satis exploratum [illegible], si persequenti me occidendum præbuissem, an sæuitia satiatus tandem mansueuisset, an potius maiori ferocia frenduisset: quippe qui nō contentus me perdidisse, in coniugem & liberos meos bonorum meorum ademptione sæuire cupiebat. *Nec enim semel ore receptus polluto sanguis patitur mansuescere fauces.* Vt ergo scias, in quo philosophantium grege me me profitear, altius ordiri iuuat intentum. Vitæ Philosophia Dux, rationis interpres, virtutum cultrix, & expultrix vitiorum, duas partes habere perhibetur: quas qui confundit, aut minus caute secernit, labyrinthum inextricabilem texit. Hanc veteres eius professores in summa perfectione posteris tradiderunt, vt illi septem per septem vrbes Græciæ dispersi. Biantem certe Prienæum, cum patriam eius hostis adeo pressisset, vt cuncti ciues emigrarent plaustris onusti, ipseque liber & expeditus commigrans interrogaretur, cur non aliquid rerum euexisset, respondisse ferunt; *Ego vero omnia mea mecum porto.* Nos non sic: qui[illegible]liter interpretamur, *Rem in bonis esse.* Milesium Thalen alterum ex ipsis septem, qui primus cœli causas atque vim rerum naturalium contemplatiua ratione suspexit, tantæ moderationis fuisse proditum est literis, vt auream mensam in Milesia repertam, & *sapientiori* Delphico debitam responso, ideoque sibi delatam, alteri cesserit: quo pari moderatione freto, mensa [illegible] sapientum ordinem ad Solonem vicaria cessione peruenit. Vter materia est, qua patie[illegible] humilitate, qua etiam abstinentia & continentia sui, ac [illegible]ratione & paupertate summi viri pro[illegible] vixerunt, quasq; virtutes præceperunt doce[illegible]endoque d[illegible]cuerunt; quas neque [illegible]ris, neque nos imitati sumus. Quid Socrat[illegible] coram [illegible]cibus capitaliter acc[illegible], *non recte*, inquit, *putare, qui existimet magn[illegible] vitæ [illegible] hab[illegible] esse rationem.* Quid, quod nec carceris infortunium ipsum d[illegible]rere, nec Critonis persuasio, qui corruptis custodibus in ipso carcere cum morituro dis[illegible]uit; ne[illegible] aut sua, aut Simiæ Thebani, aut [illegible] & aliorum pecuni[illegible]aliter oblata, illum inducere potuit virum perfe[illegible], vt euade[illegible] furtim migraret, aut latitaret? Quod tamen [illegible]die lege probatur, quæ euasorem a [illegible]fuga secernit, & captiuum precio redimere sinit. Cuius hæc erat sente[illegible]: *Ego sum, qui non modo nunc, sed semper, meorum nulli paruerim alteri quam rationi.* Sed hæc [illegible]ssimæ Philosophiæ summa consilia, & præcepta salutaria, ac saluberrima instituta, ad extremam tendentia perfectionem; non autem communi hominum statui, vitæque doctri[illegible]is, cuius auctores plurimum repudiati, quandoque damnati & addicti supplicio, tanquam Reipublicæ damnosi. Zenonis, Socratis, & aliorum innocentissimorum apud Græcos abundant exempla. Nam & diuinus ille Plato apud Dionysium Siciliæ tyrannum commanens, perfectæ cultor virtutis, in tale periculum incidit, vt postea Principibus Syracusanis scribens sic enarret: *Hucusque igitur mihi & philosophia & amicis auxiliatum est: posthac autem ita viximus ego & Dionysius, vt ego quidem semper extra spectarem, [illegible] quadam euolare cupiens.* Successit proinde alia, docens & inter sceleratos innoxie viue[illegible] quidem tolerans, ne lolium extirpando vberem segetem necet. Porro autem a[illegible]ntrahentium dissimulatione præteriens, ea demum castigans, quibus Reipublicæ status labefactari, aut humanæ societatis commercia periclitari possent, vt Iurisconsultorum traditiones, ac præcepta Catonis & Cice[illegible] volunt, apud quem Diogenes & Antipater disputant, *Num vir bonus vendens rem vitiosam [illegible]fecerit eademum explicando vitia, qua legibus sunt definita?* Ac rursus apud Flaccum contra A[illegible]ippum Diogenes disp[illegible], omnem sæculi vitam mo[illegible]re videtur. Sexcenta sunt quæ mem[illegible]. Sed ea tam breui [illegible]ponso Tullius absoluit: *A[illegible] leges, aliter Philosophi tollunt astutias.* [illegible] certæ cohercitionis præcepta vocans, vt verba sequentia clare demonstrant, dum dicit: *Leges quantum manu tene[illegible]* [illegible] ergo Philosophia cohercitionem districtiuam non habet, habet vero doctrin[illegible] Ipse enim Cicero officia hominum præclare distribuens secundum illius secund[illegible]hilosophiæ traditionem, *Boni viri*, inquit, *officium est omnibus velle prodesse, at obesse nemini, nisi lacessitus.* Hoc postre[illegible] Lactantius mordens inquit: *O quam iustam sanctamque sententiam duorum verborum adiectione [illegible]pit.* Vnde hæc ta[illegible]rorum controuersia? nisi quod alter secundam philosophiam mediam, alter vero secund[illegible] perfectam doctrinam locutus est: iuxta [illegible] & Cicero Fimbriam consularem virum laudat, volentem probatum hominem *bonum virum* indica[illegible] quum ea res infinitis virtutibus & meritis contineatur. Idem in Paradoxis [illegible] bonum [illegible]et, cui quid desit. *In qua considera[illegible]* [illegible] *est & magna culpa: qu[illegible] loco* [illegible]*esse distorto distortius. Nam etsi peccatum* [illegible] *lineam rationis, alter tamen altero plus aberr*[illegible] *reuocatur.* Noli ergo [illegible] obiecta[illegible]ominum & Saluatorem nostrum Iesum Christum, consubstantialem & coæternum patri, per quem omnia facta sunt, de cœlo descendentem, in summa humilitate & huiusce mundi contemptu natum, pannis inuolutum, in præsepio reclinatum, Doctorem patientiæ & altissimæ paupertatis, nec habentem vbi caput reclinet secundum carnem. Nec discipulos eius, quibus dixit: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat* [illegible] *possidet, non potest* [illegible] *discipulus.* Hoc enim perfectionis statum innuit, ipso dicente: *[illegible] perfectus esse, omnia qua[illegible] habes, vende & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Atque ei qui aufert tibi vestimentum, & t*[illegible] *noli prohibere, & qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte ei & pallium.* Hæc si mihi esset perfectio, fortasse nedum re familiari adempta, sed & vita iam fugi[illegible] necdum indignatus essem, nisi forte Laurentium imitatus dixissem, *Immanissime Tyranne, &c.* Apostolus quoq; summæ perfectionis imitator

Vuuuuu Corin-

Corinthios increpans, *Iam quidem*, inquit, *omnino delictum est in nobis, habere iudicia. Quare non magis iniuriam accipitis fraudemque patimini?* Ergo perfectus discipulus perfecti magistri perfectionem, quam verbo doctrinæ persuasit, etiam exemplo vitæ docuit. Hanc perfectionem si tu vel Pontifex, aut quisquam illi commanens, verbis sibi arrogat, sese fallit, sibique falso blanditur. Vtinam mihi ad vitam ingredi Dominus concedat. Nosti, Læli, aliud respondisse Dominum volenti ad vitam ingredi, aliam vero perfectionis legem docuisse. Vas autem electionis, Apostolorum Chrysostomo teste perfectissimus (qui Iob Apostolis præferens, Paulum æquauit) si supererogauit, non est idcirco talis imitatio ab aliis exigenda, & per illum qui nunquam ipse præstaret. Putasne, si tempus efflagitasset, Paulusque respondisset; *Nonne Christus verus Deus, cuius Euangelium prædicamus, maior est Pontifice, sed & ipso legislatore, vel Aaron sacerdote*, num peccasset? Minime. Sicut nec peccauit, dum Cephæ restitit in faciem, quia reprehensibilis erat. Nonne dicidisti, ea quæ Spiritu Dei per quosdam singulari gratia & nutu quodam aguntur, sub humanis legib. non esse redigenda: Neque enim humana priuilegia in consequentiam trahi debent. Erat autem ipse spiritu Dei plenus.

Habes nunc, Læli Theodore, discretionem summæ & extremæ philosophiæ, quæ iniuriam referre vetat, seu retorquere, & alterius philosophiæ, tolerantis ea, quæ sunt humanæ conditionis. Pergens nunc ad ea, quæ lex statuit de carminibus seu libellis Fescenninis, legem Digesti iuris, quæ blasphemos aut falsos obtrectatores mendacii redarguere sinit, nostin? Eam Flaccus naturæ atque institutionis legem esse probat, Stertiniumque (quem septem Sapientibus æquando facit octauum) hæc arma sibi contra vaniloquos Musam dedisse gloriatur, ne compellaretur inultus in hunc modum comminando.

Dixerit insanum qui me totidem audiet, atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.

Nec tamen inficiabor, rebus inesse mensuram & certos denique fines, & quadamtenus prodeundem sistendumque. Sic enim composita est Fescennina licentia, quæ lætis agricolarum post condita frumenta cum sociis operum pueris & coniuge fidi, conuiuiis alternatim opprobria fundit. Sublato autem iure nocendi, chorus obticuit. Quin etiam lex pœnaque lata veterem lasciuiam vertit formidine fustis, & infamiam irrogat ei, qui ob carnem famosum condemnatus. Postremo lex capitalis sancita, cuius tu siliquas ingerens vim legis minime ponderasti. An tu famosum carmen seu libellum recte nuncupes, cuius auctor non clam, sed palam (quod tu culpas) pro sua ac Reipublicæ tutela dictasse fatetur, ipse videris. De hinc ipsam legis animam, hoc est, sanctionis rationem contemplare: scilicet ne quis sibi ius dicat, neu se præter iudicem vindicet; quin tramite legitimo & auctoritate iudiciaria prosequatur, quod sibi debetur, aut accusando præmia ferat vel denunciando: alioquin neque nocentem lacessat, nisi Reipublicæ intersit nocentis noscere crimen. Si in orientis aut obeuntis Solis vltimis oris, si denique in torridis Libyæ arenis, aut qua pruina rigens Pontum Scythicum glaciali frigore stringit, arbiter sederet iudicare dignus & potens, an Sigismundus post legatum suum violatum, & tam varias iuris experiundi vias refutatas, ad sacrum Concilium rite appellasset, an Gregorius appellans idciro hæreticus iure habeatur, profecto aliquid rationis haberes. Sed cum nec rimam, neque porum aut porisma, per quæ aditus ad iustitiam pateret, aperire possis; vacuatam, tene legem, cuius rationem Papa submouit. Non est hoc meum inuentum, sed magnæ Synodi Constantiensis excogitatum, statuentis *decennio in decennium vniuersale Concilium celebrari*, vt sit quo oppressi confugiant, sitque quod Pontifex metuat ac reuereatur. Sed est vetus querela, *Papam voluntate pro lege abuti.* Hoc Bernardus Claræuallensis ad Eugenium scribens conqueritur, ac pie admonet; *Quomodo non indecens tibi voluntate pro lege vti? & quia non est ad quem appelleris, potestatem exercere, negligere rationem?* & cætera, quæ latius exequar, cum tuis nugis candorem veritatis opponam, quam tu Lucifuga horres aspicere, in tenebris oberrans. Contritusque est laqueus tuus de Maria, Aaron, Osia, & pueris Bethleemiticis: quia neuter horum fuit prouocatus, nec vitæ suæ per Sacerdotes insidiatum.

Quod vero Papalem dignitatem ex verbis Bernardi Claræuallensis, & epistola Clementis sublimius effers, hoc ad rem nihil attinere recognoscis: quia neutrobi Papa rem seu facultates subditorum in precium crudelitatis cuiuspiam ausus est concedere. Sed te assentandi studio illac euectum esse coniicio, teque assuefacere, vt iisdem rebus gaudeas, iisdemque doleas, quibus ipse dominans: postremo te ita compares, vt illi quam maxime placeas. Thrasonis siquidem & Gnathonis abs te non multum abludit imago. Ac ne putes hanc fuisse Bernhardi sententiam, vt Episcopus Romanus propter suæ auctoritatis amplitudinem pro libito agere possit impune, ipsum in eisdem libris arguētem excessus eius tu vicissim audi. Verba eius, quæ tu dolose truncasti, fideliter repetam, addens illa quæ tu calumniose suppressisti. Inquit Bernardus ad Eugenium de cōsideratione libro II. *Sacerdos magnus es, Summus Pontifex, Princeps Episcoporum, Tu heres Apostolorum, Tu primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchisedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyses, Iudicatu Samuel, Potestate Petrus, Vnctione Christus, Tibi claues traditæ, Tibi oues creditæ.* Beasti me, Theodore, Bernhardum proferendo, quem aduersus Pontificis calumnias obiicere verebar, ne reiiceres illum velut contemplatiuum virum actiuæ vitæ leges horruisse. Nunc ergo lex prodeat, cuius in agendo iudicium elegisti. Eiusdem Bernhardi iaculis feriendus eris, eiusque scuto prote-

[illegible]gendus; Ergò huius [illegible] calumniosè quidem elicitis me confodere [illegible] [illegible]uidas mentes parasti præoc[illegible]ndo commaculare? O vanissime Theodore, [illegible] Bernar[illegible] ille in vanam gloriam E[illegible]ii blandas effuderit laudes: ac [illegible] Pontifici liceat pro sua libidine, dominatum, imo ve[illegible] tyrannidem exer[illegible] gloriabundus exclamasti: *Sacerdos magn[illegible]* Id certe Christianorum nemo negat. Sed quod tu magnum Sacerdotem hisce deliniment[illegible] circumscribis, arma crudelitatis in me acuendo, hinc contra eiusdem Bern[illegible]di dogma, ipsum [illegible] iam Papam alloquentis, oppono: *Facilitas*, inquit, *crudelitas hæc est, cuius [illegible] [illegible]rum neminem comperi cauisse versutias. Inde enim ipsis pro nihilo magn[illegible] [illegible] frequens addictio, inde præiudicia in absentes, &c.* Miror quod non dixisti, *Maximus* [illegible] quidem inficiatus essem. Nam & omnes Episcopos magnos constat esse Sacerdotes: sicut Imperatores, Duces, tribunos, præfectos, centurionesq; *magnos milites* vocare solemus, quod gregarii milites ab [illegible] vel arma suscipiunt, vel in ordines iubentur consistere: sicut Presbyteri (quod *Seniores* i[illegible]tatur) à superintendentibus (quod *Episcopi* dicitur) noui ritus instrumenta suscipiunt, & per limites rite distribuuntur. At quæ sit hæc magnitudo, eundem audi. *Præes & singul[illegible]iter. Ad quid? eget [illegible] [illegible] consideratione. Nunquid vt de subditis crescas? nequaquam. Sed vt ipsi de te. Principem sibi te constitu[illegible] runt; [illegible] alioquin quo pacto te reputas superiorem iis, à qui[illegible] beneficium mendicas. Audi D[illegible] Qui p[illegible] super eos. Benefici vocantur. At istud de his qui [illegible] sunt, quid ad nos? Tu id men[illegible] dicti[illegible] [illegible]tus esse, quam beneficii præesse intendas.* Num[illegible] summus Pontifex [illegible] sus [illegible]em dicat: *Dele fucum fucati honoris, & male col[illegible] gloria. Sa[illegible] copula, vt co[illegible] [illegible] Pontificem, attendas pariter vilißimum cinerem,* [illegible] alio loco: *No[illegible] blandiatur celsitudo. Sollicitudo maior, illa discrimen intendit, hac ani[illegible], huic [illegible] [illegible]olumus tandē cum rubore nouißimum locum tenere. Disce sarculo [illegible]* Sequitur *Princeps Episcoporum*. Eundem Bernhardum audi contr[illegible]pas (qualis [illegible]) loqu[illegible], plus Maiestati quam [illegible] [illegible] *Vides omnem Ecclesiasti[illegible] zelum feruere, sola pro dignit[illegible] [illegible] totum datur, [illegible] nihil vel parum. si socialim te habere tentaueris, Absit, inquiunt, non [illegible] temperi non congruit. [illegible] [illegible]. Quod sublime, hoc salutare dicamus, & quod gloriam redolet, hoc iustum. Omne [illegible] ducitur inter Palatinos.* Ergo principatus illius naturam vir sanctus explicauit his verbis: [illegible] *ante omnia Romanam, & cui Deo auctore præes, Ecclesiam matrem esse, non dominam: Te vero [illegible] Episcoporum, sed vnum ex ipsis, porro fratrem diligentium Deum, & participem timentium eum.* [illegible]io loco idem Bernardus: *Tibi vrbem Romam pro Episcopio deputat dicens clerus & populus tui, ac per hoc specialis cura teneris debitor.* Vbi dicit, *Romam Papa domesticam esse Ecclesiam*. Ac nisi iam solius Bernhardi doctrinis tecum certarem, perfacile probarem, Episcoporum Principem non decere Episcopia confundere, de omnibus disponendo, quæ sunt per Metropoles & diœceses [illegible]rdinatissime distributa. Hoc beatissimus Papa Gregorius considerans noluit vniuersalis Ecclesiæ Pontifex nuncupari.

Sequitur ergo, *Tu heres Apostolorum*. In hac hæreditate me[illegible]s quidem multa, operarii vero pauci. *Paternam tibi vendicato*, inquit, *hereditatem. Quid [illegible]iosus, quid resupinus pompis. Nil horum tabula testatoris tibi aßignant: quarum si tenore contenteris, curam potius hereditatis & operam, quam diuitias & glori[illegible]am.* aut Fernandi Regis affinitatem. *Blanditur cathedra? Specula est. Inde tibi [illegible] nomen, non d[illegible]um sonans, sed officium.* Quid Petrus tibi reliquit? *Quod habeo*, inquit, *hoc tibi do. [illegible]tum & [illegible] Non est mihi, &c. [illegible] vt alia quacunq, ratione hac tibi vendices, sed non Apostolico iure. N[illegible] Apo[illegible] quod non habuerunt, tib[illegible] [illegible]uerunt. Audi ipsum: Non dominantes*, inquit, *in clero, sed forma facti gregis, &c. A[illegible] interdicitur domina[illegible]. Ergo tu & vsurpare aude, aut d[illegible]antem Apostolatum, aut Apostolicum d[illegible], plane ab alterutro prohiberis. si vtrumque simul habere voles, perdes vtrumque. ne ex illis habearis, de [illegible] [illegible]ritas conqueritur: Ipsi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego non cognoui eos. Agnosce [illegible] tatem tuam in cruce Christi. Exi in agrum Domini tui, non tanquam Dominus, sed tanquam villicus.*

Pergis dicens, *Tu primatu Abel.* Si filius, si successor Abel vis haberi, ipsum imiteris. Erat enim Abel pastor, Cain autem agricola. Sacrificauit ille de primogenitis, Cain excussas obtulit spicas, [illegible] audi sacrificium, non autem amoris holocaustum. Cain ergo magis æquare videris, qui spolia Ecclesiarum in Pientiam, imo in affinitatem Fernandi prodegisti; siliquas vix Deo sacrificasti. Num tibi quadrat hoc verbum Bernardi, quo libellum suum tertium claudit ad Eugenium: *O miserandam sponsam talibus creditam Paranymphis, qui aßignata cultui eius proprio retinere quæstui non verentur, non amici profecto sponsi, sed æmuli sunt.* Rursus in quarto: *Quale est quod de [illegible] [illegible]tur, qui dicunt tibi, Euge, euge. Pauperum vita in plateis diuitum seminatur. Argentu[illegible] [illegible] non pauperior, sed fortior. Primatum tuum certe nemo negat* At tu *videris, ne iu[illegible] para[illegible] [illegible] [illegible]ues habens, vnicam pauperis concupiscas.* Eundem Claræuallensem in tertio loque[illegible] audi: *Quid item tam indignum tibi, quam vt totum tenens non sis contentus toto, nisi minutias quasdam atque exiguas portiones ipsius tibi credita vniuersitatis, tanquam non sint tua, satagas nescio quo modo adhuc facere tuas. Erras, si vt summam, ita & solam institutam à De[illegible] Apostolicam potestatem existimas. Si hoc sentis, dissentis ab eo, qui dixit: Non est potestas nisi [illegible] [illegible]ti resistit, Dei ordinationi resistit. Et si principaliter pro te facit, non tamen singulariter. Rursu[illegible] [illegible]ima potestatibus sublim[illegible]s subdita sit. Non dixit, sublimiori.* Subnectis dicens, *Gubernatu Noe.* Illi arca extruenda, & pal[illegible] [illegible] stegis distinguenda mandatur. Tibi corpus Christi mysticum delegatur ædificandum. Iustum exemplar, sed vsus longe dispar. Quod Noe discreuit subordinando, tu confundis [illegible]miscendo. Hoc idem Bernardus queritur in hunc modum: *Monstrum facis, si manui submoues digitum. Tale est, si in corpore Christi membra locas aliter, quam disposuit ipse. Nisi tu putas alium esse, qui posuit in Ecclesia quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios*

vero Euangelistas, *alios Doctores & Pastores*, *in ædificationem corporis Christi.* Atque hoc corpus, quod ipse Paulus suo Apostolico figurans eloquio & capiti coaptans totum ex eo compactum, prohibet per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri, augmentum corporis faciens in ædificationem sui *in charitate*, non dixit, *in Petro*, nec *imperio*.

Subsequeris dicens, *Patriarchatu Abraham*. Abrahæ summi Patriarchæ fides inprimis effertur, quia eius virtutis opus præcipue executus est. Nam secundum rationem actuum exteriorum alios alia virtute pollere dicimus, seu præcellere in aliorum hominum comparatione. Neque nunc id agimus, quomodo virtutes pares sunt, vel connexæ. Sed si quid in operibus Pontificis emicat operationis virtuosæ, id si nossem, testificarer. Sed si patriarchali vel dignitati, vel auctoritati hoc tribuis, vt illi omnia singulaque licere, expedireque contenderis, fallis, & falleris, plurimumque deciperis, eodem Bernardo testante; *Quod sicut Cherubin & Seraphin, ac cæteri, qui ad Archangelos & Angelos ordinantur, sub vno capite Deo, ita sub vno Pontifice summo Primates vel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, &c. Quid si dicat Episcopus, Nolo esse sub Archiepiscopo. Hoc de cœlo non est, nisi tu forte Angelorum quempiam dicentem audisti, Nolo sub Archangelis esse, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem cuiquam subesse, nisi Deo.* Romanus vero Patriarcha suæ dispositioni cuncta reseruat.

Nunc quid sibi velit, *Ordine Melchisedech*, commemoremus, siue ille fuerit Sem filius Noe, primus post cataclysmum Deo sacrificans, sicut Abel protoplasti primogenitus, siue alius Rex Salem, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde Regum, qui interpretatur Rex iustitiæ, Rex pacis; Christus certe Dominus Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: & ideo Aaron, ille mediator Dei & hominum, secundum humanitatem in illo figuratur. Et quia submittitur *Vnctione Christus*, illic adiiciemus, quæ hic dici à me potuissent.

Porro quod dixisti, *Dignitate Aaron*, is Moysi viro Dei, Duci Israelis, paruisse traditur cum vniuerso ordine Leuitico. Præcepit quippe Dominus Moysi, vt post ordinationẽ Aaron & filiorum eius, prorsus tribus Leui ad diuini cultus ministeria ordinaretur, & consecraretur Domino, & seruirent pro Israel coram Aaron & filiis eius in tabernaculo. Hos duos ordines veteris legis fuisse, nemo tibi negat. Alios quoque nouo ritu Ecclesia introduxit, quorum omnium officia caput nostrum Iesus Christus in semetipso exhibuit, & corpori suo (quod est Ecclesia) eosdem ordines instar septiformis gratiæ spiritus reliquit obseruandos. Ergo & hunc passum vnctioni Christi reseruemus. Quod autem subdis *Auctoritate Moyses*, id eo spectat, quod idem Bernardus admonet in quarto: *Tuum est vnumquemque euocare & adsciscere tibi, exemplo Moysi, senes & iuuenes: sed senes, non tam ætate quam moribus, quos tu nosti, quia senes populi sunt, &c. Consilio non prece agendum est.* Id certe quomodo seruetur, ipse iudicato. Sed pergamus vltra.

Iudicatu Samuel. Caueat ergo ne dicatur sibi, ditauimus Abraham. Sed vt cum eodem Samuele libere ad populum concionari sibi liceat: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiuspiam tulerim, aut asinum; si quempiam calumniatus sum, si oppreßi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, vobisque restituam.* His enarratis subdit Bernardus: *O si daretur talium copia virorum, quales perstrinximus nunc, quid illo iocundius seculo. Nonne secunda ab æternitate illorum tibi temporum beatitudo videretur, &c. Et nunc reduc oculos, mi Eugeni, ad eum qui nunc tua curia seu Ecclesia est statum, & studia Prælatorum, eorum præsertim, qui in circuitu tuo sunt.* Sed de his hactenus, ego palpaui non fodi parietem.

Nunc sequitur, *Potestate Petrus*. Sed Bernardum tuum rursus audi: *Tu pastor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. Oues quid capiunt? si auderem dicere, dæmonum magis quam ouium pascua hæc, &c. Scio vbi habitas, increduli & subuersores sunt tecum. Lupi, non oues sunt. Scilicet sic factitabat Petrus, sic Paulus ludebat, &c. Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec constrepentibus septus ministris. Absque his tamen credidit satis adimpleri posse salutare mandatum: si amas me, pasce oues meas. In his succeßisti non Petro, sed Constantino, &c. Opus fac Euangelistæ, & pastorum opus implesti. Dracones* (inquis) *me pascere & scorpiones, non oues. Propter hoc* (inquam) *magis aggredere eos: sed verbo, non ferro: Quid tu denuo vsurpare gladium tentas, qui semel iussus es reponere in vaginam, &c.* Quod sequitur de gladio bifario, id certe prætereo & ad Monarchiam Dantis Aligherii remitto, transcurrens vsque illac.

Vnctione Christus. Siue dixeris, chrismate vnctus, seu vnctione chrismatus, vtrumque tibi conceditur. Dixeris fortasse, regium nomen Christus est, sed eius regnum secundum carnem non est de hoc mundo. Eundem Bernardum lege dicentem: *Non tu ille de quo Propheta: Et erit omnis terra poßeßio eius. Christus hic est, qui poßeßionem sibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis, & dono patris. Cui enim alteri dictum est: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poßeßionem tuam terminos terræ. Poßeßionem & dominium cede huic. Tu curam illius habe, pars tua hæc, vltra ne extendas manum tuam. Nunquid non & villa villico, & paruulus Dominus subiectus est pædago? Nec tamen is villæ, nec iste Domini sui Dominus est. Præsis vt fidelis seruus, quem constituit Dominus super familiam suam. Nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi.*

Sed prosequamur illud, *Tibi claues traditæ*. Magna est clauium significantia materialium. Clauium in conspectu rei traditio, siquidem accessus patet non impeditus, facit possessorem accipientem, si adfuit animus transferendi: alioquin custodia commendatur, quia deponere est commen-

commendare, non imperium conced[illegible] [illegible]æ vero claues regni cœlorum non adi[illegible] carnis fragilitatem, facultatemque p[illegible]ndi. Ideo secundum eundem Bernardum tolli[illegible] [illegible] iniu[illegible]ctam intellige euangeliz[illegible]di, ac non potestatem imperandi. Quod hiis verbis innu[illegible] *Non est sapiens inter vos*, ait ille, *qui iudicet inter fratrem & fratrem? Ad ignominiam vobis dico, contemptib[illegible]res, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicium.* Ita secundum Apostolum indigne tibi vsurpas [illegible]cium vile, gradum contemptibilium. Et ne dicas Apostolum pro tempore locutum, subiicit Bernardus: *Putasne hæc tempora sustinerent, si hominibus litigantibus pro terrena hæreditate [illegible] Domini r[illegible]sponderes. Quis me constituit iudicem super vos, &c. Nisi aliquando quispiam Apostolorum iud[illegible] [illegible] hominum. Stetisse denique lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego. Erit illud, non fuit.* [illegible]nardum tuum tibi retorqueo, meam sententiam comprimo, quia nimietatem meo iudicio damnarem ego, vt idem ait, ne assiduo coram te resonent leges Iustiniani, non Domini. Oppressis succurrere minime vitupero, ambitionem autem præcipue condemno.

Postremo dicis, *Tibi oues credita.* Si amas me, pasce oues meas, dixit Dominus, vbi Bernardus ait: *Domabis lupos, sed ouibus non dominaberis. Pascendas vtique, non premendas suscepisti.* Neque exploratum habes, an tunc præsto fuerint cæteri discipuli, sicut dum omnes misit in orbem. At ne Bernardum [illegible], eundem in tertio sic ordientem legito: *Parentes tui destinati sunt, non ad aliquas regiones, [illegible] orbem debellaturi. Ite in orbem vniuersum, dictum est illis. Ipsi vero vendentes tunicas [illegible] [illegible] eloquium, spiritum vehementem, arma potentia Deo. Quo non peruenere victores incl[illegible] [illegible] non sagitta potentis arcus, &c. Et quidem in om[illegible]ram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ ve[illegible] eorum. Nimis confortatus est principatus eorum.* [illegible] Læli, si hæc soli Cephæ digne deferas, quod olim Dominus per Prophetas de omnibus præconisauit, nouissime per filium suum dixit ad omnes. Hoc Bernardus intelligens subdi[illegible], *Tu successisti in hæreditatem, non ergo soli Petro.* Et nisi me intra Bernardi do[illegible] continerem, iam decert[illegible], an quadrans an dodrans hæreditatis Christi ad Papam aut [illegible]copos per eum, cui creditum est præputium, an per eum qui circumcisis euangelisauit, deriuatus sit. Sed quartam vel solid[illegible] sibi deferamus, dummodo meminerimus eiusdem Bernardi dicentis: *Præsis vt fidelis seruus [illegible] quid? Vt des illis escam in tempore, hoc est, vt dispenses non imperes. Recordare vocis illius: Sapientibus & insipientibus debitor sum. Ergo & infidelibus debitor es. Qua fiducia, qua conscientia Christum non offerimus iis, qui non habent? Expectamus vt fides incidat in gentes. At cui casu credere contigit? quomodo credent sine prædicante? Petrus ad Cornelium, Philippus ad Eunuchum missi sunt. Augustinus à Gregorio destinatus formam fidei tradidit Anglis, &c. An non limina Apostolorum plus iam ambitio, quam deuotio terit? an non vocibus eius tota die vestrum resultat palatium? an non spoliis eius omnis Italica inhiat inexplebili auiditate rapacitas?* Et rursus in quarto: *Fuerunt ante te, qui se totos pascendis ouibus exponerent, pastoris opere & nomine gloriantes, nil sibi reputantes indignum, nisi quod saluti omnium obesse putarent, impendebant substantiam, impendentes & semetipsos, vt is qui ait: Et ego superimpendor pro animabus vestris, ponebant quoties oportuisset sine sumptu Euangelium.*

Hæc super pastura pompaque pontificali ex Claræuallensi dixisse sufficiat. Me vero quoddam Concilium memini legisse, vbi super inuestitura Ecclesiasticorum beneficiorum Clericis restituenda, & econtra de regalia secularibus restituenda Principibus disceptabatur: qua [illegible]prisci mores patrum præsenti Prælatorum pompæ conferebantur, & quod secularia sine lictoribus & apparitoribus & ornatus luxu vix administrari possunt. Talis tandem incidit consideratio, quod sicut sponsæ vel nouæ nuptæ primum solis ornantur vt placeant sponsis, deinde sponsi adornant ipsas, vt & coram vniuerso mundo * gloria Christi ornamentis sponsæ suæ refulgeat: Habeat igitur regalias, & quæ duntaxat Ecclesiam fuisse * quam vidit ille ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cœlo, à Deo paratam, velut sponsam ornatam viro suo: cum vtique nos simus, in quos fines seculi deuenerunt, nullam aliam expectantes præter aduentum in gloria filii Dei. Sed neque satis parabola quadrat. Quippe apud Comicum Clitipho Cliniam zelotypia languentem solatur ex eo, quod amica eius humili veste amicta, non alieno sed proprio, vti quæ sibi ornantur fœminæ, sit ornata. Est ergo fornicaria sponsa, quæ ornatur alteri quam Christo. In gentilitate fateor turpe reputatum esse absque ornatu sacerdotium. Nam cum tribunitiis, maxime Syllanis, factionibus nedum consulatus, sed & triumphus ac quæstura plebi cum patribus esset communicata, & (vt Liuius ait in quarto) Quæsturam *namque eam non honoris ipsius fine æstimabant sed patefactus ad Consulatum ac triumphos locus nouis hominibus esse videbatur: Patres contra non pro communicatis, sed pro amissis honoribus fremere, negare, si ea ita sint, liberos [illegible]endos esse, qui pulsi maiorum loco, cernentesque alios in possessione dignitatis suæ, Salii Flamine[illegible] [illegible] alio quam ad sacrificandum pro populo sine imperiis ac potestatibus relinquantur.* Satis palpaui, non fodi parietem. Fodiat, cuius est fodere. Ideo autem extendimus sermonem nostrum, vt intelligas quam vane linguam tuam in me acuisti.

Transgrediamur ad illam epistolam, qua dicitur, *Si quis hunc* (scilicet Romanum Pontificem) *contristauerit, Christum qui ei [illegible] cathedram, non recipit: & quicunque contristauerit Doctorem veritatis, peccat in Christum.* [illegible]c suapte natura & significantia verissima sunt. Nam & Rex & Princeps, omnisque potestas sublimior, auctoritatis suæ virtutem per ministros expediat necesse est: quos si quis impedierit, Dei ordinationi resistit. Hoc nouit Appius Claudius, qui Magistratum primus suasit dictatoriæ potestatis cum lictoribus præeuntibus, dum dicit: *Pulset cum mihi lictorem, qui sciet ius de tergo vitaque sua penes vnum illum esse, cuius Maiestatem violauerit.* Ecce

quod Maiestatem violat eius cuius lictorem pulsat violentus. Hoc hæreticus Septimus declarauit, dum docuit eos rebelles haberi, qui Magistratus & apparitores in exercitio commissi sibi officii impediunt rebellando. Ergo qui Christi legatum in exercitio legationis suæ nititur impedire, Christo rebellat. Sunt vero eius legati quibus dixit: *Ite in orbem vniuersum, & prædicate, &c.* An vero te fugit, in iuribus fiscalibus concessam esse facultatem resistendi apparitori aut commentariensi, non rite personam aut res innocentis inuadenti? Et Episcopus ex interdicto vnde vi recte conuenitur, si Clericum licet prætextu pontificalis officii aut iudicialis auctoritatis non rite destituit vel deiecit. Tolle ergo cauillum, improbe cauillator, & nil reliqui habebis præter vanitatem. Quia nos Pontifici euangelizanti aut legationem Christi exequenti non resistimus, sed percussori violento.

Sed quod de putredine scatente in nos inuehis, omnium vilissime, hoc tibi reiicimus: quoniam pus tuum indurauit ardor nequitiæ, vt nullo vnquam antidoto liquescat. Quia callidissimæ assentationis tuæ versutias etiam vsque ad Imperatoris Romani palpationem pertendere tentas: cuius ignauiam ciues mirantur & hostes; totus postremo fastidit orbis Christianus, & quisquis Imperii Romani nomen reueretur, condolet alterum Sardanapalum hoc quondam triumphale solium occupare. Deinde profluis maledictis & conuiciis, quibus si quid vicissim obiecero, & clauum clauo retudero, nil plus egero, quam stercora tua vicariis obruere sordibus. Satius est ergo fœtores tuos sordere, quia nil affers, in quo ingenia conterere valeamus.

Ad illa pergemus, quibus contendere paras, *licere Pontifici non vocatum condemnare*, exemplo Moysi, qui absque præuia cognitione crimen idololatriæ plurima populi strage piauit: Subsequeris de Phinees in edicti sui transgressores, de Helia in Sacerdotes Balaam, & nuncios Regis Ochoziæ, de Petro, & Anania, & eius vxore Saphira, Paulo & Clinia mago. O miserum ingenium tuum, qui ex iis quæ nutu Dei & gratia singulari aguntur, ad humana fragilique opera per hominem peccatis obnoxium pro libito voluntatis suæ patrata, locos ducere credis exemplares, ac curuum sermone rotato tentas enthymema retorquere. Nonne iunior didicisti, humana priuilegia non esse in consequentiam trahenda? Tu vero diuinas actiones homini ducis communicandas. Disce nunc, ea quæ spiritu Dei aguntur, nullis obnoxia legibus esse, nec mediatorem Dei & hominum Iesum Christum secundum diuinitatem, neque Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, neque Papam eius vicarium esse, sed secundum humanitatem quam assumpsit Deus homo factus. Si enim vna manu tot impios, quod Moyses strauisse perhibetur, ipse prosterneret, in ipso etiam sacro furore secernens tribum innoxiam; seu precibus eius Deus perimeret eos, quos ipse censuris etiam inauditos vexauit innoxios, aut Cœlibum Ducem officio priuaret oculorum, iam gloriari posset omnia nutu Dei procedere. Denique surripis colloquium Moysi cum fratre præmissum ante cædem, & supprimis verba Petri, scilicet; *Anania cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto?* quæ super singulis responsa prolixa forent. Vnum te latere non sino, quod mystica Theologia ita demum est argumentatiua, cum à Christo vel à sanctis Patribus inuenitur recepta. Vide nunc si nostra vel tua exempla sunt recepta.

Nunc illud examinemus, quod tu vocas efficacius, egoque id reor propositæ materiæ propius adaptari, de Corinthio, quem absentem corpore Sathanæ tamen tradidit Apostolus absque iudicii tela, ob reatus sui notorietatem, quia Corinthios non latebat incestus eius in nouercam. Non arbitreris, Læli præsumptuose, me vasis electionis censuram in Corinthium ignorasse: sed eius exempli translationem portentosam assero, dum tete mihi texens sic licia trahis: *An vero inficiari poteris, crimen tuum non fuisse notorium, qui palam criminosum & sacrilegum Sigismundum in crimina confouebas, &c. nec calumnieris id non esse facti permanentis, &c. id iure factum esse contendis.* Post hæc deliramenta tandem eo recurris, si factum nulla possit tergiuersatione cælari, neue defensio vlla competere, liceat absque cognitione præuia facinorosum damnare. Insuper adiungis, *quod si quis peccat in conspectu iudicis, illico plecti debet*: addere debebas hoc verbum, *scilicet vt iudicis*, scilicet astantibus circumsepti, vt sit par iudicialiter confitenti, in quem quales sint iudicis partes, olim nosti scholaris, nunc doctoratus assumptione litura literis inducta est tuis. Nunc ad singula quæque nostra festinat Apologia. Quid tecum Læli contendam, qui nil omnino sapis, nec quid iudicare sit intelligis, nec quomodo vas electionis iudicarit animaduertis. Tu forte putas, neminem iudicare, nisi cui de publico sit data potestas. Iudicat sensus de sensato, & intellectus de cognito, cum phantasmata speculatur vel intuendo, aut ex intuitis eliciendo aut abstrahendo circumstantias vsque ad rem secundum se, aut discurrendo per varietatem cognoscibilium, vt de morbo medicus, ac quisque de eo in quo plurimum pollet. Apostolus absens iudicauit vt præsens. At quomodo? certe intra se iudicauit, quid de Corinthio incestuoso facturus esset, quando cum fratribus Corinthiis ad se venturis constitueretur, quem in spiritu vidit operantem opus sceleratum, aut forte litteris sibi fuit indicatum ad Ephesum. Non ergo tradidit, donec Corinthios congregauit. Hoc habent Apostoli verba dicentis: *Ego quidem absens corpore præsens autem spiritu iam iudicaui, vt præsens.* Quare? quia in spiritu vidi. Quid autem iudicauit? Scilicet eum qui sic operatus est, *in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis, & in meo spiritu cum virtute domini*

Iesu,

Iesu, tradere huiusmodi Sathanæ in interitum carnis, &c. Indicauit ergo Apostolus intra se secundum Spiritum, Sathanæ vero tradidit congregatis Corinthiis fratribus, non Ephesiis aut Galatis. Alias argumentationes vacuas esse liquet. Siquidem Duci aduersus Cardinalem constiterit superesse defensionem. Id vero quanquam iam liquido compertum tibi, etiam quam vt breuius explicem, sic accipe. Cardinalis tuus sponte, libere Capitulo suo annuente, prædecessorum suorum more, Ducem Sigismundum aduocatum Ecclesiæ suæ recognouit, ac omnium rerum eius, cum duobus castris in Carentana sitis; eaque omnia, si quando opus esset, in auxiliis aduocati fore spopondit. Sub hac tutela impinguatus, dilatatus, Ecclesiæ castra ad manus exteras transferre tentauit. Extant documenta manu sua scripta, extant qui tractarunt, & apud quos machinatum est. Dux statui suo prouidit, illico cautione recepta securitatis status sui, omne regimen Ecclesiæ apud Cardinalem libere permansit, hoc modo prouiso, ne castra sub extero dominatu redigantur. Vide num latius fuerit periculis obuiare, quam post causam vulneratam remedium quærere. Nam (vt aiunt) suspicari de præterito, quam reipsa experimentum capere est melius.

Postea miserrime insanis, quasi *Princeps legibus solutus damnare valeat inauditum.* Si quæ scholaris didicisti, non abstersisset Doctoratus vel Pontificatus, iam promptum haberes, vbi scriptum est: *Etiamsi coram Principe arrogatio habeat fieri, vocandos esse quorum interest.* Hic vero de maiori præiudicio agebatur. Dehinc cæcas ineptias tuas effundis innuens, quod sicut testamentum coram Principe factum omnium testimoniorum solemnia exuperat, sic quæ per Principem aguntur, legibus adeo soluta sunt, vt nec in ius vocationem requirant, tanquam à solius Principis potentia vim habeant rei iudicatæ. O pauper sensus! Dic, oro, cui præiudicatur ex omissione solemnitatis in testamento, dummodo constet, sic placuisse testatori? at cui præiudicatur per priuilegium testamenti militaris, aut ad pias causas, vel inter liberos, aut ab intestato successuros, aut in pacto mutuæ successionis? aut si quis heres institutus neget à se legata relicta, deinde conuictus se defendat, non esse solemniter relicta? Sed an quocunque casu etiam Principis præsentia facit narrata in testamento vim veritatis habere, sicut res iudicata? Quid si testator coram Principe dicat: *Centum quæ mihi debet Titius, Seio do lego,* an probetur debitum? Disce pauper ingenio inter iuris solemnitatem & naturalem secernere necessitatem. Erubesce hæc tua scripta doctis hominibus innotuisse. Nam licet de me male meritus sies, mallem tamen errores tuos penes te retinuisses.

Alias vanitates pari errore resperlas mitto, hoc vnicum tibi concedens, quod vbi seditio imminet, vbi gentes & regna commouentur, licere Principi absque partium vocatione imminentia præuenire pericula, quæ interea surgerent, postea fortasse non reparabilia. Sicut apud Valerium in sapienter factis comperio, quod ciuitate clandestinis machinationibus sæuiente, Princeps eius lege de indemnatis non castigandis abrogata, comprehensis continuo sontibus & necatis, illico legem restituit. Si quis ergo Pontifex in dissensione pro Imperio Romano habita officiose interuenit, quid habet hoc commune cum causa nostra, aut etiam cum causa Maguntina, de qua Domino annuente posthac disceptabitur. Nam & de seditiosis Iustinianus nouissimo iure prouidit, vt leuiori suspicione prauia contra notatos in crimine illo procedatur. At in omnibus hiis casibus tela iudicii succiditur, naturalis necessitas non violatur.

Postremo repetitis blasphemiis, vt malignitati tuæ naturæ satisfacias, tandem secernis, an de crimine contra quempiam inquiratur vt damnetur, an vt declaretur pœnam promulgatam incidisse: quo vltimo casu nil noui statuitur, sed reus legis factiosus nunciatur. O cauillator præsumptuose, num audisti Ducem Sigismundum statui suo prouidisse, ne Cardinalis dextram eius fallens alium dominum immitteret? Tales proditores Maro in VI. apud inferos priore loco supplicii deputauit. Audiendus igitur erat Dux: quia etsi de facto constabat, de hoc erat disceptandum, num iure vel iniuria factum esset. Quod autem ad Concilium appellatum est, id argui non potest: quia ex salutaribus magnæ Synodi institutis iam dies Concilii cessit, decennium effluxit: culpandus est Pontifex qui resistit. Sed dic miser, qui tam patum ponsi habes; Si quis Iudex falso denunciet Titium homicidii reum, & idcirco lege Cornelia de sicariis obnoxium, an minorem fecerit iniuriam, quam si decernat eum homicidii reatum incidisse? Erras longe, si putas vllam tenere pronunciationem, sententiam vel declarationem, aut falsam publicationem, contra non vocatum vel inauditum. Num Pontifex ipse secum dissidet, qui Ducem vocauit causas dicturum, cur ad pœnas comminatas procedi non debeat: at legatum Ducis id parantem carceris comminatione deterruit, ne quid allegaret. Tibi dico, omnis cognitio causæ vel rei, quæ sit futura præiudicialis, euocationem prærequirit: siue de facto constet, & quæratur facinoris auctor, aut constet factum, & per quem, sed dubitetur iure vel iniuria; seu constet non iure factum, & disputetur de genere pœnæ. Sed & quandocunque de alterius præiudicio certatur, vocandus est is qui habet interesse, etiam Principe cognoscente, quem latere possunt hominum facta: solus Deus est, quem nullum fugit secretum.

De primatu Ecclesiæ Romanæ.

SEntina mendaciorum perfidissima descendens in barathrum calumniarum, quid me calumniaris quasi primatum Ecclesiæ Romanæ pernegem? qui scio omnibus Apostolis esse

dictum: *Ite in orbem, & quodcunque ligaueritis, &c.* Non poteris efficere, vt verba mea sonent aliud quam vox Euangelisantium bona, prædicantium pacem. Tu vero vndecim Apostolos supprimere quæris, vt omnem Ecclesiasticam potestatem redigas in Petrum, neque fateris cœtum Apostolicum vno superiorem: qui tamen cœtui patuisse perhibetur. Sacra generalia Concilia inficiaris esse fidei Christianæ firmamenta, & a Christo habere potestatem in omnes Christi fideles, etiamsi Romana pontificali præfulgeant dignitate. Quod te malum rationis in hanc dementiam coniecit, vt ex meis veris & Euangelicis prolatis in falsos errores incideres? An vlla est discordia veris, semperque sibi certa cohærent, & omne verum vero consentit. Dictu, qui soli Petro pasturam attribuis, quid est quod discipulus ille, quem diligebat Iesus, de ipsius Saluatoris pectore fluenta sacra potauit: an vt intra se contineret, an vt euangelisaret? Dixerunt autem discipuli XII. in congregatione multitudinis credentium: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei.* Est autem euangelisare pascere, scilicet pabulo verbi diuini. Quid vas electionis, nuncius Iesu Christi? *Non ab hominibus, neque per hominem sed per Iesum Christum & Deum patrem, &c.* Sed quia vtrumque errorem tuum postea falsis rationibus fucare præsumis, in processu tractatus latius confutabo, ac confusionem ordinis tui instigatus à te vestigiatim imitabor. Primo veniam habi urum fidis, si paulo altius principia repetas. Proiicis ampullas, & professus grandia turges, Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Gloriaris te loqui scire, quod nullus ignorat: *Ecclesiam ab eo constitutam, cuius perfecta sunt opera, quique legem naturæ, vt infima summis, summa infimis, &c.* Me admones eorum, quæ didici puer, scilicet elementarem mundum numerorum lege compactum. Hoc ita pueri nostri pronunciant: Omnia quæ à primæua rerum origine processerunt, sub numerorum ratione formata, &c. Deinde docetur, quod quantum vniuscuiusque elementi soliditas aut raritas alterum excedit vel ab alio superatur, tantundem alterum quantitate stringi vel distendi: rursus si vna qualitate aduersatur, altera communicatur. Dehinc ætherei mundi compagem attingis, de Angelis & Archangelis grandia, quæ præfando spopondisti, exoluisse putans: quæ quia postea superbius ampullaris, iam valere sino. Sed ne nos litterarum expertes aliis insinues, accipe istud Socraticum contra Callidem in Gorgia relatum. *Dicunt autem Sapientes ô Callides, & cœlum & terram, & Deos & homines societatem & amicitiam, & ornatum & temperantiam & iustitiam continere, & hoc totum ea de causa mundum nuncupant, ô amice, non immunditiam. Tu autem videris non attendisse, quia æqualitas Geometrica & in Deis & in hominibus plurimum valet.* Ecce quod gentilis harmoniam sensit omnium rerum compagem: neq; id nostri Pædagogi nescierunt, qui nos docuerunt quod sequitur;

Tu triplicis mediam naturæ cuncta mouentem
Connectens animam per consona membra resoluis.

Ergo si nil aliud habes, cur illud non custodisti? Compagem Ecclesiæ solus Papa soluit, qui membrorum officia præfocando impedit, & oppilando suffocat, ne quis Episcoporum officium suum tute valeat explere, iuncturas diiungit, confundens harmoniam, dum omnium officia solus sibi vendicat. Aufert corpori sanitatem, dum membra singula singulis officiis non finit vti. In processu dicis, *Vnum in Ecclesia Principem, in quo & ex quo* * nemo contradicit. Si Petrum, resistit tibi Paulus: *Ego enim à Domino accepi, quod & tradidi vobis*, non à Petro. Et rursus: *Non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum.*

Pergis dicens, *Non à multis vnum, sed multa ab vno.* Cum à Pædagogo meo interrogarer infans, *Quidnam esset numerus?* respondi, *Vnitatum collectio ab vno scandens ad plura.* Similiter & tempus *mensura motus rerum mutabilium.* Postea ab Augustino in vltimis Confessionum libris didici, esse discretionem potentiæ ratiocinatiuæ super rebus numerabilibus aut fluxis. Tu vero quid dixeris, vix consideras, quia non inferunt quod prætendis: vt Irnerius ait, consequentiam tollit contrarium, non inducit.

Prosequeris, *vt in corpore multa membra vnius capitis sumunt influxum, &c.* Fatemur, sed non ita vt caput manus aut pedis vsurpet officium, reliquis scil. Episcopis nihil relinquendo.

Sequitur, *Inferiores motus primi mobilis motu gubernantur.* At non Sol rutilo concitus igne Phœbes gelidum impedit axem, sed veterem seruant sidera pacem.

Sequitur, *Vt ex reuerentia inferiorum ad caput vna concordia fieret.* Vicissim lege S. Gregorium corripientem Episcopum, quod se *Vniuersalis Ecclesiæ Episcopum* nuncuparet: Dicentem; *Cum omnia tibi tribuis, adimis mihi, &c. Honor meus est fratrum meorum solidus vigor.*

Sequitur, *In apibus vnus Rex est, & grues vnam sequuntur ordine litterario.* Si attentius quæ legisti, obseruasses, iam scires illud de quolibet Episcopo dictum esse, vt sequitur: Scire debetis Ecclesiam in Episcopo & Episcopum in Ecclesia esse, neque inficiari debes in Ecclesia esse Romanum Pontificem, extra quam nullus saluatur. Erit igitur Ecclesia Pontifice maior, sicut cœtus Apostolicus fuit maior Petro. Sed quia gloriaris in apum metaphora, quam fateor esse præcipuam, nullos quoque populos attentius Regem obseruare, quo amisso rumpitur fœdus, mella diripiuntur, fauusque dissoluitur. Eum igitur humeris attollunt, & obiectant corpora bello, pro quo nec mori recusant. Sed quare, vt singula quadrent, omnes enim in commune mellificant, communiter & prolem educantes (vt ait Maro) solæ communes natos, consortia tecta vrbis habent, & in medium quæsita reponunt. Rex autem est operum custos; non sic etiam

Pontifex

Pontifex Romanus, qui Piccolominibus Pientiæque thesaurisat? Talis Rex iubetur expelli, vt rursus ait Maro:

Deterior qui visus, cum ne prodigus obsit,
Dede neci, melior vacua sine regnet in aula.

Postea calumniose præuaricaris Bernardum Claræuallensem, quasi omnem potestatem in solum Petrum innuat esse transfusam, dum dicit: *Sicut Seraphin & Cherubin cæterique ordines sub vno capite, &c.* Sed longe alia est mens Bernhardi, qui execrans detestansque Prælatorum exemtiones, Eugenium sic arguit: *Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, ii Patriarchis: & sic factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis. Honorum ac dignitatum gradus, & ordines quibusque suos seruare positi estis, &c. Tu ne denique tibi licitum censeas, suis Ecclesiam mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos posuerunt Patres tui? Si iustitia est ius suum cuique seruare, auferre cuiquam sua quomodo poterit conuenire? Erras, si vt summam, ita & solam institutam à Deo Apostolicam potestatem existimas, & dissentis ab eo, qui ait; Non est potestas, nisi à Deo. Proinde quod sequitur, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, etsi principaliter pro te facit, non tamen singulariter. Rursus, omnis anima potestatibus sublimioribus, tanquam in multis. Non tua ergo sola potestas à Domino, sed & inferiores, &c. Monstrum facis, si manum submouens digitum facis capiti collateralem, aut in corpore Christi membra locas aliter, quam disposuit ipse. Nisi putas, alium esse qui posuit in Ecclesia quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios Euangelistas, alios Doctores & pastores, &c. Sicut illi Cherubin & Seraphin, &c. Quod si dicat Episcopus; Nolo subesse Archiepiscopo, aut Abbas, noli obedire Episcopo, hoc de cælo non est, nisi tu forte Angelorum quempiam dicentem audisti, Nolo sub Archangelo esse.* Vides ergo doctrinam Bernhardi Eugenio sinceriter datam, quam tu impie præuaricaris, qui ex reseruationibus Ecclesiarum Cathedralium & confusione hierarchiæ consequentis ad illam nactus es pontificatum.

Sequitur nunc illud Euangelicum, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Multi calumniatores tui pares ex hoc verbo audent asserere, super solo Petro ædificatam esse Ecclesiam. Illis tuus Bernardus dissentit, vbi supra, dicens; *alios Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Doctores, Pastores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Atque hoc corpus, quod tibi ipse Paulus hoc suo Apostolico figurans eloquio, & capiti conuenientissime adaptans, totum ex eo compactum perhibet, & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram, vniuscuiusque membri augmentum corporis faciens, in ædificationem sui in charitate.* Christus est ergo caput, cuius membra sumus per charitatem. Illud igitur iungas: *Petra autem erat Christus indeficiens.* Nam & Hieremiæ dictum est à Domino: *Ecce constitui te super gentes & regna, vt euellas & destruas, disperdas & dissipes, ædifices & plantes:* nec tamen ideo summa rerum sibi soli collata perhibetur.

Sequitur, *Vna est columba mea, perfecta mea, &c.* vnitate fidei, & charitate Christi, non Petri, vel Pii; quibus defunctis non desinit Ecclesia, neque exspirat, si duo auari certent de Papatu, vt sæpe, aut Papa erret in fide, vt quandoque. Imo & Indum recte credentem in Ecclesia esse confido, ne coactio necessitatis ipsum excludat à regno Dei, quod promisit credentibus in se Dominus.

Sequitur; *Ego & Pater vnum sumus.* Quis hic dubitet Iesum Christum patri consubstantialem? nec dubitatur, quin Christus ascensurus ad patrem cuncta saluti nostræ oportuna prouiderit: qui & post ascensionem & Spiritus sancti missionem Paulum ad præputium misit, de quo disserere post hoc non omittam.

Redis nunc rursus ad Claræuallensem, quasi ille rem omnem soli Papæ attribuat. Cogis me rem illam ab initio attingere, ne putent homines ignari, Bernhardum ipsum pompam & gloriam Eugenio persuasisse. Bernardus Claræuallensis scripsit ad Eugenium super pontificatu librum vnum, hortans eum ad Dei cultum, & contemptum mundanorum, dum dicit: *Putasne hæc tempora sustinerent, si hominibus pro terrenis litigantibus voce Domini responderes: Quis me constituit super vos?* Et istud: *Cum obsidio vrbi & barbaricus ensis immineret, beatus Gregorius extremam & obscurissimam partem Ezechielis tam diligenter quam eleganter exposuit.* Et illud: *Disputationes aduocatorum magis ad subuersionem, quam inuentionem proficiunt veritatis.* Et illud: *Timeant nummularii, nec fidant in nummis, scientes effundere quam accipere se paratiorem.* Ominatus est vir sanctus sese calumniari: idcirco telam succidit, librumque clausit hiis verbis: *Atque hic sit finis istius, ne duplo te oneret minus suauis oratio, si & longa fuerit.* Hoc etiam probat sequentis libri principium, quod continuo apologeticum est, tum circa prioris libri præcepta, tum circa titulum eius, quem illi iam *De consideratione* imposuerat. Tantus enim liuor in virum sanctum ascenderat, vt & titulus libri veniret in calumniam, quasi vir sanctus considerationem pro contemplatione nuncupasset. Huiusce defensionibus prælibatis vir sanctus ad prioris libri præcepta reuertens, ait; *Non est quod blandiatur celsitudo. Disce tibi sarculo opus esse. Nam Propheta cum similiter leuaretur, audiuit, Vt euellas & dissipes, &c.* Quid aliud hoc innuit, nisi cum leuaretur Propheta, sicut tu: quia similitudo differentiam notat non identitatem, &c. *Tolle fucum fucati honoris.* Ex quo satis intelligitur Doctorem sanctum calumnias esse perpessum, qui & iam dixerat: *Libens in me accipio detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemantium.* Et cum plurima scripsisset vir sanctus in execrationem deliciarum & pompæ pontificalis, subdit illa: *Sacerdos magnus, summus Pontifex, &c.* Deinde submittit de prioritate Petri; at non ita, vt illi soli potestas sit delegata, vt superius dixi super eisdem verbis. Quid igitur in Bernardo gloriaris, qui delicias & pompas Pontificis adoras? ad quarum detestationem & omnium temporalium rerum contemptum omnes illi

quatuor

quatuor libri à viro sancto profecti sunt, non autem quod Eugenius præ cæteris [illegible] ret, sed vt omnes Romanos Pontifices ministerii sollicitudinisque pontificalis [illegible] ret, vt ipse quoque testatur. Nam cum singula quæque ad eminentiam ipsius dignitatis [illegible] tia explicuisset, admonet eum suæ vilitatis, & prædecessorum suorum humilitatis, [illegible] pie retices & supprimis, quasi vir sanctus delicias pontificales & deuorationem [illegible] approbare, qui tamen contra Pontificis auaritiam scribens ait, *Omnia possidens non contentaris vniuerso, &c.* vt scripsi supra, super his verbis: *Tu primatu Abel.* Hac igitur lege coeamus & conciliemur, Claræuallensem in omnibus vt accipias, vt ipsius Pontificis eminentiam veneremur, auaritiam vero cum Bernardo detestemur. O quid putas dicturum fuisse Bernardum, si vidisset Romanum Pontificem de minutissimis beneficiis disponentem, & hierarchicum ordinem per omnia confundentem, & suum monasterium S. Anastasii de vrbe concessum in commendam? qui ægre tulit Abbatum exemtionē damnans eam velut perturbationē ordinis à sanctis Patrib. præfiniti.

Inter hæc vnam admisces hæresin, dicens; *In reliquos discipulos non nisi per Petrum sit deriuata potestas.* Hoc neque Anacletus dicit, nec magnus Leo consentit, fatentes Petro quidem omnimodam potestatem traditam, id est, nullis terminis coartatam; minime autem diffitentur & cæteris Apostolis claues esse traditas à Christo immediate. Dic rudis hæretice, vbi legisti, Petrum quemquam Apostolorum in Sacerdotem vel Episcopum consecrasse? Ergo disce, omnes vndecim Apostolos viua voce veritatis ordinatos: quia manuum impositio ritus est ab Apostolis introductus, postea solemnes prædicationes adiecit Ecclesia. Mathiam autem non aliter legimus ordinatum, nisi quod inter duodecim annumeratus est, & spiritum Sanctum cum aliis accepit, ita vt non esset vlla manuum impositio necessaria. Atque hodie veritas est indubitata, nedum sacrum ordinem, sed & omnia Sacramenta à Christo immediate conferri. Episcoporum autem & Sacerdotum ministerii exhibitio corporalis incorporalia sacra contingere non valet, sed spiritualis collationis præbet indicium infallibile: quia non faciet Iesus irritum pactum suum vt cum minister eius officii sui ministerium in nomine eius exhibet, ipse præstat quod repromisit. Dic si speculator in colle consistere iussus, hostili exercitu inter angustias viso, signo dato moneat Imperatorem, sicut pactum fuerat, isque subito impetu obruat hostem, cui actionem [illegible] is, cui summam rerum defers? Te parem esse reor Simoni, putanti manuum impositionem Petri ac Ioannis factam super baptisatis in Samaria, qui nondum acceperant spiritum Sanctum, corporali quodam attactu id effecisse: sicut ouum quod ex cubatione gallinæ viuificatur. Cui Petrus ait: *Existimasti donum Dei pecunia possideri. Pœnitentiam itaque age, &c.* Rudis es, de sacris rudissime sentiens, alta tamen attingere audes, dum dicis, quod missio Petri & Iohannis in Samariam à Coapostolis facta non sit indicium maioritatis omnium Apostolorum ad Petrum, & dicis similem fuisse Arrii impium errorem dicentis, *Spiritum Sanctum patre filioque minorem, quia mittatur ab illis.* [illegible]

O philtrum grossum, Feltrensi populo dignum? qui generationem & geniturum, spirationem & processionem æternam, Patris, Filii & spiritus Sancti putas corporalibus rebus æquari, vbi mittens ac missus, generans & genitus substantialiter absque vlla essentiæ communicatione distinguantur. Sed ad textum redeamus. Ille ipse Lucas qui scripsit: *Conuocantes autem XII. multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, &c. Considerate viros ex vobis boni testimonii septem, & elegerunt Stephanum, Philippum, Prochorum, Nicanorem, Timonem, Parmenam, & Nicolaum, &c.* Vides quomodo apud Hierosolymam XII. Apostoli congregauerunt Concilium, totumque Concilium elegit prædictos septem, quos constituit super hoc opus, scilicet euangelisandi verbum Dei, non autem Petrus. Ille idem Lucas subiungit, quod Stephano lapidato omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apostolos, & qui dispersi erant pertransibant euangelisantes. Philippus autem descendens in ciuitatem Samariam prædicabat illis Christum, intendebant autem turbæ hiis, quæ à Philippo dicebantur, &c. Et post pauca subdit Lucas: *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quia Samaria recepit verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Iohannem, &c.* Ex hiis constat luce clarius, Ecclesiam Dei Stephani lapidatione dispersam, solis Apostolis manentibus congregatis, apud quos integra permansit auctoritas. Qui cum audissent Samaritas in Philippum intentos, miserunt & Petrum & Iohannem. Quid igitur calumniaris, æquiuocando missionem Philippi ac Iohannis à missione Petri, in eodem orationis contextu, præcipue autem inter Petri ac Iohannis, quasi aliter Petrus sit missus, aliter Iohannes? an quia Petrus dignitati suæ derogatum esse duxisset, qui tamen à solo Paulo reprehendi se sustinuit? Ita enim Galatis scribit vas electionis: *Cum venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat, &c.* Neque enim Petrus quidquam Paulo contulit, sed ipse contulit Petro, quod acceperat à Domino. Tu vero somnia delitans dicis, *Qualiter Consiliarii mittant Regem ad bellum, quamquam Rex sit cunctorum Dominus, ita Petrus ab Apostolis Samariam missus sit, impulsis etiam amore eorum ad quos mittebatur, scilicet Samaritanorum.* Vtrobique delitas phantastice. Neque enim Regii Consiliarii Regem in bellum mittere, sed consultanti Regi, an bellū indicere vel suscipere, an exercitum ducere, an alium illi præficere expediat, adesse habent ac persuadere. Ita Xerxen fecisse legimus, cuius tanta copiæ fuisse dicuntur, vt nec mare classibus, nec campestria equestrib. neq; aera telis capiendis sufficere posse, assentatores aulæ suæ gloriarentur, præter vnicū qui censuit, *Immoderata Regi non posse: quæ vero Regi nō possent, minime subsistere.*

Ita &

Ita & cæteri Reges fecere: nisi forte quis precario regnet aut vacuo Regis nomine contenteur, vt olim ante Faramundum Francorum Reges vidisse perhibentur. Et quia nimium inepte locutum esse comperio, existimare cogor te minime intelligere, quid Rex, quid regnum, quidue habeat dignitas & potentia regnatiua. Id ergo perstringam, quia etiam à præsenti tractatu non abhorret. Etsi omnis viuendi & agendi ritus & norma, quibus pax & tranquillitas gentium vel populorum salubriter custoditur, generali vocabulo *Politia* nuncupetur: tamen propter agendi varietatem, quam vel prauitas regnantium, vel ipsa dominantium improbitas, aut fati fortasse necessitas humana iudicia superans tum persuasit, tum coegit, auctores de politia scribentes illam profecto trifariam distinxerunt. Primam, quæ Principi Deo, qui omnem mundum regit, propius accedit, *Monarchiam* vocauerunt. Ea quidem in seipsa perfectissima est ac populis accommoda, cum heroico viro defertur. Tales quippe fuerunt, quos Græcia diuinis colit honoribus, vt & Romani Quirinum suum ad astra tulerunt, qui tamen ob asperius ingenium à Senatu discerptus est. De his Socrates in Apologia: *Nemo vnquam Reipublicæ gubernator euasit, si libere ad populum locutus sit, ac his, quæ iniuste indigneque plerunque fiunt, se opposuit. Sed necesse est ei, qui velit reuera pro iustitia pugnantem vel exiguo tempore saluum fore, priuatum degere, neque Rempublicam attingere.* Tales neque hoc cœlum, neque tellus nostra gignit, quorum meminit Philosophus 3. Politicor. & Flaccus ad Ofilium: *Hos vtinam inter heroas natum tellus me prima tulisset.* Sed quia vnici hominis deprauatione Monarchica vertitur in tyrannidem, quæ fuerat Septimi Regis ab vrbe pellendi caussa, & Imperii consularis pro regno permutandi, successerit regimen optimarum, quod *Aristocraticum* vocatur, quia vnici hominis deprauatione non adeo corrumpitur, quin ab incorruptis valeat rectificari. Hoc est, quod Cicero ab exilio reuersus commemorat, cur tribunitio furori parere & in exilium abire maluerit, quam ciuilibus armis decertare, quod alterutro Consulum incorrupto agente non dubitabat se rediturum: quem tandem omnis Italia humeris suis reportauit.

Cum autem optimatibus dominandi libido incessit, Aristocratia in Oliarchiam mutata est: ad tertium genus agendi deuentum est, quod in specie *Politiam* vocant, in qua quilibet vicissim participat, id vulgo *Populare* vocatur, corruptum vero in tumultum vertitur, quem appellāt *Democratiam*. In quolibet autem horum Principatuum genere, si in corruptū regimen permanserit, populi vnitas sustentatur. Ita & in Conciliis vniuersalib. etiam Papa sublato, Ecclesiæ vnitas conseruatur, & manebit vna columba formosa perfecta, sed & vnum ouile vnius pastoris æterni, Christi Domini, Sacerdotis in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Id vero, quod de amore in Samaritanos delirando somnias, nil proficit, nec inter missionē Philippi, Prochori, Nicanoris &c. ac Petri & Iohannis quidquam secernit. Vt autem intelligas, quam sit impertinens ac disparatum enthymema, quod de missione sempiterna patris & filii ad Spiritum sanctum, ac missione cœtus Apostolici ad Petrum seu quemuis Apostolorum remotissima similitudine retorques, sic accipe. Legerat Arrius: *Patrem gignere filium, ipsumque genitum à Patr.* Rursus, *Patrem ac filium, spirare Spiritum sanctum, illumque à Patre & filio procedere.* Alietatem ergo discretiuam proprietatis personarum Arrius accipens, habentem se per modum causantis & causati, ex rebus autem naturalibus productis & creatis ad Deum æternum, ad personas coæternas, & coæquales similitudine traducta, maioritatem inter illas esse putauit: minime considerans, quod in æterna generatione generans dat genito quidquid est, & quidquid habet, nil autem sibi diminuens. Similiter & spirans dat spirato vel procedenti: hoc solo dempto, quod pater filio non communicat innascibilitatem vel gignendi actiuam proprietatem, qua quidem discretione à Filio secernitur. Similique modo Pater & Filius Spiritui non communicant actiuam spirationem æternam. Has enim notiones separatas esse oportet, ne personæ confundantur. Diuina autem essentia personis singulis communicata, nec generans, nec genita, neque procedens, simplex & ineffabilis eas facit esse coæquales. Ergo Pater & Filius Spiritum æterna spiratione spirantes, atque etiam nouissime in discipulos Spiritum mittentes, nihil aliud à se spirant. Nam Deum de Deo, genitum non factum confitentes, æque Deum de Deo, & lumen de lumine mitti ac procedere confiteamur oportet. Et sicut generans & genitus vnum sunt, sic mittens & missus. Nec tamen ob hoc idem seipsum gignere, mittere vel spirare dicitur, ne persona seipsam, vel essentia gignat essentiam. Non autem sic cœtus Apostolicus vnum est cum Philippo, Prochoro, Petro vel Ioanne.

Pergis deinde fingendo, quasi ego innuerim Petrum ex Antiochia Romam à reliquis discipulis esse transmissum. Hoc de me (credo) fingis, vt habeas in quod conuitium habeas: neruos autem intendis, si efficere possis, vrbem Romam Petri sedem esse præcipuam, & primatum Petri ipsius vrbis Romæ principatu, quem tunc habebat vrbs ipsa confirmes. Rem satis tranquillam commouendo, plus dubitabilem reddis. Nosti communiter omnibus esse dictum: *Hoc facite in meam commemorationem.* Rursus: *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos.* Insufflauit & dixit eis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Rursus: *Euntes docete omnes gentes, &c.* His quidem verbis nullus delectus personæ exprimitur, nullus orbis terræ locus cuiquam assignatur. Sed in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ vox eorum. Per reuelationem autem Pauli scimus, quod licet ipse per orbem euangelisare habebat, de quo scribitur: *Hic est mihi vas electionis, vt portet nomen meum coram gentibus & Regibus, & filiis Israel*, aliquo tamen respectu principalius missus ad gentes, vt de se loquutus refertur in Actis: *Factum est autem re-*

uertenti

uertenti mihi in Hierusalem, & oranti in templo, fieri me in stupore mentis, & videre illum decentem mihi: Festina & exi velociter ex Hierusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de me. Vade, quoniam in nationes mittam te. Ipse quoque Galatis secundo scribens ait: *Cum vidissent Iacobus, Petrus & Iohannes, quod creditum est mihi Euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis.* Ac rursus: *Iacobus & Cephas & Iohannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in gentes, ipsi autem in circumcisione irent Euangelium prædicandum.* Quæ omnia magis innuere videntur, vrbem Romam Pauli quam Petri fuisse prouinciam, a Christo sibi non a Petro assignatam, sicut & aliam quamlibet suam functionem, vt ipse Galatis primo scribens orditur: *PAVLVS Apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitauit eum a mortuis.* Sed & secundo Galatis scribens se a nullo puro homine accepisse significat, dicens: *Mihi enim, qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, sed e contra cum vidissent, quod creditum est mihi Euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis. Quod enim operatus est Petro in circumcisis, operatus est mihi inter gentes. Et cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus & Cephas & Iohannes, dextras dederunt mihi, &c.* Lucas insuper Actuum historiam clausurus, cum dixisset, *Et sic venimus Romam,* post pauca subiungit Apostolum Iudæis Romæ loquentem: *Notum ergo sit vobis, quoniam gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient illud. Mansit autem biennio toto in suo conductu, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei.* Omnes ergo suscipiebat, licet gentibus principaliter missus est. Vt & Romanis secundo scribens profitetur: *Vobis enim,* inquit, *dico gentibus, quamdiu quidem ego sum Apostolus gentium, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam.* In Ecclesiis certe Germanicis decantatur: *Petrus Romam Apostolorum Princeps adiit, Paulus Græciam, vbique docens gratiam.* Et historiæ non leues, sed extra sacrum Canonem Bibliæ, & Ecclesiasticæ legendæ Sanctorum habent, *Petrum inuenisse Paulum Romæ prædicantem.* Porro etsi sciam non omnia sanctorum Apostolorum gesta sacris litteris explicata esse, attamen nimis alienum videtur, quod neque Lucas Actuum historiæ scriptor, Pauloque adhærens, ipseque Paulus de hiis, quæ ambo contra Simonem Magum, aut alios Romæ egerint, nullam fecerint mentionem. Neque istud sane quadrat, quod Actuum vltimo legitur, scilicet Paulum in primo eius aduentu Iudæos allocutum, & aduentus sui caussam aperiendo dixisse: *Contradicentibus autem Iudæis coactus sum appellare Cæsarem.* At illi dixerunt ad eum: *Nos neque litteras accepimus de te a Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit aut locutus est quid de te malum. Rogamus autem a te audire, quæ sentimus. Nam de secta hac notum est nobis, quia vbique ei contradicitur, &c.* Si ergo Petrus Paulum Romam præuenit eundo, e contra certe Paulus Petrum præuenit euangelisando, disputando, vel docendo, aut Petrus delituit, aut nil relatu dignum gessit, antequam Paulus superuenit. Paulus enim non reticuisset, sicut nec reticuit ad Corinthios & Galatas scribens de Petro. Si prolixior fui, tu incitasti. Expediebat enim errorem tuum vacuare, dum dixisti: *In reliquos Apostolos non nisi per Petrum a Christo deriuatam esse potestatem.*

Derides & illud, quod Ecclesia solemniter canit, *Apostolos præesse gregi dominico.* Nec tamen quidquam affers, quam quod Ecclesia illorum patrociniis adiuuari deprecatur, quorum merita recolit. Non autem respondes ad hoc verbum, quo supplicat Ecclesia, *Vt eisdem rectoribus gubernetur, quos operis sui vicarios contulit præesse Pastores.* Non dicit *Petrum vicarium*, sed Apostolos vicarios constitutos. Et sic vacuata est argumentatio tua, quam subiicis de verbis Domini ad Petrum dicentis, *Pasce oues meas,* vbi Glossa dicit: *Cum tertio audit a Petro, se diligi, iubet pascere oues. Trinæ negationi redditur trina confessio, ne minus amori lingua seruiat quam timori.* Dic quæso an fortiora sint hæc verba, *Pasce oues meas*, an ista, *Hic est mihi vas electionis, vt portet nomen meum coram gentibus & Regibus, & filiis Israel.* Aut rursus, quod omnibus dixit insufflans: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis.* Atque etiam illud piissimum & supremæ consolationis verbum, quo Matthæus suum Euangelium, ad omnes quidem Apostolos diuinæ vocis organo prolatum: *Ecce ego vobiscum sum, omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, &c.* Hanc igitur hæresin mitte, qua dicis, reliquos Apostolos non nisi per Petrum accepisse potestatem: & prioratum Petri sic demum asseras, vt aliorum potestatem non neges. Aliter asserendo tu cum Doctoribus tuis hæresin non euades, neque Chrysostomum neque Hieronymum testes habebis, quia PAVLO minime contradicent.

Alias insanias audaciæ tuæ more impudentissime accumulas: scilicet *Euangelium S. Marci a Petro demum auctoritatem accepisse, nec Paulum habuisse securitatem Euangelii prædicandi, nisi Petri & aliorum, qui cum eo erant, fuisset sententia roboratum.* Primæ assertioni tuæ contradicit vox tonitrui Dei: ille scilicet, qui vidit similitudinem vultus quatuor animalium; & ille, qui dixit: *Dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem* Prophetas, *alios vero Euangelistas, &c.* vt superius ex Claræuallensi conieci super his verbis, *Gubernatu Noe.* Quid enim Euangelistæ, si Petrus omnia? vt idem Claræuallensis ait: *Erras, si v: summã, ita & solam a Deo institutam, &c.* vt dixi super his verbis: *Tu primatu Abel.* Secundo errori tuo vas electũ contradicit, vt supra dixi qualiter Galatis scribens: *Paulus,* inquit, *Apostolus non ab hominibus, neq; per hominem, &c.* Ac rursus: *Notum n. vobis facio Euangelium, fratres, quo euangelisatũ est a me, quia non est secundum hominem: neq; n. accepi ab homine, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi, &c.* Imo tute tibi contradicis, asserens Euangelium Pauli, non nisi *Petri & aliorum Apostolorum auctoritate fuisse roboratum.* Ideo n. auctoritatem Petri non augeret, etiamsi

etiamsi verum esset, sed omnium Apostolorum conciliarem auctoritatem solidaret: quod ego semper affirmaui. Sed absit à me, vt totius orbis auctoritatem Christo præferam, vt tu miserrime Christo derogas, quasi non sufficerit Paulo Iesu Christi auctoritas, nisi aliorum Apostolorum [illegible] assensu confirmata. Disce, rudissime Christiane, à Paulo Ephesiis scribente, non Episcopum Romanum solum, sed Apostolos, Prophetas, Euangelistas & Doctores datos ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitate fidei. Vnitatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia; qui est caput Christus, ex quo totum corpus connexum per omnem iuncturam subministrationis. O miser, qui non aliam vnitatem quam numeralem intelligis! qui tamen audisti, nos in vnitate fidei congregatos: quæ communis est Clericis & Laicis. Et beatus Petrus prima Canonica: *Cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gratia coronam.* Tu vero contra Apostolum scribentem fundamentum aliud ponis, præter id quod positum est Christus Iesus. Sufficiat igitur dixisse, Petrum principaliorem fuisse constitutum: alios autem & à Christo & per Christum quoque ordinatos: ne cassa facias verba Christi, cum insufflatione ipsius & Spiritus infusione. Duos namque discipulos Euangelico testimonio legimus amoris prærogatiua claruisse, quorum alter Dominum testatus ait: *Tu scis Domine, quod amo te*, de altero legimus, quia ipse est quem diligebat Dominus, quemque virginem elegit, & quem sic manere voluit. Cum autem diuinus sicut & humanus amor amore paretur, vt illud artis amatoriæ d[illegible]tum; *Si vis amari, ama*, etiam de amore Domini verificetur, quare alter Apostolorum Dominum amasse, alter à Domino diligi perhibetur? nisi forte alium cordis, alium Spiritus amorem intelligamus. Est enim cordis amor quodammodo carnalis, quod magis erga carnem Christi, & quæ carne Christus gessit, cor humanum afficiat, quod repletum ad omnem de illo sermonem facile compungitur, nihil libentius audit, nihil legit studiosius, nil frequentius recolit, nil suauius meditatur. Adstat oranti aut nascentis, aut lactentis, aut docentis, aut morientis, aut resurgentis, aut ascendentis Christi sacra imago. Hanc arbitramur præcipuam inuisibili Deo fuisse causam, cur vellet in carne videri, vt cunctas eorum affectiones, qui nisi carnaliter amare nescirent, ad suæ carnis amorem proprie retraheret, atque ita gradatim ad amorem proueheret spiritualem. Sed qualis qualis fuerit Christi ac illorum Apostolorum amor, ætati detulit Iesus, ne adolescens & puer progressæ ætatis Apostolis præferretur: in adolescentem quem dilexit, noluit conferre causam inuidiæ, quod & natura semper venerabilis fuit & honorata senectus. Possem hic repetere, quæ supra scripsi super his verbis, *Sacerdos magnus, Summus Pontifex, &c.* ni vererer prolixitatem. Sed oro practicam Beati Petri inspicias, si sibi soli vsurpauit, quæ Apostolis communiter iniuncta fuere. Nonne ante pedes Apostolorum posuerunt agrorum pretia, non Petri? & illi diuiserunt singulis? numerum quoque Apostolorum communiter supplendo, statuerunt Matthiam & Barnabam, ponentes sortes? Apostoli scilicet communiter, non Petrus singulariter. Et communiter super Euangelio disputarunt, & Pauli decisio præualuit. Communiter quoque sententiam tulerunt, dicentes: *Placuit Spiritui sancto, & nobis*, absque illa præfatione Petri, memores præcepti diuini. Nam vt est apud Lucam & Matthæum, facta contentione inter eos, quis eorum esset maior &c. & rursus apud Matthæum, *Nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis.* Tu vero soli Petro singula defers, vt successori blandiens plura feras in pretium assentationis tuæ, qui iam expertus es illud assentationis aucupium præ cunctis virtutibus appreciari. Merito ergo te illis connumerabo, de quibus Apostolus scripsit Timotheo: *Hoc scito, quoniam in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, &c.*

Mihi vero Hieronymum illum obiectas, qui Constantiæ damnatus, qui de institutione Eucharistiæ temere disputauit, cuius ritus vsque hodie in Bohemia variatur à ritu Ecclesiæ Occidentalis. Tu autem veneno contentionis penitus imbutus quacunque ineptia certare non refugis, vt supra de Arrio fecisti, cuius errorem minime cognouisti, quod ex inepta disparataque comparatione tua quisque perfacile deprehendit. Beatus vero Hieronymus contra Iouinianum I. scribens ait: *Inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Recense an electus sit à Christo, an ab Apostolis sit electus. Rursus ad Euandrium scribens, cum dixisset, vnum esse Prælatum, ne quisquam ad se trahens Ecclesiam, &c. ne illi soli solidam deferret auctoritatem, subiecit: *Si auctoritas quæritur, orbis maiorem vrbe, &c.* recte plane considerans vniuersalis Ecclesiæ auctoritatem ipsius Romanæ Ecclesiæ auctoritati præferendam, & cœtum Apostolicum Petro solo potiorem. Quia illis communiter promisit Dominus dicens: *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi*, quod nec Petro, nec alteri cuiquam spospondisse perhibetur. Oues autem pascere iussit? Qualis sit pastura, superius satis explicui. Sed eam etiam cunctis absque limitatione commisit, Apostolis in nouissimo quasi præceptorum suorum omnibus vniuersaliter dicens: *Euntes ergo docete omnes gentes.* Vide an minus expresserit, cum dixit *Omnes gentes* vniuersaliter, an cum indefinite dixit, *Pasce oues meas.* Et rursus ne acephalam relinqueret, adiecit; *Ego vobiscum sum, &c.* Ergo neque mortuo Romano Pontifice, neque etiam hæretico existente, manebit acephala, cui verum caput semper adest.

Procedis ad aliam metaphoram, quod cum Apostolis dicatur, vt laxent retia in capturam, Petro dictum est, *Duc in altum, hoc est, in profundum disputationum, quid enim tam altum quam altitudinem videre diuinitatis, id est, scire Dei filium?* O mendicatum suffragium! Pensa num altiora sunt hæc verba, *Tu es Christus filius Dei viui*, an ista, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, &c.* Ecce

omnia æterna per verbum plusquamperfectum, velut omnis temporis expertia, piscator eloquentissimus expressit, subdens: *Omnia per ipsum facta sunt.* Mox ad præteritum perfectum migrauit, dum facturam creaturarum materiæ fluitantis opus tempori subiecit, tandem dicens: *Et verbum caro factum est*, vt filium consubstantialem & coæternum, & ex Patre ante omnia secula genitum, ostenderet ex tempore seu in tempore incarnatum & in carne visum, vt sequitur: *Et viderunt gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Gloria quippe Patris à credentibus, quasi visa est in filio, ab his, qui carnalibus oculis Christum in carne viderunt, quæ tunc demum perfecte videbitur ab illis, qui sempiterna fruitione satiabuntur. Vide an aquila Ezechielis altius rete duxerit, qui & Trinitatem discretiuam Personarum cum vnitate essentiæ præ cunctis altius explicuit. Hoc autem in quo Petri Spiritum affers, etiam mulieri datum est, & illi, quæ non spiritualis, sed corporalis ministerii sollicita, attamen hoc modo professa est: *Quia tu es Christus Filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Quid vas electionis, Doctor gentium, qui antonomastice Apostolus nuncupatur, qui etiam Ecclesiasticam censuram præ cæteris clarius & potentius exercuit? vt etiam intelligas eam, quam allegasti de hamo mittendo metaphoram, & tollendo piscem qui primus ascenderit, non stringere illud, quod de iurisdictione Petri figurare tentasti. Cuius si practicam inspexeris, potius dixeris, Petrum à Paulo districtum esse, quam Paulum aut quemquam Apostolorum à Petro districtum, aut etiam talem Petri primatum, qualem tu falso adsceurasti, vt in alios Apostolos non nisi per Petrum sit deriuata potestas.

Denique replicas, quod & prius attigisti, sed nunc addis nugas, dicens de Simone Iohannis, quia *Petra* dicitur, eo quod prius in nationibus fidei fundamenta posuerit. Quod minime verum est, quia non Petra, sed Petrus nuncupatur. Verum quia Domini & Saluatoris nostri verbum quo dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, tu corrumpis, ac si dixisset Dominus *super hunc Petrum*, aut dixisset, *Tu es petra*, quorum neutrum scriptura testatur; videntur autem ipsa veri & Euangelici textus verba etiam incorrupta nonnihil prioritatis innuere Petri, & à variis Doctoribus exponuntur diuersimode, ergo textum Euangelii sincera fide custodientes cum Aurelio Augustino ad Hieronymum scribente dicamus: *Solum eis Scripturarum libris, quæ tam Canonicæ vocantur, didici hunc honorem timoremque deferre, vt nullum earum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam. At si aliquid in eis offeratur literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse Codicem, vel interpretem non assecutum esse, quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantacunque sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt, sed quia probabili ratione, &c.* Idem in III. de Trinitate: *Noli, Lector, meis libris quasi Canonicis Scripturis inseruire, sed in illis, & quod non credis, cum inueneris, incunctanter crede, &c.* Vides ergo quantam vim sibi vendicent literæ auctoritate Spiritus sancti munitæ, & qualem ipsarum expositores magistrali duntaxat opinione subnixi. In quibus tamen, quia non est eorum abiicienda auctoritas, istud ponerandum reor, an à transcurrente aliquid proferatur, an propter hoc ipsum, de quo agitur, doctrina emanauerit. Plerumq; enim ita se habent ingenia humana, vt desiderio finis vel euentus assequendi media non satis fundata velut nota supponant, & intractata relinquant, vt finis principio cohærere videatur. Quod Flaccus Pisonem docens taliter enarrat:

Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secus ad notas auditorem rapit, & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit:
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primum ne medio, medium ne discrepet imo.

Non à sanctis viris suspicor mendacia fingi: sed cupidine finis per media rapi, & à vero labi, proprium est humanæ fragilitatis. Neque etiam hoc prætereundum reor, an scribentis animus omnis expers curæ vel pathiæ, quæ si non flectere à vero, solicitiorem tamen in alterutram partem efficere possit: an vero ex contentiosa disputatione sermo totus effluxerit. Verbi gratia, temporibus Anacleti, Marcelli, Leonis, &c. Oriens in fide Christi flagrans Antiochiam, Alexandriam, aut forte Ierosolymam Romæ præferre voluit cathedræ dignitate. Rursus Imperiali Sede Constantinopolim translata Roma noua veteri prælucere contendebat. Defensores Romanæ præeminentiæ (vt est natura contentionis) victoriæ cupiditate ad verum finem effectumq; tendentes, inter transcurrendum tamen aliquando modum excesserunt. Vt apud Platonem Socrates Gorgiam alloquitur: *Puto te, ô Gorgia, in multis disputationibus iam versatum comprehendisse, non facile posse homines, cum disceptare inceperint, sic abire, vt se inuicem solum doceant atque discant: sed si de aliquo contendatur, nec concedant alter alteri, grauiter ferunt, certantes simul, non autem quærentes id, de quo ambigebatur, &c.* Et vt Flaccus ait:

Gratia sic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi dissiluit——

Plura his similia adducere possem, quæ in consideratione versantur, cum discordantiam Doctorum aut Scripturarum veritas enucleatur. Sed ad Euangelii textum reuertamur, scilicet *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Hunc textum post varias expositiones postremo sic exponit Augustinus: *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in petra ædificata sit Ecclesia, sed scio me postea sæpißime sic exposuisse, quod à Domino dictum est, super hanc petram ædificabo, vt* SVPER HVNC *intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens: Tu es Christus filius Dei viui, ac si Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur.* Non enim dictum est illi: *Tu es petra,* sed *Tu es Petrus.* Petra autem erat Christus, quem confessus Simon (sicut ei tota Ecclesia confitetur) dictus est Petrus.

Risum tandem excitasti dicens: *Cum secundum humanas leges triginta annis præscribatur, indignum esse, vt primatus Petri post tot secula temeraria disputatione ventiletur.* Quæro à te, num Paulus cottidie præscriptionem interrupit, qui in bulla, quæ litteris Pontificalibus robur omne confert, Petrum ordine ac ritu Christianarum tam Latinarum quam Græcarum Ecclesiarum legendi præcedit? Plurimæ quoque sunt litteræ Apostolicæ, in quibus nulla mentio fit de Petro: nulla vero bulla Paulo vacat. Rursus dic, an præscribatur aduersus illum, cui omnis iudiciaria via clauditur? Romanus autem Pontifex vniuersalem Ecclesiam congregari vetat, vbi talis interruptio efficaciam assequi potest. Neque triginta anni fluxerunt à fine Concilii Basiliensis, vbi decreta magnæ Synodi Constantiensis *de superioritate vniuersalium Conciliorum* salubriter sancita saluberrime innouata sunt, quæ decreta semper sunt in viridi obseruantia, semperque loquuntur. Nam sicut lex Codicis Iustiniani, quæ damnat Arrianos, Macedonianos, Donatistas, Gazaros, Patarenos, semper est in viridi obseruantia; sic magnæ Synodi decreta super maioritate generalium Conciliorum, per Concilium Basiliense innouata, & per Eugenium & Nicolaum recognita & professa, in viridi semper sunt obseruantia, ita vt contradictores eius hæretici sint declarati, nec vlla vetustatis litura vanescant.

Deinde commemoras errores Orientalium ac Bohemorum, tuam hæresin palliando, qui magnæ Synodi decretis falso contradicis, nec quidquam affers præter blasphemias de pectore virulento manantes, gaudens fortasse sicut sus immunda cum quouis in cœno volutari. Wickleff Hussque commemoras Constantiæ damnatos. At vero ipsius Synodi sancta decreta respuis, hæretice vilissime, pœnis eius perpetuo plectendus, nisi resipiscas. Sed vt veremur, boni quidem veri vel honesti nullam habens curam, voluptate autem ac semper eo, quod dulcissimum sit, Papæ Cardinaliumque aures mentemque delinis, facisque adulando vt plurimi videaris existimandus.

Ad hæc semel inescatus cathedra Feltrensi, spem vsurpasti capelli rubricandi. Semel autem exesa mens ærugine, & imbuta cura peculii, haud recte prospicit, neque promit opuscula cedro linenda vel digna seruari cupresso. Tuas ergo tabellas pigmentariorum trade mensis, vt tandem & vulgo fastidiosæ speciebus seruandis complicentur, aut deferas *in vicum vendentem thus & odores, & piper & quicquid cartis amicitur ineptis.*

Requiret forte quispiam, cur non pontificali tuæ deferamus dignitati? Vicissim hunc ego rogo; Cur non ponderibus modulisque suis vsa est ratio? Nam qui me tuberibus offendit, verrucis est æquum ignoscat. Hac etenim lege in trutina ponetur eadem.



INVECTIVA GREGORII HEIMBVRG VTRIVSQVE IVRIS DOCTORIS, IN REVERENDISSIMVM PATREM, DOMINVM NICOLAVM de Cusa, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli S. Petri ad Vincula Presbyterum Cardinalem, & Episcopum Brixinensem.



CANCER Cusa Nicolae, qui te Cardinalem Brixinensem vocas, cur non prodis in palestram? qui te Græcum & Latinum gloriaris, cur non palam pergis, ad certamen literarum? cur ficta persona & sermone composito loqueris, quem finxisti, veluti figulus, nomen vero tuum surppimis? At hæc est natura libelli famosi, scilicet ab incerta vt prodeat sermo persona, an ne putas pares tibi reddi posse vices? Proin vero si cuiuspiam aures offendantur, illi succenseat, qui vitium introduxit. Dicis in fasmate, quod finxisti, Ducem Sigismundum irrite à Papa ad concilium appellasse. A concilio autem ad Papam prouocasse magnum Athanasium & obtinuisse, profecto siquidem in Gymnasium processeris, audies, qui Romani Pontifices, quæve concilia à fide orthodoxa defecerunt. Quia etiam si ea, quæ sæpe legisti, memoriæ tenacius commendasses, iam vtique promptum haberes Papam non esse Ecclesiam illam, aduersus quam portæ inferi non præualebunt. Anastasium Papam absorpserunt portæ inferi, argumento est intestinorum egestio. O dirum omen, vnde gentilitas *omenta* nuncupauit. Cæteros Pontifices in disputationis tempus reseruo, sed ex his vacuata est impugnatio tua, qua dixisti, Papam non posse suspitione notari, quippe in quem grauiora crimina cadere possunt. Clarissimum virum Gregorium Heimburg, *verborum venditorem* vocas, qui gloriosæ vocis honoraria temperatissime dimensus est. Tu vero nugas & vanitates tuas, per Germaniam disseminando, pro ære vendidisti, plusquam ducenta florenorum millia fallaciter abstrahendo, Exprobrasti sibi, quod Rex non semper vicerit. Taceo de sordibus & gratia iudicum, & cæteris quæ rectum peruertunt iudicium. Te vicit, quando quidem in Sede Moguntina, expugnata hæreditatis petitione, directa ex testamento, à parte tua instituta, tu ad Legatum Apostolicum concilio præsidentem appellasti, ac inibi vigore scedulæ codicillaris, ad fideicommissariam conuolasti, nescius quod alterius electione remedii tollitur alterum: à Gregorio repulsus ruboreque confusus bellum perpetuum sacris legibus indixisti, cum desperasses in Facultate Iuris amodo prælucere posse, honestiorem caussam desertioni prætendens, ad Theologiam confugisti, cuius factus abortiuus, tandem Mathematicis superstitionibus, putas veræ religionis sacra demonstrare. Pergis vim & insidias structas legato Ducis excusare, dicens, Laurentium procuratorem fuisse non oratorem, sed ad appellationem insinuandum missum extitisse. O Iuris transfuge, quæ te dementia cœpit? Nonne adolescens didicisti, & per Epistolam procuratorem constitui posse? Epistolares vero literæ legationem probant. Tibi dico, Cancer Cusane, quod Laurentius missus fuit, ad Papam melius informandum, quem tu variis surreptionibus obreptionibusque circumueneras, ad appellandum vero non aliter, quam in euentum repulsionis suæ, sed letargum pateris, communem illusarum mentium morbum, quod minime accidisset tibi, si ea quæ adolescens didicisti, non deseruisses. Cum autem ad Theologiam confugisse glorificabaris, de Letheo bibisti, nullis Antyciris, nec vllo sanandus elleboro. Laurentium autem hæreticum nominas, idcirco incapacem esse salui conductus dicere debebas, nec ius reuocandi domum habere legatum, vt sic in potestate tua foret, quem velles pro libito laqueare. Num pudet vanitatis hominum vanissime, qui fidei publicæ vinculum quo omnium rerum publicarum seruatur integritas, tam vana fictione dissoluere putas? Quis de cætero legationis subibit functionem, si propter confictum crimen, de qua nec quicquam suspicatum est, sacrilegas habuerit formidate manus, aut quod sibi obiiciatur Dominum suum domi tenere vinctum aliquem de Clientela Cardinalis, sicut tu aduersus Laurentium obiecisti? Nec minuit fidem publicam, quod Laurentius auditor est Rotæ. Nam etsi longe inferius officium haberet aut superius, attamen à legationis munere non prohiberetur, nonne legisti Romanum Pontificem populi Romani gessisse legationem? Quid si Episcopus legatus esset, qui frater Papæ ac illi artissimo Iurisiurandi vinculo astrictus est?

Transgrederis tandẽ ad merita caussæ principalis dicens, Ducem confessum esse, hostilẽ tui persecutionẽ, teq; diffidasse, nec tamẽ in literis diffidationis caussam ꝓtendisse violentiæ vel repellendæ

vel

vel præueniendæ, sed agi se iniuriæ postea ducem confinxisse. Putasne populum Romanum sociali Iure sanctissimo belligerantem, singula quæque literis explicasse, quæ senatus censuit, dum bellum decreuit indicere? cum te postulante, Dux misisset ad te Parcifalem Caduceatorem, isque persuaderet tibi qui te iactitaueras valles quamplurimas gentibus implere, ac Ducem obruere, cum (vt eius verbis vtamur) te sibi æquare non posset, ante omnia prouidendum esse tibi, vt cum Duce redires in gratiam, aut treugas saltem inires; Interea vel differentiæ tolli, vel saltem via compromissi, congruis pactionibus Iuris arbitrio & confidentium arbitratui subiici possent, vel submitti. Tu vero repudiatis viis suauissime pacis, neque treugas nec vllas quidem inducias deposci voluisti. Quid restabat, nisi bellum & insidias, in quibus confidebas, æquitate iustissima in te retorquere? Apud Lucanum C. Cæsar commilitones suos adhortando dixit:

Arma tenenti
Omnia dat, qui iusta negat.

Vsus est Dux viribus à Deo concessis, neq; numen defuit illi.

Pergis fingendo Ducem à te veniam petiisse. O superbissime figule, postquam rebus omnibus compositis tu despondisses, te facturum, quæcunque Duci placitura. At his similibusque blanditiis tuis, Dux allectus, te consolando dixisset, quatenus bono animo esses; posse ipsum tibi, si suæ voluntati pareres, hæc omnia variis beneficiorum in te & Ecclesiam Brixinensem collationibus abunde restaurare. Tu modo hoc veniæ postulationem nominas, hominum ingratissime, qui sic ineptus es, vt omni humano alloquio te indignum reddas, qui humanissimum principem, omnium iniuriarum obliuisci volentem, fraudulentissime calumniaris.

Subnectis dicens, gentes Imperatoris, compositis cum Comite Goritiæ rebus, iam dudum abiisse. Surripis autem hoc, quod Iohannes Bani de Witanitz dimidium fere comitatus Goritiæ vi raptum, tunc ab Imperatore præmium recepit, deque tam nobili & opima præda fere triumphauit. Vnde maior metus vicinis regibus, iam dissolutis castris, iniectus erat quam si agmina bellica coacta essent, nulla tamen adhuc victoria cessisset. Erant quidem adhuc in illis confiniis, tribuni, prætores, centuriones, cæterique turmarum, cohortium, & cateruarum præfecti, ipseque armi ductor, Witawitz, quibus perfacile, nuper abeuntes ad castra reuocare, aut ex aliis alpinatibus & montanis, malo assuetis viris, gregariorum, iampridem abeuntium militum siue prædonum, vicem numerosq; supplere, ac ordines sufficere. Tu itaq; vide, si doli tui suspitionem, tuis fictionibus sustulisti, vel potius exaggerasti.

Gloriaris te pridie passionem Domini prædicasse, & postridie de eius resurrectione prædicaturum, despondisse. Deinde te ad Papam rediturum prænunciasse, Parcifalem quoque cui idipsum triduo ante detexeras, Duci Sigismundo significasse. Nouum certe crimen, Cancer Cusa, prætendis in Parcifalem, scilicet quia id prænuntiarit, quod tu palam proclamasti. Si quid vero illi sub taciturnitatis fiducia velut depositum commendasti, quod ipse prodiderit fidefragus, hoc perhibe, & probe respondebitur tibi.

Expurgare tentas suspicionem dolosæ machinationis iniectam tibi, ex refutatione treugarum, dicens, te semestres obtulisse treugas, in articulo mineralium, cum Dux annales postularet. Posthac tibi respondebitur, vbi tu latiori sermone, hunc passum amplificare prætendis.

Gregorium gaudes falso compellare mendacissimum, homo vanissime, sagena mendaciorum insatiabilis.

Episcopum Tridentinum, Ducem Sigismundum, Wolffgangum Neydlinger, & Parcifalem proditionis macula notas, dum dicis Episcopum tibi suasisse reditum, quoniam pacis viam haberet. Tu dolum suspicatus curasti, quod Papa scriberet Duci, te fœdus perpetuum Duci seruaturum pollicens. Idque tibi vicissim seruari postulans, Dux se obseruaturum Papæ respondit. His fretus ad castrum tuum Frauelspurg applicauisti: quod tu sic nuncupas, mathematice sortilege, quia responsa dæmonum, quibus inibi sacrificas, Raphaelis Archangeli reuelationem confingis. In primis creditur, quod tu dolum suspicatus es, qui aliorum ingenia ex tuo metiris ingenio. Hoc etiam confiteor tibi, quod Dux respondit Papæ, seruaturum se fœdera, pacta scil. si tu quoq; seruares, quæ tu multipliciter violasti, semper enim more tuo, aliquid retices, sicut fecisti, cum à Papa tam exorbitantia literas & breuia surripuisti.

Procedis, dicens Wolffgangum velut caduceatorem ad te venisse, ferentem literas Episcopi Tridentini Abbatis Wiltemensis, & iusiurandum Parcifalis, super securitate tua tibi supplicantem vti Brunegk proficisceceris, quo Dux ipse missurus esset, pro differentiis componendis. Tu vero miseris Camerarium tuum ad Episcopum Tridentinum, qui tum cum Duce manebat, vt rescires veritatem, cui Tridentinus tradit, se non esse traditorem, te quoque secure posse venire Brunegke. Itaque sub specie tractatus sis proditus. Omnes quippe differentiarum articulos, ais fuisse compositos, præterquam super minera, vbi Parcifal postularit treugam annalem, tu vero semestrem dare voluisti, ne longiore mora possessionis iacturam sustineres. Itaque diu structam tibi proditionem, loco pacis expertus sis. Concludis ergo, licet falso, nil insidiarum, in te præsumi posse, cum Papa ducem super obseruantia pacti fœderis, certificarit. Hæc fictio à veritate remo-

tior est, quam Deus à Diabolo. Quid ais vanitatum gurges? Wolffgangus à Capitulo & clero Brixinensi ac vasallis & ministerialibus ipsius Ecclesiæ ad te missus est, hortator pacis, & monitor virtutum, ac persuasor tui, ne Ducem, ne totum populum omnemque statum hominum aduersus te, tuis sæue dictis prouocares. Omnes quippe homines cuiuscunque status aduersum te incanduisse, tibique periculum in limite adesse præmonuit. Tu vero nemini, vix tibi ipsi fidens, Camerarium tuum vsque Insprugk misisti, & Wolffgango ituro, iumentum commodasti, quem ad te missum fingis. Sed quid ad rombum, quis quemque miserit, nisi vt cuncti meminerint, te nugarum assuetum, etiam ab re vanitatibus oblectari? Sed eorsum tua verget oratio, vt fidem in te violatam vanissime persuadeas. Hoc certe reuocandum est. Neque enim Tridentinus te fefellit, neque Abbas, sed ne quisquam alius præter te, qui cum Brunegke venisses, simulabas te vetera grauamina tollere, & cum Principe in gratiam redire, & quæcunque per illos rudes idiotas Gebrardum & Posinger, quos tu præfeceras, sinisterius acta essent, emendare velle. Hoc colore clerum Brixinensem lætabundum Brunegke illexisti, sperantem, iamque sibi pollicentem, quod satiatus iniuriis, quibus eos diutissime presseras, tandem pietatem ac mansuetudinem in illos exerceres. Tu vero sæuitiam conduplicasti, præcipiens ne diuina peragerent; quisquis secus faceret, tu illi curam animarum abstulisti. Talibus tuis ausibus inflammata sunt omnium pectora, vt nisi Dux ipse nefarios conatus tuos modesta castigatione repressisset, profecto indomitum ac irreuocabile vulgus in te irruisset, vnusque & idem vitæ ac facultatum tuarum & furoris popularis exitus fuisset. Nunc vero salua est Brixinensis Ecclesia, tu degis superstes, & hæc omnia sine cæde, diuino quodam iudicio peracta sunt. Hæc profecto quorsum verteris, vndique quadrant tua vero litera, sicut & reliqua omnino vita tua dissonat, nusquam sibi ipsi consentiens, sed velut sydera à terra distant, & flamma à mari, sic tua fictio à vero. Nam si fœdus contractum obseruasses, sicut Papa pro te spsponderat, (tu vero violasti,) profecto Ducem propitium tibi perfacile retinuisses. Treugas vero vel inducias dare vel acceptare noluisti, teste Parcifale, quem tute mediatorem velut prosenetam postulasti. Quanta sit eius fides, si leges desuper latas relegeris, clarius agnosces.

Porro non desinis Gregorium lacessere, quem mendacissimum falso appellas, pro eo quod primi oratores illa ipsa coram Papa non allegarunt, quæ Gregorius, vt tu figule dicis, postea finxit. Asseris insuper fictionem eius videri, ab his, qui ipsa mentiuntur, quibus Dux te compressit. Et quando Imperator, Comitem Goritiæ inuasit, cuius gentes tunc emigrasse dicis, cum te Dux apud Brunegk obsidione cinxit, vel circumdedit. O miser quid insanis, cur ita gestis, vt Gregorium contra te prouoces? cum tu Ducalem indignationem, sceleratis factionibus tuis, rite prouocatum, & vltionis iustæ vindictam exciperes, Gregorius in Austria manebat Archiducis illius obsequiis incumbens, & hoc de mense Aprilis. De mense vero Iulii Laurentius coram Papa comparuit, allegaturus, cur aduersus Ducem ad pœnas comminatas non debeat procedi; tandem repulsus appellauit. Apud quem Dux sic loquitur appellans; *Non aliter quam naturali & humano Iure permittitur vim vi repellentes & nostra defendentes* &c. *Cardinalis via facti contra nos multipliciter procedere parabat, castra sua rebus bellicis instruxit, subditis nostris damna inferri sustinuit ex fortiis suis* &c. *Iactauit se valles plurimas armigeris impleturum* &c. Extant literæ manu sua scriptæ, quæ animum eius produnt: *Naturalis defensio, qua vim vi repellere licet, nobis aufertur.* Et infra: *Postea admodum Gregorius ab Archiduce missus venit Insprugk consilium laturus duci Sigismundo.* Mitte in digitos, tempora dimetiens, & errorem tuum agnosces, Gregorius tua fasmata relegens exultat, velut Alcides epulans de bobus Gereonis, nec emptis, neque donatis, altero scilicet conuitiante, altero plus iubilante. Hoc insuper addit: *Quod si tibi par esset beneuolentia vt est scientia, quippe qui omnium fere auctorum instituta & præcepta legisti, atque etiam audacia, quia nec pudor impedit iam gauderet, te sibi obtigisse, cuius ingenio animam atterere, sicut aurum lapidi admouetur quando probatur, ita ipsam animam suam probaret, an recte imbuta esset.* Qualiter autem migrarint gentes Imperatoris superius audisti, scilicet terris finitimis subactis, ianua vsque ad terras Ecclesiæ Brixinensis patefacta, adeo quod vsque hodie ibi opus est maiore custodia, &c.

Ex his quoque responsum est petitioni tuæ, qua rogas, quomodo defendatur ab excommunicatione Dux, qui te post BRVNEGK euictam, & pacem proclamatam, decendio detinuit. Nescis insane, quam pie, quam benigne tecum est actum. Pax proclamata est, vt rapacium manus cohiberentur. Tu quippe nosti, quanta sit pietas viris, qui castra sequuntur. Tecum autem agebatur, quo pacto Dux & principatus eius, sub cuius aduocatia Ecclesia Brixinensis sita est, assecuraretur, ne imposterum vlla commotio fieret, sed Episcopus pro tempore ac ipsa Ecclesia suis contenti finibus communi omnium finitimorum protectione & tranquillitate gauderet. Tuque hanc viam primus inuenisti, vt castra & fortia in manibus capituli reponantur, & capitulum caueat ea talibus custodibus gubernari, qui Ecclesiæ Brixinensi ac populo illius principatus grati forent ac fideles. Hanc conditionem Dux suscepit, ne terras Ecclesiæ ambisse notaretur, neq; facinora tua, in Ecclesia reduci, darent detrimentum. Interea nonnulli dies effluxerunt, quibus tu tamen reuerenter habitus es, & quotquot voluisti de prælatis, clericis & ministerialibus accersire potuisti. O ingratissime, qui te ducem iactas & principem secularem, & iam bellica præda fuisti, quam gratiam piissimo principi rependis?

Defici-

Deficiens hactenus ad Calixti mandata confugis, quibus respondetur, comminationem non habere vim rei iudicatæ. Præcepit Calixtus securitatem tibi præstari, tu dolose literis illis inseruisti talem, de qua contentus fores. Etsi hoc non aliter quam de legitime ac consueta securitate debeat intelligi, quam Dux tibi præstitit; tuam tamen calumniam assuetam veritus, à captioso præcepto prudens appellauit. Mortuus est Calixtus; Pius appellatione admissa biennium pro fatali concessit, vide, ô iuris apostata, si purificata sit comminatio, iam appellationis admissione suspensa. Si vero dux ipse iam te hortatus est, quatenus auferres papales comminationes, non idcirco probatur excommunicatus. Quod vere criminaris Ducem, quod à Clericis quicquam exactionauerit, ô superbissime, qui tibi prælatorum & clericorum illius diœcesis opes ac rem familiarem vsurpas, quasi omnia sint tuæ ditionis, secularis præpositus Nouæ cellę, gratus fuit principi suo, qui in illa expeditione, qua audaciam tuam repressit, gentes suas ab omni excursione coercuit, ita vt Coloni, Censitæ, emphyteutæ, cæterique illius monasterii homines seculares, sed pater spiritualis, neque ipse quæritur de duce, sub cuius protectione tranquilla fruitur securitate: Heinricus vero Magister Coquinæ tuæ, non se gessit pro Clerico. Passinger à populo interfectus esset, nisi dux eum redemisset, Talis disciplina fuit in schola tua, tales mores aulicorum tuorum, vt qui audacia præualeret, is tibi fuerit acceptior.

Frustratus autem in viribus iuris ordinariis, ad plenitudinem potestatis confugis, dicens Papam posse sacerdotibus suis inhibere ne celebrent, etiam si nihil deliquisset populus. Vide quid loquaris, ne asseras Papam in destructionem ecclesiæ, vel deuorationem ouium esse constitutum, Scio enim quam plenissima est, Papæ potestas; sed tu non aduertis, quod Papa in literis suis non mandauit interdictum obseruari, ex suæ potestatis plenitudine, sed quia sibi suggestum est, qualiter dux in te vim sacrilegam admiserit. His tuis falsis suggestionibus, Papa circumuentus est. Ergo ad casum redacti sumus, in quo docemur non obtemperare mandatis exorbitantibus, sed Papæ rescribere. Ita fecit dux catholicus. Tu viro Papam dolis tuis circumuenisti, ne veritatem audire, aut innocentiam ducis percipere vellet. Neminem vero vnquã dux coegit ad sacrificandum, vt tu fingis; sed totus clerus omnisque populus sacrilegia tua, cum sortilegiis, incãtationibus atque infascinationibus tuis taliter odit, vt dicat te coniuratione omnium malignorum spirituum has partes introisse, vt pacem perpetuam in dissidium commutares. Et qui nugis plusquam ducenta florenorum milia, de Alemania extraxisti, pat vanitate terram istam pacificam commouere, ac seditiones in populo excitare studuisti.

Dehinc aggredieris argumentari, contra appellationem ducis, his locis: Si hæreticus tueri se posset appellatione ad futurum concilium, interiecta, iam nulla esset fides Christiana, aliquando in quadringentis annis Concilium non fuit congregatum. Iam curuum sermone rotato torques enthymema, quia sic argumentaris. Lis nulla quatringentis annis est trahenda. Appellatio ad futurum Concilium trahit litem annis quadringentis, ergo &c. Probatur minor propositio, quia aliquando in quadringentis amicis non fuit celebratum concilium. Profecto si annos, qui fluxerunt à Concilio Apostolorum, quando receperunt Spiritum sanctum, aut quando miserunt Paulum & Iohannem in messem Domini, aut symbolum condiderunt, seu Petrum Antiochiæ in cathedram collocarunt, aut vltimo conuenerunt ab vno diuisi per orbem, quod etsi Lucas *in Actis* non meminit, est tamen *in Agiographis*, & ecclesia Teutonica ibidus Iulii, eius festiuam peragit memoriam, vsq; ad Nicenam synodum, miseris in digitos, non redundabit summa tua neque trecenti resultabunt anni, sed longe pauciores, quos tibi cedo, vt mea liberalitate fruaris, sed hæc omnia quid concludunt, nisi quod si quis à Petro, Lino, Cleto vel Clemente appellasset ad futurum Concilium, nimis prolixum fatale habuisset. Sed memineris te legisse, quod quia ante Constantini tempora non erat episcopis conueniendi licentia, ideo in varias hæreses scissa est ecclesia. Hoc magna synodus Constantiensis intuens ait; *Frequens Conciliorum celebratio agri dominici præcipua cultura est* &c. Et ideo decreuit sacra concilia de decennio in decennium celebrari, ergo quadringentorum annorum prorelationis prætensio inanita est. Subdis, quod si ad futurum pontificem vel Concilium rite appellaretur, eo quod successor de gestis antecessoris iudicat & quisque successor alium habet successorem, procederet in infinitum. Num de Lætheo bibisti, oblitus ne in vna eademq; causa liceat tertio prouocare. Dixeris fortasse, differri iustitiam. At omnis appellatio suspendit executionem. Non ideo defensionis facultas auferenda est, moribus introducta. Quot vidisti causas in curia Papæ vsq; ad tertium vel Papam vel hæredem aut successorem protelatas, nec tamen vnquam certa meta præfiniri potuit vel præscribi. Si dixeris biennium longam satis esse metam, quo lege ciuili durat instantia, quid si plus vno die? quid mense? quid tandem semestri vel anno vtor permisso? paulatim addo vel iungo vnum, iungo iterum vnum.

Nunc vir sacrilege atque impudice, neges Concilium supra Papam esse, quod olim aliter scripsisti. Et extant tua, tum etiam Papæ scripta, in contrariam partem, qui aliter stans, aliter sedens, loqueris, homo quem nil pudet vanitatis, qui sic argumentaris: Concilium Constantinense nominauit Papam Iohannem, *Dominum suum*, quod non fecisset, si fuisset subditus eius. O quanta insania tua, qui ex nuncupatione vrbana locos conuincere putas.

Vendica tibi dominium in Cardinales, qui te nuncupant; sua virtute dicentes, *Dominus meus sancti Petri*, vt ipsorum abutaris benignitate, si tibi commemorem, quando incepit & inoleuit mos nuncupationis dominicæ. Quando Papæ cœperunt nominari *domine domine*; Quando etiam Imperatores sic appellari noluerint: Quomodo vsurpatum est Papas sese pluraliter & cunctos alios singulariter nominare, quippe qui sese aliquando singulariter nuncuparint, nimium prolixus ero. Sed sufficiat tibi probatum esse, quod magna Synodus Constantiensis, sibimet nil detraxit, cum Iohannem *sanctissimum dominum* appellauit, quem tamen postea rite iusteq; destituit, alioquin Martinus sedem vacantem non intrasset, neque Eugenio aut is Nicolao vacuam reliquisset, qui te Cardinalem creare minime potuisset, Vide vir petulantissime, quorsum euadat tua vana superstitio, qui cauillas appellationem Ducis ad vltimum concilium interpositam esse, hoc certe non continet appellatio. Nihil enim est quod aut natura extremum inuenerit, aut doctrina primum. Hoc etiam accipe, quod sicut Capitulum eligit episcopum, cuius assensu contrahitur spirituale matrimonium & non parum administrationis innoscitur; ita suffraganeorum assensu Archiepiscopus consecratur, nec tamen inepte, Dominus quisque suorum nuncupatur. Iudicatur etiam Archiepiscopus à Synodo prouinciali, quam tamen ipse creauit vel indixit. Cæterum si literarum sacrarum desertor ius publicum ignoras, adea quæ moribus introducta sunt animaduerte. Regem Francorum iudicat parlamentum, Imperatorem Romanorum Palatinus Rheni, attamen vterq; Dominus reuerenter nuncupatur vtriusq;. Procedis deinde longa quadam verbositate implicans & inuoluens, magnæ synodi quam plurima decreta iam dicens à Christo dependere, iam vero asserens supra Papam non esse, cum dicis illam tollendi schismatis causa omnia dixisse, caue dixeris, illam pro vnione assequenda dixisse vel fecisse, quod de iure non potuit. Gregorius non sustinebit, mihi paulo mitius est ingenium. Varias enim & vacillas, vt dictum sit non dictum, ratum irritum, eo tamen tendere videris, quod Concilium super extirpatione schismatis congregatum plurimam habeat potestatem. Oro te, Cancer Cusane, ne cancrino more resilias, sed recte perge vt cepisti, si Concilium super extirpando schismate congregatum esset, & interea surgeret hæresis, vel alter Paparum moreretur vel cederet, alter venderet Sacramenta vel aliter scandalisaret ecclesiam, nunquam patres cogerentur hoc Concilium dissoluere, & aliud pro hæresis eradicatione, vel reformatione denuo instituere? Aut cur retorto sermone tandem dicis; *Et si actu concilium esset super illis congregatum, super quibus Constantiense &c. tamen non sequitur, quod concilium nondum congregatum talem haberet superioritatem; quod à Papa ad ipsum posset appellari.* O bone vir, quid deliras? Nam si actu esset congregatum concilium, ridiculus esset, qui omisso principali concilio congregato, ad aliud nondum congregatum appellaret Vide, Cancer, quam inique calumniaris Gregorium, qui dicit ex decretis magnæ synodi Concilium generale perpetuis temporibus de decennio in decennium debere celebrari. Dies cessit. Cuius est mora, tu nosti, sicut igitur ad Papam appellatio interiecta tenet sede vacante, sic ad Concilium, quia cæssit dies, dissoluta est. Itaque innodatio tua, qua dicis; *quod n. non est, non est supra*; quia perpetua est ecclesiæ auctoritas; siue sit congregata, siue dispersa, quanquam ad opus operandũ & exequendum, congregatio sit optima. Quæris tandem, quid operetur appellatio, ad futurum Concilium interiecta, etiam si rite sic appellaretur, cum non tollat sententias à iure prolatas nec suspendat effectum, quem secum trahit, sententia. In Concilio vero simplici querela introduci causa potest. De hoc vero ad huc contenditur, an Dux pœnas inciderit. Hoc coram non suspectis Dux decertare cupit, Gregorius certat & adhuc coram iudice lis est, id vero, quod Papa nulliter agit, rite contemnitur.

Descendis ad constitutionem sacrilegam, qua vetatur ad concilium appellari. Nil autem affers probabile, nisi quod ad Ducem verba dirigens ait: *Dicere non potes, quod te minus liget, quam alios Christianos*, & infra subdis; *Non debebas ponere os in Cœlum plusquam alii:* cætera quæ dicis, aniles fabulæ sunt. Tibi respondetur, quod duci opus fuit prouocare contra surreptitia pœnalia mandatia, quæ tu falsis suggestionibus surripuisti; aliis forte non itidem, qui non fuere, grauati. Quibus vero grauamen impenderet, pari forma prouocarent, tam pontifices quam prælati, quibus Papa & legatus eius, decimæ triennalis impositionem comminatus est.

Quæ quidem impositio, suspecta est nugarum, propter feloniam tuam veterem, quã plusquam ducenta florenorum millia, ex Alemania suxisti, tam dulciter pollicens, nil ipsius pecuniæ ex Alemania traduci, sed inibi ad pios vsus depositam conseruari. O vtinam os tuum posuisses in cœlum, atq; oculos leuasses in montes: sed in marsupia nostra dispexisti. Non ergo auxilium à Domino sperasti. Ideoq; te sol vssit per diem, cum pecuniis tuis sacrilege quæsitis. Taufer adeptus, Redenneck, Volturnum ac Iouedonum inhiasti. Nunc te vrget luna per noctem, cum iustissimo Dei iudicio post fideifragium tuum, quo conuentionem Iuris publici violasti, teque exulem facere maluisti, si forte animi tui malignitatem explere posses, etiam opidis & prædiis, quibus frui poteras, te destituisti. Tu forte nuncupas *os in Cœlum ponere*, de gestis Papæ vel eius potestate disputare. Talis quippe dicendi modus ab adulatoribus inuentus, per assentatores tandem inoleuit. At tu minor disputatio, an super bigamia per Papam ad sacerdotium valeat dispensari; & an Papa possit concedere matrimonium in certum tempus, vel vsque ad procreationem sobolis masculinæ, contrahatur. Sexcenta sunt quæ memorem si opus fiat. Nec tamen ad sacrilegium reputatur. De Deo enim disputatur, an possit producere infinitum an potentiam creandi delegare possit. Quid ergo vir bone cauillaris, si quis dicat constitutionem Papæ peccare? Sunt qui dicant Papam fauore Episcopi Lucani

agentis

agentis pro vi expulsiua contra Pisanos pronunciasse super turbatiua. Ac rursum qui dicant alium Papam ex verbis Iohannis Frangapanis directæ substitutionis decreuisse obligationem. Quotidie Papales, & aliæ constitutiones modificantur, tum reuocantur, aliquando respuuntur. Et tu desertor iuris, abortiue theologe, multa prætextu legationis statuisti, ac quærentibus aduersum te respondisti, quatenus adeant Papam desuper supplicaturi, vt sic medullam in ossibus Germaniæ relictam sugendo tereres. Quæ cum visa sunt, pecuniis datis tolli posse, tandem à cautioribus principibus retenta pecunia repudiata sunt ac derisa. Et hæc omnia tu notas hæresim. Quid si Papa mandat solui Cameræ suę mille sub pœna hæresis; An recusans sit hæreticus? Nequaquam. Sunt enim maleficia discreta, quæ suos tenent auctores. Neque enim cæsor vitium vel arborum est parricida; Nec fur est. Desine ergo conuitiari, vel audies, quod audiisse noles.

Nunc quibus anfractibus lapsum illum vel euitare, vel erroris notam aufugere tentas, qua notaris errasse, docens, *in ecclesiā esse credendum*. Id perstringere libet. Dicis nil referre præpositionem *in* appositam in citatione. Non enim, vt ais, citatus est Dux, an credat Ecclesiam, vel in Ecclesiam, quia ad symbolum remittit citatio. Tu autem non desinis procaciter errorem defendere, q͡ est hæreticorum proprium, scilicet pertinacia. Quid dicis? Gregorium nescire inter symbola discernere? Iure suspectus haberis, quod de symbolis varie sentias. Postea subaccusas appellationem Ducis de perplexitate, quia Ducem laicum esse dicat. Gregorius autem se in ipso Duce sciolum ostendere velit. Laicus est Dux, de fide simpliciter & bene sentiens. Tu vero omnem hominem hæresi falsa criminaris, qui tuis audaciis contradicit. Nemo vero te suspectior est in fide, qui nondum purgatus es ab illa macula, quam Fratres Minores iniecerunt tibi, qui tempore Papæ Nicolai articulos plurimos contra te obtulerunt, quibus de hæresi notatus, nondum autem absolutus, nequaquam purgatus es. Profecto si lædere pergis vt cœpisti, talem tibi notam inuret Gregorius, quam tota reliqua vita tua eluere non poterit. Sed perge vanitates tuas prosequi. Nonne hunc legisti Versiculum?

Crede Deo, credasque Deum, plus credo valere,
Vt credas in eum, quam quod ei, vel eum.

Cum deliras dicens, *in sanctam ecclesiam credere*, quemcunq; Christianum oportere, de qua dicitur; *Qui aliter credit, quam sancta mater ecclesia docet is est hereticus.* O miserum ingenium tuum, qui non discernis inter *credere vnam ecclesiam*, aut *credere cum ecclesia*, vel *sicut ecclesia*, aut *in ecclesiam*. Nonne credis, vt Apostoli crediderunt. Nonne in ea fide versaris, quam diuinum Petrum Apostolum Romanis tradidisse proditum est? at non credis in ipsum, sed ipsi credis euangelizanti Christum. Nonne credis Dei genitricem Virginem? non autem idcirco credis in illam. Quod si assertioni tuæ assentias; in illam ergo credas, Deos habebis infinitos. Nonne puer didicisti, fidem esse assensum ex auctoritate dicentis generatum? Deinde grandior legisti, fidem esse dictorum conuentorumq; constantiam, de imitatione Stoica, quasi fiat quod dictum est, appellata. Nostra vero fides orthodoxa, per Anthonomasiam dicitur, qua credimus & confitemur ad æternam salutem. In qua longe diuersum est, credere aliquid esse, fore, vel fuisse; aut in illud ipsum credere. Obiectum illius assensus, qui fides aut credulitas nuncupatur, est propositio, cui per adhæsionem animi assentis: non tamen credis in ipsam: Tu credis cœlum & terram, Solem & Lunam, astraque micantia à Deo creata; sed non credis in ea. In solum Deum crede, & quæ ad salutem æternam credenda sunt, quæq; Ecclesia diffiniuit, crede firmissime; non autem in illam. Illa etenim in Deum credit; non autem in semetipsam, quæ nec à semetipsa, sed à Spiritu sancto viuificatur. In hunc crede viuificantem, qui per os Prophetarum ecclesiam præconisauit, qui confortans Apostolos, trophæa Christi vexit per orbem. Ecclesiam vero sic crede, vt obedias illi, ac cum illa sentias. Hæc est fides Augustini scribentis ad Neophytas baptizatos dum dicit; *Interrogauimus an credatis in Deum Patrem omnipotentem, & in Iesum Christum, filium eius, Et in Spiritum sanctum* &c. *iuxta imperium Saluatoris præcipientis; Eantes docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti* &c. *Non interrogauimus autem, vt quomodo in Deum creditur, sic in sanctum ecclesiam Catholicam, quæ propterea sancta & catholica est, quia recte credit in Deum; sed intelligere debetis nos dicere & dixisse vt in Ecclesia sancta conuersantes in Deum crederetis* &c. Vide ergo quomodo cæcutieris, qui fidem Christi cauillas, ne tibi contingat, quod de Homero & Stesicoro narratur. Quod Socrates ne sibi contingeret, præuenire cauit *in Phadro.* Si quis vero prælatorum eius errauit, error certe non est imitandus.

Et ne disgrediar à proposita materia, tu Papam Ecclesiæ caput ministeriale decepisti, qui te pro conditione fragilitatis humanæ secutus, literas emisit comminatorias. Dux fidei-fragium tuum subolens, & nugas sentiens tuas, ad Papam misit. Tu illum indurasti,

aures

aures obturasti, obsurduit Papa contra ducem, tu Papam delinisti assentationum laqueis infascinatis ille inuolutus contra ducem incanduit, fulminauit, coruscauit, iecit grandines, & intonuit. Tu monachos, scurras vagos reperisti, qui vanitates tuas disseminarent. Dux autem posthabet horum sua seria ludo. Tu quicquid veneni quotannis aluisti euomens cum impetu, hæreticos mentiris eos, qui tuis audaciis obicem ponunt. Vide si hoc est, desipere in fide, aut de authoritate ecclesiæ irreuerenter aut male sentire. Sed elenchum contorsisti, sic argumentando: Christus est caput ecclesiæ. Omnes autem credimus in Christum. Perge autem. Qui credit in caput ecclesiæ, credit in ecclesiam, quia caput pars corporis est. Credo & de te opinor, quia si quis per Atheismum in aliis terminis tibi taxaret arguendo; Christus est verus Deus, Christus est passus, mortuus &c. Ergo Deus est mortuus. Ac rursum, Deus est deitas, ergo passa est diuinitas. Tu circulationem illam dissolueres, duas naturas vel potius substantias in Christo distinguendo, absque vlla confusione vel mixtura, in sola vnitate personæ scilicet suppositalis quam nos, vt à Græcis accepimus, hypostaticam nominamus: Naturalis enim personæ significatio substantiam potius dicit, quam hypostasin. Sed ex ecclesiasticæ locutionis vsu, venit talis acceptio, Christus igitur ex Deo patre, ante omnia secula genitus, æqualis patri secundum diuinitatem, creator est omnium, per quem omnia facta sunt; homo vero ex Maria virgine in seculo natus, sacerdos & patris altissimi filius, non tamen duo, sed vnus est, hypostaticá scilicet vnione. Nunc habes quomodo credamus in Iesum Christum. Vide si sic credatur in ecclesiam, & secerne substantiam diuinam ab humana, vt scias quomodo Christus sit creator omnium, & quomodo caput ecclesiæ, & aufugies Nestoris atque Euticetis sibimet formaliter contrarios errores.

Inter transcurrendum non cessas mordere Gregorium, asserentem ecclesiam esse immortalem, quia Paulus ait solum Deum immortalem. Miror quod talem obliuionis morbum incidisti, vt non memineris te didicisse, dignitates esse perpetuas; Item & perpetuam Iurisdictionem: rursum perpetuas actiones, quorum tamen quadraginta annorum spatio meta Iure clauditur. Et Gregorius auctoritatem ecclesiæ perpetuam esse dicens, id loquitur, cum de iuris distinctione ecclesiæ contra te certat, vbi rite vtitur vsu loquendi Iuristarum. Tu etiam more Cancri sub domo Lunæ fluitans, prius allegasti, te vnionem cum duce perpetuam habere quanquam mortalis sit natura vtriusque.

Allegas in Capella Papæ cantari, *credo in ecclesiam*. Vix tibi creditur, adhibe testem Sancti Sixti vel Cameracensis, quorum alter diuinarum, alter sacrarum (licet humarum) literarum peritus habetur, si vero sic canitur, profecto tale symbolum per Cameram expeditum coniicio, non per Cancellariam, vbi perspectio diligenter, & præsumptiones Iuris circa stilum aut Grammaticam in eis non militant, & quæ disponuntur minus sunt trahenda in sequelam. Superaddis obseruantiam ecclesiæ Græcæ. O præcautissime, qui velut exhaustis Latinorum riuulis, ad Græcorum fontem recurris, propter tua Græca vocabula, quæ didicisti, quando de Concilio Basiliensi ad conuentionem Ferrariensem proditorie commigrasti. Nunc meant proscenia ludi, apud Cardinalem Cusanū sunt Dionysia Bacchi, quem fœcundi calices Græcæ linguæ fecere disertum. An ne putas, Linguam Romanam deficere in expressione fidei, eorum articulorum, quorum explicita credulitas est de necessitate salutis? Iam tu patris & matris tuorum fidem condemnares, vt Gregorium vinceres, in foro crede mihi saltares.

Subnectis iure canonico suspectum haberi, eum qui per annum fuit excommunicatus, quod de fide male sentiat. Asine, quid dicis? Ita demum hoc est verum, si contumax sit in causa fidei, Quid si casus tibi figurabo, vbi canon docet, potius sustinendam excommunicationem, quam ꝙ iudici pareatur contra verum?

Rursum repetis, censuram Papæ iustificatam, quasi constet de sacrilegio ducis, iam dudum respondi, fideifragia tua & proditiones tuæ compressæ sunt, per Ducem, pro quibus tu comparere & te expurgare dubitas, fugitiuus Iuris, & omnis iustitiæ profugus, qui non audes aliquod non suspectum subire iudicium, quod tibi iam sæpe & multifarie oblatum est.

Amplius delirando dicis, quod Papa non vocatum Ducem declarare potuit, sicut Paulus excommunicauit Corinthium. Dic vbi legisti, quod ille Corinthius petierit audientiam, & Apostolus illam sibi negauerit? Putas ne si Corinthius ille venisset ad Paulum dicens, Hæc mulier non est vxor mea, sed honeste cohabitat mihi, Item nunquam fuit vxor patris mei, Item æmuli mei me tibi accusarunt, inquire diligentius, An vas electionis dixisset, dabo tibi carcerem pro responso. Nequaquam.

Iterum repetis, Ducem à te veniam petiisse, crimenq; confessum, Dux negat, Laurentius inficiatur. Procede in Palæstram, experiendo iure, & iniurias ac contumelias atque conuicia tua missa face, Hoc est officium viri, non vt Leno certare maledictis, non vt sus cum quouis in cœno volutari.

Postremo negas ecclesiam Brixinensem fore temporaliter de limitibus comitatus Tyrolis, quia castrū Tyrolis sit feudū Ecclesię Curiensis. Comitē Tyrolis nunquā fuisse principē Mereanię dicis, qui tamen vides Mereaniam sub castro sitā & obedient ē comiti Tyrolis. Vt quid insanis? Qui si memineris, quod Reges (Rex Franciæ iurare dicitur geniculatus in manibus Abbatis S. Dionysii, à quo regnum recognoscit) & principes, regias suas & principalium residentiarum suarum terras & loca

loca à viris ecclesiasticis agnoscat in feudum, mirari desines, nisi forte magis studeas vt non ratione insanias. Quid enim facit sola mutatio nominis ipsa rerum natura & proprietate semper eadem manente? Tantum enim longinqua mutare valet vetustas, vt quæ olim Rhetia superior dicebatur, de qua scribitur, *videre Rheti bella sub alpibus Drusum gerentem*; atque iterum; *Mox graue prælium commisit immanesque Rethos, auspiciis repulit secundis*, ea postea Meorania, hodieque Tyrolis sit vocata, vtramque vero Rethiam adhuc vocabulum tempore Theodorici Gotthi, retinentem, Rex in præfecturam concedens, superiorem illam, *Vallum Italiæ* vocat, cui & superior Norica est ab Oriente ac realiter victa.

Tandem fingis te Dominum secularem vallis Eni & minerarum eius. Hæc ambis & diu celatam ambitionem detegis & aperis. Ex quo plane constat, quid tua iactantia voluerit, cum te iactasti, plurimas valles armis impleturum, & omnem pacis vel treugarum oblatam tibi conditionem respuisti, confisus in Grasacorum ferocia, qui comitatum Goritiæ iam pridem populabantur partimque subegerant, vbi deficiens ad Papam confugisti, questus vim afferri. Duce autem vias Iuris offerente, vt sic per legitimos tramites calumniantis detegatur iniquitas, tu fugitiue Iuris & iustitiæ ad conuitia descendis, te ducem nominas, maiestatem Sigismundi lædere, quæris. Sunt etenim Principes Austriæ velut epimetati Principes ab Imperio Romano taliter honorati, vt qui in ipsos deliquerint, in Imperatorem Romanorum deliquisse videantur: quippe apud quos plenitudo potestatis in eorum terris, quemadmodum in Romanorum Principe, constat. Vide quorsum tendat superbia tua, qui te Dominum; Ducem vero seruitorem nuncupas tuum, qui tamen auctore Archiepiscopo Salzburgense Metropolitano tuo despondisti ducem te habiturum taliter, qualiter à prædecessoribus tuis episcopis Brixinensibus habitus esset, qui omnes, eum & progenitores suos tanquam Principes vniuersales etiam per districtum ac terras ecclesiæ Brixinensis recognouerunt, paucis exceptis, quæ in ducatu Stiriæ consistunt, vbi pari modo dux & rector vniuersaliter dominatur, tenetque principatum secularem. Nescis apud inferos sedere eos, qui arma sumere impia nec veriti dominorum fallere dextras, sicut tu duci ac Principi tuo fidem violasti. Contemplare quantum distat hæc tua elatio, fastidiosis factionibus geminorum, qui manibus rescindere cœlum aggressi, superisque Iouem detrudere regnis, quæ est figura Luciferi dicentis: *ponam sedem meam ad Aquilonem & similis ero altissimo*; aut eius qui turrim Babylonicam instaurauit. Nonne legisti:

Crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis & sonitus imitatur Olympi.

Demens, qui necdum irritabilem principem tibi subigere putas, sola procacitate linguæ fretus, dicens fortasse melius sub infideli tyranno quam sub hoc duce viui posse. Qui vtinam Sutrinus, Neposinus, Narniensis, Balneoreginensis, Ameliensis, aut Ortanus præsul esses, tunc demum sentires, quid amisisses. Iam Prometheus te nil sentire permittit. Iam vestis ornatus & dignitas, qua obuolutus es, & præcipue rubedo verticis, qua operiris, teipsum non sinunt de te iudicare, aliquando mitior fuisti, sed postquam irrubuit cranium capitis, veluti gruis seuitia simul acreuit tibi cum grue, & propter licentiam peccandi, maxime & insanabiliter peccasti. Arduum quippe est, vt quis in maxima peccandi licentia constitutus, recte vitam transigat. Nudus, crede mihi, iudicaberis; tunc labes animæ tuæ diu contecta cernetur conspicue. Tunc te Gnosius Rhadamanthus velut Asiaticum, quia orientalem linguam trium vocabulorum nouitate vsurpasti; vel Latinum, si ad domicilii iudicem remitteris, Minoe in insidiis succenturiato stante, iudicabit; tuque illis transmitteris, vbi debitas subire pœnas oportet.

Hæc tibi rependo, gratificans tibi pro meritis, dum admonendo Ducem dixisti; *conuertere ne moriaris* &c. Quid enim aliud egisti, quam ex alieno contemptu, superbissime tibi clypeum sanctitatis & innocentiæ simulando assumere? si inter illecebras & blandimenta fortunæ durum aliquid expertus es, te vero delectatio præceps & inconsulta destituit. Ad cor redi, memor conditionis tuæ, Sic prosperaberis, Domino propitiante. Datum in fœlicibus castris militaribus obsidionis Viennæ Austriæ apud Sanctum Marcum, quæ via ducit ad Vngariam, Idus Augusti, Anno M. CCCCLXI.

NOTA-

NOTATIO PETRI NVMAGEN TREVERENSIS,

Ex cuius authographo hæc desumpta sunt, exarato manu eius Anno M.CCCCC.

NOta dominum Nicolaum Cardinalem de Cusa fuisse filium cuiusdam pauperis piscatoris dicti Krebsheime, quia morabatur in villa dicta Cusa ad quatuor vel quinque miliaria subtus Treuerim in littore Mosellæ, quasi ex opposito oppidi & castri dicti Berrenkastel sita, agri fertilis & tam vini, quam frumenti feracis, supra quam vix vnius vel duorum stadiorum distantia alia villa in eodem littore sita est, dicta Lisura: vnde oriundus fuit socius dicti Cardinalis, dictus Iohannes de Lisura, doctor Iuris, cuius fratrem ego vidi. De his duobus extat versus multum vulgatus:

Cusa, Lisura, peruertunt singula iura.

Et quia præfatus Cardinalis Cancrum in albo scuto rubentem gessit, aliasq; ex parte cognomen traxit Cancri, hinc auctor inuectiuæ præfatæ eum vocauit Cancrum.

QVAM ÆSTIMATIONEM PAPA PIVS ANTE PAPATVM DE CARDINALE CVSANO, ET GREGORIO HEIMBVRGIO HABVERIT, sequentes indicabunt Epistolæ.

ÆNeas Cardinalis, Nicolao Cardinali Sancti Petri ad vincula S. P. D. Placuit Altissimo, & domino nostro Papæ Calixto per hos dies me longe immeritum, ad Cardinalatus ordinem assumere, vestro sacro cœtui aggregare, scio quantum ponderis subiui, nec video quo pacto, credite mihi, dignitati satisfaciam, nisi fortasse tua Reuerendissima Paternitas ad curiam rediret. Tunc enim instructus ab ea, securus in hoc procelloso mari, nauigarem. Precor igitur, si preces seruitoris audiendæ sunt, vt iam demum in patriam redeas. Nam Cardinali, sola Roma patria est, etiam si apud Indos is natus fuerit; aut recusasse pileum oportuit, aut certe receptum Romæ gestare, & matri omnium sedi consulere. Neque illa excusatio idonea est; *Non audior recta monens.* Mutantur enim tempora, & qui olim contemptui fuit, nunc præcipue honoratur. Veni igitur obsecro veni. Neque enim tua virtus est, quæ inter niues & vmbrosas clausa valles languescere debeat. Scio complures esse, qui te videre, audire & sequi cupiunt, inter quos me semper auditorem discipulumque obsequentem inuenies. Ex vrbe Romana, die vicesimo octauo Decembris M.CCCCLVII.

AD GREGORIVM DE HEIMBVRG.

ÆNeas Episcopus Tergestinus Iuris consultissimo viro, Domino Gregorio Heimburgensi S. P. D. Cicero cum adhuc iuuenis apud Græcos mirificam orationem habuisset, admirabantur q adérant omnes, mirisque laudibus nouum oratorem efferebant. Senex autē quidam amantissimus patriæ inter omnem lætitiam atque tripudium, solus flebat, mirati circumstantes: *Quid est,* inquiunt, *quod te lætantibus cæteris mœrore conficit?* Tum ille, *omnes,* inquit, *Græcorum artes in Latium migrarunt, vnica nobis & familiaris & carissima remanserat eloquentia, sed hanc etiam Cicero nobis aufert atq; secum ducit. Nunquid iusta est causa lacrymarum?* Sic mihi hodie de te visum est, cū in Regia de studiis quæ vocant humanitatis, disserta res. Nam & Legistam & Teuthonem superabas, & Italicam redolebas oratoriamque facundiam. Sed quod fuit mœrori Græco, mihi lætitiam præbuit. Neque enim si Teutonia literis claret, quæ illas tradit Italia minus habet litterarum. Sunt scientiæ sicut & lumina; Qui de suo lumine accendit, & sibi retinet lucem, & accipienti tenebras aufert. Inueni apud sanctum Gallum, quod Sueuorum est oppidum, in veteri monasterio Bibliothecam peruetustam, vbi & libros reperi ornatissime conscriptos, quorum authores fuerunt Teutones. Mirabur, cur hodie nihil eloquentiæ his in regionibus elucerct, sed venit in mentem apud Italos quoq; tempus fuisse, quo sepulta dicendi facultate, barbarorum inscitia dominabatur. Ante centum ferme annos & antea trecentis quadringentisque non inuenies, qui per Italiam sermonem habuerit, tersum & lucidum. Sic pingendi sculpendique accidit arti, si ducentorum trecentorumque annorum aut sculpturas intueberis aut picturas, inuenies non hominum sed monstrorum portentorumque facies. Priscis vero seculis Apellem atque Zeusim, Pollicretum, Phidiam & Praxitelem, magnos fuisse comperimus. Et de statuariis quidem ipsi videmus. Et Virgilio fidem habemus dum ait:

Credo,

Credo equidem viuos facient de marmore vultus,

De pictoribus vero testimonia sunt clarissimorum virorum, qui profecto minime tantis eos præconiis extulissent, si picturam non aspexissent sculpturæ vel similem vel illa pulcriorem, sed ecce iam reuixerunt sculpendi pingendiq; disciplinæ. Reuixit etiam eloquentia, & nostro quidem seculo apud Italos maxime floret. Spero idem in Teutonia futurum, si tu tuique similes continuare & amplecti totis conatibus oratoriam decreueritis. Accepi apud Nürnbergam plebanum sancti Sebaldi, virum grauem tua permotum suasione, multis lucubrationibus historiam atq; Rhetoricam persequi. Diligo ego vos ambos, qui patriam moribus ornantes, etiam literis munire studetis. Cæterum quia de Nilo fuit hodie nobis sermo, non video quo pacto ex paradisi monte progredi possit. Paradisum namque terrestrem quam deliciarum vocant, in oriente positam volunt, atque ex Euphrate fluere, quem scriptura Tigrim appellat, quamuis & Tigris alius in Armeniæ regione caput tollat, qui Solino teste Euphraten fluuium in Persicum defert sinum. Nilus vero à monte inferioris Mauritaniæ, qui Oceano propinquat, originem habet. Sic affirmare feruntur Punici libri & Iubæ Regis scripta, si Solino credimus, & hic nunc latens, nunc apparens, diuersis argumentis deprehenditur is esse, qui irrigat Ægyptum, & terminus est Africæ atq; Asiæ: Licet Lucano huius origo fluminis incognita videatur dum ait:

Egens si qua iacet nascenti conscia Nilo.

Vale & quod verbis fieri debuisset, scriptis accipe. Ex noua ciuitate, pridie Calend. Februariarum.

ÆNEAS SYLVIUS EPISCOPUS SENENSIS, POSTEA PIUS PAPA SCRIBIT PETRO NOXETANO, QUOMODO GRADATIM auctus sit, & altiora conscenderit.

ANNOS sex & viginti natus cum darem Iuri ciuili operam, exorto bello patriam & studium coactus sum relinquere; accessi tamen grande illud Basiliense Concilium, inuenique gratiam in oculis patrum. Scriba in Synodo fui, & literarum abbreuiator, & vnus de duodecim viris, qui magistratus illic quasi censorius habebatur. Neque enim sine duodecim viris, ad consulendum de rebus conciliaribus quisquam admittebatur; & admissi, qui non inuenirentur idonei, his iubentibus amouebantur. Erant in Concilio quatuor conuentus, qui disputationes appellabantur, de fide, de pace, de reformatorio, de communibus præsidentes, hæ suos singulæ, singulis mensibus elegerunt. In deputatione fidei, in qua eram inscriptus, sæpe præsedi; inter collatores quoq; beneficiorum, bis sum electus, Legatus ab ipso Concilio ad complures principes, missus. Cum pontificatum Amedeus Dux Sabaudiæ suscepisset Felix nuncupatus, in secretarium sum ab eo accitus. Nec diu post vocatus ad Fridericum Imperatorem, Prothonotariatus officium ab eo sum adeptus; sic Germani Secretariatum appellant. Dum legationes Cæsaris ago, vniuersam ferme Germaniam circuiui. Dissidebant Teutones cum Eugenio Maximo Pontifice. At neque illi, neque Felici obedientes, neutrales vocabantur. Concordia pluribus in conuentibus agitata est, quibus iubente Cæsare semper interfui. Bis cum tractatu pacis ad Eugenium veni, tertio nationis illius Apostolicæ sedi obedientiam attuli, Secretariatus & subdiaconatus honorem ab Eugenio, & mox illo defuncto à Nicolao suscepi, cuius conclauis, cum eligeretur, cum cæteris principum legationibus custodiæ præfui. Lapsum est postea breue tempus, in quo me Nicolaus Tergestinæ Ecclesiæ nihil tale merentem præfecit Episcopum, quadrienniоque abinde decurso Senensis vrbis, vnde mihi origo est, pontificatum ad me detulit. Cæsar vero, à quo in consiliariorum ordinem susceptus essem, Neapolim me petere iussit. Quo in loco matrimonium inter ipsum Cæsarem, & Leonoram Portugaliæ regis sororem, Alphonsique neptem contraxi, eandemque Imperatricem, anno post nauigio vectam è Pisis ad Imperatorem Senis agentem conduxi, cum id mihi vni committeretur. In coronatione Cæsaris, quæ Romæ celebrata est, nosti quæ meæ partes fuerint, quippe qui me sæpius Imperatorio nomine apud Romanorum Pontificem & publice & priuatim loquentem audiuisti. Reuerso in Germaniam legatio mihi Apostolicæ sedis per Bohemiam & omnes prouincias Austriæ Ducum commissa est. In conuentu Germanorum, qui Ratisbonæ habitus est, quo & Philippus Burgundiæ & Ludouicus Bauariæ Duces, & alii quamplures Principes & Reguli conuenerunt, de salute Christianæ rei publicæ agentes, Imperatorias vices tenui. Simili modo & in Franckfordensi Concilio, vbi & Germanos aduersus Turcos decernere bellum, dicta oratione suasimus, quamuis postea negligentia & inscitia eorum, qui cuncta sibi licere putant, Germani tepuerunt. Mortuo Nicolao Calixtum successorem eius Imperatorio nomine tanquam verum Christi vicarium cognouimus. In hisce nos hono-

ribus, Petre versati sumus, nec tamen intelligimus cur adeo diuina pietas nostram paruitatem extulerit. Non doctrina, non vitæ bonitas hoc meruit. Cognoscimus imperfectum nostrum, & nos ipsos sæpe cogitantes non extollimur quidem, sed magis erubescimus & confundimur, qui pro tantis beneficiis non sumus grati: Respicimus aliquando retro, & quam multi viri nobilibus orti natalibus, virtute & doctrina præstabiles, abiecti & incogniti iaceant, consideramus. Fateor quā plurimi sunt, qui opibus & honoribus antecedunt; sed multo plures sequuntur. Pluribus commiserei quam inuidere possum. Et illi quidem, qui me dignitate præcedunt, etiam virtute superant. Ergo his qui sequuntur nulla ratione sum melior. O quot viri sunt, qui non centum aureos annuos ex beneficiis ecclesiasticis haurire possunt, iuris diuini atq; humani interpretes, quorum non essem dignus corrigiam calciamenti soluere. Atque ego ignarus, hebes atq; vitiorum mole pressus, atque iniquitate circumdatus, qui aliquo beneficiolo contentus extitissem, vel minimo, iam annuos mille aureos possideo, quoque magis mirere, dum Germaniam petii, episcopatum in patria consequor. Magna hæc, mi Petre, in quibus non mea solum paruitas, sed magna virtus, quiescere posset. Apud tres episcopos & totidem Cardinales dictandarum epistolarum officium exercui. Hi tres quoque pontifices maximi, secretariorum collegio me ascripserunt, Eugenius Nicolaus & Felix: quamuis hunc adulterum dixerint, Apud Cæsarem non secretariatus modo, sed consiliariatus & principatus honore auctus sum, Neque ego ista fortunæ imputo, quamuis nescio causam, sed ipsius rectori & dominatori omnium Deo, cuius est in quemcunque voluerit vsum vasa formare. Neque humanæ corruptioni subiiciuntur quæ libera sunt eiusque libertati gratias agere decet, qui dat omnibus abundanter & non improperat. An nos igitur tanta miseratione præuenti Cardinalatum auxii expectabimus, atque hunc quoque nobis honorem deberi putabimus? Vtinam dignitati, quam consequuti sumus, pares inueniamur, & ita quod superest æui traducamus, ne qua possit in nobis ingratitudo notari. Porro Cardinalatus fastigium maius existimamus, quam q̄ nostris humeris committi debeat, Vtinam ea dignatio his credatur, qui afferre illi potius, quam ab ea recipere gloriam possint. Quales nos esse nullo pacto cognoscimus, & infra. Vale ex Neapoli 9. Maii, Anno Domini M. CCCLVI.

Postea factus est à Calixto III. sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Item sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis, vti scribit Friderico Imperatori, vicesimo die Decembris, Anno Domini M. CCCCLVII.

ÆNEAS SYLVIUS IN GESTIS CONCILII BASILIENSIS DE NICOLAO CVSANO HÆC SCRIBIT.



Ercle tamen omnium Eugenianorum Nicolaus Cusanus æstimatus est, homo & priscarum literarum eruditissimus, & multarum rerum vsu perdoctus, cuius dolendum sit, tam nobile ingenium ad illa schismatis studia diuertisse, vt Legatione ad Græcos vigore falsi decreti fungeretur. Hic omne studium, omnemq; conatum in defensione Eugenii collocauerat, atque vt est versuti & callidi consilii; nunc vna, nunc alia impedimenta texebat.

Hactenus Codex manu Petri Numagen Treuerens. scriptus Anno 1500.

IOANNIS

IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ NEPOTIS, APOLOGIA

PRO HIERONYMI SAVONAROLÆ VIRI PROPHETÆ Innocentia:

In duas diuisa libros:

Ad illustrem virum HERCVLEM ÆSTENSEM:

TABVLA CAPITVLORVM PRÆSENTIS APOLOGIÆ IN DVOS LIBROS PARTITÆ.

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM ad Illustrem virum, HERCVLEM ÆSTENSEM

CAP. I.

LIBER SECVNDVS.

LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.

OPVSCVLVM, *de iniusta excommunicationis sententia in Hieronymi Prophetæ nostri defensionem, vt tibi Hercules Aestensis datam fidem veluti ex diario reluam, iam aggredior. Efflagitasti enim, dum hac de re simul verba faceremus, vt quæ coram, pro tutanda illius innocentia aduersus calumniatores attuleram, literis ali-*

quanto laxius exararem. Promisi, quod nunc exoluo me facturum, & quidem tam libenter, quam videbam me vnica opera, & tibi, nec non Prophetæ nostro, ac veritati ipsi, debitam rem facturum: Ille, ne commentitium & subdole fictum crimen, tot præclarissima eius gesta, ad tempus aliquod obnubilaret, lucidissimæ quoque veritati tenebras fortasse allaturum: Tibi ne falsa hac impostura, atque præsagio, forsitan mouereris. Sed & alia causa se his immiscebat, quando ansula hæc duntaxat, solàq; garriendi occasio relicta videbatur maleuolis, bene secum actum putantibus, si fautoribus diuini viri obiectare possent, defendi ab eis hominem, qui esset ab ecclesiæ corpore, ceu marcidum & noxium membrum, anathematis acie resecatum. Namq; rationes eæ, quæ prophetias iam publicatas, doctrinamq; fulcirent, ab ipsomet allatæ magna ex parte, maledicorum rabiem compescuerant. In eandem quoque sententiam, tum Dominicus Beniuenius, tum alii plerique scripserant, modo verum astruentes, modo falso resistentes: quod etiam à nobis, & sparsim per lucubratiunculas nostras, & dicatis etiam apologeticis factitatum est. Quare post huius calumniæ dilutionem, nihil putabam residui, quod blatterarent, etsi dementibus delirandi materia nunquam desit.

Duos igitur libros institui. Primo generalia quædam explicabuntur, quorum ope tam multifarie quam facile muniti, secundo dehinc simus declaraturi, eum neq; culpa, neq; crimini confinem. Et sane, potuissem hoc efficere, cum adeo multa ab iis qui de huiuscemodi negotiis tractauere, præsertim iuris pontificii interpretibus, effusa sint, tantaq; diuersitate & contentione, vt ne legi quidem ab ociosissimis possint, nedum narrari ab occupatissimis. Delibaui quæ mihi maturiora sunt visa, eorum more in commentando posthabito, & à crebris illis allegationibus, quæ tædium & moram lectori plerunq; adferunt, consulto abstinui; ratus commodius & optabilius tibi satisfactum iri, si quæ ipsi subobscure, & peculiaribus quibusdam notis, idem sæpius repetentes innuẽs, & facile & Latine, aut saltẽ minus barbare, quoad fieri hac in re à me potuerit, recenserẽ.

Eam autem præfari veniam, non tibi qui nos apprime nouisti, sed apud ignotos (si nostra hæc forte lecturi sunt) conuenit, nihil me vnquam voluisse assertum, nec in posterum velle, quod Ecclesiæ Catholicæ dogmatis dissonaret: cum cuius vis recte definientis decreto, semper acquieturum me (vt Christianum hominem decet) libere profitear, nedum sanctionibus Ecclesiæ, & eius legitimorum Præsidum assentiri.

Rationibus igitur rem agemus, nitentes diuinis eloquiis, ac Pontificis, Imperatoriis legibus, nec non eorum interpretes, atq; in primis Theologos, in testimonium citantes.

CAP. I.

Nullum esse in terris iudicium, quod errare quandoq; non possit.

ILLVD autem commonuisse inprimis expediet, solum Deum, qui à se ipso est, omninoque independens, ab omni errore, & falsitate, prorsus immunem: ab eoque vtpote primaria veritate, & suprema regula quarumlibet functionum, vniuersam substantiam interdum flectere & labi, nisi eius ope fulta, & directa fuerit. Hominis namque naturam ab adolescentia pronam ad malum, tum sacræ literæ docent, cum frequens testatur experientia. Sed & inter separatas mentes, quas vocamus Angelos, error olim, peccatumq; irrepsit, & ad infernas mundi partes, eorum non paruam manum præcipitem iecit. Et quanquam præter virginem Christi matrem, quæ nullum vnquam peccatum fecit, mortalium nonnulli, à peccatis eis, quæ æterno igne puniuntur, diuino beneficio exempti fuerint, non adeo tamen confirmati erant, quin quoquomodo posse à vero excidere censerentur. Sed perpaucorum etiamnum hoc priuilegium. Illi namq; innumeri qui lata via gradientes, triplici offendiculo cespitant; tametsi beneficẽtissimi Dei assidua gratiæ influẽtia resipiscere comoneãtur.

Verum, cum ecclesiam, vti sponsam, sibi Christus copulauerit, ob continuas dæmonum insidias, & aperta bella, quibus, dum militat in terris assidue quatitur, decuit vt ei iudicium relinqueret, quo aut decipere aut decipi nõ posset, in eis maxime decernendis, quæ & fidei substantiam concernerent, & ad mores pertinerent, Christianis ad beatitudinem adipiscendam necessarios. Eam namq; sibi in fide & iustitia æternũ desponsandã, Oseæ Prophetæ *vaticinio cap. 2.* sanxit. Merito igitur statuerunt theologi, & legũ Iurisq; periti, ipsam vniuersalem Ecclesiam, cum de huiuscemodi causis agitur, nonnisi æquam sententiã ferre posse, Christo opem ferente; qui & pro eius fide orauit, & cũ ea ad consummationem vsque seculi se permansurum spospondit: quod irritum foret, nisi ad iudicium condonasset, quo repudiata falsitate, veritas eligeretur: *Matthæi vltimo.*

At animaduersione dignũ, loquutos nos duntaxat de fidei substãtia & morib⁹ ad salutẽ consequẽdã necessariis. Atqui id non ab re aut de nihilo dictũ. Siquidẽ eã in reliquis errare aliquando, sentẽtia doctorũ est, atq; ipsiusmet Ecclesiæ consensus, vt ex epistola Innoc. III. eius nominis Põtificis manifeste indicatur, quæ postea à Gregorio IX. inter decretales relata est, libro vid. V. vbi de sentẽtia excõmunicationis agitur. Ita nãq; scriptũ legim⁹: *Iudiciũ Dei, veritati quæ nõ fallit, neq; fallitur, semper innititur: Iudiciũ a. Ecclesiæ nonnunquã opinionẽ sequitur, quã & fallere sæpe contingit & falli. Quod liquido cõstare videmus, dũ vi excõmunicationis interdũ quẽpiã cũ aliqua fœmina tori inire cõsortia iubet, qui nihilomin⁹ vero apud Deũ matrimo-*

trimonio alteri erit adstrictus; vtpote, cum secunda nuptiali lege palam coniunctus, cum prima clam, omnibusq; semotis arbitris; proptereaque Ecclesiæ sanctionibus compelletur hærere secundæ, de cuius commercio testibus idoneis apparebit. Mitto, quæ multi Doctorum super huiuscemodi iudiciis elucubrauerint, ne superflue nimis & ambitiose factum à nobis iudices, in re admodum nota, verba prodigere.

Porro ex his consequens fiet, reliqua & Conciliorum & Pontificis iudicia, errori ignorantiæque subiecta: quando nec vniuersalis Ecclesia, à decipulis eiusmodi exempta est. Hinc plerique tum Theologorum, tum Iuris interpretum asseuerantissime voluerunt, Pontificem Conciliumq; in dirimendis controuersiis hallucinari posse pro vero falsum pronunciantes: prætereq; rationes afferunt exempla, quandoquidem & Ariminense & Ephesinum secundum, & Aquisgranense, aliaque nonnulla aberrauerunt: & summorum Pontificum alius Arrianæ prauitati subscripsit, alius Idolis sacra fecit, alius aliter deuia sectatus est. Quanquam sunt qui velint tam Pontifices summos, quàm Concilia legitime congregata, vero semper niti, in iis diiudicandis, in quibus vniuersalem Ecclesiam falli posse negauimus. Sed hæc à suscepta disputatione sequestrabimus, tum quia propositæ quæstionis limites prętergrederentur, tum quia & ab aliis multifariam; & à nobis etiam nonnihil in theorematis nostris, de necessitate & ordine credendi, sunt pertractata.

Hoc nobis sit satis, indubium apud literatos haberi, nullum esse in terris iudicium, quod errare, labi, decipi, non possit: Vt magna ex parte allusisse veritati Thebanum Cebetem cogitemus, fingentem à muliere illa, cui nomen *Apaten*, id est fraudem esse voluit, mortales omnes seductos atque errore & ignorantia potatos.

CAP. II.

Multis modis contingere, vt excommunicationis sententia, ab Ecclesiæ prælatis inflicta, irrita & inefficax reddatur.

EX his facile colligi datur, eos qui ecclesiæ præsunt, in absoluendis puniendisque subditis multifariam posse delinquere. *Fit enim plerumque*, quod à Gregorio Homilia 26. prolatum est, & à Gratiano in decretis *11. q. 3. can. plerunque* repetitum, *vt hic iudicis locum teneat, cuius ad locum vita minime concordat: ac proinde sæpe agitur, vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat; & sæpe in soluendis ac ligandis subditis, suæ voluntatis motus, non autem causarum merita sequatur, atque ob id ligandi soluendique potestate se priuet, mortificando animas quæ non moriuntur, & viuificando quæ non viuunt*; quod ab Ezechiele *cap. 13.* legimus exprobratum: propterea Pontificio iure decretum inuenimus, multis modis contingere, pœnas quę à Prælatis infliguntur inanes esse, ipsamque excommunicationis sententiam, qua nulla in ecclesia maior, irritam & inefficacem reddi. Namq; in *Decretorum volumine causa 24. quæst. 1. can. audiuimus*, Alexandrum eius nominis II. Pontificem, Valeriano Episcopo & martyri scripsisse legimus, ab eo qui aut hæreticus aut excommunicatus fuerit, excommunicationis sententiam nequicquam in alium irrogari. Et *lib. 1. Epistolarum decretalium, titulo de consuetudine*, extat Innocentii Pontificis eius nominis IV. sanctio, qua edicitur, sententiam quæ à iudice non suo lata fuerit, nullam obtinere firmitatem. Decreuit quoque Gregorius eius nominis IX. Archiepiscopo Bracharensi scribens, irritas esse & inanes eas excommunicationis sententias, quæ à Iudice violatore interdicti proruperant, vt est videre libro eius operis *5. titulo de prælatorum excessibus cap. tanta est.* Vbi etiamnum Clemens III. decernit, eas non tenere sententias, quæ promulgatæ fuerint in subditos, ob denegatam prælatis exactionem cum Ecclesias visitant, si numerum personarum in Lateranensi Concilio constitutum excesserint. Eodem libro, & titulo *de priuilegiis, cap. Cum ad quorundam*, Innocentius III. Episcopum Lingonensem monet, excommunicationis sententiam in aliquem contra sui priuilegii tenorem nequaquam promulgandam. Ibidem *cap. cum capella*, Honorius III. seueritate debita eos, & episcopos castigandos pronunciat, qui eiusmodi sententias in fraudem priuilegiorum ferunt. Cæterum Gregorius IX. quem dudum citauimus, definit *cap. quanto amplius*, vacuam & inanem excommunicationem, quam effulminauerit is, quem constet in exequendo officio, limites eius, quos in mandatis à superiore habuerat, prætergressum; quemadmodum apparet *libro 3. decretalium, titulo de præbendis & dignitatibus, cap. vltimo.* Libro item 6. eiusdem operis Bonifacius VIII. eius nominis pontifex, edixit pœnas eas in vanum iactari, quæ ferebantur à prælatis in subditos, insinuantes inquisitoribus, vel Apostolicæ sedis legatis, statum ecclesiarum, monasteriorumue, quæ corrigi per eos & reformari oporteret. Ex epistola quoque Innocentii III. ad Archiepiscopum Senonensem, quæ *5. decretalium* sita est, *titulo de sententia excommunicationis*, colligitur sententiam eam, quæ vel post legitimam appellationem infligitur, vel intolerabilem errorem continet, viribus cassam esse. Cui Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi adstipulatus est, quod licet videre *libro 6.* vbi *de sententia excommunicationis* pariter agitur, *cap. 2. & 7.* Eodem in Concilio statutum fuit, excommunicationis sententiam, in collegium non irrogandam, atque illam nihil habere virium, quam iudex tulerit in participantes cum excommunicatis, loquutione, & aliis, quibus minor excommunicatio incurritur, nisi eos prius canonice monuerit, vt liquido apparet *3. & 5. cap. eiusdem tituli.* Sed & Nicolaus Abbas Panormitanus, qui plurimum in vsu inter Pontificii Iuris interpretes, *libro Decretalium 1. titulo de censibus, cap. 6.* & etiam alibi, docet excommunicationem nullam esse, cum ob causam notorie iniustam fuerit irrogata. Possem & alia connumerare, quibus huiusmodi censuræ fiunt inefficaces. Ea

ces. Ea tamen consulto prętereo, cum ne morosior euadam, tum quia celebres Iuris Pontificii interpretes, eas recensent, & in promptu sunt eorum libros lectitantibus.

Cap. III.

Aliquos esse ex supra memoratis casibus, quibus summorum etiam Pontificum sententiæ irritæ fiunt, inter quos est error intolerabilis. Et qui sit, & quomodo debeat intelligi, declaratur.

CVm igitur omnis excommunicatio, quæ in eiusmodi casibus inflicta fuerit, langueat prorsus, & vires amittas: (iudicandum enim de futuris omnibus, per ea quæ iam definita sunt, vt est Gregorii eius nominis IX. Pontificis edictum, ab vniuersali ecclesia receptum, in ipsa Decretalium Epistolarum publicatione) bene actum nobiscum fuerit, si aliquem inuenerimus, quo Hieronymum Sauonarolam à falsa suspitione, & calumnia vindicemus. Et quanquam hi, quos memorauimus, modi, summorum pontificum sententias non omnes retundant, aliqui tamen sunt, quibus ipsæ omnino infringuntur. Et vt alios omittamus, ille qui error intolerabilis nuncupatur, nobis desumendus erit. Sed primo, quid sibi velit, quoque modo intelligendus, pro virili explicabimus. Innocentius III. vt constat *6. Decretalium*, *titulo de sentent. excommunicationis*, *cap. 7.* errorem intolerabilem definit in sententia patenter expressum, *cum aliquid sub vi præcepti vel mandati aperte in ea continetur, quod communiter, vel in genere suo peccatum est*. Consentiunt in hoc interpretes, tam hunc locum pertractantes, quam eiusdem Pontificis ad Archiepiscopum Senonensem Epistolam, quam paulo ante memorauimus. Additur ab aliquibus, *quotiens quid contra ius scriptum pronunciatur, pari erroris nomine debere censeri: item dum aliquid aut turpe aut impossibile præcipitur*: namque eorum quæ fieri nequeunt, nullam esse obligationem tam canonicæ leges, *in 6. lib. Decretalium, titulo de regulis iuris*, q̃ ciuiles eodem titulo *Digestorum volumine* adstruunt: cuius operis lib. 41. titulo *quod sententiæ sine appellatione rescindantur leg. vltima*, ex Pauli Iurisconsulti auctoritate pariter decretum est, *Impossibile præceptum iudicis, nullius esse momenti*. Qui etiamnum rescripsit, *ab ea sententia cui pareri per rerum naturam non poterat, sine causa appellari*. Sed tam remotas auctoritates consectari non est necesse, cum nobis Dei maximi & optimi clementia consertum inditumq; sit, nec in peccata declinandum; nec quenquam illi efficiendo adstringi posse, quod supra suas est vires collocatum; nec turpe vllo pacto operandum: à quo tam abhorret natura, vt Aristoteles eius interpres *in Ethicis* censuerit optabilius esse, hac vita excedere, quam turpe quicquam operari. Vt omittam quid sacræ literę præceperint.

Cap. IV.

Quid deinceps agendum: item quid proprie sit excommunicatio, & de causis ob quas infligenda est.

ENimuero, priusquam ipsam defensionem aggrediamur, quod *secundo libro* agendum nobis est, fecisse operæpretium videbimur, si de causis ob quas ferenda est excommunicationis sententia, paucula delibemus. Et cum multifariam exorbitare prælatos monuerimus, ne inde occasio prauis hominibus contemnendi eorum præcepta daretur, de obedientia quoque nonnulla proloqui opportunum fuerit. Deinde, cum satis constet vulgatum illud dictum; *Sententia pastoris siue iusta, siue iniusta fuerit, timenda est*, perperam vulgo vsurpari solere, quomodo intellligi debeat, declarare pro viribus caitemur.

Primum igitur, primitus exequamur. Theologorum iurisque interpretum omnium, cum veterum, tum nouorum sententia est, neminem temere leuibusque de causis, anathematis mucrone feriendum: siquidem nullam atrociorem pœnam ipsa excommunicatione maiori (de qua nobis in toto opere sermo, & quæ proprie hac nomenclatura censetur) in Ecclesia reperiri contingit; *est enim separatio ab ecclesiæ communione, quo ad fructum & generalia suffragia, seu à qualibet licita communione fidelium segregatio.* Quare in *Agatensi concilio* statutum legimus, Episcopos non debere eos qui minimis causis culpabiles essent excommunicare. Sanctum profecto decretum, & sacris literis mirifice consonans, quoniam in eis reperiri non datur, quemquam, nisi pro enormi scelere, anathemate damnatum, atque id etiam raro. Frequentior postea vsus in Ecclesia, quem moleste admodum fert & damnat Ioannes Scotus Theologus insignis *distinct. 19. & 25. lib. 4. sententiarum*, ibi fatuam ad ferendas sententias pronitatem carpens, & maximum numerum earum, quæ à iure infliguntur excommunicationum detestans. In *Concilio* quoque *Aluernensi* determinatum est, à nullo sacerdote, quemq; rectæ fidei hominem, pro paruis & leuibus causis, debere ab aliorum cõmunione suspendi, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arceri ab ecclesia delinquentes iusserunt: *11. q. 3. can. nemo, & can. nullus.* Verum, quas ob causas id fieri solitum esset, *Concilii Meldensis* canone colligitur, quo promulgatum est, ab Episcoporum nemine, sine certa & manifesta peccati causa, quemq; à communione Ecclesiastica priuandum, neque sub anathemate, absque conscientia Archiepiscopi aut coepiscoporũ, vllum esse ponendum, nisi canonica doceret autoritas: Cũ anathema, æternæ sit mortis damnatio, neq; debeat infligi, nisi ꝓ mortali crimine atq; illis præsertim quæ aliter corrigi nõ potuerũt. Propterea crediderim à plerisq; doctorib. *in 4. Theologicarũ sentẽtiarũ librũ, dist. 18.* & Thoma

in

in primis Aquinate, diuini ingenii viro, binas has caussas excommunicandi hominis assignatas: *peccatum dignum æterna morte, & contumaciam.* Cum enim qui Ecclesiæ præest, per excommunicationis gladiū, subditos quodāmodo à cœlesti regno præscindat; in eos duntaxat id perpetrandū, qui indigni sunt superna patria, quā omnes qui charitatis erunt compotes donabuntur; priuabunturque, qui peccato mortali infecti fuerint. Quare quos labefactatos eo crimine constiterit, ii eiusmodi pœna poterunt mulctari. At qui nihil atrocius ab Ecclesia erumpere potest, pœnasque comparatione medicinarum propinari ægrotis debere Aristoteles *2. Ethicorum libro* edisserit, quas si prudens fuerit medicus, nec violentas nec graues nisi cum necessitas postulat, exhibiturus est: Iccirco in eum etiam qui crimine morte digno obuolutus erit, nisi idem fuerit contumax, minime adigenda. Assentit Scotus *25. distinct.* mox citata, inquiens, neque à iure neque à Iudice debere infligi pro quocunque peccato mortali, sed graui cui adnexa sit contumacia. Namque quamdiu paratus quispiam est audire Ecclesiam, publicanus & Ethnicus non est habendus: quandoquidem ex Christi dogmate, pœna eiusmodi seruanda est extreme contumacibus.

Qui autem contumaciæ nota censeantur, tam in decretis, pluribus ex locis, quàm in Decretalibus licet deprehendere. Extat inter alia Concilii Triburensis (*11. quæst, 3. can. certum est.*) sanctio, quæ tria contumaciæ genera ob quæ dubio procul infligi excommunicatio poterat, recenset: *Cum videlicet, quis ad synodum canonice vocatus, vel venire contemnit, vel si postquam illuc venerit, sacerdotalibus respuit obedire præceptis, vel si ante finitam caussæ suæ excommunicationem à synodo abire præsumit.* Trifariam autem quispiam existimatur contumax, ad synodum iudiciumve non accedens; vt est videre *2. libro Decretalium*, vbi scribitur testes lite non contestata merito admittendos, si is in quem fuit actio dirigenda, aut peremtoria citatione recepta, venire contemnit; aut seipsum malitiose occultauit, aut impendiuit ne posset ad eum citatio peruenire. Et *libro quint. eiusdem voluminis, titul. de verborum significat. cap. 23.* eum contumacem iudicandum apparet, qui iussus emendare maleficium noluit.

CAP. V.

De obedientia subditorum erga Prælatos.

CÆTERVM, ne omnis inobedientia contumacia iudicaretur, (quoniam qui præcipienti iniuste non paret, tantum abest vt pœnam mereatur, & dedecus, vt etiam gloria & præmio sit prouehendus) de obedientia subditorum erga prælatos, consequenti ordine quæpiam tractabimus. Cum ii qui aliis præsunt, quantum ad hoc attinet vice Dei fungantur in terris, *omnis siquidem potestas est à Deo*, Roman. 13. præceptis eorum audire conuenit: propterea Princeps Apostolorum 2. cap. primæ Epistolæ inquit: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis.* Et magister gentium Tito *cap. 3. ad Titum*, præcipiebat, vt quos instruendos susceperat, admoneret principibus & potestatibus, quanquam Ethnicis, subditos esse. Neque enim, vt Thomas docet, fides Christi iustitiæ ordinem aufert, qua exigitur vt superioribus suis inferiores obediant: alioqui rerum humanarum status corrueret. Verum scire oportet, quatenus hæc obedientia extendenda. Namque omnibus parere imperiis, nec necessarium nec consentaneum rationi. Fieri enim posset, vt vel delira, vel nocua, vel diuinæ legi aduersa præciperentur, vt rectissime scripsisse Gregorium deprehendamus, admonentem subditos, plus quam expedit non adstringi superiorum mandatis, 2. q. 7. can. admonendi: *ne cum studerent plus quam necesse est hominibus subiici, compellerentur eorum vitia venerari:* ni forte qui alios regunt, supra humanam naturam collocatos existimemus, variisque affectionum motibus non impelli. At dum ira inflammantur, efferuntur gaudio, diffluunt libidine, & quod est exitialius Circeis, vt sic loquar, poculis deformantur in bruta, aliosque etiam sibi similes euadere, & ratione posthabita obbrutescere procurant; ob id à viris sanctissimis, quibus Ecclesiæ instruendæ cura olim incubuit, edocta est posteritas, cauendum sibi ab iniquis imperiis; eorumque quibus subsunt metiendam auctoritatem, & si illud iuberis quod facere non debeas, contemnendam esse potestatem: quod Augustinus inter alios asseuerauit. Scripsit quoque Hieronymus, *Pauli Epistolam ad Ephesios* enarrans, subiiciendum esse domino seruum, si ea quæ aduersa non essent sanctis scripturis præciperentur: si vero mandarentur contraria, magis spiritus Domino, quam corporis obediendum. Rursus, ipsos humanarum legum gradus aduertendos Augustinus *11. q. 3. can. non semper*, censet, à quibus, si diuersa manauerint iussa, maiori seruiendum: illudque semper ante oculos habendum, ne aut minis aut illecebris, hominum iussa, Dei mandatis præponamus: quod Christianos illos milites, qui sub Iuliano Imperatore nequissimo stipendia merebant, obseruasse, tam ipse quam Ambrosius scribunt, *ibidem, can. Iulianus.* Possent mille huiuscemodi sententiæ adferri, quas breuitatis gratia dimittam, cum lumen diuini vultus super nos signatum, binas has Apostoli sententias vero veriores esse demonstret: &, *omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse*, &, *Deo magis quam hominibus obedire oportere*: Roman. 13. & Actor. 4. & 5.

Illud autem minime prætereundum, quod Thomas Aquinas, & doctrina & iudicio, & vitæ perfectione mirabilis, multis in locis lucubrationum suarum, præsertim postrema parte

secundi voluminis Theologicæ summæ, docuit, quemquam scilicet ad obediendum superiori non obligari, nisi in quibus ei subditur: propterea nec quo ad interiorem voluntatis motum, quod & Seneca voluit, nec quo ad naturam corporis, hominem homini subiici: sed in his duntaxat, quæ ad actuum rerumque humanarum dispositionem pertinent: atque in hoc etiam secundum rationem superioritatis: sicut miles duci exercitus, in his quæ spectant ad bellum: seruus Domino, quo ad seruilia opera exequenda: filius patri in his quæ concernunt vitæ disciplinam curamque domesticæ rei: ab eis qui in seculo degunt, spiritualibus prælatis obtemperandum, in his virtutum operibus, quæ necessario à Christianis omnibus patrari debent: illos vero qui religionum votis mancipati sunt, ipsis obnexios reddi, quantum ad illa quæ possunt ad regularem conuersationem pertinere; secundum quam subiectos se profitentur. Trifariam quoque eorum obedientiam partitus est, vi sit quæ ad salutem consequendam sufficiat; qualis ea, qua necessariis, vt supra diximus, operam nauant: secunda, quæ cumulum perfectionis attingat, cuius vt omni mandato, quod liceat, obsequantur: tertia, quæ indiscreta, ob quam sine delectu passim quęcunque iussa capessant, in his etiam, quæ aut diuinæ legi, aut regulæ, quam sunt professi refragantur, obedientes.

Cæterum, memoriæ est proditum à plerisque, quod hinc forte sumpsit exordium, esse quæ supra, quæ contra, quæ præter, quæ secundum regulam præciperentur: & ei duntaxat, cuius postremo facta mentio est, necessario obediendum, reliquis adstringi neminem. Namque contra eam, cum quid iubetur, non teneri præcepto, docet Decretalium Glossa, super *caput 43. Tituli de Simonia*, quod Innocentius *ibidem* & confirmat & auget. Arnoldus quoque *in Summa* sua, vt refert Ioannes Beetz *in Sermonib. de decem præceptis*, obedientiæ quempiam non obligari narrauit, nisi dum iuxta suam cuiusque viuendi normam aliquid præcipiebatur: ab ea autem eximi, si contra mandatur, ac præsertim si vita laxior indiceretur. Ægidius item Romanus *in 2. sententiarum librum distinct. 44.* decernit subeundam potius mortem, quam præceptis illicitis obtemperandum, atque ipsi Pontifici, non modo contra ius diuinum, sed etiam naturale imperanti, nullo pacto parendum; nec subditos vllo modo prælatis obsequi debere, si aut quicquam eorum quę supra diximus, aut regulá quam sunt professi aduersans, iubeantur.

Scribit & Innocentius super *caput 42. tituli de sententia excommunicationis lib. 5.* non solum mandato Papæ quod contineret hæresim, non obediendum esse, sed nec præcepto iniusto, quo vehementer præsumeretur Ecclesiæ status perturbari, vel etiam forte alia mala inde ventura: *malum autem*, iuxta dogma Dominici de sancto Geminiano in 7. caput de sententia excommunicationis lib. 6. quid malum: *dicitur, quod tale est ex suo genere, & prima fronte malum apparet, licet aliqua latenti caussa possit excusari.* Pari pacto, nec præcepto iniusto, aut inhonesto, aut incommodo acquiescendum docet Decretorum Glossa, *caussa 11. quæst. 3.* & confirmari facile potest per ea quæ à Nicolao Abbate Panormitano, *super 42. caput, titulo de sentent. excommunicationis, libro 5. Decretalium* adferuntur: per ea item quæ legi conueniunt; vt inter alia *sit iusta, honesta, atque possibilis*; distinct. 4. canon. erit. quæ conditio omni mandato subaudienda est. Quemadmodum præter id quod supra docuimus colligi datur, tam ex Epistolis Alexandri & Innocentii eius nominis Pontificis III. positis *lib. 2. Decretalium, titulo de Iureiurando, cap. 10. & 17.* quam ex Glossa, in *secundum caput de voto lib. 3.*

Dubitatum autem, tum à Theologis, tum ab interpretibus Pontificii iuris, essetne his qui præsunt parendum, cum eorum præcepta, vtrum sint illicita, sub dubio versatur, decretumque est quamdiu ambigitur, vtrum recte sint imperata nec ne, vel charitati consonent aut aduersentur, iugum subeundum esse; cum obedientia, quæ non mediocre bonum est, digna sit præmio: nec vllum temere leuibusque de caussis perperam mandauisse quicquam existimandum. At si forti coniectura moueamur, & in sinistram partem vergat rationis libra, ab exequendo officio supersedendum, donec de iussionis vel æquitate vel iniquitate constiterit. Fieri enim facile potest, vt vel malitia propria, vel falsis suggestionibus moti qui præsident, subiectis aut quæ fieri licet prohibeant, aut non committenda demandent. Quare minime obeundum id officii subdito est, & quare non obtemperauit Prælato, significandum. Propterea Alexander III. eius nominis Pontifex, Rauennati Archiepiscopo scripsit, *si quando ei dirigebat aliqua, quæ ipsius animum exasperare viderentur, turbari non debere; sed qualitatem negotii, pro quo scribebatur, diligenter considerando, aut mandatum reuerenter adimpleret, aut per literas, quare adimplere non posset, rationabilem caussam prætenderet: cum patienter sustineret, si id minime fecisset, quod fuisset sibi praua insinuatione suggestum*, vt traditur *1. Decretalium libro, titulo de rescriptis cap. 5.* Quod pertractans Abbas Panormitanus affirmat, si quicquam obeundum cuipiam mandetur, etiam sub pœna excommunicationis, statim nisi paruerit incurrenda, & ob præcepti executionem, timetur maximum scandalum, vel de mente Principis ambigitur; licere illi ab implendo iussu continere se, atque rescribere. Illud etiam adiecit, si contingat vt ei præcipitur, soli notum sit in mandato contineri peccatum, tametsi princeps ex iustitia agere se credat, à nauanda opera abstinendum; nitens pro fundamento *capiti 13. de restitutione spoliatorum lib. 2. Epistolarum Decretalium*: vbi Innocentius III. Archidiacono Bituricensi scribit, mulierem eam, quæ conscia est se matrimonium contraxisse in gradibus consanguinitatis diuina lege prohibitis, potius excommunicationem sustinere debere, quam viro, ad iudicis imperium coniungi. Idem Abbas, *3. lib. super cap. 6. de Prabendis & dignitatibus*, multa monet, multa docet, quibus prælatorum imperia subditos decli-

declinare deceat. Extat quoque Accursii Florentini Glossa, *in primum Codicis Iustiniani librum, titulo, si contra ius vel vtilitatem publicam, lib. 3. & in Autenticor. volumine, titulo de mandatis Principum* repetita, arguens miseros Prælatos, qui metu iniquis iussis obtemperantes, veritatem minime sequuntur: cum secus agentes & Deo, & Papæ magis obsequerentur.

Hæc veluti in transcursu, de obedientia subditorum in Prælatos enarrasse sufficiat. Nam meo iudicio, non est quicquam adferre, cuius ope qui subest, immoderatum Præsidis imperium declinare non queat: quod autem non recensuerimus, sub quopiam eorum capitum quæ memorauimus collocari possit. Illud in calce monendum, quod si aliquid mandetur quo non obligetur quispiam, neque etiam excommunicatione ob id inflicta obligari. Nam si præceptum non tenet, non tenet excommunicatio, vt docet Baldus *in sextum Iustiniani Codicis librum, titulo de testamentis, libr. 23.*

CAP. VI.

Notum illud dictum, Sententia pastoris, siue iusta, siue iniusta, timenda est, perperam vulgo vsurpari.

HINC opportune explicandum occurrit, non adeo vt vulgus autumat, ab iniquis sententiis formidandum. Inualuit enim apud multitudinem consuetudo, vt maiori cum celebritate proferatur, *11. quæst. 3. can. sententia*: metuendam esse sententiam Pastoris, seu iusta seu iniusta fuerit; quam certum est ex duobus charitatis mandatis pendere, sicut legem & Prophetas. Atque vtinam, quid pastor, quid sententia, quid iniusta, ab illis dignosceretur. Nam vti sensu aliquo verum quod effantur, ita & aliquo falsum, explosa ignorantia, iudicarent. Primo enim satis constat, omnem excommunicationis sententiam, id enim ipsi intelligunt, timendam non esse: alioqui fatere oporteret eam quæ cuipiam ob adoratum Christum infligeretur, pariter metuendam. At inquient fortasse, à pastore vllo, erumpere non posse eiusmodi facinus, nec si eruperit, sententiæ appellatione dignandum. Respondebo vicissim, quantum me dubitare licet de quopiam, pastorne sit, an lupus, tantum de sententiis ipsius ambigere, cum extra controuersiam sit, nullum qui vere & proprie sit pastor, oues & armenta disperdere, & feris immanibus dilaceranda committere. Sed cum sub ouium vestimentis, rapaces latitare lupos à Christo Deo nostro edocti sumus, eosque ex ipsorummet operibus cognoscere, consideranda esse multa crediderim, & qua pietate & prudentia decet, Prælatorum iussa examinanda. Quandoquidem, tam ignorantia iuris, quam malitia errare & labi sæpe numero possunt; & propterea iniquis eorum sententiis nequaquam acquiescendum: siquidem refutare eas quandoque, nedum aut non timere, aut non recipere, consentaneum. Angelus Clauasinus *in Summa* sua, quindecim enumeratis modis, quibus excommunicationis sententia labefactatur, subdit in omnibus illis, sententiam nullo modo timendam esse quo ad Deum, aut quo ad Ecclesiam, si notorie de ipsorum quopiam constiterit. Et recte quidem. Si enim secundum ciuiles leges, non est metuendum filiis quacumque exhæredatione, sed quæ legitime facta fuerit, submoueri se à bonorum possessione contra tabulas, vt scribitur *36. libro Digest. lege 8.* quanto minus nobis formidandum erit, vt iniuste vexati, aut ab æterna hæreditate, in ipsa iustitia stabilita dimoueamur; aut de matris Ecclesiæ gremio, quæ cultrix & auctrix est iustitiæ, deturbemur? Porro excommunicationis sententia, vires ex iustitia sumit, qua destituta languet & moritur. Rursus, cum multæ earum sint, quæ omnium Doctorum consensu nullæ appellantur, eas itidem non esse proprie ac vere colligere possumus: quod vero non est, nec vim potestatemque vllam habere, nec cuiuspiam effectus caussam esse posse, adeo patet, vt probationis luce non egeat; Quod quidem suffragatur, tam Alexander de Hales, *in vltima parte Theologiæ summa*, docens iniustam excommunicationem nequaquam nisi secundum inanem vocem, excommunicationis appellatione censendam; quam Thomas Aquinas, *18. distinctione, in quart. sententiarum librum*, scribens eam excommunicationis sententiam, quæ eiusmodi errorem claudit, quo nulla redditur, neque vllum effectum parere, neque excommunicationem esse. Quid? quod Gelasius Pontifex orientalibus Episcopis scribit, *11. quæst. 3. can. cui est*: excommunicationem iniustam ex eo curari non debere, quod nec apud Ecclesiam quisquam potest iniqua sententia grauari, vt in decretis est videre. Vbi etiam scribitur *ibid. can. etsi ad tempus*, aliud esse terrenam sellam, aliud tribunal cœleste; ab inferiori accipi sententiam, à superiori coronam. Item, *ibid. can. illud plane*. si quisquam fidelium fuerit anathematizatus iniuste, potius ei obesse qui facit, quam qui hanc patitur iniuriam. Et Salomon prius in hanc sententiam loquutus, sanxit maledictum frustra prolatum super eum venire à quo missum fuerat, *Prouerb. 26.* Rursus Augustinus *super Psalmum*, quod in decretis etiam allatum est, iusto cui maledicebatur iniuste, præmium reddi censuit. Scribit præterea Iohannes Gerson Christianissimus Theologus, *in libro de Excommunicationibus & Irregularitatibus*, excommunicationes iniustas, aliquando non repellere, fatuo timori asini-

asininæque patientiæ adscribendum esse. Idem in quendam Pontificis vices gerentem, peculiari tractatu inuehitur, qui in suis scriptis clausulam hanc apposuerat: *Sententia nostra, etiamsi essent iniusta, sunt tenenda & timenda*. Glossa quoque Decretorum, *super 3. quæstione causa 11. canon. 64.* asserit, posse eum iudici violenter resistere, cui constiterit sententiam iudicis iniquam esse. Et Iohannes de Baccone *in 4. librum sentent. distinction. 17. quæstione & articul. 3.* tradit eum qui excommunicatus fuerit ob iniustam caussam, modo id sit occultum, posse omnium Ecclesiæ ordinum officio fungi.

C A P. VII.

Quomodo debeat intelligi, Sententiam pastoris iustam aut iniustam timendam esse.

OSTENDIMVS sententias excommunicationis iniustas quandoque non timendas. Nunc eas & aliquando formidandas fore, & quo modo elogium illud Gregorii intelligi debeat, pro virili declarabimus. Quod facturis nobis, res ipsa altius repetenda est. Tripliciter sententia excommunicationis iniusta censetur à Theologis, & canonum interpretibus. Primo cum iuris prætermittitur ordo: secundo cum de prauo animo promitur: tertio cum falsa & iniqua caussa pronuntiatur: prauus autem animus in caussa esse non potest, vt timeri non debeat, si is in quem promulgatur alioquin sit anathemate feriendus. Iuste enim tum subditus patitur, tametsi iudex agat iniuste: posthabito quoque ordine si sententia feratur, non vsquequaque parui pendenda, nisi, ob aliquod eorum quæ supra memorauimus, viribus effœta redderetur. At propter falsam & iniquam caussam, iam minime timenda est: nisi forte ob scandalum in quod inde rudes impingerent. Est enim magnopere ratio proximi habenda, quod vnicuique Deus mandauit, vt scribitur in sacris literis *Ecclesiastici cap. 17.* abstinendumque vigili cura, ne aliquod ei offendiculum nostris operibus præbeamus. Propterea tametsi quispiam conscius sit, contra ius fasque anathemate se mulctatum; nihilominus, si aut falsitas hæc & iniquitas palam non est, & timere & obseruare eam debet, quoad veritas eluceat. Fieri tamen posset, vt oporteret statim quod esse in caussa manifestare, dum inde præiudicium aliquod veritatis pullularet: tum instruendi quibus cum versaremur, & auferenda scandali suspicio, quantum ad nos attinet, & aduersus illam agere oporteret. Præterea Glossa Decretorum, *11. q. 3. can. sententia*, timendam adstruit, nisi aut intolerabilem errorem contineat, aut post legitimam appellationem feratur, aut pro exactionibus indebitis effulminetur. Alii metuendam dicunt, modo non sit inualida, alioqui sententiæ nomine non dignandam. Quibus autem modis id fiat, supra ex parte narrauimus. Carere quoque eius metu num debeamus, dum iuste fuerit illata necne, in ambiguo versatur: alioqui metu quoque dicitur carere nos posse, modo ex superbia minime contemnatur.

Cæterum ex iis quæ subduntur à Gregorio, intentionis eius notitiam capimus. Siquidem vt recte ab Hilario *4. de Trinitat. libro* definitum est, & *in Decretalibus titulo de verborum significatione* repetitum, dictorum intelligentia ex dicendi caussis est assumenda. Subiecit enim statim Gregorius, *ne is cui infligitur eam ex alia caussa mereatur*: dans intelligere, eatenus iniustam sententiam timeri debere ab aliquo, quatenus ei ambigendum, ne quopiam occulto crimine ipsa pœna dignus sit, vel tacite innuens eam quæ suapte natura iniusta esset, iustam ex contemptu reddi posse. Iniustam igitur sententiam per se metuendam nequaquam statuit: sed ob aliud quasique dixeris ex accidenti.

Et in hanc sententiam loquens Petrus de Palude *18. distinct. libri quarti sententiarum*, prodit excommunicationem iniustam, ratione scandali, vt supra monuimus, metuendam: sed nullo pacto ob iuris pœnam, qui sententiam irritam minime custodit, si veritati ipsi niti voluerimus.



APO-

APOLOGIÆ IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ, PRO HIERONYMI SAVONAROLÆ innocentia,

LIBER SECVNDVS.

CAP. I.

Quid superiori libro actum, quid deinceps agendum.



NVNC tempus postulat, vt defensionem ipsam cominus aggrediamur. Iactis enim superiori libro doctorum sententiis, instar fundamentorum veritatis, sequens est ædificium eius erigere. Ex re quippe fecisse nos credimus, de iudiciorum infirmitate inprimis pertractare, deque speciebus excommunicationis iniustæ nonnulla recensere, & quam ob caussam ipsa sententia ferenda esset. De subditorum item obedientia erga prælatos, atque de timore ipsius excommunicationis iniustæ: non solum ob id quod hæc per se cognitu vtilia & digna sint, verum quia his perspectis, & ad memoriam reuocatis, commodius exactiusque Prophetam nostrum ab iniuria irrogatæ calumniæ, contractæque suspicionis asseremus. Namque, vt Aristoteles sapienter *libro 1. Physicæ auscultationis* monet, à communioribus exordiendum est, qui & *3. lib. primæ Philosophiæ* docet, veritatis cognitionem, eorum quæ in dubium reuocantur solutionem esse. Facilius etenim constabit, potuisse in eum perperam infligi sententiam, cum prius, & omne mortalium iudicium quandoq; falli, & excommunicationes multas esse palam sit, quæ irritæ & inefficaces suapte natura reddantur.

Demum, expeditius monstrabimus eum ab omni credita culpa alienum, & quia iure mandato rescripsit, & quia falsa ex caussa vexatus est, & quia id quod nec fieri poterat, nec debebat, tanquam & rectum & facile factu, hostibus veritatis ita Pontifici maximo suggerentibus, in mandatis habuit: monstrabimus hæc inquam, postquam luce clarius ostensum iam est, & à præceptis implendis abstinere, atq; rescribere vnumquemque posse, quia ea iniusta & nocua crediderit, pœnasque nonnisi pro caussa idonea, non autem commentitia & falsa, infligendas; iustisque tantum iussis, & quæ obire sit in facultate nostra, acquiescendum; nec ab omni excommunicatione, quæ iniusta sit, formidandum. Exequi ergo quod polliciti sumus, exordiemur, si prius caussam ob quam multi Prophetam nostrum excommunicatum autumarint, paucis subiecerimus.

CAP. II.

Caussa, ob quam plerique Hieronymum Sauonarolam excommunicatum autumarint.

EPISTOLA quædam, ex eorum numero, quæ breuia vocant, sub Pontificis nomine Florentiam delata est, cuius erat summa, *Hieronymum ipsum perniciosam doctrinam in ea vrbe seminasse, monitum non cessasse: cæterum præceptum ei sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt conuentum sancti Marci Florentiæ situm, congregationi cuidam (quæ vocabatur Romanæ & Thusciæ prouinciæ) copularet: subditosque monerent, ei nullo pacto communicandum, sed tanquam ab Ecclesia præcisum, atque suspectum criminis hæreseos euitandum.*

Cap. III.

Ex ipsa causa, elici argumenta defensionis: & primo quod male cognita res fuit Pontifici, vtpote subdole ab iniquis suggesta.

EX sententia *huius epistolæ*, tantum aberit vt Prophetam spirituali laqueo irretitum credamus, quod etiam inde, pro tutanda ipsius innocentia, validas rationes sumemus. Primo namq; male cognita caussa est Pontifici, ob quam proferri anathema veritatis hostes procurauerunt: cum tamen in eo infligendo, requiri ordinem, causæque cognitionem, & ratio conuincit, & decretales multæ, atque ipsa etiam Decretorum Glossa adstruat, *causa 11. q. 3. can. 1.* Quis enim ambigat aliunde quam malo zelo, & quam ignoratione caussæ prouenire, vt enuncietur Hieronymum Sauonarollam, qui nihil docet præter Christi verba, falsam in animarum perniciem doctrinam seuisse? Hoc omnibus notum, qui aut illius videre scripta, aut sermones ad populum habitos audiuere; hoc vel pueri norunt, quod & hostes veritatis, quanquam ore dissimulent, pectore tamen non diffitentur: Suggesta Pontifici sunt à perfidis hominibus huiusmodi contra innocentissimum virum, nugamenta; quæ credita, fecere vt in comminanda pœna maturior causæ disquisitio non expectaretur: quæ autem falso nituntur, corruant est necesse: huiusce quippe sinistræ persuasionis gratia, prauis consiliis ausculatum est, ex re esse religionis, fratres eos qui sub Hieronymo degebant, aliis quos *Reformandos* dicebant copulari, idq; in ipsius arbitrio situm: qui dum de conficiendo negotio tentatus, rei, vti perniciosæ abnuisset, incaluit ardor sequiendi, effecitq, vt pœna Pontificio mandato necteretur. Quod cum ratione duce, & patrocinante iure declinasset, nihilominus effera luporum rabies, sub ouina pelle delitescens, potens adeo fuit, vt contemptor Ecclesiasticæ maiestatis insimularetur: & exorta è palatio Epistola, vti contumax anathemate percussus, & hæreseos suspectus publicaretur. Vide quam paruo è fonte, mendacii ingentia falsitatis flumina eruperint. Et sane, vt de me fatear, postquam certior factus, promulgatæ huius excommunicationis, quanquam sciebam Hieronymum, & doctrina cumulatissimum, & sanctis moribus clarum, atq; inprimis obedientissimum; minime tamen credebam è loco tam celebri prodire sententiam, quæ saltem verisimilitudine non fulciretur. At legens diplomatis exemplum, & primori fronte, falsæ eum doctrinæ insimulatum offendens, quem certius certitudine compereram nunquam vel latum quidem vnguem à Catholico dogmate recessisse, causam diligentius examinandam suscepi, & præter id quod diximus, trifariam defendi eum posse ab omni criminis suspitione deprehendimus.

Cap. IV.

Quod mandatum Pontificis fuit impossibile.

REVOCANDVM profecto in dubium non est, supra vires proprias, supraque auctoritatem agere posse neminem: & ob id pœnam si mandato adiungitur in cassum proferri, nec effectum aliquem parituram. Probauimus hoc *superiori libro*, præter naturæ dictamen, etiam auctoritate Iuris ciuilis, & pontificii. Potuerit autem nec ne Hieronymus, vrbis illius aduena, vnico vicariatus officio fungens, vertere tot religiosorum fratrum voluntates, vt in id concederent, cui ex professo aduersabantur? nullus puto sapiens iudicabit. Repugnarunt namque non minus ipsi Hieronymo, vnionem illam, quæ tunc proponebatur, publicis literis, vti pestiferam, detestantes; addentes se malle extrema pati, quam fratribus tam deformatis copulari: quorum tantam vesaniam narrari audiui ab iis, qui hanc mixtionem affectabant, vt motos se ad procurandum hoc negotii dicerent, ne monasteria ab ipsis habitata, quæ iam speluncæ latronum euaserant, penitus destruerentur. Eos autem qui secundum sanctorum Patrum decreta, & probatas ab Ecclesia Catholica sanctiones viuere enituntur, inducere vt velint speluncas latronum habitare, & deformatis inquinatisque hominibus se immiscere, factu impossibile est. Quid ergo fuit caussæ, vt communis hæc repugnantia in solum Hieronymum reiiceretur? At forte inquient, nihil esse tam arduum, tam difficile quod non libenter fratres reliqui Hieronymi gratia subiissent. At qui hoc fundo nixi, vana argumentatione deluduntur, cum palam sit, nec plus ditionis habere eum in ipsos, quam iura sibi permittant officii: nec, quanquam haberet, adstringi posse, vt ea vteretur. Supra enim probauimus, nullum reddi præcipienti prelato obnoxium, nisi ea ratione qua præsidet. At ipse Hieronymus Pontifici hoc in negotio non subditur, nisi quatenus ex prædicatorum ordine, & congregationis eius, quæ S. Marci nominatur, præses ad tempus est. Eatenus autem procuratam hanc ferruminationem conficere potis non est, vt dudum ostendimus. An ridiculum non iudicaretur, si aliis Fratrum Vicariis, qui de Obseruantia dicuntur (ita enim appellari consuetum) iussum foret, vt quos sub imperio haberent, eis qui conuentuales nominantur miscerent? maxime repugnantibus illis, & rem talem nequaquam se laturos protestantibus. Sane quenquam extare non puto, modo rationis capax sit, qui præceptum id, vires & hominis & officii excedere non arbitretur.

Cæterum, dato etiamnum hoc atq; concesso, vt iussus factu facilis iudicetur, & qui in eis cōgregatio-

gationibus sunt, viuant sanctissime: si fratrum tamen suorum collegio id non videatur, poteritne quisquam quod Dei solius est prærogatiua eos cogere, vt id velint & amplectantur? At si hoc supra illius facultatem, erit, qui fieri poterit, vt eosdem compellere queat, perpetua deformatorum fratrum inire consortia?

CAP. V.

Quod mandatum Pontificis exequendum non erat.

VIdimus præceptum impleri non potuisse, nunc an sua natura esset implendum, disquiramus. Cum peruersis nos peruerti, cum sanctis fieri sanctos Dauid monet: & Christus docet à fermẽto Pharisæorum, quod est hypocrisis, enixe cauendum. Præterea quicumque reformandis religionibus congregationibusq; iam collapsis, & diuini amoris igne destitutis, operam dederunt, tantum abfuit, vt cum prauis & deformatis monachis, fratribusve, diuturnis commerciis implicarentur, vt etiam se ab eis sequestrarint, conarenturq; calorem pene emortuum (additis sibi pauculis, qui idem vellent, nollentque, veluti fomitibus) reparare, vt tandem fere extincta flamma reuocaretur, & solito fulgore splendesceret. Scimus hoc ducentorum annorum decursu, & eo etiam minus, à plerisque factitatum. Nisi enim à malis boni seiungerentur, pax religiosis maxime expetenda, in cassum quæreretur. Inter bonos siquidem & malos semper bellum; his argui metuentibus, & odio habentibus lucem; illis ecclesiam malignantium perosis, & cum impiis non sedentibus, quos facilius est probos corrumpere, quam contra illos ab his sanari, & integros reddi: quandoquidem pomorum aceruus, ab vnius marcidi contagio maculatur,

Vuaque conspecta, liuorem ducit ab vua.

Et sane, cum rei huiusce merita perpenduntur, tolerabilius malum quod ex hac mixtione paterentur qui iam reformati sunt, videretur esse infamia, quam ex deformatorum commercio contraherent: quæ quanti facienda sit, & oraculo sapientis ediscimus, qui docuit habendam curam de bono nomine, & ecclesiæ traditione, quæ contemptores eius crudeles appellauit.

Quibus facile patet, & noxium esse religioni, probos improbis copulari, quod ipse Hieronymus demonstrauit peculiari *Apologetico:* & illud præceptum Pontificis, tametsi potuisset impleri, nihilominus non debuisse, namque iussui, qui malum claudat, obtemperare non conuenit, neque regula quam professus est quispiam, fas est moribus aduersari, quemadmodum supra probauimus, vnde errorem toleratu indignum, in mandato deprehendimus, quando id & quod factu impossibile, & quod minime honestum & salubre, sed & turpe & nocuum esse complecteretur.

CAP. VI.

Quod iure rescripsit Pontifici: Item liquere eum nunquam censuram incurrisse.

SEd veritatis hostes criminatoresque, potiori etiam in loco constituo. Do eis gratis, nullaq; extorquente ratione, pro comperto non haberi, quod duobus superioribus capitibus manifestauimus. Experiamur, an alia via possimus Prophetam nostrum de faucibus obloquentiũ eripere. Quanto enim particularius acta eius negotii examinauerimus, tanto colliquebit apertius abs re prorsus fuisse, in eum quicquam esse adstructum. Recepto namque diplomate, quo pœnam statim incurrendam, nisi pareret mandato, Pontifex minabatur, (hoc est nisi congregationem, quæ sancti Marci dicitur, cui præerat, illi quam Thusciæ & Romanæ prouinciæ vocabant conglutinaret) Rescripsit eiusmodi vnionem, subdola mente à quibusdam Pontifici oblatam, cum in ea, simul & se persequi conarentur (quem ex suscepta asserendæ veritatis causa acerrimo odio insectabantur) & rem perniciosam serere, qua scandalum exoriretur: Confectoque libello, cuius ante meminimus, dedit etiam epistolas, quibus significabat eam quam procurabant ferruminationem, tam diuino honori contrariam, quam animarum saluti pestilentem: demum ab eo peti, quod præstare non poterat: consensu etenim vniuersorum fratrum opus fore: rogarentur ipsi: consentientibus enim repugnare non posse: compellere inuitos & contra nitentes, sui arbitrii & facultatis non esse.

Quæ cum ita sint, quis reuocabit in dubium, virum hunc ab omni culpa insimulati criminis immunem? Siquidem supra cum de obedientia ageremus, multis modis ostendimus, licere subditis à prælati mandatis, quæ excommunicationem annexam gererent, abstinere, atque rescribere. Hoc clamant iura, hoc eorum interpretes asseruantissime volunt, monentque secundam iussionẽ expectandam, si aut de mente Principis ambigatur, aut in exequendo præcepto, scandalum, malique aliquid formidetur. Et præter ea quæ ibi allata sunt, in eandem sententiam loquitur Baldus, *in Iustiniani Principis Codicem, titulo de Vsuris*: & Petrus de Ancharano, *Consilio 235.* docet cum res aliter se habet, quam scribentis mens præsupponat, supersedendum esse, licet mandato excommunicationis latæ sententiæ pœna misceatur. At perfidi homines mandari aliud Hieronymo non procurarunt, scientes ei qui iure à primo belli insultu se defenderat, secundo etiam & tertio non defutu-

ra propugnacula: sed epistolam extorserunt, cuius vi possent ostendere, rudibus ipsius negotii, iusta quem pœna mulctatum, quam & caruisse iustitia, & viribus, & illi quicquam non obfuisse, iam arbitror comprehendi: patrocinante quippe ratione, & suffragantibus legibus rescripsit: quo fit, vt irrogemus, nulli eum aut culpæ aut pœnæ subfuisse; modo cum epistola nihil aliud colligatur, quam eum ob inobedientiam censura damnatum, & parte alia, iuste iureque non obediuisse à nobis monstratum sit. Quare omnis excommunicationis scrupulus & suspicio, cum omni metu prorsus eliminanda est.

Cap. VII.

Neque ei necessariam absolutionem, neque ab eius communione abstinendum esse.

AB his consequens est declarare; nullam ei necessariam absolutionem fore, nec ab illius communione vllo pacto abstinendum esse: Et sane, quanquam reuerentia Apostolicæ sedis, sententiam ipsam petierit aboleri, id tamen quantum ad se attinet minime oportuit, vt ex verbis Gelasii Pontificis, in libro decretorum, satis abunde docemur. Postquam enim scripsit ad Episcopos Orientales, eam sententiam quæ iniusta esset, ex eo curari non debere, ex quo nec apud Deum, nec eius ecclesiam nemo poterat iniqua sententia grauari. hæc subdit 11. q. 3. can. cui est: *Ita ergo ea se absolui non desideret, qua se nullatenus percipit obligatum.* Cui mirifice consentit ratio, nam solutione ibi opus non fore manifestum est, vbi non est nodus & ligamentum. Eos autem non alligari qui sunt insontes Diuus Hieronymus censet: nec Augustinus dissentit, docens iniusta vincula ab iustitia disrumpi: quæ alibi quoque (ibidem, can. quomodo, can. ridiculum & can. quid obest) testatus est non obesse homini, *quod ex illa tabula velit eum delere humana ignorantia, si de libro viuentium non deleat iniqua conscientia.* Præterea, Iohannes Gerso in libello *de excommunicationibus & irregularitatibus*, affirmat multis in casibus, quos enumerat, nequaquam ligari eum qui à quopiam aut Theologo, aut Iuris interprete responsum habuerit, sententiam in se iactatam tenendam, timendamue non esse; præsertim dum habita fuerit ratio, ne ignari simplicesque offendantur. At non vnus modo iuris aut diuinorum eloquiorum consultus, sed multi in hanc sententiam cateruatim iuerunt; perperam & iniuria, prophetam nostrum lacessitum, atque vexatum; nec quemquam ei ob id metuendum; quibus admodum suffragatur decretorum glossa, vt alia omittam, *vndec. quæst. 3. can. 64.* dum satis innuit, eum qui celebrauerit post excommunicationem iniuste latam, non debere sustinere aliquam pœnam, cum is ad vllam satisfactionem cogendus non sit, qui sententiam iniustam probat: quod ille epistolis, tam latino quam materno sermone conscriptis factitauit, & rationibus credens & superno lumine exquisite cernens, se ab omni vinculo exemptum.

Cæterum, vt scrupulus omnis à mentibus ambigentium trepidantiumque extrudatur, scire conuenit, argui eos à diuinis eloquiis, qui vbi timor non est trepidauerunt. Nequaquam enim metuendum ei communicare, quem non solum emaculata sceleribus vita, & verisimilibus suspicionibus illibata, Deo ac eclesiæ minime contumacem, sed etiam cum rationibus multis, tum auctoritatibus ab omni calumnia & falsa opinione vindicatum constat. Sucurrant ad exemplum, trecenti aut circiter eiusdem ordinis fratres integerrimæ vitæ & sanctæ conuersationis, & eorum aliquot doctrina clari, & iamdiu probati, nonnullique à pueris ad decrepitam vsque senectam in collegio Prædicatorum Fratrum, magna cum laude viuentes: qui omnes eum alloquuntur, honorant, verentur, obseruant, ipsi ea impendentes charitatis obsequia, quæ prælatis ab his qui gubernantur, debita sunt. Crediderimusne forsitan eos aut mente captos, aut salutis propriæ contemptores, vnicaque collocutione cum illo habita, dignos effici velle æterna morte, quam vt effugerent, alii maxima patrimonia reliquerunt, alii dignitates, & ecclesiastica beneficia, alii viginti, alii triginta, alii quadraginta atque etiam quinquaginta annos, religiosæ vitæ mancipati expenderunt? Succurrant & alii quamplurimi, cum in vrbe Florentia tum alibi degentes, quibus (quanquam in cœnobio non viuunt) sua salus plurimum est cordi, ac Christum diligunt, in eum transformari cupientes, ac iam soliti ad nomen anathematis exhorrere: quos nec prauorum commentitiæ minæ nec subdolæ blanditiæ deterruerunt ab eius commercio: quem vti hominem & doctrina & bonitate prudentiaque refertum obseruant, vti parentem diligunt, vti prophetam diuinum honorant. Hi profecto in propriæ conscientiæ luce viderunt, nullo eum spirituali laqueo irretitum, quod ipsum præterquam quod hinc & vita ipsius, & conuersatio, inde persequentium mores & fama persuasit, ex ipsa etiam causa, ob quam excommunicatio est publicata, plane confirmatum est.

Demum si anathema, aut irregularitas, contemptu sue clauium, Ioanne Gersone auctore non incurritur, dum in multis casibus, aut Theologi cuiusdam, aut Iurisperiti auctoritate monemur, eam quæ irrogata fuerit sententiam non tenendam: quanto magis, non ligabitur, qui obstantibus tot præiudiciis, tantum communicauerit? & maxime fauentibus Pontificum decretis, & eorum interpretibus. Ita enim *causa 11. q. 3. can. 64.* scriptum videmus: *Non ergo ab eius communione abstinendum est, nec ei ab officio cessandum, in quē cognoscitur inique prolata sententia.* Et Innoc. in *c. 2. de sent. excomm. lib. 6.* docet ei cōmunicandum, quē manifestum est iniusta sententia vexatū: posseq; aliquem, qui ius commune contra se haberet, iniusta sententia peti. Quid, quod *9. capit. Euangelii Ioannis* legimus, cæcum illum

illum ab ortu naturæ, donati visus miraculo perclarum, quem Iudæi maledicentes, ob Christi nomẽ ab eo suspectum, eliminauerunt? Et nihilominus satis constat legem Moysi non adeo emortuã, quin & seruari posset, & deberet, quam etiam ipse Iesus seruandam præcipiebat, inquiens, (Matt. 23.) *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia ergo quæcunque dixerunt vobis seruate & facite: secundum opera vero eorum nolite facere*: dans intelligere, nullo pacto eorum vitam, quæ mala erat, trahi in exemplum debere: Attamen doctrinam seruandam, si eos aperte non contingeret à vero deuiare, tum eis nullo pacto acquiescendum, nec ab iniustis excommunicationibus metuendum, vt in suscipiendo quem illuminauerat cæco, faciendum monstrauit. Et alibi, cum palam discipulis edixit, prædixitque futurum, vt absque synagogis fierent: *Ioan. 9. & 16.*

CAP. VIII.

Nonnulla in defensi Prophetæ laudem, & causa quamobrem doctrinæ Christianæ assentiamur afferuntur; atque insuper modus resistendi futuris persequutionibus proponitur.

OB ea quæ attulimus, innocentiam viri Prophetæ tibi arbitror manifestam, atque etiam his qui opusculum hoc legerint, si qui tamen futuri sint, qui verum defecata sceleribus vita vestigauerint. Plerumque enim quorumpiam mens adeo malitia obtenebratur, vt qui suapte natura, vel in cõtrouersiarum crepusculo veritatem exquisite cernerent, quandoque interdiu, soleque meridiano illucescente, errorum nebulis caligent: quos erroris sui causam sibi non aliis adscribere decet: quandoquidem, demptis impedimentis, lux etiam ad eos perueaderet: scriptum quippe est in sacris literis, *Exortum est in tenebris lumen rectis corde*, & alibi, *Quam bonus Israel Deus, iis qui recto sunt corde*? Quare, si diuino lumini non obstiterint, hæc puto satis superque futura: sin autem & claudere oculos, & obdere auribus ceras maluerint, quæcunque aut dicta vnquam, in veritatis huiusce probationem, aut in posterum dicenda, in cassum, quantum ad eos spectat, proferentur; scripta tamen erunt ad fideles confirmandos, atque ad prauorum versutias & detegendas, & impugnandas.

Sed cum hæc simulachra sint belli, pugnæq; ludicræ, atrocis comparatione prælii, quod ei pro Christo ineundum est (siquidem futurum sibi prædixit certamen ingens, de quo omnino sit triumphaturus; sed aduersus duplicem potentiam, sapientiam, atque malitiam instructa prius acie dimicandum) paratos in stationibus stare conuenit eos, qui vitam istam deserere, quam veritatem malũt; atque armis confertos, bellicisque instrumentis stipatos, classici sonum expectare. Hæ profecto militum copiæ, quibus exercitus mendacii profligabitur; hæ bellicæ machinæ, quarum vi falsitatis & tepidorum mœnia corruent: pensare Prophetam ipsum (quãtum humani fert infirmitas) Iesum Dominum imitatã, eaque insistere semita, quæ fuerit priorum Prophetarum, & martyrum calcata vestigiis, diuini honoris ardentissimum, salutis animarum sitibundum, intrepidum præterea, atq; omnis pauoris expertem: nihil profecto in eius vita, quod à probata illa quam professus est viuendi norma, deliret: nihil in doctrina, præter veritatem fidei, puritatem Christiani ritus, rerum futurarum prænotiones, quæ adeo constanter tenet, prædicat, & asseuerat, vt ipsa Roma, Italiaque pene vniuersa, ab incœpto reuocare illum procurans, nequicquam laborauerit: eundemque sæpenumero aggressã modo cæsim truncare, modo punctim confodere, viribus cassæ fuerint. Vnde cerni, nisi exoculatis datum est, hũc Dei ministrum, rerum futurarum præconem, Christianæ fidei & promulgatorem & propugnatorem, eorumque omnium, qui ad supernam Hierusalem suspirant peritissimum ducem.

Tria olim mecum ipse cogitans, fidem Christi doctrinamq; & gignere & augere sum contemplatus; lumẽ superne demissum, quo ea intueamur, ad quæ cernenda in limitibus nostræ naturæ iam infectæ derelicti cæcutiremus: efficacissimas rationes ex effectibus desumptas: miracula atque prodigia in testimonium allata. Quæ omnia, rei ipsius Hieronymi adeo conueniunt, adeo quadrant, vt ipsum simul & Christi sectatorem, & eius doctrinæ fidem deprehendas interpretem. Lumen quippe cœlitus demissum in causa est, cur illi assentiamur, quandoquidem statim à plerisque subscribi ei videmus, nulla ratione percepta, nullo viso prodigio, meræ narrationi acquiescentibus, qui tamen & prudentia cumulati, & doctrina referti: nonnullos contra protinus refragari, nec rationum molibus cedere, nec prodigiis flecti. Quales autem sunt & quantæ rationes adstipulentur, cum aliunde, tum ex Domini Beniuieni doctissimi & integerrimi viri lucubrationibus huic muneri dedicatis, colligere licet. Prodigia vero cum multa, tum magna dignissimorum hominum relatum, prædicationes illius, & vitæ rectitudinem roborare, extollereque, factus sum certior. A me ipso id perpetratum ab eo vidi, quod vi naturæ fieri, nullo pacto posse iudicaui: & plerique mecum, quibus explorata naturæ potestas, eandem sententiam tulerunt: vt tibi olim me narrasse memini.

Hæc & similia vero, vt dici solet, veriora, quæque nec diffusius tractata, nec exactius (vtpote, qui tibi & mihi eius viri amicis & domesticis scribo) habere ad manum oportet: quibus & bellare possimus, & vincere. Eam enim doctrinam, quæ Christianæ omni ex parte sit consona, imo simillima, imo eadem (licet aliquanto particularius, pro temporum conditione explicata) vti lucidissimum iubar effulgens, huic nostræ tempestati (qua rerum potiuntur vitia, virtutes in vniuersum exulant, refriguit charitas, deiecta est spes, fides elanguit) eam inquam doctrinam, quæ omnibus his damnum adferre occepit, Deique maximi & optimi prouidentia, atque clementia, vniuerso iam or-

bi monstrata (vt eius deturpata facies, depositis laruialibus simulachris, sed ad ipsam effingens velut exemplar, veram induat speciem) non sequi, non magnificere, non extollere, omnique conatu tueri, non sani esse hominis, non sanus iuret Orestes.

Anno Domini 1500.

BERNARDI LAVRETI IC. EXCELLENTISSIMI, ET PRIMI PRÆSIDIS THOLOSÆ,

TRACTATVS

CONTINENS CASVS, IN QVIBVS IVDEX SECVLARIS potest manus in personas Clericorum sine metu excommunicationes imponere.

SVMMARIA

1. *IVrisdictiones distinctæ debent esse.*
   Iurisdictio Ecclesiastica temporali maior censetur.
2. *Leges sacros canones imitari non pudet.*
   Iurisdictio vna aliis non debet esse impedimento.
3. *Laici in clericos nullum iurisdictionis actum exercere possunt.*
4. *Laicus in clericum iurisdictionem habet in causa reconuentionis & feudali.*
5. *Clerici à laicorum potestate exempti sunt summi Dei auctoritate.*
6. *Iudices seculares nullam in clericos iurisdictionem exercere possunt.*
7. *Percutiens clericum in septem casibus excommunicationem non incurrit.*
8. *Iudex secularis sex casibus clericum coercere potest.*
9. *Clericus per iudicem secularem puniri potest, si saeuis & enormibus se immiscuerit.*
10. *Clericum militarem habitum gerentem percutiens non efficitur excommunicatus.*
11. *Clericus vitam turpem ducens, trina per annum facta monitione, omni priuilegio clericali spoliatur.*
12. *Cardinales ad celebrandum Romani Episcopi electionem possunt includi per dominos temporales.*
13. *Curialis effectus clericus per secularem iudicem, ad curiam reuocari potest.*
14. *Clericus attentans aliquid in iurisdictionis temporalis praiudicium, potest per iudicem secularem coerceri.*
15. *Iurisdictio Ecclesiastica iuste defendi debet, non tamen iniuste.*
16. *Executio mulctæ pecuniariæ non contra personam clerici, aut in bonis Ecclesiasticis fieri debet, sed in bonis suis temporalibus.*
17. *Iudex secularis de possessorio causa seu rei ecclesiasticæ potest cognoscere.*
18. *Episcopi olim territorio carentes suas non exequebantur sententias.*
19. *Iudex secularis sex casibus clericum capere & carceri mancipare potest.*
20. *Iudex secularis clericum in flagranti crimine comprehensum per viginti horas detinere potest.*
21. *Creditor potest debitorem clericum de fuga suspectum capere.*
22. *Verbum Dei non debet adulterari, nec de Deo est aliquid falsi etiam in eius laudem astruendum, quod plerique faciunt mandata ipsius negligentes, vt suas stabiliant adinuentiones.*

QVoniam frequenter intueor modernis temporibus clericos capi, distringi, & plerumq; iudicari à temporalibus iudicibus siue magistratibus, igitur vigilanti studio inuestigare curaui totis pro viribus, an & quando hoc sit eis licitum, sc. laicis imponere manus in personas clericorum sine metu excommunicationis atque offensa diuini iudicii.

1 Primitus est præsupponendum, quod iurisdictiones sunt distinctæ, in *aut. quæ opert. episc. & cler. col. 1. circa princ.* iuncto *ca. nouit, de iud. ext.* cum concordan. iurisdictio tamen ecclesiastica maior est & excellentior temporali, in *cap. solitæ, de maiorit. & obed.*

2 Ideo dicit Imperator, quod leges non dedignantur sacros canones imitari, *in aut. vt clericus apud propr. episc. §. penult. col. 6. ca. clerici, de iud. & ca. cum secundum, de sec. nupt.* Qua de re vna iurisdictio non debet aliam impedire, vt *d. ca. nouit. de iudic.* iuncta *l. consulta diualia. C. de testam.* imo potius vna aliam iuuare debet, *vt 24. quæst. 2. Dominus, iuncta l. fin. circa princ. de re milit. l. 12. C.* & ibi de hoc per Lucam de Penn. De quo etiam egregie loquitur Guil. de Monte Lauduno *in ca. 1. circ. fin. de foro compet. in cleric.* & est textus in *ca. 1. de offic. ordin.*

Vnde

Vnde hæc est regula, quod laici in clericos nullam habent iurisdictionem, nec in criminalibus, 3
vt in *cap. at. si clerici, & in cap. cum non ab homine, extra de iudic. & in cap. 1. & 2. 11. q. 1.* cum concordan.
nec etiam in causa pecuniaria ex criminali descendente, vt notat Ioan. *32. distinct. cap. ad hæc, & in ca.*
Adrianus, 63. distinct. Item Bernard. & Hostien. *in cap. decernimus, de iudic. & in cap. 2. de foro compet.* Et
ibid. hoc tenet Ioan. Andreas. Idem not. *in cap. 1. de cleric. coniug. lib. 1.* Nec in causa mere ciuili, *in ca.*
non licet. 3. q. 6. & est hoc expeditum *in cap. 1. & 2. 11. qu. 1. & in cap. qualiter & quando: de iudic.* quod te-
nent Hostien. & Ioan. Andr. *in c. clerici, de iudic.* de quo etiam *in cap. quod clericis, de foro compet. & in*
cap. verum, eo tit. per Ioan. Andr. Ita etiam notat Hugo *11. q. 1. c. clericum, & in cap. allegato vnico, de cleric.*
coniug. libr. 6. facit optime *capit. seculares, de foro compet. libr. 6.* cum concord. ibi signatis, vbi est hodie
declaratum.

In hoc tamen vltimo membro dicunt nostri maiores, excipi duos casus: Primus casus est in cau- 4
sa reconuentionis: Secundus casus est in causa feudali, licet de hoc sint opiniones contrariæ: tamen
Innoc. hoc tenet *in capit. verum, de foro compet.* dicens, quod *si in causa feudali Dominus clericum vasallum*
distringat, vel alias repellat, non incidit in canonem, &c. de quo plene disputat Henric. Bohic. *in capi. a!. at*
si clerici, de iudic. hæc tamen iura prædicta sunt familiaria, vnde probatio est familiaris, vt dicit Ioan. *in*
cap patet 11. q. 3. quando vnus Papa alium Papam inducit in testem, vt recitat Ioan. *1. Romani principes,*
de iureiur. in Clemen. super verbo, *Bonifacius*, hoc tamen non obstante nullus fidelis abnegare debet
istorum iurium & similium auctoritatem. Absit enim dicere, vt Scriptura mentiatur, *deci. tert. qua-*
stion. 5. quid ergo, &c.

Præterea prædicta probantur non solum authoribus iuris canonici, imo & authoribus iuris di-
uini, & etiam ciuilis. Quoniam clerici sunt exempti à potestate laicorum authoritate summi Dei o- 5
mnium rerum conditoris, prout legitur *in cap. cum ad verum, & cap. duo sunt, & cap. Imperator 16. distin.*
secundum Guil. de Monte Lauduno *in cap. 1. de offic. ordin. in Clem.* de quo plane per Innoc. *in cap. si*
quis, de maiorit. & obed. Et plenius per ipsum *in cap. licet, de foro compet.* vbi plene ipse Innoc. differit de
iurisdictione ecclesiastica, & de illius origine & progressu. De libertatibus vero & priuilegiis à Deo
& à principibus concessis ipsi ecclesiæ & personis & bonis clericorum eleganter ponit Innoc. *in cap.*
nouerit, de sent. excommunic. extra, vbi de hoc remitto causa breuitatis. Vnde veritas testatur sacri elo-
quii dicens: *Nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Vlterius prædicta proban-
tur auctoritate iuris ciuilis, *in auth. statuimus, Cod. de episcop. & cleric.* vbi ad literam patet, quod iudi-
ces temporales nullam habent iurisdictionem nec in criminalibus nec in ciuilibus in personis cle-
ricorum.

Per quam authoritatem dicunt ibi doctores, & præcipue Bald. quod omnia alia iura ciuilia, 6
quæ dicebant laicos habere aliquam iurisdictionem in clericos, sunt correcta per illam *auth.* vt *l. nul-*
lum. C. de testib. & l. abditos, C. de episcopor. aud. cum simil. tractant Hostien. & Ioan. Andr. *in ca. verum, de*
foro. compet. Omnis tamen diffinitio in iure periculosa est; parum est enim quin subuerti possit, *l. o-*
mnis diffinitio ff. de regul. iur. Ideo libet casus à prædictis exceptos hic enumerare. Ea de re subiiciam se-
ptem casus, in quibus verberans clericum non incidit in sententiam excommunicationis. Et sex,
in quibus clerici distringuntur per seculares iudices. Et alios sex, in quibus laici capiunt clericos abs-
que metu excommunicationis. Quos casus recollegi ex variis passibus iuris, & diuersorum docto-
rum conclusionibus.

Sunt igitur septem casus, in quibus quis percutiendo clericum non incidit in sententiam ex- 7
communicationis, quos enumerat Innoc. *in cap. non dubium de sent. excommunic.* Primus est, cum bo-
no zelo causa correctionis quis clericum verberat, vt pater, mater, magister, & prælatus, *vt in capit. 1.*
de sent. excommun. & ibi de hoc per Henri. de Bohic. Secundus est, si cum iocosa leuitate, *vt in c. 1.* &
ibi per Henr. *in 2. di.* Tertius est cum quis inuenerit clericum turpiter agentem cum vxore, sorore &
matre, de quo *in cap. si vero, de sentent. excommunicat. in 2. distinction.* per Henric. Quartus, si vim vi re-
pellat, vt *in e. ca. si vero,* & ibi de hoc per Henr. *in 1. dist.* Quintus, si ignorauit eum esse clericum, *in cap. si*
vero 2. & ibi de hoc per Henr. *in 1. dist.* Sextus, si inuenerit clericum apostatam, scilicet non deferendo
habitum & tonsuram clericalem, post trinam monitionem, vel si sæuis & enormibus se immisceat, si-
ne habitu & tonsura clericalibus, sine monitione, de quo tamē latius inferius dicam. Septimus & vl-
timus, cum clericus se prorsus transfert ad actus contrarios clericatui, vt quando efficitur miles, se
immiscendo sæuis & enormibus, vt quando bigamus efficitur. Et etiam de his dicam in sequenti.

Præterea & secundo reperio sex casus, in quibus iudex secularis vel temporalis coercere potest 8
clericum. Primus est, quando clericus incorrigibilis est, & est degradatus & traditus brachio secula-
ri, *in cap. cum non ab homine, cum concord. suis, de iudic.* Et intelligo, quod sit degradatus iuxta formam
c. degradato, de pœn. lib. 6. Casus autem, in quibus clericus traditur brachio seculari, enumerantur per
gloss. in cap. ad abolendam, extra de hære. Secundus casus est, vbicunque ecclesiastica potestas deficit, iu-
xta ea quæ notantur in *cap. Princeps 32. q. 5. in cap. filius 16. qu. 7.* vbi dicit textus, quod metropolitano
dissipante bona ecclesiæ, adeatur Regia dignitas, & ibid. per Gloss. vide etiam per Lucam de Penn.
in l. si coloni. C. de agric. & censit. lib. 11. Tertius, quando per ecclesiam inuocatur brachium seculare,
in l. 1. cum ibi notat. de offic. ordin.

Quartus, vbicunque clericus se immiscet sæuis & enormibus, *in cap. ex parte 3. de priuil. iuncto c.* 9
perpendimus, & cap. cum non ab homine, de sentent. excommun. vbi de hoc, de quo latissime per Henr. *in*
cap. vt famæ, de sentent. excommun. & in cap. ex literis, in 3. distinction. extra de vi. & hone. cler. vbi inter cæ-

tera legitur, quod si clericus facit contra statutum clericale, assumendo malitiam, immiscendo se sæuis & turpibus, vel apostatando ab ordine clericali pariter enormia committendo sine laicali monitione, exuitur omni priuilegio clericali.

10 Hoc idem tenet Innoc. *in ca. in audientia, de sent. excomm.* qui textus dicit, quod clericus assumens habitum militarem, si tertio monitus non desistat, si capitur seu percutitur per tales laicos, non sunt tales laici excômunicati. Innoc. tamen supplet super verbo, *moniti*, subaudi, *maxime*. Et nota, quod ille textus non dicit, quod se sæuis & enormibus immisceat, sed solum quod habitum militarem assumpserit. Sed *in ca. 1. de aposta.* Innoc dicit, quod ad hoc, quod priuilegium perdat clericale, duo requiruntur, sc. quod se transferat ad habitum militarem; & quod sæua & enormia committat.

11 Si autem clericus vitam turpem ducat, vt quando est publicus ioculator, buffo, seu goliardus, tunc siue sit in sacris, siue non, post annum ipso iure, vel etiam intra annum, trina tamen monitione præcedente, perpetuo exuitur omni priuilegio clericali, *in ca. vnico, de vi. & honest. cleric. li. 6.* Si vero alias turpem clericus exerceat vitam, vt carnificum, macellariorum vel tabernariorum personaliter, tamẽ post trinam monitionem, post terminum competentem arbitrio monentis præfixum, si sit coniugatus, omnino; si non sit coniugatus, in rebus. Et tunc si omnino incedat in habitu laicali, etiam in persona priuilegium clericale, quamdiu in præmissis insistit, amittit, *vt in Clem. 1. de vi. & bone. cler. in Clem.*

12 Quintus est in casus, *c. vbi maius periculum, de elect. li. 6. iuncto ca. ne Romani, eo tit. in Clem.* vbi domini temporales possunt de facto includere Dominos Cardinales ad celebrandam electionem summi Pontificis. Sed quando hoc faciunt Domini temporales ex commissione vel concessione summi Pôtificis, à quo in hoc casu prædictis Dominis temporalibus attribuitur talis potestas, dico quod laicus ex commissione vel delegatione Papæ potest clericos non solum ciuiliter, quinimo criminaliter coercere secundum Ioan. qui hoc notat *92. dist. ca. ad hæc, & in ca. Adrianus 63.* Idem tenet Henric. Bohic. post Bernar. Ho. Innoc. & Ioan. Andr. *ca. at si clerici, de iudic.* Et per hoc (vt opinor) excusantur officiarii nostri Regis Francorum, qui Rex in his multa habet priuilegia Apostolica & plures præeminentias, adeo, quod officiarii sui capiunt clericos, & detinent sine metu excommunicationis, sed eos corporaliter non puniunt, sed bene pecuniariter in casibus priuilegiatis, vt infra dicetur.

13 Sextus & vltimus casus est in *l. si quis curialis, de episcop. & cleric. C.* vbi curialis, si clericetur, potest per temporalem iudicem, etiam per manus interiectionem ad curiam reuocari, & vide ibi Bald. Et potest huius esse ratio, quando vbi aliqua sunt in cognitione & iurisdictione ex natura causæ iudicii temporalis, potest cognitio seu iurisdictio exerceri per temporalem iudicem in clericum, vt in *ca. verum, de foro compet. & in capitu ex transmissa, eo titul.* quæ loquuntur in feudo, & *in cap. cæterum, de iudic.* Vnde si clericus resistat, tunc iudici seculari potest de facto repelli, & eius persona potest de facto à feudo exui sine metu excommunicationis, secundum Innoc. *in ca. verum*, & ex hoc practicamus quotidie, quod in causis, quæ pertinent temporalibus de iure vel priuilegio, vt in casibus quos dicimus priuilegiatos in hoc Regno.

14 Vel quando clerici aliquid attentant in præiudicium temporalis iurisdictionis, profecto temporales possunt coercere clericos resistentes, & merito; quãdo quilibet potest tueri suam iurisdictionem, etiam pœnali iudicio, vt *in l. vnica, in princ. ff. si quis ius di. non obtemper.* & notat Innoc. *in ca. 1. de offic. deleg.* Quo casu iudex potest etiam non subditos coercere, iuxta *ca. Romana, de pœnis lib. 6.* & not. plene Innocent. in *d. c. 1. de off. deleg.* Et ob id iudices temporales in dictis casibus clericos mulctant, nec propter hoc puto eos incidere in sententiam excommunicationis, nec facere contra libertatem ecclesiasticam, quæ licet sit fouenda & amplianda, non tamen quod aliis ius suum auferatur, arg. *ca. ex tenore, de foro compet.* non enim debet apponi laqueus fauore ecclesiarum, vt *in ca. mulieri, de iureiur.* & ibi sunt concordant.

Iurisdictio enim ecclesiæ semper tueri debet ob Dei reuerentiam, sc. iuste, sed nullatenus iniuste, vt dicitur de causa pupillari in *l. quoties, Nec vtiq; ff. de administr. tutor.* Ex quibus opinor, quod iudices seculares contra personas ecclesiasticas iurisdictionem exercentes debito modo vtiq; non excedunt, & maxime, quando hoc faciunt ex priuilegio iuris vel Papæ, aut saltem ipso Papa sciente & tolerante, ad quod bene faciunt notata in *cap. quoniam, de vita & honestate clericor.* per Innoc. in *cap. 1. de treug. & pace*, & vide quæ posui ibidem satis late post Innoc.

15 Verum est tamen protunc executio huiusmodi mulctæ pecuniariæ non fiet cõtra personã clerici, nec in bonis ecclesiasticis, qñ non subiiciuntur iudici temporali, sed bene fiet executio in bonis eorum temporalib. immobilib. tamẽ, cum mobilia sequantur personam, iuxta *l. si captiuus. §. expulsus. ff. de captiu. & postlim. reuersis.* & not. Dyn. *in l. etiam, § patron*[illegible] *de bon. li.* & plene Oldr. de Ponte de Laude, *consil. 59. & consil. 17.* Fiet igitur executio in bonis immobilibus, seu in rerum temporalitate, si quam habeant, cum talia bona temporalia subiiciuntur iurisdictioni Regum & aliorum temporalium dominorum, vt in *cap. quo iure 8. distinct.* & ita seruamus.

17 Præterea iudices temporales in Regno Franciæ cognoscunt de possessorio causæ seu rei ecclesiasticæ, quando possessorium rei ecclesiasticæ seu beneficialis est quid temporale, & non spirituale, secundum Innoc. *in ca. cum dilecti, de elect.* licet quidam in hoc contra. Sed Bernar. videtur hoc astruere, *in ca. literis, de iura. calum.* qñ possessio habet plurimum facti, & propterea de ea potest iudex tẽporalis cognoscere, ac etiam in rebus spiritualib. seu ecclesiasticis, secundum Bernar. in *l. potest pupil. ff. de auto. trito.* & in *l. Titia. ff. soluto matri.* & melius in *l. quoties, de iud. C.* & Ioan. Andr. in *c. tuam. ext. de ordin. cognit.* & Paul. de Lea in *cap. 1. de vsu. in Clem.* qui dicunt, quod quando agitur de quæstione facti incidentis in materia ecclesiastica, iudex temporalis cognoscere potest.

Vnde

Vnde secundum iura antiqua Episcopi non habebant territorium, & ideo non exequebantur sententias suas: sed iudices temporales suas exequebantur, secundum Cyn. & Bald. in *l. episcop. C. de episcop. audient.* Et propterea licet cognitio dotis pertineat ad ecclesiam, vt in *cap. 1. & 2. de donat. inter vir. & vxor.* tamen in quantum requiritur in ea executio facti, illa fiet per iudicem secularem, & non per ecclesiasticum, secundum Innoc. in *ca. significasti, de offic. delegat.* secundum vnum intellectum. Et ex hoc dicemus inuentarium bonorum temporalium clericorum debere fieri per iudices temporales, quando illa subiiciuntur temporalibus, vt in *ca. quo iure 8. distinct.* superius alleg.

Postremo reperio alios sex casus, in quibus iudex temporalis sine metu excõmunicationis põt 19
capere clericum & incarcerare. Primus est in casibus prædictis, in quibus potest fieri punitio seu coertio personæ, quando *cui licet, quod maius est*, &c. Secundus de mãdato iudicis Ecclesiastici ipsorum malefactorum ad fines remittendi, in *cap. vniuersitatis, & cap. vt famæ, de sent. excom.* & ita tenent Archi. & Ioan. Andr. in *ca. si clericos, eo tit. li. 6.* Tertius, quando iudex laicus videt clericum ad alterius iniuriam præparatum, & non adest Prælatus suus, si ipsum clericum alias compescere non potest, nam tunc potest eum sine metu excommunicationis ligare vel incarcerare, secundum Innoc. qui hoc notat in *ca. si vero. de sent. excom.* quem sequitur Lucas de Penn. in *l. generali, de decurion. lib. 10. C.*

Quartus, quando iudex secularis reperit clericum in flagranti crimine, quem potest per vigin- 20
ti horas detinere, secundum Bernar. & Ioan. Andr. Hosti. tamen contra in *ca. vt famæ, de sent. excomm.* & Gau. & Guil. de Monte Laudun. in *ca. 1. de offic. ordinan. in Clem.* Quos sequitur Henr. Bohic. in *ca. cum non ab homine, de iudic.* Archi. tamen in *ca. presbyt. 81. dist.* Luc. de Penn. post eum in *d. l. generali*, sequitur opinionem primam, quæ videtur esse consuetudine approbata. Quintus casus est, quando maritus inuenit clericum adulterantem cum vxore sua, secundum Hosti. & Henr. Bohic. *d. ca. si vero, de sent. excomm.* Cui autem pertinet vel incumbit probatio clericatus, & coram quo, est hodie declaratum, in *cap. si iudex laicus, de sent. excomm. lib. 6.*

Sextus & vltimus casus est, vbi timetur de fuga debitoris etiam clerici, quoniam creditor potest 21
tunc debitorem capere, iuxta terminos *L. ait prætor. §. si debitorem. ff. quæ in fraud. cred. alie. sunt. vt restit.* & hoc absque metu excommunicationis, vt singulariter ponit Ioan. Andr. *in Nouella*, & Innoc. in *cap. vt famæ, de sent. excom.* & ibi de hoc.

Hæc vero citra præiudicium potestatis, iurisdictionis & libertatis ecclesiæ perstrinxisse sufficiat, 22
quibus nullatenus derogare intendo, sed solum pro tuenda veritate iustitiæ prædicta gratificari præsumpsi. Non enim debemus esse adulterantes verbum Dei, vetante Apostolo, *2. Cor. ca. 2.* vnde non solum de ecclesia, sed etiam de Deo valde perhorrendum est, aliquid falsi astruere, etiamsi ad eius laudem videatur pertinere, vt scribit Magister Sententiarum, *& ad Cor. 15.* subiungens, quod non minori sed maiori fortassis scelere, si in Deo laudatur falsitas, quam vituperatur veritas, quod est tenaci animo commendandum, & perpetuo menti tenendum. Omnia tamen submittendo correctioni & determinationi sanctæ matris ecclesiæ. Nam sicut errare vel minus sapere communis est infirmitas: sic & in errore persistere præcipuum est horrendæ iniquitatis. Deo gratias. Bernardus Laurenti vtriusque iuris Doctor.

ARTICVLI PROPOSITI, DELIBERATI ET CONCLVSI IN CONCILIO ECCLESIÆ GALLICANÆ, congregato mense Septembri anno Domini M. DX. in ciuitate Turonensi, auctoritate Christianissimi Regis D. Ludouici XII.

Anno Domini 1510.

I.

AN liceat Papæ bellum inferre Principibus temporalibus, in terris quæ non sunt de patrimonio vel dominio Ecclesiæ, &c.

Conclusum fuit vnanimiter per Concilium, Papam nec posse, nec debere.

II.

AN liceat Principi defendenti se & sua, non solum propulsare armis eiusmodi iniuriam, sed etiam inuadere terras ecclesiæ possessas à Papa notorio hoste suo; non tamen ea intentione vt illas retineat sed tantum vt impediat, ne per eas Papa ille fortior & potentior sit ad offendendum dictum Principem & suos.

Conclusum est per Concilium Principem hoc posse sub conditionibus & qualitatibus in Articulo propositis.

III.

AN ob tale odium notorium & aggressionem iniustam, liceat tali Principi subtrahere se ab obedientia huiusmodi Pontificis, attento etiam quod Pontifex concitauit alios quosdam Principes & communitates, imo & tentauit cogere ad inuadendas terras & dominia eiusdem principis, qui potius beneuolentia sedis Apostolicæ dignus fuit.

Conclusum est per concilium, Principem posse ab obedientia Papæ se subducere ac subtrahere: non tamen in totum & indistincte, sed pro tuitione tantum ac defensione iurium suorum temporalium.

IV.

TAli subtractione licite facta, quid agendum sit, tum Principi ipsi ac subditis eius, tum etiam Prælatis & Ecclesiasticis personis regni sui in rebus de quibus ad sedem Apostolicam antea recurri solebat.

Conclusum est per Concilium, seruandum esse ius commune antiquum, & Pragmaticam sanctionem Regni, ex decretis sacrosancti Concilii Basiliensis desumptam.

V.

AN liceat huiusmodi Principi Christiano armis tueri ac defendere alium Principem sibi confœderatum, & cuius protectionem legitime suscepit, &c.

Conclusum fuit per Concilium, licere.

VI.

SI quod ius talis Pontifex ad se pertinere contendat, vt patrimonii sanctæ Ecclesiæ Romanæ partem: contra Princeps Imperii, iuris sui esse dicat, & de ea controuersia paratus sit & offerat stare arbitrio vel iudicio bonorum virorum per compromissum prout de iure: an eo casu liceat Pontifici absque alia causæ cognitione, bellum inferre dicto Principi: & si fecerit, an liceat Principi armis resistere, & aliis etiam Principibus in huiusmodi dissidio ei adesse, eumque defendere: maxime illis qui ei cognatione vel affinitate coniuncti sunt, cum etiam per centum annos proximos, Ecclesia Romana in eius iuris controuersi possessione non fuerit.

Conclusum est per Concilium, licere Principi hoc casu resistere de facto, & aliis ei adesse in iure suo tuendo.

VII.

QVid si Papa nolit acceptare quod Princeps iuridice & honeste offert, sed contra, non obseruato iuris ordine, contra talem Principem pronunciet sententiam aliquam, an ei obtemperandum sit, maxime cum non est integrum ac tutum tali Principi ad sedem Romanam ire vel mittere, & ius suum via iuris ciuilis, & rationibus defendere.

Conclusum est per Concilium, non teneri talem Principem parere tali sententiæ.

VIII.

SI Pontifex iniuste, ordine iuris non seruato, procedens de facto, & manu armata, pronunciet ac publicet aliquas Censuras contra Principes sibi resistentes eorumque subditos & confœderatos, an ei parendum sit, & quod remedium adhibendum.

Conclusum est vnanimiter per Concilium, talem sententiam nullam esse, nec de iure vel alio quocunque modo ligare.

Visum est tamen Concilio, ante omnia, mittendos ab Ecclesia Gallicana legatos ad D. Papam Iulium, qui fraterna charitate, & secundum Euangelicam correctionem, eum admoneant, vt à cœptis desistere velit, pacemque & concordiam Principum amplecti. Quod si nolit legatos in hoc audire, interpelletur de conuocando Concilio libero, iuxta sacrosancti Basiliensis decreta, & hoc facto responsoque eius accepto prouidebitur prout ius erit.

APOLO-

APOLOGIÆ SACRI PISANI CONCILII CELEBRATI Anno Domini M. D. XI.

Anno Domini 1511.

ARGVMENTVM.

1. Humilitas, Constantia, & veritas, tres sunt dotes Christi atq; ecclesiæ eius sponsæ.
2. Iulius II. duas acerbissimas euulgauit literas Apostolicas, quæ causã præbuerũt huic Apologiæ.
3. Humilis & modesta responsio Patrum Pisanorum ad eos qui consilium dederunt Iulio II. vt Concilium Lateranense indiceret, & censuris Patres Pisanos percelleret.
4. Depulsio quatuordecim conuitiorum Patribus Pisanis obiectorum.
5. Summa capita rerum, quæ Patribus Pisanis à Iulio II. obiiciebantur, & earum dilutio.
6. Patres Pisani nunquam affectarunt dignitatem Pontificiam, sed aristocraticam moderationem, qua Christus primatum S. sedis Apostolicæ temperauit, retinere voluerunt.
7. Cardinales Pisani, à Curia Romana decesserunt, eo quod nedum in sententiis liberi, sed nec in vita quidem tuti erant, quando Apostolicæ præceptiones notoriũ continent periculũ, audiri quidẽ sed non impleri debent.
8. Memorati Cardinales recesserunt cũ manu militari, vt se à periculo & insidiis episcopi Concordiens. eximerẽt.
9. Patres fatentur se aliqua dissimulasse, vt fraudes & dolos episcopi Concordiensis vitarent.
10. Responsio ad obiectionem duorum Cardinalium, qui dicebant falsum esse se assensum præbuisse conuocationi Pisanæ Synodi.
11. Omnes Canones, quibus docetur Papam debere Concilia generalia conuocare, intelligi debent regulariter & ordinarie: nam extraordinarie & in certis casibus congregari possunt absque Papa.
12 Indictio Concilii Pisani, quatuor firmissimis principiis nititur, præcepto sci. ecclesiæ, voto, ac iuramento Papæ & Cardinalium, nec non etiam ad vitandum grauissimum & intolerabile scandalum.
13. Præceptum ducitur ex sessione 39. Concilii Constantiensis: dilutio obiectionum contra hoc præceptum.
14. Depulsio eorum quæ obiiciebantur, ad votum & Iuramentum Papæ excusandum.
15. Quo casu concedatur alicui moræ purgatio & de legibus ad eam requisitis: sero mora purgatur, cum ius ad alios deuolutum est.
16. Iulius II. armatus Concilium Romæ indixit, non tam studio liberi Concilii habendi, quam impediendi ne haberetur, & ne de ecclesia reformanda ageretur.
17. Cardinales qui Pisanam Synodum indixerunt, quamdiu Romæ degerunt, non ausi sunt mentionem facere habendi Concilii, propter notissimam Iulii II. violentiam.
18. Vtrum Papa in causa propria Concilium debeat conuocare: frustra alicuius auctoritas contra semetipsum expectatur: & vtrum Ioannes XXIII. Concilium Constantiense contra semetipsum indixerit.
19. Dilutio obiectionum contra temporis breuitatem, & quodnam tempus olim Patribus ecclesiæ primitiuæ vt conuenirent ad Concilium præscriberetur.
20. Ciuitatem Pisanam maxime idoneam esse habendo Concilio generali: & de numero Prælatorum qui interfuerunt primo Concilio Pisano, ad extinguendam schismata.
21 Ab eo tempore quo Romani Pontifices habuerunt arces atque armatas custodias, Roma non fuit idonea habendis Conciliis: nam Spiritus sanctus non afflat nisi liberas mentes: Vnde cum Iulius II. exercitum habeat instructissimum Roma non est tutus locus iis qui de ecclesia reformanda libere loqui vellent.
22. De censuris irrogatis contra Patres Pisanos: & necessitate liberi Concilii habendi, ad spiritum ecclesiæ retinendum, & disciplinam ecclesiasticam vindicandam.

THEOLOGICI VATIS ET SACRI IVRECONSVLTI DOMINI Zachariæ Ferrerii, Subasiensis Abbatis Epigramma.

QVisquis auet sancta de relligione doceri,
Non pede præcipiti cursitet istud opus.
Sint testitudinei gressus, sit odora Lyciscæ
Vis, oculi Lyncis, Palladis ingenium.
Ponderet ingentes in paruo Codice sensus,
Relegat, & fructus colliget innumeros.
Tollitur ambigui quicquid contingere possit
Contra Pisani fœdera Concilii.
Iam pateat quanto diuini robore iuris
Fundamenta loces, culmina, tecta, gradus.
Sermo benignus adest, & summa modestia linguæ,
Probra, Simultates, pagina docta fugit.
Dat sine verborum phaleris prægnantia dicta
Et sine nugarum syrmate, vera patit.

APOLO-

APOLOGIA SACRI PISANI CONCILII.

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRES ET DOMINI S. R. E. Cardinales simul cum aliis secundæ Pisanæ Synodi indictoribus, qui alias de mense Maii anni præsentis, Concilium generale vniuersalis Ecclesiæ iuxta illius præceptum & necessitatem Pisis tenendum indixerunt, & conuocarunt cum aliis Principibus, Prælatis, & Potentatibus, sibi adhærere, pro Dei causa, volentibus, ad futuram rei memoriam.



REATOR & redemptor noster Christus Dominus, *qui est via, veritas & vita,* & qui ad hoc natum esse & in mundum venisse se asserit, vt testimonium perhiberet veritati, & in quo non est inuentum mendacium, nec inuentus est dolus in ore eius, ipse se mitem appellat & humilem, ac vere etiam fuisse constantem & fortem, ad mortem vsque acerbissimam pro veritate asserenda testatur, adeo vt omnis Christi actio humano potissimum generi imitabilis veritas sit & constans & humilis, veritatemque ipsam illius magister non aliter custodiri recte posse doceat, quam constantia & humilitate: altera ne nos terror à vero deiiciat: altera ne nos excellentia & firmitas veritatis extollat, & in magnis & mirabilibus super nos efferri nos faciat, vnde tria hæc pretiosa monilia sponsæ suę, non habenti maculam nec rugam, Ecclesiæ videl. suæ sanctæ catholicæ, cuius fideles omnes merito aut numero mystica membra sumus, pręcipue seruanda reliquit, vt in fundamento domus suę, quam perennis dicebat sanctitudo, & cuius decorem præ omnibus dilexerat, tanquam sapiens architectus triplicem hunc angularem lapidem reponeret, cui innixa omnis structura firma subsisteret, & sanctum Dei templum redderet gloriosum. Vnde apud Ioannem ait, *Qui ex veritate est, audit vocem meam.* Et alibi, *Qui sequitur me, tollat crucem suam & sequatur me.* Et rursum, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

2 Nuper autem quum non sine graui mœrore, & mentis amaritudine vago relatu acceperimus sub nomine sanctissimi D.N. Iulii Papæ II. (nonnullorum vt creditur suggestione, qui magis loqui quærunt sibi placentia, quam fidelium quietem & pacem) disseminatas esse per vniuersam Ecclesiam duas epistolas apostolicas: alteram quã dicunt Concilii, in qua in dictores secundi Pisani Cōcilii grauioribus increpationibus & immeritis appellationibus obiurgat, indictionemque ipsam annullat & reuocat, aliudque Concilium Romæ instaurat, alteram monitorii, in qua nonnullos ex dictis indictoribus, vt à prosecutione Pisanæ synodi abstineãt, & in vrbe Roma personas suas sub breui quodam præstituto termino exhibeant, sub grauissimis censuris & pœnis monet & citat.

3 Nos cum illius auxilio, qui in Euangelio assistentiam suam ante reges & præsides pollicetur professoribus veritatis, vniti omnes eodem corde & ore, non vt literæ illæ nos disiungere satagebant, sed iuxta Apostolum alter alterius onera portantes, vt quæ communi consilio pro bono ecclesiæ ediximus, communi voto tueamur, curabimus pro Dei causa vna communi epistola duarum illarum capitibus constanti & humili veritate satisfacere, vt pro viribus sermo noster Christianæ disciplinæ cōueniat. Respondebimus itaque in omni patientia & mansuetudine non ad singula epistolarum, quæ sunt pene innumera, & si discuterentur omnia responsalis epistolæ modum excederent, nec ipsi Principi directe respondere mens est, quamuis in factis propriis & personalibus signanter legali contentione suscitata, scriptis eius reniti possit & debeat. Nam & asina Balaam pro veritatis custodia, domino suo intrepide contradixit, & nos non serui modo, sed & filii, & fratres, liberi sumus, qua libertate iuxta Apostolum Christus nos liberauit, parisq; cum Paulo in hoc iurisdictionis, qui Petro quia immemor esset in obseruatione legalium tertii Hierosolymitani Concilii, in faciem restitit, & tamen culpa Petri (vtpote in gratia confirmati) leuis fuisse creditur. Sed cum verba illarum epistolarum tam aspera & grauia, ex tam leui causa simplicis nostræ admonitionis concilii mentis principis adscribi nodebeant (nam & hominum sicut & apum reges fortioribus aculeis carere debere omnis philosophia prædicat) non ipsi itaque, sed consultoribus, aut ordinatoribus literarũ, qui grauius peccatum habent, prout dominus Pontio præsidi dixerat, respondebitur: nec omnibus consultoribus: quum verisimile sit antiquiores & vere necessarios, & qui in causis cardinaliũ iuxta Apostolicas iuratas constitutiones & capitula iustiorem vocem habent, talia non potuisse consulere. Illis ergo ordinatoribus, quandoq; in prima, interdum in tertia persona vtcunque respondendo, ordinem philosophorum seruabimus, qui primo nomina, inde res solent perscrutari: nam & sermocinales scientiæ tempore reales procedunt, in rebus autem obiectis ipsarum literarum ordini pro posse insistemus.

4 Ordinatores itaque immemores doctrinæ Domini, qui apud Matthæum statuit, *Quicunque dixerit fratri suo Raccha, reus erit iudicio, & qui dixerit Fatue, reus erit gehenna ignis*: pro leui tamen concilii admonitione supra modum excandescentes, non modo incerto conuitio aliquo, aut fatuos modo patres Pisanæ synodi nuncupant? *sed insana Ecclesiæ membra, Acephalos, locustas, nomine tamen Cardinales,*

les, schismaticos, Iudæos, filios tenebrarum, synagogam Sathanæ, ecclesiam malignantium schismaticam, atque etiam conuenticulum Dathan, & Abiron, Acatium & Dioscorum, & cætera id genus iniuriarum, plenis titulis appellant, aliumque ex partibus *aurigam, & clauium moderatorem* per calumniam pungunt, & coram vniuersa ecclesia, quod eius splendori & spiritualitati studeant, criminantur. Et quamuis Christus Dominus beatitudinem repromittat iis, qui propter nomen suum ab hominibus maledicuntur, & persecutionem patiuntur, vnde & Apostoli *ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, & Petrus beatos appellat propter Dominum exprobratos, & in iis omnib. Psalmista possint dicere *gaudentes quoniam propter te Domine sustinuimus opprobrium, & existimati sumus, sicut oues occisionis*; & illi excusationem & vltionem remittere, qui ait, *Mihi vindictam & ego retribuam*; Quia tamen hæc improperio plurimum improportionata sunt Patrum meritis, qui summis laudibus, quod culturæ agri Dominici omni conatu intendunt, essent extollendi, & non solum eos tangunt, sed subintelligendo plures alios comprehendunt: attendentesque Augustini dictum esse, non licere silentium viris sanctis dum reprehenduntur, in iis à quibus vitam suam lõge abesse sciunt, & dicere, sufficit nobis recta ante Deum conscientia, si æstimationem hominum impudenter & crudeliter contemnunt; *Conscientia enim nobis necessaria est, Fama autem proximo*, de qua Sapiens, *Crudelis est qui famam negligit*, & alibi, *fama bona impinguat ossa*, ideo attendentes dictum Apostoli ad Colossenses, *Qui iniuriam facit, pati expectet*. Verbum illud Senecæ ordinatoribus iis (quauis inuiti) rependunt, *incerta conuitia ab iis plurimum irrogari qui iis abundent*: Aristotelisq; sermo fuit, *qualis vnusquisque est, talia facit aut dicit*, nempe quatuordecim illæ graues appellationes nullo commercio Patres istos contingunt.

Quid enim cum membris insanis Ecclesiæ qui sola causa sanitatis & puritatis suæ tam studiose & per tot pericula congregatur? Quid cum acephalis? qui Christum pientissime colunt, quem iuxta Apostolum, dedit Deus caput super omnem ecclesiam, & vicarium suum ministeriale ecclesiæ caput iusta obedientia venerantur & honorant? Quid locustas? magna apud Deum & ecclesiam animalia oculis plena, & spiritum Dei habentia, nisi quod humilitate cordis parua & modica mancipia Deo, & vicario suo ad ecclesiæ splendorem cum effectu se offerunt; quare ergo Cardinales maximo fructu, & principes reales ecclesiæ illius gratia ad omnia expositi pericula, solide se ostendunt? Quid cum schismate, iis qui ecclesiæ veram vnionem, & ipsius veneranda præcepta seruant? & vota ac iuramenta sua Deo pro viribus reddunt? In quo Iudæos referunt, qui Christi & sponsæ honorem tam seriose deposcunt, tritumque sacrorum Conciliorum, quo fides firmata & purgata est, tam assidue efflagitant. Anne libri Constantiensis synodi tanquam Iudæorum explodendi sunt, à quibus salus omnis ecclesiæ maxime pendet? In quo filii tenebrarum, lucem ecclesiæ requirentes? In quo synagogam Sathanæ, vel ecclesiam malignantium, aut schismaticam conuenticulam referunt? qui innouationem sanctam ecclesiæ, iuxta irrefragabilem & infallibilem Synodorum veritatem curant? Caueant ne hæc aliorum obduratio, & vetustatis criminosæ obseruatio & defensio, potius synagogam illam veterem referat, quam Dominus & verbis, & funiculis purgare conatus est. In quo Dathan & Abyron effigiantur patres? Numquid Põtificatum petierunt, vel auferre cui Dominus dedit, moliti sunt? Absit, Parentalii insidias, præparent & mensas & monopolia, vt Pontificatu fruantur, Patres hi apud quos timor Domini sanctus permanet, & qui nouerunt tales ingressus absq; resignatione & restitutione desperatum æternæ salutis statum continere, obedientia contenti sunt, non præsidatũ ambiunt, istis potissimum artibus assequendum. Dum corpus ecclesię bene valeat simul cum capite suo (cui plurimum studet) potius membra esse volunt, quam caput infectum. Quid sibi videtur hoc sub specie timoris schismatis, prius schisma incipere, & sub timore ne proripiatur primatus ecclesię tyrãnidem exercere, & malis illum artibus aucupari? Quid horum patrum humilitas & temperantia cõfine habet cum Achatio & Dioscoro? qui violentia Concilia diripiebant, & suorum temporum patres ad subscribẽdũ synodales epistolas gladiis super patrum capita vibratis, cõpellebant. Iubeat hic Dominus quiescere, nec enim sine amaritudine hæc referri possunt. Filii sunt patres hi S.R.E. & sanctissimi D.N. quibus detrahere nullo modo cogitant, dum ecclesia reformata in libero vno generali cõcilio, honoretur, & dum sanctitas sua filios recognoscat. Sed quid aurigam & moderatorẽ cõsultores hi patrem alium calumniantur? qui ætate & sapientia minor est omnibus, & qui de se humilia semper concepit: & docendum se non sequendum patribus aliis pro Dei causa semper exhibuit. Nec ista tamen exprobratio aut æmulationis occasio charitatem patrum Dei honore fundatam quoquo modo turbatura est, Aurigam habeat patres Christum Dominũ qui eorum est currus & auriga, per quẽ currum & splendorem ecclesiæ comprehendant. Nec tamen qui plantat est aliquid, nec qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: qui plantat autem & qui rigat apud eos, vnum sunt, quia in eis est cor vnum, & anima vna in Domino, & iuxta Domini & aurigæ nostri Iesu Christi testamentũ, Qui maior est inter eos, tanquam ministrator obedit, & qui primus est, tanquam seruus absq; elatione obsequitur. Sed hæc grauia & ampullosa verba epistolarum consultores satis damnant, & aperta luce ostendunt, qua libertate Patres apud primam sedem vtantur. Si namq; contra liberos, & absentes, ac mediocri honore & fauore existimatos Cardinales, splendoremque ecclesiæ petentes, pro simplici admonitione tot conuitia intorquentur; quid cum aliis non liberis & quodammodo aridis à Principum & populorum fauore fieri existimandum est, si tantillum præsidi non conueniant: Cessent ergo verba quæ odia generant & charitatem vulnerant. Illis tamen omnib. improperiis facile dimittimus, si in patientia nostra & mansuetudine pacem reformationis Ecclesiæ nanciscamur. Sed iam ad res

transeã-

transeamus: nec enim quum de rebus constat magnam vim in verbis faciendam esse docet Ambros. Res itaque patribus obiectas suo ordine transigamus.

5 Obiiciunt ordinatores quadrupliciter. Primo, quinq; contra personas patrum: quod illicentiati recesserunt, quod mendacio vsi, quod falsitate, quod vsurpatione Pontificalis dignitatis. Secundo ad quatuor fundamenta iurisdictionis Patrum respondent; præceptum videl. ecclesiæ, & iuramentum & votum proprium dato impedimento non obstare: Negligentiam Pontificis aut Cardinalium nullam esse, & moram purgari posse: in causa quoq; propria ad solum Romanum Pontificem indictionem Concilii spectare: quod etiam ex Constantiensi Concilio deducere nituntur. Tertio, contra indictionem Pisanam triplicem obiiciunt defectum, iurisdictionis videl. temporis, & loci. Vltimo, indictione Romana tria inducunt, scil. Concilii necessitatem propter multa, habilitatem loci Romani, & securitatem per saluos conductus. Ad quatuordecim hæc opposita multis verbis in prima epistola comprehensa sub clypeo veritatis constantis & humilis cum omni charitate atque modestia respondent Patres, imo & respondebit Omnipotens, cuius sunt spiritu congregati. Et tu Domine vim patimur, responde pro nobis causam sponsæ tuæ iuuare nitentibus.

6 Et primum, iuxta clarissimorum sapientum sententiã confitebimur Apostolicam sedem, Romanam ecclesiam, & Apostolicum primatum ex Christi & Petri ordinatione corpus vnum mysticũ esse, & politiam vnicam supremam, & primam spiritualem constituere, cui sicut primæ & omnium mensuræ, potestas omnis spiritualis & temporalis tenetur obtemperare. Eam tamen Dominus propter humanam fragilitatem ne labi contingat, quum in spiritualib. & æternis lapsus plurimũ grauis sit, & quum ex illa vniuersa penderent, mixtam & compositam esse voluit, ex monarchia in Papa ad præcepta & exsequutionem; & Aristocratia, in optimatum principatu in senatu Cardinalium, pro consilio & prouidentia, vt hæc mixtio in Romano primatu semper actu maneret, & altera potestas, alteram, ne labatur, iuuaret, & pertinentia ad primatum (qualia sunt maiora & ardua ecclesiæ negotia) altera minime explicaret: quod satis constare potest, si Veteris & Noui Testam. paginam, & quæ de iis potestatibus ibi leguntur copulatiue (prout decet) & non disiunctiue accipimus, & lectione historiæ Damasi & Concilio Stephani Papæ ac dictis Innocentii III. Ipsi quoque actus Apostolici istius gubernationis concessionem experimento actuali interpretantes, id satis insinuant, in quibus Petrum sine Apostolis aut eorum necessario consilio, nullum arduum in ecclesia negotium legimus admisisse: qui tamen à Deo fuit Dominici præcepti constans & diligens obseruator, vt si illum Dominus solum & in solidum ecclesiæ regimen tenere voluisset, & non permisisset Apostolos cõuocare Concilium, sicut in secundo Hierosolymitano Concilio, (& tunc non pro causa fidei, sed pro administratione temporalium) factum legimus: Et in tertio diffinitionem illam magnam legaliũ, ex cuius tenore verborum forma diffinitionis aliis Conciliis præscribitur Iacobo & aliis Apostol. non reliquisset. Sic ergo quæ meliora sunt in vtraque gubernatione: in mystico Romanæ ecclesiæ corpore & politia iuncta inueniemus. Monarchiæ enim ordine & executione excedit aristocratiam, & ab illa exceditur prouidentia & consilio, plus enim vident plures oculi quam vnus, vt *in politicis* Aristoteles refert. Accepit ergo à Domino mixtus hic Romanus primatus quod in vtraq; simplici politia supereminet: A Monarchia quidem ordinem, præceptionem & exequutionem vnitam: Ab Aristocratia prouidentiam solidam & efficax Concilium. Quæ mixta gubernatio, meliorem & securiorem in fragilitate humana reddit primam illam spiritualem politiam, vt Monarchia illa solum imperet & exequatur, quæ suo & communi optimatum consilio in maioribus decreta essent. Quod etiam specialib. & priuatis constitutionibus & iuratis capitulis semper Pontifices cum Cardinalibus promittunt & vouẽt, maxime in vim istius primæ institutionis Papatus & Cardinalatus. Hæc ergo domina nostra sancta Romana ecclesia quando iis artibus quibus cœpit, progressum habuit, plurimum apud Deum & homines in religione, doctrina, veneratione, ac temporali dominio creuit, nihilque sibi plus nocuit, quam cum aliquando Monarchia Aristocratiam non audit. Hinc fere mala omnia quæ ecclesiã contristant, prouenerunt, quæ quamuis multa hodie sint, ea tamen Patres Pisanæ synodi minime intendunt reuelare. Si qua vero contra forsan temperare referrent, protestantur non ad aliquorum calumniam vel iniuriam id se facturos, sed solum iure moderatæ defensionis suæ & intra tutelæ terminos coactos induxisse. Ex his ergo non est difficile videre quam aperte primæ illæ increpationes contra patrum personas irrogatæ excludantur.

7 Arguunt Ordinatores quod illicentiati à Romano Pontifice recesserunt Patres. Nec attendunt admittatur ne hodie eorũ consiliũ in arduis ecclesiæ rebus vt necessarium, vel vt nec quidẽ voluntarium vt plurimum ad facta, & non ad agenda vocantur Patres, vbi si sanum cõsilium liberum & verum, procul à blanditiis (vt tenentur & vouerunt Patres) profertur, in odia, cõminationes, offensiones, & mala omnia quotidiano & graui experimento (quod dolentissime referunt) certi certo incidunt. Quæ eorum recta consilia, & nullæ aliæ causę (quum continuato obsequio & indefesso Romanã ecclesiam, & illius caput semper venerati sint) infensos eos Præsidi reddiderunt: vt iam nedũ liberi in sententiis, sed nec in vita quidem tuti satis esse possent. Consulentes itaq; animi libertati, & vitæ securitati, ac spiritualitati ecclesiæ, secesserunt tantisper à Curia, sicut & Dauid à Saule secessit, & Iacob à fratre Esau, & inde à Laban socero fugit, quoad tuti forent, & libertatem ac spiritualitatem ecclesiæ in vna sancta illius congregatione, iuxta ecclesiæ præcepta, & sua vota ac iuramenta vindicarent, & quod Dominus in Euangelio præcepit, Dic *ecclesia*, quantum cum Deo possent, efficaci-

ter

ter præstarent. Quod plures patres minori de caussa aliis temporibus fecerunt, & qui illicentiati à Gregorio. XII. olim ad Pisanum primum Concilium recesserunt Patres plurimum ab omnibus commendati sunt. Sed decuisset consultores hoc consulto tacuisse, quum Princeps cuius scribunt nomine, à tribus summis Pontificibus, quorum tempore Cardinalatus eius claudebatur, & ab vltimo tandem per decem annos continuos illicentiatus aberrauerit, nihil tamen inde contra se aut alios absentes dominos actum fuisse grauius senserunt, quale contra innocentes in præsentia agitur. Nec ipsi Patres Pisani, qui tunc Romæ erant, talia vnquam contra eos qui hæc agunt probauerunt, aut assenserunt. Petierunt tamen Patres ex Florentia licentiam manendi extra curiam, pro sui securitate, & spiritualitate Ecclesiæ, cum omni moderatione & humilitate, pro quibus in præsentia veniam deprecari, nihil esset aliud, quam vincula & carceres postulasse, manseruntque & manent hactenus Patres in optima sanctissimi D. N. obedientia. Nisi quod iuxta Canonicas sanctiones, quādo Apostolicæ præceptiones periculum notorium continent spiritualis vel corporalis vitæ aut turbationis, vel decolorationis status vniuersalis Ecclesiæ, audiri quidem possunt, admitti tamen vel impleri non debent, sed ab eis licitum est prouocare.

8 Minus officit quod dicunt armatos recessisse, Nempe nec ita se habet, vt referunt, thoracem indutos abiisse, Bona venia cum habitu Cardinalium & armis Christianæ militiæ, (quæ secundum Apostolum carnalia non sunt, sed spiritualia) potentia tamen in domino, contra munitiones oēs carnales palam & publice cum omni apparatu & reputatione bonorum Prælatorum progressi sunt ex Florentia, & toto itinere ad Papiam: Ex Pisia tamen vsq; Lucam parua & necessaria tantum manu militari comitante, defensionis suæ tantum gratia (quæ licitum facit armorū vsum profecti sunt intelligentes Concordiensem aut discordiensem Episcopum, & aliquos tales consultores mari & terra multas gentes & insidias ad intercipiendos Patres in via disposuisse, quod in effectu satis constat, quæ tamen omnia diuina gratia sunt.

9 Quod tertio de mendacio arguunt. Concordiensi videlicet Episcopo Florentiæ obtulisse patres reditum, & ex Papia ēt petiisse dolose literis veniā vtrumque] non ita se habet. Et quando bono dolo euitatur iniquitas, non multum inconuenit. Nam & Dauid apud regem Geth vt viueret, se insanum simulauit: Et patres, vt illius Concordiensis fugerent dolos, qui exploraturus eorum secreta venerat, non diffitentur se aliqua etiam dissimulasse, prout dominus apud Lucam finxit se longius ire, Salomon quoque ad eruendam veritatem finxit se puerum filium meretricis medium velle scindere. Scripta vero ex Papia non de venia, sed de animi aduersantis mitigando furore processerunt, & vt interim necessaria conducerent indicendo Concilio.

10 Quod quarto loco consultores maiori verbum efficacia obiiciunt de falsitate, ex hoc ipso refellitur, quandoquidem ad Concilii solidam indictionem pauciores sufficerent. Patres tresq; efficaciter illam explerent, causis tam vrgentib. compulsi & vniti, de quib. in schedulis indictionis constat. Et plures qui in edicto asseruntur Patres, præsentes fuerunt, vel per instrumenta aut per literas, vel nuntios assenserunt Concilio, & iis modis omnibus assensus & mandata præstari posse, iuris indubitati est. Et ille vnus Pater qui prætenditur publice coram Notario protestatus mandatum huiusmodi non dedisse, per testes tamen conuincitur promissionem & assensum nūtiis & literis præstitisse Concilio & omnib. virib. suis & impensis illi opem laturum fuisse pollicitū, & quū tres Patres id referāt, plus illis quā vni credi debet, & quū indictio & conuocatio facta sit omni meliori modo quo fieri pōt valet cōuocatio ex illorum personis qui cōuocare potuerūt de cōmissariis Principū & eorū verissimis mandatis per instrumenta Notariorū & literas ratificatorias satis eorū acta loquitur, Cessent ergo ordinatores falso inniti, ꝙ tantopere aliis exprobrant.

11 Quod quinto increpant, vsurpasse Patres dignitatem Pontificiā, ridiculum omnino est, nec satis fuit æquum consultoribus, ita assentiari Romano Pontifici, vt quacunque & omnimodam generalis Concilii congregationem sua auctoritate indigere persuaserint: Nempe si tempora nascentis Ecclesiæ perspexerimus, Apostoli, qui & Cardinales, Concilia generalia sæpius indixerūt, vt apertum est videre per omnē Apostolicorū actū historiā: inde annales Ecclesiæ & imperii legentibus perspicuū est, imperatores generales synodos nonnunquam cōuocasse, ꝙ multis in locis decretorū satis liquet. Postmodū vero, aucta & honorata Ecclesia, summi Pontifices regulam statuerunt & quidem iustissimam, ne sine Apostolicæ sedis consensu generalia Concilia edicerentur. Caput n. pro vniuerso corpore loqui solet. Quod distinctio 17. *decretorum*, quasi per totū, regulariter explicat, quumq; conciliares causæ vt plurimum spirituales & sponsi Ecclesiæ, à spirituali primo capite vocari Synodū decet. Ea tamē regula exceptiones habet tā fere cōmunes, quā sit ipsa regula, antiquas sc. & modernas. Antiqua siquidem vna est, in casu quo existente Ecclesiæ necessitate vel precepto, aut iuramēto Pontificis de cōcilio congregando præcedente, ipse tamen conuocare contemnit. In quo (vt sapientes referunt) indicendi ius primo ad Collegium Cardinalium defertur: & si qui erunt negligentes, ad diligentes tanquam ad saniorem partem, esto minorē, & illis omnib. negligētib. ad Imperatorē deuoluitur. Secundā ēt antiqua exceptio regulæ fuit. *Nisi de Pontificis hæresi*, esto secreta vel hæresis suspitione agendū sit. Quo casu Synodū cōuocari ꝓbe absq; eius autoritate à Cardinalib. vel eis non curantibus, ab aliis Ecclesiæ Prælatis, aut ab Imperatore, vel Principibus, & ēt tūc ad Pontificis electionem, indubitati iuris est, Tertia etiam antiqua exceptio, Nisi de casu Papæ in crimine graui, notorio incorrigibili, & scandalizāte ageretur, tunc etiam sapientum iudicio absq; eo posset synodus conuocari, quuū verisimile sit reū tergi-

uersaturũ esse iudiciũ. In eo tamen casu an conuocata synodus Pontificem possit eiicere, vel tantum corrigere, & commonere auctoribusq; statutis etiam iuratis astringere, sapiẽtes varii sunt. Signanter si dicta incorrigibilitas ex habitu tantum vel duratione sit. Nempe si cũ defensione criminis foret perinde ac hæresis haberetur. Magna tamen Cõstantiensis synodus in Spiritu sancto legitime congregata, modernis temporib. dubitationes oẽs antiquorũ, & opiniones varias excludendo, & diffiniendo, addidit in tribus casibus, hæresis videlicet, aut schismatis, vel notorii scandalizantis incorrigibilis criminis, conuocatã synodum eiectionem Pontificum facere posse. Quod & ipsa factis cõprobauit: Ioannem n. XXIII. propter crimina notoria scãdalizantia, ac Benedictũ XIII. propter schisma, absq; vllo genere hæresis propriæ deposuit, & superioritatẽ Concilii in tribus causis, fidei, schismatis, & vniuersalis reformationis, super omnia mẽbra Ecclesię, et supra Pontificem, longa & matura primum habita disceptatione, in duab. sessionibus diffiniuit. Quare omnis alia disputatio, nisi in alia synodo diffinitio hæc corrigatur, subiicenda est. Et synodus illa generalis & magna semper fuit habita, auctoritate videlicet Pontificis in rei veritate indubitati congregata: Duo enim alii contendentes de Pontificatu per synodum Pisanam præcedentem iure exauctorati fuerant & omnis alia obedientia exinde minime legalis erat, auctoritate quoque collegii & Imperatoris, imo & ipsius Papæ ac omnium fere Cardinalium, & multorum, Prælatorum præsentia, cum summa auctoritate magnificentissime incœpta fuit, ac deinde ante illius conclusionem, omnis alia quæcunque obedientia, vtcunque de papatu contendentium, & Pontifex ipse Martinus V. vnicus aliis reiectis electus, synodum ipsam Constantiensem & eius decreta approbauerunt, & admiserunt, & tanquam sanctissimam & Ecclesiæ summe necessariam, vtpote quæ tam perniciosum schisma exclusit, & futura extirpare docuit, venerati sunt. Attendãt nunc consultores si Patres vsurparunt iurisdictionem alienã: Nemo namq; inuadit vel prę sumit, ꝙ in casu iure sibi licet: quomodo aũt licuerit vel intellgẽtib. ex literis & schedulis indictionis satis cõstabit, vel suo tẽpore (si pax non dabitur) magis innotescet.

12 Secundo loco respondent ordinatores ad fundamenta quatuor iurisdictionis Patrũ, præceptum videlicet, votũ, iuramentum, scandalũ, q̃ simul cum negligentia Papæ & Cardinaliũ in quolibet istorũ constituũt Patres idoneos Cõcilii indictores, ac si quadrato agmine arguerẽt patres, præceptũ est, votũ est, iuramentũ est indicendi Concilii, & tempus effluxum est; scandalũ quoq; proprium papæ est, quod solo Concilio sedari potest & debet: In omnibus tamen iis negligens quoq; altera pars collegit: Ergo ista portio Patrum libera & diligens, est apta indictioni Concilii.

13 Vbi dicant primo ordinatores præceptum illud vniuersalis Ecclesiæ *in 39. sessione Constantiensis Concilii*, in decreto ꝙ incipit, *frequens* de Conciliis generalib. singulis decennius celebrandis solẽnissime editũ, ab octoginta fere annis seruatum nõ fuisse, & si fuisset, ex causa bellorũ licere Papæ illud transgredi, sicut & fecit Eugenius IV. quinimo dicũt stante quolibet legitimo impedimento locum nõ habere, Respõsio in magno periculo constitueret Pontificẽ simul & Ecclesiam Dei. Attendant ergo ordinatores decretũ hoc statum vniuersalis Ecclesiæ respicere, & sine Concilio ad libitũ vnius hominis mutari non posse, quinimo expresse tenor ipsius decreti hoc Papæ inhibet, & Basileæ (et cum illis Eugenius adhęret,) diffinierunt decretũ hoc ad fidem pertinere. Nõ ergo quolibet impedimẽto (nõ voluntario ad minus) decretũ tã necessariũ reiiciendũ & suspendendũ est. Qui tamẽ Martinus V. & Eugenius IV. solẽniter satis fecerunt in Conciliis Senensi & Basileensi, nisi ꝙ postea super loco cõuentionis orientalis Ecclesiæ differentia aliqua intercessit inter patres Basileæ & Eugeniũ, in qua tamẽ Eugenius offerebat acceptare pro nouo loco Concilii, quemcunq; locũ Basilienses in Italia delegissent, & in eo omnem iurisdictionem & libertatem illis permittebat. Sola tamen hæc translatio Cõcilii Basiliẽsis ad Ferrariam & inde Florentiam sine consensu synodi constituit Eugenium in maximo periculo, Nisi quod nonnulla, q̃ nũc subiicentur, Basilienses in diuisione cõstituerunt: & aliquorũ membrorũ Cõcilii decessus, & recessus rẽ synodi maxime attriuit. Vnde Eugenius simul cũ sancto ingressu suo, & vitæ perspicua probitate, profusaq; liberalitate, periculum illius animosæ trãslationis euasit: non fuit tamẽ decretum illud Constantiense per aliquam synodum aut aliquem Pontificem sublatum aut moderatũ; quinimo nec potuit nec debuit moderari, nisi in simili generali Concilio: & transgressiones illæ quę referuntur prædecessorũ Pontificum, qui Concilia deinde tanto tẽpore nõ seruatũt, potius damnari oporteret, quam pro clypeo defensionis inducere, & huiusmodi excusationẽ peccatorum acceptare. Scriptum est n. *Non adiicias peccatum supra peccatum.* Et alibi, *Non minus ardebunt qui cum multis ardebunt.* Et Gregorius dixit, *Tanto sunt grauiora peccata quanto diutius infœlicem animam detinent alligatam.* Tẽpus vero ꝙ interpellat pro homine, iam diu constituit in mora Pontifices. Deinde non constat quibus legitimis impedimentis tam salubre opus sub hoc Pontificatu fuerit impedimentum. Nam bella quæ in principio inter duos magnos Reges in Italia vigebant, Dei virtute breui sopita sunt, & quasi pax Octauiana, illis pacatis, orbi est reddita. Cur ergo tũc præceptum Ecclesiæ non est admissum? Quare votum & iuramentum non persolutum? Si vero deinde bella in Italia surrexrunt, voluntaria potius fuerunt, poterantque iustius suspendi, quam Ecclesiæ vniuersalis congregatio, in qua bellis sedandis & confirmandæ paci Christianæ, belloq; contra crucis inimicos disponendo, ac reformationi Ecclesię ipsiusque recuperandis iuribus, tutius & securius fuisset cõsultũ. *Omnia namq; prius consilio quã armis experiri sapientem decere,* Comicus ille dicebat. Sed quomodo ordinatores vocis propriæ non meminerint in hac excusatione Concilii, non satis videmus. Contradicunt enim sibi ipsis, & voces proprias ignorant, excusantes

enim

enim Concilium, à bellis argumentantur. Deinde Romanum suum Concilium instituentes, ad sedanda bella præcipue ratiocinantur, eamq; magnam causam fore ordinandæ vnius pacificę synodi omnes admittunt, nullaq; re magis posse religionem Christi pacari, & contra infideles armari, quam vna sancta vniuersali congregatione Christianorum, communis est omnium animorum conceptus, vbi Spiritus sanctus, qui auctor est vnionis & charitatis & vniuersa Concilia dirigit, ita Christianos inuicē in vera cōcordia & confœderatione cōiunget, vt ouile illud vnū & plenum, quod Christus in Euangelio constituere pollicetur, & Angelus *in Apocalypsi* futurum Ioanni reuelauit, pro cuius reuelationis gratitudine Ioannes ipse ad pedes Angeli corruit, breui colligendum sub vnius sanctæ synodi directione, & diuino fauore speremus.

14 Quod vero de voto & iuramento consultores referunt, pari bellorum impedimento ad illa seruāda Pontificē non teneri, tā leuis euasio est, vt nō diuinis mō vinculis, qualia illa magna sunt, ita vt maiora esse non possent, responsio sufficiens & accommodata non videatur: sed nec simplici verborum obligationi, aut leuibus aranearū telis a strictis hominibus excusabilis minime valida censeri possit. Quis nempe voluntariis bellis, esto forsam iustis, tā solemnia vincula, voti, & iuramenti in meliorib. actionib. dirrumperet? Docuit namq; Paulus non esse facienda mala vt inde veniant bona: & Salomon in prouerbiis, ruinā magnā hominū asseuerat, per Deū vouere, & inde vota detrectare. Reuerentia namq; Deo, & fides hominib. hinc apertissime violatur & frangitur. Quæ tamen propheta regius minime frangere desiderans dicebat, *Reddā tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & quæ locutum est os meum in tribulatione mea*, & cæteros admonens, ait, *Vouete & reddite domino Deo vestro.* Quumq; Deus magnus omnipotens, voto suo & iuramento indissolubiliter astringi se asserat vt in voto & iuramento Domini & Abrahā, Isaac, & Iacob, de multiplicando semine suo sicut arenas maris & stellas cœli, & benedictione gentium in eo, scriptura sacra sæpius meminit Pontificē ergo summū eius vicariū, voto suo & iuramento præ aliis strictissime teneri, dum materia voti & iuramenti de genere bonorū sit, indubitatū esse debet. Signāter cū ipse sit à Deo immediatus, magisterq; fidei, & veritatis doctor, diuinæ reuerētiæ & fidei hominū seruandæ super oēs astringitur. Quare, vota sua aut iuramēta, nisi maxime in noxā vergāt soluere aut cōmutare nec debet, nec pōt, aut aliis vt id secū faciant, cōmittere. Etsi iuxta Salomonē nulla digna est cōparatio continentis animæ, & inde votū religionis, cui studiū continentiæ annectitur, cōmutare minime posse sapientes nonnulli voluerunt. Quæ cōparatio esse pōt continentis & reformatæ Ecclesiæ, quū cōmuniora & publica meliora & diuiniora sint, secundū philosophos? In congregatione aūt vniuersalis Ecclesiæ potissimū huic cōtinentiæ & reformationi Ecclesiæ in fide, vnione, & moribus attenditur. Quis ergo tam modico obstaculo tā magnum bonū irritabit? Meminisse debuissent ordinatores Iephtę illius intentissimi ac fortissimi iudicis Israel, quē Paulus inter sanctos aunumerat, qui ne votū, ꝙ Deo vouerat, violaret, vnicę ēt filię saluti, non pepercit. Et non tā leui impedimento, ꝙ quam facile excludi potuit tam magnū bonū blandientes & fallentes excusarent, præcipue si tenorē voti & iuramenti considerare vellent, ꝙ tam solemne & publicum, Deo, virginibus Apostolorū, & omnib. sanctis ac hominib. factum legitur, etiam per viam contractus, vt timere legentes debeant, quanto plus frangentes? Signanter attenta execratione pœnarum etiam temporalium, quibus se vouentes & iurantes obligant, vt Pontifex si quæ vouet & iurat non reddiderit, tāquam scandalizator & perturbator Ecclesiæ & totius Christianitatis habeatur: quæ vero pœna publicæ Ecclesiam scandalizantibus debeatur, Dominus apud Matthæum, de eiectione & appensione molæ asinariæ & maris demersione, apertissime docuit. Cardinalib. quoq; in euētum non redditionis voti & iuramenti Pontifex facultatē concedit generale Conciliū conuocandi: Cuius sententię & determinationi se sponte submisit, & vltra hoc Cardinales vouerunt & iurauerunt huic promissioni nullo vnquā tempore contrauenire; quinimo si pontifici contrauenienti assenserunt, fructibus capelli, & beneficiorum suorum, alia sententia non expectata, priuati censeantur. Viderint ordinatores si tam triplicatus nodus tam breui sua solutione rumpatur. Attendant quoque, vbi Concilio impedimentum opponi debeat, priuata lege contractu & iuramēto Pontificē promisisse nullum vnquam nisi euidentissimum allegare, & ꝙ tale iudicatum sit ad minus à duabus partibus dominorum Cardinalium per suffragia balotarum. Viderint si tale fuerit quod inducitur, & si huiusmodi diligentia iudicii præcesserit. Addunt quoque ipsi consultores votum & iuramentum in solo conscientiæ foro versari, immemores Apostolicæ doctrinæ, quæ finem contentionis hominum & causarum iuramentum esse constituit, quo voto solemni & iuramento Patres etiam contentiose potuerunt Pontificem de Concilio admouere. Hæc autem diximus, quia ordinatores forum conscientiæ non videntur existimasse, ꝙ tamen Pontifex à Deo immediatus, plusquam hominum contētiones vereri tenetur.

15 Insuper legalius adiungūt ordinatores ex æquitate Canonica nō posse Pōtifici denegari purgationē moræ, si Concilium distulit conuocare. Vtinā hac vna sola probabiliori excusatione sine tot iniuriis & contumeliis, absque tam grauibus censuris, quæ tamen debuerant esse mitiores & medicinæ non tam vltimæ exterminationes Consultores isti vsq; à tot scriptis liberassent, & cum eius iocundius egissent Patres. Sed nec ista excusatio solida est: Nempe fundamentū purgationis moræ sola æquitas est, atq; adeo vt nisi bonum vel æquū suadeat, purgationem lex non admittat, præcedenteq; tam diutina notoriaq; summi Pontificis & Reuerendissimorum dominorū Cardinalium illi adhærentium negligētia Concilii congregandi, ius ad illos qui Pisanum Conciliū indixerūt, ipso facto iuris ministerio deuolutum est. Ergo cui bonū æquū ne videri possit in eorū

quibus quæsitum sit ius præiudicium, purgationemq; admittere. Stat enim vulgaris iuris regula *citra alterius præiudicium legalia beneficia interpretanda esse*. Nec est in purgationis moræ materia, quicquam apud omnes recte sentientes antiquius, verius, aut frequentius, quam iure ad alios deuoluto, seram esse moræ purgationem. Existimauerunt enim Iuris prudentes, vbi ius alteri quæsitum sit, radicib. quasi in alieno adactis, non facile posse conuelli. Quod tum maxime absq; vlla hæsitatione procedit, vbi res integra non sit: quemadmodum in casu nostro procul dubio non est, postquã iure in se translato vtentes patres Pisanæ synodi, Concilio indicendo præoccupauerunt, & præuenerunt. Præterea, qui moram purgare volunt, ita agere debent, ne quid contra id quod offerunt iure obiici possit. Indictio vero Romani Concilii notorio loci vitio laborat, Romæ n. vt latius suo loco prosequemur, nec nos, nec innumerabiles alii tutũ esse locum consulendi, statuendiq; vera, & necessaria pro Ecclesia, hodie arbitramur. Itaq; liquido constat purgationis argumentum nullo iure subsistere: Et rursum, Si de causa capitis esset in synodo agendum, quum alieni iuris sit talis indictio non conueniet capiti moram purgare: Ad excusandam vero summi Pontificis negligentiam, magno verborum apparatu, magnisq; eloquentiæ virib. à consultorib. elaboratum cernimus. Quo fit vt quæ proponuntur, quamquam pulchra, commentitia tamen & ficta satis appareant. Intelleximus nempe summum Pontificem, dum Cardinalatus officio fungeretur, sæpius Alpes transisse, & maria traiecisse, nouum tamen atque inauditum patribus est, quod generalis Concilii indictionẽ perquisierit aut tractauerit. Et quod Pontifex creatus oratorib. obedientiæ suæ certũ aliquid de tenẽdo Cõcilio proposuerit, aut intimauerit, Pater q; ille cui legationẽ Germanicã sponte oblatã nunc immerito exprobrat, quã tamen ad gloriam suæ sanctitatis nullo suo commodo, sed laborib. & impensis innumeris administrauit, de pace quidem Christiana, & infidelium bello, cõmissiones pulchras accepisse se asserit. De congregãdo tamen Concilio, nec verbũ quidẽ, imo tunc aliquãdo & alias sæpius, ab ipso moderate propositũ reiici animaduertit.

16 Sed quorsum tam longam de Concilii desiderio cõsultores texerunt historiã? si tam ardebat, cur desiderio reb. ipsis Pontifex pacificus satisfacere neglexit? Consultores sciunt nihil esse antiquius, quã propositum mente retentum nihil operari, nec apud Deum & homines præstare, vbi quũ adest exequutionis occasio, non exercetur. Nã quod bella, satis superq; est dictum. Noua autem Romani Concilii indictio, propositum celebrandæ synodi vero non explicat, nam nisi Pisana prouocatio præcessisset, non creditur fuisse illa Romana attemptata. nec tam vt illa teneatur, quam vt alia frangatur (quod auertat Dominus) cogitata suspicatur. Sed negligentia Pontificis ostẽsa, illa dominorũ Cardinalium adhærentium nota esse debet, quũ de adhærentib. sapientes idem iudicium fecerint. Ipsi quoq; non ignari præcepti & necessitatis notoriæ, votiq; & iuramenti sui, tamen tã longo tẽpore officii sui immemores, ad quid moueri iterũ debuissent? Sciebant patres quocunq; verteret Pontifex, illi adhæsuros, & par periculum admonitionis eorum in præsentia, ac Pontificis fuisse. Iã vero Pontifice & illis per literas edicti patrum admonitis, Concilium generale & liberum (ad quod venentur, & quale vniuersalis Ecclesiæ esse debet) videntur refugere, domumque suam vallatam aurib. & exercitibus, & non aliam pro loco Concilii vel asyli deligere.

17 Quod vero de negligentia nostra in proponendo Cõcilio, quũ apud Romanum Pontificem essemus, nobis retruditur, admittimus: quum aperte libertate careremus, non ausos tunc Pontificem irritare, atque hoc verius negligentiam excusat. Liberi tamen & absentes, statim cogitauimus præcepto Ecclesiæ, voto & iuramẽto nostris facere satis. Etsi hæc occasio liberius & securius loquendi in præsentia Romani Pontificis (quam nos iam absentia nostra damus dominis Reuerendissimis Cardinalibus nunc in Curia degentibus) nobis per alios dominos (quum eramus de corpore Curiæ) fuisset exhibita, cum effectu omni conatu curauissemus Pisis, aut alio loco tuto, Conciliũ generale indici & teneri, & contra Patres hæc admonentes non ita insurgere, nec eorũ literas mordere, & laniare, Petrũ imitati, qui literas Pauli, quib. eũ grauius de Cõcilio arguebat, suis canonicis Epistolis non reprehendisse, sed confirmasse, atque commendasse cognoscimus.

18 Addunt quoq; litterarum ordinatores, etiam in causa propria ad Rom. Pontificẽ indictionẽ Concilii spectare. Quib. vno verbo (vt prædiximus) respõdebimus, eo videlicet nimium summo Pontifici banditos: Nunquam n. si vera hæc esset sententia, contra Pontifices Concilia pararentur, quandoquidem iuris præsumptione cuiuslibet contra se auctoritas frustra expectatur, nullusque bene sentiens ab hac sententia creditur recessisse: nec ad rem pertinet quod de Ioanne XXIII. ad nos vti Iudæos conuincendos ex propria (vt dicunt) scriptura non absq; calumnia obiicitur. Nam si recte Constantiensis Concilii acta consideramus, eisq; non vt Iudæi falsam & peruersam, sed veram & congruam, vt veri Christiani & spirituales viri interpretationem accommodemus, nusquam compertum erit ad causam aduersus se tractandam Ioannem XXIII. Concilium Constantiæ indixisse, sed ad reformationem & pacẽ Ecclesiæ, quæ in Pisano Concilio Alexander V. infecta reliquerat instituisse, prout *ex bulla conuocationis Concilii Constantiensis data Laudæ anno quinto pontificatus Ioannis*, satis constat. Congregata vero synodo pro ea causa ad cuius congregationem auctoritatem Pontificiam regulariter, vel aliorum in casibus supra positis necessariam esse confitemur, Postmodum, ipsa synodus congregata per seipsam à Domino auctoritatẽ habet in Ecclesia plenariam, in tribus quidem causis, quibus diffinitur supremo Pontifice plenissime disponendi, & determinandi; ordinarie et sine Pontifice (In aliis vero causis Pontificiis, nõ nisi cum Pontifice aut suis legatis: necessitate tamen cogente, vel sede vacante, etiã sine eis omnia ple-

nia ple-

bia plenaria concludendi & explicandi. Quare Ioanne 23. post secundã sessionẽ Constantiẽsem à Concilio dissimulato habitu fugiente, & Ecclesiã deserente, Synodus ipsa iã actu congregata, Christi Domini principalis Ecclesiæ capitis auctoritate, & sua ordinaria cõtra illũ quasi turbantẽ synodũ & Ecclesiã scandalizantem procedere incepit, nulla ipsius Ioannis noua auctoritate expectata. Non ergo synodus contra Ioannẽ processit auctoritate Ioannis, sed sua & verius Domini dicentis, *Dic Ecclesiæ*. Nec istorũ consultorũ argumentatio procedit, dicentium auctoritate Ioan. Constantiensem synodũ collectam esse, in eaq; causam contra eundem Pontificem actã. Ergo ad Conciliũ contra Papam congregandũ ipsius Pontificis auctoritas est necessaria. Satis n. leue est iaculum, quo multifariã reiicitur, & nisi tu vinci aut percuti velis minime ferit. Dicimus n. ad primam ꝓpositionem, Ioannem indixisse Constantiensem synodũ non contra se; & ad secundam, ꝓcessisse synodum tunc non Ioannis auctoritate, sed sua ordinaria postquã actu congregata. Secundo, argumentatio non bene discurrit, dato quod Ioan. contra se principaliter indixisset Cõcilium, quod minime verum est. Posito tamen casu, sic procederetur; Ioan. XXIII. de industria aduersus se Concilium indixit; Ergo ad causam contra Pontificẽ requiritur Pontificis auctoritas. Argumentatio nõ procedit, vitio fallaciæ accidentis. Potest n. maior annis auctore Prætore prædium vendere, verumq; erit Prætoris auctoritatem tunc interuenisse, nec tamen verum erit Prætoris auctoritatem necessariam esse quum sine Prætore maior vendere potuisset.

19. Absoluimus secundæ petitionis singulas appositiones; tertiã obiectiuã portionem, contra Pisanã indictionẽ attingere res admonet, & quũ prior loci huiusmodi obiectio abunde supra euacuata sit (ostendimus n. clarissime, ius indicendi Concilii apud Patres fuisse) reliquũ est vt cætera subiiciamus. Inuehunt consultores, cõtra tẽporis breuitatẽ exquisita quadã diligentia dies cõputantes, magnoq; verborum fastu vehementiq; apparatu exclamant, poterunt ne venturi necessaria exquisisse? Poterũt ne Principes accedere, volẽtes status sui securitati cõsuluisse? Poterunt ne & reliqua? Sed nõ tanta cũ fiducia prorupissent, si semotis, quib. vera iudicia corrũpuntur, animorũ passionib. rerum veritati potius quã assentationib. & blandimentis studuissent. Nã præter id ꝙ à iure nullus certus terminus huiusmodi indictionib. præfixus est, atq; ideo pro rerũ, locorum, & temporum contingentis arbitrarius relinquitur. Cui dubium etiamsi determinatũ tempus ꝓstitutum esset, ex causa tamen restringi posse: ꝙ omni iure euidens esset, si & ipsi cõsultores id probant. Nã quum annum dicant assuetum esse terminum ad tantã rem incipiendam, illud tamen ne cuiquã (vt dicunt) calumniandi causa daretur, ad nouẽ menses restringunt. Hic attendant consultores si licuit propter verborum calumnias, quã dicunt antiquissimum & vsitatum terminũ, arctare; cur propter realia & actualia magna Ecclesiæ scandala ꝓsentia, & quæ timebantur breui futura, quibusq; aliter quã per Cõcilium occurri nõ poterat, terminus nõ esset abbreuiandus; quæ autẽ hæc sint quãuis satis nõ orbi Patres crediderint, ea tamẽ nondum illorum mentis est in specie reuelare, si quo modo pax Ecclesiæ cum eius reformatione, vel cum hac mãsuetudine haberi possit. Nẽpe quando Cõcilia in pace non existentib. actu scandalis ad futuras reformationes cõgregabantur: quando ẽt Ecclesia Orientalis cõueniebat, vnius anni terminus cõgregandi Concilii ꝓscribebatur: sed nunc quum scandalis præsentib. citissime prouidendũ sit, cõgregari illa celerius oportet. Signãter quum solus ille Latinorum Europæ angulus excitari debeat, vocandiq; omnes, duorũ mensium spatio cõuenire Pisas possint, si ad extinguendũ incẽdium Ecclesiæ, & rẽ Dei diligenter curandã animentur. Quodq; superiores patres nostri vno pene anno notũ facere orbi Christiano nõ poterãt, nunc tabellariorum celeritate, & impressorũ summa diligentia, litteris & schedulis imprimendis, vno fere mense tantumdem confici potest: Et boni ac prudẽtis medici officium esse debet, vbi morbus inualescit, nulla tẽporis habita ratione præsto occurrere, ne dum temporum superstitionẽ sequimur, ante tẽpus, infœlix æger opprimatur. Et quãuis breuior terminus ad excitandam diligentiam edicto Patrum præfixus sit, mentis tamen suæ superfuit, ne quid præcipitãter ageretur, sed in omnib. quorum dilatio euidenter periculosa non sit, mature procedere, omnesq; necessarios etiam diutissime expectare, quorum auxilio & consilio tam sanctũ opus iuuari posse censerent. Nec n. suæ prudentiæ iuxta sapientis verbum, inniti voluerunt Patres; sed in Domino (à quo omnis sapientia est) primum confidunt, mox in consiliis bene in causa Dei sentientium, non leue præsidium reponunt.

20. Loci verò obiectio fragilis est, & paucis verbis refellẽda. Pisana ciuitas generale alias Cõciliũ recepit, à nouẽ Cardinalib. indictum tẽpore Gregorii XII. Pontificis alias religiosissimi & prudentissimi, nisi ꝙ Cardinales illi, ꝙ Pontifex capitula cõclauis iurata seruare renuit, ab eo discesserunt, & Pisis Cõcilium indixerunt: quo (tãta est vis veritatis) cõcursus incredibilis Christianorum omnium breui coiuit, vt celeriter collecta synodus magno hominum numero, signanter sapiẽtum, multas alias diuersis temporib. à Pontificib. cõgregatas superauerit. Nã, vt in illius gestis habetur, XXIII. Cardinales: tres patriarchę principales: oratores Principũ orbis in magno numero & insigni apparatu Pisis cõuenerunt: Archiepiscopi ẽt X. Episcopi LXXI. electi VI. Abbates LXXV. aliorũ Episcoporũ procuratores LXXVI. Abbatũ L V. oratores solẽnes vniuersitatũ XII. studiorũ generalium: Magister generalis hospitalis Hierosolymitani, Rhodiẽsis, Priores generales IV. ordinum Mendicantium: Procuratores ciuitatũ & capitulorũ Ecclesiarum cathedraliũ LXX. Magistri in Theologia supra cẽtum: Doctores iuris fere CCCC. Qui omnes diligenter rẽ Dei tractãtes, exauctoratis duob. de Papatu cõtendentib. Alexandrũ V. doctissimũ & pruden-

tissimum Pontificẽ eligẽtes, multa bona in Ecclesia Dei cõstituerunt gloriosè illi magnæ synodo Constantiensi, in qua finẽ vltimũ exequutionis accepit omnis iniqua de Pontificatu tã diuturna contentio. synodus ergo tã solemnis Pisis habita, admonet si & alterius capax ciuitas illa erit: Ciuitas est ad hoc sua natura non parũ accõmoda cœli tẽperie, & agri fertilitate, & ædificiorũ frequẽtia & magnitudine, mari exposita, Arno insignis nauigabili, & piscoso, interfluenti: ciuitatib. & oppidis ditissimis vicina, nec nõ insulis omnium rerum feracissimis in medio quasi Italiæ sita. Vrbsq; (tametsi proximis annis bello vexata est) biennio tamẽ iam fere respirauit, & pro magna parte reparata & aucta est. Nec non excelsa respublica Florentina omniũ diligẽtissima, quod deest reparationis domorũ & villarum simul cum Pisanis ciuib. prouidere citissime curat: & sic bellum quod in Ethruria timebatur, transactione Florentium, & Senensium, & longiori constituta pace, diuino fauore sublatũ est. Sed quando Pisæ aliqa ratione non probarentur, quæ potius affecta causa esset quã vera, conueniamus per Dei pietatẽ de loco idoneo atq; omnib. tuto; absitq; vt loci contentio, nisi ex aliis culpa prouenerit, sanctissimum hoc opus perturbare dicatur.

21. Sed iã res admonet ad postremam prioris literarum partẽ, in qua Concilii Romani contra Pisanũ indictio sua detur, properare. Imprimisq; duplicẽ in Ecclesia vniuersalẽ synodum erigere grauissima hæresis nota esset, contra articulũ *vnã sanctã & Apostolicã Ecclesiã*. Quumq; Pisana synodus superiorib. rationib. subsistat, Altare alterum erigit & dupliciter Ecclesiã constitui, non satis à consultorib. est recte prouisum. Fuit hæc nostra practica Eugenii IV. alias per nullum Pontificẽ cogitata, nisi per Hieroboam, q altare instituit contra Hierusalẽ: Constantius quoq; duplex Cõcilium vniuersale simul statuit Arimini, videl. & Nicomediæ, quorum errauit vtrumq;. Deinde quod consultores verbis ornatiorib. dicunt, Pontificem ad indictionẽ Concilii inclinari, ne imputari sibi possit illud Hieremiæ, *non ascendistis ex aduerso, nec opposuistis vos pro domo Israel*, quod tamẽ Hieremiæ dictum non fuit, sed Ezechielis c. 13. eadem Patres induxit ratio, vt in Pisanæ synodi mentionem præuenissent. Fatemur ergo omnes quã Pontifex affert inuocandæ synodi generalis subesse necessitatem, atq; vtinã perinde in cæteris conueniremus. Apud Lateranum autem vbi verius quã Pisis ædificiorum ruinæ expectantur, infamisq; atq; pestilens aura obstat, tutũ esse nunc conueniendi locũ ad vere & salubriter Ecclesiæ consulendum, absit vt concedamus. Latere n. insidiarum non parum in Laterano suspicamur, proinde vt notorie & manifeste suspectum, capitibusq; nostris perniciosum ac formidabilẽ iis potissimum temporib. aliis insistentes protestationib. vehementissime & constantissime denuo recusamus: ipsis quidem consultorib. aptissimum & tutissimum locũ firmiter admittimus: equitum n. peditumq; copiam illic habẽt instructissimã, arces munitissimas, classem non procul paratã, vrbem deniq; ipsam, populos finitimos, bello & armis assuetos, suo nutu pendentes, assuetosq; capitaneos pro Pontificis voluntate, Cardinales & Prælatos paruipendere, & iam illic Cardinales hoc timore coacti, nõ vera, sed blandientis consulturi sunt. Verũ, Pisanæ synodi indictorib. cæterisq; quib. Concilio adesse conuenit, nullus profecto hominũ est hodie illum insidiosissimum, periculosissimumq;, vel iureiurando protinus nõ affirmet, nec toto in orbe quidquã adeo notum esse scimus, quo hoc notius manifestiusq; non sit, maximoq; salutis Patrum discrimine accessus in vrbe hodie ab omnib. teneretur. Quare, molesta esse nõ debet isthæc recusatio: *Quis n.* vel elegantissime Clemens V. inquit, *ad iudicẽ grãdi & feroci exercitu stipatum facile veniret?* Quis auderet vel qua ratione teneretur illi se vltroneum offerre, & eorum se sinu reponere, quorum nõ temere violentia timeatur? hoc n. de iure timetur, de more vitatur, refugit ratio, abhorret natura, nec ad iustissimum animorum Patrũ terrorem tollendum aut minuendũ ampla illa verba salui conductus à Pontifice oblati proficiunt, promissioq; benigne & charitatiue suscipiendi atq; tractandi. Quæ n. solemnior vnquã fides & promissio, quã illa capitulorum conclauis? ẽt per viam contractus omni voto & iuramento vallata, & alias per Apostolicas literas data, cogitari potest & debet? quo vero pacto seruata sit, creationes Cardinalium & eorum libertas minime seruata ostendant? Sed admittamus q speremus sanctitatem suã hanc promissionem integra mente seruare velle, vt nec odio, nec iracundiæ censura sit, quomodo tamen (Absit sanctitati suæ indignatio) ex præteritis actionib. animi Patrum securi esse poterunt? homines etenim sunt summi Pontifices, & duodecim horas esse diei Dominus meminit? Quis tamen eos ab innumeris summo Pontifici assistentib. quis à pdictorũ hominum, quorũ copia in Curia esse solet, iniuriis, & violentiis securos reddet? admonent intolerabiles iniuriæ, admonent immanissimæ violentiæ, admonent inauditæ & nefandissimæ cædes, quas nõnulli Patres Curiã sequentes perpessi sunt. Ipse deniq; ne lõgius (vt aiunt) exẽpla petamus Põtifex summus, dum in minorib. ageret, quantũ in saluis conductib. Curiæ (à qua nulla est prouocatio) credendum sit, abunde docuit. *Stultissimum n. esse sæpius dicebat, libertatẽ & vitã cũ pelle mortua belluæ*, id est cum membrana salui conductus, *cõmutare*. Quodq; ipse tã constanter tanto tempore aliis nõ credidit, difficillimum erit vt aliis sibi credatur; q sententia ratione sanè non caret. Nam & Innocent. III. docet, *non teneri quempiam cũ literis salui conductus sese aduersanti credere*. Pontifices quoq; superiores, postquã exercitus, armatasq; custodias & arces Romæ tenuerunt, & nisi alia libertas Senatus restituatur, & modus alius viuendi gubernandi à Pontificib. in vrbe seruetur; nemo est q eum locum nunc ad hanc Ecclesiã libertatẽ idoneũ aptumq; influẽtiæ S. Spiritus, qui cõmuniter liberas mentes in Concilio implet, diiudicare posset. Quare postquam loci exceptio omni iure & ratione legitima redditur, postquam salui conductus oblatio iustissimũ metũ

in viros

in viros constantes cadentem, nec iure nec ratione submouet; Omittant pro Deo tandem consultores Laterani loci mentionem. Suspicionem n. nō leuem eam hac loci difficultate & discrimine præbent, non tam eis cordi esse apud Lateranā synodum teneri, quam ne Pisis aut alibi teneatur, impedire. Quod si (vt diximus) Pisanā ciuitatem non probant (quam tamen optimam, omnibusq; tutam & idoneam putauimus, credimus(q;)) alterius idonei atq; omnib. tuti loci oblationem non negamus; quinimo & antea per literas & nuntios nostros obtulimus, & nunc harū tenore rursus offerre non cessamus, vt intelligat vniuersa Ecclesia, sciant omnes Principes, cunctiq; fideles, non ad contentionē aut turbationem, minusq; ad perniciosissimum schisma (vt obiicitur) excitandum, sed ad quietē & pacē inducendam, ad animarū salutē procurandā, ad splendorem Ecclesiæ iuuandum, ad expeditionē contra infideles promouendā, vinculis præcepti & iuramenti motos Patres Pisanæ synodi curam subiisse. Quod postquā hac ratione & mente processisse omnipotens creator & redemptor noster intelligis, aperta namq; tibi sunt hominū corda omniū omnesq; cogitationes clare intelligis occurro diuinæ prouidentiæ tuæ munere, occurre quæsumus prius quā in flammam surgat paratū incendiū, & quod humana diligentia, mortaliq; studio fieri non potest, fac vt cœlestis gratiæ dono consequamur, & pacifica vniuersali ac libera congregationē Ecclesiæ, pro vera eius reformatione, quā tot laboribus quærimus, tam spiritualiter quam temporaliter in vnum conuenientes perfruamur.

22. Hæc sunt, quæ pro refellendis iis quæ priores literæ continebant adducenda censuimus; omissis ne modū excedamus, aliis quā plurimis quib. ad iura nostra tuēda abundamus. Superest, vt quantū posteriores monitorii literæ æquitatis habeant, quam breuissime videamus, maior n. earū vis ex superiorib. sublata cernitur. In illis tamen satis liquet cōtumeliose admodum consultores aduersum Patres egisse, illosq; maximis ac pene inauditis iniuriis & contumeliis, iniquisq; censuris & pœnis pro nulla aut leui culpa afficere voluisse, quos nunc laudant & extollunt, nunc vituperant & cruciant, ad instar militū præsidis, q̄ Christū salutantes, dicentesq; illi aue, mox arundine percutiebant. Nēpe fortuna quadā consultores literis illas monitorii ex duab. aliis Pontificū literis apertissimo furto verborū contexerunt: ex altera videl. Nicolai IV. bulla q̄ incepit, *Cælestis altitudo potentiæ*, & ad aue quodāmodo pertinuisse videtur: & altera Eugenii quoq; IV. incipiente, *Multa sanctorum exempla*, quæ colaphos & arundinē concernit. In quib. monitorii literis, sic ex prædictis latrocinio aperto subtractis non solū patres grauissime sunt lacessiti, verū & Pontifices ipsi, quorū verbis & doctrinis literæ illæ subsistunt quum ipsorū menti Pontificū euidenter obstent, nō mediocriter iniuriari videntur. Sublimem n. illā Cardinalium laudationem, quam Nicol. ad effectum partitionis patrimonii, S.R.E. inter Papā & Senatum induxit, ad maledictionem & priuationē Cardinalium repetita eisdē verbis præfatione retorquent, quam tamē Nicol. Pontifex sapientissimus nisi in Cōcilio generali aut casib. vrgentiorib. maturioriq; iudicio nunquam excogitasset. Similiterq; congesta quædam grauissima comitia & maledicta, quib. Eugenius suo monitorio contra Felicē Amedeum & illius electores, post priuationē de se factam & Amedei electionē, cumulatissime inuehitur: eadē maledicta, eisdemq; terminis, eodemq; more propositionis consistorialis, pro simplici Patrum admonitione Concilii, perperam & inconsulte profundunt: quæ tamen Eugenius pro simili causa minime vnquā ausus fuisset attentare. Immemores ergo consultores clementiæ & æquitatis Dei & superiorū Pontificum q̄ proponunt & offerunt omni feritate & crudelitate aduersum Patres intēperatissime debacchantur, inconsideratos medicos imitati, qui apud Hippocratem sanam medicinā alicui morbo legentes, morbis aliis improportionate distribuunt. Inducunt et atroces quosdā vespilones, fiscos in senatu proponentes, & ad tumultū quasi viuētes Patres inducere satagentes, Carrosum quendā & Cuccinū, nomina ipso pene horrenda sono, ac si hominum carnes dilaniaturi & cocturi accessissent, quorum os vanitatē & dolos locutum est: quum responsa priorum literarum istis adaptari possint, nisi nouiter deductis respondere non cogimur. Inter alia tamen visum est istis addere de cōuentionib. Patrū Florentiæ initis, quas pleno ore iniquas appellant, sicut febricitantis lingua omne dulce amarū iudicat. Nēpe, conuentiones illæ libertati sacri Senatus, splendori & spiritualitati Ecclesiæ, & iuriū suorū conseruationi vnice innituntur, quarū scripta si pferantur, nōn possunt à sapientib. nisi summe cōmendari. Pro illis tamen, consulentium feritas, Notarium vnum rogatū, qui bona fide nihil mali suspicās, quū ad Apostolicā Curiā negotia sua tractaturus accessisset, in tetertimū carcerē detrusit, & grauissime torsit: quæ euidens est coniectura rancoris & odii contra Patres. Nā si clientem pacificū & innocuū: quod testimonio veritatis astitit à patronis suis rogatus, tam efferate torserunt, quid cogitandū erit de odio cōtra Patres? Quare omnis verborū promissio ab illorū odiis qui parcere nesciunt, Patres iure tutari minime potest. Verū consultores ipsi, qui tam copiose, tam feruenter officia quib. Cardinales summo Pontifici tenentur explicauerunt, debuissent, si recte vterentur consilio, quibus et Pontifex illis teneatur, admonuisse, ne in tam notorie excedentē prolaberetur offensam. Summus namque Pontifex præcipuo quodā vinculo charitatis & clementiæ sacrum Senatum & illius mēbra debuit respexisse, cuius peculiari quodāmodo caput, pater, & frater est, quæ omnia sunt dilectionis summæ, & charitatis nomina, non certe euersionis & odii. Caput n. quod vigilat & prospicit, & laborat pro membris, nunquā illa odio habet, quinimo gratulatur, quum mēbra ipsius languorem aliquem admoneret & curaret. Pater ergo & frater summæ charitatis appellationes sunt: pastor Ecclesiæ & vicarius

Dei, q alias recte Pontifex nuncupatur, non feritatē & tyrannidē prætendunt, summam charitatem & clementiā. Cōmissurus namq; Dominus Petro curā pastoralē & primatum Ecclesiæ, non semel, sed tertio ei dixit, *Simon Ioannis & diligis me plus his, Pasce oues meas*: & rursus vicariatus Dei omnem charitatē & clementiā præ se fert, quum illum referat, de quo scribitur, *Deus charitas est, & cui proprium est misereri semper & parcere, & miserationes eius super omnia opera eius*: qua vero charitate cum patrib. litteris istis agatur, satis ex illis perspicuum est, pro admonitione Concilii, quā ex iustis summis causis patres conceperunt, imo illis dominus inspirauit, acerrimas censuras, interdicta, auferendarum dignitatum, beneficiorum pœnas cōsultores minantur. Hæccine, respondeāt hoc loco Carrosus & Cuccinus in graui illa de nobis querela pietatē tantā præ se ferētes, pietatis sunt argumenta? Hæccine boni pastoris & vicarii Dei officia? sunt ne hæc munera quib. pater, & frater charitatē suam explicant. Et quum hic responderint, mox si placet obiiciant, an sicut æquū est bene valenti capiti membra obsequi, ita æquissimum sit eisdē, si laboraret, auxilio potius prodesse quā obsequio placere. Respondeant deniq; quanto aduersus eos fieri postulare nt, qui scelestissimum aliquod porrexissent; si aduersus procurantes per necessariā sanctissimamq; Ecclesiæ reformationem tot tantasq; pœnas pōposcerunt. Intelligit ergo vniuersus orbis, vident docti, indoctiq;, cœci etiam manibus tangunt, de bono opere Patres lapidari, nullamq; ob rem aliam infensum illis summum Pontificē, nisi quod Deo magis quam hominib. obedire maluerint: Quæ res fiduciam & magnam aduersus omnem vim securitatem illis præbitura est. Iamq; spiritus S. (quo auctore cœperunt) Pontificē ipsum, qui hactenus ad Concilia durior videbatur, quum admonitione Pisanæ synodi a patrib. præueniri se sensit continuo maximā Concilii cōuocandi necessitatem subesse profitetur, atq; Lateranum protinus indicit. Inde qui antea penitus dissentiebant, nunc de loco tantum dissentire videntur. Iniungitur tamen Patrib. per consultores, vt Romam breui quodam termino accedant, & à prosequutione Pisanæ synodi abstineant, præceptione altera corpus, animā altera occidere satagentes. Nam Romæ dieb. istis absq; notorio vitæ discrimine (vt est dictum) manere non possunt, à Concilii prosequutione, ratione præcepti, voti, & iuramenti ac scandali, sine interitu salutis æternæ cessare non valent, & iuxta Canonicas sanctiones & apertā Innocentii IV. doctrinā (vt prædiximus) quoniā Apostolica præcepta notorie continent, vtriusq; vel alterius vitæ periculum aut decolorationem, vel turbationem status vniuersalis Ecclesiæ, vel vnde multa mala verisimiliter futura timerent, audienda quidē sunt, sed minime admittenda, quinimo ab eis prouocandum esse debeat, quam doctrinam imitati olim patres primæ Pisanæ synodi, quib. Gregor. XII. sub grauissimis censuris præcipiebat vt à prosequutione synodi cessarent, minime obtemperarunt, sed prouocatione præcedente synodum sanctissime tenuerunt, quod sapientes omnes & patres Constantiæ laudauerunt; censurasq; Apostolicas, cōtra illos fulminatas, quamuis semper timendas, in hoc tamen casu minime obseruandas esse approbauerunt; quam tamen apud Pisanos patres non starent adhuc determinationes synodi Constantiensis de superioritate Concilii, nec præceptum de congregando Concilio singulis decenniis, nec statutum aut practicatum, impedimenta præstita Conciliis per quoscunq; suspicionem hæresis continerent: ac si prætenderent velle corrigibilitatem criminum tueri & defensare: Quæ crimina potissimum capitis in Concilio moderantur, & ea potissimum ratione quod Cōcilia impediebant, Ioan. XXII. & Benedict. XIII. Constantiæ sunt exauctorati. Quare ergo tam efferate consultores prosequentur Patres secundæ Pisanæ synodi? quū primi de hoc fuerint laudati, nec isti sicut illi statim prima conuocatione Concilii Pontifici obedientiam subtraxerint. Patres namq; moderni in bona Iulii II. Pōtificis maximi obedientia manent, & manere volunt, vt est dictum. Nisi consultores causam schismati per aliquas priuationes obtulerint, periculis tamen notoriis corporis & animæ seclusis, & esto quod præuentione Patrum, & tam iustis causis synodus Pisana aperte subsistat: vt tamen obedire clarius videantur Patres, dum Pontifex censuras & pœnas auferat, vel suspendat, parati quoq; erunt suspendere aut prorogare synodi Pisanæ prosequutionē, dum statim de loco libero & tuto extra Ecclesiæ Romanæ iurisdictionē conueniatur, in quo et, vt claudantur ora detrahentium Patrib. quod electioni Pontificis præcipue studeant, quod tamen alienissimum ab illis fuit, possent in talē euentum suspensionis censurarū & actualis assignati loci neutralis liberi cōtentari Patres, si in aliis dissensio nō sit titulum præfigi & assignari Concilii concordandi ad reformationes futuras, & extinguendas hæreses, pacē Christianorum promouendā, & bellum contra infideles dirigendum, vt de iis solum, & diffinitionib. quæstionum fidei, quæ in Ecclesia indecisæ manerent, in Concilio tractentur, & rē Bononiensem, & Ferrariensem omnimode Concilio remittere, vt quæ ibi determinabuntur, efficaciter & solide per omnes Principes obseruari permittantur, & iureiurādo statuantur: ita vt sine Christiani sanguinis effusione, sine priuationib. & turbationib. Ecclesiæ, ista medicina Concilii tam desiderata, Ecclesiā ipsam absq; magna anxietate purget & sanet, pacemq; Christianorum cōtineat, & expeditionē contra infideles recte & rite promoueat: quod supplicib. votis Dominum nostrū Iesum Christum enixe omnes oramus, & vt sanctissimo D. N. vicario suo, hanc mentē cōcordiæ loci simul & pietatis & clementiæ inspiret. Quod si (quod absit) Pontifex renuerit (quum locus Romanus hodie Cōcilio libero nō sit aptus) euidentissimum erit vniuersæ Ecclesiæ omne Concilium prorsus illum recusare, in eumq; euentum, prout de iure, Pisis aut alio loco, quo transferetur Concilium vniuersale liberum, prosequemur. Quare; rogamus per viscera Domini Dei

nostri Sanctissimum D. N. omnesq; S.R.E. Cardinales, Principes, & Prælatos, vt in hac nostra sancta, imo Dei intentione conueniant, ne ritus sacrorum Conciliorum, quo bona omnia in Ecclesia fundaméta sunt, prorsus aboleant. Cósiderétq; Principes, spiritú Ecclesiæ obliteratione Conciliorum quotidie magis ac magis extingui, quale reformatis religionibus contingeret, si capitula sua triennalia vel annalia non seruarent, Concilia namque generalia, libertatem Ecclesiæ, spiritualitatemque & pacem continerent, literasque alerent, & fouerent, ac euidentissime & efficacissime fidei exaltationem in partibus, quas infideles Christianis detinent, promouerent. Quare Principes omnes imo & vniuersi fideles assurgite, adeste, fauete vniuersali Ecclesię, pro qua Dominus sanguinem suum fudit, intra quam nos omnes saluari firmissime credimus, & pro illius pace, non pro vnius hominis obliquabilis quiete laborate. Nempe ex hac duplici indictione Concilii, nostra videlicet, quæ iure præuenit, quæ subsequuta & sanctissimi D.N. quum duplex Concilium vniuersale simul teneri non possit, qui contra articulum esset, *vnam sanctam*: Si non consurgeret vnius Concilii liberæ cœtus œcumenici congregatio, exprobrabimur oés à Principibus, lapidabimur à populis quod splendori sponsæ Domini obicem tam notorie opposuerimus. Cuius tamen culpæ Patres Pisani immunes esse volunt, quum nullis laboribus & periculis, ad tam sanctum opus vere & realiter cum pace perficiendum pepercerint.

Deniq;, quum incerti simus quantum apud summú Pontificé voces nostræ valituræ sint dubiumq; nobis sit an quæ aduersus nos cóminatur, cú effectu perficiat, vti res nostra tutius procedat, licet aperti iuris sit hoc casu Concilii vniuersalis Ecclesiæ irritas & nullas esse censuras & pœnas prohibitiuas; constetque talia, si quando aduersus eos proposita fuissent, maiores nostros minime existimasse, imo & contempsisse: sicut Patres antiquos Pisanos fecisse vulgatum est, quos vniuersa Ecclesia commendauit: ad cautelam tamen abundantem, maioremq; Apostolicæ sedis reuerentiam, protestationibus, prouocationibus, & appellationibus nostris sæpius interpositis adhærentes, easque pro expressis & ad verbum repetitis haberi volentes comminationes, pœnas, censuras, priuationes, inhabilitationes, interdicta omnia denique in nostrum, fautorumque nostrorum omnium quoquo modo nobiscum sentientium attentata, & attentanda, inania, irrita, & nulla profitemur & protestamur, sicut in primis est dictum. Et quatenus aliqua sint (quod non fatemur) harum tenore iniquissima & iniustissima dicimus, atque ad actu indictum sacrū Concilium Pisanum, aut quo transferetur tenendum, omnesque alios ad quos iure prouocandum & appellandum sit, prouocamus, & appellamus, Ad laudem & gloriam Redemptoris & Domini nostri Iesu Christi, ac immaculatæ sponsæ suæ Catholicæ vniuersalis ecclesiæ splendorem & exaltationem.

Datum in Burgo sancti Domini, nullius diœcesis prope Parmam Die XXVII. Septembris, Anno Domini millesimo quingentesimo vndecimo, Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Iulii Papæ II. anno octauo.

PRæmissis vero Pisas qui in Kalend. Septemb. nomine patrum qui comparerent procuratoribus. Et quæ in Apologia offeruntur Iustissima pacis & Concilii fœdera sanctissimo Domino nostro penitus renuente, reuerendissimi Domini Cardinales, reuerendi Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Regii Prælatorumque & vniuersitatum procuratores consiliares cum celeberrimis diuini & humani iuris doctoribus in copioso numero Pisanam ciuitatem cœlestibus auspiciis ingressi Kalend. Nouemb. supra scripti anni ipsum sacrum Pisanum Concilium in Spiritu sancto deuotissime inchoarunt.

EX DECRETIS PRIMÆ SESSIONIS SACRI PISANI *Concilii moderni.*

SAcrosancta synodus Pisana in Spiritu sancto legitime congregata generale Concilium faciens, & vniuersalem Ecclesiam repræsentans omnibus modo, via, iure & forma, quibus melius potest & debet, decernit, ordinat, diffinit & declarat omnia & singula tam per dominum Papam quam alios quosuis prætextu conuocationis dicti Concilii Pisani dependentiumque, & Connexorum acta & agenda, attentata, & attentanda siue per indicta aliasue censuras & priuationes, seu inhabilitationes (etiam consistoriales) de personis dominorum Cardinalium, dignitatibus, Ecclesiis, monasteriis, & beneficiis, siue pensionibus, ac iuribus, siue aliter quomodocunque, in præiudicium dictæ sacræ synodi omniumque & singulorum eiusdem indictorum, fautorum & auxiliatorum, & quouis modo adhærentium, & quandocumque adhæsurorum, nulla, irrita & inania fuisse ac fore: Illisq; vti notorie nullis, irritis, & erroneis nullatenus deferendum. Nam & Vrbanus Pontifex rescripsit, *quod Dominus & Apostoli, vel patres sancti statuerunt, debet Romanus Pontifex ad animam vsque & sanguinem, confirmare: alioquin non sententiam dare sed errare,* comminatur: Quæ tamen quatenus de facto processerunt, vel postmodum processerint, ex nunc cassat, irritat, reuocat, & annullat.

EPISTOLA

EPISTOLA EIVSDEM SYNODI AD SERENISSIMVM ROMANORVM ELECTVM IMPERATOREM.

Sacrosancta generalis Synodus Pisana in Spiritu sancto legitime congregata generale Concilium faciens: & vniuersalem Ecclesiam repræsentans charissimo Ecclesiæ filio & aduocato serenissimo domino Maximiliano Electo Romanorum Imperatori semper Augusto salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

QVONIAM cõcußis parietib. disiectisq; columnis cõsequẽs est vt omnis ædificii moles protinus corruat: neque sine totali corporis iactura corruptio membrorum sequatur: cauere diligenter oportet omnem Rempublicam omnemq; vniuersitatem, non modo vt ipsa intacta illibataq; custodiatur, verum etiam ne membra (præsertim præcipua, vt præstantia) vim & iniuriam sentiant. Nuper igitur quum illatum ad nos fuerit breuis cuiusdam sanctißimi D. Iulii Papæ secundi exemplum, quo tum maiestati tuæ, tum cæteris regibus & Christianis principibus cum magno quasi gaudio (ac si egregium & præclarum aliquod peregisset) notum facit venerabiles in Christo patres B. de Caruaial Episcopum Sabinensis. Sanctæ Crucis G. Episcopum Praueestinum Narbonen. F. tit. Sanctorum Nerei & Archillei ac R. de prie. tit. Sanctæ Sabinæ Presbyteros S.R.E. Cardinales galero Cardinalatus, honore, titulis, insigniis, vocei etiam actiua atque paßiua, Patriarchalibus quoque, Metropolitanis, & aliis quibus præsunt Ecclesiis priuasse: cæteraque quæ in breui ipso continentur, iniqua quidem & immania, ipsoque auditu & lectione horrenda & detestanda: certo quodam iracundia (ne deterius dicamus) spiritu fulminasse: mirati fuimus primum nouum sententiæ genus (si sententiæ nomine dignum est) quod tam irrationabiliter tanquam perperam & contra omne ius actum est. Ac licet multæ ante oculos occurrerent quæ qualem se habere consueuerit summus Pontifex dum iracundiæ subditur, plane admonebant: vix tamen eo vsque prolapsurum Sanctißimum Patrem credidissemus. Verum postquam ita res succeßit quemadmodum tum re ipsa notorium, etiam ipsius Pontificis publicatione manifestißimum effectum est, quasi instar eorum qui in exteriores tenebras deuenerunt, non satis sit grauißime errasse, nisi & erratũ, quod omni studio celare debuisset, prædicare gloriaretur: officii sui esse hæc Sancta Synodus censuit Pontificis ipsius præcipitationem (tametsi manifestißima est) Maiestati tuæ manifestiorem reddere: vt facilius iudicet quantum sit einsmodi literis posthac deferendum: quibus etiam quæ veritate non subsistant pro veris affirmare non pudet: inquit enim post Bononien. rebellionem ad Concilium à patribus se vocatum: quum tamen certo certius sit per plures dies indictionem ante rebellionem factam fuisse: Verum est tamẽ prædictos venerabiles Cardinales magnis de causis illicentiatos à summo Pontifice receßisse: verum est Concilii indicendi consilium iniisse, atque hac de re multa apud Maiestatem tuam vti Ecclesiæ aduocatum, cæterosque Christianos Reges, & Principes pertractasse: vt que hæc sancta & necessaria res sequeretur omni solertia laborasse: verum denique est, Spiritu Sancto duce & Deo auctore, serenißimaq; Maiestate tua ac charißimo Ecclesiæ filio Ludouico Francorum Rege Christianiss. promouentibus, Concilium ipsum indixisse, tunc demum indictum solemniter & fœliciter incœpisse: incœptumque diligenter prosequi: ac postmodum Deo fauente optimisque Christi fidelibus adiuuantibus, vt augeatur non cessaturos: atqui propterea Cardinales ipsi aliique hoc idem agentes, Hæretici, Schismatici, reique læsæ Maiestatis totque tam sæuis, tamque immanibus pœnis digni sunt (proh facinus) compertum est, vbi (proh dolor) scriptum aut taliter cautum reperitur. Dicat vel ipse Sanctißimus Dominus: vel grauißimorum eius consultorum quispiam: Num iure diuino, num gentiũ aut ciuili receptũ esse cõpertũ sit. Audet hæc Sancta Synodus affirmare quũ multa & quidẽ grauißima ac mali exempli peregerint sæpißime retroactis temporibus aliqui summi Pontifices ac ipse Sanctißimus D. Iulius non infrequenter (absit sanctitati suæ irreuerentia: nemini enim iniuriam facit qui iure suo ac veritatis adminiculo vtitur) nihil tamen irrationabilius, nihil insolentius, aut impudentius sub specie sententiæ in Sacro Consistorio latum actum meminisse: errare enim aliquando, ac per cupiditatem, vel libidinem, vel odium, vel iracundiam iniuriam nonnunquam facere humanum & quotidianum est (omnis enim creatura sub vitio est: hominesque etiam iustißimi plerumque peccando deuiant) verum aduersus fratres filiosq; suos, quos vti bonus pastor, vti pius paterfamilias, amplecti, commodisque & honoribus fouere ac eorũ meritis & virtutibus officiisque vniuersæ Romanæ Ecclesiæ præstitis exigẽtib.) efferre debuisset: tanta iniuria feruere, tot iurgiis & maledictis patres optimos & religiosißimos prouocare, tot denique ac tam grauibus & inauditis pœnis innocentißimos offendere nihil mali meritos, & qui iam ad hanc Sacram Synodum appellarunt: sub eiusque patrocinio nihil verentur: proque tribunali instar præsidis sedendo loco quidem sanctißimo, loco iustitiam ipsam vndique redolente, loco quem nihil nisi exactißimum ratione, consultatione grauißimum, exemplo dignißimum decet: conspectu patrum, hisque, vt inquit, assentientibus, quod tamen credibile non est (nisi per metum & impreßionem forte præbitus sit assensus) Romana enim curia, vt pleraque alia bonorum votorum libertatem prorsus perdidit) beneficiis, honoribus, titulis, dignitatibus, cæterisque eiusmodi generis ob eam dumtaxat causam priuare: quod cum apud eum existentes satis obligationis vinculo facere non possent, illicentiati recesserunt ad generale Concilium pro reformatione Ecclesiæ indicendum: quod ex constitutione Constantien. votoque & iuramento Deo & hominibus præstitis facere tenebantur non modo inhumanißimum & impiißimum videtur: verum etiam tale quod tum Deum optimum Maximum ad iram prouocasse credibile est (eos enim leuiter Deus odit insequiturque, qui non modo benefacere negligunt, verũ et benefacientib. infensi sunt) tũ quoscumq; Christi fideles irritare vehemẽterq; cõmouere deceret. quid n. iã Christiana in republica deterius, quid perniciosius expectari põt, quã ipsum Christi vicarium: quẽ dignitati vtilitatiq; Ecclesiæ indefesso studio nunc maxime cõsulere oportebat (grauißimis n. notoriisq; criminib. ad scãdalũ vsq; manifestißimũ misella Ecclesia opprimitur: atq; ita opprimitur, vt nisi protinus occurratur naufragium factura procul dubio videatur, spreto Constantiensis constitutionis præcepto, spreto solenni voto & iuramento vniuersalis Ecclesiæ, reformationem tamdiu tanto cum discrimine tum prætermittere aut potius contemnere. tum præterea eos qui pietatis intuitu & promißionis Religioni, Spiritu Sancto duce, opem ferre studeant vti rebelles hosteisq; insidem

tes insequi quasi iam palam facere quærat summus Pontifex, nihil magis cordi sibi esse quam, vt olim, de subactis hostib. triumphum Iulius Cæsar retulit: ita se de subacta dirutaque Ecclesia Dei, id est de bonis illius membris (quod absit) aliquando triumphare: quare Sancta Synodus omnia quoquomodo ratione istius sanctissimæ indictionis facta vel facienda, contra indictores aut alia Concilii supposita ad instar Constantiensis Synodi reuocauit & annullauit in decretis suæ primæ sessionis: idq; vt Maiestas tua adiuuet & exequatur orat, & monet. Et ideo erige aures, Cæsar, qui enim ob indictum Concilium Schismaticos Hereticosq; Cardinales expressius appellat, ille idem tuam Christianissimiq; Regis Maiestates vna eademque voce Schismaticas Hæreticasque satis aperte prædicat. Vestro enim assensu vestroq; auxilio eiusdem Concilii indictio facta est. Quamobrem mirum videtur, quod Sanctissimus Pater non aduerterit talis sententiæ tenorem apud eos intimare atq; etiam iactare, quos nō minus quam Cardinales ipsos illa eadem sententia tenere damnatos intelligere debuisset. Assurge igitur, Cæsar optime: adesto, vigila, labitur Ecclesia, opprimuntur boni, impii efferuntur, mergitur iusticia, colitur impietas, surgunt, in sinumq; recipiuntur infideles, qui vero pro Ecclesia cōsilium capiunt, illique opem & auxilium ferunt, quasi hostes eiiciuntur, opprimuntur, obruuntur. Age, Cæsar maxime, Maiestatem tuam appellat ipsa, cuius aduocatum & protectorem te fecit omnipotens, Ecclesia videlicet Romana & vniuersalis. Tuum magna miserabilique voce auxilium rogitat. Celsitudinem tuam iunctis vtrisq; palmis supplex obsecrat, deprecatur, neue præcipitem agi patiaris, obtestatur. Hoc ipsum sancta quoq; Pisana Synodus, quæ illam repræsentat, orat, quantisque potest precibus postulat. Quæ res vt promptius alacriusq; concedatur, tametsi sponte pro innata pietate & religione, proq; excelsi animi magnitudine, nec non illustrium maiorum dignitate facturam Maiestatem tuam confidimus. Vnum itaque illam præcæteris meminisse cupimus: quod postquam assensu auxilioque tuo sancta hæc Synodus indicta collectaq; est, non potest (citra Celsitudinis tuæ offensam) iniuria illi obuenire: quo ergo animo quaque vi Maiestatem tuam offendentes pro Imperii sublimitate consueuisti coercere, iisdem æquissimum est vt Dei præsertim & religionis, cuius studiosissimus es, intuitu Pisanæ Synodi sacrorumq; Conciliorum violatores & turbatores insequaris: quod vt quamprimum atque ex animo Maiestas tua faciat, etiam atque etiam hortamur & deprecamur. Plura ad euidentissimam indictionis congregationisque nostræ iustitiam demonstrandam, atque quam leuia & fragilia quæ per summi Pontificis consultores in litteris indicti asserti Concilii Lateranensis obiiciuntur, ostendendum, responsio nuper edita: quam grauissime quidem & sapientissime venerabiles Cardinales & alii Sacri huius Concilii indictores eisdem litteris accommodarunt, plene & abunde continet. Eamque ob rem apologia Pisani Concilii prætitulatur: & incipit Creator & Redemptor noster. Vnde ne Epistola modum excedamus minime repetemus. Bene & fœliciter valeat Maiestas tua Cæsarea.

Dat. Pisis in generali Congregatione nostra, die XII. Nouembris, Anno Domini. M.D.XI.

Per Palladium Bellonem Decium, Sacri Pisani Concilii moderni Calcographum.

CONSILIVM CL. PHILIPPI DECII IVRISCONSVLTI CLARISSIMI, HABITVM PRO ECCLESIÆ AVCTORITATE, ANNO M. D. XI.

SVMMARIVM.

I. VERITAS omnibus præferenda est.
II. Papa an accusare possit, si incorrigibilis sit in crimine.
III. Contumacia non dicitur propriè hæresis, sed largo modo.
IV. Hæresis propriè dicitur in duobus tantum casibus.
V. Quinque de causis Papa iudicari potest.
VI. Episcopus potest remoueri ab Ecclesia particulari vt scandalum euitetur.
VII. Ratione scandali generaliter à communibus regulis receditur.
VIII. Iudicibus aliquid extraiudicialiter facientibus armata manu resisti potest.
IX. Papa non potest turbare statum Ecclesiæ.
X. Priuilegia locum habere non possunt vbi aliquod grande scandalum resultat.
XI. In rebus ad mores & politiam Ecclesiæ spectantibus, credendum est potius Canonistis quam Theologis.
XII. Solutio rationum contrariarum.
XII. Duobus in casibus Papa accusari potest in Concilio.
XIV. Licet exceptio firmet regulam, non tamen videtur illam ampliare.
XV. Simoniacus & schismaticus largo modo dicuntur hæretici.
XVI. Non valet argumentum à delicto quod fit in omittendo, ad delictum quod fit in committendo
XVII. An Papa qui post suam creationem iurauit, & vouit infra biennium celebrare Concilium, obligetur ex vi sacramenti sui.
XVIII. Duplex vinculum potentius ligat.
XIX. Princeps contractu obligatus, absoluta potestate contrauenire non potest obligationi.
XX. Nemo absolui potest à iuramento, nisi iuramentum extortum aut illicitum est.
XXI. Iuri repugnat naturali vt quis seipsum absoluere possit.
XXII. Certis in casibus, Concilium generale Papam iudicare potest.
XXIII. Cuiusnam sit congregare Concilium contra Papam.
XXIV. An minor pars Cardinalium, pro congregatione Concilii generalis, maiorem partem requirere possit.
XXV. Vbi agitur de interesse Papæ, eius aut Cardinalium, qui ei adhærent auctoritas, in congregatione Concilii minime requiritur.
XXVI. Vbi agitur de interesse Ecclesiæ particularis, si Prælatus sit negligens, potestas agendi ad Capitulum deuoluitur.

XXVII. Pro-

XXVII. *Propter scandalum euitandum Concilium generale potest congregari sine Papa auctoritate.*
XXVIII. *Ius Colegii in vno solo redigi potest, quare duo aut tres Cardinales Pisanum Concilium indicere potuerunt.*

DIuino implorato præsidio, maximi ponderis est præsentis casus materia, in qua admoneri me tacite sentio, officii mei non esse hanc prouinciam contra summum Pontificem suscipere, cuius antecessor Innocentius VIII. proprio motu me eius & Apostolicæ sedis Capellanum, Rotæque auditorem constituit. Requisitus tamen nomine Christianissimi Regis nostri, ab his qui pro regia Maiestate Mediolani imperiũ moderantur & regunt (cũ ipsa regia Maiestas de me optime merita sit, q̃ in patriã maxima cũ dignitate me reuocauit, & amplissimũ stipendiũ, ꝙ mihi Paduæ à Venetis præstabatur, vltra oẽs qui hactenus in Iure Canonico legerint, non solũ cõseruauit sed auxit) non potuissem tale onus mihi iniunctũ, absq; maxima ingratitudinis nota recusare.
1. Præsertim cum maxima modestia requisitus fuerim, *vt dicam pro Veritate & Iustitia quod mihi videtur*. Quo casu ẽt ambobus existentib. superiorib. vt de communib. amicis legitur, sanctum est præhonorare veritatem: *Nam qui veritatem sequitur, Deum sequitur*, 11. quæst. 3. in Can. quisquis, *& potius debet quodlibet scandalum tolerari, quam quod veritas relinquatur*, Vt dicitur in ca. *qui scandalizauerit, de Regul. iuris*. Et pro veritate melius est pati supplicium, quam pro adulatione beneficium 11. quæst. 3. in Can. nemo peritorum. Et ideo hanc disputationem pro veritate summus Pontifex æquo animo pati debet, præsertim, quia non de his quæ in facto cõsistunt sed solum de iure verba facturus sum, & sermo noster duntaxat in disputatione iuris versabitur: & in facto de tanto Pontifice præsumendum est pro eius integritate & sanctimonia, quem apex tantæ dignitatis extollit, vt dicitur in Can. non nos 40. dist. Iuridice itaq; propositam quæstionẽ aggredior, in qua vt distincte procedamus ex themate breuiter ꝓposito ꝓ vera resolutione, quatuor elici possũt quæst.

Prima erit, an Papa accusari possit si incorrigibilis sit in crimine, pro quo religio Christiana scandalum patiatur.

Secunda, an Papa efficaciter obligetur ad illud quod cum voto & iuramento promisit, ita quod seipsum absoluere non possit.

Tertia quæstio erit, an in dictis & similibus casibus Concilium generale sit iudex contra Papã.

Quarta erit de modo & forma congregandi Concilium in dictis casibus.

II. Circa primum dubium, videbatur primo motu quod Papa tali casu accusari non possit. Et ita quamplures esse non ambigo qui partes summi pontificis susciperent & tuerentur, ex eo ꝙ legitur in Can. aliorum. 9. quæst. 3. *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare, sed sedis istius Præsulẽ, suo sine quæst. reseruauit iudicio*, & qui Dei iudicio reseruatur, ab humano iudicio iudicari nõ põt, *Can quorundam 23. dist.* Et idem dicitur in *Can. Nemo, in Can. facta, in Can. Cuncta per mundum*, 9. q. 3. Ex quibus & similib. iuribus, Glossa in Can. *si quis pecunia, 79. dist.* infert, quod si de crimine cõtra Papã obiecto disceptatur, ipse non cogitur alicuius stare iudicio; sed excipere põt *Dominus est qui me iudicat*. Et ideo Glossa in dicto *Can. nemo, 9. q. 3.* per illum textum ibi *ab omni, Clero*, arguit, ꝙ ẽt Conciliũ Papã iudicare nõ possit. Itẽ Glossa in *Can. mandatis, 2. q. 5.* Et ad hoc videtur textus in *Can. Cõcilia, §. hinc ẽt*, in verb. *Symmachus Papa, 17. dist.* vbi cũ Symmachus Papa apud Conciliũ de hæresi accusatus fuisset, patres cõcilii residẽtes ibi dixerũt *Symmachus quãtũ ad homines respicit, sit immunis & liber: eius causã totã Dei iudicio reseruamus*. Et hoc idẽ ꝓbatur *21. dist. Can. nũc autẽ*. vbi Marcellinũ vrbis Romæ Episcopũ accusatũ de hæresi, ex eo ꝙ à paganis cõpulsus idolis sacrificasset, Cõciliũ noluit iudicare, sed ipsi Marcellino Papę dixit, *Tuo ore iudica causam tuã, non nostro iudicio, prima sedes nõ iudicabitur à quoquã*. Et ideo Hostiensis in *in ca. proposuit, de conces. praben.* dicit, ꝙ si Papa iacet in peccato, admoneri potest iuxta regulam Euangelii, cui subiicitur qnantũ ad primam partẽ, dum dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum*, vt habetur in ca. *nouit, de iudiciis. & 2. q. 1. in Can. si peccauerit*, in principio. Quantum vero ad aliam partem regulæ quæ dicit, *quod si non audiuerit dic Ecclesiæ*. Hostiensis dicit, quod non habet locum in summo Pontifice, quia ipse ab Ecclesia militante iudicari non potest per iura supraallegata: vnde illa verba *dic Ecclesiæ*, intelliguntur in summo Pontifice de Ecclesia triumphante & cœlesti. Et notat Abbas in *ca. nouit, charta antepenult. vers. sed circa hoc quæro, de iudic.* nec prædictis videtur obstare Glossa, in *Can. si Papa, 40. dist.* quæ in terminis dicit, ꝙ Papa accusari potest de crimine notorio in quo incorrigibilis sit & inde scandalizetur Ecclesia: quia Theologi dicunt illã non esse veram: & ita concludunt Aug. de Anchona, Petrus de Palude, & Antoninus Archiep. Florentinus, qui illos refert & sequitur in *tertia parte eius summæ, in tit. 20. chart. 4 §. 3.* incipiente *quæritur virũ Papa*. Et in *tit. 23. c. 2. §. 6.* in fine: & mouentur ratione satis colorata & apparenti, quia glossa in dicto Can. si Papa, adducit rationẽ quæ non est vera, dum inquit, quod tali casu Papa accusari potest, quia est in contumacia ex quo non vult corrigi, & talis contumacia dicitur hæresis 81. *dist. Can. si qui sunt presbyteri, 33. distinct. Can. fin.* ꝙ incipit *Nullus* Pro hæresi aũt Papa accusari põt, vt est casus in dicto *Can. si Papa*: Ergo videtur quod tali casu accusari possit. Sed dicunt ipsi ꝙ prædicta ratio in qua dictum glossæ fundatur, nõ est vera, quia textus in dicto *Can. si Papa*, de hæresi, proprie dicta intelligitur, ꝓ errore fixo eorũ q̃ sũt fidei.
III. Cõtumacia vero non dicitur proprie hæresis sed largo modo & impropriie: Et ideo secundũ eos glossa non est vera, & idẽ dicit Card. in dicto *Can. si Papa*, & S. Thomas, vt refert ibi Card. Alex. Et ad hoc facit, quia ẽt Simonia dicitur hæresis 1. *q. 1. Can. quisquis, in Can. eos qui:* & notatur per glossam in *ca. firmissime, de hæret.* Et similiter schisma hæresis dicitur, 24. *q. 3. Can. inter hæresis.* Et pluribus aliis casib. dicitur hæresis, vt glossa prosequitur 23. *q. 4. Can. illi qui, §. quia vero*, & dicto *cap. firmissime.*

IV. Sed propriè hæresis dicitur solum in duobus casibus, quando quis aliter sentit de articulis fidei quàm Romana Ecclesia, 24. q. 1. *in Can. hæc est fides*: & quando quis malè sentit de Sacramentis Ecclesiæ *in c. ad abolendam, de hæret. in princ.* Et ita Abb. post Hostiensem & alios concludit in d. *c. firmissimè, de hæret.* Et ideo dicitur de hæresi in dict. *Can. si Papa*, intelligitur propriè, quia verba legis propriè intelliguntur, vt notat. Bart. *in l. ita vulneratus ff. ad l. Aquiliam*: & quia loquitur in materia exorbitanti contra regulam quæ strictè debet interpretari, *l. si vero §. de viro ff. sol. mat.* in reg. ea *quæ de reg. iur. in 6.* & ita in terminis tenet gl. *in Can. si quis pecunia, 79. dist.* Vnde concludendum videtur, quod Papa pro tali crimine, licet incorrigibilis sit, non possit pro hæretico accusari. Similiter non videtur quod pro ipso crimine notorio & scandaloso accusari possit, quia hoc iure cautum non reperitur, ergo non est dicendum, *c. illa, ne sede vacante, c. is qui, de sent. excom. in 6.* nota. *in l. illam Cod. de Collatio.* Et hoc comprobatur per text. in d. *Can. si Papa*, vbi regula ponitur quod Papa non potest ab alio iudicari: & excipitur causa hæresis: vnde exceptio illa facta de hæresi, videtur confirmare regulam in omnibus alijs casib. non exceptuatis, 32. *q. 7. in Can. Dominus, c. 2. in fin. de Coniugijs lepros.* & not. Bart. *in l. quæsitum, §. denique ff. de fundo instruct.* & text. in d. *Can. si Papa*, videtur loqui in delicto scandaloso, dum dicit quod propter eius delictum, innumerabiles populos secum in præcipitium ducit, & tamen tali casu ibi dicitur quod à nemine iudicari potest: & sic ibi videtur text. contra gloss. in d. *Can. si Papa*: & ex his opinio Theologorum suaderi posse videbatur.

V. Sed suprà dictis non obstantib. & similib. quæ adduci possent, contrariũ de iure esse arbitror, saltè in aliquib. casib. in quib. cõmuniter Doctores tenent quod Papa ab alio iudicari possit. Primus est in hæresi, in quo oẽs Doctores conueniunt quod accusari possit, vt expresse dicitur in d. *Can. si Papa*, ibi, *à nemine est iudicandus nisi deprehendatur à fide deuius*: & meritò, quia nullũ peccatum est grauius hæresi, 21. *q. 2. Can. primum, in princ.* 32. *q. 7. Can. quid in omnib.* & quia admodum perniciosum est, si vera fides quæ in toto populo Christiano requiritur, in capite non reperiatur, vt dicitur *61. dist. Can. miramur.* Et ideo Papa hæreticus in eo quod hæreticus est, minor est quolibet Catholico, vt dicit glos. *in Can. Achatius* 24. *q. 1.* in verb. *in hæresin.* Secundus casus, quando Papa sponte Concilio se subijceret, nam isto casu etiam clarum est, quod à Concilio iudicari potest, 2. *q. 7. in Can. nos si incompetenter, in princ.* Et ita sæpenumero multi Pontifices fecerunt expurgando eorum innocentiam de criminibus pro quib. infamati fuerunt. Sic Damasus Pontifex Rom. infamatus de adulterio, corã XLII. Episcopis se purgauit, vt dicitur in dict. Can. *nos si incõpetenter, § pen.* Sic & Sixtus fecit cùm à quodam Basso iniustè persequeretur, vt habetur 2. *q. 5. in Can. mandastis.* Sic de Leone legitur eadem *causa & quæstione in Can. auditum*: Sic & Petrus Apost. vt Gratian. refert, 2. *q. 7. in Can. Pet.* Sic & Gregor. *vt in Can. si quis super*, eadem *causa & quæstione.* Et rectè isti, & benefecerunt vt humilitatem ostenderent, qua nihil est in sumo Pontifice splendidius, vt dicit tex. Can. d. *contra morem*: & quia expedit quod à criminum suspicione liberetur, quando mala fama de Pontifice in lucem prodierit, ne infirmorum corda percutiantur, & Pontificis ministerium, vituperetur vt legitur *2. q. 5. in Can. si mala fama.* Et ad hoc plura iura Roman. adducit *in Consi. 522. Beatissimus.* Et ex isto secundo casu, Abb. infert in disputatione: *Episcopus & quidã Rector*, in solutione secundi dubii, quod à Papa appellari potest ad Concilium quando Papa consentit. Tertius casus est quando Papa confitetur peccata eius confessori, quia illi subiicitur, isto tres casus ponit gl. *in Can. nemo, 9. q. 3.* Quartus est casus, quando esset schisma inter duo contendentes de Papatu, vt sentit gl. *in Can. si. 69 dist.* & not. Cardinalis *in Consi. 150. quæsitum sæpe fuit*, in 1. dubio. Abb. in c. *quia diligenti, & colu. 1. de elect.* Et de istis casib. nõ agitur in casu proposito, ideo in his vlterius non insisto.

Est quintus casus in quo difficultas cõsistit, videlicet quando Papa incorrigibilis sit in aliquo notorio delicto, pro quo Ecclesia scandalizatur. & tali casu gl. in terminis in d. *Can. si Papa*, tenet quod Papa accusari possit. Et de illa gl. maximum factum fuit fundamentum contra Eugenium 6. in Cõcilio Basiliensi: & illa gl. communiter tenetur per omnes, vt dicit Abb. *in c. significasti de electione.* Et in d. disputatione, *Episcop. & quidam Rector in fin. secundi dub.* j, vbi inquit quod *totus mundus approbat illam gl.* & idem Abb. *in c. proposuit colu. fi. de concess. præben. & in c. cùm venissent, col. 4. de iud.* & illam gl. plurib. rationib. comprobat Rom. *in consil. 523 q. discutienda est.* Primò quod Papa, qui in notorio crimine persistit & non vult corrigi incidit in suspicionem hæresis 38. *dist. in Can. si. 81. dist. in Can. si qui sunt, & in c. fin. de pœn.* Sed pro hæresi Papa accusari potest, d. *Can. si Papa.* Ergo & pro tali crimine, & fuit ista ratio glossæ, in d. *Can. si Papa.*

VI. Secundò, quia remouetur Episcopus ab Ecclesia particulari vt scandalum tollatur, vt notat. Innoc. *in c. cùm vidêm, de renũ* idẽ à fortiori videtur dicẽdum in sumo Pontifice, in quo est periculum vniuersalis Ecclesiæ. Tertiò per auctoritatem Euangelij, *si oculus tuus aut pes scandalizauerit te*, de quo tex. eleganter loquitur in Can. illud sanè, 24. q. 3. *expedit enim vt vnus homo moriatur pro populo ne tota gens pereat*: Ergo Papa incorrigibilis moriatur ciuiliter, ne tota Ecclesia pereat: quia Papa positus ad gubernationem populorum non debet esse ruina illorum, vt tex. dicit 11. *q. 3. in Cã. ita corporis*: Nam tot mortib. dignus est, quod exempla perditionis ad populos suos transmittit, *Cã præcipuè, 11. q. 3.* Quartò quia Papa positus est vt vitia extirpet, excessus corrigat, & mores reformet, vt habetur *in proœm. Clem. vers. quia etiam*: & ideo hac ratione Zacharias priuare potuit Childericũ Regẽ Frãciæ regno: quia ex suo regimine, vniuerso regno scãdala imminebãt, 15. *q. 6. in Cã alius*, cũ gl. Pari ratione Concilium potest Papam deponere, cùm super eo in tali casu habeat potestatem, vt latiùs Roman. concludit *in consi. suprà allegato*, & hoc idem tenet Bald. *in cap. olim, col. fin. circa finem in vers.*

idem dicit, de rescript. vbi refert Hugutionem *in Can. si duo forte,* 79. *dist.* & post eum concludit, quòd Papa potest remoueri propter notorium crimen & enorme. Et hoc cóprobatur quia delictũ notoriũ Papæ & Prælatorũ, facile transit in exemplũ subditorũ, & scandalũ generatur mentib. laicorum dicentium, *vbi est Deus clericorũ?* vt dicitur *in c. Magna de voto.* Vnde pro tali delicto scandaloso videt quòd accusari possit: quia videm⁹, quòd licet Papæ regulariter obediendũ sit, etiamsi præceptũ graue & intolerabile videat, 19. *dist. Can. in memoriã. & 100. dist. Can. contra morẽ,* tamen vbi scandalũ imminet, non est Papæ obediendum, vt not. Innoc. *in c inquisitioni, de sent. excom.* circa finẽ: vbi inquit non esse obediendũ Papæ, quãn ex tali præcepto psumeretur status Ecclesiæ perturbari, vel fortè alia mala ventura esse, quia tunc obedientes peccant, cùm debeant futura mala præcauere & non inuare, vt formaliter Innoc. ibi dicit, quẽ sequitur ibi Hostien. & Ioan. Andr. Pet. de Perus. Ant. de But. & Abb. & Cardin. *in Consi.* 147. *videtur, circa finem, & in Consi.* 150. *quæsitum sæpe fuit, in fine.* Abb. *in c. si quando, de rescript. in c. cùm teneamur, de Preb.* Et propter hoc Abb. in *d. c. inquisitioni,* excusat Cardinales qui recesserant à Gregorio XII. ratione scãdali quòd imminebat, vt citati sub pœna excõmunicationis non teneantur comparere. Ita ergo videtur in proposito dicendũ, quòd licet regulariter à nemine Papa debeat iudicari, tamen ista regula limitari debet, & nõ habere locum quando Papa in crimine scandaloso reperitur.

VII. Nã ratione scãdali generaliter à cõmunib. regulis receditur, vt ex plurib. probat Rom. *in l. si vero § de viro, in 7. fallentia ff. sol. matrim.* facit text. *in cap. cum teneamur, de præbend. in cap. nihil cum scandalo, de præscript. & in cap. tua de Cle. ægro. & in cap. quia circa, de consang. & affinit.* cum similibus, vt tradunt moderni in dicto *cap. nihil, de præscript.* Ad idem facit textus *in Can. presbyteros, in Can. peruenit* 65. *dist. in Can. de his verò* 50. *dist. &* 23. *q.* 3. *Can.* 1. § 1. Et ideo benè consonata quod si scandalũ aliter remoueri non potest, quod Papa accusari possit.

VIII. Et videmus in iudicib. facientib. aliquid de facto extraiudicialiter, quibus de facto armata manu resisti potest, *l. prohibitum Cod. de iure fisc. lib.* 10. notat Innoc. *in cap. si quando, de offic. deleg.* Bart. in tractatu *qui sint rebelles,* in verb. *rebellando, in princip.* glos. *in l. non videtur § qui iussu. Digest. de reg. iur.* Dinus in regula *quod quis, de regul. iuris in* 6. Bald. *in l. vt vim in* 7. *quæst. ff. de iust. & iure. in l.* 1. *in* 12. *quæst. Cod. vnde vi.* Cardinalis *in Clement.* 1. *in fine, in versiculo* 9. *quæro, de celebr. Missæ.* Abb. *in c. Conquerente,* in vltimo notab. *de restit. spol.* Alexand. *in Consil.* 144 *post redditum primum* Con. *colu.* 1. *lib.* 2. cum similibus quæ nota sunt. Ita ergo videtur dicendum in summo Pontifice, qui deprehendit in notorio delicto, propter quod religio Christiana scandalizaretur, vt illi possit & debeat resisti, saltem per istam viam iuris quod accusari possit, vt scandalum perniciosum quod imminet remoueatur.

IX. Et si aliter diceretur, esset magnũ absurdũ, quia esset in potestate Papæ suis malis morib. Ecclesiæ statũ turbare, & Ecclesiã destruere, si resisti sibi non posset: quòd nullo modo dicendũ est per s. dicta. Nam iura quæ dicunt quòd Papa non potest turbare statũ Ecclesiæ, vt per gl. 8 *q.* 1. *in Can. apostolica, in Can. per principalem,* 9 *q.* 3. *& in c. literas, de resti. spol.* in ver. *non potest,* cum similib. quæ parum operarentur si Papa non posset accusari, & à Concilio iudicari: quia parum esset iura condere, nisi essent constituti magistratus qui illa exequerentur l. 2. §. *post orig. nem. ff. de Origine iuris*

X. Et hoc idẽ confirmatur, quia priuilegiũ illud datũ sũmo Pontifici, vt ab alio iudicari nõ possit, non videtur habere locũ in isto casu, in quo maximũ detrimentũ Ecclesiæ & fidelibus resultaret. Arg. *c. suggestum de deci.* vbi priuilegium restringitur, vt non habeat locum quãn scandalum resultaret: facit textus *in l. ex facto, in principio ff. de vul. & pup* & ad idem facit quia in tali priuilegio mens & intentio concedentis attenditur, dicta *l. ex facto.* vbi Bald. *in* 3. *notabil.* & Innocentius *in c. cùm Ecclesiastica, de except.* intentio aũt concedentis non videtur fuisse quod voluerit priuilegiare personam Papæ, stante scandalo in præiudicium Ecclesiæ, *cùm ipsi Ecclesiæ plus tribuendum sit quàm personæ Papæ,* vt in simili dicitur, quod maior fauor præstatur loco, quàm personæ, *in cap. ne aliqui, & glossa fin. de priuil. in* 6. ad idem glossa *in cap. fin* in verbo *dignitatibus, de rescript. in* 6 *in cap ad nostram,* in gl. 1. in fine *de confir. vtili.* Et ita ex omnibus s. dictis corroborata est conclusio glossæ, in dict. *Can. si Papa* & plurimum etiam confirmabitur ex his quæ inferius dicam, respondendo ad allegata supra in contrarium.

XI. Et nobis sufficit quod opinio d. gl. cõmuniter approbata sit à Doctorib. iuris Canonici, vt ex s. dictis colligitur. Nec curandũ est quod Theologi aliter dicant, quia in ista materia magis standũ est Doctorib. Canonum, quàm Theologiæ Magistris, quia hîc non agitur de articulis fidei, sed de morib. & integritate vitæ, quo casu magis credendum est professorib. Canonũ, prout est in Matrimonio, in voto, in Decimis, in Vsuris, quia ista respiciunt moralẽ philosophiã, vt latè tradit Pet. de Anch. in disputatione incipiẽte, *Antiquis & modernis temporib.* quẽ refert sequit Ioan. de Ana. *in c. in ciuitate, in* 4 *char. de Vsur.* Alex. *in consi.* 1. *col* 6. *lib.* 2. Et ex his habetur respõsio generalis ad omnia allegata s. in contrarium.

XII. Ad maiorẽ tamen declarationẽ specialiter ad omnia respõdetur. Primò, ergo nõ obstat quòd dicitur *in Can. aliorum,* 9 *q.* 3. cum similib. quæstionib. allegatis in contrariũ quia procedunt regulariter, & talis regula limitat non procedere in quibusdam casib. s. dictis, & præsertim in hæresi per text. in d. *Can. si Papa.* Non obstant quædã iura, in quibus etiam de hæresi Concilium noluit iudicare Symmachum Papam, nec Marcellinum, quia primo de Symmacho (secundum glossam ibi in verbo *immunis* dicto Canone *Concilia, paragraph. hinc etiam,* in verbo *Symmachus Papa*

calumniosè

calumniose accusatus fuit, & constabat Concilio de calumniâ, ideo absolutus fuit: & licet tex. dicat *causa Symmachi Dei iudicio reseruatur*, ita placuit pronunciare Concilio, quia non constabat de crimine, & de occultis Ecclesia nô iudicat 32. q. 5. *in Can. fin.* 32. *dist. in Cano. erubescant & in* 2. q. 5 *in Can. consuluisti*. Si enim crimen hæresis probatum fuisset. Conciliũ iudicare potuisset, vt probatur in dict. *Can. si Papa*. Nã vana fuisset congregatio Côcilij, si potestatẽ iudicandi non habuisset. Secũdo de Marcellino non fuit iudicatus vt hæreticus, quia paratus erat se corrigere, quo casu non debet pro hæretico reputari, si Papa velit se corrigere, secundũ gl. in dict. *Can. si Papa*, in verbo *à fide*. Facit textus *in c. ad abolendam, de hæreti.* 24. *q.* 3. *Can. dixit Apostolus*. Et gloss. 2. *in Can. nec licuit*, 17. *distinct.* & gloss. 3. 24. *q.* 1. *in Can. hæc est fides*. Secundò respondetur quod Marcellinus cõpulsus idolis sacrificauit, vnde per hoc non dicitur hæreticus licet peccauerit, vt dicitur *de pœnit. distin.* 1. *in Can. potest fieri*, in glo. 2. & idem glo. fin. 9. *q.* 3. *in Can. non solum* Et in hæresi omnes ita tenent. Vnde nô est in hoc laborandum. Non obstat quod dicit Hostiensis in dict. *c. proposuit*, quod illa verba *dic Ecclesiæ*, intelliguntur in sũmo Pontifice de Ecclesia triumphanti, & non de Ecclesia militanti, quia illud verum est regulariter, sed fallit in quibusdam casib. supradictis, & præsertim in hæresi, & crimine scandaloso. Et ita Abb. in terminis dicit in dict. *c. proposuit. colum. fin* vbi inquit dictum Hostiensis procedere in delicto occulto, pro quo non scandalizatur Ecclesia: secus si notorium sit & scandalosum delictum, quia tunc tota regula Euangelica habet locum in sũmo Pontifice, cum pro tali crimine accusari possit, vt voluit singulariter gloss. in dict. *Can. si Papa*, 40. *distinct.* Et ad s. dicta omnia etiam aliter & latè respondet Rom. *in Consi.* 5. 3. s. allegato. Non obstat successiuè quod cõtra illam tenẽt Theologi, quia nobis sufficit quod approbata sit per Magistros & Doctores Canonum, quorum auctoritas in casu isto præualet vt s. dictum fuit: Nõ obstat quod ratio glossæ, in dict. *Can. si Papa*, non videtur vera, quia in tali casu non dicitur propriè hæresis, & text. in dict. *Can. si Papa*, de hæresi propriè intelligitur, vt s. in contrarium latè dictum fuit.

XIII. Quia pro responsione & intellectu dict. gloss. aduertendum est quod gl. ibi in dict. *Can. si Papa*, ponit duos casus, in quib. Papa accusari potest. Prim⁹ est in hæresi, vt ibi expressè dicitur: Secundus est in alio delicto notorio & scandaloso, in quo Papa incorrigibilis sit: Illa enim incorrigibilitas seu contumacia dicitur hæresis secundum gloss. ibi, & tali casu non requirit quod sit hæresis propriè, quia tunc secundus casus reduceretur ad primum de hæresi Et non esset verũ quod in duob. casib. Papa accusari possit, vt gl. ibi dicit, vnde sufficit quod in secundo casu, scil. delicto notorio & scãdaloso sit largo modo hæresis cum illa qualitate scandali. In hæresi verò propriè, etiã delictum esset occultum Papa accusari potest, vt gl. ibi dicit, & ideo argumentum Theologorũ factum s. in contrarium, non conuenit ad mentem & intentionem glo. si rectè consideretur. Et ita dixi dum haberem sermonẽ de hac re cum aliis Doctorib. in hac causa requisitis. Et per hoc etiã respondetur ad aliud, quo dicebatur, quod *Can. si Papa*, intelligitur de hæresi propriè, quia illud verũ est quãdo Papa deberet accusari de hæresi simpliciter, secus si agatur de crimine scandaloso, quia ratione scandali, Papa accusari potest, licet non sit propriè hæresis, secũdum gloss. in d. *Can. si Papa*, quæ communiter approbatur: Non obstat quod illa gloss. non probatur iure, quia immò probatur ratione scandali, vt s. dictũ fuit: Non obstat quod exceptio facta in *Can. si Papa*, de casu hæresis contra regulam quæ ibi ponitur, confirmare videtur regulã in casib. non exceptuatis, quia illud verum est in alijs casib. dissimilib. ab exceptuatis. Secus est in similib. casib. quia exceptio facta in vno ad similem casum porrigitur, vt notat Abb. per illum text. *in c. cũ dilecta, de confir. vtil. & inutil.* & idem Abbas, *in c. iurauit, de probat. in c. ad audientiam de Cler. non residen.* & notat Bald. per illum textum, *in cap. post translationem*, in verbo *quanquam, de renunt*. Et hoc etiam procedit, si exceptio facta sit per dictionem taxatiuam tantùm, vt notat Bartol. *in l. si constante in princip. ff. solut. matr. in l.* 3. § *cum Titio, ff. de adim. leg.* Et tradit Ang. *in l. si hominem*. §. *in Ædilitijs, ff. de Ædil. edict. in l. Paulus*, §. *hæres rogatus, ff. de vsur.* cum similib. vt Alex. scribit *in l.* 1. *Cod. de bonor. possess. contra tab. & in d. l. si constante, in* 2. *char. & in Consilio* 130. *in causa, col.* 3. *lib.* 4. & in proposito ratione scandali, casus videtur similis hæresi, secũdum glossam in dicto *Can. si Papa*, quæ communiter approbatur, vt s. dictum est. Et ad hoc bene facit, quod notat Salyc. *in l. de crimine, in* 2. *opposit. Cod. qui accu.* vbi per illum textum dicit, quod licet aliquid specialiter exprimatur, non per hoc videtur derogatum alijs casib. qui alia via & alio modo includuntur.

XIV. Et facit etiam quod dici solet, quod licet exceptio firmet regulam, non tamen videtur illã ampliare, ad ea quæ aliàs sub regula non comprehenduntur, vt notat Bart. *in l. generali*, §. *vxori ff. de vsufructu legat.* Abb. *in c. in nostra, de sepul.* cum similib. quæ nota sunt. Vlterius etiã considerandum est, quod textus in dicto *Can. si Papa*, dum excipit casum hæresis, non videtur loqui de hæresi propriè, vt supra dicebatur, cùm vtatur verbis generalib. dum inquit, *nisi sit à fide deuius*, ista enim verba etiam in hæresi largo modo verificari videntur.

XV. Et ideo videntur habere locum in Simoniaco & schismatico, quia largo modo dicuntur hæretici, vt s. dictum est, & idem in similib. casib. vt *in Can. omnes* 22. *dist.* vbi in hæresin labitur, qui priuilegia Rom. Eccl. auferre conatur. Ad idem facit tex. *in Can. si.* 30 *dist. &* 4. *q.* 1. *in Can. quod autẽ*, 24. *q.* 3. *in Can. hæresis, in c. cùm contumacia, de hæretic. in* VI. cùm similib. Vltimò non obstat, quod tex. in d. *Can. si Papa*, dum ponit regulam, quod Papa iudicari ab alio non possit, videtur etiam loqui in delicto scandaloso, vt s. ponderatur, quia loquitur ille text. quando Papa erat in suis operib. negligens & remissus.

XVI. Et sic in delicto in non faciendo, in quo minor est culpa quàm in faciendo, prout loquitur gl. in d. *Can. si Papa.* argum. gl. *in l. si mora, ff. solut. matr.* Et ideo non valet argum. in delicto ꝙ fit in omittendo, ad id ꝙ fit in committendo, vt not. Bart. *in l. licet, §. fi. ff. de pecul.* facit tex. *in l. argentarius, §. cum aliis.* & ꝙ ibi Bald. *ff. de edendo.* Et satis est nobis, ꝙ gl. ista in d. *Can. si Papa*, communiter approbetur. Et sic remotis omnib. allegatis, s. in cõtrarium firmata remanet Conclusio, *quod Papa accusari possit de notorio crimine in quo incorrigibilis sit & Ecclesia scandalizatur.* Et ita primum dubium breuiter absolutum sit.

XVII. Venio ad secundum dubium, in quo quæritur, an Papa qui post eius creationé iurauit & vouit j. biennium celebrare Concilium, efficaciter obligetur, ita quod se absoluere non possit. Et prima facie videretur dicendum ꝙ seipsum absoluere possit, vt in terminis voluit Petr. de Ancha. *in c. venerabilem, in fi. de elect.* dicens, *quod ille qui non habet superiorem potest seipsum absoluere à iuramento.* Et Pet. de Anch. refert nouissimè & sequitur Felinus *in c. 2. de spons. col. 8.* in verb. *tertia declaratio, & in c. 1. in 4. char.* in verb. *sexta declaratio, de const.* & ibi dicit, non obstare si dicatur ꝙ debet esse distinctio personarum inter absoluentem & absolutum argum. *c. si. de inst.* & *in c. per vestras, de iure patron.* quia ipse respondet dupliciter: Primò, ꝙ illa regula est de iure positiuo, cui Papa non subiicitur, *c. proposuit, de conc. ess. preb.* Secundò, ꝙ Papa poterit alteri suam absolutionem committere, iuxta gloss. *in c. sane. Clem. 1. de offi. delegat.* & talis absolutio non esset necessaria, si facta fuisset d. ꝓmissio anteq̃ ad Papatum ꝓmoueretur, quia non valuisset, vt notat Abb. *in c. sicut nostris, in q. notabili de iureiurando*, vbi inquit, quod si Cardinales ante creationem summi Pontificis, aliqua statuunt, & promittunt et cum iuramento illa obseruare, si contingit aliquem ipsorum ad Papatũ ꝓmoueri, tale iuramentum non valet per illum textum.

Sed breuiter his (vt j. apparebit) remotis, contrarium de iure in casu ꝓposito concludendum est, videlicet quod ex tali ꝓmissione efficaciter Papa obligatur, nec se absoluere possit. Nã ꝙ Papa tali casu obligetur, non videtur dubitandum, quia iuramentum & votum est de iure diuino, vt per gloss. *in c. quanto, de iureiur.* cui Papa subiicitur: vt notatur *in c. quæ in Ecclesiarum, de const. 17. q. 1. in Can. sunt quædã.* Et hac ratione Papa, qui est Princeps, ex suo contractu astringitur, vt notatur *in c. 1. de probat. in c. 1. de natura feud.* vbi Bal. not. Cyn. *in l. digna vox, in versi. vltimò scias. Cod. de leg.* cum similib. q̃ nota sunt. Nam & Deus ipse, ex eius promissione obligaretur, vt not. Bald. *in l. 1. in princ. ff. de pact.* vbi Magistrum sententiarum ita dicentem refert. Et in terminis in casu nostro hoc specialiter tradit Ant. de Butr. *in c. 1. col. 2. in ver. ex quibus patet, de const.* vbi refert casum qui fuit tempore Gregorij XII. Cùm enim de eius electione tractaretur in conclaui, ante Papatum & etiam post, ꝓmisit, iurauit, & vouit renunciare Papatui ꝓ sedando schismate, ꝙ XXX annis durauerat: & eodem modo ꝓmisit non creare Cardinales, postea noluit implere quod ꝓmiserat, ꝓpter hoc quàmplures Cardinales ab eo de ciuitate Lucana recesserunt, & se Pisas contulerant. Concludit Ant. de But. in d. *c. 1. col. 2. in vers. & sic Papa, de const.* quod in tali casu Papa efficaciter obligatur, adeo quod seipsum absoluere nullo modo possit. Et idem tenet Imol. ibi col. 3. quia debet esse distinctio personarum inter ipsum absoluentem & absolutum, arg. *c. si. de inst.* & *ad hoc facit* q̃ in facto proprio quis seipsum absoluere non potest, vt de voto notat Abb. *in c. Magnæ, in principio de voto.*

XVIII. Et quia hoc videtur duplex vinculum voti & iuramenti, quod potius ligat, *ca. 1. de treug. & pace.*

XIX. Et hoc bene facit, quia qñ Princeps ex contractu obligatur, et de plenitudine potestatis contrauenire non potest, vt notanter dicit Paul. de Castr. in d. *l. digna vox, Cod. de legib.* Et idé Bald. *in c. 1. §. ad hæc, col. 5. in ver. item notatur* ex gl. *de pace iuramento firmata:* idem tenet Paul. de Castr. *in Consil.* 420. *videtur, in antiquis.* & hoc idem in terminis huius quæstionis tradit Petr. de Anch. *in Consil. 65 pro declaratione dubiorum, col. 2.* Et quod dictum est Papam seipsum absoluere non posse, maximè haberet locum qñ Papa iam in periurium incidisset, quo casu, qñ quis incidit in periuriũ absolutio fieri non potest, vt not. Feder. *in Consil.* 100. *factum tale est, debitor:* & sequitur Abb. *in cap. 1. col. penult. de iureiur.* Anthon. de Butr. & Immol. *in cap. debitores de iureiur.* Roman. *in Consil. 426. in re præsenti, in princip.* & idem Bald. in *Authent. quod eis in fin. Cod. de nuptiis, in l. 1. in fin. Cod. si aduersus rem iudicatam.*

XX. Præterea dato, sine præiudicio veritatis, quod absolutio fieri possit à sumo Pontifice absoluẽdo seipsum, hoc intelligitur cũ causa: sine causa verò nullo modo fieri potest, vt de sumo Põtifice in casu nostro notat, Abb. in d. *c. 1. de const. col. 3.* & idem Abb. *in c. quanto, col. 4. in ver. ex quo infero, de iureiur. & in c. proposuit, col. 3. de concess. preben.* Nam et alios sine causa Papa absoluere nõ potest, vt per gl. in d. *c. quanto.* Talis enim absolutio debet fieri causâ cognitâ, vt notat Innoc. *in c. ad aures, quod metus causa*, Abb. *in c. 1. col. penult. de iureiur.* Causa intelligitur qñ iuramentum esset illicitum, vt notat Cardinal. *in Clement.* 1. §. *fin. in 17. quæst. de iureiur.* vbi allegat Innocent. *in cap. debitores, eodem titul. de iureiurando*, & idem tradit Paulus de Castro *in Consil. 216. præsupposito sine præiudicio, col. 2.* vbi inquit quod absolutio à iuramento peti non potest, nisi quando iuramentum extortum fuisset dolo, vel metu, vel super re illicita, puta super vsuris: vt per Innocent. *in c. si verò, de iureiur.* secus vbi licitum fuit iuramentum, quia debet efficaciter obseruari: nec absolutio peti potest, sicut *in c. quamuis de pact. in 6. & in cap. cùm contingat, de iureiur.* & in similibus casibus, quia si licitum fuit iuramentum, absolutio fieri non potest, vt tenent Archid. Ioann. Andræas & Dominicus

nicus in dicto *cap. quamuis*: Angelus *in l. si quis pro eo in princip. ff. de fideiusso.* Roma. *in Consil.* 427. *in casu proposito*, in fin. Paulus de Castro in dicto *Consil.* 226. *& in Auth. sacramenta puberum col.* 3. *Cod. si aduers. vendi.* Alex. *in Consil.* 42. *super præmisso, col. penult. lib.* 1. *& in Consil.* 51. *visis, lib* 3. cum similibus quæ nota sunt. Et ideo cùm in casu nostro licitum fuerit iuramentum, vt Concilium fieret ꝓ reformatione Ecclesiæ, Papa efficaciter debuit illud obseruare, & nullomodo absolui potuit. Et ita et dixi superiorib. dieb. cum ad lectionem meam accessissent reuerendissimi Cardinales S. Crucis & Cosensis. Non obstant allegata s. in contrarium, quia responsio colligitur ex supradictis, & et formaliter respondendo: non obstat dictum Petri de Anch. *in d. c. venerabilem*, quia non est verum saltem in casu nostro, & contrarium tenent Anton. de But. & Imol. *in c.* 1. *de const.*

XXI. Quia non videtur, ꝙ quis seipsum absoluere possit, c. fin. de inst. nec obstat ꝙ illa regula sit de iure positiuo, quia imò videtur de iure naturali, quia sibi ipsi quis imperare nec se ꝓhibere potest, *l. pen. ff. de arbit.* Non obstat ꝙ alteri Papa absolutionem committere possit, quia ille alius faceret nomine Papæ, & sic videretur ipse Papa facere per alium, vt Abbas declarat in c. fi. de inst. Præterea & secundo dato, ꝙ Papa seipsum posset absoluere, hoc esset intelligendum in his in quibus habet potestatem absoluendi: secus videtur in his q̃ sunt de iure naturali, vel diuino, vel ex contractib. in quib. efficaciter obligatur, vt s. dictum est. Vel tertiò concludenter respondetur, ꝙ dictum Petri de Anch. habet locum, put etiam ipse loquitur, qñ subesset iusta causa absoluẽdi, sed nulla causa subsistente, absolutio nullo modo fieri potest per supradicta. Et ista est clara responsio quæ de plano & indubitanter ꝓcedit. Non obstat ꝙ notat Abb. *in d. c. sicut nostris*, quia in casu nostro nihil facit: nam ibi Abb. loquitur qñ fuit facta ꝓmissio in conclaui ante electionem Pontificis, sed in casu ꝓposito fuit facta ꝓmissio à sumo Pontifice, post eius ꝓmotionem. Præterea Abb. ibi loquitur qñ ꝓmissio facta erat in piudicium dignitatis Pontificalis, ꝙ non est in casu isto, in quo ꝓmissio respicit honorẽ & dignitatẽ Ecclesiæ vniuersalis, vt Conciliũ congregetꝰ ꝓ reformatione Ecclesiæ, & cultus diuini, qui debet augeri, *c. ex parte, de const. c. vasa, de consec. dist.* 1. & ibi glos. & fauor Ecclesiæ respicit vtilitatẽ publicã, vt notat. per gl. 24. *q.* 4. *in Can. quid ergo*: facit tex. *in l.* 1. *§. huius studii, ff. de iust. & iur.* & ex his satisfactũ sit secundo dubio: & Conclusio est, ꝙ Papa ex tali ꝓmissione efficaciter obligetur, & non possit aliquo modo absolui, & ꝙ ad obseruationẽ iuramenti & ꝓmissionis astringi possit.

XXII. Accedo ad tertiũ dubiũ, in quo breuiter & conclusiuè respõdet, ꝙ licet regulariter Conciliũ generale Papam iudicare non possit, vt not. per gl. *in Can. nemo*, 9. *q.* 3. *& in Can. mandastis*, 2. *q.* 5. Tamen in casib. specialib. in quib. s. dictum est ꝙ Papa accusari & conueniri potest, dicendum est & concludendum, ꝙ Concilium generale sit iudex: hoc expressè oẽs dicunt in causa hæresis & fidei, gl. & Domin. *in Can. Anastasius* 19. *dist.* Archidi. & Domin. *in c. De: fauorem de hæret. in VI.* Abb. *in c. proposuit, de concess. prabend. colum. penult. in c. significasti, in* 7. *duob. de elect. & in c. fraternitatis in princ. de hæred.* Archiep. Florentinus *in tit.* 23. *c.* 2. *§.* 6. *in* 3. *parte eius summa*, Cardin. *in Consil.* 150. *quæsitum sæpe fuit, in* 4. *dub.* Et tali casu considerandum est, quia non est speciale quod concilium sit iudex contra Papam in causa hæresis. Licet enim sit speciale quod Papa in causa hæresis iudicari possit, dicto *Can. si Papa*, 40. *distinct.* hoc posito videtur quod de iure Communi Conciliũ sit iudex in tali casu: quia parum esset iura condere, nisi essent Magistratus qui illa exequerentur. l. 2. *§. post originem ff. de orig. iuris*: ideo statim quod statutum specialiter fuit, quod Papa in causa hæresis iudicari possit, videtur quod ordinario iure ab ipso Cõcilio iudicari debeat. Et ideo pari ratione videtur, quod etiam in omnibus casibus specialibus, in quibus Papa iudicari potest, quod Concilium generale sit iudex. Et ad hoc facit quod notat Card in dicto *Consilio* 150. *in primo dubio*: & quod in crimine notorio & scandaloso Papa à Concilio iudicari possit, latè ꝓbat Roma. *in Consil.* 523. *quæstio discutienda*, per totum: & idem Abbas dicit *in c. proposuit, de concess. prabend. col. fi.* & Doctores omnes in locis s. allegatis in primo dubio, qui tenent ꝙ Papa iudicari possit, intelligũt à Concilio: & faciunt istam consequentiam, ꝙ si Papa iudicari potest, quod Concilium sit iudex. Et ideo in hoc non videtur laborandum, & in ista conclusione residet Card. Alexandrinus *in Can. Synodum col.* 2. .7. *distinct.* & ita breuiter tertium dubium expeditum sit, quod satis cum primo coniunctum videtur, vt supra dictum est.

XXIII. Vltimò superest quartũ dubiũ, ꝓsupposito quod Concilium generale sit iudex in casibus specialiter supradictis. Quæritur de modo congregandi Conciliũ, & ad hoc et paucis respondetur, quod licet congregatio Concilij generalis regulariter debeat fieri à sumo Pontifice, 3. *distinct. § porro, & in Can.* 1. & per totum 17. *dist.* tamen quando Papa ipse accusari & iudicari debet, auctoritas Papæ in causa eius propria non requiritur, vt decidit Bald. *in c. olim*, circa finem, in verbo *idem ait, de rescrip.* & tali casu congregatio Concilij spectat ad Cardinales, & sufficit maior pars pſentium, & non habet locum ꝙ dicitur in c. licet de elect. & idem Bald. dicit in dict. *Can. olim, col. pen.* & ꝙ dictum est de Cardinalib. idẽ sequitꝰ Card. *in Cons.* 150. s. allegato, *in* 3. *dubio*: & idẽ concordat Archiep. Flor. *in tertia parte sua summa in tit.* 23. *c.* 2. *§.* 7. & cum p dictis concordat Abb. *in c. p. licet, col.* 3. *de elect.* in *ver. quis autem*, vbi ad hoc allegat Huguti. *in Can. si duo forte*, 79. *dist.* & dicit Abbas, ibi hoc practicatum fuisse Pisis: vbi Cardinales congregati scripserunt ad Principes & Prælatos Et si Cardinales non concordarent in congregando Concilium: ad Imper. spectaret talis congregatio Concilij, vt Cardin. concludit in dicto *consil.* 150. *in quarto dubio*, vbi inducit textum *in can. fin.* 65. *distinct.* & hoc latiùs prosequitur in Cardin. *in consilio* præallegato, & Archiep.

Flor. *in 3. parte tit. 23. cap. 2. §. 7.* supra allegato. & in hoc quia per alios plenè scriptum est, vlterius non insisto.

XXIV. Vlterius tamen insistendum est, quia reuocatur in dubium & quæritur, An minor pars Cardinalium, pro congregatione Concilij generalis maiorem partem requirere possit: & prima facie videbatur dicendũ quòd non, quia licet in casu s. dicto talis cõgregatio spectaret ad Cardinales, vt supradictum fuit, videtur illis competere vti Collegio, & non vti singulis, vt Bald. dicit *in c. olim, col. pen. de rescript.* & ideo maior pars ipsorum requiritur, vt etiam Bald. expressè dicit, in d. *c. olim, col. pen* alleg *l. quod maior ff. ad munic.* & subiicit, quod maior pars præsentium requiritur dummodo duæ partes pręsentes sint, *l. nulli ff. quod cuiusq; vni.* Et hoc videtur procedere secundum regulam, quæ est quod in actibus Collegij, maior pars attenditur: vt per gloss. *in c. cùm omnes de const. in verb. tract. de reb. Eccl. non alien. in 6. cum simil.* Ergo nullo modo videtur quòd minor pars alios possit requirere: & hoc idem videtur velle Card. *in consil.* 150. s. allegato, vbi *in 3. & 4. dubio* concludit, quod si Collegium Cardinalium, ad quod pertinet congregatio Concilij, sit diuisum, & nõ cõcorde in tali conuocatione, ad Imperat. talis potestas deuoluitur. Ergo videtur, quòd vna pars Cardinalium hoc facere non possit, saltẽ si sit minor pars. Et est cõmunis conclusio, quod in actib. Vniuersitatis vel Collegij debeant duæ partes interesse, & maior pars illorum sufficit, & ita intelligitur l. quod maior, vt Abb. concludit *in c. cùm omnes de const. & in c. 1. circa fin. de his quæ fiunt à maio. parte Capituli,* notat Barto. in d. l. *quod maior,* cum similib. quæ nota sunt. Non obstat quod minor pars totã potestatem consequatur propter aliorum contumaciã, vt notat Abb. in d. *c. cùm omnes, & in c. in causis. in vlt. notabili de elect. & in c. cum nobis. col. penult. eod. tit.* & idem tradit Bald. *in l. 1. col. fin. Cod. quando non pe. par.* quia hoc haberet locũ quãdo illi de Collegio vel Vniuersitate citati & requisiti fuissent à superiore, qui haberet potestatem citandi, prout loquuntur Doctores in locis præallegatis. Secus quãdo Collegium vel Vniuersitas per seipsam absq; superiore debet congregari, quia tunc pcisè duæ partes requiruntur, vt notanter Abbas dicit in dict. *c. in causis:* & ideo, cùm in isto casu Collegium Cardinalium debeat absq; superiore congregari, videtur quod duæ partes omnino debeant interesse, vt Abb. specialiter dicit in dict. *c. in causis.* Similiter non obstat, quod minor pars instante termino, intra quem actus vtilis vel necessarius debet expediri, potest maiorem partem conuocare, & in eius negligentiam actum expedire, vt notat Anton. de Butr. & Abb. post Io. And. *in c. cum nobis, col. penult. & fin. de elect.* & Pet. de Anch. *in c. 1. de const. in chart. 15. verb. videndum restat* quia respondere potest, quod in casu isto non instat terminus congregandi Concilium ipsis Cardinal. licet enim sumo Pontifici esset pfixum tempus biennij, & illud elapsum sit, tamen ipsis reuerendissimis Cardinalibus, ad quos potestas congregandi Concilium deuoluitur, non est statutum tempus, infra quod hoc facere debeant. Et si dicatur, cùm Domini Cardinales in casu videant supplere negligentiam Papæ, tempus duorum annorum statutum Papæ, videtur repetitum illis qui habent negligentiam supplere. *c. licet, de suppl. neglig. Prælat. c. 2. de concess. praben.* facit text. in l. si iudex *ff. de iudi.* Respondetur, quod ex quo etiam tempus aliorum duorum annorũ decursum fuit; ad Imperat. vel alios talis potestas deuoluta videtur: ita quod etiam omnes Cardinales non haberent vlterius potestatem, & ita prima consideratione dicendum videbatur.

XXV. Sed prædictis non obstantibus, saltem in casu pposito contrarium de iure suaderi posse hoc modo videtur, quia, vt s. dictũ est, cùm in isto casu agatur de interesse Papæ in congregatione Concilij, auctoritas eius non requiritur. vt Bald. expressè dicit in d. *c. olim de rescript.* vt s. dictum est. Cùm non sit verisimile quod ipse velit consentire, ex quo contra eum congregatur, vt dicit Card. Alex. *in Can. Synodum 17. dist.* & videmus in simili quòd licet aliquo casu consensus Prælati requiratur, *c. causam quæ, de iudi.* tamen si agatur contra Prælatum, eius consensus non requirit, vt Doctores tradunt *in c. edoceri, de rescript.* & notatur per gloss. *2. q. 7. in c. cum Pastoris,* & facit gloss. magna, in fine, *in l. cùm non solum. Cod. de bon. quæ libe.* Modo sic quod dicitur de sumo Pontifice, idẽ dicendum videtur de Cardinalibus, qui sunt apud eum vel Romæ, qui nutu ipsius Papæ mouẽtur, quia quando caput suspectum est, etiam alii qui verisimiliter caput sequuntur suspecti sunt, & de illis idem quod de capite iudicatur, vt notat Vincent. quem Abb. post alios refert, & sequitur *in c. 1. de iud.* & idem notat Bald. *in l. 1. col. 1. Cod. si Rector. prouin.* & facit text. *in c. accedens elect. 1.* & quod ibi Abb. *vt lite non contestata* vnde de talib. Cardinalib. idẽ dicendum est quod de sumo Pontifice, isti enim adhærentes sunt sumo Pontifici, & de adhærentibus idem iudicatur quod de principali. *c. ad apostolica, de re iudicat. in 6* nota. *c. 1 de post. prælato & in l. quæ religiosis,* vbi Angel. in princ. *ff. de rei vend.* Sicut ergo in tali congregatione Concilij Papa ipse, contra quem debet Concilium congregari, excluditur, ita Cardinales qui cum eo sunt, excludi videntur, & potestas congregandi Concilium, quæ ad Cardinales deuoluitur, intelligitur de Cardinalibus qui nõ adhęrent sumo Pontifici, quibus ista facultas competere videtur.

XXVI. Secundò principaliter hæc conclusio sic deducitur. Quia ego video quòd vbi agitur de interesse Ecclesiæ particularis, si platus negligens sit, potestas agẽdi ad Capitulũ deuoluitur, & Capitulo ẽt negligẽte, deuoluitur ad particulares Canonicos Ecclesiæ, vt notat Abb. *in c. 1. cum olim. col. 4. de test.* vbi ad hoc alleg. Innoc. *in c. dilecti de maior & obed.* & idem Abb. in d. *c. dilectis, col. 3.* post Hostiensem & alios, & idem tenent Anton. de But. Card. & Imola in dict. *c. cum olim,* Lapus *in allegatione 51. dicebatur in effectu,* in princip. & ad hoc facit quod notatur per glossam. *in cap.*

vt circa,

vt circa, in princip. in verbo, Aliqui, de elect. in sexto. & quod habetur *in cap. si quis Presbyterorum, de reb. Eccles. non alien. 12. quæst. 2. Can. non liceat*: & per glossam *in Can. constitutum, in gloss. penul. 16. quæst. 1. & in Can. si sacerdotes, in verb. moriendo, 16. quæst. 1. & in cap. quia contingit, in verbo indebite, de relig. domib. cum simil.* & tali casu de negligentia Prælati & Capituli constare dicitur, si quam primùm potuerunt, non sunt persecuti iura Ecclesiæ, vt notat Ant. de Butr. Abb. & Imol. post Innoc. *in d. cap. cum olim, de testib.* Et idem concludit Lapus *in alleg. 51. supra alleg.* & secundùm eos, alia monitio non requiritur: quod maximè haberet locum, si factum esset notorium, vt notatur per gloss. *in Clem. quia contingit, de rel. gloss. dom. in verbo, negligentia*, vt probatur *in cap. Romana, §. notoria, de cens. in sexto.* & tradunt Aret. & Mode. *in d. cap. cum olim*, & ista ad casum nostrum optimè applicari potest, vbi agitur de interesse vniuersalis Ecclesiæ, & maiori periculo, & ideo cautius agendum est. *Cap. vbi periculum, de elect. in sexto.* & text. *in cap. bonæ elect. 1. de postul. Præla.* vide Paulum de Castro *cons. 419. viso puncto. col. 2.* in antiquis secundùm nouam formam, & *cons. seq.* vbi plura dicit, quæ ad propositum conferunt. Et concludendum videtur, quod pro interesse vniuersalis Ecclesiæ Reuerendiss. Dñi Cardinales existentes in regali dominio, etiam ipsi particulares & singuli instare possint pro vniuersali concilio, propter negligentiam Papæ, & Collegii Cardinalium. nam negligentia Papæ constat per lapsum biennii, infra quod Papa promiserat concilium congregare, quia vbi appositum est tempus, alia monitio non requiritur ad probandum negligentiam, vt notat Baldus *in l. 2. C. de spons.* & Pet. de Anch. *in cons. 64. pro clariori decisione, circa fin.* Dom. *in cap. licet Canon. §. 1.* per illum textum *de elect. in 6.* & de summo Pontifice in casu isto, nõ est curandum, quia cùm concilium principaliter contra ipsum debeat congregari, eius auctoritas non requiritur, vt s. dictum fuit: & ideo tali casu congregatio concilii Cardinalibus incumbit, vt etiam s. dictum est, & licet videatur hoc competere Cardinalibus vti Collegio, tamẽ quia Collegium deprehenditur in negligentia, hæc prouincia ad Cardinales particulares deferri videtur, vt s. dixi in Ecclesia particulari, vt Dd. omnes tenent *in d. c. cum olim. de test. & in cap. dilecti. de maio. & obed.* Non obstat, quod non videtur apparere de negligentia Collegii Cardinalium, quia ad probandum negligentiã in facto negatiuo, de quo agitur, monitio requiritur, vt est auctor Innoc. *in cap. extirpandæ. de preben.* quem Dd. communiter sequuntur, & notat Bal. *in auth. hoc amplius. col. 4. C. de fideic.* Bald. & Imol. *in l. si mora. ff. sol. matr. cum simil.* vt tradit Alex. *in l. ita stipulatus. col. 5. de V. O.* quia ad hoc respondetur, quod illa doctrina non habet locum in casu nostro, vt in terminis dicunt Ant. de Butr. Abb. & Imol. post Innoc. *in d. cap. cum olim.* & concludunt, quod absque alia monitione, negligentia prælati & capituli probatur, si quamprimum potuerunt nõ sunt iura Ecclesiæ prosecuti: & idem tenet Lapus *in d. alleg. 51.* vt etiam s. dictum est. Et ideo dictum Innocentii videtur procedere, prout loquitur, qñ agitur, quod quis incurrat aliquam pœnam extrinsecam: Secus vbi agitur de negligentia, quæ aliter non punitur, prout Dd. loquuntur in dict. *cap. cum olim.* & ita dicit Felinus *in cap. si autem. col. 3. de rescript.* Vel secundò responderi potest, quod in casu isto agitur de facto notorio, vbi monitio non est necessaria, vt supra dixi allegando gloss. in *d. Clem. quia contingit*, & tex. *in cap. 1. §. notorio. de cens. in sexto.*

XXVII. Tertiò principaliter hoc idem comprobatur, quia propter scandalum quod imminet, Ecclesia vniuersalis opprimi videtur, & vt talis oppressio remoueatur, Conciliũ generale debet cõgregari, & in hoc videtur tractari de defensione Ecclesiæ vniuersalis. vnde sicut vbi agitur de defensione particularis Ecclesiæ admittuntur Canonici particulares, etiamsi essent excõmunicati vel periuri; vt est tex. *in cap. dilecti. de except.* & gloss. ibi, in verbo, *interlocuti*, & notatur per gloss. *in cap. cum Ecclesiastica. de except.* & dicit Abb. post Hostiensem *in dict. cap. dilecti, col. 2.* quod vbi agitur de repellendo malo Prælato, dicitur defensio necessaria, ideo etiam excommunicatus admittitur, & facit gloss. *in dict. cap. vt circa, in prin. de elect. in sexto. in verbo, Aliqui, cum similibus supra alleg.* ita videtur, quod pro defensione vniuersalis Ecclesiæ, Cardinales singulares debeant admitti, & ex omnibus supradictis conclusio videtur.

XXVIII. Quod reuerendissimi Dñi Cardinales, qui in Regali dominio reperiuntur, cõuocare possunt concilium generale nomine Collegii Cardinalium, quia totũ ius collegii in ipsis residere videtur, ex quo alii adhærentes Papæ simul cum Papa in casu isto excluduntur. Nam ius Collegii, etiam in vno solo conseruari & residere potest, *l. sicut. §. fin. ff. quod cuiusq; vniuers.* Et ideò vnus sol⁹ qui remanet de Capitulo, Prelatũ eligere potest, vt per gl. & Dd. *in c. gratũ, de postul. præl.* & in vno solo Cardinali ius Collegii residere potest, & ipse poterit Papã eligere, vt notatur per gl. & ibi Abbas *in Clem. ne Romani, §. porro, in verbo, Omnes, de elect.* & non solùm nomine Collegii, sed etiam vti singulares propter negligentiam Papę & Collegii debent admitti pro interesse vniuersalis Ecclesiæ, vt s. dictum est, & ex his iustificatur & comprobatur, quod in proposito notare voluit Petrus de Monte in libello *de potestate Papæ, colum. 16. in vers. 6. quæro*, prout illum refert fidelis recitator Felinus *in cap. super literis. in 5. charta. vers. an sua sit iurisdictio, de rescript.* vbi inquit, quod in congregatione Concilii generalis minor pars eorum, qui debent interesse, potest citare maiorem partem, vel melius dicamus, *quod minor pars eorum qui in generali Concilio interesse debent, potest requirere maiorem partem, quia citatio est actus superioris, requisitio verò etiam inter pares fieri potest*, vt notat Innocent. *in cap. cum nobis. colum. fin. de elect.* & ibi Anton. de Butr. *in col. penult. vers. venio ad secundum.* & Abb. *in fi. col.* & si alii requisiti non venerint, illa minor pars potest pronunciare, se constituere concilium generale, & apud eos esse totam iurisdictionem Concilii, vt Petrus de

Monte concludit in loco præallegato: nam tali casu, cùm Cardinales etiam particulares agere possint pro interesse vniuersalis Ecclesiæ, & defensionem vniuersalis Ecclesiæ suscipere, vt s. dictum est, & hoc debeat fieri apud Concilium (cùm alius non sit iudex per supradicta) videtur q alii requisiti, qui debent in Concilio generali interesse, teneantur cōparere pro interesse vniuersalis Ecclesiæ. Et hoc clarum est, si nomine Collegii Cardinalium requisitio facta sit, stante q ius Collegij in dictis Cardinalibus resideret, vt s. dixi. Tali enim casu omnes, qui debent in Concilio interesse, citari possunt, & non venientes excluduntur propter eorum contumaciam: & ius totū Concilii in præsentibus resideret: quia citatio fuit facta per superiorem, i.e. per Collegium Cardinalium, cui hoc ius congregandi Concilium incumbit, vt s. dictum est, per ea quæ notat Abb. *in d.c. cùm nobis. in c. in causis. de elect.* cum similib. s. allegatis. Et idem tamen videtur dicendum, si reuerendissimi Cardinales, suo nomine particulari instarent pro interesse Ecclesiæ vniuersalis, vt s. dictum est: quia, qua ratione propter interesse vniuersalis Ecclesiæ, ipsi etiam particulariter petere possunt, vt Concilium congregetur (cùm alius nō sit iudex) pari ratione, alii qui interesse debent in Concilio requisiti, propter hoc debent venire, pro ipso interesse vniuersalis Ecclesiæ: aliàs propter eorum negligentiam, potestas totius Concilii videtur in præsentibus tm̄ residere, prout dicit Pet. de Monte in loco s. allegato: & hoc etiam declarabitur respōdendo ad allegata s. in contrarium. Nō obstat ergo, dum s. primò dicitur, q potestas congregandi Concilium videtur competere Collegio Cardinalium, quia dato quod verum sit Collegium, videtur residere in istis: quia alii excluduntur simul cum summo Pontifice in isto casu per supradicta. Secundò respōdetur, q etiam dictis Cardinalibus (vti singulis) videtur hoc cōpetere ppter interesse vniuersalis Ecclesiæ, vt supradictum fuit. Nō obstat, q si Collegium Cardinalium diuisum sit, q ad Imperatorem spectat congregatio Concilii, vt Cardin. dicit *in d. consil. 150.* quia in casu nostro non videtur diuisum, ex quo ius Collegii resident in illis, qui à summo Pontifice recesserunt, vt s. dictum est. Vel secundò, dictū Cardinalis intelligitur, nisi aliqui particulares Cardinales hanc p̄uinciam susciperent, quia possunt per ea quæ s. dicta sunt. Et per hoc tollitur, q in contrarium dicitur de duabus partibus quæ requiruntur in actibus Collegii, quia hoc etiā à particularibus potest expediri, propter aliorum negligentiam, propter quam etiā ius Collegii vel vniuersitatis videtur residere in minori parte, vt s. dictum est. Non obstat q maior pars non potest dici contumax, cùm non sit citata per superiorem, quia sufficit q sit requisita. Et instante de præsenti interesse vniuersalis Ecclesiæ debuit comparere, aliter negligens videtur, & ad præsentes videtur tota potestas pertinere, sicut s. dixi de Prælato negligente prosequi iura Ecclesiæ, potestas defertur ad Capitulū: & Capitulo negligente, deuoluitur potestas ad particulares Canonicos Ecclesiæ: & negligentia Prælati, & Capituli deprehenditur, si quamprimū possunt nō sequuntur iura Ecclesiæ: ita videtur in proposito, q potestas remaneat penes minorē, ex quo maior pars requisita non venit, & non procurat interesse Ecclesiæ cùm possit, & maximè in casu notorio, prout s. dictum fuit: & quia videtur minor trāsgressio de vna parte vniuersitatis ad aliam, quàm de Prælato vel Capitulo ad particulares: quia in habentibus similitudinem facilior est transitus, *§. item per acceptilationem, inst. quib. mod. toll. obl. l. in rem. §. item quacunq. ff. de rei vend. c. cùm ab Apostolica, de his quæ fiunt à Prælato.* Vltimò non obstat, q Collegio Cardinalium nec ipsis reuerendissimis Cardinalibus non sit præfixus terminus congregandi Concilium, vt s. dicebatur, quia stante interesse Ecclesiæ alius terminus non requiritur, & eo ipso q non prouident, vt consulatur Ecclesiæ cùm possint, dicuntur esse in negligentia, vt Dd. dicunt *in d.c. cùm olim. de testi.* & supr. declaratum fuit. Non obstat, quod in casu isto Reuerendiss. Cardinales videntur habuisse terminum biennii in supplendo negligentiam Papæ, vt supr. dicebatur. Et illud tempus videtur etiam elapsum, quia responderi potest, quod dum essent Reuerendiss. Cardinales penes summū Pontificem, nō potuerunt talem congregationem facere, ideo ipsis impeditis tempus non currit, *c. quia diuersitatē, de concess. præb.* Præterea non agitur hic de supplendo negligentiam Papæ, quia ex alio capite talis potestas congregandi Concilium ipsis reuerendissimis Cardinalibus immediatè conceditur: quia cùm sit Concilium congregandum contra ipsum summum Pontificem eius auctoritas nō requiritur, vt supra dictum est: & si hactenus hoc non fecerunt, excusati fuerunt, quia erant apud ipsum Pontificem, & hoc facere non potuerunt, Cardin. *d. c. quia diuersitatem.* Et ita remotis omnibus allegatis supra in contrarium firmata remanet talis conclusio, quæ ad practicam, hoc modo reduci potest. Quod Reuerendiss. Cardinales congregentur in loco idoneo, pro Concilio prout eis videbitur, & ibi congregati (promouentibus sereniss. Imperatore & Christianissima Regia Maiestate) ipsi nomine Collegii Cardinalium, quod in eis repræsentatur, & etiā nomine ipsorum particulariter omni meliori modo &c. faciant requirere omnes qui in Concilio generali interesse debent, vt veniant ad congregationem Concilii pro maximo & euidenti interesse Vniuersalis Ecclesiæ & totius Religionis Christianæ: quibus non venientibus, eorum negligentia deprehenditur, propter quam totum ius Concilii generalis residebit in præsentibus & ipsi pronuntiabunt se in effectu constituere Concilium generale, & apud eos esse totam iurisdictionem Concilii generalis, vt concludit Petrus de Monte in loco supra allegato, cuius decisio prima facie videbatur non esse secundùm regulas iuris communis: sed tamen ex his, quæ supra dixi iustificari videtur. *Laus Deo.*

PHILIPPVS DECIVS PAPIÆ.

SERMO

SERMO DE EADEM MATERIA, EDITVS PER EXCELLENTISSIMVM VTRIVSQVE Iuris Doctorem Philippum Decium siue de Dexio, Mediolanensem, pro iustificatione Concilii Pisani, nunc Mediolani residentis.

SVMMARIVM.

1 *Non esse iudicandum de actionibus, priusquam causa illarum cognita fuerint.*

2 *Omnium hominum atque ipsius Iulii II. confessione, Ecclesia reformatione in capite & in membris indigebat.*

3 *Conciliis tantum generalibus Ecclesia reformari potest.*

4 *An Concilium Pisis indictum sit legitimum.*

5 *Congregatio Concilii generalis regulariter spectat ad summum Pontificem, tamen duabus de causis Concilium sine consensu Papa congregari potest.*

6 *Vbi caput suspectum est, etiam alii qui caput sequuntur, suspecti sunt, proinde duo aut tres Cardinales Concilium conuocare potuerunt.*

7 *Vbi agitur de interesse Ecclesiæ particularis, si Prælatus fuerit negligens, potestas agendi ad Capitulum deuoluitur.*

8 *Responsio ad obiectiones bullæ Iulii II. contra Concilii Pisani conuocationem.*

9 *Papa correctioni fraternæ subiicitur.*

10 *Cardinalibus, vt se contra Iulii violentiam defenderent, præsidio armato vti licuit.*

11 *Falsò Pisani Cardinales crimine falsi accusantur à Iulio II.*

12 *Excusationes quibus Iulius II. persuadere vult se non fuisse obligatum ad Concilii conuocationem.*

13 *Concilium Lateranense haberi non potuit Romæ, propter violentiam Iulii II. à quo ratio villicationis suæ tutò & liberè exigi non poterat.*

ANtequam perscruteris, non reprehendas, intellige prius, & tunc increpa. Verba sunt Salomonis, Damaso Papa referente *in Can. eorum* 11. *quæst.* 3. In labyrinthum enim erroris incidit, qui prius iudicat quàm intelligat: vt legitur in *Can. sciendum.* 29. *distin.* & tale iudicium temerarium est, quod non nocet illi, de quo temerè iudicatur, sed ei qui iudicat, *Canon. temerarium* 11. *quæst.* 3. nam cogitare & meditari quis debet, quid loquatur, 50. *distinct. Can. ponderet. in princ.* Virtus lenta est, & omnia percunctatur, iniquitas autem omnia præcipitat, *de pœnit. dist.* 3. *Canon. inter hæc hircum.* Non sum nescius, Reuerendissimi Patres & supremi gradus Antistites, quàm plurimos admirari, quod à Reuerendissimis paternitatibus vestris Concilium Pisis indictum fuerit, & quidem à minori parte Cardinalium, cùm talis facultas prius summo Pontifici competere videatur, & eo negligente ad Collegium Cardinalium deferatur. Sed illos rogatos quamplurimum esse velim, ne quod maturè & legitimè factum fuit, prius damnent & iudicent, quam singula rectè intelligant, quia ex infra dicendis liquidò apparebit, Concilium iuridicè & legitimè Pisis indictum fuisse, ad cuius rei euidentem demonstrationem sic proceditur.

II. Constat enim & omnibus exploratum est, Ecclesiam vniuersalem, quæ congregatio fidelium dicitur, *Can. Ecclesia. de consecr. distin.* 1. indigere reformatione in capite & in membris. nam primo de capite, Leo Papa sanctissimus scribit, *totius familia Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inueniatur in capite*, Can. miramur 61. distinct. ipse enim summus Pontifex maiorem zelum in cultu Dei habere debet, quàm alii Christiani, vt dicitur *in Can. officiis* 24. *quæst.* 1. & capite languescente cætera corporis membra inficiuntur, 6. *quæst.* 1. *Can. ex merito. & in Can. sunt plurimi. §. verum. ead. causa & quæstione.* Secundò idem de membris dicendum est, non solùm enim Episcopi & Presbyteri, sed omnes Clerici, & omnes qui domui Dei inseruiunt, magnopere præuidere debent, vt totum populum sermone, conuersatione, & operibus præcedant, quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores esse laicos quàm clericos, *Canon. qualis* 8. *q.* 1. vita enim Pastoris debet esse exemplar subditis, 2 *quæst.* 7. *Canon. cum pastoris*, & non sufficit quod Prælati æqualem vitam cum subditis ducant, *Canon. fina.* 8. *quæst.* 1. & Prælatus vilissimus reputatur, nisi sicut honore præstantior est, ita scientia & sanctitate præcellat, *Canon. vilissimus* 1. *quæstio.* 1. Delicta namque Prælatorum facile transeunt in exemplum subditorum: & scandalum generatur mentibus laicorum, dicentium, vbi est Deus clericorum, vt legitur *in cap. magnæ, de voto*: & scire Prælati debent, quod si peruersa perpetrant, tot moribus digni sunt quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt, *Can. præcipuè* 11. *quæst.* 3.

III. Ad talem igitur necessariã Ecclesiæ vniuersalis reformationẽ mediante salutari remedio Concilii procedendũ est: in Conciliis enim *velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura cõsurgit, & cuiuslibet vitæ atq; actionis norma cõsistit*, vt inquit tex. in Can. sicut sancti 15. dist. *& frequens Cõciliorum generaliũ celebratio, agri Dominici præcipua cultura est, quæ vepres, spinas, & tribulos hæresum, errorũ, & schismatum*

schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat. & vineam Domini ad frugem vberrimæ fertilitatis adducit: vt habetur in Canon. Constantiensis Concilii, in Canon. *frequens*: talis enim reformatio in Concilio generali maturius conficitur: quia ibi quamplures conuocantur, & omnes in vnum conueniunt, *Can. Canones. §. Concilii vero, 15. distinct.* vnde *firmius reputatur iudicium plurium quam vnius*, cap. prudentiam, in princ. de offic. deleg. & *facilius inuenitur, quod à pluribus quæritur*, Can. fin. 20. distinct. Et magis *integrum est iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur*, 64. distinct. can. extra conscientiam, cap. per hoc, §. verum. vbi domin. *de heret. in sexto*. Et ista ratione, quia factum in Concilio firmius reputatur, clausula generalis non tollit constitutiones conciliares, sed specialis derogatio requiritur, vt notat Archidiac. *in cap. 1. de constitu. in sexto*. Bald. *in l. humanum, C. de legi*. Et hac ratione Episcopus contra constitutionem conciliarem dispensare non potest, vt notatur per glossam *in cap. cum dilecti*. in verbo *ætate, de elect.* & in tali congregatione Concilii, quod omnino fieri debeat pro reformatione vniuersalis Ecclesiæ, omnes conueniunt, & fateri necesse est: Et ipse summus Pontifex non negat nec negare potest, cùm ad hoc se cum voto & iuramento astrinxerit, & hac ratione Concilium Romæ indixerit.

IV. Sed difficultatem facit, quod Concilium præualere debeat, vel hoc Pisanum à Reuerendissimis Cardinalibus ob negligentiam summi Pontificis prius institutum, vel illud quod à summo Pontifice nouissimè indictum fuit: & ideo pro vera resolutione videndum est de duob. Primò, an indictio Concilii facta à Reuerendissimis Cardinalibus iuridicè facta fuerit. Secundò, an impugnari possit ex his, quæ in bulla summi Pontificis continentur.

V. Circa primum conclusiuè concedam, ponendo conclusiones, quæ latius *in Consilio* à me edito habentur. Vnde considerandum est, quod licet congregatio Concilii generalis spectet regulariter ad summum Pontificem (*can. 1. in fin. Can. 2. per totum. 17. distinct. & 4. distinct. in §. porro*, & absque auctoritate Papæ congregatum Concilium dicitur Conciliabulum, *Can. multis, in princip. 17. distinct.*) hoc procedit regulariter, prout expresse dicitur in dict. *Can. 1. 17. distinct.* & secundum regulam loquuntur iura supr. allegata cum similibus. Sed prædicta regula fallit in duobus casibus, primus est *quando Papa ipse accusandus sit, quia tunc auctoritas eius non requiritur*, vt decidit Bald. *in cap. olim, in fin. de rescript.* & notat Dominic. *in cap. ad Apostolica, in princip. in not. de re iudic. in sexto.* & ad hoc facit, quia licet in aliquo casu consensus alicuius requiratur, tamen si contra eum agatur talis consensus remittitur, vt de Prælato notatur, *cap. edoceri, de rescript.* & per glossam *2. quæst. 7. in can. cum pastoris.* & facit glossa magna in fine, *in l. cum non solum. C. de bon. quæ liber.* & ideo tali casu, quando contra Papam agitur, Concilium est supra Papam, & illum iudicare potest, vt notat Archidiac. & Domin. *in cap. in Dei fauorem. de heret. in sexto.* Abb. *in cap. significasti, de elect. in cap. proposuit. de conces. præbend. & in cap. fraternitatis, in princip. de heret.* Secundus casus est, quando Papa est negligens in congregando Concilium, quia tunc Concilium à seipso congregari potest, vt concludit Anton. de Rosel. *in tracta. de potestate Papæ, in charta 52. colum. 3.* vbi in isto casu dicit, cautelam esse, quod Concilium pronuntiet, Papam nolentem Concilium congregare, vel illi auctoritatem impertiri, suspectum esse de hæresi; & loco Papæ Concilium habebit auctoritatem; & idem concludit de Turrecrem. Cardinalis sancti Sixti, qui fuit acerrimus defensor Papæ, & tamen ita tenet *in Summa de Ecclesia, in 3. lib. cap. 8. in colum. 4.* vbi inquit, quòd tali casu Cardinales habent potestatem congregandi concilium. & hoc idem tradit Cardin. *in cons. 150. quæsitum sæpe fuit. in 3. dubio.* Abb. *in cap. licet. colum. 3. de elect.* & Archiep. Florent. *in 3. parte eius summæ. in tit. 23. cap. 2. §. 7.* Vnde cùm in isto casu agatur de reformatione, quæ etiam in capite fieri debet in facto proprio summi Pontificis auctoritas sua exspectari non debet, vt dictum est: Similiter cùm appareat de manifesta Papæ negligentia in conuocando concilium, Reuerendissimi Domini Cardinales absque eo concilium congregare potuerunt per supradicta: Nam per lapsum biennii infra quod Papa promisit congregare concilium à die suæ assumptionis, constat de negligentia: quia vbi est appositum certum tempus ad probandum negligentiam alia monitio non requiritur, vt notat Bald. *in l. 2. C. de sponsal.* Petrus de Anchar. *in cons. 64. pro clariori decisione, in fin.* Dominic. *in cap. licet canon, §. 1. de elect. in sexto.* & sic patet, quod duplici ex capite Cardinales potuerunt absque summo Pontifice concilium in isto casu indicere, & de hoc non videtur dubitandum.

VI. Sed maximum dubium facit, quod licet in prædictis casibus congregatio concilii spectaret ad Cardinales, vt dictum est, videtur illis competere vt Collegio, & non vt singulis, vt Baldus inquit in dict. *cap. olim. colum. penult. de rescript.* & ibi dicit, quod maior pars Cardinalium requiritur. Ergo videtur, quod minor pars, prout in casu isto fuit, hoc facere non potuerit. Ad hoc, in quo tota difficultas consistere videtur, responderi potest, & diligenter aduertendum est, quia sicut in proposito Papa ipse excluditur, cùm de facto eius proprio agatur, vt supra dictum est, ita pariter excludi videntur alii Cardinales, qui sunt apud ipsum Pontificem, quia quando caput suspectum est, etiam alii qui caput verisimiliter sequuntur, suspecti sunt, & de illis idem quod de capite iudicatur, vt notat Abb. post Vincent. & alios, *in cap. 1. de iudic.* Bald. *in l. 1. colum. 1. C. si Rector prouin.* facit textus *in cap. accedens, el 1.* & quod ibi Abb. *vt lite non contest.* Nam tales adhærentes sunt summo Pontifici, & de adhærentibus idem iudicatur quod de principali, *cap. ad Apostolica, de re iudi. in sexto. cap. 1. de postul. prælato. l. quæ religiosis.* vbi Angelus *ff. de rei vendicat.* Sicut ergo in tali congregatione concilii Papa excluditur, ita Cardinales omnes qui apud ipsum resident,

resident, excludi videntur, & potestas congregandi Concilium, quæ ad Cardinales in supra dictis casibus deuoluitur: intelligitur de Cardinalibus, qui non adhærent summo Pontifici, quibus ita facultas videtur competere: quia totum ius Collegii in ipsis videtur residere, cùm etiã in vno ius Collegii conseruari possit, *l. sicut. §. fin. ff. quod cuiusque Vniuers.* & ideo vnus solus qui remanet de Capitulo, eligere potest Prælatum, vt per gl. & Dd. *in cap. gratum. de postul. prælat.* & etiam in vno Cardinali ius Collegii residere potest, & ille solus Papam poterit eligere, vt notatur per gloss. vbi Abb. in *Clem. ne Romani porro. in verbo omnes, de elect.*

VII. Secundò principaliter responderi potest, quod prædicti reuerendiss. Cardinales, etiã vti particulares, duo vel tres, dictum Concilium indicere potuerunt: quia videmus quòd vbi agitur de interesse alicuius Ecclesiæ particularis, potestas agendi in primis incumbit Prælato, & si Prælatus negligens sit, ad Capitulũ deuoluitur, & Capitulo etiã negligente deuoluitur ad particulares Canonicos Ecclesiæ, vt not. Abb. *in c. cum olim. de testi. col. 4.* vbi ad hoc allegat Innoc. *in cap. dilecti. de maior. & obed.* vbi etiã Abb. post Hostiens. & alios, & idem tenent Ant. de Butr. Cardin. & Imol. in d. cap. *cum olim*, & Lapus *alleg. 51. dicebatur in effectu, in princ.* & de tali negligentia Prelati & Capituli constare dicitur, si quàm primum potuerunt, non sunt prosecuti iura Ecclesiæ, & alia monitio non requiritur, vt concludunt Ant. de Butr. Imol. & Abb. post Innoc. *in d. c. cum olim. de testib.* & ista ad casum nostrũ bene applicari possunt, vbi agitur de interesse Ecclesiæ vniuersalis, & de maiori præiudicio, ideo cautius agendum est, *cap. vbi periculum, de elect. in 6. cap. bonæ, el 1. de postu. prælat.* Vnde concludendum videtur, quod reuerendiss. Cardinales, etiam vti particulares, agere & instare possunt pro interesse vniuersalis Ecclesiæ, de quo agitur. Et hoc confirmatur, quia propter scandalum quod imminet, Ecclesia vniuersalis opprimi videtur, quia si agatur de repellendo malo Prælato, dicitur defensio necessaria, vt Abb. dicit post Hostien. *in 2. col. in cap. dilecti de except.* quo casu particulares, etiam si periuri sint & excommunicati, admittuntur pro defensione necessaria Ecclesiæ, d. *c. dilecti*, vbi gloss. in verbo *interlocuti.* & per gloss. *in cap. cum Ecclesiastica, de exception.* Nec obstat si dicatur quod de negligentia Prælati & Capituli constare non videtur, quia ad probandum negligentiam quæ in facto negatiuo consistit, monitio necessaria est, vt est dictum Innoc. *in cap. extirpanda, de præbend.* Doctores communiter illud sequuntur. Bald. *in Auth. hoc amplius col. 4. Cod. de fideicom.* Bald. & Imola *in l. si mora. ff. sol. matr.* cum similibus vt tradit Alexand. *in l. ita stipulatus, col. 5. de ver. obl.* quia ad hoc respondetur, quod illa doctrina non habet locũ, vbi agitur de interesse Ecclesiæ, vt in terminis dicunt Anton. de Butr. Immola, & Abb. post alios, in dict. *cap. cùm olim*, & Lapus *in allega.* præalleg. & dictum Innocentii videtur procedere prout loquitur, quando agitur quod quis incurrat aliquam pœnam extrinsecam, puta vt priuetur beneficio propter non residentiam, secus vbi agitur de negligentia simplici, quæ non punitur, prout loquuntur Doctores in dict. *cap. cum olim*, & ita Felinus dicit *cap. si autem col. 4 de restit.* Secundò responderi potest quod in isto casu agitur de facto scandaloso & notorio, quo in facto notorio non est monitio necessaria, vt per gloss. *in Cle. quia contingit*, in verbo *negligentia, de religios. dom.* facit text. *in cap. Romana §. notoria de Censibus in 6.* Et de his in Consilio priùs dictum fuit: Et ita breuiter primum dubium absolutum sit.

VIII. Venio ad secundum, videlicet ad ea quæ in bulla summi Pontificis dicuntur, quibus omnibus & singulis iuridicè & breuiter sic responderi potest. Primò enim reuerendissimis Dominis Cardinalibus obiicitur, quòd sine legitima causa à capite recedentes se Papiam contulerunt.

IX. Sed respondetur, quòd id quidem consultò & iustissima ratione factum fuit: cùm n. summus Pontifex charitatis officio secundum regulam Euangelii, cui ēt ipse subiicitur, ab eis sæpius monitus & requisitus fuisset, & non audiuerit, suamq; promissionẽ cum voto & iuramento factam adimplere negligeret: licuit ipsis procurantibus reformationẽ vniuersalis Ecclesiæ, prout tali casu eorum officiũ postulabat, insalutato hospite recedere, cũ absq; periculo carceris & vitæ licentia peti non potuisset, & illam obtineri non posse illis satis cõstaret. De prædicta n. regula Euangelii, habetur *in c. nouit. de iud. in can. si peccauerit 2. q. 1.* & illam quilibet obseruare tenetur *c. ex iniuncto, §. fin. de hæret.* & illi ēt Papa subiicitur, *25. q. 1. in Can. sunt quidam*: & in terminis de Concilio, notat Abb. *in c. proposuit, col. 3. de concess. præbend.* & Papa negligente congregare Concilium, ad reuerendissimos Cardinales pertinet congregatio Concilii, vt Cardin. tradit *in Concilio 150. quæsitum sæpe fuit, in tertio dubio.* Abb. *in c. licet, col. 3. de elec.* & quia cùm agendum sit contra ipsum summum Pontificem, non illi, sed Cardinalibus conuocatio Concilii videtur cõpetere, vt Bald. concludit, *in c. olim in fin. de rescript.* & Doctor. *in c. ad Apostolica, in princ. not. de re iudi. in 6.* & ipsis reuerendissimis Cardinalibus videtur cõpetere vti Collegio, & ēt in ipsis particularib. vt in Consilio deductũ & ostensum fuit. Et reuerendissimos Cardinales qui recesserunt, exemplũ aliorũ reuerendissimorũ Cardinalium admonebat, qui hac de causa trãsgressionis voti & iuramenti à Gregorio XII. qui Lucæ morabatur, discesserunt, & Pisas se contulerunt, vt refert Anton. de But. *in c. 1. col. 2. de consti.* & certè nulla ratio suadet quod summus Pontifex ex hoc tñ debeat commoueri: cùm ipse dum esset in minoribus sæpius ob minores & longè leuiores causas à plurib. summis Pontificib. absq; licentia recesserit, & reuocatus sub grauissimis censuris redire noluerit. Vnde incongruũ est, quod in hoc reuerendissimi Domini Cardinales ab eo arguantur, *3. q. 7. in c. iudicet*: Et legitur quod nihil obiicere debet Catilina Cethego, vt notatur per gloss. per illum text. *in l. quoniam, Cod. de hære.* facit text. *in lege in arenam, Codice de inofficioso testam.* cum similibus.

X. Nec,

X. Nec, vt in secundo dicitur, argui & reprehendi reuerendissimi Domini Cardinales debent ꝙ præsidio armatorum vsi fuerint, quia licet armorum vsus, pſertim Ecclesiasticis, prohibitus sit, & vt Ambrosius inquit, arma Clericorum sint lacrymæ, *Can. Conuenior, 23. q. 8. & 56 dist. can fin.* tamen ad suam defensionem Clerici familiares armatos suscipere non prohibentur, cum leges omnes omniaq; iura vim vi repellere cunctisque se defendere permittãt, *c. dilecto, in princ. de sent. excom. in 6. l. sciendum, §. qui cùm aliter ff. ad l. Aquil.* adeo ꝙ etiam Cardinalem ꝑ defensione interficere permissum sit, vt notat Angelus *in l. vt vim. ff. de iust. & iure*, & monacho contra Abbatem in eum sæuientem armata manu resistere licet, vt Card. dicit *in Cle. 1. in ver. præfata, de statu monach.* & de Paulo legitur qui petijt milites à Prætore quorum præsidio illæsus seruaretur *3. q. 3. can. ex differentia, in fine*, & licitè Cardinales aufugiebant per ea quæ habetur *7. q. 1. can. sciscitaris, & can. aduersitas, eadem 7. q. 1.* Nec minus quoq; reuerendissimis Cardinalibus obstare videtur, quod falsò quidem tertiò asseritur illos voluisse ad summum Pontificem redire & desertionis suæ veniam petijsse. Quo enim spiritu de regressu ad eum cogitare debuerunt, cuius minis territi admodum erant apud eum residentes, plurimumq; lętarentur è manibus eius euasisse, & Papiam saluos applicuisse, maximas Deo gratias agerent? Et licet fortè nonulli à seipsis pro concordia & compositione verba fecissent (eis etiam non prohibentibus id ex industria ab ipsis toleratum fuit) ne summus Pontifex cõmotus in eos sæuiret: qa vt Hieronymus testatur, etiam homines iusti ꝑ tempore aliqua simulare possunt, ob suam & suorum salutem, vt inquit text. *in can. vtile, 22. q. 2.* facit text. *in c. afferte, de præsump. in Can. si quælibet culpa. 22. q. 2.*

XI. Ad illud vero ꝙ reuerendissimis Dominis Cardinalib. maximo animo impetu & exaggeritatis verbis de falsitate opponitur, ex eo ꝙ nõnulli (ex his quorũ nomine simul cum alijs Concilium Pisis indictũ fuit) negant se vnq̃ in tali re consensisse. Respõdetur ꝙ hoc negare nullomodo possunt, qa per litteras eorũ consensum præstiterunt, quib. literis ẽt priuatis mandatum ꝓbatur, *Clem. 1. de Procur. lib. 1. §. 1. ff. de Procur.* & hoc q̃plures reuerẽdissimi Cardinales attestant, qbus potius credendũ est, quàm vni qui solus contradicit, vt summo Pontifici reconcilietur, & eius gratiã aucupetur, *cap. in nostra de testib. c. licet causam, de probat. l. 3. §. 1. ff. de testib.* & certè de tali falsitate nullo modo ꝓsumendum videtur, cùm ille vel illi ex abundanti inscripti fuerint, & absq̃ illis Concilium Pisis indici potuisset, vt in Consilio deducitur, quo casu vbi agit de modico interesse falsitas nunq̃ præsumitur, *c. accedens, de crimine falsi*, & cùm requisitio facta fuerit *omni meliori modo quo fieri potuit*, valet conuocatio ex personis illorum qui soli habebant potestatem: qa clausula illa *omni meliori modo*, operatur ꝙ actus valeat ex isto capite ꝙ potuit fieri, vt notat Bart. & Imola. *in l. cum pater, §. filius matrem de l. 2.* & Cardinal. & Imola. *in c. ex literis de officio deleg.* & notat. Bald. *in l. quotiens, col. fin. Cod. de hered. inst.* Paulus de Castro *in Consilio 365. super puncto, col. pen.* Fulg. *in Consilio 90. in q. col. 2.* cum similib. quæ nota sunt.

XII. Quod autem ad excusandũ suam negligentiam summus Pontifex longo verborũ apparatu conatur ostendere ꝙ cũ esset in minorib. omni studio & diligentia ꝓcurauit vt generale Cõciliũ celebraretur, & status Rom. Ecclesiæ in melius reformaretur: Responsio clara videt̃, nam licet summo Pontifici credendum videatur vbi de facto eius attestatur, Clem. 1. de ꝓbat. hoc tamẽ non ꝓcedit in his, in quib. Papa liberam nõ habet potestatẽ videlicet in præiudicium tertij, vt in casu isto videtur, & ita Abb. concludit in d. *Cle. 1. in fi. & in c. cum nobis de testib.* idem dicit Petrus de Anch. *in Consil. 399. præmitto, in fi. col.* Paul. de Castr. *in Consil. 156. viso & examinato pũcto, col. fi.* Et ideo prædictis verbis summi Pontificis licet ornatissimis, nulla fides adhiberi debet, quia vt Augustin9 testatur in Can. sedulo 38. dist. *melius est veriores quàm disertiores audire sermones, sicut ma è quis debet prudentiores quam formosiores habere amicos.* Et certè nouum est, & hactenus inauditum fuit, sanctitatem suam, dum Cardinalatus officio fungeretur, operam præstitisse vt Conciliũ generale conuocaretur, & si tanto Concilij desiderio ipse summus Pontifex, vt asserit, concitatus fuisset, cur ad Pontificatum assumptus suum desideriũ adimplere neglexit, ẽt nulla habita ratione voti & iuramẽti? Et fragilis & leuissima eius excusatio videtur, q̃ ex bellorũ motib. causatur, quia ẽt tempore assumptionis eius, superant huiusmodi bellorũ impedimenta, vt ẽt ipse confitetur: & tamen se celebraturum Concilium ĩ. biennium cum voto & iuramento ꝓmisit, ideo ꝓpter hoc nõ excusatur, vt notat Cyn. *in l. ex conducto §. 1. ff. de loca. Bal. de pace Const.* in verbo *vassalli, el. 2. & in l. si ea col. pẽ. nult. Codice de vsur.* Alex. *in l. interdum §. quo ex naufragio, in fi. de acq poss.* Et certè hac de causa potius Concilium accelerari debuisset cùm illud salutare sit remedium, vt bellis imminentibus consulatur: vt etiam ipse summus Pontifex in sua bulla attestatur, ex quo in tali excusatione repugnantia & manifesta contrarietas deprehenditur, quæ admitti non debet *l. 1. Cod. de furtis. cap. sollicitudinem de Appel.* Et dum successiuè allegatur quod à solis Romanis Pontificibus Concilia generalia congregari & indici debent, non negamus hoc esse verum regulariter vt canones dicũt: sed summo Pontifice, cui inprimis talis cura incumbit, negligente, ad reuerendissimos Dominos Cardinales Pontifici non adhærentes potestas, ista defertur, vt supra dictum est. Et cùm in casu isto negligentia summi Pontificis, præsertim ex decursu temporis manifesta appareat reuerendissimi Domini Cardinales optimo iure Conciliũ Pisis indixerunt, & cùm agatur de euidenti & maximo interesse vniuersalis Ecclesię, hoc absq; alia monitione facere potuerũt, vt s̃. in Cõsilio dictũ fuit, & hoc fauore Ecclesiæ permisũ videt̃ vt nauiculæ Pet. fluctuãti succurrat̃ hoc n.

fauore

fauore Ecclesiæ, sæpe numero à regulis iuris communis receditur, *l. sunt personæ ff. de relig.* facit text. *in l. fin. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis*, facit text. *in can. indignum, 18. dist. & in c. sedulo*, & quod de baptismo dicitur *in C. n. retulerunt, de consec. dist. 4.* Non obstat quod sanctitas Papæ velit & semper possit de æquitate canonica moram purgare, vt notat Bald. *in l. qui crimen in 6. quæst. Cod. de accusa.* Alexan. *in l. si insulam col. 2. de verborum obligat.* quia respondetur illud habere locum ad euitandum pœnam extrinsecam, quæ ab æquitate canonica est aliena, prout loquitur text. qui allegatur *in cap. fuant de pœnis*; secus si agatur simpliciter de facultate faciendi actum quæ moroso competat, quia si in alium translata sit mora purgari non potest, vt notat Imola in dicta *l. si insulam*, quem Alexand. ibi refert *col. 18. vers. 8. principaliter fallit.* Et licet Alexan. dubitare videatur, tamen pro dicto Imola facit, & quod notat Bart. per illum tex. *in l. liberto, §. Lucius ff. de annu. leg.* Bald. *in leg. dictam. Cod. de condi. ob causam.* Et hoc maximè videtur habere locum in isto casu in quo res non est integra, ideo videtur quod mora purgari non possit. Præterea nulla ratio purgationis moræ haberi debet ex eo quod de facto summi Pontificis agendum erit, in quo eius auctoritas minimè requiritur, vt s. dictum est. Vnde cùm in tali causa facultas congregandi Concilium ad summum Pontificem non pertineat, purgatio moræ in eo considerari non potest. Nec obstat quod dicitur de Concilio Constantiensi, quod contra Ioan. XXIII. eo auctore congregatum fuit, licet eius causæ ageretur: quia hoc minimè verum est, vt constat ex ipso Concilio Constantiensi, vbi in principio dicitur quod congregatio illius Concilij facta fuit vt perficerentur quæ ab Alexandro Quinto in Concilio Pisano inchoata fuerant, & ita patet quod à principio illud Concilium congregatum non fuit contra Ioannem XXIII. bene verum est quod postea Concilium insurrexit contra ipsum Ioannem XXIII. & voluit villicationis eius rationes perscrutari, & tunc ipse nedum auctoritatem non interposuit, sed aufugit, & propter fugam & contumaciam priuatus fuit: Et dato quod ipse etiam in facto proprio auctoritatem interposuisset, ex abundanti illud fecisset, & non sequitur quod esset necessaria, & quod absque eo Concilium congregari non potuisset. Præterea, esto quod mora purgari à summo Pontifice potuisset ex oblatione Concilij facta in loco notoriè non tuto mora purgari non videtur, quia talis oblatio ad purgandam moram in loco congruo fieri debet, *l. si soluturus. ff. de sol.* notatur *in l. quæ decen. in principio eodem titulo in l. acceptam*, vbi Bart. *Cod. de vsur. in l. illud*, vbi gloss. *ff. de pericul. & commod. rei vendi.* Nihil etiam obstare videntur quæ de breuitate temporis & inhabilitate loci ciuitatis Pisarum opponuntur, quia terminus arbitrarius est, cùm à iure determinatus non reperiatur, *ar. l. 1. ff. de iure delib.* & etiam si præfixus fuisset propter periculum quod imminet, restringi ac moderari potuisset, qui regulariter quilibet terminus ex causa moderari potest. vt notat Bart. *in l. 2. ff. de fer. & ind.* not. *in cap. cùm sit Romana, de app.* vbi Abb. cum similib. vt ibi dixi, in termino enim constituto prouideri poterit, vt futuris & imminentibus malis occurratur, in quibus periculum est in mora, deinde terminus prorogari poterit, prout Concilio videbitur: & aliàs cum minori dilatione, tempore Gregorij XII. Concilium Pisis congregatum fuit, & in hoc certè summus Pontifex reuerendissimos dominos Cardinales arguere non debet, cùm ipse terminum Concilij, qui vt ab eo asseritur non minus anno à sanctissimis patribus constituebatur, ad nouem menses restrinxerit. Similiter ad illud quod de loci incommoditate allegatur, Responderi potest, quod cùm aliàs Concilium ibi congregatum fuerit, ita & nunc pariter congregari potest, licet hactenus bello ciuitas Pisarum obsessa, à duobus annis citra nihil mali habuit, etiam ferè restaurata & in pristinum statum restituta videtur, & omnia quæ ad victum necessaria sunt facilè præparari possunt, propter agri fertilitatem. & quia mari propinqua est. Accedit etiam ciuitas Lucæ quæ illi vicina est, maximo adiumento illi esse poterit, & si Patribus Concilij videbitur, locus mutari poterit, prout in dictione Concilij dicitur, & sic patet leuissimam esse huiusmodi loci & temporis excusationem.

XIII. Postremò ad Concilium quod Romæ a summo Pontifice indictum & ordinarium fuit, dicimus quod cum de reformatione capitis agendum sit congregatio Concilij in facto proprio ad summum Pontificem non pertinet, & dato quod illi competeret, manifesta eius negligentia excluditur, adeo quod mora purgari non potest, vt supra dictum est: & etiam si purgatione moræ locus esset Concilij in Vrbe Romana, his temporibus non est tutus, vt notorium est: quis enim Romæ auderet à summo Pontifice eius villicationis rationes exigere, quia solitus est in eos sæuire qui eius eius voluntati repugnãt: iuxta notata per Bald. *in l. de pupillo §. si quis ipsi Pratori, de operis noui nunciat.* & iustissima est excusatio non comparentis ad locum non tutum, *c. ex parte de app. l. Clem. pastoralis §. Pisana de re iudi. c. accedens el. 2. vt lite non contest.* & cùm summus Pontifex capitali odio reuerendissimos Cardinales prosequatur, non debent credere literis salui conductus dicto capite, *accedens, & in cap. literas in fine, de restit. spoliat.* Et licet reuerendissimi Domini Cardinales his optimis & apertissimis rationibus se tueri possint, & in Concilio prius Pisis indicto persistere vlterius, tamen cogitantes vt eorum bona mens & animi sinceritas omnibus re ipsa innotescat, cùm ipsi nihil aliud quærant, nisi quod saluti vniuersalis Ecclesiæ consulatur, & vt omnis occasio schismatis imminentis remoueatur, se obtulerunt & offerunt paratissimos esse obedire summo Pontifici: & debitam reuerentiam illi exhibere, dummodo sanctitas sua de communi concordia locum tutum pro Concilio generali constituere velit. Et vt hoc facere omnino dignetur, cum omni reuerentia & humilitate sanctitatem suam rogauerunt, & iterum rogant plurimum & deprecantur. Jn hoc enim tota machina præsentis disceptatio-

nis resoluitur; nam si hanc iustissimam & æquissimam oblationem summus Pontifex admittere noluerit, & vt hactenus fecit, illam reseruauerit & reiecerit, veritas manifesta apparebit (quæ tergiuersari non poterit) quod ipse concilium liberum nullo modo congregari velit. Ar. *l. non solum. ff. de action. & obligat.* non tantùm enim verbis, sed etiam facto voluntas declaratur, *l. Paulus. ff. rem rat. hab. cap. dilecti, el 1. de app. facit text. 22. quæst 5 in Can. Caute 11. quæst. 3. in can. existimant*: & tali casu Patres Pisani Concilii, vt supra dictum est, optimo iure ad vlteriora procedere possunt & debent. Non obstante, quod summus Pontifex tale Concilium sub grauissimis censuris prohibuerit, quia in hoc illi obediendum non est, & eius censuram timere non debent, vt in terminis latè concludit Anton. Rosellus in tract. suo *de potestate Papæ, in charta 55. in fin.* quia tale præceptum contra Concilium illicitum est, ideo illi non est parendum, allegato *cap. literas, de restit. spoliat.* Ad hoc facit textus *in can. non semper 11. quæst. 3.* vbi dicitur, quod Prælato non semper obediendum est: vnde si præcepit aliquid contra Deum, vel si prohibet, quod à Deo præceptum est, illi non est parendum, 11. quæst. 3. in can. si is qui præest, *Nam Deo magis quàm hominibus obediendum est,* 8. distinct. can. quæ contra, in fin. & 11. quæst. 3. in can. si Dominus. Et tali casu sententia excommunicationis vel interdicti non grauat apud Deum, nec apud Ecclesiam eius, dict. can. *si is qui præest, & in can. non debet. 11. quæst. 3.* & idem in terminis Abb. tradit *in cap. inquisitioni, circa fin. de sentent. excommunicat.* vbi inquit, quod Cardinales qui recesserunt à Gregorio XII. ex eo quod noluit obseruare votum & iuramentum, quanquam reuocati fuissent sub grauissimis censuris, non tenebantur obedire; quia Concilium impeditum fuisset, & hoc idem voluit Petrus de Anchar. *in cons. 95. pro declaratione dubiorum, col. fin.* vbi in terminis dicit, quod reuerendissimi Domini Cardinales tenentur prosequi Concilium, ad quod se cum voto & iuramento obligauerunt, non obstante prohibitione Papæ. Et ita de iure concludendum videtur. Et hæc breuiter dicta sunt, vt puto, pro veritate & iustitia, & pro confirmatione Consilii à me editi: quæ omnia in disputatione iuris versantur. Ideo cum bona venia sanctissimi Domini nostri scripta sint, & sub correctione Apostolicæ sedis, in his verò, quæ in facto consistunt, & personam sanctissimi Domini nostri respiciunt, ego nihil dicturus sum, quia nihil scio, & non est meum ponere os in cœlum, *can. in tantum, 21. distinct.* & pro sanctitate & integritate vitæ illius præsumendum est, quem apex tantæ dignitatis attollit, *can. non nos, 40. distinct.* Laus Deo.

PHILIPPVS DECIVS MEDIOLANENSIS.

Explicit feliciter Tomus secundus Monarchiæ vtriusq; scilicet Politicæ & Ecclesiasticæ, Amen.





INDEX

RERUM, NEC NON SENTENTIARUM ET DICTORUM PATRUM S. SCITU ET NOTATU DIGNISSIMORUM, ATQUE VERBORUM, QUÆ *in hoc Volumine II. de Monarch. S. Rom. Imperii continentur, locupletißimus.*

A.

B.

Bona

Corporis

D.

Ex libro V. Epistolarum.

Marsilii Patauini, De re imperatoria & Pontificia, Dictio seu pars II.

ctam

 puni⁹.

LIBER VII. de credentibus, fautoribus, defenſoribus & receptatoribus hæreticorum.

quia

Eiusdem

E.

F.

G.

H.

Hominis

I.

K.

L.

M.

Mos

N.

Nolite

O.

P.

511. non

R.

Res

S.

Symbolus

FINIS.



